193

PANDECTÆ

JUSTINIANEÆ.

TOM. III.

à Libro XXXIX. ad L.

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

LOIX

CIVILES

DE LA

PANDECTÆ
JUSTINIANEÆ,
IN NOVUM ORDINEM DIGESTÆ:

CUM LEGIBUS CODICIS, ET NOVELLIS,
quæ Jus Pandectarum confirmant, explicant, aut abrogant.

Præfixus eſt INDEX Titulorum & Diviſionum omnium, quo totius Operis ſpecimen quoddam & quaſi materiarum Appendix exhibetur :

Subjecta quoque TABULA, quâ nominatim Leges omnes cum ſuis Paragraphis & Verſiculis ordini DIGESTORUM reſtituuntur.

Cum ſpeciali Tractatu Tituli *de Verborum ſignificatione*, in modum Indicis verborum & rerum Alphabetici ; & Tituli *de Regulis Juris*, in breve ſententiarum omnium Juris compendium.

Capiti hujus Voluminis adjectæ ſunt :

NOTITIA variorum Auctorum quorum nomina paſſim in toto Opere laudantur ;

Item *Tabula generalis Legum CODICIS quæ proprio ſuo verborum tenore in has PANDECTAS tranſlatæ ſunt.*

TOMUS TERTIUS,

GERGERES
PERE
AVOCAT.

Continens à Libro Trigeſimo-nono ad Quinquageſimum & ultimum.

NOVA EDITIO,

Priori correctior & in quâ Prætermiſſa & Supplenda *in ſuis locis reſtituuntur.*

Bibliothèque
De l'Ecole de Droit

LUGDUNI,
Sumptibus BERNUSET ET SOCIORUM.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET APPROBATIONE.
M. DCC. LXXXII.

Source : BIU Cujas

M. DCC. LXXXII.

INSTITUTIONUM
JURIS CIVILIS
LIBRI QUATUOR,

JURIS NATURALIS, GENTIUM, ET CIVILIS.

NOVA EDITIO.

JONAS TITIUS.

EDINBURGI:

NOTITIA VARIORUM AUCTORUM

Quos in illuſtrando hoc noſtro Pandectarum Juſtinianearum *Opere adhibuimus;*

Et quorum nomina in eo paſſim (*in* Notis *præcipuè*) *laudantur.*

A

ABBAS USPERGENSIS vulgò dictus; id eſt, CONRADUS ex nobili gente à Liechtenavv, abbas Monaſterii Uſpergenſis, Ordinis Præmonſtratenſis, ad Mindulam in Auguſtanâ diœceſi (*Treves ſur la Moſelle*), Scripſit CHRONICON à Nino Aſſyrio ad tempora Frederici II. Imperatoris.

ACCURSIUS (*Franciſcus-*) Florentinus: de cujus laude & ſcriptis, vide Præfationem noſtram in Pandectas, *Pag. xcj.*

GLOSSIS ejus, ad omnes ferè Juris partes Legeſque ſingulas conſcriptis, inſertæ ſunt non ſolùm Gloſſæ filii ejus natu majoris *Franciſci* æqualiſque doctrinæ; ſed & alterius quoque filii (*Cervoti-Accurſii*), cujus ex ingenio hebeti ut traditur & exiguo ſententiæ abſurdæ & ineptæ non rarò in iis Gloſſis deprehenduntur.

ACTA LIPSIENSIA (*Journaux de Leipſick*); id eſt ACTA ERUDITORUM ab anno 1682. hucuſque ſingulis per annum menſibus publicata LIPSIÆ; in quibus (inter alia ex omni ſcientiarum genere) multæ paſſim *Juris* obſervationes utiliſſimæ, ex variis, Germanis præſertim, Doctoribus deprehenduntur.

ACRON vetus Horatii interpres, incertæ ætatis. Vixit ſanè poſt *Servium* infrà, qui ſæculo demùm circiter quarto ipſe floruit.

ÆNEAS-GAZÆUS, profeſſione Sophiſta, ex Philoſopho Platonico chriſtianus, circa annum 487. ſcripſit Dialogum, THEOPHRASTUM dictum, *de Animarum immortalitate & corporum reſurrectione*, qui primùm ab Ambroſio Camaldulenſi Latinè verſus prodiit *Baſilæ* 1616. poſt deinde, Græcè & Latinè, ſæpiùs editus.

AGGENUS-URBICUS antiquus ſcriptor *De Limitibus agrorum*. Hujus opus, unâ cum aliis ad eamdem materiam pertinentibus, nimirùm *Siculi-Flacci*, *Julii-Frontini*, & *Hygini* (de quibus infrà), publicatum eſt.

ALBERICUS *à Portâ Ravennate*, Bulgari poſt Irnerium in ſcholâ Bononienſi diſcipulus; exeunte ſæculo duodecimo.

ALCIATUS (*Andreas-*) Mediolanenſis. Vide ſupràdictam Præfationem noſtram, *d. pag. xcj.*

ALDUS-MANUTIUS, & PAULUS-MANUTIUS filius; hic MANUTII ſimpliciter, ille ALDI nomine vulgò deſignatus; floruerunt eruditiſſimi ſcriptores ſimul & Typographi, cum altero *Aldo* Pauli filio, Venetiis & Romæ ſæculo XVI. Hujus ALDI nepotis extant *Epiſtolarum ad Familiares* libri tres, & *Pauli* duodecim.

Divi AMBROSII Eccleſiæ Doctoris *Opera*.

AMMIANUS-MARCELLINUS, ortu Græcus ab Antiochiâ, Cæſaris Juliani Secretarius; Latinè ſcripſit circa annum Chr. 380. *Rerum geſtarum* libros complures. Verùm ex ejus Hiſtoriis ſuperſunt tantùm libri decem & octo, à XIV. ad XXXI; ſcilicet à Conſtantio & Gallo, ad Valentem uſque & Gratianum.

ANIANUS, Alarico II. Wiſigothorum Regi à Conſiliis & Secretis, ipſo jubente recognovit *Theodoſianum Codicem* & publicavit anno Chr. 506, Aduris in Novempopulaniâ (*Aire en Gaſcogne*); præfixâ ipſius Alarici ſanctione.

Verùm non qualis ab ipſo Theodoſio editus fuerat, Codex ille tunc prodiit; ſed interpolatus paſſim, & *Interpretationibus* auctus. Scilicet Alaricus excerpta quædam tum ex veterum Juriſconſultorum ſcriptis (Caii, Ulpiani, Pauli), tum ex Codicibus Gregoriano & Hermogeniano, pleraque verò ex Theodoſiano, & ad Jus quod tum in uſu erat detorta; conflari in unum Corpus juſſerat per Gojaricum Comitem Palatii ſeu Cancellarium ſuum: cui *Corpori* robur & auctoritatem addidit, ſubſcribente Aniano quaſi manu Principis; ideòque hæc Collectio BREVIARIUM ANIANI dicta eſt. Hæc eadem illa eſt, in Occidente, ſæculis ſequentibus, *Legis Romanæ* ſeu *Theodoſianæ* nomine donata. Atque ex hoc Corpore ſuperſunt, quæ hodiè habemus truncata & lacera, fragmenta Gregoriani Codicis & Hermogeniani, duo libri Inſtitutionum Caii, quinque Pauli Sententiarum, undè-triginta Tituli ex Ulpiano; & ipſe qualis extabat adhuc ſub finem ſæculi XVI. *Codex Theodoſianus*.

ANTONIUS-AUGUSTINUS, Hiſpanus genere, Tarraconenſis Archiepiſcopus ab anno 1574. ad 1586. & inter eruditiores ſæculi ſui viros meritò numeratus: plura ſcripſit de Jure tam Civili quàm Pontificio; inter quæ, *Emandationes & opiniones Juris Civilis*; & DE *Legibus*, *Senatuſconſultis*, &c.

APPIANUS, Alexandrinus, hiſtoricus Græcus; Trajani, Adriani, & Antonini temporibus; Romæ primùm cauſarum patronus poſtea adlectus Procuratoribus Cæſaris: hiſtoriam Romanam ſcripſerat libris XXIV. ab Æneâ ad Trajanum ipſum, hiſtoriam nempè gentium à Romanis devictarum. Superſunt ex eâ, libri ſingulares *De Bellis Lybico*, *Parthico*, *Hiſpanico*, *Illyrico*, &c. cum *Bellorum Civilium* libris quinque. Extat & Epitome *de Bellis gallicis*.

APULEIUS (*Lucius-*) Madaurenſis in Africâ; philoſophus, licèt ex Platonis ſcholâ, laſciviæ ingenii nimiùm indulgens: ſcripſit ſub Divis Fratribus libros undecim, vulgò inſcriptos *Metamorphoſis* DE ASINO AUREO; *Græcanicam* (ut ipſe ait) *fabulam*; ex earum nempè fabularum numero quas *Mileſias* Capitolinus vocat, in quibus per jocoſiores apologos philoſophia moralis inſinuari putatur. Opus illud nonnulla continet ſcitu digna de moribus Antiquorum.

ARGENTRÆUS (*Bertrandus-*) apud Aremoricos natus, & ibidem Redonum Prætor, quem vulgò *Seneſchallum* vocant, *Molinæo* (infrà) coætaneus & æmulus; poſt ſcriptum in *Conſuetudines Aremoricas* Commentarium ſcientiâ Juris laudatiſſimum, obiit ann. 1590. ætatis 71.

ARISTOPHANIS (unius ex primis apud Græcos Comœdiarum ſcriptoribus) Comœdiæ *De Nubibus*, *De Equitibus*, &c. & ad eas Scholaſtes.

ARISTOTELIS Græcorum Philoſophorum principis, libri *de Republicâ*.

ARNOBIUS, Africanus, circa annum Chr. 297. in Numidiâ Rhetor, auditorem habuit *Lactantium* infrà Imperante Diocletiano, ad fidem Chriſtianam converſus, ſcripſit ADVERSUS GENTES libros ſeptem; noviſſimè editos ad calcem Operum D. Cypriani 1666.

ARRIANUS Nicomedienſis, Epicteti diſcipulus; ſub Trajano Imperii adminiſter; tum deinde ſub Hadriano & M. Antonino variis dignitatibus auctus ad Conſulatum uſque (ob honorem litterarum. Scripſit ad Epicteti diſſertationes (*Harangues*,) libros octo, & ad ejuſdem ſermones familiares, libros duodecim; cum ejus vitâ. Quidam tantùm ex iis ad nos pervenerunt: cum octo libris Hiſtoriarum *de Expeditione Alexandri-Magni*.

Non confundendus ille cum altero ARRIANO, qui quorumdam Imperatorum Romanorum vitas ſcripſit

ARTHURUS (vel ARTHUR-) DUCK, *de Uſu & auctoritate Juris Civilis Romanorum per dominia Principum chriſtianorum*: quo in Opuſculo complexus eſt (anno 1648) omnem Romanæ Juriſprudentiæ Hiſtoriam, à primis ejus conditoribus, & varia ejuſdem hucuſque apud varias orbis gentes fata. Natione Anglus ille fuit, Doctor Legum Oxonienſis, & ſub Carolo I. in Curiâ militari Regiarum cauſarum Promotor (*à la Cour du Connétable*), ut ipſe de ſe teſtatur: lib. 2. cap. 8.

ASCONIUS-PÆDIANUS, Grammaticus inſignis, & (Servio teſte) coætaneus Virgilii. Superſunt ejus Commentarii ad quaſdam orationes Ciceronis: ex quibus excerptæ adnotationes, paſſim ad ipſa Ciceronis Opera ſubjectæ ſunt, præſertim in præclarâ illâ Editione *Apud Weſtenios*.

De ASSE ET PONDERIBUS liber, ſeu DE PARTIBUS ASSIS; qui vulgò putatur eſſe *Voluſii-Maciani* (de quo in Præfatione noſtræ *Pag. xlvj.*) Juriſconſulti ſub Antonio-Pio: alii verò ſcriptum illum aſſerunt demùm poſt Theodoſianum Codicem. Editus eſt inter alia ad Juriſprudentiam ante-Juſtinianeam pertinentia, uno volumine comprehenſa à Cujacio, *Aureliæ-Allobrogum* 1586.

ATHENÆI (quem Suidas ait fuiſſe Naucratiten & Marci temporibus floruiſſe) DEIPNOSOPHISTON, hoc eſt argutè ſcitèque in convivio diſſerentium, Libri XV. Græcè ſcripti; in Latinum ſermonem verſi à Jac. *Dalechampio* Cadomenſi. In his quaſi Eruditorum hominum cœna exhibetur: conviyæ, ſeu *Deipnoſophiſtæ*, eruditiſſimi quovis genere diſciplinarum viri, qui inter cœnandum pulcherrima quæque de variis rebus diſſerunt. Hujus operis duo libri priores perierunt, eorumque epitome duntaxat ſupereſt: reliqui quales illos Athenæus ſcripſit ad nos pervenere.

AUCTORES LINGUÆ LATINÆ in unum redacti Corpus;

Source : BIU Cujas

scilicet VARRO *de Linguâ Latinâ*, FESTI *fragmenta*, &c. item *Ex veteribus Grammaticis, qui de proprietate & differentiis scripserunt, excerpta*, &c. Cum Notis D. Gothofredi ad Varronem, Festum & Nonium; & variis lectionibus in Fulgentium & Isidorum. 1585.

Divi AUGUSTINI Ecclesiæ Doctoris Opera, præsertim *De Civitate Dei.*

AURELIUS-VICTOR (*Sextus-*) genere, ut creditur, Africanus; cum Valentiniano I. Consul anno Chr. 369. Huic adscribendi sunt libelli notissimi, *Origo Romanæ gentis*, DE *Viris illustribus*, & DE *Cæsaribus.*

Alteri ejusdem nominis scriptori (qui JUNIOR dicitur), tribuenda historia DE *Vitâ & moribus Romanorum;* cujus extat excerpta EPITOME, ab Augusto ad Theodosium-Magnum.

AUSONIUS (*Decius-Magnus-*) Burdigalensis, ab Imperatore Valentiniano præceptor Gratiano filio suo datus, atque hinc ad Consularem provectus dignitatem ann. Chr. 379. Scripsit libros *Epigrammatum*, *Epistolarum*, aliosque varios eleganti carmine; sed à christianis moribus ita degenere, ut in dubium veniat apud Eruditos num reverâ inter Poëtas Christianos debeat numerari.

AZO ex *Irnerii* scholâ, Bononiensis; in cujus Civitatis Academiâ Jus professus; præcipuum auditorem, & successorem habuit *Accursium* (suprà): scripsit SUMMAM seu Epitomen Legum, paris acuminis ac soliditatis. Obiit anno 1200.

B

BACHOVIUS (*Reinhardus-*) Coloniæ-Agrippinæ natus circa finem sæculi XVI. Heildebergæ Jus professus est ad annum usque 1622; quo, collapsâ Heildebergensi Academiâ, ad varias orbis Germani partes profugus fuit. Verùm restitutæ postea ab Electore Bavarico *Maximiliano* eidem suæ Academiæ, & ipse redditus est anno 1629. fideique catholicæ. Inter Juridica ejus opera, celebrantur imprimis *Notæ & Animadversiones ad disputationes Hieronymi* TREUTLERI (Jurisconsulti apud Silesios anno 1607. mox defuncti): opus quarto editum 3. Vol. in-4°. *Coloniæ* 1688. Animadvertit quoque ad opera *Ant. Fabri*, infrà.

BAIF (*Lazarus-*) ex nobili apud Andes gente, in supremo Senatu Parisiensi Consiliarius, dein Libellorum supplicum Magister sub Rege Francisco I. scripsit *de Re Vestiariâ* Romanorum (in quorum Antiquitatibus indagandis fuit peritissimus) libellum, item *de Re Vasculariâ*, & *de Re navali.* Obiit ann. 1546.

BALDUINUS (*Franciscus-*) Atrebas, in Galliâ primùm; deinde Heildebergæ, Juris professor; tum Parisiis, ubi apud Mathurinenses sepultus est ann. 1572. ætatis 53. Laudatur imprimis, hujus Opus cui nomen JUSTINIANUS; sive *De Jure novo Commentariorum libri quatuor.* In aliis quibusdam operibus sub nomine *Petri Atrebatii delituit.*

BALDUS, Perusinus; Bartholi (mox infrà) discipulus; & in patriâ suâ primùm, deinde Ticini, Jus Civile professus; dum interim exercitationibus forensibus se dederet: scripsit in omnes ferè Juris partes, etiam Pontificii & feudalis. Obiit anno Christi 1404.

BARO (*Eguinarius-*) Leonensis apud Aremoricos inferiores, Jus publicè docuit Andegavi primùm, tum Pictavi, deinde Biturigis ubi obiit ann. 1550. Scripsit varios Juris tractatus; præsertim in *Institutiones*, & ad titulum ff. *de Rebus creditis.*

BARTOLUS, novæ, post Irnerii & Accursii scholam, classis Jurisconsultorum princeps. Natus in Umbriâ, ex oppido quod (olim *Setinum*, nunc) *Saxoferratum* appellatur, ann. 1313. Pisis primùm, deinde Perusii Jus docuit, imperante Carolo IV. cui à Consiliis fuit. Obiit, ut creditur, anno ætatis 43 circiter, Christi 1355 (*a*).

(*a*) Ergo celebris illa Bartholi controversia circa legem 7. § fin. ff. *de Distract. pig.* (an legendum esset *nullam esse venditionem*, an verò *nullam esse conventionem*) quam cum FRANCISCO, Accursii filio, habuisse ipse testatur ad l. 3. Cod. *de Cond. ob caus. dat.* n. 4. & cujus dirimendæ gratiâ Pisas inspectum miserunt Pandectarum Codicem; nequaquàm intelligi potest de filio Accursii primi Glossatoris (de quo suprà), anno 1229. jam defuncti; sed de filio alterius Accursii Antecessoris Reggiensis circa ann. 1273. Et ita rectè Pancyrolus *de Claris Legum interpret.* lib. II. cap. 42.

BASILICA; seu Juris Græco-Romani libri LX. Græcè & Latinè, Editore ac interprete Car. Annibale *Fabroto.* De his Basilicis, eorum *Synopsi* & *Scholiis* vide Præfationem nostram, *Pag. lxxxix.*

BAUDOSÆ (*Petri ab Areâ*) Editio Pandectarum, Lugduni 1593.

BERTRANDUS (*Joannes-*) regnante Henrico III. Tolosani Senatûs Princeps: scripsit non sine eruditione DE VITIS JURISPERITORUM; opus ab ejus filio *Francisco* Bertrand publicatum ann. 1618. Obierat *Joannes* die ipsâ 1*d.* Novembr. 1594.

BIBACULUS vetus Poëta, in *Corpore Poetarum* infrà.

BIBLIA SACRA; scilicet excerpta passim, tam ex veteri quàm novo testamento.

BOEKELEN (seu *Christianus-Otho-*A BOEKELEN), Lubecensis; postquàm in Helmstadiensi, & Argentoratensi Academiis inclaruisset, à Duce Saxoniæ-inferioris ad Consilium regiminis sui (Rutzeburgi) evocatus, ibi præmaturâ morte obiit anno 1676. Edidit quatuor opuscula; *De Diversis familiis veterum Jurisconsultorum*, quo potissimùm in Præfatione nostrâ usi sumus; *De Orationibus Principum in Senatu Romano; De Exceptionibus tacitis in pactis publicis; De Æmulatione principum.*

BOETHIUS in *Topica Ciceronis*: idem ille opusculo *de Consolatione Philosophiæ*, quod in carcere scripsit, notissimus. Dicebatur *Anicius-Manlius-Torquatus-Severinus* BOECIUS vel BOETIUS, aut etiam BOETHIUS (sic enim variè scribitur); vir ex Consulari gente & ipse Consul anno Christi 510. deinde à Theodorico Gothorum rege, capite plexus. Philosophiæ Aristotelis addictus fuerat, & versatissimus in omnibus Græcorum disciplinis.

BRISSONIUS (*Barnabas-*) apud Pictavos inferiores natus Fontaniaci (*Fontenay-le-Comte*), Regii Consistorii sub Henrici III. & IV. Consiliarius, in Supremo Senatu Parisiensi Præses; & ob suspicionem consilii dedendæ Henrico IV. Urbis, à factione *Sexdecim* Conjuratorum laqueo suspensus. In variis ejus operibus, penè stupenda eruditio Antiquitatis. Sunt autem hæc ferè:

DE FORMULIS *& solemnibus Populi Romani verbis* libri VIII. De VERBORUM *quæ ad jus pertinent* SIGNIFICATIONE libri XIX. ordine Alphabetico in *Lexici* modum digesti. *Selectarum ex Jure Civili Antiquitatum* libri sex. Item, DE *Ritu nuptiarum*, DE *Regno Persarum*, &c.

BRONCHORST (*Everardus-*) Juris apud Batavos annis jam abhinc triginta-sex Professor anno 1624. Scripsit in Titulum Digestorum *de Diversis Regulis Juris antiqui* enarrationes breves & luculentas. Postremò editæ illæ Lugduni Batavorum 1648.

BUDÆUS (*Guillelmus-*) Parisinus, Regiæ Bibliothecæ Præfectus à Francisco I. & Magister libellorum creatus. Scripsit (inter alia) ADNOTATIONES in Pandectas, & libros DE ASSE seu de re nummariâ eruditissimos. Obiit an. 1540. ætatis 70.

BYNKERSHOEK (*Cornelius-*) supremæ Curiæ Hagæ-Batavorum Præses. Extant ejus OBSERVATIONUM *Juris Romani libri quatuor; in quibus plurima Juris Civilis aliorumque Auctorum loca explicantur & emandantur:* scripti anno 1709. & tertiò editi post mortem Auctoris, Lugduni-Batavorum 1749. Ejusdem dissertatio *de Rebus mancipi;* item *de Jure occidendi*, libri sex.

C

CÆSARIS (*Caii-Julii-*) primi Romanorum Imperatoris Commentariorum *de Bello Gallico* libri VII. (Octavus scriptorem habuit A. Hirtium-Pansam, Cæsari coætaneum, sed ipsi superstitem); item *de Bello Civili* libri III.

CALEPINI (*Ambrosii-*) Bergomensis, ordinis D. Augustini, *Dictionarium Latinæ Linguæ.*

CALVINUS *aliàs* KAHL (*Joannes-*) Weteranus (quod oppidum est in Clivensi Ducatu, hodie *Santen*) simul cum D. Gothofredo ordinarius Juris in Academiâ Heildebergensi Professor, circa finem sæculi Decimi-sexti & septimi initium: ex omnibus quæ hucusque prodierant Juris Lexicis, Spielegii, Oldendorpii, Hotomanni, Prateii, Schardii, &c. maximè verò Barnabæ-Brissonii, collegit LEXICON JURIDICUM *Juris Romani simul & Canonici &c.* editum primò, Francofurti 1600, vivo auctore, deinde Genevæ & Lugduni.

CAPITOLINUS (*Julius-*) scriptor historicus de Vitis Imperatorum circa finem sæculi III & initium IV. Diocletiano dicavit *Antoninum-Pium*, *Marcum-Philosophum*, & *L. Verum*; Constantino, *Albinum*, *Macrinum*, *Gordianos*, &c.

CATO (*M. Porcius-*) Priscus, Romæ Censor celeberrimus, & Consul ann. U. C. 559. ante Chr. 192. Cujus extat DE RUSTICA liber unus; unà cum libris *Columellæ* & *Varronis* (infrà) de re eâdem, aliorumque ad id genus pertinentibus, Parisiis editus 1533.

CASAUBONUS (*Isaac-*) Genevæ natus ann. 1559. Græcæ linguæ apud Parisios Professor, & ibi ab Henrico IV. Bibliothecæ Regiæ præfectus; mirâ eruditione scripsit Commentarios in *Suetonium*, *Diogenem-Laertium*, *Theophrastum*, aliosque sive Græcos sive Latinos Auctores; Epistolas item, & Animadversiones in *Athenæum*, *Strabonem*, *Polybium*, &c. A Jacobo I. Britanniarum Rege accitus in Angliam, ibi obiit anno 1614. ætatis 55.

CASSIODORUS (*Magnus-Aurelius-*) patriâ Bruttius, stirpe Romanus ex Illustri & Senatoriâ familiâ; sub initia Theodorici Regis, Siciliæ Præfectus, tùm secretioribus Consiliis adhibitus, Præfectus Prætorio, ac demùm solus Consul ann. 514. Scripsit inter cætera, *de Rebus gestis Gothorum* libros XII. quorum sola Epitome superest: item CHRONICON ad Theodoricum Regem ab Adamo usque ad annum 519, *Summâ incuriâ contextum*, inquit Vossius. Obiit in vitâ monasticâ, post annum 562. Extant & ejus *Variarum Epistolarum* libri XII.

CATULLUS (*Caius-Valerius-*) Veronensis, Ciceroni familiaris & Julio-Cæsari; versus conscripsit venustate & leporibus elegantes, sive Lyricos, sive Iambicos sive Epigrammata; plerumque tamen lasciviores. Extinctus creditur annum ætatis quum ageret circiter trigesimum.

CENSORINUS anno Ch. 238. Gordiani primo, scripsit libellum DE DIE NATALI pereruditum, & Chronologis Epocharum certitudine utilissimum. Hunc recensuit, Notisque perquàm elegantibus illustravit Henricus Lindenbrogius: *Lugduni-Batav.* 1642.

Divi CHRYSOSTOMI (*Joannis-*) Ecclesiæ Doctoris *Opera.*

CICERONIS (M. TULLII-) *Opera.*

COLUMELLA (*L. Julius-Moderatus-*) patriâ Gaditanus, Claudii

Source : BIU Cujas

temporibus, ſcripſit Duodecim *De re Ruſticâ* libros; quorum decimus *de Cultu hortorum*, verſibus concinnatus eſt. Hos omnes Philippus-BEROALDUS adnotationibus illuſtravit.

CONNANUS (*Franciſcus-*) Pariſienſis, Regis Franciſci I. Conſiliarius, ſupplicumque libellorum in Regiâ magiſter (*Maître des Requêtes*), Juris auditor fuerat, Aureliæ ſub Petro-Stellâ, & Avarici-Biturigum ſub Alciato. Obiit anno 1551. ætatis 43. Reliquit COMMENTARIORUM JURIS CIVILIS libros decem, Pariſiis editos biennio poſt, an. 1553.

CONTIUS (*Antonius-*) Novioduni in Galliâ natus ſæculo XVI. Jus profeſſus eſt in Biturícenſi & Aurelianenſi Academiis. Inter ejus opera laudantur in primis, *Lectionum ſubceſivarum Juris Civilis* libri duo, Commentarius in *Inſtitutiones*, & *Ad Legem Juliam* MAJESTATIS, *Diſputationum Juris* liber unus. Defunctus Biturigis anno 1586. ſepultus eſt in Eccleſiâ Divi Hippolyti; juxta corpus *Duareni* (infrà), à quo vivens perpetuò diſſenſerat.

CORASIUS (*Joannes-*) Toloſanus, poſt peracta in Italiâ ſtudia Juris, ipſe Andegavis, Pariſiis, Aureliæ, Jus publicè docuit, tùm denique Toloſæ duobus Auditorum millibus; undè in ejuſdem Parlamenti Curiam Senator adſcriptus eſt, & à Rege Navarræ Cancellarius electus. Poſt publicata, anno primùm 1535, iterùm autem anno 1549, *Miſcellanea*; edidit & varias *Interpretationes Juris*. Tumultuariè à plebe interfectus periit ann. 1572. circa diem *San-Bartholomæi* famoſiſſimam.

CORNUTUS, antiquus Perſii interpres ſeu ſcholiaſtes, idem & inſignis philoſophus quo magiſtro Perſius uſus fuerat.

CUJACIUS (*Jacobus-*) Juris interpretum præſtantiſſimus; Toloſæ natus, ubi primùm Jus didicit ipſe & docuit, deinde (poſt indignam in petitione Anteceſſuræ Toloſanæ repulſam) Cadurci, Biturigis, Valentiæ, Taurini-Auguſtæ; & iterùm tandem Biturigis, ubi IV. Nonas Octobr. obiit ann. 1590. ætatis 68.

Ejus opera omnia & in omnes Juris Civilis partes, noviſſimè in Decem tomos diſtributa edidit Car. Annibal Fabrotus Anteceſſor Aquiſextienſis, Pariſiis 1658.

CORPUS omnium veterum POETARUM Latinorum; ſeu quæ ex iis extant Opera omnia ſive Fragmenta, ab Andronico & Ennio ad uſque Fortunatum & Sidonium-Apollinarem. Edit. *Genevæ* in-4°. ann. 1611. tùm deinde Londini, longè ornatius & auctius, 2. Vol. in-fol. ann. 1713 & 1721.

CYRILLUS, Græcus Juriſconſultus; unus ex illis qui Gloſſas ſeu Commentarios ad libros Baſilicorum ſcripſerunt. Undè paſſim, *Scholia* CYRILLITANA.

D

DAVEZAN (*Joannes-*) Juriſconſultus Vaſco, poſt auditos in Academiâ Toloſana Anteceſſores *Maranum* & *Joannem à Coſtâ*; & ipſe Aureliæ primò, deinde Pariſiis Anteceſſor celeberrimus: ſcripſit inter alia, libros *de Contractibus* & *de Servitutibus*: Aureliæ editos 1644 & 1650.

DEMOSTHENIS, Oratorum Græcorum Principis, orationes *Contra Timocratem*, *Ariſtocratem*, &c.

DIO-CASSIUS, cognomento *Cocceianus*, Nicææ in Bithyniâ natus, Aproniano patre viro Conſulari, & ipſe bis Conſul, iterùm cum Alexandro Imperatore: Græcè ſcripſit HISTORIÆ ROMANÆ ab U. C. ad Alexandrum-Severum libros 80, ſeu octo Decades. Ex quibus primi triginta-quatuor perierunt; ſuperſunt quadraginta-ſex poſteriores, partim mutili.

DIODORUS-SICULUS; Julii-Cæſaris & Auguſti temporibus collegit *Bibliothecam hiſtoricam*, quadraginta libris Græcè ſcriptis abſolutam; ex quibus ſuperſunt ſoli quindecim.

DIOGENES qui & LAERTIUS dictus, circa tempora Alexandri-Severi, Græcè ſcripſit libros decem *de Vitâ & moribus philoſophorum*, inter quos Epicuri ſectam ipſe profeſſus creditur.

DIONYSIUS-HALICARNASSÆUS. Ex viginti *Antiquitatum Romanarum* libris quos regnante Auguſto ſcripſerat, ſuperſunt tantùm undecim priores.

DIOSCORIDES, Anazarbæ (quæ poſtea *Diocæſarea* dicta eſt) in Ciliciâ natus; medicus inſignis, primo ut creditur Chriſti ſæculo, ſcripſit de Materiâ medicâ, præſertimque de *Plantis*, libros ſeptem.

DONATUS (*Ælius-*) Grammaticus unus ex Divi Hieronymi præceptoribus ann. 354. Hujus fragmenta quædam ex *Grammaticâ* & Commentariis in Virgilium, paſſim excerpta ſunt; extantque apud *Servium*, & inter *Auctores Linguæ Latinæ* ſuprà. Commentarius autem ejus ſupereſt integer in Terentium.

DONELLUS (*Hugo-*) diſcipulus Duareni, & ab ipſo in Præceptorum Collegium cooptatus, Jus profeſſus eſt in Academiâ Biturícenſi primùm: deindè, quum ob Calvinianam hæreſim ſolum vertere coactus eſſet, Heildelbergæ, tùm denique Leydæ ſeu Lugduni-Batavorum. Vitâ functus ann. 1691. ætatis 64.

Scripſit COMMENTARIOS longiores ad quoſdam Digeſtorum Titulos, ſcilicet DE *Rebus cred. de Jurejur. de In litem jur. de Cond. ex Lege, de Cond. tritic. de Eo quod certo loc.* DE *Præſcriptis verbis* & DE *Verborum obligat.* item ad libros quoſdam Codicis, &c.

DOSITHEUS *Grammaticus*, incertæ ætatis. Hunc conjicit J. Gothofredus, circa tempora Hadriani Imperatoris vixiſſe; quia in iis quæ de re Grammaticâ ſcripſerat fragmentis, liber tertius (cujus quæ ſuperſunt, extant in Collectione *Schultingii* infrà) plurimas Hadriani ſententias, & quidem ferè unicè complectitur.

DUARENUS (*Franciſcus-*) Alciati diſcipulus, & triennio poſt ejus diſceſſum, Juris in Academiâ Biturícenſi Profeſſor, à Margaritâ-Francicâ Duce Biturigum valdè honoratus. Obiit anno 1559. ætatis 50. Hujus extant COMMENTARII in quàmplurimos Digeſtorum & Codicis Titulos. Item DISPUTATIONUM ANNIVERSARIARUM libri duo; in quibus variæ Theſes continentur ex medio Jure depromptæ, palàmque ad oppugnationem & defenſionem propoſitæ. Opus illud ideò *Anniverſarias diſputationes* inſcriptum voluit; quia, ut ipſe in Præfatione teſtatur, ſingulos hujuſmodi libros annis ſingulis ſcholaſticæ diſputationis causâ emittere ſibi propoſuerat.

DUYRSEMA, hujus-ce ætatis Juriſconſultus, in *Actis Lipſienſibus* ſuprà.

E

ECLOGA ſeu SYNOPSIS *Baſilicon*, incerti Auctoris. Hanc Tarenti repertam à Sambuco, Joannes-Leunclavius verſione Latinâ & Notis illuſtratam edidit anno 1575.

ENNIUS (*Quintus-*) Rudiæ in Calabriæ oppido natus, *Antiquâ Meſſapi ab origine Regis*. Ex Sardiniâ inſulâ Romam deductus eſt à M. Catone Quæſtore vel Cenſore, quem jam grandævum in Græcis litteris erudierat. Tùm civitate donatus, habitavit in monte Aventino; parco admodùm ſumptu contentus & unius ancillæ miniſterio; vini tamen (ut exprobrat Horatius) appetentior; periit articulari morbo quem ex nimio potu contraxerat, an. U. C. 585. ante Chr. 169. ætatis 70. Antiquiſſimus ferè poetarum apud Romanos fuiſſe creditur; ſcripſitque carmine, in ſententiis vehementi & fide pleno, in verbis rudi: *Annalium* libros complures, *Bella* Populi Romani, *Comœdias*, *Tragœdias*, &c. Pauciſſima ex his omnibus ad nos fragmenta pervenêre.

EPITOME LIVII, librorum quadraginta ſuprà centum: incerto auctore. Earum Epitomarum aliqua eſt ad hiſtoriam ubi Livius deficit illuſtrandam utilitas; paſſimque illæ in Editionibus Livii inſertæ ad ſingulos libros reperiuntur.

EUNAPIUS Sophiſta paganus, Sardis in Lydiâ natus circa medium ſæculi IV. ſcripſit circa ejuſdem ſæculi finem *de Vitis Philoſophorum & Sophiſtarum*; inter quos, poſt Ædeſium alioſquè Jamblici diſcipulos, ultimum locum obtinet Chryſanthius ipſius Eunapii magiſter.

EUSEBIUS (*Pamphilus-*) Cæſarienſis Epiſcopus anno circiter 315; Conſtantino Imperatori ob præcipuam inter ſæculi ſui viros eruditionis & eloquentiæ laudem gratioſiſſimus: præter alia plurima, ſcripſit *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* libros decem, quatuorque de *Conſtantini* vitâ, & *Chronicon* ad annum uſque ejuſdem Conſtantini vigeſimum.

Fuit & alius EUSEBIUS, qui ſæculo III. *Hiſtoriam* Græcè ſcripſit ab Auguſto ad Carum & Carinum Imperatores.

EUTROPII *Hiſtoriæ Romanæ Breviarium*; libris decem, res ab Urbe conditâ ad annum ejuſdem 1119. complectens, ſcilicet uſque ad Joviani mortem, & initium Imperii Valentiani & Valentis anno Chriſti 366. quo tempore *Eutropius* ipſe vixit, ſuamque Epitomen ordinavit Valenti Auguſto dedicatam; ut ſic Principem illum qui omnium litterarum ignarus ad Imperium pervenerat, ad ſuperiorum ducum Principumque Romanorum res geſtas percurrendas alliceret.

F

FABER (*Petrus-*) ex Fabrorum gente apud Toloſates nobiliſſimâ (ex quâ inter cæteros *Pybracius*) Præſeſque in Curiâ Parlamenti Toloſani; undè vulgò dictus, *le Préſident Du Faur*; cujus paſſim laudantur libri SEMESTRIUM, id eſt variarum de Jure obſervationum quas per ſemeſtre vacationum tempus colligebat: ſcripſit quoque *de Regulis Juris*. Obiit anno ipſo 1600. ætatis 60.

FABER (*Antonius-*FAVRE) in ſupremâ Sabaudiæ Curiâ Præſes primarius; ubi obiit anno 1624. ætatis 67. ſcripſit *de Erroribus Pragmaticorum Chiliaden* ſeu Decades centum, CONJECTURARUM libros viginti, item *Rationalia in Pandectarum libros* circiter viginti priores, &c.

FACHINÆUS (*Andreas-*) Forolivienſis, celeberrimi Mercurialis Doctoris medici gener, Ingolſtandii primùm ann. 1595. deinde in Piſanâ Academiâ ann. 1601. Juris profeſſor Ordinarius: ſcripſit CONTROVERSIARUM JURIS libros XIII.

FARINACCIUS (*Proſper-*) Romæ Juriſconſultus celebris in rebus præſertim capitalibus, & Fiſci Pontificii Procurator ſub Clemente VIII. homo nequiſſimis moribus, ſed doctrinâ eximiâ; cujus Operum extant duo ſupra viginti volumina in-fol. Inter quæ, *Praxis & Theoria Criminalis*. Obiit ann. 1618. ætatis 64.

FASTI CONSULARES. Hi paſſim reperiuntur ad calcem Corporis juris editi à *Contio*.

FERRETUS (*Dominicus-Æmilius-*) Italus, Pontifici Leoni X. à Secretis, tùm Valentiæ in Galliâ Juris profeſſor; undè à Rege Franciſco I. evocatus, adlectuſque inter ſupremi ſenatûs Pariſienſis Conſiliarios, & variis Legationibus decoratus. Verùm publicis muneribus fatigatus, rursùm ſe contulit ad docendum; & Ave-

Source : BIU Cujas

nione obiit anno (ut Thuanus computat) 1555. Scripsit *Notas* in Institutiones, *Prælectiones* in præcipuos Pandectarum & Codicis Titulos, *de Morâ* librum singularem, varia *Responsa*, *Everriculum Bartholi*, &c.

FESTUS; id est, Sexti-Pompei-Festi *de Verborum significatione* ex libris viginti quæ extant fragmenta. Hoc opus integrum adhuc extabat Caroli-Magni temporibus. Quâ ætate *Paulus* quidam *Diaconus* Ecclesiæ Neapolitanæ, id in Epitomen redegit, ipsi Imperatori Carolo dicatam.

Indè omninò neglectum & penè deperditum Festi opus; cujus tamen è clade superfuit codex seu liber unus, scilicet à litterâ M. ad litteram V: quem *Fulvius-Ursinus*, antiquitatis studio, ex Farnesiorum Bibliothecâ repræsentavit: mutilum uti erat ac lacerum, iisdem pagellis (numero 196.) iisdemque lineis; suppletis passim, ubi per conjecturam licuit, quæ exesæ erant vocibus aut etiam sententiis. Et ita fragmentum illud Festi exhibetur inter *Auctores Linguæ Latinæ* suprà: cui statim subjectum est corpus aliud Fragmentorum ex *Festo* & supràdicto *Paulo Diacono* in unum collectis per Antonium-Augustinum; in quo, ad marginem distinguuntur ea quæ Festi sunt ab iis quæ Paulo videntur deputanda.

FREHERUS (*Marquardus*) ex Advocato, Electoris Brandeburgici factus Consiliarius & in regiminis partem vocatus; litterarum æquè ac Historiæ Juriscque scientiâ præcelluit. Scripsit *de Re monetariâ*, *Chronologiam utriusque Imperii*, &c. defunctus ann. 1601. ætatis 60.

FLORUS (*Lucius-Annæus*, vulgò tamen *Julius-*) ex Senecarum & Lucanorum gente, extremis Trajani temporibus scripsit Historiæ Romanæ libros quatuor. Huic etiam male vulgò tribuitur *Liviniana Epitome*, suprà.

FORNERIUS (*Guillelmus-*) Aurelianensis Antecessor & Consiliarius: scripsit *Selectionum* libros tres, *Aureliæ* 1572. & Commentarium in Tit. *de Verborum significatione* anno 1584. Edidit quoque Radulphus filius ejus *Rerum quotidianarum* libros sex, *Paris.* 1606.

FRONTINUS (*Julius-*) Libellum scripsit *de Agrorum qualitate & controversiis limitum*, Celso cuidam inscriptum. Hunc cum *Aggeni-Urbici* (suprà) Commentario, manuscriptos in Bibliothecâ Monasterii sancti Bertini apud Andomarum inventos, Gallantius & Turnebus in lucem ediderunt anno 1554.

FULGENTII-PLANTIADIS (quem sæculo VI. Episcopum Carthaginiensem fuisse ferunt) libellus *de Priscо sermone*: inter *Auctores Linguæ Lat.* suprà.

FULVIUS-URSINUS; Romanus, Ecclesiæ Laterensis Canonicus; scriptor eruditione antiquitatis celeberrimus sæculo XVI. adnotavit in XII. Tabulas, in Ciceronem, Varronem, Columellam, Festum Pompeium, &c. Tractavit quoque *de Familiis Romanorum* &c. Romæ extinctus 18. Junii 1600. anno ætatis 70.

G

GELLIUS (*Aulus-*) qui & AGELLIUS passim dicitur, Grammaticus insignis sæculo II. circa annum Chr. 130. Athenis (ubi se è Latio contulerat) scriptæ sunt observationes illæ ad Jurisprudentiam æquè & moralem philosophiam, Grammaticam, Historiamque antiquam pertinentes; quas congessit in Opusculo eximio NOCTES *seu Vigiliæ* ATTICÆ; quod sub Hadriano inchoatum, sub Antonino-Pio demùm perfecit, libris viginti distinctum & variis per singulos Capitibus.

GENTILIS (*Albericus-*) natione Italus, Perusii Juris doctoratum adeptus, apud Britannos Religionis causâ profugit circa finem sæculi decimi-sexti: ibique anno 1582. donatus Juris cathedrâ, Londini obiit anno 1608. ætatis 58. Scripsit præsertim DE *Jure belli*, de *Legationibus*, DE *Juris interpretibus*, & ad Titulum DE *Verborum significatione* Commentarium, &c.

GENTILIS (*Scipio-*) Alberici frater; Leydæ Juris auditor sub Hugone-Donello, postea ipse Heldebergæ jurisprudentiam professus, & Nuremburgi consiliarius, vitâ cessit anno 1616.

Scripsit, DE *Jure publico Populi Romani*; DE *Conjurationibus* (& ad Legem Juliam Majestatis) libros duos; DE *Donationib. inter vir. & uxorem*; DE *Bonis maternis & secundi nuptiis*; DE *Jurisdictione* libros tres, *Parergorum Juris Civilis* duos, &c.

GIPHANIUS (*Obertus* vel *Hubertus-*) Burensis in Gueldriâ, inter Germanos Juris Doctores sub finem sæculi XVI. unus ex præcipuis: postquàm in Ingolstadiensi Academiâ Jus Civile docuisset summâ cum laude, ab Imperatore Rodulpho II. in Consilii Aulici Senatoribus adscriptus; obiit Pragæ, anno 1604. Reliquit Commentarios ad *Institutiones*, & ad Titulos quosdam *Digestorum* præsertimque *de Regulis Juris*; explanationem legum difficiliorum *Codicis*, librum *de Œconomiâ Juris Civilis*, &c. Idem ipse in Academiâ nostra Juris Aurelianensi, tot privilegiis Germanæ nationis auditoribus qui in eam olim confluebant indultis percelebri, fundavit in usum studiosæ juventutis Bibliothecam quæ hodièque GERMANICA dicitur.

GOEDDÆUS (*Joannes-*) Herbonii in Germaniâ, deinde & Marpurgi cum Hermanno-Vulteio Juris professor; præter Tractatus DE *Stipulationibus*, DE *Mutuo*, &c. edidit doctissimos in Titulum ff. DE VERBORUM SIGNIFICATIONE commentarios, *Herbonæ-Nassoviorum* 1602. Obiit ann. 1633.

GOTHOFREDUS (*Dionysius-*) Parisiis ex honestissimâ familiâ ortus; ex præstantioribus sæculi sui Advocatis in Senatu Parisiensi, accitus in variis Germaniæ Universitatibus Antecessor, *Corpus Civile* integrum Notis breviter ita & elucubratissimè scriptis ditavit. Anno 1622. ætatis 73. obiit Argentorati, heredem relinquens eruditionis suæ, imò longè præcellentis, *Jacobum* filium.

GOTHOFREDUS (*Jacobus-*) Dionisii filius, Genevæ primis Reipublicæ muneribus functus, Senatoris, Antecessoris, Jurisconsulti suâ & multarum præcedentium ætate eximii, summâ cum laude partes implevit brevi vitæ spatio; defunctus anno 1652. ætatis 56. Scripsit varia opuscula juridica; inter quæ, utilissimum ad Juris fontes referandos & Jurisprudentiæ Romanæ historiam universam *Manuale Juris*. Scripsit & perpetuos ad *Leges XII. Tabularum*, & ad Titulum *de Regulis juris*, Commentarios, imprimis verò ad *Theodosianum Codicem*, non ex Breviario Aniani (suprà) decurtatum, sed suæ integritati quantùm fieri potuit restitutum. Hoc ultimum opus post mortem demùm Auctoris prodiit, operâ & studio Antonii-Marvilii Valentiæ Antecessoris; *Lugduni* 1665.

GOVEANUS (*Antonius-*) CUI, ut suo tempore Cujacius aiebat, *ex omnibus quotquot sunt aut fuêre Justinianei Juris interpretibus, si quæramus quis unus excellat, palma deferenda est*; è Lusitaniâ oriundus fuit. Parisios studiorum causâ profectus, tantâ postea cum laude Jus professus est Valentiæ, Tolosæ, Cadurci, Gratianopoli, ut à Sereniſſimo Sabaudiæ Duce inter libellorum supplicum Magistros cooptaretur. Inter alia scripsit VARIARUM LECTIONUM libros duos, & *de Jurisdictione* totidem, & *Animadversionum* quoque librum singularem; item Commentarios ad Tit. *de Vulg. & pup. substit.* ad *Legem Falcidiam*, &c. Annis nondum sexaginta natus, Turini obiit ann. 1565.

GRÆVIUS (*Henricus-*) è Saxoniâ, inter litterarum Juriscque Doctores sæculo XVI. Eruditissimus, recensuit & adnotavit in *Ciceronem* &c.

GRAVINA (*Janus-Vincentius-*) in Calabriâ natus ann. 1664. Romam deinde ad Jus docendum evocatus ab Innocentio XII. summo Pontifice; quod in Archi-Gymnasio SAPIENTIÆ professus & sub Clemente XI°. ad annum usque 1717, ineunte eodem anno correptus subito dolore viscerum obiit II. Nonas Januarii.

In unum volumen collecti sunt ejus ORIGINUM JURIS CIVILIS *libri tres*, cum aliis quibusdam opusculis juridicis & orationibus.

GREGORIUS TURONENSIS Episcopus, Avernus nobili origine, & ex illustrioribus sæculi VI. scriptoribus; inter alia multa, absolvit libris decem *Historiam Francorum* ita à primis Regni incunabulis enucleatam ut meritò pater historiæ nostræ habeatur. Romæ, quò illum pietas ad invisenda Apostolorum limina duxerat, Gregorio-Magno Pontifici amicitiâ conjunctus; paulò post reditum migravit è vitâ 27. Novembr. ann. 595, ætatis 51. Episcopatûs 22.

GRONOVIUS (*Joannes-Fredericus-*) Hamburgensis, in Lugdunensi Batavorum Academiâ Linguæ Græcæ & politiorum litterarum Professor; suis ad varios Latinos Auctores Notis & doctissimo *de Vetere pecuniâ* libro celeberrimus; floruit circa finem sæculi XVII. Adnotavit & ad *Grotium* (mox infrà) De *Jure Belli*.

GROTIUS (*Hugo-*) apud Batavos natus anno 1583, in omni disciplinarum genere princeps floruit ad medium usque sæculi XVII. defunctus ann. 1645. Magni apud eruditos omnes pretii sunt opera ferè omnia quæcumque conscripsit, sive de rebus sacris (heterodoxus licèt) sive de politicis; DE *Jure Belli & pacis*; MARE *liberum*; HISTORIA *Gothorum, Vandalorum & Longobardorum*, &c.

GROTIUS (*Guillelmus-*) Hugonis frater, scripsit inter alia DE *Vitis Jurisconsultorum* Romanorum.

H

HALOANDRINA EDITIO, seu *Gregorii*-HALOANDRI Germani è Saxoniâ jureconsulti, Corpus Juris Civilis, in quinque Vol. in-fol. distinctum & ab Alciato recognitum. *Basileæ* 1541.

HARMENOPULUS (*Constantinus-*) judex Thessalonicensis, Græcè conscripsit circa annum 1150. PROCHEIRON seu *Manuale Juris* ex Basilicis, allegatisque noviſſimorum post Justinianum Imperatorum Novellis usque ad ipsum qui tunc Imperabat Manuelem-Commenum.

HEINECCIUS (*Joannes-Gotlandus-*) in Franequeranâ Frisiorum Academiâ Antecessor, deinde Aulæ Regiæ Prussiæ Consiliarius, & in Viadrinâ Academiâ (*de Francfort sur l'Oder*) Juris & morum Professor primus ordinarius, hoc sæculo. Ab eo prodiêre:

ANTIQUITATUM ROMANARUM *Jurisprudentiam illustrantium syntagma, secundùm ordinem Institutionum Justiniani digestum* (in quatuor libros): tertiò editum vivo auctore, ann. 1726. quarto post ejus obitum, *Argentorati* 1734.

ELEMENTA JURIS CIVILIS, *secundùm ordinem* INSTITUTIONUM primò, tum alia *Secundùm ordinem* PANDECTARUM, adornata.

ELEMENTA quoque *Juris naturalis & Gentium*.

Item Varii Commentarii seu Tractatus *ad Leges Juliam & Papiam, ad Fragmenta Edicti Perpetui*, &c.

Item HISTORIA *Romani juris* TOPOGRAPHIA juris, *&c.*

HERACLITI (Ephesini Philosophi, annis ante Christum circiter 500.) Epistolæ duæ *ad Hermodorum*. Extant illæ inter Epistolas veterum Græcorum quas è bibliothecâ Pithœi acceptas & à Cujacio Latinè versas, edidit Caldoræus Typographus *Aureliæ-Allobrogum* 1606.

AD

AD HERENNIUM RHETORICORUM libri quatuor, incerti auctoris; olim Ciceroni deputati, ideòque inter ejus opera vulgò editi.

HESYCHIUS Milevitanus; qui ſub Anaſtaſio, Juſtino, & Juſtiniano floruit; præter Romanam Hiſtoriam quæ *Omnigena* dicitur, ſcripſit & *de Viris illuſtribus*.

Divi HIERONYMI, Eccleſiæ Doctoris opera.

HOFFMANNUS (*Joannes-Guillelmus-*) hâc ætate, Francofurti ad Viadrum Juris Doctor inſignis; edidit anno 1732, *Ad Legem Juliam* DE ADULTERIIS COERCENDIS librum ſingularem, in quo multa Juris & veterum Auctorum loca explicantur ac illuſtrantur.

HOMERI Poëtarum omnium apud Græcos principis & antiquiſſimi, *Odyſſea*; & ad eam Scholiaſtes.

HORATII-FLACCI Carmina.

HOTOMANNUS vel potiùs HOTMANUS (*Franciſcus*-HOTMAN) Pariſinus, *Petri* Hotmani Senatoris Pariſienſis filius, Cujacio, inter Juriſconſultos ſæculi XVI. æmulus; in Academiâ Aurelianenſi Jus edoctus, in Valentinâ primùm Anteceſſoris munere functus eſt, deinde in Bituricenſi. Ibi à San-Bartholomæanâ Calviniſtarum ſtrage per manus diſcipulorum ſervatus, relictâ Galliâ Genevam ſe contulit; ubi Jus Civile profeſſus, & poſtea Baſileæ, obiit ann. 1590. Scripſit, variis tractatibus, ad omnes ferè Juris partes; cum Commentario *Verborum Juris* per ordinem Alphabeticum diſpoſito.

HUGONIS-A-PORTA Editio Pandectarum duplex; quarum poſterior, quæ limatior eſt, prodiit *Lugduni* 1552.

HYGINUS ætate Trajani ſcripſit GROMATICA ſive DE *Limitibus conſtituendis*. Hunc quidam malè cum *C. Julio-Hygino* Auguſti liberto, cujus extant *Fabulæ* & *Aſtronomicon Poeticon*, confundere voluerunt.

I

IRNERIUS, ſtudiorum Juris in Occidente reſtaurator ſæculo XII. Vide Præfationem noſtram, *Pag. xv.* & *xcj.*

ISIDORI Archiepiſcopi Hiſpalenſis (*Séville*) ſæculo VII, ORIGINUM *ſive* ETYMOLOGIARUM libri viginti, ex antiquitate eruti. Huic operi quum immortuus eſſet Iſidorus ann. Chr. 636. imperfectum complevit *Braulio* Cæſarauguſtanus Epiſcopus quo rogante ſuſceptum fuerat, & in libros 20. digeſſit. Inter *Auctores Linguæ Latinæ* ſuprà.

J

JAUCHIUS (*Siegmius-Richardus-*) hujuſce ævi Juriſconſultus Miſennenſis (*Meiſſen*) in Germaniâ: annum ſuæ ætatis agens 77, ſcripſit MEDITATIONES criticas de *Negationibus* quæ Pandectis Florentinis rectè vel malè adjectæ aut detractæ aut circumſcriptæ ſunt; item de adjiciendis quibuſdam aut transferendis. In *Actis Lipſienſibus*, ſuprà, *Februar.* 1729.

JANUS (ſeu *Joannes*) A COSTA, Cadurci natus, Cujacii dum Toloſæ publicè Jus doceret diſcipulus, deinde ipſe Toloſanus Anteceſſor: ſcripſit *Commentarium* in Inſtitutiones Juſtiniani, item varia ad nonnullos Juris articulos opuſcula.

Van-IDSINGA Franekeræ Juris Profeſſor hâc ætate: edidit, anno 1738, VARIORUM JURIS CIVILIS librum ſingularem, viginti Capitibus diſtinctum; quo Leges quædam Regiæ & Decemvirales, tum Pandectarum & Codicis, illuſtrantur & explicantur.

JOANNES Cremonenſis, Juris interpres paſſim in Gloſſis citatus; Bononiæ obiit ann. 1197.

JOSEPHI *Antiquitates Judaicæ*.

JULIUS-POLLUX, Naucratita ſeu Ægyptius, ſæculo II. Grammaticus percelebris. Sub Imperatoribus Marco & Commodo, Rhetoricam Athenis profeſſus eſt; & ipſi Commodo dicavit celeberrimum illud opus ONOMASTICON, ſeu Dictionarium Græcum & Latinum, in decem libros diſtributum.

JURISCONSULTI VETERIS *Fragmentum*, anonymi, pluribus (numero 17.) ſententiis conſtans; quod quidam Ulpiani ex libro ejus REGULARUM, vel etiam Gaii eſſe volunt: deſumptum ex *Doſithei* (ſuprà) Græculi Magiſtri *Homiliis* & Græcæ Linguæ exercitationibus, in quibus *Fragmentum* illud inter alia quædam ex aliis Auctoribus inſeruerat. Id olim quidem de Latino in Græcum tranſlatum; verùm quale hodie extat de Græco in Latinum transfuſum, Claudius Puteanus (*du Puy*) Senator Pariſienſis primus eruit, Cujacio communicavit (ut teſtis ipſe *Obſerv.* XVIII. 20); & tandem edidit Petrus Pithœus ſub finem *Collationis Legum Moſaicarum*, an, 1572. Extat ad ejuſdem *Collationis* calcem, in Collectione *Schultingii* (infrà) cum hoc Titulo: FRAGMENTUM REGULARUM EX VETERI JURISCONSULTO. Hujus excerpta quædam in Opere noſtro, Tit. *de Statu homin.* N. 25. & 26. & alibi.

JUVENALIS (DECII-JUNII) *Satyræ* XVI. Floruit is ſub Domitiano & Trajano; extinctus, ut creditur, ann. U. C. 872.

K

KELLINGHUSEN Hamburgenſis, in Academia Franekeranâ Juris Doctor; qui anno 1741. publicè propugnavit Theſes brevi opuſculo redactas, in quibus multa ingeniosè admodùm circà ſenſum variaſque lectiones plurimarum legum, inter eas quæ vulgò difficillimæ habentur, adinvenit.

L

LABITTI (*Jacobi-*) INDEX *Juris*; ad fragmenta veterum Juriſconſultorum, quæ partim in ipſis legibus, partim in ipſarum legum inſcriptionibus latent, eruenda; ſervatâ ubique temporum ratione, & revocatis ad ſuum quemque locum ac librum textibus Juriſconſultorum huc & illuc diſperſis (in Triboniani opere) atque fugitivis.

LACTANTIUS (*Lucius-Cælius-Firmianus-*) ſcriptor Eccleſiaſticus, Nicomediæ Rhetor, & à Conſtantino-Magno præceptor Criſpo-Cæſari filio datus. Celeberrima ejus opera ſunt, *Inſtitutionum* libri ſeptem in quibus diſertè & eleganter agit de falsâ religione Gentilium, ac de vero cultu; liber *De Ira Dei*, liber *De morte perſecutorum*, &c.

LALANDA ſeu LALANDES (*Jacobus*-DE LALANDE) Aurelianus, Aurelianenſis Anteceſſor ſimul & in Præſidiali confeſſu conſiliarius Regius circa medium ſæculi præcedentis. Multa Latinè ſcripſit opuſcula Juridica; & Gallicè, laudatiſſimum in *Conſuetudines* noſtras *Aurelianenſes* COMMENTARIUM, editum primò Aureliæ 1673.

LAMPRIDIUS (*Ælius-*) ſub Diocletiano & Conſtantino-Magno, ſcripſit Imperatorum Romanorum vitas, *Commodi* ſcilicet, *Heliogobali*, *Alexandri-Severi*. Hunc doctiſſimus Salmaſius ſuſpicatus eſt eumdem eſſe ac *Spartianum* infrà; ob dicendi genus perſimile.

LE BRET (*Carolus*) Pariſiis, in Subſidiorum Curiâ primùm, deinde in ſupremo Senatu, Advocatus Regius; tùm Conſiſtorianus Comes: circa finem ſæculi XVI & ſequentis initium. Singulari doctrinæ & judicii laude commendantur ejus ſcripta; inter quæ eminet liber ille cui Titulus, ORDO *perantiquus judiciorum* Romanorum, editus *Pariſ.* 1604. Extat in *Theſauro Antiquit. Roman.*

LEUNCLAVIUS (*Joannes-*) ex Weſtphaliâ oriundus, Græcæ linguæ & Orientalis hiſtoriæ æquè peritus; edidit ac Latinè vertit *Eglogam* ſeu Synopſin-Baſilicon anno 1575. item Novellas plurimorum Orientis Imperatorum, *Pandectas*que *Turcicas*. Celeberrimum eſt ab ipſo compoſitum aut compilatum JUS *Græco-Romanum*, ex variis Græcis auctoribus quos in Latinum convertit. Poſt diverſâ itinera quæ eruditionis causâ in Oriente ſuſceperat, imprimis verò apud Turcas ad Linguam eorum addiſcendam; Vienniæ in Germaniâ abſumptus eſt, anno ætatis ferè 60. Chr. 1593.

LIPSIUS (*Juſtus*) apud Brabantinos natus anno 1547. ſtudio & eruditione Critices excelluit, Notis ad varios auctores Latinos in Commentarii formam conſcriptis; plurimis quoque ad Hiſtoriam & Politicam pertinentibus. Annos natus 58. obiit Lovanii, ubi publicè docuerat. Opera ejus 6 Vol. in-fol.

TITI-LIVII (Patavini) *Hiſtoriarum* quas ſub Auguſto ab Urbe conditâ ſcripſit, Decades quæ ſuperſunt I. III. IV. cum Quintæ dimidiâ.

LOYSEAU (*Carolus*) verâ Juris Scientiâ inter omnes qui de Jure Gallicano ſcripſerunt Auctores præſtantiſſimus; apud Senonas primùm Proprætoris munere functus, tum Dunenſis Caſtri *Baillivus* (ut vocant); tandem ad Senatum Pariſienſem ſe recepit in Advocatorum numero, ubi elientes Conſiliis ſuis adjuvaret. Natus anno 1566, defunctus eſt ann. 1627.

LUCANUS (*Marcus-Annæus-*) natione Hiſpanus, patriâ Cordubenſis; Romæ, Auli-Perſii condiſcipulus; deinde Imperante Nerone Quæſtor & Augur, eodemque jubente interfectus anno ætatis ut ferunt nondum trigeſimo. Scripſit eleganti carmine *Belli civilis* Cæſarem inter & Pompeium, ſeu PHARSALIÆ libros X. opus præmaturo obitu imperfectum.

M

MACROBIUS (*Aurelius*) vir Conſularis, Theodoſii-Magni Cubicularius vergente ſæculo IV. Multâ ac variâ eruditione commendantur ejus *Saturnalium* libri VII; & commentarius in *Somnium Scipionis* à Cicerone conſcriptum.

* MANUTIUS. *Vide ſuprà*, ALDUS.

MARCILIUS (*Theodorus-*) in Academiâ Pariſienſi Regius Eloquentiæ Profeſſor circa initium ſæculi præcedentis; ſcripſit brevi opuſculo *Legis XII. Tabularum interpretamentum*.

MARTIALIS (*M. Valerii-*) Celtiberi, & ſub Veſpaſiano aliiſque ad Trajanum Principibus ob carminum elegantiam variis dignitatibus aucti, *Epigrammaton* libri XIV.

Source : BIU Cujas

MASCOVIUS (*Gottfridus-*) Regis magnæ Britanniæ (Electoris Brunſvico-Luneburgici) conſiliarius Aulicus, & in Academiâ Goettingenſi Juris Profeſſor: ſcripſit Adnotationes & recenſiones ad Gravinam; in ejuſdem Gravinæ Editione, Lipſiæ 1737.

MELA (*Pomponius-*) Hiſpanus, ſub Claudio Imperatore floruit. Laudatur ejus opus Geographicum *de Situ Orbis*, in tres libros diſtributum; & noviſſimè à Voſſio & Gronovio Notis illuſtratum.

MENAGIUS (*Ægidius-*) Andegavenſis; inter litteratos qui ſæculo XVI. floruêre Pariſiis, & ad ipſum ſingulo quoque Mercurii die conveniebant, celeberrimus; apud *Bolæum* tamen, Adrianum *Baillet*, alioſque non contemnendæ opinionis homines coævos, malè audiens. Ex variis quos in omni ferè eruditionis genere conſcripſit libris, Juriſconſultis gratioſiſſimæ ſunt *Amœnitates Juris Civilis* quadraginta capitibus abſolutæ. Vixit ad annum uſque 1692. ætatis 79.

MENANDER, apud Athenienſes Poëta Comicus, annis ante Chr. 342. natus, diſcipulus Theophraſti.

MERCURIALIS (*Hieronymus-*) Forolivienſis in Italiâ (*Forli*), medicinam in Academiis Paduanâ, Bononienſi, & Piſanâ, publicè docuit; à Maximiliano II. Imperatore, ob ſingularem doctrinam *Equitis* & *Comitis* titulis inſignitus, & Chriſtinæ à Lotharingiâ Duciſſæ Florentinæ medicus ordinarius; præter illa quæ de medicinâ ſcripſit, edidit & *Variarum lectionum* libros in quibus circa alias quoque artes aut ſcientias plurima utiliſſima deprehenduntur. Privatus in patriâ obiit anno 1596. ætatis 66.

MERYLLIUS (*Edmundus-*) Tricaſſinus, in Academiâ Bituricenſi Anteceſſor, inter Juriſconſultos ſeculi XVII. inſignior. Celebrantur ejus *Obſervationum* libri octo, *Varientium* ex Cujacio libri tres, & *De Quinquaginta Juſtiniani deciſionibus*.

MOLINÆUS (*Carolus-*DU MOLIN) fori Gallicani lumen; natus Lutetiæ-Pariſiorum ann. 1500; in Academiâ Aurelianenſi primùm, deinde Pictavienſi, Juris ſcientiam edoctus; poſt editas in *Conſuetudinem Pariſienſem* elucubrationes ſuas, variis ab anno 1550. ad finem uſque vitæ in Galliâ & Germaniâ agitatus fatis (dum novis ſemper Juriſprudentiam ſive Civilem ſive Eccleſiaſticam ditaret operibus): in ipſo tandem patriæ ſinu, Pariſiis obiit anno ætatis 66.

MURETUS (*Marcus-Antonius-Franciſcus-*) Lemovicenſis, ſæculo XVI. Pariſiis in Collegio *Cardinalitio* Litterarum Profeſſor, cum Turnebo & Buchanano. Indè Italiam migrans, & Romæ Juris cathedram adeptus; ibi annum agens nondum ſexageſimum, obiit 4. Junii 1585. Adnotavit in plurimos, ſive Latinos ſive Græcos, Auctores. Reliquit & *Variarum lectionum* libros XV; & Diſputationes IV. in Titulos libri I. Pandectarum *de Origine Juris*, *de Legibus*, *de Conſtitutionibus Principum*, &c. Noviſſimè omnia ejus opera edita Veronæ, 1730. 5 Vol in-8°.

N

NONIUS-MARCELLUS, Tiburienſis, è ſcholâ Peripatheticorum, ætatis incertæ, antiquus Grammaticus. Scripſit opus DE PROPRIETATE SERMONUM, diſtinctum capitibus XIX. numeriſque per ſingula quàm plurimis; quorum quatuor priora Ordine Alphabetico diſponuntur. Extat inter *Auctores Linguæ Lat.* ſuprà.

NOODT (*Gerardus-*) Noviomagus; Lugduni-Batavorum (*Leyde*) Anteceſſor, & ejuſdem Academiæ Rector ann. 1699.

Opera ejus in duos Tomos in fol. edita Lugduni-Batavorum 1724. ſcilicet *Probabilium Juris Civilis* libri IV. *Ad Legem Aquiliam* liber ſingularis; item Tractatus *de Fœnore & uſuris*, aliique varii ad diverſos Juris articulos. Idem edidit ann. 1716. Commentarium ad 27. priores libros Pandectarum.

O

OISELIUS (*Jacobus-*) in *Caii* Inſtitutiones, Lugduni-Batav. 1658.

Hos Commentarios cùm junior ſcripſerit, nonnulla in ipſis menda rectè arguit doctiſſimus *Schulingius* infrà.

OPPIANUS Anazarbenſis in Ciliciâ, Grammaticæ ſimul & poeſeos laude clarus ſæculo II. Antonino-Caracallæ poemata de *Venatione* & de *Piſcatione* dicavit; à quo, præmii vice, in ſingulos verſus nummo aureo donatus eſt. Obiit anno ætatis 30. Quæ ex ejus operibus ſuperſunt, edita cum Notis Conradi-Rittershuſii *Lugduni-Batav.* 1597.

OTHO ſeu OTTO (*Everardus-*) hâc ætate in Trajectenſi Academiâ Juris Anteceſſor. Huic debetur Tomus quintus ſeu ſupplementum locupletiſſimæ illius collectionis apud Batavos conflari cœptæ anno hujus ſæculi vigeſimo-quinto, ſub Titulo THESAURUS JURIS ROMANI; in quâ ſcilicet varia & rariora aut etiam inedita hactenùs meliorum Interpretum opuſcula, diverſa Juris Romani capita illuſtrantium, in unum corpus collecta ſunt. Scripſit idem OTHO de vitâ Papiniani; item Exercitationum Triadem *de Juriſprudentiâ ſymbolicâ*, id eſt de variis corporis ſignis in vario negotiorum genere adhiberi ſolitis; putà *Nutus* ſeu inclinatio capitis ad conſenſum *Auris* tactus ad teſtimonium, &c.

Fuit & alter OTTO (*Joannes*) ſæculo præced. in Univerſitate Argentoratenſi Juris Doctor, de quo extant Opuſcula quædam; inter quæ, *Ad XII Tabulas*.

OVIDII-NASONIS (*Publii-*) ſub Auguſto Cæſare notiſſimi carmina, *Faſtorum*, *Triſtium*, *Metamorphoſeon*, &c.

P

PACIUS (*Julius-*) à Berigâ Juriſconſultus inſignis, ſcripſit *Monſpelii* Inſtitutionum Imperialium ANALYSIM doctiſſimam, item *Legum conciliatarum* decem *Centurias*.

PANCYLORUS (*Guido-*) Reggienſis, in Patavinâ Academiâ Juris Doctor & Legum interpres, anno 1591. defunctus.

Ob ſingularem eruditionem laudantur ejus libri DE *Claris Legum Interpretibus*, libellus DE *Magiſtratibus municipalibus & corporibus artificum*, item *Theſaurus variarum lectionum*; imprimis verò luculentiſſimo commentario per ipſum illuſtrata NOTITIA DIGNITATUM *utriuſque Imperii*, ORIENTIS ſcilicet & OCCIDENTIS ultra Arcadii Honoriique tempora. Ex quâ *Notitiâ* olim ſub Theodoſio-juniore conſcriptâ circa annum Chr. 426. maximum Juri noſtro lumen accedit; ad Dignitatum ſeu Magiſtratuum & officialium de quibus in toto libro primo Codicis & tribus poſterioribus agitur, necnon ad Juris fiſcalis & patrimonialis cognitionem.

PANDECTÆ FLORENTINÆ, ut vulgò dicuntur; id eſt, DIGESTORUM SEU PANDECTARUM LIBRI QUINQUAGINTA EX FLORENTINIS PANDECTIS REPRÆSENTATI: Florentiæ, in Officinâ Laurentii-Torrentini, Ducalis Typographi: an. 1553. Cum ſummi Pontificis Julii III. Caroli V. Imperatoris, Henrici II. Gallorum Regis, Eduardi VI. Angliæ Regis, Coſmi Medicis Ducis Florent. II. privilegio.

PANDECTÆ NORICÆ; ſeu prima HALOANDRI editio (*à Nuremberg*) 1531. quo anno Haloander ipſe Venetiis obiit.

PARÆUS (*Philippus-*) ex *Davide Paræo* celeberrimo inter heterodoxos theologo natus in Diœceſi Wormenſi, inſignis Grammaticus, pluriumque in Germaniâ Collegiorum Gymnaſiarcha, floruit ineunte ſæculo XVII. Magno, inter cætera ejus opera, in pretio habetur LEXICON *Criticum*, multo (ut ipſe ait) labore congeſtum ex variis quæ ad Juriſprudentiam pertinent articulis.

PARIATOR; *ſeu* Collatio Moſaicarum & Romanarum legum, antiqui & incerti auctoris. Hanc malè Cujacius aliique Licinnio-Rufino Juriſconſulto tribuunt, cùm in eâ Collatione quædam ex Hermogeniano Codice, imò & ex Theodoſiano referantur. Chriſtianum eum fuiſſe probabile eſt.

Hæc *Collatio* paſſim antea edita, noviſſimè & multò luculentiùs prodiit in collectione *Schultingii* infrà.

PAULUS-DIACONUS, WARNEFRIDUS nomine, genere Longobardus, qui ſeculis VIII. & IX. ſcripſit de *Hiſtoriâ Longobardorum* ſex libros.

* De altero PAULO-DIACONO, vide ſuprà in Verb. *Feſtus*.

PEREZIUS (*Antonius-*) Hiſpanus, Lovanii primùm Anteceſſor Regius anno 1614; quum deinde in Germaniâ pro temporum circumſtantiis præfectus eſſet exercitui ad Rhenum anno 1620; miſſis poſtea militibus, rursùs ad docendum ſe contulit: ſicque per triginta & ampliùs annos in Academiâ Lovanienſi Jus Civile magnâ cum famâ profeſſus, obiit circa annum 1645.

Scripſit in *Inſtitutiones Imperiales*, in *Jus publicum*, in *Digeſtorum* libros viginti-quinque. Maximè verò celebrantur ejus Commentarii in Juſtiniani *Codicem*.

PERSII (*Auli-*) SATIRÆ VI. Volaterras Etruriæ oppidum, patriam habuit. Perſius ann. U. C. 795. Tiberii Imperatoris 22. Floruit ſub Claudio potiſſimùm Principe, extinctus nono Neronis anno; quum ageret ipſe ætatis trigeſimum.

PETITUS (*Samuel-*PETIT) in Calviniſtarum conventu apud Nemauſenſes præco celeberrimus ſæculo XVII. eruditiſſimos ad *Leges Atticas* libros, tum etiam *Variarum lectionum* libros quatuor, *Miſcellaneorum* novem, & *Obſervationum* tres reliquit.

PHÆDRI (ex Thraciâ, Auguſti liberti) *fabularum Æſopicarum* libri quinque. Hos ignotos adhuc & quaſi antiquâ ſepultos oblivione, primus è tenebris eruit & in lucem edidit *F. Pithœus* infrà.

PHILOXENÆ GLOSSÆ; ſeu PHILOXENI *Lexicon* Latino-Græcum vetus, nomine GLOSSARII inſcriptum.

PIGHIUS (*Stephanus-*VINAND) natione Batavus, antiquitatis eruditione clarus circa medium ſæculi XVI. & ob id *Carolo* Clivienſi Principi præceptor datus; tandem in Regularium Clericorum ordine conſenuit, defunctus anno Chr. 1604. ætatis 84. Celebratur eximium ejus opus *Annalium Urbis Romæ*; necnon & Commentarii in *Faſtos* Conſulares, &c.

PINDARUS, Lyricorum Princeps.

PITHŒUS (*Petrus-*) Trecenſis, Turnebi & Cujacii auditor; ſub Regibus Henrico III. & Henrico IV. eruditionis æquè famâ & fidei in Principes zelo clariſſimus; tam multa ſcripſit ipſe aut

Source : BIU Cujas

publicavit in omni genere ſcientiarum, ut VARRO GALLICUS non immeritò dicatur. Obiit primâ Novembr. 1596. anno ætatis 57.

Laudis participem & laborum habuerat, conjunctiſſimum fratrem, *Franciſcum* PITHOU in Senatu Pariſienſi Patronum, & *Petro* ſuperſtitem ad annum circiter 1621.

Utriuſque nomen tanto apud eruditos omnes in pretio eſt, vix ut definiri queat uter alteri præſtet.

PLATONIS (ſapientiſſimi illius apud Græcos Philoſophi) opera, præſertim *de Legibus*.

PLAUTI ex Umbriâ, apud Romanos annis ante Chriſtum circiter 184. poetæ facetiſſimi, COMŒDIÆ quæ ſuperſunt viginti.

C. PLINIUS-SECUNDUS, Veronenſis, ſub Tito & Veſpaſiano in Hiſpaniâ Legatus & Procurator Cæſaris. Anno ætatis 56. Chriſti 79. ab U. C. 816. quum montem Veſuvium flammis ardere & nube ſulphuris nunciatum ei eſſet, propiùs accedens ad conſpiciendum miraculum, ſuffocatus eſt.

Plura ſcripſerat; ex quibus ſuperſunt tantùm, NATURÆ HISTORIARUM libri triginta - ſeptem, Veſpaſiano Imperatori dicati; *Opus diffuſum* (inquit Plinius-junior in Epiſt.) *nec minùs varium quàm ipſa natura.*

C. PLINIUS-CÆCILIUS-SECUNDUS (qui JUNIOR ſeu NEPOS dictus eſt) patriâ Novocomenſis, ſub Nerone genitus ex Plinii Hiſtorici ſorore & ab ipſo adoptatus, Fabii-Quintiliani Oratoris diſcipulus; ſub Domitiano Prætor, tùm deinde ſub Trajano Quæſtor Cæſaris, Tribunus plebis, Præfectus Ærarii, Augur, Conſul, denique Ponti & Bithyniæ Præſes Proconſulari poteſtate.

PANEGYRICUM Trajano dixit in Senatu; cujus declamatione (Conſul deſignatus cum Corunto-Tertullo) Imperatori optimo gratias egit.

Extant ejuſdem EPISTOLARUM ad familiares, inter quas plurimæ ad Trajanum ipſum, libri decem.

PLOTIUS-GRYPHIUS, hiſtoriæ Piſanæ ſcriptor.

PLUTARCHUS, qui ſub Nervâ præſertim Trajanoque flornit, Conſulari (ut traditur) dignitate functus; Cheroneæ natus in Beotiâ, Græcis potiſſimùm litteris incubuit, & multa opera Græcè ſcripta reliquit: inter quæ eminet hiſtoria de Vitis Illuſtrium virorum tam Romanorum quàm Græcorum; item *Quæſtionum Romanorum* & Græcarum libri, &c. item *de Veteris numiſmatis poteſtate*, &c.

POLITIANUS (*Angelus-*) ita dictus à Monte-Politiano Etruriæ oppido, ubi natus eſt anno Chr. 1454. Latinam linguam & Græcam docuit Florentiæ per undecim annos; ubi poſtea Canonicus factus, præceptor fuit Leonis Papæ X. Scripſit *Epiſtolarum* libros 12. *Miſcellaneorum* centuriam, plures orationes, &c. Obiit anno 1494.

POLYBIUS, Megalopſi in Arcadiâ natus ex Reipublicæ Achaiæ Archontibus; ad Ptolomæum-Epiphanem anno ante Chr. circiter 198. deinde Romam Legatus, ibique Scipioni & Lælio amicitiâ conjunctus, *Hiſtoriam* ſuam Romæ, à Bello Punico ad uſque Macedonicum (quod eſt annorum ſpatium ferè 53.) artis bellicæ peritiâ & deſcriptionibus præſtantiſſimam, libris 40 Græcè ſcriptis complexus eſt; ex quibus integri ſuperſunt ſoli quinque priores, cæterorum fragmenta pauciſſima.

POPMA (*Auſonius-*) apud Friſios circa annum Chr. 1616. celebris Grammaticus ſimul & Juriſconſultus; præter *Notas* in Varronem & Velleium-Paterculum, ſcripſit DE *Differentia verborum*, DE *More & ordine judiciorum*, &c.

PORCIUS-LATRO (*Marcus-*) Cordubenſis, eloquentiæ & eruditionis famâ orator (ſeu, ut aiunt, *Declamator*) Romæ percelebris Auguſti temporibus, Ovidii poetæ ad cauſarum & fori ſcientiam præceptor, *Marco*-Annæo-Senecæ Rhetori familiariſſimus; defunctus anno U. C. 747. ante Æram Chriſti vulgarem quarto. Auctor perhibetur Declamationis illius *In* CATILINAM, quæ ad calcem operum Salluſtii ſolet adjungi. Verùm hanc eruditorum ferè omnium judicio, tanto oratore minùs dignam, nefas ſit illi tribuere.

PORPHYRIO antiquus Horatii interpres.

PROCOPIUS, Cæſarienſis; primùm Belliſarii ſecretarius, tùm deinde Senator, Illuſtris, Urbique Conſtantinopolitanæ Præfectus Imperante Juſtiniano: Græcè ſcripſit *de Bello Perſico*, de *Vandalico*, de *Gothico*, octo libros; & nonum qui dicitur *Anecdoton*, ſeu Hiſtoriarum ſecretarum, ipſius Juſtiniani Theodoræque uxoris ſatyram perpetuam.

PROPERTIUS (*Sextus-Aurelius-*) ex Umbriâ, patre boniſque ferè amiſſis Romam ſe recepit: ubi ingenii comitate & elegantiâ carminum, Mæcenati valdè acceptus, Ovidium & Tibullum amicos ſortitus eſt. Libros quatuor *Elegiarum* compoſuit; in quibus, ab impudente Ovidii laſciviâ licèt alienus, nil tamen ferè aliud niſi Cinthiam ſuam ſuoſque ignes celebrat. Obiiſſe creditur annos natus 41. poſt annum U. C. 735.

PRUDENTIUS (*Aurelius-Clemens-*) inter Chriſtianos Poetas celeberrimus; Hiſpanus genere, ut creditur, & Præfecturâ militiæ ſub Theodoſio functus. Commendantur imprimis ipſius carmina, ſeu Hymni ſacri, in laudes Martyrum *Laurentii*, *Romani*, *Vincentii*, &c. Scripſit & in *Symmachum* (infrà) eodem tempore Præfectum Urbis, libros duos; in quibus vilem Romanorum Deorum cultum mirè exagitat.

Q

QUINTILIANUS (*Marcus-Fabius*) Hiſpanus genere, orator insignis, cenſorque in litteris acerrimus, coævus Plinio & Tacito: quum ſub Veſpaſiano Rhetoricam publicè Romæ profeſſus eſſet ſumptibuſque publicis, item ſub Domitiano, per viginti annos; ab ipſo Imperatore educandos fratris filios accepit. Libros XII. de arte Rhetoricâ ſeu *Inſtitutionum oratoriarum* mirâ elegantiâ compoſuit.

QUINTILIANUS Declamator, *Fabii* (mox ſuprà) ut vulgò putatur avus: cujus orationes ſeu *Declamationes* numero 145. ab Antiquis laudatiſſimæ, editæ ſunt à P. Pithœo anno 1580. Extant & aliæ novemdecim, nomine Quintiliani inſcriptæ; quæ rectiùs tribuuntur *Poſthumo*-juniori, circa annum Chr. 260.

R

RÆVARDUS (*Jacobus-*) Brugenſis, tabtâ inter XVI. ſæculi Juriſconſultos laude præcellens ut eum Juſtus-Lipſius *Belgii Papinianum* appellet; Aureliæ Juris Doctoratum adeptus, ſcripſit Commentarios ad *Leges XII. Tabularum* & *ad Legem Scriboniam*, item DE *Juris ambiguitatibus*, DE *Præjudiciis* &c. extinctus tamen anno ætatis ferè 33. Chriſti 1568.

RANCHINUS (*Guillelmus-*) compilator fragmentorum EDICTI PERPETUI juxta Pandectarum ſeriem; ſcripſit & *De Succeſſionibus ab inteſtato*, & *Variarum lectionum* libros tres. Monſpellii ubi Juris Doctoratum adeptus fuerat, in Subſidiorum Curiâ Regis Advocati munere functus, deſinente ſæculo XVI.

RITTERSHUSIUS (*Conradus-*) vernaculè, RITTERSHUYS; Brunſwico-Germanus, ſæculo XVII. inſignis Juriſconſultus, adnotavit in Iſidorum, Plinium, Oppianum, &c. ſcripſit & ad *XII. Tabulas* Commentarium, Critices eruditiones commendatum. Obiit anno 1613.

ROBERTUS (*Joannes-*) Aurelianus, Aurelianenſis Anteceſſor ſimul & in Præſidiali Conſeſſu Regis conſiliarius poſt medium ſæculi XVI. pluribus opuſculis *Receptas Juris lectiones* contra Cujacii emendationes propugnavit; audaciùs reſpondente ad *Animadverſiones* Cujacio, ſub ficto *Antonii-Mercatoris* nomine. Quâ in lite litterariâ, ſecus quàm tales viros decebat maledictis ſe invicem laceſſere non erubuerunt.

ROBERTI-STEPHANI *Editio* Pandectarum, *Pariſiis* 1527 & 1528.

ROSINI (*Joannis-*) è Thuringiâ, eruditiſſimi ſæculo XVI. ſcriptoris & Grammatici, ANTIQUITATUM ROMANARUM libri decem: quos ipſe anno 1585. publicavit, poſtea verò Thomas *Dempſter* Scotus, in Academiâ Pariſienſi Nationis Germanæ Procurator & in Graſſinæo Collegio Profeſſor, auxit & commentariis illuſtratos Jacobo I. Britanniarum Regi dicavit anno 1612.

RUTILIUS (*Bernardinus-*) patriâ Vicentinus, & ſtudio antiquitatis clarus, à ſe ſcriptas & emendatas Juriſconſultorum vitas publicavit anno 1536. & anno ſequenti Venetiis adhuc junior extinctus eſt.

RYKCHIUS (*Theodorus-*) ad Tacitum. Is doctiſſimi Schultingii magiſter fuiſſe videtur; *Cujus docentis ab ore juvenis pependi*, inquit idem Schultingius in Pauli Sententias *de SCto Claudiano.*

S

SALLUSTI-CRISPI (*Caii-*) Hiſtoriarum, *Bellum Catilinarium*, & *Jugurthinum*. Fuit is è Brutiis oriundus, patriâ Veronenſis, ſub Julio-Cæſare Tribunus plebis, eo ipſo anno quo Pompeius Conſulatum ſolus ferè tenuit; tùm variis dignitatibus, pravitate morum æquè ac dicendi ſcribendique elegantiâ & honeſtate, hortorum ſplendido luxu, opibuſque famoſiſſimus. Obiit annos ætatis circiter 60. ante prælium Actiacum quarto.

SALMAZIUS (*Claudius-*) Divionenſis Senatoris *Benigni* Salmaſii filius, ſtudio & ſcientiâ Critices eruditioribus ſæculi XVI. meritò adnumeratus; ſcripſit inter alia plurima, elucubrationes ad HISTORIAM AUGUSTAM ſeu in corpus ſcriptorum qui Auguſtorum & Cæſarum vitas nobis tradiderunt (quales ſunt Spartianus, Capitolinus, Volcatius, Lampridius, Vopiſcus); qui omnes ſub uno volumine prodiêre cum Notis Salmaſii & Caſauboni, in-fol. *Pariſiis* 1620. deinde in-8°. 2. Vol. *Lugduni-Batav.* 1671.

SALVIANUS, è Treviris, Maſſiliæ Presbyter ordinatus ſæculo VI pietate & divinarum humanarumque litterarum ſcientiâ inſignis;

Source : BIU Cujas

ſcripſit *Dei Judiciis & providentiâ Dei* libros octo, *de Avaritiâ* quatuor, *Epiſtolas* item nonnullas. Hujus opera, à Conrado-Rittershuſio, deinde à Baluſio publicata fuêre.

SALYCETUS ſeu *Bartholomæus* DE SALYCETO, Bononienſis, in Academiâ Patavinâ ſæculo XVI. Anteceſſor; commentaria reliquit ad ſingulas leges plurium librorum *Digeſtorum* & *Codicis*.

SCALIGER (*Julius-Cæſar* DE L'ESCALE) in territorio Verronenſi natus anno 1484. vir ex eruditioribus ſui ſæculi, multa tractavit in variis Critices, Poeſeos, Medicinæ, Philoſophiæ, Juriſprudentiæ, totiuſque ferè rei litterariæ ſcientiis; ad XII. *Tabulas* quoque adnotavit. In Galliâ ſedem fixerat anno ætatis 47. uxoris causâ, in Agennenſi Aquitaniæ civitate; ubi medicinæ deditus, anno vitæ 75. defunctus eſt, poſt Chriſtum 1558.

SCALIGER (*Joſephus.*) filius *Julii*, in litteris à patre eruditus, poſteàque in Academiâ Pariſienſi; patrem ipſum eruditionis famâ longè ſuperavit, *Abyſſus ſcientiarum* vulgò dictus. Hinc accitus in percelebri Lugduni-Batavorum Academiâ; ibi per annos ferè viginti perſtitit à fide catholicâ devius ad obitum uſque anno 1609. Celebratur imprimis ejus opus *de Emendatione temporum*. Adnotavit & ad *Varronem*, *Feſtum-Pompeium*, &c.

SCHILTERUS (*Joannes-*) Juriſconſultus Germanus, ſcripſit Commentarium ad Leges deſumptas ex Modeſtini libro ſingulari EUREMATICON ſeu de Cautelis: *Argentorati* 1687.

SCHREVELIUS (*Cornelius*) Batavus, auctor Lexici Græco-Latini ſæculo XVII. plures Auctores tum Græcos tum Latinos Notis illuſtravit.

SCHULTINGIUS (*Antonius-*) Friſiorum Academiæ Juris Anteceſſor, & ejuſdem Rector anno 1712. Hujus ex vigiliis prodiit JURISPRUDENTIA VETUS ANTE-JUSTINIANEA; complectens Caii Inſtitutionum, *Pauli* Sententiarum, & ex Corpore *Ulpiani* quæ ſuperſunt in Titulis XXIX, item *Codicis Gregoriani* & *Hermogeniani*, aliaque veterum Juris Auctorum, accuratiſſimè collecta: quibus accedit *Moſaicarum & Romanarum Legum collatio*, & cujuſdam *Doſithei* magiſtri liber continens D. Hadriani Imperatoris ſententias & epiſtolas, &c. Omnia cum Notis variorum, *Pithœi* præſertim, & ipſius *Schultingii* Opus noviſſimè editum *Lipſiæ* anno 1737. 1. Vol. in-4°.

Scripſit præterea idem Schultingius *Theſium. Controverſiarum Decades* plures, & Commentarium ad primam partem Pandectarum.

SENECA (LUCIUS-*Annæus-*) philoſophus, Imperatoris Neronis præceptor; ſcripſit *De Beneficiis* libros 7. *De Clementiâ* duos, *Quæſtionum* libros 7. *De irâ* tres, &c. *Naturalium* ſeptem, *Epiſtolas* 124.

Extant & *Controverſiarum* libri 35. auctore MARCO-*Annæo*-SENECA Declamatore ſeu Rhetore, qui vulgò pater *Lucii-Senecæ* philoſophi creditur.

SENNETONIANA Editio PANDECTARUM, *Lugduni apud Sennetonios* 1549.

SERENUS-SAMMONICUS medicus ſub Severo & Caracallâ celebris, circa annum Chr. 210. Hujus ex operibus, quæ circa Hiſtoriam & res naturales ſcripſerat, ſupereſt tantùm carmen *De Medicinâ & remediis*.

SERVIUS-HONORATUS qui & MAURUS dictus eſt, Grammaticus ſub Conſtantino & Conſtantio percelebris: ſcripſit inter alia Commentarios in *Virgilium*, Antiquitatis eruditione commendatos; & maximâ ex parte ſuperſtites.

SEXTUS EMPYRICUS, id eſt, ex eorum qui vulgò *Empirici* dicuntur medicorum ſectâ, ſæculo II. ſub Antonino-Pio; ſcripſit *Adversùs Mathematicos* libros decem, & tres *de Opinionibus* Pyrrhonicorum.

SICULUS-FLACCUS *de Conditionibus agrorum* ſcriptor antiquus. Vide *Aggenum*, & *Hyginum* ſuprà.

SIDONIUS-APOLLINARIS (*Caius-Sollius*) inter Poetas Chriſtianos inſignis, Gallus genere, apud Arvernos natus: floruit poſt medium ſæculi quinti, præſertim temporibus Anthemii & Majoriani quibus ille panegyricos etiam verſus cecinit. Scripſit & libros novem *Epiſtolarum*, tum ſolutâ oratione, tum vario genere Carminum.

SIGONIUS (*Carolus-*) Murnenſis in Italiâ, cujus laudantur *De Antiquo jure civium Romanorum* libri duo, Pio PP. IV. dicati: item *de Antiquo jure Italia* libri tres, ad Senatum Populumque Romanum inſcripti, Venetiis 1560. Tùm deinde ſcripſit *de Judiciis*.

SOCRATES (qui & SCHOLASTICUS dictus eſt) ſæculo V. ſcripſit ſeptem libris *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, quaſi *Euſebii* Hiſtoriarum ſupplementum, à Conſtantino-Magno ad tempora Theodoſii-Junioris.

SPANHEMIUS (*Ezechiel-*) ex nobiliſſimâ apud Germanos Palatinos gente, Legatus ad diverſos orbis Principes, & Miniſter Electoris Brandeburgici factus, variiſque negotiationibus publicis in ſanciendis præſertim Pacis fœderibus ad illam uſque quæ *Riſwickenſis* dicta eſt, occupatus; Antiquitatis litterarumque ſtudio vix unquam intermiſſo, varia opera edidit magni apud eruditos omnes pretii. Inter quæ eminet liber DE *Præſtantiâ & uſu Numiſmatum antiquorum*; imprimis verò ORBIS ROMANUS, ſeu *Ad Conſtitutionem Antonini Imp.* (in I. 29. ff. *de Statu homin.*) quâ omnes in Orbe Romano Cives Romani effecti ſunt, *Exercitationes duæ*: Londini 1703, in-4°. Obiit ſub finem ſæculi præcedentis.

SPARTIANUS (*Ælius-*) ſub Diocletiano, anno Chr. circiter 290. primus (poſt Suetonium) numeratus inter *Hiſtoriæ Auguſtæ* ſcriptores, vitas Imperatorum compoſuit à Julio-Cæſare ad Hadrianum. Verùm ſuperſunt tantùm ab illo ſcripti, *Hadrianus* ipſe, *Ælius-Verus*, *Didius-Julianus*, *Severus*, *Peſcennius-Niger*, *Antonius-Caracalla*, & *Getan* cujus vitam dedicavit Conſtantino jam Auguſto.

SPONDANUS (*Jacobus-*) Lugdunenſis, inter eruditos ſæculi XVII. celeberrimus: præter alia multa ſcripſit eximium opus, ſed ſummo eruditorum omnium deſiderio imperfectum, MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQUITATIS; editum Lugduni ann. 1683. Hujus meminerunt *Acta Lipſienſia* ad eumdem annum.

STRABO Philoſophus, è Stoæ ſcholâ, genere Capadox, Græcè ſcripſit ſub Tiberio GEOGRAPHICORUM libros XVII.

STRUVIUS-(*Joannes-*) ſcripſit librum cui Titulus *Immò Gothofredi*, id eſt, conciliationes ad eas Leges quæ in Notis D. Gothofredi ad Juris Civilis Corpus: invicem contrariæ notantur per hoc verbum *Immò*.

SUETONIUS-TRANQILLUS; ſub Hadriano Epiſtolarum magiſter, Plinioque coævus & familiariſſimus, ſcripſit inter alia multa *de* XII. CÆSARIBUS ſeu vitas Duodecim priorum Imperatorum in libros octo diſtinctas, item librum ſingularem *de Illuſtribus Grammaticis*.

SUIDAS incertæ ætatis & originis, quem alii ſæculo X. alii demùm XII. ineunte, vixiſſe opinantur; Græcè ſcripſit LEXICON HISTORICUM, noviſſimè editum ann. 1705. tribus Tomis in-fol. Cambridgiæ.

SYMMACHUS, Vir Conſularis, ævi ſui eloquentiſſimus, & Poetæ *Auſonio* (ſuprà) familiariſſimus, Præfectus Urbis ann. Chr. 384. ſub Valentiniano II. & Conſul. ann. 391. Extant hujus Symmachi EPISTOLARUM libri X.

T

TACITI (*Cornelii-*) ANNALIUM ab exceſſu Auguſti ad finem Neronis libri XVI. & HISTORIARUM ab exceſſu Neronis ad Imperium Nervæ libri V. Vixit Tacitus ab initio Neronis ad uſque Hadrianum, ſub Veſpaſiano in Galliam-Belgicam Procurator Cæſaris miſſus, deinde eodem Veſpaſiano VIII. & C. Julio-Agricolâ Coſſ. hujus Agricolæ gener factus, cujus vitam ſcripſit. Succeſſu temporis, Quæſtor Imperante Tito, Prætor ſub Domitiano, tandem & ipſe ad Conſulatum pervenit ſub Nervâ ann. U. C. 860. Proavus creditur fuiſſe Claudii-*Taciti* Imperatoris.

TAURELLUS (*Lælius-*) apud Florentinos Anteceſſor, & Coſmæ II. Ducis Conſiliarius Aulicus, præfuit Editioni PANDECTARUM FLORENTINARUM ſuprà, ab ejus filio *Franciſco-Taurello* publicatarum. Extant quoque Lælii-Taurelli *ad Gallum & Legem Velleam*, ad *Catonem* & *Paulum*, & *de Militiis ex caſu*, Enarrationes: Lugduni 1574, in-8°.

TERENTII (*Publici-*) Carthaginenſis in Africâ, *Comœdiæ* ſex; magnâ parte è Græcis *Menandri* fabulis. Romæ Terentius ſervierat Terentio-Lucano Senatori; à quo ob egregiam indolem brevi manumiſſus, familiariter vixit cum Scipione & Lælio nobilibuſque quam plurimis In Græciam poſtea quum ſeceſſiſſet, ubi aliquot novas Comœdias ſive è Mandro ſive etiam de ſuo condiderat; Romam rediens naufragio eas amiſit, & ipſe dolore conſumptus obiit in Arcadiâ, anno U. C. 595. ætatis 35.

TERTULLIANI ſcriptoris Eccleſiaſtici *Opera*. Utrùm ille idem ſit cum Tertulliano Juriſconſulto, vide Præfationem noſtram Part. 2*â*. Cap. 1. n. LXXVII.

THEODORETUS Cyrannus Epiſcopus in Syriâ, è Joannis-Chryſoſtomi diſcipulis; totam Orientalem Eccleſiam doctrinâ & pietate illuſtravit ab initio ad medium uſque VII. ſæculi; Concilio Chalcedonenſi (anno 451. celebrato) vix ſuperſtes. Præter alia multa quæ in Scripturam ſacram, in Paganos & Hæreticos, & de Monaſticâ Anachoretarum vitâ compoſuit; extant *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* libri quinque, ab Arianæ hæreſeos initiis ad uſque Theodoſium-Juniorem.

THEOPHANES Byzantinus, ſub Juſtino II. Juſtiniani noſtri ſucceſſore, ipſius Juſtini bellum adversùs Coſroen Regem Perſarum decem libris hiſtoricè deſcripſit.

THEOPHILUS Anteceſſor Græcus, quem Fabrotus putat non ita multùm poſt Leonis-Sophi tempora floruiſſe; & eumdem eſſe qui inter cæteros Baſilicorum interpretes numeratur in his ipſis *Baſilicis* lib. 60. Scripſit Paraphraſim utiliſſimam in quatuor *Inſtitutionum* Juſtiniani libros.

TIBULLUS (*Albius-*) Romæ natus eodem anno quo & Ovidius-Naſo ſuprà, Hirtio & Pansâ Coſſ. uterque in amores & delicias proclivior. Tibulus Eques Romanus Horatio non familiaris ſolùm fuit; ſed quanti apud eum pretii eſſet teſtatur ipſe Horatius in hujus Epiſtolæ proemio: *Albi, noſtrorum ſermonum candide judex.*

Libros

Source : BIU Cujas

Libros quatuor *Elegiarum* ſive Amorum compoſuit : obiitque adhuc junior ; ex nimiâ, ut credere eſt, intemperantiâ libidinis.

TILIUS (DU TILLET). Duo, inter alios ejuſdem nominis viros eruditione commendabiles, à Juriſperitis celebrantur.

Joannes-TILIUS, è cujus codicibus multa ſe eruiſſe Cujacius paſſim teſtatur ad veriores legum lectiones ; Fragmenta Ulpiani edidit *Lutetiæ* 1549, & ibidem 1564. octo priores libros Codicis Theodoſiani.

Meminit Cujacius alterius TILII (*Jacobi-*) quí ipſi Manuſcriptum Regularum Ulpiani commodaverat : *Obſerv.* XVIII. 28. & alibi.

TREBELLIUS-POLLIO, unus ex Latinis *Hiſtoriæ* Auguſtæ ſcriptoribus, ſub Conſtantio-Chloro Magni Conſtantini patre. Superſunt ex ejus hiſtoriâ, *Valerianus*, *Gallieni* duo, Triginta *Tyranni*, & *Claudius*.

TULDENUS (*Diodorus*-DE TULDEN) Lovanienſis Anteceſſor legum primarius, ſcripſit Commentarium in Codicis novem priores libros, *Lovanii* 1651. in-fol. Nicolai TULDENI filius ille fuit, Conſiliarii Bolducenſis in Ducatu Brabantino, anno 1609 defuncti ; qui & ipſe Juriſconſultus inſignis, in *Methodum Juris civilis* Vigelii ſcripſerat. *Diodorus* porrò ad munus Senatoris in Mechlinienſi Curiâ aſſumptus ann. 1645, eodem anno obiit.

TURNEBUS (*Adrianus*-) Rothomagenſis, ex civitate oriundus Andeliacâ, Pariſiis Regiæ Typographiæ præfectus, & Græcæ Linguæ Profeſſor Regius, obiit anno 1565. ætatis 53. Celebrantur ejus ADVERSARIORUM libri triginta, Michaëli Hoſpitali Franciæ Cancellario, ab ipſo Turnebo paulò ante obitum dedicati ; in quibus nempè collegit ea omnia quæ ex variis auctoribus legendo & adnotando retulerat in ADVERSARIA (*Mémoires*, *Remarques*) nullo ordine delectuque, in varia tamen Capita diſtincti. Antiquis ſi quidem " *Adverſaria* (ut ait ipſe in ejuſdem operis lib. II. cap. 11.) „ *videntur libelli fuiſſe*, & *Commentarioli*, & *Chartæ*, *quæ homines* „ ADVERTEBANT ; & *ut ita dicam Memorialia erant*, *ne res aliqua* „ *eis excideret*. „

V

VALERIUS-MAXIMUS ; paternâ ex Valeriorum, & maternâ ex Fabiorum gente Patricius, *Dictorum factorumque memorabilium* libros IX. Tiberio-Cæſari Auguſto dicavit, ex Romanis Græciſque imò & exterarum gentium exemplis petitorum.

VALLA (*Laurentius*-), Romæ Canonicus Lateranenſis ſæculo XVI. litterarum eruditione clariſſimus, & acutiſſimus cenſor ; præter *Elegantiarum Linguæ Latinæ* libros ſex, ſcripti & DE Falſâ Conſtantini donatione, &c. Herodoti & Thucydidis hiſtorias è Græco in Latinum convertit, &c. Obiit Romæ, anno ætatis 50. poſt Chriſtum natum 1545.

VARRO (*Marcus-Terentius*-) Grammaticus inſignis, è gente Patriciâ, Ciceroni & Hortenſio familiariſſimus. Scripſit DE LINGUA LATINA libros viginti-quatuor, quorum pars quædam mutila extat inter *Auctores Linguæ Lat.* ſuprà ; item DE VITA POPULI ROMANI libros quatuor, ex quibus pauciſſima ſuperſunt apud *Nonium* alioſque Auctores fragmenta ; denique DE RE RUSTICA libros tres, anno jam vitæ octogeſimo.

VEGETIUS (*Flavius*-) ſcripſit DE *Re militari* ad Valentinianum Imperatorem libros IV.

VELLEIUS-PATERCULUS, ex antiquiſſimâ Campanorum Principum progenie, ſub Tiberio militavit in Germaniâ & Pannoniâ Legionibus præfectus vice Principis. In pace ſcripſit duos Hiſtoriæ Romanæ libros ad M. Vinicium Conſulem, progenerum Tiberii-Cæſaris, ſeu potiùs *Epitomen* duobus libris abſolutam, qui nec integri ad nos pervenerunt.

VICTORIUS (*Petrus*-) Florentinus, nobilis æquè & doctrinâ conſpicuus ; Philoſophiæ moralis primùm, deinde Eloquentiæ Græcæ & Latinæ Profeſſor in patrio ſolo ; à Coſmâ Duce & Julio III. ſummo Pontifice valdè honoratus, cum *Equitis Comitiſque* titulo. Ciceronis opera integra ſummâ cum eruditione recenſuit : Varronis, Columellæ, Ariſtotelis, Erupidis, aliaque plurima Antiquorum opera, Notis aut etiam Commentariis illuſtravit. At celebrantur inprimis ejus ſuper Græcâ Latinâque Linguâ *Variarum Lectionum* libri XXV. Senectute confectus, obiit anno 1585, ætatis ſeptimo ſupra octoginta.

VINNII (*Arnoldi*-) celeberrimi apud Batavos poſteriore ſæculo Juriſconſulti, in quatuor libros *Inſtitutionum* Imperialium *Commentarius* Academicus & forenſis, perfectus anno 1642. Ejuſdem SELECTARUM JURIS QUÆSTIONUM libri duo : item PARTITIONUM libri quatuor, cum Tractatibus de *Juriſdictione*, *Pactis*, *Tranſactionibus*, & *Collationibus*, Roterodami 1664 in-8°.

VINTIMILLIANA Editio Pandectarum.

VIRGILII-MARONIS *Opera*.

VITRUVIUS-POLLIO (*Marcus*-), Veronæ natus circa Æræ Chriſtianæ initium ; ab Auguſto machinarum ſeu tormentorum bellicorum apparationi præfectus cum annuo redditu ; omnem ædificandi rationem decem libris abſolvit mirâ artificii ſcientiâ, ipſi Imperatori dicatam. Hanc præclarè ediderunt Elzevirii *Amſtelod.* 1649. in-fol.

VOLCATIUS ſeu VULCATIUS-GALLICANUS, vir Clariſſimus id eſt Senatoriæ dignitatis ſub Diocletiano circa annum Chr. 290. Omnium Imperatorum vitas ſcribere in animo ſe habuiſſe teſtatur in vitâ *Avidii-Caſſii* Diocletiano dicatâ, quam ſolam habemus. Suſpicatur Valeſius eumdem eſſe *Gallicanum* illum qui fuit Conſul cum Baſſo ann. 317.

VOPISCUS (*Flavius*-) Syracuſanus, Diocletiani tempore ſcripſit plures Imperarorum vitas ; *Aurelianum* ſcilicet, *Tacitum*, *Probum*, &c. *Carum* denique, *Numerianum* & *Carinum*.

VOSSIUS (*Gerardus-Joannes*-) è Belgio in totam ferè Europam emicuit doctrinæ & eruditionis famâ ſæculo XVII. Lugduni-Batavorum & Amſtelodami publicè *Hiſtoriam* profeſſus ; reliquit, inter alia multa, tractatus exquiſitiſſimos *de Hiſtoricis Græcis* & *Latinis*, item *de Poëtis* &c. ex quibus pleraque in hâc noſtrâ Variorum AUCTORUM *Notitiâ* excerpſimus.

VOSSIUS (*Iſaac*-) Gerardi-Joannis filius, Windeſorii in Angliâ Canonicus, Critices & Hiſtoriæ ſcientiâ à patre non degener, & ipſe multa ſcripſit : inter quæ eminet *Variarum Obſervationum* liber, in quo plurima circa ſtatum urbis Romæ curiosè collecta ſunt. Obiit anno 1689.

U

USPERGENSIS. Vide ſuprà, ABBAS.

W

Van-de WATTER (*Joannes*-) hâc ætate Juriſconſultus, Belga, edidit *Obſervationum Juris Civilis* libros tres ; in quibus multa Juris Civilis capita emendantur & explicantur, *Trajecti-Batav.* 1713. item novam Inſtitutionum Juſtiniani editionem, *ibid.* 1717. Ex *Actis Lipſienſibus* ſuprà, Julio 1714. & Januar. 1716.

WESEMBECHIUS (*Mathæus*-) Antuerpiæ natus, in Academiâ Lovanienſi Juris Doctoratum adeptus anno ætatis 19. in partes Proteſtantium poſtea feceſſit ; Thuringæque & Wittemburgi publicè magnâ cum laude Jus profeſſus eſt. Celebrantur ejus PARATITLA in L. Digeſtorum libros, *Œconomia* Juris, *Commentarii* in Codicis libros octo. Obiit anno 1586. ætatis 55.

WIELING (*Abraham*-) in Trajectenſi ad Rhenum Academiâ Anteceſſor, hâc ætate : cujus extant LECTIONUM JURIS CIVILIS *libri duo*, *in quibus vulgata quorumdam capitum ſcriptura defenditur*. Edit. an. 1710.

WISSENBACH (*Joannes-Jacobus*-) Naſſovius ; in Friſiorum Academiâ Anteceſſor primarius ; anno 1653. Edidit ad Quinquaginta Pandectarum libros, ſinguloſque earum Titulos, EXERCITATIONES, ſeu DISPUTATIONES ; quæ in varias Theſes diſtinctæ, commentarii breviſſimi ſimul & locupletiſſimi vice funguntur.

Eodem docendi genere ſcripſit quoque in *Inſtitutiones*.

Celeberrima eſt & ejus Diſſertatio *de Mutuo* ; in illâ percelebri adversùs Salmaſium controverſiâ, *An Mutuum ſit alienatio*.

WOORDA (*Jacobus*-) hâc ætate Anteceſſor in Trajectenſi Academiâ, brevi libello *Varias interpretationes* & emendationes Juris civilis edidit ann. 1635.

X

XIPHILINUS (*Joannes*-) Conſtantinopolitanus Patriarcha, ſedit ab anno 1066. ad uſque 1080. Romanam è Dione Hiſtoriam in quandam Epitomen redegerat ; quæ hodie vicem obtinet ſupplementi librorum illorum qui ex *Dionis* hiſtoriâ quàm plurimi perierunt, ut dictum eſt ſuprà.

Y

YVO, CARNOTENSIS Epiſcopus ſub finem ſæculi XI, regnante Philippo I. & Romæ ſedente Urbano II. In territorio Bellovacenſi natus fuerat ; & ad finem uſque vitæ (anno 1115. ætatis 80.) doctrinâ & pietate & zelo diſciplinæ Eccleſiaſticæ æquè clarus, multa ſcripſit aut excerpſit ſive ad Hiſtoriam ſive ad diſciplinam Eccleſiaſticam. Extant & ejus *Epiſtolæ* numero 187, &c. Omnia ejus opera ſimul edita *Pariſ.* 1647. in-fol. 1. Vol.

Source : BIU Cujas

Z

ZACHIAS (*Paulus-*) Romæ Juriſperitus celebris, Philoſophus ſummus, medicus eximius; ſcripſit, inter alia opera, doctiſſimos QUSÆTIONUM MEDICO-LEGALIUM libros IX. 1. Vol. in-fol. Obiit anno Domini 1659. ætatis 75.

ZAZIUS (*Udalricus-*) natione Germanus, vergente ſæculo XV. in civitate Conſtantienſi Notarius, deindè ineunte ſæculo XVI. in Academiâ Friburgenſi Anteceſſor; quàm plurima reliquit opera Juridica: Lugduni 1545. in-8°. Quædam etiam extant *Joannis-Ulrici-*ZAZII, ejus filii.

ZOANNETUS (*Franciſcus-*) Juriſconſultus Bononienſis, & Juris interpres; cujus paſſim à poſterioribus laudantur Commentaria in aliquot Titulos Digeſtorum; in primis verò liber *Reſtitutionum* ad Quinquaginta Pandectarum libros, in quo ſcilicet textus plurimi ſuæ fidei reſtituuntur, Ingolſtadii editus anno 1548.

ZOEZIUS (*Henricus*) ex Batavis, Lovanii Profeſſor Juris; defunctus anno 1627. Reliquit Commentatorios in *Randectas* & in *Inſtitutiones*, aliaque opera Juridica.

ZOZYMUS Græcus gente, tempore Theodoſii-Junioris Advocatus Fiſci; ſcripſit *Hiſtoriam Imperatorum* ſex libris abſolutam, ſtylo ubique in Chriſtianos vehementi.

Source : BIU Cujas

TABULA GENERALIS
LEGUM CODICIS;

Earum nempè quas integras, & ipſiſmet Imperatorum verbis deſcriptas, huic noſtro Pandectarum *Operi inſeruimus;*

Ordine Alphabetico, ad commodiorem Lectoris uſum diſpoſita.

Cæterarum omnium Legum Codicis quæ in hâc Tabulâ deerunt, vel nulla in toto Opere noſtro mentio: vel breviter expreſſa tantummodò fuit ex illis, prout occaſio tulit, ſententiarum ſumma; ut monuimus ad calcem Præfationis noſtræ, pag. lxx, n. 4°. Si tamen ex Lege aliquâ, licèt non integrè omninò deſcriptâ, excerptus ſit textus paulò longior; & is quoque, varietate caracteris diſtincto priori Legis vocabulo, citabitur.

NOTARUM Arithmeticarum quæ in poſteriori cujuſlibet Columnæ parte figurantur; prima indicat Librum, *ſecunda* Titulum, *tertia* Numerum, *ſub quibus in hoc noſtro Opere repoſita eſt Lex illa Codicis cujus prima verba deſcribuntur ex adversâ parte.*

A

A Bacti animalis 47. XIV-4
Ab adminiſtratione tutelæ 35. I-224
Ab eo judicato 42. I-22
Ab eo qui bona 40. IX-13
Ab executione 49. I-17
Ab honoribus ad 50. V-34
Abhorret à ſæculo 4. VII-14
Ab hoſtibus capti 49. XV-29
Ab hoſtibus captus 41. III-36
Ab hoſtibus redempti 49. XV-23
Ab Illuſtribus 50 V-30
Abolitionem adulterii 48. XVI-21
Abolitio præſentibus *ibid.* 33
Abſentem capitali 48. XVII-1
Abſtinendum prorsùs 49. I-25
Ab uno ex tutoribus 26. VII-49
Ab uno herede 3. V-5
Acceptam mutuo ſortem 22. I-39
Accuſationem à quâ 48. II-40
Accuſationis inſtitutæ 4. II-8
Accuſationis ordinem 48. II-38
Acta ſimulata 22. III-15
Actione adminiſtratæ 2. XV-22
Actionem ei qui abſentis 3. III-34
Actio quidem perſonalis 20. VI-2
Actori delato 12. II-34
Actor quod adſeverat 22. III-3
Actor rei forum 5. I-39
Ad adgnatos pupilli 26. IV-2
Ad avunculos *ibid.* 11
Ad bonorum poſſeſſionem 4. IV-29
Ad comparandas merces 17. I-25
Ad eos qui in aliâ 26. VII-24
Ad eum cui ex Trebelliano 36. I-55
Ad exactionem dotis 23. III-21
Ad exhibendum actione 10. IV-12
Adfinitatis jure 38. VI-7
Ad fiſcum pertinentes 1. XIX-4
Ad inteſtari ſucceſſionem 38. VII-2
Ad invidiam alicui 4. II-10
Adi Præſidem provinciæ 43. XXX-1
Adite Præſidem prov. & ruptum 44. I-20
Aditus competens judex 40. XV-4
Admone adoleſcentem 26. VI-23
Admone eam quæ *ibid.*
Ad officium arbitri 10. II-27
¶ quum autem regionibus *ibid.* 41
Adoleſcentiæ tempus 4. IV-38
Adoptio non tabulis 1. VII-6
Ad probationem dominii 22. III-27
Ad probationem ingenuitatis *ibid.* 32
Ad probationem ſervitutis *ibid.* 36
Ad reſcindendam venditionem 18. V-16
Adrogationes 1. VII-5
Adſeveratio debitum 44. III-14
Ad ſolutionem 49. I-24
Ad tempus exulare 50. IV-15
Ad tempus in opus 3. II-25
Adversùs coheredes 47. XIX-2
Adversùs creditorem 22. I-45
Adversùs curatorem adoleſcentis 27. III-64
Adversùs debitorem 20. V-29
Adversùs eos à quibus 19 II-67
Adversùs eos qui à malæ 41. III-48
Adversùs eos qui negotia 3. V-34
Adversùs eum cujus negotia 17. I-74
Adversùs fratrem tuum 44 IV-30
Adversùs heredes quondam 27. VII-4
Adversùs heredes tutoris *ibid.* 3
Adversùs nominatorem 27. VIII-13
Adversùs petitiones 44. III-5
Adversùs ſententiam 4. I-10
Adversùs uxorem quæ 47. XIX-3
Adultera ſi poſteaquàm 48. II-15
Adulteris verberatis *ibid.* V-57
Adulter poſt quinquennium *ibid.* 41
Advocationis causâ 3. I-21
Advocati qui dirimunt *ibid.* 23
Æde quam te conductam 19. II-77
Æs alienum hereditate. 18. IV-1
Æs quidem alienum 50. XV-11
Agge cum Heminiano 2. XV-12
Agricolarum 1. V-9
A legatis gentium 39. IV-22
Alia cauſa eſt ejus 34. IX-11
Alienam ſectæ meæ 48. IV-6
Alienam ſuſcipere 3. III-23
Alienum ſervum 47. II-6
Alii deſponſatæ 23. I-10
Alimenta quidem 3. V-15
Alio jure eſt tutor 27. VII-3
¶ ſed cùm adversùs ipſum *ibid.*
Altiùs quidem ædificia 8. II-2
Alumnos tuos 20. III-12
A marito in uxorem 24. I-78
Ambiguitates . . Augerì etenim 35. I-37
Amita tutores 26. VI-1
Amitæ cui ſucceſſiſſe 38. XVI-12
Ampliſſimi Ordinis Conſulto 26. V-8
Ancilla quæ exportanda 18. VII-3
Ancillæ ſubtractæ 4. III-15
An Reſpublica 50. VIII-2
Ante diviſionem ſoror 23. III-11
Ante oblationem 13. I-13
Antequàm ſcriptus heres 38. XVI-5
Ante ſententiæ tempus 49. I-16
A nullo judice 2. XII-2
A patre verbis precariis 37. VII-6
A pleriſque Prudentium 44. VII-71
A poſſidentibus vindicata. 6. I-49
Appellatione interpoſitâ 49. VII-1
A procedente judice 2. XII-14
A Proconſulibus & 49. I-8

Source : BIU Cujas

¶ à Præfectis autem *ibid.* 7
A procuratore dolum 17. I-36
Apud Conſilium noſtrum 40. II-5
Apud eos qui rem geſtam 22. III-7
Apud hoſtes patre 29. II-57
Aquam quæ in alieno 8. I-30
Arbitri nulla 42. I-10
Arbitrorum ex compromiſſo 4. VIII-48
Archiatri ſcientes 2. XIV-64
Arrhis ſponſaliorum 23. I-13
Arrianus motâ 40. XII-9
Artem geometriæ 48. VIII-20
Athletis ita 50. V-20
Atrocem ſine dubio 47. X-30
Auctore laudato 21. II-31
Avia tua eorum 23. IV-17
Avi paterni magiſtratu 22. III-35
Aureorum uſus 40. XI-1
Avunculo priori 38. VIII-12

B

BLanditus tibi eſt 46. I-24
Bona mariti tui 49. XIV-42
Bona quæcumque 10. II-21
Bona quondam mariti 24. I-77
Bonorum poſſeſſio filiofam. 38. IX-16
Bon. quidem poſſeſſionem pupilli 37. I-7
Bon. quidem poſſeſſ. ex Edicto *ibid.* XI-12

C

CAlumnia eo tempore 48. XVI-6
Calumniæ pœna *ibid.* 3
Captatorias inſtitutiones 29. I-31
Captum ab hoſtibus 49. XV-36
Carbonianum Edictum 37. X-13
Caſtitati temporum 48. V-84
Caſus corporis 50. VI-9
Caſus ejus qui fundi 48. XXIII-6
Casûs majoris 28. I-34
Cauſa jurejurando 12. II-47
Cauſam in integrum 4. I-14
Cauſariâ miſſus 49. XVI-39
Cauſas in quibus contra *ibid.* XIV-49
Cauſas vel lites 2. XV-17
Cautio ratihabitionis 46. VIII-6
Cenſualis quidem profeſſio 41. I-47
Certâ ratione & fine 42. I-14
Certi & indubitati Juris 18. IV-31
Certi Juris eſt ea 20. II-5
Certi Juris eſt militem 29. I-22
Certum eſt ejus qui cum fiſco 49. XIV-40
Certum eſt eos qui 27. I-56
Certum eſt liberorum. 10. II-83
Certum eſt malæ fidei 6. I-35
Certum Jus eſt non 40. IX-33
Certum quidem eſt cognationis 38. VIII-1
Ceſſante quoque causâ 5. I-76
Circa locationes 19. II-54
Cives & incolæ 49. X-2
Cives quidem origo 50. I-15
Civile eſt quod à te 47. II-68
Civili diſceptationi 29. VI-5
Clari & aperti Juris *lib.* 30. *N.* 201
Codicillos ſeu ſcripturam 29. III-2
Cogi poſſeſſorem ab eo 6. I-22
Coheredibus diviſionem 10. II-51
Collegium ſi nullo 28. V-4
Coloni, id eſt 27. I-49
Commercio redemptæ 49. XV-25
Commiſſoriæ venditionis 18. III-7
Commiſſum antea 48. V-31
Comparantem ab eo *ibid.* XV-2
Compenſationes ex omnibus 16. II-2
Compenſationis æquitatem 25. II-1
Competens judex à filio *ibid.* III-19
Conceſſa eſt etiam 5. I-56
Conditionis incertum 2. XIV-63
Conditioni ſub quâ 35. I-39
Confeſſos in Jure 42. II-1
Conſenſu licita matrimonia 24. II-1
Conſentaneum Juri 5. I-77
Conſobrinorum tuorum 38. VIII-12
Conſtat virum 43. II-2
Conſtitit in quâcumque 3. VI-1
Conſtitutione D. memoriæ 27. *Append.* 4
Conſtitutio...Si verò non adfuerint 22 V-27
Conſtitutiones Principum *ibid.* VI-7
Conſtitutionibus ſacris *ibid.* I-35
Conſuetudinis uſûsque 1. III-30
Contractus locationis 19. II-2
Contra eos qui res 4. IV-29
Contra impuberes 3. V-23
Contra majores 5. II-51
Contra negantem 9. II-48
Contra patronum tuum 37. XV-5
Contra ſcriptum teſtimonium 22. III-14
Creditor ad petitionem 20. VI-6
Creditorem patrui *ibid.* 36
Creditores hereditarios 44. VII-54
Creditores qui non redditâ 20. I-28
Creditor hypothecas 20. V-19
Creditoribus tuis 44. VII-21
Creditor inſtrumentis 22. I-27
Creditori qui pro 46. I-45
Creditoris falſo procuratori 12. VI-20
Creditori tuo ſi partem 2. XIV-33
Creditor prohiberi 45. II-8
Creditor qui hypothecæ 44. VI-1
Creditor qui prædium 13. VII-9
Creditor ſi à debitore *lib.* 30. *N.* 348
Cretionum ſcrupuloſam 29. II-7
Crimen adulterii 48. V-39
Crimen lenocinii *ibid.* 81
Crimen non diſſimile 48. VI-10
Criminis accuſationem *ibid.* II-6
Cruenta ſpectacula *ibid.* XIX-12
Culpa ſimilis eſt *ibid.* VIII-20
Cùm ad eas etiam obligationes 16. I-14
Cùm ad munus exhibendum 50. VIII-23
Cùm adoptivum filium 50. II-5
Cùm allegas partem 4. VII-14
Cùm allegas te à fratre 49. XVII-3
Cùm allegas uxorem 22. I-38
Cùm allegatis 49. XVI-30
Cùm à matre domum 21. III-7
Cùm à matribus ſedulum 26. VI-13
Cum ancillâ contrahenti 15. I-20
Cùm ancillam patrem 12. IV-4
Cùm à Præfecto 3. I-14
Cùm auriculari 50. V-5
Cùm avum maternum 35. I-39
Cùm circa probandum 4. IV-44
Cùm citra fidem etiam 22. III-12
Cùm conſtet pignus 20. I-6
Cùm contra bonam fidem 20. V-25
Cùm debitoris tui 5. I-15
Cùm debitum paternum 29. II-12
Cùm de bonis tuis partem 39. V-34
¶ delegationes autem *ibid.* 17
Cùm de inofficioſo 5. II-13
Cùm dicas te pecuniam 22. II-4
Cùm D. Claudius pater 40. IX-3
Cùm dominam non minorem 20. V-21
Cùm donationis 2. XV-21
Cùm dotem te æſtimatam 24. III-53
Cùm duobus heredibus 5. II-40
Cùm emancipatis vobis 27. IX-15
Cùm eo tempore quo 48. XVI-29
Cùm & ipſe confeſſus es 41. I-18
Cùm & minores vos 4. IV-22
Cùm & poſtliminii 49. XV-32
Cùm & ſoluta indebita 12. VII-1
Cùm eum quem 1. VII-24
Cùm ex causâ fideicommiſſi 5 II-37
Cùm ex causâ fidejuſſionis 17. I-59
Cùm ex causâ mandati 20. VI-36
Cùm facultates tuas 50. V-7
Cùm falsâ demonſtratione 22. III-18
Cùm fidem cautionis. 44. III-12
Cùm filios tuos patriâ 50. V-19
Cùm filium tuum 5. II-12
Cùm fratrem tuum 29. V-42
Cùm heredes inſtituantur 28. I-44
Cùm hereditas perſonam 16. III-37
Cùm ignorantiâ Juris 38. XVII-27
Cùm indulgentiâ noſtrâ 48. XXIII-8
Cùm in rem actionem 4. VII-10
Cùm in ſocietatis contractibus 17. II-32
Cùm inſtrumentis etiam 22. III-12
Cùm inter inſtitutum 29. III. *App.* 2
Cùm in te ſimplicem 23. II-18
Cùm ipſe tutor nihil 18. I-22
Cùm judex in definitivâ 42. I-7
Cùm judicem quoad *ibid.* 3
Cùm jure habenti 26. VI-9
Cùm libertatem mulieribus 40. IV-59
Cùm Magiſtratus datos 42. I-16
Cùm maritum tuum 46. III-39
Cùm motâ inofficioſi 2. XV-11
Cùm non voluntatis 5. I-81
Cùm non frumentum 22. I-32
Cùm neceſſitatum reddendæ 34. III-23
Cùm nemo cauſam 41. II-52
Cùm non eo die 42. I-12
Cùm nondum finitam 44. I-10
Cùm nec patronos 47. X-43
Cùm non redemptum 49. XV-29
Cùm neque originales 50. I-22
Cùm ob provectæ 50. V-13
Cùm patrem pro filiâ 23. IV-18
Cùm patrem tuum fiſci 49. XIV-40
Cùm patrem tuum in metallum 48 XXIII-2
Cùm per abſentiam 41. III-36
Cùm per eos qui negotia 19. I-2
Cùm per procuratorem 17. I-29
Cùm pignoris titulo 20. VI-6
Cùm poſt motam & 41. III-61
Cùm præſentibus partibus 5. I-80

Source : BIU Cujas

Cùm precibus tuis 19.IV-5
Cùm pro herede uſucapio 41. V-1
Cùm profitearis in fraudem 39. V-49
Cùm pro patre in cujus 20.IV-7
Cùm pro pecuniâ quam 46. III-66
Cùm propiorem ſobrinum 38. VIII-1
Cùm proponas ab eâ 2. XV-10
Cùm proponas curatorem 27. IX-28
Cùm proponas ei quam 23. II-47
Cùm proponas eum 42. V-21
Cùm proponas fideicommiſſariam 35. I-55
Cùm proponas filios 2. XIV-63
Cùm proponas hereditatem 40. IV-71
Cùm proponas inter te 4. III-17
Cùm proponas partibus 12. II-24
Cùm proponas quem pridem 21. I-87
Cùm proponas te nauticum 22. II-1
Cùm proponas te prædium 17. II-24
Cùm proponatis pupillorum *lib.* 30. *N.* 202
Cùm quis Jus ignorans 22. VI-5
Cùm rationibus Juris 48. II-9
Cùm rem pecuniariam 3. III-15
Cùm Rempubl. Heliop. 20.IV-13
Cùm res filio tuo 39. V-10
Cùm res non inſtrumentis 22. III-11
Cùm reſponſo viri 34. IX-20
Cùm res quæ necdum 20. I-19
Cùm res tibi donatas 18. I-19
¶ ſanè quoniam *ibid.* 20
Cùm ſententiam Præſidis 42. I-13
Cùm ſervi conſtituti. 28. V-18
Cùm ſervum matris 40. XVI-1
Cùm ſit probatum 41. III-18
Cùm ſpeciem venditam 18. VI-16
Cùm ſtatûs quæſtionem 44. I-17
Cùm ſucceſſores etiam 19. I-43
Cùm ſuper vernis 6. I-23
Cùm ſuppoſiti partûs 48. X-47
Cùm te à debitore 20. VI-21
Cùm te Biblium 50. I-11
Cùm te domûs 4. II-6
Cùm te & collegam 50. VIII-23
Cùm te fiſci cauſam 3. I-18
Cùm te fundum tuum 18. V-15
Cùm te ideò ex perſonâ 15. *Append.* 2
Cùm te in Galliâ 12. I-23
Cùm te medicum 50. V-15
Cùm te minorem quinque 22. III-1
Cùm te non ſolùm 4. II-10
Cùm te pietatis religionem 5. II-25
Cùm te poſſeſſiones non 15. *Append.* 1
Cùm te proponas 2. XV-3
Cùm te propter turpem 12. V-7
Cùm te ſponſæ filii 23. I-16
Cùm teſtamento directam 35. I-168
Cùm teſtamentum falſum 48. XVIII. 5
Cùm teſtamentum nullo 40. I-5
Cùm teſtatorem fideicomm. 35. I-196
Cùm te tranſegiſſe 2. XV-6
Cùm tutelæ adminiſtratæ 27. III-31
Cùm vendente 1. XIX-6
Cùm venditorem carnis 19. I-80
Cùm virum prudentiſſimum 36. I-20
Cùm ultrà hoc quod accepit 44. III-7
Cùm vos affirmetis 50. V-19
Curabit Præſes provinciæ 19. I-93

Hucuſque Leges illæ in quibus Particula CUM *vel* Conjunctiva *vel* Cauſalis *eſt. Cæteras vide infrà in* QUUM *(a).*

Tome III.

Curator adultis 27. I-48
Curator adulti vel tutor 20. I-15
Curatorem adulto ſuo 23. II-49
Curatores impletâ 27. X-1
Curatores quidem ſuo 26. X-16
Curiales omnium 50. II-32
Curiales qui ſeſe *ibid.* 37
Curiales ultra terminos *ibid.* 32

(a) Et ita perpetuò in Opere noſtro obſervavimus; ut Particula Cauſalis *Cùm*, quæ accentu ſuo diſtinguitur à Conjunctivâ, ratione quoque ſcribendi ſecerneretur ab adverbio temporis *Quum* pro *Quando*. Idque, non ut Antiquitatem amare videamur; quod hic ineptum eſſe bellè objicit Aldus *Familiar. Epiſt.* lib. 1. Epiſt. 1. (ſi quidem apud Antiquos CU & QUU promiſcuè paſſim uſurpantur, putà ECULEUS vel EQUULEUS COCUS vel COQUUS &c.) ſed ut legenti obvius magis, imò ne ambiguus quandoque eſſet legis ſenſus.

D

DAmnum per injuriam 9. II-8
Damnum quod per aggreſſuram 19. II-64
Datâ certæ pecuniæ 18. IV-30
Datâ operâ partis 48. VIII-19
Datum legatum 34. IV-10
De alimentis præteritis 2. XV-24
De ancillâ matre 40. I-3
Deberi etiam alianæ 40. IV-64
Debitori tuo ſi heres 2. XIV-31
Debitorem neque vendentem 20. I-29
Debitores præſentes *ibid.* 31
Debitores qui bonis 3. II-28
Debitores quidem hereditarii 44. IV-6
Debitores tuos quibuſcumque 22. III-12
Debitorum pactionibus 2. XIV-44
Debitoris denuntiatio 20. V-4
Debitum cujus meminiſti 20. VI-36
De bonis matris deportatæ 48. XX-11
De contractu venditionis 18. V-10
Decreto ampliſſimi 3. II-19
De crimine adulterii 48. V 87
De crimine quod 48. II-4
Decurionem in opus 48. XIX-63
Decurionum filii *ibid.* 64
De eo qui pretio 5. I-73
Defenſiones ſive 44. I-7
De fide teſtamenti 44. VII-71
Defuncti ſuis 38. IX-2
Defuncto quidem liberto 38. V-15
Defunctorum in 49. XV-29
De hereditate quam 5. III-53
De his quæ extra dotem 24. I-64
De his quæ in dotem data 23. III-40
De his quæ per injuriam 9. II-16
De his quos tenet 48. III-13
De inofficioſo 5. II-2
De inſtrumentis quæ 10. II-64
De latâ conditione 12. II-11
Delegatio debiti 46. II-29

DEO AUCTORE *Proem. Digeſt.* Tome I. *pag.* CXXXIII.

De pecoribus tuis 9. II-16
De perſonalibus muneribus 50. V-10
Deportati nec 48. XX-3
Deportatorum in inſulam 48. XIX-27
De rebus in ſponſam 23. I-16
De rebus quas divortii 25. II-14
De reſtituendis rebus 13. VI-10
Deſiderium tuum 16. III-21
De ſucceſſione ſuâ 27. III-50
De tutelâ avunculi 4. IV-46
Dictam legem donationi 12. IV-3
Digna vox 1. III-14
Directis verbis jure 40. IV-28
Diſpar cauſa eſt 40. XIII-3
Diſputare de 48. XIII-12.
Diſſentientis patris 24. II-3
Diſſolutæ quantitatis 12. VII-3
Diſtractis à debitore 20. I-31
Diſtrahente marito 41. I-51
Diverſis temporibus 20. V. 8
Divinè admodùm 4. VII-13
Diviſionem prædiorum 10. II. 49
D. Marco auctore 40. I-7
D. Marco placuit 48. XVIII-3
Divortii cauſâ rebus 25. II-9
Diutina poſſeſſio 41. III-39
Diuturnum ſilentium 20. VI-37
Doce ancillam 23. III-40
Dolo vel metu 2. XIV-13
Dolum auctoris 41. III-48
Dolum ex indicis 4. III-2
Dominii jure pignora. 20. V-34
Dominis ſervorum 48. XVI-8
Dominum per ſervum 15. I-1
Dominus horreorum 19. II-71
Dominus litis 49. IX-4
Domum quam ex matris 6. I-45
Donantem ancillam 41. III-12
Donatarum rerum 41. II-20
Donationes circa filium 39. V-47
Donatio. . . Sin autem poſt mortem 24. I-11
Dos à patre profecta 24. III-1
Dotem numeratio 24. III-65
Dotis actione ſucceſſores *ibid.* 20
Dotis quidem petitio 37. VII-15
Dotis tuæ potiorem 24. III-78
Dubium non eſt poſt *ibid.* 58
Duumvirum impunè 50. IV-26

E

EA conditione diſtractis 18. V-13
Ea demum ab emancipatis 37. VI-13
Eâ lege in vos collata 12. IV-12
Eâ lege rebus donatis 19. IV-3
Eam quæ aliundè 50. I-24
Eam quæ in poſſeſſione 40. XII-20
Eam quæ ita vænit 18. VII-1
Ea quæ advocati 22. III-17
Ea quæ à patre 4. VI-14
Ea quæ à te quum 5. I-27
Ea quæ de temp. (l. 5. Cod. *de Temp. in integr.*)
§ 1. Si quando ſanè in minoris 4. I-7
§ 2. Quod ſi majoris *ibid.*
§ 3. Quum verò major *ibid.*
Ea quæ in nominibus 10. II-26
Ea quæ pater 3. II-31
Ea quæ per inficiationem 12. VI-32
Ea quæ ſtatuuntur 42. I-21
Ea quæ tibi ut ſponſæ 23. I-18

Source : BIU Cujas

Ea quidem quæ per officium 48. II-42
Ea quidem quæ vi majore 13. VI-19
Edicto quidem D. Marci 4. IV-51
Edicta actio 2. XIII-7
Educatio pupillorum 27. II-2
Ei qui ſervo alieno 15. I-23
Ejus quantitatis cujus 16. II-4
Ejus qui per contumaciam 49. I-26
Ejus qui requirendus *ibid.* 60
Ejus quod ad cauſam 29. III-10
Ejus quod non ei debetur 16. II-15
Ejus rei nomine 14. V-4.
Eligere debes utrùm 46. VI-6
Emancipatione factâ 22. III-13
Emancipatos liberos 37. VI-5
Emancipatus repudiatâ 38. IX-7
Empti actio longi 19. I-38
Empti fides ac venditi 18. I-26
¶ ſed & ſi donationis *ibid.* 24
Emptionem rebus fieri *ibid.* 30
Emptione pignoris 20. V-22
Emptionum mancipiorum 39. V-15
Emptor bonâ fide 41. III-92
Emptorem quidem fundi 19. II-19
Emptor fundi niſi 21. II-28
§ 1. Sed & ſi judicio *ibid.* 22
Emptor hereditatis 18. IV-8
Emptori etiam venditoris 21. III-2
Emptor ſervorum 19. I-52
Eo quod à multis 22. IV-6
Eorum demùm bona 48. XXI-1
Eorum qui apud conſilium 40. IX-31
Eorum qui in reatu 48. XX-16
Eos etiam qui imaginem 49. I-8
Eos indulſerunt 50. II-2
Eos qui acceperunt 20. IV-30
Eos qui à ſervo furtim 47. II-68
Eos qui condemnati 42. I-43
Eos cui cujuſc. Si quis propter cenſum 50. V-8
Eos qui cum honore *ibid.* 28
Eos qui appellationibus 49. I-53
§ 1. Si quid autem in agendo *ibid.*
§ 2. quis autem poſt interpoſitam *ibid.*
§ 3. Ne temerè autem *ibid.* 58
§ *fin.* Apoſtolos poſt *ibid.* 46
Eos qui ne teſtamentum 29. VI-2
Eos qui officia 1. XVI-20
Eos qui terminos 47. XXI-1
Eos qui veniam 4. IV-4
Eos quos debitores 42. I-47
Eos teſtes ad veritatem 22. V-16
Eo tempore quo ſoror 4. IV-6
Errat qui tibi perſuaſit 49. XVII-1
Errorem calculi 42. I-29
§ Sed ſi per errorem 12. VII-1
Errore ſcribentis teſtamentum 28 V-32
Errores eorum qui 22. III-17
Error facti necdum 22. VI-13
Error facti quartæ 35. II-81
Eſt in arbitrio veſtro 20. I-31
Eſt verum eos qui 50. IV-9
Etiam adversùs venditiones 4. IV-51
Etiam à pupillorum *lib.* 30. *N.* 24
Etiam conſtante matrimonio 16. I-19
Etiam ex aliis cauſis 48. IV-6
Etiam hi qui noſtra 50. V-29
Etiam id quod pignori 20. III-5
Etiam in opus perpetuum 48. XIX-15
Etiam Jure Civili. 22. V-6
Etiam liberis damnatorum 37. XIV-37
Etiam minores 50. IV-11
Etiam mulieres ſi 27. V-3
Etiam nomen 42. I-51
Etiam per alienum 41. I-84
§ 1. Mancipium autem *ibid.* 91
Etiam poſthumo præterito 37. VI-10
Etiam poſt mortem 49. I-60
Etiam qui pactione 37. XV-2
Etiam ſi contrariam 17. I-68
Etiam ſi de jure obligationis 46. I-72
Etiam ſi fideicommiſſum 16. II-4
Etiam ſi is diviſioni 10. II-97
Etiam ſi non dotem reddi 23. IV-30
Etiam ſi uxoris tuæ 24. I-63
Etiam teſtamento 26. X-4
Etiam tutoribus 4. IV-25
Etiam vectigale vel 27. IX-2
Et in epiſtolâ vel libello *lib.* 30. *N.* 17
Et in legatis principi 35. II-7
Et in majoribus 49. I-18
Et in privatorum 42. I-14
Et in provinciali prædio 8. I-33
¶ *quare* non ignorabis *ibid.* 15
Et militibus noſtris 29. I-7
Et quæ à D. Antonino 2. XIII-10
Et qui immunitatem 50. VI-4
Et qui ſub imagine 20. V-21
Et Senatus cenſuit 16. II-10
Etſi ad te negotium 48. II-3
Etſi à muliere magiſter 14. I-11
Etſi à patre tuo teſtamento 26. II-17
Etſi contra mandata 23. II-55
Etſi crimine adulterii 42. I-39
Etſi de tuâ pecuniâ 24. I-53
Etſi dotis exactio 23. III-37
Etſi duobus ſimul 50. VIII-21
Etſi inutiliter fideicommiſſum *lib.* 30. *N.* 48
Etſi is quem.... Pignora ſanè 27 IX-30
Etſi Legibus conſentaneum 1. IV-8
Etſi libidine intemperatæ 48. V-68
Etſi minor viginti annis 4. IV-47
Et ſine ſcripturâ per fideicom. 36. I-64
Etſi non adſcriptâ 40. IV-14
Etſi non cognitio 1. IV-9
Etſi Præſes provinciæ 27. IX-23
Etſi ſciſſes te curatorem 26. VII-29
Etſi ſeverior ſententia 3. II-25
Evictâ re quæ fuerat 23. III-43
Eum ad quem uſusfructus 7. I-31
Eum à quo mutuam 46. II-62
Eum quem ut ſuſpectum 26. X-20
Eum qui adſeverat 48. VIII-13
Eum qui aliena negotia 5. I-36
Eum qui à pupillo 41. III-78
Eum qui celavit 48. X-2
Eum qui duas ſimul 48. V-76
Eum qui mancipium 48. XV-2
Eum qui mutuam 12. I-25
Eum qui ob reſtituenda 12. V-3
Eum qui quum teſtamento 29. IV-5
Eum tutorem qui ſupereſt 26. VII-8
Eunuchis liceat facere 28. I-15
Exactores tributorum 27. I-61
Ex arrhali pacto 18. I-50
Ex causâ donationis vel 37. VI-6
Ex causâ quidem judicati 16. II-11
¶ eum *verò* qui judicati *ibid.* 7
Ex causâ tranſactionis 41. X-2
Exceptione doli rectè 21. III-8
Exceptionem dilatoriam 44. I-11
Exceptis qui liberalium 50. IX-5
Excepto tempore 19. II-51
Ex contractibus ſervorum 15. III-1
Ex contractu pecuniæ 46. II-25
Ex contractu qui ceſſionem 42. III-6
Ex conventione quidem 45. I-40
Excuſationem navicularîis 27. I-49
Excuſationis quidem tuæ *ibid.* 80
Ex D. Antonii Pii 19. II-72
Ex duobus captivis 49. XV-21
Executorem eum 42. I-61
Executores à *ibid.* 55
Exemplo cæterorum 4. IV-28
Exemplo perniciosum eſt 22. IV-7
Exemplo Senatorii ordinis 50. II-2
Ex eo inſtrumento nullam 45. I-45
Ex fideicom. ſub conditione *lib.* 30. *N.* 74
Exhibitionis neceſſitate 10. IV-24
Ex his verbis, Do, lego 35. I-78
Ex his verbis, Fortunato 29. I-29
Ex his verbis, Titio 35 I-226
Exigendi à filio 3. III-40
Ex illo tempore 49. I-49
Ex imperfecto teſtamento 28. I-44
Ex morte ancillæ 44. VII-71
Ex nominis emptione 18. IV-30
Ex patroni vel domini 15. *Append.* 1
Ex pecuniâ dotali fundus 24. III-25
Ex perſonâ collegæ avi 22. III-2
Expertes litterarum 50. II-16
Ex pignore percepti 13. VII-9
Expilatæ hered. crimen adversùs 47. XIX-4
Expilatæ hered. crimen loco *ibid.* 1
Expilatæ quidem hered. crimen intentare *ibid.* 2
Ex placito permutationis 19. IV-2
Ex prædiis pignori 22. I-43
Ex præſtatione vectigalium 39. IV-21
Exprimere debueras tuis 45. II-8
Expulſos vos 19. I-39
Ex repudiat. fideicommiſſi *lib.* 30. *N.* 365
Ex ſententiâ arbitri 4. VIII-54
¶ *ſed* ſi ultra diem *ibid.* 43
Ex ſtipulatione in quâ 45. I-17
Ex ſtipulatione partâ 42. I-7
Ex teſtamento defuncti 40. IV-70
Ex teſtamento quod jure non *lib.* 30. *N.* 19
Extraneum etiam penitùs 28. V-5
Extraneum etiam quum 28. V-40
Ex tribus unciis herede 5. II-20
Ex variâ ſtatutorum 49. XIV-3
Ex verbis quæ in poſtremis 24. I-69
Ex verbo, Commendo 40. IV-15

F

FActum ſpontè ſe 48. XXI-3
Fallaciter incuſantibus accuſationem 48. XVI-33
Fallaciter incuſantibus maximè *ibid.* 4
Falſam quidem teſtationem 42. I-31
Falsâ ſuaſione credis 27. I-21
Falſi quidem crimen 48. II-12
Falsò adſeveratur 1. IV-13
Falsò tibi perſuaſum 17. II-26
Falſus procurator depoſitum 47. II-24
Familiæ Erciſcundæ vel 10. II-18
Feliciſſima quam 40. IX-16
Fideicommiſſum ibi pet. 5. I-40

Source : BIU Cujas

Fideicommiſſum vel legatum 12. VI-10
Fidejuſſores magiſtratuum 50. VIII.-19
Fidejuſſoris quidem heres 46. III-121
Fidejuſſor ſeu mandator 46. I-36
§ 1. Ut autem is qui cum *ibid.* 59
Fidem rumpens 3. II-15
Filia in orbitate 5. II 25
Filiæ cujus nomine 10. II-57
Filiæ divortium 24. II-3
Filiæ dotem in medium 37. VII-2
¶ nec dubium eſt profectitiam *ibid.* 9
Filiæ licèt maneat *ibid.* 7
Filiæ pecuniam 24. III-11
Filiam cum fratribus 37. VII-15
Filiam præteritam 37. IV-1
Filiam teſtamento patris 37. VII-3
Filii patris teſtamentum 28. I-46
Filiis matrem quæ 5. II-19
Filio delatam bon. poſſeſſ. 38. IX-4
Filios apud originem 50. I-3
Filios debitoris ei 42. XIII-23
Filios & filias 1. VII-43
Filios in poteſtate 50. II-23
Filium ab hoſtibus 50. V-11
Filiusfamil. ſi minor 4. IV-8
Filius paciſcendo 2. XIV-45
Fœdiſſimæ mulieris 49. XV-25
Fœdiſſimam earum nequitiam 48. V-11
Fœminis alienas 16. I-32
Fœnoris Reipubl. 50. VIII-14
Forma eſt quoties 49. XIV-21
Formam à Præfecto 1. XI-4
Frater tuus miles 29. I-24
Frater tuus non ideò 27. I-21
Frater tuus ſi ſol. & eâ actione 10 II-40
¶ quòd ſi diviſio prædii *ibid.* 38
Frater veſter rectiùs 48. VIII-13
Frater veſter ſicut 20. I-16
Fratres vel ſorores uterini 5. II-9
Fratris tui filiis 2. XV-17
Fratris vel ſororis filii 5. II-9
Fratris uxorem ducendi 23. II-35
Fructus poſt perfectum 19. I-64
¶ venditor *quoque* pretium *ibid.* 94
Fructus prædiorum 24. I-41
Frumenti vel hordei 22. I-26
Fruſtrà adhuc ſervum 48. XIX-41
Fruſtrà exiſtimas actionem 23 III-16
Fruſtrà opinaris exceptione 44. III-5
Fruſtrà SCti exceptione 16. I-25
Fruſtrà veremini 22. III-3
Fruſtrà vereris ne 49. XVI-31
Fundo ſicui inſtructus 33. VII-34
Fundum pignori obligatum 20. VI-5
Furioſum in ſuis 28. I-16
Furti actione minimè 47. II-82
Fuſtibus cæſum 3. II.8

G

GEnerali definitione conſtitut. 46. I-12
Generalis indulgentia 48. XXIII-1
Generali Lege decernimus 5. I-56
Generali Lege proſpectum 26. V-9
Generaliter ſancimus omnes 39. V-47
Gener. ſanc. Si quis (l. 6. Cod. *de Inſt. & ſubſt.*) 35. I-86
¶ in hujuſmodi caſu 35. I-86
Gracchus quem 48. V-64
Grammaticos ſeu 50. V-15

H

HAbitatio 7. VIII-19
Habitantes precario 43. XXVI-25
Habito ſemel fideicomm. 21.-62
Hâc conſultiſſimâ (l. 21. Cod. *de Teſtamentis*) 28. I-39
§ 1. Ex imperfecto autem *ibid.* 46
§ 2. Per nuncupationem quoq. *ibid.* 40
Hac Lege perpetuò valiturâ 42. I-10
Hæc ſententia, Omnem *ibid.* 2.
Hæc ſententia, Quæ bona *ibid.*
Heredem fidejuſſoris 21. II-27
Heredem mariti quondam 44 VII-54
Heredes eorum qui 27. VII-5
Heredes quoque mulieris 16 I-36
Heredes quos necem 29. V-47
Heredes tutorum ob negligent. 27. VII-5
Heredi ſcripto ſatis 43. III-1
Hereditas in teſtamento 34. IX 22
Hereditas materteræ 44 II-13
Hereditatem ejus quem 43. II-4
Hereditatem quid. neque dari 29. VII-11
Hereditatem quidem petentibus 41. III-93
Hereditatis petitionem 5. III-62
Hereditatis vel legati 28. V-4
Heredum etiam res *lib.* 30. *N.* 126
Heres inſtituta matris 28. VI-17
Hi qui ad civilia 49. X-2
Hi qui à te collegâque 50. VIII-17
Hi quibus per fideicommiſſum 37.
Hi qui in alienâ 1. VII-6
Hoc quod placet 48. XVIII-21
Honor veteranis *ibid.* XIX-65
Humanitatis ac religionis 27. I-8
Humanum & pium 11. VII-27
Humilem vel abjectam 23. II-68
Hydraulæ 50. V-22

I

ID quod pauperibus *lib.* 30. *N.* 62
Ignominiæ causâ 50. V-14
Ignorantia creditoris 47. XX-2
Ignorare non debes 4. VI-18
Ignotis Juris non eſt adversùs 42. VIII-19
Illam . . . Ut commixtis 37. VII-17
Illatæ diſpenſatori 22. IV-2
Illic . . . Ubi autem domicilium 5. I-40
Illud requirendum 27. IX-19
Impetrata Reſcripta 42. I-27
Improba poſſeſſio 41. III-63
Improbum fœnus 3 II-12
Improbum quidem & 47. XX-2
Impuberem quem 1. VII 30
¶ adrogatio *etenim* ex indulg. *ibid.* 5
Impunitas delicti 48. XIX 51
In actione etiam depoſiti 12. II-50
In adoptionem patre 1. VII-24
In adoptionem quidem *ibid.* 27
In adulterii quæſtione 48. V-52
In Albo Decurionum 50. III-2
In arenam non damnato 5. II-24
In bonæ fidei contract. ita demùm 2. XIV-36
In bonæ fidei contractib. necnon 12. II-50
In bonæ fidei judiciis 22. I-55
In bonis mortui potiorem 42. VI-11
In causâ judicati 42. I-60
In causâ quæ . . . Si in aliquo captum eſt. 50. VIII-1
In cauſis criminalibus 48. II 38
Incendium ære 46. III-117
Incerti Juris non eſt 10. II-88
Incivile atque inuſitatum 41. I-13
Incivilem rem deſideratis 6. I-47
In communione vel 10. II-13
In conjunctione filiarum 23. -II 13
In conſilio quidem 4. IV-6
In contractibus rei veritas 22. III-15
In copulandis nuptiis 23. II-12
Incredibile eſt 48. XIX 62
In criminibus 4. IV-41
Indebitas uſuras etiamſi 22. I-36
Indebito legato 4. IV-20
Indebitum ſolutum 12. VI-33
§ 1. Citra mandatum ab *ibid.* 7
Indecoram obſervationem 26. I-10
In donationibus int. vir. & ux. 35. II-6
In dubium non venit tutores 26. VII-6
Inductum, id eſt 46. III-13
In eâ quæ Reipublicæ 26. II-9
In exercendis litibus 22. III-10
In exſecutionibus criminum 48. XVI-12
In extraneos & 39. V-33
Infames perſonæ 50. IV-12
Infamia quæ tibi 50. II-34
Infamiæ detrimentum 3. II-26
In Familiæ erciſcundæ 10. II-86
Infantis nomine 37. I-10
In filiis Decurionum 50. II-37
In fugâ ſervum 48. XV-3
In heredes magiſtratûs 27. VIII-8
In his in quibus læſus 4. I-6
In his quæ minorum 4. IV-25
In imponendâ (l. 6. Cod. *ad L. Falcid.*)
§ 1. Omnia autem legata 35. II-9
In inſulam deportato 48. XXII-2
In integrum reſtitutione minorib. 4. IV-14
In ipſius mariti tui 10. II 94
Iniquum & longè à 48. II-11
In judicio de liberali 4. IV-49
In judicio tam locati 19 II-28
Injuriarum actio tibi 47. X-25
Injuriarum cauſa *ibid.* 34
Injuriarum ex perſonâ 3. II-12
In legatis quidem & fideicom. 35. I-224
In legatis vel fideicom. *lib.* 30. *N.* 4
In locum tutoris defuncti 26. VI-12
In Magiſtratus municipales 27. VIII-1
In Minorum perſonâ 22. I-63
In Noſtræ Serenitatis 50. X-6
In officiales Præfectorum 1. XVI-5
In omni ceſſione 42. III-3

Source : BIU Cujas

§ 1. Idem dixit; in omni *ibid.*
In omni ultimâ voluntate 29. VII-7
In pecuniariis cauſis 48. XVII-8
In pecuniariis controverſiis 3. III-14
In poſſeſſionem fundi 48. VI-10
In poſſeſſionem rei ſervandæ 41. III-65
In poſtulandis ſuſpectis 26. X-19
In poteſtate ejus eſt qui 46. III-89
In quæſtione (l. 13. Cod. *de Sent. paſſ. & reſtit*) . . . . . .
§ *fin.* Ideòq. tantùm ad reſtit. 48. XXIII-3
In rebus quæ privati 5. I-22
In rem actio non contra 6. I-12
In re mandatâ non pecuniæ 17. I-40
In rem pupilli 4. IV-28
In reſtituendâ 5. III-55
In ſervili conditione conſtitutum 26 I-6
In ſervorum proprietatis 41. III-8
Inſolitum eſt & grave 48. XVIII-17
In ſolutum nomine dato 18. IV-30
Inſtrumenta domeſtica 22. IV-7
Inſtrumenta prædiorum *lib.* 30. *N.* 340
Inſtrumentis etiam 22. III-11
In ſucceſſione filii 38. XVII-14
In ſucceſſione quæ 37. VII-1
In ſummâ debiti 20. VI-3
Intelligere debes *ibid.* 2
Intelligis filio 49. XVII-11
Inter æquitatem 1. III-11
Intereſt multùm utrùm-ne 46. III-10
Intereſt uſumfructum 7. I-2
Inter filios & filias 38. XVI-9
Interlocutio Præſidis 42. I-26
Inter omnes minores 27. XI-8
Interpoſitas 2. XV-20
¶ *ſed* quoniam eum cum quo 44. VII-26
Inter privatos 2. XII-10
Interrogatam & 40. XIII-2
Intervalla temporum 50. V-35
Inteſtatâ mortuâ 39. VI-3
Inteſtatorum Curialium 38. *Append.* 16
In vendentis vel ementis 44. VII-2
Invitos conductores 19. II-74
Invito vel ignorante creditore 46. III-56
Invito vel ignorante te 11. VII-7
Invitus procurationem 3. III-11
In unâ eâdemque cauſâ 4. IV-23
In univerſis litibus 5. I-22
Inuſitatam rem deſideras 27. I-10
Ipſe diſpice 2. XIII-10
Ipſe ſignificas quum 48. X-39
Is apud quem res 2. XIII-11
Is demùm in SCtum incidiſſe 48. XVI-16
Is penès quem utramque 16. III-60
Is qui adgreſſorem 48. VIII-9
Is qui bona ſecundùm 42. I-43
Is qui cum telo 48. VIII-3
Is quidem qui in teſtamento 40. IX-2
Is qui liber conſtitutus 49. XV-25
Is qui rationem tutelæ 27. VII-3
Is qui ſolvendo non eſt 28. VI. *Append.* 5
Ita demùm ſuper 3. III-25
Ita nobis cordi 48. V-45

J

JAm dudum à nobis 1. XIX-5
Jàmpridem quidem mancip. 4. III-10
Jam tibi ſcripſi 46. IV-10
Jubemus omnes 40. I-5
Jubemus ut ſi quis 38. *Append.* 19
Judex ad certam rem 42. I-15
Judex qui diſceptationi *ibid.* 9
Judicati exſecutio *ibid.* 31
Judices legibus 5. I-70
Judices oportet imprimis *ibid.* 66
Judices tam Latinâ 42. I-11
Judicio cœpto uſurarum 22. I. 41
Judicium poſtremum 29. VI-5
Juliana cujus tibi curatores 26. IX-4
Jure mariti adulterii 48. V-25
¶ & qui confidit accuſationi *ibid.* 53
Jure noſtro eſt 46. I-41
Juris ignorantiam nec 38. IX-15
Jurisjurandi contempta 12. II-52
Jurisjurandi religione 22. V-28
§ 1. Sanximus ut unius *ibid.* 19
Juris ordinem 5. I-27
¶ nam ubi cœptum *ibid.* 29
Jus familiarium 11. VII-17
Jus poſtliminii 49. X-V20
Jus ſepulcri 11. VII-17
Juſtum eſt deſiderium 2. XIII-9
Juxta Edicti noſtri 40. XII-25

L

LAtam Sententiam dicitis 42. I-27
Latâ ſententiâ 49. I-28
Legatum à defuncto 11. VII-40
Legatum alii ſub conditione 35 I-35
Legatum ſive fideicommiſſum *ibid.* 121
Legem quam dixiſti 2. XIV. 31 * 23 IV-17
Legem quam rebus tuis 39. V-9
Legem quidem conduct. 19. II. *Append.* 3.
Leges & Conſtitutiones 1. III-5
Leges ſacratiſſimæ 1. III-9
¶ ſi quid *verò* in *ibid.* 11
Lege venditionis exportata 18. VII-3
Legis Juliæ de bonis 42. III-4
Lex Viſellia 48. X-44
Libera concubinatûs 40. XIII-10
Libera matrimonia 45. I-46
Liber captus ab 49. XV-30
Liberi concubinas 23. II-36
Liberi contra tabulas parentûm 37 V-6
Liberi de... Si tamen mater inhon 5. II-26
Liber necne fuerit teſtator 5. III-22
Liberos à parentibus 1. VI-17
Liberos privatis 40. XIII-2
Liberos qui per noſtræ 37. VI-7

* Hæc lex bis in Codice repetita, inſcribitur nomine Alexandri in I. 10. Cod. *de Pactis*; nomine autem Severi & Antonini in I. 1. Cod. *de Pact. convent. ſept. dot.*

Liberos velut ſervos 40. XIII-2
Liberta eademque uxor 23. II-25
Libertæ quæ voluntate patroni 38. I-36
Libertæ tuæ ducendo *ibid.* 35
Libertas teſtamento 40. IV-72
Libertati à Majoribus 1. VI-16
Liberti libertæque 38. I-11
Libertinæ conditionis conſtitutis 40. XVI-1
Libertinæ conditionis homines 37. XV-15
Libertinum qui filio 23. II-45
Libertorum adversùs patronos 22. V-5
Libertos à tutelâ 27. I-66
Libertos exemplo 1. VI-7
Libertum qui patronam 23. II-40
Liberum eſt filiæ tuæ 23. I-12
Liberum fuit antequàm 46. I-56
Liberum ſciens conditionem 48. XV-1
Liceat omnibus 1. XXII-5
Licèt acceptâ pecuniâ 40. I-18
Licèt adversùs heredes 27. VII-3
Licèt ante tempus debita 13. II-1
Licèt certis annuis quantitatibus 19. II-53
Licèt dotale mancipium 40. IX-12
Licèt epiſtolæ 45. I-15
Licèt ex causâ fideicommiſſi 37. XIV-1
Licèt ex tabulis quas 48. X-39
Licèt iiſdem pignoribus 20. IV-27
Licèt in delictis 26. VI-15
Licèt in principio quæſtionis 3. III-50
Licèt inter privatos 2. XIV-62
Licèt judice accepto 44. II-3
Licèt liberi matribus 38. XVII-7
Licèt neque noſtrâ 24. II-18
Licèt Orationis ſub 26. V-8
Licèt poſſeſſio nudo 41. II-37
Licèt poſtquàm ſupplicaſti 42. I-27
Licèt repudii libellus 24. II-6
Licèt ſervilis 1. IV-7
Licèt ſervitutis tempore 9. IV-15
Licèt tutorum conventione 27. III-12
Licèt Undè vi interdictum 44. IV-35
Litem te redemiſſe 3. III. *Append.* 1
Lite ordinatâ 40. XII-21
Lite pendente 44. VI-6
Litigatoribus 49. I-31
Locum quidem religioſum 11. VII-3
Longè diverſam 33. VIII-2
Longi temporis poſſeſſione 41. III-71
Longi temporis præſcriptio *ibid.* 61
Luminibus captus 27. I-21

M

MAgiſtratus ejus civitatis 26. V-4
Magiſtros ſtudior. Sed judicio 50. V-15
Majeſtatis rei (l. 1. Cod. *ad L. Jul. Majeſt.* . . . . .)
§ 3. Et mortuo eo res 48. IV-11
Major annis 25e. pignoris 20. VI-14
Majorem ſeveritatem 48. X-32
Malâ fide morato 40. XII-10
Malâ fide poſſidens 12. VII-5
Mancipia tua ſi ab 41. III-12
Mandati actio perſonalis 46. I-49

Source : BIU Cujas

Mandatum re integrâ. 17 I-76
Manifesti & indubitati Juris 20. VI-2
Manifesti Juris est majores 50. V-3
Manifesti Juris est tam 46. III-65
Manifestum est nuptiis 23. II-70
Manumissionis causâ traditus 38. I-7
Mariti qui fundum 23. V-9
Maritus citra mandatum 3. III-29
Maritus etsi rebus 26. V-8
Maritus & uxor 38. XI-1
Maritus manumissionis 24. I-30
Mater inter eas 48. XVI-3
Mater pupillæ 23. II-49
Mater testamento filiis 26. III-3
Mater tua ab eo 38. I-8
Matrem tuam consecutam 22. III-34
Matres naturalibus 26. VII-6
Matres quæ puberes *ibid.* 19
Matri intestato 38. XVII-21
Matrimonium deportatione 24. II-1
Matris pietas 26. VI-7
Maximarum culmina 50. V-30
Medicos & maximè *ibid.* 16
Meminisse oportebit 48. IV-11
§ 1. In hoc item crimine *ibid.* 10
Mercalem te habuisse 12. V-9
Metalli supplicium 48. XIX-41
Metum non jactationibus 4. II-7
Miles si castrensium 29. I-25
Militaribus viris 50. II-32
Militem nec pro patre 3- III-24
Milites ignominiâ 49. XVI-40
Milites neque tormentis 48. XVIII-3
Milites nostros 49. XVI-14
Militiæ armatæ 26. I-8
Militis voluntatem 34. IX-19
Minimè fas est 49. I-47
Minor annis lege 40. IX-23
Minorem pecuniam 44. III-7
Minores 25e. annis non 4. IV-32
Minoribus annis 25e. etiam *ibid.* 25
Minoribus in his quæ *ibid.* 29
Minoribus in integrum *ibid.* 34
Minoribus 25e. annis heredib. 29. V-43
Minoribus 25e. annis præsertim 4. IV-38
Minorum possessionis 27. IX-20
Minùs ex tutelæ 4. IV-74
Minùs instructus est qui 41. I-41
Moderatores provinciarum 1. XVI-40
Momentariæ possessionis 43. XVI-39
Monente officii 49. XIV-2
Monumenta quidem *lib.* 30. *N.* 111
Monumentorum inscriptiones 11. VII-16
Moræ litis 41. III-61
Mortis casus ancillæ 18. VI-6
Mortuorum reliquias 11. VII-10
Mulierem contra SCti 16. I-37
¶ *undè* si mater tua *ibid.* 6
Mulierem quam ita 18. VII-1
Mulierem quidem 1. VII-18
Mulieres honore 1. IX-6
Mulieribus quidem 16. I-19
Mulier in minori 23. III-8
Mulier licèt specialiter 16. I-31
Multis rationibus natalibus 22. III-34
Multùm interest utrùm cohered. 41 I-53
Multùm interest utrùm quis 31. XIV-2
Munera quæ patrimoniis 50. IV-4
Muneris publici *ibid* 6
Mutuæ pecuniæ quam 46. I-23

Tome III.

N

NAtales antiquos 40. X-1
Nati ex inquilinarum 50. II-3
Naturalibus liberis providentes 26. III-3
Nec avus neptem 1. VII-37
Nec bonâ fide possessionem 41. III-61
Nec cæterorum liberti 3. I-16
Nec creditores nec qui 13. VII-13
Nec creditoris 46. II-29
Nec damnosa 1. IV-4
Nec de statu ac patrimonio 2. XII-12
Nec emancipati post mortem 37. VI-18
Nec exemplum editionis 48. X-32
Nec ex verâ venditione 41. II-4
Nec fideicommissariam libertatem 40. IX-7
Nec filium quidem familias 23. II-5
Nec filius nec quisquam 12. II-5
Nec fratris sui 39. VI-9
Nec ignorans nec 39. V-11
Nec infames 50. IV-12
Nec inter eas quidem 24. I-8
Nec intrà numerum 50. V-15
Nec ipsi qui studiorum 50. I-21
Nec maritus licèt post divort. 24. III-77
Nec mulierem per maritum 40. II-3
Nec omissa professio 22. III-29
Nec protostasiæ 50. IV-8
Nec servis quidem 47. X-53
Nec si major annis 20. I-16
Nec si volens scripsisses 40. XIII-2
Nec vim stipulationis 42. I-26
Nec differatur sceleratorum 2. XII-7
Neganda est accusatis 48. II-7
Negantes debitores 44. VII-42
Negotiantes vestiarios 50. V-25
Negotiis gestis 3. V-32
Negotium gerentes *ibid.* 51
Neminem in judicio 48. III-18
Neminem qui sub ditione 48. V-76
Neminem sequitur 49. XIV-3
Nemini licentia 25. VII-6
Nemo ambigit possessionis 41. III-61
Nemo Apostolorum 11. VII-10
Nemo de proprio crimine 48. XVIII-23
Nemo humanum 11. VII-26
Nemo judex aliquem 50. II-38
Nemo ob id quòd 3. II-28
Nemo Præfectus 50. V-31
Nemo prohibetur 19. II-43
Nemo res ad te pertinentes 41. I-53
Ne occasione 2. XII-7
Ne passim liceat 22. VI-3
Nepotes loco parentûm 50. V-11
Nepotibus avi materni 38. VIII-3
Nepotibus fratris 26. VI-1
Neptem defuncti 5. II-4
Neque ab initio matrimonium 23. II-4
Neque æquam neque usitatam 29. II-70
Neque à Præside alterius 26. V-6
Neque à tutelâ neque 27. I-10
Neque commissum 39. IV-40
Neque ex ejus filii personâ 15. IV. *Append.* 1
Neque filia amissa 27. I-27
Neque fructuarium 41. III-65
Neque furti 3. II-12
Neque libertis novercæ 37. XV-3
Neque mater pro filiâ 23. III-10
Neque mutui neque commodati 41. III-93
Neque natales tui 22. III-35
Neque pactio neque 2. XV-14
Neque per epistolam 26. III-2
Neque Reipublicæ causâ 4. VI-18
Neque sine nuptiis 23. II-14
Neque suam neque 42. I-23
Neque tutores neque 3. III-20
¶ pupillus autem vel *ibid.* 19
Neque tutoris neque 45. I-17
Ne quidam putarent 29. I-5
Ne quis official. Ne quis eor. existimet 50. II-7
Ne quis pro coercitatione 48. XIX-40
Ne quis sine sacrilegii 48. XIII-12
Ne Senatorum quidem liberti 27. I-46
Nexum non facit prædiorum 20. I-16
Nihil arbitramur 3. III-52
Nihil civitati Romanæ 40. I-2
Nihil interest utrùm 46. III-26
¶ nec enim ex eo quòd *ibid.* 13
Nihil pro herede 41. V-2
Nihil prohibet altero 41. I-60
Nimis grave est quod 22. IV-3
Nimis properè judex 42. I-50
Nomen quoque debitoris 20. III-4
Nominationum forma 50. IV-20
Nominibus in dotem datis 18. IV-30
Nominis venditio etiam *ibid.* 27
Non abstulit tibi 46. II-11
Non adversùs te creditores 12. I-25
Non advertimus 1. XIX-4
Non alios à muneribus 50. V-26
Non damnatos 3. III-11
Non defensæ mortis 1. XIX-4
Non dubitandum est 5. I-70
Non dubitatur etsi 19. I-35
Non dubium est 1. III-22
Non dubium nec incert. (l. 16. Cod. *de Testam.*)
§ 1. Illud etiam adjiciendum *lib.* 30. *N.* 47
Non eo minùs Sententia 3 III-19
Non epistolis necessitudo 22. III-18
Non est ambiguum 10. II-69
Non est dubium denegari *lib.* 30. *N.* 453
Non est dubium si priusq. 29. II-61
Non est ignotum quòd ea 37. XV-10
Non est ignotum tutores 27. IV-6
Non est incerti Juris eum 46. VIII-6
¶ rei autem procurator 46. VII-3
Non est incognitum 41. III-36
Non est novum eum 2. XIII-9
Non est probabilis causa 18. V-14
Non exceptionibus actores 44. I-3
Non hoc an tenuerit 37. I-5
Non idcircò minùs emptio 41. I-41
Non idcircò minùs in vacuam 22. III-11
Non idcircò minùs quòd à vobis 40 I-5
Non idcircò minùs quòd pupilli 40. XII-7
Non idcircò minùs quòd te 22. III-35
Non idcircò minùs venditio 18. V-12

Source : BIU Cujas

Non ideò divisio 10. II-98
Non ideò minùs crimine 47. X-41
Non ideò minùs in libertatem 40. XIII-1
Non ignorabit judex 10. IV-30
Non ignorat competens 48. II-4
Non injustâ ratione 49. XIV-57
Non interest à quovis 4. II-9
Non minorem 2. XV-17
¶ nec enim ad rescindendum 2. XIV-17
Non modus prædiorum 8. III-7
Non moriturum 45. I-33
Non mutant servi statum 22. III-35
Non nudo consensu 1. VII-35
¶ nec causæ *ibid.* 41
Non omnimodò succedunt 20. IV-6
Non omni titulo res 26. VII-41
Non oportet ut 34. IX-19
Non possunt obesse tibi 4. I-6
Non priùs ad eos 49. XIV-57
Non priùs debitorem 50. IV-17
Non prohibentur milites 48. II-2
Non pro numero superstitum 38. XVII-26
Non quidem fuit competens 2. I-25
Non quidem temerè 39. IV-25
Non rectè Procuratores 46. I-51
Non semper compelleris 5. I-77
Non servum quem res 6. I-13
Non solent nova 39. IV-14
Non solùm per venditionem 27. IX-5
Non tantùm Decurionum 49. XVI-10
Non tantùm duorum *lib.* 30. *N.* 385
Non tibi obest si 50. I-27
Non videtur circumscriptus 4. IV-36
Non videtur nobis 42. I-19
Non undè originem 12. I-21
Non utiliter nominatus 27. VI-2
Novatione legitimè 46. I-68
Nulla dubitatio est 3. III-46
Nullâ lege prohibitum 23. III-14
Nullâ maculâ 49. XIV-2
Nullam existimationis 3. II-27
Nullâ pollicitatione 45. I-60
Nulla res prohibet 14. V-3
Nulla tibi adversùs 46. I-50
Nulli salarium 50. IX-5
Nullo justo titulo 41. III-63
Nullus in carcerem 48. III-9
¶ ex longinquo si quis *ibid.* 18
Nullus omninò cui 48. IV-15
Nullus provinciæ 1. XVI-10
Nullus solius 50. II-2
Nunquam sive 1. XXII-6
Nutritoribus 38. VI-8

O

OB æs alienum 27. IX-17
Ob causam proprii 44. VII-54
Ob commissa adulteria 48. V-19
Ob debitum viri 48. VI-10
Obligata pignoris jure 20. V-24
Obligatis pignori 20. V-23
Ob maritorum culpam 48. XX-6
Ob negotium alienum 3. V-59
Obnoxios criminum 11. VII-27
Ob restituenda ea 12. V-3
Observare curabis ne 49. I-25
Observare oportebit 50. IV-20
Obsignatione totius 46. III-3
Ob tutorem non idoneum 16. I-9
Officio nec minùs 3. V-14
Oleo quidem vel 22. I-32
Omissis quoque pignoribus 46. I-42
Omnem matri 26. VI-20
Omnes cognitores 48. XI-6
Omnes omninò Curiales 50. II-36
Omnes qui curiali *ibid.* 37
Omnes qui quolibet *ibid.*
Omnes secundùm 1 III-9
Omnes servos ex quocumque 29. V-17
Omnes stipulationes 45. I-10
Omnibus in re propriâ 22. V-13
Omnibus militibus 39. IV-32
Omnium rerum ac *ibid.* 23
Opinione falsâ 41. V-2
Opprimendorum desertorum 48. VIII-7
Orationis D. Severi 27. X-12
Ordinis ambitiosa 50. IX-4
Ordo rei gestæ 42. I-60
Origine propriâ 50. I-10

P

PActa quæ contra 2. XIV-53
Pacta novissima *ibid.* 77
Pactum curatoris *ibid.* 46
Pactum dotale quo 23. IV-18
Pactum dotali instrumento 38. XVI-26
Pactum quod bonâ fide 2. XIV-15
Pactum quod dotali *ibid.* 61
Pactum vulgare 13. VII-8
Parentes & liberi 22. V-5
Parentes natales 40. XIII-2
Parentum necessitatibus 25. III-15
Partus pignoratæ 20. III-14
Pater trium 50. VII-6
Pater tuus adversùs 44. VII-71
Pater tuus si major 27. I-20
Pater vester tutor 27. VII-5
Patrimoniorum munera 50. IV-10
Patri nomine superstitis 15. *Append.* 1
Patroni tui filii 16. VI-3
Patronus liberti 38. II-22
Pecuniæ indebitæ 12. VI-28
¶ usuras *autem* ejus *ibid.* 45
§ 1. Si quid igitur probare *ibid.* 23
Pecuniæ solutæ professio 46. III-9
Pecuniam à te datam 12. IV-6
Pecuniam quam tibi 46. III-127
Pecunia quam creditor 49. XIV-44
Pendente appellatione à 38. VI-2
Penès illum vectigalia 39. IV-26
Per agrum alienum 8. III-4
Per Aquilianam stipulationem 46. IV-21
Per diversas & Ab Anastasio * 44. VI-7
Peremptorias exceptiones 42. I-28
Perfecta donatio 39. V-3
Perfectam emptionem 18. V-8
Per hanc divinam 49. I-53
Per liberam personam 41. II-33
Permutationem utpotè 19. IV-4
Per procuratorem utilitatis 41. II-33
Per retentionem pignoris 22. I-25
Persecutionem eorum 13. I-13
Persecutione pignoris 20. I-31
Per tutorem pupillo 26. IX-1
Per universam... Licèt conditione 1. V-8
Pietatis fungeris munere 26. X-19
§ 1. Removendi autem licentia *ibid.* 12
Pignoribus datis à 46. I-72
Pignoribus quidem 22. I-25
Pignoris vel hypothecæ 20. I-29
Pignorum gratiâ 42. I-55
Pignus in bonis debitoris 13. VII-17
Pignus intercidit 20. VI-7
Placet ut judicibus 5. I-68
Placuit eos qui nascuntur 40. XII-28
Placuit in omnibus 5 I-70
Placuit quoties pedanei *ibid.* 60
Plagiarii qui viventium 48. XV-4
Plagii criminis *ibid.* 2
Plùs est hominem 48. VIII-15
Podagræ quidem 50. V-5
Pœnam suâ dictam 48. XIX-67
Poetæ nullâ 50. V-18
Pollicitatione à fratre 23. I-17
Portionem propriam 39. V-36
Portionem quidem tuam 17. II-26
Possessionem quam 39. V-49
Possessiones quas ad te 22. III-6
Possessiones tuæ 27. IX-25
Possessionum divisiones 10. II-37
Post aditam hereditatem 28. VI-19
Post certi temporis 40. VIII-16
Post decisionem, Furti 47. II-85
Post D. Marci Constitutionum 48. IV-11
§ 1. In hâc causâ *ibid.* 10
§ 2. Etsi decesserit quis *ibid.* 11
Posthumo nato qui 37. IV-36
Post litis contestationem eo 44. VII-53
Post mortem suam rogatam 35. I-131
Post perfectam vend. fœtus 19. I-97
Post perfectam vend. omne 18. VI-1
Postquàm eo decursum est 18. IV-30
Postquàm in integrum 4. IV-67
Post Sententiam quæ 42. I-23
Post solutionem à se 17 I-73
Post venditionem heredit. 2. XIV-16
Postulatâ in integrum 4. I-18
Potes auctoribus Nobis 3. *ibid.*
Potuit pupillus pro herede 29. II-27
Præbemus licentiam 22. IV-15
Præcipimus ex appell. (l. 32. Cod. *de Appel.*)
§ 3. Eorum *enim* Sententiis 49. I-11
Præcipimus ut Senatori 50. V-31
Prædia obligata per *lib.* 30. *N.* 312
Prædia rustica 27. IX-5
Prædiis instructis 33. VII-31
Prædiorum quæ sine Decreto 27. IX-27
Prædium rusticum *ibid.* 7
Præfecti Vigilum 1. XV-4
Præfectus Urbi amicus 18. VII-12
Præscriptione bonâ fide 41. III-36
Præscriptione mendaciorum 1. IV-9
Præscriptionem peremptoriam 44. I-10
Præscriptiones fori *ibid.*
Præses provinciæ aditus 20. V-25

* *Duæ illæ celeberrimæ leges hîc omini non potuerunt, licet earum sensus duntaxat expressus sit d. loco.*

Source : BIU Cujas

Præſes provinciæ ad quem 49. I-43
Præſes provinciæ ea 19. II-22
Præſes provinciæ ne 49. XV-31
Præſes provinciæ non ignorat 42. I-7
Præſes provinciæ probatis 1. III-29
Præſes provinciæ ſciens furti 13. I-7
Præſes provinciæ ſi perſpexerit 48. II-40
Præſes provinciæ vir clariſſimus 44. II-24
Præſes provinciæ uſu 8. III-7
Præſides non per Adſeſſor. 1. XXII-6
Præſtat firmam 40. XII-10
Prætextu debiti 16. II-21
Precibus manifeſtiùs 28. VI-27
§ 1. Si verò ſubſtitutio *ibid.* 55
Pretii causâ non pecuniâ 18. I-32
Pretii rerum diſtractarum 22. I-35
Pridem placuit domeſticâ 48. XVIII-11
Primùm ſervi alieni *ibid.* 28.
Principaliter de ſtatu 40. XV-1
Prior quidem creditor 20. V-8
Privatorum conſenſus 2. I-24
Privatos carceres 48. III-12
Privilegio militiæ 50. II-3
Prius eſt ut criminibus 48. II-7
Pro auro & argento 22. I-33
Procurator citra domini 20. I-14
Procuratorem non tantùm 17. I-28
Procuratorem vel actorem 3. III-3
Procuratores abſentium 50. V-42
Procuratores meos 1. XIX-7
Procuratores noſtros *ibid.* 5
Procuratoribus inſtitutis 3. III-48
Procurator meus . . . exilii 48. XIX-30
Procurator meus . . . ſicut 1. XIX-7
Pro debito creditores 42. V-21
¶ undè ſi quidem debitoris *ibid.* 28
Programma ſi quid 42. I-26
Prolatam à Præſide *ibid.* 9
Promiſſæ tibi pecuniæ 44. VII-21
Promiſſis tranſactionis 2. XV-9
Pro officio adminiſtrationis 20. II-3
Pro oneribus matrimonii 24. III-35
Pro portione tuâ quâ 44. II-19
Proprietatis dominium 22. III-11
Propter æs alienum 42. I-56
Propter honorem 42. III-1
Propter inſidias 48. II-12
Propter inſtrumenta 16 III-62
Propter mutuam uni 44. III-6
Propter violatam 47. X-24
Providendum eſt 50. II-31
Publicas ac fiſcales 2. XII 6
§ 1. Piſtoriis quoque *ibid.*
Publico judicio non 48. V-3
Pupillorum repudiatio 29. II-76
Pupillus agere 27. III-53
Pupillus ſi ei alimenta 27. II-4

Q

QUæ adulterium commiſit 48. V-8
Quædam pupillorum 16. I-21
Quæ fortuitis caſibus 13. VII-17
Quæ in teſtamento uxoris 48. X-16
Quæ prædium in filios 20. I-16
Quæ ſpecialiter vobis 20. V-17
Quæſtionem de ſervis 48. XVIII-12
Quæſtiones eorum criminum 5. I-44
Quamvis adulterii crimen 48. V-27
¶ nec inſcriptionis *ibid.* 51
§ 1. Sacrilegos nuptiarum *ibid.* 57
Quamvis ancilla 49. I-61
Quamvis Baſſa 22. I-45
Quamvis codicilli quibus 40. I-6
Quamvis conſtet ſpecialiter 20. IV-24
Quamvis cum ſtatulibero 44. VII-21
Quamvis de inofficioſo 5. II-31
§ 1. Qui autem agnovit *ibid.* 46
Quamvis etiam expilatæ 47. XIX-3
Quamvis eum ordinem 48. II-40
Quamvis eum qui pactus eſt 2. XV-17
Quamvis ex causâ dotis 20. IV-22
Quamvis ex eâ pecuniâ 20. II-4
Quamvis fructus pignori 20. III-17
Quamvis heres inſtitutus *lib.* 30. *N.* 301
Quamvis incrementum 50. VIII-2
Quamvis indubitati Juris 42. I-22
Quamvis in lucro 22. VI-8
Quamvis mulier pro alio 16. I-38
Quamvis pater tuus quum 23. IV-3
Quamvis pecuniam 12. I-21
Quamvis perſonali 20. VI-19
Quamvis placuerit ſubſtitution. 28. VI-27
Quamvis qui ſe filium. 29. III. *Append.* 1
Quamvis quum cauſam 22. VII-13
Quamvis ſimplicer te *lib.* 30. *N.* 36
Quamvis uſuræ fœnebris 22. I-25
Quamdiù non eſt integra 20. V-12
Quamdiù per facti 38. IX-14
Quando quis quolibet 48. XX-13
Quanquam curatores 4. IV-23
Quanquam in tutelâ detentus 27. I-80
Quanquam ita interpretantur 48. X-19
Quanquam militum teſtamenta 29. I-25
Quanquam omnium 28. I-19
Quanquam pecuniæ 42. I-3
Querela falſi 48. X-40
Quia abſente te 3. III-23
Qui accuſare volunt 2. XIII-10
Qui à creditore pignori 20. V-24
Qui ad tutelam vel 27. I-24
Qui alienâ pecuniâ 19. I-2
Qui bonis ceſſerint 42. III-5
Quibus poſthâc 50. II-33
Qui calumniatores 48. XVI-9
Qui cauſariâ miſſione 27. I-28
Qui certo loco ſeſe 13. IV-5
Qui civiliter agere 44. VII-72
Qui contra legum præcepta 23. II-74
Qui crimen publicum 48. II-30
Quicumque ex eo die 48. XVII-6
Quicumque res ex 37. I-4
Qui de crimine publico 48. II-39
Qui deportantur ſi heredes 34. VIII-1
Qui depoſitum non reſtituit 16. III-52
Qui derelictâ curiâ 50. II-37
Qui divinæ legis 48. XIII-12
Quidquid contra vectigales 39. IV-23
Quidquid tutoris dolo 27. III-37
Qui eâ lege prædium 18. III-8
Qui ex conducto poſſidet 41. II-11
Qui exercendorum 50. XI-3
Qui explicandi negotii 47. X-18
Qui exportandus à domino 18- VIII-1
Qui falſa in teſtimonio 22. V-30
Qui falſas tabulas dixerit 34. IX-9
Qui fideicommiſſariam *lib.* 30. *N.* 70
Qui filios veſtros vel 20. III-9
Qui Jure veteri cœlibes *lib.* 30. *N.* 403
Qui liberos infamandi 47. X-16
Qui licitam provocationem 42. I-27
Qui manumittuntur 37. XV-6
Qui non probaſſe 48 XVI-2
Quinque pedum. *in XII. Tab.* pag. *XCIII.*
Quinquaginta dies 27. I-74
¶ ſed ſi quis in ejus temporis *ibid.* 80
Qui nummis acceptis ab 38. I-7
Qui pactus eſt niſi intrà 20. I-24
Qui pignus ſecundo 20. V-8
Qui poſt 25um. annum 4. IV-72
Qui potentatûs & vis 48. XVI-30
Qui prædium obligatum 10. V-23
Qui pro parte heres 20. VI-2
Qui publici muneris 50. VI-12
Qui pupillæ 3. V-31
Qui rem emit & pòſt 21. II-9
Qui reſtituitur in integrum 4. IV-54
§ 1. Sed & ſi interceſſor *ibid.* 60
Qui ſecutus domini 14. III-23
Qui Sententiam 48. XIX-57
Qui ſe patris poſt avum 38 IX-2
Quiſquis crimen intendit 48. XVI-7
Quiſquis cum militibus 48. IV-15
Quiſquis judici fœnebrem 1. XVI-20
Quiſquis major ætate 18. V-17
Quiſquis ne voluntas 49. I-15
Quiſquis rem aliquam 39. V-22
Quiſquis vult . . . Quoniam aliquem 3. I-19
§ 1. Ante omnia *ibid.* 20
§ 2. Præterea nullum *ibid.* 21
§ 3. Nemo ex eis *ibid.* 20
§ 4. *Nemo* ex induſtriâ *ibid.*
§ 5. *Apud* . . . videlicèt ut non *ibid.* 17
Quis tam inveniri 50. IV-22
Qui ſtipendia 3. III-24
Qui tibi hered . . & ideò manum. 40. IX-16
Qui tibi hered . . & ideò vendendo 18. IV-7
Qui tutores vel curatores 27. I-55
Quod adhibitus ad 48. X-16
Quod Cornelia *lib.* 30 *N.* 58
Quod de ſuo maritus 24. III-66
Quod eſt conſtitutum 40. XV-5
Quod evitandi tyrocinii 12. V-5
Quod ex libertâ 1. V-12
Quod ex operis ancillæ 13. VII-9
Quod favore 1. III-24
Quod in uxorem 3. V-14
Quod magno conflictu 42. I-9
Quod placuit veteranos 27. I-33
Quod plerùmque poſtulatur 27. II-7
Quod quis ſibi debitum 3. III-20
Quòd res cum uterinis 27. I-9
Quod ſponſæ eâ lege 24. I-3
Quod tempore 4. VI-23
Quominùs creditor 20. V-5
Quominùs fructuum 13. VII-23
Quoniam adſeveras 19. IV-5
Quoniam adversùs emptorem 27. IX-29
Quoniam Alexandrum 48. V-39

Source : BIU Cujas

Quoniam avus tuus 21. II-6
Quoniam circumventam 4. IV-17
Quoniam civili disceptatione 44. I-16
Quoniam diversi . 50. V-31
Quoniam ea quæ in 4. I-11
Quoniam inter alias 13. VII *Append.* 5
Quoniam liberum fundum 16. II-7
Quoniam plerùmque 2. XII-12
¶ in transmarinâ autem *ibid.*
Quoniam religiosa 40. VIII-18
Quoniam servos à 48. XV-4
Quos retrahi in servitutem 4. IV-47
Quoties ab Alexandrinâ 50. VII-1
Quoties accipientis 12. V-6
Quoties à tutoribus 42. I-34
Quotiescumque se ex 50. II-38
Quoties de dominio mancip. 48. XVIII-21
Quoties de emancipati filii 38. *Append.* 2
Quoties donatio 39. V-10
Quoties duobus in solidum 42. I-61
Quoties duobus non 50. VIII-21
Quoties inter omnes 34. IV-15
Quoties principali loco *lib.* 30. *N.* 305
Quoties quæstio statûs 5. I-64
Quoties res æstimatæ 24. III-53
Quoties Rescripto 1. IV-5
Quum absenti reo 48. XVII-1
¶ postquàm verò *ibid.* 5
Quum alienam rem quis *lib.* 30. *N.* 125
Quum alter ex fidejussoribus 46. I-67
Quum à Nobis fuerit 2. XII-9
Quum apud Veteres dubitabatur 4 I-3
Quum à socero tuo 23. IV-14
Quum civili disceptationi 44. I-20
Quum convenit ut singulæ 18. VI-13
Quum creditor pignus 44. VI-1
Quum de nuptiis puellæ 23. I-7
Quum de possessione & ejus 49. VII-3
Quum filiusfamilias tutor 27. III-3
Quum heredes ex disparibus 28. VI-11
Quum in causâ judicati 42. I-60
Quum in integrum pupillâ 4. IV-61
Quum inter emptorem 18. VI-2
Quum post omnes 28. II-18
Quum quidam duobus 35. I-142
Quum quis latrones tradidit 48. XVIII-40
Quum salutatus esset 48. XXIII-2
Quum testator 35. I-4
Quum tutores 3. V-14
Quum uxori ususfructus 35. I-192

R

RAtio Juris postulat ut 18. IV-1
Rationes cutæ 27. III-64
Rationes defuncti 22. IV-7
Rebus certâ lege traditis 19. V-1
Rebus quidem judicatis 44. IV-5
Rectè possidenti ad 43. XVI-14
Reddatur unusquisque 50. V-17
Regionem certam 10. I-11
Rei creditor obligatæ 20. V-9
Reipublicæ juribus 4. VII-14
Rem majoris pretii 18. V-16
Rempublicam ut 50. VIII-1
Rem quam à patre 4. IV-51
Rem quam pater 23. III-39
Rem quidem illicitam 40. XII-1
Rem suam persequentibus 49. XIV-37
Reos adulterii duos 48. V-49
Reos capitalium 48. II-25
Reos criminis postulatos 50. IV-13
Reos principales 67. I-73
Repetitio peculii 40. XV-6
Re quidem integrâ 18. V-6
Requirendi fugitivos 11. tV-5
Requiruntur ad generis 22. V-18
Res alienas possidens 6. I-23
Rescripta contra Jus 1. IV-4
Res in judicium deducta 5. I-3
Res inter alios judicatæ 42. I-39
Res judicatæ si *ibid.* 29
Res religioni destinatas 47. XII-3
Res mobiles 41. IX-1
Res ob causam judicati 42. I-60
Res obligatas exterus 20. VI-4
Res pignoris hypothecæ-ve *ibid.* 11
Respublica minorum 4. VI-1
Res quas usufructu 23. III-39
Reum criminis 3. III-22
Rupto quidem testamento 29. VII-19

S

SAlarium incertæ 17. I-74
Sancimus his solis 41. III-36
Sancimus ut authentica 1. IV-14
Sanum mente, licèt 44. VII-19
Satis apertè Divorum 22. IV-15
Satis notum est & 49. XIV-42
Sciant judices super 48. XI-9
Sciens liberum venumdando 5. I-44
Sciens servum alienum 41. III-12
Scire debes omissâ 35. II-81
Scire debes privilegium 42. V-31
Scire debuisti fratre 38. VII-3
Scripturæ diversæ 22. IV-8
Scriptura testamenti 10. II-54
Secundùm placiti fidem 20. V-28
Secundùm rationem Juris 24. III-13
Secundus creditor offerendo 20. IV-10
Semel causariâ 49. XVI-39
Senatores in sacratissimâ 50. I-20
Senator vel alius 1. IX-3
Senatorum substantias 50. V-31
SCti auctoritatem 23. II-42
SCto & Edicto 48. X-13
SCto permissum non est 48. II-3
SCtum auctore (l. 1. Cod. *de Petit. hered.*)
§ 1. Usuras verò pecuniarum 5. III-47
SCtum locum habet sive 16. I-2
¶ *sed* si prædia tua *ibid.* 19
Senectus ad donationem 39. V-32
Senium quidem ætatis 28. I-17
§ 1. Filium autem qui in pot. *ibid.* 10
Sententiâ bonorum 46. I-70
Sententiis finita 42. I-28
Servi ob violatum 48. V-7
§ 1. Is autem qui post dissoc. *ibid.* 87
Servi qui monetarios 40. VIII-19
Servis testamento *lib.* 30. *N.* 77
Servo ex Sententiâ 48. XIX-43
Servo qui fuerat 13. VII-17
Servorum capitis 48. XX-7
Servos meos nec per 40. IX-9
Servos non solùm pro 48. XVIII-15
Servos pro domino 22. V-3
Servos qui proprii 48. XVIII-11
Servo tuo defunctus 40. IV-1
Servum communem non 41. III-63
Servum domini 49. XIV-6
Servus creditoris 2. XIV-45
Servus judicio 5. I-15
Servus sub pœnâ 48. XIX-44
Servus successores 38. XVI-2
Servus tuus pecuniam 14. III-14
Si ab Æliano 48. II-24
Si abducta mancipia 41. III-12
Si ab eo cujus servus 40. XII-7
Si ab hostibus 4. VI-13
Si absentibus necessariis 27. I-81
Si absentis pecuniam 12. I-22
Si accusatoribus absentib. 42. I-21
Si à creditore nomen 20. V-24
Si actor à curatore 49. III-4
Si actori servo tam 46. III-26
Si actu solemni 42. VIII-27
Si ademptis bonis in insulam 48. XXIII-5
Si ad excludendam tutelæ 12. II-3
Si ad instar Interdicti 43. XXX-8
Si ad magistratum 50. IV-23
Si ad Scribatum 49. X-2
Si adversarius tuus apud 22. IV-9
Si adversarius tuus non 16 I-20
Si adversùs privatos 4. I-12
Si adulta cujus curam 46. III-127
Si æstimata prædia 23. V-3
Si alienam pro 46. I-41
Si alterius circumveniendi 4. IV-45
Si à matre vestrâ superstite 23. III-43
Si alicujus bona publicentur 18. I-22
Si ancillam nummis tuis 24. I-7
Si ancillam tibi ex 41. I-62
Si ante conceptus 1. V-13
Si ante matrimonium 23. I-16
Si à patre emancipatus 12. VI-21
Si apud priorem dominum 21. I-34
Si aquam per possessionem 8. I-24
Si arbiter datus 15. I-55
Si à te comparavit is 18. V-15
Si aviæ eorum frater 38. IX-20
Si avia tua patrem 29. II-9
Si avia vestra proprias 39. V-36
Si avi hereditatem 47. XIX-4
Si avus tuus relictis 38. VI-10
Si bona debitoris tui 42. IV-24
Si bonam causam 26. VII-40
Si bonorum possessio tibi 38. IX-9
Si causâ cognitâ 1. XV-4
Si causam judicati 42. I-76
Si cessante solutione 20. V-25
Si citra ullam transaction. 12. VI-40
Si codicillos major 29. VII-25
Si cogitatione futuræ 10. II-54
Si competenti judici 25. III-24
Si confidis sponsam 48. VI-7
Si constante matrimon. à marito 24. I-14
Si constante matrimonio tibi *ibid.* 9
Si constat pecuniam 16. II-4
Si constiterit proprietatem 22 III-12
Si contra Amplissimi 27. IX-25
Si contra compromissum 4. VIII-35
Si contra defuncti voluntatem 41 III-13
Si contra licitum 3. III. *Append.* 1

Source : BIU Cujas

Si contra matris ultimam 26. X-18
Si controversia tibi possessionis 19. I-44
Si convenit ut in matrimonio 23. IV-2
Si creditor colludens 48. X-25
Si creditor conditioni 46. I-25
Si creditores vestros 2. XIV-16
Si creditoribus satisfactum 40. IX-12
Si creditoris voluntas 34. III-12
Si creditor pignus 20. V-35
Si creditor possessionem quæ 20. III-5
Si creditor sine vitio 13. VII-17
Si creditrici quæ 22. I-40
Si crimen ad tuam 48. II-2
Si crimen aliquod inferatur 44. I-18

Si criminis accusationem (l. 4. Cod. *Ad L Jul. de Vi publ.*)

¶ sed quoniam à Fiscinulo 48. VI-9
Si criminis alicujus 10. IV-5
Si cuidam crimini 48. II-26
Si cujuscumque modi 4. VII-13
Si cum fratre tuo 2. XIV-45
Si cùm minor annis 4. IV-44
Si cum patruo vestro 10. II-99
Si cùm te pater 50. II-29
Si curatorem habens 4. IV-37
Si curatores dati estis 27. I-62
Si curator post Decretum 27. III-35
Sicut bonis moribus 2. IV-11
Sicut certi Juris est militem 29. I-20
Sicut cessat petitio 24. I-43
Sicut datam libertatem 40. XII-33
Sicut eligendi fidejussores 46. I-45
Sicut falsi testamenti vel 48. XVIII-25
Sicut honores & munera 50. V-35
Sicuti convictis confessisque 48. XVIII-40
Sicut iniquum est instrumentis 22. III-7
Sicut in initio nominis 48. X-35
Sicut initio libera 46. III-7
Sicut instrumenta prætermissa 22. III-12
Sicut liberis captis 49. XV-11
Sicut major 25 annis anteq. 29. II-72
Sicut semel præstitam 40. I-4
Sicut vim majorem 13. VII-17
Si debitor cujus fuisse 49. XIV-41
Si debitor ex administratione 40. IX-39
Si debitori heres non extitisti 41. III-92
Si debitor pœnam 48. XXIII-7
Si debitor rem tibi 20. I-29
Si debitum non 49. XIV-41
Si de certâ re 2. XV-12
Si decreto Prætoris 20. IV. 16
Si Decretum ordinis 40. III-1
Si de fundo à locatore 19. II-12
Si defunctus tutelam 27. III-35
¶ debitum autem aliis *ibid.*
Si de hereditate & libertate 44. I-20
Si delegatio non est interposita 46. II-30
Si deportationis Sententiæ 48. XXIII-6
Si deportatus suos 48. XX-11
Si depositâ pecuniâ 16. III-48
¶ sed si quum depositi *ibid.* 50
Si Depositi experiaris *ibid.* 48
Si de possessione servitutis 22. III-33
Si de possessione vi dejectus 43. XVI-34
Si desertorem 40. VIII 19
Si divisio administrationis 27. III-6
Si divisum administrationis 26. VII-20
Si doceas ut affirmas 39. V. 8
Si docueris apud Præsidem 48. XVI-36
Si dolo adversarii 2. XIV-10
Si domina proprietatis 7. IV-4
Si dominium ancillæ 10. IV-2
Si dominium ejus possessionis 20. I-26
Si donatione contineatur *lib.* 30. *N.* 84
Si donationem ritè 39. V-49
Si donatione tibi 10. II-57
Si donationis causâ vendition. 18. I-24
Si donationis gratiâ 46. IV-21
Si donationis vel transactionis 4. II-5
Si donationum ante nuptias 23. II-16
Si dotare filiam volens 16. I-28
Si dotem marito libertæ 24. II-9
Si dum in tuo matrimonio 48. V-35
Si eâ cæcitate 50. V-5
Si eâ lege Crestes 40. VIII-9
Si eâ lege possessionem 22. I-31
Si eâ lege prædium 18. III-10
Si eâ pactione uxor tua 22. I-31
Si ea quæ crimen intendit 48. XVI-11
Si ea quæ in jura 27. IX-29
Si ea quæstio infertur 29. V-39
Si ea quæ stupro tibi 48. V-68
Si ea quæ tibi vendidit 4. IV-68
Si ei qui capere 49. XIV-7
Si ejus à quo nunc 48. V-4
Si emancipata à patre 22. VI-6
Si emancipati utrique 37. VI-4
Si eo tempore 20. VI-27
Si ex alio contractu 14. V-4
Si ex cautione tuâ conveniri 12. V-9
Si ex cautione tuâ (licèt hyp. 44. III-11
Si ex contractu patris 14. V-2
Si ex eâ pecuniâ quam 6. I-11
Si ex libertâ te 40. VIII-3
Si ex personâ minorum 4. IV-61
Si ex possessione servitutis 5. I-27
Si ex pretio debitæ 46. II-24
Si ex SCto quartam 36. I-62
Si extat corpus nummorum 9. IV-4
Si extiterit qui te 43. XXX-1
Si ex voluntate patris tui 24. I-5
Si falsos codicillos 48. X-4
Si familiæ ercisc. judicio 10. II-49
Si fidejussor à creditore 20. V-22
Si fidejussor pro reo patiente 46. I-65
Si filiæ tuæ quam 45. I-21
Si filiam tuam 5. II-24
Si filiis debitoris 26. VI-2
Si filii tui emancipati 24. I-53
Si filium tuum in potestate 1. VII-42
Si filiusfam. aliquid mercatus 14. VI-2
Si filiusfamilias fuisti 49. XVII-2
Si filiusf. quum in potest. patris 14. VI-10
Si filius pro patre 3. V-26
Si filius tuus in pot. tuâ agens 14. VI-18
§ 1. Quod SCti auxilium *ibid.* 11
Si filius tuus ... pietatem 1. VI-18
Si filius tuus quum esset 48. XX-7
Si filius tuus rès 41. I-48
Si fœmina suam 48. XVI-23
Si fœnebris pecuniâ 16. I-20
Si fortè mulier marito 48. XVIII-19
Si fortidianum *lib.* 30. *N.* 417
§ 1. Error *autem* nominum *ibid.* 6
Si frater patruelis 28. I-15
Si frater tuus quum 4. IV-7
Si fratres tui 3. II-4
Si fratres vestri 10. II-49
Si fratris tui filius 29. II-28
Si fratri tuo legitimâ 38. XVI-20
Si fraude & dolo 41. III-66
Si fructus eorum prædiorum 24. I-27
Si fugitivi servi 11. IV-9
Si fundum parentes 2. XIV-37
Si fundum pignori 20. IV-21
Si fundum tuum pater 21. III-7
Si furti condemnata 3. III-27
Si generaliter bona 20. IV-15
Si genero dotem dando 23. IV-18
Si heredes jure facto 40. IV-71
Si hereditas ejus à *ibid.* 76
Si heredum Quintiniani 5. II-13
Si hi qui te in pupillari 26. IX-1
Si hi quos servos tuos 44. II-11
Si hypothecas fisco 20. VI-27
Si idcircò apud 4. VI-11
Si idem codicilli quod 29. VII-8
Si ideò ultio necis 29. V-43
Si ignorans statum Erotis 24. III-84
Si ignorante vel invito 20. IV-21
Si in ædibus vicini 8. V-11
¶ *sed* si te servitutem 8. II-4
Si in areâ communi 6. I-43
Si in causâ judicati Valentis 42. I-58
Si incursu latronum 16. III-29
¶ quòd si prætextu latrocinii *ibid.* 55
Si indebitam. Non est aut. dubium 46. I-70
Si inferiorem partem ædificii 41. I-25
Si in fraudem eorum quæ fisco 40. IX-35
Si in fraud. eor. quæ testam. *lib.* 30. *N.* 328
Si in fraudem patroni libertus 38. V-4
Si in hoc quod jure tibi 20. V-18
Si in possessione fueris 13. VII-6
Si in possessione libertatis 5. I-27
Si in potestate patris fuerunt 43. V-5
Si in potestate tuâ filius 49. XVII-3
Si in rem communem 3. V-31
Si in rem minoris 26. IX-5
Si in rem suam acceptâ 20. I-15
Si in solutum nomen 20. V-24
Si in te ac fratrem tuum 4. IV-37
Si in te jus fisci 46. I-45
Si inter minores 4. IV-72
Si inter patrem tuum 46. III-10
Si interrogatione præcedente 22. I-27
Si inter vir. & ux. pactum 24. III-57
Si inter vos majores 10. II-97
Si intestatæ mulieri 38. XVII-21
Si intrà ætatem cui 4. I-9
Si intrà annos quibus *ibid.* 6
Si intrà legibus definitum 44. III-13
Si in unâ eâdemq. causâ 49. I-55
¶ quòd si ætatis *ibid.* 56
Si is contra quem supplicas 41. III-66
Si is cui colendum *ibid.* 71
Si is cui te pecuniam 47. II-24
Si is de quo supplicas 48. II-40
Si is quem in servitutem 40. XII-9

Source : BIU Cujas

Si is quem ſervum tuum 40. XV-4
Si is qui ademptis 49. I-60
Si is qui depoſitam 16. III-21
Si is qui minorem nunc 4. IV-43
Si is qui puellam 23. I-12
Si is qui te ab hoſtibus 49. XV-33
Si is qui te cum uxore 28. I-8
Si is qui te heredem fecit 40. XV-6
Si ita Duumviri 50. VIII-10
Si judici probatum fuerit 40. I-55
Si jure manumiſſus es 39. IV-41
Si jure non ſubſtitit 40. IV-74
Si juſta Saturnino 40. VIII-9
Si Legis Aquiliæ actione 9. II-8
Si libellum 1. IV-11
Si liberam peculii 15. I-14
Si liber homo alienæ 40. XIII-17
Si libertatem tibi 48. X-10
Si liberti accuſatores 48. II-18
Si liberti conniventibus 37. XIV-27
Si libertus vel jus aur. 50. II-11
Si liberum captum 49. XV-25
Si litterarum Auxenonis 46. III-10
Si litteras ejus ſecutus 17. I-54
Si Lyſias ademptâ 46. I-70
Si magnum & capitale 48. II-11
Si major annis 25. fundum 18. V-12
Si major ann. 25. tranſegiſti 2. XV-7
Si major annis 25. veluti 19. I-36
Si majores 25. annis cum 2 XIV-65
Si major quinq. & vig. an. ſoror. 10. II-98
Si major tranſegiſti 2. XV-21
Si major 25. an hereditatem 4. III-15
Si malâ fide ſervum 41. III-39
Si mancipium tuum 6. I-47
Si mandator pro filio 15. IV-8
Si mandatum ſolius 3. V-10
Si manifeſtè doceri 8. III-7
Si manumiſſori tuo 37. XV-5
Si maritus quondam tuus ab 37. VII-11
Si maritus tuus creditores 24. I-86
Si maritus tuus mutuam 20. V-10
Si mater filii duobus 5. II-29
Si mater quum filiorum 16. I-21
§ 1. *Sin autem* tutore *ibid.* 6
§ 2. Si *verò* tutores *ibid.* 9
Si mater tua major 3. V-40
Si mater tua propter 38. IX-1
Si mater tua quaſi 40. XV-6
Si mater tua velut ex patris 18. I-19
Si matrem ejus cujus 41. III-15
Si matrem tuam Decur. 48. XIX-64
Si miles deſertor 49. XVI-29
Si militaris judex 42. I-14
Si militem ad negotium 12. V-8
Si miniſterium tuum 40. XIII-1
Si minor annis viginti ad 40. IX-23
Si minor annis 25. emptori 4. IV-52
Si minor à venditore 19. I-77
Si minorem te 4. IV-71
Si minores vel ex 27. IX-17
Si minor 25. annis prædium 27. IX-5
Si monumento corpus 20. III-9
Si mortis causâ immodicas. 35. II-6
Si mulier alienam ſuſcepit 16. I-35
Si mulier repudii 48. V-69
Si mutuam pecuniam accipere 14. III-22
Si necdum perpetuæ 11. VII-25
Sine metu Legis 48. V-81
Si nomen militiæ 49. XVI-10
Si nominis perſecutionem 39. V-17
Si non convicii 47. X-51
Si non donationis causâ ſed 18. V-13
Si nondum vobis ætas legitima 26. VII-6
Si non es nuntiator 47. X-15
Si non eſt numeratum 12. VII 4
Si non ex propriâ culpâ 27. III-18
Si non inducta 20. II-5
Si non injuriâ judicantis 21. II-22
Si non omnem paternam 10. II-18
Si non ſimpliciter 21. I 3
Si non ſinguli in ſolidum acceptâ. 44. III-6
Si non ſinguli in ſolidum ſed 42. I-34
Si non ſpeciali privilegio 28. I-34
Si non ſuſpectum contutorem 27. III-19
Si non verum contractum 24. I-76
¶ quòd ſi liberalitatis *ibid.* 84
Si nulla culpa ſeu 13. VII-17
Si nuptiis pater tuus 23. II-8
Si ob cauſam judicati 21. III-8
Si obligata prædia 21. II-25
Si olei certâ ponderatione 19. II-77
Si operis publici temporalis 48. XIX-68
Si pactum interceſſit 44. IV-32
Si parentes veſtri 21. II-28
Si partem poſſeſſionis 41. III-28
¶ violenter enim *ibid.* 23
Si partûs ſubjecti 48. X-48
Si pater inteſtatus 37. VII-16
Si pater marito tuo 23. III-31
Si paternâ heredit. te abſtinuiſſe 29. II-14
Si paternâ hereditate te abſtinuiſti. *ibid.* 25
Si paternam obligationem 16. I-47
Si paterno affectu 3. V-15
Si pater pactum 23. I-11
Si pater puellæ 5. II-20
Si pater ſervum veſtrum 40. IX-23
Si pater tuus ad 49. X-8
Si pater tuus in te 47. XX-3
Si pater tuus mentis 27. X-11
Si pater tuus per vim 2. XIV-11
Si pater tuus poſt 5. II-52
Si pater tuus quem privigni 27. VII-1
Si pater tuus quum 49. X-3
Si pater tuus velut ingenuus 40. XV-6
Si pater tuus venumdedit 41. I-41
Si pater veſter in inſulam 48. XXIII-1
Si pater uſumfructum 7. IV-11
Si patrem tuum officio 25. III-24
Si patri tuo uſusfructus 7. IV-2
§ 1. Uſufructuario autem *ibid.* 6
Si patroclus poſteaquàm 40. V-15
Si patruus tuus 10. II-33
Si pecuniam pupillarem 27. III-49
Si pecuniam tibi non eſſe 20. I-10
Si pecuniam tuam 3. V-5
Si pecuniâ patris fundus 41. I-60
Si pecuniâ tuâ mandantibus 47. II-84
Si per fideicommiſſum hereditas 36. I-67
Si per ignorantiam facti 12. VI-36
Si per te non ſtat quominùs 22. I-38
Si permittente patre 14. VI-5
Si per vim vel metum 4. II-28
Si poſſeſſio inconcuſſa 41. III-36
Si poſt Decretum 4. IV-48
Si poſt diviſionem 22. VI-6
Si poſt Sententiam 4. IV-23
Si poſt teſtamentum 28. II-32
Si potiores creditores 20. IV-7
Si prædium quis ſub eâ lege 21. I-92
¶ idem obſervatur *ibid.* 49
Si prædium ruſticum 27. IX-25
Si prædium uxor tua 23. III-39
Si præſes quaſi deſertam 5. I-79
Si Præſidi provinciæ probaveris 23. I-19
Si præſidi prov. probatum 12. I-6
Si pretium quidem 3. III-3
Si prior Reſpublica 20. IV-10
Si priuſquàm diſtraheretur 20. V-15
Si priuſquàm fiſci rationibus 49. XIV-41
Si pro alieno debito 13. V-29
Si probare potes patrem 27. IX-7
Si probatum fuerit Præſidi 10. II-9
Si probaveris Demetrium *lib.* 30. *N.* 47
Si probaveris Præſidi 20. I-17
Si probaveris te fundum 20. VI-21
Si probus in minore 4. IV-11
Si pro contutore 27. III-16
Si procurator ad unam 42. I-36
Si pro dote promiſsâ 23. III-21
Si pro eâ contra quam ſupplicas 46. I.65
Si pro eo qui in crimen 48. XVI-26
Si pro fundo 2. XV-18
Si pro mutuâ pecuniâ 22. I-33
Si propriis habitis 24. I-29
Si propter fructus ex 16. II-22
Si propter officium 4. VI-41
Si puellam eâ lege 18. VII-5
Si pupillorum pater alienum 26. II-7
Si qua beneficia 1. IV-10
Si quæ res ante nuptias 4. IV-35
Si quæſtio tibi generis 44. I-17
Si qua fideicommiſſorum 10. II-54
Si qua maritum 24. II-15
Si quam tibi pecuniam 37. XIV-25
Si quando naufragio 47. IX-12
Si quando quis 2. XII-9
Si quando ratio aut neceſſitas 49. I-3
Si quantitatem quam 42. III-4
Si quaſi accepturi 44. III-4
Si quid à procuratore 4. I-10
Si quid adversùs Rempubl. 50. VIII-1
Si quid de bonis 4. VI-17
Si quidem aviam tuam 47. X-16
Si quidem ex causâ tranſactionis 2. XV-3
Si quidem intentionem 44 I-11
Si quidem ſine Decreto 27. IX-26
Si quidem vivit apud 24. III-15
Si quidem Zenoni 45. I-44
Si quid in vaginâ 29. I-12
Si quid pars adverſa 8. V-12
Si quis adversùs Præfectorum 49. I-7
Si quis Advocatus 44. I-4
Si quis Barbaris 48. IV-15
Si quis cohortali conditione 38. *Append.* 16
Si quis conductionis 19. II-27
Si quis Decurio aut 50. II-37
Si quis Decurio pater *ibid.* 35
Si quis Decurio vel *ibid.* 18
Si quis ex familiaribus 48. II-10
Si quis Fabricenſis 38. *Append.* 17
Si quis homicidii crimen 44. II-21
Si quis judicum duxerit 49. I-1
¶ quoties autem ad *ibid.* 2
Si quis libellos 49. I-59
Si quis modeſtiæ 48. IV-7

Source : BIU Cujas

Si quis navicularius ſine 38. *Append.* 17
Si quis necandi 48. VIII-5
Si quis patronor. (l. 3. Cod. *de Bonis libert.*)
§ 3. Qui ſuis nummis eſt empt. 37. XIV-2
§ 5. Servus ægrotus *ibid.* 4
¶ *item* Ne filii adoptivi *ibid.* 6
§ 6. Servus ſciente domino *ibid.* 4
¶ idem cautum fuiſſe *ibid.*
Si quis per abſentiam 49. X-5
Si quis percuſſorem 48. VIII-9
Si quis per impreſſionem 4. II-7
Si quis propter 1. VI-17
Si quis ſciens alienum 41. I-20
Si quis ſervus raptûs 40. VIII-19
Si quis ſervos crediderit 48. XVIII-29
Si quis ſine perſonâ 39. IV-36
Si quis ſuper ſui juris 10. I-2
¶ quòd ſi altera pars *ibid.* 10
Si quis te reum Legis 48. VIII-12
Si quis teſtibus 22. V-14
Si quis tibi ſervum 21. II-53
Si quis tutoris vel curatoris 23. II-44
Si quondam uxor tua 48. V-19
Si quos fortè neceſſitas 49. XV-8
Si quum ante nuptias 23. I-19
Si quum ea quæ tibi matrimonio 23. III-16
Si quum eſſes pupillaris 5. I-22
Si quum exiguam pecuniam 12. IV-19
Si quum Hermes 19. II. *Append.* 3
Si quum inter te & 42. I-5
Si quum ipſe mutuam pecuniam 16. I-6
Si quum militaribus 4. VI-18
Si quum pater tuus 4. IV-22
Si quum pater veſter 16. I-17
Si quum patruus tuus 19. IV-5
Si quum pecuniam pro marito 20. IV-6
Si quum pecuniam tuam crederes 46. II-14
Si quum quæſtio tibi 21. II-28
Si quum ſervus liberam 46. III-34
Si quum tibi pretium 42. I-28
Si quum vel in utero 29. I-20
Si redditâ debitâ 20. VI-6
Si rerum tuarum 39. V-2
Si reſiduum debiti 20. V-15
Si res pupillares quas 26. VII-34
Si res tuas commodavit 16. III-39
Si res tuas raptas 44. I-17
Si Rufinus vir 29. I-31
Si ſciens creditor à marito 16. I-3
Si ſcriptum heredem ab 22. III-24
Si ſecundùm mandatum 17. I-51
Si ſepulcrum monumenti 11. VII-3
Si ſervi veſtri neſcientibus 9. IV-24
Si ſervos diſtraxiſti 19. I-92
Si ſervum alienum 3. V-53
Si ſervum veſtrum nutriendum 47. I-43
Si ſervus extero ſe 17. I-7
Si ſervus fuiſti ac 40. IV-57
Si ſervus ignorante 9. IV-35
Si ſervus in demoliendis 47. XII-11
Si ſervus tuus ſine permiſſu 15. I-14
Si ſine Decreto Præſidis 27. IX-28
Si ſine ullâ conditione 50. VIII-2
Si ſine voluntate tuâ 16. I-31
Si ſocero filiæ tuæ 24. III-22
Si ſolemnibus ſtipendiis 22. III-13
Si ſororem tuam leviorum 48. II-11
Si ſoror tua in paternor. 37. VII-15
Si ſtipulatio de reſtituendâ 23. IV-20
Si ſub ſpecie honorarii 3. I-21
Si ſucceſſione patris abſtenta 42. VIII-2
Si ſucceſſoris tui 50. VIII-19
Si ſunt qui emere 20. V-4
Si ſuper poſſeſſione 2. XV-7
Si ſuperſtite patre 4. III-26
Si te donatam ante 40. IV-63
Si te expilaſſe 3. II-12
Si te in vacuam poſſeſſionem 24. I-12
Si te manumiſſum 20. VI-23
Si tempora quæ 49. XIV-50
Si te non remittente 43. XXXIII-1
Si teſtamento jure 28. VI-46
Si teſtamentum ita ſcriptum 35. I-18
Si teſtamentum jure 28. I-43
Si teſtator codillis 48. X-18
Si tibi ac filio tuo 37. X-23
Si tibi controverſia ingenuitatis 22. III-10
Si tibi notarium 47. II-49
Si tibi pupillorum pater 17. I-16
Si tibi ſervitutem 8. III-6
Si tibi ſervitutis 40. XII-34
Si tradita ſunt ex 40. IX-5
Si traditio rei venditæ 19. I-30
Si tranſactionis causâ 44. III-5
Si tres tutelas 27. I-13
¶ finito *autem* officio *ibid.* 14
¶ ſed imperfectæ *ibid.* 52
Si tu & collega tuus 27. VIII-11
Si tuis nummis emptus eo 38. I-7
Si tutores pupillis 16. II-22
Si tutoris vel curatoris 27. III-39
Si tutor nominatus 27. I-84
Si tutor petitus 26. VII-28
Si tutor pupillam 48. V-70
Si tutor tuus de 40. IX-13
Si tutor tuus qui pro 4. IV-28
Si tutor vel curator pupillam 23. II-42
Si Valerianus 4. VI-14
Sive apud acta 2. XV-6
¶ *ſed* quoniam ut certum *ibid.* 11
Sive emancipatis filiis res 39. V-34
Sive ex Edicto ſororis 43. II-2
Sive ex jure ſive ex 46. I-12
Sive fuerit dominus 41. VI-1
Sive initio quæ 29. VII-13
Si velut in id debitum 16. II-5
Si vendidiſſet qui ante 20. V-11
Sive pars . . . feriæ autem 2. XII-13
Sive poſſeſſio venditoris 21. III-7
Sive poſſidetis prædia 22. III-2
Sive pro fratre 3. V-31
Sive quum nupſiſſes 40. IX-16
Si veritas vel ſolemnitas *lib.* 30. *N.* 48
Sive ſervi ſint hi 9. IV-4
Si vicinis vel aliis 23. II-14
Si vi fluminis 11. VII-26
Si vineæ quas 41. IX-1
Si vi vel metu fundum 4. II-18
Si ultra hoc quod accepit 46. I-28
Si unquam libertis 39. V-48
Si unus de ſeptem 28. I-34
Si voluntate domini 40. IV-58
Si voluntate tuâ fundum 18. V-17
Si vos paternæ hereditati 4. IV-19
Si uſuras præſtari 46. III-97
Si uſusfructus omnium 7. V-6
Si ut allegas antequàm 44. VII-21
Si ut allegas latrocinantem 48. VIII-9
Si ut allegas pater tuus 35. II-86
Si ut allegas tutor 27. I-8
Si uteris inſtrumento 22. IV-16
Si ut manûs injectionem 18. VII-6
Si ut nunc adſeveras 20. I-10
Si ut proponis bona ejus 48. XX-20
Si ut proponis conſentiente 40. IX-12
Si ut proponis ea quæ 50. I-7
Si ut proponis pars adverſa pec. 6. I-11
Si ut proponis pars diverſa ab adm. 27. I-81
Si ut proponis pars diverſa die 42. I-12
Si ut proponis pater quondam 23. II-8
Si ut proponis pater tuus eâ lege 12. IV-6
Si ut proponis pater tuus in cujus 24. I-8
Si ut proponis poſt querelam 23. II-6
Si ut proponis Præſes provinciæ 42. I-13
Si ut proponis pupillo 26. III-4
Si ut proponis rerum 42. I-61
Si ut proponis ſuſpenſâ 49. X-6
Si ut proponitis & 1. IX-6
Si uxor pro marito 16. I-13
Si uxor tua Præſidi 20. V-25
Si uxor tua pro pecuniâ 20. I-6
Si uxor tua pro triente 42. VI-9
Societatem uno 17. II-2
Solâ temporis 40. XII-10
Solâ teſtatione prolatam 22. V-16
Solo obſequii 37. XV-17
Solutionem adſeveranti 12. VII-3
Spem eorum præmiorum 20. III-10
Spem futuræ actionis 39 V-38
Statuas ſepulcro 47. XII-4
Statuliberis datam libertatem 40. VII-3
Statum tuum natali 22. III-13
Stellionatûs accuſatio 47. XX-4
Stipendia & donativa 49. XV-23
Stipendia retineri 42. I-59
Studiorum labor 1. XXII-4
Sub prætextu inſtrumenti 2. XV-19
Sub prætextu ſpecierum *ibid.* 13
Subſcriptio filii 40. I-8
Sub ſpecie novorum 42. I-30
Subtilitatis 5. I-70
Succeſſionum varietas 10. I-11
Succeſſores ejus qui 46. III-66
Summa Sententiâ 27. III-28
Sumptus in pupillum 27. IV-9
Suo potiùs periculo 16. I-9
Super delictis provincialium 49. I-2
Super ſtatu ingenuitatis 48. XVIII-10
Supplicare causâ 42. I-27
Suſpectos tutores 26. X-22
Suus heres exceptione 29. II-76

T

TAmdiù ſocietas durat 17. II-69
Tam mandatori 44. III-10
Temporalibus actionibus 4. VI-6
Tempus expeditionis 41. III-36
Teſtamenta omnia 28. I-48

Source : BIU Cujas

Teſtamenti factione 5. II-24
Teſtamenti tabulas ad hoc 29. III-8
Teſtamento matris tutores 26. III-7
Teſtamento tutor datus 27. I-79
Teſtamentum militis filiifamil. 5. II-2
Teſtamentum non ideò. 28. I-41
Teſtandi causâ *ibid.* 44
Teſtes ſervi an liberi *ibid.* 28
Titius ſi quum teſtamentum 38. I-8
Traditionibus & 41. I-62
Trajectitiæ quidem 22. II-1
Trajectitiam pecuniam *ibid.* 4
Tranſactione finita 2. XV-21
Tranſactione matris *ibid.* 15
Tranſactionem quæ *ibid.* 20
Tranſactionis placitum 3. III-53
Tranſactio nullo 2. XV-3
Tranſigere vel paciſci 48. XXI-7
Tranſmarinâ 50. VII-7
Tres denuntiationes 5. I-76
Tunc convenit potentiores 48. II-24
Tutelæ actio 27. VII-1
Tutelæ ſollicitudo 50. V-38
Tutorem vel curatorem 27. III-46
Tutores debita 26. VII-38
Tutores etiam Græcis 26. II-15
Tutores nominatos 27. I-70
Tutores qui necdum 26. VII-46
Tutores quos poſteaquàm 27. I-64
Tutores tutelæ 27. III-25
Tutor filiorum tuorum 48. XXIII-5
Tutoribus vel curatoribus 27. III-44
Tutori vel curatori 3. V-41
Tutor licèt abſens 26. VII-30
Tutor poſt puberem 27. III-29
Tutor qui ſatiſdationem 26. VII-6
¶ poſteaquàm autem *ibid.* 7

V

VEctigalia nova 39. IV-14
Vectigalia quæcumque *ibid.* 25
Velles necne filio 39. V-49
Velut Caſtrenſe peculium 1. XXII-9
Venales Sententias 42. I-32
Venatoribus 50. V-22
Venditi actionem 19. I-92
Venditi actio ſi non 18. V-13
Venditiones, donationes 4. II-7
Venditioni ancillæ 41. IV-1
Veniâ Edicti non 2. IV-11
¶ nec in eâ re *ibid.* 16
Verbis teſtamenti 7. I-2
Verbum precibus 3. II-8
Verbum VOLO *lib.* 30. *N.* 44
Veterani qui ex 49. XVIII-5
Veterani qui quum poſſent 50. VI-12
Veteranis ita demùm 50. V-13
Veteranis qui in 49. X-3
Veteris Juris dubitationem 27. III-31
Viam veritatis 19. II-76
Vi bonorum raptorum actionem 47. VIII-6
Viduæ intrà quintum 23. II-13
¶ quòd ſi in conventionis *ibid.*
Viginti ſtipendia 49. XVI-33
Vi pulſos reſtituendos 43. XVI-36
Viri Illuſtres 1. XI-2
Vis ejus qui ſe dominum 22. III-31
Vitia poſſeſſionum 41. III-39
Voluntas prohibentis *lib.* 30. *N.* 443
Voluntas defuncti *ibid.* 146

U

UBi aut vis facta 5. I-44
Ubi pactum vel 2. XV-9
Ultra modum tritici 19. I-80
Univerſa bona 49. XIV-40
Univerſa Reſcripta 1. IV-5
Univerſi provinciales 39. IV-16
Univerſis ſimul 1. IV-7
Univerſis tam legionibus 38. *Append.* 15
Univerſos Decuriones 50. II-19
Unius ex multis 20. VI-2
Unus individuum 41. III-93
Uſucapio non præcedente *ibid.* 39
Uſucapio pignoris 20. VI-39
Uſufructu conſtituto 7. IX-10
¶ nec intereſt ſive ex *ibid.* 2
Uſufructu matri tuæ 7. I-2
Uſuræ in depoſiti 16. III-48
Uſuræ minutim & 22. I-42
Uſuræ per tempora *ibid.*
Uſuras emptor *ibid.* 40
Uſuras quæ quotannis 13. IV-1
Ut creditor qui pecuniam 22. III-9
Ut debitum tibi 46. III-120
Ut duplum 48. XI-8
Ut inter abſentes 45. I-24
Ut inteſtato defuncti 38. XVI-9
Uti poſſidetis fundum 46. VII-1
Ut reſponſum 2. XV-8
Utrùm nepos tuus 27. II-2
Ut teſtamentum quod dicis 29. III-6
Ut verborum inanium 37. I-4
Ut unius pœna 48. XI-8
Uxorem libertam 23. II-41
Uxorem pro marito 50. II-30
Uxoris abortu 28. II-32
Uxor quæ in militiam 48. V-10
Uxor tua ſi conſobrini 48. II-4
Uxor tua ſi mortuo 10. II-58

FINIS TABULÆ CODICIS.

Source : BIU Cujas

INDEX

Librorum & titulorum qui in hoc tertio Tomo continentur, cum ſerie & ordine ſingularum cujuſque Tituli diviſionum:

Totius Operis ſpecimen quoddam, & materiarum quaſi Appendicem exhibens.

DIGESTORUM SEU PANDECTARUM PARTIS SEXTÆ SERIES.

LIBER TRIGESIMUS-NONUS.

TITULUS I.

De Operis novi nuntiatione. *Pag.* 1.

SECTIO I. *De his quæ pertinent ad Operis Novi Nuntiationis ſubſtantiam.* 2

ARTICULUS I. Propter quod Opus & ex quibus cauſis fiat Nuntiatio. ibid.

§ I. *Quale Opus ad hoc Edictum pertineat.* ibid.

§ II. *Ex quibus cauſis Operis Novi Nuntiatio fiat.* ibid.

ARTICULUS II. Cui competat Operis Novi Nuntiatio, & adversùs quem. 3

§ I. *Cui competat.* ibid.

§ II. *Adversùs quem Operis Novi Nuntiatio competat.* ibid.

ARTICULUS III. Quomodo fiat Operis Novi Nuntiatio. 4

§ I. *Ubi & quibus diebus fiat.* ibid.

§ II. *Cui fieri debet Nuntiatio.* ibid.

§ III. *Per quem fieri debet Nuntiatio.* ibid.

§ IV. *Quæ obſervanda ſint in faciendâ Nuntiatione.* ibid.

SECTIO II. *De effectu Nuntiationis Novi Operis, & de Interdicto reſtitutorio quod parit.* 5

§ I. *Cujus Operis reſtituendi causâ hoc Interdictum competat.* ibid.

§ II. *Quale ſit hoc Interdictum, cui & adversùs quem competat.* ibid.

SECTIO III. *Quomodo extinguatur Nuntiatio Novi Operis.* ibid.

ARTICULUS I. De Remiſſione. ibid.

ARTICULUS II. De cautione datâ Nuntiatori vel oblatâ, de reſtituendo Opere ſi ita judicatum fuerit; & de Interdicto prohibitorio quod datur ei qui hanc cautionem exhibuit. 6

§ I. *Expenduntur ea quæ pertinent ad hanc cautionem.* ibid.

Quæſtio I. Qualis debeat eſſe hæc cautio. ibid.

Quæſtio II. Quid ex cautione datâ vel oblatâ conſequatur is cui Novum Opus Nuntiatum eſt. Pag. 6

Quæſtio III. Cui & à quo exhiberi debet hæc cautio. 7

Quæſtio IV. Quando & in quid committatur hæc cautio. ibid.

§ II. *De Interdicto prohibitorio quod datur ei qui Nuntiatori ſatisfecit.* ibid.

ARTICULUS III. De cæteris modis quibus extinguitur Nuntiatio Novi Operis. 8

TITULUS II.

De Damno infecto; & de Suggrundis & Protectionibus. *Pag.* 8

ARTICULUS I. Ad quod Damnum hoc Edictum pertineat, necne. 9

§ I. *Damnum futurum ex ædibus cæteris-ve rebus inanimis Edicto contineri: an & quando etiam præteritum contineatur.* ibid.

§ II. *Ex quo tempore habeatur ratio Damni.* 10

§ III. *Quæ Damni futuri ſpecies hoc Edicto contineatur.* ibid.

ARTICULUS II. Quibus hæc ſtipulatio concedatur & ex quibus cauſis. 11

§ I. *Quibus concedatur.* ibid.

§ II. *Ex quibus cauſis denegetur ſtipulatio Damni infecti.* 12

Prima cauſa: Si ei qui caveri ſibi deſiderat, culpa aliqua circa Damnum quod timet imputari poſſit. ibid.

Secunda cauſa: Quum is qui ſibi caveri deſiderat, aliâ ratione ſibi proſpicere poteſt. ibid.

Tertia cauſa. 13

§ III. *De juramento* Calumniæ *quod ab eo qui ſibi caveri petit exigitur.* 14

ARTICULUS III. Qui hanc cautionem præſtare teneantur. ibid.

ARTICULUS IV. Quum plures ſunt ædes quibus damnum timetur, aut plures ædium vitioſarum domini; pro quâ quiſque parte ſtipulari aut promittere debeat. ibid.

ARTICULUS V. Qualis eſſe debet cautio quæ pro Damno Infecto datur; de die huic adjiciendâ, & quando committatur. 15

Source : BIU Cujas

§ I. *Qualis esse debet.* Pag. 15
§ II. *De die huic cautioni adjiciendâ.* ibid.
§ III. *Quando committatur hæc stipulatio.* ibid.
ARTICULUS VI. De actione quæ ex stipulatione Damni infecti descendit. 16
§ I. *Cui & adversùs quem hæc actio detur; & pro quâ quisque parte agere aut conveniri possit, quum plures domini ex hâc causâ stipulati sunt aut promiserunt.* ibid.
§ II. *Quæ in hanc actionem veniant præstanda.* ibid.
ARTICULUS VII. Ad quos Magistratus pertineat cognitio de stipulatione pro Damno Infecto præstandâ, & Decreta eâ de re interponere: ubi de actione quæ datur in Magistratus municipales; quum desideranti sibi caveri, officium suum non interposuerunt. ibid.
ARTICULUS VIII. De primo Decreto seu de missione in possessionem, quum non cavetur ei cui Prætor Damni Infecti nomine caveri jussit. 17
§ I. *Quando decretum hoc interponatur & adversùs quem, & de denuntiatione quæ illud præcedit.* ibid.
§ II. *In cujus rei & in cujus partis possessionem Prætor mittat.* ibid.
§ III. *Quis in possessionem mitti debeat, & pro quâ quisque parte quum plures sunt.* ibid.
§ IV. *Qualem possessionem consequantur qui ex primo Decreto mittuntur: & quandiù ea duret.* 18
§ V. *Quomodo coerceatur qui missum in possessionem non admittit; & de actione* In factum *adversùs ipsum competente.* ibid.
ARTICULUS IX. De secundo Decreto quo is qui in possessionem alicujus rei ex causâ Damni Infecti missus erat, eam possidere ac sibi habere & usucapere jubetur. 19
§ I. *Quando & in quas res interponatur.* ibid.
§ II. *De effectu secundi hujus Decreti.* ibid.

TITULUS III.

De Aquâ, & Aquæ Pluviæ Arcendæ. *Pag.* 20

ARTICULUS I. Quando actioni Aquæ Pluviæ Arcendæ *locus sit.* ibid.
§ I. *Oportere ut immittatur Aqua, eaque Pluvia sit, & in agrum immittatur.* ibid.
§ II. *Oportere ut Aqua immittatur opere aliquo manufacto, non verò naturâ fluat.* 21
§ III. *Oportere ut non jure servitutis aut necessitate cogente, Aqua immittatur.* 23
§ IV. *Summa eorum quæ duobus §§. præcedentibus tradita sunt.* ibid.
ARTICULUS II. Qualis sit hæc actio, cui & adversùs quem competat, & quid in eâ veniat. ibid.
§ I. *Qualis sit hæc actio.* ibid.
§ II. *Actionem* Aquæ Pluviæ *Directam non dari nisi dominis & adversùs dominos.* ibid.
§ III. *Utilem* Aquæ Pluviæ *actionem quibusdam aliis quàm dominis, & adversùs quosdam alios quàm dominos competere.* 24
§ IV. *Quum plures sunt domini, an & quatenùs quisque agat aut conveniatur.* 25
§ V. *Quid in hâc actione præstandum veniat.* ibid.

TITULUS IV.

De Publicanis & Vectigalibus & commissis. *Pag.* 26

ARTICULUS I. De Publicanis, & Edicto adversùs ipsos proposito. ibid.
§ I. *Quinam veniant appellatione* Publicanorum *aut* Familiæ *eorum, in Edicto.* 27
§ II. *De actione quæ ex hoc Edicto descendit.* ibid.
§ III. *De eo quod Publicani, per errorem, indebitum acceperunt.* ibid.
ARTICULUS II. De Vectigalibus. ibid.
§ I. *Quis Vectigalia constituere possit, & pro quibus mercibus Vectigal pendatur.* 28
§ II. *Quid* Portorii *nomine, & à quibus personis debeatur.* 29
§ III. *Cui Vectigal debeatur.* 30
§ IV. *De conductione Vectigalium, & agrorum Publicorum.* ibid.
ARTICULUS III. De Commissis. 31
§ I. *Ex quibus causis merces in Commissum incidant.* ibid.
Prima causa: Quum quis merces Vectigali obnoxias quas advehebat, non professus est. ibid.
Secunda Commissi causa. ibid.
Tertia Commissi causa. ibid.
Quarta Commissi causa. ibid.
§ II. *Adversùs quem fiscus Commissa persequatur.* ibid.
§ III. *De effectu Commissi.* 32
§ IV. *Quando Commissum extinguatur.* ibid.

TITULUS V.

De Donationibus. *Pag.* 32

ARTICULUS I. De naturâ & divisione Donationum. ibid.
ARTICULUS II. De formâ conficiendarum Donationum. 34
§ I. *De mutuo consensu.* ibid.
§ II. *De mancipatione, traditione, & aliis solemnitatibus ad formam Donationum requisitis, præsertim de Insinuatione.* ibid.
ARTICULUS III. Quis donare possit, & cui. 37
§ I. *Quæ causæ impedimento sint, quominùs quis donare possit, necne.* ibid.
§ II. *Quibus donari possit.* 38
ARTICULUS IV. Quid & quantùm donari possit. ibid.
§ I. *Quæ res donari possit.* ibid.
§ II. *De speciali Capite Legis Cinciæ quo nonnisi intrà certam quantitatem donare licebat.* ibid.
ARTICULUS V. De effectu Donationum. 39
ARTICULUS VI. De Donationum revocatione. 40

TITULUS VI.

De Mortis causâ Donationibus & Capionibus. *Pag.* 40

SECTIO I. *De* Mortis causâ *Donationibus.* ibid.
ARTICULUS I. De naturâ & divisione Donationum Mortis causâ. ibid.

Source : BIU Cujas

§ I. *Quæ ſit natura Donationum* Causâ Mortis, *& in quo à Donationibus* Inter vivos *differant.* Pag. 40
§ II. *Quotuplex ſit Donatio* Mortis causâ. 41
ARTICULUS II. Quis, cui, & quid donare Mortis causâ *poſſit; & de formâ hujus Donationis.* 42
§ I. *Quis donare* Mortis causâ *poſſit, & cui.* ibid.
§ II. *Quid poteſt* Mortis causâ *donari.* ibid.
§ III. *De formâ Donationum* Mortis causâ. ibid.
ARTICULUS III. De revocatione Donationum Mortis causâ. 43
§ I. *Ex quibus cauſis revocentur.* Pag. 43
§ II. *De actionibus quæ revocatâ* Mortis causâ *Donatione competunt.* ibid.
§ III. *De revocatione conventionum Donationi* Mortis causâ *appoſitarum, quam trahit donationis revocatio.* 44
ARTICULUS IV. Nonnullæ ſpecies referuntur; in quibus quæritur quantum ex Mortis causâ *Donatione donatarius cepiſſe videatur.* ibid.
SECTIO II. *De* Mortis causâ *Capionibus.* ibid.

LIBER QUADRAGESIMUS.

TITULUS I.
De Manumiſſionibus. *Pag.* 46

TITULUS II.
De Manumiſſis Vindictâ. *Pag.* 48

TITULUS III.
De Manumiſſionibus quæ ſervis ad univerſitatem pertinentibus imponuntur. *Pag.* 49

TITULUS IV.
De Manumiſſis Teſtamento.
ET
TITULUS V.
De Fideicommiſſariis libertatibus.
Pag. 50

SECTIO I. *Quibus ſervis relinqui poſſit Libertas, & quâ formâ relinqui debeat.* ibid.
ARTICULUS I. Quibus ſervis poſſit relinqui Libertas, tam directa quàm Fideicommiſſaria. ibid.
§ I. *Directam Libertatem dari non poſſe niſi propriis teſtatoris ſervis.* ibid.
§ II. *Fideicommiſſariam libertatem rectè dari ſervis etiam alienis.* 51
ARTICULUS II. De formâ relinquendæ libertatis teſtamento; & quid eâ in re differant directæ Libertates à Fideicommiſſariis. ibid.
§ I. *Quæ propria ſint directis libertatibus circa formam relinquendi.* ibid.
§ II. *Nullam in Fideicommiſſariis Libertatibus certam formam eſſe relinquendi.* 52
§ III. *Libertates directas nonniſi teſtamento, Fideicommiſſarias etiam ab inteſtato relinqui poſſe.* 53
SECTIO II. *Qui poſſint fideicommiſſo præſtandæ libertatis gravari, & quatenùs; & qui gravati fuiſſe videantur.* ibid.
§ I. *Qui gravari poſſint, & gravati fuiſſe intelligantur.* ibid.
§ II. *Quatenùs quis fideicommiſſo præſtandæ libertatis gravetur.* 54
SECTIO III. *Quando competat libertas teſtamento directè relicta.* Pag. 55
SECTIO IV. *De Fideicommiſſariæ Libertatis præſtatione.* ibid.
ARTICULUS I. Quando per fideicommiſſum relicta ſervis teſtatoris aut heredis libertas præſtari debeat, & à quibus præſtanda ſit. ibid.
§ I. *Quando præſtari debeat.* ibid.
§ II. *A quibus præſtanda ſit.* 56
ARTICULUS II. Quomodo conſulatur ſervis propriis teſtatoris; quum non præſtatur Libertas, quæ ipſis deberi cœpit. 57
§ I. *De Senatuſconſulto* Rubriano; *quo proſpicitur ſervis teſtatoris adversùs moram Libertati factam, ex abſentiâ affectatâ ejus qui Libertatem debet.* ibid.
§ II. *De Senatuſconſulto* Daſumiano; *quo conſulitur ſervis teſtatoris, etiam adversùs juſtam abſentiam ejus qui Libertatem debet.* 58
§ III. *De caſu quo miſcetur utriuſque Senatuſconſulti cauſa, Daſumiani, & Rubriani; nimirùm quum ex pluribus qui ſervum manumittere rogati ſunt, alii latitant, alii ex juſtâ causâ abſunt.* 59
§ IV. *Senatuſconſulto* Vitraſiano; *quum Libertati mora fit, non per eum qui manumittere debet, ſed per ejus coheredem à quo pars ſervi redimenda eſt.* 60
ARTICULUS III. Quomodo per Senatuſconſultum Juncianum *ſubveniatur ſervis heredis, quorum libertati ſit Mora: ubi reſumitur ſumma eorum quæ Articulo præcedenti dicta ſunt.* ibid.
ARTICULUS IV. Quomodo ſubveniatur partui, qui ex ancillâ teſtatoris aut heredis, dum mater moram in Libertate ſibi relictâ pateretur, natus eſt. 61
ARTICULUS V. Quid obtineat circa præſtationem Libertatis quæ ſervis alienis relicta eſt, item circa partum ex his ancillis editum. 62
SECTIO V. *Quomodo extinguantur Libertates tam directæ quàm per Fideicommiſſum relictæ.* 63
§ I. *An & quando corruente teſtamento corruant Libertates.* ibid.
§ II. *An & quando ſalvo teſtamento Libertates infirmentur necne.* 64

Source : BIU Cujas

SECTIO VI. *De Addictione bonorum, Libertatum conservandarum gratiâ, ex Rescripto D. Marci.* Pag. 64
§. I. *Quarum Libertatum conservandarum causâ fiat hæc addictio.* 65
§ II. *Quando hæc addictio fieri possit.* ibid.
§ III. *Quomodo fiat hæc addictio, & quibus fieri debeat.* 66
§ IV. *De effectu hujus addictionis.* ibid.

TITULUS VI.
De Ademptione Libertatis. *Pag.* 67

TITULUS VII.
De Statuliberis. *Pag.* 67
§ I. *Qui dicantur Statuliberi.* ibid.
§ II. *In quo consistat causa seu conditio Statuliberi.* 68
§ III. *Ex quo servus nanciscatur causam Statuliberi.* ibid.

TITULUS VIII.
Qui sine manumissione ad Libertatem perveniunt. *Pag.* 69
ARTICULUS I. De his qui suis nummis sunt redempti. ibid.
§ I. *Quis suis nummis videatur redemptus, ut ipsi debeatur Libertas.* ibid.
§ II. *Quomodo Libertatem adipiscatur nummis suis redemptus; & quæ pœna servi qui se falsò talem in Jure contendit.* 70
ARTICULUS II. De his qui hâc lege sunt alienati ut manumitterentur. ibid.
§ I. *Quæ requirantur necne, tam circa pactum manumittendi, quàm circa personam servi, ut ex Constitutione Divi Marci liber fiat.* ibid.
§ II. *Quando committatur hoc pactum, competatque Libertas.* 71
§ III. *Ad quas alienationes Constitutio Divi Marci porrigatur.* 72
ARTICULUS III. De eo pro quo dominus pecuniam accepit ut ipsum Manumitteret. ibid.
ARTICULUS IV. Aliæ causæ referuntur, ex quibus sine Manumissione servi ad Libertatem perveniunt. ibid.
§ IV. *De eo qui dominium habet, sed revocabile.* Pag. 76
§ V. *De eo qui ætatem legitimam, aut rerum suarum administrationem non habet.* ibid.

Secunda Pars: Ad Legem Æliam-Sentiam, & alias quæ servorum libertati obstant. 77
SECTIO I. *De Lege Æliâ-Sentiâ.* ibid.
ARTICULUS I. De eo Legis Æliæ-Sentiæ Capite, quo minor viginti annis servos suos Manumittere prohibetur. ibid.
§. I. *Quinam huic Legi subjaceant.* ibid.
§ II. *Ad quos servos hæc Lex pertineat, & ad quas Manumissiones.* ibid.
§ III. *De formâ proponendæ causæ Manumittendi.* 78
§ IV. *Quæ causæ soleant recipi.* ibid.
§ V. *Quum plures Minores Manumittunt, an sufficiat ab uno probari causam.* 79
§ VI. *De effectu receptæ causæ.* ibid.
ARTICULUS II. Alterum Caput Legis Æliæ-Sentiæ, de non Manumittendo in fraudem creditorum. ibid.
§ I. *Quæ requirantur ut huic Legi locus sit, & quando cesset.* ibid.
§ II. *Quorum in fraudem datæ libertates per Legem Æliam-Sentiam infirmentur.* 80
§ III. *Quid obtineat quum plures Manumissi sunt, & aliquorum duntaxat libertas fraudat creditores.* 81
§ IV. *An & quæ præscriptio adversùs hoc Caput Legis objici possit.* ibid.
SECTIO II. *De Lege Fusiâ-Caniniâ, Lege Juliâ, & quibusdam Constitutionibus, ad Manumissiones pertinentibus.* ibid.
ARTICULUS I. De Lege Fusiâ-Caniniâ. ibid.
ARTICULUS II. De Lege Juliâ de Adulteriis, *quatenùs obstat Manumissioni servorum.* 82
§ I. *Quando sit locus huic Legi.* ibid.
§ II. *Quæ personæ Manumittere, qui-ve Manumitti hâc Lege prohibeantur, & quæ eorum interdicatur alienatio.* ibid.
§ III. *Quando cesset hæc Lex.* 83
ARTICULUS III. De quibusdam Principum Constitutionibus quæ obstant Manumissioni. ibid.

TITULUS IX.
Qui & à quibus Manumissi, liberi non fiant; & ad Legem Æliam-Sentiam. *Pag.* 73
Prima Pars: Qui & à quibus Manumissi, liberi non fiant. ibid.
ARTICULUS I. Qui ad libertatem perduci non possint. ibid.
ARTICULUS II. Qui jure Manumittere possint necne. 74
§ I. *De eo qui dominus non est.* ibid.
§ II. *De eo qui dominus est non in solidum.* 75
§ III. *De eo qui dominus est, sed non pleno aut libero jure.* ibid.

TITULUS X.
De Jure Aureorum Annulorum. *Pag.* 83

TITULUS XI.
De Natalibus restituendis. *Pag.* 84

TITULUS XII.
De Liberali causâ. *Pag.* 84
ARTICULUS I. Quibus hæc actio Liberalis causæ *competat.* ibid.
§ I. *Quis possit vel se vel alium ex possessione servitutis in Libertatem vindicare.* 85
§ II. *Quis*

Source : BIU Cujas

§ II. *Quis possit aliquem in servitutem petere.* Pag. 85
ARTICULUS II. An iteretur Liberalis causa, & an per præscriptionem longi temporis excludatur. ibid.
§ I. *An iteretur.* ibid.
§ II. *Quibus casibus per præscriptionem longi temporis excludatur necne Liberalis Causa.* 86
ARTICULUS III. Quæ circa hoc judicium instituendum & peragendum observentur. ibid.
§ I. *De Adsertoris necessitate in hoc judicio, & de ejus officio.* ibid.
§ II. *De differendo ex certis causis judicio Liberali.* 87
§ III. *De remittendis ad eumdem judicem, his qui eidem statûs controversiam faciunt.* ibid.
§ IV. *De disceptatione huic judicio prævia; uter ex litigatoribus in eo petitoris, uter possessoris partes sustinere debeat.* ibid.
§ V. *Lite ordinatâ, in cujus statûs possessione constituatur is cujus status in controversiâ est.* 88
§ VI. *Quid observetur, quum alteruter ex litigatoribus non se sistit judicio.* 89
§ VII. *Quid obtineat quum in Causâ Liberali dissonant judicum Sententiæ; aut testium testimonia.* ibid.
ARTICULUS IV. De effectu Sententiæ latæ pro libertate aut contrà. ibid.
ARTICULUS V. De cognitionibus accessoriis Liberali Causæ. 90
§ I. *De bonis quæ auferre aut relinquere debet is de cujus statu agitur, si vicerit.* ibid.
§ II. *De rebus amotis & damno dato, ab eo qui in libertatem proclamavit.* ibid.
§ III. *De reddendo instrumento manumissionis.* ibid.
§ IV. *De calumniâ ejus qui statûs controversiam fecit.* ibid.

TITULUS XIII.
Quibus ad Libertatem proclamare non licet. *pag.* 91
ARTICULUS I. Qui possint necne ad Libertatem Proclamare. ibid.
§ I. *De majore viginti annis, qui se ad pretium participandum vendere patitur.* Pag. 91
§ II. *De muliere quæ ex Senatusconsulto Claudiano in servitutem redigitur.* 92
ARTICULUS II. De actione In factum *quæ datur emptori, decepto fraude hominis qui dolo se passus est vænire ut servum.* 94
§ I. *Quæ concurrere oporteat ut huic actioni locus sit.* ibid.
§ II. *Cui & adversùs quem hæc actio detur.* ibid.
§ III. *Quid in hâc actione veniat; cum quâ aliâ possit concurrere, & quando extinguatur.* 95

TITULUS XIV.
Si (Libertus) ingenuus esse dicetur. *pag.* 95

TITULUS XV.
Ne de Statu Defunctorum post quinquennium quæratur. *pag.* 96
ARTICULUS I. De Constitutione Divi Nervæ, Ne de Statu Defunctorum Post Quinquennium Quæratur. ibid.
§ I. *Ad quas quæstiones hæc præscriptio pertineat.* ibid.
§ II. *De quarum personarum Statu Quæri prohibeatur.* 97
§ III. *Quibus personis hæc præscriptio objiciatur.*
ARTICULUS II. De Edicto Divi Marci, de non retractandâ Sententiâ pro ingenuitate latâ. ibid.

TITULUS XVI.
De Collusione Detegendâ. *pag.* 98

LIBER QUADRAGESIMUS-PRIMUS.

TITULUS I.
De Adquirendo rerum dominio. *pag.* 99

Prima Pars: De Dominio, & variis ejus Adquirendi modis. ibid.
SECTIO I. *De Occupatione.* 100
ARTICULUS I. De rebus nullius. ibid.
§ I. *De Venatu, Accupio, & Piscatione.* ibid.
§ II. *De Occupatione propriè dictâ.* ibid.
§ III. *De Inventione.* 101
ARTICULUS II. De rebus hostium. ibid.
SECTIO II. *De Accessione.* 102
ARTICULUS I. De primo Accessionis genere, quo nobis acquiritur quod ex re nostrâ nascitur. ibid.
ARTICULUS II. De secundo Accessionis genere; quo rei nostræ aliquid ita unitur, ut pars quædam ejus accessoria fieri videatur. Pag. 102
§ I. *Statuuntur Regulæ ex quibus intelligatur, utra res principalis, utra accessoria videri debeat.* ibid.
Prima Regula: Quum duæ res ita coalescunt ut una possit seorsim sine aliâ subsistere, & altera non possit; hæc quæ potest seorsim subsistere, res principalis est; altera, accessoria. ibid.
I. Exemplum: in Inædificatis. ibid.
II. Exemplum: in Plantis, arboribus, & satis. 103
III. Exemplum in Scripturâ. Quid de Picturâ? ibid.
Secunda Regula: Quum duæ res quæ singulæ seorsim consistere possent, coalescunt; ex prætio aut ex mole cujusque æstimatur, an altera alteri accedere debeat, necne. ibid.
Tertia Regula: Quum materia infecta alteri materiæ infectæ unitur, vix est ut videri possit altera alteri accedere: contrà, si infecta, factæ uniatur. ibid.
§ II. *Quale Dominium in re accessoriâ Adquiratur domino rei principalis.* 104
§ III. *De Alluvione, Alveo exsiccato, &*

Source : BIU Cujas

Insulâ in flumine natâ: & in quibus locis obtineat hic Adquirendi Dominii modus. Pag. 104
I. De Alluvione. ibid.
II. De Alveo fluminis exsiccato. ibid.
III. De Insulâ in flumine natâ. 105
ARTICULUS III. De tertio Accessionis genere, quum quid ex re meâ conficitur. 106
§ I. *De Specificatione.* ibid.
§ II. *De Confusione.* 107
SECTIO III. *De Traditione.* 108
ARTICULUS I. Quid sit traditio, & quomodo quoad res varias quæ tradi possunt, interponatur. ibid.
§ I. *De verâ & reali sive mobilium sive immobilium Traditione.* ibid.
§ II. *De variis Traditionis fictæ speciebus.* ibid.
ARTICULUS II. Quæ requirantur ut per Traditionem transferatur rei Dominium. 109
§ I. *Tradi rem debere ab eo qui habeat jus rei alienandæ.* ibid.
§ II. *Requiri ut res ex justâ causâ tradatur.* 110
§ III. *Requiri consensum tradentis & accipientis.* ibid.
§ IV. *Requiri ut traditio non sit imaginaria.* 111
§ V. *Requiri præterea in traditione quæ fit ex causâ venditionis, ut pretium solutum sit, aut eo nomine satisfactum: nisi emptor fidem emptoris secutus sit.* ibid.
ARTICULUS III. Quale, & cum quâ causâ Dominium per traditionem transferatur. 112
ARTICULUS IV. An sufficiant conventiones absque Traditione, ad transferendum Dominium. ibid.
SECTIO IV. *Seu Appendix ad primam Partem.*
De modis civilibus Adquirendi rerum singularum Dominii. ibid.
Secunda Pars: De personis per quas Dominium Acquirimus. 114
ARTICULUS I. De filiis aut servis nostræ potestati subjectis. ibid.
ARTICULUS II. De servis communibus. ibid.
§ I. *Servum communem dominis suis regulariter pro portione dominii Acquirere.* ibid.
§ II. *Servum communem quibusdam casibus uni duntaxat ex dominis Adquirere.* ibid.
ARTICULUS III. De servis hereditariis. 115
ARTICULUS IV. De servis in quibus usumfructum, & de iis in quibus usum simpliciter habemus. 116
§ I. *De servis fructuariis.* ibid.
§ II. *De servo in quo usum duntaxat habemus.* 117
ARTICULUS V. De servis alienis, aut liberis hominibus, quos bonâ fide possidemus. ibid.
§ I. *Ex quibus causis per illos Adquiramus.* ibid.
§ II. *Quando homo quem bonâ fide possidemus, ex re nostrâ aut ex operis suis, quando aliundè acquirere videatur.* 118
§ III. *Qualis possessor ex his causis sibi per alterum acquirat* ibid.
§ IV. *An per eum Acquiramus quem ut filium ex justo errore quasi-possidemus.* 119
ARTICULUS VI. De personis extraneis. ibid.
Tertia Pars: Quibus modis Dominium amittatur. 119
§ I. *De rebus quæ habentur pro derelictis.* Pag. 119
§ II. *De rebus nostris quæ à servis capiuntur.* 120
§ III. *De rebus per occupationem quæsitis: quamdiù nostræ maneant.* ibid.

TITULUS II.

De Adquirendâ vel amittendâ Possessione. *pag.* 121
SECTIO I. *Quid sit Possessio, & quotuplex; & an res eadem possit à pluribus in solidum possideri.* ibid.
ARTICULUS I. Quid sit Possessio, in se & separatim à proprietate considerata. ibid.
ARTICULUS II. Quotuplex sit Possessionis species. ibid.
§ I. *De Possessione civili & justâ.* ibid.
§ II. *De Possessione naturali, & quando justa aut injusta sit.* 122
§ III. *Quæ Possessio pro nullâ habeatur.* ibid.
ARTICULUS III. An idem homo rem eamdem ex pluribus causis & an duo plures-ve rem eamdem in solidum possint Possidere. 123
SECTIO II. *De Adquisitione Possessionis.* ibid.
ARTICULUS I. Cujus rei Possessio Acquiri possit, & quomodo adquiratur. ibid.
ARTICULUS II. De personis quæ Possessionem sibi possunt Acquirere. 124
ARTICULUS III. Per quas personas Possessio alteri Adquiratur. 125
§ I. *De his quos in potestate habemus.* ibid.
§ II. *De servo communi, item de fructuario.* 126
§ III. *Possessionem Acquiri per servos alienos vel liberos homines quos bonâ fide possidemus: an idem sit de filio alieno qui bonâ fide in nostrâ potestate est.* 127
§ IV. *De extraneis personis.* ibid.
§ V. *Quid requiratur circa personas per quas nobis Acquiritur Possessio.* ibid.
SECIO III. *De retinendâ Possessione.* ibid.
SECTIO IV. *De Amittendâ Possessione.* 128
§ I. *Possessionem non amitti corpore solo.* ibid.
§ II. *De Amissione Possessionis, corpore simul & animo.* 129
§ III. *De Amissione Possessionis, animo solo.* 131
§ IV. *De Amissione Possessionis, per rei interitum; aut quum is qui possidet, in alterius potestatem pervenit.* ibid.
SECTIO V. *An quis mutare causam Possessionis suæ possit.* ibid.

TITULUS III.

De Usurpationibus, & Usucapionibus. *pag.* 132
SECTIO I. *De personis quæ Usucapere longo-ve tempore præscribere possunt.* 133

Source : BIU Cujas

SECTIO II. *De rebus quæ Usucapi & longo tempore possideri possunt, vel non possunt.* Pag. 134

ARTICULUS I. Quæ res subsint Usucapioni, aut possessioni longi temporis. ibid.
§ I. *Quæ possint Usucapi.* ibid.
§ II. *Quæ res longi temporis possessionem recipiant.* ibid.

ARTICULUS II. Quæ res nec Usucapionem nec longi temporis possessionem recipiant. ibid.
§ I. *De rebus quæ non sunt in commercio.* ibid.
§ II. *De rebus fisci, & iis quarum Lex alienationem prohibet.* 135
§ III. *De rebus furtivis.* ibid.
§ IV. *De rebus immobilibus vi possessis.* 136
§ V. *De rebus contra Legem Juliam* Repetundarum *donatis.* ibid.
§ VI. *Regula generalis circa res quarum Lex inhibet Usucapionem.* 139

ARTICULUS III. An pars rei Usucapionem recipiat, & quæ pars. ibid.

SECTIO III. *De formâ Usucapionis, & longi temporis possessionis.* 140

ARTICULUS I. De tempore ad Usucapionem longi-ve temporis præscriptionem requisito; & de accessione possessionum. ibid.
§ I. *Quod sit tempus sive Usucapionis sive longæ possessionis.* ibid.
§ II. *An hæc tempora continua sint, & adversùs quoslibet currant.* ibid.
§ III. *De accessione possessionum.* 141
I. De Accessione possessionis in successoribus universalibus. ibid.
Regulæ circa Accessionem possessionum in successoribus universalibus. ibid.
Prima Regula: Justa defuncti possessio, etiam heredi qui ipse malæ fidei est, prodest ad Usucapionem. ibid.
Altera Regula: Vitiosa defuncti possessio heredi nocet; & quidem adeò ut nec à se, quamvis bonæ fidei sit, Usucapionem possit inchoare. ibid.
II. De Accessione possessionum circa successores singulares. 142
Regulæ circa successores singulares. 143

ARTICULUS II. De continuitate possessionis non interruptâ. 144
§ I. *De naturali interruptione.* ibid.
§ II. *De civili interruptione.* 146

ARTICULUS III. De justo titulo. 147
§ I. *Quis sit justus titulus.* ibid.
§ II. *An opinio tituli æquipolleat titulo?* ibid.
§ III. *Quando quis ex justo titulo possidere videatur.* 148
§ IV. *Proponitur specialis Usucapionis titulus,* Pro soluto. Pag. 148

ARTICULUS IV. De bonâ fide. 149
§ I. *Quid sit bona fides.* ibid.
§ II. *Quæ non obstent, ut qui bonæ fidei possessor esse videatur.* 150
§ III. *Quo tempore requiratur bona fides.* ibid.
§ IV. *In quibus personis bona fides requiratur.* 151
§ V. *Circa quod requiratur bona fides.* ibid.

SECTIO IV. *De effectu Usucapionis, & longi temporis præscriptionis.* 152

SECTIO ULTIMA. *De Jure Justinianeo circa Usucapionem & longi temporis possessionem.* ibid.

TITULUS IV.
Pro Emptore. *pag.* 153

TITULUS V.
Pro Herede, vel Pro Possessore. *pag.* 154

TITULUS VI.
Pro Donato. *pag.* 154

TITULUS VII.
Pro Derelicto. *pag.* 155

TITULUS VIII.
Pro Legato. *pag.* 156

TITULUS IX.
Pro Dote. *pag.* 156

TITULUS X.
Pro Suo. *pag.* 157

APPENDIX
Ad præcedentes de Usucapionibus *Titulos.*
De Præscriptionibus longissimi temporis,
Triginta *scilicet vel* Quadraginta *aut* Centum *annorum.* Pag. 157

LIBER QUADRAGESIMUS-SECUNDUS.

TITULUS I.
De re judicatâ; & de effectu Sententiarum, & de Interlocutionibus. *pag.* 159

SECTIO I. *De Sententiis; & quid requiratur ut justæ sint, & ut Rem judicatam faciant.* ibid.

ARTICULUS I. De formâ Sententiarum intrinsecâ. ibid.
§ I. *Oportere ut Sententia sit certæ quantitatis aut rei.* Pag. 159
§ II. *Oportere ut hoc quod Sententiâ continetur, non sit impossibile.* 160
§ III. *Oportere ut sententia non impugnet expressè Leges.* ibid.
§ IV. *Oportere ut Sententia, si definitiva sit, condemnationem vel absolutionem contineat.* ibid.

ARTICULUS II. De formâ Sententiarum extrinsecâ; seu de modo, die, & loco, ferendæ Sententiæ. 161
§ I. *Quis sit modus ferendæ Sententiæ, ut justa sit.* ibid.

Source : BIU Cujas

§ II. *Quæ requirantur circa diem & locum ferendæ sententiæ.* Pag. 161
ARTICULUS III. Quid requiratur circa personam Judicis, ut Sententia sit justa. ibid.
ARTICULUS IV. Quæ requirantur circa personas partium. 162
ARTICULUS V. De præcipuâ inter Sententias definitivas & Interlocutiones differentiâ. 163
ARTICULUS VI. Quæ & quorum judicium Sententiæ, Rem Judicatam *faciant.* 164
SECTIO II. *De naturâ Rei Judicatæ.* ibid.
SECTIO III. *De actione* Judicati, *quam parit Res Judicata.* 165
§ I. *Cui & adversùs quem detur hæc actio.* 166
§ II. *Quid contineat actio* Judicati, *& qualis sit.* 167
SECTIO IV. *De executione Rei Judicatæ, & pignoribus judicialibus.* ibid.
§ I. *Cujus auctoritate Sententia executioni mandetur.* 168
§ II. *Quando pignora ad executionem Sententiæ capi possint.* 169
§ III. *Quæ & cujus res pignori capi possint.* ibid.
§ IV. *Quis ordo in rebus pignori capiendis servetur.* ibid.
§ V. *De distrahendis vel addicendis pignoribus.* 170
§ VI. *Quibus finibus concludatur exsecutoris officium.* ibid.
SECTIO V. *De duplici beneficio quo Judicati gaudent.* 171
ARTICULUS I. De beneficio Induciarum. ibid.
ARTICULUS II. De beneficio Competentiæ; *seu ut ne quis, ultra quod facere potest, ad solutionem urgeatur.* ibid.
§ I. *Quibus hoc beneficium indulgeatur, & quando exceptio ex eo competens opponi possit.* ibid.
§ II. *In quo hoc beneficium consistat.* 172
SECTIO VI. *Quomodo solvatur obligatio Judicati.* 173

TITULUS II.

De Confessis. *pag.* 173
§ I. *Cujus Confessio pariat rei confessæ obligationem quasi judicatæ.* ibid.
§ II. *Quomodo fiat Confessio in Jure, & quæ circa eam requirantur ut obliget.* ibid.
§ III. *De effectu Confessionis in Jure.* 174

TITULUS III.

De Cessione Bonorum. *pag.* 174
ARTICULUS I. Propter quid, & à quibus, & quomodo fiat Bonorum Cessio. ibid.
§ I. *Cessionem fieri propter eam rem demùm eamve pecuniam, quam quis se debere agnovit, aut in quam condemnatus est.* ibid.
§ II. *Qui ad Cessionem admittantur necne.* ibid.
§ III. *Quomodo fiat Cessio.* 175
ARTICULUS II. De hujus Cessionis effectu. ibid.
§ I. *Quale jus tribuat creditoribus, Bonorum Cessio.* ibid.
§ II. *Quid proficiat debitori Bonorum Cessio.* Pag. 175
APPENDIX ad hunc Titulum.
I. De beneficio Quinquennalium induciarum; & electione datâ creditoribus, aut Cessionis admittendæ, aut indulgendi harum induciarum temporis. ibid.
II. De remedio Novellæ CXXXV. ibid.

TITULUS IV.

Quibus ex causis in Possessionem eatur. *pag.* 176
ARTICULUS I. Quos Prætor, Rei servandæ causâ, *mittat in Possessionem bonorum.* ibid.
ARTICULUS II. Quando Prætor mittat creditores in bona debitoris, Rei servandæ causâ. ibid.
ARTICULUS III. Quando permittatur creditoribus, non Possidere solùm, sed etiam distrahere bona debitoris. 177
§ I. *Debitoris fraudationis causâ demùm latitantis, & indefensi, bona vendi posse, regulariter.* ibid.
§ II. *Quorum debitorum vendi bona Edicto non permittatur.* 178
ARTICULUS IV. Quid Juris obtineat tam in actionibus In rem *quàm in* Interdictis, *quum reus latitat aut simpliciter non defenditur.* 179
ARTICULUS V. De casu quo jacet hereditas debitoris, aut suspectus est heres qui eam adiit. ibid.
§ I. *De casu quo jacet hereditas.* ibid.
§ II. *De casu quo suspectus est heres qui hereditatem adiit.* 180

TITULUS V.

De rebus auctoritate Judicis Possidendis seu vendundis. *pag.* 181
SECTIO I. *De missione creditorum in bona debitoris, & hujus missionis effectu.* ibid.
ARTICULUS I. Quid sint bona in quæ mittuntur creditores, & ad quæ porrigatur hæc missio. ibid.
ARTICULUS II. Quod jus tribuat creditoribus Decretum quo in Possessionem mittuntur; & de actione quæ ipsis competit si in Possessionem non sinantur ingredi. ibid.
ARTICULUS III. Quale jus tribuat creditoribus ipsa Possessio bonorum, quum eam ingressi sunt. 182
§ I. *Quid juris tribuat hæc Possessio circa res corporales.* ibid.
§ II. *Quid juris tribuat circa instrumenta.* ibid.
§ III. *Quid juris tribuat circa actiones debitoris.* ibid.
ARTICULUS IV. Quibus proficiat missio in bonorum debitoris possessionem. ibid.
ARTICULUS V. Quandiù duret Possessio in quam creditores missi sunt. 183
ARTICULUS VI. De actionibus quæ ex gestu eorum qui in possessionem bonorum missi sunt, ultrò citròque nascitur. ibid.

§ I. *De primâ*

Source : BIU Cujas

§ I. *De primâ actione quæ datur ei ad quem res pertinet, adversùs creditorem qui in Possessione fuit.* Pag. 183
§ II. *De alterâ actione quæ datur creditori qui in Possessione fuit adversùs curatorem aut adversùs debitorem si bona distracta non fuerint.* ibid.
§ III. *Qualis sit utraque actio, & quandiù duret.* 184

SECTIO II. *De Bonorum Venditione, & pretii ex iis redacti distributione inter creditores faciendâ.* ibid.

ARTICULUS I. De Vendendis bonis in quorum Possessionem creditores missi sunt. ibid.
§ I. *Quæ possint distrahi, necne.* ibid.
§ II. *Ubi vœnire bona debeant.* ibid.
§ III. *Quis in addictione bonorum anteponi debeat.* ibid.
§ IV. *De attestatione distractionis Bonorum conficiendâ.* ibid.
§ V. *De hujus Venditionis effectu.* ibid.
ARTICULUS II. De Privilegiis creditorum. 185
§ I. *De Privilegiis quæ* Personæ, *& de his quæ* Personæ simul & Causæ *tribuuntur.* ibid.
§ II. *De Privilegiis quæ* Causæ *duntaxat tribuuntur.* ibid.
§ III. *Discrimen inter Privilegia* Causæ, *& Privilegia* Personæ. 186
§ IV. *Regula generalis circa Privilegia.* ibid.
§ V. *De casu quo, dimissis ex pretio creditoribus, aliquid supereſt.* ibid.

TITULUS VI.

De Separationibus. *pag.* 186

ARTICULUS I. Ex quibus causis indulgeatur necne Separatio bonorum, quâ formâ, & quibus personis. 187
ARTICULUS II. Quibus defuncti creditoribus indulgeatur Separatio bonorum defuncti, & adversùs quos creditores heredis. ibid.
ARTICULUS III. Quandiù peti possit Separatio bonorum defuncti. 188
§ I. *Oportere ut creditores non sint secuti fidem heredis.* Pag. 188
§ II. *Oportere ut res sit integra.* ibid.
§ III. *Oportere ut non post multum temporis petatur.* ibid.
ARTICULUS IV. De effectu Separationis bonorum defuncti, adversùs creditores heredis impetratæ. 189

TITULUS VII.

De Curatore bonis dando. *pag.* 189

TITULUS VIII.

Quæ in fraudem creditorum Facta sunt, ut restituantur. *pag.* 191

ARTICULUS I. Quæ Gestorum *aut* Factorum *appellatione in Edictis ad eam rem pertinentibus contineantur.* ibid.
ARTICULUS II. Quæ concurrere oporteat, ut gestum revocetur ex Edicto, quasi In Fraudem *factum.* 192
§ I. *Oportere ut debitor patrimonium suum diminuerit.* ibid.
§ II. *Oportere ut qui à debitore accepit, non suum receperit.* ibid.
§ III. *De consilio Fraudis.* 193
§ IV. *De Fraudis eventu.* 194
ARTICULUS III. Cui & adversùs quem actio Pauliana, *ex hoc Edicto, Interdictum-ve competat.* 195
ARTICULUS IV. Quid veniat actione Paulianâ, *& Interdicto.* 196
§ I. *Quid veniat adversùs eum qui rem In Fraudem alienatam possidet.* ibid.
§ II. *Quid veniat adversùs eum qui rem non possidet.* 197
ARTICULUS V. Quandiù hæc actio hoc-ve Interdictum competat. ibid.

LIBER QUADRAGESIMUS-TERTIUS.

TITULUS I.

De Interdictis, sive extraordinariis actionibus quæ pro his competunt. *pag.* 198

ARTICULUS I. Quid sint Interdicta, *& de variis eorum divisionibus.* ibid.
ARTICULUS II. Quæ communia sint omnibus Interdictis. 199
ARTICULUS III. De Extraordinariis Cognitionibus quæ in locum Interdictorum successerunt. ibid.

TITULUS II.

Quorum Bonorum. *pag.* 200

TITULUS III.

Quod Legatorum. *pag.* 201

ARTICULUS I. Quæ requirantur ut quis huic Interdicto sit obnoxius. Pag. 201
§ I. *Oportere ut quis possideat.* ibid.
§ II. *Oportere ut titulo Legati possideat.* ibid.
§ III. *Oportere ut citra voluntatem heredis possideat.* 202
ARTICULUS II. Quibus, & sub quâ lege hoc Interdictum competat. ibid.
ARTICULUS III. De hujus Interdicti effectu. ibid.

TITULUS IV.

Ne vis fiat ei qui in possessionem missus erit. *pag.* 203

ARTICULUS I. Quando huic Interdicto locus sit, quibus competat & adversùs quos & quid in eo veniat præstandum. ibid.
§ I. *Quando locum habeat.* ibid.

Source : BIU Cujas

§ II. *Quibus competat hoc Interdictum, & adversùs quos.* Pag. 203
§ III. *Quid veniat in hoc Interdicto.* ibid.
ARTICULUS II. Quando cesset hoc Interdictum. ibid.
ARTICULUS III. Quibus aliis rationibus subveniatur Misso In Possessionem, quum prohibetur possidere. 204

TITULUS V.
De Tabulis exhibendis. *pag.* 204
ARTICULUS I. Ad quas Tabulas hoc Interdictum pertineat. ibid.
ARTICULUS II. Quibus & adversùs quos hoc Interdictum detur, & quandiù duret. 205
§ I. *Quibus detur, & quandiù.* ibid.
§ II. *Adversùs quos competat.* ibid.
ARTICULUS III. Quid veniat in hoc Interdicto, & quando cesset. ibid.
§ I. *De Exhibitione faciendâ; & quæ condemnatio sequatur, si non exhibeatur.* ibid.
§ II. *Quibus casibus cesset hoc Interdictum.* ibid.

TITULUS VI.
Ne quid in loco sacro fiat. *pag.* 206

TITULUS VII.
De locis & itineribus publicis. *pag.* 206

TITULUS VIII.
Ne quid in loco Publico vel itinere fiat. *pag.* 207
ARTICULUS I. De Interdicto quo Prætor in Loco Publico illud ædificari vetat, ex quo damni quidpiam aliquis sentire posset. ibid.
§ I. *Ad quæ Loca hoc Interdictum pertineat, & quibus competat.* ibid.
§ II. *Quod opus fieri hoc Interdicto Prætor vetet.* ibid.
§ III. *Quale sit hoc Interdictum, & quid in eo veniat.* 208
§ IV. *De speciali casu quo, propter damnum ex opere in Loco Publico facto, actio ex Lege XII. Tabularum competebat.* ibid.
ARTICULUS II. De Interdicto quo vetatur quid fieri in viâ Publicâ, quo deterior fieret. ibid.
§ I. *Ad quas vias hoc Interdictum pertineat.* ibid.
§ II. *Quod opus hoc Interdicto fieri vetetur.* 209
ARTICULUS III. De Interdicto quo Prætor jubet tolli opus quo via deterior sit aut fiat. ibid.
ARTICULUS IV. De Interdicto quo Prætor vetat ne quisquam per viam ire agere prohibeatur. 210

TITULUS IX.
De loco Publico fruendo. *pag.* 210

TITULUS X.
De via Publica; & si quid in ea factum esse dicatur. *pag.* 210

TITULUS XI.
De via Publica, & itinere Publico reficiendo. *pag.* 211

TITULUS XII.
De Fluminibus. Ne quid in Flumine Publico ripa-ve ejus fiat quo Pejus Navigetur. *pag.* 211
ARTICULUS I. De Interdicto quo prohibetur fieri in Flumine aut Ripâ, aliquid undè Pejus Navigetur. ibid.
§ I. *Ad quæ Flumina hoc Interdictum pertineat.* ibid.
§ II. *Quando in Flumine Ripâ-ve factum videatur.* 212
§ III. *Quod opus hoc Interdicto fieri vetetur.* ibid.
ARTICULUS II. De Interdicto quo jubet Prætor restitui, si quid factum est undè Pejus Navigetur. 213

TITULUS XIII.
Ne quid in Flumine Publico (ripa-ve ejus) fiat, quo aliter aqua fluat atque uti priore æstate fluxit. *pag.* 213
ARTICULUS I. De Interdicto prohibitorio: Ne quid in Flumine Publico Ripâ-ve ejus, &c. ibid.
ARTICULUS II. De Interdicto restitutorio: Ut si quid ita factum sit, restituatur. 214

TITULUS XIV.
Ut in Flumine Publico navigare liceat. *pag.* 214

TITULUS XV.
De Ripa munienda. *pag.* 214

TITULUS XVI.
De Vi, & de Vi armata. *pag.* 215
ARTICULUS I. Quando Interdictis De vi *locus sit.* ibid.
§ I. *Quando generaliter locum habeant Interdicta* Unde Vi, *& proindè etiam de Vi quotidianâ.* ibid.
§ II. *Quando locus sit speciali Interdicto* de Vi Armatâ. 216
ARTICULUS II. Circa quas res Interdicta De vi *tam quotidianâ, quàm Armatâ dentur.* 217
ARTICULUS III. Quibus & adversùs quos hæc Interdicta dentur. ibid.
§ I. *Quibus & adversùs quos detur Interdictum* de Vi cottidianâ. ibid.
§ II. *Quibus & adversùs quos detur Interdictum* de Vi Armatâ. 218

Source : BIU Cujas

ARTICULUS IV. Per quem inſtitui poſſint hæc Interdicta, & intra quod tempus; quid in his præſtandum veniat; & quæ alia judicia cum his concurrant. Pag. 219
§ I. *Per quemlibet, etiam ſervum, inſtitui poſſe hæc Interdicta.* ibid.
§ II. *Quid veniat in his Interdictis.* ibid.
§ III. *Intra quod tempus dentur hæc Interdicta.* 220
§ IV. *Cum quibus aliis judiciis hæc Interdicta concurrant.* ibid.
APPENDIX: De Interdicto momentariæ poſſeſſionis. ibid.

TITULUS XVII.
Uti Poſſidetis. *pag.* 221
§ I. *Quale ſit hoc Interdictum, & in quo ab Interdicto* Unde vi *differat.* ibid.
§ II. *Quando huic Interdicto locus ſit.* ibid.
§ III. *De quâ re detur.* ibid.
§ IV. *Cui detur.* 222
§ V. *Quid veniat in hoc Interdicto.* ibid.

TITULUS XVIII.
De Superficiebus. *pag.* 223

TITULUS XIX.
De Itinere actuque privato. *pag.* 223
ARTICULUS I. De Interdicto, Ut ire agere liceat. 224
§ I. *Quis* Uſus *fuiſſe videatur in hoc Interdicto.* ibid.
§ II. *Quando eum qui hoc Interdicto agit, uſum fuiſſe oporteat.* ibid.
§ III. *Quomodo eum qui hoc Interdicto agit, uſum fuiſſe oporteat.* ibid.
§ IV. *An etiam ſucceſſori hoc Interdictum detur.* 225
§ V. *Quid veniat in hoc Interdicto.* ibid.
ARTICULUS II. de Interdicto, Ut Iter reficere liceat. ibid.

TITULUS XX.
De Aqua Cottidiana, & Æſtiva. *pag.* 226
ARTICULUS I. De Aquâ Quotidianâ. ibid.
§ I. *Quale ſit hoc Interdictum; & ad quam Aquam pertineat.* ibid.
§ II. *Cui hoc Interdictum detur.* 227
§ III. *Adversùs quem detur hoc Interdictum.* ibid.
§ IV. *Quid veniat in hoc Interdicto.* ibid.
ARTICULUS II. De Aquâ Æſtivâ. 228
§ I. *Quid ſit Aqua* Æſtiva, *& in quo differat à* Cottidianâ. ibid.
§ II. *In quo Interdictum hoc differat ab Interdicto* de Aquâ Cottidianâ, *& in quo conveniat.* 229
§ III. *De* Utilibus *Interdictis quæ ad inſtar hujus dantur.* ibid.
ARTICULUS III. De Aquâ quæ ex caſtello ducitur. ibid.

TITULUS XXI.
De Rivis. *pag.* 229
§ I. *De quarum rerum reſectione & purgatione hoc Interdictum proponatur.* ibid.
§ II. *Quid ſit* Reficere & Purgare; *quam reſectionem tueatur Prætor necne, & ſub quâ lege.* 230
§ III. *Quibus hoc Interdictum detur.* ibid.
§ IV. *De effectu hujus Interdicti.* 231

TITULUS XXII.
De Fonte. *pag.* 231
ARTICULUS I. De Interdicto, Ut Fonte uti liceat. ibid.
ARTICULUS II. De Interdicto, Ut Fontem reficere liceat. ibid.

TITULUS XXIII.
De Cloacis. *pag.* 231
ARTICULUS I. De Cloacis privatis. 232
§ I. *De quâ re detur hoc Interdictum.* ibid.
§ II. *Quid veniat in hoc Interdicto, & ſub quâ lege detur.* ibid.
ARTICULUS II. De Cloacis publicis. ibid.

TITULUS XXIV.
Quod vi aut Clam. *pag.* 233
SECTIO I. *Ad quod opus hoc Interdictum pertineat.* ibid.
ARTICULUS I. Oportere ut opus Vi *aut* Clàm *factum ſit.* ibid.
§ I. *Quid ſit* Vi *factum.* ibid.
§ II. *Quid* Clàm *factum videatur, & ex quibus argumentis.* 234
§ III. *Quid Juris ſi dubitetur an* Vi *an* Clàm *factum ſit; aut ſi,* Vi *ſimul &* Clàm. ibid.
ARTICULUS II. Oportere ut in re ſoli opus ſit factum, & quod ſolo noceat. 235
§ I. *Quando factum videatur in re ſoli, necne.* ibid.
§ II. *Oportere ut illud ſit opus quod ſolo nocuerit.* ibid.
ARTICULUS III. Nil referre, quale opus & in quo loco factum ſit, & an jure an injuriâ. 236
SECTIO II. *Cui detur hoc Interdictum, & adversùs quem.* ibid.
ARTICULUS I. Hoc Interdictum dari ei omni cujus intereſt, opus non eſſe factum. ibid.
ARTICULUS II. Adversùs quem hoc Interdictum detur. 237
ARTICULUS III. Quatenùs quiſque teneatur hoc Interdicto, quum plures fecerunt. 238
SECTIO III. *Quid veniat in hoc Interdicto, quandiù duret, & quibus exceptionibus excludatur.* ibid.
ARTICULUS I. Quid veniat in hoc Interdicto præſtandum. ibid.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS II. Quandiù duret hoc Interdictum. Pag. 239
ARTICULUS III. Quibus exceptionibus excludatur hoc Interdictum. ibid.

TITULUS XXV.
De Remiſſionibus. *pag.* 240

TITULUS XXVI.
De Precario. *pag.* 240
ARTICULUS I. De conventione Precarii. ibid.
§ I. *De naturâ & origine Precarii.* ibid.
§ II. *In quibus rebus Precarium conſtitui poſſit necne.* 241
§ III. *Quis Precariò habere rem, & à quo res Precariò haberi videatur.* ibid.
§ IV. *Quomodo Precarium conſtituatur.* 242
§ V. *Quis ſit effectus Precarii.* ibid.
§ VI. *Quando ceſſet Precarium.* ibid.
ARTICULUS II. De Interdicto Precarii. 243
§ I. *Quale ſit hoc Interdictum, quanta hujus æquitas, & quando huic locus ſit.* ibid.
§ II. *Cui & adversùs quem hoc Interdictum competat.* ibid.
§ III. *Quid veniat in hoc Interdicto præſtandum.* 244
§ IV. *Quandiù duret hoc Interdictum.* ibid.

TITULUS XXVII.
De Arboribus Cædendis. *pag.* 245
ARTICULUS I. De Cædendis Arboribus quæ Ædibus *impendent.* ibid.
ARTICULUS II. De Cædendis Arboribus quæ Agris *impendent.* ibid.

TITULUS XXVIII.
De Glande Legenda. *pag.* 245

TITULUS XXIX.
De Homine Libero exhibendo. *pag.* 246
§ I. *Quando huic Interdicto locus ſit.* ibid.
§ II. *Cui & adversùs quem detur.* ibid.
§ III. *Quid veniat in hoc Interdicto, quandiù duret, & quoties detur.* 247

TITULUS XXX.
De Liberis Exhibendis, item ducendis. *pag.* 247
§ I. *De Interdicto,* De Liberis Exhibendis. ibid.
§ II. *De Interdicto,* De Liberis Ducendis. 248
§ III. *De Interdicto,* De conjuge Exhibendâ ac Ducendâ. ibid.

TITULUS XXXI.
De Utrubi. *pag.* 248

TITULUS XXXII.
De Migrando. *pag.* 249
§ I. *Cui hoc Interdictum competat necne, & de quibus rebus.* ibid.
§ II. *Quando Interdicto locus eſſe incipiat, & quandiù duret.* ibid.

TITULUS XXXIII.
De Salviano Interdicto. *pag.* 249

LIBER QUADRAGESIMUS-QUARTUS.

TITULUS I.
De Exceptionibus Præſcriptionibus, & Præjudiciis. *pag.* 251
ARTICULUS I. De Exceptionibus & Præſcriptionibus in genere. ibid.
§ I. *Quid ſint Exceptio, Replicatio, &c. & quæ exceptionum diviſiones.* ibid.
§ II. *Quot Exceptionibus quis uti poſſit, quando opponi debeant, & quando probari.* 252
§ III. *De Exceptionum effectu.* 253
ARTICULUS II. De præjudiciis, & de ordine cognitionum. ibid.

TITULUS II.
De Exceptione rei Judicatæ. *pag.* 254
§ I. *Oportere ut idem ſit quod petitur.* 255
§ II. *Oportere ut eadem ſit cauſa petendi.* 256
§ III. *Oportet ut inter eaſdem perſonas lis renovetur.* 258
§ IV. *An præter ſupràdicta requiratur, eodem actionis genere agi, & in priori actione omnia ad tuitionem cauſæ neceſſaria allegata fuiſſe, ut Exceptio* Rei Judicatæ *competere poſſit.* 260
§ V. *An non ſolùm victor, ſed etiam victus, hâc Exceptione uti poſſit.* 261

TITULUS III.
De diverſis temporalibus Præſcriptionibus, & de acceſſionibus Poſſeſſionum. *pag.* 261
ARTICULUS I. Quomodo tempus computetur in omnibus Temporalibus Præſcriptionibus in genere. ibid.
ARTICULUS II. De ſingulari ſpecie Exceptionis Temporalis, quæ dicitur Non numeratæ pecuniæ. 262
§ I. *Quando huic Exceptioni locus ſit.* ibid.
§ II. *Quibus hæc Exceptio competat, & an eam probare teneantur.* 263
§ III. *Quando hæc Exceptio ceſſet.* ibid.
§ IV. *Quæ ſit pœna ejus qui perperàm hanc Exceptionem oppoſuit.* ibid.

TITULUS IV.

Source : BIU Cujas

TITULUS IV.

De Doli mali, & metûs Exceptione. pag. 264

ARTICULUS I. De Exceptione Doli mali, *& Replicatione.* ibid.

§ I. *Quando* Doli *Exceptio obſtet, & quemadmodum* Dolo *fiat.* ibid.

§ II. *Adversùs quas perſonas hæc Exceptio objici poſſit, & an* In rem *ſit.* 267

§ III. *Quandiù duret hæc Exceptio.* 269

§ IV. *De replicatione* Doli. ibid.

ARTICULUS II. De Exceptione Metûs *ſeu* Quod Metûs causâ. ibid.

TITULUS V.

Quarum rerum actio non datur. pag. 270

§ I. *Quando* Onerandæ libertatis causâ *factum videatur necne.* ibid.

§ II. *Quo tempore, & cui promiſſum fuiſſe oportet; ut huic Exceptioni locus eſſe poſſit.* ibid.

§ III. *Cui & adversùs quem hæc Exceptio detur.* ibid.

§ IV. *Quando hæc Exceptio liberto non ſit neceſſaria.* 271

TITULUS VI.

De Litigioſis. pag. 271

§ I. *Quæ res dicantur necne Litigioſæ.* ibid.

§ II. *Quæ alienationes rei Litigioſæ prohibeantur, & quando huic exceptioni locus ſit.* ibid.

§ III. *De interdictâ rerum Litigioſarum conſecratione.* ibid.

§ IV. *Jus Codicis circa res Litigioſas.* ibid.

TITULUS VII.

De Obligationibus & Actionibus. pag. 272

Prima Pars: De Obligationibus. ibid.

ARTICULUS I. De ſubſtantiâ & diviſione Obligationum. ibid.

§ I. *Quid ſit Obligatio, & in quo conſiſtat ejus ſubſtantia.* ibid.

§ II. *De Obligationum diviſione.* 273

ARTICULUS II. Ex quotuplici causâ naſcantur Obligationes, & quænam illæ ſint pro variâ negotiorum naturâ. ibid.

§ I. *De Obligationibus quæ ex* Contractu *naſcuntur.* ibid.

§ II. *De Obligationibus quæ ex* Delicto *aut maleficio naſcuntur.* 274

§ III. *De Obligationibus quæ ex variis cauſarum figuris naſcuntur; putà* Quaſi ex contractu, & Quaſi ex maleficio. ibid.

§ IV. *Quid in Contractibus aut Quaſicontractibus præſtetur; dolus, an culpa, an caſus?* Pag. 275

ARTICULUS III. De perſonis inter quas contrahuntur Obligationes. 276

§ I. *Quæ perſonæ Obligari poſſint.* ibid.

§ II. *Erga quas perſonas Obligatio contrahi poſſit.* 278

§ III. *De perſonis inter quas ad invicem Obligatio contrahi non poteſt.* ibid.

§ IV. *An per alium poſſimus nobis aliquem Obligare.* 279

§ V. *An per alium Obligari poſſimus.* ibid.

ARTICULUS IV. De accidentalibus Obligationum, ſcilicet de die, conditione, modo, & acceſſione. ibid.

§ I. *De Obligationibus,* Ex die, & Ad diem; *& quando* dies Cedere *aut* Venire *dicatur in Obligationibus.* ibid.

§ II. *De conditione.* 280

§ III. *De modo Obligationi adjecto.* ibid.

§ IV. *De acceſſione.* 281

Secunda Pars: De Actionibus. ibid.

SECTIO I. *Quid ſit Actio, & quotuplex.* ibid.

§ I. *Definitio* Actionis, *& quàm multa hoc verbo contineantur.* ibid.

§ II. *De variis Actionum diviſionibus.* ibid.

Prima diviſio: ex ipsâ Actionum naturâ. ibid.
Secunda, tertia, quarta & quinta diviſio. 282
Sexta diviſio: ex Jure quo introductæ ſunt. ibid.
Septima diviſio: ex earum duratione. ibid.
Octava diviſio: ex perſonis adversùs quas competunt. ibid.
Nona, decima & ultima diviſio. 283

SECTIO II. *Quando Actio moveri poſſit; & de formularum quibus Actiones concipiuntur, interpretatione.* 284

SECTIO III. *De Actionum concurſu.* ibid.

ARTICULUS I. De concurſu duarum aut plurium Actionum civilium. ibid.

§ I. *De caſu quo plures Actiones rei perſecutoriæ de eâdem re concurrunt.* ibid.

§ II. *De caſu quo de eâdem re concurrunt Actiones, quarum altera rei perſecutoria eſt, altera merè pœnalis.* 285

§ III. *De caſu quo altera Actio eſt rei perſecutoria, altera mixta.* ibid.

§ IV. *De caſu quo utraque Actio pœnalis eſt aut mixta.* ibid.

ARTICULUS II. De concurſu civilis Actionis cum judicio criminali. 287

§ I. *De concurſu civilis Actionis cum judicio publico.* ibid.

§ II. *De concurſu civilis Actionis cum criminali, quæ non publicè ſed ei ſoli in quem delictum commiſſum eſt, competat.* 288

ARTICULUS III. De concurſu duorum judiciorum publicorum. ibid.

Source : BIU Cujas

DIGESTORUM SEU PANDECTARUM
SEPTIMA PARS ET ULTIMA.

LIBER QUADRAGESIMUS-QUINTUS.

TITULUS I.
De Verborum obligationibus.

pag. 289

Prima Pars : De his quæ ad Stipulationis ſubſtantiam pertinent. ibid.

SECTIO I. *De formâ Stipulationis.* ibid.

ARTICULUS I. De conſenſu ſtipulantis & promittentis. ibid.

§ I. *Qualis conſenſus requiratur.* ibid.

§ II. *Qualis error non noceat.* 290

ARTICULUS II. De interrogatione & reſponſione. ibid.

§ I. *Qualis eſſe debeat interrogatio & reſponſio.* ibid.

§ II. *An & quando una interrogatio cum reſponſione unâ, plures ſtipulationes continere videatur.* 291

§ III. *De præſumptione obſervatæ Verborum ſolennitatis in ſtipulationibus.* 292

SECTIO II. *De perſonis quæ Stipulari aut promittere poſſunt ; item de iis quibus quis ſtipulari poſſit, aut de quibus promittere.* ibid.

ARTICULUS I. Quis ſtipulari & quis promittere poſſit. ibid.

ARTICULUS II. Cui quis ſtipulari, & de quâ perſonâ quis promittere poteſt. 293

§ I. *Cui quis utiliter ſtipulari poſſit.* ibid.

§ II. *De quâ perſonâ quis promittere poſſit.* 295

SECTIO III. *De rebus aut factis quæ in Stipulationem deduci poſſunt, vel non poſſunt.* 296

ARTICULUS I. Quæ res in ſtipulatum deduci poſſint necne. ibid.

§ I. *De rebus incertis ; item de iis quæ non exiſtunt.* ibid.

§ II. *De rebus extra commercium poſitis.* ibid.

§ III. *An quis rem ſuam aut ſibi à promiſſore debitam poſſit ſtipulari.* 297

ARTICULUS II. Quæ facta in ſtipulationem deduci poſſint necne. 298

§ I. *De factis quæ impoſſibilia ſunt, aut contra Leges.* ibid.

§ II. *De factis quæ vel omninò incerta ſunt, vel ſtipulantis non interſunt, vel aliena ſunt promittenti.* ibid.

SECTIO IV. *Illud potiſſimùm ad ſubſtantiam Stipulationis requiri, ut honeſta ſit cauſa ex quâ interponitur.* ibid.

Secunda Pars : De multiplici diviſione Stipulationum ; & quid proprium ſingulæ habeant. Pag. 299

SECTIO I. *Exponuntur tres primæ Stipulationum diviſiones.* ibid.

ARTICULUS I. Prima diviſio : in Judiciales, Prætorias, Conventionales, & Communes. ibid.

ARTICULUS II. Secunda ſtipulationis diviſio : in Nudam, *& eam quæ dicitur* Satis exceptio *ex ſatiſdatione.* 300

ARTICULUS III. Tertia ſtipulationum diviſio : in Pœnales, *& eas ex quibus petitur id ipſum quod in ſtipulationem deductum eſt.* ibid.

§ I. *Quibus verbis concipi ſoleant ſtipulationes pœnales.* ibid.

§ II. *Quando committantur ſtipulationes pœnales.* 201

§ III. *An & quando pro parte duntaxat committantur ſtipulationes pœnales.* 302

§ IV. *De effectu ſtipulationis pœnalis, circa principalem Obligationem cui adjicitur.* 303

SECTIO II. *De quartâ, quintâ, ſextâ & ſeptimâ diviſione Stipulationum.* ibid.

ARTICULUS I. De Stipulationibus Dandi, *&* Faciendi ; *& quænam* Dividuæ *ſint, quænam* Individuæ. ibid.

§ I. *De primâ ſtipulationum ſpecie ; earum ſcilicet quæ dividuæ ſunt, tam quoad Obligationem quàm quoad ſolutionem.* 304

§ II. *De ſecundâ ſtipulationum ſpecie, quæ individuæ ſunt quoad Obligationem & ſolutionem.* ibid.

§ III. *De tertiâ ſtipulationum ſpecie ; quæ dividuæ ſunt quoad Obligationem, individuæ quoad ſolutionem.* 305

§ IV. *De quartâ ſtipulationum ſpecie ; nimirùm quæ individuæ ſunt quoad Obligationem, & dividuæ quoad ſolutionem.* ibid.

ARTICULUS II. Sexta Stipulationum diviſio : in Certas, *&* Incertas. ibid.

§ I. *Quæ ſtipulationes* Certæ *dicantur.* ibid.

§ II. *Quæ ſtipulationes* Incertæ *ſint.* 306

ARTICULUS III. Septima Stipulationum diviſio ; in Simplices, *&* Alternatas. ibid.

SECTIO III. *Exponitur octava & ultima Stipulationum diviſio : Ut quædam nec diem nec conditionem habeant, quædam diem tantùm habeant aut conditionem, quædam utrumque.* 307

Source : BIU Cujas

ARTICULUS I. De Stipulationibus quæ Diem *habent.* 307
§ I. *Quando dies aut tempus adjectum videatur in ſtipulationibus, & quomodo tempus aliud æſtimetur.* ibid.
§ II. *Quem effectum habeat dies adjectus in ſtipulatione.* 308
ARTICULUS II. De Stipulationibus quæ Conditionem *habent.* 309
§ I. *Quando ſtipulatio ſub conditione contracta videatur.* ibid.
§ II. *Quæ conditio adjici poſſit necne.* ibid.
§ III. *Quando conditio extitiſſe intelligatur.* 310
§ IV. *Quid proprium ſit ſtipulationibus quæ conditionem habent; & in quo conditio à die certâ differat, aut cum eâ conveniat.* 311
§ V. *Quum plures conditiones adjectæ ſunt, an omnes extitiſſe oporteat.* 312
ARTICULUS III. De Stipulationibus quæ Diem & conditionem *habent.* ibid.
Tertia Pars: De interpretatione Stipulationum. ibid.
ARTICULUS I. De interpretatione quarumdam ſingularium Stipulationum ibid.
§ I. *De ſtipulationibus*, Habere licere, Uti, Ire licere. ibid.
§ II. *De ſtipulatione*, In annos ſingulos. 313
§ III. *De ſtipulatione*, Dandi; *item de illâ*, Dari curabis? ibid.
§ IV. *De ſtipulationibus*, Rem tradi, & Vacuam poſſeſſionem tradi. ibid.
§ V. *De ſtipulatione*, Per te non fieri quominùs, *&c.* ibid.
§ VI. *De ſtipulatione*, Rem ad aliquem non perventuram. ibid.
§ VII. *De ſtipulatione*, Quanto minùs à debitore conſequar. ibid.
§ VIII. *De interpretatione ſtipulationis quâ quis à conductore operis, ejus-ve fidejuſſoribus, ſtipulatur* Quanti illud alii locaverit. 314
§ IX. *De ſtipulatione*, Quicquid te dare facere oportet; *quid ſi adjiciatur*, Oportebit-ve? ibid.
§ X. *De ſtipulatione;* Quantum ad te pervenerit, redditum iri. ibid.
§ XI. *De ſtipulatione*, Dolum abfuturum. ibid.
§ XII. *De eâ ſtipulationis ſpecie, quæ pro libertate ſervo præſtandâ pactionem continet.* 315
§ XIII. *Alia ſtipulationis ſpecies exponitur, quâ quis filium alienum* Ut proprium *obſervaturum ſe promittit.* ibid.
ARTICULUS II. De interpretatione quarumdam clauſularum in Stipulationibus, diem conditionem-ve continentium. ibid.
§ I. *De hâc clauſulâ*, Kalendis; *item de illâ*, Ante Kalendas; *aut ſimilibus.* ibid.
§ II. *De clauſulâ*, Hoc anno, Hoc menſe, His nundinis. ibid.
§ III. *De clauſulâ*, Quum morieris. 316
§ IV. *De hâc clauſulâ*, Quæ ſunt pluris decem *aut* viginti, *&c.* ibid.
Quarta Pars: De actionibus quas Stipulationes pariunt. ibid.
§ I. *Quibus & adversùs quos dentur, tam Condictio* Certi *ex Verborum Obligatione, quàm actio* Ex ſtipulatu? Pag. 316
§ II. *Quando committantur hæ actiones quæ ex ſtipulationibus dantur.* 317
§ III. *Quid veniat in his actionibus præſtandum.* ibid.

TITULUS II.

De Duobus reis conſtituendis. *pag.* 318
§ I. *Quarum obligationum Duo* Rei *eſſe poſſint.* ibid.
§ II. *Quæ ſit Correorum natura.* ibid.
§ III. *Quomodo Duo Rei tam ſtipulandi quàm promittendi Conſtituantur.* 319

TITULUS III.

De Stipulatione Servorum. *pag.* 321
ARTICULUS I. De Stipulationibus ſervorum & filiorum familiàs. ibid.
§ I. *Quorum ſervorum ſtipulationes utiles ſint.* ibid.
§ II. *Ex quâ ſervorum aut filiorum-familiàs ſtipulatione, patri domino-ve actio quæratur.* ibid.
§ III. *Quæ patri aut domino poſſint acquiri, ex ſtipulatione filiifamiliàs aut ſervi.* 322
§ IV. *Quo tempore inſpicitur an quis in poteſtate fuerit, ut ex hujus Stipulatione jus mihi acquiratur.* ibid.
ARTICULUS II. De Stipulatione Servorum qui plures dominos habent. 323
§ I. *Servum communem ſtipulantem, regulariter omnibus dominis acquirere; aliquando uni duntaxat, interdum nulli, pro variâ Stipulationis conceptione.* ibid.
§ II. *An & quas res communis ſervus ab uno è dominis poſſit Stipulari.* 324
ARTICULUS III. De Stipulatione Servorum aut liberorum hominum qui à non domino poſſidentur, aut eorum Servorum quorum uſusfructus vel uſus alienus eſt. 325
§ I. *De ſervis qui bonâ fide poſſidentur in ſolidum ab alio quàm domino, aut quorum uſusfructus ad alterum pertinet item in ſolidum.* ibid.
§ II. *De ſtipulatione ſervi cujus uſusfructus aut bonæ fidei poſſeſſio penès plures eſt.* 326
§ III. *De ſtipulatione ſervi cujus uſus, non etiam fructus, alienus eſt.* 327
§ IV. *De ſtipulatione liberi hominis qui bonâ fide poſſidetur ut ſervus.* ibid.
§ V. *De ſtipulatione ejus ſervi aut liberi hominis qui malâ fide poſſidetur.* ibid.
ARTICULUS IV. De Stipulatione Servorum hereditariorum, & Servorum captivi. 338
§ I. *De ſtipulatione ſervorum hereditariorum.* ibid.
§ II. *De ſtipulatione ſervi cujus dominus ab hoſtibus captus eſt.* ibid.

Source : BIU Cujas

LIBER QUADRAGESIMUS-SEXTUS.

TITULUS I.

De Fidejussoribus & Mandatoribus. pag. 329
SECTIO I. *Cui obligationi Fidejussores aut Mandatores accedere possint.* ibid.
ARTICULUS I. Subesse debere obligationem aliquam, cui Mandator aut Fidejussor accedat. ibid.
ARTICULUS II. Cuilibet obligationi Mandatorem accedere posse, aut Fidejussorem. 330
§ I. *Nil referre quo Jure teneat obligatio cui Fidejussor accedit.* ibid.
§ II. *Nil referre ex quâ causâ descendat obligatio cui Fidejussor accedit.* ibid.
§ III. *Nil referre quod factum in obligationem deductum sit; nec utrùm obligatio cui Fidejussor accedit, sit principalis; an ipsa alterius accessoria.* 331
SECTIO II. *Quis cui possit Mandatorio aut Fidejussorio nomine obligari, & pro quâ personâ.* ibid.
ARTICULUS I. Quis & pro quo Mandator aut Fidejussor intercedere possit. ibid.
ARTICULUS II. Cui Fidejussor aut Mandator obligari possit necne. 332
SECTIO III. *Quando & quomodo Mandatoris aut Fidejussoris obligatio contrahi possit; cujus rei, & qualis ipsa esse debeat; item de quâ personâ possint promittere.* ibid.
ARTICULUS I. Quando contrahi possint, & quomodo contrahantur obligationes Fidejussoriæ, item Mandatoriæ. ibid.
§ I. *An sicut præcedere, ita etiam sequi principalem obligationem possit, obligatio Fidejussoris aut Mandatoris.* ibid.
§ II. *In quo conveniat obligatio Mandatoria aut in quo differat à Fidejussoriâ, circa modum & formam utriusque contrahendæ.* 333
ARTICULUS II. Cujus rei & qualis esse debeat obligatio Fidejussoris aut Mandatoris & de quâ personâ promittere debeant. ibid.
§ I. *Obligationem Mandatoris aut Fidejussoris debere esse ejusdem rei, cujus est & obligatio principalis.* ibid.
§ II. *Duriorem esse non posse Fidejussorum aut Mandatorum obligationem, quàm rei principalis.* ibid.
§ III. *De suâ tantùm personâ Fidejussorem aut Mandatorem promittere debere.* 334
SECTIO IV. *De interpretatione stipulationum Fidejussoriarum.* ibid.
SECTIO V. *De actionibus quæ adversùs Fidejussores & Mandatores competunt, & quibus se illi tueri possint beneficiis; item, an & quas actiones ipsi habeant.* Pag. 336
ARTICULUS I. Quando Mandatores & Fidejussores conveniri possunt; ubi de Beneficio Ordinis *seu* Discussionis. ibid.
ARTICULUS II. De Beneficio Cedendarum actionum, *quod habent Mandatores & Fidejussores.* 337
ARTICULUS III. De Beneficio Divisionis *quod habent plures Fidejussores.* 338
§ I. *Inter quos dividatur obligatio.* 339
§ II. *Quæ specialiter requirantur in personâ ejus Fidejussoris qui petit obligationem dividi, & quæ in personâ eorum cum quibus obligationem dividi petit.* ibid.
§ III. *Quando exceptio* Divisionis *proponi possit.* 340
§ IV. *Quomodo fiat hæc Divisio.* ibid.
ARTICULUS IV. De actionibus quæ Mandatoribus & Fidejussoribus competunt. ibid.
§ I. *De propriâ actione adversùs reum principalem.* ibid.
§ II. *An Fidejussor aliquam etiam actionem habeat adversùs confidejussores.* 342
SECTIO VI. *Quando extinguatur obligatio Fidejussorum aut Mandatorum.* ibid.

TITULUS II.

De Novationibus & De legationibus. pag. 343
SECTIO I. *De Novationibus.* ibid.
ARTICULUS I. De duplici obligatione, quarum una per alteram Novatur. ibid.
§ I. *Quæ obligatio Novari possit.* ibid.
§ II. *De obligatione per quam prior obligatio Novatur.* 344
ARTICULUS II. Quis Novare possit. 345
§ I. *Regula generalis; Eum cui rectè solvitur, etiam Novare posse.* ibid.
§ II. *Quas exceptiones patiatur Regula suprà dicta.* ibid.
ARTICULUS III. Quæ sit Novationis forma. 346
§ I. *De Verborum solennitate: & an plures obligationes unicâ stipulatione Novari possint.* ibid.
§ II. *Novationem fieri posse, interventu novæ personæ, vel cui debeatur, vel quæ debeat: vel etiam sine interventu novæ personæ; dummodo hoc ipsum quod in priori obligatione continebatur, deducatur in posteriorem.* ibid.
§ III. *De animo novandi.* 347
ARTICULUS IV. De effectu Novationis conventionalis; & in quo differat ab eâ quæ fit per litis contestationem. ibid.
SECTIO II. *De Delegationibus.* 348
ARTICULUS I. De Delegatione quæ fit per stipulationem. ibid.
§ I. *De formâ Delegationis.* ibid.
§ II. *De effectu Delegationis.* ibid.
ARTICULUS II. De Delegatione quæ fit per litis contestationem. 350

TITULUS III.

Source : BIU Cujas

TITULUS III.

De Solutionibus & Liberationibus. *pag.* 350

Prima Pars : De ſolutione largè ſumptâ, ſeu de Liberatione *in genere.* 351

§ I. *De variis Liberationum modis & ſpeciebus.* ibid.
§ II. *An quævis obligationes, quibuſlibet modis ſuprà dictis tolli poſſint.* ibid.
§ III. *De* Apochis. ibid.
§ IV. *De Liberationis effectu.* 352

Secunda Pars : De Solutione *ſtrictè & propriè ſumptâ.* ibid.

SECTIO I. *De his quæ requiruntur necne, ut ſolutio ſit efficax.* ibid.

ARTICULUS I. Quis ſolvere poſſit. ibid.
ARTICULUS II. Debitoris nomine Solutionem fieri oportere. 353
ARTICULUS III. Cui Solvi poſſit. ibid.

§ I. *De ſolutione factâ ipſi creditori, ejuſque ſucceſſoribus.* 354
§ II. *De ſolutione factâ tutori aut curatori creditoris.* ibid.
§ III. *De ſolutione factâ ei cui creditor, is-ve qui pro eo accipere poteſt, juſſit ſolvi.* 355
§ IV. *De ſolutione factâ ſervo aut filio-familias, ex causâ negotii peculiaris, aut etiam ex causâ negotii dominici vel paterni, quod volente domino patre-ve geſſit; item, extra has cauſas, ſi pro patrefamilias habebatur.* 356
§ V. *Quibus facta ſolutio non valeat.* 357

ARTICULUS IV. De adjectis Solutionis gratiâ. 358

§ I. *Quis adjectus ſolutionis gratiâ eſſe videatur, & quæ perſonæ ita adjici poſſint.* ibid.
§ II. *Quàm variè quis adjici ſolutionis gratiâ poſſit.* ibid.
§ III. *An facultas ſolvendi adjecto, perſonam ejus egrediatur; an vice versâ, intra promiſſoris perſonam concludatur.* 359
§ IV. *Quandiù adjecto ſolvi poſſit.* 360
§ V. *An adjectio ſolutionis gratiâ, ad alia præter facultatem ſolutionis porrigatur.* ibid.

ARTICULUS V. An & quando Solutio, ei cui non oportuerat facta, convaleſcat. 361

§ I. *De ratihabitione creditoris.* ibid.
§ II. *De aliis quibuſdam caſibus, quibus ſolutio convaleſcit.* ibid.

ARTICULUS VI. Quid Solvi debeat, ubi, & quando. ibid.

§ I. *Hoc ipſum quod debetur, ſolvendum eſſe. An etiam pars, aut aliud pro alio, Solvi poſſit.* ibid.
§ II. *Ubi ſolutio fieri debeat.* 363
§ III. *Quando ſolvi poſſit.* ibid.

ARTICULUS VII. Qualis & quomodo præſtari debeat res quæ Solvitur. ibid.

§ I. *Rem præſtari debere, qualis eſt.* ibid.
§ II. *Rem præſtari debere, ita ut fiat accipientis.* ibid.
§ III. *Rem quæ ſolvitur, ita fieri debere accipientis ut nullo caſu ei avocanda ſit.* Pag. 364
§ IV. *Ad perfectionem ſolutionis requiri; ut, ſi qua cautio circa rem quæ ſolvitur præſtari debeat, ea præſtetur.* 365
§ V. *Regulæ ex dictis conſectariæ circa Liberationem ex ſolutione contingentem, prout vel ritè ſoluta res eſt, vel minùs legitimo modo.* ibid.

SECTIO II. *De effectu ſolutionis.* ibid.

§ I. *An & quando ſolutio partis totam obligationem tollat, aut contrà nec pro parte Liberationem pariat.* ibid.
§ II. *An & quando unâ numeratione duæ obligationes tollantur; aut contrà, unâ ſublatâ, altera naſcatur.* 366

SECTIO III. *In quam cauſam ſolutio imputetur, quum plures ſunt cauſæ debendi.* 367

ARTICULUS I. De imputatione ejus quod debitor alius-ve pro eo creditori Solvit. ibid.

§ I. *Regulæ circa imputationem ſolutionis in diverſa debita principalia.* ibid.
De causâ graviore. 368
De causâ antiquiore. ibid.
§ II. *Regula circa imputationem Solutionis in ſortem aut in uſuras, quæ ex eâdem causâ debentur.* ibid.
§ III. *Aliæ Regulæ circa eamdem Solutionis imputationem.* 369

ARTICULUS II. De imputatione ejus quod creditor ex pretio diſtracti pignoris ipſe ſibi Solvit. ibid.

Tertia Pars : De Liberatione quæ contingit ex rei debitæ interitu, aut ex eo quòd in eum caſum devenerit quo non poſſet in obligationem deduci. 370

ARTICULUS I. Liberationis hujuſmodi afferuntur varia exempla & exceptiones. ibid.
ARTICULUS II. Fuſiùs exponuntur ea quæ pertinent ad factum, culpam, moram-ve debitoris, quominùs obligatio extinguatur per rei interitum. 371
ARTICULUS III. In quibus obligationibus obtineat id quod duobus ſuperioribus Articulis dictum eſt. 372

Quarta Pars : De Confuſione. 373

§ I. *Quibus caſibus actionum perſonalium Confuſio contingat necne per aditionem hereditatis.* ibid.
§ II. *Quatenùs aditio hereditatis Confuſionem pariat, obligationemque extinguat.* 375
§ III. *De effectu Confuſionis.* 376

TITULUS IV.

De Acceptilatione. *pag.* 377

§ I. *Quid ſit Acceptilatio, & quotuplex Acceptilationis ſpecies.* ibid.
§ II. *Quæ obligatio Acceptilatione poſſit extingui.* ibid.

Source : BIU Cujas

§ III. *Quid Accepto ferri possit.* Pag. 378
§ IV. *Quis Accepto ferre, & quis Accepto rogare possit.* 379
§ V. *Quæ sit forma Acceptilationis.* 380
§ VI. *De effectu Acceptilationis.* ibid.

TITULUS V.

De Stipulationibus Prætoriis.

pag. 381

ARTICULUS I. Quæ sint divisiones Prætoriarum stipulationum, communisque earum omnium natura. ibid.
§ I. *Exponitur duplex divisio stipulationum Prætoriarum.* ibid.
§ II. *De communi Prætoriarum stipulationum naturâ.* 382
ARTICULUS II. Quomodo exhibeantur Prætoriæ stipulationes, & an semel exhibitæ iterari possint aut debeant. ibid.
§ I. *Quæ Prætoriæ stipulationes exhibeantur per* Satisdationem, *quæ per* Repromissionem. ibid.
§ II. *Quibus personis remittatur satisdatio.* ibid.
§ III. *Quales fidejussores in satisdatione præstandi sint, & de eorum probatione.* 383
§ IV. *Ubi satisdandum sit.* ibid.
§ V. *An & quando iterari possit aut debeat stipulatio quæ semel exhibita est.* ibid.
ARTICULUS III. De utilitate adjiciendi pœnam stipulationibus Prætoriis. 384

TITULUS VI.

Rem Pupilli vel Adolescentis salvam fore.

pag. 384

ARTICULUS I. De ipsâ cautione Rem pupilli, *&c. à quibus & cui exhiberi debeat, qualis sit, quando committatur.* ibid.
§ I. *Quinam huic cautioni sint obnoxii, & cui exhibenda sit.* ibid.
§ II. *Qualis sit hæc cautio, seu quomodo exhibeatur.* 385
§ III. *Quando committatur hæc cautio.* ibid.
ARTICULUS II. De actione quæ ex hâc stipulatione descendit. ibid.
§ I. *Adversùs quos competat, & quatenùs quisque teneatur.* ibid.
§ II. *Quid contineat actio ex hâc stipulatione.* 386

TITULUS VII.

Judicatum solvi.

pag. 387

ARTICULUS I. A quo, & cui, hæc cautio exhibeatur. ibid.
§ I. *Quis eam cautionem exhibeat, & quando.* ibid.
§ II. *Cui hæc cautio exhibeatur.* ibid.
ARTICULUS II. Quando hæc stipulatio committatur. 388
§ I. *Quæ generaliter requirantur, ut committatur stipulatio* Judicatum Solvi. ibid.
§ II. *Quando committatur prima stipulationis clausula,* De re Judicatâ. 389
§ III. *Quando committatur clausula* De re non defensâ. ibid.
Prima conditio: Ut nemo sit qui defendere paratus sit. ibid.
Secunda conditio: Ut vir bonus arbitraturus fuerit defendi oportere. ibid.
§ IV. *Quando committatur clausula* De dolo. 390
ARTICULUS III. Quoties & quatenùs committatur hæc stipulatio. ibid.
ARTICULUS IV. Cui & adversùs quem actio detur ex hâc stipulatione, & quid in illâ veniat. ibid.
ARTICULUS V. Quando extinguatur hæc stipulatio. 391

TITULUS VIII.

Ratam rem haberi, & de Ratihabitione.

pag. 391

ARTICULUS I. De stipulatione Ratam Rem Haberi, *seu* De Rato. ibid.
§ I. *A quo hæc cautio exigatur.* ibid.
§ II. *In quibus casibus hæc stipulatio exigatur.* 393
§ III. *De quarum personarum Ratihabitione cavendum sit, & quâ in parte litis hæc cautio possit exigi.* ibid.
§ IV. *Quando committatur stipulatio* De rato. ibid.
§ V. *Quatenùs & quoties committi possit hæc stipulatio.* 394
§ VI. *Quid veniat in actione quæ ex hâc stipulatione descendit.* 395
ARTICULUS II. De Ratihabitione. 396
§ I. *Quid sit ratihabitio, & quomodo fiat.* ibid.
§ II. *De Ratihabitionis effectu.* ibid.

LIBER QUADRAGESIMUS-SEPTIMUS.

TITULUS I.

De Privatis delictis.

pag. 397

TITULUS II.

De Furtis.

pag. 398

SECTIO I. *Quid sit Furtum & quotuplex, & quæ requirantur ut Furtum admitti videatur.* ibid.
ARTICULUS I. Furti Etymologia, definitio, divisio. ibid.
ARTICULUS II. De Contrectatione. Pag. 398
§ I. *Ad Furtum requiri contrectationem, & quæ indè sequantur Corollaria.* ibid.
§ II. *Quandonam contrectatio fieri intelligatur.* 399
ARTICULUS III. De Furandi affectu. 400
§ I. *Oportere ut contrectatio sit fraudulenta.* ibid.
§ II. *Oportere ut contrectatio fiat lucri faciendi causâ.* ibid.
§ III. *Quæ non requirantur circa affectum furandi.* 401
ARTICULUS IV. Oportere ut contrectatio fiat domino possessore-ve invito. 402

Source : BIU Cujas

SECTIO II. *Quarum rerum Furtum fiat, & à quo fieri possit.* Pag. 403
ARTICULUS I. Quas in res cadat vitium Furti. ibid.
§ I. *Oportere rem esse mobilem.* ibid.
§ II. *Oportere rem esse quæ ab aliquo possideretur.* ibid.
§ III. *Oportere rem quam quis furripit, esse alienam.* 404
ARTICULUS II. Declaratur quomodo & quando Usûs rei *aut* Possessionis ejus *Furtum fiat.* ibid.
§ I. *De Furto* Usûs. ibid.
§ II. *De Furto* Possessionis. 405
ARTICULUS III. Quis Furtum admittere possit. ibid.
SECTIO III. *De actionibus* Furti. 406
ARTICULUS I. Quotuplex actio ex Furto nascatur. ibid.
ARTICULUS II. Quibus competant necne actiones Furti. ibid.
§ I. *Cuilibet cujus interest, actionem* Furti *competere.* ibid.
§ II. *Quibus non detur actio* Furti. 409
§ III. *An actio* Furti, *successoribus detur.* 410
ARTICULUS III. Adversùs quos actiones Furti *dentur, & adversùs quas personas denegentur.* ibid.
§ I. *Adversùs quos dentur.* ibid.
§ II. *Adversùs quas personas actiones* Furti *denegentur.* 411
ARTICULUS IV. Quid in his actionibus instituendis observari debeat. 412
ARTICULUS V. Quales sint hæ actiones, & quid in his veniat. ibid.
ARTICULUS VI. Quando extinguatur necne actio Furti, Manifesti, *aut* Non manifesti. 413
§ I. *An extinguatur actio* Furti, *receptâ re aut extinctâ.* 414

TITULUS III.

De Tigno juncto. *pag.* 414

TITULUS IV.

Si is qui testamento liber esse Jussus erit, post mortem domini ante aditam hereditatem subripuisse aut corrupisse quid dicetur. *pag.* 415
ARTICULUS I. Quando his actionibus, ex Surrepto *aut* Damno *locus sit.* ibid.
§ I. *Oportere ut circa res hereditatis admissum sit furtum aut damnum.* ibid.
§ II. *Oportere ut ab eo servo factum sit, qui continuò (statim atque adita erit hereditas) aut ad libertatem aut in dominium alterius quàm heredis perventurus sit.* ibid.
§ III. *Oportere dolo culpâ-ve factum esse.* 416
§ IV. *Oportere ut jacente adhuc hereditate admissum sit.* ibid.
§ V. *Oportere ut alio remedio heres careat.* Pag. 416
ARTICULUS II. De earum actionum naturâ. ibid.

TITULUS V.

Furti adversùs notas, Caupones, Stabularios. *pag.* 417
ARTICULUS I. Quæ spectentur ut huic actioni locus sit. ibid.
§ I. *Ubi factum esse oporteat Furtum aut damnum; & de conventione,* Ne *præsetur.* ibid.
§ II. *Cui & à quo Furtum factum damnum-ve datum esse oporteat.* ibid.
ARTICULUS II. Ad quid, & in quem detur actio, & quandiù duret; & an per eam excludatur illa quæ competit adversus furem ipsum, eum-ve qui damnum dedit. 418

TITULUS VI.

Si Familia furtum feciſſe dicetur. *pag.* 418
§ I. *Hoc Edictum obtinere non in Furto solùm, sed & in Damno injuriâ dato à Familiâ servorum.* ibid.
§ II. *Cui hujus Edicti beneficium detur.* 419
§ III. *Adversùs quos hoc beneficium competat.* ibid.
§ IV. *De hujus beneficii effectu.* ibid.

TITULUS VII.

Arborum furtim Cæsarum. *pag.* 420
ARTICULUS I. Quando hæc actio competat, cui, & adversùs quem. ibid.
§ I. *Quodnam delictum hâc actione coerceatur.* ibid.
§ II. *Cui & adversùs quem hæc actio competat, & quandiù duret.* ibid.
ARTICULUS II. Quid in hâc actione veniat, & cum quibus aliis actionibus concurrat. 421

TITULUS VIII.

Vi Bonorum Raptorum, & de Turbâ. *pag.* 421
ARTICULUS I. De actione Vi Bonorum Raptorum. ibid.
§ I. *Quæ delicti species huic actioni locum det; & in quibus rebus possit illud admitti.* 422
§ II. *Quibus competat actio* Vi Bonorum Raptorum, *& adversùs quos.* ibid.
§ III. *Quid veniat in hâc actione, & intrà quod tempus detur.* 423
§ IV. *Cum quibus actionibus concurrat hæc actio.* ibid.
ARTICULUS II. De Turbâ. ibid.
§ I. *Quando actioni ex hoc Edicto locus sit.* 424
§ II. *Quis hâc actione teneatur.* ibid.
§ III. *Quæ pœna in hoc judicio præstanda veniat.* ibid.

Source : BIU Cujas

TITULUS IX.

De Incendio, Ruinâ, Naufragio, Rate, nave Expugnatâ. pag. 425

ARTICULUS I. De Edicto Prætoris circa furta & damna quæ Incendio, Ruinâ, Naufragio, Rate aut Nave Expugnatâ *fiunt.* ibid.

§ I. *De quibus delictis hoc Edictum sit propositum.* ibid.

§ II. *Quibus casibus delicta suprà enumerata hoc Edicto vindicentur.* ibid.

ARTICULUS II. De variis Constitutionibus circa Naufragia & Incendia. 426

TITULUS X.

De Injuriis, & famosis libellis. pag. 427

SECTIO I. *De Injuriis in genere.* ibid.

ARTICULUS I. Quid sit Injuria, & quando facta videatur. ibid.

§ I. *De voluntate injuriæ faciendæ.* ibid.

§ II. *Oportere ut factum ad despectum personæ pertineat.* 428

§ III. *Requiri ut factum sit non jure.* ibid.

ARTICULUS II. Quotuplex sit Injuriæ species. ibid.

§ I. *Prima divisio generalis, ex triplici modo quo fieri potest injuria.* ibid.

§ II. *Secunda divisio injuriæ, ex quintuplici objecto ad quod potest illa pertinere.* ibid.

Prima species injuriæ, quæ In corpus *sit.* ibid.
Secunda species, quæ pertinet Ad dignitatem. ibid.
Tertia species, quæ Ad infamiam *pertinet.* ibid.
Quarta species, quæ Ad Rem *pertinet.* 430
Quinta species, quæ pertinet Ad libertatem *facultatem-ve naturalem quâ unusquisque gaudere debet.* ibid.

§ III. *Tertia injuriarum divisio: in eas quæ per alium patimur.* ibid.

§ IV. *Quarta injuriarum divisio: in* Atrocem *aut* Levem. 431

ARTICULUS III. De actione Injuriarum. 432

§ I. *De quâ injuriâ detur actio* injuriarum, *& cui.* ibid.

§ II. *Adversùs quem detur.* 433

§ III. *Quomodo instituatur actio* injuriarum, *& quid in illâ veniat.* ibid.

§ IV. *De judicio* Noxali injuriarum, *quod datur quum servus injuriam facit.* 434

§ V. *Quando extinguatur* injuriarum *actio.* ibid.

SECTIO II. *De nonnullis singularibus Injuriarum speciebus, de quibus specialiter Edicto Prætoris cavetur.* 435

ARTICULUS I. De Injuriis quæ in personas servorum fiunt. ibid.

§ I. *Quando actioni ex hâc Edicti parte locus sit.* ibid.

§ II. *Cui competat hæc actio, & adversùs quem.* ibid.

§ III. *Cum quibus actionibus concurrat hæc actio.* 436

ARTICULUS II. De singulari Injuriæ specie, quæ alicujus infamandi causâ fit. ibid.

ARTICULUS III. De Conviciis, *de quibus specialiter Edicto Prætoris cavetur.* Pag. 436

SECTIO III. *De Lege Corneliâ* de injuriis. 437

SECTIO IV. *De senatusconsulto adversùs Famosos Libellos.* ibid.

SECTIO V. *De aliis Legibus circa injurias.* 438

TITULUS XI.

De Extraordinariis Criminibus. pag. 438

§ I. *Recensentur aliquot Extraordinariorum Criminum species.* ibid.

§ II. *De Extraordinariis cognitionibus propter delicta ordinaria.* 440

TITULUS XII.

De Sepulcro Violato. pag. 440

ARTICULUS I. Quid sit sepulcrum ad hoc crimen pertinens, & quis videatur necne illud Violare. ibid.

ARTICULUS II. De actionibus pecuniariis quæ ex Edicto Prætoris competunt in sepulcrorum violatores. 441

§ I. *De primâ parte Edicti, in quoslibet dolo malo Violatores; quæ & qualis sit actio.* ibid.

§ II. *De postremâ parte Edicti, in eos qui habitando Sepulcrum Violant.* ibid.

ARTICULUS III. De extraordinariâ cognitione adversùs Sepulcri Violatores. 442

TITULUS XIII.

De Concussione. pag. 442

TITULUS XIV.

De Abigeis. pag. 443

§ I. *Qui* Abigei *dicantur, ut ad hanc criminalem persecutionem pertineant.* ibid.

§ II. *De ipsâ criminali persecutione quâ vindicatur* Abigeatûs *crimen; & an semper criminaliter de eo agatur.* ibid.

TITULUS XV.

De Prævaricatione. pag. 443

§ I. *Quando & adversùs quos Prævaricatores criminaliter extra ordinem agatur.* ibid.

§ II. *Quæ sit pœna Prævaricatorum.* 444

TITULUS XVI.

De Receptatoribus. pag. 444

TITULUS XVII.

De Furibus Balneariis.

ET

TITULUS XVIII.

De Effractoribus & expilatoribus. pag. 445

TITULUS XIX.

Source : BIU Cujas

TITULUS XIX.
Expilatæ Hereditatis. *pag.* 446

TITULUS XX.
Stellionatûs. *pag.* 446

TITULUS XXI.
De Termino moto. *pag.* 447

TITULUS XXII.
De Collegiis & corporibus. *pag.* 448

TITULUS XXIII.
De Popularibus actionibus. *pag.* 449

LIBER QUADRAGESIMUS-OCTAVUS.

TITULUS I.
De Publicis judiciis. *pag.* 450
§ I. *Quæ ſit Publicorum Judiciorum communis natura, & quotuplex diviſio.* ibid.
§ II. *Quando extinguantur Judicia Publica.* ibid.
APPENDIX: De legendis judicibus. 451

TITULUS II.
De Accuſationibus & Inſcriptionibus. *pag.* 452
SECTIO I. *De jure & ſolemni formâ Accuſationis & Inſcriptionis.* ibid.
ARTICULUS I. Qui accuſare poſſint necne. ibid.
§ I. *Regulæ generales.* ibid.
§ II. *De Mulieribus & pupillis.* ibid.
§ III. *De his qui accuſare prohibentur propter infamiam aut delictum, vel ob ſuſpicionem calumniæ turpis-ve quæſtûs.* 453
§ IV. *De filiis, ſervis, libertis, aliis-ve neceſſitudinibus.* ibid.
§ V. *In quibuſdam criminibus quoſlibet indiſtinctè admitti ad Accuſationem; & aliàs contrà, eum qui regulariter admitteretur, per exceptionem quandoque excludi.* 454
ARTICULUS II. Qui accuſari poſſint necne. ibid.
ARTICULUS III. Apud quem Magiſtratum accuſatio ſit inſtituenda. 455
ARTICULUS IV. An per procuratores accuſare quis aut defendi in publicis judiciis poſſit. 456
§ I. *Regula generalis.* ibid.
§ II. *Quas exceptiones patiatur Regula ſupràdicta.* ibid.
ARTICULUS V. Quis ordo fuerit Accuſationis inſtituendæ, & peragendæ; item Sententiæ ferendæ in publicis judiciis. 457
§ I. *De judiciis publicis quæ apud Prætorem exercebantur.* ibid.
§ II. *De ordine Judiciorum Populi.* 459
§ III. *De novo ordine Judiciorum publicorum; & de ſervatâ temporibus omnibus neceſſitate* Inſcriptionis *ſeu* Subſcriptionis in crimen. 460
ARTICULUS VI. An ejuſdem criminis Accuſatio bis moveri poſſit. 461
SECTIO II. *De iis quæ citra ſolemnia in judiciis criminalibus confici poſſunt.* ibid.
§ I. *De Notoriis.* Pag. 461
§ II. *De Levibus criminibus.* 462
§ III. *De* Cuſtodiis, *id eſt reis qui in cuſtodiâ ſunt, audiendis & judicandis.* ibid.

TITULUS III.
De Cuſtodiâ & exhibitione reorum. *pag.* 462
SECTIO I. *De Cuſtodiâ Reorum.* ibid.
ARTICULUS I. De his qui ſunt ſub fidejuſſoribus. ibid.
ARTICULUS II. De his qui ſunt ſub militum Cuſtodiâ. ibid.
§ I. *Quibus & quot militibus committantur, & de eorum periculo circa Cuſtodias.* ibid.
§ II. *De his qui Cuſtodias eripuerint.* 463
ARTICULUS III. De his qui ſunt in carcere, ſeu in vinculis. ibid.
§ I. *Qui incarcerari debeant, cujus juſſu, & in quâ Cuſtodiâ.* ibid.
§ II. *Quæ circa incarceratos obſervari debeant.* 464
§ III. *De pœnâ Commentarienſis cujus culpâ incarceratus evaſit, aut incarceratorum qui ipſi per vim vel conſpirationem evadunt.* ibid.
§ IV. *De Cuſtodiis non temerè dimittendis.* ibid.
SECTIO II. *De Exhibitione Reorum.* ibid.

TITULUS IV.
Ad Legem Juliam majeſtatis. *pag.* 465
ARTICULUS I. Quid ſit crimen Majeſtatis, *& ad quæ delicta porrigatur.* ibid.
§ I. *De* Perduellione. ibid.
§ II. *De crimine quod* Leſæ-Majeſtatis *ſimpliciter dicitur.* 466
ARTICULUS II. Quæ ſingulariter obſerventur in crimine Leſæ-Majeſtatis. 467
ARTICULUS III. De pœnis hujus criminis. 468
§ I. *De pœnis antiquis, & iis quæ Jure digeſtorum obtinebant.* ibid.
§ II. *Quæ ſit pœna ex noviſſimis Legibus.* 469

TITULUS V.
Ad Legem Juliam de Adulteriis coercendis. *pag.* 470
SECTIO I. *De Adulterio.* ibid.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS I. Quarum perſonarum & qualia Adulteria hâc lege vindicentur. Pag. 471
§ I. *Nuptam eſſe oportere, de cujus Adulterio judicium datur.* ibid.
§ II. *Liberam eſſe oportere, de cujus Adulterio quæratur.* ibid.
§ III. *Honeſtam mulierem eſſe oportere, de cujus Adulterio quæritur; aut eam quæ in fraudem Legis deſierit eſſe honeſta.* ibid.
§ IV. *Quale Adulterium vindicetur.* 472
ARTICULUS II. Adversùs quos, cui, & quando hæc accuſatio concedatur. ibid.
§ I. *Qui hujus criminis poſtulari poſſint, & quot eodem tempore.* ibid.
§ II. *Quibus hujus criminis accuſatio concedatur.* ibid.
§ III. *Quando hæc accuſatio competat.* 474
ARTICULUS III. Quæ præſcriptiones adversùs accuſationem Adulterii objiciantur. 475
§ I. *Prima præſcriptionis ſpecies; de Adultero non peracto, vel abſoluto.* ibid.
§ II. *De ſecundâ & tertiâ præſcriptionis ſpecie; ſi accuſator deſtitit, aut mores mulieris probavit.* ibid.
§ III. *Quarta præſcriptionis ſpecies, ex Lenocinio mariti; & an illa ab uxore objici poſſit.* ibid.
§ IV. *De præſcriptione* Quinquennii *continui, aut ſex menſium utilium.* 476
§ V. *De reprobatis cæteris præſcriptionibus circa crimen Adulterii.* ibid.
§ VI. *Quando præſcriptiones ſupràdictæ objici debeant.* 477
ARTICULUS IV. Quæ in inſtituendâ & peragendâ Adulterii accuſatione obſerventur. ibid.
§ I. *De ordine & formâ inſtituendæ hujus accuſationis.* ibid.
§ II. *Quæ in peragendâ Adulterii accuſatione obſerventur.* ibid.
ARTICULUS V. De pœnâ Adulterii. 478
ARTICULUS VI. Quæ permittantur patri & marito in mulierem Adulteram & Adulterum ejus. ibid.
§ I. *De jure occidendi Adulteros; quod patri filiæ conceditur.* ibid.
§ II. *An idem marito liceat quod patri, circa jus occidendi Adulteros.* 479
§ III. *Quæ jura communia ſint patri & marito contra Adulteros.* 480
SECTIO II. *De cæteris criminibus quæ hâc Lege* Juliâ *vindicantur.* 481
ARTICULUS I. De Stupro. ibid.
ARTICULUS II. De Inceſto. ibid.
§ I. *De ipſo Inceſtûs crimine; quando & quomodo puniatur, aut excuſetur.* ibid.
§ II. *De accuſatione* Inceſti; *in quo differat aut conveniat cum Adulterii accuſatione.* 482
ARTICULUS III. De Polygamiâ. 483
ARTICULUS IV. De conjunctione quæ eſt contra naturam. ibid.
ARTICULUS V. De lenocinio quod lege Juliâ vindicatur. ibid.
§ I. *De Lenocinio mariti.* ibid.
§ II. *De Lenocinio mulieris, aliarum-ve perſonarum ad hanc legem pertinente.* 484
ARTICULUS VI. De his qui ope-conſilio ſtuprum aut Adulterium juverunt. ibid.

TITULUS VI.
Ad Legem Juliam de vi publicâ.
ET
TITULUS VII.
Ad Legem Juliam de vi privatâ.
pag. 485
ARTICULUS I. Qui lege Juliâ De Vi *ſive Publicâ ſive Privatâ teneantur, & quod aut quale criminis genus ad hanc legem pertineat.* ibid.
§ I. *De vi Publicâ.* ibid.
§ II. *De vi Privatâ.* 486
ARTICULUS II. Quæ ſit pœna legis Juliæ De Vi, *ſive Publicâ ſive Privatâ.* 487
§ I. *De pœnâ vis Publicæ.* ibid.
§ II. *De pœnâ vis Privatæ.* ibid.

TITULUS VIII.
Ad Legem Corneliam de ſicariis & veneficiis. *pag.* 488
ARTICULUS I. Quæ crimina lex Cornelia *vindicet.* ibid.
§ I. *De Homicidiis.* ibid.
§ II. *De Veneficiis & maleficiis.* 490
§ III. *De Incendiariis.* 491
§ IV. *De Mathematicis ſeu Magis, Ariolis, & ſimilibus.* ibid.
ARTICULUS II. De pœnâ legis Corneliæ, *& conſtitutionum, in ſuprà dicta crimina.* ibid.
§ I. *De pœnâ Homicidarum.* ibid.
§ II. *De pœnâ Veneficorum.* ibid.
§ III. *De pœnâ Incendiariorum.* ibid.
§ IV. *De pœnâ Maleficorum, Mathematicorum & magorum, aliorumque ſimilium.* ibid.

TITULUS IX.
De Lege Pompeiâ de Parricidiis. *pag.* 492
§ I. *Qui hâc Lege caveatur, & adversùs quos.* ibid.
§ II. *De pœnâ Parricidii.* ibid.
§ III. *Quando hoc crimen extinguatur.* 493

TITULUS X.
De Lege Corneliâ de falſis; & de SCto Liboniano. *pag.* 493
SECTIO I. *De Lege Corneliâ* Teſtamentariâ. ibid.
SECTIO II. *De variis* Falſi *ſpeciebus, ad quas Lex Cornelia* Teſtamentaria *producta eſt.* ibid.
ARTICULUS I. Exponitur Edictum Divi Claudii, ſeu primum ſenatuſconſulti Liboniani caput, contra eos qui teſtamento ſibi quid adſcribunt. 494
§ I. *Quando quis ſibi adſcripſiſſe intelligatur.* ibid.

Source : BIU Cujas

§ II. *Quid adſcribendo quis in pœnam ſenatuſconſulti incidat.* Pag. 495
§ III. *Ad quorum teſtamenta pertineat ſenatuſconſultum, & quæ perſonæ ſint huic obnoxiæ.* 496
§ IV. *Quando ceſſet necne ſenatuſconſultum.* ibid.
ARTICULUS II. De altero Capite SCti Liboniani; & generaliter de omnibus Falſi *ſpeciebus quod in* Inſtrumentis *quibuſlibet, præter teſtamenta, committeretur.* 497
ARTICULUS III. De variis Falſi *ſpeciebus quæ ſpecialiter Senatuſconſulto* Licinniano *aliiſque ſimilibus coercentur; & generaliter de Falſo quod circa* Judicia *committitur.* 498
ARTICULUS IV. De aliis Falſi *ſpeciebus, ad quas lex Cornelia* Teſtamentaria *porrecta eſt.* 499
§ I. *De Falſo circa* Edicta Prætorum *aut* Conſtitutiones Principum *admiſſo.* ibid.
§ II. *De Falſo quod* In contrahendo *committitur.* ibid.
§ III. *De* Falſo *quod committitur in aſſumendo Falſo nomine.* ibid.
SECTIO III. *De pœna criminis Legis Corneliæ-*Teſtamentariæ, *& quibus præſcriptionibus hoc judicium excludatur.* 500
ARTICULUS I. Quæ ſit pœna criminis Falſi. ibid.
ARTICULUS II. Quibus præſcriptionibus excludatur necne Legis Corneliæ judicium. ibid.
SECTIO IV. *De Lege Corneliâ-*Nummariâ. ibid.
SECTIO V. *De Lege* Viſelliâ. 501
SECTIO VI. *De tribus aliis* Falſi *ſpeciebus.* ibid.
§ I. *De Falſis menſuris.* ibid.
§ II. *De uſurpatæ Dignitatis Falſæ inſignibus.* ibid.
§ III. *De Suppoſito partu.* ibid.

TITULUS XI.
De Lege Juliâ Repetundarum. *pag.* 502

TITULUS XII.
De Lege Juliâ de annona. *pag.* 503

TITULUS XIII.
Ad Legem Juliam Peculatûs, & de Sacrilegiis, & de Reſiduis. *pag.* 504
ARTICULUS I. De Peculatu. ibid.
§ I. *Quid ſit* Peculatus, *& in quos cadat; item in quas res admittatur.* ibid.
§ II. *Per quod factum quis in crimen* Peculatûs *incidat.* 505
§ III. *Quæ ſit pœna criminis* Peculatûs. ibid.
§ IV. *Quandiù duret hoc crimen.* ibid.
ARTICULUS II. De Sacrilegio. ibid.
ARTICULUS III. De Reſiduis. 506

TITULUS XIV.
De Lege Juliâ ambitûs. *pag.* 506

TITULUS XV.
De Lege Fabiâ de Plagiariis. *pag.* 507
§ I. *Quando adversùs Legem* Fabiam *committatur.* ibid.
§ II. *De pœnâ* Plagii. 508
§ III. *An hoc crimen morte ſuppreſſi hominis extinguatur.* ibid.

TITULUS XVI.
Ad SCtum Turpillianum, & de abolitionibus criminum. *pag.* 509
SECTIO I. *De Calumniatoribus.* ibid.
§ I. *Quis* Calumniator *eſſe intelligatur in publicis judiciis.* ibid.
§ II. *Quomodo calumnia puniatur, & quæ ſit pœna calumniæ.* ibid.
§ III. *De calumniâ extra publica judicia coercendâ.* 510
SECTIO II. *De Tergiverſatoribus, & Senatuſconſulto Turpilliano.* ibid.
§ I. *Quis deſtitiſſe dicatur.* ibid.
§ II. *Quando deſtitiſſe accuſatorem oporteat, & in quibus judiciis, ut ſenatuſconſulto locus ſit.* 511
§ III. *Ex quibus cauſis excuſetur, qui ab accuſatione deſtitit.* 512
§ IV. *Deſiſtente eo accuſatore qui ab alio ſubmiſſus eſt; an ſubmiſſus, an qui ſummiſit, an uterque incidant in ſenatuſconſultum, & an etiam fidejuſſores.* ibid.
§ V. *Quæ pœna eorum qui in ſenatuſconſultum incidunt.* 513
SECTIO III. *De Abolitionibus.* ibid.
ARTICULUS I. De publicâ ſeu generali Abolitione. ibid.
§ I. *Ad quas accuſationes pertineat.* ibid.
§ II. *De hujus Abolitionis effectu.* ibid.
ARTICULUS II. De Abolitione privatâ. 514
§ I. *De hujus impetratione.* ibid.
§ II. *De duplici hujus Abolitionis effectu.* ibid.
ARTICULUS III. De tertia Abolitionis ſpecie, quæ Ex Lege *intervenit accuſatore mortuo aut impedito.* ibid.

TITULUS XVII.
De Requirendis reis, vel abſentibus damnandis. *pag.* 515

TITULUS XVIII.
De Quæſtionibus. *pag.* 516
ARTICULUS I. De quibus perſonis Quæſtio habeatur, & in quibus cauſis. ibid.
§ I. *De quibus* Reorum *perſonis Quæſtio habeatur.* ibid.
§ II. *De quibus* Teſtium *perſonis habeatur Quæſtio.* ibid.

Source : BIU Cujas

§ III. *In quibus cauſis Quæſtio habeatur.* Pag. 517
ARTICULUS II. Pro quo & adversùs quem quis Quæſtioni ſubjici poſſit. ibid.
§ I. *Exponitur regula*, Servum aut libertum in caput domini aut patroni torqueri non poſſe. ibid.
§ II. *Quas exceptiones patiatur hæc Regula.* 518
§ III. *Enumerantur varii caſus, in quibus quæri poteſt an ſervi videri debeant necne* In caput domini *torqueri.* 519
§ IV. *Quinam alii, præter ſervos & libertos, in caput aliorum torqueri non poſſint.* ibid.
ARTICULUS III. Quando ad Quæſtionem deveniendum ſit. 520
ARTICULUS IV. Quæ in Quæſtione adhibendâ obſerventur. ibid.
§ I. *Quid prævium ſit Quæſtioni; quinam huic intereſſe debeant, & quomodo interrogandi teſtes.* ibid.
§ II. *A quo incipiendum ſit, quum à pluribus reis habenda eſt Quæſtio.* ibid.
§ III. *Quæ tormentorum ſpecies potiſſimùm in Quæſtionibus adhiberetur, & quis eorum modus.* 521
§ IV. *An repeti poſſit Quæſtio.* ibid.
ARTICULUS V. Quid fiat de ſervis poſtquàm teſtimonii causâ torti ſunt. ibid.
ARTICULUS VI. Quam fidem faciat Quæſtio. ibid.

TITULUS XIX.

De Pœnis. *pag.* 522
SECTIO I. *De diverſis Pœnis quæ irrogari ſolent necne, & de earum naturâ & poteſtate.* ibid.
ARTICULUS I. De pœnis capitalibus. 523
§ I. *De ultimo ſupplicio; & quo ſupplicii genere mors civibus poſſit infligi necne.* ibid.
§ II. *De pœnis quæ libertatem adimunt.* 524
§ III. *De pœnis quæ civitatem adimunt.* 525
ARTICULUS II. De pœnis non capitalibus. 526
§ I. *De* Relegatione, *& in quo à* Deportatione *differat: ubi & de* Exſilio. ibid.
§ II. *De pœnis quæ coercitionem corporis continent.* 528
§ III. *De pœnâ quæ damnum cum infamiâ continet, ſeu de* Mulctâ. ibid.
§ IV. *De pœnis quæ conſiſtunt in dignitatis vel depoſitione perpetuâ, vel temporariâ interdictione.* 529
§ V. *De pœnâ quæ conſiſtit in interdictione alicujus actûs.* ibid.
§ VI. *De reprobatis quibuſdam pœnarum non capitalium ſpeciebus.* 530
ARTICULUS III. Quæ pœnæ in ſervos cadant necne. ibid.
SECTIO II. *De officio judicis in irrogandâ Pœnâ.* ibid.
ARTICULUS I. De æſtimandâ naturâ & atrocitate criminis. 531
§ I. *De* Causâ *in delictis conſiderandâ.* ibid.
§ II. *De* Perſonâ *in delictis ſpectandâ.* ibid.
§ III. *De* Loco & Tempore *in delictis ſpectando.* ibid.
§ IV. *De facti* Qualitate *ſpectandâ in delicto.* 532
§ V. *De* Quantitate *in delictis conſiderandâ.* Pag. 532
§ VI. *De* Eventu *in delictis ſpectando.* ibid.
ARTICULUS II. De æſtimando probationum modo. ibid.
ARTICULUS III. De æſtimandâ eâ quæ irrogari debet pœnâ. 533
SECTIO III. *De Pœnâ, quum ſemel irrogata eſt, non retractandâ; ſed executioni mandandâ, aut etiam augendâ adversùs contumacem.* 534
ARTICULUS I. De pœnâ non retractandâ. ibid.
ARTICULUS II. De pœnâ executioni mandandâ. 535
§ I. *Quando executioni mandari debeat.* ibid.
§ II. *Ubi pœna executioni ſit mandanda.* ibid.
ARTICULUS III. Quomodo coerceatur contumacia non obtemperantis pœnæ ſibi irrogatæ. ibid.

TITULUS XX.

De Bonis Damnatorum.. *pag.* 536
ARTICULUS I. Quæ bona Damnatorum publicentur. ibid.
ARTICULUS II. Quibus perſonis portio ex Bonis Damnati ſervetur. 537
§ I. *De liberis Damnati.* ibid.
§ II. *De patrono Damnati, & liberis patroni.* 538
ARTICULUS III. Ex quo tempore Bona publicentur; & quid circa ea Bona poſt publicationem obſervetur. 539

TITULUS XXI.

De bonis eorum qui ante Sententiam mortem ſibi conſciverunt, vel accuſatorem corruperunt. *pag.* 539
ARTICULUS I. De his qui Mortem ſibi Conſciverunt. ibid.
ARTICULUS II. De his qui Accuſatores Corruperunt. 540

TITULUS XXII.

De Interdictis, & Relegatis, & Deportatis. *pag.* 541

TITULUS XXIII.

De Sententiam paſſis & reſtitutis. *pag.* 541
§ I. *Quid ſit Reſtitutio; quæ variæ ejus ſpecies, & quid contineant.* ibid.
§ II. *De eâ Reſtitutionis ſpecie quæ ſine bonis conceditur.* 542
§ III. *De eâ Reſtitutionis ſpecie quæ bonorum quoque reſtitutionem continet.* ibid.
§ IV. *De Reſtitutione quæ* Adnotatis *datur.* ibid.

TITULUS XXIV.

De Cadaveribus punitorum. *pag.* 543

LIBER

Source : BIU Cujas

LIBER QUADRAGESIMUS-NONUS.

TITULUS I.

De Appellationibus & Relationibus. *pag.* 544

SECTIO I. *De Relationibus ad Principem factis à judice, citra Appellationem partium.* ibid.

SECTIO II. *De Appellationibus* ibid.

ARTICULUS I. De judicibus à quibus, & de iis ad quos appellatur.

(*quâ de re eſt*
TITULUS II. A quibus appellari non licet.
& TITULUS III. Quis à quo appelletur.) 545

§ I. *A quibus judicibus Appellari poſſit necne.* ibid.

§ II. *Quis judex à cujus judicis ſententiâ ſit Appellandus.* ibid.

§ III. *An & quando noceat provocanti, error circa judicem qui Appellandus eſt.* 546

ARTICULUS II. De Sententiis à quibus appellatur necne. ibid.

ARTICULUS III. A quibus perſonis & adversùs quos provocatio admittatur necne, & quibus præſcriptionibus ab Appellando quis excludi poſſit. 547

§ I. *Qui ad provocandum admittantur.* ibid.

§ II. *Quibus præſcriptionibus quis ab Appellando excluditur.* 548

§ III. *Adversùs quos Appellatio recipiatur.* ibid.

ARTICULUS IV. De formâ & tempore appellationis interponendæ, & quoties appellare liceat. 549

§ I. *De formâ Appellandi.* ibid.

§ II. *De tempore interponendæ provocationis:*

(*quo ferè pertinet totus*
TITULUS IV.
Quando Appellandum ſit, & intra quæ tempora). ibid.

§ III. *Quoties Appellare liceat.* 550

ARTICULUS V. De formâ & tempore recipiendæ Appellationis; & de officio judicis à quo appellatur, in eâ recipiendâ:

(*ubi exponitur maximâ ex parte*
TITULUS V.
De Appellationibus recipiendis vel non
& totus
TITULUS VI.
De libellis dimiſſoriis qui Apoſtoli dicuntur). 551

§ I. *De formâ & tempore recipiendæ Appellationis.* ibid.

§ II. *De officio judicis à quo appellatur in recipiendâ necne Appellatione.* ibid.

ARTICULUS VI. De effectu Appellationis interpoſitæ. 552

ARTICULUS VII. De perſequendâ & abſolvendâ causâ Appellationis. ibid.

§ I. *Intra quod tempus cauſam Appellationis proſequi & abſolvere oporteat.* ibid.

§ II. *Quæ in diſceptandâ & judicandâ cauſâ Appellationis obſerventur.* 553

ARTICULUS VIII. Cui Appellatio prodeſſe poſſit. ibid.

ARTICULUS IX. De pœnâ ejus qui temerè Appellavit. Pag. 554

ARTICULUS X. Quando ſolvatur Appellatio. ibid.

TITULUS VII.

Nihil innovari appellatione interpoſitâ. *pag.* 555

TITULUS VIII.

Quæ Sententiæ ſine appellatione reſcindantur. *pag.* 556

TITULUS IX.

An per alium cauſæ appellationum reddi poſſunt. *pag.* 556

TITULUS X.

Si Tutor vel Curator, Magiſtratus-ve, creatus appellaverit. *pag.* 557

§ I. *Quando huic provocationi locus ſit, & qui provocare teneantur à nominatione.* ibid.

§ II. *Quis adversùs nominationem Appellandus ſit, & intra quod tempus; item de tempore hujus Appellationis exſequendæ.* 558

§ III. *De pendentis hujus Appellationis effectu: quomodo proſpiciatur ne quod ex hujus morâ damnum emergat, & cui imputetur ſi emerſerit.* ibid.

§ IV. *An morte provocantis extinguatur hæc Appellatio.* ibid.

TITULUS XI.

Eum qui appellaverit, in provincia defendi. *pag.* 559

TITULUS XII.

Apud eum à quo appellatur, aliam cauſam agere compellendum. *pag.* 559

TITULUS XIII.

Si pendente Appellatione mors intervenerit. *pag.* 559

TITULUS XIV.

De Jure fiſci. *pag.* 560

SECTIO I. *De Delatoribus & nuntiatione bonorum ad Fiſcum, item de rerum publicatarum diſtractione.* ibid.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS I. Expenduntur ea quæ pertinent ad personas deferentium, aut ad ipsam nuntiationem. Pag. 560
§ I. *Qui* Delatores *dicantur necne.* ibid.
§ II. *Quis nuntiare seu* Deferre *possit.* 561
§ III. *Ex quibus causis nuntiatio ad Fiscum fiat.* ibid.
§ IV. *Intra quod tempus nuntiatio Fisco fieri debeat.* 562
§ V. *Quæ sit delatoris obligatio; & quæ, si eam non impleat, pœna ipsi aut mandatori ejus infligatur.* ibid.
§ VI. *Quid obtineat pendente delatione; & quid statuatur adversùs possessorem, quum delator probavit, aut à possessore corruptus est.* 563
ARTICULUS II. Quatenùs bona Fisco nuntiata publicentur, & de eorum distractione. ibid.
§ I. *De æris alieni cæterorumque onerum deductione.* ibid.
§ II. *Rebus aut bonis publicatis, quæ res à Fisci procuratoribus distrahantur necne.* 564
§ III. *De procuratoris officio in distrahendis rebus publicatis..* ibid.
§ IV. *De hujus venditionis effectu.* ibid.
ARTICULUS III. De Trajani Edicto circa præmium eorum qui seipsos Fisco deferunt. ibid.
§ I. *Ad quarum rerum delationem Edictum Trajani pertineat.* ibid.
§ II. *Quibus personis hoc præmium tribuatur, & in quo consistat.* 565
§ III. *De eo qui, postquàm se detulit, destitit.* ibid.
§ IV. *De eo qui se per errorem detulit.* 566
§ V. *De præmio ejus qui detulit id quod illicitè restituere rogatus erat; & de pœnâ, si hoc sibi retinuerit.* ibid.

SECTIO II. *De privilegiis Fisci.* ibid.
§ I. *De privilegio Actionum Fisco competentium.* ibid.
§ II. *De privilegio; Ut per privatorum actiones, Fisci actionibus non præjudicetur.* ibid.
§ III. *De privilegio taciti pignoris.* ibid.
§ IV. *De privilegio repetendi id quod alteri creditori solutum est in fraudem Fisci.* 567
§ V. *De privilegio* Editionis. ibid.
§ VI. *De privilegio ut causæ Fiscales nonnisi præsente Advocato Fisci judicari possint.* 568
§ VII. *De privilegio sententiæ retractandæ.* ibid.
§ VIII. *De privilegio* Adjectionis. ibid.
§ IX. *De privilegio, Ut emptor stare colono teneatur.* ibid.
§ X. *De aliis Fisci privilegiis.* ibid.

SECTIO III. *De Jure Fisci quod cum privatis commune, aut etiam quandoque deterius est; item quas dilationes Fiscus dare debeat debitoribus.* 569

TITULUS XV.

De Captivis, & de Postliminio (*Vulg.* reversis), & Redemptis ab hostibus. *pag.* 569

SECTIO I. *De* Postliminio. ibid.

ARTICULUS I. Inter quos locus sit juribus Captivitatis, & Postliminii. 570
ARTICULUS II. Quibus temporibus locus sit juri Postliminii. Pag. 571
ARTICULUS III. In quas personas, quasve res cadat jus Postliminii. ibid.
§ I. *Qui jure Postliminii* Activo *gaudere possint.* ibid.
§ II. *Quas res jure postliminii* Passivo *recipiamus.* ibid.
ARTICULUS IV. Quando jure Postliminii restituatur quis, aut res nostræ recipiantur. 572
§ I. *Quando quis jure postliminii activo in sua jura restituatur.* ibid.
§ II. *Quando jure postliminii passivo res nostras recipiamus.* 573
ARTICULUS V. De effectu Postliminii. ibid.
§ I. *De effectu juris postliminii* Activi. ibid.
§ II. *De effectu juris postliminii* Passivi. 574

SECTIO II. *De Redemptis ab Hostibus.* ibid.

ARTICULUS I. Quale jus competat redemptori in liberum hominem, cæteraque res quas Ab Hostibus redemit. ibid.
§ I. *De jure in homines liberos.* ibid.
§ II. *De jure Redemptoris in servos aut res cæteras quas ab hostibus Redemit.* ibid.
ARTICULUS II. Quibus Redemptoribus jus in personas res-ve Redemptas competat. 575
ARTICULUS III. In quas personas res-ve jus redemptoris competat. 576
ARTICULUS IV. Quando hoc jus redemptoris solvatur. ibid.

SECTIO III. *De fictione* Legis Corneliæ, *circa eos qui in Captivitate moriuntur.* ibid.
§ I. *De hujus fictionis effectu, quoad testamenta & successiones.* ibid.
§ II. *De effectu hujus Legis, quoad jus acquirendi per eos qui in Captivi potestate erant.* 577

TITULUS XVI.

De re Militari. *pag.* 578

ARTICULUS I. De Militiâ Romanorum, & quomodo fiant milites. ibid.
ARTICULUS II. De his quibus non licet dare nomen Militiæ. 579
ARTICULUS III. De his qui Militiæ se aut filios suos subtrahunt. 580
ARTICULUS IV. De præmiis ac privilegiis Militum, & de his quæ ipsis interdicuntur. ibid.
§ I. *De Militum præmiis.* ibid.
§ II. *Quæ sint Militum privilegia.* ibid.
§ III. *Quæ militibus interdicantur.* 581
ARTICULUS V. De delictis Militum, & variis eorum pœnis. ibid.
§ I. *De segnitiâ.* ibid.
§ II. *De desidiâ.* ibid.
§ III. *De contumaciâ.* 582
§ IV. *De seditionibus & rixis.* ibid.
§ V. *De furto.* ibid.
§ VI. *De eo qui sibi manus intulit.* ibid.
§ VII. *De emansoribus & desertoribus.* ibid.

Source : BIU Cujas

§ VIII. *De variis pœnarum ſpeciebus, quibus in Milites animadvertitur.* Pag. 583
ARTICULUS VI. Qui Milites à muneribus Militiæ immunitatem habeant. 584
ARTICULUS VII. De officio eorum qui Militibus præſunt. 585
ARTICULUS VIII. De miſſione ex Militiâ. ibid.
§ I. *De miſſione honeſtâ.* ibid.
§ II. *De miſſione cauſariâ.* 586
§ III. *De ignominiosâ miſſione.* ibid.

TITULUS XVII.
De Caſtrenſi Peculio. *pag.* 586
ARTICULUS I. Quæ in Peculio Caſtrenſi contineantur. ibid.
ARTICULUS II. Quale ſit jus tam filiifamilias quàm patris; in Peculium Caſtrenſe. Pag. 588
§ I. *De jure filiifamilias.* ibid.
§ II. *An jus aliquod habeat pater filiifamilias viventis vel defuncti, in Peculium ejus Caſtrenſe.* ibid.
ARTICULUS III. De Peculio Quaſi-Caſtrenſi. 590

TITULUS XVIII.
De Veteranis. *pag.* 590
§ I. *De privilegiis Veteranorum.* ibid.
§ II. *Qui à Veteranorum privilegiis arceantur.* ibid.

LIBER QUINQUAGESIMUS.

TITULUS I.
Ad Municipalem, & de Incolis. *pag.* 591
SECTIO I. *De Municipibus originariis.* ibid.
ARTICULUS I. Quibus modis Municipalis origo adquiratur. ibid.
§ I. *De nativitate.* ibid.
§ II. *De manumiſſione.* ibid.
§ III. *De adoptione.* 592
ARTICULUS II. Quomodo probetur Municipalis origo. ibid.
ARTICULUS III. Quomodo Municipatus originis amittatur necne. ibid.
SECTIO II. *De Incolis, & Domicilio.* 593
ARTICULUS I. Qui ſint Incolæ, & cujus judicis notio ſit an quis ſit Incola. ibid.
ARTICULUS II. Quæ faciant Domicilium necne. ibid.
§ I. *De* domicilio *ſimpliciter dicto, & ex quibus circumſtantiis æſtimetur.* ibid.
§ II. *De eâ ſpecie domicilii quod pœna tribuit.* 594
§ III. *De tertiâ domicilii ſpecie, quod dignitas tribuit.* ibid.
§ IV. *Quæ res non tribuant Domicilium.* ibid.
ARTICULUS III. An uxor viri, ſponſa ſponſi, aut filius patris Domicilium ſequantur; an aliud habere poſſint. ibid.
ARTICULUS IV. Quomodo Domicilium amittatur. ibid.

TITULUS II.
De Decurionibus & filiis eorum. *pag.* 595
ARTICULUS I. Qui origine ſint decuriones ſeu Curiales. ibid.
ARTICULUS II. De his qui per cooptationem in Curiam fiunt decuriones. 596
§ I. *Quinam idonei non videantur ut cooptari poſſint.* ibid.
§ II. *Qui ad decurionatum idonei cenſeantur.* 597
ARTICULUS III. Quæ ſint obligationes decurionum, & de bonis eorum quæ his obligationibus ſunt obnoxia. Pag. 597
ARTICULUS IV. Quæ perſonæ ex geſtu decurionum obligentur. 598
§ I. *Quis pater pro filio decurione obligetur, & quando.* ibid.
§ II. *De quibus & quatenùs teneatur pater pro filio decurione.* ibid.
§ III. *An obligatio patris ad heredes ejus tranſeat.* 599
§ IV. *An aliæ perſonæ quàm pater, pro decurione alio-ve munus publicum adminiſtrante, teneantur; & an noviter allecti, pro deceſſoribus.* ibid.
ARTICULUS V. De privilegiis Decurionum. ibid.
ARTICULUS VI. Quomodo decurionatus amittatur. ibid.
§ I. *De his qui in pœnam delicti alicujus, decurionatûs honore privantur.* ibid.
§ II. *De his qui gratiâ aliquâ perſonali vel dignitatis alicujus, Curiæ muneribus aut Curiali conditione liberantur.* 600

TITULUS III.
De Albo ſcribendo. *pag.* 601

TITULUS IV.
De Muneribus & Honoribus. *pag.* 601
ARTICULUS I. Quid ſit Munus, *& quotuplex hujus diviſio; & in quo ab* Honore *differat.* ibid.
§ I. *De Muneribus* Perſonalibus. 602
§ II. *De Muneribus* Patrimoniorum. 603
§ III. *De Muneribus* Mixtis. ibid.
ARTICULUS II. De his quibus Honores *aut* Munera *deferri poſſunt necne.* 604
ARTICULUS III. De formâ nominandi ad Munera & Honores; *& quæ circa eas nominationes obſervanda ſint.* 605
ARTICULUS IV. De compellendis his qui nominati ſunt, ut Honores *aut* Munera *ſuſcipiant.* 606

Source : BIU Cujas

ARTICULUS V. Ex quo poſſit quis fungi ſibi injuncto Honore *aut* Munere; *Ubi exercere debeat; & an per ſe obire Curiales functiones teneatur.* Pag. 606

TITULUS V.

De Vacatione & excuſatione munerum. *pag.* 606

§ I. *Qui ætate excuſentur.* ibid.
§ II. *De valetudine, & infirmitate corporis.* 607
§ III. *De paupertate.* ibid.
§ IV. *De juſtâ abſentiâ.* 608
§ V. *De numero liberorum.* ibid.
§ VI. *De Vacatione quæ tribuitur veteranis.* ibid.
§ VII. *De Vacatione quæ tribuitur liberalium ſtudiorum Profeſſoribus.* ibid.
§ VIII. *De Athletis.* 609
§ IX. *De Vacatione quorumdam artificum & negotiatorum.* ibid.
§ X. *De Vacatione quæ datur conductoribus vectigalium, & Coronis Cæſaris.* 610
§ XI. *De Vacatione Munerum, quæ variis officiis tribuitur.* 611
§ XII. *De Excuſatione quam tribuit dignitas.* ibid.
§ XIII. *De Vacatione Munerum quæ Clericis, eorumque uxoribus, liberis, & famulis conceditur.* ibid.
§ XIV. *De Vacatione quam honor municipalis ab alio honore aut Munere tribuit.* 612
§ XV. *De Excuſatione quam Munus ab alio munere præſtat, eodem tempore injuncto.* ibid.
§ XVI. *Quæ cauſæ Vacationem non tribuant.* ibid.

TITULUS VI.

De Jure immunitatis. *pag.* 613

ARTICULUS I. Ad quas munerum ſpecies Immunitas *porrigi debeat.* ibid.
ARTICULUS II. Ad quas perſonas porrigatur vacatio munerum alicui conceſſa. 614
ARTICULUS III. De Immunitatis effectu. ibid.

TITULUS VII.

De Legationibus. *pag.* 615

ARTICULUS I. De Legatis municipiorum. ibid.
§ I. *De formâ decernendæ Legationis, & quot eâdem de causâ eodemque tempore Legati mitti poſſint.* ibid.
§ II. *Quibus Legationis munus deferri debeat, quinam contrà ab eo removeantur.* ibid.
§ III. *Quinam excuſentur à Legationis munere.* 616
§ IV. *Quæ ſint Legatorum obligationes.* ibid.
§ V. *De privilegiis Legatorum.* ibid.
§ VI. *De* Legativo. 617
ARTICULUS II. De duabus aliis Legationis ſpeciebus. ibid.
§ I. *De liberâ Legatione.* ibid.
§ II. *De Legatis hoſtium, ſeu exterarum gentium.* ibid.

TITULUS VIII.

De Adminiſtratione rerum ad Civitates pertinentium. *pag.* 618

SECTIO I. *De jure quo Civitates utuntur, vel ſibi proprio, vel privatis omnibus communi, circa contractus & judicia.* Pag. 618
SECTIO II. *De his quæ pertinent ad Adminiſtrationem Rerum Civitatis, & de officio Curatorum Reipublicæ.* ibid.
ARTICULUS I. De cautione prævia Adminiſtrationi Reipublicæ. 619
ARTICULUS II. De officio Adminiſtratorum Reipublicæ. ibid.
ARTICULUS III. De obligatione Adminiſtratoris Reipublicæ erga Rempublicam. 520
ARTICULUS IV. De perſonis quæ accedunt obligationi Adminiſtratoris Reipublicæ. 622
§ I. *De fidejuſſoribus & nominatore Curatoris Reipublicæ.* ibid.
§ II. *An & quatenùs collega obligationi collegæ accedat.* ibid.
ARTICULUS V. De obligatione Adminiſtratoris Reipublicæ, erga collegam. 623
SECTIO III. *De alienatione Rerum ad Civitates pertinentium.* ibid.

TITULUS IX.

De Decretis ab Ordine faciendis. *pag.* 624

§ I. *De quibus rebus hæc decreta interponantur; & à quibus decurionibus.* ibid.
§ II. *Quæ decreta non valeant; & contrà, quæ ſit virtus decreti ritè interpoſiti.* ibid.

TITULUS X.

De Operibus Publicis. *pag.* 625

§ I. *De debitoribus pecuniæ ad Opus Publicum relictæ.* ibid.
§ II. *Cujus auctoritate Opera Publica fieri debeant, & quo ſumptu.* ibid.
§ III. *Quarum perſonarum nomina Operibus publicis inſcribi poſſint.* ibid.
§ IV. *De Curatoribus qui Operibus publicis præponuntur, & de redemptoribus eorum Operum.* ibid.
§ V. *De locis publicis quæ à privatis poſſidentur.* 626

TITULUS XI.

De Nundinis. *pag.* 626

TITULUS XII.

De Pollicitationibus. *pag.* 627

ARTICULUS I. De Pollicitatione. ibid.
§ I. *Quando quis ex Pollicitatione obligetur.* ibid.
§ II. *Ad quid obligetur quis ex Pollicitatione.* 628
§ III. *Quando Pollicitationis liberatio contingat; & quando in totum aut pro parte, Pollicitationis obligatio heredibus Pollicitatoris, & ipſi Pollicitatori remittatur.* ibid.
§ IV. *De conditionibus quæ Pollicitationibus aliis-ve liberalitatibus in Rempublicam collatis adponuntur.* ibid.
§ V. *An quis*

Source : BIU Cujas

§ V. *An quis citra Pollicitationem obligari poſſit ad opus publicum ſuo ſumptu faciendum.* Pag. 629
ARTICULUS II. De Votis. ibid.

TITULUS XIII.
De Variis, (ET) extraordinariis cognitionibus: & ſi Judex litem ſuam feciſſe diceretur. *pag.* 629
Prima Pars Tituli : De Extraordinariis Cognitionibus. ibid.
Altera Pars Tituli : Si judex litem ſuam feciſſe diceretur. 631

TITULUS XIV.
De Proxeneticis. *pag.* 631

TITULUS XV.
De Cenſibus. *pag.* 632
ARTICULUS I. Quæ regiones ac civitates in provinciis, aut Immunitatem *à tributis aut* Jus Italicum *habuerint necne, quænam nudum* Coloniæ *nomen.* 633
ARTICULUS II. De tabulis Cenſûs, & profeſſionibus Cenſualibus. 634
ARTICULUS III. A quibus & quâ ratione tributum exigatur. Pag. 635
§ I. *A quibus exigatur.* ibid.
§ II. *Quâ ratione tributum exigatur.* ibid.

TITULUS XVI.
De Verborum ſignificatione. *pag.* 636
Prima Pars : Præmittuntur generales quædam interpretationis regulæ, ad Verborum Significationem pertinentes. 637
Pars Altera : De Significatione Verborum ad tria Juris objecta pertinentium ; item variarum locutionum quæ tum in Legibus Edictisve, tum in ſtipulationibus aut teſtamentis, vel etiam in textu Juriſconſultorum, occurrunt :
Methodo ad ordinem Alphabeticum, in modum Lexici *ſimul &* Indicis, *redactâ.* 639

TITULUS XVII, ET ULTIMUS.

DE DIVERSIS REGULIS JURIS ANTIQUI. Pag. 698

PRIMA PARS.

De Regulis Juris generalibus, aut quæ ad prævias quaſdam Legum notiones pertinent. *Pag.* 698

SECTIO I. *Exponuntur Regulæ generales, ſive naturalis Juris ſive Civilis, quæ nulli certæ tractationi peculiares ſunt.* Pag. 699
ARTICULUS I. Regulæ ex ipsâ rerum naturâ petitæ. ibid.
ARTICULUS II. Regulæ ex primis Juris & æquitatis naturalis præceptis deductæ. 701
ARTICULUS III. Regulæ generales ex Jure Civili petitæ. 703
SECTIO II. *Regulæ circa Leges ipſas, earum vim & interpretationem : ubi de Conſuetudine & Reſcriptis.* 705
ARTICULUS I. De Legibus propriè dictis. ibid.
§ I. *De Legibus conſtituendis.* ibid.
§ II. *De virtute Legis.* Pag. 705
§ III. *Regulæ ad perſpiciendum Legis ſenſum.* ibid.
§ IV. *Regulæ circa inveſtigationem mentis Legis.* 706
Primum Theorema. -- Regulæ Practicæ. ibid.
Secundum Theorema. -- Regula Practica. ibid.
§ V. *De Officio Juriſconſulti circa ſpecies de quibus diverſæ Leges ſunt, aut de quibus nulla Lex ſcripta eſt.* ibid.
ARTICULUS II. De Conſuetudine *ſeu Jure non ſcripto.* 707
ARTICULUS III. De Privilegiis & reſcriptis. ibid.
§ I. *Regula communis omnibus beneficiis ; ſive certæ perſonæ, ſive certo perſonarum generi conceſſa ſint.* ibid.
§ II. *Regulæ circa beneficia perſonalia.* ibid.

Source : BIU Cujas

SECUNDA PARS.
De Perſonis. Pag. 708

CAPUT PRIMUM.
De variis perſonarum diviſionibus, ad ſtatum earum & conditionem pertinentibus. Pag. 708

SECTIO I. *De liberis & ſervis, ingenuis & libertis.* Pag. 708
ARTICULUS I. Regulæ circa libertatem & homines liberos. ibid.
ARTICULUS II. De ſervis & ſtatuliberis. 709
§ I. *De ſervis & ſervitute in genere.* ibid.
§ II. *De ſtatuliberis.* ibid.
ARTICULUS III. De Ingenuis & libertis. 710
§ I. *Qui ſint ingenui, qui liberti.* ibid.
§ II. *De modis quibus libertini ingenuorum jura conſequuntur.* ibid.
SECTIO II. *De filiisfamilias.* ibid.
§ I. *Regulæ generales circa filiosfamilias.* ibid.
§ II. *De Senatuſconſulto Macedoniano.* ibid.
SECTIO III. *De reliquis perſonarum diviſionibus.* 711
§ I. *De diviſione in cives Romanos & Peregrinos.* Pag. 711
§ II. *De Civibus Senatoriis.* ibid.
§ III. *De diviſione civium alicujus municipii, in* Municipes, Incolas, & Advenas: *ubi de* Domicilio. ibid.
§ IV. *De decurionibus eorumque liberis.* 712
SECTIO IV. *De his qui in utero ſunt: & cujus parentis conditionem ſequantur ii qui naſcuntur.* ibid.
SECTIO V. *De Capitis diminutionibus.* 713
SECTIO VI. *De Poſtliminio, & fictione Legis Corneliæ.* ibid.
§ I. *De Poſtliminio, & hujus effectu.* ibid.
§ II. *De fictione Legis Corneliæ.* 714

CAPUT SECUNDUM.
De variis qualitatibus quæ in Jure circa Perſonas attenduntur. Pag. 714

ARTICULUS I. De ætate. Pag. 714
§ I. *De impuberibus, infantibus, & pupillis.* ibid.
§ II. *De puberibus minoribus viginti quinque annis.* 715
§ III. *De Ætate ſenili.* ibid.
ARTICULUS II. De quibuſdam vitiis mentis & corporis, quæ in Jure circa perſonas attenduntur. ibid.
§ I. *De Furioſis.* ibid.
§ II. *De Prodigis.* ibid.
§ III. *De ſurdis, mutis, & aliis quibuſdam corporis vitiis.* ibid.
ARTICULUS III. De ſexu. 716
§ I. *De Jure mulieribus proprio, & SCto Velleiano.* Pag. 716
§ II. *Diſcrimen inter fœminas ac Minores.* 717
§ III. *De Hermaphroditis.* ibid.
ARTICULUS IV. De Dignitate, Honeſtate, Infamiâ, Turpitudine, Profeſſione, Cœlibatu, &c. ibid.
§ I. *De dignitate & Honeſtate.* ibid.
§ II. *De Infamiâ* Juris. ibid.
§ III. *De Infamiâ* Facti. ibid.
§ IV. *De Profeſſione, & maximè de Militiâ.* ibid.
§ V. *De Cœlibatu, orbitate, numero liberorum.* 718

CAPUT TERTIUM.
De variis juribus in Perſonas. Pag. 718

SECTIO I. *De Dominicâ & patriâ poteſtate, & aliis juribus dominicæ poteſtati affinibus.* Pag. 718
ARTICULUS I. In quas perſonas obtineant dominica aut patria poteſtas, & in quo conſiſtant. ibid.
§ I. *De dominicâ poteſtate.* ibid.
§ II. *De patriâ poteſtate.* ibid.
§ III. *Regula communis patriæ & dominicæ poteſtati.* ibid.
§ IV. *De effectu præcipuo tam patriæ quàm Dominicæ poteſtatis; ut quidquid per eum qui in alienâ poteſtate eſt adquiritur, non ipſi, ſed ei in cujus poteſtate eſt adquiratur.* Pag. 718
§ V. *De Jure adquirendi per ſervos communes.* 719
ARTICULUS II. De juribus poteſtati dominicæ affinibus. 720
§ I. *De jure bonæ fidei poſſeſſoris in homines liberos ſervos-ve alienos quos poſſidet.* ibid.
§ II. *De eo qui uſumfructum ſervi habet.* ibid.
§ III. *De eo qui habet uſum ſervi.* ibid.
§ IV. *De creditore, malæ fidei poſſeſſore, & patre putativo.* ibid.

Source : BIU Cujas

§ V. *De jure redemptoris in homines liberos aut alienos quos redemit ab hoſtibus.* Pag. 721
ARTICULUS III. De peculio, tam filiorum-familias quàm ſervorum, & eorum qui pro ſervis poſſidentur. ibid.
§ I. *Quæ ſit natura peculii.* ibid.
§ II. *De liberâ peculii adminiſtratione.* ibid.
§ III. *De peculio caſtrenſi filiorumfamilias.* 722
ARTICULUS IV. Quibus modis adquiratur dominica poteſtas, aut amittatur. ibid.
§ I. *De modis quibus adquiritur.* ibid.
§ II. *De manumiſſione, per quam dominica poteſtas amittitur.* ibid.
§ III. *De Legibus quæ manumiſſiones infirmant.* 723
§ IV. *Quando ſine manumiſſione ſervus ad libertatem perveniat.* 724
Species I. De his qui hâc lege alienati ſunt ut manumitterentur. ibid.
Species II. Erum nempè de quibus dominus pactus eſt ut eos manumitteret. ibid.
Species III. De his quibus ex fidei-commiſſo libertas non præſtatur, ſeu per moram ſeu citrà moram ejus qui rogatus eſt. ibid.
Species IV. Eorum ſcilicet qui ſuis nummis redempti ſunt. ibid. -- *Aliæ cauſæ.* ibid.
ARTICULUS V. De quibus modis acquiritur patria poteſtas, aut amittitur. ibid.
§ I. *Regulæ communes adoptioni cuilibet.* 725
§ II. *Regulæ circa adrogationem.* ibid.
§ III. *De emancipatione, & aliis modis quibus patria poteſtas ſolvitur.* ibid.
SECTIO II. *De Jure patronatûs.* 726
ARTICULUS I. Quid ſit jus patronatûs, quomodo & quibus adquiratur. ibid.
ARTICULUS II. De obſequiis quæ liberti patronis debent. ibid.
§ I. *In quo conſiſtant hæc obſequia.* ibid.
§ II. *Ad quæ non porrigatur hoc jus Obſequii.* ibid.
ARTICULUS III. De Operis libertorum, ac præcipuè de libertatis causâ impoſitis. ibid.
§ I. *Quotuplicis generis ſint Operæ, & de differentiâ inter* Officiales & Fabriles. ibid.
§ II. *A quo, & erga quem ex jurejurando contrahatur obligatio* Officialium *operarum.* 727
§ III. *Quales & quot operæ edendæ ſint, ubi, & quomodo.* ibid.
§ IV. *De ipsâ obligatione operarum, quomodo cedat aut extinguatur.* ibid.
§ V. *De impoſitis onerandæ libertatis causâ.* 728
ARTICULUS IV. De accuſatione ingrati liberti. ibid.
ARTICULUS V. Quomodo amittatur jus patronatûs. ibid.
ARTICULUS VI. De liberis patronorum in jus patronatûs ſuccedentibus; & de libertorum Adſignatione. ibid.
§ I. *Qui adſignare libertum poſſint, & quibus.* ibid.
§ II. *De naturâ & formâ adſignationis.* 729
§ III. *De adſignationis effectu.* ibid.
SECTIO III. *De jure Tutelæ & Curæ.* ibid.
ARTICULUS I. De tutelâ & curâ in genere, quale ſit munus, & in quos cadere poſſit. ibid.
§ I. *De naturâ Tutelæ vel Curæ.* ibid.
§ II. *Qui Tutores vel Curatores eſſe poſſunt.* 730
ARTICULUS II. De variis tutelarum & curationum ſpeciebus. ibid.
§ I. *De* Teſtamentariâ *tutelâ.* ibid.
§ II. *De* Legitimâ *tutelâ.* ibid.
§ III. *De* Dativâ *tutelâ.* Pag. 731
§ IV. *De eâ ſpecie tutelæ* Dativæ; *quâ tutores teſtamento inutiliter dati, à Prætore aut Præſide confirmantur.* ibid.
§ V. *De eâ ſpecie tutelæ* Dativæ, *quæ ad certas cauſas datur.* ibid.
§ VI. *De Curatoribus impuberum ad omnem rem, & de* Adjutoribus *tutelæ; & curatoribus puberum Minorum.* 732
§ VII. *De Curatoribus furioſorum, prodigorum, aliorumque majorum viginti-quinque annis, qui rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt.* ibid.
ARTICULUS III. Qui petant tutores pupillis. ibid.
ARTICULUS IV. De excuſationibus tutorum & Curatorum. ibid.
ARTICULUS V. De adminiſtratione tutorum & curatorum, & de his quæ huic adminiſtrationi ſunt prævia. 734
§ I. *De ſatisdatione quæ à Tutoribus & Curatoribus deſideratur.* ibid.
§ II. *De decernendâ uni tutelæ vel curæ adminiſtratione; & de officio cæterorum qui non adminiſtrant, ſeu* Honorariorum. ibid.
§ III. *De dividendâ tutelæ adminiſtratione.* ibid.
§ IV. *De compellendis Tutoribus & Curatoribus ad adminiſtrandum; qui & quando periculo ſuo ceſſent.* 735
§ V. *Quæ complectatur necne tutelæ vel curæ adminiſtratio.* ibid.
§ VI. *Quam vim habeant geſta à Tutoribus & Curatoribus, & quæ adminiſtrationis eorum fines excedant.* ibid.
§ VII. *De auctoritate Tutorum.* ibid.
§ VIII. *De educatione & modo alimentorum pupilli.* 736
ARTICULUS VI. Quando finiantur tutela & cura; An & in quibus ultrà excurrat officium tutorum aut curatorum; & de removendis, antequàm finitæ ſint, ſuſpectis Tutoribus & Curatoribus. ibid.
§ I. *Quando finiantur Tutelæ & Curationes.* ibid.
§ II. *An & in quibus, etiam ultra finitam tutelam & curam, officium tutorum & curatorum excurrat.* ibid.
§ III. *De removendis ſuſpectis tutoribus & curatoribus.* 737
ARTICULUS VII. De directâ actione Tutelæ; *& de Utili actione* Negotiorum geſtorum, *adversùs curatores.* ibid.
§ I. *Quando his judiciis agi poſſit.* ibid.
§ II. *Quatenùs teneantur plures Tutores aut Curatores, non divisâ inter ipſos tutelâ.* ibid.
§ III. *Quid veniat in his actionibus præſtandum.* 738
§ IV. *Quatenùs teneantur Tutores curatores-ve, in ſubſidium ejus cui adminiſtratio à teſtatore aut Prætore decreta fuit.* 739
§ V. *Quatenùs teneantur heredes Tutorum, judicio directo* Tutelæ. ibid.
§ VI. *De privilegio actionis* Tutelæ, *& Utilis* Negotiorum geſtorum *ex Curâ.* ibid.
ARTICULUS VIII. De aliis actionibus quæ adversùs Tutores aut Curatores dantur. ibid.
§ I. *De actione ex ſtipulatione* Rem pupilli *vel adoleſcentis* ſalvam fore. ibid.
§ II. *De actione* de Rationibus diſtrahendis. ibid.
ARTICULUS IX. De actionibus acceſſoriis judicii directi Tutelæ, *& judicii Utilis* Negotiorum geſtorum. 740

Source : BIU Cujas

§ I. *De fidejussoribus & nominatoribus Tutorum.* Pag. 740
§ II. *De patre qui tutelam filii sui familiàs agnovit.* ibid.
§ III. *De Magistratibus qui tutores nominaverunt.* ibid.
ARTICULUS X. De Contrariâ *actione* Tutelæ, *&* Contrariâ *Utili actione* Negotiorum gestorum *quæ Curatoribus datur.* Pag. 740
ARTICULUS XI. De Pro tutelâ. 741

CAPUT QUARTUM.

De Variis personarum necessitudinibus. Pag. 741

SECTIO I. *De necessitudine inter conjuges; ubi de* Nuptiis, *& omnibus quæ ad nuptias pertinent.* Pag. 741
ARTICULUS I. De Sponsalibus quæ nuptias præcedunt. ibid.
ARTICULUS II. De ipsis Nuptiis. 742
ARTICULUS III. De effectu necessitudinis inter conjuges, & prohibitis inter eos donationibus. 743
§ I. *Quæ donationes prohibitione contineantur necne.* ibid.
§ II. *Quatenùs irritæ sint donationes inter virum & uxorem.* ibid.
§ III. *De convalescentiâ donationum inter virum & uxorem.* 744
ARTICULUS IV. Quibus modis dissolvatur matrimonium necne. ibid.
ARTICULUS V. De jure Dotium. ibid.
§ I. *Regulæ circa distinctionem Dotis profectitiæ & adventitiæ.* ibid.
§ II. *De dotandi officio.* 745
§ III. *Quid in dotem constitui possit.* ibid.
§ IV. *Quomodo dos constituatur.* ibid.
§ V. *De pactis dotalibus.* ibid.
§ VI. *De conditione doti inhærente,* Ut *nuptiæ sequantur; & quidem justæ.* 746
§ VII. *De Jure mariti in res dotales.* ibid.
§ VIII. *An & quæ dos, mortuâ in matrimonio muliere reddenda sit.* ibid.
§ IX. *Cui restituenda sit dos, quum morte viri aut divortio solutum est matrimonium.* 747
§ X. *Quis teneatur actione* De dote. ibid.
§ XI. *Quid veniat in restitutione dotis, quum species inæstimatæ datæ sunt.* Pag. 747
§ XII. *Quid veniat in restitutione dotis, quum res fungibiles, aut quum res æstimatæ in dotem datæ sunt.* ibid.
§ XIII. *An & quando vir judicio* Dotis *teneatur, quum non accepit quod ipsi dotis causâ promissum est; & quando illud accepisse videatur.* 748
§ XIV. *An dos quam maritus confessus est se accepisse, quum non acceperit, in hoc judicio restituenda veniat.* ibid.
§ XV. De *privilegio mulieris ob restitutionem dotis.* ibid.
§ XVI. *Intra quod tempus à die soluti matrimonii restituenda sit dos; & an etiam interdum constante matrimonio, mulier eam exigere possit.* ibid.
ARTICULUS VI. De impensis in res dotales factis. ibid.
§ I. *Quæ impensæ in dotem dicantur* Necessariæ; *& quod jus circa eas obtineat.* ibid.
§ II. *De* Utilibus *impensis, item de* Voluptariis. 749
§ III. *De impensis extra causam dotis factis.* ibid.
ARTICULUS VII. De Senatusconsultis circa agnoscendos liberos. ibid.
SECTIO II. *De aliis personarum necessitudinibus.* ibid.
§ I. *De Concubinis.* ibid.
§ II. *De necessitudine Cognationis & Adfinitatis.* ibid.
§ III. *De necessitudinibus aliarum personarum.* 750

TERTIA PARS.

De Rebus.

CAPUT PRIMUM.

De Rebus divini aut publici juris. Pag. 751

ARTICULUS I. De rebus divini juris, Pag. 751
§ I. *De Rebus sacris.* ibid.
§ II. *De Rebus sanctis.* ibid.
§ III. *De Rebus religiosis.* ibid.
§ IV. *De jure sepulcrorum.* ibid.
ARTICULUS II. De rebus communibus, publicis, & universitatum. Pag. 752
§ I. *De rebus naturali jure communibus.* ibid.
§ II. *De publicis rebus.* ibid.
§ III. *De rebus universitatis.* ibid.

CAPUT

Source : BIU Cujas

CAPUT SECUNDUM.

De Rebus privati juris corporalibus, ſcilicet de earum poſſeſſione ac dominio. Pag. 752

SECTIO I. *De Poſſeſſione.* Pag. 752
§ I. *De Poſſeſſionis naturâ & variis qualitatibus.* ibid.
§ II. *Quæ res poſſideri poſſint.* 753
§ III. *De adipiſcendâ poſſeſſione, & de his per quos poſſidemus.* ibid.
§ IV. *De retinendâ poſſeſſione.* ibid.
§ V. *De amittendâ poſſeſſione.* 754
SECTIO ALTERA. *De dominio.* ibid.
ARTICULUS I. De dominii naturâ. ibid.
ARTICULUS II. De modis acquirendi dominii Jure Gentium, per Occupationem & Acceſſionem. 755
§ I. *De Occupatione.* ibid.
§ II. *De acceſſione.* ibid.
ARTICULUS III. De tranſlatione dominii & traditione. ibid.
§ I. *De tranſlatione dominii in genere.* ibid.
§ II. *De Rebus quarum dominii tranſlatio, id eſt alienatio, Lege interdicta eſt; ac præcipuè de fundo dotali, & prædiis Minorum.* 756
§ III. *(Per errorem IV.) Quomodo fiat traditio, aut facta intelligatur.* ibid.
§ IV. *(Per errorem V & VI.) Quæ requirantur necne, ut ex traditione tranſferatur dominium.* Pag. 756
§ V. *De traditionis effectu.* 757
ARTICULUS IV. De Uſucapione. ibid.
§ I. *Generalia quædam circa uſucapionis naturam.* ibid.
§ II. *De perſonis quæ uſucapere poſſunt necne.* ibid.
§ III. *Quæ res uſucapionem recipiant necne.* 758
§ IV. *De tempore uſucapionis.* ibid.
§ V. *De poſſeſſionis interruptione, quæ uſucapionem interpellat.* ibid.
§ VI. *De juſto titulo & bonâ fide ad uſucapionem & longi temporis poſſeſſionem neceſſariis.* 759
§ VII. *De acceſſione poſſeſſionis defuncti quæ datur heredibus.* ibid.
§ VIII. *De acceſſione poſſeſſionis auctoris, quæ ſucceſſori ſingulari datur.* ibid.
ARTICULUS V. De cauſis idoneis ad tranſferendum dominium aut ad uſucapionem. 760
ARTICULUS VI. De amiſſione dominii. 761
ARTICULUS VII. De jure Emphyteutarum, & Superficiariorum. ibid.

CAPUT TERTIUM.

De primâ rerum incorporalium ſpecie, ſeu de jure Servitutum. Pag. 761

SECTIO I. *De ſervitutibus perſonalibus.* Pag. 761
ARTICULUS I. De Uſufructu. ibid.
§ I. *De naturâ uſusfructûs, & quomodo conſtituatur.* ibid.
§ II. *Qui fructus ad fructuarium pertineant, & quomodo ei acquirantur.* 762
§ III. *Ad quæ porrigatur uſusfructus, & quæ fructuario permittantur.* ibid.
§ IV. *Quæ ſint obligationes fructuarii.* ibid.
§ V. *Quæ domino proprietatis permittantur necne, in re cujus uſusfructus alienus eſt.* ibid.
§ VI. *De modis quibus extinguitur uſusfructus.* 763
§ VII. *De quaſi uſufructu rerum fungibilium.* ibid.
ARTICULUS II. De uſu & habitatione. ibid.
§ I. *Generalia quædam circa uſum; & in quo ab uſufructu differat.* ibid.
§ II. *Specialia de uſu* Fundi, Domûs, Servorum, &c. ibid.
§ III. *De habitatione.* 764
SECTIO II. *De ſervitutibus prædialibus.* Pag. 764
ARTICULUS I. De earum ſervitutum naturâ, conſtitutione, uſu, & variis amittendi modis. ibid.
§ I. *De naturâ ſervitutum prædialium.* ibid.
§ II. *De conſtitutione ſervitutum.* ibid.
§ III. *Quibus conſtitui, & à quibus imponi ſervitus poſſit; & an eâdem ſpecie ſervitus pluribus prædiis conſtitui poſſit.* ibid.
§ IV. *Quibus rebus ſervitutes prædiales imponi poſſint.* 765
§ V. *De uſu ſervitutum.* ibid.
§ VI. *De modis quibus ſervitutes prædiales amittuntur necne.* ibid.
ARTICULUS II. De quibuſdam ſervitutum ſpeciebus, ſive urbanorum prædiorum, ſive ruſticorum. 766
§ I. *De ſervitutibus urbanis.* ibid.
§ II. *De ſervitutibus ruſticis.* ibid.

CAPUT QUARTUM.

De ſecundâ rerum incorporalium ſpecie, ſeu de jure Pignorum & Hypothecarum. Pag. 766

SECTIO I. *De pignore conventionali.* Pag. 766
§ I. *Quomodo contrahatur; & in quibus cauſis vel tacitè contractum intelligatur.* ibid.
§ II. *Pro quâ obligatione pignus contrahi poſſit.* 767
§ III. *A quo pignus conſtitui poſſit.* ibid.
§ IV. *Quæ res pignori dari poſſint necne.* Pag. 767
§ V. *De hypothecâ generali, & quænam ex illâ excepta præſumantur.* ibid.
§ VI. *Quæ res pignori alicujus rei accedant ſubſtituantur-vè, necne.* ibid.
§ VII. *Quis potior ſit in pignore, quum res pluribus pignerata eſt.* 768

Source : BIU Cujas

§ VIII. *De succeſſione poſterioris creditoris in pignus prioris.* Pag. 768
§ IX. *De effectu pignoris, & de rei pigneratæ diſtractione.* ibid.
§ X. *De jure dominii quod à Principe creditor impetrat, quum proſcripti pignoris nullus emptor invenitur.* 769
§ XI. *De luitione pignoris.* 770
§ XII. *Quibus modis pignus ſolvitur.* ibid.
SECTIO II. *De Prætorio pignore.* ibid.
ARTICULUS I. Qui creditores, & in cujus debitoris bonorum poſſeſſionem mittantur, & ex quibus cauſis. 771
ARTICULUS II. Ad quæ bona porrigatur miſſio; & quomodo Prætor eos quos miſit tueatur, ne poſſeſſionem ingredi prohibeantur. ibid.
ARTICULUS III. Quomodo contrahatur Prætorium pignus in bonis in quæ creditores miſſi ſunt, & de hujus effectu. ibid.
ARTICULUS IV. De diſtractione bonorum debitoris. 772
§ I. *Ex quibus cauſis permittatur necne creditoribus, etiam diſtrahere bona debitoris.* Pag. 772
§ II. *De ipsâ diſtractione bonorum debitoris.* ibid.
ARTICULUS V. De ſeparatione bonorum. ibid.
§ I. *Qui poſſint petere bonorum ſeparationem.* ibid.
§ II. *Quandiù hæc ſeparatio peti poſſit.* ibid.
§ III. *De effectu ſeparationis impetratæ.* ibid.
ARTICULUS VI. De diſtributione pretii, ex diſtractione bonorum debitoris redacti. 773
ARTICULUS VII. De actionibus quæ ex miſſione in poſſeſſionem, inter creditores & curatorem aut debitorem, ultrò citròque naſcuntur. ibid.
§ I. *De actione quæ curatori bonorum quum diſtracta ſunt, aut debitori ſi non vænierunt, datur adversùs creditores in poſſeſſionem miſſos.* ibid.
§ II. *De actione quæ creditori datur adversùs perſonas ſupradictas.* 774
SECTIO III. *De pignore Judiciali.* ibid.
§ I. *Quæ res pignori capi poſſint necne.* ibid.
§ II. *Quo ordine capiantur.* ibid.

CAPUT QUINTUM.

De tertiâ rerum incorporalium ſpecie, ſeu de jure Hereditatum. Pag. 774
SECTIO I. *Regulæ quædam de hereditatis naturâ; & de variis heredum ſpeciebus.* Pag. 774
SECTIO II. *De teſtamentis.* 775
ARTICULUS I. De individuitate cauſæ teſtamentariæ. ibid.
ARTICULUS II. Qui teſtamenta facere poſſint. ibid.
ARTICULUS III. De formâ extrinſecâ teſtamentorum. ibid.
ARTICULUS IV. De heredum inſtitutione. 776
§ I. *De perſonis quæ ſcribi poſſunt heredes.* ibid.
§ II. *De ipsâ heredum inſtitutione.* ibid.
§ III. *De diſtributione hereditatis inter plures heredes.* ibid.
ARTICULUS V. De Heredum ſubſtitutionibus. 777
§ I. *De ſubſtitutione vulgari.* ibid.
§ II. *De pupillari ſubſtitutione.* ibid.
ARTICULUS VI. De neceſſariâ in teſtamentis inſtitutione aut exheredatione ſuorum heredum. 778
§ I. *De inſtitutione vel exheredatione jam natorum.* ibid.
§ II. *De inſtitutione aut exheredatione poſthumorum.* ibid.
ARTICULUS VII. Quomodo teſtamenta infirmentur ipſo Jure. 779
§ I. *De modo quo rumpitur teſtamentum agnatione ſui heredis.* ibid.
§ II. *Quomodo rumpitur prius teſtamentum per poſterius.* ibid.
§ III. *De modo quo irritum fit teſtamentum, per capitis diminutionem teſtatoris, aut infirmatur per deſtitutionem.* ibid.
ARTICULUS VIII. De querelâ inofficioſi, per quam teſtamentum infirmatur. ibid.
§ I. *Quid ſit, & adversùs quæ teſtamenta admittatur.* ibid.
§ II. *Quibus competat & adversùs quos.* Pag. 780
§ III. *De effectu querelæ.* ibid.
§ IV. *De Quartâ per quam querela excluditur.* ibid.
§ V. *De agnitione judicii defuncti, quæ querelam excludit.* ibid.
§ VI. *An & quando querela ad heredem tranſeat.* ibid.
ARTICULUS IX. De jure Codicillorum. 781
§ I. *Quis Codicillos facere poſſit: de voluntate Codicillos faciendi, in Codicillis neceſſariâ; & de eorum formâ.* ibid.
§ II. *In quo potiſſimùm Codicilli à teſtamento differant.* ibid.
§ III. *Quatenùs codicilli ejus qui teſtamentum fecit, à teſtamento pendeant.* ibid.
ARTICULUS X. De jure quod militibus proprium eſt circa teſtamenta. ibid.
§ I. *Ex quo & quando quis privilegiis militum circa teſtamenta gaudeat.* ibid.
§ II. *De privilegio militum, ut teſtari poſſint etiam qui jure communi non poſſunt; & iis relinquere quibus jure communi non licet.* ibid.
§ III. *De privilegio militum, ut eorum teſtamenta neque ſolemnitatibus neque regulis Juris Civilis ſubſint; plenioremque interpretationem recipiant.* ibid.
§ IV. *De Regulis Juris Civilis quæ etiam circa ultimas militum voluntates, cùm ad eas conſervandas inſerviant, obſervantur.* 782
§ V. *Ad quæ non porrigantur privilegia militum.* ibid.
§ VI. *Quandiù teſtamentum militare valeat.* ibid.
ARTICULUS XI. De exhibitione & aperturâ teſtamentorum, & Interdicto De Tabulis exhibendis. ibid.
§ I. *De exhibitione & aperturâ teſtamenti.* ibid.
§ II. *De Interdicto* De Tabulis exhibendis. 783
ARTICULUS XII. De Edicto quo prohibetur aperiri teſtamentum, donec ex SCto Silaniano quæſtio habita ſit de familiâ teſtatoris qui necatus eſt. ibid.

Source : BIU Cujas

§ I. *Quando quæstio ex Senatusconsulto de familiâ haberi, suppliciumque sumi debeat; & de quibus servis.* Pag. 783
§ II. *Quod factum locum det Edicto, & de hujus pœnâ.* ibid.

SECTIO III. *De Legibus ex quibus intestatorum hereditates deferuntur.* 784

§ I. *De hereditate quæ ex Lege XII. Tabularum defertur* Suis *heredibus.* ibid.
§ II. *De hereditate quæ ex Lege XII. Tabularum defertur agnatis.* ibid.
§ III. *Quæ communia sint* Suis *& cæteris* Legitimis *heredibus.* ibid.
§ IV. *De Senatusconsultis* Tertylliano & Orphitiano. ibid.
§ V. *De hereditatibus libertorum intestatorum.* 785

SECTIO IV. *De Adquirendâ aut repudiandâ hereditate; de Beneficio abstinendi, & de jure accrescendi.* ibid.

ARTICULUS I. De additione seu acquisitione hereditatis. ibid.
§ I. *Quomodo adeatur hereditas.* ibid.
§ II. *Quis adire hereditatem possit.* 786
§ III. *De jussu quem expectare debet heres qui in alienâ potestate est, ut adeat hereditatem.* ibid.
§ IV. *Quando hereditas adiri possit.* ibid.
§ V. *Pro quâ parte quisque adeundo acquirat hereditatem.* 787
§ VI. *Quis sit acquisitæ hereditatis effectus.* ibid.
ARTICULUS II. De repudiatione hereditatis, & abstensione. ibid.
§ I. *Quomodo & quando hereditas & à quo repudiari possit.* ibid.
§ II. *De beneficio abstinendi.* ibid.
ARTICULUS III. De jure quo pars heredis deficiens coheredibus adcrescit. 788

SECTIO V. *De Legatis & fideicommissis, tam* Universalibus *quàm* Singularibus. ibid.

ARTICULUS I. De legatis ac fideicommissis Singularibus, *in genere.* ibid.
§ I. *Quid sit legatum, & quotuplex olim ejus species, quid fideicommissum.* ibid.
§ II. *De voluntate relinquendi quæ tam in legatis quàm fideicommissis adesse debet, tum circa rem, tum circa personam cui relinquitur.* ibid.
§ III. *Quomodo fideicommissa relinqui possint.* ibid.
§ IV. *Quis legare aut fideicommittere possit, & quibus.* 789
§ V. *A quibus relinqui possit.* ibid.
§ VI. *Quatenùs quis gravari possit legatis aut fideicommissis.* 790
§ VII. *Quæ legari possint.* ibid.
§ VIII. *An eadem res sæpiùs legari possit.* ibid.
§ IX. *De cessione diei legatorum & fideicommissorum.* 791
§ X. *De dominii rerum legatarum translatione.* ibid.
§ XI. *De actionibus quæ ad legatorum & fideicommissorum persecutionem competunt, adversùs quos, & pro quâ parte.* ibid.
§ XII. *De cautione quæ legatariis exhibenda est, & de bonorum possessione in quam mittuntur legatarii.* ibid.
§ XIII. *De Interdicto* Quod legatorum, *quod heredi qui cavit aut cavere paratus est, datur adversùs legatarios.* 792
§ XIV. *De præstatione rei legatæ.* Pag. 792
§ XV. *Quatenùs à jure testamenti legata ac fideicommissa in eo contenta pendeant, eoque corruente corruant.* 793
§ XVI. *Quomodo, corruentibus per destitutionem testamenti legatis ac fidei-commissis, Prætor subveniat legatariis & fideicommissariis per Edictum;* Si quis omissâ causâ testamenti, &c. ibid.
§ XVII. *De ademptione legatorum & fideicommissorum.* 794
§ XVIII. (*Per errorem XIX. & sic de tribus seqq.*) *De translatione legatorum.* ibid.
§ XIX. *De extinctione legatorum morte legatarii, interitu rei legatæ, aut quum in eum statum illa devenit ut legari non potuisset.* 795
§ XX. *De extinctione legatorum per repudiationem.* ibid.
§ XXI. *De Conjunctis, & jure accrescendi.* ibid.

ARTICULUS II. De diversis singularibus speciebus legatorum & fideicommissorum. 796
§ I. *De eo quod relinquitur ei* Quem heres elegerit. ibid.
§ II. *De eâ specie fideicommissi quæ inducitur ex prohibitione alienandi.* ibid.
§ III. *De legatis* Annuis. ibid.
§ IV. *De legatis alimentorum.* 797
§ V. *De legatis ususfructûs, habitationis, reditûs.* ibid.
§ VI. *De legato* Dotis. ibid.
§ VII. *De legato* Peculii. ibid.
§ VIII. *De legato* Liberationis; *& de contrariâ legati specie, quo quis suo creditori relinquit quod ei debetur; necnon de legato, ut* Rationes *non reddantur.* 798
§ IX. *De Legato* Optionis, *legato* Generis, *& Alternativo.* ibid.
§ X. *De legato Quantitatis.* 799

ARTICULUS III. De Lege Falcidiâ, quæ demùm usque ad drodantem bonorum legari permittit, Quartamque eorum illibatam heredi servari. ibid.
§ I. *Quibus Quarta bonorum ex Lege Falcidiâ servetur.* ibid.
§ II. *Quæ legata, & quæ donationes sint obnoxiæ legi Falcidiæ.* ibid.
§ III. *Quomodo & cujus temporis ratione æstimetur patrimonium defuncti in ponendâ ratione Falcidiæ, & quæ ex eâ æstimatione detrahantur.* ibid.
§ IV. *Quæ in Quartam imputentur.* 800
§ V. *Quomodo legata decrescant, quum excedunt dodrantis quantitatem; quæ legata in hanc contributionem veniant, & quomodo æstimentur.* ibid.
§ VI. *De Falcidiæ ratione separatim in pluribus hereditatis portionibus ineundâ.* 801
§ VII. *Quomodo prospiciatur heredi, ne plus quàm per Falcidiam debetur solvat; & quando illa cesset.* ibid.

ARTICULUS IV. De fideicommissis universalibus seu Hereditatis. ibid.
§ I. *Quæ veniant necne in fideicommisso universali quo heres* Hereditatem *ejus-ve portionem restituere rogatus est.* ibid.
§ II. *De fideicommisso quo heres* Portionem *suam simpliciter restituere rogatur; item de illo,* Quicquid ad se pervenerit; *& de illo,* Quidquid ex hereditate supererit. 802

ARTICULUS V. De Senatusconsultis Trebelliano & Pegasiano. ibid.

Source : BIU Cujas

§ I. *Quando Trebelliano locus sit, & quando restituta videatur hereditas.* Pag. 802
§ II. *De effectu restitutæ ex SCto Trebelliano hereditatis.* ibid.
§ III. *De restitutione* Quartæ *in restitutione hereditatis ex Senatusconsulto Pegasiano.* 803
§ IV. *De altero Capite Pegasiani, quo permittitur fideicommissario cogere heredem ut adeat & restituat.* ibid.

SECTIO VI. *De naturâ ultimarum voluntatum, & earum interpretatione.* 804

ARTICULUS I. De ultimarum voluntatum naturâ, fine & qualitatibus legitimis, ubi de Regulâ Catonianâ. ibid.
ARTICULUS II. De interpretatione ultimarum voluntatum. 805
ARTICULUS III. Regulæ interpretationis circa ambiguitatis speciem quæ ex duabus dispositionibus simul spectatis oritur. 806
ARTICULUS IV. De interpretatione quarumdam clausularum quæ legatis ac fideicommissis adjiciuntur. ibid.

SECTIO VII. *De die, conditione, modo, demonstratione, & causâ, quæ ultimis voluntatibus adjiciuntur.* 807

ARTICULUS I. De die. ibid.
ARTICULUS II. De conditionibus in genere. ibid.
§ I. *Quæ conditiones ultimas voluntates conditionales faciant.* ibid.
§ II. *Quæ verba conditionem demonstrent, necne.* 808
§ III. *Quando & quæ conditiones tacitè adjectæ intelligantur.* ibid.
§ IV. *An conditio adimi possit.* ibid.
§ V. *Quando conditio impleri aut deficere videatur.* ibid.
§ VI. *Quando conditio quæ non impleta est, pro impletâ habeatur.* 809
§ VII. *Quum plures conditiones adscriptæ sunt, an omnibus parendum.* Pag. 809
§ VIII. *De* Mucianâ *cautione.* ibid.
§ IX. *Regula generalis circa conditionum interpretationem.* ibid.

ARTICULUS III. De variis singularibus conditionum speciebus. ibid.
§ I. *De conditione* Dandi. ibid.
§ II. *De conditione reddendarum rationum & aliis.* 810

ARTICULUS IV. De Modo *ultimis voluntatibus adjecto.* ibid.
ARTICULUS V. De Demonstrationibus & Causis, *quæ in ultimis voluntatibus exprimuntur.* ibid.

SECTIO VIII. *De variis casibus quibus ultimæ voluntates stante licèt testamento exitum non habent.* ibid.

ARTICULUS I. De his quæ pro non scriptis habentur. ibid.
ARTICULUS II. De caducis & causâ caduci, quæ ex Lege Juliâ & Papiâ fisco vindicabantur. 811
ARTICULUS III. De his quæ ut indignis auferuntur. ibid.
§ I. *De indignis ob delictum adversùs leges.* ibid.
§ II. *De indignis ob delictum adversùs personam defuncti.* ibid.
§ III. *De indignis ob impugnationem voluntatis defuncti.* 812
§ IV. *De indignis ob neglectam defuncti voluntatem.* ibid.
§ V. *De indignis ex judicio defuncti.* ibid.
§ VI. *Regulæ generales circa indignos.* ibid.
ARTICULUS IV. De his quæ in testamento delentur. 813

CAPUT SEXTUM.

De quartâ rerum incorporalium specie, seu de jure Bonorum possessionis. 813

ARTICULUS I. De Bonorum possessionibus in genere. Pag. 813
ARTICULUS II. De Bonorum possessione Contra Tabulas. ibid.
§ I. *Quando huic locus sit, & quinam ad eam admittantur.* ibid.
§ II. *Quæ & quatenus serventur relicta liberis & parentibus, datâ* Contra tabulas *possessione.* 814
§ III. *Quando acceptâ* Contra tabulas *possessione, relicta etiam aliis quàm parentibus & liberis valeant.* 815
ARTICULUS III. De altero bonorum possessionis gradu, Secundùm tabulas. ibid.
§ I. *Quæ ad hanc obtinendam requirantur.* ibid.
§ II. *Quibus possessio* Secundùm tabulas *detur.* ibid.
§ III. *An pendente conditione hæc possessio peti possit, & sub quâ lege; & quomodo, etiam deficiente conditione, sit efficax.* ibid.
§ IV. *Quo ordine & pro quâ parte deferatur.* ibid.
§ V. *De* Utili *bonorum possessione ad instar* Secundùm tabulas. 816
ARTICULUS IV. De Bonorum possessionibus intestatorum. ibid.
ARTICULUS V. Regulæ circa Edictum De conjungendis cum emancipato liberis; *cui locus est, tam in possessione* Contrà tabulas *quàm in possessione* Unde liberi. Pag. 816
ARTICULUS VI. De collatione bonorum propriorum, ad quam tenentur emancipati erga suos heredes quibuscum admittuntur ad bonorum possessiones Contra tabulas & Unde liberi. ibid.
§ I. *Quando huic locus sit.* ibid.
§ II. *Qui & quibus & quatenus conferre teneantur.* 817
§ III. *Quæ conferri debeant.* ibid.
§ IV. *Quomodo ad collationem cogantur liberi, & quomodo illa fiat.* ibid.
ARTICULUS VII. De collatione dotis. 818
ARTICULUS VIII. De bonorum possessionibus quæ Ventri *dantur.* ibid.
ARTICULUS IX. De Carbonianâ bonorum possessione. 819
§ I. *Quando sit locus Carboniano.* ibid.
§ II. *De effectu*

Source : BIU Cujas

§ II. *De effectu Carbonianæ possessionis.* Pag. 819
ARTICULUS X. De bonorum possessione quæ patrono ejus-ve liberis datur, contra tabulas liberti. ibid.
§ I. *Quando huic locus sit, & quando cesset.* ibid.
§ II. *Quibus hæc possessio detur, & quæ bona excipiantur.* 820
§ III. *Quando hæc possessio peti possit, quomodo eâ petitâ portio debita patrono suppleatur; & quid ipse amittat acceptâ* contra tabulas *possessione.* Pag. 820
§ IV. *Quæ sint alia jura patronorum circa portionem sibi debitam.* ibid.
ARTICULUS XI. Quomodo extinguatur unusquisque possessionis gradus, fiatque successio sequenti. ibid.
§ I. *De Repudiatione Bonorum possessionis.* 821
§ II. *De tempore petendæ bonorum possessionis.* ibid.
§ III. *Quando extinguatur spes successionis.* ibid.

CAPUT SEPTIMUM.

De ultimâ rerum incorporalium specie; scilicet de jure Crediti, *seu de Obligationibus.* Pag. 821

SECTIO I. *De Obligationibus in genere, & specialiter de contractibus.* Pag. 822
ARTICULUS I. De generali obligationum naturâ, & quibus modis contrahantur. ibid.
ARTICULUS II. De Conventionibus & contractibus in genere. ibid.
§ I. *De consensu qui est ex substantiâ omnium conventionum & contractuum.* ibid.
§ II. *Cui quis pacisci possit, & de quâ personâ promittere; item ex quarum personarum pactis acquiri.* ibid.
§ III. *Quid in conventionem deduci possit necne.* 823
§ IV. *De diversorum diversarum conventionum effectu.* 824
§ V. *Quæ sint discrimina inter obligationes ex contractibus, & ex ultimis voluntatibus.* ibid.
§ VI. *De variâ pro variis contractibus ac negotiis culpæ præstatione.* ibid.
§ VII. *In quâ re & inter quas personas, conventiones prosint aut noceant.* 825
§ VIII. *De conventionum interpretatione.* ibid.
SECTIO II. *De variis contractuum speciebus.* 826
PRIMA PARS. De Contractibus nominatis. ibid.
CLASSIS PRIMA. De Contractibus qui Re *contrahuntur.* ibid.
ARTICULUS I. De contractu Mutui. ibid.
APPENDIX De contractu Nautico, seu pecuniâ Trajectitiâ. ibid.
ARTICULUS II. De Commodato. ibid.
§ I. *De hujus contractûs naturâ, & rebus quæ in eum deducuntur.* ibid.
§ II. *De obligatione commodatarii, & judicio* directo *adversùs eum ut rem reddat.* 827
§ III. *De obligatione commodatoris,* & contrario *judicio.* ibid.
ARTICULUS III. De Contractu pignoris. ibid.
§ I. *Quando possit agi directâ actione ex hoc contractu, ad rei pigneratæ restitutionem.* ibid.
§ II. *Quæ præter rei restitutionem peti possint* Pignoratitiâ *actione.* ibid.
§ III. *Quid veniat in Pignoratitiâ actione, quum creditor rem jure pignoris distraxit.* 828
§ IV. *Ex quibus causis* contraria *Pignoratitia competat.* ibid.
ARTICULUS IV. De contractu depositi. Pag. 828
§ I. *De depositi naturâ.* ibid.
§ II. *De variis doli speciebus, ex quibus directâ* Depositi *actione depositarius ejus-ve heres tenetur.* ibid.
§ III. *An citrâ dolum depositarii agi ex causâ depositi possit.* ibid.
§ IV. *Quid veniat in actione depositi tam directâ quàm contrariâ.* 829
§ V. *De sequestratione.* ibid.
CLASSIS SECUNDA. De Contractibus qui Verbis *contrahuntur.* ibid.
§ I. *De formâ stipulationis.* ibid.
§ II. *An & quando una interrogatio cum unâ responsione plures stipulationes contineat.* ibid.
§ III. *De præsumptione observatæ verborum solemnitatis in stipulationibus.* ibid.
§ IV. *Quæ personæ hujus contractûs capaces sint necne.* ibid.
§ V. *De divisione stipulationum & Prætoriarum præcipuè naturâ.* 830
§ VI. *De stipulationibus pœnalibus.* ibid.
§ VII. *Quæ actiones ex stipulatione nascantur.* ibid.
CLASSIS TERTIA. De contractibus qui nudo Consensu *contrahuntur.* 831
ARTICULUS I. De Mandato. ibid.
§ I. *Quæ requirantur ad mandati substantiam.* ibid.
§ II. *Quomodo contrahatur mandatum.* ibid.
§ III. *Ad quid obligetur mandatarius erga mandatorem actione* Mandati *directâ.* ibid.
§ IV. *Quomodo quis mandatum implesse videatur, ut* Contrario *judicio uti possit, vel excessisse ut uti non possit.* ibid.
§ V. *Quando mandatarius impendisse aliquid ex causâ mandati videtur, & quidem inculpabiliter; ut hoc ipsi contrario judicio refundi debeat.* ibid.
§ VI. *An actiones* Mandati *in solidum competant quum plures sunt mandatarii aut mandatores.* 832
§ VII. *De modis quibus solvitur mandatum.* ibid.
ARTICULUS II. De Societate. ibid.
§ I. *De generali societatis naturâ.* ibid.
§ II. *De societate universorum bonorum.* 833
§ III. *De societate universorum quæ ex quæstu veniunt; item, unius rei aut negotiationis.* ibid.
§ IV. *De jure sociorum circa societatem & res societatis, aut etiam circa res communes citra societatem.* ibid.
§ V. *De actione* Pro socio. ibid.
§ VI. *Quomodo solvitur societas.* 834
ARTICULUS III. De Emptione-venditione. ibid.
§ I. *De re quæ væneat.* ibid.
§ II. *De pretio.* ibid.

Source : BIU Cujas

§ III. *De consensu.* Pag. 835
§ IV. *De pacto Addictionis in diem; quo convenit ut venditio resolvatur, si intra certum tempus melior conditio offeratur.* ibid.
§ V. *De Lege commissoriâ quâ convenit ut nisi pretium intra certum diem exsolutum fuerit, res sit inempta.* ibid.
§ VI. *De pacto Ut si res displicuerit, sit inempta.* 836
§ VII. *De periculo & commodo rei venditæ.* ibid.
§ VIII. *De obligationibus venditoris, & actione* Empti. ibid.
§ IX. *De obligationibus emptoris, & actione* Venditi. 837
§ X. *Quæ requirantur ut emptor ad rei traditionem, & vicissim venditor ad pretii solutionem agere possint.* 838
§ XI. *De exceptione quæ ex contractu venditionis competit emptori possessionem rei emptæ adepto, adversùs venditorem ejusque successores rem jure dominii vindicantes.* ibid.
§ XII. *Ex quibus causis rescindantur venditiones.* ibid.
§ XIII. *De Hereditatis venditione.* ibid.
§ XIV. *De venditione actionis.* 839

APPENDIX PRIMA, Ad contractum Emptionis-vinditionis. De actionibus ex Edicto Ædilium, Redhibitoriâ, & Quanti-minoris *seu Æstimatoriâ.* ibid.

§ I. *Propter quas contractuum species & propter quos res competant hæ actiones.* ibid.
§ II. *Ex quibus causis locus sit redhibitioni mancipiorum.* 840
§ III. *Ex quibus causis redhibeantur animalia, & cæteræ res.* ibid.
§ IV. *Adversùs quos redhibitoria competat, & an individua sit redhibitionis causa.* ibid.
§ V. *Regula generalis, ex quâ fluunt præstationes quæ in hoc judicio veniunt.* ibid.
§ VI. *Quæ præstare debeat emptor, qui redhibitoriâ agit.* ibid.
§ VII. *Quæ venditor emptori vicissim præstare teneatur judicio redhibitorio.* 841
§ VIII. *De cautionibus in judicio redhibitorio invicem præstandis.* ibid.
§ IX. *Uter alteri prior in hoc judicio præstare debeat, & de differentiis inter emptorem & venditorem circa eas præstationes.* ibid.
§ X. *Ex quibus causis detur actio* Æstimatoria *seu* Quanti-minoris; *& quid in eâ veniat.* ibid.
§ XI. *De tempore harum actionum; ex quo, & quandiù dentur.* ibid.

APPENDIX SECUNDA. De stipulatione de Evictione, & actione quam parit. 842

§ I. *Quando & quomodo interponi debeat stipulatio de evictione.* ibid.
§ II. *Quando committatur stipulatio de evictione.* ibid.
§ III. *Quibus & adversùs quos competat actio de evictione.* ibid.
§ IV. *Quid veniat in hâc actione.* ibid.

ARTICULUS IV. De Locatione-conductione. 843

§ I. *De hujus contractûs affinitate aut differentiis cum contractu Emptionis-venditionis.* ibid.
§ II. *Quid possit conductor circa rem conductam, & ad quid teneatur.* ibid.
§ III. *Ad quos successores jus obligatio-ve ex hoc contractu transeat.* ibid.
§ IV. *De actione* Locati *ad solutionem mercedis.* ibid.
§ V. *De actione* Conducti; *quibus ex causis, & ad quid detur.* ibid.
§ VI. *Quando possit stante conductione inquilinus expelli.* 844
§ VII. *De reconductione, & pignoribus conductionum.* Pag. 844
§ VIII. *De locatione operis faciendi.* ibid.
§ IX. *De singulari specie actionis* Ex locato; *quæ dominis mercium jactu amissarum competit, adversùs magistrum navis, ad contributionem faciendam ex Lege Rhodiâ.* 845

CLASSIS QUARTA. De Obligatione litterarum. ibid.

SECTIONIS II. *PARS SECUNDA. De contractibus innominatis, & de actionibus* Præscriptis verbis *&* In factum *quæ ex his contractibus dantur.* ibid.

PRIMA CLASSIS Contractuum innominatorum: Do ut des. ibid.
§ I. *De Permutatione.* ibid.
§ II. *De aliis contractûs* Do ut des *innominati speciebus.* ibid.
SECUNDA CLASSIS: Do ut facias. ibid.
TERTIA CLASSIS: Facio ut des. 846
QUARTA CLASSIS: Facio ut facias. ibid.

SECTIONIS II. *PARS TERTIA. De Pactis legitimis, necnon de Pollicitatione & Voto.* ibid.

ARTICULUS I. De pacto constitutæ pecuniæ. ibid.
§ I. *Quid & pro quo debito possit constitui, & an ut alio loco aut die debeatur.* ibid.
§ II. *Quis cui constituere possit, quomodo constitutum contrahatur, & de hujus effectu.* ibid.
ARTICULUS II. De donationibus. 847
§ I. *De donationibus inter vivos.* ibid.
§ II. *De donationibus Mortis causâ.* 848
ARTICULUS III. De Pollicitatione, & Voto. 849

SECTIO III. *De Quasi-contractibus.* ibid.

ARTICULUS I. De indebito soluto, & Condictione Indebiti. ibid.
§ I. *Quid videatur debitum, ut repeti non possit; quid indebitum, ut repeti possit.* ibid.
§ II. *Quando non repetatur quod indebitè solutum est.* 850
§ III. *Cui & adversùs quem Condictio indebiti competat.* ibid.
§ IV. *Quid veniat in Condictione indebiti.* ibid.
ARTICULUS II. De negotiorum gestione citra mandatum, & actionibus Negotiorum gestorum. ibid.
§ I. *Ex cujus negotione gestione, inter duas personas,* Negotiorum gestorum *obligatio contrahatur.* ibid.
§ II. *Requiri in personâ ejus cujus negotium gestum est, ut nec mandaverit nec prohibuerit.* 851
§ III. *Quam voluntatem habere debuerit gestor, & maximè de voluntate obligandi eum cujus negotium gerebat.* ibid.
§ IV. *De actionibus quæ ex negotiorum gestione nascuntur, tam Directâ quàm Contrariâ.* ibid.
§ V. *De actione* Directâ *quæ domino negotii datur adversùs gestorem.* ibid.
§ VI. *De* Contrariâ *actione Negotiorum gestorum.* 852
§ VII. *APPENDIX De actione Funerariâ.* ibid.
ARTICULUS III. De Viciniâ, & actione Finium regundorum. ibid.
§ I. *De Viciniâ.* ibid.

Source : BIU Cujas

§ II. *De naturâ actionis* Finium regundorum; *propter quæ prædia, & inter quas personas locum habeat.* Pag. 853
§ III. *De officio judicis circa fines regendos; & de controversiis circa modum agrorum inter confines.* ibid.
§ IV. APPENDIX *De Pariete communi.* ibid.
ARTICULUS IV. De communione hereditatis, & cujusvis alterius rei. ibid.
§ I. *Inter quas personas locum habeat* Familiæ erciscundæ *judicium.* ibid.
§ II. *Inter quas personas detur actio* Communi dividundo. 854
§ III. *Quibus exceptionibus hæc judicia excludi possint, quoties & quandiù his agi possit, & quid contineant.* ibid.
§ IV. *Quæ res veniant dividendæ in* Familiæ erciscundæ *judicio.* ibid.
§ V. *Quæ veniant dividenda in* Communi dividundo *judicio.* ibid.
§ VI. *De divisionis ratione.* 855
§ VII. *De divisionis effectu.* ibid.
§ VIII. *De præceptionibus quæ veniunt in his judiciis; & maximè in* Familiæ erciscundæ *judicio.* ibid.
§ IX. *Quæ res in hæc judicia veniant, aliâ ex causâ quàm divisionis aut præceptionis.* ibid.
§ X. *De præstationibus personalibus; circa lucri aut damni, quod quis ex re communi sensit, communicationem.* 856
§ XI. *De aliis præstationibus personalibus quæ in his judiciis veniunt.* ibid.
§ XII. *De officio judicis circa præstationes personales.* ibid.
SECTIO IV. *De obligationibus quæ ex alieno Contractu aut Quasi-contractu descendunt.* ibid.
ARTICULUS I. De actione De Peculio. 857
§ I. *Ex quibus causis hæc actio detur in patrem aut dominum.* ibid.
§ II. *Qui* De Peculio *obligentur, & quandiù actio* De Peculio *duret.* ibid.
§ III. *Quid contineat actio* De Peculio. 858
§ IV. *Quæ deductiones ex peculio fiant in hâc actione.* ibid.
§ V. *An pluries* De Peculio *agi possit.* ibid.
ARTICULUS II. De actione De in rem verso. 859
§ I. *Quando huic sit locus.* ibid.
§ II. *Qualis sit actio* De In rem verso, *quandiù duret, & quid contineat.* ibid.
§ III. *Quibus & adversùs quos actio* De in rem verso *competat.* ibid.
ARTICULUS III. De actione Tributoriâ. 864
§ I. *Quando locus sit contributioni ex hoc Edicto.* ibid.
§ II. *Quid contribuendum sit, inter quos, & quomodo contributio fiat.* ibid.
§ III. *De ipsâ* Tributoriâ *actione.* ibid.
ARTICULUS IV. De actione Quod jussu. ibid.
ARTICULUS V. De Exercitoriâ *actione.* 861
ARTICULUS VI. De Institoriâ *actione.* ibid.
ARTICULUS VII. De aliis causis in quibus quæritur, an ex alieno contractu actio detur. 862
SECTIO V. *De Obligationibus quæ ex Delictis & Quasi-delictis nascuntur.* Pag. 862
ARTICULUS I. De Furto. ibid.
§ I. *De contrectatione ad substantiam Furti necessariâ.* ibid.
§ II. *De affectu furandi & lucri faciendi.* 863
§ III. *De eo quod ad substantiam furti requiritur, ut citra consensum domini fiat.* ibid.
§ IV. *Cujus rei furtum fiat; & quomodo, etiam* Usûs *aut* Possessionis, *ab ipso rei domino.* ibid.
§ V. *De Furtorum divisione, in* Manifestum & Non manifestum. 864
§ VI. *De Condictione furtivâ.* ibid.
§ VII. *De actione* Furti *pœnali.* 865
ARTICULUS II. De actione Vi *bonorum raptorum.* 866
ARTICULUS III. De damno injuriâ dato, quod per Legem Aquiliam vindicatur. ibid.
§ I. *Quod facti genus Lex Aquilia utroque Capite vindicet.* ibid.
§ II. *Quam cædem specialiter primum Caput Legis Aquiliæ vindicet.* 867
§ III. *Cui actio Legis Aquiliæ detur.* ibid.
§ IV. *Adversùs quos detur.* ibid.
§ V. *Quid veniat in hoc judicio.* ibid.
ARTICULUS IV. De aliis damni speciebus, ac præcipuè de servo corrupto. ibid.
ARTICULUS V. De Injuriis seu contumeliis. 868
§ I. *Quando injuria facta videatur.* ibid.
§ II. *De variis modis quibus fit injuria.* ibid.
§ III. *In quibus personis quis injuriam pati videatur; ubi de singulari illâ specie Injuriæ, quam per servum nostrum patimur.* 869
§ IV. *Quæ ad atrocitatem injuriæ conducan.* ibid.
§ V. *Quibus & adversùs quos detur actio Injuriarum; quomodo instituenda, quid in illâ veniat, & quando extinguatur.* ibid.
§ VI. *De singularibus quibusdam speciebus injuriæ.* 870
ARTICULUS VI. De Quasi maleficiis. ibid.
ARTICULUS VII. De actionibus quæ in aliquem ex alieno delicto dantur. ibid.
§ I. *De actionibus* Noxalibus *quæ ex servi delicto, in ejus dominum dantur servi nomine.* ibid.
§ II. *De actionibus quæ ex delicto familiæ dantur.* 871
§ III. *De actione quæ* De Pauperie *dicitur.* ibid.
§ IV. *De aliis actionibus quibus quis ex alieno delicto tenetur, & quidem suo nomine.* ibid.
SECTIO VI. *De Reis principalibus, de his qui alienæ obligationi accedunt, & de heredibus creditorum aut debitorum.* 872
ARTICULUS I. De pluribus ejusdem obligationis Reis principalibus seu Correis, *tam credendi quàm debendi.* ibid.
§ I. *Quomodo & in quibus contractibus fiant* Correi. ibid.
§ II. *De naturâ correorum.* 873
ARTICULUS II. De his qui alienæ obligationi accedunt. ibid.
§ I. *Cui obligationi possint* Mandatores & Fidejussores *accedere.* ibid.
§ II. *Pro quo obligatio contrahi possit.* ibid.

Source : BIU Cujas

§ III. *Cui Fidejussor aut mandator obligari possit necne.* Pag. 873
§ IV. *Quomodo Mandatoriæ aut Fidejussoriæ obligationes contrahantur, & cujus rei.* 874
§ V *Qualis esse debeat fidejussorum ac mandatorum obligatio, & ad quæ porrigi intelligatur.* ibid.
§ VI. *Quando conveniri possint fidejussores & mandatores.* ibid.
§ VII. *De beneficio* Divisionis *quod habent plures confidejussores, ex Constitutione Hadriani.* ibid.
§ VIII. *De beneficio* Cedendarum actionum. 875
§ IX. *De actione* Mandati *quam fidejussor mandator-ve qui solvit, habet contra reum principalem; & an habeat actionem contra confidejussores.* ibid.
§ X. *De duabus singularibus fidejussionis speciebus.* ibid.

ARTICULUS III. De Heredibus creditorum & debitorum. ibid.

SECTIO VII. *De Morâ, per quam perpetuantur obligationes; & de modis quibus extinguuntur.* 876

ARTICULUS I. Quando exigi possit quod ex quâvis obligatione debetur; & de Morâ. ibid.
§ I. *Quando Mora alicui fieri videatur.* ibid.
§ II. *De effectibus Moræ ex parte debitoris, & quando illa purgetur.* 877
§ III. *De morâ creditoris.* ibid.

ARTICULUS II. Regulæ generales circa distrahendas obligationes, sive ipso jure, sive per exceptionem. ibid.

ARTICULUS III. Solutione, seu præstatione naturali ejus quod debetur, necnon de obsignatione. ibid.
§ I. *Quis solvere possit, & cujus nomine solutio fieri debeat.* ibid.
§ II. *Cui solvi possit.* ibid.
§ III. *De adjectis solutionis gratiâ.* 878
§ IV. *Quid, ubi, & quando solvi debeat.* Pag. 878
§ V. *Quomodo solvi debeat.* 879
§ VI. *De solutionis effectu, & regulæ circa imputationem solutionum.* ibid.
§ VII. *De obsignatione.* ibid.

ARTICULUS IV. De liberatione quæ contingit ex interitu rei debitæ, aut ex eo quòd in eum casum devenerit quo non posset in obligationem deduci. ibid.

ARTICULUS V. De Novationibus. 880
§ I. *Quæ obligatio novari, & in quam obligationem prior transmitti possit.* ibid.
§ II. *Quis novare possit.* ibid.
§ III. *De formâ novationis, & animo novandi; item, an & quando per novam debitoris creditoris-ve personam novatio fieri possit.* ibid.
§ IV. *De Delegatione.* ibid.

ARTICULUS VI. De Acceptilatione. ibid.
§ I. *De naturâ Acceptilationis.* 881
§ II. *Quæ obligationes per* Simplicem *acceptilationem tolli possint, & quæ per* Aquilianam. ibid.
§ III. *Quid accepto ferri possit.* ibid.
§ IV. *Quis accepto ferre, & quis accepto rogare possit.* ibid.

ARTICULUS VII. De confusione obligationum, per hereditatis adquisitionem. ibid.

ARTICULUS VIII. De Capitis diminutione debitoris. 882

ARTICULUS IX. De Compensatione. ibid.
§ I. *Quando compensationi locus sit, & quæ debita excludat.* ibid.
§ II. *Quæ debita in compensationem adduci possint necne.* ibid.

ARTICULUS X. De Pactis De non petendo. ibid.
§ I. *Quæ generaliter pertineant ad tale pactum.* ibid.
§ II. *De singulari specie pacti,* De parte debiti non petendâ, *quod cum creditoribus suspectæ hereditatis interponitur.* 883

QUARTA PARS.

De Legis actionibus, ac præsertim de Judiciis. *Pag.* 883

CAPUT PRIMUM.

De præcipuis actionum divisionibus, & earum concursu; item de Exceptionibus quæ adversùs eas opponuntur, & de jure successorum tam in agendo quàm defendendo. Pag. 884

ARTICULUS I. Regulæ generales circa præcipuas actionum divisiones aut species. Pag. 884
ARTICULUS II. De Concursu actionum. 885
§ I. *Regulæ generales circa concursum actionum.* ibid.
§ II. *De concursu judicii civilis cum criminali, ex eodem delicto.* 886
ARTICULUS III. De Exceptionibus & replicationibus. ibid.
§ I. *Undè descendant, & ad quas personas porrigantur; item an possit quis pluribus exceptionibus uti.* 886
§ II. *Quando opponi debeant exceptiones.* ibid.
§ III. *De vi ac effectu exceptionum.* ibid.
ARTICULUS IV. De jure successorum in agendo aut excipiendo. ibid.

CAPUT

Source : BIU Cujas

CAPUT SECUNDUM.

De Exercitio judiciorum. Pag. 887

SECTIO I. *De Juriſdictione, & competentiâ Magiſtratuum.* Pag. 887
ARTICULUS I. De Juriſdictione. ibid.
§ I. *Quid pertineat ad juriſdictionem in genere, & de diſcrimine inter contentioſam & voluntariam.* ibid.
§ II. *De differentiâ eorum quæ de plano & per libellum, & eorum quæ pro tribunali expediuntur.* ibid.
§ III. *Ex quo incipiat, quando finiatur, & in quas perſonas ſe exerat imperium & juriſdictio Magiſtratuum.* ibid.
§ IV. *De Juriſdictione minus plenâ, qualis eſt Magiſtratuum municipalium.* ibid.
§ V. *De Juriſdictione mandatâ.* 888
§ VI. *De Juriſdictione prorogatâ.* ibid.
ARTICULUS II. De competentiâ Magiſtratuum. ibid.
§ I. *De foro competente ratione* Domicilii, *& de jure revocandi domum.* ibid.
§ II. *De foro competente ratione* Contractûs, *ſeu loci ubi contractum eſt.* 889
§ III. *De foro competente ratione Rei, ſeu loci ubi res ſita eſt.* ibid.
§ IV. *De foro competente ratione* Maleficii. ibid.
§ V. *Quis ſit judex competens ejus qui tanquam auctor convenitur, vel hereditario nomine.* ibid.
§ VI. *Quo tempore æſtimetur an forum ad quod quis vocatus eſt, ſit competens.* ibid.
SECTIO II. *De perſonis litigatorum inter quas judicium conſiſtere poſſit, & de eorum procuratoribus.* ibid.
ARTICULUS I. De Litigatoribus. ibid.
§ I. *Quæ perſonæ agere aut conveniri poſſint.* ibid.
§ II. *De actore & reo.* 890
ARTICULUS II. De procuratoribus per quos judicium ſuſcipitur. ibid.
§ I. *In quibus litibus dari poſſit procurator necne.* ibid.
§ II. *Qui poſſint dare procuratores.* ibid.
§ III. *Qui & quot procuratores dari poſſint necne, & quomodo dentur.* ibid.
§ IV. *Quæ requirantur ut quis admittatur ad agendum pro alio.* 891
§ V. *Quæ requirantur à procuratore rei.* ibid.
§ VI. *De effectu judicii per procuratorem accepti.* ibid.
SECTIO III. *De vocatione in Jus, & editione actionis: ubi de Feriis, per quas in Jus vocatus ſe ſiſtere non tenetur.* ibid.
§ I. *Quæ perſonæ vocari in Jus omninò non poſſint, quænam demùm cum veniâ Prætoris.* ibid.
§ II. *In quibus circumſtantiis quis vocari in Jus non debeat; & de* Feriis. 892
§ III. *Ex quo loco vocari aut trahi quis in Jus poſſit necne.* ibid.
§ IV. *De effectu in Jus vocationis.* ibid.
§ V. *De editione actionis.* ibid.
SECTIO IV. *De cautionibus quæ à litigatoribus, procuratoribus-ve eorum, ante judicium præſtandæ ſunt.* ibid.
ARTICULUS I. De cautione Judicio ſiſti. ibid.
ARTICULUS II. De cautione Rem ratam haberi. 893
§ I. *A quibus hæc cautio exigatur.* ibid.
§ II. *De cujus ratihabitione cavendum, & quando hæc cautio exigi poſſit.* ibid.
§ III. *Quando ſtipulatio* De Rato *committatur.* ibid.
§ IV. *An pro parte, an pluries hæc ſtipulatio committi poſſit, & in quid committatur.* ibid.
§ V. *Quando committatur & quid veniat in ſingulari ſpecie ſtipulationis* De rato, *quæ propter ſolutam procuratori pecuniam interponitur.* 894
ARTICULUS III. De cautione Judicatum ſolvi. ibid.
§ I. *Quis eam cautionem præſtare teneatur, & cui exhiberi poſſit.* ibid.
§ II. *Quæ requirantur ut committatur ſtipulatio* Judicatum ſolvi. ibid.
§ III. *Quando committatur hæc ſtipulatio.* ibid.
§ IV. *An pluries committi poſſit ſtipulatio* Judicatum ſolvi, *cui & in quem detur actio eâ commiſſâ, quid veniat in hâc actione, & quando ipſa ſtipulatio extinguatur.* 895
SECTIO V. *De Poſtulatione, & Advocatis.* ibid.
§ I. *Qui poſtulare poſſint necne.* ibid.
§ II. *De honore Advocatorum, & eorum officio.* ibid.
SECTIO VI. *De Litis conteſtatione, judicio conſtituendo, & ordine cognitionum.* 896
§ I. *Quæ res in judicium deduci poſſit, & quæ deducta intelligi debeat; item quando deduci videatur ſeu* Litis conteſtatio *fieri, & quis ſit hujus effectus.* ibid.
§ II. *Quis poſſit judicium dare aut denegare, & de judicibus datis.* ibid.
§ III. *De ordine cognitionum.* ibid.
SECTIO VII. *De diſceptatione cauſæ, probationibus & inſtrumentis.* 897
ARTICULUS I. De dilationibus, ſeu prolationibus diei quo quis ad diſceptandam cauſam judicio ſiſti debet. ibid.
ARTICULUS II. De Probationibus. ibid.
§ I. *Cui in diſceptatione cauſæ incumbat onus probandi.* ibid.
§ II. *Ex quibus rebus eruantur probationes.* ibid.
ARTICULUS III. De ſcripturis quæ ad probationem producuntur. ibid.
§ I. *Quæ inſtrumenta edenda ſint, & à quibus; ubi, & quomodo.* ibid.
§ II. *Quæ inſtrumenta fidem faciunt.* 898
ARTICULUS IV. De Teſtibus. ibid.
§ I. *Qui teſtes idonei ſint necne.* ibid.
§ II. *Quot teſtes ad probationem requirantur.* ibid.
§ III. *Qui cogantur necne ad teſtimonium ferendum; & de officio judicis in evocandis teſtibus, recipiendiſque teſtimoniis.* ibid.
ARTICULUS V. De his quæ probationum vice ſunt; ubi de præſumptionibus, & de jurejurando ſuppletorio ſeu judiciali. 899

Source : BIU Cujas

SECTIO VIII. *De Sententiis, & Eremodiciis.* Pag. 899
§ I. *De officio judicis in sententiâ ferendâ.* ibid.
§ II. *Quæ sententia vincat, quum judices dissentiunt.* 900
§ III. *Quæ vitia sententiam faciant injustam, aut generaliter ita nullam ut nec appellare necesse sit.* ibid.
§ IV. *De Eremodiciis, & Contumaciâ.* 901
§ V. *An & quatenùs valeat sententia contra absentem non contumacem, vel pro absente.* ibid.
SECTIO IX. *De Appellationibus.* ibid.
§ I. *De Appellationibus in genere.* ibid.
§ II. *A quibus judicibus, & qui judices appellentur.* ibid.
§ III. *A quibus sententiis vel decretis appelletur neene.* 902
§ IV. *Quæ personæ ad appellandum admittantur.* ibid.
§ V. *Ex quibus causis quis excludatur à provocatione.* ibid.
§ VI. *De formâ appellationis interponendæ.* ibid.
§ VII. *De tempore appellationis interponendæ.* ibid.
§ VIII. *De formâ & tempore recipiendæ appellationis.* 903
§ IX. *De effectu appellationis interpositæ.* ibid.
§ X. *Per quem causa appellationis agi possit.* ibid.
§ XI. *De officio judicis qui de appellatione cognoscit.* ibid.
§ XII. *Quibus appellatio prodesse possit.* Pag. 903
§ XIII. *Quando solvatur appellatio.* ibid.
SECTIO X. *De vario Jure quod in judiciis pro variâ eorum naturâ obtinet, circa fructus & usuras aliasque accessiones rerum summarumve in judicium deductarum.* ibid.
ARTICULUS I. De Fructibus. ibid.
§ I. *Regulæ generales circa fructus, item de jure bonæ fidei possessoris circa illos.* ibid.
§ II. *De Fructuum restitutione, in judiciis* In rem. 904
§ III. *De restitutione fructuum in actionibus* Personalibus. ibid.
ARTICULUS II. De Usuris. ibid.
§ I. *Quibus rebus usuræ possint accedere.* ibid.
§ II. *De modo usurarum.* 905
§ III. *Ex quâ demùm conventione, & quando etiam citra conventionem, usuræ debeantur.* ibid.
§ IV. *Quando sistantur usuræ necne.* ibid.
§ V. *De tacitæ remissionis usurarum conventionalium præsumptione.* ibid.
SECTIO XI. *De Edicto* Quod quisque Juris, *& de judicibus litem suam facientibus.* 906

CAPUT TERTIUM.

De termino judiciorum, seu Re judicatâ; *ubi & de speciebus quibusdam, Rei judicatæ affinibus.* Pag. 906
SECTIO I. *De Re judicatâ.* Pag. 906
ARTICULUS I. De immutabilitate Rei judicatæ. ibid.
ARTICULUS II. In quibus rebus, & inter quas personas efficax sit res judicata. ibid.
§ I. *In quibus rebus.* ibid.
§ II. *Inter quas personas.* 907
ARTICULUS III. De actione quam res judicata parit, & de rei judicatæ executione. ibid.
§ I. *De actione* Judicati. ibid.
§ II. *De executione rei judicatæ.* ibid.
ARTICULUS IV. De Beneficiis quæ judicatis indulgentur. 908
§ I. *De induciis quæ judicatis dantur.* ibid.
§ II. *De exceptione* Competentiæ; *seu beneficio quod ex personæ aut causæ qualitate conceditur, ut quis non ultrà quàm facere potest conveniatur.* ibid.
§ III. *De Beneficio cessionis bonorum.* ibid.
SECTIO II. *De quibusdam speciebus, rei judicatæ affinibus.* 909
ARTICULUS I. De confessis in Jure. ibid.
ARTICULUS II. De Transactionibus. ibid.
ARTICULUS III. De Jurejurando sive voluntario sive necessario. ibid.
§ I. *Quis deferre, & cui deferri jusjurandum possit, & ex quibus causis.* ibid.
§ II. *Quomodo deferatur jusjurandum, & de effectu delati jurisjurandi & relati.* Pag. 910
§ III. *Quod jusjurandum tueatur Prætor.* ibid.
§ IV. *De Jurejurando remisso.* ibid.
§ V. *De auctoritate & effectu Jurisjurandi præstiti aut remissi.* ibid.
§ VI. *Quibus personis Jusjurandum prosit vel noceat.* 911
ARTICULUS IV. De Compromissis. ibid.
§ I. *Quæ negotia in compromissum deducta intelligantur, & quæ in compromissum deduci non possint.* ibid.
§ II. *Qui compromittere possint necne, & in quem.* ibid.
§ III. *De liberâ potestate judicandi, & rem ad exitum perducendi, arbitris relinquendâ; & de pœnâ utrimque cavendâ.* ibid.
§ IV. *Quis recepisse arbitrium videatur, & de cogendo arbitro ad sententiam dicendam.* ibid.
§ V. *Quando videatur per alterum ex litigatoribus stetisse quominùs judicaretur, ut pœna adversùs eum committatur.* 912
§ VI. *Quando videatur quis non paruisse sententiæ arbitri, ut ex hâc causâ pœna adversùs eum committatur; & cui sententiæ stari debeat.* ibid.
§ VII. *De immutabilitate sententiæ arbitri, & ejus effectu.* ibid.

Source : BIU Cujas

CAPUT QUARTUM.

De ſingulis præcipuarum Actionum ſpeciebus. Pag. 913

SECTIO I. *De Actionibus* IN REM. Pag. 913

ARTICULUS I. De Hereditatis petitione. ibid.
§ I. *Adversùs quem competat.* ibid.
§ II. *Quæ res veniant in* Petitione hereditatis *restituendæ.* ibid.
§ III. *De præstationibus personalibus quæ veniunt in Petitione hereditatis.* ibid.
§ IV. *De actionibus quæ in judicium Petitionis hereditatis deducuntur, necne.* 914
§ V. *De deductionibus quæ possessori fiunt in judicio Petitionis hereditatis.* ibid.
§ VI. *Quandiù in hoc judicio quis bonæ fidei possessor fuisse intelligatur.* ibid.
§ VII. *De petitione partis hereditatis.* ibid.

ARTICULUS II. De Directâ *& civili rei vindicatione.* ibid.
§ I. *Quæ res vindicari possint necne.* ibid.
§ II. *Cui competat* Vindicatio; *& adversùs quem.* 915
§ III. *De Præparatoriis hujus judicii.* ibid.
§ IV. *Quæ veniant in hoc judicio.* ibid.
§ V. *De sumptibus possessori refundendis quos circa rem fecit.* ibid.

ARTICULUS III. De Publicianâ *In rem actione.* ibid.
§ I. *De superficiariâ* In rem *actione.* 916

ARTICULUS IV. De Hypothecariâ actione. ibid.

SECTIO II. *De actionibus* In personam *seu Condictionibus.* ibid.
§ I. *De Condictione* Certi. ibid.
§ II. *De Condictione* Triticariâ. ibid.
§ III. *De condictione ejus* Quod certo loco *dari oportet.* ibid.
§ IV. *De Condictione* Sine causâ. 917
§ V. *De Condictione* Causâ *datâ, causâ* non secutâ; *& de Condictione* Ex pœnitentiâ. ibid.
§ VI. *De Condictionibus* Ob turpem causam *dati,* & Ex injustâ causâ. ibid.
§ VII. *De Condictione dati* Ob Conditionem *implendam.* ibid.

SECTIO III. *De Actionibus revocatoriis eorum quæ in fraudem alicujus gesta sunt.* 918

ARTICULUS I. De Actione Paulianâ *seu revocatoriâ ejus quod in fraudem creditorum gestum est.* ibid.
§ I. *Quod & quale gestum revocetur.* ibid.
§ II. *De Fraudis eventu ad hanc actionem necessario.* ibid.
§ III. *Qui hâc actione teneantur.* ibid.
§ IV. *Quæ in hanc actionem veniant.* 919
§ V. *Quandiù hæc actio duret.* ibid.

ARTICULUS II. De Actionibus Calvisianâ *&* Favianâ. ibid.
§ I. *Quando locum habeant.* ibid.
§ II. *Quæ gesta à liberto, revocentur.* ibid.
§ III. *Quibus & adversùs quos hæ actiones competant, & in quid.* 919

SECTIO IV. *De Actionibus quæ ex variis restitutionis in integrum causis competunt.* Pag. 920

ARTICULUS I. De Restitutionibus in integrum in genere. ibid.

ARTICULUS II. De Vi ac metu. ibid.
§ I. *Quæ vis quis-ve metus restitutioni locum det, & per quas actiones succurratur metum passo.* ibid.
§ II. *De quâ re, adversùs quos detur actio* Quod metûs causâ, *& quid contineat.* ibid.

ARTICULUS III. De dolo malo. 921
§ I. *Quando detur actio* De dolo. ibid.
§ II. *Quæ observentur in actione* De dolo, *& contra quos detur necne.* ibid.
§ III. *De exceptione* Doli. ibid.
§ IV. *De Replicatione* Doli. 922

ARTICULUS IV. De ignorantiâ Juris aut facti. ibid.

ARTICULUS V. De restitutione quæ Minoribus viginti-quinque annis, in his in quibus capti sunt, indulgetur. ibid.
§ I. *Quibus hæc restitutio indulgeatur.* ibid.
§ II. *Adversùs quos restitutio in integrum Minoribus detur.* ibid.
§ III. *Ex quibus causis hæc restitutio detur aut denegetur.* 923
§ IV. *De formâ & effectu hujus restitutionis.* ibid.
§ V. *Quando cesset restitutio in integrum.* 924

ARTICULUS VI. De restitutione majorum viginti-quinque annis, ex causâ absentiæ aut alterius cujuslibet impedimenti. ibid.

PRIMA PARS EDICTI, *quâ absentes restituuntur.* ibid.
§ I. *Quibus subveniatur ex hâc Edicti parte.* ibid.
§ II. *Adversùs quos detur hæc restitutio.* ibid.
§ III. *In quibus & intra quod tempus restituantur personæ suprà dictæ, & quomodo.* 925

SECUNDA PARS EDICTI: *Quâ restitutio datur contra absentes, qui conveniri non potuerunt.* ibid.

TERTIA PARS EDICTI: *Quâ restitutio datur quum per Magistratûs factum, actio exempta est.* ibid.

ULTIMA PARS EDICTI: Si qua alia mihi justa causa videbitur. ibid.

ARTICULUS VII. De Alienatione Judicii mutandi causâ *factâ.* ibid.

SECTIO V. *De Actionibus aliarum actionum præparatoriis.* 926

ARTICULUS I. De Actione Ad exhibendum. ibid.

ARTICULUS II. De Interrogatoriis *actionibus.* ibid.
§ I. *Quibus casibus, & de quâ re his locus sit.* ibid.
§ II. *De effectu interrogationis in Jure.* ibid.
§ III. *Quæ requirantur ut ex falsâ in Jure responsione obligetur quis, & erga quem.* 927

Source : BIU Cujas

CAPUT QUINTUM.

De Interdictis. Pag. 927

SECTIO I. *De Interdictis in genere.* Pag. 927
§ I. *Divisiones & regulæ generales circa Interdicta.* ibid.
§ II. *Speciales regulæ circa Interdicta restitutoria, item annalia.* ibid.
SECTIO II. *De præcipuis singularibus Interdictorum speciebus.* 928
ARTICULUS I. De Interdictis de Vi. ibid.
§ I. *Quando locus sit Interdicto* Unde vi. ibid.
§ II. *Quando locus sit Interdicto* De vi armatâ. ibid.
§ III. *Circa quas res his Interdictis locus sit, & adversùs quem.* ibid.
§ IV. *Quid veniat in his Interdictis.* ibid.
ARTICULUS II. De Interdicto Uti possidetis. 929
§ I. *Quale sit, quando huic locus sit, & de quâ re.* ibid.
§ II. *Cui detur necne.* Pag. 929
§ III. *Quid veniat in hoc Interdicto.* ibid.
§ IV. *De Interdicto* De superficie. ibid.
ARTICULUS III. De Interdictis de usu servitutum. ibid.
ARTICULUS IV. De Interdicto Quod vi aut clàm. 930
§ I. *Quando videatur* Vi *aut* Clàm *factum.* ibid.
§ II. *Ad quæ opera hoc Interdictum pertineat.* ibid.
§ III. *Quibus hoc Interdictum competat.* ibid.
§ IV. *Qui hoc Interdicto teneantur, & quatenùs.* ibid.
§ V. *Quandiù duret; & an, & quibus exceptionibus excludatur.* 931
ARTICULUS V. De Precario. ibid.
§ I. *De naturâ Precarii.* ibid.
§ II. *De Interdicto* De precario. ibid.
ARTICULUS VI. De Interdictis De liberis exhibendis, & Ducendis. 932

CAPUT SEXTUM.

De quibusdam Remediis Prætoriis, quæ vice actionum sunt. Pag. 932

ARTICULUS I. De Operis novi nuntiatione. Pag. 932
§ I. *Ad quæ opera hoc Edictum pertineat.* ibid.
§ II. *Ex quibus causis fiat nuntiatio novi operis.* ibid.
§ III. *Cui competat Operis novi nuntiatio, & adversùs quem.* ibid.
§ IV. *Ubi, quando, cui, à quibus, & per quem, & quomodo, nuntiatio fieri debeat.* 933
§ V. *De effectu nuntiationis novi operis.* ibid.
§ VI. *Quibus modis extinguatur nuntiatio.* ibid.
ARTICULUS II. De stipulatione Damni infecti. ibid.
§ I. *Ad quas damni futuri species pertineat.* ibid.
§ II. *Quibus hæc cautio & à quibus debeatur, & quatenùs.* 934
§ III. *Qualis debeat esse stipulatio, quando committatur, & ad quæ porrigatur.* Pag. 934
§ IV. *De actione quæ ex stipulatione* Damni infecti *descendit.* ibid.
§ V. *Ad quos Magistratus pertineat cognitio de interponendâ stipulatione* Damni infecti, *& decreto de eâ re.* ibid.
§ VI. *De primo decreto, quo imperatur missio in possessionem ædium ejus qui non cavet.* ibid.
§ VII. *De secundo decreto quo missus in possessionem, ædes possidere & sibi habere jubetur.* 935
§ VIII. *De Damno dato, antequàm peteretur stipulatio* Damni infecti. ibid.
ARTICULUS III. De actione Aquæ pluviæ arcendæ. ibid.

CAPUT SEPTIMUM.

De criminalibus judiciis, sive Publicis, sive extraordinariis. Pag. 936

ARTICULUS I. De Accusationibus. Pag. 936
§ I. *Qui accusare possint necne, & qui accusari.* ibid.
§ II. *Apud quem Magistratum accusatio instituenda, & de eligendo inter plures accusatore, item de libello accusationis.* ibid.
§ III. *An per procuratorem quis stare in publico judicio possit.* 937
§ IV. *De Accusationis abolitione.* ibid.
§ V. *De Senatusconsulto Turpilliano contra tergiversatores accusatores.* ibid.
§ VI. *De Accusatore calumniatore, item de prævaricatore.* 938
§ VII. *De reo qui accusatorem corrupit.* ibid.
§ VIII. *Quando extinguatur accusatio, & an bis moveri possit.* ibid.
ARTICULUS II. (*Per errorem III. & sic de seqq.*) *De custodiâ reorum.* ibid.
ARTICULUS III. De quæstionibus tam testium quàm reorum. Pag. 938
§ I. *In quibus causis, & de quibus reorum aut testium personis quæstio habenda sit necne.* ibid.
§ II. *Pro quo & adversùs quem quis quæstioni subjici aut in testimonium admitti possit.* 939
§ III. *Quando ad quæstionem deveniendum.* ibid.
§ IV. *Quæ in quæstione observentur, & quæ sit ejus fides.* ibid.
ARTICULUS IV. De Pœnis. ibid.
§ I. *De Pœnis capitalibus.* ibid.
§ II. *De Relegatione.* 940
§ III. *De Pœnis quæ coercitionem corporis continent, item de pecuniariis.* ibid.
§ IV. *De Pœnis quæ in dignitatis depositione aut interdictione consistunt.* ibid.

§ V. *Quæ*

Source : BIU Cujas

§ V. *Quæ aliæ pœnæ reprobentur.* Pag. 940
§ VI. *Quomodo æſtimetur natura aut atrocitas criminis, in irrogandâ pœnâ.* ibid.
§ VII. *De æſtimando probationum modo.* 941
§ VIII. *An pœna relinquatur arbitrio judicis, & quomodo æſtimetur.* ibid.
§ IX. *De inſpiciendâ conditione perſonæ circa pœnam.* ibid.
§ X. *De executione pœnæ.* ibid.
§ XI. *De Pœnâ non obtemperantium augendâ.* ibid.
ARTICULUS V. De bonis damnatorum, & eorum qui ſibi mortem conſciverunt; & de cadaveribus eorum. ibid.
§ I. *Quando, ex quo tempore, & quæ bona damnatorum publicentur.* ibid.
§ II. *De his quæ à publicatione excipiuntur.* 942
§ III. *De bonis eorum qui ſibi mortem conſciverunt.* ibid.
§ IV. *De Cadaveribus damnatorum.* Pag. 942
ARTICULUS VI. De reis abſentibus & contumacibus. ibid.
ARTICULUS VII. De reſtitutione in integrum, capitalem Sententiam paſſis conceſſâ. ibid.
ARTICULUS VIII. De variis ſingularibus judiciorum publicorum ſpeciebus. 943
§ I. *De Crimine Majeſtatis.* ibid.
§ II. *De Lege Juliâ* DE *Adulteriis.* ibid.
§ III. *De Publicis judiciis Legis Juliæ* DE Vi. 944
§ IV. *De Lege Corneliâ* DE Sicariis, *veneficiis, incendiariis, &c.* ibid.
§ V. *De Lege Pompeiâ* DE Parricidiis. 945
§ VI. *De Lege Corneliâ* DE Falſis, *& Senatuſconſulto Liboniano; & variis* Falſi *ſpeciebus.* ibid.
§ VII. *De variis aliis publicis judiciis.* ibid.

QUINTA PARS.

De nonnullis Capitibus ad Jus Publicum pertinentibus.

CAPUT PRIMUM.

De Romano Principe, Magiſtratibus, eorum Legatis & Adſeſſoribus. p. 947

ARTICULUS I. De Romano Principe. Pag. 947
ARTICULUS II. De Provinciarum diſtinctione, & de officio Magiſtratuum præſertim provincialium. ibid.
ARTICULUS III. De Legatis, & Adſeſſoribus. Pag. 948
§ I. *De Legato Proconſulis.* ibid.
§ II. *De Adſeſſoribus, ſeu Juriſconſultis qui Magiſtratibus adſidebant.* ibid.

CAPUT SECUNDUM.

De Re militari. Pag. 949

§ I. *Qui poſſint nomen dare militiæ.* Pag. 949
§ II. *Quæ militibus interdicantur, & de delictis militaribus.* ibid.
§ III. *De Officio regentis exercitum.* Pag. 949
§ IV. *De variis miſſionibus ex militiâ.* ibid.

CAPUT TERTIUM.

De Fiſco, Civitatibus & Collegiis. Pag. 950

SECTIO I. *De Fiſco.* Pag. 950
ARTICULUS I. De privilegiis fiſci; & contrà, in quibus cauſis deteriori jure utatur; item quas dilationes det debitoribus. ibid.
ARTICULUS II. De Nuntiationibus ad fiſcum. ibid.
§ I. *Qui ſint, & qui poſſint eſſe delatores.* ibid.
§ II. *Intra quod tempus delationes admittantur.* 951
§ III. *De Delatoris obligatione, & ejus pœnâ ſi delationem non impleverit.* ibid.
§ IV. *De Officio judicis qui de delatione cognoſcit, & de pœnâ ejus qui delatorem corrupit.* ibid.
§ V. *De diſtractione rerum publicatarum.* ibid.
§ VI. *De his qui ſe deferunt.* Pag. 951
ARTICULUS III. De Vectigalibus. ibid.
§ I. *Pro quibus mercibus, à quibus & quale vectigal pendendum ſit.* ibid.
§ II. *De Pœnâ Commiſſi, ſeu confiſcationis, ob non profeſſas merces vectigali obnoxias, alias-ve cauſas; & de effectu Commiſſi.* 952
§ III. *De conductione vectigalium.* ibid.
SECTIO II. *De jure Univerſitatum, civitatum ſcilicet & collegiorum.* ibid.
ARTICULUS I. De earum naturâ & privilegiis; & quatenùs cuique liceat coire in collegium. ibid.

Source : BIU Cujas

§ I. *De naturâ Universitatum.* Pag. 952
§ II. *De Privilegiis universitatum, & maximè civitatum; & ad quæ non porrigantur.* ibid.
§ III. *Quatenùs cuique liceat coire in collegium.* 953
ARTICULUS II. De officio & obligatione curatorum Reipublicæ. ibid.
§ I. *De Officio curatoris.* ibid.
§ II. *Quatenùs ex facto curatoris Respublica obligetur.* ibid.
§ III. *De obligatione administratoris Reipublicæ.* ibid.
ARTICULUS III. De his qui accedunt obligationi curatoris. ibid.
§ I. *De Fidejussoribus & nominatoribus administratorum Reipublicæ.* ibid.
§ II. *De collegâ administratoris.* 954
§ III. *Quo ordine conveniantur qui obligationi administratoris accedunt.* ibid.
ARTICULUS IV. De Muneribus & honoribus civitatum. ibid.
§ I. *Quibus deferri possint honores & munera.* Pag. 954
§ II. *Quæ observari debeant circa nominationem ad honores & munera.* ibid.
§ III. *De necessitate obeundi muneris, & ex quo quis fungi possit.* ibid.
§ IV. *De causis quæ excusationem à muneribus tribuunt.* 955
§ V. *Immunitas à muneribus concessa, ad quas munerum species regulariter pertineat; & intra quas personas concludatur jus immunitatis.* ibid.
§ VI. *De immunitatis effectu.* ibid.
§ VII. *De munere legationis.* 956
ARTICULUS V. De Curiis municipiorum. ibid.
§ I. *Quo quisque ordine in Albo Curiæ scribatur, aut sententiam dicat; & quibus non competat jus suffragii.* ibid.
§ II. *De Decretis curiarum.* ibid.
ARTICULUS VI. De Operibus publicis civitatum. ibid.

FINIS INDICIS DIVISIONUM.

Source : BIU Cujas

PANDECTÆ
JUSTINIANEÆ,
IN NOVUM ORDINEM DIGESTÆ:

Cum legibus Codicis, & Novellis, quæ jus Pandectarum confirmant, explicant, aut abrogant.

DIGESTORUM SEU PANDECTARUM
PARTIS SEXTÆ SERIES.

LIBER TRIGESIMUS-NONUS.
TITULUS I.
DE OPERIS NOVI NUNTIATIONE.

JAM ferè absoluto tractatu actionum omnium quæ ex contractibus & quasi-contractibus oriuntur; quorum quasi-contractuum numero proximè recensitæ fuerunt Tutelæ, & Successiones tam civiles quàm Prætoriæ, Tribonianus antequàm transeat ad cæteras quæ adhuc supersunt actiones, & eas maximè quæ ex delictis nascuntur aut quasi-delictis, inferenda hîc putavit Juris remedia quædam sive civilis sive Prætorii, quæ vice actionum sunt & earum instar obtinent.

I.

Primum horum remedium, & quidem ex Edicto Prætoris descendens, est NOVI OPERIS NUNTIATIO; *de quâ in hoc Titulo agitur.*

Hoc Edicto permittitur (*Ita Haloander. Florent.* promittitur.) ut, sive jure sive injuriâ opus fieret (*a*), per Nuntiationem inhiberetur; deindè remitteretur prohibitio hactenùs, quatenùs prohibendi jus is quî nuntiassет non haberet. *l.* 1. ULP. LIB. 52. AD ED.

Nunc videamus quibus ex causis fiat Nuntiatio, & quæ personæ nuntient, quibusque nuntietur; & in quibus locis fiat Nuntiatio, & quis effectus sit Nuntiationis. *d. l.* 1. § 15.

Tria priora quæ spectant substantiam Nuntiationis Novi Operis, necnon alia quædam ad idem pertinentia, priori Sectione exponemus. In 2ª. *Agemus de hujus effectu, & de Interdicto quod parit. In* 3ª. *Videbimus quando extinguatur.*

(*a*) Quod alicujus interfit non fieri.

Source : BIU Cujas

SECTIO I.

De his quæ pertinent ad Operis Novi Nuntiationis ſubſtantiam.

Huc pertinent hæ quæſtiones : 1°. Cujus Operis causâ Nuntiatio fiat, & ex quibus cauſis : 2°. Cui competat, & adversùs quem : 3°. Quomodo fiat hæc Nuntiatio.

ARTICULUS I.

Propter quod Opus & ex quibus cauſis fiat Nuntiatio.

§ I.

Quale Opus ad hoc Edictum pertineat.

Circa opus quod ex hoc Edicto nuntiari poteſt ne fiat, quinque concurrere debent.

II.

1°. *Debet eſſe Opus quod aliquam jam Operis faciem habeat.*

Opus autem factum accipimus, non ſi unum vel alterum cæmentum fuit impoſitum (*a*); ſed ſi proponatur inſtar quoddam Operis, & quaſi facies quædam facta Operis. *l.* 21. § 3. ULP. LIB. 80. AD ED.

Non tamen neceſſe eſt ut jam appareat quodnam opus quis ædificet.

Poteſt autem quis nuntiare, etiam ignorans quod opus fieret. *l.* 1. § 8. IDEM LIB. 52. AD ED.

III.

Oportet 2°. *Ut illud Opus ſit quod ſolo conjunctum ſit.*

Hoc autem Edictum non omnia opera complectitur, ſed ea ſola quæ ſolo conjuncta ſunt; quorum ædificatio vel demolitio videtur Opus Novum continere. Idcircò placuit, ſi quis meſſem faciat, arborem ſuccidat, vineam putet, quanquam opus faciat, tamen ad hoc Edictum non pertinere; quia ad ea opera quæ in ſolo fiunt, pertinet hoc Edictum. *d. l.* 1. § 12.

IV.

Oportet 3°. *Ut ſit imperfectum.*

Hoc autem Edictum remediumque Operis Novi Nuntiationis, adversùs futura opera inductum eſt, non adversùs præterita; hoc eſt, adversùs ea quæ nondum facta ſunt, ne fiant. Nam ſi quid Operis fuerit factum, quod fieri non debuit; ceſſat Edictum de Operis Novi Nuntiatione; & erit tranſeundum ad Interdictum QUOD VI AUT CLAM FACTUM ERIT, ut reſtituatur; & QUOD IN LOCO SACRO religioſo-ve, & QUOD IN FLUMINE publico ripâ-ve publicâ factum erit. Nam his Interdictis reſtituetur, ſi quid illicitè factum eſt. *d. l.* 1. § 1.

V.

Oportet 4°. *ut ſit illud Opus quod priſtinam loci formam mutet.*

Nam is demùm Opus Novum facere videtur, qui aut ædificando aut detrahendo aliquid, priſtinam faciem Operis mutat. *d. l.* 1. § 11.

Quòd Si quis ædificium vetus fulciat; an Opus Novum Nuntiare ei poſſumus, videamus? Et magis eſt ne poſſimus: hic enim non Opus Novum facit, ſed veteri ſuſtinendo remedium adhibet. *d. l.* 1. § 13.

VI.

Denique oportet 5°. *Ut ſit illud Opus cujus mora nullum ſit periculum allatura.*

Hinc Si quis rivos vel cloacas (*Florent.* cloaces) velit reficere, vel purgare; Operis Novi Nuntiatio (*Malè aliàs* nuntiatione) meritò prohibetur: cùm publicæ ſalutis & ſecuritatis interſit (*b*) & cloacas & rivos purgari. *l.* 5. § 11. ULP. LIB. 52. AD ED.

Prætereà generaliter Prætor cætera quoque opera excepit; quorum mora periculum aliquod allatura eſt. Nam in his quoque contemnemdam putavit Operis Novi Nuntiationem. Quis enim dubitat multò melius eſſe omitti Operis Novi Nuntiationem, quàm impediri operis neceſſarii urgentem extructionem?

Toties autem hæc pars locum habet, quoties dilatio periculum allatura eſt. *d. l.* 5. § 12.

Proindè ſi quis, cùm opus hoc morâ periculum allaturum eſſe, Nuntiaverit Opus Novum; vel ſi in cloacis vel ripâ reficiendis aliquid fieret; dicemus apud judicem quæri debere, an talia opera fuerint ut contemni Nuntiatio deberet? Nam ſi apparuerit, vel (*c*) in cloacâ, rivo-ve, eo-ve cujus mora periculum allatura eſſet; dicendum eſt, non eſſe verendum ne hæc Nuntiatio (*d*) noceret. *d. l.* 5. § 13.

VII.

De cætero nil refert, ut poſſit Nuntiationi locus eſſe, in quo loco opus fiat. Sive autem vacuus (*e*) locus ſit ubi Nuntiatum eſt, ſive ædificatus; æquè huic Interdicto locus erit. *l.* 20. § 2. ULP. LIB. 71. AD ED.

Sive autem intrà oppida, ſive extra oppida in villis vel agris Opus Novum fiat, Nuntiatio ex hoc Edicto locum habet; ſive in privato ſive in publico opus fiat. *l.* 1. § 14. ULP. LIB. 52. AD ED.

In provinciali etiam prædio ſi quid fiat; Operi Novi Nuntiatio locum habebit. *l.* 3. ULP. LIB. 52. AD ED.

Item ſive qui in ſuo (ut videb. §°. ſeq.) ſive quis in noſtro ædificet. Sed & in ædes noſtras quis immittit aut in loco noſtro ædificet, æquum eſt nos Operis Novi Nuntiatione jus noſtrum nobis conſervare. *l.* 5. § 8. IBIDEM.

Meminiſſe autem oportebit, quotiens quis in noſtro ædificare, vel in noſtrum immittere vel projicere vult; melius eſſe eum, per Prætorem, vel per manum (id eſt, lapilli (*f*) ictum) prohibere, quàm Operis Novi Nuntiatione. Cæterùm (*g*) OPERIS NOVI NUNTIATIONE, POSSESSOREM EUM FACIEMUS CUI NUNTIAVERIMUS. Aut ſi in ſuo quid faciat quod nobis noceat, tunc Operis Novi denunciatio erit neceſſaria. Et ſi fortè in noſtro aliquid facere quis perſeverat, æquiſſimum erit Interdicto adversùs eum QUOD VI AUT CLAM aut UTI POSSIDETIS, uti. *d. l.* 5. § 10.

§ II.

Ex quibus cauſis Operis Novi Nuntiatio fiat.

VIII.

Et bellè Sextus-Pedius definiit, Triplicem eſſe cauſam Operis Novi Nuntiationis: aut naturalem, aut publicam, aut impoſititiam.

(*a*) Maranus tamen putat hùc non pertinere hunc textum, ſed ad ſtipulationem *de Opere reſtituendo* de quâ infrà Sect. 3. art. 2. cæterùm poſſe Opus Novum Nuntiari, etiamſi necdum quis ædificare cœperit, ſed duntaxat ſe accingat ad ædificandum. Non placet hæc Marani diſtinctio inter ipſam Nuntiationem, & ſtipulationem *de Opere reſtituendo*. Nam quodcumque Opus Nuntiari poteſt ne fiat, conſequens eſt ut de illo interponenda ſit ſtipulatio de Opere reſtituendo. Nec firmat Marani ſententiam lex 20. § 2. h. tit. ubi Nuntiari poſſe dicitur in loco *Vacuo*. Hìc enim *Vacuus* intelligendus eſt non in quo Opus novum nondum factum eſt, ſed qui ante Opus Novum factum *Vacuus* erat. Vide d. l. infrà N. 7. cum Notâ (*e*).

(*b*) Hoc maximè intererat; cùm Roma tot cloacis & aquæductibus abundaret, ut Plinius eam urbem *penſilem ſubterque navigatam* appellat, *Hiſt. nat.* XXXVI. 15.

(*c*) *Vel* pro *veluti*.

(*d*) Quia ſcilicet ſpernenda eſt.

(*e*) Id eſt; ſive locus in quo novum Opus fit, *ſit vacuus* putà ager aut area; ſive Opus fiat in loco jam ædificato, putà in ædibus.

(*f*) *Lapilli ictus* vel *jactus* in opus quod ædificabatur, ſolemne fuit apud Veteres ſymbolum prohibitionis. Unde ſi quis adversùs hanc noſtram prohibitionem ita ſignificatam, in noſtro quid facere pergat; Vi facere intelligitur: & locus eſt Interdicto QUOD VI AUT CLAM.

(*g*) Rationem hanc affert cur potiùs per ictum lapilli debeamus prohibere quum quis in noſtro aliquid ædificat, quàm per Operis Novi Nuntiationem; quia ſcilicet Opus Novum ei Nuntiando *poſſeſſorem eum facimus*. Sed quare eum poſſeſſorem facimus? Quia nempè receptum eſt ut hoc caſu poſſit oblatâ cautione de reſtituendo Opere pergere Opus, ut infra videbimus; per hanc autem pergendi Operis licentiam in poſſeſſione videtur conſtitui. Idem non obtinet, quum quis *per jactum lapilli* prohibetur: nec enim hoc caſu receptum videmus, ut oblatâ ſatisdatione permittatur ei ſatisdare; adeòque ita prohibitus, non conſtituitur poſſeſſor; ſed de poſſeſſione, Interdicto *Quod vi aut clàm* diſceptatur. Ita Wiſſenbachius: aliter Hotomannus Obſerv. II. 4.

Source : BIU Cujas

Naturalem, quum in noſtras ædes quid immittitur aut ædificatur in noſtro.

Publicam cauſam, quotiens Leges aut Senatuſconſulta Conſtitutioneſque Principum, per Operis Novi Nuntiationem tuemur.

Impoſititiam; quum quis, poſteaquàm jus ſuum deminuit, alterius auxit: hoc eſt, poſteaquàm ſervitutem ædibus ſuis impoſuit, contra ſervitutem fecit. *l.* 5. § 9. ULP. LIB. 52. AD ED.

Ita tamen ex causâ ſervitutis meo prædio debitæ Opus Novum Nuntiare in ſuo prædio ædificanti potero; ſi jus ſervitutis quod habeo, principaliter conſiſtat in jure prohibendi quominùs is ædificet: putà ſi is qui in ſuo ædificat, mihi debeat ſervitutem Altiùs non tollendi, *vel* Non officiendi luminibus. *Ex quâvis autem aliâ ſervitutis causâ, non poteſt is cui ſervitus debetur, nuntiare Novum Opus domino in ſuo ædificanti; etſi id quod ædificat, indirectè ſervituti noceat.*

V. G. Qui viam (*a*) habet, ſi Opus Novum Nuntiaverit adversùs eum qui in viâ ædificat; nihil agit. Sed ſervitutem vindicare non prohibetur (*b*). *l.* 14. JULIAN. LIB. 49. DIGEST.

X.

Cauſarum ex quibus Operis Novi Nuntiatio fit, diviſionem aliam tradit Ulpianus. Nuntiatio fit, aut juris noſtri conſervandi causâ, aut damni depellendi, aut publici juris tuendi gratiâ. *l.* 1. § 16. ULP. LIB. 52. AD ED.

Nuntiamus autem, quia jus aliquod prohibendi habemus; vel ut Damni infecti caveatur nobis, ab eo qui fortè in publico vel in privato quid molitur; aut ſi quid contra Leges, Edicta-ve Principum quæ ad modum ædificiorum facta ſunt, fiet: vel in ſacro vel in loco religioſo, vel in publico, ripâ-ve fluminis: quibus ex cauſis & Interdicta proponuntur. *d. l.* 1. § 17.

Quòd ſi quis in mare vel in littore ædificet, licèt in ſuo non ædificet, Jure tamen Gentium ſuum (*c*) facit. Si quis igitur velit ibi ædificantem prohibere; nullo jure prohibet: neque Opus Novum Nuntiare niſi ex unâ causâ poteſt, ſi fortè Damni infecti velit ſibi caveri. *d. l.* 1. § 18.

officiatur, aut proſpectui obſit. Non aliter autem pupilli rata habebitur Nuntiatio, quàm intercedente tutore auctore. *l.* 5. ULP. LIB. 52. AD ED.

Servo autem Opus Novum Nuntiari poteſt: ipſe verò nuntiare non poteſt, neque Nuntiatio ullum effectum habet. *d. l.* 5. § 1.

XI.

Juris noſtri conſervandi aut damni depellendi causâ Opus Novum Nuntiare poteſt, is ad quem res pertinet. *d. l.* 1. § 19.

Nimirùm Jus habet Opus Novum Nuntiandi, qui aut dominium aut ſervitutem (*d*) habet. *l.* 1. § 3. *ff. de Remiſſionib.* ULP. LIB. 71. AD ED.

Quòd Si ego ſuperficiarius ſim, & Opus Novum fiat à vicino; an poſſim Nuntiare? Movet, quòd quaſi inquilinus ſum. Sed Prætor mihi Utilem IN REM actionem dat: & ideò & ſervitutum causâ actio mihi dabitur (*e*), & Operis Novi Nuntiatio debet mihi concedi. *l.* 3. § 3. ULP. LIB. 52. AD ED.

Quinetiam Creditori cui pignoris nomine prædium tenetur, permittendum eſt de jure (id eſt, de ſervitute) Opus Novum Nuntiare. Nam ei Vindicatio (*f*) ſervitutis datur. *l.* 9. GAIUS AD EDICT. URBICUM TIT. DE OPER. NOVI NUNTIAT.

Similiter Ei quoque qui pignori fundum acceperit, ſcribit Julianus non eſſe iniquum detentionem (*g*) ſervitutis dari. *ſup. d. l.* 1. § *fin. ff. de Remiſſionib.*

XII.

Uſufructuarius autem Opus Novum Nuntiare ſuo nomine non poteſt, ſed procuratorio nomine (*h*) nuntiare poterit, aut vindicare uſumfructum ab eo qui Opus Novum faciat: quæ vindicatio præſtabit ei, quod ejus interfuit Opus Novum factum non eſſe. *l.* 1. § 20. ULP. LIB. 52. AD ED.

Si autem domino prædii nuntiaverit, inutilis (*i*) erit Nuntiatio. Neque enim ſicut adversùs vicinum, ita adversùs dominum agere poteſt Jus ei non eſſe invito ſe altiùs ædificare. Sed ſi hoc facto uſufructus deterior fiet, petere uſumfructum debebit. *l.* 2. JULIAN. LIB. 49. DIGEST.

Hanc eamdem de fructuario doctrinam alibi tradit idem Ulpianus. Item Juliano placet fructuario vindicandarum ſervitutum jus eſſe: ſecundùm quod, Opus Novum Nuntiare poterit vicino, & remiſſio utilis erit (*k*). Ipſi autem domino prædii ſi nuntiaverit, remiſſio inutilis erit. Neque ſicut adversùs vicinum, ita adversùs dominum agere poteſt jus ei non eſſe invito ſe altiùs ædificare. Sed ſi hoc facto uſusfructus deterior fiat, petere uſumfructum debebit. Idem Julianus dicit de cæteris quibus aliqua ſervitus à vicino debetur. *ſup. d. l.* 1. § 4. *ff. de Remiſſionib.*

ARTICULUS II.

Cui competat Operis Novi Nuntiatio, & adversùs quem.

§ I.

Cui competat.

X.

Juris publici tuendi causâ, Si in publico aliquid fiat, omnes cives Opus Novum Nuntiare poſſunt. *l.* 3. § *fin.* ULP. LIB. 52. AD ED.

Nam REIPUBLICÆ INTEREST, QUAMPLURIMOS AD DEFENDENDAM SUAM CAUSAM ADMITTERE. *l.* 4. PAUL. LIB. 48. AD ED.

De pupillo quæſitum eſt? Et Julianus libro duodecimo Digeſtorum ſcripſit; Pupillo non eſſe Operis Novi Nuntiationis executionem dandam, niſi ad ipſius privatum commodum res pertineat: veluti ſi luminibus ejus

(*a*) Ita Cujacius cujus ſententiam ſecutus ſum, has leges conciliat [Obſerv. I. 27.] rectiùs meo judicio quàm cæteri Interpretes; quorum alii diſtinguunt inter ſervitutes Urbanas, & Ruſticas; alii inter illas quæ in prohibendo, & eas quæ in patiendo conſiſtunt; alii inter continuas, & diſcontinuas.

(*b*) *Confeſſoria* enim competit adversùs quemcumque qui quomodocumque prohibet ſervitute uti; qualis eſt qui in viâ ædificat: ſuprà lib. 8. *Si ſerv. vindicet.* N. 2.

(*c*) Jure *Occupationis* locum ædificio ſuo occupatum *ſuum facit*: ut vid. in Inſtit. lib. 2. tit. 1.

(*d*) Id eſt, vel qui dominus eſt loci in quo Opus fit; vel qui ex conſtitutione ſervitutis jus habet prohibendi id quod quis in ſuo facit: putà ſi quis in ſuo altiùs ædificet, & ego habeam ſervitutem *Altiùs non tollendi* in ejus ædibus impoſitam. Vid. ſuprà N. 8.

(*e*) Vid. ſuprà lib. 8. *Si ſervit. vindicet.* N. 6.

(*f*) Ibidem vide.

(*g*) Cujacius rectè emendat, *petitionem.*

(*h*) Tanquam legitimus hâc in re domini procurator.

(*i*) Id eſt, nullo jure facta; & proindè abſque effectu. Cùm enim fructuarius adversùs extraneum Nuntiare non poſſit, niſi tanquam domini procurator; ſequitur quòd nullo jure Nuntiet adversùs ipſum dominum.

(*k*) Cujacius cenſet legendum *inutilis*, & contra mox infrà *utilis* pro *inutilis*. Nam [inquit] ſi ex Juliani ſententiâ operis novis nuntiatio tenuit; ergo perperàm & inutiliter remiſſa eſt: Obſerv. I. 16. Rectiùs Duarenùs, Wiſſenbachius & Maranus cenſent lectionem retinendam, ſenſumque hunc eſſe: Cùm *fructuarius jus habeat vindicandæ ſervitutis*, conſequens eſſe Julianus putat ut opus novum nuntiare poſſit vicino; proindèque *Remiſſio utilis erit*; id eſt neceſſe erit recurrere ad Prætorem ut remittat Nuntiationem: alioquin Nuntiatio tenebit. Sed cùm procuratorio duntaxat nomine jus habeat vindicandæ ſervitutis: [Vindicatio enim ſervitutum ſoli domino prædii competit; ſuprà lib. 8. Tit. *Si ſervit. vend.* N. 5.] conſequenter, ſi ipſi domino prædii Nuntiet; cùm hoc caſu ipſo Jure irrita ſit Nuntiatio, *remiſſio inutilis erit*, id eſt ſupervacaneum erit impetrare à Prætore ut eam remittat.

(*l*) A Vicino, non à Socio.

Source : BIU Cujas

habebit adversùs vicinum. Planè si unus nostrûm in communi loco faciat, non possum ego socius Opus Novum ei Nuntiare; sed eum prohibebo Communi dividundo judicio, vel per Prætorem (*a*). *l.* 3. § 1. ULP. LIB. 52. AD ED.

Quòd si socius meus in communi insulâ Opus Novum faciat, & ego propriam habeam cui nocetur; an Opus Novum Nuntiare ei possim? Et putat Labeo non posse nuntiare, quia possum eum aliâ ratione prohibere ædificare; hoc est, vel per Prætorem, vel per arbitrum Communi dividundo. Quæ sententia vera est. *d. l.* 3. § 2.

ARTICULUS III.

Quomodo fiat Operis Novi Nuntiatio.

Hæc quæstio plures alias sub se continet; nimirùm ubi & quibus diebus fieri possit, cui, & per quem fieri debeat, & quæ in eâ faciendâ observentur.

§ I.

Ubi & quibus diebus fiat.

XIV.

Nuntiationem autem IN RE PRÆSENTI faciendam meminisse oportebit, id est eò loci ubi opus fiat; sive quis ædificet, sive inchoet ædificare. *l.* 5. ULP. LIB. 52. AD ED.

Igitur Si quis fortè in foro, domino Opus Novum nuntiat; hanc Nuntiationem nullius esse momenti, exploratissimum est. IN RE enim PRÆSENTI, & penè dixerim ipso opere, hoc est in re ipsâ; Nuntiatio facienda est. Quod idcircò receptum est, ut confestim per Nuntiationem ab Opere discedatur. Cæterùm (*b*) si alibi fiat Nuntiatio; illud incommodi sequitur quòd, dum venitur ad Opus, si quid fuerit Operis per ignorantiam factum, evenit ut contra Edictum Prætoris sit factum (*c*). *d. l.* 5. § 4.

Cùm in re præsenti Nuntiatio fieri debeat; hinc quæsitum est, Si in pluribus locis Opus fiat, utrùm una Nuntiatio sufficiat; an verò plures sint necessariæ? Et ait Julianus libro quadragesimo-nono Digestorum; Quia in re præsenti fit Nuntiatio, plures Nuntiationes esse necessarias, & consequenter plures remissiones. *d. l.* 5. § 16.

XV.

Item Nuntiatio omnibus diebus fieri potest. *l.* 1. § 4. ULP. LIB. 52. AD ED.

§ II.

Cui fieri debet Nuntiatio.

XVI.

Nuntiari autem non utique domino oportet. Sufficit enim in re præsenti nuntiari ei qui in re præsenti fuerit; usque adeò ut etiam fabris vel opificibus qui eò loci operantur, Opus Novum Nuntiari possit. Et generaliter ei Nuntiari Opus Novum potest qui in re præsenti fuit, domini Operis-ve nomine. Neque refert quis sit iste, vel cujus conditionis, qui in re præsenti fuit. Nam & si servo nuntietur, vel mulieri vel puero vel puellæ; tenet Nuntiatio. Sufficiet enim in re præsenti Operis Novi Nuntiationem factam, sic ut domino possit renuntiari. *l.* 5. § 3. ULP. LIB. 52. AD ED.

Enimverò Operis Novi Nuntiatio in rem fit, non in personam. Et ideò furioso (*d*) & infanti fieri potest, nec tutoris auctoritas in eâ Nuntiatione exigitur. *l.* 10. ULP. LIB. 45. AD SABIN.

Cuilibet enim intelligenti (veluti fabro) nuntiatum, infantem & furiosum tenet. *l.* 11. PAUL. LIB. 11. AD SABIN.

Et adversùs absentes etiam, & invitos, & ignorantes, Operis Novi Nuntiatio procedit. *l.* 1. § 5. ULP. LIB. 52. AD ED.

Indè etiam sequitur quòd, Si plurium res sit in quâ Opus Novum fiat, & uni nuntietur; rectè facta Nuntiatio est, omnibusque dominis videtur denuntiatum. *l.* 5. § 5. IBID.

§ III.

Per quem fieri debet Nuntiatio.

XVII.

Nuntiatio fieri potest, non solùm per ipsum cui jus nuntiandi competit, sed per alium qui illius nomine nuntiet. Item Nuntiationem & nostro & alieno nomine facere possumus. *l.* 1. § 3. ULP. LIB. 52. AD ED.

Igitur Et tutor & curator Opus Novum rectè Nuntiant. *l.* 7. § 1. ULP. LIB. 52. AD ED.

Sed & Si procurator Opus Novum facientem prohibuerit, domino competit QUOD VI AUT CLAM Interdictum (*e*). *l.* 17. PAUL. LIB. 47. AD ED.

Ita tamen procurator nuntiare potest, si caveat de rato. Nam Qui procuratorio nomine nuntiaverit, si non satis dabit EAM REM DOMINUM RATAM HABITURUM, Nuntiatio omnimodo remittitur, etiamsi verus sit (*f*) procurator. *l.* 5. § 18. ULP. LIB. 52. AD ED.

XVIII.

Quòd Si plurium dominorum rei Opus noceat; utrùm sufficiet unius ex sociis Nuntiatio, an verò omnes nuntiare debeant? Est verius, unius Nuntiationem omnibus non sufficere; sed esse singulis Nuntiare necesse: quia & fieri potest ut nuntiatorum alter habeat, alter non habeat (*g*) jus prohibendi. *d. l.* 5. § 6.

§ IV.

Quæ observando sint in faciendâ Nuntiatione.

XIX.

1°. Qui nuntiat, necesse habet demonstrare in quo loco Opus Novum Nuntiet; scituro eo cui nuntiatum est, ubi possit ædificare, ubi interim abstinendum est.

Totiens autem demonstratio facienda est, quotiens in partem fit Nuntiatio. Cæterùm si in totum Opus fiat, non est necesse demonstrare, sed hoc ipsum dicere. *d. l.* 5. § 15.

2°. Qui Opus Novum Nuntiat, si quid Operis jam factum erit, in testationem referre debet; ut appareat quid postea factum sit. *l.* 8. § 1. PAUL. LIB. 48. AD ED.

Sed ut probari possit quid postea ædificatum sit, modulos sumere debet is qui nuntiat; qui ut sumantur conferanturque, Prætor decernere solet. *d. l.* 8. § 5.

XX.

Nuntiatio ex hoc Edicto nonhabet necessariam Prætoris aditionem: potest enim nuntiare quis, etsi eum non (*h*) adierit. *l.* 1. § 2. ULP. LIB. 52. AD ED.

Cæterùm Et post Operis Novi Nuntiationem committunt se litigatores Prætoriæ jurisdictioni. *d. l.* 1. § 9.

(*a*) Id est, extra ordinem; si fortè res non patiatur moras ordinarii judicii *Communi dividundo*. Vide Zazium ad h. t. vide & l. 28. ff. *Comm. divid.* & Cujac. ad d. l. apud. Papin.

(*b*) Alioquin.

(*c*) Adeòque restituere deberet qui fecit. Quod esset iniquum; cùm damnari non debeat, qui non deliquit & ignorans fecit.

(*d*) Scilicet si furiosi aut infantis nomine edificetur aliquid: possum Opus Novum Nuntiare huic furioso aut infanti; denuntiando, non quidem huic infanti furioso-ve qui nihil intelligit; sed alicui intelligenti, putà Fabro quem nomine furiosi operantem invenero.

(*e*) Item etiam Interdictum restitutorium de quo infrà Sect. seq.

(*f*) Dubitari tamen posset de ejus mandato.

(*g*) Putà, quia ille permiserit ædificare.

(*h*) Maranus hâc in re *Nuntiationem novi operis* comparat cum *In Jus vocatione*. Utraque fit à privatis, non adito Prætore, absque ullo Officialium ministerio: & quemadmodum edicit Prætor, IN JUS VOCATUS UT EAT, AUT SATISDET; ita etiam edicit, IS CUI NUNTIATUM EST NOVUM OPUS, INTARIM ABSTINEAT OPERE, AUT SATISDET. Verùm ex hâc eâdem comparatione Maranus colligit, his personis quæ citra veniam Prætoris *in Jus vocari* non poterant, nec potuisse citra hanc veniam *Novum opus nuntiari*: proindèque hoc casu *Jussum Prætoris* intervenire debuisse, de quo in l. 16. h. tit. infrà N. 28. His autem quæ omnimò non poterant in Jus vocari, quales erant Magistratus dum in magistratu essent, nec etiam potuisse interim Opus novum nuntiari: ut in l. 5. § 7. mox infrà N. seq.

Source : BIU Cujas

Nimirùm ut cognoſcat an Nuntiatio remitti debeat necne, & interim interdicat ne continuetur Opus. Sed hæc ad effectum Nuntiationis pertinent, de quo in Sectione ſeq.

XXI.

Obſervandum ſupereſt Nuntiationem, quum ſtatim fieri non poteſt, ſuppleri per teſtationem : putà ſi quis non habeat copiam nuntiandi vicino ædificanti, fortè quòd intercluſus ſit aditus.

Item Si quis ipſi Prætori (*a*) velit Opus Novum nuntiare; debet (*b*), ut interim teſtetur non poſſe ſe nuntiare. Et, ſi nuntiavit poſteà, & quod retrò ædificatum erit, deſtruendum erit; quaſi repetito (*c*) die Nuntiatione factâ. *l.* 5. § 7. ULP. LIB. 52. AD ED.

SECTIO II.

De effectu Nuntiationis Novi Operis, & de Interdicto reſtitutorio quod parit.

XXII.

Sed ſi is cui Opus Novum Nuntiatum eſt, antè remiſſionem ædificaverit; deindè cœperit agere JUS SIBI ESSE ITA ÆDIFICATUM HABERE; Prætor actionem ei negare debet, & Interdictum in eum de opere teſtituendo reddere. *l.* 1. § 7. ULP. LIB. 52. AD ED.

Enimverò prætor ait : » QUEM IN LOCUM nuntia» tum eſt, ne quid Operis Novi fieret; quâ de re « agitur, quòd in eo loco, antequàm Nuntiatio miſſa (*d*) » fieret aut in eâ causâ eſſet ut remitti deberet, » factum eſt; id reſtituas. » *l.* 20. ULP. LIB. 71. AD ED.

§ I.

Cujus Operis reſtituendi cauſâ hoc Interdictum competat.

XXIII.

Interdictum hoc proponitur ex hujuſmodi cauſis : Edicto expreſſum eſt ne poſt Operis Novi Nuntiationem quidquam Operis fiat, antequàm vel Nuntiatio miſſa fiat, vel vice Nuntiationis miſſæ ſatiſdatio de Opere reſtituendo fuerit interpoſita. Qui igitur facit, etſi jus faciendi habuit, tamen contra Interdictum (*e*) Prætoris facere videtur; & ideò hoc deſtruere cogitur. *d. l.* 20. § 1.

Enimverò Ait Prætor, QUOD FACTUM EST RESTITUAS. Quod factum eſt, jubet reſtitui : neque intereſt jure factum ſit an non. Sive jure factum eſtſive non jure factum eſt, Interdictum locum habebit. *d. l.* 20. § 3.

Quidquid autem ante remiſſionem fit, vel illud quod loco remiſſionis habetur (*f*), pro eo habendum eſt atque ſi nullo jure factum eſſet. *d. l.* 20. § 4.

XXIV.

Maximè autem debet huic Interdicto locus eſſe, ſi Prætor aditus eſt qui vetaret Opus interim peragi. Nam Qui vetante Prætore fecit, hic adversùs Edictum feciſſe propriè dicitur. *l.* 102. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 1. AD EDICT.

§ II.

Quale ſit hoc Interdictum, cui & adversùs quem competat.

XXV.

Hoc Interdictum perpetuò datur, & heredi (*g*) cæteriſque ſucceſſoribus competit. *l.* 20. § 6. ULP. LIB. 71. AD ED.

XXVI.

Adversùs ipſum qui Opus fecit vel factum ratum habuit, Interdicto locus erit. *d. l.* 20. § 7.

Nec ad rem pertinet cujus ſolum ſit in quo Opus fiat; ſed quis ejus ſoli poſſeſſor inveniatur, modò ſi ejus nomine Opus fiat. *l.* 18. § 1. PAPIN. LIB. 3. QUÆST.

Nec refert etiam an ipſe ſit cui Nuntiatio facta eſt, an ejus ſucceſſor.

Undè Javolenus in ſpecie ſequenti. Is cui Opus Novum Nuntiatum erat, vendidit prædium : emptor ædificavit. Emptorem an venditorem teneri putas, quòd adversùs Edictum factum ſit? Reſpondit : Quum Operis Novi Nuntiatio facta eſt; ſi quid ædificatum eſt, emptor, id eſt dominus Prædiorum, tenetur (*h*) : quia Nuntiatio Operis non perſonæ fit; & is demùm obligatus eſt, qui eum locum poſſidet in quem Opus Novum Nuntiatum eſt. *l.* 23. JAVOLEN. LIB. 7. EPISTOLAR.

Ædibus communibus ſi ob Opus Novum Nuntiatio uni (*i*) fiat; ſi quidem ex voluntate omnium Opus fiat, omnes Nuntiatio tenebit (*k*) : ſi verò quidam ignorent, in ſolidum obligabitur qui contra Edictum Prætoris (*l*) fecerit. *l.* 18. PAPIN. LIB. 3. QUÆST.

Similiter Ulpianus. Sed ſi unus ædificaverit poſt Operis Novi nuntiationem; alii qui non ædificaverint, non tenebuntur. Neque enim debet nocere factum alterius ei qui nihil fecit. *l.* 5. § 5. ¶ *ſed ſi.* ULPIAN. LIB. 52. AD ED.

XXVII.

Planè ſi quæratur an in heredem ejus qui opus fecit, Interdictum hoc competat; ſciendum eſt Labeonem exiſtimaſſe, in id quod ad eum pervenit duntaxat dari oportere, vel ſi quid dolo malo per ipſum factum ſit quominùs pervenerit. Nonnulli putant actionem IN FACTUM eſſe dandam, quàm (*m*) Interdictum. Quod verum eſt. *l.* 20. § 8. ULP. LIB. 71. AD ED.

Quatenùs autem teneatur heres, ita Marcellus definit. Cui Opus Novum Nuntiatum eſt, ante remiſſam Nuntiationem opere facto deceſſit. Debet heres ejus patientiam deſtruendi Operis adverſario præſtare. Nam & in reſtituendo hujuſmodi opere, ejus qui contra Edictum fecit pœna verſatur : porrò autem in pœnam heres non ſuccedit. *l.* 22. MARCELL. LIB. 15. DIGEST.

SECTIO III.

Quomodo extinguatur Nuntiatio Novi Operis.

Nuntiatio Novi Operis extinguitur remiſſione, cautione datâ vel oblatâ, & quibuſdam aliis modis.

ARTICULUS I.

De remiſſione.

XXVIII.

Extinguitur Nuntiatio Novi Operis, ſi à Prætore remiſſa

(*a*) Novum opus ædificanti.

(*b*) Supple : expectare donec magiſtratu abeat, ita tamen *ut interim*, &c. Et verò Prætor dum in magiſtratu eſt, ut nec in Jus vocari poteſt, ita nec ei Nuntiari poteſt.

(*c*) Id eſt, diem factæ denuntiationis retrotrahendo ad diem hujus teſtationis.

(*d*) Id eſt, remiſſa.

(*e*) Cujacius legendum cenſet *Edictum* : Obſerv. V. 17.

(*f*) Scilicet ſatiſdationem.

(*g*) Nec obſtat quod dicitur infrà N. 43. Nuntiationem Novi Operis morte ejus qui Nuntiavit finiri. Vide ibi ſolutionem.

(*h*) Scilicet ut in tollendo Opere patientiam exhibeat. De impenſis autem actione *In factum* convenietur venditor, qui dolo judicii mutandi causâ alienavit, l. 3. ff. *de Alien. jud. mut.* quam vide ſuo Titulo. N. 7.

(*i*) Quæ Nuntiatio perindè valet atque ſi omnibus facta eſſet : ut vid. ſuprà N. 16.

(*k*) Id eſt [ut interpretatur Cujacius] omnes quorum voluntate factum eſt opus, poſt Nuntiationem tenebuntur Interdicto reſtitutorio ut ſuis ſumptibus reſtituant Opus.

(*l*) Cæteri qui ignoraverunt, aut citra quorum voluntatem Opus factum eſt, non tenebuntur Interdicto; niſi fortè in id duntaxat ut patientiam præſtent.

(*m*) Id eſt [ut Cujacius interpretatur] *potiùs quàm* illud *Interdictum* reſtitutorium. In Vulgatâ legitur, *tam actionem In factum* : quam lectionem Cujacius improbat. Hæc vox *tam* abeſt à Codice Florentino.

Source : BIU Cujas

*fuerit. Igitur et*Si Opus Novum Prætor jusserit (*a*) nuntiari deindè prohibuit; ex priore renuntiatione agi non potest, quasi adversùs dictum ejus factum sit. *l.* 16. ULP. LIB. 13. AD ED.

XXIX.

In hâc cognitione an Nuntiatio remitti debeat necne; is qui nuntiavit Opus, partes ACTORIS *sustinet; is qui remitti desiderat, partes* REI : *juxta regulam,* IN OPERIS autem Novi Nuntiatione possessorem adversarium (*b*) facimus. *l.* 1. § 6. ULP. LIB. 52. AD ED.

Hinc Qui remissionem absentis nomine desiderat, sive ad privatum sive ad publicum jus ea remissio pertinet, satisdare (*c*) cogetur: sustinet enim partes defensoris. Sed hæc satisdatio non pertinet ad ratihabitionem, sed (*d*) ad Operis Novi Nuntiationem. *l.* 5. § 19. ULP. LIB. 52. AD ED.

Contrà procurator Nuntiatoris, qui remissionem desideranti contradicit, sustinet partes actoris; & ideò debet cavere de rato. Cujus rei rationem elegantem ita affert Julianus: Si in remissione à parte ejus qui Opus Novum nuntiaverat, procurator interveniat; id agere Prætorem oportet, ne falsus procurator (*e*) absenti noceat: cùm sit (*f*) indignum, quolibet interveniente beneficium Prætoris (*g*) amitti. 13. JULIAN. LIB. 41. DIGEST.

XXX.

In hâc cognitione Qui Opus Novum nuntiat, jurare debet non calumniæ causâ Opus Novum nuntiare. Hoc jusjurandum auctore Prætore defertur : idcircò non exigitur ut juret is antè (*h*) qui jusjurandum exigat. *l.* 5. § 14. ULP. LIB. 52. AD ED.

XXXI.

In hâc cognitione summatim dispicitur, an qui nuntiavit jus prohibendi habeat.

Enimverò Ait Prætor : » QUOD JUS SIT ILLI prohi» bere ne se invito fiat, in eo Nuntiatio teneat. Cæ» terùm Nuntiationem missam facio. » *l.* 1. *ff. de Remission.* ULP. LIB. 71. AD ED.

Sub hoc Titulo remissiones proponuntur. *d. l.* 1. § 1.

Et verba Prætoris ostendunt remissionem ibi demùm factam, ubi Nuntiatio non tenet : & Nuntiationem ibi demùm voluisse Prætorem tenere, ubi jus est nuntianti prohibere ne se invito fiat. Cæterùm sive satisdatio interveniat, sive non, remissio facta hoc tantùm remittit in quo non tenuit Nuntiatio. *d. l.* 1. § 2.

Obiter nota. Planè si satisdatum est, exindè remissio facta (*i*) est; non est necessaria remissio. *d.* § 2. ¶ *planè.*

XXXII.

Observandum superest; Sententiam super eâ cognitione latam, legitimis actionibus Confessoriæ *nimirùm aut* Negatoriæ *de servitutibus, non præjudicare.*

Hoc est quòd ait Paulus : Sciendum est, denegatâ exsecutione Operis Novi, nihilominùs integras legitimas actiones manere : sicut in his quoque causis manent, in quibus ab initio Operis Novi denuntiationem Prætor denegat (*k*). *l.* 19. PAUL. LIB. 8. QUÆST.

Hic autem breviter quærendum, 1°. *An semper satisdandum sit, an verò aliter rectè caveatur :* 2°. *Quid ex hâc cautione consequatur is cui Opus Nuntiatum est :* 3°. *Cui & à quo hæc cautio exhibenda sit :* 4°. *Quando & in quid committatur.*

Quæstio I.

Qualis debeat esse hæc cautio.

XXXIII.

Hâc in re interest ex quâ causâ Nuntiatio facta fuerit. Nam Si, quum possem te jure (*l*) prohibere, Nuntiavero tibi Opus Novum; non aliàs jus ædificandi habebis quàm si satisfecederis. *l.* 8. § 2. PAUL. LIB. 48. AD ED.

Quòd si Nuntiavero tibi, ne quid contra Leges in loco publico facias; promittere debebis : quoniam de eo opere, alieno jure contendo, non meo; & tanquam alieni juris petitor, repromissione contentus esse debeo. *l.* 8. § 3. PAUL. 48. AD ED.

Quæstio II.

Quid ex cautione datâ vel oblatâ consequatur is cui Novum Opus Nuntiatum est.

XXXIV.

Is cui Novum Opus Nuntiatum est, per hanc cautionem consequitur ne Nuntiatio Operis extinguatur.

Enimverò Si is cui renuntiatum erit, ex Operis Novi Nuntiatione satisfecederit, repromiserit-ve (*m*), aut per eum non fiet quominùs boni viri arbitratu satisfiet repromittat-ve; perindè est ac si Operis Novi Nuntiatio omissa esset. Habet autem hoc remedium utilitatem : nam remittit vexationem ad Prætorem veniendi, & desiderandi ut missa fieret Nuntiatio. *l.* 5. § 17. ULP. LIB. 52. AD ED.

Et rursùs. Stipulatio de Operis Novi Nuntiatione interponi solet, quoties vicinus dicit jus sibi esse prohibere vicinum Opus Novum invito se facere. *l.* 21. IDEM LIB. 80. AD ED.

Si quis autem vult post Opus Novum Nuntiatum impunè ædificare; offerre debet satis nuntiatori. Quod si fecerit, utrique consultum est; tam ei qui nuntiavit, quoniam cautum habet de opere restituendo; quàm ei cui Nuntiatum est, quia molitio ejus non impeditur. Antequàm enim caveat; quidquid ædificaverit, interdicto restitutorio destruere compellitur. *d. l.* 21. § 1.

Consonat quod ait Paulus. Sciendum est, (*Florent.* sit) factâ Operis Novi Nuntiatione, cui nuntiatum est, abstinere oportere donec caveat, vel donec remissio Nuntiationis fiat. Tunc enim si quis jus ædificandi (*n*) habet, rectè ædificabit. *l.* 8. § 4. PAUL. LIB. 48. AD ED.

Sed & Si quis paratus fuerit satisdare, deindè actor stipulari noluit; in eâ causâ est, ut remitti debeat. Nam, cùm per actorem fiet, apparet in eâ causâ esse ut remitti debeat. *l.* 20. § 5. 71. AD ED.

ARTICULUS II.

De cautione datâ Nuntiatori vel oblatâ, de restituendo Opere si ita judicatum fuerit; & de Interdicto prohibitorio quod datur ei qui hanc cautionem exhibuit.

§ I.

Expenduntur ea quæ pertinent ad hanc cautionem.

Pro remissione est satisdatio, ut modò obiter vidimus.

(*a*) Ex abundanti jussus Prætoris hîc interveniisse vulgò creditur : neque enim necesse est adire Prætorem ad Nuntiandum Opus Novum; ut vid. suprà N. 20. Vel dicendum est ex Marani sententiâ [*Ibid.* suprà relatâ] ideò in hâc specie jussum Prætoris interveniisse, quia his personis Nuntiatum fuerat quibus citra veniam Prætoris Nuntiari non potest.

(*b*) Suprà N. 7. cum Not. (*g*).

(*c*) *Judicatum solvi.*

(*d*) Id est, non debet satisdare de rato; cùm non actoris, sed rei sit procurator: sed debet satisdare de restitutione Operis quod Nuntiatum est, si judicatum fuerit illud restituendum esse. Quæ cautio, est cautio *Judicatum solvi.*

(*e*) Scilicet *ne noceat* ipsi remissio, interveniente falso procuratore ejus concessa, quominùs possit restitutorio Interdicto agere, perindè atque si remissa non esset Nuntiatio.

(*f*) Hîc aliquid desiderari videtur; putà *& ideò qui remissionem desiderat, rectè ab eo procuratore desiderabit caveri ipsi* DE RATO : *cùm sit, &c.*

(*g*) Id est, beneficium remissionis. Hoc beneficium ædificator amitteret, si non ipsi *de rato* caveretur; quandoquidem Nuntiator qui factum falsi procuratoris non ratum habuisset, posset hâc remissione insuper habitâ, agere Interdicto ad Operis demolitionem : ut modò diximus.

(*h*) Ut is qui exigit jusjurandum, ipse prior *ante juret.*

(*i*) Perindè est ac si remissio facta esset; adeòque non est necessaria remissio.

(*k*) Fortè quia res moram non patiebatur.

(*l*) Id est, meo privato jure.

(*m*) Quando satisdandum, quando duntaxat repromittendum sit; suprà mox vidimus.

(*n*) Nam si jus non habet; interim quidem licentiam consequetur ædificandi, sed in judicio petitorio victus destruere tenebitur.

Source : BIU Cujas

Hæc cautio exhibita ei qui datâ cautione DE RATO *alieno nomine Nuntiavit, non obſtat quidem quominùs dominus nuntiare iterùm poſſit; ſed ſi nuntiaverit, committitur cautio de rato.*

Hoc docet Ulpianus. Ita ille : Quum (*a*) procurator Opus Novum nuntiat, & ſatiſdat rem ratam dominum habiturum; & remiſſio in domini perſonam confertur. *l.* 13. JULIAN. LIB. 41. DIGEST.

Si dominus Opus Novum Nuntiaverit, intrà diem quæ ſtipulatione ex Operis Novi Nuntiatione interpoſitâ (*b*) comprehenſa eſſet, committitur ſtipulatio (*c*): ſi præteritâ eâ die dominus nuntiaverit, non committitur. Nam (*d*) & ipſi domino, quum ſemel nuntiaverit, non permittitur iterùm nuntiare; quandiù ſtipulatio ex Operis Novi Nuntiatione teneret. *d. l.* 13. § 1.

Ex hactenùs dictis liquet Jure Pandectarum extingui potuiſſe citra Prætorem, Nuntiationem Novi Operis; præſtitâ vel oblatâ nuntiatori cautione de reſtituendo opere. Juſtinianus verò conſtituit, ut Operis Novi Nuntiationes Præfectus Urbi, & in provinciis Præſides intrà tres menſes dirimerent; & ſi ambiguam cauſam invenirent, remedium cautionis adhiberent, ut is cui nuntiatum eſt, eâ præſtitâ pergendi operis licentiam haberet. l. un. Cod. de Nov. oper. nunt.

Quæſtio III.

Cui & à quo exhiberi debet hæc cautio.

XXXV.

Hæc cautio nuntiatori exhibetur ab eo qui ædificat. Verùm Quæſitum eſt, ſi plures domini ædificent, an omnes cavere debeant? Et ait Labeo, Unum (*e*) cavere debere; quia reſtitutio operis fieri pro parte non poſſit. *l.* 21. § 5. ULP. LIB. 80. AD ED.

Idem ait; Etſi plures nuntient, curandum eſſe ut uni caveatur, ſi inter eos conveniat. Planè ſi non conveniat, & ſingulis erit cavendum. *d. l.* 21. § 6.

Idem dicit; Adjiciendum eſſe in ſtipulatione, ut tantùm præſtetur quanti uniuſcujuſque interſit, ſi hoc maluerint. Cæterùm ſi ita fuerit (inquit) cautum, QUANTI EA RES ERIT; dubitabitur utrùm ad totius corporis æſtimationem hæc verba referuntur, an verò ad quod ejus intereſt qui ſtipulatur? Ego puto, etſi ſic fuerit uni cautum QUANTI EA RES ERIT, defendi poſſe ſtipulationem ſufficere (*f*): ad operis enim quantitatem ea refertur. *d. l.* 21. § 7.

Quæſtio IV.

Quando & in quid committatur hæc cautio.

XXXVI.

Habet autem iſta ſtipulatio conditionem, ut ita demùm committatur ſi judicatum fuerit; ſive ante rem judicatam cauſa quæ acciderit (*g*), neque res defendatur. Et de dolo malo ſubjicitur clauſula (*h*). *d. l.* 21. § 2.

XXXVII.

Sive autem res judicetur, ſive res non defendatur: ſtipulatio in id committitur, ut res viri boni arbitratu reſtituatur. *d. l.* 21. §. 4

Id eſt, ut non ſolùm reſtituatur ſeu tollatur Opus: ſed etiam reſtituatur omnis utilitas quam habiturus fuiſſet actor ſi opus factum non eſſet. Nam Hæc (*i*) verba in ſtipulatione poſita EAM REM RECTE RESTITUI, fructus continent. RECTE enim verbum, pro viri boni arbitrio eſt. *l.* 73. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 80. AD ED.

Quòd ſi ita reſtitutum non erit; quanti ea res erit, tantam pecuniam dabit; ſi hoc petitori placuerit. *ſup. d. l.* 21. *d.* § 4.

Conſonat quod ait Paulus. Ex Operis Novi Nuntiatione ſi caveatur; tanti ſtipulatio committitur, quanti judicatum ſit. *l.* 12. PAUL. LIB. 13. AD SABIN.

§ II.

De Interdicto prohibitorio quod datur ei qui Nuntiatori ſatiſdedit.

XXXVIII.

Satiſdatio Nuntiatori præſtita, non ſolùm extinguit Nuntiationem Novi Operis; ita ut citra remiſſionem à Prætore impetratam poſſit is qui ſatiſdedit pergere opus, nec poſſit Interdicto reſtitutorio conveniri; verùm etiam ipſi tribuit interdictum.

Etenim Deindè ait Prætor: » QUEM IN LOCUM » Nuntiatum eſt ne quid Operis Novi fieret, quâ de » re agitur, ſi de eâ re ſatiſdatum eſt; quod ejus » cautum ſit aut per te ſtat quominùs ſatisdetur, quo» minùs illi in eo loco Opus facere liceat, vim fieri » veto. » *l.* 20. § 9. ULP. LIB. 71. AD ED.

XXXIX.

Circa hoc Interdictum quæritur 1°. *Quale ſit, & de quo opere detur.*

Hoc Interdictum prohibitorium eſt, ne quis prohibeat facere volentem eum qui ſatiſdedit. Etenim pertinet ad decus urbium, ædificia non derelinqui. *d. l.* 20. § 28.

Nec quicquam intereſt, jure quis ædificet an non jure ædificet: cùm ſit ſecurus is qui Opus Novum Nuntiavit, poſteaquàm ei cautum eſt. *d. l.* 20. § 11.

XL.

Quæritur 2°. *Quando huic Interdicto locus ſit.*

Hoc autem Interdictum competit ei qui ſatiſdedit. *d. l.* 20. § 12,

Non ſi duntaxat repromiſſum eſſet. Nam Adjicitur & illud: AUT PER TE STAT QUOMINUS SATISDETUR.

Proindè ſi ſatiſdatum non eſt, ſed repromiſſum; Interdicto huic locus non erit. Neque (*k*) enim permittendum fuit in publico ædificare, priuſquàm appareat quo jure quis ædificet. *d. l.* 20. § 13.

Sed Etſi ſatiſdatum ſit, cautum tamen non perſeveret (*l*); Interdictum ceſſat. *d. l.* 20. § 15.

Sed & Si aliquando ſtetit per Nuntiatorem quominùs ſatiſdetur, nunc ſtat; non Interdictum ceſſat. *d. l.* 20. § 15.

XLI.

Quæritur 3°. *Quæ requirantur à procuratore Nuntiatoris qui ſatis accepit, & adversùs quem hoc Interdicto agitur.*

Si procurator autem Opus Novum mihi nuntiaverit, & ſatis acceperit; deindè Interdicto adversùs eum utar,

(*a*) Species eſt: Procurator Titii Nuntiavit Opus Novum Caïo; & ſatiſdedit Titium ratum habiturum. Caïus huic procuratori cavit de reſtituendo Opere, ſi intrà certum diem judicatum non eſſet JUS ESSE ipſi ædificandi; & ex abundanti [nam hæc cautio de reſtituendo Opere ſufficiebat] Prætor remiſit Nuntiationem Operis. Poſteà dominus [ſcilicet Titius] qui non obligatur ex geſtis cum ipſius procuratore, cùm non ratum habuerit, iterùm Nuntiat Opus Novum: tenet Nuntiatio; ſed committitur adversùs procuratorem ſtipulatio DE RATO, in id quod Caii intereſt.

(*b*) Id eſt, de reſtituendo Opere.

(*c*) DE RATO. Tenet enim Nuntiatio, quamvis intrà diem ſtipulationis facta: nec enim prohiberi poteſt Nuntiare ex illâ ſtipulationis, quam ratam non habuit.

(*d*) *Nam* pro *ſed* : id eſt; ſi non procurator, ſed ipſe dominus Nuntiavit, ipſique ſtipulatio exhibita eſt.

(*e*) Legendum eſt *unumquemque*; ut liquet ex eo quod ſequitur. Ita legit Paulus de Caſtro qui ſummarium hujus legis ſic conficit: *Si pluribus Nuntiatur, omnes debet ſatiſdare.*

(*f*) *Stipulanti & ſociis ejus* : Gloſſa. Scilicet aget ſtipulator ex hâc ſtipulatione ad totius corporis æſtimationem; & ipſe ſociis hoc communicare tenebitur actione *Pro ſocio.* Nec dicas ſtipulatione contineri non poſſe, niſi quod intereſt ſtipulatoris: nam & quod ſociorum ejus intereſt, & ipſius intereſſe videtur; quatenùs ipſis obligatus eſt ex hoc ſuſcepto pro his ſtipulationis exigendæ negotio.

(*g*) Scilicet ſi Nuntiator egerit *Confeſſoriâ* JUS SIBI ESSE prohibendi quominùs vicinus quid faciat; & ex parte vicini qui ſatiſdedit de reſtituendo Opere, res non defendatur.

(*h*) Hæc clauſula ſcilicet in ſtipulatione inſeritur; *Dolum abſuturum.* Ex hâc clauſulâ tenetur promiſſor, putà ſi faceret quominùs judicaretur, &c.

(*i*) Poteſt hæc lex referri ad hanc ſtipulationem. Nam in libro 80. AD EDICTUM undè hæc lex deſumpta eſt, tractavit Ulpianus de Operis Novi Nuntiatione ut conſtat ex l. 21. h. tit. [mox ſuprà] quæ ex eodem libro deſumpta eſt.

(*k*) Videtur obſtare quod ſuprà dictum eſt, *Repromiſſionem* ſufficere quum in publico ædificanti Nuntiatur. Solve: Is cui in publico ædificanti Opus Novum Nuntiatum eſt, & duntaxat repromiſit; extinguit quidem per hanc nudam repromiſſionem, Nuntiationem Novi Operis; nec tenetur Interdicto reſtitutorio ſi ædificare perrexerit: cæterùm hæc repromiſſio non parit ipſi Interdictum prohibitorium, ſi prohibeatur quominùs ædificare pergat; nec debet ei Prætor permittere ædificare, niſi appareat quo jure. Alii aliter ſolvunt: & dicunt, in ſpecie hujuſce legis eum qui in publico ædificanti Nuntiavit, ratione privati ſui alicujus damni Nuntiaſſe; & ideò ſatiſdationem requiri.

(*l*) Putà, quia fidejuſſores lapſi ſunt facultatibus.

Source : BIU Cujas

ne vim mihi faciat quominùs ædificem; ex Interdicto eum oportet JUDICATUM SOLVI satisdare; quia partes sustinet defensoris. *l.* 5. 20. ULP. LIB. 52. AD ED.

Et ideò neque exceptiones procuratoriæ opponi ei debent, nec satisdare cogendus est RATAM REM dominum habiturum. *l.* 6. JULIAN. LIB. 41. DIGEST.

Et, si satisdationem (*a*) non dabit, summovendus erit ab executione Operis Novi; & actiones quas domini nomine intendit, debent ei denegari. *l.* 7. ULP. LIB. 52. AD ED.

XLII.

Quæritur 4°. *Quandiù duret hoc Interdictum.*

Hoc Interdictum etiam post annum, & heredi cæterisque successoribus competit. *sup. d. l.* 20. § 16.

ARTICULUS III.

De cæteris modis quibus extinguitur Nuntiatio Novi Operis.

XLIII.

Morte ejus qui nuntiavit, extinguitur Nuntiatio (*b*); sicut alienatione: quia his modis finitur jus prohibendi. *l.* 8. § 6. PAUL. LIB. 48. AD ED.

Non item vice versâ. Quod si is cui Opus Novum Nuntiatum erat, decesserit, vel ædes alienaverit; non extinguitur Operis Novi Nuntiatio. Idque ex eo appareret, quod in stipulatione quæ ex hâc causâ interponitur, etiam heredis mentio fit. *d. l.* 8. § 7.

XLIV.

Extinguitur etiam (saltem ope exceptionis) quum Nuntiator permisit continuari opus.

Indè quæritur apud Celsum libro duodecimo Digestorum: Si post Opus Novum Nuntiatum, conveniat tibi cum adversario ut opus faceres; an danda sit conventionis exceptio? Et ait Celsus, Dandam; nec esse periculum ne pactio privatorum jussui Prætoris anteposita videatur. QUOD enim aliud agebat Prætor, quàm hoc ut controversias eorum dirimeret; à quibus si sponte recesserunt, debebit id ratum habere? *l.* 1. §. 10. ULP. LIB. 52. AD ED.

Jure Pandectarum, extinguitur anni lapsu Operis Novi Nuntiatio. Sed hoc abrogavit Justinianus: l. un Cod. de Novi Oper. nuntiat.

(*a*) *Judicatum solvi.*

(*b*) Scilicet, si Nuntiator re integrâ moriatur; secùs, si postquàm adversus Nuntiationem ædificatum est. Interdictum enim restitutorium quod ex hâc causâ ei competebat, ejus heredi datur: suprà N. 25.

TITULUS II.

DE DAMNO INFECTO; ET DE SUGGRUNDIS ET PROTECTIONIBUS.

ALiud remedium in hoc Titulo proponitur, quod etiam instar actionis obtinet; scilicet cautio DE DAMNO INFECTO.

De eo quod additur, DE SUGGRUNDIS ET PROTECTIONIBUS, *ne verbum quidem, præterquàm in rubricâ Tituli.*

Budæus ad l. 5. *ff.* de His qui effud. *ait* SUGGRUNDAS *esse partes tecti prominentes quibus Stillicidia à parietibus arcentur; & ita* Suggrundationem *accipi à Vitruvio lib.* 4. *cap.* 2. *Ita etiam videntur accipi apud Varronem* de Re rusticâ *lib.* 3. *cap.* 3. *ubi ait:* Apes subter SUGGRUNDAS ab initio villatico usæ tecto. *Cujacius in Paratitl. ad h. tit. censet Vitruvio & Palladio auctoribus* SUGGRUNDAS *dici, tabulas circum ædificia à summo extensas; quæ ædes tuentur ab injuriâ imbrium, atque etiam (si larignæ fuerint* de boix de Larix) *à periculo incendiorum: hoc enim lignum non ardere ait Plinius* Hist. nat. *XVI.* 10. *Videntur autem Suggrunda Cujacio, sic dicta quòd suggradiantur foràs.*

Ad PROTECTIONES *quod attinet, Cujacius ait in Indice Titulorum lege DE PROJECTIONIBUS.* PROJECTUM *autem est* Id quod ita proveheretur ut nusquàm requiesceret: *l.* 242. § 1. *ff.* de Verb. sign. *Generali hâc appellatione continentur, quæcumque ædium partes extrà prominentes; ut Mæniana* (Balcons), *Porticus* (Galeries) &c. PROTECTIONES *autem, seu* PROTECTA, *sunt tecta quæ prominent. Ita Cajacius in Paratitl. ad h. tit.*

Et fortè de his omnibus mentio in Rubricâ, quòd potissimùm ex Suggrundis *ædium* & Protectis *seu* Projectis *Damnum veremur.*

I.

DAMNUM & Damnatio, ab ademptione & quasi deminutione patrimonii dicta sunt. *l.* 3. PAUL. LIB. 47. AD ED.

DAMNUM INFECTUM est, Damnum nondum factum; quod futurum veremur. *l.* 2. GAIUS LIB. 28. AD ED. PROVINC.

Circa Damnum Infectum quod quis metuere posset, Prætor ait: » DAMNI INFECTI suo nomine promitti, alieno » satisdari jubebo; ei qui juraverit non calumniæ causâ » id se postulare, eum-ve cujus nomine aget postulatu- » rum fuisse, in eam diem quam causâ cognitâ statuero.

» SI CONTROVERSIA ERIT, dominus sit necne qui » cavebit (*a*); sub exceptione (*b*) satisdari jubebo.

» DE EO OPERE quod in flumine publico ripâ-ve » ejus fiet, in annos decem satisdari jubebo.

» EUM CUI ita non cavebitur, in possessionem ejus » rei cujus nomine ut caveatur, postulabitur, ire; & » quum justa causa esse videbitur, etiam possidere » jubebo.

» IN EUM qui neque caverit, neque in possessione » esse neque possidere passus erit, judicium dabo; ut » tantùm præstet quantum præstare eum oporteret, si » de eâ re ex Decreto meo, ejus-ve cujus de eâ re » jurisdictio fuit quæ mea est, cautum fuisset.

» EJUS rei nomine in cujus possessionem misero, si » ab eo qui in possessione erit Damni Infecti nomine » non satisdabitur; eum cui non satisdabitur simul in » possessione esse jubebo. » *l.* 7. ULP. LIB. 53. AD ED.

De his quæ ad hoc Edictum pertinent, videbimus 1°. *Ad quod Damnum stipulatio ex hoc Edicto pertineat:* 2°. *Quibus ea concedatur, & ex quibus causis denegetur:* 3°. *Qui ex hâc causâ cavere teneantur:* 4°. *Quum plures sunt possessores ædium quibus Damnum timetur, aut ædium à quibus timetur; pro quâ quisque parte stipulari aut promittere debeat;* 5°. *Qualis esse debeat hæc cautio, de die huic adjiciendâ, & quando committatur:* 6°. *De actione quæ ex illâ*

(*a*) Et consequenter; an per repromissionem duntaxat, ut domini cavere solent; an etiam per satisdationem cavere debeat, ut cavent qui non sunt domini.

(*b*) Id est; ita ut, si eum dominum esse apparuerit, fidejussores quos dederit *Exceptione* tuti sint.

stipulatione

Source : BIU Cujas

ſtipulatione naſcitur : 7°. Ad quos Magiſtratus pertineat cognitio de hâc ſtipulatione interponendâ : 8°. Denique, de duobus Decretis eâ de re interponendis ; ex quorum primo miſſio fit in poſſeſſionem rei, quum non cavetur ; ex ſecundo, miſſus in poſſeſſionem jubetur rem ſibi poſſidere & uſucapere.

ARTICULUS I.

Ad quod Damnum hoc Edictum pertineat, necne.

§ I.

Damnum futurum ex ædibus cæteris-ve rebus inanimis Edicto contineri : an & quando etiam præteritum contineatur.

I I.

Hoc Edictum proſpicit Damno nondum facto ; cùm cæteræ actiones, ad Damna quæ contigerunt ſarcienda pertineant : ut in Legis Aquiliæ actione, & aliis. De Damno verò facto nihil Edicto cavetur. Cùm enim animalia quæ noxam commiſerunt, non ultrà nos ſolent onerare quàm ut noxæ ea dedamus ; multò magis ea quæ animâ carent, ultrà nos non deberent onerare : præſertim cùm res quidem animales quæ Damnum dederint, ipſæ extent ; ædes autem ſi ruinâ ſuâ Damnum dederunt, deſierint extare. *d. l.* 7. § 1.

Damno igitur præterito, ſeu quod antequàm Prætor adiretur contigit, hoc Edictum non proſpicit.

Hinc Africanus. Quum poſtulaſſem (*a*) ut mihi Damni Infecti promitteres, noluiſti : &, priuſquàm Prætor adiretur, ædes tuæ corruerunt & Damnum mihi dederunt. Potiùs eſſe ait ut nihil novi Prætor conſtituere debeat ; & meâ culpâ Damnum ſim paſſus qui tardiùs experiri cœperim. At ſi quum Prætor ut promitteres decreviſſet (*b*) ; & te non promittente, ire me in poſſeſſionem juſſiſſet ; &, priuſquàm eò veniſſem, corruerunt : perindè omnia ſervanda exiſtimavit, atque ſi, poſteaquàm in poſſeſſionem veniſſem (*c*), Damnum datum eſſet. *l.* 44. AFRICAN. LIB. 9. QUÆST.

Similiter Gaius : Evenit ut nonnunquàm Damno dato nulla nobis competat actio, non interpoſitâ anteà cautione ; veluti ſi vicini ædes ruinoſæ in meas ædes ceciderint. Adeò ut pleriſque placuerit, nec cogi quidem eum poſſe ut rudera tollat : ſi modò omnia quæ jaceant, pro derelicto habeat. *l.* 6. GAIUS LIB. 1. AD ED. PROVINC.

I I I.

Duobus tamen caſibus, dominus ædium quæ deciderunt vicino de Damno præterito cavere debet. 1us. Eſt ſi velit rudera ſua tollere : alter eſt, ſi vicinus juſtè fuit impeditus quominùs, priuſquàm Damnum daretur, Prætorem adiret.

Utrumque caſum ita complectitur Ulpianus, Juliani ſententiam referens : Undè quæritur ſi, antequàm caveretur, ædes deciderunt ; neque dominus rudera velit egerere, eaque derelinquat ; an ſit aliqua adversùs eum actio ? Et Julianus conſultus, ſi priuſquàm Damni Infecti ſtipulatio interponeretur, ædes vitioſæ corruiſſent ; quid facere deberet is in cujus ædes rudera decidiſſent, ut Damnum ſarciretur ? reſpondit ; Si dominus ædium quæ ruerunt vellet tollere, non aliter permittendum quàm ut omnia, id eſt & quæ inutilia eſſent, auferret : nec ſolùm de futuro, ſed & de præterito Damno cavere eum debere. Quòd ſi dominus ædium quæ deciderunt, nihil facit ; Interdictum reddendum ei in cujus ædes rudera decidiſſent ; per quod vicinus compelletur, aut tollere, aut totas (*d*) ædes pro derelicto habere. *l.* 7. § *fin.* ULP. LIB. 53. AD EDICT.

Quod fortè tunc rectè dicetur, quum non ipſius negligentiâ, ſed propter aliquod impedimentum ſibi non proſpexit. *l.* 8. GAIUS AD ED. PRÆTORIS URBANI TIT. DE DAMNO INFECTO.

Hoc ampliùs Julianus : Poſſe dici, compellendum eum ut etiam de præterito Damno caveret (*e*). Quod enim re integrâ cuſtoditur, hoc non iniquè etiam poſt ruinam ædium præſtabitur : integrâ autem re unuſquiſque cogitur aut de Damno Infecto cavere, aut ædibus carere quas non defendit.

Denique (inquit) ſi quis propter anguſtias temporis aut quia Reipublicæ causâ aberat, non potuerit Damni Infecti ſtipulari ; non iniquè Prætorem curaturum, ut dominus vitioſarum ædium aut Damnum ſarciat aut ædibus careat. Sententiam Juliani utilitas comprobat. *l.* 9. ULP. LIB. 53. AD ED.

I V.

Quod autem dicimus, dominum ædium quæ collapſæ Damnum vicino dederunt, non poſſe ſua rudera tollere, niſi caveat vicino tam de præterito quàm de futuro Damno ; idem obtinet quum à cæteris rebus inanimis Damnum datum eſt.

Idque contra Trebatii & Alfeni ſententiam obtinuiſſe docet nos Ulpianus. Ita ille : De his autem quæ vi fluminis importata ſunt, an Interdictum dari poſſit, quæritur ? Trebatius refert, quum Tiberis abundaſſet, & res multas multorum in aliena ædificia detuliſſet, Interdictum à Prætore datum, NE VIS fieret dominis quominùs ſua tollerent, auferrent ; ſi modò Damni Infecti (*f*) repromitterent. *d. l.* 9. § 1.

Alfenus quoque ſcribit ; Si ex fundo tuo cruſta (*g*) lapſa ſit in meum fundum, eamque petas ; dandum in te judicium de Damno jam (*h*) facto. Idque Labeo probat : nam arbitrio judicis apud quem res prolapſæ petentur, Damnum quod ante ſenſi non contineri ; nec aliter dandam actionem, quàm ut omnia tollantur quæ ſunt prolapſa. *d. l.* 9. § 2.

Obiter nota. Ita demùm autem cruſtam vindicari poſſe idem Alfenus ait, ſi non coaluerit, nec unitatem cum terrâ meâ fecerit : nec arbor poteſt vindicari à te, quæ tranſlata in agrum meum cum terrâ meâ coaluit (*i*). Sed nec ego potero tecum agere JUS TIBI (*k*) NON ESSE ita cruſtam habere, ſi jam cum terrâ meâ coaluit ; quia mea facta eſt. *d.* § 2.

Hucuſque Ulpianus Trebatii & Alfeni ſententiam retulit. Neratius autem ſcribit ; Si ratis in agrum meum vi fluminis delata ſit, non aliter tibi poteſtatem tollendi faciendam, quàm ſi de præterito quoque Damno mihi caviſſes. *d. l.* 9. § 3.

Hæc ſunt verba Neratii : Ratis vi fluminis in agrum meum delatæ, non aliter poteſtatem tibi faciendam, quàm ſi de præterito quoque Damno mihi caviſſes. *l.* 8. *ff. de Incend. ruin. naufr.* NERATIUS LIB. 2. RESPONS.

Et hæc Neratii ſententia ab Ulpiano cæteriſque poſterioribus Juriſconſultis comprobata eſt.

(*a*) Extrà Jus.

(*b*) Prætor causâ cognitâ & pro tribunali decernit ſtipulationem *de Damno Infecto* interponi.

(*c*) Sicut enim hoc caſu, in poſſeſſione areæ & ruinarum manerem ; ita & priore caſu in earum poſſeſſione tuendus ero. Et, ſi dominus ædium collapſarum Damnum quod meis dederunt non ſarciat ; jure dominii poſſidere impetrabo.

(*d*) Hanc ſententiam rectè mox infrà reſtringit Gaïus, his quæ ſequuntur verbis : *Quod fortè &c.*

(*e*) Niſi malit totas ædes derelinquere.

(*f*) De Damno autem facto teneri eos non putabat Trebatius.

(*g*) *Cruſta* hìc dicitur, pars fundi ſuperioris in fundum inferiorem delapſa.

(*h*) Legendum *Infecto*, ut patet ex his quæ ſequuntur.

(*i*) Ita ſtricto Jure. Ex æquitate autem Utilis datur vindicatio domino arboris : ut conſtat ex l. 55. § 3. ff. *de Rei vind.* c. quam vide infrà Tit. *de Adquir. rer. dom.* Alii aliter has leges conciliant : voluntque hanc Utilem actionem dari, quum facto hominis arbor quæ coaluit tranſlata eſt ; non autem dari in hâc ſpecie, quia citra factum hominis tranſlata eſt.

(*k*) Hæc vulgata lectio *Tibi*, rectior quàm Florentina *Mihi*.

Source : BIU Cujas

§ II.

Ex quo tempore habeatur ratio Damni.

V.

Cùm regulariter & extrà duos casus suprà dictos nonnisi futurum Damnum ad hoc Edictum pertineat : Illud quæritur, ex quo tempore Damni ratio habeatur ; utrùm ex quo in possessionem ventum est, an verò ex quo Prætor decrevit ut eatur in possessionem ? Labeo, ex quo Decretum est : Sabinus, ex quo ventum est in possessionem. Ego puto, causâ cognitâ modò hanc, modò illam sententiam probandam. Plerùmque enim subvenitur etiam ei qui missus in possessionem, aliquâ ex causâ aut non venit aut tardiùs venit in possessionem. *l.* 15. § 32. ULP. LIB. 53. AD ED.

Quocircà etiam Eleganter quæritur ; Si, dum Prætor de dandâ stipulatione deliberat, Damnum contigerit ; an sarciri possit ? Et missio quidem (*a*) cessabit : prætor tamen decernere debet quidquid Damni contigerit, ut de eo quoque caveatur ; aut (*b*) si putat quòd utiliter actionem daturus sit, decernat. *d. l.* 15. § 28.

§ III.

Quæ Damni futuri species hoc Edicto contineatur.

VI.

Sive ædium vitio, sive operis quod vel in ædibus, vel in loco urbano aut rustico, privato publico-ve fiat, Damni aliquid futurum sit ; curat Prætor ut timenti Damnum caveatur. *l.* 19. § 1. GAIUS AD ED. PRÆTOR URB. TIT. DE DAMNO INFECTO.

Igitur Sive quis muniat vias, sive quid aliud in viâ publicâ faciat ; debebit cautio locum habere, ne per hoc Damno privati contingantur. *l.* 15. § 8. ULP. LIB. 53. AD ED.

Enimverò Qui vias publicas muniunt, sine Damno vicinorum id facere debent. *l.* 31. PAUL. LIB. 75. AD ED.

VII.

Igitur ad hoc Edictum pertinet, tam vitium loci & ædium, quàm vitium operis.

Ita enim Ulpianus : Sed ut ne quid ædium loci operisve vitio damnum factum sit, stipulatio interponitur de eo sine satisdatione : quæ non solùm ad totas ædes, sed etiam ad partem ædium pertinet. *l.* 24. § 2. ULP. LIB. 81. AD ED.

Observandum tamen 1°. *Non omne ædium aut loci vitium præstari, illud V. G. quod ex ipsâ loci naturâ proficiscitur ; sed illud demùm quod accidentale est, quale est V. G. vitium nimiæ vetustatis in ædibus, aut aliud quid simile.*

Hinc Vitium ædium & loci esse Labeo ait, quod accidens extrinsecùs (*c*) infirmiores eas facit. Denique nemo dixit, palustris loci vel arenosi nomine quasi vitiosi committi stipulationem ; quia naturale vitium est, & ideò nec ea stipulatio interponetur, neque interposita committetur. *l.* 24. § 2. ULP. LIB. 81. AD ED.

2°. *Non cujusvis loci vitium ad hoc Edictum pertinet. Enimverò quum in publico loco aliquid fit ;* Notandum quòd, non etiam de loci vitio, sed de operis tantùm cavetur : quamvis, si in privato fiat, & de loci & de operis vitio cavetur. Sed cùm locus publicus sit ; non est necesse ibidem opus facienti, de altero vitio quàm operis satisdare Damni Infecti. *l.* 15. § 3. ULP. LIB. 53. AD ED.

Hinc idem Ulpianus ait. Fluminum publicorum communis est usus, sicuti viarum publicarum & littorum. In his igitur publicè licet cuilibet ædificare & destruere ; dùm tamen hoc sine incommodo cujusquam fiat. Propter quod, operis duntaxat nomine cum satisdatione cavetur [de vitio loci nihil cavetur], hoc est operis quod quis facit. Cæterùm si ex loci vitio Damnum timeatur, minimè dicendum est Damni Infecti stipulationem interponi oportere. Quis enim dubitat, neminem esse à quo stipuletur ; cùm nemine [nihil (*d*)] faciente locus ipse publicum Damnum inferat sui naturâ ? *sup. d. l.* 24. *pr.*

VIII.

Item circa Damnum quod ex operis vitio contingeret, nota 1°. Sed quod dictum est operis vitio ; sic accipiendum est, etiam si proponas non tantùm tempore quo opus fit, sed etiam si posteà contingat. Quid enim si ideò quia malè ædificatum erat, corruit ? *d. l.* 24. *pr.* ¶ *fin.*

2°. *Non ad quodvis opus pertinet Edictum. Nam* Si publicus locus publicè reficiatur ; rectissimè Labeo scribit, eoque Jure utimur, de Damno Infecto non esse cavendum SI QUID vitio loci aut operis fiat. Certè legem dandam operis talem, ne quid noceat vicinis Damni-ve detur. *l.* 15. § 10. ULP LIB. 53. AD ED.

Ad ea igitur opera stipulatio pertinet quæcumque privatim fiant. Quid ergo si publicè (*e*) opus fiat ; de vitio ejus quid faciemus ? Et planè vel Princeps adeundus est ; vel, si in provinciâ fiat, Præses Provinciæ. *sup. d. l.* 24. *pr.* ¶ *ad ea igitur.*

3°. *Sed nec ad privata opera, quum necessariò fiunt, pertinet Edictum ; nisi vitiosè fiant.*

Hinc Ulpianus. In parietis communis demolitione, ea quæri oportet ; satis aptus fuerit oneribus ferendis, an non fuerit aptus. *l.* 35. IDEM LIB. 42. AD SABIN.

Nam si non fuit idoneus, utique demolire eum oportuit : nec debet, si quid Damni ex hâc causâ attigit, is qui demolitus est, teneri : nisi sumptuosè (*f*) aut parùm bonus novus paries sit (*g*) restitutus.

Quòd si fuerit idoneus paries qui demolitus est ; in actionem Damni Infecti venit id quanti interfuit actoris, eum parietem stare. Meritò : nam si non debuit demoliri, restituere eum debet proprio sumptu. Sed & si qui reditus ob demolitionem amissus est, consequenter restitui eum Sabinus voluit. Si fortè habitatores migraverunt, aut non tam commodè habitare possunt ; imputari id ædificatori potest. *l.* 37. IBID.

Obiter nota circa parietem. Sed ita idoneum esse plerique dixerunt, ut utraque ædium onera (quæ modò jure imponantur) communis paries sustinere possit. *l.* 36. PAUL. LIB. 10. AD SABIN.

4°. *Quòd si ad hanc stipulationem non pertinet Damnum ex opere necessario, nisi hoc opus vitiosè fieret ; multò minùs pertinebit Damnum contingens ex eo opere quod promissor nec ipse fecerit nec fieri passus sit.*

Hinc Ulpianus. Quanquàm autem stipulatio committitur, quum vitio operis Damnum factum sit ; tamen si opus factum est ab eo quem promissor prohibere non potuit, stipulatio non committitur. Planè si prohibere potuit, committetur. Sed si quis promissoris nomine fecerit, vel ejus pro quo promissum est, aut alius qui prohiberi potuerit : stipulatio ista committetur. *l.* 24. § 6. ULP. LIB. 81. AD ED.

IX.

Maximè autem ad hanc stipulationem non pertinet Damnum quod ex fortuito casu, non ex ullo loci aut operis vitio contingit.

Quæsitum est enim, Hæc stipulatio utrùm id solum Damnum contineat quod injuriâ fit, an verò omne Damnum quod extrinsecùs contingat ? Et Labeo qui-

(*a*) Fit enim missio ex causâ Damni Infecti in ædes ex quibus Damnum timetur. Atqui nullum jam timetur, cùm jam contigerit : ergo cessat missio : infrà Art. 8.

(*b*) *Aut si* ita *putat*, si ita æstimet Prætor, dabit actionem *In factum*, ad Damnum sarciendum.

(*c*) *Accidens extrinsecùs* hìc dicitur, vitium quod ipsis ædibus aut loco inest quidem, sed accidentaliter, non ex ipsâ ædium aut loci naturâ. Longè diverso sensu accipitur hæc vox *extrinsecùs* in l. 43. infrà N. 9. pro causâ extrinsecâ quæ non ab ullo ædium loci-ve vitio proficiscatur.

(*d*) Hæc negatio abundat.

(*e*) Si in publico quidem loco, sed privatim opus fiat ; locus est cautioni : secùs, si publicè fiat.

(*f*) *D'un plus grand entretien que n'étoit l'autre.*

(*g*) Non igitur tenebor eo nomine quòd demolitus fuero, cùm hoc fieri necesse esset ; sed tenebor eo nomine quòd novum restituerim parietem vitiosum.

Source : BIU Cujas

dem ſcribit; De Damno dato non poſſe agi, ſi quid fortè terræ motu aut vi fluminis alio-ve quo caſu fortuito acciderit. *d. l.* 24. § 3.

Servius quoque putat, ſi ex ædibus promiſſoris vento tegulæ dejectæ Damnum vicino dederint; ita eum teneri; ſi ædificii vitio id acciderit; non ſi violentiâ ventorum, vel quâ aliâ ratione quæ vim habet divinam. Labeo & rationem adjicit; quòd, ſi hoc non admittatur, iniquum erit. QUOD ENIM TAM FIRMUM ÆDIFICIUM EST, UT FLUMINIS AUT MARIS AUT TEMPESTATIS AUT RUINÆ, INCENDII, AUT TERRÆ MOTUS, SUSTINERE POSSIT? *d. l.* 24. § 4.

Similiter Alfenus. Damni Infecti quidam vicino repromiſerat. Ex ejus ædificio tegulæ vento dejectæ ceciderant in vicini tegulas, eaſque fregerant. Quæſitum eſt an aliquid præſtari oportet? Reſpondit; Si vitio ædificii & infirmitate factum eſſet, debere præſtari: ſed ſi tanta vis venti fuiſſet ut quamvis firma ædificia convelleret, non debere. Et quod in ſtipulatione eſt, SIVE QUID IBI RUET; non videri ſibi RUERE, quod aut vento aut omnino aliquâ vi extrinſecùs admotâ caderet, ſed quod ipſum per ſe concideret. *l.* 43. ALFENUS-VARUS LIB. 2. DIGESTOR.

Idem Servius putat; Si controverſia (*a*) aquæ, inſulam ſubverterit; deindè ſtipulatoris ædificia ceciderint: nihil eum ex ſtipulatu conſecuturum, quia id nec operis nec loci vitio factum eſt. Si autem aqua vitiet fundamenta, & ſic ædificium ruiſſet; committi ſtipulationem ait. Multùm enim intereſſe, quod erat alioquin firmum, vi fluminis lapſum ſit protinùs; an verò antè ſit vitiatum, deindè ſic deciderit. Et ita Labeo probat. [Etenim multum intereſſe (*b*) (quod ad Aquiliam pertinet) ſanum quis hominem occidat, an verò factum imbecilliorem]. *l.* 24. § 5. ULP. LIB. 8. AD ED.

Item apud Vivianum relatum eſt; Si ex agro vicini arbores vi tempeſtatis confractæ in meum agrum deciderint; eoque facto vitibus meis vel legetibus nocent, vel ædificia demoliunt; ſtipulationem iſtam in quâ hæc comprehenduntur SI QUID ARBORUM LOCI-VE VITIO ACCIDERIT, non eſſe utilem: quia non arborum vitio, ſed vi ventorum Damnum mihi datum eſt. Planè ſi veſtutate arborum hoc fiebat; poſſumus dicere vitio arborum Damnum mihi dari. *d. l.* 24. § 9.

Idem ait: Si Damni Infecti ædium mearum nomine tibi promiſero; deindè hæ ædes vi tempeſtatis in tua ædificia ceciderint, eaque diruerint; nihil ex eâ ſtipulatione præſtari, quia nullum Damnum vitio mearum ædium tibi contingit: niſi fortè ita vitioſæ meæ ædes fuerint, ut quâlibet vel minimâ tempeſtate ruerint. Hæc omnia vera ſunt. *d. l.* 24. § 10.

Sed & quod Labeo putat, verum eſt; referre utrùm impulſu fluminis ruit ædificium, an deterius antè factum poſteà ceciderit. *d. l.* 24. § 11.

Et generaliter Caſſius quoque ſcribit; Quod contra ea Damnum datum eſt cui nullâ ope occurri poterit (*c*), ſtipulationem non tenere. *d. l.* 24. § 8.

X.

Quinetiam, etſi illud Damnum eſſet cui occurri potuiſſet, & culpâ promiſſoris contingat; ſi non ex vitio loci aut operis contingat, ad hoc Edictum non pertinet.

V. G. Præterea ſi furni nomine Damni Infecti fuerit cautum, deindè furnarii culpâ Damnum datum fuerit: non venire in hanc ſtipulationem, pleriſque videtur. *d. l.* 24. § 7.

Maximè autem: Sed quod opere (*d*) facto conſecutus ſit dominii capione promiſſor, non teneri eum eo nomine Pomponius ait; quia nec loci nec operis vitio, ſed publico Jure id conſecutus ſit. *l.* 18. § 1. PAUL. LIB. 48. AD ED.

XI.

Denique ad hoc Edictum non pertinet ſi dum jure meo utor, vicino lucrum potiùs intercipiam quàm Damnum dem.

Hoc docet Ulpianus. Item videamus quando Damnum dari videatur? Stipulatio enim hoc continet, quod vitio ædium, loci, operis, Damnum fit. Ut putà in domo meâ puteum aperio: quo aperto venæ putei [tui] præciſæ ſunt: an tenear? Ait Trebatius, Non teneri me Damni Infecti: neque enim exiſtimari operis mei vitio Damnum tibi dari in eâ re, in quâ jure meo uſus ſum. Si tamen tam altè fodiam in meo ut paries tuus ſtare non poſſit, Damni Infecti ſtipulatio committetur. *l.* 24. § 12. ULP. LIB. 81. AD. ED.

Trebatius ait; Etiam eum accipere Damnum, cujus ædium luminibus officiatur. *l.* 25. PAUL. LIB. 78. AD ED.

Proculus ait; Quum quis jure quid in ſuo faceret, quamvis promiſiſſet Damni Infecti vicino; non tamen eum teneri eâ ſtipulatione. Veluti ſi juxta mea ædificia habeas ædificia; eaque jure tuo altiùs tollas: aut ſi in vicino tuo agro, cuniculo vel foſsâ aquam meam avoces. Quamvis enim & hîc aquam mihi abducas, & illic luminibus officias; tamen ex eâ ſtipulatione actionem mihi non competere: ſcilicet quia non debeat videri is Damnum (*e*) facere, qui eo veluti lucro quo adhuc utebatur, prohibetur. Multùmque intereſſe utrùm Damnum quis faciat, an lucro quod adhuc faciebat uti prohibeatur. Mihi videtur vera eſſe Proculi ſententia. *l.* 26. ULPIAN. LIB. 81. AD ED.

ARTICULUS II.

Quibus hæc ſtipulatio concedatur, & ex quibus cauſis denegetur.

§ I.

Quibus concedatur.

XII.

Qui Damni Infecti caveri ſibi poſtulat, priùs de calumniâ jurare debet. Quiſquis igitur juraverit de calumniâ, admittitur ad ſtipulationem. Et non inquiretur utrùm interſit ejus, an non; vicinas ædes habeat, an non habeat. Totum tamen hoc juriſdictioni Prætoriæ ſubjiciendum; cui cavendum ſit, cui non. *l.* 13. § 3. ULP. LIB. 53. AD ED.

Et quidem Damni Infecti ſtipulatio competit, non tantùm ei cujus in bonis res eſt, ſed etiam cujus periculo (*f*) res eſt. *l.* 18. PAUL. LIB. 48. AD ED.

Hinc & Superficiarium & fructuarium, Damni Infecti utiliter ſtipulari hodie conſtat. *ſup. d. l.* 13. § 8.

Pariter Pomponius. Damni Infecti ſtipulatio latiùs (*g*) patet. Et ideò & ei qui ſuperficiariam inſulam habet utilis eſt ea ſtipulatio, ſi quid in ſuperficie Damnum datum fuerit. Et nihilominùs & ſoli domino utilis eſt; ſi ſolo Damnum datum fuerit, ut tota ſuperficies tolleretur: fraudabitur enim dominus ſoli, in penſione percipiendâ. *l.* 39. § 2. POMPON. LIB. 21. SABIN.

Similiter Paulus. Si & dominus proprietatis & fructuarius deſideret ſibi caveri Damni Infecti; uterque audiendus eſt. Nec enim injuriam ſentiet promiſſor; non

(*a*) Impetus aquæ.

(*b*) Nil ad rem hic verſiculus. Hunc expungendum crederem, tanquam ineptum alicujus gloſſema.

(*c*) Senſus eſt: *ſtipulationem non tenere* de eo damno *cui nullâ ope occurri poterit quod damnum datum eſt* [id eſt, etſi datum ſit] *contra ea* ædificia quæ in ſtipulationem deducta ſunt.

(*d*) Hunc textum obſcurum ita interpretati ſunt Baſilicorum auctores: *Si is qui promiſit Damni Infecti, operis à ſe facti dominium ceperit* [hoc eſt *uſuceperit*]; *eo nomine non tenetur.* Finge: In meo aliquis ædificavit, & eo nomine mihi cavit *Damni Infecti.* Id ædificium bonâ fide poſſedit, & uſucepit: hæc uſucapio mihi Damnum attulit, ſi quidem me domino meo privavit. Non tamen hoc Damnum continetur ſtipulatione *Damni Infecti*: nec enim ex vitio ædificii mihi contingit, ſed ex Jure publico quo uſucapio introducta eſt.

(*e*) Supple *ei, qui &c.*

(*f*) Id eſt [ut explicat Cujacius] ei quem ſpectat rei periculum; qui ſcilicet hujus rei interitu amittit jus aliquod quod in hâc re haberet.

(*g*) *Latiùs* quàm Operis novi nuntiatio de quâ in Tit. præced. *Et ideò* indubitatè competit ſuperficiari, imò & fructuario; quamvis circa Operis novi nuntiationem dubitatum ſit an ſuperficiario concederetur, & fructuario non concedatur ut ſuo nomine poſſit nuntiare.

Source : BIU Cujas

plus cuique præstaturus, quàm quod ejus interfit. *l.* 5. § 2. PAUL. LIB. I. AD ED.

XIII.

Quid de creditore dicemus qui pignus accepit; utrùm repromittere quia suum jus tuetur, an satisdare quia dominus non est, debebit (*a*) ? Quæ species est in contrario latere apud Marcellum agitata: an creditori pignoratitio Damni Infecti caveri debeat ? Et ait Marcellus, Inutiliter ei caveri. Idemque etiam de eò cavendum (*b*), qui à non domino emit: nam nec in hujus personâ committi stipulationem.

Æquissimum tamen puto huic prospiciendum, id est creditori (*c*), per stipulationem. *l.* 11. ULP. LIB. 53. AD ED.

Sed ei qui bonâ fide à non domino emit, Damni Infecti stipulationem non competere Marcellus ait (*d*). *l.* 13. § 9. ULP. LIB. 53. AD EDICT.

XIV.

Emptor prædii si ante traditionem stipulatus sit, cautum habebit de eo Damno quod post (*e*) traditionem factum erit. *l.* 18. § 7. PAUL. LIB. 48. AD ED.

Venditorem autem ædium, priusquàm possessionem tradat, stipulari oportet; quia hujus quoque rei culpam (*f*) præstat. *d. l.* 18. § 8.

Sed (*g*) quid fiet, si venditor sine culpâ stipulari non potuerit (*h*); & ob hoc emptor stipulatus fuerit? Nonne Damnum patitur (*i*) ? An hoc Damnum in alienâ re (*k*) acciderit, revolvitur autem ad emptorem quia actionem Ex empto non habet? Sed (*l*) nihil in hâc causâ proficit stipulatio, nisi in id quod post traditionem accidit; quia, dum venditoris custodia est, is stipulari debet, omnemque diligentiam emptori præstare: & quod aliâ actione quæri potest, id in stipulationem Damni Infecti omninò non deducitur. *d. l.* 18. § 9.

Igitur Emptor ædium ante traditam sibi possessionem ideò inutiliter stipulatur, quia venditor omnem diligentiam ei præstare debet. Tunc certè utiliter stipulatur, quum omnis culpa à venditore aberit: velutisi precariò emptori in his ædibus esse permisit, custodiamque ei abfuturus tradidit. *l.* 38. PAUL. LIB. 10. AD SABIN.

Sed si venditor interposuerit stipulationem; etiam id Damnum continebit quod post traditionem emptori contigerit? Quod esse iniquissimum Aristo ait: quoniam, si emptor quoque Damni Infecti stipulatus esset, duobus promissor ejusdem nomine obligaretur. Nisi (*m*) fortè id contrà se habeat, quia in hoc fit stipulatio quanti ea res erit: ut possit videri nihil interesse jam venditoris; stipulatione Damni Infecti interpositâ. *sup d. l.* 18. § 10.

XV.

Enumeravimus eos quibus ex hoc Edicto caveri debet.

Cæterùm neque ei qui in meo deambulet, neque ei qui in meo lavet, vel in meâ tabernâ divertat, caveri debet. *l.* 13. § 4. ULP. LIB. 53. AD ED.

Vicinis planè, inquilinisque eorum & inquilinorum uxoribus cavendum esse Labeo ait; item his qui cum his morentur. *d. l.* 13. § 5.

Quòd Si filiusfamilias inquilinus sit; videamus an Damni Infecti nomine in possessionem ædium vicinarum mittendus sit? Quæritur enim, an filiusfamilias non videtur Damnum pati; si res peculiares (*n*) sint, & pater possit stipulari si quid ei Damni fiat? Et placet utrumque (*o*) eorum in possessionem mitti. Nisi (*p*) sic filius conduxerat ut ejus periculo ædes essent: tunc enim, quia solus tenetur (*q*) ex locato, rectè dicetur ipsum mittendum in possessionem nisi ei caveatur. *l.* 21. PAUL. LIB. 8. AD PLAUT.

§ II.

Ex quibus causis denegetur stipulatio Damni Infecti.

Ex tribus causis hæc stipulatio denegatur.

XVI.

Prima causa:

Si ei qui caveri sibi desiderat, culpa aliqua circa Damnum quod timet imputari possit.

Hinc Si quis juxta monumentum ædificaverit (*r*); vel juxta ædificium suum, monumentum fieri passus sit; de Damno Infecto ei postea cavendum non erit, quia rem illicitam admisit (*s*). Aliàs autem si monumento ædificium noceat, in quo nihil sit quod imputari possit ei ad quem jus monumenti pertinet; cavendum est ei ad quem jus monumenti pertinet. *l.* 13. § 7. ULPIAN. LIB. 53. AD ED.

XVII.

Secunda causa:

Quum is qui sibi caveri desiderat, aliâ ratione sibi prospicere potest.

Hinc Si ædibus meis proximæ sint ædes meæ & tuæ; quæritur an, si hæ vitium mihi faciant, cavere mihi debeas pro Damno propriarum mearum ædium? scilicet pro quâ parte dominus existes. Et hoc plerisque placet. Sed movet me (*t*), quòd ipse meas ædes reficere possim; & impensas PRO SOCIO aut COMMUNI DIVIDUNDO judicio, pro parte consequi. Nam & si unas ædes communes tecum habui, eæque vitium faciant; & circa refectionem earum cessare videaris: nostri præceptores (*u*) negant cavere te debere, quia ipse reficere possim; recepturus pro parte quod impenderim, judicio Societatis aut Communi dividundo. Ideò & interpositam cautionem minùs utilem futuram; quia aliâ ratione Damnum mihi posset sarciri. Est planè nostrorum præceptorum hæc sententia; ut credamus inutilem esse Damni Infecti stipulationem, quo casu Damnum aliâ actione sarciri possit. Quod & in superiore casu intelligendum est. *l.* 32. GAIUS LIB. 28. AD ED. PROVINC.

XVIII.

Dicimus Damni nomine quod ex communibus ædibus timetur, caveri non oportere. Secùs est, si ex pariete communi timeatur: cùm enim paries sit quid individuum, cessat judicium COMMUNI DIVIDUNDO.

Igitur Inter quos paries communis est; ædificiorum

(*a*) Quæ quæstio pertinet ad Art. 5*um* infrà.

(*b*) Legi oportet, *dicendum.*

(*c*) Res enim est ejus periculo; cùm hujus interitu jus pignoris quod habet sit amissurus.

(*d*) Nullum enim jus in re hic bonæ fidei possessor habebat, quod rei interitu amitteret.

(*e*) An de eo quod antè? Vide mox infrà.

(*f*) Id est: culpæ nomine tenetur emptori, si neglexerit ut sibi caveretur.

(*g*) Suprà dixit stipulationem ab emptore interpositam spectare Damnum quod *Post traditionem* contingeret: regulariter autem non spectat illud quod antè contingeret, quia de illo emptor habet sibi cautum per actionem *Ex empto* adversùs venditorem qui ipse stipulari debuit. Hìc autem expendit Paulus in hæc regula semper obtinere debeat.

(*h*) Transpone: *sine culpâ non potuerit stipulari*; ut observat Cujacius Observ. XXV 35. putà quia abfuerit. Certè emptor hoc casu actionem *Ex empto* non habet adversùs venditorem.

(*i*) Si cautio non porrigatur ad Damnum quod ante traditionem contigit, hoc certè esset iniquum.

(*k*) Sensus est: Nec dicas de eo Damno emptorem agere non posse, quasi dato in re quæ nondum ejus erat. Nam hoc Damnum ad ipsum revolvitur.

(*l*) *Sed*: supple, excepto hoc casu quo venditori non potest objici quod non sit stipulatus.

(*m*) Sensus est: Dicendum igitur *Contrà se habere*; id est venditoris stipulationem, non continere Damnum post traditionem contingens. *Fortè* apud Nostros, non semper dubitantis, sed interdum modestè affirmantis.

(*n*) Ratio dubitandi: quia, cùm res peculiares quibus Damnum dari timetur, magis sint patris quàm filii; non videtur filius ipse Damnum pati posse. Ratio decidendi est quòd interfit filii, peculium habere.

(*o*) Tam filium quia ipsius interest peculium habere, quàm patrem quia est dominus rerum peculiarium.

(*p*) Supple: *nisi* non tam rebus quæ in ædibus sunt, quàm ipsis ædibus conductis Damnum dari videatur; filius autem inquilinus ideò eo nomine caveri sibi desiderat, quia sic ædes conduxit ut ipsius periculo essent.

(*q*) Principaliter. Cæterùm pater tenetur *De peculio.*

(*r*) Non intermisso spatio à Lege definito.

(*s*) Cùm adversùs legem ipse peccaverit, non potest invocare legem. In culpâ est quòd ædificaverit, aut ædificari permiserit, non servato legitimo spatio.

(*t*) In contrarium.

(*u*) Ita appellat Gaius Jurisconsultos qui ipsum præcesserant, & quorum doctrinæ hærere se gloriatur.

Source : BIU Cujas

nomine quæ quisque propria habet, stipulari Damni Infecti solet.

Sed tunc ea cautio necessaria est; quum aut alter solus ædificat, & vitium ex opere futurum est; aut alter pretiosiora ædificia habet, & plus Damni sensurus sit decidente pariete. Alioquin, si æquale periculum est; quantum quis vicino præstat, tantum ab eo consequitur. *l.* 39. POMPON. LIB. 21. AD SABIN.

Consonat Ulpianus. Quotiens communis parietis vitio quid accidit; Socius socio nihil præstare debet, cùm communis rei vitio contigerit (*a*). Quòd si quia alter presserat vel oneraverat, idcircò Damnum contigit; consequens est dicere, detrimentum hoc quod beneficio ejus (*b*) contingit, ipsum sarcire debere (*c*). Quòd si æqualiter utriusque oneribus pressus decidit; rectissimè Sabinus scripsit, parem (*Florent.* parietem) utriusque causam esse. Sed si alter plures vel pretiosiores res amiserit; melius est dicere, quia ambo onera imposuerunt, neutri adversùs alterum competere actionem (*d*). *l.* 40. § 1. ULPIAN. LIB. 34. AD SABIN.

Quamvis autem (extra duos casus modò dictos, scilicet quum aut alter solus ædificat, aut alter pretiosiora ædificia habet) socius à socio Damni nomine quod ex parietis communis vitio timetur, non jure desideret sibi caveri; tamen si de facto ei cautum fuerit, utiliter erit cautum.

Hoc docet Alfenus. Quum parietem communem ædificare quis cum vicino vellet; priusquàm veterem demoliret, Damni Infecti vicino repromisit; adeòque re stipulatus est. Posteaquàm paries sublatus esset habitatores ex vicinis cænaculis emigrassent; vicinus ab eo mercedem quam habitatores non redderent, petere vult. Quæsitum est an rectè petet? Respondit; Non oportuisse eos, quum communem parietem ædificarent, inter se repromittere; neque ullo modo alterum ab altero cogi potuisse. Sed si maximè repromitterent, tamen non oportuisse ampliùs quàm partis dimidiæ; quo ampliùs ne extrario quidem quisquam, quum parietem communem ædificaret repromittere deberet, sed quoniam jam in totum repromisissent; omne quod detrimenti ex mercede vicinus feciset, præstaturum. *l.* 43. § 1. ALFENUS-VARUS LIB. 2. DIGESTOR.

Item consulebat; Posset ne quod ob eam rem dedisset, rursùs repetere? quoniam restipulatus esset (*e*) à vicino, si quid ob eam rem quòd ibi ædificatum esset, sibi Damnum datum esset, id reddi: cùm & ipsam hanc pecuniam quam daret, propter illud opus (*f*) perderet? Respondit, Non posse; propterea quia non operis vitio, sed ex stipulatione id amitteret. *d. l.* 43. § 2.

X I X.

Regula quam statuimus, denegari hanc stipulationem ei qui aliâ ratione sibi prospicere potuit, comprobatur etiam exemplo sequenti.

Nimirùm Ei cujus ususfructus ædium est, de vitio earumdem ædium caveri non oportere, etsi alias vicinas habenti: quia reficiendi habet facultatem. Nam qui viri boni arbitratu uti deberet, reficiendi quoque potestatem consequitur.

Ergo nec proprietarius audiri debet: si velit sibi caveri à fructuario, ædium nomine quas vicinas fructuario (*g*) habeat; quia habet cum fructuario actionem, ut viri boni arbitratu is fruatur. *l.* 18. § 2. PAUL. LIB. 48. AD EDICT.

Suffragatur Ulpianus. Inter fructuarium & dominum proprietatis, ita Damni Infecti cautio locum habet; si fructuarius quidem de soli vitio caveri sibi desideret; dominus verò proprietatis de operis vitio, si quid fructuarius ædificet. Nam de ruinâ ædium, neuter ab altero cautionem desiderare potest: fructuarius ideò quia refectio ædium ad ejus ipsius onus non (*h*) pertinet; proprietarius ideò quia usitata stipulatio quâ de re restituendâ fructuarius cavet, ad hunc quoque casum porrigitur. *l.* 20. GAIUS LIB. 19. AD ED. PROVINC.

X X.

Ex regulâ quam statuimus denegari hanc stipulationem ei qui sibi aliâ ratione prospicere potest solvitur, etiam quæstio sequens. Nimirùm De illo quæritur; an inquilinis suis dominus ædium cavere possit? Et Sabinus ait, Inquilinis non esse cavendum: aut enim ab initio vitiosas ædes conduxerunt, & habent quod sibi imputent; aut in vitium ædes inciderunt, & possunt Ex conducto experiri. Quæ sententia verior est. *l.* 13. § 6. ULP. LIB. 53. AD ED.

Idem alibi ait. Inquilino non datur Damni Infecti actio: quia possit Ex conducto agere, si dominus eum migrare prohiberet. *l.* 33. IDEM LIB. 42. AD ED.

Utique si pro præteritâ pensione satisfacere paratus fuit: alioquin justa retentio pignoris domino fieri videretur.

Sed & si quasi pignora retinuerit, & ea interierint ruinâ vicinarum ædium; potest dici, etiam Pignoratitiâ actione locatorem teneri, si poterat eas res in locum tutiorem transferre. *l.* 34. PAUL. LIB. 10. AD SABIN.

Quod dicimus inquilinum non posse hanc cautionem à locatore desiderare, intelligendum est ratione rerum quas in domo conductâ habet.

Sed inquilino meo, si vicinas ædes habeat, cavere debebo Damni Infecti propter eas ædes. *l.* 18. § 3. PAUL. LIB. 48. AD ED.

X X I.

Primâ facie videretur quòd, Ei qui in conducto solo superficiem imposuit, dominus soli, quod vitio soli Damnum futurum sit cavere non debebit, nec soli domino superficiarius: quia invicem Ex conducto & locato habent actiones. In (*i*) quas tamen actiones ultrà culpam nihil venit; plus autem in stipulationem venit Damni Infecti, quòd quidem vitium ejus esse dicitur. *d. l.* 18. § 4.

X X I I.

Si quis opus novum nuntiaverit, an nihilominùs Damni Infecti ei caveri debeat, Julianus tractat? Et magis probat caveri oportere. Nam & ei qui egerit Jus adversario non esse altiùs tollere ædificium, caveri debere. Item eum adversùs quem interdictum QUOD VI AUT CLAM competit, cavere debere Julianus ait; quia (*k*) non est cautum, neque de vitio ædium neque de Damno operis. *l.* 13. § 10. ULP. LIB. 53. AD ED.

X X I I I.

Tertia causa.

Si quis, quia sibi non cavebatur, in possessionem ædium missus fuerit; deinde is cujus ædes fuerunt, cùm præterea alias ædes haberet, desideret ab eo qui in possessionem missus est, ut sibi Damni Infecti harum

(*a*) Adeòque [dum Damnum illud timetur] non potest hujus Damni futuri nomine hæc cautio desiderari, quod [postquàm contigerit] utrumque socium spectare debet; cùm ex re communi proficiscatur. Hoc autem accipiendum est extra duos casus mox suprà relatos in l. 39.

(*b*) *A son profit.*

(*c*) Rectè igitur, antequàm acciderit, cautio hujus Damni nomine exigitur. Et est hic 1us casus de quo suprà lex 39 loquitur.

(*d*) Non obstat modò dicta lex 39. Nam, ut rectè animadvertit Azo, diversi sunt casus. In specie hujus §i. ideò is qui pretiosiores res habebat, nil à socio exigere potest, quia ipse æquè ac socius premendo parietem, fecit ut paries decideret. In casu verò legis 39 neuter quidquàm fecit suprà parietem communem; suo solo vitio decidit paries: rectè igitur, cùm pluris suâ interesset, potuit desiderare ut caveret sibi socius.

(*e*) Id est; ipse qui vicino caverat de Damno quod vicinus metueret ex parietis communi ædificatione, vicissim ab illo stipulatus esset de Damno quod & ipse ex eâ ædificatione metuere posset.

(*f*) Occasione enim hujus operis, eam pecuniam promisit.

(*g*) Cujacius Observ. XXIV 11. rectè emendat *fructuariis*, ædibus scilicet.

(*h*) Hæc negatio abest ab Editione Haloandri, & videtur expungenda. Cæterùm ita refectio ad fructuarium pertinet, si modica sit. Vid. Tit. *de Usufr. & quemadm.*

(*i*) Quod dixit cautioni locum non esse, emendat hâc ratione quòd per istas actiones *Locati* & *Conducti* non satis prospicitur, & plenior sit stipulatio Damni Infecti: si quidem in his actionibus venit duntaxat culpa; in stipulatione venit quod-libet soli operis-ve vitium. Ita Cujac.

(*k*) Operis novi nuntiatio, actio confessoria, & Interdictum *Quod vi aut clam* prosunt quidem ut quod vicinus non jure ædificavit demolire teneatur; non verò ut Damnum quod interim ex hujus operis casu sentire possim, mihi sartiatur. Mihi igitur necessaria est cautio Damni Infecti.

Source : BIU Cujas

ædium nomine quarum in poſſeſſionem miſſus eſt, caveret: an ſit audiendus, videamus? Et Julianus ſcribit: Is qui vitioſis ædibus ceſſerit, ſi integras retinuerit, numquid improbè ab eo qui vitioſas ædes cœpit poſſidere, cautionem exigit? cùm ideò poſſeſſionem amiſerit, quia ipſe Damni Infecti ſatis non dederat. Et ſanè parùm probè poſtulat ab eo, caverì ſibi earum ædium nomine, quarum ipſe cavere ſuperſedit. Quæ ſententia vera eſt. *d. l.* 13. § 11.

§ III.

De juramento calumniæ, quod ab eo qui ſibi caveri petit, exigitur.

XXIV.

Cùm is qui ſibi ex causâ Damni Infecti caveri petit, priùs ipſe jurare debeat ſe calumniæ causâ non petere: ſuprà N. 13. *Hinc* Si quis ſtipulaturus juraverit, nec fuerit ſtipulatus: an poſtea ei ſtipulari volenti jurandum ſit, videamus? Et puto, iterùm jurandum; quia poſſit fieri, ut aut tunc aut modò calumnietur. *d. l.* 13. § 12.

Et quidem Si alieno nomine caveri mihi Damni Infecti poſtulem; jurare debeo non calumniæ causâ id eum cujus nomine cautum poſtulo, fuiſſe poſtulatum. *d. l.* 13. § 13.

Sed ſi ejus nomine poſtulem, qui, ſi ipſe poſtularet, jurare non compelleretur (veluti patronus vel parens); dicendum eſt, locum jurijurando non eſſe. De quo enim ille non juraret; nec qui vice ejus poſtulat in hâc ſtipulatione, debet jurare. *d. l.* 13. § 14.

ARTICULUS III.

Qui hanc cautionem præſtare teneantur.

XXV.

Cavere debet dominus loci aut operis, ex cujus vitio Damnum timetur.

At Cùm inter ædes meas & tuas ſint aliæ ædes non vitioſæ; videndum eſt utrùm tu ſolus mihi cavere debeas, an verò & is cujus ædes vitioſæ non ſunt; an ille ſolus, an ambo? Et magis eſt ut ambo cavere debeant; quia fieri poteſt ut ædes vitioſæ in ædes non vitioſas incidentes, Damnum mihi dent: quamvis poſſit quis dicere non vitio incolumium ædium hoc factum, ſi aliæ in eas incidentes Damni cauſam præbuerunt. Sed ſi, quum proſpicere ſibi potuerit per Damni Infecti cautionem, non proſpexerit; meritò convenietur. *l.* 13. § 2. ULP. LIB. 53. AD ED.

XXVI.

Si domus (*a*) in controverſiâ ſit, dicendum eſt Damni Infecti onus Poſſeſſoris eſſe; cùm id quod præſtiterit, imputare domino prædii poſſit.

Quòd ſi non caveat; poſſeſſionem ad petitorem qui cavere Damni Infecti ſibi velit, transferant (*Aliàs* transferendam). Nam iniquum eſt ſtipulatorem compelli, relicto prædio ex quo Damnum vereatur, dominum quærere. *l.* 39. § 1. POMPON. LIB. 21. AD SABIN.

Cæterùm, inquit Plautius; Si ab eo quem dominum eſſe negarem, vellem ſub hâc exceptione SI DOMINUS NON ESSET (*b*) ſatisdari; ab eo verò quem dominum eſſe dicerem, purè repromitti; conſtitit non debere me impetrare (*c*); ſed debere me eligere à quo velim mihi caveri. *l.* 22. § 1. PAUL. LIB. 10. AD PLAUT.

XXVII.

Quæſitum eſt: ſi ſolum ſit alterius, ſuperficies alterius; ſuperficiarius utrùm repromittere Damni Infecti, an ſatisdare debeat? Et Julianus ſcribit, Quotiens ſuperficiaria inſula vitioſa eſt, dominum & de ſoli & de ædificii vitio repromittere; aut eum ad quem ſuperficies pertinet, de utroque ſatisdare (*d*). Quòd ſi uterque ceſſet, vicinum in poſſeſſionem mittendum eſſe. *l.* 9. § 4. PAUL. LIB. 53. AD ED.

Idem dic de proprietario aut fructuario. Nam Celſus rectè ſcribit; Si ædium tuarum uſusfructus Titiæ eſt, Damni Infecti aut dominum repromittere, aut Titiam ſatisdare debere. *d. l.* 9. § 5.

Obiter nota. Quòd ſi in poſſeſſionem miſſus fuerit is cui Damni Infecti cavendum fuit; Titiam uti frui prohibebit. Idem ait; Eum quoque fructuarium qui non reficit, à domino uti frui prohibendum. Ergo & ſi de Damno Infecto non cavet, dominuſque compulſus eſt repromittere; prohiberi debet frui. *d.* § 5.

Conſonat quod ait Paulus: Quamvis alienus uſusfructus ſit, dominum promittere oportere Caſſius ait. Niſi proprietarius in totum repromittat; vel fructuarius ſatisdet; mitti oportet in poſſeſſionem eum cui non caveatur. Sed niſi proprietario repromittenti fructuarius caveat, denegandam ei fructûs petitionem Julianus ſcribit. Sed ſi fructuarius de ſoli vitio quid præſtiterit, jus domini ad eum (*e*) transferri oportet. *l.* 10. PAUL. LIB. 48. AD ED.

Sufficit quidem ut alteruter aut proprietarius aut fructuarius caveat. Cæterùm Si proprietarius de Damno Infecto repromiſiſſet, vel fortè aliquid præſtitiſſet; aut contrà fructuarius aliquid præſtitit: iniquum eſt alterum ſine Damno uti ædibus, aut ædes habere: &, ſi obtulerit proprietarius aliquid, non eſt fructuario permittendum uti; niſi contulerit. Idemque fructuario præſtandum eſt, ut proprietarius cogatur ei conferre. Ergo & ſolum retinebit fructuarius ſi ædes ceciderint, donec præſtetur ei Damnum; ut quod haberet vicinus miſſus in Poſſeſſionem, id fructuarius habeat (*f*) qui Damnum vicino ſarciit. Eadem erunt & ſi minimum Damnum detur. *l.* 22. PAUL. LIB. 10. AD PLAUT.

ARTICULUS IV.

Quum plures ſunt ædes quibus Damnum timetur, aut plures ædium vitioſarum domini; pro quâ quiſque parte ſtipulari aut promittere debeat.

XXVIII.

Plures earumdem ædium domini, ſinguli ſtipulari debent ſine adjectione partis; quia de ſuo quiſque Damno ſtipulatur (*g*): quinimò pars adjecta, partis partem faciet (*h*).

Contrà ſi plures domini ſint vitioſarum ædium, pro ſuâ quiſque parte promittere debet; ne ſinguli in ſolidum obligentur. *l.* 27. PAUL. LIB. 78. AD ED.

(*a*) Id eſt, ejus dominium.

(*b*) Id eſt ſic, ut fidejuſſores poſſint exceptionem opponere, ſe in eum duntaxat caſum acceptos quo is *dominus non eſſet*; eo autem caſu, quo dominum eum eſſe conſtitiſſet, fidejuſſores non tenerentur; ipſe verò ſolus teneretur, utpotè qui cùm de re ſuâ caveret, non debuit fidejuſſores dare, infrà Art. 5°.

(*c*) *Non debeo impetrare* ut uterque mihi caveat; ſed debeo eligere utrùm ab eo quem dominum eſſe dico, repromiſſionem petam; vel ab illo quem dominum eſſe nego, ſatisdationem ſub exceptione ſuprà dictâ.

(*d*) Superficiarius enim quaſi nomine domini ſoli cui ſuperficies cedit, & quaſi de re alienâ cavet. Vid. infra Art. 5°.

(*e*) Hoc explicatur ex l. 22 quæ ſequitur.

(*f*) Igitur ſi fructuarius vicino nondum in poſſeſſionem miſſo Damnum ſarciit, niſi proprietarius ei refundat quod ipſe pro ratâ ſoli conferre tenebatur, debet fructuarius conſtitui in poſſeſſione ſoli, ſicut conſtitutus fuiſſet vicinus. Quòd ſi vicino jam ex primo Decreto in poſſeſſione conſtituto fructuarius Damnum ſarciit; niſi proprietarius conferat, debet jus poſſeſſionis & dominii quale ad vicinum ex ſecundo Decreto tranferendum eſſet, ad fructuarium transferri: debet enim habere quod habuiſſet vicinus cui ſatisfecit. Hoc autem impetrabit fructuarius; extrà ordinem Prætoriâ auctoritate. Ita Cujacius ad l. 10. h. tit.

(*g*) Ratio eſt quòd utiliter quis ſtipulari non poſſit, niſi quod ſuâ intereſt, ut vid. ſuprà lib. 2. Tit. *de Pactis*.

(*h*) Scilicet ſi quis Damnum quod contingit, pro dimidiâ parte ſibi ſarciri ſtipuletur; non de dimidiâ totius Damni, ſed de dimidiâ ejus damni quod pro parte ſuâ ſentiet, ſtipulatus intelligitur. Neque enim in ſtipulationem deduci poteſt quod ſocii ejus ſentiunt, cùm ejus non interſit.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS V.

Qualis esse debeat cautio quæ pro Damno Infecto datur; de die huic adjiciendâ, & quando committatur.

§ I.

Qualis esse debet.

XXIX.

Hæc cautio Damni Infecti interdum in nudâ repromissione consistit, interdum satisdationem requirit.

Et quidem Sive corporis dominus, sive is qui jus habet ut putà servitutem (*a*), de Damno Infecto caveat; puto eum repromittere debere, non satisdare: quia suo nomine id facit, non alieno. *l.* 13. § 1. ULP. LIB. 53. AD ED.

Et alibi. Damni Infecti stipulatio pertinet; etiam si quid ejus operis quod fit in fundo meo (aquæ ducendæ causâ) vitio, Damnum mihi contigerit Solet enim opus in alieno fieri; cùm jure servitutis quam quis habet alieno agro impositam, opus in alieno faciat. *l.* 39. IDEM LIB. 81. AD ED.

Utrùm autem de hoc opere prómittere an satisdare debeat, videamus? Movet (*b*), quòd in alieno facit: qui autem de alieno cavet, satisdare debet; qui de suo, repromittere. Undè Labeo putabat eum qui modulorum (*c*) aut rivi faciendi causâ opus faceret, etiam satisdare; quia in alieno solo faceret. Sed cùm (*d*) de opere quod faciet, exigatur stipulatio; consequens erit dicere, sufficere repromissionem: quodammodo enim de re suâ (*e*) cavet. *d. l.* 30. § 2.

Nota. Quod dictum est AQUÆ DUCENDÆ CAUSA, exempli gratiâ est. Cæterùm ad omnia opera stipulatio accommodabitur. *d. l.* 30. § 2.

De eo autem Qui bonâ fide à non domino emit, videndum est numquid repromittat, non etiam satisdet? Quod quibusdam videtur. Habet autem rationem, ut magis repromittat quàm satisdet: suo enim nomine id facit. *l.* 13. ULP. LIB. 53. AD ED.

Vide & quæ suprà dicta sunt de superficiario aut fructuario, respectu domini soli aut proprietatis: N. 27.

Quòd Si controversia sit, dominus sit necne is à quo cautio exigetur; sub exeptione (*f*) satisdare jubetur. *l.* 31. § 1. PAUL. LIB. 78. AD ED.

XXX.

Hactenùs de cautione Damni Infecti, quæ desideratur ratione loci privati aut operis quod in privato loco fit. Quòd si ratione operis quod in publico loco fit, cautio desideretur; an repromittendum, an satisdandum erit?

Deinde ait Prætor: DE EO OPERE quod in flumine publico ripâ-ve ejus fiet, in annos decem satisdari jubebo.

Hîc exigitur satisdatio, & tempus stipulationi præstituit; idcircò quia in publico fit. Cùm autem in alieno fiat, satisdationem Prætor injungit. *l.* 15. § 2. ULP. LIB. 53. AD ED.

Obiter nota. Et quod ait Prætor DE EO OPERE; sic accipe, de eo Damno quod ex opere fiet. *d. l.* 15. § 5.

Similiter Si quid in viâ publicâ fiat; quia in alieno fit, satisdandum est. *d. l.* 15. § 6.

De cæteris locis publicis nihil specialiter cavetur. Verùm ex generali sermone, quasi in alieno fiat, satisdari debebit Damni Infecti. *d. l.* 15. § 9.

§ II.

De die huic cautioni adjiciendâ.

XXXI.

Huic stipulationi debet dies esse insertus; intrà quem si quid Damni contigerit, cautio locum habet: neque enim in infinitum obligatus esse debet stipulatione.

Ipse igitur Prætor diem dabit stipulationi; æstimatione habitâ, ex causâ & ex qualitate ejus Damni quod contingere speratur. *l.* 13. § 15. ULP. LIB. 53. AD ED.

In causæ cognitione etiam longinquitas soli, & operis magnitudo spectanda est. *l.* 14. PAUL. LIB. 48. AD ED.

Notandum quòd Dies cautioni præstitutus si finietur; Prætoris vel Præsidis officium erit, ex causâ, vel reum (*g*) notare, vel protelare eum; &, si hoc localem exigit inquisitionem, ad Magistratus municipales hoc remittere. *l.* 4. ULP. LIB. 1. AD ED.

Idem alibi: Si finita sit dies statuta in cautione, iterùm arbitratu Prætoris ex integro erit cavendum. *l.* 15. IDEM LIB. 53. AD ED.

Dies igitur huic stipulationi adjici debet. De facto verò Si sine adjectione diei stipulatio fuerit interposita: si quidem ex conventione; quandoque fuerit commissa, Ex stipulatu agitur (*h*): si verò per errorem; magis est illud dicendum, finito die in quem alioquin caveri solet, desiderandum esse à Prætore ut liberetur. *d. l.* 15. § 1.

XXXII.

Uno casu tempus hujus stipulationis lege determinatum fuisse obiter suprà vidimus: nimirùm in annos decem de eo opere quod in flumine publico ripâ-ve ejus fiat.

Si quid igitur Damni intra decem annos acciderit, id (*i*) in stipulatione continetur. *d. l.* 15. § 4.

Cæterùm hæc Edicti pars ad alia publica loca non porrigitur: Sed Prætor causâ cognitâ tempus pro conditione operis determinabit. *d. l.* 15. § 7.

§ III.

Quando committatur hæc stipulatio.

XXXIII.

Hæc stipulatio committitur, quum intrà diem stipulationi comprehensum, Damnum stipulatori datum est in rebus quarum nomine ipsi cautum est.

Undè illud Damnum proficisci debeat, suprà vidimus Art. 1°.

Oportet autem ut intrà diem stipulationi comprehensum contingat. Quocircà Sabini sententia vera est, existimantis; ut, si, dum ædificatur intrà diem stipulationi comprehensum, supra parietem meum domus deciderit, eumque vitiaverit, licèt post diem stipulationis paries (*k*) decidet, possim agere quia Damnum jam tunc acceperim, quum paries vitiosus factus sit. Nec quicquam obstare quominùs, etiam antequàm decidat, agi possit: & si ita concussus sit paries, ut nullâ ratione refici (*Florent.* recipi) possit, ideòque deponendus est; non minoris litem æstimandam quàm si decidisset. *l.* 18. § 11. PAUL. LIB. 48. AD ED.

XXXIV.

Item oportet Damnum stipulatori datum esse, in his rebus quarum nomine ipsi cautum est.

Hinc Si is qui unas ædes habebat, stipulatus fuerit, deinde vicinas comparaverit: an earum quoque nomine quas post interpositam stipulationem comparasset, promissorem obligaret quæsitum est? Julianus scribit

(*a*) Et jure hujus servitutis aliquod opus in alieno facit, ex quo Damnum timetur.

(*b*) Ratio dubitandi.

(*c*) *Moduli* videntur Gothofredo hîc accipi pro formâ aquarum & tubis.

(*d*) Ratio decidendi in contrarium.

(*e*) Quodammodo enim suum est, quod ædificat jure servitutis sibi constitutæ.

(*f*) Scilicet sub hâc exceptione; ut, si dominum eum esse constiterit, non teneatur fidejussores. V. Not. (*h*).

(*g*) Pro *reum notare*, legendum puto *renovare*.

(*h*) *Si ex conventione*; id est, si hæc fuerit contrahentium voluntas ut promissor indemnitate & quandocumque damnum contingeret, teneretur. *Si verò per errorem*; id est, si non hæc fuit voluntas contrahentium; nec consultò sed *per errorem* & omissionem dies non fuit inserta.

(*i*) *Id* duntaxat. Ergo non si quid ultra decem annos.

(*k*) Meus.

Source : BIU Cujas

videndum ne earum duntaxat nomine cautum habeat, de quibus inter eum & promiſſorem initio actum fuerit.

Cui conſequens videri poſſe ut &, quum ædium communium nomine duo ſocii ſtipulentur, de eo duntaxat Damno caveri videatur quod in parte ædium cuique ſocio datum fuerit. Sive ergo redemerit alteram partem quis ex his, ſive adjudicata fuerit; non augeri promiſſionis obligationem.

Pomponius, relatâ Juliani ſcripturâ, dicit non ſe improbare. *d. l.* 18. § 5.

Si autem res aliquas poſt ſtipulationem interpoſitam in domo habere cœperit ſtipulator, quæ ex ruinâ vicinarum ædium perierint; agere ex ſtipulatu poteſt: licèt (*a*) tunc quum ſtipularetur, hæ res non fuerint. *d. l.* 18. § 6.

ARTICULUS VI.

De actione quæ ex ſtipulatione Damni Infecti deſcendit.

§ I.

Cui & adversùs quem hæc actio detur; & pro quâ quiſque parte agere aut conveniri poſſit, quum plures domini ex hâc cauſâ ſtipulati ſunt aut promiſerunt.

XXXV.

Hæc actio datur ſtipulatori adversùs promiſſorem. Tamen Si procurator meus Damni Infecti ſtipulatus ſit, causâ cognitâ mihi ex eâ ſtipulatione actio (*b*) competit. *d. l.* 18. § 16.

XXXVI.

Adjicitur in hâc ſtipulatione & heredum nomen, vel ſucceſſorum, eorumque ad quos ea res pertinet. Succeſſores autem, non ſolùm qui in univerſa bona ſuccedunt, ſed & hi qui in rei tantùm dominium ſucceſſerint, his verbis continentur. *l.* 24. § 1. ULP. LIB. 81. AD ED.

XXXVII.

Quotiens ex Damni Infecti plures agunt, quia in eâdem re Damnum paſſi ſunt, id eſt in ædibus: non debet unuſquiſque eorum in ſolidum agere; ſed in partem experiri. Neque enim Damnum quod pluribus datum eſt, unicuique in ſolidum datum eſt, ſed in partem datum eſſe videtur; & ideò unicuique in partem competere actionem Julianus ſcripſit. *l.* 40. § 2. ULP. LIB. 53. AD SABIN.

Et Si ſervus communis Damni Infecti ſtipulatus fuiſſet; perindè habetur ac ſi ipſi domini ſuâ voce pro partibus ſtipularentur. *l.* 42. JULIAN. LIB. 58. DIGEST.

Item Si plurium ſint ædes quæ damnosè imminent, utrùm adversùs unumquemque dominorum in ſolidum competit, an in partem? Et ſcripſit Julianus, quod & Sabinus probat, pro dominicis partibus conveniri eos oportere. *ſup. d. l.* 40. § 3.

§ II.

Quæ in hanc actionem veniant præſtanda.

XXXVIII.

Veniunt in hanc actionem impenſæ, non ſolùm quæ in ædibus aut pariete reſtituendis factæ ſunt; ſed & quævis aliæ quibus cauſam dedit vitium loci aut operis cujus nomine repromiſſum eſt. Uno verbo, In hâc ſtipulatione venit QUANTI EA RES ERIT.

Et ideò Caſſius ſcribit; Eum qui Damni Infecti ſtipulatus eſt, ſi propter metum ruinæ ea ædificia quorum nomine ſibi cavit, fulſit; impenſas ejus rei Ex ſtipulatu conſequi poſſe. Idemque Juris eſſe quum propter vitium communis parietis, qui cavit ſibi Damni infecti, onerum eorum relevandorum gratiâ quæ in parietem incumbunt, ædificia ſua fulſit.

In eâdem causâ eſt, detrimentum quoque propter emigrationem inquilinorum, quod ex juſto metu factum eſt.

Ariſto autem non malè adjicit; ſicuti hic exigit Caſſius, ut [ſi] juſtus metus migrandi cauſam præbuerit; ita in ejus perſonam qui fulſit, eamdem Caſſium dicere debuiſſe, ſi juſto metu ruinæ fulcire coactus eſt. *l.* 28. ULPIAN. LIB. 81. AD ED.

Sed & ſi conducere hoſpitium nemo velit propter vitium ædium, item erit dicendum (*c*). *l.* 29. GAIUS LIB. 28 AD ED. PROVINC.

XXXIX.

Obſervandum tamen quòd Ex Damni Infecti ſtipulatione non oportet infinitam vel immoderatam æſtimationem fieri, ut putà ob tectoria & ob picturas. Licèt enim in hæc magna erogatio facta eſt; attamen ex Damni Infecti ſtipulatione moderatam æſtimationem faciendam; quia honeſtus modus ſervandus eſt, non immoderata cujuſque luxuria ſubſequenda. *l.* 40. ULP. LIB. 43. AD SABIN.

Ergo In æſtimando novo pariete, ratio haberi debet ejus impenſæ quæ modum probabilem non excedet in vetere ejus cultu (*d*): non qui [non (*e*)] adgravet. *l.* 39. § 4. POMPON. LIB. 21. AD SABIN.

Item Deducto veteris parietis pretio, ſi quid amplius ſit æſtimari debet; & ſi quid ex veteri in novum conjunctum ſit, deduci ex æſtimatione oportet. *l.* 38. § 2. PAUL. LIB. 10. AD SABIN.

XL.

Valdè autem nota. Cæterùm Judex qui de Damno Infecto cognoſcit, etiam alienato prædio ab eo cum quo actum fuerit, Damnum æſtimare ſolet omne quodcumque ante judicium contigit. *l.* 17. § 4. ULP. LIB. 53. AD ED.

ARTICULUS VII.

Ad quos Magiſtratus pertineat cognitio de ſtipulatione pro Damno Infecto præſtandâ, & Decreta eâ de re interponere: ubi de actione quæ datur in Magiſtratus municipales; quum deſideranti ſibi caveri, officium ſuum non interpoſuerunt.

XLI.

Quum res Damni Infecti celeritatem deſiderat, & periculoſa dilatio Prætori videtur ſi ex hâc causâ ſibi juriſdictionem reſervaret; Magiſtratibus municipalibus delegandum hoc rectè putabit. *l.* 1. ULP. LIB. 1. AD ED.

Hoc caſu: Duas ergo res Magiſtratibus Prætor vel Præſes injunxit, cautionem, & poſſeſſionem (*f*); cætera (*g*) ſuæ juriſdictioni reſervavit. *l.* 4. § 3. IDEM LIB. 1. AD ED.

Quòd Si fortè duretur non caveri; ut poſſidere liceat (quod causâ cognitâ fieri ſolet) non Duumviros ſed Prætorem vel Præſidem permiſſuros (*h*): item ut ex causâ decedatur de poſſeſſione. *d. l.* 4. § 4.

XLII.

Magiſtratus autem municipales quibus hanc ſuæ juriſdictionis partem, ut poſſent jubere caveri & ex primo Decreto in poſſeſſionem mittere, Prætor delegavit; tenentur his qui ipſos eâ de re adibunt, officium ſuum exhibere.

Et quidem In eum, qui quid eorum quæ ſuprà ſcripta

(*a*) Qui ædibus ſuis cavit, non egit nec cogitavit de aliis quas poſteà emit. Sed qui de ædibus ſuis cavit: egit de ædibus non nudis, ſed inſtructis; adeòque egit de omnibus rebus quæ quandocumque in eas inferrentur.

(*b*) Hæc actio non eſt directa ſed Utilis: & ideò causâ cognitâ datur. Nec enim ex Lege proficiſcuntur iſtæ actiones, ſed ex juriſdictione Magiſtratûs qui Legem ſupplet, quum procurator meus non eſt ſolvendo.

(*c*) Scilicet ut mercedis amiſſæ ratio habeatur.

(*d*) Id eſt; licèt vetus paries ornatus fuerit picturis, aut aliis rebus quæ ad luxum pertinent; non tamen impenſa circa novum parietem in ſimiles picturas facta reputabitur, cùm probabilem modam excedat.

(*e*) Delenda hæc negatio, quæ deeſt in Vulgatâ.

(*f*) Id eſt, ut Magiſtratus municipalis jubeat caveri; &, niſi caveatur mittat in poſſeſſionem ex primo Decreto.

(*g*) Scilicet ſecundum Decretum de quo infrà Art. 9.

(*h*) Quod eſt ſecundum Decretum. Item ad officium ſolius majoris Magiſtratûs pertinet, ut eum quem ex ſecundo Drecreto juſſit poſſidere, jubeat decedere de poſſeſſione; ex aliquâ causâ reſtitutionis in integrum: putà ſi is cujus ædes poſſidere juſſit, aut Minor fuit, aut bonâ fide abſens: infrà Art. 9.

ſunt

Source : BIU Cujas

ſunt non curaverit, QUANTI EA RES EST cujus Damni Infecti nomine cautum non erit, judicium datur. Quod non ad quantitatem refertur, ſed ad id quod intereſt; & ad utilitatem venit, non ad pœnam. *d. l.* 4. § 7.

Hoc autem judicium certam conditionem habet, ſi poſtulatum eſt. Cæterùm qui non poſtulavit, experiri non poteſt. Poſtulare autem propriè hoc dicimus, pro tribunali petere; non alibi. *d. l.* 4. § 8.

Quòd ſi tam vicinum urbi municipium ſit, ut Magiſtratu ſe non interponente, potuerit Prætor vel Præſes adiri; poteſt dici, ceſſare hanc actionem adversùs Magiſtratus: quaſi nihil interſit, cùm in tuâ poteſtate fuerit à Prætore vel Præſide deſiderare in poſſeſſionem mitti. *d. l.* 4. § 9.

Hæc autem actio, cùm rei habeat perſecutionem, & heredi & in heredem & perpetuò dabitur. *d. l.* 4. § 10.

ARTICULUS VIII.

De primo Decreto ſeu de miſſione in poſſeſſionem, quum non cavetur ei cui Prætor Damni Infecti nomine caveri juſſit.

§ I.

Quando Decretum hoc interponatur, & adversùs quem; & de denuntiatione quæ illud præcedit.

XLIII.

Quum Prætor juſſit alicui ex causâ Damni Infecti caveri; Si intrà diem à Prætore conſtituendum non caveatur, in poſſeſſionem ejus rei mittendus eſt. *l.* 4. § 1. ULP. LIB. 1. AD ED.

In ſtipulatione Damni Infecti quæ ædium nomine interponitur, niſi in ſolidum fuerit (*a*) cautum mittetur in poſſeſſionem. *l.* 23. IDEM LIB. 48. AD ED.

Et quidem Si vicinas ædes habeamus, & invicem deſideremus Damni Infecti caveri, nihil obſtabit, quominùs & ego in tuarum ædium poſſeſſionem mittar, & tu in mearum. *l.* 18. § 12. PAUL. LIB. 48. AD ED.

XLIV.

Hoc Decretum præcedere debet denuntiatio.

Enimverò Prætor ait: DUM EI QUI ABERIT, PRIUS DOMUM DENUNTIARI JUBEAM. Abeſſe autem videtur, & qui in Jure non eſt. Quòd & Pomponius probat. Verecundè autem Prætorem DENUNTIARI jubere, non extrahi (*b*) de domo ſuâ. Sed domum in quam degit denuntiari, ſic accipere debemus; ut & ſi in alienâ domo habitat; ibi ei denuntietur. Quòd ſi nec habitationem habeat; ad ipſum prædium erit denuntiandum, vel procuratori ejus, vel certè inquilinis. *ſup. d. l.* 4. § 5.

Totiens autem Prætorem exigere denuntiationem intelligendum eſt, ſi ſit cui denuntietur. Cæterùm ſi non ſit; veluti quòd hereditaria inſuta eſt, necdum hereditas adita, vel ſi heres non extet, nec inhabitetur; ceſſat hæc pars Edicti. Eſt tamen tutius, libellum ad ipſas ædes proponere. Fieri enim poteſt, ut ita monitus defenſor exiſtat. *l.* 4. § 6. ULP. LIB. 1. AD ED.

XLV.

Adversùs quemcumque qui non cavit, Prætor in poſſeſſionem mittit; nec in eo contumacia deſideratur.

Hinc V. G. Si pupillus tutorem non habeat, quo auctore Damni Infecti promittat; quaſi non defendatur, miſſio in poſſeſſionem locum habebit (*c*). *l.* 15. § 29. IDEM LIB. 53. AD ED.

§ II.

In cujus rei & in cujus partis poſſeſſionem Prætor mittat.

XLVI.

Prætor mittit in poſſeſſionem ejus rei undè Damnum timetur. EJUS REI ſic accipe, ſive tota res ſit, ſive pars ſit rei. *ſup. d. l.* 4. § 1. ¶ *ejus rei.*

Igitur ſi ea res ex aliquâ duntaxat ſui parte ruinoſa ſit; Ex hoc Edicto, ſi non caveatur, mittitur in poſſeſſionem à Prætore in eam partem quæ ruinoſa eſſe videtur. *l.* 15. § 11. ULP. LIB. 53. AD ED.

An verò in totas ædes miſſio locum habeat, videamus? Et extat Sabini ſententia, in totas ædes mittendum. Alioquin ſi ex (*d*) ſuperficie (inquit) Damnum timeatur, non habebit res exitum: nec profuturum in poſſeſſionem ejus rei mitti, quam quis poſſidere non poſſit (*e*) aut ei non expediat. Et verior eſt Sabini ſententia. *d. l.* 15. § 12.

Sed ſi in plures partes diviſa domus ſit: utrùm in partem an in totam domum poſſidendam mitti quis debeat videamus? Si tam ampla domus ſit, ut & ſpatia inter vitioſam partem intercedant, & eam quæ vitium non facit; dicendum, in eam ſolam partem mitti: ſi verò unita ſit contextu ædificiorum; in totam. Itaque & in ſpatioſis domibus, meliùs dicetur in eam partem domûs mittendum quæ vitioſæ parti unita eſt. Cæterùm ſi modica portiuncula ædium ampliſſimarum vitium faceret; quale erat dicere, totas ædes jubendum poſſidere eum cui Damni Infecti non caveretur? cùm ſint ampliſſimæ. *d. l.* 15. § 13.

LXVII.

Item quid dicemus, ſi inſula adjacens domui (*f*) vitium faciat; utrùm in inſulæ poſſeſſionem, an verò in totius domûs poſſeſſionem mittendum ſit? Et magis eſt ut non in domûs poſſeſſionem, ſed in inſulæ mittatur. *d. l.* 15. § 14.

XLVIII.

Similiter Si agri nomine non caveatur; in eam partem agri mittendum eſt ex quâ periculum timeatur. Ejuſque rei ratio hæc eſt, quòd in ædificiis partes quoque reliquæ à vitioſâ parte traherentur; at in agris non idem eſt. Sed dicendum eſt; ut in domibus quoque majoribus interdum causâ cognitâ Prætor ſtatuere debeat, in cujus partis poſſeſſionem is cui non caveatur mitti debeat. *l.* 38. § 1. PAUL. LIB. 10. AD SABIN.

XLIX.

Circa rem in cujus poſſeſſionem mittitur, unum quærendum ſupereſt. Si jam ruerunt ædes; an in poſſeſſionem ruinæ vel areæ mittendus ſit nihilominùs, is cui cautum non eſt, videamus? Et magis eſt ut mitti debeat. Et ita Labeo. Sed adjicit; Si poſteaquàm decreverit prætor eum in poſſeſſionem mittendum, tunc ædes decideriint (*g*). Et puto Labeonis ſententiam veram. *ſup. d. l.* 15. § 34.

§ III.

Quis in poſſeſſionem mitti debeat, & pro quâ quiſque parte quum plures ſunt.

L.

Is in poſſeſſionem mitti debet, cui Prætor caveri juſſit:

(*a*) Hoc ita accipiendum eſt; ut, ſi quis in ſolidum dominus ſit, nihil agat niſi in ſolidum caveat: quod ſi ex parte dominus ſit, ſufficit ei ſi pro eâ parte ex quâ dominus eſt caveat; ut expreſsè dicitur in l. 6. § 7. ff. *Comm. divid.* item l. 27. h. tit. ſuprà N. 28. Et qui caveri deſiderat, mittetur duntaxat in poſſeſſionem partium eorum qui non caverunt.

(*b*) Vid ſuprà lib. 2. Tit. *de In jus vocando* N. 6.

(*c*) Quamvis pupillus ſine tutoris auctoritate moram non contrahat: ut vid. ſuprà lib. 22. Tit. *de Uſur.* N. 61.

(*d*) Putà, ex aliquo protecto quod ædibus meis impendet.

(*e*) Quomodo enim hoc protectum poſſidere poſſim, ſine ædibus quarum eſt pars? Et quid mihi prodeſſet poſſeſſio hujus ruinoſi protecti?

(*f*) *Inſula* hîc ſumitur pro parvo ædificio quod ſeparatum adjacet *Domui*, id eſt univerſitati ſeu continentiæ ædificiorum ad habitationem patrisfamiliàs ejuſque familiæ deſtinatorum. Et generaliter Marcilius putat, *Inſulas* propriè appellari quæ à vicinis ædibus interjecto legitimo ſpatio ſeparantur, *Domus* quæ pariete communi ſunt junctæ. Quandoque tamen in legibus, hæ appellationes confunduntur.

(*g*) Nam ſi antè; tale Damnum regulariter non pertineret ad hoc Edictum; ſuprà N. 5.

Source : BIU Cujas

nec ſolùm qui ſuo nomine : ſed & is qui alieno nomine, oblatâ cautione de rato, ſibi caveri deſideravit.

Hinc Pomponius. Alieno nomine ſtipulari ita licet ; ut quod Damnum domino datum ſit, comprehendatur. Cavere autem debebit is qui ſtipulabitur, dominum ratam rem habiturum : exceptioque (*a*) Procuratoria ſtipulationi inſerenda erit, ſicut in ſtipulatione legatorum. Quòd ſi ei non cavebitur, mittendus eſt in poſſeſſionem procurator omnimodò ; ut ei exceptio Procuratoria non noceat. (*b*) *l.* 39. § 3. POMPON. LIB. 21. AD SABIN.

L I.

Quum autem plures mittuntur in poſſeſſionem, æqualiter mittuntur ; non pro ratâ Damni quod unumquemque contingeret. Et meritò. Nam & quum unus mittitur, non pro portione Damni mittitur, ſed in totum.

Quum igitur plures mittuntur ; æqualiter omnes quaſi in totum miſſi, concurſu partes habebunt. *l.* 15. § 18. ULP. LIB. 53, AD ED.

Similiter Paulus : Si plures ſint domini qui cavere debent, & aliquis non caveat ; in portionem ejus mittetur. Et contrà, ſi aliquot ſint qui caveri ſibi deſiderant ; & alius pretioſiores, alius viliores habeat ædes ; ſive unius domûs plures habeant diſpares partes : tamen non magnitudine dominii quiſque, ſed æqualiter mittentur omnes in poſſeſſionem. l. 5. § 1. PAUL. LIB. 1. AD ED.

Et rursùs Ulpianus alibi ait. Si plures domini ſint ædium qui Damni Infecti ſibi proſpicere volunt, nec quiſquam eis Damni Infecti caveat ; mittendi omnes in poſſeſſionem erunt : & quidem æqualibus partibus, quamvis diviſas portiones dominii habuerint. Et ita Pomponius ſcribit. *l.* 30. § *fin.* ULP. LIB. 43. AD SABIN.

L I I.

Non ſpectatur etiam ordo temporis, inter eos qui in poſſeſſionem mittuntur.

Undè Ulpianus. Si plures ſunt qui poſtulent ut caveatur ; omnes mitti in poſſeſſionem ſolent. Idemque Labeo probat, & ſi priùs in poſſeſſionem miſſus ſit, & alius mitti deſideret. Nam non ſpectabimus ordinem, ſed habebunt ambo poſſeſſionem. *l.* 15. § 15. IDEM. LIB. 53. AD ED.

Ita demùm tamen eoncurrent, ſi poſterior veniat antequàm prior ex ſecundo Decreto poſſidere juſſus fuerit. Quòd ſi jam prior poſſidere juſſus ſit, & alius Damni Infecti caveri deſiderat ; tunc, niſi cavetur (*c*) mittetur in poſſeſſionem poſterior. *d.* § 15.

Quòd Si ante hoc Decretum, alius quoque in poſſeſſionem miſſus fuerit ; æqualiter ambo ædium fiunt domini, ſcilicet quum juſſi fuerint poſſidere. Si verò jam conſtituto domino eo qui primus in poſſeſſionem miſſus eſt, Titius Damni Infecti ſibi caveri deſiderabit ; ceſſante primo cavere, ſolus Titius erit in poſſeſſione. *d. l.* 15. § 17.

§ I V.

Qualem poſſeſſionem conſequantur qui ex primo Decreto mittuntur ; & quandiù ea duret.

L I I I.

Qui ex hoc primo Decreto mittuntur in poſſeſſionem, nudam duntaxat rei cuſtodiam conſequuntur.

Hinc Si quis in poſſeſſionem miſſus, nondum poſſidere juſſus ſit ; an dominus decedere poſſeſſione debeat, videamus ? Et ait Labeo, Non decedere : ſicuti nec quum creditores vel legatarii mittuntur. Idque eſt verius. *l.* 15. § 20. ULP. LIB. 53. AD ED.

L I V.

Si quis Damni Infecti in poſſeſſionem miſſus ſit : fulcire eum & reficere inſulam debere, ſunt qui putent ; eamque (*d*) culpam præſtare, exemplo ejus qui pignori accepit. Sed alio Jure utimur. Cùm enim ob hoc tantùm miſſus ſit, ut vice cautionis in poſſeſſione ſit ; nihil ei imputari, ſi non refecerit. *d. l.* 15. § 30.

L V.

Hæc poſſeſſio ejus qui ex primo Decreto miſſus eſt, tandiù durare debet donec ipſi cautum fuerit, aut ipſe ſponte receſſerit.

1°. *Igitur recedere debebit, ſi ipſi cautum fuerit. Sed* Item videamus, ſi ei cautio offeratur poſteaquàm miſſus eſt ; an non priùs decedere debeat quàm ſi ei caveatur, etiam de eo Damno quod contigit poſteaquàm miſſus eſt in poſſeſſionem ? Quod quidem magis probatur. Repetitâ igitur die (*e*) promittendum erit.

Hoc ampliùs de impenſis quoque ſi quas fecerit, ei cavendum. *d. l.* 15. § 31.

Igitur quamvis, ut ſuprà vidimus, reficere non teneatur : tamen, cùm & impenſarum habeatur ratio ; Proindè & ſi refecit aliquid ; erit probandum, non priùs eum diſceſſurum quàm ſi ei ſarciatur, & de præterito caveatur.

Poteſt autem & In factum actione reciperare hoc quod impendit ; ſed non ampliùs quàm quod viri boni arbitratu factum ſit.

Idem eſt, & ſi alius juſſu rogatu-ve meo eorum quid ſine dolo malo fecerit ; & eo nomine condemnatus ſim, aut dederim ſine dolo malo. *d. l.* 15. § 34. ¶ *proindè.*

L V I.

2°. *Finitur etiam poſſeſſio in quam quis miſſus eſt, quum ab eâ ſpontè receſſit.*

At ſi non ſpontè ; V. G. Si quis metu ruinæ deceſſerit poſſeſſione : ſi quidem, cùm adjuvare rem non poſſet, id fecit ; Labeo ſcribit integrum jus eum habere, perindè ac ſi in poſſeſſione perſeveraſſet. Quòd ſi quum poſſet ſuccurrere, maluit relinquere ; amiſiſſe eum Prætoris beneficium : neque, ſi poſteà ſuccuri ſibi velit, audiendum eum. Caſſius autem ait ; Si metu ruinæ receſſerit, non hoc animo ut ædificia derelinqueret, reſtituendum in poſſeſſionem. Eum tamen qui miſſus in poſſeſſionem non acceſſerit, ſi ædificia ruerint, beneficium Prætoris amiſiſſe ſcribit. Hoc ita accipiendum erit, ſi venire in poſſeſſionem neglexit ; non ſi, dum venit, ruerunt. *d. l.* 15. § 35.

§ V.

Quomodo coerceatur qui miſſum in poſſeſſionem non admittit ; & de actione In factum *adversùs ipſum competente.*

L V I I.

Quum Duumviri ex delegatione majoris Magiſtratûs aliquem in poſſeſſionem miſiſſent ; quæſitum eſt. An tamen is qui non admittit, etiam captis pignoribus à Magiſtratibus (*f*) coerceatur ? Non puto : ſed IN FACTUM actione tenebitur. Nam & ſi à Prætore miſſus non admittatur, eâdem actione utendum eſt. *l.* 4. § 2. ULP. LIB. 1. AD ED.

Et quidem etiam Si pupillus (*g*) prohibuit iri in poſſeſſionem Damni Infecti, placet in eum non injuſtè competere hanc In factum actionem. *l.* 18. § 13. PAUL. LIB. 48. AD ED.

Quòd Si quis miſſum in poſſeſſionem, quum eſſet in alienâ poteſtate (*h*), non admiſerit ; plerique putant

(*a*) Legendum putarem, *exceptio-ve.* Et hanc eſſe ſententiam puto ; ut is à quo procurator petit caveri *Damni infecti*, poſſit ipſe exigere à procuratore ut caveat *De rato* : vel, ſi malit, poteſt inſerere ſtipulationi de Damno Infecto hanc exceptionem. UT ita demùm rata ſit ſtipulatio, ſi ſtipulator verus procurator ſit, aut dominus ratum habuerit.

(*b*) Procuratori qui DE RATO cavet, non debet nocere exceptio *Procuratoria* ; id eſt, non poteſt ampliùs ei objici quòd non ſit verus procurator.

(*c*) Ab iſto, qui ex ſecundo Decreto poſſeſſor conſtitutus eſt.

(*d*) *Eam culpam* ; ſcilicet ſi fulcire inſulam omiſerit.

(*e*) Id eſt, *Repetendo* ſtipulationem, non ex die duntaxat quo interponitur, ſed *ex die* quo interponi debuit, & quo [cùm mora in eâ interponendâ fieret] ſtipulator miſſus eſt in poſſeſſionem.

(*f*) Municipalibus, ſeu Duumviris.

(*g*) Adjicitur in Baſilic. *doli capax.*

(*h*) Id eſt ; *Si quis*, quum eſſet ſervus. Ex delictis autem filiorumfamilias ; Noxales actiones non dantur ; ſed ipſi tenentur ſuo nomine : ut vid. ſuprà lib. 9. *de Noxal. act.* N. 2.

Source : BIU Cujas

Noxalem actionem eo nomine competere. *l.* 17. ULP. LIB. 53. AD ED.

Quid deindè, si procurator prohibuit? Utrùm in ipsum an in dominum dabimus? Sed verius est in ipsum dandam. *d. l.* 17. § 1.

Sed & [si] in actore municipum, tutore, cæterisque qui pro aliis interveniunt, idem erit dicendum. *d. l.* 17. § 2.

At Si mandatu meo alius prohibuerit, in me hæc actio competit. *l.* 18. § 14. PAUL. LIB. 48. AD ED.

L V I I I.

Quid autem in hâc actione veniat, docet Ulpianus. Nimirùm Si quis ex hoc Edicto à Prætore in possessionem missus, non est admissus: IN FACTUM actione uti poterit; ut tantum præstetur ei, quantum præstari ei oporteret si de eâ re cautum fuisset.

Extenditur enim actio in id tempus, quo damnum committitur. *l.* 15. §. 36. ULP. LIB. 53. AD ED.

Hinc liquet quòd, Antequàm Damnum detur, impunitum est factum ejus qui neque promisit neque admisit in possessionem; si tamen ante Damnum datum (*a*) vel cavit vel possessione cessit. *l.* 16. PAUL. LIB. 60. AD ED.

L I X.

Observandum superest quòd Actio ista quæ IN FACTUM est, perpetuò dabitur; & heredi, & in heredem, cæteraque (*Aliàs* cæteros), itemque cæteris personis. *l.* 17. § 3. ULP. LIB. 53. AD ED.

ARTICULUS IX.

De secundo Decreto quo is qui in possessionem alicujus rei ex causâ Damni Infecti missus erat, eam possidere ac sibi habere & usucapere jubetur.

§ I.

Quando & in quas res interponatur.

L X.

Non statim ubi misit Prætor in possessionem, etiam possidere jubet; sed tunc demùm quum justa causa videbitur. Ergo intervallum aliquod debebit intercedere; quòd aut pro derelicto ædes longo silentio dominus videatur habuisse; aut misso (*Florent.* emisso) in possessionem & aliquandiù immorato, nemo caveat. *l.* 15. § 21. ULP. LIB. 53. AD ED.

Quòd Si fortè dominus Reipublicæ causâ abest, aut ex aliâ justâ causâ, aut in eâ sit ætate cui subveniri solet; probandum est, non debere Prætorem festinare ad decernendum ut jubeat possidere.

Sed etsi decreverit, nemo dubitat in integrum restitutionem indulturum. *d. l.* 15. § 22.

L X I.

Cùm autem hoc secundum Decretum tribuat rem possidere & usucapere, sequitur non posse interponi circa res quæ usucapi non possunt.

Hinc Si de vectigalibus (*b*) ædibus non caveatur, mittendum in possessionem dicemus (*c*): nec jubendum possidere; nec enim dominium capere possidendo potest. Sed decernendum, ut eodem jure esset quo foret is qui non caverat. Post quod Decretum, vectigali (*d*) actione uti poterit. *d. l.* 15. § 26.

Sed in vectigali prædio, si municipes (*e*) non caverint, dicendum est dominium (*f*) per longum tempus adquiri. *d. l.* 15 § 27.

(*a*) Igitur re integrâ potest factum emendare: sed statim atque Damnum datum est, committitur hæc actio *In factum*.

(*b*) Quarum dominium ad Rempublicam seu municipium pertinet.

(*c*) Duntaxat: non autem *jubendum possidere* ut usucapiat; cùm harum ædium dominium, non penès possessorem seu Emphyteutam, sed penès ipsum municipium & Rempublicam sit.

(*d*) De quâ suprà lib. 5. Tit. *Si ager vectig. petat.*

(*e*) Ad quos vectigale prædium, vel jurè Commissi, vel finito tempore Emphyteusis, reversum est. Cujac. in Notis ad h. l.

§ II.

De effectu secundi hujus Decreti.

L X I I.

Ubi autem quis possidere jussus est, dominus dejiciendus erit possessione. *d. l.* 15. § 23.

Is tamen qui possidere jussus est, non constituitur verus & ex jure Quiritium dominus, donec rem usuceperit. Nam Prætor dominum facere non potest.

Hinc Paulus. Prætoris officium est, ut missus in possessionem, etiam eam per longi temporis spatium in suum dominium capere possit. *l.* 5. PAUL. LIB. 1. AD EDICT.

Ex secundo autem Decreto currit tempus usucapionis. Et rectè Julianus scribit; Eum qui in possessionem Damni Infecti nomine mittitur, non priùs incipere per longum tempus dominium capere, quàm secundo Decreto à Prætore dominus constituatur. *sup. d. l.* 15 § 16.

L X I I I.

Cæterùm quamvis ante tempus usucapionis completum, is qui possidere jussus est non sit verus & ex Jure Quiritum dominus; tamen eum pro domino habet Prætor, eumque tuetur adversùs verum dominum qui satisdare cessavit.

Hinc Paulus. Non solùm autem eum punit Prætor qui in possessione esse, sed etiam eum qui possidere passus non fuerit: cùm alioquin, si is qui jussu Prætoris cœperat possidere & possidendo dominium capere, aut non admissus aut ejectus indè fuerit; utile Interdictum UNDE VI vel Publicianam actionem habere potest. *l.* 18. § 15. PAUL. LIB. 48. AD ED.

Obiter nota. Sed si IN FACTUM (*g*) actione egerit, his actionibus (*h*) experiri non potest; cùm Prætor id agat ne Damnum faciat actor, non ut in lucro (*i*) versetur. *d.* § 15.

L X I V.

Hîc etiam observa. Posteaquàm autem quis possidere jure dominii à Prætore jussus est, nequaquàm locus erit cautionis oblationi. Et ita Labeo. Cæterùm nullus (inquit) finis rei invenietur.

Et est hoc verissimum: sepositio eo quòd quibusdam vel ætate vel quâ aliâ justâ causâ subvenitur. *l.* 15. § 33. ULP. LIB. 53. AD ED.

Putà ex absentiæ causâ. Nam Eorum qui bonâ fide absunt, in stipulatione Damni Infecti jus non corrumpitur; si (*forte legendum* sed) reversis cavendi ex bono & æquo potestas datur, sive domini sint, sive aliquid in eâ re jus habeant: qualis est creditor, fructuarius, & superficiarus. *l.* 19. GAIUS AD ED. PRÆTORIS URBANI TIT. DE DAMNO INFECTO.

L X V.

Non solùm adversùs dominum Prætor tuetur eum qui in rem ex secundo Decreto missus est. Sed & Si quæ sint jura debita his qui potuerunt de Damno Infecto satisdare; deneganda erit eorum persecutio adversùs eum qui in possessionem missus est. Et ita Labeo probat. *sup. d. l.* 15. § 24.

Hinc Item quæritur in pignoratitio creditore, an pignoris persecutio denegetur adversùs eum qui jussus sit possidere? Et magis est ut, si neque debitor repromisit neque creditor satisdedit, pignoris persecutio denegetur. Quod & in fructuario rectè Celsus scribit. *d. l.* 15. § 25.

Hinc Paulus: His qui pignori rem acceperunt, prior est is cui Damni Infecti non cavetur; si possidere &

(*f*) Habebant enim ipsi municipes, id est Respublica, dominium civile; proindèque adversùs eos usucapi potest. *Usucapi*, inquam: & fortè ita Jurisconsultus scripserat; Tribonianus autem hîc & in sequentibus textibus substituit *per longum tempus adquiri.*

(*g*) Actione *In factum* ex hoc Edicto, in id quanti suâ interest.

(*h*) Publicianâ, & Interdicto *Unde vi.*

(*i*) In lucro versaretur si, postquàm consecutus est quanti suâ interest, adhuc obtineret ut rem possideret: bis idem consequeretur.

Source : BIU Cujas

per longum tempus capere ei permiſſum fuerit. *l.* 12. PAUL. LIB. 48. AD ED.

Hoc intellige de eo creditore aut fructuario à quo SATIS *poſtulatum eſt.*

Creditor autem à quo SATIS *poſtulatum non eſt, pignus quidem perſequi poterit adversùs eum qui ex ſecundo Decreto miſſus eſt; ſed non aliter quàm ſi reſarciat impenſas quas hic in re reficiendâ fecit.*

Hoc docet Africanus. Damni Infecti nomine in poſſeſſionem miſſus (*a*) poſſidendo dominium cepit: deindè creditor eas ædes pignori ſibi obligatas perſequi vult (*b*). Non ſine ratione dicetur, niſi impenſas quas in refectionem fecerim mihi præſtare ſit paratus, inhibendam adversùs me perſecutionem. Cur ego non emptori quoque id tribuendum eſt, ſi fortè quis inſulam pignoratam emerit (*c*)? Non rectè hæc inter ſe comparantur: quando is qui emit, ſuâ voluntate negotium gerat; ideòque diligentiùs à venditore ſibi cavere & poſſit & debeat. Quod non æquè & de eo cui Damni Infecti non promittatur, dici poteſt (*d*). *l.* 44. § 1. AFRICANUS LIB. 9. QUÆST.

L X V I.

Hoc jus quod ex ſecundo Decreto conſequitur is qui ex causâ Damni Infecti poſſidere juſſus eſt, conſideratur quaſi quædam obventio ex re cui Damnum timebatur proficiſcens.

Ad fructuarium autem omnes rei obventiones pertinent. Undè etiam mitti eum in poſſeſſionem vicinarum ædium causâ Damni Infecti placuit, & jure dominii poſſeſſurum eas ædes ſi perſeveretur non caveri; nec quicquam amittere (*e*) finito uſufructu. *l.* 7. *ff. de Uſufr. & quemadm.* § 1. ¶ *undè etiam.* ULP. LIB. 17. AD SABIN.

(*a*) Supple, & ex 2°. decreto poſſidere juſſus.

(*b*) Et jure poteſt: uſucapio enim non perimit cauſam pignoris. Quocircà nota quòd uſucapio completur biennio, Serviana non extinguitur niſi decennio inter præſentes & vicennio inter abſentes. Jure autem Juſtinianeo quo eodem tempore decennii completur uſucapio quo extinguitur Serviana; vix poteſt occurrere, ut qui uſu dominium cepit, non etiam liberationem hypothecarum conſecutus ſit.

(*c*) Qui rem obligatam bonâ fide emit; à creditore hypothecario Servianâ conventus, non ſervat impenſas refectionis. Verùm eas cave confundas cum impenſis novorum ædificiorum quæ extruxiſſet: has enim ſervat. l. 29. § 2. ff. *de Pign. Cujac. ad Afr. Tr.* 9.

(*d*) Emptor ſibi imputare debet quòd emerit, aut quòd non ſatis ſibi caveri à venditore curaverit: ſponte enim emit. At is qui ex causâ Damni Infecti poſſidere juſſus eſt, ad hanc rem acceſſit quaſi coactus periculi imminentis neceſſitate.

(*e*) Id eſt, non amittere dominium earum ædium quas ex ſecundo Decreto poſſidere juſſus eſt; nec teneri eas reſtituere, finito uſufructu. Secùs de creditore qui in poſſeſſionem miſſus uſucepiſſet. Pignoratitiâ actione refundere debet quidquid ex re pignoratâ lucri ſenſit, adeòque hoc quod ex 2°. decreto conſecutus eſt.

TITULUS III.

DE AQUA, ET AQUÆ PLUVIÆ ARCENDÆ.

VErſatur etiam circa damnum nondum factum hæc actio, quæ AQUÆ PLUVIÆ ARCENDÆ *dicitur.*

Simul autem in hoc Titulo propter affinitatem materiæ multa congeſſerunt Pandectarum ordinatores DE AQUA, *ſeu de ſervitutibus Aquæ ducendæ & hauriendæ. Sed nos ea transferenda duximus ſuprà lib.* 8. *Tit.* de Servit. ruſt. præd.

I.

Si cui aqua pluvia damnum dabit, actione Aquæ Pluviæ Arcendæ avertetur aqua. *l.* 1. ULP. LIB. 53. AD ED.

Circa hanc actionem quærendum, Quando huic locus ſit, qualis ſit, cui & adversùs quem competat, & quid in eâ veniat præſtandum.

ARTICULUS I.

Quando actioni Aquæ Pluviæ Arcendæ *locus ſit.*

II.

Ut huic actioni locus ſit, hæc concurrere oportet: 1°. *Ut immittatur Aqua:* 2°. *Ut ſit Pluvia Aqua:* 3°. *Ut ager ſit, in quem immittatur:* 4°. *Ut immittatur manufacto opere, non verò fluat naturaliter;* 5°. *Ut non jure ſervitutis immittatur:* 6°. *Ut non neceſſitate cogente.*

Cæterùm Nec illud quæremus undè oriatur. Nam & ſi ex publico oriens vel ex loco ſacro per fundum vicini deſcendat, iſque opere facto in meum fundum eam avertat; Aquæ Pluviæ Arcendæ teneri eum Labeo ait. *d. l.* 1. § 18.

§ V.

Oportere ut immittatur Aqua, eaque Pluvia ſit, & in agrum immittatur.

III.

Igitur 1°. *Non eſt locus huic actioni, niſi quum Aqua quæ nocet immittitur; non verò quum ea quæ prodeſſet, avertitur.*

Hinc Ulpianus. Sicut autem opus factum ut Aqua Pluvia mihi noceat, in hanc actionem venit: ita per contrarium quæritur an poſſet Aquæ Pluviæ Arcendæ agi; ſi vicinus opus fecerit ne Aqua, quæ alioquin decurrens agro meo proderat, huic proſit. Ofilius igitur & Labeo putant agi non poſſe, etiam ſi interſit meâ ad me Aquam pervenire. Hanc enim actionem locum habere, ſi Aqua Pluvia noceat; non, ſi non proſit. *d. l.* 1. § 21.

Similiter ſentiunt Sabinus & Caſſius. Nam Iidem aiunt; Aquam Pluviam in ſuo retinere, vel ſuperficientem (*Haloand.* ſuperfluentem) ex vicini in ſuum derivare, dum opus in alieno non fiat, omnibus jus eſſe. PRODESSE ENIM SIBI UNUSQUISQUE, DUM ALII NON NOCET, NON PROHIBETUR; nec quemquam hoc nomine teneri. *d. l.* 1. § 11.

Similiter Pomponius. Si in meo Aqua erumpat quæ ex tuo fundo venas habeat; ſi eas venas incideris, & ob id deſierit ad me Aqua pervenire: tu non videris VI feciſſe, ſi nulla ſervitus mihi eo nomine debita fuerit; nec Interdicto QUOD VI AUT CLAM teneris. *l.* 11. POMPON. LIB. 32. AD Q. MUCIUM.

Denique Marcellus ſcribit; Cum eo qui in ſuo fodiens vicini fontem avertit, nihil poſſe agi; nec de dolo. Et ſanè actionem non debet habere (*a*); ſi non animo vicino nocendi, ſed ſuum agrum meliorem faciendi id fecit. *l.* 1. § 12. ULP. LIB. 43. AD ED.

IV.

Cæterùm immitti Aqua videtur, non ſolùm quum derivatur, ſed & quum repellitur.

Nam Item ſciendum eſt hanc actionem, vel ſuperiori adversùs inferiorem competere, ne Aquam, quæ naturâ fluat, opere facto inhibeat per ſuum agrum decurrere (*b*): & inferiori adversùs ſuperiorem, ne aliter Aquam mittat quàm fluere naturâ ſolet. *d. l.* 1. § 13.

(*a*) Nec actionem ex hoc Edicto, nec actionem *De dolo* quæ omnium aliarum ſubſidiaria eſt. Malè vulgò ita legitur: *actionem & ſanè non debet*, &c.

(*b*) Et ſic eam repellat in agrum ſuperiorem undè fluit.

Source : BIU Cujas

Similiter Neratius ſcribit: Opus quod quis fecit, ut Aquam excluderet quæ exundante palude in agrum ejus refluere ſolet; ſi ea palus Aquâ Pluviâ ampliatur; eaque aqua repulſa eo opere, agris vicini noceat; Aquæ Pluviæ actione cogetur tollere. *d. l.* 1. § 2.

V.

2°. *Sola Aqua Pluvia huic actioni locum dat.*

AQUAM PLUVIAM dicimus quæ de cœlo cadit, atque imbre creſcit: ſive per ſe hæc aqua cœleſtis noceat, ut Tubero ait, ſive cum aliâ mixta ſit. *l.* 1. ¶ *aquam.*

IMBRE autem creſcere eam Aquam, quæ colorem mutat, vel increſcit. *d. l.* 1. § 16.

Trebatius putat, eum cui aquæ fluentes calidæ noceant, Aquæ Pluviæ Arcendæ cum vicino agere poſſe. Quod verum non eſt: neque enim quæ calidæ, Aquæ Pluviæ ſunt. *l.* 3. § 1. ULP. LIB. 53. AD ED.

V I.

3°. Item ſciendum eſt hanc actionem non aliàs locum habere, quàm ſi Aqua Pluvia agro noceat. Cæterùm ſi ædificio vel oppido noceat, ceſſat actio iſta.

Agi autem ita poterit: JUS NON ESSE STILLICIDIA, FLUMINA, IMMITTERE. Et ideò Labeo & Caſcellius aiunt; Aquæ quidem Pluviæ Arcendæ actionem, ſpecialem (*a*) eſſe; De fluminibus & ſtillicidiis generalem, & ubique agi eâ licere. Itaque Aqua quæ agro nocet, per Aquæ Pluviæ Arcendæ actionem coercebitur. *l.* 1. § 17. ULP. LIB. 43. AD ED.

V I I.

An autem vice versâ oportet agrum eſſe ex quo Aqua immittatur? Caſſius quoque ſcribit; Si Aqua ex ædificio urbano noceat vel agro vel ædificio ruſtico, agendum De fluminibus (*b*) & ſtillicidiis. *d. l.* 1. § 19.

Apud Labeonem autem invenio relatum, Si ex agro meo aqua fluens noceat loco qui eſt intrà continentia, hoc eſt ædificio; non poſſe Aquæ Pluviæ Arcendæ conveniri. Quòd ſi ex continentibus profluens in meum agrum defluat, eique noceat; Aquæ Pluviæ Arcendæ (*c*) eſſe actionem. *d. l.* 1. § 20.

§ I I.

Oportere ut Aqua immittatur opere aliquo manufacto, non verò naturâ fluat.

V I I I.

Hæc autem actio locum habet in damno nondum facto, opere tamen jam facto; hoc eſt, de eo opere ex quo damnum timetur. Totienſque locum habet, quotiens manufacto opere agro Aqua nocitura eſt; id eſt, quum quis manufecerit quo aliter flueret, quàm naturâ ſoleret: ſi fortè immittendo eam, aut majorem fecerit, aut citatiorem aut vehementiorem: aut ſi comprimendo redundaſſe effecit. Quòd ſi naturâ Aqua noceret, eâ actione non continetur (*Florent.* continentur.) *l.* 1. § 1. ULP. LIB. 53. AD ED.

Similiter Sabinus & Caſſius. Nam Iidem aïunt; Si Aqua naturaliter decurrat, Aquæ Pluviæ Arcendæ actionem ceſſare. Quòd ſi opere facto aqua aut in ſuperiorem partem repellitur, aut in inferiorem derivatur; Aquæ Pluviæ Arcendæ actionem competere. *d. l.* 1. § 10.

Huic illud etiam applicandum, NUNQUAM competere hanc actionem quum ipſius loci natura nocet. Nam ut verius quis dixerit; non Aqua, ſed loci natura nocet. *d. l.* 1. § 14.

Hinc Paulus. Quum agitur Aquæ Pluviæ Arcendæ, de facto quod nocet quæritur. Ideòque ſi vitio loci pars aliqua ſoli ſubſedit, quamvis per eam cauſam Aqua Pluvia inferiori nocet, nulla competit actio. Idem fortaſsè dicitur, ſi in agro manufactum aliquid (*d*) ſubſederit. *l.* 14. § 1. PAUL. LIB. 49. AD ED.

In ſummâ, puto ita demùm Aquæ pluviæ Arcendæ locum actionem habere, ſi Aqua Pluvia vel quæ Pluviâ creſcit, noceat; non naturaliter, ſed opere facto: niſi ſi agri colendi causâ id factum ſit. *ſup. d. l.* 1. § 15.

I X.

Nec igitur quodvis opus manufactum huic actioni locum dat.

Nam Item Sabinus, Caſſius; Opus manufactum in hanc actionem venire aiunt: niſi ſi quid agri colendi causâ fiat. *d. l.* 1. § 8.

Item De eo opere quod agri colendi causâ aratro factum ſit, Quintus-Mucius ait non competere hanc actionem. Trebatius autem, non quod agri, ſed quod frumenti duntaxat quærendi causâ aratro factum ſit; ſolùm excepit. *d. l.* 1. § 3.

Labeo etiam ſcribit; Ea quæcumque frugum fructuumque recipiendorum causâ fiunt, extrà hanc eſſe cauſam: neque referre quorum fructuum percipiendorum causâ id opus fiat. *d. l.* 1 § 7.

Quocircà docet Paulus, quum dicitur non dari hanc actionem de eo opere quod fit frugum quærendarum causâ; Frugem pro reditu appellari, non ſolùm quod frumentis aut leguminibus; verùm & quod ex vino, ſylvis-cæduis, cretifodinis, lapidicinis, capitur (*e*). Julianus ſcribit; Fruges omnes eſſe quibus homo veſcatur, falſum eſſe. Non enim carnem aut aves feras-ve aut poma, FRUGES dici: frumentum autem id eſſe quod ariſta ſe teneat, rectè Gallum definiſſe. Lupinum (*f*) verò & fabam, Fruges potiùs dici; quia non ariſtâ, ſed ſiliquâ continentur: quæ Servius apud Alfenum, in frumento contineri (*g*) putat. *l.* 77. *ff. de Verb. ſignif.* PAUL. LIB. 49. AD ED.

X.

Sed & foſſas agrorum ſiccandorum causâ factas, Mucius ait fundi colendi causâ fieri.

Non tamen oportere corrivandæ (*h*) Aquæ causâ fieri: ſic enim debere quem meliorem agrum ſuum facere, ne vicini deteriorem faciat. *ſup. d. l.* 1. § 4.

Hæc igitur diſtinctio adhibenda eſt. Nimirùm: Sed & ſi quis arare & ſerere poſſit etiam ſinè ſulcis aquariis; teneri eum ſi quid ex his, licèt agri colendi causâ, videatur feciſſe. Quòd ſi aliter ſerere non poſſit niſi ſulcos aquarios fecerit; non teneri.

Oſilius autem ait Sulcos agri colendi causâ directos, ita ut in unam pergant partem, jus eſſe facere. *d. l.* 1. § 5.

Sabinus; Sulcos tamen aquarios qui Græcè ΕΥΛΙΚΕΣ (*i*) appellantur ſi quis faciat, Aquæ Pluviæ actione eum teneri ait. *d. l.* 1. § 9.

His omnibus conſonat quod ait Alfenus. Vicinus loci ſuperioris pratum ita arabat, ut per ſulcos itemque

(*a*) Agris.

(*b*) Imò etiam actione *Aquæ pluviæ arcendæ*, ex ſententiâ Labeonis: ut mox dicetur. Quam Proculeïanorum ſententiam videtur hic præferre Ulpianus, licèt non apertè id declaret.

(*c*) Quænam differentiæ ratio? Fortè Lex ita ſcripta erat; *Si aqua pluvia manu nocet* AGRO: undè colligebant Juriſconſulti, extra caſum Legis eſſe ſi non *Agro* ſed *Ædificio* noceret. Contrà verò, cùm Lex non expreſſerit undè noceret; huic locum eſſe aïebant Proculeïani, ſive ex ædificio ſive ex agro emitteretur.

(*d*) Simul cum ſolo: quo caſu major videri poterat dubitandi ratio. Sed eadem ratio decidendi, quia ex vitio loci ipſius Aqua nocuit.

(*e*) Scilicet in ſuâ latiori ſignificatione, ſecundùm quam in hâc materiâ *Fruges* accipiuntur. Huc enim legem hanc pertinere, id eſt ad Edictum DE ACTIONE AQUÆ PLUVIÆ ARCENDÆ, colligere eſt ex ipsâ inſcriptione *libro* 49 *ad Edictum*; in quo toto libro, Paulum egiſſe de hâc Edicti parte conſtat ex Indice Labitti. Alias autem, putà in legatis, idem Paulus docet [lib. 3. *Sentent.*] frugibus contineri frumenta tantùm & legumina.

(*f*) Genus plantæ, ex familiâ leguminum: vulgò *Lupin.*

(*g*) Sed malè.

(*h*) *Foſſas* ad ſiccandum agrum, in quibus aqua quieſcat, facere licet; at non *Corrivandæ aquæ causâ*, id eſt ut per illas quaſi per rivos aqua in agrum vicini decurrat.

(*i*) ELICES *ſulci Aquarii per quos Aqua collecta educitur è rivis:* Feſtus. Uno verbo, *Sulcos* fieri permittitur quatenùs ad arandam neceſſarii ſunt; eos autem profundiores aut decliviores ad aquam derivandam ultrà quàm quod ad arandum neceſſe ſit, fieri prohibetur.

Source : BIU Cujas

porcas (*a*) Aqua in inferiorem veniret. Quæsitum est an per arbitrum Aquæ Pluviæ Arcendæ possit cogi, ut in alteram partem araret; ne sulci in ejus agrum spectarent, Respondit; Non posse eum facere quominùs agrum vicinus, quemadmodum vellet, araret. *l.* 24. ALFENUS LIB. 4. DIGESTOR. A PAULO EPITOMATOR.

Sed si quis sulcos transversos aquarios faceret, per quos in ejus agrum aqua defluereț; hosce ut operiret, per arbitrum Aquæ Pluviæ Arcendæ posse cogere. *d. l.* 24. § 1.

Sed & si fossas fecisset ex quibus Aqua Pluvia posset nocere: arbitrum, si appareat futurum ut Aqua Pluvia noceret, cogere oportere fossas eum explere; &, nisi faceret, condemnare: tametsi antequàm adjudicaret, Aqua per fossas nunquàm fluxisset. *d. l.* 24. § 2.

X I.

Opus ad culturam agri necessarium non videtur, salictorum plantatio. Sed apud Servii auditores (*Florent.* auctores) relatum est, si quis salicta posuerit, & ob hoc Aqua restagnaret; Aquæ Pluviæ Arcendæ agi posse, si ea Aqua vicino noceret. *l.* 1. § 6. ULP. LIB. 53. AD ED.

X I I.

Quod diximus, opus quod fit duntaxat quærendorum fructuum gratiâ ad hanc actionem non pertinere, obtinet etiamsi forma agri fuerit immutata.

Hinc Si vicinus qui arvum solebat certo tempore anni rigare, pratum illic fecerit; cœperitque assiduâ irrigatione vicino nocere: ait Ofilius, neque Damni infecti, neque Aquæ Pluviæ Arcendæ actione eum teneri; nisi locum complanavit, eoque facto citatior aqua ad vicinum pervenire cœpit. *l.* 3. § 2. ULP. 53. AD ED.

X I I I.

Hactenùs de opere quod fit culturæ gratiâ. Non dat etiam huic actioni locum, id opus quod naturali Aquæ usui congruit.

Hinc Apud Trebatium relatum est; Eum in cujus fundo Aqua oritur, fullonicas (*b*) circa frontem instituisse; & ex his Aquam in fundum vicini immittere cœpisse. Ait ergo, Non teneri eum Aquæ Pluviæ Arcendæ actione.

Si tamen Aquam corrivat, vel si spurcam (*c*) quis immittat; posse eum impediri plerisque placuit. *d. l.* 3. *pr.*

X I V.

Quodcumque autem opus fit; Labeo ait, Si patiente vicino opus faciam ex quo ei Aqua Pluvia noceat, non teneri me actione Aquæ Pluviæ Arcendæ. *l.* 19. POMPON. LIB. 14. AD Q. MUCIUM.

Sed hoc ita, si non per errorem aut imperitiam deceptus fuerit. NULLA ENIM VOLUNTAS ERRANTIS EST. *l.* 20. IDEM LIB. 34. AD SABIN.

Pariter non proderit patientia vicini qui pupillus esset. Nam Pupillus pati posse non intelligitur. *l.* 110. § 2. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 6. AD ED.

X V.

Denique Quod Principis aut Senatûs jussu, aut ab his qui primi agros constituerunt (*d*), opus factum fuerit; in hoc judicium non venit. *l.* 23. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

Cassius autem scribit; Si qua opera Aquæ mittendæ causâ, publicâ auctoritate facta sint; in Aquæ Pluviæ Arcendæ actionem non venire.

In eâdemque causâ esse ea quorum memoriam vetustas excedit. *l.* 2. § 3. PAUL. LIB. 46. AD ED.

Quocircà cùm Labeo Dixisset: Si arbiter animadvertere debeat an operis facti memoria extet; hoc ei quærendum est, an aliquis meminerit id opus factum esse: Paulus: Immò quum in arbitrio (*Aliàs* ab arbitro) quæritur, memoria facti operis extet necne; non quæritur, num aliquis meminerit quo die aut quo Consule factum sit; sed num hoc aliquo modo probari possit, quando id opus factum sit & hoc ita, quod Græci dicere solent ΕΝΠΑΑΤΕΙ (*k*). Potest enim (*Florent.* ΕΝΠΑΑΤΕΙ enim potest) hoc memoriâ non teneri, intrà annum (putà) factum; cùm interim nemo sit eorum qui meminerit quibus Consulibus id viderit. Sed quum omnium hæc est opinio, nec audisse nec vidisse quum id opus fieret; neque ex eis audisse qui vidissent aut audissent; & hoc infinitè similiter sursùm versùm accidet: cùm (*f*) memoria operis facti non extaret. *l.* 28. *ff. de Probat.* LABEO LIB. 7. PITHANON A PAULO EPITOMATORUM.

Hæc nota Pauli ad Labeonem, non arguentis est, sed ampliantis. Nam (*ut ipse Paulus refert*) Idem Labeo ait; Quum quæritur an memoria extet facto opere, non diem & Consulem ad liquidum exquirendum: sed sufficere si quis sciat factum; hoc est, si factum esse non ambigatur: nec utique necesse esse, supereșse qui meminerint; verùm etiam, si qui audierint eos qui memoriâ tenuerint. *sup. d. l.* 2. § 8.

X V I.

Hactenùs de casu quo ex ædificato & manufacto opere Aqua immittitur. Sed & si vicinus opus tollat, & sublato eo aqua naturaliter ad inferiorem agrum perveniens noceat; Labeo existimat, Aquæ Pluviæ Arcendæ agi non posse: semper enim hanc esse servitutem inferiorum prædiorum, ut naturâ profluentem aquam excipiant.

Planè si propter id opus sublatum vehementer aqua profluat, vel corrivetur; Aquæ Pluviæ Arcendæ actione agi posse, etiam Labeo confitetur. *l.* 1. § 22. ULP. LIB. 53. AD ED.

Pertinet etiam ad hoc Edictum, si quis stagno suo adjiciat aut detrahat. Ita enim Alfenus: Lacus cùm aut crescerent, aut decrescerent, nunquam neque accessionem (*g*) neque decessionem in eos vicinis facere licet. *l.* 24. § 3. ALFEN. LIB. 4. DIG. A PAUL EPITOM.

X V I I.

Manufacto opere aquam immittere quis dicitur, & huic actioni obnoxius est; non solùm propter opus ædificatum aut destructum, sed & propter opus non refectum.

Exemplum in promptu est. Apud Labeonem proponitur fossa vetus esse agrorum siccandorum causâ, nec memoriam extare quando facta est. Hanc inferior vicinus non purgabat. Sic fiebat ut ex restagnatione ejus, aqua fundo nostro noceret. Dicit igitur Labeo, Aquæ Pluviæ Arcendæ cum inferiore agi posse; ut aut ipse purgaret, aut te pateretur in pristinum statum eam redigere. *l.* 2. § 1. PAUL. LIB. 49. AD ED.

Præterea si in confinio fossa sit, neque purgari vicinus patiatur eam partem quæ tibi accedat; posse te

(*a*) Festus: PORCAS *quæ inter duos sulcos fiunt, ait Varro dici quòd porrigant frumentum.* Ita enim Varro apud Nonium I. 305. *Quà aratrum vomere lacunam striam* [vel *striatam*, cannellée] *fecit, Sulcus vocatur: quod inter duos sulcos elata terra, dicitur* PORCA, *quòd eâ feges frumentum porrigit.* Deindè ita pergit Nonius: PORCÆ *sunt signa sulcorum quæ ultra se jaci semina prohibeant:* PORCERE *enim* PROHIBERE *sæpiùs legimus.* Festus autem ipse in verbo PORCÆ ait: PORCÆ *appellantur rari sulci qui dicuntur Aquæ derivandæ gratiâ: dicti quòd Porcant, id est prohibent Aquam frumentis nocere. Nam crebriores sulci, Limi vocantur.*

(*b*) Fullonum officinas.

(*c*) Alii legunt, *spurcum quid immittat.*

(*d*) Intellige eos *qui primi* eis qui in Colonias deducebantur *agros* diviserunt, limitesque & conditiones agri quem cuique adsignabant *constituerunt.*

(*e*) Id est, latiùs; & non ita strictè V. G. ut sciatur quo anno, quo die, sit factum.

(*f*) Pro *cùm*, fortè legendum *tùm* vel *tunc*. Et leviſſimâ hâc mutatione planus aliquatenùs fiet totus hujus legis textus; de cujus lectione & intellectu non consentiunt Haloander, Rævardus, Robertus, alii aliter emendantes. Sensus itaque est: *Potest hoc memoriâ non teneri, tali anno factum, cùm nemo sit qui meminerit quibus Consulibus*: nec tamen ideò dici potest, operis facti memoriam non extare. *Sed quum omnium hæc est opinio; se nec vidisse nec audisse* tunc quum opus fieret; neque accepisse ab aliis qui vidissent aut audissent aliquid de ejus constructione; *& hoc similiter accidet*, id est eadem ignorantia deprehendetur, *infinitè sursùm versùm* ascendendo descendendoque in infinitis generationum gradibus: TUNC certè *memoria operis facti non extaret*, id est, tunc verè dicetur non extare ejus memoriam.

(*g*) Id est: *Cùm* in lacu seu fossâ naturaliter aquæ *crescerent aut decrescerent*; nunquam *vicinis*, id est dominis prædii in quo est fossa, hanc augere licet vel minuere. Et quidem non debeo minuere: ne, quum quandoque creverit aqua, exundet in agrum vicini mei; quæ fortè non exundasset, si non imminuta fuisset fossa. Sed nec debeo ita augere fossam ut propiùs accedat ad agrum vicini; ne, quum exundabit aqua, majori impetu in ejus agrum defluat,

Source : BIU Cujas

magis agere Aquæ Pluviæ Arcendæ, Labeo ait. *d. l.* 2. § 2.

Apud Ateium verò relatum est; Eam fossam ex quâ ad inferiorem fundum aqua descendit, cogendum esse vicinum purgare; sive extet fossæ memoria, sive non extet. Quod & ipse puto probandum. *d. l.* 2. § 4.

Hoc ita circa fossam factitiam observatur. Secùs circa naturalem. Nam Idem Labeo ait; Si in agro tuo aquarum concursus locum excavavit, Aquæ Pluviæ Arcendæ actione agi non posse tecum à vicinis. Planè si fossa jure facta sit, aut cujus memoria non extat; agi tecum posse Aquæ Pluviæ Arcendæ, ut reficias. *d. l.* 2. § 7.

XVIII.

Quum aliundè quàm ex fossâ factitiâ, alio-ve opere manufacto, aqua ex meo fundo restagnat in tuum; non possum quidem conveniri ut reficiam, verùm saltem Utili actione possum conveniri ut refici sinam. De quâ re tamen lis fuerat inter Jurisconsultos; ut refert Ulpianus. Ita ille: Apud Namusam relatum est, si aqua fluens iter suum stercore obstruxerit, & ex restagnatione superiori agro noceat; posse cum inferiore agi, ut sinat purgari: hanc enim actionem non tantùm de operibus esse utilem manufactis, verùm etiam in omnibus quæ non secundùm (*a*) voluntatem sint. Labeo contra Namusam probat: ait enim naturam agri ipsam à se mutari posse, & ideò, cùm per se natura agri fuerit mutata, æquo animo unumquemque ferre debere, sive melior, sive deterior ejus conditio facta sit. Idcircò & si, terræ motu aut tempestatis magnitudine, soli causa mutata sit; neminem cogi posse ut sinat in pristinam loci conditionem redigi (*b*). Sed nos etiam in hunc casum æquitatem admisimus. *d. l.* 2. § 6.

Similiter in sequenti specie, Utili actione cogitur quis pati rem in pristinum statum reduci. Nam Item Varus ait: Aggerem qui in fundo vicini erat, vis Aquæ dejecit; per quod effectum est, ut Aqua Pluvia mihi noceret. Varus ait; Si naturalis agger fuit, non posse me vicinum cogere Aquæ Pluviæ Arcendæ actione ut eum reponat vel reponi sinat. Idemque putat & si manufactus fuit neque memoria ejus extaret; quòd si extet, putat Aquæ Pluviæ Arcendæ actione eum teneri. Labeo autem, si manufactus sit agger, etiam si memoria ejus non extat, agi posse ut reponatur. Nam hâc actione neminem cogi posse ut vicino prosit; sed ne noceat, aut interpellet facientem quod jure facere possit. Quanquàm tamen deficiat Aquæ Pluviæ Arcendæ actio: attamen opinor Utilem actionem, vel Interdictum mihi competere adversùs vicinum; si velim aggerem restituere in agto ejus, qui factus mihi quidem prodesse potest, ipsi verò nihil nociturus est. Hæc æquitas suggerit, etsi Jure deficiamur. *d. l.* 2. § 5.

XIX.

Consequenter his quæ diximus Trebatius existimat, si de eo opere agatur quod manufactum sit, omnimodo restituendum id esse ab eo cum quo agitur. Si verò vi fluminis agger (*Florent.* ager deletus) disjectus sit, aut glarea injecta, aut fossa limo repleta; tunc patientiam duntaxat præstandam. *l.* 11. § 6. PAUL. LIB. 49. AD ED.

§ III.

Oportere ut non jure servitutis, aut necessitate cogente, Aqua immittatur.

XX.

Illud etiam verum puto quod Ofilius scribit; Si fundus tuus vicino serviat, & propterea aquam recipiat; cessare Aquæ Pluviæ Arcendæ actionem. Sic tamen, si non ultra modum noceat. Cui consequens est quod Labeo putat; Si quis vicino cesserit jus ei esse aquam immittere, Aquæ Pluviæ Arcendæ eum agere non posse. *l.* 2. § 10. PAUL. LIB. 49. AD ED.

XXI.

Denique non locus est huic actioni, si necessitate ita cogente aqua immittatur.

Hinc Idem Labeo ait: Si vicinus flumen [aut] torrentem averterit ne aqua ad eum perveniat, & hoc modo sit effectum ut vicino noceatur; agi cum eo Aquæ Pluviæ Arcendæ non posse: aquam enim arcere, hoc esse, curare ne influat. Quæ sententia verior est; si modò non hoc animo fecit ut tibi noceat, sed ne sibi noceat. *d. l.* 2. § 9.

Hoc tamen non permittitur, nisi ex causâ necessariæ fundi sui tutelæ hoc fecerit.

Alioquin Aggeres juxta flumina in privato facti, in arbitrium Aquæ Pluviæ Arcendæ veniunt, etiamsi trans flumen noceant: ita, si memoria eorum extet, & si fieri non debuerunt. *l.* 23. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

§ IV.

Summa eorum quæ duobus §is. præcedentibus tradita sunt.

XXII.

In summâ: tria sunt per quæ inferior locus superiori servit; lex (*c*); natura loci; vetustas, quæ semper pro lege habetur, minuendarum scilicet litium causâ, *l.* 2. PAUL. LIB. 49. AD ED.

Labeo Denique ait; Conditionibus agrorum quasdam leges èsse dictas (*d*): ut quibus in agris magna sint flumina (*e*), liceat mihi scilicet in agro tuo aggeres vel fossas habere. Si tamen (*f*) lex non sit agro dicta; agri naturam esse servandam, & semper inferiorem superiori servire. Atque hoc incommodum naturaliter pati inferiorem agrum à superiore, compensareque debere cum alio commodo: sicut enim omnis pinguitudo terræ ad eum decurrit, ita etiam Aquæ incommodum ad eum defluere. Si tamen lex agri non inveniatur, vetustatem vicem legis tenere: sanè enim & in servitutibus hoc idem sequimur, ut ubi servitus non invenitur imposita, qui diù usus est servitute neque vi neque precariò neque clàm, habuisse longâ consuetudine vel ex jure impositam servitutem videatur. Non ergo cogemus vicinum aggeres munire, sed nos in ejus agro muniemus. Eritque ista quasi servitus; in quam rem, Utilem actionem habemus vel Interdictum. *l.* 1. § 23. ULP. LIB. 53. AD ED.

ARTICULUS II.

Qualis sit hæc actio, cui & adversùs quem competat, & quid in eâ veniat.

§ I.

Qualis sit hæc actio.

XXIII.

Aquæ Pluviæ Arcendæ actionem, sciendum est non In rem, sed personalem esse. *l.* 6. § 5. ULP. LIB. 53. AD ED.

§ II.

Actionem Aquæ Pluviæ directam non dari nisi dominis & adversùs dominos.

XXIV.

Hæc actio competit domino fundi cui aqua nocet; & in dominum fundi ex quo nocet, sive opus ipse fecerit sive non.

(*a*) Id est, *Utilem in omnibus quæ* non manu, adeòque *non voluntate* fiunt, sed casu: cujus rei exemplum dedit, quum stercus obstruxit iter Aquæ.
(*b*) Hucusque Labeo, cujus sententia non prævaluit; sed Namusæ potiùs, utpotè æquior.

(*c*) Id est, jus servitutis.
(*d*) Id est, pactiones solere opponi.
(*e*) Magna superabundantia aquæ.
(*f*) *Si tamen*, pro *Sin autem* vel [illegible]

Source : BIU Cujas

Et quidem Si tertius vicinus opus fecerit, undè decurrens aqua per fundum primi vicini mei mihi noceat; Sabinus ait posse me vel cum primo (*a*), vel cum tertio, omisso primo, agere. Quæ sententia vera est. *d. l.* 6. *pr.*

Hinc etiam Si colonus insciente domino opus fecerit, ex quo aqua vicino noceat; Labeo respondit, Colonum Interdicto QUOD VI AUT CLAM teneri; dominum verò fundi, Aquæ Pluviæ Arcendæ actione, quia is solus restituere opus potest. *l.* 5. PAUL. LIB. 49. AD ED.

Nota. Sed patientiam duntaxat eum (*b*) præstare debere, si ei damni infecti stipulatione caveatur. Et, si quam impensam in restitutione operis fecerit (*c*), consecuturum à colono Locati actione: nisi (*d*) si quis ideò non putet, quoniam non fuerit necesse ipsum restituere. Sed si jussu domini feciſſet, etiam Interdicto (*e*) dominum teneri. *d. l.* 5. ¶ *sed patientiam.*

Similiter Julianus scribit; Aquæ Pluviæ Arcendæ actionem nonnisi cum domino esse. Idcircòque si colonus ignorante domino, opus fecerit; dominum fundi, nihil ampliùs quàm patientiam præstare debere; colonum autem, Interdicto QUOD VI AUT CLAM, impensam quoque restituendi operis, & damnum si quod ex eo datum fuerit, præstare cogendum. Si tamen dominus desiderat caveri sibi Damni infecti, ab eo ex cujus prædio nocet: æquissimum erit, caveri (*f*) oportere. *l.* 4. § 2. ULP. LIB. 53. AD ED.

Item si non ego sed procurator meus tale opus fecerit, ut Aqua Pluvia noceat vicino: adversùs me hactenùs erit actio, quatenùs adversùs (*g*) colonum. Ipse autem procurator Interdicto QUODVI AUT CLAM conveniri poterit, secundùm Juliani sententiam, etiam post opus restitutum. *d. l.* 4. § 3.

XXV.

Similiter si is qui fecit opus ex quo aqua nocet, fundum in quo fecit, vendiderit: Emptor, nisi simulata (*h*) venditio est, cæterique successores, vel restituere si velint opus factum, vel patientiam præstare debent. Nam actori moram suam nocere manifestum est.

In eâdem causâ est etiam socius ejus qui opus fecit, si ipse auctor non fuit. Idemque in donato fundo legatove est. *l.* 12. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

Sed venditor aut donator, Interdicto QUOD VI AUT CLAM, de damno & impensis ab actore factis tenebitur. *l.* 13. GAIUS AD ED. PRÆTORIS URBANI TIT. DE AQUÆ PLUVIÆ ARCENDÆ.

XXVI.

Denique generaliter statuendum est, hanc actionem dominis & in dominos dari; non cuilibet alteri, nec in quemlibet alium.

Hinc V. G. Neque fructuarius [agere], neque cum eo Aquæ Pluviæ Arcendæ agi potest. *l.* 3. § *fin.* ULP. LIB. 53. AD ED.

Enimverò Aquæ Pluviæ Arcendæ nonnisi eum teneri qui in suo opus faciat, receptum est: eoque Jure utimur.

Quare si quis in publico opus faciat; hæc actio cessat, sibique imputare debet is qui Damni infecti cautione sibi non prospexerit. Si tamen in privato opus factum sit, & publicum interveniet; de toto agi posse Aquæ Pluviæ Arcendæ Labeo ait. *d. l.* 3. § 3.

Et alibi rursùs. Si in publico opus factum est quâ Aqua Pluvia noceret, agi non potest: interveniente loco publico agi (*i*) poterit. Causa ejus rei hæc est, quòd eâ actione non tenebitur nisi dominus solus. *l.* 18. JAVOL. LIB. 10. EX CASSIO.

Hinc etiam est quod Si quis priusquàm Aquæ Pluviæ Arcendæ agat, dominium ad alium transtulerit fundi; desinit habere Aquæ Pluviæ actionem: eaque ad eum transibit, cujus ager esse cœpit. Cùm enim damnum futurum contineat; ad eam qui dominus erit, incipiet actio pertinere: quamvis, quum alterius dominium esset, opus à vicino factum sit. *l.* 6. § 4. ULP. LIB. 53. AD ED.

Et vice versâ, si quis priusquàm conveniretur fundum vendiderit; desinit hâc actione teneri, & emptor teneri incipit.

Hinc Antæus ait; Si is qui opus fecerit, potentiori vendiderit prædium; quatenùs (*k*) desierit dominus esse, agendum cum eo (*l*) QUOD VI AUT CLAM. Quòd si annus præterierit, De dolo (*m*) judicium dandum. *l.* 14. PAUL. LIB. 49. AD ED.

XXVII.

Quòd si jam acceptum erat judicium, Pomponius ait: Post venditionem & traditionem, quod nocitum sit ei fundo de quo ante judicium acceptum sit Aquæ Pluviæ Arcendæ, nihilominùs eo judicio venditorem posse consequi: non quia venditori, sed quòd rei, damnum datum sit. Idque eum emptori restituere debere.

Sed si antequàm noceatur, is cum quo actum sit vendat: statim agendum cum emptore; vel intrà annum (*n*) cum eo qui vendiderit; si judicii evitandi causâ id fecerit. *l.* 16. POMPON. LIB. 20. AD SABIN.

Julianus quoque scribit; Si post judicium Aquæ Pluviæ Arcendæ susceptum, fundum alienavit is cum quo actum esset; de præterito damno & de opere restituendo id statuere judicem debere, quod judicaret si nulla alienatio facta esset. Nam & fundo alienato nihilominùs judicium manere, & damni rationem venire etiam ejus quod alienationem (*o*) contingit. *l.* 4. § 1. ULP. LIB. 53. AD ED.

Quinetiam, etsi priusquàm cum ipso ageretur, dominus quis esse desierit fundi in quo opus fecit quod noceat; huic actioni uno casu obnoxius esse potest. Ita enim Ulpianus: Quanquam autem cum domino operis tantùm, Aquæ Pluviæ Arcendæ actio sit: tamen Labeo scribit, si quis sepulcrum ædificaverit ex quo aqua noceat, etiamsi operis dominus esse desierit loco facto religioso; attamen magis probandum est (inquit) Aquæ Pluviæ arcendæ eum teneri. Fuit enim dominus quum opus faceret. Et, si jussu judicis compulsus opus restituerit, non esse Sepulcri violati actionem. *d. l.* 4. *pr.*

§ III.

Utilem Aquæ Pluviæ actionem quibusdam aliis quàm dominis, & adversùs quosdam alios quàm dominos, competere.

XXVIII.

Hinc 1°. *competit, putà Emphyteutæ & in Emphyteutam,*

(*a*) Quamvis ipse opus non fecerit: quia ex ipsius fundo, perindè atque ex fundo tertii, aqua mihi nocet.

(*b*) Scilicet Dominum fundi in quo opus factum est. *Is solus* (ut mox dixit Labeo) non autem colonus qui fecit, *opus restituere potest* seu destruere; utpotè cùm dominus soli, consequenter dominus factus sit operis quod in solo ædificatum est. At cùm eo inscio opus factum sit: non tenetur illud *restituere* ipse, nisi velit; *Sed patientiam duntaxat præstare* mihi (vicino) hujus operis quod mihi nocet destruendi, mundamque qualis anteà fuerat aream restituendi: ita tamen si priùs ego ipsi caveam me resarciturum omne damnum quod in demolitione operis posset ipsi dari, putà ab opificibus meis vel alio modo.

(*c*) Ultrò scilicet ipse restituerit: quamvis non posset cogi restituere, sed tantùm pati ut restitueretur.

(*d*) Ratio dubitandi an possit impensam repetere à colono: ad quam negligit respondere.

(*e*) *Quod vi aut clam.*

(*f*) In lege præcedenti dominus prædii cui opus nocere potest, & qui desiderat permitti sibi ejus destructionem; cavet domino prædii in quo est opus, de damno quod in demolitione operis posset contingere. In præsenti contrà specie, domino prædii cui opus nocere potest & qui non desiderat illud destrui, cavet dominus in cujus prædio constructum est, de damno quod ex opere sentire posset.

(*g*) Id est, quatenùs teneor quum colonus meus fecit; quo casu, modò suprà dictum est hactenùs me teneri ut patientiam præstem, si citra voluntatem meam factum est.

(*h*) Nam si simulata est, venditor ipse hâc actione convenitur.

(*i*) Cum domino loci privati, ex quo immissa Aqua [interveniente loco publico] in meum fundum, meo fundo nocet.

(*k*) Id est, quia.

(*l*) Non hâc actione, sed Interdicto *Quod vi aut clàm.*

(*m*) Scilicet ex novo dolo quo fecit ut annus Interdicti præteriret. Vide suprà lib. 4. Tit. *de Dolo malo.* N. 10.

(*n*) Annali actione ex Edicto DE *alienatione judicii mutandi causâ factâ*: de quâ vide suprà lib. 4. Tit. *de Alien. jud.*

(*o*) Aliàs legitur *quod ante alienationem*, aliàs *quod post alienationem.* Duarenus lectione servatâ, ait; *hoc est quod cum ipso alienandi actu conjunctum est.*

Etenim

Source : BIU Cujas

Etenim Hæc actio etiam in vectigalibus agris locum habet. *l.* 23. § 1. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

Item fructuario hanc Utilem actionem dari docet Pomponius, quamvis directa non detur. Ita ille : Si ususfructus fundi legatus fuerit, Aquæ Pluviæ Arcendæ actio heredi & cum herede est cujus prædium fuerit. Quòd si ex opere incommodum aliquod patiatur fructuarius ; poterit quidem interdum vel Interdicto experiri QUOD VI AUT CLAM. Quòd si ei non competet ; quærendum est an Utilis ei quasi domino actio Aquæ Pluviæ Arcendæ dari debeat ; an verò etiam contendat jus sibi esse uti-frui ? Sed magis est, Utilem Aquæ Pluviæ Arcendæ ei actionem accommodare. *l.* 22. POMPONIUS LIB. 10. EX VARIIS LECTIONIBUS.

Similiter in casu converso. Sed & si fructuarius opus fecerit per quod Aqua Pluvia alicui noceat ; erit quidem actio legitima cùm domino proprietatis. An verò etiam Utilis in fructuarium Aquæ Pluviæ Arcendæ danda sit, quæsitum est ? Et magis est ut detur. *d. l.* 22. § 2.

Ad hanc actionem Utilem non opus habent recurrere, qui jus itineris aut viæ habent in fundo cui aqua nocet. Nam Is cujus fundo via debetur, Aquæ Pluviæ Arcendæ agere potest fundi sui nomine ; quoniam deteriore viâ factâ, fundo (*a*) nocetur. *l.* 25. JULIAN. LIB. 5. EX MINICIO.

§ IV.

Quum plures sunt domini, an & quatenùs quisque agat aut conveniatur.

XXIX.

Cassius ait : Sive ex communi fundo, sive communi aqua noceat ; vel unum cum uno agere posse, vel unum separatim cum singulis, vel separatim singulos cum uno, vel singulos cum singulis. Si unus egerit ; & restitutio operis, litisque æstimatio facta sit ; cæterorum actionem evanescere. Item si cum uno actum sit, & is (*Florent.* & si) præstiterit, cæteros liberari : idque quod sociorum nomine darum sit, per arbitrum Communi dividundo reciperari posse. Et ex sociis non utique (*b*) cum eo agendum qui opus fecerit ; nec minùs eum quoque damnum restituere debere qui auctor operis fuit. *l.* 11. § 1. PAUL. LIB. 49. AD EDICT.

XXX.

Cùm ei qui pro parte dominus est, & in eum hæc actio detur ; Indè quæritur, si communi agro meo & (*c*) proprio agro tuo aqua noceat, an agi possit Aquæ Pluviæ Arcendæ ? Et putem, agendum : sic tamen, ut pars Damni præstetur. *l.* 6. § 2. ULP. LIB. 53. AD ED.

Versâ quoque vice, si communis ager sit qui nocet proprio : poterit Aquæ Pluviæ Arcendæ agi ut quis damnum consequatur, sed in partem. *d. l.* 6. § 3.

Suffragatur Ofilius. Nam Si ex privato agro in agrum communem aqua immittatur ; Ofilius ait, Socium cum eo agere posse. *sup. d. l.* 11. § 5.

XXXI.

Igitur Si ex plurium fundo decurrens aqua noceat, vel si plurium fundo noceatur : placuit (eoque Jure utimur) ut, sive plurium fundus sit, singuli in partem experiantur, & condemnatio in partem fiat ; sive cum pluribus agatur, singuli in partem conveniantur : & in partem fiat condemnatio. *l.* 6. § 1. ULP. LIB. 53. AD ED.

Similiter Paulus ait. Quòd si is fundus cui Aqua Pluvia nocet, plurium sit ; agere quidem vel singulos posse : sed damni quod post litem contestatum datum sit, non ampliùs parte suâ consecuturum. Item si opus restitutum non fuerit, non amplius quàm quod pro parte eorum interfuerit opus restitui, condemnationem fieri oportere. *l.* 11. § 4. PAUL. LIB. 49. AD ED.

Sed quid in casu converso ? Officium autem judicis inter duos accepti quale futurum sit, dubitare se Julianus ait ; si fortè unius fundus fuerit cui aqua noceat. Si verò in quo opus factum sit plurium, & cum uno eorum agatur : utrùm & ejus damni nomine quod post litem contestatam datum sit, & operis non restituti, in solidum condemnatio fieri debeat ? (quemadmodum quum servi communis nomine Noxali judicio cum uno agitur, condemnatio in solidum fiet ; quoniam quod præstiterit potest à socio recipere. (An verò is cum quo agitur, pro parte suâ & damni dati & operis non restituti nomine damnandus sit ?) ut in actione Damni infecti fiat ; quum ejus prædii ex quo damnum metuatur plures domini sint, & cum uno eorum agatur : licèt opus ex quo damnum futurum sit, individuum sit ; & ipsæ ædes, solumque earum non potest pro parte duntaxat damnum dare ; nihilominùs eum cum quo agitur, pro suâ parte condemnari). Magisque existimat id servandum in Aquæ Pluviæ Arcendæ actione, quod in actione Damni infecti : quia utrobique non de præterito, sed de futuro damno (*d*) agitur. *d. l.* 11. § 3.

§ V.

Quid in hâc actione præstandum veniat.

XXXII.

Hâc in re interest cum quo agatur. Celsus scribit ; Si quid ipse feci quo tibi Aqua Pluvia noceat, meâ impensâ tollere me cogendum : si quid alius qui ad me non pertinet ; sufficere ut patiar te tollere.

Sed si servus meus fecerit, aut is cui heres sum hoc fecit ; servum quidem noxæ dedere debeo : quod autem is cui heres sum fecit, perindè est atque si ipse fecissem. *l.* 6. § 7. ULP. LIB 53 AD ED.

Quid si is cum quo agitur, non ipse quidem fecerit, sed socius ejus ? Apud Ferocem Proculus ait ; Si cum uno dominorum actum sit qui opus non fecerit, debere eum opus restituere suâ impensâ : quia Communi dividundo actionem habet. Sed sibi magis placere, patientiam duntaxat eum præstare oportere ; quia suâ culpâ actor id patiatur, qui non agit cum eo à quo opus factum sit : & est iniquum eum qui non fecit, id restituere oportere (*e*) quoniam Communi dividundo agere potest. Quid enim fiet, si socius ejus solvendo non fuerit ? *l.* 11. § 2. PAUL. LIB. 49. AD ED.

Denique regula Juris est : NEMO ideò obligatur, quia recepturus est ab alio quod præstiterit. *l.* 171. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 4. AD. PLAUT.

XXXIII.

Ex his quæ diximus, nascitur aliud discrimen inter eum qui opus fecit, & eum qui non fecit.

Nam Is cum quo Aquæ pluviæ Arcendæ agitur quòd opus fecit, licèt cedere loco paratus sit, cogitur accipere judicium : quoniam & suo nomine convenitur ut opus tollat. *l.* 7. PAUL. LIB. 18. AD ED.

Aliud est in bonæ fidei emptore : hic enim tantùm patientiam præstat. Igitur si & fundo cedat, audiendus est. Plus enim præstat. *d. l.* 7. § 1.

XXXIV.

Jam observandum quòd Non aliter restituisse rem videbitur is qui opus fecit, quàm si Aquam coerceat. *l.* 22. § 1. POMPON. LIB. 20. EX VARIIS LECTIONIBUS.

Officium autem judicis hoc erit ut, si quidem à vicino opus factum sit, eum jubeat restituere ; damnumque sarcire, si quid post litem contestatam contigit. *l.* 6. § 6. ULP. LIB. 53. AD ED.

(*a*) Aqua nocet non solùm fundo qui servitutem viæ debet ; & cujus nomine agere non posset, cum non sit dominus : sed etiam ipsius fundo cui via debetur, nocet ; hoc ipso quòd jus viæ deterius reddit.

(*b*) *Non utique* duntaxat.

(*c*) Legendum *Communi agro meo & tuo, ex proprio agro tuo.*

(*d*) *Futurum* damnum accipe ; quod, quum caveretur, infectum erat & futurum, quamvis, quum ex his stipulationibus agitur, jam factum sit.

(*e*) *Iniquum est* socium qui non fecit, cogi restituere ; sub eo prætextu quòd possit à socio [qui fecit] consequi impensam, actione *Communi dividundo.*

Source : BIU Cujas

Æstimationem autem judex faciet ex rei veritate; hoc est, ejus damni quod apparuerit datum. *d. l.* 6. § 8.

Quòd si ante litem contestatam damnum contigit, tantùm opus restituere debebit; damnum non sarciet. *d. l.* 6. *sup. d.* § 6. ¶ *quòd si.*

Enimverò In hoc judicium, sicut in Damni infecti, futurum damnum venit : cùm reliquis ferè omnibus judiciis præteritum præstetur. *l.* 14. § 2. PAUL. LIB. 49. AD ED.

Igitur De eo quod antè datum est, QUOD VI AUT CLAM agendum est. De eo quod post Sententiam judicis futurum est; DAMNI INFECTI caveri oportet : vel ita opus restituendum est, ut nullum periculum damni supersit. *d. l.* 14. § 3.

XXXV.

At De eo opere quod post litem contestatam factum est, novo judicio agendum (*a*) est. *l.* 14. § *fin.*

Sed interdum opus & quod post litem contestatam factum est, tolletur (*b*); si id quod antecessit, tolli sine eo non potest. *l.* 15. IDEM LIB. 16. AD. SABINUM.

(*a*) Non enim in judicium deductum est, nisi illud opus quod tunc extabat.

(*b*) Officio judicis, in hoc judicio : nec necesse erit novo judicio agere.

TITULUS IV.

DE PUBLICANIS, ET VECTIGALIBUS, ET COMMISSIS.

Quæ fuerit ratio connexionis hujus Tituli cum superioribus, mihi prorsùs non liquet. Nec ullatenùs satisfacit quod Cujacius ad h. tit. ait. Tribonianum quum hujus libri Titulo 1°. *egisset de Operis novi nuntiatione, quæ fit etiamsi* in Publico *opus fiat; Titulo* 2°. *de cautione Damni infecti, cui locus est etiam propter illud opus quod* in Publico *fit : Titulo* 3°. *de Aquæ pluviæ arcendæ actione, quæ datur etiamsi* ex Publico *oriatur aqua; tandem in hoc Titulo* 4°. *propter quamdam homonymiæ (id est, similitudinis nominis) rationem, de aliâ specie Publici agere; scilicet* DE VECTIGALIBUS publicis, *&* DE PUBLICANIS.

PUBLICANI *erant Publicorum Vectigalium conductores. Unde simul agitur in hoc Titulo, & de ipsis* VECTIGALIBUS, *&* COMMISSIS *in quæ incidebant illi qui merces Vectigali obnoxias non profitebantur. Atque hæ tres sunt hujus Tituli partes.*

ARTICULUS I.

De Publicanis, & Edicto adversùs ipsos proposito.

I.

Hic Titulus ad Publicanos pertinet. PUBLICANI autem sunt qui Publico fruuntur (*a*) : nam indè nomen habent, sive fisco Vectigal pendant, vel tributum consequantur. Et omnes qui quid à fisco conducunt, rectè appellantur Publicani. *l.* 1. § 1. ULP. LIB. 55. AD ED.

Prætor ait : « QUOD Publicanus, ejus-[ve] Publicani » nomine vi ademerit [quis], quod-ve familia Publi- » canorum; si id restitutum non erit, in duplum; aut, » si post annum agetur, in simplum judicium dabo.

» Item SI DAMNUM injuriâ furtum-ve factum esse » dicetur, judicium dabo : si id, ad quos (*b*) ea res » pertinebit non exhibebitur, in dominos sine noxæ » deditione judicium dabo. *d. l.* 1. *pr.*

Item « QUOD FAMILIA Publicanorum furtum fecisse » dicetur, item si damnum injuriâ fecerit; & id ad quos » ea res pertinet non exhibetur; in dominum sine noxæ » deditione judicium dabo. *l.* 12. § 1. IDEM LIB. 38. AD ED.

II.

Dixerit aliquis : Quid utique hoc Edictum propositum est; quasi non & alibi Prætor providerit furtis, damnis, vi raptis? Sed è re putavit & specialiter adversùs Publicanos Edictum proponere. *sup. d. l.* 1. § 2.

Enimverò QUANTÆ AUDACIÆ, quantæ temeritatis sint Publicanorum (*c*) factiones, nemo est qui nesciat : idcircò Prætor ad compescendam eorum audaciam, hoc Edictum proposuit. *sup. d. l.* 12. *pr.*

Quod quidem Edictum in aliquâ parte mitius est, quippe cùm in duplum datur : cùm Vi bonorum raptorum in quadruplum sit, & Furti manifesti æquè in quadruplum. *sup. d. l.* 1. § 3.

Et restituendi facultas Publicano vi abreptum datur. Quod si fecerit, omni onere exuitur; & pœnali actione ex hâc parte Edicti liberatur.

Undè quæritur : Si quis velit cum publicano non ex hoc edicto; sed ex generali VI BONORUM RAPTORUM, DAMNI INJURIÆ, vel FURTI agere; an possit? Et placet posse. Idque Pomponius quoque scribit. EST ENIM ABSURDUM MELIOREM ESSE PUBLICANORUM CAUSAM, QUAM CÆTERORUM EFFECTAM OPINARI. *d. l.* 1. § 4.

Igitur Quod illicitè publicè privatimque exactum est, cum altero tanto passis injuriam exsolvitur; per vim verò extortum, cùm pœnâ tripli (*d*) restituitur.

Ampliùs, extrà ordimem plectuntur. Alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor publicæ disciplinæ postulat. *l.* 9. § 5. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Constantinus pœnam exilii perpetui statuit, in Publicanos qui ultra antiquam consuetudinem quid exigunt. l. 9. *Cod.* de Vectigalib.

His generaliter præmissis, quærendum 1°. *Quinam* PUBLICANORUM *& eorum* FAMILIÆ *nomine in Edicto contineantur :* 2°. *De actione quæ adversùs ipsos ex hoc Edicto datur :* 3°. *De eo quod Publicani per errorem, indebitum acceperunt.*

(*a*) Id est; *publico vectigali*; *sive* ipsum illud *vectigal* quod percipiunt *fisco pendant* [en comptant de clerc à Maître]; *vel tributum* sibi *consequantur* jure conductionis, datâ fisco certâ mercede.

(*b*) Quibuscumque *ad quos, &c.*

(*c*) Hinc liquet quantùm fuerit horum-ce hominum odium. Maximè autem in execratione fuêre Provincialibus, quos rapinis suis spoliabant; & præsertim Judæis, ut ex Evangelistis liquet. Ad hanc tamen quantumvis sordidam atque odiosam professionem, multos ex Equestri Ordine alliciebat auri sacra fames; fuitque Romæ potentissima Publicanorum factio : ut colligere est ex his quæ diximus in Præfatione nostrâ pag. 26. de Rutilio. Hinc ipsis adulatur Cicero, quum in Oratione *pro Lege Manil.* n. 7. eos vocat homines *Honestissimos & ornatissimos.* Etenim, inquit, *si Vectigalia nervos esse Reipublicæ semper duximus; eum certè Ordinem qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum rectè esse dicemus.* Eodemque sensu in Orat. *Pro Plancio* n. 9. quum Plancio exprobraretur eum esse Publicani filium; ait, hoc non obesse ipsi debere ad honores obtinendos : nam *Florem Equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reipublicæ, Publicanorum Ordine contineri.* Verùm alibi idem Cicero, depositâ jam oratoris personâ, & familiariter Quintum fratrem alloquens Epist. lib. 1. Ep. 1. ad eum Aliæ Rectorem de rapacitate atque avaritiâ Publicanorum ita scribit : « *Tuæ voluntati ac diligentiæ difficultatem magnam afferunt Publicani :* » *quibus si adversamur; Ordinem de nobis optimè meritum, à nobis & à Republicâ* » *disjungimus : sin autem in omnibus rebus obsequemur;* FUNDITUS EOS PERIRE » [cives Provinciales], *quorum non modò saluti, sed etiam commodis consulere* » *debemus* ». Et paulo suprà : « *Tu, quum pecuniæ, quum voluptati, quum* » *omnium rerum cupiditati resistes, ut facis; erit periculum ne improbum negotia-* » *torem,* CUPIDIOREM PUBLICANUM *comprimere non possit.* » Non defuêre tamen inter Publicanos viri probi; qualis Flavius Vespasiani Imperatoris pater, qui Publicanum *Quadragesimæ* in Asiâ fuit; & cui ob novam ac singularem in hoc exercendo munere probitatem, civitates Asiæ posuerunt imagines cum hâc inscriptione ΧΑΛΩ͂Σ ΤΕ͂ΛΩΝΗΣΑΝΤΙ [id est, *Probè functo Publicano*] : Sueton. in VESPASIAN. 1.

(*d*) Scilicet actione *Vi bonorum raptorum*, quæ est in quadruplum : in quo quadruplo res inest; & sic *pœnam Tripli* continet.

Source : BIU Cujas

§ I.

Quinam veniant appellatione Publicanorum *aut* Familiæ *eorum, in Edicto.*

III.

Edictum loquitur de Publicanis & eorum familiâ.

Publicani autem dicuntur, qui publica Vectigalia (*a*) habent conducta. *l.* 12. § *fin.* ULP. LIB. 38. AD ED.

Sed & hi qui salinas (*Vulg. addit* & arenas, *id est loca in quibus arena effoditur*) & cretifodinas, & metalla habent, Publicanorum loco sunt. *l.* 13. GAIUS LIB. 13. AD ED. PROVINC.

Præterea & si quis Vectigal conductum à Republicâ cujusdam municipii habet, hoc Edictum locum habet (*b*). *d. l.* 13. § 1.

Quamvis tamen propriè Eum qui Vectigal Populi Romani conductum habet, Publicanum appellamus. Nam PUBLICA appellatio in compluribus causis ad Populum Romanum respicit: civitates enim, privatorum loco habentur. *l.* 16. *ff. de Verb. signif.* GAIUS LIB. 3. AD ED. PROVINC.

IV.

FAMILIÆ autem appellatione, hîc servilem familiam contineri sciendum est.

Sed & si bonâ fide Publicano alienus servus servit, æquè continebitur. Fortassis & malâ fide: plerùmque enim vagi servi & fugitivi, in hujusmodi operis etiam à scientibus habentur.

Ergo etsi homo liber serviat, hoc Edictum locum habet. *sup. d. l.* 12. § 2.

Quinetiam Familiæ nomen hîc non tantùm ad servos Publicanorum referemus, verùm & qui in numero familiarum sunt Publicani. Sive igitur liberi sint, sive servi alieni qui Publicanis in eo Vectigali ministrant, hoc Edicto continebuntur.

Proindè & si servus Publicani rapuit, non tamen in eâ familiâ constitutus quæ Publico Vectigali ministrat; hoc Edictum cessabit. *l.* 1. § 5. ULP. LIB. 55. AD ED.

Vice versâ quum dicitur ex delicto familiæ hanc actionem in dominos dari: Quod ait IN DOMINOS, sic accipiendum est; in socios Vectigalis, licèt domini non sint. *l.* 3. § 1. ULP. LIB. 55. AD ED.

§ II.

De actione quæ ex hoc Edicto descendit.

V.

Actio ex hoc Edicto in duplum est, sed ita demùm si res restituta non erit.

Undè Gaius. Hoc Edicto efficitur ut ante acceptum quidem judicium, restitutâ re, actio evanescat; post acceptum verò judicium, nihilominùs pœna duret. Sed tamen absolvendus est, etiam qui post acceptum judicium restituere paratus est. *l.* 5. GAIUS AD EDICT. PRÆTORIS URBANI TIT. DE PUBLICANIS.

VI.

Quòd Si non restituat, in duplum erit condemnatio Quærentibus autem nobis utrùm duplum totum pœna sit, & præterea rei sit persecutio; an in duplo sit & rei persecutio, ut pœna simpli sit? magis placuit, ut res in duplo sit. *d. l.* 5. § 1.

VII.

Si multi Publicani sint qui illicitè quid exegerunt; non multiplicatur dupli actio; sed omnes, partes præstabunt; & quod ab alio præstari non potest, ab altero exigetur: sicut Divus Severus & Antoninus rescripserunt. Nam inter CRIMINIS reos, & FRAUDIS participes, (*c*) multùm esse (*Haloand.* interesse) constituerunt. *l.* 6. MODESTIN. LIB. 2. DE PŒNIS.

VIII.

Quid quum familia deliquit? Ante autem actorem dicere oportet, quem vel quos desideret exhiberi; ut, si non exhibeantur, hinc agatur. Sed si dicatur, EXHIBE OMNES UT POSSIM DIGNOSCERE QUIS SIT; puto audiendum. *l.* 3. § 2. ULP. LIB. 55. AD ED.

IX.

Et quidem Quod novissimè Prætor ait; SI HI NON EXHIBEBUNTUR, IN DOMINO SINE NOXÆ DEDITIONE JUDICIUM DABO: hoc proprium est hujus Edicti quòd, si non exhibeantur servi, competit judicium sine noxæ deditione; sive habeant eos in potestate, sive non; sive possint exhibere, sive non possint. *l.* 1. § 6. ULP. LIB. 55. AD ED.

Nec liceat domino absentem defendere; *l.* 2. GAIUS LIB. 21. AD ED. PROVINC.

Cùm, si exhibuissent, Noxali judicio convenirentur. Idcirco autem tam dura conditio eorum effecta est, quia debent bonos servos ad hoc ministerium eligere. *l.* 3. ULP LIB. 55. AD ED.

Ergo: Sive autem vendidit servum vel manumisit, vel etiam fugit servus; tenebitur servi nomine, qui tam factiosam familiam habuit. *l.* 13. § 2. GAIUS LIB. 13. AD ED. PROVINC.

Qui tamen si servus decesserit; videndum an Publicanus teneatur, quasi facti sui nomine? Sed puto, quia facultatem non habet exhibendi (*d*), nec dolus ejus intercessit, debere eum liberari. *d. l.* 13. § 3.

X.

Si plures servi id furtum vel damnum admiserint; hoc debet servari ut, si tantùm præstetur quantùm si unus liber feciset, absolutio fiat. *sup. d. l.* 3. § 3.

XI.

Observandum superest; quòd Hanc actionem perpetuam (*e*) dabimus, & heredi cæterisque successoribus. *d. l.* 13. § 4.

An autem in heredem? Si Publicanus qui vi ademit, decesserit: Labeo ait; Id heredem ejus, quo locupletior factus sit, dandam actionem. *l.* 4. PAUL. LIB. 52. AD ED.

§ III.

De eo quod Publicani, per errorem, indebitum acceperunt.

XII.

Ad Edictum Prætoris non pertinet, quod citra dolum publicanus accepit.

Si quid autem indebitum, per errorem solventis, Publicanus accepit; retrò eum restituere oportere, Divi Severus & Antoninus rescripserunt. *l.* 16. § 14. MARCIAN. LIB. SINGUL. DE DELATORIBUS.

ARTICULUS II.

De Vectigalibus.

XIII.

Publica Vectigalia intelligere debemus, ex quibus Vectigal fiscus capit; quale est Vectigal portûs vel venalium rerum, item salinarum & metallorum &

(*a*) Putà, Portoria [*les droits d'entrée pour les marchandises qui entrent dans le port, & de sortie pour celles qui en sortent*]: multiplex enim est vectigalis species: infrà Art. 2. Vide Cujacium Observ. VIII 4.

(*b*) Cùm enim res civitatum, abusivè *Publicas* dici obtinuerit: sequitur etiam *Publicanos* intelligi posse, vectigalium civitatis conductores.

(*c*) CRIMEN hîc distinguitur à simplici FRAUDE: cùmque majori vindictâ dignum sit; pœna quum unus ex pluribus ejusdem *criminis* reis præstitit, cæteros non relevat. Mitiùs autem agitur cum pluribus ejusdem *Fraudis* participibus, ut omnes unicam duntaxat pœnam luant.

(*d*) Adde, nec per rerum naturam jam exhiberi potest. Nam *Ad impossibile nemo tenetur.*

(*e*) Quamvis actiones pleræque ex Edicto Prætoris descendentes, annales sint. Hoc in odium Publicanorum.

Source : BIU Cujas

picatiarum (*a*). *l.* 17. § 1. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 10. AD ED.

PORTÛS (*inquit*) VEL VENALIUM RERUM; *id eſt*, *quod vel pro* Portu, vel *pro ipsâ venditione* rerum venalium *fiſco penditur. Fuit enim, præter Portorium, & aliud Vectigal rerum in auctione publicâ venalium; ſcilicet Centeſima pars pretii quæ à venditore exigebatur* (le Centieme denier).

Hoc Vectigal videtur unum fuiſſe ex Novis Vectigalibus, quæ ab Auguſto inſtituta tradit Suetonius, in AUGUSTO *N.* 49. *Refert enim Tacitus* Annal. *I.* 78. *Centeſimam rerum venalium poſt bella civilia inſtitutam. Tiberius poſt redactum in provinciam Archelai regnum, hoc Vectigal imminuit; & Ducenteſimam duntaxat in poſterùm ſtatuit: teſte eodem Tacito, Annal. II.* 42. *Cui tamen contradicere videtur Dio-Caſſius; qui contrà lib.* 58. *ſcribit, Tiberium pro Ducenteſimâ* Centeſimam *inſtituiſſe. Hos autem Auctores Lipſius ad dictum Taciti locum, ſic conciliat; ut Tiberius immutaverit quidem Centeſimam in Ducenteſimam, ut refert Tacitus; ſed poſtea in deteriores prolapſus mores, revocaverit Centeſimam. Hanc Centeſimam auctionum, Italiæ remiſit Caius, teſte Suetonio in* CAIO *N.* 16. (*ubi Turnebus rectè obſervat legendum* Centeſimam, *non ut in quibuſdam libris* Ducenteſimam); *& hoc confirmat Dio-Caſſius qui pariter lib.* 59. *tributi Centeſimarum à Caio ſublati mentionem facit. Cùm autem Caius Italiæ duntaxat hoc Vectigal remiſiſſet, vigere in provinciis perrexit: & hoc eſt* Vectigal venalium rerum *de quo hic mentio eſt; quod alibi dicitur* VENALITIUM; *& à quo immunitas tribuitur his qui in ſacris ſcriniis militant. l.* 4. *Cod.* de Proxim. ſacr. ſcrin.

Ut cæterarum rerum publicè venalium Vectigal fuit Centeſima; *ita mancipiorum venalium Vectigal* Quinquageſima *fuit; quod ab Auguſto inſtitutum refert Dio lib.* 55. *& à Caio remiſſum tradit Tacitus Annal. XIII.* 31. *ubi pro* Quintæ & Viceſimæ, *legendum* Quinquageſimæ, *cenſent Lipſius, Cujacius, & alii Eruditi. Vide Cujacium Obſerv. VI.* 28.

Hic autem de eâ Vectigalis ſpecie quod pro mercibus advehendis vel evehendis infertur, potiſſimùm agimus. Circa quod, quærendum pro quibus mercibus debeatur necne Vectigal, & quâ auctoritate conſtituatur, quid Vectigalis nomine debeatur, & à quibus perſonis; denique cui debeatur. De Vectigalium conductione pauca ſubjungemus.

§ I.

Quis Vectigalia conſtituere poſſit, & pro quibus mercibus Vectigal pendatur.

XIV.

Vectigalia ſine Imperatorum præcepto, neque Præſidi, neque Curatori (*b*), neque Curiæ, conſtituere; nec præcedentia reformare, & his vel addere vel diminuere licet. *l.* 10. HERMOGENIAN. LIB. 5. EPITOMAR.

Hinc Severus & Antoninus: Vectigalia nova nec Decreto civitatum inſtitui poſſunt. *l.* 2. *Cod. Vectig. nova inſtit.*

Item Valerianus & Gallienus: Non ſolent nova Vectigalia, inconſultis Principibus inſtitui. Ergo & exigi aliquid quod illicitè poſcatur, competens judex vetabit; & id quod exactum videtur, ſi contra rationem Juris extortum eſt, reſtitui jubebit. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

Igitur Earum rerum Vectigal quarum nunquàm præſtitum eſt, præſtari non poteſt. Quòd ſi præſtari conſuetum indiligentia Publicani omiſerat, alius exercere non prohibetur. *l.* 9. § 6. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

XV.

Merces autem pro quibus Vectigal præſtari conſuevit, ſunt generaliter quælibet merces extraneæ. Species pertinentes ad Vectigal: cinnamomum (*c*), piper longum (*d*), piper album, folium pentaſpherum (*e*), folium Barbaricum, coſtum (*f*), coſtamomum (*g*), nardi-ſtachis (*h*), caſſia (*i*), turiana (*Aliàs* thymiama), xylo-caſſia Smyrna, amomum (*k*), zingiberi (*l*), malabatrum (*m*), aroma Indicum, chalbane (*n*), lazer (*o*), alchelucia (*p*), ſargogalla (*q*), onix Arabicus (*r*), cardamomum (*s*), xylo-cinnamomum (*t*), opus biſſicum (*u*), pelles Babylonicæ, pelles Parthicæ (*v*), ebur, ferrum Indicum, carpaſum (*x*), lapis (*y*) univerſus, margarita, ſardonix (*z*), ceraunium (*aa*), hyacinthus (*bb*), ſmaragdus (*cc*), adamas (*dd*), ſaffirinus (*ee*), callainus (*ff*), beryllus (*gg*), cheliniæ (*hh*), hopia (*ii*) Indica, vela

(*a*) *Picariæ* ſunt, in quibus [inquit Cujac. ad h. l.] pix coquitur. Plinius *Hiſt. nat.* XVI 12. ex Theopompo refert, eſſe quamdam picis ſpeciem, quæ fit foſſilis. De hujus fodinis poſſent accipi *Picariæ*.

(*b*) *Curator* dicitur, Procurator Cæſaris.

(*c*) *Cinnamomum* ſeu *Cinnamum* eſt frutex qui naſcitur in Æthiopiâ, cujus cortex in modum cannæ rotundus & gracilis. Quum frangitur, viſibile ſpiritamentum emittit ad imaginem nebulæ vel pulveris. Plinius *Hiſt. nat.* XII 19. Iſidor. XVII 8.

(*d*) Arbor quæ *Piper* gignit, Junipero ſimilis eſt. Hujus ſemina continentur parvulis ſiliquis quæ, priuſquàm dehiſcant, decerptæ, toſtæque ſole, faciunt quod vocatur *Piper longum*. Paulatim verò dehiſcentes maturitate, oſtendunt *Candidum piper*; quod deindè toſtum ſolibus, colore rugiſque mutatur. Plin. XII 7.

(*e*) Herba quæ in Indiæ littoribus colligitur, ferens quinque ſpherulas ſeu globulos: *Folium* dicta, quòd ſine ullâ radice innatat. Guſtu, Nardum refert Iſidor. XVII 9.

(*f*) *Coſtum* radix herbæ eſt naſcentis in Indiâ, Arabiâ, & Syriâ, jucundi odoris: Iſidor. XVII 9. Non ſolùm ad delicias parabatur, ſed etiam eo utebantur in ſacrificiis: nam *Thure ſupplicamus &* COSTO, inquit Plinius XX 24. in fine.

(*g*) Coſti ſpecies, fortè ſic dicta à monte ubi naſcitur. Eſt enim *Amomum* mons Syriæ, ubi & Galbanum creſcit: Iſidor. XVII 9.

(*h*) *Nardus* eſt frutex, cujus ſolidum eſt quid principale in unguentis: Plin. XII 12. Herbam autem habet ſpicoſam: undè à Græcis *Nardoſtachis* appellatur [à verbo Græco ΣΤΑΧΥΣ, *épi*]: q. d. *l'épi du Nord, ou le Nard-épy*.

(*i*) *Caſſia* inter arbores aromaticas quæ in Arabiâ naſcuntur, refertur ab Iſidoro; qui ait eſſe hanc virtute ſimilem cinnamomo, potentiâ inferiorem [*mêmes propriétés, moindre efficace*]: undè pro cinnamomi vice, duplex ejus pondus admiſcetur in medicamentis. Iſidor. XVI 8. Quod autem mox infrà dicitur *Xylo-caſſia Smyrna*, eſt Caſſiæ ſpecies quæ Smyrnæ naſcitur; ita dicta à verbo Græco ΞΥΛΟΝ *lignum*, quia eſt lignum ſeu cortex. ejus arboris.

(*k*) *Amomum* refertur etiam inter arbores aromaticas ab Iſidoro; ſic dictum quòd veluti odorem cinnamomi referat. Naſcitur in Syriâ & Armeniâ. Iſidor. XVII 8. De Amomo & Amomi uvâ, vide Plinium XII 13.

(*l*) *Zingiberi* eſt herba quam Plinius ait falsò à quibuſdam exiſtimari eſſe radicem Piperis, ob ſaporis ſimilitudinem: Plin. XII 7. Fortaſsè id quod apud Nos, *Le Gingembre*.

(*m*) Fortè legendum *Malobathrum*: quod eſt genus fruticis in Syriâ, folio convoluto, ex quo exprimitur oleum ad unguenta. Creſcit & Malobathrum in Indiâ, lentis modo, odoratius croco, prodigioſi pretii. Plin. X. 12. 26.

(*n*) *Chalbane*, quod & *Galbanum* dicitur, eſt ſuccus ferulæ naſcentis in monte Amomo Syriæ; reſinæ ſimilis. Eo utuntur in medicamentis; necnon contra culices, qui accenſo Galbano fugantur. Plin. XII 15. XIX 10. XXIV 5. Iſidor. XVII 9.

(*o*) *Laſer* eſt ſuccus herbæ naſcentis in Cirenaicâ provinciâ, quam *Laſerpitium* vocant. Ejus ſucci uſus eſt in medicamentis. Vocatur etiam *Opium Cyrenaicum*. Plin. XIX 3. Iſidor. XVII 9.

(*p*) Haloander legit *Agallocus*; id eſt, lignum aloës. Diſcorid. lib. 1. cap. 21.

(*q*) Haloander legit *Sarcocalla*: eſt arbor cujus lacryma thuri ſimilis adhibetur in medicamentis. Plin. XIII 11. XXIV 14. Gothofredus ita dictam ait, quod hiantem vulnere carnem adſtringat.

(*r*) Genus quoddam marmoris in Arabiæ montibus naſcentis. Plin. XXXVI 7.

(*s*) Coſti ſpecies fortè ſic dicta ab Amomo monte Syriæ ubi naſcitur. Iſidor. XVII 9. In quo autem differat illa ſpecies à *Coſtamomo* ſuprà Not. [*g*]. prorsùs ignoramus.

(*t*) Eſt lignoſum cinnamonum, odore inferius Cinnamo. Dioſcorid.

(*u*) Haloander legit *Byſſinum*. Linum autem byſſinum in Achaiâ gigni, & fuiſſe olim pretii auro æqualis refert Plinius XIX 1.

(*v*) Quarum mercatores *Parthicarii* appellantur in l. 7. Cod. *de Excuſat. muner.*

(*x*) *Carpaſum* ſeu *Carpeſium*, planta cujus ſuccus in medicamentis adhibetur. Dioſcorid.

(*y*) Pretioſus ſcilicet.

(*z*) *Sardonix* gemma rubra: ſic dicta quòd à *Sardis* inventa, & quòd habeat in ſe permixtum candorem qualis in carne humanâ quum unguis imponitur; unguis enim Græcis ΟΝΥΞ dicitur. Plin. XXXVII 6. Iſidor. XVI 8.

(*aa*) *Ceraunium* ſeu *Ceraunia* eſt gemma alba, ſplendore cæruleo, habens intùs ſtellam concurſantem. Ita dictum à voce Græcâ ΚΕΡΑΥΝΟΣ *Fulmen*, eo quòd non alibi inveniatur quàm in loco fulmine icto. Plin. XXXVII 9.

(*bb*) Gemma quæ in Æthiopiâ naſcitur, cærulei coloris, lucens, ac purpurâ refulgens: ſic dicta à flore purpureo nominis ſui. Iſidor. XVI 9.

(*cc*) *Smaragdus* [vernaculè *Emeraude*] eſt gemma cui tertiam poſt margaritas & uniones tribuunt dignitatem. Sic dicta à virenti ipſius colore, quo omnes herbas ac frondes virentes ſuperat, & quo aerem circa ſe repercuſſum inficit. *Smaragdus* enim idem ſonat ac *Viridis*: Plin. XXXVII 6. Iſidor. XVI 7.

(*dd*) *Adamas* [vernaculè *Diamant*] eſt lapis habens ſplendorem cryſtalli, cujus durities nec ferro nec ignibus vinci poteſt. Undè nomen accepit, *Adamas*, quod eſt Græcè *indomita vis*. Varias ejus tum ſpecies, tum virtutes refert Plinius *Hiſt. nat.* XXXVII 4. adde Iſidorum XVI 13.

(*ee*) Lapis *Sapphirinus* eſt cæruleus cum purpurâ, habens pulveres aureos ſparſos. Iſidor. XVI 9.

(*ff*) Vulgat. *Callimus*; fortè legendum CALLAICA, vel *Callais*. Eſt autem *Callais* ſpecies Topazii, colore viridis, ſed pallens & nimis craſſa, oculi modo extuberans. Plin. XXXVII 8. Iſidor. XVI 7.

(*gg*) Gemma quæ in Indiâ naſcitur; viriditate ſimilis ſmaragdo, ſed cum pallore. Poliri ſolet in ſexangulâ formâ, ut hebetudo coloris repercuſſione angulorum excitetur. Plin. XXXVII 5. Iſidor. XVI 7.

(*hh*) Fortè legendum *Cheloniæ*: Cheloniam autem ait Plinius eſſe oculum Indicæ teſtudinis. Vel legendum *Chelidoniæ*, quæ ſunt gemmæ ex hirundinis colore ita vocatæ; ex alterâ parte purpureæ, nigris interpellantibus maculis. Plin. XXXVII. 10. Iſidor. XVI 9.

(*ii*) Alii legunt *Opera Indica*, alii *Omnia Indica*.

Source : BIU Cujas

Sarmatica (*a*), metaxa (*b*), veſtis ſerica vel ſubſerica, vela (*c*) tincta, carbaſea (*d*), nema (*e*) ſericum, ſpadones (*f*), Indici leones, leænæ, pardi, leopardi, pantheræ ; purpura, item marocorum (*g*) lana, fucus, capilli Indici. *l.* 16. § 7. MARCIAN. LIB. SINGUL. DE DELATORIBUS.

X V I.

Obſervandum etiam quòd, etſi merces ſint pro quibus Vectigal ſolvi ſolet : ita demùm pro his debeatur, ſi commercii causâ eas advehat quis aut evehat.

Cæterùm, ut reſcribit Conſtantinus : Univerſi provinciales, pro his rebus quas ad uſum proprium vel ad fiſcum inferunt, vel exercendi ruris gratiâ revehunt, nullum Vectigal à Stationariis exigantur. Ea verò quæ extrà prædictas cauſas vel negotiationis gratiâ portantur, ſolitæ præſtationi vel penſitationi ſubjugamus (*h*) : Capitali pœnâ propoſitâ Stationariis & urbanis militibus & cæteris perſonis, quorum avaritiâ id tentari firmatur. *l.* 5. *Cod. de Vectigal. & commiſſ.*

X V I I.

Excipienda tamen ſunt mancipia novitia ; pro quibus, etiamſi quis usûs ſui causâ ea advehat, Vectigal debetur.

Hinc Marcianus. Quoties quis mancipia invecta profeſſus non fuerit, ſive venalia, ſive uſualia ; pœna Commiſſi eſt : ſi tamen novitia mancipia (*i*) fuerint, non etiam veterana.

Sunt autem veterana, quæ anno continuo in Urbe ſervierint : novitia autem mancipia intelliguntur, quæ annum nondum ſervierint. *l.* 16. § 3. MARCIAN. LIB. SING. DE DELATORIBUS.

Maximè autem Servi qui in fugâ ſunt, in Commiſſum non cadunt ; cùm ſine voluntate domini fines egreſſi ſunt. Et ita Principalibus Conſtitutionibus cavetur ; ſicut Divus quoque Pius ſæpiſſimè reſcripſit : NE (inquit) IN POTESTATE SERVORUM SIT, INVITIS VEL IGNORANTIBUS DOMINIS FUGÆ SE TRADENDO, POSTESTATI DOMINORUM SE SUBTRAHERE. *d. l.* 16. § 4.

X V I I I.

Diximus exceptis novitiis mancipiis, pro his quæ quis usûs ſui causâ advehit aut evehit, Vectigal non deberi.

Quæ autem usûs noſtri causâ dicantur, ita docet Alfenus. In Lege Cenſoriâ (*k*) portûs Siciliæ, ita ſcriptum erat : » SERVOS quos domo quis ducet ſuo uſu, pro his por- » torium ne dato. » Quærebatur, ſi quis à Siciliâ ſervos Romam mitteret, fundi inſtruendi causâ ; utrùm pro his hominibus (*Aliàs* omnibus, hominis portorium) portorium dare deberet, necne ? Reſpondit ; Duas eſſe in hâc ſcripturâ quæſtiones : primam quid eſſet DOMUM DUCERE ; alteram quid eſſet SUO USU ducere. Igitur quæri ſoleret, utrùm ubi quiſque habitaret, ſive in provinciâ ſive in Italiâ, an duntaxat in ſuâ cujuſque patriâ ; DOMUS eſſe rectè dicetur ? Sed de eâ re conſtitutum eſſe, eam DOMUM unicuique noſtrûm debere exiſtimari, ubi quiſque ſedes & tabulas haberet, ſuarumque rerum conſtitutionem feciſſet. Quid autem eſſet USU SUO, magnam habuiſſe dubitationem. Et magis placet, quod victûs ſui (*Florent.* cui) causâ paratum eſt, tantùm contineri. Itemque de ſervis eâdem ratione quæri, qui eorum usûs ſui causâ parati eſſent : utrùm diſpenſatores, inſularii, villici, atrienſes, textores, operarii quoque ruſtici qui agrorum colendorum causâ haberentur, ex quibus agris paterfamilias fructus caperet quibus ſe toleraret ; omnes denique ſervos quos quiſque emiſſet ut ipſe haberet, atque eis ad aliquam rem uteretur, neque ideò emiſſet ut venderet ? Et ſibi videri eos demùm uſus ſui causâ patremfamilias habere, qui ad ejus corpus tuendum, atque ipſius cultum præpoſiti deſtinatique eſſent : quo in genere unctores, cibicularii, coci, miniſtratores, atque alii qui ad ejuſmodi uſum parati eſſent, numerarentur. *l.* 203. *ff. de Verb. ſignif.* ALFENUS-VARUS LIB. 7. DIGEST.

Verùm ne id quod commercii causâ adveheretur, uſui proprio advectum ſimularetur : De rebus quas in uſus advehendas ſibi mandant Præſides, Divus Hadrianus Præſidibus Galliarum ſcripſit ; ut » QUOTIES quis in uſus » aut eorum qui provinciis exercitibus-ve præſunt, « aut Procuratorum ſuorum, usûs ſui causâ mittet » quemdam empturum, ſignificet libello manu ſuâ » ſubſcripto (*l*), eumque ad Publicanum mittat ; ut, » ſi quid ampliùs quàm mandatum eſt transferret, id » munificium (*m*) ſit. » *l.* 4. § 1. PAUL. LIB. 52. AD ED.

X I X.

Quemadmodum res quas quis ad proprios uſus infert ; item Res exercitui paratas, præſtationi Vectigalium ſubjici non placuit. *l.* 9. § 7. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

§ I I.

Quid Portorii nomine, & à quibus perſonis debeatur.

X X.

Portorii nomine Octava debebatur. Cæterùm In omnibus Vectigalibus ferè conſuetudo ſpectari ſolet ; idque etiam Principalibus Conſtitutionibus cavetur. *l.* 4. § 2. PAUL. LIB. 52. AD ED.

X X I.

Ex præſtatione Vectigalium, nullius omninò nomine quidquam minuatur ; quin Octavas more ſolito conſtitutas, omne hominum genus quod commerciis voluerit intereſſe, dependat : nullâ ſuper hoc militarium perſonarum exceptione faciendâ. *l.* 7. *Cod. de Vectig. & commiſſ.* VALENTIN. VALENS ET GRATIAN.

X X I I.

Nec ſolùm Publicani illud accipere poſſunt à ſubditis Romano Imperio : verùm etiam, ut iidem Imperatores reſcribunt : A Legatis gentium devotarum (*n*), ex his tantùm ſpeciebus quas de locis propriis undè conveniunt hùc deportant, octavarii Vectigal accipiant. Quas verò ex Romano ſolo, quæ ſunt tamen Lege conceſſæ, ad propria deferunt ; has habeant à præſtatione immunes ac liberas. *l.* 8. *Cod. d. tit.*

X X I I I.

Adeò autem ab omnibus Vectigal debetur, ut nullus prætextu cujuſlibet Reſcripti immunem ſe dicere poſſit.

Hinc Honorius & Theodoſius. Quidquid contra Vectigales largitionalium titulorum (*o*), vel Pragmaticis vel ſacris Annotationibus fuerit elicitum, effectu & viribus carere ſancimus. l. 12. *Cod. d. tit.*

Similiter Valentinianus & Valens antè reſcripſerant : Omnium rerum ac perſonarum quæ privatam degunt vitam, in publicis functionibus æqua debet eſſe inſpectio. Hoc ideò dicimus, quia nonnulli privatorum elicitas ſuffragio proferunt ſanctiones, quibus Vectigalia vel cætera hujuſmodi quæ inferri fiſco moris eſt, ſibi adſerant eſſe conceſſa (*p*). Si quis ergo privatorum hujuſmodi reſcriptione utatur, caſſa eadem ſit. Vectigalium enim non parva functio eſt ; quæ debet ab omnibus qui negotiationis ſeu transferendarum mercium

(*a*) Ita in Haloandrinâ Editione. In Florentinâ *vel adſerta*, nullo ſenſu.
(*b*) Fila ſerica cruda, necdum intexta ; ut conficiuntur à vermiculis. Cujac.
(*c*) Ita Haloander & Vulgata. In Florentinâ *vel attincta*, nullo ſenſu.
(*d*) *Carbaſea* vela. Eſt autem CARBASUS, *lini genus tenuiſſimi in Hiſpaniâ repertum, quo texebatur veſtis magni pretii : Antiquis, in deliciis habita ; ut Sericea nobis.* Dal. in Plin. *Hiſt. nat.* XIX 1.
(*e*) Filum ſeu ſtamen quod apud Seras conficitur [*de la ſoie filée*].
(*f*) Mancipia caſtrata.
(*g*) *Marocorum* quid ſit, ignoratur. Aliàs ſic legitur, *pecorum lana.*
(*h*) Et ea duntaxat.
(*i*) Cujacius tamen contra hunc textum putat, Vectigal non deberi etiam pro noviciis mancipiis, quum uſualia ſunt, non venalia : profeſſioni duntaxat, non Vectigali ea eſſe obnoxia. Hunc vide Obſerv. XIV 3.
(*k*) Penes Cenſores erat cura Vectigalium, ad eos pertinebat ea locare & de formâ eorum percipiendorum Edicta ferebant. Itaque *Lex Cenſoria*, eſt lex à Cenſore dicta in locatione vectigalium publicorum.
(*l*) *Lettre de voiture.*
(*m*) Id eſt, muneribus ſeu Vectigalibus obnoxium.
(*n*) Exterarum gentium ; quas *devotas* vocat, quaſi in ſignum ſubjectionis & devotionis legatos mittant.
(*o*) *Largitiones tituli* hic nihil aliud ſunt quàm fiſcus ipſe, ut interpretatur Cujacius ad h. tit. Theſaurus ſcilicet, cui hæ largitiones inferuntur.
(*p*) *Conceſſa*, id eſt remiſſa.

Source : BIU Cujas

habent curam, æquâ ratione dependi. Exceptis navicularіis, quum ſibi gerere rem (*a*) probabuntur. *l.* 6. *Cod. d. tit.*

XXIV.

Fiſcus ab omnium Vectigalium præſtationibus immunis eſt.

Mercatores autem qui de fundis fiſcalibus mercari conſuêrunt, nullam immunitatem ſolvendi publici Vectigalis uſurpare poſſunt. *l.* 9. § 8. PAUL. LIB. 5. SENT.

§ III.

Cui Vectigal debeatur.

XXV.

Fiſco vel civitatibus Vectigal debetur, prout eſt conſuetudo.

Imò quandoque & in gratiam civitatum, Vectigal de novo imponitur (*b*). *Quocircà Severus & Antoninus cuidam municipi ita reſcribunt :* Non quidem temerè permittenda eſt novorum Vectigalium exactio. Sed ſi adeò tenuis eſt patria tua, ut extraordinario auxilio juvari debeat; allega Præſidi provinciæ quæ in libellum contuliſti, qui re diligenter inſpectâ utilitatem communem intuitus ſcribet Nobis quid compererit. Et an habenda ſit ratio veſtrî, & quatenùs, exiſtimabimus. *l.* 1. *Cod. Vectig. nova, &c.*

Item Arcadius & Honorius : Vectigalia quæcumque quælibet civitates ſibi ac ſuis Curiis ad anguſtiarum ſuarum ſolatia quæſierunt; ſive illa functionibus Curialium ordinum profutura ſunt, ſive quibuſcumque aliis earumdem civitatum uſibus deſignantur; firma his atque ad habendum perpetua manere præcipimus : neque ullam contrariam ſupplicantium ſuper his moleſtiam formidari *l.* 10. *Cod. de Vectig. & Comm.*

Generaliter autem Theodoſius & Valentinianus ſtatuunt ut, exceptis his Vectigalibus quæ ad ſacrum patrimonium quocumquè tempore pervenerunt; cæterorum tertia pars ad civitates pertineat, duæ partes prout priſca inſtitutio diſpoſuit Sacro ærario inferatur. l. 13. Cod. d. tit.

§ IV.

De conductione Vectigalium, & agrorum Publicorum.

XXVI.

Hâc de re ita reſcribit Conſtantinus. Penès illum Vectigalia manere oportet, qui ſuperior in licitatione extiterit; ita ut non minùs quàm triennii fine locatio concludatur, nec ullo modo interrumpatur tempus exigendis Vectigalibus præſtitutum. Quo peracto tempore, licitationum jura conductionumque recreari oportet, ac ſimili modo aliis collocari. *l.* 4. *Cod. de Vectig. & Commiſſ.*

Obſervandum tamen quòd Locatio Vectigalium quæ calor licitantis ultra modum ſolitæ conductionis inflavit, ita demùm admittenda eſt; ſi fidejuſſores idoneos & cautionem, is qui licitatione vicerit, offerre paratus ſit. *l.* 9. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

XXVII.

Non quilibet autem ad conducenda Vectigalia admittuntur.

Et 1°. οἱ ἐπίτροποι, *&c.* [*id eſt*] Tutores curatoresve conſtituti, priuſquàm officii ſui rationes reddant (*c*), prohibentur ne quid de patrimonio Cæſaris conductum habeant : ac ſi quis id diſſimulans nihilominùs ad conducenda Cæſaris prædia acceſſerit, perindè ut falſarius pœnâ afficitur. Hocque ſanxit Imperator Severus. *l.* 49. *ff. de Locati.* MODESTIN. LIB. 6. EXCUSATIONUM. KATA, *&c.* [*id eſt*] Secundùm quæ, ſanè prohibiti erunt à fiſco conducere qui tutelam curam-ve gerunt. *d. l.* 49. § 1.

2°. Reliquatores Vectigalium ad iterandam conductionem, antequàm ſuperiori conductioni ſatisfaciant, admittendi non ſunt. *l.* 9. § 2. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

3°. Debitores fiſci itemque Reipublicæ, Vectigalia conducere prohibentur; ne ex aliâ causâ eorum debita onerentur : niſi fortè tales fidejuſſores obtulerint, qui debitis eorum ſatisfacere parati ſint. *d. l.* 9. § 3.

4°. Minoribus viginti-quinque annis néque fundus neque Vectigalia locanda ſunt, ne adversùs ea beneficio ætatis utantur. *l.* 45. § *fin. ff. de Jur. fiſci* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

XXVIII.

Ad conducendum Vectigal, invitus nemo compellitur. Et ideò impleto tempore conductionis, relocanda (*Florent.* elocanda) ſunt. *ſup. d. l.* 9. § 1.

Hinc Calliſtratus. Quum quinquennium in quo quis pro publico conductore ſe obligavit, exceſſit; ſequentis temporis nomine non tenetur. Idque Principalibus Reſcriptis exprimitur. Divus etiam Hadrianus in hæc verba reſcripſit : » VALDE inhumanus mos eſt iſte, quo reti» nentur conductores; Vectigalium publicorum, & agro» rum, ſi tantidem locari non poſſint. Nam (*d*) & faciliùs » invenientur conductores; ſi ſcierint fore ut, ſi pe» racto luſtro decedere voluerint, non teneantur. » *l.* 3. § 6. *ff. de Jur. fiſc.* CALLISTRATUS LIB. 3. DE JURE FISCI.

Tamen Qui maximos fructus ex redemptione Vectigalium conſequuntur, ſi poſtea tantò locari non (*e*) poſſunt, ipſi ea prioribus penſionibus ſuſcipere compelluntur. *l.* 11. § 5. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

XXIX.

Non ſolutis Vectigalium penſionibus, pellere conductores necdum etiam tempore conductionis completo, vel ab his uſuras ex morâ exigere, permittitur. *l.* 10. § 1. HERMOGEN. LIB. 5. EPITOMAR.

Nec ſolùm fiſcus conductorem qui non ſolvit : ante triennium à conductione expelliere poteſt : verùm etiam Socii Vectigalium, ſi ſeparatim partes adminiſtrent, alter ab altero minùs idoneo in ſe portionem transferri (*Florent.* transferre) jure deſiderat. *l.* 9. § 4. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

XXX.

Quod de locationibus Vectigalium publicorum diximus, & de locationibus fundorum publicorum dictum puta. Obſerva autem quòd Conductor ex fundo fiſcali nihil transferre poteſt; nec cupreſſi materiam vendere vel olivæ, non ſubſtitutis aliis; cœteraſque arbores pomiferas cædere. Et factâ ejus rei æſtimatione, in quadruplum convenitur. *l.* 45. § 13. *ff. de Jur. fiſci.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Cæterùm conductori publico, non ſecùs ac cuivis conductori, licet relocando quæſtum facere : ut docet Paulus in ſpecie ſequenti. Æmilius-Ptolomæus conduxerat à fiſco poſſeſſionem; eamque paulatim pluribus locaverat, majore quantitate quàm ipſe ſuſceperat. Convenièbatur à Procuratoribus Cæſaris in eam quantitatem quàm ipſe perceperit. Hoc iniquum & inutile (*f*) fiſco videbatur; ut tamen (*g*) ſuo periculo ipſe eos quibus locaverat, conveniret. Ideòque pronuntiavit; In eam ſolam quantitatem eum conveniri debere, quâ ipſe conductor

(*a*) *Lorſqu'ils trafiquent pour leur compte, & non comme Commiſſionnaires.* Et hoc eſt privilegium *Navicularіorum* : cùm contrà privati quilibet in mercibus usûs ſui duntaxat causâ advectis, immunes eſſent à vectigalibus; non autem ſi negotiationis causâ. Navicularіorum corpus Romæ dicebatur, eorum qui navibus advehebant annonam Urbi neceſſariam.

(*b*) *Les Octrois.*

(*c*) Cenſentur minùs idonei, cùm bona ipſorum rationibus pupillaribus ſint obnoxia. Neque enim favore fiſci ab hâc regulâ receditur in Hypothecis; *Prior tempore, potior jure;* ſuprà lib. 20. Tit. *Qui potior in pign.* N. 22.

(*d*) Non ſolùm humanitati, ſed etiam utilitati fiſci adverſatur hæc conſuetudo.

(*e*) Oportet utrumque concurrere.

(*f*) Id eſt, non utile [*préjudiciable*]. Nemo enim vellet ad has conductiones accedere, ſi quæſtus quem faceret ei invideretur.

(*g*) Supple : adeòque videbatur, quæſtum ex ablocatione conductori relinquendum; *ut tamen, &c.*

Source : BIU Cujas

extiterat. *l.* 47. §. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 1. DECRETOR.

ARTICULUS III.

De Commiſſis.

COMMISSUM *eſt caſus in fiſcum, rerum earum quæ ob aliquod delictum fiſco vindicantur. Circa quod quæritur:* 1°. *Ex quibus cauſis merces in Commiſſum incidant:* 2°. *Adversùs quem fiſcus Commiſſa perſequatur:* 3°. *De effectu Commiſſi:* 4°. *Quando extinguatur.*

§ I.

Ex quibus cauſis merces in Commiſſum incidant.

XXXI.

Prima cauſa:

Quum quis merces Vectigali obnoxias quas advehebat, non profeſſus eſt.

Et quidem Licèt quis ſe ignoraſſe dicat, nihilominùs eum in pœnam Vectigalis incidere, Divus Hadrianus conſtituit. *l.* 16. § 5. MARCIAN. LIB. SING. DE DELATOR.

Divi quoque Marcus & Commodus reſcripſerunt; Non imputari Publicano, quòd non inſtruxit tranſgredientem: ſed illud cuſtodiendum, ne decipiat profiteri volentes. *d. l.* 16. § 6.

XXXII.

Quibuſdam tamen parcitur. Nam Divus quopue Pius reſcripſit, quum quidam intrà legitimam ætatem eſſe dicebatur, & usûs ſui causâ mancipia duxiſſet & in ſola profeſſione erraſſet (*a*) ignoſcendum eſſe ei. *d. l.* 16. § 9.

Antoninus quoque & Verus Item reſcripſerunt; Pupillo remittere ſe pœnam Commiſſi, ſi intrà diem trigeſimum vectigal intuliſſet. *l.* 7. § 1. PAPIRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUTIONIBUS.

Militibus etiam parcitur. Ita enim reſcribunt Severus & Antoninus: Omnibus militibus noſtris proſpeximus, ne ob omiſſas profeſſiones pœnâ Commiſſi tenerentur (*b*). Proindè depoſito hoc metu, ſi qua portoria debere te apparuerit, exſolve. *l.* 3. *Cod. de Vectig. & Commiſſ.*

Sed & puberi & pagano aliquando pœna Commiſſi remittitur, quamvis non omninò ei impunè ſit. Nam Divi quoque Fratres reſcripſerunt, quum quidam non per fraudem ſed per errorem in cauſam Commiſſi incidiſſet, ut duplo vectigali contenti Publicani, ſervos (*c*) reſtituant. *l.* 16. § 10. MARCIAN. LIB. SINGUL. DE DELATORIBUS.

XXXIII.

Commiſſo locus eſt quum quis merces non profeſſus eſt. Quòd Si qui profeſſus ad Publicanum fuerit, non tamen Vectigal ſolverit; hoc concedente Publicano, ut ſolent facere: Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt, Res in Commiſſum non cadere. Quum enim, inquiunt, profeſſiones recitantur; Commiſſum ceſſat: cùm poterit ſatisfieri fiſco ex bonis Publicanorum vel fidejuſſorum. *d. l.* 16. § 12.

XXXIV.

Secunda Commiſſi cauſa.

Dominus navis ſi illicitè aliquid in nave vel ipſe vel vectores impoſuerint, navis quoque fiſco vindicatur.

Quòd ſi abſente domino id à Magiſtro vel gubernatore aut proretâ (*d*) nautâ-ve aliquo id factum ſit; ipſi quidem capite puniuntur, Commiſſis mercibus: navis autem domino reſtituitur. *l.* 11. § 2. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

An Commiſſo ex eâ causâ locus ſit, in ſpecie ſequenti quæritur. Ceſar (*e*) quum inſulæ Cretæ cotorias (*f*) locaret, Legem ita dixerat: « NE QUIS, PRÆTER » REDEMPTOREM, POST IDUS MARTIAS COTEM EX » INSULA CRETA FODITO, NE-VE EXIMITO, NE-VE » AVELLITO. » Cujuſdam navis onuſta cotibus ante Idus Martias ex portu Cretæ profecta, vento relata in portum erat; deinde iterùm poſt Idus Martias profecta erat. Conſulebatur num contra Legem poſt Idus Martias, ex inſulâ Cretâ cotes exîſſe viderentur? Reſpondit; Tametſi portus quoque qui inſulæ eſſent, omnes ejus inſulæ eſſe viderentur; tamen eum qui ante Idus Martias profectus ex portu eſſet, & relatus tempeſtate in inſulam deductus eſſet, ſi indè exîſſet, non videri contra Legem feciſſe: præterea quòd jam initio evectæ cotes viderentur, quum & ex portu navis profecta eſſet. *l.* 15. ALFENUS-VARUS LIB. 7. DIGEST.

Non diſſimili ratione; Si propter neceſſitatem adverſæ tempeſtatis expoſitum onus fuerit (*g*); non debere hoc Commiſſo vindicari, Divi Fratres reſcripſerunt. *l.* 16. § 8. MARCIAN. LIB. SINGUL. DE DELATORIBUS.

XXXV.

Tertia Commiſſi cauſa.

Si quis in prædio ſuo ferrum fabricari faciat, incidit in Commiſſum. Cæterùm Magnus Antoninus (*h*) reſcripſit; Si colonus, vel ſervi domini prædii, ferrum illicitè in prædio fecerint, ignorante domino; nullâ pœnâ dominum teneri. *d. l.* 16. § 11.

Multò magis in Commiſſi pœnam incidet, qui ferrum hoſtibus vendiderit.

Quinetiam Cotem ferro ſubigendo neceſſariam, hoſtibus quoque venumdari, ut ferrum, & frumentum, & ſales, non ſine periculo capitis licet. *l.* 11. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

XXXVI.

Quarta Commiſſi cauſa.

Si quis ſine perſonâ mancipum (id eſt, ſalinarum conductorum) ſales emerit, vendere-ve tentaverit, ſive propriâ audaciâ, ſive Noſtro munitus oraculo: ſales ipſi, unà cum eorum pretio, mancipibus addicantur. *l.* 11. *Cod. de Vectig. & Commiſſ.* ARCAD. ET HONOR.

§ II.

Adversùs quem fiſcus Commiſſa perſequatur.

XXXVII.

Illicitarum mercium perſecutio, heredem quoque adfligit *l.* 11. § 3. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Item Papinianus. Fraudati Vectigalis crimen ad heredem ejus qui fraudem contraxit, Commiſſi ratione tranſmittitur. *l.* 8. PAPIN. LIB. 13. RESPONSOR.

Obiter nota: Sed ſi unus ex pluribus heredibus rem

(*a*) Id eſt, ut Cujacius interpretatur Obſerv. XIV 3. ſi in hoc tantùm erravit quod non profeſſus eſt illam mercem quæ, etſi Vectigali non eſſet obnoxia utpotè ipſius uſibus deſerviens, tamen erat profeſſioni obnoxia.
(*b*) In militibus ignorantia legum condonatur.
(*c*) Species erat in mancipiis. Idem de aliis mercibus.
(*d*) *Proreta* dicitur qui proram regit, ut *Gubernator* puppim; is ſcilicet qui nautis qui in prorâ ſunt imperat. Kalvin.

(*e*) Cujacius ad l. 203. ff. *de Verb. ſignif.* cenſet hîc legendum *Cenſor*: enimverò ad officium Cenſorum pertinebat Vectigalia populi Romani locare. Cæterùm Cæſar ſua etiam Vectigalia habebat, quæ per ſuos Procuratores locabat: adeòque poteſt retineri lectio.
(*f*) *Cotoriæ* ſunt fodinæ cotis: [*Carrieres de pierres à aiguiſer*].
(*g*) In eo loco quo tales merces advehere prohibitum erat.
(*h*) Caracalla, qui hoc MAGNI cognomen aſſumpſerat.

Source : BIU Cujas

communem (*a*) causâ Vectigalis subripiat; portiones cæteris non (*b*) auferuntur. *d. l.* 8. § 1.

Pariter Ulpianus : Commissa Vectigalium nomine, etiam ad heredem transmittuntur. Nam quod Commissum est, statim desinit ejus esse qui crimen contraxit : dominiumque, rei Vectigali adquiritur. Eapropter, Commissi persecutio, sicut adversùs quemlibet possessorem, sic & adversùs heredem competit *l.* 14. ULP. LIB. 8. DISPUTAT.

Ita demùm igitur adversùs heredem ex hâc causâ agitur, si rem possideat. Enimverò Pœnæ ab heredibus peti non possunt; si non est quæstio mota, vivo eo qui deliquit. Et hoc, sicut in cæteris pœnis, ita & in Vectigalibus est. *l.* 16. § 13. MARCIAN. LIB. SINGUL. DE DELATORIB.

§ III.

De effectu Commissi.

XXXVIII.

Commissi is est effectus, ut res quæ in hanc causam cecidit, fisco vindicetur. Cæterum Eam rem quæ Commisso vindicata est, dominus emere non prohibetur, vel per se, vel per alios quibus hoc mandaverit. *l.* 11. § 4. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Interdum nec vendendus est is servus qui in Commissum cecidit; sed pro eo æstimatio à domino danda est. Divi enim Severus & Antoninus rescripserunt; quum is servus qui actum domini gessisse diceretur (*c*), in Commissum cecidisset (*d*); vænire non debuisse : sed pro eo viri boni arbitratu æstimationem oportuisse dari. *l.* 16. MARCIAN. LIB. SINGULAR. DE DELATORIB.

Iidem autem eâdem Epistolâ rescripserunt; Si quis improfessus servus fuerit; & probabitur in Commissum cecidisset; & aut uxorem corrupisse domini dicatur, aut aliud quid gravius admisisse; UT COGNOSCAT PROCURATOR : & si in his causis esse compertus sit, æstimetur, & ad pœnam domino tradatur. *d. l.* 16. § 1.

XXXIX.

Observandum superest, mancipiis Commissis pœnam non porrigi ad eorum peculia. Enimverò Iidem Divi Severus & Antoninus rescripserunt; Mancipiis Commissis res peculiares non esse in eâdem causâ, nisi hoc quod proprio nomine in causam Commissis incidit. *d. l.* 16. § 2.

§ IV.

Quando Commissum extinguatur.

XL.

Extinguitur Commissum, aut rei interitu, aut lapsu quinquennii. Sic enim rescribunt Severus & Antoninus : Neque Commissum quod ante quinquennium factum dicitur, si lite res anticipata non est, vindicari potest. Neque pro re quæ in Commissi causam cecidit, si ipsa non existat nec dolo supprimatur, pretium peti potest. *l.* 2 *Cod. de Vectig. & comm.*

XLI.

Item extinguitur manumissione servi qui in hanc causam incidit : ut iidem rescribunt. Si jure (*c*) manumissus es ante quæstionem Commissi motam; statum tuum Vectigalis nomine convelli; non est æquum. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

(*a*) Florent. *munem*. Et Cujacius ad Papin. in h. l. *rem munem* interpretatur rem obligatam muneri publico, scilicet rei Vectigali; eo quòd propter Vectigal à defuncto fraudatum in causam Commissi inciderat : improbatque interpretationem Basilicon in quibus legitur ΚΟΙ'ΝΟΝ id est, *communem*; hoc potissimùm argumento, quòd ea res fisco ex causâ Commissi adquisita, communis inter heredes fraudatoris esse non poterat. Verùm alibi idem Cujacius [Observ. IX 24.] sibi contrarius, ait rem *munem* non esse rem fisco obligatam, sed rem communem; & Veteres dixisse *municare* pro *communicare*.

(*b*) Cùm enim cæteri suas portiones possidere desierint, nihil supereſt quod ipsis possit auferri : adeòque ex hâc Commissi causâ non possunt conveniri. Ita Cujacius ad h. l. Verùm si liceat etiam mihi hujus legis interpretationem proponere; puto Papinianum non jam respondere in hoc §°. circa speciem fraudati à defuncto Vectigalis [de quâ specie in principio legis respondit] : sed de fraudato Vectigali vigesimæ ab uno ex heredibus, qui rem *Munem* id est, rem hereditariam huic Vectigali obnoxiam, subtraxerat ex hereditate non consciis coheredibus; ut Vectigal ab extraneis heredibus debitum defraudaret. Respondet autem Papinianus, hanc rem pro portione duntaxat ejus qui deliquit in Commissum cadere, portiones cæteris coheredibus non auferri.

(*c*) *Qui avoit été l'Intendant des affaires de son Maître.*

(*d*) Putà, quòd dominus eum non professus fuisset. Nam profiteri oportet etiam eos pro quibus Vectigal non debetur : Supra N. 32. cum notâ (*a*).

(*e*) Sed quomodo potuit manumitti? cùm suprà dicatur eum statim desinere esse ejus qui crimen contraxit, & rei Vectigali acquiri : l. 14. h. t. suprà N. 37. Solve : Fictione Juris duntaxat dominium statim ad fiscum transiatum intelligitur, ut possit fiscus rem apud quosvis possessores vindicare. At non eò porrigitur fictio, ut libertas huic servo concessa ab eo qui in rei veritate, donec ipsi servus auferretur, adhuc ejus dominus erat, possit infirmari. Favor enim libertatis, favori fisci præponderare debet : est enim libertas omnium rerum favorabilissima.

TITULUS V.

DE DONATIONIBUS.

Fateor mihi non liquere quæ sit connexio hujus Tituli cum superioribus, & cur hîc collocata sit tractatio DE DONATIONIBUS.

I.

DONATIO dicta est à dono, quasi dono donatum; rapta (*a*) à Græco; nam hi dicunt ΔΩΤΡΟΝ ΚΑ'Ι ΔΩΡΕΙ'ΣΘΑΙ [*id est*, donum, & donare]. *l.* 35. § 1. *ff. de Mort.caus. donat.* PAUL. LIB. 6. AD L. JUL. ET PAP.

Donatio sic vulgò definitur : LIBERALITAS, NULLO JURE COGENTE, IN ACCIPIENTEM COLLATA, *sive aliquid detur, sive quis aliquid dare facere-ve se obliget.*

Et rectè. Nam illud Demùm Donari videtur, quod, nullo jure cogente, conceditur. *l.* 29. PAPIN. LIB. 12. RESPONS. *hîc, & l.* 82. *de Reg. Jur.*

Quæ de Donationibus in hoc Titulo traduntur, in quinque Articulos distribuam. 1^us^. *Erit de naturâ & divisione Donationum :* 2^us^. *De formâ conficiendarum Donationum. In* 3°. *videbimus quis donare, cui, & quid donare possit.* 4^us^. *Erit de effectu Donationum.* 5^us^. *De earum revocatione.*

(*a*) Legendum, *tracta*.

ARTICULUS I.

De naturâ & divisione Donationum.

II.

Donationes complures sunt.

Dat aliquis, eâ mente ut statim velit accipientis fieri nec ullo casu ad se reverti; & propter nullam aliam causam facit, quàm ut liberalitatem & munificentiam exerceat. Hæc propriè Donatio appellatur.

Dat aliquis, ut tunc demùm accipientis fiat quum aliquid secutum fuerit. Non propriè Donatio appellabitur : sed totum hoc, Donatio sub conditione est.

Item quum quis eâ mente dat, ut statim quidem faciat accipientis; si tamen aliquid factum fuerit aut non fuerit, velit ad se reverti. Non propriè Donatio dicitur; sed totum hoc Donatio est quæ sub conditione solvatur, qualis est mortis causâ donatio. *l.* 1. JULIAN. LIB. 17. DIGEST.

Donationis hujus, quæ sub conditione resolvatur, aliud exemplum

Source : BIU Cujas

exemplum eſt de quo ita reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Si rerum tuarum proprietatem dono dediſti, ita ut poſt mortem ejus qui accepit ad te rediret; Donatio valet: cùm etiam ad tempus certum vel incertum ea fieri poteſt; lege ſcilicet quæ ei impoſita eſt, conſervandâ. *l.* 2. *Cod. de Don. quæ ſub. mod.*

III.

Cæterùm ita demùm conditio Donationi, ſive ſub quâ perficiatur, ſive ſub quâ reſolvatur, adjici poteſt; ſi in continenti fuerit adjecta. Nam, ut iidem reſcribunt: Perfecta Donatio, conditiones poſtea non capit. Quare ſi pater tuus Donatione factâ quaſdam poſt aliquantulum temporis feciſſe conditiones videatur; officere hoc nepotibus ejus, fratris tui filiis, minimè poſſe non dubium eſt. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

IV.

Ex dictis illud ſequitur Corollarium. Igitur quum dicimus inter ſponſum & ſponſam Donationem valere, propriâ appellatione utimur; & factum demonſtramus quod ab eo proficiſcitur qui liberalitatis gratiâ aliquid dat, ut confeſtim faciat accipientis, nec unquàm ullo facto ad ſe reverti velit. Quum verò dicimus, ſi hâc mente donat ſponſus ſponſæ ut nuptiis non ſecutis res auferatur, poſſe repeti, non contrarium priori dicimus, ſed concedimus inter eas perſonas fieri (*a*) Donationem eam quæ ſub conditione ſolvatur. *l.* 1. § 1. JULIAN. LIB. 17. DIGEST.

V.

Vera quidem Donatio eſt, quamvis minùs perfecta, ea quæ aut conditione ſuſpenditur aut ſub conditione reſolvenda eſt; quia liberalitati non obſtant hujuſmodi conditiones.

At verò cùm ex ſubſtantiâ Donationis ſit, ut ex ſolâ liberalitatis causâ fiat; patet 1°. *Illud hujus naturæ omninò adverſari, ut donator donando aliquâ ſe obligatione liberet.*

Hinc Quæ liberti impoſita libertatis causâ præſtant, ea non donantur. Res (*b*) enim pro his interceſſit. *l.* 8. PAUL. LIB. 15. AD SABIN.

Item Labeo ſcribit, Extrà cauſam Donationum eſſe talium officiorum mercedes; ut putà, ſi tibi adfuero (*c*), ſi ſatis pro te dedero, ſi quâlibet in re operâ vel gratiâ meâ uſus fueris. *l.* 19. § 1. ULP. LIB. 76. AD ED.

Imò hoc ita obtinet; quamvis is qui repenſat, naturaliter duntaxat deberet.

Hinc Si quis ſervo pecuniam crediderit, deindè is liber factus eam expromiſerit (*d*); non erit Donatio, ſed debiti ſolutio. Idem in pupillo qui ſine tutoris auctoritate debuerit; dicendum eſt; ſi poſtea tutore auctore promittat. *d. l.* 19. § 4.

2°. *Pariter extrà cauſam Donationis eſt, ſi donatarius ex Donatione obligetur V. G.* Sed & hæ ſtipulationes quæ ob cauſam fiunt, non habent Donationem. *d. l.* 19. § 5.

Denique Pegaſus putabat; Si tibi centum ſpopondero, hâc conditione ſi juraſſes te nomen meum laturum, non eſſe Donationem: quia ob rem facta eſt, [&] res ſecuta eſt. *d. l.* 19. § 6.

VI.

Hi igitur contractus & ſimiles, non ſunt Donationes; ſed contractus innominati, DO UT DES, DO UT FACIAS.

Quòd ſi quid detur, partim ex liberalitatis causâ, partim ex eâ causâ ut ad aliquid obligetur is qui accipit; mixtum eſt negotium.

Quocircà Ariſto ait: Cùm mixtum ſit negotium cum Donatione, obligationem non contrahi eo caſu quo Donatio eſt (*e*). Et ita & Pomponius eum exiſtimare refert. *l.* 18. ULP. LIB. 71. AD ED.

Denique refert Ariſtonem putare; Si ſervum tibi tradidero ad hoc ut eum poſt quinquennium manumittas, non poſſe ante quinquennium agi: quia Donatio aliqua ineſſe videtur (*f*). Aliter atque (inquit) ſi ob hoc tibi tradidiſſem, ut continuò manumittas: hìc enim nec Donationi locum eſſe, & ideò eſſe obligationem. Sed & ſuperiore caſu quid acti ſit, inſpiciendum Pomponius ait: poteſt enim quinquennium non ad hoc eſſe poſitum ut aliquid donetur. *d. l.* 18. § 1.

Hinc quamvis à naturâ Donationis abhorreat, donatarium obligari ad aliquid dandum aut faciendum; tamen hæc lex dandi aut faciendi utiliter Donationibus adjicitur: ut, non quaſi ex Donatione, ſed quaſi ex alterâ negotii ſpecie quæ Donationi miſcetur, donatarius obligetur.

VII.

Obſervandum autem quòd, quum in Donatione adjicitur ut aliquid donatarius det aut faciat, non ſemper hoc adjicitur tanquam conditio, ſeu tanquam lex illud dandi aut faciendi eâ mente ut donatarius eo nomine obligetur; ſed interdum hoc adjicitur tanquam mera cauſa quæ ad donandum impulerit. Et hæc valdè diſtinguenda ſunt. Nam ſi tanquam conditio hoc adjiciatur; re non ſecutâ, donatum revocatur quamvis per donatarium non ſteterit. Contrà obtinet, ſi duntaxat tanquam cauſa hoc additum fuerit.

Hæc ex Juliano diſcimus. Ita Ille: Titio decem donavi eâ conditione ut indè Stichum ſibi emeret. Quæro, cùm homo antequàm emeretur, mortuus ſit; an aliquâ actione decem recipiam? Reſpondit: Facti magis quàm Juris quæſtio eſt. Nam ſi decem Titio in hoc dedi ut Stichum emeret, aliter non daturus; mortuo Sticho, Condictione repetam: ſi verò aliàs quoque donaturus Titio decem, quia interim Stichum emere propoſuerat, dixerim in hoc me dare ut Stichum emeret; cauſa magis Donationis quàm conditio dandæ pecuniæ exiſtimari debebit; & mortuo Sticho pecunia apud Titium remanebit. *l.* 2. § *fin.* JULIAN. LIB. 60. DIGEST.

Et generaliter hoc in Donationibus deficiendum eſt; MULTUM INTERESSE CAUSA DONANDI FUIT, AN CONDITIO. Si cauſa fuit, ceſſare repetitionem, ſi conditio, repetitioni locum fore. *l.* 3. ULP. LIB. 76. AD ED.

VIII.

Diximus, quum conditio ſeu lex aliquid dandi aut faciendi Donationi adjicitur, re non ſecutâ, revocari res donatas per Condictionem.

Interdum etiam utilis Vindicatio datur; ſcilicet quum favor alimentorum occurrit. Nam Valerianus & Gallienus ita reſcribunt. Si doceas (ut affirmas) nepti tuæ eâ lege eſſe donatum à te, ut certa tibi alimenta præberet: Vindicationem etiam eo caſu utilem, eo quòd legi illa obtemperare noluerit, impetrare potes; id eſt, actionem quâ dominium priſtinum tibi reſtituatur. Nam non ſolùm Condictio quidem tibi in hoc caſu, id eſt in perſonam actio, Jure procedit; verùm etiam Vindicationem quoque Divi Principes in hoc caſu dandam eſſe ſanxerunt. *l.* 1. *Cod. de Donat. quæ ſub mod.*

IX.

Conditio ſeu lex dandi aut faciendi quæ Donationi adjicitur, non ſolùm hunc effectum habet ut re non ſecutâ condici poſſit quod donatum eſt; ſed etiam, ſi malit donator, parit ipſi actionem ut donatarium compellat ad illud dandum aut faciendum.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Legem quam rebus tuis donando dixiſti; ſive ſtipulatione tibi proſpexiſti,

(*a*) Id eſt; inter eas perſonas fieri poſſe, non ſolùm illam veram ac propriam Donationem quæ nullâ conditione ſolvatur; ſed etiam eam minùs propriam quæ ſub conditione ſolvetur.

(*b*) Libertas ſcilicet quam acceperunt.

(*c*) In causâ perorandâ V. G. ut Advocatus.

(*d*) Pro eo qui illam ipſi crediderat, dum ſervus eſſet. Atqui tamen hanc ipſi non debebat, niſi duntaxat naturaliter; cùm manumiſſus, ex his quæ in ſervitute contraxit, non obligetur; ut videb. infrà lib. 44. *de Oblig. & act.* Verùm in Donationem non cadit, debiti etiam merè naturalis exſolutio.

(*e*) Quamvis ex illâ parte contrahatur, quâ alterius negotii ſpeciem admixtam res habet: ut in ſpecie ſequenti.

(*f*) Hoc negotium mixtum eſt. Quatenùs enim volui te per quinquennium potiri ſervo, Donatio eſt; & ex illâ parte nullam contrahis obligationem, adeòque ante illud quinquennium conveniri non potes. Ex illâ verò parte, quâ placuit ut poſt quinquennium illum manumitteres, eſt alterius negotii ſpecies admixta; ſcilicet contractus DO UT FACIAS, ex quo actio poſt quinquennium naſcitur.

Source : BIU Cujas

Ex ſtipulatu; ſive non, Incerto (*a*) judicio (id eſt, Præſcriptis verbis) apud Præſidem provinciæ debes agere ut hanc impleri provideat. *l.* 9. *Cod. h.. tit.*

Hinc etiam Papinianus. Hereditatem pater ſibi relictam filiæ ſui juris effectæ donavit: creditoribus hereditariis filia ſatisfacere debet. Vel, ſi hoc minimè faciat, & creditores contra patrem veniant; cogendam eam per actionem Præſcriptis (*b*) verbis, patrem adversùs eos defendere. *l.* 28. PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

X.

Soli autem donatori olim actionem parere poterat lex dandi aut faciendi Donationi appoſita. Poſtea benignè receptum eſt ut ei cui dari donator juſſerat, Utilis actio accommodaretur.

Hæc diſcimus ex ſequenti Diocletiani & Maximiani Reſcripto. Quoties Donatio ita conficitur, ut poſt tempus id quod donatum eſt, alii reſtituatur; veteris Juris auctoritate reſcriptum eſt, ſi is in quem liberalitatis compendium conferebatur, ſtipulatus non ſit; placiti fide non impletâ, ei qui liberalitatis auctor fuit, vel heredibus ejus, Condictitiæ actionis perſecutionem competere. Sed cùm poſtea benignâ Juris interpretatione, Divi Principes, ei qui ſtipulatus non ſit Utilem actionem juxta donatoris voluntatem competere admiſerint; actio quæ ſorori tuæ ſi in rebus humanis ageret competebat, tibi accommodabitur. *l.* 3. *Cod. de Donat. quæ ſub mod.*

Ita tamen hæc Utilis actio ei cui dari donator juſſit accommodatur, ſi ipſi proſpicere donator voluit, non ſi ſibi ipſi, ut in ſpecie ſequenti de quâ reſcribunt iidem Imperatores. Cùm res filio tuo emancipato, eâ conditione ut creditoribus tuis ſolveret, te donaſſe proponas: ſi ſtipulatione, vel incontinenti habito pacto, huic rei proſpexiſti; creditoribus quidem, non contra eum ex placito veſtro, ſed adversùs te competit actio: eum autem cui certâ lege prædia donaſti, incertâ civili actione ad placitorem obſequia urgeri, ſecundùm legem Donationibus dictam convenit. *l.* 22. *Cod. h. tit.*

ARTICULUS II.

De formâ conficiendarum Donationum.

§ I.

De mutuo conſenſu.

XI.

Ad Donationem conficiendam maximè requiritur conſenſus donatoris & donatarii.

Enimverò Nec ignorans, nec invitus quiſquam donat. Unde, ſi de hoc fundo non cogitaſti cujus velut Donationi te conſenſiſſe continetur inſtrumento: majores veritate rei, quàm ſcripturâ, vires obtinente; intelligis, de quo non cogitaſti, nec ſpecialiter ſubſcripſiſti, nihil te perdidiſſe. *l.* 10. *Cod. h. tit.* DIOCLET. ET MAXIM.

Vice versâ, Non poteſt liberalitas nolenti (*c*) adquiri. *l.* 17. § 2. ULPIAN LIB. 76. AD ED.

Nec ignoranti. Hinc Paulus. Abſenti ſive mittas qui ferat, ſive quod ipſe habeat ſibi habere eum jubeas, donari rectè poteſt. Sed ſi neſcit rem quæ apud ſe eſt ſibi eſſe donatam, vel miſſam ſibi non acceperit; donatæ rei dominus non fit (*d*), etiamſi per ſervum ejus qui donabatur miſſa fuerit: niſi eâ mente ſervo ejus data fuerit: ut ſtatim ejus (*e*) fiat. *l.* 10. PAUL. LIB. 15. AD SABIN.

Hinc etiam eſt quòd Nuda ratio non facit aliquem debitorem: ut putà quod donare libero homini volumus, licèt referamus in rationes noſtras debere nos, tamen nulla Donatio (*f*) intelligitur. *l.* 26. POMPON. LIB. 4. AD Q. MUCIUM.

XII.

Ex quibus tamen cauſis ignoranti acquiritur, ignoranti donari poteſt. Putà ſi quis mihi donaturus aliquid, det perſonis quas in poteſtate habeo; nam per has perſonas ignorans acquiro: item ſi quid in rem meam Donationis causâ impendatur.

Undè Julianus. Qui alienum fundum Donationis causâ excolit, nullam retentionem propter impenſas faciet; quia domini res ab eo injectas continuò efficit. *l.* 14. JULIAN. LIB. 17. DIGEST.

Alia exempla Donationum quæ ſingulari Jure citra donatarii conſenſum valent, habes Tit. de Pollicitat. *infrà lib.* 50.

XIII.

Requiritur quidem ad Donationem perficiendam, conſenſus donatoris & donatarii: cæterùm vel tacitus ſufficit. Et quidem in ſpecie ſequenti donandi voluntas in liberto colligitur, ex eo quòd patrono rem quam ipſi ante donaverat vendenti conſenſerit.

Indè Papinianus quærit: Si patronus prædium quod emerat, pro quo pretii beſſem exſolverat, juſſerit liberto ſuo tradi ut ille reſiduum pretii redderet; deindè reddito pretio, vendenti fundum patrono libertus conſenſerit: trientis pretium an libertus poſſit repetere? Et ait; Si mandatum ſuſcepit initio libertus, non donatum accepit; Contrario judicio poſſe eum pretium repetere, quod, deductis mercedibus quas medio tempore percepit, ſupereſt. Quòd ſi Donationem patronus in libertum contulit, videri & poſtea libertum patrono donaſſe (*g*). *l.* 12. § 8. *ff. Mandati.* ULP. LIB. 31. AD ED.

Requiritur autem conſenſus, eo duntaxat tempore quo Donatio contrahitur; non quum conditio ſub quâ contracta eſt, impletur.

Hinc Si pecuniam mihi Titius dederit abſque ullâ ſtipulatione, eâ tamen conditione ut tunc demùm mea fieret quum Seius Conſul factus eſſet; ſive furente eo ſive mortuo Seius Conſulatum adeptus fuerit, mea fiet. *l.* 2. § 5. JULIAN. LIB. 60. DIGEST.

§ II.

De Mancipatione, traditione, & aliis ſolemnitatibus ad formam Donationum requiſitis; præſertimque de Inſinuatione.

XIV.

Præter conſenſum quem naturalis ratio deſiderat, alia Jure Civili circa formam Donationum requiruntur.

Enimverò Lex Cincia (de cujus ætate & auctore vid. ſuprà lib. 3. *Tit.* de Poſtul. *in N.* 20. *Notis) id requirit, ut ſolemnis Mancipatio interveniat, ſi res donata ſit Mancipi (h); vel ſaltem traditio, ſi res ſit Nec mancipi. Solam enim traditionem in rebus Italici ſoli cæteriſque quæ* Mancipi *dicuntur, abſque Mancipationis ſolemnitate non ſuffeciſſe liquet ex Plinio* Epiſt. *lib. X.* Ep. 3.

Cæterùm, non neceſſe eſt ut ipſemet donator, ipſimet cui donare vult rem mancipet aut tradat.

Nam Etiam per interpoſitam perſonam Donatio conſummari poteſt. *l.* 4. PAUL. LIB. 17. AD SABIN.

Si tamen perſona à donatore interpoſita fuerit; non priùs

(*a*) Dicitur *Incertum*, quia certum ac ſpeciale nomen, certam ac ſpecialem formulam non habet, hoc judicium quod *Præſcriptis verbis* dicitur.

(*b*) Quæ naſcitur ex lege deſcendendi Donatorum adversùs creditores hereditarios; quæ lex ſeu conditio ineſt Donationi hereditatis.

(*c*) Excipienda eſt liberatio; quæ etiam nolenti acquiritur, ſi quis pro eo qui debet ſolvat ejus nomine.

(*d*) Primo caſu, quia deeſt mutuus conſenſus; cùm ſupponatur neſciiſſe eam ſibi donatam: altero caſu, quia res non eſt ipſi tradita.

(*e*) Quo caſu ſtatim ejus fiet, cùm per ſervos noſtros acquirere poſſimus: & ſic perindè erit, ac ſi ipſi tradita eſſet.

(*f*) Scilicet quia deeſt mutuus donatarii conſenſus. Sed etſi eo ſciente & conſentiente hoc feciſſem, aliâ ratione Donatio Jure Pandectarum non valeret; quia, ut infrà videbimus, nonniſi traditione aut ſtipulatione perficitur.

(*g*) Nimirùm ex eo quòd titulo Donationis rem libertus à patrono acceperit, præſumitur eum retrò donaſſe patrono, quum ipſi eam rem vendenti conſenſum accommodavit.

(*h*) Vide l. 4. Cod. Theod. *de Donat.* infrà N. 19 cum Notis.

Source : BIU Cujas

perficitur Donatio, quàm interpoſita perſona rem ipſi donatario mancipaverit tradiderit-ve; donatore ſuperſtite & in eâdem donandi voluntate perſeverante. Sed ſi quis donaturus mihi, pecuniam dederit alicui ut ad me perferret, & ante mortuus erit quàm ad me perferat: non fieri pecuniam dominii mei conſtat. *l.* 2. § 6. JULIAN. LIB. 60. DIGEST.

XV.

Quòd ſi à donatario interpoſita fuerit perſona; Mancipatio traditio-ve facta interpoſitæ perſonæ, perindè eſt ac ſi ipſi donatario facta eſſet. V. G. Species extrà dotem à matre, filiæ nomine, viro traditas: filiæ quæ præſens fuit donatas, & ab eâ (*a*) viro tradita videri reſpondi. *l.* 31. § 1. PAPIN. LIB. 12. RESPONS.

Hâc autem traditione perficitur Donatio. Undè ſtatim ſubjicitur: Nec matrem offenſam, repetitionem habere; vel eas rectè vindicare, quòd vir caviſſet extrà dotem (*b*) USIBUS PUELLÆ ſibi traditas: cum eâ ſignificatione non modus Donationis (*c*) declaretur, nec ab uſu proprietas ſeparetur, ſed peculium à dote puellæ diſtingueretur. Judicem tamen æſtimaturum, ſi mater jure (*d*) contra filiam offenſa eas revocare velit, & verecundiæ maternæ congruam, bonique viri arbitrio competentem ferre Sententiam. *d.* § 1.

Simili ratione: Si pater emancipati filii nomine, Donationis animo pecuniam fœneravit; eamque filius ſtipulatus eſt: & ipſo Jure perfectam Donationem ambigi non poteſt (*e*). *l.* 34. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Sed etſi eam ſtipulatus non eſſet, idem foret. V. G. Avia ſub nomine Labeonis nepotis ſui mutuam pecuniam (*f*) dedit, & uſuras ſemper cepit, & inſtrumenta debitorum à Labeone recepit, quæ in hereditate ejus inventa ſunt. Quæro an Donatio perfecta eſſe videatur? Reſpondit; Cùm debitor Labeoni obligatus eſt, perfectam Donationem (*g*) eſſe. *l.* 35. § 2. SCÆVOLA LIB. 31. DIGEST.

Et quemadmodum invaluerat, ut per interpoſitam perſonam, factamque brevis manûs traditionem perficeretur Donatio; ita etiam admitti cœpit ut per ſymbolicam traditionem perficeretur, putà per inſtrumentorum traditionem.

Hinc Severus & Antoninus: Emptionum mancipiorum inſtrumentis donatis & traditis, & ipſorum mancipiorum Donationem & traditionem factam intelligis; & ideò potes adversùs donatorem IN REM actionem exercere. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

XVI.

Nota. Mancipatio traditio-ve rei perficit Donationem, quamvis res pignori obligata ſit; ſalvâ tamen pignoris causâ. Ita enim Scævola. Lucius-Titius fundum Mæviæ donavit, & ante traditionem eumdem fundum poſt dies paucos Seio pignori obligavit; & intrà dies triginta Mæviam in vacuam poſſeſſionem ejuſdem fundi induxit. Quæro an Donatio perfecta ſit? Reſpondit; Secundùm ea quæ proponerentur, perfectam: verùm creditorem firmam pignoris obligationem habere. *ſup. d. l.* 35. § 1.

XVII.

Hactenùs de rebus corporalibus.

In Donatione nominum, pro traditione eſt, ſi mandentur actiones.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Delegationes autem nominum in emancipatum collatæ, perfectam Donationem actionum efficiunt. *l.* 11. § 1. *Cod. h. tit.*

Nec requiritur debitoris conſenſus. Undè Gordianus. Si nominis perſecutionem in te emancipatam pater tuus titulo Donationis tranſtulit; fruſtrà prætendit qui debitori tuo heres extitit, conſenſum fuiſſe debitoris neceſſarium; cùm ſatis fuerit actiones eo nomine tibi mandatas fuiſſe. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Hæc autem ceſſio actionum quæ fiebat ex causâ Donationis, talis erat, ut, ſi donatarius mortuus eſſet antequàm eas actiones conteſtatus eſſet, aut jus conteſtationis Divino Reſcripto meruiſſet, eas ad heredem ſuum non tranſmitteret: in quo hæc ceſſio infirmior erat eâ quâ ex causâ emptionis fiebat. Verùm hoc Jus abrogavit Juſtinianus, & conſtituit ut tranſmitterentur: l. 34. Cod. h. tit.

XVIII.

Quamvis Lex Cincia Mancipationem traditionem-ve in Donationibus requireret, tamen receptum fuiſſe videmus ut etiam ad Donationem utilis eſſet ſtipulatio; ex quâ actio naſcebatur adversùs donatorem, ut mancipare aut tradere teneretur rem quantitatem-ve in ſtipulatum deductam: ita tamen ut non in plus quàm facere poſſet, condemnandus eſſet; ut videb. infrà lib. 42. *tit.* de Re judic.

Valet autem Donatio; ſive donator, ſive alius juſſu ejus promittat. Quocircà Julianus. Si verò pater donaturus Titio pecuniam, juſſerit filium ſuum eam promittere; poterit dici intereſſe, debitor (*h*) filius patri ſuo fuerit necne. Nam ſi tantùmdem filius patri debuit, quantùm promiſit; valere Donatio intelligitur, perindè ac ſi quemlibet alium debitorem pater juſſiſſet pecuniam promittere. *l.* 2. § 1. JUL LIB. 60. DIGEST.

Cùm verò ego Titio pecuniam donaturus, te qui mihi tantùmdem donare volebas juſſero Titio promittere; inter omnes perſonas (*i*) Donatio perfecta eſt. *d. l.* 2. § 2.

Aliud Juris erit ſi pecuniam quam me tibi debere exiſtimabam, juſſu tuo ſpoponderim, ei cui donare volebas Exceptione enim doli mali tueri me potero; & præterea Incerti Condictione ſtipulatorem compellam, ut mihi acceptum faciat ſtipulationem *d. l.* § 3.

Plura vide tit. de Novat. & delegat. *infrà lib.* 46.

XIX.

Hactenùs de Mancipatione, traditione, & ſtipulatione. Nuda autem donandi conventio prorsùs erat inutilis. Hinc Scævola in ſpecie ſequenti Donationem non valere reſpondit. Quidam Ad eum quem manumiſerat, Epiſtolam miſit in hæc verba: » Titius Sticho liberto ſuo ſalutem. » Cùm te manumiſerim; peculium quoque tuum omne, » quicquid habes tam in nominibus quàm in rebus mo- » ventibus, ſive in numerato, me tibi concedere hâc » Epiſtolâ manu meâ ſcriptâ notum tibi facio. » Eumdem libertum teſtamento ex beſſe ſcripſit heredem, Sempronium ex triente; nec peculium Sticho legavit, nec actiones præſtari juſſit. Quæſitum eſt utrùm in aſſem Sticho actio detur, eorumdem nominum quæ in peculio habuit, an utriſque heredibus pro portionibus hereditariis? Reſpondit; Secundùm ea quæ proponerentur, utriſque heredibus pro hereditariis portionibus competere. *l.* 35. SCÆVOLA LIB. 31. DIGEST.

Similiter: Dotale prædium cujus vir poſſeſſionem retinuit poſt litteras ad uxorem emiſſas, quibus DOTIS NON FORE (*k*) prædium declaravit, in matrimonio defunctâ muliere, virum retinere placuit: quia mulier actionem ex pacto non habuit. *l.* 15. *ff. de Fundo dotal.* PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

Ab hâc regulâ Divus Pius exceperat Donationes inter

(*a*) *Ab eâ* filiâ, quæ per fictionem brevis manûs accepiſſe intelligitur, *viro traditas.*

(*b*) *Mater offenſa*, ut eſt mutabile fœminarum ingenium, negabat eas res ſe donaſſe filiæ; ſed tantùm commodaſſe, ſeu utendas eas tradidiſſe contendebat; hoc argumento, *quòd vir caviſſet* eas res ſibi *extrà dotem* USIBUS PUELLÆ *traditas.*

(*c*) Id eſt, cùm his verbis non reſtringatur Donatio ad uſum duntaxat earum rerum; ſed hoc tantùm ſignificetur, eas res filiæ eſſe donatas ut propriis ejus uſibus inſervirent, & ut in peculio mulieris, non in dote eſſent. *Peculium* autem mulieris hîc appellatur, quod mulier ſibi peculiare & extrà dotem habet.

(*d*) Scilicet an aliqua gravis & juſta offenſæ cauſa exiſtat, propter quam mater poſſit Donationem tanquam ab ingratâ revocare.

(*e*) Per traditionem, quæ ex filii voluntate fit ei qui pecuniam quaſi à filio mutuam accipit. Hæc enim traditio perindè eſt, ac ſi ipſi filio facta eſſet.

(*f*) Et ſic ipſi actionem *Ex mutuo* quæſivit: ut vid. ſuprà lib. 12. Tit. *de Reb. cred.* N. 12.

(*g*) Scilicet per traditionem pecuniæ quæ mutuo accipienti facta eſt, Labeonis nomine. Cùm enim hoc ratum habuerit Labeo, perindè eſt ac ſi ipſi facta eſſet, & ipſe hanc ei cui mutuò data eſt, dediſſet.

(*h*) Naturaliter.

(*i*) Scilicet, tu mihi donas promittendo juſſu meo Titio; & ego Titio dono, te delegando Titio.

(*k*) His verbis continetur pactum donandi mulieri.

Source : BIU Cujas

parentes & liberos, quas nudâ voluntate fieri posse voluerat.

Et hanc Divi Pii legem confirmat Constantinus qui sic edicit: Juxta Divi Pii Consultissimi Principis instituta, valere Donationes placet inter liberos & parentes; in quocumque solo (*a*) & cujuslibet rei liberalitas probabitur extitisse; licèt neque MANCIPATIO dicatur neque TRADITIO subsecuta; sed nuda tantùm voluntas claruerit, quæ non dubium consilium teneat nec incertum, sed judicium animi tale proferat, ut nulla quæstio voluntatis possit irrepere: & collata inter cæteras exceptas (*b*) Cinciæ Legi personas obtinere propriam firmitatem, sive mancipationis decursa fuerit solemnitas, vel certè res tradita doceatur *l.* 4. *h. tit. in Cod. Theod.*

Igitur de his solis Donationibus quæ inter liberos & parentes fiunt, accipiendum quod ait Paulus fideicommissa cum Donationibus comparans. In fideicommissis, inquit, Sufficit inter conjunctas personas, quibuscumque verbis, ut IN DONATIONE (*c*), voluntas expressa. PAUL. SENT. *lib.* 4. *Tit.* 1. § 15.

X X.

Illud adhuc Jure Pandectarum ad formam Donationum inter vivos requisitum fuit, ut nonnisi nominatim & singulariter quicquam donari posset; non verò per universitatem. Et hoc Jus ex eo effluxisse videtur, quòd jure primævo ad Donationes requirebatur realis traditio, quæ in bonorum universitatem non cadit.

Hinc Diocletianus & Maximianus Septimio Sabiniano: Cùm de bonis tuis partem quidem tertiam penès te retinuisse, partem verò tertiam in eum quem tu in potestate habebas, & tertiam in emancipatum Donationis titulo contulisse, commemores; non est Juris incerti, in eum quidem qui in sacris familiæ tuæ remanet, destinationem magis paternæ voluntatis factam quàm perpetuam Donationem pervenisse (*d*); nec in emancipatum translatam, si generaliter eidem partem tertiam bonorum donâsti: quia generaliter bonorum portio donari non potest (*e*) cùm singulæ res nominari debeant, quæ Donatione, Mancipatione, vel in Jure cessione transferuntur. *l.* 1. *Cod. Hermog. h. lit.*

Iidem rescribunt. Nec venditio Donationis gratiâ omnium bonorum valet, sed singularum nominatim Donatio facta capit effectum. *l.* 11. *Cod. Hermogen. h. tit.*

X X I.

Corporalis traditionis necessitatem, à quâ jam recessum erat per eas fictæ traditionis species quæ Brevis manûs *aut* Symbolicæ *dicuntur, Constantinus in Donationibus restituit; & præterea alias solemnitates invexit, scilicet ut in scriptis fierent, ut advocarentur testes quàmplurimi, denique ut Donatio Actis insinuaretur.*

Ita enim ille edicit. Donatio, sive directa sit, sive mortis causâ instituta, sive conditionibus faciendi ac (*Pro* aut) non faciendi suspensa, sive ex aliquo notato tempore permissa (*f*), sive animo dantium accipientium-ve sententiis (quantùm Jus sinit) cognominata (*g*); sub hâc fieri debet observatione, ut quas Leges indulgent actiones, conditiones, pactionesque contineat. Hisque penitùs cognitis, vel recipiantur si complacitæ sunt; vel rejiciantur, si sunt molestæ: ita ut minorum defensores, si per eos Donationum conditio neglecta est, rei amissæ periculum præstent. In conscribendis autem Donationibus, nomen donatoris, jus, ac rem, notari oportet: neque id occultè aut per imperitos, aut privatim; sed ut tabulæ, aut quodcumque aliud materiæ tempus dabit, vel ab ipso, vel ab eo quem fors ministraverit, scientibus plurimis, perscribatur; & corporalis traditio subsequatur, ad excludendam vim atque irruptionem, advocatâ vicinitate, omnibusque arbitris adhibitis; quorum postea probabitur, Donatam rem (si est mobilis) ex voluntate traditam donatoris; vel si immobilis, abscessu donantis novo domino patefactam: Actis etiam adnectendis, quæ apud judicem vel Magistratus conficienda sunt. *l.* 1. *h. tit. in* COD. THEOD.

Item alibi ita edicit. Datâ jam pridem lege statuimus, ut donationes, interveniente Actorum testificatione, conficiantur. Quod vel maximè inter necessarias conjunctissimasque personas convenit custodiri: si quidem clandestinis ac domesticis fraudibus, facilè quidvis pro negotii opportunitate confingi potest, vel id quod verè gestum est, aboleri. Cùm igitur ne liberos quidem ac parentes Lex nostra ab Actorum confectione secernat; id quod necessariò super Donationibus apud Acta conficiendis jam pridem statuimus, universos teneat. Salvo tamen juris privilegio, quod liberis & parentibus suffragatur, scilicet ne Traditionis vel Mancipationis solemnitas sit necessaria. *l.* 5. *h. t. in* COD. THEODOS.

Hæ duæ Constantini leges referuntur à Justiniano l. 25. & l. 27. Cod. h. tit. *sed mancæ interpolatæque, & ad Jus Justinianeum accommodatæ; quo scilicet pleraque eorum quæ hîc describuntur, aut jam exoleverant, aut ab ipso sublata sunt.*

X X I I.

Enimverò omnes illæ solemnitates quæ circa formam Donationum requirebantur, postea remissæ sunt; præter Insinuationem.

Et quidem necessitatem scripturæ in conficiendis Donationibus remiserunt Theodosius & Valentinianus, qui sic rescribunt. Etsi sine scripto donatum quid fuerit; adhibitis aliis idoneis documentis, hoc quod geritur comprobatur. *l.* 29. *Cod. h. tit.* ¶ *& si.*

Hoc confirmavit Zeno; qui etiam necessitatem adhibendorum testium & vicinorum remisit. l. 31. Cod. h. tit.

Jam antè Honorius & Theodosius omninò remiserant necessitatem corporalis traditionis; & constituerant ut vel ea fictæ traditionis species sufficeret, quæ ex eo intelligitur quòd quis donando retinuerit donatæ rei usumfructum. Quisquis rem aliquam donando, vel in dotem dando vel vendendo, usumfructum ejus retinuerit, etiamsi stipulatus non fuerit, eam continuò tradidisse credatur; nec quid ampliùs requiratur quo magis videatur facta traditio. Sed omnimodo IDEM SIT IN HIS CAUSIS, USUMFRUCTUM RETINERE, QUOD TRADERE. *l.* 28. *Cod. h. tit.*

Justinianus ampliùs progressus est; & constituit ut ex nudâ conventione, citra ullam traditionem aut stipulationem, Donatio valeret: ita ut donator ex illâ conventione obligetur ad præstandum id quod donatum est; sive certum corpus fuit; sive universitas, putà bes aut dimidia bonorum; sive certa quantitas; putà certum pondus auri & argenti: & hoc ultimo casu constituit ut, vel æstimatio præstari possit, vel ex vasis quæ habuerit (nec melioribus, nec pejoribus) tantum pondus donetur quantum in Donatione designatum est. Pariterque si certus numerus servorum donatus esset; posset dare, vel servos intrà eum numerum, ex his quos habet nec

(*a*) Lex Cincia has distinctiones fecerat, ut in prædiis *Italici soli* & cæteris rebus *Mancipi* desideraretur Mancipatio; in prædiis provincialibus cæterisque rebus *Nec mancipi*, Traditio. Hæ rerum & locorum distinctiones cessant in Donationibus inter parentes & liberos, in quibus tam Mancipatio quàm Traditio remittitur.

(*b*) A necessitate Mancipationis aut traditionis in Donationibus nullas personas exceperat Lex Cincia, ne liberos quidem: ut liquet ex Plinii Epist. X 3. Alio autem Capite quo certum modum statuerat intra quem donare liceret, exceperat non solùm liberos, sed & cognatos: de quo Capite mox infrà agemus. Constantinus hîc declarat se à necessitate Mancipationis aut traditionis excipere Donationes quæ inter parentes & liberos duntaxat fiunt; non autem eas quæ fiunt inter personas quæ alio Capite Legis erant exceptæ. Ita Brummerus, rectiùs meo judicio quàm Jac. Gothofredus ad h. l.

(c) Hîc *conjunctarum personarum* nomine parentes & liberos duntaxat intellige, ut liquet ex l. præced.

(*d*) Vide rationem in hâc eâdem lege, qualis manca in Justinianeo Codice refertur [l. 11. h. tit.] infrà N. 34.

(*e*) Hoc [quod postea Justinianus immutavit, ut infrà videb.] ut *Pars bonorum in genere* donari non posset, puto specialiter constitutum fuisse, fortè aliquo Capite Legis Cinciæ; nec esse, ut quidam putant, duntaxat consequentiam hujus Capitis quo traditio requiritur. Nam hîc agitur de Donatione filio factâ; in quâ non fuit necessaria traditio: ex Lege Divi Pii, ut vid. N. præced. quod patet etiam ex lege [5. *Cod. Theod.*] Constantini, infrà N. seq.

(*f*) Id est; quæ facta est ex certo tempore, aut ad certum incertum-ve tempus.

(*g*) Theodorus Interpretes intelligit de his Donationibus quæ fiunt sub specie aliorum contractuum, putà venditionis.

Source : BIU Cujas

meliores nec pejores ; vel quindecim ſolidos in ſingulos ſervos. Et, ſi certus reditus in poſſeſſionibus donatus foret, poſſet pariter tradere fundos ex ſuis bonis nec meliores nec pejores. l. 35. Cod. h. t.

XXIII.

Unica igitur Jure Juſtinianeo ſolemnitas obſervanda ſupereſt, ſcilicet Donationum Inſinuatio *in Actis publicis.*

Sed nec in omnibus Donationibus neceſſaria remanſit Inſinuatio.

Et 1°. *Theodoſius exceperat illas in quibus id quod donaretur, non excederet ducentos ſolidos. l. ult. Cod. Theod.* de Sponſal.

Juſtinianus facultatem donandi citra Inſinuationem produxit ad trecentos ſolidos ; &, ſi in pias cauſas facta eſſet Donatio, ad quingentos. l. 34. Cod. h. tit.

Deindè indiſtinctè omnes Donationes quæ non excederent quingentos ſolidos, à neceſſitate Inſinuationis abſolvit. l. 36. Cod. h. tit.

2°. *Sunt & aliæ Donationes in quibus, cujuſvis quantitatis ſint, Inſinuatio non requiritur : ſcilicet Donationes Imperiales, & viciſſim illæ quas privati in Imperatorem conferunt. Novell. LII. cap.* 2.

Item Donationes mobilium vel ſeſe moventium, quas Magiſtri militum præſtant militibus, tam ex ſuâ ſubſtantiâ quàm ex ſpoliis hoſtium, ſive in ipsâ bellorum occupatione ſive ubicumque degant.

Item Donationes quæ ad redemptionem captivorum fiunt.

Illæ quæ fiunt his quorum domus incendio vel ruinâ perierunt. l. 36. Cod. h. tit.

Donationes mobilium quæ fiunt Monaſterio, ab eo qui monaſterium ingreditur. l. 38. *Cod.* de Epiſc. & Cleric.

Denique Donationes mortis cauſâ. l. fin. Cod. de Donat. mort. cauſ.

Cæteræ Donationes quæ quantitatem legitimam excedunt ; etiam illæ quæ inter conjunctas perſonas fiunt, Inſinuatione indigent. l. 27. Cod. h. tit.

Item etiam illæ quæ Eccleſiis, Noſocomiis & pauperibus fiunt, quum legitimam ſummam excedunt, Inſinuatione indigent. l. 19. *Cod.* de Sacr. Eccleſ.

Etiam illæ quæ inter ſponſos & ſponſas fiunt. l. 1. *Cod. Theod. de* Sponſal.

Exceperat tamen Conſtantinus eam quæ facta eſt ſponſæ, quæ quum nuberet erat minor viginti-quinque annis. l. 3. Cod. Theodoſ. *d. tit.*

Juſtinianus autem Novellâ CXIX. ſtatuit ut poſt ſolutum matrimonium, non poſſit impugnari propter omiſſam Inſinuationem Donatio, quam vir uxori fecit. Secùs de eâ quam mulier futuro viro feciſſet, putà paciſcendo ut dotem vir lucraretur.

XXIV.

Illud autem quæritur ; ſi quis diverſis temporibus alicui plures Donationes fecerit, quæ ſingulæ quantitatem legitimam non excedant, coacervatæ autem excedant, an omnes abſque Inſinuatione valeant ? Juſtinianus conſtituit valere. ſup. d. l. 34. § 3. Cod. *h. tit.*

Illud præterea conſtituit ut, ſi quis donaverit in ſingulos vitæ donatarii annos certam annuam quantitatem, quæ in ſingulos annos legitimam ſummam non excederet, Donatio Inſinuatione non indigeret ; quamvis coacervatæ plurium annorum penſiones, quantitatem legitimam excederent : quia ob incertum vitæ, fieri potuit ut uno duntaxat anno præſtaretur. Secùs eſſe voluit, ſi heredum ex utráque parte (id eſt, dantis & accipientis) facta eſt mentio. d. l. 34. § 4.

XXV.

Quod hactenùs diximus, Donationes ultra legitimam quantitatem Inſinuatione indigere, ſic accipiendum eſſe docet Juſtinianus ; non ut eæ quæ hanc quantitatem excedunt, omninò non valeant ; ſed ut intra legitimam quantitatem duntaxat valeant. d. l. 34. *pr.*

Et quidem, etiamſi res unica donata ſit cujus pretium legitimum modum excedat, ita valebit Donatio ut pro ratâ quantitatis legitimæ partem in eâ re donatarius obtinere poſſit. Licentia autem datur ei ad quem res pro majore ſummâ pertinebit, ſive donator ille ſit, ſive donatarius, rem totam retinere offerendo reliquam æſtimationem alteri. Quòd ſi hoc offerre noluerit, res inter utrumque dividetur ; aut ſi dividi non poſſit, permittendum ei ad quem ex minore ſummâ res pertinet, offerre alteri reliquam æſtimationem. d. l. 34. § 2.

ARTICULUS III.

Quis donare poſſit, & cui.

§ I.

Quæ cauſæ impedimento ſint quominùs quis donare poſſit necne.

Quominùs quis donare poſſit, impedimento eſſe poteſt vel defectus conſilii, vel conditio perſonæ, vel crimen.

XXVI.

1°. *Ob defectum conſilii V. G.* Modeſtinus reſpondit, Mente captum donare non poſſe. *l.* 23. § 1. MODESTIN. LIB. 15. RESPONS.

XXVII.

2°. *Conditio perſonæ impedimento eſt, quominùs donare poſſit V. G. filiusfamilias ; niſi accedat voluntas ejus in cujus poteſtate eſt.*

Nam Si, quum filiusfamilias pecuniam donare vellet, patris juſſu eam promiſit ; valet Donatio, perindè ac ſi fidejuſſorem dediſſet (*a*). *l.* 2. JUL. LIB. 60. DIGEST.

Enimverò Quod filiusfamilias patris juſſu aut voluntate donavit ; perindè eſt ac ſi pater ipſe donaverit aut ſi meâ voluntate rem meam tu nomine tuo Titio dones. *l.* 9. § 2. POMPON. LIB. 33. AD SABIN.

Cæterùm ex eo ſolo non videtur accedere voluntas patris, quòd liberam peculii adminiſtrationem filius habeat. Nam Filiusfamilias donare non poteſt, neque ſi liberam peculii adminiſtrationem habeat. Non enim ad hoc ei conceditur libera peculii adminiſtratio, ut perdat. *l.* 7. ULP. LIB. 44. AD SABIN.

Quid ergo ? ſi juſtâ ratione motus donet ? numquid poſſit dici, locum eſſe Donationi ? Quod magis probabitur. *d. l.* 7. § 1.

Item videamus ſi quis filiofamilias liberam peculii adminiſtrationem conceſſerit, ut nominatim adjiceret ſic ei concedere ut donare quoque poſſit ; an locum habeat Donatio ? Et non dubito, donare eum quoque poſſe. *d. l.* 7. § 2.

Nonnunquàm etiam ex perſonâ poterit hoc (*b*) colligi. Pone enim filium eſſe Senatoriæ vel cujus alterius dignitatis. Quare non dicas videri patrem, niſi ei ſpecialiter donandi facultatem ademit, hoc quoque conceſſiſſe ; dum liberam dat peculii adminiſtrationem ? *d. l.* 7. § 3.

XXVIII.

Pari autem ratione quâ donare filiusfamilias prohibetur, etiam mortis causâ donare prohibetur. Quamvis enim ex patris voluntate, mortis quoque causâ donare poſſit ; attamen ubi ceſſat voluntas, inhibebitur hæc quoque Donatio. *d. l.* 7. § 4.

Sedenim meminiſſe oportebit ; SI CUI DONARE QUOQUE PERMISSUM EST, NISI SPECIALITER ETIAM MORTIS CAUSA DONARE FUERIT PERMISSUM, NON POSSE MORTIS CAUSA DONARE. *d. l.* 7. § 5.

XXIX.

Hæc omnia locum habebunt in paganis. Cæterùm qui habent caſtrenſe peculium vel quaſi-caſtrenſe (*c*), in eâ conditione ſunt ut donare, & mortis causâ, &

(*a*) Patrem ſcilicet. Nam quum pater pro filio ex causâ Donationis promittente fidejubet, ſatis perſpicuè conſentit ut filius donet.

(*b*) *Hoc*, ſcilicet Donationem valere.

(*c*) Hæc verba [*vel quaſi-caſtrenſe*] addita à Triboniano.

Source : BIU Cujas

non mortis causâ, possint; cùm testamenti factionem habeant. *d. l.* 7. § 6.

XXX.

3°. *Crimen quoque impedimento esse potest quominùs quis donare possit.*

Non tamen indistinctè. Nam tunc demùm Post contractum capitale crimen, Donationes factæ non valent ex Constitutione Divorum Severi & Antonini, si (*a*) condemnatio secuta sit. *l.* 15. MARCIAN. LIB. 3. INSTIT.

Indistinctè autem Ratæ Donationes esse non possunt, post crimen perduellionis contractum; cùm heredem quoque teneat, etsi nondum postulatus vitâ decesserit. *l.* 31. § 4. PAPIN. LIB. 12. RESPONS.

XXXI.

Circa eos quos diximus donare non posse, id observat Ulpianus. Cùm quis possit alienare, poterit & consentire alienationi. Cui autem donare non conceditur; probandum erit, nec si Donationis causâ consenserit, ratam ejus voluntatem habendam. *l.* 165. *ff. de Reg. Jur.* ULPIAN. LIB. 53. AD ED.

XXXII.

Vidimus qui donare non possint.

At verò Senectus ad Donationem faciendam sola non est impedimento. *l.* 16. *Cod. h. tit.* DIOCLET. ET MAXIM.

Item Mutus & surdus donare non prohibentur. *l.* 33. § 2. HERMOGENIAN. LIB. 6. JURIS EPITOM.

§ II.

Quibus donari possit.

XXXIII.

Etiam In extraneos, & sæpè ignotos, Donationem collatam valere receptum est. *l.* 29. *Cod. h. tit.* THEOD. ET VALENT.

Nec refert ex quâ causâ donatarius affectionem donatoris promuerit. Nam Affectionis gratiâ neque honestæ neque inhonestæ, Donationes sunt prohibitæ: honestæ erga benè merentes amicos, vel necessarios: inhonestæ erga meretrices. *l.* 5. ULP. LIB. 32. AD SABIN.

XXXIV.

Illis autem personis quæ in nostrâ potestate sunt, donare non possumus.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Cùm de bonis tuis partem quidem penès te retinuisse; partem verò in eum quem in potestate habes, Donationis titulo contulisse commemores: non est incerti Juris, in eum qui in sacris familiæ tuæ remaneat, destinationem magis paternæ voluntatis factam, quàm perfectam Donationem pervenisse (*b*). *l.* 11. *Cod. h. tit.*

Cæterùm Pater qui filiæ quam habuit in potestate, mancipia donavit, & peculium emancipatæ non ademit; ex post facto Donationem videbatur perfeciſſe. *l.* 31. § 2. PAPIN. LIB. 12. RESPONS.

Hinc iidem supradicti Imperatores. Sive emancipatis filiis res donâsti; sive in potestate constitutis, & sui juris effectis, ac tenentibus non ademisti: blandiri tibi non debes, veluti res donatas ex pœnitentiâ liceat auferre. Sanè si ea quæ in tuâ positis potestate donaveras, post emancipationem contra tuam tenuerint voluntatem; horum penès te dominium remansit: si quidem nec tempore quo voluisti, propter vinculum potestatis sibi quicquam quærere; nec post, te invito, de rebus tuis potuerunt (*c*). *l.* 17. *Cod. h. tit.*

XXXV.

Conjugi etiam donari non potest. De quâ re fusiùs suprà Tit. de Donationib. inter vir. & uxor. *lib.* 24.

An & quatenùs concubinæ & naturalibus liberis ex Constitutionibus posteriorum Imperatorum donare quis possit, vide Titulos de Legatis *N.* 82.

(*a*) Secutus sum lectionem Haloandri. Rectior enim mihi ea videtur, Florentinâ quæ habet *nisi condemnatio, &c.* & Vulgata in quâ legitur detractâ negatione *Donationes factæ valent.*

(*b*) Ratio evidens est. Qui in alienâ protestate sunt, nil proprium habere possunt: quicquid acquirunt, patri acquirunt. Vide mox infrà l. 17. Cod.

(*c*) Supple, quærere.

(*d*) Scilicet rerum singularium. Tunc enim non poterat donari pars bonorum: ut vid. suprà N. 20.

ARTICULUS IV.

Quid & quantum Donari possit.

§ I.

Quæ res donari possit.

XXXVI.

Quælibet res donari possit, ex quâvis origine ad donatorem pervenerint.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si avia vestra proprias res quâcumque ratione factas; titulo liberalitatis in eum contra quem preces funditis, contulit: quominùs hæc rata maneant, quòd ex origine patris vel avi vestri descendunt; nihil prodest. *l.* 19. *Cod. h. tit.* DIOCLET. ET MAXIM.

Item Portionem propriam (*d*) rebus nondum divisis, nemo prohibetur titulo Donationis in alium transferre. *l.* 12. *Cod. h. tit.* IDEM.

XXXVII.

Nec solùm in corporibus, de quorum dominio in donatarium transferendo agatur, consistere potest Donatio. Nam & In ædibus alienis habitare gratis, Donatio videtur. Id enim ipsum capere videtur qui habitat, quòd mercedem pro habitatione non solvit. Potest enim & citra corporis Donationem, valere Donatio: veluti si Donationis causâ, cum debitore meo paciscar, ne ante certum tempus ab eo petam. *l.* 9. POMPON. LIB. 33. AD SABIN.

Circa hanc autem habitationis Donationem, observandum est quòd, quum ad tempus indeterminatum facultas habitandi donatur, videtur donari per illud tempus quandiù donator vixerit. Undè poterunt heredes donatoris prohibere donatarium.

Hoc docet Scævola. Ita ille : Lucius-Titius epistolam talem misit: » ILLE ILLI SALUTEM. Hospitio illo quan» diù volueris, utaris superioribus diætis omnibus gra» tuitò. Idque te ex voluntate meâ facere, hâc epistolâ » notum tibi facio. » Quæro an heredes ejus habitationem prohibere possunt? Respondit; Secundùm ea quæ proponerentur, heredes ejus posse mutare voluntatem. *l.* 32. SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS.

Secùs obtinet in Donationibus remuneratoriis : ut docet Papinianus in specie sequenti. Aquilius-Regulus juvenis ad Nicostratum Rhetorem ita scripsit: » QUONIAM & » cum patre meo semper fuisti, & me eloquentiâ & » diligentiâ tuâ meliorem reddidisti; dono & permitto » tibi habitare in illo cœnaculo, eoque uti. » Defuncto Regulo, controversiam habitationis patiebatur Nicostratus. Et cùm de eâ re mecum contulisset, dixi; Posse defendi, non meram Donationem (*e*) esse, verùm officium magistri quâdam mercede remuneratum [Regulum]: ideòque non videri Donationem sequentis temporis irritam esse. Quòd si expulsus Nicostratus veniat ad judicem: ad exemplum Interdicti quod fructuario proponitur (*f*), defendendus erit; quasi loco possessoris constiturus, qui usum cœnaculi accepit. *l.* 27. PAPIN. LIB. 29. QUÆST.

XXXVIII.

Denique vel mera spes donari potest. Undè Decius: Spem futuræ actionis (*g*), plenâ intercedente donatoris

(*e*) Nam si *mera Donatio* esset, hanc interpretationem reciperet ut ad tempus duntaxat vitæ donatoris concessa habitatio videretur: ut vid. ex lege modò suprà relatâ. Sed cùm sit remuneratoria, debet pleniorem interpretationem recipere. Cujac. ad h. l.

(*f*) Nimirùm Interdictum UNDE VI.

(g) Putà; si is qui quid sub conditione stipulatus est, pendente conditione cedat ex causâ Donationis, jus quod ex illâ stipulatione habere potest.

Source : BIU Cujas

ris voluntate posse transferri, non immeritò placuit. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

XXXIX.

Jure novissimo donari potest & pars bonorum : l. 35. § 4. *Cod.* h. tit. *Contra quod obtinebat Jure Pandectarum : ut obiter vidimus suprà Art. præced.*

§ II.

De speciali Capite Legis Cinciæ, quo nonnisi intra certam quantitatem donare licebat.

XL.

Rarissimæ ab initio fuêre apud Romanos Donationes. Hinc Polybius de rebus Æmiliæ matri à P. Scipione donatis, agens, ait ; Romæ admirabile id videri, quia in Urbe nemo quicquam sponte alteri de suo donat. Sed posteà tanta fuit in donando apud Romanos sumptuositas, ut Legibus eam tandem refrænari necesse fuerit. Refert Macrobius Saturn. I. 7. *Publicium Tribunum plebis, ad coercendam divitum avaritiam qui sumptuosiora à clientibus munera, tempore Saturnalium, exigebant, Legem tulisse ut Saturnalibus nonnisi cerei ditioribus missitarentur, quibus Saturni aræ ornarentur. Contrà verò, adversùs multorum prodigalitatem Lex Cincia* (*a*) *Donationibus omnibus modum imposuit.*

Lex Cincia intrà certum modum (*b*) donare prohibet, exceptis quibusdam cognatis (*c*). Sed si plus donatum sit, non rescindit. ULP. FRAGM. *Tit.* I. *in Editione Schultingii.*

XLI.

Quum de modo Donationis quæritur ; neque partûs nomine, neque fructuum, neque pensionum, neque mercedum, ulla Donatio facta esse videtur. *l.* 11. GAIUS LIB. 3. DE LEGATIS AD ED. PRÆTORIS URBANI.

Consonat quod ait Pomponius. Ex rebus donatis fructus perceptus, in rationem Donationis non computatur. Si verò non fundum, sed fructûs perceptionem tibi donem; fructus percepti venient in computationem Donationis. *l.* 9. § 1. POMPON. LIB. 33. AD SABIN.

XLII.

Addit Ulpianus ; SI PLUS DONATUM SIT, NON RESCINDI. *Scilicet valet intrà legitimum modum Donatio ; pro eo autem quod excedit, si quidem traditio secuta sit, hujus Condictio datur ; sin stipulatio duntaxat interposita, donatori exceptio datur.*

Sed & Fidejussori ejus qui Donationis causâ pecuniam supra modum Legis promisit, exceptio dari debet; etiam invito reo : ne, si fortè reus solvendo non fuerit, pecuniam fidejussor amittat. *l.* 24. JAVOLEN. LIB. 14. EX CASSIO.

Debitor autem donatoris, qui delegante ex hâc causâ donatore donatario promisit, hanc exceptionem non habet.

Hinc Si debitorem meum tibi Donationis immodicæ causâ promittere jussi ; an summoveris Donationis immodicæ exceptione, necne, tractabitur ? Et meus quidem debitor, exceptione te agentem repellere non potest : quia perindè sum quasi exactam à debitore meo summam tibi donaverim, & tu illam ei credideris.

Sed ego, si quidem pecuniæ à debitore meo nondum solutæ sint, habeo adversùs debitorem meum Rescissoriam in id quod supra Legis modum tibi promisit ; ita ut in reliquum tantummodò tibi maneat obligatus. Sin autem pecunias à debitore meo exegisti ; in hoc quod modum Legis excedit, habeo contra te Condictionem. *l.* 21. § 1. CELSUS LIB. 28. DIGEST.

XLIII.

Circa Legem Cinciam observandum supereſt ; quasdam fuisse Donationes, in quibus non observandus erat modus hâc Lege definitus.

Talis erat illa, quâ creditor futuri temporis usuras remittebat. Enimverò Modestinus respondit ; Creditorem futuri temporis usuras & remittere & minuere pacto posse ; nec in eâ Donatione, ex summâ quantitatis aliquid vitii incurrere. *l.* 23. MODESTIN. LIB. 15. RESPONS.

Sed nec in specie sequenti, modus Lege Cinciâ præfinitus observatur.

Ei qui aliquem à latrunculis vel hostibus eripuit, in infinitum donare non prohibemur : (si tamen Donatio, non merces eximii laboris appellanda est) : quia contemplationem salutis certo modo æstimari non placuit. PAUL. SENTENT. *lib.* 5. *tit.* 10. § 7.

Eamdem Pauli sententiam ita refert Tribonianus. Si quis aliquem à latrunculis vel hostibus eripuit, & aliquid pro eo ab ipso accipiat ; hæc Donatio irrevocabilis est, non merces eximii laboris appellanda est : quod contemplatione salutis certo modo æstimari non placuit. *l.* 34. § 1. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Hoc Legis Cinciæ Caput, Justiniani ævo in usu non erat. Adhuc autem Constantini æva viguisse apparet ex. l. 4. *Cod. Theod.* de Donat. *suprà N.* 19.

ARTICULUS V.

De effectu Donationum.

XLIV.

Si per traditionem Donatio confecta est ; Donationis effectus est ut dominium rei donatæ quæ à domino aut voluntate domini tradita est, ad donatarium transferatur.

Cæterùm donator non se obligat evictionis nomine.

Hinc 1°. Labeo ait ; Si quis mihi rem alienam donaverit, inque eam sumptus magnos fecero, & sic evincatur ; nullam mihi actionem contra donatorem competere. Planè De dolo posse me adversùs eum habere actionem, si dolo (*d*) fecit. *l.* 18. § 3. ULP. LIB. 71. AD ED.

Hinc 2°. Donari non potest, nisi quod ejus fit cui donatur (*e*). *l.* 9. § 3. POMPON. LIB. 33. AD SABIN.

Quòd si per stipulationem Donatio confecta est ; Donationis effectus est, ut Donatarius actionem EX STIPULATU *ad rem donatam obtinendam adversùs donatorem habeat. Jure Justinianeo quo nudo pacto conficitur, ex illo pacto nascitur* CONDICTIO EX LEGE.

XLV.

Circa has actiones nota: Eum qui Donationis causâ pecuniam vel quid aliud promisit, de morâ (*f*) solutionis pecuniæ usuras non debere, summæ æquitatis est ; maximè cùm in bonæ fidei contractibus, Donationis species non deputetur (*g*). *l.* 22. MODESTIN. LIB. 8. DIFFERENT.

XLVI.

Illud etiam nota quòd Qui ex Donatione se obligavit, ex Rescripto D. Pii in quantum facere potest convenitur.

Sed enim id quod creditoribus debetur, erit detrahendum. Hæc verò de quibus ex eâdem (*h*) causâ quis obstrictus est, non debebit detrahere. *l.* 12. ULP. LIB. 3. DISPUTAT.

Hoc obtinet, non solùm quum quis immediatè ex ipsâ stipulatione per quam confecta est Donatio, convenitur : sed & is Quid, in quod ex causâ Donationis stipulati spoponderat, solvi constituit ; actione CONSTITUTÆ PECUNIÆ,

(*a*) Eadem est Lex quæ alio Capite caverat ne ob causam orandam quicquam dono daretur : de quâ vid. suprà lib. 3. Tit. *de Postuland.* N. 20. Not.

(*b*) Alii [ut Hotomannus] putant fuisse dodrantem bonorum, alii aliter conjiciunt. Omnes nihil afferunt quod speciem veri præferat.

(*c*) Fortè usque ad sobrinos hæc exceptio producebatur : ut in Lege Juliâ REPETUNDARUM ; l. 1. § 1. & l. 7. §. 1. ff. *ad L. Jul. Repet.* Apparet etiam Donationes erga patriam factas, huic Legi non fuisse obnoxias : argumento legis 8. ff. *de Decurionib.*

(*d*) Scilicet si sciens alienam donavit, eo animo ut me deciperet : & ita deceptus, damnum ex Donatione sensi ; putà feci in re donatâ impensas voluptarias.

(*e*) Quando enim res aliena ex causâ Donationis traditur ; cùm nullum jus in donatarium transferatur, nec eo nomine ipsi donator obligetur, prorsùs inutilis & inanis est Donatio.

(*f*) Id est, ob moram.

(*g*) Fit enim per stipulationem quæ est stricti Juris. In judiciis autem quæ ex stricti Juris contractibus descendunt, non veniunt usuræ ex morâ : ut vid. suprà lib. 22. Tit. *de Usuris* N. 13 & 48.

(*h*) Id est, ex simili causâ Donationis.

Source : BIU Cujas

non in ſolidum, ſed in quantùm facere poteſt convenitur. Cauſam enim & originem conſtitutæ pecuniæ; non judicii poteſtatem prævalere placuit.

Sed & condemnatus ex causâ Donationis; in actione JUDICATI non fruſtrà deſiderat, in quantùm facere poteſt conveniri. *l.* 33. HERMOGENIAN. LIB. 6. JURIS EPITOMAR.

Cæterùm tunc demùm hæc locum habent, quum ipſum qui mihi donavit convenio. Secùs in ſequenti ſpecie. Si cùm primus tibi donare vellet, & tu donandi ſecundo voluntatem haberes, primus ſecundo ex voluntate tuâ ſtipulanti promiſerit; perficitur Donatio. Et quia nihil primus ſecundo à quo convenitur, donavit; & quidem in ſolidum, non in id quod facere poteſt, condemnatur. Idque cuſtoditur, etſi delegante eo qui donationem erat accepturus, creditori ejus donator promiſerit: & hoc enim caſu creditor ſuum negotium gerit. *d. l.* 33. §. 3.

ARTICULUS VI.

De Donationum revocatione.

XLVII.

Etiam Jure Pandectarum revocatas ex causâ ingratitudinis fuiſſe Donationes colligitur ex l. 31. § 1. *in fine h. tit. ſuprà N.* 15.

Cauſas autem ingratitudinis ex quibus revocatur Donatio, ita recenſet Juſtinianus. Generaliter ſancimus omnes Donationes Lege confectas, firmas illibataſque manere; ſi non Donationis acceptor ingratus circa donatorem inveniatur: ita ut injurias atroces in eum effundat;
Vel manus impias inferat;
Vel jacturæ molem ex inſidiis ſuis ingerat; quæ non levem ſenſum (*a*) ſubſtantiæ donatoris imponat;
Vel vitæ periculum aliquod ei intulerit;
Vel quaſdam conventiones, ſive in ſcriptis Donationi impoſitas, ſive ſine ſcriptis habitas quas Donationis acceptor ſpopondit, minimè implere voluerit. *l. fin. Cod. de Revocand. donat.*

Ita autem ex his cauſis Donatio revocari poteſt, Si fuerint in judicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ. *d. l. fin. Cod.*

Hoc obtinet, etiam circa Donationes in liberos collatas. Enimverò Donationes circa filium filiam-ve, nepotem neptem-ve, vel pronepotem proneptem-ve, emancipatos, celebratas, pater vel avus vel proavus revocare non poterit; niſi edoctis manifeſtiſſimis cauſis quibus eam perſonam in quam collata Donatio eſt, contra ipſam venire pietatem, & ex cauſis quæ Legibus continentur, fuiſſe conſtabit ingratam. *l.* 9. *Cod. d. tit.* THEODOS. ET VALENTIN.

Conſtantinus & Conſtantius definiverunt; hoc jus revocandi Donationes ex causâ ingratitudinis, non porrigi ad ea quæ ante cœptum jurgium alienat donatarius; nec heredi donatoris, nec in heredem donatarii competere. l. 7. *Cod. d. tit.*

XLVIII.

Aliam cauſam ex quâ revocari poſſit Donatio, tradunt iidem Imperatores. Si numquàm libertis, patronus filios non habens, bona omnia vel partem aliquam facultatum fuerit Donatione largitus, & poſtea ſuſceperit liberos: totum quidquid largitus fuerat, revertatur in ejuſdem donatoris arbitrio ac ditione manſurum. *l.* 8. *Cod. d. tit.* CONSTANTIN. ET CONSTANTIUS.

☞ *Apud nos, uſus Fori hanc legem quæ de patrono libertis donante loquitur, porrexit ad quemvis donatorem liberos non habentem. Quod noviſſimè ſancitum, quemadmodum & plura alia circa hanc revocandi cauſam, Edicto Regio anni* 1731. DE DONATIONIBUS.

XLIX.

Vidimus quando revocentur Donationes inter vivos. Non revocantur autem ex ſolâ pœnitentiâ.

Undè Carinus & Numerianus: Poſſeſſionem quam in vos emancipatos per Donationem mater contulit, ex pœnitentiâ ſolâ alienare non potuit. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

Adde in hâc eâdem ſpecie; Nec ex prætextu abſentiæ mariti aut liberorum.

Undè Diocletianus & Maximianus: Velles necne filio tuo prædia itemque mancipia donare; fuit in initio tibi liberum. Deſine itaque poſtulare ut Donatio quam perfeceras, revocetur prætextu mariti & liberorum abſentiæ; cùm hujus firmitas, ipſorum præſentiâ non indigeat. *l.* 6. *Cod. d. tit.*

Multò minùs prætendere poteſt donator, quòd in fraudem alicujus donaverit. Undè iidem reſcribunt: Cùm profitearis in fraudem te alterius donaſſe, profeſſionem inhoneſtam continere intelligis. Itaque ſi Donationem perfeciſti, eam revocare non potes ex memoratâ allegatione, ſub obtentu pœnitentiæ. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

Denique Si Donationem ritè feciſti, hanc auctoritate Reſcripti noſtri reſcindi non oportet. *l.* 5. *Cod. d. tit.*

(*a*) *Senſum* jacturæ ſcilicet: [*Une perte qui ſe faſſe ſentir.*]

TITULUS VI.

DE MORTIS CAUSA DONATIONIBUS ET CAPIONIBUS.

POſt generalem tractationem de Donationibus, ſequitur ſpecialis tractatio de eâ ſpecie DONATIONUM *quæ* MORTIS CAUSA *dicuntur: quibus adjungi commodum fuit &* MORTIS CAUSA CAPIONES.

SECTIO I.

De Mortis Cauſâ *Donationibus.*

Videndum 1°. *de earum naturâ & diviſione:* 2°. *Quis donare* Mortis Causâ *poſſit, cui, & quid; & de formâ hujuſmodi Donationum:* 3°. *De earum revocatione.* 4°. *Quaſdam ſpecies referemus, in quibus quæritur quantùm donatarius* Mortis Causâ *cepiſſe videatur.*

ARTICULUS I.

De naturâ & diviſione Donationum Mortis Cauſâ.

§ I.

Quæ ſit natura Donationum Cauſâ Mortis, *& in quo à Donationibus* Inter vivos *differant.*

I.

Mortis Causâ Donatio eſt; quum quis habere ſe vult

Source : BIU Cujas

vult quàm eum cui donat, magisque eum cui donat quàm heredem suum. *l.* 1. MARCIAN. LIB. 9. INSTIT.

Sic & apud Homerum, Telemachus donat Piræo. *d. l.* 1. § 1.

Tales Donationes usu receptæ sunt. Nam Julianus Denique, sic posse donari ait; ut, si convaluerit, recipiatur. *l.* 8. § 2. ULP. LIB. 7. AD SABIN.

Corollarium. Sed Mortis Causâ Donatio longè differt ab illâ verâ & absolutâ donatione, quæ ita proficiscitur ut nullo casu revocetur: Et ibi, qui donat, illum potiùs quàm se habere mavult: at is qui Mortis Causâ donat, se cogitat; atque amore vitæ recepisse potiùs quàm dedisse mavult. Et hoc est quare vulgò dicatur, SE POTIUS HABERE VULT QUAM EUM CUI DONAT; illum deinde potiùs quàm heredem suum. *l.* 35. § 2. PAUL. LIB. 6. AD LEG. JUL. ET PAP.

Ergo qui Mortis Causâ donat; quâ parte se cogitat, negotium gerit: scilicet ut, quum convaluerit, reddatur sibi. Nec dubitaverunt Cassiani, quin Condictione repeti possit, quasi re non secutâ: propter hanc rationem quòd EA QUÆ DANTUR (*a*) AUT ITA DANTUR UT ALIQUID FACIAS AUT UT EGO ALIQUID FACIAM, AUT UT LUCIUS-TITIUS, AUT UT ALIQUID OBTINGAT; & in istis Condictio sequitur. *d. l.* 35. § 3.

I I.

Illud autem maximè Donationis Mortis Causâ naturam constituit, eamque à donatione inter vivos secernit; quòd Non videtur perfecta Donatio Mortis Causâ facta, antequàm mors insequatur. *l.* 32. ULP. LIB. 76. AD ED.

Corollarium I^um. Illud generaliter meminisse oportebit, Donationes Mortis Causâ factas legatis comparatas. Quodcumque igitur in legatis Juris est, id in Mortis Causâ Donationibus erit accipiendum. *l.* 37. ULP. LIB. 15. AD LEG. JUL. ET PAP.

Hinc Sicuti legata non debentur, nisi deducto ære alieno aliquid supersit; nec Mortis Causâ Donationes debebuntur; sed infirmantur per æs alienum. Quare si immodicum æs alienum interveniat, ex re Mortis Causâ sibi donatâ, nihil aliquis consequitur. *l.* 66. § 1. *ff. Ad L. Falcid.* ULP. LIB. 18. AD L. JUL. ET PAP.

Et quidem Etsi debitor consilium creditorum fraudandorum non habuisset, avelli res Mortis Causâ ab eo donata debet. Nam cùm legata ex testamento ejus quis solvendo non fuit; omnimodo inutilia sint; possunt videri etiam Donationes Mortis Causâ factæ rescindi debere, quia legatorum instar obtinent. *l.* 17. JULIAN. LIB. 47. DIGEST.

Corollarium II^um. Si aliquis Mortis Causâ donaverit, & pœnâ fuerit capitis affectus; removetur donatio ut imperfecta (*b*): quamvis cæteræ Donationes sine suspicione pœnæ (*c*) factæ valeant. *l.* 7. ULP. LIB. 32. AD SABIN.

I I I.

Cùm Donationes Mortis Causâ legatis comparentur; Falcidiæ subsunt, sicut & legata.

Hoc discimus ex Gordiano qui ita rescribit. Intestatâ mortuâ quondam nuru tuâ; neptis tua quæ ex eâ filioque tuo quæsita est; quandoque potest ad ejus venire successionem. Nec tamen ea post mortem filii tui, ex quo quæsierat filiam, alii nupti se collocando dotem dans, prohibeatur quam velit conditionem eidem doti dicere. Sed si Mortis Causâ Donationem in fratrem suum conferens, in casum mortis suæ eam dotem eumdem fratrem suum stipulari passa est: cùm Divi Severi Constitutione etiam in Mortis Causâ Donationibus, si de cætero patrimonio quantùm Falcidia jubet heres non habet, provisum sit; is qui nurui tuæ heres extiterit, ejus Constitutionis beneficium non prohibetur postulare. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

I V.

Item donatarius Mortis Causâ sicut & legatarius, fideicommissis graveri potest.

Hinc Alexander. Si donatione contineatur ut, altero defuncto, ad alterum portio eorum quæ donabantur, pertineret: existente conditione, si Mortis Causâ Donatio perficiebatur, fideicommissi actio competit. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

V.

Item Ei cui Mortis Causâ donatum est, posse substitui constat; in hunc modum, ut promittat alicui, si ipse capere non possit; vel sub aliâ conditione. *l.* 10. ULP. LIB. 24. AD SABIN.

Idem docet Marcellus. Ut heredibus substitui potest, ita etiam legatariis. Videamus an idem fieri possit, & quum Mortis Causâ donabitur; ut id promittat ille alteri, si ipse capere non poterit? Quod magis est; quia (*d*) in posterioris quoque personâ Donatio confertur. *l.* 50. *ff. Legatis* 2°. MARCELLUS LIB. 28. DIGEST.

§ I I.

Quotuplex sit Donatio Mortis Causâ.

V I.

Julianus libro decimo-septimo Digestorum, Tres esse species Mortis Causâ Donationum ait; Unam quum quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed solâ cogitatione mortalitatis donat. Aliam esse speciem Mortis Causâ Donationum ait, quum quis imminente periculo commotus, ita donat ut statim fiat accipientis. Tertium genus esse Donationis ait; si quis periculo motus, non sic det ut statim faciat accipientis, sed tunc demùm quum mors fuerit insecuta. *l.* 2. ULPIAN. LIB. 32. AD SABIN.

Quod de periculo mortis diximus, accipe non solùm si ex morbo, sed & si ex quâlibet aliâ re periculum proficiscatur. Nam Mortis Causâ donare licet, non tantùm infirmæ valetudinis causâ, sed periculi etiam propinquæ mortis, vel ab hoste, vel à prædonibus, vel ab hominis potentis credulitate aut odio, aut navigationis ineundæ. *l.* 3. PAUL. LIB. 7. AD SABIN.

Aut per insidiosa loca iturus. *l.* 4. GAIUS LIB. 1. RERUM COTTIDIANORUM sive AUREORUM.

Aut ætate fessus. *l.* 5. ULP. LIB. 2. INSTIT.

Hæc enim omnia instans periculum demonstrant. *l.* 6. PAUL. LIB. 7. AD. SABIN.

Paulus etiam dividit Donationes Mortis Causâ, in eas quæ imminente periculo, & eas quæ, nullo periculo imminente, fiunt. ita ille: Mortis Causâ Donatio fit multis modis. Aliàs extra suspicionem ullius periculi, à sano & in bonâ valetudine posito, & cui ex humanâ sorte mortis cogitatio est: aliàs ex metu mortis, aut ex præsenti periculo aut ex futuro; si quidem terrâ marique, tam in pace quàm in bello, & tam domi quàm militiæ, multis generibus mortis periculum metui potest. *l.* 35. § 4. PAUL. LIB. 6. AD L. JUL. ET PAP.

Similiter Gaius. Rursùs id quod Mortis Causâ donatur, aut in periculum mortis datur; aut cogitatione mortalitatis, quòd nos quandoque morituros intelligimus. *l.* 31. § 2. ¶ *rursus.* GAIUS LIB. 8. AD ED. PROVINC.

V I I.

Non omnis tamen donatio quæ fit instanti mortis periculo, est Donatio Mortis Causâ; sed ea demùm quæ eâ mente fit ut donatori liceat pœnitere quandiù vixerit.

(*a*) Sensus est: Quæcumque dantur ob causam, vel dantur *Ut aliquid facias &c.* Porrò donatio *Mortis Causâ* evidenter pertinet ad unam ex illis speciebus; scilicet ad illam quâ datur *Ut aliquid obtingat*, mors nempè donatoris in eâdem voluntate perseverantis. Ergo hoc non secuto, Condictio competit.

(*b*) Quamvis ante admissum crimen donaverit, adeòque *sine suspicione pœnæ.* Ratio est quia, cùm morte confirmentur illæ Donationes, tempore mortis inspici debet an jus donandi habuerit.

(*c*) Tunc demùm autem ita factæ videntur, quum ante admissum crimen factæ sunt: ut constat ex l. 15. ff. *de Donat.* suprà N. 30. d. tit.

(*d*) Quia, dum facio ut prior donatarius posteriori promittat, etiam in posterioris personam Donationem confero; etiam huic posteriori personæ dono: & sic duos gradus Donationum *Mortis Causâ* facio.

Source : BIU Cujas

Hinc Papinianus: Quum pater in extremis vitæ conſtitutus, emancipato filio quædam ſine ullâ conditione redhibendi donaſſet; ac fratres & coheredes ejus, bonis contribui Donationes Falcidiæ (*a*) cauſâ vellent: Jus antiquum (*b*) ſervandum eſſe reſpondi. Non enim ad aliam Conſtitutionem pertinere, quàm quæ lege certâ donarentur; & morte inſecutâ quodammodo bonis auferrentur, ſpe retinendi peremptâ. Eum autem qui abſolutè donaret, non tam Mortis Cauſâ quàm morientem donare. *l.* 42. § 1. PAPIN. LIB. 13. RESPONS.

VIII.

Ab homine igitur in diſcrimine vitæ conſtituto, variè donari poteſt. Et donatio ab eo facta, aliàs eſt Donatio Mortis Cauſâ, aliàs inter vivos. Nam & ſic poteſt donari, ut omni modo ex eâ valetudine donatore mortuo res non reddatur; & ut reddatur etiamſi prior ex eâdem valetudine deceſſerit, ſi tamen mutatâ voluntate reſtitui ſibi voluerit. Et ſic donari poteſt, ut non aliter reddatur quàm ſi prior ille qui accepit, deceſſerit. Sic quoque poteſt donari Mortis Cauſâ (*c*), ut nullo caſu ſit repetitio; id eſt, ne ſi convaluerit quidem donator. *l.* 35. § 4. ¶ *nam &.* PAUL. LIB. 6. AD L. JUL. ET PAP.

Similiter Marcellus notat: In Mortis Cauſâ Donationibus, etiam facti quæſtiones ſunt. Nam & ſic poteſt donari, ut omnimodo ex eâ valetudine donatore mortuo res non reddatur: & ut reddatur, etiamſi prior ex eâdem valetudine donator deceſſerit; ſi jam mutatâ voluntate reſtitui ſibi voluerit. Sed & ſic donari poteſt ut non aliter reddatur, quàm ſi prior ille qui acceperit, deceſſerit. Sic quoque poteſt donari Mortis (*d*) Cauſâ, ut nullo caſu ſit ejus repetitio; id eſt, nec ſi convaluerit quidem donator. *l.* 13. § 1. JULIAN. LIB. 17. DIGEST.

At verò Ubi ita donatur Mortis Cauſâ, ut nullo caſu revocetur; cauſa donandi magis eſt, quam Mortis Cauſâ Donatio. Et ideò perindè haberi debet, atque alia quævis inter vivos donatio. Ideòque inter viros & uxores non valet; & ideò nec Falcidia locum habet, quaſi in Mortis Causâ Donatione. *l.* 27. MARCIAN. LIB. 5. REGUL.

IX.

Una diviſio ſupereſt: nimirùm quòd aut mortis ſuæ cauſâ duntaxat quis donat, aut alterius perſonæ mortis cauſâ. Putà Mortis Causâ filii ſui pater rectè donare poterit, etiam (*e*) conſtante matrimonio filii. *l.* 11. ULP. LIB. 33. AD SABIN.

Hinc Julianus. Mortis causâ capimus, non tunc ſolùm quum quis ſuæ Mortis Causâ nobis donat; ſed & ſi propter alterius mortem id faciat: veluti ſi quis filio vel fratre ſuo moriente donet Mævio, eâ conditione ut ſi convaluerit alteruter eorum, reddatur ſibi res; ſi deceſſerit, maneat apud Mævium. *l.* 18. JUL. LIB. 60. DIG.

Talem Donationem quæ alterius Mortis Causâ fit, rectè fieri reſcribunt etiam Diocletianus & Maximianus. Ita illi: Nec fratris ſui Mortis Causâ rectè factam donationem, ſorori reſcindere licet. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

ARTICULUS II.

Quis, cui, & quid donare Mortis Cauſâ *poſſit; & de formâ hujus Donationis.*

§ I.

Quis donare Mortis Cauſâ *poſſit, & cui.*

X.

Tam is qui teſtamentum facit, quàm qui non facit, Mortis Causâ donare poteſt. *l.* 25. MARC. LIB. 9. INSTIT.

Undè Filiusfamilias qui non poteſt facere teſtamentum nec voluntate patris, tamen Mortis Causâ donare (*f*) patre permittente poteſt. *d. l.* 25. § 1.

XI.

Omnibus Mortis Causâ capere permittitur, qui ſcilicet & legata accipere poſſunt. *l.* 9. PAUL. LIB. AD SABIN.

Cæterùm Senatus cenſuit; Placere Mortis Causâ Donationes factas in eos quos Lex prohibet capere, in eâdem causâ haberi; in quâ eſſent quæ teſtamento his legata eſſent, quibus capere per Legem non liceret. *l.* 35. PAUL. LIB. 6. AD LEG. JUL. ET PAP.

Quinam illi ſint qui capere non poſſunt, vide ſuprà Tit. de Legatis *Part.* 5*a. Hic autem ita pergit Juriſconſultus:* Ex hoc Senatûſconſulto multæ variæque quæſtiones agitantur, de quibus pauca referamus. *d. l.* 35. ¶ *ex hoc.*

Verùm has quæſtiones pleraſque quæ ſpectant naturam Donationum Mortis Causâ, jam ſuprà expoſuimus. Hæc una reſtat; nimirùm quod In Mortis Causâ Donationibus, non tempus donationis, ſed mortis intuendum eſt; an quis capere poſſit. *l.* 22. AFRICAN. LIB. 1. QUÆST.

§ II.

Quid poteſt Mortis Cauſâ *Donari.*

XII.

Quidlibet donari Mortis Causâ poteſt.

Mortis Causâ Donatio etiam ſic conſtitui poteſt, ut quid ſtipuletur (*g*) in annos ſingulos quoad viveret; ſcilicet ut poſt mortem promiſſoris incipiat exactio. *l.* 34. MARCEL. LIB. 28. DIGEST.

Obſervandum autem quòd Si quis Mortis Causâ IN ANNOS SINGULOS pecuniam ſtipulatus eſt, non eſt ſimilis ei cui in annos ſingulos legatum eſt. Nam licèt multa eſſent legata, ſtipulatio tamen una eſt; & conditio ejus cui expromiſſum eſt, ſemel (*h*) intuenda eſt. *l.* 35. § 7. PAUL. LIB. 6. AD L. JUL. ET PAP.

XIII.

Etiam libertas poteſt Mortis Causâ donari. Nam Mortis Causâ ſervum manumitti poſſe, non eſt dubitandum. Quod non ita tibi intelligendum eſt, ut ita liber eſſe (*i*) jubeatur, ut, ſi convaluerit dominus, non fiat liber: ſed (*k*) quemadmodum ſi Vindictâ eum liberaret abſolutè, ſcilicet quia moriturum ſe putet, mors ejus expectabitur; ſimiliter & in hâc ſpecie, in extremum tempus manumiſſoris vitæ confertur libertas, durante ſcilicet propter Mortis Causâ tacitam conditionem voluntate manumiſſoris: quemadmodum quum rem ita tradiderit ut moriente eo fieret accipientis, quæ ita demùm alienatur ſi donator in eâdem permanſerit voluntate. *l.* 15. *ff. de Manumiſſionib.* MARCEL. LIB. 23. DIGEST.

§ III.

De formâ Donationum Mortis Cauſâ.

XIV.

Donatio Mortis Causâ ſic fieri poteſt, non ſolùm ut donator ipſi donatario rem rei-ve ſymbolum tradat; ſed & ut interpoſitæ perſonæ tradat, quæ poſt mortem donatario det.

Hoc docet Julianus in hâc ſpecie. Titia chirographa debitorum ſuorum Septicii & Mævii donatura illis,

(*a*) Donationes *Mortis Causâ* in ratione Legis Falcidiæ veniunt: ſecùs de Donationibus *Inter vivos.*

(*b*) Id eſt, quod obſervabatur ante Conſtitutionem Severi; quæ donationes quidem *Mortis Causâ* Falcidiæ ſubjecit [ſuprà N. 3.], at non *Inter vivos.*

(*c*) Talem Donationem appellat *Mortis Causâ*; hoc ſenſu, quòd cogitatio mortis fuerit cauſa donandi. Cæterùm propriè non eſt *Mortis Causâ* Donatio, ſed Inter vivos: ut mox dicitur.

(*d*) Vide Notam præced.

(*e*) Nurui ſuæ conſtante ejus matrimonio ſocer donare ſimpliciter non poteſt: ſuprà lib. 24. Tit. *de Donat. int. vir. & un.* N. 8. at poteſt donare *Mortis Causâ* filii ſui.

(*f*) Ratio differentiæ, quia *Teſtamentum* Juris publici eſt, *Donatio* non item: ſuprà lib. 28 *Qui teſtam. fac.* N. 10. ubi vide Notas.

(*g*) Donatarius.

(*h*) Scilicet ſolo tempore mortis teſtatoris, inſpicitur an donatarius capere poſſit.

(*i*) Id eſt, ut ſtatim liber ſit; & deſinat eſſe liber, ſi convaluerit dominus. Hoc non poteſt ita fieri; libertas enim ſemel data, non revocatur.

(*k*) Fingendum in ſpecie hujus legis, dominum ægrotantem manumiſiſſe *Mortis Causâ* ſervum ſuum, alio modo quam *Vindictâ*, puta *Iuter Amicos.* Ait Marcellus: *Quemadmodum, ſi eum Vindictâ* manumiſiſſet, *abſolutè* quidem [id eſt, nullâ expreſsâ die; quæ in actibus legitimis qualis eſt manumiſſio Vindictâ, non recipitur] ſed tamen *Mortis Causâ*; non ſtatim ex hâc manumiſſione competeret libertas, ſed tunc demùm quum moreretur non mutatâ voluntate: *ſimiliter & in hâc ſpecie* obtinere debere. Ita Accurſius.

Source : BIU Cujas

Ageriæ dedit : & rogavit eam, ut ea, ſi deceſſiſſet, illis daret ; ſi convaluiſſet, ſibi redderet. Morte ſecutâ, Mævia Titiæ filia heres extitit. Ageria autem ut rogata erat, chirographa Septicio & Mævio ſuprà ſcriptis dedit. Quæritur, ſi Mævia heres ſummam quæ debebatur ex chirographis ſuprà ſcriptis petat, vel ipſa chirographa, an exceptione excludi poſſit ? Reſpondit, Mæviam vel Pacti conventi (*a*) vel Doli (*b*) mali exceptione ſummoveri. *l.* 18. § 2. JULIAN. LIB. 60. DIGEST.

X V.

Sed & citra ullam traditionem, Donatio Mortis Causâ fieri poteſt.

Hinc quidam Avunculo ſuo debitori Mortis Causâ donaturus quæ debebat, ita ſcripſit : TABULÆ VEL CHIROGRAPHA TOT, UBICUMQUE SUNT, INANES ESSE ; neque eum ſolvere debere. Quæro an heredes, ſi pecuniam ab avunculo defuncti petant, exceptione Doli mali tueri ſe poſſint ? Marcellus reſpondit, Poſſe : nimirùm enim contra voluntatem defuncti heres petit ab eo. *l.* 28. MARCEL. LIB. SINGUL. RESPONS.

Cùm autem & citra ullam traditionem fiat Donatio Mortis Causâ ; hinc quæritur an ſpecies ſequens talem donationem contineat ? Et negat Scævola. Ita ille : Ejuſmodi lege depoſitâ in æde arcâ (*Malè in Florent.* ſacrâ) ut eam ipſe ſolus qui depoſuit tolleret, aut poſt mortem domini Ælius-Speratus ; non videri celebratam Donationem reſpondi (*c*). *l.* 31. § 3. *ff. de Donat.* SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS.

X V I.

Ex Conſtitutione Juſtiniani, Donationes Mortis Causâ coram quinque teſtibus celebrari debent ; ſive in ſcriptis fiant, ſive abſque ſcriptis. Inſinuatione autem non indigent. l. fin. Cod. h. tit.

ARTICULUS III.

De revocatione Donationum Mortis Causâ.

Videbimus 1°. *Quibus ex cauſis Donationes Mortis Causâ revocentur :* 2°. *Quæ actiones eâ de re dentur.* 3°. *Agemus de revocatione conventionum donationibus appoſitarum, quam trahit donationis ipſius revocatio.*

§ I.

Ex quibus cauſis revocentur.

X V I I.

1°. *Donationes Mortis Causâ, ex convaleſcentiâ donatoris revocantur ; ſcilicet quum hâc mente factæ ſunt.*

2°. *Sed & ex ſolâ pœnitentiâ* Mortis Causâ Donatio, etiam dum pendet an convaleſcere poſſit donator, revocari poteſt. *l.* 16. JULIAN. LIB. 29. DIGEST.

3°. *Denique morte donatarii ante donatorem, revocatur Donatio Mortis Causâ.*

Hoc docet Africanus. Ita ille : Si filiofamilias Mortis Causâ donatum ſit, & vivo donatore moriatur filius, pater vivat ; quæſitum eſt quid Juris ? Reſpondit ; Morte filii Condictionem competere, ſi modò ipſe potiùs filio quàm patri donaturus dederit.

Alioquin, ſi quaſi miniſterio ejus pater uſus ſit, ipſius patris mortem ſpectandam eſſe ; idque Juris fore, etſi de perſonâ ſervi quæratur. *l.* 23. AFR. LIB. 2. QUÆST.

Similiter Si ſervo Mortis Causâ donatum ſit ; videamus cujus mors inſpici debeat, ut ſit locus Condictioni ? Domini, an ipſius ſervi ? Sed magis ejus inſpicienda eſt, cui donatum (*d*) eſſet. Sed tamen poſt mortem ante apertas (*e*) tabulas teſtamenti manumiſſum, hæc Donatio non ſequitur. *l.* 44. PAUL. LIB. 1. MANUALIUM.

X V I I I.

Dicimus morte donatarii ante donatorem contingente, revocari Donationem Mortis Causâ, & Condictioni locum eſſe. Quòd Si, qui invicem ſibi Mortis Causâ donaverunt, pariter deceſſerint ; neutrius heres repetet : quia neuter alteri ſupervixit. Idem Juris eſt, ſi pariter maritus & uxor ſibi donaverunt (*f*). *l.* 26. MARC. LIB. 2. REG.

§ II.

De actionibus quæ revocatâ Mortis Cauſâ *Donatione competunt.*

X I X.

Qui Mortis Causâ donavit, ipſe ex pœnitentiâ Condictionem, vel Utilem (*g*) actionem habet. *l.* 30. ULP. LIB. 21. AD ED.

Interdum & directam habebit ; juxta diſtinctionem quam tradit Ulpianus in ſpecie ſequenti. Si Mortis Causâ res donata eſt, & convaluit qui donavit ; videndum an habeat IN REM actionem ? Et ſi quidem quis donavit, ut ſi mors contigiſſet, tunc haberet cui donatum eſt ; ſine dubio donator poterit rem vindicare ; mortuo eo, tunc is cui donatum eſt. Si verò ſic, ut jam tunc haberet, redderet ſi convaluiſſet, vel de prælio vel peregrè rediiſſet : poteſt defendi IN REM (*h*) competere donatori, ſi quid horum contigiſſet ; interim autem ei cui donatum eſt (*i*). Sed & ſi morte præventus ſit is cui donatum eſt, adhuc quis dabit In rem (*k*) donatori. *l.* 29. IDEM LIB. 17. AD ED.

X X.

Jam videndum quid condicatur. Nimirùm, quum certum corpus donatum eſt, & extat ; ipſum condicitur. Si non extet, ejus pretium.

Quocirca hæ quæſtiones occurrunt. Et 1°. *quidem cui detur hæc Condictio.*

Si alienam rem Mortis Causâ donavero, eaque uſucapta fuerit ; verus dominus eam condicere non poteſt, ſed ego ſi convaluero. *l.* 13. JULIAN. LIB. 17. DIGEST.

Enimverò Qui alienam rem Mortis Causâ traditam uſucepit ; non ab eo videretur cepiſſe cujus res fuiſſet, ſed ab eo qui occaſionem uſucapionis præſtitiſſet (*l*). *l.* 33. PAUL. LIB 4. AD PLAUT.

2°. Si Mortis Causâ donatus fundus eſt, & in eum impenſæ neceſſariæ atque utiles factæ ſint ; fundum vindicantes Doli mali exceptione ſummoventur, niſi pretium earum reſtituant. *l.* 24. JULIAN. LIB. 18. DIGEST.

3°. Si filiofamilias res Mortis Causâ data fuerit, & convaluiſſet donator ; actionem de peculio cum patre habet (*m*) At ſi paterfamilias quum Mortis Causâ Donationem accepiſſet, in adoptionem ſe dederit ; res ipſa à donatore repetitur (*n*). Nec huic ſimilis eſt is qui rem quam Mortis Causâ acceperat, alii porrò dederit ; nam donator huic non rem (*o*), ſed pretium ejus condiceret. *l.* 19, IDEM LIB. 80. DIGEST.

4°. *Idem* Julianus ait : Si quis ſervum Mortis Cauſâ

(*a*) Reddendo enim chirographa per interpoſitum Ageriæ perſonam, cum debitoribus conveniſſe videtur Titia ut, ſi decederet, ab illis nil peteretur.

(*b*) Dolo enim facit heres, qui contra voluntatem defuncti petit.

(*c*) Scilicet magis præſumitur Speratum adjectum eſſe ſolutionis gratiâ, quàm ei *Mortis Causâ* donatum eſſe ; cùm defunctus nullo argumento voluntatem ei donandi ſignificaverit.

(*d*) Scilicet ſervi : niſi donator, ut in ſpecie præcedenti dictum eſt, habuerit animum donandi domino ; & miniſterio duntaxat ſervi ſit uſus.

(*e*) Ipſo enim inſtanti mortis donatoris confirmatur ; & res donata per ſervum jure poteſtatis acquiritur domino. Et in hoc donatio *Mortis Causâ* differebat à legatis, quorum dies ex Lege Papiâ non cedebat niſi ex die apertarum tabularum : ut vid. Tit. *de Legatis.*

(*f*) Donationes etiam inter virum & uxorem morte donatoris confirmantur ex Oratione Antonini : ut vid. ſuprà lib. 24. Tit. *de Donat. inter vir. & ux.*

(*g*) *Utilem actionem* IN REM.

(*h*) Sed hoc caſu *Utilem.*

(*i*) *Directa* competet ; cùm in hâc ſpecie tranſlatum ſit dominium in donatarium.

(*k*) *Utilem* in ſecundâ ſpecie, *Directam* in primâ ſpecie.

(*l*) Condictio eſt actio *In perſonam*, quæ naſcitur ex obligatione quam contraxit donatarius erga donatorem, reddendi ei rem donatam in certum caſum. Porrò erga donatorem duntaxat, non verò erga rei donatæ dominum cum quo nullum negotium habuit, hanc obligationem contraxit.

(*m*) Donatio enim *Mortis Causâ*, quatenùs in eâ id agitur ut in certos caſus res reſtituatur, negotium ſeu contractum Donationi immixtum continet : ex quo ſtili contractu, datur actio *De peculio.*

(*n*) Utili actione *In rem* quam donatori dari vidimus. Non eſt hic locus actioni *De peculio* quæ ex ante geſto datur non contra adrogatorem.

(*o*) Ita Julianus ſentit, quia nimirùm donatarius rem non habet. Contrà in ſpecie præcedenti rem adrogator habet. Vid. Not. ſeq.

Source : BIU Cujas

ſibi donatum vendiderit, & hoc vivo donatore fecerit; pretii Condictionem donator habebit, ſi convaluiſſet, & hoc donator elegerit (*a*). Alioquin & ipſum ſervum reſtituere compellitur. *l.* 37. § 1. ULP. LIB. 15. AD L. JUL. ET. PAP.

Illud autem abſque dubio eſt; quòd, ſi res facto aut culpâ donatarii extare aut in commercio eſſe deſierit, condicitur pretium. Igitur Si is cui Mortis Causâ ſervus donatus eſt, eum manumiſit; tenetur Condictione in pretium ſervi; quoniam ſcit poſſe ſibi condici, ſi convaluerit donator. *l.* 39. PAUL. LIB. 17. AD PLAUT.

XXI.

Hactenùs de caſu quo res Mortis Causâ tradita eſt.

Quid autem, ſi donator Mortis Causâ donatario id quod debebat accepto tulit? Nimirùm condicetur quantum ipſi aceepto tulit. Et quidem Quod debitori acceptum factum eſſet Mortis Causâ, ſi convaluerit donator, etiam tempore liberato ei poteſt condici. Namque acceptilatione interveniente, abitum ab jure priſtinæ obligationis, eamque in hujus Condictionis (*ſupple* obligationem, *Aliàs* in hujuſmodi Condictionem) transfuſam. *l.* 24. AFFRICAN. LIB. 9. QUÆST.

Quocircà nota: Si duobus debitoribus (*b*) Mortis Causâ donaturus creditor uni acceptum tulit, & convaluerit; eligere poteſt utri eorum condicat. *l.* 35. § 6. PAUL. LIB. 6. AD L. JUL. ET PAP.

§ III.

De revocatione conventionum Donationi Mortis Causâ *appoſitarum, quam trahit donationis revocatio.*

XXII.

Donationis Mortis Causâ revocatio, trahit ſecum revocationem conventionum huic appoſitarum: aut liquebit ex ſpecie ſequenti.

Seia quum bonis ſuis, traditionibus factis, Titio cognato Donationis Causâ ceſſiſſet; uſumfructum ſibi recepit. Et convenit ut, ſi Titius ante ipſam vitâ deceſſiſſet, proprietas ad eam rediret; ſi poſteà (ſuperſtitibus liberis Titii) mortua fuiſſet, tunc ad eos bona pertinerent. Igitur ſi res ſingulas heredes Lucii-Titii vindicent, Doli non inutiliter opponetur exceptio (*c*). Bonæ fidei autem judicio conſtituto (*d*); quærebatur an mulier promittere debeat ſe bona, quum moreretur, filiis Titii reſtituturam. Incurrebat hæſitatio (*e*) non extorquendæ donationis, quæ nondum in perſonam filiorum initium acceperat. Sed numquid interpoſitâ cautione (*f*) prior donatio, quæ dominio tranſlato pridem perfecta eſt, propter legem in exordio datam retinetur; non ſecunda promittitur (*g*)? Utrùm ergo certæ (*h*) conditionis donatio fuit, an quæ mortis conſilium ac titulum haberet? Sed denegari non poteſt, Mortis Causâ factam videri. Sequitur, ut ſolutâ priore donatione, quoniam Seia Titio ſuperſtes fuit, ſequens extorqueri videatur (*i*). Muliere denique poſteà diem functâ; liberi Titii ſi cautionem ex conſenſu (*k*) mulieris acceperint, contributioni propter Falcidiam ex perſonâ ſuâ tenebuntur (*l*). *l.* 42. PAPIN. LIB. 13. RESPONS.

(*a*) Hæc poſtrema verba [*& hoc donator elegerit*, Cujacius cenſet non eſſe Juliani; [ſi quidem ex fine textûs præcedentis patet Julianum eo caſu electionem non dare donatori]: ſed eſſe Notam alicujus Juriſconſulti [putà Ulpiani] ad Julianum; per quam emendatur Juliani ſententia, putantis pretium tantùm condici poſſe à donatario qui rem alienavit. Adnotator contrà putat, etiam ipſam rem condici poſſe; quia donatarius eam non debuit alienare, donec donatio morte confirmaretur. Quod ſanè rectiùs videtur dicendum.

(*b*) Et correis debendi.

(*c*) Filii Titii qui ipſi extiterunt heredes, habent quidem ipſo jure Vindicationem rerum donatarum Titio: nam per Ceſſionem in Jure, dominium earum tranſiit ad Titium: ſed excluduntur exceptione *Doli*, quia vindicant eas res contra fidem pacti in Donatione adjecti, ut mortuo Titio ante Seiam res ad Seiam redirent.

(*d*) Quamvis rei Vindicatio non ſit ex judiciis bonæ fidei; tamen appoſitâ in eo judicio exceptione *Doli*, conſtituitur judicium bonæ fidei: hinc enim fit ut in eo judicio perpendendum ſit quid bonæ fidei congruat. Porrò in judiciis bonæ fidei obſervatur, ut exigatur cautio de his rebus quæ ſub conditione debentur. Undè videbatur filius Titii poſſe exigere cautionem à Seiâ, de his rebus quas Seiâ QUUM MORERETUR, juxta conventionem in Donatione habitam, ipſis reſtituere deberet. Hæc erat ratio dubitandi.

ARTICULUS IV.

Nonnullæ ſpecies referuntur; in quibus quæritur quantum ex Mortis Causâ *Donatione donatarius cepiſſe videatur.*

XXIII.

Sæpè utile eſt quærere quantùm ex Mortis Causâ Donatione donatarius ceperit: putà, ut ſcias quatenùs fideicommiſſis gravari potuerit, vel ſi ponatur ratio Falcidiæ; vel quod donatum eſt, ab ipſo condicatur.

V. G. Qui hominem noxæ nomine vel aliàs obligatum, Mortis Causâ acceperit; tantum cepiſſe intelligendus eſt, quanti is homo vænire (*m*) potuiſſet. *l.* 18. § 3. JULIAN. LIB. 60. DIGEST.

Idem in fundo qui obligatus eſt obſervari poterit, ut pretium excutiatur. *d. l.* 18. § 3. ¶ *idem.*

XXIV.

Item in hâc ſpecie. Rectè Juliano placet, licèt ſolvendo non ſit debitor cui acceptum latum ſit, videri ei Mortis Causâ donatum. *l.* 31. § 1. GAIUS LIB. 8. AD EDICT. PROVINC.

Et quidem Per acceptilationem quoque egens debitor liberatus, totam eam pecuniam quâ liberatus eſt, cepiſſe videtur. *d. l.* 31. § *fin.*

Si juſſeris, Mortis Causâ, debitorem tuum mihi aut creditori meo expromittere decem; quid Juris eſſet quæritur, ſi iſte debitor ſolvendo non ſit? Et ait Julianus: Si ego ſtipulatus fuerim, tantam pecuniam videri me cepiſſe in quantùm debitor ſolvendo fuiſſet. Nam etſi convaluiſſet (inquit) donator; obligationem duntaxat debitoris recipere deberet. Si verò creditor meus ſtipulatus fuerit; tantam me pecuniam accepiſſe, in quantùm à creditore meo liberatus eſſem. *d. l.* 31. § 3.

En autem ipſius Juliani verba. Si donaturus mihi Mortis Causâ, debitorem tuum creditori meo delegaveris; omnimodo capere videbor tantam pecuniam, quantâ à creditore meo liberatus (*n*) fuero. Quòd ſi ab eodem (*o*) ego ſtipulatus fuero; eatenùs capere exiſtimandus ero, quatenùs debitor ſolvendo fuerit. Nam etſi convaluiſſet creditor, idemque donator; Condictione aut IN FACTUM actione, debitoris obligationem duntaxat recipere ret. *l.* 18. § 1. JULIAN. LIB. 60. DIGEST.

(*e*) Ratio decidendi in contrarium, quæ talis eſt: ſi hoc promitteret Seia, eſſet Donatio quam conferret in perſonam filiorum Titii. Neque enim ad hoc tenetur ex clauſulâ Donationis factæ Titio, cùm ſit revocata. Sed ſi hæc promiſſio, eſt ſecunda Donatio quàm Seia conferret filiis Titii; repugnat ut poſſit cogi hoc promittere. Nam repugnat Donationi ut ſit coacta. Ergo filii Titii non poſſunt hanc cautionem exigere.

(*f*) Jam fingit Seiam ultrò hanc cautionem interpoſuiſſe.

(*g*) Id eſt, an non contrà ſecunda Donatio eſt? Quod magis dicendum eſt.

(*h*) Alia quæſtio hìc proponitur; ſcilicet an Donatio facta Titio, fuerit Donatio *Inter vivos* ſub certâ conditione facta; an Donatio *Mortis Causâ*.

(*i*) Nam ſi reſoluta eſt Donatio facta Titio; non poteſt Seia hanc cautionem liberis Titii debere ex causâ hujus Donationis, quæ reſoluta eſt. Ergo ſi ab eo exigeretur; ſequeretur quod ſequens Donatio extorqueri videretur, id eſt quòd cogeretur ad ſecundam Donationem; quod repugnat.

(*k*) Muliere ultrò ac ſponte eam exhibente.

(*l*) Nam & hæc ſecunda Donatio, debet videri *Mortis Causâ*.

(*m*) *Quanti*, cum onere luendæ obligationis, *vænire potuiſſet*.

(*n*) Licèt debitor tuus fuerit non ſolvendo.

(*o*) Debitore tuo.

SECTIO II.

De Mortis Causâ *Capionibus.*

XXV.

Mortis Causâ Capitur, quum propter mortem alicujus capiendi occaſio obvenit; exceptis his capiendi figuris quæ proprio nomine appellantur. Certè enim & qui hereditario, aut legati, aut fideicommiſſi jure capit; ex morte alterius nanciſcitur capiendi occaſio-

Source : BIU Cujas

nem : ſed quia proprio nomine hæ ſpecies capiendi appellantur, ideò ab hâc definitione ſeparantur. *l.* 31. GAIUS LIB. 8. AD EDICT. PROVINC.

Igitur Inter Mortis Causâ Donationem, & omnia quæ Mortis Causâ quis ceperit, eſt earum rerum differentia. Nam Mortis Causâ donatur, quo præſens præſenti dat : [at] Mortis Causâ capi intelligitur, & quod non cadit in ſpeciem donationis Etenim quum teſtamento quis ſuo, Pamphilum ſervum liberum eſſe juſſit SI MIHI DECEM DEDERIT; nihil mihi donaſſe videbitur : & tamen ſi accepero à ſervo decem, Mortis Causâ accepiſſe me convenit. Idem accidit, quòd quis ſit heres inſtitutus SI MIHI DECEM DEDERIT : nam accipiendo ab eo qui heres inſtitutus eſt, conditionis explendæ ejus causâ ; Mortis Causâ capio. *l.* 38. MARCELL. LIB. 1. AD L. JUL. ET PAP.

Similiter Gaius. Sine donatione autem capitur, veluti pecunia quam ſtatuliber, aut legatarius alicui conditionis implendæ gratiâ numerat : ſive extraneus ſit qui accipit, ſive heres. *l.* 31. § 2. GAIUS LIB. 8. AD ED. PROVINC.

XXVI.

An autem ad hanc Mortis Causâ Capionis ſpeciem porrigantur eæ Leges quæ certas perſonas capere Mortis Causâ prohibent, quæritur ?

Eâ de re Juriſconſultus cujus verba Ulpianus refert, ita ait. Quod conditionis implendæ causâ datur, licèt non ex bonis mortui proficiſcitur, capere tamen ſupra modum (*a*) non poterit is cui certum modum ad capiendum Lex conceſſit. *l.* 36. ULP. LIB. 8. AD L. JUL. ET PAP.

Statim autem Ulpianus ita emendat (*b*) : Certè quod à ſtatulibero conditionis implendæ causâ datur, indubitatè modo legati (*c*) conceſſo imputatur ; ſic tamen ſi mortis tempore in peculio id habuit (*d*). Cæterùm ſi poſt mortem, vel etiam ſi alius pro eo dedit : quia non fuit ex his bonis quæ mortis tempore teſtator habuit ; in eâdem erunt causâ, in quâ ſunt quæ à legatariis (*e*) dantur. *d. l.* 36. ¶ *certè.*

XXVII.

Hactenùs de primâ ſpecie quâ, ſine donatione, Mortis Causâ capitur.

Species 2ª. Eodem numero eſt pecunia quam quis in hoc accipit, ut vel adeat hereditatem, vel non adeat ; quique in hoc accipit pecuniam, ut legatum omittat. *l.* 31. § 2. ¶ *eodem.* GAIUS LIB. 8. AD ED. PROVINC.

Similiter Julianus. Eum qui ut adiret hereditatem, pecuniam accepiſſet ; plerique (in quibus Priſcus (*f*) quoque) reſponderunt, Mortis Causâ eum capere. *l.* 21. JULIAN. LIB. 2. AD URSEIUM-FEROCEM.

Et hanc quoque Capionis ſpeciem cum præcedenti ita complectitur Ulpianus. Qui pretio accepto hereditatem prætermiſit, ſive ad ſubſtitutum perventura ſit hereditas, ſive ab eo ab inteſtato ſucceſſurus ; Mortis Causâ capere videtur. Nam quidquid propter alicujus mortem obvenit, Mortis Causâ capitur. Quam ſententiam & Julianus probat ; & hoc Jure utimur. Nam & quod à ſtatulibero conditionis implendæ causâ capitur, vel à legatario ; Mortis Causâ accipitur : & quod pater dedit propter mortem filii vel cognati, Mortis Causâ capi Julianus ſcripſit. *l.* 8. ULP. LIB. 7. AD SABIN.

XXVIII.

3ª. *Species. Sed &* Si mulier ventris nomine per calumniam, ut in poſſeſſionem mitti deſideret, pecuniam accepit ; fortè dum ſubſtituto patrocinatur (*g*), ut inſtitutum aliquâ ratione excludat ; Mortis Causâ eam capere Julianus ſæpiùs ſcribit. *l.* 12. ULP. LIB. 44. AD SABIN.

Sed & dos quam quis in mortem mulieris à marito ſtipulatur, capitur ſanè Mortis Causâ : cujus generis dotes RECEPTITIÆ vocantur. *ſup. d. l.* 31. § 2. ¶ *ſed & dos.*

(*a*) Pone ſpeciem in conjuge ; quem Lex Papia prohibet teſtamento capere ex bonis conjugis, *ſupra modum* decimæ partis bonorum ejus : ut vid. Tit. *de Legatis.* Cujus autem ſententia hîc refertur, Juriſconſultus cenſet idem dicendum omninò de eo quodcumque capit conjux *Mortis Causâ* conjugis, *licèt non ex bonis mortui.*

(*b*) Ita Cujacius Obſerv. VII rectè cenſet hîc incipere textum ipſius Ulpiani ; ea verò quæ præcedunt, eſſe verba alicujus auctoris quæ Ulpianus refert, & cujus ſententiam his verbis emendat.

(*c*) Cujacius legit, *modo Lege conceſſo* ; aliàs *modo legatis conceſſo* : eodem ſenſu.

(*d*) Fatetur Ulpianus, quæcumque *Mortis Causâ* quis accipit, etiamſi ipſi relicta non ſint, ſed duntaxat conditionis implendæ causâ accipiat, imputanda eſſe modo intrà quem ei capere Lex conceſſit ; *ſic tamen ſi* ex bonis teſtatoris proficiſcantur : ſecùs, ait non eſſe imputanda. Utrumque probat exemplo ſtatuliberi ; id eſt ſervi cui teſtator libertatem reliquiſſet ſub hâc conditione V. G. *ſi uxori meæ decem dederit.* Hæc decem quæ uxor mortis conjugis causâ accepit à ſtatulibero, modo Legis imputabuntur ; ſi ſtatuliber ea *in peculio habuit tempore mortis* teſtatoris : quia tunc ex bonis conjugis defuncti proficiſcuntur, cùm peculia ſint in bonis dominorum. At ſi poſt mortem teſtatoris ſtatuliber ea aliundè quæſivit, vel ſi alius pro eo dederit ; tunc, licèt *Mortis Causâ* capiantur à conjuge, non tamen imputari debent modo Legis, quia ea non ex bonis conjugis capit uxor. Et in hoc emendat Ulpianus ſententiam Juriſconſulti ſuprà dictam.

(*e*) *Quæ* nimirùm *à legatariis* ex propriis ipſorum bonis *dantur*, ad implendam conditionem legatorum ipſis relictorum. Hæc non imputat modo Legis, teſtatoris uxor cui legatarius dare juſſus eſt ; quia non ex bonis conjugis, ſed legatarii capiuntur.

(*f*) Javolenus, qui Juliani magiſter fuerat in Juris diſciplinâ.

(*g*) Dum enim pendere videtur num nativitate poſthumi, quo ſe per calumniam mulier prægnantem dicit, rumpendum ſit teſtamentum ; inſtitutus adire interim non poteſt : &, ſi interim deceſſerit, ſit locus ſubſtituto.

Source : BIU Cujas

LIBER QUADRAGESIMUS.

TITULUS I.

DE MANUMISSIONIBUS.

IC nova exoritur actionum ſpecies, quæ Præjudiciales *dicuntur; ſcilicet in quibus quæſtio eſt de ſtatu alicujus hominis, an ſit liber an ſervus, an ingenuus an libertinus. Antequàm autem de his actionibus agant ordinatores Pandectarum, rem ſuo more altiùs ordiuntur: & cùm quis per Manumiſſionem ex ſervitute ad ſtatum libertatis perveniat, præmittunt fuſam tractationem de Manumiſſionibus earumque variis ſpeciebus & juribus. Et primo in hoc Titulo agitur* DE MANUMISSIONIBUS *in genere.*

I.

MANUMISSIO *eſt actus quo ſervus ad libertatem perducitur. Alia eſt ſolemnis, alia non ſolemnis. Manumiſſionis ſolemnis triplex ſpecies,* VINDICTA, CENSUS, & TESTAMENTUM.

De Vindictâ & Teſtamento *in Titulis ſequentibus.*

CENSU manumittebantur olim (*a*), qui Luſtrali (*b*) Cenſu Romæ juſſu dominorum inter cives Romanos cenſum profitebantur. ULP. FRAGM. *tit* 1. § 4.

ROMÆ *inquit: nam, ex fragmento veteris Juriſconſulti,* In civitate Romanâ tantùm Cenſus agebatur; in provinciis, magis Profeſſionibus (*c*) utuntur. FRAGM. VET. JURISCONSULTI. §. *fin. apud Pithœum, & Schulting.*

Sub Imperatoribus Chriſtianis, in locum Censûs qui jam fieri deſierat, introducta eſt alia ſolemnis Manumiſſionis ſpecies; ſcilicet manumiſſio in ſanctis Eccleſiis, Sub aſpectu plebis, adſiſtentibus Chriſtianorum Antiſtitibus; *qualicumque ſcripturâ vice Actorum interveniente, ſed cui Epiſcopus ſubſcribat.* l. 1. Cod. de His qui in Eccleſ. Manum.

Hujus Manumiſſionis monumentum ſequens, lapide inſculptum, non ita pridem legebatur ad valvas majoris Eccleſiæ noſtræ Aurelianenſis, antequàm de novo conſtruendarum fundamenta jacerentur:

EX BENEFICIO S. † PER JOANNEM EPISCOPUM ET PER ALBERTUM S. † CASATUM FACTUS EJUS LIBER LETBERTUS TESTE HAC SANCTA ECCLESIA (*d*).

Qui ſolemnibus modis manumittebantur, cum libertate civitatem Romanam conſequebantur.

II.

Erant & alii modi manumittendi non ſolemnes; qui libertatem, non verò civitatem tribuebant. Undè ita manumiſſi poterant adhuc Vindictâ manumitti, ut pleniorem libertatem & jura civitatis conſequerentur: ut vid. ſuprà lib. 1. *Tit.* de Statu homin.

Contrà, ſolemniter manumiſſi, fruſtrà iterùm manumittebantur. Nam Nihil civitati Romanæ ſemel præſtitæ vel addere vel detrahere ſecundùm Manumiſſionem potuiſſe certiſſimum eſt. *l.* 2. *Cod. de Vindict. libert.* DIOCLET. ET MAXIM.

Et ita quidem ante Juſtinianum. Ipſe autem conſtituit ut quocumque modo quis manumiſſus ſit, civitatem Romanam conſequatur; adeò ut, etſi quis libertatem eâ lege ſervo ſuo conceſſiſſet aut reliquiſſet, ut Latinus duntaxat, non civis foret; hâc conditione inſuper habitâ, nihilominùs Civis Romanus fiat per Manumiſſionem. l. un. Cod. de Latin. lib. toll. *pr. &* § 6.

III.

Ibidem Juſtinianus recenſet modos manumittendi non ſolemnes.

Ius. eſt PER EPISTOLAM; *adhibitis ex eâdem Conſtitutione Juſtiniani quinque teſtibus, qui poſt teſtatoris litteras ſive in ſubſcriptione poſitas ſive per totum textum effuſas, ſuas litteras fidei perpetuæ ſupponant.* d. l. un. § 1.

2*us*. *Modus eſt* INTER AMICOS; *adhibitis pariter quinque teſtibus, quorum teſtimonium litteris conſignetur.* d. l. un. § 2.

3*us*. *Modus eſt, ſi quis ſervum ſuum in ægritudine periclitantem domo ſuâ publicè ejecit; ita ut nec ipſe eum procurare, nec ſaltem, ſi non ipſe ad curam ejus ſufficeret, eum ad xenodochium publicum mittere dignaretur. Hoc caſu ſervus libertatem conſequitur, Latinam olim; ex dictâ autem Conſtitutione Juſtiniani & civitatem: quaſi videatur dominus talem ſervum pro derelicto habuiſſe, & dominium ſuum abdicaſſe* d. l. un. § 3.

4*us*. *Modus eſt, ſi ſervus voluntate teſtatoris aut heredis funus pileatus* (*e*) *antecedat. Ubi notandum quòd, etiamſi dominus ex falsâ liberalitatis jactantiâ & populi decipiendi causâ, magis quàm animo donandæ libertatis, id permiſiſſet; vult tamen Juſtinianus ſervum illum libertatem aſſequi. Addit Imperator; aut ſi ſervus in ipſo lectulo ſtans cadaver defuncti ventilet* (*f*). d. l. un. Cod. § 5.

5*us*. *Modus eſt, ſi pro eo quem in liberali judicio quis ſuperaverat, pretium accipiat: hoc ipſo enim eum manumiſiſſe videtur.* d. l. un. § 8.

6*us*. *eſt, Si quis ancillam ſuam libero homini in matrimonium collocet, & dotem pro eâ conſcribat.* d. l. un. Cod. § 9.

Secùs ſi quis ancillâ ſuâ ut concubinâ utatur, ut etiam alienum eâ de causâ redimat. Hinc Diocletianus & Maximianus: De ancillâ matre natam, & ab eo redemptam in cujus fuit contubernio, ſi non manumittitur in ſervitute permanere non ambigitur. *l.* 29. *Cod. de Lib. causâ.*

(*a*) Ergo jam Ulpiani tempore hoc exoleverat. Cenſorinus *de Die nat.* cap. 18. cenſet, luſtrum ampliùs non eſſe conditam poſt Veſpaſianum.

(*b*) Qui ſcilicet ſingulis luſtris fiebat, ſeu ſingulis quinquenniis.

(*c*) Fiebant *Profeſſiones* provinciales; tributorum inter eos qui ſe ſuaſque facultates profeſſi erant dividendorum gratiâ: *Cenſus* civium Romæ fiebat, non propter ulla tributa à quibus immunes cives erant; ſed ut cognitis tum civium qui cenſebantur numero, tum eorum facultatibus quas profitebantur, paterent Reipublicæ vires. Illud etiam Cenſui qui Romæ fiebat, proprium eſt; quòd eum ſequeretur LUSTRUM ſeu ſolemne ſacrificium; quo mactatis Deo Marti, ſue, ove, & tauro, [indè dictum illud *Suove-taurilia*] populus in Campo Martio congregatus luſtrabatur univerſus.

(*d*) Is eſt *Joannes* hujus nominis Ius. qui fuit Epiſcopus Aurelianenſis circa finem XI ſæculi. *Albertus* qui ſuum ſervum manumittit, dicitur *Caſatus S.* † [id eſt, *ſanctæ Crucis*]: CASATI autem erant vaſſalli, ut latè D. Du Cange in verbo *Caſati*; fortè ita dicti, quòd ex proventibus caſarum Eccleſiæ viverent. Vide Annales Eccleſiæ Aurel. lib. IX in vitâ Joannis I.

(*e*) Pileo textus. Fuit inſigne libertatis adeptæ pileus: nam apud Romanos ſervi raſo & aperto capite miniſtrabant, Manumiſſi pileum raſo capiti imponebant. Hinc apud Plautum in Amphytr. *Ut ego hodie raſo capite calvus capiam pileum*: Act. 1. Scen. 1. *v.* fin. Hinc Perſeo capto Pruſias rex Bythiniæ Romam venit raſo & pilateo capite, profeſſus hoc habitu, ſe eſſe populi Romani libertum; Appian. in *Bell. Mithridat.* Et poſt mortem Neronis plebs *Pileata* per Urbem diſcurrebat quaſi recuperatâ libertate: Sueton in NERON. cap. fin.

(*f*) Cujacius interpretatur *ventilare*, quaſi ventum facere [*éventer le corps avec un éventail*].

Source : BIU Cujas

7^us. Si dominus INTER ACTA (*a*) quendam servum filium suum nominaverit. *sup. d. l. un.* § 10. *Cod.* de Lat. libert. toll.

8^us. *Si coram quinque testibus quis instrumenta quibus servum eum esse docebatur*, vel dederit servo, vel corruperit. *d. l. un.* § 11.

Omnes autem alios perducendi ad libertatem modos abrogavit Justinianus. d. l. un. Cod. § 12.

Nam & alii quoque præter suprà dictos in usu fuerant. Putà erat modus non solemnis manumittendi PER MENSAM: *scilicet quum dominus servum suum convivio adhibebat, animo donandæ ipsi libertatis; de quo Theophilus Institut.* de Libertin. *Et Caius item in* Institut. *lib.* 1. *tit.* 1. *Cæterùm interdum domini, citra dationem libertatis, hoc honore mensæ aliquo die festo servos sedulos remunerabant: ut liquet ex Columellâ lib.* 1. *cap.* 8. de Re rust. *ubi ad hoc dominos hortatur.*

I V.

Quocumque autem modo Manumissio fiat, ad eam maximè requiritur in domino voluntas manumittendi.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Sicut semel præstitam libertatem revocari non licet; sic per ea quæ non manumittendi causâ domini cum servis propriis agunt, nihil (*b*) sibi detrahunt. *l.* 20. *Cod. de Liberali causa.*

Hinc Item non fit liber; si mentitus dominus ne à Magistratibus castigaretur, dixit esse liberum; si non fuit voluntas (*Florent.* voluntatis) manumittendi. *l.* 17. § 1. *ff. Qui & à quib. manum.* PAUL. LIB. SING. DE LIBERTATIBUS.

V.

Cùm igitur errantis nullus sit consensus; non videbitur quis servum suum manumisisse, qui per errorem professus est eum esse liberum.

Undè Diocletianus & Maximianus. Cùm testamentum nullo jure constiterit; ex ejus qui ab intestato successit professione solâ, veluti ex testamento libertos per errorem profitentis; orcini vel proprii liberti, si non ipsius accessit judicium (cùm errantis voluntas nulla sit) effici non potuerunt. *l.* 8. *Cod. de Jur. & fact. ignor.*

Iidem rescribunt. Non idcircò minùs quòd à vobis (*c*) velut à liberis debitam accepisse pecuniam Sanius dicitur; cùm nullus sit errantis consensus, movere statûs quæstionem prohibentur ejus heredes. *l.* 9. *Cod. d. tit.*

Suffragantur Constans & Licinius. Jubemus omnes epistolas actricis quas ad Ælium tanquam principalem (*d*) fecerat, inanes ac vacuas esse atque in irritum devocari; ac de ingenuitate ejusdem Ælii requiri. Nec mulieri id obesse, quòd ad eum tanquam Decurionem ac principalem scripserit; vel id, quòd idem se finxerit Decurionem vel principalem; maximè cùm non solum testium professione & cognationis ejus, jugum servile cognoscitur: verùm etiam voce propriâ ejusdem Ælii apud aliud judicium, patuerat quòd conditionis servilis videretur. *l.* 41. *Cod. de Liberali causâ.*

Consonat quod ait Pomponius. Non videtur domini voluntate servus in libertate esse, quem dominus ignorasset suum esse. Et est hoc verum. Is enim demùm voluntate domini in libertate est, qui possessionem libertatis ex voluntate domini consequitur. *l.* 28. *ff. de Liberal. causâ.* POMP. LIB. 12. AD Q. MUCIUM.

V I.

Quòd si quis reverà voluerit manumittere, quamvis falsæ causæ errore deceptus; Manumissio valebit.

Verùm hoc casu, Quum ex falsis codicillis per errorem libertas, licèt non debita, præstita tamen ab herede fuisset; viginti solidos à singulis hominibus inferendos esse heredi Princeps constituit. *l.* 47. *ff. de Manum. testam.* PAPINIAN. LIB. 6. QUÆST.

Hujus Constitutionis Principis Hadriani meminit etiam Antoninus. Quamvis codicilli quibus avunculo defunctæ legatus esse videris, falsi pronuntiati sunt; tamen si ante motam criminis quæstionem, justam libertatem es à legatario (*e*) consecutus; posterior eventus non infirmat ita datam libertatem. Planè, secundùm Divi Hadriani Constitutionem, datur heredi viginti aureorum repetitio. *l.* 2. *Cod. de Fideicom. libert.*

Sed etsi conditionis implendæ gratiâ servum institutus manumiserit, ac posteà filius de inofficioso agendo tenuerit (*Aliàs* obtinuerit) vel testamentum falsum fuerit pronuntiatum; consequens erit, idem in hâc specie fieri quod in falsis codicillis constitutum est. *sup. d. l.* 47. § 1. *ff. de Manum. testam.*

V I I.

Pariter licèt quis coactus manumisit, valet Manumissio; salvâ manumissori actione QUOD METUS CAUSA *adversùs eum à quo coactus est. Vide l.* 9. § 2. *ff.* Quod met. caus. *& Cujacium ad h. l.*

Tres tamen casus excipiendi sunt.

1^us. *Est quum Manumissio fiebat modo non solemni. Hinc illud JCti veteris fragmentum alibi jam laudati:* In his qui INTER AMICOS manumittuntur, voluntas domini spectatur quæ jubet eos fieri Latinos quos dominus liberos esse voluit. Hoc tamen cùm ita se habeat (*f*), debet propositum manumittentis habere dominus: undè si per vim coactus V. G. ab aliquo vel ab unoquoque hominum (*g*), manumiserit; non veniet servus ad libertatem, quia non intelligitur voluisse qui coactus manumisit. FRAGM. *Veter. Jurisc.* § 9. *apud Pithœum.*

2^us. *Casus est quem refert Paulus.* Si privatus coactus à populo (*h*) manumiserit, quamvis voluntatem accommodaverit, tamen non erit liber. Nam & Divus Marcus prohibuit ex acclamatione populi manumittere. *l.* 17. *ff. Qui & à quib. manum.* PAUL. LIB. SING. DE LIBERT.

Scilicet Divo Marco auctore Amplissimus Ordo censuit; Ne quis in spectaculo quod datur, actorem (*i*) suum alienum-ve servum manumitteret; & si factum esset, pro infecto haberetur. *l.* 3. *Cod. Qui manumittere non poss.* ALEXANDER.

3^us. *Casus. A fortiori* Ille servus liber non (*k*) erit, qui coegerit ut eum dominus manumittat; & ille perterritus scripsit (*l*) liberum eum esse. *l.* 9. *ff. Qui & à quib. manum.* MARCIAN. LIB. 1. INSTITUT.

V I I I.

Manumissoris quidem voluntas in servi Manumissione requiritur; at non liberorum ejus. Hinc Diocletianus & Maximianus. Subscriptio filii domini manumittentis, nec addere secuta, nec omissa detrahere libertati quidquam potest. *l.* 32. *Cod. de Liber. causa.*

Nec necesse est etiam, ut quævis Manumissio rata sit, eam esse gratuitam.

Hinc iidem rescribunt. Licèt acceptâ pecuniâ dominus te manumisit, tamen tributa libertas rescindi non potuit. *l.* 33. *Cod. d. tit.*

(*a*) In actis publicis: [*au Greffe*]. Cujac. ad h. l.

(*b*) Exceptis tamen ex sup. d. l. un. Cod. *de Latin. libert. toll.* duobus casibus: si nempè servi funus præcesserunt pileati ex voluntate domini; aut si idem dominus servi ægroti dereliquit curationem.

(*c*) Quidam *Sanius* nomine, à servis pecuniam acceperat quasi *debitam.* Nullum autem civile debitum esse potest dominum inter & servum. Et hæc erat ratio dubitandi, an hoc facto & libertatem eis donâsset.

(*d*) *Principalem* civitatis; cùm fortè ille servus qui per errorem ingenuus credebatur, Decurionatu fungeretur.

(*e*) Cui heres ex falsâ legati causâ te tradiderat. Atqui hinc nota eum qui per errorem rem indebitam solvit, tamen ejus dominium in accipientem transferre.

(*f*) Rectior est hæc lectio quàm quod vulgò legitur: *Hoc tamen cùm ita habeant, debet promissum manumittentis, &c.*

(*g*) *Ab aliquo* privato; *vel ab unoquoque hominum*, id est, ab universâ multitudine. Vide l. seq.

(*h*) Ut accipiebat in spectaculis.

(*i*) Fabulæ scilicet.

(*k*) Hoc Jus ex aliquâ speciali Constitutione proficisci censet Cujacius.

(*l*) Putà Codicillis.

Source : BIU Cujas

TITULUS II.

DE MANUMISSIS VINDICTA.

A Manumiſſionibus in genere, ad varias earum ſpecies tranſeunt ordinatores Pandectarum; & incipiunt à ſingulari & vulgatiſſimâ illâ manumittendi inter vivos ſpecie quæ VINDICTA *dicitur, ſeu* Per Vindictam *fieri.*

I.

« VINDICTA *eſt virgula quædam quam lictor manu-* » *mittendi ſervi capiti imponens, eumdem ſervum in liber-* » *tatem vindicabat, dicens quædam verba ſolemnia. Atque* » *ideò (inquit Boethius in* Topic. *Ciceron.) illa Virgula,* » VINDICTA *vocabatur.* » *Rectiùs autem alii ita dictam putant à Vindicio quodam Vitelliorum ſervo, qui ob detectam Brutorum aliorumque juvenum conjurationem primus hoc ritu manumiſſus eſt: ut refert Livius, lib. 2. Alio nomine vocatur etiam* FESTUCA *: ut patet ex Perſio, Satyr. V.*

VINDICTA poſtquàm meus à Prætore receſſi:

Et ibidem:

Non in FESTUCA lictor quam geſtat inani.

Fiebat autem hæc manumiſſio verbis ſolemnibus. Nam » MANUMITTI *ſervus dicebatur, quum dominus ejus, aut* » *caput ejuſdem ſervi aut aliud membrum tenens dicebat:* » HUNC HOMINEM LIBERUM ESSE VOLO; *& emittebat* » *eum è manu.* » *Feſtus in verbo MANUMITTI. Hanc manumiſſionis formulam videre eſt etiam apud Livium XXIV.* 16. *ubi refert Gracchum Volones quorum operâ in pugna contra Hannonem uſus erat, ita manumiſiſſe:* » QUOD » BONUM FAUSTUM FELIXQUE REIPUBLICÆ IPSIS- » QUE ESSET, OMNES EOS LIBEROS ESSE JUBERE ». *Solebat etiam dominus qui ſervum manumitteret, illum circumagere. Hinc Perſius ſup. d. Satyr. V.*

. . . . Heu ſteriles veri, quibus una Quiritem
VERTIGO facit! Hic Dama eſt . . . .
VERTERIT hunc dominus, momento turbinis exit
MARCUS-DAMA.

Hoc ritu ſignificabat dominus ſe dare ſervo facultatem eundi quò vellet. Et quidem videtur hæc formula fuiſſe uſurpata, ABITO QUO VOLES: *Plaut. in* Menæch. V. 7. *& alibi. Quum dominus hæc dixiſſet; tum Prætor Vindictâ per lictorem capiti ſervi impoſitâ dicebat:* Aio TE LIBERUM MORE QUIRITIUM; *ut ex antiquiſſimi auctoris Manuſcripto didiciſſe ſe teſtatur Rævardus. Ad lictorem autem converſus Prætor aiebat;* SECUNDUM SUAM CAUSAM SICUTI DIXI, ECCE TIBI VINDICTA: *Valer. Prob. in libello* de Litter. antiq. *Lictor autem manumiſſum Vindictâ percutiebat; eique infligebat alapam: ſignificans hoc probrum pro ultimâ vice eum ſuſtinere, nec ampliùs licitum fore ei aliud inferri. Ad hunc ritum Sidonius alludit hoc verſu, Carm. II. ad Anthim.*

Quorum gaudentes expectant verbera malæ.

Quidam putant, non lictorem ſed dominum inflixiſſe ſervo alapam, & dominum injectione manûs in ſervum & hâc alapæ percuſſione, vi quâdam imaginariâ eum in ſervitutem vindicaſſe. Contrà autem lictorem, imponendo capiti hominis virgulam; eum vindicaſſe in libertatem; Prætoremque conſentiente domino ſecundùm libertatem pronuntiando, liberum eum ac civem effeciſſe.

II.

Cùm igitur hæc VINDICTA *manumiſſio ante Magiſtratum fieret certis ſolemnitatibus adhibitis, & ſolemnibus verbis tam à domino quàm à Magiſtratu prolatis; hinc Jure antiquo* Mutus & ſurdus ſervum Vindictâ liberare non poſſunt: inter amicos tamen & per epiſtolam manumittere non prohibentur.

Ut autem ad juſtam libertatem pervenire poſſit, conditione venditionis excipi poteſt (*a*). PAUL. SENT. LIB. 4. *Tit.* 12. § 2.

Hæc ita ſtricto Jure. Cæterùm jam ante Pauli tempora Celſus libro-duodecimo Digeſtorum, utilitatis gratiâ motus, ſurdum ita natum manumittere poſſe ait. *l.* 1. *ff. Qui & à quib. manum.* ULP. LIB. 1. AD SABIN.

Hermogeniani ævo, Manumiſſio per lictores hodie (*b*) domino tacente expediri ſolet; & verba ſolemnia licèt non dicantur, ut dicta accipiuntur. *l.* 23. HERMOGEN. LIB. 1. JURIS EPITOM.

III.

Certè præſentia domini requiritur. Undè Nec mulierem per maritum, nec alium per procuratorem (*c*) Vindictâ manumittere potuiſſe, non eſt ambigui Juris. *l.* 3. *Cod. de Vindict. libert.* DIOCL. MAXIM.

Receptum tamen, ut pater per filiumfamilias manumittere poſſit: ut videb. infrà Tit. Qui & à quib. man.

Maximè etiam oportet ut dominus velit manumittere. Cæterùm Quotiens dominus ſervum manumittat, quamvis exiſtimet alienum eſſe eum, nihilominùs verum eſt voluntate domini ſervum manumiſſum: & ideò liber erit. Et ex contrario, ſi ſe Stichus non putaret manumittentis eſſe, nihilominùs libertatem contingere. PLUS ENIM IN RE EST, QUAM IN EXISTIMATIONE; & utroque caſu verum eſt, Stichum voluntate domini manumiſſum eſſe. Idemque Juris eſt, & ſi dominus & ſervus in eo errore eſſent; ut æquè ille ſe dominum, nec hic ſe ſervum ejus putaret. *l.* 4. § 1. JULIAN. LIB. 42. DIGEST.

IV.

Præſentia quoque ſervi requiritur. Quâ interveniente, etiam Plures Vindictâ pariter manumitti poſſunt; & ſufficit præſentia ſervorum, ut vel plures manumitti poſſint. *l.* 15. § 2. PAUL. LIB. 1. AD L. ÆLIAM-SENTIAM.

Non neceſſe eſt autem ut qui manumittitur, intelligat quid agitur. Hinc Servum furioſum omni genere manumiſſum, ad libertatem perduci poſſe putat Labeo. *l. fin. ff. de Manumiſſionib.* JAVOLEN. LIB. 4. EX POSTER. LABEONIS.

Similiter Gaius. Juris ratio efficit, ut infantibus quoque competat libertas. *l.* 25. *ff. d. tit.* GAIUS LIB. 2. DE MANUM.

V.

Hæc manumiſſio fit apud Magiſtratus qui juriſdictioni præſunt; putà apud Prætorem, Conſulem. Item Apud Proconſulem, poſtquàm Urbem egreſſus (*d*) eſt, Vindictâ manumittere poſſumus. *l.* 17. PAUL. LIB. 50. AD ED.

(*a*) Id eſt; mutus ille debet ſervum ſuum vendere alicui, eâ lege ut illum manumittat.

(*b*) Hinc colligitur Hermogenianum demùm ſub Conſtantinopolitanis Imperatoribus floruiſſe; cùm ſolemnitates verborum in actibus legitimis, primùm à Conſtantino aut ejus liberis remiſſæ ſint. Vide Præfationem noſtram in Pandectas Part. 2â. Cap. 1. n. 90.

(*c*) Commune eſt actibus legitimis, ut per procuratorem non poſſunt expediri. Nec obſtat, quòd judicia per procuratorem exerceri poſſunt. Nam per litis conteſtationem procurator fieri intelligitur dominus litis.

(*d*) Vid. ſuprà lib. 1. Tit. *de Offic. Proconſ.* N. 6.

Sed

Source : BIU Cujas

Sed & apud Legatum ejus (*a*) manumittere possumus. *d. l.* 17. § 1.

Et quidem Etiam hi qui in Italiâ vel aliâ provinciâ domicilium habent, apud alterius provinciæ Præsidem consilio adhibito, manumittere possunt. *l.* 15. § 5. PAUL. LIB. 1. AD L. ÆLIAM-SENTIAM.

Item Apud Præfectum Ægypti possum servum manumittere; ex Constitutione Divi Augusti. *l.* 21. MODESTIN. LIB. 1. PANDECTARUM.

Sed & apud ipsum Imperatorem servus potest manumitti. Ubi observa quòd Imperator quum servum manumittit, non Vindictam (*b*) imponit; sed, cùm voluerit, fit liber is qui manumittitur: ex Lege Augusti. *l.* 14. § 1. *ff. de Manumissionib.* PAUL. LIB. 16. AD PLAUT.

Eos omnes apud quos sit hæc manumissio, ita complectitur Constantius. Apud Consilium nostrum, vel apud Consules, Prætores, Præsules, Præsides, Magistratus-ve earum civitatum quibus hujusmodi jus est, adipisci potest patronorum judicio sedula servitus libertatem. *l. fin. Cod. de Vind. libert.*

Nil refert autem an Magistratus apud quem manumittitur, sit paterfamilias necne. Nam & Apud filiumfamilias Magistratum manumitti potest; etiamsi ipse filiusfamilias manumittere non potest. *l.* 18. PAUL. LIB. 16. AD PLAUT.

V I.

Cùm manumissio sit actus voluntariæ jurisdictionis, nil refert in quo loco fiat. Igitur Non est omninò necesse pro tribunali manumittere. Itaque plerùmque in transitu servi manumitti solent, quum aut lavandi aut gestandi aut ludorum gratiâ prodierit Prætor, aut Proconsul, Legatus-ve Cæsaris. *l.* 7. GAIUS LIB. 1. RERUM COTTIDIANARUM SIVE AUREORUM.

Quinetiam Ulpianus ait. Ego quum in villâ cum prætore fuissem, passus sum apud eum manumitti; etsi lictoris (*c*) præsentia non esset. *l.* 8. ULP. LIB. 5. AD ED.

(*a*) Mendum irrepsit. Legendum est *apud Legatum Cæsaris*: id est, Præsidem. Falsum enim est, apud Legatum *Proconsulis* posse manumitti: ut disertè ait lex 2. § 1. ff. *de Offic. Proconf.* Cujacius.

(*b*) Princeps enim solutus esse debet solemnitatibus. Quod ipsi placet, Legis habet vigorem.

(*c*) Tam enim per se quàm per lictorem poterat *Vindictam* seu virgulam capiti servi imponere.

TITULUS III.

DE MANUMISSIONIBUS QUÆ SERVIS AD UNIVERSITATEM PERTINENTIBUS IMPONITUR.

I.

Hic Titulus est velut appendix superioris. Cùm enim in manumissione quæ per Vindictam *fit, præsentia domini & prolatio certorum verborum solemnium desideraretur; videbantur civitates, ac collegia aut corpora quælibet, non posse hoc modo servos suos manumittere: quia Legis actio per procuratorem explicari non poterat.*

Sed nec poterant servi civitatum & collegiorum manumitti CENSU. *Cùm enim is ritus manumittendi esset solemnis, videtur etiam non potuisse per procuratorem exerceri; & oportuisse ut præsente apud Censores, ac jubente domino servus censum profiteretur. His igitur duntaxat modis qui solemnes non erant, poterant manumitti: & de hâc manumissione intelligendus textus ille Varronis* de Ling. lat. *VII.* 41. Nomina habent ab oppidis, *inquit*, plerique libertini à municipio manumissi. *At hi civilem libertatem non consequebantur, sed eorum numero libertorum erant qui, ex Lege Æliâ-Sentiâ, dicebantur tantùm* in libertate morari. *Cùm porrò Lex Junia-Norbana, omnes quos Lex Ælia-Sentia in libertate morari patiebatur, Latinæ conditionis esse juberet; idem jus & municipiorum libertis competebat. Donec lata altera Lex quam* Legem VECTIBULICI (*a*) *vocant Diocletianus & Maximianus in l. fin. Cod.* de Serv. Reip. manum. *quâ effectum est ut servi Reipublicæ Romanæ manumissi civitatem consequerentur. Et hujus Legis vim ac potestatem postea Senatusconsulto sub Hadriano facto, Jubentio-Celso & Neratio-Marcello Consulibus, ad provincias porrectam esse, ibidem docent prædicti Imperatores: ut proindè post eam Legem, à municipiis quibuslibet manumissi cives Romani fiant.*

(*a*) Cujacius censet legendum *Vettii-Lybici*. Et verò nota est Vettiorum familia, pluresque hujus nominis fuere insignes viri quos recenset Cujacius Paratitl. Cod. ad h. tit. *de Serv. Reip. manum.* Quis autem ille fuerit Vettius-Lybicus, & quâ ætate hanc Legem tulerit, ignoratur. Heineccius *Histor. Juris Romani* § 253. ait Legem illam, quodcumque verum ejus nomen fuerit, latam esse oportere intrà annum ab U. C. 771. quo Lex Junia-Norbana rogata est, & annum 881 quo Consules inveniuntur Celsus & Neratius; sub quibus nempè Senatusconsulto in eam rem facto, hæc *Vectibulici* Lex etiam ad provincias fuit porrecta. Cùm verò [inquit Heineccius] *monstrum nominis sit illud* VECTIBULICI, *anno verò U. C 863. Consul cum L. Calpurnio-Pisone fuerit Vettius-Rusticus-Bolanus; non dubitamus quin scribendum sit Lex* VETTIA, *vel*, VECTIA-BOLANI.

Hæc porrò Manumissio Servorum Ad Civitates Pertinentium, fit ex Decreto ordinis Decurionum, accedente auctoritate Præsidis.

Hinc Gordianus. Si Decretum Ordinis auctoritas Rectoris provinciæ comprobavit, quo is libertatem acceperat cui postea fueras (ut proponis) matrimonio copulata; natum ex hujusmodi matrimonio, & civem Romanum esse & in patris potestate, non est opinionis incertæ. *l.* 2. *Cod. de Serv. Reip. manum.*

Quemadmodum autem circa eos qui à privatis manumittuntur, obtinet; ita Servus civitatis jure manumissus, non ademptum peculium retinet. Ideòque debitor ei solvendo liberatur. *l.* 3. PAPINIAN. LIB. 14. RESPONS.

Item nota libertum illum, non ideò in servitutem revocatum esse; quòd Tabellionatum quem servus exercebat, post acceptam à municipio libertatem exercere perrexerit: quamvis hæc professio à servis publicis soleret exerceri. Ita rescribunt suprà dicti Imperatores in d. l. fin. Cod. Serv. Reipub. manum.

I I.

Jus quod Civitatibus concessum fuerat, ut suos manumittere servos possent, D. Marcus ad collegia porrexit. Enimverò Divus Marcus omnibus collegiis quibus coeundi jus est, manumittendi potestatem dedit. *l.* 1. ULPIAN. LIB. 14. AD SABIN.

Quare hi quoque legitimam hereditatem liberti vindicabunt. *l.* 2. IDEM. LIB. 14. AD SABIN.

Source : BIU Cujas

TITULUS IV.

DE MANUMISSIS TESTAMENTO.

ET

TITULUS V.

DE FIDEICOMMISSARIIS LIBERTATIBUS.

EXpositâ illâ specie manumissionis inter vivos, quæ per Vindictam *fit; nihil est in cæteris quæ item inter vivos fiunt manumissionibus, quod speciali tractatione indigeat. Statim itaque ad eas quæ* TESTAMENTO *fiunt, transeundum: cùm autem testamento non solùm relinquantur directæ libertates, sed & fideicommissariæ; Titulo* DE MANUMISSIS TESTAMENTO, *immediatè subjicitur Titulus* DE FIDEICOMMISSARIIS LIBERTATIBUS.

Utile duxi Titulum utrumque conjungere; & de utrâque libertatis specie quæ testamento relinquitur simul agere, tam directâ quàm fideicommissariâ.

DIRECTA *ea est quæ directè ab ipso testatore, absque ullius personæ interpositione, conceditur.*

FIDEICOMMISSARIA *est ea quam quis ab heredibus suis aut ab alio quolibet præstandam relinquit.*

Circa utramque quæremus 1°. *Quibus servis possit relinqui libertas, sive directa sive Fideicommissaria; & de formâ hujus relinquendæ.* 2°. *Videbimus qui & quatenùs possint præstatione libertatis gravari; & qui gravati fuisse intelligantur:* 3°. *Quando & quatenùs competat libertas directè relicta:* 4°. *De præstatione libertatis per fideicommissum relictæ, sive servis testatoris aut heredis, sive etiam alienis; & quomodo his omnibus subveniatur, si moram in præstandâ ipsis libertate patiantur; item quomodo subveniatur partui edito dum mater moram in libertate pateretur:* 5°. *Quomodo intercidant relictæ testamento Libertates; & quando, quamvis destituto testamento, sustineantur.* 6°. *Denique agemus de Addictione bonorum, quæ fit Libertatum conservandarum causâ.*

SECTIO I.

Quibus servis relinqui possit Libertas, & quâ formâ relinqui debeat.

ARTICULUS I.

Quibus servis possit relinqui Libertas, tam directa quàm Fideicommissaria.

Iis duntaxat servis seu directa seu Fideicommissaria Libertas relinqui potest, qui ad libertatem pervenire possunt. Qui autem pervenire non possunt, vide infrà Tit. Qui & à quib. *Part.* 1ª.

(*a*) Putà si per servum hereditarium qui eum quolibet titulo compararet, hereditati acquireretur.

(*b*) Quamvis non fuisset testatoris, tempore mortis.

(*c*) Quum ab hostibus reversi fuerint.

(*d*) Id est, hereditatis. Erit pro parte libertus socii manumissoris, & pro parte libertus familiæ testatoris seu *Orcinus*.

§ I.

Directam Libertatem dari non posse nisi propriis testatoris servis.

I.

Hinc Carus, Carinus, & Numerianus. Servo tuo defunctus, licèt te heredem scripsisse proponitur, directam tamen libertatem non potuit dare: Jure enim directo libertatem servis alienis nemo potest dare. *l.* 9. *Cod. de Testam. manum.*

Quocircà Servius existimabat: Iis (*demùm*) posse servis dari testamento directam libertatem, qui utroque tempore, & quo testamentum fit, & quo moritur, testatoris fuerunt. Quæ sententia vera est. *l.* 35. *ff. de Manum. test.* PAUL. LIB. 50. AD ED.

In hoc tamen non omninò vera est hæc Servii sententia; quòd, non tam tempus mortis quàm tempus aditæ hereditatis inspiciatur. Nam Verum est eum qui liber esse jussus esset, alienatum à testatore; si ante aditam ejus hereditatem rursùs hereditarius (*a*) fieret, mox adiretur hereditas, ad libertatem pervenire (*b*). *l.* 58. *ff. d. tit.* MÆCIAN. LIB. 3. FIDEICOMM.

Et quod dicimus servum cui directa libertas relinquitur, servum testatoris esse debere, sic accipe; vel reverâ, vel saltem fictione postliminii.

Hinc Si servi qui apud hostes sunt, liberi esse jussi sunt, ad libertatem perveniunt (*c*); quamvis neque testamenti neque mortis tempore, testantis, sed hostium fuerunt. *l.* 30. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 19. AD ED.

II.

Cæterùm oportet ut in solidum servus sit testatoris. Quamvis tamen uno casu utiliter communi servo relinquitur libertas; nimirùm in eum casum quo alter socius eum manumittet.

Hoc autem casu: Si socius testamento libertatem ita dederit; PAMPHILUS, SI EUM SOCIUS MANUMISERIT, LIBER ESTO: Servius respondit; Socio manumittente, communem fieri libertum, familiæ (*d*), atque manumissoris. Neque enim novum aut incognitum est, vario (*e*) jure, communi mancipio libertatem obtingere. *l.* 48. *ff. de Manum. test.* PAPIN. LIB. 10. QUÆST.

Sed etsi servi in solidum dominus fuero; directam ei libertatem relinquere non potero, si non pleno ac libero jure meus sit; putà sit pignoratus. Sed hoc casu directa libertas benignè trahetur ad Fideicommmissariam: Ut docet Ulpianus: Si quis servo (*f*) pignerato directam libertatem dederit: licèt videtur Jure subtili inutiliter reliquisse; attamen quasi & Fideicommissariâ libertate relictâ, servus petere potest ut ex fideicommisso liber (*g*) fiat. Favor enim libertatis suadet ut interpretemus & ad libertatispetitio-

(*e*) Ut hîc, Ex testamento, & Vindictâ.

(*f*) Proprio, sed pignerato.

(*g*) Secùs obtinet quum prorsùs alieno servo directa libertas relicta est. Hæc enim nullius momenti est: ut expresè dicitur in l. 100. § 9. ff. *de Legatis*, quam vide d. tit. N. 210. Cujacius in Tractatu ad Afric. ad d. l. hanc differentiam observat, inter libertatem servo prorsùs alieno, & libertatem servo pignerato relictam.

Source : BIU Cujas

nem procedere teſtamenti verba : quaſi ex fideicommiſſo fuerat ſervus liber eſſe juſſus. Nec enim ignotum eſt, quòd multa contra Juris rigorem pro libertate ſint conſtituta. *l.* 24. § 10. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMM.

Item uno caſu teſtator ſervo in quo nudam proprietatem habet, utiliter libertatem relinquit. Nam Si fructuarium dominus proprietatis heredem ſcripſerit ; & ſervo ſub conditione ſit libertas data : quoniam interim fit heredis, confuſione factâ uſusfructûs ; ſi extiterit conditio, perveniet ad libertatem. *l.* 6. *ff. de Man. teſt.* ULP. LIB. 18. AD SABIN.

§ II.

Fideicommiſſariam libertatem rectè dari ſervis etiam alienis.

III.

Libertates etiam per fideicommiſſum dari poſſunt ; & quidem largiùs quàm directò. Nam non tantùm propriis, ſed & alienis ſervis per fideicommiſſum libertas dari poteſt : ita tamen ut vulgaribus verbis, & quibus evidenter voluntas teſtatoris exprimi poſſit. *l.* 16. *ff. de Fideic. libert.* LICINNIUS-RUFINUS LIB. 5. REGUL.

Nam Generaliter dicemus eos poſſe fideicommiſſariam libertatem adſcribere, qui fideicommiſſum (*a*) pecuniarium poſſunt relinquere. *l.* 24. *pr. ff. de Fideicom. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEICOM.

Et quidem Et Principis ſervo, vel municipii, & cujus alterius, Fideicommiſſa libertas adſcripta valet. *l.* 24. § 1. *ff. d. tit.* ULPIAN. LIB. 5. FIDEIC.

Nec ſolùm quum teſtator ſervum ſcivit eſſe alienum, libertas ei relicta valet. Nam Paulus reſpondit ; Etſi alienus inveniatur ſervus, quem ut ſuum teſtator ab uno ex heredibus voluerit manumitti ; tamen cogendum eum qui rogatus eſt, redimere eum & manumittere : quoniam non putavit ſimilem eſſe cauſam libertatis (*b*), & fideicommiſſi pecuniarii. *l.* 39. *ff. de tit.* PAUL. LIB. 13. RESPONS.

IV.

Cùm ſervis prorsùs alienis Fideicommiſſaria libertas utiliter relinquatur ; ergo & ſervis heredis. Hinc Scævola in ſpecie ſequenti. Quidam Uxori dotem & alias res plures legavit, & ejus fidei commiſit ut Aquilinum ſervum proprium mulieris apud Conſilium manumitteret. Id negat ſe facere debere, quòd ipſius proprius eſſet. Quæro an libertas ei debeatur ? Reſpondit ; Uxorem, ſi ex teſtamento non ſolùm dotem, ſed etiam cætera legata præſtari ſibi vellet, compellendam ex causâ fideicommiſſi Aquilinum manumittere : eumque, quum liber erit, petiturum ea quæ ſibi legata ſunt. *l.* 19. § 1. *ff. de Fideic. lib.* SCÆVOLA LIB. 24. DIGEST.

Circa ſervos heredis quibus Fideicommiſſaria Libertas relinquitur, Gaii-Caſſii non eſt recepta ſententia ; exiſtimantis, & heredi & legatario remittendam interdum proprii ſervi manumittendi neceſſitatem ; ſi vel uſus tam neceſſarius eſſet ut eo carere non expediret, veluti diſpenſatoris, pedagogi-ve liberorum ; vel tantùm delictum eſt, ut ultio remittenda non eſſet. Viſum eſt enim ipſos in ſuâ poteſtate habuiſſe (*c*) : nam potuiſſent diſcedere à causâ teſtamenti ; quâ non ommiſsâ, debere voluntati defuncti obſequi. *l.* 35 *ff. de Fideic. libert.* MÆCIAN. LIB. 15. FIDEICOMMISSORUM.

V.

Non tamen cujuſvis hominis ſervo rectè datur libertas. Nam Alieno ſervo dari poteſt per fideicommiſſum libertas ; ſi tamen ejus ſit, cum quo teſtamenti factio eſt. *l.* 31. *ff. de Fideicom.* PAUL. LIB. 3. FIDEICOMM.

Adde, aut in eum caſum detur quo hujuſmodi dominum habebit. Hinc Hoſtium ſervo ſi Fideicommiſſaria libertas fuerit adſcripta ; poteſt tractari an non ſit ineſficax ? Et fortaſſis quis dixerit indignum eſſe, civem Romanum fieri hoſtium ſervum. Sed ſi in caſum relinquatur, in quem noſter eſſe incipit ; quid prohibet dicere libertatem valere ? *l.* 24. § 2. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMM.

Sed & Servo ejus qui nondum in rebus humanis eſt, libertas rectè per fideicommiſſum relinquitur. *d. l.* 24. § 4.

Quòd Si ſervus in mettallum fuerit damnatus, libertatem ſperare non poterit. Quid ergo ſi Fideicommiſſaria libertas ei relicta ſit ; & pœnâ metalli, indulgentiâ Principis, ſit liberatus ? Et eſt reſcriptum ab Imperatore noſtro, hunc in dominium prioris domini non reſtitui. Cujus tamen ſit, non adjicitur. Certè cùm fiſci efficiatur (*d*), ſperare poteſt Fideicommiſſariam libertatem. *d. l.* 24. § 5.

Ex damnatâ in metallum concepto & nato Fideicommiſſaria libertas dari poterit. Quid mirum ; cùm etiam venumdari eum poſſe quaſi ſervum, Divus Pius reſcripſit ? *d. l.* 24. § 6.

VI.

Vidimus, & ſervo heredis, & prorsùs alieno, utiliter per fideicommiſſum relinqui libertatem.

Quinetiam Si homini libero fuerit libertas per fideicommiſſum adſcripta, & is in ſervitutem redactus proponatur ; petere poteſt libertatem : ſi modò mortis tempore vel conditionis exiſtentis, inveniatur ſervus. *l.* 24. § 3.

An ei qui in utero eſſet, libertas relinqui poſſit dubium fuit. Definivit autem Juſtinianus, poſſe : &, ſi plures uno partu editi ſint, omnibus relictam videri ; quamvis teſtator unius fecerit mentionem. l. 14. *Cod.* de Fideicommiſſ.

ARTICULUS II.

De formâ relinquendæ libertatis teſtamento ; & quid eâ in re differant directæ Libertates à Fideicommiſſariis.

§ I.

Quæ propria ſint directis libertatibus, circa formam relinquendi.

VII.

1°. *Furia* Lex cavet, ut libertates ſervis teſtamento Nominatim dentur. ULP. FRAGM. *tit.* 1. § *fin.*

Cæterùm Nominatim codicillis manumiſſus videtur ſervus, cujus nomen teſtamento (*e*) continetur. *l.* 37. *ff. de Manum. teſtâm.* PAUL. LIB. 9. AD PLAUT.

Non ideò minùs autem nominatim relicta libertas videbitur, quòd in aliquâ nominis ſyllabâ teſtator erraverit. Hinc Scævola. Qui habebat ſervum Cratiſtum, teſtameto ita cavit : SERVUS MEUS CRATINUS LIBER ESTO. Quæro an ſervus Cratiſtus ad libertatem pervenire poſſit ? cùm teſtator ſervum Cratinum non habebat, ſed hunc ſolum Cratiſtum. Reſpondit, Nihil obeſſe quod in ſyllabâ erraſſet. *l.* 54. *ff. d. tit.* SCÆVOLA LIB. 4. RESPONS.

Imò, etſi nomen ſervi prorsùs omiſſum ſit. Hinc Paulus : Nominatim manumittere intelligitur hoc modo : STICHUS LIBER ESTO. Quum autem ; OBSONATOREM (*f*), vel QUI EX ANCILLA ILLA NASCITUR, liberum eſſe volo : ex Orphitiano (*g*) Senatuſconſulto perindè libertas competit, ac ſi nominatim data ſit. Officiorum enim

(*a*) Ut igitur in fideicommiſſo pecuniario non requiritur teſtatorem dominum ſuadet ut interpretatur & ad libertatis eſſe rei per fideicommiſſum relictæ, ita nec in libertate fideicommiſſariâ.

(*b*) Rei alienæ legatum aut fideicommiſſum ita valet, ſi teſtator ſcivit rem alienam eſſe : ut vid. Tit. *de Legatis* N, 125. Aliud obtinet favore libertatis.

(*c*) Non manumittere.

(*d*) Is cui pœna metalli remittitur, fiſci ſervus efficitur : l. 8. Cod. *de Sentent. paſſis.*

(*e*) Putà ſi quis ſuo ſervo Sticho aliquid legaverit teſtamento, & poſtea codicillis ſcribat : *Ille quem teſtamento nominavi*, & cui tale legatum adſcripſi, *liber eſto.*

(*f*) Qui obſoniis comparandis præpoſitus eſt [*le Pourvoyeur de la maiſon*].

(*g*) An idem ſit Senatuſconſultum Orphitianum, quo matrum hereditates liberis delatæ ſunt ; an diverſum ejuſdem nominis Senatuſconſultum, cujus ætas ignoretur ; omninò incertum eſt.

Source : BIU Cujas

& artium appellatio, nihil de ſignificatione nominum mutat : niſi fortè plures ſint qui eo officio deſignentur ; tunc enim nomen adjungendum eſt, ut eluceat de quo teſtator ſenſiſſe videatur. PAUL. SENTENT. *lib.* 4. *tit.* 14. § 1.

Hinc Gaius. Nominatim videntur liberi eſſe juſſi, qui vel ex artificio, vel officio, vel quolibet alio modo evidenter denotati eſſent ; veluti Diſpenſator meus, Cellarius meus, Cocus meus, Pamphili ſervi mei filius. *l.* 24. *ff. de Manum. teſt.* GAIUS LIB. 1. RERUM COTTIDIAN. SIVE AUREOR.

Notandum quòd, quum ſub appellatione ſui officii mancipia manumittuntur, ſufficit eos tempore teſtamenti in eo officio fuiſſe, quamvis poſteâ eſſe deſierint. Hinc Scævola : Titia ſervis quibuſdam & ancillis nominatim directas libertates dedit ; deindè ita ſcripſit : « Et pediſſequas » omnes, quarum nomina in rationibus meis ſcripta » ſunt liberas eſſe volo. » Quæſitum eſt an Eutychia, quæ teſtamenti facti tempore inter pediſſequas libertatem acceperit, mortis autem tempore inveniatur actori in contubernio tradita ; ex generali Capite pediſſequarum, libertatem conſequi poſſet ? Reſpondit ; Nihil impediri libertatem pediſſequæ, quòd mortis demùm tempore pediſſequa eſſe deſiit. *l.* 59. *ff. d. tit.* SCÆVOLA LIB. 23. DIGEST.

VIII.

2°. *Hæc etiam cum cæteris pleriſque in teſtamento ordinantur, libertates directæ commune habent ; quòd* Ante inſtitutionem heredis teſtamento libertas dari non poteſt ; excepto teſtamento militis. ULP. FRAGM. *tit.* 1. § 18.

Inter medias heredum inſtitutiones libertas data ; utriſque adeuntibus, non valet. Solo autem priore adeunte, Jure antiquo valet. Sed poſt Legem Papiam quæ partem non adeuntis caducam facit ; ſi quidem primus heres Jus antiquum habeat, valere eam poſſe placuit ; quòd ſi non habeat, non valere conſtat ; quòd loco non adeuntis eâ Lege Ærarium partis heres (*a*) fiat. Sunt tamen qui & hoc caſu valere eam poſſe (*b*) dicunt. *d. tit.* § 19.

Jure Juſtinianeo libertates & legata, ante heredis inſtitutionem & inter medias inſtitutiones utiliter relinquuntur : ut vidimus ſuprà Tit. de Legatis. *N.* 34.

IX.

3°. *Directæ libertates, præterquàm ſi teſtamento militari quod omni ſolemnitate ſolutum eſt relinquantur, non poſſunt, niſi certis ac ſolemnibus verbis, relinqui.*

Hinc Papinianus. Teſtamento militis ita manumiſſam, SAMIAM IN LIBERTATE ESSE JUSSI ; directam libertatem jure militiæ (*c*) cepiſſe placuit. *l.* 49. *ff. de Manum. teſtam.* PAPIN. LIB. 6. RESPONS.

Ita etiam Alexander reſcribit. Ex his verbis, FORTUNATO LIBERTO MEO DO, LEGO ; vindicare tibi libertatem non potes, ſi pagani teſtamentum proponatur. At enim, cùm teſtatorem militem fuiſſe proponas ; ſi non errore ductus libertum te crediderit, ſed dandæ libertatis animum habuerit ; libertatem equidem directam competere tibi, ſed & legati vendicationem habere te, prærogativa militaris privilegii præſtat. *l.* 7. *Cod. de Teſtam. milit.*

Theodoſius & Valentinianus, abrogatis formularum ſolemnitatibus, permiſerunt libertatem directam etiam Græcis verbis relinquere. l. 14. *Cod.* de Teſtam. manum.

§ II.

Nullam in Fideicommiſſariis Libertatibus certam formam eſſe relinquendi.

X.

Libertates Fideicommiſſariæ quâ in parte teſtamenti, & nominatim necne relinquantur, nil intereſt.

In primis verò nullam verborum ſolemnitatem deſiderant.

Hinc Si petitum à teſtatore fuerit, NE POSTEA STICHUS SERVIRET ; placuit Fideicommiſſariam libertatem datam videri. Nam qui hoc petit ne poſtea ſerviat, videtur petere ut libertas ei præſtetur. *l.* 24. § 7. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEIC.

Sed & ſi ita ſcripſit : NE EUM ALIENES, NE EUM VENDAS ; idem erit dicendum (*d*) : ſi modò hoc animo fuerit adſcriptum, quòd voluerit eum teſtator ad libertatem perduci. Cæterùm ſi aliâ mente id ſcripſit ; ut putà quia conſilium dabat heredi retinere talem ſervum, vel quia coercere voluit ſervum & cruciare ne meliorem dominum experiatur, vel aliquâ mente, non tribuendæ libertatis animo : dicendum eſt, ceſſare libertatis præſtationem. Et ita Celſus libro vigeſimo-tertio Digeſtorum ſcribit. Non tantùm enim verba fideicommiſſi, ſed & mens teſtatoris tribuere ſolet libertatem Fideicommiſſariam. Sed quum ex præſumptione libertas præſtita eſſe videtur, heredis eſt contrariam voluntatem teſtatoris probare. *d. l.* 25. § 8.

Conſonat Marcellus. Quidam in teſtamento ſcripſerat : ILLUM ET ILLUM SERVOS MEOS VÆNIRE NOLO. Si ideò eos noluerit venumdari ut, ſi væneant, ad libertatem perveniant ; præſtanda erit libertas. Nam & illi videtur libertas relicta, de quo ita ſcriptum eſt : NOLO ALII QUAM TIBI SERVIAT. Secundùm hæc igitur, ſi quoquo modo vendere tentaverit ſervum, confeſtim peti poterit libertas : nec quominùs præſtet libertatem, proderit heredi ſi eum redemerit ; quia ſemel extitit conditio. *l.* 10. *ff. d. tit.* MARCELLUS LIB. 16. DIGEST.

XI.

Item in illâ ſpecie : « ROGO ne Stichus alterius ſervi- » tutem experiatur » ; intelligi datam Fideicommiſſam libertatem, placuit Principi. Quid enim tam contrarium eſt ſervituti, quàm libertas ? Nec tamen quaſi poſt mortem heredis data videbitur. Quod eò pertinet, ut ſi vivus eum alienaverit, confeſtim libertas petatur : nec profit ad impediendam libertatis petitionem, ſi redemerit eum cujus ſemel conditio extitit.

Idem probandum eſt, & ſi non voluntaria alienatio ab herede facta eſt. Nec refragabitur quòd non per ipſum alienatio facta eſt : fuit enim quaſi ſtatuliber, & quâcumque ratione conditio impleta eſt. *l.* 21. *ff. de tit.* PAPIN. LIB. 19. QUÆST.

Hinc Imperator Antoninus, quum Firmus Titiano tragœdos tres legaſſet, & adjeciſſet QUOS TIBI COMMENDO VE CUI ALII SERVIANT ; publicatis (*e*) bonis Titiani reſcripſit, Debere eos publicè manumitti. *l.* 12. *ff. d. tit.* MODESTIN. LIB. SINGUL. DE MANUMISSIONIB.

Ea tamen alienatio quæ ex causâ ipſius teſtatoris penderet, non committeret conditionem talis libertatis. Ita enim Marcellus. Cùm fidei heredis commiſit, NE ſervus alienam ſervitutem patiatur ; experiri poteſt confeſtim ut fuerit alienatus, & petere libertatem. Sed ubi alienatio non eſt voluntaria, ſed neceſſitas alienandi ex causâ teſtatoris pendeat ; propè eſt ut nondum debeat præſtari fideicommiſſum, quòd poteſt videri defunctus nihil ſenſiſſe de hujuſmodi caſu alienationis. *l.* 9. *d. tit.* MARCELL. LIB. 15. DIGEST.

XII.

Videbitur etiam relicta libertas in ſpecie ſequenti. Paulus reſpondit ; His verbis, ΝΙΣΤΕΥΣΟΝ, *&c.* [*id eſt*] « Crede » mihi, Zoile ; gratias tibi referet filius meus Martialis, » immò non tibi ſolùm, ſed & filiis tuis » ; plenam voluntatem defuncti contineri circa benefaciendum conjunctis perſonis Zoilum (*f*) : qui ſi ſervi ſint, nihil [eſt] gratum (*g*) his præſtari poſſe quàm libertatem.

(*a*) Sic in Gervaſii libro legi teſtatur Cujacius. Malè vulgò *legatarii partis heredes fiunt.*

(*b*) Quam ſententiam ſequitur Paulus : ut vid. ſuprà Tit. *de Legatis* N. 16.

(*c*) Ergo ſecùs obtinet in teſtamento Pagani.

(*d*) Scilicet ut libertas ei relicta videatur ; in caſum quo venderetur.

(*e*) Quaſi commiſſâ libertatis conditione per eorum publicationem, quamvis ſit alienatio non voluntaria.

(*f*) Cujacius legit *conjunctis perſonis & Zolio* ; id eſt, filiis Zoili & ipſi Zoilo. Parcit nomini *Filiorum*, circa filios Zoili ; & magis eos Juriſconſultus appellat *Conjunctas perſonas* : quia Jus Civile ſerviles cogitationes non agnoſcit.

(*g*) Cujacius legit, *nihil tam gratum.*

Source : BIU Cujas

Ideòque Præſidem debere ſequi voluntatem defuncti. *l.* 39. § 1. *ff. de Fideicomm. libert.* PAUL. LIB. 13. RESPONS.

Item qui ſervo communi partem quam in ipſo habet legat, ex Conſtitutione Juſtiniani intelligitur ipſi libertatem legare. l. 2. *Cod.* de Commun. ſerv. man.

XIII.

In Fideicommiſſariis Libertatibus, adeò parùm refert quibus verbis teſtator uſus ſit; ut, quamvis implicent, tamen ſi ejus voluntas conſtet, debeatur libertas: ut in ſpecie ſequenti. «THAIS ancilla mea, quum heredi meo ſer-» vierit annos decem, volo ſit mea liberta ». Quæritur, cùm libertam SUAM eſſe voluerit, nec id heres facere potuerit (*a*) nec directa purè (*b*) data ſit libertas; an etiam poſt decem annos in ſervitutem remaneret? Reſpondit, Nihil proponi cur non Thaidi libertas debeatur. *l.* 41. *ff. de Fideic. libert.* SCÆVOLA LIB. 4. RESPONS.

XIV.

Tacitè etiam & per conſequentias, voluntas relinquendæ libertatis colligitur; putà ex eo quòd ſervus tutor teſtamento datus ſit.

Hinc Valerianus & Gallienus. Etſi non, adſcriptâ libertate, teſtator ſervum ſuum tutorem filiis ſuis dederit; receptum eſt tamen, & libertatis & pupillorum favore, ut per fideicommiſſum manumiſiſſe eum videatur. Et ſi non ſuum proprium, ſed alienum ſervum conditionem ejus ſciens (*c*), tutorem adſcripſerit; æquè Fideicommiſſariam libertatem datam (niſi aliud evidenter defunctum ſenſiſſe appareat) Prudentibus placuit (*d*). *l.* 9. *Cod. de Fideicomm. libert.*

Plura de hoc caſu vid. ſuprà lib. 26. de Teſtam. tutel.

XV.

In ſpecie autem ſequenti, voluntas libertatem relinquendi non intelligitur. Lucius-Titius ita teſtamento cavit: » MEDICOS tibi commendo, illum & illum. In tuo » judicio erit, ut habeas bonos libertos & medicos. » Quòd ſi ego libertatem eis dediſſem; veritus ſum » quod ſorori meæ cariſſimæ fecerunt medici ſervi ejus, » manumiſſi ab eâ, qui ſalario expleto reliquerunt » eam. » Quæro an Fideicommiſſa libertas ſuprà ſcriptis competere poteſt? Reſpondit; Secundùm ea quæ proponerentur, non neceſſitatem heredibus impoſitam, ſed arbitrium permiſſum. *l.* 41. § 6. *ff. de Fideic. libert.* SCÆVOLA LIB. 4. RESPONS.

Similiter Diocletianus & Maximianus. Ex verbo COMMENDO, teſtamento vel codicillis non videri Fideicommiſſariam libertatem relictam eſſe, auctoritate Juris declaratur. *l.* 12. *Cod. de Fideic. libert.*

Item ex eo quòd libertas ſub conditione adimatur, non intelligitur ſub contrariâ conditione data.

Hinc Scævola. Lucius-Titius teſtamento ſuo ita cavit: » ONESIPHORE, niſi diligenter rationem excuſſeris, » liber ne eſto. » Quæro an Oneſiphorus ex his verbis libertatem ſibi vindicare poſſit? Reſpondit; Verbis quæ proponerentur, libertatem adimi potiùs quàm (*e*) dari. *l.* 59. § 2. *ff. de Manum. teſtam.* SCÆVOL. LIB. 23. DIGEST.

§ III.

Libertates directas non niſi teſtamento, Fideicommiſſarias etiam ab inteſtato relinqui poſſe.

XVI.

Libertates directæ, & teſtamento, & codicillis teſtamento confirmatis rectè dantur. Fideicommiſſæ, & ab inteſtato, & codicillis non confirmatis relinqui poſſunt. *l.* 43. *ff. de Manum. teſtam.* MODESTIN. LIB. SINGUL. DE MANUM.

SECTIO III.

Qui poſſint fideicommiſſo præſtandæ libertatis gravari, & quatenùs; & qui gravati fuiſſe videantur.

§ I.

Qui gravari poſſint, & gravati fuiſſe intelligantur.

XVII.

Vel omnes heredes, vel quidam tantùm ex illis, fideicommiſſo præſtandæ libertatis gravari poſſunt.

Quum autem quis libertatem fideicommiſſi verbis relinquendo, non expreſſit quem gravaret; QUISQUIS *ei heres erit, rogatus intelligitur..*

Hinc in eâ ſpecie: Quædam quum in extremâ eſſet valetudine, præſentibus honeſtis viris compluribus, & matre ſuâ ad quam legitima hereditas ejus pertinebat, ita locuta eſt; » ANCILLAS meas Mæviam & Seiam » liberas eſſe volo »; & inteſtata deceſſit. Quæro ſi mater ex Senatuſconſulto legitimam hereditatem ejus non vindicaſſet, & hereditas ad proximum cognatum pertinuiſſet; an Fideicommiſſa libertas deberetur? Reſpondit, Deberi. Nam eam quæ in extremis dixiſſet, ANCILLAS MEAS ILLAM ET ILLAM LIBERAS VOLO; videri ab omnibus qui legitimi heredes aut bonorum poſſeſſores futuri eſſent, petiſſe ut hoc fieri poſſit. *l.* 47. § 4. *ff. de Fideicomm. libert.* JULIAN. LIB. 42. DIGEST.

XVIII.

Interdum & qui rogatus non eſt, ſimul cum eo qui rogatus eſt intelligitur fideicommiſſo præſtandæ libertatis gravatus. Nam Quum inteſtatò moriturus, fidei filii commiſiſſet ut ſervum manumitteret; & poſthumus ei natus fuiſſet: Divi Fratres reſcripſerunt; QUIA dividi non (*f*) poteſt, utroque præſtandum. *l.* 31. § 1. *ff. de Fideic. libert.* PAUL. LIB. 3. FIDEICOMM.

Contrà interdum evenit ut duo rogati ſint, & tamen unus teneatur: ut in ſpecie de quâ ita Papinianus. Servum peculii caſtrenſis quem pater fideicommiſſi verbis (*g*), à legitimis [filiis (*h*)] heredibus liberari voluit; filium militem vel qui militavit, ſi patris heres extitit, manumittere cogendum reſpondi: quoniam proprium manumiſiſſe defunctus poſt donationem in filium collatam exiſtimavit (*i*) Portionem enim à fratre [domino (*k*)] fratrem eumdemque coheredem; citra damnum voluntatis redimere non cogendum. Nec ob eumdem errorem, cætera quæ pater in militiam profecturo filio donavit, fratri qui manſit in poteſtate (*l*) conferenda; cùm peculium caſtrenſe filius etiam inter legitimos heredes præcipuum retineat. *l.* 23. § 2. *ff. d. tit.* PAPIN. LIB. 9. RESPONS.

XIX.

Hactenùs de heredibus. Jam verò; Et legatarius non minùs quàm heres, rogari poteſt ſervum manumittere.

(*a*) Heres ex causâ fideicommiſſi manumittendo, non poteſt eam teſtatoris libertam facere; ſed ſuam ipſe libertam facit.

(*b*) Verbis enim precariis uſus eſt, VOLO *&c.*

(*c*) Nam ei quem crederet liberum, non poteſt intelligi voluiſſe relinquere libertatem.

(*d*) Juxte regulam; *Qui vult Conſequens, intelligitur velle & Antecedens.*

(*e*) Sunt qui hujus legis ſpeciem ita ponunt: Teſtatorem in priori teſtamenti parte fideicommiſſariam libertatem reliquiſſe Oneſiphoro; deindè in poſteriori parte hæc ſcripſiſſe, *Oneſiphore, niſi &c.* Oneſiphorus ex his verbis directam ſibi ſub contrariâ conditione relictam contendebat; ut non heredis, ſed Orcinus libertus eſſet. Scævola reſpondit, Ex his verbis libertatem ei non relinqui; ſed potiùs ei ſub hâc conditione adimi libertatem Fideicommiſſariam, quæ ei in priori teſtamenti parte erat relicta.

(*f*) Libertas pro parte præſtari non poteſt.

(*g*) Species legis hæc eſt: Pater filio militi donavit ex causâ militiæ ſervum. Per errorem autem Juris exiſtimans donationem hanc perindè eſſe invalidam, ac ſi ex quâvis aliâ causâ facta eſſet; adeòque ſervum quem donaverat, proprium ſibi manſiſſe; hoc errore ductus; præcepit eum ab omnibus ſuis heredibus manumitti. Reſpondet Papinianus; debere manumitti eum à filio milite ſolo, qui ſolus eſt hujus ſervi dominus.

(*h*) Vox *Filiis* abundat.

(*i*) Falsò, & errore Juris.

(*k*) Cujacius cenſet hanc vocem [*domino*] ut malum gloſſema expungendam, & ſententiam hanc eſſe; errorem patris qui putavit ea quæ filio donaverit causâ militiæ, propria ſibi manſiſſe, non mutare rei veritatem: adeòque nihilominùs & hunc ſervum & cætera quæ ex causâ militiæ donavit, propria filii eſſe; nec eſſe ab eo conferenda. Debere igitur ſervum ab eo ſolo manumitti, cùm hujus ſit ſolus dominus.

(*l*) Cujacius legit *in paganis.*

Source : BIU Cujas

Et, si ante manumissionem decesserit, successores ejus debent manumittere. *l.* 12. § 1. *ff. de Fideic. libert.* MODESTIN. LIB. SINGUL. DE MANUMISSIONIB.

Hinc Quum in testamento scriptum est. STICHUM TITIO LEGO; vel, HERES MEUS DATO, ITA UT EUM TITIUS MANUMITTAT: dixi petenti legatario Stichum, exceptionem Doli mali obstaturam; nisi caverit se libertatem secundùm voluntatem defuncti præstaturum. *l.* 48. *ff. d. tit.* JULIAN. LIB. 62. DIGEST.

X X.

Denique cùm & debitorem fideicommisso gravari posse viderimus suprà Tit. de Legatis N. 86. *ita etiam & de libertate præstandâ gravari poterit.*

Igitur Si debitor rogatus sit à creditore ancillam suam pignoratam manumittere; defendendum est, Fideicommissariam libertatem utiliter relictam à debitore. Quid enim interest, certa quantitas ab eo relinquatur, an Fideicommissaria libertas? Sive plus sit in pretio, sive minùs, cogitur libertatem præstare; si modò semel adgnovit voluntatem creditoris. Adgnovisse autem sic accipimus; si fortè quum conveniretur ab herede, usus est exceptione; vel aliàs voluntatem suam ostendit. Nam si conveniatur debitor ab herede creditoris; Doli exceptione uti potest in id quod intererit debitoris ancillam suam habere. *l.* 45. *ff. de Fideicomm. libert.* ULP. LIB. 5. DISPUT.

X X I.

Observandum quòd, quum tutor heredis rogatur servum suum manumittere, & ipse pupillus rogatus videatur.

Hinc Scævola. Tutoris quem & ipsum testamento liberis dederat, fidei commisit de manumittendis servis ipsius tutoris. Sed is à tutelâ excusatus fuerat. Quæro, an eisdem servis libertatem præstare deberent tutores, qui in locum excusati dati tutelam administrarent? Respondit; Secundùm ea quæ proponerentur, libertates & ab heredibus scriptis (*a*) videri datas. *l.* 41. § 2. *ff. de Fideicomm. libert.* SCÆVOL. LIB. 4. RESPONS.

§ II.

Quatenùs quis fideicommisso præstandæ libertatis gravetur.

X X I I.

Si quis alienum vel suum servum rogatus sit manumittere, & minùs sit in eo quod accepit judicio testatoris, plùs sit in pretio servi: an cogatur vel alienum redimere, vel suum manumittere, videndum est? Et Marcellus scripsit; Cùm ceperit legatum, cogendum omnimodo suum manumittere. Et sanè hoc Jure utimur; ut multum interfit, suum quisque rogatus sit manumittere, an alienum. Si suum; cogetur manumittere, etiamsi modicum accepit (*b*): quòd si alienum; non aliàs erit cogendus quàm si tanti possit redimere, quantùm ex judicio testatoris consecutus sit. *l.* 24. § 12. *ff. de Fideicomm. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMMISSOR.

Item alibi. In Fideicommissariâ libertate, quamvis quis modicum legatum fuerit consecutus, necesse habet servum suum manumittere. Pecuniarium enim fideicommissum si divisum (*c*) fuerit; satis injuriam facit libertati, quàm fideicommissario. Satius est igitur eum qui agnovit legatum, onerari; quàm libertatem intercidere. *l.* 45. § 1. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 5. DISPUT.

X X I I I.

Quòd si legatarius nihil omninò ex legato sibi relicto capiat, quia illud statim restituere gravatus est; nec proprium servum tenebitur manumittere.

Hinc idem Ulpianus. Si cui legatum sit relictum, isque rogatus sit servum proprium manumittere, & id quod legatum est præstare; an Fideicommissaria libertas præstanda sit? Quosdam movet, quia, si fuerit coactus ad libertatem præstandam, ex necessitate ad fideicommissi quoque præstationem erit cogendus. Etsi qui putant (*d*) non esse cogendum: nam & si mihi legatum fuisset relictum, & id rogatus essem Titio restituere confestim, & præterea Fideicommissam libertatem servo meo præstare; sine dubio diceremus, non esse me cogendum ad libertatis præstationem quia nihil pretii nomine videor accepisse.

Planè si fortè post tempus fuerit rogatus restituere sibi legatum relictum; dici potest, propter medii temporis fructum, cogendum eum manumittere. *l.* 24. § 19. *ff. de Fideicomm. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMM.

Simili ratione: Si rogatus quis alii fundum (*e*) quum morietur, alii centum præstare; si tantùm ex fructibus fundi perceperit quantùm est in fideicommisso (*f*), cogendum eum præstare. Sic fit ut sit in pendenti fideicommissum pecuniarium (*g*), & fideicommissæ libertatis præstatio. *d. l.* 24. § 20.

X X I V.

Quod hactenùs de legatario diximus, de herede dictum puta. Proindè consequenter Marcellus ait; Eum quoque qui heres institutus est, si quidem aliquid ad eum deducto ære alieno pervenit, cogendum esse suum manumittere; si verò nihil pervenit, non esse cogendum. *d. l.* 24. § 13.

X X V.

Hæc obtinent, quum quis proprium servum rogatus est manumittere. Quum autem alienum; diximus non aliter cogi quem manumittere, nisi tantum ex legato fuerit consecutus quanti servus redimi potest.

Planè si fortè minus relictum est alicui, verùm crevit legatum ex aliquâ causâ; æquissimum erit, tanti eum cogi redimere quantùm ad eum pervenit. Nec causari debere, quòd minùs illi relictum sit; cùm creverit ejus legatum per testamenti occasionem. Nam & si ex morâ fructus usuræve fideicommisso accessissent, dicendum est libertatem præstandam. *d. l.* 24. § 14.

Proindè & si servi pretium decrevit; dicendum est, redimere cogendum. *d. l.* 24. § 15.

Quòd si legatum sit imminutum; videndum, an cogatur servum manumittere, qui speravit legatum uberius consecuturum? Et putem, si legatum refundere (*h*) sit paratus, non esse cogendum: idcircò quia aliâ contemplatione agnovit legatum, quod ex inopinato deminutum est. Parato igitur ei à legato recedere, concedendum erit; nisi fortè residuum legatum ad pretium sufficit. *d. l.* 24. § 16.

X X V I.

Quid ergo si plures servos rogatus sit manumittere, & ad quorumdam pretium sufficiat id quod relictum est, ad omnium non sufficiat? An cogendus sit quosdam manumittere? Et putem debere eum cogi, vel eos quorum pretium patitur (*i*), manumittere. Quis ergo statuet qui potiùs manumittitur? utrùm-ne ipse legatarius eligat quos manumittat, an heres? Et fortassis quis rectè dixerit, ordinem scripturæ sequendum. Quòd si ordo non pareat; aut sortiri eos oportebit, ne aliquam ambitionis vel gratiæ suspicionem Prætor habeat; aut

(*a*) Liberis testatoris, quorum tutorem rogaverat. Et quidem maximè videri debet tutorio nomine rogatus tutor, adeòque ab ipsis pupillis heredibus libertas relicta; si nullum ei legatum relictum est. Sed etsi relictum esset, & proprio nomine rogatus esset; cùm excusando se amittat legatum, adhuc à pupillis heredibus præstanda esset libertas; apud quos remanet legati emolumentum.

(*b*) Agnoscendo enim legatum, tanti duntaxat suum servum æstimasse videtur. Est autem rei suæ æstimator & arbiter.

(*c*) Græci videntur legisse *si donatum*; id est, si solutum fuerit. Et sensus est; quum legatarius legatum accepit, magis fit *injuria libertati* si non præstetur, *quam* huic *legatario* si eam præstare cogatur. Nullam enim videri potest injuriam pati, aut gravari in plùs quàm accepit; cùm accipiendo legatum non pluris videatur æstimasse servum suum, quàm quod ipsi legatum est. Est autem rei suæ legitimus æstimator.

(*d*) Id est, quanquam sint qui putant non esse cogendum libertatem præstare. Et rectè. *Nam* &c.

(*e*) Ipsi legatum.

(*f*) Centum.

(*g*) *Fideicommissum pecuniarium* in specie hujus §*i.*, & *fideicommissæ libertatis præstatio* in specie §*i.* præcedentis ejusdem legis.

(*h*) Id est, repudiare.

(*i*) Id est; *eos* saltem *quorum pretium* sufficiens ad id quod relictum est, *patitur* eos manumitti.

Source : BIU Cujas

meritis cujuſque allegatis arbitrarii, id eſt, elegi eos oportet. *d. l.* 24 § 17.

Simili modo dicendum eſt; & ſi redimere juſſus ſit, libertatemque præſtare; nec pecunia quæ legata eſt, ſufficiat ad redemptionem omnium quibus libertas data eſt. Nam & hîc idem erit quod ſuprà probavimus. *d. l.* 24. § 18.

XXVII.

Hactenùs de caſu quo legatum quis agnovit. Multò minùs tenebitur de libertate præſtandâ, qui illud repudiavit. V. G. Eum cui mille nummi legati fuiſſent, ſi rogatus fuiſſet viginti ſervum manumittere; non cogi Fideicommiſſam libertatem præſtare, ſi legatum non caperet, conſtat. *l.* 8. *ff. de Fideicomm. libert.* POMPON. LIB. 7. EX PLAUT.

Hoc ita, niſi aliud legatum ipſi fuerit relictum quod agnoverit. Hinc Papinianus. Si legatario fundi, decem pretii nomine relicta ſint, in hoc ut ſervum ſuum manumittat: quamvis fundi legatum agnoverit; ſi tamen pecuniæ propter interventum Falcidiæ non agnoverit, cogendus eſt & pecuniam accipere (*a*) habitâ Legis Falcidiæ ratione, & ſervo Fideicommiſſariam libertatem præſtare, cùm ſemel fundi legatum agnovit. *l.* 22. *ff. d. tit.* PAPIN. LIB. 22. QUÆST.

Sed etſi legatum cui onus præſtandæ libertatis adſcriptum eſt, fuerit inutiliter relictum; legatarius recuſare onus non poterit, ſi aliud legatum ſibi utiliter relictum agnoverit.

Hoc videre eſt in ſpecie ſequenti; Luciùs-Titius Septiciæ filiæ ſuæ naturali Concordiam ancillam ſuam donavit. Idem poſtea teſtamento filiæ ſuæ, cum aliis quibuſdam ancillam ſuprà ſcriptam legavit (*b*) ut manumitteretur. Quæro an Septicia filia naturalis ancillam ſuprà ſcriptam manumittere cogi poſſit? Paulus reſpondit; Si vivo patre naturali donatio ancillæ fuit, neque patris naturalis judicium in cæteris legatis (*c*) filia agnovit; non poſſe eam compelli, ancillam propriam ex causâ fideicommiſſi manumittere. *l.* 40. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 15. RESPONS.

SECTIO III.

Quando competat libertas teſtamento directè relicta.

XXVIII.

Teſtamento libertas data, competit; purè quidem data, ſtatim quàm adita fuerit hereditas vel ab uno ex heredibus. Si in diem autem libertas data eſt, vel ſub conditione; tunc competit libertas, quum dies venerit vel conditio extiterit. *l.* 23. § 1. *ff. de Manum. teſtam.* MARCIAN. LIB. 1. INSTIT.

Igitur de libertate quæ purè data eſſet, intellige quod ait Pomponius: Quum teſtamento ſervus liber eſſe juſſus eſt; vel uno ex pluribus heredibus inſtitutis adeunte hereditatem, ſtatim liber eſt. *l.* 11. § 2. *d. tit.* POMP. LIB. 7. AD SABIN.

Conſonat Ulpianus: Teſtamento liber eſſe juſſus, tunc fit liber quum adita fuerit hereditas quâlibet ex parte: ſi modò ab eo gradu quo liber eſſe juſſus eſt, adita fuerit; & purè quis manumiſſus ſit. *l.* 25. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 4. REGUL.

Similiter reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Directis verbis jure datâ libertate, non ſolùm impoſitione pilei (*d*); ſed & aditâ hereditate (ſi nulla Juris impediat Conſtitutio) liberti conſtituuntur orcini (*e*). *l.* 10. *Cod. de Teſtam. manum.*

Quinetiam Sciendum eſt; neceſſario herede exiſtente, quamvis ſe abſtineat (*f*), tamen libertates competere: ſi modò non in fraudem Legis Æliæ-Sentiæ (*g*) datæ fuerint. *l.* 32. *ff. de Manum. teſt.* ULP. LIB. 65. AD ED.

XXIX.

Obſervandum quòd ita competit libertas niſi is cui relicta eſt, in eâ (tunc quum cedit) causâ eſſet ut libertatem adſequi non poſſet; putà, ſervus pœnæ affectus.

Cæterùm Si ſtatulibera ſerva pœnæ facta ſit; & poſt damnationem, ſtatutæ libertatis conditio extiterit: quamvis ipſi ſtatuliberæ nihil proficiat, partui tamen proficere oporteat; ut perindè liber naſcatur, atque ſi mater damnata non eſſet. *l.* 6. *ff. de Statulib.* ULP. LIB. 27. AD SABIN.

Quid tamen ſi qua conceperit in ſervitute (*h*); deindè ab hoſtibus capta, peperit ibi poſt exiſtentem conditionem? an liberum pariat? Et interim quidem, quin ſervus hoſtium ſit, nequaquàm dubium eſt. Sed verius eſt, poſtliminio eum liberum: quia, ſi mater in civitate eſſet, liber naſceretur. *d. l.* 6. § 1.

Planè ſi apud hoſtes eum concepiſſet, & poſt exiſtentem conditionem edidiſſet; benigniùs dicetur competere ei poſtliminium, & liberum eum eſſe. *d. l.* 6. § 7.

XXX.

Non ideò verò tardiùs competit libertas, quòd is cui relicta eſt, hereditatem expilaverit.

Hoc docet Scævola. Puram & directam domini ſui teſtamento libertatem Stichus acceperat; & ex hereditate multa per fraudem amoviſſe dicitur. Quæſitum eſt an non ante in libertatem proclamare debeat, quàm ea quæ ex hereditate amoviſſe probari poterit, heredibus reſtitueret? Reſpondit; Secundùm ea quæ proponerentur, eum de quo quæreretur, liberum eſſe. Clandius (*i*): Videtur abſolviſſe & id de quo quæritur. Nam heredibus ſatis conſultum eſt, Edicto (*k*) de furtis. *l.* 59. § 1. *ff. de Manum. teſtam.* SCÆVOLA LIB. 23. DIGEST.

XXXI.

Ex regulâ quam ſtatuimus, ſervum teſtamento manumiſſum ſtatim ab aditâ hereditate ad libertatem ipſo Jure pervenire, hoc conſectarium eſt; quòd Si ſervus hereditarius, nondum aditâ hereditate, furtum heredi fecerit, qui teſtamento domini manumiſſus eſt; FURTI actio adversùs eum competit: quia nullo tempore (*l*) heres dominus ejus factus eſt. *l.* 44. § 2. *ff. de Furtis.* POMP. 19. AD SABIN.

SECTIO IV.

De Fideicommiſſariæ Libertatis præſtatione.

ARTICULUS I.

Quando per fideicommiſſum relicta ſervis teſtatoris aut heredis libertas præſtari debeat, & à quibus præſtanda ſit.

§ I.

Quando præſtari debeat.

XXXII.

Libertas ſervis præſtari debet, ſtatim ubi dies hujus ceſſit;

(*a*) Idem dicitur ſuprà Tit. *de Legatis* N. 369.

(*b*) Inutile erat legatum Concordiæ ancillæ jam donatæ inter vivos, cùm res legatarii propria ei inutiliter legetur.

(*c*) Ergo ſi cæterarum rerum legatum agnoviſſet, quamvis Concordia à vivo patre ipſi eſſet donata, adeòque legatum Concordiæ eſſet inutile; tamen fideicommiſſo hujus manumittendæ eſſet obnoxia.

(*d*) Servi à teſtatore manumiſſi pileum capiti imponebant, & pileati funus præcedebant. Vide ſuprà Tit. *de Manumiſſionib.* N. 3. Not.

(*e*) Id eſt, ipſius defuncti.

(*f*) Nihilominùs enim eſt ipſo jure heres, & ſuâ exiſtentiâ confirmat teſtamentum.

(*g*) Id eſt; in fraudem creditorum, ab eo qui ſolvendo non eſſet. Vide infrà Tit. *Qui & à quib. manum.*

(*h*) Id eſt, dum adhuc eſſet ſtatulibera; ante conditionem ſcilicet.

(*i*) Hæc eſt Nota Claudii-Tryphonini ad Scævolam; in id nempè quòd reſponſo ſuo *videtur* Scævola *abſolviſſe & id* furtum *de quo quæritur.*

(*k*) Scilicet illo Edicto de quo infrà lib. 47. Tit. *Si is qui teſtam. liber &c.* ex quo datur actio in duplum, adversùs hunc manumiſſum.

(*l*) Si aliquo tempore ſervus heredis fuiſſet, non poſſet heres habere adversùs eum actionem *Furti*; ut vid. ſuprà lib. 9. Tit. *de Noxalib. ad.* N. 5.

Source : BIU Cujas

id est, statim ab aditâ hereditate si purè relicta est, vel statim atque dies aut conditio sub quâ relicta esset extiterit.

Et quidem, quemadmodum in directa obtinet ; ita etiam Fideicommissaria Libertas, prætextu compilatæ hereditatis aut rationis gestæ non differtur. *l.* 23. *ff. de Fideic. libert.* PAPIN. LIB. 9. RESP.

Etenim Si purè data sit Fideicommissa Libertas, & is servus rationes administrasse dicatur ; Divus Marcus rescripsit, moram libertati non esse faciendam : ex continenti tamen arbitrum dandum esse, qui computationem ineat. Verba Rescripti ita se habent : « ÆQUIUS » videtur Trophimo ex causâ fideicommissi præstari » Libertatem, quam sine conditione reddendarum ra- » tionum datam esse constat : neque humanum fuerit, » ob rei pecuniariæ quæstionem, Libertati moram » fieri. Quâ tamen repræsentatâ, confestim arbiter à » Prætore erit dandus ; apud quem, rationem quam » administrasse apparuit, ex fide reddat. » Tantùm igitur rationes reddere cogetur. Sed an & reliqua restituere debeat, nihil dicitur : nec puto cogendum (*a*). Nam de eo quod in servitute gessit, post libertatem conveniri non potest (*b*). Corpora planè rationum, & si quas res vel pecunias ex his detinet, cogendus est per Prætorem restituere ; item de singulis instruere. *l.* 37. *ff. de tit.* ULP. LIB. 6. FIDEICOMMISSORUM.

XXXIII.

Ex eo etiam non differtur præstatio libertatis, quòd jure alienandi interdictus sit is qui manumittere rogatus est.

Nam Qui Fideicommissariam Libertatem debet ; etiam eo tempore quo alienare prohibitus (*c*) erit, manumittere poterit. *l.* 31. § 2. *ff. de Fideicomm. libert.* PAUL. LIB. 3. FIDEICOMM.

Et alibi. Is autem qui rogatus est manumittere, etiam eo tempore quo alienare prohibetur, potest manumittere. *l.* 51. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 9. INSTIT.

§ II.

A quibus præstanda sit.

XXXIV.

Non tantùm ipse qui rogatus est manumittere, ad Libertatem perducere potest ; sed & successores ejus, sive emptione sive quo alio modo successerint. Sed etsi nemo successor extiterit ; ad fiscum ita transit, ut Libertas ab eo præstetur. *d. l.* 51. *pr.*

Rationem reddit Ulpianus. Quoties autem Fideicommissaria Libertas relinquitur efficaciter ; in eâ causâ est, ut neque alienatione, neque usucapione extingui possit. Ad quemcumque enim pervenit is servus cui Fideicommissa Libertas relicta est, cogi eum manumittere. Et ita est sæpissimè constitutum.

Cogetur igitur is ad quem servus pervenerit, Fideicommissam Libertatem præstare ; si hoc maluit is qui rogatus (*d*) est.

Latiùs enim acceptum est ut, & si sub conditione fuit ei Libertas relicta, & pendente conditione alienatus sit ; attamen cum suâ causâ alienetur. *l.* 24. §. 21. *ff. de Fideicomm. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMMISSORUM.

Quòd si nolit ab eo manumitti, sed potiùs ab eo velit ad Libertatem perduci quia erat rogatus manumittere ; audiri eum oportere Divus Hadrianus & Divus Pius rescripserunt. Quinimò & si jam manumissus est, velit tamen potiùs ejus libertus fieri qui erat rogatus eum manumittere ; audiendum eum Divus Pius rescripsit.

Sed & si ex personâ manumissoris, vel ex quâcumque causâ manumissus ostendere potest, jus suum lædi manumissione, vel etiam læsum : succurri ei ex his Constitutionibus oportet ; ne contra voluntatem defuncti, durior ejus conditio constituatur.

Planè si ea sit defuncti voluntas, ut vel à quocumque manumitti voluerit ; dicendum est, Constitutiones suprà scriptas cessare. *l.* 24. § 21. *ff. de Fideicomm. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMMISSORUM.

XXXV.

Igitur si contraria non appareat testatoris voluntas ; electionem habet servus, à quo potiùs manumittatur, & cujus potiùs libertus fiat. Nam Invitus is cui Fideicommissa Libertas relicta est, non est tradendus alii ; ut ab eo manumittatur, & fiat alterius libertus quàm qui rogatus est manumittere. *l.* 34. *ff. de Fideicom. libert.* POMPON. LIB. 3. FIDEICOMM.

Enimverò Si quis ex causâ fideicommissi manumissurus est, nullo modo deteriorem ejus servi conditionem facere potest. Ideòque nec vendere eum interdum alii potest ; ut ab eo cui traditus est, manumittatur : & si tradiderit, redimere illum cogitur, & manumittere. Interest enim nonnunquàm, à sene potiùs manumitti (*e*) quàm à juvene. *l.* 15. *ff. d. tit.* MODESTIN. LIB. 3. PANDECT.

Hinc Cui per fideicommissum Libertas debetur, liberi quodammodo loco (*f*) est, & statuliberi locum obtinet ; vel eo magis quòd nec in alium transferendus est, ut aut libertas ejus impediatur, aut jura patronorum graviora experiatur. *l.* 51. § 3. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 9. INSTITUT.

Tamen Si heres qui vendidit servum, sine successore decesserit ; emptor autem extet ; & velit servus, defuncti (*g*) libertus esse, non emptoris : non esse eum audiendum Valens scripsit, ne emptor & pretium & libertum perdat. *l.* 25. *ff. de Fideic. libert.* PAUL. LIB. 3. FIDEICOMMISS.

XXXVI.

Electionem hanc de quâ loquimur, servus habet ; etiam eo casu quo heres qui rogatus erat eum manumittere, illum cum cæteris rebus hereditariis restituit fideicommissario universali.

Id patet ex responso Pomponii ad Consultationem sequentem.

« Apud Julianum ita scriptum est : Si heres » rogatus servum manumittere, ex Trebelliano Sena- » tusconsulto hereditatem restituerit ; cogi debebit » manumittere : & si latitabit, vel si ex justâ causâ » aberit, Prætor, causâ cognitâ, secundùm Sena- » tusconsulta (*h*) ad eas causas pertinentia, pro- » nuntiare debebit. Si verò servum susceperit is « cui hereditas restituta fuerit, ipsum competit ma- » numittere (*i*) ; & eadem in personam ejus obser- » vari conveniet, quæ circa emptores custodiri solent » An hæc vera putes ? Nam ego discendi cupiditate, » quam solam vivendi rationem optimam in octavum » & septuagesimum annum ætatis duxi, memor sum » ejus sententiæ, qui dixisse fertur; KANTON, *&c.* [*id est*] » ETSI ALTERUM PEDEM IN TUMULO HABEREM, NON » PIGERET ALIQUID ADDISCERE. »

Bellissimè Aristo & Octavenus putabant ; hunc servum de quo quæreretur, fideicommissæ hereditatis non esse : quia testator rogando heredem ut eum manumitteret, non videtur de eo restituendo sensisse. Si tamen per errorem ab herede datus fuerit, ea dicenda sunt quæ Julianus scribit. *l.* 20. *ff. de Fideicomm. libert.* POMP. LIB. 7. EPISTOL.

(*a*) Nec obstat lex 82. ff. *de Cond. & dem.* ubi non aliter quàm redditis rationibus competit libertas. Ibi enim servus sub hâc conditione *Si rationes reddiderit*, manumissus fuit : hîc purè.

(*b*) Servus enim qui Jure Civili pro nullo habetur, non potuit dum servus esset civiliter obligari : infrà lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.*

(*c*) Ratio est quòd prohibitio alienandi, voluntarias duntaxat alienatione complectatur ; nec ad eas quæ ex necessitate fiunt, porrigatur.

(*d*) *Qui rogatus est* manumitti ; id est, servus ipse : ut patet ex iis quæ sequuntur.

(*e*) Ut non tamdiù officiales operas præstet.

(*f*) Non est liber ipso jure, si quidem manumittendus est. Nec proprie est statuliber ; cùm statuliber is dicatur, qui in eventum certæ conditionis aut dici liber extiturus est absque manumissione. Hic autem *statulibert locum obtinet* ; quia, ut statuliber nisi cum causâ competituræ libertatis alienatur, ita nec ille alienatur nisi cum causâ libertatis ipsi debitæ.

(*g*) Defuncti heredis.

(*h*) De quibus Art. seq.

(*i*) Id est, ad eum pertinet ut manumittat.

Similiter

Source : BIU Cujas

Similiter Papinianus. Fideicommiſſariam Libertatem ab herede non præſtitam, cogendus eſt heredis heres, qui reſtituit ex Trebelliano Senatuſconſulto hereditatem, præſtare; ſi ejus perſonam eligat, qui manumittendus eſt. *l.* 23. § 1. *ff. d. tit.* PAPIN. LIB. 9. RESPONS.

Idem obtinet, quâcumque ratione ſervus ad alium pervenerit. Hinc Ulpianus: Quum verò is qui rogatus eſt alienum ſervum manumittere, mortalitatis neceſſitate vel bonorum publicatione, ad alium, ſervum perduxit; magis opinor Conſtitutionibus eſſe locum, ne deterior conditio Fideicommiſſæ Libertatis fiat. Nam & quum quidam rogatus eſſet, QUUM MORERETUR, ſervum manumittere; iſque deceſſiſſet, libertate ſervo non datâ: perindè eum habendum conſtitutum eſt, atque ſi ad libertatem ab eo perductus eſſet. Poteſt enim eo teſtamento dare libertatem, utique directam. Sic fit ut quoties quis Libertatem accepit Fideicommiſſariam, ſi ab alio quàm qui erat rogatus, manumittatur, auxilium Conſtitutionum habeat; perindèque habeatur atque ſi ab eo manumiſſus fuiſſet: quoniam Fideicommiſſis Libertatibus favor exhibetur. Nec intercidere ſolet deſtinata Fideicommiſſa Libertas: qui enim eâ donatus eſt, in poſſeſſionem libertatis interim eſſe videtur. *l.* 26. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMM.

Quum ſub conditione legato ſervo libertas datur; non aliter fideicommiſſario tradi debet, quàm ut caveatur, exiſtente conditione, traditu iri eum. *l.* 47. § 3. *ff. d. tit.* JULIAN. LIB. 42. DIGEST.

ARTICULUS II.

Quomodo conſulatur ſervis propriis teſtatoris; quum non præſtatur Libertas, quæ ipſis deberi cœpit.

XXXVII.

De Libertate Fideicommiſſariâ præſtandâ ſervus cum domino contendit. *l.* 44. *ff. de Fideicom. libert.* POMPON. LIB. 7. AD SABIN.

Nota: Et hic eſt caſus ſingularis in quo ſervus ſtat in judicio; ſcilicet per cognitionem extraordinariam.

In hâc autem cognitione; Nihil facit ad interpellandam juriſdictionem ejus qui de Fideicommiſsâ Libertate cognoſcit, privilegium cujuſque vel civitatis vel corporis vel officii in quo quiſque eſt, vel conditio perſonarum. *l.* 36. § 2. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 16. FIDEICOMM.

Sed & Articuleanio (*a*) Senatuſconſulto cavetur; ut in provinciis Præſides provinciarum cognoſcant, licèt heres non ſit ejus provinciæ. *l.* 51. § 7. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 9. INSTITUT.

Hæc Libertatis ſibi debitæ perſecutio extraordinaria, non plenè ſervis conſulebat. Fieri enim poterat ut heres rogatus manumittere, abeſſet ſive ex dolo ſive etiam juſtâ de causâ. Fieri quoque poterat ut per coheredem qui rogatus non erat, & à quo pars ejus redimi non poterat, mora fieret libertati. His caſibus, ſervis teſtatoris proſpectum eſt per Senatuſconſulta ſequentia; Rubrianum ſcilicet, Daſumianum, & Vitraſianum.

§ I.

De Senatuſconſulto Rubriano; *quo proſpicitur ſervis teſtatoris adversùs moram Libertati factam, ex abſentiâ affectatâ ejus qui Libertatem debet.*

XXXVIII.

Subventum Libertatibus eſt Senatuſconſulto, quod factum eſt temporibus Divi Trajani, Rubrio-Gallo & Cælio-Hiſpone Conſulibus; in hæc verba: « SI HI A » QUIBUS libertatem præſtari oportet, evocati à Præ» tore adeſſe noluiſſent; ſi causâ cognitâ, Prætor pro» nuntiaſſet libertatem his deberi; eodem jure ſta» tum (*b*) ſervari, ac ſi directò manumiſſi eſſent. » *l.* 26. § 7. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMMISSORUM.

Hoc confirmat Juſtinianus in lege 15ª. *Cod.* d. tit.

Ut autem ex hoc Senatuſconſulto Libertas ſervo competat; hæc concurrere oportet: 1°. *Ut Libertas ipſi ſuiſſet debita;* 2°. *Ut ea ipſi non præſtetur, propter abſentiam ejus qui eam præſtare tenebatur:* 3°. *Ut is evocatus fuerit:* 4°. *Ut ejus abſentia non fuerit juſta.*

XXXIX.

Oportet 1°. *ut Libertas fuerit debita. Etenim* Hoc Senatuſconſultum ad eos pertinet, quibus ex causâ fideicommiſſi libertas debeatur. Proindè ſi Libertas non deberetur, obreptum tamen Prætori eſt de Libertate, pronuntiatumque ex hoc Senatuſconſulto; Libertas non competit (*c*) Et ita Imperator noſter cum patre ſuo reſcripſit. *l.* 26. § 8. *ff. de Fideicom. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMMISSORUM.

Cæterùm Erit Rubriano Senatuſconſulto locus, etiamſi ſub conditione Libertas data ſit; ſi modò per ipſum ſervum non fiet (*d*) quominùs conditioni pareat. Nec refert in dando, an in faciendo, an in aliquo caſu conditio conſiſtat. Immò etiam amittit libertum heres, ſi conditioni impedimentum fecerit; etſi filius defuncti ſit: quamvis alio jure habiturus ſit libertum (*e*). Nonnullam enim & hic pœnam (*f*) patitur: nam (*g*) & ſi in ſervitutem petierit, aut capitis accuſaverit, perdit bonorum poſſeſſionem contra tabulas. *l.* 33. § 1. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 3. FIDEICOMMISSORUM.

XL.

Oportet 2°. *ut qui abeſt, ille ſit qui libertatem præſtare debet.*

Quare ſi heres quidem latitet; legatarius autem vel fideicommiſſarius qui rogatus ſit Libertatem præſtare, præſens ſit; Senatuſconſultum deficit, & nihilominùs impedietur Libertas: proponamus enim legatarium nondum dominium ſervi nactum (*h*) eſſe. *l.* 26. § 11. *ff. de Fideicom. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMMISSOR.

Itaque hoc caſu Princeps adeundus eſt, ut & in hoc caſu Libertati proſpiciatur. *l.* 27. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 3. FIDEICOMMISSORUM.

Ex Conſtitutione autem Juſtiniani; quum ſervus legatus eſt ut manumittatur, & heres in legati præſtatione legatario moram facit; ſervus in Libertatem Decreto judicis eripitur, jure patronatûs legatario ſervato. l. fin. Cod. de Fideicom. libert.

XLI.

Quum autem ipſe qui rogatus eſt, moram facit; Rubriano

(*a*) Sub Trajano, eodem ipſo, & Articuleiano-Pæto Conſulibus.

(*b*) Horum ſervorum *ſtatum.*

(*c*) Nec obſtat quòd, quum Minor obrepſit Prætori circa cauſam manumiſſionis, & causâ ita per obreptionem probatâ manumiſit, obreptio non noceat libertati. Diſparitas eſt quòd in ſpecie oppoſitâ, obreptio verſetur circa aliquid extrinſecum libertati. Decretum enim quo cauſa probatur, removet tantùm obicem qui libertati obſtabat: cæterùm non ex hoc Decreto, ſed ex ipsâ manumiſſione proficiſcitur libertas. At in noſtrâ ſpecie, nonniſi ex ipſo Decreto, ſervus ad libertatem perducitur. Magis igitur hic nocere debet obreptionis vitium; quod ipſum actum ex quo ſervus ad libertatem perduceretur, afficit & corrumpit.

(*d*) Per heredem autem fiat. Quinetiam, etſi nec per heredem fieret; & conditio poteſtativa eſt, aut mixta quæ favore libertatis pro poteſtativâ habetur; videtur impleta vel ex eo ſolo quòd per ſervum non ſtet, quamvis nec per heredem ſtet: ut vid. ſuprà lib. 35. Tit. *de Cond. & demonſtr.*

(*e*) Scilicet non ut ipſe patronus, ſed ut filius patroni. Qui enim ex Rubriano Senatuſconſulto libertatem adipiſcitur, ipſius defuncti libertus fit.

(*f*) Quæ in eo conſiſtit, ut non ſit ipſe patronus. Minùs enim juris habet patroni filius, quàm haberet ipſe patronus; putà non poteſt adſignare libertum.

(*g*) Malè hinc Accurſius colligit, liberos duntaxat patroni, non etiam ipſum patronum excidere ex his cauſis à poſſeſſione *Contra tabulas.* Nam & ipſum patronum excidere eo jure ex his cauſis, docet diſertis verbis lex 10 ff. *de Jur. patron.* Alia igitur eſt hujus textûs ſententia: dicendumque particulam. NAM adverſativo ſenſu hîc ſumi pro *Sed:* quod frequentiſſimum eſt in Pandectis. Senſus autem eſt: Qui duntaxat libertati moram fecit, excidit quidem jure patronatûs quod ex propriâ perſonâ haberet ſi eum manumiſiſſet; verùm poteſt eum alio jure habere ut libertum, ſcilicet tanquam filius patroni. Sed ſi eum in ſervitutem petiiſſet aut capitis accuſaſſet, nec ex ſuâ, nec ex patris perſonâ poſſet jura patronatûs habere: & prorsùs perderet jura poſſeſſionis *Contra tabulas;* utpotè qui magis peccet.

(*h*) Scilicet ſervus erat *Per damnationem* ei legatus.

Source : BIU Cujas

locus est. Nec refert quis ille sit : nam Hoc Senatusconsultum ad omnes pertinet latitantes, quos Fideicommissam Libertatem præstare oportet. Proindè sive heres rogatus sit, sive quis alius ; Senatusconsulto locus est. Omnes enim omninò qui deberent Fideicommissam Libertatem præstare, in eâ causâ sunt, ut ad Senatusconsultum pertineant. *l.* 26. § 10. *ff. de Fideicom. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMMISSORUM.

Similiter Africanus : Si is cui servus legatus est, rogatus manumittere latitet ; Orcinum fieri libertum respondit. Idem fore, & si non legatarii sed heredis fidei commissum esset. Sed & si non omnium, sed quorumdam heredum fideicommissum sit ; æquè dicendum, Orcinum fieri. *l.* 49. *ff. d. tit.* AFRICAN. LIB. 9. QUÆST.

Obiter nota. In eos autem qui latitaverint, coheredibus à quibus redimendæ partes essent, utilem actionem eo nomine dari debere ; vel etiam Familiæ erciscundæ judicio rectè eos acturos. *d. l.* 49. ¶ *in eos.*

Quid Si eum servum cui erat Fideicommissa Libertas relicta, distraxerit is qui erat rogatus ; & emptor quidem latitet, is autem qui rogatus erat præsens sit ; an Rubriano Senatusconsulto locus sit ? Et ait Marcellus, Rubrianum locum habere ; quia abest quem manumittere oportet (*a*). *l.* 28. *ff. de Fideicom. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMMISSORUM.

Hoc autem casu nota quòd, si Is cui libertas debebatur, væniit : si vult ab herede manumitti, non erit interveniendum (*b*) ei cui heres præsens erit (emptor latitavit), quoniam (*c*) poterat uti Senatusconsulto ut quasi ex testamento ad Libertatem perveniat. *l.* 10. § 1. *ff. d. tit.* MARCELLUS LIB. 15. DIGEST.

XLII.

3°. *Evocatio requiritur ut ex hoc Senatusconsulto Libertas competat.*

Evocari autem à Prætore oportet, eos qui Fideicommissam Libertatem debent : cæterùm nisi fuerint evocati, cessat Rubrianum Senatusconsultum. Proindè denuntiationibus & Edictis, litterisque (*d*) evocandi sunt. *l.* 26. § 9. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMMISS.

4°. *Denique oportet ut evocatus absit non ex justâ causâ ; alioquin non huic Senatusconsulto locus esset, sed Dasumiano mox infrà.*

Hæc autem verba : ADESSE NOLUISSENT, non utique exigunt uti latitet is qui Libertatem præstare debebit. Nam etsi non latitet, contemnat autem venire ; Senatusconsultum locum habebit. *l.* 28. § 1. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMM.

Idem observatur etiam, si plures heredes constituti, Fideicommissam Libertatem præstare rogati, non justâ ex causâ abesse pronuntiati (*Florent.* pronuntiatum fuerit) fuerint. *d. l.* 28. § 2.

§ II.

De Senatusconsulto Dasumiano *quo consulitur servis testatoris, etiam adversùs justam absentiam ejus qui Libertatem debet.*

Hujus Senatusconsulti ætas ignoratur. Addit aliquid Rubriano, quo jam servis testatoris subventum erat adversùs eos duntaxat qui dolo abessent ; per Dasumianum autem iisdem servis subvenitur, etiam adversùs eos qui ex justâ causâ abessent : undè videtur Rubriano posterius. Satis probabile est, sub Trajano latum illud fuisse, sub quo Rubrianum & Articuleianum lata sunt. Certè ex l. 36. *ff.* de Fideic. libert. *constat Dasumianum non fuisse posterius ætate Mæciani, qui fuit Consiliarius Antonini-Pii.*

XLIII.

Senatusconsulto Dasumiano cautum est, ut si ex justâ causâ absit qui Fideicommissam Libertatem debet, & hoc pronuntiatum fuerit ; perindè Libertas competat, atque si ut oportet ex causâ Fideicommissi manumissus esset. *l.* 51. § 4. *ff. de Fideic. libert.* MARCIAN. LIB. 9. INSTITUT.

Et quidem loquitur in hoc textu Marcianus, non de herede solo, sed indeterminatè de eo qui Fideicommissam Libertatem debet ; nempè ex hujus Senatusconsulti sententiâ, quæ postea ad qualemcumque Fideicommissarii personam porrecta est, & quam Jurisconsultus refert. Ex ipsis autem quæ ad nos non pervenerunt Senatusconsulti verbis, de eo solo casu cautum fuerat quo HERES *Fideicommisso libertatis gravatus fuisset. Undè statim addit Marcianus :* Et quia [de) heredibus tantùm cautum erat, adjectum est (*e*) eodem Senatusconsulto ; ut QUICUMQUE Fideicommissam Libertatem debeat, ex quâcumque causâ pronuntiatum fuerit eum eos-ve abesse, perindè habeatur atque si ut oportet ex causâ fideicommissi manumissus esset. *d. l.* 51. § 6.

Proindè etiam Si quis, posteaquàm in eâ causâ esse cœperit ut ex Fideicommisso manumitti deberet, alienatus sit ; is quidem cujus interim servus erit (*f*), manumittere cogetur. *l.* 29. *ff. de Fideic. libert.* PAUL. LIB. 3. FIDEIC.

Nota : Sed (*g*) hîc non distinguitur (*h*) justâ an non justâ causâ absit : omnimodo enim Libertas (*i*) ei servatur. *d. l.* 29. ¶ *sed.*

XLIV.

Est igitur Dasumiano Senatusconsulto locus ; etsi is à quo præstanda est Libertas, ex justâ causâ absit. Undè videndum, quis abesse, & quæ justa absentiæ causa videatur.

Abesse autem intelligitur, qui à Tribunali abest. *l.* 51. § 5. *ff. de Fideic. libert.* MARCIAN. LIB. 9. INSTIT.

At verò Ex justa causâ abesse eos demùm dicendum est, qui non habent injustam causam absentiæ : cùm sufficiat quòd non in fraudem Libertatis absint, quò magis videantur ex justâ causâ abesse.

Cæterùm non est necesse ur Reipublicæ causâ absint. Proindè si alibi domicilium quis habeat, alibi petatur Fideicommissaria Libertas ; dicendum est, non esse necesse evocari eum qui Fideicommissam Libertatem debere dicitur : quia etiam absente eo, si constiterit Libertatem deberi, pronuntiari potest justâ de causâ eum abesse ; nec libertum perdit. Namque eos qui apud sedes suas & domicilium suum sunt, nemo dubitabit ex justâ causâ eos abesse. *l.* 28. § 5. *d. tit.* ULP. LIB. 5. FIDEIC.

Maximè autem Si per procuratorem quis defendatur, semper ex justâ causâ abesse dicitur : nec libertus

(*a*) Suprà Art. præced. §°. 2°. audiendus est servus, si malit ab eo qui rogatus est manumitti quàm ab emptore.

(*b*) Id est, contradicendum.

(*c*) Sensus est : non ideò potest heres recusare eum manumittere, *quoniam* potest servus, si velit, citra manumissionem, propter latitationem emptoris, ex Rubriano liber fieri. Nam sicut, si emptor præsens esset, servus electionem haberet, ut ab herede potiùs manumitteretur, ita & quum emptor latitat, hâc actione privari non debet.

(*d*) Quum aberat reus, litteris ad Magistratum loci ubi degebat directis evocabatur ; si ignorabatur ubi esset, Edictis ad januam domûs ipsius fixis.

(*e*) Posteà scilicet ; nimirùm, vel ex alicujus Principis Rescripto, vel ex interpretatione.

(*f*) Id est ; emptor.

(*g*) Quòd si absit.

(*h*) *Non distinguitur* ; inquit Cujacius, quoad hoc ut libertatem consequatur : utroque enim casu, ex hujus absentiâ non differetur. Verùm pro variâ absentiæ causâ, vario jure ei competet : scilicet si injusta causa fuerit, competet ei directo jure, ex Rubriano ut vid. §°. præced. Si justa causa fuerit, competet tanquàm si ab emptore manumissus esset ; juxta quod Senatusconsulto Disumiano cavetur. Ita Cujac. Verùm hæc Cujacii interpretatio non placet. Quin potiùs, ideò hîc non distinguitur justa necne sit absentiæ causa ; quia in hâc specie soli Dasumiano locus est, quo hæc distinctio non adhibetur. Enimverò Rubrianum perfidiam coercet ejus qui ipse rogatus est manumittere ; aut qui saltem hanc in se obligationem suscepit, comparando hâc lege servum ab eo qui ipse rogatus fuit : [quod in specie legis 28. ff. *de Fideic. libert.* suprà N. 41 necessariò supponendum est]. At in præsenti specie, emptor non eâ lege emit ; nec aliam ob causam manumittere tenetur, quàm quòd fideicommissum præstandæ libertatis ita servum afficit ut sequatur quemlibet ejus possessorem. Igitur non ad Rubrianum, sed ad Dasumianum pertinet hæc species. Porrò in Dasumiano, sive justâ sive injustâ causâ is absit qui manumittere tenetur, utrolibet casu competit servo libertas ; & ita competit ut ei qui hanc præstare debebat, V. G. emptori in hâc specie, jura patronatûs omnimodo conserventur : LIBERTUS *ei servatur*, inquit lex. Ita Bachius, cujus interpretatio refertur in *Actis Eruditorum* Lipsiensibus anni 1748.

(*i*) Ita in Florentinâ, cujus lectionem probat Cujacius. Præferenda tamen videtur [ut patet ex Notâ præced.] versio Basilicon, & Græcorum Interpretum qui verterunt *Libertus* : ut in N. seq. l. 28. § 5. *nec libertum perdit*, & l. 36. §. 1. *nec libertus ei eripitur.*

Source : BIU Cujas

ei eripitur. *l.* 36. § 1. *ff. d. tit.* MÆCIAN. LIB. 16. FIDEIC.

XLV.

Obſervandum quòd, Quum quaſi abſente quodam Decretum fuiſſet interpoſitum, ex juſtâ causâ eum abeſſe; is autem mortuus jam eſſet: Imperator noſter reſcripſit, In heredis perſonam transferendum Decretum; eoque loco jus ejus eſſe, quaſi hunc ipſum ex eâdem causâ abeſſe pronuntiaſſet. *l.* 30. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEICOMMISS.

XLVI.

Abſentibus ex juſtâ causâ ſimiles ſunt, qui per ætatis defectum, mentis-ve aut corporis vitium, manumittere non poſſent; adeòque ſimiliter huic Senatuſconſulto, non autem Rubriano locus eſt in his caſibus.

Hoc docet Mæcianus. Neque infantes, neque furioſi, neque ab hoſtibus capti (*a*); neque hi quos religio aut honeſtior cauſa, vel calamitas aliqua, vel major res familiaris, aut capitis famæ-ve periculum, aut ſimilis cauſa moretur (*b*), Rubriano Senatuſconſulto continentur: ac ne pupilli quidem qui tutores non habent, aut eos habeant quos eorum quæ cauſa detinet. Sed nec ſi hi datâ operâ, ſui poteſtatem non faciunt, puto pupillis libertos eripi: quia & iniquum eſt facto tutoris, qui forſitan ſolvendo non ſit, pupillum damno affici. Et Senatuſconſulto non continetur alius quis, quàm qui ex causâ Fideicommiſſi debet præſtare Libertatem (*c*). Quid ergo eſt? Daſumiano Senatuſconſulto ſubvenitur his, quo cautum eſt de his qui juſtâ ex causâ abeſſent; ut nec Libertas impediatur, nec libertus eripiatur his qui fraude careant. *l.* 36. *ff. de Fideic. libert.* MÆCIAN. LIB. 16. FIDEIC.

Pariter Ulpianus. Si infans ſit inter eos qui manumittere debent; Senatus cenſuit, QUUM UNIUS ÆTAS IMPEDIERIT (*d*) ut liberi liberæque ſint hi quibus Libertates ex causâ Fideicommiſſi præſtari oportet. *l.* 30. § 1. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 5. FIDEIC.

Hoc idem erit dicendum, & ſi ſolus ſit heres inſtitutus qui fari non poteſt. *d. l.* 30. § 2.

Si verò pupillus tutorem habeat, iſque nolit ad Libertatem præſtandam auctor eſſe: adeò non debet impedimento eſſe, neque pupillo ut libertos non habeat, neque Libertati; ut Divi Fratres reſcripſerint, Ex causâ Fideicommiſſi Libertatem præſtari debere ſervo, perindè atque ſi ab ipſo pupillo, tutore auctore, manumiſſus eſſet. *d. l.* 30. § 3.

Quicumque igitur caſus inciderit, quo is qui fari non poteſt, Fideicommiſſæ Libertati ſubjectus eſt; accommodabimus mentem Senatuſconſulti: quæ etiam ad heredem infantem rogati trahenda eſt. *d. l.* 30. § 4.

XLVII.

Ad Daſumianum, neceſſe eſt etiam recurrere in caſu ſequenti.

Si decedens ſervis ſuis Libertatem ita dederit, ILLUM ET ILLUM LIBEROS ESSE VOLO (*e*) EOSQUE FILIIS MEIS TUTORES DO; impeditur Fideicommiſſa Libertas, quia pupilli ſine tutoris auctoritate manumittere non poſſunt; & habentibus tutores, tutor dari non poteſt. Sed interim vice abſentium pupilli habentur; ut ex Decreto Ampliſſimi Ordinis (*f*); primùm Libertas, ac deindè tutela competere poſſit. PAUL. LIB. 4. *tit.* 13. § *fin.*

XLVIII.

Hactenùs de pupillis. Sed & In furioſi perſonâ Divus Pius reſcripſit; Fideicommiſſam Libertatem non impediri ſub conditione ſcripti heredis (*g*), quem compotem mentis non eſſe adfirmatur. Igitur ſi conſtiterit ei rectè datam per Fideicommiſſum Libertatem, Decretum interponetur quod (*Aliàs* quo) idipſum complectatur. *ſup. d. l.* 30. § 7.

Ad exemplum infantis ergo, & in muto & in ſurdo (*h*) ſubvenietur. *d. l.* 30. § 8.

XLIX.

Daſumianum etiam locum habet in ſpecie ſequenti. Nimirùm: Sed & ſi quis ſine herede vel alio ſucceſſore deceſſerit, qui Fideicommiſſam Libertatem præſtare debebat: adito Prætore Libertatem præſtandam eſſe, cenſuit Senatus. *d. l.* 30. § 9.

Sed & ſi ſuus heres ſe abſtinuerit, Libertati Fideicommiſſæ per Senatuſconſultum ſubventum eſt. Tametſi non eſt ſine herede (*i*), qui ſuum heredem habet; licèt abſtinentem ſe. *d. l.* 30. § 10.

Idem dicendum, & ſi minor viginti-quinque annis adierit hereditatem ejus qui Libertatem Fideicommiſſam debebat; & in integrum ſit reſtitutus abſtinendi causâ. *d. l.* 30. § 11.

Hìc autem 1°. Eleganter quæri poteſt, quum heres ſine ſucceſſore decedit; utrùm expectari debet donec certum ſit heredem vel bonorum poſſeſſorem non extaturum; an verò etiam dum incertum eſt (fortè deliberante herede ſcripto), poſſit ad Libertatem pervenire? Et meliùs eſt expectari oportere, quoad certum eſſe cœperit ſucceſſorem non extaturum. *d. l.* 30. § 14.

2°. *Ad hunc eumdem caſum quo is qui ſervo Libertatem debebat, ſine ſucceſſore decedit, pertinet & ſequens quæſtio.* Quærendum eſt autem cujus libertus iſte ſit? Ex Conſtitutione enim ſervo Libertas perindè competit, atque ſi ex teſtamento Libertatem conſecutus eſſet. Erit igitur libertus Orcinus, [non (*k*)] ejus qui Fideicommiſſam Libertatem debebat. *d. l.* 30. § 12.

Quòd ſi à duobus debebatur Libertas; Si alter ſine ſucceſſore deceſſerit, alter ex juſtâ causâ abſit: extat Reſcriptum Divorum Marci & Veri, perindè dicentium eum ad Libertatem perventurum, ac ſi ab eo qui ſine ſucceſſore deceſſit, & ab eo qui ex juſtâ causâ abeſſet, ad Libertatem ut oportuit perductus eſſet. *d. l.* 30. § 13.

§ III.

De caſu quo miſcetur utriuſque Senatuſconſulti cauſa, Daſumiani, & Rubriani; nimirùm quum ex pluribus qui ſervum manumittere rogati ſunt, alii latitant, alii juſtâ ex cauſâ abſunt.

L.

Si quidam ex his qui Fideicommiſſam Libertatem debeant præſentes ſint, alii ex juſtâ causâ abſint, alii latitent: proindè is cui Fideicommiſſaria Libertas relicta eſt, liber erit; atque ſi ſoli qui adeſſent, & qui ex juſtâ causâ abeſſent, rogati eſſent. Pars ergo latitantis his proficit. *l.* 1. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 14. AD ED.

Hoc eſt quod alibi ait idem Ulpianus. Quum quidam latitant; Eorum qui ex juſtâ causâ abeſſent, & eorum

(*a*) Hi omnes non poſſunt manumittere: *Furioſi* & *Infantes*; quia in his nulla eſſe poteſt manumittendi voluntas, quæ in manumittente requiritur; *Capti ab hoſtibus*, tum quia abſunt, tum quia ſervi hoſtium facti omnis juris ſunt expertes.

(*b*) Quominùs adire poſſint Prætorem aut Præſidem, ad manumittendum.

(*c*) Quam præſtare rogatus eſt. Rubrianum etenim, ut modò ſuprà notavimus, coercet perfidiam ejus qui *Manumittere rogatus eſt.* Non eſt igitur huic Senatuſconſulto locus in hâc ſpecie; in quâ non per ipſum qui rogatus eſt, ſed per ejus tutorem, mora fit libertati.

(*d*) Verba ſunt alicujus Capitis SCti Daſumiani quæ refert Ulpianus, non abſolvit; ſed tantùm Capitis ſententiam, ut perindè liberi ſint ac ſi reverà manumiſſi fuiſſent.

(*e*) Verbum eſt Fideicommiſſi.

(*f*) Scilicet Senatuſconſulto Daſumiano.

(*g*) Id eſt, *ſub prætextu conditionis perſonæ ſcripti heredis.* Scilicet non ex eo impeditur, quòd rogatus manumittere ſit furioſus. Ad furioſum enim porrigitur, quod Daſumiano cautum eſt de infante.

(*h*) Nimirùm ut, quamvis mutus [qui ſolemnia manumiſſionis verba fari non poteſt] manumittere non poſſit; tamen perindè competat libertas ſervis quos manumittere rogatus eſt, atque ſi eos manumiſiſſet.

(*i*) Id eſt, *Tametſi* hîc deficere videantur verba Senatuſconſulti. Nam loquitur de eo caſu quo ſine *Sine herede* decedit is qui fideicommiſſam libertatem debet: porrò *Non eſt ſine herede*, &c.

(*k*) Hæc negatio eſt expungenda; ut liquet ex præcedentibus, & ex § 13 ejuſdem legis mox ſequenti. Neque enim hîc quæſtio eſt de caſu quo teſtator qui libertatem dedit fideicommiſſam, ſine herede decederet; [hoc enim caſu, corruente teſtamento; libertates non ſuſtinentur niſi remedio *Additionis bonorum* infrà Sect. 6.] Sed Daſumianum pertinet ad eum caſum quo heres qui manumittere rogatus eſt, ipſe, poſtquam adivit, ſine ſucceſſore decedit non datis libertatibus. Igitur nequaquàm poteſt hic *libertus* de quo lex loquitur, fieri *Orcinus* teſtatori: & quod dicitur, *atque ſi ex teſtamento manumiſſus eſſet*, intellige ex teſtamento ejus qui libertatem debebat.

Source : BIU Cujas

qui præsentes Fideicommissæ Libertati moram non facient, perindè libertus erit; atque si soli rogati (*a*) ad justam Libertatem perduxissent. *l.* 28. § 3. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 5. FIDEIC.

Adeundus est autem etiam ex hâc causâ Prætor; præsertim cùm Rescripto Divi Pii effectum sit, ut si quidam ex rogatis præsentes sunt, alii latitent, alii ex causâ absint, intercedente infantis personâ, non omnium Libertus efficiatur; sed tantùm infantis, & eorum qui ex justâ causâ absunt, vel etiam præsentium. *l.* 30. § 5. *ff. d. tit.* IBID.

L I.

Quomodo autem Decretum Prætoris concipi debeat, ut intelligatur cui jus patronatûs servetur, & cui non servetur, ita docet Papinianus. Quum is qui Fideicommissam Libertatem præstare debet, justâ ex causâ abest, aut latitat; aut quidam præsentes sunt, aut ex justâ causâ absunt, nonnulli frustrandi gratiâ Fideicommissi copiam sui non fecerunt; aut ei qui Libertatem debuit, heres non extitit; aut suus heres hereditate se abstinuit: Prætor pronuntiare debet, Ex testamento Lucii-Titii Fideicommissam Libertatem competere. Idque Senatusconsulto (*b*) demonstratum est: quo Senatusconsulto comprehensum est, ne dubium & obscurum esset cujus libertus foret Prætorem pronuntiare debere, qui ex juxtâ causâ, & qui detrectandæ Libertatis gratiâ absit. *l.* 22. § 2. *ff. de Fideic. libert.* PAPINIAN. LIB. 22. QUÆST.

L II.

Observandum quòd, quemadmodum jus patronatûs quod latitantes habuissent, cæteris qui non latitant adcrescit; ita, si plures gravati sint manumittere servos quos ipsi voluissent, jus quod in electione latitans habuisset præsentibus adcrescit.

Hoc docet idem Papinianus. A duobus heredibus, qui tres servos habebat, petit ut duos ex his quos voluissent manumittant (*c*). Altero heredum latitante, alter declarat quos velit manumittere. Poterit dici fieri libertos; ut perindè Libertas competat, ac si præsens solus manumittere potuisset. *d. l.* 22. § 1.

Obiter nota. Quòd si ex servis unus decesserit; sive justâ ex causâ absit heres, sive fari non possit, à quo petitum est; decernente Prætore, duos qui supersunt fieri libertos convenit. *d.* § 1. ¶ *quòd si.*

§ IV.

De Senatusconsulto Vitrasiano; quum Libertati mora fit, non per eum qui manumittere debet, sed per ejus coheredem à quo pars servi redimenda est.

Senatûsconsultum illud sub Hadriano aut Antoninis latum rectiùs creditur, quàm sub Vespasiano (d). Post Vespanianum siquidem primus Trajanus Imperator, per SCtum Rubrianum, consulere cœpit servis quorum libertati mora fieret; pleniùs postea per Dasumianum ipsis consultum est: Vitrasianum autem quo his duobus SCtis aliquid adjicitur, tempore utrumque præcedere non potuisse palàm est.

L III.

Hoc SCtum plenius est duobus præcedentibus; in eo quòd, cùm Rubriano prospiceretur adversùs dolum ejus qui ipse rogatus est manumittere, Dasumianum in eo casu quo ex quâcumque causâ mora fieret ab eo qui Libertatem præstare debet, ejus-ve hereditate; Vitrasianum amplius prospicit; etiam adversùs moram coheredis qui ipse rogatus non est.

Hinc Ulpianus ait; Si plures heredes sunt instituti; & inter eos, qui fari non potest, sed non ipse rogatus sit servum manumittere: non oportere intercidere Libertatem, ob hoc quòd coheredibus suis vendere eum infans non possit. Et extat quidem Senatusconsultum Vitrasianum. Sed & Divus Pius Cassio-Dextero rescripsit, ita rem explicari, ut partes servorum quibus per Fideicommissum Libertas data est, justo pretio æstimentur; atque ita servus ab his qui rogati sunt, manumittatur. Hi autem qui eos manumiserint, pretii nomine perindè fratribus & coheredibus suis obligati erunt, atque si ob eam rem ex judicati causâ (*e*) cum his agi possit. *l.* 30. § 6. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEIC.

Quòd si heres à quo pars servi manumittendi redimenda est, absit; Senatus constituit ut, Et præsens coheres perindè manummittat, atque si traditum à coherede accepisset. Quod & in impuberis personâ coheredis qui non erat rogatus manumittere, eumdem Principem (*f*) rescripsisse relatum est. *l.* 51. § 11. *ff. de Fideic. libert.* MARCIAN. LIB. 9. INSTIT.

ARTICULUS III.

Quomodo per Senatusconsultum Juncianum subveniatur servis heredis, quorum libertati fit Mora: ubi resumitur summa eorum quæ Articulo præcedenti dicta sunt.

L IV.

Senatusconsulta præcedentia, de servis testatoris propriis loquuntur. At Si quis servum non hereditarium rogatus manumittere latitet; factum est Senatusconsultum Æmilio-Junco & Julio-Severo Consulibus (*g*), in hæc verba: « PLACERE, si quis ex his qui Fideicommissam » Libertatem ex quâcumque causâ deberent servo, qui » mortis tempore ejus qui rogavit, non fuerit; isque » adesse negabitur (*h*); Prætor cognoscat. Et, si in eâ » causâ esse videbitur ut, si præsens esset, manumittere » cogi deberet; id ita esse pronuntiet. Quumque ita » pronuntiasset; idem Juris erit quod esset, si ita ut ex » Fideicommisso manumitti debuisset, manumissus (*i*) » esset. » *l.* 28. § 4. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEIC.

Similiter Marcianus: Si non hereditarium servum quis rogatus fuerit manumittere, sed proprium; ex Senatusconsulto Junciano post pronuntiationem pervenit ad Libertatem. *l.* 51. § 8. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 9. INSTIT.

Senatusconsultum ait: ADESSE NEGABITUR. *Cæterùm* Sive justâ ex causâ abest, sive latitet, sive præsens non vult manumittere; pro absente eum haberi Divus Pius rescripsit. *d. l.* 51. § 9.

L V.

Quid si heres servum alienaverit? Emptor quoque ut manummittat, eodem Senatusconsulto expressum est. *d. l.* 51. § 10.

Hoc autem casu, manumissus (nisi maluerit ab herede Libertatem accipere, ut suprà N. 41.) *libertus emptoris efficitur.*

(*a*) Atqui omnes rogati sunt? Inverso igitur sensu ita intelligendum, *perindè atque si hi soli rogati essent qui ad libertatem perduxerunt*: ut in l. præced.

(*b*) Fortè Dasumiano, cujus plura fuisse capita patet ex suprà dictis. Certè non Rubriano, quod ad solos latitantes pertinet.

(*c*) Lex Caninia vetabat ne omnes manumitteret.

(*d*) Putat Kalvinius latum sub Vespasiano; Sulpicio-Galbo & Vitrasio-Pollione Consulibus. Contrà Heineccius *Hist. Juris Rom.* § 235. « *Cùm Vitrasii Consulis* » *sive ordinarii sive suffecti; sub Vespasiano nusquàm vel vola vel vestigium* » *occurrat.* At verò [inquit] *Sub Hadriano celebris fuit* VITRASIUS-*Pollio*, » *Legatus provinciæ Lugdunensis, ad quem rescripsit Princeps l.* 15. *ff.* de » Excusat. tutor. *Sub Antoninis porrò ann.* 919 & 929. *bis Consul fuit T.* » VITRASIUS-*Pollio, primùm cum Q. Servilio-Pudente, deindè cum M. Flavio-* » *Apro. Quare parùm abest ut hoc Senatusconsultum potiùs sub M. Aurelio-* « *Antonino Imp. quàm sub Vespasiano factum existimem* »?

(*e*) Perindè obligantur potestate Legis, atque si eo nomine judicio *Familiæ erciscundæ* condemnati essent.

(*f*) Divum Pium.

(*g*) Inveniuntur quidem hi Consules sub M. Antonino-Commodo [anno U. C. 935.] à quo postea in exilium acti, ut refert Lampridius. Fieri tamen non potest ut demùm sub Commodo latum fuerit hoc Senatusconsultum, ad quod interpretandum Divus Pius rescripsit: mox infrà l. 51. § 9. Supponendum igitur ejusdem nominis Consules, ante Commodum, sub aliquo anteriori Principe extitisse.

(*h*) Præcone scilicet pronuntiante, *Eum abesse.*

(*i*) Erit igitur libertus heredis. Hinc nota mitiùs agi cum eo qui moram facit libertati proprii servi: non enim amittit jura patronatûs; sicut ille qui moram facit libertati hereditarii servi, suprà Art. præced.

Source : BIU Cujas

L V I.

Ex his ſequitur Junciano Senatuſconſulto ſervum heredis ita perduci ad Libertatem, ut non auferatur jus patronatûs heredi, quamvis fraudandæ libertatis cauſâ latitaverit : in quo diſſert à Rubriano. Et hoc diſcrimen notat Paulus, ita breviter reſumendo ſummam eorum quæ hîc & in præcedenti Articulo dicta ſunt : In Fideicommiſſariis Libertatibus, ſi abſente herede, Prætor pronuntiaſſet Libertatem deberi, eſt & liber; & defuncti libertus, ſi & ſervus ejus fuit (*a*); aut heredis, ſi ſervus heredis ſit.

Immò etſi ſine ſucceſſore heres deceſſerit, conſervandam eſſe Libertatem Senatus (*b*) Hadriani temporibus cenſuit. *l.* 5. *ff. de Fideic. libert.* PAUL. LIB. 57. AD ED.

Conſonat item omnibus hîc & in præcedenti Articulo ſuprà dictis, quod Divus etiam Marcus reſcripſit; Fideicommiſſas Libertates, neque ætate, neque conditione, neque morâ non præſtantium tardiùs-ve reddentium corrumpi, aut in deteriorem ſtatum perduci. *l.* 30. § 16. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEIC.

Nimirùm his caſibus, Decretum Magiſtratûs manumiſſioni ſupplet. Hinc Diocletianus & Maximianus : Si ſervus fuiſti, ac tibi per Fideicommiſſum Libertas relicta fuit; pervides ſine manumiſſione te ad Libertatem pervenire non potuiſſe. Quàpropter ſi verbis precariis, conſtitutus ſervus, Libertatem accepiſti; adire Præſidem provinciæ te oportet : ut cauſâ cognitâ, ſi tibi deberi Libertatem proſpexerit, ad manumittendum, eum qui debet, urgeat; vel ſi latitet, contra latitantem interpoſito Decreto tibi proſpiciat. *l.* 11. *Cod. de Fideic. libert.*

Ex hoc autem Decreto Libertas non tam præſtatur, quàm declaratur eam competere; quæ ſcilicet ipſo jure competit, ex quo voluntaria heredis mora intervenit.

Conſectarium eſt quod docet Pomponius. Servus legatus erat Calpurnio-Flacco, iſque rogatus erat eum manumittere; & ſi non manumiſiſſet, idem ſervus Titio legatus erat; & is æquè rogatus erat ut eum munumitteret : ſi non manumiſiſſet, liber eſſe juſſus erat. Sabinus dicit, Inutiliter legatum (*c*) fore; & ex teſtamento eum continuò liberum futurum. *l.* 34. § 2. *ff. de Fideic. libert.* POMPON. LIB. 3. FIDEIC.

ARTICULUS IV.

Quomodo ſubveniatur partui, qui ex ancillâ teſtatoris aut heredis, dum mater moram in Libertate ſibi relictâ pateretur, natus eſt.

De partubus quorum matri Libertas per Fideicommiſſum debetur, diſtinguendum eſt; an poſt diem Libertatis cedentem naſcantur, an antequàm dies hujus petendæ ceſſerit.

L V I I I.

Quum ſemel dies Libertatis ceſſit : vel heres moram in præſtandâ Libertate facit, vel mater fortuitam patitur.

Primo caſu, ſtatim ex quo mater in Libertate ſibi debitâ voluntariam heredis moram paſſa eſt; liberi naſcuntur ingenui, etiam antequàm Libertas petita ſit.

Hoc docet Marcianus. Si quis rogatus ancillam manumittere, moram fecerit; ſi intereà enixa fuerit, conſtitutum eſt hujuſmodi partum liberum naſci, & quidem ingenuum. Sed ſunt Conſtitutiones quibus cavetur, ſtatim ex quo Libertas deberi cœperit (*d*), ingenuum naſci. Et hoc magis eſt ſine dubio ſequendum, quatenùs LIBERTAS NON PRIVATA, SED PUBLICA RES EST; ut ultrò is qui eam debet, offerre debeat. *l.* 53. *ff. de Fideic. libert.* MARCIAN. LIB. 4. REGUL.

Enimverò Quum quidam Cæcilius ancillam quam pignori obligaverat, dimiſſo creditore, per Fideicommiſſum manumitti voluiſſet; & heredibus creditorem non liberantibus, infantes qui poſtea erant editi, væniſſent à creditore : Imperator noſter (*e*) cum patre reſcripſit : » Secundùm ea quæ Divo Pio placuerint, ne pueri » ingenuitate deſtinatâ fraudarentur; pretio emptori » reſtituto, perindè eos ingenuos fore ac ſi mater » eorum ſuo tempore manumiſſa fuiſſet. » *l.* 26. § 2. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 5. FIDEIC.

Altero caſu, nimirùm Si prægnans ancilla moram non ſtudio manumiſſoris, ſed fortuitò patiatur ne manumitteretur; liberum quidem non pariet (*f*) : ſed cogetur qui manumittere debuit, natum matri tradere, ut per eam perveniat ad Libertatem. » *l.* 13. *ff. de Fideic. libert.* MODESTIN. LIB. 9. REGUL.

Talis eſt ſpecies de quâ Idem Imperator noſter cum patre reſcripſit; Si poſt quinquennium mortis teſtatoris tabulæ teſtamenti apertæ eſſent, vel codicilli, & partus medio tempore editus ſit : ne fortuita mora ſervitutem partui irrogaverit, matri partum tradendum, ut ab eâ ad Libertatem perducatur. *ſup. d. l.* 26. § 3.

Apparet igitur ex hoc Reſcripto, item eo quod à Divo Pio reſcriptum diximus; noluiſſe eos moram Libertati fortuitam, nocere edito ex eâ cui Fideicommiſſa Libertas data eſt. *d. l.* 26. § 4.

Juxta ſuprà dictam diſtinctionem intellige quod ait ibidem Ulpianus. Apparet igitur ſubventum Fideicommiſſis Libertatibus, ut in re mora facta eſſe his videatur : & ex die quidem quo Libertas peti potuit (*g*) matri traderentur manumittendi cauſâ; ex die verò quo petita eſt (*h*), ingenui naſcantur. Plerùmque enim per ignaviam, vel per timiditatem eorum quibus relinquitur Libertas Fideicommiſſa, vel ignorantiam juris ſui, vel per auctoritatem & dignitatem eorum à quibus relicta eſt, vel ſeriùs petitur, vel in totum non petitur Fideicommiſſa Libertas : quæ res obeſſe Libertati non debet. Quod igitur defendimus, ita determinandum eſt; ut ingenui quidem exindè naſcantur, ex quo mora Libertati facta eſt (*i*); manumitti autem partum dici debeat, ex quo peti Libertas potuit; quamvis non ſit petita (*k*).

Certè (*l*) minoribus viginti-quinque annis & in hoc tribuendum eſt auxilium, ut videatur in re mora eſſe. Nam quâ ratione decretum & à Divo Severo conſtitutum eſt, in re moram eſſe circa pecuniaria Fideicommiſſa quæ Minoribus relicta ſunt; multò magis debet etiam in Libertatibus hoc idem admitti. *d. l.* 26. § 1.

Item juxta eamdem diſtinctionem moræ, vel ab herede allatæ, vel aliundè contingentis, accipe quod reſcribit Alexander. Si voluntate domini in Libertate eſt morata (*m*), cui Fideicommiſſaria Libertas relicta fuit; ſecundùm Senatuſconſultum & Conſtitutiones ad id pertinentes, civis Romana facta ingenuos (*n*) peperit. Sed ſi nunquam ab eâ Libertas petita eſt (*o*), ſibimet imputare debet cur intereà progeniti ex eâ ſervi (*p*) ſunt. *l.* 4. *Cod. de Fideic. libert.*

(*a*) Adde, & heres conſultò abfuit ut moram faceret libertati : ita enim in Rubriano cautum eſt. Aliàs proindè fit libertus heredis, Rubriano ceſſante.

(*b*) Hoc refertur ad id quod ſuprà dictum eſt N. 49. ex SC. Daſumiano [quod proindè ſub Trajano-Hadriano latum colligi poſſet] : ubi vidimus eo caſu quo ſervus *teſtatoris* ab herede manumittendus eſt, liberum eum fieri; etiamſi heres manumittere rogatus, antequàm manumitteret, ſine herede decedat. Et hîc etiam ex ſententiâ ejuſdem Senatuſconſulti [niſi fortè malit quis dicere, ex verbis alterius ſub Hadriano lati] eo caſu quo ſervus *heredis* manumitti rogatus eſt, & heres ſine ſucceſſore decedit, competit pariter ſervo libertas.

(*c*) Si Calpurnius cui priori legatus eſt, eum non manumiſerit; pervenit ex Senatuſconſulto ad Libertatem. Inutiliter ergo ſub hâc conditione rursùs Titio legatur; cùm liber homo legari non poſſit.

(*d*) Ergo etiam antequàm petita ſit; eo nempè caſu quo rogatus manumittere, ipſe moram facit.

(*e*) Antoninus-Caracalla *cum patre* Severo.

(*f*) Mater enim nondum eſt libera. Sed poſtquàm ipſa manumiſſa erit, partus ipſi tradendus ut manumittat.

(*g*) Et morâ in eâ præſtandâ, non ab herede facta eſt.

(*h*) Vel voluntaria ab herede mora facta eſt.

(*i*) Ab herede.

(*k*) Morâ ſcilicet aliundè quàm ab herede factâ. Aliàs, manumiſſione non indiget partus, cùm ingenuus naſcatur.

(*l*) Id eſt; hoc maximè indubitatum eſt, quum Minores ſunt quibus Libertas debetur.

(*m*) Nec tamen ſolemniter manumiſſa.

(*n*) Scilicet ſi moram heres fecit in præſtandâ ipſi juſtâ Libertate.

(*o*) Nec proindè moram ab herede paſſa eſt.

(*p*) *Intereà* dum non petit eos ſibi tradi ut manumittantur. Debent enim ab eâ manumitti; ut vidimus ſuprà.

Source : BIU Cujas

LIX.

Hactenùs de casu quo partus editus est, postquàm dies Libertatis matri relictæ cessisset.

Quòd si ante hunc diem fuerit editus, regulariter quidem partus est heredis servus, & talis remanebit, licèt mater postea perveniat ad Libertatem; quia reverâ ex ancillâ, cui nec Libertas tunc debebatur, natus est.

Hinc Ulpianus. Quamvis mora nulla heredis aut fortuita partui noceat: Non tamen si à substituto impuberis Fideicommissa Libertas data sit ancillæ, quæ vivo impubere partum ediderit; vel si post tempus vel sub conditione Libertatem acceperit, & ante diem vel conditionem partum ediderit; ad Libertatem partus perducetur: quia horum alia conditio est. Non enim moram fortuitam, sed ex voluntate testantis passi sunt. *sup. d. l.* 26. § 5.

Consonat quod rescribit Alexander. Cùm Libertatem mulieribus sub conditione datam proponas; quid dubium eos qui ex his ante impletam eam eduntur, servos nasci & pertinere ad heredem jure dominii? His enim demùm succursum est, qui post moram præstandæ Libertatis progeniti sunt; ut liberi & ingenui nati videantur. *l.* 3. *Cod. de Fideic. libert.*

LX.

Adhuc tamen & in hoc quoque favor Libertatis, exceptionem aliquam admittit; quam ita proponit Marcianus. Sed si nondum debitâ Libertate Fideicommissâ, ancilla peperit, studio tamen heredis fuerit effectum ut nondum Libertas deberetur; utique quòd tardiùs adiit hereditatem, ut qui nati sint ex ancillâ, servi ejus fiant; placet manumittendos: sed tradi matri oportere ut ab eâ manumittantur, & liberti potiùs matris fiant. Nam quos indignus est heres servos habere, ne quidem libertos habebit. *l.* 53. § 1. *ff. de Fideic. libert.* MARCIAN. LIB. 4. REGUL.

Sed etsi non datâ operâ tardiùs adierit, sed dum de adeundâ hereditate deliberat; idem dictum est.

Et si postea cognovit se heredem institutum, quàm ancilla peperit; placet hoc quoque casu subveniendum esse. Hoc tamen casu ipse manumittere debebit, non matri tradere. *l.* 55. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 4. REGUL.

LXI.

Sed si directò Libertas data fuerit ancillæ, & horum aliquid evenerit (*a*): quemadmodum natis subvenietur? Nam ibi (*b*) quidem petitur Fideicommissa Libertas, & Prætor parvulis subvenit: quum verò directò Libertas datur, non petitur. Sed etiam hoc casu puto nato subveniendum esse; ut aditus prætor IN REM matri decernat actionem (*c*), exemplo Fideicommissariæ Libertatis. Sic denique & Marcellus libro sexto-decimo Digestorum scripsit; & ante aditam hereditatem usucaptis qui testamento manumissi sunt, subveniendum esse ut eis Libertas conservetur; utique per Prætorem: quamvis his & imputari possit quare usu capti (*d*) sunt; in parvulis autem nulla deprehenditur culpa. *d. l.* 55. § 1.

LXII.

Observandum superest quòd, his casibus quibus natus filius matri manumittendus datur; Si mater postquàm filium accepisset, vel qui in ejus locum successit, præstare noluit Libertatem; compellendi sunt. Amplius: si mater aut nollet sibi filium tradi, aut in rerum naturâ esse desiisset; non ab re est dicere, nihilominùs ita natis ab herede Libertatem præstari. *l.* 54. *ff. de Fideic. libert.* MÆCIAN. LIB. 16. FIDEIC.

(*a*) Scilicet ut, dum deliberante herede tardiùs aditur hereditas, aut etiam antequàm heres cognoverit se heredem esse, partus editus sit.

(*b*) Quum per Fideicommissum relicta est.

(*c*) Ut vindicet filium tanquam liberum, petatque eum in libertatem: quemadmodum, si fideicommissa libertas relicta esset, posset mater persequi tam sibi quàm natis suis fideicommissum libertatis.

(*d*) Finge: testamento dedi libertatem Sticho, eum deindè alicui commodavi; heres commodatarii ignorans esse alienum, eum vendidit bonæ fidei emptori: intereà morior: emptor autem, dum jacet mea hereditas, cessatque heres eam adire, Stichum usucapit. Hoc casu; etsi Stichus, tunc quum adita erit mea hereditas, usucaptus & alienus inveniatur; adeòque non possit ei stricto jure ex testamento meo directa Libertas competere; tamen illa favorabiliter ei conservatur: l. 9. § fin. *de Statulib.* infrà d. tit. Et hoc obtinet, quamvis possit huic servo aliqua culpa imputari quòd fuerit usucaptus; putà quòd, quum venderetur, non monuerit emptorem se esse meum servum. Multò magis igitur in præsenti specie parvulis quibus nulla culpa imputari potest, debet subveniri; libertasque eis conservari: quamvis per heredem, dum cessat adire hereditatem, factum sit ut ex matre adhuc ancillâ nascerentur.

(*e*) Quare & quando hìc requiritur voluntas servi, vide N. seq.

(*f*) Id est, si nolente herede servum redimere, dominus ipse *velit* eum *manumittere*; tunc nec heredem cogi necesse est: quia & dominus ipse id facere potest, & hoc facto *actionem pretii in heredem* consequitur; adde, & jura patronatûs in manumissum. Idemque obtinet, *si heres latitet.*

ARTICULUS V.

Quid obtineat circa præstationem Libertatis quæ servis alienis relicta est, item circa partum ex his ancillis editum.

LXIII.

Quum servo alieno Libertas relicta est; si quidem dominus ejus ex judicio testatoris aliquid recipiat, tenetur illum vendere heredi ut manumittatur.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si te donatam ante matrimonium uxori suæ, postea ei legato relicto, testamento manumitti, seu codicillis, seu verbis precariis à successoribus voluit; tam eos ad redemptionem & manumissionem, quàm eam quæ in capiendis relictis defuncti consensit judicio, teneri; tibique Fideicommissariam deberi Libertatem non ambigitur. *l.* 13. *Cod. de Fideic. libert.*

LXIV.

Quum verò dominus servi cui libertas relicta est, nihil ex judicio defuncti percepit: hoc casu, Si is cujus servus est nolit eum vendere ut manumitteretur; nullæ Prætoris partes sunt. *l.* 31. § 4. *ff. de Fideic. libert.* PAUL. LIB. 3. FIDEICOM.

De hoc casu accipe quod ait Ulpianus: Alieno servo per Fideicommissum datâ Libertate; si dominus eum justo pretio non vendat, extinguitur Libertas: quoniam nec pretii computatio pro Libertate fieri potest. ULP. FRAGM. *tit.* 2. § 11.

Non adeò tamen illa extinguitur, quàm potiùs pendet donec dominus voluerit vendere. Sic enim rescribit Alexander. Deberi etiam alienæ ancillæ Fideicommissariam Libertatem placuit. Nec deficit hoc debitum, si interim domina (si modò nihil ex judicio ejus qui quæ-ve reliquit Libertatem, perceperit) noluit vendere; quia possit tempore præcedente, ubicumque occasio redimendæ ancillæ fuerit, præstari Libertas. *l.* 6. *Cod. de Fideic. libert.*

LXV.

Quamvis autem Libertas non competat; tamen Si alienum servum quis rogatus fuerit manumittere, cùm ei certa pecunia legata esset ut emat eum & manumittat; & dominus nolit eum vendere, legatum retinet ex voluntate defuncti. *l.* 51. § 2. *ff. de Fideic. libert.* MARC. LIB. 9. INSTIT.

LXVI.

Quod diximus obtinere quum dominus non vult vendere, Idem est & si pluris justo vendere velit. Sin autem certo quidem pretio, quod non primâ facie videtur esse iniquum, dominus servum vendere paratus est: is verò qui rogatus est manumittere, immodicum id esse nititur: Prætoris partes erunt interponendæ; ut justo pretio volenti domino dato, Libertas ab emptore præstetur. *l.* 31. § 4. ¶ *idem. ff. d. tit.* PAUL. LIB. 3. FIDEIC.

XLVII.

Quòd si & dominus vendere paratus sit, & servus velit (*e*) manumitti; cogendum est heres redimere, & manumittere. Nisi dominus velit servum manumittere (*f*), ut actio sibi pretii in heredem detur. Idque faciendum est etiam, si heres latitet: & ita Imperator Antoninus rescripsit. *d.* § 4. ¶ *quod si.*

Dominum servi, qui eum vendere paratus est, posse etiam

Source : BIU Cujas

(*si velit*) *herede latitante, servum manumittere, significat pariter Julianus, quum ait:* Si quum alienum servum heres rogatus sit manumittere, item communem, vel eum in quo ususfructus alienus est, latitet; non iniquè Senatusconsulto (*a*) Libertatibus succurretur. *l.* 47, § 1. *ff. de Fideic. libert.* JUL. LIB. 42. DIGEST.

Sed si alienare quidem sit paratus, non antè tamen id velit facere quàm sibi in pretium satisfiat; non erit manumittere compellendus; ne & servum manumittat; & interdum nihil aut minùs consequatur; si fortè is qui rogatus est manumittere, solvendo non sit. *l.* 32. *ff. de Fideic. libert.* MÆCIAN. LIB. 15. FIDEIC.

LXVIII.

Observa. Invito (*b*) tamen servo, neque alii, neque domino eam rem persequi concedendum est; quia non tale sit hoc Fideicommissum, ex quo domino quid acquiratur: alioquin ipsi datum videretur (*c*). Quod potest contingere, si testator pluris eum servum quàm quanti est redimi ac manumitti voluit. Nam tunc domino erit Fideicommissi persecutio; cujus interest, præter verum pretium, id quod plus ei jussus est dare, consequi: & servi, ut ad Libertatem perveniat. *d. l.* 32. § 1.

Quod eveniet (*d*) & si rem alienam certâ pecuniâ redimere, atque alii præstare heres vel legatarius intelligerentur. Namque tunc & domino rei, & cui eadem præstari (*Florent.* præstare) deberet, persecutionem esse. Utriusque enim interesse; & domini, ut præter pretium accipiat quò pluris eam testator redimi jussit; & ejus cui relicta est, uti eam habeat. *d. l.* 32. § 2.

LXIX.

Observandum supereſt, non solùm ipsi ancillæ alienæ cui in eâ redimendâ & manumittendâ heres moram facit, sed & ejus partui succurri.

Lucia-Titia heredem fidei commisit, uti Pamphilam ancillam Seiæ cum filiis ejus redimerent & manumitterent: & Juridicus: quanti singuli essent redimendi æstimavit. Medio tempore, Pamphila, antequàm pecunia solveretur, peperit. Quæro; id quod natum est ex Pamphilâ, utrùm ad heredes Seiæ, an ad heredem Titiæ pertineat; Respondit; Id quod natum est ex Pamphilâ, ejus quidem esse cujus ea fuerat tunc quum pareret: verùm heredem, si moram Fideicommissæ Libertati fecit, compellendum, partum quoque ad Libertatem perducere. *l.* 41. § 5. *ff. de Fideic. Libert.* SCÆVOLA LIB. 4. RESPONS.

SECTIO V.

Quomodo extinguantur Libertates tamdirectæ quàm per Fideicommissum relictæ.

§ I.

An & quando corruente testamento corruant Libertates.

LXX.

Regulariter Libertates extinguuntur, corruente testamento quo datæ sunt.

Hinc Marcianus. Testamento manumissus, ita demùm fit liber si testamentum valeat, & ex eo adita sit hereditas; vel si quis omissâ causâ testamenti (*e*) ab intestato possideat hereditatem. *l.* 23. *ff. de Manum. testam.* MARCIAN. LIB. 1. INSTIT.

Item Severus & Antoninus. Ex testamento defuncti Libertates præstari non possunt, hereditate non aditâ; vel si rei memoria propter crimen quod morte non intercidit (*f*), damnata est. *l.* 2. *Cod. de Testam. manum.*

Hinc in eâ specie: Si pater duos filios heredes instituerit, & adgnatione posthumi ruptum testamentum fuerit; quamvis hereditas pro duabus partibus ad eos pertineat; tamen Fideicommissæ Libertates præstari non debent sicuti ne legata quidem aut Fideicommissa præstare coguntur. *l.* 47. *ff. de Fideic.. libert.* JULIAN. LIB. 42. DIGEST.

LXXI.

Circa Libertates in eo testamento relictas quod herede destituitur, ita rescribunt suprà dicti Severus & Antoninus. Cùm proponas hereditatem ejus testatoris aditam non esse, à quo tibi Fideicommissariam Libertatem relictam dicis; & ab intestato alium quàm qui scriptus est, hereditatem possedisse: si non à legitimo quoque herede Fideicommissaria Libertas repetita est; nullo jure præstari eam ab eo qui rogatus non est, desideras.

Planè si pecuniâ (*g*) acceptâ heredem institutum omisisse hereditatem docueris, Libertatem tibi præstare cogetur. *l.* 1. *Cod. de Fideic. libert.*

Multò minùs corruet Libertas? si scriptus heres adiit; & postea per collusionem passus est sibi evinci hereditatem. Hinc Diocletianus & Maximianus. Si heredes jure facto testamento solemniter adierint hereditatem; ex testamento tibi Libertas quæsita, postea colludentibus tam scriptis heredibus, quàm ab intestato vindicantibus successionem, adimi non potuit.

Quòd si sponte repudiaverint sibi delatam successionem; omnia quæ in testamento fuerunt scripta, defecisse convenit. Si verò ut vos defraudarent heredes Libertate, collusisse eos Præses animadverterit: secundùm hæc quæ Divus Pius-Antoninus constituit, Libertatibus consuli providebit. *l.* 12. *Cod. de Testam. manum.*

LXXII.

Non videtur etiam destitutum testamentum, eo quòd heredi ut indigno ablata sit hereditas.

Hinc Divus Antoninus & Pertinax rescripserunt; Hereditate fisco vindicatâ, quoniam tacitè quis rogatus erat, ei qui capere non poterat, restituere hereditatem; & directò & per Fideicommissum datas Libertates deberi. *l.* 12. § 2. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 50. AD ED.

Non videtur etiam destitutum testamentum, quòd heres adversùs aditionem restitutus sit.

Hinc Severus & Antoninus. Libertas testamento defuncti data, aditâ hereditate, contingit. Et licèt heres scriptus, per in integrum restitutionem abstinuerit hereditate; tamen nihil ea res Libertati obest. *l.* 3. *Cod. de Testam. manum.*

Item non videtur destitutum, quum existit ex eo necessarius heres; quamvis se abstineat: ut vid. suprà N. 28.

LXXIII.

Interdum sustinentur Libertates; quamvis scriptus heres, priusquàm adiret, decesserit.

Nam Antoninus-Augustus-Pius noster, quò militum suorum per omnia rata esset voluntas suprema; quum & institutus & substitutus, incontinenti priusquàm

(*a*) Quoniam Senatusconsulto? Rubriano; non quidem ex ejus verbis, siquidem de servis testatoris propriis unicè loquitur: sed ex ejus mente & sententiâ, servo ad Libertatem perducto, heres jure patronatûs quod habuisset, privatur: totumque illud jus transibit ad dominum manumittentem. Ita tamen ut ipsi domino de pretio satisfiat; vel actione in heredem servatâ, si solvendo sit [ut hic dicitur]: vel servus ipse, undè potuerit sui pretium corradendo, domino solvet.

(*b*) Nec obstat quòd invitus servus manumittitur: l. ult. § 2. Cod. *de Testam. manum.* Regulariter quidem servus vel invitus Libertatem accipit quam dat manumissor; sed invitus non persequitur ut detur, ut redimatur.

(*c*) Sensus est: Fideicommissum redimendi servi cui præstetur Libertas, non videtur relictum contemplatione domini, cui nihil affert lucri; siquidem pro servo pretium justum recipit: ideòque nulla competit eo nomine, domino servi, Fideicommissi persecutio; nec servus invitus manumitti potest. Aliud est si *ipsi* domino *datum videretur*: V. G. *si testator pluris, &c.*

(*d*) Id est; In suprà dicto casu, idem est ac si *rem alienam* quamlibet, *certâ pecuniâ* majore quàm res est, *redimere, &c.*

(*e*) Hoc enim casu Libertates sustinentur. Vide suprà lib. 29. Tit. *Si quis omissâ causâ.*

(*f*) Putà, perduellionis. Ejusmodi enim testamentum non valet: suprà lib. 28. tit. *Qui testam. fac.* N. 7. in Notis, & ex l. fin. ff. *Ad L. Jul. maj.*

(*g*) Aut etiam non acceptâ pecuniâ; si dolo fecit, & eo animo ut intercideret quæ testamento relicta sunt: ut vid. sup. lib. 29. Tit. *Si quis omiss. caus. testam.* N. 20. ex l. 4.

Source : BIU Cujas

adirent hereditatem, deceſſiſſent; eos quibus ab his & Libertas & hereditas à milite per Fideicommiſſum data eſſet, perindè liberos & heredes eſſe juſſit, ac ſi utrumque directò accepiſſent.

Eorum autem qui à pagano Libertatem & hereditatem per Fideicommiſſum acceperant; quum æquè in continenti & inſtitutus & ſubſtitutus deceſſiſſent (*Florent.* deceſſiſſet) ſatis habuit Libertatem confirmare. *l.* 42. *ff. de Fideic. libert.* MÆCIAN. LIB. 7. FIDEIC.

Eſt & alius caſus celeberrimus quo, non aditâ hereditate, ſuſtinentur Libertates: quum ſcilicet, ex Conſtitutione Divi Marci, bona vacantia alicui Libertatum conſervandarum gratiâ, addicuntur. De quâ re Sect. ſeq.

LXXIV.

Item, ſive deſtitutum, ſive ruptum fuerit teſtamentum, non corruent Libertates, ſi teſtator voluit ut etiam ab inteſtato valerent: ut ſuprà obiter vidimus.

Hinc Ulpianus. Ex teſtamento quod agnatione poſthumæ ruptum eſſe conſtitit, neque directas Libertates competere, neque Fideicommiſſarias deberi, ſi quas non à legitimis quoque heredibus paterfamilias reliquerit; ſatis conſtat. *l.* 24. § 11. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEIC.

Similiter Diocletianus & Maximianus. Si jure non ſubſtitit teſtamentum; in hoc nec Libertates cùm non fuiſſe adjectum ut pro codicillis ſcriptum valeret proponas, rectè datas conſtabit. *l.* 11. *Cod. de Teſtam. manum.*

Suſtinebuntur etiam Libertates quamvis rupto teſtamento, ſi ſervi per quinquennium in poſſeſſione Libertatis fuerint.

Hoc docet Scævola. Quidam Uxorem prægnantem repudiaverat, & aliam duxerat. Prior enixa filium expoſuit: hic ſublatus ab alio educatus eſt, nomine patris vocitatus. Uſque ad vitæ tempus patris, tam ab eo quàm à matre, an vivorum numero eſſet ignorabatur. Mortuo patre, teſtamentoque ejus quo filius neque exheredatus, neque heres inſtitutus ſit, recitato; filius & à matre & ab aviâ paternâ adgnitus, hereditatem patris ab inſteſtato quaſi legitimus poſſidet. Quæſitum eſt; hi qui teſtamento Libertatem acceperunt, utrùm liberi an ſervi ſint? Reſpondit; Filium quidem nihil præjudicii paſſum fuiſſe, ſi pater eum ignoravit; & ideò, cùm in poteſtate & patris ignorantis eſſet, teſtamentum non valere. Servi autem manumiſſi, ſi per quinquennium in Libertate morati ſunt; ſemel datam Libertatem infirmari, contrarium ſtudium favori (*Florent.* favore) Libertatis eſt. *l.* 29. *ff. de Manumiſſ. teſtam.* SCÆVOLA LIB. 23. DIGEST.

§ II.

An & quando ſalvo teſtamento Libertates infirmentur necne.

LXXV.

Salvo etiam teſtamento Libertates infirmantur, ſi fuerunt ademptæ: de quâ re Tit. ſeq.

Quid autem in hâc ſpecie? Si pro non ſcripto habitus ſit ſervus alicui legatus (*a*), cui ſervo per Fideicommiſſum Libertas adſcripta eſt; quæſtionis eſt, num Fideicommiſſa Libertas debeat intercidere? Et an, ſi ſervus petat Fideicommiſſam Libertatem ab eo penès quem remanſiſſet, pro non ſcripto habito legato quod erat relictum ei qui eum rogatus fuerat manumittere, vel ſi ipſe ſervus (ut ſuprà dictum eſt) fuit legatus, an Libertas non debeat intercidere? Et putem debere dici, Fideicommiſſam Libertatem ſalvam eſſe; licèt ad eum nihil pervenerit, qui eum rogatus erat manumittere. Cogetur igitur Libertatem præſtare, is ad quem pervenit legatum: quia Libertas Fideicommiſſa nullum impedimentum pati debet. *l.* 26. § 6. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 5. FIDEIC.

Quemadmodum autem in caſu quo legatum ſervi Pro non ſcripto *habetur, ita pariter dicendum eo caſu quo* Deficit. *Nam nec intercidit etiam Libertas à legatario ſervi relicta, ex eo quòd legatarius excidat legato illud-ve repudiet.*

Hinc Pomponius: Si legato ſervo Fideicommiſſa Libertas relicta eſt; vel heres (*b*), vel legatarius eum cogitur manumittere. *l.* 11. *ff. de Manum. teſtam.* POMP. LIB. 7. AD SABIN.

Hinc etiam Si is cui ſervus legatus eſt, rogatus fuerit ut eum manumitteret; & nolit eum accipere compellendus eſt [aut (*c*)] actiones ſuas ei (*d*) præſtare, cui (*e*) ſervus velit; ne intercidat Libertas. *l.* 33. § 2. *ff. de Fideic. libert.* PAUL. LIB. 3. FIDEIC.

Item in hâc ſpecie: Seio auri libras tres & Stichum notarium, QUEM PETO MANUMITTAS. Seius eodem teſtamento tutor datus, à tutelâ ſe excuſavit. Quæritur an nihilominùs Fideicommiſſa Libertas debeatur? Reſpondit, Nihil proponi cur non debeatur. *l.* 41. § 3. *ff. d. tit.* SCÆVOLA LIB. 4. RESPONS.

SECTIO VI.

De Addictione bonorum, Libertatum conſervandarum gratiâ, ex Reſcripto D. Marci.

LXXVI.

Pertinet quoque hæc addictio ad Libertates teſtamento relictas, ſive directè ſive per Fideicommiſſum.

Verba Reſcripti ita ſe habent. « Si Verginio-Valenti, » qui TESTAMENTO ſuo Libertatem quibuſdam adſcripſit, nemine ſucceſſore ab inteſtato exiſtente; in eâ » cauſâ bona ejus eſſe cœperunt ut vænire debeant: is » cujus de eâ re notio eſt aditus, rationem deſiderii » tui habebit; ut Libertatum, tam earum quæ directò » quàm earum quæ per ſpeciem Fideicommiſſi relictæ » ſunt, tuendarum gratiâ addicantur tibi: ſi idoneè creditoribus caveris, de ſolido quod cuique debetur » ſolvendo.

» Et ii quidem quibus directa Libertas data eſt, perindè liberi erunt ac ſi hereditas adita eſſet. Ii autem » quos heres manumittere rogatus eſt, à te Libertatem conſequentur: ita autem ut, ſi non aliâ conditione » velis tibi addici, quàm ut ii etiam qui directò Libertatem acceperunt, tui liberti fiant. Nam huic etiam » voluntati tuæ, ſi ii quorum de ſtatu agitur, conſentiant; auctoritatem Noſtram accommodamus. Et ne » hujus Reſcriptionis Noſtræ emolumentum aliâ ratione » irritum fiat: ſi fiſcus bona (*f*) agnoſcere voluerit; & » ii qui rebus Noſtris attendunt, ſciant COMMODO » PECUNIARIO PRÆFERENDAM ESSE LIBERTATIS CAUSAM: & ita bona cogenda, ut Libertas iis ſalva ſit » qui eam adipiſci potuerunt; ac ſi hereditas ex teſtamento adita eſſet. » *Inſtit.* Tit. *de eo cui Libert. cauſ.* § 1.

Hanc Divi Marci Conſtitutionem ita confirmat Gordianus. Si hereditas ejus à quo teſtamento dicis te eſſe manumiſſum, ob æs alienum ſpernitur ab heredibus: conſervandæ Libertatis gratiâ, non injuſtâ ratione creditoribus hereditariis ſatis offerens, judicium teſtatoris obſervari tibi poſtulabis: maximè cùm id etiam à Divo Marco Conſultiſſimo Principe ſit conſtitutum. Quod in extranei quoque perſonâ obſervari oportet. *l.* 6. *Cod. de Teſtam. manum.*

(*a*) Putà, quia legatus erat ei qui teſtamentum ſcripſerat.
(*b*) Apud quem extincto aut repudiato legato ſervus remanet.
(*c*) Abundat hæc disjunctiva.
(*d*) *Ei* ſervo ſcilicet. Gloſſa.
(*e*) Legendum *ſi ſervus velit*: nam ſervo invito non datur hæc perſecutio: ſuprà N. 68.
(*f*) Illa ſcilicet quæ in eâ cauſâ ſunt ut venire debeant.

Source : BIU Cujas

§ I.

Quarum Libertatum conſervandarum cauſâ fiat hæc addictio.

LXXVII.

Quamvis Conſtitutio de Libertatibus quæ TESTAMENTO *relictæ erant, loquatur; tamen* Si quis inteſtatus decedens codicillis dedit Libertates, neque adita ſit ab inteſtato hereditas; favor Conſtitutionis Divi Marci debet locum habere & hoc caſu: quæ jubet Libertatem competere ſervo, & bona ei addici, ſi idoneè creditoribus caverit de ſolido quod cuique debetur ſolvendo. *l.* 2. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 60. AD ED.

Nil refert autem à quo relictæ ſint. Hinc quæritur: Si non heres, ſed legatarius rogatus fuerit manumittere; numquid ceſſet Conſtitutio, quòd legatis non debitis nec Libertates poſſunt deberi? Magiſque eſt, ut idem favor ſit: omnibus enim generaliter voluit Libertatem præſtare, quibus competeret ſi hereditas adita fuiſſet. *l.* 4. § 16. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 60. AD ED.

Item nil refert, relictæ ſint ſervis teſtatoris an alienis. Undè idem Ulpianus. Si alienos ſervos rogaverat heredem manumittere; utrùm dicimus Conſtitutionem locum habere, an verò ceſſabit Conſtitutio? Magiſque eſt ut locus ſit Conſtitutioni. Addictis enim bonis, redimere & præſtare Libertatem cogitur à Prætore. *d. l.* 4. § 15.

LXXVIII.

Cæterùm non fiet addictio, earum Libertatum gratiâ quæ nec aditâ hereditate competerent.

V. G. Si in fraudem creditorum Libertas data ſit, ab eo qui mortis tempore ſolvendo non eſt; an competat? Et ſi quidem fiſcus bona non agnoverit, fortè competit Libertas; quia (*a*) ſolidum creditoribus offertur. Atquin (*b*) ſi adita hereditas fuiſſet, non competeret? Certè ſi fiſcus agnovit hereditatem, faciliùs probabitur ceſſare Libertatem (*c*): niſi ſi quis verba Conſtitutionis ſecutus dixerit, ipſum (*d*) ſibi imputare debere qui addici ſibi hâc conditione bona voluit ut Libertates competant. Si quis autem (*e*) exemplum aditæ hereditatis fuerit ſecutus; directæ Libertates non competent, ſi conſilium & eventus fuerit fraudandorum creditorum; nec Fideicommiſſæ præſtabuntur, ſi eventu fraudenter creditores (*f*). *d. l.* 4. § 19.

Item ſi minor viginti annis (*g*) dedit Libertatem, dicemus non competere, niſi ſi Fideicommiſſam. Hæc enim competeret (ſi modò potuit cauſam probare minor viginti annis), ſi vivus manumitteret. *d. l.* 4 § 18.

§ II.

Quando hæc addictio fieri poſſit.

LXXIX.

Ait Conſtitutio NEMINE SUCCESSORE.

Ergo quandiù incertum ſit, utrùm exiſtat ſucceſſor, an non, ceſſabit Conſtitutio: quum certum eſſe cœperit, tunc erit Conſtitutioni locus. *d. l.* 4. *pr.*

Quid Si is qui in integrum reſtitui poteſt, abſtinuerit ſe hereditate (*h*); an quandiù poteſt in integrum reſtitui, exiſtimamus Conſtitutionem ceſſare? quia non eſt certum, ab inteſtato neminem ſucceſſorem extare. Eſt tamen verius, admittendam Conſtitutionem. *d. l.* 4. § 1.

Quid ergo ſi poſt addictionem Libertatum conſervandarum causâ factam, in integrum ſit reſtitutus? Utique non erit dicendum revocari Libertates, quæ ſemel competierunt. *d. l.* 4. § 2.

LXXX.

Ceſſat Conſtitutio ſi quis ſucceſſor exiſtat, etiam ſi ſolus fiſcus.

Hinc Papinianus. Quod Divo Marco pro Libertatibus conſervandis placuit; locum habet irrito teſtamento facto, ſi bona vænitura ſint. Alioquin, vacantibus fiſco vindicatis; non habere Conſtitutionem locum, apertè cavetur. *l.* 50. *ff. de Manum. teſtam.* PAPINIAN. LIB. 9. RESPONS.

Hoc tamen ſic intelligendum eſt, ſi his bonis tanquàm ſibi jure delatis fiſcus ſuccedat; putà tanquàm vacantibus: nullo non ſolùm herede, ſed nec creditore ea perſequente.

Quòd ſi fiſcus bona non vacantia, ſed in eâ causâ ut vænire deberent, ipſe ſibi ea addici poſtulet; Libertates competent, quemadmodum ſi extraneo addicerentur.

Sic accipe quod ait Ulpianus. Eadem Conſtitutio proſpexit, ut ſi fiſcus bona admiſerit, æquè Libertates competant. Ergo ſive jacent bona, fiſco ſpernente, ſive adgnoverit; Conſtitutio locum habet. Cæterùm ſi aliâ ratione adgnoſcat, apparet ceſſare debere Conſtitutionem. Quare & ſi Caducis Legionis (*i*) bona delata ſint, idem erit probandum. *ſup. d. l.* 4. § 17.

Illud quæritur: Si bona fuerint à fiſco non agnita, eaque addicta Libertatis conſervandæ gratiâ; an poſſit fiſcus poſtea agnoſcere? Et magis eſt, ne poſſit. Planè ſi non certioratis Præfectis Ærario, bona fuerint Libertatis conſervandæ causâ addicta; videndum eſt, an Conſtitutioni locus ſit? Et ſi quidem talia fuerunt ut agnoſci deberent, addictio ceſſat: ſi verò non fuerunt, addictioni locus eſt. *d. l.* 4. § 20.

LXXXI.

Hæc addictio fieri poteſt, etiam dum pendet Libertatum conditio. Ita docet Ulpianus. Si ex die data ſit Libertas, an dies expectandus ſit? Et puto expectandum (*k*): ante ergo non addicentur. Quid deindè, ſi ſub conditione data ſit Libertas? Et ſi quidem aliquæ purè, aliquæ ſub conditione: utique addici ſtatim poſſunt. Si omnes ſub conditione, quid conſequens erit dicere? Utrùm expectandum ut conditio exiſtat; an verò ſtatim addicimus, tunc demùm competiturâ Libertate ſi extiterit conditio? Quod magis erit probandum. Addictis itaque bonis directæ Libertates purè datæ ſtatim competunt; ex die, quum dies venerit; conditionales quum conditio extiterit. Nec erit ab re exiſtimare, etiam pendente conditione Libertatum, licèt omnes ſub conditione datæ ſint, Conſtitutionem locum habere: ubi enim Libertatis ſpes eſt; ibi dicendum eſt vel modicâ datâ occaſione, quod ſine damno creditorum futurum eſt, addictionem admittendam. *d. l.* 4. § 5.

Ex Conſtitutione Juſtiniani, fieri quoque poteſt etiam poſtquàm bona vænierunt; intrà annum ex quo vænierint. l. fin. Cod. de Teſtam. manum.

(*a*) Hæc eſt ratio cur hoc caſu videantur Libertates competere debere. Etſi enim in fraudem creditorum, adeòque inutiliter relictæ ſint; tamen cùm fiſcus bona non agnoverit, nemo eſt qui queri poſſit eas in fraudem & inutiliter relictas. Non creditores, quorum nihil intereſt; utpotè qui de ſolido quod ipſis debetur cautum habent. Sed nec is cui bona addicta ſunt; ne videatur ſuum ipſe titulum impugnare, cùm non aliâ quàm conſervandarum earum Libertatum gratiâ addicta ei bona fuerint.

(*b*) Ratio in contrarium affertur, cur hoc caſu Libertates non competunt; ſcilicet quia addictio eas tantùm conſervat quæ utiliter relictæ ſunt, & aditâ hereditate competiiſſent: atqui illæ non competiiſſent. Videtur autem hæc ratio, eſſe duntaxat ratio dubitandi; ſuperiùs autem allata, vera ratio decidendi.

(*c*) Exiſtit enim hoc caſu, qui poſſit opponere eas in fraudem creditorum adeòque inutiliter relictas, nimirùm fiſcus qui bona agnovit.

(*d*) *Fiſcum.* Hîc affertur ratio cur & ipſe fiſcus qui bona agnoviſſet, debeat eas libertates præſtare; ſcilicet quia Conſtitutio jubet etiam fiſco, ſub hâc lege præſtandarum libertatum, bona addici. Hæc ratio dubitandi: ad quam hæc reſponſio ſupplenda eſt, Conſtitutionem hoc jubere pro libertatibus utiliter relictis, & quæ aditâ hereditate competerent.

(*e*) *Si quis autem*, hoc caſu quo fiſcus bona agnoſcit, *ſecutus fuerit exemplum aditæ hereditatis*; id eſt, Jus idem obtinere debere putaverit, quod obtineret ſi adita hereditas fuiſſet [& quidem hoc caſu hoc Jus ſequendum eſſe tacitè innuit]: *Directæ* quidem *libertates &c.*

(*f*) Vide infrà Tit. *Qui & à quib. manum.*

(*g*) Vide d. tit. *Qui & à quib. manum.*

(*h*) Id eſt, repudiaverit hereditatem.

(*i*) Hinc apparet jam his temporibus Legionem prælatam fuiſſe fiſco, in bonis militis ſine ſucceſſore decedentis: dicebanturque hæc CADUCA LEGIONIS. Hinc inter munera militaria referuntur *Librarii Caducorum*: l. fin. ff. *de Jure immun.* Perperàm igitur Cujacius hunc textum ita emendat: *Ex caducis Legibus*; quæ lectio apertè vitioſa eſt: Ulpianus enim eumdem caſum quem jam propoſuit, perperàm repeteret. Vide ſuprà Append. ad lib. 37 & 38.

(*k*) Scilicet ut præſtentur libertates.

Source : BIU Cujas

§ III.

Quomodo fiat hæc addictio, & quibus fieri debeat.

LXXXII.

Conſtitutio Addici ita demùm bona voluit, ſi idoneè creditoribus cautum fuerit, de ſolido quod cuique debetur.

Ergo cavendum eſt idoneè. Quid eſt, IDONÉE? Satisdato utique; aut pignoribus datis. Sed ſi ei fides habita fuerit promittenti ſine ſatisdatione, idoneè cautum videbitur. *ſup. d. l.* 4. § 8.

De Solido utique ſic accipiemus, de ſorte & uſuris debitis. *d. l.* 4. § 11.

Hoc ita, niſi creditores parte fuerint contenti. l. fin. § 1. *Cod.* de Teſtam. manum.

LXXXIII.

Jam verò Creditoribus caveri, quemadmodum debet? Utrùm ſingulis; an verò, omnium nomine, uni ab ipſis creato? Et oportet officio judicis conſtitui, convenire creditores; unumque creare cui caveatur omnium nomine. *l.* 4. § 9. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 60. AD ED.

Illud videndum: Ante caveri debet creditoribus, & ſic addici bona; an verò ſub conditione hæc ſunt addicenda, SI FUERIT CAUTUM? Et puto ſic comprehendendum Decreto, ſi omnia ex Conſtitutione Divi MARCI facta ſint. *d. l.* 4. § 10.

LXXXIV.

Quilibet poteſt oblatâ cautione petere ſibi addici bona, ex ſuprà dictâ Conſtitutione. Servos autem teſtamento manumiſſos, ut bona ſuſcipiant, jure cautionem idoneam offerre, non minùs quàm cæteros defuncti libertos aut extrarios, declaravit. Quod (*a*) beneficium minoribus annis heredibus ſcriptis, auxilium bonis præſtitutum more ſolito deſiderantibus, non auferetur. *l.* 50. § 1. *ff. de Manum. teſtam.* PAPIN. LIB. 9. RESPONS.

LXXXV.

Si plures bona ſibi addici poſtulent; ſi quidem eodem tempore, omnibus addicantur; ſin, præferetur qui prior petierit. Poſterior tamen qui meliorem conditionem affreret, etiam poſt addicta priori bona præferetur; modò intrà annum ex quo prior judicem adivit. l. fin. §§ 4. 5. & 6. *Cod.* de Teſtam. manum.

§ IV.

De effectu hujus addictionis.

LXXXVI.

Primus effectus. Bonis addictis, Libertates directæ ipſo jure competunt.

Ut autem competunt, Illud videamus; utrùm præſentes eſſe debent qui Libertatem acceperunt, an verò non? Et cùm invitis illis poſſint bona propter Libertatem addici; utique etiam abſentibus. *l.* 4. § 3. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 60. AD ED.

Quid ergo; ſi quidam præſentes ſint, quidam abſentes: videamus an etiam abſentibus competat Libertas? Et poteſt dici, exemplo aditæ (*b*) hereditatis, competere Libertatem etiam abſentibus. *d. l.* 4. § 4.

Non tamen invitis; ut definivit Juſtinianus. Quòd ſi quidam velint, quidam non; bona nihilominùs addicentur: & illi qui noluerint ad Libertatem pervenire, erunt ſervi ejus cui bona addicentur. l. fin. § 2. *Cod.* de Teſt. manum.

LXXXVII.

Hi autem qui ad Libertatem pervenerunt, quorum liberti fiant, Conſtitutio oſtendit: ut qui directam Libertatem acceperunt, orcini erunt liberti. Niſi fortè is qui addici ſibi bona deſiderat, ita velit addici; ut etiam hi qui directam Libertatem acceperunt, ipſius liberti fiant. *ſup. d. l.* 4. § 12.

Qui autem volunt ipſius liberti fieri, utrùm manumittendi ſint ab eo? an verò ipsâ addictione hoc comprehendendum, hâc conditione ſibi addici bona; ut hi etiam qui directam Libertatem acceperunt, ipſius fiant liberti? Et puto hoc eſſe probandum, ut ipsâ addictione hoc comprehendatur. Idque verba quoque Conſtitutionis admittunt. *d. l.* 4. § 13.

Ex hoc jure patronatûs ei quæſito cui bona addicta ſunt, & illud conſequens eſt: Quum autem ſervus (*c*) Libertatem nanctus eſt; utique etiam tutelam ejus habebit is cùi bona addicta ſunt. *d. l.* 4. § 14.

LXXXVIII.

Hæc de his qui directam Libertatem acceperant. At Si qui Fideicommiſſam Libertatem acceperunt; non ſtatim ubi addicta bona ſunt, liberi ſunt: ſed Fideicommiſſam Libertatem poſſunt conſequi; hoc eſt, manumittendi ſunt ab eo cui addicta bona ſunt. *d. l.* 4. § 7.

Obſervandum quòd; etiamſi is cui bona addicta ſunt, promiſerit certum duntaxat numerum ſervorum perducere ad Libertatem, tamen omnes perveniunt, ſi ſit in bonis undè creditoribus ſatisfiat. l. fin. § 3. *Cod.* de Teſtam. manum.

LXXXIX.

Alter Addictionis effectus. Is autem cui bona addicta ſunt, Bonorum poſſeſſori aſſimilari debet; & ſecundùm hoc, & jura ſepulcrorum poterit habere. *ſup. d. l.* 4. § 21.

Indè eſt quòd, Si ſub conditione dandorum decem Libertas data ſit; ſive heredi dare juſſus ſit qui Libertatem accepit, ſive non ſit dictum cui; an dando ei cui bona addicenda ſunt, perveniat ad libertatem, quæri poteſt? Et magis eſt, ut ei dare debeat cui bona addicta ſint, quaſi tranſlata conditio videatur.

Certè ſi alii quàm heredi dare juſſus ſit; ipſi cui juſſus eſt, dabit. *d. l.* 4. § 6.

Item videamus an conveniri à creditoribus poſſit, hereditariis actionibus; an verò nonniſi ex cautione quam interpoſuit? Magiſque eſt ut non aliter conveniatur, quàm ex eâ cautione quam interpoſuit. *d. l.* 4. § 22.

Imò cui bona addicta ſunt, is eſt In quem etiam Utiles actiones plerumque (*d*) creditoribus competunt. *l.* 3. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 65. AD ED.

XC.

Obſervandum ſupereſt quòd Si duobus pluribus-ve addicta fuerint bona; & communem rem, & communes libertos habebunt, & ſecum FAMILIÆ ERCISCUNDÆ judicio experientur. *ſup. d. l.* 4. §. 23.

(*a*) Senſus eſt [ut rectè interpretatur Cujacius] beneficium *Addictionis in diem* non auferri, per auxilium *Reſtitutionis in integrum* quo Minores qui ſe abſtinuerant, ad adeundam hereditatem reſtituerentur. Libertates enim in ſuo ſtatu durabunt; & is cui bona addicta ſunt, manebit patronus.

(*b*) Æquè ac ſi adita eſſet hereditas.

(*c*) Impubes.

(*d*) Frequenter evenire poteſt ut bona addicta fuerint alicui, ſub hâc lege ut caveret creditoribus; & tamen, fortè per negligentiam creditorum, hæc ſtipulatio non fuerit interpoſita. Hoc caſu, cùm non habeant creditores actionem *Ex ſtipulatu*, habebunt adversùs eum *Utiles* actiones hereditarias.

Source : BIU Cujas

TITULUS VI.

DE ADEMPTIONE LIBERTATIS.

POst tractatum de modis quibus Libertas testamento relinquitur; proximum est ut videamus, an & quomodo possit Adimi Libertas testamento relicta.

I.

Libertas sicut dari, ita & Adimi tam testamento quàm Codicillis testamento confirmatis potest: ut tamen eodem modo Adimatur (*a*) quo & data est. ULPIAN. FRAGM. *tit.* 2. § *fin.*

Cùm autem fideicommissaria Libertas etiam tacitè dari possit, tacitè etiam Adimi poterit.

Hinc V. G. Fideicommissa Libertas non debetur, ei quem postea vinxit dominus. *l.* 43. *ff. de Fideic. libert.* PAUL. LIB. 4. AD SABIN.

Item tacitè videatur Adempta servo Libertas, ex eo quòd eum à creditore distrahi passus sit dominus.

Hinc ait Ulpianus; Posteaquàm à creditore alienati sunt servi, quibus fideicommissa Libertas adscripta est; non nisi ex justâ (*b*) causâ adversùs heredem subveniri eis posse (*c*). *l.* 52. *ff. de tit.* ULP. LIB. I. RESPONS.

II.

Adimitur tam purè quàm sub conditione Libertas. Quam autem sub conditione adimitur, hoc ipso contraria conditio hujus dationi adjicitur.

Hinc Julianus. Hæc scriptura: « Stichus QUUM ERIT » ANNORUM TRIGINTA, liber esto: Stichus SI DECEM » NON DEDERIT, liber ne esto »; hanc vim habet: Stichus, si decem dederit, & ad annos triginta pervenerit, liber esto. Namque Ademptio Libertatis vel legati, sub conditione facta, incipit contrariam conditionem legato vel libertati quæ priùs data erat injeciſſe. *l.* 13. § 5. *ff. de Statulib.* JULIAN. LIB. 43. DIGEST.

Observandum autem necessario heredi Libertatem Adimi non posse. De quâ re vid. suprà lib. 29. *Tit.* de Jur. codicill. *N.* 10.

III.

Hactenùs de Ademptione quæ fit à testatore. At Quum Libertas Lege (*d*) Adimitur: aut pro non datâ haberi debet (*e*); aut certè perindè observari, ac si à testatore Adempta esset. *l. un.* TERENT. CLEMENS LIB. 18. AD LEG. JUL. ET PAP.

(*a*) Scilicet quemadmodum non potest nisi civilibus verbis & nominatim dari directa libertas; ita non aliter quàm nominatim & civilibus verbis potest adimi: putà sic, *Stichus liber ne esto.*

(*b*) Putà; si ita erant conjuncti testatori, ut non possit præsumi testatorem voluisse eis libertatem adimere, quum passus est eos à creditore distrahi.

(*c*) Ut heres teneatur eos redimere & manumittere.

(*d*) V. G. Lege Juliâ DE ADULTERIIS adimitur Libertas quam domina adultero suo reliquit.

(*e*) Quasi diceret: non est locus hoc casu, Caducariis Legibus; sed libertas quâ servus ita excidit, haberi debet ut ea quæ in testamento habentur pro non scriptis: aut si, quia ab initio libertas utiliter relicta est, comparatio non placet; haberi debet ut ea quæ testator reliquit, & ipse posteà ademit.

TITULUS VII.

DE STATULIBERIS.

PErtinet etiam hic Titulus ad tractationem de libertatibus quæ testamento relinquuntur.

Cùm enim manumissio quæ fit testamento, diem aut conditionem recipere possit; non omnes quibus testamento libertas relicta est, statim evadunt liberi: sed quidam sunt duntaxat STATULIBERI, *de quibus hîc videndum* 1°. *Quinam illi sint:* 2°. *In quo consistat causa seu conditio Statuliberi:* 3°. *Ex quo servus hanc induat.*

Reliqua quæ in hoc Titulo continentur, transfudimus in Tit. de Cond. & demonstr. *suprà lib.* 35.

§ I.

Qui dicantur Statuliberi.

I.

Statuliber est, qui statutam & destinatam in tempus per conditionem, libertatem habet. *l.* 1. PAUL. LIB. 5. AD SABIN.

Et quidem Si quem servum tuum ad certum tempus Statuliberum relinquere vis, nihil interest utro modo caveas; SI SERVIERIT; an, SI TRIENNIO OPERAS DEDERIT, liber esto. *l.* 41. LABEO LIB. 1. PITHANON A PAULO EPITOM.

Fiunt autem Statuliberi, vel conditione expressâ, vel vi ipsâ.

Conditione expressâ quid est, manifestum est.

Vi ipsâ, quum creditoris fraudandi causâ manumittuntur. Nam dum incertum est an creditor jure suo utatur, interim Statuliberi sunt: quoniam fraus cum effectu (*a*) in Lege Æliâ-Sentiâ accipitur. *sup. d. l.* 1. § 1.

II.

Cæterùm Non est Statuliber, cui libertas in tam longum tempus collata est; ut eo tempore is qui manumissus est, vivere non possit: aut si tam difficilem; imò penè impossibilem conditionem adjecerit, ut aliundè ea libertas obtingere non possit; veluti, SI HEREDI MILLIES (*b*) DEDISSET; aut QUUM MORERETUR, liberum esse jussisset. Sic enim libertas inutiliter datur (*c*); & ita Julianus scribit: quia nec animus dandæ libertatis est. *l.* 4. § 1. PAUL. LIB. 5. AD SABIN.

(*a*) Consilium igitur fraudandorum creditorum, non sufficit ad infirmandam libertatem; nisi revera fraudati fuerint, & libertatem in fraudem suî concessam impugnaverint.

(*b*) Florent. *miles*, nullo sensu. Sed malè in Vulg. *mille*: non enim *mille* duntaxat, sed & *decem millia* pro conditione libertatis apponi frequens est. Igitur egendum *millies*, id est *Decies centena millia nummorum*; quod est patrimonium ditissimi hominis, referens [juxta Budæi æstimationem] *Vicies-quinquies centena millia aureorum* quibus hodie utimur.

(*c*) Aliud Juris esset, si sub conditione, quæ non *penè* sed omninò & per rerum naturam *impossibilis* esset, libertas foret relicta: ut vid. suprà lib. 35. Tit. *de Cond. & demonstr.* N. 22.

Source : BIU Cujas

§ II.

In quo consistat causa seu conditio Statuliberi.

III.

Qui Statuliberi causam adprehendit ; in eâ conditione est ut, sive tradatur, salvâ spe libertatis alienetur ; sive usucapiatur, cum suâ causâ usucapiatur ; sive manumittatur, non perdat spem orcini liberti (*a*). *l.* 2. ULP. LIB. 4. AD SABIN.

Consonat quod rescribunt Diocletianus & Maximianus. Statuliberis datam libertatem, adimi ad herede non posse certum est. Nec alienatio, nec usucapio Statulibero, quo minùs existente conditione libertatem consequatur, nocere potest. *l.* 13. *Cod. de Testam. manum.*

Igitur Si Statuliberum non eâdem conditione (*b*) heres vendat, causa ejus immutabilis est ; & luere (*c*) se ab eo potest, simili modo ut ab herede. Si tamen suppressit conditionem Statuliberi, & EX EMPTO quidem tenetur : Graviores (*d*) autem, etiam stellionatûs crimen important ei qui sciens dissimulatâ conditione statutæ libertatis simpliciter eum vendiderit. *l.* 9. § 1. ULP. LIB. 28. AD SABIN.

Suprà dictis consonat Gaius. Statuliberorum jura per heredem fieri non possunt duriora. *l.* 33. PAPIN. LIB. 2. QUÆST.

Uno tamen casu, Statuliberi amittitur causa quum ille alienatur ; scilicet quando sub eâ conditione libertas ei relicta est, si heres eum non alienasset.

Sic accipe quod ait Pomponius. Si ita liber esse jussus sit ; STICHUS, SI EUM HERES MEUS NON ALIENAVERIT, LIBER ESTO : etiamsi Statuliber est, alienari tamen poterit. *l.* 30. POMPON. LIB. 7. EX VARIIS LECTIONIBUS.

IV.

Vidimus quid Statulibero præstet causa statutæ libertatis. De cætero Statuliberi à cæteris servis nostris nihilo penè differunt. Et ideò, quod ad actiones vel ex delicto venientes, vel ex negotio gesto contractu, pertinet ; ejusdem conditionis sunt Statuliberi, cujus cæteri. Et ideò in publicis quoque judiciis, easdem pœnas patiuntur quas cæteri (*e*) servi. *l.* 29. POMPON. LIB. 18. AD Q. MUCIUM.

Ergo etiam Quoties servo vel ancillæ fideicommissaria libertas relinquitur (*f*) ; in eâ conditione est ut, quoad manumittatur, servilis conditionis sit. Et quidem si nullam moram præstandæ libertati, qui præstare debet, fecit ; nihil de statu eorum mutatur : ideòque eos interim legari posse, sed cùm suâ causâ constat. *l.* 45. § 2. *ff. de Fideic. libert.* ULP. LIB. 5. DISPUT.

Item Statuliberum medio tempore servum heredis esse, nemo est qui ignorare debeat. Eapropter noxæ dedi poterit.

Sed deditus, sperare adhuc libertatem poterit : nec enim deditio spem illi adimit. *l.* 9. ULP. LIB. 28. AD SABIN.

Undè Illud tractatum est ; an liberatio contingat, ei qui noxæ dederit Statuliberum ? Et Octavenus putabat, liberari. Et idem dicebat, & si ex stipulatu Stichum deberet ; eumque Statuliberum solvisset. Nam etsi ante solutionem, ad libertatem perveniisset ; extingueretur obligatio tota. Ea enim in obligatione consistere, quæ pecuniâ lui præstarique possunt. Libertas autem pecuniâ lui non potest, nec reparari (*g*) potest. Quæ sententia mihi videtur vera. *d. l.* 9. § 2.

Et certè LIBERTAS inæstimabilis res est. *l.* 106. *ff. de Reg. jur.* PAUL. LIB. 2. AD ED.

V.

Etiam Statuliberos venumdari posse, Leges duodecim Tabularum putaverunt (*h*).

Duris autem conditionibus in venditione minimè onerandi sunt : veluti, ne intrà loca serviant, ne-ve unquàm manumittantur. *l.* 25. MODESTINUS LIB. 9. DIFFERENT.

Item ita demùm Statuliber vendi poterit, nisi testator hoc prohibuerit.

Hinc Ulpianus. Item si heredi servire jussum Statuliberum heres vendidit, & tradidit ; credo statim ad libertatem pervenire. *l.* 3. § *fin.* ULP. LIB. 27. AD SABIN.

VI.

Illud etiam Statuliberis commune est cum cæteris servis ; quòd Statulibera quidquid peperit, hoc servum heredis est. *l.* 16. IDEM LIB. 4. REGUL.

§ III.

Ex quo servus nanciscatur causam Statuliberi.

VII.

Statuliberi causam non priùs servus nanciscitur, nisi aditâ vel ab uno ex institutis hereditate. Cæterùm ante aditionem, sive tradetur, sive usucapietur, sive manumittetur (*i*) ; spes statutæ libertatis intercidit (*k*). *l.* 2. ¶ *sed statulib.* ULP. LIB. 4. AD SABIN.

Idem Ulpianus alibi ait. Statuliberi conditio ita demùm immutabilis est, si adita hereditas fuerit. Cæterùm ante aditam hereditatem, in propriam usucapitur servitutem ; libertatisque spes infringitur.

Sed aditâ postea hereditate, spes libertatis favore suî redintegrabitur. *l.* 9. § 3. ULP. LIB. 28. AD SABIN.

VIII.

Sed si impuberis tabulis libertas servo sit adscripta ; an vivo pupillo, post aditionem videlicèt hereditatis patris, Statuliber sit ? Cassius negat. Julianus contrà existimat : quæ sententia verior (*l*) habetur. *l.* 2. § 1. ULP. LIB. 4. AD SABIN.

Plus scripsit Julianus ; Etsi legatus sit servus, ab herede patris liber esse jussus in pupillaribus tabulis ; prævalere libertatis dationem. *d. l.* 2. § 2.

Juliani sententiam sequitur Papinianus. Ita ille. In tabulis secundis filio servum datâ libertate substitutum, jure Statuliberi Prudentes munierunt. Quod utilitas (*m*) recipit : scilicet ut cum suâ causâ alienaretur, ne patris testamentum (*n*) puer filius rescindat.

Quæ Juris auctoritas citra delectum (*o*) ordinis, ad secundum quoque vel tertium substitutum porrecta est. *l.* 36. PAPIN. LIB. 2 DEFINITIONUM.

Similiter ait Ulpianus. Quocumque gradu pupillo servus cum libertate substitutus sit, necessarii causam

(*a*) Existente enim conditione statutæ libertatis, desinet esse libertus ejus à quo pendente eâ manumissus est ; & fit libertus Orcinus, id est defuncti, cujus testamento priùs erat sub conditione manumissus.

(*b*) Id est ; vendat eum, non tanquam Statuliberum, sed tanquam simpliciter servum.

(*c*) Finge eum esse cui libertas relicta est sub conditione SI *dederit certam summam.*

(*d*) Severiores Jurisconsulti. Glossa.

(*e*) Aliter obtinere cœpit post Constitutionem [quam Rævardus tribuit Antonino-Caracallæ quem ait Pii quoque cognomen sumpsisse] quæ refertur in *l.* 9. § fin. ff. *de Pœnis.* Vide d. tit. infrà lib. 48.

(*f*) Is non quidem propriè Statuliber, sed Statuliberi instar.

(*g*) Id est, emi : ut vertunt Auctores Basilicorum. Si dicitur *Reparari merces.* Sententia est ; Obligationem non posse consistere, nisi in rebus quæ sunt in commercio, quæ emi possint ; liberum autem hominem non esse in commercio.

(*h*) Id est, non expresserunt quidem, sed supposuerunt ; in hoc scilicet Capite : STATULIBER EMPTORI DANDO LIBER ESTO. De quo vide Commentarium nostrum, Tab. 5â.

(*i*) Ab eo qui illum, dum jacet hereditas, usucepisset.

(*k*) Scilicet stricto Jure. Sed redintegratur aditâ hereditate ; ut mox dicetur.

(*l*) Vide Notas sequentes.

(*m*) Hoc exigente utilitate pupilli receptum est, non ex ratione Juris. Nam si rationem Juris spectemus ; tunc demùm Statuliberi causam quis induit, quum adita est hereditas ex eo testamento quo statuta libertas relicta est. Igitur servatâ strictâ illâ ratione Juris ; is servus cui pupillari testamento libertas est relicta, non posset esse Statuliber vivo pupillo ; cùm eo vivo, nec adiri hereditas ex pupillari testamento possit.

(*n*) *Patris testamentum* appellat, quod pater non sibi sed filio fecit ; scilicet tabulas pupillares. Has autem puer filius posset rescindere & infirmare ; si is servus non cum Statuliberi causâ alienaretur. Nam alioquin, conditione substitutionis pupillaris existente, inveniretur alienus : proindèque & libertas ei jure directo data, & hereditas, pariter corrueret.

(*o*) Id est ; nullâ distinctione habitâ, quo gradu, quo ordine servus sit substitutus.

Source : BIU Cujas

obtinet. Quæ ſententia utilitatis causâ recepta eſt, & à nobis probatur. Celſus quoque putat libro quinto-decimo; Cum libertate ſubſtitutum, Statuliberi cauſam obtinere. *ſup. d. l.* 2. § 4.

Hic autem quæritur: Si primis tabulis ſub conditione ſervus cum libertate, ex parte dimidiâ heres ſit inſtitutus; an Statuliberi cauſam obtineat, ut adeunte herede cum ſuâ causâ uſucapiatur?

Cùm à ſemetipſo acceperit libertatem, non poteſt Statuliberi cauſam obtinere. Planè ſi conditio hereditatis deficiat, quo caſu ſecundùm Julianum vel libertatem adipiſcitur; dicendum eſt Statuliberi cauſam obtinere, eo quòd non à ſemetipſo, ſed à coherede accepiſſe libertatem creditur. *d. l.* 2. § 3.

I X.

Obſervandum ſupereſt; non ideò minùs ſervum Statuliberum aditâ hereditate fieri, quòd legatus fuerit.

Hinc Javolenus. Stichum Attio do, lego; &, SI IS EI NUMMOS CENTUM DEDERIT, liber eſto. Si ſervus ex teſtamento nummos Attio dediſſet; eos repetere heredem non poſſe, Labeo exiſtimat: quia Attius eos à ſervo (*a*) ſuo acceperit; non ab heredis ſervo. Eum autem Statuliberum eſſe. Q. Mutius-Gallus, & ipſe Labeo putant; Servius, Oſilius, non (*b*) eſſe. Superiorem ſententiam probo. Ita tamen ut is ſervus heredis, non legatarii ſit; utpotè cùm legatum Statuliberi (*c*) tollatur. *l.* 39. JAVOLEN. LIB. 4. EX POSTERIORIB. LABEONIS.

(*a*) *Suo*, quem jure legati acquiſiviſſet.

(*b*) Putabant ſcilicet, legatum prævalere libertati; & inutiliter proindè libertatem jure directo relinqui ſervo, qui aditâ hereditate non eſſet hereditarius; ſed ex causâ legati Attio acquiſitus.

(*c*) Nimirùm eo tempore quo conditio ſtatutæ libertatis implebitur, legatum tolletur.

TITULUS VIII.

QUI SINE MANUMISSIONE AD LIBERTATEM PERVENIUNT.

ACtum in ſuperioribus Titulis, de ſervis qui Manumiſſione ad Libertatem adipiſcuntur. Nunc de illis qui ſine Manumiſſione ad Libertatem perveniunt: quod pluribus caſibus contingit.

Et 1°. *quidem ex variis Senatuſconſultis, citra Manumiſſionem liberi fiunt illi qui in Libertate ſibi per fideicommiſſum debitâ quamdam moram paſſi ſunt. De his ſatis ſuprà. Tit.* de Fideic. libert.

2°. *Ex eorumdem porrò Senatuſconſultorum ſententiâ; pariter citra Manumiſſionem ad Libertatem pervenire poſſunt, qui ſuis nummis redempti ſimilem moram paſſi ſunt.*

3°. *Si qui eâ lege alienati ſunt ut manumitterentur; lege non impletâ, ex Conſtitutione Divi Marci ad Libertatem ſine Manumiſſione perveniunt.*

4°. *Item illi pro quibus dominus pecuniam accepit ut eos manumitteret.*

5°. *Aliæ denique ſpecies occurrere poſſunt, in quibus citra Manumiſſionem ſervi Libertatem conſequuntur.*

ARTICULUS I.

De his qui ſuis nummis ſunt redempti.

I.

Is qui ſuis nummis emitur; Epiſtolâ Divorum Fratrum ad Urbium-Maximum, in eam conditionem redigitur, ut Libertatem (*a*) adipiſcatur. *l.* 4. *ff. de Manumiſſionib.* ULP. LIB. 6. DISPUTAT.

§ I.

Quis ſuis nummis videatur redemptus, ut ipſi debeatur Libertas.

II.

Et primò quidem, NUMMIS SUIS non propriè videtur emptus dici; cùm SUOS nummos ſervus habere non poſſit: verùm conniventibus oculis credendum eſt ſuis nummis eum redemptum, quum non nummis ejus qui eum redemit comparatur. Proindè ſive ex peculio quod ad venditorem pertinet, ſive ex adventitio lucro, ſive etiam amici beneficio vel liberalitate, vel prorogante (*b*) eo, vel repromittente, vel ſe delegante, vel in ſe recipiente debitum, redemptus ſit; credendum eſt ſuis nummis eum redemptum. Satis eſt enim quòd is qui emptioni ſuum nomen accommodaverit, nihil de ſuo impendit. *d. l.* 4. § 1.

Ut autem ex hâc causâ Libertas alicui debeatur, quatuor concurrere oportet.

III.

1°. *Is ſervus eſſe debet, qui ad Libertatem perduci poſſit. Etenim* In illis ſanè ſervis non intervenit Conſtitutio (*c*), qui in totum perduci ad Libertatem non poſſunt: ut putà ſi exportandus, vel hâc lege vænierit vel teſtamento hanc conditionem acceperat, ne unquàm manumitteretur. *d. l.* 4. § 9.

2°. *Hoc ab initio debuit eſſe actum, ut ſuis nummis redimatur. Undè* Si ab ignoto (*d*) emptus ſit, poſteà autem pretium ſuum obtulerit; dicendum erit, non eſſe audiendum.

Ab initio enim hoc agi debet ut imaginaria fieret emptio (*e*), & per fidem contractûs inter emptorem & ſervum agatur. *d. l.* 4. § 2.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si ex libertate natum aliquis comparaverit, ſtatum retines quem antea habuiſti. Si verò ex ancillâ editum naturalis pater idemque dominus diſtraxerit, ac poſt emptori pretium ſolviſti; non idcircò Libertatem conſecutus es. *l.* 12. *Cod. de Liber. cauſ.*

3°. *Oportet ut reverà pretium ſervus ſolverit.*

Sive igitur non hoc ab initio eſſet actum ut ſuis nummis redimeretur: ſive hoc acto nummos ſervus non dedit, ceſſabit Libertas. *ſup. d. l.* 4. § 3.

Undè quæri poterit; Si, quum hoc ab initio eſſet actum, emptor feſtinavit & pretium numeravit; an poſtea ei ſatisfacto ſervus Conſtitutione uti poſſit? Et puto poſſe. *d. l.* 4. § 4.

(*a*) Id eſt, ut manumitti debeat; & niſi manumittatur, libertatem citra manumiſſionem ex Decreto Magiſtratûs conſequatur.

(*b*) Prorogare, *faire les avances.*

(*c*) Divorum Fratrum, ſuprà N. 1.

(*d*) *Ignotus* hîc dicitur, emptor cum quo ſervus non pactus eſt ut redimeretur; & de pretio ſui ante emptionem non convenit.

(*e*) *Imaginaria* dicitur emptio, quæ non in id *agatur* ut emptor ſervum emptum ſibi ſervet, ſed *per fidem* id eſt ad implendam fidem *contractûs* ſeu conventionis *inter emptorem & ſervum* interpoſitæ. Ex hâc enim emptione nihil conſequitur emptor, utpotè interpoſita duntaxat perſona.

Source : BIU Cujas

Proindè etsi ei nummos prorogavit emptor ; quum ei pariaverit (*a*) , poterit ad Libertatem pervenire. *d. l.* 4. § 5.

Imò adde : Suis autem nummis redemptus etsi totum pretium non numeravit, ex operis tamen ipsius accesserit aliquid ut repleri pretium possit , vel si quid suo merito adquisierit ; dicendum est, Libertatem competere. *d. l.* 4. § 10.

I V.

4°. *Denique oportet ut totus suis nummis redemptus sit.*

Quorcircà quæritur 1°. *Si quis partem servi habens , alteram propriis servi nummis redimat ; an servus videatur nummis suis redemptus ?*

De hoc casu ita Ulpianus : Quòd si partem SUIS (*b*) nummis redimeret, quum partem servi haberet ; ad Constitutionem non pertinebit : non magis quàm qui , quum proprietatem haberet , usumfructum redemit. *d. l.* 4. § 11.

Contrà quæritur 2°. Sed quid , quum fructuarius esset ; & proprietatem redemit (*c*) ? In eâ conditione est ut ad Constitutionem (*d*) pertineret. *d. l.* 4. § 12.

3°. Sed & si duo servum redemerint , alter propriis nummis , alter nummis servi, dicendum erit Constitutionem cessare. *d. l.* 4. § 13.

Excipe. Nisi fortè is qui propriis nummis redemit , manumittere fuerit paratus. *d.* § 13.

Altera exceptio est ejus quod diximus , oportere ut servus fuerit totus suis nummis emptus. Nimirùm : Sed & si partem quis redemit (*e*) , pars altera ex causâ lucrativâ accesserit (*f*) ; dicendum erit , Constitutionem locum habere. *d. l.* 4. § 14.

V.

Vidimus quæ concurrere oporteat ut Libertas ex hâc causâ debeatur. Sive autem exprimatur in contractu (veluti in emptione) hoc , ut manumittatur ; sive non exprimatur (*g*) ; verius est Libertatem competere. *d. l.* 4. § 6.

Ergo etsi fortè quis sic comparaverit suis (*h*) nummis , ne eum manumittat (*i*) benigna est opinio dicentium , hunc ad Libertatem pervenire : cùm & nomen emptionis imaginarius iste emptor accommodet , & præterea nihil ei absit. *d. l.* 4. § 7.

Nihil autem interest à quo quis suis nummis ematur , à fisco vel civitate , vel à privato ; cujus-que sit sexûs, is qui emit. Sed & si minor sit viginti annis qui vendidit , interveniet Constitutio (*k*).

Nec comparantis quidem ætas spectatur. Nam & si pupillus emat ; æquum est eum fidem implere , cùm sine damno ejus hoc sit futurum. Idem , & si servus est. *d. l.* 4. § 8.

§ II.

Quomodo Libertatem adipiscatur nummis suis redemptus ; & quæ pœna servi qui se falsò talem in Jure contendit.

V I.

Si quis dicat se suis nummis emptum ; potest consistere cum domino suo cujus in fidem confugit , & queri quòd ab eo non manumittatur ; Romæ quidem apud Præfectum Urbi , in provinciis verò apud præsides , ex sacris Constitutionibus Divorum Fratrum : sub eâ tamen denuntiatione , ut is servus qui hoc intenderit , nec impleverit , in opus metalli detur ; nisi fortè dominus reddi eum sibi maluerit , utique non majorem (*l*) ex eâ causâ pœnam constituturus. *l.* 5. *ff. de Manumissionib.* MARC. LIB. 2. INSTITUTION.

Contrà Qui se dicit suis nummis redemptum , si hoc probaverit , exindè liber erit ex quo redemptus est (*m*) : quia Constitutio non liberum pronuntiare præcipit , sed RESTITUI ei Libertatem jubet. Proindè compellendus erit manumittere (*n*) eum qui se suis nummis redemit. *l.* 67. *ff. de Judiciis.* ULP. LIB. 6. DISPUT.

ARTICULUS II.

De his qui hâc lege sunt alienati ut manumitterentur.

V I I.

Eum qui ita væniit ut intra tempus manumitteretur ; quum dies præstandæ Libertatis venerit, vivente venditore & perseverante in eâdem voluntate , perindè haberi ac si ab eo à quo debuit manumitti , manumissus esset ; mortuo autem venditore , non esse heredum ejus voluntatem explorandam , Divus Marcus cum filio suo rescripsit. *l.* 3. CALLISTRAT. LIB. 3. DE COGNITIONIB.

§ I.

Quæ requirantur necne , tam circa pactum manumittendi , quàm circa personam servi , ut ex Constitutione Divi Marci liber fiat.

V I I I.

Illud potissimùm requiritur circa manumittendi legem in alienatione expressam , ut in continenti sit apposita.

Enimverò Paulus respondit ; Si (ut proponitur) post perfectam sine ullâ conditione emptionem , posteà emptor ex voluntate suâ litteras emisit , quibus profiteretur se post certum tempus manumissurum eum quem emerat : non videri eas litteras ad Constitutionem Divi Marci pertinere. *l.* 38. *ff. de Liberali causâ.* PAUL. LIB. 15. RESPONS.

I X.

Necesse autem non est , disertis verbis exprimi ut emptor servum manumitteret ; modò quomodocumque convenerit ut servus ad Libertatem perduceretur.

Hinc Alexander. Si Justa Saturnino puellam nomine Firmam , agentem tunc annos septem , hâc lege vendiderit UT QUUM HABERET ANNOS VIGINTI-QUINQUE LIBERA ESSET : quamvis factum ab emptore præstandæ Libertatis pacto non sit insertum , sed ut libera esset (*o*) expressum ; tamen Constitutioni Divorum Marci & Commodi in Semestribus scriptæ locus est. Ideòque impleto vicesimo-quinto anno Firma libera facta est. Nec obest ei quòd vicesimo-septimo anno manumissa est , quæ jam ex Constitutione libera erat. Et is quem post vicesimum-quintum annum ex te conceptum enixa est , ingenuus est. *l.* 3. *Cod. Si mancip. ita fuerit alienat. ut manumitt.*

Nil refert etiam , dies intrà quam servus manumitteretur pacto expressa fuerit necne.

Hinc idem Alexander. Si eâ lege Crestes servum suum (sed naturalem filium) venumdedit , ut emptor eum

(*a*) Id est ; servus exsolverit totum quod porogaverat emptor ex pacto præcedente.

(*b*) SUIS , servi scilicet , *nummis* : Glossa.

(*c*) Intellige pariter , nummis servi.

(*d*) Ususfructus enim partis vice non fungitur ; adeòque videtur totum servum , servi nummis emisse.

(*e*) Non suis , sed ipsius servi nummis ; ab eo qui pro parte dominus erat.

(*f*) Emptori : V. G. ex testamento ejus qui alteram partem servi habebat.

(*g*) Modò tamen pacto id ante convenerit inter servum & emptorem suprà N. 3. cum Notis (*d*) & (*e*).

(*h*) Servi.

(*i*) Id est , hâc lege expresâ ne eum manumittere tenetur. Si enim hâc lege , ne posset manumitti ; contrà dicendum foret [ut suprà N. 3.] non competere libertatem : quia pactum quod inter servum & emptorem interponitur , vel contra domini voluntatem vel saltem eo ignorante , non potest derogare legi à domino dictæ in ipsâ rei suæ alienatione.

(*k*) Ratio dubitandi ; quòd Minor servos suos , ut manumittere prohibetur , ita & vendere eâ lege ut manumittantur. Ratio decidendi ; quòd in præsenti specie Minor qui vendit , non pacisci tur ut servus manumittatur : sed pactum duntaxat inter servum & emptorem interpositum est.

(*l*) *Non majorem* scilicet quàm fuisset pœna metalli.

(*m*) Supple : ita tamen ut non ipso jure liber sit , sed à domino manumitti debeat : *quia* , *&c.* Hæc autem Manumissio retrò trahitur ad tempus quo fieri debuit.

(*n*) Et , si noluerit , vel moram fecerit ; tunc ex sententiâ Senatusconsultorum de quibus egimus Tit. *de Fideic. Libert.* ex Decreto judicis libertatem citra Manumissionem consequetur.

(*o*) Simpliciter.

Source : BIU Cujas

manumitteret (*a*) : quamvis non eſt manumiſſus, ex Conſtitutione Divorum Marci & Commodi ad Auſidium Victorinum liber eſt. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

Quæ autem dies adjecta intelligi debeat quum expreſſa non eſt, docet Paulus in hâc ſpecie. Latinus-Largus vendidit ancillam, ita ut manumitteretur; non addito tempore. Quæro quando ex Conſtitutione incipit ei Libertas competere, ceſſante emptore in manumittendo? Reſpondit: Inſpiciendum eſt, quid actum ſit; utrùm quum primùm potuiſſet, ut manumitteret; an ut in poteſtate eſſet emptoris, quando vellet manumittere. Priore caſu, facilè tempus deprehendi poterit; poſteriore, utique moriente emptore competit Libertas. Si non appareat quid convenerit, favor priorem inducet opinionem; id eſt, ut intrà duos menſes: ſi ambo præſto ſunt, tam ſervus quàm emptor ejus. Servo enim abſente, niſi emptor intrà quatuor menſes impoſuerit Libertatem, ex Conſtitutionibus ad Libertatem eripitur. *l.* 9. PAUL. LIB. 5. QUÆST.

X.

Non ideò minùs etiam hoc pactum ad Conſtitutionem Divi Marci pertinet, quòd huic inſerta ſit pœna.

Hinc Papinianus. Quidam Puellam eâ lege vendidit, ut poſt annum ab emptore manumitteretur: quòd ſi non manumiſiſſet, convenit uti manum injiceret, aut decem aureos emptor daret. Non ſervatâ fide, nihilominùs liberam ex ſententiâ Conſtitutionis fieri reſpondit (*b*); quoniam manûs injectio plerùmque auxilii (*c*) ferendi causâ intervenit. Itaque nec pecunia petetur; cùm emolumentum (*a*) legis, voluntatem venditoris ſecutum ſit. *l.* 20. § 2. *ff. de Manumiſſionib.* PAPIN. LIB. 10. RESPONS.

Similiter Diocletianus & Maximianus. Si puellam eâ lege vendidiſti UT MANUMITTERETUR; &, ſi manumiſſa non eſſet, centum aurei præſtarentur: non ſervatâ fide, nihilominùs eam raptam ex veſtigio ſervitutis, ad libertatem quæ præſtari potuit, conſtitit. Nec pecunia quaſi ruptâ fide ſuſceptâ rectè petetur: cùm non mutatâ venditoris voluntate, conditionis poteſtate (*Florent.* poteſtatem) [poſt] manumittentis factum repræſentari (*e*), optimâ ratione placuit. *l.* 6. *Cod. Si mancip. ita fuerit alienat. ut manumitt.*

XI.

Cæterùm ut ſervus ipſe hâc lege venditus, ad Conſtitutionem Divi Marci pertineat; omninò requiritur 1°. *Ut potuerit alienari, nihilque ſit in ejus perſonâ quod Manumiſſioni ejus obſtet.*

Cùm autem generalis hypotheca libertati ſervi non obſtet, ut videb. tit. ſeq. Part. 1ª. *art.* 2. *hinc* Si quis obligatum ſervum, hâc lege emerit ut manumittat; competit Libertas ex Conſtitutione Divi Marci: licèt bona omnia quis obligaverit, quæ habet habiturus-ve eſſet. *l.* 6. MARCIAN. LIB. SINGUL. AD FORMULAM HYPOTHECARIAM.

Obiter nota. Tantùmdem dicendum eſt, & ſi lege hâc emerit (*f*) ne proſtituatur; & proſtituerit. *d. l.* 6. § 1.

Illud requiritur 2°. *& patet ex dictis, ut venditor ante diem pacto pœſtitutum non mutaverit voluntatem.*

Hinc Paulus. Si quis hâc lege væniit ut intrà certum tempus manumittatur; ſi non ſit manumiſſus, liber ſit: ſi tamen is qui vendidit, in eâdem voluntate perſeveret, Heredis voluntatem non eſſe exquirendam. *l.* 3. *ff. de Servis export.* PAUL. LIB. 50. AD EDICT.

§ II.

Quando committatur hoc pactum, competatque Libertas.

XII.

Ex hoc pacto competit ipſo Jure Libertas ſtatim atque præteriit dies intrà quem ſervus manumitti debuit; etiamſi nulla interceſſerit mora.

Hinc Si ſervus venditus eſt, ut intrà certum tempus manumitteretur; etiamſi ſine herede deceſſiſſent (*g*) venditor & emptor, ſervo Libertas competit. Et hoc Divus Marcus reſcripſit.

Sed etſi mutaverit venditor voluntatem (*h*), nihilominùs Libertas competit. *l.* 1. PAUL. LIB. 5. AD PLAUT.

Hæc tamen non ſemper indubitata fuêre; nec auſus fuerat Scævola affirmare, Libertatem ipſo Jure competere citra moram.

Ita enim Scævola. Quidam Quum venderet Pamphilam & Stichum, venditioni inſeruit pactum conventum uti, ne eadem mancipia (Pamphila & Stichus, quos minorato pretio vendidit) alterius ſervitutem quàm Seii paterentur, poſt mortemque ejus in libertate morarentur. Quæſitum eſt an hæc mancipia de quibus inter emptorem & venditorem convenit, poſt mortem emptoris jure ipſo liberata ſint? Reſpondit; Secundùm Conſtitutionem Divi Hadriani ſuper hoc prolatam, Pamphilam & Stichum de quibus quæreretur, ſi manumiſſi non ſint, liberos non (*i*) eſſe. *l.* 10. *ff. de Serv. export.* SCÆVOLA LIB. 7. DIGEST.

Scævolam autem ita rectè arguit Claudius-Tryphoninus: Claudius: Divus Marcus ex lege dictâ Libertatis in vendendo, quamvis non manumiſſos fore liberos in Semeſtribus conſtituit; licèt in mortis tempus emptoris diſtulit venditor Libertatem. *d. l.* 10, ¶ *Claudius.*

Conſonat quod ait Ulpianus. Ei qui hâc lege emptus ſit ut à vivo emptore manumittatur, ſtatim mortuo eo, competit Libertas. *l.* 4. ULP. LIB. 3. AD SABIN.

XIII.

Obſervandum eſt; in venditione ſervi hâc lege ut intrà certam diem munumitteretur venditi, aliam legem adjectam ut interim ſervus pro operis ſuis certam mercedem penderet, non haberi pro conditione: adeòque, etſi huic non paruerit, nihilominùs die adveniente Libertatem competere. Hoc docet Papinianus: Tempore alienationis convenit ut homo Libertatis causâ traditus, poſt quintum annum impletum manumitteretur, & ut certam mercedem interea menſtruam præberet. Conditionem Libertati mercedes non facere; ſed obſequio temporariæ ſervitutis modum præſtitutum eſſe, reſpondi. Neque enim in omnibus, Libertatis causâ traditum comparari (*k*) ſtatulibero. *l.* 20. § *fin. ff. de Manumiſſ.* PAPIN. LIB. 10. RESPONS.

XIV.

Obſervandum ſupereſt; committi hoc pactum, in quaſcumque manus ſervus hâc lege venditus pervenerit.

V. G. Gaius-Seius Pamphilam hâc lege emit, ut intrà annum manumitteretur. Deindè intrà annum Seius

(*a*) In eâ ſpecie, nulla videtur dies expreſſa intrà quam manumitteretur.

(*b*) Ratio dubitandi erat quòd, cùm adjecta pœna eſſet ſi non Manumitteretur, non videbatur ſervus væniiſſe præcisè & ſimpliciter Manumittendus.

(*c*) Quia qui manûs injectionem pacifcitur: magis ut auxilietur ſervo quàm ut ſibi conſulat, pacifcitur: adeòque videtur pacifci hoc animo, ut ſervum ab emptoris injuſtâ ſervitute vindicet, non ut ſervi perſonam in dominium ſuum revocet.

(*d*) Id eſt, vis ac poteſtas legis datæ venditioni, ſecuta eſt venditoris voluntatem. Vi ſolâ hujus conventionis, ſervus ad libertatem pervenit: adeòque pœnæ locus eſſe non poteſt; cùm id quod voluit venditor, impletum ſit.

(*e*) *Placuit* vi ipsâ ac *poteſtate conditionis* datæ emptioni, *repræſentari* & ſuppleri *factum Manumittentis.* Quo in textu abundat vox illa [*poſt*]; videturque irrepſiſſe ex inconſideratâ repetitione prioris vocis *poteſtate*, per abbreviationem POTS. Ita Cujacius Obſerv. XVI 34.

(*f*) Ancillam generali hypothecâ obligatam.

(*g*) Adeòque nulla intelligi poſſit fuiſſe emptoris mora; cùm nec eſſet emptor qui poſſet Manumittere, nec venditor qui poſſet interpellare.

(*h*) Struvius in ſuâ legum conciliatione ad h. l. ſic hoc intelligit ut, licèt venditor ante diem mutavit voluntatem, tamen nihilominùs competat Libertas; ſi die adveniente nullus venditor nulluſque emptoris heres extiterit: cùm jam nullius interſit Libertatem non competere. Quæ interpretatio non placet. Ex quo enim venditor ante diem re integrâ voluntatem mutavit, jam deſiit ſervus eſſe in eâ causâ ut Libertas quandoque ei debeatur. Dicendum igitur, hic ſpeciem proponi in quâ venditor mutaſſet voluntatem demùm poſt diem.

(*i*) Scævola [ut obſervat Cujacius] non ignorabat Conſtitutionem Divi Marci, ad cujus tempora pervenerat. Sed exiſtimabat præcedentem Conſtitutionem Hadriani quæ definierat ex ſolâ conditione venditioni oppoſitâ, ſervum non fieri liberum; non prorsùs abrogatam fuiſſe per Conſtitutionem Divi Marci; & huic proindè locum dare, non ſolam conventionem, ſed moram emptoris.

(*k*) Quamvis uterque in eâ causâ ſit ut aliquando liber eſſe debeat, tamen in omnibus comparari non debent. Igitur quamvis ſtatuliber dare aliquid juſſus, non perveniat ad libertatem niſi dederit; idem concludendum non eſt in eâ ſpecie.

Source : BIU Cujas

ſervus pronuntiatus (*a*) eſt. Quæro an ex lege venditionis finito anno, Pamphila Libertatem conſecuta ſit? Paulus Reſpondit; Cum eâ conditione ancillam emptam domino (*b*) adquiſitam, cum quâ conditione vænîſſe proponeretur. *l.* 23. *ff. de Manumiſſionib.* PAPIN. LIB. 15. RESPONS.

§ III.

Ad quas alienationes Conſtitutio Divi Marci porrigatur.

XV.

Auctor fuit Papinianus ut Divi Marci Conſtitutio ad quaſvis alienationes, putà donationes, porrigeretur. Ita ille : Mancipia mater filiæ donaverat, ut filia curaret ea poſt mortem ſuam eſſe libera. Cùm donationis legi non eſſet obtemperatum; ex ſententiâ (*c*) Conſtitutionis Divi Marci Libertates obtingere, matre conſentiente, reſpondi. Quòd ſi ante filiam mater vitâ deceſſit, omnimodo (*d*). *l.* 8. PAPIN. LIB. 9. RESPONS.

Hanc Papiniani ſententiam confirmat Alexander. Si Patroclus poſteaquàm te Hermiæ donationis causâ dedit, lege dictâ ut ſi quindecim annis continuis ſerviſſes ad Libertatem perducereris, ita ut civis Romanus eſſes; tempore peracto, ſi modò Patroclus non contrariæ voluntatis fuerat, aut etiam ſi jam deceſſerat, ad Libertatem perveniſti: quoniam placuit non ſolùm ad venditos, ſed etiam ad donatos eam legem ut manumitterentur pertinere. Nec te potuit ſemel tranſlato dominio in Hermiam, poſtea alii Patroclus vendere. Et ideò non de præſtandâ tibi Libertate, quam ex Conſtitutione jam fueras adeptus, litigare debuiſti; ſed Libertatem quam obtinueras, defendere. *l.* 1. *Cod. Si mancip. ita fuerit alien. ut manum.*

ARTICULUS III.

De eo pro quo dominus pecuniam accepit ut ipſum Manumitteret.

XVI.

Si quis ab alio nummos acceperit ut ſervum ſuum manumittat, etiam ab invito Libertas extorqueri poteſt; licèt plerùmque pecunia ejus (*e*) numerata ſit: maximè ſi frater vel pater naturalis pecuniam dedit. Videbitur enim ſimilis ei qui ſuis nummis redemptus eſt. *l.* 19. *ff. de Manumiſſionib.* PAPIN. LIB. 30. QUÆSTION.

Quinetiam & ipſo Jure Libertas hoc caſu competit, ſi dominus intra placitum tempus non manumiſerit. Enimverò Paulus Reſpondit; Conſtitutionem quidem Divi Marci ad Libertatem eorum mancipiorum pertinere, quæ hâc lege vænierint ut poſt tempus manumitterentur. Sed eumdem favorem Libertatis conſequendæ causâ, etiam eam mereri, pro quâ dominus pretium accepit ut ancillam ſuam manumitteret: cùm idem etiam libertam habiturus ſit. *l.* 38. § 1. *ff. de Liber. cauſ.* PAUL. LIB. 15. DIGESTOR.

Quòd ſi dominus nullâ re acceptâ, promiſiſſet manumittere, non poſſet cogi promiſſum implere.

Ita enim Diocletianus & Maximianus. Poſt certi temporis miniſterium ancillæ, liberam eam eſſe cum eâ paciſcendo; conventionis obtemperandi legi domina nullam habet neceſſitatem. Utque hoc verum eſt: ita è contrario ſi filios ſuos conſtituta cum his libera, in miniſterium tibi tradere promiſiſſe probetur; parere placitis non compellitur. *l.* 36. *Cod. de Liberali cauſ.*

(*a*) Adeòque Pamphila dominum non habet Seium ſervum à quo empta eſt, ſed eum qui Seii dominus eſt.

(*b*) Seii.

(*c*) Non ex verbis; Conſtitutio enim de emptione tantùm locuta eſt: ejus autem ſententiam ad cæteras alienationis ſpecies trahit Papinianus; quod non auſus fuerat Scævola, cujus reſponſum vide in l. 122. § 2. ff. *de Verb. oblig.*

(*d*) Heredis enim voluntas non exquiritur: ut vid. ſuprà N. 7.

ARTICULUS VI.

Aliæ cauſæ referuntur, ex quibus ſine Manumiſſione ſervi ad Libertatem perveniunt.

XVII.

1°. Imperator noſter cum patre ſuo conſtituit; in eo qui, quum poſſit abducere proſtitutam ancillam (*f*), pecuniâ acceptâ manûs injectionem vendidit; UT LIBERA ESSET. Nihil enim intereſt, ipſe abducas & proſtituas; an patiaris proſtitutam eſſe pretio accepto, quum poſſis eximere. *l.* 7. PAUL. LIB. SING. DE LIBERTATIB. DANDIS.

XVIII.

2°. Qui ob necem detectam domini, præmium Libertatis conſequitur, ſit orcinus (*g*) Libertus. *l.* 5. MARCIAN. LIB. 5. REGUL.

De eo ita reſcribunt Diocletianus & Maximianus: Quoniam religioſa ſollicitudo ad augendam provocandamque fidei obſervationem, Juris præmio adfici debet: ſi ad ulciſcendam cædem domini, incorruptis probationibus ſtrenuo niſu conſtiteris; Libertatem quam his qui dominorum cædem vindicant, jam pridem Senatuſconſultis & ſtatutis Principum præſtari ſancitum eſt, etiam tu pro tam ingentibus meritis non ex ipſo facto (*h*), ſed additione & Sententiâ Præſidis reportabis. *l.* 1. *Cod. Pro quib. cauſ. ſervi pro præm. lib. accip.*

XIX.

3°. *Edixit etiam Conſtantinus; ut* Servi qui monetarios adulterinam monetam clandeſtinis ſceleribus exercentes in publicum detulerint, civitate Romanâ donentur: ut eorum domini pretium à fiſco percipiant. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

4°. *Item ut* Si quis ſervus raptûs virginis facinus, diſſimulatione præteritum, aut pactione tranſmiſſum, detulerit in publicum; libertate donetur. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

5°. *Conſtituunt etiam Gratianus, Valentinianus & Theodoſius; ut* Si deſertorem militiæ ſervus prodiderit Libertate donetur. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

XX.

6°. Servo, quem pro derelicto dominus ob gravem infirmitatem habuit, ex Edicto Divi Claudii competit Libertas (*i*). *l.* 2. MODESTIN. LIB. 6. REGUL.

Hoc non trahe ad eum quem dominus in capitali causâ non defendit. Nam Sciendum eſt, ſi in capitali causâ ſuum ſervum reum crimine factum quis non defenderit, non eum pro derelicto haberi: & ideò ſi abſolutus fuerit, non liberum fieri, ſed manere domini. *l.* 9. *ff. de Publ. judic.* MARCIAN. LIB. 1. DE JUDICII. PUBL.

Idem alibi: Item nec ille liber fieri poteſt, qui à domino non eſt defenſus in capitali crimine; poſteaque abſolutus eſt. *l.* 9 § 1. *ff. Qui & à quib. manum.* MARCIAN. LIB. 1. INSTITUT.

Item Hermogenianus: Servus in causâ capitali, fortunæ judicio à domino commiſſus, etſi fuerit abſolutus, non fit liber. *l.* 13. *ff. de Stat. homin.* HERMOG. LIB. 1. JURIS EPITOM.

(*e*) Domini, putà quia de peculio quod ad ipſum pertinebat accepit.

(*f*) Scilicet, qui vendiderat ancillam hâc lege ut, ſi proſtitueretur, manum injicere eamque ad ſuum dominium revocare ſibi liceret: de quâ re ſuprà lib. 18. Tit. *de Serv. export.*

(*g*) Id eſt, defuncti libertus; ſit liber perindè ac ſi directam à defuncto libertatem accepiſſet.

(*h*) *Non ex ipſo* detectæ cædis *facto; ſed ex Sententiâ Præſidis* qui te in præmium detectæ cædis domini pronuntiabit liberum.

(*i*) Latina: ex Conſtitutione autem Juſtiniani, juſta & civilis.

XXI.

Source : BIU Cujas

XXI.

7°. *Ei qui ſervum ægrum abjicit, rectè comparaveris illum, qui ſervum ſuum infantem exponit. Rectè igitur ex Conſtitutione Juſtiniani is infans ad Libertatem pariter pervenit: l.* 23. *Cod.* de Epiſcop. aud. & Novell. 153.

8°. *Item ex Conſtitutione Theodoſii & Valentiniani, necnon & aliâ Leonis, ad Libertatem perducitur ancilla quæ invita proſtituitur. l.* 12. *& l.* 14. *Cod.* de Epiſc. aud.

9°. *Novellâ CXLII. ſervi qui caſtrantur, in Libertatem evadunt: aliis gravioribus pœnis in eos qui hoc admiſerunt ſtatutis.*

10°. *Libertatem etiam adipiſcuntur ſervi Hæreticorum & Infidelium, quum fidem Catholicam illi ſervi amplectuntur. l.* 56. § 3. *Cod.* de Epiſc. & Cleric.

11°. *Novellâ XXII. Cap.* 11. *ancilla quam doloſè dominus patitur ab aliquo ignorante duci in uxorem, Libertatem & ingenuitatis jura ipſo Jure conſequitur; adeòque valet ejus matrimonium.*

TITULUS IX.

QUI ET A QUIBUS MANUMISSI, LIBERI NON FIANT; ET AD LEGEM ÆLIAM-SENTIAM.

SUperiore Titulo vidimus ſervos ad libertatem interdum ſine Manumiſſione pervenire. Hic docet, contrà interdum per Manumiſſionem eos libertatem non conſequi: quod contingit, ſi vel is Manumittatur qui ad libertatem perduci non poteſt, vel is Manumittat qui jus manumittendi non habeat; vel ſi aliqua Lex obſtat libertati.

PRIMA PARS.

Qui & à quibus Manumiſſi, liberi non fiant.

ARTICULUS I.

Qui ad libertatem perduci non poſſint.

I.

1°. Servus hâc lege venditus ne manumittatur, vel teſtamento prohibitus manumitti, vel à Præfecto vel Præſide prohibitus ob aliquod delictum manumitti; ad libertatem perduci non poteſt. *l.* 9. *ff. de Manumiſſionib.* PAUL. LIB. I. SING REGULAR.

Pariter Marcianus: Qui hâc lege vænierint ne manumittantur, vel qui teſtamento prohibiti ſint manumitti, vel juſſu Præſidis provinciæ, licèt Manumittantur, tamen ad libertatem non perveniunt. *l.* 9. § 2. MARCIAN. LIB. I. INSTITUT.

II.

Hoc ita niſi ab ipſo domino qui legem dixit, manumitterentur. Hinc in hâc ſpecie: Lucius-Titius Stichum ſervum Mævio legavit & petit ut neque ab eo, neque ab herede ejus unquàm manumitteretur. Paulus reſpondit; Teſtatorem potuiſſe poſtea hunc ſervum ad libertatem perducere; quia non ſibi legem dixiſſet, ſed legatario. *l.* 40. § 1. *ff. de Fideic. Libert.* PAUL. LIB. 15. RESPONS.

Perduci etiam poterit ad libertatem ſervus, ſi ceſſaverit cauſa propter quam prohibitus eſt Manumitti.

Hinc Valerianus & Gallienus. Is quidem qui in teſtamento vetitus eſt manumitti ad libertatem non poteſt pervenire. Sed in propoſito intereſt, utrùm-ne eos quos cum filio educatos eſſe teſtator expreſſit, propter familiare miniſterium & uſum filiorum neceſſarium, & vænire & manumitti vetuerit; an quaſi malè meritis pœnam irrogaverit. Nam priore caſu; morte ejus cui conſulebatur, obſequii neceſſitate finitâ, libertas poteſt pervenire: poſteriore autem caſu, id quod pœnæ cauſâ in ſervos ſtatutum eſt, neceſſe eſt vires ſuas obtinere; quando Divis parentibus meis placuerit, hujuſmodi teſtamentorum leges perpetuam ſervitutem malè meritis ſervis irrogare, ut nec per ſuppoſitum emptorem ad libertatem perduci poſſint. *l.* 2. *Cod. Qui non poſſ. ad libert. pervenire.*

Obſervandum etiam quod notat Ulpianus. Quod conſtitutum eſt, vetitum in teſtamento ad libertatem perduci non poſſe Manumitti; hoc ad eos pertinere puto, qui teſtatoris fuerunt, vel heredis. Servo enim alieno id irrogari non poterit. *l.* 9. § 1. *ff. de Manum. teſtam.* ULP. LIB. AD SABIN.

III.

Ad alias cauſas veniamus, ex quibus prohibetur ſervus ad libertatem perduci.

2°. *Nimirùm* Servo competere libertas non poteſt, ſi relegatus (*a*), moratus ſit in Urbe. *l.* 2. ULPIAN. LIB. 3. AD SABIN.

3°. *Item* Lege Faviâ prohibetur ſervus qui plagium admiſit pro quo dominus pœnam intulit, intrà decem annos Manumitti. In hoc tamen non teſtamenti facti tempus, ſed mortis intuebimur (*b*). *l.* 12. *ff. de Manumiſſ.* PAUL. LIB. 50. AD ED.

Generaliter enim In his quos intrà certa tempora non licet Manumittere; ſi teſtamento acceperint libertatem, non teſtamenti facti, ſed competentis libertatis tempus inſpiciendum eſt. *l.* 17. § 2. PAUL. LIB. SINGUL. DE LIBERTATIB.

4°. *Denique non poteſt ſervus ad vincula damnatus, ad libertatem perduci quandiù pœna durat. Ita enim reſcribunt Servus & Antoninus:* Cùm Divus Claudius pater meus conſtituerit; à Præſidibus provinciarum vel qui coercendorum maleficiorum poteſtatem habent, in perpetua vincula damnatos, ad libertatem perduci non poſſe: hi qui intrà tempora pœnæ, liberi & heredes eſſe juſſi ſunt, aut legatum fideicommiſſum-ve acceperunt; neque libertatem adipiſci, neque quidquam eorum quæ

(*a*) Pœna relegationis non cadit in ſervum: l. 12. § fin. ff. *de Accuſat. Relegatum* igitur hic accipe impropriè, pro eo qui exportari juſſus eſt: putà ex lege alienationi dictâ: ut ſuprà lib. 18. Tit. *de Serv. export.*

(*b*) Id eſt, Ut poſſit ei competere libertas, non neceſſe eſt decennium præteriiſſe [intrà quod ex die admiſſi criminis Manumitti prohibetur] quum dominus teſtamentum fecit; ſed ſufficit præteriiſſe quum dies relictæ ei libertatis cedit, ſcilicet tempore mortis teſtatoris. Quòd ſi nec tunc decennium præteriit; inutilis ex hâc lege erit, relicta ei libertas.

Source : BIU Cujas

his data sunt, capere possunt. Quòd si pœnæ tempus compleverint; jam omni vinculo exoluti, & quasi ad pristinam vel simplicem servitutis conditionem redacti, & libertatem, & si qua testamentis dominorum illo tempore defunctorum acceperunt, sine nullâ quæstione pœnæ præteritæ consequantur. *l.* 1. *Cod. Qui non poss. ad libert. perven.*

Item Papinianus: Fratres Imperatores rescripserunt, servos in temporaria vincula damnatos libertatem & hereditatem sive legatum, postquàm tempus expleverint, consequi: quia temporaria coercitio quæ descendit ex Sententiâ, pœnæ est abolitio. Si autem beneficium libertatis in vinculis veniat; ratio Juris & verba Constitutionis libertati refragantur.

Planè si testamento libertas data sit; & eo tempore quo aditur hereditas, tempus vinculorum solutum sit; rectè Manumissus intelligitur: non secùs ac si pignori datum servum debitor manumisisset, ejusque post liberatum pignus, adita fuisset (*a*) hereditas. *l.* 33. *ff. de Pœnis.* PAPINIAN. LIB. 2. QUÆST.

I V.

Cùm igitur in multis casibus servus intrà certum tempus Manumitti non possit, rectè Libertas testamento servo ita dari potest: QUUM per Leges licebit, liber esto. *l.* 38. *ff. de Manum. testam.* PAUL. LIB. 12. AD PLAUT.

ARTICULUS II.

Qui jure Manumittere possint necne.

Is Civis Romanus certè servum jure manumittere potest, qui hujus in solidum, pleno, libero ac irrevocabili jure dominus est, rerumque suarum administrationem ac ætatem legitimam habet.

An autem, si quid ex his desit, Manumittere possit; singulis Articulis dispiciendum.

§ I.

De eo qui dominus non est.

V.

Qui servi dominus non est, eum inutiliter manumittit.

Hinc Diocletianus & Maximianus: Si tradita sunt ex donatione mancipia; jus manumittendi donatrix non habuit (*b*). *l.* 5. *Cod. de His qui non à dom. manum.*

Si servo alieno libertas non consentiente domino data est, valere ex auctoritate Juris non potest; quamvis postea manumissor domino heres extitit: nam licèt ejus, (jure cognationis) qui manumisit, heres extitit; non ideò additione hereditatis, libertatis datio confirmatur. *l.* 20. MODESTIN. LIB. SING. ENUCLEATIS CASIBUS.

V I.

Nec solùm invito domino, sed nec ex ejus voluntate rectè quis alienum servum manumittit.

Permittitur tamen liberis, servos parentum in quorum potestate sunt, ex mandato eorum manumittere. Hinc Paulus: Filiusfamilias jussu patris manumittere potest (*c*), matris (*d*) non potest. PAUL. SENT. *lib.* 1. *Tit.* 13. § 2. *apud Schulting.*

Nepos ex filio, voluntate avi, ut filius voluntate patris potest manumittere. Sed Manumissus patris vel avi libertus est. *l.* 22. *ff. de Manumissionib.* PAPINIAN. LIB. 2. DEFINITION.

Justinianus autem permisit quibuslibet liberis etiam emancipatis, suorum utriusque sexûs parentum servos jussu eorum manumittere. l. 1. *Cod.* Comm. de Manum.

V I I.

Cùm is qui servi dominus non est, manumittere non possit; hinc Curator furiosi servum ejus Manumittere non potest. *l.* 22. POMPON. LIB. 25. AD Q. MUCIUM.

Et Alibi. Servus furiosi ab agnato curatore manumitti non potest; quia in administratione patrimonii, Manumissio (*e*) non est.

Si autem ex fideicommissi causâ deberet libertatem furiosus; dubitationis tollendæ causâ, ab agnato tradendum servum (*f*), ut ab eo cui traditus esset manumittatur Octavenus ait. *l.* 13. *ff. de Manumissionib.* IDEM LIB. 1. EX PLAUTIO.

Necessarium autem omninò est hoc remedium ab Octaveno propositum. Alioquin, ut Diocletianus & Maximianus rescribunt; Nec fideicommissariam libertatem à pupillâ suâ servis debitam tutorem posse præstare, certi Juris (*g*) est. Undè si non quos tu rogata fueras manumittere, tempore certo ætatis tuæ ad libertatem non perduxisti; sed tutor manumisit, remanserunt in servitute. *l.* 6. *Cod. Qui manumitt. non. poss.*

V I I I.

Ex eo quòd manumittere non possit nisi qui dominus est, sequitur etiam filios-familias non posse manumittere servos quos in peculio paganico habent. Accedente tamen patris in cujus potestate sunt consensu, hoc ipsis permittitur: & quidem generalis consensus sufficit.

Hinc Paulus. Pater ex provinciâ ad filium sciens Romæ agentem, epistolam fecit; quæ permisit ei, quem vellet ex servis quos in ministerio secum hìc habebat, Vindictâ liberare. Postquàm filius Stichum manumisit apud Prætorem, quæro an fecerit liberum? Respondi; Quare non hoc concessum credamus patri, ut permittere possit filio ex his quos in ministerio haberet, Manumittere? Solam enim electionem filio concessit: cæterùm ipse manumittit. *l.* 22. *ff. de Manum. Vind.* PAUL. LIB. 12. QUÆST.

Durare autem debet patris voluntas, quum filius manumittit.

Hinc Julianus: Si pater filio permiserit servum manumittere, & interim decesserit intestato; deinde filius ignorans patrem suum mortuum, libertatem imposuerit: libertas servo, favore libertatis, contingit quum non apparet mutata esse domini voluntas. Sin autem ignorante filio vetuisset pater per nuntium; & antequàm filius certior fieret, servum Manumisisset; liber non fit. Nam ut filio manumittente, servus ad libertatem perveniat, durare oportet patris voluntatem: nam si mutata fuerit, non erit verum volente patre filium Manumisisse. *l.* 4. *ff. de* Manum. *Vind.* JULIAN. LIB. 42. DIGEST.

Hinc Juliani sententia ita refertur à Paulo: Julianus ait; Si posteaquàm filio permisit pater manumittere; filius ignorans patrem decessisse, manumisit; Vindictâ non fieri (*h*) eum liberum. Sed & si vivit pater, & voluntas mutata erit; non videri volente patre, filium Manumisisse. *l.* 15. § 1. PAUL. LIB. 1. AD LEG. JULIAM.

Cùm nonnisi ex voluntate patris, servos manumittere possit filius: hinc etiam Surdi vel muti patris filius jussu

(*a*) Servo meo qui pignoris jure nexus est, inutiliter libertatem relinquo: lect. seq. art. 3°. Sed convaluescit; si, antequàm dies cedat, liberetur pignus.

(*b*) Quia desiit esse domina, quum ea donavit.

(*c*) Nam propter jus potestatis, videtur cum patre una eademque persona.

(*d*) Quia filius non est in potestate matris.

(*e*) Manumissio non est actus *Administrationis*, sed potestatis.

(*f*) Id est; curator furiosi servum imaginario emptori mancipare teneretur, ut emptor per hanc imaginariam emptionem & mancipationem dominus factus; eum posset manumittere.

(*g*) An etiam hoc non potest, etsi pupillus consentiat? Quod plerique putant. Cujacius contrà putat posse: Observ. XIV 33.

(*h*) Hic agitur, non de casu quo pater adhuc vivens mutavit voluntatem inscio filio; sed de casu quo pater defunctus est eo tempore quo filius manumittit: quo casu, disertè expressit Julianus modò suprà, libertatem *favorabiliter contingere.* Nec potest hic, Paulus Juliani sententiam referens, ipsi Juliano ita apertè contradicere; ut ex Juliano afferat *liberum non fieri*, eum quem Julianus dixit *favore libertatis* esse liberum. Rejectis itaque omnibus aliis opinionibus, quasi conciliandus hic foret Julianus cum Paulo: magis juvat Menochii conjectura, qui vocem illam *Vindictâ*, non [ut vulgò] ad præcedens verbum *manumisit*, referri putat; sed ad id quod sequitur, quemadmodum & nos interpunximus. Imò apertiùs, ex auctoritate manuscripti codicis, ita transponit, *Non fieri eum Vindictâ liberum.* Sensus est; non fieri quidem eum liberum jure *Vindictæ*, id est ipso Jure; quia scilicet, cùm pater decesserit, non potest videri durare ejus voluntas eo tempore quo filius manumittit: sed tamen servus liber fit, benignè & *favore libertatis*; quia Prætor eum tuetur ut liberum, nec permittit in servitutem peti. Sicque patet eamdem esse utrobique Juliani sententiam.

Source : BIU Cujas

ejus manumittere poteſt, furioſi verò filius non poteſt manumittere. *l.* 10. *ff. de Manum. Vind.* MARCIAN. LIB. 3. REGULAR.

Hæc de ſervis qui ſunt in peculio paganico. At Servi quos filiusfamilias in caſtris quæſiit, non in patrisfamiliâ (*Florent.* familiæ) computabuntur: nec enim pater tales filii ſervos manumittere poterit (*a*). *l.* 17. *ff. de Manumiſſion.* MODESTIN. LIB. 6. REGUL.

Ex conſenſu autem filii, poterit eos manumittere, (*argumento leg.* 6. *Cod.* de His qui à non dom. *infrà N.* 23.) *ſicut filius ſervos patris ex voluntate ejus manumittit.*

I X.

Hactenùs de filiisfamilias. Multò minùs poterit ſervus manumittere; cùm nihil proprium habere poſſit, & ipſe pro nullo habeatur.

Hinc Modeſtinus: Nulla competit libertas, data ab eo qui poſtea ſervus ipſe pronuntiatus eſt. *l.* 19. MODEST. LIB. 1. REGUL.

Hinc Alexander: Servos meos nec per interpoſitam perſonam ad libertatem perducere homines peculii ſui poſſe, Mandatis Principum comprehenditur. *l.* 2. *Cod. Qui manumitt. non poſſ.*

Hinc & Marcianus: Qui pœnæ ſervi efficiuntur, indubitatè manumittere non poſſunt; quia & ipſi ſervi ſunt. *l.* 8 *ff. de Manumiſſion.* MARCIAN. LIB. 13. INST.

§ II.

De eo qui dominus eſt non in ſolidum.

X.

Servum communem unus ex dominis Manumittendo, Latinum facere non poteſt; nec magis quàm civem Romanum: cujus portio eo caſu, quo ſi proprius eſſet, ad civitatem Romanam perveniret, ſocio adcreſcit. PAUL. SENT. LIB. 4. *tit.* 12. § 1.

Quid autem eo caſu quo Latinum duntaxat effeciſſet? Utrumque ita complectitur Ulpianus:

Communem ſervum unus ex dominis Manumittendo, partem ſuam amittit (*b*), eaque adcreſcit ſocio; maximè ſi eo modo manumiſerit quo, ſi proprium haberet, civem Romanum facturus eſſet. Nam ſi INTER AMICOS eum manumiſerit (*c*), pleriſque placet eum nihil egiſſe. ULP. FRAGM. *tit.* 1. § 16.

Severus autem & Antoninus (*ut ex Juſtiniano diſcimus*) *hoc privilegium militibus dederant; ut ſi miles teſtamento libertatem ſervo communi reliquerit, heredes militis partem ſervi redimere, & eâ redemptâ, ſervum libertate donare; ſocius autem eam vendere teneretur, juſto pretio à Prætore ſtatuendo. Juſtinianus hoc porrexit ad paganorum ſervos: & conſtituit ut, ſive inter vivos ſive teſtamento, alter ex ſociis Manumittere ſervum communem cupiat; ſocius ei aut heredibus ejus teneatur partem ſuam pretio per hanc Conſtitutionem ſtatuto vendere: certâ tamen dilatione dandâ, ut ſervus reddat rationes ſi quas reddendas habet. Jus autem antiquum accreſcendi eo caſu abrogavit. l.* 1. *Cod.* de Serv. comm. monum.

§ III.

De eo qui dominus eſt, ſed non pleno aut libero jure.

X I.

De jure pleno dominii, duo hîc circa Manumiſſionem notanda ſunt.

1°. *Jure veteri libertas civilis quæ adjunctum jus civitatis habebat, tribui non poterat ſervo; niſi ab eo qui kujus eſſet dominus ex jure Quiritium. Qui autem* Bonitarius *dicebatur dominus, Latinum duntaxat libertum facere poterat.*

Hæc dominiorum & libertatum diſtinctio ſublata eſt: ut vid. in Inſtit.

2°. Servus in quo alterius eſt uſusfructus, alterius proprietas; à proprietatis domino Manumiſſus liber non fit, ſed ſervus ſine domino eſt. ULP. FRAGM. *Tit.* 1. § 17.

Juſtinianus item hoc Jus abrogavit; conſtituitque ut ſervus à nudæ proprietatis domino Manumiſſus, ad juſtam libertatem perduceretur: tamen fructuario, citra cujus conſenſum Manumiſſus eſſet, ſervire, quoad uſusfructus duraret, teneretur. l. 1. *Cod.* Comm. de manum.

Jam de eo videndum qui ſervi dominus eſt, ſed non libero jure.

Servum pignori datum Manumittere non poſſumus. *l.* 4. ULP. LIB. 3. DISPUTAT.

Servus pignori datus, etiamſi debitor locuples (*d*) ſit, Manumitti non poteſt. *l.* 3. *ff. de Manumiſſionib.* PAUL. LIB. 39. AD ED.

Hinc Severus & Antoninus: Licèt dotale mancipium vir qui ſolvendo eſt, poſſit Manumittere (*e*); tamen ſi te pignori quoque datum mulieri apparuerit, invitâ eâ non poſſe libertatem adſequi, non ambigitur. *l.* 1. *Cod. de Serv. pign. dat. manum.*

Hæc ita, niſi creditoris conſenſus accedat. Ita enim Alexander: Si (ut proponis) conſentiente creditore cui pignoris jure cum aliis mancipiis obligatus fuiſti, à debitore Manumiſſus es; potuiſti ad libertatem pervenire. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

Scilicet modò is creditor qui conſenſit, rerum ſuarum adminiſtrationem haberet. Hinc Hermogenianus: Pignori datus ſervus, antequàm debiti nomine fiat ſatis, ſine conſenſu creditorum manumitti non poteſt: ſed pupilli creditoris, citra tutoris auctoritatem, conſenſus nihil libertati prodeſt; ſicuti non prodeſt, ſi fructuarius pupillus manumiſſioni ſimiliter conſentiat. *l.* 27. § 1. HERMOG. LIB. 1. JURIS EPITOM.

Obſervandum etiam quòd, Si creditoribus ſatisfactum fuerit; ancillæ quæ pignori obligatæ à debitore Manumiſſæ erant, liberæ fiunt. Nam ipſe manumiſſor, ſi fraudem ſe feciſſe creditoribus, ut revocet libertates; audeat dicere; audiri non debet, nec heredes ejus. *l.* 5. *Cod. d. tit.* ALEXANDER.

Dictis conſonat Scævola. Pignori obligatum ſervum debitoris heres Manumiſit. Quæſitum eſt, an liber eſſet? Reſpondit; Secundùm ea quæ proponerentur, ſi pecunia etiam nunc deberetur, non eſſe Manumiſſione liberum factum. Paulus: Solutâ ergo pecuniâ, ex illâ voluntate liber fit. *l.* 26. SCÆV. LIB. RESP.

X I I I.

Hæc de ſpeciali pignore. Sed & favore pupillorum, tacitum pignus; æquè ac ſpeciale Manumiſſioni obſtat; in ſpecie ſequenti de quâ ita reſcribit Alexander. Si tutor tuus de pecuniâ tuâ ſervos emptos Manumiſit: quoniam hujuſmodi ſervi, ſicut cæteræ res pupillaribus pecuniis emptæ, jure pignoris ex Conſtitutione Divorum parentum meorum obligati ſunt, favore pupillorum liberi facti non ſunt. *l.* 6. *Cod. de Servo pign. dat manum.*

Cæterùm tacitum pignus, quale in rebus quæ invectæ & illatæ ſunt in ædes conductas, non obſtat Manumiſſioni; ut vid. ſuprà lib. 20. *Tit.* In quib. cauſ. pign. tac.

Item generalis hypotheca Manumiſſioni non obſtat. Hinc Gaius: Generaliter pignori datus, ſervus, ſine dubio, pleno jure debitoris eſt, & juſtam libertatem ab eo conſequi poteſt; ſi Lex Ælia-Sentia non impediat libertatem, id eſt ſi ſolvendo ſit, nec ob id creditores videantur fraudari. *l.* 29. GAIUS LIB. 1. DE MANUMISSIONIBUS.

(*a*) Sed ipſe filius, utpotè eorum verè dominus, eos manumittet; non expectato conſenſu patris.

(*b*) Quia manumittendo ſervum, partem quam in eo habebat, ſolemniter in Jure abdicavit. Cùm autem non potuerit eum ad libertatem perducere, utpotè pro parte alienum; neceſſe videbatur hanc partem quam abdicavit, ſocio adcreſcere: quia ſervus non poteſt eſſe pro parte liber & pro parte ſervus.

(*c*) Vel alio modo non ſolemni, ex quo Latina tantùm libertas competeret.

(*d*) Adeòque nulla fraus fiat creditoribus.

(*e*) Utpotè qui rerum dotalium verè dominus eſt; ſuprà lib. 23. Tit. *de Jure dot.*

Source : BIU Cujas

De generali pignore accipe quod vetus Juriſconſultus ait: Servum pignori datum, civem Romanum facere debitor poteſt (*a*) niſi ſi ſolvendo non ſit; obſtat enim Lex Ælia-Sentia, quæ vetat ſervum fœneratorum (*b*) causâ Manumiſſum, civem Romanum fieri, ſed Latinum (*c*). FRAGM. VET. JCTI. § 16.

Pariter Severus & Antoninus: Ab eo qui bona ſua pignori obligavit quæ habet, quæque habiturus eſſet, poſſe ſervis libertatem dari, certum eſt. Non idem Juris eſt, in his ſervis qui pignoris jure ſpecialiter traditi vel obligati ſunt. *l.* 3. *Cod. de Serv. pign. dat. manum.*

Maximè autem non poteſt generalis hypotheca obſtare manumiſſioni ejus ſervi, quem debitor ſub hâc lege emerat ut eum manumitteret.

Hinc Paulus: Ælianus debitor fiſcalis, Evemeriam ancillam ante annos multos emerat hâc lege Ut manumitteret; eamque manumiſerat: procurator, quum bona debitoris non ſufficientia quæreret, etiam Evemeriæ ſtatûs quæſtionem faciebat. Placuit non eſſe juri fiſcali locum, quo omnia bona debitorum jure pignoris tenerentur: quia eâ lege empta eſt; &, ſi non manumitteretur, ex Conſtitutione Divi Marci ad libertatem perveniret. *l.* 10. *ff. de Manumiſſ.* PAUL. IMPER. SENTENT. in cognitionib. prolatarum (ex libris ſex) LIB. 2.

§ IV.

De eo qui dominium habet, ſed revocabile.

XIV.

Is cujus dominium in eâ causâ eſt, ut in alicujus conditionis eventum ipſo Jure ab eo diſceſſurum ſit; non poteſt interim ſervum in quo tale dominium habet, ad libertatem perducere.

V. G. Sub conditione ſervus legatus, pendente conditione, pleno jure heredis eſt: ſed nullam libertatem ab eo conſequi poteſt, ne legatario injuria fieret. *l.* 29. § 1. GAIUS LIB. 1. DE MANUMISS.

Pariter Paulus. Servum qui ſub conditione legatus eſt, interim heres Manumittendo liberum non facit. *l.* 11. *ff. de Manumiſſionib.* PAUL. LIB. 64. AD ED.

De tali ſervo accipe quod ait idem Paulus: Heres ſervum proprium (*d*) quem teſtator legaverat, manumittendo nihil agit: quia ſcientiæ vel ignorantiæ ejus nullam placuit admttti rationem. *l.* 28. PAUL. LIB. 3. SENTENT.

Quinetiam Si optio hominis data ſit, vel indiſtinctè HOMO legatus ſit; non poteſt heres, quoſdam ſervos vel omnes Manumittendo, aut evertere aut minuere jus electionis. Nam optione ſive electione ſervi datâ, quodammodo ſinguli ſub conditione (*e*) legati videntur. *l.* 3. GAIUS LIB. 2. DE LEGATIS AD ED. URBICUM.

XV.

Non tamen his & ſimilibus caſibus omninò irrita eſt Manumiſſio; ſed ex eventu pendet. Undè Si heres ſervum legatum Manumittat, mox repudiet legatarius; retrò competit libertas.

Idemque eſt, & ſi duobus purè ſervus legetur, & poſt alterius Manumiſſionem alter repudiaverit: nam & hîc retrò libertas competit. *l.* 3. *ff. de Manum. vind.* ULP. LIB. 4. DISPUT.

Item alibi. Si heres deliberante legatario, ſervum legatum Manumiſerit, mox legatarius repudiaverit; Manumiſſum liberum fore placet. *l.* 2. *ff. de Manumiſſ.* ULP. LIB. 17. AD SABIN.

Simili ratione nititur quod definit Marcellus: Servum quis per vim à Titio accepit, & teſtamento liberum eſſe juſſit. Quanquàm ſolvendo deceſſerit; non erit ille liber. Alioquin fraudabitur Titius; qui non procedente quidem libertate, cum herede ejus agere (*f*) poteſt: at ſi ad libertatem ſervus pervenerit, nullam actionem habiturus eſt; quia nihil videbitur heres ex defuncti dolo (*g*) conſecutus. *l.* 2. *ff. Quib. ad libert. proclam. non licet.* MARCEL. LIB. 24. DIGEST.

XVI.

Cave cum his quorum dominium revocabile eſt, confundas eos qui (verè domini) perſonali duntaxat actione debitores alicujus mancipii ſunt. Hi enim nihilominùs poſſunt illud ad libertatem perducere.

Hinc Eum qui vænierit, venditor, & promiſſor quem promiſerit, Manumittere poſſunt. *l.* 18. *ff. de Manumiſſionib.* GAIUS LIB. 12 AD LEG. JUL. ET PAP.

Hinc Alexander: Qui tibi hereditatem vendidit, antequàm res hereditarias traderet, dominus earum perſeveravit: & ideò Manumittendo libertatem ſervo hereditario præſtitit. *l.* 3. *Cod. de His qui non à dom. manum.*

Simili ratione idem reſcribit: Feliciſſima quam mandante te ſervum emiſſe dicis, ſi dominium ſervi quem Manumiſit, nondum ad te tranſtulerat; fruſtrà petis, ut denegatâ libertate ejus quem Manumiſſum dicis, poſſeſſio tibi (*h*) tradatur. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

Indè eſt etiam quòd ſervus dotalis rectè à marito Manumittitur. Undè Gordianus: Sive quum nupſiſſes, mancipia in dotem dediſti; ſive poſt datam dotem, de pecuniâ dotis maritus tuus quædam comparavit: juſtis rationibus dominia eorum ad eum pervenerunt. Ideòque fruſtrà quæſtionem ſuper ſtatu Manumiſſorum conaris inferre; qui ejus facti qui comparavit vel in dotem accepit, ab eo jure potuerunt (*i*) Manumitti. *l.* 7. *Cod. de Serv. pign. dat. manum.*

§ V.

De eo qui ætatem legitimam, aut rerum ſuarum adminiſtrationem non habet.

XVII.

Ex hâc causâ, minorem viginti annis Manumittere non poſſe, niſi eo modo quo jubet Lex Ælia-Sentia, videb. Part. ſeq.

Quid de pupillo? Etiam Ex causâ fideicommiſſi ſervo libertatem dare ſine tutoris auctoritate pupillus non poteſt. *l.* 11. *ff. de Fideic. libert.* MODESTIN. LIB. 1. DIFFERENT.

Imò & tutore auctore non aliter pupillus Manumittere poteſt, quàm causâ apud Conſilium probatâ; & Manumiſſus peculium non ſervat, cujus alienatio extra auctoritatem tutoris eſt: quocircà vide ſuprà lib. 15. *Tit.* de Pecul. *N.* 6. *Hinc quum dixiſſet Neratius;* Pupillus, qui infans non eſt, apud Conſilium rectè Manumittit: Paulus: Scilicet tutore auctore; ita tamen ut peculium eum non ſequatur. *l.* 24. *ff. de Manum. vind.* PAUL. LIB. 2. AD NERAT.

(*a*) Vulgò legitur *non poteſt.* Negationem expungi, auctore Cujacio, Contextus hoc deſiderat.

(*b*) Schultingius legit, *fraudandorum creditorum.*

(*c*) Item Schultingius verba hæc *ſed Latinum* expungenda eſſe cenſet, ut Gloſſema. Nam adversùs Legem Æliam-Sentiam Manumiſſus, inquit, non fit Latinus, ſed manet ſervus. Contrà Heineccius *Antiquit. Rom.* lib. 1 Tit. 6. ad Cap. X. Legis Æliæ-Sentiæ, putat diſtinctam in eâ fuiſſe cauſam *Fœneratorum* & cæterorum *Creditorum.* In fraudem *Creditorum* Manumiſſus, liber non fit: in fraudem verò *Fœneratorum*, licèt juſtam & civilem libertatem non conſequatur, tamen in libertate moratur; & fit *Latinus* ex Lege Juniâ-Norbonâ quæ poſteà lata eſt, Latinoſque fecit plurimos ex his quos juſtam libertatem conſequi non patiebatur Lex Ælia-Sentia. De hâc conjecturâ diſtinctione Heineccii, lectoris eſto judicium.

(*d*) Hæc lex non eſt accipienda de ſervo *heredis proprio* legato: cùm enim heres ſit hujus pleno ac perfecto jure dominus, & ad eum legatario præſtandum perſonali duntaxat *Ex teſtamento* actione teneatur; hunc manumittere poteſt, ut conſtat ex principiis infrà N. 16. ſtabiliendis. Sed accipienda eſt lex, de ſervo teſtatoris ſub conditione legato; qui pendente conditione PROPRIUS quidem eſt heredis, ſed revocabiliter; & ideò manumitti ab eo non poteſt.

(*e*) Scilicet ſub illâ, *Si eum optaverit legatarius.*

(*f*) Ut ſervum vi à defuncto extortum reſtituat.

(*g*) Porrò actio *Quod metus causâ* non datur in heredem, niſi in id quod ad eum pervenit: ſuprà lib. 7. Tit. *Quod met. cauſ.* N. 20.

(*h*) Quamvis tibi actione *Mandati* eſſet debitus.

(*i*) Quamvis eorum debitor ſit in caſum ſoluti matrimonii; quo nomine competit mulieri *Condictio ex Lege Papiâ* de quâ ſuprà lib. 24. Tit. *Solut. matrim.* Parte 4ª.

Source : BIU Cujas

SECUNDA PARS.

Ad Legem Æliam-Sentiam, & alias quæ ſervorum libertati obſtant.

Variæ Leges ſervorum libertati obſtant. Sed harum quædam, eam duntaxat libertatem impediunt quæ cum jure civitatis conjuncta eſt; de quibus alibi paſſim: aliæ liberos prorsùs fieri vetant; & de his tantùm agitur in hoc Titulo.

SECTIO I.

De Lege Æliâ-Sentiâ.

XVIII.

Lata ea Lex imperante Auguſto, S. Ælio-Cato & C. Sentio-Saturnino Coſſ. anno U. C. 757. *Occaſionem Legi dedit nimia Manumittendi facilitas; quâ fiebat ut Urbs peſſimorum viliſſimorumque civium colluvie adflueret. Quod quanto cum dedecore fuerit conjunctum, præclarè oſtendit Dionyſius-Halicarn.* Antiq. Rom. *lib. IV.* « TALIS *eſt* » *noſtro tempore confuſio, & ſic ad ſordes atque ignominiam* » *degeneravit Romanorum probitas; ut nonnulli à latro-* » *ciniis, parietum perfoſſionibus, proſtitutionibus, omnibuſ-* » *que aliis ſceleribus pecuniâ collectâ, libertatem redimant;* » *ſtatimque ſe Romanos faciant: alii conſcii dominis &* » *ſocii veneficiorum, homicidiorum, facinorumque tum* » *contra deos tum contra rempublicam ſuſceptorum, eam* » *ab illis gratiam recipiant. Quidam ideò manumittuntur* » *ut acceptum è publico frumentum menſtruum, & ſi quæ* » *alia liberalitatis in egenos* CIVES *conferuntur à Princi-* » *pibus, dent his à quibus ſint facti liberi* ».. *Accedebant aliæ cauſæ Manumittendi parùm honeſtæ. Sæpè domini ſervos omnes Manumittebant in fraudem creditorum. Sæpè ſervi à Minoribus quorum amores adjuverant, libertatem ſibi loco mercedis ſtipulabantur: cujus rei exempla multa depingunt Terentius & Plautus. Ita Heinecc.* Antiq. Rom. *lib.* 1. *Tit.* 6.

Hujus ideò Legis varia fuére Capita; quæ recenſuit numero quindecim, & fidei ſuæ reſtituere tentavit idem Heineccius d. loc. Cæterùm cùm hæc quoque Lex multis Capitibus in hoc tantùm obſtaret Manumiſſis, ne jura civitatis conſequerentur; aliis, caveret de jure patronatûs aut amittendo aut conſervando: pleraque hujus generis Capita ſuprà recenſita ſunt lib. I. *Tit.* de Statu homin. *& lib. XXXVII. Tit.* de Jure patron. *aliiſque prout ſe obtulit occaſio Titulis. Hic ergo duo ſola Capita exponenda ſuperſunt; quorum uno minor viginti annis ſervos ſuos Manumittere prohibetur; altero Manumiſſiones in fraudem creditorum factæ infirmantur.*

ARTICULUS I.

De eo Legis Æliæ-Sentiæ Capite, quo minor viginti annis ſervus ſuos Manumittere prohibetur.

XIX.

Lege Æliâ-Sentiâ, domino minori viginti annis non aliter Manumittere permittitur, quàm ſi Vindictâ apud Conſilium juſtâ cauſâ manumiſſionis adprobatâ fuerint Manumiſſi. *Inſtit.* Tit. *Quib. ex cauſ. manum.* § 4.

Circa hoc Legis Caput videndum 1°. *Quinam huic Legi ſubjaceant.* 2°. *Ad quos ſervos Lex pertineat, & ad quas Manumiſſiones:* 3°. *Quæ ſit forma proponendæ cauſæ Manumittendi:* 4°. *Quæ cauſæ recipi debeant necne:* 5°. *Quum plures Minores Manumittunt, an ab omnibus cauſa debeat probari:* 6°. *Denique quis ſit effectus receptæ cauſæ.*

§ I.

Quinam huic Legi ſubjaceant.

XX.

Non pupillus ſolùm, ut ſuprà vidimus in fine Partis præced. ſed omnes omninò minores viginti annis huic Legi ſubjacent.

Et quidem Nec militi minori annis viginti permittitur poſſe teſtamento ſuo ſervum Manumittere (*a*). *l.* 3. *ff. de Manum. teſtam.* POMPON. LIB. I. AD SABIN.

Quando autem minor viginti annis quis eſſe deſinat, definit Ulpianus. Placuit eum qui Kalendis Januariis natus [eſt], poſt ſextam noctis pridie Kalendas quaſi annum viceſimum compleverit, poſſe Manumittere. Non enim majori viginti annis permitti Manumittere; ſed Minorem Manumittere vetari. Jam autem Minor non eſt, qui diem ſupremum agit anni viceſimi. *l.* 1. *ff. de Manumiſſionib.* ULP. LIB. 6. AD SABIN.

§ II.

Ad quos ſervos hæc Lex pertineat, & ad quas Manumiſſiones.

XXI.

Lex pertinet ad ſervos ipſius Minoris.

Hinc Campanus ait; Si minor annis viginti rogaverit heredem, ut proprium ſervum Manumittat, præſtandam ei libertatem: quia hîc Lex Ælia-Sentia locum non habet. *l.* 34. § 1. *ff. de Fideic. libert.* POMPON. LIB. 3. FIDEIC.

Hinc etiam; Si conſentiente patre filius minor annis viginti, ſervum ejus manumiſerit, patris faciet libertum. Et vacat cauſæ probatio, ob patris conſenſum. *l.* 16. *ff. de Manumiſſionib.* MODESTIN. LIB. I. REGUL.

Sufficit autem vel pro parte ſervum eſſe Minoris, ut Legis prohibitioni locus ſit. Nam Minor viginti annis dominus, nec communem quidem ſervum ſine Conſilio rectè manumittit.

Paulus notat: Sed ſi pignori obligatum ſibi minor viginti annis Manumitti patiatur, rectè Manumittitur; quia non tam Manumittere is, quàm non impedire manumittentem intelligitur. *l.* 4. § 2. *ff. de Manum. vind.* JULIAN. LIB. 42. DIGEST.

Similis eſt hæc quæſtio: Si minor ſit annis viginti fructuarius, an conſentire libertati poſſit? Et puto conſentiendo poſſe ad libertatem perducere. *l.* 2. *d. tit.* ULP. LIB. 18. AD SABIN.

XXII.

Hoc Caput Legis Æliæ-Sentiæ, dum Vindictâ tantùm Manumitti permittit, prohibet cæteras omnes manumiſſiones quæ inter vivos fiunt; à fortiori eas quæ teſtamento.

Eam tamen eadem Lex permittit, quâ Minor ſervum ſibi heredem neceſſarium inſtituendo eum Manumitteret. Hinc Paulus: Qui potuerint apud Conſilium Manumittendo ad libertatem perducere, poſſunt etiam neceſſarium heredem facere; ut hæc ipſa neceſſitas probabilem faciat manumiſſionem. *l.* 27. *ff. de Manum. teſtam.* PAUL. LIB. I. AD L. ÆLIAM-SENTIAM.

(*a*) Si tamen ſaltem menti Legis ſatisfecerit, quia juſtam manumittendi cauſam habuit; valet Manumiſſio: ſuprà lib. 29. Tit. *de Teſtam. milit.* N. 31.

Source : BIU Cujas

Juſtinianus autem primùm majoribus decem & ſeptem annis, deindè omnibus qui teſtari poſſunt, permiſit libertatem ſervis ſuis teſtamento pro lubitu relinquere. Inſtit. & *Novell. CXIX.*

XXIII.

Vetante Lege Manumitti, irritæ ſunt quæcumque per interpoſitam à minore vinginti annis perſonam fierent Manumiſſiones, tanquàm in fraudem Legis factæ.

Hinc Diocletianus & Maximianus : Si pater ſervum veſtrum (*a*), licèt vobis minoribus (*b*) viginti annis conſentientibus, Manumiſit; ei libertatem præſtare non poteſt. *l.* 6. *Cod. de His qui non à dom. manum.*

Hinc Minor annis Lege definitis, nec per fideicommiſſum libertatem ſupremis ſuis elogiis relinquere poteſt. (*c*) *l.* 5. *Cod. de Fideic. libert.* ALEXANDER.

Hinc in eâ ſpecie : Minor annis viginti quum ſervum Manumittere vellet, nec juſtam cauſam ad Conſilium Manumittendi haberet; tibi eum ut Manumitteres, dedit. Negavit eum Proculus liberum eſſe; quoniam Legi fraus facta eſſet. *l.* 7. § 1. JULIAN. LIB. 2. AD URSEIUM-FEROCEM.

Hoc ampliùs adjicit Marcellus : Si minor viginti annis ſervum tibi in hoc vendiderit & tradiderit, ut eum Manumitteres; nullius momenti eſt traditio : quanquàm eâ mente tradiderit, ut quum viginti annos ipſe expleſſet, Manumitteres. Non enim multùm facit, quòd diſtulit libertatis præſtationem. Lex quippe conſilio ejus, quaſi parùm firmo, reſtitit. *l.* 4. *ff. de Serv. exportand.* MARCEL. LIB. 24. DIGEST.

Sed & Si partem quam in communi ſervo habet minor viginti annis, Manumittendi causâ tradat; nihil aget. *l.* 1. § 1. PAUL. LIB. 3. AD L. ÆLIAM-SENTIAM.

Conſonat quod reſcribit Alexander : Si minor annis viginti ad libertatem præſtandam homines tradidiſti; Senatuſconſulto (*d*), quod geſtum eſt irritum conſtituitur. *l.* 4. *Cod. Qui Manum. non poſſ.*

Hæc obtinent, quum Minor in fraudem Legis facit. Sed ſi quum ipſe cauſam probare poſſet, tradiderit; nulla fraus intelligitur. *ſup. d. l.* 16. *d.* § 1.

Hinc V. G. Si, cùm fideicommiſſa libertas debeatur, minor viginti annis ſervum vendat ut Manumittatur, vel, quia hâc lege emerat; non impeditur alienatio. *d. l.* 16. *pr.*

§ III.

De formâ proponendæ cauſæ Manumittendi.

XXIV.

Lex eum dominum qui minor viginti annorum eſt, prohibet ſervum Manumittere; præterquàm ſi cauſam apud Conſilium probaverit. In Conſilium autem adhibentur Romæ quinque Senatores, & quinque Equites Romani (*e*) in provinciâ viginti Recuperatores (*f*) cives Romani. ULP. FRAGM. *Tit.* 1. § 10.

Abſens quoque cauſam probare per procuratorem poterit. *l.* 15. § 1. *ff. de Manum. vind.* PAUL. LIB. 1. AD L. ÆLIAM-SENTIAM.

§ IV.

Quæ cauſæ ſoleant recipi.

XXV.

Illud in cauſis probandis, meminiſſe judices oportet, ut non ex luxuriâ ſed ex affectu deſcendentes cauſas probent : neque enim deliciis, ſed juſtis affectionibus dediſſe juſtam libertatem, Legem Æliam-Sentiam crendum. *l.* 16. *ff. de Manum. vind.* ULPIAN. LIB. 2. AD L. ÆLIAM-SENTIAM.

Igitur Si minor annis viginti Manumittit; hujuſmodi ſolent cauſæ Manumiſſionis recipi : ſi filius filia-ve, frater ſoror-ve naturalis ſit. *l.* 11. *ff. d. Manum. vind.* ULP. LIB. 6. DE OFFIC. PROCONS.

Vel ſi ſanguine eum contingit; habetur enim ratio cognationis. *l.* 12. *d. tit.* IDEM LIB. 12. AD L. ÆLIAM-SENTIAM. Si collactaneus, ſi educator, ſi pedagogus ipſius, ſi nutrix, vel filius filia-ve cujus eorum, vel alumnus; vel capſarius, id eſt qui portat libros.

Vel ſi in hoc Manumittatur, ut procurator ſit : dummodò non minor annis decem & octo ſit. Præterea & illud exigitur, ut non utique unum ſervum habeat qui Manumittit.

Item ſi matrimonii causâ virgo vel mulier Manumittatur; exacto priùs jurejurando ut intrà ſex menſes uxorem eam duci oporteat : ita enim Senatus cenſuit. *l.* 13. *ff. de Manum. vind.* ULP. LIB. 6. DE OFFICIO PROCONS.

Mulieri quoque volenti ſuum filium naturalem, vel quem ex ſuprà ſcriptis Manumittere, permittendum eſſe Marcellus ſcribit. *l.* 20. § 3. *d. tit.* Idem LIB. 2. DE OFFICIO CONS.

Imò Alumnos magis mulieribus conveniens eſt Manumittere. Sed & in viris receptum eſt; ſatiſque eſt permitti eum Manumitti, in quo nutriendo propenſiorem animum fecerint. 14. *d. l. tit.* MARCIAN. LIB. 4. REGUL

XXVI.

Si tutoris habendi causâ pupillus Manumittat, probationis eſſe cauſam Fuſidius ait. Nerva filius contrà ſentit : quod verius eſt. Namque perabſurdum eſt, in eligendo tutore, firmum videri eſſe judicium pupilli; cujus in omnibus rebus, ut infirmum, judicium tutore auctore regitur. *l.* 25. *ff. de Manum. vind.* GAIUS LIB. 2. DE MANUMISSIONIBUS.

XXVII.

Matrimonii causâ Manumitti ancilla à nullo alio poteſt, quàm qui eam uxorem ducturus eſt. Quòd ſi alter Manumiſerit matrimonii causâ, alter eam uxorem ducat; non erit libera. Adeò ut nec ſi intrà ſex quidem menſes eam repudiatam poſtea manumiſſor uxorem duxerit, liberam eam fieri Julianus reſpondit; quaſi de his nuptiis Senatus ſenſerit, quæ poſt Manumiſſionem nullis aliis interpoſitis ſecutæ fuerunt. *l.* 21. MODESTIN. LIB. 1. PANDECT.

Cùm igitur Manumiſſio ex hâc causâ facta in pendenti ſit; hinc Si minor annis, apud Conſilium matrimonii causâ prægnantem Manumiſerit, eaque interim peperit; in pendenti erit, ſervus an liber ſit quem ea peperit. *l.* 19. *ff. de Manum. vindictâ.* CELSUS LIB. 29. DIGEST.

Jam verò cui ex hâc causâ mulierem Manumittere liceat, docet Ulpianus. Matrimonii causâ Manumittere ſi quis velit, & is ſit cui non indignè hujuſmodi conditionis uxorem ſortiturus (*g*) ſit; erit ei concedendum. *l.* 20. § 2. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 2. DE OFFIC. CONSUL.

Sunt qui putant, etiam fœminas poſſe matrimonii causâ Manumittere : ſed ita, ſi fortè conſervus ſuus in hoc ei legatus eſt (*h*).

Et ſi ſpado velit matrimonii causâ Manumittere (*i*), poteſt.

Non idem eſt in caſtrato (*k*). *l.* 14. § 1. *ff. de Manum. vind.* MARCIAN. LIB. 4. REGUL.

Cùm autem duo mulierem ducere non poſſint; hinc Si duo matrimonii causâ Manumittent, recipi cauſa non debet. *l.* 15. § 4. *d. tit.* PAUL. LIB. 1. AD L. ÆLIAM-SENTIAM.

(*a*) Scilicet peculii caſtrenſis.

(*b*) Ergo ſi filius Major eſſet, poſſet pater ex ejus conſenſu caſtrenſem ſervum manumittere.

(*c*) Ratio dubitandi, quòd hoc caſu ipſe Minor non manumittit; ſed ille cujus fidei hoc commiſit. Ratio decidendi, quòd etiam manumiſſiones quæ per interpoſitam perſonam fiunt, Legis ſententiâ continentur.

(*d*) Rævardus cenſet hic mendum eſſe, cui locum dedit ſimilitudo ſiglorum S. C. & pro *Senatus Conſulto* legendum *Sine Conſilio*. Quæ emendatio ſupervacua videtur, nec improbabile eſt aliquod eâ de re extitiſſe SCtum.

(*e*) Hi erant, ut rectè cenſet Heineccius, *Decemviri litibus judicandis*, de quibus in l. 2. ff. *de Orig. jur.* quorum conſilio in cauſis majoris momenti Prætor utebatur, & qui cum Prætore judiciis Centumviralibus præerant.

(*f*) *Recuperatores* erant in provinciis, quod Romæ *Decemviri litibus judicandis*; nec cum Adſeſſoribus confundendi ſunt.

(*g*) Hoc igitur non permittitur Senatori, qui libertam ducere prohibetur.

(*h*) Aliàs non licet : uxor enim viro ſubeſt, non decet autem liberto ſuo ſubeſſe patronam.

(*i*) Nam nuptias contrahere poteſt.

(*k*) Nec enim poteſt nuptias contrahere.

Source : BIU Cujas

XXVIII.

Ex præterito tempore plures causæ esse possunt: veluti quòd dominum in prælio adjuvaverit, contra latrones tuitus sit, quòd ægrum sanaverit, quòd insidias detexerit. Et longum est, si exsequi voluerimus, quia multa merita incidere possunt, quibus honestum sit libertatem cum Decreto præstare, quas æstimare debebit is apud quem de eâ re agatur. *d. l.* 15. § 1.

Similiter Marcianus. Justa causa Manumissionis est, si periculo vitæ infamiæ -ve dominum servus liberaverit. *l.* 9. *ff. de Manum. vind.* MARCIAN. LIB. 13. INSTIT.

XXIX.

Justissima causa est quam refert Ulpianus. Si quis minori viginti annis hâc lege servum dederit, aut pretio accepto vel donationis causâ, ut eum liberum faciat; potest ille causam Manumissionis illius justiùs probare, hoc ipsum allegans, legem datam; & perducere ad libertatem. Ergo hic debet ostendere, hoc inter ipsos actum; ut proindè vel ex lege donationis, vel ex affectione ejus qui dedit, res æstimetur. *l.* 16. § 1. *ff. de Manum. vind.* ULP. LIB. 2. AD L. ÆLIAM-SENTIAM.

Quinetiam Causam minor viginti annis qui servum donatum Manumittendi gratiâ accepit, ex abundanti probat; post Divi Marci litteras ad Ausidium-Victorinum: etenim si non manumiserit, ad libertatem servus perveniet. *l.* 20. *ff. de Manumissionib.* PAPIN. LIB. 10. RESPONS.

Non idem in fideicommissariâ libertate Juris est; cujus causam Minor debet probare (*a*). Nam libertas, nisi ita Manumisso non competit. *d. l.* 20. § 1.

Simliter Ulpianus: Si rogatus sit minor viginti-quinque annis manumittere per fideicommissum, incunctanter debet ei permitti: nisi si proprium servum rogatus fuit manumittere: hîc enim conferenda erit quantitas emolumenti quæ ad eum pervenit ex judicio ejus qui rogavit, cum pretio eorum quos rogatus est manumittere. *l.* 20. *ff. de Manum. vind.* ULP. LIB. 2. DE OFFIC. CONSUL.

Sed & si hâc lege ei servus fuerit donatus ut manumittatur, permittendum erit manumittere; ne Constitutio Divi Marci superveniens cunctationem Consulis dirimat. *d. l.* 20. § 1.

Item Paulus: Etiam conditionis implendæ causâ, minori viginti annis Manumittere permittendum (*b*) est; veluti si quis ita heres institutus sit, SI servum ad libertatem perduxerit. *l.* 15. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 1. AD LEG. ÆLIAM-SENTIAM.

§ V.

Quum plures Minores Manumittunt, an sufficiat ab uno probari causam.

XXX.

Servus communis quin à minoribus viginti annis dominis possit apud Consilium Manumitti, quamvis unus (*c*) ex sociis causam adprobaverit, dubium non est. *l.* 6. *ff. de Manum. vind.* JULIAN. LIB. 2. AD URSEIUM-FEROCEM.

§ VI.

De effectu receptæ causæ.

XXXI.

Sciendum est; qualiscumque causa probata sit & recepta, libertatem tribuere oportere. Nam Divus Pius rescripsit, Causas probatas revocari non oportere; dùm ne alienum servum possit quis Manumittere. Nam causæ probationis contradicendum; non etiam causa jam probata retractanda est. *l.* 9. § 1. *ff. de Manum. vind.* MARCIAN. LIB. 13. INSTITUT.

Similiter Antoninus: Eorum qui apud Consilium Manumittuntur, post causam à judicibus probatam, & Manumissionem secutam, non solet status in dubium revocari; si dicantur falsâ demonstratione liberati. *l.* 1. *Cod. de Vindict. libert.*

ARTICULUS II.

Alterum Caput Legis Æliæ-Sentiæ, de non Manumittendo in fraudem creditorum.

XXXII.

Eadem Lex in fraudem creditoris & patroni Manumittere prohibet. ULP. FRAGM. *tit.* 1. 12.

Nam si aliquis multa debita habeat, cujus substantia à creditoribus teneatur obnoxia; si in fraudem creditoris sui servos suos Manumittere voluerit; collata Manumissio non valet. CAI. INSTIT. *tit.* 1. § 6.

Aut si libertus civis Romanus filios liberos (*d*) non habuerit & in fraudem patroni sui servos suos Manumittat; similiter data Manumissio non valet. *d. tit.* § 7.

Verùm de patrono non fraudando, nihil speciale est quod hîc dicamus; præter ea quæ suprà lib. 38. *tit.* Si quid in fraud. patron. *Hîc igitur, unicè de creditoribus.*

§ I.

Quæ requirantur ut huic Legi locus sit, & quando cesset.

XXXIII.

Certum Jus est non aliàs directas (*e*) libertates, per Legem Æliam-Sentiam, quæ sunt in fraudem creditorum [manumissorum] datæ, revocari; nisi & consilium fraudis, hoc est animus manumittentis, & eventus damni suum recipere volentium sequatur. Inter creditores autem, etiam eos numerandos esse quibus fideicommissum debetur, olim placuit. *l.* 1. *Cod. Qui manum. vind. poss.* ALEXANDER.

Consonat Scævola. Scripti testamento heredes, ante aditam hereditatem pacti sunt cum creditoribus, ut parte dimidiâ contenti essent; & ita Decreto à Prætore interposito hereditatem adierunt. Quæro an libertates in eo testamento datæ perierunt? Respondit; Si testator fraudandi consilium non habuisset (*f*), competere libertates. *l.* 54. § 1. *ff. de Manum. testam.* SCÆVOLA LIB. 4. RESPONS.

Idem ait. Primo gradu scripti heredes, cùm animadverterent bona defuncti vix ad quartam partem æris alieni sufficere; famæ defuncti conservandæ gratiâ, ex consensu creditorum, auctoritate Præsidis provinciæ, secundùm Constitutionem (*g*), eâ conditione adierunt hereditatem ut creditoribus duntaxat partem præstarent. Quæsitum est, an Manumissi testamento & libertates & alimenta consequi possint? Respondit; Libertates quidem si in fraudem creditorum datæ non essent, competere: legata verò, si solvendo hereditas non esset, non deberi. *l.* 23. *ff. Quæ in fraudem credit.* SCÆVOLA LIB. 32. DIGEST.

XXXIV.

In fraudem creditorum Manumittere videtur; qui vel jam eo tempore quo Manumittit, solvendo non est, vel datis libertatibus desiturus est solvendo esse (*h*).

(*a*) Scilicet, quum servum suum rogatus est manumittere; ut liqueat an expediat ei habere quod ipsi relictum est, potiùs quàm suum servum.

(*b*) Scilicet si magis expediat pupillo carere servo, quàm hereditate quæ ipsi sub hâc conditione relicta est. Quod judex inspicere debet: suprà mox, *l.* 20. *ff. de Manum. vind.*

(*c*) *Unus* duntaxat.

(*d*) Nam si *filios* habeat, excludunt patronum; & sic non potest fraus patrono fieri.

(*e*) Dicit *directas*; nam in fideicommissariis solus eventus spectatur; ut videbimus infrà N. 39.

(*f*) Non ergo competerent, *si habuisset.*

(*g*) De quâ suprà lib. 2. Tit. *de Pactis* Sect. 8. Art. 2.

(*h*) Supple; & quidem scit ita esse. Alias fraudandi animum non habet: *Sæpè enim*, &c.

Source : BIU Cujas

Sæpè enim de facultatibus ſuis ampliùs quàm in his eſt, ſperant homines. Quod frequenter accidit his qui tranſmarinas negotiationes & aliis regionibus quàm in quibus ipſi morantur, per ſervos atque libertos exercent: quòd ſæpè adtriti iſtis negotiationibus, longo tempore id ignorant; & Manumittendo, ſine fraudis conſilio indulgent ſervis ſuis libertatem. *l.* 10. GAIUS LIB. 1. RERUM COTTIDIAN. SIVE AUREORUM.

Si Titius nihil ampliùs in bonis quàm Stichum & Pamphilum habeat; eoſque ſtipulanti Mævio ita promiſerit, Stichum aut Pamphilum dare ſpondes? deindè quum alium creditorem non haberet, Stichum Manumiſerit (*a*): libertas per Legem Æliam-Sentiam reſcinditur. Quamvis enim fuit in poteſtate Titii ut Pamphilum daret; tamen quandiù eum non dederit, quia interim mori poſſit, non ſine fraude ſtipulatoris Stichum Manumiſit. Quòd ſi ſolum Pamphilum dari promiſiſſet; non dubitarem quin Stichus ad libertatem perveniret: quamvis ſimiliter Pamphilus mori poſſit. Multùm enim intereſt, contineatur ipsâ ſtipulatione is qui Manumittitur, an extrà obligationem ſit. Nam & qui ob aureos quinque Stichum & Pamphilum pignori dederit, cùm uterque eorum quinûm aureorum ſit, neuter Manumitti poteſt. At ſi Stichum ſolum pignori dederit, Pamphilum non videtur in fraudem creditoris Manumittere. *l.* 5. § 2. JULIAN. LIB. 64. DIGEST.

Quocircà nota. Julianus de eo loquitur, qui in ſubſtantiâ nihil aliud habeat. Nam ſi habeat; quare non dicetur unum poſſe Manumitti? quia & uno mortuo ſolvendo eſt; & uno Manumiſſo ſolvendo eſt: nec adventitii caſus computandi ſint. Alioquin & qui unum & (*b*) certum ex ſervis ſuis promiſit, neminem Manumittet. *l.* 6. SCÆVOLA LIB. 16. QUÆSTION.

XXXV.

Si autem is qui ſolvendo non eſt, hoc modo libertatem dederit: SI CREDITORIBUS MEIS SOLIDUM SOLUTUM FUERIT, STICHUS LIBER ESTO; non poteſt videri fraudandorum creditorum (*Supple*, gratiâ) liberos eſſe juſſiſſe. *ſup. d. l.* 5. § 1.

Item nullum conſilium fraudis intelligi poteſt, quum quis dat libertatem his quibus eam debebat.

Hinc Alexander. Si in fraudem eorum quæ fiſco debebantur, probari poteſt libertas data; non valeat. Sed ſi pecuniam is quem patrem tuum appellas, emptori dedit; & ab eo redemptus, ad libertatem perductus eſt: nil videtur bonis defuiſſe, ejus qui fiſci debitor dicitur. *l.* 5. *Cod. Qui manumittere non poſſ.*

Servos autem quibus libertas debetur, accipe eos duntaxat qui jus exigendæ libertatis habent. Cæterùm Semper in fraudem creditorum libertas datur, ab eo qui ſciret ſe ſolvendo non eſſe; quamvis benè dediſſet merenti hoc. *l.* 23. POMPON. LIB. 4. EX VARIIS LECTIONIBUS.

XXXVI.

Illud quæritur, in cujus perſonâ hoc conſilium inſpiciatur? Si voluntate patris filius Manumiſerit: ſive pater, ſive filius ſciat, ſolvendo patrem non eſſe; libertas impedietur. *l.* 16. § 5. PAUL. LIB. 3. AD L. ÆLIAM-SENTIAM.

XXXVII.

Jam verò eventus cum fraudis conſilio concurrit, quum hereditas ſolvendo non eſt. Et quidem Quum hereditas ſolvendo non eſt, quamvis heres locuples exiſtat, libertas ex teſtamento non (*c*) competit. *l.* 5. JULIAN. LIB. 64. DIGEST.

Similiter Gaius. Si locuples egenti heres extiterit: videamus an ea res teſtamento datis libertatibus proficiat, ut creditores fraudari non videantur? Et ſanè ſunt quidam, qui, cùm heres locuples exiſteret, tale eſſe ctediderunt quale ſi ipſe teſtator adauctis poſtea facultatibus deceſſiſſet. Sed mihi traditum eſt, hoc Jure nos uti; ad rem non pertineat, locuples an egens heres extiterat; ſed quarum facultatum teſtator deceſſerit. Quam ſententiam Julianus adeò ſequitur; ut exiſtimet (*d*) ne eum quidem libertatem conſecuturum, quem is qui ſolvendo non eſſet, ita liberum eſſe juſſiſſet, QUUM ÆS ALIENUM SOLUTUM ERIT, STICHUS LIBER ESTO. Sed non hoc eſt conſequens Sabini & Caſſii ſententiæ, quam & ipſe ſequi videtur; qui exiſtimat, conſilium quemque Manumittentis ſpectare debere. Nam qui ſub eâ conditione ſervum ſuum liberum eſſe jubet; adeò ſine fraudis conſilio liberum eſſe jubet, ut apertiſſimè curare videatur ne creditores ſui fraudarentur. *l.* 75. *ff. de Manum. teſtam.* GAIUS LIB. 3. DE MANUMISSIONIB.

Quid Si is cui libertas relicta eſt, juſſus ſit heredi dare tantùm quanti eſt, & liber eſſe: videamus an adhuc fraus ſit creditorum, quia heres mortis causâ accepturus eſt; an verò, ſi alius pro eo vel ipſe non de peculio det, nulla ſit fraus? Sed ſi heres locuples non proficit ad libertatem; nec qui dat pecuniam, prodeſſe (*e*) poteſt. *l.* 18. § 1. PAUL. LIB. 16. AD PLAUT.

XXXVIII.

Non ſolùm quum mortis tempore hereditas ſolvendo non eſt; ſed & Si mortis tempore ſolvendo ſit hereditas, ſi tamen quum aditur, deſierit eſſe ſolvendo, libertas à teſtatore in fraudem creditorum relicta non competit. Nam ſicut aucta hereditas prodeſt libertatibus, ita nocet deminuta. *d. l.* 18. *pr.*

XXXIX.

Quod hactenùs diximus de concurſu conſilii & eventûs, obtinet circa libertates quæ jure directo dantur.

In fideicommiſſariis ſolus eventus inſpicitur. Hinc Diocletianus & Maximianus. Si debitor ex adminiſtratione Curæ, dominus tuus non ſolvendo conſtitutus, fideicommiſſariam tibi reliquit libertatem: cùm in fideicommiſſariis libertatibus eventum inſpici tantùm obtinuerit (*f*), nihil ejus voluntas tibi prodeſſe poteſt. *l.* 7. *Cod. Qui manum. non poſſ.*

Obſervandum ſupereſt Legem ceſſare, quum libertas relinquitur ei qui neceſſarius inſtituitur heres: de quâ re ſuprà lib. 28. *Tit.* de Hered. inſtit.

§ II.

Quorum in fraudem datæ libertates per Legem Æliam-Sentiam infirmentur.

XL.

Ne quis creditorum fraudandorum causâ ſervum Manumittat, hâc Lege cavetur. CREDITORES autem appellantur, quibus quâcumque ex causâ actio cum fraudatore competat. *l.* 16. § 2. PAUL. LIB. 2. AD LEGEM ÆLIAM-SENTIAM.

Latiùs Hermogenianus. In fraudem creditorum Manumittitur, liberque eſſe prohibetur; ſive dies ſolvendæ pecuniæ jam ceſſit, ſive in diem vel ſub conditione ſit debitum

(Diverſa cauſa eſt legati ſub conditione relicti. Nam antequàm conditio extiterit, inter creditores legatarius iſte non (*g*) habetur).

Ex omni autem causâ creditoribus in hâc parte Lex Ælia-Sentia Proſpexit; inter quos fideicommiſſarium

(*a*) Supple, & poſteà Pamphilus deceſſerit.
(*b*) Aliàs rectiùs, *incertum.*
(*c*) Eventus enim fraudis æſtimatur ex ipſius hereditatis viribus; ut verum ſit creditores fraudatos eſſe, ſi, quum adiretur, non fuit in hereditate undè eis ſolveretur.
(*d*) Quam ſententiam mox refutat ¶ *Sed non hoc.*
(*e*) Cùm *Dandi* conditio poſſit impleri dando ex peculio; hæc libertas mingebat hereditatem & fraudabat creditores: ex accidenti eſt, quòd poſteà aliundè quàm ex peculio det; ſicut ex accidenti eſt, ut hereditatem, quæ non ſolvendo locuples heres adeat.
(*f*) Ratio eſt evidens. Cùm non poſſit quis fideicommiſſo gravari in plus quàm honoratur; heres qui nihil ex bonis conſequitur, non poteſt fideicommiſſo præſtandæ libertatis gravari.
(*g*) Ratio diſparitatis, quòd in contractibus retrotrahitur conditio ad tempus contractûs: undè cùm ea extiterit, creditor ex quo quis contraxit fuiſſe intelligitur; & conſequentur pendente eâ ſpem ad heredem ſuum tranſfert. Legati autem conditio non retrotrahitur.

etiam

Source : BIU Cujas

etiam esse (*a*) placuit. *l.* 27. § 1. HERMOGEN. LIB. 1. JURIS EPITOMAR.

Igitur & Quum is qui sub conditione debet, Manumittat fraudandorum creditorum (*b*) causâ; Lex Ælia-Sentia locum habet. *l.* 8. AFRICAN. LIB. 3. QUÆST.

Hoc ita, si conditio extiteri. Interim igitur, Si sub conditione alicui pecunia debeatur, quasi statuliber erit à debitore Manumissus; ut pendeat libertas ex conditione. *l.* 16. § 4. PAUL. LIB. 3. AD LEG. ÆLIAM-SENTIAM.

XLI.

In fraudem autem eorum duntaxat creditorum, quos tunc quum libertatem relinqueret testator habebat, relictæ libertates infirmantur.

Hinc Si quis quum haberet Titium creditorem, & sciret se solvendo non esse, libertates dederit testamento: deinde dimisso Titio, postea Sempronium creditorem habere cœperit; & eodem testamento manente decesserit: libertates datæ ratæ esse debent, etsi hereditas solvendo non sit; quia libertates ut rescindantur, utrumque in eorumdem personam exigimus, & consilium, & eventum. Et si quidem creditor cujus fraudandi consilium initum erat, non fraudatur; adversùs eum qui fraudatur, consilium initum non est. Libertates itaque ratæ sunt. *l.* 15. *ff. Quæ in fraud. credit.* JULIAN. LIB. 49. DIGEST.

Hoc ita, Nisi priores pecuniâ posteriorum dimissi (*c*) probentur. *l.* 16. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 5. RESPONS.

Non aliter quàm cum hâc Pauli limitatione accipe quod ait Papinianus. In fraudem creditorum testamento datæ libertates, creditoribus dimissis, propter novos (*d*) creditores irritæ sunt. *l.* 25. PAPIN. LIB. 5. RESPONS.

XLII.

Observandum supereſt nil referre quales creditorum personæ fuerint; privati, respublica, an fiscus.

Sed *enim* nec in fraudem fisci datas libertates procedere, Principalibus Constitutionibus cavetur. Sed Divi Fratres rescripserunt: « NON UTIQUE, si debitor » fisci Manumiserit, libertates impediuntur; sed ita » si, quum non erat solvendo, in fraudem Manumisit. » *l.* 11. § 1. MARCIAN. LIB. 13. INSTITUT.

Pariter, In fraudem civitatum manumissi, ad libertatem non veniunt; ut Senatus censuit. *l.* 11. *ff. Qui & à quib. manum.* MARCIAN. LIB. 13. INSTITUTION.

§ III.

Quid obtineat quum plures Manumissi sunt, & aliquorum duntaxat libertas fraudat creditores.

XLIII.

Si quis habens creditores, plures Manumiserit; non omnium libertas impedietur: sed qui primi sunt, liberi erunt; donec (*e*) creditoribus suum solvatur. Quam rationem Julianus solet dicere: Velut (*f*) duobus Manumissis, si unius libertate fraudentur; non utriusque, sed alterutrius impediri libertatem, & plerùmque postea scripti: nisi si quando majoris pretii sit is qui ante nominatus sit; nec sufficiat posteriorem retrahi in servitutem, prior sufficiat. Nam hoc casu, sequenti loco scriptum, solum ad libertatem perventurum. *l.* 24. TERENTIUS-CLEMENS LIB. 9. AD LEG. JUL. ET PAP.

§ IV.

An & quæ præscriptio adversùs hoc Caput Legis objici possit.

XLIV.

Ex diuturno tempore quo in libertate mansit servus in fraudem creditorum Manumissus, præscriptio rectè adversùs hanc Legem objicitur.

Enimverò Aristo respondit; A debitore fisci qui solvendo non erat, Manumissum ita revocari in servitutem debere si non diù in libertate fuisset; id est, non minùs decenniò. Planè ea quæ in fraudem fisci in sinus (*g*) ejus collata sunt, revocanda. *l.* 16. § 3. PAUL. LIB. 3. AD LEGEM ÆLIAM-SENTIAM.

SECTIO II.

De Lege Fusiâ-Caniniâ, Lege Juliâ, & quibusdam Constitutionibus, ad Manumissiones pertinentibus.

ARTICULUS I.

De Lege Fusiâ-Caniniâ.

XLV.

Latam quoque hanc Legem sub Augusto, anno U. C. 751: quo anno, Sext. Furius-Camillus & C. Caninius-Gallus Consules suffecti fuêre, verosimilius censet Heineccius Antiq. Rom. *lib.* 1. *Tit.* 7. *Argumento est numisma hujus Caninii Consulis; in quo pileum libertatis insigne, & ex alterâ parte ipsa libertatis effigies videtur: apud Hub. Golzium in* Fast. Consul. (*h*).

Causa Legis eadem fuit quæ Æliæ-Sentiæ; maximè verò quòd morientes domini, vanam munificentiæ laudem captantes, sæpenumerò integras familias Manumittebant; ut plures liberti pileati funebrem domini lecticam prosequerentur. « IN QUA POMPA, *inquit Dionysius-Halic.* (*jam laudato ad Legem Æliam-Sentiam* Antiq. Rom. *libro IV.*) « *quidam erant, ut à scientibus audivi, recens* » *dimissi è carcere, malefici, mille supplicia meriti. Istos* » *impuros Urbis pileos plerique cum stomacho adspectant, &* » *respuunt eorum consuetudinem: indignum facinus clami-* » *tantes, Populum rerum dominum, & usurpantem sibi* » *Orbis imperium, tabulis contaminari civibus.* »

XLVI.

Lex Furia-Caninia jubet, testamento ex tribus servis non plures quàm duos Manumitti; & usque ad decem, dimidiam partem Manumittere concedit, à decimo usque ad tringinta, tertiam partem ut tamen adhuc quinque (*i*) Manumittere liceat, æquè ut ex priore numero; à triginta usque ad centum, quartam partem, æquè ut decem ex priori numero liberari possint; à centum usque ad quingentos, partem quintam, similiter ut sicut ex antecedenti numero viginti-quinque possint fieri liberi. Eademque præcipit, ne plures omninò quàm centum ex cujusquam testamento liberi fiant. ULP. FRAGM. *Tit.* 1. § 22.

(*a*) Vide suprà N. 33. l. 1. Cod. *Qui manum. non possunt.*

(*b*) Ita ex Basilicis. Malè vulgò *fideicommissi causâ*. Mendo locum dedit similitudo siglorum F. C. C. In Vulgatâ autem ubi servatur hæc lectio *fideicommissi causâ*, lex negativè concipitur, *Lex Ælia-Sentia locum* NON *habet*: ut sensus fit, in fideicommissariis libertatibus cessare Legem; ut vid. in fine §. præced.

(*c*) Nam hoc casu posteriores in jus priorum succedunt; adeòque, sicut potuissent priores, ita & ipsi possunt libertates impugnare.

(*d*) Scilicet qui in locum priorum successerint. Comparatione enim factâ inscriptionum hujus legis & præcedentis: facilè patet, ad hoc ipsum responsum Papiniani scriptam esse Pauli Notam [quæ est in l. præced.] *nisi priores*, &c. Et ita Cujacius. Alii hoc responsum intelligunt de libertatibus fideicommissariis, quas solus fraudis eventus infirmat.

(*e*) *Donec*; id est, quatenùs in cæteris rebus hereditariis supereſt undè creditoribus suum solvatur.

(*f*) *Velut* pro *Verbi gratiâ*.

(*g*) Id est, ab eo Manumisso adsportata; sive ex peculio, sive ex rebus domini. Indè dictum à Togæ sinibus. Vide Petr. Fabrum *Semestr.* I. 22. Indè & passim legitur *Sinum præbere furi*, pecuniæ alterius-ve cujuslibet rei furtivæ occultandæ & asportandæ gratiâ.

(*h*) Sunt qui eam Legem antiquiorem censent, eamque primùm latam Q. Fusio-Caleno & P. Vatinio Coss. anno U. C. 706. deinde sub Augusto renovatam, Caninio Consule; & hinc dictam Fusiam-Caniniam. Verùm nil obstat, quòd Calenus ille Consul anno 706. diceretur *Fusius* seu *Fussius*, Camillus verò *Furius*. Nam & ipsa Lex promiscuè *Furia* vel *Fusiâ dicitur*, & notum est olim pro *Furiis* dictos esse *Fusios*, & vice versâ.

(*i*) Id est; potest tamen manumittere *Quinque*, quamvis hi quinque efficiant plus tertiâ parte servorum quos habet. Pone speciem in eo qui duodecim aut tredecim servos haberet. Nec enim ei debet minùs licere, quàm ei qui decem duntaxat haberet.

Source : BIU Cujas

Quotiens numerus ſervorum propter Legem Fuſiam-Caniniam ineundus eſt ; fugitivi quoque, quorum ſemper poſſeſſio animo retinetur (*a*), computandi ſunt. PAUL. SENT. *lib.* 4. *Tit.* 14. § 5.

XLVII.

Si aliquis teſtamento plures Manumittere voluerit quàm continet numerus ſuprà ſcriptus : ordo ſervandus eſt ut illis tantùm libertas valeat, qui priùs Manumiſſi ſunt ; uſque ad illum numerum quem explanatio continet ſuperiùs comprehenſa. Qui verò poſtea ſupra conſtitutum numerum Manumiſſi leguntur, integra in ſervitute eos certum eſt permanere.

Quòd ſi non nominatim ſervi vel ancillæ in teſtamento Manumittantur ; ſed confusè omnes ſervos ſuos vel ancillas is qui teſtamentum facit, liberos facere voluerit ; nulli (*malè aliàs* niſi) penitùs firma eſſe jubetur hoc ordine data libertas ; ſed omnes in ſervili conditione, qui hoc ordine Manumiſſi ſunt, permanebunt. CAI. INSTIT. LIB. 4. *Tit.* 2. § 3.

Quinam verò præferentur ; quum teſtator, qui tam teſtamento quàm codicillis libertates reliquit, numerum egreſſus eſt ? Codicillis teſtamento confirmatis datæ libertates, cum his quæ tabulis teſtamenti datæ ſunt, concurrunt ; & ſive antecedant, ſive ſequantur teſtamentum, noviſſimo loco adhibentur (*b*) : quia ex teſtamento utræque confirmantur. PAUL. SENT. LIB. 4. *Tit.* 14. § 2.

XLVIII.

Lex Caninia ad Manumiſſiones inter vivos non pertinebat. Nam qui voluerit aut in Eccleſiâ (*c*) aut ante Conſulem, aut Inter amicos, aut per epiſtolam Manumittere ; poteſt his Manumiſſionibus omnem familiam jugo ſervitutis abſolvere. CAI. INSTITUT. *ſup. d. lib.* 1. *Tit.* 2. § 2.

Id tamen cum aliquâ limitatione accipe.

Nam ſi aliquis in ægritudine conſtitutus, in fraudem hujus Legis facere noluerit teſtamentum ; ſed epiſtolis aut quibuſcumque aliis rebus (*d*), ſervis ſuis pluribus quàm per teſtamentum licet, conferre voluerit libertates ; & ſub tempore mortis hoc fecerit : hi qui priùs Manumiſſi fuerint uſque ad numerum ſuperiùs conſtitutum, liberi erunt ; qui verò poſt ſtatutum numerum Manumiſſi fuerint, ſervi ſine dubio permanebunt. *d. tit.* § 4.

Hanc Legem Juſtinianus ſuſtulit ut libertatibus invidam : l. un. Cod. de Leg. Fuſ. Can.

ARTICULUS II.

De Lege Juliâ de Adulteriis, *quatenùs obſtat Manumiſſioni ſervorum.*

XLIX.

Eſt etiam Lex Julia impedimento Manumiſſionibus. Nimirùm cùm in causâ adulterii de quo mulier poſtulatur, ſervi torqueri poſſint ad teſtimonium (quemadmodum & in aliis omnibus judiciis criminalibus) ; liber autem homo regulariter non torqueatur teſtimonii ferendi causâ : Proſpexit Legiſlator ne mancipia per Manumiſſionem quæſtioni ſubducantur ; idcircòque prohibuit ea Manumitti ; certumque diem præſtituit, intrà quem Manumittere non liceat. *l.* 12. ULP. LIB. 5. DE ADULTER.

§ I.

Quando ſit locus huic Legi.

L.

Et ſimpliciter quidem Lex mulierem prohibuit, intrà ſexageſimum diem divortii Manumittere. *l.* 14. § 1. ULP. LIB. 14. DE ADULTER.

Sive autem divertit, ſive repudio dimiſſa ſit, Manumiſſio impedietur. *d. l.* 14. § 2.

Sed ſi morte mariti ſolutum ſit matrimonium, vel aliquâ pœnâ (*e*), ejus Manumiſſio non impedietur. *d. l.* 14. § 3.

Sed & ſi bonâ gratiâ finierit matrimonium, dicetur Manumiſſionem vel alienationem non impediri. *d. l.* 14. § 4.

LI.

Quid autem in hâc ſpecie ? Sed etſi conſtante matrimonio mulier dum divortium cogitat, Manumittat vel alienet ; & hoc dilucidis probationibus fuerit approbatum : quaſi in fraudem Legis hoc factum ſit, non debet alienatio valere vel Manumiſſio. *d. l.* 14. § 5.

§ II.

Quæ perſonæ Manumittere, qui-ve Manumitti hâc Lege prohibeantur, & quæ eorum interdicatur alienatio.

LII.

De muliere Lex loquitur. Ipſa igitur quæ divertit, omnes omnimodo ſervos ſuos Manumittere vel alienare prohibetur ; quia ita verba faciunt : UT NE EUM QUIDEM SERVUM QUI EXTRA MINISTERIUM EJUS MULIERIS FUIT, VEL IN AGRO VEL IN PROVINCIA, POSSIT MANUMITTERE VEL ALIENARE. Quod quidem perquàm durum eſt : ſed ita Lex (*f*) ſcripta eſt. *l.* 12. § 1. ULP. LIB. 5. DE ADULTERIIS.

Sed etſi poſt divortium ſervum mulier paravit, aut aliâ ratione adquiſiit : æquè (quod ad verba attinet) Manumittere non poterit. Et ita Sextus quoque Cæcilius adnotat. *d. l.* 12. § 2.

LIII.

Pater verò in cujus poteſtate filia fuerit, ea tantùm mancipia prohibetur Manumittere alienare - ve, quæ in uſu filiæ fuerunt tributa. *d. l.* 12. § 3.

Matrem quoque prohibuit Manumittere alienare - ve ea mancipia, quæ in filiæ miniſterium conceſſerat. *d. l.* 12. § 4.

Sed & avum & aviam prohibuit Manumittere ; cùm herum quoque mancipia quæſtione poſtulari poſſe Lex voluerit. *d. l.* 12. § 5.

Igitur Pater mulieris vel mater, ſi intrà ſexageſimum diem decedant ; ex his ſervis quos in miniſterium filiæ dederint, neque Manumittere, neque alienare poterunt. *d. l.* 12. § *fin.*

Quòd ſi intrà (*g*) diem ſexageſimum Manumiſerint, erit ſervus ſtatuliber. *l.* 13. PAUL. LIB. 3. DE ADULTERIIS.

LIV.

Quod attinet ad alienationem eorum ſervorum quam Lex prohibet ; Alienationem OMNEM omninò accipere debemus. *l.* 14. § *fin.* ULP. LIB. 5. DE ADULTERIIS.

(*a*) Vide infrà lib. ſeq. Tit. *de Adquir. vel amitt. poſſ.*

(*b*) Scilicet illi qui codicillis Manumiſſi ſunt, etſi codicilli præceſſerint teſtamentum, tamen noviſſimo ordine videntur Manumiſſi : quia omnes codicilli ſunt ſequela teſtamenti ; & *utraque* codicillorum ſpecies, tam qui præcedunt quàm qui ſequuntur, *teſtamento confirmantur.*

(*c*) Hæc verba *in Eccleſiâ* patet non eſſe Caii, ſed interpolata ab Aniano.

(*d*) Fortè legendum *Modis.*

(*e*) Putà, ſi vir ad metallum damnatus ſit.

(*f*) Videtur hæc lex mitigata fuiſſe per Conſtitutionem Gatiani & Valentiniani [l. 32. Cod. *Ad L. Jul. de Adult.*] quâ cavetur ut in causâ adulterii habeatur quæſtio de iis duntaxat ſervis, qui domi fuerint eo tempore quo adulterium dicitur admiſſum.

(*g*) Aliàs legitur *ultrà* ; & pro *ſtatuliber* infrà legitur *ſtatim liber.* Retentâ autem leſtione Florentinâ, ſenſus erit ; Legem non tam prorsùs infirmare has libertates, quàm ſuſpendere ne mancipia quæſtioni ſubducantur : adeòque ita Manumiſſos, in eâ causâ eſſe, ut elapſo tempore, ex illâ manumiſſione liberi fiant.

Source : BIU Cujas

§ III.

Quando ceſſet hæc Lex.

L V.

Ceſſat Lex lapſu temporis ſexaginta dierum. Eâ de re autem Sextus-Cæcilius rectè ait; Anguſtiſſimum tempus Legem præſtituiſſe, alienandis Manumittendis-ve ſervis. Finge (inquit) ream adulterii intrà ſexageſimum diem poſtulatam. Quæ cognitio tam facilè expediri poterit adulterii, ut intrà ſexageſimum diem finiatur? & tamen licere mulieri quamvis poſtulatæ adulterii, ſervum ſuſpectum in adulterio, vel quæſtioni neceſſarium, quod ad verba Legis attinet, Manumittere. Sanè in hunc caſum ſubveniendum eſt; ut deſtinati ſervi quaſi conſcii vel quaſi nocentes, non debeant Manumitti ante finitam cognitionem. *ſup. d. l.* 12. § 6.

An ante ſexaginta dies Lex ceſſet in ſpecie ſequenti, quærit Ulpianus. Sed ſi maritus intrà ſexageſimum diem deceſſerit; an Manumittere vel alienare jam poſſit (*a*) ſuprà ſcriptas perſonas, videamus? Et non puto poſſe, quamvis accuſatore mulier deficiatur marito, cùm pater (*b*) accuſare poſſit. *ſup. d. l.* 14. *pr.*

ARTICULUS III.

De quibuſdam Principum Conſtitutionibus quæ obſtant Manumiſſioni.

L V I.

Quæſitum eſt an is qui Majeſtatis crimine reus factus ſit, Manumittere poſſit? quoniam ante damnationem dominus eſt. Et Imperator Antoninus Calpurnio-Critoni reſcripſit; Ex eo tempore quo quis propter facinorum ſuorum cogitationem jam de pœnâ ſuâ certus eſſe poterat, multò priùs conſcientiâ delictorum, quàm damnatione jus datæ (*Aliàs rectiùs* dandæ) libertatis eum amiſiſſe. *l.* 15. PAUL. LIB. I. AD LEG. JULIAM.

Et generaliter Marcianus: Sed nec rei capitalium criminum, Manumittere ſervos poſſunt; ut & Senatus cenſuit. *l.* 8. § 1. *ff. de Manumiſſion.* MARCIAN. LIB. 13. INSTIT.

Divus quoque Pius Calphurnio reſcripſit; Libertates, ab eo qui jam Lege Corneliâ damnatus eſſet, vel quum futurum proſpiceret ut damnaretur, ſervis datas non competere. *d. l.* 8. § 2.

L V I I.

Hæc de caſu quo Manumiſſor ipſe eſt reus criminis. Sed ne quidem illos ad juſtam libertatem pervenire Divus Hadrianus reſcripſit, qui ideò Manumiſſi ſunt ut crimini ſubtraherentur. *d. l.* 8. § 3.

L V I I I.

Servus à fugitivario (*c*) comparatus, intrà decem annos Manumitti citra (*Aliàs* contra) prioris domini voluntatem non poteſt. PAUL. SENT. LIB. I. *Tit.* 13. § 1.

(*a*) Mulier.
(*b*) Mulieris. Vide infrà lib. 48. Tit. *Ad L. Jul. de Adulter.*

(*c*) Is eſt cui dominus fugitivum quærere mandaverat. Huic dominus non prohibetur ſervum ſuum vendere: ſuprà lib. 18. Tit. *de Contrah. empt.* N. 16. Vide ad hunc textum *Sententiarum* Pauli, Schultingium lib. 1. Tit. 6. (a) Reg. 1â.

TITULUS X.

DE JURE AUREORUM ANNULORUM.

(*In Florent. verbum hoc ubique ita legitur* Anulorum.)

Superioribus Titulis expoſitum, quomodo homines ex ſervitute ad ſtatum libertatis pervenirent. Jam de iis modis per quos ex ſtatu libertinitatis, ad quemdam ingenuitatis ſtatum tranſeant.

I.

Ingenuitatis ſpecies libertinæ conditionis hominibus conceditur per impetrationem ANNULORUM AUREORUM, *de quo jure agitur hoc Titulo; & per reſtitutionem natalium, de quâ Tit. ſeq.*

Hæc autem jura nonniſi à Principe impetrantur. Hinc Diocletianus & Maximianus: Natales antiquos, & jus ingenuitatis (*a*), non Ordo præſtare Decurionum, ſed à Nobis peti potuit. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Cæterùm Etiam fœminæ Jus Annulorum Aureorum impetrare poſſunt; & jura ingenuitatis impetrare, & natalibus reſtitui, potuerunt. *l.* 4. ULP. LIB. 3. AD LEG. JUL. ET PAPIN.

I I.

Ad Jus Aureorum Annullorum *ſpecialiter quod attinet; longo tempore ne Senatus quidem Romanus Aureos Annulos habuit; & quum Conſul triumpharet, annulus in digito ferreus erat æquè triumphantis, & ſervi coronam ſuſtinentis. His ſolis qui Legati ad exteras gentes ituri eſſent, Annuli Aurei publicè dabantur: & quidem in publico tantùm eis utebantur, intrà domos ferreis.*

Succeſſu temporis frequentari cœpit apud Romanos Aureorum Annulorum uſus; ſic tamen ut non omnibus ingenuis promiſcuus eſſet, quod falsò putavit Iſidorus; ſed ſolis Senatoribus & Equitibus conceſſus, ut expreſsè docet Plinius Hiſt. nat. *XXXIII.* 1. « ANNULI, *inquit,* diſtinxêre » alterum Ordinem (*id eſt Equeſtrem*) à plebe; ſicut » tunica (*Laticlavii*) ab Annulis, *id eſt ab Equitibus,* » Senatum. » *Refert etiam Livius XXIII.* 11. *Magonem, quum in Curiâ Carthaginienſi poſt Cannenſem cladem Annulorum Aureorum modios effunderet, dixiſſe; Neminem niſi Equitem, atque eorum ipſorum primores, id gerere inſigne.*

Severus Imperator inter multa quæ militibus conceſſit privilegia, hoc quoque dederat ut Aureis Annulis uterentur, teſte Herodiano; cùm antea ſolis Tribunis hoc conceſſum eſſet, ut ſcribit Appianus.

Hunc porrò Aureorum Annulorum honorem, poſtea quidam privati, non ſolùm ingenui, ſed & libertinæ conditionis homines, qui gratiâ apud Romanos Imperatores pollebant, ab ipſis impetrabant: & de libertinis quibus hic honor à Principe conceſſus eſt, intelligenda quæ de his in hoc Titulo dicuntur.

Ad impetrandum verò hoc beneficium, conſenſus patroni neceſſarius eſt. Nam Divus Commodus & Jus Annulorum datum ademit illis, qui invitis aut ignorantibus patronis, acceperant. *l.* 3. MARCIAN. LIB. I. INSTITUT.

I I I.

Nec tamen impetratio Annulorum omninò extinguit jus patronatûs. Sed Is qui Jus Annulorum impetravit, ut ingenuus habetur: quamvis ab hereditate ejus patronus non excludatur. *l.* 5. PAUL. LIB. 9. AD LEG. JUL. ET PAPIN.

(*a*) Intelligit jus *Annulorum.*

Source : BIU Cujas

Similiter Ulpianus. Libertinus, ſi Jus Annulorum impetravit, quamvis jura ingenuitatis ſalvo jure patroni nactus ſit, tamen ingenuus intelligitur. Et hoc Divus Hadrianus reſcripſit. *l.* 6. ULP. LIB. I. AD LEG. JUL. ET PAP.

Circa hujus juris effectum, illud etiam notat Papinianus; quod Inter cæteros alimenta liberto (*a*) relicta non idcircò non debentur, quia Jus Aureorum Annulorum ab Imperatore libertus (*b*) acceperit. *l.* 1. PAP. LIB. I. RESPONS.

Diverſum in eo probatur qui judicatus ingenuus, colluſione per alium patronum detectâ, conditioni ſuæ redditus, alimenta ſibi quæ tertius patronus reliquerat, præberi deſiderat. Hunc enim etiam beneficium Annulorum amittere placuit. *d. l.* 1. § 1.

I V.

Amittitur ergo hoc beneficium, ſi libertus falsò ingenuus pronuntiatus ſit. Hinc idem Papinianus : Intrà quinque annos, pro ingenuitate Sententia dicta reſciſſa fuerat. Victum, Annulorum Aureorum beneficium, quod ante Sententiam pro ingenuitate dictam acceperit, ac depoſuit, non retinuiſſe reſpondi. *l.* 2. IDEM LIB. 15. RESPONS.

Novellâ LXXVIII. hoc jus omnibus libertis conceſſum, ſalvo jure patroni.

(*a*) Finge aliquem legaviſſe generaliter *libertis ſuis* alimenta.

(*b*) Quod enim in favorem ipſius ei conceſſum eſt, non debet contra eum retorqueri.

TITULUS XI.

DE NATALIBUS RESTITUENDIS.

Hic eſt alter modus quo libertini ad ſtatum ingenuitatis promoventur; ſcilicet RESTITUTIO NATALIUM.

Cenſet Connanus hoc beneficium exordium cœpiſſe ab his, qui ingenui nati, & in ſervitutem juſtam prolapſi à quâ manumiſſi fuerant, à Principe impetrabant ut Natalibus ſuis, id eſt conditioni quam tempore nativitatis ſuæ habuerant, Reſtituerentur. Poſtea autem & ab his qui ſervi nati eſſent & manumiſſi, hoc beneficium impetratum fuiſſe; ſcilicet ut Natalibus, non quidem ſuis, ſed his in quibus initio omnes homines fuerunt, reſtituerentur.

I.

Plenius eſt hoc beneficium, quàm annulorum jus. Enimverò Aureorum uſus annulorum beneficio Principali tributum, libertatis (*a*) quoad vivunt imaginem (*b*), non ſtatum ingenuitatis præſtat. Natalibus autem antiquis Reſtituit liberti, ingenui Noſtro conſtituuntur beneficio. *l.* 2. *Cod. de Jur. aur. anul.*

Libertinus qui Natalibus Reſtitutus eſt, perindè habetur atque ſi ingenuus natus, (*Florent.* factus) medio tempore maculam ſervitutis non ſuſtinuiſſet. *l.* 5. § 1. MODESTIN. LIB. 7. REGUL.

Hinc Scævola libro ſexto Reſponſorum reſpondit : Quæris an ingenuitatis jure utatur, is quem Sanctiſſimus & Nobiliſſimus Imperator Natalibus ſuis Reſtituit? Sed ea res nec dubitationem habet, nec unquam habuit; quin exploratum ſit, ad omnem ingenuitatis ſtatum reſtitui eum qui iſto beneficio Principis utatur. *l.* 3.

Similiter Marcianus. Interdum & ſervi nati, ex poſt facto, Juris interventu ingenui fiunt. Ut ecce, ſi libertinus à Principe Natalibus ſuis Reſtitutus fuerit. ILLIS ENIM UTIQUE NATALIBUS RESTITUITUR, IN QUIBUS INITIO OMNES HOMINES FUERUNT; NON IN QUIBUS IPSE NASCITUR, cùm ſervus natus eſſet. Hic enim quantum ad totum Jus pertinet, perindè habetur atque ſi ingenuus natus eſſet. Nec patronus ejus poteſt ad ſucceſſionem venire. Ideòque Imperatores non facilè ſolent quemquam Natalibus Reſtituere, niſi conſentiente patrono. *l.* 2. MARCIAN. LIB. I. INSTITUTIONUM.

I I.

Igitur multò magis hîc, quàm in annulorum jure impetrando; Patrono conſentiente, debet libertus ab Imperatore Natalibus Reſtitui. Jus enim patroni hoc impetrato amittitur. *l.* 5. MODESTIN. LIB. 7. REGUL.

Imò Nec filio patroni invito, libertus Natalibus ſuis Reſtitui poteſt. Quid enim intereſt ipſi patrono, an filiis ejus fiat injuria? *l.* 4. PAUL. LIB. 4. SENTENT.

I I I.

De amittendo autem hoc jure Natalium, ita Ulpianus reſpondit : A Principe Natalibus ſuis Reſtitutum eum qui ſe ingenuum natum Principi adfirmavit; ſi ex ancillâ natus eſt, nihil videri (*c*) impetraſſe. *l.* 1. ULP. LIB. 2. RESPONS.

(*a*) Ita legendum. Vulgò *Libertinitatis*, quæ lectio ſenſu caret.

(*b*) Nec enim verè ſtatum ingenuitatis conſequuntur; cùm ſint obnoxii juri patronorum, quibus legitimam hereditatis ſuæ portionem debent.

(*c*) Quia ſcilicet obreptum eſt Principi, dùm preces veritate non nituntur. Fortè enim hoc beneficium non indulſiſſet, ſi ſciviſſet ſervum natum & poſteà manumiſſum. Nempè facilior Princeps præſumitur ad reſtituendam ingenuitatem liberto, quam quum naſceretur habuit & poſteà amiſit, quàm ad concedendam illam ei qui nunquam ingenuus fuit.

TITULUS XII.

DE LIBERALI CAUSA.

Tandem ad ipſas præjudiciales actiones devenit Tribonianus; quarum causâ, quæcumque ſuperioribus hujus libri Titulis continentur, præmiſerat. Inter illas porrò actiones rectè primo loco recenſet LIBERALEM CAUSAM, *in quâ quæritur an quis liber an ſervus ſit.*

Circa hanc actionem videbimus 1°. *Quibus competat.* 2°. *An ſæpiùs iteretur, aut aliquâ præſcriptione excludatur :* 3°. *Quæ in eâ inſtituendâ & peragendâ obſerventur.* 4°. *Agemus de effectu Sententiæ latæ pro libertate aut contra:* 5°. *De cognitionibus huic actioni acceſſoriis.*

ARTICULUS I.

Quibus hæc actio Liberalis cauſæ *competat.*

Hæc actio competit, vel ei qui ſe aut alium ex poſſeſſione ſervitutis in libertatem vindicat, vel ei qui aliquem ex poſſeſſione libertatis vindicat in ſervitutem.

Source : BIU Cujas

§ I.

Quis possit vel se vel alium ex possessione servitutis in Libertatem vindicare.

I.

Ipsi qui in possessione servitutis constitutus ad libertatem proclamare vult, hæc actio competit; ita tamen ut Jure veteri, non posset ipse per se agere, sed per ADSERTOREM: *de quâ adsertione Art. seq.*

Non autem ipsi solùm hæc actio datur: Sed & Si quando is qui in possessione servitutis constitutus est, litigare de conditione suâ non patitur; quòd fortè sibi suoque generi vellet aliquam injuriam inferri; in hoc casu æquum est, quibusdam personis dare licentiam pro eo litigare: ut putà parenti, qui dicat filium in suâ potestate esse. Nam, etiamsi nolit filius, pro eo litigabit.

Sed & si in potestate non sit, parenti dabitur hoc jus: quia SEMPER PARENTIS INTEREST FILIUM SERVITUTEM NON SUBIRE. *l.* 1. ULP. LIB. 54. AD EDICT.

Et quidem admittitur pater, etiamsi ipse filium suum vendidisset tanquàm servum. Ita enim Antoninus. Rem quidem illicitam & inhonestam admisisse te confiteris, quia proponis filios ingenuos à te venumdatos. Sed quia factum tuum filiis obesse non debet; adi competentem judicem, si vis, ut causa agatur secundùm ordinem Juris. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

II.

Ut parentibus permittitur liberos etiam invitos in libertatem vindicare; ita Versâ etiam vice, dicemus liberis parentum etiam invitorum, eamdem facultatem dari. NEQUE ENIM MODICA FILII IGNOMINIA EST, SI PARENTEM SERVUM HABEAT. *sup. d. l.* 1. § 1.

Idcircò visum est, cognatis etiam hoc dari debere. *d. l.* 1. § 2.

Quoniam servitus eorum ad dolorem nostrum injuriamque nostram porrigitur. *l.* 2. GAIUS AD ED. PRÆTORIS URBANI. TIT. DE LIBER CAUSA.

Ampliùs puto; naturalibus quoque hoc idem præstandum; ut parens filium in servitute quæsitum & manumissum possit in libertatem vindicare. *l.* 3. ULP. LIB. 54. AD ED.

III.

Militi etiam pro necessariis sibi personis, de libertate litigare (*a*) permittitur. *d. l.* 3. § 1.

Quum verò talis nemo alius est qui pro eo litiget; tunc necessarium est dari facultatem etiam matri, (*b*) vel filiabus, vel sororibus ejus; cæterisque mulieribus quæ de cognatione sunt, vel etiam uxori, adire Prætorem, & hoc indicare; ut causâ cognitâ & invito ei succurratur. *d. l.* 3. § 2.

Sed & si libertum meum, vel libertam dicam; idem erit dicendum. *d. l.* 3. § 3.

Interest enim nostrâ, libertos libertasque habere. *l.* 5. ULP. LIB. 54. AD ED.

Sed tunc patrono conceditur pro libertate liberti litigare, si eo ignorante libertus vænire se passus est. *l.* 4. GAIUS AD ED. PRÆTOR. URB. TIT. DE LIBERALI CAUSA.

IV.

Nota. Quòd si plures ex memoratis personis existant, qui velint pro his litigare; Prætoris partes interponendæ sunt, ut eligat quem potissimùm (*c*) in hoc esse existimat. Quod & in pluribus patronis observari debet. *sup. l.* 5. § 1.

V.

Adhuc Benigniùs hoc persequendum est; ut, si furiosus & infans est qui in servitutem trahitur, non solùm necessariis personis, sed etiam extraneis hoc permittatur. *l.* 6. GAIUS AD ED. PRÆTORIS URBANI.

§ II.

Quis possit aliquem in servitutem petere.

VI.

Non solùm domino hæc actio datur, sed & cuilibet qui jus aliquod in eo homine habere se contendit.

Hinc Cognitio de Liberali Causâ usufructuario datur; etiamsi dominus quoque velit (hoc est, qui se dominum dicit) movere statûs controversiam. *l.* 8. ULP. LIB. 55. AD ED.

Item Si operæ alicui debeantur, is quoque Liberali judicio experiri potest. *l.* 12. § 5. IBID.

VII.

Observandum quòd Maritus uxori, eidemque libertæ, statûs quæstionem inferre non (*d*) prohibetur. *l.* 39. § 3. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Item Non idcircò minùs quòd pupilli res velut tutor administrasse dicitur, ex ejus personâ servitutis pati quæstionem potest. *l.* 35. *Cod. h. tit.* DIOCL. ET MAXIM.

Contrà vice versâ Tutores vel curatores pupillorum quorum tutelam & res administraverunt, postea statûs quæstionem facere non possunt. *sup. d. l.* 39. § 2.

Ulpianus respondit; Filium ob hoc quòd patri heres extitit, prohiberi à patre suum servum manumissum in servitutem petere. *l.* 31. ULP. LIB. 1. RESPONS.

Hoc & in quocumque herede verum est. Undè Aurelianus. Si ab eo cujus servus fuisti, manumissus es; frustrà libertatis controversiam sustines, maximè ab herede ejus qui te manumisit: cùm etsi jure libertas non processerit, respectu tamen aditæ hereditatis, voluntatem defuncti suo consensu firmare debuit. *l.* 7. *Cod. h. tit.*

ARTICULUS II.

An iteretur Liberalis Causa, & per Præscriptionem longi temporis excludatur.

§ I.

An iteretur.

VIII.

Jure Pandectarum Liberalis Causa, quum quis ex servitute in libertatem asserebatur, terque quaterque iterabatur: ut discimus ex Justiniano, qui in l. 1. *Cod.* de Adsert. toll. *abrogat obtinentes dudùm eas Leges quæ* SECUNDA & TERTIA *vice adsertorias lites examinari præcipiebant* (*e*).

Hæc tamen actio etiam Jure Justinianeo iterabatur, in specie sequenti, de quâ ita Gaius. Interdum ex integro datur ad libertatem proclamatio; veluti ejus, qui adfirmat ideò se primo judicio victum, quòd statuta libertas nondum ei obtigerat, quam nunc dicit sibi obtigisse. *l.* 25. § 1. GAIUS. AD EDICT. PRÆTORIS URB. TIT. DE LIBERALI CAUSA.

IX.

Iterabatur quidem Jure Pandectarum, assertio in libertatem. Contrà assertio in servitutem non iteratur. Ita enim Alexander. Si is quem in servitutem petebas, liber (quamvis absente te) causâ cognitâ pronuntiatus est; secunda in servitutem petitio ejus, dari tibi non debet. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

Obiter nota. Sed si posteaquàm cognovisti de Sententiâ

(*a*) Quamvis regulariter milites alienas lites exsequi non possent: ut vid. suprà lib. 3. Tit. *de Postul.* Nam quodam modo videtur litigare pro se; cùm ignominia servitutis ejus quem in libertatem vindicat, in ipsum redundet.

(*b*) Eadem ratio dubitandi atque in milite: eadem ratio decidendi.

(*c*) Id est, præferendum.

(*d*) Putà, si eam ut ingratam velit revocare in servitutem.

(*e*) Imò *Græci* in hâc lege legunt 3ã. & 4ã. *vice.* Adde Martial. Epigr. I. 53.

Assertor venias, satisque præstes.
Et quum se dominum vocabit ille,
Dicas esse meos manuque missos.
Hoc si TERQUE QUATERQUE *clamitâris,*
Impones plagiario pudorem.

Source : BIU Cujas

judicis, appellasti; an jure lata sit, in Auditorio quæretur. *d. l.* 4. ¶ *sed si.*

Consonat quod rescribunt Diocletianus & Maximianus: Arrianus motâ sibi quæstione à Leonide, liber fuit pronuntiatus. In servitutem à victo, iterùm non rectè petitus est *l.* 27. *Cod. h. tit.*

Ipse quidem qui hoc judicio victus est, servum iterum petere in servitutem non potest. Alius autem potest; & quidem etiam heres ejus, modò non hereditario nomine.

Undè Labeo. Si servus quem emeras, ad libertatem proclamavit, & ab judice perperàm pro eo judicatum est; & dominus ejus servi post rem contra te judicatam, te heredem fecit, aut aliquo nomine is tuus esse cœpisset: petere eum tuum esse poteris. Nec tibi obstabit rei judicatæ præscriptio (*a*) Javolenus: Hæc vera sunt. *l.* 42. LABEO LIB. 4. POSTER.

§ II.

An per præscriptionem longi temporis excludatur Liberalis Causa.

X.

Quum quis ex possessione servitutis in libertatem proclamat, nullâ temporis præscriptione summoveri potest.

Hinc Constantinus & Licinius. Solâ temporis longinquitate, etiamsi sexaginta annorum curricula excesserit, libertatis jura minimè mutilari oportere congruit æquitati. *l.* 3. *Cod. de Long. temp. præscrip. quæ pro libert. &c.*

Quum autem quis ex possessione libertatis in servitutem vindicatur, interest an malâ an bonâ fide in hâc possessione versatus sit.

Primo casu, nullâ præscriptione juvari potest. Hinc Diocletianus & Maximianus. Malâ fide morato in libertate diù, prodesse non potest longi temporis præscriptio. Undè cùm confitearis fugâ te ab eo cujus meministi recessisse; intelligis ex hoc solo, sine dolo malo in possessione te libertatis non esse. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

Contrà, præscriptione juvatur qui bonâ fide in libertatis possessione versatus est; quum hæc possessio ex aliquo justo titulo profecta est.

Hinc iidem rescribunt. Præstat firmam defensionem libertatis, ex justo initio longo tempore obtenta possessio. Favor enim libertati debitus, & salubris jampridem ratio suasit; ut is qui bonâ fide in possessione libertatis per viginti annorum (*b*) spatium sine interpellatione morari essent, præscriptio adversùs inquietudinem statûs eorum prodesse debeat; ut & liberi & Cives Romani fiant. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

XI.

Sola autem bona fides, à fortiori solus libertatis affectus non sufficit, nisi concurrat quidam titulus.

Hinc Constantinus. Legis promulgatio quæ per sexdecim (*c*) annos bonâ fide in libertate durantes, contra eos qui inquietant præscriptione defendit; non opitulatur his qui ex ancillis matribus, & ingenuis patribus orti, per id tempus in libertatis affectu (*d*) cum parentibus perdurarent: quandoquidem nullo præcedente justo legitimæ possessionis initio, usurpatio libertatis nuda jactetur; cùm neque redemptio à servitute, neque vicarii traditio servuli (*e*) vel peculii assignatio, valeat demonstrari: qui tituli possint famulatûs nexibus liberare eum qui convenitur, si quo ex iis genere usus, in libertate esset per annos sexdecim demoratus. Jure enim communi, maternam conditionem natum sequi necesse est; ita ut, etsi herilem lectulum ancilla ascenderit, non liberorum domino, sed servorum partum suscipiat. *l.* 3. *Cod. Theod. h. tit.*

Jure novo quo introducta est præscriptio triginta annorum quæ titulum non desiderat; credibile est servum qui per hoc triginta annorum spatium, licèt absque titulo, in libertatis possessione moratus esset, posse hâc præscriptione dominum à quo in servitutem vindicaretur, summovere.

ARTICULUS III.

Quæ circa hoc judicium instituendum & peragendum observentur.

§ I.

De Assertoris necessitate in hoc judicio, & de ejus officio.

XII.

Jure veteri, sive quis ex possessione servitutis ad libertatem proclamaret, sive ex possessione libertatis in servitutem peteretur; non poterat ipse per se hoc judicio experiri: sed ei quærendus erat Adsertor, qui pro eo Liberale judicium susciperet.

Eapropter constituit Constantinus ut, si quis ex possessione libertatis in servitutem petatur, circumducatur (f) per provinciam, Assertores alicujus quæritandi gratiâ; cum Titulo PER LITTERAS *hoc indicante (g): profligato antiquo Proclamationis ritu (h)* UT QUI comperissent, velint asserere.

Si post peragratam totam provinciam, assertorem non invenerit; interim tradendus est ei à quo in servitutem vindicatur: non *tamen per hoc* infractâ, sed dilatâ *ejus* libertate, *donec quandocumque Assertorem inveniat; quo invento lis instaurabitur; nec ideò minùs petitoris partes sustinebit is cui interim traditus est.*

Ne autem impunè quis propter Assertoris inopiam in injustam servitutem abduceretur; in eum qui abduxisset, si postea Assertore invento & in Liberali Causâ succubuisset, constituit mulctam; scilicet ut Pari numero servorum (*i*) *erga victores mulctetur, quot fuerunt homines quos in servitutem petiit. Non videntur autem ipsi in servitutem petiti, qui pendente lite, ex muliere quæ statûs controversiam patiebatur susceptí sunt.*

Homine ante Assertorem inventum mortuo; heredes ejus, causam ipsius statûs & hanc mulctam persequi possunt.

Eo, qui hominem propter Assertoris inopiam in injustam servitutem abduxit, mortuo ante Assertorem repertum vel ante Sententiam; si quidem heredes ejus hominem liberum dimittant, mulctæ locus non est; sin ipsi eum retineant, & ipsi Sententiâ pro libertate dictâ in hanc mulctam condemnabuntur. l. 1. Cod. Theod. *h. tit.*

XIII.

Assertor inventus, suo periculo causam agebat; ut ex eâdem Constantini lege discimus; præstabatque suo nomine satisdationem Judicio sisti, & Res salvas fore *quas tenebat is qui servus diceretur. Vicissim ipsi satisdabat is qui hominem in servitutem petebat, de præfinitâ mulctâ modò suprà dictâ.*

Post susceptum Liberale judicium, si Assertor Causam

(*a*) Nec enim nocet res inter alias personas judicata: infrà lib. 44. Tit. *de Except. rei judic.*

(*b*) Inter absentes, decem autem inter præsentes.

(*c*) Quis sit hujus sexdecim annorum præscriptionis auctor, non liquet. Quidam putant etiam Jure Pandectarum eam obtinuisse: quo casu dicendum foret, supra mox relatam legem 2. Cod. *de Lomg. temp. præscript. quæ pro libert.* fuisse interpolatam, & Tribonianum substituisse *viginti annorum* pro *sexdecim.* Jacob. Gothofredus mavult hujus sexdecim annorum præscriptionis non alium auctorem fuisse, quàm ipsum Constantinum. Ut ut sit, apparet eam Justiniano non placuisse; & voluisse ut loco ejus ordinaria *Decem aut viginti annorum* præscriptio locum haberet.

(*d*) *Affectum* libertatis habere dicitur, qui se pro libero gerit velutque haberi ut liber: quod potest procedere, etiam citra libertatis opinionem; quemadmodum malæ fidei possessor *affectu* & animo domini possidet.

(*e*) Si se redemisset aut manumissus esset à non domino, is qui in servitutem petitur, aut ei dedisset vice suâ alium servum, aut ipsi quasi manumisso peculium concessum esset; hæc omnia viderentur quasi tituli ex quibus possedisset statum libertatis.

(*f*) Ab aliquo officiali judicis apud quem petitur [inquit J. Gothofredus] *Per provinciam* ex quâ oriundus est is qui in servitutem petitur.

(*g*) Idem Gothofredus intelligit litteras ejus judicis, ad Præsidem provinciæ ex quâ homo oriundus est directas.

(*h*) Eo quòd hæc Proclamatio, absque ipsius hominis circumductione, parùm sufficiens esset ad Assertorem ipsi inveniendum.

(*i*) Vetus Interpres addit, ejusdem ætatis & sexûs ac ii qui petiti fuissent.

Source : BIU Cujas

deſeruerit; in alium aſſertorem omne judicium transferri placuit. In priorem verò, quod prodendæ libertatis gratiâ factum eſt, extrà ordinem vindicatur. Non enim oportet ſuſceptam ſtatûs Cauſam, nullâ cogente neceſſitate deſtitui. PAUL. SENT. LIB. 5. *Tit.* 1. § 10.

Quòd ſi litem peregiſſet Aſſertor & ſuccubuiſſet, in expenſas condemnabatur.

Uno tamen caſu condemnabatur inſuper in multam unius mancipii fiſco inferendi; quam ſi præſtare non poſſet, erat obnoxius pœnæ metalli: ſcilicet quum tertia perſona Cauſæ interveniſſet, eum de cujus ſtatu litigabatur in ſervitutem pariter vindicans. Contrà ſi viciſſet Aſſertor, is tertius condemnabatur in multam ſervi; ſed non erga Aſſertorem ut primus petitor, verùm erga fiſcum. l. 4. Cod. Theod. *h. tit.*

Ita Jure veteri. Theodoſius eis qui in ſervitutem peterentur, Cauſam agere ſine Aſſertore permiſit tribus ex cauſis; ſcilicet ſi is eſſet qui per viginti annos in poſſeſſione libertatis fuiſſet, aut publico munere functus eſſet, aut in hominum celebritate (*id eſt, propalàm & in publico*) *præſente eo qui nunc ſe dominum contendit, verſatus eſſet.* l. fin. Cod. Theod. *h. tit.*

Denique Juſtinianus uſum Adſertorum penitùs abrogavit: permiſitque ut, ſive quis ad libertatem proclamaret, ſive in ſervitutem peteretur, poſſet ipſe Liberali judicio agere aut defendere. Quinetiam ei qui ex poſſeſſione libertatis in ſervitutem peteretur, permiſit procuratorem dare: hoc autem non permittit ei qui ex poſſeſſione ſervitutis ad libertatem proclamat. l. 1. *Cod.* de Adſert. toll.

§ II.

De differendo ex certis cauſis Liberali judicio.

XV.

Imperator Antoninus conſtituit, non aliàs ad libertatem proclamationem cuiquam permittendam; niſi priùs adminiſtrationum rationes reddiderit, quas quum in ſervitute eſſet, geſſiſſet. *l.* 34. ULP. LIB. SING. PANDECT.

Sunt & aliæ cauſæ ex quibus in libertatem proclamatio denegatur. Veluti ſi quis ex eo teſtamento liber eſſe dicatur; quod teſtamentum aperiri Prætor vetat, quia teſtator à familiâ necatus eſſe dicatur. Cùm enim in eo ſit iſte, ut ſupplicio fortè ſit adficiendus; non debet Liberale judicium ei concedi. Sed etſi data (*a*) fuerit; quia dubitatur utrùm nocens ſit an innocens, differtur Liberale judicium; donec conſtet de morte ejus qui necatus eſt. Apparebit enim utrùm ſupplicio adficiendus ſit, an non. *l.* 7. § 4. ULP. LIB. 54. AD. ED.

XVI.

Defertur etiam interdum hoc judicium, ex causâ pupillaris ætatis ejus de cujus ſtatu agitur. Enimverò Divi Fratres Proculo & Munatio reſcripſerunt. « CUM Romulus de » cujus ſtatu quæritur, pupillaris ætatis ſit: an exigente » Variâ-Hedone matre, & conſentiente Vario-Hermete » tutore, ad tempus pubertatis cauſa differenda ſit; » veſtræ gravitatis eſt, ex fide perſonarum quod utile » eſt pupillo conſtituere (*b*). » *l.* 27. ULPIAN. LIB. 2. DE OFFICIO CONSULIS.

Item Si mater & filius de libertate litigant: aut conjungenda ſunt utrorumque judicia; aut differenda eſt cauſa filii, donec de matre conſtet: ſicut Divus quoque Hadrianus decrevit. Nam quum apud alium judicem mater litigabat, apud alium autem filius; Auguſtus dixit, Ante de matre conſtare oportere, ſic dein de filio cognoſci. *l.* 23. § 2. PAUL. LIB. 50 AD ED.

§ III.

De remittendis ad eumdem judicem, his qui eidem ſtatûs controverſiam faciunt.

XVII.

Si plures ſibi dominium ſervi vindicant, dicentes eſſe communem; ad eumdem judicem mittendi erunt. Et ita Senatus cenſuit.

Cæterùm ſi unuſquiſque ſuum eſſe in ſolidum, non in partem dicat; ceſſat Senatuſconſultum. Neque enim timor eſt, ne variè judicetur; cùm unuſquiſque ſolidum dominium ſibi vindicet. *l.* 8. § 1. ULP. LIB. 55. AD ED.

Sed & ſi alter uſumfructum totum, alter proprietatem ſervi vindicet; item ſi alter dominium, alter pignoratum ſibi dicat: idem judex erit. Et parvi refert, ab eodem an ab alio ei pignori datus ſit. *d. l.* 8. § 2.

Si pariter adversùs eum qui de libertate litigat, conſiſtant fructuarius & proprietarius; fieri poteſt ut alteruter abſit. Quo caſu; an præſenti ſoli permiſſurus ſit Prætor adversùs eum agere, dubitari poteſt: quia non debet alterius colluſione aut inertiâ alteri jus corrumpi. Sed rectiùs dicitur, etiam alterutri eorum permittendum agere; ut alterius jus incorruptum maneat.

Quòd ſi adhuc nondum finito judicio ſupervenerit, ad eumdem judicem mittetur: niſi ſi juſtam cauſam adferat, quare ad eum mitti non debeat; fortè ſi eum judicem inimicum ſibi eſſe adfirmet. *l.* 9. GAIUS AD ED. PRÆTORIS URBANI TIT. DE LIBERALI CAUSA.

Idem dicemus & ſi duo plures-ve domini dicantur; & quidam præſto ſint, quidam (*c*) aberint. *d. l.* 9. § 1.

§ IV.

De diſceptatione huic judicio prævià; uter ex litigatoribus in eo petitoris, uter poſſeſſoris partes ſuſtinere debeat.

XVIII.

Si quis ex ſervitute in libertatem proclamat, petitoris partes ſuſtinet. Si verò ex libertate in ſervitutem petatur, is partes actoris ſuſtinet qui ſervum ſuum dicit.

Igitur quum de hoc incertum eſt: ut poſſit judicium ordinem accipere; hoc ante apud eum qui de libertate cogniturus eſt, diſceptatur; utrùm ex libertate in ſervitutem, aut contrà agatur.

Et ſi fortè apparuerit eum qui de libertate ſuâ litigat, in libertate ſine dolo malo (*d*) fuiſſe; is qui ſe dominum dicit, actoris partes ſuſtinebit, & neceſſe habebit ſervum ſuum probare.

Quòd ſi pronuntiatum fuerit, eo tempore quo lis præparabatur in libertate eum non fuiſſe, aut dolo malo fuiſſe; ipſe qui de ſuâ libertate litigat, debet ſe liberum probare. l. 7. § 5. ULPIAN. LIB. 54. AD ED.

XIX.

Circa hanc autem diſceptationem obſervandum quòd, Si in obſcuro ſit in quo fuerit ſtatu is qui pro ſuâ libertate litigat; prior audiendus eſt, probare volens ſe ipſum in libertatis eſſe poſſeſſionem. *l.* 41. PAUL. LIB. SINGUL. DE ARTICULIS LIBERALIS CAUSÆ.

Probatio autem ad id tempus referetur, quum ſine dolo malo in libertate fuerit, quo primùm in Jus aditum eſt. *l.* 12. § 4. ULP. LIB. 55. AD ED.

Ei autem qui in poſſeſſione libertatis eſſe probatus fuerit, nulla probandi neceſſitas incumbet.

Cæterùm Cui neceſſitas probandi de ingenuitate ſuâ non incumbit; ultrò, ſi ipſe probare deſideret,

(*a*) Aliàs *datum*. Id eſt; *ſed etſi* jam *data* erit actio, debet cognitio differri.

(*b*) Vide ſuprà lib. 37. Tit. *de Carbon. Edict.*

(*c*) Jure Pandectarum nondum admiſſa erat hæc exceptio *Quòd ageret ſine adjunctâ perſonâ conſortis*: quam exceptionem poſteà Conſtantinus introduxit [l. 1. Cod. Theod. *de Dom. rei quæ poſſ.*] Julianus autem abrogavit, l. 1. Cod. *de Conſort. ejuſd. litis.*

(*d*) Quid ſit, vide mox infrà N. 20.

Source : BIU Cujas

audiendus est. *l.* 39. PAUL. LIB. 5. SENTENTIAM.

X X.

Quod autem diximus, IN LIBERTATE FUISSE, sic est accipiendum; non ut se liberum doceat is qui Liberale judicium patitur, sed in possessione libertatis sine dolo malo fuisse.

Quid sit autem SINE DOLO MALO fuisse, videamus. Nam Julianus ait; Omnes qui se liberos putant, sine dolo malo in libertate fuisse; si modò se pro liberis gerant, quamvis servi sint.

Varus autem scribit; Eum qui se liberum sciat, dum in fugâ sit, non videri sine dolo malo in libertate esse: sed simul atque desierit quasi fugitivus se celare, & pro libero agere; tunc incipere sine dolo malo in libertate esse. Etenim ait; Eum qui scit se liberum, deinde pro fugitivo agit; hoc ipso quòd in fugâ sit, pro servo agere. *l.* 10. ULP. LIB. 55. AD ED.

Licèt fugæ tempore pro libero se gesserit. Dicemus enim eum in eâdem causâ esse. *l.* 11. GAIUS AD ED. PRÆTORIS. URBANI TIT. DE LIB. CAUSA.

Igitur sciendum est, & liberum posse dolo malo in libertate esse. Et servum posse sine dolo malo in libertate esse. *l.* 12. ULP. LIB. 55. AD ED.

Infans subreptus, bonâ fide in servitute fuit; quum liber esset. Deinde quum de statu ignorans esset recessit; & clàm in libertate morari cœpit. Hic non sine dolo malo in libertate moratur. *d. l.* 12. § 1.

Potest & servus sine dolo malo in libertate morari. Ut putà testamento accepit libertatem, quod nullius momenti esse ignorat; vel Vindicta ei imposita est ab eo quem dominum esse putavit, quum non esset; vel educatus est quasi liber, quum servus esset. *d. l.* 12. § 2.

Et generaliter dicendum est; Quoties quis justis rationibus ductus, vel non justis, sine calliditate tamen, putavit se liberum, & in libertate moratus est; dicendum est, hunc in eâ causâ esse ut sine dolo malo in libertate fuerit; atque ideò possessoris commodo fruatur. *d. l.* 12. § 3.

De dolo malo circa libertatis possessionem, ita etiam Diocletianus & Maximianus. Eam quæ in possessione libertatis non sine dolo malo reperitur, in servitute constitutæ simile habere præjudicium Edicto Perpetuo cavetur. Sed si controversia erit utrùm ex servitute in libertatem petatur, an ex libertate in servitutem; suî conceptione (*a*) manifestè probatur: nec quidquam juris, ancillæ dolus propriis dominis aufert. *l.* 21. *Cod. h. tit.*

§ V.

Lite ordinatâ, in cujus statûs possessione constituatur is cujus status in controversiâ est.

X X I.

Lite ordinatâ (*b*), in possessione libertatis, is de cujus libertate quæritur, constituitur; & interim pro libero habetur (*c*). *l.* 14. *Cod. h. tit.* DIOCLET. ET MAXIM.

In quo autem pro libero habeatur, ita docet Paulus. Ordinatâ Liberali Causâ, liberi loco habetur is qui de statu suo litigat: ita ut adversùs eum quoque qui se dominum esse dicit, actiones ei non denegentur, quascumque intendere velit. Quid enim si quæ tales sint, ut tempore aut morte intereant? quare non concedatur ei, litem contestando, in tutum eas redigere (*d*)? *l.* 24. PAUL. LIB. 51. AD ED.

Quinetiam Servius ait; in actionibus annuis, ex eo tempore annum cedere ex quo lis ordinata (*e*) sit. *d. l.* 24. § 1.

Sed si cum aliis (*f*) experiri velit, non est quærendum an lis ordinata sit; ne inveniatur ratio quemadmodum subjecto aliquo qui libertati controversiam moveat, interim actiones excludantur. Æquè enim ex eventu judicii Liberalis, aut utilis aut inanis actio ejus efficietur. *d. l.* 24. § 2.

Sed si quas actiones inferat dominus; quæritur an compellendus sit suscipere judicium? Et plerique existimant, si in personam agat, suscipere ipsum ad litis contestationem; sed sustinendum judicium donec de libertate judicetur: nec videri præjudicium libertati fieri, aut voluntate domini in libertate eum morari. Nam ordinato Liberali judicio, interim pro libero habetur; & sicut ipse agere, ita cum ipso quoque agi potest. Cæterùm ex eventu, aut utile judicium erit; aut nullum, si contra libertatem pronuntiatum fuerit. *d. l.* 24. § 3.

Si is qui in libertatem proclamat, FURTI aut DAMNI INJURIA ab aliquo arguatur; Mela ait, interim eum cāveri debere judicio se sisti ne melioris conditionis sit qui dubiæ libertatis est, quàm qui certæ; sed sustinendum judicium, ne præjudicium libertati fiat.

Æquè si cum possessore hominis, FURTI agi cœperit; deindè is cujus nomine agebatur, in libertatem proclamaverit; sustinendum judicium: ut, si liber judicatus sit, in ipsum transferatur judicium; &, si damnatio facta sit, Judicati actionem potiùs in eum dandam. *d. l.* 24. § 4.

X X I I.

Vidimus in quibus interim pro libero habeatur, is de cujus statu lis est.

Cæterùm Licèt vulgò dicatur; post ordinatum Liberale judicium, hominem cujus de statu controversia est, liberi loco esse: tamen si servus sit, certum est nihilominùs eum, quod ei tradatur, vel stipuletur, perindè domino adquirere, atque si non de libertate ejus quærebatur.

Tantùm de possessione videbimus; cùm ipsum post litem ordinatam desinat dominus possidere? Sed magis est ut adquirat, licèt ab eo non possideatur. Et cùm placuit, per fugitivum quoque nos possessionem adquirere posse; quid mirum, etiam per hunc de quo quæramus adquiri? *l.* 25. § 2. GAIUS AD EDICT. PRÆTORIS URBANI TIT. DE LIB. CAUS.

Si autem ei delata sit hereditas, an cogatur eam adire? Ex Justiniano discimus varias hâc de re fuisse sententias. Ipse autem constituit ut si scriptus fuerit heres tanquàm servus ejus cum quo de suâ libertate litigat, cogatur adire; eique adquirat hereditatem, quamvis ex eventu pronuntiaretur liber: sin, non cogatur; &, si adeat, aut sibi aut domino adquirat, prout judicatus fuerit liber vel servus. l. 21. *Cod.* de Jure deliber.

Item Si cui de libertate suâ litiganti optio legata sit; quæcumque [de] hereditate ei relictâ dicuntur, eadem & de optione tractari possunt. *sup. d. l.* 25. *pr.*

X X I I I.

Qui de libertate suâ litigans, necdum Sententiâ datâ, militiæ se dedit; in pari causâ cæteris servis habendus est: nec exonerat eum, quòd pro libero habeatur in quibusdam.

Et, licèt liber apparuerit; exauctoratus, id est militiâ remotus, castris rejicietur; utique qui ex servitute in

(*a*) *Conceptio* est petitionis formula. Sensus est: Petitio ipsâ suî conceptione indicat utrùm petatur ex servitute in libertatem, an ex contrario. Cujac. In Notis ad h. l.

(*b*) *Ordinatam* cave confundas cum *Contestatâ*. Ordinata dicitur, quum certus ordo datus est quo agatur; imprimis quum constitutum est, quis actoris, quis rei partes sustineat. Cujac.

(*c*) Non solùm quum quis ex possessione libertatis in servitutem petitur, lite pendente in possessione libertatis constituitur. Sed etiam quum in libertatem asseritur, lite pendente vindiciæ secundùm libertatem dantur, nunquàm secundùm servitutem: ita scilicet decernente Prætore; *Qui libertatem defendit, ei do vindicias.* De hâc re diximus ad Leg. XII. Tabul. Tab. 6.

(*d*) Postquàm autem lis super his actionibus contestata erit, suspenditur; ne per eas liberali judicio præjudicium fiat.

(*e*) *Ex eo* demùm *tempore*; quia anteà stabat per illum à quo in servitute retinebatur, quominùs agere posset.

(*f*) Is cui sit status controversia, si quas alias actiones habeat adversùs eum qui facit ipsi hanc controversiam; potest eas movere adversùs eum, statim atque lis de liberali causâ fuerit ordinata: ut mox dictum. At si *Cum aliis* quibusvis personis, non cum eo ipso qui controversiam facit, aliquas actiones habet; cum his statim experiri potest, non expectato an lis Liberali Causâ ordinata sit. Alioquin fortasse lapsu temporis perirent; & debitor quilibet, aliquem subjiciendo qui creditori moveret controversiam status, posset eo modo *excludere* actionem temporariam, *interim* dum tempus ordinandæ Causæ Liberali insumeretur.

libertatem

libertatem petitus sit, vel qui non sine dolo malo in libertate moratus est.

Qui verò per calumniam petitus in servitutem est, in militiâ retinebitur. *l.* 29. ARRIUS MENANDER LIB. I. DE RE MILITARI.

§ VI.

Quid observetur, quum alteruter ex litigatoribus non se sistit judicio.

XXIV.

Si ea persona desit cognitioni, quæ alicui statûs controversiam faciebat; in eâdem causâ est qui de libertate suâ litigat, quâ fuit priusquàm de libertate controversiam patiatur. Sanè hoc lucratur quòd is qui eam statûs controversiam faciebat, amittit suam causam. Nec ea res ingenuum facit eum qui non fuit: nec enim penuria adversarii, ingenuitatem solet tribuere.

Rectè atque ordine judices puto facturos, si hanc formam fuerint consecuti; ut, ubi deest is qui in servitutem petit: electionem adversario deferant, utrùm malit cognitionem circumduci, an auditâ causâ Sententiam proferri. Et si cognoverint, pronuntiare debebunt servum illius non videri. Neque hæc res captionem ullam habet; cùm non ingenuus pronuntietur, sed SERVUS NON VIDERI.

Quòd si ex servitute in ingenuitatem se allegat; melius fecerint, si cognitionem circumduxerint; ne sine adversario pronuntient ingenuum videri, nisi magna causa suadeat; & evidentes probationes suggerant, secundùm libertatem pronuntiandum: ut etiam Rescripto Hadriani continetur. *l.* 27. § 1. ULP. LIB. 2. DE OFFICIO CONSUL.

XXV.

Quòd si is qui pro suâ libertate litigat, desit; contradictor verò præsens sit: melius erit inaugeri (*a*) causam ejus, Sententiamque proferri. Si enim liquebit, contra libertatem dabit. Evenire autem potest, ut etiam absens vincat: nam potest Sententia etiam secundùm libertatem ferri. *d. l.* 27. § 2.

Quod modò diximus, absente alterutrâ parte, posse Sententiam ferri, confirmant Diocletianus & Maximianus qui sic rescribunt. Juxta Edicti Nostri continentiam, in Liberalibus quoque negotiis, sive de libertinitate, sive de ingenuitate quæstio moveatur; absente nihilominùs unâ parte Causam discuti, & pro justitiæ ratione Sententiam proferri, nihil prohibet. *l.* 40. *Cod. h. tit.*

§ VII.

Quid obtineat quum in Causâ Liberali dissonant judicum Sententiæ, aut testium testimonia.

XXVI.

Lege Juliâ-Petroniâ (*b*), si dissonantes pares judicum existant sententiæ, pro libertate pronuntiari jussum. *l.* 24. *ff. de Manumissionib.* HERMOGENIAN. LIB. I. JURIS EPITOMAR.

Sed & si testes non dispari numero tam pro libertate, quàm contra libertatem dixerint; pro (*c*) libertate pronuntiandum esse, sæpè constitutum est. *d. l.* 24. § 1.

(*a*) Cujacius Observ. VI 27. legit *inaudiri*; id est agi.

(*b*) Videtur hæc Lex sub Nerone lata; sub cujus Imperii anno 7°. Consules erant Junius-Cæsonius & *Petronius*-Sabinius-Turpillianus [Tacit. *Histor.* XIV 29.] à quorum nominibus hæc Lex nomen accepisse videtur. Malè in Florent. *Patroniâ.*

(*c*) Hoc favore libertatis cautum est; ut, etiamsi actoris patribus fungatur qui ex possessione servitutis in libertatem proclamat; in pari sententiarum numero pro libertate pronuntietur: cùm regulariter in cæteris causis, hoc casu, pro reo pronuntietur.

(*d*) Patronus in servis liberti, quorum libertates revocantur ut in fraudem patroni datæ, legitimam suam duntaxat partem ut in cæteris rebus habet; reliquam partem habent heredes liberti, adeòque hæc revocatio heredi libertî prodest.

(*e*) Finge: Primus & secundus ambo fratres & coheredes, petierunt diversis judiciis, quisque pro parte suâ in servitutem, hominem ex ancillâ paternâ natum. Prior victus est, posterior obtinuit. Si prior hunc hominem posteà iterùm in servitutem petat; cùm idem petat quod petiit coheres qui detinuit, exceptionem *Rei judicatæ* quæ ipsi opponetur ex eo quod priore judicio victus sit; excludet per replicationem quòd posteriore judicio homo judicatus fuerit servus.

(*f*) Pro alterâ parte quam habebat is qui victus est, quasi quodam jure accrescendi.

ARTICULUS IV.

De effectu Sententiæ latæ pro libertate aut contra.

XXVII.

Palàm est quis sit effectus Sententiæ, quum pro libertate judicatum est.

Si contrà judicatum sit; licentia sit victori abducere hominem qui judicatus est esse ejus servus.

Et quidem Dominus qui obtinuit, si velit servum suum abducere, litis æstimationem pro eo accipere non cogetur. *l.* 36. PAPIN. LIB. 12. RESPONS.

XXVIII.

Sive autem pro libertate mulieris sive contrà judicatum sit; Placuit eos qui nascuntur, matrum conditionibus uti; quarum mox visceribus exponuntur. Ante verò litem nati, suo nomine omnes in quæstionem vocentur: quoniam hos solos qui in lite nati erunt, omnem fortunam matrum complecti oportet, aut justis tradi dominis, aut libertate cum lucis auctoribus frui. *l. fin. Cod. h. tit.* CONSTANTIN.

XXIX.

Quid verò Juris obtineat quum duobus de ejusdem hominis statu agentibus, diversæ diversis judiciis Sententiæ latæ sunt? Hanc quæstionem proponit Gaius in specie quâ proprietarius simul & fructuarius, vel aliàs duo diversi domini, de statu ejusdem hominis litigant: suprà N. 17. *Ita ille:* Undè in utroque casu dispiciamus, an, si qui prior egerit victus sit, prosit ei quod posterior vicerit; vel contrà: id est, ut quum omninò alteruter vicerit, prosit etiam alteri; sicut prodest heredi liberti, quòd in fraudem patroni servi manumissi (*d*) sint? Si cui placeat prodesse; consequens est ut, cùm idem (*e*) petat, exceptioni Rei judicatæ objiciatur replicatio. Si cui verò placeat non prodesse, is habebit sequentem dubitationem; utrùm is in quo quis victus est, nullius erit; an ejus esse debeat, cum quo actum sit; an potiùs ejus qui vicerit, scilicet ut utilis actio detur ei qui vicerit (*f*) Minimè autem Prætor pati debeat, ut pro parte quis servus sit. *l.* 9. § 2. GAIUS AD ED. PRÆTORIS URBANI TIT. DE LIB. CAUS.

Julianus verò apertè quæstionem solvit, rejectâ Cassii & Minicii sententiâ.

Ita Minicius. Duobus petentibus hominem in servitutem, pro parte dimidiâ separatim; si uno judicio liber, altero servus judicatus est, commodissimum est eò usque cogi judices donec consentiant. Si id non continget; Sabinum refertur existimasse, duci servum debere ab eo qui vicisset. Cujus sententiæ Cassius quoque est, & ego sum. Et sanè ridiculum est, arbitrari eum pro parte dimidiâ duci, pro parte libertatem ejus tueri. (*Julianus:*) Commodius autem est, favore libertatis Liberum quidem eum esse, compelli autem pretii sui partem viri boni arbitratu victori suo præstare. *l.* 30. JULIAN. LIB. 5. EX MINICIO.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS V.

De cognitionibus acceſſoriis Liberali Cauſæ.

§ I.

De bonis quæ auferre aut relinquere debet is de cujus ſtatu agitur, ſi vicerit.

XXX.

De bonis eorum qui ex ſervitute aut libertate in ingenuitatem vindicati ſunt, Senatuſconſultum factum eſt; quo cavetur, de his quidem qui ex ſervitute defenſi eſſent, ut id duntaxat ferrent quod in domo cujuſque intuliſſent (*a*) : in eorum autem bonis qui poſt manumiſſionem repetere originem ſuam (*b*) voluiſſent, hoc ampliùs, ut quod poſt manumiſſionem quoque adquiſiiſſent (*c*) non ex re manumiſſoris, ſecum ferant; cætera bona relinquerent illi, ex cujus familiâ exiiſſent. *l.* 32. PAUL. LIB. 6. REGULAR.

De bonis quæ manumiſſi qui ad ingenuitatem proclamaverunt, ſi vicerint, relinquere debent; ita etiam Pomponius, priùs definito quid ſibi velint alia ejuſdem Senatuſconſulti verba. Hoc ſermone AGNITIS NATALIBUS, de nullis aliis intelligendum eſt Senatum ſenſiſſe quàm ingenuis.

Verbo autem RELINQUERENT, etiam hoc intelligendum eſt; ut quæcumque ex re ejus à quo manumiſſi erant, adquiſita habeant, reſtituant. Sed id quemadmodum accipiendum ſit, videndum eſt : utrùm-ne quæ ignorantibus dominis abſtuliſſent, item quod ex his adquiſitum, reddere debeant; an verò etiam conceſſa & donata à manumiſſoribus, amplexi ſint (*d*)? Quod magis eſt. *l.* 3. *pr.* & § 1. *ff. Si ingenuus &c.* POMPON. LIB. 5. SENATUSCONSULTORUM.

Conſtantinus hoc Jus confirmat : & inſuper conſtituit, ſi controverſia ſit an ea ſint quæ ex re ejus qui ſe dominum dicebat profecta ſint, an ea quæ ad eum qui proclamavit debeant pertinere; pendente controverſiâ, ea in ſequeſtro deponi. *l.* 3. *Cod.* Quib. ad libert. proclam.

Juſtinianus autem conſtituit; illorum tantùm peculia qui ex poſſeſſione ſervitutis ſuper liberâ conditione litigant, aliaſque res quæ vindicantur, in tuto pro diſpoſitione judicis collocari. *l.* 10. § 2. *Cod.* de Adſert. toll.

Omnes verò qui pro libertate periclitantur; ſi quidem poſſunt fidejuſſorem dare, eum exigi; ſin reverà datio ejus impoſſibilis eis ſit, hocque judici manifeſtè oſtendatur, juratoriæ cautioni committi. *d. l. Cod. d. tit.*

§ II.

De rebus amotis & damno dato, ab eo qui in libertatem proclamavit.

XXXI.

Judex autem qui de libertate cognoſcit, etiam de rebus amotis, damno-ve magno facto, cognoſcere debet. Fieri enim poteſt ut fiduciâ libertatis, & ſubripere quædam & corrumpere atque conſumere ex bonis eorum quibus ſerviebat, auſus ſit. *l.* 41. § 1. PAUL. LIB. SINGUL. DE ARTICULIS LIBERAL. CAUSÆ.

Enimverò De his qui bona eorum quibus ſerviebant, intercepiſſent, deinde ad libertatem proclamabant; Hadrianus Imperator reſcripſit. Cujus Reſcripti verba hæc ſunt : « SICUT non eſt æquum fiduciâ libertatis, » quæ ex fideicommiſſi causâ præſtanda eſt, intercipere » hereditariam pecuniam; ita nec libertati præſtandæ » moram quæri oportet. » Quàmprimùm ergo arbitrum dare debeat, apud quem conſtaret quid ſervari poteſt heredi; antequàm ad ſervum manumittendum compelleretur. *l.* 43. POMPON. LIB. 3. SCTORUM.

Similiter Si quod damnum mihi dederit qui ad libertatem proclamat, illo tempore quo bonâ fide mihi ſerviebat, veluti ſi ego bonâ fide dominus Noxali judicio conventus & condemnatus, litis æſtimationem pro eo obtuli; in id mihi condemnabitur. *l.* 12. § 6. ULPIAN. LIB. 55. AD ED.

XXXII.

Illud certum eſt, damnum hoc ſolùm in hâc IN FACTUM actione deduci; quod dolo, non etiam quod culpâ factum ſit. Ideòque licèt abſolutus hoc judicio fuerit, adhuc tamen poſtea cum eo poterit Lege Aquiliâ agi; cùm eâ Lege etiam culpa teneatur. *l.* 13. GAIUS AD ED. PRÆTOR. URB. TIT. DE LIBER. CAUSA.

Item certum eſt; tam res noſtras, quàm res alienas, quæ tamen periculo noſtro ſunt, in hanc actionem deduci; veluti commodatas & locatas. Certè depoſitæ apud nos res, quia noſtro periculo non ſunt, ad hanc actionem non pertinent. *d. l.* 31. § 1.

§ III.

De reddendo inſtrumento manumiſſionis.

XXXIII.

Sicut datam libertatem manumiſſis adimere patronus non poteſt; ita manumiſſionis inſtrumentum præſtare cogitur. *l.* 26. *Cod. h. tit.* DIOCLET. ET MAXIM.

§ IV.

De calumniâ ejus qui ſtatûs controverſiam fecit.

XXXIV.

Qui de ingenuitate cognoſcunt, de calumniâ ejus qui temerè controverſiam movit, ad modum exſilii poſſunt ferre Sententiam. *l.* 39. § 1. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Poterit etiam actione INJURIARUM *conveniri. Ita enim Diocletianus & Maximianus.* Si tibi ſervitutis improbè moveatur quæſtio; ſolemnibus ordinatis, de calumniâ vel injuriâ (prout vindictæ viam elegeris) habitâ conteſtatione, poſteaquàm ſervus non eſſe fuerit pronuntiatus, adversùs eam Sententiam poſtulare potes : tunc demùm etiam de his quæ direpta probaveris, reſtitutionem (cùm pro libertate fuerit pronuntiatum) petiturus. *l.* 31. *Cod. h. tit.*

Hæc ita, quum perperàm & vexandi animo quis ſtatûs controverſiam fecit. At Qui ex libertate in ſervitutem petit, ſi judicii de evictione ſervandi (*e*) causâ, contra libertatem agit, Injuriarum actione non convenitur. *l.* 26. GAIUS LIB. 20. AD ED. PROVINC.

(*a*) In quo continetur quicquid aliundè quàm ex re ejus à quo poſſidebantur, & ex operis ſuis, acquiſiverunt. Hæc enim debent relinquere, cùm ex his cauſis propter bonam ejus fidem ei acquirant : ut videb. infrà lib. 41. Tit. *de Adq. rer. dom.*

(*b*) Id eſt, ex poſſeſſione libertinitatis in ingenuitatem proclamare.

(*c*) Etiam ex operis ſuis : in quo ingenuus qui poſſidetur ut libertus, differt ab ingenuo qui poſſidetur ut ſervus.

(*d*) Hujus SCti auctores, Legiſlatores.

(*e*) Id eſt; ſi non petit per calumniam; ſed ut, ſi victus ſit & homo pronuntiatus fuerit liber, ſervetur ſibi [adversùs eum à quo hominem emit] *judicium de evictione :* quod nempè competit, quoties per ſententiam judicis res ablata eſt; ſuprà lib. 21. Tit. *de Evictionib.* Part. 2ª. Sect. 1. art. 1.

Source : BIU Cujas

TITULUS XIII.

QUIBUS AD LIBERTATEM PROCLAMARE NON LICET.

Sequela superioris est hic Titulus ; in quo quæritur quis ex possessione servitutis in quâ retinetur, possit necne liberali judicio AD LIBERTATEM PROCLAMARE.

Connexitatis ratione, tractabimus etiam de actione IN FACTUM *quæ datur emptori decepto, adversùs liberum hominem qui dolo passus est se illi vendi tanquàm servum.*

ARTICULUS I.

Qui possint necne Ad Libertatem Proclamare.

I.

Qui, quum liber esset, vœniit ut servus ; is regulariter potest Ad Libertatem Proclamare.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si ministerium tuum quasi libera exhibuisti ; ac te nesciente, quasi ancillâ in dotem datâ, conscriptum instrumentum est ; nihil hæc Libertati tuæ nocere poterunt : maximè cùm te minorem ætate fuisse commemores, & placuerit minores viginti annis nullâ ratione mutare statum posse, ac pro liberis servos fieri : ne ante Libertatem inconsultè amittant, quam alii propter ætatis rationem sine consilio præstare non possunt. *l.* 16. *Cod. de Lib. causâ.*

Quinetiam, ut rescribit Alexander ; Non ideò minùs in Libertatem Proclamare potest ea quam ancillam tuam esse dicis, quòd eam vendente fisco comparasti. Sed nec hodie ad præscriptionem operatur, quòd venditionis tempore major viginti annis fuerit : cùm ætatis allegatio non aliàs possit præscriptionem adversùs civem Romanum accommodare, quàm si participandi pretii gratiâ (*a*) consensum servituti dedisse probetur. *l.* 5. *Cod. d. tit.*

Obiter nota. Probationis sanè onus, cùm ex servitute in Libertatem adseritur, ad se recipit : quæ si affirmationem suam non impleat, inconcussum possessionis jus obtinebis. *d. l.* 5. *Cod.*

II.

Sed nec si ipse qui in servitutem comparatus est, servus fieri consensisset ; hoc ei noceret.

Nam ut ait Callistratus, Conventio privata neque servum quemquam, neque libertum alicujus facere potest. *l.* 37. CALLISTRAT. LIB. 2. QUÆST.

Similiter Diocletianus & Maximianus. Liberos privatis pactis, vel actu quocumque administrationis, non posse mutatâ conditione, servos fieri, certi Juris est. *l.* 10. *Cod. de Lib. causâ.*

Undè Valerianus & Gallienus. Nec si volens scripsisses servum te esse, non liberum ; præjudicium juri tuo aliquod comparasses. Quantò nunc magis ; cùm eam scripturam dare compulsum te esse testaris. *l.* 6. *Cod. d. tit.*

Hinc etiam Diocletianus & Maximianus. Interrogatam & professam apud acta, SE ESSE ANCILLAM ; hujusmodi factum, defensionem Libertatis non excludit. *l.* 24. *Cod. d. tit.*

Iidem rescribunt. Liberos velut servos se profitentes, statum eorum mutare non posse constat. *l.* 39. *Cod. de Lib. causâ.*

Iidem etiam rescribunt. Parentes, natales, non confessio adsignat. Quapropter si ex ancillâ nata, post ad Libertatem manumissa perveniisti : te servam professa velut ex ancillâ alterâ natam, hujusmodi simulatione, vel errore, quæsitam manumissione Libertatem amittere minimè potuisti : cùm servi nascantur ratione certâ, non confessione constituantur. *l.* 22. *Cod. d. tit.*

Duabus tamen ex causis potest qui voluntate suâ verè servus effici, ita ut Ad Libertatem Proclamare non possit. Prima est, de quâ obiter supra Alexander, quum major viginti annis ad pretium participandum venumdari se passus est ; altera est, ex SCto Claudiano.

§ I.

De majore viginti annis, qui se ad pretium participandum vendere patitur.

Ex hâc causâ quis servus efficitur, quum hæc concurrunt : 1°. Si pretium participaverit : 2°. Si major viginti annis esset : 3°. Si sciverit se esse liberum : 4°. Si qui eum comparat, liberum eum esse ignoret. Quæ omnia concurrere necesse est ; sive vir sive mulier venumdari se passi sint.

III.

1°. *Igitur oportet ut pretium participaverit, qui se ut servum vœnire passus est.*

Hinc Ulpianus. Liberis etiam hominibus, maximè si majores viginti annis se venumdari passi sunt, vel in servitutem quaquâ ratione deduci, nihil obest quominùs possint in Libertatem Proclamare : nisi fortè se venumdari passi sunt, ut participaverint (*b*) pretium. *l.* 7. *ff. de Liberal. caus.* ULP. LIB. 54. AD ED.

Idem ait. Majores viginti annis ita demùm Ad Libertatem Proclamare non possunt, si pretium ad ipsum qui vœniit, pervenerit. Ex cæteris autem causis, quamvis major viginti annis se venumdari passus sit, Ad Libertatem ei Proclamare licet. *l.* 1. ULP. LIB. 2. DE OFFIC. PROCONSUL.

Hinc Gordianus. Dispar causa est ejus qui dissimulatâ conditione suâ distrahi se passus est, ejus qui pretium participatus est. Nam superiori quidem, non denegatur Libertatis defensio ; posteriori autem, etsi civis Romanus sit (& participatus est pretium), Libertas denegatur. Eamdemque & in eo distinctionem adhibendam, cui fideicommissaria Libertas debetur, Meritissimi Juris Auctores responderunt. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

IV.

Oportet 2°. *ut major fuerit viginti annis.* Minori autem viginti annis, ne quidem ex causâ supra scriptâ debet denegari Libertatis Proclamatio. Nisi major annis viginti factus, duravit in servitute : tunc enim si pretium partitus sit, dicendum erit denegari ei deberi Libertatis Proclamationem. *l.* 1. § 1. ULP. LIB. 2. DE OFF. PROCONS.

Et alibi. Si quis minor viginti annis ad partiendum

(*a*) Vide infrà §°. 1°.

(*b*) Hoc casu servi fiunt ; non quòd privata conventio per se possit aliquem servum facere, sed quòd Lex hoc casu in pœnam turpissimæ fraudis eos servos faciat.

Source : BIU Cujas

pretium, venumdari se passus est; nihil ei hoc post viginti annos nocebit. Sed si antè quidem se venumdedit, post vicesimum autem annum pretium partitus est; poterit ei Libertas denegari. *l.* 7. § 1. *ff. de libert. caus.* ULPIAN. LIB. 54. AD. ED.

Oportet 3°. *ut is homo se liberum esse sciverit. Hanc autem scientiam non potest videri non habuisse libertinus, qui pubes factus manumissus fuit. Secùs de eo qui adhuc impubes manumissus esset; aut qui, quum ingenuus esset, in possessione servitutis erat. l.* 2. *Cod. Theod.* de Liber. causâ.

V.

Oportet 4°. *ut qui eum comparavit, ignoraverit eum esse liberum. Nam* Si quis sciens liberum emerit, non denegatur vendito in Libertatem Proclamatio adversùs eum qui eum comparavit; cujusque (*a*) sit ætatis qui emptus est. Idcircò, quia non veniâ dignus qui emit; etiamsi scientem prudentemque se liberum emerit.

Sed enim si postea alius eum emerit ab hoc qui scivit, ignorans; deneganda est ei Libertas. *l.* 7. § 2. *ff. de Lib. causâ.* ULP. LIB. 54. AD ED.

Suffragatur Paulus. Qui sciens liberum emit, quamvis & ille se pateretur vænire; tamen non potest contradicere ei qui Ad Libertatem Proclamat. Sed si alii eum ignoranti vendiderit, denegabitur ei Proclamatio. *l.* 33. *ff. de Liber. causâ.* PAUL. LIB. SINGUL. DE LIB. CAUSA.

Sed & Si usumfructum tibi vendidero liberi hominis & cessero; servum effici eum dicebat Quintus-Mucius: sed dominium ita demùm fieri meum, si bonâ fide vendidissem. Alioquin sine domino fore. *l.* 23. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 50. AD ED.

Quid Si duo simul emerint partes, alter sciens, alter ignorans: videndum erit numquid is qui scit, non debeat nocere ignoranti? Quod quidem magis est. Sed enim illa erit quæstio: Partem solam habebit is qui ignoravit, an totum? Et quid dicemus de aliâ parte? An ad eum qui scit, pertineat? sed ille indignus est quid habere, quia sciens emerit. Rursùm qui ignoravit, non potest majorem partem dominii habere quàm emit. Evenit igitur ut ei prosit qui eum comparavit sciens, quòd alius ignoravit. *sup. d. l.* 7. § 3.

Hoc ita, quum singuli pro singulis partibus emerunt. De casu autem quo singuli in solidum emissent, accipe quod ait idem Paulus (*b*): Si duo liberum hominem majorem annis viginti emerimus, unus sciens ejus conditionem, alter ignorans: an non propter eum qui scit, Ad Libertatem ei Proclamare permittitur, sed propter eum qui ignorat, servus efficietur? Sed non etiam ejus qui scit, sed tantùm alterius. *l.* 5. PAUL. LIB. SINGUL. AD SC. CLAUDIANUM.

VI.

Quum hæc quæ diximus, concurrunt; is qui se ut servum comparari passus est, adeò in servitutem redigitur, ut nec si postea manumittatur, pristinam Libertatem (*id est, ingenuitatem*) *recuperet.*

Sic accipe quod ait Hermogenianus. Quum pacto partitionis pretii major viginti annis venalem se præbuit; nec post manumissionem Ad Libertatem Proclamare potest. *l.* 40. *ff. de Liber. causâ.* HERMOGENIAN. LIB. 5. JURIS EPITOMAR.

Tamen ex speciali Principis beneficio, & ante manumissionem poterit; sed non nisi restituto pretio.

Sic accipe quod Saturninus ait. Qui se vænire passus esset majorem, scilicet ut pretium ad ipsum perveniret; prohibendum de Libertate contendere, Divus Hadrianus constituit. Sed interdum (*c*) ita contendendum permisit, si pretium suum reddidisset. *l.* 2. *ff. Si ingenuus &c.* SATURNINUS LIB. 1. DE OFFICIO PROCONSUL.

VII.

Vidimus Eis qui se passi sint vænire, Ad Libertatem Proclamandi licentiam denegari. Quæro an & ad eos qui ex mulieribus quæ se passæ sint vænire nascuntur, ista Senatusconsulta pertinent? Dubitari non potest; quin ei quoque quæ major viginti annis vænire se passa est, ad Libertatem Proclamandi licentia fuerit deneganda. His quoque danda non est, qui ex eâ nati (*d*) tempore servitutis ejus erunt. *l.* 3. POMPON. LIB. 11. EPISTOL. ET VARIAR. LECTION.

VIII.

Denegabitur etiam Proclamatio Ad libertatem ei servo qui, major viginti annis, quum jam petere posset Libertatem sibi ex causâ fideicommissi debitam, ad pretium participandum se vendi passus est.

Hoc docet Paulus. « Licinnius-Rufinus Julio-Paulo. » Is cui fideicommissa Libertas debebatur, post vice- » simum annum vænire se passus est. Quæro, dene- » gandum sit ei Ad Libertatem Proclamare? Movet me » exemplum cujusvis liberi hominis. Nam & si, [quum] » consecutus esset libertatem, se vendidisset; dene- » garetur ei Ad Libertatem Proclamare. Nec debet » meliori loco intelligi, quòd in servitute constitutus, » passus est se venumdari; quàm si esset Libertatem » consecutus. Sed è contrario movet me, quòd in hoc » de quo quæritur, venditio constitit; & est qui » væneat: in libero autem homine neque venditio cons- » titit, & nihil est quod (*Florent.* quoniam) væneat. » « Peto itaque plenissimè instruas ». Respondit: Venditio quidem tam servi quàm liberi contrahi potest, & stipulatio de evictione contrahitur. Non enim de eo loquimur qui sciens liberum emit: nam adversùs hunc, nec Ad Libertatem Proclamatio denegatur. Sed is qui adhuc servus est, etiam invitus vænire potest: quamvis & ipse in eo malus sit, quòd de conditione suâ dissimulat; cùm in suâ potestate habeat, ut statim ad Libertatem perveniat. Quod quidem non potest ei imputari, cui nondum Libertas debetur (*e*). Pone statuliberum passum se venumdari: nemo dicturus est superveniente conditione quæ non fuit in ejus potestate, Libertatis petitionem ei denegandam. Idem puto, etiamsi in ipsius potestate fuit conditio. Sed in proposito magis probandum est, ut denegetur ei Libertatis petitio; qui potuit petere Libertatem, & maluit se venumdari: quia indignus est auxilio Prætoris fideicommissarii. *l.* 4. PAUL. LIB. 12. QUÆST.

IX.

In summâ sciendum est; quæ de venditis servis quibus denegatur Ad Libertatem Proclamatio, dicta sunt; etiam ad donatos & in dotem datos referri posse, item ad eos qui pignori se dari passi (*f*) sunt. *l.* 23. § 2. *ff. de Liber. caus.* PAUL. LIB. 50. AD. ED.

§ II.

De muliere quæ ex Senatusconsulto Claudiano in servitutem redigitur.

X.

Ex Senatusconsulto temporibus Claudii Imperatoris

(*a*) Id est, cujuscumque; etiam major viginti annis.
(*b*) Ita accipiunt Accursius, & Cujacius & ita has leges conciliant. Vide Cujacium ad sup. d. l. 7. § 3.
(*c*) Scilicet ex speciali privilegio personæ indulto.
(*d*) Et concepti.
(*e*) Hæc ratio dubitandi fuit: quod huic servo qui se, quum sibi deberetur libertas, vendi passus est; non æquè imputari potest quòd prodiderit suam libertatem, quam nondum habebat; nec quòd se vendi passus sit, cùm revera vendi posset utpotè adhuc servus.

(*f*) Scilicet si pariter pecuniam acceperint, ut se donari vel in dotem dari, aut oppignorari paterentur.

Source : BIU Cujas

facto (*a*); Si mulier ingenua civisque Romana, vel Latina, alieno se servo conjunxerit; siquidem invito & denuntiante domino in eodem contubernio perseveraverit, efficitur ancilla. PAUL. SENT. *lib.* 2. *Tit.* 21. § 1.

Non ex eo solo autem quòd servo alieno se mulier conjunxisset, in servitutem redigebatur. Hinc Diocletianus & Maximianus: Libera, concubinatûs ratione, non constituitur ancilla. *l.* 34. *Cod. de Lib. caus.*

Quæ igitur intervenire oporteret, ita exponit Theophilus: Si libera mulier servi mei amore accensa, impedimento fuisset quominùs frequenti diligentique ejus operâ ministerioque uterer; licebat mihi denuntiationem coram septem testibus (*b*) ad eam mittere, monendo & jubendo ut à servo meo abstineret. Si non parebat denuntiationi primæ, nec abstinebat; licebat & secundâ denuntiatione uti. Et cùm illa nihil de consuetudine suâ mutaret, denuntiabam ei & tertiùm. Si neque tunc à servo meo se continebat, profitebar ac proferebam denuntiationes meas apud Prætorem aut Præsidem; qui interlocutione suâ eam mihi in servitutem dabat: & dominus efficiebar non mulieris tantùm, sed etiam omnium bonorum ejus. THEOPH. INSTIT. *lib.* 3. *Tit. de Succeff. sublat.*

XI.

Hæ denuntiationes fieri possunt, non solùm ab ipso servi domino; sed etiam

Si servo pupilli ingenua mulier se conjungat; denuntiatione tutoris (*c*), efficitur ancilla. PAUL. SENT. *lib.* 2. *Tit.* 21. § 2.

Pariter Procurator, & filiusfamilias & servus jussu patris aut domini denuntiando, faciunt ancillam. *d. tit.* § 4.

Jussu quidem patris filius denuntiare debet; quum servus cujus mulier contubernium sequitur, ad rationem paternam pertinet. Verùm

Si peculiari servo filiifamilias, libera se mulier conjunxerit; nullâ discretione paternæ (*d*) voluntatis, Jure solemni decurso, adquiret ancillam. *d. tit.* § 5.

Multò magis, Filiifamilias servo quem ex castrensi peculio habet, si se ingenua mulier conjunxerit, ejus denuntiatione efficitur ancilla. *d. tit.* § 8.

XII.

Præter denuntiationes, oportebat (ut ait Theophilus mox suprà) interponi Decretum Prætoris. Hinc Paulus: Tribus denuntiationibus conventa, etsi ex Senatûsconsulto facta videatur ancilla; domino tamen adjudicata, citra auctoritatem interpositi per Præsidem Decreti non videtur. Ipse enim debet auferre, qui dare potest Libertatem. *d. tit.* § 17.

Quum autem servus cui mulier se miscuit, plures dominos habet; cuinam mulier adjudicanda sit, ita docet idem Paulus: Libera mulier contubernium ejus secuta qui plures dominos habuit, ejus fit ancilla qui prior denunciavit; nisi fortè ab omnibus factum (*e*) sit *d. tit.* § 15.

XIII.

Circa quosdam servos, denuntiationes non requirebantur. Tales erant servi municipum. Undè ita Paulus: Mulier ingenua quæ se sciens servo municipum junxerit, etiam citra denuntiationem (*f*) ancilla efficitur.

Non idem, si nesciat. Nesciisse autem videtur, quæ compertâ conditione, contubernio se abstinuit: aut Libertum putavit. *d. tit.* § 14.

Eodem jure gaudebat fiscus circa servos suos. Quinetiam hoc plus habebat fiscus, ut ignorantiæ aut ætati mulieris quæ servis fiscalibus se junxisset, nulla venia daretur: ut colligitur ex l. 3. *Cod. Theod.* Ad SC. Claud.

Ex Constitutione Constantini, denuntiationum necessitas circa quoddam genus servorum, etiam privatis remittebatur: nimirùm circa actores & procuratores; quia eorum servorum corruptela ad totius domûs eversionem pertinet. Verùm hanc Constitutionem Julianus abrogavit, & Jus antiquum reduxit; ut circa omnes privatorum servos, nullo officii eorum discrimine habito, denuntiationes requirerentur. l. 4. *Cod. Theod.* de tit.

XIV.

SCtum Claudianum quasdam patiebatur exceptiones. Prima hæc est, ex suprà d. Sententiarum Pauli Titulo: Liberta servi patroni contubernium secuta, etiam post denuntiationem in eo statu manebit; quia domum patroni videtur deserere (*g*) noluisse. *lib.* 2. *tit.* 21. § 11.

XV.

Secunda exceptio est; ut cesset Senatusconsultum, quoties læderetur jus quod aliquis (cujus nulla culpa argui potest) in personam mulieris habet. Hinc V. G. 1°. *in specie sequenti:* Filiafamilias si invito vel ignorante patre, servo alieno se junxerit; etiam post denuntiationem statum suum retinet, quia facto filiorum, pejor conditio parentûm fieri non potest. *d. tit.* § 9.

Ita quidem; ne lædatur jus patris qui non consensit, adeòque in culpâ non est. Verùm, ex contrario,

(*a*) Expressus in eam rem Taciti locus *Annal.* XII 53. ubi etiam refert Pallantem quemdam Claudii libertum hujus juris inventorem, eique ob eam causam *Prætoria insignia & centies-quinquagesies sestertium* decreta fuisse; *& fixum ære publico Senatusconsultum.* Quod igitur Suetonius ait de Vespasiano [in ejus vitâ cap. 2.] auctorem illum fuisse Senatui: *Ut quæ se alieno servo junxisset, ancilla haberetur*; vel ita intelligendum cum P. Fabro, ut Vespasianus nondum Imperator, sed Senator sub Claudio, eâ de re ad Senatum retulerit: vel potiùs [quoniam hujus relationis repertor, non Vespasianus fuit, sed Pallas, ut mox vidimus] dicendum est, nihil aliud sibi velle Suetonium quàm quod Vespasianus Senatûsconsultum illud factum sub Claudio, & posteà fortè aliquandiù non servatum, renovaverit & quasi denuò sanxerit.

At verò longè major in ipso Taciti textu difficultas; cujus hæc est, quam J. Gothofredus tuetur, vulgata lectio: *Refertur ad Patres de pœnâ fœminarum quæ servis conjungerentur; statuiturque ut ignaro domino ad id prolapsa in servitutem suâ consensisset, & qui nati essent pro libertis haberentur.*

Et 1°. quidem verba hæc & *qui nati essent* ab omnibus manuscriptis abesse contendit Lipsius, ideòque omninò rejicienda; maximè cùm pœna matris non debeat nocere liberis, saltem iis qui antè concepti sunt quàm mulier ex hâc causâ in servitutem detrusa fuerit. His itaque rejectis, cæteras omnes hujus textûs aliàs mendosi & obscuri emendationes, posthabendas quoque censet; præter illam Farnesiani codicis lectionem: *Ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitute; si consensisset, pro libertâ haberetur.* Et hanc post ipsum secuti sunt Rykchius, Cujacius, Schultingius, &c. Verùm & hæc posterior lectio, tantorum licèt virorum auctoritate subnixa, nobis probari nequaquàm potest; ex quâ nempè mulier quæ servo se miscuit etiam domino consentiente, *pro liberta haberetur.* Imò, si dicere fas sit, pœna hæc videtur insolens æquè ac absurda. Et certè potest quidem quis pœnæ causâ in servitutem, aut Latinitatem prolabi, quum ipsi ob aliquod maleficium Libertas eripuitur aut saltem civitas. At in Libertinitatem nemo incidit pœnæ causâ: quin potiùs, quum quis libertinus sit [ex justâ nempè servitute manumissus]: statum habere incipit; cùm anteà nullum haberet. Nec est quod dicatur, mulierem ex servi contubernio non fieri reverâ Libertam, sed tantùm *haberi pro Libertâ*; in eo scilicet quòd dominus servi, jura eadem in illam adquirat quæ patroni habent in Libertos. Hoc etenim non absurdum minùs: quandoquidem etsi turpiter fecerit mulier contubernium servi secuta, & qualicumque pœnâ dignâ sit; haud patitur recta ratio pœnam illam exigi à domino, cui volenti & consentienti nulla injuria facta est; pœnamque de icti, hujus domini lucro cedere qui connivendo & consentiendo mulierem videtur ipse potiùs invitasse ad delinquendum.

Sed neque in Sententiarum Pauli lib. 2. ubi latissimè & proprio Titulo egit *de Senatusconsulto Claudiano*, neque in Theodosiano Codice ad hunc eumdem Titulum, juris hujus vestigium ullum reperitur. Prorsùsque futile in eam rem argumentum ex ejusdem Pauli Sententiarum lib. IV. *Ad Senatusconsultum Orphitian.* ubi ait, Ad filiam ancillam, vel LIBERTAM *ex Senatusconsulto Claudiano factam*, intestatæ matris hereditatem non pertinere. Repugnat hoc Juris principiis; ut mulier quæ non pœnam servitutis passa, sed liberta tantùm facta esset, salvâ libertate & civitate; salvis proindè cognationis juribus, à matris suæ hereditate arceretur. Non aliter itaque intelligi potest is Pauli textus, quàm de eâ muliere quæ ex Senatûsconsulto Claudiano ancilla reverâ facta est. Hæc, sive ancilla remanserit, sive liberta facta per manumissionem ab eo domino in cujus servitutem addicta fuerat, non potest matri suæ intestatæ succedere: quia jura cognationis amisit per servitutem; & novum manumissionis beneficio statum adepta, pristini quem anteà habebat statûs jura nequaquàm recipit.

Igitur ex supra laudato quidem Taciti textu, velut spuria expungenda sunt verba hæc *& qui nati essent*: neque enim pro libertis haberi possunt qui ex tali & illicito contubernio nati essent; sive ante pœnam matris concepti, quo casu non debet illa partui nocere [*l.* 5. ff. *de statu hom.*] sive posteà concepti essent, quia eo casu servi sunt, non liberti. At verò cætera quæ in hoc textu sequuntur, non juxta placitam eidem Lipsio emendationem legenda sunt: sed vel ita emendandum, *Ceu in servitutem sui consensisset, pro liberâ ne haberetur*; vel potiùs [quod ad Taciti textum magis accedat] in plurali numero; *Ut ignaro domino ad id prolapsæ, in servitute; sin consensissent, pro liberis haberentur:* verbum hoc *haberentur* ad utrumque casum pariter referendo; eo nimirùm sensu ut, si dominus nesciat, habeantur in servitute; si consentiat, habeantur pro liberis, id est suam retineant libertatem.

(*b*) Civibus Romanis: ut discimus ex veteri interprete ad leg. 2*am.* Cod. Theod. *ad Senatusconsult. Claud.* Cujus legis textus hodie deest, sola interpretatio superest.

(*c*) Tutor enim est loco domini: suprà lib. 26. Tit. *de Administr. tut.* N. 48.

(*d*) Id est; sive sciente ac jubente patre, sive etiam eo ignorante, filius denuntiando mulieri [quas denuntiationes appellat *Juris solemnis decursum*] eam acquirit patri. Ex causis enim peculiaribus filiifamilias etiam ignoranti patri acquirunt: infra lib. 41. Tit. *de Adq. rer. dom.*

(*e*) Id est, nisi simul omnes domini denunciârint: quo casu simul omnibus addicitur.

(*f*) Municipes enim, cùm non sint certa ac determinata persona, vix est ut denuntiare possint.

(*g*) Senatusconsultum Claudianum factum est advetsus mulieres quæ se *Alienis servis* jungunt. Hæc porrò non videtur *alieno* servo se conjungere, cùm ad eamdem familiam ipsa pertineat.

Source : BIU Cujas

Filiafamilias si jubente patre, invito domino servi alieni contubernium secuta sit; ancilla efficitur: quia parentes deteriorem filiorum conditionem facere possunt. *d. tit.* § 10.

Sed & quæ invito patre alieno servo se junxit, postea filiafamilias mortuo patre si in servi contubernio perseveraverit; pro tenore Senatûsconsulti Claudiani conventa, efficitur ancilla. *d. tit.* § 18.

Cùm Senatusconsultum cesset quoties jus alterius læderetur; hinc est 2°. *quòd liberta quæ citra patroni sui consensum servo alterius se miscet, non fit ancilla domini hujus servi: ne patronus ejus jus suum sine culpâ suâ amittat. Non tamen impunitum in illâ erit tale factum: nam* Liberta si ignorante patrono, servo se alieno conjunxerit, ancilla patroni efficitur; eâ conditione, ne aliquando ab eo ad civitatem Romanam (*a*) perducatur. *d. tit.* § 7.

Contra: Liberta sciente patrono alieni servi secuta contubernium, ejus qui denuntiavit efficitur ancilla. *d. tit.* § 6.

XVI.

Tertiam exceptionem patitur Senatusconsultum; quum servi dominus is est, qui personæ mulieris naturalem reverentiam debet, quæ hanc in ejus dominium cadere non permittat. Hinc

1°. Si patrona servo liberti sui se conjuxerit, etiam denuntiationem conventam, ancillam fieri non placuit. *d. tit.* § 13.

2°. Si mater servo filii se junxerit; non tollit (*b*) Senatusconsultum Claudianum erubescendam matris etiam in re turpi reverentiam: exemplo ejus quæ se servo liberti sui junxerit. *d. tit.* § 16.

Quartam exceptionem Senatusconsulto Claudiano facit error mulieris. Tandiù tamen eam error à pœnâ Senatusconsulti excusat, quandiù durat. Igitur

Errore quæ se putavit ancillam, atque alieni servi contubernium secuta est; [si] postea liberam se sciens in contubernio eodem perseveraverit, efficitur ancilla. *d. tit.* § 12.

Errori autem veniam non dari, quum servus fiscalis esset cui se mulier conjunxisset, jam supra observavimus.

Quintam exceptionem introduxerat Constantinus; ut non posset fiscus Imperatoris, Senatusconsulto Claudiano uti contra mulieres quæ fiscalis servi contubernium sequerentur: civitatibus autem jus suum servaverat. Julianus verò fisco jus idem quod civitates habent, reddidit. l. 4. *Cod. Theod.* Ad SC. Claud.

XVII.

Observandum superest; Senatusconsultum Claudianum adversùs mulieres factum, nunquàm ad viros fuisse protectum. Hinc Alexander: Si liber homo alienæ ancillæ contubernium sequatur; licèt ei fuerit denuntiatum ut se abstineret, servus domini mulieris non fit. *l.* 3. *Cod. de Liber. caus.*

XVIII.

Senatusconsultum Claudianum, Indignum temporibus suis *judicavit Justinianus, ut ipse ait in* Instit. *& eo abrogato mulierem ex hâc causâ statum suum amittere vetuit.*

ARTICULUS II.

De actione In factum *quæ datur emptori, decepto fraude hominis qui dolo se passus est vænire ut servum.*

XIX.

Quum ii qui se venumdari passi sunt, ex aliquâ causâ non sunt servi effecti; putà vel quia minores viginti annis, vel quia pretium non participaverunt; Rectissimè Prætor calliditati eorum qui, cùm se liberos scirent, dolo malo passi sunt se pro servis venumdari, occurrit. Dedit enim in eos actionem. *l.* 14. *ff. de Liberali caus.* ULP. LIB. 55. AD ED.

§ I.

Quæ concurrere oporteat ut huic actioni locus sit.

XX.

Tria concurrere oportet ut huic In factum *actioni locus sit.*

1°. Quæ actio totiens locum habet, quotiens non est in eâ causâ is qui se vænire passus est, ut ei Ad Libertatem Proclamatio (*c*) denegetur. *d. l.* 14. § 1.

2° *Oportet ut is dolo passus sit se venumdari.* DOLO autem non eum feciſſe accipimus, qui non ultrò instruxit emptorem, sed qui decepit. *d. l.* 14. § 2.

Imò eum qui finxit se servum, & sic væniit, decipiendi emptoris causâ. *l.* 16. *ff. de Liber. caus.* ULPIAN. LIB. 55. AD ED.

Si tamen vi metuque compulsus fuit hic qui distractus est, dicemus eum dolo carere. *d. l.* 16. § 1.

3°. *Demùm autem* Tunc habet emptor hanc actionem, quum liberum esse nesciret. Nam si scit liberum & sic emit, ipse se circumvenit. *d. l.* 16. § 2.

Quare si filiusfamilias emit; si quidem ipse scit, pater ignoravit, non adquisiit patri actionem. Hoc, si peculiari nomine egerit. Cæterùm si patre mandante, hîc quæritur an filii scientia noceat? Et puto adhuc nocere: quemadmodum procuratoris nocet. *d. l.* 15. § 3.

Planè si filius ignoravit, pater scit; adhuc dico repellendum patrem, etiamsi peculiari nomine filius emit: si modò pater præsens fuit, potuitque filium emere prohibere. *d. l.* 16. § 4.

Item; Sed si per procuratorem scientem quis emerit, ei nocet: sicuti tutoris quoque (*d*) nocere Labeo putat. *l.* 22. § 5. *ff. de Liber. caus.* ULP. LIB. 55. AD ED.

Hæc in procuratore, quum generaliter quis mandavit emere hominem. Quòd si certum hominem emi mandavit; non procuratoris, sed mandantis scientia aut ignorantia inspicietur.

Unde Paulus. In servo, & in eo qui mandato nostro emit, tale est; ut, si certum hominem mandavero emi sciens liberum esse, licèt is cui mandatum est ignoret, idem sit, & non competet ei actio. Contrà autem si ego ignoravi, procurator scit; non est mihi deneganda. *l.* 17. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 50. AD ED.

XXI.

Observandum quòd solo tempore contractûs inspicitur, an quis sciverit necne eum qui venumdabatur esse liberum.

Igitur Si eum liberum esse emptor nesciit, postea autem scire cœpit; hoc ei non nocebit; quia tunc ignoravit. Sed si tunc scivit, postea dubitare cœpit, nihilum proderit. *sup. d. l.* 22. § 3.

Hinc Heredi & cæteris successoribus scientia sua nihil nocet, ignorantia nihil prodest. *d. l.* 22. § 4.

§ II.

Cui & adversùs quem hæc actio detur.

XXII.

Hæc actio datur emptori. EMERE sic accipiemus, etiamsi per alium quis emerit, ut putà procuratorem. *l.* 22. § 1. *ff. de Liber. caus.* ULP. LIB. 55. AD ED.

Sed & si plures emerint, omnes habebunt hanc actionem. Sic tamen ut, si quidem pro partibus emerint, pro parte pretii habeant actionem: enimverò si unusquisque in solidum, quisque in solidum habeat actionem; nec alterius scientia alteri nocebit, vel ignorantia proderit. *d. l.* 22. § 2.

(*a*) Aliquâ Lege id affectum esse oportuit, ut nunquam justa libertas ei contingeret. An autem ipso Senatusconsulto Claudiano, ignoratur.

(*b*) Id est; Senatusconsultum non dispensat filium à debitâ matri reverentiâ, quæ non permittit ut eam in servitutem petat.

(*c*) Nam si in eâ causâ est, emptor non decipitur; cùm eum habeat servum.

(*d*) Supple, scientiam.

Source : BIU Cujas

Non ſolus autem emptor, ſed & ſucceſſores ejus hâc In factum actione agere poterunt. *d. l.* 22. *pr.*

XXIII.

Datur autem hæc actio in liberum quemlibet hominem, qui DOLO *ſe venumdari paſſus eſt;* Id eſt, ſive virilis ſexûs, ſive fœminini ſit: dummodò ejus ætatis ſit, ut dolum (*a*) capiat. *l.* 15. *ff. de Liber. cauſ.* PAUL. LIB. 51. AD ED.

Quid Si is cui ex fideicommiſſo Libertas debebatur, ab eo qui ſolvendo non erat paſſus eſt ſe bonæ fidei emptori tradi: exiſtimas in manumiſſum conſtituendam actionem, exemplo ejus qui liberi hominis emptorem ſimulatâ ſervitute decepit? Ego quoque adducor ut putem, rectè adversùs venditos (*b*) actionem competere; & magis ſimilem videri ſtatulibero (*c*) qui, pridie quàm ex teſtamento ad Libertatem perveniret, idem fieri paſſus eſt. *l.* 10. § 2. *ff. de Fideic. libert.* MARCELL. LIB. 26 DIGEST.

§ III.

Quid in hâc actione veniat; cum quâ aliâ poſſit concurrere, & quando extinguatur.

XXIV.

Tenetur IN FACTUM, *qui dolo ſe vendi alicui paſſus eſt.* In tantùm ergo tenetur, quantùm dedit (*d*) vel in quantùm obligatus eſt; ſcilicet in duplum. *l.* 18. *ff. de Liber. cauſ.* ULP. LIB. 55. AD ED.

Sed utrùm pretium tantùm, an etiam id quod pretio acceſſit duplicetur, videamus? Et putem omne omninò quod propter emptionem, vel dedit, *d. l.* 18. § 1.

Vel permutavit, vel compenſavit eo nomine, (nam & is dediſſe intelligendus eſt). *l.* 19. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 15. AD ED.

(*Quemadmodum alibi rursùs dicitur:* DEDISSE intelligendus eſt, etiam is qui permutavit vel compenſavit. *l.* 76. *ff. de Verb. ſignif.* IBID.)

Vel obligatus eſt; duplari debere. *l.* 20. *ff. de Liber. cauſ.* ULP. LIB. 55. AD ED.

OBLIGATUM accipere debemus, ſi exceptione ſe tueri non poteſt. Cæterùm ſi poteſt, dicendum non eſſe obligatum. *d. l.* 20. §. 3.

Obligatum vel ipſi venditori accipere debemus, vel alii obligatum. Nam quod dedit, ſive ipſi venditori, ſive alii ex juſſu ejus; ſive ipſe, ſive alius dederit; æquè continebitur. *d. l.* 20. § 2.

Proindè ſi quid cuidam ob hanc actionem licito jure dedit; dicendum eſt in hoc Edictum cadere, duplari-ve. *d. l.* 20. §. 1.

XXV.

Interdum evenit ut is qui comparavit, habeat in quadruplum actionem. Nam in ipſum quidem qui ſciens pro ſervo væniit, hinc habet in duplum actionem; & præterea in venditorem, vel eum qui duplam promiſit, in duplum actio (*e*) eſt. *d. l.* 20. § *fin.*

Utique ejus duplum quod propter emptionem vel dedit vel obligatus eſt.

Secundùm quæ; id quod alter eorum ſolverit, nihil ad exonerandum alterum pertinebit: quia placuit hanc actionem pœnalem eſſe. Et ideò poſt annum non datur. Nec cum ſucceſſoribus, cùm ſit pœnalis, agetur. *l.* 21. *d. tit.* MODESTIN. LIB 1. DE PŒNIS.

Et alibi rursùs: Hæc actio poſt annum non datur, cùm ſit Honoraria: eſt autem & pœnalis. *l.* 22. *d. tit.* § 6. ULPIAN. LIB. 55. AD ED.

XXVI.

Igitur (*Florent.* Cùm actione) actionem quæ ex hoc Edicto oritur, manumiſſione (*f*) non extingui rectiſſimè dicetur: quia (*g*) verum eſt auctorem conveniri non poſſe; poſt quem, ad eum qui Ad Libertatem Proclamavit, perveniebatur. *ſup. d. l.* 21. ¶ *cùm actionem.*

(*a*) Id eſt pubes, aut ſaltem proximus pubertati.

(*b*) Alias *venditorem*: quam lectionem germanam eſſe rectè putat Gloſſa.

(*c*) Species legis eſt: Servus cui fideicommiſſa libertas debebatur, hoc diſſimulans, ſe vendi paſſus eſt bonæ fidei emptori; nec pretium participavit: poſteà petiit ex fideicommiſſo libertatem, & manumiſſus eſt. Quæritur an emptor deceptus, habeat hanc actionem IN FACTUM, in hunc manumiſſum? Ad augendam dubitationem ſupponitur venditorem non eſſe ſolvendo, adeòque nonniſi per hanc actionem emptori decepto conſuli poſſe? Marcellus reſpondit; Emptorem hoc caſu habere actionem *De evictione* adversùs venditorem. Ad quæſtionem autem, num & habeat hanc actionem *In factum* in hunc manumiſſum? reſpondet; Hunc non eſſe ſimilem libero homini qui ſe dolo vendi paſſus eſt, cùm nondum ipſe fuerit liber; ſed *magis videri ſimilem* ſervo STATULIBERO qui, pridie quàm libertas ei competeret, ſe vendi paſſus eſſet. Undè tacitè colligendum relinquit, locum non eſſe huic actioni *In factum* adversùs hanc manumiſſum: quemadmodum huic locus non eſſet in ſpecie Statuliberi.

Hæc deciſio Marcelli contraria eſt deciſioni Pauli in l. 4. *ff. h. tit.* ſuprà N. 8. ubi Paulus æquiparat eum cui libertas debebatur, ei qui jam liber erat; & utrique denegandam libertatis petitionem cenſet, quum ſe participato pretio vænire paſſi ſunt. Ergo non minùs debent in hâc ſpecie æquiparari; imò magis, cùm faciliùs dari debeat hæc actio *In factum*, quàm libertas denegari.

(*d*) Emptor.

(*e*) Scilicet evictionis nomine.

(*f*) *Manumiſſionem* hîc accipe, non pro verâ ac efficaci manumiſſione quæ in liberum hominem [de quo hîc agitur] cadere non poteſt; ſed pro nudo facto manumittentis.

(*g*) *Quia* pro *quamvis*. Senſus eſt: quamvis poſtquàm emptor manumiſit liberum hominem quem deceptus emerat, tunc deſinat poſſe conveniri AUCTOR actione *Ex ſtipulatu*; [venditor ſcilicet, *poſt quem* etiam *ad eum* ipſum *qui Ad Libertatem Proclamavit perveniebatur*]: tamen hâc manumiſſione non extinguitur hæc actio *In factum* quâ tenetur homo qui Ad libertatem Proclamavit. Ratio diſparitatis in promptu eſt. Actio *Ex ſtipulatu* evictionis nomine, naſcitur ex evictione: eſt autem evictio, quum res empta emptori invito per judicem auferetur; quod cadere non poteſt in emptorem, qui hominem emptum manumittendo, ſponte illum à ſe dimiſit. Verùm hæc actio *In factum* quæ in liberum hominem qui ſe vendi paſſus eſt competit, non aliàs quàm ex dolo ejus competit: hæc autem cauſa durat, etiam poſtquàm manumiſſus eſt.

TITULUS XIV.

SI (LIBERTUS) INGENUUS ESSE DICETUR.

ALtera præjudicialis actionis ſpecies eſt, in quâ quæritur an quis INGENUUS *ſit an Libertinus.*

I.

Quum quis in poſſeſſione ſervitutis ad Ingenuitatem proclamat; Liberalis cauſa eſt, de quâ ſuprà Tit. 12.

Quòd ſi quis ex poſſeſſione Libertinitatis ad Ingenuitatem proclamet; datur etiam eâ de causâ cognitio extraordinaria.

Circa hanc autem cognitionem obſervandum quòd, Qui ſe ex Libertinitate Ingenuitati adſerant, non ultrà quinquennium quàm manumiſſi fuiſſent, audientur. *l.* 2. § 1. SATURNINUS LIB. 1. DE OFFIC. PROCONS.

Et quidem Oratio quæ prohibet apud Conſules aut Præſides provinciarum poſt quinquennium à die manumiſſionis in Ingenuitatem proclamare, nullam cauſam aut perſonam excipit. *l.* 4. PAPINIAN. LIB. 22. QUÆST.

Igitur Qui poſt quinquennium reperiſſe inſtrumenta Ingenuitatis ſuæ adieverant, de eâ re ipſos Principes adire oportere cognituros. *ſup. d. l.* 2. § 2.

Hæc Jure Pandectarum. Ex Conſtitutione autem Juſtiniani, hæc quinquennii præſcriptio abrogata eſt. l. fin. Cod. Ubi cauſ. ſtat.

II.

Ad exemplum hujus cognitionis, quæ datur quum quis

Source : BIU Cujas

ex poſſeſſione Libertinitatis ad Ingenuitatem proclamat; ſimilis cognitio datur, quum quis ex poſſeſſione Ingenuitatis ab aliquo in Libertum vindicatur.

Et quidem Si Libertus alterius, alio agente, Ingenuus pronuntiatus eſſe dicetur; ſine ullâ exceptione temporis, patronus ejus cognitionem ſolet exercere. *l.* 1. MARCELL. LIB. 7. DIGEST.

Similiter Papinianus. Patronum poſt quinquennium Sententiæ pro Ingenuitate dictæ, quo ignorante res judicata eſt, non eſſe præſcriptione temporis ſummovendum reſpondi. *l.* 5. PAPIN. LIB. 10. RESPONS.

Ex Conſtitutione Leonis, Cubicularius Principis nullam poſt quinquennium ſuper Ingenuitate ſuâ quæſtionem pati poteſt. l. 4. *Cod.* de præpoſ. ſacr. cubic.

III.

Hæc cognitio an quis ſit Ingenuus necne, ex illis eſt quæ PRÆJUDICIALES *dicuntur, quia ſæpè huic locus eſt, non principaliter, ſed relativè ad alias quæſtiones quæ ex illâ pendent, & ante quas illa judicanda eſt. Hoc enim caſu hæc cognitio dicitur* PRÆJUDICIUM.

Putà Quotiens de hoc contenditur an quis Libertus ſit; ſive operæ petantur, ſive obſequium deſideretur, ſive etiam famoſa actio intendatur, ſive in Jus vocetur qui ſe patronum dicit; ſive nulla cauſa interveniat (*a*); redditur præjudicium. Sed & quotiens quis Libertinum quidem ſe confitetur, Libertum autem Gaii-Seii ſe negat; idem præjudicium datur. Redditur autem alterutro deſiderante. *l.* 6. ULP. LIB. 38. AD EDICT.

Cùm autem in hoc præjudicio uterque affirmet, alter ſe patronum, alter ingenuum; meritò quæritur, quis in eo reus, quis actor ſit. De quo hanc regulam tradit Ulpianus: Sed actoris partibus ſemper (*b*) qui ſe patronum dicit fungitur, probareque Libertum ſuum neceſſe habet; aut ſi non probet, vincitur. *d. l.* 6. ¶ *ſed.*

Cæterùm regulam hanc ita intellige, prout ab eodem Ulpiano alibi proponitur: Generaliter in præjudiciis is actoris partes ſuſtinet, qui habet (*c*) intentionem ſecundùm id quod intendit. *l.* 12. *ff. de Except.* ULP. LIB. 38. AD ED.

(*a*) Id eſt; ſive id ipſum, an quis ſit ingenuus an alicujus libertus, quæratur principaliter; non relativè ad ullam cauſam ex ſuprà dictis, aut ſimilem.

(*b*) Scilicet his omnibus caſibus quibus non eſt in poſſeſſione juris patronatûs. Alioquin onus probandi ſpectaret illum qui ad Ingenuitatem proclamat: & ita concipienda eſſet à Prætore formula. Vide Notam ſeq.

(*c*) Id eſt [ut interpretatur Cujacius Obſerv. V 37.] is ſecundùm cujus intentionem data à Prætore & concepta eſt formula. Putà, ſi quis tanquàm patronus peteret ab aliquo Obſequiales operas; & redditum ſit hoc modo præjudicium, SI *paret Lucium patronum eſſe*: Is Lucius actoris partes ſuſtinebit, quia ſecundùm ejus intentionem concepta eſt hujuſce præjudicialis actionis formula. Contrà ſi, quum quis ab aliquâ actione excludendus diceretur, eo quòd eſſet libertus, is verò ſe contenderet ingenuum, ita redditum ſit præjudicium, SI *paret Caium ingenuum eſſe*: Caius actoris partes ſuſtinebit.

TITULUS XV.

NE DE STATU DEFUNCTORUM POST QUINQUENNIUM QUÆRATUR.

AD tractationem de præjudicialibus actionibus, Appendicis vice eſt hic Titulus; in quo quæritur an & intrà quod tempus DE STATU DEFUNCTORUM *quæri poſſit.*

I.

De Statu Defuncti agi non poteſt, niſi occaſione alterius cognitionis.

Hinc Diocletianus & Maximianus: Principaliter De Statu Defuncti agi non poteſt. Si verò ex peculio quondam ejus quem tu bona reliquiſſe commemoras, res vindicentur; vel ejus filiis moveatur Statûs quæſtio: hæc omnia ſolemniter Præſidali notione decidi debent. *l.* 13. *Cod. de Lib. causâ.*

Sec nec ſemper, occaſione alterius cognitionis, De Statu Defuncti quæri poteſt. Et quidem duæ Conſtitutiones eâ de re in hoc Titulo referuntur, Nervæ ſcilicet & Marci: de quibus, ſeparatis agendum Articulis.

ARTICULUS I.

De Conſtitutione Divi Nervæ, NE de Statu Defunctorum Poſt Quinquennium Quæratur.

II.

Primus omnium Divus Nerva Edicto vetuit, Poſt Quinquennium mortis cujuſque De Statu Quæri. *l.* 4. CALLISTR. LIB. 1. DE JURE FISCI.

Sed (*a*) & Divus Claudius Claudiano reſcripſit; Si per quæſtionem nummariam præjudicium (*b*) ſtatui videbitur fieri, ceſſare quæſtionem. *d. l.* 4. § 1.

§ I.

Ad quas quæſtiones hæc præſcriptio pertineat.

III.

Si quidem in deteriorem conditionem quis Statum retractaret; ſecundùm ea quæ dixi, præſcribendum eſt.

Quid ergo ſi meliorem? veluti pro ſervo libertus dicatur: quare non admittatur? Quid enim ſi ſervus quis dicatur, quaſi ex ancillâ natus quæ ante Quinquennium mortua eſt? quare non liceat probare liberam fuiſſe? hoc enim & pro mortuâ eſt. Et Marcellus libro quinto de officio Conſulis ſcripſit, Poſſe. Ego quoque in Auditorio publico idem ſecutus ſum. *l.* 1. § 4. MARCIAN. LIB. SINGUL. DE DELATORIBUS.

Similiter Hermogenianus. Ante Quinquennium Defuncto, Status honeſtior, quàm mortis tempore fuiſſe exiſtimabatur, vindicari non prohibetur. Idcircò, etſi quis in ſervitute moriatur, Poſt Quinquennium liber deceſſiſſe probari poteſt. *l.* 3. HERMOGENIAN. LIB. 6. JURIS EPITOMAR.

(*a*) Senſus eſt: Primus quidem Nerva rem generali Edicto definivit: non tamen hoc Edicto novum Jus introduxit. Idem enim ante illum D. Claudius reſcripſerat; nimirùm ut, etſi *per quæſtionem nummariam præjudicium ſtatui fieri* videatur; id eſt, etſi non principaliter, ſed propter quæſtionem nummariam moveatur quæſtio de ſtatu Defuncti [quæ *præjudicanda* ſit, ut ad quæſtionis nummariæ deciſionem perveniatur]; ceſſet de ſtatu quæſtio [& per conſequentias, altera]; videlicet ſi poſt quinquennium moveatur. Item refert Suetonius in TITO n. 8. vetuiſſe illum *Quæri de cujuſquam defunctorum ſtatu, ultra certos annos.* Quod ſimiliter intelligendum eſt, non ut eâ de re Edictum propoſuerit; ſed, fortè quùm conſuleretur, ita reſcripſerit.

(*b*) *Præjudicium* eſt judicium quod præcedit. Igitur *per quæſtionem nummariam fieri præjudicium ſtatui*; ſignificat, *per quæſtionem nummariam fieri* ut præcedat judicium de Statu.

IV.

Source : BIU Cujas

I V.

Quum autem in deterius retractatur Status Defuncti, huic præscriptioni locus est; quantùmvis indirectè per aliam quæstionem retractetur.

V. G. Sed nec ejus Status retractandus est, qui intrà Quinquennium decessit; si per hujus quæstionem, præjudicium futurum est ante Quinquennium mortuo. *d. l.* 1. § 1.

Imò nec de vivi Statu quærendum est, si quæstio hujus præjudicium facit ei qui ante Quinquennium decessit. Et ita Divus Hadrianus constituit. *d. l.* § 2.

Hinc Papinianus. Non esse libertatis quæstionem filiis inferendam, propter matris vel patris memoriam post Quinquennium à morte non retractatam, convenit. *l.* 2. PAPIN. LIB. 14. RESPONS.

Hinc Severus & Antoninus. Aditus competens judex causam præscriptionis examinabit. Et, si Domitiæ patronum (*a*) qui ut civis Romanus usque in diem mortis vixit, annos quinque antequàm lis bonorum mulieris inchoaretur, vitâ decessisse constiterit; libertæ Status ex personâ manumissoris non retractabitur. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Hinc Alexander. Si is quem servum tuum fuisse, & à fratre tuo manumissum atque heredem scriptum esse proponis, ut civis Romanus vixit; nec intrà Quinquennium post mortem ejus, Statûs quæstionem movere cœpisti: intelligis neque heredibus ab eo scriptis, neque his quos liberos esse voluit, controversiam te contra formam Senatusconsulti facere posse. Quòd si priusquàm id temporis spatium excederet, agere cœpisti: & peculium ejus more judiciorum persequi, & cum manumissis, ordinatâ lite, secundùm formam Edicti experiri non prohiberis. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

V.

Observandum autem; ad eas duntaxat quæstiones hoc D. Nervæ Edictum pertinere, in quibus de Statu libertatis aut ingenuitatis Defuncti directè vel indirectè ageretur.

Verùm Quod est constitutum, post Quinquenium de Statu Defunctorum quæstionem incipere non posse; ad speciem emancipationis, jure necne perfecta sit, minimè pertinet. *l.* 5. *Cod. h. tit.* GORDIANUS.

§ I I.

De quarum personarum Statu Quæri prohibetur.

V I.

De earum personarum libertate ingenuitate-ve Quæri hoc Edicto prohibetur, quæ in hujus Statûs possessione fuerunt quum morerentur.

Hinc Valerianus & Gallienus. Si mater tua quasi ingenua communi opinione vixit, & Quinquennium à die mortis ejus excessit; potes Rempublicam & pupillos, si tibi Statûs quæstionem movere tentaverint, notâ præscriptione, repellere. An autem pro ingenuâ in die (*Aliàs* in diem) mortis egerit, in judicio requiretur. Quòd si varietas interveniat, posteriora tempora spectari convenit. *l.* 6. *Cod. h. tit.*

Et quidem oportet ut hæc possessio non fuerit controversa. Undè Severus & Antoninus. Si is qui te heredem fecit, propter matris conditionem servus dicitur, & mater, ante quinque annos litis motæ vitâ decessit; præscriptioni locus erit: cùm Quæri de Statu non possit, nisi de conditione matris tractetur. Hoc ita, si quandiù vixit, sine interpellatione ut civis Romana egit. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Non videtur autem quis interpellationem in suo Statu passus esse, nisi apud competentem judicem ei mota sit controversia. Undè Diocletianus & Maximianus. Si pater tuus velut ingenuus vixit, nec Statûs controversiam quasi fisci servus esset, apud Præsidem provinciæ qui super hujusmodi quæstionibus judicare solet, sed apud Procuratorem Reipublicæ (*Aliàs* rei privatæ) non competentem, judicium passus est, postque ejus mortem Quinquennium effluxerit: Status tuus ex præscriptione quæ ex Senatusconsulto emanat, protectus est. *l.* 7. *Cod. h. tit.*

Sed etsi apud competentem judicem controversia facta sit; Præscriptio quinque annorum quæ Statum Defunctorum tuetur, specie litis ante mortem illatæ non fit irrita; si veterem causam, desistente qui movit, longo silentio finitam probetur. *l.* 2. § 2. PAPIN. LIB. 14. RESPONS.

Illud patet; eum qui in possessione libertatis non fuit, ad hoc Edictum non pertinere.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Repetitio peculii rerum servi tui, si nullo justo titulo intercedente corpora possideantur ab aliquo, nullâ temporis præscriptione mutilabitur. Nec enim Senatusconsultum, quod super non retractandis Defunctorum Statibus sancitum est, intervenit; si defunctus in fugam conversus atque latitans decessit. *l.* 8. *Cod. h. tit.*

§ I I I.

Quibus personis hæc præscriptio objiciatur.

V I I.

De Statu Defunctorum post Quinquennium Quærere non licet; neque privatim, neque fisci nomine. *l.* 1. MARCIAN. LIB. SINGUL. DE DELATORIBUS.

Nec in eâ re quæ publicam tutelam meruit, pupillis agentibus restitutionis auxilium tribuendum est; quòd quinque annorum tempus, quum tutores non haberent, excesserit. *l.* 2. § 1. PAPIN. LIB. 14. RESPONS.

ARTICULUS II.

De Edicto Divi Marci, de non retractandâ Sententiâ pro ingenuitate latâ.

V I I I.

Sed interdum & intrà Quinquennium non licet de Statu Defuncti dicere. Nam Oratione Divi Marci cavetur, ut si quis ingenuus pronuntiatus fuerit, liceat (*b*) ingenuitatis Sententiam retractare; sed vivo eo qui ingenuus pronuntiatus est, non etiam post mortem. In tantùm ut, etiam si cœpta quæstio fuit retractationis, morte ejus extinguatur; ut eâdem Oratione cavetur. *l.* 1. § 3. MARCIAN. LIB. SINGUL. DE DELATORIBUS.

(*a*) In specie hujus legis vindicabam bona Domitiæ, ut peculium quod ad me pertineret; eam enim dicebam esse meam ancillam: nec ab eo à quo manumissa est, jure manumissam; eum enim meum quoque servum fuisse.

(*b*) Scilicet alteri quàm contra quem res judicata est, qui se hujus hominis patronum contendat.



Source : BIU Cujas

TITULUS XVI.

DE COLLUSIONE DETEGENDA.

EST etiam hic Titulus, vice Appendicis ad Titulum XIV. suprà.

I.

Quum non justo contradictore quis ingenuus pronuntiatus est; perindè inefficax est decretum, atque si nulla judicata res interveniſſet. Idque Principalibus Constitutionibus cavetur. *l.* 3. CALLISTRAT. LIB. 4. DE COGNITIONIBUS.

Nec magis ratum est; si adfuit quidem contradictor, sed qui Colluderet.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Cùm servum matris tuæ & stupro violasse dominam suam, & turpis conjunctionis maculam excogitandæ ingenuitatis Collusione, ac falso captivitatis velamento, apud competentem judicem obtegere voluisse proponas; nec libertatem ei matrem tuam dedisse, sed in solam ingenuitatem eum nudæ voluntatis mendacio perducere nisam adseveres: servum esse palàm est, quando etiam Divi Pii Rescriptum (*a*) super captivitate emissum, quam non interceſſisse significas, ingenuum feciſſe non videatur; nec asseveratio consensûs tui, ingenuitatis jus tribuere potuerit. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Iidem rescribunt. Libertinæ conditionis constitutis, privatis pactis immutare statum suum non licere; Numiano (*b*) Senatusconsulto contra Collusorem pœnâ statutâ, præmioque Detegenti promisso, manifestè declaratur. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

II.

De hoc Senatusconsulto ita Gaius. Ne quorumdam dominorum erga servos nimia indulgentia inquinaret amplissimum Ordinem, eo quòd paterentur servos suos in ingenuitatem proclamare liberosque judicari; Senatusconsultum factum est Domitiani temporibus, quo cautum est, ut SI QUIS PROBASSET PER COLLUSIONEM QUIDQUAM FACTUM, si iste homo servus sit, fieret ejus servus qui Detexisset Collusionem. *l.* 1. GAIUS LIB. 2. AD ED. PRÆTORIS URBANI TIT. DE LIBERALI CAUSA.

Et quidem Qui ingenuus pronuntiatus est, si se militiæ dedit, intra quinquennium retractatâ Sententiâ novo domino reddendus est. *l.* 29. § 1. *ff. de Lib. causâ.* ARRIUS-MENANDER. LIB. 1. DE RE MILITARI.

Quòd Si libertinus per Collusionem fuerit pronuntiatus ingenuus; Collusione Detectâ, in quibusdam causis, quasi libertinus incipit esse. Medio tamen tempore, antequàm Collusio Detegatur, & post Sententiam de ingenuitate latam, utique quasi ingenuus accipitur. *l.* 4. ULP. LIB. 1. AD LEG. JUL. ET PAP.

III.

Jam videndum quis admittatur ad impugnandam prætextu Collusionis, Sententiam pro ingenuitate dictam. Nimirùm Oratione Divi Marci cavetur; ut etiam extraneis, qui pro altero postulandi jus haberent, liceret Detegere Collusionem. *l.* 2. § 4. ULP. LIB. 2. DE OFFIC. CONSULIS.

Quòd Si plures ad Collusionem Detegendam pariter accedant; causâ cognitâ, quis debeat admitti, comparatis omnium moribus, & ætatibus, & cujus magis intereſt, statui oportet. *l.* 5. § 1. HERMOGEN. LIB. 5. JURIS EPITOM.

IV.

Intrà quod tempus autem Sententia pro ingenuitate dicta, poterit prætextu Collusionis impugnari? Nimirùm Collusionem Detegere ingenuitatis, post Sententiam intra quinquennium posse, Divus Marcus constituit. *l.* 2. ULP. LIB. 2. DE OFFICIO CONSULIS.

Quinquennium autem, continuum utique accipiemus. *d. l.* 2. § 1.

Sicubi planè ætas ejus cujus retractatur Collusio, differendam retractationem in tempus pubertatis, vel alterius rei (*c*) suadet; quinquennium non currere dicendum est. *d. l.* 2. § 2.

Quinquennium autem non ad perficiendam retractationem, sed ad inchoandam puto præfinitum. Aliter atque circa eum, qui ex libertinitate se in ingenuitatem petit. *d. l.* 2. § 3.

Non potest autem retractari Sententia pro ingenuitate dicta, nisi vivo eo pro quo dicta est: ut vid. Tit. præced.

V.

Observandum superest quòd Sententiam pro ingenuitate dictam, & Collusionis prætextu, semel retractare permittitur. *l.* 5. HERMOG. LIB. 5. JURIS EPITOM.

(*a*) Servus ille ad Ingenuitatem proclamans, mentitus erat se captum fuisse ab hostibus, quum esset Ingenuus, & à dominâ redemptum ipsi serviviſſe donec se lueret: ex Rescripto autem Divi Pii, redemptum ab hostibus salvo ingenuitatis jure servire.

(*b*) Cujacius legit *Ninniano*: ut in Basilicis & in veteribus libris legi testatur. Fortè legendum *Noniano*: in Fastis enim Consul invenitur Nonius Asprenas sub Domitiano, sub quo hoc Senatusconsultum factum esse modò ex Gaio videbimus.

(*c*) Supple; *vel alterius rei* consideratio quælibet, in aliud tempus.

Source : BIU Cujas

LIBER
QUADRAGESIMUS-PRIMUS.

TITULUS I.

Bibliothèque de l'Ecole de Droit

DE ADQUIRENDO RERUM DOMINIO.

Absolutâ tractatione de præjudicialibus actionibus ; ad Interdicta quæ instar actionum sunt, transeundum esse duxerunt Pandectarum ordinatores. Cùm autem de possessione ut plurimùm in Interdictis agatur, de possessione primùm agere instituerunt : & rursùs, quia Possessionis & Dominii frequens collatio & distinctio est, & per possessionem Dominium Acquiritur, Interdictumque de possessione ordinat & præparat litem de Dominio ; censuerunt præmittendum esse Titulum DE ADQUIRENDO RERUM DOMINIO.

In hoc Titulo agitur 1°. *De modis Adquirendi Dominii :* 2°. *De personis per quas Dominium Adquiritur :* 3°. *De modis hujus amittendi.*

PRIMA PARS.

De Dominio, & variis ejus Adquirendi modis.

I.

I. Dominium vulgò definitur, JUS *utendi & abutendi re suâ, quatenùs Juris ratio patitur.*

Jure Pandectarum dividebatur in legitimum, quod & QUIRITARIUM *vocabatur ; & naturale, quod &* BONITARIUM *Theophilus appellat.*

Dominium LEGITIMUM *illud est quod legitimo modo quæsitum est, seu modis Jure Civili introductis ;* NATURALE, *quod naturali tantùm modo acquisitum fuit. Et utriusque Dominii discrimen maximè elucebat circa servos : de quâ re vide lib. præced. Tit.* de Manumissionib. *Verùm hanc Dominiorum distinctionem sustulit Justinianus. l. un. Cod.* de Nudo jure Quir. toll.

Observandum ; aliud esse dominium BONITARIUM *habere, aliud rem* IN BONIS *habere. Dominium bonitarium habemus, rerum quarum nobis dominium aliquod naturalibus duntaxat non legitimis modis quæsitum est.* In bonis *autem rem habere dicimur, etiam res quarum nullum dominium habemus ; putà res alienas quasi ex justo titulo possidemus.*

Hinc Modestinus. Rem in bonis nostris habere intelligimur ; quotiens possidentes, exceptionem (*a*), aut amittentes ad recuperandam eam actionem (*b*) habemus. *l.* 52. MODESTIN. LIB. 7. REGULAR.

II. Aliam Dominii (prout hìc specialiter consideratur) definitionem tradit Heineccius Instit. § 335. *aitque illud esse «* JUS *in re corporali (c) ; ex quo facultas de eâ dispo-» nendi, eamque vindicandi nascitur ; nisi vel Lex vel con-» ventio, vel testatoris voluntas obsistat. »*

Ad hanc definitionem referuntur aliæ illæ Dominii divisiones, à Doctoribus traditæ ; in PLENUM, & MINÙS PLENUM ; *in* DIRECTUM, & UTILE.

PLENUM *dicitur in quo facultas de re disponendi eamque amissam vindicandi, conjungitur cum facultate percipiendi omnem ex re utilitatem. Si hæc separata sint, aut eorum quid ab altero ; Dominium* MINUS PLENUM *dicitur. Sic V. G. dominus rei, qui hujus restituendæ onere gravatus est ;* Minùs plenum *habet Dominium, quia caret liberâ disponendi facultate. Idem dicendum de Dominio mariti in dote, quod aliundè nec perpetuum est. Sic etiam qui nudam habet proprietatem ab usufructu separatam :* Minùs plenum *habet Dominium (quod &* NUDUM *vocant) ; dum interim alius fruitur. Sic denique in eo qui* Civile *duntaxat & ex merâ subtilitate Juris Dominium habet,* MINUS PLENUM *illud est ; quia, si vindicet adversùs eum qui Dominium habet quod* Bonitarium *dicitur, repelletur exceptione. Exemplum ex Jure antiquo ; in eo qui rem* Mancipi *per solam naturalem traditionem, absque Mancipationis solemnitate, in emptorem aut donatarium transtulit : subtilitate Juris adhuc dominus est, si quidem ipsi soli potest competere Directa* IN REM *actio ; vindicans autem adversùs emptorem donatariumve, repellitur exceptione* Rei venditæ (*aut* donatæ) & *traditæ.*

Hinc & illa altera Dominii divisio, in DIRECTUM, & UTILE : *quod utrumque* Minùs plenum *dici potest.* DIRECTUM *siquidem nudus est Dominii titulus, in perpetuum translatâ penès alium utilitate. Qui autem eo casu* UTILE *Dominium habet, licèt omnem ex re utilitatem percipiat, cum jure vindicandi & disponendi ; caret tamen titulo Dominii ; quod in eo non nisi impropriè & imperfectè nominari potest. Sic V. G. superficiarius & emphyteuta, habet quidem Jus* VINDICANDI ; *sed tantùm actione* IN REM Utili, *non* Directâ : *habet omnem ex re* UTILITATEM, *sed cum necessitate solvendi Canonis seu annuæ pensionis ei qui* Directum *in fundo Censuali seu Emphyteuticario Dominium habet ; & ad* DISPONENDUM *de re suâ, ejusdem Domini directi assensum tenetur expectare.*

II.

Quod spectat ad varios Adquirendi Dominii modos, res

(*a*) Putà ad retinendas impensas adversùs dominum vindicantem ; multò magis, si habeamus exceptionem *Rei venditæ & traditæ* adversùs dominum qui eam rem antequàm ejus dominus esset nobis vendidit, venditori-ve heres extitit.

(*b*) Qualis est actio *Publiciana*, de quâ suprà lib. 6. Tit. 28.

(*c*) In rebus tantùm corporalibus DOMINIUM propriè dicitur. Quod enim ad res incorporales attinet, jura singula suas habent proprias appellationes, quibus ea ad nos pertinere exprimimus : sic *Creditor* dicitur, cui quid debetur, non verò *Dominus crediti* ; item *Fructuarius*, non *Dominus usûsfructûs*, qui servitutem Utendi-fruendi habet ; & sic de cæteris.

Source : BIU Cujas

aut PER SE, *ſive ſigillatim Dominio noſtro acquiruntur, aut* PER UNIVERSITATEM.

Et quidem modi Adquirendi Dominii per univerſitatem, omnes Juris Civilis ſunt : ut Hereditas, Bonorum poſſeſſio, Adquiſitio per adrogationem aut ex Senatuſconſulto Claudiano ; de quibus omnibus ſuprà ſuis locis.

Quocircà obſervandum eſt quòd dum res hereditariæ V. G. heredi hereditatem adeunti acquiruntur (*idem dic de aliis per univerſitatem Adquirendi modis*) ; Quædam quæ non poſſunt ſola alienari, per univerſitatem tranſeunt ; ut fundus dotalis ad heredem, & res cujus aliquis commercium non habet. Nam etſi legari ei non poſſit ; tamen heres inſtitutus, dominus ejus efficitur. *l.* 62. PAUL. LIB. 2. MANUALIUM.

In hoc autem Titulo unicè agitur de modis quibus res PER SE *Dominio noſtro acquiruntur : qui modi, aut naturales ſunt, aut civiles. Enimverò* Quarumdam rerum Dominium nanſciſcimur Jure Gentium, quod ratione naturali inter omnes homines peræquè ſervatur ; quarumdam Jure Civili, id eſt jure proprio civitatis noſtræ. Et quia antiquiùs Jus Gentium cum ipſo genere humano proditum eſt, opus eſt ut de hoc priùs referendum ſit. *l.* 1. GAIUS LIB. 2. RERUM COTTIDIANAR. SIVE AUREORUM.

Tres porrò præcipui ſunt modi Adquirendi Dominii jure Gentium ; OCCUPATIO, ACCESSIO, TRADITIO ; *quorum duobus prioribus Dominium ſimpliciter acquiritur, Traditione verò transfertur ; cùm id naturali quodam jure receptum ſit*, Traditionibus non Conventionibus transferri Dominia.

His ſigillatim expoſitis ; Appendicis vice pauca ſubjungemus, de modis civilibus quibus res ſingulæ Dominio noſtro ſubjiciuntur.

SECTIO I.

De Occupatione.

Occupatio eſt apprehenſio rei corporalis, quæ aut nullius aut hoſtium ſit, cum animo eam ſibi habendi.

ARTICULUS I.

De rebus nullius.

III.

Adquirendi res quæ nullius ſunt, generalis modus eſt occupatio : QUOD enim nullius eſt, id ratione naturali, occupanti conceditur. *l.* 3. GAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREOR.

Hujus porrò triplex ferè eſt ſpecies ; ſcilicet Adquiſitio per venatum, aucupium-ve, aut piſcationem ; Occupatio propriè dicta, & Inventio.

§ I.

De Venatu, Aucupio, & Piſcatione.

IV.

Omnia igitur animalia quæ terrâ, mari, cœlo capiuntur, id eſt feræ beſtiæ, & volucres, piſces, capientium fiunt. *l.* 1. § 1. GAIUS IBID.

(Vel quæ ex his apud nos ſunt (*a*) edita. *l.* 2. FLORENT. LIB. 6. INSTIT.)

Nec intereſt quod ad feras beſtias & volucres, utrùm in ſuo fundo quiſque capiat, an in alieno. Planè qui in alienum fundum ingreditur, venandi, aucupandi-ve gratiâ, poteſt à domino, ſi is proviserit, jure prohiberi ne (*b*) ingrederetur. *ſup. d. l.* 3. § 1.

Nil refert etiam, ut quis jure occupationis animal acquiſiviſſe videatur, an illud manu ſuâ ceperit ; an quomodocumque, putà laqueo aut retibus, illud in poteſtatem ſuam perduxerit.

Hinc Proculus in ſpecie ſequenti. « In laqueum quem » venandi causâ poſueras, aper incidit. Cùm eò hære- » ret, exemptum eum abſtuli : num tibi videor tuum » aprum abſtuliſſe ? Et, ſi tuum putas fuiſſe ; ſi ſolutum » eum in ſylvam dimiſiſſem, eo caſu tuus eſſe deſiiſſet » an maneret ? Et quam actionem mecum haberes, ſi » deſiiſſet tuus eſſe ? Num In factum dari oportet, » quæro ? » Reſpondit : Laqueum videamus, ne interſit in publico an in privato poſuerim : &, ſi in privato poſui, utrùm in meo, an in alieno ; &, ſi in alieno, utrùm permiſſu ejus cujus fundus erat, an non permiſſu (*c*) ejus poſuerim : præterea utrùm in eo ita hæſerit aper, ut expedire ſe non poſſit ipſe, an diutiùs luctando expediturus ſe fuerit. Summam (*d*) tamen hanc puto eſſe ; ut, ſi in meam poteſtatem pervenit, meus factus ſit : ſin autem aprum meum factum (*Florent.* ferum) in ſuam naturalem laxitatem dimiſiſſes, eo facto meus eſſe deſiiſſet (*e*) & actionem mihi In factum dari oportere : veluti reſponſum eſt, quum quidam poculum alterius ex nave ejeciſſet. *l.* 55. PROCUL. LIB. 2. EPISTOL.

V.

Illud quæſitum eſt an fera beſtia quæ ita vulnerata ſit ut capi poſſit, ſtatim noſtro eſſe intelligatur ? Trebatio placuit, ſtatim noſtram eſſe ; & eò uſque noſtram videri, donec eam perſequamur. Quòd ſi deſierimus eam perſequi, deſinere noſtram eſſe ; & rursùs fierit occupantis. Itaque ſi per hoc tempus quo eam perſequimur, alius eam ceperit eo animo ut ipſe lucrifaceret, furtum videri nobis eum commiſiſſe. Plerique non aliter putaverunt eam noſtram eſſe, quàm ſi eam ceperimus ; quia multa accidere poſſunt, ut eam non capiamus. Quod verius eſt. *l.* 5. § 1. GAIUS LIB. 2. RERUM COTTID. SIVE AUREORUM.

§ II.

De Occupatione propriè dictâ.

VI.

Item Inſula quæ in mari naſcitur (quod rarò accidit) Occupantis fit : nullius enim eſſe creditur. *l.* 7. § 3. GAIUS LIB. 2. RERUM COTTID. SIVE AUREOR.

VII.

Acquiro etiam per Occupationem, eam partem maris quam ædificiis meis occupo.

Igitur Si pilas in mare jactaverim, & ſupra eas inædificaverim ; continuò ædificium meum fit. Item ſi inſulam in mari ædificaverim, continuò mea fit : quoniam id quod nullius ſit, occupantis fit. *l.* 30. § 4. POMPON. LIB. 24. AD SABIN.

Simili ratione Quòd in littore quis ædificaverit, ejus erit. Nam littora, publica non ita ſunt ut ea quæ in patrimonio ſunt Populi ; ſed ut ea quæ primùm à naturâ prodita ſunt, & in nullius adhuc Dominium pervenerunt. Nec diſſimilis conditio eorum eſt, atque piſcium & ferarum ; quæ ſimul atque adprehenſæ ſunt, ſine dubio ejus in cujus poteſtatem pervenerunt, Dominii fiunt. *l.* 14. NERATIUS LIB. 5. MEMBRAN.

(*a*) Hæc autem non jure occupationis, ſed acceſſionis de quo infrà Sect. ſeq.

(*b*) Si prohibitus ingrediatur, tenebitur quidem Interdicto *Quod vi* & actione *Injuriarum*. Sed an ſuum faciet animal quod in eo fundo ceperit ? vide Not. ſeq.

(*c*) Hinc colligit Cujacius Obſerv. IV 2. eum qui in alieno prohibitus feram capit, illam ſuam non facere. Quæ ſententia minimè probanda videtur. Imò Juriſconſultus in fine legis videtur hanc diſtinctionem rejicere, tanquam inutilem, & non pertinentem ad quæſtionem.

(*d*) Negleƈtis pleriſque diſtinctionibus ſuprà propoſitis, concludit Juriſconſultus in eo ſolo verti quæſtionem, an aper in meam poteſtatem pervenerit necne ? Si pervenerit, id eſt ſi eum ita illaqueatum ut ſe expedite non poſſit aſpexerim animo eum acquirendi, aut alius meo nomine & animo mihi acquirendi ita aſpexerit, meus fit ; utpotè in meam poteſtatem perducƈtus.

(*e*) Vide infrà Part. 3ª.

Source : BIU Cujas

Obiter nota : Qui autem in ripâ fluminis ædificat, non ſuum (*a*) facit. *l.* 15. IDEM LIB. 5. REGUL.

Obſervandum item quod ait Pomponius. Quamvis quod in littore publico vel in mari extruxerimus, noſtrum fiat; tamen Decretum Prætoris adhibendum eſt, ut id facere liceat. Imò etiam manu (*b*) prohibendus eſt, ſi cum incommodo cæterorum id faciet. Nam civilem eum actionem de faciendo nullam habere, non dubito. *l.* 50. POMPON. LIB. 6. EX PLAUTIO.

§ III.

De Inventione.

VIII.

Item lapilli, gemmæ, cæteraque quæ in littore invenimus, Jure naturali noſtra ſtatim fiunt. *l.* 3. *ff. de Diviſ. rer.* FLORENT. LIB. 6. INSTITUT.

Sed & cæteræ res alibi quolibet inventæ, ſi à dominis ſuis fuerint pro derelictis habitæ; cùm ſic nullius eſſe incipiant, jure occupationis acquiruntur. De his vide infrà Tit. Pro derelicto.

Scholium.

Quid ſi duo rem aſpexerunt, unus eam apprehendit? An uterque inveniſſe videbitur, & utriuſque erit communis; an ejus duntaxat qui apprehendit? Videtur placuiſſe Veteribus ut communis eſſet. Hinc ſolemnis formula, IN COMMUNE, *aut* PARS DATUR (j'en retiens part) : *cujus exempla habes apud Phædrum Fab. V.* 6.

Invenit calvus fortè in trivio pectinem.
Acceſſit alter æquè defectus pilis :
Eia, inquit, IN COMMUNE quodcumque eſt lucri.

Et apud Plautum in Rudente *Act. IV. Scen.* 3.

TRACH. Non probare pernegando mihi potes, niſi PARS DATUR ;
Aut ad arbitrum reditur, aut ſequeſtro ponitur.
GRIP. Quem-ne ego excepi è mari? TR. At ego inſpectavi è littore.

IX.

De Theſauro quæſitum eſt, an adquireretur jure occupationis inventori; an domino ſoli in quo eſſet conditus, quaſi quodam acceſſionis jure?

Et ante omnia ſciendum quòd Theſaurus eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria; ut jam dominum non habeat. Sic enim fit ejus qui invenerit, quod non alterius ſit. Alioquin ſi quis aliquid vel lucri causâ, vel metûs, vel cuſtodiæ, condiderit ſub terrâ; non eſt theſaurus : cujus etiam furtum fit. *l.* 31. § 1. PAUL. LIB. 31. AD ED.

Hinc in ſpecie ſequenti : A tutore pupilli domum mercatus; ad ejus refectionem fabrum induxit : is pecuniam invenit, quæritur ad quem pertineat? Reſpondi; Si non theſauri fuerunt, ſed pecunia fortè perdita, vel per errorem ab eo ad quem pertinebat non ablata; nihilominùs ejus eam eſſe cujus fuerat. *l.* 67. *ff. de Rei vindic.* SCÆVOLA LIB. 1. RESPONS.

Circa theſaurum autem propriè dictum, ita lis deciſa eſt; ut, quum in alieno loco inveniretur theſaurus, inventoris pro parte dimidiâ foret quaſi jure occupationis; domino autem loci pro alterâ dimidiâ, quaſi quodam acceſſionis jure, & vi ac poteſtate ſuæ rei. Et ita obtinebat Jure Pandectarum.

Quod confirmavit Juſtinianus in Inſtit. h. tit. § 39. (*c*).

Similiter dicendum, ſi in fundo pignerato inventus eſt, Quòd ſi creditor invenerit, in alieno videbitur inveniſſe. Partem itaque (*d*) ſibi, partem debitori (*e*) præſtabit. Nec receptâ pecuniâ reſtituet, quod jure inventoris, non creditoris, ex theſauro apud eum permanſit.

Quæ cùm ita ſint; & quum ex Principis auctoritate creditor ut proprium agrum tenere cœpit jure Dominii, intra conſtitutum tuendi tempus pignoris causâ (*f*) vertitur : poſt tranſactum autem tempus, theſaurum in eo inventum, ante ſolutam pecuniam totum tenebit. Oblato verò intrà conſtitutum tempus debito, quoniam univerſa præſtantur, atque in ſimplici petitore (*g*) revocantur, reſtitui debebit; ſed pro parte ſolâ, quia dimidium inventori ſemper placet relinqui. *l.* 63. § 4. TRIPHONIN. LIB. 7. DISPUT.

Ex Conſtitutione Leonis ita demùm is qui theſaurum in alieno invenit, hujus partem ſibi aquirit; ſi fortuitò eum invenit, putà arando. Quòd ſi datâ operâ in alieno foderit; totum theſaurum domino fundi reſtituere debet. Quod conſtitutum eſt ad coercendam fodientium avaritiam. l. un. Cod. de Theſauris.

X.

Hactenùs de theſauro invento in loco privati juris. Eum autem qui invenitur in loco publico aut civitatis; ex Conſtitutione Hadriani, pro parte inventori, pro parte fiſco cedere aut civitati, docet ſupràdicto loco Juſtinianus.

Item Si in locis fiſcalibus vel publicis, religioſis-ve (*h*) aut in monumentis, theſauri reperti fuerint; Divi Fratres conſtituerunt ut dimidia pars ex his fiſco vindicaretur. Item ſi in Cæſaris poſſeſſione repertus fuerit, dimidiam æquè partem fiſco vindicari. *l.* 3. § 10. *ff. de Jur. fiſc.* CALLISTRAT. LIR. 3. DE JUL. FISCI.

ARTICULUS II.

De rebus hoſtium.

XI.

Quemadmodum res quæ nullius ſunt ; Item quæ ex hoſtibus capiuntur, Jure Gentium ſtatim capientium fiunt. *l.* 5. § 7. GAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREOR.

Adeò quidem ut & liberi homines in ſervitutem deducantur. Qui tamen ſi evaſerint hoſtium poteſtatem, recipiunt priſtinam libertatem. *l.* 7. IBID.

Suffragatur Celſus. Et quæ res hoſtiles apud nos ſunt, non publicæ, ſed occupantium fiunt. *l.* 51. § 1. CELSUS LIB. 2. DIGESTOR.

Hoc tamen cum aliquâ diſtinctione accipe. Nam res quidem mobiles hoſtium quæ inter excurſiones capiuntur, fiunt ejus militis qui eas cepit. At verò res ſoli, putà agri, publicantur : ut conſtat ex l. 20. § 1. *ff.* de Capt. & poſtl. *Sed & res mobiles quæ in aperto conflictu capiuntur, ſimili modo publicantur : l. penult. ff.* Ad Leg. Jul. pecul.

XII.

Sicut autem hoſtem quem cepimus, jure belli deducimus in ſervitutem noſtram; ita eum qui ultrò ab hoſtibus deſcivit, Transfugam (*i*) jure belli recipimus. *d. l.* 51. *pr.*

(*a*) Ripæ enim non ſunt res nullius, cùm earum proprietas ſit eorum qui ad illas prædia poſſident : ut vid. Inſtit. Tit. *de Rer. vid.*

(*b*) Per jactum lapilli; & ſi prohibitus fecerit, tenebitur Interdicto. Vide infrà lib. 43. *Quod vi aut clàm.*

(*c*) Ante tempora Divi Nervæ, theſauros ſibi vindicabant Imperatores : ut conſtat de Nerone, ex Tacito *Annal.* XIV. Refert autem Zonaras Nervam domino prædii theſaurum conceſſiſſe. Idem de Hadriano Spartianus refert. Et hoc jus viguit ſub ſequentibus Imperatoribus. Poſt Severum varias jus theſauri mutationes accepit : & cùm Imperatores eos ſibi vindicare cœpiſſent, Conſtantinus dimidiam inventori reliquit ; l. I. Cod. Theod. *de Theſaur.*

(*d*) Jure inventionis ſeu Occupationis.

(*e*) Utpotè domino fundi.

(*f*) Poſtquàm creditor, qui nullum pignoris emptorem invenit, impetravit à Principe ut illud jure dominii habere ſibi liceret; poteſt adhuc debitor *intrà conſtitutum tempus* rem revocare offerendo debitum. Et intra hoc tempus eadem circa theſaurum *pignoris cauſa vertitur*, quæ obtineret antequàm hoc impetraſſet; ſcilicet ut debitori dimidia pars theſauri reſtitui, ſeu debito imputari debeat; alterâ parte penès creditorem jure inventoris manente.

(*g*) *Simplicem petitorem* appellat, debitorem qui ante impetratum creditori jus Dominii, pignus luit & repetit.

(*h*) Plurimi Doctores intelligunt loca publicè ad ſepulturas hominum deſtinata. In privatis autem ſepulturis, theſaurus inventus totus ſit inventoris. Ita hæc lex conciliatur cum Juſtiniano in Inſtit. Tit. *de Rer. diviſ.* § 39. Verùm, cùm his publicis ſepulturis *Monumenti* nomen, quod hic quaſi eodem *Religioſorum locorum* jure ſimul conjungitur, minimè conveniat; quin potiùs nos, cum Wiſſenbachio, veram antinomiam, & varia ex diverſorum Imperatorum Conſtitutionibus jura hìc agnoſcimus.

(*i*) *Tranfugam* ab hoſtibus, recipimus inter noſtros.

Source : BIU Cujas

SECTIO II.

De Acceſſione.

ACCESSIO *eſt modus Adquirendi Dominii Jure Gentium, vi ac poteſtate rei noſtræ. Ita autem Acquirimus, ſive quod ex re noſtrâ naſcitur, ſive quod ei unitur ac conſolidatur, ſive quod ex eâ conflatur ac conficitur.*

ARTICULUS I.

De primo Acceſſionis genere, quo nobis Acquiritur quod ex re noſtra naſcitur.

XIII.

Quemadmodum Jure Gentium Dominium quarumdam rerum Adquirimus, V. G. ferarum per occupationem; ita ſemel adepto Dominio, & vi ac poteſtate rei quæ noſtra facta eſt noſtra fiunt; Item quæ ex animalibus Dominio noſtro eodem jure ſubjectis nata ſunt. *l.* 6. FLORENTIN. LIB. 6. INSTITUT.

Idem dic de partubus ancillarum noſtrarum: idem de fructibus quarumlibet rerum.

Quocircà obſervandum 1°. *Quòd tam homines quàm animalia, non patris Dominium ſequantur; ſed matris, cujus viſcerum quaſi quædam portio eſſe videbantur antequàm naſcerentur.*

Hinc Pomponius Scribit: Si equam meam equus tuus prægnantem fecerit; non eſſe tuum, ſed meum quod natum eſt. *l.* 5 § 2. *de Rei vindic.* ULPIAN. LIB. 16. AD ED.

Obſervandum 2°. *Id quod ex aliquâ re naſcitur, domino rei principalis Acquiri; ei ſcilicet qui ipſo nativitatis momento dominus eſt.*

Hinc Venuleius. Quum prægnans mulier legata aut uſucapta, alio-ve quo modo alienata pariat: ejus fient partus, cujus eſt ea cui (*a*) emeretur; non cujus tunc fuiſſet, quum conciperet. *l.* 66. VENULEIUS LIB. 6. INT.

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Incivile atque inuſitatum eſt quod poſtulas; ut mancipium quod tradidiſti, & eo modo Dominium ejus tranſtuliſti (*b*), invito eo ex noſtro Reſcripto tibi adſignetur. Undè intelligis, ancillæ ſemel emptoris factæ filios etiam poſtea natos, ejus Dominium ſequi cujus mater eorum eo tempore fuerit. Sanè de pretio, ſi non hoc ante probatum fuerit te recepiſſe, conveni adverſarium tuum. *l.* 12. *Cod. de Rei vindic.*

ARTICULUS II.

De ſecundo Acceſſionis genere; quo rei noſtræ aliquid ita unitur, ut pars quædam ejus acceſſoria fieri videatur.

XIV.

Proculus indicat hoc Jure nos uti, quod Servio & Labeoni placuiſſet: In quibus propria qualitas ſpectaretur (*c*), ſi quid additum erit, toto cedit; ut ſtatuæ pes aut manus, ſcypho fundus aut anſa, lecto fulcrum, navi tabula, ædificio cæmentum. Tota enim ejus ſunt cujus antè fuerant. *l.* 26. § 1. PAUL. LIB. 14. AD SABIN.

Sed ſi neutra alteri acceſſioni eſt; videamus ne aut utriuſque eſſe dicenda ſit, ſicuti maſſa confuſa (*d*); aut ejus cujus nomine ferruminata (*e*) eſt? Sed Proculus & Pegaſus exiſtimant, ſuam cujuſque rem manere. *l.* 27. § 2. ¶ *ſed ſi.* POMPON. LIB. 30. AD SABIN.

Igitur circa hoc acceſſionis genus, valdè intereſt diſtinguere; utra ex duabus rebus quæ in unam coaleſcunt, principalis videri debeat, utra acceſſoria. Undè 1°. *Statuemus regulas ex quibus id intelligi poſſit.* 2°. *Videbimus quale Dominium in re acceſſoriâ domino rei principalis quæratur per hanc acceſſionem.* 3°. *Specialiter agemus de alluvione, alveo exſiccato, inſulâ in flumine natâ; quæ ad hoc acceſſionis genus pertinent.*

§ I.

Statuuntur Regulæ ex quibus intelligatur, utra res principalis, utra acceſſoria videri debeat.

1ª. Regula.

QUUM *duæ res ita coaleſcunt ut una poſſit ſeorſim ſine aliâ ſubſiſtere, & altera non poſſit, hæc quæ poteſt ſeorſim ſubſiſtere, res principalis eſt; altera, acceſſoria.*

Hanc regulam varia exempla comprobant.

Exemplum Iᵘᵐ. in Inædificatis.

XV.

Hinc eſt quòd ædificium cedit ſolo cui ſuperimponitur, & hujus ſoli domino Adquiritur: ut patebit ex textibus mox infra ſubjiciendis.

Quòd ſi totum ædificium ſolo accrevit; ergo & variæ res ex quibus ædificium conſtat, quamvis illæ poſſint ſeparatim conſiſtere, ſolo accedunt dominoque pariter Adquiruntur.

Multò magis ædificium ſequi Jus ſoli debet; quum quis licèt ex ſuâ materiâ, tamen ejus nomine ad quem ſolum pertinet ædificaverit. Hinc abſque dubio eſt, quòd Redemptores qui ſuis cæmentis ædificant, ſtatim cæmenta faciunt eorum in quorum ſolo ædificant. *l.* 39. *ff. de Rei vindic.* ULPIAN. LIB. 17. AD ED.

Hinc etiam, Si meo & vicini nomine parietem ædificem, vel repetiturus ab eo pro parte impenſam, vel donationis gratiâ; communis fiet paries. *l.* 22. *ff. Comm. divid.* POMPON. LIB. 33. AD SABIN.

XVI.

Quod dicimus, ædificium ſolo accedere; de eo accipe quod ſolo coaleſcit. Mobilis autem cauſa non accedit ſolo in quo ponitur, nec domino hujus ſoli Adquiritur.

Hinc Scævola. Titius horreum frumentarium novum, ex tabulis ligneis factum mobile, in Seii prædio poſuit. Quæritur uter horrei dominus ſit? Reſpondit; Secundùm ea quæ proponerentur, non eſſe factum Seii. *l.* 60. SCÆVOLA LIB. 1. RESPONS.

XVII.

Ut ædificium ſolo, ita quod ſuperædificatur ædificio accedit. Hinc Pomponius. Si ſupra tuum parietem vicinus ædificaverit; proprium ejus id quod ædificaverit fieri, Labeo & Sabinus aiunt. Sed Proculus tuum proprium; quemadmodum tuum fieret, quo in ſolo tuo alius ædificaſſet. Quod verius eſt. *l.* 28. POMPON. LIB. 33. AD SABIN.

XVIII.

Et quemadmodum obtinet in domo, ut ſequatur Dominium ſoli; ita etiam navis, carinæ Dominium ſequitur.

(*a*) Aliàs rectiùs, *quæ.* Senſus eſt; partus ejus ſit, cujus nunc eſt quum parit mater *quæ emeretur.* Et id fit jure quodam acceſſionis. Etenim licèt homo, propter dignitatem, non habeatur in quæſtuario rei proventu; nec inter fructus reputetur, qui ad fructuarium pertinent: aliud tamen in materiâ adquirendi Dominii. Partus ancillæ, ex re meâ productus, ei accedit.

(*b*) Vide infrà Sect. 3ª.

(*c*) Ita Vulgata, melius quàm Florent. *expectaretur.* Id eſt, in his rebus in quibus unica & individua qualitas ſpectatur; quæ ſunt unica & individua ſpecies: ut ſunt ſtatua, ſcyphus, navis, &c. In ſtatuâ enim V. G. unica qualitas *Statuæ* ſpectatur, unica res eſſe videtur; non tot res quot ſunt partes ex quibus efficitur.

(*d*) Vid. infrà Art. 3. §°. 2°.

(*e*) *Ferruminatio* eſt, quum duæ materiæ uniuntur & conſolidantur. Differt à *Plumbaturâ*, in quâ, ope junctura plumbeæ, junguntur maſſæ [*avec de la Soudure*]: in *Ferruminatione* autem materia per ſe alteri materiæ jungitur. Kalvin.

Source : BIU Cujas

Hoc ex Juliano discimus. Minicius interrogatus, si quis navem suam alienâ materiâ refeciſſet, num nihilominus ejuſdem navis maneret? Reſpondit, Manere: ſed ſi in ædificandâ eâ idem feciſſet, non (*a*) poſſe. Julianus notat: Nam proprietas totius navis, carinæ cauſam ſequitur. *l.* 61. *ff. de Rei vindic.* JULIAN. LIB. 6. EX MINICIO.

II^um^. Exemplum, in Plantis, arboribus, & ſatis.

XIX.

Si alienam plantam in meo ſolo poſuero, mea erit. Ex diverſo ſi meam plantam in alieno ſolo poſuero, illius erit. Si modò utroque caſu radices egerit: antequàm enim radices ageret, illius permanet cujus & fuit.

His conveniens eſt [quod]; ſi vicini arborem ita terrâ preſſerim ut in meum fundum radices egerit, meam effici arborem. Rationem enim non permittere, ut alterius arbor intelligatur quàm cujus fundo radices egiſſet. Et ideò prope confinium (*b*) arbor poſita, ſi etiam in vicinum fundum radices egerit (*c*), communis eſt; *l.* 7. § *fin.* GAIUS LIB. 2. RER. COTID. SIVE AUREOR. Pro regione (*d*) cujuſque prædii. *l.* 8. MARCIAN. LIB. 3. INSTITUT.

Obiter nota. Sed & ſi in confinio lapis naſcatur, & ſunt pro diviſo communia prædia; tunc (*e*) erit lapis pro indiviſo communis, ſi terrâ exemptus ſit. *d. l.* 8. § 1.

Circa arborem autem quæ radices egit, nota; ita demùm arborem vicini quæ in meum fundum radices immittit; meam fieri, ſi radices totas immittat. Alioquin Si arbor in vicini fundum radices (*f*) porrexit, recidere eas vicino non licebit. Agere autem licebit NON eſſe ei jus (*Malè in Florent.* ejus), ſicuti tignum aut protectum, immiſſum habere. *l.* 6. § 2. *ff. Arb. furt. caſ.* POMPON. LIB. 20. AD SABIN.

*Ratio eſt; quia, et*Si radicibus vicini arbor aletur (*g*), tamen ejus eſt in cujus fundo origo ejus fuerit. *d.* § 2.

XX.

Quâ ratione autem plantæ quæ terræ coaleſcunt, ſolo cedunt; eâdem ratione frumenta quoque quæ ſata ſunt, ſolo cedere intelliguntur.

Cæterùm ſicut is qui in alieno ſolo ædificavit, ſi ab eo dominus ſoli petat ædificium; defendi poteſt per exceptionem Doli mali: ita ejuſdem exceptionis auxilio tutus eſſe poterit, qui in alienum fundum ſuâ impensâ conſevit. *l.* 9. GAIUS LIB. 2. RERUM COTTID. SIVE AUREOR.

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Si quis ſciens alienum agrum ſevit, vel plantas impoſuit; poſtquàm hæ radicibus terram fuerint amplexæ, ſolo cedere rationis eſt. Domini enim magis ſegetem vel plantas, quàm, per hujuſmodi factum, ſolum ſuum facit. Sanè eum qui bonâ fide poſſidens, hoc fecerit, per Doli mali exceptionem, contra vidicantem Dominium, ſervare ſumptus, Juris auctoritate ſignificatum eſt. *l.* 11. *Cod. rei vindic.*

III^um^. Exemplum, in Scripturâ. Quid de Picturâ?

XXI.

Litteræ quoque licèt aureæ ſint, perindè chartis membraniſque cedunt, ac ſolo cedere ſolent ea quæ ædificantur aut ſeruntur. Ideòque ſi in chartis membranis-ve tuis carmen vel hiſtoriam vel orationem ſcripſero; hujus corporis, non ego, ſed tu dominus eſſe intelligeris.

Sed ſi à me petas tuos libros tuas-ve membranas, nec impenſas ſcripturæ ſolvere velis, potero me defendere per exceptionem Doli mali, utique ſi bonâ fide eorum poſſeſſionem nanctus ſim. *l.* 9. § 1. CAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREOR.

Similiter Paulus. Sed & id quod in chartâ meâ ſcribitur, aut in tabulâ pingitur, ſtatim meum fit; licèt de picturâ quidam contrà ſenſerint; propter pretium picturæ. Sed neceſſe eſt, ei rei cedi quod ſine illâ eſſe non poteſt. *l.* 23. § 3. *ff de Rei vindic.* PAUL. LIB. 21. AD EDICT.

Meliùs tamen Gaius regulæ exceptionem in picturâ admittit. Ità ille: Sed non uti litteræ chartis membraniſve cedunt, ita ſolent picturæ tabulis cedere: ſed ex diverſo placuit tabulas picturæ cedere.

Utique tamen conveniens eſt, domino tabularum adversùs eum qui pinxerit, ſi is tabulas poſſidebat, Utilem actionem dari; quâ ita efficaciter experiri poterit, ſi picturæ impenſam exſolvat: alioquin nocebit ei Doli mali exceptio; utique ſi bonâ fide poſſeſſor fuerit, cui ſolverit. Adversùs dominum verò tabularum, ei qui pinxerit, Directam vindicationem competere dicimus; ut tamen pretium tabularum inferat: alioquin nocebit ei Doli mali exceptio. *ſup. d. l.* 9. § 2.

Sententiam Gaii Juſtinianus confirmavit: Inſtit. h. tit. § 34.

XXII.

2^a^. Regula.

QUUM *duæ res quæ ſingulæ ſeorſim conſiſtere poſſent, coaleſcunt; ex pretio aut ex mole cujuſque æſtimatur, an altera alteri accedere debeat necne.*

Hinc Pomponius. Quum partes duorum dominorum ferrumine (*h*) cohæreant, hæ quum quæreretur utri cedant, Caſſius ait; Pro portione rei æſtimandum, vel pro pretio (*i*) cujuſque partis. *l.* 27. § 2. POMPON. LIB. 30. AD SABIN.

XXIII.

3^a^. Regula.

QUUM *materia infecta alteri materiæ infectæ unitur, vix eſt ut videri poſſit altera alteri accedere: contrà, ſi infecta, factæ uniatur.*

Hæc regula eruitur ex eo quod docet Pomponius. Quidquid infecto (*k*) argento alieni argenti addideris, non eſſe tuum totum argentum fatendum eſt. At contrà, ſi tuum ſcyphum alieno plumbo plumbaveris, alieno-ve argento ferruminaveris; non dubitatur ſcyphum tuum eſſe, & à te rectè vindicari. *d. l.* 27. *pr.*

(*a*) Id eſt, ſi quis ſibi navem ex alienâ materiâ totam ædificâſſet; eum *non poſſe* navem vindicare, ſed ejus eſſe navem cujus fuit materia. Hoc autem dicit Minicius ex ſententiâ Sabinianorum, quorum Scholæ addictus fuit; qui indiſtinctè cenſebant formam cedere materiæ: infrà N. 35. Quam ſententiam notandum eſt non obtinuiſſe in hâc ſpecie; in quâ navis ad rudem materiam ex quâ confecta eſt, reverti non poteſt. Quamvis autem Minicius eo caſu quo navis tota ædificata eſt ex alienâ materiâ, Dominium navis [ex Scholæ ſuæ ſententiâ] domino materiæ tribuat; contrà tamen eſſe fatetur, quum quis refecit duntaxat ex alienâ materiâ navem. Hoc enim caſu, Dominium navis nullatenùs fit domini materiæ ex quâ refecta eſt; ſed ejus manet navis, cujus fuit Carina [*la Quille du Vaiſſeau*]. Jure etenim acceſſionis [ut addit Julianus] Carinæ tanquam rei principali accedunt cætera quæ navis ſunt. Cujac. ad h. l.

(*b*) Idem eſt, ſi in ipſo *Confinio*. Vide Cujacium in Notis ad Inſtit. Tit. *de Rerum diviſ.*

(*c*) Utrimque ſcilicet; ex unâ parte in meum, ex alterâ in vicinum fundum.

(*d*) Non pro indiviſo; ſed unuſquiſque eam partem arboris habet, quæ ſuo prædio cohæret. Evulſa autem arbor fiet pro indiviſo communis.

(*e*) Id eſt *Tunc* demùm. Et certè, ſi vicina prædia ſint diverſorum dominorum; lapis in confinio natus, quandiù ſolo cohæret, non eſt pro indiviſo communis, ſed pro regione cujuſque finium quibus coaleſcit: ut modò dictum eſt. Sed & ſi ſint vicina prædia eorumdem dominorum *pro indiviſo communia*; hunc lapidem quandiù ſolo cohæret, non eſſe rem inter ipſos communem patet. Non enim eſt quid ſeparatum à ſolo cui cohæret; nec tam lapidem communem quam prædia communia habent. *Tunc* demùm igitur utroque caſu *lapis erit pro indiviſo communis, ſi terrâ exemptus ſit.* Vid. ſuprà lib. 10. Tit. *Fam. erciſc.* N. 24. cum Notis.

(*f*) Intellige, non totas radices, ſed radicum ſummitates duntaxat.

(*g*) Ex meâ terrâ. Scilicet quum ſummitates duntaxat radicum aluntur.

(*h*) Vide ſuprà N. 14. Not. (*e*).

(*i*) *Pretium* ita intellige, non ſi pars in ſe & quoad materiam pretioſior alterâ; ſed ſi pars illa pretioſior, pretium molis alterius partis ſuperet.

(*k*) Ita legendum, & malè in Florent. *in facto*. Etenim in hâc lege argentum *factum*, [putà ſcyphum de quo mox infrà loquitur Juriſconſultus] *Argento* de quo priùs locutus eſt [quod proindè *infectum* eſſe debuit] opponi manifeſtum eſt.

Source : BIU Cujas

§ II.

Quale Dominium in re acceſſoriâ Adquiratur domino rei principalis.

XXIV.

Quum res ſic rei noſtræ accedit, ut propriam ſubſtantiam amittere & in aliam tranſire videatur; hujus Dominium irrevocabile nanciſcimur.

Exemplum in arbore quæ ſolo acceſſit. Enimverò Arbor radicitùs eruta & in alio poſita, priuſquàm coaluerit, prioris domini eſt: ubi coaluit, agro cedit: &, ſi rursùs eruta ſit, non ad priorem dominum revertitur: nam credibile eſt alio terræ alimento aliam factam. *l.* 26. §. 2. PAUL. LIB. 14. AD SABIN.

Ita ſtricto Jure. Ex æquitate autem; Utilis In rem *actio, & dum arbor ſolo cohæret, & multò magis poſtquàm eruta eſt, priori domino accommodatur. l.* 5. §. 3. *ff.* de Rei vindic. *ſuprà, lib.* 6. d. tit. *N.* 6.

XXV.

Quòd ſi res ita rei meæ acceſſerit ut ſubſtantiam ſuam ſervet, revocabile duntaxat Dominium parit acceſſio; cùm hâc causâ ſcilicet ut ſtatim atque res ſeparata fuerit, hujus Dominium ipſo Jure ad veterem dominum redeat. Quinetiam ille interim ſub aliquo reſpectu hujus dominus remanere videtur quatenùs nimirùm poteſt hæc res ſeorſim ab eâ cui acceſſit, concipi.

Hoc docet Gaius. Quum in ſuo loco aliquis alienâ materiâ ædificaverit, ipſe dominus intelligitur ædificii: quia OMNE QUOD INÆDIFICATUR, SOLO CEDIT. Nec tamen ideò is qui materiæ dominus fuit, deſiit ejus dominus (*a*) eſſe; ſed tantiſper neque Vindicare eam poteſt, neque Ad exhibendum de eâ agere; propter Legem duodecim Tabularum, quâ cavetur ne quis tignum alienum ædibus ſuis junctum eximere cogatur, ſed duplum (*b*) pro eo præſtet.

Appellatione autem TIGNI, omnes materiæ ſignificantur, ex quibus ædificia fiunt. Ergo ſi ex aliquâ causâ dirutum ſit ædificium, poterit materiæ dominus nunc eam vindicare (*c*) & Ad exhibendum agere. *l.* 7. § 10. GAIUS LIB. 2. RERUM COTTID. SIVE AUREOR.

Conſonat quod reſcribit Antoninus. Si inferiorem partem ædificii, quæ ſolum contingit, ad te pertinere probare potes: eam quam vicinus tuus impoſuit, acceſſiſſe Dominio tuo non ambigitur. Sed & id quod in ſolo tuo ædificatum eſt, quoad in eâdem causâ manet, Jure ad te pertinet. Si verò fuerit diſſolutum, ejus materia ad priſtinum dominum redit; ſive bonâ fide ſive malâ ædificium extructum ſit: ſi non donandi animo ædificia alieno ſolo impoſita ſint. *l.* 2. *Cod. de Rei vindic.*

XXVI.

Quando autem donandi animo ædificaſſe intelligatur, ita ut materiæ ſuæ Dominium prorsùs amittere debeat; ſic generaliter ſtatuendum cenſet Cujacius, ſi quis ſciens ædificaverit in alieno ſolo quod non poſſidet.

Et de eo caſu accipe quod ait Gaius, amiſſam materiæ proprietatem. Ita ille: Ex diverſo ſi quis in alieno ſolo ſuâ materiâ ædificaverit; illius ſit ædificium, cujus & ſolum eſt. Et ſi ſcit alienum ſolum eſſe, ſuâ voluntate amiſiſſe proprietatem materiæ intelligitur (*d*). Itaque ne diruto quidem ædificio, Vindicatio ejus materiæ competit.

Certè ſi dominus ſoli petat ædificium, nec ſolvat pretium materiæ & mercedes fabrorum; poterit per exceptionem Doli mali (*e*) repelli; utique ſi neſcit qui ædificavit, alienum eſſe ſolum, & tanquàm in ſuo bonâ fide ædificavit. Nam ſi ſcit; culpa ei objici poteſt quòd temerè ædificavit, in eo ſolo quod intelligeret alienum. *l.* 7. §. 12. GAIUS LIB. 2. RER COTTID.

§ III.

De Alluvione, Alveo exſiccato, & Inſulâ in flumine natâ: & in quibus locis obtineat hic Acquirendi Dominii modus.

XXVII.

I. De Alluvione.

Præterea quod per alluvionem agro noſtro flumen adjicit, Jure Gentium nobis Adquiritur (*f*).

per alluvionem autem id videtur adjici; quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non poſſimus quantùm quoquo momento temporis adjiciatur. *d. l.* 7. § 1.

Cave alluvionem cum avulſione confundas. Nam V. G. Quòd ſi vis fluminis partem aliquam ex tuo prædio detraxerit, & meo prædio attulerit; palàm eſt eam tuam permanere.

Planè ſi longiore tempore fundo meo hæſerit; arboreſque quas ſecum traxerit, in fundum meum radices egerint; ex eo tempore videtur meo fundo Adquiſita (*g*) eſſe. *d. l.* 7. § 2.

II. De Alveo fluminis exſiccato.

XXVIII.

Quòd ſi toto naturali alveo relicto flumen aliàs fluere cœperit: prior quidem alveus eorum eſt qui propè ripam prædia poſſident (*h*); pro modo ſcilicet latitudinis cujuſque prædii, quæ latitudo propè ripam ſit: novus autem alveus ejus Juris eſſe incipit cujus & ipſum flumen; id eſt publicus Juris Gentium.

Quòd ſi poſt aliquod temporis ad priorem alveum reverſum fuerit & flumen; rursùs novus alveus eorum eſſe incipit qui prope ripam ejus prædia poſſident. Cujus tamen totum agrum novus alveus occupaverit, licèt ad priorem alveum reverſum fuerit flumen; non tamen is cujus is ager fuerat, ſtrictâ ratione quicquam in eo alveo habere poteſt. Quia & ille ager qui fuerat, deſiit eſſe, amiſsâ propriâ formâ. Et quia vicinum prædium nullum habet, non poteſt ratione vicinitatis ullam partem in eo alveo habere. Sed vix eſt (*i*) ut id obtineat. *d. l.* 7. § 5.

Elegans exemplum affert Alfenus in ſpecie ſequenti: Attius fundum habebat ſecundùm viam publicam. Ultra viam, flumen (*k*) erat; & ager Lucii-Titii (*l*). Fluit

(*a*) Scilicet ſi ſeorſim ſpectetur.

(*b*) Sive bonâ ſive malâ fide junxerit. Vide *Commentar.* ad Legem XII. Tabularum, Tab. VI. cap. 7.

(*c*) Niſi duplum jam fuerit conſecutus ab eo qui bonâ fide junxit: adversùs eum autem qui malâ fide, etiamſi jam duplum ille ſolverit.

(*d*) Scilicet quum illud non poſſideret. Ita Cujacius Obſerv. X 1. hanc legem conciliat, cum principiis Juris quæ poſſeſſori etiam malæ fidei ſervant ſuas impenſas: ut vid. ſuprà in aliis acceſſionis ſpeciebus.

(*e*) Dolo enim facit & adversùs æquitatem peccat, qui vult cum alterius detrimento locupletari.

(*f*) Ad hoc jus Alluvionis circa Padum frequentiſſimæ, alludit Lucanus:

Illos terra fugit dominos, hic rura colonis.
Accedunt donante Pado.

(*g*) Pars illa.

(*h*) Hujus juris in alveo exſiccato hanc rationem affert Connanus; quòd poſſeſſores qui primi in vacuos agros flumini proximos venerunt, videntur animo & affectu occupâſſe eos quantumcumque porrigerentur; adeòque & ripas, & *Alveum* ipſum niſi flumine occuparetur. Vid. infrà N. 34. cum Notis.

(*i*) Juſtinianus tamen in Inſtit. h. tit. docet ita obtinere. Et quidem ita obtinet ex ratione Juris. Cæterùm in praxi ratò hæc ſententia obtinebit: nec enim facilè forma loci mutata intelligetur, ſed duntaxat inundatio ſalvâ rei formâ dicetur contigiſſe. Quocircà ſatis placet quod definit Connanus; non aliàs veterem alvei poſſeſſorem excludi debere quàm ſi hæc duo concurrant: 1°. Ut flumen ſenſim ſine ſenſu hunc ſibi alveum occupaverit: 2°. Ut ſenſim etiam ſine ſenſu receſſerit. Nam ſi uno impetu flumen in meo ſolo alveum ſibi fecerit; ſoli Dominium retineo, uſum duntaxat qui ſit publicus amitto: undè ſi receſſerit, quamvis ſenſim ſine ſenſu, non debet vicinis accreſcere. Quod ſi flumen occupaverit quidem ſenſim ſine ſenſu ſolum meum, ſed uno impetu receſſerit; ita recedendo reſtituit mihi quod mihi abſtulerat: adeòque nec hoc caſu vicinis accreſcere debet.

(*k*) Non tamen ſecundùm viam: medius enim erat inter viam & flumen, ager cujuſdam anonymi.

(*l*) Poſt flumen. Hæc ex figurâ ſubjectâ patebunt.

Ager Attii _____
VIA PUBLICA . . . . . .
Ager Anonymi _____
FLUMEN ∽∽∽∽
Ager Titii _____

flumen

Source : BIU Cujas

flumen : paulatim primum omnium agrum (*a*) qui inter viam & flumen eſſet, ambedit : & viam ſuſtulit (*b*) : poſteà rursùs minutatim receſſit, & alluvione in antiquum locum rediit. Reſpondit ; Cùm flumen agrum & viam publicam ſuſtuliſſet, eum agrum ejus factum eſſe (*c*) qui trans flumen fundum habuiſſet : poſteà cùm paulatim retrò rediiſſet, ademiſſe ei cujus factus eſſet, & addidiſſe ei (*d*) cujus trans viam eſſet ; quoniam ejus fundus proximus flumini eſſet. Id autem quod publicum fuiſſet, nemini acceſſiſſe. Nec (*e*) tamen impedimento viam eſſe ait, quominùs ager qui trans viam alluvioni relictus eſt, Attii fieret : nam (*f*) ipſa quoque via fundi eſſet. *l.* 38. ALFENUS-VARUS LIB. 4. DIGEST. A PAULO EPITOM.

X X I X.

Aliud ſanè eſt, ſi cujus ager totus inundatus fuerit. Namque inundatio ſpeciem fuudi non mutat : & ob id, quum receſſerit aqua, palàm eſt ejuſdem eſſe, cujus & fuit. *ſup. d. l.* 7. § 6.

Inundationem Dominium agri inundati non mutare, docet etiam Pomponius. Alluvio (*g*) agrum reſtituit eum, quem impetus fluminis totum abſtulit. Itaque ſi ager qui inter viam publicam & flumen fuit, inundatione fluminis occupatus eſſet (ſive paulatim occupatus eſt, ſive non paulatim) ; ſed eodem impetu, receſſu fluminis reſtitutus ; ad priſtinum dominum pertinet. Flumina enim Cenſitorum (*h*) vice funguntur ; ut ex privato in publicum addicant, & ex publico in privatum. Itaque ſicuti hic fundus, cùm olveus fluminis factus eſſet, fuiſſet publicus ; ita nunc privatus, ejus eſſe debet cujus anteà fuit. *l.* 30. § 3. POMP. LIB. 34. AD. SABIN.

X X X.

Hæc obiter de inundatione. Redeamus ad alveum fluminis exſiccatum ; ſuper quo hæc ſupereſt quæſtio tractanda.

« Item quæro : Si quum proprior ripæ meæ enata » eſt inſula (*i*), & poſtea totum flumen fluere inter » me & inſulam cœpit, relicto ſuo alveo quo major » amnis fluerat ; numquid dubites, quin etiam inſula » mea maneat ; & nihilominùs ejus ſoli quod flumen » reliquit, pars fiat mea ? Rogo quid ſentias, ſcribas » mihi. » Proculus reſpondit : Si quum proprior fundo tuo initio fuiſſet inſula, flumen relicto alveo majore qui inter eam inſulam fuerat, & eum fundum vicini qui trans flumen erat, fluere cœpit inter eam inſulam & fundum tuum ; nihilominùs inſula tua manet. Sed alveus qui fuit inter eam inſulam & fundum vicini, meliùs dividi debet ; ita ut pars propior inſulæ tuæ, tua ; pars autem propior agro vicini, ejus eſſe intelligatur. Intelligo [ut] & cùm ex alterâ parte inſulæ alveus fluminis exaruerit, deſiiſſe inſulam eſſe : ſed quo faciliùs res intelligeretur ; agrum qui inſula fuerat, INSULAM appellant. *l.* 56. § 1. PROCULUS LIB. 8. EPISTOLAR.

III. De Inſulâ in flumine natâ.

X X X I.

Tribus modis inſula in flumine fit. Uno, quum agrum qui alvei non fuit, amnis circumfluit : altero, quum locum qui alvei eſſet, ſiccum relinquit, & circumfluere cœpit : tertio, quum paulatim colluendo, locum eminentem ſupra alveum fecit, & eum alluendo auxit.

Duobus poſterioribus modis, privata inſula fit ; ejus, cujus ager propior fuerit quum primùm extitit (*k*). Nam & natura fluminis hæc eſt, ut curſu ſuo mutato alvei cauſam mutet. Nec quicquam interſit, utrùm de alvei duntaxat ſolo mutato, an de eo quod ſuperfuſum ſolo & terræ ſit, quæratur. Utrumque enim ejuſdem generis eſt.

Primo autem illo modo (*l*), cauſa proprietatis non mutatur. *l.* 30. § 2. POMPON. LIB. 34. AD SABIN.

Et ſimiliter Gaius de primâ illâ inſulæ ſpecie : Quòd ſi uno latere perruperit flumen, & aliâ parte novo rivo fluere cœperit, deinde infrà novus iſte rivus in veterem ſe converterit : ager qui à duobus rivis comprehenſus, in formam inſulæ redactus eſt, ejus eſt ſcilicet cujus & fuit. *l.* 7. § 4. GAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREOR.

Eſt & quarta ſpecies inſulæ in flumine natæ, quæ ſcilicet ipſi innatat. Hinc cùm Labeo dixiſſet : Si qua inſula in flumine publico proxima tuo fundo nata eſt ; ea tua eſt : Paulus : Videamus, ne hoc falſum ſit de eâ inſulâ quæ non ipſi alveo fluminis cohæret, ſed virgultis aut aliâ quâlibet levi materiâ ita ſuſtinetur in flumine, ut ſolum ejus non tangat, atque ipſa movetur (*m*). Hæc enim propemodùm publica, atque ipſius fluminis eſt inſula. *l.* 65. § 2. LABEO LIB. 6. PITHANON. A PAULO EPITOMATOR.

De hâc igitur inſulæ ſpecie intellige quod ait idem Labeo libro eodem : Si (*n*) id quod in publico innatum aut ædificatum eſt, publicum eſt ; inſula quoque quæ in flumine publico nata eſt, publica eſſe debet. *d. l.* 65. § 4.

X X X I I.

Ex dictis patet ; primam inſulæ ſpeciem, quæ ſcilicet nihil aliud eſt quàm ager privati alicujus in formam inſulæ redactus à flumine circumfuſo, Dominium rei non mutare ; poſtremam autem, quæ flumini innatat, publicam eſſe ſicut & ipſum flumen.

Reſtat ſecunda & tertia inſulæ ſpecies ; nimirùm quæ ave nihil aliud eſt quàm pars alvei fluminis exſiccati, aut ſa' im quæ alveo cohæret. De his ita Gaius : Inſula In flumine nata (quod frequenter (*o*) accidit) ſi quidem mediam partem fluminis tenet, communis eſt eorum qui ab utrâque parte fluminis prope ripam prædia poſſident ; pro modo latitudinis cujuſque prædii, quæ latitudo prope ripam ſit, Quòd ſi alteri parti proximior ſit ; eorum eſt tantùm, qui ab eâ parte prope ripam prædia

(*a*) *Agrum* anonymi.

(*b*) Id eſt ; & deindè relicto alveo, quem ſibi in agro ānonymi excavaverat, *viam* publicam *ſuſtulit* ; & per illam fluere cœpit.

(*c*) Scilicet Titii. Statim enim atque flumen ſuum alveum reliquit, & agrum anonymi occupavit ; vetus alveus exſiccatus, agro Titii utpotè proximioris vicini adjectus eſt. Deindè, quum relicto alveo quem ſibi in agro anonymi excavaverat, viam publicam occupare cœpit ; hic novus alveus in eo loco ubi anteà fuerat ager anonymi, quum exſiccatus eſt, non reſtituitur anonymo cujus excavatus ager mutatâ formâ interiit ; ſed tanquam alveus fluminis exſiccatus, agro Titii qui jam ex veteri alveo auctus erat, tanquam proximiori vicino accedit.

(*d*) Scilicet Attio. Enimverò quum flumen viam publicam relinquit, & redit ad locum ubi erat olim ager anonymi & qui poſteà factus eſt Titii ; locus viæ publicæ tanquam alveus exſiccatus, accedit Agro Attii, utpotè proximioris vicini : deindè quum etiam hunc locum in quo fuit olim ager anonymi, flumen deſerit ut ad priſtinum locum revertatur ; hic quoque alveus accedit agro Attii, qui jam loco in quo fuerat via publica auctus eſt.

(*e*) Hic obſcurè proponitur objectio, quæ talis eſt. Alveus ultimo loco à flumine derelictus in quo olim fuit ager anonymi, non debuit [inquies] accedere agro Attii qui erat trans viam : nec enim proximior vicinus eſt, cùm intercedat via ; quæ, cùm ſit juris publici, nemini potuit accedere & Acquiri.

(*f*) Jam ad hanc objectionem reſpondet. Imò interjectio loci in quo erat olim via, non debet impedire quominùs is locus ubi erat anonymi ager, accedat Attio. *Nam* via mutatione formæ interiit ; & *ipſa via*, id eſt locus in quo antè fuit via, pars fundi Attii facta eſt quum flumen eum locum dereliquit.

(*g*) *Alluvio* hic impropriè ſumitur, pro receſſu fluminis quo inundatus ager fuerat.

(*h*) Id eſt, agri menſorum. Quo contrà Caſſiodorus *Varior.* lib. 7. « *Agri* » *menſor, more vaſtiſſimi fluminis, aliis ſpatia tollit, aliis nova concedit* ».

(*i*) Adeòque facta eſt mea : ut modò infrà videbimus.

(*k*) His enim duobus poſterioribus modis, inſula nihil aliud eſt quàm pars alvei exſiccati ; quem prædiis confinibus accedere debere vidimus.

(*l*) Mox ſupràdicto ; *quum agrum qui alvei non fuit, amnis circumfluit.*

(*m*) Vide Plinium *Hiſt. nat.* II 85. ubi tales inſulas fluctuantes in agri Cæcubi territorio [in Campaniâ] variiſque aliis in locis videri teſtatur. Talem etiam Hyginus *Fabular.* 53. tradit in mari fuiſſe Ortygiam inſulam, Apollinis patriam, quæ poſteà DELOS appellata eſt.

(*n*) Superflua igitur Hotomanni emendatio ; qui legit *Non ſi id &c.*

(*o*) Nimirùm quia flumina ferè limoſa ſunt, & multis plerùmque locis vadoſa ; ſæpè accidit ut limus quem ſecum trahunt aliaque limo illita, vado hereſcant : cuibus paulatim auctis, locus ille alvei tandem ſuprà flumen eminere incipiat. Contrà in mari ; partim propter nimiam maris altitudinem, partim propter perpetuam æſtuum reciprocationem.

Source : BIU Cujas

possident. *l.* 7. § 3. GAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREOR.

Hinc autem Prædia dicimus aliquorum esse, non utique communiter habentium ea, sed vel alio aliud habente (*a*). *l.* 96. § 1. *ff. de Verb. signif.* CELSUS LIB. 25. DIGEST.

XXXIII.

Circa proprietatem insularum hujusmodi, & proximitatem prædiorum, observandum 1°. *quod notat* Paulus : Si insula in flumine nata tua fuerit, deinde inter eam insulam & contrariam ripam alia insula nata fuerit; mensura eo nomine erit instruenda à tuâ insulâ, non ab agro tuo propter quem ea insula tua facta fuerit. Nam quid interest qualis ager sit; cujus propter propinquitatem, posterior insula cujus sit, quæratur? *l.* 65. § 3. LABEO LIB. 6. PITHANON A PAULO EPITOMAT.

Observandum 2°. *quòd* Inter eos qui secundùm unam ripam prædia habent, insula in flumine nata, non pro indiviso communis fit, sed regionibus quoque divisis. Quantùm enim ante cujusque eorum ripam est; tantùm veluti lineâ indirectum per insulam transductâ, quisque eorum in eâ habebit certis regionibus. *l.* 29. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

Ergo si insula nata adcreverit fundo meo; & inferiorem partem fundi vendidero, ad cujus frontem insula non respicit; nihil ex eâ insulâ pertinebit ad emptorem : eâdem ex causâ, quâ nec ab initio quidem ejus fieret, si jam tunc, quum insula nasceretur, ejusdem partis dominus fuisset. *l.* 30. POMPON. LIB. 34. AD SABIN.

Quamvis autem ex insulâ unusquisque non plus habeat, quàm quod contra ipsius agrum est; tamen si insulæ quam (cum contra agrum meum esset) acquisivi, aliquid postea ex intervallo per alluvionem accedat; id meum fit, quamvis contra agrum meum non sit : non enim jure hujus veteris agri, sed jure hujus insulæ quæ jam mea facta est, illud Acquiro.

Hoc docet Proculus in specie sequenti. Insula est enata in flumine contra frontem agri mei, ita ut nihil excederet longitudo regionem prædii mei : postea aucta est paulatim; & processit contra frontes, & superioris vicini & inferioris. Quæro, quod adcrevit, utrùm meum sit quoniam meo adjunctum est; an ejus juris sit, cujus esset si initio ea nata ejus longitudinis fuisset ? Proculus respondit : Flumen illud, in quo insulam contra frontem agri tui eam natam esse scripsisti, ita ut non excederet longitudinem agri tui; si alluvionis jus habet, & insula initio propior fundo tuo fuit quàm ejus qui trans flumen habebat; tota tua facta est. Et quod postea ei insulæ alluvione accessit; id tuum est; etiamsi ita accessit, ut procederet insula contra frontes vicinorum superioris atque inferioris; vel etiam ut propior esset fundo ejus qui trans flumen habet. *l.* 56. PROCULUS LIB. 8. EPIST.

XXXIV.

Observandum 3°. *quòd quamvis Dominium insulæ vicinorum agrorum dominis Acquiratur; tamen hujus riparum usus publicus est.*

Hinc cùm dixisset Labeo : Si qua insula in flumine propria tua est, nihil in eâ publici est : Paulus; Imò in eo genere insularum, ripæ flumini (*b*) & littora mari proxima, publica sunt; non secùs atque incontinenti agro idem Juris est. *l.* 65. § 1. LABEO LIB. 6. PITHANON A PAULO EPITOMAT.

Observandum supereſt circa ea omnia quæcumque de Dominio, per alluvionem, & alveum exsiccatum, & insulam recèns natam, Adquirendo exposuimus : 1°. *Hoc Jus obtinere duntaxat in agris illimitatis qui* Occupatorii *seu* Arcifinii *dicuntur, eo quòd nullâ propriè mensurâ contineantur; non aliis finibus coerciti quàm naturalibus, veluti ipso flumine publico* (*c*).

Aliud in Divisis *seu* Assignatis *agris; qui nempè olim ex agro publico ad certam mensuram possidenti dabantur : & per extremitatem mensuræ ita comprehendebantur, ut nunquàm posset illa extremitas ultrà excurrere.*

Hinc In agris limitatis, jus alluvionis locum non habere constat (*d*) : idque & Divus Pius constituit. Et Trebatius ait; Agrum qui hostibus devictis eâ conditione concessus sit, ut in civitatem veniret (*e*), habere alluvionem, neque esse limitatum : agrum autem manu captum limitatum fuisse, ut sciretur quid cuique datum esset, quid vænisset quid in publico (*f*) relictum esset. *l.* 16. FLORENTIN. LIB. 6. INSTITUT.

Simili ratione, si limitatus sit ager, alveus à flumine derelictus, aut insula in flumine nata, non pertinebunt ad vicinum limitati agri dominum (g), sed occupantis fient : l. 1. §§ 6. & 7. *ff.* de Fluminib.

2°. *Patet item quòd alluvio & cætera hujusmodi ad flumina duntaxat pertinent. Nam* Lacus & stagna, licèt interdum crescant, interdum exarescant, suos tamen terminos retinent : ideòque in his jus alluvionis non adgnoscitur. *l.* 12. CALLISTRAT. LIB. 2. INSTITUT.

ARTICULUS III.

De tertio Accessionis genere, quum quid ex re meâ conficitur.

Huc pertinent Specificatio & Confusio.

§ I.

De Specificatione.

XXXV.

Ex Sabini sententiâ, quum quis ex meâ materiâ novam speciem confecit, licèt suo nomine, & bonâ fide; hæc nova species vi ac potestate meæ materiæ ex quâ confecta est, mea fit. Et hic modus Adquirendi Dominii, dicitur SPECIFICATIO.

Contrà Proculus putabat novam speciem magis debere esse ejus qui eam suo nomine bonâ fide confeciſſet; scilicet vi

(*a*) Scilicet ut cujusque pro regione prædii insula fiat.

(*b*) Van-de-Watter legit, *Ripæ fluminis* [*ut littora mari proxima*] *publica sunt.* Quæ lectio rectior. Quod autem dicitur in his insulis ripas flumini proximas, *publicas* esse; intellige quoad usum duntaxat. Nam proprietas eorum est, quorum est ipsa insula. Et sic comparatio cum maris littoribus, inadæquata est.

(*c*) ARCIFINIUS *ager dictus est, quia certis linearum mensuris non continetur; sed arcentur fines ejus objectu fluminum, montium, arborum : unde & in iis agris nihil successivorum intervenit* : [il n'y a pas lieu à l'excédant de la mesure; étant distribués, non à la mesure, mais indéfiniment, par ex. jusqu'au fleuve]. *Isidor. Orig.* XV 13. Vide Notam seq.

(*d*) Ratio est, quia sunt circumscripti limitibus adsignatis. Hi porrò limites in modum agri non cedunt; sed populo iter V. G. præbent : de quibus & horum latitudine, vide Hyginum *de Limitib.* De ipso autem jure agrorum limitatorum, vide Gronovium in Notis ad Grot. *de Jure bel. & pac.* lib. II. cap. 3. n. 16.

(*e*) Id est [ut interpretatur Cujacius Observ. II. 9.] *qui civitati totus assignatus est per universitatem : ut* [*auctore Julio-Frontino*] *in Lusitaniâ Salmaticensibus, & in Hispaniâ citeriore Palatinis.*

(*f*) Cujacius Observ. II 9. suspicatur legi oportere *quid veteri possessori relictum*: & id conjicit ex fide veteris Manuscripti in quo ita scriptum erat *quid Ve. P. relictum esset.* Enimverò in agris hostium manucaptis; ipsi veteres possessores in ditionem populi Romani redacti, interdum per gratiam obtinebant ut aliquam hujus agri partem & possessionis suæ sibi retinerent. Pars igitur agri manucapti veteranis assignabatur, & inter eos distribuebatur; pars vænibat; pars veteribus possessoribus relinquebatur. Certus autem modus agri cuique assignabatur : undè agri *Limitati* dicti.

(*g*) Hoc inter agros *Assignatos* & *Occupatorios* discrimen, ita rectè notat Aggenus-Urbicus : *De alluvione observatio est. Si hæc in* OCCUPATORIIS *agitur agris; quidquid vis aquæ abstulerit, repetitionem nemo habet* [sed cedit ei cujus terræ adjectum est] : *qua res necessitatem ripæ muniendæ injungit. Si verò in Divisâ &* ASSIGNATA *regione tractabitur; nihil amittet possessor : quoniam formis per centurias* [c. d. à chaque Lot de terre distribué par centaines de pieds ou toises &c.] *certus cuique modus* [*mensurâ per extremitates comprehensâ*] *adscriptus est.*

Primò igitur, quod ad alluvionem pertinet, patet huic locum non esse in agris qui certâ mensurâ limitati sunt. Quidquid enim excedit hanc mensuram seu limitem quo terminatur ager, non potest mihi acquiri; cùm jus usque ad hunc duntaxat limitem mihi constitutum sit : adeòque ei servari debet, cui ex modo agri ipsi concesso aliquid deesset à flumine detractum.

Eâdem ratione, qui agros limitatos ad ripam fluminis possident; ripas, insulas in flumine natas, alveum fluminis quandocumque exsiccatum, vindicare sibi non possunt. Quemadmodum enim, quum Præfecti Coloniarum, civibus in coloniam missis certâ mensurâ agros distribuerunt & unicuique suum modum; SUBCESSIVA, id est, extrà mensuram relicta & non distributa, remanent populi Romani : ita in hoc casu, Populi quoque Romani esse debent ripæ, insulæ, & alveus exsiccatus.

Source : BIU Cujas

ac poteſtate formæ quum ipſe ei dederat, & quæ materiam ad ſe trahere deberet.

Mediam inter hos duos ſententiam quorumdam aliorum Juriſconſultorum Juſtinianus amplexus eſt: ut vid. in Inſtit.

Has omnes ita refert Gaius. Quum quis ex alienâ materiâ ſpeciem aliquam ſuo nomine fecerit: Nerva & Proculus putant, hunc dominum eſſe qui fecerit; quia quod factum eſt, antea nullius fuerat (*a*). Sabinus & Caſſius magis naturalem rationem efficere putant, ut qui materiæ dominus fuerit, idem ejus quoque quod ex eâdem materiâ factum ſit, dominus eſſet; quia ſine materiâ nulla ſpecies effici poſſit. Veluti ſi ex auro vel argento vel ære vas aliquod fecero, vel ex tabulis tuis navem aut armarium aut ſubſellia fecero, vel ex lanâ tuâ veſtimentum, vel ex vino & melle tuo mulſum, vel ex medicamentis tuis emplaſtrum aut collyrium, vel ex uvis aut olivis aut ſpicis tuis vinum vel oleum vel frumentum.

Eſt tamen etiam media ſententia rectè exiſtimantium, ſi ſpecies ad materiam reverti poſſit, verius eſſe quod & Sabinus & Caſſius ſenſerunt; ſi non poſſit reverti, verius eſſe quod Nervæ & Proculo placuit. Ut ecce vas conflatum ad rudem maſſam auri, vel argenti, vel æris reverti poteſt; vinum verò vel oleum vel frumentum, ad uvas & olivas & ſpicas reverti non poteſt; ac ne mulſum quidem ad mel & vinum: vel emplaſtrum aut collyria, ad medicamenta reverti poſſunt. *l.* 7. § 7. GAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREOR.

Obiter nota; frumentum hîc malè in exemplum adduci. Enimverò, ut optimè addit idem Gaius: Videntur mihi rectè quidam dixiſſe: non debere dubitari quin alienis ſpicis excuſſum frumentum ejus ſit cujus & ſpicæ fuerunt. Cùm enim grana quæ ſpicis continentur, perfectam habeant ſuam ſpeciem; qui excuſſit ſpicas, non novam ſpeciem facit, ſed eam quæ eſt, detegit. *d.* § 7. ¶ *videntur.*

XXXVI.

Mediam ſententiam quam retulimus, tenet Paulus. Ait enim, in caſu quo ſpecies extincta eſt: V. G. Sed ſi meis tabulis navem feciſſes, tuam navem eſſe; quia cupreſſus non maneret, ſicuti nec lana veſtimento facto; ſed cupreſſeum aut laneum corpus fieret. *l.* 26. PAUL. LIB. 14. AD SABIN.

In contrario autem caſu idem Paulus ait: In omnibus quæ ad eamdem ſpeciem reverti [non (*b*)] poſſunt, dicendum eſt; ſi materiâ manente ſpecies duntaxat fortè mutata ſit, (veluti ſi ex meo ære ſtatuam aut argento ſcyphum feciſſes) me eorum dominum manere. *l.* 24. IBIDEM.

Et generaliter quoties vetus ſpecies manet, eique potiùs acceſſit aliquid quàm in novam ſpeciem commutata eſt; dicendum eſt hanc priſtini domini manere: juxta receptam hâc in parte Sabinianorum ſententiam. Rectè enim, Si meam lanam feceris purpuram, nihilominùs meam eſſe Labeo ait: quia nihil intereſt inter purpuram, & eam lanam quæ in lutum aut cœnum cecidiſſet, atque ita priſtinum colorem perdidiſſet. *ſup. d. l.* 26. § 3.

Ita tamen vetus ſpecies quæ per hoc quod ex eâ factum eſt non interiit, ſui domini manet; Niſi voluntate domini alterius nomine id factum ſit. Propter conſenſum enim domini, tota res ejus ſit cujus nomine facta eſt. *l.* 25. CALLISTRAT. LIB. 2. INSTITUT.

XXXVII.

Eadem quam adhibuimus diſtinctio, quum ex alienâ prorsùs materiâ aliquis ſpeciem confecit; pariter adhibenda eſt, quum partim ex ſuâ, partim ex alienâ.

Hoc diſcimus ex Ulpiano. Ita ille: Pomponius Scribit; Si ex melle meo & vino tuo factum ſit mulſum, quoſdam exiſtimaſſe id quoque communicari. Sed puto veriùs, ut & ipſe ſignificat, ejus potiùs eſſe qui fecit; quoniam ſuam ſpeciem priſtinam non continet. Sed ſi plumbum cum argento mixtum ſit; quia deduci poſſit, nec communicabitur; nec Communi dividundo agetur, quia ſeparari poteſt: agetur autem IN REM [actio]. Sed ſi deduci, inquit, non poſſit; ut putà ſi æs & aurum mixtum fuerit; pro parte eſſe vindicandum. Nec quidquàm erit dicendum quod in mulſo dictum eſt; quia utraque materia, etſi confuſa, manet (*c*) tamen. *l.* 5. § 1. *ff. de Rei vidinc.* ULP. LIB. 16. AD ED.

Idem Pomponius ſcribit; Si quid quod ejuſdem (*d*) naturæ eſt, ita confuſum eſt atque commixtum ut deduci & ſeparari non poſſit; non totum, ſed pro parte eſſe vindicandum. Ut putà meum & tuum argentum in maſſam redactum eſt, erit nobis commune; & unuiſquiſque pro ratâ ponderis quod in maſſâ habemus, vindicabimus: etſi incertum ſit quantùm quiſque ponderis in maſſâ habet. *l.* 3. § *fin. ff. d. tit.* IBID.

Quo quidem caſu, etiam Communi dividundo agi poterit: ſed & Furti & Ad exhibendum tenebitur, qui dolo malo confundendum id argentum curavit; ita ut in AD EXHIBENDUM actione pretii ratio haberi debeat; in VINDICATIONE vel COMMUNI DIVIDUNDO actione, hoc ampliùs ferat, cujus argentum pretioſius fuerat. *l.* 4. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 21. AD ED.

Hoc ita obtinet quum priores ſpecies manent, quamvis commixtæ. Quòd ſi interierunt & in novam ſpeciem tranſierunt, idem Pomponius ait: Ubi ſimul plura contribuuntur, ex quibus unum medicamentum fit, aut coctis odoribus unguenta facimus; nihil hîc ſuum verè dicere poteſt prior dominus. Quare potiſſimùm exiſtimari, cujus nomine factum ſit, ejus eſſe. *l.* 27. § 1. POMPON. LIB. 30. AD SABIN.

§ II.

De Confuſione.

XXXVIII.

CONFUSIO *eſt modus Adquirendi Dominii quo nova ſpecies quæ ex confuſione materiarum, ad duos aut plures pertinentium emerſit, dominis materiarum pro partibus indiviſis Acquiritur.*

Hoc autem obtinet, quaſi ex quâdam rei & Juris neceſſitate; proindèque, ſive ex voluntate ſive citra voluntatem eorum hæc confuſio facta ſit.

Hoc docet Gaius. Voluntas duorum dominorum miſcentium materias, commune totum corpus efficit: ſive ejuſdem generis ſint materiæ, veluti vina miſcuerunt, vel argentum conflaverunt; ſive diverſæ, veluti ſi alius vinum contulerit alius mel, vel alius aurum, alius argentum; quamvis & mulſi, & electri, novi corporis ſit ſpecies. *l.* 7. § 8. GAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREOR.

Sed etſi ſine voluntate dominorum caſu confuſæ ſint duorum materiæ; vel ejuſdem generis vel diverſæ; idem Juris eſt. *d. l.* 7. § 9.

XXXIX.

Ita demùm autem confuſione quæ non ſit voluntate dominorum, acquiritur Dominium; ſi materiæ confuſæ intereant, & ex his una nova exſurgat. Quòd ſi materiæ quamvis invicem commixtæ in ſuâ ſubſtantiâ maneant, nihil Acquiritur; ſed ſingula ſuorum dominorum manent.

Hinc V. G. Si ære meo & argento tuo conflato, aliqua ſpecies facta ſit; non erit ea noſtra communis: quia, cùm diverſæ materiæ æs atque argentum ſit, ab artificibus ſeparari & in priſtinam materiam reduci ſolet. *l.* 12. § 1. CALLISTRAT. LIB. 2. INSTITUT.

Maximè autem communia non fient, ſed ſuorum quæque

(*a*) Putabant enim veterem ſpeciem, mutatione formæ prorsùs extinctam, & cum ipsâ Dominium veteris domini; adeòque *id quod factum eſt*, id eſt novam ſpeciem, cùm nullius anteà fuerit, debere Acquiri ei qui illam feciſſet.

(*b*) Rectè hanc negationem expunxit Haloander in ſuâ Editione, ne alioquin Paulus ipſe ſibi contrarius ſit.

(*c*) Contrà, quum mulſum factum eſt, nec mel nec vinum manet; ſed his ſpeciebus extinctis, nova [ſcilicet *Mulſi*] ſpecies prodiit.

(*d*) Idem & ſi diverſæ: ut ſuprà.

Source : BIU Cujas

dominorum manebunt corpora inter se non voluntate dominorum commixta; si sint distantia, nec invicem cohæreant.

Hinc Pomponius scribit: Si frumentum duorum, non voluntate eorum confusum sit; competit singulis IN REM actio, in id in quantùm patet in illo acervo suum cujusque esse. Quòd si voluntate eorum commixta sunt, tunc communicata videbuntur, & erit COMMUNI DIVIDUNDO actio. *l.* 5. *ff. de Rei vindic.* ULP. LIB. 16. AD EDICT.

SECTIO III.

De Traditione.

XL.

Hæ quoque res quæ traditione nostræ fiunt, Jure Gentium nobis Acquiruntur. Nihil enim tam conveniens est naturali æquitati, quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam (*a*) haberi. *l.* 9. § 3. GAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREOR.

Circa traditionem quærendum nobis est: 1°. *Quid sit traditio, & quomodo interponatur:* 2°. *Quæ requirantur ut per traditionem Dominium transferatur:* 3°. *Quale & cum quâ causâ Dominium per traditionem transferatur:* 4°. *An citra traditionem Dominium possit conventione transferri.*

ARTICULUS I.

Quid sit Traditio, & quomodo quoad res varias quæ tradi possunt interponatur.

TRADITIO *nihil est aliud quàm possessionis rei in aliquem facta translatio.*

Duplex vulgò distinguitur, REALIS, & FICTA.

§ I.

De verâ & reali sive mobilium sive immobilium Traditione.

XLI.

Res immobilis, putà fundus, traditus mihi intelligitur hoc ipso quòd voluntate tradentis eum ingrediar.

Hujusce rei solet instrumentum confici. Cæterùm & citra instrumentum, hæc nuda traditio ad transferendum Dominium valet.

Hinc Alexander. Minùs instructus est qui te sollicitum reddidit, quasi in vacuam possessionem ejus quod per procuratorem emisti, non sis inductus; cùm ipse proponas te diù in possessione ejus fuisse, omniaque ut dominum gessisse. Licèt enim instrumento non sit comprehensum quòd tibi tradita sit possessio: ipsâ tamen rei veritate id consecutus es, si sciente venditore in possessione fuisti. *l.* 2. *Cod. de Acquir. possess.*

Item Diocletianus & Maximianus. Non idcircò minùs emptio perfecta est, quòd emptor fidejussorem non accepit, vel instrumentum testationis vacuæ possessionis omissum est. Nam secundùm consensum auctoris in possessionem ingressus, rectè possidet. Pretium sanè, si eo nomine satisfactum non probetur, peti potest. Nec enim licèt in continenti facta pœnitentiæ contestatio, consensu finita rescindit. *l.* 12. *Cod. de Contrah. empt.*

Traditio autem fundi ex eo solo non inducitur, quòd emptor hujus fundi vectigal suo nomine solverit.

Hinc Diocletianus & Maximianus: Si pater tuus venumdedit portionem suam, nec induxit in vacuam possessionem prædii; jus omne penès se eum retinuisse certum est. Neque enim velut traditionis factæ vectigal exsolutum, si simulatum factum intercessit, veritatem mutare potuit. Quapropter aditus Præses provinciæ, si animadverterit in vacuam possessionem neque patrem tuum neque successores ejus, emptorem vel heredes ipsius quocumque loco factos induxisse; non dubitabit, nihil esse translatum pronunciare. Et si te Ex empto ad inducendum eum in vacuam possessionem prædii perspexerit conveniri, existimabit an pretium sit solutum: ac si repererit non esse pretio satisfactum, hoc restitui tibi providebit. *l.* 8. *Cod. de Act. empti.*

Affine est quod ait Scævola. Quæ quisque aliena in Censum deducit, nihilomagis ejus fiunt. *l.* 64. Q. MUCIUS-SCÆVOLA LIB. SINGUL. OPΩN.

XLII.

Hæc de traditione fundi. Jam verò rei quæ solo aut ædificio cohærebat, traditio fit; quum quis meâ voluntate & animo possessionis in ipsum transferendæ, hanc à solo ædificio-ve meo separat: ut in specie sequenti.

Qui saxum mihi eximere de suo permisit donationis causâ, statim quum lapis exemptus est, meus fit (*b*): neque prohibendo me evehere (*c*), efficit ut meus esse desinat; quia quodammodo traditione meus factus est. Planè si mercenarius meus exemit, mihi exemit. Sed si is qui à me emerat, sive mercede conduxerat ut paterer eum sibi jure eximere; si antequàm eximat, me pœnituerit, meus lapis durat; si postea, ipsius factum avocare non possum. Quasi traditio enim facta videtur, quum eximitur domini voluntate. Quod in saxo est; idem erit etiam, si in arbore cæsâ vel demptâ acciderit. *l.* 6. *ff. de donat.* ULPIAN. LIB. 42. AD SABIN.

XLIII.

Rerum mobilium tradendarum vulgatissimus modus est, quum de manu in manum dantur.

§ II.

De variis Traditionis fictæ speciebus.

XLIV.

Tradi etiam res quælibet intelliguntur, quum in conspectu alicujus ita ponuntur ut fiat ei aut illarum auferendarum aut in possessionem introeundi copia. V. G. Pecuniam quam mihi debes, aut aliam rem, si in conspectu meo ponere te jubeam; efficitur ut & tu statim libereris, & mea esse incipiat. Nam tùm, quòd à nullo corporaliter ejus rei possessio detineretur, adquisita mihi & quodammodo MANU LONGA (*d*) tradita existimanda est. *l.* 79. *ff. de Solutionib.* JAVOLEN. LIB. 10. EPISTOL.

Hæc fictio præcipuè locum habet in mobilibus magni ponderis.

XLV.

Interdum etiam per alicujus symboli traditionem res tradita videtur, Dominiumque hujus rei per symbolum significatæ transfertur. Putà, Item si quis merces in horreo repositas vendiderit; simul atque claves horrei tradiderit emptori, transfert proprietatem mercium ad emptorem. *l.* 9. § 6. GAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREOR.

Scilicet si in re præsenti hæc symboli traditio fiat. Sic enim Papinianus: Clavibus traditis, ita mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur, si claves apud horrea traditæ sint. Quo facto confestim emptor Dominium & possessionem adipiscitur, etsi non aperuerit horrea. Quòd si venditoris merces non fuerunt, usucapio confestim inchoabitur. *l.* 74. *ff. de Contrah. empt.* PAPIN. LIB. 1. DEFINITION.

(*a*) Scilicet per intervenientem *Traditionis* actum. Sola autem voluntas transferendi Dominii, non est per se efficax ad illud transferendum; etsi concurrat & alterius voluntas in se illud transferri consentientis: ut infrà videb. Art. 4.

(*b*) Traditio enim videtur interveniisse, quum saxum eo volente & patiente exemi.

(*c*) Postquàm exemptus est.

(*d*) Genus loquendi metaphoricum. MANUM LONGAM appellat, oculos & affectum possidendi quæ in hâc traditione supponit aliquod manûs officium: LONGAM autem *manum* appellat, ut opponat hanc traditionem alteri fictæ traditionis speciei, quæ BREVI MANU fieri dicitur; de quâ infrà N. 47.

Source : BIU Cujas

Aliud traditionis ſymbolicæ exemplum eſt, ſi inſtrumentum Emptionis rei tradatur: ſuprà lib. 39. *Tit.* de Donat. *N.* 15.

XLVI.

Traditionis etiam fictæ ſpecies eſt, quum is qui rem alicui traditurus eſt, hanc illius nomine ſe poſſidere conſtituit: V. G. uſumfructum retinendo ſimpliciter; etiamſi non ſtipulatus fuerit emptor, venditorem viri boni arbitratu fruiturum; quæ cautio in conſtituendo uſufructu interponi ſolet. Hoc enim ipſo quòd ſibi uſumfructum retinet, jam rem tanquam alienam tenet; eamque jam non ſibi, ſed emptori; & per hoc, hujus poſſeſſionem ad emptorem transfert: ſuprà d. Tit. de Donation. *N.* 22.

Idem eſt, ſi conduxerit. Hinc Ulpianus: Quædam mulier fundum ita (non (*a*) marito) donavit per epiſtolam, & eumdem fundum ab eo conduxit. Poſſe defendi IN REM ei (*b*) competere, quaſi per ipſam adquiſierit poſſeſſionem, veluti per colonam. *l.* 77. *ff. de Rei vindic.* ULPIAN. LIB. 17. AD ED.

XLVII.

Quinimò interdum ficta traditio ex ſolo partium conſenſu conſtare poteſt: nimirùm quum res cujus Dominium ad aliquem transferre ex certâ causâ volo, apud ipſum eſt. Hoc enim caſu intelligitur ex hâc causâ noviter tradita, ex quâ convenerimus ut apud illum ſit. Quæ traditionis fictæ ſpecies, BREVIS MANUS *vulgò dicitur* (*c*).

Hinc in ſpecie modò relatâ ſtatim Ulpianus ſubjicit: Proponebatur quòd etiam in eo agro qui donabatur fuiſſet, quum epiſtola emitteretur. Quæ res ſufficiebat ad traditam poſſeſſionem, licèt conductio non interveniſſet. *d. l.* 77. ¶ *proponebatur.*

Similiter Gaius. Interdum etiam ſine traditione, nuda voluntas domini ſufficit ad rem transferendam. Veluti ſi rem quam commodavi aut locavi tibi, aut apud te depoſui, vendidero tibi. Licèt enim ex eâ causâ tibi eam non tradiderim; eo tamen ipſo quòd patior eam ex causâ emptionis apud te eſſe, tuam efficio. *l.* 9. § 5. GAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREOR.

Hinc eſt etiam quod reſpondit Neratius: Si fidejuſſor pro te apud quem depoſitum eſt, litis æſtimatione damnatus ſit (*d*); rem tuam (*e*) fieri. *l.* 30. *ff. Depoſiti.* NERATIUS LIB. 1. RESPONS.

Item Pomponius. Si rem meam poſſideas & eam velim tuam eſſe, fiet tua; quamvis poſſeſſio apud me non fuerit. *l.* 21. § 1. POMPON. LIB. 11. AD SABIN.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Cenſualis quidem profeſſio domino præjudicare non ſolet. Sed ſi in Cenſum vel ut ſua mancipia deferenti privigno tuo (*f*) conſenſiſti, donationem in eum contuliſſe videris. *l.* 7. *Cod. de Donat.*

Dicitur etiam traditio BREVIS MANÛS, *quum quis putà debitor meus, rem juſſu meo alicui meo nomine tradit: quia hæc traditio Brevi compendio duas traditiones, quarum una occultatur, in unam conjungit. Perindè eſt enim ac ſi rem mihi tradidiſſet, quam ipſe poſtea ei cui tradita eſt, tradidiſſem. Hujus vide exempla ſuprà lib.* 12. *Tit.* de Reb. cred. *N.* 12.

ARTICULUS II.

Quæ requirantur ut per Traditionem transferatur rei Dominium.

Generaliter requiritur 1°. *Ut qui rem tradit, jus hujus alienandæ habeat; aut ſaltem ut ejus voluntate res tradatur:* 2°. *Ut ex juſtâ causâ ſive illa vera ſit ſive putativa, tradatur:* 3°. *Ut interveniat mutuus tradentis & accipientis conſenſus:* 4°. *Ut traditio non fiat imaginariè & dicis causâ.*

Specialiter ultrà requiritur, quum traditio fit ex causâ venditionis, ut vel pretium ſolutum vel eo nomine ſatisfactum ſit.

§ I.

Tradi rem debere ab eo qui habeat jus rei alienandæ.

XLVIII.

Ut per traditionem Dominium transferatur, ante omnia oportet rem ab eo tradi qui jus hujus alienandæ habeat. Quod jus regulariter ſolus rei Dominus habet.

Enimverò Traditio nihil ampliùs transferre debet vel poteſt ad eum qui accipit, quàm eſt apud eum qui tradit. Si igitur quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert: ſi non habuit; ad eum qui accipit, nihil transfert. *l.* 20. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si filius tuus res ad te pertinentes, ſponſæ ſuæ te non conſentiente, donavit; ad eam, quod non habuit, transferre non potuit. *l.* 14. *Cod. de Donationibus.*

Hinc etiam in hâc ſpecie: Qui unum jugerum pro indiviſo (*g*) ſolùm habuit, tradidit. Secundùm omnium ſententias, non totum Dominium tranſtulit, ſed partem dimidiam jugeri; quemadmodum ſi locum certum aut fundum ſimiliter tradidiſſet. *l.* 64. § *fin. ff. de Evictionib.* PAPIN. LIB. 7. QUÆST.

Scilicet NEMO plus juris ad alium transferre poteſt, quàm ipſe haberet. *l.* 54. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 46. AD ED.

XLIX.

Cæterùm tradere videtur, & is cujus voluntate vel generali aliter tradit. Hinc Gaius: Nihil autem intereſt utrùm ipſe dominus per ſe tradat alicui rem, an voluntatè ejus aliquis.

Quâ ratione ſi cui libera negotiorum adminiſtratio ab eo qui peregrè proficiſcitur, permiſſa fuerit; & is ex negotiis (*h*) rem vendiderit & tradiderit; facit eam accipientis. *l.* 9. § 4. GAIUS LIB. 2. RERUM COTTID. SIVE AUREOR.

Hinc etiam, cùm generalis voluntas domini ſufficiat; Si ſervus mihi vel filiusfamilias fundum vendidit, & tradidit, habens liberam peculii adminiſtrationem: In rem actione uti potero (*i*). Sed & ſi domini voluntate, domini rem tradat, idem erit dicendum: quemadmodum quum procurator voluntate domini vendidit, vel tradidit; IN REM actionem mihi præſtabit. *l.* 41. § 1. *ff. de Rei vind.* ULP. LIB. 17. AD ED.

L.

Hæc voluntas non tempore contractûs inſpicitur, ſed tempore traditionis. Hinc Papinianus. Conſtat, ſi rem alienam ſcienti mihi vendas, tradas autem eo tempore quo dominus ratum habet; traditionis tempus inſpiciendum, remque meam fieri. *l.* 44. § 1. *ff. de Uſucap.* PAPIN. LIB. 23. QUÆST.

Contra ſi dominus qui conſenſit, ante traditionem aut mutaverit voluntatem aut deceſſerit; non transferetur Dominium.

Hinc Africanus. Ejus qui in provinciâ Stichum ſervum Kalendario præpoſuerat, Romæ teſtamentum recitatum erat, quo idem Stichus liber & ex parte heres erat ſcriptus: qui ſtatûs ſui ignarus, pecunias defuncti aut exegit aut credidit; ut interdum ſtipularetur, & pignora acciperet. Conſulebatur quid de his Juris eſſet? Placebat debitores quidem ei qui ſolviſſent, liberatos eſſe; ſi modò ipſi quoque ignoraſſent dominum deceſſiſſe: earum autem ſummarum nomine quæ ad

(*a*) Nam marito donare non poſſet.
(*b*) Donatario.
(*c*) Quia nihil eâ brevius, cùm nuda conventio eam conſtituat.
(*d*) Supple, eamque domino ſolvit.
(*e*) Hoc enim ipſo quòd eam litis æſtimationem à fidejuſſore tuo dominus accepit, videtur conſentire ut quaſi ex causâ emptionis eam rem habeas: litis enim æſtimatio ſimilis eſt emptioni. Cùm autem res penès te ſit, hæc voluntas ſufficit ut ad te Dominium ejus transferatur.
(*f*) Apud quem erant hæc mancipia.
(*g*) Commune cum alio.
(*h*) Ex causâ quæ pertineat ad adminiſtrationem negotiorum ipſi conceſſam
(*i*) Si poſtea excidero poſſeſſione.

Source : BIU Cujas

Stichum perveniſſent, Familiæ erciſcundæ quidem actionem non competere (*a*) coheredibus, ſed Negotiorum geſtorum dari debere. Quas verò pecunias ipſe credidiſſet; eas non ex majore parte quàm ex quâ ipſe heres ſit, alienatas eſſe. Nam & ſi tibi in hoc dederim nummos, ut eos Sticho credas; deindè mortuo me, ignorans dederis; accipientis non facies: neque enim ſicut illud receptum eſt, ut debitores ſolventes ei liberentur; ita hoc quoque receptum, ut credendo nummos alienaret. Quare ſi nulla ſtipulatio interveniſſet; neque ut creditam pecuniam pro parte coheredis peti (*b*) poſſe, neque pignora teneri. *l.* 41. *ff. de Reb. creditis.* AFRICAN. LIB. 8. QUÆST.

L I.

An in ſpecie ſequenti res voluntate domini tradita videatur, Dominiumque tranſlatum ſit, à Javoleno quæſtum eſt. Si tibi dederim rem ut Titio meo nomine donares, & tuo nomine eam ei dederis; an factam ejus putes? Reſpondit: Si rem tibi dederim, ut Titio, meo nomine donares; eamque tu tuo nomine ei dederis: quantùm ad Juris ſubtilitatem, accipientis facta (*c*) non eſt, & tu Furti obligeris. Sed benignius eſt, ſi agam contra eum qui rem accepit, exceptione Doli mali me (*d*) ſummoveri. *l.* 25. *ff. de Donationibus.* JAVOLEN. LIB. 6. EPISTOL.

Abſque dubio autem non eſt habenda pro conſenſu domini, ſubſcriptio ejus ignorantis, fraude extorta.

Hinc Gordianus: Diſtrahente marito rem tui juris, ſi conſenſum ei non accommodaſti; licèt ſigillo tuo venditionis inſtrumentum fraude conquiſitâ ſignaveris; hujuſmodi tamen commentum emptori, uſucapione non ſubſecutâ, vel longi temporis præſcriptione minimè munito, nullam præſtitiſſe ſecuritatem poteſt. *l.* 2. *Cod. de Reb. alien. non alienand.*

L II.

Vidimus traditionem Dominium non transferre, niſi accedat domini voluntas: adde, & quidem ejus domini qui jus alienandi habeat. Cæterùm non ideò minùs transferetur Dominium, quòd dominus in fraudem creditorum alienaverit.

Hinc Pomponius. Si ſciens (*e*) emam ab eo cui bonis interdictum ſit; vel cui tempus ad liberandum de hereditate ita datum ſit, ut ei deminuendi poteſtas non ſit; dominus non ero. Diſſimiliter atque ſi à debitore ſciens creditorem fraudari, emero. *l.* 26. *ff. de Contrah. empt.* POMPON. LIB. 17. AD SABIN.

L III.

Interdum & citra voluntatem domini traditio transfert Dominium: ſcilicet quum is diſtrahit, cui ſpeciali jure hoc jus competit.

Talis eſt 1°. *creditor pignoratitius. Hinc Ulpianus*: Non eſt novum ut qui dominium non habeat, alii Dominium præbeat. Nam & creditor pignus vendendo, cauſam Dominii præſtat; quam ipſe non (*f*) habuit. *l.* 46. ULP. LIB. 65. AD ED.

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Nemo res ad te pertinentes, non obligatas ſibi, nec ex officio (*g*) vendendi poteſtatem habens, diſtrahendo, quidquam tibi nocere potuit. *l.* 6. *Cod. de Red. alien. non alienand.*

1°. *Fiſci quoque hoc privilegium eſt; ut rem quam cum alio communem habet diſtrahendo, ſocii portionem citra ejus conſenſum alienare poſſit.*

Hinc Antoninus. Multùm intereſt, utrùm coheredes tui poſſeſſionem communem diſtraxerunt; an verò fiſcus, cùm partis dominus eſſet, ſoliditatem juxta proprium privilegium vendidit. Etenim ſi à fiſco facta ſit venditio; fidem ejus infringi, minimè rationis eſt. Si verò coheredes ſoliditatem vendiderunt: licèt emptor ab his delegatus, partem pretii fiſco ſolverit, alteramque in cautionem deduxerit; tamen portioni tuæ ea venditio non poteſt obſiſtere. *l.* 2. *Cod. de Comm. rerum alienat.*

§ II.

Requiri ut res ex juſtâ cauſâ tradatur.

L IV.

Nunquam nuda traditio transfert Dominium; ſed ita, ſi venditio, aut aliqua juſta cauſa præceſſerit, propter quam traditio ſequeretur. *l.* 31. PAUL. LIB. 31. AD ED.

Sic limita, aut ſaltem præceſſiſſe credatur: ut liquet ex totis Titulis ff. de Condictione indeb. & de Condict. ſine causâ: *ſuprà lib.* 12.

§ III.

Requiri conſenſum tradentis & accipientis.

L V.

In omnibus rebus quæ Dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utrâque parte contrahentium. Nam ſive ea venditio, ſive donatio, ſive conductio, ſive quælibet alia cauſa contrahendi fuit; niſi animus utriuſque conſentit, perduci ad effectum id quod inchoatur, non poteſt. *l.* 55. *ff. de Oblig. & act.* JAVOLEN. LIB. 12. EPISTOL.

L VI.

Hic autem conſenſus verſari debet: 1°. *Circa rem cujus Dominium transfertur: quod per ſe ſatis patet.*

2°. *Debet quoque verſari circa perſonam ad quam Dominium transferatur.*

Hinc Si, quum mihi donare velles, jufferim te ſervo communi meo & Titii rem tradere; iſque hâc mente acciperet ut rem Titii faceret: nihil (*h*) agetur. Nam & ſi procuratori meo rem tradideris, ut meam faceres; is hâc mente acceperit, ut ſuam faceret; nihil agetur (*i*). Quòd ſi ſervus communis hâc mente acceperit, ut duorum dominorum faceret; in parte alterius domini nihil agetur (*k*). *l.* 37. § 6. JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

Deeſt quidem conſenſus circa perſonam, nec valet traditio; ſi alteri dare volui, alius autem accipiat. Cæterùm neceſſe non eſt ut certa ſit perſona, ad quam Dominium transferre volo. Hoc ampliùs: interdum & in incertam perſonam collata voluntas domini, transfert rei proprietatem: ut ecce, qui miſſilia jactat in vulgus. Ignorat enim quid eorum quiſque excepturus ſit: & tamen, quia vult quod quiſque exceperit, ejus eſſe; ſtatim eum dominum efficit. *l.* 9. § 7. GAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREOR.

(*a*) Vide ſuprà lib. 10. Tit. *Famil. erciſc.* N. 85.

(*b*) Cùm enim pecunia hereditaria quam Stichus credidit, non ſit facta accipientis niſi pro parte Stichi, non verè pro parte coheredis ejus: mutuum non conſtitit pro parte coheredis; adeòque non poterit peti actione *Creditæ pecuniæ* pro hâc parte. Si tamen bonâ fide conſumpta fuerit, reconciliabitur mutuum; & locus erit actioni *Creditæ pecuniæ.*

(*c*) Nam *Quantum ad Juris ſubtilitatem*, non eſt tradita meâ voluntate, cùm voluerim ut ex causâ donationis à me factæ, non ut ex causâ donationis à te factæ, traderetur.

(*d*) Modò Titius conſentiat eam habere ex causâ donationis à me factæ.

(*e*) *Sciens*, inquit: non quòd diverſum obtineat ſi ignorans emam; certum eſt enim idem obtinere; ſed propter comparationem cum eo qui *ſciens* in fraudem creditorum emit.

(*f*) Dicendum etiam, quodammodo voluntate domini diſtrahi pignus quod creditor lege pignoris diſtrahit. Conſenſit enim dominus ut diſtrahi poſſet, quum pignus conſtituit.

(*g*) Qualis eſt executor Sententiæ: de quo vid. Tit. *de Rei judic.* infrà lib. 42.

(*h*) Scilicet non acquiret mihi ignoranti, quia non mihi ſed Titio accepit: nec Titio acquiret; quia qui tradidit, noluit rem ad Titium transferre. At poſtquàm traditionem ratam habuero, mihi acquiret: jam enim mea voluntas cum voluntate tradentis concurrit. Et ita hanc legem concilia cum lege 13. ff. *de Donat.* quæ infrà refertur N. 72.

Struvius ſimpliciter reſpondet, ſervum *nihil agere*; non abſolutè, ſed quoad perſonam Titii: cæterùm mihi per ſervum acquiri.

(*i*) Ut ſibi acquirat. At valebit traditio; ſaltem ut, quum ratum habuero, mihi acquiratur. Donellus & Bachovius diſtinguunt, an procurator meus, cui res ut mea fieret tradita eſt, ſimpliciter voluerit eam ſibi magis quàm mihi Acquirere; an verò etiam apertè hoc ſignificaverit. Primo caſu, nihilominùs rem mihi Acquiri cenſent; & de hoc caſu accipiendam eſſe legem 13. ff. *de Donat.* Alterò verò caſu putant nihil prorsùs agi, nec procuratori nec mihi Acquiri; & de hoc caſu hanc leg. 37. intelligendam eſſe.

(*k*) *Nihil agetur*, ut partem acquirat ei cui donator donare noluit.

Source : BIU Cujas

LVII.

3°. *Denique debet consensus versari circa ipsam Domini translationem. Nimirùm oportet ut is qui dedit, velit rei Dominium à se abire & ad accipientem transire; is autem qui accipit, velit illud adipisci.*

Cùm autem hæc voluntas transferendi sui Dominii intelligi non possit, in eo qui se dominum ignorat; hinc sequitur quòd Si procurator meus vel tutor pupilli, rem suam, quasi meam vel pupilli, alii tradiderint; non recessit ab eis Dominium, & nulla est alienatio: quia NEMO errans rem suam amittit (*Florent.* emittit). *l.* 35. ULP. LIB. 7. DISPUTAT.

Similiter Si rem meam mihi ignoranti vendideris, & jussu meo alii tradideris; non putat Pomponius Dominium meum transire, quoniam non hoc mihi propositum fuit, sed quasi tuum Dominium ad eum transire. Et ideò etiam, si donaturus mihi, rem meam jussu meo alii tradas; idem dicendum erit. *l.* 15. § 2. *ff. de Contrah. empt.* PAUL. LIB. 5. AD. SABIN.

Pariter Celsus. Subtiliùs quoque illud tractat; An ille qui se statuliberum putaverit (*a*), nec fecerit (*b*) nummos accipientis? quoniam heredi dedit, quasi ipsius heredis nummos daturus; non quasi suos, qui utique ipsius fuerunt, adquisiti scilicet post libertatem ei ex testamento competentem. Et puto; si hoc animo dedit, non fieri ipsius (*c*). Nam & quum tibi nummos meos, quasi tuos, do; non facio tuos. Quid ergo, si hic non heredi, sed alii dedit cui putabat se jussum? Si quidem peculiares dedit; nec fecit accipientis (*d*): si autem alius pro eo dedit, aut ipse (*e*) dedit jam liber factus; fient accipientis. *l.* 3. § 8. *ff. de Cond. caus. dat.* ULP. LIB. 26. AD ED.

Non videtur quidem consensum in transferendo Dominio, quum quis rem suam quam existimat alienam tradit. Contrà vice versâ, in emptore Qui ignoravit dominum esse rei venditorem: plus in re est, quàm in existimatione mentis. Et ideò, tametsi existimet se non à domino emere, tamen si à domino ei tradatur, dominus efficitur. *l.* 9. § 4. *ff. de Jur. & fact. ignorant.* PAUL. LIB. SINGUL. DE JUR. ET FACT. IGNOR.

LVIII.

Tria enumeravimus circa quæ consensus tradentis & accipientis intervenire debet, ut Dominium transferatur.

An autem adhuc requiritur circa causam ex quâ res traditur? Negat Julianus. Quum in corpus quidem quod traditur consentiamus, in causis verò dissentiamus; non animadverto, cur inefficax sit traditio. Veluti si ego credam, me ex testamento tibi obligatum esse ut fundum tradam; tu existimes, ex stipulatu tibi eum deberi. Nam & si pecuniam numeratam tibi tradam donandi gratiâ, tu eam quasi creditam accipias; constat proprietatem ad te transire, nec impedimento esse quòd circa causam dandi atque accipiendi (*f*) dissenserimus. *l.* 36. JULIAN. LIB. 31. DIGEST.

Ab hâc Juliani sententiâ dissentire videtur Ulpianus. Si ego pecuniam tibi quasi donaturus dedero, tu quasi mutuam accipias; Julianus scribit donationem non esse. Sed an mutua sit, videndum? Et puto nec mutuam esse (*g*): magisque nummos accipientis non fieri (*h*), cùm aliâ opinione acceperit. *l.* 18. *ff. de Reb. credit.* ULP. LIB. 7. DISPUTAT.

Obiter nota quod subjicit. Quare si eos consumpserit, licèt Condictione (*i*) teneatur, tamen Doli exceptione uti poterit: quia secundùm voluntatem dantis, nummi sunt consumpti (*k*). *d. l.* 18. ¶ *quare.*

§ IV.

Requiri ut traditio non sit imaginaria.

LIX.

Ut traditio transferat Dominium, oportet ut non sit imaginaria; qualem patet esse eam quæ fit eâ lege ut res tradita, paulòpòst retròdetur simpliciter.

Hinc Ulpianus. Qui sic solvit ut reciperet, non liberatur; quemadmodum non alienantur nummi, qui sic dantur ut recipiantur (*l*). *l.* 55. *ff. de Solution.* ULP. LIB. 6. AD ED.

Quòd si res sic retròdanda sit, ut ipsa ex retròdatione non tam perfectè habeatur quàm ante; traditio non erit imaginaria, Dominiumque ex eâ transferetur.

Hinc Hermogenianus. Eâ lege, donationis causâ, pecuniâ Titio numeratâ, ut statim donatori mutuo detur; non impeditur Dominii translatio. Ac propterea iisdem nummis donatori creditis, novum Dominium in his quæritur. *l.* 33. § 1. *ff. de Donat.* HERMOGENIAN. LIB. 6. JURIS EPITOMARUM.

§ V.

Requiri præterea in traditione quæ fit ex causa venditionis, ut pretium solutum sit, aut eo nomine satisfactum: nisi emptor fidem emptoris secutus sit.

LX.

Quod vendidi, non aliter fit accipientis quàm si aut pretium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum; vel etiam fidem habuerimus emptori, sine ullâ satisfactione. *l.* 19. *ff. de Contr. empt.* POMPON. LIB. 31. AD Q. MUCIUM.

Quando autem venditor fidem emptoris secutus sit, patet ex circumstantiis: sed in dubio id non præsumitur, nisi emptor factum doceat.

Extra hunc casum, omninò requiritur aut solutio aut satisfactio. Alterutro autem modo, Dominium transfertur. Nam Ut res emptoris fiat, nihil interest utrùm solutum sit pretium, an eo nomine fidejussor datus sit. Quod autem de fidejussore diximus, plenius acceptum est; quâlibet ratione si venditori de pretio satisfactum est: veluti expromissore aut pignore dato, proindè sit ac si pretium solutum esset. *l.* 53. *ff. de Contrah. empt.* GAIUS LIB. 28. AD ED. PROVINC.

Hinc in specie sequenti: Quæsitum est an emptor servo rectè libertatem dederit, nondum pretio soluto? Paulus respondit; Servum quem venditor tradidit, si ei pro pretio satisfactum est, & nondum pretio soluto in bonis emptoris esse cœpisse. *l.* 38. § 2. *ff. de Liber. causâ.* PAUL. LIB. 15. RESPONS.

Multò magis; nil refert, emptor ipse solverit an alius pro eo. Quo casu, non in eum qui pretium solvit, sed in eum cujus nomine res empta & tradita est, Dominium transfertur.

Hinc Antoninus. Si pecuniâ patris fundus mancipiaque comparata sunt; tamen, cùm emptiones matris tuæ

(*a*) Scilicet qui, quum purè testamento libertatem accepisset, putabat se sub eâ conditione manumissum *Si decem daret.*

(*b*) *Nec fecerit*, pro *non fecerit.* Prisco sermone *Nec* pro *Non* dicebatur: ut observavimus ad XII. Tabulas.

(*c*) Heredis.

(*d*) Quia non eos dedit quasi suos, sed quasi heredis essent. Non ergo potest voluisse dominium suum à se abire.

(*e*) Ab alio acceptam pecuniam, hâc lege ut heredi pro explendâ conditione daret.

(*f*) In eâdem sententiâ est Gaius: l. 3. § 1. ff. *de Oblig. & act.*

(*g*) Nondum hâc in re Ulpianus à Juliano dissentit. Nam Gaius qui in d. l. 3. § 1. ff. *de Oblig. & act.* cum Juliano sentit dominium in hâc specie transferri, tamen mutuum esse negat: & ipse Julianus hìc, id ait tantùm, non videre se *cur inefficax sit traditio*; non dicit *cur inefficax sit contractus.*

(*h*) Vinnius *Select. Quæst.* lib. 35. eos sic rectè conciliat ut Julianus & Gaius de subtilitate Juris disputaverint; secundùm quam, Dominium transfertur; cùm tam in opinione dantis quàm in opinione accipientis sint causæ, diversæ quidem, sed ad transferendum Dominium, utrinque aptæ: uno verbo quum in eo consenserunt ut transferretur: Ulpianus verò loquatur magis effectu inpecto, quàm re: quia, etsi Dominium revera transferatur, tamen non transit efficaciter; cùm possint nummi condici *Condictione sine causâ*; cùm enim partes in nullâ causâ consenserint ex quâ transferretur Dominium, nulla subest causa.

(*i*) Non ex mutuo, cùm nullum sit; sed *Condictione sine causâ.*

(*k*) Hanc exceptionem tribuit consumptio bonâ fide facta, ante revocatam donandi voluntatem. Æquipollet eam translationi Dominii, consumptio bonâ fide facta: suprà lib. 12. Tit. *de Reb. cred.* N. 15.

(*l*) Hinc malè colligas, mutuum non esse alienationem. Eos enim nummos *non alienari* dicit, qui sic dantur ut iidem in specie recipiantur: in mutuo autem sic dantur ut iidem genere, non specie, reddantur.

Source : BIU Cujas

nomine factas esse proponas, ignorare non debes traditione matrem tuam dominam fuisse constitutam. Planè, si pecuniæ petitionem competere tibi propter numerationem pretii existimas; civiliter contende. *l.* 1. *Cod. Si quis alteri vel sibi &c.*

Similiter Diocletianus & Maximianus. Nihil prohibet, altero pecuniam numerante, in alium vel utriusque contrahentis consensu, vel certè venditore tantummodò volente, Dominium transferri: eo etiam manifestè constituto, ut inter absentes per mediam personam, veluti per nuncium vel per epistolam, talis contractus perfici possit. *l.* 9. *Cod. d. tit.*

ARTICULUS III.

Quale, & cum qua causa Dominium per traditionem transferatur.

LXI.

Quotiens autem Dominium transfertur; ad eum qui accipit, tale transfertur quale fuit apud eum qui tradit. Si servus fuit fundus, cum servitutibus transit; si liber, uti fuit: & si fortè servitutes debebantur fundo qui traditus est, cum jure servitutium debitarum transfertur. Si quis igitur fundum dixerit liberum, quum traderet eum qui servus sit; nihil juris servitutis fundi detrahit: verùmtamen obligat [que] se, debetque præstare quod dixit. *l.* 20. § 1. ULP. LIB. 20. AD SABIN.

Consonat Pomponius. Alienatio quum fit; cum suâ causâ Dominium ad alium transferimus, quæ esset futura si apud nos ea res mansisset. Idque toto Jure Civili ita se habet præterquàm si aliquid nominatim sit constitutum. *l.* 67. *ff. de. Contrah. empt.* POMPON. LIB. 39. AD Q. MUCIUM.

ARTICULUS IV.

An sufficiant conventiones absque Traditione, ad transferendum Dominium.

LXII.

TRADITIONIBUS & usucapionibus Dominia rerum, non nudis pactis transferuntur. *l.* 20. *Cod. de Pactis.* DIOCLET. ET MAXIM.

Nuda pacta hîc accipe, quosvis contractus; qui per Traditionem rei in contractum deductæ, suam consummationem non acceperunt.

Hinc V. G. Dominium rei venditæ non transit in emptorem, nisi ex quo traditio intervenerit: ut liquet ex Rescripto Diocletiani & Maximiani. Si ancillam tibi, ex causâ venditionis traditam venditor manumisit, libertatem alienæ factæ præstare non potuit. Quòd si post venditionem ante traditionem manumisit; pleno jure dominus constitutus, Civem Romanam facere non prohibetur: tibi personali, propter ruptam fidem, contra venditorem actione competente. 11. *Cod. de Act. empt.*

Iidem rescribunt. Servum emptor non traditum sibi, præsentem vindicare non potest. *l.* 27. *Cod. de Rei vindic.*

Similiter & in aliis pactorum speciebus, Dominium solâ conventione non transfertur. Et indè est quod respondet Papinianus in specie sequenti. Dotale prædium cujus vir possessionem retinuit, post litteras ad uxorem emissas quibus dotis non fore prædium declaravit; in matrimonio defunctâ muliere, virum retinere placuit: quia mulier actionem ex pacto non (*a*) habuit. *l.* 15. *ff. de Fund. dot.* PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

Corollarium.

QUOTIES duobus in solidum, prædium jure distrahitur; manifesti Juris est, eum cui priori traditum est, in detinendo Dominio esse potiorem.

Si igitur antecedente tempore te possessionem emisse, ac pretium exsolvisse apud Præsidem provinciæ probaveris; obtentu non datorum instrumentorum (*b*) expelli te à possessione (*c*) non patietur. Erit sanè in arbitrio tuo, pretium quod dedisti, cum usuris recipere; ita tamen, ut perceptorum fructuum ac sumptuum ratio habeatur: cùm, etsi ex causâ donationis utrique dominium rei vindicetis, eum cui priori possessio soli tradita est, haberi potiorem conveniat. *l.* 15. *Cod. de Rei vind.* DIOCLET. ET MAXIM.

Huic posteriori circa Donationem sententiæ, simile est quod Paulus ait:

Quum unius rei in duos donatio confertur, potior est ille cui res tradita sit. Nec interest posterior quis an prior acceperit (*d*), & exceptæ (*e*) necne personæ sint. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 10. § 4. N. 4.

LXIII.

Si Dominium rei venditæ, aut in quemvis alium contractum deductæ, non transfertur priusquàm res tradita sit; multò magis quum res à fundo separanda venditur, non transfertur ejus Dominium antequàm fuerit separata: ut liquet ex specie sequenti. Quintus-Mucius scribit: Dominus fundi de prædio arbores stantes vendiderat; & pro his rebus pecuniam accepit, & tradere nolebat. Emptor quærebat quid se facere oporteret? Et verebatur, ne hæ arbores ejus non viderentur factæ. Pomponius: Arborum quæ in fundo continentur, non est separatum corpus à fundo; & ideò ut dominus suas specialiter arbores vindicare non poterit, sed Ex empto. habet actionem. *l.* 40. *ff. de Act. empti.* POMPON. LIB. 31. AD Q. MUCIUM.

SECTIO IV.

SEU

APPENDIX AD PRIMAM PARTEM.

De modis civilibus Adquirendi rerum singularum Dominii.

LXIV.

Singularum rerum Dominia nobis Adquiruntur, Mancipatione, Traditione, usucapione, In jure Cessione, Adjudicatione, Lege. ULP. FRAGM. *Tit.* 19. § 2.

I.

MANCIPATIO propria species alienationis est, &

(*a*) Solum pactum non potuit facere, ut Dominium quod maritus adeptus erat ad mulierem reverteretur; nec consequenter dare ipsi actionem IN REM, quâ ipsa heres-ve ejus prædium vindicaret. Quòd si possessio esset apud mulierem; mulieris-ve heres fundum retineret, oppositâ exceptione *Doli* adversùs virum qui vindicaret.

Ita Cujacius post Græcos Interpretes: quorum sententiam accipe de eo solo casu quo Pactum non fuisset Donationis causâ interpositum; putà, si vir Epistolâ suâ declaravit *Dotis non fore prædium* sub hâc lege V. G. ut mulier æstimationem vice prædii inferret. Hoc pactum mulieri ejus-ve heredi actionem adversùs virum prædium possidentem dare non potest; quia *Ex pacto non datur actio.* Sed si quo casu pervenerit possessio ad mulierem: ei heredi-ve ejus exceptionem dabit ad retinendum prædium, offerendo pretium seu æstimationem Quòd si Pactum donationem contineret, putà simpliciter pactus esset vir ne prædium *Dotis* esset; nec ad exceptionem quidem prodesse posset: cùm tale pactum donationem *Inter virum & uxorem* contineat, quæ non valet.

(*b*) Hoc obtentu quòd venditionis non sint confecta instrumenta.

(*c*) Ab alio emptore cui res non est tradita; & quidem etiamsi prior emisset.

(*d*) Id est, donationem acceperit.

(*e*) *Exceptæ* Lege Cinciâ, parentes scilicet & liberi. In hoc enim tantùm exceptæ sunt, ut sufficiat circa eas quibuslibet verbis expressa donandi voluntas; scilicet ut donatio valeat, & donator ex conventione ad præstandam rem donatam obligetur; non verò ut citra traditionem Dominium ad eas transferri possit.

rerum

Source : BIU Cujas

rerum mancipi (*a*): eaque fit certis verbis; libripende (*b*), & quinque teſtibus præſentibus. *d. tit.* § 3.

Erant autem res Mancipi, *quæ antiquitùs & vel ante tempus Legis XII Tabul. habebantur pretioſiores: ut videre eſt ex ipsâ earum enumeratione ibidem ab Ulpiano factâ.* Mancipi res ſunt, prædia in Italico ſolo (*c*); tam ruſtica, qualis eſt fundus; quàm urbana, qualis domus. Item jura prædiorum ruſticorum (*d*); velut via, iter, actus, aquæductus. Item ſervi (*e*); & quadrupedes quæ dorſo collo-ve domantur, velut boves, muli, equi, aſini. Elephanti & cameli (*f*), quamvis collo dorſo-ve domentur, nec Mancipi ſunt; quoniam Beſtiarum numero ſunt. *d. tit.* § 1.

Mancipatio locum habet inter Cives Romanos, & Latinos colonarios (*g*), Latinoſque Junianos, eoſque peregrinos quibus commercium datum eſt. *d. tit.* 4.

Commercium eſt emendi vendendique invicem jus. *d. tit.* § 5.

Res mobiles, nonniſi præſentes mancipari poſſunt, & non plures quàm quæ manu capi poſſunt. Immobiles autem, etiam plures ſimul (*h*), & quæ diverſis locis ſunt, mancipati poſſunt. *d. tit.* § 6.

Ex his colligere eſt Mancipationem *fuiſſe actum legitimum, quo transferebatur certo ſolemnique ritu Civile ac perfectum Dominium rerum corporalium; quæ ideò ipſæ,* RES MANCIPI *dicebantur, quaſi* Manucaptæ.

II.

Poſt Mancipationem Ulpianus refert traditionem. Traditio propriè eſt alienatio rerum Nec mancipi [Harum] rerum (*i*) dominia, ipsâ traditione apprehendimus: ſcilicet ſi ex juſtâ causâ traditæ ſunt nobis. *d. tit.* § 7.

III.

Uſucapione Dominia adipiſcimur, tam mancipi rerum quàm nec mancipi. *d. tit.* § 8.

De hâc infrâ Tit. III.

IV.

In Jure ceſſio quoque communis alienatio eſt, & mancipi rerum, & nec mancipi: quæ fit per tres perſonas in Jure cedentes, vindicantes, addicentes. *d. tit.* § 9.

In Jure cedit dominus, vindicat is cui ceditur, addicit Prætor. *d. tit.* § 10.

In Jure cedi res etiam incorporales poſſunt; velut uſusfructus, & hereditas, & tutela legitima, & libertas. *d. tit.* § 11.

Ceſſione ſcilicet factâ domino proprietatis, Uſusfructus *proprietati conſolidatur: ut vidimus ſuprà lib.* 7. *Tit.* Quib. mod. uſusfr. amitt. *N.* 24.

De ceſſione autem Hereditatis, *ſuprà lib.* 18. *Tit.* de Hered. vend. *Append. ad Sect.* 1.

Item Tutelam Legitimam *fœminarum in Jure cedi poſſe, diximus in Append. ad libros de Tutelis, N.* 3.

Denique ceditur in Jure Libertas, *per manumiſſionem quæ fit Vindictâ ante Prætorem. Cedit hanc manumiſſor, vindicat manumiſſus, Prætor addicit.*

Res autem corporales quotiens ſingulæ in Jure ceſſæ ſunt, tranſeunt ad eum cui ceſſæ ſunt (*k*). *d. tit.* § 15.

In Jure autem ceſſio fit hoc modo apud Magiſtratum Populi Romani, vel apud Prætorem, vel apud Præſidem provinciæ. Is cui res in Jure ceditur, rem tenens ita vindicat: HUNC EGO HOMINEM (*l*) EX JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AIO. Deinde poſtquàm hic vindicaverit, Prætor interrogat eum qui cedit, an contrà vindicet: quo negante, aut tacente, tunc ei qui vindicaverit eam rem addicit (*m*). Idque Legis actio vocatur. *Ex* FRAGM. CAII *apud* BOETH. *lib.* 3. *in Top. Cic.*

V.

Adjudicatione Dominia nanciſcimur, per formulam FAMILIÆ ERCISCUNDÆ quæ locum habet inter coheredes; & per formulam COMMUNI DIVIDUNDO cui locus eſt inter ſocios; & per formulam FINIUM REGUNDORUM quæ eſt inter vicinos. Nam ſi judex (*n*) uni ex heredibus aut ſociis aut vicinis rem aliquam adjudicaverit; ſtatim illi Adquiritur, ſive mancipi ſive nec mancipi ſit. ULP. FRAGM. *tit.* 19. § 16.

VI.

LEGE nobis Adquiritur; velut caducum (*o*), vel ereptitium (*p*), ex Lege Papiâ-Poppeâ; item legatum (*q*), ex Lege XII. Tabularum: ſive mancipi res ſint, ſive nec mancipi. *d. tit.* § 17.

VII.

AUCTIO *etiam erat modus Acquirendi Dominii Jure Civili. Auctione ſcilicet acquirebantur quæcumque publicè proclamante præcone, præſente atque addicente Magiſtratu ſub haſtâ emebantur.*

Dicta eſt AUCTIO, *quia res ei addici ſoleret qui plurimùm augeret: undè* Auctor *dicebatur, qui emerat; & jus auctione quæſitum,* Auctoritas; *quod deinde vocabulum, ad omne Dominii jus quocumque titulo Adquiſitum porrectum eſt: ut præclarè obſervat Sigonius* de Antiq. Jur. Civ. *I.* 11.

SUB HASTA *verò emi dicitur, quia in loco ubi fiebant hæ venditiones, haſta erat defixa. Hinc Feſtus (in Verb. HASTÆ):* « Haſtæ ſubjiciebantur ea quæ publicè » venumdabant; quia ſignum (*ſolemnis cujuſlibet rei*) » præcipuum eſt haſta ». *Et apud Ciceronem, Phillip. II.* » Haſtâ poſitâ pro æde Jovis Statoris, bona Cn. Pompeii- » Magni voci acerbiſſimæ ſubjecta præconis. » *Indè & paſſim* Haſta *pro ipsâ* Auctione.

VIII.

Affinis eſt EMPTIO SUB CORONA; *quam Varro, inter legitimos Adquirendi Dominii modos recenſet, ſimul cum Mancipatione, In jure ceſſione, Uſucapione:* de Re ruſt. *II.* 10.

Nimirùm victis hoſtibus præda publicè vœnibat; & in hâc quoque captivi (r), qui venditi in ſervitutem detrudebantur. Venales porrò hi homines coronati proſtabant (s): & in hè emptio rei cujuſlibet è prædâ bellicâ, EMPTIO SUB CORONA *dicta eſt.*

(*a*) Id eſt, earum rerum duntaxat, quæ *Mancipi* dicuntur.

(*b*) De *libripende* & veteris ſolemnitatibus Mancipationis, ſatis diximus lib. ff. 1. Tit. *de Statu hom.* N. 21. Not. (*e*). Tit. *de Adoptionib.* N. 8. item in Commentario noſtro ad XII. Tabul. Hic unicè notandum quòd etſi ex causâ donationis, dominium rei tranferretur; unum tamen aut alterum nummum quaſi in rei pretium dari exigebat Mancipationis ſolemnitas, ab eo cui res mancipabatur: ideòque ſemper adhibebatur *Libripens.*

(*c*) Nam prædiorum provincialium privati non habent niſi Dominium *Utile.* Ea poſſident ſub onere tributi aut ſtipendii, ſolvendi in recognitionem veri dominii quod apud Populum aut Principem ſit. Cum igitur à privatis non poſſideantur jure Civilis ac directi Dominii; in ea mancipatio non cadit. Cæterùm prædia etiam extrà Italiam in eo ſolo ſita cui jus Italici ſoli conceſſum eſt, rebus *Mancipi* annumerantur.

(*d*) Non Urbanorum; quia cùm hæc magis ſuperficiei quàm ſolo cohæreant, inter res SOLI non habentur.

(*e*) Eo tempore quo diſtinctio rerum Mancipi & Nec mancipi excogitata eſt; cùm Romani agriculturæ dediti eſſent, necdum luxus Romam pervenerat; *Servi* & *Quadrupedes* fuêre inter res mobiles pretioſiſſimæ; & ideò cum rebus ſoli, à Veteribus inter res mancipi collocatæ.

(*f*) *Elephanti* & *Cameli* his antiquis temporibus erant incogniti; adeòque inter res Mancipi tunc quum illa diſtinctio uſurpari cœpit, collocari non potuerunt. Quòd ſi quis dicat contineri eos ſub genere Quadrupedum quæ dorſo domantur: peculiari tamen ratione ait Ulpianus, eos non poſſe inter res mancipi numerari; quoniam *Beſtiarum* numero ſunt. Beſtiarum autem dominium haberi non poteſt niſi imperfectum; quod eò uſque duntaxat durat, quoad ſub noſtrâ cuſtodiâ ſunt: ut infrà videb. Part. 3*â*. Porrò res mancipi non ſunt, niſi illæ quarum civile ac perfectum perpetuumque dominium transferri ſolet. Undè Boethius in Topic. Cicer. « *Res Nec mancipi dicuntur, partim quæ ſui juris & » liberæ ſunt; partim quæ dominio* SEMPER *non ſunt ſubjectæ.* »

(*g*) Qui fuerint, vide ſup. d. Tit. *de Statu hom.* N. 21.

(*h*) Poterat enim V. G. quis manu tenere plures & ex diverſis fundis glebas, quæ totidem fundos repræſentent.

(*i*) Aliter Cujacius emendat: *Traditio propria eſt alienatio rerum nec mancipi. Nec mancipi rerum dominia &c.* Igitur ſi res MANCIPI ſimpliciter tradatur; Dominium civile non transferetur, ſed naturale duntaxat: traditio circa eas res non eſt modus Acquirendi Dominii Jure Civili, ſed duntaxat ex Jure Gentium. At circa res NEC MANCIPI, traditio rectè inter modos Acquirendi Dominii ex Jure Civili refertur.

(*k*) Ita Cujacius. Vulgò *cui ceſſa eſt hereditas*, nullo ſenſu.

(*l*) Exempli causâ. Idem dic de aliâ re quâlibet.

(*m*) Hâc ferè uſus formulâ: QUANDO TU NEGAS, HANC EGO REM PRÆSENTI ET VINDICANTI ADDICO. Heinec. *Antiq. Rom.* lib. 2. tit 1.

(*n*) In his duntaxat judiciis, Sententia judicis vim habet transferendi Dominii: quod in aliis caſibus, non in vim Sententiæ, ſed per ejus executionem poſſeſſione demùm corporaliter adprehensâ transfertur.

(*o*) *Caduca* ſunt hereditates aut res legatæ quæ ab herede legatario-ve, quum ante apertas tabulas moritur, cadere intelliguntur. Harum rerum dominium Lex in fiſcum transfert, aut in eas perſonas in quibus Jus antiquum ſervatur: ut vid. Tit. *de Legatis* Part. 5*â*.

(*p*) *Ereptitium* appellat, quod aliter appellatur *In causâ caduci*: d. tit. ibid.

(*q*) Rerum *Per vindicationem* legatarum Dominium, Lex in legatarium transfert: d. tit. *de Legat.* Part. 3*â*.

(*r*) Captivorum ſub coronâ venditorem frequens mentio apud Hiſtoricos: Cæſar. *de Bell Gall.* III 7. Flor. *Hiſt.* IV 12.

(*s*) *Antiquitùs mancipia jure belli capta, coronis inducta vœniebant; & ideircò dicebantur ſub coronis vœnire*: Gell. VII 4. Ibidem Gellius aliam etymologiam refert; nimirùm quòd corona militum cuſtodiæ causâ hos captivorum greges circumſtabat. Sed priorem etymologiam, quæ Sabini Juriſconſulti eſt, veriorem aſſerit.

Source : BIU Cujas

SECUNDA PARS.

De perſonis per quas Dominium Acquirimus.

LXV.

Adquiruntur Dominia rerum nobis non ſolùm per noſmetipſos, ſed etiam per eos quos in poteſtate habemus, item per ſervos in quibus uſumfructum habemus, item per homines liberos & ſervos alienos quos bonâ fide poſſidemus. De quibus ſingulis diligentiùs diſpiciamus. *l.* 10. GAIUS LIB. 2. INSTITUT.

Quæ ut certâ methodo tractentur, agemus 1°. *De filiis aut ſervis poteſtati noſtræ ſubjectis:* 2°. *De ſervis communibus:* 3°. *De ſervis hereditariis:* 4°. *De his in quibus uſumfructum aut uſum habemus:* 5°. *De ſervis alienis aut liberis hominibus quos bonâ fide poſſidemus.*

Videbimus 6°. *an per extraneas quoque perſonas aliquid nobis Acquiri poſſit.*

ARTICULUS I.

De filiis aut ſervis noſtræ poteſtati ſubjectis.

Hîc filiosfamilias à ſervis non eſſe diſtinguendos patet; cùm eadem ſit Juris ratio.

LXVI.

Igitur quod ſervi noſtri ex traditione nanciſcuntur, ſive quid ſtipulentur, vel ex quâlibet causâ adquirunt, id nobis Adquiritur. Ipſe enim QUI IN POTESTATE ALTERIUS EST, NIHIL SUUM HABERE POTEST. Ideòque ſi heres inſtitutus ſit, niſi noſtro juſſu hereditatem adire non poteſt; &, ſi jubentibus nobis adierit, hereditas nobis Adquiritur, perindè atque ſi nos ipſi heredes inſtituti eſſemus. Et his convenienter ſcilicet, legatum nobis per eumdem Acquiritur. *d. l.* 10. § 1.

Hinc Si is qui in alienâ poteſtate eſt, theſaurum invenerit: in perſonâ ejus cui adquirit, hoc erit dicendum; ut, ſi in alieno agro invenerit, partem ei Adquirat (*a*); ſi verò in parentis domini-ve loco invenerit; illius totus ſit, [ſi autem in alieno, pars.] *l.* 63. TRYPHON. LIB. 7. DISPUTAT.

LXVII.

Ut autem per eos quos in poteſtate habemus, nobis Acquiratur, ſcientia noſtra non eſt neceſſaria. Quin Etiam invitis nobis per ſervos Acquiritur, penè (*b*) ex omnibus cauſis. *l.* 32. GAIUS LIB. 11. AD ED. PROVINC.

Cæterùm ut is qui alieni Juris eſt, patri domino-ve Acquirat: oportet ut in accipiendo, vel nullam mentionem fecerit perſonæ cui accipit, vel ſibi domino-ve aut patri ſe accipere dixerit: in eo autem quod alteri nominatim accipit, nihil agit.

Igitur Quod unius ſervus per traditionem accipiendo, ſe accipere dixerit domino & Titio; partem domino Acquiret, in parte nihil agit. *l.* 37. §4. JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

ARTICULUS II.

De ſervis communibus.

§ I.

Servum communem dominis ſuis regulariter pro portione dominii Acquirere.

LXVIII.

Hinc V. G. Si ſervus plurium ſit; pro dominii portione legatum ei relictum Adquiret. *l.* 50. *ff. Legatis* 1°. ULP. LIB. 24. AD SABIN.

Item Si communis ſervus in alieno invenerit, utrùm pro dominii partibus, an ſemper æquis Adquiret? Et ſimile eſt atque in hereditate vel legato, vel quod ab aliis donatum ſervo traditur: quia & theſaurus donum fortunæ creditur; ſcilicet ut pars quæ inventori cedit, ad ſocios pro quâ parte ſervi quiſque dominus eſt pertineat. *l.* 63. § 1. TRYPHONIN. LIB. 7. DISPUT.

LXIX.

Quinetiam Communis ſervus ſi ex re alterius dominorum acquiſierit, nihilominùs commune id erit. *l.* 45 GAIUS LIB. 7. AD ED. PROVINC.

Nota. Sed is ex cujus re acquiſitum fuerit, COMMUNI DIVIDUNDO judicio eam ſummam præcipere poteſt. Nam fidei bonæ convenit, ut unuſquiſque præcipuum habeat; quod ex re ejus ſervus adquiſierit. Sed ſi aliundè ſervus communis adquiſierit, omnibus ſociis pro parte dominii hoc Adquiritur. *d. l.* 45. ¶ *ſed is.*

Servum, etiamſi ex re unius acquirat, omnibus dominis Acquirere docet pariter Paulus. Ita ille : Sed ut ſequens quæſtio locum habeat, conſtituamus ſocium ita ſervo communi pecuniam donaſſe, ut proprietatem ſuam manere vellet; ſi ex hâc pecuniâ ſervus fundum comparaverit, erit is fundus communis ſociorum pro portione dominii. Nam & ſi furtivis nummis ſervus communis fundum comparaverit, ſociorum erit pro portione dominii. Neque enim ut fructuarius ſervus ex re fructuarii non adquirit proprietario, ita & communis ſervus ex re alterius domini non adquirit alteri domino. Sed quemadmodum in his quæ aliundè adquiruntur, diverſa conditio eſt fructuarii & ſervi communis; (veluti cùm alter fructuario non adquirat; alter dominis acquirat): ita quod ex re quidem fructuarii adquiſitum fuerit, ad eum ſolùm pertinebit; quod ex re alterius domini ſervus communis adquiſierit, ad utrumque dominum pertinebit. *l.* 37. § 2. JULIAN. LIB. 44.

§ II.

Servum communem quibuſdam caſibus uni duntaxat ex dominis Adquirere.

LXX.

V. G. Sicut ſervus communis ſtipulando nominatim alteri ex dominis, ita per traditionem accipiendo, ſoli ei (*c*) Adquirit. *d. l.* 37. § 3.

Quid Juris autem in ſpecie ſequenti? Si communis ſervus in domini unius fundo proprio invenit; de parte quæ ſoli domino ſemper cedit, non eſt dubium quin ſolius domini prædii ſit. Verùm an aliquid ex parte ferat alter ſocius, videndum eſt? & numquid ſimile ſit, atque quum ſtipulatur ſervus juſſu unius domini, aut per traditionem aliquid accipit; vel nominatim alteri? Quod (*d*) magis dici poterit. *l.* 63. § 3. TRYPHONIN. LIB. 7. DISPUT.

(*a*) Ei in cujus poteſtate eſt: altera autem pars ejus eſt, cujus eſt ſolum; ut vid. ſuprà N°. 9. Redundant proindè ultima verba hujus legis.

(*b*) Dicit *penè*: nam hereditas nobis invitis per ſervos non Adquiritur, nimirùm ob onera hereditaria.

(*c*) Cæteris dominis ex hâc causâ Acquirere non poteſt. Nam ut modò diximus N. 67. non poſſet eis acquirere, niſi aut ipſis quoque nominatim, aut impersonaliter, aut ſibi acciperet.

(*d*) Quidam putant hoc referri, non ad id quod immediatè præcedit? ſed ad id quod paulo antè dixit; *an aliquid ex parte ferat alter ſocius*, Hæc interpretatio recedit quidem à ſenſu obvio verborum; ſed magis conſona videtur rationi Juris. Cur enim ſervus ille ſoli domino cujus eſt fundus, acquireret hanc partem quæ ratione inventionis, non ratione fundi acquiritur? Maximè cùm etiam ea quæ ex re unius domini ſervus acquirit, omnibus acquirat.

Source : BIU Cujas

LXXI.

Item quum ea res eſt quæ uni ex dominis acquiri non poteſt; hoc caſu eam in ſolidum alteri domino Acquirit. V. G. Quod unius domini eſt, alteri in ſolidum Acquiretur.

Hinc Si duo (*a*) domini ſervo communi tradiderint, Acquirit alteri ab altero. *l.* 17. ULPIAN. LIB. I. AD SABIN.

Hâc in re tamen quædam diſtinctio adhibenda. Etenim Si unus ex dominis ſervo communi pecuniam donavit, in poteſtate domini eſt quemadmodum ſervo communi pecuniam donet. Nam ſi hoc ſolùm egerit ut ea ſeparetur à ſuis rationibus, & in peculio ſervi ſit; manebit ejuſdem domini proprietas: ſi verò eo modo pecuniam ſervo communi donaverit, quo modo alienis ſervis donare ſolemus: fiat ſociorum (*b*) communis pro portione quam in ſervo habebunt. *l.* 37. § 1. JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

LXXII.

Sequenti quoque caſu qui ſuperiori affinis eſt, ſervus communis duntaxat uni duorum dominorum Acquiret: videlicèt quum ſervo communi, contemplatione unius duntaxat domini donatur. Nec enim poteſt contra voluntatem tradentis, hoc alteri Acquirere.

Qui mihi donatum volebat, ſervo communi meo & Titii rem tradidit. Servus vel ſic accepit, quaſi ſocio Adquiſiturus; vel ſic, quaſi mihi & ſocio. Quærebatur quid ageretur? Et placet, quamvis ſervus hâc mente acceperit, ut ſocio meo, vel mihi & ſocio adquirat; mihi tamen Adquiri (*c*). Nam & ſi procuratori meo hoc animo rem tradiderit ut mihi adquirat, ille quaſi ſibi adquiſiturus acceperit; nihil agit in ſuâ perſonâ, ſed mihi Acquiri (*d*). *l.* 13. *ff. de Donat.* ULPIAN. LIB. 7. DISPUTAT.

ARTICULUS III.

De ſervis hereditariis.

LXXIII.

Quotiens ſervus hereditarius ſtipulatur; vel per traditionem accipit; ex perſonâ defuncti, vires conſumit (*e*): ut Juliano placet, cujus & valuit ſententia: teſtantis perſonam ſpectandam, eſſe opinantis. *l.* 33. § *fin.* ULP. LIB. 4. DISPUT.

HEREDITAS enim NON HEREDIS PERSONAM, SED DEFUNCTI SUSTINET; ut multis argumentis Juris Civilis comprobatum eſt. *l.* 34. IDEM LIB. 4. DE CENSIBUS.

Hinc HEREDITAS IN MULTIS PARTIBUS JURIS, PRO DOMINO HABETUR; adeòque hereditati quoque ut domino per ſervum hereditarium Adquiritur. *l.* 61. HERMOGEN. LIB. 6. JURIS EPITOMAR.

LXXIV.

In his ſanè in quibus factum perſonæ operæ-ve ſubſtantia deſideratur, nihil hereditati quæri per ſervum poteſt. Ac propterea, quamvis ſervus hereditarius heres inſtitui poſſit; tamen, quia adire jubentis domini perſona deſideratur, heres expectandus eſt. *d. l.* 61. ¶ *in his.*

Item Uſusfructus qui ſine perſonâ conſtitui non poteſt, hereditati per ſervum non adquiritur. *d. l.* 61. § 1.

LXXV.

In eo quod ſervo caſtrenſi ante aditam hereditatem filiifamilias militis legatur, vel eo quod ſtipulatur ſervus; tractatur apud Marcellum libro viceſimo, Ex cujus perſonâ vel ſtipulatio vires habeat vel legatum? Et puto verius, quod & Scævolæ videtur, quod & ipſe Marcellus tractat? Si quidem adeatur hereditas, omnia ut in hereditario ſervo; ſi adita non ſit, ut in proprio patris eſſe ſpectanda. Et ſi uſusfructus fuerit huic ſervo relictus, modò patri videri delatum, modò heredi: nec à perſonâ in perſonam creditur tranſiiſſe. *l.* 33. ULP. LIB. 4. DISPUT.

Obiter nota. Eâdem diſtinctione quis utetur etiam, ſi res (*f*) fuerit ſubtracta. Aut ceſſare, aut non, Furti actionem dicet; ſi ex teſtamento adierit; quoniam hereditati furtum non fit; aut ſi non adierit, patri dabitur Furti actio: nam & Condictio. *d. l.* 33. § 1.

Papinianus autem differentiam faciebat, inter ſtipulationem ab hoc ſervo factam, & legatum ei relictum. Poſtquàm enim dixit: Filius familias miles ſi captus apud hoſtes vitâ fungatur, Lex Cornelia ſubveniet ſcriptis heredibus; quibus ceſſantibus, jure priſtino peculium pater habebit. *l.* 14. *ff. de Caſtr. pecul.* PAPINIAN. LIB. 27. QUÆST.

Statim ita ſubjicit: Proxima ſpecies videtur, ut ſcriptis heredibus deliberantibus, quod ſervus interim ſtipulatus eſt, vel ab alio ſibi traditum accepit; quod quidem ad patris perſonam attinet, ſi fortè peculium apud eum (*g*) reſederit, nullius momenti videatur (*h*); cùm in illo tempore non fuerit ſervus patris: quod autem ad ſcriptos heredes; in ſuſpenſo fuiſſe traditio, itemque ſtipulatio intelligatur: ut enim hereditarius fuiſſe credatur, poſt aditam (*i*) fit hereditatem. Sed (*k*) paterna verecundia (*l*) nos movet; quatenùs & in illâ ſpecie ubi Jure priſtino apud patrem peculium remanet, etiam Adquiſitio ſtipulationis, vel rei traditæ, per ſervum (*m*) fiat. *d. l.* 14. § 1.

Putabat quidem Papinianus, ſtipulationem hujus ſervi, dum ſcriptus heres deliberaret factam, eo caſu quo poſtea repudiaret, eſſe prorsùs inutilem, nec ex eâ poſſe patri acquiri; & eâ in re ab Ulpiano notatus videtur. De legato autem quod huic ſervo relictum eſſet, Papinianus aliter ſtatuebat. Ita enim pergit: Legatum quod ei ſervo relictum eſt, quamvis tunc propter incertum (*n*) nulli ſit adquiſitum; omiſſo teſtamento, patri tunc primùm per ſevum Adquiretur (*o*): cùm, ſi fuiſſet exemplo

(*a*) Suſpicior hîc mendum irrepſiſſe, & ita legendum; *Si duo dominus ſint, unus ſervo communi rem tradiderit &c.*

(*b*) Cæterorum *ſociorum.*

(*c*) Scilicet quum ratum habuero. Dices: Imò ſuprà N. 56. ex l. 37. § 6. h. tit. dicitur hoc caſu *nihil agi.* Vide ibi ſolutionem.

(*d*) Nam meo nomine, non nomine procuratoris, res procuratori meo tradita eſt; adeòque ex hâc traditione mihi quum ratum habuero adquiretur. Nec obſtat quod dicitur, in l. 39. ff. *de Furtis*; pecuniam manere debitoris, quum procurator creditoris cui debitor ſolvi volebat, eam ſuo nomine accepit. Manet enim ejus, niſi creditor ratum habeat. Vide Struvium *Exercit.* 41. Theſ. 5. Quæſt. 7.

(*e*) Id eſt, omninò ſumit.

(*f*) Si res hujus peculii caſtrenſis fuerit ſubtracta, dum pendet an heres aditurus ſit ex teſtamento filii; pendebit actio *Furti*: nam ceſſabit, ſi heres adeat hereditatem; quia hoc caſu hereditas fuit, cui furtum fieri intelligi non poteſt; ſed erit locus actioni *Expilatæ hereditatis*: ut videb. Tit. *Expil. hered.* infrà lib. 47. Quòd ſi heres omittat hereditatem, non ceſſabit actio *Furti*; ſed patri competet: quia hoc caſu hereditas non fuit, ſed res ſemper penès patrem remanſiſſe creditur.

(*g*) Repudiante ſcripto filii herede.

(*h*) Nec enim ſervus ille ex hâc ſtipulatione aut traditione potuit Acquirere patri, cùm nondum eſſet ſervus patris; nec hereditati filii; quia, cùm repudiata fuerit, jam videtur nulla fuiſſe ejus hereditas, ſed remanſit peculium: non autem receptum eſt ut peculium vicem perſonæ ſuſtineat, & peculio acquiri poſſit; quemadmodum circa hereditatem receptum eſt.

(*i*) Scilicet aditâ à ſcriptis heredibus filii hereditate, fit ut filii hereditas fuerit; adeòque ut is ſervus, fuerit ſervus hereditarius; & conſequenter ut ejus ſtipulatio ſicut & traditio ei facta quæ in ſuſpenſo fuerant, confirmentur, & ex his jus hereditati filii acquiſitum videatur.

(*k*) Cujacius cenſet hic incipere notam Ulpiani, emendantis ſententiam Papiniani.

(*l*) Obſervantia [*l'égard que méritent les peres*]. Quæ ratio efficit ut non ſtrictè, ſed benignè de eorum jure reſponderi oporteat; & ut quodammodò *erubeſcamus* contra eos pronuntiare.

(*m*) Patri, cujus hic ſervus retrò ſemper fuiſſe intelligitur.

(*n*) An futura ſit filiifamilias hereditas, an ſcripti heredes eam adituri ſint.

(*o*) Eo caſu quo teſtamentum poſteà omittitur; ſtipulationem ſervi, traditionem-ve ei ſervo dum ſcriptus heres deliberat, factam, dixit Papinianus eſſe prorsùs inutilem. Hic autem dicit legatum ei ſervo relictum acquiri hoc caſu patri; non quidem retrò ex die apertarum tabularum quibus hoc legatum relictum eſt: ſed *tunc primùm*, ex quo omiſſo filii teſtamento ſervus ille apud patrem jure peculii remanſit. Ratio autem differentiæ hæc Papiniano viſa eſt; quòd ſtipulationes & traditiones nonniſi ex præſenti & quaſi ex inſtanti quo interponuntur vires accipiant: cùm igitur tunc ſervus non fuerit patris, non potuit per eum patri acquiri. At faciliùs producitur dies ceſſionis legati, ad tempus quo conſtabit cujus fuerit ſervus cui legatum relictum eſt. Igitur *tunc primùm* quum omiſſo teſtamentum dominium ſervi in ſuſpenſo eſſe deſinit, & fit ſervus patris; legati huic ſervo relicti dies cedit, & Acquiritur patri. Nec novum eſt ut producatur dies legati Servo hereditario relicti. Vide exemplum ſuprà Tit. *de Legatis* N. 278.

Source : BIU Cujas

hereditatis peculium adquisitum, jus patris hodie (*a*) non consideraretur. *d. l.* 14. § 2.

ARTICULUS IV.

De servis in quibus usumfructum, & de iis in quibus usum simpliciter habemus.

§ I.

De servis fructuariis.

LXXVI.

Diximus de servis alicujus propriis, aut in solidum, aut saltem pro parte.

De his autem servis in quibus tantùm usumfructum habemus, ita placuit; ut quidquid ex re nostrâ, vel ex operibus suis adquirant, id nobis Adquiratur. Si quid verò extrà eas causas persecuti sint, id ad dominum proprietatis pertinet. Itaque si is servus heres institutus sit, legatum-ve quid aut ei donatum fuerit; non mihi, sed domino proprietatis, Adquiritur. *l.* 10. § 3. GAIUS LIB. 2. INSTITUT.

Videndum igitur quando ex re nostrâ operis-ve suis servus in quo usumfructum habemus, acquirere videatur; & quando aliundè.

LXXVII.

Ex re fructuarii etiam id intelligitur, quod ei fructuarius donaverit concesserit-ve; vel ex administratione rerum ejus, compendii servus fecerit. *l.* 31. *ff. de Usufr. & quemadmod.* PAUL. LIB. 10. AD SABIN.

Et quidem Quod fructuarius ex re suâ donat, ex re ejus est. Sed si eo animo id fecerit ut ad proprietatis dominum pertineat; dicendum est, illi (*b*) Adquiri.

Si autem extraneus ei (*c*) donet; INDISTINCTE soli proprietario Adquiritur. *l.* 49. IDEM LIB. 9. AD PLAUT.

Quod dicitur INDISTINCTE, *sic accipe; sive contemplatione domini sive solius servi contemplatione donet extraneus. Nam si donavisset aut reliquisset aliquid servo contemplatione fructuarii; hoc quasi ex re fructuarii videretur, & fructuario Acquireretur.*

Ita docet Ulpianus. Si servi ususfructus sit legatus, quidquid is ex operâ suâ acquirit, vel ex re fructuarii, ad eum pertinet: sive stipuletur, sive ei possessio fuerit tradita. Si verò heres institutus sit, vel legatum acceperit; Labeo distinguit, cujus gratiâ vel heres instituitur, vel legatum acceperit. *l.* 21. *ff. de Usufr. & quemadm.* ULP. LIB. 17. AD SABIN.

Sed & si quid donetur servo in quo ususfructus alterius est; quæritur quid fieri oporteat? Et in omnibus istis; si quidem contemplatione fructuarii aliquid ei relictum vel donatum est, ipsi Adquiret; sin verò proprietarii, proprietario; si ipsius servi, Adquiretur domino. Nec distinguimus undè cognitum eum, & cujus merito habuit qui donavit vel reliquit.

Sed & si conditionis implendæ causâ quid servus fructuarius consequatur, & constiterit contemplatione fructuarii eam conditionem adscriptam; dicendum est, ipsi Adquiri. Nam & in mortis causâ donatione, idem dicendum est. *l.* 22. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 18. AD SABIN.

Sed & si quid stipuletur (*quis*) sibi aut Sticho servo fructuario, donandi causâ; dum vult fructuario præstitum: dicendum, si ei solvatur, fructuario Adquiri (*d*). *l.* 25. *ff. d. tit.* IBID.

LXXVIII.

Quod ad operarum causam attinet; de quibusdam rebus quæsitum est, an ex operis proficisci videri debeant.

Et 1°. *de thesauro quærit Thryphoninus*: Quòd si servus in quo ususfructus alienus est, invenerit in ejus locum qui servum proprium habet; an totum illius sit: & si in alieno, an partem eidem Adquirat, an verò fructuario? Inspectio in illo est, num ex operis servi adquiratur. Finge terram fodientem inveniſſe, ut hoc dicatur fructuarii esse: quod verò subitò in abdito loco positum, nihil agens, sed aliter ambulans invenit; proprietatis domini sit. Ego nec illius (*e*) ad fructuarium pertinere partem arbitror: nemo enim servorum operâ thesaurum quærit; nec eapropter tunc terram fodiebat, sed alii rei operam insumebat, & fortuna aliud dedit. Itaque si in ipsius fructuarii agro invenerit; puto partem solam, ut agri dominum, habiturum; alteram ad eum cujus in servo proprietas est, pertinere. *l.* 63. § 3. TRYPHON. LIB. 7. DISPUTAT.

2°. *Multò magis hereditas quam servus adierit, ex operâ ipsius proficisci non videbitur. Igitur* Fructuario hereditas Adquiri non potest; quòd in operis servi, hereditas non est. *l.* 47. PAUL. LIB. 50. AD ED.

LXXIX.

Interdum pendet ex quâ causâ acquisiturus fuerit servus. Quo casu similiter pendebit, cui res Acquiretur.

Hujusce rei exemplum ex Gaio. Quum servus in quo alterius ususfructus est, hominem emit, & ei traditus sit; antequàm pretium solvat, in pendenti est cui proprietatem Adquisierit. Et quum ex peculio quod ad fructuarium pertinet, solverit; intelligitur fructuarii homo fuisse: quum verò ex eo peculio quod proprietarium sequitur, solverit; proprietarii ex post facto fuisse videtur. *l.* 43. § 2. GAIUS LIB. 7. AD ED. PROV.

Pariter Ulpianus. Interdum tamen in pendenti est, cui Adquirat iste fructuarius servus. Ut putà si servum emit & per traditionem accepit, necdum pretium numeravit, sed tantummodò pro eo fecit satis; interim cujus sit, quæritur? Et Julianus, libro trigesimo-quinto Digestorum, scribit; In pendenti esse Dominium ejus, & numerationem pretii declaraturum cujus sit. Nam si ex re fructuarii, retrò fructuarii fuisse. Idemque est & si fortè stipulatus sit servus, numeraturus pecuniam. Nam numeratio declarabit, cui sit adquisita stipulatio. Ergo ostendimus in pendenti esse Dominium, donec pretium numeretur.

Quid ergo si amisso usufructu, tunc pretium numeretur? Julianus quidem libro trigesimo-quinto Digestorum scripsit; Adhuc interesse undè sit pretium numeratum. Marcellus verò, & Mauricianus, amisso usufructu jam putant Dominium Adquisitum proprietatis domino. Sed Juliani sententia humanior est. *l.* 25. § 1. *ff. de Usufr. & quemadm.* ULP. LIB. 18. AD SABIN.

Cæterùm tunc demùm hæc sententia Juliani obtinere potest; quum durante adhuc usufructu, traditione secutâ, & fide de pretio habitâ, contigit quidquid ad Acquisitionem Dominii necesse est: ita ut id tantùm pendeat, cui erit adquisitum; quia incertum est ex cujus pecuniâ solvetur.

Extra hunc casum autem, Acquiri nullatenùs potest fructuario; ex cujus pecuniâ, demùm post amissum usumfructum, solvitur. Hinc idem Julianus ait: Si servus in quo ususfructus tuus erat, fundum emerit; & antequàm

(*a*) Sensus est: quòd si servus legatum acquireret peculio, sicut servus hereditarius acquirit hereditati jacenti; patri ad quem hoc peculium pertinere apparuit, legatum huic servo relictum, retrò censeretur acquisitum: sicque jus patris *non* duntaxat *hodie considerabatur*. Verùm cùm servus non acquirat peculio; dicendum putat Papinianus non potuisse per servum acquiri hoc legatum patri, nisi *hodie*; scilicet ex quo, omissâ à scriptis heredibus filii hereditate, servus peculii jure apud patrem remansit. Huic sententiæ Papiniani in hoc §°. contentæ censet Cujacius supplendam esse notam Ulpiani quæ est in §°. præced. & contra Papiniani sententiam dicendum in hâc specie, legatum non hodie duntaxat, sed retrò videri debere acquisitum patri; quemadmodum de stipulatione dictum est.

(*b*) Proprietario.

(*c*) Servo fructuario.

(*d*) Ex hâc stipulatione, nemini quidem jus ullum acquiritur per servum; cùm servus sit duntaxat adjectus solutionis gratiâ. Sed quum ex causâ hujus stipulationis id quod stipulatori debetur, fuerit huic servo solutum; servus hanc pecuniam acquiret fructuario; quia stipulator qui animo donandi servo, nec ab eo repetiturus, pecuniam ei solvi jussit, id feciſſe contemplatione fructuarii supponitur in hujus legis specie.

(*e*) Non solùm hujus quem *aliter ambulans* invenit; sed *nec illius* quem servus dum agrum fodit & fructuario operatur, invenit.

Source : BIU Cujas

pecunia numeraretur (*a*), capite minutus fuerit : quamvis pretium solveris, actionem Ex empto non habebis, propter talem capitis deminutionem ; sed Indebiti actionem adversùs venditorem habebis. Ante capitis autem minutionem nihil interest tu solvas, an servus ex peculio quod ad te pertinet : nam utroque casu actionem Ex empto habebis. *l.* 24. *ff. de Act. empt.* JULIAN. LIB. 15. DIGEST.

LXXX.

Vidimus per servum fructuario Acquiri, quod ex re ejus solutum est. Quòd si ex re utriusque pretium fuerit solutum ; ad utrumque, Dominium pertinere Julianus scripsit : scilicet pro ratâ pretii soluti.

Quid tamen si fortè simul solverit ex utriusque ? Ut putà decem millia pretii nomine debebat, & dena (*b*) solvit ex re singulorum : cui magis servus Adquirat ? Si numeratione solvit, intererit cujus priores nummos solvat : nam quos postea solverit ; aut vindicabit (*c*) ; aut, si fuerint nummi consumpti, ad Condictionem pertinet. Si verò simul in sacculo solvit, nihil fecit accipientis ; & ideò nondum Adquisisse quisquam Dominium videtur (*d*) : quia quum plus pretium solvit servus, non faciet nummos (*e*) accipientis. *Sup. d. l.* 25. *d.* § 1. *ff. de Usufr.* ¶ *quòd si ex re.*

LXXXI.

Observandum, ex his causis ex quibus fructuario acquiri diximus, interdum non ipsi sed domino proprietatis Adquiri.

Enimverò Fructuarius servus, si dixerit se domino proprietatis per traditionem accipere ex re fructuarii, totum domino Acquiret (*f*). Nam etsi stipulando ex re fructuarii, domino proprietatis Adquireret. *l.* 37. § 5. JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

LXXXII.

Quærendum superest, quinam hic servus fructuarius intelligatur ? Quod autem diximus ex re fructuarii vel ex operis posse Acquirere ; utrùm tunc locum habeat quotiens jure legati ususfructus sit constitutus, an & si per traditionem vel stipulationem vel alium quemcumque modum ; videndum ? Et vera est Pegasi sententia, quam & Julianus libro sexto-decimo secutus est ; Omni (*g*) fructuario Adquiri. *l.* 25. § *fin. ff. De Usufr. & quemadm.* ULP. LIB. 18. AD ED.

§ II.

De servo in quo usum duntaxat habemus.

LXXXIII.

Acquirimus per eum pariter ex re nostrâ ; at non ex operis ejus.

Hinc Ulpianus. Per servum usuarium si stipuler vel per traditionem accipiam ; an Adquiram quæritur, si ex re meâ, vel ex operis ejus ? Et si quidem ex operis ejus, non valebit : quoniam nec locare operas ejus possumus. Sed si ex re meâ ; dicimus servum usuarium stipulantem, vel per traditionem accipientem, mihi Adquirere ; cùm hâc operâ ejus utar. *l.* 14. *ff. de Usu. & habit.* ULP. LIB. 17. AD SABIN.

Igitur Servo cujus usum duntaxat, non etiam fructum habemus, potest & à nobis quid donari, vel etiam ex pecuniâ nostrâ negotiatum esse ; ut quidquid eo modo adquisierit, in peculio nostro sit. *l.* 16. § 2. *ff. d. tit.* POMPON. LIB. 5. AD SABIN.

Similiter Marcellus. Servus cujus mihi usus legatus est, Adquirit mihi si institor erit, & operis ejus utar in tabernâ. Nam mercibus vendundis, emendisque Adquirit mihi : sed & si jussu meo per traditionem accipiet. *l.* 20. *ff. d. tit.* MARCELL. LIB. 15. DIGEST.

ARTICULUS V.

De servis alienis, aut liberis hominibus, quos bonâ fide possidemus.

§ I.

Ex quibus causis per illos Adquiramus.

LXXXIV.

Qui bonâ fide alicui serviat, sive servus alienus est, sive homo liber est ; quidquid ex re ejus cui servit, adquirit, ei Adquirit cui bonâ fide servit. Sed & si quid ex operis suis adquisierit, simili modo ei Adquirit : nam & operæ quodammodo ex re ejus cui servit, habentur ; quia jure operas ei exhibere debet, cui bonâ fide servit. *l.* 23. ULP. LIB. 43. AD SABIN.

Consonat quod rescribunt Severus & Antoninus. Etiam per alienum servum bonâ fide possessum, ex re ejus qui eum possidet, vel ex operis servi, Acquiri Dominium vel obligationem placuit. Quare si tu quoque bonâ fide possedisti eumdem servum, & ex nummis tuis mancipia eo tempore comparavit ; potes secundùm juris formam uti defensionibus tuis. *l.* 1. *Cod. de Rei vindic.*

Quod ergo diximus de servo in quo usumfructum habemus, Item placet de eo qui à nobis bonâ fide possidetur ; sivè liber sit, sive alienus servus. Quod enim placuit de usufructuario, idem probatur etiam de bonæ fidei possessore.

Itaque quod extrà duas causas (*h*) acquiritur ; id vel ad ipsum pertinet, si liber est ; vel ad dominum ejus, si servus est. *l.* 10. § 4. GAIUS LIB. 2. INSTIT.

Et alibi idem Gaius. Servus qui bonâ fide possidetur, id quod ex re alterius est, possessori non Acquirit. *l.* 43. IDEM LIB. 7. AD ED. PROVINC.

Putabat autem Proculus hoc casu nec domino Adquiri. Nam Si servus meus tibi bonâ fide serviret, & rem emisset, traditaque ei esset ; Proculus (*i*) nec meam fieri, qui servum non possideam ; nec tuam, si non ex re tuâ sit parata. Sed si liber bonâ fide tibi serviens, emerit, ipsius fieri. *l.* 21. POMPON. LIB. 11. AD SABIN.

LXXXV.

Interdum & quum ex re possessoris liber homo acquirit, sibi Acquirit ; putà si illud sit quod possessori Acquiri non possit.

Enimverò Generaliter dicendum est ; Quod ex re SUA, hoc est ejus cui bonâ fide quis servit, ei adquirere non potest, sibi eum Adquisiturum (*k*). Quod autem non (*l*) ex re ejus, sibi adquirere non potest ; ei

(*a*) Aut fides habita esset de pretio. Secùs si habita esset : ut in specie præcedenti. Pacius rationem disparitatis inter utramque speciem aliundè petit ; nimirùm quòd in 1â. specie supponit ipsum servum qui contraxit, pretium numerasse post finitum usumfructum ; in hâc vero specie, numeratum esse ab eo qui desierat habere usumfructum, qui ex contractu servi in quo nihil jam juris habebat, perperàm solvit. Magis placet prior conciliatio.

(*b*) Scilicet decem ex re domini, & alia decem ex re fructuarii.

(*c*) Is scilicet cujus sunt nummi posteriori loco soluti.

(*d*) Servus nummos peculiares quos indebitè solvit, non facit accipientis ; nec enim dominus ei concedit perdere peculium. Cùm autem in hâc specie non possit discerni, qui nummi fuerint debiti, qui indebitè soluti, cùm simul in sacculo traditi fuerint ; mutuò sibi obstant quominùs in ullis solutio valeat, adeòque nihil fit accipientis.

(*e*) Ratio à pari. *Quum plus pretium solvit servus*, id est majus quàm quod debetur ; superfluum illud, utpotè indebitum, *non fit accipientis* : quia dominus servo non concedit perdere. Ita pariter in hâc specie.

(*f*) Nam hoc casu Acquiri fructuario non potest ; cùm nominatim alteri acceperit ; suprà N. 65.

(*g*) Ita omninò legendum, ex Basilicis ΠΑΝΤΙ ΤΩ ΤΗΝ ΧΡΗΣΙΝ ΕΧΟΝΤΙ Malè vulgò *omnia fructuario*. Vide Cujacium Observ. XI 36.

(*h*) Suprà dictas ; ex re nostrâ scilicet, & ex operis suis.

(*i*) Proculi sententiam à Sabinianis dissentientis, hic referri tantùm non probarī censet Cujacius Observ. XXV 4. Et magis placet hæc solutio : nam alii ut Proculum in aliorum Jurisconsultorum sententiam trahant, nil nisi contortas & à Proculi mente alienas hujus legis interpretationes afferunt.

(*k*) Putà si is homo prædium habeat, & ex pecuniâ ejus à quo possidetur emat jus viæ ad hoc prædium. Hoc jus non potest Acquiri ei à quo possidetur ; cùm nemo nisi domini prædii, jus servitutis Aquirere possit. Cùm ergo non possit ei acquirere, quamvis ex re ejus ; acquiret sibi.

(*l*) Hæc negatio quæ est in Florentinâ lectione, deest in Vulgatâ : & Vulgatam probat Cujacius Observ. IV 1. Ut sensus sit, liberum hominem ex re ejus cui bonâ fide servit, ei acquirere, sive ea res sit quam acquirere ipse potuisset, sive non : putà si ex pecuniâ ejus à quo possidetur, emerit jus viæ ad ejus fundum. Robertus Florentinam lectionem tuetur. Sed magis sequenda videtur sententia Cujacii : adversatur enim Juris Principiis, ut possessor per hominem aliundè quàm ex re suâ aut operis ejus acquirat.

Source : BIU Cujas

Adquisiturum, cui bonâ fide servit. *l.* 23. § 2. ULP. LIB. 43. AD SABIN.

LXXXVI.

Si quis duobus bonâ fide serviat, utrique Adquiret; sed singulis ex re suâ. Quod autem ex re alterius est; utrùm pro parte ei cui bonâ fide servit, pro parte domino si servus sit, aut si liber sit [sibi] (*a*) [ei cui bonâ fide servit]; an verò ei debeat Adquirere totum ex cujus re est, videamus?

Quam speciem Scævola quoque tractat libro secundo Quæstionum. Ait enim; Si alienus servus duobus bonâ fide serviat, & ex unius eorum re adquirat; rationem facere ut ei duntaxat, in (*b*) solidum, Adquirat. Sed si adjiciat ejus nomen ex cujus re stipulatur; nec dubitandum esse ait, quin ei soli Adquiratur: quia, etsi ex re ipsius stipularetur, alteri ex dominis nominatim stipulando, solidum ei Adquiret. Et in inferioribus (*c*) probat, ut quamvis non nominatim nec jussu meo, ex re tamen meâ stipulatus sit, quum pluribus bonâ fide serviret, mihi soli Adquirat. Nam & illud receptum est, ut QUOTIES communis servus omnibus adquirere non potest, ei soli eum Adquirere cui potest. Et hoc Julianum quoque scribere sæpè retuli; eoque Jure utimur. *d. l.* 23. § *fin.*

LXXXVII.

Ex his quæ diximus, liquet bonæ fidei possessori Adquiri ex iisdem demùm causis ex quibus fructuario. Sed bonæ fidei possessor quum usuceperit servum, quia eo modo dominus fit, ex omnibus causis per eum sibi Adquirere potest. Usufructuarius verò usucapere servum non potest: primùm quia non possidet, sed habet jus utendi-fruendi; deinde quoniam scit servum alienum esse. *l.* 10. § *fin.* GAIUS. LIB. INSTIT.

§ II.

Quando homo quem bonâ fide possidemus, ex re nostrâ aut ex operis suis, quando aliundè acquirere videatur.

LXXXVIII.

Liber homo qui bonâ fide mihi servit, id quod ex operis suis aut ex re meâ pararet, ad me pertinere sine dubio Aristo ait; quod verò quis ei donaverit, aut ex negotio gesto adquisierit, ad ipsum pertinere. Sed hereditatem legatum-ve non Adquiri mihi per eum; quia neque ex re meâ neque ex operis suis id sit, nec ulla ejus opera esset in legato (*d*): in hereditate aliquatenùs, quia per ipsum adiretur. Quod & Varium-Lucullum aliquando dubitasse. Sed verius esse non Adquiri, etiamsi testator ad me voluisset pertinere. *l.* 19. POMPON. LIB. 3. AD SABIN.

Nota. Sed licèt minimè ei Adquirit; attamen si voluntas evidens testatoris appareat, restituendam ei esse hereditatem. *d. l.* 19. ¶ *sed licèt.*

Obiter etiam nota, huic quæstioni de restitutione hereditatis, aliam præviam esse nimirùm an hereditatem illam quam domino putativo non adquirit, sibi ipsi ex hâc causâ Adquirat liber homo bonâ fide possessus. Quocirca dissensio fuit inter Jurisconsultos.

Sed Trebatius, si liber homo bonâ fide serviens, jussu ejus cui serviat hereditatem adiisset, heredem ipsum fieri; nec interesse quid senserit, sed quid fecerit. Labeo contrà, si ex necessitate id feciset: quòd si ita ut ipse vellet, ipsum fieri heredem. *d. l.* 19. ¶ *fin.*

Labeonis autem sententiam prævaluisse suprà vidimus lib. 29. *Tit.* de Adq. vel om. hered. *N.* 17.

LXXXIX.

Maximè autem ex re possessoris adquirit homo bonâ fide possessus, quum ipse possessor ei donat. Igitur hoc casu, quæ diximus in servo in quo usumfructum habeo; Eadem dicemus in homine libero, qui bonâ fide mihi servit: ut, si ei aliquid donaverim, meum sit. Et ideò Pomponius scribit; Quamvis donaverim ei operas suas, tamen quidquid ex operis suis aquiret, mihi Adquiri. *l.* 49. ¶ *eadem.* PAUL. LIB. 9. AD PLAUT.

§ III.

Qualis possessor ex his causis sibi per alterum Acquirat.

XC.

Is solus possessor per servum Acquirit, qui eum civiliter ex justâ cuusâ, bonâ fide possidet. Hinc Per servum qui pignori datus est, creditori nec possessio Adquiritur: quia nec stipulatione, nec mandatione, nec ullo alio modo per eum servum quidquam ei adquiritur; quamvis possessio penès eum (*i*) sit. *l.* 37. JULIAN. LIB. 44. DIGESTOR.

Hinc etiam Nemo servum vi possidens aut clàm aut precariò, per hunc stipulantem vel rem accipientem potest Adquirere. *l.* 22. ULP. LIB. 40. AD SABIN.

Item Per servum donatum à marito, nec ex re quidem ejus cui donatus est, Adquiri quicquam posse, Julianus scribit: hoc enim in eorum personâ concessum est, qui bonâ fide serviunt. *l.* 57. PAUL. LIB. 6. AD PLAUT.

XCI.

Non solùm justa causa, sed etiam bona fides requiritur. Mancipium autem alienum, malâ fide possidenti nihil potest Adquirere. Sed qui tenet; non tantùm ipsum, sed etiam operas ejus, necnon ancillarum partus, & animalium fœtus reddere cogitur. *l.* 1. § 1. *Cod. de Rei vindic.* SEVER. ET ANTONIN.

Quondam porrò tempore hæc bona fides requiratur in possessore ut per hominem quem possidet, Acquirat; ita breviter docet Ulpianus: Tandiù autem Adquirit, quandiù bonâ fide servit. Cæterùm si cœperit scire esse eum alienum, vel liberum: videamus, an ei Adquirit? Quæstio in eo est utrùm initium spectamus, an singula momenta? Et magis est ut singula momenta spectemus. *l.* 23. § 1. ULPIAN. LIB. 43. AD SABIN.

Hinc facilè solvitur quæstio apud Africanum proposita. Quæsitum est, si is cui liber homo bonâ fide serviret, decesserit; eique is heres extiterit, qui liberum eum esse sciat; an aliquid per eum Adquirat (*f*)? Non esse ait, ut hic bonâ fide possessor videatur, quando sciens liberum possidere cœperit; quia (*g*) & si fundum suum quis legaverit, heres qui eum legatum esse sciat, procul dubio fructus ex eo suos non faciet; & multò magis, si testator eum alienum bonâ fide emptum possidet. Et circa servorum igitur operam ac ministerium, eamdem rationem sequendam; ut sive proprii, sive alieni, vel legati, vel manumissi testamento fuerint; nihil per eos heredibus, qui modò eorum id non ignorarent Adquiratur. Etenim simul hæc ferè cedere; ut quo casu

(*a*) Hæc vox *sibi* pro his verbis quæ sequuntur [*ei cui bonâ fide servit*] omninò substituenda: ut observat Cujacius ad h. l. Aut saltem ita illa transponenda sunt, *aut si liber sit, sibi; an verò ei cui bonâ fide servit, debeat Acquirere &c.*

(*b*) Pro his verbis *in solidum* quæ ex emendatione alicujus incauti hominis in textu irrepserunt, rectè observat Cujacius [Observ. IV 1.] legendum IN PARTEM: ut evincitur ex l. 25. § 6. ff. *de Usufr.* in quâ hæc eadem species ex ipso Scævolâ ab eodem Ulpiano refertur; & ex quâ constat Scævolam in d. lib. 2°. *Quæstion.* partem domino, partem bonæ fidei possessori tribuisse. Cæterùm posteà sententiam ipse suam Scævola mutavit in melius: mox infrà ¶ *Et in inferioribus &c.*

(*c*) Scilicet in libro 13. Quæstionum, ex quo desumpta est lex 19. ff. *de Stipul. serv.* infrà lib. 45. d. tit.

(*d*) Acquiritur enim domino citra ullum factum servi legatarii, etiam eo ignorante & invito.

(*e*) Possidet quidem creditor, sed non civiliter, non tanquam suum: sed naturaliter duntaxat, & tanquam alienum.

(*f*) Ratio dubitandi quòd, ad usucapionis causam, bona fides defuncti heredi qui ipse scientiam rei alienæ habet, prodest. Contrarium tamen definitur: & ratio disparitatis est quòd, ad causam usucapionis initium duntaxat possessionis inspiciatur; an verò ex re quam possidemus aut per eam Acquiramus, inspicitur tempus quo acquiritur.

(*g*) Probat heredem qui bonâ fide possessori successit, quantùm ad hanc causam non esse ipsum bonæ fidei possessorem, si scientiam rei alienæ habet; quia nec talis haberetur, etiamsi ipsi domino successisset: ut liquet ex specie quam refert.

Source : BIU Cujas

fructus prædiorum consumptos suos faciat bonâ fide possessor; eodem per servum, ex operâ, & ex re ipsius, ei Adquiratur. *l.* 40. AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

XCII.

Vidimus per eum demùm hominem nos Acquirere, quem ex justâ causâ & bonâ fide possidemus.

Cæterùm non requiritur in eâ causâ esse nos, ut hominem usucapere possimus. Nam Etiam furtivus servus bonæ fidei emptori Adquirit, quod ex re ejus stipulatur, aut per traditionem accipit. *l.* 39. JULIAN. LIB. 3. EX MINICIO.

§ IV.

An per eum Acquiramus quem ut filium ex justo errore quasi-possidemus.

XCIII.

Justo errore ductus Titium filium meum & in potestate meâ esse existimavi, quum adrogatio non Jure interveniisset. Eum ex re meâ quærere mihi non existimo. Non enim constitutum est in hoc, quod in homine libero qui bonâ fide servit placuit. Ibi, propter assiduam & cottidianam comparationem servorum, ita constitui publicè interfuit: nam frequenter ignorantiâ liberos emimus. Non autem tam facilis frequens adoptio vel adrogatio filiorum est. *l.* 44. *ff. de Usurp. & usucap.* PAPIN. LIB. 23. QUÆST.

ARTICULUS VI.

De personis extraneis.

XCIV.

Regulariter per extraneam personam, id est juri nostro non subjectam, nobis Acquiri non potest.

Hæc regula fallit circa possessionem. Etenim Ea quæ civiliter adquiruntur, per eos qui in potestate nostrâ sunt, Adquirimus; veluti stipulationem: quòd naturaliter adquiritur, sicuti est possessio, per quemlibet volentibus nobis possidere, Adquirimus. *l.* 53. MODESTIN. LIB. 14. AD Q. MUCIUM.

Similiter Ulpianus. Si ego & Titius rem emerimus, ea Titio & quasi meo procuratori tradita sit; puto mihi quoque quæsitum Dominium. Quia placet per liberam personam omnium rerum possessionem quæri posse, & per hanc Dominium. *l.* 20. § 2. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

Hinc quum Labeo dixisset; Si epistolam tibi misero, non erit ea tua, antequàm tibi reddita fuerit: Paulus; Imò contrà. Nam si miseris ad me tabellarium tuum, & ego rescribendi causâ litteras tibi misero; simul atque tabellario tuo tradidero, tuæ (*a*) fient. Idem accidet in his litteris, quas tuæ duntaxat rei gratiâ misero; veluti si petieris à me utite alicui commendarem, & eas commendatitias tibi misero litteras. *l.* 65. LABEO LIB. 6. PITHANON A PAULO EPITOMAT.

Dictis consonat Neratius. Si procurator rem mihi emerit ex mandato meo, eique sit tradita meo nomine; Dominium mihi, id est proprietas, Adquiritur etiam ignoranti. *l.* 13. NERATIUS LIB. REGUL.

Et tutor pupilli, pupillæ, similiter ut procurator, emendo nomine pupilli, pupillæ, proprietatem illis Adquirit, etiam ignorantibus. *d. l.* 13. § 1.

XCV.

Quod dicitur, procuratorem mihi etiam ignoranti Acquirere, accipe de eo qui mandatum habebat. Cùm enim ipsi mandaverim Acquirere, volenti mihi Acquirit; quamvis ignorem an jam mandatum meum impleverit. Quòd si procurator sine mandato aliquid nomine tuo accipiat, non priùs perficitur acquisitio quàm ratum habueris.

Hinc Paulus. Si ego hâc mente pecuniam procuratori dem, ut ea ipsa creditoris fieret; proprietas quidem per procuratorem non Adquiritur: potest tamen creditor etiam invito me ratum habendo, pecuniam suam facere; quia procurator in accipiendo, creditoris duntaxat negotium gessit. Et ideò creditoris ratihabitione liberor. *l.* 24. *ff. de Negot. gest.* PAUL LIB. 24. AD ED.

Sed & ex mandato non aliter Acquirit procurator domino negotii, quàm si ejus nomine rem acceperit. Quòd si hanc proprio nomine accepit; non priùs domino negotii possessio Dominiumque rei quæretur, quàm ei procurator tradiderit. Et de hoc casu accipe quod ait Callistratus: Res ex mandatu meo empta, non priùs mea fiet quàm si mihi tradiderit qui emit. *l.* 59. CALLISTRAT. LIB. 2. QUÆST.

(*a*) Nam per tabularium tuo nomine & ex voluntate tuâ eas accipientem, Acquiris possessionem; per possessionem autem, Dominium.

TERTIA PARS.

Quibus modis Dominium amittatur.

Rei cujuslibet nos Dominium amittere palàm est, quum eam alteri ex justâ causâ tradimus: nec ulla circa hunc amittendi Dominii modum potest esse quæstio.

De aliis quibusdam modis hîc quærendum.

§ I.

De rebus quæ habentur pro derelictis.

XCIV.

Dominium etiam rei amittimus, quum eam eo animo abjicimus ut nostra non sit. Sed Proculus; Non desinere eam rem domini esse, nisi ab alio possessa fuerit. Julianus desinere quidem omittentis esse, non fieri autem alterius nisi possessa fuerit. Et rectè. *l.* 2. §. 1. *ff. Pro derel.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Circa hanc Dominii abjectionem; An pars pro derelicto haberi possit, quæri solet. Et quidem si in re communi socius partem suam reliquerit, ejus esse desinit; ut hoc sit in parte, quod in toto. Atquin (*a*) totius rei dominus efficere non potest, ut partem retineat, partem pro derelicto habeat. *l.* 3. *ff. Pro derel.* MODEST. LIB. 6. DIFFER.

XCVII.

Amittitur quidem Dominium rei quæ derelinquitur.

Alia causa est earum rerum, quæ in tempestate maris, levandæ navis causâ ejiciuntur. Hæ enim dominorum permanent, quia non eo animo ejiciuntur, quòd quis eas habere non vult; sed quòd magis cum ipsâ nave periculum maris effugiat. Quâ de causâ si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari nanctus, lucrandi animo, abstulerit; furtum committit. *l.* 9. § 8. GAIUS LIB. 8. RERUM COTTID. SIVE AUREOR.

Pariter Paulus. Res autem jacta, domini manet; nec fit adprehendentis, quia pro derelicto non habetur. *l.* 2. § 8. *ff. de Lege Rhodiâ.* PAUL. LIB. 34. AD. ED.

Similiter Javolenus. Quæcumque res ex mare extracta est; non ante ejus incipit esse qui extraxit, quàm

(*a*) Id est, & ita quidem in eo qui partis tantùm dominus est. Cæterùm *Totius &c.*

Source : BIU Cujas

dominus eam pro derelicto habere cœpit. *l.* 58. JAVOLEN. LIB. 11. EX CASSIO.

Item Julianus. Qui levandæ navis gratiâ res aliquas projiciunt, non hanc mentem habent ut eas pro derelicto habeant; quippè si invenerint eas, ablaturos; & si suspicati fuerint in quem locum ejectæ sunt, requisituros: ut perindè sint, ac si quis onere pressus in viam rem abjecerit, mox cum aliis reversurus, ut eamdem auferret. *l.* 8. *ff. de Lege Rhodiâ.* JULIAN. LIB. 2. EX MINICIO.

§ II.

De rebus nostris quæ à feris capiuntur.

XCVIII.

Sed nec Dominium amittitur ejus quod fera invaserit, quandiù recipi potest.

Hoc docet Ulpianus in specie sequenti. Pomponius tractat: Quum pastori meo lupi porcos eriperent; hos vicinæ villæ colonus cum robustis canibus & fortibus quos pecoris sui gratiâ pascebat, consecutus, lupis eripuit, aut canes extorserunt. Et quum pastor meus peteret porcos; quærebatur utrùm ejus facti sint porci, qui eripuit; an nostri maneant? Nam (*a*) genere quodam venandi id erant nancti. Cogitabat tamen; quemadmodum terrâ marique capta, quum in suam naturalem laxitatem pervenerant, desinerent eorum esse qui ceperunt; ita ex bonis quoque nostris capta à bestiis marinis & terrestribus, desinant nostra esse, quum effugerunt bestiæ nostram persecutionem. Quis denique manere nostrum dicit, quod avis transvolans, ex areâ aut ex agro nostro transtulit; aut quod nobis eripuit? Si igitur desinit; si fuerit ore bestiæ liberatum, occupantis erit: quemadmodum piscis vel aper vel avis, qui potestatem nostram evasit, si ab alio capiatur, ipsius fit. Sed (*b*) putat potiùs nostrum manere, tamdiù quamdiù reciperari possit; licèt in avibus, & piscibus, & feris, verum sit quod scribit. Idem ait; Et si naufragio quid amissum sit, non statim nostrum esse desinere: denique quadruplùm teneri eum qui rapuit. Et sanè melius est dicere; & quod à lupo eripitur, nostrum manere, quandiù recipi possit id quod ereptum est. Si igitur manet, ego arbitror etiam Furti competere actionem. Licèt enim non animo furandi fuerit colonus persecutus (quamvis & hoc animo potuerit esse,) sed etsi non hoc animo persecutus sit, tamen quum reposcenti non reddit, supprimere & intercipere videtur. Quare & Furti, & Ad exhibendum teneri eum arbitror; & vindicari, exhibito, ab eo porcos posse. *l.* 44. ULP. LIB. 19. AD ED.

§ III.

De rebus per occupationem quæsitis quamdiù nostræ maneant.

XCIX.

Singularis est modus amittendi Dominii rerum quæ, cùm naturâ suâ nullius essent, dominio nostro per occupationem subjectæ sunt. Earum enim Dominium amittimus, statim atque desinimus eas nobis occupare.

Hinc V. G. Illud videndum est, sublato ædificio quod in littore positum erat, cujus conditionis is locus sit? hoc est, utrùm maneat ejus cujus fuit ædificium, an rursùs in pristinam causam recidit; perindèque publicus sit, ac si nunquàm in eo ædificatum fuisset. Quod propius est ut existimari debeat, si modò recipit pristinam littoris speciem. *l.* 14. § 1. NERATIUS LIB. 5. MEMBRANAR.

Simili ratione: cùm animalia feræ naturæ, sint ex naturâ suâ res nullius; Dominii autem nostri ita demùm sint, quatenùs ea potestati nostræ subjicimus; hinc illud Corollarium sequitur. Quidquid autem eorum ceperimus, eò usque nostrum esse intelligitur, donec nostrâ custodiâ coercetur; quum verò evaserit custodiam nostram, & in naturalem libertatem se receperit, nostrum esse desinit, & rursùs occupantis fit. *l.* 3. § 2. GAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SINE AUREOR.

Naturalem autem libertatem recipere intelligitur; quum vel oculos nostros effugerit, vel ita sit in conspectu nostro ut difficilis sit ejus persecutio. *l.* 5. IBID.

Hoc ita, Nisi si mansuefacta emitti ac reverti solita sint. *l.* 4. FLORENT. LIB. 6. INSTIT.

In his autem animalibus quæ consuetudine abire & redire solent, talis regula comprobata est; ut eò usque nostra esse intelligantur, donec revertendi animum habeant: quòd si desierint revertendi animum habere, desinant nostra esse; & fiant occupantium. Intelliguntur autem desiisse revertendi animum habere, tunc quum revertendi consuetudinem deseruerint. *sup. d. l.* § 5. ¶ *in his autem.*

C.

Superest ut de quibusdam animalibus dispiciamus, an sint feræ naturæ necne.

Apium quoque natura fera est. Itaque quæ in arbore nostrâ consederint, antequam à nobis alveo concludantur, non magis nostra esse intelliguntur, quàm volucres quæ in nostrâ arbore nidum fecerint. Ideò si alius eas incluserit, earum dominus erit. *d. l.* 5. § 2.

Favos quoque si quos hæ fecerint, sine furto quilibet possidere potest. Sed (ut suprà quoque diximus) qui in alienum fundum ingreditur, potest à domino, si is providerit, jure prohiberi ne ingrederetur. *d. l.* 5. § 3.

Cùm apes sint feræ naturæ; hinc etiam sequitur quòd Examen quod ex alveo nostro evolaverit, eò usque nostrum esse intelligitur, donec in conspectu nostro est, nec difficilis ejus persecutio est. Alioquin occupantis fit. *d. l.* 5. § 4.

Pavonum & columbarum fera natura est. Nec ad rem pertinet, quòd ex consuetudine avolare & revolare solent: nam & apes idem faciunt, quarum constat feram esse naturam. Cervos quoque ita quidam mansuetos habent, ut in sylvas eant & redeant; quorum & ipsorum feram esse naturam nemo negat. *d. l.* 5. § 5.

CI.

At Gallinarum & anserum non est fera natura. Palàm est enim, alias esse feras gallinas, & alios feros anseres. Itaque si quolibet modo anseres mei & gallinæ meæ turbati turbatæ-ve, adeò longiùs evolaverint ut ignoremus ubi sint; tamen nihilominùs in nostro Dominio tenentur. Quâ de causâ Furti nobis tenebitur, qui quid eorum lucrandi animo adprehenderit. *d. l.* 5. § 6.

(*a*) Proponit rationem dubitandi.

(*b*) Neglectis dubitandi rationibus, jam solvit quæstionem.



Source : BIU Cujas

TITULUS II.

DE ADQUIRENDA VEL AMITTENDA POSSESSIONE.

TAm frequens eſt dominii & Poſſeſſionis collatio, ut evidens ſit connexio hujus Tituli cum ſuperiore.

Quæ in eo traduntur, in quinque Sectiones ita diſtribuam; ut videamus 1°. *Quid ſit Poſſeſſio & quotuplex, & an duo poſſint rem in ſolidum poſſidere:* 2°. *Quomodo hæc Poſſeſſio Acquiratur:* 3°. *Quomodo retineatur:* 4°. *Quomodo amittatur.*

In fine exponemus regulam quæ ſtatuit, Neminem poſſe ſibi cauſam Poſſeſſionis mutare.

SECTIO I.

Quid ſit Poſſeſſio, & quotuplex; & an res eadem poſſit à pluribus in ſolidum poſſideri.

ARTICULUS I.

Quid ſit Poſſeſſio, & in ſe & ſeparatim à proprietate conſiderata.

I.

POSSESSIO appellata eſt (ut & Labeo ait) à ſedibus (*a*) quaſi poſitio; quia naturaliter tenetur ab eo qui ei inſiſtit; quam Græci KATOXH'N dicunt. *l.* 1. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Definiri poteſt, USUS QUIDAM (*b*) *rei, qui in incubatione conſiſtat; vel cum Theophilo*, REI *corporalis detentio.*

Dominiumque rerum ex naturali Poſſeſſione cœpiſſe Nerva filius ait; ejuſque rei veſtigium remanere de his (*Aliàs* in his) quæ terrâ, mari, cœloque capiuntur. Nam hæc protinùs eorum fiunt, qui primi eorum Poſſeſſionem adprehenderint. Item bello capta, inſula in mari enata; & gemmæ, lapilli, margaritæ, in littoribus inventæ; ejus fiunt, qui primus eorum Poſſeſſionem nanctus eſt. *d. l.* 1. § 1.

Hodiè verò, ex quo ſemel diſtincta inter homines fuére rerum dominia; his quas modò diximus rebus exceptis, cæterarum omnium rerum Poſſeſſio ſola ac per ſe dominium ipſarum non tribuit; & eſt quid valdè diſtinctum à proprietate. Imò & ab uſufructu. Undè ita Venuleius: Permiſceri cauſas Poſſeſſionis & uſusfructûs non oportet: quemadmodum nec Poſſeſſio, & proprietas miſceri debent. Nam neque (*c*) impediri Poſſeſſionem, ſi alius fruatur; neque alterius fructum computari (*d*), ſi alter poſſideat. *l.* 52. VENULEIUS LIB. I. INTERDICT.

Vel etiam poteſt dividi Poſſeſſionis genus in duas ſpecies, ut poſſideatur aut bonâ fide aut non bonâ fide. *l.* 3. §. 22. PAUL. LIB. 54. AD. ED.

Ad has diviſiones referenda & illa diviſio Poſſeſſionis, in JUSTAM, & INJUSTAM.

§ I.

De Poſſeſſione civili & juſtâ.

III.

POSSESSIO CIVILIS *definitur à Theophilo*, DETENTIO *animo dominantis.*

Hanc civilem Poſſeſſionem habent qui rem poſſident ex aliquâ juſtâ cauſâ, id eſt, ex quâ dominium transferri ſolet.

Hujus proindè tot ſunt ſpecies, quot ſunt juſtæ cauſæ acquirendi. Hinc Paulus. Genera poſſeſſionum tot ſunt, quot & cauſæ adquirendi ejus quod noſtrum non ſit: velut, Pro emptore; Pro donato; Pro legato; Pro dote; Pro herede; Pro noxæ dedito, Pro (*e*) ſuo, ſicut in his quæ terrâ marique, vel ex hoſtibus, capimus; vel quæ ipſi ut in rerum naturâ eſſent (*f*) fecimus. Et in ſummâ magis unum genus eſt Poſſidendi, ſpecies infinitæ. *d. l.* 3. § 21.

IV.

Ita demùm autem quis ex juſtâ cauſâ rem Poſſidere videbitur; ſi ab eo à quo eam comparavit, ipſi ſponte tradita fuerit.

Quòd ſi priuſquàm ipſi traderetur, eam invaſerit; hanc non ex hâc cauſâ, ſed abſque jure Poſſidere videbitur. V. G. Si ex ſtipulatione tibi Stichum debeam, & non tradam eum; tu autem nanctus fueris Poſſeſſionem: prædo es. Æquè ſi vendidero, nec tradidero rem; ſi non voluntare meâ nanctus ſis Poſſeſſionem; non pro emptore Poſſides, ſed prædo es. *l.* 5. PAUL. LIB. 63. AD ED.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Nec ex verâ venditione Poſſeſſionem quam non fuerat emptor adeptus, improbè retinere poteſt. Ac multò minùs is qui adſeveratione falſâ velut emptor, quum ſine obligatione pignoris pecuniam mutuo dediſſet, fundum irrumpens alienum, retinendi juſtam cauſam habet. *l.* 9. *Cod. de Adquir. poſſeſſ.*

Quinetiam Pomponius ait: Fundi venditor, etiamſi mandaverit alicui ut emptorem in vacuam Poſſeſſionem induceret: priuſquàm id fieret, non rectè emptor per ſe in Poſſeſſionem veniet. Item ſi amicus (*g*) venditoris. mortuo eo, priuſquàm id ſciret, aut non prohibentibus heredibus id fecerit; rectè Poſſeſſio tradita (*h*) erit: ſed ſi id fecerit quum ſciret dominum mortuum, aut quum ſciret heredes id facere nolle; contrà erit. *l.* 33. POMP. LIB. 32. AD SABIN.

Quòd ſi res alicui ſponte quidem tradita non ſit; eam

ARTICULUS II.

Quotuplex ſit Poſſeſſionis ſpecies.

II.

Celeberrima eſt diviſio Poſſeſſionis, in CIVILEM, & NATURALEM.

(*a*) Quaſi *poſſidere* ſit *poſſe ſedere*. Vulgat. *à pedibus, quaſi pedum poſitio.* Quam lectionem tuentur Connanus, Waltherus &c. veteſtiſſimo Hebræorum Juri convenientem: *Quidquid calcaverit pes tuus, tuum erit.* Joſue I 3.

(*b*) Ita ex Ælio-Gallo apud Feſtum in Verb. *POSSESIO.* Veteres poſſeſſionem appellabant USUM; undè USUCAPIO dicta eſt. Sed hæc ſpecies usûs, veldè differt ab eo uſu qui conſiſtit in perceptione commodi ejus ad quod res parata eſt. Hæc enim de quâ agimus, magis in *incubatione* & poſitione conſiſtit; poſſidet enim rem qui ei incubat, quamvis otioſus, & nihil utilitatis ex eâ percipiens.

(*c*) Ita legendum. Malè vulgò *namque*; ut rectè notat Cujacius. Aliàs nempè [contra id quod probare intendit Juriſconſultus] permiſceretur cauſa Poſſeſſionis & uſusfructûs; ſi alter *fruendo* impediret alterius *Poſſeſſionem*, & alter *poſſidendo* impediret alterius *uſumfructum*: tunc enim POSSESSIO & FRUCTUS verè unum idem eſſent.

(*d*) Legendum *amputari*. Vide Notam præced.

(*e*) Cauſa *Pro ſuo* hîc ſpecialiter accipitur, pro his cauſis acquirendi dominii quæ proprio nomine carent; quarum tria exempla refert.

(*f*) Ut vinum quod ex uvis ſive noſtris ſive alienis fecimus.

(*g*) Cui venditor mandaverat hanc rem tradere.

(*h*) Procurator qui ignorat morte ſolutum eſſe tradendi mandatum, transfert Poſſeſſionem; & ex hâc traditione transfertur dominium, quum ex eâ causâ fit ex quâ defunctus obligatus erat ad dandum. Quòd ſi procurator, quantumvis ignorans mandatum morte finitum, credat pecuniam; non transfert dominium; ut conſtat ex l. 41. ff. *de Reb. cred.* ſuprà Tit. præced. N. 48.

Source : BIU Cujas

tamen non privatâ auctoritate, ſed per Magiſtratum adeptus eſt; nihilominùs eam juſtè ac civiliter poſſidet. Et hoc eſt quod dicitur: JUSTE poſſidet, qui auctore Prætore poſſidet. *l.* 11. PAUL. LIB. 65. AD ED.

§ II.

De Poſſeſſione naturali, & quando juſta aut injuſta ſit.

NATURALIS POSSESSIO *eſt eorum qui rem quidem ſibi tenent, ſed alio jure quàm dominii, aut nullo jure.*

V.

Alio jure quàm dominii poſſidet pignus creditor. Et quidem hanc Poſſeſſionem etiam per dominum retinere poteſt: ut in ſpecie ſequenti.

Res pignoris nomine data [eſt]: & Poſſeſſione traditâ, deinde à creditore (*a*) conductâ, convenit ut is qui hypothecam dediſſet, pro colono in agro, in ædibus autem pro inquilino ſit. Per eos creditor Poſſidere videtur. *l.* 37. MARCIAN. LIB. SING. AD FORMUL. HYPOTHECAR.

Sic etiam naturaliter Poſſidet ſequeſter; item is qui precariò Poſſeſſionem rogavit: ut videre eſt ſuis locis.

Item Naturaliter videtur Poſſidere, is qui uſumfructum (*b*) habet. *l.* 12. ULP. LIB. 70. AD ED.

VI.

Naturaliter etiam Poſſident, qui nullo jure Poſſident aut ex titulo prohibito.

Et quidem de titulo prohibito ait Paulus: Si vir uxori cedat Poſſeſſione donationis causâ, plerique putant poſſidere eam; quoniam res facti infirmari Jure Civili non poteſt (*c*). Et quid attinet dicere, non poſſidere mulierem; cùm maritus, ubi (*d*) noluit poſſidere, protinùs amiſerit Poſſeſſionem? *l.* 1. § 4. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Item Ulpianus. Quod uxor viro aut vir uxori donavit, Pro poſſeſſore (*e*) Poſſidetur? *l.* 16. ULPIAN. LIB. 73. AD ED.

VII.

Neque ſolùm hi qui ex titulo prohibito; ſed & prædones qui abſque ullo titulo rem ſibi tenent, naturaliter Poſſidere dicendi ſunt.

Prædonum autem Poſſeſſio naturalis, vel eſt violenta, vel clandeſtina; vel ſimpliciter injuſta, id eſt abſque titulo quidem, ſed nec Vi *nec* Clàm *adprehenſa: ut ſi ab eo qui dominus non ſit, emerim ſciens; propalàm tamen & publicè poſſideam, fretus ignorantiâ veri domini.*

Quæ ſit clandeſtina, quæ violenta Poſſeſſio, liquebit ex ſpecie ſequenti. Qui ad nundinas profectus neminem reliquerit; & dum ille à nundinis redit, aliquis occupaverit Poſſeſſionem; videri eum clàm (*f*) poſſidere Labeo ſcribit. Retinet ergo (*g*) Poſſeſſionem is qui ad nundinas abiit. Verùm (*h*) ſi revertentem dominum non admiſerit, vi magis intelligi poſſidere, non clàm. *l.* 6. § 1. ULP. LIB. 70. AD ED.

VIOLENTA *ergo Poſſeſſio eſt ejus qui priorem poſſeſſorem, eos-ve qui poſſeſſoris nomine rem tenebant; aut ejecit, aut accedere prohibuit: ut fuſiùs videb. Tit.* Quod vi aut clàm *infrà lib.* 43.

CLAM. poſſidere eum dicimus, qui furtivè ingreſſus eſt Poſſeſſionem; ignorante eo quem ſibi controverſiam facturum ſuſpicabatur, & ne faceret timebat. *d. l.* 6. *pr.*

VIII.

Ex initio autem Poſſeſſionis æſtimandum, an quis vi aut clàm, an nec vi nec clam poſſideat. Unde ſtatim ſubjicitur: Is autem qui, quum poſſideret non clàm, ſe celavit; in eâ causâ eſt, ut non videatur clàm, poſſidere. NON ENIM RATIO OBTINENDÆ POSSESSIONIS, SED ORIGO NANCISCENDÆ EXQUIRENDA EST: nec quemquam clàm poſſidere incipere, qui ſciente aut volente eo, ad quem ea res pertinet, aut aliquâ ratione, bonæ fidei Poſſeſſionem nanciſcitur. Itaque (inquit Pomponius) clàm nanciſcitur Poſſeſſionem, qui futuram controverſiam metuens, ignorante eo quem metuit, furtivè in Poſſeſſionem ingreditur. *d. l.* 6. ¶ *is autem.*

Similiter docet Africanus, ex initio Poſſeſſionis æſtimandum an Poſſeſſio clandeſtina ſit, necne.

Putà Servum tuum à Titio bonâ fide emi & traditum poſſedi: deinde quum comperiſſem tuum eſſe, ne eum peteres, celare cœpi. Non ideò magis clàm Poſſidere videri me, ait: nam retrò quoque, ſi ſciens tuum ſervum non à domino emerim, & tùm clàm eum poſſidere cœpiſſem; poſtea certiorem te fecerim: non ideò deſinere me clàm poſſidere. *l.* 40. § 2. AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

IX.

Clandeſtina Poſſeſſio non cadit in dominum qui rem ſuam poſſidet, quamvis eam clàm abduxerit. Hinc Si ſervum meum bonæ fidei emptori (*i*) clàm abduxerim; reſpondi, Non videri me clàm poſſidere (*k*): quia neque precarii rogatione, neque conductione ſuæ rei dominium teneri; & non poſſe cauſam clandeſtinæ poſſeſſionis ab his duabus (*l*) cauſis ſeparari. *d. l.* 40. § 3.

§ III.

Quæ Poſſeſſio pro nullâ habeatur.

X.

Nec pro naturali Poſſeſſione habenda eſt, nuda detentio eorum qui rem non ſibi ſed alteri detinent. Et ideò, licèt hi interdum dicantur POSSIDERE, *ut in l.* 7. § 11. *ff.* Com. divid. *tamen quum propriè loquimur; dicuntur non* POSSIDERE, *ſed ſimpliciter* IN POSSESSIONE *eſſe.*

Quod autem Quintus-Mucius inter genera Poſſeſſionum poſuit; ſi quando juſſu Magiſtratûs rei ſervandæ causâ, vel quia Damni infecti non caveatur, [mitti *Dele, vel lege* miſſi] poſſidemus; ineptiſſimum eſt. Nam qui creditorem rei ſervandæ causâ, vel quia Damni infecti non caveatur, mittit in Poſſeſſionem, vel ventris nomine; non Poſſeſſionem, ſed cuſtodiam rerum & obſervationem concedit. Et ideò (*m*) quum Damni infecti, non cavente vicino, in Poſſeſſionem miſſi ſumus; ſi id longo tempore fiat, etiam POSSIDERE nobis & per longam poſſeſſionem capere, Prætor causâ cognitâ permittit. *l.* 3. § *fin.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Similiter Pomponius. Quum legatorum vel fideicommiſſi ſervandi causâ, vel quia Damni infecti nobis non caveatur, bona poſſidere Prætor permittit, vel ventris nomine in Poſſeſſionem nos mittit; non Poſſidemus, ſed magis cuſtodiam rerum & obſervationem

(*a*) Id eſt; deinde, quum is qui hypothecam dederat, rem eamdem à creditore conduxiſſet, &c.

(*b*) Scilicet ſi dominus ipſi ſpecialiter Poſſeſſione ceſſit: alioquin ne naturaliter quidem *Poſſideret*, ſed nomine domini *In Poſſeſſione* eſſet.

(*c*) *Jus Civile* quo donationes inter virum & uxorem prohibentur, poteſt quidem infirmare ea quæ ſunt JURIS, videlicèt infirmare titulum donationis; at non poteſt deſtruere ea quæ ſunt FACTI. Atqui Poſſeſſio naturalis, eſt aliquid facti; nec poteſt effici quominùs mulier cui res à viro tradita eſt, eam reverà poſſideat. Naturaliter igitur poſſidet mulier; ſed nullo jure, nullo titulo; cùm titulus donationis inter virum & uxorem ſit ipſo Jure nullus.

(*d*) Baſilica verterunt, *ubi voluit.* Eadem ſententia utriuſque lectionis: Vulgaris, *ubi noluit ipſe poſſidere*; Baſilicon, *ubi voluit mulierem poſſidere.*

(*e*) Ita poſſidere dicuntur qui abſque titulo poſſident; qui interrogati cur poſſideant, nil aliud reſpondere poſſunt quàm quòd *Poſſideo.*

(*f*) Scilicet ſi dominus hoc audito, perterritus, noluerit reverti; & ſic abjecerit Poſſeſſionem.

(*g*) Quandiù ſcilicet eam non abjecit, quandiù nondum conſtituit ſe non reverſurum; retinet Poſſeſſionem, nondumque poſſidet is qui clàm ingreſſus eſt.

(*h*) Hactenùs de clandeſtinâ Poſſeſſione, quæ talis eſt quum dominus non vult reverti. *Verùm ſi* velit reverti, reverſuſque prohibeatur accedere ad fundum; non CLANDESTINA, ſed VIOLENTA Poſſeſſio eſt ejus à quo prohibetur.

(*i*) Qui emerat ab altero, non à me domino.

(*k*) Nam (ut diximus) *Clàm* poſſidet qui celat ſe Poſſidere, ſi ab ipſo petat is qui vindicare poteſt. Hoc portò in dominum non cadit, adversùs quem res peti non poteſt. Cujac.

(*l*) Senſus eſt; non poteſt eâ in re ratio *ſeparationis* ſeu diſparitatis afferri inter cauſam clandeſtinæ Poſſeſſionis, & duas ſuperiores cauſas Precarii & Conductionis. Nec enim magis poteſt concipi clandeſtina rei ſuæ Poſſeſſio, quàm Conductio aut Precarium rei ſuæ. Animus celandi Poſſeſſionem à domino, non intelligitur in eo qui ipſe dominus eſt.

(*m*) Eum qui ex primo Decreto ex causâ Damni infecti in Poſſeſſionem miſſus eſt, probat non poſſidere, hoc argumento; quòd, ſi adverſarii cavere nolentis contumacia perſeveret, Prætor ei ipſi quem ex hoc primo Decreto in Poſſeſſionem miſit, concedat Poſſeſſionem ex ſecundo Decreto: ergo antè non poſſidebat. Vide ſuprà lib 39. Tit. *de Damno infecto.*

Source : BIU Cujas

nobis concedit. *l.* 12. *ff. Quib. ex cauſ. in poſſeſſ.* POMPON. LIB. 23. AD Q. MUCIUM.

X I.

Inter eos qui nullam Poſſeſſionem habent annumerandi quoque ſunt Commodarii, Depoſitarii, Coloni, Inquilini. Nedum enim ipſi poſſideant; is à quo rem habent, hanc per eos poſſidet, ſicuti per ſervum poſſideret.

Hinc Alexander. Qui ex conducto poſſidet, quamvis corporaliter teneat, non tamen ſibi ſed domino rei creditur poſſidere. Neque enim colono vel conductori prædiorum, longæ Poſſeſſionis præſcriptio acquiritur (*a*). *l.* 1. *Cod. Comm. de uſucap.*

ARTICULUS III.

An idem homor em eamdem ex pluribus cauſis, & an duo plures-ve rem eamdem in ſolidum poſſint Poſſidere.

X I I.

Illud quidem certum eſt; quod Ex plurimis cauſis Poſſidere eamdem rem poſſumus, ut quidam putant; & eum qui uſucepit, & Pro emptore & Pro ſuo poſſidere (*b*). Sic enim & ſi ei qui Pro emptore poſſidebat, heres ſim; eamdem rem & Pro emptore & Pro herede Poſſideo. Nec enim, ſicut dominium non poteſt niſi ex unâ cauſâ (*c*) contingere, ita & Poſſidere (*d*) ex unâ duntaxat cauſâ poſſumus. *l.* 3. § 4. PAUL. LIB. 54. AD ED.

X I I I.

At Ex contrario, plures eamdem rem in ſolidum Poſſidere non poſſunt. Contra naturam quippè eſt, ut, quum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris.

Sabinus tamen ſcribit; Eum qui precariò dederit, & ipſum Poſſidere, & eum qui precariò acceperit. Idem Trebatius probabat: exiſtimans poſſe alium juſtè, alium injuſtè poſſidere; duos injuſtè, vel duos juſtè non poſſe. Quem Labeo reprehendit; quoniam in ſummâ Poſſeſſionis non multùm intereſt juſtè quis, an injuſtè poſſideat. Quod eſt verius: non enim magis eadem Poſſeſſio apud duos eſſe poteſt, quàm ut tu ſtare videaris in eo loco in quo ego ſto; vel in quo ſedeo, tu ſedere videaris. *d. l.* 3. § 5.

Certè ex ipſorum etiam Sabinianorum Sententiâ; Duo in ſolidum precariò habere non magis poſſunt, quàm duo in ſolidum vi Poſſidere, aut clàm. Nam neque juſtæ, neque injuſtæ Poſſeſſiones duæ concurrere poſſunt. *l.* 19. *ff. de Precario.* JULIAN. LIB. 49. DIGEST.

SECTIO II.

De Adquiſitione Poſſeſſionis.

Huc pertinet quærere, cujus rei Poſſeſſio Acquiri poſſit, & quomodo acquiratur; quæ perſonæ Poſſeſſionem Acquirere ſibi poſſint, & per quas perſonas nobis Acquiratur Poſſeſſio.

ARTICULUS I.

Cujus rei Poſſeſſio Acquiri poſſit, quomodo adquiratur.

X I V.

Cùm poſſidere ſit inſidere, incubare rei; patet non cadere Poſſeſſionem in res incorporales. Poſſideri autem poſſunt quæ ſunt corporalia. *l.* 3. PAUL. LIB. 54. AD ED.

X V.

Et adipiſcimur; (*Florent.* apiſcimur: *Et ſic in toto ferè h. tit.*) Poſſeſſionem corpore & animo; neque per ſe animo, aut per ſe corpore.

Quod autem diximus, & corpore & animo Acquirere nos debere Poſſeſſionem, non utique ita accipiendum eſt, ut qui fundum poſſidere velit, omnes glebas circumambulet: ſed ſufficit, quamlibet partem ejus fundi introire, dum mente & cogitatione hâc ſit, ut totum fundum uſque ad terminum velit poſſidere. *d. l.* 3. § 1.

At verò Incertam (*e*) partem rei poſſidere nemo poteſt; veluti ſi hâc mente ſis ut quidquid Titius poſſidet, tu quoque velis poſſidere. *d. l.* 3. § 2.

Conſonat quod ait Pomponius. Locus certus ex fundo & poſſideri & per longam Poſſeſſionem capi poteſt; & certa pars pro indiviſo, quæ introducitur vel ex emptione vel ex donatione, vel quâlibet aliâ ex causâ. Incerta autem pars nec tradi nec capi poteſt; veluti ſi ita tibi tradam, QUIDQUID MEI JURIS IN FUNDO EST (*f*): nam qui ignorat, nec tradere nec accipere id quod incertum eſt (*g*) poteſt. *l.* 26. POMPON. LIB. 26. AD Q. MUCIUM.

X V I.

Cùm Poſſeſſio Animo *ſimul* & corpore *Adquiratur; primò igitur requiritur animus, id eſt voluntas Poſſidendi.*

Hinc Qui jure familiaritatis amici fundum ingreditur, non videtur Poſſidere; quia non eo animo ingreſſus eſt ut poſſideat, licèt corpore in fundo ſit. *l.* 41. PAUL. LIB. 1. INSTITUT.

Sed neque hæc voluntas in eo eſt qui circa rem errat.

Hinc Si me in vacuam Poſſeſſionem fundi Corneliani miſeris; ego putarem me in fundum Sempronianum miſſum, & in Cornelianum iero; non Adquiram Poſſeſſionem: niſi fortè in nomine tantùm erraverimus, in corpore conſenſerimus. Quoniam autem in corpore non (*h*) conſenſerimus; an à te tamen recedet Poſſeſſio, quia animo deponere & mutare nos Poſſeſſionem poſſe & Celſus & Marcellus ſcribunt, dubitari poteſt? Et, ſi animo (*i*) Adquiri Poſſeſſio poteſt, numquid etiam adquiſita eſt? Sed non puto errantem Adquirere. Ergo nec amittet Poſſeſſionem, qui quodammodo ſub conditione receſſit de Poſſeſſione. *l.* 34. ULP. LIB. 7. DISPUT.

Sed ſi non mihi, ſed procuratori meo Poſſeſſionem tradas; videndum, eſt ſi ego errem (*k*), procurator meus non erret, an mihi Poſſeſſio Adquiratur? Et cùm placeat ignoranti (*l*) adquiri, poterit & erranti. Sed ſi procurator meus erret, ego non errem; magis eſt ut Acquiram Poſſeſſionem. *l. d.* 34. § 1.

Quod de procuratore dicitur, & de ſervo qui negotia mea gereret dictum puta. Nam Servus quoque meus ignoranti

(*a*) Sed per eum, domino.

(*b*) *Pro emptore*, quia ex causâ venditionis ei res tradita eſt; *Pro ſuo*; quia eam uſucepit.

(*c*) Immediatâ ſcilicet. V. G. ſi res quæ ex pluribus cauſis mihi debebatur, putà Emptionis, Stipulationis, Legati; mihi ſolvatur: dominii quod acquiro, unica cauſa immediata eſt, nempè ſolutio; nec plures eſſe poſſunt. At plures eſſe poſſunt ejuſdem acquiſitionis cauſæ mediatæ; ut in ſpecie modò dictâ, cauſæ omnes ex quibus res mihi debebatur, & propter quas ſoluta eſt. Item non poteſt ejuſdem rei dominium ex pluribus cauſis ſimultaneè contingere. At ſucceſſivè poteſt: ut ſi, exiſtente conditione ſub quâ dominium à me abiturum erat, illud ex novâ causâ retineam.

(*d*) Ratio differentiæ; quia quod ſemel ex unâ causâ meum factum eſt, ampliùs meum fieri non poteſt. At quod ex una causa Poſſideo, poſſum ex alia causa poſſidere.

(*e*) Id eſt, eam de qua ignoratur quota ſit.

(*f*) Id eſt; *Quidquid* loci *in fundo*, *mei juris* ſeu meum *eſt*. Non enim de ipſo *jure* (quod incorporale eſt, nec poteſt propriè poſſideri) hîc quæritur; ſed de ipſo rei corpore, ſed incerto.

(*g*) Corporalis ſi quidem & vera Poſſeſſio in mobilibus, manu prehenditur; in immobilibus, aut poſitione pedum, aut ſaltem oculis & affectu. Patet autem, oculis non poſſe ſubjici locum incertum; quale eſt illud QUIDQUID *loci in hoc fundo &c.*

(*h*) Hæc eſt germana lectio. Malè deeſt hæc negatio in Florent.

(*i*) *Et, ſi* concederetur (quod tamen concedendum non eſt) quòd *animo Acquiri Poſſeſſio poteſt &c.*

(*k*) Finge Mandavi procuratori meo ut mihi emeret ſervum. Emit mihi Stichum, qui ipſi traditus eſt. Hoc caſu, quamvis ego per errorem putem non Stichum, ſed Damam ei eſſe traditum, tamen acquiretur mihi Poſſeſſio Stichi.

(*l*) Etiamſi ignorarem procuratori meo rem traditam eſſe; Poſſeſſionem Acquiri mihi receptum eſt: ut infrà videb. Ex eo enim quòd ei mandaverim emere, habeo voluntatem Poſſidendi rem quamcumque mihi emerit.

Source : BIU Cujas

mihi Adquiret Poſſeſſionem (*a*). Nam & ſervus alienus (ut Vitellius ſcribit) ſive à me ſive à nemine (*b*) poſſideatur, poteſt mihi Adquirere Poſſeſſionem, ſi nomine meo eam adipiſcatur. Quod & ipſum admittendum (*c*) eſt. *d. l.* 34. § 2.

Quare autem his caſibus, etiam ignorantes Poſſeſſionem Adquiramus, cùm requiratur animus adipiſcendæ Poſſeſſionis; vide infrà Art. 3. §°. 4°.

XVII.

Jam verò ut corpore Adquiratur Poſſeſſio, non neceſſe eſt ut res tangatur: ſufficit eam oculis & affectu apprehendi.

Hinc Si juſſerim venditorem procuratori rem tradere; quum ea in præſentiâ ſit, videri mihi traditam Priſcus (*d*) ait. Idemque eſſe, ſi nummos debitorem juſſerim alii dare. Non eſt enim corpore & actu neceſſe adprehendere Poſſeſſionem, ſed etiam (*e*) oculis & affectu. Et argumento eſſe eas res quæ propter magnitudinem ponderis moveri non poſſunt, ut columnas; nam pro traditis eas haberi, ſi in re præſenti conſenſerint (*f*): & vina tradita videri, quum claves cellæ vinariæ (*g*) emptori traditæ fuerint. *l.* 1. § 21. PAUL. LIB. 54. AD EDICT.

Similiter Celſus. Si venditorem, quod emerim deponere in meâ domo juſſerim; poſſidere me certum eſt, quanquàm id nemo nondùm attigerit. Aut ſi vicinum mihi fundum mercato, venditor in meâ turre demonſtret; vacuamque ſe Poſſeſſionem tradere dicat: non minùs Poſſidere cœpi, quàm ſi pedem finibus intuliſſem. *l.* 18. § 2. CELSUS LIB. 23. DIGEST.

Hinc etiam, Quarumdam rerum ANIMO Poſſeſſionem adipiſci non ait Labeo: veluti ſi acervum lignorum emero, & eum venditor tollere me juſſerit; ſimul atque cuſtodiam poſuiſſem, traditus mihi videtur. Idem Juris eſſe vino vendito, quum univerſæ amphoræ vini ſimul eſſent (*h*). Sed videamus (inquit) ne hæc ipſa corporis traditio ſit; quia nihil intereſt utrùm mihi, an & cuilibet juſſerim, cuſtodia tradatur. In eo puto hanc quæſtionem conſiſtere; an, etiamſi corpore acervus aut amphoræ adprehenſæ non ſunt, nihilominùs traditæ videantur? Nihil video intereſſe utrùm ipſe acervum, an mandato meo aliquis cuſtodiat: utrobique animi quodam (*i*) genere Poſſeſſio erit æſtimanda. *l.* 51. JAVOLEN. LIB. 5. EX POSTERIORIBUS LABEONIS.

Quod tamen diximus, Poſſeſſionem rei nos Adquirere, quamvis non omnes partes ejus peragraverimus, imò vel ex eo ſolo quòd conſpectui noſtro ſubjecta ſit; tunc demùm obtinet, ſi eam Adquirimus ab eo qui ultrò nobis Poſſeſſione cedat. Aliud ſanè ſi per vim. Nam in iis qui Poſſeſſionem invadunt, pleniſſima rei apprehenſio requiritur, ut Poſſeſſionem obtinuiſſe videantur.

Hinc V. G. ſi vis latronum, aut Rursùs ſi cum magnâ vi ingreſſus eſt exercitus; eam tantummodò partem quam intraverit, obtinet. *l.* 18. § 4. CELSUS LIB. 23. DIGEST.

XVIII.

Vidimus quid ſit corpore adipiſci Poſſeſſionem. Adeò autem verum eſt, corporalem rei apprehenſionem ad Poſſeſſionis adeptionem requiri; ut dominus qui ſcit in fundo ſuo eſſe theſaurum, eum non poſſideat donec de loco moverit: reprobatâ hâc in re ſententiâ Proculi diverſum ſentientis.

Hoc ex Paulo diſcimus. Ita ille: Aiunt Neratius & Proculus, & ſolo animo non poſſe nos Adquirere Poſſeſſionem, ſi non antecedat naturalis Poſſeſſio. Ideòque (*k*) ſi theſaurum in fundo meo poſitum ſciam; continuò me poſſidere, ſimul atque Poſſidendi affectum habuero; quia quod deſit naturali Poſſeſſioni, id animus implet. Cæterùm quod Brutus & Manilius putant, eum qui fundum longâ Poſſeſſione cepit, etiam theſaurum cepiſſe; quamvis neſciat in fundo eſſe; non eſt verum. Is enim qui neſcit, non Poſſidet theſaurum; quamvis fundum poſſideat: ſed etſi ſciat, non capiet longâ Poſſeſſione; quia ſcit alienum (*l*) eſſe. Quidam putant Sabini ſententiam veriorem eſſe: nec aliàs eum qui ſcit, Poſſidere, niſi ſi loco motus ſit; quia non ſit ſub cuſtodiâ noſtrâ. Quibus conſentio. *l.* 3. § 3. PAUL. LIB. 54. AD ED.

XIX.

Ex eo quòd non Adquiritur rei Poſſeſſio niſi corpore apprehendatur, illud etiam conſequitur; quòd, Quum heredes inſtituti ſumus; aditâ hereditate, omnia quidem jura ad nos tranſeunt; Poſſeſſio tamen, niſi naturaliter comprehenſa, ad nos non pertinet. *l.* 23. JAVOLEN. LIB. 1. EPIST.

Quinetiam Quod per colonum Poſſideo, heres meus niſi ipſe nanctus Poſſeſſionem, non poterit poſſidere (*m*). Retinere enim animo Poſſeſſionem poſſumus, apiſci non poſſumus. *l.* 30. § 5. PAUL. LIB. 15. AD SABIN.

Obiter nota: Sed quod Pro (*n*) emptore poſſideo, per colonum etiam (*o*) uſucapiet [etiam] heres meus. *d.* § 5. ¶ *ſed quod.*

ARTICULUS II.

De perſonis quæ Poſſeſſionem ſibi poſſunt Adquirere.

XX.

Ex eo quod ſuperiùs dictum eſt, ad Poſſeſſionem Adquirendam requiri animum Poſſidendi, ſequitur eos demùm poſſe Poſſeſſionem adipiſci qui velle poſſunt.

Hinc Furioſus, & pupillus (*p*) ſine tutoris auctoritate, non poteſt incipere Poſſidere; quia affectionem tenendi non habent, licèt maximè corpore ſuo rem contingant: ſicuti ſi quis dormienti aliquid in manu ponat. Sed pupillus tutore auctore, incipiet poſſidere.

Ofilius quidem & Nerva filius, etiam ſine tutoris auctoritate Poſſidere incipere poſſe pupillum aiunt: eam enim rem facti, non juris eſſe. Quæ ſententia recipi poteſt, ſi ejus ætatis ſint ut intellectum capiant. *l.* 1. § 3. PAUL. LIB. 54. AD ED.

De hoc igitur pupillo qui intellectum habet, accipe quod alibi ait idem Paulus: Pupillus tamen ſine tutoris auctoritate Poſſeſſionem nanciſci poteſt. *l.* 32. § 2. ¶ *pupillus.* IDEM LIB. 15. AD SABIN.

Qui autem ejus ætatis non eſt, ſi ſtrictam Juris rationem ſequeremur, nec tutore auctore Poſſeſſionem Adquirere poſſet.

(*a*) Rei quam poſſidere volui, putà quam emi, Poſſeſſionem mihi ſervus qui eam meo nomine accipit, acquirit etiam ignoranti. Voluntatem enim habeo eam poſſidendi, licèt ignorem jam ejus rei Poſſeſſionem meo nomine à ſervo meo apprehenſam. Pariterque & erranti Acquiret.

(*b*) Putà, pro liberos gerat: quemadmodum per liberam procuratoris perſonam adquiro poſſeſſionem.

(*c*) Cujacius cum hâc diſtinctione vult admitti, ut, ſi malâ fide ſervum poſſideam, nihil per eum adquirere poſſim; item ut, ſi à domino ſuo ſervus poſſideatur, alteri nihil poſſit adquirere. Et quidem in his quæ *Jus* ſpectant, V. G. in his quæ jure poſſeſſionis quam in ſervo quis habet per ſervum adquirerentur, omninò vera eſt Cujacii ſententia. Verùm quid obſtat quominùs ut nudus miniſter, & per corporale factum, ſervus ille *meo nomine* poſſeſſionem accipiendo mihi adquirat; etiamſi malâ fide à me poſſideatur, aut etiamſi à domino ſuo? cùm extraneæ cujuſlibet perſonæ miniſterio uti quis poſſit ad poſſeſſionem adipiſcendam.

(*d*) Javolenus.

(*e*) Supple, poſſe.

(*f*) Factâ in conſpectu apprehendendi copiâ. Quæ traditio *Longæ manûs* dicitur: ſuprà Tit. præced. N. 42.

(*g*) Quæ traditio *Symbolica* dicitur. Oportet autem ut in re præſenti claves traditæ fuerint; Tit. præced. N. 45.

(*h*) In conſpectu.

(*i*) Cujacius ad l. 7. Cod. h. tit. cenſet legendum eſſe *corporis quodam genere*: id eſt, videtur utroque caſu quodammodo corpore Adquiri Poſſeſſio. Dum enim cuſtodem pono rei meæ, hanc videor adprehendere corpore; non quidem meo, ſed corpore ejus cuſtodis quem præpono meo nomine.

(*k*) Ex conſequentibus videtur hîc aliquid deeſſe, quod ſic ſuppleri poteſt, UBI autem antecedit naturalis Poſſeſſio loci in quo res continetur, non eſt neceſſaria corporalis apprehenſio rei quæ in hoc continetur: *Ideòque*, &c. Nam ſi non antecedat illa Poſſeſſio naturalis, fatetur ipſe Proculus ANIMO ſolo non Adquiri Poſſeſſionem.

(*l*) Theſaurus in hâc lege non accipitur pro pecuniâ cujus memoria non extat, ſed pro pecuniæ nuper defoſſæ.

(*m*) Idem, & ſi res à nemine teneretur.

(*n*) Vel quovis alio juſto titulo.

(*o*) Imo etſi diſceſſerit. Vide Tit. ſeq. *de Uſucap.* N. 5.

(*p*) Infans, ut patet ex his quæ ſequuntur.

Source : BIU Cujas

Obtinuit tamen quòd Infans poſſidere rectè poteſt, ſi tutore auctore cepit. Nam judicium infantis ſuppletur auctoritate tutoris. Utilitatis enim causâ hoc receptum eſt: nam alioquin nullus ſenſus ſit infantis, accipiendi Poſſeſſionem. *d.* § 2. *pr.*

Hanc ſententiam ut infans Poſſeſſionem Adquirere poſſit, confirmavit Imperator Decius qui ita reſcribit: Donatarum rerum à quâcumque perſonâ infanti vacua Poſſeſſio tradita, corpore quæritur. Quamvis enim ſint Auctorum ſententiæ diſſentientes; tamen conſultiùs videtur, interim (licèt animi plenus non fuiſſet affectus) Poſſeſſionem per traditionem eſſe quæſitam (*a*): alioquin (ſicuti Conſultiſſimi viri Papiniani reſponſo continetur) nec quidem per tutorem (*b*) Poſſeſſio infanti poterit Adquiri. *l.* 3. *Cod. de Adquir. & retin. poſſeſſ.*

Quemadmodum pupillus per ſe Adquirere Poſſeſſionem poteſt; ita etiam Pupillus per ſervum ſive puberem ſive impuberem, Adquirit Poſſeſſionem; ſi tutore auctore juſſerit eum ire in Poſſeſſionem. *l.* 1. § 13. PAUL. LIB. 14. AD ED.

De rebus peculii hîc non agimus: (*vide Art. ſeq.* §°. 1°.) *In his enim non ſolùm pupillus infante major, abſque tutoris auctoritate; ſed* Item infans, peculiari nomine per ſervum Poſſidere poteſt. *ſup. d. l.* 32. § 2. ¶ *fin.*

XXI.

Hactenùs de pupillo. Ex regulâ quam ſtatuimus, ſequitur etiam quòd Municipes per ſe nihil Poſſidere poſſunt; quia uni (*c*) conſentire non poſſunt. Forum autem & Baſilicam hiſque ſimilia non poſſident, ſed promiſcuè his utuntur.

Sed Nerva filius ait; Per ſervum, quæ peculiariter adquiſierint, & Poſſidere & uſucapere poſſe. Sed quidam contrà putant, quoniam ipſos ſervos non poſſideant. *l.* 1. § 22. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Hæc ex ſtricto Jure. Sed hoc Jure utimur, ut & poſſidere & uſucapere municipes poſſint: idque eis & per ſervum & per liberam (*d*) perſonam adquiratur. *l.* 2. ULP. LIB. 70. AD ED.

Qui in alienâ poteſtate ſunt, rem peculiarem tenere poſſunt; habere, Poſſidere, non poſſunt: quia Poſſeſſio non tantùm corporis, ſed & juris (*e*) eſt. *l.* 49. § 1. PAPIN. LIB. 1. DEFINITIONUM.

Hinc Mæcianus. Filiusfamilias neque retinere neque recuperare neque apiſci Poſſeſſionem rei peculiaris videtur. *l.* 33. *ff. de Reg. Jur.* MÆCIAN. LIB. 1. FIDEICOM.

ARTICULUS III.

Per quas perſonas Poſſeſſio alteri Adquiratur.

XXIII.

Adipiſcimur autem Poſſeſſionem per noſmetipſos. *l.* 10. § 2. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Item per eos quos in poteſtate habemus. Nam per ancillam quin poſſis nanſcici Poſſeſſionem, non dubitatur. *d. l.* 1. § 12.

Adde, aut per eos quorum uſumfructum habemus, vel quos bonâ fide poſſidemus; interdum & per extraneas perſonas. De quibus ſingulis agendum.

§ I.

De his quos in poteſtate habemus.

XXIV.

Non ſolùm autem proprietas per eos quos in poteſtate habemus Adquiritur nobis, ſed etiam (*f*) Poſſeſſio: cujuſque enim rei Poſſeſſionem adepti fuerint, id nos poſſidere videmur. Undè etiam, per eorum longam Poſſeſſionem, dominium nobis Adquiritur. *l.* 10. § 2. *ff. de Adquir. rer. dom.* GAIUS LIB. 2. INSTITUT.

Non adquirimus autem niſi ſcientes & valentes, ut ſuprà diximus, animum poſſidendi requiri ad Poſſeſſionem adipiſcendam. Aliquatenùs tamen excipitur cauſa peculii, de quâ ita Paulus: Item Adquirimus Poſſeſſionem per ſervum aut filium qui in poteſtate eſt; & quidem earum rerum quas peculiariter tenent (*g*), etiam ignorantes, ſicut Sabino & Caſſio & Juliano placuit: quia noſtrâ voluntate intelligantur Poſſidere, qui eis peculium habere permiſerimus (*h*).

Igitur ex causâ peculiari infans & furioſus Adquirunt Poſſeſſionem, & uſucapiunt; & heres (*i*), ſi hereditarius ſervus emat. *l.* 1. § 5. PAUL. LIB. 54. AD ED.

XXV.

Quæſitum eſt, cui ex peculii causâ per ſervum ignorantibus Poſſeſſio quæreretur? Dixi, Utilitatis causâ Jure ſingulari receptum; ne cogerentur domini per momenta, ſpecies & cauſas peculiorum inquirere. Nec tamen eò pertinere ſpeciem iſtam (*k*) ut animo videatur Adquiri Poſſeſſio: nam ſi non ex causâ peculiari quæratur aliquid, ſcientiam quidem domini eſſe neceſſariam, ſed corpore ſervi quæri Poſſeſſionem. *l.* 44. § 1. PAPIN. LIB. 23. QUÆST.

Intereſt tamen an ex juſtâ an ex injuſtâ causâ adquirant, hi quos in poteſtate habemus.

Enimverò Quod ſervus tuus ignorante te, vi poſſidet, id tu non Poſſides; quoniam is qui in tuâ poteſtate eſt, ignoranti tibi non corporalem Poſſeſſionem, ſed juſtam poteſt Adquirere (*l*); ſicut id quod ex peculio ad eum pervenerit, poſſidet; nam tùm per ſervum dominus quoque Poſſidere dicitur. Summâ ſcilicet cum ratione:

(*a*) Accedente ſcilicet tutoris auctoritate; ut ſupplet Joannes; quem ſequitur Cujacius ad h. l. Tutoris auctoritas ſupplet quod voluntati infantis deeſt, mox ſuprà l. 32. § 2. *pr.* Perperàm Pacius cenſet, hoc ſpeciali caſu ne quidem tutoris auctoritatem requiri.

(*b*) *Alioquin*, niſi admittamus ut tutoris auctoritas affectum pupilli infantis ſuppleat, quum res infanti traditur; ſequeretur quòd *nec per tutorem* (id eſt, nec quum ipſius tutori res traderetur) *poſſeſſio infanti poterit adquiri.* Affectus ſiquidem poſſidendi, ſaltem antecedens ac implicitus, omninò requiritur, ſive per noſmetipſos, ſive per alios Poſſeſſionem adipiſcamur.

(*c*) Legendum, *univerſi.*

(*d*) Per actorem ſcilicet; qui, nomine Reipublicæ, Poſſeſſionem apprehendat.

(*e*) Id eſt, non corporalem tantùm detentionem & *Factum* poſſidendi continet, cujus capaces ſunt qui in alienâ ſunt poteſtate; ſed & quædam ex *Jure* mutuatur, ut in re poſſeſſâ poſſeſſorem cæteris potiorem faciat, ut ei tribuat Interdictum *Uti poſſidetis* &c. Poſſeſſio autem ſub hoc reſpectu, quatenùs juris eſt, non poteſt eſſe apud eos *qui in alienâ poteſtate ſunt*; cum nihil proprium habere poſſint, & quidquid adquirunt, his quorum juri ſubjecti ſunt, adquirant.

(*f*) Quaſi hoc difficilius ſit; quia nempè Poſſeſſio corporalem aliquam præſentiam deſiderat.

(*g*) Cujacius *Obſerv.* XXIV. 9. contra hunc textum putat, non ſolùm ex caus: peculiari, ſed indiſtinctè nobis ignorantibus per eos Poſſeſſionem adquiri: quæ ſententia non placet. Ut quid enim Paulus hîc diceret, *Et quidem earum rerum* QUAS PECULIARITER TENENT, *etiam ignorantes*; ſi indiſtinctè nobis licèt ignorantibus per eos adquireretur? Ut quid ſpecialem ſubjiceret rationem cur ex peculii causâ ignorantes adquiramus, *quia* (inquit) NOSTRA VOLUNTATE *intelligantur poſſidere, qui eis peculium habere permiſerimus*; ſi ad adquirendam nobis per eos Poſſeſſionem nullâ *noſtrâ voluntate* aut ſcientiâ opus eſſet? Apertior adhuc textus Papiniani in l. 44. § 1. mox infrà N. ſeq. ubi diſertè ait *Utilitatis causâ jure ſingulari receptum* ut *ex causâ peculiari* Poſſeſſio ignoranti quæreretur, & *ſi non ex causâ peculii quæratur, ſcientiam domini eſſe neceſſariam.* Quem textum Cujacius perperàm vult intelligi, non de quâvis Poſſeſſione, ſed de eâ quæ ad uſucapionem profit; cùm in totâ hâc lege, de uſucapione ne verbum quidem. Nova hæc Cujacii ſententia refellitur & ex ipsâ Poſſeſſionis naturâ: hæc enim inter illam & dominium differentia eſt, quòd dominium non ſit *Facti* ſed *Juris*; adeoque ſine ullo facto noſtro, nobis etiam ignorantibus, per eos qui juri noſtro ſubjecti ſunt, adquiri poteſt. At poſſeſſio eſt *Facti*, factumque poſſidendi neceſſariò continet: unde fit ut ſine aliquo facto noſtro, adeoque ſine aliquâ noſtrâ poſſidendi voluntate, poſſidere intelligi non poſſimus. Corpore quidem alieno rem poſſidere poſſumus; nil enim repugnat ut per alium rem teneamus, cujus manus quodammodò mutuemur ad rem tenendam quum volumus poſſidere: verùm repugnat ut per alium velimus, adeòque nonniſi voluntate noſtrâ poſſidere poſſumus. Facilis reſponſio ad textus quibus Cujacius ſuam probare nititur ſententiam; ſcilicet accipiendos eos eſſe de caſu quo ſervus ex causâ peculii adquirit: & hanc diſtinctionem, ſicubi illa non exprimatur, ex aliis textibus in quibus diſertè invenitur eſſe ſupplendam.

(*h*) Senſus eſt: Ex eo quòd eis *permiſerimus habere peculium*, intelligimur ſaltem implicitè velle poſſidere ea quæcumque peculio ipſorum continentur, licèt ignoremus hanc & illam rem in eo peculio eſſe. Et hoc ſenſu *ignorantes* poſſidemus eas res: ſufficit enim quòd generalem & implicitam voluntatem habeamus eas poſſidendi.

(*i*) Id eſt; ſi ſervus hereditatis jacentis emat aliquid ex cauſa peculiari, hoc poſſidet & uſucapit hereditati jacenti; cujus poſtea jus tranſit in heredem, & hîc heres ex hâc causâ uſucapit ignorans, per ſervum hereditarium.

(*k*) Potuiſſet quis ita argumentari: Si jure ſingulari per ſervum ex cauſa Peculiari adquirimus ignorantes, ſive abſque animo Poſſidendi, ergo jure communi extrà hanc cauſam adquirimus *per ſervos*, animo ſolo? Reſpondet, Malè hinc concludi, quòd Adquiri poſſit animo ſolo Poſſeſſio: Adquirimus enim eam (etiam in rebus peculiaribus) animo noſtro, & corpore ſervi; *animo*, inquam, ob generalem ſaltem ſcientiam & voluntatem ſupra Not. (*h*). Idem in filio.

(*l*) Non ſic intellige, ut Civilem tantùm per ſervos, non autem corporalem ſeu naturalem Poſſeſſionem Adquiramus. Verùm ita intellige, ut non qualemcumque Poſſeſſionem corporalem per eos adquiramus, ſed JUSTAM, id eſt quæ improbitate caret; ſive civilis ſit; ſive naturalis, qualis eſt Poſſeſſio ejus qui pignori accepit. Cur autem improba Poſſeſſio nobis per eos non adquiratur, vide rationem in fine legis.

Source : BIU Cujas

quia quod ex justâ corporaliter à servo tenetur, id in peculio servi est; & peculium, quod servus civiliter quidem possidere non posset, sed naturaliter tenet, dominus creditur Possidere: quod verò ex maleficiis (*a*) adprehenditur, id ad domini Possessionem ideò non pertinet, quia nec peculii causam (*b*) adprehendit. *l.* 24. JAVOLEN. LIB. 14. EPISTOL.

XXVI.

Demùm autem per eos servos quos possidemus, possessionem adquirimus.

Indè est quod Per servum corporaliter pignori datum non adquirere nos (*c*) Possessionem (*d*) Julianus ait. Ad unam enim tantùm causam videri eum à debitore possideri: ad usucapionem.

Nec creditori (*e*); quia nec stipulatione, nec ullo alio modo per eum adquirat, quamvis eum possideat (*f*). *l.* 1. § 15. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Consonat alibi idem Paulus. Servus, licèt in libertate moretur, nihil possidet; nec per eum alius. Atquin si nomine alicujus (*g*) dum in libertate moratur, nactus fuerit Possessionem: Adquiret ei cujus nomine nactus fuerit. *l.* 31. § 2. *ff. de Usucap.* PAUL. LIB. 32. AD SABIN.

De filio autem ait Ulpianus: Quidquid filius peculiari nomine apprehenderit, id statim pater ejus Possidet, quamvis ignoret in suâ potestate filium (*h*). Ampliùs, etiamsi filius ab alio tanquam servus possideatur, idem erit probandum. *l.* 4. ULP. LIB. 67. AD ED.

XXVII.

Quod autem de servo quem non possidemus, an idem dicendum de servo qui in fugâ est?

Per servum qui in fugâ sit, nihil posse nos Possidere, Nerva filius ait: licèt respondeatur, quandiù ab alio non possideatur, à nobis eum possideri; ideòque interim etiam usucapi. Sed utilitatis causâ receptum est (*i*) ut impleatur usucapio; quandiù nemo nanctus sit ejus Possessionem.

Possessionem (*k*) autem per eum Adquiri, sicut per eos in provinciâ habemus, Cassi & Juliani sententia est. *l.* 1. § 14. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Et hæc posterior sententia obtinuit. Hinc Hermogenianus: Per servum in fugâ agentem, si neque ab alio possideatur, neque se liberum (*l*) esse credat, possessio nobis Adquiritur. *l.* 50. § 1. HERMOGEN. LIB. 5. JURIS EPITOMAR.

XXVIII.

Tam possessionem igitur (de quâ in hoc Titulo tractatur) Acquirimus per servos, quàm dominium de quo in Tit. præced. Unus tamen casus est quo per servum nostrum, quamvis eum possideamus, Adquirere non possumus. Nimirùm Heres per servum hereditarium, ejusdem hereditatis partem, vel id quod ejusdem hereditatis sit, Adquirere non potest. *l.* 43. *ff. de Adquir. hered.* JULIAN. LIB. 30. DIGEST.

Similiter Ulpianus. Per hereditarium servum, quod est ejusdem hereditatis, heredi Adquiri non potest; & maximè ipsa (*m*) hereditas. *l.* 18. *ff. de Adquir. rer. dom.* ULP. LIB. 4. AD SABIN.

Quocircà Paulus: Veteres putaverunt non posse nos per servum hereditarium adquirere quod sit ejusdem hereditatis. Itaque agitatur, num hæc regula longiùs producenda sit? Ut si plures servi legati sint, per unum an possint cæteri possideri? idem tractatus est, si pariter empti vel donati sunt. Sed verius est; ex his causis posse me, per unum, reliquorum Adquirere Possessionem. *l.* 1. § 16. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Hinc rectè Papinianus sic definit in specie sequenti. Quidam Prædia cum servis donavit; eorumque se tradidisse Possessionem, litteris declaravit (*n*). Si vel unus ex servis, qui simul cum prædiis donatus est, ad eum qui donum accepit, pervenit; mox in prædia remissus est: per servum, prædiorum Possessionem quæsitam cæterorumque servorum constabit. *l.* 48. PAPIN. LIB. 10. RESPONS.

Pari ratione non debet etiam regula produci ad servum qui, cùm defuncto deberetur, heredi traditus est: is enim non est hereditarius.

Hinc Julianus. Si is qui Titio servum vendiderat, heredi ejus eum tradiderit; poterit heres rerum hereditarium Possessionem per eum adprehendere: quia non servus jure hereditario, sed actio Ex empto ad eum pervenit. Nam & si ex stipulatu vel ex testamento servus testatori debitus fuisset, & heres eum accepisset; non prohiberetur rerum hereditariarum Possessionem per eumdem Adquirere. *l.* 38. § 2. JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

Item de eo duntaxat servo quem solo jure hereditario heres habet, accipienda est regula.

Contrà verò, Si ex parte heredi instituto servus legatus sit; propter partem quam ex causâ legati habet, Adquiret fundi hereditarii Possessionem. *l.* 1. § 17. PAUL. LIB. 54. AD. ED.

Idem dicendum est, si servum communem jussero adire hereditatem; quia propter partem meam Adquiro. *d. l.* 2. § 18.

§ II.

De servo communi, item de fructuario.

XXIX.

Per communem sicut per proprium Adquirimus; etiam singuli in solidum, si hoc agat servus ut unî adquirat (*o*): sicut in dominio adquirendo. *d. l.* 1. §. 7.

XXX.

Item. Per eum in quo usumfructum habemus, Possidere possumus; sicut ex operis suis acquirere nobis solet. Nec ad rem pertinet, quòd ipsum non possidemus: nam nec filium. *d. l.* 1. §. 8.

Quinetiam dici potest, videri nos quodammodo possidere servum in quo usumfructum habemus. Undè Ulpianus: Possessio quoque per servum cujus ususfructus meus est, ex re meâ vel ex operis servi Adquiritur mihi;

(*a*) Servi scilicet, cui concessit dominus habere peculium.

(*b*) Id est, non fit peculiare, non pertinet ad causam peculii. Est enim *Peculium* quod servus concedente domino habet: dominus autem non intelligitur ei concessisse, ut ex maleficio adquireret. Cùm autem nonnisi ex causâ peculii, possessio nobis ignorantibus adquiratur; sequitur improbam possessionem, utpotè quæ ad peculii causam pertinere non possit, nec posse nobis ignorantibus per servos adquiri.

(*c*) Debitores.

(*d*) Scilicet quam servus ille suo nomine adprehenderet. Quòd si nostro rem adprehendat nomine, dubium non est quin per eum [quamvis à nobis naturaliter non possessum] possessionem adipiscamur; quemadmodum & per quamlibet extraneam personam, corporis sui ministerium nobis præbentem, infrà §°. 4°.

(*e*) Supple, adquiret.

(*f*) Ex duabus quidem causis adquirimus per eos quos bonâ fide civiliter possidemus: ut videb. infrà §°. 3°. Sed creditor naturaliter duntaxat possidet: Tit. præced. N. 90. & suprà *h. tit.* N. 5.

(*g*) Domini vel extranei. Vide suprà N. 16. in fine.

(*h*) Cujacius ad *d. l.* filium hâc in re à servo differre pûtat; & rationem differentiæ esse quòd, cùm filius utpotè liber homo possideri non possit, non jure possessionis, sed jure patriæ potestatis possessio per filium adquiratur patri: adeòque parùm interfit ant sciat filium in suâ potestate esse necne, imò an filius ab alio ut servus possideatur. Contrà, per servos [inquit] jure quidem potestatis dominium adquirimus; jure possessionis adquirimus possessionem, adeòque non aliter quàm si eos possideamus.

(*i*) Pergit Paulus referre sententiam Nervæ & Proculeianorum. Imò [inquiebant illi] servus qui in fugâ est, non possidetur à domino suo; adeòque dominus non potest per eum acquirere. Receptum quidem est ut quoad usucapionis causam, possideri videatur; sed hoc singulari Jure & *utilitatis causâ receptum est*, nimirùm *ut* possit hujus servi *Usucapio impleri.*

(*k*) Hactenùs Paulus retulit sententiam Proculeianorum. Jam ait contrarium placuisse Cassio; scilicet servi qui in fugâ est Possessionem animo nos retinere, quandiù à nemine possidetur; adeòque posse nos per eum Possessionem Adquirere.

Hìc porrò notandum est, posteriorem hanc sententiam obtinuisse. Et ita patet solutio legis 15. ff. *de Publician. act.* quæ vulgò huic opponitur; in quâ scilicet Publicianam mihi competere ait Pomponius, pro re emptâ à servo qui in fugâ sit: *licèt* [inquit] *possessionem rei traditæ per eum nanctus non sim.* Fingunt Accursius & Duarenus [quos & ipsi secuti sumus in Notis ad h. l. d. tit. *de Publician. act.* N. 10.] servum hunc, non solùm in fugâ fuisse, sed etiam ab alio possessum. Verùm hâc fictione nil opus; & minùs adhuc placent aliæ solutiones à Zazio, & Bachovio [*Disput.* 21. Thes. 3.] adinventæ. Potuit enim Pomponius hoc de servo qui simpliciter in fugâ sit, dixisse ex sententiâ Proculeianorum: cùm tunc nondùm prævaluisset contraria Cassianorum sententia.

(*l*) Quum enim se pro libero gerit bonâ fide; videtur suam Possessionem nobis abstulisse, cùm ipse sit in Possessione libertatis.

(*m*) Hanc rationem affert Cujacius; quòd, cùm servus hereditarius per hereditatem acquiratur heredi, non possit vicissim hereditas aut quid ex hereditate per eum heredi adquiri. Repugnat enim ut duæ res vicissim sibi sint altera alterius causa.

(*n*) Hæc declaratio, non potuit esse vice traditionis.

(*o*) Alioquin pro ratâ dominii, singulis adquiret.

Source : BIU Cujas

cùm & naturaliter à fructuario teneatur, & plurimùm ex jure (*a*) Posſeſſio mutuetur. *l.* 49. PAPIN. LIB. 2. DEFINIT.

§ III.

Poſſeſſionem Adquiri per ſervos alienos vel liberos homines quos bonâ fide poſſidemus: an idem ſit de filio alieno qui bonâ fide in noſtra poteſtate eſt.

XXXI.

Per eum quem bonâ fide poſſidemus, quamvis alienus ſit, vel liber, Poſſeſſionem Adquiremus (*b*).

Quòd ſi malâ fide eum poſſideamus; non puto Adquiri nobis Poſſeſſionem (*c*) per eum. *l.* 1. § 6. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Obiter nota. Sed nec vero domino aut ſibi adquiret (*d*). qui ab alio poſſidetur. *d.* § 6. ¶ *ſed nec.*

Cùm malæ fidei Poſſeſſio non proſit, hinc Javolenus. Item quæro, ſi vinxero liberum hominem, ita ut eum poſſideam; an omnia quæ is poſſidebat, ego Poſſideam per illum? Reſpondit: Si vinxeris hominem liberum, eum te Poſſidere non puto. Quod cùm ita ſe habeat, multò minùs per illum res ejus à te Poſſidebuntur: neque enim rerum naturæ recipit, ut per eum aliquid poſſidere poſſimus, quem civiliter (*e*) in meâ poteſtate non habeo. *l.* 23. § 2. JAVOLEN. LIB. 1. EPISTOL.

XXXII.

Per eum quidem quem bonâ fide ut ſervum Poſſideo, adquirere poſſum. At verò Per eum quem juſto ductus errore, filium meum & in meâ poteſtate eſſe exiſtimo, neque Poſſeſſio, neque dominium, nec quidquam aliud ex re meâ mihi quæritur (*f*). *l.* 50. HERMOGEN. LIB. 5. JURIS EPITOMAR.

§ IV.

De extraneis perſonis.

XXXIII.

Per procuratorem, tutorem, curatorem-ve, Poſſeſſio nobis Adquiritur (*g*). Quum autem ſuo nomine nacti fuerint Poſſeſſionem, non quum eâ mente ut operam duntaxat ſuam accommodarent nobis; non poſſunt Adquirere (*h*). Alioquin (*i*) ſi dicamus per eos non Adquiri nobis poſſeſſionem, qui noſtro nomine accipiunt; futurum ut, neque is Poſſideat cui res tradita ſit, quia non habeat animum poſſidentis; neque is qui tradiderit, quoniam ceſſerit poſſeſſionem. *l.* 1. § 20. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Similiter Diocletianus & Maximianus. Per procuratorem, utilitatis (*k*) causâ, Poſſeſſionem; & ſi proprietas ſeparari non poſſunt, dominium etiam quæri placuit. *l.* 8. *Cod. h. tit.*

Quinetiam Per liberam perſonam ignoranti (*l*) quoque Adquiri Poſſeſſionem; & poſtquàm (*m*) ſcientia intervenerit, uſucapionis conditionem inchoari poſſe, tam ratione utilitatis quàm Juriſprudentiâ receptum eſt. *l.* 1. *Cod. h. tit.* SEVERUS ET ANTON.

Hoc tamen cum diſtinctione accipiendum. Nimirùm Procurator, ſi quidem mandante domino rem emerit, protinùs illi Acquirit Poſſeſſionem. Quòd ſi ſuâ ſponte emerit, non; niſi ratum habuerit dominus emptionem. *l.* 42. § 1. ULP. LIB. 4. REGUL.

§ V.

Quid requiratur circa perſonas per quas nobis Adquiritur Poſſeſſio.

XXXIV.

Cæterùm & ille per quem volumus Poſſidere, talis eſſe debet ut habeat intellectum poſſidendi. *l.* 1. § 9. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Et ideò ſi furioſum ſervum miſeris ut poſſideas, nequaquàm videris adprehendiſſe Poſſeſſionem. *d. l.* 1. § 10.

Quòd ſi impuberem miſeris ad Poſſidendum, incipies poſſidere: ſicut pupillus, maximè tutore auctore, Adquirit Poſſeſſionem. *d. l.* 1. § 11.

XXXV.

Non ſufficit autem, ut per aliquem Adquiramus Poſſeſſionem, eum habere intellectum Poſſidendi. Præterea, ſi quidem ſit extranea perſona, oportet ut noſtro nomine rem apprehendat: ſi verò ſit ea perſona per quam ratione poteſtatis, aut uſusfructûs aut bonæ fidei poſſeſſionis, acquirimus; ſufficit ut rem apprehendat, non alterius nomine.

Hinc Paulus. Hæc quæ de ſervis diximus, ita ſe habent; ſi & ipſi velint nobis Adquirere (*n*) Poſſeſſionem. Nam ſi jubeas ſervum tuum poſſidere, & is eo animo intret in Poſſeſſionem, ut nolit tibi, ſed potiùs Titio adquirere;; non eſt tibi Adquiſita Poſſeſſio. *d. l.* 1. § 19.

SECTIO III.

De retinendâ Poſſeſſione.

XXXVI.

Quemadmodum per alios Adquirimus Poſſeſſionem, ita & per alios retinemus.

V. G. Et per colonos, & inquilinos, aut ſervos noſtros poſſidemus. Et ſi moriantur aut furere incipiant, aut alii locent, intelligimur nos retinere Poſſeſſionem (*o*). Nec inter colonum & ſervum noſtrum per quem Poſſeſſionem retinemus, quidquam intereſt. *l.* 25. § 1. POMPON. LIB. 23. AD Q. MUCIUM.

Item per ſocium. Nam V. G. Communis ſervus, etiam ſi ab uno ex dominis omnium nomine poſſideatur, ab omnibus Poſſideri intelligitur. *l.* 42. ULP. 4. REGUL.

Et Generaliter quiſquis omninò noſtro nomine ſit in Poſſeſſionem, veluti procurator, hoſpes, amicus; nos poſſidere videmur. *l.* 9. GAIUS LIB. 25. AD ED. PROVINC.

Et quidem Quamvis pupillus ſine tutoris auctoritate non obligetur, Poſſeſſionem tamen per eum retinemus. *l.* 32. PAUL. LIB. 15. AD SABIN.

(*a*) Id eſt: hæc Poſſeſſio rei fructuariæ quam fructuarius habere videtur, habet *multùm ex Jure*: nam *Jure* tenet rem fructuariam, ut ejus fructus percipiat. Quanquàm, ſi propriè loquamur, fructuarius magis quaſi-poſſidet jus uſusfructûs, quàm ipſam rem fructuariam poſſidet, & magis *In poſſeſſione* ejus rei *eſt*, quam reverà eam *Poſſidet*.

(*b*) Scilicet ex re noſtrâ operis-ve ſuis, ſi ſuo nomine accipiat. Quòd ſi noſtro nomine ex noſtrâ voluntate accipiat; ex quàcumque causâ per eum Adquirimus Poſſeſſionem: ſicut & per extraneam perſonam adquireremus.

(*c*) Nimirùm quum ſuo nomine accipit.

(*d*) Liber homo non *Sibi* adquiret poſſeſſionem, ſi ab alio poſſideatur ut ſervus: qui enim ipſe poſſidetur, nihil poſſidere poteſt. Et pariter. *Vero domino* ſervus ab alio poſſeſſus non adquiret: per ſervos enim quos non poſſidemus, nec cæterarum rerum poſſeſſionem adipiſci poſſumus; ſuprà N. 26.

(*e*) Cujacius legit, *quem non civiliter* [id eſt, malo more] *in meâ poteſtate habeo.*

(*f*) Ratio diſparitatis ſuprà N. 26. Not. (*h*). Scilicet cùm per filium adquiratur jure poteſtatis; non poteſt adquirere qui hanc poteſtatem non habet, ſed errans ſe habere putat. Aliud in ſervo, per quem adquiritur jure Poſſeſſionis: poſſideri autem poteſt, quamvis alienus ſit.

(*g*) Scilicet [ut mox dicetur] quum noſtro nomine adquirunt; eo animo ut nobis, ad adipiſcendam Poſſeſſionem, operam ſuam accommodent.

(*h*) In quo extraneæ perſonæ differunt ab his per quos jure poteſtatis, uſusfructûs, aut bonæ fidei poſſeſſionis, Adquirimus. Per has enim perſonas, etiamſi ſuo nomine accipiant, Adquirimus Poſſeſſionem: ut vid. ſuprà.

(*i*) Hæc referuntur ad id quod initio dixit, nobis *Per procuratorem, tutorem, &c.* adquiri Poſſeſſionem.

(*k*) *Propterea quòd* [ut bellè inquit M. Tullius *pro Roſc. Amer.* n. 111.] *quibus in rebus ipſi ſemper intereſſe non poſſumus, in his operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponitur*: ne alioquin vacua Poſſeſſio ſit, dum non vacat nobis per noſmetipſos eam apprehendere.

(*l*) Atqui ſuprà diximus, requiri animum poſſidendi ad adipiſcendam Poſſeſſionem: quomodo ergo ignoranti adquiri poteſt? Dicendum; Satis videri habere animum rei poſſidendæ, qui mandavit eam ſibi comparari: quamvis nondum ſciat procuratorem impleſſe mandatum, & rem apprehendiſſe.

(*m*) Poſſidemus ignorantes, at non uſucapimus niſi ſcientes. Ratio eſt quòd ad uſucapionem requiritur opimo dominii, quam habere non poteſt is qui nondum ſcit ſe rem poſſidere.

(*n*) Porrò intelliguntur velle nobis Adquirere Poſſeſſionem, & quum ſibi eam volunt adquirere; cùm nihil ſuum habere poſſint; & quidquid adquirunt, ad nos tranſeat.

(*o*) Nam animo ſolo retinetur: mox infrà.

Source : BIU Cujas

Imò Si conductor rem vendidit, & eam ab emptore conduxit, & utrique mercedes præstitit : prior locator Possessionem per conductorem rectissimè (*a*) retinet. *d. l.* 32. § 1.

Quinetiam in hâc specie : Si ego tibi commodavero, tu Titio qui putet tuum esse ; nihilominùs ego id Possidebo. Et idem erit, si colonus meus fundum locaverit ; aut is apud quem deposueram, apud alium rursùs deposuerit. Et id, quàmlibet per plurium personam factum, observandum ita erit. *l.* 30. § 6. IDEM. LIB. I. AD SABIN.

XXXVII.

Cæterùm sicut in adipiscendâ, ita etiam in retinendâ Possessione, animus Possidendi requiritur. Hoc est quod ait idem Paulus : Cæterùm animo nostro, corpore etiam alieno possidemus, sicut diximus, per colonum & servum. Nec movere nos debet (*b*) quòd quasdam res, etiam ignorantes possidemus ; id est, quas servi peculiariter paraverunt. Nam videmur eas eorumdem & animo (*c*) & corpore possidere *l.* 3. § 12. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Sufficit autem animus, etsi non adsit corporalis detentio. Sic V. G. Saltus hibernos æstivosque animo possidemus, quamvis certis temporibus eos relinquamus. *d. l.* 3. § 11.

Possessionem retineri animo solo, rescribunt etiam Diocletianus & Maximianus. Licèt Possessio nudo animo Adquiri non possit, tamen solo animo retineri potest. Si ergo prædiorum desertam Possessionem non derelinquendi affectione, transacto tempore non coluisti, sed metûs necessitate, culturam eorum distulisti : præjudicium tibi ex transmissi temporis injuriâ generali non potest. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

XXXVIII.

Cùm solus animus ad retinendam Possessionem sufficiat ; hinc Labeo : Heredem coloni, quamvis colonus non est (*d*), domino Possidere existimo. *l.* 60. § 1. *ff. Locati.* LABEO POSTERIOR. LIB. 5. A JAVOLEN. EPITOM.

Sed & Si colonus non deserendæ Possessionis (*e*) causâ exiisset de fundo, & eò rediisset ; eumdem locatorem Possidere placet. *l.* 31. POMPON. LIB. 32. AD SABIN.

Suffragatur Africanus. Si fortè colonus per quem dominus possideret, decessisset ; propter utilitatem receptum est, ut per colonum Possessio & retineretur & continuaretur (*Ita Haloander ; melius quàm in Florent.* contineretur). Quo mortuo, non statim dicendum eam interpellari ; sed tunc demùm quum dominus Possessionem adipisci neglexerit (*f*).

(Aliud existimandum ait ; si colonus Possessione sponte (*g*) discesserit.)

Sed hæc (*h*) ita esse vera, si nemo extraneus eam rem interim possederit, sed semper in hereditate coloni manserit. *l.* 40. § 1. AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

Quod suprà mox subjecit Africanus aliud esse si sponte discesserit, colonus possessionemque eo casu amittit ; ex Sabinianorum sententiâ est. Contrà Proculus : Quum quis persuaserit familiæ meæ ut de Possessione decedat, Possessio quidem non amittitur ; sed de dolo malo judicium in eum competit, si quid mihi damni accesserit. *l.* 31. *ff. de Dolo malo.* PROCUL. LIB. 2. EPIST.

Proculeianorum sententiam sequitur Paulus. Ita ille : Quòd si servus vel colonus per quos corpore possidebam, decesserint, discesserint-ve ; animo retinebo Possessionem. *l.* 3. § 8. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Justinianus Proculeianorum sententiam confirmavit ; statuitque non Amitti Possessionem, etiamsi illi per quos possidebamus, eam dereliquerint aut prodiderint alteri. l. fin. Cod. h. tit.

SECTIO IV.

De Amittendâ Possessione.

Non Amittitur rei Possessio, corpore solo ; verùm corpore & animo, aut etiam animo solo.

Patet autem maximè Amitti Possessionem, si non supersit res quæ possidebatur ; aut persona quæ possidebat, in alterius potestatem pervenerit.

Hæc sigillatim exponenda sunt.

§ I.

Possessionem non Amitti corpore solo.

XXXIX.

Possessionem non Amitti corpore solo, id est, solâ discessione, ita docet Paulus : Quemadmodum nulla Possessio Adquiri, nisi animo & corpore potest ; ita nulla Amittitur, nisi in quâ (*i*) utrumque in contrarium actum est. *l.* 8. PAUL. LIB. 65. AD ED.

Enimverò ; FERÈ quibuscumque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur : cùm quibus modis Adquirimus, iisdem in contrarium actis Amittimus. Ut igitur nulla Possessio Adquiri nisi animo & corpore potest ; ita nulla Amittitur, nisi in quâ utrumque in contrarium actum. *l.* 153. *ff. de Reg. Jur.* IBID.

Hinc Si is qui animo Possessionem saltûs retineret, furere cœpisset ; non potest, dum furaret, ejus saltûs Possessionem Amittere : quia furiosus non potest desinere animo possidere. *l.* 27. PROCUL. LIB. 5. EPISTOL.

Hinc ignorantes rei Possessionem quam solo animo retinebamus, non Amittimus.

Undè Pomponius. Quod autem solo animo Possidemus, quæritur utrùm-ne usque eò possidemus donec alius corpore ingressus sit ; ut potior sit illius corporalis Possessio ? An verò (quod quasi magis probatur) usque eò possideamus, donec revertentes nos aliquis repellat ; aut nos ita animo desinamus Possidere, quòd suspicemur repelli nos posse ab eo qui ingressus sit in Possessionem ? Et videtur utilius esse. *l.* 25. § 2. POMPON. LIB. 2. AD Q. MUCIUM.

Consonat Paulus. Sed & si animo solo possideas ; licèt alius in fundo sit, adhuc tamen Possides. *l.* 3. § 7. PAUL. LIB. 54. AD ED.

XL.

Quod dicimus nos ignorantes non Amittere Possessionem ; hoc exceptionem pati in his quæ per alium possidemus, docet Papinianus. Enimverò post supràdicta omnia, ita adjicit : Quibus explicitis, quum de Amittendâ Possessione quæratur ; multùm interesse dicam, per nosmetipsos an per alios

(*a*) Emptor ergo hoc casu non possidet, quamvis mercedes hujus fundi percipiat. Non possunt enim duo possidere in solidum ; & colonus qui prioris locatoris nomine in Possessione esse pergit, non potest alterius nomine in Possessione esse.

(*b*) Sensus est : modò animus noster adsit, *corpore etiam alieno possidemus.* Nec contrarium est huic quod dicimus *animum* nostrum requiri ; quod suprà vidimus *etiam ignorantes* nos possidere per servum ex causâ peculii, imò & Possessionem adquirere : Sect. præced. Art. 4. §°. 1°.

(*c*) Hæc solutio minùs sufficiens videtur ; cùm ex dictis, regulariter, etsi corpore alieno, tamen animo nostro possidere debeamus. Ita igitur intelligendum est, quòd animus noster in hâc singulari specie eorum animo suppleatur : quia scilicet, cùm peculium universum possideamus, necessariò & per consequentias, quidquid ex peculiari causâ adquirunt non alterius nomine, videmur ipsi possidere ; cùm id statim peculii fiat. Quod utilitatis causâ receptum est : ut vid. sup. d. Art. 4.

(*d*) Putà quia locatio eâ lege facta sit, ut heres coloni in jus conductionis non succederet ; vel vivo defuncto, aut jacente ejus hereditate, finitum est tempus conductionis. His & aliis similibus casibus, quamvis heres coloni non sit noster colonus ; tamen per eum adhuc Possessionem retinemus : quia cùm heres in omnem causam Possessionis defuncti succedat, & Possessio defuncti ea esset quam non suo sed nostro nomine habebat ; eamdem quoque causam habet Possessio heredis, & pariter ipse intelligitur nostro nomine rem tenere, quamvis noster colonus non sit.

(*e*) Imò & eo casu quo animum *deserendæ Possessionis* habuisset, idem Juris est ex sententiâ Proculeianorum, quæ prævaluit contrariæ Sabinianorum sententiæ : ut modò infrà dicetur.

(*f*) Id est, Possessionem omiserit, animo repudiaverit.

(*g*) Sabiniani enim, quorum sententiam sequitur Africanus, putabant eum qui vice nostrâ in Possessione est, posse etiam vice nostrâ animum Possidendi deponere, & sic nobis Possessionem auferre. Contrà Proculeiani noluerunt in ejus potestate relinqui, ut Possessionem Amitteremus.

(*h*) Hic versiculus refertur ad priorem casum quo colonus mortuus est.

(*i*) Id est, sicut corporalis apprehensio non sufficit ad Adquirendam Possessionem, nisi concurrat animus ejus adquirendæ ; ita ad eam Amittendam non sufficit sola corporalis discessio, sine animo ejus abjiciendæ. Verùm cave hinc concludas animum solum non sufficere ad eam amittendam : ut infrà videb.

Source : BIU Cujas

alios poſſideremus. Nam ejus quidem quod corpore noſtro teneremus, Poſſeſſionem Amitti vel animo (*a*), vel (*b*) etiam corpore; ſi modò eo animo indè digreſſi fuiſſemus ne poſſideremus: ejus verò quod ſervi vel etiam coloni corpore poſſidetur, non aliter Amitti Poſſeſſionem (*c*) quàm eam alius ingreſſus fuiſſet (*d*); eamque Amitti nobis quoque ignorantibus. Illa quoque Poſſeſſionis Amittendæ ſeparatio (*e*) eſt: nam ſaltus hybernos & æſtivos, quorum Poſſeſſio retinetur animo; *l.* 44. § 2. PAPIN. LIB. 23. QUÆST.

Licèt neque ſervum neque colonum ibi habeamus; *l.* 45. IDEM LIB. 2. DEFINIT.

Quamvis ſaltus, propoſito poſſidendi, fuerit alius ingreſſus; tandiù priorem poſſidere dictum eſt, quandiù Poſſeſſionem ab alio occupatam ignoraret. Ut enim eodem modo vinculum obligationum ſolvitur, quo quæri adſolet; ita non debet ignoranti (*f*) tolli Poſſeſſio quæ ſolo animo tenetur. *l.* 46. PAPIN. LIB. 23. QUÆST.

§ II.

De Amiſſione Poſſeſſionis, corpore ſimul & animo.

XLI.

Poſſeſſio Amittitur corpore & animo, nimirùm quùm non ſolùm corpore inſidere rei deſinimus; verùm quum hujus poſſidendæ animum deponimus vel ſponte, vel inviti.

Et ſponte quidem, quum rem alicui tradimus, animo Poſſeſſionis ad ipſum transferendæ. Sic porrò Poſſeſſionem Amittimus; quamvis is cui rem tradimus, Poſſeſſionem non fuiſſet adeptus.

Hinc V. G. Si furioſo quem ſuæ mentis eſſe exiſtimas, eo quòd fortè in conſpectu inumbratæ quietis fuit conſtitutus, rem ttadideris; licèt ille non erit adeptus Poſſeſſionem (*g*), tu poſſidere deſinis. Sufficit quippè dimittere Poſſeſſionem, etiamſi non transferas. Illud enim ridiculum eſt dicere, quòd non aliter vult quis dimittere quàm ſi transferat (*h*): imò vult dimittere, quia exiſtimat ſe transferre. *l.* 18. § 1. CELSUS LIB. 23. DIGESTOR.

Cæterùm hæc voluntas Amittendæ Poſſeſſionis in eo demùm efficax eſt qui alienandi jus habet; non igitur in pupillo, ſi non accedat tutoris auctoritas. Nam Pupillus quantùm ad adquirendum, non indiget tutoris auctoritate: alienare verò nullam rem poteſt, niſi præſente tutore auctore; & ne quidem Poſſeſſionem quæ eſt naturalis (*i*); ut Sabinianis viſum eſt. Quæ ſententia vera eſt. *l.* 11. *ff. de Adquir. rer. dom.* MARCIAN. LIB. 3. INSTITUT.

Item ſic demùm traditione Amittitur Poſſeſſio, ſi traditio purè fiat: quòd ſi ſub conditione, non priùs quàm conditione exiſtente.

Hinc Si quis Poſſeſſionem fundi ita tradiderit, ut ita demùm cedere eâ dicat ſi ipſius fundus eſſet; non videtur Poſſeſſio tradita, ſi fundus alienus ſit. Hoc ampliùs: exiſtimandum eſt Poſſeſſiones ſub conditione tradi poſſe, ſicut res ſub conditione traduntur; neque aliter accipientis fiunt, quàm conditio extiterit. *l.* 38. JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

XLII.

Sed & quum inviti & non ſponte rei poſſidendæ animum deponimus, Poſſeſſionem pariter Amittimus: ut in immobilibus, ſi quis vi dejiciatur.

Hinc Paulus utrumque pariter conjungit, & traditionem ſponte factam, & violentam de Poſſeſſione dejectionem. Ita ille: Et ſi alii tradiderim (*k*), Amitto Poſſeſſionem. Nam conſtat poſſidere nos, donec aut noſtrâ voluntate diſceſſerimus, aut vi dejecti fuerimus. *l.* 3. § 9. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Dejectus autem quis intelligi poteſt, etiam eâ re quam animo ſolo poſſidebat. Enimverò dum quis domo abeſt; Si quis nuntiet domum à latronibus occupatam, & dominus timore conterritus noluerit accedere: Amiſiſſe eum Poſſeſſionem placet. *d. l.* 3. § 8.

Similiter alibi. Et ſi nolit in fundum reverti, quòd vim majorem vereatur; Amiſiſſe Poſſeſſionem videbitur. Et ita quoque Neratius ſcribit. *l.* 7. PAUL. LIB. 44. AD ED.

Contrà, ſi exiſtimem me facilè pulſurum eum qui fundum meum ingreſſus eſt; non depono animum Poſſidendi: adeoque Poſſeſſionem retineo.

Hinc Celſus. Si dum in aliâ parte fundi ſum, alius quis clàm animo poſſeſſoris intraverit; non deſiiſſe illicò poſſidere exiſtimandus ſum: facilè expulſurus finibus, ſimul ſciero. *l.* 18. § 3. CELSUS LIB 23. DIGEST.

Quod tamen dicimus, Amitti Poſſeſſionem quum quis dejicitur; ſic limita; niſi ab eo qui tuo juri ſubditus ſit, dejiciaris.

Hinc Africanus; Si de eo fundo quem quum poſſiderem, pignori tibi dedi, ſervus tuus te dejiciat; adhuc te poſſidere ait: quoniam nihilominùs per ipſum ſervum Poſſeſſionem retineas. *l.* 40. AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

XLIII.

Si is qui injuriâ dejicitur, Poſſeſſionem Amittit; pariter, & multò magis, is qui auctoritate Magiſtratûs expellitur, aut poteſtate Legis, aut naturali aliquo caſu qui vim majorem contineat.

Igitur: Item quum Prætor idcircò in Poſſeſſionem ire (*Florent.* rei.) juſſit (*l*), quòd damni infecti non promittebatur; Poſſeſſionem invitum dominum amittere, Labeo ait. *l.* 30. § 2. PAUL. LIB. 15. AD SABIN.

Item quod mari aut flumine occupatum ſit; Poſſidere nos (*m*) deſinimus. *d. l.* 30. § 3.

Similiterque Labeo & Nerva filius reſponderunt; deſinere me Poſſidere eum locum, quem flumen aut mare occupaverit. *l.* 3. § 17. PAUL. LIB. 54. AD ED.

XLIV.

Quod ſpectat ad res mobiles; rei poſſidendæ animum deponimus non ſponte, quocumque caſu ſub cuſtodiâ noſtrâ eſſe deſierit.

Nam V. G. Rem quæ nobis ſubrepta eſt, perindè intelligimur deſinere poſſidere, atque eam quæ vi nobis erepta eſt. *l.* 15. GAIUS LIB. 26. AD ED. PROVINC.

Hîc porrò ſimilis, ut ſuprà in immobilibus, limitatio ſubjicitur.

Nimirùm: Sed ſi is qui in poteſtate noſtrâ eſt, ſubripuerit; quamdiù apud ipſum ſit res, tamdiù non

(*a*) *Vel animo* ſolo.

(*b*) Id eſt, *vel animo & corpore.*

(*c*) Prima itaque differentia in ratione Poſſeſſionis Amittendæ, inter caſum quo per noſmetipſos poſſidemus, & caſum quo per alium poſſidemus, hæc eſt; quòd rem illam quam per noſmetipſos poſſidemus, deſinimus poſſidere ſtatim atque deponimus animum poſſidendi: at quum per alium poſſidemus, non deſinimus poſſidere ſtatim atque ille animum poſſidendi deponit.

(*d*) Enimverò receptum quidem eſt ex Proculeianorum ſententiâ, ut non poſſint qui nomine noſtro poſſident, deponendo ſponte animum poſſidendi, nos privare poſſeſſione; ne in ipſorum arbitrio relinqueretur ut eam amittamus: at ſemper & ex utriuſque Scholæ conſenſu obtinuit, ut quum inviti & dejecti deponunt animum poſſidendi, nos quoque licèt ignorantes deſinamus poſſidere, quia per eos dejectos, & nos quoque dejecti videmur: nos enim dejicit, qui rem noſtro nomine tenentes dejicit.

(*e*) Id eſt, differentia altera in ratione poſſeſſionis amittendæ: idipſum ſcilicet quòd modò dixit; Nos quum per alium poſſidemus, etiam *ignorantes* deſinere poſſidere quando alius poſſeſſionem ingreſſus eſt. Secùs enim, quum per noſmetipſos aut ſolo animo poſſidemus: *Nam ſaltus, &c.*

(*f*) Id eſt; ſicut animo poſſidentis res tenetur, ita non poteſt niſi ejus animo dimitti.

(*g*) Furioſus non poteſt Adquirere Poſſeſſionem; quia requiritur animus poſſidendi; qui non poteſt eſſe in furioſo cujus nulla eſt voluntas.

(*h*) Nec obſtat lex 18. ff. *de Vi & vi arm.* ubi is qui vacuam rei poſſeſſionem reliquit, dicitur noluiſſe aliter deſinere poſſidere *quàm ſi tradita* ſit ei cui relinquitur. Ita quidem. Sed in noſtrâ ſpecie res furioſo reverâ tradita eſt: adeòque voluit omninò is qui tradidit; deſinere poſſidere.

(*i*) Nec obſtat lex 29. ff. *h. tit.* infrà N. 49. Vide ibi ſolutionem.

(*k*) Ita Florent. & Vulgat. Haloander & Cujacius legunt, *Tradiderint*: quod refertur ad ſervos & colonos de quibus ſuprà N. 38. ex eâdem l. 3. § 8. ubi dicitur quòd, ſi illi diſceſſerint de meo fundo, nihilominùs *animo* retinebo Poſſeſſionem. At *ſi alii tradiderint, Amitto Poſſeſſionem*; ſcilicet indiſtinctè ex Sabinianorum ſententiâ ibidem relatâ; ex Pauli autem mente, & Proculeianorum ſententiâ, ſi non ſponte ſed vi compulſi eam Poſſeſſionem tradiderint; vel ſi ego hoc audito, aut accedere nolim, aut prohibitus fuerim vel repulſus.

(*l*) Ex ſecundo decreto.

(*m*) Hæc recta lectio, ut probat Wiſſembachius. Malè alibi, NON *deſinimus.* Aut ſi negatio retineatur, intelligenda lex erit de inundatione momentaneâ.

Source : BIU Cujas

Amittimus Poſſeſſionem : quia per hujuſmodi perſonas Adquiritur nobis Poſſeſſio.

Et hæc ratio eſt quare videamur fugitivum poſſidere ; quòd is quemadmodum aliarum rerum poſſeſſionem intervertere non poteſt, ita ne ſuam quidem poteſt. *d. l.* 15. ¶ *ſed ſi.*

Hinc & Si ſervus quem poſſidebam, fugerit ; ſi pro libero ſe gerat (*a*), videbitur à domino poſſideri. *l.* 15. § 1. *ff. de Uſurp. & uſucap.* PAUL. LIB. 15. AD PLAUT.

Undè Ulpianus. In acceſſione (*b*) temporis, & id tempus quo in fugâ ſit ſervus, domino ejus procedere verum eſt. *l.* 8. *ff. de Diverſ. temporal. præſcript.* ULP. LIB. 1. REGUL.

Sed hoc tunc intelligendum eſt ; quum, ſi apprehenſus fuerit, non ſit paratus pro ſuâ libertate litigare. Nam ſi paratus ſit litigare, non videbitur à domino poſſideri, cui ſe adverſarium præparavit. *ſup. d. l.* 15. *d.* § 1. *ff. de Uſucap.*

Idem alibi. Si ſervus quem poſſidebam, pro libero ſe gerat, ut fecit Spartacus (*c*) ; & judicium liberale pati paratus ſit ; non videbitur à domino poſſideri, cui ſe adverſarium præparat. Sed hoc ita verum eſt, ſi diù in libertate moratur. Alioquin ſi ex poſſeſſione ſervitutis in libertatem reclamaverit, & liberale judicium imploraverit ; nihilominùs in Poſſeſſione meâ eſt, & animo eum Poſſideo, donec liber fuerit pronuntiatus. *l.* 3. § 10. PAUL. LIB. 54. AD ED.

XLV.

Præter eos autem qui noſtro juri ſubjecti ſunt, qui non poſſunt privare nos cujuſvis rei Poſſeſſione eam ſurripiendo ; quævis alia perſona, etiam illa quæ noſtro nomine rem tenebat, poteſt nos rei mobilis Poſſeſſione privare.

Undè Paulus. Si rem apud te depoſitam, furti faciendi cauſâ, contrectaveris ; deſino poſſidere. Sed ſi eam loco non moveris, & inficiandi animum habeas ; plerique Veterum, & Sabinus & Caſſius, rectè reſponderunt Poſſeſſorem me manere : quia furtum ſine contrectatione fieri non poteſt, nec animo furtum admittatur. *d. l.* 3. § 18.

Juxta hanc igitur diſtinctionem accipe quod ait Marcellus. Si quis rem quam utendam dederat, vendiderit ; emptorique tradi juſſerit, nec ille (*d*) tradiderit ; aliàs videbitur Poſſeſſione dominum intervertiſſe (*e*), aliàs contrà. Nam nec tunc quidem ſemper dominus Amittit Poſſeſſionem, quum repoſcenti ei commodatum non redditur. Quid enim ſi alia quæpiam fuit juſta & rationabilis cauſa non reddendi, non utique ut Poſſeſſionem ejus interverteret ? *l.* 20 MARCELL. LIB. 19. DIGEST.

Similiter de caſu quo res contrectata fuit, accipe quod Papinianus ait : Si rem mobilem apud te depoſitam, aut ex commodato, tibi poſſidere, neque reddere conſtitueris ; confeſtim Amiſiſſe me Poſſeſſionem vel ignorantem ; reſponſum eſt. Cujus rei forſitan illa ratio eſt, quòd rerum mobilium neglecta atque omiſſa cuſtodia, quamvis eas nemo alius invaſerit, veteris Poſſeſſionis damnum adferre conſuevit. Idque Nerva filius libris de Uſucapionibus retulit. *l.* 17. PAPIN. LIB. 26. QUÆST.

XLVI.

Idem ſcribit ; Aliam cauſam eſſe hominis commodati, omiſsâ cuſtodiâ. Nam Poſſeſſionem tamdiù veterem fieri (*f*), quamdiù nemo alius eum poſſidere cœperit : videlicèt ideò quia poteſt homo, propoſito redeundi, domino Poſſeſſionem ſuî conſervare ; cujus corpore cæteras quoque res poſſumus poſſidere. Igitur earum quidem rerum, quæ ratione vel animâ carent, confeſtim Amittitur Poſſeſſio ; homines autem retinentur, ſi revertendi animum haberent. *d. l.* 47. ¶ *idem.*

Igitur à regulâ quam circa res mobiles ſtatuimus, excipienda eſt ſola hominis cauſa. De cæteris generaliter ait idem Nerva filius ; Res mobiles excepto homine, quatenùs ſub cuſtodiâ noſtrâ ſint hactenùs poſſideri ; id eſt quatenùs, ſi velimus, naturalem Poſſeſſionem nanciſci poſſimus. Nam pecus ſimul atque aberraverit, aut vas ita exciderit ut non inveniatur ; protinùs deſinere à nobis poſſideri, licèt à nullo poſſideatur : diſſimiliter atque ſi ſub cuſtodiâ meâ ſit, nec inveniatur ; quia præſentia ejus ſit, & tantùm ceſſat interim diligens inquiſitio. *l.* 3. § 13. PAUL. LIB. 54. AD ED.

At Si id quod poſſidemus, ita perdiderimus ut ignoremus ubi ſit, deſinimus Poſſidere. *l.* 25. POMPON. LIB. 23. AD Q. MUCIUM.

Hinc notat Ulpianus diſcrimen inter Poſſeſſionem ac dominium. Ita ille : Pomponius refert, quum lapides in Tiberim demerſi eſſent naufragio, & poſt tempus extracti ; an dominium in integro fuit, per id tempus quo erant merſi ? Ego dominium me retinere puto, poſſeſſionem non puto. Nec eſt ſimile fugitivo. Namque fugitivus idcircò à nobis poſſideri videtur, ne ipſe nos privet Poſſeſſione : at in lapidibus diverſum eſt. *l.* 13. ULP. LIB. 72. AD ED.

XLVII.

Ex regulâ quam ſtatuimus, res mobiles (homine excepto) eatenùs à nobis poſſideri, quatenùs ſub cuſtodiâ noſtrâ ſunt ; ſequitur ; Item feras beſtias quas vivariis (*g*) incluſerimus, & piſces quos in piſcinas (*h*) conjecerimus, à nobis Poſſideri. Sed eos piſces qui in ſtagno ſint, aut feras quæ in ſylvis circumſeptis (*i*) vagantur, à nobis non poſſideri : quoniam relictæ ſint in libertate naturali. Alioquin etiam, ſi quis ſylvam emerit, videri eum omnes feras poſſidere : quod falſum eſt. *l.* 3. § 14. PAUL. LIB. 54. AD. ED.

Similiter de avibus. Aves autem Poſſidemus quas (*k*) incluſas habemus ; aut ſi quæ manſuetæ factæ, cuſtodiæ noſtræ ſubjectæ ſunt. *d. l.* 3. § 15.

De columbâ & apibus quæſitum, quando ſub cuſtodiâ noſtrâ eſſe cenſeantur. Quidam rectè putant, columbas quoque quæ ab ædificiis noſtris volant, item apes quæ ex alveis noſtris evolant, & ſecundùm conſuetudinem redeunt, à nobis Poſſideri. *d. l.* 3. § 16.

Ex eo autem ſolo non videtur res deſiiſſe ſub noſtrâ cuſtodiâ eſſe, quòd exciderit memoria loci ubi eſſet.

Hinc Papinianus. Peregrè profecturus, pecuniam in terrâ cuſtodiæ causâ, condiderat. Quum reverſus locum theſauri in memoriâ non repeteret ; an deſiiſſet pecuniam poſſidere ; vel, ſi poſtea cognoviſſet locum, an confeſtim poſſidere inciperet ; quæſitum eſt ? Dixi ; Quoniam cuſtodiæ causâ, pecunia condita proponeretur, jus poſſeſſionis ei qui condidiſſet, non videri peremptum ; nec infirmitatem memoriæ, damnum adferre poſſeſſionis quam alius non invaſit : alioquin reſponſuros, per momenta ſervorum quos non viderimus, interire poſſeſſionem. Et nihil intereſt, pecuniam in meo an in alieno condidiſſem, cùm ſi alius in meo condidiſſet, non aliàs poſſiderem quàm ſi ipſius rei poſſeſſionem ſupra terram adeptus fuiſſem. Itaque nec alienus locus meam propriam aufert poſſeſſionem ; cùm ſupra terram an infra terram poſſideam, nihil interſit. *l.* 44. PAPIN. LIB. 23. QUÆST.

(*a*) Tunc enim ſui ipſius furtum facit.

(*b*) Pone exemplum in exceptione diutinæ Poſſeſſionis decem aut viginti annorum, quam ego dominus oppono creditori adverſùs Servianam actionem quâ ille perſequitur jus pignoris, quod is à quo ſervum comparavi, in eo ſervo conſtituerat.

(*c*) Famoſus ille dux ſervilis belli contra Romanos : de quo plura apud Livium, Florum, Eutropium, Plutarchum, &c.

(*d*) Qui utendam rem acceperat.

(*e*) Scilicet ſi eam loco moveat, ad eam occultandam, Poſſeſſionemque intervertendam.

(*f*) Id eſt, ſervari ſeu *remanere* ; quo ferè ſenſu verbum *fieri* accipitur & in l. 17. ff. *de Judicis.*

(*g*) Gellius *Noct. Attic.* II 20. ait VIVARIA, ſepta quædam loca eſſe in quibus feræ vivæ paſcuntur : quæ à Varrone appellantur *Leporaria*, à Scipione *Reboraria*, quòd ea plerùmque tabulis roboreis ſepta eſſent.

(*h*) Lacus & ſtagna piſcibus vivis coercendis clauſa, *Piſcinas* nominare ſolent. Gell. *de. loc.*

(*i*) Quidam putant legendum, *non circumſeptis.* Sed malè ; nam *Sylva* à *Vivario*, ſicut *Stagnum* à *Piſcinâ*, differt, non ſeptis, ſed ſolâ magnitudine loci.

(*k*) Id eſt, eas demùm *quas*, &c.

Source : BIU Cujas

§ III.

De Amissione Possessionis, animo solo.

XLVIII.

In Amittendâ quoque Possessione, affectio ejus qui possidet, intuenda est. Itaque si in fundo sis, & tamen nolis eum possidere; protinùs Amittes Possessionem. Igitur Amitti & animo solo potest, quamvis Adquiri non potest. *l.* 3. § 6. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Item quod mobile est, multis modis desinimus Possidere; aut si nolimus; aut servum (putà) manumittamus. *l.* 30. § 4. IDEM. LIB. 15. AD SABIN.

Hinc notat Ulpianus. Differentia inter dominium & Possessionem hæc est, quòd dominium nihilominùs ejus manet qui dominus esse non vult (*a*); Possessio autem recedit, ut quisque constituit nolle possidere. Si quis igitur eâ mente Possessionem tradidit, ut postea ei restituatur; desinit (*b*) possidere. *l.* 17. § 1. ULP. LIB. 76. AD ED.

XLIX.

Regula quam statuimus, Possessionem Amitti posse animo solo, exceptionem patitur in pupillo.

Hinc Ulpianus. Possessionem pupillum sine tutoris auctoritate Amittere posse constat; non ut animo, sed ut corpore desinat possidere (*c*): quod est enim facti, potest amittere. Alia causa est; si fortè animo Possessionem velit Amittere: hoc enim non potest. *l.* 29. ULP. LIL. 30. AD SABIN.

§ IV.

De Amissione Possessionis, per rei interitum aut quum is qui possidet, in alterius potestatem pervenit.

L.

Quum res quæ possidebatur, jam non superest; evidens est Amitti hujus Possessionem. V. G. Item si quod possidebam, in aliam speciem translatum est; veluti vestimentum ex lanâ factum. *l.* 30. § 4. ¶ *item si.* PAUL. LIB. 14. AD SABIN.

Perindè autem est ac si res interiret, quum commercio eximitur; talisque fit ut in eam non cadat Possessio.

Hinc Paulus. Possessionem Amittimus multis modis: veluti si mortuum in eum locum intulimus quem possidebamus. Namque locum religiosum aut sacrum non possumus possidere; etsi contemnamus religionem, & pro privato eum teneamus; sicut hominem liberum. *l.* 30. § 1. PAUL. LIB. 15. AD SABIN.

Desinimus igitur possidere servum quem manumittimus. Cæterùm Qui absenti servo scribit, ut in libertate moretur; non eam mentem habet, ut statim velit servi Possessionem dimittere: sed magis destinationem suam in id tempus conferre, quo servus certior factus fuerit. *l.* 30. JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

LI.

Neque solùm interitu aut mutatione rei quæ possidebatur contingente, Amittitur Possessio; sed item Aut si is qui possidet, in alterius potestatem pervenit. *d. l.* 30. § 3. ¶ *aut si.*

Et quidem ad eam retinendam, jus postliminii captivis non prodest.

Hinc Javolenus. In his qui in hostium potestatem pervenerunt, in retinendo jura rerum suarum singulare Jus est. Corporaliter tamen Possessionem Amittunt (*d*); neque enim possunt videri aliquid possidere, cùm & ipsi ab alio possideantur. Sequitur ergo ut reversis his novâ Possessione opus sit, etiamsi nemo medio tempore res eorum possederit. *l.* 23. § 1. JAVOLEN. LIB. 1. EPISTOL.

SECTIO V.

An quis mutare causam Possessionis suæ possit.

LII.

Illud quoque à Veteribus præceptum est, neminem sibi ipsum causam Possessionis mutare posse. *l.* 3. § 19. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Et quidem Quod vulgò respondetur, CAUSAM POSSESSIONIS NEMINEM SIBI MUTARE POSSE, sic accipiendum; ut Possessio non solùm civilis, sed etiam naturalis intelligatur (*e*). Et propterea responsum est; Neque colonum, neque eum apud quem res deposita, aut cui commodata est, lucri faciendi causâ Pro herede usucapere posse. *l.* 1. § 1. *ff. Pro herede.* JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

Filium (*f*) quoque donatam rem à patre, Pro herede negavit usucapere Servius; scilicet qui existimabat naturalem Possessionem penès eum fuisse vivo patre. Cui consequens est; ut filius à patre heres institutus, res hereditarias à patre sibi donatas, pro parte coheredum usucapere non possit. *d. l.* 2. § 2.

Consonat quod rescribunt Diocletianus & Maximianus. Cùm nemo causam sibi Possessionis mutare possit; proponasque colonum, nullâ extrinsecùs accedente causâ, excolendi occasione ad iniquæ venditionis vitium esse prolapsum: Præses provinciæ inquisitâ fide veri, dominii tui jus convelli non sinet. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

Adeò verum est Possessionem in possidentis personâ semper talem perseverare qualis ea incœpit; ut evidenter dicat Paulus: Si vi aut clàm aut precariò Possessionem nactus quis postea furere cœperit; & Possessio, & causa eadem durat de hoc quod precariò furiosus habet. Quemadmodum Interdicto quoque UTI POSSIDETIS, furiosi nomine rectè experiemur; ejus Possessionis nomine, quam ante furorem per se, vel post furorem per alium nanctus est. *l.* 31. § 4. *ff. de Usucap.* PAUL. 32. AD SABIN.

LIII.

Hæc tamen ita vera sunt; si nova possidendi causa, aut saltem probabilis novæ causæ opinio, non superveniat.

Hoc est quod Julianus ait. Quod vulgò respondetur, ipsum sibi causam Possessionis mutare non posse; toties verum (*g*) est, quoties quis sciret se bonâ fide non possidere, & lucri faciendi causâ, inciperet possidere (*h*). Idque per hæc probari posse; si quis emerit fundum sciens ab eo cujus non erat, possidebit Pro possessore. Sed si eumdem à domino emerit, incipit Pro

(*a*) Scilicet, nisi possessionem quoque abjiciat. Nam dominium retentâ Possessione Amitti non potest; quamvis contrà, Possessio retento dominio sæpè amittatur.

(*b*) Supple; quamvis hoc modo dominium non amitteret. Sunt enim certi modi amittendi dominii, nec ad hoc efficax est traditio imaginaria. At amissio Possessionis ex solo & mero possidentis arbitrio pendet: quare quum vult vel tantisper & ad momentum desinere possidere, Amittit Possessionem. Ita Cujacius ad h. l.

(*c*) Id est; pupillus Possessionem, si in eâ nihil aliud quàm corporalem detentionem inspicias, potest Amittere; evidens est enim posse eum corpore discedere à re quam possidet. Verùm non potest deponere animum possidendi, sine tutoris auctoritate: quare hâc corporali discessione non amittit Possessionem; neque enim amitti potest corpore solo, ut vid suprà N. 42. ex l. 11. ff. *de Adq. rer. dom.* Fallit tamen regula in casu singulari legis 2æ. § 15. ff. *Pro emptor.* ubi pupillus qui pro pubere habebatur, bonæ fidei emptori tradidit: receptum enim est propter bonam fidem emptoris, ut in eum pupillus hoc casu transmittere posset possessionem. Evidens est etiam, quibus casibus inviti possessionem amittimus, & pupillum sine tutoris auctoritate amittere; ut si de possessione dejiciatur, res ejus mobilis surripiatur aut penitùs ignoretur ubi sit.

(*d*) Nam jus *Postliminii* restituit ea quæ in JURE consistunt: verùm Possessio magis in FACTO consistit.

(*e*) Id est, hæc regula obtinet etiam circa naturalem possessionem; quæ hic largè accipitur, etiam pro detentione eorum qui sunt alieno nomine in Possessione.

(*f*) Filio qui in potestate est, inutiliter pater donat; cùm quidquid ille acquirit, patri acquirat.

(*g*) Demùm.

(*h*) Supple, ex solâ suâ animi destinatione, absque novo titulo. Secùs, si novus titulus interveniat.

Source : BIU Cujas

emptore poſſidere ; nec videbitur ſibi ipſe cauſam Poſſeſſionis (*a*) mutaſſe.

Idemque Juris erit, etiamſi à non domino emerit quum exiſtimaret eum dominum eſſe : idem hic, ſi à domino heres inſtitutus fuerit, vel bonorum ejus poſſeſſionem acceperit, incipiet fundum Pro herede poſſidere. Hoc ampliùs, ſi juſtam cauſam habuerit exiſtimandi ſe heredem vel bonorum poſſeſſorem domino extitiſſe, fundum Pro herede poſſidebit : nec cauſam poſſeſſionis ſibi mutare videbitur. Cùm hæc igitur recipiantur in ejus perſonâ qui poſſeſſionem habet ; quanto magis in colono recipienda ſunt, qui nec vivo nec mortuo domino, ullam poſſeſſionem habet ? Et certè ſi colonus mortuo domino emerit fundum ab eo qui exiſtimabat ſe heredem ejus, vel bonorum poſſeſſorem eſſe ; incipiet Pro emptore poſſidere. *l.* 33. § 1. *ff. de Uſurp. & uſucap.* JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

Conſonat Paulus. Sed ſi is qui apud me depoſuit vel commodavit, eam rem vendiderit mihi vel donaverit ; non videbor cauſam Poſſeſſionis mihi mutare, qui ne poſſidebam quidem. *l.* 3. § 20. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Suffragatur etiam Marcellus. Quod ſcriptum eſt apud Veteres, neminem ſibi cauſam poſſeſſionis poſſe mutare ; credibile eſt de eo cogitatum, qui & corpore & animo Poſſeſſioni incumbens, hoc ſolum ſtatuit ut aliâ ex causâ id poſſideret ; non ſi quis dimiſsâ poſſeſſione primâ, ejuſdem rei denuò ex aliâ causâ Poſſeſſionem nanciſci velit. *l.* 19. § 1. MACELL. LIB. 17. DIGEST.

L I V.

Et quemadmodum poſſum id quod alieno nomine poſſidebam, ex novâ ſuperveniente causâ meo nomine poſſidere : ita Quod meo nomine poſſideo, poſſum alieno nomine poſſidere. Nec enim muto mihi cauſam Poſſeſſionis, ſed deſino poſſidere, & alium poſſeſſorem miniſterio meo facio. Nec idem eſt, Poſſidere, & alieno nomine poſſidere. Nam poſſidet, cujus nomine poſſidetur : procurator alienæ Poſſeſſioni præſtat miniſterium. *l.* 18. CELSUS LIB. 23. DIGEST.

Hinc Marcellus. Qui bonâ fide alienum fundum emit, eumdem à domino conduxit. Quæro utrùm deſinat poſſidere, an non ? Reſpondi : In promptu eſt, ut poſſidere deſierit. *l.* 19. MARCELL. LIB. 17. DIGEST.

Similiter Qui alienam rem precariò rogavit, ſi eamdem à domino conduxit ; Poſſeſſio ad dominum revertitur. *l.* 21. § 3. JAVOLEN. LIB. 7. EX CASSIO.

L V.

Non tamen ſemper, ſi rem quam poſſideo conducam, hujus Poſſeſſionem amitto. Sed hâc de re diſtinctiones adhibendæ ſunt, quas refert Tertullianus. Ita ille : Si aliquam rem poſſideam, & eamdem poſtea conducam ; an amittam Poſſeſſionem ? Multum refert, utrùm ſciam me poſſidere, an ignorem (*b*) ; & utrùm quaſi non meam rem conducam, an quaſi meam ; & ſciens meam eſſe, utrùm quaſi proprietatis reſpectu (*c*) an Poſſeſſionis tantùm. Nam & ſi rem meam tu poſſideas, & ego emam à te Poſſeſſionem ejus rei, vel ſtipuler ; utilis erit & emptio & ſtipulatio. Et ſequitur ut & precarium & conductio (*d*) ; ſi ſpecialiter Poſſeſſionis ſolius conducendæ, vel precariò rogandæ animus interveniat. *l.* 28. TERTYLLIAN. LIB. 1. QUÆST.

(*a*) Ex ſolâ ſuâ animi deſtinatione, quod regula Juris non finit. Sed cauſam Poſſeſſionis ei mutat novus titulus emptionis.

(*b*) Si rem quam ignoro meam, putà quam mihi ignoranti procurator meus acquiſivit, imprudenter conducam ; non amitto meam Poſſeſſionem, cùm non habeam animum hujus amittendæ.

(*c*) Rem meam inutiliter conduco *Proprietatis reſpectu* : non valet enim rei ſuæ conductio. At *poſſeſſionis reſpectu* valere poteſt, quamvis illam ſciam meam ; utiliterque conducam rei meæ Poſſeſſionem quæ aliena eſt.

(*d*) Supple, *valeant.*

TITULUS III.

DE USURPATIONIBUS ET USUCAPIONIBUS.

SUperiore Titulo egerunt Pandectarum ordinatores de ratione acquirendæ, retinendæ, & amittendæ poſſeſſionis. Proximum erat ut agerent de præcipuo hujus poſſeſſionis effectu, qui in eo conſiſtit, ut per eam vel perficiatur vel interrumpatur Uſucapio. Quàpropter in hoc Titulo agunt DE USUCAPIONIBUS, ET USURPATIONIBUS.

I.

USUCAPIO autèm eſt adjectio dominii (*a*), per continuationem poſſeſſionis (*b*) temporis Lege definiti. *l.* 3. MODESTIN. LIB. 5. PANDECT.

USURPATIO eſt Uſucapionis interruptio. Oratores autem Uſurpationem, frequentem uſum (*c*) vocant. *l.* 2. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Per legem XII Tabularum primitùs introducta Uſucapio, his verbis : USUS AUCTORITAS FUNDI, BIENNIUM ; CÆTERARUM RERUM ANNUUS USUS ESTO. *De quâ vide Commentarium noſtrum ad XII Tabulas, Tab. VI. cap.* 4.

Bono publico Uſucapio introducta eſt ; ne ſcilicet quarumdam rerum diù & ferè ſemper incerta (*d*) dominia eſſent : cùm (*e*) ſufficeret dominis ad inquirendas res ſuas, ſtatuti temporis ſpatium. *l.* 1. GAIUS LIB. 21. AD ED PROVINC.

Temporis ſucceſſu, ex juriſdictione Prætoris profecta poſteà longi temporis poſſeſſio, quaſi in ſupplementum Uſucapionis. Eſt autem (*Jure Pandectarum*) LONGI TEMPORIS POSSESSIO, *jus exceptionis perpetuæ ; quam poſſeſſio temporis decem annorum inter præſentes, viginti inter abſentes, parit juſto poſſeſſori adversùs quemcumque qui rem vindicaret, aut jus aliquod* (*ſervitutis putà aut pignoris*) *in eâ perſequeretur.*

Cùm autem in hoc Titulo ſimul exponantur ea quæ tam ad Uſucapionem quàm ad longi temporis poſſeſſionem pertinent ; ordo poſtulat ut videamus 1°. *De perſonis quæ Uſucapere poſſunt aut longo tempore præſcribere :* 2°. *De rebus quæ poſſunt Uſucapi aut longâ poſſeſſione præſcribi :* 3°. *De formâ Uſucapionis & longi temporis poſſeſſionis : ubi, de modo hujus* Uſurpandæ *ſeu interrumpendæ :* 4°. *De utriuſque effectu.*

Hunc ipſe ordinem ita deſignavit Paulus : Sequitur de Uſucapione dicere. Et hoc ordine eumdum eſt ; ut

(*a*) Quia juri quod tribuit poſſeſſio, ut nempè poſſeſſor in re poſſeſsâ ſit potior cæteris omnibus præter dominum, completa Uſucapio etiam *adjicit dominium.* Sic autem dicta eſt ; quaſi *Capio*, id eſt dominii adeptio, ex *Uſu* ſeu poſſeſſione. USUM enim pro *Poſſeſſione* dicebant Veteres. Et de hoc acquirendi modo Horatius, *Epiſt.* II 2.

Quædam, ſi credis Conſultis, mancipat USUS.

(*b*) Non cujuſvis, ſed juſtæ ; quæ bonæ fidei ſit, & ex juſto titulo proficiscatur : ut videb. infrà.

(*c*) Sic Oratores dicerent, *Hæc vox in hunc ſenſum Uſurpatur*, id eſt, *frequenter* hâc voce in hunc ſenſum *utimur.* Longè autem diverſo ſenſu à Juriſconſultis accipitur verbum illud *Uſurpare* ; cum aliquà tamen analogiæ ſimilitudine. *Uſucapionem* enim *interrumpere* ſignificat, *non vi quidem & proprietate verbi ; ſed per conſequentiam* : ut rectè ait Rævardus, ad XII. Tab. Tit. *de Divortiis.* Quia nimirùm *ſi id quod poſſideo necdum tamen Uſucepi, ab aliquo ſolemniter uſurpetur, ſive* uſu & poſſeſſione *adprehendatur, is poſſeſſionem meam ſuâ Uſurpatione interrumpit.*

(*d*) Etenim Uſucapione ſublatâ, nemo audeat ſe dominum ullius rei certò aſſerere, quantocumque tempore & quamvis juſto titulo eam poſſederit.

(*e*) Supple : ſed nec dominus juſtè queri poteſt ſe ſpoliatum : *cùm ſufficeret &c.*

Source : BIU Cujas

videamus, quis poteſt Uſucapere, & quas res, & quanto tempore. *l.* 4. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Ultimò Jus Juſtinianeum exponemus.

SECTIO I.

De perſonis quæ Uſucapere longo-ve tempore præſcribere poſſunt.

II.

Cùm Uſucapio ſit Juris Civilis, cujus communionem ſoli cives habent; hinc ſequitur ſolos cives jus Uſucapiendi habuiſſe, non etiam peregrinos: de quo vide Legem XII. Tabularum, Tab. III. cap. 3. *Communicatum tamen poſtea fuit Latinis, iiſque quibus jura commerciorum conceſſa erant, ut vid. ſuprà lib.* 1. *Tit.* de Statu hom. *N.* 21.

Ex civibus autem, 1°. Uſucapere poteſt, ſcilicet paterfamilias, Filiusfamilias, & maximè (*a*) miles, in caſtris adquiſitum Uſucapiet. *l.* 4. § 1. PAUL. LIB. 54. AD ED.

III.

2°. Pupillus (*b*) ſi tutore auctore cœperit poſſidere, Uſucapit. Si non tutore auctore poſſideat, & animum poſſidendi habeat; dicemus poſſe eum Uſucapere (*c*). *d. l.* 4. § 2.

3°. Furioſus quod ante furorem poſſidere cœpit (*d*), Uſucapit. Sed hæc perſona (*e*) ita demùm Uſucapere poteſt, ſi ex eâ causâ poſſideat ex quâ Uſucapio ſequitur. *d. l.* 4. § 3.

Uno caſu furioſus & inchoare Uſucapionem poterit. Nam Si ſervo furioſi vel infantis res tradita ſit, Uſu per eum (*f*) eas perſonas capere poſſe conſtat. *l.* 28. POMPON. LIB. 17. AD SABIN.

Hoc ita, ſi ex causâ peculiari res ſervo tradita ſit. Secùs, ſi extrà hanc cauſam. Sed *enim* eum qui ſuo nomine nihil Uſucapere poteſt, ne per ſervum quidem poſſe Pedius ſcribit. *l.* 8. § 1. PAUL. LIB. 12. AD ED.

Et generaliter de iis per quos quis Uſucapere poteſt, ita Modeſtinus: Quidquid tamen liber homo, vel alienus, qui-ve bonâ fide nobis ſervit, non adquirit nobis; id vel ſibi liber, vel alienus ſervus domino ſuo adquiret. Excepto eo quòd vix eſt ut liber homo poſſidendo Uſucapere poſſit; quia nec poſſidere intelligitur, qui ipſe poſſideretur. Sed nec per ſervum alienum quem nos bonâ fide poſſidemus, dominus peculiari nomine ignorans Uſucapere poterit; ſicuti ne per fugitivum quidem, quem non (*g*) poſſidet. *l.* 54. § 4. *ff. d. Adq. rer. domin.* MODESTIN. LIB. 31. AD Q. MUCIUM.

His conſonat quod ait Julianus. Liber homo qui bonâ fide nobis ſervit, iiſdem modis ex re noſtrâ adquirit nobis quibus per ſervum noſtrum adquirere ſolemus. Quare ſicut traditione ita uſucapione rem noſtram faciemus interveniente liberâ perſonâ; &, ſi peculii nomine (quod nos ſequi debet) emptio contracta fuerit, etiam ignorantes uſucapiemus. *l.* 7. § 8. *ff. Pro empt.* JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

IV.

4°. Is autem qui apud hoſtes eſt, nihil per Uſum ſibi acquirere poteſt; nec cœptam poſſeſſionem poterit implere, dum eſt apud hoſtes. Hoc ampliùs; nec poſtliminio reverſus recuperabit per Uſum (*h*) dominii adquiſitionem. *l.* 23. § 1. *ff. Ex quib. cauſ. maj.* ULP. LIB. 12. AD ED.

Undè hæc Regula: QUI in ſervitute eſt, Uſucapere non poteſt. Nam cùm poſſideatur, poſſidere non videtur. *l.* 118. *ff. de Reg. Jur.* IDEM IBID.

An autem ſaltem per filios ſuos aut ſervos Uſucapere poterit? Eâ de re ita Papinianus. Si quum apud hoſtes dominus aut pater agat, ſervus aut filius emat; an & tenere incipiat? Si quidem ex causâ peculii poſſedit, Uſucapionem inchoari: nec impedimento, domini captivitatem eſſe, cujus ſcientia non eſſet in civitate neceſſaria.

Si verò non ex causâ peculii comparetur, Uſu non capi, nec jure poſtliminii quæſitum intelligi; cùm prius eſſet ut, quod Uſucaptum diceretur, poſſeſſum foret.

Sin autem pater ibi deceſſerit: quia tempora captivitatis, ex die quo capitur, morti jungerentur; poteſt dici filium & poſſediſſe ſibi, & Uſucepiſſe intelligi. *l.* 44. § 7. PAPIN. LIB. 23. QUÆST.

V.

5°. *Hereditas jacens non poterit Uſucapere, ſi Juris communis rationem ſequamur; maximè ſi Uſucapio à defuncto inchoata non fuerit.*

Hinc Papinianus. Poſt mortem domini, ſervus hereditarius peculii nomine rem cœpit tenere. Uſucapionis primordium erit, tempus hereditatis aditæ. Quemadmodum etenim Uſucapietur, quod ante defunctus non poſſederat (*i*)? *l.* 45. § 1. PAPIN LIB. 10. RESPONS.

Aliter tamen Jure ſingulari obtinere docet idem Papinianus, qui ait: Nondum aditæ hereditatis tempus Uſucapioni datum eſt; ſive ſervus hereditarius aliquid comparat, ſive defunctus Uſucapere cœperat. Sed hæc Jure ſingulari (*k*) recepta ſunt. *l.* 44. § 3. PAPIN. LIB. 23. QUÆST.

Maximè verò Cœptam Uſucapionem à defuncto, poſſe & ante aditam hereditatem impleri conſtitutum (*l*) eſt. *l.* 40. NERATIUS LIB. 5. REGUL.

Igitur Poſt mortem ejus qui hominem emerit, expleto tempore quod defuiſſet ad Uſucapionem; quamvis eum hominem heres poſſidere non cœpiſſet, fiet tamen ejus. Sed ita hoc, ſi nemo (*m*) eum poſſediſſet. *l.* 6. § *ff.* 2. *Pro emptore.* POMPON. LIB. 32. AD SABIN.

Et hoc obtinet; etſi hi qui nomine defuncti in poſſeſſione erant, diſceſſerint.

Hinc Julianus. Qui fundum Pro emptore poſſidebat, antequàm diutinam poſſeſſionem impleret, deceſſit: ſervi qui in poſſeſſionem relicti fuerant, diſceſſerunt relinquendæ ejus gratiâ. Quæſitum eſt, an nihilominùs heredi tempus longæ poſſeſſionis procedere poteſt? Reſpondit; Etiam diſcedentibus ſervis, hoc tempus heredi (*n*) procedere. *l.* 7. *ff. d. tit.* JULIAN. LIB. 44. DIGESTOR.

(*a*) Triboniani manu additum verbum hoc *& maximè* Jure enim Pandectarum filiusfamilias non poterat quicquam proprium habere, niſi quod in *Caſtris* ſeu occaſione militiæ acquiſiverat. Conſequens eſt, ut ex eâ ſolâ causâ potuerit Uſucapere: ex cæteris cauſis, non ipſe, ſed pater per ipſum uſucapiebat. Jure autem Juſtinianeo, cùm filiusfamilias acquirat ſibi quicquid non ex re patris acquirit; conſequens eſt, ut quum non ex re patris acquirit, ipſe Uſucapiat.

(*b*) Et quidem etiam infans: ut vid. ſup. Tit. *de Adquir. poſſ.* N. 20.

(*c*) Hoc etiam caſu; putà ſi ſit infante major, ita ut poſſit intelligere ſe poſſidere.

(*d*) In furore autem conſtitutus inchoare per ſe Uſucapionem non poteſt: quâ in re minùs tributum furioſo quàm pupillo.

(*e*) Supple: quantumvis favore digna, [ut, quamvis voluntatem non habeat, poſſeſſionem tamen retinere poſſit quæ non niſi animo & voluntate poſſidendi retinetur] in cæteris tamen, communi hoc Jure utitur; ut quemadmodum quivis alius, ita & *ipſe demùm Uſucapere*, &c.

(*f*) Servum. Vide ſuprà Tit. *de Adq. poſſ.* N. 24 & 25.

(*g*) Scilicet quia aut ab alio poſſidetur, aut ſe pro libero gerit. Aliàs, fugitivum poſſidemus, & per eum Uſucapimus: ſuprà, Tit. *de Adq. poſſ.* N. 27.

(*h*) Nam poſtliminium reſtituit ea quæ ſunt *Juris*; non ea quæ ſunt *Facti*, qualis eſt poſſeſſio.

(*i*) Si defunctus adquiſiviſſet poſſeſſionem; poſſet fingi, quaſi per hereditatem ſuam ſibi ſuperſtes, eam continuare. Sed ſi eam non acquiſivit; qui poterit videri poſſediſſe, ſi ſtrictam Juris rationem ſequamur? cum mortuus ſit antequàm acquireret poſſeſſionem, nihil autem poſt mortem ſuam acquirere potuerit.

(*k*) Contra rationem Juris.

(*l*) Hoc adhuc ex Jure conſtituto eſt, & ope fictionis introductum. Nam ſi rei veritatem ſpectemus; dum hereditas jacet, nemo eſt qui poſſideat.

(*m*) Quandiù autem nemo poſſidet; poteſt fingi defunctus quaſi ſibi ſuperſtes continuaſſe poſſeſſionem, & eam ſine ullâ interruptione ad heredem ſuam tranſmiſiſſe. Hoc autem fingi non poteſt, ſi alius interim poſſederit: duo enim in ſolidum poſſunt poſſidere.

(*n*) Vide ſuprà Tit. *de Acquirend. poſſ.* N. 38.

Source : BIU Cujas

SECTIO II.

De rebus quæ Usucapi & longo tempore possideri possunt, vel non possunt.

ARTICULUS I.

Quæ res subsint Usucapioni, aut possessioni longi temporis.

§ I.

Quæ possint Usucapi.

VI.

Usucapionem recipiunt maximè res corporales; exceptis rebus sacris, sanctis, publicis Populi Romani & civitatum; item liberis hominibus. *l.* 9. GAIUS LIB. 4. AD ED. PROVINC.

Usucapiuntur non solùm res mobiles; sed & res soli, sive sit domus, sive ager, sive fundus; non tamen POSSESSIONEM.

Quocircà Quæstio est, fundus à possessione, vel agro, vel prædio, quid distet?

FUNDUS est omne quidquid solo tenetur.

AGER est, si species fundi ad usum hominis comparatur.

POSSESSIO ab agro, juris proprietate distat: quidquid enim apprehendimus cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec potest pertinere; hoc POSSESSIONEM appellamus. Possessio ergo usûs, ager proprietatis loci est.

PRÆDIUM, utriusque suprà scriptæ generale nomen est: nam & ager & possessio, hujus appellationis species sunt. *l.* 115. *ff. de Verb. signif.* JAVOLEN LIB. 4. EPISTOL.

Ex definitione Possessionum, satis liquet eas Usucapi non posse. Cùm enim sint res quarum proprietas seu dominium ad nos pertinere non potest, sequitur Usucapionem quæ nihil aliud est quàm Adeptio *seu* Adjectio dominii, *in eas cadere non posse. Talia erant prædia provinciarum quæ Jure Italico non gaudebant, & quæ ideò Jure Pandectarum non potuisse Usucapi vidimus in Institut. h. tit.*

VII.

Incorporales res, traditionem & usucapionem non recipere manifestum est. *l.* 43. §. 1. *ff. de Adq. rer. dom.* GAIUS LIB. 7. AD ED. PROVINC.

Cùm tamen Prudentes Usum in servitutibus pro fictâ quâdam possessione acciperent; quamdam etiam servitutum Usucapionem excogitaverunt. Hinc factum est ut servitutes non quidem ex naturâ suâ, nec ex Lege XII Tabularum quæ de his tacuerat, sed fictionis auxilio & ex Jure quod auctoritas Prudentûm constituerat, Usucapi possent. Undè Aggenus-Urbicus ad Frontonem : ITER CAPITUR USU, QUOD IN USU BIENNIO FUIT.

Hoc Jus adhuc vigebat Ciceronis temporibus. Ita enim ille in Orat. Pro Cæcin. « FUNDUS *à patre relinqui* » *potest : at Usucapio fundi, hoc est, finis sollicitudinis &* » *periculi litium, non à patre relinquitur, sed* A LEGIBUS. » *Aquæ ductus, haustus, iter, actus, à patre; sed rata* » *auctoritas harum rerum omnium* A JURE CIVILI (*a*) » *sumitur.* »

Cùm autem hæc servitutum Usucapio à germanis Juris Principis abhorreret, hanc abrogavit Lex Scribonia (*b*). *Unde Ulpianus :* Hoc Jure utimur, ut servitutes per se nusquàm longo tempore capi possint; cum ædificiis possint. *l.* 10. § 1. ULP. LIB. 16. AD ED.

Scilicet quando Usucapione prædium dominans acquiro; simul & jura huic prædio debita, quæ nihil aliud sunt quàm ipsius prædii qualitates, acquirere me manifestum est : & vice versâ, Usucapiendo prædium serviens tanquam ab omni servitute liberum, simul & libertatem earum servitutum me Usucapere.

Enimverò Libertatem servitutum (*c*) Usucapi posse verius est; quia eam Usucapionem sustulit Lex Scribonia, quæ servitutem constituebat; non etiam eam quæ libertatem præstat, sublatâ servitute. Itaque si quum tibi servitutem deberem NE MIHI (putà) LICERET ALTIUS ÆDIFICARE, & per statutum tempus altiùs ædificatum habuero; sublata erit servitus. *l.* 4. § 29. PAUL. LIB. 54. AD ED.

§ II.

Quæ res longi temporis possessionem recipiant.

VIII.

Vidimus res civitatum Usucapi non posse. Sed nec adversùs illas, decem annorum recepta possessio. At verò Viginti annorum præscriptio (*d*) etiam adversùs Rempublicam prodest, ei qui justum initium possessionis habuit, nec medio tempore interpellatus est. Actio tamen quanti ejus interest; adversùs eos Reipublicæ datur qui ea negotia defendere neglexerunt. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 2. § 4.

Item Rescriptis quibusdam Divi Magni Antonini cavetur, ut in rebus mobilibus locus sit præscriptioni diutinæ possessionis. *l.* 9. *ff. de Diverſ. temp. præscript.* MARCIAN. LIB. 5. REGULAR.

Et quidem utilis ea est, si res mobiles ad aliquam civitatem pertineant : in rebus autem mobilibus privatorum, superflua; cum illæ Usucapionem recipiant. Hinc Diocletianus & Maximianus. In servorum proprietatis negotio cùm Usucapio locum habeat; ad quæstionem longi temporis præscriptionis superfluò pervenitur. *l.* 2. *Cod. In quib. cauſ. ceſſat long. temp. præſcript.*

Quædam tamen sunt genera servorum, seu potiùs colonorum glebæ adscriptorum, qui non nisi longo tempore adquiri possunt; scilicet cum ipsis prædiis provincialibus quibus sunt addicti. Et de his intelligendum quod ait Modestinus: Longæ possessionis præscriptionem, tam in prædii quàm in mancipiis (*e*) locum habere manifestum est. *l.* 3. *ff. de Diverſ. temp. præscript.* MODESTIN. LIB. 6. DIFFERENT.

Ususfructus & cæteræ servitutes, sive personales sive reales, hâc longi temporis præscriptione acquiruntur: ut vid. suprà lib. 7. & 8. de Servit.

ARTICULUS II.

Quæ res nec Usucapionem nec longi temporis possessionem recipiant.

§ I.

De rebus quæ non sunt in commercio.

IX.

Hæ nec Usucapionem nec longi temporis possessionem recipere possunt.

(*a*) Ita appellari solet Jus non scriptum, quod auctoritas Prudentum invexit; maximè quum LEGIBUS opponitur, ut in hoc textu.

(*b*) De hujus ætate & auctore non constat. Sed valdè probabiliter Rævardus hanc Legem tribuit L. Scribonio-Liboni, qui Tiberii temporibus Consul fuit cum Sesennâ-Statillio-Tauro. Hujus Scribonii meminit & Dio lib. 57.

(*c*) Prædiorum urbanorum. Nam Usucapione opus non habet dominus prædii rustici, ut libertatem sui prædii acquirat; cùm servitus rustica solo non usu ejus cui debebatur amittatur. At in servitutibus Urbanorum Prædiorum necesse est ut aliquo facto dominus prædii libertatem sui prædii Usucapiat. Vide suprà lib. 8. Tit. *Quemadm. servit. amitt.* N. 9.

(*d*) Eadem quæ adversùs absentes.

(*e*) Quæ his prædiis adscripta sunt. Hæc enim simul possunt cum his prædiis longo tempore præscribi; at non separatim: l. 7. Cod. *de Agr. cenſ.* Ita Struvius & Wissenbachius. Nota etiam in hâc lege hysterologiam, *tam in prædiis quàm in mancipiis*, pro *tam in mancipiis quam in prædiis* (id est, tam in re accessoriâ quàm in principali): quæ trajectiones non infrequentes in Pandectis deprehenduntur.

Source : BIU Cujas

Hinc Papinianus. Præſcriptio longæ poſſeſſionis ad obtinenda loca Juris Gentium publica, concedi non ſolet. Quod ita (*a*) procedit, ſi quis ædificio funditùs diruto quod in littore poſuerat, (aut dereliquerat); ædificio (*Ita Haloand. Malè in Florent.* ædificium) alterius poſteà eodem loco extructo, occupanti dictam (*b*) exceptionem opponat: vel ſi quis, quòd in fluminis publici diverticulo ſolus pluribus annis piſcatus ſit, alterum eodem jure prohibeat. *l.* 45. PAPIN. LIB. 10. RESPONS.

Hoc ita, ſi illud poſſidere & in eo piſcari deſiiſſet; quia hoc caſu diverticulum ad priſtinam rei communis cauſam rediiſſet.

Secùs foret, ſi adhuc illud jure occupantis poſſidere pergeret. Et de eo caſu accipe quod ait Marcianus; Si quiſquam in fluminis publici diverticulo ſolus pluribus annis piſcatus ſit (*c*); alterum eodem uti, jure prohibere. *l.* 7. *ff. de Diverſ. temp. præſcript.* MARCIAN. LIB. 3. INSTIT.

§ II.

De rebus fiſci, & in quarum Lex alienationem prohibet.

X.

Non poſſunt etiam Uſucapi nec longo tempore præſcribi res fiſci.

Hinc Alexander. Jam pridem quidem mancipium de quo ſupplicas; comparaſſe te dicis. Sed ſi cogitaveris rem fiſci mei Uſucapi non poſſe, reſpondere te actionibus fiſci mei intelligis: nec aliàs poſſe rei proprietatem obtinere, quàm ſi non ex ancillâ fiſcali natum fuiſſe conſtiterit. *l.* 2. *Cod. Commun. de uſucap.*

Hoc non porrige ad bona vacantia, quæ nondum fiſco nuntiata ſunt.

Hinc Modeſtinus. Quamvis adversùs fiſcum Uſucapio non procedat; tamen ex bonis vacantibus nondum tamen nunciatis emptor prædii ex iiſdem bonis [ſi] extiterit, rectè diutinâ poſſeſſione capiet. Idque conſtitutum eſt. *l.* 18. MODESTIN. LIB. 5. REGUL.

XI.

Item cùm Uſucapio ſit alienationis ſpecies; ſequitur ea quorum Lex alienationem prohibet, non poſſe Uſucapi.

Hinc fundus dotalis Uſucapi non poteſt: ut obiter vid. ex l. 16. *ff.* de Fundo dot. *ſuprà lib.* 24. *d. tit.*

Idem dic de prædiis Eccleſiarum & civitatum.

Pari ratione, non poſſunt etiam Uſucapi res pupillorum: (*ut expreſsè dicitur in l.* 48. *ff.* de Acq. rer. dom. *quam vide ſuprà lib.* 22. *Tit.* de Uſuris *N.* 4.) *utpotè qui nihil ſine tutoris auctoritate alienare poſſint. Cujacius tamen, Obſerv. XXIV.* 14. *putat hoc eſſe intelligendum de rebus duntaxat immobilibus. Res autem pupillorum mobiles poſſe Uſucapi cenſet ex eo quod infrà N.* 1.9 *dicitur, rem pupilli deſinere eſſe furtivam, quum in poteſtatem tutoris rediit: de quo fruſtrà quæreretur, ſi ex eo ſolo quòd res pupilli eſſet, non poſſet Uſucapi.*

Quoad res immobiles autem; generaliter non pupillorum ſolùm, ſed & Minorum prædia Uſucapi non poſſe dicendum eſt: cùm eorum alienatio niſi ex Decreto non permittatur. Quod tamen ſic intelligendum, niſi vivo defuncto cœpta fuerit Uſucapio.

§ III.

De rebus furtivis.

XII.

Lex XII Tabularum rei furtivæ Uſucapionem inhibuerat: quod Lex Atinia (d) porrexit ad quemcumque etiam bonæ fidei poſſeſſorem. De utrâque vide Commentarium noſtrum ad XII Tabulas, Tab. II. Cap. 1.

Igitur res furto ſubreptæ, Nec ſi longo tempore bonâ fide poſſeſſæ fuerint, Uſucapi poſſunt: *inquit Juſtinianus Inſtit. Tit.* de uſucap. § 2.

Hinc de his rebus ita Antoninus reſcribit. Mancipia tua ſi ab eis diſtracta ſunt qui jus vendendi non habuerunt, vindicare ea potes. Nec enim Uſucapi ab emptoribus potuerunt, cùm illicitâ venditione furtum contractum ſit. *l.* 1. *Cod. de Uſucap. pro empt.*

Ampliùs Philippus. Sciens ſervum alienum, contra domini voluntatem venumdans, furtum committit. Quod rei vitium, priuſquàm ad dominum ejus revertatur poſſeſſio, non permittit Uſucapionem fieri; licèt bonâ fide poſſideatur. *l.* 7. *Cod. d. tit.*

Similiter Diocletianus & Maximianus. Donantem ancillam alienam nihil domino deminuere, non eſt ambigui Juris; furtum etiam contrahere, citra voluntatem domini contrectantem: ut ejus rei nec Uſucapio poſſit procedere. *l.* 2. *Cod. de Uſucap. pro donato.*

Itaque Si abducta mancipia furto vel plagio venumdata, Præſes provinciæ perſpexerit; cùm nec ab emptore propter cohærens vitium antequàm ad dominum poſſeſſio revertatur, hæc Uſucapi poſſint; & te ei cujus fuerint, ſucceſſiſſe repererit: reſtitui tibi providebit. *l.* 10. *Cod. de Furtis.*

Cæterùm hoc furti vitium, ex receptâ poſtea Legis interpretatione, in ſolas res mobiles cadit. Undè ſequitur alienum fundum malâ fide occupatum, poſſe Uſucapi à tertio bonæ fidei poſſeſſore.

Hinc Gaius. Fundi quoque alieni poteſt aliquis ſine vi nanciſci poſſeſſionem, quæ vel ex negligentiâ domini vacet, vel quia dominus ſine ſucceſſore deceſſerit, vel longo tempore abfuerit. *l.* 37. § *fin.* GAIUS LIB. 2. INSTIT.

Quam rem ipſe quidem non poteſt Uſucapere, quia intelligit alienum ſe poſſidere; & ob id malâ fide poſſidet. Sed ſi alii bonâ fide accipienti tradiderit; poterit is Uſucapere: quia neque vi poſſeſſum, neque furtivum (*e*) poſſidet. Abolita eſt enim quorumdam Veterum (*f*) ſententia, exiſtimantium etiam fundi loci-ve furtum fieri. *l.* 38. IDEM. LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREOR.

XIII.

Furti vitium res mobiles contrahunt, quum poſſeſſio earum intervertitur.

Hanc autem intervertiſſe videri poteſt, etiam tutor. Quare Si tutor rem pupilli ſubripuerit & vendiderit, Uſucapio non contingit, priuſquàm res in poteſtatem pupilli redeat. Nam tutor (*g*) in re pupilli tunc domini loco habetur, quum tutelam adminiſtrat; non quum pupillum ſpoliat. *l.* 7. § 3. *ff. Pro empt.* JULIAN. LIB. 44 DIGESTOR.

Similiter Alexander. Si contra defuncti voluntatem, ſervos quos propter perfectæ artis peritiam heredibus ſuis defunctus ſervari teſtamento præcepit, tutores vendiderunt; Uſucapi non potuerunt. *l.* 2. *Cod. de Uſucap. pro empt.*

Qui autem meo juri ſubjectus eſt, poſſeſſionem meam non poteſt quidem intervertere, quandiù res apud illum eſt: tunc autem intervertetur, quum rem alteri tradiderit.

V. G. Quum autem ſervus rem ſuam peculiarem (*h*) furandi conſilio amovet; quandiù eam retinet, conditio ejus non mutatur: nihil enim domino abeſt. Sed

(*a*) Id eſt, Poteſt autem contingere ut quis velit tali præſcriptione uti; V. G. *Si quis ædificio &c.*

(*b*) Rectiùs ita legit Cujacius, quàm quod vulgo *datam.* Senſus eſt eum qui partem littoris ſuo ædificio occupatam per decem & ampliùs annos poſſediſſet, diruto poſteà ipſius ædificio, (idem eſt, ſi illud dereliquerit) non poſſe hanc diutinæ poſſeſſionis præſcriptionem opponere alteri qui in eodem loco ædificaret, vel derelictum occuparet ædificium. Quia hanc littoris partem utpotè publici juris, non potuit præſcribere; eaque diruto ædificio vel derelicto, ad ſuam primævam naturam rediit, ſcilicet ut fieret occupantis.

(*c*) Et adhuc hoc diverticulum occupat.

(*d*) Etſi non omnino conſtet quo tempore lata ſit; probabile eſt quod puta Pighius, eam anno U. C. 556. C. Cornelio-Cethego & Q. Minutio-Ruſo Conſulibus, à C. Atinio-Labeone Tribuno plebis latam. Certè jam lata erat circa annum ab U. C. 600. Nam Gellius XVII. 7. refert Manilium qui circa hæc tempora florebat, de ea Lege diſputaſſe: ut vid. in Commentar. ad XII. Tab. Sanè, an eo tempore quo lata eſt, jam à Prætore introducta eſſet longi temporis præſcriptio, prorsùs incertum.

(*e*) Ratio eſt quia furtum definitur contrectatio. Eſt autem *Contrectatio* de loco motio; quod nonniſi in res mobiles cadit.

(*f*) Quorum numero fuit Sabinus in libro quem ſcripſit *De furtis*: ut refert Gellius XI. 18.

(*g*) Præoccupat objectionem quæ ſic fieri poſſet: Dominus rei ſuæ furtum non facit; quomodo ergo tutor circa res pupilli poteſt furtum facere, cùm ſit domini loco. ?

(*h*) Idem dic de re quæ ad dominicam rationem pertinet.

Source : BIU Cujas

ſi alii tradiderit, furtum faciet. *l.* 56. (*Aliàs* 58.) § 3. *ff. de Furtis.* JULIAN. LIB. 22. DIGESTOR.

Sed nec poſſeſſione interversâ, furti vitium contrahitur; niſi ſi cum furandi affectu id ſiat.

Hic furandi affectus eſt in eo qui V. G. vendit rem mobilem quam ſcit alienam; ideòque ut furtiva ab emptore bonæ fidei non Uſucapietur.

Secùs eſt; ſi venditor ignorabat. Enimverò Poteſt pluribus modis accidere, ut quis rem alienam aliquo errore deceptus, tanquam ſuam vendat fortè, aut donet; & ob id à bonæ fidei poſſeſſore res Uſucapi poſſit. Veluti ſi heres rem defuncto commodatam, aut locatam vel apud eum depoſitam, exiſtimans hereditariam eſſe, alienaverit. *l.* 36. GAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREOR.

Item ſi quis aliquâ exiſtimatione deceptus, crediderit ad ſe hereditatem pertinere, quæ ad eum non pertineat; & rem hereditariam alienaverit. Aut ſi is ad quem uſusfructus ancillæ pertinet, partum ejus exiſtimans (*a*) ſuum eſſe, quia & fœtus pecudum ad fructuarium pertinet, alienaverit; *d. l.* 36. § *fin.*

Furtum non committitur. Furtum enim ſine affectu furandi non committitur. *l.* 37. IDEM LIB. 2. INSTIT.

XIV.

Furtivum eſt, & quod ex re furtivâ confectum eſt. Ergo Si ex lanâ furtivâ veſtimentum feceris; verius eſt ut ſubſtantiam ſpectemus: & ideò veſtis furtiva erit. *l.* 4. § 20. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Aliter obtinet circa pecuniam quam fur ex re furtivâ redegit. Non enim furtiva eſt hæc pecunia, imò furis fiet.

Undè in hâc ſpecie; Quum fur rem furtivam vendidiſſet; eique nummos pretii, dominus rei per vim extorſit: furtum eum nummorum feciſſe, rectè reſponſum eſt: idem etiam VI BONORUM RAPTORUM actione tenebitur. Quod enim ex re furtivâ redigitur (*b*), furtivum non eſſe nemini dubium eſt. Nummus ergo hic qui redactus eſt ex pretio rei furtivæ, non eſt furtivus. *l.* 48. (*Aliàs* 49.) *fin. ff. de Furt.* ULP. LIB. 42. AD SABIN.

XV.

Furtivum quoque eſt, quod ex re furtivâ apud furem perceptum aut natum erit.

V. G. Ancilla fugitiva, quemadmodum ſuî furtum facere intelligitur, ita partum quoque contrectando furtivum facit. *l.* 60. (*Aliàs* 62.) *ff. de furt.* AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Ancillæ ſubtractæ partus apud furem editi, priuſquàm à domino poſſideantur, Uſucapi nequeunt. *l.* 12. *Cod. de Furtis.*

Hoc ita; ſi quod ex re furtivâ naſcitur, apud furem naſcatur aut concipiatur. Secùs ſi apud bonæ fidei poſſeſſorem rei furtivæ.

Hoc docet Paulus. Lana ovium furtivarum, ſi quidem apud furem detonſa eſt, Uſucapi non poteſt. Si verò apud bonæ fidei emptorem, contrà; quoniam in fructu eſt; nec Uſucapi debet, ſed ſtatim emptoris (*c*) fit. Idem in agnis dicendum (*d*), ſi conſumpti ſint. Quod verum eſt. *l.* 4. § 19. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Item Ulpianus. Ancilla ſi ſubripiatur prægnans, vel apud furem concepit; partus furtivus eſt, ſive apud furem edatur, ſive apud bonæ fidei poſſeſſorem: ſed in hoc poſteriori caſu, Furti actio ceſſat (*e*). Sed ſi concepit apud bonæ fidei poſſeſſorem, ibique pepererit; eveniet ut partus furtivus non ſit, verùm etiam Uſucapi poſſit. Idem & in pecudibus ſervandum eſt & in fœtu eorum, quod in partu. *l.* 48. (*Alias* 49.) § 5. *ff. de Furt.* ULP. LIB. 42. AD SABIN.

Scilicet pariter & fœtus pecudum & partus ancillarum Uſucapi poſſunt.

Et quidem fœtus pecudum, V. G. Ex furtivis equis nati, ſtatim ad bonæ fidei emptorem pertinebunt: meritò, quia in fructu numerantur.

At partus ancillæ (*f*) non numerantur in fructu. *d. l.* 48. § 6.

Cæterùm quamvis ancillæ partus in fructu non numeretur; adeòque dubitari poſſit an, ſtatim ut natus eſt, bonæ fidei poſſeſſoris interim ſiat; quemadmodum id in fructibus & pecudibus receptum eſt; certè ab eo, ſi apud ipſum conceptus eſt, abſque dubio poterit legitimo tempore Uſucapi. Undè Julianus: Non ſolùm bonæ fidei emptores, ſed & omnes qui poſſident ex eâ causâ quam Uſucapio ſequi ſolet, partum ancillæ furtivæ Uſu ſuum faciunt. Iqueratione Juris introductum arbitror. Nam ex quâ causâ quis ancillam Uſucaperet, niſi Lex Duodecim Tabularum vel Atinia obſtaret, ex eâ causâ neceſſe eſt partum Uſucapi; ſi apud eum conceptus & editus eo tempore fuerit, quo furtivam eſſe matrem ejus ignorabat. *l.* 33. JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

Hinc idem Julianus in ſpecie ſequenti. Servus domino ancillam quam ſubripuerat, pro capite ſuo dedit. Ea concepi. Quæſitum eſt an dominus eum partum Uſucapere poſſit? Reſpondit: Hic dominus, quaſi emptor, partum uſucapere poteſt. Namque res ei abeſt pro hâc muliere; & genere quodammodo venditio inter ſervum & dominum contracta eſt. *l.* 10. *ff. Pro empt.* JULIAN. LIB. 1. AD MINICIUM.

Breviùs idem ait. Qui ob pactionem libertatis, ancillam furtivam à ſervo accepit, poteſt partum ejus quaſi emptor Uſucapere. *l.* 9. *ff. d. tit.* IDEM. LIB. 3. AD URSEIUM FEROCEM.

Enimverò Partum non eſſe partem rei furtivæ, Scævola libro undecimo Quæſtionum ſcribit. *l.* 26. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 16. AD. ED.

Conſonat quod reſcribit Alexander. Si matrem ejus cujus nomine te quæſtionem pati dicis, bonâ fide emptam poſſidere cœpiſti: etiamſi ipſa in cauſam furtivam inciderit, tamen poſtea conceptum apud te partum Uſucapere potuiſti. *l.* 3. *Cod. Pro emptore.*

XVI.

Hæc ita, ſi, quum partus editus eſt, poſſeſſor ancillæ eam furtivam eſſe neſciebat. Quòd ſi ſciebat, partum apud ſe editum Uſucapere non poterit.

De hoc poſteriori caſu accipe quod ait Paulus. De illo quæritur: Si ſervus meus ancillam quam ſubripuit, pro libertate ſuâ mihi dederit; an partum apud me conceptum Uſucapere poſſim? Sabinus & caſſius non putant: quia poſſeſſio quam ſervus vitiosè nanctus ſit, domino noceret (*g*). Et hoc verum eſt. *l.* 4. § 16. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Sed & ſi ut ſervum meum manumitterem, alius mihi furtivam ancillam dederit; eaque apud me conceperit & pepererit; Uſu me non capturum. Idemque fore etiam, ſi quis eam ancillam mecum permutaſſet, aut in ſolutum dediſſet, item ſi donaſſet. *l.* 4 § 17. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Si antequàm pariat, alienam eſſe reſcierit emptor; diximus, non poſſe eum Uſucapere: quòd ſi neſcierit,

(*a*) Per errorem Juris, malè comparans partum ancillæ cum pecudis fœtu.

(*b*) Sive pecunia ipſa, ſive aliquid ex hac pecunia comparatum.

(*c*) Fructus ſtatim acquiruntur bonæ fidei poſſeſſori, nec neceſſe eſt eos Uſucapi: ſcilicet quandiù dominus fundi non apparet, qui rem ſuam vindicet; tunc enim extantes & nondum Uſucaptos reſtituere teneretur.

(*d*) Scilicet ut non neceſſe ſit Uſucapi eos, ſed irrevocabiliter facti fuerint bonæ fidei emptoris, *ſi conſumpti ſint.* Si enim extantes ſint, nondum completâ Uſucapione, reſtituendi erunt domino ovium vindicanti. Vide Notam præced.

(*e*) Eſt quidem furtivus partus, & non poteſt Uſucapi, qui apud furem conceptus eſt; licèt poſteà apud bonæ fidei poſſeſſorem natus. Cæterùm partûs hujus nomine agi non poteſt, adversùs furem qui ancillam prægnantem alienavit. Ratio eſt, quia ex Stoicorum doctrina (cui addicti erant Juriſconſulti) partus, antequàm edatur, nondum eſt homo aut animal; ſed quaſi quædam portio viſcerum matris. Igitùr non poteſt dici contrectatus fuiſſe, & hujus furtum factum eſſe; cùm nondum eſſet. Ceſſat ergo actio *Furti*, hujus partûs nomine.

(*f*) Dubium hìc proponitur, ad quod non reſpondet Juriſconſultus. Nimirùm, cum receptum ſit ut bonæ fidei poſſeſſor fructus *interim* ſuos faciat (ſuprà lib. 22. Tit *de Uſuris* N. 4.) pater fœtus pecudum, V. G. *Ex equis natos* ſtatim ipſius fieri. An vero idem erit de partu ancillarum, cum ille in fructu non ſit? Sed dicendum eſt, eamdem hìc utriuſque ſpeciei eſſe rationem. Nempè bonæ fidei poſſeſſor pro domino eſſe videtur, quandiu res non vindicatur; & quæcumque dominum ſequuntur, eum etiam ſequi debent; adeoque tam partus ancillæ quam fructus quilibet cujuſvis rei poſſeſſa.

(*g*) Scienti ſcilicet. Nam ignoranti non obſtat, quominùs partum apud ſe conceptum Uſucapiat: ut vid. ſupra N. præced. ex l. 10. ff. *Pro empt.*

poſſe

Source : BIU Cujas

poſſe. Quòd ſi, quum jam Uſucaperet, cognoverit alienam eſſe; initium Uſucapionis intueri debemus: ſicut in emptis rebus placuit. *d. l.* 4. § 18.

XVII.

Id quod ex re furtivâ naſcitur aut percipitur apud furem, vidimus furtivum eſſe; contrà eſſe, ſi apud bonæ fidei poſſeſſorem. Quid autem ſi apud furis heredem, qui vitium neſciat?

Circa hanc rem Scævola libro undecimo Quæſtionum ſcribit, Marcellum exiſtimaſſe: Si bos apud furem concepit, vel apud furis heredem, pariatque apud furis heredem; Uſucapi ab herede diſtractum juvencum non poſſe: ſic (inquit) quemadmodum nec ancillæ partus. Scævola autem ſcribit; Sè putare, Uſucapere poſſe & partum; nec enim eſſe partum rei furtivæ partem. Cæterùm ſi eſſet pars; nec ſi apud bonæ fidei emptorem peperiſſet, Uſucapi poterat. *l.* 10. § 2. ULP. LIB. 16. AD ED.

Hæc Scævolæ ſententia ita obtinet, 1°. *Si apud hunc heredem partus non ſolùm natus, ſed & conceptus eſt: ut liquet ex ſupràdictis.*

2°. *Ita obtinet; ut partus apud hanc heredem conceptus & editus non contrahat quidem vitium furti, & poſſit Uſucapi ab eo qui illum ab hoc herede comparaverit: cæterùm ipſe* Heres qui in jus defuncti ſuccedit, licèt apud eum ignorantem ancillam furtivam eſſe conceperit ea & pepererit, non tamen Uſucapiet. *ſup. d. l.* 4. § 15.

XVIII.

Quærendum ſupereſt, quandiù vitium furti duret? Nimirùm, ex Lege Atiniâ, donec res in poteſtatem domini redierit.

Quod autem dicit Lex Atinia, ut res furtiva non Uſucapiatur, NISI IN POTESTATEM EJUS CUI SUBREPTA EST REVERTATUR, ſic acceptum eſt; ut in domini poteſtatem debeat reverti, non in ejus utique cui ſubreptum eſt.

Igitur creditori ſubrepta, & ei cui commodata eſt, in poteſtatem DOMINI redire debet. *l.* 4. § 6. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Indè eſt quòd Si rem pignori datam debitor ſubripuerit, & vendiderit; Uſucapi eam poſſe, Caſſius ſcribit; quia in poteſtate domini videtur perveniſſe qui pignori dederit: quamvis cum eo Furti (*a*) agi poteſt. Quod puto rectiùs dici. *d. l.* 4. § 21.

Et alibi ſimiliter. Si rem quam tibi pignoravi, ſubripuero, eamque diſtraxero; de Uſucapione dubitatum eſt? Et verius eſt, utiliter cedere tempora Uſucapionis. *l.* 5 *ff. Pro emptore.* MODESTIN. LIB. 10. PANDECT.

Hæc ita, quum debitor creditori rem pignoratam tenenti eam ſurripit. Quòd ſi debitor eam nomine creditoris tenebat, putà ex causâ conductionis; & eam ſurripiat creditori, nimirùm eam diſtrahendo; non poteſt dici per furtum redire ad dominum, cùm contrà ab eo potiùs per hoc factum exeat: ideòque furtiva cenſebitur, nec poterit Uſucapi donec ad creditorem cui ſubrepta eſt redierit.

De hoc caſu accipe quod Philippus reſcribit. Cùm ſit probatum, rem pignori fuiſſe obligatam, & poſtea à debitore diſtractam: palàm eſt non potuiſſe eam, quaſi furtivam, Uſucapi. *l.* 6. *Cod. de Uſucap. pro empt.*

Et quidem hoc caſu vitium furti purgatur, quum ad creditorem res rediit.

Hinc quum dixiſſet Labeo; Si quid eſt ſubreptum, id Uſucapi non poteſt antequàm in domini poteſtatem pervenerit. Paulus: Immò forſitan & contrà. Nam ſi id quod mihi pignori dederis, ſubripueris; erit ea res furtiva facta: ſed ſimul atque in meam poteſtatem venerit, Uſucapi poterit. *l.* 49. (*Aliàs l.* 4. *ff.* Pro ſoluto.) LABEO LIB. 5. PITHAN. A PAULO EPITOMATOR.

XIX.

In poteſtatem domini furtiva res intelligitur eſſe reverſa, & quum in poteſtatem tutoris curatoris-ve ejus reverſa eſt.

Hinc Julianus. Qui tutelam gerit, tranſigere cum fure poteſt. Et ſi in poteſtatem ſuam redegerit rem furtivam, deſinit furtiva eſſe: quia tutor domini loco habetur. *l.* 56. (*Aliàs* 58.) § 4. *ff. de Furtis.* JULIAN. LIB. 22. DIGEST.

XX.

Item Tunc in poteſtatem domini rediiſſe dicendum eſt, quum poſſeſſionem ejus nanctus ſit; juſtè, ut avelli non poſſit; ſed & tanquam ſuæ rei. Nam ſi ignorans mihi rem ſubreptam, emam; non videri in poteſtatem meam reverſam. *l.* 4. § 12. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Similiter Julianus. Furtiva res non intelligitur rediiſſe in domini poteſtatem, quamvis poſſideret eam; ſi modò ignoraverit ſubreptam ſibi eſſe. Si igitur ſervum qui tibi ſubreptus erat, ignoranti tibi tuum eſſe, pignori dedero; & ſolutâ pecuniâ, eum Titio vendidero: Titius Uſucapere non poterit. *l.* 7. § 7. *ff. Pro emptore.* JULIAN. LIB. 44. DIGESTOR.

Hinc Si rem ſubreptam mihi, procurator meus adprehendit: quamvis per procuratorem poſſeſſionem apiſci nos, jam ferè conveniat; nihilomagis eam in poteſtatem meam rediiſſe, Uſucapi poſſe exiſtimandum eſt (*b*): quia contrà ſtatui, captioſum eſt. *l.* 41. NERATIUS LIB. 7. MEMBRAN.

Scire autem dominus intelligitur, ſi tutor aut curator ejus ſciverit. Nam Si pupilli res ſubrepta ſit; ſufficere dicendum eſt, ſi tutor ejus ſciat rediiſſe eam in domum pupilli. Et ſi furioſo, ſufficere curatores ſcire. *l.* 4. § 11. PAUL. LIB. 54. AD EDICT.

XXI.

Uno caſu ſcientia domini non erit neceſſaria; ſcilicet ſi furtum neſcivit, & res redierit ad eum per quem hanc rem poſſidebat.

Ait enim Paulus, & Item Labeo; Si rem quam apud te depoſueram, lucri faciendi causâ vendideris (*c*), deinde ex pœnitentiâ redemeris, & eodem ſtatu habeas; ſive ignorante me ſive ſciente, ea geſta ſint, videri in poteſtatem meam rediiſſe: ſecundùm Proculi ſententiam, quæ & vera eſt. *l.* 4. § 10. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Labeo quoque ait; Si res peculiaris ſervi mei ſubrepta ſit me ignorante, deindè eam nanctus ſit; videri in poteſtatem meam rediiſſe. (Commodiùs dicitur, etiam ſi ſcivero (*d*), rediſſe eam in meam poteſtatem. Nec enim ſufficit ſi eam rem quam perdiderit (*e*), ignorante me ſervus apprehendat). Si modò (*f*) in peculio eam eſſe volui: nam ſi nolui; tunc exigendum eſt ut ego facultatem ejus nanctus ſim. *d. l.* 4. § 7.

Juxta has diſtinctiones (*ſcilicet, ſi dominus in eâ voluntate perſeveravit ut res in peculio eſſet, & ſcivit rem ad ſervum reverſam; aut ignoravit quidem, quum & eam ſubreptam eſſe pariter ignoraret*) *accipe quod ait Julianus*: Si res peculiaris ſubrepta in poteſtatem ſervi redierit, ſolvitur furti vitium; & incipit hoc caſu in peculio eſſe, & à domino poſſideri. *l.* 56. (*Aliàs* 58.) § 2. *ff. de Furtis.* JULIAN. LIB. 22. DIGEST.

Eadem diſtinctio quâ uſi ſumus circa rem peculiarem ſubreptam, obtinet etiam circa rem dominicam. Ideòque & ſi ſervus meus rem mihi ſurripuerit, deindè eamdem loco ſuo reponat: poterit Uſucapi quaſi in poteſtatem meam redierit, utique ſi neſcii. Nam ſi ſcivi, exigimus ut rediſſe ſciam in meam poteſtatem. *l.* 4. § 8. PAUL. LIB. 54. AD ED.

(*a*) Nec obſtat quòd *Rei ſuæ furtum non fit.* Nam debitor, licèt rei dominus, furtum facit poſſeſſionis hujuſce rei: poſſeſſio autem, ipſius non erat, ſed creditoris.

(*b*) Scilicet donec ſciverim.

(*c*) Quo facto furtum contrahitur: ut vid. ſuprà N. 12 & 13.

(*d*) Id eſt; idem obtinebit, & vitium furti purgabitur, ſi tota hæc res me ſciente geſta ſit, quia nempè ſcivero furtum, & ſcivero rem ad ſervum meum rediiſſe.

(*e*) Me ſciente.

(*f*) Supple: Quod dictum eſt vitium furti purgari, quum res quæ ſervo meo ſubrepta eſt, ad ſervum meum redit; ita verum eſt: *ſi modò volui &c.* id eſt, velle perrexi. Nam ſi poſtquàm res peculiaris ſubrepta eſt, ego aut ademero ſervo meo peculium, aut mutatâ circa rem illam voluntate *nolui* ut ea amplius in peculio eſſet: eo caſu, ſi res ad ſervum redierit, non videbitur in poteſtatem meam reverſa; nec enim rediit ad eum penès quem illam eſſe volo.

Source : BIU Cujas

Et quidem etiam in hoc casu quo furtum ignoravi, notandum quod statim subjungitur: Item si eam rem (*a*) quam servus subripuerit, peculiari nomine teneat (*b*); non videri in potestatem meam reversam, Pomponius ait: nisi ita habere cœperimus, quemadmodum habuimus antequàm subriperetur (*c*): aut quum resciissemus, in peculio eum habere concessimus. *d. l.* 4. § 9.

XXII.

Quod hactenùs diximus, vitium furti purgari quum res in POTESTATEM *domini rediit, sic accipe; non solùm si possessionem ejus recepit, sed & statim atque hujus recuperandæ copiam habuit.*

Hinc Paulus. POTESTATIS verbo plura significantur: in personâ Magistratuum, IMPERIUM; in personâ liberorum, PATRIA POTESTAS; in personâ servi, DOMINIUM; at quum agimus de noxæ deditione cum eo qui servum non defendit, PRÆSENTIS CORPORIS COPIAM facultatemque significamus. In Lege Atiniâ, in potestatem domini rem furtivam veniisse videri, & si ejus VINDICANDÆ POTESTATEM habuerit, Sabinus & Cassius aiunt. *l.* 215. *ff. de Verb. sign.* PAUL. LIB. SING. AD L. FUSIAM-CANINIAM.

Ergo & Si furtum rem furtivam à domino emerit, & pro traditâ habuerit; desinet eam pro furtivâ possidere, & incipiet Pro suo possidere. *l.* 32. POMPON. LIB. 32. AD SABIN.

Sed & si vindicavero rem mihi subreptam, & litis æstimationem accepero; licèt corporaliter ejus non sim nanctus possessionem, (*d*) Usucapietur. *l.* 4. §. 13. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Idem dicendum est etiam si voluntate meâ alii tradita sit. *d. l.* 4. § 14.

Et alibi similiter. Quamvis res furtiva, nisi ad dominum redierit, Usucapi non possit: tamen si eo nomine lis æstimata fuerit, vel furi dominus eam vendiderit; non interpellari jam Usucapionis jus (*e*) dicendum est. *l.* 84. (*Alias* 86.) *ff. de Furt.* PAUL. LIB. 2. AD. NERATIUM.

§ IV.

De rebus immobilibus vi possessis.

XXIII.

Quod de furtivis Lex Atinia statuerat; Lex Plautia (f) & deindè Lex Julia (g), ad res immobiles vi possessas produxerunt.

Hinc Venuleius. Quod vi possessum raptum-ve sit, antequàm in potestatem domini heredis-ve ejus pervenit, Usucapi Lex vetat. *l. fin. ff. Vi bonorum Part.* VENULEIUS LIB. 17. STIPULAT.

VIOLENTER enim possessione amissâ, priusquàm in domini potestatem perveniat, Usucapio emptori (etsi bonâ fide mercatus est) non competit. *l.* 5. ¶ *violenter. Cod. de Usucap. pro empt.* GORDIAN.

Hoc autem vitium nonnisi in res corporales cadere potest. Undè Si viam habeam per tuum fundum, & tu me ab eâ vi expuleris; per longum tempus non utendo, amittam viam: quia nec possidere intelligitur jus incorporale; nec de viâ quis, id est mero Jure (*h*), detruditur. *l.* 4. § 27. PAUL. LIB. 54. AD ED.

XXIV.

Ut hoc vitium res contrahat, duo concurrere oportet: 1°. Ut possessor vi detrusus fuerit: 2°. Ut is qui detrusit, ipse occupaverit possessionem.

Hinc 1°. Si tu me vi expuleris de fundi possessione, nec adprehenderis possessionem, sed Titius in vacuam possessionem intraverit: potest longo tempore capi res. Quamvis enim Interdictum UNDE VI locum habeat, quia verum est vi me dejectum; non tamen verum est, & vi possessum. *d. l.* 4. § 22.

2°. Item si occupaveris vacuam possessionem, deinde venientem dominium prohibueris; non videberis VI possedisse. *d. l.* 4. § 28.

Consonat quod ait Julianus. Si dominus fundi homines armatos venientes existimaverit (*i*), atque ita profugerit; quamvis nemo eorum fundum ingressus fuerit, vi dejectus videtur. Sed nihilominùs id prædium, etiam antequàm in potestatem domini redeat, à bonæ fidei possessore Usucapitur: quia Lex Plautia & Julia ea demùm vetuit longâ possessione capi, quæ vi possessa fuissent, non etiam ex quibus vi quis dejectus fuisset. *l.* 33. § 2. JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

Modò autem hæc quæ diximus concurrant, nil refert qualis possessor detrusus fuerit. Cæterùm etiamsi malâ fide fundum me possidentem, dejeceris & vendideris, non poterit capi; quoniam verum est vi possessum esse, licèt non à domino. *l.* 4. § 23. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Idem dicendum est in eo qui eum expulit qui Pro herede possidebat, quamvis sciat esse hereditarium (*k*). *d. l.* 4. § 24.

Multò magis Si fundum alienum bonâ fide possidentem quis sciens esse alienum expulerit, Usucapere non potest; quoniam vi possidet. *d. l.* 4. § 25.

XXV.

Hoc vitium, sicut & furti, purgatur quum res in potestatem domini rediit; & sic quidem ut sciat rem suam esse. Hinc Tryphoninus. Si ad dominum ignorantem pervenerit res furtiva vel vi possessa, non videtur in potestatem domini reversa. Ideò nec si post talem domini possessionem bonâ fide ementi vænierit, Usucapio sequitur. *l.* 86. (*Aliàs* 88.) *ff. de Furtis.* TRYPHON. LIB. 9. DISPUT.

Item sic redire debet ut ei auferri non possit.

Hinc Si dominus fundi possessorem vi dejecerit (*l*): Cassius ait, non videri in potestatem ejus redisse, quando interdicto UNDE VI restituturus sit possessionem. *sup. d. l.* 4. § 26.

§ V.

De rebus contra Legem Juliam Repetundarum donatis.

XXVI.

Quod contra Legem REPETUNDARUM, Proconsuli, vel Prætori donatum est, non poterit (*m*) Usucapi. *l.* 8. *ff. de Leg. Jul. repetund.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Et quidem etiam id quod sub specie alterius contractûs donatum esset. Nam Eadem Lex venditiones, locationes, ejus rei causâ pluris minoris-ve factas, irritas facit; impeditque Usucapionem, priusquàm in potesta-

(*a*) Dominicæ rationis.

(*b*) Non suo loco reponat, sed eam *teneat* quasi in suo peculio esset.

(*c*) Scilicet in dominicâ ratione: id est, si in dominicâ ratione fuerit, aut saltem concesserimus servum eam peculiari nomine tenere.

(*d*) Rem enim saltem interpretativè recipit, qui ejus æstimationem recipit.

(*e*) At quorsùm Usucapio, cùm necessaria non sit ei qui rem à domino ex causâ Emptionis-venditionis comparavit? Imò necessaria est, si res *Mancipi* fuit: non quidem ut dominium ejus rei naturale & *Bonitarium*, sed ut civile & *Quiritarium* emptor adipiscatur; quod aliter, cùm res ipsi solemniter mancipata non fuerit, non potest nisi per Usucapionem adipisci. Vestigium est Juris antiqui, in hâc lege per incuriam Triboniani relictum.

(*f*) Pighius *Annal.* Tom. 3. probat hanc Legem anno U. C. 664. Cn. Pompeio-Strabone & L. Porcio-Catone Coss. à M. Plautio Tribuno plebis latam. Hujus meminit Cicero *pro Cæcinâ* n. 26. & *pro Milone* n. 13.

(*g*) Hotomannus *de Legib.* censet hanc legem esse Legem JULIAM DE VI PUBLICA ET PRIVATA quam tulit Augustus.

(*h*) Si merum Jus spectes; de viâ, id est de jure viæ, quis detrudi intelligi non potest. Nam *Detrudi* significat locum undè quis detrudatur: in re autem incorporali quæ in jure consistit, nullus potest intelligi locus.

(*i*) Aliàs *extimuerit*; & ità omninò legendum censet Cujacius. Sic porrò conciliatur hæc lex cum l. 9. ff. *Quod met. caus.* In specie enim hujus legis 33. reverà armati veniebant, quamvis mutato posteà consilio fundum non sint ingressi: reverà terrorem incusserunt domino fundi, qui justo metu perterritus fugit, fundique sui possessionem abjecit: meritò igitur *Vi dejectus* videtur. Contrà in specie oppositæ legis 9æ. nulli venerunt armati: is qui profugit, perperàm credulus falso rumori fuit, nullus ab armatis terror ei incussus est, sed ipse sibi terrorem incussit suâ credulitate: non videtur igitur *Vi dejectus*.

(*k*) Et se non esse heredem: ut supplet Glossa.

(*l*) Ex intervallo; non in instanti quo ipse dejectus fuisset. Vide infrà lib. 43. Tit. *Undè vi.*

(*m*) Non solùm à Prætoreâ vel Proconsule, cui donatum est; sed à nemine prorsùs, donec vitium purgatum fuerit & res in potestatem donatoris reversa: non secùs atque res furtivæ, aut vi possessæ; juxta Regulam generalem in §§. seq. propositam.

Source : BIU Cujas

tem ejus à quo profecta res sit, heredis-ve ejus, veniat. *d. l.* 8. § 1.

§ VI.

Regula generalis circa res quarum Lex inhibet Usucapionem.

XXVII.

UBI Lex inhibet Usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest. *l.* 24. POMPON. LIB. 24. AD Q. MUCIUM.

Et ex hâc Regulâ est, quòd nec à tertio bonæ fidei possessore res Usucapi potest.

ARTICULUS III.

An pars rei Usucapionem recipiat, & quæ pars.

XXVIII.

Etiam pars Usucapionem recipit. Hinc Gordianus. Si partem possessionis, malæ fidei possessor vendidit; id quidem quod ab ipso tenetur, omninò cum fructibus recipi potest. Portio autem quæ distracta est, ita demùm rectè petitur à possidente, si sciens alienam comparavit, vel bonâ fide emptor nondum implevit Usucapionem. *l.* 5. *Cod. de Usucap. pro empt.*

Certa autem debet esse illa pars quam quis Usucapiat. Nam Incertam partem possidere nemo potest (*a*). Ideò si plures sint in fundo, qui ignorent quotam quisque partem possideat; neminem eorum merâ subtilitate possidere, Labeo scribit. *l.* 32. § 2. POMPON. LIB. 32. AD SABIN.

XXIX.

Ea etiam demùm pars per se Usucapi potest, quæ aut indivisa aut certâ regione divisa per se possidetur. Cæterùm quum quis corpus aliquod ex variis rebus constans possidet; singula ex quibus constat, nec per se possidentur, adeòque nec per se Usucapiuntur.

Hinc Javolenus. Eum qui ædes mercatus est, non puto aliud quàm ipsas ædes possidere. Nam si singulas res possidere intelligitur, ipsas ædes non possidebit: separatis enim corporibus ex quibus ædes constant, universitas ædium intelligi non poterit. Accedit eò, quòd si quis singulas res possidere dixerit; necesse erit, dicat [in] possessione SUPERFICIEI, temporibus de mobilibus statutis locum esse; SOLUM se capturum esse ampliori. Quod absurdum & minimè Jure Civili conveniens est; ut una res diversis temporibus capiatur. Ut putà, cùm ædes ex duabus rebus constant, ex solo & superficie; & universitas earum, possessionem temporis immobilium rerum omnium (*b*) mutet. *l.* 23. JAVOLEN. LIB. 9. EPISTOLAR.

Similiter Paulus. Qui universas ædes possidet, singulas res quæ in ædificio sunt, non videtur possedisse. *l.* 30. *de Acquir. possess.* PAUL. LIB. 15. AD SABIN.

Idem dici debet & de nave & de armario. *d. l.* 30. ¶ *idem.*

Corollarium Ium.

NUNQUAM superficies sine solo capi longo tempore potest. *l.* 26. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

Et, Si solum Usucapi non poterit, nec superficies Usucapietur. *l.* 39. MARCIAN. LIB. 3. INSTITUT.

Corollarium IIum.

Si autem demolita domus est, ex integro res mobiles possidendæ sunt; ut tempore quod in Usucapione rerum mobilium constitutum est, Usucapiantur. Et non potest rectè uti eo tempore quo in ædificio fuerunt. Nam quemadmodum eas solas & separatas ab ædificio non possedisti; sic nec penès te singulæ aut separatæ fuerunt, & cohærentibus his in ædificio, depositis ædibus quæ hoc quoque ipsum continent. Neque enim recipi potest, ut eadem res, & ut res soli & tanquam mobilis sit possessa. *sup. d. l.* 23. § 2.

Hinc solvitur sequens quæstio. Scilicet quum quis ex alienâ materiâ ædificavit; Illud rectè quæritur: an si id ædificium vendiderit is qui ædificaverit; & ab emptore longo tempore captum, postea dirutum sit; adhuc dominus materiæ, vindicationem ejus habeat? Causa dubitationis est an, eo ipso quo universitas ædificii longo tempore capta est, singulæ quoque res ex quibus constabat, captæ essent? Quod non placuit. *l.* 7. § 11. *ff. de Adquir. rer. dom.* GAIUS LIB. 2. RER. COTTID. SIVE AUREORUM.

XXX.

Hæc obtinent, quum ædium possessor materiam nunquàm aliter quàm cum ædibus possedit.

Quid verò si eam per se possidere ac Usucapere cœpisset, deinde ædibus inseruisset? Hæc est quæstio quam sic proponit Pomponius : Rerum mixtura facta, an Usucapionem cujusque præcedentem interrumpit, quæritur?

Tria autem genera sunt corporum: unum quod continetur uno spiritu; & Græcè Η'ΝΩΜΕ'ΝΟΝ [*id est unitum*] vocatur, ut homo, tignum. lapis, & similia: alterum quod ex contingentibus, hoc est, pluribus inter se cohærentibus constat; quod ΣΥΝΗΜΜΕ'ΝΟΝ [*id est, connexum*] vocatur; ut ædificium, navis, armarium: tertium quod ex distantibus constat, ut corpora plura non soluta, sed uni nomini subjecta; veluti populus, legio, grex. Primum genus in Usucapione quæstionem non habet: secundum & tertium habet. *l.* 30. POMPON. LIB. 30. AD SABIN.

Ut autem circa secundum genus quæstio solvatur : Labeo libris Epistolarum ait; Si is cui ad tegularum vel columnarum Usucapionem decem dies supereſſent, in ædificium eas conjeciſſet; nihilominùs eum Usucapturum, si ædificium possedisset. Quid ergo in his quæ non quidem implicantur rebus soli, sed mobilia permanent; ut in annulo, gemmâ? In quo verum est, & aurum & gemmam possideri & Usucapi, cùm utrumque maneat integrum. *d. l.* 30. § 1.

De tertio genere corporum videndum est. Non autem grex universus sic capitur Usu, quomodo singulæ res; nec sic, quomodo cohærentes. Quid ergo est? Etsi ex naturâ ejus est ut adjectionibus corporum maneat, non item tamen universi gregis ulla est Usucapio. Sed singulorum animalium sicuti possessio, ita & Usucapio. Nec si quid emptum immixtum fuerit gregi, augendi ejus gratiâ; id circò possessionis causa mutabitur: ut, si reliquus grex dominii mei sit, hæc quoque ovis. Sed singulæ suam causam habebunt: ita ut, si quæ furtivæ erunt, sint quidem ex grege; non tamen Usucapiantur. *d. l.* 30. § 2.

XXXI.

Ad tertium genus modò dictum refertur, proindèque separata etiam esse debet, causa diversarum fundi partium quæ ex destinatione patrisfamilias unum fundum efficiunt.

Hinc Julianus. Si fundum Cornelianum Pro emptore longâ possessione capiam, & partem ex vicini fundo ei adjiclam; utrùm eam quoque partem reliquo tempore Pro emptore capiam, an integro statuto tempore? Respondi: Partes quæ emptioni fundi adjiciuntur, propriam ac separatam conditionem habent; & ideò possessionem quoque earum separatim nanciſci oportere, & longam possessionem earum integro statuto tempore impleri. *l.* 7. § 1. *ff. Pro empt.* JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

(*a*) Suprà Tit. præced. N. 15.

(*b*) Haloander legit; *possessione temporis, immobilium rerum dominium mutet.* Quæ lectio placet Cujacio, & magis perspicua est.

Source : BIU Cujas

SECTIO III.

De formâ Usucapionis & longi temporis possessionis.

XXXII.

Forma Usucapionis est possessio. Nam Sine possessione Usucapio contingere non potest. *l.* 25. LICINIUS-RUFINUS LIB. 2. REGULAR.

Circa hanc autem possessionem requiritur 1°. *Ut duret per tempus definitum :* 2°. *Ut non sit interrupta :* 3°. *Ut ex justo titulo proficiscatur :* 4°. *Ut sit bonæ fidei.*

Eadem forma est & longi temporis præscriptionis.

ARTICULUS I.

De tempore ad Usucapionem longi-ve temporis præscriptionem requisito , & de accessione possessionum.

§ I.

Quod sit tempus sive Usucapionis sive longæ possessionis.

XXXIII.

Usucapionis tempus Jure Pandectarum ita definit Ulpianus: Usucapio est autem dominii adeptio per continuationem possessionis anni vel biennii; rerum mobilium anni, immobilium biennii. ULP. FRAGM. *Tit.* 19. § 8. ¶ *Usucapio.*

Tempus autem possessionis longi temporis ita docet Paulus: Longi temporis præscriptio inter præsentes continuo decennii spatio, inter absentes vicennii comprehenditur. PAUL. SENTENT. *lib.* 5. *Tit.* 2. § 3.

ABSENTES *intelliguntur, qui in diversis provinciis habitant. l.* 2. *Cod.* de Præscript. long. temp.

Et quum is adversùs quem præscribitur ; non toto decennio abfuit, id tempus duntaxat & quo abfuit , duplicatur : ut definit Justinianus Novell. CXIX Cap. 76.

XXXIV.

In Usucapionibus non à momento ad momentum , sed totum postremum diem computamus. *l.* 6. ULPIAN. LIB. 12. AD ED.

Ideòque qui horâ sextâ diei Kalendarum Januariarum possidere cœpit, horâ sextâ noctis (*a*) pridie Kalendas Januarias implet Usucapionem. *l.* 7. IDEM LIB. 27. AD SABIN.

Similiter Venuleius. In Usucapione ita servatur , ut etiamsi minimo momento novissimi diei possessa sit res , nihilominùs repleatur Usucapio. Nec totus dies exigitur , ad explendum constitutum (*b*) tempus. *l.* 15. *ff. de Diverſ. temp. præscript.* VENUL. LIB. 5. INTERDICT.

§ II.

An hæc tempora continua sint, & adversùs quoslibet currant.

XXXV.

Ad Usucapionem quod attinet , sive de rebus immobilibus agatur , sive Iu Usucapionibus mobilium , continuum tempus (*c*) numeratur. *l.* 31. § 1. PAUL. LIB. 32. AD SABIN.

Et currit proindè , etiam adversùs eos qui non potuerunt Usucapionem interpellare. Verùm restitutio his conceditur : ut vid. suprà lib. 4. *Tit.* Ex quib. caus. maj.

XXXVI.

Tempus autem quod ad longi temporis præscriptionem (quæ in solis rebus immobilibus locum habet) requiritur , non continuum est ; cùm ex variis causis non currat.

Nimirùm 1°. *quamdiù is adversùs quem præscribitur , abest Reipublicæ causâ.*

Tales sunt milites tempore expeditionis. Hinc Alexander: Tempus expeditionis , adversùs petitiones , si quæ competiisse justè probari possunt , præscriptionem non parit. *l.* 1. *Cod. Quib. non objic. long. temp. præscript.*

Extrà tempus autem expeditionis , militibus non succurritur. Sic enim Justinianus : Sancimus his solis militibus qui expeditionibus occupati sunt , ea tantummodò tempora quæ in eâdem expeditione percurrunt , in exceptionibus declinandis opitulari : illis temporibus per quæ citra expeditionum necessitatem in aliis locis vel in suis ædibus degunt , minimè eos ad vindicandum hoc privilegium adjuvantibus. *l. fin. Cod. d. tit.*

2°. *Neque solùm Reipublicæ causâ absentibus , sed & iis qui ex quâcumque causâ ob absentiam agere non potuerint ; non currit præscriptio.*

Ita rescribunt Diocletianus & Maximianus. Si possessio inconcussa sine controversiâ perseveraverit; firmitatem suam teneat objecta præscriptio : quam contra absentes vel Reipublicæ causâ , vel maximè fortutito casu , nequaquàm valere decernimus. *l.* 4. *Cod. Quib. non objic. long. temp. præscript.*

3°. *Eodem jure gaudent qui circa Principem occupati sunt.*

Hinc cuidam suo Archiatro ita rescribunt suprà dicti Imperatores. Cùm per absentiam tuam , eos de quibus quereris , in res juris tui irruisse adseveres ; teque ob medendi curam à comitatu Nostro discedere non posse palàm fit : Præfectus Prætorio noster , accersitis his quos causa contingit , inter vos cognoscet. Non necessariò autem petis , ex longi temporis diuturnitate præscriptionem tibi non opponi ; quando justæ absentiæ ratio , & necessitatis publicæ obsequium , ab hujusmodi præjudicio te defendat. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

4°. Non est incognitum , id temporis quod in minore ætate transmissum est, longi temporis præscriptioni non imputari : ea enim tunc currere incipit , quando ad majorem ætatem (*d* (dominus rei pervenerit. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

5°. *Tempus longi temporis præscriptionis non currit etiam adversùs captivum.*

Hinc iidem Imperatores. Ab hostibus captus , ac postliminio reversus , actione IN REM directâ vel quâlibet aliâ dominium vindicando , temporis adversarii possessionem frustrà timet ; cùm adversùs eos qui restitutionis auxilio quâcumque ratione juvantur , hujusmodi factum non opituletur. *l.* 6. *Cod. d. tit.*

Et hoc ultimum , ut longi temporis præscriptio nequidem currat adversùs eos qui restituerentur adversùs Usucapionem ; ita generaliter rescribunt. Præscriptione , bonâ fide possidentes , adversùs præsentes annorum decem , absentes autem viginti , muniuntur. Quòd si ex alicujus personâ de petitorum parte , restitutionis prætendatur auxilium ; deducto eo (*e*) quo , si quid fuerit gestum , succurri solet; residuum computari, rationis est. *l.* 7. *Cod d. t.*

(*a*) Ex quâ horâ incipit dies *Pridie Calendas* , qui est ultimus dies anni.

(*b*) Contrà obtinet in præscriptionibus temporalium actionum : nec enim perficiuntur nisi completo toto novissimo die ; ut videb. infrà lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.* Ratio disparitatis hæc esse videtur , quòd *Usucapio* sit favorabilis ; nempè in favorem bonæ fidei possessoris introducta. *Præsciptio* verò actionum , odiosa ; cùm non favore debitoris qui sæpè malæ fidei est , sed in odium negligentiæ creditoris admissa sit.

(*c*) Censet Cujacius Paulum in hâc lege scripsisse *continuus annus* ; & Tribonianum substituisse *continuum tempus* , eo quòd jam triennium requiratur in mobilium Usucapione. Ejusdem autem Triboniani incuriæ adscribit , quòd ex textu Ulpiani non circumscripserit quasi delendam vocem illam *mobilium.* Neque enim id proprium est Usucapioni rerum mobilium , ut tempus in illâ continuum sit ; sed tam in immobilium quàm in mobilium Usucapione pariter observatur.

(*d*) Adde l. 1 & l. fin. Cod. *Si quis ignor. rem &c.*

(*e*) *Deducto eo* tempore *quo succurri solet , si quid* eo tempore adversùs eos *gestum fuerit* : scilicet tempore quo quis aut Minor aut absens Reipub. causâ aut captivus fuit.

Source : BIU Cujas

§ III.

De acceſſione poſſeſſionum.

XXXVII.

Non neceſſe eſt ut is qui Uſucapit aut per longi temporis poſſeſſionem præſcribit, ipſe per integrum tempus poſſederit. Enimverò plerùmque ſucceſſori licitum eſt, uti acceſſione poſſeſſionis auctoris ſui.

Quocircà, De acceſſionibus poſſeſſionum, nihil in perpetuum, neque generaliter definire poſſumus. Conſiſtunt enim in ſolâ æquitate. *l.* 14. *ff. de Diverſ. temp. præſcript.* SCÆVOLA LIB. SINGUL. QUÆST. PUBLICE TRACTATAR.

Planè tribuuntur his qui locum aliorum ſuccedunt, ſive ex contractu, ſive (*a*) voluntatę. Heredibus enim & his qui ſucceſſorum loco habentur (*b*), datur acceſſio teſtatoris. *d. l.* 14. § 1.

Quandoque etiam & ſucceſſori ſingulari, acceſſio auctoris.

XXXVIII.

I. De acceſſione poſſeſſionis in ſucceſſoribus univerſalibus.

Hujus acceſſionis aperta ratio eſt. Nam HEREDEM ejuſdem poteſtatis juriſque eſſe, cujus fuit defunctus, conſtat. *l.* 59. *ff. de Reg. Juris.* ULP. LIB. 3. DISPUTAT.

At verò Poſſeſſio teſtatoris ita heredi procedit, ſi medio tempore à nullo poſſeſſa eſt. *l.* 20. JAVOL. LIB. 4. EPISTOL.

Idem docet Ulpianus. Quæſitum eſt, ſi heres priùs non poſſederat, an teſtatoris poſſeſſio ei accedat? Et quidem in emptoribus poſſeſſio interrumpitur (*c*): ſed non idem in heredibus plerique probant; quoniam plenius eſt jus ſucceſſionis, quàm emptionis. Sed ſubtilius (*d*) eſt, quod in emptorem, & in heredem id quoque probari (*e*). *l.* 13. § 4. *ff. de Acquir. poſſeſſ.* ULP. LIB. 72. AD ED.

Non autem ea tantùm poſſeſſio teſtatoris heredi procedit, quæ morti fuit injuncta (*f*); verùm ea quoque quæ unquam (*g*) teſtatoris fuerit. *d. l.* 13. § 5. *ff. d. tit.*

Sed & Vacuum tempus quod ante aditam hereditatem vel poſt aditam interceſſit, ad Uſucapionem heredi procedit. *l.* 31. § 5. PAUL. LIB. 51. AD SABIN.

Hinc liquet quòd Heres & hereditas, tametſi duas appellationes recipiunt, unius perſonæ tamen vice funguntur. *l.* 22. JAVOLEN. LIB. 7. EPIST.

XXXIX.

Regulæ circa acceſſionem poſſeſſionum in ſucceſſoribus univerſalibus.

Regula generalis:

CUM *heredis poſſeſſio nihil aliud videatur quàm continuatio poſſeſſionis defuncti; ex perſonâ igitur ſolius defuncti æſtimabitur: & modò in ejus perſonâ juſta fuerit, nil intererit quæ & qualis fuerit heredis opinio.*

Hinc Si defunctus emit, heres autem putat eum ex donationis causâ poſſediſſe; Uſu eum capturum (*h*) Julianus ait. *l.* 31. § 6. PAUL. LIB. 32. AD SABIN.

(*a*) Id eſt, ex ultimâ *voluntate*; ex teſtamento.

(*b*) Quales ſunt Bonorum poſſeſſores, fideicommiſſarii univerſales, hi quibus bona addicta ſunt *libertatum conſervandarum gratiâ*, &c.

(*c*) Emptor non poteſt uti acceſſione poſſeſſionis venditoris, ſi à venditore ad emptorem poſſeſſio rectâ viâ non tranſivit, ſed medius aliquis poſſeſſor fuit.

(*d*) Id eſt, ſed magis conſonat ſubtilitati & regulis Juris.

(*e*) Scilicet ut non proſit heredi poſſeſſio defuncti, quum medius alter poſſeſſor fuit; ſicut in pari caſu poſſeſſio venditoris emptori non prodeſt. Quantumvis enim heres, ex ipsâ heredis naturâ, ſucceſſor ſit in univerſum jus defuncti; non poteſt videri ſucceſſiſſe defuncto in poſſeſſionem, quam medio tempore tertia perſona habuit.

(*f*) Id eſt, quæ duravit uſque ad mortem.

(*g*) Sic melius in Florentinâ, quàm in Haloandri lectione *nunquam*. Senſus eſt, poſſeſſionem teſtatoris interdum prodeſſe heredi, quæ *unquam* id eſt aliquando teſtatoris fuit; quamvis poſſidere ante mortem deſierit: modò nullus medius poſſeſſor fuerit. Exemplum in poſſeſſore, qui poſtea captus eſt ab hoſtibus, & ibi deceſſit.

(*h*) Et quidem Uſucapiet *Pro emptore*. Et ſic plus valet quod eſt in veritate, quàm quod in opinione.

(*i*) Heredi ſcilicet. Nam ut videbimus infrà Art. 3°. bona fides tempore traditionis requiritur.

(*k*) Id eſt: quòd ſi ipſi defuncto res tradita fuerat, & heres ceptam à defuncto poſſeſſionem continuet; non impedietur heres hâc *continuatione* Uſucapionis, propter ſuam ipſius ſcientiam.

(*l*) Lectio manifeſtè mendoſa. Cujacius ad d. l. pro *illo* legit *vel vi*.

(*m*) Infrà lib. 43. Tit. *de Precario*.

(*n*) Rei quam ipſe poſſidebat.

Corollaria ex Regulâ præcedenti.

PRIMA REGULA: *Juſta defuncti poſſeſſio, etiam heredi qui ipſe malæ fidei eſt, prodeſt ad Uſucapionem.*

V. G. Si defunctus bonâ fide emerit; Uſucapietur res, quamvis heres ſcit alienam eſſe.

Hoc & in bonorum poſſeſſione, & in fideicommiſſariis quibus ex Trebelliano reſtituitur hereditas, cæteriſque Prætoriis ſucceſſoribus, obſervatum eſt. *l.* 2. § 19. *ff. Pro emptore.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Hoc tamen quod dicimus, diſtinctionem recipit. Nam Heres ejus qui bonâ fide rem emit, Uſu non capiet ſciens alienum, ſi modò ipſi (*i*) poſſeſſio tradita ſit. Continuatione (*Aliàs* continuatio) verò non impedietur, heredis (*k*) ſcientiâ. *l.* 43. PAPIN. LIB. 22. QUÆSTION.

ALTERA REGULA: *Vitioſa defuncti poſſeſſio heredi nocet; & quidem adeò ut nec à ſe, quamvis bonæ fidei ſit, Uſucapionem poſſit inchoare.*

Hinc reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Uſucapio non præcedente vero titulo procedere non poteſt, nec prodeſſe, neque tenenti, neque heredi ejus poteſt; Nec obtentu velut ex hereditate eſſet quod alienum fuit, domini intentio ullo temporis longi ſpatio abſumitur. *l.* 4. *Cod. de Uſucapione pro herede.*

Similiter reſcripſerat Philippus. Si malâ fide ſervum tuum ſciens Antiochus tenuit; intentionem tuam contra ſucceſſorem ejus licèt bonâ fide poſſidet; propter initii vitium, Uſucapio non abſumpſit. *l.* 3. *Cod. Comm. de Uſucap.*

Idem docuerat Papinianus. Ita ille: Cùm heres in jus omne defuncti ſuccedit, ignoratione ſuâ defuncti vitia non excludit; veluti quum ſciens alienum illum, illo (*l*) vel precariò poſſedit. Quamvis enim precarium, heredem ignorantem non teneat, nec Interdicto rectè conveniatur (*m*); tamen Uſucapere non poterit, quod defunctus non potuit.

Idem Juris eſt, quum de longâ poſſeſſione quæritur. Neque enim rectè defendetur, cùm exordium ei bonæ fidei ratio non tueatur. *l.* 11. *ff. de Diverſ. temp. præſcript.* PAPIN. LIB. 2. DEFINIT.

Hinc Diutina poſſeſſio, tantùm jure ſucceſſionis, ſine juſto titulo obtenta, prodeſſe ad præſcriptionem hâc ſolâ ratione non poteſt. *l.* 4. *Cod. de Præſcript. long. temp.*

Hinc illa ſententia quæ in Conſtitutione Arcadii & Honorii refertur: VITIA poſſeſſionum à majoribus contracta perdurant; & ſucceſſorem auctoris ſui culpa comitatur. *l.* 11. *Cod. de Adquir. & retin. poſſeſſ.*

Fallit igitur regula, ſi vitium poſſeſſionis non ex perſonâ defuncti, id eſt ex malâ fide ejus, peteretur; ſed ex re ipsâ.

Hinc Interdum, etiamſi non fuerit inchoata Uſucapio à defuncto (*n*), procedit heredi ejus. Veluti ſi vitium quod obſtabat non ex perſonâ ſed ex re, purgatum fuerit. EX RE; ut putà ſi fiſci res eſſe deſierit, aut furtiva, aut vi poſſeſſa. *l.* 24. § 1. POMPON. LIB. 24. AD Q. MUCIUM.

XL.

Obſervandum ſupereſt; ea quæ diximus, ita obtinere ſi res

Source : BIU Cujas

à defuncto ad heredem titulo hereditario, aut universalis successionis pervenerit. Quòd si rem titulo singulari comparaverit, sive à defuncto sive ab alio; possessio heredis ex propriâ ipsius personâ, non ex personâ defuncti æstimabitur.

Hinc Ulpianus. Ex facto propositum est quemdam quum rem pignori dedisset, eamdem distraxisse; heredemque ejus redemisse. Quæritur an heres adversùs pignoris persecutionem exceptione longæ possessionis uti possit (*a*) ? Dicebam hunc heredem, qui pignus ab extraneo redemit, posse exceptione uti: quia in extranei locum successit, non in ejus qui pignori dederat. Quemadmodum si antè redemisset, sic deinde heres extitisset. *l.* 5. § 1. *ff. de Diverſ. temp. præſcript.* ULPIAN. LIB. 3. DISPUTAT.

XLI.

Quidquid de herede diximus, & de heredis herede accipe. Igitur Etiam heredi ulteriori, defuncti possessio prodest: quamvis medius heres possessionem ejus nanctus non sit. *l.* 2. § 18. *ff. Pro emptore.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Quippè HEREDIS appellatio non solùm ad proximum heredem, sed & ad ulteriores refertur. Nam & heredis heres, & deinceps, HEREDIS appellatione continetur. *l.* 65. *ff. de Verb. signif.* ULPIAN. LIB. 72. AD ED.

Suffragatur Modestinus. Qui per successionem quamvis longissimam defuncto heredes constiterunt; non minùs heredes intelliguntur, quàm qui principaliter heredes existunt. *l.* 194. (*Aliàs* 154.) *ff. de Reg. Jur.* MODESTIN. LIB. 6. DIFFERENT.

Neque solùm in hâc acceſſionum materiâ, ſed generaliter Sciendum est, HEREDEM etiam per multas successiones accipi. Nam paucis speciebus, heredis appellatio proximum continet; veluti in substitutione impuberis, QUISQUIS MIHI HERES ERIT, IDEM FILIO HERES ESTO, ubi heredis heres non continetur, quia incertus est.

Item in Lege Æliâ-Sentiâ; filius HERES PROXIMUS potest libertum paternum ut ingratum accusare; non etiam si heredis heres extiterit.

Idem dicitur in operarum exactione; ut filius heres exigere possit, non ex successione effectus. *l.* 70. *ff. de Verb. signif.* PAUL. LIB. 73. AD ED.

II. De acceſſione poſſeſſionum circa ſucceſſores ſingulares.

XLII.

Successores singulares utuntur etiam accessione possessionis auctorum suorum in longi temporis præscriptione, ex Constitutione Severi; quæ demùm à Justiniano (ut putat Cujacius in Notis ad Tit. Instit. de Usucap.) *ad Usucapionem producta est.*

Certè Jus illud accessionis in successoribus singularibus, primùm à Divo Severo introductum (*b*) *testatur Justinianus ipse: Instit. h. tit.* § 13.

Ad hanc Severi Constitutionem respiciens Paulus ait; Eum qui in locum emptoris successit, iisdem defensionibus uti posse, quibus venditor ejus uti potuisset; sed & longæ possessionis præscriptione, si utriusque possessio impleat tempora Constitutionibus statuta. *l.* 76. § 1. *ff. de Contrah empt.* PAUL. LIB. 6. RESPONS.

Pariter Emptori tempus venditoris ad Usucapionem (*c*) procedit. *l.* 2. § 20. *ff. Pro empt.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Itaque si mihi vendideris servum, utar accessione tuâ. *l.* 14. § 2. *ff. de Diverſ. tempor. præſcript.* SCÆV. LIB. SING. QUÆST. PUBLICE TRACTAR.

Vice versâ Prætereà quæritur; Si quis hominem venditori redhibuerit, an accessione uti possit (*d*) ex personâ ejus? Et sunt qui putent non posse: quia venditionis est resolutio, redhibitio (*e*). Alii emptorem venditoris accessione usurum, & venditorem emptoris: quod magis probandum puto. *l.* 13. § 2. *ff. de Adquir. poſſeſſ.* ULP. LIB. 72. AD ED.

Alteram ſpeciem refert Javolenus, in quâ venditor emptoris acceſſione utitur. Ita ille: Si hominem emisti, ut, si aliqua conditio extitisset, inemptus fieret; & is tibi traditus est; & postea conditio emptionem resolvit: tempus quo apud emptorem fuit, accedere venditori debere existimo. Quoniam eo genere retrò facta venditio, esset redhibitioni similis: in quâ non dubito tempus ejus qui redhibuerit venditori accessurum, quoniam (*f*) ea venditio propriè dici non potest. *l.* 19. JAVOLEN. LIB. 1. EPISTOL.

Suffragatur Africanus. Vendidi tibi servum; & convenit ut, nisi certâ die pecunia soluta esset, inemptus esset. Quod cùm evenerit, quæsitum est quid de accessione tui temporis putares? Respondit; Id quod servetur; quum redhibitio sit facta. Hunc enim perindè haberi, ac si retrorsùs homo mihi vænisset: ut scilicet; si venditor possessionem (*g*) postea nanctus sit; & hoc ipsum tempus, & quod venditionem præcesserit, & ampliùs accessio hæc ei detur (*h*) cum eo quod apud eum fuit à quo homo redhibitus sit. *l.* 6. § 1. *ff. de Diverſ. temp. præſcript.* AFRICAN. LIB. 9. QUÆST.

XLIII.

Hactenùs de venditore & emptore. Idem in cæteris quoque ſucceſſoribus ſingularibus, ſive ex causâ onerosâ ſive ex lucrativâ.

Et 1°. *in causâ onerosâ V. G.* In dote quoque, si data res fuerit, vel ex dote recepta; accessio dabitur, vel marito vel uxori. *l.* 13. § 6. *ff. de Acquir. poſſeſſ.* ULP. LIB. 72. AD ED.

2°. *Similiter si ex lucrativâ causâ ſucceſſores ſint. V. G.* Sed & is cui res donata est, accessione utetur ex personâ ejus qui donavit. *d. l.* 13. § 11.

Sed & legatario dandam accessionem ejus temporis quo fuit apud testatorem sciendum est. An heredis possessio ei accedat, videamus? Et puto, sive purè, sive sub conditione fuerit relictum; dicendum esse, id temporis quo heres possedit ante existentem conditionem vel restitutionem rei, legatario proficere. Testatoris autem semper proderit legatario si legatum verè fuit, vel fideicommissum. *d. l.* 13. § 10.

Hinc Paulus. In re legatâ, in accessione temporis quo (*Florent.* quâ) testator possedit, legatarius quodammodo (*i*) quasi heres est. *l.* 14. § 1. PAUL. LIB. 13. AD PLAUT.

XLIV.

Ex variis exemplis didicimus, ſucceſſorem quemlibet ſingularem uti poſſe acceſſione poſſeſſionis auctoris ſui.

AUCTOR *autem dicitur is à quo rem acceperis, vel ex ultimâ illius voluntate, vel ex aliquo negotio quod cum illo habueris; aut cum eo qui in poteſtate ejus eſt, ejus-ve nomine contraheret.*

Igitur Si servus vel filiusfamilias vendiderit, dabitur accessio ejus quod penès me fuit. Scilicet si volente me, aut de peculio cujus liberam peculii administrationem

(*a*) Ratio dubitandi quia, cùm defuncto nullius temporis possessio opitulari potuisset; videbatur heredi quoque ejus prodesse non debere.

(*b*) Cùm ergo primus auctor hujus Juris Severus; hinc Julianus qui diù ante hujus Imperatoris tempora scribebat, indistinctè ait in l. 32. §. 1. *ff. de Servit. præd. urb.* interpellari Usucapionem si quis possidere desierit; eumque qui postea possidere cœperit, toto integro tempore possidere debere. Et quidem apparet Julianum, etiam de successore [relativè ad auctorem suum] id intellexisse. At eo sensu quo Justinianus legem illam intelligi voluit, de eo duntaxat possessore accipienda est qui causam non haberet à priore possessore.

(*c*) Verbum hoc substituit Tribonianus pro *præſcriptionem*; si vera est opinio Cujacii suprà dicta, Severi Constitutionem pertinuisse duntaxat ad tempus longæ possessionis.

(*d*) Venditor *ex perſonâ* emptoris.

(*e*) Sensus est: Redhibitio resolutionem emptionis continet; adeòque nullus videtur fuisse venditor, nullus emptor. Quomodo ergo locus esse poterit conjungendis temporibus possessionum utriusque? Hæc ratio dubitandi.

(*f*) Meliùs fortè cum Cujacio, *quanquam*. Nempè eadem affertur hîc ratio dubitandi, quæ mox suprà in lege & Notâ præced.

(*g*) Ex causâ redhibitionis.

(*h*) Conjunguntur ergo tria tempora: 1°. Tempus quo possedit servum antequàm eum venderet: 2°. Tempus quo apud emptorem fuit: 3°. Tempus quo apud ipsum rursùs fuit ex quo redhibitus est.

(*i*) Rectè *Quodammodo eſt quaſi heres*, in eo quod non secùs ac heres utatur accessione possessionis defuncti. Verùm circa hanc accessionem servantur regulæ quæ servantur circa conjunctionem possessionum auctoris & singularis successoris, quas modò referemus; non illæ quæ servantur inter defunctum & heredem, quas vid. suprà.

Source : BIU Cujas

habuerunt, vendiderunt. *l.* 14. *ff. de Adquir. poſſ.* PAUL. LIB. 68. AD ED.

Tutore quoque vel curatore vendente, dabitur acceſſio ejus temporis quo pupillus vel furioſus poſſedit. *d. l.* 14. § 1.

Similiter Venuleius. Sed & ſi à filio vel ſervo rem emero : acceſſio temporis, & quo apud patrem aut dominum fuit, ita danda eſt mihi ; ſi aut voluntate patris domini-ve, aut quum adminiſtrationem peculii haberet, vendidit. *l.* 15. § 3. *ff. de Diverſ. temp. præſcript.* VENULEIUS LIB. 5. INTERDICT.

Item danda eſt acceſſio cum eo quod (*Aliàs* eo tempore quo) apud pupillum fuit, à cujus tutore (quum is tutelam ejus adminiſtraret) emiſti. Idemque in eo qui à curatore pupilli furioſi-ve emerit, ſervandum eſt ; &, ſi ventris nomine, aut ejus quæ rei ſervandæ causâ in poſſeſſione eſſet, dotis ſuæ nomine diminutio facta ſit. Nam id quoque temporis accedit. *d. l.* 15. § 4.

Item ſi abſente te is qui negotia tua videbatur adminiſtrare, ſervum mihi vendiderit, tuque reverſus ratum habueris ; omnimodo acceſſione utar. *l.* 14. § 4. *ff. d. tit.* SCÆVOLA LIB. SINGUL. QUÆST. PUBLICE TRACTATAR.

XLV.

Ex eo ſolo autem quis auctor meus non eſt, quòd poſſeſſio ejus meam præceſſerit.

Hinc Ulpianus ait : Si liber homo vel alienus ſervus quum bonâ fide ſervirent, comparaverint & alii adquiſierint poſſeſſionem ; neque ſervi dominum debere uti acceſſione (*a*). *l.* 13. §. 3. *ff. de Acquir. poſſeſſ.* ULP. LIB. 72. AD ED.

XLVI.

Hîc porrò circa hanc quoque conjunctionem poſſeſſionum auctoris & ſingularis ſucceſſoris, quædam regulæ ſtatuendæ ſunt.

Regulæ circa ſucceſſores ſingulares.

Regula prima :

ACCESSIONES in eorum perſonâ locum habent, qui habent propriam poſſeſſionem. Cæterùm acceſſio nemini proficit, niſi ei qui ipſe poſſedit. *d. l.* 13. § 12.

Conſonat Paulus. Acceſſio ſine noſtro tempore nobis prodeſſe non poteſt. *l.* 16. *ff. de Diverſ. temp. præſcript.* PAUL. LIB. 3. AD SABIN.

XLVII.

Regula ſecunda.

Præterea NE VITIOSÆ quidem poſſeſſioni ulla poteſt accedere ; ſed nec vitioſa ei quæ vitioſa non eſt- *ſup. d. l.* 13. §. 13. *ff. de Acquir. poſſ.*

Igitur quantumvis juſta fuerit poſſeſſio auctoris ; ſi ſucceſſor ſingularis ſit ipſe malæ fidei, non poterit Uſucapere.

Unde Si eam rem quam Pro emptore Uſucapiebas, ſcienti mihi alienam eſſe vendideris ; non (*b*) capiam Uſu. *l.* 2. § 17. *ff. Pro empt.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Vice versâ, ſi poſſeſſio auctoris vitioſa fuit ; ſucceſſori non magis poterit prodeſſe ad Uſucapionem, quàm auctori profuiſſet.

Enimverò Sicut æquum eſt, bonæ fidei emptori, alterius dolum non nocere ; ita non eſt æquum, eidem perſonæ, venditoris ſui dolum prodeſſe. *l.* 37. *ff. de Act. empti.* PAUL. LIB. 14. AD PLAUT.

Adde quòd, Quum quis utitur adminiculo ex perſonâ auctoris ; uti debet cum ſuâ causâ ſuiſque vitiis. Denique addimus in acceſſione ; de vi, & clàm, & precario venditoris. *l.* 13. § 1. *ff. de Adquir. poſſeſſ.* ULP. LIB. 72. AD ED.

Hinc Ex facto quæritur : Si quis manumiſſus, ex causâ peculiari habeat rem non conceſſo ſibi peculio ; deindè dominus velit, retractâ poſſeſſione, acceſſione uti ; an poſſit ? Et placuit non eſſe dandam hanc acceſſionem, quæ clàm habita eſt. *d. l.* 13. § 8.

Uno tamen caſu, vitioſa poſſeſſio accidit non vitioſæ. Nimirum Prædone poſſidente (*c*), ſi juſſu judicis res mihi reſtituta ſit, acceſſionem eſſe mihi dandam (*d*) *placuit. d. l.* 13. § 9.

Item Si is qui precario conceſſit, acceſſione velit uti ex perſonâ ejus cui conceſſit ; an poſſit quæritur ? Ego puto eum qui precario conceſſit, quandiù manet precarium, acceſſione uti non poſſe. Si tamen receperit poſſeſſionem ; rupto precario dicendum eſſe, accedere poſſeſſionem ejus temporis quo precario poſſidebatur. *l.* 13. § 7. *ff. de Adq. poſſeſſ.* ULP. 72. AD ED.

XLVIII.

Poſſeſſio auctoris vitioſa non poterit quidem prodeſſe ſucceſſori. Cæterùm poterit ſucceſſor ſingularis à ſemetipſo inchoare Uſucapionem : & in hoc differt à ſucceſſore univerſali.

Enimverò DOLUM auctoris, bonæ fidei emptori non nocere certi Juris (*e*) eſt. *l.* 3. *Cod. de Peric. & comm. rei vend.* ALEXANDER.

Hinc Ulpianus. An vitium auctoris vel donatoris, ejus-ve qui mihi rem legavit, mihi noceat, ſi fortè auctor meus juſtum initium poſſidendi non habuit, videndum eſt ? Et puto neque nocere neque prodeſſe. Nam denique & Uſucapere poſſum, quod auctor meus Uſucapere non potuit. *l.* 5. *ff. de Diverſ. temp. præſcript.* ULPIAN. LIB. 3. DISPUTAT.

Conſonat quod reſcribit Gordianus. Adversùs eos qui à malæ fidei poſſeſſoribus fundum bonâ fide comparaverunt, ita tibi actio competit ; ſi, priuſquàm Uſucapionem implerent, vel longæ poſſeſſionis præſcriptionem adipiſcerentur, dominium ad te pervenerit. *l.* 4. *Cod. de Rei vindic.*

Ex Novellâ CXIX Cap. 7. *mala fides auctoris nocet ſingulari ſucceſſori, quominùs Uſucapiat adversùs dominum ignorantem ſibi vindicationem competere. Scilicet ſi quis malâ fide poſſidens, rem alienet ; verus autem dominus pariter ignoret quòd* & res ei competunt, & alienatio facta eſt ; *hoc caſu, ei qui rem adquiſivit, ſola conceditur præſcriptio triginta annorum. Quòd ſi dominus ſciebat, adversùs eum procedit Uſucapio bonæ fidei poſſeſſoris decem aut viginti annorum.*

(*a*) Finge alienum ſervum, aut liberum hominem bonâ fide poſſeſſum, emiſſe aliquid non ex operis ſuis, nec ex re ejus à quo poſſidebatur ; & poſſeſſionem ejus rei apprehendiſſe nomine ejus à quo poſſidebatur : poſteà detectâ veritate dominus ſervi vel liber homo recipit rem quæ, cùm non ex re bonæ fidei poſſeſſoris fuerit comparata, ei acquiri non debuit. Hoc caſu, etſi poſſeſſio hujus domini aut liberi hominis, poſſeſſionem bonæ fidei poſſeſſoris ſequatur nullo temporis interpoſito intervallo ; tamen non utetur acceſſione poſſeſſionis hujus bonæ fidei poſſeſſoris ; quia hic bonæ fidei poſſeſſor, non eſt auctor poſſeſſionis quam habet hic ſervi dominus aut liber homo ; ſed lex quæ jubet non bonæ fidei poſſeſſori, ſed domino ſervi aut ipſi libero homini acquiri.

(*b*) Et hàc in re differt ſucceſſor ſingularis ab univerſali. Nam heres licèt habeat ipſe ſcientiam rei alienæ, Uſucapit id quod defunctus cœperat bonâ fide poſſidere. Diſparitas eſt quòd, cùm defuncti & heredis una eademque perſona eſſe videatur, unica videtur eſſe poſſeſſio defuncti & heredis ; cujus proindè initium juſtum fuiſſe ſufficit. Verùm quum ſucceſſor ſingularis utitur acceſſione poſſeſſionis auctoris ſui ; ſicut ſucceſſor ſingularis & auctor ejus ſunt duæ perſonæ, ita etiam duæ ſunt poſſeſſiones quæ conjunguntur ; adeòque in ſingulis poſſeſſionibus diſpicitur an juſta ſit.

(*c*) Hæc verba quæ vulgò ſequuntur in calce §i. præcedentis [poſt hæc verba *quæ clàm habita eſt*], ad initium hujus §i. rejicienda eſſe docet Cujacius ; auctoritate Baſilicon, quæ hunc locum ſic expoſuerunt ; *Quod poſſidebas malâ fide, dedisti mihi juſſu judicis : accedit mihi tempus tuum.* Finge : Bonâ fide poſſidere cœpi ; deindè excidi poſſeſſione ; & eam rem recepi per ſententiam judicis, à prædone qui eam invaſerat. Computabitur mihi ejus poſſeſſio ; perindè atque ſi ego poſſidere non deſiiſſem.

(*d*) Cujacius ait ita placuiſſe, propter verbum RESTITUENDI quod judex uſus eſt : quia hoc verbum plenam habet ſignificationem. Poteſt [inquit Cujacius] judex facere ut poſſeſſio vitioſa meæ accedat, tanquam non vitioſa ; aut vitio ſoluta propter auctoritatem rei judicatæ.

(*e*) Hàc in re diſparitas inter ſucceſſorem ſingularem & univerſalem, in eo eſt ; quòd in ſucceſſore ſingulari duæ ſunt poſſeſſiones ; auctoris, & poſſeſſoris ſingularis ; adeòque ſi poſſeſſio ſucceſſoris juſta ſit, poteſt ei proficere ſola ad Uſucapionem : nec ei nocebit auctoris injuſta poſſeſſio, quâ non utetur. Verùm, ut vidimus ſuprà, poſſeſſio defuncti & poſſeſſio heredis, unicam efficiunt & quaſi unius hominis poſſeſſionem, cujus proindè initium ſolum ſpectatur.

Source : BIU Cujas

XLIX.

Tertia Regula.

EA DEMUM *possessio auctoris successori accedit, quam auctor habebat antequàm auctor fieret; non ea quam fortè postea nanctus esset.*

Hinc Paulus. Id tempus venditoris (*Ita Haloand. Malè in Vulgat.* venditionis) prodest emptori, quo ANTEQUAM VENDERET, possedit. Nam si postea nactus est possessionem venditor, hæc possessio (*a*) emptori non proficiet. *l.* 14. PAUL. LIB. 13. AD PLAUT.

ANTEQUAM VENDERET *sic accipe, antequàm & traderet. Et sic consonabit quod alibi dicitur:* Hæ autem accessiones non tam latè accipiendæ sunt, quàm verba earum patent: ut etiam si post venditionem traditionemque rei traditæ, apud venditorem res fuerit, proficiat id tempus emptori: sed illud solum quod antè fuit, licèt venditionis tempore eam rem venditor non habuerat. *l.* 15. § 5. *ff. de Diversi. tempor. præscript.* VENULEIUS LIB. 5. INTERDICT.

L.

Quarta Regula.

ACCESSIO *possessionis mei auctoris, etiam possessionem ejus continet in cujus jus auctor meus successit.*

Igitur Ei cui heres rem hereditariam vendidit, & heredis tempus & defuncti debet accedere. *l.* 15. § 6. *ff. de Diversi. temp. præscript.* VENULEIUS LIB. 5. INTERD.

Sed & ejus cui auctor meus titulo singulari successit, possessio accedit; scilicet si conjuncta fuit.

Hinc idem Venuleius Accessio possessionis fit, non solùm temporis quod apud eum fuit undè is emit; sed & qui ei vendidit, undè tu emisti.

Sed si medius aliquis ex auctoribus non possederit, præcedentium auctorum possessio non proderit; quia conjuncta non est: sicut nec ei qui non possidet, auctoris possessio accedere potest. *d. l.* 15. § 1.

Item adjiciendum est; undè emisti AUT UNDE IS EMIT CUI TU EMENDUM MANDAVERAS, & quod (*b*) apud eum qui vendendum mandavit. Quòd si is quoque cui mandatum datum erat, alii vendendum mandaverit; non aliter hujus qui postea mandaverat, dandam accessionem Labeo ait, quàm si idipsum dominus (*c*) ei permiserit. *d. l.* 15. § 2.

His consonat quod ait Africanus: Si duobus eamdem rem separatim vendiderim; ea (*d*) possessio quæ utramque venditionem præcesserit, soli priori emptori cui & tradita sit, proficit. Denique & si, quam rem tibi vendiderim, rursùs à te emam & Titio vendam; & meam omnem (*e*) & tuam possessionem Titio accessuram (*Florent.* accessurum) videlicet quòd, & tu mihi, & ego ei, possessionem præstare debemus. *l.* 6. *ff. d. tit.* AFRICAN. LIB. 9. QUÆST.

Et si mihi pignori dederis, & ego eamdem rem alii pigneravi (*f*); meus creditor (*g*) utetur accessione tui temporis, tam adversùs extraneum, quàm adversùs teipsum quandiù pecuniam (*h*) mihi non exsolveris. Nam qui (*i*) me potior est, cùm ego te superaturus (*k*) sim, multò magis adversùs te obtinere debet. Sed si pecuniam (*l*) mihi solveris, hoc casu accessione tuâ non utetur. *l.* 14. § 3. *ff. d. tit.* SCÆVOLA LIB. SING. QUÆST. PUBLICE TRACTATARUM.

Item si mihi pignori dederis; & convenerit, nisi pecuniam solvisses, licere ex pacto pignus vendere; idque vendiderim: emptori accessio tui temporis dari debebit, licèt invito te pignora distracta sint. Jam enim illo in tempore quo contrahebas, videri te consensisse (*Florent.* videri concessisse) venditioni, si pecuniam intulisses. *d. l.* 14. § 5.

ARTICULUS II.

De continuitate possessionis non interruptâ.

Vidimus Art. præced. ad Usucapionem requiri ut quî Usucapit, possederit rem per tempus Lege definitum. Illud præterea requiritur, ut hæc possessio non fuerit interrupta.

Interrumpitur autem possessio, vel naturaliter, vel civiliter.

§ I.

De naturali interruptione.

LI.

Naturaliter interrumpitur possessio, quum quis de possessione vi dejicitur, vel alicui res eripitur (*m*). Quo casu non adversùs eum tantùm qui eripit, interrumpitur possessio; sed adversùs omnes.

Nec eo casu quicquam interest; is qui Usurpaverit (*n*), dominus sit necne.

Ac ne illud quidem interest, pro suo (*o*) quisque possideat, an ex lucrativâ causâ. *l.* 5. GAIUS LIB. 21. AD ED. PROVINC.

Interrumpitur etiam possessio in specie sequenti. Qui Pro donato cœperat Usucapere, manumittendo nihil egit; quia nec dominium nactus fuerit (*p*). Quæsitum est an Usucapere desierit? Respondi; Eum de quo quæritur, omisisse videri possessionem (*q*); & ideò Usucapionem interruptam. *l.* 5. *ff. Pro donato.* SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS.

LII.

Interrumpitur etiam possessio; si is qui possidebat, capiatur ab hostibus.

Nec refert quòd servus ejus durante captivitate rem tenuerit. Nam Neque servus, neque per servum dominus qui apud hostes est, possidet. *l.* 11. PAUL. LIB. 19. AD ED.

Excipe, nisi ex peculiari causâ: ut infrà modo videb.

Cùm captivitate interrumpatur possessio, indè emergunt hæ quæstiones. Nimirùm Si is qui Pro emptore possidebat, ante Usucapionem ab hostibus captus sit; videndum est an heredi ejus procedat Usucapio? Nam interrumpitur (*r*) Usucapio: &, si ipsi reverso non prodest, quemadmodum heredi ejus proderit? Sed verum

(*a*) Finge: vendidisti mihi rem quam per mensem possederas. Conjungetur quidem hæc tua possessio meæ possessioni; quia cessisti mihi omni jure quod in re habebas, adeòque etiam jure hujus possessionis: verùm si ego post duos menses, excidam hujus rei possessione; & cùm tu possessionem ejus rei postea adeptus esses, & deindè eàdem excidisses, eam ego rursùs adipiscar; hæc tua secunda possessio non conjungetur meæ possessioni; hanc enim à te non habeo.

(*b*) Id est; prodest tibi tempus *quod* fuit [rectiùs *quo res fuit*] *apud eum qui vendendum mandavit*, quum ab ejus procuratore emisti: quemadmodum, quum ab ipso possessore emisti, prodest tibi tempus quod apud eum possessorem fuit. Itaque Auctor meus est, non is solùm qui ipse mihi vendidit, sed & is qui mihi vendi mandavit.

(*c*) *Quàm si dominus* negotii *permiserit* procuratori suo, ut per alterum hoc negotium vendendi expediret.

(*d*) Cujacius auctoritate Basilicon legit *mea.*

(*e*) Cujacius item legit; *omnem, & meam & tuam.*

(*f*) Pignus pignori dari potest: ut vid. suprà lib. 20. Tit. *Quæ res pignori &c.* N. 5.

(*g*) Ego qui pignus quod mihi dedisti, pignori creditori meo dedi, auctor sum creditori meo; tu verò mihi auctor es. Creditor meus quemlibet extraneum qui hanc rem vindicaret, repellet exceptione longæ possessionis, sicut teipsum repelleret; & utetur accessione temporis, non solùm meæ possessionis, sed & tuæ; scilicet non solùm immediati auctoris, sed & ulterioris.

(*h*) Nam si pignus mihi priori loco constitutum, solutum fuerit; hoc ipso extinguitur pignus hujus pignoris posteriori loco constitutum: ut vid. sup. d. Tit. *Quæ res pign.* N. 5.

(*i*) Creditor meus.

(*k*) Quandiù pignus non luisti.

(*l*) Vide suprà Not. (*h*).

(*m*) Hoc ita, nisi is qui dejecit aut surripuit, juri nostro subjectus esset. Nam per eum retineremus possessionem, quandiù res apud eum foret: ut vid. Tit. præced. Sect. penult. §°. 2°.

(*n*) Id est, interruperit possessionem.

(*o*) Glossa interpretatur, *Pro suâ pecuniâ*, id est ex causâ onerosâ. Aliàs longè diverso sensu accipi solent hæc verba *Possidere Pro suo.*

(*p*) Porrò solus dominus potest utiliter manumittere.

(*q*) Nam manumittendo abjecit hujus servi possessionem.

(*r*) Hæc ratio dubitandi.

ste

est (*a*) eum in suâ vitâ desiisse possidere ; ideòque nec postliminium ei prodest ut videatur Usucepisse. Quòd si servus ejus qui in hostium potestate est, emerit, in pendenti esse Usucapionem, Julianus ait : nam si dominus reversus fuerit, intelligi Usucaptum ; si ibi decesserit, dubitari an per Legem Corneliam ad successores ejus pertineat. Marcellus (*b*) ; Posse plenius fictionem Legis recipi. Quemadmodum enim postliminio reversus, plus juris habere potest in his quæ servi egerunt, quàm his quæ per se vel per servum possidebat quum ad hostes pervenit ? Nam (*c*) hereditatem, in quibusdam vice personæ fungi receptum est ; ideòque in successoribus locum [non (*d*)] habere Usucapionem. *l.* 15. PAUL. LIB. 15. AD PLAUT.

Juliani sententiam circa ea quæ servus captivi ex causâ peculiari possidet, prævaluisse docet Tryphoninus. Ita ille : Facti autem causæ, infactæ nullâ Constitutione fieri possunt. Ideò eorum quæ Usucapiebat per semetipsum possidens qui postea captus (Malè in *Florent.* nanctus : *nisi passivè accipiatur pro* captus.) est, interrumpitur Usucapio ; quia certum est eum possidere desiisse. Eorum verò quæ per subjectas juri suo personas possidebat Usuque capiebat, vel si qua postea peculiari nomine comprehenduntur ; Julianus scribit credi suo tempore impleri Usucapionem, remanentibus iisdem personis in possessionem. Marcellus nihil interesse, ipse possedisset, an subjecta ei persona. Sed Juliani sententia sequenda est. *l.* 12. § 2. *ff. de Captiv. & postlim. revers.* TRYPHONIN. LIB. 4. DISPUTAT.

L I I I.

Aliud exemplum, in quo possessio adeòque Usucapio restituitur.

« Ei à quo fundum Pro herede diutiùs possidendo » capturus eram, locavi eum. An ullius momenti eam » locationem existimes, quæro (*e*) Quòd si nullius » momenti existimas, an durare nihilominùs Usucapio- » nem ejus fundi putes ? Item quæro, si eidem vendi- » dero eum fundum ; quid de his causis de quibus suprà » quæsii, existimes » ? Respondit : Si is qui Pro herede fundum possidebat, domino eum locavit ; nullius momenti locatio est : quia dominus suam rem conduxisset. Sequitur ergo ut ne possessionem quidem locator retinuerit : ideòque longi temporis præscriptio non durabit. In venditione idem Juris est, quod in locatione ; ut emptio suæ rei consistere non possit. *l.* 21. JAVOLEN. LIB. 6. EPISTOLAR.

L I V.

An per sequestrationem interpelletur Usucapio, quæri potest Julianus ? ait, Interesse puto, quâ mente apud sequestrum deponitur res. Nam si omittendæ possessionis causâ, & hoc apertè fuerit approbatum (*f*) ad Usucapionem possessio ejus, partibus non procederet. At si custodiæ causâ deponatur, ad Usucapionem eam possessionem victori procedere constat. *l.* 39. *ff. de Adq. vel om. poss.* JULIAN. LIB. 2. EX MINICIO.

L V.

Amittit etiam possessionem debitor, quum rem putà ex pignoris causâ creditori tradit. Verùm Jure singulari, quantum ad Usucapionis causam, Qui pignoris causâ fundum creditori tradit, intelligitur possidere (*g*).

Sed & si eumdem precariò rogaverit ; æquè per diutinam possessionem capiet. Nam cùm possessio creditoris non impediat capionem, longè minùs precarii rogatio impedimento esse [non] debet ; cùm plus juris in possessione habet qui precariò rogaverit, quàm qui omninò non possidet. *l.* 36. *ff. de Acq. poss.* JULIAN. LIB. 13. DIGEST.

Quod diximus debitorem cujus rem creditor possidet, videri possidere ; obtinet demùm quantùm ad Usucapionis causam : secùs in cæteris casis.

Undè Javolenus. Servi nomine, qui pignori datus est, Ad exhibendum cum creditore, non cum debitore agendum est : quia qui pignori dedit, ad Usucapionem tantùm possidet. Quod ad reliquas omnes causas pertinet ; qui accepit, possidet : adeò ut adjici (*h*) possit & possessio ejus qui pignori dedit. *l.* 16. JAVOLEN. LIB. 4. EX PLAUTIO.

L V I.

Cùm debitor per creditorem, quantùm ad Usucapionis causam, possidere intelligatur ; hinc Qui pignori rem dat, Usucapit quamdiù res apud creditorem est. Si creditor ejus possessionem alii tradiderit, interpellabitur Usucapio. Et quantùm ad Usucapionem attinet, similis est ei qui quid deposuit vel commodavit ; quos palàm est desinere Usucapere, si commodata vel deposita res, alii tradita fuerit ab eo qui commodatum vel depositum accepit. Planè si creditor nudâ conventione hypothecam contraxerit (*i*), Usucapere debitor (*k*) perseverabit. *l.* 33. § 4. JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

Quòd Si rem pignori datam creditoris servus subripuerit, quum eam creditor possideret ; non interpellabitur Usucapio debitoris : quia servus dominum suum possessione non (*l*) subvertit.

Sed etsi debitoris servus subripuerit ; quamvis creditor possidere desinat, tamen debitori Usucapio durat : non secùs ac si eam creditor debitori tradidisset. Nam quantùm ad Usucapiones attinet ; servi, subtrahendo res, non faciunt deteriorem dominorum conditionem.

Faciliùs obtinebitur, si precariò possidente debitore servus ejus subripuerit. Nam (*m*) conductio idem præstat, quod si apud creditorem res esset : possidet enim hoc casu creditor. Sed & si utrumque intercesserit, & precarii rogatio, & conductio ; intelligitur creditor possidere : & precarii rogatio non in hoc interponitur, ut debitor possessionem habeat, sed ut ei tenere rem liceat. *d. l.* 33. § 6.

L V I I.

Ita demùm autem ex creditoris personâ Usucapiet debitor, si pignoris causa duret.

Hinc V. G. Si rem alienam bonâ fide emeris, & mihi pignori dederis, ac precariò rogaveris ; deinde me dominus heredem instituerit : desinit pignus (*n*) esse, & sola precarii rogatio supererit. Idcircò Usucapio tua interpellabitur. *l.* 29. *ff. de Pignorat. act.* JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

(*a*) Hic tacitè affertur disparitatis ratio, inter casum quo rediit, & casum quo mortuus est apud hostes. Eo casu quo rediit, *Verum est eum in sua vitâ desiisse possidere* ; scilicet per illud tempus quo captus est : nec potest postliminium efficere ut non videatur desiisse possidere ; quia possessio est facti, postliminium autem non potest restituere ea quæ sunt facti. Cùm igitur interrupta fuerit ejus possessio, non potest Usucapere. Verùm [quod Jurisconsultus supplendum relinquit] altero casu quo apud hostes mortuus est, potest videri non desiisse possidere ; quia, cùm mortuus fingatur statim quum captus est, per hereditatem suam jacentem quasi sibi superstes possidere pergit.

(*b*) Julianus putabat in his quæ ex peculiari causâ servus possidet, prodesse possessionem servi domino reverso : an domino ibi mortuo, profit heredibus, dubitat. Contrà Marcellus negat domino reverso prodesse possessionem servi, etiam in his quæ ex causâ peculiari possidet ; domino autem mortuo putat heredibus procedere Usucapionem, sive res fuit ex peculio sive non.

(*c*) *Nam* pro *sed.*

(*d*) Hæc negatio rectè Accursio, & post ipsum Cujacio videtur expungenda ; & à quibusdam libris eam abesse testatur Ant Augustinus, cujus testimonium refertur in notis ad Glossam. Hæc [inquam] emendatio simplicior, quàm Alciati ; qui retentâ negatione [eodem tamen ac si abesset, sensu] legit, *locum non habere novam Usucapionem* ; id est, necesse non esse ut ex personâ suâ inchoet heres Usucapionem, tanquam si possessio defuncti fuisset interrupta : cùm contrà, non videatur hæc defuncti possessio interrupta fuisse, & possessioni successoris rectè conjungatur.

(*e*) Quia rei suæ non consistit locatio.

(*f*) Perperàm Bachovius hæc verba tanquàm emblema Triboniani aut alicujus Glossatoris expungenda esse censet ; propter legem 17. § 1. ff. *Depositi*, ex cujus vulgari lectione arguitur sequestrem revera possidere, & quidem indistinctè. Imò magis textus dictæ legis ex Frehero ita emendandus & interpungendus est, ut monuimus in Notis ad d. l. suprà lib. 16. Tit. *Depositi* N. 10. quem vide.

(*g*) Revera tamen non possidet ; cùm creditor possideat, nec possint duo in solidum possidere.

(*h*) Id est, accede [& ita Basilica verterunt] : ut vid. suprà N. 50. ex l. 14. § 3. ff. *de Diverf. temp. præscript.*

(*i*) *Nudâ conventione* ipse pignori supposuerit pignus sibi datum.

(*k*) Nam hoc casu creditor possidere pergit ; & per eum debitor, quantùm ad Usucapionis causam.

(*l*) Vide suprà Tit. *de Acq. possess.* N. 43.

(*m*) Ideò autem *Faciliùs* eo casu hoc obtinebit, quàm illo casu quo ex causâ conductionis res debitori tradita esset ; quia *Conductio idem præstat*, quod esset si apud creditorem res remaneret. Nempè rem creditor per conductorem debitorem possidet ; adeòque per servum debitoris qui rem surripuit ; ipsi intervertitur possessio. At quum rem debitor precariò possidere concessit, ipse debitor possidet ; adeòque nulla intervertitur possessio, cùm servus domini sui possessionem intervertere non possit.

(*n*) Quia res mea fit.

Source : BIU Cujas

Enimverò NEQUE pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei suæ consistere potest. *l.* 45. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 30. AD ED.

Proindèque Si rem tuam quum bonâ fide possiderem, pignori tibi dem ignoranti tuam esse; desino Usucapere, quia non intelligitur quis suæ rei pignus contraheret. *l.* 33. § 5. JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

Obiter nota. At si nudâ conventione pignus contractum fuerit, nihilominùs Usucapiam: quia (*a*) hoc quoque modo nullum pignus contractum videtur. *d.* § 5. ¶ *at si.*

LVIII.

Hactenùs de pignore.

Illud autem absque dubio est, quòd is Qui legatorum servandorum causâ in possessionem mittitur, non interpellat possessionem ejus qui Pro herede Usucapit. Custodiæ enim causâ rem tenet.

Quid ergo est? Etiam impletâ Usucapione jus pignoris retinebit: ut non priùs discedat, quàm si solutum legatum ei fuerit; aut eo nomine satisdatum. *l.* 2. *ff. Pro herede.* JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

Idem est, & si quolibet alio titulo res possidebatur.

Igitur Misso legatario in possessionem, res Pro emptore Usucapiuntur; salvâ Prætorii pignoris causâ. *l.* 12. *ff. Pro emptore.* PAPIN. LIB. 10. RESPONS.

LIX.

Possessionem furore ejus qui possidebat interrumpi, quibusdam videri poterat; cùm illa animo retineatur, furiosi autem voluntas nulla sit. Tamen Eum qui posteaquàm Usucapere cœpit, in furorem incidit; utilitate suadente (*b*) relictum (*Fortè* receptum) est [ne languor animi damnum etiam in bonis adferat], ex omni causâ implere Usucapionem. *l.* 44. § 6. PAPIN. LIB. 23. QUÆST.

A fortiori, non interpellabitur furore ejus qui rem non sibi sed alteri possidet. Undè Si servus meus vel filius peculiari vel etiam meo nomine quid tenet: ut ego per eum ignorans possideam, vel etiam Usucapiam, si is furere cœperit, donec in eâdem causâ res fuerit; intelligendum est & possessionem apud me remanere, & Usucapionem procedere: sicuti per dormientes quoque eos idem nobis contingeret. Idemque in colono & inquilino, per quos possidemus, dicendum est. *l.* 31. § 3. PAUL. LIB. 32. AD SABIN.

§ II.

De civili interruptione.

LX.

Interruptio civilis ea est, quæ ex litis contestatione nascitur; quum ad rem quam quis possidet ipsi avocandam, judicium ei dictatur.

Hæc propriè non sistit Usucapionem, cùm possessor judicio conventus, nihilominùs possidere pergat. Unde Marcellus: Si is qui alienam rem donaverit, revocare constituerit donationem; etiam si judicium ediderit, remque cœperit vindicare, curret Usucapio. *l.* 2. *ff. Pro donato.* MARCELL. LIB. 22. DIGEST.

Idem est, & si dominus rei controversiam fecerit. Ait enim Paulus: Si rem alienam emero; &, quum Usucaperem, eamdem rem dominus à me petierit; non interpellari Usucapionem meam litis contestatione. *l.* 2. § 21. *ff. Pro empt.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Obiter nota. Sed si litis æstimationem sufferre maluerim; ait Julianus, causam possessionis mutari ei qui litis æstimationem sustulerit. Idemque esse, si dominus ei qui rem emisset à non domino, donasset. Eaque sententia vera est. *d.* § 21. ¶ *sed si.*

Etsi autem ex litis contestatione Usucapio non interpelletur quidem propriè & subtilitate Juris; tamen effectu Juris sistitur & impeditur, si petitor rem suam tunc fuisse probaverit: quia, quamvis inter judicii moras Usucaptam, condemnatus possessori restituere rem cogitur, perindè ac si Usucapta non fuisset: ut vid. suprà lib. 6. *Tit.* de Rei vindic. *N.* 32. *ex l.* 18. *d. tit.*

LXI.

Hæc ita in Usucapione. Quod attinet ad longi temporis præscriptionem; censet Cujacius eam per contestationem litis ipso Jure interruptam fuisse; & eâ in re ab Usucapione differre.

Et verò ita rescribunt Diocletianus & Maximianus. Longi temporis præscriptio, his qui bonâ fide acceptam possessionem & continuatam, nec INTERRUPTAM (*c*) inquietudine litis tenuerunt; solet patrocinari. *l.* 2. *Cod. de Præscript. long. temp.*

Et rursùs. Nec bonâ fide possessionem adeptis, longi temporis præscriptio post moram litis contestatæ completa (*d*) proficit; cùm post motam controversiam in præteritum æstimetur. *l.* 10. *Cod. d. tit.*

Iidem rescribunt. Moræ litis, causam possessoris non instruunt ad inducendam longæ possessionis præscriptionem; quæ post litem contestatam, in præteritum æstimatur. *l.* 26. *Cod. de Rei vindic.*

Adeò autem hæc interruptio civilis obest præscriptioni; ut qui litem passus est, quamvis postea lis amissa sit, & ex integro postea per totum decem aut viginti annorum tempus possederit, tamen præscribere non possit. Is autem qui ab eo rem compararet, præscribere poterit.

Hæc discimus ex Severo & Antonino qui ita rescribunt. Cùm post motam & omissam quæstionem, res ad nova dominia bonâ fide transierint: & exindè novi viginti anni interceserint sine interpellatione: non est inquietanda quæ nunc possidet persona; quæ, sicut accessione prioris domini (*e*) non utitur qui est inquietatus, ita nec impedienda est quòd ei (*f*) mota controversia sit. Quòd si prior possessor inquietatus est; etsi postea per longum tempus sine aliquâ interpellatione in possessione remansit; tamen non potest uti longi temporis præscriptione. Quod etiam in Republicâ servari oportet. *l.* 1. *Cod. de Præscript. long. temp.*

Hinc Constantinus. Nemo ambigit, possessionis duplicem esse rationem; aliam quæ Jure consistit, aliam quæ Corpore: utramque autem ita demùm esse legitimam, quum omnium adversariorum silentio & taciturnitate firmatur. Interpellatione verò & controversiâ progressâ; non posse eum intelligi possessorem, qui, licèt possessionem CORPORE teneat; tamen ex interpositâ contestatione & causâ in judicium deductâ, super JURE possessionis vacillet ac dubitet. *l.* 10. *Cod. de Adquir. & retin. poss.*

Hæc autem interpellatio, successori ejus non nocebit; ut jam dictum est, & ita adhuc apertè docet Paulus: Si post motam intra tempora quæstionem, res ad novum dominum (*g*) emptione transierit; nec is per viginti annos fuerit inquietatus: avelli ei possessionem non oportet. PAUL. SENTENT. LIB. 5. *Tit.* 2. § 5.

(*a*) Hic pro *quia*, legendum putò *quamvis*. Frequens hoc mendum.

(*b*) Neglectis subtilitatis rationibus hoc *relictum* pro certo Jure *est*; intelligi eum perservare in eâdem voluntate in quâ erat quum furere cœpit.

(*c*) Putat Wissembachius, in hâc lege Imperatores Juris effectum duntaxat spectasse; quo, si petitor rem suam fuisse probaverit, non patrocinabitur possessori præscriptio: utpotè qui ex obligatione *Judicati* teneatur rem restituere in eâ causâ in quâ fuit litis contestatæ tempore, quo nondum erat usucapta. Alias etenim censet [contra Cujacii sententiam] diversum Jus non fuisse Usucapionis & longi temporis præscriptionis; & utramque pariter potuisse jure *Compleri*, etiam post litis contestationem: argumento legis 10. Cod. mox sequentis.

(*d*) His potissimùm verbis probare nititur Wissembachius, contestatione litis non *Interrumpi* longi temporis præscriptionem; si quidem COMPLETA dicitur, *post moram litis contestatæ*. Verùm responderi potest pro Cujacii sententiâ; longi temporis præscriptionem hîc *completam* accipi, non pro ipso præscriptionis jure quod interruptum non fuerit, sed pro tempore quo præscriptio solet compleri. Et apertè facit pro Cujacii sententiâ, non solùm suprà dicta lex 2. Cod. *de Præscript. long.* ubi INTERRUPTA *longi temporis præscriptio* dicitur *inquietudine litis*; verùm etiam lex 1. Cod. d. tit. mox infrà, in quâ rescribunt Severus & Antoninus possessionem motâ semel lite, etiamsi postea lis *omissa* fuerit, non prodesse. Undè manifestè sequitur, ipso Jure eam interrumpi per moram quæstionem seu per contestationem litis.

(*e*) Id est, prioris possessoris.

(*f*) Priori possessori.

(*g*) Id est, possessorem.

Source : BIU Cujas

LXII.

Hactenùs de litis conteſtatione. Simplex autem denunciatio poſſeſſionem non interrumpit.

Hinc Scævola. Quidam Alienam aream bonâ fide emit; & ante impletam diutinam poſſeſſionem, ædificare cœpit. Ei denuntiante domino ſoli, intrà tempora diutinæ poſſeſſionis perſeveravit. Quæro utrùm interpellata ſit, ea cœpta duraverit? Reſpondit; Secundùm ea quæ proponerentur, non eſſe interpellatum. *l.* 13. *ff. Pro empt.* SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS.

ARTICULUS III.

De juſto titulo.

LXIII.

Ad Uſucapionem & longi temporis præſcriptionem, non quælibet poſſeſſio prodeſt, ſed ea demùm quæ ex juſto titulo proficiſcitur. Titulus autem eſt, cauſa poſſeſſionis.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Nullo juſto titulo præcedente poſſidentes, ratio Juris quærere dominium prohibet. Idcircò, cùm etiam Uſucapio ceſſet, intentio dominii nunquàm abſumitur. Undè hoc caſu, poſtliminio reverſo citra beneficium actionis reſciſſoriæ (*a*) directa permanet integra vindicatio. *l.* 24. *Cod. de Rei vindic.*

Iidem reſcribunt; Improba poſſeſſio firmum titulum poſſidenti præſtare nullum poteſt. Undè ingredientem in vacuam poſſeſſionem alieni fundi, non conſentiente domino, vel actore qui ejus rei concedendæ poteſtatem habuit, cauſam juſtam poſſeſſionis adipiſci non potuiſſe certum eſt. *l.* 7. *Cod. de Adq. & retin. poſſeſſ.*

Hinc etiam, quamvis longo tempore quis poſſederit; Servum communem non conſentientibus coheredibus, ſed per errorem ad eum qui poſſidet, pertinere credentibus tenens; cùm omnis verus titulus deficiat, ſuum non facit. Sed in eo portiones hereditarias adſignatas penès ſingulos ſucceſſores remanere manifeſtum eſt. *l.* 22. *Cod. Famil. erciſc.*

Videndum 1°. *Quis ſit juſtus titulus:* 2°. *An opinio juſti tituli æquipolleat juſto titulo:* 3°. *Quando quis ex juſto titulo poſſidere videatur:* 4°. *Exempli causâ unum ex hujuſmodi titulis exponemus, ſcilicet* Pro ſoluto, *cui adſinis eſt &* Pro ceſſo; *cæteris infrà rejectis poſt generalem* de Uſucapione *tractatum juxta ordinem quem ſecuti ſunt ipſi Pandectarum Digeſtores.*

§ I.

Quis ſit juſtus titulus.

LXIV.

Juſtum titulum accipimus eum ex quo quis rem, ex causâ perpetuâ & ad transferendum dominium idonea tanquàm ſuam poſſidet: ut titulum emptionis, donationis, legati, & ſimiles. Neque enim refert oneroſus an lucrativus ſit. l. 11. *Cod.* de Præſcript. long. temp.

Nec etiam obeſt ei qui ex tali titulo poſſidet, quòd perſonali actione teneatur rem reſtituere. Hinc V. G. Si mandavero tibi ut fundum emas; ex eâ causâ traditum tibi, diutinâ poſſeſſione capis; quamvis poſſis videri non Pro tuo (*b*) poſſidere: cùm nihil interſit, quòd Mandati judicio tenearis. *l.* 13. § 2. PAUL. LIB. 5. AD. PLAUT.

(*a*) Quum res ejus qui captivus erat, Uſucapta eſt; datur ipſi Publiciana ſeu *Reſciſſoria* quâ eam vindicat, proindè ac ſi non eſſet Uſucapta: de quâ re ſuprà lib. 4. Tit. *Ex quib. cauſ. major.* Verùm quum abſque titulo poſſeſſa eſt, captivus reverſus eam *Directa* actione vindicare poteſt, nec opus habet Reſciſſoriâ actione, cùm res non fuerit Uſucapta.

(*b*) Quia eum mihi reſtituere actione *Mandati* teneris. Hæc poterat eſſe ratio dubitandi, quam Juriſconſultus improbat: etſi enim tenearis mihi reſtituere, tamen interim *Pro tuo* ex juſto emptionis titulo rem poſſides.

(*c*) Adoptare enim mulieres non poſſunt, nec ſibi heredes ab inteſtato facere; niſi ex ſpeciali Principis privilegio, quum legitimam ſobolem habent: ſuprà lib. 1. Tit. *de Adoptionib.* N. 18.

LXV.

Contrà juſtus titulus, in hâc materiâ non eſt, ex quo quis rem jure quidem poſſidet, ſed tanquam alienam.

Hinc Pignori rem acceptam Uſu non capimus: quia pro alieno poſſidemus. *d. l.* 13. *pr.*

Similiter Neque fructuarium ad obtinendam proprietatem rerum quarum uſumfructum habet, neque ſucceſſores ejus, ulla temporis ex eâ causâ tenentes præſcriptio munit. *l.* 8. *Cod. de Uſuf.* DIOCLETIAN. ET MAXIM.

Multòminùs juſtus titulus eſt, ex quo quis IN POSSESSIONE EST *magis quàm* POSSIDET.

Hinc In poſſeſſionem rei ſervandæ causâ uxor defuncti, vel alii creditores miſſi, dominium ex eâ causâ tenentes adipiſci minimè poſſunt. *l.* 8. *Cod. de Bonis auctor. judic. poſſit.* DIOCLET. ET MAXIM.

LXVI.

Juſtus titulus non eſt, titulus invalidus: ut ſi quis adoptatus à muliere (quæ regulariter id juris non habet), ex hâc invalidæ adoptionis causâ bona hujus mulieris poſſideat. Is igitur Uſucapere non poterit, nec longo tempore præſcribere.

Ita enim Diocletianus & Maximianus. Si is contra quem ſupplicas, matris tuæ quondam mancipia, quaſi filius, ex causâ tantùm adoptionis, defendit: affectio deſtinatæ ac illicitæ adoptionis (*c*), ad horum dominium ei quærendum ſola non ſufficit. Quapropter mancipia petere non prohiberis, nullam timens temporis præſcriptionem: ſi hoc tantùm initio (*d*) præcedente, is contra quem ſupplicas, horum poſſeſſionem adeptus eſt. *l.* 8. *Cod. de Præſcript. long. temp.*

Similiter; cùm invalida ſit venditio cui dolus cauſam dedit, pro juſto titulo haberi non poteſt.

Hinc iidem reſcribunt. Si fraude & dolo (licèt inter majores viginti-quinque annis) facta venditio eſt, hanc confirmare non potuit conſequens tempus; cùm longi temporis præſcriptio in malæ fidei contractibus locum non habeat. *l.* 6. *Cod d. tit.*

Quòd ſi titulus invalidus ex quo quis poſſidebat, poſtea confirmetur; Uſucapio procedet.

Hinc V. G. Si inter extraneos facta ſit donatio; & antequàm per tempus legitimum dominium fuerit adquiſitum, coierint (*e*): vel contrà, ſi inter virum & uxorem facta ſit donatio; & ante impletum tempus ſuprà dictum, ſolutum ſit matrimonium (*f*): nihilominùs procedere temporis ſuffragium conſtat. Quia altero modo, ſine vitio tradita eſt poſſeſſio (*g*) altero, quod fuerit vitium, amotum (*h*) ſit. *l.* 24. *ff. de Donat. int. vir. & ux.* PAUL. LIB. 7. AD SABIN.

§ II.

An opinio tituli æquipolleat titulo?

LXVII.

Celſus libro trigeſimo-quarto, Errare eos ait qui exiſtimarent, cujus rei quiſque bonâ fide adeptus ſit poſſeſſionem, Pro ſuo Uſucapere eum poſſe; nihil referre emerit necne, donatum ſit necne, ſi modò emptum vel donatum ſibi exiſtimaverit: quia (*i*) neque Pro legato, neque Pro donato, neque Pro dote Uſucapio valeat, ſi nulla donatio, nulla dos, nullum legatum ſit. Idem & in litis æſtimatione placet; ut, niſi verè quis litis æſtimationem ſubierit Uſucapere non poſſit. *l.* 27. ULP. LIB. 31. AD SABIN.

(*d*) *Initium* dicitur, cauſa undè cœpit poſſeſſio.

(*e*) In matrimonium.

(*f*) Morte donatoris. Et ſic ex Oratione Antonini confirmata donatio.

(*g*) Scilicet tradita eſt ex juſto donationis titulo, quem matrimonium poſtea ſuperviens non potuit infringere.

(*h*) Vitium purgatur; quum titulus donationis conſtante matrimonio factæ, qui erat invalidus, morte donatoris in eâdem voluntate perſeverantis confirmatur.

(*i*) *Errant*, inquam, *quia neque &c.*

Source : BIU Cujas

Si tamen hæc opinio, licèt erronea, probabili ratione nitatur; erit vice tituli.

Hinc Neratius. Sed id quod quis, cùm ſuum eſſe exiſtimaret, poſſederit, Uſucapiet; etiamſi falſa fuerit ejus exiſtimatio. Quod tamen ita interpretandum eſt, ut probabilis error poſſidentis Uſucapioni non obſtet (*a*): veluti ſi ob id aliquid poſſideam, quòd ſervum meum, aut ejus cujus in locum hereditario jure ſucceſſi, emiſſe id falsò exiſtimem: quia in alieni facti ignorantiâ tolerabilis error eſt. *l.* 5. § 1. *ff. Pro ſuo.* NERATIUS LIB. 5. MEMBRANAR.

§ III.

Quando quis ex juſto titulo poſſidere videatur.

LXVIII.

Non poteſt quis videri ex juſto titulo poſſidere aut Uſucapionem inchoare, quandiù titulus aliquâ conditione ſuſpenditur.

Hinc Si æſtimata res ante nuptias tradita ſit; nec Pro emptore, nec Pro ſuo ante nuptias Uſucapietur. *l.* 2. *ff. Pro dote.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Item Si ſub conditione emptio facta ſit, pendente conditione emptor Uſu non capit.

Idemque eſt, & ſi putet conditionem extitiſſe quæ nondum extitit. Similis eſt enim ei qui putat ſe emiſſe. Contrà ſi extitit & ignoret, poteſt dici (ſecundùm Sabinum, qui potiùs ſubſtantiam intuetur quàm opinionem) Uſucapere eum.

Eſt tamen (*b*) nonnulla diverſitas: quòd ibi, quum rem putat alienam quæ ſit venditoris, affectionem emptoris habeat; at quum nondum putat conditionem extitiſſe, quaſi nondum putat ſibi emiſſe. Quod apertiùs quæri poteſt; Si, cùm defunctus emiſſet, heredi ejus tradatur qui neſciat defunctum emiſſe, ſed ex aliâ causâ ſibi tradi: an Uſucapio ceſſet (*c*)? *l.* 2. § 2. *ff. Pro empt.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

LXIX.

In quibuſdam ſpeciebus, dubitatum eſt an titulus conditione ſuſpendatur? V. G. Si in diem addictio facta ſit (id eſt, niſi quis meliorem conditionem attulerit); perfectam eſſe emptionem, & fructus emptoris effici, & Uſucapionem procedere, Julianus putabat. Alii & hanc ſub conditione eſſe contractam, ille (*d*) non contrahi (*e*), ſed reſolvi dicebat. Quæ ſententia vera eſt. *l.* 2. § 4. *ff. Pro empt.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Sed & illa emptio pura eſt; ubi convenit, ut, ſi diſplicuerit intrà diem certum, inempta ſit. *d. l.* 2. § 5.

Circa legem commiſſoriam ſimilis fuit dubitatio. Et quidem ait Sabinus; Si ſic empta ſit, ut niſi pecunia intrà diem certum ſoluta eſſet, inempta res fieret; non Uſucapturum, niſi perſolutâ pecuniâ. Sed videamus, utrùm conditio ſit hoc, an conventio? Si conventio eſt, magis reſolvetur (*f*) quàm implebitur. *d. l.* 2. § 3.

LXX.

Tandiù demum quis ex juſto titulo poſſidere videri poteſt, & Uſucapere; quandiù non mutata fuerit poſſeſſionis cauſa.

Hinc Pomponius. Qui quum Pro herede vel Pro emptore Uſucaperet, precariò rogavit; Uſucapere non poteſt. Quid porrò inter eas res intereſt (*g*); cùm utrobique deſinat ex primâ causâ poſſidere, qui precariò vult habere? *l.* 6. *ff. Pro emptore.* POMPON. LIB. 32. AD SABIN.

LXXI.

Nota. Ex juſto titulo poſſidere quis rectè videri poteſt, licèt non habeat tituli inſtrumenta, ſi de eo aliundè conſtet.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Longi temporis Poſſeſſione munitis, inſtrumentorum amiſſio nihil juris aufert: nec diuturnitate poſſeſſionis partam ſecuritatem, maleficium alterius turbare poteſt. *l.* 7. *Cod. de Præſcript. long. temp.*

Si amiſſio inſtrumentorum juſti tituli non nocet, vice versâ non proderit ſubtractio inſtrumentorum vitioſi tituli.

Hinc iidem reſcribunt. Si is cui colendum fundum dediſti, poſt inſtrumenta quibus dominium ad te pertinere probari poſſet, per novercam tuam ſubtraxit; hoc ſolâ præſcriptione longi temporis defendi non poteſt. *l.* 1. *Cod. In quib. cauſ. ceſſ. long. temp. præſcript.*

§ IV.

Proponitur ſpecialis Uſucapionis titulus, Pro ſoluto.

LXXII.

His generaliter cognitis circa juſtum poſſeſſionis, ex quâ Uſucapio procedere poſſit, titulum; exempli causâ hìc proponemus eum qui PRO SOLUTO *dicitur: quem ideò fortè Pandectarum ordinatores ſub generali* de Uſucapionibus *Rubricâ propoſuerunt,* (*Ita in Editione Florentinâ. In Vulgatâ, rejicitur ſub Rubricâ ſpeciali ad Tit. ſeq.*) *quia & ipſe generalior eſt; & cum cæteris poſſeſſionum cauſis, quæ infrà ſingulæ ſpecialibus Rubricis diſtinctæ proponentur, poteſt concurrere.*

Enimverò, inquit Hermogenianus; Pro ſoluto Uſucapit, qui rem debiti causâ recipit. Et non tantùm quod debetur, ſed & quodlibet pro debito ſolutum, hoc titulo Uſucapi poteſt. *l.* 46. HERMOGEN. LIB. 5. JURIS EPITOM.

Porrò eo caſu quo id ipſum quod debetur, ſolvitur; putà ex causâ emptionis, legati, dotis, & ſimilibus; patet hunc titulum Pro ſoluto, *concurrere cum titulis* Pro emptore, Pro legato, Pro dote, &c. *Tunc autem demùm ſingularis eſt titulus ille* Pro ſoluto, *quum aliud pro debito ſolvitur* (*h*); *volenti ſcilicet creditori.*

LXXIII.

De debito loquimur. Nec tamen ſemper neceſſe eſt, reverâ eſſe debitum. Hinc Pomponius. Hominem quem ex ſtipulatione te mihi debere falsò exiſtimabas, tradidiſti mihi. Si ſciſſem [te] mihi nihil debere, Uſu eum non capiam; quia (*i*), ſi neſcio, verius eſt ut Uſucapiam (*k*); quia ipſa traditio ex causâ quam veram eſſe exiſtimo, ſufficit ad efficiendum ut id quod mihi traditum eſt, Pro meo poſſideam. Et ita Neratius ſcripſit. Idque verum puto. *l.* 3. *ff. Pro ſuo.* POMPON. LIB. 22. AD SABIN.

Cæterùm ſaltem requiritur ut is cui ſolvitur, probabiliter ſibi eſſe debitum exiſtimet.

Hinc in ſpecie ſequenti: Servus meus Titio mandavit ut fundum ei emeret, eique manumiſſo Titius poſſeſſionem tradidit. Quæſitum eſt an longâ poſſeſſione Caperet? Reſpondit; Si ſervus meus mandaverit Titio ut fundum emeret, & manumiſſo ei Titius fundum tradiderit, cùm putaret & peculium ei conceſſum eſſe, vel etiam cùm ignoraret peculium conceſſum non eſſe; nihilominùs (*l*) ſervum diutinâ poſſeſſione Capere: quia aut ſcit ſervus peculium ſibi conceſſum non eſſe, aut ſcire debet; & per hoc ſimilis eſt ei qui ſe creditorem eſſe ſimulat. Quòd ſi ſcierit Titius peculium manumiſſo

(*a*) Exempla mox in §°. 4°. ubi de titulo *Pro ſoluto.*

(*b*) Hìc proponit rationem dubitandi: quam tamen non tanti facit ut à Sabini ſententiâ recedat.

(*c*) Et dicendum eſt, non ceſſare.

(*d*) Julianus ſcilicet.

(*e*) *Non contrahi* ſub conditione, *ſed reſolvi* ſub conditione.

(*f*) *Magis* erit venditio quæ ſub conditione reſolvendaeſt; *quàm* venditio quæ exiſtente demùm conditione implenda eſſet. Adeòque interim emptor, & *Pro emptore* poſſidere videbitur, & Uſucapiet.

(*g*) Id eſt; nihil hìc intereſt inter titulum *Pro emptore* & titulum *Pro herede.*

(*h*) Ut ſi, quum mihi deberes viginti quæ legata erant, Stichum ſolvas. Eo caſu Stichus à me ex ſolo titulo *Pro ſoluto* poſſidetur, nec concurrit cum causâ legati, ſi quidem mihi ille legatus non eſt.

(*i*) *Quia* hìc ſumitur adverſativè.

(*k*) Ratio dubitandi; quia propriè non eſt ſolutio, cùm nihil debeatur: ceſſat igitur titulus poſſeſſionis *Pro ſoluto.* Ratio decidendi quia, etſi regulariter error falſi tituli non profit ad Uſucapionem; tamen interdum quum juſtus eſt error & ſubeſt aliqua cauſa quæ huic locum dederit, hæc opinio erronea tituli æquipollet titulo ut profit ad Uſucapionem.

(*l*) *Nihilominùs* pro *nihilo magis*; ut in Noſtris non infrequenter. *Servum* autem intellige, ſervum manumiſſum.

Source : BIU Cujas

conceſſum non eſſe, donare potiùs quàm indebitum fundum ſolvere intelligendus eſt. *l.* 7. § 2. *ff. Pro empt.* JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

LXXIV.

Quod diximus ſolutionem ex falsâ causâ prodeſſe ad Uſucapionem, exceptionem patitur circa cauſam emptionis. Ita docet Paulus. Si exiſtimans debere tibi, tradam; ita demùm Uſucapio ſequitur, ſi & tu putes debitum eſſe. Aliud ſi putem me ex causâ venditi teneri, & ideò tradam. Hìc enim niſi actio (*a*) præcedat, Pro emptore Uſucapio locum non habet. Diverſitatis cauſa in illo eſt; quòd in cæteris cauſis, ſolutionis tempus inſpicitur; neque intereſt, quum ſtipulor, ſciam alienum eſſe necne; ſufficit enim me putare meum eſſe, quum ſolvis: in emptione autem & contractûs tempus inſpicitur (*b*), & quo (*Florent.* quod) ſolvitur. Nec poteſt Pro emptore Uſucapere, qui non emit; nec Pro ſoluto, ſicut in cæteris contractibus. *l.* 48. (*Aliàs l.* 3. *ff.* Pro ſoluto.) PAUL. LIB. 2. MANUALIUM.

LXXV.

Cauſæ Pro ſoluto *affinis eſt cauſa* Pro ceſſo. *Utramque ſimul ita refert Ulpianus, docetque ex illis Uſucapionem jequi.* Si mihi Titius à quo fundum petere volebam, poſſeſſione ceſſerit; Uſucapionis cauſam juſtam habebo (*c*). Sed & is à quo ex ſtipulatu fundum petere volebam, cedendo mihi poſſeſſione, ſi ſolvendi causâ id fecerit, eo ipſo efficiet ut fundum longo tempore Capiam. *l.* 33. § 3. JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

ARTICULUS IV.

De bonâ fide.

LXXVI.

Non ſufficit ad Uſucapionem quòd poſſeſſio fuerit profecta ex juſto titulo, niſi fuerit bonæ fidei.

Hinc Paulus. Separata eſt cauſa poſſeſſionis & Uſucapionis. Nam verè dicitur quis emiſſe (*d*), ſed malâ fide: quemadmodum qui ſciens alienam rem emit, Pro emptore poſſidet, licet Uſu non capiat. *l.* 2. § 1. *ff. Pro empt.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Quocircà quæremus 1°. *Quid ſit bona fides, & quæ ad eam requirantur:* 2°. *Quæ bonæ fidei non officiant:* 3°. *Quo tempore, & in quibus perſonis, & circa quod requiratur.*

§ I.

Quid ſit bona fides.

LXXVII.

BONA FIDES *nihil eſt aliud quàm juſta opinio quæſiti dominii.*

Cùm autem hæc opinio non poſſit intelligi in eo qui ne quidem ſcit ſe poſſidere: hinc Si emptam rem mihi procurator ignorante me meo nomine adprehenderit; quamvis poſſideam, eam non Uſucapiam: quia ut ignorantes Uſuceperimus, in peculiaribus tantùm rebus (*e*) receptum eſt. *l.* 47. (*Aliàs* l. 2. *ff.* Pro ſoluto.) PAUL. LIB. 3. AD NERATIUM.

Ex hâc definitione bonæ fidei, ſequuntur tria conſectaria.

LXXVIII.

Conſectarium Iᵘᵐ.

Ad bonam fidem requiritur ut quis exiſtimet eum à quo rem comparat, jus eam alienandi habere.

Hinc Si ab eo emas quem Prætor vetuit alienare, idque tu ſcias; Uſucapere non potes. *l.* 12. PAUL. LIB. 21. AD ED.

Pariter Qui ſciens emit ab eo quem Prætor ut ſuſpectum heredem (*f*) deminuere vetuit, Uſu non capiet. *l.* 7. § 5. *ff. Pro empt.* JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

Item is quidem Qui à quolibet rem emit, quam putat ipſius eſſe, bonâ fide emit. At qui ſine tutoris auctoritate à pupillo emit, vel falſo tutore auctore quem ſcit tutorem non eſſe; non videtur bonâ fide emere, ut & Sabinus ſcripſit. *l.* 27. *ff. de Contrah. empt.* PAUL. LIB. 8. AD SABIN.

Conſequens eſt quòd Eum qui à pupillo ſine tutoris auctoritate diſtrahente comparavit, nullum temporis longi ſpatium defendit. *l.* 9. *Cod. de Uſucap. Pro empt.* PHILIPPUS.

Obiter nota. Sed ſi locupletior emptoris pecuniâ factus, poſt pubertatem, occaſionem Juris ad iniquum trahat compendium (*g*); Doli mali ſubmovetur exceptione. *d. l.* 9. ¶ *ſed ſi.*

LXXIX.

Contrà: ſi eum à quo comparo crediderim jus alienandi habere, licèt non habuerit; bona fides adfuiſſe videtur.

Hinc Si à pupillo emero ſine tutoris auctoritate, quem puberem eſſe putem; dicimus Uſucapionem ſequi (*h*); ut hìc plus ſit in re quàm in (*i*) exiſtimatione. *l.* 2. § 15. *ff. Pro empt.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Hinc Si id quod pro derelicto habitum poſſidebas, ego ſciens in eâ causâ eſſe, abs te emerim; me Uſucapturum conſtat. Nec obſtare quòd in bonis tuis non fuerit (*k*). Nam & ſi tibi rem ab uxore donatam ſciens emero, quia quaſi volente & concedente domino (*l*) id faceres; idem Juris eſt. *l.* 5. *ff. Pro derelicto.* POMP. LIB. 32. AD SABIN.

Ergo & quum quis emit ab eo quem mandato domini vendere exiſtimat, bonâ fide emit: ut in ſpecie ſequenti. Inteſtatæ ſororis hereditas obvenit duobus fratribus, quorum alter abſens erat, alter præſens: præſens etiam abſentis cauſam agebat. Ex quâ hereditate, ſuo & fratris ſui nomine, fundum in ſolidum vendidit Lucio-Titio bonâ fide ementi. Quæſitum eſt, cùm ſcierit partem fundi abſentis eſſe, an totum fundum longâ poſſeſſione Ceperit? Reſpondit; Si credidiſſet mandato fratris vænìſſe, per longum tempus Cepiſſe. *l.* 14. *ff. Pro empt.* SCÆVOLA LIB. 25. DIGEST.

Idem erit, & ſi quis emat à ſervo quem falsò credat peculii adminiſtrationem habere.

Sic accipe quod ait Ulpianus: Si ſervus inſciente (*m*) domino, rem peculiarem vendidiſſet; emptorem Uſucapere poſſe. *l.* 34. ALFENUS-VARUS LIB. 1. DIGEST. A PAULO EPITOM.

LXXX.

Conſectarium IIᵘᵐ.

Ad bonam fidem requiritur ut non per errorem Juris quis exiſtimet eum à quo rem comparat, jus alienandi habere.

(*a*) Legendum *auctio*, id eſt emptio. Cujac.

(*b*) Cùm tempore contractûs, ex hâc causâ, bona fides deſideretur; ſequitur neceſſe eſſe ut reverà intervenerit contractus.

(*c*) Non *Pro ſoluto*; nam ſolvi dicitur duntaxat ex aliquâ obligatione perſonali: ſed *Pro ceſſo*; ut obſervat Cujacius ad h. l.

(*d*) Adeòque ex juſto titulo poſſidere, nimirùm emptionis.

(*e*) Hoc enim caſu, licèt ignorem hanc rem in meo peculio eſſe; habeo generalem opinionem dominii circa univerſum peculium in quo hæc res continetur.

(*f*) Interdum poſtulantibus creditoribus Prætor vetabat heredem alienare res hereditarias, niſi priùs caveret creditoribus.

(*g*) Dum rem vindicat, non oblato pretio ex quo locupletior factus eſt.

(*h*) Nec obſtat quod res pupilli non poteſt Uſucapi: ſuprà Sect. præced. Nam in hâc ſpecie non res pupilli empta eſt, ſed res quam pupillus alienam poſſidebat.

(*i*) Mendoſa lectio. Legendum, *In exiſtimatione quàm in re*; ut rectè obſervat Cujacius.

(*k*) Quia erat quidem derelicta res, ſed non à domino. Nam ego qui à te emi, ſciens rem derelictam eſſe, ignorabam non fuiſſe dominum eum qui illam dereliquerat: undè credebam te hujus dominum factum, adeòque jus vendendi illam habuiſſe.

(*l*) Id eſt, uxore quam credebam dominam; quamvis non eſſet, utpotè quæ non ſuam ſed alienam rem donaſſet.

(*m*) Cujacius Obſerv. XV 28. aliter hanc legem accipit: putatque vocem *inſciente* hìc accipiendam pro *ſciente*, ſicut quandoque *invocans* & *inaudiens* dicitur qui vocat & audit.

Source : BIU Cujas

Et certè qui per errorem Juris id existimat, habet quidem opinionem quæsiti dominii, sed non justam: adeòque nec bonam fidem.

Hinc V. G. à pupillo sine tutoris auctoritate emisti. Quòd si scias pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas sine tutoris auctoritate administrare; non capies Usu: quia Juris error nulli prodest. *l.* 2. § 15. ¶ *quod si. ff. Pro empt.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Et alibi. NUNQUAM, IN USUCAPIONIBUS, JURIS ERROR POSSESSORI PRODEST. Et ideò Proculus ait; Si per errorem initio venditionis (*a*) tutor pupillo auctor factus sit; vel post longum tempus venditionis peractum; Usucapi non posse: quia Juris error est. *l.* 31. PAUL. LIB. 32. AD SABIN.

LXXXI.

Consectarium IIIum.

Requiritur ut quis sciat se rei quam possidet, commercium habere. Si quis id quod possidet, non putat sibi per Leges licere Usucapere; dicendum est, etiamsi errat, non procedere tamen ejus Usucapionem; vel quia non bonâ fide (*b*) videatur possidere, vel quia in Jure erranti non procedat Usucapio. *l.* 32. § 1. POMP. LIB. 32. AD SABIN.

§ II.

Quæ non obstent ut quis bonæ fidei possessor esse videatur.

LXXXII.

Possidenti non obstat quominùs bonæ fidei sit, error circa conditionem suam, aut circa titulum quo possidet, modò justus aliquis subsit.

Hinc in specie sequenti: Filiusfamilias emptor alienæ rei quum patremfamilias se factum ignoret, cœpit rem sibi traditam possidere. Cur non capiat Usu; cùm bona fides initio possessionis adsit; quamvis eum se per errorem esse arbitretur, qui rem ex causâ peculiari quæsitam nec possidere (*c*) possit? Idem dicendum erit, & si ex patris (*d*) hereditate ad se perveniſſe rem emptam non levi præsumptione credat. *l.* 44. § 4. PAPIN. LIB. 23. QUÆST.

Non ideò minùs etiam quis bonæ fidei possessor intelligitur, quòd comparavit ab eo quem sciebat pretium perditurum: non tamen si scivit eum turpi de causâ alienare.

Hinc Si quis, quum sciret venditorem pecuniam statim consumpturum, servos ab eo emisset; plerique responderunt, eum nihilominùs bonâ fide emptorem esse. Idque verius est. Quomodo enim malâ fide emisse videtur, qui à domino emit? Nisi fortè & is qui à luxurioso & protinùs scorto daturo pecuniam, servos emit; non (*e*) Usucapiet. *l.* 8. *ff. Pro empt.* JULIAN. LIB. 2. EX MINICIO.

§ III.

Quo tempore requiratur bona fides.

LXXXIII.

Si aliena res bonâ fide empta sit; quæritur, ut Usucapio currat, utrùm emptionis initium, ut bonam fidem habeat exigimus, an traditionis? Et obtinuit Sabini & Cassii sententia, traditionis (*f*) initium spectantium. *l.* 10. ULP. LIB. 16. AD ED.

In emptione igitur utrumque tempus inspicitur, & emptionis, & traditionis: de quo latiùs infrà Tit. Pro emptore.

At quum ex testamento aut ex stipulatu res comparatur, solum tempus traditionis inspiciendum. Et ita apertè docet Paulus: Si ex testamento vel ex stipulatu res debita nobis tradatur; ejus temporis existimationem nostram intuendam, quo traditur: quia concessum est stipulari rem (*g*) etiam quæ promissoris non sit. *l.* 15. § 3. PAUL. LIB. 15. AD PLAUT.

LXXXIV.

Observandum quòd, quum quis amissâ possessione iterùm cœpit possidere, non prioris possessionis quæ interrupta est, sed posterioris initium spectetur.

Hinc Paulus. Si quis bonâ fide possidens, ante Usucapionem amissâ possessione cognoverit esse rem alienam, & iterùm nanciscatur possessionem: non capiet Usu, quia initium secundæ possessionis vitiosum est. *d.* l. 15. § 2.

Similiter Julianus. Qui bonâ fide alienum fundum emit & possessionem ejus amisit, deinde eo tempore adprehendisset quo scit rem alienam esse; non Capiet longo tempore, quia initium secundæ possessionis vitio non carebit. Nec similis (*h*) est ei, qui emptionis quidem tempore putat fundum vendentis esse; sed, quum traditur scit alienum esse. Cùm enim semel amissa fuerit possessio, initium rursùs recuperatæ possessionis spectari oportet. Quare si eo tempore redhibeatur homo, quo emptor scit alienum esse; Usucapio non contingit: quamvis antequàm venderet, in eâ causâ fuerit ut Usucaperet. Idem Juris est in eo qui de fundo dejectus, possessionem per Interdictum recuperavit, sciens jam alienum esse. *l.* 7. § 4. *ff. Pro emptore.* JUL. LIB. 54. DIGEST.

LXXXV.

Adhuc observandum quòd, Et si possessionis, non contractûs initium, quoad Usucapionem pertinet, inspici placet: nonnunquàm tamen evenit, ut non initium præsentis possessionis, sed causam antiquiorem traditionis quæ bonam fidem habuit, inspiciamus. Veluti circa partum ejus mulieris, quam bonâ fide cœpit possidere. Non enim ideò minùs capietur Usu puer, quòd alienam matrem priusquàm eniteretur, esse cognovit (*i*). Idem in servo postliminio reverso dictum (*k*) est. *l.* 44. § 2. PAPIN. LIB. 23. QUÆST.

Quod de partu dictum est, cum distinctione admittendum putat Pomponius. Ita ille: Si ancillam furtivam emisti fide bonâ; ex eâ natum & apud te conceptum est; ita possedisti, ut intrà constitutum Usucapioni tempus cognosceres matrem ejus furtivam esse: Trebatius omnimodo putat, quod ita possessum esset, Usucaptum esse. Ego sic puto distinguendum; ut, si nescieris intrà statutum tempus, cujus id mancipium esset; aut si scieris, neque potueris certiorem dominum facere, aut si potueris quoque & feceris certiorem; Usucaperes: sin verò quum scires & posses, non feceris certiorem; contrà esse: tum enim clàm possedisse videberis. Neque

(*a*) Ante venditionem, non in ipsâ venditione. Tutorem enim in ipso negotio auctoritatem interponere debere vidimus in *Instit.* Tit. *de Auctor. tut.*

(*b*) Bona fides est opinio quæsiti dominii: quam habere certè non potest, is qui [licèt per errorem] putat sibi non licuisse eam acquirere.

(*c*) Igitur hoc casu, quamvis existimet se non sibi sed patri quem mortuum ignorat, possidere; tamen Usucapit. Habet enim hoc casu quamdam opinionem dominii, cùm filiifamilias rerum paternarum cum patre quodammodo domini censeantur.

(*d*) Finge, rem emisse mortuo jam patre: sed cùm ignoret quo tempore mortuus sit pater, putare se hanc rem patri acquisivisse, & ex hereditate patris eam habere.

(*e*) Is enim [inquit Cujacius] malâ fide est, & facti turpis particeps, cùm turpi ex causâ venditio facta supponatur, scilicet ut pretium scorto daretur. Emit ab eo quem sciebat contra bonos mores alienare.

(*f*) Non solùm emptionis, sed & traditionis.

(*g*) Rationem hanc latiùs vide infrà Tit. *Pro emptore* N. 3.

(*h*) Legendum videtur *Nec dissimilis*; ut rectè observat Cujacius: in emptione enim, ut mox suprà diximus, constat & tempore traditionis bonam fidem requiri. Potest tamen retentâ lectione dici, Sabini sententiam, quæ bonam fidem non solùm tempore contractûs Emptionis, sed etiam tempore traditionis exigebat; nondum, quum Julianus hæc scriberet, obtinuisse: & Julianum, quamvis soleat in Sabinianorum sententias esse propensior, tamen eâ in re diversæ Scholæ sententiam amplexum.

(*i*) Ita nempè, quum simpliciter aliena est mater. Quòd si furtiva esset, possessor bonæ fidei qui [antequàm illa eniteretur] didicisset eam esse furtivam, partum non Usucaperet: l. 4. § 18. ff. *h. tit.* suprà N. 16. Ratio disparitatis est; quòd, quum mater est simpliciter aliena, jus quod habeo Usucapiendæ matris tribuit mihi jus Usucapiendi partûs qui ex illâ nascitur. Initium igitur possessionis matris, est origo & causa antiquior Usucapionis partûs; adeòque eo initio bonam fidem adfuisse sufficit. Altero casu, quum mater est furtiva, non potest ipsa Usucapi: jus igitur quod habeo Usucapiendi partûs, non potest altiùs per quàm ab ipsâ ipsius partûs possessione. Cùm autem partum non priùs possideam quam natus sit, bona fides eo tempore requitur.

(*k*) Scilicet ut, quamvis scias alienum quum eum recipis ab hostibus, tamen Usucapias; quia non videtur nova possessio; aut si nova est, tamen à primâ quæ bonæ fidei fuit, originem habet.

Source : BIU Cujas

idem & Pro ſuo & clàm poſſidere poteſt. *l.* 4. *ff. Pro ſuo.* POMPON. LIB. 32. AD SABIN.

§ IV.

In quibus perſonis bona fides requiratur.

LXXXVI.

Huic quæſtioni maximè locus eſt, circà res quæ nobis per eos quos in poteſtate noſtrâ habemus, comparantur.

Hanc autem generalem regulam tradit Papinianus; ut ſive filius, ſive pater, alienum ſciat, non poſſit Uſucapi. Ita ille: Patrem Uſu non capturum quod filius emit, propter ſuam vel filii ſcientiam, certum eſt. *l.* 43. § 1. PAPIN. LIB. 22. QUÆST.

Idem de domino dictum puta; ſive proprio ejus nomine ſervus emat, ſive peculiari.

Igitur Si ſervus tuus peculiari (*a*) nomine emat rem quam ſcit alienam, licèt tu ignores alienam eſſe; tamen Uſu non capies. *l.* 2. § 10. *ff. Pro empt.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Quinetiam notandum eo caſu, quod ex Celſo ibidem traditur. Etſi quod non bonâ fide ſervus meus emerit, in pactionem libertatis mihi dederit; non ideò me magis Uſucapturum: durare enim primam cauſam (*b*) poſſeſſionis idem Celſus ait. *d. l.* 2. § 14.

Vice versâ; licèt ſervus tuus bonâ fide comparaverit, non Uſucapies, ſi tu initio poſſeſſionis, ſcientiam rei alienæ habueris.

LXXXVII.

Cæterùm hoc intereſt inter caſum qno ex peculiari causâ, & caſum quo tuo nomine res comparatur; quòd primo caſu ignorans poſſideas, & Uſucapias: adeòque requiritur in tuâ perſonâ bona fides NEGATIVA *duntaxat; id eſt, ſufficit ut non ſcias rem quæ à ſervo tuo comparata eſt, eſſe alienam; non verò requiritur bona fides, ea quæ* POSITIVA *dicitur, ſeu opinio quæſiti dominii; quæ in eo eſſe non poteſt, qui ne quidem ſcit rem eſſe à ſervo ſuo comparatam.*

Hoc Jus ex communi utriuſque Scholæ calculo receptum eſt. Enimverò Labeo, Neratius (*c*), reſponderunt; Ea quæ ſervi peculiariter nancti ſunt, Uſucapi poſſe (*d*); quia hæc etiam ignorantes domini Uſucapiunt. Idem Julianus (*e*) ſcribit. *l.* 8. PAUL. LIB. 12. AD ED.

Idem dic circa alienos ſervos, liberos-ve homines, à nobis bonâ fide poſſeſſos. Nam Liber homo qui bonâ fide nobis ſervit, iiſdem modis ex re (*f*) noſtrâ acquirit nobis, quibus per ſervum noſtrum acquirere ſolemus. Quare ſicut traditione, ita Uſucapione rem noſtram faciemus, interveniente liberâ perſonâ. Et, ſi peculii nomine quod nos ſequi debet, emptio contracta fuerit; etiam ignorantes, Uſucapiemus. *l.* 7. § 8. *ff. Pro empt.* JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

Contrà altero caſu, ſcilicet quum ſervus domini nomine acquirit; dominus Uſucapionem inchoare non poteſt, niſi ſciat rem eſſe à ſervo ſuo comparatam, & alienam eſſe ignoret: adeòque debet habere bonam fidem poſitivam, id eſt opinionem quæſiti dominii. Hanc differentiam tradunt Celſus & Pomponius. Etenim Celſus ſcribit; Si ſervus meus peculiari nomine apiſcatur poſſeſſionem, id etiam ignorantem me Uſucapere: quòd ſi non peculiari nomine, nonniſi ſcientem me; &, ſi (*g*) vitiosè cœperit poſſidere, meam vitioſam eſſe (*h*) poſſeſſionem. *l.* 2. § 11. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Pomponius quoque, in his quæ nomine domini poſſideantur, domini potiùs (*i*) quàm ſervi voluntatem ſpectandam ait: quòd ſi peculiari, tunc mentem (*k*) ſervi quærendam. *d. l.* 2. § 12.

Obiter nota. Et ſi ſervus malâ fide poſſideat; eamque dominus nanctus ſit ut ſuo nomine poſſideat, adempto putà peculio: dicendum eſt ut eadem cauſa ſit poſſeſſionis; & ideò Uſucapio ei non magis procedat. *d.* § 12.

LXXXVIII.

Ex dictis emergit altera differentia inter caſum quo nomine domini, & caſum quo ex peculiari causâ res comparata eſt. Primo caſu patet, non poſſe Uſucapi; ſi, quum primùm reſcierit dominus rem eſſe comparatam, habuerit ſcientiam rei alienæ: ſi quidem hoc caſu, demùm ex eo tempore incipit, quoad Uſucapionis cauſam, poſſidere. Verùm altero caſu, mala fides domini eo tempore non nocet; modò ipſe, quum res ſervo vendita & tradita eſt, nondum habuerit ſcientiam rei alienæ.

Hoc item ex Celſo ſupràdicto docet Paulus. Si ſervus bonâ fide emerit peculiari nomine; ego ubi primùm cognovi, ſciam alienam; proceſſuram Uſucapionem Celſus ait: initium enim poſſeſſionis ſine vitio fuiſſe. Sed ſi eo ipſo tempore quo emit, quanquam id bonâ fide faciat, ego alienam rem eſſe ſciam; Uſu me non capturum. *d. l.* 2. § 13.

LXXXIX.

Illud patet, non requiri ut bonæ fidei fuerit is qui rem vendidit.

Hinc V. G. Procurator tuus ſi fundum quem centum aureis vendere poterat, addixerit triginta aureis, in hoc ſolùm ut te damno adficeret, ignorante emptore; dubitari non oportet, quin emptor longo tempore Capiat. Nam & quum ſciens quis alienum fundum vendidit ignoranti, non interpellatur longa poſſeſſio. *l.* 7. § 6. *ff. Pro emptore.* JULIAN. LIB. 44. DIGEST.

Obiter nota. Quòd ſi emptor cum procuratore colluſit, & eum præmio corrupit, quò vilìus mercaretur; non intelligitur bonæ fidei emptor, nec longo tempore Capiet. Et, ſi adversùs petentem dominum uti cœperit exceptione REI voluntate ejus VENDITÆ, replicationem DOLI utilem futuram eſſe. *d.* § 6. ¶ *quòd ſi.*

§ V.

Circa quod requiratur bona fides.

XC.

Bona fides requiritur circa rem quæ Uſucapitur. An autem circa totam rem? Putà Emptor fundi, partem ejus alienam non (*l*) eſſe ignoraverat. Reſponſum eſt; Nihil eum ex eo fundo, longâ poſſeſſione Capturum. Quod ita verum eſſe exiſtimo; ſi, quæ pars aliena eſſet in eo fundo, emptor ignoraverat. Quòd ſi certum locum eſſe ſciret; reliquas partes longâ poſſeſſione Capi poſſe, non dubito. *l.* 4. *ff. Pro empt.* JAVOLEN. LIB. 2. EX PLAUT.

Idem Juris eſt; ſi is qui totum fundum emebat, pro indiviſo partem aliquam alienam eſſe ſcit. Eam enim duntaxat non Capiet. Cæterarum partium non impedietur longâ poſſeſſione Capio. *l.* 4. § 1.

Et alibi. Si quis fundum emerit, cujus particulam ſciebat eſſe alienam; Julianus ait, ſi pro diviſo ſciat alienam eſſe, poſſe eum reliquas partes longâ poſſeſſione Capere. Sed ſi pro indiviſo, licèt ignoret quis ſit locus, æquè eum Capere poſſe: quòd ſine ullius damno (*m*), pars quæ putatur eſſe vendentis, per

(*a*) Idem obtinet, & ſi tuo nomine emerit: mala fides ejus æquè tibi nocebit. Regula enim quam circa filium mox tradidit Papinianus, & quæ pariter circa ſervum militat, indiſtinctè loquitur. Et ita cenſet Cujacius *Comment. ad Paulum.* ad h. l.

(*b*) Quam per ſervum meum jam adeptus eram, & quæ vitioſa eſſe cœpit propter malam fidem ſervi.

(*c*) Qui fuerunt Proculeiani.

(*d*) A dominis.

(*e*) Qui fuit Sabinianus.

(*f*) Et ex operis ſuis. Vid. Tit. præced. *de Adq. poſſeſſ.*

(*g*) Utroque caſu. Cujac. *Comment.* Paul. ad h. l.

(*h*) Vide N. præced.

(*i*) Id eſt, præcipuè domini: quamvis etiam requiratur, ut ſervus non habuerit malam fidem.

(*k*) Hoc caſu præcipuæ *meus ſervi* quæritur; an exiſtimaverit eum à quo rem comparabat, jus alienandi eam habere. Non quæritur autem quæ mens fuerit domini, qui hoc caſu etiam ignorans Uſucapere poteſt.

(*l*) Cujacius legit, *alienam eſſe non ignoraverat.*

(*m*) Id eſt, ſine ullius juſtâ querelâ. Neque enim juſtè queri poteſt dominus, ſi ex Uſucapione rei ſuæ damnum ſentit; cùm illud culpâ ſuâ & negligentiâ demùm ſentiat.

Source : BIU Cujas

longam poſſeſſionem ad emptorem tranſit. *l.* 43. *ff. de Adq. poſſeſſ.* MARCIAN. LIB. 3. REGUL.

Conſonat quod ait Pomponius. Si ex decem ſervis quos emerim, aliquos putem alienos; & qui ſint, ſciam: reliquos Uſucapiam. Quòd ſi ignorem qui ſint alieni; neminem Uſucapere poſſum. *l.* 6. § 1. POMPON. LIB. 32. AD SABIN.

Multò majori ratione: Sed & Pomponius ſcripſit libro quinto Variarum lectionum; Si ſciat vel putet alienum eſſe uſumfructum; bonâ fide, diutinâ poſſeſſione Capere poſſe. *ſup. d. l.* 43. § 1. *ff. de Acquir. poſſeſſ.*

Idem, inquit, & ſi emero rem quam ſciam pignori obligatam. *d. l.* 43. § 2.

SECTIO IV.

De effectu Uſucapionis, & longi temporis præſcriptionis.

XCI.

Uſucapio tribuit rei dominium, ut ex definitione liquet; & quidem ita legitimum, perindè ac ſi res nobis mancipata eſſet. Hinc Horatius Epiſtol. *lib. II Ep.*

Si proprium eſt quod quis librâ mercatur & ære;
Quædam, Conſultis ſi credas, mancipat USUS.

Verùm cum eâ causâ tranſit hoc dominium, cum quâ erat apud eum adversùs quem Uſucapitur.

Igitur Non mutat Uſucapio ſuperveniens Pro emptore vel Pro herede, quominùs pignoris perſecutio ſalva ſit. Ut enim uſus fructus Uſucapi non poteſt; ita perſecutio pignoris quæ nullâ ſocietate dominii conjugitur (*a*), ſed ſolâ conventione conſtituitur, Uſucapione rei non perimitur. *l.* 44. § 5. PAPINIAN. LIB. 23. QUÆST.

XCII.

Præſcriptionis autem longi temporis, non is quidem Jure Pandectarum effectus eſt ut dominium civile tribuat, ſed tantùm exceptionem adversùs dominum rem ſuam vindicantem; & in hoc minùs habet quàm Uſucapio. Hoc autem plus habet, quòd eâdem exceptione tueri ſe poteſt is qui longo tempore poſſedit, etiam adversùs quoſlibet qui jus aliquod in re perſequerentur, creditorem putà hypothecarium.

Et 1°. *Exceptionis adversùs dominum competentis ex longâ poſſeſſione, mentionem faciunt Diocletianus & Maximianus qui ita reſcribunt.* Emptor bonâ fide, contra præſentem decennii præſcriptione (in cujus initio conteſtationem haberi (*b*) ſufficit) poſteaquàm ſuam impleverit intentionem petitor, adhibitâ probatione juſtæ poſſeſſionis defenſus abſolvi rectè poſtulat. *l.* 9. *Cod. de Præſcript. long. temp.*

Quinetiam & Utilis in rem *actio, ei qui præſcripſerat dari cœpit: de quâ Ulpianus in l.* 10. *ff.* Si ſervit. *vindic. ſuprà lib.* 7. *Tit.* de Servitutib. *N.* 24.

2°. *Eum qui longo tempore poſſedit, exceptione quoque tueri ſe poſſe adversùs quoſlibet qui jus aliquod in re perſequerentur, ita reſcribunt in creditoris perſonâ, ſuprà dicti Imperatores.*

Si debitori heres non extitiſti, ſed juſtâ viginti annorum poſſeſſione collata in te donatio corroborata eſt; neque perſonali actione, quia debitori non ſucceſſiſti, convenire te Juris ratio permittit; neque data pignori prædia, poſt intervallum longi temporis tibi auferenda ſunt: quando etiam præſentibus creditoribus, decem annorum præſcriptionem opponi poſſe, tam Reſcriptis noſtris, quam priorum Principum ſtatutis probatum ſit. *l.* 2. *Cod. Si adverſ. credit. præſcript.*

Similiter Gordianus. Diuturnum ſilentium longi temporis præſcriptione corroboratum, creditoribus pignus perſequentibus inefficacem actionem conſtituit: præterquàm ſi debitores vel qui in eorum jura ſucceſſerunt, obligatæ rei poſſeſſioni incumbat. Ubi autem creditori à poſſeſſore longi temporis præſcriptio objicitur, perſonalis actio adversùs debitorem ſalva ei competit. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

Si creditor excluditur à pignoris perſecutione per poſſeſſionem longi temporis; ergo & emptor pignoris, qui in jus ejus ſucceſſit.

Hinc in ſpecie ſequenti: Creditor qui præſcriptione longæ poſſeſſionis, à poſſeſſore pignoris ſummoveri poſſit; pignus diſtraxit. Quæro an poſſeſſori ſalva ſit exceptio adversùs emptorem? Paulus reſpondit; Etiam adversùs emptorem, eamdem exceptionem competere. *l.* 12. *ff. De diverſ. temp. præſcript.* PAUL. LIB. 16. RESP.

XCIII.

Hæc tamen longi temporis præſcriptio non accommodatur adversùs judicia univerſalia. Circa quod obſervandum; quòd Hereditatem quidem petentibus, longi temporis præſcriptio nocere non poteſt. Verùm his qui nec Pro herede nec Pro poſſeſſore, ſed Pro empto vel donato ſeu alio titulo res quæ ex hereditate ſunt vel fuerunt, poſſident; cùm ab his ſucceſſio vindicari non poſſit, nihil hæc Juris definitio nocet. *l.* 4. *Cod. in quib. cauſ. ceſſ. long. temp. præſcript.*

Non accommodatur etiam hæc præſcriptio adversùs judicia mixta, nimirùm Familiæ Erciſcundæ *aut* Communi dividundo.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Unus individuum commune pro ſolido poſſidens, intervallo longi temporis, quominùs ſocius portionem vindicare vel eum COMMUNI DIVIDUNDO judicio provocare poſſit, non defenditur: cùm neque Familiæ erciſcundæ judicium, neque Communi dividundo actio, excludatur longi temporis præſcriptione. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

Item Neque Mutui, neque Commodati, aut Depoſiti, ſeu Legati vel fideicommiſſi, vel Tutelæ, ſeu alii cuilibet perſonali actioni, longi temporis præſcriptionem objici poſſe, certi Juris eſt. *l.* 5. *Cod Quib. non objic. long. temp. præſcript.*

SECTIO ULTIMA.

De Jure Juſtinianeo circa Uſucapionem & longi temporis poſſeſſionem.

XCIV.

Juſtinianus longi temporis poſſeſſionem, in Uſucapionem transfudit: conſtituitque ut prædia provincialia quæ Uſucapi non poterant, necnon res incorporales, jam poſſent Uſucapi.

Uſucapionis autem tempus prorogavit: nimirùm ut res mobiles nonniſi Triennio *continuo; res autem immobiles (aut quæ tales intelliguntur, putà jura in re immobili),* Decennio *duntaxat inter præſentes,* Vicennio *inter abſentes, Uſucaperentur.* l. *un. Cod.* de Uſucap. transform.

PRÆSENTES *autem fuiſſe definit, quum actor & reus in eâdem provinciâ domicilium habuerunt:* ABSENTES, *quum in diverſis. Nihil referre autem quòd res aliò loci ſita ſit, quàm ubi domicilium habent. l. fin. Cod.* de Præſ. long. temp.

Conſtituit quoque ut, quum dominus aut creditor hypothecarius litem non potuit conteſtari adversùs poſſeſſorem, vel propter ejus abſentiam aut potentiam; vel propter ejus ætatem furorem-ve, & tutoris aut curatoris deſtitutionem; poſſit hanc præſcriptionem interrumpere porrigendo libellum Præſidi, aut (ſi non potuerit) Epiſcopo aut Defenſori civitatis; in quo intentionem proponat: aut (ſi hi abſint) proponendo publicè hunc libellum eò loci ubi poſſeſſor domicilium habet, cum ſubſcriptione tabulariorum civitatis, aut trium teſtium ſi non adſint tabularii. l. 2. *Cod.* de Anal. excep. Ital. contr.

Ampliùs voluit ut ex generali libello, quamvis nullius cauſæ mentionem habeat, videatur quis omnes ſuas actiones in judicium deduxiſſe. l. 3. Cod. d. tit.

(*a*) Uſucapio tribuit jus dominii. Nil commune autem habet jus pignoris cum dominio: ergo poteſt utrumque ſeorſim ſtare. Quemadmodum & uſusfructus; qui, cùm ipſe à domino non pendeat, non uſucapitur cum re cujus dominium per uſucapionem tranſit.

(*b*) Hanc præſcriptionem ſeu exceptionem diutinæ poſſeſſionis, ſufficiebat *conteſtari* [id eſt, proponere] initio litis, ſeu in ipsâ conteſtatione. Apud judicem autem datum, reus poterat uſque ad Sententiam probare hanc poſſeſſionem.

Source : BIU Cujas

TITULUS IV. (*Vulg.* V.)

PRO EMPTORE.

Generaliter expositis Titulo præcedenti, causis possessionum ex quibus Usucapitur; jam singulas speciatim prosequuntur Pandectarum ordinatores: & primò de eâ causâ quæ dicitur PRO EMPTORE.

I.

Titulum PRO EMPTORE *ad Usucapionem prodesse docet Alexander, qui ita rescribit.* Venditioni ancillæ si consensum dedisse diversam partem probaveris; retractando contractum quem ipsa ratum habuit, non audietur. Sed & hâ probatione cessante; si bonâ fide emptam ancillam à venditore bonâ fide distrahente (*a*) longi temporis spatio Usuceperis; intentio proprietatem vindicantis tenere non potest. *l.* 4. *Cod. de Usucap. pro empt.*

II.

Litis æstimatio similis est emptioni. *l.* 3. ULP. LIB. 75. AD ED.

Ideòque Possessor qui litis æstimationem obtulit, Pro Emptore incipit possidere. *l.* 1. GAIUS LIB. 6. AD ED. PROVINC.

III.

Is demùm autem Pro Emptore possidet, qui reverà emit: nec sufficit tantùm in eâ opinione esse eum, ut putet se Pro Emptore possidere; sed debet etiam subesse causa emptionis. Si tamen (*b*) existimans me debere tibi ignoranti tradam, usucapies: quare ergo, & si putem me vendidisse, & tradam; non capies usu? Scilicet, quia in cæteris contractibus sufficit traditionis tempus: sic denique, si sciens stipuler rem alienam, usucapiam; si quum traditur mihi, existimem illius esse. At in emptione & illud tempus inspicitur, quo contrahitur (*c*). Igitur & bonâ fide emisse debet, & possessionem bonâ fide adeptus esse. *l.* 2. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Cùm rem Pro Emptore usucapere quis non possit, nisi reverà empta sit; hinc in eâ specie: Ejus bona emisti, apud quem mancipia depositа erant. Trebatius ait, Usu te non capturum; quia empta non sint (*d*). *d. l.* 2. § 7.

Simili ratione in specie sequenti: Quum Stichum emisem, Dama per ignorantiam mihi pro eo traditus est. Priscus (*e*) ait, Usu me eum non capturum (*f*); quia id quod emptum non sit, Pro Emptore usucapi non potest. Sed si fundus emptus sit, & ampliores fines possessi sint; totum longo tempore capi: quoniam universitas ejus possideatur, non singulæ partes. *d. l.* 2. § 6.

Observandum est; valere venditionem, si tutor à pupillo ex publicâ auctione emat: adeòque tutorem posse hoc casu Pro Emptore usucapere, si res pupilli non fuit.

Ita docet Paulus. Tutor ex pupilli auctione, rem quam ejus putabat esse, emit. Servius ait, Posse eum usucapere: in cujus opinione decursum est, eo quòd deterior causa pupilli non fit, si pluris habeat emptorem (*g*). Et si minoris emerit (*h*); Tutelæ judicio tenebitur, ac si alii minoris addixisset. Idque & à Divo Trajano constitutum dicitur. *d. l.* 2. § 8.

Procuratorem quoque qui ex auctione quam mandatu domini facit, emerit; plerique putant, utilitatis causâ, Pro Emptore usucapturum. Idem potest dici, & si negotia domini gerens ignorantis emerit; propter eamdem utilitatem. *d. l.* 2. § 9.

IV.

Vidimus usucapioni Pro Emptore *ita demùm locum esse, si subsit reverà emptio. Africanus tamen,* Quod vulgò traditum est, eum qui existimat se quid emisse, nec emerit, non posse Pro Emptore usucapere; hactenùs verum esse ait, si nullam justam causam ejus erroris emptor habeat. Nam si fortè servus vel procurator, cui emendam rem mandasset, persuaserit ei se emisse, atque ita tradiderit; magis esse, ut usucapio (*i*) sequatur. *l.* 11. AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

Hinc Si à furioso quem putem sanæ mentis (*k*), emero; constitit usucapere utilitatis causâ me posse, quamvis nulla esset emptio. Et ideò (*l*) neque de evictione actio nascitur mihi, [nec Publiciana competit] nec accessio possessionis. *l.* 2. § 16. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Idem alibi ait. Eum qui à furioso bonâ fide emit, usucapere posse responsum est. *l.* 13. § 1. *ff. de Usucap.* IDEM LIB. 5. AD PLATT.

(*a*) Nam si malâ fide venditor fuisset; vendendo & tradendo ancillam, furtum ejus contraxisset; adeòque ancilla, tanquam furtiva, etiam à bonæ fidei emptore non potuisset Usucapi.

(*b*) Hic incipit objectio.

(*c*) In emptione speciale est, ut tempore contractûs requiratur bona fides; id est, ut absit in emptore scientia rei alienæ. Et ratio est, quia repugnare videtur bonæ fidei ut quis emat rem alienam. At non pariter bonæ fidei repugnat, ut quis stipuletur rem alienam: cùm possit promissor illam redimere; &, si redimere non possit, æstimationem præstare. Scientia igitur rei alienæ non nocet in cæteris contractibus. Porrò ex eo quòd receptum sit in emptione, ut tempore contractûs bona fides requireretur, non solùm tempore traditionis [ut quum ex cæteris causis usucapitur] sed etiam tempore contractûs, concluserunt Prudentes non posse usucapi ex causâ emptionis, nisi reverà subesset Emptio; nec sufficere probabilem emptionis existimationem: quia non posset intelligi bona fides adfuisse tempore contractûs seu tempore Emptionis, si nulla interveniisset emptio.

(*d*) Probabiliter quidem existimare potuisti ea empta esse, quia existimabas ea contineri in bonis quæ emisti. Sed ad usucapiendum *Pro emptore*, non sufficit ut quis existimet emisse; nisi reverà emerit.

(*e*) Javolenus.

(*f*) Quamvis putaverim emptum: existimabam enim hunc esse quem emi.

(*g*) Id est; si pupillus tutorem habeat emptorem, qui pluris quàm cæteri liceatur.

(*h*) Per fraudem scilicet, quum alii pluris liceri parati essent, rem sibi minori pretio addici curaverit.

(*i*) Videtur obstare quod diximus, de discrimine Emptionis & cæterarum possessionis causarum. Dicendum est, in cæteris quidem cautis sufficere ut quis, quum illâ causâ res ipsi traderetur seu solveretur, existimaverit sibi ex hâc causâ deberi; quamvis leviter hoc existimaverit, putà quia credidit ei qui ipsi dicebat legatum ipsi esse. In causâ Emptionis hoc non sufficeret; quia, cùm bona fides requiratur tempore contractûs, oportet interveniisse contractum. Tamen si existimatio emptionis non ex solâ credulitate proficiscatur, sed ex aliquâ re gestâ, putà ex mandato de hâc re emendâ; hoc, quoad usucapionem, æquipollebit veritati tituli.

(*k*) Quia talis videbatur his qui eum non noverant.

(*l*) *Et ideò*, quia emptio nulla est, nulla mihi DE *Evictione* nascitur actio adversùs hunc furiosum qui non vendidit, licèt vendidisse videatur: nec possum uti *Accessione* temporis hujus furiosi; non enim auctor meus est, cùm reverà non vendiderit. Quod autem de *Publicianâ* hic additur, non agnovit Constantinus Græcus interpres; & plurimi glossema esse rectè censent. Nam certò certus est, quidquid usucapi potest, Publicianâ actione peti posse si possessor ante impletam usucapionem possessione excidat. Præterea in l. 7. § 2. ff. *de Public. act.* expressè definitur Publicianam hoc casu competere.

Source : BIU Cujas

TITULUS V. (*Vulg.* VI.)

PRO HEREDE, VEL PRO POSSESSORE.

I.

Hic titulus concurrere debet cum titulo ex quo defunctus cœperat possidere. Solus autem ac per se usucapionem non parit.

Hinc Antoninus. Cùm Pro Herede usucapio locum non habeat; intelligis neque matrem tuam cui heres extitisti, neque te, usu mancipia ex eâ causâ (*a*) capere posse. *l.* 1. *Cod. de Usucap. pro herede.*

Est tamen casus quo titulus Pro herede *potest solus præbere causam usucapionis; scilicet si heres inveniat in hereditate rem alienam, quam defunctus nunquàm scivit apud se esse. Hoc saltem casu, rectè* Plerique putaverunt; si heres sim, & putem rem aliquam ex hereditate esse quæ non sit, posse me usucapere (*b*). *l.* 3. POMPON. LIB. 23. AD Q. MUCIUM.

II.

Ut hoc titulo usucapere quis possit, maximè oportet ut per rerum naturam heres esse potuerit. Hinc 1°. *ut quis quasi ex testamento heres usucapere possit; ante omnia oportet ut testamenti factionem habuerit, saltem passivam.*

Hoc est quod ait Paulus: Constat eum (*c*) qui testamenti factionem habet, Pro Herede usucapere posse. *l.* 4. PAUL. LIB. 5. AD LEG. JUL. ET PAP.

Igitur Servus Pro Herede possidere (*d*) non potest. *l.* 4. § 4. *ff. de Usucap.* IDEM LIB. 54. AD ED.

Hinc 2°. Pro Herede ex vivi bonis nihil usucapi potest, etiamsi possessor mortui rem fuisse existimaverit. *l.* 1. POMPON. LIB. 32. AD SABIN.

Similiter Diocletianus & Maximianus. Opinione falsâ mortis, Pro Herede possessio rerum absentis procedere non potest. *l.* 3. *Cod. de Usucap. pro herede.*

Hinc 3°. Nihil Pro Herede posse usucapi, Suis heredibus existentibus magis obtinuit (*e*). *l.* 2. *Cod. d. tit.*

Sed PRO BONORUM POSSESSORE *hoc casu usucapi potest.*

III.

Maximè autem quis Pro Herede rem usucapere non potest, qui eam non tenet à defuncto; sed à vero herede accepit.

Hinc Pomponius. Quum solus heres essem; existimarem autem, te quoque pro parte heredem esse; res hereditarias pro parte tibi tradidi. Propius est, ut usu eas capere non possis; quia nec Pro Herede usucapi potest quod ab herede possessum (*f*) est; neque aliam ullam habes causam (*g*) possidendi. Ita tamen verum est, si non ex transactione id factum (*h*) fuerit. Idem dicimus, si tu quoque existimes te heredem esse: nam hîc quoque possessio veri heredis obstabit tibi. *l.* 29. *ff. de Usucap.* POMPON. LIB. 22. AD SABIN.

(*a*) Ratio est, quia [ut vid. suprà Tit. *de Usucap.*] possessio heredis nihil est aliud quàm continuatio possessionis defuncti; quæ, si justum initium non habuit, non potest prodesse ad usucapionem.

(*b*) Neque enim potest dici hoc casu, me succedere in vitiosam possessionem defuncti, cùm possessio, quæ sine scientiâ & voluntate possidendi esse non potest, nulla apud defunctum fuerit.

(*c*) *Eum* demùm.

(*d*) Sibi scilicet, quia sibi hereditatem acquirere non potest; nec domino, nisi jussu ejus adierit.

(*e*) *Sui* heredes, licèt se abstineant, cùm ipso Jure sint heredes, Jure civili excludunt agnatos & cognatos. Nullus igitur *Suis* existentibus heres esse, adeòque Pro Herede usucapere potest. Verùm Jure Prætorio his possessionem bonorum omittentibus, defertur agnatis, deindè cognatis. Igitur quamvis *Sui* existant, potest quis usucapere *Pro bonorum possessore*, licèt cesset usucapio *Pro herede.*

(*f*) Usucapitur *Pro herede*, id demùm quod à defuncto ad aliquem pervenit. Verùm ea res non à defuncto, sed ab herede qui tibi eam tradidit, ad te pervenit.

(*g*) Nec enim ex causâ alicujus crediti, aut transactionis, tibi tradita est; tantùm quòd per errorem tua esse putabatur.

(*h*) Transactio enim est causa usucapionis: Usucapies *Pro transacto.*

TITULUS VI. (*Vulg.* VII.)

PRO DONATO.

I.

PRo Donato usucapit, cui donationis causâ res tradita est. *l.* 1. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Ex hoc titulo usucapionem sequi, ita rescribit Alexander: Sive fuerit dominus qui tibi loca de quibus supplicasti, donavit; sive à non domino bonâ fide donata suscepisti, eaque usucepisti: auferri tibi quod jure quæsitum est, non potest. *l.* 1. *Cod. de Usucap. pro donato.*

Cùm imaginaria emptio nihil aliud quàm Donatio sit; hinc Donationis causâ, factâ venditione, non Pro emptore, sed Pro Donato res tradita usucapitur. *l.* 6. HERMOGEN. LIB. 2. JURIS EPITOMAT.

II.

Ut Pro Donato usucapiatur, non necesse est ita donatum esse ut donatarius irrevocabiliter haberet.

Hinc Ulpianus. Aristo ait: Si donationis causâ in hoc tradatur servus, ut post quinquennium manumittatur, sit autem alienus; posse dubitari an usucapiatur: quia (*a*) aliquid donationis interveniret. Et hoc genus quæstionis in mortis causâ donationibus versari (*b*) Pomponius ait. Et magis putat [ut] si ita donetur, ut post quinquennium manumittatur; posse dici usucapionem sequi. *l.* 18. § 2. *ff. de Donationib.* ULP. LIB. 71. AD ED.

III.

Cæterùm Nec sufficit opinari, sed & donatum esse oportet. *l.* 1. ¶ *nec* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Hinc Si pater filio quem in potestate habet, donet; deinde decedat: filius Pro Donato non capiet usu, quoniam nulla donatio fuit. *d. l.* 1. § 1.

Simili ratione; Si inter virum & uxorem donatio facta sit; cessat usucapio. *d. l.* 1. § 2.

Quòd si ea donatio inter virum & uxorem fuit, quæ Jure non prohibeatur; usucapi poterit.

(*a*) Dubitari poterat an hoc casu posset usucapi *Pro Donato*; quia oportet Donationem esse, ut *Pro Donato* usucapiatur: poterat autem dubitari an eo casu intelligi posset Donatio. Respondet tamen usucapi posse: *Quia &c.*

(*b*) Scilicet an Donatio esse videatur, & usucapi *Pro Donato* possit, donec donator convaluerit.

Source : BIU Cujas

Hinc Si vir uxori vel uxor viro donaverit; si aliena res donata fuerit, verum est quod Trebatius putabat; si pauperior is qui donasset non fieret (*a*), usucapionem possidenti procedere. *l.* 3. POMPON. LIB. 24. AD Q. MUCIUM.

I V.

Sed etsi ab initio non constiterit donatio; si nova causa postea extiterit ex quâ convalesceret, poterit usucapi.

Hinc Si pater filiæ donaverit quæ in potestate ejus (*b*) erat, & eam exheredaverit; si id heres ejus ratum habeat (*c*), exindè ea usucapiet Donationem, quâ ex die ratam heres donationem habuerit. *l.* 4. POMPON. LIB. 32. AD. SABIN.

Simili ratione, Si pater cum filiis bona quæ habebat partitus sit; & ex eâ causâ post mortem patris ea teneant, quòd inter eos conveniret ut ea divisio ratâ esset: usucapio his procedat PRO SUO, in his rebus quæ alienæ in bonis patris inveniuntur. *l.* 4. § 1. *ff. Pro suo.* IDEM LIB. 32. AD SABIN.

Idem dic de donatione uxori factâ, quam post divortium vir ratam habuisset. Solum autem divortium causam possessionis per se injustam non mutaret.

Hinc Paulus. Item si vir uxori rem donaverit, & divortium interceserit, cessare usucapionem Cassius respondit: quoniam non possit causam possessionis sibi ipsa mutare. Aliàs ait, post divortium ita usucapturam, si eam maritus concesserit, quasi nunc donasse intelligatur. *l.* 1. § 2. ¶ *item.* PAUL. LIB. 54. AD ED.

Obiter nota. Possidere (*d*) autem uxorem rem à viro donatam Julianus putat. *d.* § 2. ¶ *fin.*

(*a*) Pauperior non fit, qui rem alienam donando, nihil ex patrimonio suo deminuit. Valet igitur hæc Donatio. Vid. suprà lib. 24. Tit. *de Donat. int. vir. & ux.* N. 26.

(*b*) Non valet Donatio facta his quos in potestate habemus; cùm quodcumque acquirunt, nobis acquiratur.

(*c*) Hic agnosce vestigium Juris antiqui, per incuriam Triboniani relictum. Ex quo enim Justinianus Donationes filiis à patre factas, modò insinuatæ fuerint, sanxit ipso Jure confirmari per mortem patris qui voluntatem non mutasset, l. 25. Cod. *de Donat. int. vir. & uxor.* hæc heredis ratihabitio inutilis est.

(*d*) Quod accipe de possessione naturali; non de civili quæ ad usucapionem sit idonea. Quòd si post divortium vir donationem habeat ratam, quasi ex novâ causâ mulier incipit civiliter possidere.

TITULUS VII. (*Vulg.* VIII.)

PRO DERELICTO.

I.

Titulus quo rem Pro Derelictâ habitam occupamus, est etiam justus titulus; nimirùm ad transferenda rerum dominia naturâ suâ destinatus.

Enimverò Si res Pro Derelicto habita sit, statim nostra esse desinit, & occupantis statim fit: quia iisdem modis res desinunt esse nostræ, quibus adquiruntur. *l.* 1. ULP. LIB. 12. AD ED.

Item Paulus. Pro derelicto rem à domino habitam si sciamus, possumus acquirere. *l.* 2. PAUL. LIB. 44. AD ED.

Item Pomponius. Id quod quis Pro Derelicto habuerit, continuò meum fit: sicuti quum quis æs sparserit, aut aves amiserit (*Rectiùs* omiserit), quamvis incertæ personæ voluerit eas esse, tamen ejus fierent cui casus tulerit. Eaque cùm quis Pro Derelicto habet, simul intelligitur voluisse alicujus fieri. *l.* 5. § 1. POMPON. LIB. 31. AD SABIN.

I I.

Quemadmodum autem, quum ab eo qui dominus erat res derelicta est, hic titulus dominium occupanti tribuit; ita ei tribuit usucapiendi causam, si is qui rem dereliquit, non erat dominus.

Oportet autem rem reverà Pro Derelicto habitam esse. Nam Nemo potest Pro Derelicto usucapere, qui falsò existimaverit rem Pro Derelicto habitam esse. *l.* 6. JULIAN. LIB. 3. AD. URSEIUM-FEROREM.

Hinc Si quis merces ex nave jactatas invenisset; num ideo usucapere non possit, quia non viderentur Derelictæ, quæritur? Sed verius est eum Pro Derelicto usucapere non posse. *l.* 7. IDEM LIB. 2. EX MINICIO.

Similiter Javolenus. Quod ex naufragio expulsum est, usucapi non potest: quoniam non est in Derelicto, sed in deperdito. *l.* 21. §. 1. *ff. de Adq. vel amitt. possess.* JAVOLEN. LIB. 7. EX CASSIO.

Idem juris esse existimo in his rebus quæ jactæ sunt: quoniam non potest videri id Pro Derelicto habitum, quod salutis causâ INTERIM dimissum est. *d. l.* 21. § 2.

I I I.

In specie sequenti, an ancilla haberi debeat Pro Derelictâ, quæritur? Sempronius Thetidi statûs quæstionem facere tentabat, quasi de servâ suâ nata sit. Qui jam testatò conventus à Proculâ nutrice Thetidis in solvendis alimentis, respondit; non se habere undè alimenta ejusdem exsolvat, sed debere eam patri suo restituere Lucio-Titio. Idque quum illa (*Florent.* Idque ea illa) in testationem redegisset, ut postea nullam quæstionem pateretur ab eodem Sempronio; Lucius-Titius Seiæ-Proculæ solutis alimentis puellam Vindictâ manumisit. Quæro, an possit rescindi libertas Thetidis? Paulus respondit; Quoniam dominus ancillæ ex quâ Thetis nata est, Thetidem Pro Derelicto habuisse videtur; potuisse eam à Lucio-Titio ad libertatem perduci. *l.* 8. PAUL. LIB. 18. RESPONS.

I V.

Ut quis hoc titulo usucapiat, non sufficit rem Pro Derelicto habitam esse: oportet ut sciat esse derelictam; alioquin bonâ fide careret.

Cæterùm Id quod Pro Derelicto habitum est, & haberi putamus, usucapere possumus; etiamsi ignoramus à quo derelictum sit. *l.* 4. PAUL. LIB. 15. AD SABIN.



Source : BIU Cujas

TITULUS VIII. (*Vulg.* IX.)

PRO LEGATO.

I.

LEgatorum nomine, is videtur poſſidere, cui legatum eſt. Pro Legato enim poſſeſſio & uſucapio, nulli alii quàm cui legatum eſt, competit. *l.* 1. ULPIAN. LIB. 6. DISPUTAT.

Et Ea res quæ legati nomine tradita eſt, quamvis dominus ejus vivat (*a*), legatorum tamen nomine uſucapietur; *l.* 5. JAVOL. LIB. 7. EX CASSIO.

Si is cui tradita eſt, morti eſſe (*b*) exiſtimaverit. *l.* 6. POMPON. LIB. 32. AD SABIN.

II.

Non præcisè autem requiritur : ut ab herede res fuerit tradita. Nam & Si non traditam poſſeſſionem ingrediatur ſine vitio legatarius, legatæ rei uſucapio competit. *l.* 8. PAPIN. LIB. 23. QUÆST.

III.

Et hîc quoque obſervandum, quod & circa cæteros titulos obſervavimus ; oportere legatum eſſe, nec ſufficere opinionem legati.

Hinc Si poſſideam aliquam rem, quam putabam mihi legatam quum non eſſet, Pro Legato non uſucapiam: *l.* 2. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Non magis quàm ſi quis emptum exiſtimet, quod non emerit. *l.* 3. PAPIN. LIB. 23. QUÆST.

IV.

Hoc ita, ſi quis perperàm exiſtimaverit rem ſibi legatam. Quòd ſi opinio legati probabili ratione nitatur ; proderit ad uſucapionem. Hinc Pro Legato poteſt uſucapi, ſi res aliena legata ſit; aut teſtatoris quidem ſit, ſed adempta codicillis ignoratur. In horum enim perſonâ ſubeſt juſta cauſa, quæ ſufficiat ad uſucapionem. *l.* 4. PAUL. LIB. 54. AD. ED.

Item Hermogenianus. Non ſolùm Pro Legato uſucapit, cui rectè legatum relictum eſt : ſed etſi non jure (*c*) legatum relinquatur, vel ademptum eſt; Pro Legato uſucapi, poſt magnas varietates obtinuit. *l.* 9. HERMOGEN LIB. 5. JURIS EPITOMAR.

Idem poteſt dici, & ſi in nomine erit dubitatio : veluti ſi Titio legatum ſit, quum ſint duo Titii ; ut alter eorum de ſe cogitatum exiſtimaverit. *ſup. d. l.* 4. ¶ *idem.*

Denique & Quod legatum non ſit, ab herede tamen perperàm traditum ſit; placet à legatario uſucapi (*d*), quia Pro ſuo (*e*) poſſidet. *l.* 4. § 2. *ff. Pro ſuo.* POMPON. LIB. 32. AD SABIN.

V.

Cæterùm Nemo poteſt Legatorum nomine uſucapere; niſi is cum quo teſtamenti factio eſt; quia ea poſſeſſio ex jure teſtamenti proficiſcitur. *l.* 7. JAVOLEN. LIB. 7. EX CASSIO.

(*a*) Contrà in titulo *Pro Herede* obſervatur : ſuprà *de tit.* N. 2. Diſparitatis rationem hanc affert Cujacius ; quòd hereditas nonniſi poſt mortem acquiri poteſt, Legata verò vivo teſtatore prærogari poſſunt.

(*b*) Id eſt, ad defunctum pertinuiſſe.

(*c*) *Non jure* accipe, non eâ formâ quam Leges requirunt. Cæterùm oportet ut is cui legatum eſt, habuerit teſtamenti factionem : infrà N. 5.

(*d*) Non enim prorsùs perperàm rem ſibi Legatam exiſtimavit, *is qui* credulus fuit heredi rem ipſi Legatam eſſe affirmanti, & eam ex hâc causâ tradenti.

(*e*) Si videri poteſt non poſſidere *Pro Legato*, quia nullum Legatum ſubeſt; ſaltem poſſidet *Pro ſuo* : juſtè enim exiſtimavit ex hâc traditione rem fieri ſuam.

TITULUS IX. (*Vulg.* X.)

PRO DOTE.

I.

TItulus eſt uſucapionis, & quidem juſtiſſimus, qui appellatur PRO DOTE ; ut qui in dotem rem accipiat, uſucapere poſſit ſpatio ſolemni, quo ſolent qui Pro emptore uſucapiunt. *l.* 1. ULP. LIB. 31. AD SABIN.

Hinc Scævola in ſpecie ſequenti. Duæ filiæ inteſtato patri heredes extiterunt, & mancipia communia ſingulæ in dotem dederunt ; & poſt aliquot annos à morte patris, Familiæ erciſcundæ judicium inter eas dictatum eſt. Quæſitum eſt, quum mariti bonâ fide mancipia in dotem accepta, ut dotalia multis annis poſſederunt; an uſucepiſſe videantur ; ſi qui accipiebant, dantis credidiſſent eſſe? Reſpondit; Nihil Proponi, cur non uſucepiſſent. *l.* 3. SCÆVOLA LIB. 25. DIGEST.

Similiter Alexander. Res mobiles in dotem datæ, quamvis alienæ, ſi ſine vitio tamen fuerint à bonæ fidei accipiente Pro Dote acceptæ, uſucapiuntur. *l. un. Cod. de Uſucap. pro dote.*

Quid autem de immobilibus ? Eas quoque alienas in dotem acceptas vir titulo Pro Dote *uſucapiet ; verùm cum hâc causâ ut eas ſoluto matrimonio reddere debeat uxori, cui uſucapio ex viri perſonâ proficiet.*

Ad longi quoque temporis præſcriptionem valere titulum Pro Dote, *docet etiam Diocletianus & Maximianus qui ita reſcribunt.* Si vineæ quas mater tua vitrico tuo in dotem dedit, tuæ proprietatis ſunt; nec ulla præſcriptio ex tranſacti temporis prolixitate adolevit; Præſes provinciæ reſtitui tibi eas efficiet. *l.* 3. *Cod. de Præſcript. long. temp.*

Et nil refert, ſingulæ res an pariter univerſæ in dotem darentur. *l.* 1. § 1. PAUL. LIB. 31. AD SABIN.

II.

Et primùm tempore videamus, quando Pro Dote quis uſucapere poſſit ; utrùm poſt tempora nuptiarum, an verò & ante nuptias ? Eſt quæſtio vulgata, an ſponſus poſſit (hoc eſt, qui nondum maritus eſt) rem Pro Dote uſucapere ? Et Julianus inquit : Si ſponſa ſponſo eâ mente tradiderit res, ut non ante ejus fieri vellet quàm nuptiæ ſecutæ ſint ; usûs quoque capio ceſſabit. Si tamen non evidenter id actum fuerit : credendum eſſe id agi Julianus ait, ut ſtatim res ejus fiant ; &, ſi alienæ ſint,

Source : BIU Cujas

uſucapi poſſint: quæ ſententia mihi probabilis videtur. Ante nuptias autem, non Pro Dote (*a*) uſucapit, ſed Pro (*b*) ſuo. *d. l.* 1. § 2.

III.

Conſtante autem matrimonio, Pro Dote uſucapio inter eos locum habet, inter quos & matrimonium. Cæterùm ſi ceſſet matrimonium, Caſſius ait; Ceſſare uſucapionem, quia ei dos nulla ſit. *d. l.* 1. § 3.

Idem ſcribit; Etſi putavit maritus eſſe ſibi matrimonium, quum non eſſet; uſucapere eum non poſſe, quia nulla dos ſit. Quæ ſententia habet rationem. *d. l.* 1. §. 4.

(*a*) Nec enim ante nuptias dos ulla intelligi poteſt.

(*b*) Juſtè enim exiſtimavit ex hâc traditione rem ſuam factam; cùm reverà ſua facta fuiſſet, ſi ſponſa ejus rei dominium habuiſſet.

TITULUS X. (*Vulg.* XI.)

PRO SUO.

I.

Poſſeſſio PRO SUO, *vel generali vel ſpeciali ſenſu accipitur.*

Generali autem ſenſu accepta PRO SUO poſſeſſio talis eſt, quum dominium nobis adquiri putamus; & ex eâ causâ poſſidemus ex qua adquiritur, & præterea Pro Suo. Ut putà ex causâ. emptionis, & Pro emptore & Pro Suo poſſideo. Item donata vel legata, vel Pro donato vel Pro legato, etiam Pro Suo poſſideo. *l.* 1. ULPIAN. LIB. 15. AD ED.

Obiter nota. Sed ſi res mihi ex causâ juſtâ (putâ emptionis) tradita ſit, & uſucapiam; incipio quidem & ante uſucapionem Pro meo poſſidere. Sed an deſinam ex causâ emptionis poſt uſucapionem (*a*) dubitatur? Et Mauricianus dicitur exiſtimaſſe, non deſinere. *d. l.* 1. § 1.

II.

Hæc de poſſeſſione Pro Suo, *generali ſenſu acceptâ.*

Ut autem ſciamus quid ſit poſſeſſio PRO SUO *ſpeciali ſenſu accepta; obſervandum quòd, non ſolùm ex cauſis quas præcedentibus Titulis expoſuimus; verùm* Uſucapio rerum etiam ex aliis cauſis conceſſa (*b*), interim (*c*) propter ea quæ noſtra exiſtimantes poſſideremus, conſtituta eſt: ut aliquis litium finis eſſet. *l. fin.* NERATIUS LIB. 5. MEMBRAN.

Sic V. G. Si per errorem de alienis fundis quaſi de communibus judicio Communi dividundo accepto, ex adjudicatione poſſidere cœperim; longo tempore capere poſſum. *l.* 17. *ff. de Uſucap.* MARCELL. LIB. 17. DIGEST.

Item Ex causâ tranſactionis habentes juſtam cauſam poſſeſſionis, uſucapere poſſunt. *l.* 8. *Cod. de Uſuc. pro empt.*

Si rem igitur tanquam noſtram ex aliquâ causâ quæ ſpeciale nomen non habeat, poſſideamus; erit Titulus PRO SUO *ſpeciali ſenſu acceptus.*

Hinc Paulus. Eſt ſpecies poſſeſſionis, quæ vocatur PRO SUO. Hoc enim modo poſſidemus omnia quæ mari, terrâ, cœlo, capimus; aut quæ alluvione fluminum noſtra fiunt: item quæ ex rebus alieno nomine (*d*) poſſeſſis nata poſſidemus; veluti partum hereditariæ aut emptæ ancillæ, PRO NOSTRO poſſidemus. Similiter fructus rei emptæ, aut donatæ, aut quæ in hereditate inventa eſt. *l.* 2. PAUL. LIB. 44. AD. ED.

Hæc omnia Titulo PRO SUO *uſucapiuntur. Undè idem Paulus:* Fructus & partus ancillarum, & fœtus pecorum, ſi defuncti non fuerunt, uſucapi (*e*) poſſunt. *l.* 4. §. 5. *ff. de Uſucap.* IDEM LIB. 54. AD ED.

(*a*) Emptor bonæ fidei, ante uſucapionem, jam *Pro ſuo* poſſidebat aliquo modo; eo quòd opinio *Suæ rei* conjuncta eſſet titulo *Pro emptore* ex quo rem habebat: cæterùm ex ſolâ emptionis causâ eam poſſidebat. Uſucapio verò novam addidit cauſam ejus rei poſſidendæ, nimirùm *Pro ſuo*; eo quòd per Uſucapionem jam *ſua* facta ſit. Unde quæritur, an ideò deſinat ex causâ emptionis poſſidere? Quæſtio in hoc vertitur, an quis poſſit ex pluribus cauſis rem poſſidere? Et Mauricianus rectè putat poſſe.

(*b*) Putà, *Pro noxæ dedito*, *Pro tranſacto*, &c. de quibus nulla in præcedentibus Titulis mentio.

(*c*) *Interim*, id eſt, interdum, quandoque; vel intrà tempus Lege ſtatutum; *propter ea* ſeu circa ea quæcumque ex quâlibet opinionis causâ *noſtra* eſſe *exiſtimantes*, *poſſideremus*.

(*d*) *Alieno nomine poſſeſſas* res appellat, quas poſſidemus *Pro emptore* V. G. *Pro herede*, & ex cæteris cauſis ex quibus poſſeſſionem *ab alio* accepimus. Earum autem rerum fructus, non ut res ipſas *alieno nomine* poſſidemus, putà non *Pro emptore*, ſi quidem fructus illos non emimus; non *Pro herede*, cùm non ex defuncto ad nos pervenerint: ſed poſſidemus *Pro noſtro*, quia perceptione noſtri facti ſunt.

(*e*) Non Titulo *Pro herede*, cùm defuncti non fuiſſe ſupponantur; ſed *Pro Suo*, quæ cauſa ex ipſorum perceptione ab herede bonâ fide factâ proficiſcitur.

APPENDIX

Ad præcedentes de Uſucapionibus *Titulos*:

DE PRÆSCRIPTIONIBUS LONGISSIMI TEMPORIS,

Triginta *ſcilicet*, *vel* Quadraginta, *aut* Centum *annorum.*

I.

Præſcriptionis Triginta annorum *auctorem eſſe vix dubitari poteſt Theodoſium-Juniorem in l.* 3. *Cod.* de Præſcript. 30ª. ann. *quamvis Cujacius* (*a*) *diſſentiat Obſerv. XVII.* 26.

Locum habet quoties uſucapio aut longi temporis Præſcriptio locum habere non poteſt, vel propter rei vitium quæ furtiva aut vi poſſeſſa foret, vel propter defectum tituli aut bonæ fidei in poſſeſſione; tuetur que poſſeſſorem per exceptionem

(*a*) Nititur Cujacius præcipuè Novellâ Valentiniani III*i*. 8*d*. in quâ Theodoſius quem PATREM SUUM appellat, hujus Præſcriptionis auctor dicitur. *Patrem* autem non appellaret Theodoſium-Juniorem collegam ſuum: ſequitur ergo ut [ex more quo Imperatores, deceſſores ſuos PATRES appellant] hoc nomine intelligatur ipſe Theodoſius-Magnus. Verùm reſpondet J. Gothofredus, ipſum Theodoſium-Juniorem rectè à Valentiniano PATREM appellatum, quem ſcilicet & ſocerum & auctorem Imperii habebat; maximè cùm DOMINUM PATREM utpotè adhuc ſuperſtitem eum dicat, non DIVUM ut moris eſt in deceſſoribus.

At verò, quiſquis ille Theodoſius hujus Præſcriptionis auctor ſit; hinc ſaltem liquet leges 1 & 2. Cod. *de Præſcript.* 30. *ann* quarum una Diocletiani & Maximiani nomine inſcribitur, altera Valentis & Valentiniani, perperàm huic Codicis Titulo inſertas; nec de hujuſmodi Præſcriptione agere potuiſſe quæ nondum introducta fuerat. Sed intelligenda ſuprà dicta lex 1*a*. de longi temporis Præſcriptione; lex autem 2*a*. de præſcriptione 60. annorum, quam introduxerat Conſtantinus per legem cujus pars extat in l. fin. Cod. *de Præſcr. long. temp. quæ pro libert.* Ita rectè Cujacius d. loc. Obſerv. XVIII 27.

Source : BIU Cujas

quam ei tribuit adversùs dominum qui hanc rem vindicaret.

Porrò ex hâc noviter introductâ præscriptione, sola exceptio datur, non autem Utilis in rem *actio; nisi possessio fuerit ab initio bonæ fidei. Sin minùs, & possessor possessione exciderit; non ipse (quod valdè notandum est) rem illam vindicaret; sed prior dominus, aut creditor cui res ab initio obligata fuerat, heredes-ve eorum, rem illam adversùs novum possessorem persequi possunt. Et quidem quamvis jam fuissent à veteri possessore repulsi, per exceptionem Præscriptionis triginta annorum.* l. 8. Cod. d. tit.

Cæterùm hæc Præscriptio currit adversùs omnes; etiam fœminas, milites, absentes Reipublicæ causâ, minores viginti-quinque annis; non tamen adversùs pupillos. Accommodatur quoque adversùs judicia, tam universalia quàm mixta; & adversùs actiones personales quæ ante, ex contractibus provincialibus perpetuæ erant, ex contractibus Italicis anni utilis exceptione excludebantur. Quæ exceptio annalis à Justiniano sublata est. Vide sup. d. l. 3. *Cod.* de Præscript. 30ª. ann. *& l.* 1. *Cod.* de Annal. except.

Non tamen locum habet triginta annorum Præscriptio adversùs hypothecariam actionem, quum res ab ipso debitore possideretur. d. l. 3. *Cod.* de Præscript. 30. ann.

II.

Anastasius postea Præscriptionem quadraginta annorum invenit (a); quâ voluit excludi omnes actiones quæ Præscriptioni triginta annorum effugiebant, sive Jus privatum spectarent, sive Jus publicum. l. 4. *Cod.* de Præscript. 30ª. ann.

Et huic Præscriptioni subjacere actionem hypothecariam, quæ adversùs ipsum debitorem datur, declaravit Justinianus. l. 7. *Cod.* d. tit.

Hâc Præscriptione tutos esse voluit Anastasius, possessores fundorum patrimonialium Principis; item fundorum templorum paganorum, qui publici juris facti fuerunt; item & fundorum agonotheticorum, id est qui in usus publicorum certaminum destinati fuerant. l. fin. Cod. de Fund. patrim.

Hâc tamen Præscriptione uti noluit Curiales, quum ad suam conditionem revocarentur. Item cessare hanc Præscriptionem voluit in causis tributorum. l. 5. *& l.* 6. *Cod.* de Præscript. 30ª. ann.

Nullâ etiam Præscriptione quis defenditur, adversùs eum cujus nomine est in possessione. l. 2. *Cod.* de Præscript. 30ª. & 40ª. ann.

III.

Justinianus Ecclesias & alia pia loca à persecutione eorum quæ ipsis relicta sunt, summoveri vetuit ullius temporis Præscriptione; præterquàm annorum Centum (b). l. 23. *Cod.* de Sacros. Eccles.

At Jure Novellarum, quadragenariâ Præscriptione summoventur. Novell. *CXXXI. Cap.* 6.

Constituit etiam Justinianus; actionem in judicium deductam quam quis non persequeretur, perpetuari usque ad quadraginta annos ex die novissimæ cognitionis. l. fin. Cod. de Præscript. 30ª. ann.

IV.

Circa omnes istas Præscriptiones observandum; quum contractus diem aut conditionem habet, non currere eas nisi ex illâ die aut conditione. l. 7. *Cod.* de Præscript. 30ª. ann.

(a) De hâc igitur Præscriptione non agitur in l. 2. Cod. Theod. *de Long. temp. præscript.* in quâ pro QUADRAGINTA reponendum VIGINTI: ut rectè Cujacius Observ. XVIII 28.

(b) Refert Suidas hanc legem pecuniâ emptam fuisse à quodam Prisco Emesinæ Ecclesiæ Œconomo, & in chirographis alienis imitandis peritissimo. Is, quum ante triginta annos Ecclesia Emesina' cuidam Mamiano viro Patricio heres extitisset; pleraque instrumenta confinxerat sub nomine cujusdam tabellionis hujus Mamiano coævi, quibus ostenderet ingentes pecunias huic hereditati deberi. Et ne Præscriptio opponi posset, Justinianum pecunia expugnaverat ad ferendam hanc legem.

Source : BIU Cujas

LIBER

QUADRAGESIMUS-SECUNDUS.

TITULUS I.

DE RE JUDICATA ; ET DE EFFECTU SENTENTIARUM , ET DE INTERLOCUTIONIBUS.

Tractationi de acquirendâ poſſeſſione , ſubjiciendam cenſuerunt Pandectarum ordinatores tractationem de illâ poſſeſſione in quam Prætor mittit. Quamvis enim non ſit vera & propriè dicta poſſeſſio , habet tamen cum verâ affinitatem. Fit autem hæc miſſio tribus potiſſimùm ex cauſis ; ex causâ Damni infecti , *ex causâ* Legatorum , *& ex causâ* Rei ſervandæ. *De duabus prioribus jam alibi datâ occaſione egerunt : tractandum ſupereſt de tertiâ. Cùm autem in causâ rei ſervandæ , appellatione* Rei *tam Judicatum quàm Creditum contineatur ; tractationi de miſſione in poſſeſſionem rei ſervandæ causâ , præmittitur hic Titulus* De Re Judicata.

Quæ autem ad Creditum pertinent , ſuprà lib. 12. *fusè expenſa ſunt.*

I.

Res Judicata dicitur , quæ finem controverſiarum pronuntiatione judicis accipit: quod vel condemnatione vel abſolutione contingit. *l.* 1. Modest. lib. 7. Pand.

Sententia igitur & Res Judicata differunt , tanquam cauſa & effectus. Nam Sententia facit Rem Judicatam : & quidem non omnis Sententia , ſed ea demùm quæ juſta eſt , & definitiva , nec provocatione ſuſpenſa.

Quapropter 1°. *Præmittendum eſt de Sententiis , & videndum quæ & quorum judicum ſententiæ rem judicatam faciant.* 2°. *Agendum de naturâ Rei Judicatæ :* 3°. *De obligatione & actione* Judicati *quam Res Judicata parit :* 4°. *De executione Sententiarum , & pignoribus judicialibus :* 5°. *De duplici beneficio quod Judicatis datur ; ſcilicet* Induciarum *quod generale eſt , & ut quidam ex illis non ultra quod facere poſſunt ad ſolutionem compellantur :* 6°. *Denique quomodo ſolvatur obligatio Judicati.*

SECTIO I.

De Sententiis ; & quid requiratur ut juſtæ ſint , & ut Rem Judicatam faciant.

Sententia *dicitur , judicis pronuntiatio. Et duplex eſt ;* Interlocutoria , *ad litis ordinationem ſpectans ,* Definitiva , *quæ ipſam litis deciſionem continet.*

In omnibus Sententiis quædam requiruntur circa formam ipſarum , tum intrinſecam , tum extrinſecam ; alia in perſonâ judicis qui pronuntiat , alia in perſonâ litigatorum adversùs quos fertur. Quæ ſi omiſſa ſint , aut quid eorum ; Sententia dicitur Injusta. *His expoſitis , præcipuam inter definitivas Sententias & Interlocutiones differentiam expendemus.*

ARTICULUS I.

De formâ Sententiarum intrinſecâ.

§ I.

Oportere ut Sententia ſit certæ quantitatis aut rei.

I I.

Hinc V. G. Hæc Sententia , Omnem debiti quantitatem cum usuris competentibus solve ; Judicati actionem præſtare non poteſt : cùm apud judices ita demùm ſine certâ quantitate facta condemnatio auctoritate rei judicatæ cenſeatur , ſi parte aliquâ actorum certa ſit quantitas (*a*) comprehenſa. *l.* 3. *Cod. de Sent. quæ ſine certâ quantit.* Gordianus.

Similiter Hæc Sententia , Quæ bona accepisti , solve , cùm incertum eſſet quid accepiſſet , quantumque ab eo peteretur ; præſertim cùm ipſe qui extrà ordinem judicabat , Interlocutus ſit dotem datam quæ repeteretur non liquidam eſſe ; Judicati auctoritate non nititur. *l.* 4. *Cod. d. tit.* Idem.

Obiter nota : Cùm igitur is qui poſtea judicabat , contra te certam Sententiam protulerit ; neque à ſtatutis provocaveris ; ipſa tuo facto confirmaſti Judicatum. *d. l.* 4. ¶ *cùm igitur.*

Pari ratione : Qui ſortis quidem condemnationem faciunt , de uſuris autem ita pronuntiant ; Usuræ si quæ competunt vel quæ competunt , ut præſtentur ; non rectè pronuntiant. Debent enim de uſuris quoque cognoſcere , & certam facere condemnationem. *l.* 59. § 2. Ulp. lib. 4. de Omnib. tribunal.

I I I.

Obſervandum Sententiam non eſſe incertam , nec proindè injuſtam , licèt certam quantitatem aut certam rem non contineat ; ſi relationem habeat ad aliquid per quod determinetur id quod Sententiâ continetur.

Hinc Severus & Antoninus. Cùm judicem , quoad pecunia condemnationis ſoluta fuiſſet ; de pendendis uſuris legem dixiſſe profitearis : non contra Juris formam Sententiam datam , palàm (*b*) eſt. *l.* 1. *Cod. de Sent. quæ ſine certâ &c.*

Non diſſimili ratione nititur quod reſcribit Alexander. Quanquàm pecuniæ quantitas Sententiâ Curatoris Reipublicæ non continetur , Sententia tamen ejus rata

(*a*) Ad quam referatur condemnatio. Vide N. ſeq.

(*b*) Nam , quamvis Sententia modum uſurarum non exprimat ; tamen relationem habet ad Jus públicum quo uſurarum quæ ex Re Judicatâ debentur , modus determinatur. De quibus uſuris vide infrà Sect. 3ª.

Source : BIU Cujas

est; quoniam INDEMNITATEM Reipublicæ præstari (a) jussit. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

Ampliùs est rescriptum: Etsi in Sententiâ non sit summa adjecta; si tamen is qui petit, summam expresserit; & judex ait: SOLVE QUOD PETITUM est, vel QUANTUM PETITUM EST: valere Sententiam. *l.* 59. § 1. ULP. LIB. 4. DE OMNIB. TRIBUNAL.

Hinc etiam; Si judex aliquem sic condemnet, ut quod HABET ex testamento, vel codicillis Mævii, restitueret Titio; sic accipiendum est, quasi quantitatem nominavit quæ testamento vel codicillis relicta est.

Sed & si FIDEICOMMISSUM, sine scripturâ pronuntiatum est (b); ; idem erit probandum. *l.* 5. § 1. ULP. LIB. 59. AD ED.

§ II.

Oportere ut hoc quod Sententiâ continetur, non sit impossibile.

I V.

Paulus respondit; impossibile præceptum Judicis, nullius esse momenti. *l.* 3. *ff. Quæ Sent. sine appell.* PAUL. LIB. 16. RESPONS.

Idem respondit; Ab eâ Sententiâ cui pareri rerum naturâ non potuit, sine causâ appellari (c). *d. l.* 3. § 1.

§ III.

Oportere ut Sententia non impugnet expressè Leges.

V.

Si expressim Sententia contra Juris rigorem data fuerit, valere non debet: & ideò, & sine appellatione, causa denuò induci potest.

Non jure profertur Sententia, si specialiter contra Leges vel Senatusconsultum vel constitutionem fuerit prolata. Undè si quis ex hâc Sententiâ appellaverit, & præscriptione (d) summotus sit; neminè confirmatur ex hâc præscriptione Sententia. Undè potest causa ab initio agitari. *l.* 19. *ff. de Appellat.* MODESTIN. LIB. SING. DE ENUCLEATIS CASIBUS.

Suffragatur Macer. Item quum contra sacras Constitutiones judicatur, appellationis necessitas remittitur.

Contra Constitutiones autem judicatur, quum de jure Constitutionis, non de jure litigatoris pronuntiatur. Nam si judex, volenti se ex curâ muneris vel tutelâ, beneficio liberorum vel ætatis aut privilegii excusare, dixerit; NEQUE FILIOS neque ætatem, aut nullum privilegium ad muneris vel tutelæ excusationem prodesse: de jure constituto (e) pronuntiasse intelligitur. Quòd si de jure suo probantem admiserit; sed idcircò contra eum Sententiam dixerit, quòd negaverit EUM DE ÆTATE suâ aut de numero liberorum probasse; de jure litigatoris pronuntiasse intelligitur: quo casu appellatio necessaria est. *l.* 1. § 2. *ff. Quæ Sentent. sine appell.* MACER LIB. 2. DE APPELL.

Consonat quod rescribit Alexander. Si, quum inter te & aviam defuncti, quæstio de successione esset; judex datus à Præside provinciæ pronuntiavit, POTUISSE DEFUNCTUM ETIAM MINOREM QUATUORDECIM ANNIS TESTAMENTUM FACERE, ac per hoc aviam potiorem esse: Sententiam ejus, contra tam manifesti Juris formam datam, nullas habere vires palàm est: & ideò in hâc specie nec provocationis auxilium necessarium fuit. Quòd si, quum de ætate quæreretur, implesse defunctum quartum-decimum annum, & per hoc jure factum testamentum pronuntiavit; nec provocasti, aut post appellationis impletam causam destitisti: Rem Judicatam retractare non debes. *l.* 2. *Cod. Quand. provoc. non est necesse.*

V I.

Denique ita demùm Sententia injusta est, si expressè pronuntiet judex Legem non esse observandam; non si judicet duntaxat, in causâ de quâ judicat, Legem locum non habere.

Hinc Callistratus. Quum prolatis Constitutionibus contra eas pronuntiat judex; eo quòd non existimat causam de quâ judicat, per eas juvari; non videtur contra Constitutiones Sententiam dedisse. Ideòque ab ejusmodi Sententiâ appellandum est: alioquin Rei Judicatæ stabitur. *l.* 32. CALLISTR. LIB. 3. COGNITIONUM.

Hinc Modestinus. Præses provinciæ in usuras usurarum condemnavit, contra Leges & sacras Constitutiones: ideòque Lucius-Titius contra prolatam Sententiam injustam Præsidis appellavit. Quæro, cùm non secundùm Legem (f) hic Titius provocasset, an exigi possit pecunia secundùm condemnationem? Modestinus respondit; Si Sententiæ certa quantitas (g) continetur, nihil proponi cur JUDICATI agi non possit. *l.* 27. MODEST. LIB. 1. RESPONS.

In specie sequenti dubitatum fuit an expressè contra Leges Judicatum videretur.

Hanc ita refert Macer. Si apud eumdem judicem invicem petamus, si (h) & mea & tua petitio sine usuris fuit; & judex me priorem tibi condemnavit, quo magis tu prior condemnatum habeas: non est mihi (i) necesse pro hâc causâ appellare; quando secundùm sacras Constitutiones (k) Judicatum à me petere non possis, priusquàm de meâ quoque petitione judicetur. Sed magis est, ut appellatio interponatur (l). *l.* 1. § 4. *ff. Quæ Sentent. sine appell.* MACER. LIB. 2. DE APPELLAT.

§ IV.

Oportere ut Sententia, si definitiva sit, condemnationem vel absolutionem contineat.

V I I.

Præses provinciæ non ignorat definitivam Sententiam quæ condemnationem vel absolutionem non continet, pro justâ non haberi. *l.* 3. *Cod. de Sentent. & interlocut.* ALEXANDER.

Hinc V. G. Cùm judex in definitivâ Sententiâ jusjurandum solummodò præstari præcipiat, non tamen addat quid ex recusatione vel præstatione sacramenti fieri oportet; hujusmodi Sententiam nullam vim obtinere palàm est. *l.* 11. *Cod. d. tit.* DIOCL. ET MAXIM.

Hinc quoque irrita est pronuntiatio judicis, pronuntiantis partes paciscì debere. Ita rescribunt Diocletianus & Maximianus. Ex stipulatione partâ actione; paciscì proximis personis suadendo, Præses provinciæ verborum obligationem quam certo Jure tolli tantùm licet, extinguere non potest. Nec vox omnis judicis, Judicati continet auctoritatem; cùm potestatem Sententiæ certis finibus concludi, sæpè constitutum sit. Quàpropter, si nihil causâ cognitâ secundùm Juris rationem pronuntiatum est; vox paciscì suadentis Præsidis, actionem

(a) Quod relationem habet ad id quod arbitri æstimabunt.

(b) Supple *restituendum*, ut rectè notat Cujacius. Sensus est: *Si fideicommissum* judex, non adjectâ quantitatis mentione, simpliciter restituendum pronuntiavit; etsi relictum fuerit *sine scripturâ* ex quâ cognosci possit quantitas, tamen æquè probandum est valere Sententiam. Nec ideò videtur incerta Sententia; si nempè controversia non sit circa quantitatem ipsam, quæ vel ex actis causæ vel aliundè constat.

(c) Nam citra appellationis remedium, ipsa per se nullius est momenti.

(d) Puta quòd tempus appellationibus interponendis statutum, elapsum sit.

(e) Id est, de jure quod ipsa Lex constituit, pronuntiat. Hoc Jus, adeòque ipsam Legem, per Sententiam suam impugnat.

(f) Putà post diem provocationibus interponendis præstitutum.

(g) Quæ cum usuris, etiam usuras usurarum contineat: non tamen expressit judex se condemnare in usuras, & usurarum usuras.

(h) Maximè *Si*. Idem enim quod mox definitur, dicendum foret; etsi vel utraque, vel alterutra petitio *cum usuris* fuerit.

(i) Id est, primâ facie videtur non esse necesse.

(k) Quæ præcipiunt ut admittatur compensatio ejus quod mutuò hinc indè debetur: & contra quas primâ facie videtur judicasse judex, qui me tibi condemnavit antequàm cognosceret de mutuâ meâ petitione.

(l) Licèt enim hæc Sententiâ suprà dictis Constitutionibus non sit consona, tamen non expressè eas impugnat; adeòque valet.

perimere

Source : BIU Cujas

perimere si quam habuisti minimè potuit. *l.* 7. *Cod. d. tit.*

VIII.

Cæterùm nil refert quâ verborum conceptione judex in condemnando absolvendo-ve utatur. Hinc Ulpianus : In Sententiis sufficiet, si expresserit judex summam in Sententiâ; SOLVIque jusserit, vel PRÆSTARI, vel quo alio verbo hoc significaverit. *l.* 59. ULP. LIB. 4. DE OMNIB. TRIBUNAL.

ARTICULUS II.

De formâ Sententiarum extrinsecâ; seu de modo, die, & loco ferendæ Sententiæ.

§ I.

Quis sit modus ferendæ Sententiæ, ut justa sit.

IX.

Ut Sententia justa sit, oportet judicem præmisisse & observasse omnia quæ de more & juxta judiciorum ordinem observanda sunt. Secùs Prolatam à Præside Sententiam contra solitum judiciorum ordinem, auctoritatem Rei Judicatæ non obtinere certum est. *l.* 4. *Cod. de Sentent. & interloc.* ALEXANDER.

Hinc V. G. irrita erit Sententia, si absque cognitione causæ lata est.

Undè Gordianus. Judex qui disceptationi locum dederat, partium allegationes audire & examinare debuit. Nam subscriptionem ad libellum datam, talem quæ diversam partem in possessionem fundi mitteret, vicem Rei Judicatæ non obtinere non ambigitur. *l.* 5. *Cod. Comminat. epistolas, &c.*

Hoc etiam significare vult Constantinus, quum ait : Quod magno conflictu Sententiâ decerni solet, id paucis litteris temerè descriptis definiri fas non est. *l.* 7. *Cod. d. tit.*

Item quum ex Edicto peremptorio (*a*), quod neque propositum est neque in notitiam pervenit, absentis condemnatio fit; nullius momenti esse Sententiam, Constitutiones demonstrant. *l.* 1. § 3. *ff. Quæ Sentent. sine appell.* MACER LIB. 2. DE APPELLAT.

X.

Erit etiam injusta Sententia, si judex eam de scripto non recitaverit.

Hinc Valerianus & Gallienus. Arbitri (*b*) nulla Sententia est, quam scriptam edidit litigatoribus; si non ipse recitavit. Si igitur nihil fallis; omissâ provocationis morâ, ex integro judicari impetrabis à Rectore provinciæ. *l.* 1. *Cod. de Sentent. ex peric. recit.*

Id scilicet introductum quo major foret judicii fides. Igitur discusso utrimque negotio, judices deliberaturi secedebant post VELUM, *in eum locum qui* Secretarium *judicis dicebatur: ubi formatam emendatamque Sententiam Actuario dictabant; mox statim in Auditorio partibus præsentibus recitabant ex libello. Cujus moris necessitatem ita confirmant Valens, Valentinianus & Gratianus.* Hâc lege perpetuò credimus ordinandum, ut judices quos cognoscendi & pronuntiandi necessitas tenet, non subitas sed deliberatione habitâ post negotium Sententias ponderatas sibi ante forment; & emendatas statim in libellum (*c*) secutâ fidelitate conferant, scriptasque ex libello partibus legant. Sed nec sit eis posthac copia corrigendi vel mutandi; exceptis tam viris Eminentissimis Præfectis Prætorio, quàm aliis Illustrem administrationem gerentibus, cæterisque Illustribus judicibus : quibus licentia conceditur, etiam per Officium suum (*d*), & eos qui ministerium suum eis accommodant, Sententias definitivas recitare. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

Jure Novellarum; in litibus parvi momenti, maximè inter viles personas, judex potest absque scripto pronuntiare: Novell. XVII. *Cap.* 3. *Hoc quoque remittitur Episcopis, quum ipsi cognoscunt :* Novell. LXXXIII. *in pr.*

XI.

Ad modum quo Sententia ferri debet, illud quoque pertinet; quòd Decreta à Prætoribus Latinè interponi debent. *l.* 48. TRYPHONINUS LIB. 2. DISPUT.

Ex quo autem in Græciam Imperium translatum est; Judices tam Latinâ quàm Græcâ Linguâ Sententias proferre possunt. *l.* 12. *Cod. de Sentent. & interloc.* ARCAD. ET HONORIUS.

§ II.

Quæ requirantur circa diem & locum ferendæ Sententiæ.

XII.

Circa diem quo Sententia fertur, illud requiritur ut feriatus non sit; nisi partibus consentientibus Sententia feratur.

Hinc Philippus. Si (ut proponis) pars diversa, die feriato, absente vel ignorante te, à judice dato ferri Sententiam pro partibus suis, quasi contumaciter deesses, impetravit : non immeritò Præses, denuò negotium alterius judicis notioni terminandum commisit. *l.* 4. *Cod. Quomodo & quando judex.*

Item si judex sic datus est ut certâ die judicaret; Sententia aliâ die lata injusta erit.

Hinc Carus, Carinus, & Numerianus. Cùm non eo die quo Præses provinciæ præcepit, judex ab eodem datus pronuntiaverit; sed ductis (*e*) diebus alieniore tempore Sententiam dedisse proponatur : ne ambages frustrà interpositæ provocationis ulteriùs negotium protrahant; Præses provinciæ superstitiosâ appellatione submotâ, ex integro inter vos cognoscet. *l.* 6. *Cod. Quando provocare &c.*

XIII.

Ratione loci injusta potest esse Sententia, si non publicè & IN LOCO MAJORUM *feratur.*

Hinc Carus, Carinus, & Numerianus rescribunt : Cùm Sententiam Præsidis irritam esse dicis, quòd non publicè sed in secreto loco, Officio ejus non præsente, Sententiam suam dixit; nullum tibi ex his quæ ab eo decreta sunt, præjudicium generandum esse constat. *l.* 6. *Cod. de Sentent. & interloc.*

Item si certus locus ferendæ Sententiæ designatus sit, alibi prolata nulla est. Ita enim Philippus rescribit. Si (ut proponis) Præses provinciæ, cùm certum locum causæ cognoscendæ dedisset, alibi per obreptionem aditus, Sententiam adversùs te absentem protulit : quod ita gestum est, ad effectum Juris spectare minimè oportet. *l.* 5. *Cod. Quom. & quand. judex. &c.*

ARTICULUS III.

Quid requiratur circa personam Judicis, ut Sententia sit justa.

XIV.

Generaliter statuendum quòd is Qui neque jurisdictioni præest, neque à Principe potestate aliquâ præditus est, neque ab eo qui jus dandorum judicum habet, datus est, nec ex compromisso sumptus, vel ex aliquâ Lege confirmatus est, judex esse non potuit. *l.* 81. *ff. de Judiciis.* ULP. LIB. 5. OPINION.

Sed nec cujusvis Magistratûs qui alicui jurisdictioni præsit, aut judicis ab eo dati, Sententia justa erit; sed ejus demùm

(*a*) De quo vide suprà lib. 5. Tit. *de Judiciis*, Sect. VII.
(*b*) Judex in judiciis bonæ fidei dicitur *Arbiter* : ut vid. d. tit. *de Judiciis.*
(*c*) Hic libellus alibi BREVICULUM dicitur. Unde quidem in Rubricâ Codicis *de Sententiis ex* PERICULO *recitandis*, legendum putant *ex* BREVICULO.
(*d*) Id est, Officiales suos.
(*e*) Id est, productis : [*ayant prolongé le temps qui lui avoit été fixé.*]

Source : BIU Cujas

qui inter litigatores, & de causâ de quâ litigatum est, fuerit competens.

Hinc Gratianus, Valentinianus, & Theodosius. Et in privatorum causis hujusmodi forma servetur; NE quemquam litigatorum, Sententia non à suo judice dicta constringat. *l.* 4. *Cod. Si à non compet. judice &c.*

Sic V. G. cùm Magistratus militares, putà Magistri peditum aut equitum, nullam in privatæ conditionis homines jurisdictionem habeant (*l.* 1. & *l.* 2. *Cod.* de Offic. milit. jud.) *ita nec in privatorum causis judices dare possunt. Hinc Gordianus:* Si militaris judex super eâ causâ de quâ civilibus actionibus (*a*) disceptandum fuit, non datus à quo dari poterat, cognovit: etiam remotâ appellatione, id quod ab eo statutum est, firmitatem Judicati non habet. *l.* 2. *Cod. d. tit.* GORDIANUS.

Et similiter: Cùm Procurator Cæsaris, qui partibus Præsidis non fungebatur (*b*), in lite privatorum jus dandi judicis non habuisset; frustrà provocatum ab eâ Sententiâ constitit, quæ non tenebat. *l.* 23. §. 1. *ff. de Appellat.* PAPIN. LIB. 19. RESPONS.

Porrò qui judices sint competentes, vide suprà lib. 5. *Tit.* de Judiciis, *Sect.* 3ª.

Judici incompetenti similis est, qui in judicando fines suæ jurisdictionis excessit; putà, mulctam suâ jurisdictione majorem dixit.

Demùm enim (*ut rescribunt Carus, Carinus, & Numerianus*) Certâ ratione & sine mulctare Præsides possunt. Quòd si aliter & contra Legis statutum modum, Provinciæ Præses mulctam vobis irrogaverit; dubium non est, id quod contra Jus gestum videtur, firmitatem non tenere, & sine appellatione posse rescindi. *l.* 5. *Cod. quando provoc. non est necesse.*

XV.

Quum à judice dato Sententia lata est; non solùm hoc requiritur, ut Magistratus qui eum dedit, fuerit competens: sed item requiritur ut is judex datus fuerit, qui judex esse possit. Qui autem illi sint, vide supràd. Tit. de Judiciis.

Item ut delegationis suæ fines non excesserit. Nam Factum à judice quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est. *l.* 170. (*Aliàs* 130.) *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 4. AD PLAUTIUM.

Hinc Judex ad certam rem datus, si de aliis pronuntiavit quàm quod ad eam rem pertinet, nihil egit. *l.* 1. *Cod. Si à non compet. jud.* ALEXANDER.

Cæterùm quamvis formula quâ delegatur judex condemnationis duntaxat mentionem facere soleat; tamen & absolvendi, si ita videbitur, facultas ei delegata intelligitur.

Hinc Paulus: Qui damnare potest, is absolvendi quoque potestatem habet. *l.* 3. PAUL. LIB. 17. AD ED.

Undè hæc regula. NEMO qui condemnare potest, absolvere non potest. *l.* 37. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 51. AD SABIN.

XVI.

Quum plures judices dati sunt; si quidam absentibus aliis judicent, fines delegationis suæ excessisse videntur.

Hinc Valerianus & Galienus. Cùm Magistratus (*c*) datos judices, & unum ex his pronuntiasse proponas; non videtur appellandi necessitas fuisse, cùm Sententia Jure non teneat. *l.* 4. *Cod. Quando provocare &c.*

Similiter Celsus. Duo ex tribus judicibus, uno absente judicare non possunt: quippè omnes judicare jussi sunt. Sed si adsit, & contrà sentiat; statur duorum Sententiæ. Quid enim minùs verum est, omnes judicasse? *l.* 39. CELSUS LIB. 3. DIGEST.

Tunc autem universi judices intelliguntur judicare, quum omnes adsunt. *l.* 37. MARCEL. LIB. 3. DIGEST.

Item Pomponius libro trigesimo-septimo Ad Edictum scribit: Si uni ex pluribus judicibus de liberali causâ cognoscenti, de re non liqueat; cæteri autem consentiant: si is juraverit sibi non liquere, eo quiescente cæteros qui consentiant Sententiam proferre: quia, etsi dissentiret, plurium Sententia obtineret. *l.* 36. PAUL. LIB. 17. AD ED.

XVII.

Diximus, modò omnes judices adfuerint, quod ex majoris partis sententiâ statutum est, valere; quamvis quidam aut juraverint de causâ sibi non liquere, aut etiam contrà senserint.

At Inter pares numero judices, si dissonæ Sententiæ proferantur; in liberalibus quidem causis (secundùm quod à Divo Pio constitutum est) pro libertate statutum obtinet (*d*): in aliis autem causis, pro reo. Quod & in Judiciis publicis obtinere oportet. *l.* 38. PAUL. LIB. 17. AD ED.

Enimverò FAVORABILIORES rei potiùs quàm actores habentur. *l.* 125. (*Aliàs* 167.) *ff. de Reg. Jur.* GAIUS LIB. 5. AD ED. PROVINC.

Hinc quum quis querelâ inofficiosi experitur: Si pars judicantium de inofficioso testamento, contra testamentum; pars secundùm id, Sententiam dederit (quod interdum fieri solet): humanius erit, sequi ejus partis Sententiam quæ secundùm testamentum spectavit; nisi si apertè judices iniquè secundùm scriptum heredem pronuntiasse apparebit. *l.* 10. *ff. de inoffic. testam.* MARCELL. LIB. 3. DIGEST.

Ita quidem observatur in judiciis Centumviralibus, & Recuperatoriis; *in quibus seu Prætor cum Centumviris, seu Præses cum suis viginti Recuperatoribus, cognoscit. In his verò judiciis in quibus pedanei judices dantur: quum* Duo judices dati diversas Sententias dederunt, Modestinus respondit; Utramque Sententiam in pendenti esse donec competens judex (*e*) unam earum confirmaverit. *l.* 28. MODESTIN. LIB. 12. RESPONS.

Si diversis summis condemnent judices, minimam spectandam esse (*f*) Julianus scribit. *l.* 38. § 1. PAUL. LIB. 17. AD ED.

ARTICULUS IV.

Quæ requirantur circa personas partium.

XVIII.

Circa personas partium illud maximè requiritur, ut fuerint in rebus humanis.

Hinc Paulus respondit; Eum qui in rebus humanis non fuit Sententiæ dictæ tempore, inefficaciter condemnatum videri. *l.* 2. *ff. Quæ Sent. sine appell.* PAUL. LIB. 3. RESP.

A fortiori Idem respondit; Adversùs eum qui in rebus humanis non esset, quum judex datus est; neque judicis dationem valuisse, neque Sententiam adversùs eum dictam vires habere. *d. l.* 2. § 1.

Et quidem et Si quis ex Edicto peremptorio post mortem sit condemnatus, non valet Sententia; quia morte rei, peremptorium solvitur. Ideòque ut in re integrâ, de causâ notio præstabitur; & quod optimum patuerit, statuetur. *l.* 59. § *fin.* ULPIAN. LIB. 4. DE OMNIBUS TRIBUNALIB.

XIX.

Illud quoque requiritur; ut inter eas personas Sententia lata sit, quæ rem in judicium deduxerint.

(*a*) *Civiles actiones* opponit militaribus; sicut *Civiles judices* passim dicuntur, oppositè ad *judices Militares*, id est eos qui à Magistratibus militaribus dati sunt.

(*b*) Interdum ei qui negotia Cæsaris in aliquâ provinciâ procurabat, etiam regenda provincia committebatur: idemque erat & Procurator Cæsaris, & provinciæ Præses; qualis fuit in Judeâ Pontius-Pilatus. Quòd si *partibus Præsidis* non fungeretur; in causis fisci tantùm Jus dicere poterat, non in causis privatorum.

(*c*) Legendum videtur, *à Magistratu.*

(*d*) Vid. suprà lib. 40. Tit. *de Liberali causâ* Art. 3. §°. 7°.

(*e*) Magistratus scilicet qui eos delegavit.

(*f*) Ratio est quia, cùm minima cæteris summis insit, in hanc omnes conferunt: l. 27. § 3. ff. *de Receptis.*

Source : BIU Cujas

Hinc Severus & Antoninus. Non videtur nobis rationem habere Sententia deceſſoris tui; qui (quum cognoviſſet inter petitorem & procuratorem) non procuratorem (*a*), ſed ipſam dominam litis condemnavit, cujus perſona in judicio non fuit. Potes igitur, ut re integrâ, de causâ cognoſcere. *l.* 1. *Cod. de Sent. & interloc.*

Item oportet ut inter eas perſonas lata ſit, quæ ſtare in judicio potuerint: de quâ re vide Tit. de Judiciis. *Sect.* 2ª. *art.* 1.

XX.

Si Minor condemnetur, requiritur ut defenſus fuerit. Nam Contra indefenſos Minores, tutorem vel curatorem non habentes, nulla Sententia proferenda eſt. *l.* 45. § 2. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Pariter Si quid adversùs Rempublicam indefenſam, in eâ ſpecie in quâ neque defenſores creati fuerint, neque ut crearentur placuit ſtatutum eſt; actionibus ejus nihil eſt præjudicatum. *l.* 1. *Cod. de Jure Reipubl.* ANTONINUS.

XXI.

Denique De unoquoque negotio præſentibus omnibus quos cauſa contingit, judicari oportet: aliter enim Judicatum, tantùm inter præſentes tenet. *l.* 47. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Cæterùm ſi quis litem conteſtatus ſit cum pluribus, quorum alii adſint, alii abſint; & cauſa dividi poſſit: poteſt judex de causâ præſentium judicare. Ita enim Papinianus. Non idcircò judicis officium impeditur, quòd quidam ex tutoribus poſt litem adversùs omnes inchoatam Reipublicæ causâ abeſſe cœperunt: cùm præſentium, & eorum qui non defenduntur, adminiſtratio diſcerni & æſtimari poſſit. *l.* 44. *ff. de Judiciis.* PAPINIAN. LIB. 2. RESPONS.

At Ea quæ ſtatuuntur adversùs abſentes non per contumaciam, ſcilicet denuntiationibus nequaquàm ex more conventos, Judicatæ Rei firmitatem non obtinere certum eſt. *l.* 7. *Cod. Quomodo & quando judex &c.* DIOCL. ET MAXIM.

Conſonat quod reſcribit Gordianus. Si accuſatoribus abſentibus, & non per contumaciam adeſſe judicio ceſſantibus; ex unâ poſtulatione aditus Præſes provinciæ, non causâ cognitâ, Sententiam dixit, quâ eum de quo querimoniam detuliſti, liberandum exiſtimavit: criminatione etiam nunc perſeverante, quæ contumaciâ vel ceſſatione accuſatorum non interveniente auferri non potuit, cauſa intentati criminis, apud eumdem vel ſucceſſorem ejus more judiciorum tractabitur. *l.* 4. *Cod. de Accuſat. & inſcript.*

XXII.

Non valet quidem Sententia contra abſentem non contumacem lata; at pro abſente lata valet.

Et quidem in ſpecie ſequenti, etiam abſente accuſatore condemnationem valere reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Quamvis indubitati Juris ſit, quoties adulterii crimen intenditur; præſentiam accuſatoris præcedere oportere: tamen quoniam ex litteris tuis cognovimus Materiam Propoſiti Viatoris uxorem, habitis quæſtionibus, cum Juliano quodam adulterium commiſiſſe detectam, ſub ipsâ prolatione Sententiæ Viatoris ipſius præſentiam poſtulaſſe; non putavimus confecto penè judicio, facinore etiam agitatâ quæſtione convicto, Propoſitum ab excubiis limitis revocandum. *l.* 19. *Cod. Ad Leg. Jul. de Adulter.*

Sed & quum contra abſentem Sententia lata eſt: Ab eo Judicato recedi non poteſt, quod vobis abſentibus & ignorantibus atque indefenſis dicitis eſſe prolatum; ſi ubi primùm cognoviſtis, non illicò de ſtatutis querelam detuliſtis. Ita enim firmitatem Sententia quæ ita prolata eſt, non habebit; ſi ei non ſit commodatus aſſenſus. *l.* 3. *Cod. Quom. quand jud. &c.* GORDIANUS.

Obſervandum ſupereſt, abſenti ſimilem eſſe qui non intelligit quod agitur.

Hinc Furioſo Sententia à judice vel ab arbitro dici non poteſt. *l.* 9. POMPON. LIB. 5. EX PLAUTIO.

(*a*) Cæterùm quum quis per procuratorem litigat; ſufficit procuratorem litis qui condemnatur, eſſe in rebus humanis; quamvis dominus litis qui eum conſtituit, deceſſerit: ut vid. ſuprà lib. 3. Tit. *de Procuratorib.* N. 46.
(*b*) Interloquendo.

ARTICULUS V.

De præcipuâ inter Sententias definitivas & Interlocutiones differentiâ.

XXIII.

Hæc præcipua inter Sententiam definitivam & Interlocutionem obſervanda eſt differentia. Nimirùm INTERLOCUTIO *eſt pronuntiatio judicis, quæ ad litis progreſſum ſpectat: cùm igitur judex qui eam pronuntiavit, pergat eſſe judex; eam meliùs conſultus mutare poteſt. Contrà* SENTENTIA DEFINITIVA *eſt, ea quâ per condemnationem aut abſolutionem cauſa finitur: undè cùm eâ judicis officium finiatur, retractari ab eo non poteſt.*

Hinc de Interlocutionibus Celſus: Quod juſſit vetuitve (*b*) Prætor, contrario imperio tollere, & repetere (*aliàs* remittere) licet. De Sententiis contrà. *l.* 14. CELSUS LIB. 25. DIGESTOR.

Similiter Paulus: Acta apud ſe habita, ſi partes conſentiant & judex hoc permiſerit, poteſt jubere eâ die circumduci (*c*); niſi vel negotium vel lis terminata eſt. *l.* 45. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Enimverò Judex poſteaquàm ſemel Sententiam dixit, poſtea judex eſſe deſinit. Et hoc Jure utimur, ut judex qui ſemel vel pluris vel minoris condemnavit, ampliùs corrigere Sententiam ſuam non poſſit. Semel enim, malè ſeu benè, officio functus eſt. *l.* 55. ULP. LIB. 51. AD SABIN.

Et quidem Alfenus. Quum quærebatur, judex ſi perperàm (*d*) judicaſſet, an poſſet eodem die iterùm judicare? reſpondit, Non poſſe. *l.* 62. ALFENUS-VARUS LIB. 6. DIGEST. A PAULO EPITOMAT.

His conſonat quod reſcribit Gordianus. Neque ſuam neque deceſſoris ſui Sententiam quemquam poſſe retractare, in dubium non venit. Nec neceſſe eſſe ab hujuſmodi Decreto interponere provocationem; exploratı Juris eſt. *l.* 1. *Cod. Sentent. reſcindi &c.*

Pariter Diocletianus & Maximianus. Poſt Sententiam quæ finibus certis concluditur (*e*); ab eo qui pronuntiaverat, vel, ejus ſucceſſore, de quæſtione quæ jam deciſa eſt, ſtatuta, Rei Judicatæ non obtinent auctoritatem. Nam (*f*) nec de poſſeſſione pronuntiata, proprietati ullum præjudicium afferunt; nec cauſam ullam Interlocutiones plerùmque perimunt. *l.* 9. *Cod. de Sentent. & interloc.*

XXIV.

Hæc ita, quum Sententia nullo formæ vitio laborat; alioquin retractari poteſt.

Sed & quum juſta eſt Sententia, Paulus reſpondit; Reſcindere quidem Sententiam ſuam præcedentem Prætorem non poſſe: reliqua autem quæ ad conſequentiam quidem jam ſtatutorum pertinent, priori tamen Sententiæ deſunt, circa condemnandum reum vel abſolvendum debere ſupplere; ſcilicet eodem die. *l.* 42. PAUL. LIB. 3. RESPONS.

Item Actorum verba emendare, tenore Sententiæ perſeverante, non eſt prohibitum. *l.* 46. HERMOGEN. LIB. 2. JURIS EPITOMARUM.

(*c*) *Acta circumducere*, mettre à néant tout ce qui s'eſt fait.
(*d*) Id eſt, iniquè; tamen quoad formam, legitimè.
(*e*) Nam Sententia incerta non valet; ſuprà N. 7.
(*f*) *Nam* pro *ſed.*

Source : BIU Cujas

ARTICULUS VI.

Quæ & quorum judicum Sententiæ, Rem Judicatam faciant.

XXV.

Res Judicatæ videntur ab his qui imperium poteſtatemque habent, vel qui ex auctoritate eorum inter partes dantur. Itemque à Magiſtratibus municipalibus, uſque ad ſummam de quâ Jus dicere poſſunt: itemque his qui ab Imperatore extrà ordinem petuntur. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 5. § 1.

Hinc quum de Re Judicatâ edicens, ait Prætor: CUJUS DE EA RE JURISDICTIO EST; meliùs ſcripſiſſet, CUJUS DE EA RE NOTIO EST. Etenim notionis nomen etiam ad eos pertineret qui juriſdictionem non habent, ſed habent de quâvis aliâ causâ (*a*) notionem. *l.* 5. ULP. LIB. 59. AD ED.

Ex compromiſſo autem judex ſumptus Rem Judicatam non (*b*) facit; ſed ſi pœna inter eos promiſſa ſit, pœna rei in judicium deductæ ex ſtipulatu peti poteſt. PAUL. SENTENT. *lib.* 5. *ſup. d.* § 1. ¶ *ex compromiſſo.*

Quidquid illi quos enumeravimus, definitivè pronuntiaverunt ſeu ſtatuerunt, ſi nec ullo formæ vitio laboret, nec provocatione ſuſpendatur, Rem Judicatam facit. Quocircà nota: Pronuntiatum & ſtatutum idem poteſt. Promiſcuè enim & pronuntiaſſe & ſtatuiſſe ſolemus dicere, eos qui jus habent cognoſcendi. *l.* 46. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 59. AD ED.

XXVI.

Id autem demùm quod definitivâ Sententiâ ſtatutum eſt, Rem Judicatam facere poteſt. Cæterùm Programma (*c*) ſi quod à Præſide provinciæ præpoſitum eſt, vim Rei Judicatæ nequaquàm obtinere poteſt.

Nec comminationem, vim Rei Judicatæ obtinere manifeſtum eſt. *l.* 6. *Cod. Comminat. epiſt. &c.* PHILIPP.

Hinc Interlocutio Præſidis apud acta ſignata; ut niſi ſolutioni debiti is qui convenitur obſequium præſtitiſſet, duplum ſeu quadruplum inferat; voluntas potiùs comminantis, quàm Sententia judicantis eſt: cùm placitum hujuſmodi ne Rei Judicatæ auctoritatem obtineat, Juris ratio declaret. *l.* 4. *Cod. d. tit.* GORDIANUS.

Sed Nec vim ſtipulationis obtinere poteſt comminatio judicis; qui certas uſuras præſtituros eos dixit qui intrà certum diem, debitum non exſolviſſent. *l.* 1. *Cod. d. tit.* ANTONIN.

Scholium.

Quæ in totâ hâc Sectione diximus, non ſolùm civilibus cauſis, ſed & pleraque in criminalibus obtinent: ut facilè notari potuit in decurſu, & latiùs videb. infrà. lib. 48.

SECTIO II.

De naturâ Rei Judicatæ.

XXVII.

Rei Judicatæ natura eſt, ut ſit immutabilis; etiamſi malè judicatum eſſet. Hinc Mæcianus: Quum Prætor, cognitâ causâ, per errorem vel etiam ambitiosè juberet hereditatem ut ex fideicommiſſo reſtitui; etiam publicè intereſt reſtitui, propter Rerum Judicatarum auctoritatem. *l.* 65. § 2. *ff. Ad SC. Trebell.* MÆCIAN. LIB. 5. FIDEIC.

Hinc Juris regula: RES Judicata pro veritate accipitur. *l.* 207. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 1. AD L. JUL. ET PAP.

Hinc quidquid à quocumque Magiſtratu contra Rem Judicatam ſtatuitur, ipſo Jure nullum eſt. Undè Alexander: Latam Sententiam dicitis; quam ideò vires non habere contenditis, quòd contra Res priùs Judicatas à quibus provocatum non eſt, lata ſit. Cujus rei probationem ſi promptam habetis; etiam citra provocationis adminiculum, quod ita pronuntiatum eſt Sententiæ auctoritatem, non obtinebit. *l.* 1. *Cod. Quando provoc. &c.*

Si tamen in idipſum quæſtio vertatur, an Res Judicata ſit necne; Sententia ſuper hoc lata priorem reſcindet. Hinc Macer. Illud meminerimus, Si quæratur Judicatum ſit necne; & hujus quæſtionis judex NON ESSE JUDICATUM pronuntiaverit, licèt fuerit judicatum; reſcinditur (*d*), ſi provocatum non fuerit. *l.* 1. *ff. Quæ Sent. ſine appellat.* MACER LIB. 2. DE APPELL.

Extrà hunc caſum, non ſolùm Sententiæ poſteriùs latæ non reſcindunt Judicatum: quinetiam, ut reſcribit Conſtantinus, Impetrata Reſcripta non placet admitti; ſi deciſæ ſemel cauſæ fuerint Judiciali Sententiâ, quam provocatio nulla ſuſpendit: ſed eos qui talia Reſcripta meruerunt, etiam limine judiciorum expelli. *l.* 3. *Cod. Sentent. reſcind.*

Idem alibi. Qui licitam provocationem omiſerit, perpetuò ſiſtere debebit; nec à Nobis impudens petere per ſupplicationem auxilium. Quod ſi fecerit, deſiderio ſuo carebit, & ignominiæ pœnâ notabitur. *l.* 3. *Cod. Ut lite pendente vel poſt &c.*

Et quidem Licèt poſtquàm ſupplicaſti, priuſquàm Reſcriptum impetrares, Præſes provinciæ vir Clariſſimus pronuntiaverit: cùm tamen à Sententiâ non provocaveris; Reſcriptum quod poſtea ſecutum eſſe ſuggeris, ad retractanda ea quæ Decreto terminata ſunt, non patrocinatur. *l.* 1. *Cod. d. tit.* ALEXANDER.

Maximè verò notandum quod edicit Conſtantinus. Supplicare causâ pendente non licet, niſi vel actorum communium vel pronuntiationis (*e*) editio denegetur. Qui autem terminatam Reſcripto vel Conſultatione (*f*) quæſtionem, exquiſito ſuffragio refricare conabitur; in omnem litis æſtimationem adverſario ſuo protinùs condemnetur: omni veniâ denegandâ, ſi quis contra hæc ſupplicare tentaverit. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

XXVIII.

Hæc obtinent; quamvis is contra quem lata Sententia eſt, omiſerit allegare quod ad tuitionem cauſæ profuiſſet; niſi Minor fuerit.

Hinc Alexander. Si quum tibi pretium prædiorum à curatoribus comparatorum reputaretur, & inſtrumenta emptionis traderentur, quæſtionem omiſſæ evictionis (*g*) non moviſti: intelligis ſemel finitam litem inſtaurari non poſſe. *l.* 4. *Cod. de Judiciis.*

Hinc Diocletianus & Maximianus. Peremptorias exceptiones omiſſas in initio, antequàm Sententia feratur opponi poſſe, Perpetuum Edictum manifeſtè declarat. Quòd ſi aliter actum fuerit, in integrum reſtitutio permittitur (*h*). Nam Judicatum contra majores annis viginti quinque, non oppoſitæ præſcriptionis velamento, citra remedium appellationis reſcindi non (*i*) poteſt. *l.* 2. *Cod. Sentent. reſc.*

Sed nec ſub prætextu erroris Advocati, Reſcriptum ad

(*a*) Quales ſunt Judices pedanei, qui dantur à Magiſtratibus ut cauſam diſceptent & Sententiam ferant: de quibus ſuprà lib. 5. Tit. *de Judiciis.*

(*b*) Vide ſuprà lib. 4. Tit. *de Receptis* N. 54.

(*c*) *Programma* eſt Edictum quod in celeberrimis civitatis locis proponitur, putà contra latitantem vel contumacem: quo ſi quid comminetur judex, non habet auctoritatem rei judicatæ.

(*d*) Prior Sententia. Et ſimiliter nota de Tranſactionibus, quòd ſuper rem quidem Judicatam non poteſt tranſigi: at ſi ignoretur an Judicata ſit, tranſigi poteſt: ſuprà lib. 2. Tit. *de Tranſact.* N. 4.

(*e*) *Pronuntiationem* hîc intellige, quæcumque judex in cauſæ decurſu ad ejus ordinationem pronuntiavit: [*les différens Réglemens intervenus dans la cauſe*].

(*f*) *Conſultatio* appellatur, quum ad Imperatorem de jure dubitans Magiſtratus refert.

(*g*) Id eſt; omiſiſti petere à curatoribus quanti tuâ intereſt, quòd ipſorum negligentiâ non fuerit interpoſita cautio de evictione prædiorum quæ tibi comparaverunt.

(*h*) Quaſi ſolum remedium; proindèque ſolis Minoribus. *Nam contra Majores &c.*

(*i*) Proindèque elapſo tempore appellandi, Sententia nihilominùs tranſit in Rem judicatam.

Source : BIU Cujas

reſcindendam Sententiam, maximè adversùs præſentem latam, impetrari poteſt.

Hinc iidem reſcribunt: Sententiis finita negotia, Reſcriptis revocari non oportet. Nec enim quæ conſtituta ſunt, id eſt ut Advocatorum error litigatoribus non noceat, tibi etiam opitulari poſſunt: cùm te præſente (*a*) neque cauſæ palàm ex continenti (id eſt, triduo proximo) contradixiſſe, neque poſt Sententiam appellationis remedio (ſi tibi hæc diſplicebant) uſam, eſſe proponas. *l.* 3. *Cod. de Errore Advocatorum.*

XXIX.

Nec ſub prætextu erroneæ computationis, reſcinditur Res Judicata. Nam Res Judicatæ, ſi ſub prætextu computationis inſtaurentur, nullus erit litium finis. *l.* 2. *Cod. h. tit.* ANTONINUS.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Errorem calculi ſive ex uno contractu, ſive ex pluribus emerſerit, veritati non adferre præjudicium ſæpè conſtitutum eſt. Undè rationes etiam ſæpè computatas denuò tractari poſſe, ſi Res Judicatæ non ſunt, vel tranſactio non intervenit, explorati Juris eſt. *l. un. Cod. de Errore calculi.*

Rei judicatæ & Tranſactioni ſimilem facit Paulus, circa errorem calculi, exceptionem ex lapſu temporis petitam. Ita ille: Ratio calculi ſæpiùs ſe patitur ſupputari. Atque ideò poteſt quocumque tempore retractari, ſi non longo tempore evaneſcat. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 5. § 11.

Nota. Non poteſt quidem ſub prætextu erroris calculi, Res Judicata retractari; ſicut nec ſub hoc prætextu Sententia quæ nondum tranſiſſet in Rem Judicatam, citra provocationem corrigi. Si tamen computationis error in ipsâ Sententiâ comprehenderetur, citra provocationem corrigi poterit; proindequè nec Res Judicata obſtabit quominùs corrigatur.

Hinc Macer. Item ſi calculi error in Sententiâ eſſe dicatur, appellare neceſſe non eſt: veluti ſi judex ita pronuntiaverit: « CUM conſtet Titium Seio ex illâ ſpe- » cie quinquaginta, item ex illâ ſpecie viginti-quinque » debere; idcircò Lucium-Titium Seio CENTUM con- » demno. » Nam quoniam error computationis eſt, nec appellare neceſſe eſt, & citra provocationem corrigitur. Sed & ſi hujus quæſtionis judex, Sententiam CENTUM confirmaverit: ſi quidem ideò quòd quinquaginta & viginti-quinque fieri centum putaverit; adhuc idem error computationis eſt, nec appellare neceſſe eſt: ſi verò ideò quoniam & alias ſpecies viginti-quinque fuiſſe dixerit, appellationi locus eſt. *l.* 1. § 1. *ff. Quæ Sent. ſine appell.* MACER LIB. 2. DE APPELL.

XXX.

Sed & Sub ſpecie novorum inſtrumentorum poſtea repertorum, Res Judicatas reſtaurari, exemplo grave eſt. *l.* 4. *Cod. h. tit.* GORDIANUS.

Hoc ita; niſi Sententia lata eſſet ex jurejurando quod Suppletorium *vocant, id eſt in defectum inſtrumentorum aliarum-ve probationum delato à judice: ut vid. ſupra lib.* 12. *Tit.* de Jurejur. *N.* 51.

Item niſi dolo adverſarii inſtrumenta ſubtracta fuiſſent: argumento legis 19. *Cod.* de Tranſaction. *ſuprà lib.* 2. *Tit.* de Tranſact. *N.* 19.

Item Imperatores Antoninus & Verus reſcripſerunt; Quanquàm ſub obtentu novorum inſtrumentorum reſtitui negotia minimè oporteat; tamen in negotio publico, ex causâ permittere ſe hujuſmodi inſtrumentis uti (*b*). *l.* 35. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. CONSTITUT.

XXXI.

Hactenùs de caſu quo inſtrumenta ad cauſæ deciſionem pertinentia non fuiſſent edita.

Longè diverſus caſus eſt, ſi ex falſis inſtrumentis Judicatum fuiſſet. Nam Judicati executio ſolet ſuſpendi, & ſoluti dari repetitio; ſi falſis inſtrumentis circumventam eſſe religionem judicantis, crimine poſtea Falſi illato, manifeſtis probationibus fuerit oſtenſum. *l.* 4. *Cod. Si ex falſis inſtrum.* GORDIANUS.

Et quidem is quoque qui inſtrumenta illa quaſi vera errans agnoviſſet, poteſt ex hâc causâ litem renovare.

Hoc docet Modeſtinus. Ita ille: Qui adgnitis inſtrumentis, quaſi vera eſſent, ſolvit poſt Sententiam judicis: quæro ſi poſtea cognitâ rei veritate, & repertis falſis inſtrumentis accuſare velit, & probare falſa eſſe inſtrumenta ex quibus conveniebatur; quum (*c*) inſtrumentis ſubſcripſerat, ex præcepto ſive Interlocutione judicis; an præſcriptio ei opponi poſſit? cùm & Principalibus Conſtitutionibus manifeſtè cavetur, etſi Res Judicata eſſet ex falſis inſtrumentis, ſi poſtea falſa inveniantur, nec Rei Judicatæ præſcriptionem opponi. Modeſtinus reſpondit; Ob hoc quòd per errorem ſolutio facta eſt, vel cautio de ſolvendo interpoſita proponitur; ex his inſtrumentis quæ nunc falſa dicuntur, præſcriptioni locum non eſſe. *l.* 11. *ff. de Exceptionib.* MODESTIN. LIB. 13. RESPONS.

Obſervandum tamen, ad retractandam Sententiam ſatis non eſſe quòd falſa inſtrumenta edita fuerint; niſi doceatur ex his Judicatum fuiſſe.

Hinc Alexander. Falſam quidem teſtationem quâ diverſa pars in judicio adversùs te uſa eſt, ut proponis, ſoluto more arguere non prohiberis: ſed cauſa Judicati in irritum non devocatur; niſi probare poteris, eum qui judicaverat, ſecutum ejus inſtrumenti fidem quod falſum eſſe conſtiterit, adversùs te pronuntiaſſe. *l.* 3. *Cod. Si ex falſis inſtrum.*

Quod de falſis inſtrumentis hactenùs dictum eſt, & de falſis teſtimoniis dictum puta; cùm eadem ſit ratio. Et quidem Divus Hadrianus aditus per libellum à Julio-Tarentino; & indicante (*Malè vulgò* judicante) eo, falſis teſtimoniis, conſpiratione adverſariorum teſtibus pecuniâ corruptis, religionem judicis circumventam eſſe; in integrum cauſam reſtituendam, in hæc verba reſcripſit: « EXEMPLUM libelli dati mihi à Julio-Tarentino mitti » tibi juſſi. Tu, ſi tibi probaverit conſpiratione adver- » ſariorum & teſtibus pecuniâ corruptis oppreſſum ſe; » & rem ſeverè vindica, & ſi qua à judice tam malo » exemplo circumſcripto Judicata ſunt, in integrum (*d*) » reſtitue. » *l.* 33. CALLISTRAT. LIB. 5. COGNITION.

XXXII.

Hactenùs de caſu quo ex falſis inſtrumentis aut teſtimoniis Judicatum eſt. Sed & quotieſcumque dolus adverſarii intervenerit, retractari Sententia poterit: putà ſi ab eo judex corruptus dicatur.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Venales Sententias quæ in mercedem à corruptis judicibus proferuntur; etiam citra interpoſitæ provocationis auxilium, jam pridem à Divis Principibus infirmas eſſe decretum eſt. *l.* 7. *Cod. Quand. provoc. &c.*

Vide alium caſum quo retractatur quandoque Sententia, nimirùm in favorem fiſci: infrà lib. 49. *Tit.* de Jure fiſci, *Sect.* 2. § 8.

SECTIO III.

De actione Judicati, *quam parit Res Judicata.*

Quum Res Judicata aliquem abſolvit, parit ei exceptionem Rei Judicatæ; *de quâ propriùs infrà Titulus lib.* 44. *Quum autem aliquem condemnat, parit adversùs eum*

(*a*) Haloander legit rectiùs, *præſentem.*

(*b*) Ad litem inſtaurandam. Hîc igitur nota unam ex cauſis in quibus locus eſt privilegio fiſci; ut Sententiæ contra ipſum latæ, retractari poſſint: l. un. Cod. *de Sent. adverſ. fiſc. retract.*

(*c*) Id eſt, *an opponi poſſit præſcriptio* etiam eo caſu quo ſubſcripſiſſet.

(*d*) Hæc verba non ſunt in proprio ſenſu accipienda; ut rectè hîc obſervant Doctores. Conſtat enim ex ſuprà dictis legibus, Sententiam falſis *Inſtrumentis* latam, eſſe ipſo Jure nullam: eadem autem omninò hâc in re eſt ratio *Teſtium* & *Inſtrumentorum*; cùm & ipſi teſtes *Inſtrumentorum* nomine veniant, & cauſam inſtruant. Senſus itaque eſt: *Ex integro de causâ cognoſce*, ſeu, quaſi res integra eſſet, & inſuper habitâ Sententiâ quæ nulla eſt.

Source : BIU Cujas

actionem JUDICATI : *circa quam videndum, cui & adversùs quem detur, quid contineat, & quandiù duret.*

§ I.

Cui & adversùs quem detur hæc actio.

XXXIII.

Hæc actio datur ei cui condemnatio facta est, adversùs eum qui condemnatus est.

CONDEMNATUM accipere debemus, eum qui ritè condemnatus est, ut Sententia valeat. Cæterùm si aliquâ ratione Sententia nullius momenti sit, dicendum est condemnationis verbum non tenere. *l.* 4. § 6. ULP. LIB. 58. AD ED.

XXXIV.

Quotiens autem plures in unam summam condemnantur, utrùm una Sententia est; & quasi plures in unam summam rei sint promittendi, ut unusquisque eorum in solidum teneatur; an verò scinditur in personas Sententia, quæritur? Et Papinianus respondit, Scindi Sententiam in personas: atque ideò eos qui condemnati sunt, viriles partes debere. *l.* 10. § 3. *ff. de Appell.* ULP. LIB. 8. DISPUT.

Similiter Paulus respondit; Eos qui unâ Sententiâ in unam quantitatem condemnati sunt, pro portione virili ex causâ Judicati conveniri. Et, si ex Sententiâ adversùs tres dictâ, Titius portionem sibi competentem exsolvit ex personâ cæterorum, ex eâdem Sententiâ conveniri eum non posse. *l.* 43. PAUL. LIB. 16. RESPONS.

Hoc obtinet, etiamsi ex eâ causâ condemnati essent ex quâ in solidum singuli tenebantur; si judex non expressè in solidum singulos condemnavit.

Hinc Gordianus. Quoties à tutoribus singulis, procuratoribus datis, sequitur in omnium personâ condemnatio; periculum Sententiæ videtur esse divisum (*a*). Ideoque quod ab uno servari non poterit, à cæteris exigi non posse explorati Juris est. *l.* 2. *Cod. Si plures unâ Sentent.*

Similiter Alexander cuidam Magistratui municipali rescribit. Si non singuli in solidum, sed generaliter tu & collega tuus unâ & certâ quantitate condemnati estis; nec additum (*b*) est, ut, quod ab altero servari non posset, id alter suppleret: effectus Sententiæ pro virilibus portionibus discretus est. Ideòque parens pro tuâ portione Sententiæ, ob cessationem alterius ex causâ Judicati conveniri non potes. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

XXXV.

Interdum non ei cui condemnatio facta est, actio Judicati datur, sed alteri. Nam quum procuratori condemnatio facta est; non ei, nisi in rem suam fuerit procurator, sed domino litis hæc actio datur.

Cæterùm Actoris procurator non in rem suam datus; propter impensas quas in litem fecit, potest desiderare ut sibi ex judicatione satisfiat; si dominus litis solvendo non sit. *l.* 30. *ff. de Procuratorib.* PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Interdum etiam, non in ipsum qui condemnatus est, hæc actio Judicati datur. Enimverò Si se non obtulit (*c*) procurator; Judicati actio in eum denegabitur, & in dominum dabitur: si se obtulit; in ipsum dabitur. Obtulisse autem se liti videtur, non is qui in rem suam (*d*) procurator datus sit: nam hic aliâ ratione recusare Judicati actionem non potest; quia hic, non in alienam, sed in suam rem procurator factus est. *l.* 4. ULP. LIB. 58. AD ED.

Rectè igitur Plautius ait: Procuratorem damnatum non debere conveniri, nisi aut in rem suam datus esset, aut obtulisset se quum sciret cautum non esse; omnibus placuit.

Idem erit observandum (*e*), & si defensoris loco (*f*) cum satisdatione (*g*) se liti obtulerit. *l.* 61. *ff. de Procurat.* PAUL. LIB. 1. AD PLAUT.

Quanquàm & quum in rem suam esset procurator, Si actor malit dominum potiùs convenire, quàm eum qui in rem suam procurator est; dicendum est, ei licere. *l.* 29. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 9. AD ED.

Tutor quoque vel curator in eâ conditione sunt, ut non videantur (*Aliàs* debeant) videri se liti obtulisse. Idcircòque debet denegari in eos Judicati actio. *l.* 4. § 1. ULP. LIB. 58. AD ED.

Pariter Actor municipum potest Rem Judicatam recusare: in municipes enim Judicati actio dabitur. *d. l.* 4. § 2.

XXXVI.

Quod diximus, non in procuratorem sed in dominum actionem dandam, obtinet; etiamsi is qui alieno nomine experiebatur, quid dolosè egerit.

Hinc Alexander. Si procurator ad unam speciem constitutus, officium mandati egressus est; id quod gessit, nullum domino præjudicium facere potuit. Quòd si plenam potestatem agendi habuit, Rem Judicatam rescindi non oportet; cùm, si quid fraude vel dolo egerit, convenire eum more judiciorum non prohibearis. *l.* 10. *Cod. de Procurat.*

Hoc ita; nisi is cui condemnatus est, doli particeps fuerit.

Hinc Paulus. Si procurator rei, pecuniâ acceptâ damnari se passus sit, & cum domino JUDICATI agatur; tuebitur se (*h*) Doli mali exceptione. *l.* 9. *ff. de Doli & met. except.* PAUL. LIB. 32. AD ED.

Obiter nota. Nec hoc quod acceperit procurator, auferri ab eo potest. Nam turpiter accepta pecunia, justiùs penès eum est qui deceptus sit (*i*) quàm qui decepit. *d. l.* 9. ¶ *nec hoc.*

XXXVII.

Uno casu procurator in rem alienam, quamvis se liti non obtulerit, actione Judicati tenebitur.

Nam Si quis quum procuratorio nomine condemnatus esset, heres extiterit domino litis; Judicati actionem (*k*) non rectè recusabit. Hoc, si ex asse. Sin autem ex parte heres extiterit, & totum solverit: si quidem ei mandatum est hoc quoque ut solvat, Mandati actionem adversùs coheredes habebit; si non sit mandatum, Negotiorum gestorum actio datur. Quod est (*l*), & si heres procurator non extiterit; & solverit. *l.* 31. *ff. de Procuratorib.* ULP. LIB. 9. AD ED.

XXXVIII.

Est alter casus quo alius quàm qui condemnatus est, Judicati actione tenetur: nimirùm quum heres condemnatus est, & postea abstinuit; datur actio in substitutum.

Hinc Scævola. Ex contractu paterno actum est cum pupillâ, tutore auctore; & condemnata est. Postea tutores abstinuerunt eam bonis paternis: & ita bona defuncti ad substitutum vel ad coheredes pervenerunt. Quæritur an hi ex causâ Judicati teneantur? Rescripsit; Dandam in eos actionem, nisi culpâ tutorum condemnata est. *l.* 44. SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS.

XXXIX.

Vidimus quibus & adversùs quos hæc actio Judicati detur.

(*a*) Quia, licèt omnes condemnati sint, non tamen IN SOLIDUM : quod tamen judex pronuntiare debuisset; si quidem *in omnium personâ* facta condemnatio, satis denotat administrationem inter ipsos divisam non fuisse, proindèque in solidum eos teneri : ut vid. suprà lib. 27. Tit. *de Tut. & rat. distrah.* N. 6.

(*b*) Quod tamen debuerat judex addere : ut videb. infrà lib. 50. Tit. *de Admin. rer. ad civit. pertinent.*

(*c*) Sed ab ipso domino litis constitutus est procurator.

(*d*) Ut si debitor principalis, pro fidejussore suo convento procurator accedat.

(*e*) Ut in ipsum detur actio.

(*f*) Putà, pro absente.

(*g*) *Judicatum solvi.*

(*h*) Dominus.

(*i*) Id est; penès procuratorem qui hâc pecuniâ seductus est, quàm penès actorem qui seduxit.

(*k*) *Directam*, qua proprio nomine convenitur.

(*l*) *Quod* nempè diximus de casu quo procurator ex parte heres totum solvit, actionem MANDATI aut NEGOTIORUM GESTORUM ipsi competere ad consequendum id quod plus suâ parte solvit; idem *est si non extiterit heres*, & tamen totum *solverit* : ut scilicet eædem actiones illi competant hoc posteriori casu, ad totum repetendum; si quidem eo casu [cùm nihil ipse deberet] totum solvit, non proprio, sed heredum nomine.

Source : BIU Cujas

Cæterùm reſcribit Gordianus. Res inter alios Judicatæ, neque emolumentum afferre his qui judicio non interfuerunt, neque præjudicium ſolent irrogare. Ideòque nepti tuæ præjudicare non poteſt, quod adversùs coheredes Judicatum eſt; ſi nihil adversùs ipſam ſtatutum eſt. *l.* 2. *Cod. Quib. res judic. non nocet.*

Hinc nec Sententia contra adulterum lata, mulieri nocebit. Ita enim reſcribit Alexander. Etſi crimine adulterii damnatus, reſtitutus non eſſet (ut proponis): ſi tamen ſoror tua cum quâ adulterium commiſſum dicebatur, non eſt accuſata; nec pœnæ nec infamiæ ſubjici potuit, & multò magis cùm & accuſatorem vitâ eſſe functum, proponas. *l.* 12. *Cod. Ad. L. Jul. de Adulter.*

X L.

Et generaliter: Sæpè conſtitutum eſt, RES INTER ALIOS JUDICATAS ALIIS NON PRÆJUDICARE.

Quod tamen quamdam diſtinctionem habet. Nam Sententia inter alios dicta, aliis quibuſdam etiam ſcientibus obeſt (*a*); quibuſdam verò, etiamſi contra ipſos Judicatum ſit, nihil nocet. Nam ſcientibus nihil præjudicat; veluti ſi ex duobus heredibus debitoris, alter condemnatur: nam alteri integra defenſio eſt, etiamſi cum herede (*Aliàs* coherede) ſuo agi ſcierit. Item ſi ex duobus petitoribus alter victus adquieverit, alterius portioni non præjudicatur. Idque ita reſcriptum eſt.

Scientibus Sententia quæ inter alios data eſt, obeſt; quum quis de eâ re cujus actio vel defenſio primùm ſibi competit, ſequenti (*Aliàs* ſequentem) agere patiatur: veluti ſi creditor experiri paſſus ſit debitorem de proprietate pignoris, aut maritus ſocerum vel uxorem de proprietate rei in dote acceptæ, aut poſſeſſor venditorem de proprietate rei emptæ. Et hæc ita ex multis Conſtitutionibus intelligenda ſunt.

Cur autem his quidem ſcientia nocet, ſuperioribus verò non nocet, illa ratio eſt; quòd, qui ſcit coheredem ſuum agere, prohibere eum quominùs (uti velit) propriâ actione vel defenſione utatur, non poteſt: is verò qui priorem dominum defendere cauſam patitur, ideò propter ſcientiam præſcriptione rei quamvis inter alios Judicatæ, ſummovetur; quia ex voluntate ejus, de jure quod ex perſonâ agentis habuit, judicatum eſt. Nam & ſi libertus meus, me interveniente, ſervus vel libertus alterius judicetur; mihi præjudicatur. Diverſa cauſa eſt, ſi fundum à te Titius petierit; quem ego quoque, ſed non ex perſonâ Titii, ad me pertinere dico. Nam quamvis contra Titium me ſciente Judicatum ſit; nullum tamen præjudicium patior: quia neque ex eo jure quo Titius victus eſt, vindico; neque potui Titio intercedere, quominùs jure ſuo utatur: ſicuti & de coherede ſuprà diximus. *l.* 63. MACER LIB. 2. DE APPELLAT.

X L I.

Obſervandum etiam; quamvis regulariter Sententia inter alios lata alteri non proſit, tamen in quibuſdam cauſis Sententiam pro uno herede latam coheredibus proficere; ſcilicet in his quæ indiviſa ſunt.

Hinc Paulus. Res hereditarias omnium heredum fuiſſe communes: & ideò eum qui Expilatæ hereditatis crimen objecit, & obtinuit; etiam coheredi profuiſſe videri. *l.* 4. *ff. Expil. hered.* PAUL. LIB. 3. RESPONS.

§ I I.

Quid contineat actio Judicati, *& qualis ſit.*

X L I I.

Ait Prætor: CONDEMNATUS UT PECUNIAM SOLVAT; à Judicato ergo hoc exigitur ut pecuniam ſolvat.

(*a*) Hic negationem addidit Haloander, quod Cujacius probat Obſerv. XII 25. Nempè ita legunt: *etiam ſcientibus non obeſt; quibuſdam verò, etſi contra ipſos Judicatum ſit, nihil nocet.* Porrò SCIRE in hâc lege [inquit idem Cujacius] eſt *Videre & pati*, vel *litis intereſſe* aliquo modo, vel *Intervenire.*

(*b*) Hic incipit confuttare Labeonis ſententiam.

(*c*) Nullus eſſet finis, ſi obligatio Judicati converteretur in aliam obligationem exſtomiſſoris qui à condemnato daretur. Ideò voluit Prætor ut præcisè teneretur ad ſolvendum is qui condemnatus eſt.

Quid ergo, ſi SOLVERE quidem paratus non ſit, SATISFACERE autem paratus ſit; quid dicimus? Et ait Labeo debuiſſe hoc quoque adjici, NEQUE EO NOMINE SATISFACIAT. Fieri enim poſſe, ut idoneum expromiſſorem habeat. Sed (*b*) ratio pecuniæ exigendæ hæc fuit, quòd noluerit Prætor obligationes ex obligationibus fieri (*c*): idcircò ait ut pecunia ſolvatur.

Ex magnâ tamen & idoneâ cauſâ, accedendum erit ad Labeonis ſententiam. *l.* 4. § 3. ULP. LIB. 58. AD ED.

X L I I I.

Veniunt etiam uſuræ in hâc actione Judicati. Nam eas à Judicatis exigi, ita reſcribit Antoninus. Is qui bona ſecundùm dictam Sententiam proſequitur: eas quoque rationes habiturus eſt, ut qui poſt legitimum tempus (*d*) placitis non obtemperaverit, uſuram centeſimam temporis quod poſtea fluxerit ſolvat. *l.* 1. *Cod. de Uſur. rei judic.*

Hoc confirmat Juſtinianus. Eos qui condemnati ſolutionem pecuniarum quas dependere juſſi ſunt, ultra quatuor menſes à die condemnationis (vel, ſi provocatio fuerit porrecta, à die confirmationis Sententiæ) connumerandos diſtulerint; centeſimas uſuras exigi præcipimus. Nec priſcis Legibus (*e*) quæ duas centeſimas eis inferebant, nec Noſtrâ ſanctione (*f*) quæ dimidiam centeſimæ ſtatuit, locum in eorum perſonam habentibus. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

Sortis autem duntaxat, non etiam uſurarum in condemnationem deductarum uſura præſtatur; ut definit idem Juſtinianus. l. 3. Cod. d. tit.

X L I V.

Hactenùs de uſuris temporis quod poſt inducias condemnatis datas currit. Interdum & alterius temporis uſuræ debentur: ut in ſpecie de quâ ita Scævola. Negotiorum geſtorum condemnatus appellavit, & diù negotium tractum eſt. Quæſitum eſt, appellatione ejus injuſtâ pronuntiatâ, an, quo tardiùs Judicatum ſit, uſuræ pecuniæ in condemnatum deductæ medii temporis debeantur? Reſpondit; Secundùm ea quæ proponerentur, dandam utilem actionem. *l.* 64. SCÆVOLA LIB. LIB. 25. DIGEST.

Vide ſuprà lib. 22. *Tit.* de Uſuris. *N.* 56.

X L V.

Obſervandum ſupereſt; quòd Judicati actio perpetua (*g*) eſt, & rei perſecutionem continet. Item heredi & in heredem competit. *l.* 6. § 3. ULP. LIB. 66. AD ED.

SECTIO IV.

De executione Rei Judicatæ, & pignoribus judicialibus.

X L V I.

Is cui actio Judicati competit, agit hâc actione apud Magiſtratum ad quem pertinet Sententiam exequi. In quâ actione id tantùm quæritur an Judicatum ſit; & poſtquàm Judicatum eſſe Magiſtratui compertum eſt, Sententiam executioni mandat.

Quatuor autem ſunt exequendarum Sententiarum rationes; MANUS MILITARIS; MISSIO IN POSSESSIONEM *bonorum;* NEXUS, *cui ſucceſſit* INCARCERATIO; *denique* PIGNORUM CAPIO.

(*d*) De quo tempore infrà Sect. 5. Art. 1.

(*e*) Intelligit Conſtitutionem Theodoſii [l. 1. Cod. Theodoſ. *de Uſur. rei judic.*] quâ præterea medietatem ſummæ in quam erant condemnati, ultra illam inferre tenebantur. Hæ pœnæ exoleverunt.

(*f*) Quâ uſurarum modus regulariter ad ſemiſſem redactus eſt, exceptis certæ qualitatis perſonis; nimirùm lege 26. Cod. *de Uſuris*, quam retulimus ſuprà lib. 22. Tit. *de Uſur.* N. 29.

(*g*) Nec obſtat Paulus lib. 5. Sent. tit. 5. § 8. *Res olim Judicata, poſt longum ſilentium in judicium deduci nec eo nomine in duplum revocari poteſt.* Rectè enim obſervat D. Schultingius ibi legendum *in dubium* pro *in duplum*: ut ſenſus ſit, Rem Judicatam firmam eſſe; nec poſt quantumvis longum tempus retractari poſſe. Similis emendatio in eodem Pauli Titulo. § 5. & in lege 14. Codice Gregoriano *Quib. res judic. non nocet.*

Source : BIU Cujas

Manus militaris *tunc locum habet, quum quis in actionibus* Arbitrariis *putà in* REI VINDICATIONIS *judicio, rem quam penès se habet restituere jussus est. Nisi enim Interlocutioni Judicis rem restitui præcipientis pareat; Magistratus per manum militarem, id est per lictores, rem ei invito auferunt: ut vid. suprà lib.* 6. *Tit.* de Rei vindicat. *N.* 49. *& alibi.*

Missio in possessionem *bonorum debitoris latitantis, commune remedium est omnibus creditoribus: adeòque & his qui ex causa Judicati creditores sunt, competit. De eo infrà Titulis IV & V.*

Superest ut de duabus posterioribus exequendarum Sententiarum rationibus hîc dicamus.

Supràdictarum omnium antiquissima fuit NEXUS; *scilicet ut Judicati, ni satisfacerent, in nervum ducerentur. Indè* NEXI *dicebantur: item* ADDICTI, *quia creditoribus suis addicebantur, ipsisque (salvo tamen ingenuitatis jure) servire cogebantur.*

Cùm jam sub Regibus nobiles in ingenua debitorum corpora hoc modo sævirent, Servius-Tullius prohibuit ne creditores possent debitores suos in nervum ducere, & ullum in ipsorum corpora jus sibi vindicare; eosque debitorum suorum facultatibus contentos esse voluit: Dionys. Halic. *lib.* 4. *Sed non diù duravit hæc prohibitio, cùm omnes Tullii Leges Tarquinius-Superbus aboleverit. Rursùs igitur cæperunt in nervum duci debitores: huncque morem expressè confirmat Lex XII. Tabularum, nisi pro condemnato locuples* Vindex (*id est, sponsor*) *existat.*

Porrò LOCUPLES est, qui satis idoneè habet pro magnitudine rei quam actor restituendam esse petit. *l.* 234. § 1. *ff. de Verb. signif.* GAIUS LIB. 2. AD LEG. XII. TABULAR.

De hâc Lege XII. Tab. vide quæ diximus in Commentario nostro ad Tab. III. Cap. 4. *ubi etiam exponimus quomodo huic postea Lege Pœtiliâ-Papyriâ derogatum sit, ut deinceps non possent obærati in Nervo detineri; & quomodo postea sub Dictatore Syllâ, C. Popilio rogante, debitorum* Nexus *prorsùs fuerit abrogatus.*

Adhuc tamen post hanc Legem potuerunt debitores in carcere saltem publico detineri, donec solverent: ut apertè liquet ex lege 1ª. *Cod.* Qui bonis ced. poss. *quam referemus infrà Tit.* 3°. *N.* 5.

Ad hos qui ita in carcere detinebantur, pertinet quod ait Licinius-Rufinus. Si victum vel stratum inferri quis Judicato non patiatur, utilis in eum pœnalis actio danda est: vel (ut quidam putant) Injuriarum cum eo agi poterit. *l.* 34. LICINIUS-RUFINUS. LIB. 13. REGUL.

Verbo VICTÛS continentur quæ esui potuique, cultuique corporis, quæque ad vivendum homini necessaria sunt. Vestem quoque, victûs habere vicem Labeo ait. *l.* 43. *ff. de Verb. signif.* ULP. LIB. 58. AD ED.

Er cætera quibus tuendi curandi-ve corporis nostri gratiâ utimur, eâ appellatione significantur. *l.* 44. *ff. d. tit.* GAIUS LIB. 22. AD ED. PROVINC.

Verbum VIVERE quidam putant ad cibum pertinere. Sed Ofilius ad Atticum ait; His verbis & vestimenta & stramenta contineri: sine his enim, vivere neminem posse. *l.* 234. § 2. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 2. AD LEG. XII. TAB.

In STRATUM omne vestimentum contineri quod injiciatur, Labeo ait. Neque enim dubium est quin stragula vestis sit, omne pallium; ΠΕΡΙ'ΣΤΡΩΜΑ.

In VICTUM ergo vestem accipiemus, non stragula; in STRATUM, omnem stragulam vestem. *l.* 45. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 58. AD ED.

Hanc rationem exequendæ Sententiæ per incarcerationem abrogavit Constantinus; prohibens ne quis debitor per Carcerem plumbatarumque verbera aut pondera, *aliud-ve quodvis supplicium ad solutionem urgeri posset; sed tantùm sub custodia militari eum custodiri permisit. Gratianus & Valentinianus hæc supplicia permiserunt adversùs fisci debitores. Sed posterior hæc lex videtur displicuisse Justiniano qui eam Codici suo non inseruit. l.* 2. *Cod.* de Exact. tribut.

(*a*) *Arbitri* sunt judices dati in actionibus bonæ fidei.

(*b*) Nec obstat Novella VIII. Cap. 4. quæ non de ipso judice quem Princeps dedit, sed de hujus judicis subdelegato accipienda est: ut rectè observant Gentilis & Wissenbachius.

XLVII.

Fuit & alia ratio exequendæ Sententiæ, captis scilicet & distractis pignoribus. Hanc ita exponit Callistratus.

Debitoribus non tantùm petentibus dies ad solvendum dandi sunt, sed & prorogandi si res exigat. Si qui tamen per contumaciam magis quàm quia non possint explicare pecuniam, differant solutionem; pignoribus captis compellendi sunt ad satisfaciendum, ex formâ quam Cassio Proconsuli Divus Pius in hæc verba rescripsit: « His qui fatebuntur debere, aut ex Re Judicatâ » necesse habebunt reddere, tempus ad solvendum » detur; quod sufficere pro facultate cujusque vide- » bitur. Eorum qui intrà diem, vel ab initio datum vel » eâ causâ postea prorogatum sibi non reddiderint, » pignora capi: eaque, si intrà duos menses non solve- » rint, vendantur. Si quid ex pretiis supersit, reddatur » ei cujus pignora vendita erant. *l.* 31. CALLISTRAT. LIB. 2. COGNITION.

Consonat quod rescribunt Diocletianus & Maximianus. Eos quos debitores tuos esse contendis, apud Rectorem conveni provinciæ: qui (sive debitum confessi, sive negantes & convicti fuerint condemnati, nec intrà statutum spatium solutioni satisfecerint) cum latæ Sententiæ pignoribus etiam captis ac distractis, secundùm ea quæ sæpè constituta sunt, meruerint executionem, Juris formam tibi custodiet. *l.* 9. *Cod. de Execut. rei judic.*

Postquàm sic generaliter & summatim exposuimus quomodo Sententia executioni mandetur; jam sigillatim videndum 1°. *Cujus auctoritate fiat hæc Sententiæ executio:* 2°. *Quando pignora ex hâc causâ capi possint:* 3°. *Quæ res ex hâc causâ capi possint.* 4°. *Quis ordo in rebus quæ pignori capiuntur, servandus sit:* 5°. *De distrahendis & addicendis pignoribus:* 6°. *Quando finiatur executoris officium, & ad quæ non porrigatur.*

§ I.

Cujus auctoritate Sententia executioni mandetur.

XLVIII.

Non potest quis privatâ suâ auctoritate Sententiam pro se dictam exequi.

Hinc Qui Judicati bona auctoritate suâ distraxit, Furti actione & Vi bonorum raptorum ei teneatur. *l.* 6. § 2. ULP LIB. 66. AD ED.

Cujus igitur auctoritate utetur? Nimirùm A Divo Pio rescriptum est; Magistratus Populi Romani, ut judicum à se datorum vel arbitrorum (*a*) Sententiam exequantur: hi qui eos dederunt. *l.* 15. ULP. LIB. 3. DE OFFICIO CONSULIS.

Enimverò judices ab his dati Sententiam suam exequi ipsi non possunt; cùm nudam notionem habeant, & sint privati homines. Judices autem à Principe dati, possunt (*b*). *l. penult. Cod.* de Fructib. & expens.

XLIX.

Interdum tamen alius Magistratus, judicum ab alio datorum Sententiam exequi potest: quum quis scilicet in provinciâ condemnatus est, ex eâ causâ ex quâ potuisset æquè Romæ conveniri; hoc casu Sententia in provinciâ lata, executioni mandabitur Romæ.

Hinc V. G. Nomine puellæ tutoribus in provinciâ condemnatis, curatores puellæ Judicatum Romæ facere coguntur; ubi mutuam pecuniam mater accepit (*c*), cui filia heres extitit. *l.* 45. § 1. *ff. de Judiciis.* PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

Denique quivis Magistratus, jussu ejus qui judices dedit, Sententiam exequi potest.

(*c*) Potuerat enim puella conveniri Romæ, cùm sit competens judex loci in quo contractum est: ut vid. suprà lib. 5. Tit. *de Judiciis* N. 35.

Enimverò

Source : BIU Cujas

Enimverò Sententiam Romæ dictam, etiam in provinciâ posse Præsides, si hoc jussi (*a*) fuerint, ad finem persequi; Imperator noster cum patre rescripsit. *sup. d. l.* 15. § 1.

Solet autem Magistratus cujus auctoritate Sententia executioni mandatur, dare Sententiæ executorem aliquem ex Officialibus suis; qui pignora capiat, distrahat, addicat: ut sequentib. §§*is. videbimus.*

§ II.

Quando pignora ad executionem Sententiæ capi possint.

L.

Ad executionem Sententiæ, antequàm lata sit, pignora capi non possunt.

Hinc Severus & Antoninus. Nimis properè judex pignora Marcellæ capi ac distrahi jussit, ante Rem Judicatam. Priùs est ergo ut servato ordine actionem adversùs eam dirigas, & causâ cognitâ Sententiam accipias. *l.* 1. *Cod. de Execut. rei judic.*

Hinc Ulpianus. Si, quum nulla Sententia præcessisset, capta sunt & distracta pignora; possunt revocari. *l.* 58. ULP. LIB. 7. DISPUT.

Sed nec debent capi pignora, nisi post elapsas inducias quæ Judicatis dantur, ut suprà vidimus. N. 47. *de quibus induciis agemus Sect. seq.*

§ III.

Quæ & cujus res pignori capi possint.

LI.

Res quælibet pignori capi possunt. Et quidem Etiam nomen debitoris in causâ Judicati capi posse, ignotum non est. *l.* 5. *Cod. de Execut. rei judic.* GORDIANUS.

Sed utrùm confessum nomen tantùm capi possit, an etiam si neget quis se debere, videamus? Et magis est, ut id duntaxat capiatur quod confitetur. Cæterùm si negetur, æquissimum erit discedi à nomine: nisi fortè quis exemplum secutus corporaliùm pignorum, ultrà processerit; dixeritque ipsos debere judices (*b*) de nomine cognoscere, ut cognoscunt de proprietate. Sed contrà rescriptum est. *d. l.* 15. § 9.

Item quid dicemus? Utrùm ipsi judices convenient nomen, exigentque id quod debetur, & in causam Judicati convertent; an verò vendent nomen, ut pignora corporalia solent? Et necesse est, ut quod eis facilius videatur ad rem exsequendam, hoc faciant. *d. l.* 15. § 10.

LII.

Sed & si pecunia penès argentarios sit, æquè capi solet. Hoc ampliùs; etsi penès alium quem, destinata tamen ei qui condemnatus est, solet pignoris jure capi, & converti in causam Judicati. *d. l.* 15. § 11.

Prætereà pecuniam quoque depositam nomine condemnati; vel in arcam recluſam, solent capere ut Judicato satisfiat. Hoc ampliùs; etsi pupillaris pecunia in arcam reposita sit, ad prædiorum comparationem; & citra permissum Prætoris ab eo qui exsequitur, Judicatum solet capi, & in causam Judicati converti. *d. l.* 15 § 12.

LIII.

Quinimò (*si nempè aliæ res non suppetant*) Commodis præmiorum (*c*) quæ propter coronas sacras præstantur, condemnato placuit interdici (*d*); & eam pecuniam jure pignoris in causam Judicati capi. *l.* 40. PAPIN. LIB. 10. RESPONS.

LIV.

Etiam res quæ alteri pignorata est, pignori capi potest; salvâ prioris pignoris causâ.

Igitur Si res sit pignorata quæ pignori capta est; videndum est an sic distrahi possit, ut dimisso creditore, superfluum in causam Judicati convertatur? Et quanquàm non cogatur creditor, rem quam pignori accepit distrahere, tamen in Judicati executionem servatur; ut si emptorem invenerit res quæ capta est, qui dimisso priore creditore, superfluum solvere sit paratus, admittenda sit hujus quoque rei distractio. Nec videtur deterior conditio creditoris fieri, suum consecuturi; nec priùs jus pignoris dimissuri, quàm si ei fuerit satisdatum (*Alias* satisfactum). *l.* 15. § 5. ULP. LIB. 3. DE OFFIC. CONSUL.

LV.

Vidimus quæ pignori capi possunt. Quædam autem capi non possunt: scilicet ex prohibitione Constantini, Executores à quocumque judice dati ad exigenda debita, ea quæ civiliter poscuntur, servos aratores, aut boves aratorios, aut instrumentum aratorium, pignoris causâ de possessionibus non abstrahant; ex quo tributorum illatio retardatur. Si quis igitur intercessor, aut creditor, vel præfectus pagi vel vici, vel decurio, in hâc re fuerit detectus: æstimando à judice supplicio subjungetur. *l.* 7. *Cod. Quæ res pignori &c.*

Pariter Honorius & Theodosius. Pignorum gratiâ aliquid quod ad culturam agri pertinet, auferri non convenit. *l.* 8. *Cod. d. tit.*

LVI.

Ejus demùm autem res pignori capi possunt, quem tenet condemnatio.

Hinc 1°. Propter æs alienum pupilli, res tutoris qui nihil ex bonis ejus tenet, pignori capi non oportet. *l.* 1. *Cod. Quand. fisc. vel priv.* SEVERUS ET ANTON.

Hinc 2°. Si rerum quæ pignoris jure capta sunt, controversia fiat; constitutum est ab Imperatore nostro, ipsos qui Rem Judicatam exsequuntur (*e*), cognoscere debere de proprietate. Et, si cognoverint ejus fuisse qui condemnatus est, Rem Judicatam exsequentur.

Sed sciendum est; summatim eos cognoscere debere, nec Sententiam eorum posse debitori præjudicare; si fortè hi dimittendam eam rem putaverint, quasi ejus sit qui controversiam movit, non ejus cujus nomine capta est. Nec eum cui restituta est, statim habere (*f*) per Sententiam debere; si fortè jure ordinario cœperit ab eo res peti. Sic evenit ut omnibus integris (*g*), tantùm capioni Res Judicata (*h*) proficiat. *l.* 14. § 4. ULP. LIB. 3. DE OFFIC. CONSUL.

§ IV.

Quis ordo in rebus pignori capiendis servetur.

LVII.

In venditione itaque pignorum captorum faciendâ, primò quidem res mobiles animales pignori capi jubent, mox distrahi: quarum pretium si sufficerit, bene est; si non suffecerit, etiam soli pignora capi jubent & distrahi. Quòd si nulla moventia sint, à pignoribus soli initium faciunt: sic denique Interloqui solent, SI MOVENTIA NON SINT, UT SOLI QUOQUE CAPIANTUR. Nam à pignoribus soli initium faciendum non est. Quòd si nec quæ soli sunt, sufficiant; vel nulla sint soli pignora;

(*a*) *S'ils en ont reçu la Commission.* Verbum JUBERE, non semper imperantis est; imò potiùs fidei committentis. Potest autem quid alicui committi, etiam rogatoriè: [*Commission rogatoire*].

(*b*) Qui Sententiæ exequendæ dati sunt.

(*c*) Hæc *Commoda* consistebant in annuis aut menstruis annonis, quæ ex publico præstabantur his qui in sacris certaminibus victores & coronati fuerant.

(*d*) Id est, placuit ut posset *interdici* quominùs hæ annonæ, quæ coronato qui condemnatus fuit solvi solebant, ei solverentur; sed ut in causam Judicati converterentur.

(*e*) *Les Commissaires nommés pour l'exécution de la Sentence.*

(*f*) HABERE, verbum dominii est.

(*g*) Id est, omnium juribus; tam creditoris, quàm debitoris, & ejus qui controversiam facit de proprietate rei quæ pignori capitur.

(*h*) *Res* scilicet ab iis executoribus *judicata* super hoc pignore. [*La Sentence des Commissaires ne servira que pour la saisie provisionelle, sans préjudice du droit des Parties au fond.*

Source : BIU Cujas

tunc pervenietur etiam ad jura. Exsequuntur itaque Rem Judicatam Præsides isto modo. *d. l.* 15. § 2.

Ad nomina igitur posteriori loco devenire oportet. Undè idem Ulpianus: Sic quoque judices exequentur Judicatum, ut nomina jure pignoris capiant, si nihil aliud sit quod capi possit. Posse enim nomen pignori capi, Imperator noster cum patre (*a*) rescripsit. *d. l.* 15. § 8.

LVIII.

Sed illud debet dici, ubi controversia est de pignore, id dimitti debere; & capi aliud, si quod est sine controversiâ. *d. l.* 15. § 4. ¶ *sed illud.*

Et quidem nomen potiùs capi deberet, quàm res corporalis de quâ esset controversia.

Hinc Antoninus. Si in causâ Judicati Valentis, quem tibi condemnatum esse proponis, nihil est quod sine quæstione pignoris loci capi & distrahi possit: debitores ejus conventi, ad solutionem auctoritate Præsidis provinciæ compelluntur. *l.* 2. *Cod. Quand. fiscus vel priv.*

LIX.

Nonnisi ultimo loco ad stipendia militum deveniendum est.

Hinc Severus & Antoninus. Stipendia retineri propterea quòd condemnatus es; non patietur Præses provinciæ; cùm Rem Judicatam possit aliis rationibus exequi. *l.* 4. *Cod. de Execut. rei Judic.*

§ V.

De distrahendis vel addicendis pignoribus.

LX.

Pignora quæ capta sunt, si intra duos menses condemnatus non solverit, exsecutor distrahit: ut initio hujus Sectionis vidimus.

Hinc Antoninus. Res ob causam Judicati datas ejus jussu cui jus jubendi fuit, pignoris jure teneri ac distrahi posse sæpè rescriptum est. Nam in vicem justæ obligationis succedit ex causâ contractûs, auctoritas jubentis. *l.* 1. *Cod. si in causâ jud. pign.*

Item Alexander. Quum in causâ Judicati aliqua res pignori capitur; per officium (*b*) ejus qui ita decrevit, venumdari solet: non per eum qui Judicatum fieri postulavit. Et si alio emptore non existente (vel existente quidem, sed non dignum pretium offerente) is cui Judicatus satis non fecit, ad licitationem secundùm constituta fuerit admissus; cujuslibet alterius vice, ex officio emere debet. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

Et quidem, In causâ Judicati, pignora ex auctoritate Præsidis capta, potiùs distrahi quàm jure dominii possideri consueverunt. Si tamen per calliditatem condemnati, emptor inveniri non potest; tunc auctoritate Principis (*c*), dominium creditori addici solet. *l.* 3. *Cod. d. tit.* GORDIANUS.

Enimverò Si pignora quæ capta sunt, emptorem non inveniant; rescriptum est ab Imperatore nostro & Divo patre ejus, ut ADDICANTUR ipsi cui quis condemnatus est. *l.* 15. § 3. ULP. LIB. 3. DE OFFIC. CONSUL.

Severus nimirùm & Antoninus ita rescribunt. Ordo rei gestæ & mora solutionis quæ interceserit, constantius desiderat remedium. Si itaque Præsidem provinciæ, qui Rem Judicatam exequi debet, adieris; & allegaveris res soli quæ pignori datæ (*d*) sunt, diù subhastatas, ex compacto (*e*) sive ambitione diversæ partis, emptorem non invenire potuisse: in possessionem earum te mittet (*f*); ut vel hoc remedio, res tandiù protracta ad effectum perducatur. *l.* 3. *Cod. de Execut. rei judic.*

Addicantur autem, utique eâ quantitate quæ debetur (*g*). Nam si creditor maluerit pignora in creditum possidere, iisque esse contentus, rescriptum est non posse eum, quod ampliùs sibi debetur, petere. Quia velut pacto transegisse de credito videtur, qui contentus fuit pignora possidere; nec posse eum in quantitatem certam pignora tenere, & superfluum petere. *sup. d. l.* 15. *d.* § 3. ¶ *addicantur.*

§ VI.

Quibus finibus concludatur exsecutoris officium.

LXI.

Exsecutorem eum solum esse manifestum est, qui post Sententiam inter partes auditâ omni & discussâ lite prolatam, Rei Judicatæ vigorem ad effectum videtur adducere. *l.* 8. *Cod. de Execut. rei judic.* DIOCLET. ET MAXIMIAN.

Ad eum autem non pertinet, Judicatum retractare aut interpretari.

Hinc Philippus. Si (ut proponis) Rerum Judicatarum executor datus, partes sibi judicis vindicavit; & contra ea quæ pridem pro partibus tuis fuerunt statuta, aliquid pronuntiandum putavit: Sententia ab eo dicta, Rei Judicatæ obtinere nequaquàm potest. *l.* 6. *Cod. d. tit.*

Et generaliter non potest statuere de ullâ controversiâ.

Tamen Nonnunquàm solent Magistratus Populi Romani, Viatorem (*h*) nominatim vice arbitri (*i*) dare. Quod rarò, & nonnisi re urgente, faciendum est. *l.* 82. *ff. de Judiciis.* ULP. LIB. 1. DE OFFIC. CONSUL.

LXII.

Regulariter autem exsecutoris officium in distrahendis addicendis-ve pignoribus consistit, & emptore in possessionem inducto, finitur.

Hoc discimus ex Ulpiano. Ita ille: Si post addictum pignus aliqua controversia emptori moveatur; an sit cognitio ejusdem judicis qui Sententiam executus fuerit, videndum est? Et cùm semel emptio perfecta sit, ejusque qui comparavit periculum, vertatur; non puto locum esse cognitioni.

Certè posteaquàm inductus est emptor in possessionem, nonne cessabunt partes eorumdem judicum? Idemque & si ipsi cui quis Judicatus est, res fuerit addicta. *l.* 15. § 6. ULP. LIB. 3. DE OFFIC. CONSUL.

Sed si emptor, cui pignora sunt addicta, exsequente judice, pretium non solvat: utrùm adversùs emptorem porrigere manus debeant iidem judices qui Sententiam exsequuntur, videndum est? Et non puto eos ultrà procedere: cæterùm (*k*) longè res abibit. Quid enim dicemus? Condemnabunt emptorem, & sic exsequentur adversùs eum Sententiam? an statim pro Judicato habebunt? Et quid si neget se emisse, aut exsolvisse contendat? Meliùs igitur erit, si non se interponant: maximè cùm nec habeat actionem adversùs eum, is cui Judicatum fieri desideratur, nec injuriâ afficietur. Oportet enim res captas pignori & distractas, præsenti pecuniâ distrahi, non sic ut post tempus pecunia solvatur.

Certè si se interponant; hactenùs debebunt intervenire, ut ipsam rem addictam capiant & distrahant,

(*a*) Antoninus-Caracalla cum patre Severo, cujus Constitutio non extat; & postea Gordianus, suprà N. 51.

(*b*) Id est, Officiales, ministros, apparitores.

(*c*) Scilicet ex Constitutionibus Principum generalibus, quæ hoc permiserunt. Cæterùm non à Principe; sed ab ipso Magistratu hæc addictio impetratur; ut mox dicetur: & eâ in re, judiciale pignus differt à conventionali.

(*d*) Legendum *captæ*.

(*e*) *Compactum* Græci vertunt *calliditatem*, condemnati scilicet qui prohibuit quominùs emptor inveniretur. *Ambitionem* intelligunt, amicorum copiam quos habet condemnatus.

(*f*) Hoc non intellige de simplici missione in possessionem. Alioquin Imperatores finem sibi in h. l. propositum non assequerentur, nec tribuerent victori *constantius remedium.* Sed hæc verba *In possessionem mittet*, hìc interpretanda sunt pro ADDICET [quemadmodum ea interpretatur Ulpianus in l. præced.] id est, in solutum tibi tradet.

(*g*) Id est; non omnia Judicati bona, sed tantùm intrà modum debitæ quantitatis. Hâc autem addictione volenti creditori factâ, omninò liberatur Judicatus: *Nam si creditor, &c.* Hinc Glossa rectè notat; creditori tutius esse emere ut quemlibet extraneum, quàm sic in solutum accipere: quia primo casu, si pretium minus sit quantitate quæ ipsi debetur, remanebit superflui creditor.

(*h*) *Le Sergent exécuteur de la sentence.*

(*i*) In his quæ ad executionem Sententiæ pertinent.

(*k*) Id est, alioquin: [*Autrement*].

Source : BIU Cujas

quasi non vinculo pignoris liberatam. *d. l.* 15. § 7.

LXIII.

Circa executorum officium & obligationem, observandum supereſt quòd, Si pignora væneant per apparitores Prætoris extrà ordinem Sententias exſequentes (*Florent.* ſequentes) nemo unquàm dixit, dandam in eos actionem re evictâ. Sed ſi dolo rem viliori pretio projecerunt, tunc de Dolo actio datur adversùs eos domino rei. *l.* 50. *ff. de Evictionib.* ULP. LIB. 25. AD ED.

SECTIO V.

De duplici beneficio quo Judicati gaudent.

Judicatis omnibus indulgetur beneficium induciarum ad ſolutionem.

Quibuſdam etiam pro qualitate perſonæ & cauſa tribuitur, ut non ultra quod facere poſſunt ad ſolutionem urgeantur.

ARTICULUS I.

De beneficio induciarum.

LXIV.

Hoc maximè locum habet, quum quis judicio IN PERSONAM *condemnatus eſt. Quum enim quis ad* REI *reſtitutionem damnatus eſt, poteſt illa ipſi ſtatim auferri, & quidem etiam militari manu.*

Quanquàm tamen & in judiciis IN REM *conceditur quandoque induciarum tempus, ſi condemnatus rem præſtò non habeat, & ſine fruſtratione dilationem ad reſtitutionem petat : ut vid. in* Inſtit. *Tit.* de Offic. jud.

Contrà quoque, etiam in actionibus IN PERSONAM, *quum certæ ſpeciei eſt condemnatio quam condemnatus præſtò apud ſe habeat, V. G. in actione* Depoſiti; *his induciis non eſt locus, cùm ad hoc conceſſæ ſint ut reus quærere poſſit undè ſolvat.*

Induciæ illæ erant, Lege XII Tabularum, triginta dierum : poſt, auctæ ſunt ad duos menſes. Juſtinianus quadrimeſtres inducias dedit : l. 3. *Cod.* de Uſur. rei judic.

Obſervandum autem quòd Qui pro tribunali cognoſcit, non ſemper tempus Judicati ſervat; ſed nonnunquàm arctat, nonnunquàm prorogat, pro cauſæ qualitate & quantitate, vel perſonarum obſequio, vel contumaciâ.

Sed perrarò intrà ſtatutum tempus, Sententiæ exſequentur (*a*): veluti ſi alimenta conſtituantur, vel minori viginti-quinque annis (*b*) ſubvenitur. *l.* 2. ULP. LIB. 6. AD ED.

LXV.

Currit illud tempus ex die Sententiæ; aut confirmationis ejus, ſi provocatio fuit interpoſita : ut obiter vidimus ſuprà N. 43.

Quòd Si quis condemnatus ſit UT INTRA CERTOS DIES SOLVAT; undè ei tempus Judicati actionis computamus? Utrùm ex quo Sententia prolata eſt, an verò ex eo ex quo dies ſtatutus præteriit? Sed ſi quidem minorem diem ſtatuerit judex tempore legitimo (*c*); repleatur ex Lege (*d*) quod Sententiæ judicis deeſt. Sin autem ampliorem numerum dierum ſuâ definitione judex amplexus eſt; computabitur reo, & legitimum tempus, & quod ſupra id judex præſtitit. *l.* 4. § 5. ULP. LIB. 58. AD ED.

LXVI.

Hoc Tempus quod datur Judicato (*Florent.* Judicati) etiam heredibus ejus, cæteriſque qui in locum ejus ſuccedunt, tribuitur; videlicèt quod ex tempore deeſt: quia cauſæ magis quàm perſonæ beneficium præſtituitur. *l.* 29. MODEST. LIB. 7. PANDECT.

Cæterùm Jure Pandectarum, fidejuſſoribus eorum non dabatur. Quod emendavit Juſtinianus : l. fin. Cod. de Uſur. rei jud.

LXVII.

Circa hoc beneficium obſervandum ſupereſt; quòd Intrà dies conſtitutos quamvis JUDICATI agi non poſſit, multis tamen modis Judicatum liberari poſſe hodie non dubitatur : quia conſtitutorum dierum ſpatium pro Judicato, non contra Judicatum per Legem (*e*) conſtitutum eſt. *l.* 7. GAIUS LIB. AD ED. PRÆTORIS URBANI TIT. DE RE JUDIC.

ARTICULUS II.

De beneficio Competentiæ; *ſeu Ut ne quis, ultra quod facere poteſt, ad ſolutionem urgeatur.*

§ I.

Quibus hoc beneficium indulgeatur, & quando exceptio ex eo competens opponi poſſit.

LXVIII.

Quum de Re Judicatâ executioni mandanda agitur; Sunt qui in id quod facere poſſunt, conveniuntur; id eſt, non deducto ære alieno (*f*). Et quidem ſunt hi ferè; Qui Pro ſocio conveniuntur. Socium autem (*g*) omnium bonorum accipiendum eſt.

Item parens. *l.* 16. ULP. LIB. 63. AD ED.

Item miles qui ſub armatâ militiâ ſtipendia meruit; condemnatus, eatenùs quatenùs facere poteſt, cogitur ſolvere. *l.* 18. IDEM LIB. 66. AD ED.

(*Et rursùs.* Miles qui ſub armatâ militiâ ſtipendia meruit; condemnatus, eatenùs quâ facere poteſt, cogitur ſolvere. *l.* 6. IBID.)

LXIX.

Inter eos qui hoc beneficio gaudent, numerandi etiam Patronus, patrona, liberique eorum & parentes.

Item maritus de dote, in id quod facere poteſt, convenitur. *l.* 17. ULP. LIB. 10. AD ED.

Quinetiam Non tantùm dotis nomine, maritus in quantùm facere poſſit condemnatur; ſed ex aliis quoque contractibus ab uxore judicio conventus, in quantùm facere poteſt condemnandus eſt; ex Divi Pii Conſtitutione (*h*).

Quod & in perſonâ mulieris æquâ lance ſervari (*i*) æquitatis ſuggerit ratio. *l.* 20. MODEST. LIB. 2. DIFFER.

Tamen Si Rerum amotarum cum viro agatur; quanquàm videatur ea quoque actio, præcedentis ſocietatis vitæ cauſam habuiſſe; in ſolidum condemnari debet : quoniam ex malè contractu (*k*) & delicto oritur. *l.* 52. TRYPHON. LIB. 12. DISPUT.

Sicut autem cum marito agitur, ita & cum ſocero; ut non ultra facultates damnetur. *l.* 21. PAUL. LIB. 6. AD PLAUT.

In ſocero tamen aliqua diſtinctio adhibenda. Undè ſtatim

(*a*) Paſſivè.

(*b*) His enim caſibus, *Periculum in morâ.*

(*c*) Tempus *legitimum* appellat, tempus quod Lex XII. Tabularum dabat condemnatis aut confeſſis ad quærendam pecuniam, & quod poſteà auctum eſt.

(*d*) Judex ergo pedaneus, hoc tempus [licèt in gratiam Rei prorogare poſſit] arctare tamen Sententiâ ſuâ non poteſt. Magiſtratus autem poteſt, mox ſuprà : *l.* 2. *h. tit.*

(*e*) *Legem* XII. Tabularum. Hodie *Conſtitutum* per LEGEM Juſtiniani.

(*f*) Quod cæteris ſi qui ſint creditoribus debetur. Excipiendus tamen donator. Vide infrà §°. 2°.

(*g*) Id eſt, maximè autem hoc obtinet inter ſocios *Omnium bonorum.* Hîc refert exempla indubitati Juris. Cæterùm alibi [*l.* 63. ff. *Pro ſocio*] probat Sententiam Sabini qui etiam inter alios quoſvis ſocios hoc obtinere debere putavit. Vide tamen Notam noſtram ad d. l. 63. ff. *Pro ſocio.* ſuprà lib. 17. *d. tit.* N. 46.

(*h*) Ratio petenda eſt ex reverentiâ quam uxor marito debet.

(*i*) Hæc poſtrema verba abeſſe ex Baſilicis obſervat Cujacius *Obſerv.* XXIV 38. eaque à Triboniano addita ſuſpicatur. Nec putat mulierem Jure veteri adversùs maritum hanc exceptionem habuiſſe, niſi quum ex promiſſione dotis conveniretur; quia hæc cauſa deſcendit ex ſocietate vitæ quam cum viro contraxit.

(*k*) *Malè contractu*, id eſt maleficio.

Source : BIU Cujas

sequitur : An si cum socero ex promissione dotis agatur, in id quod facere potest damnandus sit ? quòd & id æquum esse videtur. Sed alio Jure utimur : ut & Neratius scribit. *d. l.* 21. ¶ *an si.*

Sed hoc ita accipiendum est, si à socero dos ex promissione petatur soluto matrimonio. Verùm si manente matrimonio dos ab eo petatur : succurrendum utique est ; ut ne majoris summæ condemnetur, quàm quantum facere potest. *l.* 22. POMPON. LIB. 21. AD Q. MUCIUM.

LXX.

Filiusfamilias tenetur quidem ex contractibus quos, dum in potestate esset, fecit. Sed dicendum est Et exheredatum, vel eum qui se paternâ hereditate abstinuit, nec ex ipsius contractu, nisi in id quod facere potest (*a*) condemnandum. *l.* 49. PAUL. LIB. 2. MANUALIUM.

Uno tamen casu hoc beneficium ei denegatur. Nimirùm Qui cùm se pro patrefamilias fingeret, mutuam pecuniam accepit ; & exheres à patre, vel emancipatus sit ; quamvis facere non possit ; debet condemnari. *l.* 10. MARCELL. LIB. 2. DIGEST.

LXXI.

Hoc quoque beneficio gaudet donator. Nam Divus Pius rescripsit ; Eos qui ex liberalitate conveniuntur, in id quod facere possunt, condemnandos. *l.* 28. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 36. AD SABIN.

Hinc Pomponius. Quam ex causâ donationis promissa pecunia est, si dubium sit an ea res eò usque donatoris facultates exhaurire possit, ut vix quicquam ei in bonis relictum sit ; actio in id quod facere possit, danda est : ita ut & ipsi donatori aliquid sufficiens relinquatur. Quod maximè inter liberos & parentes observandum est. *l.* 30. POMPON. LIB. 1. VARIARUM LECTIONUM.

Hoc autem beneficio gaudet donator, adversùs eum duntaxat cui donavit.

Hinc in specie seq. « Nesennius Appollinaris : Si te » donaturum mihi, delegavero creditori meo ; an in » solidum conveniendus sis ? Et, si in solidum conve- » niendus ; an diversum putes, si non creditori meo, » sed ei cui donare volebam, te delegavero ? Et quid » de eo qui pro muliere cui donare volebat, marito » ejus dotem promiserit » ? Respondi : Nullâ creditor exceptione summoveretur ; licèt is qui ei delegatus est, poterit uti adversùs eum cujus nomine promisit : cui similis est maritus, maximè si constante matrimonio (*b*) petat. Et sicut heres donatoris in solidum condemnatur, & ipse fidejussor quem in donando adhibuit ; ita & ei cui non donavit, in solidum condemnatur. *l.* 41. PAUL. LIB. 14. QUÆST.

Sed & erga eum cui donavit, ita hoc beneficio gaudet, si actione IN PERSONAM *conventus fuerit ; non sine actione* IN REM.

Hinc Paulus. Fundum quis donavit. Si non restituat, ut quivis possessor (*c*) damnandus est. Si autem fundum restituit ; fructuum nomine, si non eos consumpsit, in solidum condemnandus est. Potuit enim non (*d*) periclitari, si statim restituisset. Si dolo desiit possidere, in litem jurabitur ; & tanti sequetur condemnatio. *d. l.* 41. § 1.

LXXII.

Observandum est eos qui hoc beneficio gaudent, posse hanc exceptionem etiam post Sententiam opponere.

Hinc V. G. etsi fuerit In solidum condemnatus donator : actione Judicati, nisi in quantùm facere potest, non tenetur ; beneficio Constitutionis. *d. l.* 41. § 2.

LXXIII.

Vidimus quibus concessum sit hoc beneficium. At Sciendum est heredes earum personarum, non in id quod facere possunt, sed in integrum teneri. *l.* 25. PAUL. LIB. 60. AD ED.

Igitur Si maritus solvendo non fuerit ; licèt ipsi marito prosit quòd facere non possit (id enim personæ mariti præstatur), heredi ejus hoc non prodest. *l.* 24. § 1. POMPON. LIB. 4. EX PLAUTIO.

Et si fidejussor acceptus sit rei, vel actionis ; non proderit ei, si persona pro quâ fidejussit, in quantùm facere potest condemnanda est. *d. l.* 24. *pr.*

Quòd si cum procuratore harum personarum, putà Si cum procuratore mariti de dote actum fuerit : siquidem vivo marito condemnatio fiet ; in quantùm facere potest, fiet damnatio. Nam & defensor mariti in id quod ille facere potest, damnatur. Mortuo verò marito, in solidum. *l.* 23. PAUL. LIB. 6. AD PLAUT.

§ II.

In quo hoc beneficium consistat.

LXXIV.

In condemnatione personarum quæ in id quod facere possunt damnantur, non totum quod habent, extorquendum est ; sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant. *l.* 173. (*Aliàs* 133.) *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 6. AD PLAUT.

Cæterùm non eis relinquitur undè satisfacere possint aliis creditoribus ; maximè si sint ejusdem conditionis, id est ex simili causâ creditores, & quibus debitor æquè non teneatur nisi in quod facere potest. Hinc Paulus. Inter eos quibus ex eâdem causâ debetur, occupantis melior conditio est ; nec deducitur, quod ejusdem conditionis hominibus debetur. Sicut fit in DE PECULIO actione : nam & hìc occupantis melior est causa. Sed & si cum patre patrono-ve agetur ; non est deducendum æs alienum, maximè quod ejusdem conditionis personis debebitur ; ut liberis, libertis. *l.* 19. PAUL. 6. AD PLAUT.

Hinc etiam generaliter Julianus ait : In Judicanti actione [non] priùs (*e*) ratio haberi debet ejus, cui prior reus condemnatus fuerit. *l.* 61. JULIAN. LIB. 45. DIGEST.

Observandum tamen, hâc in re interesse inter eos qui ex liberalitate suâ conveniuntur, & cæteros qui hoc beneficio gaudent.

Enimverò ei qui ex liberalitate suâ convenitur, debet relinqui non solùm undè se alat, sed & undè cæteris creditoribus suis satisfaciat : modò tamen non hi sint, qui ex simili liberalitatis causâ creditores essent. Ita enim Paulus : Is quoque qui ex causâ donationis convenitur, in quantùm facere potest, condemnatur : & quidem is solus deducto ære alieno. Et (*Fortè* At) inter eos quibus ex simili causâ pecunia debetur, occupantis potior erit causa. Imò nec totum quod habet, extorquendum ei puto ; sed & ipsius ratio habenda est, ne egeat. *sup. d. l.* 19. § 1.

Contrà, quum cæteri qui hoc beneficio gaudent conveniuntur ; indistinctè obtinet quod modò suprà dictum est : Non deducendum æs alienum. *Nec refert cujus conditionis sint illi creditores, quibus satisfaciendum supereſt à debitore : etiamsi illi sint, adversùs quos simili hujus beneficii exceptione tueri se non possit ; & quibus proindè in solidum condemnandus debitor, etiam ea quæ sibi ne egeret, relicta sunt in executionem Judicati cedere tenebitur.*

Hinc V. G. de filio exheredato qui condemnatus est ex contractibus quos, dum in patris potestate esset, fecit ; Paulus ita definit : Quemadmodùm autem facere posse credatur, videndum est : Utrùm deducto omni ære alieno, ut is qui ex donatione convenitur ? an ut maritus, & patronus, nullo deducto ære alieno ? Et indubitati

(*a*) Vid. suprà lib. 14. Tit. *Quod cùm eo qui in alien. potest.*

(*b*) Nam si post divortium petat ; cùm non petat nisi ut restituat mulieri, videri posset non plus eum exigere posse quàm posset mulier.

(*c*) Scilicet non quatenùs facere potest donator ; sed [*ut quivis possessor*] ut extraneus quilibet, in solidum *damnandus est* ut *restituat*, id est tradat possessionem hujus fundi quem donavit.

(*d*) Id est [ut interpretatur Cujacius ad h. l.] potuit non facere damnum horum fructuum, *si statim restituisset.* Cùm autem moram fecerit, ideò horum fructuum extantium damnum facit. De consumptis autem post litem contestatam non tenetur : quod idem Cujacius observat singulare esse in donatore, à quo non est avarè exigendum.

(*e*) Ita lego detractâ negatione, nixus auctoritate Basilicon. Scilicet prior ille creditor, quod suum est exsequitur in bonis debitoris ; nullâ ratione habitâ cæterorum creditorum.

Source : BIU Cujas

Juris est, ad similitudinem viri & patroni, ei detrahendum. Pinguiùs enim donatori succurrere debemus, quàm ei qui verum debitum persolvere compellitur : 49. ¶ *quemadmod.* PAUL. LIB. 2 MANUALIUM.

Ne liberalitate suâ inops fieri periclitetur. *l.* 50. TRYPHON. LIB. 12. DISPUTAT.

LXXV.

Observandum supereſt ; in eo quod quis facere poteſt computari id quod dolo deſiit facere poſſe.

Hinc Si quis dolo fecerit ut bona ejus vænirent, in solidum tenetur. 51. PAUL. LIB. 2. MANUAL.

De his plura suprà lib. 17. *Tit.* Pro socio *Sect.* 3. *Art.* 3

SECTIO VI.

Quomodo solvatur obligatio Judicati.

LXXVI.

Solvitur obligatio Judicati solutione ejus quod in condemnationem deductum est.

Et quidem SOLVISSE accipere debemus, non tantùm eum qui solvit ; verùm omnem omninò qui eâ obligatione liberatus est quæ ex causâ Judicati descendit. *l.* 4. § 7. ULP. LIB. 58. AD ED.

Hinc Si ex conventione litigantium cautum sit, post Rem Judicatam ei cui quis condemnatus est ; eveniet ut hic & retendatur (*a*) : si modò novatio interceſſit. Cæterùm si non novandi causâ id factum est, manebit ordo exsecutionis.

Sed & si pignora accepta sint, vel fidejussores in Rem Judicatam ; consequens erit dicere non cessare exsecutionem : quippè cùm accesserit aliquid Rei Judicatæ, non sit à Re Judicatâ recessum. Idem observandum est, in eo cujus procurator condemnatus est. *d. l.* 4. § 4.

Consonat quod rescribunt Severus & Antoninus. Si causam Judicati non novasti ; Rem Judicatam Præses provinciæ, etiam pignoribus captis ac distractis, ad emolumentum perduci jubebit. Quòd si novata causa est, Ex stipulatu tibi actio competit : & judice accepto, secundùm Juris formam experire. *l.* 2. *Cod. de Execut. rei judic.*

(*a*) Haloander legit, *recedatur* ; id est, recedatur ab obligatione Judicati.

TITULUS II.

DE CONFESSIS.

I.

TRactationem de Judicatis, meritò excipit tractatio DE CONFESSIS.

Enimverò CONFESSUS pro judicato est, qui quodammodo suâ Sententiâ damnatur. *l.* 1. PAUL. LIB. 56. AD ED.

Similiter Antoninus. Confessos in Jure, pro judicatis haberi placet. Quare sine causâ desideras recedi à Confessione tuâ, cùm & solvere cogeris. *l. un. Cod. h. tit.*

Eâ de re videbimus 1°. *Cujus Confessio hanc obligationem pariat :* 2°. *Quæ requirantur ut Confessio in Jure obliget.* 3°. *Agemus de hujus Confessionis effectu.*

§ I.

Cujus Confessio pariat rei confessæ obligationem quasi judicatæ.

II.

Ejus qui proprio nomine conventus est, Confessio hanc obligationem parit. Sed an & ipsos procuratores vel tutores fateri sufficiat, videamus ? Et non puto sufficere. *l.* 6. § 4. ULP. LIB. 5. DE OMNIB. TRIBUNALIB.

Observandum etiam quòd In pupillo tutoris auctoritatem exigimus. Minorem à confessione (*a*) suâ restituemus. *d. l.* 6. § 5.

§ II.

Quomodo fiat Confessio in Jure, & quæ circa eam requirantur ut obliget.

III.

Confiteri quis in judicio non tantùm suâ voce, sed & litteris & quocumque modo potest. Convinci autem non nisi scripturâ aut testibus potest. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 5. § 3.

Et circa hanc Confessionem ut obliget, tria potissimùm requiruntur.

IV.

1°. *Debet esse de re certâ. Demùm enim* Certum Confessus, pro judicio erit ; incertum, non erit. *l.* 6. ULP. LIB. 5. DE OMNIB. TRIBUNAL.

Igitur Si quis incertum confiteatur, vel (*b*) corpus sit confessus, STICHUM VEL FUNDUM dare se oportere : urgeri debet ut certum Confiteatur. Item eum qui rem (*c*) Confessus est, ut certam quantitatem fateatur. *d. l.* 6. § 1.

V.

2°. *Confessio non debet esse ab errore profecta. Quod tamen accipiendum de solo errore facti alieni ; juxta regulam :* NON fatetur qui errat, nisi Jus ignoravit. *l.* 2. ULPIAN. LIB. 58. AD ED.

Sed nec errorem circa factum proprium posset quis adversùs suam Confessionem allegare. Hinc indistinctè accipiendum quod ait Paulus, in casu Legis Aquiliæ : Si is cum quo Lege Aquiliâ agitur, Confessus est servum occidisse ; licèt non occiderit, si tamen occisus sit homo, ex Confesso tenetur. *l.* 4. PAUL. LIB. 15. AD PLAUT.

Confessionis quæ ab errore facti alieni profecta est, exemplum in eo qui fatetur se debere certam speciem quam citra suum factum interiisse nescit. De quo ait idem Paulus : Non omnimodo, Confessus condemnari debet ; rei nomine, quæ an in rerum naturâ esset, incertum sit. *l.* 8. IDEM LIB. 4. AD SABIN.

Secùs si sciebat rem interiisse ; sed in Jure errans, & nesciens se rei interitu liberatum, Confessus est debere. Et de hoc casu accipe quod Julianus ait, Confessum certum se debere legatum, omnimodo damnandum ; etiamsi in rerum naturâ non fuisset, & si jam à naturâ recessit ; ita tamen ut in æstimationem ejus damnetur : quia Confessus, pro judicato habetur. *l.* 3. PAUL. LIB. 9. AD PLAUT.

De eodem casu accipe quod ait Ulpianus : Qui Stichum

(*a*) Si per errorem confessus fuerit se debere quod non debebat.

(*b*) Quidam legunt *veluti*. Sensus est : veluti si confessus sit se debere *corpus* indeterminatè : vel, quum ab eo puta Stichus peteretur, Confessus fuerit se debere aut STICHUM qui petitur, AUT aliud putà FUNDUM : hæc Confessio incerta est ; adeoque non valet : sed urgendus est reus, ut certum aliquid confiteatur.

(*c*) Incertæ quantitatis.

Source : BIU Cujas

debere se Confessus est; sive mortuus jam Stichus erat, sive post litis contestationem decesserit, condemnandus est. *l.* 5. ULP. LIB. 27. AD ED.

V I.

3°. *Confessio debet esse facta, præsente adversario aut procuratore ejus. Hinc Ulpianus :* Si quis absente adversario Confessus sit; videndum numquid non debeat pro judicato haberi? quia nec qui jurat de operis, obligatur (*a*); nec soleat quis absenti condemnari. Certè procuratorem, tutorem, curatorem-ve, præsentem esse sufficit. *l.* 6. § 3. ULP. LIB. 5. DE OMNIB. TRIBUNALIB.

§ III.

De effectu Confessionis in Jure.

V I I.

Si qui debitum quocumque modo Confessus dicetur; ex eâ re creditori (*b*) actio non datur, sed ad solutionem compellitur. PAUL. SENT. *lib.* 2. *Tit.* 1. § 5.

Et quidem Post rem judicatam vel jurejurando decisam, vel Confessionem in Jure factam, nihil quæritur; post Orationem Divi Marci : quia in Jure Confessi pro judicatis habentur. *l.* 56. *ff. de Re judic.* ULP. LIB. 27. AD ED.

Hinc V. G. Sed & si fundum vindicem meum esse, tuque Confessus sis : perindè habearis, atque si dominii mei fundum esse pronuntiatum esset. Et si aliâ quâcumque actione civili vel Honorariâ, vel Interdicto exhibitorio vel restitutorio vel prohibitorio, dum quis convenitur, Confiteatur; dici potest in his omnibus, subsequi Prætorem voluntatem Orationis Divi Marci debere : & omne omninò quod quis Confessus est, pro judicato haberi. *l.* 6. § 2. ULP. LIB. 5. DE OMNIB. TRIBUNAL.

V I I I.

Corollarium. Dabitur igitur ex his actionibus, ex quibus dies datur ad restituendam rem, Confesso tempus ad restitutionem; &, si non restituatur, lis æstimabitur. *d.* § 2.

Ex his autem actionibus in quibus tempus non datur, putà in his in quibus corpus quod præsens est actione In rem *petitur, non dabitur Confesso tempus; sed nisi restituat, res ipsi manu militari auferetur, quemadmodum condemnato auferetur.*

Undè generaliter hæc regula tenenda est : Confessi utique post Confessionem, tempora quasi ex causâ judicati habebunt. *d. l.* 6. § 6.

I X.

Quando autem semel hoc tempus fuerit elapsum; Eorum qui debita Confessi sunt, pignora capi & distrahi possunt. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 5. § 4.

Et ad executionem rei in Jure Confessæ, non secùs ac ad executionem rei judicatæ, Magistratus dat executorem; qui, si quid executionis ipsi demandatæ fines egrediatur, debet ad Magistratum referre.

Eâ de re hanc speciem refert Africanus. Quum fideicommissum peteretur, heres Confessus est debere : arbiter ad restituendum datus, comperit nihil deberi. Quæsitum est, an possit absolvere? Respondi; Posse interesse, quâ ex causâ nihil debeatur. Nam si ob id quòd nullum fideicommissum fuerit, non debere eum absolvere : si verò quia testator fortè solvendo non erat, aut quòd heres omne solutum esse apud Prætorem dixerat; & cùm controversia & computatio difficilior esset, arbiter datus fuerit; salvo officio eum absoluturum. Has enim partes ejus esse, ut si in computatione nihil inveniatur, possit absolvere. Sed & ex superiore casu ad Prætorem remittere debeat, ut absolvatur (*c*). *l.* 7. AFRICAN. LIB. 5. QUÆSTION.

(*a*) Libertus qui jurat se exhibiturum operas patrono; ita ex hoc jurejurando obligatur, si juret præsenti patrono. Ergo à pari &c.

(*b*) Est propria actio *Judicati*, est propria actio *Jurisjurandi*. Æris *Confessi* non est propria actio, sed [ut observat Cujacius ad hunc locum] datur ipsa actio ex quâ Confessus est se debere, non jam rei judicandæ, sed duntaxat æstimandæ.

(*c*) Scilicet cùm per errorem alieni facti Confessus sit.

TITULUS III.

DE CESSIONE BONORUM.

SUperioribus Titulis vidimus, judicatorum & confessorum, nisi solverint, bona proscribi. Ut hanc proscriptionis ignominiam vitarent, beneficium Cessionis Bonorum Lex Julia eis concessit. Quod primitùs in favorem civium introductum, postea & ad provincias porrectum est (*a*).

ARTICULUS I.

Propter quid, & à quibus, & quomodo fiat Bonorum Cessio.

§ I.

Cessionem fieri propter eam rem demùm; eam-ve pecuniam, quam quis se debere agnovit, aut in quam condemnatus est.

I.

Igitur Qui Cedit Bonis, antequàm debitum agnoscat, condemnetur, vel in Jus confiteatur; audiri non debet. *l.* 8. ULP. LIB. 26. AD ED.

Item Propter honorem municipalem, vel munus, Bonis cedentium invidiosam admitti Cessionem minimè convenit : sed his obnoxios, pro modo substantiæ fungi. *l.* 5. *Cod. Qui bonis cedere possunt.* DIOCL. ET MAXIM.

§ II.

Qui ad Cessionem admittantur necne.

II.

Non videmus an Jure Pandectarum aliqui debitores fuerint excluſi à beneficio Cessionis Bonorum, quod Lex Julia indulserat.

Ex Constitutione Gratiani & Valentiniani prohibetur Ne quis omninò, vel fisci debitor, vel alienæ rei (*b*) in auro atque in argento diversisque mobilibus retentator ac debitor, *ad Cessionis beneficium admittatur; nisi doceat se aliquo fatali casu ad inopiam redactum. Alioquin ad solutionem compellitur acerbitate suppliciorum. l.* 1. *Cod. Theod.* Qui bon. cedere poss.

(*a*) Hoc discimus ex l. 4. Cod. *Qui bon. ced. poss.* infrà N. 4.

(*b*) Etiam privatorum debitores hîc significari quidam putant. Verum Jac. Gothofredus latè probat significari duntaxat eos qui quocumque genere Sacris Privatisque Largitionibus quid aliud quàm tributa debent; putà Præfectus thesaurorum, Procuratores monetarum, &c.

Source : BIU Cujas

Hæc Lex videtur displicuisse Justiniano, qui eam Codici suo non inseruit.

Circa eos qui ad hoc beneficium admittuntur, constituit Justinianus; ut etiam filiifamilias ad illud admitterentur, cum habere possint peculia quæ parentibus suis non quæruntur: quanquàm, etsi nihil habeant, jubet eos admitti. l. 7. Cod. d. tit.

§ III.

Quomodo fiat Cessio.

III.

Bonis cedi non tantùm in Jure, sed etiam extrà (*a*) Jus potest. Et sufficit & per nuntium vel per epistolam id declarari. *l.* 9. MARCIAN. LIB. 15. INSTIT.

Ex Constitutione Theodosii; In omni Cessione Bonorum [ex quâlibet causâ (*b*), scrupulositate priorum legum explosâ] professio sola quærenda est. *l.* 6. *Cod. Qui bon. ced. poss.*

Idem dixit: IN omni Cessione sufficit voluntatis sola professio. *d. l.* 6. *Cod.* § 1.

ARTICULUS II.

De hujus Cessionis effectu.

§ I.

Quale jus tribuat creditoribus, Bonorum Cessio.

IV.

Creditores quibus debitor bonis suis Cessit, non dominium eorum consequuntur, sed duntaxat jus ea distrahendi; ut ex pretio ipsis satisfiat. Et in hoc differet Bonorum Cessio à datione in solutum.

Hoc discimus ex Diocletiano & Maximiano qui ita rescribunt. Legis Juliæ DE BONIS CEDENDIS beneficium Constitutionibus Divorum Nostrorum parentûm ad provincias porrectum esse, ut Cessio Bonorum admittatur, notum est. Non tamen creditoribus suâ auctoritate dividere hæc bona, & jure dominii detinere; sed venditionis (*c*) remedio, quatenùs substantia paritur, indemnitati suæ consulere permissum est. Cùm itaque contra Juris rationem res jure dominii teneas ejus qui Bonis Cessit, te creditorem dicens; longi temporis præscriptione petitorem submoveri non posse, manifestum est. Quòd si non Bonis eum Cessisse, sed res suas in solutum tibi dedisse monstretur; Præses provinciæ poterit de proprietate tibi accommodare notionem. *l.* 4. *Cod. Qui bon. ced. poss.*

Hinc sequitur quòd Is qui Bonis Cessit, ante rerum venditionem utique bonis suis non caret. Quare si paratus fuerit se defendere, bona ejus non væneunt. *l.* 3. ULP. LIB. 58. AD ED.

Similiter Quem pœnitet Bonis Cessisse, potest defendendo se, consequi ne bona ejus væneant *l.* 5. LIB. 56. AD ED.

Pariter Philippi rescribunt. Si quantitatem, quam (licèt Reipublicæ) condemnatus debebas, inferre paratus es: frustrà veteris, ne verbum Bonorum Cessionis temerè à te prolatum, privare te necdum distractis facultatibus, Juris rationibus possit. *l.* 2. *Cod. Qui bon. ced. poss.*

§ II.

Quid proficiat debitori Bonorum Cessio.

V.

Qui bonis Cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati. In eo enim tamtummodò (*d*) hoc beneficium eis prodest, ne judicati detrahantur in carcerem. *l.* 1. *Cod. Qui bon. ced. poss.* ALEXANDER.

VI.

Hoc tamen adhuc commodum consequuntur; quòd Is qui Bonis Cessit, si quid postea acquisierit; in quantùm facere potest, convenitur. *l.* 4. ULP. LIB. 59. AD ED.

Igitur Qui Bonis suis Cessit, si modicum (*e*) aliquid post bona sua vendita adquisivit; iterùm bona ejus non væneunt.

Undè ergo modum hunc æstimabimus? utrùm ex quantitate ejus quod adquisitum est, an verò ex qualitate? Et putem ex quantitate id æstimandum esse, ejus quod quæsiit: dummodò illud sciamus, SI QUID MISERICORDIÆ CAUSA EI FUERIT RELICTUM, putà menstruum vel annum alimentorum nomine; non oportere propter hoc bona ejus iteratò venumdari. NEC ENIM FRAUDANDUS EST ALIMENTIS QUOTIDIANIS. Idem, & si ususfructus ei sit concessus vel legatus; ex quo tantùm percipitur, quantum ei alimentorum nomine satis est. *l.* 6. ULP. LIB. 54. AD ED.

Consonat quod ait Modestinus. Si debitoris bona vænierint; postulantibus creditoribus permittitur rursùm ejusdem debitoris bona distrahi, donec suum consequantur: si tales tamen facultates adquisitæ sunt debitori, quibus Prætor moveri possit. *l.* 7. MODEST. LIB. 2. PANDECT.

Hinc Gordianus, Ex contractu qui Cessionem rerum antecessit, debitorem contra Juris rationem convenies; cùm eum æquitas auxilio exceptionis muniat; at tunc demùm iteratò possit desiderare conventionem, quum tantùm postea quæsivit, quod Præsidem ad ejus rei licentiam debeat promovere. *l.* 3. *Cod. de Bon. auct. jud. possid.*

VII.

Hanc autem exceptionem ut ultra quod facere potest non conveniatur qui bonis cessit, non solùm adversùs eos creditores habet erga quos Bonis Cessit: quinetiam Sabinus & Cassius putabunt Eum qui Bonis Cessit, ne quidem ab aliis quibus debet, posse inquietari. *l.* 4. § 1. ULP. L. 59. AD ED.

VIII.

APPENDIX ad hunc Titulum.

I. De beneficio Quinquennalium induciarum; & electione datâ creditoribus, aut Cessionis admittendæ, aut indulgendi harum induciarum temporis.

Debitores lapsi facultatibus, quandoque impetrant à Principe beneficium QUINQUENNALIUM (Lettres de Répit pour cinq ans). *De quibus ita constituit Justinianus: Quòd si Princeps servaverit creditoribus electionem, vel Cessionem bonorum admittendi, vel hoc quinquennale spatium indulgendi; hoc casu sententia eorum creditorum præfertur, qui potiores sint in cumulo debiti. Si pares sint in cumulo debiti, præfertur eorum sententia qui sunt potiores numero; sin, præfertur sententia humanior. Nec ullum, quantum ad hanc electionem, admittitur discrimen inter hypothecarios & chirographarios. l. fin. Cod.* Qui bonis cedere poss.

II. De remedio Novellæ CXXXV.

Hâc Novellâ Justinianus constituit; ut debitor qui fatali aliquo casu ad egestatem redactus esset, necesse non haberet Bonis Cedere: quia hæc Cessio aliquid habet ignominiæ: sed sufficeret si juraret se solvendo non esse. Et hoc casu tribuit tantùm facultatem creditoribus, bona ejus si qua fuerint occupandi, & hujus debitoris debitores conveniendi.

(*a*) Probabile est hæc verba esse interpolata à Triboniano; & Jure Pandectarum, hanc Cessionem nonnisi *In Jure* fieri potuisse.

(*b*) Inclusa desunt in Codice Theodosiano, ubi eadem lex refertur: l. 2. d. tit.

(*c*) Hæc autem venditio pudorem debitoris qui bonis cesserat, non onerabat. Cùm enim his Cessisset non ejus nomine proscribebantur.

(*d*) Hoc dicit ut excludat liberationem. Cæterùm in hoc quoque beneficium prodest, ut vitent infamiam proscriptionis Bonorum.

(*e*) Duntaxat *modicum.*

Source : BIU Cujas

TITULUS IV.

QUIBUS EX CAUSIS IN POSSESSIONEM EATUR.

TRactationi de Miſſione in Poſſeſſionem, ſuperioribus Titulis proluſerunt Pandectarum ordinatores. Eam jam in hoc Titulo ordiuntur; primùmque ſummatim recenſent QUIBUS EX CAUSIS IN POSSESSIONEM EATUR.

I.

Tres ferè Cauſæ ſunt ex quibus In Poſſeſſionem mitti ſolet; REI SERVANDÆ CAUSA, item LEGATORUM SERVANDORUM GRATIA, & VENTRIS NOMINE. Damni enim infecti nomine ſi non caveatur; non [in] univerſorum nomine fit miſſio, ſed rei tantùm de quâ damnum timetur (*Florent.* tuetur.) *l.* 1. ULP. LIB. 12. AD ED.

De bonis poſſidendis LEGATORUM CAUSA, & VENTRIS NOMINE, *jam alibi ſuprà propriis Titulis è re natâ occaſione Actum eſt; ſcilicet lib.* 36. *Tit.* 4. *& lib.* 37. *Tit.* 9. *Quare hîc potiſſimùm agitur de bonis Poſſidendis* REI SERVANDÆ *gratiâ.*

REI *autem nomine hîc intelligendum eſt, id quod alicui debetur. Sub quâ appellatione contineri opinatur Cujacius,* Creditum, & Dotem *etiam*, & Judicatum.

Videndum autem 1°. *Quos Prætor mittat in Poſſeſſionem bonorum*, Rei ſervandæ causâ: 2°. *Quando creditores mittat ex hâc causâ in bona debitoris:* 3°. *Quando etiam ea diſtrahere ipſis permittat:* 4°. *Quid obtineat, tam in actionibus* In rem *quàm in* Interdictis, *quum reus lætitat aut non defenditur.* 5^um^. *Articulum ſubjungemus, de caſu quo jacet hereditas debitoris, aut ſuſpectus eſt heres qui eam adiit.*

ARTICULUS I.

Quos Prætor, Rei ſervandæ cauſâ, *mittat in Poſſeſſionem bonorum.*

II.

Prætor creditores in bona debitoris latitantis aut indefenſi mittit, rei ſervandæ causâ.

CREDITORES eos accipere debemus qui aliquam actionem, vel Civilem habent (ſic tamen ne exceptione ſummoveantur) vel Honorariam actionem, vel in factum. *l.* 42. § 1. *ff. de Oblig. & act.* ULP. LIB. AD ED.

Et alibi. CREDITORES accipiendos eſſe conſtat eos quibus debetur, ex quâcumque actione vel perſecutione; vel Jure Civili) ſine ullâ exceptionis perpetuæ remotione), vel Honorario, vel Extraordinario (*a*); ſive purè, ſive in diem vel ſub conditione. Quòd ſi naturâ (*b*) debeatur, non ſunt loco creditorum. *l.* 10. *ff. de Verb. ſignif.* IDEM LIB. 6. AD ED.

Igitur quamvis CREDITUM *propriè dici videatur ex Mutuo; creditoris non ita ſtricta appellatio eſt.* Sed *etſi* non ſit mutua pecunia, ſed contractus (*c*), CREDITORES accipiuntur. *d. l.* 10. ¶ *ſed ſi.*

Enim verò CREDITORUM appellatione, non hi tantùm accipiuntur qui pecuniam crediderunt; ſed omnes quibus ex quâlibet causâ debetur: *l.* 11. *ff. d. tit.* GAIUS LIB. 1. AD ED. PROVINC.

Ut ſi cui ex empto vel ex locato, vel ex alio ullo (*Aliàs* vel ex legato. *Vulg. & Haloand.*) debetur. Sed & ſi ex delicto debeatur, mihi videtur poſſe creditoris loco accipi. Quòd ſi ex populari causâ; ante litis conteſtationem, rectè dicetur creditoris loco non eſſe; poſtea, eſſe. *l.* 12. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 6. AD. ED.

Creditor autem is eſt, qui exceptione perpetuâ ſummoveri non poteſt.

Qui autem temporalem exceptionem timet, ſimilis eſt conditionali creditori. *l.* 55. *ff. de Verb. ſignif.* PAUL. LIB. 16. BREVIS EDICTI.

III.

Conditionales creditores dicuntur, hi quibus nondum competit actio, eſt autem competitura; vel qui ſpem habent ut competat. *l.* 54. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 62. AD. ED.

Et hi quoque ad hoc Edictum pertinent. Hinc Paulus: In Poſſeſſionem mitti ſolet creditor, etſi ſub conditione (*d*) ei pecunia promiſſa ſit. *l.* 6. PAUL. LIB. 57. AD ED.

Is autem cui ſub conditione legatum relictum eſt, non mittitur Rei ſervandæ causâ *in Poſſeſſionem bonorum heredis; ſed tantùm mittitur* Legati ſervandi causâ *in Poſſeſſionem bonorum hereditariorum, ut vid. ſuprà lib.* 36.

Ratio eſt quòd Is cui ſub conditione legatum eſt, pendente conditione, non eſt creditor; ſed tunc quum extiterit conditio. Quamvis eum qui ſtipulatus eſt ſub conditione, placet etiam pendente conditione creditorem (*e*) eſſe. *l.* 42. *ff. de Oblig. & act.* ULP. LIB. 21. AD EDICT.

ARTICULUS II.

Quando Prætor mittat creditores in bona debitoris, Rei ſervandæ cauſâ.

IV.

Prætor ait: « IN BONA ejus qui judicio ſiſtendi causâ » fidejuſſorem dedit, ſi neque poteſtatem ſuî faciet, » neque defenderetur, iri jubebo. » *l.* 2. ULP. LIB. 5. AD ED.

Poteſtatem autem ſuî non facit, qui id agit ne adverſarius ejus copiam ſuî habeat. Ergo LATITANTIS bona jubet poſſideri. *d. l.* 2. § 1.

Quid ſi non latitet, ſed abſens non defendatur: nonne videtur poteſtatem ſuî non facere? *d. l.* 2. § 2.

Ideò Prætor addit: NEQUE DEFENDERETUR.

Non defendere videtur, non tantùm qui latitat; ſed & is qui præſens negat ſe defendere, aut non vult ſuſcipere actionem. *l.* 52. *ff. de Reg. Jur.* IDEM LIB. 44. AD ED.

(*a*) Quales ſunt omnes perſecutiones, ut ſalarii, fideicommiſſi, &c.

(*b*) *Naturâ* tantùm, non etiam civiliter; ita ut actio non competat.

(*c*) Quilibet alius, animò ex quâcumque causâ obligatio deſcendat.

(*d*) Sed hujus miſſio eſt inefficax: ut videb. Tit. ſeq. N. 4. Et ita Cujacius hanc legem conciliat cum l. 14. § 2. ff. *de Reb. auct. jud. poſſid.* quæ negat eum mitti poſſe. Aliter Donellus; qui putat creditorem conditionalem mitti non poſſe ſi ſolus ſit, cum cæteris creditoribus mitti poſſe. Cui ſententiæ omnimodò contradicit P. Faber; qui cenſet conditionalem creditorem tunc demùm mitti poſſe quum ſolus eſt; non verò ſi alii ſint creditores: & rectè; quia eo caſu fruſtrà hoc proſpectum ſibi habeat; cùm miſſio cæterorum & ipſi proficere debeat. Præferenda itaque videtur Cujacii conciliatio, aliàs longè ſimplicior & planior.

(*e*) Quæ ratio diverſitatis? Stipulator, quum ſtipulatur ſub conditione, ſibi heredique ſuo conſulere vult. Ideò ſtipulatio, quamvis conditionalis, ex die contractûs vires accipit; & jus hujus ſtipulationis tranſmittetur ad heredem ſtipulatoris; ſub eâ ſcilicet conditione quæ ſtipulatione continetur. Hinc ſtipulator pendente conditione, jam quidem eſt quodammodo creditor [licèt non ſimpliciter, ſed ſub conditione] cùm ſit aliquid quod tranſmittat ad heredem ſuum. Contrà cùm teſtator legando, ſoli perſonæ legatarii, non hujus heredi quem ignorat, conſultum velit; legatum non niſi exiſtente conditione vires accipit; nullumque eſt interim jus legati, quod ad heredem legatarii poſſit tranſmitti: unde interim legatarius non poteſt haberi pro creditore. Non poſſunt igitur legatarii conditionales mitti in Poſſeſſionem ex hoc Capite Edicti *Rei ſervandæ causâ*, quod ad id ſolùm pertinet quod DEBETUR. Cæterùm ſi ipſis non caveatur, mittuntur in Poſſeſſionem *Legatorum ſervandorum causâ*; de quâ ſuprà lib. 36. Tit. 4.

Source : BIU Cujas

DEFENDI autem videtur, qui per abſentiam ſuam in nullo deteriorem cauſam adverſarii faciat. *ſup. d. l.* 2. § 3.

Hæc verba, Defenderetur, ΠΑΡΑΤΑΤΙΚΩΣ [id eſt, *ſuſiùs & cum extenſione*) ſcripta ſunt: ut neque ſufficiat unquàm defendiſſe, ſi non duret defenſio; neque obſit, ſi nunc offeratur. *d. l.* 2. § 4.

Liquet igitur, ex hoc Edicto bona cujuſque debitoris qui non defenditur poſſideri. Duas tantùm ſpecies exempli gratiâ referemus, ſcilicet debitoris captivi, & debitoris pupilli.

V.

Prima ſpecies, de debitore captivo.

*Et*Si ab hoſtibus quis captus ſit, creditores ejus in Poſſeſſionem mittendi ſunt: ut tamen non ſtatim bonorum venditio permittatur, ſed interim bonis curator detur. *l.* 6. § 2. PAUL. LIB. 57. AD ED.

V I.

Secunda ſpecies, de pupillo.

Si creditores pupillum ex ipſius contractu aut quaſicontractu convenire velint, nec defendatur; ex hoc Edicto, Rei ſervandæ causâ *in bona ipſius mittuntur.*

Contractum cum pupillo poteſt dici, & ſi cum ſervo ejus contractum ſit: competit enim adversùs eum De peculio actio. Undè probandum eſt; ex omnibus cauſis ex quibus adversùs pupillum actio datur, hoc idem ſervandum. Et faciliùs erit hoc probandum in ſervo qui in rem domini vertit, aut juſſu ejus (*a*), aut ſi Inſtitoriâ cum eo agi poſſit. *l.* 3. § 1. ULP. LIB. 59. AD ED.

Ego puto: Et ſi cum tutore ejus contractum eſt, ex quâ causâ (*b*) actio in pupillum detur; magis eſt ut Edicto locus ſit, quaſi cum eo contractum ſit. *d. l.* 3. § 2.

Si pupillus heres extiterit alicui, exque eâ causâ legata debeat: videndum eſt, an huic Edicto locus ſit? Magiſque eſt, ut Marcellus ſcribit, etiam pupilli poſſe bona Poſſideri (*c*); eſſeque in arbitrio hereditariorum creditorum, quid potiùs eligant (*d*). Etenim videatur impubes contrahere, quum adiit hereditatem. *d. l.* 3. § 3.

Sed & is qui miſcuit ſe (*e*), contrahere videtur. *l.* 4. PAUL. LIB. 38. AD ED.

V I I.

Hæc autem locum habent, quotiens pupillus non defendatur à quocumque, ſive à tutore vel à curatore; ſive habeat tutorem pupillus, ſive non habeat. Cæterùm ſi exiſtat aliquis, qui defendere ſit paratus: ceſſabit rei ſervandæ causâ Poſſeſſio. *l.* 5. ULP. LIB. 59. AD ED.

Fruſtrà autem ille pupillus adeſſet; cùm ipſe non poſſit ſe defendere.

Hinc Si pupillus præſens ſit, tutorem autem non habeat; pro abſente habendus eſt. *l.* 10. ULP. LIB. 81. AD ED.

V I I I.

Non defendi pupillum conſtare debet, liquereque Prætori; ut ſic permittat bonorum Poſſeſſionem. Hoc autem conſtare debet ſic: Evocandi ſunt ad Prætorem tutores pupilli, ut defendant: ſi autem non habet tutores, requirendi cognati vel affines; & ſi qui alii fortè ſunt quos veriſimile eſt defenſionem pupilli, pupillæ, non omiſſuros, vel propter neceſſitudem, vel propter caritatem, vel quâ aliâ ratione: liberti etiam ſi qui ſunt idonei, evocandi; exquirendaque defenſio. Si autem negent ſe defendere; aut non negent, ſed taceant: tunc Prætor Poſſeſſionem dabit, tamdiù ſcilicet quoad non defendatur. Si defendi cœperit pupillus vel pupilla, deſinet Poſſideri. Idem eſt & in furioſo. *l.* 5. § 1. ULP. LIB. 59. AD ED.

I X.

Maximè autem bona deſinent Poſſideri, ſi pupillus pubes factus ipſe ſe defendat, aut ab alio defendatur.

Enimverò Ait Prætor: « SI IS pupillus in ſuam tutelam » venerit, ea-ve pupilla viri potens fuerit, & rectè » defendetur: eos qui bona poſſident, de Poſſeſſione « decedere jubebo. » *d. l.* 5. § 2.

RECTE DEFENDI quid ſit, videamus: utrùm tantùm copiam ſui facere, & ad ſuſcipiendum judicium paratum eſſe; an verò & ſatiſdare omnimodo? Et quidem non ſolùm ipſis ſe defendere volentibus hoc Edictum ſcriptum eſt; ſed In rem, ET RECTE DEFENDETUR, hoc eſt, vel à ſe vel ab alio quocumque. Sed ſi alius defendat, erit neceſſaria ſatiſdatio: ſi ipſe, non puto neceſſariam ſatiſdationem. Ergo oblatâ defenſione dejici poterit (*f*), Interdicto reddito. *d. l.* 5. § 3.

ARTICULUS III.

Quando permittatur creditoribus, non Poſſidere ſolùm, ſed etiam diſtrahere bona debitoris.

X.

Prætor ait: « QUI fraudationis causâ latitavit, ſi » boni viri arbitratu non defendetur, ejus bona poſſi» deri vendique jubebo. » *l.* 7. § 1. ULP. LIB. 59. AD ED.

§ I.

Debitoris fraudationis cauſâ demùm latitantis, & indefenſi, bona vendi poſſe, regulariter.

X I.

Cùm hoc Edictum locum habeat (*g*); non ſufficit latitare, ſed & neceſſe eſt FRAUDATIONIS CAUSA id fieri. Neque quod fraudationis causâ ſine latitatione fit, ſatis eſt ad Poſſeſſionem & venditionem; ſed oportet fraudationis causâ LATITARE. Et eſt frequentiſſima hæc cauſa Poſſeſſionis: nam in uſu, latitantium bona Poſſidentur. *d. l.* 7. § 2.

Hinc Si quis poſſederit bona alicujus quaſi latitantis, qui non latitabat; & vendiderit: conſequens erit dicere, venditionem bonorum ſecutam, nullius momenti eſſe. *d. l.* 7. § 3.

X I I.

Quid ſit autem latitare videamus? Latitare eſt, non (ut Cicero definit) turpis occultatio ſui: poteſt enim quis latitare non turpi de causâ; veluti qui tyranni crudelitatem timet, aut vim hoſtium, aut domeſticas ſeditiones. *d. l.* 7. § 4.

LATITARE autem, eſt cum tractu aliquo latere. Quemadmodum FACTITARE, frequenter facere. *d. l.* 7. § 8.

Et quidem Illud ſciendum eſt; poſſe quem in eâdem civitate eſſe, & latitare, & in aliâ civitate, & non latitare. Etenim qui in aliâ civitate ſit, copiamque ſui faciat in publico, ibique pareat; an latitet videamus? Et hodiè hoc Jure utimur: ut, ſive quis eodem loci agat, ſive alio, ſive peregrè agat, ſi tamen occurſum creditoris evitet, latitare videatur. Denique eum quoque qui in foro eodem agat, ſi circa columnas aut ſtationes (*h*) ſe

(*a*) *Ejus* pupilli tutore auctore jubentis, aut *juſſu ejus* ipſius tutoris: aliàs ex ſuo juſſu pupillus non obligatur. Cæterùm ex contractu ſervi, poterit *De peculio* obligari; quamvis aut inutilis juſſus, aut nullus juſſus intervenerit.

(*b*) De quâ re vid. ſuprà lib. 26. Tit. *Quando ex fact. tut.*

(*c*) Nam [ut in fine legis ſubjicit] quum tutore auctore adit hereditatem, fit ex quaſi-contractu debitor. Vid. *Inſtit.* Tit. *de Oblig. quæ ex quaſi-contr.*

(*d*) Nam [ſi malint] poſſunt impetratâ ſeparatione bonorum, mitti in poſſeſſionem bonorum hereditariorum.

(*e*) *Suus heres* ſcilicet, qui tutore auctore miſcuit ſe hereditati.

(*f*) Is ſcilicet qui in Poſſeſſionem bonorum ejus miſſus eſſet.

(*g*) Id eſt, talibus quæ modò ſcripta ſunt verbis concipiatur.

(*h*) Cujacius legit *Statuas*. Si ſervetur lectio, *Stationes* accipe de tabernis quas mercatores in Foro habebant.

Source : BIU Cujas

occultet ; videri latitare Veteres reſponderunt. Et poſſe quem adversùs alterum latitare, adversùs alterum non. Conſtat autem ut ipſe ejus poſſit bona vendere, adversùs quem latitat. *d. l.* 7. § 13.

Et alibi. Eum qui circa columnas ſe occultet, ut creditorem evitet, latitare placet. Nam & eum qui recedit, hoc eſt ſubterfugit, ut ne ſecum aliqua actio moveatur, latitare placet; tam & (*a*) qui Urbe profugit, utique fraudandi causâ. Nec enim intereſt, quod attinet ad latitandum, utrùm quis profugerit, an verò Romæ agens copiam ſuî non facit. *l.* 36. *ff. de Reb. auctor. jud. poſſid.* (*Aliàs l.* 21. de Privileg. credit.) ULP. LIB. 45. AD SABIN.

XIII.

Jam videndum quid ſit in hoc Edicto, FRAUDATIONIS CAUSA *latitare. Et patet utique id intelligi, fraudandorum creditorum causâ.*

Sed is qui fraudationis causâ latitet, non tamen propter creditores; etſi hæc latitatio creditores fraudet, in eâ tamen erit causâ ne hinc Poſſidere bona ejus poſſint: quia non hoc animo latitet, ut fraudentur creditores. Animus enim latitantis quæritur, quo animo latitet: ut fraudet creditores, an aliâ ex causâ? *l.* 7. § 5. ULPIAN. LIB. 59. AD ED.

Quid ergo, ſi duas cauſas latitandi habuit, vel plures, inter quas etiam fraudandi creditores? an venditio rectè procedat? Et puto probandum, ſi plures cauſæ ſint latitationis, inter quas eſt & fraudationis causâ; nocere debere, poſſeque hinc bona vendi. *d. l.* 7. § 6.

Quid ſi adversùs quoſdam occultare ſe conſilium non eſt, adversùs quoſdam eſt? quid dicimus? Et rectiſſimè Pomponius ſcribit; Non adversùs omnes latitationem exigendam, ſed adversùs eum quem quis decipere & fraudare latitatione deſtinat. Utrùm ergo omnes bona ejus vendere poſſunt, quia latitat? hoc eſt, etiam hi adversùs quos non latitat, quia verum eſt eum latitare: an verò is ſolus adversùs quem latitat? Et quidem verum eſt eum latitare, & fraudationis causâ latitare, etſi non adversùs me latitet. Sed illud tractandum Pomponius putat, an adversùs me? Eumque ſolum poſſe hinc venditionem impetrare, adversùs quem latitetur. *d. l.* 7. § 7.

Igitur fraudationis causâ latitat, qui eo conſilio latitat ut fraudet creditorem; dum ſcilicet fruſtratur, & remoratur actionem quâ creditor acturus eſt. At certè Non videtur fruſtrandæ actionis causâ latitare, qui præſens ſuſcipere judicium non compellitur. *l.* 3. *ff. de judiciis.* ULP. LIB. 4. AD ED.

XIV.

Adeò autem latitatio animum & affectum latitantis (*Aliàs* occultantis ſe) deſiderat, ut rectè dictum ſit; furioſum hinc venditionem pati non poſſe: quia non ſe occultat, qui ſuus non eſt. *d. l.* § 9.

Planè ſi non defendatur furioſus, curatorem dandum: aut bona ejus ut Poſſideantur, nominatim permittendum eſt. Labeo autem ſcribit; Si non inveniatur curator vel defenſor furioſi; ſed & ſi curator datus eum non defendat, tunc removendum eum & oportere Prætorem dare curatorem aliquem ex creditoribus; ut non ampliùs quàm neceſſe eſt ex bonis furioſi væneat. Eaque ſervanda Labeo ait, quæ ſolent ſervari quum venter in Poſſeſſionem mittitur. *d. l.* 7. § 10.

Planè interdum bona ejus causâ cognitâ vendenda erunt; ſi urgeat æs alienum, & dilatio damnum ſit allatura creditoribus. Ita autem vendenda, ut quod ſuperſit, furioſo detur: quia hominis ejus ſtatus & habitus à pupilli conditione non multùm abhorret. Quod quidem non eſt ſine ratione. *d. l.* 7. § 11.

Idem & in prodigo dicendum eſt, cæteriſque qui curatorum ope juvantur. Nec enim quiſquam propriè latitare eos (*b*) dixerit. *d. l.* 7. § 12.

(*a*) Id eſt, non ſecùs ac eum *qui &c.*

(*b*) Cùm non ſint ſuî idonei defenſores.

XV.

Quamvis Edictum de iis qui fraudationis causâ latitant, loquatur: tamen interdum & eorum qui duntaxat non defenduntur, Prætor bona vendi permittet; ſi diuturniorem moram paterentur creditores.

Et quidem modò vidimus, etiam bonorum furioſi venditionem ex causâ interdum permitti. Item Si minor viginti-quinque annis qui habet curatores, à curatoribus non defendatur, nec alium defenſorem inveniat; bonorum venditionem patitur, etſi non latitet: licèt non fraudationis causâ latitare videtur, qui ſui non eſt idoneus defenſor. *l.* 5. *ff. de Reb. auctor jud. poſſid.* ULP. LIB. 60. AD ED.

XVI.

Ejus autem qui defenditur, bona nunquàm ſunt diſtrahenda. Et hoc ſenſu accipiendam docet Cujacius hanc Juris regulam: Nemo dubitat, ſolvendo videri eum qui defenditur. *l.* 95. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 6. FIDEIC.

§ II.

Quorum debitorum bona vendi Edicto non permittatur.

XVII.

De quibuſdam perſonis ſpecialiter excipitur, ne bona eorum væneant; de pupillis ſcilicet, abſentibus Reipublicæ causâ, & captivis.

In Edicto autem Quum dicitur; « ET EJUS cujus bona » poſſeſſa ſunt à creditoribus væneant, præterquàm » pupilli, & ejus qui Reipublicæ causâ ſine dolo malo » abfuit »; intelligimus, ejus qui dolo malo abfuerit, poſſe vænire. *l.* 6. § 1. PAUL. LIB. 57. AD ED.

Quum autem ſine dolo malo abeſt quis Reipublicæ causâ; non ſolùm venditio bonorum ejus differenda eſt, ſed omnimodo non poteſt in his pignus Prætorium contrahi.

Hinc Ulpianus. Eum qui in Poſſeſſionem miſſus ſit ejus qui Reipublicæ causâ abfuit, ſi apparuerit eum dolo malo Reipublicæ causâ abeſſe, jure in Poſſeſſione eſſe placet, donec ſolidum ſolvatur. Eum autem qui rerum ejus qui ſine dolo malo Reipublicæ causâ abfuit, in Poſſeſſionem miſſus ſit, pignus non contrahere; & ideò diſcedere oportere de Poſſeſſione. *l.* 35. *de Reb. auct. jud. poſſ.* (*Alias l.* 20. de Privileg. credit.) MARCIAN. LIB. SING. AD FORMUL. HYPOTHEC.

Item Ejus qui ab hoſtibus captus eſt, bona vænire non poſſunt quandiù revertatur. *l.* 39. § 1. *ff. d. tit.* (*Aliàs l.* 24. de Privileg. credit.) PAUL. LIB. 5. SENTENT.

XVIII.

Eodem jure cæteri abſentes non gaudent, quamvis ex juſtâ & neceſſariâ causâ abfuerint.

Hinc Papinianus. Ad cognitionem Imperatorum à Præſide provinciæ remiſſus, etſi in cæteris litibus Romæ defendere ſe non cogitur (*c*); tamen in provinciâ defendendus eſt (*d*). Nam & exilio temporario puniti, ſi defenſor non exiſtat, bona væneunt. *l.* 13. PAPIN. LIB. 14. RESPONS.

Pariter Eum qui appellavit, oportere in provinciâ defendi in aliis ſuis cauſis, etiamſi appellationis causâ peregrinetur, Divi Fratres Decimio-Philoni reſcripſerunt. *l.* 1. *ff. Eum qui appell.* ULP. LIB. 4. DE APPELLATIONIB.

Hoc enim illis præſtatur ne neceſſe habeant ſe defendere, qui Reipublicæ causâ abſunt. *l.* 2. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 2. DE APPELLATIONIB.

XIX.

Quod autem de pupillo excepit Prætor, ſic limita; quum ex proprio ſuo contractu, non quum ex alieno convenitur: ut docet Ulpianus. Ita ille: Apud Julianum quæritur, ſi

(*c*) Habet quippè jus revocandi domum: ut vid. ſuprà lib. 5. Tit. *de Judiciis* N. 30.

(*d*) Quamvis provinciâ abſit ex juſtâ causâ, ſcilicet proſequendæ appellationis causâ Romæ.

Source : BIU Cujas

communem rem cum Titio pater pupilli habuerit, & communi dividundo judicio pupillus non defendatur; nihilque erit cujus nomine, propter perſonam patris, condemnatio fieri debeat: utrùm vænire bona patris oporteat, an verò rei ſervandæ causâ poſſideantur? Et ait Julianus: Siquidem pater aliquos fructus percepit, aut fecerit rem deteriorem, bona ejus vænire poſſunt. Si verò nihil ſit propter quod patris bona veneant (*a*), pupilli poſſideri (*b*). Marcellus autem notat; Perquàm iniquum eſſe, eum qui nihil cum pupillo contraxit, expectare ejus pubertatem. Quæ ſententia habet rationem. Ideòque, cùm contractus ex perſonâ patris deſcendat; dicendum erit, non eſſe expectandam pupilli pubertatem. *l.* 3. ULP. LIB. 59. AD ED.

X X.

Præter perſonas ſupradictas, generaliter idem dicendum eſt; eorum bona vænire non debere, qui necdum poſſunt conveniri.

Hinc Si in diem vel ſub conditione debitor, latitet; antequàm dies vel conditio veniat, non poſſunt bona ejus vænire. Quid enim intereſt, debitor quis non ſit, an nondum conveniri poſſit? Nam & ſi non ſit debitor, idem dicemus.

Idem dicendum erit, & ſi quis habeat quidem actionem, ſed talem quæ per exceptionem repellitur. *l.* 7. § 14. ULP. LIB. 59. AD ED.

Hinc etiam in ſpecie ſequenti. Eo tempore quo in peculio nihil eſt, pater latitat. In bonorum Poſſeſſionem ejus, rei ſervandæ causâ mitti non poſſum, qui De peculio cum eo acturus ſum: quia non fraudationis cauſâ latitat, qui, ſi judicium acciperet, abſolvi deberet. Nec (*c*) ad rem pertinet, quòd fieri poteſt ut damnatio ſequatur. Nam & ſi in diem vel ſub conditione debeatur; fraudationis causâ non videtur latitare, tametſi poteſt judicis injuriâ condemnari. Sed fidejuſſorem (*d*) datum eo tempore quo nihil in peculio eſt, teneri putat Julianus; quoniam fidejuſſor futuræ quoque actionis accipi poſſit: ſi tamen ſic acceptus eſt. *l.* 50. *ff. de Peculio.* PAPINIAN. LIB. 9. QUÆST.

Si tamen evenerit ut rei judicatæ tempore aliquid ſit in peculio; confirmabitur ex eventu hæc miſſio, poteritque eam venditio ſequi.

Sic accipe quod ait Ulpianus. Si quis actione De peculio, filii vel ſervi nomine conveniri poſſit; ſi latitet, eo Jure utimur ut poſſint bona ejus Poſſideri & vænire, tametſi nihil fuerit in peculio: quia eſſe poteſt, & rei judicatæ tempus ſpectamus utrùm ſit an non ſit; & quòd teneat actio, etiamſi nihil in peculio fuerit. *ſup. d. l.* 7. § 15.

ARTICULUS IV.

Quid Juris obtineat tam in actionibus In rem *quàm in* Interdictis, *quum reus latitat aut ſimpliciter non defenditur.*

X X I.

Hucuſque de actionibus perſonalibus. Item videamus ſi quis adversùs IN REM actionem latitet; an bona ejus Poſſideri, venumque dari poſſint? Extat Neratii ſententia, exiſtimantis bona eſſe vendenda: & hoc Reſcripto Hadriani continetur. Quo Jure utimur. *l.* 7. § 16. ULP. LIB. 59. AD ED.

Celſus autem Sexto reſpondit: Si fundum quem petere volo, Titius poſſideat, neque abſens defendatur; commodiùs ſe exiſtimare, in fundum Poſſeſſione (*Haloand.* in fundi poſſeſſionem) mittendum, quàm bona ejus Poſſideri. Hoc adnotandum eſt, Celſum conſultum non de latitante, ſed de abſente. *d. l.* 7. § 17.

Idem Celſus exiſtimat; Si is à quo hereditatem petere velim latitat, commodiſſimè fieri poſſe ut in Poſſeſſionem mittar rerum quas Pro herede vel Pro poſſeſſore poſſidet: ſed ſi dolo fecit quominùs poſſideret, bona ejus Poſſidenda & Vendenda ſunt. *d. l.* 7. § 18.

X X I I.

Quemadmodum autem rei corporalis de quâ lis eſt, poſſeſſio; ita etiam, quum de jure lis eſt, hujus juris quaſi poſſeſſio reo non defendente in petitorem transfertur; onuſque petitoris, in reum qui non defendit, rejicitur.

Hoc docet Africanus in ſpecie quâ vicinus ſe ad ædificandum pararet. Etenim Si priuſquàm ædificatum eſſet, ageretur Jus VICINO NON ESSE ædes altiùs tollere, nec res ab eo defenderetur; partes judicis non alias futuras fuiſſe ait, quàm ut eum cum quo ageretur, cavere juberet non priùs ſe ædificaturum, quàm ultrò egiſſet Jus SIBI ESSE altiùs tollere. Idemque è contrario, ſi quum quis agere vellet Jus SIBI ESSE invito adverſario altiùs tollere: eo non defendente, ſimiliter (inquit) officio judicis continebitur, ut cavere adverſarium juberet, nec opus novum ſe nuntiaturum, nec ædificanti vim facturum.

Eâque ratione hactenùs is qui rem non defenderet, punietur; ut [de] jure ſuo probare neceſſe haberet. Id enim eſſe, petitoris partes ſuſtinere. *l.* 15. *ff. de Oper. novi nuntiat.* AFRICAN. LIB. 9. QUÆST.

Idem docet Scævola. Ædificatum habes: ago TIBI JUS NON ESSE habere; non defendis: ad me Poſſeſſio transferenda eſt; non quidem ut protinùs deſtruatur opus (inipuum enim eſt, demolitionem protinùs fieri); ſed ut id fiat, niſi intrà certum tempus egeris JUS TIBI ESSE ædificatum habere. *l.* 45. *ff. de Damn. infect.* SCÆVOLA LIB. 12. QUÆST.

X X I I I.

Vidimus poſſeſſore non defendente, poſſeſſionem rei de quâ lis eſt in petitorem transferri. Transfertur autem eâ lege ut, ſi quandoque poſtea in lite ſuccubuerit, rem cum fructibus reſtituat.

Longiùs tamen progreſſus eſt Divus Pius; qui uno caſu, ad puniendam ſcilicet poſſeſſoris ſi nimia ſit, contumaciam, etiam fructus rerum quarum poſſeſſio in petitorem transferebatur, omninò hujus petitoris lucro cedere voluit. Hoc ita refert Ulpianus: Divus quoque Pius, in perſonâ ejus qui hereditatem poſſidens copiam ſui non faciebat, reſcripſit; In Poſſeſſionem rerum hereditariarum adverſarium inducendum. In quo Reſcripto & fructum percipere juſſit, eum qui per nimiam contumaciam poſſeſſoris hereditatis (ut lucro ejus cedat), in Poſſeſſionem inductus eſt rerum hereditariarum. *d. l.* 7. § 19.

ARTICULUS V.

De caſu quo jacet hereditas debitoris, aut ſuſpectus eſt heres qui eam adiit.

§ I.

De caſu quo jacet hereditas.

X X I V.

Quum omnes qui ad alicujus hereditatem vocabantur, eam repudiaverunt; nec eſt qui vel libertatum conſervandarum gratiâ ſibi addici bona poſtulet: mittuntur hereditarii creditores in eorum Poſſeſſionem.

(*a*) Quia pater nullum lucrum ex re communi percepit, nec in eâ damnum dedit; ſed fortè ipſe pupillus aliquid percepit.

(*b*) *Poſſideri* duntaxat, donec defendatur pupillus; non etiam vendi.

(*c*) Objectio prima.

(*d*) Altera objectio: Pro patre mei debitoris, etiam eo tempore quo nihil eſt in peculio, rectè fidejuſſorem accipio. Ergo [inquies] etiam eo tempore pater eſt meus debitor, adeòque bona ejus Poſſidere poſſum. Reſpondet male concludi, eſſe jam tunc meum debitorem; *Quoniam fidejuſſor futuræ quoque actionis* rectè accipitur.

Source : BIU Cujas

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si bona debitoris tui vacare conſtet, & hæc à fiſco non agnoſcantur; in Poſſeſſionem eorum mitti te, à competente judice teſtè poſtulabis. *l.* 5. *Cod. de Bon. auct. jud. poſſid.*

Quòd Si alter ex heredibus intrà tempora ſibi præſtituta deliberet adire hereditatem, alter verò neget ſe aditurum; videndum eſt quid creditoribus agendum ſit? Et placet interìm eos in Poſſeſſionem mittendos, cuſtodiæ causâ; donec appareat, is qui deliberat utrùm adgnoſcat partem ſuam, an non agnoſcat. *l.* 9. § 1. PAUL. LIB. 57. AD ED.

XXV.

Si quis ſub conditione heres inſtitutus eſt, cogendus eſt conditioni parere, ſi poteſt; aut ſi reſponderit ſe non aditurum (*a*) etiamſi conditio extiterit, vendenda erunt bona defuncti. *l.* 1. *ff. de Curat. bon. dando.* PAUL. LIB. 57. AD ED.

Quòd ſi nihil facere (*b*) poteſt; curator bonis conſtituendus erit, aut (*c*) bona vendenda. *d. l.* 1. § 1.

Putà Si ſervus ſub conditione heres inſtitutus ſit, aut (*d*) dubium ſit an is heres liberque futurus ſit: non eſt iniquum poſtulantibus creditoribus ita decerni; ut, ſi ante certum tempus is heres non extiterit, proindè omnia obſerventur ac ſi is heres ita inſtitutus non eſſet. Quod plerùmque accidere; ſi ſub conditione dandæ alicui pecuniæ heres inſtitutus ſit, nec dies adpoſitus ſit. *l.* 4. *ff. de Reb. auct. jud. poſſid.* PAUL. LIB. 57. AD ED.

Obiter nota. Sed hoc, quantùm ad bona, ita obſervandum. Cæterùm libertas ei quandoque (*e*) competet, & à Prætore conſervanda eſt; etiamſi certum ſit, neque heredem neque bonorum poſſeſſorem futurum. *d. l.* 4. ¶ *ſed hoc.*

Si quis tamen heredem ſe ſpondendo, vel actiones patiendo, defunctum defendat; bona defuncti vænire non poterunt. *d. l.* 4. § 1.

Paulo ſuffragatur Ulpianus. Si diù incertum ſit, heres extaturus necne ſit; causâ cognitâ permitti oportebit bona rei ſervandæ causâ Poſſideri: &, ſi ita res urgeat, vel conditio (*f*); bonum etiam hoc erit concedendum, ut curator conſtituatur: *l.* 8. ULP. LIB. 60. AD ED. Unus ex creditoribus. *l.* 9. PAUL. LIB. 57. AD ED.

XXVI.

His quæ hactenùs diximus conſonat quod ait Pomponius de herede ſub conditione ſcripto: Sed ſi bonorum Poſſeſſionem non admittat, ſed conditionem trahat cui facilè parere poſſit; veluti SI SERVUM (quem in poteſtate habet) MANUMISERIT, nec manumittat: hîc Prætoris erunt partes, ut imitetur Edictum ſuum illud quo præfinit tempus intrà quod adeatur hereditas. *l.* 23. § 1. *ff. de Heredib. inſtit.* POMPON. LIB. 1. AD SABIN.

Item ſi conditioni heres parere non poterit, quam in ſuâ poteſtate non habebit; veluti inſtitutione collatâ in alterius factum, aut quemdam caſum (SI ILLE, putà, CONSUL FACTUS FUERIT); tunc poſtulantibus creditoribus, conſtituet Prætor, niſi intrà certum tempus hereditas obtigerit, aditaque fuerit, ſe bona defuncti creditoribus Poſſidere juſſurum; & interìm, quæ urgebunt, per procuratores diſtrahi juſſurum. *d. l.* 23. § 2.

Sed ſi ſub conditione quis heres inſtitutus ſit; & grave æs alienum ſit, quod ex pœnâ creſcit; & maximè ſi publicum debitum imminet: per procuratorem ſolvendum æs alienum; ſicuti quum venter in Poſſeſſione ſit, aut pupillus heres tutorem non (*g*) habeat. *d. l.* 23. § 3.

Et ideò ait; Cauſæ cognitionem adjectam, propter eos qui ſine dilatione peregrè eſſent; vel ægritudine vel valetudine ita impedirentur, ut in Jus produci non poſſint, nec tamen defenderentur. *d. l.* 23. § 4.

§ II.

De caſu quo ſuſpectus eſt heres qui hereditatem adiit.

XXVII.

Si creditores heredem ſuſpectum putent, ſatiſdationem exigere poſſunt pro ſuo debito reddendo. Cujus rei gratiâ cognoſcere Prætorem oportet, nec ſtatim eum ſatiſdationis neceſſitati ſubjicere debet: niſi causâ cognitâ conſtiterit proſpici debere his qui ſuſpectum eum poſtulaverunt. *l.* 31. *ff. de Reb. auctor. jud. poſſid.* (*Aliàs l.* 16. de Privileg. credit.) ULP. LIB. 2. DE OMNIB. TRIBUNALIB.

Quòd ſi quaſi ſuſpectus ſatiſdare juſſus, Decreto Prætoris non obtemperaverit; tunc bona hereditatis Poſſidere, venumquedari ex Edicto ſuo permittere jubebit. *d. l.* 31. § 3.

Planè in recenti aditæ hereditatis, audiendi erunt qui ſuſpectum poſtulant. Cæterùm ſi probentur paſſi eum in hereditate morari; nec quidquam poſſint objicere criminis, quaſi dolosè verſato eo: non debebit poſt multùm temporis ad hanc neceſſitatem compelli. *d. l.* 31. § 2.

XXVIII.

Sed ſuſpectus heres, non iiſdem modis quibus ſuſpectus tutor æſtimatur: ſi quidem tutorem non facultates, ſed fraudulenta in rebus pupillaribus, ſed callida, converſatio ſuſpectum commendat (*h*) heredem verò, ſolæ facultates. *d. l.* 31. § 1.

Planè ſi doceatur nihil ex bonis alienaſſe, nec ſit quod ei juſtè præter paupertatem objiciatur; contentus eſſe Prætor debet, ut jubeat eum nihil minuere. *d. l.* 31. § 4.

Quòd ſi nec inopiâ laborantem eum creditores oſtendere poterint, Injuriarum actione ei tenebuntur. *d. l.* 31. § 5.

(*a*) Non eſt quidem hæc reſponſio; vera repudiatio hereditatis; quæ priuſquàm delata ſit, adeòque priuſquàm conditio extiterit, repudiari non poteſt: ſed hunc habet effectum ut poſſit curator vendere bona, perindè ac ſi repudiaſſet; propter ejus contumaciam.

(*b*) Id eſt; ſi nec poſſit conditioni parere, quia caſualis eſt & non in ejus poteſtate poſita; nec reſpondere ſe non aditurum etiamſi conditio extiterit, quia fortè is eſt qui conditione exiſtente erit neceſſarius heres.

(*c*) *Aut* etiam *bona vendenda*; ſi intrà tempus quod præfiniet Prætor, conditio non extiterit: ut mox dicetur.

(*d*) Cujacius Obſerv. XXIV 17. cenſet legendum, *ita ut dubium.*

(*e*) Id eſt; Quandocumque autem poſteà conditionem dandæ pecuniæ [libertati ejus & hereditati adſcriptam] impleverit: non proficit quidem impleta conditio ut hereditatem conſequatur, cùm jam bona fuerint diſtracta; ſed prodeſt ſaltem ut libertatem adipiſcatur.

(*f*) Gloſſa ſic interpretatur, *conditio rei*; putà ſi pœna promiſſa à defuncto fuerit, niſi intra certum diem ſolveretur.

(*g*) Idem dicitur infrà Tit. *de Curat. bon. dand.* N. 4.

(*h*) Hanc diſparitatis rationem affert Scipio-Gentilis; quòd, cùm tutor pupillo detur patris loco, benè de ejus fide ac caritate erga pupillum præſumitur.



Source : BIU Cujas

TITULUS V.

DE REBUS AUCTORITATE JUDICIS POSSIDENDIS SEU VENDUNDIS.

COntinuato tractatu de missione in Possessionem, circa quam superiori Titulo vidimus ex quibus causis fieri soleat; in hoc Titulo agitur de ipsâ missione & hujus effectu, tum de venditione quæ eam sequitur.

SECTIO I.

De missione creditorum in bona debitoris, & hujus missionis effectu.

Hîc videndum 1°. *Quid sint hæc bona in quæ creditores mittuntur, & ad quæ porrigatur hæc missio:* 2°. *Quod jus tribuat creditoribus Decretum Prætoris quo mittuntur in Possessionem:* 3°. *Quod jus ipsi consequantur quum eam ingressi fuerint:* 4°. *Quibus proficiat hæc missio in Possessionem:* 5°. *Quandiù duret.* 6°. *Agemus de actionibus quæ ex gestu creditorum qui in Possessionem missi sunt, ultrò citròque nascuntur.*

ARTICULUS I.

Quid sint bona in quæ mittuntur creditores, & ad quæ porrigatur hæc missio.

I.

BONORUM appellatio, aut naturalis aut civilis est. *l.* 49. *ff. de Verb. signif.* ULP. LIB. 59. AD ED.

Civilis bonorum appellatio in Edictis DE BONORUM POSSESSIONIBUS, *de quibus supra lib.* 37. & 38. *Quâ civili appellatione, etiam onera continentur. Hîc autem naturalis tantùm spectatur, quâ id continetur duntaxat quod prodest* (l'actif, & non le passif): *ut mox dicitur.*

Enimverò NATURALITER bona ex eo dicuntur quòd beant, hoc est, beatos faciunt. BEARE EST PRODESSE. In bonis autem nostris computari sciendum est, non solùm quæ dominii nostri sunt; sed & si bonâ fide à nobis Possideantur, vel superficiaria sint. Æquè bonis adnumerabitur, etiam si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus. Nam hæc omnia in bonis esse videntur. *d. l.* 49. ¶ *naturaliter.*

II.

Si propter naturam rei, veluti si prædium inundatum sit, aut propter latronum potentiam, non potest possideri; rectè dicitur non esse quod possideatur. *l.* 12. § 2. PAUL. LIB. 59. AD ED.

Tamen & ad ea quæ sic possideri non possunt, pertinebit missio; nimirùm ut cessante impedimento possint creditores Possessionem ingredi.

Undè Gaius: Quamvis possessa non sint bona, quia fortè nihil fuerit quod Possideatur, aut sine controversiâ non Possideatur; creditor qui in Possessionem missus est, perindè habetur ac si etiam possessa bona fuissent. *l.* 13. GAIUS LIB. 23. AD ED. PROVINC.

Ad ea autem demùm bona porrigitur missio, quæ subsunt jurisdictioni Magistratûs ejus qui in Possessionem misit.

Hinc Paulus: Is qui Possidere jubetur, eo loco jussus videtur cujus cura ad jubentem pertinet (*a*). *l.* 12. § 1. PAUL. LIB. 59. AD ED.

ARTICULUS II.

Quod jus tribuat creditoribus Decretum quo in Possessionem mittuntur; & de actione quæ ipsis competit si in Possessionem non sinantur ingredi.

III.

Decreto creditoribus id duntaxat tribuitur, ut quum in earum rerum Possessionem venerint, jus pignoris in his rebus adipiscantur.

Et quidem Non est mirum, si ex quâcumque causâ Magistratus in Possessionem aliquem miserit, pignus constitui; cùm testamento quoque pignus constitui posse, Imperator noster cum patre sæpissimè rescripsit. *l.* 26. *ff. de Pignorat. act.* ULP. LIB. 3. DISPUTAT.

Sed Sciendum est, ubi jussu Magistratûs pignus constituitur, non aliàs constitui nisi ventum fuerit in Possessionem. *d. l.* 26. § 1.

Non possunt igitur creditores per Hypothecariam *actionem Vindicare Possessionem eorum bonorum, antequàm eam ingressi fuerint: sed vi Decreti quod impetraverunt, eam ingrediuntur.*

IV.

Quòd Si quis creditorem prohibuerit bona debitoris ingredi, datur in eum actio Quanti ea res sit. *l.* 14. *Quibus ex caus. in poss.* PAUL. LIB. 2. QUÆST.

Hîc autem insignem nota in concedendâ hâc actione differentiam, inter creditorum missionem Rei servandæ causâ, *& missionem quæ legatariis conceditur* LEGATORUM CAUSA.

Nimirùm: Sed & si quis legatorum servandorum causâ missus in Possessionem, admissus non est; si legati conditio pendeat, licèt possit deficere; æstimetur tamen id quod legatum est: quia interest ejus, cautum habere. *d. l.* 14. § 1.

Creditor autem conditionalis in Possessionem non mittitur (*b*); quia is mittitur, qui potest bona ex Edicto vendere. *d. l.* 14. § 2.

Item circa hanc actionem quæ datur creditori qui Possessionem ingredi prohibitus est, nota; hoc quod ex eâ creditor fuerit consecutus, imputari in debitum. Ita Paulus: Si quis creditorem missum in Possessionem rei servandæ causâ, non admiserit: si venditor (*c*) præstiterit creditori

(*a*) Si igitur sint bona in aliâ provinciâ, adeundus erit Præses hujus provinciæ; qui jubebit executioni mandari Decretum quo in bona debitoris creditores mittuntur.

(*b*) Efficaciter, & ita ut habeat hanc actionem si non admittatur: cæterùm jure mitti potest, ut vid. tit. præced. N. 3. Quæ autem ratio differentiæ inter creditorem & legatarium? Hanc affert Cujacius in *Quæst. Paul.* ad h. l. scilicet quòd legatarii mittuntur in Possessionem, non tam ut pignus ipsis constituatur, quàm ut tædio hujus Possessionis invitetur heres ad cavendum: ergo efficaciter mittuntur, etsi legati conditio pendeat quia interest eorum, cautionem habere. Et hâc in re legata comparantur judiciis bonæ fidei, in quibus id quoque venit ut ante conditionem cautio præstetur. Quum autem creditores mittuntur in Possessionem, ideò tantùm mittuntur ut ipsis pignus constituatur quod distrahere possint, ut ex pretio ipsis satisfiat: cùm igitur ante conditionem non possint distrahere bona debitoris, ante conditionem in bona ejus inefficaciter mittuntur.

(*c*) Cujacius Observ. XII 23. legendum monet *debitor*: & addit secùs fore, si alius quàm ipse debitor prohibuisset; nec ex eo quod ab isto creditor accepisset, utpotè pœnæ nomine; liberatum iri debitorem.

Source : BIU Cujas

quanti ejus interfuerit, quæsitum est an debitor (*Cujac.* debito) liberetur? Et puto improbum esse eum qui velit iterùm consequi quod accepit. *l.* 51. § 1. *ff. de Re judic.* PAUL. LIB. 2. MANUALIUM.

ARTICULUS III.

Quale jus tribuat creditoribus ipsa Possessio bonorum, quum eam ingressi sunt.

V.

Hæc Possessio nec dominium, nec fructum, nec etiam usum creditoribus tribuit; sed regulariter meram custodiam: per quam id consequuntur, non tam ut fruantur ipsi, quàm ut debitorem suum frui prohibeant.

Hinc durante Possessione, quemadmodum nec debitor ex his rebus quidquam percipere potest; ita etiam rectè Fulcinius existimat; Creditores rei servandæ causâ missos in Possessionem, ex his rebus ali non debere. *l.* 7. *ff. Quib. ex caus. in possess.* ULP. LIB. 59. AD ED.

VI.

Quamvis autem per hanc Possessionem debitor frui prohibeatur; tamen in pupilli debitoris personâ singulare est quod, Si pupillus ex contractu suo non defendatur, ideòque bona ejus creditores Possidere cœperint; diminutio ex his bonis fieri debet, vescendi pupilli causâ. *l.* 33. (*Aliàs l.* 18. de Privileg. credit.) ULP. LIB. 3. REGULAR.

Pariter Paulus: Pupillus (*a*) si non defendatur; in Possessione creditoribus constitutis, [minoribus] ex his usque ad pubertatem alimenta præstanda sunt. *l.* 39. (*Aliàs l.* 24. de Privileg. credit.) PAUL. LIB. 5. SENTENT.

His generaliter præmissis; jam specialiùs videndum est, quid tribuat hæc Possessio tam circa res corporales, quàm circa instrumenta, & circa actiones debitoris.

§ I.

Quid juris tribuat hæc Possessio circa res corporales.

VII.

Si quis fructus ex prædio debitoris capi poterit; hunc creditor qui in Possessionem prædii missus est, vendere, vel locare (*b*) debet. Sed hoc ita demùm, si ante neque vænierit, neque locatus erit. Nam si jam à debitore vel locatus erat, vel vænierat; servabit Prætor venditionem & locationem à debitore factam, etsi minoris distractum est, vel locatum: nisi si in fraudem creditorum hoc fiat; tunc enim Prætor arbitrium dat creditoribus, ut ex integro locationem vel venditionem faciant. *l.* 8. § 1. ULP. LIB. 61. AD ED.

De cæterarum quoque rerum fructibus idem erit dicendum; ut, si qui locari possint, locentur: putà mercedes servorum, vel jumentorum, cæterorumque quæ possunt locari. *d. l.* 8. § 2.

De tempore locationis nihil Prætor locutus est. Et ideò liberum arbitrium creditoribus datum videtur, quanto tempore locent. Quemadmodum illud est in arbitrio eorum, vendant, vel locent; scilicet sine dolo malo: ex culpâ autem rei non fiunt. *d. l.* 8. § 3.

VIII.

Si unus sit qui Possideat bona, expeditum erit de locatione. Quòd si non unus, sed plures sint; quis eorum debeat locare vel vendere quæritur? Et siquidem convenit inter eos, expeditissimum est; nam & omnes possunt locare, & uni hoc negotium dare: si verò non convenit; tunc dicendum est, Prætorem causâ cognitâ eligere debere qui locet vel vendat. *d. l.* 8. § 4.

Et alibi. Quum plures creditores in Possessionem rerum debitoris mittantur; ne (*Florent.* nec) corrumpantur rationes, uni hoc negotium à creditoribus esse dandum, quem major pars creditorum elegerit. *l.* 15. ULP. LIB. 62. AD ED.

§ II.

Quid juris tribuat circa instrumenta.

IX.

Creditoribus in Possessionem bonorum missis, jus est instrumenta debitoris cognoscere & dispungere.

COGNOSCERE instrumenta, est relegere & recognoscere; DISPUNGERE, est conferre accepta & data. *l.* 56. *ff. de Verb. signif.* ULP. LIB. 62. AD ED.

Utrùm semel, an etiam sæpiùs recognitio, dispunctio, concedenda sit creditoribus, videamus? Et ait Labeo, Ampliùs quàm semel non esse concedendam. Si quis tamen (inquit) juraverit non calumniæ causâ se postulare, neque habere quæ dispunxerit; iterùm ei faciendam potestatem ait, nec ampliùs quàm bis. *l.* 15. § 1. ULP. LIB. 62. AD ED.

X.

At præter recognitionem & dispunctionem; Ego puto creditoribus instrumentorum etiam ΑΝΑΓΡΑΦΟΝ [id est, *descriptionem*] facere: non ut describant ipsa corpora instrumentorum; sed quot sint, de quâ re sint, subnotent sibi, & quasi inventarium faciant. Quod etiam universorum facere eis erit permittendum.

Præterea, nonnuquàm Prætor causâ cognitâ etiam describere aliquid ex instrumentis creditoribus debebit permittere; si qua idonea causa interveniat. *d. l.* 15. ¶ *ego.*

§ III.

Quid juris tribuat circa actiones debitoris.

XI.

Creditore in Possessionem rerum debitoris misso; curator constitui debet, si quædam actiones perituræ sunt *l.* 14. PAUL. LIB. 59. AD ED.

Scilicet ut eas contestetur.

De his autem quæ hos bonorum curatores spectant, proprius est Titulus VII. infrà; ad quem remitto.

ARTICULUS IV.

Quibus proficiat missio in bonorum debitoris Possessionem.

XII.

Quum unus ex creditoribus postulat in bona debitoris se mitti; quæritur utrùm solus is qui petit, Possidere potest; an quum unus petit, & Prætor permisit, omnibus creditoribus aditus sit? Et commodiùs dicitur, quum Prætor permiserit, non tam personæ solius petentis, quàm creditoribus & IN REM permissum videri. Quod & Labeo putat. Nec videbitur libera persona adquirere alii: quia nec sibi quicquam adquirit, cui Prætor permittit; sed aliquid ex ordine facit (*c*), & ideò cæteris quoque prodest.

Planè si is postulaverit qui creditor non est; minimè dicendum est, vel eum qui creditor est Possidere posse: quia nihil egit talis postulatio.

Aliter atque si creditor cui permissum est Possidere, postea recepit debitum suum. Cæteri enim poterunt peragere bonorum venditionem. *l.* 12. PAUL. LIB. 59. AD ED.

(*a*) Cujacius Obsery. XXIV 17. censet legendum *pupillo*, & infrà hanc vocem [*minoribus*] expungendam.

(*b*) Scilicet in arbitrio est creditorum, an ipsi percipiant fructus eosque vendant, an locent prædium.

(*c*) Id est; exsequitur solemnem Juris *ordinem*, quo res servetur creditoribus.

Source : BIU Cujas

Quod tamen dicimus, missionem in bona debitoris ab uno ex creditoribus utiliter impetratam, cæteris creditoribus proficere; non fuit apud Veteres absque controversiâ: ut ex Justiniano discimus, qui hanc litem ita diremit; ut id obtineret, modò cæteri creditores (si præsentes erant, intrà biennium; si verò absentes, saltem intrà quadriennium) creditorem illum qui missus est debiti sui certiorem faciant; & pro ratâ sui crediti partem expensarum quas fecit creditor qui Decretum obtinuit, ei refundant. l. 10. *Cod.* de Bon. possidend.

ARTICULUS V.

Quandiù duret Possessio in quam creditores missi sunt.

XIII.

Hæc Possessio durare potest, quandiù aut bona distracta fuerint, aut debitor defendi cæperit.

Enimverò Defendere debitorem, sicut antequàm bona ejus possiderentur, licet; ita post bonorum Possessionem quoque ejus, sive ipse sui, sive alius defensionem ejus suscipiat, satisdare (*a*): ut satisdatione interposita judicium accipiatur, & à Possessione discedatur. *l.* 33. (*Aliàs l.* 18. de Privileg. credit.) § 1. ULP. LIB. 3. REGUL.

Novellâ LIII Cap. 4. *debitor in cujus bonorum Possessionem dum latitaret, creditores missi sunt; non debet ea recipere, nisi refundat priùs omnes impensas, & satisdet* Judicio sisti: *etiamsi is sit qui duntaxat jurare tenebatur.*

ARTICULUS VI.

De actionibus quæ ex gestu eorum qui in Possessionem bonorum missi sunt, ultrò citròque nascuntur.

XIV.

Prætor ait: « SI QUIS quum in Possessione bonorum » esset, quod eo nomine fructus ceperit, ei ad quem » ea res pertinet non restituat; sive quod inpensæ sine » dolo malo fecerit, ei non præstabitur; sive dolo » malo ejus deterior causa Possessionis facta esse dicetur; » de eâ re judicium In factum dabo. » *l.* 9. ULP. LIB. 62. AD ED.

Apparet ex hoc Edicto actionem ultrò citròque dari, tam ei ad quem res pertinet, quàm creditori.

§ I.

De primâ actione quæ datur ei ad quem res pertinet, adversùs creditorem qui in Possessione fuit.

XV.

His verbis AD QUEM EA RES PERTINET, etiam curator bonis distrahendis datus continebitur; & ipse debitor, si contigerit ne bona ejus væneant. *d. l.* 9. § 3.

In hâc autem actione hæc potissimùm veniunt.

XVI.

1°. *ut restituat creditor quidquid, quum in Possessione esset, ex re debitoris ad ipsum pervenit. Etenim Prætor* Quod de FRUCTIBUS (*b*) ait, etiam de cæteris quæcumque ex re debitoris pervenerunt, intelligendum est.

Et sanè debuit hoc ita esse. Quid enim si ex compromisso, vel alio casu pœnam consecutus est? (*c*) nam eam pœnam quam consecutus est, præstare debet. *d. l.* 9. § 1.

Item Paulus. Datur in creditorem actio qui in Possessionem missus est, de eo quod ex bonis debitoris ad eum pervenit. Si nondum sit aliquid consecutus, actiones suas præstabit. Datur autem IN FACTUM actio adversùs eum; & omne quod in actionem Negotiorum gestorum veniret si posset (*d*) agi, restituendum à creditore. *l.* 14. § 1. PAUL. LIB. 59. AD ED.

XVII.

2°. Est prætereà quæsitum; Si deteriora prædia facta fuerint sine dolo malo creditoris, vel jura eorum amissa, vel ædificia diruta vel exusta; item familiæ pecorumque acta cura non sit, aut Possessio alii tradita, sine dolo tamen malo: an teneatur? Et apparet eum non teneri; quia dolo malo caret. Eritque melior ejus conditio quàm in pignore creditoris; qui non tantùm dolum malum, verùm culpam quoque debet.

Eadem causa est curatoris bonorum: nam & is tenetur, ut creditores. *sup. d. l.* 9. § 5.

XVIII.

De dolo autem creditores tenentur, sive in admittendo, sive etiam in omittendo, dolum commiserunt.

Undè In eum quoque qui neque locavit fructum prædii, neque vendidit, in factum actionem dat Prætor. Et in hoc condemnabitur, quantò minùs propter hoc perceptum est quia neque vendidit neque locavit.

Cæterùm si tantùm perceptum est, quantùm perciperetur si locatus vel distractus fructus esset; nihil ei imputabitur.

Præstat autem per id tantùm temporis quo in Possessionem fuit, vel ipse, vel jussu ejus alius, quoad indè de Possessione discessum est. Nam neque hoc imputatur creditori cur in Possessionem non venerit, neque illud cur de Possessione decesserit; cùm voluntarium & suum potiùs negotium creditor gerat.

Æstimatio autem fit, quantùm interest ejus qui experitur. *d. l.* 9. § 6.

§ II.

De alterâ actione quæ datur creditori qui in Possessione fuit, adversùs curatorem aut adversùs debitorem si bona distracta non fuerint.

XIX.

Est Juris regula: Cujus effectus omnibus prodest, ejus & partes (*e*) ad omnes pertinent. *l.* 148. (*Aliàs* 190.) *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 16. LIB. 16. BREV. ED.

Et ipsi itaque creditori adversùs hos dabitur actio quos enumeravimus (*f*); sive quid in fructibus percipiendis erogavit, sive in familiâ alendâ curandâ-ve, prædiis fulciendis vel reficiendis, vel damno infecto promittendo; vel servo Noxali judicio defenso, si modò non magis eum expedit dedere quàm retinere: quòd si dedere expedit, consequens erit repetere eum non debere. *l.* 9. § 3. ¶ *& ipsi.* ULP. LIB. 62. AD ED.

Generaliter etiam dicendum est; Quidquid impendit in rem, si modò SINE DOLO MALO impendit, repetere eum posse. Nam (*g*) Negotiorum gestorum agere non magis potest, quàm si socius commune ædificium fulsit; quia hic quoque creditor, commune non alienum negotium gessisse videtur. *d. l.* 9. § 4.

Quod ait Prætor; SIVE QUOD IMPENSÆ NOMINE

(*a*) Et quidem quum ipse se defendit, satisdat duntaxat *Judicio sisti*; si alius eum defendat, satisdat *Judicatum solvi*.

(*b*) His Edicti verbis, *Quod eo nomine fructus ceperit.*

(*c*) Finge V. G. creditorem vendendo fructus fundi Possessi, convenisse cum emptore ut, nisi pretium intra certum tempus solveret, certam pecuniam pœnæ nomine daret; & hanc pœnam creditorem fuisse consecutum.

(*d*) Hoc casu non competit actio *Negotiorum gestorum*; quia creditor Possidendo bona debitoris, suum negotium non negotium debitoris gerit. Verùm actio quæ ex hoc Edicto datur, est ad instar actionis *Negotiorum*; cum eâ duntaxat differentiâ, quòd creditor dolum tantummodo præstat.

(*e*) Id est, quicquid est hujus rei pars ac sequela. Missionis autem in bona, quasi pars est; quod missus ex hâc causâ impendit.

(*f*) Id est; cæteros omnes quibus missio profuit.

(*g*) Supple: Et quidem actione *In factum*, non actione NEGOTIORUM GESTORUM. *Nam &c.*

Source : BIU Cujas

SINE DOLO FECIT EI NON PRÆSTABITUR; hoc eò ſpectat, ut ſi quid ipſe erogavit creditor, ſi modò ſine dolo malo erogavit, hoc ei præſtetur. Sufficit igitur ſine dolo erogaſſe, etiamſi nihil profuit erogatio ejus rei debitori. *d. l.* 9. § 2.

§ III.

Qualis ſit utraque actio, & quandiù duret.

XX.

Hæ actiones neque temporariæ ſunt, & tam heredibus quàm in heredes dabuntur, cæteroſque ſucceſſores. *l.* 9. § 7. ULP. LIB. 62. AD ED.

Hoc ita; quum aut creditor repoſcit expenſas quas fecit, aut adversùs eum repoſcitur quod ex bonis ad ipſum pervenit.

Quòd Si Poſſeſſionis cauſa deterior facta eſſe dicetur, dolo ejus qui in Poſſeſſionem miſſus ſit; actio in eum ex dolo datur: quæ neque poſt annum, neque in heredes cæteroſque ſucceſſores dabitur; cùm ex delicto oriatur, pœnæque nomine concipiatur. *d. l.* 9. § *fin.*

Niſi quatenùs ad eum pervenit. *l.* 10. PAUL. LIB. 59. AD ED.

Heredi autem dabitur, quia & rei continet perſecutionem. *l.* 11. ULP. LIB. 62. AD ED.

SECTIO II.

De Bonorum Venditione, & pretii ex iis redacti diſtributione inter creditores faciendâ.

ARTICULUS I.

De Vendendis bonis in quorum Poſſeſſionem creditores miſſi ſunt.

XXI.

Pro debito creditores addici ſibi bona ſui debitoris non jure poſtulant. *l.* 6. *Cod. h. t.* DIOCLET. ET MAXIM.

Verùm ſi: poſtquàm in Poſſeſſionem miſſi ſunt, debitor latitare pergat; impetrant ut ea diſtrahant.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Cùm proponas eum contra quem ſupplicas, ex adminiſtratione negotiorum tibi obligatum; hunc ſecundùm Juris rationem adito Rectore provinciæ potes convenire. Nam ſi ad circumſcriptionem tui juris latitat, nec defenditur, & eum tuum eſſe debitorem conſtat: ad exemplum Edicti, bonorum ejus Poſſeſſionem poteris impetrare. Tempore autem tranſacto (*a*), etiam Venditionem eorum à competenti judice poſtulare non prohiberis. *l.* 9. *Cod. h. tit.*

Circa hanc autem bonorum diſtractionem, plura expendenda veniunt ſequentibus §§*is*.

§ I.

Quæ poſſint diſtrahi, necne.

XXII.

Palàm eſt quòd In Venditionem bonorum, etiam uſusfructus (*b*) veniat; quia appellatione domini, fructuarius quoque continetur. *l.* 8. ULP. LIB. 61. AD ED.

XXIII.

Cæterùm Bonis Venditis excipiuntur concubina & liberi naturales. *l.* 38. (*Aliàs* l. 23. de Privileg. credit.) PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Item Fufidius refert; Statuas in publico poſitas, bonis diſtractis ejus cujus in honorem poſitæ ſunt, non eſſe emptoris bonorum ejus: ſed aut publicas, ſi ornandi municipii causâ poſitæ ſint; aut ejus cujus in honorem poſitæ ſint; & nullo modo eas diſtrahi poſſe. *l.* 29. (*Aliàs* l. 14. Privileg. credit.) PAUL. LIB. 5. AD LEG. JUL. ET PAP.

§ II.

Ubi vænire bona debeant.

XXIV.

Vænire bona ibi oportet, ubi quiſque defendi debet: id eſt, *l.* 1. GAIUS LIB. 23. AD ED. PROVINC.

Ubi domicilium habet; *l.* 2. PAUL LIB. 54. AD ED.

Aut ubi quiſque contraxerit.

Contractum autem non utique eo loco intelligitur quo negotium geſtum ſit, ſed quo ſolvenda eſt pecunia. *l.* 3. GAIUS LIB. 23. AD ED. PROVINC.

Scholium.

Quid ſi reus in unâ provinciâ domicilium habet, in aliâ autem bona ejus ſita ſunt? Ait Gothofredus, Ab eo quidem judice ubi reus domicilium habet, impetrari ut bona diſtrahantur: cæterùm ibi diſtrahentur ubi ſita ſunt. Nimirùm judex loci ubi bona ſita ſunt, auctoritatem ſuam accommodabit; ut executioni mandetur Decretum judicis qui ea diſtrahi juſſit.

§ III.

Quis in addictione bonorum anteponi debeat.

XXV.

Quum bona væneunt debitoris; in comparationem extranei & ejus qui creditor, cognatus-ve ſit, potior habetur creditor cognatusve: magis tamen creditor, quàm cognatus; & inter creditores, potior is cui major pecunia debebitur. *l.* 16. (*Aliàs* l. 1. de Privileg. cred.) GAIUS LIB. 24. AD ED. PROVINC.

Conſonat quod Imperator Antoninus Avidio-Caſſio reſcripſit: ſi creditores parati ſint partem ex bonis licèt ab extraneo conſequi; rationem habendam priùs neceſſariarum perſonarum, ſi idoneæ ſint. *l.* 60. *ff. de Pactis.* PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 8. CONSTITUTION.

§ IV.

De atteſtatione diſtractionis Bonorum conficiendâ.

XXVI.

Ex Conſtitutione Juſtiniani; creditor atteſtationem diſtractionis conficere, eamque apud Defenſorem civitatis deponere debet: jurejurando interpoſito, quòd non dolo rem minori pretio Vendiderit. l. fin. § 1. Cod. h. tit.

§ V.

De hujus Venditionis effectu.

XXVII.

Hujus Venditionis effectus eſt, ut omni jure quod in bonis ſuis habebat debitor ſpolietur; dominiaque rerum ad emptores quibus adjudicantur, tranſeant.

Hinc Imperatores Antoninus & Verus Auguſti reſcripſerunt; Bonis per curatorem ex Senatuſconſulto (*c*) diſtractis, nullam actionem ex ante geſto (*d*) fraudatori competere.

(*a*) Quale illud fuerit, nullibi invenio definitum. Credibile eſt fuiſſe relictum arbitrio Magiſtratûs.

(*b*) Ad debitorem pertinens. Cùm enim fructuarius ſit *dominus*, non rei fructuariæ, ſed juris quod in eâ re habet; hoc jus uſusfructûs Vendi poteſt; non quidem ut ipſum jus uſusfructûs in emptorem tranſeat; quod impoſſibile eſt; cùm perſonam cui conſtitutus eſt non egrediatur; ſed ut emptor, vice fructuarii, fructus omnes percipiat.

(*c*) Vide infrà Tit. *de Curat. bon. dand.*

(*d*) Id eſt; decoctor cujus bona vænierunt, nullam adversùs debitores quondam ſuos actionem habet. Omnia enim jura quæ habebat, ad emptorem bonorum ejus tranſeunt. Hæc inter plures quas Gloſſa affert, magis arridet interpretatio.

Source : BIU Cujas

competere. *l.* 4. *ff. de Curat. bon. dand.* PAPYRIUS-JUSTUS LIB. I. DE CONSTITUTIONIB.

Ita tamen hunc effectum quem diximus habet Venditio, si jure celebrata sit.

Hinc iidem Imperatores Antoninus & Verus Augusti rescripserunt; Eos qui bona sua negant jure vænisse, præjudicio (*a*) experiri debere; & frustrà à Principe (*Florent.* frustrà Principem) desiderare rescindi (*b*) venditionem. *l.* 30. (*Aliàs* l. 15. de Privileg. credit.) PAPYRIUS. IBID.

ARTICULUS II.

De Privilegiis creditorum. *

* *In Vulgatâ distinguitur sub hâc Rubricâ specialis Titulus VI constans 24 posterioribus legibus Tituli Florentini* de Reb. auct. judic. *à lege 16 ad finem.*

Venditis bonis debitoris, sequitur ut pretium inter creditores distribuatur. Quâ in distributione videndum, quinam creditores Privilegium habeant ut cæteris præferantur.

XXVIII.

Et 1°. *Si res alicui sit obligata jure pignoris aut hypothecæ; patet in eâ potiorem esse cæteris creditoribus, eum cui obligata est. Sin obligata non est; pretium quod ex hujus venditione redigitur, inter omnes creditores pro ratâ debiti distribuitur.* Undè, si quidem debitoris tui cæteri creditores pignori res acceperunt, potiores eos quàm te chirographarium creditorem haberi non ambigitur. Quòd si specialiter vel generaliter nemini probentur obligatæ; ac sine successore communis debitor vel ejus heres decessit: non dominii rerum Vindicatione, sed Possessione bonorum, itemque venditione, æquali portione, pro ratâ debiti quantitate, omnibus creditoribus consuli potest. *l.* 6. *Cod. h. tit.* ¶ *undè.* DIOCL. ET MAXIM.

2°. *Sed & inter chirographarios creditores quidam Privilegium habent, ut in pretio bonorum distractorum cæteris creditoribus anteponantur.*

Ex his Privilegiis alia personæ tribuuntur, alia personæ simul & causæ, alia causæ tantùm.

§ I.

De Privilegiis quæ Personæ, *& de his quæ* Personæ simul & causæ *tribuuntur.*

XXIX.

Privilegia PERSONÆ *sunt, illud V. G. quod datur fisco: de quo infrà lib.* 49. *Tit.* de Jur. fisci.

Item illud quod civitatibus. Ex quâcumque enim causâ Respublica creditrix, omnibus chirographariis creditoribus præfertur. *l.* 38. § 1. (*Aliàs l.* 23. de Privileg. credit.) PAUL. LIB. I. SENTENT.

XXX.

Inter Privilegia Causæ simul ac personæ, *notissimum est Privilegium quod pupillo datur ob actionem tutelæ adversùs suum tutorem: de quo suprà lib.* 27. *Tit.* de Tutel. & rat. distrah.

Sed & Si quis, quum tutor non esset, pro tutore negotia gessit; Privilegio locum esse manifestum est. Nec interest, ipse debeat qui gessit, sive heres ejus cæterique successores. *l.* 19. (*Aliàs l.* 4. de Privileg. credit.) § 1. ULP. LIB. 63. AD ED.

Quinetiam, Si negotium impuberis aliquis officio amicitiæ gesserit; debet bonis ejus venditis Privilegium pupillo conservari. Et ita accepi. *l.* 23. (*Aliàs* l. 8. d. tit.) PAUL. LIB. 60. AD ED.

Hoc autem Privilegium quod pupillo in his actionibus datur, non causæ duntaxat, sed & personæ tribui, satis indicat quod Ulpianus ait: Ipse autem pupillus habet Privilegium, sed ejus successores non habent. *sup. d. l.* 19. *d.* § 1. ¶ *ipse.*

De pupillo hactenùs. Sed æquissimum erit, cæteros quoque quibus curatores quasi debilibus vel prodigis dantur, *d.* § 1. ¶ *fin.*

Vel surdo; muto, *l.* 20. (*Aliàs l.* 5.) PAUL. LIB. 90. AD ED.

Vel fatuo, *l.* 21. (*Aliàs l.* 6.) GAIUS LIB. 24. AD ED. PROVINC.

Idem privilegium competere. *l.* 22. (*Aliàs l.* 7. d. tit.) ULP. LIB. 63. AD ED.

Sed si bonis curator datus sit vel absentis vel ab hostibus capti, vel dum deliberant scripti heredes de adeundâ hereditate: non oportebit Privilegium dari. Non enim in eâdem causâ est. *d. l.* 22. § 1.

Item Si ventri datus sit, nec partus editus; Privilegium cessabit. *l.* 24. (*Aliàs l.* 9. d. tit.) ULP. LIB. 63. AD ED.

XXXI.

Inter Privilegia quæ causæ simul ac personæ tribuuntur, illud etiam referri debet; quod mulieri pro restitutione dotis, in bonis viri ac soceri conceditur. Nec solùm ei quæ nupta fuit, conceditur: sed & Si sponsa dedit dotem, & nuptiis renuntiatum est; tametsi ipsa dotem condicit, tamen æquum est hanc ad Privilegium admitti; licèt nullum matrimonium contractum est.

Idem puto dicendum etiam, si minor duodecim annis in domum quasi uxor deducta sit; licèt nondum uxor sit. *l.* 17. § 1. (*Aliàs l.* 2. d. tit.) ULP. LIB. 63. AD ED

Interest enim Reipublicæ & hanc solidum consequi, ut ætate permittente nubere possit. *l.* 18. (*Aliàs l.* 3. d. tit.) PAUL LIB. 70. AD ED.

Hoc autem Privilegium (*ut diximus*) *non causæ duntaxat, id est actioni* De dote, *sed simul personæ mulieris tribuitur. Nam ut rescribunt Severus & Antoninus*: Scire debes, Privilegium dotis quo mulieres utuntur in actione DE DOTE, ad heredem non transire. *l. un. Cod. de Privileg. dot.*

Undè appositè dictum ab Ulpiano: Dabimus ex his causis IPSI mulieri Privilegium. *l.* 19. (*Aliàs l.* 4. de Privileg. credit.) ULP. LIB. 63. AD ED.

§ II.

De Privilegiis quæ Causæ *duntaxat tribuuntur.*

XXXII.

Tale est Privilegium quod tribuitur creditori sumptuum funeris: de quo ita Mæcianus. Impensa funeris semper ex hereditate deducitur, quæ etiam omne creditum solet præcedere, quum bona solvendo non sint. *l.* 45. *ff. de Relig. & sumpt. fun.* MÆCIAN. LIB. 8. FIDEICOM.

Quocircà Quæsitum est; Utrùm ita demùm Privilegium habet Funeraria, si is cujus bona væneunt funeratus sit; an etiam, si proponas alium esse funeratum? Et hoc Jure utimur; ut, quicumque sit funeratus (id est, sive is cujus de bonis agitur; sive quid is debuit, quod reddere eum, si viveret, Funerariâ actione cogi oporteret), Privilegio locus sit. Parvique referre dicamus, quâ actione hic sumptus repetatur; Funerariâ, an Familiæ erciscundæ, an quâ aliâ: dummodò sumptus funeris causâ factus sit.

Quâcumque igitur actione ob funeris sumptum utatur, etiam Funerariam ei competere. Quare si in stipulatum funeris impensa deducta est, dicendum est locum esse Privilegio; si modò quis non abjiciendi Privilegii causâ stipulatus est. *l.* 17. (*Aliàs l.* 2. de Privileg. credit.) ULP. LIB. 63. AD ED.

(*a*) *Præjudicium* hîc Glossa censet intelligi, *Rei Vindicationem* adversùs emptores: quæ ideò *Præjudicium* dicitur, quòd præjudicium faciat distributioni pretii inter creditores; cùm sit antè judicanda, quàm distributioni pretii locus esse possit.

(*b*) Cùm jure communi non valeat.

Source : BIU Cujas

Sed & Ei cui veſtimenta legantur, ſi in funus erogata (*a*) ſint; Utilem (*b*) actionem in heredem dandam placuit, & Privilegium funerarium. *l.* 46. § 2. *ff. de Relig. & ſumpt fun.* SCÆVOLA LIB. 2. QUÆST.

XXXIII.

Inter Privilegia quæ cauſæ duntaxat tribuuntur, hæc quoque quæ ſequuntur referenda ſunt.

Nimirùm 1°. *Præter jus tacitæ hypothecæ quod (ſuprà lib.* 20. *Tit.* 2. *N.* 2.) *vidimus competere* Creditori qui ob reſtitutionem ædificiorum crediderit, Privilegium exigendi datur. *l.* 1. *ff. de Ceſſ. bon.* ULP. LIB. 17. AD ED.

Enimverò Divus Marcus ita edixit: Creditor qui ob reſtitutionem ædificiorum crediderit, in pecuniâ quæ credita erit, Privilegium exigendi habebit.

Quòd ad eum quoque pertinet, qui redemptori, domino mandante, pecuniam ſubminiſtravit. *l.* 24. (*Aliàs l.* 9. de Privileg. credit.) § 1. ULP. LIB. 63. AD ED.

2°. *Pariter* Qui in navem extruendam vel inſtruendam credidit, vel etiam emendam, Privilegium (*c*) habet. *l.* 26. (*Aliàs l.* 11. d. tit.) PAUL. LIB. 16. BREVIS EDICTI.

Item Marcianus. Quod quis navis fabricandæ, vel emendæ vel armandæ, vel inſtruendæ causâ vel quoquo modo crediderit, vel ob navem venditam petat; habet Privilegium poſt fiſcum. *l.* 34. (*Aliàs l.* 19. d. tit.) MARCIAN. LIB. 5. REGULAR.

3°. In bonis menſularii vendendis; poſt Privilegia (*d*), potiorem eorum cauſam eſſe placuit, qui pecunias apud menſam, fidem publicam ſecuti, depoſuerunt. Sed enim qui depoſitis nummis uſuras à menſulariis acceperunt, à cæteris creditoribus non ſeparantur (*e*). Et meritò: aliud eſt enim credere, aliud deponere.

Si tamen nummi extent, vindicari eos poſſe puto à depoſitariis (*f*); & futurum eum qui vindicat, ante Privilegia. *l.* 24. § 2. ULP. LIB. 63. AD ED.

4°. *Denique* Eorum ratio prior eſt creditorum, quorum pecunia ad creditores Privilegiarios (*g*) pervenit.

PERVENISSE autem quemadmodum accipimus? Utrùm ſi ſtatim profecta eſt, ab inferioribus ad Privilegiarios? An verò ſi per debitoris perſonam? hoc eſt, ſi ante ei numerata ſit; & ſic debitoris facta, creditori Privilegiario numerata eſt. Quod quidem poteſt benignè dici: ſi modò non poſt aliquod intervallum id factum ſit. *d. l.* 24. § 3.

Item modò inferiores crediderint, ut ad priores Privilegiarios perveniret pecunia quam credebant.

Undè Ulpianus. In perſonalibus actionibus, qui poſtea quidem contraxerunt, verùm UT pecunia eorum ad priores creditores perveniat, in locum eorum ſuccedunt. *l.* 2. *ff. de ceſſ. bon.* ULP. LIB. 21. AD SABIN.

§ III.

Diſcrimen inter Privilegia Cauſæ, *& Privilegia* Perſonæ.

XXXIV.

Privilegia quædam CAUSÆ ſunt, quædam PERSONÆ. Et ideò quædam ad heredem tranſmittuntur, quæ cauſæ ſunt: quæ perſonæ ſunt, ad heredem non tranſeunt. *l.* 196. *ff. de Reg. Jur.* MODESTIN. LIB. 8. REGUL.

Enimverò In omnibus cauſis id obſervatur; ut ubi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ beneficium quoque deficiat: ubi verò genus actionis id deſiderat; ibi ad quemvis perſecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilii. *l.* 68. *d. tit.* PAUL. LIB. SINGUL. DE DOTIS REPETITIONE.

§ IV.

Regula generalis circa Privilegia.

XXXV.

PRIVILEGIA non tempore æſtimantur, ſed ex causâ. Et, ſi ejuſdem tituli fuerunt, concurrunt; licèt diverſitates temporis in his fuerint. *l.* 32. (*Aliàs l.* 17. de Privileg. credit.) PAUL. LIB. SINGUL. REGUL.

§ V.

De caſu quo, dimiſſis ex pretio creditoribus, aliquid ſupereſt.

XXXVI.

Si omnibus creditoribus qui bona vendiderunt, ex pretio ſatisfactum ſit; & adhuc ex eo aliquid ſuperſit: jubet Juſtinianus illud reſiduum præſentibus tabularius ſignari, & in Cimeliarchio (le Treſor) *Eccleſiæ civitatis ubi venditio facta eſt deponi; ut ſi quis poſtea creditor apparuerit, poſſit per judicem ipſi indè ſatisfieri.* l. fin. § 1. Cod. h. tit.

(*a*) Putà heres qui ignorabat ea legata eſſe, ea in funus inſumpſit: ut in ſpecie legis 63. ff. *de Legatis* 2°.

(*b*) Id eſt, actionem *In factum*: ut in d. l. 63. ff. *de Legatis* 2°.

(*c*) Quod favore navigationis receptum eſt.

(*d*) Scilicet quum non extat pecunia depoſita. Nam ſi extaret, etiam Privilegiis præferrentur; ut mox dicitur. De quâ re vide & ſuprà lib. 16. Tit. *Depoſiti* N. 53. cum Notis.

(*e*) Id eſt, non potiores ſunt.

(*f*) Non verò ab iis qui uſuras acceperunt. Hi enim cùm abierint in creditum, non poſſunt *Vindicare*.

(*g*) Hoc intellige de perſonalibus creditoribus, qui perſonalem Privilegiatam actionem habent. Secùs de hypothecis; in quarum jus quis non ſuccedit, niſi ex ſpeciali pacto ut in pignus dimiſſi creditoris ſuccederet: ſuprà lib. 20. Tit. *Quæ potiores in pign.* N. 6. aut niſi idipſum fuerit à competenti judice tranſcriptum, ut in lege fin. Cod. *de Privileg. fiſc.*

TITULUS VI. (*Vulg.* VII.)

DE SEPARATIONIBUS.

EST ſuperioris Tituli ſequela hic Titulus; in quo agitur DE SEPARATIONE BONORUM *quam impetrant creditores defuncti, cujus hereditatem adivit is cujus bona proſcribuntur.*

Hæc Separatio contra ſtricti Juris rationem datur. Enimverò, cùm heres adeundo hereditatem, bona hereditaria efficiat ſua; creditores heredis, ex ſtrictâ ratione, æquale in his bonis jus habent cum creditoribus defuncti: hi ſi quidem ipſi, per additionem hereditatis facti ſunt heredis creditores; omni penitùs jure defuncti in perſonam heredis tranſmiſſo.

Ab hoc tamen ſtricto Jure recedit Prætor; indulgendo ut bona quæ defuncti fuerunt, ſeparentur à bonis heredis propriis.

Circa hanc Separationem videbimus, quâ formâ, & ex quibus cauſis indulgeatur necne, & quibus perſonis; tum deindè, quandiù poſſit peti; denique, de ejus effectu.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS I.

Ex quibus cauſis indulgeatur necne Separatio bonorum, quâ formâ, & quibus perſonis.

I.

Sciendum eſt Separationem ſolere impetrari Decreto Prætoris. *l.* 1. ULP. LIB. 64. AD ED.

Hoc autem Decretum redditur causâ cognitâ, an ii ſint quibus concedi debeat, & an tempeſtivè petatur. De his autem omnibus an admittenda Separatio ſit necne, Prætoris erit vel Præſidis notio, nullius alterius (*a*); hoc eſt, ejus qui Separationem indulturus eſt. *d. l.* 1. § 14.

II.

Solet autem Separatio permitti creditoribus ex his cauſis: Ut putà Debitorem quis Seium habuit, hic deceſſit; heres ei extitit Titius, hic non eſt ſolvendo, patitur bonorum venditionem: creditores Seii dicunt bona Seii ſufficere ſibi; creditores Titii contentos eſſe debere bonis Titii, & ſic quaſi duorum fieri bonorum venditionem: fieri enim poteſt, ut Seius quidem ſolvendo fuerit, potueritque ſatis creditoribus ſuis, vel ita ſemel (*b*), &, ſi non in aſſem, in aliquid tamen ſatisfacere; admiſſis autem commixtiſque creditoribus Titii; minùs ſint conſecuturi quia ille non eſt ſolvendo, aut minùs conſequantur quia (*c*) plures ſunt. Hic eſt igitur æquiſſimum, creditores Seii deſiderantes Separationem audiri; impetrareque à Prætore, ut ſeparatim quantum cujuſque creditoribus præſtetur. *d. l.* 1. § 1.

Ex contrario autem, creditores Titii non impetrabunt Separationem. Nam licet alicui, adjiciendo ſibi creditorem, creditoris ſui facere deteriorem conditionem. At qui [igitur (*d*)] adiit hereditatem debitoris mei, non faciet meam deteriorem conditionem adeundo; quia licet mihi Separationem impetrare: ſuos verò creditores oneravit, dum adiit hereditatem quæ ſolvendo non eſt; nec potuerunt creditores ejus Separationem impetrare. *d. l.* 1. § 2.

III.

Item videamus ſi quis heres parenti extiterit, quum eſſet impubes, deinde intrà pubertatem deceſſerit, & ſubſtituti bona væneant, qui impuberis hereditatem adiit: an patris creditores poſſunt Separationem impetrare? Et puto poſſe. Hoc ampliùs puto; etiam impuberis creditores, poſſe Separationem adversùs creditores heredis ejus impetrare. *d. l.* 1. § 7.

Secundùm hæc, videamus: Si primus ſecundum heredem ſcripſerit, ſecundus tertium, & tertii bona væneant; qui creditores poſſint Separationem impetrare? Et putem, ſi quidem primi creditores petant, utique audiendos; & adversùs ſecundi & adversùs tertii creditores. Si verò ſecundi creditores petant; adversùs tertii utique eos impetrare poſſe, adversùs primi autem non poſſe. In ſummâ: primi quidem creditores, adversùs omnes impetrare poſſunt Separationem; ſecundi creditores, adversùs primi non poſſunt, adversùs tertii poſſunt. *d. l.* 1. §. 8.

IV.

Quanquàm autem regulariter ſolis creditoribus defuncti concedatur Separatio bonorum ejus, adversùs creditores heredis; non vice versâ: ſunt tamen pauci caſus, in quibus heredi & creditoribus heredis Separatio bonorum heredis conceditur, adversùs creditores defuncti.

Primus caſus notiſſimus eſt, quum ſervus domino neceſſarius heres exiſtit. Nam Ita ſciendum eſt neceſſarium heredem ſervum cum libertate inſtitutum, impetrare poſſe Separationem; ſcilicet ut, ſi non attigerit bona patroni, in eâ causâ ſit ut ei quidquid poſtea acquiſierit, Separetur; ſed & ſi quid ei à teſtatore debetur. *d. l.* 1. § 18.

Alter caſus. Sed ſi quis ſuſpectam hereditatem dicens, compulſus fuerit adire & reſtituere hereditatem; deinde non ſit cui reſtituat, ex quibus caſibus ſolet hoc evenire: & ipſi quidem deſideranti ſuccurri ſibi adversùs creditores hereditarios, ſubveniemus. Hoc & Divus Pius reſcripſit; Ut perindè teſtatoris bona vænirent, atque ſi adita hereditas non fuiſſet. Creditoribus quoque hujuſmodi heredis deſiderantibus, hoc idem præſtandum puto; licèt ipſe non deſideraverit, ut quaſi Separatio quædam præſtetur. *d. l.* 1. § 6.

An etiam in caſu ſequenti concedetur? Nimirùm Quæſitum eſt an, interdum etiam heredis creditores poſſunt Separationem impetrare; ſi fortè ille in fraudem ipſorum adierit hereditatem? Sed nullum remedium eſt proditum. Sibi enim imputent, qui cum tali contraxerunt. Niſi ſi extra ordinem putamus Prætorem adversùs calliditatem ejus ſubvenire, qui talem fraudem commentus eſt. Quod non facilè admiſſum eſt. *d. l.* 1. § 5.

V.

Eſt & alia Separationis ſpecies de quâ ita Ulpianus. Si filiifamilias bona væneant, qui caſtrenſe peculium habet; an Separatio fiat inter caſtrenſes creditores cæteroſque, videamus? Simul ergo admittentur: dummodò, ſi qui cum eo contraxerunt antequàm militaret, fortaſsè debeant Separari. Quod puto probandum. Ergo qui ante contraxerunt, ſi bona caſtrenſia diſtrahantur, non poſſunt venire cum caſtrenſibus creditoribus. Item ſi quid in rem patris verſum eſt; fortè poterit & creditori contradici, ne caſtrenſe peculium inquietet; cùm poſſit potiùs cum patre experiri. *d. l.* 1. § 9.

VI.

Eſt adhuc alia Separationis bonorum ſpecies, quæ patrono conceditur. Nempè Si liberta heres inſtituta, bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas petiiſſet ejus qui ſolvendo non erat: quæſitum eſt an bona ejus Separari ab hereditariis debent? Reſpondit: Non eſt iniquum ſuccurri patrono, ne oneraretur ære alieno; quòd liberta, retinendo (*Aliàs* petendo) bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas, contraxerit. *l.* 6. § 1. JULIAN. LIB. 46. DIGEST.

ARTICULUS II.

Quibus defuncti creditoribus indulgeatur Separatio bonorum defuncti, & adversùs quos creditores heredis.

VII.

Separatio bonorum defuncti indulgetur creditoribus defuncti, adversùs quoſlibet heredis creditores. Sed *enim* etiam adversùs fiſcum & municipes, impetraretur Separatio. *l.* 1. § 4. ULP. LIB. 64. AD ED.

VIII.

Hic porrò inter defuncti creditores intelliguntur, etiam illi qui nunquàm potuiſſent convenire defunctum. Nam Hereditarium æs alienum intelligitur, etiam id de quo cum defuncto agi non poterit; veluti, quod is QUUM MORERETUR daturum ſe promiſiſſet; item quod is qui pro defuncto fidejuſſit, poſt mortem ejus ſolvit. *l.* 7. *ff. de Reb. auct. jud. poſſid.* GAIUS LIB. 23. AD ED. PROV.

IX.

Sed & ſi creditor defuncti, ipſe extiterit defuncto ex parte

(*a*) Id eſt, Prætor ipſe cognoſcit, nec delegat hanc cognitionem.

(*b*) Id eſt, vel in ſolidum.

(*c*) *Quia* eſt quidem in aliquo ſolvendo, ſed *plures ſunt* creditores quàm ut omnibus ſatisfieri poſſit.

(*d*) Hæc vox abundat.

Source : BIU Cujas

heres ; non ideò minùs ei adversùs coheredum ſuorum creditores, Separatio bonorum defuncti indulgebitur.

Ita enim reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Si uxor tua pro triente patruo ſuo heres extitit, nec ab eo quicquam exigere prohibita eſt; debitum à coheredibus pro beſſe petere non prohibetur : cùm ultra eam portionem quâ ſucceſſit, actio non confundatur. Sin autem coheredes ſolvendo non ſint, Separatione poſtulatâ, nullum ei damnum fieri patiatur. *l.* 7. *Cod. de Bonis auctor. jud.*

X.

Etiam ei qui defuncti tanquam fidejuſſoris, heredis autem ejus tanquam rei principalis creditor erat. Separatio conceditur adversùs cæteros creditores hujus-ce heredis : quamvis per additionem hereditatis, confuſa & extincta videri poſſet defuncti fidejuſſoris obligatio.

Hoc docet Papinianus. Ita ille : Debitor fidejuſſori heres extitit, ejuſque bona vænierunt. Quamvis obligatio fidejuſſionis extincta ſit (*a*), nihilominùs Separatio impetrabitur, petente eo (*b*) cui fidejuſſor fuerat obligatus : ſive ſolus ſit hereditarius creditor ; ſive (*c*) plures. Neque enim ratio Juris (*d*), quæ cauſam (propter principalem obligationem, quæ major fuit) excluſit, damno debet adficere creditorem, qui ſibi diligenter proſpexerat. *l.* 3. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

X I.

Neque ſolùm creditoribus defuncti quibus præſens pecunia debetur ; ſed & Creditoribus quibus ex die vel ſub conditione debetur, & propter hoc nondum pecuniam petere poſſunt, æquè Separatio dabitur : quoniam & ipſis cautione communi (*e*) conſuletur. *l.* 4. PAPIN. LIB. 12. RESPONS.

Quid de legatariis ? Legatarios autem in eâ tantùm parte quæ de bonis ſervari potuit, habere pignoris (*f*) cauſam convenit. *d. l.* 4. § 1.

Nimirùm Quotiens heredis bona ſolvendo non ſunt ; non ſolùm creditores teſtatoris, ſed etiam eos quibus legatum fuerit, impetrare bonorum Separationem æquum eſt : ita ut, quum creditoribus ſolidum adquiſitum fuerit, legatariis (*g*) vel ſolidum vel portio quæratur. *l.* 6. JULIAN. LIB. 46. DIGEST.

De hâc igitur Separationis causâ intelligendum quod ait Paulus : Hereditariarum actionum loco habentur & legata ; quamvis ab herede cœperint. *l.* 40. *ff. de Oblig. & act.* PAUL. LIB. II. AD. ED.

Hinc ſi extent legatarii, alii à defuncto, alii ab herede ; id ſervatur quod reſcribit Antoninus. In bonis mortui potiorem eſſe cauſam legatariorum qui eum (utpotè heredem) convenire potuerunt, quàm eorum quibus ipſe heres legavit, manifeſtum eſt : cùm prius legatum quaſi æs alienum exigatur ; legatum autem à mortuo relictum, poſt debiti detractionem inducatur. *l.* 1. *Cod. de Bon. auct. jud. poſſ.*

ARTICULUS III.

Quandiù peti poſſit Separatio bonorum defuncti.

Tandiù demùm Separationem bonorum defuncti petere poſſunt ejus creditores aut legatarii, quandiù fidem heredis ſecuti non ſunt, & res adhuc integra eſt, nec multùm temporis ab aditâ hereditate jam effluxit.

(*a*) Nimirùm confuſione : infrà lib. 46. Tit. *de Solutionib.*

(*b*) Creditore *cui*, *&c.*

(*c*) Nec enim ex perſonâ cæterorum defuncti creditorum, ſed etiam ex ſuâ perſonâ hanc Separationem impetrare poteſt ; adeòque, etiamſi ipſe ſolus ſit defuncti creditor. Ratio dubitandi erat, quòd videatur non eſſe defuncti creditor ; cùm obligatio defuncti ex causâ fidejuſſionis confuſa & extincta fuerit, quum defuncto factus eſt heres debitor pro quo fidejuſſerat. Ad quam ita reſpondet : *Neque enim &c.*

(*d*) Mera ſubtilitas Juris.

(*e*) Hoc accipiendum de miſſione in poſſeſſionem ; & ſenſus eſt : Creditores conditionales mittuntur in poſſeſſionem bonorum debitoris, rei ſervandæ causâ, æquè ac illi quibus præſens pecunia debetur. Ergo à pari his æquè ac illis debet indulgeri Separatio bonorum. Si Prætor curam habet eorum, in causâ miſſionis in poſſeſſionem ; quidni habeat & in hâc causâ ?

§ I.

Oportere ut creditores non ſint ſecuti fidem heredis.

X I I.

Illud ſciendum eſt ; eos demùm creditores poſſe impetrare Separationem, qui non novandi animo ab herede ſtipulati ſunt. Cæterùm ſi eum hoc animo ſecuti ſunt, amiſerunt Separationis commodum : quippè cùm ſecuti ſunt nomen heredis ; nec poſſunt jam ſe ab eo Separare, qui quodammodo eum elegerunt.

Sed & ſi uſuras ab eo eâ mente quaſi eum eligendo exegerunt, idem erit probandum. *l.* 1. § 10. ULPIAN. LIB. 64. AD ED.

Item quæritur, ſi ſatis acceperunt ab eo ; an impetrent Separationem ? Et non puto : hi enim ſecuti ſunt eum.

Fortè quem movebit : Quid ergo, ſi non ſatis idoneum acceperunt ? Et ſibi imputent, cur minùs idoneos fidejuſſores accipiebant. *d. l.* 1. § 11.

Item Si quis pignus ab herede acceperit, non eſt ei concedenda Separatio ; quaſi eum ſecutus ſit. Neque enim ferendus eſt qui qualiter qualiter, eligentis tamen mente, heredis perſonam ſecutus eſt. *d. l.* 1. § 15.

At Qui judicium dictaverunt heredi, Separationem quaſi hereditarii poſſunt impetrare ; quia ex neceſſitate hoc fecerunt. *l.* 7. MARCIAN. LIB. 2. REGULAR.

X I I I.

Quæſitum eſt ; Si fortè ſint plures creditores, quidam ſecuti heredem, quidam non ſecuti ; & hi qui heredem ſecuti non ſunt, impetraverint Separationem : an eos ſecum admittant, qui ſecuti ſunt ? Et putem nihil eis prodeſſe : hos enim cum creditoribus heredis numerandos. *l.* 1. § 16. ULP. LIB. 64. AD ED.

§ II.

Oportere ut res ſit integra.

X I V.

Non peti Separatio niſi re adhuc integrâ poteſt ; id eſt, quandiù bona quorum Separatio petitur, adhuc extant apud heredem.

Cæterùm Ab herede, venditâ hereditate, Separatio fruſtrà deſiderabitur : utique ſi nulla fraudis incurrat ſuſpicio. Nam quæ bonâ fide medio tempore per heredem geſta ſunt, rata conſervari ſolent. *l.* 2. PAPIN. LIB. 25. QUÆST.

Præterea ſciendum eſt, poſteaquàm bona hereditaria bonis heredis mixta ſunt, non poſſe impetrari Separationem. Confuſis enim bonis & unitis, Separatio impetrari non poterit.

Quid ergo ; ſi prædia extent, vel mancipia, vel pecora, vel aliud quod Separari poteſt ? Hîc utique poterit impetrari Separatio. Nec ferendus eſt qui cauſatur bona contributa (*h*) : cùm prædia contribui non poſſint ; niſi ita conjunctæ poſſeſſiones ſint & permixtæ propriis, ut impoſſibilem Separationem effecerint. Quod quidem perrarò contingere poteſt. *d. l.* 1. § 12.

§ III.

Oportere ut non poſt multum temporis petatur.

X V.

Quod dicitur, POST MULTUM TEMPORIS Separationem impetrari non poſſe, ita erit accipiendum ; ut

(*f*) Hoc accipe de pignore Prætorio, quod habent legatarii miſſi in poſſeſſionem *Legatorum ſervandorum causâ.*

(*g*) Senſus eſt : Ita ut, quum ex bonis ſeparatis ſolidum exſolutum fuerit creditoribus defuncti ; ſi quid ex his ſuperſit, proficiat ejuſdem defuncti legatariis : ſcilicet ut & ipſi ſolidum ſuum legatum, ſi tantùm ex bonis ſuperſit ; ſin, ſaltem portionem conſequantur ; præferanturque creditoribus heredis.

(*h*) Simul commixta, & quaſi in unum confuſa.

Source : BIU Cujas

ultra quinquennium poſt aditionem numerandum Separatio non poſtuletur. *d. l.* 1. § 13.

ARTICULUS IV.

De effectu Separationis bonorum defuncti, adversùs creditores heredis impetratæ.

XVI.

Separationis bonorum is effectus eſt; ut qui eam impetraverunt, præferantur in his bonis, quibuſlibet heredis creditoribus.

Sciendum eſt autem, etiamſi obligata res eſſe proponatur ab herede jure pignoris vel hypothecæ; attamen ſi hereditaria fuit, jure Separationis hypothecario creditori potiorem eum eſſe qui Separationem impetravit. Et ita Severus & Antoninus reſcripſerunt. *l.* 1. § 3. ULP. LIB. 64. AD ED.

XVII.

Separatio autem his qui eam impetraverunt, in eâ re nocet; quòd, Si creditores hereditarii Separationem bonorum impetraverunt, & inveniatur non idonea hereditas, heres autem idoneus: non poterunt reverti ad heredem; ſed eo quod ſemel poſtulaverunt, ſtare debent.

Sed ſi poſt impetratam Separationem, aliquid heres adquiſierit; ſi quidem ex hereditate, admitti debebunt ad id quod adquiſitum eſt illis (*a*), qui Separationem impetraverunt. Sed ſi illis ſatisfactum fuerit, quod ſupereſt tribuetur propriis heredis creditoribus.

At ſi ex aliâ causâ heres adquiſierit, non admittentur hereditarii creditores.

Quòd ſi proprii ad ſolidum pervenerunt; id quod ſupererit, tribuendum hereditariis quidam putant: mihi autem id non videtur. Quum enim Separationem petierunt, receſſerunt à perſonâ heredis, & bona ſecuti ſunt; & quaſi defuncti bona vendiderunt, quæ augmenta non poſſunt recipere (*b*).

Idemque exiſtimo dicendum; etiamſi circa Separationem bonorum decepti, minùs conſecuti ſunt quàm proprii heredis creditores. Proprii autem heredis creditores habent propria ejus bona, & perſonam quæ poteſt donec vivit acquirere. *l.* 5. PAUL. LIB. 13 QUÆST.

Paulo ſuffragatur Ulpianus. Item ſciendum eſt, vulgò placere; Creditores quidem heredis, ſi quid ſuperfuerit ex bonis teſtatoris, poſſe habere in ſuum debitum; creditores verò teſtatoris, ex bonis heredis nihil. Cujus rei ratio illa eſt quòd, qui impetravit Separationem, ſibi debet imputare ſuam facilitatem; ſi, quum eſſent bona idonea heredis, illi maluerint bona potiùs defuncti ſibi Separari: heredis autem creditoribus hoc imputari non poſſit. At ſi creditores defuncti deſiderent ut etiam in bonis heredis ſubſtituantur, non ſunt audiendi; Separatio enim quam ipſi petierunt, eos ab iſtis bonis ſeparavit.

Si tamen temerè Separationem petierunt creditores defuncti, impetrare veniam poſſunt; juſtiſſimâ ſcilicet ignorantiæ causâ allegatâ. *l.* 1. § 17. ULP. LIB. 64. AD ED.

XVIII.

Quod diximus, creditores defuncti Separatione impetratâ ad bona defuncti regreſſum non habere; non obtinet, ſi creditor defuncti qui Separationem impetravit, ſit quoque proprius heredis creditor: ut in ſpecie in quâ, quum debitor fidejuſſori heres extitiſſet, creditor bonorum Separationem impetravit: ſuprà N. 10.

In hâc enim ſpecie ita Papinianus: Quid ergo ſi bonis fidejuſſoris Separatis, ſolidum ex hereditate ſtipulator conſequi non poſſit? Utrùm portio cum cæteris heredis creditoribus ei quærenda erit? an contentus eſſe debebit bonis quæ Separari maluit? Sed cùm ſtipulator iſte non aditâ fidejuſſoris à reo hereditate, bonis fidejuſſoris venditis, in reſiduum promiſceri debitoris creditoribus potuerit (*c*); ratio non patitur, eum in propoſito ſummoveri. *l.* 3. § 1. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

Nota. Sed in quolibet alio creditore qui Separationem impetravit, probari commodius eſt; ut, ſi ſolidum ex hereditate ſervari non poſſit, ita demùm aliquid ex bonis heredis ferat, ſi proprii creditores heredis fuerint dimiſſi. Quod ſine dubio admittendum eſt circa creditores heredis, dimiſſis (*d*) hereditariis. *d. l.* 3. § 2.

(*a*) Fortè legendum *illi*: quod verbum, vel ad heredem refertur; vel etiam ad creditores, ita interpungendo: *admitti debebunt ad id quod adquiſitum eſt, illi qui* &c.

(*b*) Hoc intellige de *augmentis*, extrinſecùs, non ex ipsâ hereditate provenientibus.

(*c*) Utpote cùm & ipſe ſit creditor debitoris principalis.

(*d*) Ex eo autem quod dicit, hoc ultimo caſu rem eſſe *ſine dubio*; colligendum relinquit, in caſu converſo non fuiſſe indubitatum quod mox dixit; Poſſe etiam dimiſſis heredis creditoribus admitti ad id quod ex bonis ejus ſupereſt, hereditarios creditores qui non ſolidum ſervaverunt ex bonis hereditatis quorum Separationem petierunt. Et verò eos omninò ſummoveri debere contrà cenſent Ulpianus & Paulus, ſuprà N. præced.

TITULUS VII. (*Vulg.* VIII.)

DE CURATORE BONIS DANDO.

I.

JUre veteri, ordo ſolemnis erat bonorum debitoris proſcribendorum, & ſub haſtâ addicendorum: cui negotio unus ex creditoribus præponi ſolebat, qui MAGISTER *dicebatur.*

Generaliter etenim, ut ait Paulus; Cui præcipua cura rerum incumbit; & qui magis quàm cæteri diligentiam & ſollicitudinem rebus quibus præſunt, debent; hi MAGISTRI appellantur. Quinetiam ipſi MAGISTRATUS per derivationem à MAGISTRIS cognominantur. Undè etiam cujuſlibet diſciplinæ præceptores, MAGISTROS appellari; à monendo vel monſtrando. *l.* 57. *ff. de Verb. ſignif.* PAUL. LIB. 59. AD ED. (*a*)

Et hunc quidem in modum olim hæc fiebant.

Si contigerat ut quiſquam grande æs alienum contraxiſſet, ac multa nomina confeciſſet; & poſtea latitaſſet, nec defenſorem habuiſſet: creditores in unum congregati, Prætorem adibant, querelam ei ſuam exponentes. Permittebatque illis Prætor, ut bona debitoris poſſiderent. Et poſſidebant ea in certum dierum ſpatium: quibus elapſis, rursùs adibant Prætorem, petentes ut ſibi liceret unum ex numero ſuo conſtituere, qui debitoris patrimonium divendere deberet. Nam cùm moleſtum eſſet quotidiè omnes in unum coire; unum ex numero creabant, qui dicebatur MAGISTER.

Et de cætero ille cum iis qui emere vellent, contrahebat. Fiebatque in celeberrimis quibuſque totius urbis locis proſcriptio hæc continens (*b*): « ILLE DEBITOR » noſter, in eâ causâ eſt ut bona ejus divendi debeant.

(*a*) Ex ſimili inſcriptione legum 10. 12 & 14. ff. *de Reb. auct. jud. poſſ.* conſtat Paulum in hoc libro egiſſe de Proſcriptione bonorum debitoris. Undè colligere eſt, quod hic dicitur de MAGISTRIS, dictum fuiſſe circa Magiſtrum bonis proſcribendis præpoſitum.

(*b*) Hoc eſt quod apud Tullium *de Orat.* lib. 1. n. 57. TRISTE CARMEN MAGISTRI appellatur. [Apud nos, *Affiche de Biens à vendre*].

Source : BIU Cujas

» Nos creditores patrimonium ejus distrahimus : qui- » cumque emere volet, adesto. » Ac deinde paucis diebus elapsis, jam tertium adibant Prætorem : quâ ex re consequebantur, ut sibi liceret legem bonorum vendendorum facere. Atque ex eo tempore, præfatæ proscriptioni talia quædam addebant (*a*) : « EA QUICUMQUE » EMERIT, creditoribus (verbi causâ) in dimidiam » partem eorum quæ ipsis debentur, respondere debet; » sic ut, cui centum aurei debentur, accipiat quinqua- » ginta; & cui ducenti, accipiat centum. » Atque quum posthàc statutum tempus præteriisset, tunc emptori patrimonium debitoris addicebatur; & vocabatur is qui emerat, BONORUM EMPTOR (*b*) : actionesque omnes, quæcumque ei vel contra eum qui passus erat bonorum venditionem, competebant; hæ in bonorum emptorem transferebantur; & utiliter vel experiebatur vel conveniebatur, sicut & bonorum possessor : uterque enim successor Prætorius est. THEOPHIL. *Instit. lib. III. Tit.* 12.

Interdum quum deerat emptor bonorum, indicebatur auctio rerum singularum : de quâ suprà lib. præced. Tit. de Adq. rer. domin. *Part.* 1ª. *in* APPEND. *Est & jocosa auctionis hujusmodi formula apud Plautum in* MENECHM. *Scen. ult.*

> Auctio fiet Menechmi manè sanè septimi (*Samedi matin*
> Vænibunt servi, suppellex, fundi, ædes, omnia [*sans*
> Vænibunt : quiqui licebunt præsenti pecuniâ. [*faute.*)
> Vænibit uxor quoque etiam, si quis emptor venerit.
> Vix credo totâ Auctione capiet quinquagesies.

II.

Is ordo distrahendorum bonorum debitoris ignominiosus erat, & maculâ infamiæ aspergebat debitorem. Nam » CUJUS » *bona ex Edicto possidentur, ejus fama simul cum bonis* » *possidetur. Cui* MAGISTRI *fiunt, & domini constituuntur;* » *qui quâ lege & quâ conditione pereat pronuntiet.* » *Cicer.* Pro Quinct.

Quàpropter interdum ut debitoris famæ parceretur, extra hunc solemnem Juris ordinem honestiùs Bona distrahebantur; per Curatorem scilicet, qui his distrahendis præponebatur.

Et quidem talis Curator ex Senatusconsulto constituitur; quum Clara persona, veluti Senatoris vel uxoris ejus, in eâ causâ sit ut ejus bona vænire debeant. Nam ut honestiùs ex bonis ejus quantùm potest creditoribus solveretur, Curator constituitur distrahendorum bonorum gratiâ; vel à Prætore; vel in provinciis, à Præside. *l.* 5. *ff. de Curat. furios.* GAIUS LIB. 9. AD ED. PROVINC.

Quod ad cæteras debitorum personas attinet; in arbitrio creditorum erat, an solemni ordine per se bona distraherent, an per Curatorem extra ordinem.

Cæterùm Cujus Bonis distrahendis Curatores facere Senatus permisit, ejus bona creditoribus vendere non permisit; quamvis creditores post id beneficium bona vendere mallent. Sicut enim integrâ re potestas ipsorum est, utrum velint eligendi; ita, quum alterum elegerint, altero abstinere debent. *l.* 9. *ff. d. tit.* NERATIUS LIB. I. MEMBRAN.

Antiquus ordo addicendorum bonorum debitoris exolevit, ex quo omnia judicia extraordinaria esse cæperunt. Et Jure novo, extra ordinem bona debitorum distrahuntur.

III.

Jam circa MAGISTROS *proscribendis Bonis præpositos, & circa* CURATORES *qui his successerunt, quædam notanda.*

De Curatore (*c*) constituendo, hoc Jure utimur ut Prætor adeatur; isque Curatorem Curatoresque constituat ex consensu majoris partis creditorum; vel Præses provinciæ, si bona distrahenda in provinciâ sunt. *d. l.* 2. ULP. LIB. 65. AD ED.

Nec omnimodo creditorem esse oportet eum qui Curator constituitur; sed possunt & non creditores. *d. l.* 2. § 4.

Quæritur an invitus Curator fieri potest? Et Cassius scribit, Neminem invitum cogendum fieri Bonorum Curatorem. Quod verius est. Voluntarius itaque quærendus est; nisi & magnâ necessitate, & Imperatoris arbitrio hoc procedat, ut & invitus crearetur. *d. l.* 2. § 3.

IV.

Quæ-que per eum eos-ve qui ita creatus creati-ve essent, acta, facta gestaque sunt; rata habebuntur. *d. l.* 2. § 1.

Cùm Prætor dixerit FACTA GESTAQUE; *quæsitum est, an quid* FACTA *inter &* GESTA *interfit?*

Et Licèt inter gesta & facta videtur quædam esse subtilis differentia; attamen ΚΑΤΑΧΡΗΤΙΚΩΣ [*id est abusivè*] nihil inter Factum & Gestum interest. *l.* 58. *ff. de Verb. signif.* GAIUS LIB. 24. AD ED. PROVINC.

Facere autem debent quidquid ad conservanda bona conducit.

V. G. Sed si grave æs alienum sit quod ex pœnâ crescat, per Curatorem solvendum æs alienum : sicuti quum venter in possessione sit, aut pupillus heres tutorem non habeat, decerni solet. *l.* 1. § 2. PAUL. LIB. 57. AD ED.

V.

De his etiam Curatoribus Ulpianus ait, Eisque actiones, & in eos, Utiles competunt (*d*). Et, si quem Curatores mitterent ad agendum vel defendendum; uti jus esset : nec ab eo satis, neque De RATO, neque JUDICATUM SOLVI, nomine ejus cujus bona væneant, exigetur; sed nomine ipsius Curatoris qui eum misit. *l.* 2. § 1. ULP. LIB. 65. AD ED.

Hoc accipe de quibusvis persecutionibus; & quidem etiam de stipulationibus cautionalibus, quæ instar actionum sunt.

Hinc Paulus PERSEQUI videtur, qui Satis (*e*) accepit. *l.* 57. § 1. *ff. de Verb. signif.* PAUL. LIB. 59. AD ED.

VI.

Si plures autem constituantur Curatores; Celsus ait, in solidum eos & agere & conveniri, non pro portionibus. *l.* 2. § 2. ULP. LIB. 65. AD ED.

Hæc sunt verba Celsi : Si plures ejusdem Bonorum Curatores facti sunt; in quem eorum vult actor, in solidum datur actio, tanquàm quivis eorum in solidum aget. *l.* 3. CELSUS LIB. 24. DIGEST.

Nota : Quòd si per regiones fuerunt constituti Curatores, unus fortè rei Italicæ, alius in provinciâ; puto regiones eos suas conservare debere. *sup. d. l.* 2. *d.* § 2. ¶ *quòd si.*

VII.

Ex gestu Magistri olim, hodie Curatoris, nascitur ultrò citròque Mandati *obligatio, inter ipsum & eos creditores qui ipsum præfecerunt.*

Quid ergo si alius creditor adveniat? Eâ de re ita Julianus. Si debitor foro cesserit (*f*), & creditores privato consilio coierint, & elegerint unum per quem bona distrahantur; & portio ipsius, quæ ex redacto fieret, solveretur; mox extiterit alius qui se creditorem dicat : nullam quidem actionem adversùs Curatorem (*g*) habebit; sed bona debitoris unà cum Curatore vendere

(*a*) Vulgò, *Les charges de l'adjudication.*

(*b*) Dicebatur etiam SECTOR : de cujus vocis etymologiâ ait Pedianus In Verrin. III. *Sectorem* dici, æstimatorem redemptoremque bonorum damnati; qui spem sectans lucri sui, id est secutus spem æstimationis suæ, bona omnia auctione vendit, & semel infert pecuniam.

(*c*) Cujacius ad l. 57. ff. *de Verb. signif.* censet Ulpianum hîc scripsisse *De magistro constituendo.* Sed cùm Magistri in usu esse desierint, exoleto antiquo ordine; Tribonianus ubique substituit *Curator*, pro *Magister.*

(*d*) Quæ *Directæ* competebant debitori & in debitorem, cujus bona possessa sunt.

(*e*) Putà, *Damni infecti*, vel *Legatorum*, &c. Stipulationes istæ, PERSECUTIONIS appellatione continentur; & qui ex his causis Satis accipit, potest dici PERSEQUI. Ita Cujacius hunc textum interpretatur.

(*f*) Qui clausâ mensâ argentariâ foro abiit, & solum vertit : [vernaculè [, a *fait Banqueroute*].

(*g*) Tribonianus substituit *Curatorem* pro *Magistrum*; ut suprà monuimus.

Source : BIU Cujas

poterit; ita ut quæ à Curatore & à creditore ex bonis contrahantur, omnibus pro portione præstarentur. *l. fin.* JULIAN. LIB. 47. DIGEST.

VIII.

Observandum, quum plures magistri aut Curatores præpositi sunt, singulos obligari. Quid tamen Si tres Curatores fuerint, & unus ex his nihil attigerit; an in eum qui nihil tetigit, actio danda est? Et Cassius existimat, modum actori non debere constitui (*a*); posseque eum cum quo vult experiri. Puto Cassii sententiam veriorem. Spectandum enim quid redactum est, non quid ad Curatorem unum pervenerit. Et ita utimur. Nisi invitus factus est: nam si ita est; dicendum, non eum conveniendum (*b*). *l.* 2. § 5. ULP. LIB. 65. AD ED.

(*a*) Quominùs quem volet conveniat.

(*b*) Nisi in subsidium. Glossa.

TITULUS VIII. (*Vulg.* IX.)

QUÆ IN FRAUDEM CREDITORUM FACTA SUNT, UT RESTITUANTUR.

PErtinet etiam hic Titulus ad tractationem de missione in possessionem; cùm in eo exponatur actio quam Prætor Creditoribus qui in bonorum debitoris sui possessionem missi sunt tribuit, intra annum utilem ex die factæ bonorum venditionis, ad revocanda ea quæ IN FRAUDEM *ipsorum debitor gessit.*

I.

Ait Prætor: « QUÆ Fraudationis causâ gesta erunt; » cum eo qui Fraudem non ignoraverit; de his, curatori bonorum, vel ei cui de eâ re actionem dare oportebit, intrà annum quo experiundi potestas fuerit, » actionem dabo. Idque etiam adversùs ipsum qui » Fraudem fecit, servabo. » *l.* 1. ULP. LIB. 66. AD ED.

Necessariò Prætor hoc Edictum proposuit: quo Edicto consuluit Creditoribus, revocando ea quæcumque IN FRAUDEM eorum alienata sunt. *d. l.* 1. § 1.

Præter hanc actionem quæ PAULIANA *dicitur, à quodam Paulo Prætore introducta; Interdictum etiam eâ de re Prætor dedit. Enimverò* Ait Prætor: « QUÆ Lucius » Titius (*a*) Fraudandi causâ, sciente te (*b*), in bonis » quibus de eâ re agitur fecit; ea illi (*c*), si eo nomine quo de agitur actio ei ex Edicto meo competere » esse-ve oportet; ei, si non plusquàm annus est quum » de eâ re quâ de agitur experiundi potestas est, restituas. Interdum causâ cognitâ, etsi scientia non sit (*d*), » IN FACTUM actionem permittam. » *l.* 10. ULP. LIB. 73. AD ED.

Quòd si debitor nihil quidem alienavit, se in Fraudem Creditorum obligavit; locus est Edicto sequenti. Ait Prætor: » QUOD postea contractum erit quàm is, cujus bona » vænierint, consilium receperit Fraudare; sciente eo » qui contraxerit: ne actio eo nomine detur. » *l.* 25. *ff. de Reb. auct. judic. possid.* (*Aliàs l.* 10. *ff.* de Privileg. credit.) ULP. LIB. 64. AD ED.

Circa hæc Edicta quinque potissimùm quærenda sunt: 1°. *Quæ* GESTORUM *appellatione contineantur:* 2°. *Quæ concurrere oporteat, ut* GESTUM *ex his Edictis revocetur:* 3°. *Quibus & adversùs quos ex his Edictis actio aut Interdictum competat:* 4°. *Quid veniat in hâc actione aut Interdicto præstandum:* 5°. *Denique intrà quod tempus dentur.*

ARTICULUS I.

Quæ Gestorum *appellatione in his Edictis contineantur.*

II.

Ait ergo Prætor; QUÆ FRAUDATIONIS CAUSA GESTA ERUNT. Hæc verba generalia sunt; & continent in se omnem omninò In Fraudem factam, vel alienationem, vel quemcumque contractum. *l.* 1. § 2. ULP. LIB. 66. AD ED.

Et quidem etiam contractum dotis, quantùmvis hæc causa sit favorabilis.

Hinc Alexander cuidam Symphorianæ ita rescribit. Si successione patris abstenta fuisti; ob ea quæ in dotem data sunt convenire te creditores nequeunt, quibus pignora (*e*) in dotem data non docentur. Nisi bonis defuncti non sufficientibus, In Fraudem Creditorum dotem constitutam probabitur. *l.* 2. *Cod. de Revocand. his quæ in fraud.*

Item Si, cùm mulier Fraudandorum Creditorum consilium iniisset; marito suo eidemque debitori, In Fraudem Creditorum, acceptum debitum fecerit, dotis constituendæ causâ: locum habet hæc actio, & per hanc omnis pecunia quam maritus debuerat, exigitur. Nec mulier DE DOTE habet actionem: neque enim dos In Fraudem Creditorum constituenda est. Ex hoc certo certius est, & sæpissimè constitutum. Exitus autem actionis erit; ut stipulatio quæ accepta facta fuerat, ex integro interponatur. *l.* 10. § 14. ULP. LIB. 73. AD ED.

III.

Non solùm contractus, sed & discessio à contractu; GESTI *appellatione in Edicto continetur.*

Hinc Si quis, cùm consilium iniisset Fraudandorum Creditorum redhibuerit; non redibiturus aliàs, nisi vellet eos Fraudare: tenetur Creditoribus, propter mancipium, venditor. *l.* 43. § 7. *ff. de Ædil. Edict.* PAUL. LIB. 1. AD ED. ÆDIL. CURUL.

IV.

Quodcumque igitur Fraudis causâ factum est, videtur his verbis revocari qualecumque fuerit. Nam latè ista verba patent.

Sive ergo rem alienavit, sive acceptilatione vel pacto aliquem liberavit; *l.* 1. § 2. ULP. LIB. 66. AD ED.

Idem erit probandum.

Et si pignora liberet, vel quem alium In Fraudem Creditorum præponat (*f*): *l.* 2. IDEM LIB. 73. AD ED. Vel ei præbuit exceptionem; sive se obligavit Fraudandorum Creditorum causâ, sive numeravit pecuniam, vel quodcumque aliud fecit In Fraudem Creditorum; palàm est Edictum locum habere. *l.* 3. ULPIAN. LIB. 66. AD ED.

(*a*) Debitor.
(*b*) Qui ab eo aliquid acquisivisti.
(*c*) Creditori.

(*d*) In eo qui à debitore comparavit.
(*e*) Pignorata.
(*f*) Repræsentando quod ei in diem debet; ut videb. infrà N. 10.

Source : BIU Cujas

V.

Quinetiam Gesta Fraudationis causâ accipere debemus, non solùm ea quæ contrahens gesserit aliquis; verùm etiam si fortè datâ operâ ad judicium non adfuit, vel litem mori patiatur, vel à debitore non petit ut tempore liberetur, aut usumfructum vel servitutem amittit. *d. l.* 3. § 1.

Consonat quod ait Paulus: In Fraudem facere videri, etiam eum qui non facit quod debet facere, intelligendum est; id est, si non utatur servitutibus. *l.* 4. PAUL. LIB. 68. AD ED.

Sed & si rem suam pro derelicto habuerit, ut quis eam suam faciat. *l.* 5. GAIUS LIB. 26. AD ED. PROV.

Enimverò ALIENATIONIS verbum, etiam usucapionem continet; vix est enim ut non videatur alienare, qui patitur usucapi. Eum quoque alienare dicitur, qui non utendo amisit servitutes. *l.* 28. *ff. de Verb. signif.* PAUL. LIB. 21. AD ED.

ARTICULUS II.

Quæ concurrere oporteat ut gestum revocetur ex Edicto, quasi In Fraudem *factum.*

Ut gestum revocetur ex hoc Edicto, hæc oportet concurrere. 1°. *Ut illud sit quo patrimonium suum debitor deminuerit:* 2°. *Ut is qui ab eo debitore accepit, non suum receperit:* 3°. *Ut consilium Fraudis adfuerit:* 4°. *Ut Fraus eventum habuerit.*

§ I.

Oportere ut debitor patrimonium suum deminuerit.

V I.

Non Fraudantur Creditores, quum quid non adquiritur à debitore; sèd quum quid de bonis deminuitur. *l.* 134. (*Aliàs* 176.) *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 21. AD ED.

Igitur Et qui aliquid fecit ut desinat habere quod habet, ad hoc Edictum pertinet. *d. l.* 3. § 2.

Quòd autem, quum possit aliquid quærere, non id agit ut adquirat; ad hoc Edictum non pertinet. Pertinet enim Edictum ad deminuentes patrimonium suum, non ad eos qui id agunt ne locupletentur. *l.* 6. ULP. LIB. 66. AD ED.

Et certè Edictum est de his quæ IN FRAUDEM *Creditorum alienata erunt. Porrò* Qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare: veluti qui hereditatem omittit, aut optionem intrà certum tempus datam non amplectitur. *l.* 28. (¶ *qui.*) *ff. de Verb. signif.* PAUL LIB. 21. AD ED.

Undè si quis ideò conditioni non paret, ne committatur stipulatio; in eâ conditione est, ne faciat huic Edicto locum. *sup. d. l.* 6. § 1.

Proindè & qui repudiavit hereditatem, vel legitimam vel testamentariam; non est in eâ causâ ut huic Edicto locum faciat. Noluit enim adquirere, non suum proprium patrimonium deminuit. *d. l.* 6. § 2.

Sed & illud probandum; si legatum repudiavit, cessare Edictum. Quod Julianus quoque scribit. *d. l.* 6. § 4.

Simili modo dicendum est; & si filium suum emancipavit ut suo arbitrio adeat hereditatem, cessare hoc Edictum. *d. l.* 6. § 3.

Item Si servum suum heredem institutum alienavit, ut jussu emptoris adeat; si quidem in venditione nulla Fraus est, sed in hereditate sit, cessat Edictum: quia licuit ei etiam repudiare hereditatem. At si in ipsâ servi alienatione Fraus est, revocabitur; quemadmodum si eum In Fraudem manumisisset. *d. l.* 6. § 5.

V I I.

Indè quoque est quòd Etiam eo tempore quo Creditorum Fraudandorum consilium inieris, citra periculum Interdicti Fraudatorii hereditatem suspectam adibis, & restitues mihi: quia & remoto fideicommisso, liberum tibi fuerat nolenti adire hereditatem, Creditores tali commodo (*a*) Fraudare; & ego nihil turpiter faciam, recipiendo eam hereditatem: quam, remotâ postulatione meâ, Creditores compellere te ut adires non potuerint. *l.* 67. § 1. *ff. Ad SC. Trebell.* VALENS LIB. 2. FIDEICOM.

In extraneo herede hæc absque dubio sunt. Sed & si filius suus heres patri, rogatus sit à patre hereditatem mihi restituere; quum suorum Creditorum Fraudandorum consilium iniisset, tanquam suspectam ex Decreto Prætoris restituerit mihi: vix Fraudatorio Interdicto locus (*b*) erit; quia bonis patris ejus venditis (*c*), nihil proprium Creditores ejus ex eâ hereditate ferre potuerint. Nisi fortè proprii Creditores filii audiri debeant; si postulent, ut, dimissis patris, ejus bona vendere sibi permittatur (*d*). *d. l.* 67. § 2.

§ II.

Oportere ut qui à debitore accepit, non suum receperit.

V I I I.

Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit. *l.* 129. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 21. AD ED.

Pariter Apud Labeonem scriptum est; Eum qui suum recipiat, nullam videri Fraudem facere: hoc est eum, qui quod sibi debetur, receperat. Eum enim quem Præses invitum solvere cogat, impunè non solvere iniquum esse. Totum enim hoc Edictum ad contractus pertinere, in quibus se Prætor non interponit; ut putà pignora, venditionesque. *l.* 6. § 6. ULPIAN. LIB. 66. AD ED.

Idem erit, etsi sponte debitor solverit. Hoc docet Scævola. Ita ille: Pupillus patri heres extitit; & uni creditorum solvit; mox abstinuit hereditate paternâ: bona patris væneunt. An id quod accepit creditor, revocandum sit, ne melioris conditionis sit quàm cæteri creditores? An distinguimus (*e*), per gratificationem acceperit, an non? Ut, si per gratificationem tutorum, revocetur ad eamdem portionem quam cæteri creditores fuerint laturi. Sin verò justè exegerit, cæteri creditores neglexerint exactionem; interea res deterior facta sit, vel mortalitate, vel subductis rebus mobilibus, vel rebus soli ad irritum perductis: id quod acceperit creditor, revocari nullo pacto potest; quoniam alii creditores suæ negligentiæ expensum ferre debeant.

Quid ergo si, quum in eo essent ut bona debitoris mei vænirent (*f*), solverit mihi pecuniam; an actione revocari ea possit à me? An distinguendum est, is obtulerit mihi, an ego illi extorserim invito? &, si extorserim (*g*) invito, revocetur; si non extorserim invito, non revocetur? Sed vigilavi, meliorem meam conditionem feci; JUS CIVILE VIGILANTIBUS SCRIPTUM EST; ideò quoque non revocatur id quod percepi. *l.* 24. SCÆVOLA LIB. SING. QUÆSTIONUM PUBLICE TRACTAT.

(*a*) Quartæ scilicet, quam retinere potest heres quum sponte adit.

(*b*) Majus tamen dubium videri poterat in filio *Suo* herede. Nam bona patris, sua quodammodo bona sunt: ergo quum hereditatem ut suspectam restituendo, Quartam quam retinere potuisset amitti; videtur ex suis bonis deminuere. Huic objectioni ita respondet Jurisconsultus: Imò non sunt Sua bona, nihil ex suis bonis minuit. Et probat bona paterna non esse filii bona, hoc argumento; quòd Creditores patris possunt impetrare separationem bonorum patris à bonis filii.

(*c*) Supple, & impetratâ separatione à Creditoribus patris.

(*d*) Dimissis enim Creditoribus defuncti, qui separationem impetraverunt; si quid ex bonis defuncti supereat, Creditoribus heredis cedit. Suprà Tit. *de Separat.* N. 18.

(*e*) An hæc distinctio admittenda sit, non apertè definit Scævola. Verùm jam alibi didicimus esse admittendam, & revocari quod per gratificationem solutum est: suprà Tit. *de Adq. hered.* N. 88.

(*f*) Id est, solvendo non essent; nondum tamen creditores in ea bona essent missi.

(*g*) Vide Notam seq.

Source : BIU Cujas

IX.

Vidimus non revocari hoc quod quis, quum deberet, ſolverit. Id obtinet, etiamſi non ſtricto Jure deberet; ſed plenam fidem ſecutus, quum cogi non poſſet, ſolverit.

Hinc V. G. Debitorem qui ex Senatuſconſulto Trebelliano totam hereditatem reſtituit, placet non videri In Fraudem Creditorum alienaſſe portionem quam retinere potuiſſet; ſed magis fideliter facere. *l.* 20. CALLIST. LIB. 2. QUÆST.

Similiter Papinianus: Patrem qui non expectatâ morte ſuâ, fideicommiſſum hereditatis maternæ filio ſoluto poteſtate reſtituit, omiſsâ ratione Falcidiæ, plenam fidem ac debitam pietatem ſecutus exhibitionis; reſpondi, Non Creditores Fraudaſſe. *l.* 19. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

X.

Extrà hunc caſum; Si quum in diem mihi deberetur, fraudator præſens ſolverit; dicendum erit [quòd] in eo quod ſenſi commodum in repræſentatione, IN FACTUM actioni locum fore. Nam Prætor Fraudem intelligit etiam in tempore fieri. *l.* 10. § 12. ULPIAN. LIB. 73. AD ED.

Hinc Si vir uxori, cùm Creditores ſuos Fraudare vellet, ſoluto matrimonio præſentem dotem reddidiſſet, quam ſtatuto tempore reddere debuit; hâc actione mulier tantùm præſtabit, quanti Creditorum intererat dotem ſuo tempore reddi. Nam Prætor Fraudem etiam in tempore fieri intelligit. *l.* 17. § 2. JULIAN. LIB. 49. DIGEST.

XI.

Sed quod hactenùs diximus, non revocari quod quis cùm ſibi debitum eſſet, recepit; quaſdam patitur exceptiones.

Prima eſt in ſpeciali caſu legis fin. Cod. de Jure deliber. *quo permittitur prioribus creditoribus repetere Condictione ex Lege à poſterioribus, quod ipſis ſolvit heres qui confecto inventario adivit hereditatem. De quâ re dictum ſuprâ lib.* 29. *Tit.* de Jur. deliber. *N. fin.*

Secunda eſt, quum per gratificationem & dolo malo uni ex creditoribus ſolutum eſt, quum alii æquè inſtarent: arg. legis 24. *ſuprà N.* 8. *Item arg. legis* 6. § 2. *ff.* de Reb. auct. jud. poſſ. *ſuprà lib.* 29. *Tit.* de Acq. hered. *N.* 88.

Præcipua autem exceptio eſt; ſi debitor, quum jam bona ipſius poſſeſſa eſſent; ſolvit. Hinc Ulpianus. Si debitorem meum & complurium creditorum conſecutus eſſem fugientem, ſecum ferentem pecuniam, & abſtuliſſem (*a*) ei id quod mihi debeatur: placet Juliani ſententia dicentis multum intereſſe, antequàm in poſſeſſionem bonorum ejus creditores mittantur, hoc factum ſit, an poſtea. Si ante, ceſſare IN FACTUM actionem; ſi poſtea, huic locum fore. *l.* 10. § 16. ULP. LIB. 73. AD ED.

Etenim Sciendum, Julianum ſcribere, eoque Jure nos uti; ut qui debitam pecuniam recepit, antequàm bona debitoris poſſideantur; quamvis ſciens prudenſque ſolvendo non eſſe, recipiat; non timere hoc Edictum: ſibi enim vigilavit. Qui verò poſt bona poſſeſſa debitum ſuum recepit, hunc in portionem vocandum, exæquandumque cæteris creditoribus. Neque enim debuit præripere cæteris poſt bona poſſeſſa; cùm jam par conditio omnium creditorum facta eſſet. *l.* 6. § 7. IDEM LIB. 66. AD ED.

Nec intereſt an ei debitor ipſe ſolverit, an ſolvi mandaverit. Nam Qui mandat ſolvi, ipſe videtur ſolvere (*b*). *l.* 56. *ff. de Solutionib.* PAUL. LIB. 62. AD ED.

XII.

Bona poſſeſſa accipe, etſi unus duntaxat creditor in poſſeſſionem miſſus eſſet; & ex diſtractione pignoris Prætorii, quod ſibi debebatur, recepiſſet. Hâc enim actione teneretur, cæteris creditoribus communicare quod accepit. Et hâc in re differt pignus Prætorium à conventionali: nam Illud conſtat; eum qui pignus tenet, hâc actione non teneri. Suo enim jure, & ut pignus, non rei ſervandæ causâ, poſſidet. *l.* 13. PAUL. LIB. 68. AD ED.

Quod tamen ſic verum eſt, niſi In Fraudem Creditorum ipſi conſtitutum fuiſſet pignus. De quo caſu accipiendum illud Ulpiani: Si cui ſolutum quidem non fuerit; ſed in vetus creditum, pignus acceperit: hâc actione tenebitur, ut eſt ſæpiſſimè conſtitutum. *l.* 10. § 13. ULP. LIB. 73. AD ED.

Latiùs & apertiùs Scævola. Quum in vetus creditum unus creditor pignora accepiſſet, quæro, an In Fraudem cæterorum Creditorum factum nullius momenti eſſet? Reſpondit; Creditorem non idcircò prohibendum à perſecutione pignorum; quòd in vetus creditum, ut obligaretur, pactus eſſet; niſi id In Fraudem cæterorum Creditorum factum ſit; & eâ viâ Juris occurratur, quâ Creditorum Fraudes reſcindi ſolent. *l.* 22. SCÆV. LIB. 5. RESPONS.

§ III.

De conſilio Fraudis.

XIII.

Generaliter, quum de Fraude diſputatur; non quid (*c*) habeat actor, ſed quid per adverſarium habere non potuerit, conſiderandum eſt. *l.* 78. *ff. de Reg. Jur.* PAPIN. LIB. 31. QUÆST.

Enimverò Fraudis interpretatio ſemper in Jure civili non ex eventu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur. *l.* 79. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 32. QUÆST.

Igitur ut Creditor alienationem tanquàm In Fraudem Ipſorum factam revocent, non ſufficit per eam ipſos eſſe credito ſuo defraudatos, niſi conſilio fraudulento facta ſit. Talis porrò non videbitur ea cui creditores conſenſerunt.

Hinc Ulpianus. Prætereà illud ſciendum eſt; Eum qui conſentientibus creditoribus aliquid à Fraudatore emit vel ſtipulatus eſt, vel quid aliud contraxit, non videri In Fraudem Creditorum feciſſe. NEMO enim videtur Fraudare eos qui ſciunt & conſentiunt. *l.* 6. § 9. *hîc*, & *l.* 145. *ff. de Reg. Jur.* ULP. 66. AD ED.

XIV.

Sed etſi non conſenſerint Creditores, alienatio non revocabitur niſi facta fuerit conſilio fraudulento.

Hoc autem conſilium Fraudulentum debitor habuiſſe ex eo ſolo intelligi poteſt, quòd ſciret ſe alienando deſiturum eſſe ſolvendo. Hinc Julianus. Lucius-Titius quum haberet creditores, libertis ſuis iiſdemque filiis naturalibus univerſas res ſuas tradidit. Reſpondit: Quamvis non proponatur conſilium Fraudandi habuiſſe (*d*); tamen qui creditores habere ſe ſcit, & univerſa bona ſua alienavit, intelligendus eſt Fraudandorum Creditorum conſilium habuiſſe. Ideòque etſi filii ejus ignoraverunt hanc mentem patris fuiſſe, hâc actione (*e*) tenentur. *l.* 17. § 1. JULIAN. LIB. 49. DIGEST.

XV.

Quod dicimus requiri conſilium fraudis in perſonâ debitoris; ſic accipe, vel tutoris ejus: ſi fortè tutor quid In Fraudem Creditorum pupilli ſui geſſit.

Nec refert quis tutor is fuerit. Nam Patronus quoque tutor liberti ſui, fidem exhibere debet: & ſi qua In Fraudem debitorum (*f*), quamvis pupilli liberti, geſta

(*a*) Non per vim; ſed quia niſi ſolviſſet, eum in Jus rapuiſſem; maluit is ſolvere.

(*b*) Hanc legem ad caſum quo poſt bona debitoris poſſeſſa, In Fraudem cæterorum Creditorum uni ex his ſolvitur, pertinere; rectè colligas ex ejus inſcriptione PAUL. LIB. 62. AD EDICT. De eo enim quod poſt bona debitoris poſſeſſa, In Fraudem Creditorum geſtum eſt, egiſſe Paulum in hoc libro; conſtat ex l. 9. ff. h. tit. [infrâ N. 25.] quæ eamdem habet inſcriptionem.

(*c*) Græci vertunt, *non quid non habeat*. Idem ſenſus eſt ſervatâ lectione *non quid habeat*: ſcilicet non conſiderandum eſt *quid habeat* ſalvum necne actor, quid ei abſit necne; ſed quid per Fraudem, per conſilium fraudulentum adverſarii, habere non potuerit.

(*d*) Et poſſit dici feciſſe magis ut filiis ſuis benefaceret, quàm eo animo ut Creditores Fraudaret.

(*e*) Quia titulo lucrativo bona ſua debitor in ipſos contulit; quo caſu ſufficit in ſolâ debitoris perſonâ conſilium Fraudis. Aliàs, ſecùs: ut mox videbimus.

(*f*) Id eſt, eorum quæ debentur.

Source : BIU Cujas

ſunt; revocari Jus publicum permittit. *l.* 8. *ff. de Tutelis.* ULP. LIB. I. OPINION.

XVI.

Neque ſolùm in debitore conſilium Fraudis ; ſed & in eo qui convenitur , ſi titulo oneroſo quid à debitore comparavit , Fraudis hujus conſcientia requiritur. Hoc conſtat ex his Edicti ſuprà relati verbis : CUM EO QUI FRAUDEM NON IGNORAVERIT.

Hinc Ulpianus: Hoc Edictum eum coercet, qui ſciens eum In Fraudem Creditorum hoc facere ſuſcepit, quod In Fraudem Creditorum fiebat. Quare ſi quid In Fraudem Creditorum factum ſit; ſi tamen is qui cepit, ignoravit, ceſſare videntur verba Edicti. *l.* 6. § 8. ULP. LIB. 66. AD ED.

Similiter in Edicto in quo Interdictum proponitur, Ait Prætor SCIENTE, id eſt eo qui convenietur hâc actione.

Quid ergo ſi forte tutor pupilli ſcit, ipſe pupillus ignoravit; videamus an actioni locus ſit, ut ſcientia tutoris noceat? idem in curatore furioſi & adoleſcentis. Et putem hactenùs iſtis nocere conſcientiam tutorum ſive curatorum, quatenùs quid ad eos pervenit. *l.* 10. § 5. IDEM LIB. 73. AD ED.

XVII.

Quod ait Prætor SCIENTE: ſic accipimus, te conſcio & Fraudem participante. Non enim, ſi ſimpliciter ſcio illum Creditores habere, hoc ſufficit ad contendendum teneri eum IN FACTUM actione; ſed ſi particeps Fraudis eſt. *d. l.* 10. § 2.

Illud certè ſufficit, etſi unum ſcit Creditorem Fraudari, cæteros ignoravit, fore locum actioni. *d. l.* 10. § 7.

Quid ergo ſi ei quem quis ſcit, ſatisfactum eſt; numquid deficiat actio : quia qui ſuperſunt, non ſunt fraudati? Et hoc puto probandum.

Non tamen, ſi dicat aliquis OFFERO QUOD DEBETUR EI QUEM SCIO CREDITOREM, audiendus erit ut actionem eludat. *d. l.* 10. § 8.

XVIII.

Quid Si quis particeps quidem Fraudem non fuit, verumtamen vendente debitore, teſtatò conventus eſt à Creditoribus ne emeret; an In factum actione teneatur, ſi comparaverit? Et magis eſt, ut teneri debeat. Non enim caret fraude, qui conventus teſtatò perſeverat. *d. l.* 10. § 3.

Aliàs autem qui ſcit aliquem Creditores habere; ſi cum eo contrahat ſimpliciter ſine Fraudis conſcientiâ; non videtur hâc actione teneri. *d. l.* 10. § 4.

XIX.

Hactenùs de his qui titulo oneroſo acquirunt. Is his verò qui acquirunt ex causâ lucrativâ, non requiritur conſcientia Fraudis ut hoc Edicto teneantur.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Ignoti Juris non eſt, adversùs eum qui Sententiâ condemnatus intra ſtatutum tempus ſatis non fecit, nec defenditur, bonis poſſeſſis itemque diſtractis; per actionem IN FACTUM contra emptorem qui ſciens Fraudem comparavit; & eum qui ex lucrativo titulo poſſidet, ſcientiæ mentione detractâ; Creditoribus ſuis eſſe conſultum. *l. 3. Cod. de Revocand. his quæ in fraud.*

Hinc Item, ſi neceſſarius heres legata præſtiterit, deindè ejus bona vænierint; Proculus ait, Etiamſi ignoraverint legatarii, tamen Utilem actionem dandam. Quod nequaquàm dubium eſt. *l.* 6. § 13. ULP. LIB. 66. AD ED.

Simili modo dicimus; Et ſi cui donatum eſt, non eſſe quærendum, an ſciente eo cui donatum, geſtum ſit; ſed hoc tantùm, an Fraudentur (*a*) Creditores. Nec videtur injuriâ affici is qui ignoravit; cùm lucrum extorqueatur, non damnum infligatur.

In hos tamen qui ignorantes ab eo qui ſolvendo non ſit, liberalitatem acceperunt; hactenùs actio erit danda quatenùs locupletiores facti ſunt, ultrà non. *d. l.* 6. § 11.

Nil refert autem qualis perſona fuerit quæ à fraudatore quid ex causâ lucrativâ comparaverit. Nam & Si quid cum pupillo geſtum ſit In Fraudem Creditorum; Labeo ait, omnimodò (*b*) revocandum ſi Fraudati ſint Creditores: quia pupilli ignorantia quæ per ætatem contingit, non debet eſſe captioſa Creditoribus, & ipſi lucroſa (*c*). Eoque Jure utimur. *d. l.* 6. § 10.

XX.

Cùm dos quæ pro muliere In Fraudem Creditorum conſtituitur, ſit reſpectu viri cauſa oneroſa, reſpectu autem mulieris cauſa lucrativa : hinc ſequitur quòd, ut adversùs virum agi poſſit, requiritur in eo conſcientia Fraudis. Non requiritur autem in muliere ut adversùs eam agatur.

Hoc docet Venuleius. Ita ille : Si à ſocero Fraudatore ſciens gener accepit dotem; tenebitur hâc actione : &, ſi reſtituerit eam, deſinit dotem habere. Nec quicquam emancipatæ divortio facto reſtituturum Labeo ait : quia hæc actio rei reſtituendæ gratiâ, non pœnæ nomine daretur. Ideòque abſolvi ſolet reus, ſi reſtituerit. Sed ſi priuſquàm Creditores cum eo experirentur, reddiderit filiæ dotem, judicio dotis nomine conventus; nihilominùs eum hâc actione teneri (*d*) Labeo ait, nec ullum regreſſum habiturum (*e*) ad mulierem. Sin verò ſine judicio, videndum an ulla repetitio competat ei (*f*). Quòd ſi is ignoraverit, filia autem ſciverit, tenebitur filia; ſi verò uterque ſcierit, uterque tenebitur. At ſi neuter ſcierit; quidam exiſtimant, nihilominùs in filiam dandam actionem; quia intelligitur quaſi ex donatione aliquid ad eam perveniſſe : aut certè cavere eam debere, quod conſecuta fuerit, ſe reſtituturam. In maritum autem qui ignoraverit, non dandam actionem: non magis quàm in creditorem, qui à Fraudatore quod ei deberetur acceperit; cùm is indotatam uxorem ducturus non fuerit. *l.* 25. § 1. VENULEIUS LIB. 6. INTERDICT.

§ IV.

De Fraudis eventu.

XXI.

Ita demùm revocatur quod Fraudandorum Creditorum causâ factum eſt, ſi eventum fraus habuit; ſcilicet ſi hi Creditores quorum Fraudandorum causâ fecit, bona ipſius vendiderunt. *l.* 10. § 1. ULP. LIB. 73. AD ED.

Prætereà ſciendum eſt poſſe quæri, quod dicitur In Fraudem Creditorum alienatum revocari poſſe (*g*); ſi iidem ſint Creditores : & ſi unus Creditor ſit ex illis qui Fraudati ſunt [ſive ſolus tunc fuit; ſive, quum cæteris ſatisfactum eſt, hic ſolus remanſit] probandum eſſe, adhuc actioni fore locum. *d. l.* 10. § 6.

Cæterùm ſi illos dimiſit quorum Fraudandorum causâ fecit, & alios ſortitus eſt; ſi quidem ſimpliciter dimiſſis prioribus quos Fraudare voluit, alios poſteà ſortitus eſt; ceſſat revocatio. Si autem horum pecuniâ quos Fraudare noluit, priores dimiſit quos Fraudare voluit : Marcellus dicit, revocationi locum fore. Secundùm hanc diſtinctionem, & ab Imperatore Severo & Antonino reſcriptum eſt : eoque Jure utimur. *d. l.* 10. *ſup. d.* § 1. ¶ *cæterùm.*

(*a*) Adde legem 3*am.* Cod. *de Revocand. his quæ in fraud.*

(*b*) Id eſt, indiſtinctè; ſive ſciverit Fraudem necne.

(*c*) Hinc apparet, hîc agi de caſu quo ex causâ lucroſâ pupillus comparavit. Et ita intellexit Azo.

(*d*) Propter ſuam Fraudis participationem.

(*e*) Licèt enim revocatâ à Creditoribus dote, perindè ſit ac ſi vir nullam dotem accepiſſet; adeòque videatur indebitum mulieri ſolviſſe, quum eam mulieri reddidit : tamen non poterit repetere; cùm indebiti per judicem ſoluta nulla ſit repetitio : ſuprà lib. 12. Tit. *de Cond. indeb.* N. 28.

(*f*) Ad hanc quæſtionem non reſpondet. Putat Irnerius, nec hoc caſu repetitionem eſſe. Quia ſciebat in eâ causâ dotem eſſe ut per Paulianam revocaretur; ei autem qui ſciens ſolvit, non competit Condictio indebiti.

(*g*) Supple; an locum habeat tantùm *ſi iidem ſint Creditores?* Et certè patet eo caſu locum habere : imò *etſi unus* &c.

Source : BIU Cujas

XXII.

Fraus igitur eventum habuisse videtur, quum Fraudatoris bona vænierunt, nec sufficit pretium Creditoribus.

Quòd Si Fraudator heredem habuit, & heredis bona vænierint; non est in bonis, quibus de agitur, factum: & ideò cessat hæc actio. *d. l.* 10. § 9.

Quòd Si quid In Fraudem Creditorum fecerit filius qui se poterat abstinere; & in integrum sit restitutus quòd se miscuerat: vel si quis fecit heres, voluntarius etiam; [&] vel per ætatem, vel quam aliam causam justam in integrum meruit restitutionem: dicendum erit, Utilem actionem (*a*) competere. Idem & in servo (*b*) necessario. Sanè cum illâ distinctione hoc admittendum esse Labeo scribit; ut, si quidem protinùs (*c*) bona vendiderunt Creditores, vel absentibus (*d*) vel paciscentibus Creditoribus se necessarius miscuit; utriusque Fraus revocetur, id est, testatoris, & ipsius. Si verò passi sunt necessarium Creditores, & quasi in creditum habuerunt; nomen ejus vel (*e*) dulcitudine usurarum, vel quâ aliâ ratione secuti sunt; dicendum est nihil revocari ex his quæ testator alienavit. *l.* 10. § 10. ULP. LIB. 73. AD ED.

Quòd Si impubes patri heres extiterit, ejusque (*f*) mortui bona væneant: separatione (*g*) impetratâ; utriusque Fraus (*h*) erit revocanda, pupilli, vel etiam tutoris, item curatoris. *d. l.* 10. § 11.

Si ex Constitutione Divi Marci bona sint addicta alicui, libertatum conservandarum causâ; dicendum erit, actionem cessare. Ita enim succedunt, ut rata sint quæ paterfamilias gesserat. *d. l.* 10. § 17.

ARTICULUS III.

Cui & adversùs quem actio Pauliana, *ex hoc Edicto, Interdictum-ve competat.*

XXIII.

Pauliana actio competit Creditoribus qui fraudati sunt.

Item his qui in jus eorum creditorum successerunt: ut in specie sequenti. Debitor In Fraudem Creditoris, cum vicino de finibus pignori dati fundi pactus est. Quæsitum an is qui à Creditore emit, de finibus agere possit? Respondit; Secundum ea quæ proponerentur, non idcircò minùs agere posse, quòd debitor ignorante Creditore pactus esset. *l.* 21. SCÆVOLA LIB. 1. RESPONS.

At verò Filios debitoris ei succedentes, veluti in Creditorum Fraudem alienatorum, facultatem revocandi non habere, notissimi Juris est. *l.* 4. *Cod. de Revocand. his quæ in fraud.* DIOCLET. ET MAXIM.

XXIV.

Competit hæc actio adversùs eum qui fraudis conscius cum Fraudatore contraxit, quamvis desierit rem habere: ut jam obiter vidimus ex l. 25. § 1. *h. tit. suprà N.* 20.

Quinetiam, tenetur is qui Fraudis conscius contraxit; quamvis res nunquàm ad illum pervenerit, sed ad alium.

V. G. Si procurator (*i*) ignorante domino (*k*), quum sciret debitorem, ejus (*l*) Fraudandi cepisse consilium, jussit servo ab eo accipere; hâc actione ipse tenebitur, non dominus. *d. l.* 25. § 3. VENULEIUS LIB. 6. INTERDICT.

XXV.

Præter eum qui Fraudis conscius cum Fraudatore contraxit; tenetur etiam hâc actione is ad quem res pervenit, si & ipse Fraudis conscius fuit.

V. G. Item si extraneus filiæfamiliæ nomine, Fraudandi causâ dotem dederit; tenebitur maritus si scierit: æquè mulier, nec minùs & pater (*m*), si non ignoraverit; ita ut caveat (*n*), si ad se dos pervenerit; restitui eam. *d. l.* 25. § 2.

Sed & si Fraudis non fuerit conscius is ad quem res pervenit, tenebitur hâc actione; si modò ex causâ lucrativâ res ad eum pervenerit.

Hoc docet idem Venuleius, triplicem hâc in re casum distinguendo.

Si Fraudator fidejussori suo scienti acceptum tulerit; si & reus non ignoraverit, uterque tenebitur; si minùs, is qui scierit. Si tamen ille (*o*) cui acceptum factum est, solvendo non sit; videndum est, an in reum, etiamsi ignoraverit, actio danda sit? quia ex donatione capit (*p*).

Contrà si reo sciente acceptum latum sit (*q*); fidejussor quoque si & ipse scierit, tenebitur. Si verò ignoraverit, numquid non æquè actio in eum dari debeat; quoniam (*r*) magis detrimentum non patitur; quàm lucrum faciat?

In duobus autem reis, par utriusque (*s*) causa est. *d. l.* 25. *pr.*

Maximè autem eum ad quem res ex causâ onerosâ pervenit, hâc actione non teneri quum Fraudis conscius non fuit, ita docet Paulus. Is qui à debitore cujus bona possessa sunt, sciens rem emit, iterum alii bonâ fide ementi vendidit. Quæsitum est an secundus emptor conveniri potest? Sed verior est Sabini sententia, bonâ fide emptorem non teneri: quia dolus ei duntaxat nocere debeat, qui eum admisit. Quemadmodum diximus non teneri eum, si ab ipso debitore ignorans emerit. Is autem qui dolo malo emit, bonâ fide autem ementi vendidit; in solidum pretium rei quod accepit, tenebitur. *l.* 9. PAUL. LIB. 62. AD ED.

XXVI.

Simili modo quæritur; Si servus ab eo qui solvendo non sit, ignorante domino, ipse sciens rem acceperit; an dominus teneretur? Et ait Labeo; Hactenùs eum teneri ut restituat quod ad se pervenit, aut duntaxat De Peculio damnetur vel si quid in rem ejus versum est.

(*a*) Non *directam*. Subtili enim Jure, nec ea quæ defunctus In Fraudem fecit, revocari possunt; cùm Fraus eventum non habuerit, & defunctus reliquerit heredem: nec possunt revocari quæ heres In Fraudem gessit; cùm heres qui per restitutionem in integrum obtinuit ut repudiaret vel se abstineret, non sit horum Creditorum debitor. Verùm *Utilis* competit, & ad revocanda quæ defunctus In Fraudem gessit; quia effectu defunctus non habuit heredem eum, qui ut repudiaret vel abstineret restitutus est; adeòque Fraus eventum habuit. Ad revocanda quoque ea quæ heres In Fraudem gessit, competit: cùm enim dum heres esset, gesserit; videntur à debitore In Fraudem gesta.

(*b*) *In servo necessario*, qui per restitutionem obtinuit separationem bonorum, *idem* dicendum: scilicet ut revocentur ea quæ ante in bonis hereditariis In Fraudem gessit, perindè ac ea quæ ipse defunctus gessit.

(*c*) Paulò post mortem defuncti, ita ut non possint videri secuti esse fidem heredis.

(*d*) Quum absentes erant Creditores, non possunt intelligi fidem heredis secuti. Hoc ergo casu, necnon & illo altero casu quo [ex pacto quod cum herede habuerunt] apertè liquet eos fidem ejus non secutos esse; poterunt revocare ea quæ In Fraudem gesta sunt, sive à defuncto sive ab herede.

(*e*) Hæc vox loco suo mota; & legendum videtur, *vel nomen ejus dulcitudine usurarum, vel &c.*

(*f*) Patris.

(*g*) Bonorum patris, à bonis impuberis.

(*h*) Fraus circa bona patris, ab utroque admissa; scilicet tam à patre defuncto, quàm ab impubere ejus herede, impuberis-ve tutore aut curatore.

(*i*) Finge: Ignorante te cujus negotia gerebam, emi pro te rem ab eo quem sciebam In Fraudem Creditoris sui vendere. Quamvis hæc res, utpotè servo tuo tradita, nunquàm ad me pervenerit; tamen ego tenebor.

(*k*) Negotii.

(*l*) *Ejus* creditoris scilicet, In cujus Fraudem procurator tuus sciebat eum vendere.

(*m*) *Et pater* mulieris, ad quem dos divortio interveniente redditura est. De patre enim mulieris id intelligendum, cùm idcircò mulier in hâc lege dicatur *filiafamilias*. Et quidem in personâ mulieris patris-ve ejus, non distinguitur an fuerint Fraudis conscii necne; sicut in marito distinguitur: quia quoad mulierem & patrem ejus causa lucrativa est, ut jam observatum est suprà N. 20. ex d. l. 25. § 1. Quod igitur hîc ait lex *si pater non ignoraverit*; intellige ut hoc casu debeat *Cavere*. Etiamsi autem non ignoraverit dotem filiæ datam; nihilominùs restituere tenebitur, si dos ad ipsum soluto matrimonio pervenerit; quia ex causâ lucrativâ: ut mox dicitur de quolibet ad quem res ex tali causâ pervenit.

(*n*) Mulier, pater-ve ejus.

(*o*) Fidejussor.

(*p*) Ex hâc ratione, quòd *ex donatione* quæ causa lucrativa est, reus liberationem *capiat*; cùm eam consequatur ex acceptilatione quæ fidejussori facta est; concludendum relinquit, Paulianâ actione, in subsidium hujus fidejussoris qui solvendo non est; reum teneri ut se in obligatione reponat.

(*q*) Ipsi *Reo* Fraudem scienti. Et hic est 2*us.* casus.

(*r*) Fidejussor, ad quem ex acceptilatione reo factâ liberatio pervenit, non tam aliquid lucratur *quàm detrimentum non patitur*; cùm hoc quod solvere debuisset, si non esset liberatus, non suo, sed alieno nomine deberet. Et hæc est ratio cur in eum hoc casu actio non detur.

(*s*) Tertius casus. Quum verò uni ex duobus correis acceptolatum est; is ad quem ex acceptilatione alteri factâ liberatio pervenit, æquè principaliter debebat atque is cui acceptilatio facta est. Undè concludendum relinquitur, hanc liberationem quam consecutus est, ex causâ verè lucrativâ proficisci; adeòque indistinctè eum *Paulianâ* teneri.

Source : BIU Cujas

Eadem in filiofamilias probanda sunt. Sed si dominus scit, suo nomine convenietur. *l.* 6. § 12. ULP. LIB. 66. AD ED.

XXVII.

Hæc actio etiam in ipsum Fraudatorem datur: licèt Mela non putabat in Fraudatorem eam dandam: quia nulla actio in eum ex antè gesto post bonorum venditionem daretur; & iniquum esset, actionem dari in eum cui bona ablata essent. Si verò quædam disperdidisset, si nullâ restitutione (*Alibi rectiùs* ratione) recuperari possent; nihilominùs (*a*) actio in eum dabitur: & Prætor non tantùm emolumentum actionis intueri videtur in eo qui exutus est bonis, quàm pœnam. *l.* 25. § 7. VENULEIUS LIB. 6. INTERDICT.

Sed & si res aliâ ratione recuperari potest, tenetur adhuc Fraudator: verùm eo casu, in id duntaxat quatenùs facere potest.

Sic enim rescribunt Diocletianus & Maximianus. Si actu solemni (*b*) præcedentem obligationem peremisti; perspicis adversùs Fraudatorem intra annum (*c*), in quantum facere potest (*d*), vel dolo malo fecit quominùs possit, Edicto Perpetuo tantùm actionem permitti. *l.* 6. *Cod. de Revoc. his quæ in fraud. cred.*

XXVIII.

An autem tenebitur is in cujus potestate est Fraudator? Ad hanc quæstionem ita Marcellus: Si pater filiofamilias liberam peculii administrationem dederit; non videtur ei & hoc concessisse, ut In Fraudem Creditorum alienaret. Talem enim alienationem non habet (*e*). At si hoc quoque concessit filio pater, ut vel In Fraudem Creditorum facere possit; videbitur ipse fecisse: & sufficient competentes adversùs eum (*f*) actiones. Etenim (*g*) filii creditores, etiam patris sunt creditores; quum ejus generis videlicet habebunt actionem, ut his de peculio præstari necesse sit. *l.* 12. MARCELL. LIB. 18. DIGEST.

XXIX.

Observandum supereste quòd Hæc actio heredi cæterisque successoribus competit; sed & in heredes, similesque personas datur. *l.* 10. § *fin.* ULP. LIB. 73. AD ED.

Nam Prætor Cassius actionem introduxit in id quod ad heredem pervenit. *l.* 11. VENULEIUS LIB. 6. INTERDICT.

NOTA. *Interdictum de quo etiam in hoc Articulo agitur, eisdem competit quibus & actio Pauliana; & adversùs eum datur, qui rem In Fraudem alienatam, Fraudis conscius possidet; aut etiam sine conscientiâ Fraudis, si ex causâ lucrativâ.*

ARTICULUS IV.

Quid veniat in actione Paulianâ, *& Interdicto.*

§ I.

Quid veniat adversùs eum qui rem In Fraudem alienatam possidet.

XXX.

Per hanc actionem res restitui debet, cum suâ scilicet causâ. *l.* 10. § 19. ULP. LIB. 73. AD ED.

Igitur: Non solùm autem ipsam rem alienatam restitu oportet; sed & fructus qui alienationis tempore terræ cohærent, quia in bonis Fraudatoris fuerunt. Item eos qui post inchoatum judicium recepti sint.

Medio autem tempore perceptos, in restitutionem non venire. *l.* 25. § 4. VENULEIUS LIB. 6. INTERDICT.

Dicimus eos fructus restituendos, qui alienationis tempore fundo cohærebant. Fructus autem fundo COHÆSISSE, non satis intelligere se Labeo ait; utrùm duntaxat qui maturi, an etiam qui immaturi fuerint, Prætor significet. Cæterùm etiam de his senserit qui maturi fuerint, nihilomagis (*h*) possessionem restitui oportere (*i*). Nam quum fundus alienaretur; quod ad eum fructusque ejus attinet, unam quamdam rem fuisse, id est fundum; cujus, omnis generis, alienationem (*k*) fructus sequi. Nec eum qui hiberno [tempore] habuerit fundum, centum; si sub tempus messis, vindemiæ-ve, fructus ejus vendere possit decem; idcircò duas res, id est fundum centum, & fructus decem, eum habere intelligendum; sed unam, id est fundum centum: (*l*) sicut is quoque unam rem haberet, qui separatim solum ædium vendere possit. *l.* 25. § 6. VENULEIUS LIB. 6. INTERDICT.

XXXI.

Et fructus non tantùm qui percepti sunt, verùm etiam hi qui percipi potuerunt à Fraudatore, veniunt. Sed cum aliquo modo, scilicet ut sumptus facti deducantur. Nam arbitrio judicis non priùs cogendus est rem restituere, quàm si impensas necessarias consequatur. Idemque erit probandum, & si quis alius sumptus ex voluntate fidejussorum creditorumque fecerit. *l.* 10. § 20. ULP. LIB. 73. AD ED.

XXXII.

Partum quoque in hanc actionem venire, puto verius esse. *d. l.* 10. § 21.

Eadem autem distinctio circà partum adhibenda est; quæ mox suprà, circa fructus.

Nimirùm Proculus ait; Si mulier post alienationem conceperit, & antequàm ageretur, pepererit; nullam esse dubitationem, quin partus restitui non debeat. Si verò quum alienaretur, prægnans fuerit; posse dici partum quoque restitui oportere. *sup. d. l.* 25. § 5.

Cæterùm Item partum ancillæ per Fraudem alienatæ, medio tempore editum, in restitutionem non venire; quia in bonis non fuerit. *d. l.* 25. § 4. ¶ *item.*

XXXIII.

Si debitor In Fraudem Creditorum, minore pretio fundum scienti emptori vendiderit; deinde hi quibus de revocando eo actio datur, eum petant: quæsitum est, an pretium restituere debent? Proculus existimat, omnimodo restituendum esse fundum, etiamsi pretium non solvatur. Et rescriptum est, secundùm Proculi sententiam. *l.* 7. PAUL. LIB. 62. AD ED.

Ex his colligi potest, ne quidem portionem (*m*) emptori reddendam ex pretio. Posse tamen dici, eam rem apud arbitrum ex causâ animadvertendam; ut, si nummi soluti in bonis, extent, jubeat eos reddi:

(*a*) Quamvis bonis exutus sit, nihilominùs actio in eum dabitur. Sed *Cui bono*, cùm nil habeat? In pœnam Fraudis ita obtinet, quam Prætor magis intuetur *quàm emolumentum actionis.*

(*b*) Id est; si per acceptilationem, debitorem In Fraudem liberasti.

(*c*) Hæc actio In Fraudatorem datur intrà annum utilem, ex die venditionis bonorum ejus computandum.

(*d*) Patur duntaxat *In quantum facere potest*, quia res aliâ ratione recuperari potest; scilicet per actionem adversùs debitorem Fraudatoris, qui per acceptilationem liberatus est.

(*e*) Etsi *liberam* habeat administrationem peculii.

(*f*) Patrem scilicet. Quæ autem actiones, vide Notam seq.

(*g*) Hoc quidem casu, Creditoribus peculiaribus filii sufficere possunt competentes sibi adversùs patrem actiones *De peculio.* Porrigitur enim actio *De peculio*, ad ea quæ pater dolo fecit quominùs in peculio essent; proindèque ad ea quæ fraudulenter consensit ut alienarentur. Quanquam autem sufficere his possent actiones *De peculio*; possunt etiam patrem suo nomine convenire hâc actione *In factum*, quæ datur adversùs eum qui In Fraudem Creditorum suorum alienavit. Pater enim consentiendo dolosè ut filius In Fraudem Creditorum suorum alienaret, videtur ipse alienasse In propriorum suorum Creditorum Fraudem: *Etenim filii creditores, etiam ipsius patris sunt creditores*; quatenùs ipsis pater *De peculio* tenebatur.

(*h*) *Nihilomagis* hîc dictum pro *Nihilominus* censet Glossa.

(*i*) Glossa supplet, cum fructibus qui tunc fuerunt, sive maturi erant, sive non.

(*k*) *Cujus* fundi *alienationem* constat *sequi fructus omnis generis*, tam immaturos quàm maturos. Hæc autem totius hujus §*i.* sententia est: Posset aliquis contendere eos duntaxat fructus qui maturi erant, per hanc actionem peti posse; & hoc fortassè utetur argumento, quòd de his duntaxat videri possit debitor voluisse eos in Fraudem Creditorum vendere; cùm hi qui nondum maturi erant, nondum in eâ causâ essent ut vendi possent. Hoc autem argumentum confutat: Quum fundus vænit, non magis videri possunt In Fraudem venditi fructus qui maturi erant, quàm hi qui non maturi. Una enim res est quæ venditur, nempè FUNDUS; non duæ, fundus, & fructus maturi. Hæc igitur ratio quà maturi fructus ab immaturis secernuntur, non valet; & utraque species debet hâc communi ratione in restitutionem venire; quòd, quicquid cohæret fundo, fundi alienationem sequatur; adeòque in revocatione alienationis præstandum veniat.

(*l*) Supple: Nec ideò minùs fundus cum fructibus pendentibus una res videri debet, quòd exceptis fructibus vendi possit; *sicut is quoque*, &c.

(*m*) *Ne quidem portionem* quam emptor ex pretio solvit.

Source : BIU Cujas

quia eâ ratione nemo Fraudètur. *l.* 8. VENULEIUS-SATURNIN. LIB. 6. INTERDICT.

§ II.

Quid veniat adversùs eum qui rem non possidet.

XXXIV.

Hâc IN FACTUM actione non solùm dominia revocantur, verùm etiam actiones restaurantur. Eapropter competit hæc actio; & adversùs eos qui res non possident (*a*), ut restituant (*b*); & adversùs eos quibus actio competit (*c*), ut actione cedant.

Proindè si interposuerit quis personam Titii, ut ei Fraudator res tradat; actione MANDATI cedere debet.

Ergo & si Fraudator pro filiâ suâ dotem dedisset scienti Fraudari Creditores; filia tenetur, ut cedat actione de DOTE adversùs maritum. *l.* 14. ULP. LIB. 6. DISPUT.

Quòd si alicui In Fraudem jus aliquod, putà ususfructûs, remissum est, aut stipulatio acceptolata: Per hanc actionem, & ususfructus, & hujusmodi stipulatio (*d*) IN ANNOS SINGULOS DARE SPONDES, exigi potest. *d. l.* 10. § 15.

Et generaliter Omnes debitores qui In Fraudem Creditorum liberantur, per hanc actionem revocantur in pristinam obligationem. *l.* 17. JUL. LIB. 49. DIGEST.

XXXV.

Et quidem Si conditionalis fuit obligatio, cum suâ conditione; si in diem, cum suâ die restauranda est. Si tamen ea erat, cujus dies finitur: potest dici restitutionem intrà id tempus posse postulari, quod tempus supererat obligationi; non utique intra (*e*) annum. *l.* 10. § 23. ULP. LIB. 73. AD ED.

Prætereà generaliter sciendum est, ex hâc actione restitutionem fieri oportere in pristinum statum; sive res fuerunt, sive obligationes; ut perindè omnia revocentur, ac si liberatio facta non esset. Propter quod etiam medii temporis commodum, quod quis consequeretur liberatione non factâ, præstandum erit: dùm (*f*) usuræ non præstentur, si in stipulatum deductæ fuerunt, aut si (*g*) talis contractus fuit in quo usuræ deberi potuerunt etiam non deductæ. *d. l.* 10. § 22.

NOTA. *Hactenùs de actione Paulianâ. In Interdicto autem patet illud venire, ut restituatur possessio rei In Fraudem Creditorum alienatæ.*

ARTICULUS V.

Quandiù hæc actio hoc-ve Interdictum competat.

XXXVI.

Hujus actionis annum computamus utilem, quo experiundi potestas fuit ex die factæ venditionis. *l.* 6. § 14. ULP. LIB. 66 AD ED.

Et alibi. Annus hujus IN FACTUM actionis computabitur, ex die venditionis bonorum. *l.* 10. § 18. IDEM LIB. 73. AD ED.

Quamvis autem anno finiatur; tamen Hæc actio post annum de eo quod ad eum pervenit adversùs quem actio movetur, competit. INIQUUM ENIM PRÆTOR PUTAVIT, IN LUCRO MORARI EUM QUI LUCRUM SENSIT EX FRAUDE. Idcircò lucrum ei extorquendum putavit. Sive igitur ipse Fraudator sit ad quem pervenit, sive alius quivis; competit actio in id quod ad eum pervenit, dolo-ve malo ejus factum est quominùs perveniret. *d. l.* 10. § 24.

(*a*) Penès quos nulla res est quam possideant; putà liberationem obligationis alicujus consecuti sunt.

(*b*) Restituent autem renovando obligationem quâ in Fraudem sunt liberati.

(*c*) Qui non possident quidem res In Fraudem alienatas; sed *quibus* ad eas consequendas *actio competit.*

(*d*) Si per Fraudem acceptolata supponatur.

(*e*) Finge: Mensis supererat ex temporali actione, quâ quis In Fraudem Creditorum liberatus est. Poterit is conveniri actione *Paulianâ*, intrà mensem duntaxat ex die venditionis bonorum Fraudatoris, non intra annum. Annus enim Paulianæ actioni ita demùm conceditur, nisi brevius tempus supereffet ex actione quæ per Paulianam actionem resuscitatur.

(*f*) Quod autem dicimus *Medii temporis commodum*; id est usuras, de quibus solis hic agitur, præstandas esse; sic accipe, ut non aliter præstentur quàm *si in stipulatum*, &c. Et hic nota discrimen inter *Fructus* & *Usuras*. Fructus medii temporis non præstantur, suprà N. 30. Usuræ autem medii temporis præstentur. Ratio disparitatis est; quòd fructus medii temporis nullatenùs existebant quum fundus alienatus est; adeòque ipsi non possint videri in fraudem alienari. Verùm, quum *Nomen* alienatum est, existebat jus quo non solùm sors, sed & usuræ in diem solutionis debebantur; & tam sortis quàm usurarum obligatio alienata est. Simile discrimen inter Fructus & Usuras, in l. 44. § 1. ff. *Ad SC. Trebell.* quam vide suprà lib. 36. *d. tit.* N. 12.

(*g*) *Aut nisi talis &c.* Cujac.

Source : BIU Cujas

LIBER
QUADRAGESIMUS-TERTIUS.

TITULUS I.

DE INTERDICTIS, SIVE EXTRAORDINARIIS ACTIONIBUS QUÆ PRO HIS COMPETUNT.

MULTA superioribus libris, de possessione protulerunt Pandectarum ordinatores; ut devenirent ad tractationem quam hic ordiuntur, DE INTERDICTIS *quæ de possessione redduntur, & quorum species singulæ expenduntur singulis ferè totius hujusce libri Titulis.*

ARTICULUS I.

Quid sint Interdicta, & de variis eorum divisionibus.

I.

INTERDICTA *olim erant* Formæ atque conceptiones verborum (*inquit Justinianus Instit. h. tit.*): *hodiè verò simpliciter definiri possunt, Actiones in quibus Prætor jubet aut vetat aliquid fieri: quæ dantur illi ad quem res pertinet, adversùs eum cum quo ille de possessione vel quasi-possessione, vel de jure aliquo suo aut publico contendit.*

Ita ea appellari rectè censet Hotomannus, quasi maximè imperiosa Prætoris dicta; scilicet à Particulâ INTER, *quæ vim adauctivam habet (ut in verbis* Internecio (*a*), Interturbat, *& similibus) ex eo nempè quòd in his Prætor pro imperio decernit. Quod ideò fortè primitùs introductum; quia, cùm Interdicta omnia versentur circa res divini publicive juris; aut circa possessionem in quâ unumquemque tueri, ad civitatis quietem maximè interfit; res digna Prætori visa est, ut ipse per se cognosceret.*

II.

Prima Interdictorum divisio.

Petitur illa à diversis rebus, de quibus competunt. Hanc ita exponit Ulpianus: Videamus de quibus rebus Interdicta competunt. Et sciendum est, Interdicta aut de divinis rebus aut de humanis competere: divinis, ut De locis sacris, vel De locis religiosis; de rebus hominum Interdicta redduntur, aut de his quæ sunt alicujus, aut de his quæ nullius sunt. Quæ sunt nullius, hæc sunt: liberæ personæ; de quibus Exhibendis, Ducendis, Interdicta competunt. Quæ sunt alicujus, hæc sunt; aut publica, aut singulorum: Publica, De locis publicis, De viis, Deque fluminibus publicis: quæ autem singulorum sunt, aut ad universitatem pertinent, ut Interdictum QUORUM BONORUM; aut ad singulas res, ut est Interdictum UTI POSSIDETIS, DE itinere actuque. *l.* 1. ULP. LIB. 67. AD ED.

Similiter Paulus. Interdicta autem competunt, vel hominum causâ; vel divini juris aut de religione, sicut est Ne quid in loco sacro fiat vel quod factum est restituatur, & De mortuo inferendo, vel sepulcro ædificando (*Malè in Florent.* deposito). *l.* 2. § 1. PAUL. LIB. 63. AD ED.

III.

Secunda divisio.

Hæc ad ea sola Interdicta pertinet quæ de rebus humanis competunt; petiturque ex variis causis ex quibus illa competunt. Quatuor autem recensentur.

Nimirùm Hominum causâ competunt; vel ad publicam utilitatem pertinentia, vel sui juris tuendi causâ, vel officii tuendi causâ, vel rei familiaris. Publicæ utilitatis causâ comperit Interdictum, UT viâ publicâ uti liceat & flumine publico, & NE quid fiat in viâ publicâ. Juris sui tuendi causâ, DE liberis exhibendis, item DE liberto exhibendo. Officii causâ, DE homine libero exhibendo. Reliqua Interdicta rei familiaris causâ dantur. *d. l.* 2. *d.* §. 1.

IV.

Tertia divisio:

Ex diverso fine ad quem dantur.

Hæc autem Interdicta quæ ad rem familiarem spectant, aut adipiscendæ sunt possessionis, aut reciperandæ, aut retinendæ.

Adipiscendæ possessionis sunt, Interdicta quæ competunt his qui ante non sunt nancti possessionem. Sunt autem Interdicta adipiscendæ possessionis, QUORUM BONORUM; Salvianum quoque Interdictum, quod est de pignoribus: ex hoc genere est & QUO ITINERE venditor usus est, quominùs emptor utatur, vim fieri veto.

Recuperandæ possessionis causâ proponuntur sub Rubricâ UNDE VI: aliqua (*b*) enim sub hoc Titulo Interdicta sunt.

Retinendæ possessionis sunt, Interdicta UTI POSSIDETIS. *d. l.* 2. § 3.

(*a*) Vide Donatum ad illud Terentii Andr. Act. IV. Scen. 1. in Verb. INTERTURBAT, quod interpretatur *Valdè turbat.*

Certè quas alii *Interdictorum* etymologias afferunt [etiam Justinianus ipse Instit. h. tit. § 1.] longè minùs probandæ videntur, quàm illa Hotomanni.

Et 1°. non possunt ita vocari, ab eo quòd INTERDICERE *sit denuntiare & prohibere*: Cùm *Interdicere* se dicat Prætor, etiam quando nihil prohibet, sed magis jubet; V. G. quum ait: UT *per lacum, fossam-ve, navigare liceat*, INTERDICAM. l. 1 ff. *Ut in flumin.*

2°. Nec verùs ita ea appellari placuit, *Quia Inter duos dicuntur.* Nec enim Interdictis proprium, sed omnibus actionibus commune est, ut inter duos plures-ve dicantur.

3°. Alii denique putant quasi *Interim dicta*; eo quòd post causam Interdicti redditi, restet adhuc quæstio proprietatis. Sed perperam: siquidem in Interdictis quibusdam, proprietatis etiam aut quasi-proprietatis causa vertitur; in quibus finitur omnis quæstio: l. 2. § 2. ff. *de Interdict.* l. 1. § fin. ff. *de Aquâ cottid.*

(*b*) Id est, non unicum, sed plura.

Source : BIU Cujas

Hîc nota quòd vulgò in fine hujus §ⁱ. legitur : Sunt Interdicta ut diximus duplicia, tam recuperandæ quàm adipiſcendæ poſſeſſionis. *d.* § 3. ¶ *fin.*

Quæ verba omninò expungenda eſſe cenſet Cujacius tanquàm ſenſu carentia, & hîc vitio librariorum interpola : Cùm repugnet, inquit, ut hæc duo Adipiſci & Recuperare, *de eâdem re concurrant. Sed contrà, quid vetat Interdictum quod primùm datur ad adipiſcendam poſſeſſionem, poſtea eâ adeptâ idem etiam dari ad eam recuperandam ? Talè fortaſsè fuit Interdictum,* NE VIS FIAT EI &c.

V.

Quarta diviſio :

Ad omnia generaliter Interdicta pertinens, & ex eo petita quod in his Prætor jubet aut vetat.

Interdictorum autem tres ſpecies ſunt; EXHIBITORIA, PROHIBITORIA, RESTITUTORIA. Sunt tamen quædam Interdicta & MIXTA, quæ & prohibitoria ſunt & exhibitoria. *l.* 1. § 1. ULP LIB. 67. AD ED.

EXHIBITORIA *ſunt quibus Prætor jubet aliquid exhiberi, ut Tabulas teſtamenti &c.* PROHIBITORIA, *quibus Prætor vetat aliquid fieri, non etiam jubet quod jam factum eſt, reſtitui.* RESTITUTORIA *ſunt quibus Prætor jubet quod factum eſt reſtitui ſeu tolli.*

Et quidem in his Interdictis Cùm Prætor dicat ut opus factum reſtituatur, etiam damnum datum actor conſequi debet. Nam verbo RESTITUTIONIS, omnis utilitas actoris continetur. *l.* 81. *ff. de Verb. ſignif.* PAUL. LIB. 10. AD PLAUT.

V I.

Quinta diviſio.

Interdictorum quædam in præſens, quædam in præteritum referuntur. In præſens, ut UTI POSSIDETIS; in præteritum, ut DE itinere actuque, DE aquâ æſtivâ. *d. l.* 1. § 2.

V I I.

Sexta diviſio.

Interdictorum quædam DUPLICIA ſunt, quædam SIMPLICIA.

DUPLICIA dicuntur, ut UTI POSSIDETIS. Simplicia ſunt ea; veluti exhibitoria, & reſtitutoria, item prohibitoria DE arboribus cædendis, & DE itinere actuque. *l.* 2. PAUL. LIB. 63. AD ED.

Simplex Interdictum nempè dicitur, in quo alter ex litigatoribus actor eſt, alter reus : Duplex, in quo uterque rei ſimul & actoris partes ſuſtinet.

V I I I.

Septima diviſio.

Interdictorum quædam ANNALIA ſunt, quædam PERPETUA. *d. l.* § 4.

Obſervandum autem quòd Ex quibus cauſis annua Interdicta ſunt; ex his de eo quod ad eum cum quo agitur pervenit, poſt annum judicium dandum, Sabinus reſpondit. *l.* 4. PAUL. LIB. 67. AD ED.

I X.

Ultima diviſio.

Addi poteſt & hæc ultima diviſio interdictorum ; quòd quædam DIRECTÒ *adversùs eum dantur contra quem competunt, alia autem* NOXALIA *dicuntur.*

Interdicta Noxalia ea ſunt, quæ ob delictum eorum quos in poteſtate habemus, dantur : veluti quum vi dejecerunt, aut vi aut clàm opus fecerunt. Sed officio judicis continetur, ur dominum ſuâ impensâ opus reſtituentem abſolvat; patientiam tollendo operi præſtantem, noxæ dedere jubeat, & abſolvat : ſi non dedat; quantùm impenſæ in tollendo opere erogatum ſit, tanti condemnet : ſi neque patientiam præſtet, neque ipſe tollat quum poſſit; in tantùm condemnet in quantùm judex æſtimaverit, atque ſi ipſe feciſſet. *l.* 5. PAUL. LIB. 13. AD SABIN.

ARTICULUS II.

Quæ communia ſint omnibus Interdictis.

X.

1°. Interdicta omnia, licèt in rem videantur concepta, vi tamen ipsâ perſonalia (*a*) ſunt. *l.* 1. § 3. ULP. LIB. 13. AD ED.

Sunt igitur Interdicta, ſpecies actionum In perſonam; *quamvis* In rem concepta, *id eſt ſine deſignatione alicujus perſonæ ſcripta ſint : quemadmodum actiones* Perſonales IN REM SCRIPTÆ, *V. G. actio* Quòd metûs causâ, *nihilominùs ſunt actiones* In perſonam. *Enimverò in Interdictis actor non principaliter intendit aliquid ſuum eſſe ; ſed adverſarium reſtituere, exhibere, pati aliquid oportere : quæ intentio, eſt actionum* In perſonam. *Hoc ampliùs : Ex causâ Interdictorum (putà* DE VI) *actiones* In factum *dari, & in heredes competere dicuntur : quod non niſi actionibus* In perſonam *convenit* (*b*).

X I.

2°. *Item omnia Interdicta cauſam poſſeſſionis aut quaſi-poſſeſſionis continent. Tamen* Quædam Interdicta rei perſecutionem continent, veluti DE itinere actuque privato: nam proprietatis cauſam continet hoc Interdictum. Sed & illa Interdicta quæ DE locis ſacris & religioſis proponuntur, veluti proprietatis cauſam continent; item illa De liberis exhibendis, quæ juris tuendi causâ diximus competere. Ut non ſit mirum, ſi quæ Interdicta ad rem familiarem pertinentia, proprietatis non poſſeſſionis (*c*) cauſam habeant. *l.* 2. § 2. PAUL. LIB. 63. AD ED.

X I I.

3°. Neque UNDE VI, neque aliud Interdictum famoſum eſt. *l.* 13. *ff. de vi & vi arm.* ULP. LIB. 8. AD SABIN.

Hinc Si Præſes vel judex ita interlocutus ſit, VIM FECISTI : ſi quidem ex interdicto, non erit notatus, nec pœna Legis Juliæ ſequetur; ſi verò ex crimine, aliud eſt. *l.* 32. *ff. de Pœnis.* ULP. LIB. 6. AD ED.

X I I I.

4°. *Hoc quoque omnibus Interdictis commune eſt ; quòd* In Interdictis exindè ratio habetur fructuum, ex quo edita ſunt; non retrò. *l.* 3. ULP. LIB. 69. AD ED.

ARTICULUS III.

De Extraordinariis Cognitionibus quæ in locum Interdictorum ſucceſſerunt.

X I V.

Interdicta olim etiam, dum adhuc formulæ uſurparentur, quamdam actionum ſpeciem conſtituebant. Nam hæc quoque

(*a*) Deſcendunt enim ex obligatione perſonæ quæ Interdicto tenetur. Et hâc in re potiſſimùm diſtinguuntur perſonalia judicia à judiciis *In rem*, quæ non ex ullâ perſonæ obligatione deſcendunt, ſed quibus perſequitur quis aut rem quæ ſua eſt, aut jus quod in eâ habet.

(*b*) Ita optimè Wiſſenbachius : à quo tamen diſſentiunt nonnulli, quorum alii Interdicta actionibus *In rem* annumerant, alii *Mixtas* actiones eſſe volunt; ſed, meo quidem judicio, minùs rectè. Nec obſtat quòd quædam Interdicta cauſam proprietatis continere dicuntur. Nam & in his principaliter de poſſeſſione quæritur; & per conſequentias duntaxat, quæſtionem proprietatis adjunctam habent. Undè inferri non poteſt, ea eſſe *In rem* : imò judicio *Petitorio* opponuntur.

(*c*) Id eſt, *non poſſeſſionis* duntaxat.

Source : BIU Cujas

ACTIONIS verbo continentur : *l.* 37. *ff.* de Oblig. & act.

Et verò, ad instar cæterarum omnium actionum, solemni formulâ in Albo Prætoris erant propositæ : l. 1. *Cod.* de Interdict.

EDI *quoque Interdictum dicitur, in l.* 2. §. 4. *ff.* Quod legator. *Quemadmodum moris erat in cæteris actionibus, ut is qui adversùs aliquem judicio vellet contendere, illi ederet quâ actione esset experturus : de quo suprà lib.* 2. *Tit.* de Edendo.

Item factâ Editione, à Prætore impetrari necesse erat Interdictum ; quemadmodum & aliam quamlibet actionem.

Denique in Interdictis, sicut & in aliis actionibus, litis contestatæ *mentio fit : Instit.* § 6. *h. tit.*

X V.

In eo verò potissimùm differebant Interdictorum formulæ ab actionum formulis, quòd per has Prætor judici, per illas litigatori imperaret. Erant quippè ACTIONES *propriè dictæ, formulæ quibus Prætor judicem constituebat, eique de lite coràm se contestatâ judicandi formam præscribebat. Per* INTERDICTORUM *autem formulas, Prætor solus, & absque judicio solemniter constituto, de re ad se delatâ pro imperio decernebat. Cui si paritum non esset, aut per manum militarem, aut Civili actione datâ, Decretum suum exequebatur.*

Non tamen confundenda sunt Interdicta, qualia tunc temporis in usu erant, cum Extraordinariis cognitionibus *in quibus etiam Prætor ipse cognoscebat. Harum enim cognitionum nulla erat formula, nullus solemnis ritus : sed causâ cognitâ, prout res postulabat, statim à Prætore extrà ordinem decernebatur. At in Interdictis certæ erant formulæ, à quibus Prætor ipse recedere non poterat : certusque eorum ordo & ritus, quem litigantes sequi deberent. Quinam autem esset ille, & in quo ab ordinario actionum ritu differret, supervacuum duxit Justinianus enarrare : Instit. d. tit.* de Interdict. § 8. (*a*) *: eo quòd jam diù ipsius ævo hæc omnia exolevissent. Nec aliundè quidquam de eo Interdictorum ritu ad nos pervenit.*

X V I.

HODIE *etenim, inquit ibidem Justinianus, cùm in omnibus judiciis* EXTRA ORDINEM *Jus dicatur ;* Non est necesse reddi Interdictum : sed perindè judicatur sine Interdictis, ac si utilis actio ex causâ Interdicti reddita fuisset. *d.* § 8.

Scilicet hodie sublatus est antiquus judiciorum ordo, sublatæ sunt & formulæ in omnibus actionibus. Primùm enim Diocletianus & Maximianus præceperunt, ut Præsides de quibus causis ante ipsi cognoscere non poterant judicesque dabant, jam ipsi hoc ordine insuper habito per se cognoscerent ; præterquàm si per nimias occupationes impedirentur : l. 2. *Cod.* de Pedan. judicib. *Theodosius autem junior ampliùs progressus, impetrandæ actionis necessitatem remisit, sive in majore* (*b*) *sive in minore judicio : l.* 2. *Cod.* de Formul. *Idemque omnes actionum, sicut & cæterorum legitimorum actuum formulas penitùs sustulit : l.* 1. *Cod.* h. tit. (*in cujus legis inscriptione Tribonianum malè Constantino hanc formularum abrogationem tribuisse, latè probat Jac. Gothofredus ad l. un. Cod. Theod.* de Omiss. act. impetr.).

Nullæ igitur jam ampliùs supersunt actiones ordinariæ, nulla propriè Interdicta. Sed omnia prorsùs judicia talia hodiè facta sunt, quales erant olim Cognitiones *quæ dicebantur* Extraordinariæ *; ideò quòd omisso solemni judiciorum ritu ac ordine peragerentur. Hinc in Rubricâ hujus Tituli* DE INTERDICTIS, *Tribonianus addidit* SIVE EXTRAORDINARIIS ACTIONIBUS QUÆ PRO HIS COMPETUNT ; *nimirùm de quibuslibet rebus de quibus olim Interdicta propriè dicta reddebantur. Ad eas proindè actiones extraordinarias* (*quæ & ipsæ in toto Jure, quamvis abusivè,* INTERDICTA *appellantur*) *trahenda sunt quæcumque toto hoc libro, sive de Interdictis in genere, sive de unaquâque Interdicti specie traduntur : cùm in his idem Jus omninò servatum sit, præter judiciorum ordinis solemnitatem.*

Et hoc est quod rescribunt Diocletianus & Maximianus, quorum tempore jam cœperat jus extrà ordinem dici, ut mox suprà vidimus : Interdicta licèt in extraordinariis judiciis propriè locum non habent ; tamen ad exemplum eorum res agitur. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

In his porrò cognitionibus necesse non erat actionem denuntiare, & tempora observare intrà quæ allegationes proponi solebant ; sed hæ statim inter ipsa cognitionis auspicia proponendæ erant. l. 4. *Cod.* h. tit. *& l.* 6. *Cod. Theod.* de Denunt. vel edit. Rescr.

(*a*) Quod ibi ait Justinianus de *vetere exitu Interdictorum*, rectè monet Hotomannus legendum *vetere ritu.*

(*b*) Jac. Gothofredus ad l. un. Cod. Theod. *de Omiss. act. impetr.* rectè interpretatur MAJUS *judicium*, judicium Præfectorum, Proconsulum, MINUS autem, judicium Præsidum aliorumque Clarissimorum.

TITULUS II.

QUORUM BONORUM.

I.

HOc Interdicto, is qui Bonorum possessionem à Prætore impetravit, Bona illa restitui sibi petit ; adversùs illos qui ea Pro herede aut Pro possessore possident, aut possidere intelliguntur.

Ait Prætor : « QUORUM BONORUM ex Edicto meo » illi possessio data est, quod de his bonis Pro herede » aut Pro possessore possides ; possideres-ve, si nihil » usucaptum esset, quod (*a*) quidem dolo malo fecisti » uti desineres possidere ; id illi restituas. » *l.* 1. ULP. LIB. 67. AD ED.

I I.

Hoc Interdictum restitutorium est ; & ad universitatem Bonorum, non ad singulas res pertinet ; & appellatur QUORUM BONORUM, & est apiscendæ possessionis universorum Bonorum. *d. l.* 1. § 1.

De vi hujus Interdicti ita Diocletianus & Maximianus rescribunt : Sive ex Edicto sororis patruelis intestatæ sine liberis defunctæ, rectè petitâ Bonorum possessione quæsisti successionem, ac negotium integrum est : quæ (quum moreretur (ejus fuerunt, secundùm Interdicti QUORUM BONORUM tenorem, ab his qui Pro herede vel Pro Possessore possident, dolo-ve malo fecerint quo magis desierint possidere, tibi Rector provinciæ restitui efficiet. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Ita etiam Arcadius & Honorius. Constat virum à bonis intestatæ uxoris, superstitibus consanguineis, esse extraneum : cùm Prudentium omnia responsa, & lex ipsa naturæ successores eos faciunt. Ergo jubemus, ut omnibus frustrationibus amputatis, per Interdictum QUORUM BONORUM in petitorem corpora transferantur ; secundâ actione proprietatis (*b*) non exclusâ. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

I I I.

Interdicto QUORUM BONORUM debitores hereditarii

(*a*) Id est, *possideres-ve* nisi dolo malo desiisses possidere.

(*b*) Petitionem hereditatis intellige.

non

Source : BIU Cujas

non tenentur (*a*) ; ſed tantùm corporum poſſeſſores. *l.* 2. PAUL. LIB. 20. AD ED.

I V.

Qui hoc Iuterdicto experitur, probare debet ſe in eâ causâ eſſe ut ad Bonorum poſſeſſionem admitti debuerit.

Undè Severus & Antoninus. Hereditatem ejus quem patrem tuum fuiſſe dicis, petiturus ; judicibus qui ſuper eâ re cognituri erunt, de fide intentionis allega. Quamvis enim Bonorum poſſeſſionem ut præteritus agnoviſti ; tamen Interdicto QUORUM BONORUM, non aliter poſſeſſor conſtitui poteris ; quàm ſi te defuncti filium eſſe, & ad hereditatem vel Bonorum poſſeſſionem admiſſum probaveris. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

(*a*) Atqui tenentur *Petitione hereditatis.* Diſparitas eſt quòd in Interdicto vertitur cauſa poſſeſſionis ; debitores autem hereditarii nihil hereditarium poſſident cùm JURA non poſſideantur.

TITULUS III.

QUOD LEGATORUM.

I.

HOc Interdictum vulgò QUOD LEGATORUM appellatur. *l.* 1. ULP. LIB. 67. AD ED.

Eſt autem & ipſum adipiſcendæ poſſeſſionis. *d. l.* 1. § 1.

Et continet hanc cauſam ; ut, quod quis Legatorum nomine, non ex voluntate heredis occupavit, id reſtituat heredi.

Etenim æquiſſimum Prætori viſum eſt ; unumquemque non ſibi ipſum Jus dicere occupatis Legatis, ſed ab herede petere. *d. l.* 1. § 2.

Mero ſiquidem Jure, Legatarius Vindicationis *poterat rem legatam occupare : ut vid. Tit.* de Legatis. *Part.* 3ª. *Sect.* 3ª. *in pr. Sed adversùs hunc rigorem Prætor heredi ſuccurrit hoc Interdicto.*

De eo quoque ita reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Heredi ſcripto ſatis idonèe Lege Falcidiâ, ſi exhauſta legatis ſucceſſio probetur, per Quartæ retentionem proſpectum eſt. Undè ſi legatarius vel fideicommiſſarius, non conſentiente patre tuo quem aſſeveras teſtatori ſucceſſiſſe, & Bonorum poſſeſſionem accepiſſe, relicta ſibi Legata vel fideicommiſſa detinuit ; ſecundùm ſententiam Interdicti quod adversùs legatarios ſcriptis heredibus propoſitum eſt ; oblatâ ſatiſdatione (*a*) quam præſtari oportet, in poſſeſſionem te conſtitui, ut ita retentione competenti utaris, experiri potes. *l. un. Cod. h. tit.*

Videbimus 1°. *Quæ requirantur ut quis hoc Interdicto teneatur :* 2°. *Quibus & ſub quâ lege competat :* 3°. *De ejus effectu.*

ARTICULUS I.

Quæ requirantur ut quis huic Interdicto ſit obnoxius.

Ut quis hoc Interdicto conveniri poſſit, hæc concurrere oportet. 1°. *Ut poſſideat, dolo-ve deſierit poſſidere :* 2°. *Ut titulo Legati :* 3°. *Ut citra voluntatem heredis.*

§ I.

Oportere ut quis poſſideat.

II.

Hoc Interdicto non convenitur niſi qui poſſidet. Undè eſt quæſitum, ſi uſusfructus vel uſus fuerit alicui relictus, eumque occupaverit ; an hoc Interdicto reſtituere ſit compellendus ? Movet, quòd neque uſusfructus neque uſus poſſidetur, ſed magis tenetur (*b*). Poteſt tamen defendi, competere Interdictum. Idem dicendum eſt & in ſervitute (*c*) relictâ. *l.* 1. § 8. ULP. LIB. 67. AD ED.

Item Quæſitum eſt, ſi quis Legatorum ſervandorum causâ miſſus ſit in poſſeſſionem, an hoc Interdicto teneatur ad reſtitutionem ? Movet illud primùm, quòd non poſſidet is qui miſſus eſt in poſſeſſionem Legatorum causâ, ſed potiùs cuſtodit : deinde quòd Prætorem habet hujus rei auctorem. Tutiùs tamen erit dicendum, hoc Interdictum competere ; maximè ſi ſatiſdatum ſit jam Legatorum nomine, nec recedat : tunc enim etiam poſſidere (*d*) videtur. *l.* 1. § 9. ULP. LIB. 67. AD ED.

III.

Jam verò Quod ait Prætor, AUT DOLO DESIIT POSSIDERE ; ſic accipere debemus, deſiit facultatem habere (*e*) reſtituendi. *d. l.* 1. § 7.

§ II.

Oportere ut titulo Legati poſſideat.

IV.

Non tenetur hoc Interdicto, niſi qui titulo Legati aut fideicommiſſi poſſidet.

Quòd Si quis ex mortis causâ donatione poſſideat, utique ceſſabit Interdictum (*f*) : quia (*g*) portio Legis Falcidiæ apud heredem ipſo Jure remanet, etſi corporaliter res in ſolidum tranſlatæ ſunt. *d. l.* 1. § 5.

V.

Multò minùs tenetur, qui Pro herede aut Pro poſſeſſore poſſidet.

Quia autem nonnunquàm incertum eſt utrùm quis Pro Legato, an Pro herede vel Pro poſſeſſore poſſideat ; belliſſimè Arrianus ſcribit ; Hereditatis petitionem inſtituendam, & hoc Interdictum reddendum : ut ſive quis Pro herede vel Pro poſſeſſore, ſive Pro Legato poſſideat,

(*a*) De quâ ſuprà lib. 36. Tit. *Ut Legat. ſeu fideic. causâ cav.*

(*b*) *Tenetur* corpus ſcilicet in quo quis uſumfructum ſibi vindicat. Senſus eſt : Quum legatarius uſusfructûs putà fundi, citra voluntatem heredis ingreſſus eſt fundum & eo fruitur ; magis dici debet, fundum ab eo *teneri*, quàm jus uſusfructûs ab eo *poſſideri* : cùm jura propriè non poſſideantur. Unde videri poſſet non dandum adversùs eum hoc Interdictum, quod nonniſi in poſſeſſorem datur. Hæc ratio dubitandi. Verùm ratio decidendi eſt, eum ſaltem quaſi-poſſidere hunc uſumfructum : quod ſufficit ; cùm Interdicta etiam de quaſi-poſſeſſione competant.

(*c*) Prædiali. Scilicet ſi teſtator legaverit mihi vicinum prædium habenti, jus aquæ ducendæ per fundum ſuum ; & ego cœpero ducere aquam citra voluntatem heredis.

(*d*) Jam non poteſt videri eſſe in poſſeſſione nomine heredis, ex causâ Decreti quo miſſus eſt in poſſeſſionem ; cùm hæc miſſio ſatiſdatione datâ extincta ſit, ſuprà lib. 36. Tit. *Ut in poſſ. leg.* N. 15. Ergo tunc ſuo nomine poſſidet.

(*e*) Id eſt ; non ſolùm eum qui propriè loquendo *deſiit poſſidere*, quod de his dici non poſſet quæ poſſeſſionem non recipiunt ; ſed generaliter quiſquis dolo *deſiit habere facultatem reſtituendi* quod citrà voluntatem heredis occupavit.

(*f*) Quia donatarius non occupavit poſſeſſionem rerum mortis causâ donatarum, ſed ipſi à defuncto traditæ ſunt. Eſt autem Interdictum de eo quod quis occupavit.

(*g*) Præoccupat hanc objectionem : Quomodo ergo heres Falcidiam ſervabit, quam ex rebus mortis causâ donatis æquè ac ex Legatis detrahere poteſt ? Reſpondet autem heredem citra hoc Interdictum, Falcidiam ſervaturum ; vindicando ſcilicet portionem quæ ex Lege Falcidiâ ipſi competit ; *quia* [inquit] *portio &c.* Igitur non eſt neceſſarium hoc Interdictum adversùs donatarios mortis causâ ; quemadmodum erat neceſſarium adversùs legatarios, à quibus ante Juſtinianum Falcidia nonniſi per retentionem ſervari poterat.

Source : BIU Cujas

hoc Interdicto teneatur (*a*). Quemadmodum ſolemus facere, quoties incertum eſt quæ potiùs actio teneat: nam duas dictamus, proteſtati ex alterâ nos velle conſequi quod nos contingit. *d. l.* 1. § 4.

V I.

Modò autem quis ex causâ Legati poſſideat, nil refert quæ Legati ſpecies fuerit. Qui verò ex causâ præceptionis, utique tenetur hoc Interdicto; ſed pro eâ ſcilicet parte quam jure Legati habet, non etiam pro eâ quam quaſi heres habet. Idemque erit dicendum, & ſi alio genere Legati uni ex heredibus legatum (*b*) ſit: nam & hìc dicendum eſt, pro eâ parte quâ heres eſt, ceſſare Interdictum. *l.* 1. § 6. ULP. LIB. 67. AD ED.

V I I.

Legatorum nomine non tantùm ipſum poſſidere dicemus cui legatum eſt, verùm heredem quoque ejus cæteroſque ſucceſſores. *d. l.* 1. § 10.

Igitur Illud tenendum; Sive à te, ſive ab eo in cujus locum ſucceſſiſti, poſſideri aliquid cœptum eſt; Interdicto huic (*Florent.* hoc) locum fore.

IN LOCUM SUCCESSISSE accipimus, ſive per univerſitatem, ſive in rem (*c*) his ſit ſucceſſum. *d. l.* 1. § 13.

§ III.

Oportere ut citra voluntatem heredis poſſideat.

V I I I.

Quod ait Prætor, VOLUNTATE EJUS AD QUEM EA RES PERTINET, ita erit interpretandum; ut, ſi poſt aditam hereditatem, vel Bonorum poſſeſſionem adgnitam, voluntas accommodata eſt legatario ut poſſideret, Interdictum ceſſet. Quod ſi ante aditam hereditatem Bonorum-ve poſſeſſionem agnitam hoc factum eſt, rectiùs dicetur eam voluntatem non nocere debere. *d. l.* 1. § 11.

Prodeſt autem poſſediſſe; quotiens voluntate ejus ad quem ea res pertinet, poſſideri cœptum eſt. Sed etſi poſtea voluntas acceſſit ejus ad quem ea res pertinebat, tamen prodeſſe poſſeſſori debere.

Undè ſi quis cœpit quidem ex voluntate ejus ad quem ea res pertinet, poſſidere; poſtea verò voluntas non perſeverat, nihil noceat: quia ſemel poſſideri cœpit ex voluntate. *d. l.* 1. § 14.

I X.

Quid autem Juris in ſpecie ſequenti? Si alter ex heredibus, iis-ve ad quos ea res pertinet, voluerit rem à legatario poſſideri; alter non: ei qui noluit, interdictum competet; ei qui voluit, non competere palàm eſt. *d. l.* 1. § 15.

Similiter Si duæ res Legatæ ſint, altera ex voluntate occupata, altera non ex voluntate; eveniet ut altera revocari poſſit, altera non.

Idemque erit probandum & in unâ re, cujus pars ex voluntate, altera pars non ex voluntate occupata eſt. Nam pars ſola per Interdictum auferetur. *d. l.* 1. § 12.

ARTICULUS II.

Quibus, & ſub quâ lege hoc Interdictum competat.

X.

Hoc Interdictum heredi & bonorum poſſeſſori competit. Sed & Hoc Interdictum, & heredem heredis bonorumque poſſeſſoris habere, propter utilitatem hujus, dicendum eſt; necnon cæteros quoque ſucceſſores. *d. l.* 1. § 3.

X I.

Sub eâ autem lege hoc Interdictum heredi competit, ut legatario ſatiſdederit legati nomine.

SATISDATUM ſic arbitror; ſi ſic datum ſit, ut legatario vel ipſo Jure adquiſita ſit idonea cautio, vel per Mandati actionem adquiri (*d*) poſſit: & tunc Interdicto locum fore. *d. l.* 1. § 27.

Quinetiam Si legatarius repromiſſione retentus (*e*) fuit; dandum eſt Interdictum. Idem dicendum eſt, ſi legatarius pignoribus noluit (*f*) ſibi caveri. *l.* 2. § 3. PAUL. LIB. 63. AD ED.

Sed etſi omninò cautum non ſit; ſi per bonorum poſſeſſorem non ſtet, datur Interdictum.

Et Quod ait Prætor, SI PER BONORUM POSSESSOREM NON STAT UT SATISDETUR, ſic accipimus; ſi paratus ſit ſatiſdare. Non ego offerre debet ſatiſdationem; ſed petenti ſatis, moram non facere. *d. l.* 2. § 1.

X I I.

Tempore autem quo editur Interdictum, inſpicitur an ſatiſdatum ſit & an per heredem non ſtet. Nam Quod ait Prætor NISI SATISDATUM SIT, accipere debemus ſi perſeveret ſatiſdatum; ſcilicet ut ſi non perſeveret cautum, mittatur in poſſeſſionem Legatorum ſervandorum causâ. *l.* 1. § 16. ULP. LIB. 67. AD ED.

Pariter Si per legatarium factum ſit quominùs ſatiſdetur, licèt cautum non ſit, tenetur Interdicto. Sed ſi fortè factum ſit per legatarium quominùs ſatiſdetur; eo autem tempore quo editur Interdictum, ſatis accipere paratus ſit: non competit Interdictum, niſi ſatiſdatum ſit. Item ſi per bonorum poſſeſſorem ſtetit quominùs ſatiſdaret, ſed modò paratus eſt cavere; tenet Interdictum. Illud enim tempus inſpicitur, quo Interdictum editur. *d. l.* 2. § 4.

X I I I.

Obſervandum ſupereſt quòd; Si quarumdam rerum nomine ſatiſdatum ſit, quarumdam non ſit ſatiſdatum; earum rerum nomine ſine impedimento agi poterit de quibus ſatiſdatum eſt, cæterarum non poterit. *d. l.* 1. § 18.

Diverſum eſt, ſi poſteà pars Legato adcreverit. Nam hoc nomine tenentur fidejuſſores, in totum (*g*). *l.* 2. PAUL. LIB. 63. AD ED.

ARTICULUS III.

De hujus Interdicti effectu.

X I V.

Jubet Prætor HEREDI RESTITUI, *ut ab herede petatur.* Redigit igitur ad heredem (*Florent.* heredes), per hoc Interdictum, ea quæ Legatorum nomine poſſidentur; ut perindè legatarii poſſint eum convenire (*h*). *l.* 1. § 2. ¶ *redigit.* ULP. LIB. 67. AD ED.

X V.

At verò Ex hoc Interdicto qui non reſtituit, in id quod intereſt debet condemnari. *l.* 2. § 2. PAUL. LIB. 63. AD ED.

(*a*) Aliquid deeſſe videtur, nimirùm hæc verba *alterutrâ actione*; ſcilicet Petitione hereditatis, vel actione ex hoc Interdicto.

(*b*) Hinc liquet errare eos qui putant, heredi non aliter niſi per præceptionem legari poſſe.

(*c*) Titulo ſingulari.

(*d*) Putà; cautum ſit ejus procuratori.

(*e*) Id eſt, contentus.

(*f*) Concinniùs legitur *voluit*. Wiſſenbach.

(*g*) Si rei Legatæ [V. G. Legato fundo] pars accrevit, putà per alluvionem; etſi nominatim de hâc parte quæ poſt ſatiſdationem accrevit, non eſt cautum; tamen intelligitur cautum. REI enim appellatione, omne futurum incrementum continetur.

(*h*) Ita, ſi duntaxat res Legatas occupaverunt, quum à nemine poſſiderentur; jacente adhuc hereditate, aut ſaltem poſſeſſione earum ab herede nondum adprehensâ. Aliud eſt, ſi per vim. Ad eos enim qui per vim rapiunt, propriè pertinet lex 13. ff. *Quod met. cauſ.* & ſimiles; in quibus ſtatuitur, jure ſuo excidere eos qui rem vel ſuam vel ſibi debitam, temerè & ſine judice occupant. Quòd ſi non per vim, ſed dolo ſubripuerunt; adhuc dicendum videtur, excidere eos à jure rei Legatæ: ut vid. ſupra ad Titulos *de Legatis*, N. 453.

Source : BIU Cujas

TITULUS IV.

NE VIS FIAT EI QUI IN POSSESSIONEM MISSUS ERIT.

I.

AIt Prætor : « Si QUIS dolo malo fecerit quominùs » quis permiſſu meo, ejus-ve cujus ea juriſdictio » fuit in Poſſeſſionem bonorum ſit; in eum IN FACTUM » judicium, quanti ea res fuit ob quam In Poſſeſſionem » Miſſus Erit, dabo. » *l.* 1. ULP. LIB. 72. AD ED.

Hoc interdictum ſummâ providentiâ Prætor propoſuit. Fruſtrà enim in poſſeſſionem mitteret rei ſervandæ causâ, niſi Miſſos tueretur, & prohibentes venire In Poſſeſſionem coerceret. *d. l.* 1. § 1.

Circa hoc Interdictum, videndum quando huic ſit locus, quibus competat & adversùs quos, quid in eo veniat, quando ceſſet; denique quibus aliis rationibus ſubveniatur ei qui quum Miſſus eſſet In Poſſeſſionem, poſſidere prohibitus eſt.

ARTICULUS II.

Quando huic Interdicto locus ſit, quibus competat & adversùs quos, & quid in eo veniat præſtandum.

§ I.

Quando locum habeat.

II.

Huic Interdicto locus eſt, quum quis In Poſſeſſionem Miſſos poſſidere prohibuit; & quidem dolo malo.

Undè Si quis ideò Poſſeſſione arcuerit, quia rem ſuam putabat, vel ſi nexam, vel certè non eſſe debitoris; conſequens eſt, ut hoc Edicto non teneatur. *l.* 1. § 4. ULP. LIB. 72. AD ED.

Hinc hoc Edicto neque pupillum neque furioſum teneri conſtat, quia affectu carent. Sed pupillum eum accipere debemus, qui doli capax non eſt : cæterùm ſi jam capax ſit, contra erit dicendum. *d. l.* 1. § 6.

III.

Nec refert an quis prohibuerit ingredi, an jam ingreſſum expulerit. Nam Hæc actio non tantùm eum tenet qui prohibuit quem venire In Poſſeſſionem, ſed etiam eum (*a*) qui Poſſeſſione pulſus eſt, quum veniſſet In Poſſeſſionem. Nec exigitur ut Vi fecerit, qui prohibuit. *d. l.* 1. § 3.

IV.

Neque ſolùm quum quis Miſſos In Poſſeſſionem poſſidere prohibet, hoc interdictum dat Prætor : Sed & ex aliâ causâ hoc judicium propoſuit; ſi eo tempore quo in Poſſeſſionem Mitti deſiderabat, Prætoris adeundi poteſtas non fuerit. Scilicet ut, ſi quum poteſtas Prætoris adeundi non eſſet, damnum interim datum eſt, haberet judicium qui damnum paſſus eſt. *l.* 4. § 3. ULP. LIB. 69. AD ED.

§ II.

Quibus competat hoc Interdictum, & adversùs quos.

V.

Eſt autem generale hoc Edictum. Pertinet enim ad omnes qui In Poſſeſſionem à Prætore Miſſi ſunt. Convenit enim Prætori, omnes quos ipſe In Poſſeſſionem miſit, tueri. *d. l.* 1. § 2.

Undè & Per Interdictum etiam ei ſubvenit Prætor, qui Damni infecti ab eo In Poſſeſſionem Miſſus eſt; Ne ei Vis fiat. *l.* 4. ULP. LIB. 69. AD ED.

VI.

Item Suo quis an alieno nomine prohibitus ſit, nihil intereſt. Hæc enim (*b*) verba QUANTI EA RES EST, referenda ſunt ad perſonam domini. *l.* 2. PAUL. LIB. 59. AD ED.

VII.

Item tam is tenetur qui ſuo nomine, quàm qui alieno nomine prohibuit. *d. l.* 2. § 1.

Sed & is cujus nomine alter prohibuit, tenetur. Ergo & ſi tutor dolo fecerit, in pupillum dabimus actionem; ſi modò ſolvendo ſit tutor. Sed & ipſum tutorem poſſe conveniri Julianus ſcribit. *l.* 1. § 6. ULP. LIB. 72. AD ED.

Hinc etiam, Si domini vel patris voluntate prohibitus quis ſit à Poſſeſſione; in ipſos dabitur actio : quaſi per alios hoc fecerint. *d. l.* 1. § 7.

§ III.

Quid veniat in hoc Interdicto.

VIII.

Venit in hoc Interdicto, Quanti ea res erit. Hæc verba QUANTI EA RES ERIT OB QUAM IN POSSESSIONEM MISSUS ERIT, continent utilitatem creditoris; ut quantùm ejus intereſt Poſſeſſionem habere, ei tantùm qui prohibuit, condemnetur. Proindè ſi ob falſum creditum vel ob falſam petitionem Miſſus In Poſſeſſionem, vel ſi exceptione ſummoveri potuit; nihil ei debet prodeſſe hoc Edictum, quia propter nullam cauſam In Poſſeſſionem Miſſus eſt. *d. l.* 1. § 5.

Conſonat quod ait Paulus. Prætor in eum qui neque cavit, neque poſſidere paſſus eſt eum qui Miſſus eſt, judicium pollicetur; in tantùm quantùm præſtare eum oporteret ſi de eâ re cautum fuerat. *l.* 4. § 2. ULP. LIB. 69. AD ED.

ARTICULUS II.

Quando ceſſet hoc Interdictum.

IX.

Hoc Interdictum ceſſat, quum ceſſare debet Miſſio In Poſſeſſionem : ut ſi quis Miſſus ſit eo quòd ipſi non ſatisdaretur, & ei ſatisdatio offeratur.

Undè Paulus. Pœna autem ejus qui non promittit vel ſatis non dat, hæc eſt; ut In Poſſeſſionem Mittatur adverſarius. Sive ergo promittat, ſive per eum non fiat quominùs promittat, non tenebit Interdictum; repulſo per exceptionem eo qui experitur. *d. l.* 4. § 1.

X.

Denique Hanc actionem, exceptâ Legatorum miſſione, intrà annum competere, & non poſtea, ſciendum

(*a*) Legendum videtur, *eum à quo quis.*

(*b*) Præoccupat objectionem : Quomodo [inquies] ei qui, quum alieno nomine in Poſſeſſionem veniret, prohibitus eſt, hoc Interdictum competet? nihil enim ejus intereſt. Porrò in hoc Interdicto id venit, QUANTI RES EST; quanti intereſt. Reſpondet autem; Non ideò minus ei competere Interdictum. Sufficit enim quòd interſit ejus cujus negotium gerebat. Hæc enim verba *Quanti res eſt*, referuntur ad id quod intereſt dominii negotii. Et quidem dici poteſt, etiam procuratoris qui agit, eatenùs intereſſe quatenùs dominii negotii intereſt; cùm ſuas actiones ipſi *Mandati* judicio præſtare teneatur.

Source : BIU Cujas

est; cùm sit pœnalis: in heredes similesque personas dabitur; nisi in id quod ad eas pervenit. Sed heredi similibusque personis dabitur.

Nam (*a*) quum prohibitus quis est, legatorum vel fideicommissorum causâ Possessionem adipisci; tunc actio & perpetua est, & in heredem dabitur: quia est in potestate successorum evitare Interdictum (*b*); satisdatione oblatâ. *l.* 1. § 8. ULP. LIB. 72. AD ED.

ARTICULUS III.

Quibus aliis rationibus subvenitur Misso In Possessionem, quum prohibetur possidere.

XI.

Non solùm per hoc Interdictum, sed & per actionem IN FACTUM *subvenitur Misso In Possessionem, quum possidere prohibetur.*

Undè Ulpianus. Prætor ventrem In Possessionem Mittit & hoc Interdictum prohibitorium & restitutorium est. Sed si mulier velit IN FACTUM actione uti, ad exemplum creditorum, magis quàm Interdicto; posse eam experiri, sciendum est. *l.* 3. § 2. ULP. LIB. 68. AD ED.

Hoc autem non speciale est ventri. Sed sive rei servandæ causâ, sive legatorum, aut ventris nomine In Possessionem Missi fuerint; habent ex hoc Edicto IN FACTUM actionem, sive doli (*Aliàs* dolo) sive (*c*) aliter prohibuerint. *l.* 1. § 2. ¶ *sed sive* ULP. LIB. 72. AD ED.

Generaliter Item subjectum: Si ex aliâ causâ In Possessionem Missus prohibitus esse dicetur, habere IN FACTUM actionem. *l.* 4. § 4. ULP. LIB. 69. AD ED.

XII.

Sed & per manum militarem subvenitur Misso In Possessionem.

Undè Ulpianus. Si quis Missus fuerit In Possessionem fideicommissi servandi causâ, & non admittatur; potestate ejus inducendus est in Possessionem, qui eum misit. Aut si quis volet uti Interdicto, consequens erit dicere interdictum locum habere. Sed melius erit dicere, extrà ordinem ipsos jure suæ potestatis (*d*) exequi oportere Decretum suum; nonnunquàm etiam per manum militarem. *l.* 3. ULP. LIB. 68. AD ED.

Hoc obtinet non solùm quum in bona hereditaria, sed & quum in bona heredis quis Missus est. Idem enim Ulpianus ait: Constitutum est ab Antonino (*e*) ut etiam in bona heredis quis admittatur, certis modis. Si quis igitur in bonis non admittatur, dicendum est actionem hanc utilem competere: cæterùm poterit uti & extraordinariâ executione. *d. l.* 3. § 1.

(*a*) Pro *sed.*

(*b*) Quum ex causâ crediti Missio facta est, Interdictum gravius est; cùm in hoc competat ut solvatur; & ideò anno concluditur. Ex causâ autem quæ hîc proponitur, levius est; cùm *oblatâ satisdatione* possit vitari Interdictum: ideò perpetuum est. Glossa.

(*c*) Atqui huic Edicto locus non est, nisi quum dolo quis prohibuit; suprà Art. 1°. in princ. Quare probo lectionem eorum qui legunt *sive dominus sive aliter*, &c.

(*d*) Putà, mulctæ dictione.

(*e*) Cujus rescriptum in l. 6. § 16. ff. *Ut in possess. legat.* quam vide suprà lib. 36. *d. tit.* N. 20.

TITULUS V.

DE TABULIS EXHIBENDIS.

I.

PRætor ait: » QUAS TABULAS Lucius-Titius ad cau» sam testamenti sui pertinentes reliquisse dicetur; » si hæ penès te sunt, aut dolo malo tuo factum est ut » desinerent esse, ita eas illi Exhibeas.

» ITEM si libellus, aliud-ve quid relictum esse dice» tur, Decreto comprehendam ». *l.* 1. ULP. LIB. 68. AD ED.

Hoc Interdictum, Exhibitorium est. *l.* 3. § 7. ULP. LIB. 68. AD ED.

Videndum 1°. *Ad quas Tabulas pertineat:* 2°. *Quibus & adversùs quos competat, & quandiù:* 3°. *Quid in eo veniat, & quibus casibus cesset.*

ARTICULUS I.

Ad quas Tabulas hoc Interdictum pertineat.

II.

Hoc Interdictum pertinet, non tantùm ad testamenti Tabulas, verùm ad omnia quæ ad causam testamenti pertinent: ut putà & ad codicillos pertinet. *sup. d. l.* 1. § 2.

Sive autem valet testamentum, sive non; vel quòd ab initio inutiliter factum est, sive ruptum sit, vel in quo alio vitio; sed etiamsi falsum esse dicatur (*a*), vel ab eo factum qui testamenti factionem non habuerit; dicendum est, Interdictum valere. *d. l.* 1. § 3.

Sed etsi de statu disceptetur, si testator filiusfamilias vel servus hoc feciisse dicatur; & hoc Exhibebitur. *d. l.* 1. § 7.

Illud absque dubio est; quòd, Item si filiusfamilias fecerit testamentum, qui de castrensi peculio testabatur (*b*); habet locum Interdictum. *d. l.* 1. § 8.

Idem est & si is qui testamentum fecit, apud hostes decessit (*c*). *d. l.* 1. § 9.

Item Sive supremæ Tabulæ sint, sive non sint, sed priores; dicendum, Interdictum hoc locum habere (*d*). *d. l.* 1. § 4.

Proindè & si plures Tabulæ sint testamenti, quia sæpiùs fecerat, dicendum est, Interdicto locum fore. Est enim quod ad causam testamenti pertineat, quidquid quoquo tempore factum Exhiberi debeat. *d. l.* 1. § 6.

Sed etsi deletum sine dolo sit testamentum; *d. l.* 1. § *fin.*

Vel totum, vel pars ejus; *l.* 2. PAUL. LIB. 64. AD ED.

Locum habet hoc Interdictum. *l.* 3. ULP. LIB. 68. AD ED.

Item Si Tabulæ in pluribus codicibus scriptæ sint, omnes Interdicto isto continentur; quia unum testamentum est. *d. l.* 3. § 1.

Itaque dicendum est, ad omnem omninò scripturam testamenti sive perfectam, sive imperfectam, Interdictum hoc pertinere. *d. l.* 1. § 5.

LII.

Hoc Inrerdictum ad vivi Tabulas non pertinet; quia

(*a*) Nondum tamen actio mota sit. Nam si jam mota esset, non deberet testamentum Exhiberi, sed deponi: infrà N. fin.

(*b*) Nam de his bonis etiàm filiifamilias testari possunt: ut vid. suprà lib. 28. tit. *Qui testam. fac.* N. 1.

(*c*) Nam fictione Legis Corneliæ, decessisse intelligitur ultimo momento quo liber fuit; adeòque testamentum ejus valet: d. tit. *Qui testam. fac.* N. 3.

(*d*) Fortasse enim probabo posteriores esse injustas, adeòque priores valere. Ergo interim debent priores mihi Exhiberi.

Source : BIU Cujas

verba Prætoris, RELIQUERIT fecerunt mentionem. *d. l.* 1 § 10.

Hinc Si ipse testator dum vivit, Tabulas suas esse dicat, & Exhiberi desideret; Interdictum hoc locum non habebit. Sed Ad exhibendum (*a*) erit agendum, ut exhibitas vindicet. Quod in omnibus qui corpora sua esse dicunt instrumentorum, probandum est. *l.* 3. § 5. ULP. LIB. 68. AD ED.

ARTICULUS II.

Quibus & adversùs quos hoc Interdictum detur, & quandiù duret.

§ I.

Quibus detur, & quandiù.

I V.

Solent autem Exhiberi Tabulas desiderare, omnes omninò qui quid in testamento adscriptum habent. *d. l.* 3. § 10.

V.

Interdictum hoc, & post annum competere (*b*) constat. *d. l.* 3. § 16.

Sed & heredi cæterisque successoribus competit. *d. l.* 3. § 17.

Nec refert an ex primis, an ex secundis Tabulis vocentur.

Hinc Valerianus & Gallienus. Si in potestate patris fuerunt impuberes filii; & vos eis estis substituti, atque ita ad vos intra pubertatem illis decedentibus cœpit hereditas pertinere: de Exhibendis testamenti Tabulis, Interdicto uti potestis. *l. un. Cod. h. tit.*

§ II.

Adversùs quos competat.

V I.

Datur hoc Interdictum adversùs eum qui Tabulas detinet, suo vel alieno nomine; & adversùs eum cujus nomine detinentur.

Igitur Si Tabulæ testamenti apud aliquem depositæ sunt à Titio; hoc Interdicto agendum est, & cum eo qui detinet, & cum eo qui deposuit. *l.* 3. § 2. ULPIAN. LIB. 68. AD ED.

Proindè & si custodiam Tabularum ædituus (*c*) vel tabularius suscepit, dicendum est teneri eum Interdicto. *d. l.* 3. § 3.

Quòd Si penès servum Tabulæ fuerint, dominus Interdicto tenebitur. *d. l.* 3. § 4.

V I I.

Si quis dolo malo fecerit quominùs penès eum Tabulæ essent, nihilominùs hoc Interdicto tenebitur. *d. l.* 3. § 6.

Obiter nota. Nec præjudicatur aliquid Legi Corneliæ testamentariæ, quasi dolo malo testamentum suppresserit. Nemo enim ideò impunè retinet Tabulas, quòd majus facinus admisit: cùm Exhibitis Tabulis admissum ejus magis manifestetur. Et posse aliquem dolo malo facere, ut in eam Legem non incidat: ut putà si neque amoverit, neque celaverit Tabulas; sed idcircò alii tradiderit, ne eas interdicenti Exhiberet; hoc est, si non supprimendi animo vel consilio fecit, sed ne huic Exhiberet. *d.* § 6. ¶ *nec præjudic.*

Diximus adversùs eum qui dolo desierit possidere, hoc Interdictum dari. Circa quod observa: Si sint Tabulæ apud pupillum, & dolo tutoris desierint esse; in ipsum tutorem competit Interdictum. Æquum enim est, ipsum ex delicto suo teneri, non pupillum. l. 4. PAUL. LIB. 69. AD ED.

ARTICULUS III.

Quid veniat in hoc Interdicto, & quando cesset.

§ I.

De Exhibitione faciendâ; & quæ condemnatio sequatur, si non exhibeatur.

V I I I.

Si quis fortè confiteatur penès se esse testamentum, jubendus est Exhibere; & tempus ei dandum est ut Exhibeat, si non potest in præsentiarum Exhibere. Sed si neget se Exhibere posse, vel oportere; Interdictum hoc competit. *l.* 1. § 1. ULP. LIB. 68. AD ED.

I X.

Quid sit Exhibere, videamus. Exhibere hoc est, materiæ ipsius adprehendendæ copiam facere. *l.* 3. § 8. ULPIAN. LIB. 68. AD ED.

Exhibere autem apud Prætorem oportet, ut ex auctoritate ejus signatores admoniti, venirent ad recognoscenda signa. Et, si fortè non obtemperent testes, Labeo scribit coerceri eos à Prætore debere. *d. l.* 3. § 9.

X.

Condemnatio autem hujus judicii, QUANTI INTERFUIT æstimari debet. *d. l.* 3. § 11.

Quare si heres scriptus hoc Interdicto experiatur, ad hereditatem referenda est æstimatio. *d. l.* 3. § 12.

Et si legatum sit; tantùm venit in æstimationem, quantùm sit in legato. *d. l.* 3. § 13.

Et si sub conditione legatum sit, quasi conditione existente sic æstimandum est. Nec compelli debebit ad cavendum, ut se restituturum caveat quidquid censecutus est, si conditio defecerit: quia pœna contumaciæ prestatur ab eo qui non Exhibet. *d. l.* 3. § 14.

Indè quæritur: Si hinc consecutus æstimationem legatarius, posteà legatum petat; an sit audiendus? Et putem, si heres idem præstitit, exceptione Doli repellendum; si alius, repelli non oportere. Et ideò & si heres sit, qui, Interdicto usus, est æstimationem consecutus; eadem (*d*) est distinctio *d. l.* 3. § 15.

§ II.

Quibus casibus cesset hoc Interdictum.

X I.

Duobus casibus cessat. Nimirùm De Tabulis proferendis Interdictum competere non oportet; si hereditatis controversia (*e*) ex his pendet, aut si ad publicam quæstionem pertinet (*f*). Itaque in æde sacrâ interim deponendæ (*g*) sunt, aut apud virum idoneum. *l.* 5. JAVOLEN. LIB. 13. EX CASSIO.

(*a*) Actione *Ad exhibendum*, de quâ suprà lib. 10. Tit. 4.

(*b*) Cujacius legit *non competere*. Et certè ita Paulus *Sent.* IV. Tit. 7. § 6. *Edicto Perpetuo cavetur, ut si Tabulæ testamenti non appareant, de eorum Exhibitione Interdicto reddito*, INTRA ANNUM *agi possit; quo ad Exhibendum compellitur qui supprimit.* Vide ad hunc locum Notas Cujacii, item Observ. XVI. 28. Alii lectionem vulgatam tuentur; & ad textum Pauli respondent, hasce sententias ab Aniano collectas & interpolatas non habere Juris auctoritatem. Bachov. ad Trentl. V. 2. *Disp.* 25. Th. f.

(*c*) Solebant enim in æde sacrâ deponi. Julius-Cæsar, & Augustus, apud Vestales testamenta sua deposuerunt: ut refert Suetonius in JULIO. *n.* 83. in OCTAVIO *n.* 101.

(*d*) Scilicet ut si ipse possessor hereditatis præstiterit, repellatur heres à Petitione hereditatis; si extraneus præstiterit, non repellatur.

(*e*) Jam mota.

(*f*) Scilicet [ut Glossa interpretatur] si falsum testamentum dicatur.

(*g*) Quia periculum esset ne corrumperentur, si earum apprehendendarum daretur copia.

Source : BIU Cujas

TITULUS VI.

NE QUID IN LOCO SACRO FIAT.

I.

AIt Prætor : « IN LOCO SACRO Facere, in-ve eum » immittere quid veto. » *l.* 1. ULPIAN. LIB. 68. AD ED.

Hoc Interdictum prohibitorium eſt ſimul & reſtitutorium. Enimverò, quamvis id quod in loco publico ædificatum quis habet, etſi non jure, tollere tamen non cogatur : ut videb. Tit. VIII. infrà ; Locorum Sacrorum diverſa cauſa eſt. In Loco enim Sacro non ſolùm Facere vetamur, ſed & factum reſtituere jubemur. Hoc, propter religionem. *l.* 2. § 19. *ff. Ne quid in loc. publ.* ULP. LIB. 68. AD ED.

Hoc Interdictum de Sacro Loco, non de Sacrario (*a*) competit. *d. l.* 1. § 1.

Cæterùm de omnibus locis quæ divini juris ſunt, competit, putà de Locis ſanctis. Enimverò In muris, itemque portis, & aliis ſanctis Locis aliquid facere, ex quo damnum aut incommodum irrogetur, non permittitur. *l.* 2. HERMOGENIAN. LIB. 3. JURIS EPITOM.

Et Neque muri neque portæ habitari ſine permiſſu Principis, propter fortuita incendia (*b*), poſſunt. *l.* 3. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

II.

Cæterùm Quod ait Prætor NE QUID IN LOCO SACRO FIAT, non ad hoc pertinet quod ornamenti causâ fit ; ſed quod deformitatis vel incommodi. *l.* 1. § 2. ULPIAN. LIB. 63. AD ED.

III.

Hoc Interdictum videtur eſſe Populare. Maximè autem competit his qui horum locorum curam habent. Sed *enim* cura ædium Locorumque Sacrorum, mandata eſt his qui ædes ſacras curant. *d. l.* § 3.

(*a*) *Sacrarium* à *Sacro* in quo differat, vide ſuprà lib. 1. Tit. *de Diviſ. rer.* N. 3.

(*b*) Ideòque circa portas & muros familia publica excubabat : l. 1. ff. *de Offic. Præf. vigil.*

TITULUS VII.

DE LOCIS ET ITINERIBUS PUBLICIS.

IN hoc Titulo & quatuor ſequentibus exponuntur quæ ſpectant Loca Publica, & præſertim vias publicas. Harum maxima fuit Antiquis cura. Hinc & peculiaria numina eis præeſſe finxerunt, quæ apud Plautum Lares viales *appellantur ; & earum curam peculiaribus Magiſtratibus demandaverant, qui fuiſſe videntur hi quos Varro* de Ling. Lat. *IV. circà princ.* VIO-CUROS *appellat. Hinc quoque tot inventa de viis publicis Interdicta.*

I.

Primum ex his, quod hoc Titulo proponitur, viis, & omnibus Locis Publicis commune eſt.

Hoc Interdicto Cuilibet in Publicum petere permittendum eſt, id quod ad uſum omnium pertineat, veluti vias publicas, Itinera Publica. Et ideò quolibet poſtulante de his interdicitur. *l.* 1. POMP. LIB. 30. AD SABIN.

Daturque hoc Interdictum adversùs eos qui eos qui Loca quaſi privato jure ſua eſſent, uſurpare tentarent ; aut quid in his ædificarent, putà monumentum. Nam Nemini licet in viâ Publicâ monumentum extruere. *l.* 2. ULP. LIB. 48. DIGEST.

II.

Maximè autem ad vias hoc Interdictum pertinet ; & non ſolùm ad militares, ſed ad vicinales.

Enimverò VIÆ VICINALES quæ ex agris privatorum collatis factæ ſunt (*a*) quarum memoria non extat, Publicarum viarum numero ſunt. *l.* 3. ULPIAN. LIB. 33. AD SABIN.


Nota. Sed inter eas, & cæteras vias MILITARES, hoc intereſt ; quòd viæ militares exitum ad mare, aut in flumina Publica, aut ad aliam viam militarem habent : harum autem vicinalium viarum diſſimilis conditio eſt. Nam pars earum in militares vias exitum habent, pars ſine nullo exitu intermoriuntur. *d. l.* 3. § 1.

III.

Via autem Publica hoc Interdicto vindicatur, quantovis tempore populus eâ uſus non fuerit.

Nam VIAM Publicam populus non utendo amittere non poteſt. *l.* 2. *ff. de Viâ publ. & itin.* JAVOLEN. LIB. 10. EX CASSIO.

(*a*) De quibus latiùs Tit. ſeq. Art. 2. §°. 1°.



Source : BIU Cujas

TITULUS VIII.

NE QUID IN LOCO PUBLICO VEL ITINERE FIAT.

QUatuor Interdicta hoc Titulo proponuntur; de quibus, singulis Articulis agendum.

ARTICULUS I.

De Interdicto quo Prætor in Loco Publico illud ædificari vetat, ex quo damni quidpiam aliquis sentire posset.

I.

In Loco Publico Prætor prohibet ædificare; & Interdictum proponit. *l.* 1. PAUL. LIB. 64. AD ED.

Prætor ait: « NE QUID in LOCO Publico facias, » in-ve eum locum immittas, quâ ex re quid illi » damni detur; præterquàm quod Lege, Senatusconsulto, Edicto, Decreto-ve Principum tibi concessum » est. De eo quod factum erit, Interdictum non (*a*) » dabo. » *l.* 2. ULP. LIB. 68. AD ED.

Et tam Publicis utilitatibus quàm privatorum, per hoc prospicitur. Loca enim Publica, utique privatorum usibus deserviunt, jure scilicet civitatis, non quasi propria cujusque: & tantùm juris habemus ad obtinendum (*b*), quantùm quilibet ex populo ad prohibendum habet. Propter quod, si quod fortè opus in Publico fiet, quod ad privati damnum redundet; prohibitorio Interdicto potest conveniri: propter quam rem, hoc Interdictum propositum est. *d. l.* 2. § 2.

Circa hoc Interdictum hæc quærenda sunt. 1°. *Ad quæ Loca pertineat, & quibus personis competat:* 2°. *Quod opus fieri hoc interdicto Prætor vetet:* 3°. *Quale sit illud Interdictum, & quid in eo veniat; ubi notabimus specialem casum quo, propter damnum ex opere in Publico facto, etiam ex Lege XII Tabularum agebatur.*

§ I.

Ad quæ Loca hoc Interdictum pertineat, & quibus competat.

II.

Ad Loca Publica pertinet. Et PUBLICI LOCI appellatio quemadmodum accipiatur, Labeo definit; ut & ad areas, & ad insulas, & ad agros, & ad vias Publicas, Itineraque Publica pertineat. *l.* 2. § 3. ULP. LIB. 68. AD ED.

Generaliter Ad ea igitur Loca hoc Interdictum pertinet. quæ Publico usui destinata sunt: ut si quid illic Fiat quod privato noceret, Prætor intercederet Interdicto suo. *d. l.* 2. § 5.

III.

Mare non est Locus Publicus, sed communis. Tamen Adversùs eum qui molem in mare projecit, Interdictum Utile (*c*) competit; ei cui fortè hæc res nocitura sit.

Si autem nemo damnum sentit; tuendus est is qui in littore ædificat, vel molem in mare jacit. *d. l.* 2. § 8.

Consonat quod ait Celsus: Maris communem usum omnibus homnibus, ut aeris; jactasque in id pilas, ejus esse qui jecerit. Sed id concedendum non esse, si deterior littoris maris-ve usus eo modo futurus sit. *l.* 3. § 1. CELSUS LIB. 39. DIGEST.

Item ita demùm Scævola lib. 5 Responsorum respondit, In littore Jure Gentium ædificare licere; nisi usus Publicus impediret. *l.* 4. SCÆVOLA LIB. 5. RESPONSOR.

IV.

Hoc Interdictum ad ea Loca quæ sunt in fisci patrimonio, non puto pertinere. In his enim neque facere quidquam neque prohibere privatus potest: res enim fiscales, quasi propriæ & privatæ Principis sunt. Igitur si quis in his aliquid faciat, nequaquàm hoc Interdictum locum habebit: sed si fortè de his sit controversia, Præfecti eorum judices sunt. *l.* 2. § 4. ULPIAN. LIB. 68. AD ED.

V.

Quamvis autem hoc Interdictum sit de Publico Loco, non tamen est Populare; cùm privatæ duntaxat utilitatis persecutionem contineat.

Hinc Ei qui hoc Interdicto experitur Ne Quid in Loco Publico Fiat, quo damnum Privato detur; quamvis de Loco Publico interdicat, nihilominùs procuratoris dandi facultas (*d*) est. *l.* 6. JULIAN. LIB. 43. DIGEST.

§ II.

Quod opus fieri hoc Interdicto Prætor vetet.

VI.

Quodlibet opus hoc Interdicto fieri vetatur, ex quo quis quidpiam damni sentiret.

Nec refert, novum ædificium extruatur, an vetus restauretur. Igitur Si quis quod in Publico Loco positum habuit, reficere voluit; hoc (*Aliàs* huic) Interdicto locum esse Aristo ait, ad prohibendum eum reficere. *d. l.* 2. § 7.

VII.

Nec refert, veniâ impetratâ an citra veniam opus fiat. Igitur Meritò ait Prætor, QUA EX RE QUID ILLI DAMNI DETUR. Nam quotiensque aliquid in Publico fieri permittitur, ita oportet permitti ut sine injuriâ cujusquam fiat; & ita solet Princeps, quoties aliud novi operis instituendum petitur, permittere. *d. l.* 2. § 10.

Igitur, etiam Si quis à Principe simpliciter impetraverit ut In Publico Loco ædificet; non est credendus sic ædificare, ut incommodo alicujus id fiat; neque sic conceditur: nisi fortè quis hoc (*e*) impetravit. *d. l.* 2. § 16.

VIII.

Damnum autem pati videtur, qui commodum amittit quod ex Publico consequebatur, quale quale sit. *d. l.* 2. § 11.

(*a*) Negatio Videtur expungenda, ex fide Manuscriptorum à quibus eam Gothofredus abesse testatur; & sensus est, *de eo quod factum erit*, id est, de eo quod quis facere inchoaverit. Quòd si negatio servetur, sensus est, Si tamen nemine prohibente ædificium factum erit, & ad finem perductum: Interdictum non dabo. Eà de re enim [ut infrà videb. §°. 3°.] Interdictum duntaxat prohibitorium datur, non etiam restitutorium. Potest quoque retentâ negatione ita textus interpungi, ut referatur ille ad id quod Lege, Senatusconsulto, Decreto-ve Principis, facere permissum esset.

(*b*) Id est; tantùm juris habemus *ad obtinendum* ut his Locis utamur sine alterius damno; & ut quod in eo nemine prohibente ædificavimus, servemus in usus nostros; quantum juris quisque habet *ad prohibendum* ne ædificemus, si cum damno ejus ædificare incipiamus.

(*c*) Non datur *Directum*, quia mare est potiùs res communis quàm Locus Publicus; Prætor autem interdixit de LOCO PUBLICO: sed datur *Utile*, quia eadem æquitas occurrit.

(*d*) Quam facultatem non habet, qui Populari actione agit: suprà *lib.* 3. Tit. *de Procurat.* N. 13.

(*e*) *Hoc* ipsum expresè à Principe. Fornerius noster sic accipit, *impetraverit à vicino*: neque enim aliàs [inquit] indulgere alicui solet Princeps, quod alterium lædaret.

Source : BIU Cujas

Proindè si cui prospectus, si cui aditus sit deterior, aut angustior; Interdicto opus est. *d. l.* 2. § 12.

Igitur : Planè si ædificium hoc effecerit, ut minùs luminis insula tua habeat; Interdictum hoc competit. *d. l.* 2. § 14.

Hinc Quum quidam velum in mæniano immissum haberet, qui vicini luminibus officiebat; Utile (*a*) Interdictum competit, NE QUID IN PUBLICO IMMITTAS QUA EX RE LUMINIBUS GAII-SEII OFFICIAS. *d. l.* 2. § 6.

IX.

Non videor autem tibi damnum dare; si commodum quod tibi intercipio, magis ex meo quàm ex Publico Loco capiebas.

Hinc Si quid in Loco Publico ædificavero, ut ea quæ ex meo ad te nullo jure defluebant, desinant fluere; Interdicto me non teneri Labeo putat. *d. l.* 2. § 13.

X.

Quod hactenùs diximus; prohiberi per hoc Interdictum, opus quod fit in Publico ex quo quis damnum sentiret; limitationem patitur, quam ita refert Labeo.

Nimirùm Idem ait; Si in Publico ædificem, deinde hoc ædificium ei obstet quod tu in Publico ædificaveras; cessare hoc Interdictum : cùm tu quoque illicitè ædificaveris: nisi fortè tu jure tibi concesso ædificaveras. *d. l.* 2. § 15.

§ III.

Quale sit hoc Interdictum, & quid in eo veniat.

XI.

Hoc Interdictum prohibitorium est. *d. l.* 2. § 1.

Illud enim duntaxat in eo venit; ut opus quod alicui nociturum esset, quis ædificare prohibeatur. Cæterùm Si quis nemine prohibente In Publico ædificaverit, non esse eum cogendum tollere, ne ruinis urbs deformetur: & quia prohibitorium est Interdictum, non restitutorium (*b*).

Si tamen obstet id ædificium Publico usui; utique is qui operibus Publicis procurat, debebit id deponere: aut si non obstet, solarium ei imponere. Vectigal enim hoc, sic appellatur SOLARIUM; ex eo quòd pro solo pendatur. *d. l.* § 17.

Si tamen adhuc nullum opus factum fuerit, officio judicis continetur uti caveatur non fieri. Et ea omnia etiam in personam heredum, cæterorumque successorum erunt cavenda. *d. l.* 2. § 18.

XII.

Observandum etiam quòd; Sicut is qui nullo prohibente in Loco Publico ædificaverat, cogendus non est demolire, ne ruinis urbs deformetur: ita qui adversùs Edictum (*c*) Prætoris ædificaverit, tollere ædificium debet; alioquin inane & lusorium Prætoris imperium erit. *l.* 7. JULIAN. LIB. 48. DIGEST.

§ IV.

De speciali casu quo, propter damnum ex opere in Loco Publico facto, actio ex Lege XII. Tabularum competebat.

XIII.

Si per Publicum Locum rivus aquæ ductus (*d*) privato nocebit (*e*); erit actio privato, ex Lege XII. Tubularum, uti noxa (*f*) domino caveatur. *l.* 5. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

ARTICULUS II.

De Interdicto quo vetatur quid fieri in viâ Publicâ, quo deterior fieret.

XIV.

Ait Prætor: « IN viâ Publicâ Itinere-ve Publico fa» cere, immittere quid, quo ea via, id-ve iter dete» rius sit, fiat, veto. » *l.* 2. § 20. ULP. LIB. 68. AD ED.

Hoc Interdictum perpetuum & populare est; condemnatioque ex eo facienda est, quanti actoris interfit. *d. l.* 2. § 34.

Ad quas autem vias & ad quæ opera pertineat, videndum est.

§ I.

Ad quas vias hoc Interdictum pertineat.

XV.

Ad vias Publicas hoc Interdictum pertinet. Quocircà observandum quòd; Viarum quædam PUBLICÆ sunt, quædam PRIVATÆ, quædam VICINALES.

PUBLICAS vias dicimus; quas Græci ΒΑΣΙΛΙΚΑΣ [id est, *regias*], Nostri Prætorias, alii Consulares vias appellant.

PRIVATÆ sunt, quas Agrarias quidam dicunt.

VICINALES sunt viæ quæ in vicis sunt, vel quæ in vicos ducunt. Has quoque Publicas esse quidam dicunt: quod ita verum est, si non ex collatione (*g*) privatorum hoc iter constitutum est; aliter atque si ex collatione privatorum reficiatur (*h*). Nam si ex collatione privatorum reficiatur, non utique privata est. Refectio (*Florent.* refictio) enim idcircò de communi fit, quia usum utilitatemque communem habet. *d. l.* 2. § 22.

Item sciendum quòd Privatæ viæ dupliciter accipi possunt: vel hæ quæ sunt in agris quibus imposita est servitus, ut ad agrum alterius ducant: vel hæ quæ in agros ducunt, per quas omnibus permeare liceat, in quas exitur de viâ Consulari; & sic post illam excipit via, vel iter, vel actus, ad villam ducens. Has ergo quæ post Consularem excipiunt, in villas vel in alias colonias ducentes, putem etiam ipsas Publicas (*i*) esse. *d. l.* 2. § 23.

Quum autem aii Prætor in viâ Publicâ, non requirit ut sit Consularis via. Sed Viam PUBLICAM eam dicimus, cujus etiam solum Publicum est. Non enim sicuti in privatâ viâ, ita & in Publicâ accipimus. Viæ privatæ solum alienum est; jus tantùm eundi & agendi nobis competit. Viæ autem Publicæ solum Publicum est; relictum ad directum (*k*) certis finibus latitudinis, ab eo qui jus publicandi (*l*) habuit; ut eâ publicè iretur, commearetur. *d. l.* 2. § 21.

XVI.

Hoc Interdictum tantùm ad vias rusticas pertinet, ad urbicas verò non: harum enim cura pertinet ad Magistratus. (*m*). *d. l.* 2. § 24.

Undè in Urbicis, Si viæ Publicæ exemptus commeatus sit, vel via coarctata; interveniunt Magistratus. *d. l.* 2. § 25.

(*a*) Ideò *Utile* duntaxat, quia in privato factum erat; licèt in Publicum extenderetur.

(*b*) Diversa causa est Loci sacri, ob favorem religionis : suprà Tit. VI. N. 1.

(*c*) Id est; Interdicto conventus, & à Prætore prohibitus.

(*d*) V. G. permissu Principis : suprà N. 7. Alias, rivum ducere per Publicum non licet.

(*e*) Id est, nocere possit. Utrùm autem de hoc casu expresè ita sancitum fuerit in Lege XII. Tab. vide Commentarium nostrum in Tab. VIII cap. 7.

(*f*) *Noxa*, id est damnum quod patietur : NOXA enim à *nocendo*.

(*g*) Quum enim *ex collatione privatorum* : iter constitutum est; id est, quum-solum non est Publicum, sed privati illud contulerunt; via non Publica, sed privata est. Cæterùm si hujus collationis memoria non extat, Publica esse censetur : Tit. præced. N. 2.

(*h*) Non ideò minùs est Publica.

(*i*) Scilicet quoad usum. Quoad solum autem; ita, si memoria non extat ex collatione privatorum agrorum constitutas esse.

(*k*) Quia viæ omnes directæ sunt, prout locus ipse patitur; earum tantùm latitudine definitâ.

(*l*) Principe aut Senatu.

(*m*) Ædiles scilicet [infrà Tit. X.] non ad Prætorem cui Juris dicundi cura unicè incumbit.

§ II.

Source : BIU Cujas

§ II.

Quòd opus hoc Interdicto fieri vetetur.

XVII.

Hoc Interdicto vetatur quidlibet in viâ fieri aut immitti, quo via deterior fieret.

Nam Deindé ait Prætor: « QUO ea via idque iter » deterius sit, fiat. »

Hoc, sive statim deterior via sit, sive postea. Ad hoc enim pertinent hæc verba, SIT, FIAT. Etenim quædam sunt talia, ut statim facto suo noceant; quædam talia ut in præsentiarum quidem nihil noceant, in futurum autem nocere debeant. *d. l.* 2. § 31.

Deteriorem autem viam fieri, sic accipiendum est; si usus ejus ad commeandum corrumpatur: hoc est, adeundum vel agendum; ut, quum plana fuerit, clivosa fiat, vel ex molli aspera, aut angustior ex latiore, aut palustris ex siccâ. *d. l.* 2. § 32.

Circa hanc rem Scio tractatum; An permittendum sit specus & pontem per viam Publicam facere? Et plerique probant, Interdicto eum teneri: non enim oportere eum deteriorem viam facere. *d. l.* 2. § 33.

Cùm immitti id vetetur quo via deterior fieret; hinc Si quis cloacam in viam Publicam immitteret, exque eâ re minùs habilis via per cloacam fiat; teneri eum Labeo scribit: immisisse enim eum videri. *d. l.* 2. § 26.

Proindè & si fossam quis in fundo suo fecerit, ut ibi aqua collecta in viam decurrat; hoc Interdicto tenebitur: immissum enim habere, etiam hunc videri. *d. l.* 2. § 27.

Idem Labeo scribit; Si quis in suo ita ædificaverit, ut aqua in viâ collecta restagnet, non teneri eum Interdicto: quia non immittat aquam, sed non recipit. Nerva autem meliùs scribit, Utrumque teneri. *d. l.* 2. § 28.

XVIII.

Planè si fundus viam Publicam contingat; & ex eo aquâ derivata deteriorem viam faciat; quæ tamen aqua ex vicini fundo in tuum veniat: si quidem necesse habeas eam aquam recipere; Interdictum locum habebit adversùs vicinum tuum: si autem necesse non sit; non teneri vicinum tuum, te tamen teneri: eum enim videri factum habere (*a*), qui usum ejus aquæ habeat.

Idem Nerva scribit; Si tecum Interdicto agatur, nihil ultrà te facere cogendum quàm ut arbitratu ejus qui tecum experitur, cum vicino experiaris. Cæterùm aliter observantibus, futurum ut tenearis; etiamsi jam bonâ fide cum vicino egeris, neque per te stet quominùs arbitratu actoris cum vicino experiaris. *d.* § 28. ¶ *planè.*

XIX.

Idem ait; Si odore solo Locus pestilentiosus fiat (*b*); non esse ab re, de eâ Interdicto uti. *d. l.* 2. § 29.

Hoc Interdictum etiam ad ea quæ pascuntur (*c*) in viâ Publicâ Itinere-ve Publico, & deteriorem faciant viam, locum habet. *d. l.* 2. § 30.

ARTICULUS III.

De Interdicto quo Prætor jubet tolli opus quo via deterior sit aut fiat.

XX.

Prætor ait: « QUOD in viâ Publicâ, Itinere-ve Publico » factum, immissum habes, quo ea via id-ve iter dete- » rius sit, fiat, restituas. » *d. l.* 2. § 35.

Hoc Interdictum ex eâdem causâ proficiscitur, ex quâ & superius. Et tantùm interest, quòd hoc restitutorium, illud prohibitorium est. *d. l.* 2. § 36.

Interdictum hoc non esse temporarium sciendum est: pertinet enim ad Publicam (*d*) utilitatem. *d. l.* 2. § 44.

XXI.

Hoc Interdicto non is tenetur qui in viâ aliquid fecit, sed is qui factum habet. Proindè si alius fecit, alius factum habet; is tenetur qui factum habet. Et est hoc utilius; quia is potest restituere, qui factum, immissum, habet. *d. l.* 2. § 37.

Habere eum dicimus, qui utitur, & jure possessionis fruitur; sive ipse opus fecit, sive ex causâ emptionis vel conductionis, vel legato, vel hereditate, vel quo alio modo adquisiit. *d. l.* 2. § 38.

XXII.

Non autem hoc Interdicto tenetur quis, nec HABERE *opus intelligitur; ex eo solo quòd opus quod alter & alterius fundi causâ fecit, ipsius quoque fundo utile sit.*

Rectè enim supràdictus Idem Labeo scribit; Si vicinus meus viam opere corruperit; quamvis opus quod fecit, tam mihi quàm ipsi utile sit: tamen si is vicinus fundi sui causâ id fecerit, me tamen non posse hoc Interdicto conveniri. Si autem communiter hoc opus fieri curaverimus, utrumque nostrûm teneri. *d. l.* 2. § 41.

XXIII.

Hoc Interdictum locum habet, etiam adversùs eum qui dolo malo fecit quominùs possideret, vel haberet. Etenim parem esse conditionem oportet ejus qui quid possideat vel habeat, atque ejus cujus dolo malo factum sit quominùs possideret vel haberet. Et mihi videtur vera Labeonis sententia. *d. l.* 2. § 42.

XXIV.

Is demùm hoc Interdicto tenetur, qui habet aut dolo desiit habere rem per quam via deterior facta est. Undè Ofilius putat; Eum qui pro derelicto reliquit id opus quod fecit (si viam Publicam corrupit, & reliquit), non teneri hoc Interdicto. Non enim habet quod fecit. Sed an in eum actio debeat dari, videbimus? Et puto Utile Interdictum competere: ut quod in viâ Publicâ ædificavit, restituat. *d. l.* 2. § 39.

Hinc etiam, Si ex fundo tuo arbor in viâ Publicâ sic ceciderit, ut Itineri sit impedimento; eamque pro derelicto habeas: non teneri te Labeo (*e*) scribit. Si tamen (inquit) actor suâ impensâ arborem tollere paratus fuerit, rectè tecum acturum Interdicto DE VIA PUBLICA REFICIENDA (*f*). Sed si pro derelicto non habeas, rectè tecum agi hoc Interdicto. *d. l.* 2. § 40.

XXV.

Superest ut videamus quid veniat in hoc Interdicto: nimirùm, ut res restituatur.

RESTITUAS, inquit. Restituere videtur, qui in pristinum statum reducit; quod fit, sive quis tollit id quod factum est, vel reponat quod sublatum est; & interdum suo sumptu. Nam si ipse cum quo quis interdixit, fecerit, vel jussu ejus alius, aut ratum habitum sit quod fecit; ipse suis sumptibus debet restituere. Si verò nihil horum intervenit, sed habet factum; tunc dicemus, patientiam solam eum præstare debere. *d. l.* 2. § 43.

Quid porrò, nisi restituatur? Condemnatioque ex eo facienda est, quanti actoris interfit tolli quod factum est. *d. l.* 2. § 44. ¶ *condemnatio.*

(*a*) Vide mox infrà N. 21.
(*b*) Ut si quis circa viam Publicam instituat sulphurariam officinam, ex quâ cœlum corrumpatur.
(*c*) Putà; si quis in viâ pastum ducat porcos, qui solum fodiant.
(*d*) Hæc sola ratio non sufficit: nam *Populares* actiones ad Publicam utilitatem pertinent, & tamen eas omnes annuas esse infrà videb. lib. 47. Tit. *de Popul. act.* Sed ideò hoc Interdictum est perpetuum; quia causa Publicæ utilitatis ad quam pertinet, ea est quæ perpetuò durat donec opus tollatur.
(*e*) Juris enim regula est, ut de damno quod ex re meâ datum est citra meam culpam, non tenear ultra rei meæ pretium.
(*f*) De quo infra Tit. XI. Et quidem aget; si prohiberes eum hanc arborem tolere, & viam reficere.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS IV.

De Interdicto quo Prætor vetat ne quisquam per viam ire agere prohibeatur.

XXVI.

Prætor ait; « QUOMINUS illi viâ Publicâ Itinere-ve » Publico, ire agere liceat, vim fieri veto. » *d. l.* 2. § 45.

Hoc Interdictum ad vias duntaxat pertinet, non ad cæteras res quæ Publicæ sunt aut communes. Hinc Si quis in mari piscari aut navigare prohibeatur, non habebit Interdictum. Quemadmodum nec is qui in campo Publico ludere, vel in Publico balineo lavare, aut in theatro spectare arceatur. Sed in omnibus his casibus, Injuriarum actione utendum est. *d. l.* 2. § 9.

TITULUS IX.

DE LOCO PUBLICO FRUENDO.

I.

PRætor ait: « QUOMINUS Loco Publico, quem is cui » locandi jus fuerit, Fruendum alicui locavit, ei qui » conduxit socio-ve ejus, è lege locationis Frui liceat, » vim fieri veto. » *l.* 1. ULP. LIB. 68. AD ED.

Interdictum hoc publicæ utilitatis causâ proponi palàm est. Tuetur enim vectigalia publica, dum prohibetur quis vim facere ei qui id Fruendum conduxit. *d. l.* 1. § 1.

Tunc autem locum habet, quum conductores prohibentur Frui eo modo quo ex lege locationis Frui deberent.

Nam Ait Prætor: QUOMINUS E LEGE LOCATIONIS FRUI LICEAT. Meritò ait, E LEGE LOCATIONIS: ultra legem enim, vel contra legem non debet audiri, qui Frui desiderat. *d. l.* 1. § 3.

II.

Observandum tamen quòd Concedi solet, ut imagines & statuæ; quæ ornamento Reipublicæ sunt futuræ, in Publicum ponantur. *l.* 2. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Nec eas poni prohibere conductor potest, quasi Frui prohiberetur. Cujac. in Paratit. *ad h. tit.*

III.

Hoc Interdictum conductoribus & sociis eorum datur. Sed si simul veniant ad Interdictum movendum, ipse qui conduxerit, & socius ejus; magis est, ut ipse conductor præferatur. *sup. d. l.* 1. § 2.

TITULUS X.

DE VIA PUBLICA; ET SI QUID IN EA FACTUM ESSE DICATUR.

HIc Titulus est de Viis urbicis. Si quid in his fiat quo deteriores fierent, nullum Interdictum proponitur; sed huic rei jure suæ potestatis occurrunt Ædiles-Curules.

Quod sit autem officium Ædilium circa curam Viarum, hic exponitur.

I.

Οἱ ΑΣΤΥΝΟΜΙΚΟΙ *&c.* [*id est*] Ædiles studeant ut quæ secundùm civitates sunt Viæ, adæquentur (*a*); & effluxiones (*b*) non noceant domibus; & pontes fiant, ubicumque oportet. *l.* 1. EX LIB. SING. PAPIN. DE OFFIC. ÆDILIUM.

Studeant etiam ne eorum aut aliorum parietes, etiam domorum, qui ad Viam ducunt, sint caduci. Sed; ut oportet, emundent domini domorum, & construant. Si autem non emundaverint, neque construxerint; mulctent eos, quousque firmos effecerint. *d. l.* 1. § 1.

Curent autem ut nullus effodiat Vias, neque subruat; neque construat in Viis aliquid. Si autem servus quidem fuerit, ab obviante fustigetur: si liber, demonstretur Ædilibus; Ædiles autem mulctent secundùm Legem, & quod factum est, dissolvant. *d. l.* 1. § 2.

Construat autem Vias Publicas unusquisque secundùm propriam domum; & aquæductus purget qui sub dio sunt, id est cœlo libero; & construat ita, ut non prohibeatur vehiculum transire. Quicumque autem mercede habitant, si non construat dominus, ipsi construentes computent dispendium in mercedem. *d. l.* 1. § 3.

Studeant autem ut ante officinas nihil projectum sit, vel propositum; præterquàm si fullo vestimenta siccet, aut faber currus exteriùs ponat. Ponant autem & hi, ut non prohibeant vehiculum ire. *d. l.* 1. § 4.

Non permittant autem rixari in Viis, neque stercora projicere; neque morticina (*c*) neque pelles jacere. *d. l.* 1. § 5.

(*a*) Adæquare, *Applanir.*
(*b*) *Ravines d'eau.*

(*c*) *Ni charognes, ni peaux de bêtes mortes.*



Source : BIU Cujas

TITULUS XI.

DE VIA PUBLICA ET ITINERE PUBLICO REFICIENDO.

I.

PRætor ait : « QUOMINùs illi Viam Publicam Iterve » Publicum aperire , Reficere liceat ; dùm ne ea » Via , id-ve Iter deterius fiat , vim fieri veto. » *l.* 1. ULP. LIB. 68. AD ED.

Ei qui Viam Reficit , nimirùm eam aperit aut purgat , hoc Interdictum datur.

Viam APERIRE eſt , ad veterem altitudinem latitudinemque reſtituere. Sed & purgare , Refectionis portio eſt. PURGARI autem propriè dicitur , ad libramentum proprium redigere , ſublato eo quod ſuper eam eſſet. Reficit enim & qui aperit , & qui purgat , & omnes omninò qui in priſtinum ſtatum reducunt. *d. l.* 1. § 1.

Quòd Si quis in ſpecie Refictionis (*Ita ferè ſemper in Florent. pro* Refectio.) deteriorem Viam facit , impunè vim patietur.

Propter quod , neque latiorem neque longiorem , neque altiorem , neque humiliorem Viam , ſub nomine Refictionis , is qui Interdicit (*a*) poteſt facere ; vel in Viam terrenam , glaream injicere ; aut ſternere Viam lapide , quæ terrena ſit ; vel contrà , lapide ſtratam , terrenam facere. *d. l.* 1. § 2.

Interdictum hoc perpetuò dabitur , & omnibus (*b*) , & in omnes : & habet condemnationem in id quod actoris intererit. *d. l.* 1. § 3.

II.

Circa Refectionem Viarum Publicarum , hîc duo obiter obſerva.

Et 1°. Qui Viam Publicam exaraverit , ad munitionem ejus ſolus compellitur. *l.* 3. § 1. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

2°. Si in agrum vicini , Viam Publicam quis rejecerit ; tantùm in eum Viæ rejectæ (*Florent.* receptæ.) actio (*c*) dabitur , quanti ejus intereſt cujus fundo injuria irrogata eſt. *d. l.* 3. *pr.*

(*a*) Id eſt , is cui Interdictum hoc competit ; nimirùm is qui Reficit Viam.
(*b*) Civibus ſcilicet : l. 3. § 4. ff. *de Oper. nov. nuntiat.*

(*c*) Actio *In factum.*

TITULUS XII.

DE FLUMINIBUS : NE QUID IN FLUMINE PUBLICO RIPA-VE EJUS FIAT QUO PEJUS NAVIGETUR.

DE FLUMINIBUS *eſt hic Titulus cum tribus ſequentibus. Specialiter nempè circa Flumina Prætor , quemadmodum & ſuprà circa loca publica viaſque , plura Interdicta propoſuit ; ad publicam utilitatem , liberumque & tutum commeatum pertinentia.*

Et primò in hoc Titulo duo Interdicta proponuntur : alterum quo vetatur fieri , alterum quo jubetur reſtitui.

ARTICULUS I.

De Interdicto quo prohibetur fieri in Flumine aut Ripâ , aliquid undè Pejus Navigetur.

I.

Ait Prætor : « NE QUID in Flumine Publico , Ripâ-» ve ejus facias ; ne quid in Flumine Publico , ne-ve in » Ripâ ejus immittas ; quo ſtatio iter-ve Navigio » deterior ſit , fiat. » *l.* 1. ULP. LIB. 68. AD ED.

§ I.

Ad quæ Flumina hoc Interdictum pertineat.

II.

Priùs præmittendum quid ſit Flumen , & quotuplex Fluminum ſpecies.

FLUMEN à rivo magnitudine diſcernendum eſt , aut exiſtimatione circùm colentium. *d. l.* 1. § 1.

Item Fluminum quædam ſunt PERENNIA , quædam TORRENTIA. Perenne eſt , quod ſemper fluat , Α'Ε'ΝΝΑΟΣ Torrens ὁ' ΧΕΙΜΑ'Ρ'Ρ'ΟΥΣ , id eſt hyeme fluens. Si tamen aliquâ æſtate exaruerit , quod alioquin perenne fluebat ; non ideò minùs perenne eſt. *d. l.* 1. § 2.

Item Fluminum quædam PUBLICA ſunt , quædam non. Publicum Flumen eſſe Caſſius definit , quod perenne ſit. Hæc ſententia Caſſii , quam & Celſus probat , videtur eſſe probabilis. *d. l.* 1. § 3.

III.

His præmiſſis ; Hoc Interdictum ad Flumina PUBLICA pertinet. Si autem Flumen privatum ſit , ceſſabit Interdictum : nihil enim differt à cæteris locis privatis , Flumen privatum. *d. l.* 1. § 4.

Ergo hoc Interdictum ad ea tantùm Flumina Publica pertinet , quæ ſunt NAVIGABILIA ; ad cætera non pertinet.

Sed Labeo ſcribit ; Non eſſe iniquum , etiam ſi quid in eo Flumine quod Navigabile non ſit , fiat ut exareſcat , vel aquæ curſus impediatur ; Utile Interdictum competere , NE VIS ei fiat quominùs id opus quod in alveo Fluminis Ripâ-ve ita factum ſit , ut iter , curſus Fluminibus deterior ſit , fiat , tollere , demoliri , purgare , reſtituere , viri boni arbitratu poſſit. *d. l.* 1. § 12. ¶ *ergo.*

IV.

Non poteſt etiam hoc Interdictum pertinere ad mare , cùm FLUMINIS *appellatione nuſquàm contineatur. Cæterùm ad exemplum hujus Interdicti ;* Si in mari aliquid fiat , Labeo ait competere tale Interdictum , NE QUID in mari in-ve littore , quo portus , ſtatio , iter-ve Navigio deterius fiat. *d. l.* 1. § 17.

Source : BIU Cujas

Sed & si in Flumine Publico, non tamen Navigabili fiat; idem putat. *d. l.* 1. § 18.

§ II.

Quando in Flumine Ripâ-ve factum videatur.

V.

In Flumine Publico factum accipere debemus, quidquid in aquâ fiat. Nam si quid extrà factum sit, non est in Flumine factum. Et quod in Ripâ fiat, non videtur in Flumine factum. *d. l.* 1. § 11.

Si fossa manu facta sit, per quam fluit Publicum Flumen; nihilominùs Publica sit. Et ideò, si quid ibi fiat, in Flumine Publico factum videtur. *d. l.* 1. § 8.

Aliter atque si Flumen aliquam terram inundaverit, non alveum sibi fecerit: tunc enim non fit Publicum, quod aquâ opertum est. *d. l.* 1. § 9.

VI.

Vidimus quando in Flumine factum videatur. Addit, Prætor: RIPA-VE EJUS.

Ripa ea putatur esse, quæ plenissimum Flumen continet. *l.* 3. § 1. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

Ripa autem ita rectè definietur; Id quod Flumen continet, naturalem rigorem cursûs sui tenens.

Cæterùm si quando vel imbribus, vel mari, vel quâ aliâ ratione ad tempus excrevit, Ripas non mutat. Nemo denique dixit Nilum qui incremento suo Ægyptum operit, Ripas suas mutare vel ampliare. Nam quum ad perpetuam (*a*) sui mensuram redierit, ripæ alvei ejus (*b*) muniendæ sunt.

Si tamen naturaliter creverit, ut perpetuum incrementum nanctus sit, vel alio Flumine admixto, vel quâ aliâ ratione; dubio procul dicendum est, Ripas quoque eum mutasse: quemadmodum si alveo mutato, aliò cœpit currere. *l.* 1. § 5. ULP. LIB. 68. AD ED.

VII.

Si insula in Publico Flumine fuerit nata, in-que eâ aliquid fiat; non videtur in Publico fieri (*c*); illa enim insula aut occupantis est, si limitati agri fuerunt (*d*); aut ejus cujus ripam contingit; aut si in medio alveo nata est, eorum est qui prope utrasque ripas possident. *d. l.* 1. § 6.

Simili modo & si Flumen alveum suum reliquit, & aliâ (*e*) fluere cœperit; quidquid in veteri alveo factum est, ad hoc Interdictum non pertinet. Non enim in Flumine Publico factum erit, quod est utriusque vicini; aut, si limitatus est ager, occupantis alveus fiet: certè definit esse Publicus. Ille etiam alveus quem sibi Flumen fecit, etsi privatus ante fuit, incipit tamen esse Publicus; quia impossibile est ut alveus Fluminis Publici, non sit Publicus. *d. l.* 1. § 7.

Item si amnis aliquid circumeat, sciendum est ejus manere (*f*) cujus fuit. Si quid igitur illic factum est, non est factum in Publico Flumine. Nec pertinet ad hoc Interdictum, si quid in privato factum sit; ne quidem si in privato Flumine. Nam quod fit in privato flumine, perindè est atque si in alio privato loco fiat (*g*). *d. l.* 1. § 10.

§ III.

Quod opus hoc Interdicto fieri vetetur.

VIII.

Non autem omne quod in Flumine Publico Ripâ-ve fit, coercet Prætor; sed si quid fiat, quo deterior statio & Navigatio fiat. *d. l.* 1. § 12.

STATIONEM dicimus à statuendo (*Aliàs* stando). Is igitur locus demonstratur, ubicumque naves tutò stare possunt. *d. l.* 1. § 13.

Statio idem est ac portus. Et PORTUS appellatus est, conclusus locus quò importantur merces, & indè exportantur; eaque nihilominùs statio est (*h*), concluſa atque munita. Indè ANGIPORTUM (*i*) dictum est. *l.* 59. *ff. de Verb. signif.* ULP. LIB. 68. AD ED.

Ait Prætor, ITERQUE NAVIGII DETERIUS FIAT. Hoc pro Navigatione positum est. Imò NAVIGIUM solemus dicere, etiam ipsam navem. ITER ergo NAVIGIO potest & sic accipi, ITER NAVI deterius fiat. Navigii appellatione etiam rates (*k*) continentur: quia plerùmque & ratium usus necessarius est.

Si pedestre (*l*) iter impediatur, non ideò minùs iter Navigio deterius fit. *l.* 1. § 14. ULP. LIB. 68. AD ED.

Deterior statio, itemque iter Navigio fieri videtur; si usus ejus corrumpatur, vel difficilior fiat, aut minor vel rarior, aut si in totum auferatur. Proindè, sive derivetur aqua, ut exiguior facta minùs sit Navigabilis; vel si dilatetur, aut diffusa brevem aquam faciat; vel contrà sic coanguſtetur, & rapidius Flumen faciat; vel si quid aliud fiat, quod Navigationem incommodet, difficiliorem faciat, vel prorsùs impediat: Interdicto locus erit. *d. l.* 1. § 15.

Quæsitum est an is qui, in utràque Ripâ Fluminis Publici, domus habeat; pontem privati juris facere potest? Respondit, Non posse. *l.* 4. SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS.

IX.

Quominùs ex Flumine Publico ducatur aqua, nihil impedit; nisi Imperator aut Senatus vetet: si modò ea aqua in usu Publico non erit. Sed si aut Navigabile est, aut ex eo aliud Navigabile fit; non permittitur id facere. *l.* 2. POMPON. LIB. 34. AD ED.

Similiter Si Flumen Navigabile sit; non oportere Prætorem concedere ductionem ex eo fieri Labeo ait, quæ Flumen minùs Navigabile efficiat. Idemque est, & si per hoc aliud Flumen fiat Navigabile. *l.* 10. § 2. *ff. de Aq. & aq. pluv. arc.* ULP. LIB. 53. AD ED.

Sed etsi Navigabile non sit Flumen; eatenùs ex eo ducere cuivis licere debet, ut cæteris non noceat. Enimverò Imperatores Antoninus & Verus Augusti rescripserunt; Aquam de Flumine Publico, pro modo possessionum, ad irrigandos agros dividi oportere: nisi proprio quis jure plùs sibi datum ostenderit. Iidem rescripserunt; Aquam ita demùm permitti duci, si sine injuriâ alterius id fiat. *l.* 17. *ff. de Servit. præd. rust.* PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 1. DE CONSTITUTIONIBUS.

Consonat quod alibi dicitur. Ex Flumine aquam ducere plures possunt: ita tamen ut vicinis non noceant, vel si anguſtus amnis sit, etiam ei qui in aliâ ripâ sit. *l.* 3. § 1. *ff. de Aq. quot. & æst.* POMPON. LIB. 34. AD SABIN.

X.

Circa hoc Interdictum, observandum superest quod Labeo scribit; Non esse dandam exceptionem ei qui Interdicto convenitur, AUT NISI RIPÆ TUENDÆ causâ (*m*) factum sit: sed ita accipiendum ait, EXTRA QUAM SI QUID ita factum sit, uti de Lege fieri licuit. *l.* 1. § 16. ULP. LIB. 68. AD ED.

(*a*) Id est, naturalem.

(*b*) Hujus nempè duntaxat alvei quem jam occupat. Igitur hæ demùm *Ripæ* propriè dicuntur.

(*c*) Supple, nisi in oris hujus insulæ id fiat. Nam oræ hujus insulæ, sunt fluminis ripæ; & quoad usum, publicæ: ut diserte dicitur in l. 65. § 1. ff. *de Acquir. rer. dom.* Adeòque si quid in his fiat, ad hoc Interdictum pertinet.

(*d*) Vide suprà lib. 41. d. tit. *de Acq. rer. dom.* N. 33.

(*e*) Supple, *parte*; aut legendum, ut in pluribus Codicibus, *aliò*.

(*f*) Id scilicet, seu eam agri partem quam flumen circumivit.

(*g*) Cujus nomine competunt & sufficiunt Interdicta ordinaria & generalia; *Quod vi aut clam*, vel *Uti possidetis*.

(*h*) Id est; & quamvis locus modò descriptus, dicatur PORTUS; nihilominùs etiam ea STATIO *est* &c., seu *Statio* quoque dicatur.

(*i*) *Inde*, id est à Portu, ANGIPORTUM dictum, seu aditus ad portum.

(*k*) *Rates* distant à *Navibus*, quòd sint inconditum navigii genus; ut sunt trabes connexæ & sine fabricâ compactæ. Vide Baif *de re Navali*.

(*l*) *Pedestre iter* hìc intellige, quo eundum est iis qui naves trahunt è ripâ: ut passim videre est ad Ligerim nostram, longis funibus naves flumen ascendentes trahi. [*Le chemin nécessaire pour les Haleurs*].

(*m*) Nec enim permittitur, quidquid Ripæ tuendæ causâ fit: Tit. seq. N. 4.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS II.

De Interdicto quo jubet Prætor restitui, si quid factum est undè Pejus Navigetur.

X I.

Deindè ait Prætor : « QUOD in Flumine Publico, » Ripâ ve ejus fiat ; sive quid in Flumen, Ripam-ve ejus » [factum] immissum habes, quo statio iter-ve Navigio » deterior sit, fiat, restituas. » *l.* 1. § 17. ULP. LIB. 68. AD ED.

Superius Interdictum prohibitorium est ; hoc restitutorium, ad eamdem causam pertinens. *d. l.* 1. § 20.

Jubetur autem is qui factum vel immissum habet, restituere quod habet ; si modò id quod habet, stationem vel Navigium deterius faciat. *d. l.* 1. § 21.

X I I.

Superest ut videamus adversùs quos hoc Interdictum detur. Et quidem Hæc verba FACTUM HABES, vel IMMISSUM HABES, ostendunt non eum teneri qui fecit vel immisit ; sed qui factum, immissum, habet. Denique Labeo scribit ; Si auctor tuus aquam derivaverit, [teneri te] & hoc Interdicto si eâ tu utaris. *d. l.* 1. § *fin.*

TITULUS XIII.

NE QUID IN FLUMINE PUBLICO RIPA-VE EJUS FIAT, QUO ALTER AQUA FLUAT QUAM PRIORE ÆSTATE FLUXIT.

DUo Interdicta quæ hoc Titulo proponuntur (hîc enim quoque, sicut in præced. Titulo, Prætor sic vetat fieri ut & factum jubeat restitui), differunt ab illis quæ Tit. præced. retulimus ; in eo quòd illa commodum navigationis respiciebant, hæc verò accolarum commodum.

ARTICULUS I.

De Interdicto prohibitorio, Ne quid in Flumine Publico Ripâ-ve ejus, &c.

I.

Ait Prætor : « IN FLUMINE Publico, in-ve Ripâ ejus » facere, aut in id Flumen Ripam-ve ejus immittere, » Quo Aliter Aqua Fluat Quàm Priore Æstate Fluxit, » veto. » *l.* 1. ULP. LIB. 68. AD ED.

Hoc Interdicto prospexit Prætor, ne derivationibus minùs (*a*) concessis Flumina exaresçant [*Florent.* excrescant], vel mutatus alveus vicinis injuriam aliquam adferat. *d. l.* 1. § 1.

Pertinet autem ad Flumina Publica, sive Navigabilia sunt, sive non sunt. *d. l.* 1. § 2.

I I.

Quod autem opus hoc Interdicto fieri vetatur ? Ait Prætor, QUO ALITER AQUA FLUAT QUAM PRIORE ÆSTATE FLUXIT. Non omnis ergo qui immisit, vel qui fecit, tenetur ; sed qui faciendo vel immittendo efficit, Aliter Quàm Priore Æstate Fluxit, Aquam fluere. Quod autem ait ALITER FLUAT, non ad quantitatem aquæ fluentis pertinet, sed ad modum & ad rigorem cursûs aquæ referendum est. Et generaliter dicendum est ita demùm Interdicto quem teneri, si mutetur aquæ cursus per hoc quod factum est ; dum vel depressior vel actior fiat aqua, ac per hoc rapidior fit cum incommodo accolentium. Et si quod aliud vitii, accolæ, ex facto ejus qui convenitur, sentient ; Interdicto locus erit. *d. l.* 1. § 3.

V. G. Si quis ex rivo tecto per apertum ducere velit ; vel contrà qui ante aperto duxit, nunc operto velit ; Interdicto teneri placuit : si modò hoc factum ejus, incommodum circà colentibus adferat. *d. l.* 1. § 4.

Simili modo & si incile (*b*) ducat, aut alio loco fiat (*c*) ; aut si alveum Fluminis mutet ; hoc Interdicto tenebitur. *d. l.* 1. § 5.

I I I.

Is autem hoc Interdicto tenetur, qui Aliter fecit Fluere quàm Priore Æstate fluxit. Et idcircò aiunt Prætorem, PRIOREM ÆSTATEM comprehendisse ; quia semper certior est naturalis cursus Fluminum, æstate potiùs quàm hyeme. Nec ad instantem æstatem, sed ad PRIOREM Interdictum hoc refertur ; quia illius æstatis Fluxus indubitatior est. ÆSTAS ad æquinoctium autumnale refertur. Et si fortè æstate Interdicetur ; proxima superior æstas erit intuenda. Si verò hyeme ; tunc non proxima hyeme [*Aliàs* hyema] æstas, sed superior (*d*) erit inspicienda. *d. l.* 1. § 8.

I V.

Sunt qui putent excipiendum hoc Interdicto, QUOD EJUS RIPÆ MUNIENDÆ CAUSA NON FIET : scilicet ut si quid fiat Quo Aliter Aqua Fluat, si tamen muniendæ Ripæ causâ fiat, Interdicto locus non sit. Sed nec hoc quibusdam placet : neque enim Ripæ, cum incommodo accolentium muniendæ sunt. Hoc tamen Jure utimur ; ut Prætor ex causâ æstimet, an hanc exceptionem dare debeat. Plerùmque enim utilitas suadet, exceptionem istam dari. *d. l.* 1. § 6.

Sed & si alia utilitas vertatur ejus qui quid in Flumine Publico fecit : pone enim grande damnum Flumen ei dare solitum, prædia ejus depopulari ; si fortè aggeres vel quam aliam munitionem adhibuit, ut agrum suum tueretur, eaque res cursum Fluminis aliquid immutavit : cur ei non consulatur ? Plerosque scio prorsùs Flumina avertisse, alveosque mutasse, dum prædiis suis consulunt. Oportet enim in hujusmodi rebus utilitatem & tutelam facientis spectari, sine injuriâ utique accolarum. *d. l.* 1. § 7.

V.

Hoc Interdictum cuivis ex populo competit ; sed non adversùs omnes, verùm adversùs eum qui id [*Florent.* qui deneget] egit ut Aliter Aqua Flueret, quum jus non haberet. *d. l.* 1. § 9.

Hoc Interdictum & in heredes competit. *d. l.* 1. § 10.

(*a*) Id est, non *concessis*, seu illicitis.
(*b*) *Incile*, fossa incisa ad deducendam aquam. Vide infrà Tit. 21. *de Rivis.*
(*c*) Id est, *aut alio loco fiat* incile quàm quo antea fuerat.
(*d*) V. G. Quum interdico mense Julio anni 1750 ; refertur Interdictum ad æstatem anni 1749, quæ relativè ad æstatem præsentem potest dici *Superior* seu PRIOR. Sed si interdico mense Januario ejusdem anni 1750 ; tunc Interdictum referetur ad æstatem anni 1748, non ad æstatem proximè præcedentem anni 1749 : hæc enim ultima non potest dici PRIOR, cùm nondum ulla posterior advenerit ; & PRIOR posteriorem supponat. Similis argumentatio in simili specie legis 1. §§ 33 & 34. ff. *de Aquâ cottid.* infrà d. tit. Art. 2°.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS II.

De Interdicto restitutorio : UT *si quid ita factum sit, restituatur.*

Deinde ait Prætor : « QUOD in Flumine Publico » Ripâ-ve ejus factum, sive quid in flumen ripam-ve » ejus immissum habes ; si ob id Aliter aqua fluit atque » uti priore æstare fluxit, restituas. » *l.* 1. § 11. ULP LIB. 68. AD ED.

Hoc Interdictum restitutorium proponitur. Superius enim prohibitorium est, & pertinet ad ea quæ nondum facta sunt. Si quid igitur jam factum est, per hoc Interdictum restituetur. Si quid ne fiat prospicitur, superiore Interdicto erit utendum ; & si quid post Interdictum redditum fuerit, factum, coercebitur. *d. l.* 1. § 12.

In hoc Interdicto restitutorio, non est iniquum (ut Labeo ait) venire etiam quod dolo factum est quominùs haberes. *d. l.* 1 § 13.

TITULUS XIV.

UT IN FLUMINE PUBLICO NAVIGARE LICEAT.

I.

PRætor ait : « QUOMINUS illi in Flumine Publico » Navem, ratem agere ; quo-ve minùs per ripam » onerare, exonerare, liceat ; vim fieri veto.

» ITEM ut per lacum, fossam, stagnum Publicum » Navigare liceat, interdicam. » *l. un.* ULPIAN. LIB. 68. AD ED.

Hoc Interdicto prospicitur, ne quis in Flumine Publico Navigare prohibeatur. Sicuti enim ei qui viâ Publicâ (*a*) uti prohibeatur, Interdictum suprà propositum est ; ita hoc quoque proponendum Prætor putavit. *d. l. un.* § 1.

Sed & si quis aliis Fluminis usibus prohibeatur, Utile Interdictum ei dabitur. Mela enim Ait, Tale Interdictum competere ; « NE CUI vis fiat, quominus pecus ad » Flumen Publicum Ripam-ve Fluminis Publici appel- » latur. » *d. l. un.* § 8. ¶ *idem ait.*

II.

Vim coercet hoc Interdictum ; non ad opera quæ in Flumine fierent, pertinet. Hinc Si quis velit Interdictum tale movere, UT locus deprimatur pecoris appellandi gratiâ ; non debet audiri. Et ita Mela scribit. *d.* § 8. *pr.*

III.

Hoc Interdictum (ut ex verbis Edicti liquet) ad lacus quoque, & stagna, & fossas pertinet. LACUS est, quod perpetuam habet aquam. *d. l. un.* § 3.

STAGNUM est quod temporalem contineat aquam ibidem stagnantem, quæ quidem aqua plerumque hyeme cogitur. *d. l. un.* § 4.

FOSSA est receptaculum aquæ, manu facta. *d. l. un.* § 5.

Possunt autem etiam hæc esse Publica. *d. l. un.* § 6.

Quòd Si privata sunt suprà scripta, Interdictum cessat. *d. l. un.* § 2.

IV.

Tamen quamvis res patrimoniales fisci aut civitatum Publicæ non sint ; Publicano planè, qui lacum vel stagnum conduxit, si piscari prohibeatur, Utile Interdictum competere Sabinus consentit : & ita Labeo. Ergo & si à municipibus conductum habeat ; æquissimum erit, ob vectigalis favorem, Interdicto eum tueri. *d. l. un.* § 7.

(*a*) Suprà Tit. X.

TITULUS XV.

DE RIPA MUNIENDA.

I.

PRætor ait : « QUOMINUS illi in flumine publico » Ripâ-ve ejus opus facere, Ripæ, agri-ve qui » circa Ripam est, tuendi causâ, liceat ; dùm ne ob id » navigatio deterior fiat ; si tibi Damni infecti in annos » decem, viri boni arbitratu, vel cautum vel satisdatum » est ; aut per illum stat quominùs viri boni arbitratu » caveatur, vel satisdetur ; vim fieri veto. » *l. un.* ULP. LIB. 68. AD ED.

Ripas fluminum publicorum reficere, Munire, utilissimum est. Sicuti igitur de viâ publicâ reficiendâ Interdictum propositum (*a*) est, ita etiam de Ripâ fluminis Muniendâ proponendum fuit. *d. l. un.* § 1.

Non omnem autem refectionem Prætor hoc Interdicto tuetur. Et Meritò adjicit : DUM NE OB ID NAVIGATIO deterior fiat. Illa enim sola refictio toleranda est, quæ navigationi non est impedimento. *d. l. un.* § 2.

II.

Ripam Munienti concedit Prætor hoc Interdictum, sub lege cautionis. Is autem qui Ripam vult Munire, de damno futuro debet vel cavere, vel satisdare, secundùm qualitatem personæ (*b*). Et hoc Interdicto expressum est, ut Damni Infecti IN ANNOS DECEM viri boni arbitratu vel caveatur vel satisdetur. *d. l. un.* § 3.

Dabitur autem SATIS vicini, sed & his qui trans flumen possidebunt. *d. l. un.* § 4.

Etenim curandum fuit, ut eis ante opus factum caveretur. Nam post opus factum, persequendi hoc Interdicto nulla facultas supereset ; etiamsi quid damni posteà datum fuerit. Sed Lege (*c*) Aquiliâ experiendum est. *d. l. un.* 4 5.

III.

Interdictum loquitur de Muniendis fluminis publici Ripis. Undè Illud notandum est quòd Ripæ lacûs, fossæ, stagni, Muniendi [*Melius fortè* muniendæ] nihil Prætor hîc cavit. Sed idem erit observandum, quod in Ripâ fluminis Muniendâ. *d. l. un.* § 6.

(*a*) Suprà Tit. XI.

(*b*) Scilicet si persona ea sit quæ suo nomine sibi caveri petat, ei satisdandum erit ; sin alieno nomine petat, repromittere ei sufficiet : ut vid. suprà lib. 39. Tit. *de Op. Nov. nunt.* N. 33.

(*c*) Actione *In factum* ad instar actionis Legis Aquiliæ.

Source : BIU Cujas

TITULUS XVI.

DE VI, ET DE VI ARMATA.

Duo ſunt Interdicta DE VI: *alterum* de VI *ſimpliciter ſeu* DE VI COTTIDIANA, *quum ſine Armis quis de poſſeſſione rei ſoli dejectus eſt; alterum* DE VI ARMATA, *quum res ſoli Armis occupata eſt.*

I.

Verba Edicti circa Vim Armatam referre omiſit Tribonianus. Edictum autem circa Vim quotidianam, tale eſt.

Prætor ait: « UNDE tu illum Vi dejeciſti, aut familia » tua dejecit; de eo, quæ-que ille tunc ibi habuit, » tantummodò intrà annum (*a*) poſt annum, de eo » quod ad eum qui Vi dejecit, pervenerit, judicium » dabo. » *l.* 1. ULP. LIB. 69. AD ED.

Hoc Interdictum proponitur ei qui Vi dejectus eſt. Etenim fuit æquiſſimum, Vi dejecto ſubvenire: propter quod, ad recuperandam poſſeſſionem interdictum hoc proponitur. *d. l.* 1. § 1.

Circa hæc Interdicta videbimus 1°. *Quando his locus ſit:* 2°. *Circa quas res dentur:* 3°. *Quibus & adversùs quos:* 4°. *Denique, quid in his veniat præſtandum, quandiù durent, & cum quibus aliis judiciis concurrant. Subjungemus Appendicem, de Interdicto* Momentariæ Poſſeſſionis.

ARTICULUS I.

Quando Interdictis DE VI *locus ſit.*

§ I.

Quando generaliter locum habeant Interdicta Unde VI, *& proindè etiam de Vi quotidianâ.*

II.

Hoc Interdictum non ad omnem Vim pertinet, verùm ad eos qui de poſſeſſione dejiciuntur.

Ad ſolam autem atrocem Vim pertinet hoc Interdictum; & ad eos tantùm qui de SOLO dejiciuntur, ut putà de fundo ſive ædificio: ad alium autem non pertinet. Et ſi quis de areâ dejectus ſit, ſine dubio Interdicto locus eſt. *l.* 1. § 3. ULP. LIB. 69. AD ED.

Metu coactus igitur Si rerum tibi poſſeſſionem tradidero; dicit Pomponius, UNDE VI Interdictum ceſſare; quoniam non eſt Vi dejectus, qui compulſus eſt in poſſeſſionem inducere. *l.* 5. IDEM LIB. 11. AD ED.

Item Eum qui neque animo neque corpore poſſidebat, ingredi autem & incipere poſſidere prohibeatur; non videri dejectum, verius eſt. Dejicitur enim qui amittit poſſeſſionem, non qui non accipitur. *ſup. d. l.* 1. § 26.

Hinc nota quod idem Ulpianus ait: UNDE VI Interdictum neceſſarium fuiſſe fructuario apparet, ſi prohibeatur uti-frui uſufructu fundi. *l.* 3. § 13. ULP. LIB. 69. AD ED.

Quod nempè ſic accipi debet, quemadmodum ſtatim ipſe Ulpianus explicat: Uti-frui autem prohibuiſſe is videtur, qui Vi dejecit utentem & fruentem; aut non admiſit, quum ex fundo exiiſſet non uſusfructûs deſerendi causâ. Cæterùm ſi quis ab initio volentem incipere uti-frui, prohibuit; hoc Interdictum locum non habet. Quid ergo eſt? Debet fructuarius uſumfructum vindicare. *d. l.* 3. § 14.

III.

Corollarium ex dictis. Interdictum autem hoc nulli competit, niſi ei qui tunc quum dejiceretur, poſſidebat: nec alius dejici viſus eſt, quàm qui poſſidet. *ſup. d. l.* 1. § 23.

Cæterùm Quod ſervus vel procurator, vel colonus tenent, dominus videtur poſſidere. Et ideò his dejectis, ipſe dejici de poſſeſſione videtur; etiamſi ignoret eos dejectos per quos poſſidebat. Et ſi quis igitur alius per quem poſſidebam, dejectus fuerit; mihi competere Interdictum, nemini dubium eſt. *l.* 1. § 22.

Similiter Labeo. Si colonus tuus Vi dejectus eſt, ages UNDE Vi interdicto. Idem ſi inquilinus tuus Vi dejectus fuerit. Paulus: Idem dici poteſt de coloni colono, item inquilini inquilino. *l.* 20. LABEO LIB. 3. PITANON. A PAULO EPITOMAT.

IV.

Quid ſi quis nec ſuo nec alieno corpore poſſideret, ſed duntaxat animo? Ait Ulpianus: Sive autem corpore ſive animo poſſidens quis dejectus eſt, palàm eſt eum Vi dejectum videri. Idcircòque ſi quis de agro ſuo vel de domo proceſſiſſet, nemine ſuorum relicto; mox revertens prohibitus ſit ingredi vel ipſum prædium, vel ſi quis eum in medio itinere detinuerit, & ipſe poſſederit; Vi dejectus videatur. Ademiſti enim ei poſſeſſionem quam animo retinebat, etſi non corpore. *l.* 1. § 24. ULP. LIB. 69. AD ED.

Enimverò Quod vulgò dicitur, æſtivorum hibernorumque ſaltuum nos poſſeſſiones animo retinere; id exempli causâ didici Proculum dicere: nam ex omnibus prædiis, ex quibus non hâc mente recedimus ut omiſiſſe poſſeſſionem vellemus, idem eſt. *d. l.* 1. § 25.

V.

Non alii autem quàm ei qui poſſidet (*b*), Interdictum UNDE VI competere; argumentum præbet, quòd apud Vivianum relatum eſt: Si quis me Vi dejecerit, meos non dejecerit, non poſſe me hoc Interdicto experiri; quia per eos retineo poſſeſſionem, qui dejecti non ſunt. *d. l.* 1. § 45.

Interdum tamen quis dejectus videtur, etiam quum ipſe aut hi per quos poſſidebat, in fundo manent. Putà in ſpecie quam Idem Nivianus refert: Servos quoſdam Vi depulit, alios retinuit, & vinxit, aut etiam eis imperavit (*c*): Vi te dejectum intelligi; deſiiſſe enim poſſidere, cùm ſervi ab alio poſſideantur. Et quod in parte ſervorum dictum eſt, idem in omnibus dici ait; ſi fortè nemo depulſus eſſet, ſed poſſideri ab eo cœpiſſent qui ingreſſus in poſſeſſionem eſſet. *d. l.* § 46.

Quid dicturi eſſemus, tractat; Si aliquo poſſidente ego quoque ingreſſus ſum in poſſeſſionem; & non dejiciam poſſeſſorem, ſed vinctum opus facere cogam: quatenùs res (inquit) eſſet? Ego verius puto, eum quoque dejectum videri qui illic vinctus eſt. *d. l.* 1. § 47.

Obſervandum etiam, dejectum videri non ſolùm eum qui propellitur, ſed & eum qui fugatus eſt. Quocircà [Idem]

(*a*) Imò in l. 7. § 5. ff. *Comm. divid.* [ſuprà lib. 10. *d. tit.* N. 8.] ſimpliciter & indiſtinctè dicitur, hoc Interdictum POST ANNUM reddi. Solve: ſupplendum eſt, *in id quod pervenit*; ut mox ſtatim. Et verò in ſpecie legis oppoſitæ, is qui Vi dejecerat, rem poſſidebat; & eâ de re ad judicium *Communi dividundo* provocabat.

(*b*) Rectè Grotius; *qui poſſedit.* Nam hoc Interdictum eſt de amiſsâ poſſeſſione recuperandâ.

(*c*) Id eſt; Quidam eis ſervis imperavit, & hi juſſa ejus exequuntur ſe pro eorum domino geſſit eoſque poſſidere cœpit.

Source : BIU Cujas

Labeo ait; Eum qui metu turbæ perterritus fugerit, videri dejectum. Sed Pomponius ait, Vim ſine corporali Vi locum non habere. Ego; Etiam eum qui fugatus eſt ſupervenientibus quibuſdam, ſi illi VI occupaverunt poſſeſſionem videri VI dejectum. *d. l.* 1. § 29.

V I.

Vidimus quis poſſeſſione ſuâ dejectus intelligatur. Nil refert autem, ut huic Interdicto locus ſit, quo jure poſſideret is qui dejectus eſt.

Hinc rectè Fulcinius dicebat; Vi poſſideri, quoties vel non dominus (quum tamen poſſideret) Vi dejectus eſt. *l.* 8. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Enimverò Dejicitur is qui poſſidet; ſive civiliter, ſive naturaliter poſſideat. Nam & naturalis poſſeſſio ad hoc Interdictum pertinet. *l.* 1. § 9. ULP. LIB. 69. AD ED.

Qui uſusfructûs nomine qualiter qualiter fuit quaſi in poſſeſſione, utetur hoc Interdicto. Sed ſi quis poſteaquàm prohibitus eſt, capite minutus ſit, vel mortuus; rectè dicitur, heredibus & ſucceſſoribus competere hoc Interdictum: non ut in futurum conſtituatur uſusfructus, ſed ut præterita cauſa & damnum præteritum ſarciatur. *l.* 3. § 17. IDEM LIB. 69. AD ED.

Item ſi non uſusfructus, ſed uſus ſit relictus; competit hoc Interdictum. Ex quâcumque enim causâ conſtitutus eſt uſusfructus vel uſus, hoc Interdictum locum habebit. *d. l.* 3. § 16.

Denique & ſi maritus uxori donavit, eaque dejecta ſit; poterit interdicto uti non tamen ſi colonus (*a*). *ſup. d. l.* 1. § 10.

V I I.

Quinetiam Qui à me VI poſſidebat, ſi ab alio dejiciatur, habet Interdictum. *d. l.* 1. § 30.

Hinc in ſpecie ſequenti: Colonus eum cui locator fundum vendiderat, quum is in poſſeſſionem miſſus eſſet, non admiſit. Deinde colonus Vi ab alio dejectus eſt. Quærebatur, quis haberet Interdictum UNDE VI? Dixi; Nihil intereſſe, colonus dominum ingredi volentem prohibuiſſet; an emptorem cui juſſiſſet dominus tradi poſſeſſionem, non admiſit. Igitur Interdictum UNDE VI, colono (*b*) competiturum; ipſumque ſimili Interdicto locatori obſtrictum fore: quem dejeciſſe tunc videretur, quum emptori poſſeſſionem non tradidit; niſi fortè propter juſtam & probabilem cauſam (*c*) id feciſſet. *l.* 12. MARCELL. LIB. 19. DIGEST.

Conſonat quod ait Papinianus. Quum fundum qui locaverat, vendiſſet; juſſit emptorem in vacuam poſſeſſionem ire: quem colonus intrare prohibuit. Poſtea emptor Vi colonum expulit. [De] Interdictis UNDE VI quæſitum eſt? Placebat, colonum Interdicto venditori teneri; quia nihil intereſſet, ipſum, an alium ex voluntate ejus miſſum, intrare prohibuerit. Neque (*d*) enim ante omiſſam poſſeſſionem videri, quàm ſi tradita eſſet emptori; quia nemo eo animo eſſet, ut poſſeſſionem omitteret propter emptorem, quam emptor adeptus non fuiſſet. Emptorem quoque, qui poſtea Vim adhibuit, & ipſum Interdicto colono teneri. Non enim ab (*e*) ipſo, ſed à venditore per Vim fundum eſſe poſſeſſum, cui poſſeſſio eſſet ablata. *l.* 18. PAPIN. LIB. 26. QUÆST.

Obiter Nota. In eâdem ſpecie Quæſitum eſt an emptori ſuccurri debeat, ſi ex voluntate venditoris colonum poſtea (*f*) Vi expuliſſet? Dixi; Non eſſe juvandum, qui mandatum illicitum ſuſceperit. *d. l.* 18. ¶ *quæſitum.*

V I I I.

Obſervandum quòd quum quis à poſſeſſione quam per Vim occupaverat, dejicitur; ita demùm huic Interdicto locus eſt, ſi ab alio quàm quem ipſe dejecerat, dejiciatur. Ita expreſsè Tullius Pro Cæcinâ *n.* 32. « IN ILLA *Vi quotidianâ non ſatis eſt docere, ſe, quum poſſideret, eſſe dejectum; niſi doceat ita ſe poſſediſſe, ut nec Vi nec clàm nec precariò poſſideret:* » *nimirùm ab eo à quo Vi dejectus eſt. Secùs ſi ab alio vitiosè poſſideret: ut liquet ex N. præced.*

Cæterùm non videtur Vi poſſidere, qui eum à quo dejiciebatur, illicò in ipſo congreſſu dejecit. Undè, etſi poſtea ab illo dejiciatur, hoc Interdicto uti poterit.

Hoc docet Julianus. Qui poſſeſſionem Vi ereptam, Vi in ipſo congreſſu recuperat; in priſtinam cauſam reverti potiùs, quàm Vi poſſidere intelligendus eſt. Ideòque ſi te Vi dejecero, illicò tu me deinde ego te: UNDE VI Interdictum tibi (*g*) utile erit. *l.* 17. JULIAN. LIB. 48. DIGEST.

Conſonat Ulpianus. VI poſſidere eum definiendum eſt, qui expulſo vetere poſſeſſore, adquiſitam per Vim poſſeſſionem obtinet; aut qui in hoc ipſum aptatus & præparatus venit, ut (contra bonos mores auxilio ne prohiberi poſſit ingrediens in poſſeſſionem facit). Sed qui per Vim poſſeſſionem ſuam retinuerit; Labeo ait, non Vi poſſidere. *l.* 1. § 28. ULP. LIB. 69. AD ED.

I X.

Vidimus quæ Vis ſpecies huic Interdicto locum det. Maximè autem ad hoc Interdictum non pertinet Vis imaginaria & legitima, quæ etiam à Gellio XX. 10. Civilis & FESTUCARIA (*h*) *dicitur; qualis Jure veteri fiebat, tum manus conſerendo, tum verbis Vindicando: de quo ſuprà lib.* 6. *Tit.* de Rei vindic. *N.* 19.

Et generaliter: NON videtur Vim facere, qui jure ſuo utitur, & ordinariâ actione experitur. *l.* 155. (*Aliàs* 197.) § 1. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 65. AD ED.

§ I I.

Quando locus ſit ſpeciali Interdicto de Vi Armatâ.

X.

Ut huic Interdicto locus ſit, non ſufficit aliquem fuiſſe ſimpliciter Vi dejectum: oportet Armis fuiſſe dejectum.

ARMIS dejectum quomodo accipimus? Arma ſunt, omnia tela; hoc eſt, & fuſtes, & lapides: non ſolùm gladii, haſtæ, frameæ, id eſt (*i*) romphææ. *l.* 3. § 2. ULP. LIB. 69. AD ED.

Et alibi: Armorum appellatio non utique ſcuta & gladios & galeas ſignificat; ſed & fuſtes & lapides. *l.* 41. *ff. de Verb. ſignif.* GAIUS LIB. 21. AD ED. PROV.

X I.

Nec requiritur ut omnes qui dejecerunt, fuerint Armati. Nam Planè, etſi unus vel alter fuſtem vel gladium tenuit, Armis dejectus poſſeſſor videtur. *ſup. d. l.* 3. § 3.

Plus dicitur: Etſi inermes venerant, ſi in ipsâ concertatione, qui inermes venerant, eò proceſſerunt ut fuſtes aut lapides ſumerent; Vis erit Armata. *d. l.* 3. § 4.

Obſervandum etiam quòd Qui Armati venerunt, etſi Armis non ſunt uſi ad dejiciendum, ſed dejecerunt; Armata Vis facta eſſe videtur. Sufficit enim terror Armorum, ut videantur Armis dejeciſſe. *d. l.* 3. § 5.

(*a*) *Colonus* dejectus non habet Interdictum *de Vi*; quia ille non poſſidet, ſed eſt duntaxat in poſſeſſione: mulier autem cui maritus donavit, licèt ex titulo injuſto, reverâ tamen poſſidet.

(*b*) Nec obſtat quod mox ſuprà dictum eſt, colono non competere. Etenim in præſenti ſpecie colonus reverâ poſſeſſor factus eſt, prohibendo dominum aut emptorem ingredi. Violentus quidem eſt poſſeſſor, ſed tamen poſſeſſor.

(*c*) Putà, quòd ignoraret emptionem.

(*d*) Præoccupat objectionem. Fortè enim quis ita objiciet: Non poteſt dejici, niſi qui poſſidet. Atqui videtur locator deſiiſſe poſſidere, quum fundum ſuum vendidit eumque emptori tradi juſſit. Ad hanc objectionem reſpondet; Locatorem ex eo ſolo non deſiiſſe poſſidere. Nec enim animus ei fuit antè amittendæ poſſeſſionis, quàm eo momento quo eam adipiſceretur emptor. Ergo poſſidebat adhuc locator, quum colonus emptorem prohibuit ingredi poſſeſſionem: & colonus eum prohibendo adversùs voluntatem locatoris, videtur dejeciſſe locatorem poſſeſſione.

(*e*) Vide N. ſeq.

(*f*) Interpoſito intervallo.

(*g*) Nec enim videris Vi à me poſſidere; qui vim adhibuiſti, non tam ut me dejiceres, quàm ut poſſeſſionem tuam retineret.

(*h*) Undènam ſic dicta? Heineccius [*Antiq. Rom.* IV. Tit. 6. ad *n.* 24.] cenſet, quemadmodum litigantes in Rei vindicatione glebam unam agri ad vindicandum in Jure adportabant, ita etiam *Feſtucam* ſi de domo ageretur. Contrà V. C. B. Branchu [ab Heineccio ibid. laudatus] dicit vim iſtam *Feſtucarium* nomen obtinuiſſe à Prætoriâ Vindictâ, quæ etiam *Feſtuca* dicitur: Nec temerè conjici, uſum ejus feſtucæ quam in manumiſſionibus adhibuerint, etiam in aliis vindicationibus adhibitum; inprimis [inquit] cùm à *Vindicando* dicta ſit VINDICTA.

(*i*) Propriè *Romphæa genus teli eſt Thracæ nationis*: Gell. X 25. De Frameis autem, ita Tacitus *de Morib. German.* « Hi, inquit, *Rari gladiis & majoribus* » *lanceis utuntur; haſtas* [*vel, ipſorum vocabulo*, FRAMEAS] *gerunt anguſto &* » *brevi ferro.* »

XII.

Source : BIU Cujas

X I I.

Non tamen ſufficit ut terrueris, niſi etiam invaſeris.

Hinc Ulpianus. Si quis autem viſis Armatis qui alibi tendebant, metu hoc deterritus profugerit; non videtur dejectus: quia non hoc animo fuerunt qui Armati erant, ſed aliò tendebant. *d. l.* 3. § 6.

Proindè & ſi, cùm Armatos audiſſet venire, metu deceſſerit poſſeſſione; ſive verum, ſive falſum audiſſet; dicendum eſt, non eſſe eum Armis dejectum, niſi poſſeſſio ab his fuerit occupata. *d. l.* 3. § 7.

X I I I.

Si autem quum dominus veniret in poſſeſſionem, Armati eum prohibuerunt, qui invaſerant poſſeſſionem; videri eum Armis dejectum. *d. l.* 3. § 8.

Et quidem, etſi nondum poſſidere cœpiſſet, huic Interdicto locus erit. Et in hoc differt ab Interdicto DE VI QUOTIDIANA. *Quod diſcrimen notat Tullius in ſup. d. Oratione* Pro Cæcinâ, *n.* 31. « IN *hoc Interdicto quotidiano* » *Undè me dejeciſti, additur* QUUM POSSIDEREM; *in* » *hoc Interdicto de hominibus Armatis, non additur.* »

X I V.

Sicut in Interdicto DE VI ARMATA *non requiritur ut is cui Vis facta eſt, ullatenùs poſſideret; ita nec requiritur, ut nec Vi nec clàm nec precariò poſſederit ab eo à quo Armis dejectus eſt. Sic accipe quod ait Pomponius*: Sed ſi Vi Armatâ dejectus es; ſicut ipſum fundum recipis, etiamſi Vi aut clàm aut precariò eum poſſideres, ita res quoque mobiles omnimodo recipies. *l.* 14. POMPON. LIB. 29. AD SABIN.

Quod dicimus, huic Interdicto locum eſſe adversùs eum etiam qui Armis aliquem dejecit à quo ipſe dejectus eſt; ſic accipe, ſi ex intervallo dejiciat: ſecùs, ſi in continenti.

Nam Vim Vi repellere licere Caſſius ſcribit: idque Jus naturâ comparatur. Apparet autem (inquit) ex eo, Arma Armis repellere licere. *l.* 1. § 27. ULPIAN. LIB. 69. AD ED.

Eum igitur qui cum Armis venit, poſſumus Armis repellere. Sed hoc confeſtim, non ex intervallo: dummodò ſciamus, non ſolùm reſiſtere permiſſum ne dejiciatur; ſed etſi dejectus quis fuerit, eumdem dejicere; non ex intervallo, ſed ex continenti. *ſup. d. l.* 3. § 9.

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Rectè poſſidenti, ad defendendam poſſeſſionem quam ſine vitio tenebat, inculpatæ tutelæ moderatione, illatam Vim propulſare licet. *l.* 1. *Cod. Undè Vi.*

ARTICULUS II.

Circa quas res Interdicta DE VI *tam quotidianâ quàm Armatâ dentur.*

X V.

Pertinet autem hoc Interdictum, ad eum qui fundo uti frui prohibitus eſt. Pertinebit etiam ad eum qui ædificiis uti frui prohibetur. Conſequenter autem dicemus ad res mobiles hoc Interdictum non pertinere, ſi quis uti frui prohibitus eſt re mobili: niſi ſi rei ſoli accedebant res mobiles. Si igitur ibi fuerunt; dicendum eſt, etiam ad eas referri hoc Interdictum debere. *l.* 3. § 15. ULP. LIB. 69. AD ED.

X V I.

Igitur 1°. Et generaliter ad omnes hoc pertinet Interdictum, qui de re ſolo cohærenti dejiciuntur. Qualis qualis enim fuerit locus undè quis Vi dejectus eſt, Interdicto locus erit. *l.* 1. § 4. IBID.

Proindè & ſi ſuperficiaria inſula fuerit, quâ quis dejectus eſt; apparet Interdicto fore locum. *d. l.* 1. § 5.

Planè ſi quis de ligneis ædibus dejectus fuerit, nemo ambigit Interdicto locum fore; quia quale quale ſit quod ſolo cohæreat, indè qui Vi dejectus eſt, habet Interdictum. *d. l.* 1. § 8.

Nec ſolùm ſi de ædibus aut fundo, ſed & ſi de loco aliquo fundi quis dejectus ſit; competit Interdictum.

Quocircà nota. LOCUS eſt, non fundus, ſed portio aliqua fundi. Fundus autem integrum aliquid eſt: & plerùmque ſine villâ Locum accipimus. Cæterùm adeò opinio noſtra & conſtitutio locum à fundo ſeparat: ut & modicus locus poſſit FUNDUS dici, ſi fundi animo eum habuimus. Non etiam magnitudo locum à fundo ſeparat, ſed noſtra affectio; & quælibet portio fundi poterit fundus dici, ſi jam hoc conſtituerimus. Necnon & fundus, LOCUS conſtitui poteſt: nam ſi eum alii adjunxerimus fundo, locus fundi efficietur. *l.* 60. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 69. AD ED. (*a*)

Loci appellationem non ſolùm ad ruſtica, verùm ad urbana quoque prædia pertinere Labeo ſcribit. *d. l.* 60. § 1.

Sed fundus quidem ſuos habet fines; locus verò latere poteſt, quatenùs determinetur & definiatur. *d. l.* 60. § 2.

X V I I.

2°. Illud utique in dubium non venit, Interdictum hoc ad res mobiles non pertinere. Nam ex causâ furti, vel Vi bonorum raptorum, actio competit: poteſt & Ad exhibendum agi. *l.* 1. § 6. ULP. LIB. 69. AD ED.

Ergo Si quis de nave Vi dejectus eſt, hoc Interdicto locus non eſt: argumento ejus qui de vehiculo detractus eſt, quem nemo dixit Interdicto hoc uti poſſe. *d. l.* 1. § 7.

Planè ſi quæ res ſunt in fundo, vel in ædibus undè quis dejectus eſt; etiam earum nomine Interdictum competere non eſt ambigendum. *d. l.* 1. *ſup. d.* § 6. ¶ *planè.*

ARTICULUS III.

Quibus & adversùs quos hæc Interdicto dentur.

§ I.

Quibus & adversùs quos detur Interdictum de Vi cottidianâ.

X V I I I.

Præter eum qui Vi dejectus eſt: Hoc Interdictum & heredi (*b*) & cæteris ſucceſſoribus competit. *l.* 1. § 44. ULP. LIB. 69. AD ED.

X I X.

Adversùs eum competit qui Vi dejecit.

DEJECISSE autem etiam is videtur, qui mandavit vel juſſit ut aliquis dejiceretur. Parvi enim referre viſum eſt, ſuis manibus quis dejiciat, an verò per alium. Quare & ſi familia mea ex voluntate meâ dejecerit, ego videor dejeciſſe. *d. l.* 1. § 12.

Nam DEJICIT, & qui mandat. *l.* 152. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 69. AD ED.

Sed & ſi, quòd alius dejecit, ratum habuero; ſunt qui putenti (ſecundùm Sabinum & Caſſium qui ratihabitionem mandato comparant) me videri dejeciſſe, Interdictoque iſto teneri. Et hoc verum eſt. Rectiùs enim dicitur, in maleficio ratihabitionem mandato comparari. *ſup. d. l.* 1. § 14.

Hinc illa Regula: IN MALEFICIO, ratihabitio mandato comparatur. *ſup. d. l.* 152. § 2. *ff. de Reg. Jur.*

His conſequens eſt quod ex Sabino refert Ulpianus. Nimirùm Quoties verus procurator dejecerit; cum utrolibet eorum, id eſt, ſive domino ſive procuratore, agi poſſe Sabinus ait; & alterius nomine alteri (*Aliàs meliùs* alterum) eximi: ſic tamen, ſi ab altero eorum

(*a*) Ad tractationem de hoc Interdicto pertinere hanc legem cum ſuis §§*is.* apparet ex ſimilitudine inſcriptionum.

(*b*) Non proprio nomine, ſed defuncti qui *Vi* dejectus eſt. Et ſic non pugnat cum d. l. 1. § 23. ſuprà N. 3.

Source : BIU Cujas

litis æstimatio fuerit præstita. Non enim excusatus est, qui jussu alicujus dejecit; non magis quàm si jussu alicujus occidit. Quum autem falsus est procurator, cum ipso tantùm procuratore (*a*) interdici debere. Sabini sententia vera est. *sup. d. l.* 1. § 13.

XX.

Datur etiam hoc Interdictum adversùs eum cujus familia dejecit. Enimverò Ait Prætor: DEJECISTI, AUT FAMILIA DEJECIT. Meritò familiæ mentio habita. Nam cùm DEJECISTI verbum, refertur ad personam ejus qui dejecit, nec pertineat ad eum cujus familia dejecit: (nec enim ego videor dejeciſſe, si familia mea dejecerit): consequens fuit addere, AUT familia tua dejecit. *l.* 1. § 11. ULP. LIB. 69. AD ED.

Quod igitur additur AUT FAMILIA TUA DEJECIT, meritò scriptum est in eum casum in quem familia mea Vi dejecit (*b*). Cæterùm si jussit (*c*), ipse dejecit. Nec gravari debet dominus qui non jussit, si servorum suorum factum præstaret, etsi non jussu ejus dejecerunt. Nam non gravabitur hoc nomine. Quippè cùm aut pervenit ad eum aliquid, & restitueret; aut non pervenit, & ipsos servos maleficii causâ noxæ dedendo indemnis erit. Quod enim noxæ dedere compellitur, in damno (non) debet reputare; cùm servus hoc (*d*) possit domini deteriorem conditionem facere. *d. l.* 1. § 15.

Et rursùs idem Ulpianus. Si quis tamen neget se servum vel familiam defendere; cogendus est pati hoc Interdictum, ad hoc scilicet ut quod ad eum pervenit, restituat. *d. l.* 1. § 19.

XXI.

Hoc Interdicto ob Vim à servis factam, noxaliter tenetur dominus; etsi ne quidem scierit; imò etsi nondum hos servos quum Vis facta est possideret, sed ipse tunc ut servus possideretur.

Hinc Ulpianus. Si adversùs eum qui in libertatem ex servitute, vel contrà, petitur, post inchoatum liberale judicium utar Interdicto, & liber judicatus fuerit; & apparuerit, ignorante eo à servis ejus Vi me dejectum, in possessionem restituar. *d. l.* 1. § 21.

XXII.

Jam verò observa. FAMILIÆ autem appellatio servos continet. *d. l.* 1. § 16.

Sed quæritur quem numerum servorum contineat, utrùm plurium, an verò & duûm vel trium? Sed verius est, in hoc Interdicto, etiamsi unus servus Vi dejecerit, FAMILIAM videri dejeciſſe. *d. l.* 1. § 17.

*Sed et*Si filiusfamilias vel mercenarius Vi dejecerit, Utile Interdictum (*e*) competit. *d. l.* 1. § 20.

Hinc Ulpianus. Familiæ appellatione, & eos quos loco servorum habemus contineri oportere dicendum (*f*) est. *d. l.* 1. § 18.

Quatenùs autem ex facto filii pater tenebitur? Nimirùm In Interdicto UNDE VI, dicendum est ut ejus causâ quod ad patrem pervenit ipse teneatur. *l.* 16. ULPIAN. LIB. 29. AD ED.

XXIII.

Et generaliter, quatenùs ad nos pervenit, tenemur; non solùm in casibus supràdictis, sed & ex cujuslibet facto qui nostro nomine dejecit. Hinc V. G. Si Vi me dejecerit quis nomine municipum; in municipes mihi Interdictum reddendum, Pomponius scribit, si quid ad eos pervenit. *l.* 4. ULP. LIB. 10. AD ED.

XXIV.

Vidimus qui hoc Interdicto teneantur. Ex eo solo autem quis non tenetur, quòd rem quæ ab alio Vi ablata est ipse possideat.

Hinc Paulus. Cùm à te Vi dejectus sim; si Titius eamdem rem possidere cœperit, non possum cum alio quam tecum Interdicto experiri. *l.* 7. PAUL. LIB. 24. AD ED.

Indè est etiam quod ait Gaius. Si de fundo proprietarium, & fructuarium, prædo expulerit; atque ob id fructuarius constituto tempore non usus, perdiderit jus suum: nemo dubitat quin dominus, sive experiatur cum fructuario adversùs prædonem, sive non experiatur, retinere debeat reversum ad se usumfructum: & quod fructuarius perdiderit (*g*), id ad damnum ejus pertineat, cujus facto periit. *l.* 10. GAIUS LIB. 2. AD ED. PRÆTORIS URBANI. TIT. DE LIBERALI CAUSA.

XXV.

Hoc Interdictum non datur in heredem. Sed Ex causâ hujus Interdicti, in heredem, & bonorum possessorem cæterosque successores (*h*) IN FACTUM actio competit; in id quod ad eos pervenit: *l.* 1. § *fin.* ULPIAN. LIB. 69. AD ED.

Dolo-ve malo eorum factum est, quominùs perveniret. *l.* 2. PAUL. LIB. 65. AD. ED.

Et alibi. Heres quoque simili modo debebit IN FACTUM actionem suscipere; in id quod ad se pervenit. *l.* 3. § 18. ULP. LIB. 69. AD ED.

Si plures heredes sunt; unusquisque non in ampliùs quàm ad eum pervenerit, tenetur. Quâ de causâ; interdum in solidum tenebitur is ad quem totum pervenerit, quamvis ex parte heres sit. *l.* 9. PAUL. LIB. 65. AD ED.

§ II.

Quibus & adversùs quos detur Interdictum de Vi Armatâ.

XXVI.

Quod in Interdicto DE VI *diximus, circa personas quibus & adversùs quos competit; idem in Interdicto* DE VI ARMATA *dictum puta. Nimirùm competit ei qui Vi Armatâ dejectus est, ejus quæ heredibus & successoribus; & competit adversùs eum qui Vi Armatâ dejecit.*

Et quidem Quum procurator Armatus venit, & ipse dominus Armis dejeciſſe videtur; sive mandavit, sive (ut Julianus ait) ratum habuit. *l.* 3. § 10. ULP. LIB. 69. AD ED.

Hoc & in familiâ dicendum (*i*) est. Nam quum familia sine me Armata venit, ego non videor veniſſe, sed familia; nisi jussi, vel ratum habui. *d. l.* 3. § 11.

Hoc Interdictum etiam adversùs eum proponitur, qui dolo malo fecit quo quis Armis dejiceretur. *d. l.* 3. § 12.

Item quemadmodum Interdictum de Vi privatâ non datur in heredem, sed vice hujus datur actio IN FACTUM *in id quod ad eum pervenerit: illud* Idem (*Florent.* Quod est) est, & si quis Armis dejectus est; quia ex facinoribus defunctorum, de eo quod ad heredem pervenit, actio datur. Sufficit enim non in lucro versari eum heredem, non etiam damnum subire. *d. l.* 3. *pr.*

Obiter nota. Hæc actio quæ adversùs heredem cæterosque successores pertinet, perpetuò competit; quia in eâ rei persecutio continetur. *d. l.* 3. § 1.

XXVII.

Igitur circa personas quibus & adversùs quas hoc Interdictum datur, convenit cum Interdicto de Vi cottidianâ. *In eo autem differt, quòd detur etiam adversùs parentem & patronum: secùs in Interdicto* DE VI QUOTIDIANA.

Ita enim Ulpianus. Interdictum hoc (*k*) quia atrocitatem facinoris in se habeat, quæsitum est an liberto

(*a*) Non cum domino. Si tamen quid ad eum perveniſſet; saltem in id *Utili* Interdicto teneretur: ut infrà N. 23.
(*b*) Citra jussum meum.
(*c*) Dominus.
(*d*) Id est, in hoc; vel, eo modo.
(*e*) In id duntaxat quod pervenit.
(*f*) Ut in id quod ad nos ex facto eorum pervenit, hoc Interdicto teneamur.
(*g*) Dominus autem non tenebitur hoc Interdicto; quamvis penès ipsum sit ususfructus quem fructuarius per vim ab alio illatam amisit.
(*h*) Universales.
(*i*) Scilicet ut non meo, sed familiæ nomine teneat, quum familia mea Armis aliquem dejecit. Et quidem non meo nomine: *Num*, &c.
(*k*) *De Vi* simpliciter, seu *de Vi cottidianâ.*

Source : BIU Cujas

in patronum, vel liberis adversùs parentes competit? Et verius est, nec liberto in patronum, nec in parentes liberis dandum esse. Meliusque erit, IN FACTUM actionem his competere. Aliter atque si Vi Armatâ usus sit adversùs libertum patronus, vel adversùs liberos parens. Nam hìc Interdictum (*a*) competit. *l.* 1. § 43. ULP. LIB. 69. AD ED.

ARTICULUS IV.

Per quem instituì possint hæc Interdicta, & intra quod tempus; quid in his præstandum veniat; & quæ alia judicia cum his concurrant.

§ I.

Per quemlibet, etiam servum, instituì posse hæc Interdicta.

XXVIII.

Speciale est his interdictis, ut etiam per servum possint instituì; qui, quum rem absentis domini nomine detineret, eâ dejectus est. l. 1. *Cod.* Si per vim &c.

§ II.

Quid veniat in his Interdictis.

XXIX.

In Interdicto UNDE VI, *seu Vis illa* Cottidiana *sit, seu* Armata, *venit ut restituatur fundus quo quis dejectus est; vel potiùs ut Vis fieri prohibeatur ei qui dejectus est, quominùs regrediatur.*

Enimverò Species inducendi in possessionem alicujus rei est, prohibere ingredienti Vim fieri. Statim enim cedere adversarium, & vacuam relinquere possessionem jubet: quod multò plus est quàm restituere. *l.* 52. § 2. *ff. de Adq. vel omitt. possess.* VENULEIUS LIB. 1. INTERD.

XXX.

Ut autem in hoc Interdicto veniat restitutio fundi Vi possessi; nil refert an is qui Vi dejecit & adversùs quem agitur, eum possideat necne. Nam Ex Interdicto UNDE VI, etiam is qui non possidet, restituere cogetur. *l.* 1. § 42. ULP. LIB. 69. AD ED.

Similiter Paulus. Si Vi me dejeceris, vel Vi aut clàm feceris; quamvis sine dolo & culpâ amiseris possessionem, tamen damnandus es quanti meâ interfit: quia in eo ipso culpa tua præcessit, quòd omninò Vi dejecisti, aut Vi aut clàm fecisti. *l.* 15. PAUL. LIB. 13. AD SABIN.

Et Julianus Idcircò constare ait; Eum qui Vi dejecit, qui-que Vi sine dolo malo desierit possidere, Interdicto teneri. *sup. d. l.* 1. § 36.

Huic consequens esse ait, ut villæ quoque & ædium incendio consumptarum pretium restituere cogatur. Ubi enim quis (inquit) dejecit, per eum stetisse videtur quominùs restitueret. *d. l.* 1. § 35.

Multò magis quum fructuarius Vi dejectus est. Dejectum ab usufructu in eamdem causam Prætor restitui jubet; id est, in quâ futurus esset si dejectus non esset. Itaque si tempore ususfructus finitus fuerit, postquàm dejectus est à domino; nihilominùs cogendus erit restituere, id est, usumfructum iterùm constituere. *l.* 9. § 1. PAUL. LIB. 65. AD ED.

XXXI.

Venit etiam in Interdicto UNDE VI, *restitutio rerum mobilium quas is qui fundo Vi dejectus est* IBI *habuit.*

IBI autem ait Prætor, ut ne quis & quæ illic non habuit complectatur. *l.* 1. § 37. ULP. LIB. 69. AD ED.

Sanè quod ait Prætor, IBI; quomodo accipimus? utrùm in eo loco undè quis Vi dejectus est, an verò in omni possessione? Et meliùs dicetur, non ad angulum referendum, vel locum in quo fuerit; verùm etiam ad omnem partem possessionis, quâ quis caruit quum dejicitur. *d. l.* 1. § 38.

Quod autem ait Prætor, QUÆQUE HABUIT, sic accipimus ut omnes res contineantur; non solùm quæ propriæ ipsius fuerunt; verùm etiam si quæ apud eum depositæ, vel ei commodatæ, vel pigneratæ, quarumque usum vel usumfructum vel custodiam habuit, vel si quæ ei collocatæ (*Aliàs* locatæ) sunt. Cùm enim dicat Prætor, HABUIT; omnia hæc, HABENDI verbo continentur. *d. l.* 1. § 33.

XXXII.

Rectissimè autem Prætor addidit, TUNC IBI HABUIT. TUNC sic accipimus, quum dejiceretur. Et ideò & si quid postea desiit illic esse, dicendum erit in Interdictum venire. Sic fit ut, etiamsi homines vel pecora demortua sint post dejectionem, Interdicto locus sit. Denique scribit Julianus; Eum qui Vi dejecit ex eo prædio in quo homines fuerant, propiùs esse ut, etiam sine culpâ ejus mortuis hominibus, æstimationem eorum per Interdictum restituere debeat; sicuti fur hominis, etiam mortuo eo tenetur. *d. l.* 1. § 34.

Item Meritò Julianus respondit; Si me de fundo Vi dejeceris; in quo res moventes fuerunt; cùm mihi Interdicto UNDE VI restituere debeas, non solùm possessionem soli, sed & ea quæ ibi fuerunt; quanquàm ego moram fecero, quominùs Interdicto te convenirem; subtractis tamen mortalitate servis, aut pecoribus, aliis-ve rebus casu intercidentibus; tuum tamen onus nihilominùs in eis restituendis esse: quia (*b*) ex ipso tempore delicti, plus quàm fructrator debitor constitutus est. *l.* 19. TRYPHONIN. LIB. 15. DISPUTAT.

XXXIII.

Observandum supereſt quòd Si fundus à quo Vi expulsus sim, mihi restitutus esset; cæteræ verò res quæ Vi ablatæ sunt, non restituantur: hìc dicendum est Interdictum nihilominùs tenere; quia verum est, Vi esse dejectum.

Planè si quis velit, de possessione quidem rei soli per hoc Interdictum experiri, de rebus verò mobilibus AD EXHIBENDUM actione; potest hoc suo arbitrio habere. Et ita Julianus scribit. Idem scribit, & si quis Vi bonorum raptorum de hujusmodi rebus velit experiri. *l.* 1 § 32. ULP. LIB. 69. AD ED.

XXXIV.

Venit etiam in Interdicto UNDE VI, *ut Vi dejecto fructuum ratio habeatur. Et quidem* Ex die quo quis dejectus est, fructum ratio habetur; quamvis in cæteris Interdictis, ex quo edita sunt, non retrò computantur.

Idem est & in rebus mobilibus, quæ ibi erant. Nam earum fructus computandi sunt, ex quo quis Vi dejectus est. *d. l.* 1. § 40.

Non solùm autem fructuum ratio in hoc Interdicto habetur, verùm cæterarum etiam utilitatum habenda est. Nam & Vivianus refert; In hoc Interdicto, omnia quæcumque habiturus vel adsecuturus erat is qui dejectus est, si Vi dejectus non esset, restitui, aut eorum litem à judice æstimari debere; eumque tantùm consecuturum, quanti suâ interesset se Vi dejectum non esse. *d. l.* 1. § 41.

Igitur Qui Vi dejectus est, quidquid damni senserit ob hoc quòd dejectus est, recuperare debet. Pristina enim causa restitui debet, quam habiturus erat, si non fuisset dejectus. *d. l.* 1. § 31.

Hinc generaliter de fructibus & omni causâ rescribunt Diocletianus & Maximianus. Si de possessione Vi dejectus es; eum & Lege Juliâ Vis privatæ reum postulare, & ad instar Interdicti Undè vi convenire potes; quo REUM

(*a*) *De Vi armatâ.*

(*b*) Id est; quia is qui Vim facit, jam ex ipso tempore delicti, intelligitur esse *plus quàm fructrator*, id est esse in improbiori morâ; adeòque magis in morâ quàm quivis debitor qui moram fecit. Atqui debitor quivis, interitu rei post moram superveniente non liberatur: ergo nec is qui Vim fecit, debet interitu rerum liberari.

Source : BIU Cujas

CAUSAM OMNEM PRÆSTARE OPORTET : in quâ fructus etiam quos vetus poſſeſſor percipere potuit, non tantùm quos prædo percepit, venire non ambigitur. *l.* 4. *Cod.* Undè Vi.

De his fructibus & omni causâ rei agitur, etiam poſtquam ipſa res peti non poſſet. Hinc de fructuario ait Ulpianus : Sed ſi quis poſteaquàm prohibitus eſt ; capite minutus ſit, vel mortuus ; rectè dicitur, heredibus & ſucceſſoribus competere hoc Interdictum ; non ut in futurum conſtituatur uſusfructus, ſed ut præterita cauſa & damnum præteritum ſarciatur. *l.* 3. § 17. ¶ *ſed ſi.* ULP. LIB. 69. AD ED.

XXXV.

Obſervandum ſupereſt quòd In Interdicto UNDE VI tanti condemnatio facienda eſt, quanti interſit poſſidere. Et hoc Jure nos uti, Pomponius ſcribit ; id eſt tanti rem videri, quanti actoris interſit. Quod aliàs minùs eſſe, aliàs plus. Nam ſæpè actoris pluris intereſſe hominem retinere, quàm quanti is eſt : veluti quum quæſtionis habendæ, aut rei probandæ gratiâ, aut hereditatis adeundæ, interſit ejus, eum poſſideri. *l.* 6. PAUL. LIB. 17. AD ED.

Ex Conſtitutione Zenonis ; ſi is qui Vim ſuſtinuerit, non potuerit ſingula quæ perdidit, comprobare ; condemnatio fieri debet, quanti actor in litem juraverit : judice quantitatem, intrà quam jurare debeat, pro perſonarum qualitate taxante. l. 9. *Cod.* Unde Vi.

§ III.

Intra quod tempus dentur hæc Interdicta.

XXXVI.

Interdictum DE VI COTTIDIANA, *intrà annum datur. Et* Annus in hoc Interdicto utilis eſt. *l.* 1. § 39. ULP. LIB. 69. AD ED.

Undè Diocletianus & Maximianus. Vi pulſos reſtituendos eſſe, Interdicti exemplo, ſi necdum utilis annus exceſſit, certiſſimi Juris eſt ; & heredes teneri (*a*) in tantùm, quantùm ad eos pervenit. *l.* 2. *Cod. Undè vi.*

Ex Conſtitutione Conſtantii ; iis qui dum abeſſent dejecti ſunt, annus, dum abſunt, non currit. l. 1. *Cod.* Si per vim vel alio mod.

XXXVII.

Interdictum autem DE VI ARMATA *perpetuum fuiſſe apparet ex hoc Ciceronis textu, Epiſt. XV.* 16. *ad Caſſium, ubi metaphoricè ad hoc Interdictum ita alludit :* « POSTULA-» BIMUS, *ex quâ hæreſi* (*b*) *Vi hominibus Armatis de-» jectus ſis, in eam reſtituere.* IN HOC INTERDICTO NON » SOLET ADDI, IN HOC ANNO. *Quare ſi jam bien-» nium aut triennium eſt, quum virtuti nuntium remiſiſti » delinitus illecebris voluptatis ; in integro res nobis erit.* »

Hinc de hoc Interdicto ait Ulpianus : ET POST ANNUM REDDETUR. *At verò, cùm Juſtiniano placuerit hæc duo Interdicta confundere ; Tribonianus textum Ulpiani ita Interpolavit :* Et poſt annum reddetur, in id (*c*) quòd pervenit ad eum qui prohibuit. *l.* 3. § 12. ¶ *& poſt.* ULP. LIB. 69. AD ED.

§ IV.

Cum quibus aliis judicis hæc Interdicta concurrant.

XXXVIII.

Interdicta DE VI, *concurrunt cum publicis judiciis Legis Juliæ : ut ſuprà obiter vidimus ex Reſcripto Diocletiani & Maximiani, N.* 34.

Similiter Ulpianus. Ne quid autem per Vim admittatur, etiam Legibus Juliis proſpicitur publicorum & privatorum (*d*) ; necnon & Conſtitutionibus Principum. *l.* 1. § 2. ULP. LIB. 69. AD ED.

De his Legibus, infrà lib. 48. *ubi videbimus & de pœnis quas adversùs violentos poſſeſſores noviſſimi Imperatores conſtituerunt.*

Poſſunt etiam hæc Interdicta concurrere cum REI *vindicatione. Et quidem* Eum qui fundum vindicavit ab eo cum quo Interdicto UNDE VI potuit experiri, pendente judicio nihilominùs Interdicto rectè agere placuit. *l.* 18. § 1. PAPIN. LIB. 26. QUÆST.

APPENDIX

De Interdicto momentariæ poſſeſſionis.

XXXIX.

Interdictum MOMENTARIÆ POSSESSIONIS *eſt generale Interdictum quod complectitur omnes cauſas quibus redintegrari poſſeſſio debet ; ſive per Vim, ſive citra Vim occupata fuerit.*

Hinc poteſt quis eo uti, etiamſi nulla Vis intervenerit ; nulluſque locus ſit inſcriptioni in crimina de Vi publicâ *aut* de Vi privatâ. *Hoc eſt quod reſcribunt Arcadius & Honorius :* Momentariæ poſſeſſionis Interdictum, quod non ſemper ad Vim publicam pertinet vel privatam, mox audiri interdum etiam ſine inſcriptione meretur. *l.* 8. *Cod.* Undè Vi.

Plures ſunt ſpecies in quibus citra Vim aliena poſſeſſio invadi videtur. Putà quum quis Reſcripto Principis Sententiâ-ve judicis rem ipſi reſtitui jubentis fretus, hanc rem invadit ; non inſinuato Reſcripto aut Sententiâ poſſeſſori, aut ſi abfuerit, ejus actori vel procuratori. Cùm in hâc ſpecie Vim facere non videatur, qui Principis aut judicis auctoritate nititur ; Interdictum UNDE VI *ceſſat : cùm tamen injuriâ faciat, qui Juris ordinem prætermittit, non inſinuando Reſcriptum aut Sententiam ; huic Interdicto* Momentariæ poſſeſſionis *adversùs eum locus eſt, quo ſpoliatus conſequitur ut res ipſi reſtituatur, & ut invaſor jure quod habebat excidat. Quòd ſi tutor curator-ve hoc fecerit ; hoc Interdictum quidem adversùs Minorem ut res reſtituatur, competit : cæterùm Minor jus crediti ex facto tutoris non amittet. Tutor autem qui ut pupillo ſuo negotium faceret, per colluſionem hoc fecerit ; pœnâ publicationis bonorum plectetur. l.* 6. *Cod.* d. tit.

Ex Conſtitutione Juſtiniani ; qui vacuam abſentis poſſeſſionem occupavit, intrà triginta annos hoc recuperandæ poſſeſſionis Interdicto conveniri poteſt. l. fin. Cod. d. tit.

XL.

In hoc judicio id ſpeciale eſt quòd, Momentariæ poſſeſſionis actio exerceri poteſt per quamcumque perſonam ; *etiam eam quæ legitimam ſtandi in judicio perſonam non haberet. Putà per Minorem quoque poteſt moveri ; at non vice versâ, adversùs eum inferri poteſt. l.* 3. *Cod.* Qui legit. perſon. ſtandi in judic.

(*a*) *In factum* actione ex hoc Interdicto, ſuprà N. 25.

(*b*) Id eſt, doctrinâ & virtute Stoicâ ; ex quâ Caſſius ad partes Epicuri defecerat.

(*c*) Triboniani manum in hâc additione arguit textus Ciceronis modò laudatus. Licèt enim ex eo quòd Interdictum *de Vi armatâ* perpetuum fuerit ætate Ciceronis, indè certò non evincatur tale etiam illud fuiſſe ætate Ulpiani ; ſatis probabilis tamen conjectura eſt. Nec illi adverſatur lex 1*a.* pr. & § 1. ff. h. t. quam Wiſſenbachius objicit. Nam ibi agitur de alio Interdicto, nimirùm *de Vi quotidianâ* : nec placuit Juſtiniano Interdictum *de Vi armatâ* libris ſuis inſerere.

(*d*) Supple, judiciorum. Ita Gloſſa. Malè : neque enim ullum privatum judicium *De vi* Legibus Juliis invectum novimus ; ſed duo publica judicia, unum DE *Vi publicâ*, alterum DE *Vi privatâ*. Fortè legendum *Legibus Juliis Publ. & Priv.* id eſt, *Publicæ & Privatæ vis*, ſeu DE *Vi publicâ & privatâ.*

Source : BIU Cujas

TITULUS XVII.

UTI POSSIDETIS.

I.

Generaliter quoque ad RES SOLI *pertinet hoc Interdictum, ſicut & ſuperius* UNDE VI.

Ait Prætor: « UTI eas ædes quibus de agitur, nec » vi, nec clàm, nec precariò alter ab altero Poſſi» detis; quominùs ita Poſſideatis, vim fieri veto.

» DE cloacis hoc Interdictum non dabo; neque plu» ris quàm quanti res erit, intrà annum quo primùm » experiundi poteſtas fuerit, agere permittam. » *l.* 1. ULP. LIB. 69. AD ED.

Hujus autem Interdicti proponendi cauſa hæc fuit; quòd ſeparata eſſe debet Poſſeſſio à proprietate. Fieri enim poteſt ut alter poſſeſſor ſit, dominus non ſit; alter dominus quidem ſit, poſſeſſor verò non ſit: fieri poteſt ut & poſſeſſor idem & dominus ſit. *d. l.* 1. § 2.

Circa hoc Interdictum quæremus; Quale ſit, & in quo à ſuperiori differat; quando huic locus ſit, de quâ re detur, cui & adversùs quem competat; & quid in eo veniat præſtandum.

§ I.

Quale ſit hoc Interdictum, & in quo ab Interdicto Unde vi *differat.*

II.

Hujus Interdicti naturam ita breviter exponit Ulpianus: Et eſt prohibitorium, ad retinendam Poſſeſſionem. *d. l.* 1. § 1.

Eſt igitur hoc Interdictum quod vulgò UTI POSSIDETIS appellatur, retinendæ Poſſeſſionis: nam hujus rei causâ redditur ne vis fiat ei qui poſſidet. Et conſequenter proponitur poſt Interdictum UNDE VI. Illud enim reſtituit vi amiſſam Poſſeſſionem; hoc Interdictum, tuetur ne amittatur Poſſeſſio: denique Prætor Poſſidenti vim fieri vetat. Et illud quidem Interdictum (*a*) oppugnat poſſeſſorem, hoc (*b*) tuetur. Et (ut Pedius ait) omnis de Poſſeſſione controverſia, aut eò pertinet ut quod non Poſſidemus nobis reſtituatur; aut ad hoc, ut retinere nobis liceat quod Poſſidemus. Reſtitutæ Poſſeſſionis ordo, aut Interdicto expeditur, aut per actionem (*c*). Retinendæ itaque Poſſeſſionis duplex via eſt, aut exceptio, aut Inrerdictum. Exceptio datur ex multis cauſis, ei qui Poſſidet. *d. l.* 1. § 4.

Interdictum autem Poſſeſſorem prædii tuetur, quod eſt UTI POSSIDETIS. Actio enim nunquàm ultrò Poſſeſſori datur: quippè ſufficit ei quòd Poſſideat. *d. l.* 1. § 6.

III.

Circa naturam hujus Interdicti, illud adhuc obſervandum quòd Hoc Interdictum duplex eſt; & hi quibus competit, & actores & rei ſunt. *l.* 3. § 1. ULP. LIB. 69. AD ED.

Et ita quidem, quum inter duos redditur; quorum uterque ſe Poſſeſſorem affirmat. Secùs, quum hoc Interdicto agitur adversùs eum qui, etſi non ſibi Poſſeſſionem aſſerat, tamen me liberè poſſidere & re meâ uti prohibet. Etenim hoc etiam caſu locum eſſe huic interdicto, patebit ex infrà dicendis §°. ſeq.

(*a*) *Undè vi.*
(*b*) *Uti Poſſidetis.*
(*c*) Cujacius intelligit *Condictionem incerti*: Obſerv. V. 17. Alii aliter.

§ II.

Quando huic Interdicto locus ſit.

IV.

Patet huic Interdicto locum eſſe, quoties inter duos controvertitur uter Poſſideat.

Inter litigatores ergo quotiens eſt proprietatis controverſia; aut convenit inter litigatores uter Poſſeſſor ſit, uter petitor; aut non convenit. Si convenit, abſolutum eſt: ille Poſſeſſionis commodo, quem convenit Poſſidere; ille petitoris onere fungetur. Sed ſi inter ipſos contendatur uter Poſſideat, quia alteruter ſe magis Poſſidere adfirmat; tunc ſi res ſoli ſit in cujus Poſſeſſione contenditur, ad hoc Interdictum remittentur. *l.* 1. § 3. ULP. LIB. 69. AD ED.

V.

Controverſia etiam alicui ſuper Poſſeſſione fieri videtur, & huic Interdicto locus eſt; quum re ſuâ ad libitum uti prohibetur.

Hinc Ulpianus. Hoc Interdictum ſufficit ei qui ædificare in ſuo prohibetur. Etenim videris mihi Poſſeſſionis controverſiam facere, qui prohibes me uti meâ Poſſeſſione. *l.* 3. § 2. IDEM. LIB. 69. AD ED.

Item Venuleius. Eum qui ædificare prohibeatur, Poſſidere quoque prohiberi manifeſtum eſt. *l.* 52. *ff. de Adquir. poſſeſſ.* VENULEIUS LIB. 1. INTERDICT.

Igitur Quum inquilinus dominum ædes reficere volentem prohiberet; æquè competere Interdictum UTI POSSIDETIS (*d*) placuit; teſtarique dominum, non prohibere inquilinum ne habitaret, ſed ne Poſſideret. *l.* 3. § 3. ULP. LIB. 69. AD ED.

Item Si vicinus meus in parte meâ tectoria habeat, & in parte ſuâ; UTI POSSIDETIS mihi efficax eſt, ut ea tollere compellatur. *d. l.* 3. § 9.

Item videamus, ſi actor vicini tui ex fundo tuo vites in ſuas arbores tranſduxit, quid Juris ſit? Et ait Pomponius; Poſſe te ei denuntiare, & vites præcidere. Idque & Labeo ſcribit: aut uti (*e*) eum debere Interdicto UTI POSSIDETIS, de eo loco quo radices continentur vitium. Nam ſi tibi vim fecerit, quominùs eas vites vel prædicas vel tranſducas; vim tibi facere videtur, quominùs Poſſideas: etenim qui colere fundum prohibetur, Poſſidere prohibetur, inquit Pomponius. *d. l.* 3. § 4.

Et generaliter VIM FACIT, qui non ſinit Poſſidentem eo quòd Poſſidebat uti arbitrio ſuo; ſive in ſerendo, ſive fodiendo, ſive arando, ſive quid ædificando, ſive quid omninò faciendo per quod liberam Poſſeſſionem adverſarii non relinquit. *l.* 11. *ff. de Vi & vi arm.* POMPON. LIB. 6. EX PLAUTIO.

§ III.

De quâ re detur.

VI.

Hoc Interdictum de ſoli Poſſeſſore ſcriptum eſt; quem potiorem Prætor in ſoli Poſſeſſione habebat. *l.* 1. § 1. ULP. LIB. 69. AD ED.

Hoc Interdictum in omnibus etiam Poſſeſſionibus quæ

(*d*) Videtur enim inquilinus occupare Poſſeſſionem domini, quum dominum prohibet reficere ædes ſuas.
(*e*) Credo legendum, *uti* ADVERSUS *eum.*

Source : BIU Cujas

ſunt ſoli, ſine dubio locum habebit; dummodò Poſſideri (*a*) poſſit. *d. l* 1. § 8.

Hoc Interdictum locum habet, ſive quis totum fundum Poſſidere ſe dicat, ſive pro certâ parte, ſive pro indiviſo Poſſideat. *d. l.* 1. § 7.

§ IV.

Cui detur.

VII.

Hoc Interdictum datur ei qui Poſſidet; nec ſolùm his qui civiliter, ſed & his qui naturaliter duntaxat Poſſident.

Igitur In ſummâ puto dicendum, & inter fructuarios hoc Interdictum reddendum; &, ſi alter uſumfructum, alter Poſſeſſionem ſibi defendat. Idem erit probandum, & ſi uſusfructûs quis ſibi defendat Poſſeſſionem. Et ita Pomponius ſcribit. Proindè & ſi alter uſum, alter fructum ſibi tueatur; & his Interdictum erit dandum. *l.* 4. ULP. LIB. 70. AD ED.

Quod autem dicimus Poſſeſſori hoc Interdictum dari, hanc limitationem accipit: Perpetuò autem hoc Interdicto inſunt hæc QUOD NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO AB ILLO, Poſſides. *ſup. d. l.* 1. § 5.

Enimverò qui ab adverſario vel VI *vel* CLAM *vel* PRECARIO *Poſſidet; quodammodo dici poteſt ejus reſpectu non Poſſidere. Cùm enim de eâ Poſſeſſione ipſi reſtituendâ teneatur;* Non videtur Poſſeſſionem adeptus, is qui ita nactus eſt ut eam retinere non poſſit. *l.* 22. *ff. de Acquir. poſſeſſ.* JAVOLEN. LIB. 13. EX CASSIO.

Et quantùm ad ipſum qui vi dejecit; Si quis vi de Poſſeſſione dejectus ſit, perindè haberi debet ac ſi Poſſideret; cùm Interdicto DE VI recuperandæ Poſſeſſionis facultatem habeat. *l.* 17. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 76. AD ED.

VIII.

In hoc vitium non ſuccedit, is qui (etiam ſciens) ab eo qui vi, clàm, aut precariò Poſſidebat, rem comparaverit.

Hinc Ulpianus. Non videor vi Poſſidere, qui ab eo quem ſcirem vi in Poſſeſſionem eſſe, fundum accipiam. *l.* 3. § 10. ULP. LIB. 69. AD ED.

IX.

Vidimus hoc Interdictum denegari ei qui vi, clàm, aut precariò, ab eo cum quo contendit, Poſſidet. Secùs ſi ita Poſſideat à quovis alio. Enimverò Quod ait Prætor in Interdicto: NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO ALTER AB ALTERO POSSIDETIS, hoc eò pertinet; ut ſi quis Poſſidet vi aut clàm aut precariò, ſi quidem ab alio, proſit ei Poſſeſſio: ſi verò ab adverſario ſuo; non debeat eum, propter hoc quod ab eo Poſſidet, vincere. Has enim Poſſeſſiones non debere proficere palàm eſt. *l.* 1. § *fin.* ULP. 69. AD ED.

Juſta enim an injuſta adversùs cæteros Poſſeſſio ſit, in hoc Interdicto nil refert. Qualiſcumque enim poſſeſſor hoc ipſo quòd Poſſeſſor eſt, plùs juris habet quàm ille qui non Poſſidet. *l.* 2. PAUL. LIB. 65. AD ED.

Hoc eſt quod Venuleius ait: Adversùs extraneos vitioſa Poſſeſſio prodeſſe ſolet. *l.* 53. *ff. de Acquir. poſſeſſ.* VENUL. LIB. 5. INTERDICTOR.

Ergo Qui precariò fundum Poſſidet; is Interdicto UTI POSSIDETIS, adversùs omnes præter eum quem rogavit, uti poteſt. *l.* 17. *ff. de Precar.* POMPON. LIB. 23. AD SABIN.

X.

Si duo Poſſideant in ſolidum (*b*), videamus quid ſit dicendum? Quod qualiter procedat, tractemus: ſi quis proponeret Poſſeſſionem juſtam & injuſtam; ego Poſſideo ex juſtâ causâ, tu vi aut clàm. Si à me Poſſides, ſuperior ſum Interdicto (*c*): ſi verò non à me, neuter noſtrûm vincetur; nam & tu Poſſides, & ego. *l.* 3. ULP. LIB. 69. AD ED.

XI.

Item videamus, ſi projectio ſupra vicini ſolum non jure haberi dicatur; an Interdictum UTI POSSIDETIS ſit utile alteri adversùs alterum? Et eſt apud Caſſium relatum, utrique eſſe inutile (*d*); quia alter ſolum (*e*) Poſſidet, alter cum ædibus ſuperficiem (*f*). *d. l.* 3. § 5.

Labeo quoque ſcribit: Ex ædibus meis in ædes tuas projectum habeo; Interdicis mecum, SI EUM LOCUM POSSIDEAMUS, QUI PROJECTO (*g*) TEGETUR. An, quo faciliùs poſſim retinere Poſſeſſionem ejùs projectionis, Interdico tecum: SICUTI (*h*) NUNC POSSIDETIS EAS ÆDES EX QUIBUS PROJECUS EST? *d. l.* 3. § 6.

Sed ſi ſupra ædes quas Poſſideo, cœnaculum ſit in quo alius quaſi dominus moretur; Interdicto UTI POSSIDETIS me uti poſſe Labeo ait, non eum qui in cœnaculo moraretur: ſemper enim SUPERFICIEM SOLO CEDERE. Planè ſi cœnaculum ex publico aditum habeat; ait Labeo, videri non ab eo ædes Poſſideri qui ΚΡΥΠΤΑΣ (*i*) Poſſideret, ſed ab eo cujus ædes ſuprà ΚΡΥΠΤΑΣ eſſent. Verum eſt hoc, in eo qui aditum ex publico habuit.

Cæterùm ſuperficiarii, proprio Interdicto (*k*) & actionibus à Prætore utentur: dominus autem ſoli, tam adversùs alium quàm adversùs ſuperficiarium, potior erit Interdicto UTI POSSIDETIS. Sed Prætor ſuperficiarium tuebitur ſecundùm legem locationis. Et ita Pomponius quoque probat. *d. l.* 3. § 7.

XII.

Cùm Interdictum UTI POSSIDETIS *nonniſi ei qui Poſſidet competat; hinc reſpondetur* Creditores miſſos in poſſeſſionem rei ſervandæ causâ, Interdicto UTI POSSIDETIS uti nonpoſſe. Et meritò quia non Poſſident. Idemque & in cæteris omnibus qui cuſtodiæ causâ miſſi ſunt in poſſeſſionem; dicendum eſt. *d. l.* 3. § 8.

XIII.

Oſervandum; non ideò minùs quem Poſſidere videri rem, quòd hanc vindicare cœperit. Adeòque non ideò minùs ei hoc Interdictum competet.

Hoc docet Ulpianus, hâc optimâ ratione: NIHIL commune habet proprietas cum Poſſeſſione. Et ideò non denegatur ei Interdictum UTI POSSIDETIS, qui cœpit rem vindicare: non enim videtur Poſſeſſioni renuntiaſſe, qui rem vindicavit. *l.* 12. § 1. *ff. de Acquir. poſſeſſ.* ULP. LIB. 70. AD ED.

§ V.

Quid veniat in hoc Interdicto.

XIV.

Exitus controverſiæ Poſſeſſionis hic eſt tantùm, ut priùs pronuntiet judex uter Poſſideat. Ita enim fiet, ut is qui victus eſt de Poſſeſſione, petitoris partibus fungatur; & tunc de dominio (*Florent.* domino) quæratur. *l.* 35. *ff.*

(*a*) Solum ſcilicet. Fruſtrà Haloander emendat, *poſſint*. Quo autem caſu ſolum poſſideri non poteſt, putà ſi ſit à flumine occupatum, vel divini juris factum; palàm eſt Interdicto locum eſſe non poſſe.

(*b*) Quod ex Trebatii ſententiâ ſupponitur. Quæ tamen vera non eſt, ut ſuprà vid. lib. 41. Tit. *de Acquir. poſſeſſ.* N. 3.

(*c*) Hinc quidam colligunt eum qui Vi dejectus eſt, præter Interdictum UNDE VI, poſſe etiam uti [ſi malit] hoc Interdicto. Sed malè. Id enim tantùm ſibi vult Juriſconſultus; ut ſi is qui *Vi* me dejecit, agat hoc Interdicto adversùs me qui eum turbo in poſſeſſione; *ſuperior Interdicto* eſſe debeam, id eſt abſolvi.

(*d*) Cujacius Obſerv. V 22 & XVII. 2. cenſet legendum *Utile*. Quod ratio contextûs probat.

(*e*) Adeòque poteſt agere Interdicto; quaſi videatur prohiberi liberâ Poſſeſſione ſoli ſui, ab eo qui aliquid projecit in illud ſolum.

(*f*) Id eſt, projectum ex ædibus: adeoque poteſt uti Interdicto, ſi prohibeatur poſſidere ædes cum hoc projecto.

(*g*) Formula Interdicti, quo dominus ſoli interdicit retinendæ poſſeſſionis SOLI ſui liberi à projecto.

(*h*) Formula Interdicti, quo ego poſſeſſor ædium quæ in tuas projectum habent, interdicam retinendæ poſſeſſionis PROJECTI quod in tuas ædes habeo. Hic autem non reſpondet Labeo ad quæſtionem. Quo ſatis innuit, hoc Interdictum competere.

(*i*) Loca abdita & concamerata ſub terrâ [V. G. *des Caves*].

(*k*) Interdicto UTI POSSIDETIS *de Superficie*, de quo in Tit. ſeq. quod redditur ad inſtar interdicti *de Rebus ſoli* de quo in h. tit.

Source : BIU Cujas

de Adq. vel am. poſſ. ULP. LIB. 5. DE OMNIB. TRIBUNALIB.

Venit adhuc in hoc Interdicto; ut, qui turbavit Poſſeſſorem, quanti ea res eſt condemnetur.

Et quidem In hoc Interdicto, condemnationis ſumma refertur ad rei ipſius æſtimationem. QUANTI RES EST ſic accipimus, quanti uniuſcujuſque intereſt Poſſeſſionem retinere. Servii autem ſententia eſt exiſtimantis, tanti Poſſeſſionem æſtimandam, quanti ipſa res eſt. Sed hoc nequaquàm opinandum eſt: longè enim aliud eſt rei pretium, aliud Poſſeſſionis. *l.* 3. § 11. ULPIAN. LIB. 69. AD ED.

TITULUS XVIII.

DE SUPERFICIEBUS.

I.

Affine eſt & quaſi ſequela præcedentis, hoc Interdictum; ut ſtatim patebit ex dicendis.

SUPERFICIARIAS ædes appellamus, quæ in conducto ſolo poſitæ ſint; quarum proprietas & Civili & naturali Jure ejus eſt, cujus & ſolum. *l.* 2. GAIUS LIB. 25. AD ED. PROVINC.

Conductor autem & qui ejus jure utuntur, habent in his jus quod dicitur JUS SUPERFICIEI: *ad quod retinendum, hoc Interdictum ipſis proponitur.*

Nimirùm Ait Prætor: « UTI EX LEGE locationis ſive » conductionis, Superficie quâ de agitur, nec vi, nec » clàm, nec precariò alter ab altero fruemini; quo» minùs fruamini vim fieri veto. » *l.* 1. ULP. LIB. 70.

Proponitur autem Interdictum duplex; exemplo Interdicti UTI POSSIDETIS.

Tuetur itaque Prætor eum qui Superficiem petiit, veluti UTI POSSIDETIS Interdicto; neque exigit ab eo quam cauſam poſſidendi habeat. Unum tantùm requirit; num fortè vi, clàm, precariò, ab adverſario poſſideat. Omnia quoque quæ in UTI POSSIDETIS Interdicto ſervantur, hìc quoque ſervabuntur. *d. l.* 1. § 2.

II.

Datur etiam Superficiario, quum poſſeſſione excidit, Utilis IN REM *actio.*

Hinc addit Prætor: « SI QUA ALIA ACTIO DE SUPER» FICIE POSTULABITUR, CAUSA COGNITA DABO. » *d. l.* 1. *pr.* ¶ *ſi qua.*

Dices, Sed quid his opus habet Superficiarius? Nam Qui Superficiem in alieno ſolo habet, Civili actione ſubnixus eſt. Nam ſi conduxit Superficiem, Ex conducto; ſi emit, Ex empto agere cum domino ſoli poteſt. Etenim ſi ipſe eum prohibeat; quod intereſt agendo conſequetur: ſin autem ab alio prohibeatur, præſtare ei actiones ſuas debet dominus & cedere. Sed longè utile viſum eſt, (quia & incertum erat an LOCATI exiſteret (*a*), & quia meliùs eſt poſſidere potiùs quàm In perſonam experiri) hoc Interdictum proponere, & quaſi IN REM actionem polliceri. *d. l.* 1. § 1.

III.

Quod ait Prætor, SI ACTIO DE SUPERFICIE POSTULABITUR, CAUSA COGNITA DABO, ſic intelligendum eſt; ut, ſi ad tempus (*b*) quis Superficiem conduxerit, negetur ei In rem actio. Et ſanè, causâ cognitâ, ei qui non ad modicum tempus conduxit Superficiem, In rem actio competet. *d. l.* 1. § 3.

IV.

Quia autem etiam IN REM actio de Superficie dabitur; petitori (*c*) quoque IN SUPERFICIEM dari; & quaſi uſumfructum, ſive uſum quemdam ejus eſſe, & conſtitui poſſe per Utiles actiones, credendum eſt. *d. l.* 1. § 6.

Servitutes quoque Prætorio Jure conſtituentur. Et ipſæ, ad exemplum earum quæ ipſo Jure conſtitutæ ſunt, Utilibus actionibus petentur. Sed & Interdictum de his Utile competet. *d. l.* 1. § 9.

V.

Superficiem non vendi tantùm & locari; Sed & tradi poſſe intelligendum eſt, ut & legari & donari poſſit. *d. l.* 1. § 7.

Et, ſi duobus ſit communis, etiam Utile COMMUNI DIVIDUNDO judicium dabimus. *d. l.* 1. § 8.

VI.

Hactenùs de jure quod circa Superficiem habet Superficiarius.

Is autem in cujus ſolo Superficies eſt, utique non indiget Utili actione; ſed habet IN REM, qualem habet de ſolo. Planè ſi adversùs Superficiarium velit vindicare, dicendùm eſt exceptione utendum IN FACTUM datâ. Nam (*d*) CUI DAMUS ACTIONEM, eidem & exceptionem competere, multò magis quis dixerit. *d. l.* 1. § 4. *hìc*, & *l.* 156. § 1. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 70. AD ED.

Si ſoli poſſeſſori (*e*) Superficies evincatur; æquiſſimum erit ſubvenire ei, vel ex ſtipulatu De evictione, vel certè Ex empto actione. *d. l.* 1. § 5.

(*a*) Id eſt; an titulo Locationis-conductionis, an Emptionis-venditionis, conceſſum fuerit jus Superficiei; adeòque an *Ex conducto*, an *Ex empto* agendum ſit. Vel etiam dubitari poteſt, an contractus de Superficie locandâ ſit vera locatio ex quâ poſſit competere actio *Conducti*; cùm in eo contractu id agatur ut jus in re ad Superficiarium tranſeat: quod à regulis communibus Locationis exorbitat.

(*b*) Modicum.

(*c*) Id eſt, quemadmodum Superficiarius, Utili actione *In rem* perſequi poteſt Superficiem; ita etiam Utilibus actionibus perſequi poterunt jus quoddam uſusfructûs aut usûs in hâc Superficie, hi quibus hoc jus Superficiarius conſtituerit.

(*d*) Superficiarius jus ſuum per actionem perſequi poteſt: multò magis poteſt illud per exceptionem tueri.

(*e*) Ei qui ſolum cum Superficie emerat.

TITULUS XIX.

DE ITINERE ACTUQUE PRIVATO.

Expoſitis ſuprà his Interdictis quæ aut ad res publicas pertinent, aut generaliter De poſſeſſione rei cujuſlibet competunt; hìc jam, occaſione Superficiei de quâ in Tit. præced. alia quædam privata jura quæ de ſervitutibus ſunt, & quorum nomine ſpecialia Interdicta Prætor propoſuit, expenduntur.

Et primùm DE ITINERE ACTUQUE PRIVATO, *circa quod duo ſunt Interdicta; primum,* Ut ire agere *liceat; alterum,* Ut iter reficere.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS I.

De Interdicto, Ut Ire agere liceat.

I.

Prætor ait : « Quo Itinere Actuque Privato quo de » agitur vel viâ, hoc anno, nec vi neclàm nec precariò » ab illo usus es ; quominùs ita utaris, vim fieri veto. » *l.* 1. Ulp. lib. 70. ad Ed.

Hoc Interdictum prohibitorium est, pertinens ad tuendas rusticas tantùmmodò servitutes. *d. l.* 1. § 1.

Hoc Interdictum Itineris, actus, viæ ; *mentionem facit. Sed & ei qui jus Semitæ duntaxat sibi asserit, competit. Nam* Item Via est, sive semita (*a*), sive Iter est. *l.* 157. *ff. de Verb. signif.* Ælius-Gallus lib. 1. de verb. quæ ad jus pertinent signific.

II.

Hoc Interdicto Prætor non inquirit, utrùm habuit jure servitutem impositam, an non ; sed hoc tantùm, an Itinere Actuque hoc anno usus sit, non vi non clàm non precariò. Et tuetur eum ; licèt eo tempore quo Interdictum redditur, usus non sit. Sive igitur habuit jus viæ, sive non habuit ; in eâ conditione est ut ad tuitionem Prætoris pertineat : si modò anno usus est, vel modico tempore, id est non minùs quàm triginta diebus. Neque ad præsens tempus refertur usus ; quia plerùmque Itineribus vel viâ non semper utimur, nisi quum exegerit. Ita annui temporis spatio concluſit usum. *d. l.* 1. § 2.

III.

Ut hoc Interdictum competat ; nil refert etiam, an quis quasi dominus, an quasi fructuarius fundi cui Iter deberi dicitur, iverit ; nec à quo sit prohibitus.

Hinc Julianus scribit : Si meus ususfructus in fundo tuo, proprietas verò tua fuerit, & uterque nostrûm per vicini fundum Ierit ; Utile Interdictum De Itinere nos habere. Et sive fortè ab extraneo fructuarius prohibetur, sive etiam à domino, sed & si dominus à fructuario ; competet. Nam & quilibet prohibeat Ire, Interdictum adversùs eum competit. *l.* 3. § 5. Ulp. lib. 70. ad Ed.

IV.

Ex suprà dictis liquet quòd, Si quis hoc Interdicto utatur ; sufficit alterutrum (*b*) probare, vel Iter vel Actum in usu habuisse. *l.* 1. § 4. Ulp. lib. 70. ad Ed.

His generaliter & summatim præmissis, operosiùs dispiciendum est, quis usus fuisse videatur ut huic Interdictum competat ; quando & quomodo oporteat eum usum fuisse ; an etiam successor hoc Interdictum habeat ; denique quid in eo veniat.

§ I.

Quis usus fuisse videatur in hoc Interdicto.

V.

Usus videtur, non solùm qui per se, sed & qui per alium usus est. Hinc Si quis ex mandatu meo fundum emerit ; æquissimum est mihi hoc Interdictum dari, Ut ille usus est qui mandatu meo emit. *l.* 3. § 7. Ulp. lib. 70. ad Ed.

Item Uti videmur servitutibus etiam per servos, vel colonos, vel amicos, vel etiam hospites ; & ferè per eos omnes qui nobis retinent (*c*) servitutes. *d. l.* 3. § 4.

Igitur Is cujus colonus aut hospes, aut quis alius, Iter ad fundum fecit ; usus videtur Itinere, vel Actu, vel viâ : & idcircò Interdictum habebit. Et hæc ita Pedius scribit.

Et adjicit ; Etiamsi ignoravit cujus fundus esset per quem Iret, retinere eum servitutem. *l.* 1. § 7. Ibid.

VI.

Quod diximus, per eos qui nobis retinent servitutes, nos uti videri ; ita verum est, si nostro nomine usi sint. Secùs, si suo. V. G. Si quis autem cùm putaret fundum ad se pertinere, suo nomine Iter fecerit, amicus meus utique ; sibi, non mihi Interdictum adquisiisse intelligitur. *d. l.* 1. § 8.

Indè est etiam quod scribit idem Ulpianus. Sedenim per fructuarium quidem servitus retinetur : per fructuarium autem Interdictum hoc domino non competere Julianus ait. *sup. d. l.* 3. § 4.

VII.

Ita demùm etiam usus fuisse quis videtur ; si ipse, aut qui nomine ejus iverunt, tanquàm jure Eundi *utentes, iverunt.*

Contrà Si per fundum tuum, nec vi, nec clàm, nec precariò commeavit aliquis ; non tamen tanquàm id suo jure faceret ; sed si prohiberetur, non facturus : inutile est ei Interdictum De Itinere Actuque. Nam ut hoc Interdictum competat, jus fundi (*d*) possediſſe oportet. *l.* 7. Celsus lib. 25. digest.

Hinc Vivianus rectè ait ; Eum qui propter incommoditatem rivi, aut propterea quia via publica interrupta erat per proximi vicini agrum Iter fecerit ; quamvis id frequenter fecit, non videri omninò usum. Itaque inutile esse Interdictum ; non quasi precariò usum, sed quasi nec usum. Ergo secundùm hoc, nec utro (*e*) usus videtur. Multò enim minùs illo usus est per quem non iit, propter incommoditatem rivi, aut propterea quia via prærupta erat. Idem erit dicendum, & si non erat via publica ; sed Iter privatum : nam & hic eadem quæstio est. *d. l.* § 6.

§ II.

Quando eum qui hoc Interdicto agit, usum fuisse oporteat.

VIII.

Oportet ut hoc anno usus fuerit.

Annum ex die Interdicti retrorsùm computare debemus. *l.* 1. § 3. Ulp. lib. 70. ad Ed.

Quòd Si quis propter inundationem usus non sit Itinere Actuque hoc anno, quum superiore usus sit ; potest repetitâ die hoc Interdicto uti, per in integrum restitutionem ; ex illâ parte (*f*) Si qua mihi justa causa esse videbitur.

Sed etsi per vim hoc ei contigerit, in integrum eum restitui oportere, Marcellus probat. Præterea & aliis casibus Interdictum repetitâ die competit, ex quibus in integrum quis restitutionem impetrare soleat. *d. l.* 1. § 9.

Præterea sciendum est ; si dilatione datâ adversario, futurum est ut causa Interdicti mei deterior fiat, æquissimum esse repetitâ die reddi Interdictum. *d. l.* 1. § 10.

§ III.

Quomodo eum qui hoc Interdicto agit, usum fuisse oporteat.

IX.

Requiritur ut nec vi, nec clàm, nec precariò, ab eo cum quo experitur, usus fuerit is qui hoc Interdicto agit.

Sed etiam, Si quis ab auctore meo, vi, aut clàm, aut

(*a*) Id est, sive *Semis via* constituta sit ; sive *Iter*, id est via integræ latitudinis.

(*b*) *Alterutrum* ; id est, *vel Iter* duntaxat, *vel Actum*, *&c.*

(*c*) Vide suprà lib. 8. Tit. *Quib. mod. serv. amitt.* N. 11. Hic autem rectè ait *ferè* : nam exceptio in fructuario, mox infrà N. seq.

(*d*) Id est servitutem fundi ; seu jus prædiale *Itineris*.

(*e*) Haloander legit *neutro* ; id est nec viâ publicâ usus est, nec Itinere per tuum fundum.

(*f*) Edicti *De Restitutionibus* : suprà lib. 4.

aut precariò uſus eſt; rectè à me viâ uti prohibetur. Et Interdictum ei inutile eſt; quia à me videtur vi, vel clàm, vel precariò poſſidere; qui ab auctore meo vitiosè poſſidet. Nam & Pedius ſcribit: Si vi, aut clàm, aut precariò ab eo ſit uſus, in cujus locum hereditate vel emptione, alio-ve quo jure ſucceſſi; idem eſſe dicendum. Cùm enim ſucceſſerit quis in locum eorum; æquum non eſt nos (*Aliàs* nobis) noceri hoc, quod adversùs eum non nocuit, in cujus locum ſucceſſimus. *l.* 3. § 2. ULP. LIB. 70. AD ED.

Eſt enim Juris regula: QUUM quis in alicujus locum ſucceſſerit; non eſt æquum ei nocere hoc, quod adversùs eum [non (*a*)] nocuit, in cujus locum ſucceſſit. *l.* 156. § 2. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 70. AD ED.

Et plerùmque emptoris eadem cauſa eſſe debet circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris. *d. l.* 156. § 3.

X.

Si quis ſuprà dicto tempore anni, non vi, non clàm, non precariò, Itinere uſus ſit; verùm poſtea non ſit uſus, ſed clàm precariò-ve; videndum eſt, an ei noceat? Et magis eſt ut nihil ei noceat, quod attinet ad Interdictum. *l.* 1. § 12. ULP. LIB. 70. AD ED.

Nec enim corrumpi aut mutari quod rectè tranſactum eſt, ſuperveniente delicto, poteſt. *l.* 2. PAUL. LIB. 66. AD ED.

Indè etiam illud Labeo ſcribit: Si, quum à me rectè viâ utebaris, fundum vendidero per quem utebaris; deinde emptor te prohibuit; licèt clàm videaris ab eo uti [nàm qui prohibitus utitur, clàm (*b*) utitur]; tamen Interdictum tibi competere intrà annum: quia hoc anno non vi, non clàm, non precariò uſus es. *l.* 3. ULP. LIB. 70. AD ED.

Quinetiam Sicut non nocet ei qui ſine vitio uſus eſt, quòd eodem anno vitiosè uſus eſt; ita emptori heredique non nocebit quòd ipſi vitiosè uſi ſunt, ſi teſtator venditor-ve rectè uſi ſunt. *l.* 6. PAUL. LIB. 66. AD ED.

XI.

Item ſciendum eſt; Non tantùm eum clàm viâ uti, qui ipſe prohibitus utitur; verùm eum quoque per quem quis id jus retinebat: ſi, eo prohibito per quem retinebat, utatur.

Planè ſi ignoravi prohibitum, & perſevero uti; nihil mihi nocere dicendum eſt. *ſup. d. l.* § 1.

An autem precariò uſus fuerit is qui hoc Interdicto agit, in ſolâ ipſius perſonâ inſpici debet. Hinc Ulpianus: Si tibi fundum precariò conceſſero cui via debebatur; deinde tu à domino fundi precariò rogaveris ut eâ viâ ad eum fundum utaris; an noceat tibi exceptio, ſi adversùs eum velis Interdicere à quo precariò viam rogaſti? Et magis eſt ut noceat (*c*). Idque colligi poteſt ex eo quod Julianus ſcribit in ſpecie hujuſmodi. Quærit enim: Si ego tibi fundum precariò dedero cui via debebatur, & tu rogaveris precariò ut eâ viâ utaris; nihilominùs utile interdictum mihi eſſe: quia ſicuti me precarium rei meæ non tenet, ita nec per te precariò poſſidere intelligor. Quotiens enim colonus meus: aut is cui precariò fundum dedi, viâ utitur; ego Ire intelligor. Propter quod & rectè dico, me Itinere uſum. Quæ ratio (inquit) efficit ut; etſi ego viam precariò rogavero, & tibi fundum precariò dedero; quamvis hâc mente ieris quaſi fundo meo deberetur, inutile eſſe Interdictum, & precariò eo Itinere uſus eſſe videar. Non immeritò. Non enim opinio tua, ſed mea quærenda eſt. Tu tamen (credo) poteris Interdicto uti, etſi de hoc nihil ſcribit Julianus. *ſup. d. l.* 1. § 11.

(*a*) Malè hæc negatio deeſt in Florent, ut liquet ex lege mox ſuprà relatâ.

(*b*) Imò Vi: l. 1. § 5. ff. *Quod vi aut clàm.* Solve: ſi prohibitus faciat palàm prohibitionem contemnens, *vi* facit: ſi prohibitus facit, ſed ita ut celare velle videatur eum qui prohibuit, *clàm* facit.

§ IV.

An etiam ſucceſſori hoc Interdictum detur.

XII.

Hoc Interdictum non ſolùm ipſi qui uſus eſt, verùm etiam ejus ſucceſſori datur.

Hinc Hoc Interdictum & ei competit, qui donationis causâ fundi vacuam poſſeſſionem adeptus eſt. *l.* 3. § 6. ULP. LIB. 70. AD ED.

Sed & ſi quis uſumfructum emit, vel uſum; vel cui legatus eſt & traditus; uti hoc Interdicto poterit. *d. l.* 3. § 8.

Hoc ampliùs & is cui dotis causâ fundus traditus eſt; experiri hoc Interdicto poterit. *d. l.* 3. § 9.

Et generaliter; Ex omnibus cauſis quæ inſtar habent venditionis, vel ex alterius contractûs; dicendum eſt hoc Interdicto locum fore. *d. l.* 3. § 10.

His conſonat quod Pomponius dicit; Fructuarium Interdicto DE ITINERE uti poſſe, ſi hoc anno uſus eſt. Alibi enim de jure (id eſt, in Confeſſoriâ actione); alibi de facto (ut in hoc Interdicto) quæritur. Quod & Julianus libro quadrageſimo-octavo Digeſtorum ſcribit. Pro ſententiâ Juliani facit quod Labeo ſcribit; Etiamſi teſtator uſus ſit, qui legavit uſumfructum, debere utile Interdictum fructuario dari: quemadmodum heredi, vel emptori competunt hæc Interdicta. *l.* 2. § *fin. ff. Si ſerv. vind.* ULP. LIB. 17. AD ED.

Sed & ſi partem fundi quis emerit, idem dicendum eſt. *l.* 3. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 70. AD ED.

§ V.

Quid veniat in hoc Interdicto.

XIII.

Venit in hoc Interdicto ut quis non prohibeatur, Ire, Agere; quatenùs hoc anno ivit, egit.

Hinc Julianus ait; Quoaduſque ingreſſus eſt (*d*), eò uſque ei Interdictum competere. Quod verum eſt. *l.* 1. § 5. ULP. LIB. 70. AD ED.

Præterea In hoc Interdicto examinatur, quanti ejus intereſſet viâ non prohiberi ſive Itinere. *l.* 3. § 3. IBID.

ARTICULUS II.

De Interdicto, UT Iter reficere liceat.

XIV.

Ait Prætor: « QUO ITINERE Actuque hoc anno, » non vi, non clàm, non precariò, ab alio uſus es; » quominùs Iter Actumque ut tibi jus eſſet, reficias, » vim fieri veto. »

» QUI hoc Interdicto uti volet; is adverſario Damni » infecti, quod per ejus vitium datum ſit, caveat. » *l.* 3 § 11. UPL. LIB. 70. AD ED.

Utilitas ſuaſit, hoc quoque Interdictum proponere. Namque conſequens erat, eum (*Meliùs fortè* ei.) qui Itinere utitur, Interdictum proponere ut refici Iter poſſit. Quemadmodum enim aliàs uti poteſt Itinere vel Actu commodè, quàm ſi refecerit? Corrupto enim Itinere, minùs commodè frui aut Agi poteſt. *d. l.* 3. § 12.

XV.

Hoc autem à ſuperiore diſtat; quòd illo quidem Interdicto omnes uti poſſunt, qui hoc anno uſi ſunt: hoc autem Interdicto eum demùm uti poſſe, qui hoc

(*c*) *Tibi* ſcilicet qui rogaſti, non verò Mihi qui non rogavi; quamvis per te uti videar, & per te jus ſervitutis retineam. *Idque colligi poteſt, &c.*

(*d*) Id eſt; uſque ad quem locum fundi, Itinere uſus eſt, eòuſque ut Ire ſibi liceat, hoc Interdicto conſequitur. Sufficit quidem ad totum iter retinendum, parte uſumfuiſſe: Verùm in hoc Interdicto in quo non quæritur de proprietate, ſed de uſu; *eò uſque* uſus ejus tuendus eſt duntaxat, quòuſque ivit.

Source : BIU Cujas

anno usus est & jus sibi esse reficiendi oporteat (*Aliàs rectiùs* doceat.) Jus autem esse videtur, ei cui servitus debetur. Itaque qui hoc interdicto utitur, duas res debet docere ; & hoc anno se usum, & ei servitutem competere. Cæterùm si desiit alterutrum, deficit Interdictum.

Nec immeritò (*a*). Qui enim vult Ire Agere tantisper quoad de servitute constet, non de jure suo docere (*Supple* tenetur) : quid enim perdit, qui eum patitur hoc facere qui hoc anno fecit ? Enimverò qui vult reficere, aliquid novi facit ; neque debet ei in alieno permitti id moliri, nisi verè habet servitutem. *d. l.* 3. § 13.

Tamen Si quis servitutem jure impositam non habeat : habeat autem velut longæ possessionis prærogativam, ex eo quod diù usus est servitute ; Interdicto hoc uti potest. *l.* 5. § 3. LIB. 20. AD ED.

XVI.

Observa : Fieri autem potest ut qui jus eundi habeat & Agendi, reficiendi jus non habeat : quia in servitute constituendâ cautum sit, NE EI reficiendi jus sit : aut sic, ut si velit reficere, usque ad certum modum reficiendi jus sit. Meritò ergo ad refectionem se Prætor retulit, UT TIBI (inquit) JUS EST, reficias. UTI JUS EST ; hoc est, sicuti per servitutem impositam licet. *l.* 3. § 14. ULP. LIB. 70. AD ED.

XVII.

REFICERE sic accipimus, ad pristinam formam Iter & Actum reducere ; hoc est, ne quis dilatet aut producat, aut deprimat (*b*) aut exaggeret. Et aliud est enim REFICERE, longè aliud (*c*), FACERE. *d. l.* 3. § 15.

Apud Labeonem quæritur ; Si pontem quis novum velit facere viæ muniendæ causâ, an ei permittatur ? Et ait permittendum ; quasi pars sit refectionis, hujusmodi munitio. Et ego puto veram Labeonis sententiam ; si modò sine hoc commeari non possit. *d. l.* 3. § 16.

XVIII.

Veteres nominatim adjiciebant ; Ut ea quoque quæ ad refectionem utilia essent adportanti, vis non fieret. Quod supervacuum est : quoniam qui adportari non patitur ea sine quibus refici Iter non possit, vim facere videtur quominùs reficiatur. *l.* 4. ULP. LIB. 1. INTERDICT.

Apparet ergo eum qui non patitur hæc congeri, vim facere quominùs quis perficiat. *l.* 5. IDEM LIB. 20. AD ED.

Si quis autem, quum posset compendiariâ (*d*) adportare quæ refectioni necessaria sunt, longiori itinere velit adportare ; ut deteriorem causam eundi faciat ; impunè ei vis fiet : quia ipse sibi impedimento sit quominùs reficiat. *sup. d. l.* 4. § 1.

Et generaliter : Planè si quis, quum posset aliâ parte agri sine incommodo domini fundi impensam adportare, id egit ut aliâ parte adportet ; impunè ei vim fieri, rectè placuit. *sup. d. l.* 5. § 1.

XIX.

Hoc Interdictum non solùm ipsi, verùm successoribus quoque esse dandum non est ambigendum. Emptori quoque dabitur & in emptorem. *d. l.* 5. § 2.

Qui hoc Interdicto usurus est, de vitio operis cavere adversario debet. *d. l.* 5. § 4.

(*a*) *Nec immeritò* hæc differentia inter utrumque Interdictum recepta est ; scilicet ut *Qui vult* tantùm *Ire*, *Agere* [quod est in Interdicto præced.] *non* teneatur *de jure suo docere*. At qui *vult Reficere*, &c.

(*b*) Nisi quatenùs necesse est ut aqua ducatur. Et ita concilia hanc legem cum l. 11. ff. *Commun. prædior.* supra lib. 8. Tit. *de Servitutib.* N. 39.

(*c*) Prætor permittit *Reficere*, non *Facere* ; quæ duo longè diversa sunt. Qui autem dilatat, producit, magis videtur *Facere* quàm *Reficere*.

(*d*) Supple, viâ.

TITULUS XX.

DE AQUA COTTIDIANA, ET ÆSTIVA.*

* *Ita Verbum hoc semper scribitur in* Florent.

I.

VAria sunt jura servitutum DE AQUA. *Est enim jus* Aquæ ductûs, *jus* Aquæ haustûs, *jus* Pecoris ad Aquam appulsûs : *de quibus egimus suprà lib.* 8. *Tit.* de Serv. rustic. pr.

Sed & Si quis hoc cesserit ne liceat sibi Aquam (*a*) quærere, ea cessio valet. *l.* 1. § 28. ULPIAN. LIB. 70. AD ED.

De solo Aquæ ductûs jure in hoc Titulo agitur, & quidem non de hujus juris proprietate, sed de hujus quasi-possessione : circa quam tria Interdicta proponuntur.

ARTICULUS I.

De Aquâ Quotidianâ.

II.

Ait Prætor : « UTI HOC ANNO Aquam quâ de agitur, » non vi, non clàm, non precariò, ab illo duxisti ; » quominùs ita ducas, vim fieri veto. » *l.* 1. ULPIAN. LIB. 70. AD ED.

(*a*) In suo ; ne imminuatur Aqua vicini. De quo servitutis jure obiter dictum est, d. Tit. *de Servitutib.* N. 5.

§ I.

Quale sit hoc Interdictum ; & ad quam Aquam pertineat.

III.

Hoc Interdictum prohibitorium, & interdum restitutorium est ; & pertinet ad Aquam Quotidianam. *d. l.* 1. § 1.

QUOTIDIANA autem Aqua non illa est, quæ Cottidiè ducitur ; sed ea quâ quis Cottidiè possit uti, si vellet. Quanquàm Cottidianam interdum hieme ducere non expediat, etsi possit duci. *d. l.* 1. § 2.

Loquitur autem Prætor in hoc Interdicto, de eâ Aquâ solâ quæ perennis est. Nulla enim alia Aqua duci potest, nisi quæ perennis (*b*) est. *d. l.* 1. § 5.

Quanquam autem ad perennes Aquas dixerimus hoc Interdictum pertinere, ad eas tamen perennes pertinet quæ duci possunt. Cæterùm sunt quædam quæ etsi perennes sunt, duci tamen non possunt ; ut putà, puteales, & quæ ita sunt summersæ ut defluere extrà rerram & usui esse non possint. Sed hujusmodi Aquis

(*b*) Servitutum enim causa naturalis & perpetua esse debet : d. Tit. *de Servit.* N. 16.

Source : BIU Cujas

quæ duci non poſſunt, HAUSTUS ſervitus imponi poteſt. *d. l.* 1. § 6.

I V.

Denique Hæc Interdicta DE AQUA, item DE FONTE, ad eam Aquam pertinere videntur quæ à CAPITE ducitur, non aliundè. Harum enim Aquarum (*a*) etiam ſervitus Jure Civili conſtitui poteſt. *d. l.* 1. § 7.

CAPUT Aquæ illud eſt, undè Aqua naſcitur: ſi ex fonte naſcatur, ipſe fons: ſi ex flumine vel lacu, prima incilia (*b*) vel principia foſſarum, quibus Aquæ ex flumine vel ex lacu in primum rivum communem pelli ſolent. Planè ſi Aqua ſudoribus manando in aliquem primum locum effluere, atque ibi apparere incipit: ejus hoc CAPUT dicemus, ubi primùm emergit. *d. l.* 1. § 8.

V.

Labeo ſcribit; Etiamſi Prætor hoc Interdicto de Aquis frigidis ſentiat, tamen de calidis Aquis Interdicta non eſſe deneganda. Namque harum quoque Aquarum uſum eſſe neceſſarium. Nonnunquàm enim refrigeratæ uſum irrigandis agris præſtant. His accedit, quòd in quibuſdam locis, & quum calidæ ſunt, irrigandis tamen agris neceſſariæ ſunt; ut Hierapoli (*c*): conſtat enim, apud Hierapolitanos in Aſiâ, agrum Aquâ calidâ rigari. Et quamvis ea ſit Aqua quæ ad rigandos non ſit neceſſaria, tamen nemo ambiget his Interdictis, locum fore. *d. l.* 1. § 13.

V I.

Sive autem intrà urbem ſit Aqua, ſive extrà urbem, hoc (*Ita ſæpè in Florent. pro* huic) Interdicto locus erit. *d. l.* 1. § 14.

Item quod mox obiter vidimus, rursùs Illud quæritur; Utrùm ea tantùm Aqua his Interdictis contineatur quæ ad agrum irrigandum pertinet, an verò omnis etiam ea quæ ad uſum quoque & commodum noſtrum? Et hoc Jure utimur, ut hæc quoque contineatur.

Propter quod; etiam ſi in urbana prædia quis Aquam ducere velit, hoc Interdictum locum habere poteſt. *d. l.* 1. § 11.

Obſervandum ſupereſt; eam Aquam his Interdictis contineri, non ſolùm quæ per rivum ducitur, ſed & eam quæ in ipſo rivo naſcitur. Nam Aqua quæ in rivo naſcitur, tacitè lucrifit ab eo qui ducit. *l.* 3. § 3. POMPON. LIB. 34. AD SABIN.

§ II.

Cui hoc Interdictum detur.

V I I.

Ex verbis Edicti didicimus, ei hoc Interdictum dari qui hoc anno Aquam duxit nec vi nec clàm nec precariò.

Nil refert autem an jure ſervitutis prædialis an perſonalis, Aquâ uſus ſit. Nam Prætereà Labeo ſcribit; Etſi quidam ductus Aquarum non ſit fundi, quia (*d*) quòcumque duci poſſunt, tamen ad hoc Interdictum pertinere. *l.* 1. § 12. ULP. LIB. 70. AD ED.

Et qualiter [qualiter] ſit conſtitutum jus Aquæ, dicendum eſt, hoc Interdictum locum habere. *d. l.* 1. § 9.

Sed etſi jure Aqua non debetur alicui, ſi tamen jure ducere ſe putavit; cùm non in Jure, ſed in facto erravit, dicendum eſt (eoque Jure utimur) ut Interdicto hoc uti poſſit. Sufficit enim, ſi jure ſe ducere putavit, nec vi nec clàm nec precariò duxit. *d. l.* 1. § 10.

Rectè autem Ariſto putat eum demùm Interdictum hoc habere, qui ſe putat ſuo jure uti; non eum qui ſcit ſe nullum jus habere, & utitur. *d. l.* 1. § 19.

Cæterùm Idem ait; Eum qui hoc anno Aquam duxerit nec vi nec clàm nec precariò (*e*) & eodem anno vitioſè uſus eſt; rectè tamen hoc Interdicto uſurum. Quod referri ad id tempus, quod ſine vitio fuerit. Eſſe enim verum, hoc anno, non vi, non clàm, non precariò uſum. *d. l.* 1. § 20.

In ſpecie ſequenti, quæſitum eſt an quis HOC ANNO *uſus videatur. Nimirùm* Quæſitum eſt, ſi quis ante annum Aquam duxit; deinde ſequenti tempore, hoc eſt intrà annum, Aqua influxerit ipſa ſibi, me non ducente; an hoc Interdicto locus ſit? Et refert Severus-Valerius competere hoc ei Interdictum, quaſi duxiſſe videatur; licèt penitùs proſpicientibus non videtur iſte duxiſſe. *d. l.* 1. § 21.

V I I I.

Obſerva. Quod autem ſcriptum eſt in Interdicto; UTI AQUAM DUXISTI; hoc eſt, non Cottidiè; ſed hoc anno, vel unâ die vel nocte. *d. l.* 1. § 4.

Item quæſitum eſt; Si quis dum putat tertio quoque die habere ſe jus Aquæ ducendæ, duxerit unâ die: an rectè, & ſine captione poſſeſſoris rectè duxiſſe videatur, ut hoc Interdictum habeat? Ait enim Prætor UTI HOC ANNO Aquam duxiſti, id eſt alternis diebus. Illud autem nihil intereſt, utrùm quinto die Aqua debeatur (*f*), an alternis diebus, an Quotidie, ei qui hoc Interdicto uti velit. Nam cùm ſufficiat vel uno die hoc anno Aquam duxiſſe; nihil refert, qualem Aquæ ductum habens (*g*) duxerit: dùm ſi quis, quum quinto quoque die uteretur, quaſi alternis diebus ducens interdixerit, nihil ei prodeſſe (*h*) videtur. *d. l.* 1. § 22.

§ III.

Adversùs quem detur hoc Interdictum.

I X.

Competit hoc Interdictum adversùs eum qui prohibet me Aquam ducere. Et nihil intereſt utrùm quis dominium fundi habeat, an non: idcircòque is (*i*) tenetur Interdicto. Nam & ſi ſervitus cœpit; adversùs quemvis poſſe vindicari. *d. l.* 1. § 25.

Ergo Si inter rivales (id eſt, qui per eumdem rivum Aquam ducunt) ſit contentio de Aquæ uſu, utroque ſuum uſum eſſe contendente; duplex Interdictum utrique competit. *d. l.* 1. § 26.

X.

Prohibere autem intelligitur, & hoc Interdicto tenetur, qui facit quominùs aut Aqua ducatur, aut ſine vitio ducatur.

Hinc rectè Labeo putat per hoc Interdictum prohiberi quem, ne quid in illo fundo faciat, fodiat, ſerat, ſuccidat, (*k*) putet, ædificet: quâ ex re ea Aqua, quam ille hoc anno per fundum tuum ſine vitio duxit, inquinetur, vitietur, corrumpatur, deterior-ve fiat. Et ſimiliter de Æſtivâ Aquâ debere interdici ait. *d. l.* 1. § 27.

§ IV.

Quid veniat in hoc Interdicto.

X I.

Conſequitur actor hoc Interdicto, ne prohibeatur Aquam ducere. Illud tamen hîc intelligendum eſt; eodem modo

(*a*) Duntaxat quæ *à capite, &c.*

(*b*) Quid ſint *Incilia* ſtatim explicat; *principia* nempè *foſſarum, &c.* Etymologia & definitio nominis, infrà Tit. ſeq. N. 2.

(*c*) *Hierapoli* enim [inquit Vitruvius lib. 8. cap. 3.] *effervet Aquæ calidæ multitudo, ex quâ circum hortos & vineas foſſis ductis immittitur.*

(*d*) Ita legit Cujacius; hoc eſt, ductus aquarum qui non ſit ſervitus fundi; ſed *quòcumque duci* poſſit, quod eſt proprium ſervitutis perſonalis *Aquæ*. Florent. *qui à quocumque*: eodem, ſed minùs aperto ſenſu.

(*e*) Et exiſtimans ſe jure ſuo uti.

(*f*) Exiſtimetur-ve deberi.

(*g*) Exiſtimans-ve ſe habere, duxerit. Undè concludendum relinquit, & ſi vel unâ die duxerit, habere Interdictum ut eo modo utatur quo ſibi uti licere credidit.

(*h*) Ut poſſit *alternis diebus* ducere: ſed poteſt duntaxat interdicere, ut ſibi uti liceat *quinto quoque die.*

(*i*) Qui non habet dominium.

(*k*) Inter *Succidere* & *Putare*, hoc intereſt quòd *Succidere* generalius ſit. *Succidit* enim, & qui totam arborem cædit & dejicit; *Putat*, qui ramos tantùm ſuccidit [vulgò, *émonder.*].

Source : BIU Cujas

Prætorem duci Aquam jussisse, quo ducta est hoc anno. Proindè neque amplioris modi, neque aliâ permisisse potest videri. Quare si alia Aqua sit quam quis velit ducere, quàm hoc anno duxit; vel eadem, per aliam tamen regionem velit ducere: impunè ei vis fiet. *d. l.* 1. § 15.

Modò autem per eamdem regionem eam in fundum suum introducat; potest eam ducere ad quas voluerit fundi sui partes.

Enimverò Illud Labeo dicit; Omnes partes illius fundi, in quem loci Aqua ducitur, ejusdem numero esse. Ergo & si fortè actor confinem agrum emerit; & ex agro in quem hoc anno Aquam duxerit, postea fundi empti nomine velit Aquam ducere: ita demùm eum rectè hoc Interdicto (ut DE ITINERE (*a*) ACTUQUE) uti putant, ut semel in suum ingressus, indè egredi quâ velit, possit; (*b*) nisi ei nocitum sit ex quo Aquam ducit. *d. l.* 1. § 16.

XII.

Diximus non posse quem hoc Interdicto consequi ut aliam Aquam ducat quam illam quam hoc anno duxit. Item quæritur; Si quis Aquæ quam hoc anno ducebat, aliam Aquam admiscuerit (*c*); an impunè prohibeatur? Et extat Ofilii sententia existimantis, rectè eum prohiberi. Sed (*d*) eò loci in quo primùm Aquam aliam in rivum admittit? Et Ofilius in totâ Aquâ rectè Eum prohiberi ait. Ego Ofilio adsentio, non posse dividi; quia non potest ita in parte vis fieri, ut non in totâ Aquâ fiat. *d. l.* 1. § 17.

Similiter censet Trebatius, quum amplior numerus pecoris ad Aquam appelletur, quàm debet appelli; posse universum pecus impunè prohiberi: quia junctum pecus ei pecori cui adpulsus debeatur, totum corrumpat pecoris adpulsum. Marcellus autem ait; Si quis jus habens pecoris ad Aquam appellendi, plura pecora adpulerit (*Florent.* adpulserit); non in omnibus pecoribus eum prohibendum. Quod est verum, quia pecora separari possunt. *d. l.* 1. § 18.

XIII.

Quod actor hoc Interdicto consequitur, ne ei vis fiat quominùs ita ut usus est utatur, consequitur per cautionem quæ ipsi eo nomine exhiberi debet si vicerit. Contrà autem tenetur ipse contrariam exhibere cautionem, si victus fuerit & petitorio judicio agere velit.

De his cautionibus ita Paulus. Si de viâ, itinere, actu, Aquæ ductu agatur (*e*); hujusmodi cautio præstanda est (quandiù (*f*) quis de jure suo doceat) non se impediturum agentem, & Aquam ducentem, & iter facientem. Quòd si neget (*g*) jus esse adversario agendi, Aquæ ducendæ; cavere sine præjudicio amittendæ (*h*) servitutis debebit, donec quæstio finietur, non se usurum. *l.* 7. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

XIV.

Non solùm consequitur actor hoc Interdicto, ne ipsi vis fiat quominùs Aqua ducatur; sed & Præterea sciendum est, si quum Aquam duxisses, adversarius te prohibuerit; deinde tu interim jus Aquæ ducendæ amiseris; in restitutionem hoc venire, ut tibi præstetur per hoc Interdictum quod amisisti. Et hoc verum puto. *l.* 1. § 23. ULPIAN. LIB. 70. AD ED.

Denique venit quanti interest actoris non fuisse prohibitum. Et hâc de causâ; etiam Si fundum, ad quem Aquam ducebas, vendideris & tradideris; nihilominùs Interdictum tibi utile est. *d. l.* 1. § 24.

(*a*) Suprà Tit. præced.

(*b*) Scilicet hunc modum Aquæ quem ducere jus habet, potest ex agro suo in alium confinem quem emit, vel in quemvis alium emittere. Quid enim refert ejus qui servitutem debet, quò emittat ille Aquam? modò non majorem Aquæ modum ducat. Cæterùm non posset majorem modum ducere, ut alios agros quàm suum cui servitus debetur irrigaret. Ita conciliatur hæc lex cum l. 24. ff. *de Serv. præd. rust.* quæ vulgò opponi solet.

(*c*) Ita ut in fundum servientem uberior Aqua decurrat; & sic gravior fieret servitus.

(*d*) *Sed* an duntaxat *eò loci*, *&c.*

(*e*) Seu Interdictis *de Itinere actuque privato*, de quibus Tit. præced. seu his de quibus hîc agitur Interdictis *de Aquâ*; & qui his Interdictis agebat, vicerit.

(*f*) Quamvis his Interdictis vicerit; nihilominùs, si de jure servitutis posteà agatur *Confessoriâ* aut *Negatoriâ*, de jure suo docere debet. Verùm interim dum lis super petitorio pendebit; is qui vicit, Interdicto debet uti.

(*g*) *Quòd si* dominus fundi *negat &c.* & is qui Interdicto egit, victus fuerit.

(*h*) Qui sibi debitam servitutem contendit, & agens Interdicto victus est; non poterit quidem uti pendente lite super petitorio: verùm si in petitorio docuerit sibi servitutem constitutam, non videbitur eam amisisse non utendo; cùm non potuerit uti.

(*i*) *Aliquo* tantùm.

ARTICULUS II.

De Aquâ Æstivâ.

XV.

Deinde ait Prætor: « UTI priore æstate Aquam quâ » de agitur, nec vi, nec clàm, nec precariò, ab illo » duxisti; quominùs ita ducas, vim fieri veto. » Inter heredes, emptores, & bonorum possessores » interdicam. » *l.* 1. § 29. ULP. LIB. 70. AD ED.

Hoc Interdictum de Aquâ Æstivâ proponitur. *d. l.* 1. § 30.

Circa quod videndum 1°. *Quid sit Aqua* Æstiva, *& in quo differat à Quotidianâ:* 2°. *In quo hoc Interdictum differat à præcedenti* de Aquâ Cottidianâ, *& in quo conveniat.*

Pauca subjungemus, de Utilibus Interdictis quæ ad hujus instar dantur.

§ I.

Quid sit Aqua Æstiva, *& in quo differat à Cottidianâ.*

XVI.

Duo autem sunt genera Aquarum: est COTTIDIANA, est & ÆSTIVA. Cottidiana ab Æstivâ usu differt, non jure.

COTTIDIANA est, quæ duci solvet vel Æstivo tempore vel hyberno; etiamsi aliquando ducta non est. Ea quoque dicitur Cottidiana, cujus servitus intermissione temporis divisa est.

ÆSTIVA autem ea est, quâ æstate solâ uti expedit: sicuti dicimus vestimenta Æstiva, saltus Æstivos, castra Æstiva; quibus interdum etiam hyeme, plerùmque autem æstate utamur.

Ego puto probandum; ex proposito utentis, & ex naturâ locorum, Aquam Æstivam à Cottidiana discerni. Nam si sit ea Aqua quæ perpetuò duci possit, ego tamen æstate solâ eâ utar; dicendum est, hanc Aquam esse Æstivam. Rursùm si ea sit Aqua quæ nonnisi æstate duci possit, Æstiva dicetur: & si ea sint loca, quæ naturâ non admittant Aquam nisi æstate; dicendum erit, rectè ÆSTIVAM dici. *d. l.* 1. § 3.

Ergo Quotidiana quidem Aqua [alia] est, quæ Cottidiè duci possit, vel hyeme vel æstate, etsi aliquo (*i*) momento temporis ducta sit. Æstiva ea, quæ Cottidiè quidem duci possit; vel solâ æstate; ducetur autem æstate tantùm, non & hyeme: non quia non Possit & hyeme, sed quia non solet. *d. l.* 1. § 4. ¶ *ergo.*

Similiter Neratius. De Interdicto de Aqua Æstivâ item Quotidianâ quærentes; primùm constituendum existimabamus, quæ esset Aqua Æstiva, de quâ proprium Interdictum ad prioris æstatis tempus relatum reddi solet: hoc est, Æstiva Aqua utrùm ne ex jure, Æstivo duntaxat tempore utendi, diceretur; an ex mente propositoque ducentis, quòd æstate eam ducendi consilium haberet; an ex naturâ ipsius Aquæ, quòd æstate tantùm duci potest; an ex utilitate locorum, in quæ duceretur? Placebat igitur Aquam ob has duas res, naturam suam utilitatemque locorum in quæ deducitur, propriè appellari: ita ut, sive ejus natura erit ut nisi æstate duci non possit, etiamsi hyeme quoque desideraretur; sive omni

Source : BIU Cujas

tempore anni duci eam ipsius natura permitteret, si utilitas locorum (*a*) in quam ducitur, æstate duntaxat usum ejus exigeret; ÆSTIVA rectè diceretur. *l.* 6. NERATIUS LIB. 3. MEMBRANARUM.

§ II.

In quo Interdictum hoc differat ab Interdicto de Aquâ Cottidianâ, *& in quo conveniat.*

XVII.

Quia autem diximus Æstivam Aquam aliquo distare ab Aquâ Quotidianâ; sciendum est, etiam Interdictis distare: quòd, qui de Aquâ Quotidianâ interdicit, ita interdicit UTI HOC ANNO AQUAM DUXISTI. At qui de Æstivâ; sic UTI PRIORE ÆSTATE. Nec immeritò. Nam quia hyeme non utitur, referre se non ad præsentem æstatem, sed ad priorem debuit. *l.* 1. § 31. ULP. LIB. 70. AD ED.

Æstatem incipere sic peritiores tradiderunt, ab æquinoctio verno, & finiri æquinoctio autumnali; & ita senis mensibus æstas atque hyems dividitur. *d. l.* 1. § 32.

PRIOREM æstatem, ex comparatione duarum æstatium accipi. *d. l.* 1. § 33.

Propter hoc; si æstate interdicatur, nonnunquàm annum & sex menses continere. Quod ita contingit, si initio verni æquinoctii ducta sit Aqua, & sequenti æstate pridie æquinoctium autumnale interdicatur. Et proindè, si hyeme interdicatur, etiam in biennium hæc res extendetur. *d. l.* 1. § 34.

XVIII.

Præter illa autem in quibus distare hæc duo Interdicta modò diximus, conveniunt in cæteris. Hîc repetenda igitur, quæ superiori Articulo de altero Interdicto diximus.

Utrumque Interdictum ad successores porrigitur. Nam quod Ait Prætor: « INTER heredes, & emptores, & bonorum possessores, interdicam; » hæc verba non solùm ad Æstivam Aquam, verùm etiam ad Quotidianam quoque referenda esse sciendum est. Nam sicuti de itinere actuque, & successoribus dantur Interdicta & emptori; ita hæc quoque danda Prætor putavit. *d. l.* 1. § 37.

§ III.

De Utilibus Interdictis quæ ad instar hujus dantur.

XIX.

Qui hâc æstate duxit, non superiore; Utile Interdictum (*b*) habet. *d. l.* 1. § 36.

Item Si quis hyeme tantùm Aquam solitus fuit ducere, æstate non fuit solitus; Utile Interdictum (*c*) ei competit. *d. l.* 1. § 35.

(*a*) Aliàs malè legitur *personis*.

(*b*) Non *directum*: deficiunt enim verba, *Uti* PRIORE *æstate*. Utile autem competit ex mente Prætoris; qui cùm tueri voluerit eum qui priore æstate duxit, multòmagis intelligendus est velle tueri eum qui hâc ipsâ æstate duxit.

ARTICULUS III.

De Aquâ quæ ex castello ducitur.

XX.

Ait Prætor: « QUO ex Castello illi Aquam ducere, » ab eo cui ejus rei jus fuit, permissum est; quòminùs » ita uti permissum est, ducat, vim fieri veto. »

» QUANDOQUE (*d*) de opere faciendo Interdictum » erit, Damni infecti caveri jubebo. » *d. l.* 1. § 38.

Hoc Interdictum necessariò propositum est. Nam quia superiora Interdicta ad eos pertinent qui à Capite ducunt, vel impositâ servitute, vel quia putant impositam; æquissimum visum est, ei quoque qui ex castello ducit, Interdictum dari; id est, ex eo receptaculo quod Aquam publicam suscipit, CASTELLUM accipe. *d. l.* 1. § 39.

Si ex castello permissum est, dandum erit Interdictum. (Sed & si alio ex loco (*e*) permissum est, dandum erit Interdictum). *d. l.* 1. § 40.

Permittitur autem Aquam ex castello, vel ex rivo, vel ex quo alio loco publico ducere. *d. l.* 1. § 41.

Idque à Principe conceditur. Alii nulli competit jus Aquæ dandæ. *d. l.* 1. § 42.

Et datur interdum prædiis, interdum personis. Quod prædiis datur, extinctâ personâ non extinguitur. Quod datur personis, cum personis amittitur; ideòque neque ad alium dominum prædiorum, neque ad heredem, vel qualemcumque successorem transit. *d. l.* 1. § 43.

Planè ei ad quem dominium transit, impetrabile est (*f*). Nam si docuerit prædiis suis Aquam debitam (*g*), & si nomine ejus (*h*) fluxisse à quo dominium ad se transiit; indubitatè impetrat jus Aquæ ducendæ. NEC EST HOC BENEFICIUM; SED INJURIA, SI QUIS FORTE NON IMPETRAVIT. *d. l.* 1. § 44.

XXI.

Meminisse autem debemus, in hoc Interdicto totam quæstionem finiri adsignationis (*i*). Non enim præparat hoc Interdictum causam, ut superiora Interdicta; nec ad possessionem temporariam pertinet. Sed aut habet jus adsignatum sibi, aut non habet; & Interdictum (*k*) totum finitur. *d. l.* 1. § 45.

(*c*) Scilicet ut ei ducere liceat, sicut superiore hyeme duxit.

(*d*) Hæc clausula de damno, generaliter pertinet ad omnes reficere volentes, nec propria est huic soli Interdicto DE AQUA.

(*e*) Inclusa desunt *In Florent.*

(*f*) Id est, facilè impetrabit.

(*g*) Scilicet ob necessitatem prædiorum concessam.

(*h*) Personaliter ei concessâ servitute.

(*i*) *Adsignationem* intellige, diploma Principis quo jus aquam ducendi ex castello publico alicui adsignat. Wissenbach.

(*k*) Cujacius sic emendat: *Idque Interdicto totum finitur.*

TITULUS XXI.

DE RIVIS.

EST etiam hoc Interdictum de servitute privatâ; sed potest & ad publicam causam pertinere.

I.

Prætor ait: « RIVOS, specus, septa reficere, purgare » aquæ ducendæ causâ, quominùs liceat illi; dùm ne » aliter aquam ducat, quàm priore æstate non vi, non » clàm, non precariò à te duxit; vim fieri veto. » *l.* 1. ULP. LIB. 70. AD ED.

Hoc Interdictum utilissimum est. Nam nisi permittatur alicui reficere, aliâ ratione usui incommodabitur. *d. l.* 1 § 1.

Circa hoc Interdictum, primò enumerandæ sunt res de quarum refectione & purgatione proponitur. Deinde videndum quid sit reficere & purgare, qualem refectionem tueatur Prætor necne, & sub quâ lege: denique quibus hoc Interdictum detur; & de hujus effectu.

§ I.

De quarum rerum refectione & purgatione hoc Interdictum proponatur.

II.

Ait ergo Prætor, RIVUM, SPECUS.

RIVUS est locus per longitudinem depressus, quo

Source : BIU Cujas

aqua decurrat; cui nomen eſt ΑΠΟ ΤΟΥ ΡΕΙΝ [*id eſt*, à fluendo]. *d. l.* 1. § 2.

SPECUS autem eſt locus ex quo deſpicitur. Indè SPECTACULA ſunt dicta. *d. l.* 1. § 3.

INCILE autem eſt locus depreſſus ad latus fluminis, ex eo dictus quòd incidatur. Inciditur enim vel lapis vel terrâ, undè primùm aqua ex flumine agi poſſit. *d. l.* 1. § 5.

SEPTA ſunt quæ ad incile opponuntur, aquæ derivandæ compellendæ-ve ex flumine causâ; ſive ea lignea ſunt, ſive lapidea, ſive quâlibet aliâ materiâ ſint ad continendam tranſmittendamque aquam excogitata. *d. l.* 1. § 4.

Sed & foſſæ & putei, hoc Interdicto continentur. *d. l.* 1. § 5.

Item Si aqua in unum lacum conducatur, & indè per plures ductus ducatur; hoc Interdictum utile erit volenti reficere ipſum lacum. *l.* 3. § 3. ULP. LIB. 70. AD ED.

III.

Hoc Interdictum ad omnes Rivos pertinet, ſive in publico, ſive in privato ſint conſtituti. *d. l.* 3. § 4.

Sed & ſi calidæ aquæ Rivus ſit, de hoc reficiendo competit Interdictum. *d. l.* 3. § 5.

Ariſto & de cuniculo (*a*) reſtituendo (per quem vapor trahitur) in balneariis vaporibus, putat utilem actionem competere. Et erit dicendum, Utile (*b*) Interdictum ex hâc causâ competere. *d. l.* 3. § 6.

§ II.

Quid ſit Reficere & Purgare; *quam refectionem tueatur Prætor necne, & ſub quâ lege.*

IV.

Deinde ait Prætor: REFICERE, PURGARE.

REFICERE eſt, quod corruptum eſt in priſtinum ſtatum reſtaurare. Verbo REFICIENDI, tegere, ſubſtruere, ſarcire, ædificare, item advehere adportareque ea quæ ad eamden rem opus eſſent, continentur. *l.* 1. § 6. ULP. LIB. 70. AD ED.

Hinc Si quis eum exportare, vehere, quæ refectioni neceſſaria ſunt, prohibeat; hoc Interdictum ei competere Ofilius putat. Quod eſt verum. *ſup. d. l.* 3. § 10.

PURGANDI verbum plerique quidem putant, ad eum Rivum pertinere qui integer eſt. Et palàm eſt, & ad eum pertinere qui refectione indiget. Plerùmque enim, ut refectione, & purgatione indigent. *ſup. d. l.* 1. § 7.

V.

Quam autem refectionem tuetur hoc Interdicto Prætor? AQUÆ, inquit, DUCENDÆ CAUSA. Meritò hoc additur, ut ei demùm permittatur & reficere & purgare Rivum, qui aquæ ducendæ causâ, id fecit. *d. l.* 1. § 8.

Item eam demùm refectionem tuetur, quæ conditionem ſervitutis non immutaret.

Proindè & ſi per alium locum velit ducere, impunè prohibetur. Sed & ſi eumdem Rivum deprimat, vel attollat, aut dilatet (*c*) vel extendat; vel operiat apertum, vel contrà.

Ego cæteros quidem impunè prohiberi puto. At enim eum qui operiat apertum, vel contrà, eum non puto prohibendum; niſi ſi quam majorem utilitatem ſuam adverſarius oſtendat. *d. l.* 1. § 11.

Hâc de re tamen lis fuerat inter Prudentes. Nam Labeo non poſſe ait, ex aperto Rivo terrenum fieri: quia commodum domino ſoli auferetur appellendi pecus, vel hauriendi aquam. Quòd ſibi non placere Pomponius ait: quia id domino magis ex occaſione, quàm ex jure contingere; niſi ſi ab initio in imponendâ ſervitute id actum eſſet. *l.* 2. PAUL. LIB. 66. AD ED.

Servius autem ſcribit; Aliter duci aquam quæ ante per ſpecus ducta eſt, ſi nunc per apertum ducatur (*d*). Nam (*e*) ſi operis aliquid faciat quis, quo magis aquam conſervet vel contineat; non impunè prohiberi. Ego & in ſpecu contrà (*f*), ſi non major utilitas verſetur adverſarii. *l.* 3. ULP. LIB. 70. AD ED.

VI.

Quòd Si quis terrenum Rivum, ſigninum (*g*) id eſt lapideum facere velit; videri eum non rectè hoc Interdicto uti (*h*). Non enim reficit, qui hoc facit. Et ita Ofilio videtur. *ſup. d. l.* 1. § 10.

At contrà Servius, & Labeo ſcribunt; Si Rivum qui ab initio terrenus fuit, qui aquam non continebat, cæmentitium velit facere; audiendum eſſe. Sed & ſi eum Rivum qui ſtructilis fuit, poſteà terrenum faciat, aut partem Rivi; æquè non eſſe prohibendum. Mihi videtur urgens & neceſſaria refectio eſſe admittenda. *l.* 3. § 1. ULP. LIB. 70. AD ED.

Si quis novum canalem vel fiſtulas in Rivo velit collocare, quum id nunquàm habuerit; utile ei hoc Interdictum futurum Labeo ait. Nos & hìc opinamur, utilitatem ejus qui ducit, ſine incommoditate ejus cujus ager eſt, ſpectandam. *d. l.* 3. § 2.

Ulpiano ſuffragatur Scævola. Cui per fundum iter aquæ debetur, quàcumque vult in eo Rivum faciat, licet; dùm ne aquæductum interverteret. *l. fin. ff. de Aq. quot.* SCÆVOLA LIB. SING. ΟΡΩΝ.

Item Pomponius. Is qui aquæ quotidianæ jus habet, vel fiſtulam in Rivo ponere, vel aliud quodlibet facere poteſt; dummodò ne fundum domino, aut aquagium rivalibus deterius faciat. *l.* 3. § 5. *ff. de Aq. cottid.* POMPON. LIB. 34. AD SABIN.

VII.

Supereſt ut videamus ſub quâ lege Prætor tueatur reficere volentem. Et De damno quoque infecto cavere eum debere (*i*), minimè dubitari oportet. *l.* 3. § 9. ULP. LIB. 70. AD ED.

§ III.

Quibus hoc Interdictum detur.

VIII.

Iiſdem autem perſonis & in eaſdem Interdictum hoc datur, quibus & in quas & DE AQUA Interdicta redduntur; quæ ſuprà ſunt enumerata. *d. l.* 3. § 7.

Igitur Hoc Interdictum competit, etiam ei qui jus aquæ ducendæ non habet; ſi modò aut priore æſtate aut anno aquam duxerit: cùm ſufficiat, non vi, non clàm, non precariò duxiſſe. *l.* 1. § 9. ULP. LIB. 70. AD ED.

Similiter Venuleius. De Rivis reficiendis ita interdicetur, ut non quæratur an aquam ducere actori liceret. Non (*k*) enim tam neceſſariam refectionem itinerum, quàm Rivorum eſſe, quando non refectis Rivis, omnis uſus aquæ auferretur, & homines ſiti necarentur. Et ſanè aqua pervenire, niſi refecto Rivo, non poteſt. At non refecto itinere, difficultas tantùm eundi agendique fieret; quæ temporibus æſtivis levior eſſet. *l.* 4. VENULEIUS LIB. I. INTERDICTOR.

(*a*) *Tuyau d'Etuve*: [*comme ceux de nos Poëles d'Antichambre*].

(*b*) Non *Directum*, cùm CUNICULUS non contineatur verbis Edicti.

(*c*) Hoc quidem poteſt qui habet jus ſervitutis: de quo plenè conſtat ſuprà lib. 8. Tit. *de Servitutib.* N. 39. Is enim actione ſervitutis *Confeſſoriâ* conſequitur ut hoc ſibi liceat. Tantùmdem non præſtat hoc Interdictum.

(*d*) Undè concludendum relinquit, poſſe impunè prohiberi.

(*e*) *Nam* pro *ſed.* Id eſt; Sed *ſi* non immutatâ aquæductus formâ, *operis &c.*

(*f*) Id eſt; contra Servium puto non poſſe pariter prohiberi eum qui *per aperum* ducit aquam, quæ ante *per ſpecus* ducebatur; *ſi non, &c.*

(*g*) *Signinum* opus conficitur fractis teſtis, contuſis additâ calce: Plin. *Hiſt. nat.* XXXV 12. Nomen accepit à *Signo* oppido Campaniæ, ubi primùm ejus generis ſtructura cœpit: Cujac. Obſerv. XXVII 22.

(*h*) Niſi juſta neceſſitatis cauſa hoc ſuadeat: ut mox dicitur in l. ſeq.

(*i*) Ita enim edicit Prætor, Tit. præced. N. 20.

(*k*) Præoccupat hanc objectionem: Atqui in Interdicto *de Itinere reficiendo*, tenetur actor docere de jure Itineris. Reſpondet afferendo rationem diſparitatis: *Non enim &c.*

Source : BIU Cujas

§ IV.

De effectu hujus Interdicti.

IX.

Hujus Interdicti effectus est, ut Prætor actori vim fieri vetet quominùs reficiat.

Hinc Si quis Rivum reficienti opus novum nuntiat; bellè dictum est, posse contemni operis novi nuntiationem. Cùm enim Prætor ei vim fieri vetet, absurdum est per operis novi nuntiationem eum impediri. Planè per IN REM actionem [dicendum est] posse adversùs eum vindicari JUS EI NON ESSE, dubium non est. *l.* 3. § 8. ULP. LIB. 70. AD ED.

TITULUS XXII.

DE FONTE.

ET hic quoque Titulus ad servitutem Aquæ *pertinet. In hoc duo Interdicta proponuntur, unum ut Fonte* UTI *liceat, alterum ut* REFICERE.

ARTICULUS I.

De Interdicto, Ut Fonte uti liceat.

I.

Prætor ait: « UTI de eo Fonte quo de agitur, hoc » anno aquâ nec vi, nec clàm, nec precariò ab illo » usus es; quominùs ita utaris, vim fieri veto.

» DE lacu, puteo, piscinâ, item interdicam. » *l. un.* ULP LIB. 70. AD ED.

Hoc Interdictum proponitur ei qui Fontanâ aquâ uti prohibetur: servitutes enim non tantùm aquæ ducendæ esse solent, verùm etiam hauriendæ. Et sicut discretæ sunt servitutes ductûs aquæ, & haustûs aquæ; ita Interdicta separatim redduntur. *d. l. un.* § 1.

Hoc autem Interdictum locum habet, si quis uti prohibeatur aquâ; hoc est, sive haurire prohibeatur, sive etiam pecus ad aquam appellere. *d. l. un.* § 2.

Planè si quis ire ad haustum prohibeatur; æquè Interdictum sufficiet. *d. l. un.* § 5.

Et eadem sunt hìc dicenda, quæ ad personam attinent, quæcumque in superioribus Interdictis diximus. *d. l. un.* § 3.

II.

Hoc Interdictum de cisternâ non competit: nam cisterna non habet perpetuam causam (*a*) nec vivàm aquam: (ex quo apparet in his omnibus exigendum, ut viva aqua sit): cisternæ autem imbribus concipiuntur. Denique constat Interdictum cessare, si lacus, piscina, puteus, vivam aquam non habeat. *d. l. un* § 4.

ARTICULUS II.

De Interdicto, Ut Fontem reficere liceat.

III.

Deinde ait Prætor: « QUOMINUS Fontem quo de » agitur, purges, reficias, ut aquam coercere utique » eâ possis; dùm ne aliter utaris, atque uti hoc anno » non vi, non clàm, non precariò, ab illo usus es; » vim fieri veto. » *d. l. un.* § 6.

Hoc Interdictum eamdem habet utilitatem, quam habet Interdictum DE RIVIS reficiendis. Nisi enim purgare & reficere Fontem licuerit, nullus usus ejus erit. *d. l. un.* § 7.

Purgandus autem & reficiendus est ad aquam coercendam, ut uti quis aquâ possit; dummodò non aliter utatur, quàm sicuti hoc anno usus est. *d. l. un.* § 8.

COERCERE aquam est, continere sic ne diffluat, ne dilabatur: dummodò non permittatur cui, novas quærere, vel aperire. Hic enim innovat aliquid, præter id quàm præcedenti anno usus est. *d. l. un.* § 9.

IV.

Sed & de lacu, puteo, piscinâ, reficiendis, purgandis, Interdictum competit. *d. l. un.* § 10.

V.

Et omnibus personis dabitur, quibus permittitur Interdictum De aquâ æstivâ. *d. l. un.* § 11.

(*a*) Vide suprà lib. 8. Tit. *de Servitutib.* N. 16.

TITULUS XXIII.

DE CLOACIS.

AD Aquas *quoque seu ad earum purgationem pertinet hic Titulus, & continet tam publicam quàm privatam causam.*

I.

CLOACÆ *à* Conluendo *dictæ. Hoc nomine appellabantur Romæ, concamerationes subterraneæ per quas collecta colluvies Urbe educta in Tyberim exonerabatur. Publicas Cloacas primus duxit Tarquinius-priscus. De stupendo Cloacarum publicarum opere in Urbe Româ, vide Cassiodorum* Variar. *III.* 30. *& VIII.* 29. *& seq.*

Erant & Cloacæ privatæ: per quas ex ædibus privatorum educta colluvies, vel in Cloacam publicam, vel aliò quòlibet (prout jus erat) immittebatur.

De utràque Cloacarum specie hìc agitur. Unde generaliter Ulpianus: CLOACA autem est locus cavus, per quem colluvies quædam fluat. *l.* 1. § 4. ULP. LIB. 71. AD ED.

Itaque Sub hoc Titulo duo Interdicta Prætor subjecit; unum prohibitorium, alterum restitutorium.

Et primùm prohibitorium. *d. l.* 1. § 1.

Scilicet de Cloacis privatis; restitutorium autem, de publicis.

Porrò in utroque, Cloacæ appellatione, & tubus & fistula continetur. *d. l.* 1. § 6.

Source : BIU Cujas

Curavit autem Prætor per hæc Interdicta, ut Cloacæ & purgentur, & reficiantur. Quorum utrumque, & ad salubritatem civitatum, & ad tutelam pertinet. Nam & cœlum pestilens & ruinas minantur immunditiæ Cloacarum; item si non reficiantur. *d. l.* 1. § 2.

ARTICULUS I.

De Cloacis privatis.

II.

Prætor ait; « QUOMINUS illi Cloacam quæ ex ædibus » ejus in tuas pertinet, quâ de agitur, purgare, refi» cere liceat, vim fieri veto.

» DAMNI infecti; quod operis vitio factum sit, caveri » jubebo. » *l.* 1. ULP. LIB. 71. AD ED.

Hoc Interdictum quod primum proponitur, prohibitorium est; quo prohibetur vicinus vim facere, quominùs Cloaca purgetur & reficiatur. *d. l.* 1. § 5.

§ I.

De quâ re detur hoc Interdictum.

III.

Hoc autem Interdictum propositum est de Cloacis privatis. Publicæ enim Cloacæ, publicam curam merentur (*a*). *d. l.* 1. § 3.

Deinde ait Prætor: QUÆ EX ÆDIBUS EJUS IN TUAS PERTINET. ÆDES hîc accipere debes pro omni ædificio; hoc est, ex ædificio ejus in tuum ædificium. Hoc ampliùs Labeo putabat; hoc Interdicto locum esse, & si areâ ab utrâlibet parte ædium sit: & si fortè (inquit) Cloaca ducta sit ex urbano ædificio in proximum agrum. *d. l.* 1. § 8.

Quod ait Prætor, PERTINET; hoc significat, quod ex ædibus ejus in tuas pertinet, hoc est dirigitur, extenditur, pervenit. *d. l.* § 10.

IV.

Et tam ad proximum vicinum, hoc Interdictum pertinet, quàm adversùs ulteriores, per quorum ædes Cloaca currit. *d. l.* 1. § 11.

Idem Labeo; Etiam eum qui privatam Cloacam in publicam immittere velit, tuendum ne ei vis fiat. Sed & si quis velit talem Cloacam facere, ut exitum habeat in publicam Cloacam, non esse eum impediendum Pomponius scribit. *d. l.* 1, § 9.

V.

Qaanquàm de reficiendâ Cloacâ, non etiam de novâ faciendâ, hoc Interdicto comprehendatur; tamen æquè interdicendum Labeo ait, ne facienti Cloacam vis fiat: quia eadem utilitas sit. Prætorem enim sic interdixisse, NE vis fieret quominùs Cloacam in publico facere liceret. Idque Ofilio, & Trebatio placuisse. Ipse dicendum ait, ut [ne (*b*)] factam Cloacam purgare & restituere permittendum sit per Interdictum: novam verò facere is demùm concedere debeat, cui (*c*) viarum publicarum cura sit. *l.* 2. VENULEIUS LIB. INTERDICT.

VI.

Igitur tam de novâ faciendâ quàm de reficiendâ ea quæ facta est, Interdictum datur. Sed hoc interest; quòd de novâ faciendâ ita datur, si licentiam habueris: ut autem de eâ quæ facta est reficiendâ interdicas, nihil refert jure necne Cloacam habeas; etiamsi vi, clàm, aut precariò.

Rationem tradit Ulpianus: Quia autem Cloacarum refectio (*ita sæpiùs in Florent. pro* refectio) & purgatio ad publicam utilitatem spectare videtur; idcircò placuit, non esse in Interdicto addendum, QUOD NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO AB ILLO USUS, ut, etiamsi quis talem usum habuerit, tamen non prohibeatur volens Cloacam reficere vel purgare. *sup. d. l.* 1. § 7.

§ II.

Quid veniat in hoc Interdicto, & sub quâ lege detur.

VII.

Venit in hoc Interdicto ut potestas fiat actori reficiendæ Cloacæ. Undè Favius-Mela scribit; Competere hoc Interdictum, ut in vicini ædes veniat, & rescindat pavimenta, purgandæ Cloacæ gratiâ. Verendum tamen esse Pomponius scribit, ne eo casu Damni infecti stipulatio committatur: sed hæc stipulatio non committitur, si paratus sit restaurare id quod ex necessitate reficiendæ Cloacæ causâ rescinderat. *d. l.* 1. § 12.

Cùm porrò hoc Interdicto fiat hujus reficiendæ potestas; Si quis purganti mihi Cloacam vel reficienti, opus novum nuntiaverit; rectissimè dicetur, contemptâ nuntiatione me posse reficere id quod instituera. *d. l.* 1. § 13.

VIII.

Sed & DAMNI INFECTI cautionem pollicetur, si quid operis vitio factum est. Nam sicuti reficere Cloacas & purgare permittendum fuit; ita edicendum, ne damnum ædibus alienis detur. *d. l.* 1. § 14.

ARTICULUS II.

De Cloacis publicis.

IX.

Deinde ait Prætor: « QUOD in Cloacâ publicâ factum, » sive eâ immissum habes, quo usus ejus deterior sit, » fiat, restituas. Item ne quid fiat, immittatur-ve, interdicam. » *d. l.* 1. § 15.

Hoc Interdictum ad publicas Cloacas pertinet, ne quid ad Cloacam immittas, ne-ve facias, quo usus deterior sit, ne-ve fiat. *d. l.* 1. § 16.

A Prætore propositum est majoris utilitatis gratiâ. His enim Cloacis quæ ad publicam curam pertinent, præfecti erant Magistratus singulares; qui Curatores Cloacarum Urbis *vocantur apud Gruterum, Inscript. CXCVII* 5. *CXCVIII* 2. 3. 4. 5. *& CCLII* 1.

(*a*) Vid. Art. seq.
(*b*) *Ne* expungendum.
(*c*) Magistratus, Ædilis scilicet.

Source : BIU Cujas

TITULUS XXIV.

QUOD VI AUT CLAM.

Occaſione ſervitutum de quibus in præcedentibus Titulis actum eſt; hîc ſubjicitur generalis Titulus de eo quod factum eſſet, quaſi ad aſſerendum ſibi in alieno jus ſervitutis aut aliud quodlibet, ab eo qui jus faciendi non haberet; ideòque aut CLAM *faceret aut etiam* VI.

I.

Prætor ait : « QUOD Vi aut Clàm factum eſt, quâ » de re agitur; id quum experiendi poteſtas eſt, reſ» tituas. » *l.* 1. ULP. LIB. 71. AD ED.

Hoc Interdictum reſtitutorium eſt; & per hoc occurſum eſt calliditati eorum qui Vi aut Clàm quædam moliuntur. Jubentur enim ea reſtituere. *d. l.* 1. § 1.

Quocircà quæritur, ad quod opus pertineat hoc Interdictum, cui & adversùs quem competat, quid in eo veniat præſtandum, quandiù duret, & quibus exceptionibus excludatur.

SECTIO I.

Ad quod opus hoc Interdictum pertineat.

Circa opus, ut ad hoc Interdictum pertineat, hæc concurrere oportet; 1°. Ut Vi *vel* Clàm *factum ſit; 2°. Ut in re ſoli factum ſit, eique cohæreat; 3°. Ut eam reddat deteriorem.*

De cætero nil refert quæ ſpecies operis fuerit, quo in loco, & an jure necne ſit factum.

ARTICULUS I.

Oportere ut opus Vi *aut* Clàm *factum ſit.*

II.

Vi factum id videtur eſſe, quâ de re quis quum prohibetur, fecit : CLAM, quod quiſque, quum controverſiam haberet habiturum-ve ſe putaret, fecit. *l.* 73. § 2. *ff. de Reg. Jur.* Q. M. SCÆVOLA LIB. SING. O'PΩN.

Jam porrò latiùs, Quid ſit Vi factum vel Clàm factum videamus. *ſup. d. l.* 1. § 5.

§ I.

Quid ſit VI *factum.*

III.

VI factum videri Quintus-Mucius ſcripſit, ſi quis contra quàm prohiberetur, fecerit. Et mihi videtur plena eſſe Quinti-Mucii definitio. *d.* § 5. ¶ *Vi factum.*

Prohibitus autem intelligitur, quolibet prohibentis actu; id eſt, vel dicentis ſe prohibere, vel manum opponentis, lapillum-ve jactantis prohibendi gratiâ. *l.* 20. § 1. PAUL. LIB. 13. AD SABIN.

Igitur : Sed & ſi quis jactu vel minimi lapilli prohibitus facere, perſeveravit facere; hunc quoque Vi feciſſe videri, Pedius & Pomponius ſcribunt. Eoque Jure utimur. *ſup. d. l.* 1. § 6.

Sed & ſi contra teſtationem denuntiationemque fecerit; idem eſſe, Caſcellius & Trebatius putant. Quod verum eſt. *d. l.* 1. § 7.

IV.

Prohibere autem non utique per ſemetipſum neceſſe eſt. Sed & ſi quis per ſervum ſuum vel procuratorem prohibuerit, rectè videtur prohibuiſſe. Idem etiam, ſi mercenarius meus prohibuerit. Nec quem moveat, quòd per liberam perſonam actio adquiri non ſolet : nam prohibitio hæc demonſtrat Vi te facere. Quid mirum ? cùm &, ſi Clàm tu me feceris, habeam actionem. Ergo facto magis tuo delinquentis, quàm alieno, adquiritur mihi actio. *l.* 3. ULP. LIB. 71. AD ED.

Sic accipe quod ait Paulus : Interdictum QUOD VI AUT CLAM per quemvis domino acquiritur, licèt per inquilinum (*a*). *l.* 17. PAUL. LIB. 69. AD ED.

V.

Non ſemper autem VI *facit, qui prohibitus facit. Si enim quis perperàm fuerit prohibitus*; NON videtur vim facere qui jure ſuo utitur. *l.* 155. § 1. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 65. AD ED.

Hinc Ait Julianus : Qui ante remiſſionem nuntiationis, contra quàm prohibitus fuerit, opus fecerit; duobus Interdictis tenebitur : uno quod ex operis novi nuntiatione competit, altero QUOD VI AUT CLAM. Remiſſione autem factâ, intelligendus non erit Vi Aut Clàm facere; quamvis prohibeatur. Licere enim debet ædificare, ei qui ſatisfecerit; cùm poſſeſſor hoc ipſo conſtituatur. Clàmque facere, nec ante remiſſionem, nec poſtea exiſtimandus eſt; cùm is qui opus novum nuntiat, non poſſit videri celatus, & præoccupatus antequàm controverſiam faceret. *l.* 6. § 2. ULP. LIB. 71. AD ED.

VI.

Contrà interdum Vi facit, & qui non prohibetur. Sed & Ariſto ait; Eum quoque Vi facere, qui quum ſciret ſe prohibendum (*Floren.* prohiberi) per Vim molitus eſt ne prohiberi poſſit. *l.* 1. § 8. ULP. LIB. 71. AD ED.

Similiter Paulus. Vi facit tam is qui prohibitus fecit, quàm is qui quominùs prohibeatur, conſecutus eſt : periculo (*b*) putà adverſario denuntiante; aut januâ (putà) præclusâ. *l.* 20. PAUL. LIB. 13. AD SABIN.

Si quis tamen imbecillitate impeditur; vel etiam ne offenderet, vel te vel eum qui te magni faciebat, ideò non venerit ad prohibendum; non videbitur adverſarius Vi feciſſe. Et ita Labeo ſcribit. *ſup. d. l.* 1. § 10.

Idem ait; Si te volentem ad prohibendum venire, deterruerit aliquis, armis fortè; ſine ullo dolo malo meo; ac propter hoc non veneris : non videri me Vim feciſſe; *d. l.* 1. § *fin.*

Ne in alienâ poteſtate [ſit], conditionem meam nihil delinquentis deteriorem facere. *l.* 2. VENULEIUS LIB. 2. INTERDICTOR.

Nam NON debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. *l.* 74. *ff. de Reg. Jur.* PAPINIAN. LIB. 1. QUÆST.

VII.

Jam verò ut quid Vi factum videatur; Illud ſciendum eſt, non omnibus momentis Vim eſſe faciendam : ſed ſemel inter initia facta perſeverat. *l.* 3. § 1. ULP. LIB. 71. AD ED.

Quinetiam, Item Labeo dicit; Si quem facientem

(*a*) Id eſt; de opere facto adversùs denuntiationem inquilini, tanquam de opere per *Vim* facto, Interdictum domino competit.

(*b*) Legendum credo *periculum*; id eſt, adverſario per dolum denuntiante aliquid triſte, quominùs accederet ad prohibendum.

Source : BIU Cujas

prohibuero, iſque deſtiterit in præſentiarum, rursùſque poſtea facere cœperit; Vi eum videri feciſſe: niſi permiſſu meo facere cœperit, vel quâ altâ juſtâ causâ accedente. *ſup. d. l.* 1. § 9.

VIII.

Tandiù autem VI facit prohibitus, quandiù res in eodem ſtatu permanebit. Nam ſi poſtea convenerit cum adverſario, deſinit Vi facere. *l.* 20. § 2. PAUL. LIB. 13. AD SABIN.

Hoc ſic accipe; ut, quod poſtea faciet, non ſit futurum VI *factum. Quod autem fecit ante, ſi ſummum Jus ſpectes,* VI *factum eſſe pergit. Undè Ulpianus:* Sed ſi permiſerit; adversùs eum qui utatur Interdicto, exceptio erit neceſſaria. *l.* 3. § 2. ULP. LIB. 71. AD ED.

Pergamus ad alios caſus in quibus res in eodem ſtatu eſſe deſinit. V. G. Si quis paratus ſit ſe judicio defendere, adversùs eos qui interdicendum putant ne opus fiat: an videatur deſinere VI facere? Et magis eſt ut deſinat; ſi modò ſatis offerat, & defendere paratus eſt, ſi quis agat. Et ita Sabinus ſcribit. *d. l.* 3. § 5.

Sed & ſi quis Damni infecti paratus ſit cavere; quum propter hoc tantùm eſſet prohibitus, vel quia non defendebat, vel Damni infecti non repromittebat: conſequens eſt dicere, deſinere eum VI facere. *d. l.* 3. § 6.

Item ſi prohibiti heres, vel is qui ab eo emerit, ignorans cauſam præcedentem, fecerit; dicendum eſſe Pomponius ait, non incidere eum in Interdictum. *l.* 20. § 3. PAUL. LIB. 13. AD SABIN.

§ II.

Quid Clàm *factum videatur, & ex quibus argumentis.*

IX.

Mucii definitionem jam ſuprà relatam probant & cæteri Juriſconſulti.

Nimirùm CLAM facere videri Caſſius ſcribit, eum qui celavit adverſarium, neque ei denuntiavit; ſi modò timuit ejus controverſiam, aut debuit timere. *ſup. d. l.* 3. § 7.

Idem Ariſto putat; Eum quoque Clàm facere, qui celandi animum (*Florent.* animo) habet eum quem prohibiturum ſe intellegerit (*Ita non ſemel in Florent. pro* intellexerit); & id exiſtimat aut exiſtimare debet, ſe prohibitum iri. *d. l.* 3. § 8.

Servius; Etiam eum Clàm facere, qui exiſtimare debeat ſibi controverſiam futuram: quia non opinionem cujus, & reſupinam exiſtimationem eſſe oporteat; ne melioris conditionis ſint ſtulti, quàm periti. *l.* 4. VENULEIUS LIB. 2. INTERDICT.

Ut autem Clàm factum videatur, nil refert an quis celandi animum habuerit ejus ad quem res reverâ pertinebat, an alterius ad quem eam pertinere falsò exiſtimabat.

Hinc rectè dicitur; Si quis dum putat locum tuum eſſe, qui eſt meus; celandi tuî, non meî causâ fecerit; mihi Interdictum competere. *l.* 5. § 5. ULPIAN. LIB. 70. AD ED.

Multò magis obtinere debet, quod ſupràdictus Servius Idem dicit; Et ſi ſervi mei vel procuratoris celandi causâ factum ſit, mihi Interdictum competere. *d. l.* 5. § 6.

X.

Ex his autem potiſſimum argumentis iſta celandi voluntas colligitur: putà ex eo quòd quis egerit ne ſibi nuntietur novum opus.

Hinc Non abſurdè reſponſum eſt: Si Magiſtratum rogaſſes, ut adverſarium tuum adeſſe ad judicium juberet; ne opus novum tibi nuatiaret: Clàm videris opus feciſſe quod interim feceris. *l.* 18. § 1. CELSUS LIB. 25. DIGEST.

Maximè autem hæc voluntas colligitur ex dolosâ denuntiatione ejus qui opus fecit.

Hinc CLAM *facere videtur*, Aut qui aliter fecit quàm denuntiavit; vel qui decepto facit eo ad quem pertinuit non facere; vel conſultò tùm denuntiat adverſario, quum eum ſcit non poſſe prohibere; vel tam ſerò pronuntiat, ut abire (*Aliàs* denuntiat ut obviare) prohibiturus, priuſquàm fiat, non poſſit. Et hæc ita Labeonem probare, Ariſto ait. *l.* 5. ULPIAN. LIB. 70. AD ED.

Hinc Si quis ſe denuntiaverit opus facturum; non ſemper non videtur CLAM feciſſe, ſi poſt denuntiationem fecerit. Debebit enim (& ita Labeo) & diem & horam denuntiatione complecti; & ubi, & quod opus futurum ſit; neque perfuſoriè, aut obſcurè dicere, aut denuntiare, neque tam arctare adverſarium, ut intrà diem occurrere ad prohibendum non poſſit. *d. l.* 5. § 1.

Attenditur etiam intervallum temporis, quod fuit inter denuntiationem & opus. Etenim Si is qui denuntiaverit ſe opus facturum, confeſtim opus fecerit; Clàm feciſſe non intelligitur. Nam ſi poſt tempus, videbitur Clàm feciſſe. *l.* 22. § 5. VENULEIUS LIB. 2. INTERDICT.

XI.

Vidimus ex quibus argumentis celandi animus, in eo qui opus fecit, colligatur.

Contrà verò ad hujus voluntatis ſuſpicionem declinandam, maximè valet denuntiatio bonâ fide facta ei ad quem res ſpectabat.

Et ſi fortè non ſit cui denuntietur, neque dolo malo factum ſit ne ſit; amicis denique aut procuratori, aut ad domum denuntiandum eſt. *ſup. d. l.* 5. § 2.

Sed & Servius rectè ait; Sufficere fœminæ viro (*a*) notum facere opus ſe facturum, vel denique ſciente eo facere. Quanquàm etiam illud ſufficiat, celandi animum non habere. *d. l.* 5. § 3.

Item ait; Si quis in publico municipii velit facere, ſufficere ei ſi curatori Reipublicæ denuntiet. *d. l.* 5. § 4.

Nota. Ariſto autem ſcribit; Non poſſeſſori eſſe denuntiandum. Nam ſi quis (inquit) fundum mihi vendiderit, & necdum tradiderit; & vicinus, quum opus facere vellet, & ſciret me emiſſe & in fundo morari, mihi denuntiaverit; eſſe eum tutum futurum, quod ad ſuſpicionem Clàm facti operis pertineret. Quòd ſanè verum eſt. *l.* 11. § 11. ULP. LIB. 71. AD ED.

XII.

Obſervandum ſupereſt quòd, ut Clàm *factum videatur, celandi voluntas in eo qui opus fieri jubet, non in eo qui juſſu alterius fecerit, inſpicitur.*

Hinc Pomponius. Si juſſero ſervum meum opus facere, quum (quantùm ad me pertinet) in clandeſtini ſuſpicionem non veniret; ſervus autem meus putaverit, ſi reſciſſet adverſarius, prohibiturum eum: an tenear? Et non puto: cùm mea perſona ſit intuenda. *l.* 21. § 1. POMPON. LIB. 29. AD SABIN.

§ III.

Quid Juris ſi dubitetur an Vi *an* Clàm *factum ſit; aut ſi,* Vi *ſimul &* Clàm.

XIII.

Vidimus VI *factum videri, quod quis facit quum ipſi denuntiatum eſſet ne faceret;* CLAM *factum ſæpè præſumi, quum ipſe non denuntiavit ſe facturum. Hinc quæritur, an* VI *an* CLAM *factum videri debeat in ſpecie ſequenti?*

Si quis, quum non denuntiaſſet opus ſe facturum, eique denuntiatum eſſet ne faceret, fecerit; utiliùs puto probandum, VI (*b*) eum feciſſe. *l.* 5. § 7. ULP. LIB. 70. AD ED.

(*a*) Id eſt, ſi in fundo *fœminæ* quis faciat, *ſufficere viro* ejus *notum facere.*
(*b*) Quia faciliùs probatur factum *Vi*, cùm ſufficiat adversùs denuntiationem fuiſſe factum. In eo autem quod quis *Clàm* factum intendit, neceſſe habet probare adverſarium habuiſſe animum celandi.

Source : BIU Cujas

XIV.

Interdictum complectitur id quodcumque Aut Vi Aut Clàm factum eſt. Sed interdum evenit ut quid & VI & CLAM fiat partim, & partim in eodem opere : ut putà, quum prohiberem, fundamenta poſuiſti ; poſtea, quum conveniſſem ne reliquum opus fieret, abſente & ignorante me, reliquum opus perfeciſti : vel contrà, fundamenta Clàm jeciſti, deinde cætera prohibente me ædificaſti. Hoc Jure utimur ; ut, etſi VI & CLAM factum ſit, Interdictum hoc ſufficiat. *l.* 11. § 5. IDEM LIB. 71. AD ED.

ARTICULUS II.

Oportere ut in re ſoli opus ſit factum, & quod ſolo noceat.

XV.

Hoc Interdictum ad ea ſola opera pertinet, quæcumque in ſolo VI aut CLAM fiunt. *l.* 1. § 4. ULPIAN. LIB. 71. AD ED.

Igitur Quod in nave fit, vel in aliâ quâlibet re vel ampliſſimâ, mobili tamen ; non continetur hoc Interdicto. *l.* 20. § 4. PAUL. LIB. 4. AD SABIN.

§ I.

Quando factum videatur in re ſoli, necne.

XVI.

In re ſoli fieri videtur, & quod ſit circa aquam quæ in ſolo eſt.

Hinc Is qui in puteum vicini aliquid effuderit, ut hoc facto aquam corrumperet ; ait Labeo, Interdicto QUOD VI AUT CLAM eum teneri. Portio enim agri videtur aquâ vivâ ; quemadmodum ſi quid operis in aquâ feciſſet. *l.* 11. ULP. LIB. 71. AD ED.

XVII.

In re ſoli etiam fieri videtur, quod ſit circa ſuperficiem quæ ſolo perpetuâ deſtinatione cohæret.

Hinc Si vitem meam ex fundo meo in fundum tuum depreſſeris (*Florent.* deprehenderis) eaque in fundo tuo coaluerit ; utile eſt Interdictum QUOD VI AUT CLAM, intrà annum. *l.* 22. VENULEIUS LIB. 2. INTERDICTOR.

Obiter nota: Sed ſi annus præterierit, nullam remanere actionem. Radices quæ in fundo meo ſint, tuas fieri ; quia his (*a*) acceſſiones ſint. *d. l.* 22. ¶ *ſed ſi.*

Ad ſuperficiem ſoli pertinere videntur pedamenta quæ ponuntur in vineis. Hinc Si quis in vineas meas venerit, & indè ridicas (*b*) abſtulerit ; hoc Interdicto tenebitur. *ſup. d. l.* 11. § 3.

Quinetiam Si quis ædificium demolitus fuerit, quamvis non uſque ad ſolum ; quin Interdicto teneatur, dubitari deſiit. *l.* 7. § 9. ULP. LIB. 71. AD ED.

Proindè & ſi tegulas de ædificio ſuſtulerit, magis eſt ut Interdicto teneatur. *d. l.* 7. § *fin.*

Nam origo hujus rei à ſolo proficiſcitur. Cæterùm per ſe tegulæ non poſſidentur, ſed cum univerſitate ædificii. Nec ad rem pertinet, adfixæ ſunt, an tantùm poſitæ. *l.* 8. VENULEIUS LIB. 2. INTERDICTOR.

Nam & ſi ramos quis de arboribus abſtulerit, adhuc Interdictum hoc admittimus.

Hæc ita, ſi de ædificio tegulas ſuſtulerit. Cæterùm ſi non de ædificio, ſed ſeorsùm poſitas ; ceſſat hoc Interdictum. *l.* 9. ULP. LIB. 71. AD ED.

Et generaliter : Sed ſi quis aliquid ædibus adfixum evellerit, ſtatuam fortè, vel quid aliud ; QUOD VI AUT CLAM Interdicto tenebitur. *d. l.* 9. § 2.

XVIII.

In re ſoli etiam factum videtur, & ad hoc Interdictum pertinet illud opus ; quo cœlum quod ſupra ſolum eſt, aufertur.

Hinc Si quis projectum aut ſtillicidium, in ſepulcrum immiſerit ; etiamſi ipſum monumentum non tangeret, rectè cum eo agi QUOD in ſepulcro VI AUT CLAM factum ſit : quia ſepulcri ſit, non ſolùm is locus qui recipiat humationem, ſed omne etiam ſupra id cœlum. Eoque nomine etiam SEPULCRI VIOLATI agi poſſe. *l.* 22. § 4. VENULEIUS LIB. 2. INTERDICTOR.

Undè Pomponius. In opere novo, tam ſoli quàm cœli menſura facienda eſt. *l.* 21. § 2. POMPON. LIB. 22. AD SABIN.

XIX.

Non videtur autem in re ſoli factum, nec ad hoc Interdictum pertinet ; quodcumque ſit circa rem quæ ſolo non cohæret, quamvis ad fundum parata.

Exemplum mox ſuprà in tegulis ſeorsùm ab ædificio poſitis, quamvis ad illud deſtinatis.

Idem dic de aliâ re quâlibet quæ ad fundum vel domum pertinet, nec tamen ei cohæreat.

Hinc Ulpianus : Si tamen ſera, vel clavis, vel cancellus, vel ſpecularium (*c*) ſit ablatum ; QUOD VI AUT CLAM agi non poterit. *d. l.* 9. § 1.

Et ſi acervum (*d*) ſuccenderit, vel diſperſerit ſic ut non ad uſum agri convertat (*e*) ; Interdicto locus non erit. *d. l.* 6. § 3. ¶ *fin.*

Quia acervus ſolo non cohæret, ſed terrâ ſuſtinetur : ædificia autem ſolo cohærent. *l.* 10. VENULEIUS LIB. 2. INTERDICTOR.

Contrà verò Si quis acervum ſtercoris circa agrum pinguem disjecerit ; cum eo, QUOD VI AUT CLAM FACTUM EST, agi poteſt. Et hoc verum eſt : quia ſolo vitium adhibitum ſit. *l.* 7. § 6. ULP. LIB. 71. AD ED.

XX.

Item non videtur in re ſoli factum, nec huic Interdicto locum dat ; quòd factum ſit circa fructus pendentes.

Hinc Ulpianus. Notavimus ſuprà ; quòd, quamvis verba Interdicti latè pateant, tamen ad ea ſola opera pertinere Interdictum placere, quæcumque fiant in ſolo. Eum enim qui fructum tangit, non teneri Interdicto QUOD VI AUT CLAM. Nullum enim opus in ſolo (*f*) facit. At qui arbores ſuccidit, utique tenebitur, & qui harundinem & qui ſalictum : terræ enim, & quodammodo ſolo ipſi, corrumpendo manus infert. Idem & in vineis ſucciſis.

Cæterùm qui fructum aufert, FURTI debet conveniri. Itaque ſi quid operis in ſolo fiat, Interdictum locum habet. In ſolo fieri accipimus, & ſi quid circa arbores fiat, non ſi quid circa fructum arborum. *d. l.* 7. § 5.

§ II.

Oportere ut illud ſit opus quod ſolo nocuerit.

XXI.

Contra Trebatii ſententiam obtinuit, ut non daretur hoc Interdictum niſi de eo opere quod nocuerit. Nam Si ſtercus per fundum meum tuleris, quum id te facere vetuiſſem : quanquàm nihil damni feceris mihi, nec fundi mei ſpeciem mutaveris, tamen teneri te Quod Vi Aut Clàm Trebatius ait. Labeo contrà : ne etiam is qui duntaxat

(*a*) *His* vitibus quæ in fundo tuo coaluerunt, & coaleſcendo pars tui fundi eſſe cœperunt, *acceſſiones ſunt* radices quæ in fundo meo erant : ita Gloſſa. Dices : An ergo radix cedit viti ? Cedit hìc ; quia pro maximâ ſui parte vitis in tuo fundo coaluit, & radices ibi egit.

(*b*) Pedamenta vineæ robuſta, è quercu aut junipero : Varro *de Re ruſtic.* l. 8. [*des échalas*].

(*c*) Quid ſit, vide ſuprà lib. 33. Tit. *de Inſtruct. vel inſtrum. leg.* N. 36 ad Not.

(*d*) Putà, ſtercoris.

(*e*) Quia nempè dejicit extrà fundum.

(*f*) Nec obſtat quòd ſolo cohæreant. Ad tempus enim duntaxat cohærent, & ſic ut quum maturuerint, debeant ſeparari. Nec eorum ſeparatio cauſam ſoli deteriorem facit, cùm neceſſaria ſit ut renaſci poſſint.

Source : BIU Cujas

iter per fundum meum fecerit, aut avem egerit, venatus-ve fuerit ſine ullo opere, hoc Interdicto teneatur. *l.* 22. § 3. VENULEIUS LIB. 2. INTERDICTOR.

Undè ex receptâ illâ Labeonis ſententiâ, generaliter ait Ulpianus: Planè ſi quid aqui colendi causâ factum ſit, Interdictum QUOD VI AUT CLAM locum non habet, ſi melior cauſa facta ſit agri: quamvis prohibitus quis, Vi vel Clàm fecerit. *l.* 7. § 7. ULP. LIB. 71. AD ED.

Conſonat Celſus. Si immaturam ſylvam cæduam cæcidit quis, Interdicto QUOD VI AUT CLAM tenetur: ſi maturam, ſimiliter cæduam, neque damno dominus adfectus eſt; nihil præſtabit. *l.* 18. CELSUS LIB. 25. DIGEST.

XXII.

Cùm ergo, niſi de eo opere quod nocuerit, hoc Interdictum non detur; hinc quæſitum eſt, an de eo opere detur quod factum ſit in re nullius? Putà Si quis de monumento ſtatuam ſuſtulerit; an ei ad quem jus ſepulcri pertineret, agere permittitur? Et placet, & in his Interdicto locum eſſe. Et ſanè dicendum eſt, ſi qua ſepulcri ornandi causâ adpoſita ſint, ſepulcri eſſe videri. Idem eſt, & ſi oſtium avellat vel effringat. *l.* 11. § 2. ULP. LIB. 71. AD ED.

Simili de causâ Quæſitum eſt; Si ſtatuam in municipio ex loco publico quis ſuſtulerit, vel Vi, vel Clàm; an hoc Interdicto teneatur? Et extat Caſſii ſententia; eum cujus ſtatua in loco publico in municipio poſita ſit, QUOD VI AUT CLAM agere poſſe: quia interfuerit ejus eam non tolli. Municipes autem etiam Furti acturos: quia res eorum ſit, quaſi publicata. (Si tamen decideriſ (*a*), ipſi eam detrahunt). Et hæc ſententia vera eſt. *d. l.* 11. § 1.

Item Quæſitum eſt; Si quum prædium interim nullius eſſet, aliquid VI aut CLAM factum ſit; an poſtea dominio ad aliquem devoluto, Interdicto locus ſit? Ut putà hereditas jacebat, poſtea adiit hereditatem Titius: an ei Interdictum competat? Et eſt apud Vivianum ſæpiſſimè relatum; heredi competere hoc Interdictum, ejus quod ante aditam hereditatem factum ſit. Nec referre Labeo ait, quòd non ſcierit qui heredes futuri eſſent. Hoc enim poſſe quem cauſari; etiam poſt aditam hereditatem. Ne illud quidem obſtare Labeo ait, quòd eo tempore nemo dominus fuerit. Nam & ſepulcri nemo dominus fuit: & tamen ſi quid in eo fiat, experiri poſſum QUOD VI AUT CLAM. Accedit his, quòd hereditas dominæ locum obtinet. Et rectè dicitur, heredi quoque competere, & cæteris ſucceſſoribus; ſive antequàm ſucceſſerit, ſive poſtea aliquid ſit Vi aut Clàm admiſſum. *l.* 13. § 5. IDEM LIB. 71. AD ED.

XXIV.

2°. *Nihil etiam refert in quo loco opus factum ſit, ſive in ſuo ſive in alieno.*

Denique ſi arbores in fundo cujus uſusfructus ad Titium pertinet, ab extraneo, vel à proprietario ſuciſæ fuerint; Titius & Lege Aquiliâ (*c*), & Interdicto QUOD VI AUT CLAM, cum utroque eorum rectè experietur. *l.* 13. ULP. LIB. 71. AD ED.

Item Si ex ſociis communis fundi unus arbores ſuciderit; ſocius cum eo, hoc Interdicto experiri poteſt: cùm ei competat cujus intereſt. *d. l.* 13. § 3.

Item Sive in privato, ſive in publico opus fiat; ſive in loco ſacro, ſive in religioſo; Interdictum competit. *l.* 20. § *fin.* PAUL. LIB. 13. AD SABIN.

V. G. Si ſepulcrum quis diruit, ceſſat Aquilia: QUOD VI tamen AUT CLAM agendum erit. Er ita de ſtatuâ de monumento evulsâ Celſus ſcribit. *l. ff. de Sepulc. viol.* ULP. LIB. 18. AD ED. PRÆTORIS.

Obiter nota. Idem quærit; Si neque adplumbata fuit, neque adfixa; an pars monumenti effecta ſit, an verò maneat in bonis noſtris? Et Celſus ſcribit; Sic eſſe monumenti, ut oſſuariam (*d*): & ideò QUOD VI AUT CLAM Interdicto locum fore. *d. l.* 2. ¶ *idem.*

Præterea ſi foſſam feceris in ſylvâ publicâ, & bos meus in eam inciderit; agere poſſum hoc Interdicto: quia in publico factum eſt. *l.* 7. § 8. ULP. LIB: 71. AD ED.

XXV.

3°. *Denique* Et parvi refert, utrùm jus habuerit faciendi an non. Sive enim jus habuit, ſive non, tamen tenetur Interdicto, propter quòd VI AUT CLAM fecit. Tueri enim jus ſuum debuit, non injuriam comminiſci. *l.* 1. § 2. ULP. LIB. 71. AD ED.

SECTIO II.

Cui detur hoc Interdictum, & adversùs quem.

ARTICULUS I.

Hoc Interdictum dari ei omni cujus intereſt opus non eſſe factum.

XXVI.

Julianus ſcribit; Interdictum hoc non ſolùm domino prædii, ſed etiam his quorum intereſt opus factum non eſſe, competere. *l.* 11. § *fin.* ULP. LIB. 71. AD ED.

Putà colono & fructuario. Quanquàm autem colonus & fructuarius, fructuum nomine (*e*), in hoc Interdictum admittantur; tamen & domino id competet, ſi quid prætereà ejus interſit. *l.* 12. VENULEIUS LIB. 2. INTERDICT.

Non ſolùm autem fructuum, ſed etiam amœnitatis ratione; hoc Interdictum fructuario competit.

Hinc Proculus. Si quis Vi Aut Clàm arbores non frugiferas ceciderit, veluti cupreſſos; domino duntaxat competit Interdictum. Sed ſi amœnitas quædam ex hujuſmodi arboribus præſtetur; poteſt dici & fructuarii intereſſe propter voluptatem & geſtationem, & eſſe huic Interdicto locum. *l.* 16. § 1. PAUL. LIB. 67. AD ED.

XXVII.

Competit hoc Interdictum, etiam his qui non poſſident; ſi modò eorum intereſt. *d. l.* 16. *pr.*

Undè apud Servium ampliùs relatum eſt; Si mihi conceſſeris ut ex fundo tuo arbores cædam, deinde eas alius

ARTICULUS III.

Nil referre, quale opus & in quo loco factum ſit, & an jure an injuriâ.

XXIII.

Vidimus quæ requirantur circa opus de quo hoc Interdictum datur.

Modò hæc concurrant; de cætero nihil refert 1°. *Quæ ſpecies operis fuerit, formatum an informe.*

Hinc Venuleius. Si quis Vi Aut Clàm araverit (*b*); puto eum teneri hoc Interdicto, perindè atque ſi foſſam feciſſet. Non enim ex qualitate operis huic Interdicto locus eſt, ſed ex opere facto quod cohæret ſolo. *l.* 22. § 1. VENUL. LIB. 2. INTERDICT.

Similiter Ulpianus. Si quis CLAM Aut VI agrum inaraverit, vel foſſam fecerit, hoc interdicto tenebitur. *l.* 9. § 3. ULP. LIB. 71. AD ED.

(*a*) Quum quis ſtatuam *Vi* aut *clàm* ſuſtulit; competit quidem Interdictum *Quod vi aut clàm* ei cujus eſt ſtatua: quia, cùm ad honorem ejus pertineat, videtur ejus intereſſe ut non auferatur. *Si tamen deciderit* ſtatua, aut ruinoſa ſit; non is cujus eſt imago, ſed *ipſi municipes eam detrahunt* utpotè publicam factam quum in publico poſita eſt.

(*b*) Quod meâ intererat non arari. Putà, PRATUM erat quod aravit.

(*c*) *Utili* actione. Nam *Directa* fructuario non competit, ſed ſoli domino: ut vid. ſuprà lib. 9. Tit. *Ad L. Aquil.* N. 35.

(*d*) *Oſſuariam* urnam, in quâ oſſa reconduntur.

(*e*) Scilicet ſi quid in ſolo factum ſit, quo ſterilior fundus reddatur.

Source : BIU Cujas

Vi Aut Clàm cæciderit; mihi hoc Interdictum competere, quia ego sim cujus interest. Quod faciliùs erit admittendum, si à te emi, vel ex aliquo contractu hoc Consecutus sim ut mihi cædere liceat. *l.* 13. § 4. ULP. LIB. 71. AD ED.

XXVIII.

De opere quod in fundo vendito, Vi Aut Clàm factum est; an venditori, an emptori hoc Interdictum competat, quæritur?

Eâ de re ita Ulpianus. Si posteaquàm Vi Aut Clàm factum est, vænierit fundus; an venditor nihilominùs hoc Interdicto experiri possit, videamus? Et extat sententia existimantium, nihilominùs competere ei Interdictum, nec finiri venditione. *l.* 11. § 8. ULP. LIB. 71. AD ED.

Obiter nota: Sed nec EX EMPTO actione quicquam ei præstandum emptori, ex eo opere quod ante venditionem factum est. Satis enim esse quòd utique propter hoc opus viliori prædium distraxerit. Certè etsi non viliori vendidit, idem erit probandum. *d.* § 8. ¶ *sed nec.*

Planè si post venditionem fundi, opus factum est; etsi ipse experiatur venditor, quia nondum traditio facta est; tamen Ex empto actione emptori tenebitur. Omne enim & commodum & incommodum, ad emptorem pertinere (*a*) debet. *d. l.* 11. § 9.

XXIX.

Si fundus in diem addictus sit (*b*); cui competat Interdictum? Et ait Julianus; Interdictum QUOD VI AUT CLAM ei competere cujus interfuit opus non fieri. Fundo enim in diem addicto & commodum omne ad emptorem (inquit) pertinet, antequàm venditio transferatur. Et ideò si quid tùm Vi Aut Clàm factum est, quamvis melior conditio allata fuerit, ipse utile Interdictum habebit. Sed eam actionem, sicut fructus medio tempore perceptos, VENDITI judicio præstare cogendum ait. *d. l.* 11. § 10.

Subjicit deinde Ulpianus sententiam Aristonis; qui emptori, etiamsi nondum ei fundus traditus sit, in fundo tamen moranti, denuntiari posse censet; ut opus non videatur Clàm factum. Undè colligi potest, ex Aristonis sententiâ; etiam ante traditionem, ad emptorem Interdictum pertinere. Mox autem statim ipse ita suam sententiam exponit Ulpianus. Ego, si post in diem addictionem factam fundus precariò traditus sit (*c*), putem emptorem Interdictum QUOD VI AUT CLAM habere. Si verò aut nondum traditio facta est, aut etiam facta est precarii rogatio (*d*): non puto dubitandum quin venditor Interdictum habeat. Ei enim competere debet, etsi res ipsius periculo non sit. Nec multùm facit quòd res emptoris periculo est. Nam & statim post venditionem contractam, periculum ad emptorem spectat: & tamen, antequàm ulla traditio fiat, nemo dixit Interdictum ei competere. Si tamen precariò sit in possessionem; videamus ne, quia interest ipsius qualiter qualiter possidet, jam Interdicto uti possit? Ergo & si conduxit, multò magis. Nam & colonum posse interdicto experiri, in dubium non venit. Planè si posteaquàm conditio allata est, aliquid operis Vi Aut Clàm factum sit; nec Julianus dubitaret, Interdictum venditori competere. Nam inter Cassium & Julianum de illo quod medio tempore accidit, quæstio est; non de eo opere quod postea contigit. *d. l.* 11. § 12.

Quòd Si ita prædium vænierit, ut, si displicuisset inemptum esset; faciliùs admittimus, Interdictum emptorem habere: si modò est in possessione. Et si rescissio emptionis in alterius arbitrium conferatur, idem erit probandum. Idemque & si ita vænisset, ut si aliquid evenisset, inemptum esset prædium. Et si fortè Commissoriâ (*e*) vænierit, idem dicendum est. *d. l.* 11. § 13.

XXX.

Observandum superest; filiofamilias, quamvis regulariter nulla ipsi competere actio possit, tamen de eo opere quod VI *factum est in re peculiari, hoc Interdictum tam ipsi quàm ipsius patri competere. Enimverò* Labeo scribit; Si filio prohibente opus factum sit, & te habere Interdictum; & si te prohibente opus factum est, filium tuum nihilominùs. *l.* 13. § 1. ULP. LIB. 71. AD ED.

Similiter Interdictum QUOD VI AUT CLAM competere filiofamilias colono, arboribus succensis, Sabinus ait. *l.* 19. IDEM LIB. 57. AD ED.

Hoc in odium violentiæ. Contrà obtinebit; si non VI, *sed* CLAM *factum sit. Nam suprà dictus Labeo* Idem ait: Adversùs filiumfamilias in re peculiari, neminem Clàm videri feciisse. Namque, si scit eum filiumfamilias esse; non videtur ejus celandi gratiâ feciisse, quem certus est nullam secum actionem (*f*) habere. *d. l.* 13. § 2.

ARTICULUS II.

Adversùs quem hoc Interdictum detur.

XXXI.

Hoc Interdictum datur adversùs eum qui Vi *aut* Clàm *fecit.*

Feciisse autem intelligitur, non solùm qui ipse per se fecit. Nam Hæc verba, QUOD VI AUT CLAM FACTUM EST, ait Mucius ita esse; Quod tu, aut tuorum quis, aut tuo jussu factum est. *l.* 5. § 8. ULP. LIB. 70. AD EDICT.

Et hoc Jure utimur; ut sive ego feciissem, sive fieri jussi, Interdicto QUOD VI AUT CLAM tenear. *d. l.* 5. § 14.

Jubenti similis est, qui ratum habet quod nomine ejus factum est.

Hinc Si colonus meus opus fecerit; si quidem me volente vel ratum habente, perindè est atque si procurator meus feciisset: in quo placet, sive ex voluntate meâ fecerit, teneri me; sive ratum habuero quod procurator fecit. *l.* 13. § 6. IDEM LIB. 71. AD ED.

XXXII.

Si ego tibi mandavero opus novum facere, tu alii; non potest videri meo jussu factum: teneberis ergo tu & ille. An & ego tenear, videamus? Et magis est, & me qui initium ei præstiterim, teneri. Sed uno ex his satisfaciente, cæteri liberantur. *l.* 6. PAUL. LIB. 67. AD ED.

Tenentur ergo & is cujus nomine jussum est, & is quis alieno nomine jussit; sed hic, Utili tantùm Interdicto. De Directo autem accipe quod ait Ulpianus: Similiter quod jussu cujus factum erit; ob id non cum eo, sed cujus nomine jusserit, hæc actio est. Nam si procurator, tutor, curator; duumvir municipii [quòd (*g*) ejus nomine ageret, cujus negotium procuraret] fieri jusserit: ob id agendum erit cum eo cujus nomine factum quid erit; non cum eo qui ita jussetit. Et si tibi mandavero ut opus fieri juberes, & in eâ re mihi parueris; mecum [inquit], non tecum erit (*h*) actio. *l.* 5. § 12. ULP. LIB. 70. AD ED.

De Utili autem Interdicto intelligendus est Labeo, quum

(*a*) Vide suprà lib. 19. Tit. *de Act. empti.* N. 65.

(*b*) Ita nempè, ut si intra certum diem melior conditio oblata fuerit, prior venditio resolvatur.

(*c*) Cujacius Observ. XI 25. & XVI 29. censet legendum, *non precariò traditus sit*; alioquin in fine hujusce §*i.* ineptè Ulpianus quæreret an emptor qui precariò rogavit, habeat hoc Interdictum; si hoc ipsum initio ejusdem §*i.* pro certo affirmasset.

(*d*) Non tamen traditio, inquit Accursius. Meliùs autem Wocehtlerus in *Actis Erudit. Lipsiens.* monet legendum, *aut etiam* NONDUM *facta est precarii rogatio.*

(*e*) Id est, sub lege commissoriâ; ut, si pretium intra diem solutum non sit, res sit inempta: de quâ suprà lib. 18. Tit. *de Leg. commiss.*

(*f*) In solius enim Castrensis peculii causâ filiusfamilias habet actionem proprio nomine & *Directam*; cæteras omnes patri acquirit: quamvis tamen ex quibusdam causis *Utiliter* ipse agere possit. Suprà lib. 5. Tit. *de Judiciis.* Sect. 2. Art. 1. §°. 2°.

(*g*) Id est, eo *quòd*, seu in quantùm.

(*h*) *Actio directa* scilicet. Cùm utroque autem est actio, eo sensu quòd etiam *tecum* est actio saltem UTILIS. Et sic rectè mihi videtur Glossa hanc legem conciliare cum l. 6. mox suprà. Minùs placet altera conciliatio quam Cujacius sequitur; ut is qui alieno nomine jussit, teneatur Interdicto quum ipse jussus erat facere, non quum jussus erat jubere.

Source : BIU Cujas

Idem ait; Et adversùs procuratorem, tutorem, curatorem, municipum-ve syndicum, alieno nomine interdici posse. *d. l.* 5. § 10.

Imò & ipse Ulpianus apertè ait; adversùs eum qui alieno nomine facere mandavit, Utile Interdictum accommodari. A fortiori ergo adversùs eum qui ipse alieno nomine fecit.

Ita ille: Si tutoris jussu aut curatoris factum sit; cùm placeat quod Cassius probat, ex dolo tutoris vel curatoris pupillum vel furiosum non teneri: eveniet ut in ipsum tutorem curatoremque aut Utilis actio competat, aut etiam Utile Interdictum. Certè ad patientiam tollendi operis utique tenebuntur pupillus & furiosus, & ad (*a*) noxam. *l.* 11. § 6. ULP. LIB. 71. AD ED.

XXXIII.

Quando itaque servus Vi fecit citra jussum domini; hoc Interdictum noxaliter in dominum ejus redditur.

Enimverò Neratius quoque scribit; Eum, cujus servus Vi Aut Clàm fecit, aut suâ impensâ, ex Interdicto opus restituere debere; aut patientiam restituendi præstare, & servum noxæ dedere. Planè si mortuo alienato-ve servo interdiceretur, patientiam duntaxat præstare debere ait, ita ut & emptor (*b*) eo Interdicto possit conveniri ut impensam præstet, aut noxam det: dominoque operis suâ impensâ restituente, aut damnato quia non restitueret, emptorem (*c*) liberari. Eadem; & si contrà dominus servi, vel opus restituisset, vel litis æstimatione damnatus esset. Quòd si tantùm noxæ dedisset, adversùs dominum operis utiliter interdici. *l.* 7. § 1. ULP. LIB. 71. AD ED.

Consonat Julianus. Nam & si servus meus ignorante me opus fecerit, eumque vendidero vel manumisero; mecum in hoc solum agi poterit ut patiar opus tolli: cum emptore autem servi, ut aut noxæ dedat, aut impensam quæ in restitutione facta fuerit, præstet; sed & cum ipso manumisso, rectè agi poterit. *l.* 14. JULIAN. LIB. 68. DIGEST.

XXXIV.

Servus quidem post manumissionem tenetur, si inscio domino fecit; quemadmodum & ex quovis suo delicto.

Quid autem si jussu domini, aut ejus qui erat vice domini fecit? An ignoscitur servo, qui obtemperavit tutori aut curatori? Nam ad quædam, quæ non habent atrocitatem facinoris vel sceleris, ignoscitur servis; si vel dominis, vel his qui vice dominorum sunt, obtemperaverint. Quod & in hoc casu admittendum est. *l.* 11. § 7. ULP. LIB. 71. AD ED.

Sed & si jussu cujuslibet cui obtemperare necesse habuit (scilicet cui operas debebat) servus, Vi Aut Clàm fecit; non videbitur deliquisse: adeòque hoc casu Noxalis actio adversùs ipsius dominum cessabit.

Sic accipe quod ait Ulpianus. Si quid servus meus fecit, non ob id mecum actio est; sed si id meo nomine, aut suo fecit. Nam si tuum servum mercenarium habuero: quidquid ab eo factum fuerit meo nomine; ob id non tecum, sed mecum cujus jussu aut nomine id opus à servo tuo factum fuerit, agendum erit hoc Interdicto. *l.* 5. § 11. IDEM LIB. 70. AD ED.

XXXV.

Hoc Interdictum in heredem cæterosque successores datur, in id quod ad eos pervenit. *l.* 15. § 3. ULP. LIB. 71. AD ED.

Enimverò ait Prætor: QUOD VI AUT CLAM FACTUM EST.

Labeo autem ait, plures personas contineri his verbis. Nam ecce primùm heredes eorum quos enumerat Mucius (*d*), contineri putat. *sup. d. l.* 5. § 9.

Item Cùm Interdictum sic sit scriptum, QUOD VI AUT CLAM FACTUM EST; non ita, QUOD VI AUT CLAM FECISTI; latiùs porrigi quàm ad has personas quas suprà numeravimus, Labeo putat. *d. l.* 5. § 13.

Nimirùm Semper adversùs possessorem operis hoc Interdictum competit. Idcircòque si quilibet inscio vel etiam invito me, opus in meo fundo fecerit; Interdicto locus erit (*e*). *sup. d. l.* 15. *pr.*

ARTICULUS III.

Quatenùs quisque teneatur hoc Interdicto, quum plures fecerunt.

XXXVI.

Hâc in re interest, an omnes communi consilio, an singuli proprio fecerint: ut liquebit ex specie sequenti.

Si in sepulcro alieno terra congesta fuerit jussu meo; agendum esse QUOD VI AUT CLAM mecum, Labeo scribit. Et, si communi consilio plurium id factum sit, licere, vel cum uno, vel cum singulis experiri: opus enim quod à pluribus pro indiviso factum est, singulos in solidum obligare. Si tamen proprio quis eorum consilio hoc fecerit; cum omnibus esse agendum, scilicet in solidum. Itaque alter conventus alterum non liberabit; quinimò perceptio ab altero (*f*). Superiore etenim casu (*g*), alterius conventio alterum liberat. Præterea Sepulcri quoque violati agi potest. *l.* 15. § 2. ULPIAN. LIB. 18. AD ED.

SECTIO III.

Quid veniat in hoc Interdicto, quandiù duret, & quibus exceptionibus excludatur.

ARTICULUS I.

Quid veniat in hoc Interdicto præstandum.

Interest an cum eo qui VI *Aut* CLAM *fecit, experiamur; an cum possessore operis, citra cujus consensum aliquid Vi Aut Clàm factum est.*

XXXVII.

Quum adversùs eum qui Vi Aut Clàm fecit, experimur; Hoc Interdicto tanti lis æstimatur, quanti actoris interest id opus factum esse. Officio autem judicis ita oportere fieri restitutionem judicandum est; ut in omni causâ eadem conditio sit actoris, quæ futura esset si id opus de quo actum est, neque Vi neque Clàm factum esset. *l.* 15. § 7. ULP. LIB. 71. AD ED.

Hoc ergo complectitur, ut & tollatur opus præsens, si quod extat; & damna præterita ex eo opere data sarciantur.

Hinc Ulpianus: Quod ait Prætor, QUOD VI AUT CLAM FACTUM EST, ad quod tempus referatur, videamus: utrùm ad præteritum, an ad præsens? Quæ species apud Julianum exposita est. Ait enim; In hoc Interdicto, præsentis temporis significationem accipi debere. Si tamen (inquit) ex opere damnum datum fuerit; aut dominus, aut is cujus fundo nocitum erit, suâ impensâ id sustulerit; utilius probari quod Julianus

(*a*) Sensus est: pupillus & furiosus quorum nomine opus vi aut clàm à quocumque factum est, nunquàm possunt in aliud ex hoc Interdicto teneri, quàm ad patientiam tollendi operis; & præterea, si servus eorum fecit, *ad noxam*, id est, ad eum noxæ dedendum: infrà N. seq.

(*b*) Servi.

(*c*) Servi.

(*d*) Suprà N. 31. nimirùm, *Tu, aut tuorum quis, aut tuo jussu* alius.

(*e*) Adversùs me; non tamen eodem modo quo tenerer si jussissem: ut videb. Sect. seq.

(*f*) Sensus est; non sola conventio, imò sola *Perceptio* liberabit cæteros: & hæc interpretatio Glossæ germana est. Malè quidam interpretantur, Imò *perceptio ab altero* non liberabit cæteros: hoc enim repugnare mihi videtur Juris principiis quæ infrà referemus lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.* Sect. fin.

(*g*) Scilicet eo casu, quo communi consilio fecerunt. Minùs ergo obligantur illi; quàm isti qui proprio consilio fecerunt, facturi etiamsi cæteri non facerent.

Source : BIU Cujas

tentat, ut damnum ſarciatur, & impendia reſtituantur. *l.* 11. § 4. IDEM LIB. 71. AD ED.

Ergo nonnunquàm etiam dominii ratio habenda eſt. Ut putà ſi propter hoc opus quod factum eſt, ſervitutes amittantur, aut uſusfructus intereat. Quod non tantùm tunc eveniet, quum quis opus ædificaverit; verùm etiam ſi diruiſſe opus proponatur; & deteriorem conditionem feciſſe, vel ſervitutum, vel uſusfructûs, vel ipſius proprietatis. *ſup. d. l.* 15. § 8.

Conſonat quod ait Pomponius. Si quis propter opus factum, jus aliquod prædii amiſit; id reſtitui ex hoc Interdicto debet. *l.* 21. § *fin.* POMPON. LIB. 29. AD SABIN.

XXXVIII.

Sed quod interfuit, aut per jusjurandum quod in litem actor juraverit, aut ſi jurare non poſſit, judicis officio æſtimandum eſt. *l.* 15. § 9. ULP. LIB. 71. AD ED.

Nota : Eum autem qui dolo malo fecerit quominùs poſſit reſtituere, perindè habendum ac ſi poſſet. *d. l.* 15. § 10.

Culpam quoque in hoc Interdicto venire, erit probandum : quæ tamen judicis arbitrio æſtimanda erit. *d. l.* 15. § 11.

Quia autem hoc Interdictum, id quod intereſt continet; ſi quis aliâ actione fuerit conſecutus id quod interfuit opus non eſſe factum, conſequens erit dicere, ex Interdicto nihil eum conſequi oportere. *d. l.* 15. § 12.

XXXIX.

Hactenùs de caſu quo adversùs eum qui Vi Aut Clàm fecit, experimur.

Quid autem veniat ſi cum poſſeſſore operis experiamur, citra cujus conſenſum factum eſt; ita docet Ulpianus : Si alius fecerit me invito (*a*), tenebor ad hoc ut patientiam præſtem. *l.* 7. ULP. LIB. 71. AD ED.

Teneri etiam potero ad id, ut, ſi quas actiones habeam adversùs eum qui fecit, eas præſtem. Hinc idem Ulpianus : Is cui fundum paſtinandum locaveras, lapides ſuſtulit, & in vicini projecit prædium. Ait Labeo, te VI AUT CLAM non teneri; niſi juſſu tuo id factum ſit. Ego puto conductorem teneri. Locatorem autem non aliàs, niſi aut patientiam præſtare poſſit, aut aliquam actionem habeat quam præſtet : cæterùm teneri non oportere. *l.* 15. § 1. IBID.

In ſummâ: Qui Vi Aut Clàm fecit, ſi poſſidet, patientiam & impenſam tollendi operis; qui fecit, nec poſſidet, impenſam; qui poſſidet, nec fecit, patientiam tantùm debet. *l.* 16. § 2. PAUL. LIB. 67. AD ED.

Hinc in ſpecie ſequenti rectè diſtinguendo Julianus ait : Si colonus arborem de quâ controverſia erat, ſuccideriſ, vel quod aliud opus fecerit: ſi quidem juſſu domini id factum ſit, eſt ambo tenebuntur; non ut patientiam præſtent, ſed ut impenſam quoque ad reſtituendum præbeant. Si autem dominus non juſſerit, colonus quidem tenebitur ut patientiam & impenſam præſtet; dominus verò nihil ampliùs quàm patientiam præſtare cogendus erit. *l.* 13. § *fin.* ULP. LIB. 71. AD ED.

XL.

Cùm igitur is demùm qui fecit, reſtituere cogatur; poſſeſſor autem citra cujus conſenſum factum eſt, patientiam tantùm præſtet; indè ſequens quæſtio quam ita ſolvit Pomponius. Si opus quod quis juſſus eſt, à judice qui ex hoc Interdicto ſumptus eſſet reſtituere (*b*), alius quis Vi Aut Clàm ſuſtuliſſet (*c*); nihilominùs idem ille (*d*) omnimodo jubetur opus reſtituere. *l.* 21. POMPON. LIB. 29. AD SABIN.

(*a*) Si enim me conſentiente, multò magis ſi opem tuli, tenebor & ego reſtituere quaſi feciſſem.

(*b*) Id eſt, deſtruere Opus quod fecit.

ARTICULUS II.

Quandiù duret hoc Interdictum.

XLI.

Hoc Interdictum non perpetuum eſt : Et poſt annum non competit. *l.* 15. § 3. ¶ *& poſt.* ULP. LIB. 71. AD ED.

Annus autem cedere incipit, ex quo id opus factum perfectum eſt; aut fieri deſiit, licèt perfectum non ſit. Alioquin ſi à principio operis cœpti annum quis numeret: neceſſe eſt, cum his qui opus tardiſſimè facerent, ſæpiùs agi. *d. l.* 15. § 4.

Abſentibus Reipublicæ causâ, æquè ac Minoribus, hic annus non currit. Hinc Ulpianus. Si quis Reipublicæ causâ abfuiſſet, deindè reverſus Interdicto QUOD VI AUT CLAM uti vellet : verius eſt, non excludi anno eum; ſed reverſum, annum habere. Nam & ſi minor viginti quinque annis Reipublicæ causâ abeſſe cœpiſſet, deinde Major effectus ſit dum abeſt Reipublicæ causâ; futurum ut ex quo rediit, annus ei computetur, non ex quo implevit viceſimum-quintum annum. Et ita Divus Pius, & deinceps omnes Principes reſcripſerunt. *d. l.* 15. § 6.

XLII.

Uno caſu, poſt annum hoc Interdictum datur. Nimirùm : Sed ſi is ſit locus in quo opus factum eſt, qui facilènon adiretur : (ut putà in ſepulcro Vi Aut Clàm factum eſt, vel in abdito alio loco; ſed & ſi ſub terrâ fieret opus, vel ſub aquâ vel cloacâ aliquid factum ſit); etiam poſt annum causâ cognitâ competit Interdictum de eo quod factum eſt. Nam causâ cognitâ annuam exceptionem remittendam; hoc eſt, magnâ & juſtâ causâ ignorantiæ interveniente. *d. l.* 15. § 5.

ARTICULUS III.

Quibus exceptionibus excludatur hoc Interdictum.

XLIII.

Harum exceptionum potiſſima eſt, quæ ducitur ex eo quòd is ad quem pertinebat, & qui prohibuerat ne fieret opus, poſtea permiſerit illud fieri.

Non tantùm autem ſi ego permiſero; ſed & ſi procurator meus, vel tutor qui tutelam adminiſtrat, vel curator pupilli, furioſi, ſive adoleſcentis; dicendum erit, exceptioni locum fore. *l.* 3. § 3. ULP. LIB. 71. AD ED.

Planè ſi Præſes vel Curator Reipublicæ permiſerit in publico facere; Nerva ſcribit, exceptionem locum non habere : quia, etſi ei locorum (inquit) publicorum procuratio data eſt, conceſſio tamen data non eſt.

Hoc ita verum eſt, ſi non Lex municipalis Curatori Reipublicæ amplius concedat.

Sed etſi à Principe, vel ab eo cui Princeps hoc jus concedendi dederit; idem erit (*e*) probandum. *d. l.* 3. § 4

XLIV.

Veniamus ad aliam exceptionem per quam hoc Interdictum excluditur.

Belliſſimè apud Julianum quæritur; an hæc exceptio noceat in hoc Interdicto, quòd NON TU Vi Aut Clàm feceris? Ut putà, utor adversùs te Interdicto Quod Vi Aut Clàm: an poſſis objicere mihi eamdem exceptionem, quòd non tu Vi Aut Clàm feciſti? Et ait

(*c*) Exaltaſſet, perfeciſſet,

(*d*) Qui à judice juſſus eſt : quia ſcilicet ipſe fecit, licèt alius [& fortè citra ejus conſenſum] perfecerit.

(*e*) Scilicet ut excludatur exceptione Interdictum.

Source : BIU Cujas

Julianus, æquiſſimum eſſe hanc exceptionem dari. Nam ſi tu (inquit) ædificaveris Vi Aut Clâm, ego idem demolitus fuero Vi Aut Clàm, & utaris adversùs me Interdicto; hanc exceptionem profuturam. Quod non aliter procedere debet, niſi ex magnâ & ſatis neceſſariâ causâ: alioquin hæc omnia officio judicis celebrari oportet. *l.* 7. § 3. ULPIAN. LIB. 71. AD ED.

Ejuſdem exceptionis exemplum affert Venuleius. Si ad januam meam tabulas fixeris (*a*), & ego eas priuſquàm tibi denuntiarem, refixero (*b*); deinde invicem Interdicto QUOD VI AUT CLAM egerimus; niſi remittas mihi ut abſolvar, condemnandum te quaſi rem non reſtituas (*c*), quanti meâ interſit; aut exceptionem mihi profuturam SI NON Vi nec Clàm nec precariò feceris. *l.* 22. § 2. VENULEIUS LIB. 2. INTERDICT.

XLV.

Eſt alia exceptio, de quâ Celſus dubitat an ſit objicienda. Ut putà ſi incendii arcendi causâ vicini ædes intercìdi, & QUOD VI AUT CLAM mecum agatur, aut DAMNI INJURIA. Gallus enim dubitat an excipi oporteret, QUOD incendii defendendi causâ factum non ſit? Servius autem ait; Si id Magiſtratus feciſſet, dandam eſſe; privato non eſſe idem concedendum. Si tamen quod Vi Aut Clàm factum ſit, neque ignis uſque eò perveniſſet; ſimpli litem æſtimandam: ſi perveniſſet (*d*), abſolvi eum oportere. Idem ait eſſe, ſi Damni injuriâ actum foret; quoniam nullam injuriam aut damnum dare videtur, æquè perituris ædibus.

Quòd ſi nullo incendio id feceris, deinde incendium ortum fuerit; non erit idem dicendum: quia non ex poſt facto, ſed ex præſenti ſtatu, damnum factum ſit necne, æſtimari oportere Labeo ait. *l.* 7. § 4. ULP. LIB. 71. AD ED.

XLVI.

Denique eſt quæſitum, an hoc Interdicto utenti exceptionem poſſit objicere, QUOD NON jure meo receperim? Et magis eſt ne poſſit: nam adversùs Vim, vel quod Clàm factum eſt, nullâ juſtâ exceptione ſe tueri poteſt (*e*). *l.* 1. § 3. ULP. LIB. 71. AD ED.

(*a*) Et hoc *Vi Aut Clàm* feceris. Mos erat apud Romanos ut ad januam ædium & prædiorum, tabulæ affigerentur nomen domini ædium aut prædii præferentes; putà, *Ædes Sempronii* vel *Ædes Sempronianæ*: [ut Lutetiæ inſculptum portis videmus, HÔTEL DE NOAILLES, HÔTEL DE SULLY]. De hoc more ita Petr. Chryſologus. Serm. 164. *Dominos prædiorum* AFFIXI TITULI *proloquuntur.* Et apud Auguſtinum *Enarrat.* in Pſalm. 21. » *Videte Fratres:* » *quando aliquis potens invenit titulos ſuos, nonne jure rem ſibi vindicat; & dicit,* UBI NOMEN MEUM INVENIO *meum eſt?* Species igitur hujus legis intelligenda eſt de eo qui januæ ædium mearum, de quibus controverſiam mihi facturus eſſet, Tabulam nomen ipſius præferentem clàm affixiſſet; in argumentum dominii quod ſibi aſſerebat.

(*b*) *Clàm* etiam feci; eas, quamvis non jure affixas, refingendo ſine prævià denuntiatione.

(*c*) Id eſt, quaſi eas non poſſis jure reſtituere, qui clàm eas fixit. Ita Rævard. lib. *Pro tribunal.* cap. 8.

(*d*) Supple, aut probabiliter perventurus fuiſſet, licèt extinctus non pervenerit: l. 49. § 1. ff. *Ad L. Aquil.* d. tit. N. 28. Et ita has leges conciliat. Malè Wiſſenbachius diſtinguit inter actionem Legis Aquiliæ, & hoc Interdictum. Nam qui *Aquiliâ* non tenetur, quæ vel leviſſimam culpam admittit, certè hoc Interdicto teneri non poteſt.

(*e*) Vide ſuprà N. 25.

TITULUS XXV.

DE REMISSIONIBUS.

LEgem unicam hujus Tituli transfudimus ſuprà lib. 39. *in Titulum* de Operis novi nuntiat. *quo propriè pertinet. Triboniano autem viſum fuerat hîc* DE REMISSIONIBUS *agere, velut Appendicis vice ad tractationem de interdicto* QUOD VI AUT CLAM; *cùm ad hoc potiſſimùm proſint remiſſiones novi operis, ut quis pergendo opus non teneatur hoc Interdicto.*

TITULUS XXVI.

DE PRECARIO.

CUm in pleriſque Interdictis ita Interdicatur, DE *eo quod* nec Vi nec Clàm nec Precariò; *hinc poſtquàm de Vi & Clandeſtinitate actum eſt, ſtatim ſubjicitur Titulus* DE PRECARIO.

I.

Ait Prætor: « QUOD Precariò ab illo habes, aut » dolo malo feciſti ut deſineres habere; quâ de re » agitur, id illi reſtituas. » *l.* 2. ULP. LIB. 71. AD ED.

Quædam præmittenda ſunt de conventione Precarii ex quâ hoc Interdictum deſcendit; deindè de ipſo Precarii Interdicto agemus.

ARTICULUS I.

De conventione Precarii.

Circa contractum Precarii quærendum eſt, quæ ſit ejus natura & origo, in quibus rebus conſtituatur Precarium; quis Precariò habere rem & à quo res Precariò haberi videatur, quomodo conſtituatur Precarium, quem effectum pariat, & quando ceſſet.

§ I.

De naturâ & origine Precarii.

II.

PRECARIUM eſt quod precibus petenti utendum conceditur, tamdiù quandiù is qui conceſſit, patitur. *l.* 1. ULP. LIB. 1. INSTITUT.

Quod genus liberalitatis, ex Jure Gentium deſcendit. *d. l.* 1. § 1.

Et diſtat à Donatione; eo quòd qui donat, ſic dat ne recipiat: at qui Precariò concedit, ſic dat quaſi tunc recepturus, quum ſibi libuerit Precarium ſolvere. *d. l.* 1. § 2.

Et eſt ſimile Commodato (*a*): nam & qui commodat,

(*a*) Hâc in re ſcilicet, quòd *qui commodat*, &c.

fic

Source : BIU Cujas

ſic commodat ut non faciat rem accipentis, ſed ut ei uti re commodatâ permittat. *d. l.* 1. § 3.

Cæterùm eâ in re Precarium à Commodato differt, quòd (*ut ſuprà vid. lib.* 13. *Tit.* Commod.) *res commodata non niſi finito uſu ad quem tradita eſt, reddi debet: contrà res Precariò conceſſa, ei qui hanc conceſſit quandocumque repoſcenti debet reddi.*

Hinc in contractu Precarii, diem reſtitutioni inutiliter adjici docet Celſus. Ita ille: Quum Precariò aliquid datur, ſi convenit ut in Kalendas Julias Precariò poſſideat, numquid exceptione adjuvandus eſt, ne ante ei poſſeſſio auferatur? Sed nulla vis eſt hujus conventionis, ut rem alienam domino invito poſſidere liceat. *l.* 12. CELSUS LIB. 25. DIGEST.

In aliis etiam nonnullis hic contractus à Commodato differt, quæ in decurſu notabimus.

§ II.

In quibus rebus Precarium conſtitui poſſit necne.

III.

Non ſolùm in rebus ſoli, verùm In rebus etiam mobilibus, Precarii rogatio conſtitit. *l.* 4. ULP. LIB. 71. AD ED.

Quinetiam Precariò habere etiam ea quæ in jure conſiſtunt, poſſumus; ut immiſſa, vel protecta. *l.* 15. § 2. POMPON. LIB. 20. AD SABIN.

Item Veluti ſi me Precariò rogaveris, ut per fundum meum ire vel agere tibi liceat; vel ut in tectum vel in aream ædium mearum ſtillicidium, vel tignum in parietem, immiſſum habeas. *l.* 3. GAIUS LIB. 25. AD ED. PROVINC.

§ III.

Quis Precariò habere rem, & à quo res Precariò haberi videatur.

IV.

Habere Precariò videtur, qui poſſeſſionem vel corporis vel juris adeptus eſt ex hâc ſolummodò causâ quòd preces adhibuit; & impetravit ut ſibi poſſidere aut uti liceat. *l.* 2. § 3. ULP. LIB. 71. AD ED.

Igitur ut Precariò quis rem habere dicatur, duo requiruntur: 1°. *Ut preces adhibuerit. Adhibuiſſe autem videtur, non ſolùm ſi ipſe rogavit; ſed &* Si procurator meus me mandante vel ratum habente Precariò rogaverit; ego Precariò habere propriè dicor. *l.* 6. § 1. ULPIAN. LIB. 71. AD ED.

2°. *Oportet ut ex nullâ aliâ causâ rem habeat. Hinc* Hoſpites, & qui gratuitam habitationem accipiunt, non intelliguntur Precariò (*a*) habitare. *l.* 15. § 1. POMPON. LIB. 29. AD SABIN.

V.

Is quidem demùm Precariò poſſidet, qui ex nullâ aliâ quàm precum causâ poſſidet. Cæterùm etſi antequàm rogaret, jam vel ex aliâ causâ vel ſine causâ rem alienam poſſidebat; ex quo rogavit aliquem ut eam poſſideret, incipit videri hanc Precariò poſſidere: & ex aliis cauſis poſſidere deſinit.

Hinc Julianus ait; Eum qui vi alterum dejecit, & ab eodem Precariò rogavit, deſinere vi poſſidere, & incipere Precariò. Neque exiſtimare, ſibi ipſum cauſam poſſeſſionis mutare; cùm voluntate ejus quem dejecit, cœperit Precariò poſſidere. Nam ſi ab eodem emiſſet, incipere etiam Pro emptore poſſe dominium capere. *l.* 6. § 3. ULP. LIB. 71. AD ED.

Generaliter enim UNUSQUISQUE poteſt rem ſuam, quamvis non poſſideat, Precariò dare ei qui poſſideat. *l.* 18. JULIAN. LIB. 13. DIGEST.

Hinc Javolenus. Interdum ejus poſſeſſionem cujus ipſi non habemus, alii tradere poſſumus: veluti quum is qui Pro herede rem poſſidebat, antequàm dominus fieret (*b*), Precariò ab herede eam rogavit. *l.* 21. *ff. de Acquir. poſſ.* JAVOLEN. LIB. 7. EX CASSIO.

VI.

Dictis conſonat Venuleius. Si is qui Pro poſſeſſore poſſideret, Precariò dominum rogaverit ut ſibi retinere rem liceret; vel is qui alienam rem emiſſet, dominum rogaverit: apparet eos Precariò poſſidere; nec exiſtimandos mutare ſibi cauſam poſſeſſionis, quibus à domino concedatur Precariò poſſidere. Nam & ſi id quod poſſideas, alium Precariò rogaveris; videri te deſinere ex primâ causâ poſſidere, & incipere ex Precario habere. Et contrà, ſi poſſeſſorem Precariò rogaverit qui rem avocare ei poſſet, teneri eum Precario; quoniam aliquid ad eum per hanc Precarii rogationem pervenit, id eſt poſſeſſio quæ aliena ſit. *l.* 22. VENULEIUS LIB. 3. INTERDICT.

Conſequens eſt quod idem alibi ait. Sed & ſi eam rem cujus poſſeſſionem per Interdictum UTI POSSIDETIS, retinere poſſim, quamvis futurum eſſet ut tenear de proprietate, Precariò tibi conceſſerim; teneberis hoc (*c*) Interdicto. *l.* 7. VENULEIUS LIB. 3. INTERDICT.

VII.

Dominum rem ſuam cujus poſſeſſio aliena eſt, poſſe Precariò poſſidere, docet etiam Ulpianus. Ita ille: Quæſitum eſt; Si quis rem ſuam mihi pignori dederit, & Precariò rogaverit; an hoc Interdictum (*d*) locum habeat? Quæſtio in eo eſt, ut Precarium conſiſtere rei ſuæ poſſit. Mihi videtur verius, Precarium conſiſtere in pignore; cùm poſſeſſionis rogetur, non proprietatis. Et eſt hæc ſententia etiam utiliſſima. Quotidie enim Precariò rogantur creditores, ab his qui pignori dederunt; & debet conſiſtere Precarium. *l.* 6. § 4. ULP. LIB. 71. AD ED.

At verò ſecùs eſt, ſi dominus rem ſuam ipſe poſſideret. Hoc enim caſu idem Ulpianus ait: Item ſi rem meam Precariò rogavero; rogavi quidem Precariò, ſed non habeo Precariò: idcircò quia receptum eſt rei ſuæ (*e*) Precarium non eſſe. *l.* 4. § 3. IDEM LIB. 71. AD ED.

VIII.

Hactenùs de eo qui Precariò rem habere videri debeat.

Ab eo autem res Precariò haberi videtur, qui rogatus eſt. Sed & Qui ſervum meum Precariò rogat, videtur à me Precariò habere, ſi hoc ratum habuero: Et ideò, Precario Interdicto mihi tenebitur. *l.* 19. § 1. JULIAN. LIB. 49. DIGEST.

Sed nec neceſſaria eſt domini ratihabitio, quum ſervus peculiare negotium agens Precariò concedit. Quinetiam is Qui à ſervo hereditario mutuam pecuniam accepit, & fundum vel hominem pignoris causâ ei tradiderat, & Precariò rogavit; Precariò poſſidet. Nam ſervus hereditarius, ſicuti per traditionem accipiendo proprietatem hereditati acquirit; ita Precariò dando efficit ne res (*f*) uſucapi poſſit. Nam & ſi commodaverit vel depoſuerit rem peculiarem, Commodati & Depoſiti actionem hereditati acquiret.

Hæc ita, ſi peculiare negotium contractum eſt: nam ex hâc causâ (*g*) etiam poſſeſſio adquiſita intelligi debet. *l.* 16. *ff. de Oblig. & act.* JULIAN. LIB. 13. DIGEST.

(*a*) Sed potiùs ex causâ commodati, cùm eis habitatio conceſſa ſit ad certum tempus.

(*b*) Infrà N. 7. in fine.

(*c*) *De Precario.*

(*d*) Nempè, *De Precario.*

(*e*) Scilicet cujus & dominium ſimul habemus, & poſſeſſio noſtra eſt.

(*f*) Debitor qui rem ſuam pignori dedit; quantùm ad uſucapionis cauſam poſſidere intelligitur, & uſucapere pergit, quamvis nullatenùs poſſideat: multò magis debet pergere uſucapere, ſi Precariò à creditore poſſideat; ſuprà lib. 39. Tit. *de Uſucap.* N. 55. Quo modo ergo hîc dicitur interpellari uſucapionem per rogationem Precarii quæ fit à ſervo hereditario? Rectè monet Cujacius rem quæ ſervo hereditario pignori data eſt, rem fuiſſe hereditariam quam is debitor bona fide poſſideat. Servus ergo cui pignori data eſt, etſi pignus non conſtiterit, ejus rei poſſeſſionem acquiſivit hereditati; & eam poſſeſſionem concedendo debitori, efficit ne debitor eam uſucapere poſſit. Neque enim uſucapere rem poteſt, qui eam Precariò ab ipſo domino tenet.

(*g*) Ex cæteris autem cauſis, cùm poſſeſſio per ſervum acquiri non poſſit niſi ſcienti; non potuiſſet eam jacenti hereditati acquirere.

Source : BIU Cujas

§ IV.

Quomodo Precarium conſtituatur.

IX.

Precaria poſſeſſio conſtitui poteſt, vel inter præſentes; vel inter abſentes, veluti per epiſtolam, vel per nuntium. *l.* 9. GAIUS LIB. 26. AD ED. PROVINC.

X.

Interdum & tacitè Precarium conſtituitur. Hinc Paulus: Precariò poſſidere videtur, non tantùm qui per epiſtolam vel quâcumque aliâ ratione hoc ſibi concedi poſtulavit; ſed & is qui nullo voluntatis indicio, patiente tamen domino poſſedit. PAUL. SENTENT. LIB. 5. *tit.* 6. § 16.

Exemplum habes in ſpecie ſequenti: Item qui Precariò ad tempus rogavit, finito tempore, etiam ſi ad hoc temporis non rogavit, tamen Precariò poſſidere videtur. Intelligitur enim dominus, quum patitur eum qui Precariò rogaverit, poſſidere, rursùs Precariò concedere. *l.* 4. § 4. ULP. LIB. 71. AD ED.

Certè ſi interim dominus furere cœperit, vel deceſſerit; fieri non poſſe Marcellus ait, ut Precarium redintegretur. Et hoc verùm eſt. *l.* 6. IDEM LIB. 71. AD ED.

Aliud exemplum affert Ulpianus in quo tacitè Precarium conſtituitur. Ita ille: Illud tamen videamus quale ſit, ſi à me Precariò rogaveris, & ego eam rem alienavero; an Precarium duret, re ad alium tranſlatâ? Et magis eſt [ut], ſi ille non revocet, poſſe Interdicere quaſi ab illo Precariò habeas; non quaſi à me. Et ſi paſſus eſt aliquo tempore à ſe Precariò habere, rectè Interdicet quaſi à ſe Precariò habeas. *l.* 8. § 2. ULP. LIB. 71. AD ED.

Vice versâ, novum tacitè conſtitui Precarium videtur, quum is qui Precariò conceſſit, ſucceſſorem ejus qui rogavit permittit rem habere.

Igitur Si adoptavero (*a*) eum qui Precariò rogaverit, ego quoque Precariò poſſidebo. *l.* 16. POMPON. LIB. 32. AD SABIN.

§ V.

Quis ſit effectus Precarii.

XI.

Ex causâ Precarii, poſſeſſio tribuitur. Enimverò Eum qui Precariò rogaverit ut ſibi poſſidere liceat, nanciſci poſſeſſionem non eſt dubium. *l.* 15. § 4. POMPON. LIB. 29. AD SABIN.

At verò An is quoque poſſideat qui rogatus ſit, dubitatum eſt? Placet autem, penès utrumque eſſe eum hominem qui Precariò datus eſſet: penès eum qui rogaſſet, quia poſſederat corpore; penès dominum, quia non diſceſſerit animo poſſeſſione. *d.* § 4. ¶ *an is quoque.*

Nota. Hoc ex ſententiâ Sabinianorum, quæ meritò à Labeone reprehenditur: ut vid. ſuprà lib. 41. *Tit.* de Adquir. poſſeſſ. *N.* 13.

XII.

Meminiſſe autem nos oportet, eum qui Precariò habet, etiam poſſidere. *l.* 4. § 1. ULP. LIB. 71. AD ED.

Hoc intellige, de eo nempè qui Precariò rogavit ut poſſideret. Is autem qui uſum duntàxat rei rogavit; putà Is qui rogavit ut Precariò in fundo moretur, non poſſidet; ſed poſſeſſio apud eum qui conceſſit, remanet. Nam & fructuarius (inquit) & colonus, & inquilinus, ſunt in prædio: & tamen non poſſident. *l.* 6. § 2. ULP. LIB. 71. AD ED.

Obſervandum quòd Quum Precariò quis rogat ut ipſi in eo fundo morari liceat, ſupervacuum eſt adjici IPSI SUISQUE. Nam per ipſum, ſuis quoque permiſſum uti videtur. *l.* 21. VENULEIUS LIB. 4. ACTIONUM.

§ VI.

Quando ceſſet Precarium.

XIII.

1°. *Si Precarium ad certum tempus conſtitutum eſt, hujus lapſu ceſſat.* Sed ſi manente adhuc Precario, tu in ulterius tempus rogaſti; prorogatur Precarium. Nam nec mutatur cauſa poſſeſſionis; & non conſtituitur eo modo Precarium, ſed in longius tempus profertur.

Si verò præteritâ die rogas; propiùs eſt ut ſolutâ jam causâ Precarii, non redintegretur, ſed nova conſtituatur. *l.* 5. POMPON. LIB. 26. AD SABIN.

XIV.

2°. *Pariter quum ad certam conditionem conſtitutum eſt Precarium, conditione adveniente, ſolvitur. Hinc Ulpianus reſpondit*; Ea quæ diſtracta ſunt, ut Precariò penès emptorem eſſent quoad pretium univerſum perſolveretur; ſi per emptorem ſtetit (*b*) quominùs perſolveretur, venditorem poſſe conſequi. *l.* 20. ULPIAN. LIB. 2. RESPONS.

Interdum autem tacitè ſubauditur conditio, ad quam durare debeat Precarium.

Putà Si debitor rem pigneratam Precariò rogaverit; ſolutâ pecuniâ, Precarium ſolvitur. Quippè id actum eſt, ut uſque eò Precarium teneret. *l.* 11. CELSUS LIB. 7. DIGEST.

XV.

3°. *Solvitur etiam Precarium, ſi is qui Precariò poſſidebat, ex aliâ causâ rem poſſidere aut in ejus poſſeſſione eſſe cœperit; putà, eam conduxerit.*

Hinc Ulpianus. Si quis antè conduxit, poſteà Precariò rogavit; videbitur diſceſſiſſe à conductione. Quòd ſi antè rogavit, poſteà conduxit; conduxiſſe videbitur. Potiùs enim hoc procedere videtur, quod noviſſimè factum eſt. Et hoc Pomponius ait. *l.* 10. *ff. de Acquir. poſſeſſ.* ULP. LIB. 69. AD ED.

Eâ autem demùm conductione quæ efficax eſt, Precarium ſolvitur.

Hinc Si quis & conduxerit, & rogaverit Precariò uti poſſideret; ſi quidem nummo uno conduxit, nulla dubitatio eſt quin ei Precarium ſolum teneat; quia conductio nulla eſt, quæ eſt in uno nummo: ſin, vero pretio; tunc diſtinguendum quid priùs factum eſt. *d. l.* 10. § 2.

Quod diximus, Precarium conductione ſolvi; accipe de Precario poſſeſſionis, non de altera Precarii ſpecie.

Etenim Idem Pomponius belliſſimè tentat dicere; Numquid qui conduxerit quidem prædium, Precariò autem rogavit non ut poſſideret, ſed ut in poſſeſſione eſſet (*c*) Eſt autem longè diverſum (*d*). Aliud enim eſt poſſidere, longè aliud in poſſeſſionem eſſe: denique rei ſervandæ causâ, legatorum, damni infecti, non poſſident; ſed ſunt in poſſeſſione cuſtodiæ causâ. Quod ſi factum eſt, utrumque (*e*) procedit. *d. l.* 10. § 1.

XVI.

4°. *Solvitur etiam Precarium morte ejus qui rogavit, non verò morte ejus qui conceſſit.*

Hinc Celſus. Precarii rogatio, & ad heredem ejus qui conceſſit, tranſit (*f*). Ad heredem autem ejus qui Precariò rogavit, non tranſit (*g*). Quippè ipſi duntaxat,

(*a*) Adrogator, eſt ſucceſſor univerſalis adrogati.

(*b*) Nam ſi ſolvit, aut paratus fuit ſolvere; conditione ad quam Precarium conſtitutum eſt impletâ, Precarium ceſſat.

(*c*) Supple, *Cauſam conductionis ſolvat?*

(*d*) Id eſt; *Eſt autem longè diverſa* hæc ſpecies, ab illâ quâ conductor Precariò rogaſſet. *Aliud enim eſt, &c.*

(*e*) Nihil enim repugnat, aliquem & ex causâ conductionis & ex causâ Precarii eſſe in poſſeſſione: ſcilicet quum locatio ſub hâc lege facta eſt, ut tandiù duraret quandiù placeret locatori.

(*f*) At non ad ſucceſſorem ſingularem. Sed ſi ſucceſſor ſingularis ejus à quo Precariò rogavi, patiatur me poſſidere; novum tacitè inter nos Precarium conſtituitur: ut ſuprà N. 10.

(*g*) Quòd ſi is qui precariò conceſſit patiatur hunc heredem poſſidere; novum quoque hic [ſicut & in Notâ præced.] tacitè conſtituetur Precarium.

Source : BIU Cujas

non etiam heredi conceſſa poſſeſſio eſt. *l.* 2. § 1. CELSUS LIB. 25. DIGEST.

Hinc etiam Paulus :

Heres ejus qui Precariam poſſeſſionem tenebat, ſi in eâ manſerit, magis dicendum eſt clàm videri poſſidere: nullæ enim preces ejus videntur adhibitæ. Et ideò perſecutio ejus rei ſemper manebit (*a*), nec Interdicto (*b*) locus eſt. PAUL. SENTENT. LIB. 5. *Tit.* 6. § 17.

Contrà morte ejus qui conceſſit, regulariter non ſolvi Precarium, ita docet Ulpianus : Quod à Titio Precariò quis rogavit, id etiam ab herede ejus Precariò habere videtur. Et ita & Sabinus & Celſus ſcribunt : eoque Jure utimur. Ergo & à cæteris ſucceſſoribus (*c*) habere quis Precariò videtur. Idem & Labeo probat: & adjicit ; Etiamſi ignoret quis heredem, tamen videri eum ab herede Precariò habere. *l.* 8. § 1. ULP. LIB. 71. AD ED.

Si tamen ſit Locatio, Precarii-ve rogatio ita facta, QUOAD IS qui eam locaſſet dediſſet-ve, VELLET ; morte ejus qui locavit (*d*), tollitur. *l.* 4. *ff. Locati.* POMPON. LIB. 16. AD SABIN.

ARTICULUS II.

De Interdicto Precarii.

Circa illud Interdictum cujus verba initio Tituli retulimus, videndum eſt quale ſit, & quanta ejus æquitas ; quando huic locus ſit, cui & adversùs quem detur ; quid in eo veniat præſtandum ; denique quandiù duret.

§ I.

Quale ſit hoc Interdictum, quanta hujus æquitas, & quando huic locus ſit.

XVII.

Hoc Interdictum reſtitutorium eſt. *l.* 2. § 1. ULP. LIB. 73. AD ED.

Et naturalem habet in ſe æquitatem. Namque Precarium revocare volenti competit. Eſt enim naturâ æquum tandiù te liberalitate meâ uti, quandiù ego velim ; & ut poſſim revocare, quum mutavero voluntatem. *d. l.* 2. § 2.

Similiter Pomponius. Et habet ſummam æquitatem ; ut eatenùs quiſque noſtro utatur, quatenùs ei tribuere velimus. *l.* 15. POMPON. LIB. 20. AD SABIN.

Igitur Interdictum de Precariis meritò introductum eſt, quia nulla eo nomine Juris Civilis actio (*e*) eſſet. Magis enim ad donationes & beneficii cauſam, quàm ad negotii contracti, ſpectat Precarii conditio. *l.* 14. PAUL. LIB. 13. AD SABIN.

XVIII.

Tunc igitur locum habet, quum de re quæ Precariò conceſſa eſt reſtituendâ nulla actio Civilis competit.

Imò & quum Quis de re ſibi reſtituendâ cautum habet, Precarium Interdictum ei non competit. *l.* 15. § 3. POMPON. LIB. 10. AD SABIN.

Hoc ita, ſi per Directam actionem quis ſibi cautum habet. Verùm cum Utili actione concurrit.

Itaque quum quid Precariò rogatum eſt, non ſolùm hoc Interdicto uti poſſumus ; ſed etiam PRÆSCRIPTIS VERBIS actione quæ ex bonâ fide oritur. *l.* 2. § 2. ¶ *itaque.* ULP. LIB. 73. AD ED.

Simile eſt quod ait Julianus. Quum quid Precariò rogatum eſt ; non ſolùm Interdicto uti poſſumus, ſed & INCERTI Condictione, id eſt Præſcriptis verbis. *l.* 19. § 2. JULIAN. LIB. 49. DIGEST.

De hâc Utili actione etiam accipe quod ait Paulus. Redditur Interdicti actio, quæ proponitur ex eo ut quis quod Precariò habet, reſtituat. Nam & civilis (*f*) actio hujus rei, ſicut Commodati, competit ; eo vel maximè quòd ex beneficio ſuo injuriam quiſque pati non debet. PAUL. SENT. LIB. 5. *Tit.* 6. § 25.

XIX.

Obſervandum quòd huic Interdicto locus non eſt, ſi res in quâ quis alicui quid facere aut habere Precariò conceſſit, ſit penès ipſum qui conceſſit ; ſed ita demùm, ſi ſit penès eum cui conceſſa eſt.

Hinc Papinianus. Si Precariò (*g*) vicinus in tuo maceriam duxerit ; Interdicto QUOD PRECARIO HABET agi non (*h*) poterit. Nec macerià poſitâ, donatio (*i*) ſervitutis perfecta intelligitur ; nec utiliter intendetur JUS SIBI ESSE, invito te, ædificatum habere: cùm (*k*) ædificium ſoli conditionem ſecutum, inutilem faciat intentionem. Cæterùm ſi in ſuo maceriam Precariò, qui ſervitutem tibi debuit, duxerit ; neque libertas uſu capietur (*l*), & Interdicto Quod PRECARIO HABET utiliter cum eo (*m*) agetur. Quòd ſi donationis (*n*) causâ permiſeris : & Interdicto agere non poteris, & ſervitus donatione tollitur. *l.* 17. *ff. Communia prædior.* PAPIN. LIB. 7. QUÆST.

XX.

De cætero Quo quis loco (*o*) Precariò aut poſſideat aut cœperit poſſidere, nihil refert ; quod ad hoc Interdictum pertinet. *l.* 15. § 5. POMPON. LIB. 29. AD SABIN.

§ II.

Cui & adversùs quem hoc Interdictum competat.

XXI.

Hoc Interdictum competit ei à quo quis rogavit ut Precariò haberet, non ei cujus res eſt ; adversùs eum autem qui Precariò habet, non utique adversùs eum qui rogavit.

Hinc Quæſitum eſt : Si Titius rogaverit ut re Sempronii utatur ; deindè ego Sempronium rogavero ut concederet ; & ille, dum mihi vult præſtitum, conceſſerit : Titius à me habet Precariò ; & ego cum eo agam Interdicto DE Precario, Sempronius autem non aget cum eo : quia hæc verba AB ILLO PRECARIO HABES, oſtendunt ei demùm competere Interdictum, à quo quis Precariò rogavit, non cujus res eſt. An tamen Sempronius mecum, quaſi à me rogatus, Interdictum habeat ? Et magis eſt, ne habeat : quia non habeo Precariò ; cùm non mihi, ſed alii impetravi. Mandati tamen actionem poteſt adversùs me habere ; quia me mandante dedit tibi : aut ſi quis dixerit non mandatu

(*a*) Per Interdictum *Quod vi aut clàm*, aut per *Rei vindicationem.*

(*b*) Interdicto *De Precario* heres proprio nomine non tenetur ; cùm ad eum Precarium non tranſeat. Cæterùm hoc Interdicto tenetur ex perſonâ defuncti, hereditario nomine : ut videb. infrà N. 25.

(*c*) Univerſalibus.

(*d*) Aut qui dedit Precariò. Et quidem tollitur, propter adjectam hanc clauſulam, *Quoad vellet.* Nec obſtat quod in omni Precario eadem clauſula tacitè inſit. Expreſſa enim majorem effectum habet, & deſiderat tractum voluntatis perpetuò durantis ; quæ cùm morte abrumpatur, tale Precarium ſolvi neceſſe eſt.

(*e*) *Directa* ſcilicet : cæterùm cum hoc Interdicto concurrit actio *Præſcriptis verbis*, mox infrà. Verùm quia fortè nondum introducta erat hæc actio *Præſcriptis verbis*, neceſſe fuit à Prætore dari hoc Interdictum : quod etiam perrexit dari, poſtquàm actio *Præſcriptis verbis* introducta eſt.

(*f*) Ita appellat actionem *Utilem* ſeu *Præſcriptis verbis*, quæ datur ad inſtar [aliquatenùs] actionis COMMODATI : licèt non oriatur ex ipſo Jure Civili, ſed ex æquo & bono, *eo quòd ex beneficio*, &c. Quamvis autem *ad inſtar* detur, in hoc tamen differt quòd lata tantùm culpa præſtetur in Precario : in Commodato, etiam leviſſima.

(*g*) Species legis eſt. Vicino qui tibi debebat iter, Precariò conceſſiſti ut in tuo agro maceriam duceret ; quâ interim dum duraret Precarium, clauderetur iter tibi debitum.

(*h*) Ratio eſt, quia cùm hæc maceria ſit penès te qui Precariò conceſſiſti, inutile tibi eſt Interdictum : potes enim ipſe deſtruere hanc maceriam quæ eſt in tuo ſolo.

(*i*) Id eſt, ut interpretatur Cujacius, non eſt perfecta *condonatio*, non eſt perfecta remiſſio ſervitutis ITINERIS tibi debitæ. Conceſſiſti enim ut tantiſper, & quandiù tibi libuerit, clauderetur iter per hanc maceriam.

(*k*) Nam cùm *ædificium* ſeu macetia, ſoli conditionem ſecuta, facta ſit mea jure acceſſionis : non potes hoc intendere.

(*l*) Poſſeſſio enim libertatis quæ ex macerià quâ iter clauditur, poſſet induci, non poteſt prodeſſe ad uſucapionem ; cùm ſit Precaria.

(*m*) Neceſſarium eſt tibi Interdictum : nec enim potes privatâ auctoritate deſtruere maceriam quæ eſt in ejus fundo.

(*n*) Non Precariò, ſed ex causâ abſolutæ donationis.

(*o*) Sive Italici ſoli, ſive provinciali. Quæ differentia attenderetur in judicio *Petitorio* ; cùm aliàs Directa actio competeret, aliàs Utilis duntaxat.

Source : BIU Cujas

meo, ſed magis mihi credentem, hoc feciſſe; dicendum eſt, IN FACTUM dandam actionem & adversùs me. *l.* 8. ULP. LIB. 71. AD ED.

XXII.

Igitur Tenetur hoc Interdicto, non utique ille qui Precariò rogavit, ſed qui Precariò habet. Etenim fieri poteſt, ut quis non rogârit; ſed habeat Precariò: ut putà ſervus meus rogavit, mihi adquiſiit Precarium; vel quis alius qui juri meo ſubjectus eſt. *l.* 4. § 2. ULP. LIB. 71. AD ED.

Scilicet Si ſervus tuus tuo mandato Precariò rogaverit, vel ratum habueris quod ille rogavit tuo nomine; teneberis quaſi Precariò habeas.

Sed, ſi te ignorante, ſuo nomine vel ſervus vel filius rogaverit; non videris tu Precariò habere: ſed illi erit actio DE peculio, vel DE in rem verſo. *l.* 13. POMPON. LIB. 33. AD Q. MUCIUM.

Similiter Ulpianus. Sed & ſi Precariò res filiofamilias vel ſervo data ſit, duntaxat DE peculio pater dominusve obligantur. *l.* 5. § 1. *ff. de Pecul.* ULPIAN. LIB. 29. AD ED.

XXIII.

Si pupillus ſine tutoris auctoritate Precariò rogaverit, Labeo ait habere eum Precariam poſſeſſionem, & hoc Interdicto teneri. Nam quo magis (*a*) naturaliter poſſideretur, nullum locum eſſe tutoris auctoritati. Rectèque dici, QUOD PRECARIO HABES; quia quod poſſideat, ex eâ causâ poſſideat ex quâ rogaverit (*b*). Nihilque novi per Prætorem conſtituendum: quoniam ſive habeat rem, officio judicis teneretur; ſive non habeat, non teneatur. *l.* 22. § 1. VENULEIUS LIB. 3. INTERDICT.

XXIV.

Hactenùs de eo qui Precariò habet.

Eum quoque Precario teneri voluit Prætor, qui dolo fecit ut habere deſineret. *l.* 8. § 4. ULP. LIB. 71. AD ED.

Adde; aut Latâ culpâ, *quæ dolo comparatur.*

XXV.

Hoc Interdicto heres ejus qui Precariò rogavit, tenetur quemadmodum ipſe: ut ſive habet, ſive dolo fecit quominùs haberet vel ad ſe perveniret, teneatur; ex dolo autem defuncti hactenùs, quatenùs ad eum pervenit. *d. l.* 8. § 8.

Reſcribunt etiam Diocletianus & Maximianus: Habitantes Precariò heredes, ad reſtituendum habitaculum teneri, contra eos Interdicto propoſito, manifeſtè declaratur. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

(*a*) Idem eſt, ac ſi diceret: Nil obſtat aut facit tutoris auctoritas, quo magis an quo minùs pupillus naturaliter poſſideat.

(*b*) Senſus eſt: cùm ergo pupillus poſſideat naturaliter, & poſſideat ex eâ causâ ex quâ rogavit; quæ ſola requiruntur ad Precarium conſtituendum: *rectè* poteſt ei *dici*, quemadmodum & alteri cuilibet, QUOD PRECARIO HABES; quæ eſt formula interdicti. Igitur hoc Interdictum adversùs pupillum, quemadmodum & adversùs alium quemlibet, poteſt competere. Et in eo adversùs pupillum reddendo, Prætor *nihil novi conſtituendum* habet, nihil diverſum ac ſi adversùs quamlibet aliam perſonam redderetur: ſcilicet *Si* pupillus *rem habet, teneretur reſtituere*, &c.

§ III.

Quid veniat in hoc Interdicto præſtandum.

XXVI.

Res Ex hoc Interdicto reſtitui debet in priſtinam cauſam. Quod ſi non fuerit factum; condemnatio in tantùm fiet quanti interfuit actoris, ei rem reſtitui ex eo tempore ex quo Interdictum editum eſt.

Ergo & fructus ex die Interdicti editi præſtabuntur. *l.* 8. § 4. ULP. LIB. 71. AD ED.

Præcedentis autem temporis fructus non præſtabuntur. At CAUSA *præſtabitur, putà partus ancillæ.*

Hinc Pomponius: Quamvis ancillam (*c*) quis Precariò rogaverit; id actum videtur, ut etiam quod ex ancillâ natum eſſet, in eâdem causâ haberetur. *l.* 10. POMPON. LIB. 5. EX PLAUTIO.

XXVII.

Ità demùm autem condemnabitur quis hoc Interdicto, ſi per contumaciam non reſtituerit, dolo-ve malo aut latâ culpâ fecerit quominùs poſſet.

Etenim Illud adnotatur; quòd culpam non præſtat is qui Precariò rogavit, ſed ſolum dolum præſtat: quanquàm is qui commodatum ſuſcepit, non tantùm dolum, ſed etiam culpam præſtet. Nec immeritò dolum ſolum præſtat, is qui Precariò rogavit: cùm totum hoc ex liberalite deſcendat ejus qui Precariò conceſſit (*d*), & ſatis ſit ſi dolus tantùm præſtetur. Culpam tamen dolo proximam contineri quis meritò dixerit. *l.* 8. § 3. ULP. LIB. 71. AD ED.

Hinc Si ſervitute uſus non fuit is qui Precariò rogavit, ac per hoc amiſſa ſit; videamus an Interdicto teneatur? Ego arbitror, non aliàs quàm ſi dolo fecerit. *d. l.* 8. § 5.

Et generaliter erit dicendum, in reſtitutionem venire dolum & culpam latam duntaxat; cætera non venire.

Planè poſt Interdictum editum, oportebit & dolum & culpam & omnem cauſam venire. Nam ubi moram quis fecit Precariò, omnem cauſam debebit (*e*) conſtituere. *d. l.* 8 § 6.

§ IV.

Quandiù duret hoc Interdictum.

XXVIII.

Interdictum hoc & poſt annum competere Labeo ſcribit; eoque Jure utimur. Cùm enim nonnunquàm in longum tempus Precarium concedatur; abſurdum eſt dicere, Interdictum locum non habere poſt annum. *d. l.* 8. § 7.

(*c*) Solam, id eſt nullâ partûs factâ mentione.

(*d*) Senſus eſt: Non hîc, ut in contractu *Commodati*. Ibi enim is qui commodat, hoc agit ut commodatarium obliget ad rem cuſtodiendam, eamque finito uſu reddendam. Sed qui Precariò rem concedit, nihil aliud agit quam ut *Liberalitatem* exerceat. Cùm ergo non hoc actum ſit ut obligaretur ad aliquam cuſtodiàm is qui Precariò rogavit; ſufficit ut præſtet dolum, & latam culpam quæ dolo comparatur.

(*e*) Is effectus eſt obligationis quam parit litis conteſtatio.



Source : BIU Cujas

TITULUS XXVII.

DE ARBORIBUS CÆDENDIS.

IN hoc Titulo & ſequenti, continuatur inchoata ſuprà Tit. 19. *tractatio de iis Interdictorum ſpeciebus quibus inter vicinos locus eſſe poteſt.*

Hîc porrò duo proponuntur hujuſmodi Interdicta, prout nempè Arbor vel ædibus vel agris vicinis impendet.

ARTICULUS I.

De Cædendis Arboribus quæ ædibus impendent.

I.

Ait Prætor: « QUÆ Arbor ex ædibus tuis in ædes » illius impendet, per te ſtat quominùs eam adimas, » tunc quominùs illi eam Arborem adimere ſibique » habere liceat, vim fieri veto. » *l.* 1. ULP. LIB. 71. AD ED.

Hoc Interdictum prohibitorium eſt. *d. l.* 1. § 1.

Huic locus eſt, quum alicujus Arbor ædibas alienis impendet. ARBORIS appellatione, etiam vites continentur. *d. l.* 1. § 3.

Competit domino ædium quibus Arbor impendet.

Præterea probandum eſt, ſi Arbor communibus ædibus impendeat, ſingulos dominos habere hoc Interdictum: & quidem in ſolidum; quia & ſervitutium vindicationem ſinguli habeant. *d. l.* 1. § 5.

Non ſolùm autem domino ædium, ſed etiam ei qui uſumfructum habet, competit hoc Interdictum; quia & ipſius intereſt, Arborem iſtam non impendere. *d. l.* 1. § 4.

II.

Venit in hoc Interdicto, ut Arbor Cædatur.

Hîc autem, Si Arbor ædibus alienis impendeat, utrùm totam Arborem jubeat Prætor adimi, an verò id ſolum quod ſuperexcurrit, quæritur? Et Rutilius ait, à ſtirpe exſcindendam: idque pleriſque videtur verius. Et niſi adimet dominus Arborem; Labeo ait permitti ei cui Arbor officeret, ut, ſi vellet, ſuccideret eam lignaque tolleret. *d. l.* 1. § 2.

Obſervandum quod Ait Prætor: SI PER TE STAT QUOMINUS EAM ADIMAS; QUOMINUS ILLAM ARBOREM ADIMERE LICEAT, VIM FIERI VETO. Priùs itaque tibi datur adimendi facultas: ſi tu non facias, tunc vicino prohibet vim fieri adimere volenti. *d. l.* 1. § 6.

ARTICULUS II.

De Cædendis Arboribus quæ agris impendent.

III.

Deindè ait Prætor: « QUÆ Arbor ex agro tuo in » agrum illius impendet; ſi per te ſtat quominùs pedes » quindecim à terrâ eam altiùs coerceas, tunc quominùs » illi ita coercere, lignaque ſibi habere liceat, vim fieri » veto. » *d. l.* 1. § 7.

Differentia duorum Capitum Interdicti hæc eſt: ſi quidem Arbor ædibus impendeat, ſuccidi eam præcipitur; ſi verò agro impendeat, tantùm uſque ad quindecim pedes à terrâ coerceri. *d. l.* 1. § 9

Quod ait Prætor, & Lex Duodecim Tabularum efficere voluit; ut quindecim pedes altiùs rami Arboris circumcidantur. Et hoc idcircò effectum eſt, ne umbra Arboris vicino prædio noceret. *d. l.* 1. § 8.

Ergo Si Arbor ex vicini fundo, vento inclinata in tuum fundum ſit; ex Lege Duodecim Tabularum (*a*) de adimendâ eâ rectè agere potes, JUS EI NON ESSE ita Arborem habere. *l.* 2. POMPON. LIB. 34. AD SABIN.

(*a*) Id eſt, ex ejus Legis mente & ſententiâ: ut diximus in Commentar. ad *XII. Tabulas*, Tab. VIII. Cap. 6.

TITULUS XXVIII.

DE GLANDE LEGENDA.

I.

Ait Prætor: « GLANDEM quæ ex illius agro in tuum » cadat, quominùs illi tertio quoque die Legere, « auferre liceat, vim fieri veto. » *l. un.* ULP. LIB. 71. AD ED.

GLANDIS nomine omnes fructus continentur. *d. l. un.* § 1.

Et alibi. Glandis appellatione omnis fructus continetur, ut Javolenus ait; exemplo Græci ſermonis apud quos omnes fructuum (*a*) ſpecies ἄκροδρυα [*id eſt, extremitates quercûs Malè vulgò* Arborum] appellantur. *l.* 236. *ff. de Verb. ſignif.* GAIUS LIB. 4. AD LEG. XII. TAB.

II.

TERTIO (*inquit*) DIE. *Plerùmque enim poſt tertium quemque diem fructus decidui ita corrumpuntur, ut fruſtrà ſit eos colligi.*

Plura vide in Commentario noſtro ad XII. Tabulas, Tab. VIII. Cap. 7.

(*a*) Ita omninò legendum. Malè vulgò *Arborum.*

Source : BIU Cujas

TITULUS XXIX.

DE HOMINE LIBERO EXHIBENDO.

INterdicta sic dividi posse vidimus (*l.* 1. *ff.* de Interd. *suprà*, *d. tit. N.* 2.) *ut de divinis rebus aut de humanis competerent : rursùs, quæ de rebus hominum Interdicta redduntur, aut de his quæ sunt alicujus, aut de his quæ sunt nullius esse proposita. Igitur cùm in superioribus Titulis ferè absoluta sint ea quæ* de Rebus alicujus *competunt sive publicæ illæ sint sive singulorum ; jam in hoc Titulo & sequenti novi generis Interdicta exponuntur, de rebus quæ sunt* Nullius ; *quales sunt* LIBERÆ PERSONÆ.

I.

Ait Prætor : « QUEM Liberum dolo malo retines, » Exhibeas. » *l.* 1. ULP. LIB. 71. AD ED.

Hoc Interdictum proponitur tuendæ libertatis causâ : videlicèt ne Homines Liberi retineantur à quoquam. *d. l.* 1. § 1.

Nihil enim multùm à specie servientium differunt, quibus facultas non datur recedendi. *l.* 2. VENULEIUS LIB. 4. INTERDICT.

Quod & Lex Favia (*a*) prospexit. Neque hoc Interdictum aufert Legis Faviæ executionem : nam & hoc Interdicto agi poterit ; & nihilominùs accusatio Legis Faviæ institui : & versâ vice qui egit Faviâ, poterit nihilominùs etiam hoc Interdictum habere ; præsertim cùm alius Interdictum, alius Faviæ actionem habere possit. *l.* 3. ULP. LIB. 71. ULP. LIB.

Circa hoc Interdictum hæc quærenda sunt ; quando huic locus sit, cui & adversùs quem competat, quid in eo veniat, quandiù & quoties detur.

§ I.

Quando huic Interdicto locus sit.

II.

Ex verbis Edicti liquet huic Interdicto locum esse, quum Liber Homo ab aliquo retinetur dolo malo.

Secùs ergo, si jure retineretur. Hinc Ulpianus : Is tamen qui in potestate habet, hoc Interdicto non tenebitur : quia dolo malo non videtur habere, qui suo jure utitur. *l.* 3. § 2. ULP. LIB. 71. AD ED.

Similiter. Si quis eum quem ab hostibus redemit, retineat ; in eâ causâ est, ut Interdicto non teneatur : non enim dolo malo facit.

Planè si offertur pretium, Interdictum locum habet. Sed & si eum remisit pretio non accepto, dicendum est Interdicto locum fore, si posteaquàm semel remisit, velit retinere. *d. l.* 3. § 3.

III.

Non solùm qui Liberum Hominem jure retinet ; sed & Si eum quis retineat filium, quem non habet in potestate ; plerumque sine dolo malo facere videbitur. Pietas enim genuina efficit sine dolo malo retineri : nisi si evidens dolus malus intercedat.

Proindè & si libertum suum, vel alumnum, vel noxæ deditum adhuc impuberem (*b*) ; idem erit dicendum.

Et generaliter ; Qui justam causam habet Hominis Liberi apud se retinendi, non videtur dolo malo facere. *d. l.* 3. § 4.

Maximè verò Si quis volentem retineat, non videtur dolo malo retinere.

Sed quid, si volentem quidem retineat ; non tamen sine calliditate circumventum vel seductum vel sollicitatum ; neque bona vel probabili ratione hoc facit ? Rectè dicetur, dolo malo retinere. *d. l.* 3. § 5.

IV.

Ut quis dolo retinere videatur, & huic Interdicto locus sit ; oportet etiam ut sciatur Liber.

Enimverò Is qui nescit apud se esse Hominem Liberum, dolo malo caret. Sed ubi certioratus retinet, dolo malo non caret. *d. l.* 3. § 6.

Planè si dubitat utrùm Liber an servus sit, vel facit statûs controversiam ; recedendum erit ab hoc Interdicto, & agenda causa libertatis. Etenim rectè placuit, tunc demùm hoc Interdictum locum habere, quoties quis pro certo Liber est. Cæterùm si quæratur de statu, non oportet præjudicium fieri alienæ cognitioni (*c*). *d. l.* 3. § 7.

Trebatius quoque ait ; Non teneri eum qui Liberum Hominem pro servo bonâ fide emerit, & retineat. *l.* 4. § 1. VENULEIUS LIB. 4. INTERDICT.

V.

Nil refert autem an is qui retinetur, sciat suum statum necne.

Undè Si quis Liberum Hominem ignorantem suum statum retineat, tamen si dolo malo retinet ; cogitur Exhibere. *d. l.* 4. *pr.*

Nil refert etiam, ut huic Interdicto locus sit, cujus sexûs, ætatis, aut conditionis fuerit Liber Homo. Etenim Hæc verba, QUEM LIBERUM, ad omnem liberum pertinent ; sive pubes sit, sive impubes, sive masculus, sive fœmina, sive unus, sive plures ; sive sui juris sit, sive alieni. Hoc enim tantùm spectamus, an Liber sit. *sup. d. l.* 3. § 1.

VI.

Cùm hoc Interdictum utilitatem Hominis qui retinetur respiciat, non verò aliorum ; observandum quòd non pertineat ad casum quo debitor in fraudem creditorum latitat.

Igitur Creditori non competit Interdictum, ut debitor Exhiberetur. Nec enim debitorem latitantem Exhibere quisquam cogitur, sed in bona ejus ex Edicto Prætoris itur. *sup. d. l.* 4. § 3.

§ II.

Cui & adversùs quem detur.

VII.

Hoc Interdictum omnibus competit. NEMO enim prohibendus est libertati favere. *l.* 3. § 9. ULP. LIB. 71. AD ED.

Sed & si mulier, vel pupillus hoc Interdictum desideret, pro cognato, vel parente, vel affine suo sollicitis ; dandum esse eis Interdictum dicendum est. Nam & publico judicio reos facere possunt, dum suas suorumque injurias exsequuntur. *d. l.* § 11.

Planè ex causâ suspectæ personæ removendæ sunt ; si fortè talis persona sit, quam verisimile est colludere vel calumniari. *d. l.* 3. § 10.

VIII.

Si tamen plures sunt qui experiri volent, eligendus

(*a*) Seu FABIA *De plagiariis* : de quâ infrà lib. 48.

(*b*) Id est ; Liberum Hominem impuberem, qui quasi servus esset noxæ deditus est mihi, & quem bonâ fide retineo.

(*c*) Id est ; *præjudicium* per Interdictum *fieri*, *cognitioni* causæ liberalis. Debet ergo hæc cognitio antè judicari, cessante Interdicto.

Source : BIU Cujas

eſt à prætore ad quem maximè res pertinet; vel is qui idoneior eſt. Et eſt optimum, ex conjunctione, ex fide, ex dignitate, actorem hoc Interdicto eligendum. *d. l.* 3. § 12.

I X.

Jam verò competit hoc Interdictum adversùs eum qui dolo Hominem retinet.

Hoc Interdictum & in abſentem eſſe rogandum Labeo ſcribit. Sed ſi non defendatur, in bona ejus eundum ait. *d. l.* 3. § 14.

§ I I I.

Quid veniat in hoc Interdicto, quandiù duret, & quoties detur.

X.

Venit in hoc Interdicto, ut Homo Exhibeatur. Quod porrò Ait Prætor, EXHIBEAS; Exhibere eſt, in publicum producere, & videndi tangendique hominis facultatem præbere. Propriè autem Exhibere eſt, extrà ſecretum habere. *d. l.* 3. § 8.

Intrà quod tempus autem hæc Exhibitio facienda eſt? Sanè Nullo tempore dolo malo retineri Homo Liber debet. Adeò ut quidam putaverint, nec modicum tempus ad eum Exhibendum dandum; quoniam præteriti facti pœna præſtanda eſt. *l.* 4. § 2. VENULEIUS LIB. 4. INTERDICT.

X I.

Hoc Interdictum perpetuum eſt. *ſup. d. l.* 3. § 15. Si tamen poſteaquàm hoc Interdicto actum eſt, alius hoc Interdicto agere deſideret; palàm erit, poſtea alii non facilè dandum: niſi ſi de perfidiâ prioris potuerit aliquid dici. Itaque causâ cognitâ, ampliùs quàm ſemel Interdictum hoc erit movendum. Nam nec in publicis judiciis permittitur ampliùs agi; quum ſemel actum eſt, quàm ſi prævaricationis fuerit damnatus prior accuſator (*a*). Si tamen reus condemnatus, malit litis æſtimationem ſufferre (*b*) quàm Hominem Exhibere: non eſt iniquum, ſæpiùs in eum Interdicto experiri (*c*), vel eidem ſine exceptione (*d*) vel alii. *d. l.* 3. § 13.

(*a*) Vide infrà lib. ſeq. Tit. *de Except. rei jud.* N. 21.

(*b*) Quæ erit iſta æſtimatio, cùm Homo Liber nullam recipiat æſtimationem? Fortè pecuniariter intereſt hunc hominem Exhiberi, putà ſi procurator, ſi actor ſit ejus qui Exhiberi deſiderat.

(*c*) Supplendum videtur, permitti.

(*d*) *Exceptione* ſcilicet jam motæ ſemel actionis.

TITULUS XXX.

DE LIBERIS EXHIBENDIS, ITEM DUCENDIS.

§ I.

De Interdicto, DE Liberis Exhibendis.

I.

AIt Prætor: « QUI quæ-ve in poteſtate Lucii-Titii » eſt; ſi is ea-ve apud te eſt, dolo-ve malo tuo » factum eſt quominùs apud te eſſet, ita eum eam-ve » Exhibeas. » *l.* 1. ULP. LIB. 71. AD ED.

De hoc Interdicto loquitur Antoninus, qui ita reſcribit. Si extiterit qui te filium, & in ſuâ poteſtate eſſe contendit; Interdicto in eam rem propoſito, de fide intentionis ejus quæretur. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Item Diocletianus & Maximianus. Adi Præſidem provinciæ, ac poſtula filios tuos Exhiberi *l.* 2. *Cod. h. tit.*

I I.

Hoc Interdictum proponitur adversùs eum quem quis Exhibere deſiderat (*a*) eum quem in ſuâ poteſtate eſſe dicit. Et ex verbis apparet, ei cujus in poteſtate eſt, hoc Interdictum competere. *l.* 1. § 1. ULP. LIB. 71. AD ED.

Ait Prætor, SI IS EA-VE APUD TE EST; *non dixit* PENES TE, *ut Interdicto* DE TABULIS EXHIBENDIS.

Scilicet PENES TE ampliùs eſt quàm APUD TE. Nam APUD TE eſt, quod qualiter qualiter à te teneatur (*b*): PENES TE eſt, quod quodammodo poſſidetur. *l.* 63. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 71. AD ED.

Item In hoc Interdicto Prætor non admittit cauſam, cur apud eum ſit is qui Exhiberi debet; quemadmodum in ſuperiore Interdicto (*c*). Sed omnimodo reſtituendum putavit, ſi in poteſtate eſt. *ſup. d. l.* 1. § 2. *Cæterùm ita demùm quis hoc Interdicto tenetur, ſi invitus apud ipſum ſit filius meus.*

Quòd Si filius ſuâ ſponte apud aliquem eſt, inutile hoc Interdictum erit: quia filius magis apud ſe, quàm apud eum eſt in quem interdicetur; cùm liberam facultatem abeundi vel remanendi haberet: niſi ſi inter duos, qui ſe patres dicerent, controverſia eſſet; & alter ab altero Exhiberi eum deſideraret. *l.* 5. VENULEIUS LIB. 4. INTERDICTOR.

I I I.

Supereſt ut obſervemus, pluribus exceptionibus poſſe excludi hoc Interdictum DE FILIO EXHIBENDO.

Et 1°. *ſi is qui filiamfamilias retinet, hujus ſit maritus. Ita enim Ulpianus:* Si quis filiam ſuam quæ mihi nupta ſit, velit abducere, vel Exhiberi ſibi deſideret; an adversùs Interdictum exceptio danda ſit, ſi fortè pater concordans matrimonium, fortè & liberis ſubnixum, velit diſſolvere? Et certo Jure utimur, ne benè concordantia matrimonia, jure patriæ poteſtatis turbentur (*d*): quod (*e*) tamen ſic erit adhibendum, ut patri perſuadeatur ne acerbè patriam poteſtatem exerceat. *l.* 1. § 5. ULPIAN. LIB. 71. AD ED.

2°. Pari modo: ſi judicatum fuerit non eſſe eum in poteſtate, etſi per injuriam judicatum ſit; agenti hoc Interdicto, objicienda erit exceptio Rei judicatæ: ne de hoc quæratur an ſit in poteſtate, ſed an ſit judicatum. *d. l.* 1. § 4.

3°. Si verò mater ſit quæ retinet; apud quam interdum magis quàm apud patrem, morari filium debere, ex juſtiſſimâ ſcilicet causâ, & Divus Pius decrevit, &

(*a*) Id eſt, adversùs eum à quo quis Exhiberi ſibi deſiderat *eum quem in ſuâ poteſtate*, &c.

(*b*) Quod nullo jure poſſeſſionis tenes, dicitur eſſe APUD TE; ut liber homo, qui poſſideri non poteſt. At quum quid poſſides, aut ſaltem in ejus poſſeſſione es; id dicitur eſſe PENES TE.

(*c*) *De Hom. Lib. Exhib.* quod non datur niſi adversùs eum qui dolo retinet liberum hominem. In hoc verò Prætor non ſpectat an dolo, an ſine dolo apud te ſit filius meus: ſufficit enim eum filium eſſe, ut mihi eum quum apud te eſt Exhibere debeas.

(*d*) Vide ſuprà lib. 24. Tit. *de Divortiis.*

(*e*) Supple, extrà hunc caſum datur Interdictum: *Quod tamen*, &c. Gloſſa aliter accipit: ſic nempè, ut etiam filia nupta, patri per hoc Interdictum Exhibenda ſit; modò tantiſper & ad modicum duntaxat tempus eam Exhiberi ſibi deſideret, non verò ad turbandam in perpetuum matrimonii concordiam: aliàs marito adversùs patrem competet Interdictum *de Uxore ducendâ*; mox infrà N. 8. Imò patri, dum filia ei traditur, perſuadendum eſt ne acerbè utatur patriâ poteſtate; ſi fortè ad eam malè tractandam [putà ob aliquod facinus admiſſum] exhiberi eam ſibi deſideret.

Source : BIU Cujas

à Marco & à Severo reſcriptum eſt : æquè ſubveniendum ei erit per exceptionem (a). *d. l.* 1. § 3.

Item Ulpianus alibi ait. Etiamſi maximè autem probet filium pater in ſuâ poteſtate eſſe ; tamen causâ cognitâ, mater in retinendo eo potior erit idque Decretis Divi Pii quibuſdam continetur. Obtinuit enim mater, ob nequitiam patris, ut ſine deminutione patriæ poteſtatis apud eam filius moretur. *l.* 3. § 5. ULP. LIB. 17. AD ED.

§ II.

De Interdicto, DE Liberis Ducendis.

IV.

Deindè ait Prætor : « Si Lucius-Titius in poteſtate » Lucii-Titii eſt, quominùs eum Lucio-Titio Ducere » liceat, vim fieri veto. » *l.* 3. ULP. LIB. 71. AD ED.

Superiora Interdicta exhibitoria ſunt ; hoc eſt, pertinent ad exhibitionem liberorum, cæterorumque de quibus ſuprà diximus. Hoc autem Interdictum pertinet ad Ductionem, ut DUCERE quis poſſit eos in quos habet jus Ductionis.

Itaque prius Interdictum, quod eſt DE LIBERIS EXHIBENDIS, præparatorium eſt hujus Interdicti. Quo magis enim Duci poſſit, exhibendus fuit. *d. l.* 3. § 1.

Ex iiſdem cauſis hoc Interdictum tribuendum eſt, ex quibus cauſis DE Exhibendis Liberis competere diximus. Itaque quæcumque ibi diximus, eamdem hîc quoque dicta accipienda ſunt. *d. l.* 3. § 2.

V.

Hoc autem Interdictum competit, non adversùs ipſum filium quem quis Ducere vult ; ſed utique eſſe debet is qui eum Interdicto defendat (b). Cæterùm ceſſat Interdictum ; & ſuccedere poterit notio Prætoris, ut apud eum diſceptetur utrùm quis in poteſtate ſit, an non ſit. *d. l.* 3. § 3.

Non agitur quidem adversùs filium ſolum hoc Interdicto, principaliter : ſed incidenter agitur, ſi quæſtio ſtatûs incidat alteri quæſtioni, putà hereditatis.

Undè Africanus : Si eum qui ſe patremfamilias dicat, ego in meâ poteſtate eſſe, & juſſu meo adiſſe hereditatem dicam ; tam de hereditate agi oportere, quàm ad Interdictum DE filio Ducendo iri (c) debere ait. *l.* 4. AFRICAN. LIB. 4. QUÆSTIO.

VI.

In hoc Interdicto, donec res judicetur, fœminam, prætextatum (d), eumque qui proximè prætextati ætatem accedet, interim apud matremfamilias deponi Prætor jubet. Proximè ætatem prætextati accedere eum dicimus, qui puberem ætatem nunc ingreſſus eſt. Quum audis MATREMFAMILIAS, accipe notæ auctoritatis fœminam. *ſup. d. l.* 3. § 6.

VII.

Obſervandum ſupereſt quod Julianus ait : Quoties id Interdictum movetur de filio Ducendo, vel cognitio ; & is de quo agitur, impubes eſt : aliàs differri oportere rem in tempus pubertatis, aliàs repræſentari. Idque ex perſonâ eorum inter quos controverſia erit, & ex genere cauſæ conſtituendum eſt. Nam ſi is qui ſe patrem dicit, auctoritatis, prudentiæ, fidei exploratæ eſſet, uſque in diem litis impuberem apud ſe habebit : is verò (e) qui controverſiam facit, humilis calumniator, notæ nequitiæ ; repræſentanda cognitio eſt. Item ſi is qui impuberem negat in alienâ poteſtate eſſe, vir omnibus modis probatus, tutor vel teſtamento vel à Prætore datus, pupillum quem in diem litis apud ſe habuit, tuitur ; is verò qui patrem ſe dicit, ſuſpectus eſt quaſi calumniator : differri litem non oportebit.

Si verò utraque perſona ſuſpecta eſt, aut tanquàm infirma, aut tanquàm turpis : non erit alienum (inquit) diſponi apud quem interim puer educeretur ; & controverſiam in tempus pubertatis differri : ne per colluſionem vel imperitiam alterutrius contendentium, aut alienæ poteſtati paterfamilias addicatur, aut filius alienus patrisfamilias loco conſtituatur. *d. l.* 3. § 4.

§ III.

De Interdicto, DE conjuge Exhibendâ ac Ducendâ.

VIII.

Non ſolùm marito adversùs patrem exceptio contra Interdictum de filiâ Exhibendâ competit, ut ſuprà diximus N. 3. Imò magis de uxore Exhibendâ ac Ducendâ pater etiam qui filiam in poteſtate habet, à marito rectè convenitur. *l.* 2. HERMOGENIAN. LIB. 6. JURIS EPITOM.

Hinc Evodiæ (f) ita reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Si ad inſtar Interdicti de Exhibendâ filiâ Philippi, eum conveniendum putaveris ; Rector provinciæ aditus ſuam vobis accommodabit notionem. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

(a) *Exceptionem* ſcilicet, ex eorum Imperatorum Reſcriptis petitam.

(b) Id eſt ; debet eſſe aliquis, qui filium meum detineat, & eum adversùs me Interdicto agentem defendat. Alioquin ſi nemo filium meum detineat, non locus eſt Interdicto ; ſed loco hujus Interdicti, erit cognitio extraordinaria.

(c) Scilicet, quia hoc Interdictum incidit *Petitioni hereditatis.* Ita Gloſſa & Cujacius hanc legem conciliant cum præcedenti.

(d) Puer ingenuus appellatur *Prætextatus*, à togâ Prætextâ quæ inſigne erat ingenuorum puerorum ; ſicut & bulla aurea collo appenſa.

(e) Id eſt ; contrà *verò, ſi is qui controverſiam facit, eſſet humilis, &c.*

(f) Rectè quidam emendant *Evodio.* Apparet enim Imperatores reſcribere viro ſupplicanti de reducendâ uxore, quæ penès patrem ſuum eſſet.

TITULUS XXXI.

DE UTRUBI.

IN omnibus ſuprà Interdictis circa reſ quæ ſunt alicujus actum eſt tantùm de Rebus ſoli. *Id unum reſtabat, ad totam de variis Interdictorum generibus tractationem abſolvendam, ut in eâdem modò dictâ Interdictorum ſpecie ea quoque exponerentur quæ circa* Res mobiles *redduntur. Quod tribus poſtremis hujuſce libri Titulis perficiunt Pandectarum ordinatores.*

I.

Prætor ait : « UTRUBI hic homo quo de agitur, » majore parte hujuſce anni fuit ; quominùs is eum » ducat, vim fieri veto. » *l. un.* ULP. LIB. 62. AD ED.

Hoc Interdictum de poſſeſſione rerum mobilium locum habet.

Sed obtinuit vim (a) ejus exæquatam fuiſſe UTI POSSIDETIS Interdicto, quod de rerum ſoli competit : ut is & in hoc Interdicto vincat, qui nec vi, nec clàm, nec precariò, dum ſuper hoc ab adverſario inquietatur, poſſeſſionem habet. *d. l. un.* §1.

Erat tamen aliquod diſcrimen circa vim utriuſque Interdicti, quod ita obſervat Paulus in libris Sententiarum :

(a) Hic textus videtur à Triboniano interpolatus, ut eum Juri Juſtinianeo accommodaret : ut liquebit ex ſequentibus.

Retinendæ

Retinendæ poſſeſſionis gratiâ, comparata ſunt, Interdicta per quæ eam poſſeſſionem quam jam habemus, retinere volumus : quale eſt UTI POSSIDETIS de rebus ſoli, & UTRUBI de re mobili. Et in priore quidem is potior eſt, qui redditi Interdicti tempore nec vi nec clàm nec precariò ab adverſario poſſedit : in altero verò potior eſt, qui majore parte anni retrorsùm numerati, nec vi nec clàm nec precariò poſſedit. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 6. § 1.

Majore parte anni poſſediſſe quis intelligitur, etiamſi duobus (*a*) menſibus poſſederit; ſi modò adverſarius ejus, aut paucioribus diebus aut nullis poſſederit. *l.* 156. *ff. de Verb. ſignif.* LICINNIUS-RUFINUS LIB. 10. REGUL.

Jure Juſtinianeo, vis utriuſque Interdicti exæquata. Sufficit enim in utroque, ut quis ſine vitio poſſideat litis conteſtatæ tempore : Inſtit. Tit. de Interdict. § 4.

(*a*) Duntaxat.

TITULUS XXXII.

DE MIGRANDO.

§ I.

Cui hoc Interdictum competat necne, & de quibus rebus.

I.

HOc Interdictum proponitur inquilino, qui ſolutâ penſione, vult Migrare. *l.* 1. § 1. ULP. LIB. 73. AD EDICT.

Et ideò proponitur, ut ei ſua auferre liceat. Nam Prætor ait : « Si is homo quo de agitur, non eſt ex his rebus » de quibus inter te & actorem convenit ; ut quæ in » eam habitationem quâ de agitur, introducta, importata, ibi nata facta-ve eſſent, ea pignori tibi pro » mercede ejus habitationis eſſent (*a*) : ſive ex his » rebus eſſet, ea merces tibi ſoluta eo-ve nomine ſatisfactum eſt, aut per te ſtat quominùs ſolvatur : ita, » quominùs ei qui eum pignoris nomine induxit, indè » adducere liceat, vim fieri veto. » *d. l.* 1. *pr.*

Cui rei etiam extrà ordinem ſubveniri poteſt. Ergo infrequens eſt hoc Interdictum. *d. l.* 1. § 2.

II.

Et quidem Directum hoc Interdictum proponitur ei qui habitationem conduxit. Si tamen gratuitam quis habitationem habeat, hoc Interdictum Utile ei competet. *d. l.* 1. § 3.

Et rectè : neque enim ulla poteſt eſſe ratio retinendi quæ illata ſunt, cùm nulla penſio pro habitatione ſolvenda ſit.

At in ſolo habitatore ædium, Interdictum locum habet : Nam colono (*b*) non competit. *ſup. d.* § 1. ¶ *nam.*

III.

Illud notandum eſt ; Prætorem hîc non exegiſſe ut in bonis fuerit conductoris, nec ut eſſet pignori (*c*), res illata ; ſed, SI PIGNORIS NOMINE INDUCTA SIT (*d*). Proindè etſi aliena ſint, & ſint talia quæ pignoris nomine teneri non potuerint, pignoris tamen nomine introducta ſint ; Interdicto hoc locus erit. Quòd ſi nec pignoris nomine inducta ſint ; nec (*e*) retineri potuerunt à locatore. *d. l.* 1. § 5.

Obſervat pariter Gaius quòd Hoc Interdictum inquilino, etiam de his rebus quæ non ipſius ſunt, ſed fortè commodatæ ei vel locatæ, vel apud eum depoſitæ ſunt, Utile eſſe non dubitatur. *l.* 2. GAIUS LIB. 27. AD ED. PROVINC.

§ II.

Quando Interdicto locus eſſe incipiat, & quandiù duret.

IV.

Tunc demùm Interdictum competit, quum omnes penſiones ſolutæ ſunt. Et quidem, & Si penſio nondum debeatur, ait Labeo Interdictum hoc ceſſare ; niſi paratus ſit eam penſionem ſolvere.

Proindè ſi ſemenſtrem ſolvit, ſexmenſtris debetur (*f*) ; inutiliter interdicet, niſi ſolverit & ſequentis ſexmenſtris. Ita tamen, ſi conventio ſpecialis facta eſt in conductione domûs, ut non liceat ante finitum annum vel certum tempus Migrare. Idem eſt ; & ſi quis in plures annos conduxerit, & nondum præterierit tempus. Nam cùm in univerſam conductionem pignora ſunt obligata ; conſequens erit dicere, Interdicto locum non fore, niſi liberata fuerint. *ſup. d. l.* 1. § 4.

Hoc Interdictum perpetuum eſt ; & in ſucceſſores, & ſucceſſoribus dabitur. *d. l.* 1. § 6.

(*a*) Et quidem hæc invecta & illata in prædium urbanum, tacitè cedunt pignori pro penſionibus, etiam citra conventionem. Sed fortè tempore quo Prætor de hoc Interdicto edixit, jus illud taciti pignoris nondum in aſſiduam juriſdictionem devenerat ; ita ut expreſsâ conventione eſſet opus.

(*b*) In hoc nempè Interdicto id unum Prætori propoſitum fuit, ut ædium urbanarum inquilinis proſpiceret. Huc facit verbum illud Interdicti, *In eam* HABITATIONEM.

(*c*) Id eſt, nec ut in eâ pignus conſtiterit.

(*d*) Id eſt ; ait tantùm prætor, SI INDUCTA SIT. Ergo quæ *inducta ſunt* ut pignori eſſent ; ſive in his pignus conſtiterit, ſive non [putà, quia aliena erant quæ non poterant obligari] ; ſi conductor ſolutâ penſione prohibeatur ea auferre, Interdicto locus eſt.

(*e*) Multò magis non potuerunt retineri.

(*f*) Cujacius Obſerv. XXIII 34. cenſet legendum *nondum debeatur*. Sed ratio contextûs hanc emendationem, etſi ſatis probabilem, non tamen omninò deſiderat.

TITULUS XXXIII.

DE SALVIANO INTERDICTO.

I.

SUprà vidimus lib. 20. *Tit.* de Pignor. & hyp. *Sect.* 3ª. *locatoribus prædiorum conſtitutam eſſe actionem* SERVIANAM, *quæ* In rem *eſt, de ipſo jure pignoris in invectis & illatis ; ad ejus exemplum autem*, QUASI-SERVIANAM *cuilibet creditori in quolibet pignore.*

De poſſeſſione verò pignoris competit Interdictum de quo in hoc Titulo agitur ; quod ſimiliter duplex dici poteſt, SALVIANUM, & QUASI-SALVIANUM. *Diſtant porrò hæc duo*, Salvianum, & *actio* Serviana ; *ut nos vulgò dicimus*, le fond & la proviſion.

Source : BIU Cujas

SALVIANUM *Interdictum datur locatori, ad adipiscendam possessionem rerum quæ pignoris nomine in ipsius fundum inductæ sunt à conductore.*

Et ad instar Salviani, datur similiter Interdictum de possessione cujusvis pignoris adversùs quemlibet debitorem : quod QUASI-SALVIANUM *dicitur.*

Utrumque hoc Interdictum, Directum adversùs solum conductorem debitorem-ve datur.

Hinc Gordianus. Si te non remittente pignus, debitor tuus ea quæ tibi obnoxia sunt, venumdedit ; integrum tibi jus est ea persequi : non Interdicto Salviano (id enim tantummodò adversùs conductorem debitorem-ve competit), sed Servianâ actione (*a*) : vel quæ ad exemplum ejus instituitur, Utilis adversùs emptorem exercenda est. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

I I.

Adversùs extraneos tamen, jam longè ante Gordianum, Utile saltem hoc Interdictum accommodatum fuisse apparet ; ex his quæ scribit Julianus in speciebus sequentibus.

Si colonus ancillam in fundo pignoris nomine duxerit, & eam vendiderit : quod apud emptorem ex eâ natum est, ejus adprehendendi gratiâ Utile Interdictum reddi oportet. *l.* 1. JULIAN. LIB. 49. DIGEST.

Item in specie sequenti ; quæ aliundè valdè observanda est. Si colonus res in fundum duorum, pignoris nomine intulerit, ita ut utrique in solidum obligatæ essent ; singuli adversùs extraneum Salviano Interdicto (*b*) rectè experientur. Inter ipsos verò si reddatur hoc Interdictum, possidentis conditio melior erit (*c*). At si id actum fuerit ut pro partibus res obligaretur : Utilis actio & adversùs extraneos, & inter ipsos dari debebit, per quam, dimidias partes possessionis singuli adprehendent. *d. l.* 1. § 1.

Obiter nota & tertiam speciem, in quâ similiter Utile Interdictum datur.

Nimirùm Idem servari conveniet, & si colonus rem quam cum alio communem habebat, pignoris nomine induxerit ; scilicet ut pro parte dimidiâ, pignoris persecutio (*d*) detur. *d. l.* 1. § 2.

In specie autem præcedenti ; nisi dominus fundi communis, qui adversùs socium rerum in fundum invectarùm possessorem hoc Interdicto agit, possit in brevi docere, res pro singulorum portionibus obligatas esse ; præsumptio erit pro possessore.

Hinc Ulpianus. In Salviano Interdicto ; si in fundum communem duorum, pignora sint ab aliquo invecta ; possessor vincet : & erit descendendum ad Servianum (*e*) judicium. *l.* 2. ULP. LIB. 70. AD ED.

(*a*) Id est, judicio petitorio. Et *Servianâ* quidem, si locator ; *Utili* autem seu *Quasi-Servianâ*, si quolibet alio titulo creditor es.

(*b*) *Utili*, ad vindicandam possessionem.

(*c*) Utpotè in pari causâ. Utrique enim in solidum res æquè obligata est ; & proindè alter adversùs alterum perperàm vindicat possessionem.

(*d*) Adversùs eum cujus res cum colono communis est.

(*e*) De ipso jure pignoris [*c. à. d. Au fond*]. In quo judicio penitiùs quæretur, an pro portionibus, an in solidum utrique domino res obligata sit. Et, si actor docuerit pro portionibus rem fuisse obligatam, pignus pro portione suâ consequetur ; sin, possessoris melior erit conditio : suprà lib. 20. Tit. *Qui potiores in pign.* N. 31.

Source : BIU Cujas

LIBER

QUADRAGESIMUS-QUARTUS.

TITULUS I.

DE EXCEPTIONIBUS, PRÆSCRIPTIONIBUS ET PRÆJUDICIIS.

I.

TOt propoſitis hactenùs actionum tam civilium quàm Prætoriarum ſpeciebus; quid reſtabat quàm ut ſubjiceretur tractatio DE EXCEPTIONIBUS? *Hæ etenim ipſæ* ACTIONIS *verbo continentur: ut in Edicto DE DOLO.*

Enimverò Agere is videtur, qui Exceptione utitur: nam reus in Exceptione actor eſt. *l.* 1. ULPIAN. LIB. 4. AD ED.

Porrò PRÆSCRIPTIO *generale nomen eſt, omnes cujuſvis generis Exceptiones complectens, & replicationes, & deinceps; de quibus in hoc Titulo tractatur generaliter. Et hic erit hujus Tituli Articulus primus.*

Altero ſpecialiter agemus DE PRÆJUDICIIS, *quæ ſunt ſingulares quædam & propriæ Exceptionum ſpecies.*

ARTICULUS I.

De Exceptionibus & Præſcriptionibus in genere.

Circa illas inquiremus 1°. *Quid ſit Præſcriptio ſeu Exceptio, & quæ ſint Exceptionum diviſiones:* 2°. *Quot quis Exceptionibus uti poſſit; quando illæ opponi, & quando probari debeant:* 3°. *De earum effectu.*

§ I.

Quid ſint Exceptio, Replicatio, &c.; & quæ Exceptionum diviſiones.

II.

EXCEPTIO dicta eſt quaſi quædam excluſio, quæ interopponi (*a*) actioni cujuſque rei ſolet; ad concludendum (*b*) id quod in intentionem condemnationem-ve (*c*) deductum eſt. *l.* 2. ULP. LIB. 74. AD ED.

III.

REPLICATIONES nihil aliud ſunt, quàm Exceptiones; & à parte actoris veniunt. Quæ quidem ideò neceſſariæ ſunt, ut Exceptiones excludant: ſemper enim replicatio idcircò objicitur, ut Exceptionem oppugnet. *d. l.* 2. § 1.

Brevius: REPLICATIO eſt contraria Exceptio, quaſi Exceptionis Exceptio. *l.* 22. § 1. PAUL. LIB. SINGUL. DE VARIIS LECTIONIBUS.

Hæ autem actorum defenſiones, quamvis latè poſſint dici Exceptiones; tamen ſtrictè, non Exceptiones, ſed REPLICATIONES *dicuntur.*

Hinc Diocletianus & Maximianus. Non Exceptionibus actores (quibus, reis auxilium tribuitur certis ex cauſis); ſed replicationibus ſuam intentionem, ſi quam habeant, muniant. *l.* 10. *Cod. h. tit.*

IV.

Sed & contra replicationem ſolet dari TRIPLICATIO, & contra triplicationem rursùs: & deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus aut actor objicit. *ſup. d. l.* 2. § 3.

Hæc autem omnia, generali PRÆSCRIPTIONIS *verbo rectè ſignificantur.*

V.

Prima Præſcriptionum ſeu Exceptionum diviſio.

Exceptiones aut perpetuæ & PEREMPTORIÆ ſunt, aut temporales & DILATORIÆ.

Perpetuæ atque peremptoriæ ſunt, quæ ſemper locum habent, nec evitari poſſunt; qualis eſt, Doli mali, & Rei judicatæ; &, Si quid contra Leges Senatûs-ve Conſultum factum eſſe dicetur; Item Pacti conventi perpetui, id eſt, ne omninò pecunia petatur.

Temporales atque dilatoriæ ſunt, quæ non ſemper locum habent, ſed evitari poſſunt: qualis eſt, Pacti conventi temporalis, id eſt ne fortè intrà quinquennium ageretur (*d*). Procuratoriæ quoque Exceptiones, dilatoriæ ſunt; quæ evitari poſſunt (*e*). *l.* 3. GAIUS LIB. 1. AD ED. PROVINC.

Similiter Ulpianus. Sanè ſolemus dicere quaſdam Exceptiones eſſe dilatorias, quaſdam peremptorias. Ut putà dilatoria eſt Exceptio, quæ differt actionem; veluti Procuratoria Exceptio, dilatoria eſt: nam qui dicit, non licere procuratorio nomine agi, non prorsùs litem inficiatur, ſed perſonam evitat. *l.* 2. § 4. ULP. LIB. 70. AD ED.

Exceptiones peremptoriæ ita ſubdividi poſſunt; ut aliæ penitùs, aliæ pro parte actionem condemnationem-ve perimant.

Hinc Paulus. Exceptio eſt conditio (*f*) quæ modò eximit reum damnatione, modò minuit damnationem. *l.* 22. PAUL. LIB. SING. DE VARIIS LECTIONIB.

(*a*) Suprà vidimus lib. præced. Tit. 1. in definitione *Interdictorum*, Particulam INTER eſſe adauctivam: quæ ſcilicet vim & efficaciam demonſtret. Igitur *Interopponi*, ſignificat efficaciter opponi.

(*b*) Ita in Florentinâ non ſemel. Vulgata & Haloand. legunt, *excludendum.*

(*c*) Quædam enim exceptiones etiam poſt *Condemnationem* opponuntur: qualis eſt Exceptio quæ dicitur COMPETENTIÆ: quæ iis competit qui non debent conveniri ultrà id quod facere poſſunt; de quâ ſuprà lib. 42. Tit. *de Re judic.* N. 68. & ſeqq.

(*d*) Evitabitur enim hæc Exceptio, ſi tranſacto demùm quinquennio actor egerit.

(*e*) Scilicet ſi procuratorio nomine agens, cui hæc Exceptio objicitur, exhibeat mandatum: aut ſi, quum ſit [putà] ex conjunctis perſonis quæ ſine mandato admittuntur, offerat cautionem DE RATO.

(*f*) Exceptionum enim formulæ, conditionaliter per Particulas SI, NISI, EXTRA QUAM SI, &c. concipi ſolebant. Puta, SI *patet Titium Seio promiſiſſe decem, judex condemna*; EXTRA QUAM SI *quid dolo metu-ve geſtum.*

Source : BIU Cujas

V I.

Secunda divisio.

Exceptionum quædam PERSONÆ *cohærent, quædam verò* IN REM *sunt.*

Exceptiones quæ personæ cujusque cohærent, non transeunt ad alios : veluti ea quam socius habet Exceptionem QUOD FACERE POSSIT, vel parens patronusve, non competit fidejussori. Sic mariti fidejussor post solutum matrimonium datus (*a*), in solidum dotis nomine condemnatur. *l.* 7. PAUL. LIB. 7. PLAUT.

Talis est etiam Exceptio quæ datur debitori adversùs creditorem, pendente capitali judicio quod creditor adversùs ipsum instituit. Cùm personalis sit, non datur rei fidejussoribus.

Hinc Capitis postulati (*b*) fidejussores, ex contractu, citra nullam Præscriptionem, à creditore qui reum postulabit, rectè conveniuntur. *l.* 53. *ff. de Fidejuss. & mandat.* PAPIN. LIB. 15. RESPONSOR.

V I I.

REI autem cohærentes Exceptiones, etiam fidejussoribus competunt ; ut Rei judicatæ, Doli mali, Jurisjurandi, Quod metûs causâ factum est.

Igitur & si reus pactus sit IN REM (*c*), omnimodo competit Exceptio fidejussori.

Intercessionis quoque Exceptio (*d*), item Quod libertatis onerandæ causâ (*e*) petitur, etiam fidejussori competit.

Idem dicitur, & si pro filiofamilias contra Senatusconsultum quis fidejusserit, aut pro minore viginti-quinque annis circumscripto. Quòd si deceptus sit in re (*f*) ; tunc nec ipse ante habet auxilium, quàm restitutus fuerit ; nec fidejussori danda est (*g*) Exceptio. *l.* 7. § 1. PAUL. LIB. 7. AD PLAUT.

De Exceptionibus quæ rei cohærent, accipe quod ait Marcianus : Omnes Exceptiones quæ reo competunt, fidejussori quoque etiam invito reo competunt. *l.* 19. MARCIAN. LIB. 13. INSTITUT.

Item quod ait Ulpianus : Ex personâ rei, & quidem invito reo, Exceptio & cætera rei commoda fidejussori cæterisque accessionibus (*Aliàs* accessoribus) competere potest. *l.* 32. *ff. de Fidejuss. & mandat.* ULP. LIB. 76. AD ED.

De his Exceptionibus etiam accipe quod rescribunt Diocletianus & Maximianus : Defensiones sive Exceptiones, ad intercessores extendi, quibus reus principalis integro manente statu munitus est, constat. *l.* 11. *Cod. h. tit.*

De his etiam accipienda est Juris regula : QUOD ipsis qui contraxerunt obstat, & successoribus (*h*) eorum obstabit. *l.* 143. (*Aliàs* 185) *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 62. AD ED.

V I I I.

Tertia divisio.

Exceptiones opponuntur, aut quia factum sit quod fieri oportet, aut quia factum sit quod fieri non oportuit, aut quia factum non sit quod fieri debuerat.

Quia factum est quod fieri oportuit, datur Exceptio Rei venditæ & traditæ, & Rei judicatæ. Quia factum est quod fieri non oportuit, datur Exceptio Doli mali. Quia non factum est quod fieri debuit, ut Bonorum possessionis non (*i*) datæ. *l.* 20. PAUL. LIB. SINGUL. DE CONCEPTIONE FORMULARUM.

§ I I.

Quot Exceptionibus quis uti possit, quando opponi debeant, & quando probari.

I X.

Nemo prohibetur pluribus Exceptionibus uti, quamvis diversæ sunt. *l.* 8. PAUL. LIB. 14. AD PLAUT.

Putà Is qui dicit se jurasse, potest & aliis Exceptionibus uti cum Exceptione jurisjurandi, vel aliis solis. Pluribus enim defensionibus uti permittitur. *l.* 5. PAUL. LIB. AD ED. 18.

Pariter Nemo ex his qui negant se debere, prohibetur etiam aliâ defensione uti : nisi (*k*) Lex impedit. *l.* 43. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 28. AD ED.

X.

Quod attinet ad tempus opponendæ Exceptionis ; hâc in re discrimen est, inter dilatorias & peremptorias Exceptiones.

Dilatoriæ, usque ad litis contestationem duntaxat possunt opponi. Undè Imperator Julianus : Si quis Advocatus inter exordia litis prætermissam dilatoriam Præscriptionem postea voluerit exercere, & ab hujusmodi opitulatione submotus nihilominùs perseveret, atque præpositeræ defensioni institerit ; unius libræ auri condemnatione mulctetur. *l.* 12. *Cod. h. tit.*

Maximè autem Præscriptiones FORI (*l*), ut principio litis à litigatoribus opponendas esse, Legum decrevit auctoritas. *l.* 13. *Cod. h. tit.* THEODOSIUS.

Neque opponi solùm debent, sed & probari ante contestationem litis, pleræque Exceptiones dilatoriæ : nec judicio semel constituto ampliùs his locus esse potest, cùm ad illud differendum sint paratæ.

At verò Præscriptionem peremptoriam, quam ante contestari (*m*) sufficit, omissam, priùsquàm Sententia feratur, objicere quandoque licet. *l.* 8. *Cod. h. tit.* DIOCL. ET MAXIM.

De peremptoriis igitur accipe quod rescribit Alexander : Cùm nondum finitam Sententiâ causam, sed dilatam allegetis ; non est dubium omnes integras defensiones vobis esse. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

Quædam Exceptiones etiam post Sententiam objiciuntur : ut Exceptiones SCtorum Macedoniani, & Velleiani, *de quibus suprà lib.* 14. *& lib.* 16. *suis Titulis ; item illa quam vocant* Competentiæ, *ut vid. suprà lib.* 42. *Tit.* de Re judic. *N.* 72.

X I.

Peremptoriæ Exceptiones, probari demùm debent postea-quàm actor intentionem suam probaverit. Idem dic de dilatoriis, quum non judicii constitutionem, sed ipsam causam contingunt ; putà, si pactum sit ne ante certum tempus petatur.

Hinc Diocletianus & Maximianus : Exceptionem dilatoriam opponi quidem initio, probari verò postquàm

(*a*) Constante enim matrimonio dari prohibetur : l. 1 & 2. Cod. *Ne Fidejussor, dotium, &c.*

(*b*) Si eum qui ex aliquo contractu mihi debitor est, capitis postulavero : & pendente capitis quæstione egero adversùs eum ; summovet me Exceptione. Cujus Exceptionis hæc ratio est ; quòd cùm eum capitis postulando hoc agam ut capite minuatur, capitis autem minutio reum obligatione liberet ; videor quasi mihi contradicere, quum simul ex illâ obligatione adversùs eum ago. Hæc autem Exceptio fidejussoribus ejus qui capitis postulatus est, non prodest ; nam ipsi non liberarentur, reo capite minuto.

(*c*) Paciscor IN REM, quum paciscor *ne petatur.* Secùs, si paciscar ne *à me petatur*, id est, à meâ personâ duntaxat.

(*d*) Id est, Senatusconsulti Velleiani. Vide hâc de re, suprà lib. 16. Tit. *ad SC. Velleian.* N. 37.

(*e*) De quâ infrà Tit. *Quar. rer. act. non detur.*

(*f*) Citra dolum ejus cum quo contrahebat, sed per propriam imperitiam.

(*g*) Etiam postquàm Minor restitutus fuerit. Vide suprà lib. 4. Tit. *de Minorib.* N. 67.

(*h*) Universalibus an & singularibus ? Adhibe distinctiones quæ referuntur infrà Tit. IV. *de Doli & met. except.* Art. 2°. § 3°.

(*i*) Quam debitor hereditarius opponit ei qui, ad Bonorum possessionem defuncti ex Edicto vocatus, eam nondum à Prætore solemniter impetraverat ; quæ solemnitas Jure Pandectarum requirebatur, & à Justiniano abrogata est.

(*k*) Cujacius suspicatur hæc ultima verba esse glossema, & intelligi debere de Novellâ XVIII. Cap. 8. quo cavetur, ut is qui rem petitoris esse negavit, falsi convictus, non audiatur si quid postea alleget quominùs rem restituat. P. Faber contrà censet ; & referendum ad præscriptiones *Fori*, quæ [ut mox infrà dicetur] post litem contestatam ampliùs opponi non possunt. Vissenbachius etiam in specie à Cujacio relatâ quasi ex Jure Novellarum, alia adhuc exempla affert, & quidem ex Pandectarum Jure, in quibus Lex eum qui perperàm inficiatus est, prohibet aliis defensionibus uti. Putà in *Rei vindicatione*, reus qui falsò negavit se possidere, non auditur si alleget postea actorem non probare rem suam esse : l. fin. ff. *de Rei vind.* suprà lib. 7. *d. tit.* N. 21. item in judiciis *Noxalibus*, qui perperàm inficiatus est in potestate se habere, ampliùs non potest se tueri offerendo *Noxa dedere.*

(*l*) Id est, ad declinandum Forum.

(*m*) Id est ; *quam* certè *antè contestare sufficit*, nec probare necesse est ; imò omninò *omissam*, &c.

Source : BIU Cujas

actor monstraverit quod adseverat, oportet. *l.* 19. *Cod. de Probat.*

Et iidem rursùs. Si quidem intentionem actoris probatione deficere confidis, nulla tibi defensio necessaria est. Si verò de hâc confitendo, Exceptione te munitum adseveras; de hâc tantùm agi convenit. Nam si etiam de intentione dubitas: habitâ Exceptionis contestatione; tunc demùm quum intentionem suam secundùm assеverationem suam petitor probaverit, huic esse locum monstrari convenit. *l.* 9. *Cod. h. tit.*

Enimverò ex eo quòd reus Exceptionem opponit, non ideò minùs actor tenetur intentionem probare. Nam Non utique existimatur confiteri de intentione adversarius quocum agitur, quia Exceptione utitur. *l.* 9. MARCELL. LIB. 3. DIGEST.

§ III.

De Exceptionum effectu.

XII.

Illud tenendum est; omnem Exceptionem vel replicationem excluſoriam (*a*) esse. Exceptio actorem excludit, replicatio reum. *l.* 2. § 2. ULP. LIB. 74. AD ED.

ARTICULUS II.

De Præjudiciis, & de ordine cognitionum.

XIII.

Quædam sunt causarum species naturâ suâ tales ut priùs judicandæ sint, quàm aliæ quibuscum fortè concurrunt. Hinc EXCEPTIONES PRÆJUDICIALES, *quibus quis ab actione tantisper summovetur, hâc ratione quòd per eam* Præjudicium *fieri non oporteat alteri majori cognitioni; id est, quòd non sit* PRÆ *seu ante* judicanda *nisi altera finita sit: maximè cùm ex majoris hujus cognitionis decisione plerùmque pendeat, quid existimandum sit de ea quæ minor est.*

Hoc est quod ait Paulus: Per minorem causam, majori cognitioni Præjudicium fieri non oportet: major enim quæstio minorem causam ad se trahit. *l.* 54. *ff. de Judiciis.* PAUL. LIB. I. SENTENT.

Tunc autem his Exceptionibus locus est, & Rei majoris pecuniæ (*b*) Præjudicium fieri videtur; quum ea quæstio in judicium deducitur, quæ vel tota vel ex aliquâ parte communis est quæstioni de re majori. *l.* 21. NERATIUS LIB. 14. MEMBRANARUM.

XIV.

Ex pluribus autem causis, utra major videri debet ac priùs judicanda; utra minor, & interim per Exceptionem Præjudicialem differenda?

Patet causam in quâ de totâ re agitur, majorem esse eâ in quâ agitur duntaxat de aliquâ ejus rei parte: item eam in quâ de re principali, majorem illâ in quâ de aliquo ejus rei accessorio quæritur.

Hinc Africanus. Fundi quem tu proprium tuum esse dicis, partem à te peto, & volo simul, judicio quoque Communi dividundo agere sub eodem judice: item si ejus fundi quem tu possideas, & ego proprium meum esse dicam, fructus condicere tibi velim. Quæsitum est an Exceptio QUOD PRÆJUDICIUM (*c*) FUNDO PARTIVE EJUS NON FIAT, obstet; an deneganda sit? Et utrobique putat, intervenire Prætorem debere, nec permittere petitori, priùsquàm de proprietate constet, hujusmodi judiciis experiri. *l.* 18. AFRICANUS LIB. 9. QUÆST.

Similiter in specie sequenti. Fundum Titianum possides, de cujus proprietate inter me & te controversia est. Et dico præterea, viam ad eum, per fundum Sempronianum quem tuum esse constat, deberi. Si viam petam; Exceptionem QUOD PRÆJUDICIUM PRÆDIO (*d*) NON FIAT, utilem tibi fore putavit: videlicèt quòd non aliter viam mihi deberi probaturus sim, quàm priùs probaverim fundum Titianum meum esse. *l.* 16. IDEM LIB. 9. QUÆST.

Item major est, & priùs judicanda, causa de Petitione hereditatis; quàm causa de singularibus hujusce hereditatis rebus: ut vidimus suprà lib. 5°. *Tit.* de Heredit. petit. *Sect.* 2ª.

XV.

Major etiam est causa violentiæ & possessionis, quàm causa proprietatis.

Hinc Callistratus. Si de vi & possessione quæratur; priùs cognoscendum de vi, quàm de proprietate rei, Divus Hadrianus ΤΩ῾ ΚΟΙΝΩ῾ ΤΩ῎Ν ΘΕΣΣΑ΄ΛΩΝ [*id est, Communi seu Reipublicæ Thessalorum*]. Græcè rescripsit. *l.* 37. *ff. de Judic.* CALLISTRAT. LIB. 5. COGNITION.

Pariter Marcianus. Si de vi, & possessione vel dominio quæratur; ante cognoscendum de vi quàm de proprietate rei, Divus Pius ΤΩ῾ ΚΟΙΝΩ῾ ΤΩ῎Ν ΘΕΣΣΑ΄ΛΩΝ [*id est, Universitati Thessalorum*] Græcè rescripsit. Sed & decrevit ut priùs de vi quæratur, quàm de jure dominii sive possessionis. *l.* 5. § 1. *ff. Ad L. Jul. de vi publicâ.* MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

XVI.

Major etiam intelligitur causa famæ & existimationis; causis pecuniariis.

Hinc Ulpianus. Si in duabus actionibus, alibi summa major, alibi infamia est; præponenda est causa existimationis. Ubi autem æquiparant famosa judicia, etsi summam imparem habent, pro paribus accipienda sunt. *l.* 104. *ff. de Reg. Juris.* ULP. LIB. 2. AD ED.

Hinc etiam est quòd causa criminalis major intelligitur, & priùs judicanda quàm civilis. Quapropter ita rescribit Constantinus: Quoniam civili disceptatione intermissâ sæpè fit ut priùs de crimine judicetur, quod utpotè majus meritò minori præfertur; ex quo criminalis quæstio quocumque modo cessaverit, oportet civilem causam velut ex integro in judicium deductam distingui: ut finis criminalis negotii ex eo die quo inter partes fuerit lata Sententia, initium civili quæstioni tribuat. *l.* 4. *Cod. de Ordine judicior.*

XVII.

Denique causæ circa personæ statum, cæteras in ordine judiciorum antecedere debent.

Hinc de quæstione generis ita rescribit Antoninus: Si quæstio tibi generis ab his quos fratres patrueles esse dicis, non fiat; adito Præside provinciæ, & accepto Familiæ erciscundæ judicio experire. Quòd si de eâ re quæstio erit; priùs de nativitatis veritate secundùm Juris formam quæri, idem Vir Clarissimus curæ habebit. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

De causâ autem liberali, ita Diocletianus & Maximianus. Cùm statûs quæstionem tibi moveri, & te debita velle petere commemores; ordinarium est, priùs solemnibus interpositis (si hoc Juris admiserit ratio) causam liberalem apud Præsidem provinciæ decidi; ut, si liber fueris, vel servus non esse, pronuntiatus; tunc tibi jure debita restitui debeat: cùm hoc incerto, utrùm-ne tibi libero constituto, an domino tuo (si servum te Sententia declaraverit) debeatur, ad solutionem debitorem tuum urgeri non oporteat. *l.* 5. *Cod. de Ordine cognition.*

Iidem rescribunt. Si res tuas raptas vel amotas esse dicis, ab his quos servos tuos esse contendis; hique

(*a*) Scilicet excludunt, aut in solidum aut pro parte, aut in perpetuum aut ad tempus.

(*b*) *Pecuniam* hîc accipe, pro causâ quâlibet.

(*c*) *Præjudicium* hîc dicitur à PRÆ & JUDICIUM. Igitur *Præjudicium fundo non fieri parti-ve ejus*, nihil aliud est quàm non peragi judicium *Communi dividundo* partis fundi, aut *Condictionis fructuum* totius fundi, priusquàm de ipsâ proprietate vel totius fundi vel partis judicatum sit.

(*d*) Id est, quæstioni de proprietate prædii cui viam deberi contendis; cùm priùs constare debeat, hoc prædium tuum esse.

Source : BIU Cujas

in libertatem proclamaverint ; causa liberalis priùs adversùs eos, & tunc damni dati rerumque amotarum lis apud Præsidem provinciæ contestanda est : ut, si quidem liberi vel servi non esse pronuntientur, tunc demùm damni dati & amotarum rerum procedere possit, adhibitâ probatione, condemnatio ; si verò secùs, quæstio rerum amotarum evanescat. *l.* 6. *Cod. tit.*

Uno tamen casu, causam liberalem præcedit causa hereditatis ; scilicet si libertas petatur ex testamento de cujus viribus quæstio est. Cùm enim ex viribus testamenti pendeat libertas ; hoc casu sustinetur liberalis causa, donec de quæstione testamenti judicatum sit. De quâ re suprà vidimus lib. 5. *Tit.* de Hered. petit. *Sect.* 2ª.

XVIII.

Extrà hunc casum, liberale judicium cætera antecedere debet ; nec solùm antecedit civilia, sed & criminalia.

Hinc si accusator patiatur controversiam statûs, priùs illa judicanda erit quàm instituatur accusatio. Ita enim Alexander. Cùm & ipse confessus es, statûs te controversiam pati ; quâ ratione postulas, priusquàm de conditione constaret tuâ, accusandi tibi tribui potestatem contra eum qui te servum esse contendit ? Cùm igitur (sicut allegas) statu tui generis fretus es ; juxta Jus ordinarium, Præsidem pete : qui cognitâ priùs liberali causâ, ex eventu judicii, quid de crimine statuere debeat, non dubitabit. *l.* 1. *Cod. de Ordine cognit.*

Quòd si is qui accusatur, similem statûs quæstionem patiatur ; pariter differenda erit accusatio. Ita enim rescribit idem Alexander. Si crimen aliquod inferatur ei quem ingenuum esse dicis ; antè liberalis causa suo ordine agi debet, cognitionem suam Præside præbente : quoniam necesse est ante sciri, si delictum probatum fuerit, utrùm ut in liberam & ingenuam, an ut in ancillam constitui oporteat judicium. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

XIX.

Vidimus utra ex pluribus causis major videri debeat, utra quasi minor per Exceptionem Præjudicialem sustinenda sit.

Tandiù demùm autem sustinebitur, quandiù major non est decisa. Hinc V. G. Si post litem de hereditate contestatam (*a*), res singulæ petantur ; placet non obstare Exceptionem, QUOD PRÆJUDICIUM HEREDITATI NON FIAT. Futuri enim judicii, non facti (*b*) nomine, hujusmodi Exceptiones comparatæ sunt. *l.* 13. JULIAN. LIB. 50. DIGEST.

XX.

Observandum superest : sustineri quidem quæstionem bonorum, donec de crimine judicatum fuerit ; quum utraque quæstio principaliter movetur. Verùm Quum civili disceptationi principaliter motæ, quæstio criminis incidit ; vel crimini priùs instituto civilis causa adjungitur : potest judex eodem tempore utramque disceptationem suâ Sententiâ dirimere. *l.* 3. *Cod. de Ordine judic.* VALERIAN. ET GALLIEN.

Idem dic de quæstione statûs, quæ alteri causæ incideret. Et quidem de eâ incidenti quæstione is etiam judex cognoscet, qui competens non esset si principaliter moveretur.

Hinc Severus & Antoninus. Adite Præsidem (*c*) provinciæ ; & ruptum esse testamentum Fabii, præsentis agnatione filii docete. Neque enim impedit notionem ejus, quòd statûs quæstio in cognitione vertitur ; etsi super statûs causâ cognoscere non possit. Pertinet enim ad officium judicis qui de hereditate cognoscit, universam incidentem quæstionem quæ in judicium devocatur, examinare ; quoniam non de eâ, sed de hereditate pronunciat. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

Hinc etiam, quum servus à domino heres institutus hereditatem petit, rescribit Alexander : Si de hereditate & libertate controversia est ; priùs agi causa libertatis debet. Sed si de hereditate agetur ; ordinanda priùs quidem est causa libertatis : sed sufficit ei qui libertate utitur, ad victoriam de hereditate, secundùm eum esse pronuntiatum. *l.* 2. *Cod. de Ordine cognit.*

(*a*) *Et Sententiâ finitam* : ut rectè Accursius & Cujacius intelligunt. Imò probabile est hanc vocem *contestatam*, Glossema esse quod in textum irrepsit, & expungendum est.

(*b*) Id est *finiti*, ut multis probat Cujacius Observ. IX 20.

(*c*) Legendum est, *Præsidis provinciæ delegatum* ; ut constat ex verbis quæ sequuntur ; *Etsi super statûs causâ cognoscere non possit.* Nec enim dubium est ipsum Præsidem de causâ liberali cognoscere : regulariter autem delegatus non potest.

TITULUS II.

DE EXCEPTIONE REI JUDICATÆ.

Postquàm actum est de Exceptionibus in genere ; hìc & in Titulis sequentibus proponuntur nonnullæ singulares Exceptionum species.

I.

Primo loco occurrit EXCEPTIO REI JUDICATÆ : *de quâ ita Paulus.* Singulis controversiis singulas actiones, unumque Judicati finem sufficere, probabili ratione placuit (*a*) : ne aliter modus litium multiplicatus, summam atque inexplicabilem faciat difficultatem ; maximè si diversa pronuntiarentur. Parere ergo Exceptionem Rei Judicatæ frequens est. *l.* 6. PAUL. LIB. 70. AD ED.

Ut Exceptionem, ita & replicationem parit Res Judicata. Hinc V. G. Si quis rem à non domino emerit, mox petente domino absolutus sit ; deinde possessionem amiserit, & à domino petierit (*b*) : adversùs Exceptionem SI NON EJUS (*c*) SIT RES, replicatione hâc adjuvabitur AT SI Res Judicata non sit. *l.* 24. JULIAN. LIB. 9. DIGEST.

II.

Quum quæritur, hæc Exceptio noceat necne ; inspiciendum est, an idem corpus sit ; *l.* 12. PAUL. LIB. 70. AD ED.

Quantitas eadem, Idem jus ; *l.* 13. ULPIAN. LIB. 75. AD ED.

Et an eadem causa petendi, & eadem conditio personarum. Quæ nisi omnia concurrunt, alia res est. *l.* 14. PAUL. LIB. 70. AD ED.

Consonat quod ait Neratius. Quum de hoc, an eadem res est, quæritur ; hæc spectanda sunt : personæ, idipsum de quo agitur, causa proxima actionis. Nec jam interest quâ ratione quis eam causam actionis competere sibi existimasset (*d*) : perindè ac si quis, posteaquàm contra eum Judicatum esset, nova instrumenta causæ suæ reperisset. *l.* 27. NERATIUS LIB. 7. MEMBRAN.

De his tribus quæ requiruntur ut huic Exceptioni locus

(*a*) Id est ; Quælibet controversia actione unicâ peragitur ; & cuilibet actioni unus finis, nempè *Judicatum.* Quo peracto, nullus ampliùs alteri de eâdem re actioni locus est.

(*b*) Actione *Publicianâ.*

(*c*) Quæ exceptio opponitur adversùs Publicianam : suprà lib. 6. Tit. *de Publican. act.* N. 19.

(*d*) Id est ; si hæc tria quæ diximus concurrant, nimirùm eædem personæ, res de quâ agitur, & causa actionis ; de cætero nihil *jam interest quâ ratione quis eam causam actionis sibi competere* existimaverit ; id est, quâ ratione res sua esset, adeòque causa actionis *Rei vindicationis* sibi competeret. V. G. in priori judicio rem suam esse existimavit ex causâ emptionis ; & cùm non probaret se eam emisse, succubuit. Quum tamen sua esset ; non quidem ex causâ emptionis, sed putà ex causâ dotis ; hoc jam intendit & probare paratus est ; non ideò minùs summovebitur Exceptione. *Perindè ac si quis, &c.*

Source : BIU Cujas

ſit ; ſcilicet ut idem petatur , ut eadem ſit cauſa petendi , & ut inter eaſdem perſonas lis renovetur ; ſigillatim agemus. Videbimus deinde , an requiratur quoque eodem actionis genere aliquem experiri , & in priori actione allegaſſe eum omnia quæ ad tuitionem cauſæ neceſſaria erant. Quærendum ſupererit , an eâ Exceptione uti poſſit non ſolùm victor , ſed etiam victus.

§ I.

Oportere ut idem ſit quod petitur.

III.

Huic igitur Exceptioni locus non eſt , ſi quid diverſum ab eo quod jam petitum eſt petatur ; quamvis eâdem actione.

Hinc Antoninus : Licèt , judice accepto , cum tutore tuo egiſti ; ipſo tamen Jure , actio Tutelæ ſublata non eſt. Ideò ſi rursùs eum judicem petieris ; contrà utilem Exceptionem Rei Judicatæ , ſi de ſpecie de quâ agis in judicio priore tractatum non eſſe allegas , non inutiliter replicatione Doli mali utêris. *l.* 2. *Cod. de Judiciis.*

IV.

Quando autem idem corpus , eadem quantitas , idem jus videtur peti ? IDEM CORPUS in hâc Exceptione , non utique omni priſtinâ qualitate vel quantitate ſervatâ , nullâ adjectione diminutione-ve factâ ; ſed pinguiùs , pro communi utilitate accipitur. *l.* 14. ¶ *idem corpus.* PAUL. LIB. 70. AD ED.

Hinc Si petiero gregem ; & vel aucto vel minuto numero gregis , iterùm eumdem gregem petam : obſtabit mihi Exceptio. *l.* 21. § 1. POMPON. LIB. 31. AD SABIN.

V.

Videtur etiam idem peti , etſi pars duntaxat ejus quod petitum fuerat petatur.

V. G. Sed & ſi ſpeciale corpus ex grege petam ; ſi adfuit in eo grege , puto obſtaturam Exceptionem. *d. l.* 21. § 1. ¶ *ſed &.*

Enimverò Si quis , quum totum petiſſet , partem petat ; Exceptio Rei Judicatæ nocet : nam PARS IN TOTO EST. Eadem enim res accipitur , & ſi pars petatur ejus quod totum petitum eſt. Nec intereſt , utrùm in corpore (*a*) hoc quæratur , an in quantitate (*b*) , vel in jure (*c*). Proindè ſi quis fundum petierit , deinde partem petat , vel pro diviſo , vel pro indiviſo ; dicendum erit Exceptionem obſtare. Proindè & ſi proponas mihi certum locum me petere ex eo fundo quem petii , obſtabit Exceptio. *l.* 7. ULP. LIB. 75. AD ED.

Item ſi quis fundum petierit , mox arbores exciſas ex eo fundo petat ; aut inſulam petierit , deinde aream vel tigna vel lapides petat. Item ſi navem petiero , poſtea ſingulas tabulas vindicem. *d. l.* 7. ¶ *item ſi.*

Simili ratione : Item ſi fundo petito , poſtea inſula quæ è regione ejus in flumine nata erit , petatur Exceptio obſtatura (*d*) eſt. *l.* 26. § 1. AFRICAN. LIB. 9. QUÆST.

Huc pertinet Juris Regula : IN TOTO & pars continetur. *l.* 113. *ff. de Reg. Jur.* GAIUS LIB. 3. AD ED. PROVINC.

Quod tamen hîc dicitur de tignis domûs , tabulis navis , capitibus gregis : ita limitandum eſt , ſi tanquàm partes ejus rei quæ petita fuit petantur. Alioquin rectè peti poſſunt. Undè Ulpianus : Sed in cæmentis & tignis diverſum eſt. Nam is qui inſulam (*e*) petit , ſi cæmenta vel tigna vel quid aliud ſuum petat , in eâ conditione eſt ut videatur aliud petere. Etenim cujus inſula eſt , non utique & cæmenta ſunt. Denique ea quæ juncta ſunt ædibus alienis , ſeparata dominus vindicare poteſt. *ſup. d. l.* 7. § 2.

VI.

Uſusfructus etiam , non quatenùs ſervitus eſt in re alienâ , ſed quatenùs proprietati cohæret , videtur pars rei. Undè Si fundum meum eſſe petiero (*f*) ; deinde uſumfructum ejuſdem fundi petam , qui ex illâ causâ ex quâ fundus meus erat (*g*) meus ſit : Exceptio mihi obſtabit ; quia qui fundum habet , uſumfructum ſuum (*h*) vindicare non poteſt.

Sed ſi uſumfructum (*i*) cùm meus eſſet , vindicavi ; deindè proprietatem nanctus ; iterùm de uſufructu (*k*) experiar ; poteſt dici alia res eſſe : quoniam , poſtquàm nanctus ſum proprietatem fundi , deſinit meus eſſe prior uſusfructus , & jure proprietatis quaſi ex novâ causâ rursùs meus eſſe cœpit. *l.* 21. § 3. POMPON. LIB. 31. AD SABIN.

VII.

Dicimus idem videri peti ; quum is qui totam rem petierat , partem hujus rei petit. Idem erit probandum & ſi duo corpora fuerint petita , mox alterutrum corpus petatur : nam nocebit Exceptio. *l.* 7. ¶ *idem erit.* ULP. LIB. 75. AD ED.

Hinc Si Stichum & Pamphilum tuos eſſe petieris , & abſoluto adverſario Stichum tuum eſſe petas ab eodem ; Exceptionem obſtare tibi conſtat. *l.* 21. § 2. POMPON. LIB. 31. AD SABIN.

VIII.

Si ancillam prægnantem (*l*) petiero , & poſt litem conteſtatam conceperit & pepererit , mox partum ejus petam ; utrùm idem petere videor , an aliud , magnæ quæſtionis eſt ? Et quidem ita definiri poteſt ; Toties eamdem rem agi , quoties apud judicem poſteriorem id quæritur quod apud priorem quæſitum eſt. In his igitur ferè omnibus , Exceptio nocet. *l.* 7. § 1. ULP. LIB. 75. AD ED.

De fructibus eadem quæſtio eſt , & de partu : hæc enim nondum erant in rebus humanis ; ſed ex eâ re ſunt quæ petita eſt. Magiſque eſt , ut iſta Exceptio non (*m*) noceat.

Planè ſi in reſtitutionem vel fructus vel etiam partus venerunt , æſtimatique ſunt ; conſequens erit dicere , Exceptionem (*n*) objiciendam. *d. l.* 7. § 3.

IX.

Non videtur idem petere , qui poſtquàm jus ſervitutis in aliquâ re petiit , ipſam rem poſtea petit. V. G. Sed ſi ante viam , deinde fundum Titianum petat ; quia & diverſa corpora ſunt , & cauſæ reſtitutionum diſpares , non nocebit (*o*) Exceptio. *l.* 17. *ff. de Except. & præſcript.* PAUL. LIB. 70. AD ED.

(*a*) Ut quum quis in petitione fundi victus , poſteà ejuſdem fundi aliqua jugera petit.

(*b*) Si V. G. is qui petit decem ex ſtipulatione & victus eſt , ex eâdem ſtipulatione petat quinque.

(*c*) Putà is qui petiit jus paſcendi gregis mille ovium in ſaltu alieno , poſteà petit jus ſibi eſſe paſcendi centum oves.

(*d*) Inſula enim cùm ei fundo accedat [ut vid. Inſtit. Tit. *de Rer. diviſ.*] eſt pars hujus fundi.

(*e*) Domum.

(*f*) Et victus ſim.

(*g*) Vulgò diſtinguuntur duæ ſpecies uſusfructûs : *Formalis* , qui à proprietate ſeparatus eſt ; & is quem *Cauſalem* vocant Interpretes , qui domino ſeu proprietati cohæreat. De hoc uſufructu , qui nempè nihil aliud eſt quàm jus quod habet dominus fruendi re ſuâ , jure ſui dominii , non jure ſervitutis , agi in hâc prima parte legis , rectè Gloſſa & Bartholus obſervant. Si igitur hunc *Uſumfructum* Cauſalem *petam* , actione ſcilicet Negatoriâ ; dum intendo rei meæ uſumfructum meum eſſe , ſervitutemque uſusfructûs non deberi in meo fundo ; & hoc intendam ex eâdem causâ , & adversùs eumdem ipſum adversùs quem hunc eumdem fundum *ex illâ causâ* vindicando victus fueram : *Exceptio mihi obſtabit.*

(*h*) Alium quàm cauſalem , qui proprietati cohæret , & ab ipſo fundo non diſtinguitur. Adeòque ſi quis , poſteaquàm fundum petiit , talem uſumfructum petit ; videtur eamdem rem petere.

(*i*) Formalem.

(*k*) Cauſali.

(*l*) Id eſt ; quam dicebam prægnantem , quum tamen nondum eſſet.

(*m*) Ita ferè apud omnes. Gothofredus tamen probat ſententiam eorum qui putant hanc negationem redundare. Ratio dubitandi an idem peti videretur , hæc erat ; quòd *hæc nondum erant in rebus humanis* : ratio decidendi , quòd *Ex eâ re ſunt quæ petita eſt* ; ita ut nocere debeat Exceptio. Et quidem ita certè obtinet , juxtà ſententiam Gothofredi , ſi partus ex eâdem causâ petatur ex quâ petita eſt mater.

(*n*) Jam convertit caſum. Qui petebam rem , obtinui : iterùm peto partum aut fructus. Is qui fructuum & partûs nomine condemnatus eſt , Exceptionem hanc objiciet ne iterùm condemnetur. Hic nota caſum , quo victus hanc exceptionem opponit.

(*o*) *Rei judicatæ* ſcilicet. Et ita Cujacius ad h. l. itemque Obſerv. V 37. ubi obſervat hanc legem de *Rei judicatæ* Exceptione agere , & malè à Triboniano ſubjunctam fuiſſe legi 16. ejud. Tit. quæ eſt de Exceptione *Præjudiciali.*

Source : BIU Cujas

Non videtur etiam idem petere, qui poſtquàm ſervitutem petiit, alteram ſpeciem ſervitutis petit: quamvis altera alteram eminenter contineat.

Hinc Si quis iter petierit, deinde actum petat; puto fortiùs defendendum, aliud videri tunc petitum, aliud nunc: atque ideò Exceptionem Rei Judicatæ ceſſare. *l.* 11. § 6. ULP. LIB. 75. AD ED.

Contrà erit; ſi eadem ſervitutis ſpecies petatur, quamvis gravior. Hinc Africanus. Egi tecum, JUS MIHI ESSE ædes meas uſque ad decem pedes altiùs tollere; poſt ago, JUS MIHI ESSE uſque ad viginti pedes altiùs tollere: Exceptio Rei Judicatæ procul dubio obſtabit.

Sed & ſi rursùs ita agam, JUS MIHI ESSE altiùs ad alios decem pedes tollere; obſtabit Exceptio: cùm aliter ſuperior pars jure haberi non poſſit, quàm ſi inferior quoque jure habeatur. *l.* 26. AFRICAN. LIB. 9. QUÆST.

X.

Illud patet quòd Si quis Interdicto egerit de poſſeſſione, poſtea In rem agens non repellitur per Exceptionem; quoniam in Interdicto poſſeſſio, in actione proprietas vertitur. *l.* 14. § 3. PAUL. LIB. 70. AD ED.

Item Si in judicio actum ſit, uſuræque ſolæ petitæ ſint; non eſt verendum, ne noceat Rei Judicatæ Exceptio circa ſortis petitionem. QUIA ENIM NON COMPETIT, NEC OPPOSITA NOCET. Eadem erunt, & ſi quis ex bonæ fidei judicio velit uſuras tantùm perſequi (*a*): nam nihilomniùs futuri temporis cedunt uſuræ (*b*). Quandiù enim manet contractus bonæ fidei, current uſuræ. *l.* 23. ULP. LIB. 3. DISPUTAT.

Multò magis Si ex teſtamento actum ſit cum herede; ab eo qui, quum totum argentum ei legatum erat, menſas duntaxat ſibi legatas putaret, earumque duntaxat æſtimationem in judicio feciſſet: poſtea eumdem petiturum de argento quoque legato, Trebatius ait; nec obſtaturam ei Exceptionem: quòd non ſit petitum, quod nec actor petere putaſſet, nec judex in judicio ſenſiſſet. *l.* 20. POMPON. LIB. 17 AD SABIN.

Multò magis adhuc obtinere debet, quod ſcribit Pomponius in ſpecie ſequenti. Si cùm argentum mihi teſtamento legatum eſſet, egerim cum herede; & poſtea condicillis prolatis veſtem quoque mihi legatam eſſe appareat: non eſt deducta in ſuperius judicium veſtis cauſa; quia neque litigatores, neque judex de alio quàm de argento actum intelligant. *l.* 21. IDEM LIB. 31. AD SABIN.

Hinc etiam in causâ depoſiti; Etſi actum ſit cum herede de dolo defuncti, deinde de dolo heredis ageretur; Exceptio Rei Judicatæ non nocebit: quia de aliâ re agitur. *l.* 22. ¶ *etſi.* PAUL. LIB. 31. AD ED.

§ II.

Oportere ut eadem ſit cauſa petendi.

X I.

Ut Rei Judicatæ Exceptioni locus ſit, non ſufficit eamdem rem peti; oportet eamdem eſſe petendi cauſam.

Igitur ſi quis hominem cujus ſe dominum dicebat petiit, & ſuccubuit; non prohibebitur vindicare illum in libertatem. Hinc Antoninus. Si hi quos ſervos tuos eſſe dicis, liberi eſſe à diversâ parte dicantur; de ſtatu eorum more ſolito quæri oportet. Nec enim Res Judicata, quâ de proprietate eorum pronuntiatum eſt (*c*), opponi cauſæ liberali poteſt. *l.* 2. *Cod. de Liber. causâ.*

Simili ex ratione Paulus reſpondit; Ei qui in rem egiſſet, nec tenuiſſet (*d*), poſtea condicenti non obſtare Exceptionem Rei Judicatæ. *l.* 31. PAUL. LIB. 3. RESPONS.

X I I.

Alia etiam petendi cauſa eſt; ſi qui rem ſibi tanquàm ex certâ causâ debitam petiit, putà ex causâ empti, eam poſtea tanquàm ex aliâ causâ (putà ex causâ ſtipulationis) ſibi debitam petat.

Enimverò Actiones In perſonam, ab actionibus In rem hoc differunt; quòd, quum eadem res ab eodem mihi debeatur, ſingulas obligationes ſingulæ cauſæ ſequuntur, nec ulla earum alterius petitione vitiatur. At cùm in rem ago, non expreſsâ causâ ex quâ rem meam eſſe dico; omnes cauſæ unâ petitione adprehenduntur. Neque enim ampliùs quàm ſemel res mea eſſe poteſt: ſæpiùs autem deberi poteſt. *l.* 14. § 2. PAUL. LIB. 70. AD ED.

Eſt enim Regula Juris; quòd, NON ut ex pluribus cauſis deberi nobis idem poteſt, ita ex pluribus cauſis idem poſſit noſtrum eſſe. *l.* 159. (*Aliàs* 119.) *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 70. AD ED.

Hinc in ſpecie ſequenti: Ex ſextante heres inſtitutus, qui inteſtato legitimus heres eſſe poteſt; quum de jure teſtamenti faceret quæſtionem, ab uno ex inſtitutis dimidiam partem hereditatis petiit (*e*), nec obtinuit. Videtur in illâ petitione, etiam partem ſextantis (*f*) vindicaſſe; & ideò, ſi cœperit ab eodem ex teſtamento eamdem portionem petere, obſtabit ei Exceptio Rei Judicatæ. *l.* 30. PAUL. LIB. 14. QUÆST.

Item Si mater filii impuberis defuncti, ex Senatuſconſulto (*g*) bona vindicaverit, idcircò quia putabat rupto patris ejus teſtamento neminem eſſe ſubſtitutum (*h*); victaque fuerit, quia teſtamentum patris ruptum non erat; poſtea autem apertis pupillaribus tabulis apparuit non eſſe ei ſubſtitutum: ſi peteret rursùs hereditatem, obſtaturam (*Florent.* obſtaturum) Exceptionem Rei Judicatæ Neratius ait. *l.* 11. ULP. LIB. 75. AD ED.

Hic autem obiter nota quod ſubjicit Ulpianus. Ego Exceptionem obeſſe ei Rei Judicatæ non dubito: ſed ex causâ (*i*) ſuccurrendum erit ei, quia unam tantùm cauſam egit rupti teſtamenti. *d. l.* 11. ¶ *ego.*

X I I I.

Suprà dictis conſonat quod Denique & Celſus ſcribit; Si hominem petiero, quem ob eam rem meum eſſe exiſtimavi quòd mihi traditus ab alio eſt, quum is ex hereditariâ causâ meus eſſet; rursùs petenti mihi obſtaturam Exceptionem. *d. l.* 11. § 1.

At verò hæc ita (ut jam diximus) quum is qui In rem *egit, non expreſſit cauſam propter quam diceret rem ſuam eſſe. Secùs quum unam cauſam expreſſit, & poſtea ex alterâ causâ agit. Hinc ſtatim ſubjicitur:* Si quis autem petat fundum ſuum eſſe, eo quòd Titius eum ſibi tradiderit: ſi poſtea aliâ ex causâ petat, causâ adjectâ; non debet ſummoveri Exceptione. *d. l.* 11. § 2.

Pariter Modeſtinus in ſpecie ſequenti: Lucius-Titius quum in falſi teſtamenti propinqui accuſatione non obtinuerit; quæro an de non jure facto nec ſignato teſtamento querela illi competere poſſit? Reſpondit; Non ideò repelli ab intentione non jure facti teſtamenti, quòd in falſi accuſatione non obtinuerit. *l.* 47. *ff. de Hered. petit.* MODESTIN. LIB. 8. RESPONS.

Similiter referibunt Severus & Antoninus: Hereditas materteræ petita, non infringit alterius hereditatis petitionem, quæ venit ex aliâ ſucceſſione (*k*).

(*a*) Et ideò repellatur. Uſuræ enim in bonæ fidei judiciis non petuntur per ſe, ſeu per actionem; ſed officio judicis veniunt, dum ſuper re principali cognoſcit.

(*b*) Hinc Bartholus ſtatuit; rem ſuper uſuris judicatam ex eo quòd ineptè fuiſſent petitæ, non nocere ſi poſteà aptè petantur.

(*c*) Adversùs eum qui eos hodie liberos dicit.

(*d*) Id eſt, obtinuiſſet.

(*e*) Generaliter tamen propoſuit ſuam actionem: petiit ſimpliciter dimidiam partem hereditatis; nec quum litem conteſtatus eſt, expreſſit eam ab inteſtato ſuam eſſe: quamvis poſteà in diſceptatione cauſæ fecerit teſtamenti quæſtionem.

(*f*) Nam in hereditatis dimidiâ parte quam vindicavit, ſextans ex quo inſtitutus erat, continetur.

(*g*) Tertulliano.

(*h*) Id eſt, jure ſubſtitutum. Fatebatur per errorem, adverſarium ſcriptum fuiſſe ſecundis tabulis heredem, quum ſcriptus non eſſet; ſed negabat ſubſtitutionem valere.

(*i*) Si probabilis cauſa erroris videatur; *ſuccurrendum* per reſtitutionem in integrum ex generali clauſulâ, *Tum* SI QUA MIHI JUSTA CAUSA, *&c.* Vide & infrà N. 17.

(*k*) Finge: petii ex meâ perſonâ hereditatem materteræ meæ; & cùm nec ad me nec ad poſſeſſorem pertineret, ſed ad Titium, ſuccubui. Poſteà eamdem hereditatem peto ab eodem, ſed non jam ex perſonâ meâ, ſed ex perſonâ Titii cui heres extiti: Non obſtabit res judicata; quia hæc petitio venit *ex aliâ ſucceſſione.* Jam enim non peto quaſi ipſe ſucceſſerim materteræ meæ; ſed quaſi ſucceſſerim Titio qui ei ſucceſſerit.

Sed

Source : BIU Cujas

Sed etsi (*a*) quæstionis titulus prior, inofficiosi testamenti causam habuisset; Judicatæ Rei præscriptio non obstaret eamdem hereditatem ex aliâ causâ vindicanti. *l.* 3. *Cod. de Petit. hered.*

XIV.

Sed & quum in priore judicio quis non expressit causam ex quâ rem peteret; ita demùm in posteriori judicio hâc Exceptione summovebitur, nisi de novo emerserit causa ex quâ petat. Nec enim in prius judicium deducta fuisse videri potest ea causa quæ nondum existebat.

Hinc is Qui, quum partem ususfructûs haberet, totum petit, si postea partem adcrescentem petat, non summovetur Exceptione: quia (*b*) ususfructus, non portioni, sed homini adcrescit. *l.* 14. § 1. PAUL. LIB. 70. AD ED.

Similiter Si is qui heres non erat, hereditatem petierit; & posteà heres factus eamdem hereditatem petet: Exceptione Rei Judicatæ non summovebitur. *l.* 25. JULIAN. LIB. 51. DIGEST.

Hinc Ulpianus: Eamdem causam facit origo petitionis. Cæterùm si fortè petiero fundum vel hominem; mox alia causa nova post petitionem mihi accesserit, quæ mihi dominium tribuat; non me repellet ista Exceptio: nisi fortè intermissum dominium in medio tempore, rediit quodam postliminio. Quid enim si homo quem petieram, ab hostibus fuerit captus, mox postliminio receptus; hîc Exceptione summovebor, quia eadem res esse (*c*) intelligitur. At si ex aliâ causâ dominium fuerim nactus, non nocebit Exceptio. Et ideò si fortè sub conditione res legata mihi fuerit, deinde medio tempore adquisito (*d*) dominio petam; mox existente conditione legati, rursùs petam: putem Exceptionem non obstare. Alia enim causa fuit prioris dominii, hæc nova nunc accessit. *l.* 11. § 4. ULP. LIB. 75. AD ED.

Itaque adquisitum quidem posteà dominium, aliam causam facit; mutata autem opinio petitoris non facit. Ut putà, opinabatur ex causâ hereditariâ se dominium habere; mutavit opinionem, & cœpit putare ex causâ donationis: hæc res non parit petitionem novam. Nam qualecumque & undècumque dominium adquisitum habuit, vindicatione primâ in judicium deduxit. *d. l.* 11. § 5.

XV.

Hæc porrò regula, Exceptionem cessare quum ex causâ quæ de novo emersit agitur, generalis est; nec ad solas actiones In rem *pertinet.*

Hinc & circa actionem AD EXHIBENDUM, *ita Paulus.* Sæpiùs Ad exhibendum agenti, si ex eâdem causâ agat, obstaturam Exceptionem Julianus ait. Novam autem causam intervenire; si is qui vindicandi gratiâ egisset, post acceptum judicium eam ab aliquo accepit: & ideò Exceptionem ei non officere. Item si ei, qui Furti acturus Ad exhibendum egisset, iterùm furtum factum sit. Denique si quis optandi gratiâ Ad exhibendum egisset; & post litem contestatam, alterius testamento optio data sit: Ad exhibendum agere potest. *l.* 12. § 2. *ff. Ad exhib.* PAUL. LIB. 26. AD ED.

XVI.

Quemadmodum non obstat Res Judicata quum nova causa emersit in personâ actoris, ex quâ iterùm ageret; ita nec obstat quum ex personâ rei qui absolutus est, nova causa emersit propter quam possit conveniri.

Exemplum affert Ulpianus. Si à te hereditatem petam, quum nihil possideres; deinde ubi cœperis aliquid possidere, hereditatem petam: an noceat Exceptio ista? Et putem, sive fuit judicatum hereditatem meam esse; sive adversarius, quia nihil possidebat, absolutus est; non nocere Exceptionem. *l.* 9. ULP. LIB. 75. AD ED.

Similiter Gaius. Si rem meam à te petiero; tu autem ideò fueris absolutus, quòd probaveris sine dolo malo te desiisse possidere; deindè posteà cœperis possidere, & ego à te petam: non nocebit mihi Exceptio Rei Judicatæ. *l.* 17. GAIUS LIB. 30. AD ED. PROVINC.

Similiter Si quis Ad Exhibendum egerit; deinde absolutus fuerit adversarius, quia non possidebat; & dominus iterùm agat, nancto eo possessionem: Rei Judicatæ Exceptio locum non habebit, quia alia res est. *l.* 18. ULP. LIB. 80. AD ED.

Hinc etiam est quòd Is qui semel DE peculio egit, rursùs aucto peculio, de residuo debiti agere potest. *l.* 30. § 4. *ff. de Pecul.* ULP. LIB. 29. AD ED.

XVII.

Quòd si non tam nova causa agendi emersit, quàm cessavit causa propter quàm quis ab actione repulsus est; restituetur ei per in integrum restitutionem actio.

Hoc videre est in specie sequenti. Qui (*e*) cum herede ejus egit qui filium præterierat, & Exceptione summotus est AC SI NON IN EA CAUSA SINT TABULÆ TESTAMENTI, UT CONTRA EAS BONORUM POSSESSIO DARI POSSIT; omittente emancipato filio bonorum possessionem, non iniquè restituetur ut agat cum herede (*f*). Et ita Julianus libro quarto Digestorum scripsit. *l.* 2. ULP. LIB. 13. AD ED.

En ipsa Juliani verba. Qui cum herede egit, Exceptione summotus est AC SI NON IN EA CAUSA TABULÆ TESTAMENTI SINT, UT CONTRA EAS EMANCIPATO BONORUM POSSESSIO DARI POSSIT. Emancipato omittente bonorum possessionem, non iniquè postulabit creditor restitui sibi actionem adversùs scriptum heredem. Nam quandiù bonorum possessio contra tabulas filio dari potest, heres quodammodo debitor non est. *l.* 15. *ff. de Oblig. & act.* JULIAN. LIB. 4. DIGEST.

XVIII.

Denique generaliter statuendum est, aliam actionis causam esse, neque hanc Exceptionem competere; quum in posteriore judicio alia quæstio vertitur, quàm de quo in priori judicatum fuit.

Hoc liquebit ex specie sequenti. Habebat quis servum merci olearìæ præpositum Arelatæ, eumdem & mutuis pecuniis accipiendis: acceperat mutuam pecuniam. Putans creditor ad merces eum accepisse, egit propositâ (*g*) actione: probare non potuit mercis gratiâ eum accepisse. Licèt consumpta (*h*) est actio, nec ampliùs agere poterit quasi pecuniis quoque mutuis accipiendis esset præpositus; tamen Julianus Utilem (*i*) ei actionem competere ait. *l.* 13. *ff. de Instit. act.* ULP. LIB. 28. AD ED.

Item in specie sequenti, Quæsitum est apud Labeonem: Si, quum filius viveret, tu credens eum mortuum annali actione (*k*) egeris; &, quia annus præterierat, Exceptione sis repulsus: an rursùs experiri tibi, comperto errore, permittendum est? Et ait permitti debere, duntaxat DE peculio, non etiam DE In rem verso. Nam

(*a*) *Sed etsi* non ex aliâ successione petam; etsi adhuc ex meâ personâ petam: si in primâ petitione expressi causam ex quâ peterem, putà quòd *inofficiosum testamentum* dicerem ex quo scriptus heres esset possessor; & succubui, quia hæc querela cognatis non competit: adhuc possum ex aliâ causâ petere, putà quod non jure factum sit testamentum.

(*b*) Ideò non summovetur exceptione; quia hanc partem adeptus est ex novâ causâ quæ post prius judicium emersit, scilicet ex jure accrescendi. Hæc autem pars ipsi accrevit, quamvis jam nullam usufructûs portionem haberet, utpotè qui priore judicio suâ parte excidisset: *quia* [inquit] *ususfructûs non portioni, sed personæ* collegatarii *accrescit*; etiamsi collegatarius superstes suam portionem amiserit. In quâ re usufructus, circa jus accrescendi, à proprietate differt: ut vid. suprà lib. 7. Tit. *de Usufr. adcresc.* N. fin.

(*c*) Magis enim captivitas jus dominii mei intermisit, quàm novum dominium mihi acquisitum videtur.

(*d*) Putà quia interim ex eâ causâ emptionis mihi à domino tradita est; & posteà, cùm possessione excidissem, eam petii, & succubui.

(*e*) Creditor hereditarius.

(*f*) Nam ex hâc causâ submotus est, quòd testamentum in eâ causâ esset ut contrà illud Bonorum possessio peti posset. Hæc autem causa posteà cessavit, filio omittente hanc possessionem.

(*g*) *Propositâ* ad hoc, nempè ad negotium mercium, *actione Institoriâ.*

(*h*) Id est, licèt primâ facie videatur *consumpta actio* per Exceptionem Rei Judicatæ; quia absolutus fuit dominus *Institoriâ* actione, ex illo contractu mutui ex quo iterùm agitur.

(*i*) *Utilis* actio *Institoria* datur ex contractu ejus qui mutuis pecuniis accipiendis præpositus est. Nec elidetur per Exceptionem: quia in priori judicio alia quæstio versa est, scilicet an in mercem olearìam accepisset; hîc autem tantùm quæritur, an in mutuum.

(*k*) *De peculio*: de quâ suprà lib. 15. Tit. *Quando actio De Pecul. annal.*

Source : BIU Cujas

priore judicio, De in rem verso rectè actum (*a*) est; quia annua exceptio, ad peculium, non ad In rem versum pertinet. *l.* 1. § 10. *ff. Quando de pecul. act.* ULP. LIB. 29. AD ED.

Quod statuimus, liquebit etiam ex specie sequenti. Si inter me & te controversia de hereditate sit, & quasdam res ex eâdem tu possides, quasdam ego; nihil vetat & me à te, & invicem te à me hereditatem petere. Quòd si post Rem Judicatam à me petere cœperis; interest, utrùm meam esse hereditatem pronuntiatum sit, an contrà. Si meam esse, nocebit tibi Rei Judicatæ Exceptio: quia eo ipso quo meam esse pronuntiatum est, ex diverso pronuntiatum videtur tuam non esse. Si verò meam non esse, nihil de tuo jure judicatum intelligitur; quia potest nec mea hereditas esse, nec tua. *l.* 15. GAIUS LIB. 30. AD ED. PROVIND.

Evidenter enim iniquissimum est, proficere Rei Judicatæ Exceptionem ei contra quem judicatum est. *l.* 16. JULIAN. LIB. 51. DIGEST.

Simili ratione nititur quod definitur in specie sequenti, quam Paulus refert ita sibi propositam. « Latinus-Largus: » Quum de hereditate inter Mævium ad quem perti- » nebat, & Titium qui controversiam moverat; transi- » geretur; traditio rerum hereditariarum Mævio heredi, » à Titio facta est. In quâ traditione etiam fundum ei » suum proprium, quem ante multos annos avo ejusdem » Mævii heredis obligaverat, quem-que alii postea in » obligationem deduxerat, ex causâ pacti tradidit. His » gestis posterior Titii creditor jus suum persecutus (*b*) » est, & obtinuit (*c*): post hoc judicium Mævius heres » reperit in rebus avitis chirographum ejusdem Titii, » ante multos annos conscriptum; per quod apparuit » eum fundum qui in causam transactionis venerat, » etiam avo suo ab eodem Titio fuisse obligatum. Cùm » ergo constet, priùs avo Mævii heredis in obligationem » eumdem fundum datum, de quo Mævius superatus » est; quæro an jus avi sui, quod tunc quum de eodem » fundo ageretur ignorabat, nullâ Exceptione opposità, » exsequi possit? » Respondi; Si de proprietate fundi litigatur, & secundùm actorem pronuntiatum fuisse diceremus; petenti ei qui in priore judicio victus est, obstaturam Rei Judicatæ Exceptionem: quoniam de ejus quoque jure quæsitum videtur, quum actor petitionem (*d*) implet. Quòd si possessor absolutus, amissâ possessione eumdem ab eodem qui priùs non obtinuit, peteret; non obesset ei Exceptio: nihil enim in suo judicio de jure ejus statutum (*e*) videretur. Cùm autem (*f*) Pignoratitiâ actum est adversùs priorem creditorem; potest fieri, ut de jure possessoris non sit quæsitum: quia non, ut in proprietatis quæstione, quod meum est, alterius non est, ita in obligatione utique consequens est, ut non sit alii obligatum, quod hic probavit sibi teneri. Et probabiliùs dicitur, non obstare Exceptionem: quoniam de jure possessoris quæsitum non est, sed de solâ obligatione. (In propositâ autem quæstione magis me (*g*) illud movet, numquid pignoris jus extinctum sit dominio adquisito (*h*)? neque enim potest pignus perseverare, domino constituto creditore. Actio tamen pignoratitia competit: verum est enim, & pignori datum, & satisfactum (*i*) non esse). Quare puto non obstare (*k*) Rei Judicatæ Exceptionem. *l.* 30. § 1. PAUL. LIB. 14. QUÆST.

Secùs esset; si in priori judicio excepisset Mævius, rem avo suo priùs obligatam esse.

Ita docet Marcellus. Quidam Duobus, diversis temporibus, eamdem rem pignori dedit: egit posterior cum priore, Pignoratitiâ, & obtinuit; mox ille agere simili actione instituit. Quæsitum est an Exceptio Rei Judicatæ obstaret? Si opposuerat exceptionem rei sibi ante pignoratæ, & nihil aliud novum & validum adjecerit; sine dubio obstabit. Eamdem enim quæstionem revocat in judicium. *l.* 19. MARCELL. LIB. 19. DIGEST.

§ III.

Oportet ut inter easdem personas lis renovetur.

XIX.

Exceptionem Rei Judicatæ ita competere si inter easdem personas lis renovetur, patet ex sequenti Rescripto Antonini. Pro portione tuâ quâ domum ad te pertinere dicis, si judicatum non est, actionem dirigere potes. Nam Exceptio Rei Judicatæ, ei demùm obstat, vel successoribus ejus, inter quos cognitum super eâ re & pronuntiatum est. *l.* 2. *Cod. de Exceptionib.*

Hinc Ulpianus. Cùm Res inter alios Judicatæ nullum aliis præjudicium faciant; ex eo testamento ubi libertas data est vel legatum (*l*), agi potest; licèt ruptum, vel irritum, aut non justum dicatur testamentum. Nec si separatus (*m*) fuerit legatarius, præjudicium libertati fit. *l.* 1. ULP. LIB. 2. AD ED.

Item Papinianus: Plures ejusdem pecuniæ credendæ mandatores, si unus judicio eligatur, absolutione quoque secutâ non liberantur; sed omnes liberantur pecuniâ solutâ. *l.* 52. § 3. *ff. de Fidejuss. & mand.* PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

Hinc etiam: Si cum uno herede DEPOSITI actum sit, tamen & cum cæteris heredibus rectè agetur; nec Exceptio Rei Judicatæ eis proderit. Nam etsi eadem quæstio in omnibus judiciis vertitur; tamen personarum mutatio, cum quibus singulis suo nomine agitur, aliam atque aliam rem facit. *l.* 22. PAUL. LIB. 31. AD ED.

Etsi autem regulariter Res cum uno ex heredibus Judicata coheredi objici non possit; aliquid tamen singulare circa libertatem observat Ulpianus. Ita ille: Judicatæ quidem Rei præscriptio (*n*) coheredi qui non litigavit, obstare non potest (*o*); nec in (*p*) servitutem videtur peti post rem pro libertate judicatam, nondum ex causâ fideicommissi manumissus. Sed Prætoris oportet (*q*) in eâ re Sententiam servari, quam pro parte victi præstare non potest. Nam (*r*) & quum alterum ex coheredibus inofficiosi quæstio tenuit, aut etiam duobus separatim

(*a*) Circa id quod *In rem versum* dicitur, quæstio prioris judicii non hæc fuit an annus præterierit necne; si quidem De in rem verso, in perpetuum actio licèt post mortem filii competit. Igitur hæc quæstio duntaxat esse potuit, an fuerit versum necne: non potest igitur hæc quæstio renovari in posteriore judicio quo creditor agit.

(*b*) Adversùs Mævium ejus fundi possessorem.

(*c*) Nec enim excepit Mævius de priore pignore quod ignorabat.

(*d*) In REI VINDICATIONIS *judicio, quum* ACTOR *petitionem suam implet*, & pronuntiatur rem actoris esse; videtur etiam pronuntiatum de jure REI qui victus est; scilicet rem illius non esse. Si enim res actoris est, necessariò sequitur non esse rei; cùm non possit esse duorum in solidum.

(*e*) In eodem judicio REI VINDICATIONIS, quum reus absolvitur, de jure ejus nihil judicatur: non enim judicatur rem ejus esse; sed hoc tantùm, rem petitoris non esse. Igitur si amissâ posteà possessione, *In rem* egerit; remque suam dicat; non potest ei obesse aut prodesse res priùs judicata.

(*f*) Jam transit ad decisionem quæstionis propositæ.

(*g*) Hanc ipse sibi novam quæstionem super specie propositâ objicit Jurisconsultus, de quâ nihil in consultatione, & de quâ tamen majus [inquit] dubium moveri potest.

(*h*) Per confusionem. Nam res sua nemini pignori esse potest. Hæc ratio dubitandi, ut videatur in hâc specie actio non competere.

(*i*) Hæc ratio decidendi. Ad rationem autem dubitandi, respondendum per hanc regulam Juris: *Non est novum ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent; licèt ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt.* l. 85. § 1. ff. *de Rer. jur.*

(*k*) In specie superiùs expositâ.

(*l*) Ita Haloander. Florentin. *legato.*

(*m*) Id est; etsi quis legatum petens, ideò victus sit quòd judicatum fuerit, testamentum aut injustum aut ruptum esse; non tamen alter libertatem aut aliud legatum ex illo testamento sibi vindicans, Exceptione *Rei Judicatæ* reppellitur. Nec enim opponi potest, nisi quum inter easdem personas lis renovatur.

(*n*) In specie hujus legis testator reliquit duos heredes, à quibus servus libertatem sibi per fideicommissum relictam dicit. Adversùs unum egit servus, & obtinuit: nondum tamen ex causâ fideicommissi manumissus est. Quæritur an alter heres possit hunc servum sibi jure hereditario vindicare, & an noceat ipsi Res cum ipsius coherede Judicata? Papinianus primùm allegat rationes dubitandi.

(*o*) Hæc prima ratio dubitandi.

(*p*) Hæc altera ratio dubitandi.

(*q*) Neglectis rationibus dubitandi quas præmisit, decidit in contrarium quæstionem; hâc ratione quòd Prætoris Sententia, quâ adversùs unum ex heredibus præstandam esse libertatem Judicatum est, debet servari & executioni mandari. Non potest autem pro solâ parte ejus qui victus est, hæc Sententia servari; cùm libertas pro parte præstari non possit. Debet igitur ab utroque herede præstari libertas.

(*r*) Decisionem suam exemplo confirmat.

Source : BIU Cujas

agentibus alter obtinuit (*a*); libertates competere placuit. Ita tamen, ut officio judicis, indemnitati victoris futurique mantumissoris consulatur (*b*). *l.* 29. PAPINIAN. LIB. 11. RESPONS.

X X.

Jam videndum quando inter easdem personas lis renovari videatur.

Hâc in re observandum est, dominum litis, & eum qui ipsius nomine rem in judicium deducere potest, pro eâdem personâ haberi.

Hinc Ulpianus. Rei Judicatæ Exceptio, tacitè continere videtur omnes personas quæ rem in judicium deducere solent. *l.* 4 ULP. LIB. 72. AD ED.

Idem ait. Hoc Jure utimur; ut, ex parte actoris, in Exceptione Rei Judicatæ, hæ personæ continerentur quæ rem in judicium deducunt: inter hos erunt procurator cui mandatum est, tutor, curator furiosi vel pupilli, actor municipum. Ex personâ autem rei, etiam defensor numerabitur: quia adversùs defensorem, qui agit (*c*) litem in judicium deducit. *l.* 11. § 7. IDEM LIB. 75. AD ED.

Contrà, si is qui rem in judicium non deduxit eo quòd mandatum non haberet, idem postea cum mandato agat; diversæ personæ videbuntur, aut saltem diversa res.

Ita enim Julianus. Si te negotiis meis obtuleris, & fundum nomine meo petieris; deinde ego hanc petitionem tuam ratam non habuero, sed mandavero tibi ut ex integro eumdem fundum peteres: Exceptio Rei Judicatæ non obstabit. Alia enim res facta est, intervenientè mandatu (*d*). Idem est; si non In rem, sed In personam actum fuerit. *l.* 25. § 2. JULIAN. LIB. 51. DIGEST.

X X I.

Hactenùs de procuratoribus, qui una cum dominis litis eademque persona esse censentur. Similiter dicendum est in Popularibus actionibus, scilicet ubi quis Populi nomine agit. Ibi enim, quamvis diversi agant, rectè notat Ulpianus: Sed si ex eâdem causâ sæpiùs agatur; cùm idem factum sit, Exceptio vulgaris Rei Judicatæ opponitur. *l.* 3. *ff. de Popular. action.* ULP. LIB. 1. AD ED.

Non dissimili ratione litem publici judicii cum alio accusatore judicatam, alius accusator adversùs eumdem de eodem crimine non poterit renovare; nisi priorem accusatorem prævaricationis priùs accusaverit.

Hinc in specie in quâ quis homicidii simul & latrocinii accusari potuit; & de homicidio tantùm, à priore qui non probavit, accusatus est; ita de secundo accusatore rescribunt Diocletianus & Maximianus: Si quis homicidii crimen existimat persequendum; secundùm Juris publici formam debebit eum qui in primordio homicidii postulaverit reum, neque probaverit, ideòque reus absolutus est, prævaricationis arguere. Id enim salubriter, statutis Principum parentûm nostrorum; Jurisque formâ præscriptum est. Vel si id non putaverit agendum; ad sequens crimen, id est pastorum (*e*) latronum-ve descendere eum coges, atque id exequi judicio tuo: cùm, si quidem id ab incusato appareat esse commissum, ob ultionem publicam obnoxius Legibus fiat. *l.* 11. *Cod. de Accusation.*

Quamvis autem regulariter non possit quis litem cum alio accusatore judicatam renovare; hoc tamen ex magnâ causâ permittitur ei qui privatum dolorem exsequitur.

Hoc docet Ulpianus. Ita ille: Hisdem criminibus quibus quis liberatus est, non debet Præses pati eumdem accusari: & ita Divus Pius Salvio-Valenti rescripsit. Sed hoc, utrùm ab eodem, an nec ab alio accusari possit, videndum est? Et putem, quoniam Res inter alios Judicatæ alii non præjudicant; si is qui nunc accusator extitit, suum dolorem persequatur, doceatque ignorasse se accusationem ab alio institutam; magnâ ex causâ admitti eum ad accusationem debere. *l.* 7. § 2. *ff. de Accusat.* ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONSUL.

Plura vide infrà lib. 48. *Tit.* de Publicis judic. *Art. penult.*

X X I I.

Quasi inter easdem personas lis quoque renovata videtur; quum is experitur cujus jus pendet à jure ejus qui priore judicio expertus est.

Hinc cùm obligatio accessoria pendeat ab obligatione principali; Si pro servo meo fidejusseris, & mecum De peculio actum (*f*) sit; si postea tecum eo nomine agatur, excipiendum est de Re Judicatâ. *l.* 21. § 4. POMP. LIB. 31. AD SABIN.

Simili ratione: Si quis hominem à filiofamilias petierit, deinde eumdem à patre petat; locum habet hæc Exceptio. *l.* 11. § 8. ULP. LIB. 75. AD ED.

Similiter, cùm jus legatariorum & cæterorum quibus aliquid testamento relictum est, pendeat à jure heredis scripti; si contra heredem scriptum, præsentem & non colludentem judicatum sit testamentum non valere, aut inofficiosum esse; Exceptio Rei Judicatæ *nocebit legatariis, & cæteris qui jus ex testamento habent: ut vid. suprà ad Titulos* de Inoff. test. *N.* 36. & de Legatis *N.* 351.

X X I I I.

Denique cuilibet successori Res cum auctore Judicata proderit vel nocebit.

Hinc Item Julianus scribit: Quum ego & tu heredes Titio extitissemus; si tu partem fundi quem totum hereditarium dicebas, à Sempronio petieris, & victus fueris; mox eamdem partem à Sempronio emero: agenti tibi mecum Familiæ erciscundæ, Exceptio obstabit QUIA Res Judicata sit inter te & venditorem meum. Nam (*g*) & si à te eamdem partem petiissem, & agerem Familiæ erciscundæ; obstaret Exceptio QUOD Res Judicata sit inter me & te. *l.* 11. § 3. ULP. LIB. 75. AD ED.

Similiter Exceptio Rei Judicatæ nocebit ei qui in dominium successit ejus qui judicio expertus est. *l.* 28. PAPIN. LIB. 28. QUÆST.

Undè Si egero cum vicino Aquæ pluviæ arcendæ, deinde alteruter nostrûm prædium vendiderit, & emptor agat, vel cum eo agatur; hæc Exceptio nocet. *sup. d. l.* 11. § 9.

Obiter nota. Sed de eo opere, quod jam erat factum quum judicium acciperetur. *d.* § 9. ¶ *sed de.*

X X I V.

Quod diximus Exceptionem Rei Judicatæ quæ auctori noceret, obesse ejus successori; ita obtinet, si successit postquàm contra auctorem judicatum est: secùs, si jam ante successerat.

Hinc Ulpianus. Item si rem quam à te petierat Titius, pignori Seio dederit; deinde Seius Pignoratitiâ adversùs te utatur: distinguendum erit, quando pignori dederit Titius. Et si quidem antequàm peteret, non oportet ei nocere. Exceptionem: nam & ille petere debuit, & ego salvam habere debeo Pignoratitiam actionem. Sed si posteaquàm petiit, pignori dedit; magis est ut noceat Exceptio Rei Judicatæ. *d. l.* 11. § 10.

Similiter Papinianus. Si debitor de dominio rei quam pignori dedit, non admonito creditore, causam egerit;

(*a*) Alter victus est: & sic causa testamenti pro parte subsistit.

(*b*) Ita autem his omnibus casibus consuletur, ut pretium servi pro parte ex quâ heres est recipiat. Vide suprà lib. 5. Tit. *de inoff. testam.* N. 37.

(*c*) Actor eo casu *litem in judicium deducit*, hoc sensu; ut, si defensor fuerit absolutus, videatur ipse qui defendebatur absolutus; profitque ipsi res cum defensore judicata. Cæterùm qui sine mandato defendit, si fuerit condemnatus; ipse tenetur ex causâ *Judicati*, non is quem defendebat: nec hoc casu *litem in judicium deduxisse* videtur.

(*d*) Nam interveniente mandatu, lis mea est quam nunc in judicium deducit; & quam, cùm mandatum meum non haberet, in prius judicium deducere meo nomine non potuit.

(*e*) *Crimen* PASTORUM *latronum-ve* hîc dicitur, eo quòd Pastores latrociniis dediti esse consueverant.

(*f*) Et judicatum sit nihil à servo meo deberi.

(*g*) Mutat personas. *Nam & si* ego à te ipso eamdem partem vindicans, fuissem superatus; & posteà agerem *Familiæ erciscundæ*: certè obstaret Exceptio. Porrò, cùm à venditore tuo superatus sim, perindè est ac si à te ipso superatus fuissem.

Source : BIU Cujas

& contrariam Sententiam acceperit : creditor in locum victi succeſſiſſe non videbitur, cùm pignoris conventio Sententiam præceſſerit. *l.* 29. § 1. PAPINIAN. LIB. 11. RESPONSOR.

Hinc etiam idem ait, Si ſuperatus ſit debitor qui rem ſuam vindicabat, quòd ſuam non probaret ; æquè ſervanda erit creditori actio Serviana, probanti rem (*Florent.* res) in bonis, eo tempore quo pignus contrahebatur, illius fuiſſe. Sed & ſi victus ſit debitor vindicans hereditatem ; judex actionis Servianæ, neglectâ de hereditate dictâ Sententiâ, pignoris cauſam inſpicere debebit. Atquin aliud in legatis & libertatibus dictum eſt ; quàm ſecundùm eum qui legitimam hereditatem vindicabat, Sententia dicta eſt. Sed creditor non benè legatariis per omnia comparatur ; cùm legata quidem aliter valere non poſſunt, quàm ſi teſtamentum ratum eſſe conſtaret : enimverò (*a*) fieri poteſt, ut & pignus rectè ſit acceptum, nec tamen ab eo lis benè inſtituta. *l.* 3. *ff. de Pign. & hypoth.* PAPIN. LIB. 20. QUÆST.

Hoc à fortiori locum habebit, ſi debitorem dolo aut culpâ ſuâ ſuperatum appareret. Hinc Antoninus : Præſes provinciæ Vir Clariſſimus, jus pignoris tui exſequentem te audiet : nec tibi oberit Sententia adversùs debitorem tuum dicta, ſi eum colluſiſſe cum adverſario tuo, aut (ut dicis) non causâ cognitâ, ſed præſcriptione ſuperatum eſſe conſtiterit. *l.* 5. *Cod. de Pign. & hypoth.*

Secùs foret, ſi pignus conſtituiſſet debitor poſtquàm contra ipſum judicatum eſt : ut docet ſupràdictus idem Papinianus. Per injuriam victus apud judicium, rem quam petierat, poſtea pignori obligavit. Non plus habere creditor poteſt, quàm (*b*) habet qui pignus dedit. Ergo ſummovebitur Rei Judicatæ Exceptione ; tametſi maximè nullam propriam, qui vicit, actionem exercere poſſit. Non enim quid ille non habuit ; ſed quid in eâ re quæ pignori data eſt, debitor habuerit ; conſiderandum eſt. *ſup. d. l.* 3. § 1. *ff. de Pign. & hypoth.*

XXV.

Succeſſori quidem prodeſt & nocet, Res cum auctore Judicata.

Contrà vice versâ obtinet. Enimverò Julianus ſcribit ; Exceptionem Rei Judicatæ à perſonâ auctoris ad emptorem tranſire ſolere : retrò autem ab emptore ad auctorem reverti non debere. Quare ſi hereditariam rem vendideris ; ego eamdem ab emptore petiero, & vicero : petenti tibi non opponam Exceptionem, AT SI EA RES JUDICATA NON SIT inter me & eum cui vendidiſti. *l.* 9. § 2. ULP. LIB. 75. AD ED.

Item ſi victus fuero, tu adversùs me Exceptionem non habebis. *l.* 10. JULIAN. LIB. 51. DIGEST.

XXVI.

Lis etiam quaſi inter eaſdem perſonas renovari videtur ; ſi cum uno ex pluribus, quibus aliquod jus individuum (putà ſervitus) debebatur, aut qui eam debebant, Res ſit Judicata ; & cæteri litem inſtaurare vellent. Sed ſuccurritur ipſis per actionem DE DOLO, *ſi colluſum eſt.*

Hinc Marcianus : Si de communi ſervitute quis benè quidem deberi intendit, ſed aliquo modo litem perdidit culpâ ſuâ ; non eſt æquum, hoc cæteris damno eſſe : ſed ſi per colluſionem ceſſit litem adverſario, cæteris dandam eſſe actionem De Dolo (*c*) Celſus ſcripſit ; idque ait Sabino placuiſſe. *l.* 19. *ff. Si ſervit. vindic.* MARCIAN. LIB. 5. REGULAR.

XXVII.

Vidimus litem interdum quaſi inter eaſdem perſonas renovatam videri ; quamvis non ipſe qui priori judicio litigaverat, litiget.

Contrà vice versâ, interdum videbitur inter alias perſonas renovari, quamvis ille ipſe ſit ; ſcilicet ſi diverſo nomine experiatur. Ita enim Modeſtinus reſpondit : Res inter alios Judicata aliis non obeſt. Nec ſi is contra quem judicatum eſt, heres extiterit ei contra quem nihil pronuntiatum eſt ; hereditariam ei litem inferenti præſcribi ex eâ Sententiâ poſſe, quam proprio nomine diſceptans, antequàm heres extiterit, excepit. *l.* 10. *ff. de Except. & præſcript.* MODEST. LIB. 12. RESPONS.

Quòd ſi illi ipſi qui agit Res Judicata non nocet, alio poſtea nomine agenti ; multò magis non nocet ei qui ipſe non egit, ſed agenti Advocationem præſtitit.

Hinc Ulpianus. Inter officium Advocationis, & rei ſuæ defenſionem, multùm intereſt : nec proptera quis, (ſi poſteà cognoverit rem ad ſe pertinere) quòd alii eam vindicanti tunc ignorans ſuam eſſe adſiſtebat, dominium ſuum amiſit. *l.* 54. *ff. de Rei vindic.* ULPIAN. LIB. 6. OPINIONUM.

§ IV.

An præter ſupràdicta requiratur, eodem actionis genere agi, & in priori actione omnia ad tuitionem cauſæ neceſſaria allegata fuiſſe, ut Exceptio Rei Judicatæ *competere poſſit.*

XXVIII.

Ut præſcriptioni Rei Judicatæ locus ſit, modò cætera quæ requiri diximus concurrant, de cætero non requiritur eodem actionis genere aliquem experiri quo actum antea fuerat.

Undè Ulpianus. De eâdem re agere videtur, & qui non eâdem actione agat quâ ab initio agebat ; ſed etiamſi aliâ experiatur, de eâdem tamen re. Ut putà ſi quis Mandati acturus, quum ei adverſarius Judicio ſiſtendi causâ promiſiſſet, propter eamdem rem agat Negotiorum geſtorum, vel condicat (*d*) ; de eâdem re agit. Rectèque ita definietur ; Eum demùm de re non agere, qui prorsùs rem ipſam non perſequitur. Cæterùm quum quis actionem mutat & experitur ; dummodò de eâdem re experiatur, etſi diverſo genere actionis quam inſtituit, videtur de eâ re agere. *l.* 5. ULP. LIB. 74. AD ED.

Aliud hujuſce rei exemplum affert Julianus. Eſt in poteſtate emptoris, intrà ſex menſes Redhibitoriâ agere mallet ; an eâ quæ datur, QUANTI-MINORIS homo quum væniret fuerit (*e*). Nam poſterior actio etiam redhibitionem continet ; ſi tale vitium in homine eſt, ut eum ob id actor empturus non fuerit. Quare verè dicetur, eum qui alterutrâ earum egerit, ſi alterâ poſtea agat, Rei Judicatæ Exceptione ſummoveri. *l.* 25. § 1. JULIAN. LIB. 51. DIGEST.

Idem Julianus libro tertio Digeſtorum reſpondit ; Exceptionem Rei Judicatæ obſtare, quoties eadem quæſtio inter eaſdem perſonas revocatur. Et ideò, & ſi ſingulis rebus petitis hereditatem petat, vel contrà (*f*) ; Exceptione ſummovebitur. *l.* 3. ULP. LIB. 15. AD ED.

Et generaliter (ut Julianus definit) Exceptio Rei Judicatæ obſtat, quoties inter eaſdem perſonas eadem

(*a*) Id eſt, contrà *verò*. Senſus eſt : Legatorum jus pendet ex jure teſtamenti ; unde, ſi Sententiâ contra teſtamentum dictâ teſtamentum corruat, neceſſe eſt legata corruere. Verùm pignus quod ſemel rectè conſtitutum eſt, non pendet poſteà ex jure domini qui pignus conſtituit : etſi enim dominium amiſerit, putà rem alienando, jus pignoris durat. Ergo Sententia quæ adversùs dominum lata eſt, non debet nocere creditori cui ſemel ritè quæſitum eſt jus pignoris.

(*b*) Nemo plus juris transferre poteſt quàm ipſe habet. Porrò, quum ille victus fuit, dominium quod habebat, cœpit eſſe inefficax, & tale ut per *Rei Judicatæ* Exceptionem excludi poſſet : non potuit igitur rem poſteà pignori dando, tribuere creditori jus quod foret efficacius ; & quod per eamdem Exceptionem excludi non poſſet.

(*c*) Id eſt [juxta illam ex variis Gloſſæ interpretationibus quæ magis placet, actionem priſtinam ; in quâ adversùs Exceptionem *Rei Judicatæ*, replicabitur *De dolo.*

(*d*) *Negotiorum geſtorum* actio, & *Condictio certi*, ſæpè concurrunt cum actione *Mandati*. Putà ſi quis mihi decem debeat actione *Mandati*, poſſum hæc decem etiam *Condictione certi* ab eo petere ; &, ſi is poſteà negotia mea geſſerit, poſſum eadem decem ab ipſo petere actione *Negotiorum geſtorum*, eo quòd ea à ſe utpotè debitore exigere debuerit. Si cui igitur triplex hæc actio ſimul competat, & unâ ex his acturo reus promiſerit *Judicio ſiſti* ; nihilominùs tenetur judicium pati, ſi actor in Jure alterâ experiatur : quia ſemper eadem res eſt.

(*e*) Vide ſuprà lib. 21. Tit. *de Ædilit. Edicto.*

(*f*) Quamvis diverſæ judiciorum ſpecies ſint, *Petitio hereditatis*, & *Rei vindicatio.*

Source : BIU Cujas

quæſtio revocatur, vel (*a*) alio genere judicii. Et ideò ſi hereditate petitâ ſingulas res petat, vel ſingulis rebus petitis hereditatem petat; Exceptione ſummovebitur. *l.* 7. § 4. ULP. LIB. 75. AD ED.

Idem erit probandum, & ſi quis debitum petierit à debitore (*b*) hereditario, deinde hereditatem petat; vel contrà, ſi ante hereditatem petierit, & poſtea debitum petat. Nam & hîc obſtabit Exceptio. Nam quum hereditatem peto; & corpora, & actiones omnes quæ in hereditate ſunt, videntur in petitionem deduci. *d. l.* 7. § 5.

Item parte fundi petitâ, Familiæ erciſcundæ, vel Communi dividundo agit: æquè Exceptione ſummovebitur. *l.* 8. JULIAN. LIB. 51. DIGEST.

XXIX.

Denique ut hæc Exceptio utiliter opponi poſſit: non requiritur etiam, in priori actione omnia allegata & producta fuiſſe, quæ ad tuitionem cauſæ neceſſaria erant: ut vid. ſuprà lib. 42. *Tit.* de Re judic. *N.* 28. *quò remitto.*

(*a*) *Vel* pro *quamvis.*

(*b*) Et ſuccubuerit, quia judicatum eſt eum non eſſe heredem.

§ V.

An non ſolùm victor, ſed etiam victus, hâc Exceptione uti poſſit.

XXX.

Interdum uti Exceptione Rei Judicatæ poteſt, is quoque qui victus eſt; ſcilicet ne iterùm de eâdem re condemnetur, jam obiter vidimus ſuprà N. 8. *Not.*

Hoc tamen ita, niſi prior condemnatio inefficax eſſet. Alioquin, actor cujus intereſt reum ſibi efficaciter condemnari; adversùs Exceptionem Rei Judicatæ, *replicabit de Re ſecundùm ſe Judicatâ: ut in ſpecie ſequenti.* Si quis fundum quem putabat ſe poſſidere, defenderit (*c*), mox emerit; Re ſecundùm petitorem Judicatâ, an reſtituere cogatur (*d*)? Et ait Neratius; Si actori iterùm petenti objiciatur Exceptio Rei Judicatæ, replicare eum oportere de Re ſecundùm ſe Judicatâ. *l.* 9. § 1. ULP. LIB. 75. AD ED.

(*c*) Et condemnatus fuerit reſtituere; ſed inefficaciter, quia non poſſidebat nec dolo deſierat poſſidere.

(*d*) Iterùm conventus, cùm ex causâ emptionis eum poſſidere cœpiſſet.

TITULUS III.

DE DIVERSIS TEMPORALIBUS PRÆSCRIPTIONIBUS, ET DE ACCESSIONIBUS POSSESSIONUM.

VAriæ ſunt in Jure Præſcriptiones; quibus, ex lapſu certi temporis Lege definiti, actiones excluduntur aut jura extinguuntur: indè temporales dictæ.

Inter alias præcipua ea eſt, quæ dicitur LONGI TEMPORIS: *de quâ ſuprà lib.* 41. *Tit.* de Uſucapion. *Verùm infinitæ paſſim in Jure occurrunt: quarum quædam* Sex menſium, *ut in Redhibitoriâ; quædam* Anni utilis, *ut in pleriſque pœnalibus actionibus, veluti vi bonorum raptorum* (*a*)*; aliæ* Quinquennio *definiuntur, ut in querelâ Inofficioſi; aliæ* Biennio, *aut* Triennio, *aut denique vel majori vel minori ſpatio temporis, imò etiam paucorum dierum: quas omnes in decurſu (prout ſe occaſio obtulit) expoſitas, hîc recenſere nimis longum foret. Vide, ſi lubet, Tractatum Cujacii* de Præſcript. & Termin. *in quo varias illas Præſcriptiones omnes, à* MOMENTO *ad uſque* TEMPUS INFINITUM, *accuratè complexus eſt.*

Hîc nobis circa Præſcriptiones illas, unica ſupereſt quæſtio; ſcilicet, quomodo Tempus in illis computetur. Agemus deindè, de ſingulari Temporalis Præſcriptionis ſpecie quæ Non numeratæ pecuniæ *dicitur.*

Nam quod attinet ad alteram Rubricæ partem, DE ACCESSIONIBUS POSSESSIONUM; *de his egimus ſupràdict. Tit.* de Uſucap.

ARTICULUS I.

Quomodo tempus computetur in omnibus Temporalibus Præſcriptionibus in genere.

Iſtæ Præſcriptiones omnes, quæcumque illæ ſint, generaliter, aut temporis continui ſunt, aut certi numeri dierum utilium.

I.

Quum Præſcriptio eſt CONTINUI TEMPORIS; *ex quo cœpit agi poſſe, tempus Præſcriptionis continuò currit, nec ex eo deducuntur dies quibus agere quis non potuit: cæterùm non ante currit, quàm agi poſſe cœperit.*

Hinc Venuleius. Si ſervus hereditarius ſtipulatus fuerit, & fidejuſſores acceperit, poſteaque adita fuerit hereditas; dubitatur utrùm ex die interpoſitæ ſtipulationis tempus (*b*) cedat, an ex aditâ hereditate: item ſi ſervus ejus qui apud hoſtes ſit, fidejuſſores acceperit? Et Caſſius exiſtimat, Tempus ex eo computandum ex quo agi cum eis potuerit; id eſt, ex quo adeatur hereditas, aut poſtliminio dominus (*c*) revertatur. *l.* 25. *ff. de Stipul. ſervor.* VENULEIUS LIB. 12. STIPULAT.

Ita quidem obtinet, quum Lex tempus actioni præfinivit intrà quod actor poſſet experiri. Quum verò ipsâ conventione tempus præfinitum eſt, ultra quod fidejuſſor conveniri amplius non poſſet; Præſcriptio hujus temporis ſtatim currit ex quo promiſſor paratus fuit actionem excipere, quamvis nondum agi poſſet, imò quamvis nondum eſſet perſona quæ poſſet agere.

De hoc caſu accipe quod ſcribit Javolenus. Si ſervus hereditarius, aut ejus qui in hoſtium poteſtate ſit, ſatis acceperit; continuò dies ſatisdationis (*d*) cedere incipiet. Intueri enim debemus, an experiundi poteſtas fuerit adversùs eum qui obligatus eſt; non, an is agere poterit qui rem in obligationem deduxerit. Alioquin erit iniquiſſimum, ex conditione actorum, obligationes reorum extendi, per quos nihil factum erit, quominùs cum his agi poſſit. *l.* 4. JAVOLEN. LIB. 7. EPISTOLAR.

Et certè patitur quidem aliquam captionem actor, contra quem currit Præſcriptio dum nondum poteſt agere; verùm longè majorem pateretur reus, qui diutiùs quàm debuit, obligaretur.

(*a*) Actio *Injuriarum* utrùm etiam *Anno utili* finiatur, an verò annus ille ſit continuus, lis eſt inter interpretes.

(*b*) Tempus actionis ſcilicet. Fingendum eſt, alicui obligationi temporali hos fidejuſſores acceſſiſſe.

(*c*) Antea enim, non erat perſona quæ ex hâc ſtipulatione agere poſſet. Tempus autem quod Lex actori ad agendum concedit, non debet currere niſi ex quo agere poteſt.

(*d*) Id eſt; *Dies* ſatisdatione comprehenſa, & intrà quam duntaxat voluerunt obligari fidejuſſores. Ita Cujacius Obſerv. XVI 38. hanc legem accipiendam & cum ſuperiori conciliandam cenſet.

Source : BIU Cujas

Porrò QUOTIES nihil sine captione investigari potest, eligendum est quod minimùm habeat iniquitatis. *l.* 200. *ff. de Reg. Jur.* JAVOLEN. LIB. 7. EPISTOL.

II.

Jam verò quum Præscriptio est DIERUM UTILIUM ; *hi soli dies computantur, quibus actori experiundi potestas fuit.*

Et Quia tractatus de utilibus diebus frequens est ; videamus quid sit, EXPERIUNDI POTESTATEM HABERE. Et quidem inprimis exigendum est, ut sit facultas agendi ; neque sufficit reo, experiundi secum facere potestatem, vel habere eum qui se idoneè defendat; nisi actor quoque nullâ idoneâ causâ impediatur experiri. Proindè sive apud hostes sit, sive Reipublicæ causâ absit, sive in vinculis sit, aut si tempestate in loco aliquo vel in regione detineatur, ut neque experiri neque mandare possit; experiundi potestatem non habet.

Planè is qui valetudine impeditur, ut mandare possit; in eâ causâ est ut experiundi habeat potestatem.

Illud utique neminem fugit, experiundi potestatem non habere eum qui Prætoris copiam non habuit. Proindè hi dies cedunt, quibus Jus Prætor reddit. *l.* 1. ULP. LIB. 74. AD ED.

III.

Circa rationem computandi Temporis, venit & quæstio de intercalari die.

Putà In tempore constituto judicatis, an intercalaris dies proficere judicato necne debeat, quæritur ? Item de Tempore quo lis perit ? Sic sine dubio existimandum est, ut auctum litis tempus intercalari die existimetur. Veluti si de usucapione sit quæstio, quæ tempore constituto expleri solet ; aut de actionibus quæ certo Tempore finiuntur, ut Ædilitiæ pleræque actiones ; & si quis fundum eâ lege vendiderit, ut nisi in diebus triginta pretium esset solutum, inemptus esset fundus : dies intercalaris proficiet tempori (*Aliàs* emptori). Mihi contrà (*a*) videtur. *l.* 2. MARCELL. LIB. 6. DIGEST.

ARTICULUS II.

De singulari specie Exceptionis Temporalis, quæ dicitur Non numeratæ pecuniæ.

IV.

Qui pecuniam creditam accepturus, spopondit creditori futuro ; in potestate habet ne, accipiendo, se ei obstringat. *l.* 30. *ff. de Reb. credit.* PAUL. LIB. 5. AD PLAUT.

Ex hâc igitur sponsione licèt purè conceptâ nondum obligatur quis, nisi pecuniam acceperit. Sed & Si quasi accepturi mutuam pecuniam adversario cavistis, quæ numerata non est ; per Condictionem, obligationem repetere (etsi actor non petat), vel Exceptione Non numeratæ pecuniæ adversùs agentem uti potestis. *l.* 7. *Cod. de Non numer. pecun.* ALEXANDER.

Hæc Exceptio NON NUMERATÆ PECUNIÆ, *introducta fuit odio improborum fœneratorum, qui ab egentibus mutuam sibi pecuniam dari petentibus cautionem exigebant, & postea aut dare nolebant, aut non quantam promiserant. Et est in eâ aliquid proprium & singulare, de quo latiùs tractandum.*

§ I.

Quando huic Exceptioni locus sit.

V.

De hoc ita Alexander rescribit : Adversùs petitiones adversarii, si quid juris habes, uti eo potes. Ignorare autem non debes, Non NUMERATÆ PECUNIÆ Exceptionem ibi locum habere, ubi quasi credita pecunia petitur.

Quum autem ex præcedente causâ debiti, in chirographum quantitas redigitur ; non requiritur, an tunc quum cavebatur numerata sit, sed an justa causa debiti præcesserit. *l.* 5. *Cod. de Non numer. pecun.*

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si transactionis causâ dare Palladio pecuniam stipulanti spopondisti, Exceptione Non numeratæ pecuniæ defendi non potes. *l.* 11. *Cod. d. tit.*

Hinc & Antoninus. Frustrà opinaris exceptione Non numeratæ pecuniæ te esse munitum ; quando (ut fateris) in ejus vicem qui erat obligatus, substitueris te debitorem. *l.* 6. *Cod. d. tit.*

VI.

Sed & quum quasi credita pecunia petitur : non ideò quis Exceptionem Non numeratæ pecuniæ *opponere potest, quòd sibi numerata non sit pecunia ; si ei numerata est, pro quo ipse intercessit.*

Hinc Diocletianus & Maximianus. Propter mutuam uni datam pecuniam, aliis reis promittendi factis ; ob Non numeratam sibi pecuniam obligationem remitti, desiderio postulantium Jura refragantur. *l.* 4. *Cod. de Duob. reis stipul. & promitt.*

Quòd Si non singuli in solidum acceptâ mutuâ quantitate, vel stipulanti creditori sponte vos obligastis (licèt uni numerata sit pecunia) ; vel (*b*) intercessionis nomine hanc pro reo suscepistis obligationem : frustrà veremini ne ejus pecuniæ nomine vos convenire possit, quam alii mutuo dedit ; si intra præstitutum tempus, rei gestæ quæstionem detulistis. Ac multò magis inanem timorem geritis ; si pecunia numerata, oleum susceptum instrumento sit collatum : cùm, si reddendi stipulatio nulla subjecta est, & hujus rei est habita solemnis contestatio ; in suo statu remanente eo quod verè factum intercessit, ex olei accepti scripturâ nihil deberi manifestum est. *l.* 5. *Cod. Si cert. petatur* DIOCLET. ET MAXIM.

VII.

Non solùm de totâ pecuniâ, sed & de ejus parte non numeratâ, hæc Exceptio opponi potest

Hinc Antoninus. Minorem pecuniam te accepisse, & majorem cautionem interposuisse, si apud eum qui super eâ re cogniturus est, constiterit ; nihil ultrà quàm accepisti, cum usuris in stipulatum deductis restituere te jubebit. *l.* 2. *Cod. de Non numer. pecun.*

Consonat quod rescribunt Diocletianus & Maximianus. Cùm ultrà hoc quod accepit, re obligari neminem posse constet ; &, si stipulatione interpositâ placita creditor non dederit, In factum esse dandam exceptionem convenit : si necdum tempus intrà quod hujus rei querela deferri debet, transiit ; vel si intrà hoc, in testando, Juri paritum sit ; nihil ultra hoc quod accepisti, sortis à te nomine aditus Rector vel Præses provinciæ exigi patietur. *l.* 9. *Cod. d. tit.*

VIII.

Hactenùs de creditæ pecuniæ cautione.

Solet etiam hæc Exceptio opponi adversùs cautionem dotis. Hinc Severus & Antoninus. Dotem numeratio, non scriptura dotalis instrumenti facit. Et ideò non ignoras ita demùm te ad petitionem dotis admitti posse, si dotem à te reipsâ datam probatura es. *l.* 1. *Cod. de Dot. caut. non numer.*

Hoc confirmavit Justinianus : voluitque hanc Exceptionem, tam marito & heredibus ejus, quàm socero & cuilibet qui simul cum marito dotem à se susceptam scripsisset, competere contra uxorem heredes-ve ejus. l. 14. Cod. d. tit.

Si tamen donandi animo hoc scripsisset maritus, & in

(*a*) Scilicet ut in hoc solo novissimo casu legis commissoriæ, non proficiat Intercalaris dies. Differt enim Præscriptio legis commissoriæ à superioribus, in eo quòd sit conventionalis & certi dierum numeri : conventionales autem Præscriptiones, strictiorem interpretationem recipiunt, quàm legales. Vide Cujac in Not. ad h. l. & Tract. *de Præscript.* cap. 3°.

(*b*) Hic supplenda negatio ex principio legis, *vel non.*

Source : BIU Cujas

eâ voluntate deceſſiſſet ; Exceptio non poſſet opponi. Hinc Alexander. Quod de ſuo maritus conſtante matrimonio, donandi animo in dotem adſcripſit ; ſi eamdem donationem legitimè confectam non revocavit, qui incrementum doti dedit, & durante matrimonio mortem obiit (*a*) : ab heredibus mariti, quatenùs liberalitas interpoſita munita eſt, peti poteſt. *l.* 2. *Cod. de Dot. caut. non numer.*

Item ſi, præter inſtrumenta dotis, ſit etiam apocha quâ vir dotem ſibi numeratam confiteatur ; Exceptionem Non *numeratæ pecuniæ excludi decrevit Juſtinianus. l.* 14. *Cod.* de Non numer. pecun.

I X.

Adversùs inſtrumenta depoſitionis pecuniæ aliarum-ve rerum, & adversùs ſecuritates publicarum functionum (*b*), *hanc Exceptiouem non admitti decrevit idem Juſtinianus :* d. l. 14. § 1. Cod. d. tit.

Non poteſt etiam opponi hæc Exceptio Argentariis. Sed duntaxat poteſt ipſis deferri jusjurandum, intrà tempus huic Exceptioni ſtatutum : Novell. CXXXVI. Cap. penult. & ult.

§ II.

Quibus hæc Exceptio competat, & an eam probare teneantur.

X.

Tam mandatori quàm fidejuſſori Non numeratæ pecuniæ Exceptio, exemplo rei principalis, competit. *l.* 12. *Cod. d. tit.* Dioclet. et Maxim.

Quinetiam ex Conſtitutione Juſtiniani ; creditores ejus qui cautionem pecuniæ creditæ exhibuit, bona ejus detinentes, & ab eo cui cautio exhibita eſt conventi, poſſunt Non numeratæ pecuniæ *Exceptionem opponere : & res ſuper eâ re judicata, ipſi debitori non nocebit.* l. 15. Cod. d. tit.

X I.

In eâ Exceptione hoc ſingulare eſt ; ut onus probandi, eum qui excepit non ſequatur, ſed actorem adversùs quem excipitur.

Hinc Antoninus. Si ex cautione tuâ (licèt hypothecâ datâ) conveniri cœperis ; Exceptione oppoſitâ ſeu Doli, ſeu Non numeratæ pecuniæ, compellitur petitor probare pecuniam tibi eſſe numeratam : quo non impleto, abſolutio (*c*) ſequetur. *l.* 3. *Cod. de Non numer. pecun.*

§ III.

Quando hæc Exceptio ceſſet.

X II.

Exceptio Non numeratæ pecuniæ *ceſſat, quum quis jam cœpit ſolvere quod in cautione continetur.*

Hinc Antoninus. Cùm fidem cautionis agnoſcens, etiam ſolutionem portionis debiti vel uſurarum feceris ; intelligis te de Non numeratâ pecuniâ nimiùm tardè querelam deferre. *l.* 4. *Cod. de Non nume. pecun.*

X III.

Item ceſſat lapſu temporis Lege ſtatuti ad hanc querelam proponendam.

Et quidem Si intrà Legibus definitum tempus, qui cautionem expoſuit, nullâ querimoniâ uſus, defunctus eſt ; reſiduum tempus ejus heres habebit, tam adversùs creditorem, quàm adversùs ejus heredem.

Sin autem queſtus eſt ; Exceptio Non numeratæ pecuniæ, heredi & adversùs heredem ejus perpetuò competit.

Sin verò legitimum tempus exceſſit, in querimoniâ creditore minimè deducto omnimodo heres ejus, etiamſi pupillus ſit, debitum ſolvere compellitur. *l.* 8. *Cod. d. tit.*

Hoc tempus antiquo Jure, fuit anni : deinde quinquennii, ex Conſtitutione (*ut probabile eſt*) *Diocletiani aut Maximiani. Ita enim reſcribit ex Syrmib Imperator quidam Aurelius* (*d*) *:* Exceptionem Non numeratæ pecuniæ, non anni, ſed quinquennii ſpatio deficere nuper cenſuimus. *l.* 1. *de Caut. & non numer. pecun.* Cod. Hermog.

Juſtinianus intrà biennium eam concluſit. l. 14. *Cod.* de Non num. pec.

Ex Conſtitutione ejuſdem Juſtiniani ; hæc Exceptio adversùs cautionem dotis, intrà annum continuum à ſoluto matrimonio competit. l. 3. *Cod,* de Dot. caut. non numer.

Ex Novellâ centeſimâ, ſi ultra biennium conſtiterit matrimonium, intra tres menſes duntaxat competit. Si decennium tranſierit, nec vir querelam de dote non numeratâ in judicio intra hoc decennium conteſtatus ſit ; hæc Exceptio omninò ceſſat.

Quòd ſi minor annis fuerit maritus ; adversùs omiſſam intrà decennium Non numeratæ pecuniæ *querelam, reſtitui poterit : ſed non ultra duodecim annos à die nuptiarum. At ſi Majori aut Minori ante decennii lapſum mortuo, Minor ſucceſſerit ; non ultrà quinquennium à die mortis patris, quantùmvis in minori ætate conſtitutus ſit, auditur. d. Novell. C. Cap.* 2. § 1.

Adversùs cæteras cautiones, hæc Exceptio intrà triginta dies duntaxat competere poteſt. l. 14. § 2. *Cod.* de Non numer. pecun.

X IV.

Obſervandum ſupereſt ; non poſſe quidem objici Exceptionem Non numeratæ pecuniæ *poſt tempus Lege ſtatutum : ſed poteſt quis quandocumque allegare ſolviſſe ; &, ſi ſolutum probaverit, abſolvetur.*

Hinc Diocletianus & Maximianus. Adſeveratio debitum ſolutum contendentis, temporis diuturnitate non excluditur. Nec huic obloquitur, quòd Exceptio Non numeratæ pecuniæ certâ die, non delatâ querelâ priùs, evaneſcat ; cùm inter eum qui factum adſeverans, onus ſubiit probationis ; & negantem numerationem (cujus naturali ratione probatio nulla eſt), & ob hoc ad petitorem ejus rei neceſſitatem transferentem, magna ſit differentia. *l.* 10. *Cod. d. tit.*

§ IV.

Quæ ſit pœna ejus qui perperàm hanc Exceptionem oppoſuit.

X V.

Ex Novellâ XVIII qui adversùs ſyngrapham (ſon billet) *perperàm inficiatus eſt numeratam ſibi pecuniam eſſe ; actori, poſtquàm hoc probaverit, damnari debet in duplum : aut ſi reus ſe ſolviſſe probaret, debet cadere ſoluto. Huic autem pœnæ locus eſt, quum actor probavit ; non quum reo ipſi jusjurandum deferente, juravit ſe numeraſſe pecuniam. Si tutor pupilli nomine inficiatus ſit ; ipſe, non pupillus, pœnæ erit obnoxius.* Cap. 8. & 9.

(*a*) Donatio conſtante matrimonio inter conjuges facta, morte donatoris in eâdem voluntate perſeverantis confirmatur : ut vid. ſuprà lib. 24. Tit. *de Donat. inter. vir. & ux.*

(*b*) *Les Quittances des Tributs & autres impoſitions publiques.* Publicani qui eas dederunt, ampliùs non poſſunt excipere de Non numeratâ ſibi pecuniâ quæ in Apochis continetur. Vide & l. fin. Cod. *de Apoch. public.*

(*c*) Ratio eſt ; quia in hâc Exceptione, is qui eâ utitur, nihil affirmat, ſed duntaxat negat. Porrò negantis nulla eſt probatio ; ſed ei qui affirmat, incumbit probandi onus : ſuprà lib. 22. Tit. *de Probationib.* N. 1 & 2.

(*d*) Schultingius cenſet hunc *Aurelium* cujus nomine hæc lex inſcribitur, fuiſſe aut Diocletianum qui C. Aurelius - *Valerius - Diocletianus* vocatur ; aut Maximianum, qui etiam M. Aurelius - *Valerius - Maximianus* vocatur. Juvat ſubſcriptio legis, Syrmii ; undè plures horum Imperatorum leges ſubſcriptæ ſunt.

Source : BIU Cujas

TITULUS IV.

DE DOLI MALI, ET METUS EXCEPTIONE.

INter Exceptiones quæ jure competunt, hæ quoque præcipuum locum obtinent; imò cæteris omnibus frequentiores.

ARTICULUS I.

De Exceptione Doli mali, *& Replicatione.*

I.

Quo lucidiùs intelligi poſſit hæc Exceptio; priùs de causâ videamus quare propoſita ſit, deinde quemadmodum Dolo fiat; per quæ intelligemus quando obſtet Exceptio: deinde adversùs quas perſonas locum habeat. Noviſſimè inſpiciemus, intrà quæ tempora competit Exceptio. *l.* 1. PAUL. LIB. 71. AD ED.

II.

Ideò autem hanc Exceptionem Prætor propoſuit; ne cui Dolus ſuus, per occaſionem Juris (*a*) Civilis, contra naturalem æquitatem proſit. *d. l.* 1. § 1.

Palàm eſt autem hanc Exceptionem ex eâdem causâ propoſitam, ex quâ causâ propoſita eſt DE DOLO MALO actio. *l.* 2. ULP. LIB. 76. AD ED.

Sequitur ut videàmus in quibus cauſis locum habeat Exceptio, & quibus perſonis objiciatur. *d. l.* 2. § 1.

§ I.

Quando DOLI *Exceptio obſtet, & quemadmodum* Dolo *fiat.*

III.

Circa primam ſpeciem, quibus ex cauſis Exceptio hæc locum habeat; hæc ſunt quæ tractari poſſunt. *d. l.* 2. § 3.

Et quidem generaliter dicendum eſt, Doli Exceptionem opponi poſſe, quotieſcumque actor Dolo aliquid fecit aut facit erga reum.

Quinetiam Labeo; Etſi Ex ſtipulatu actio competat propter Doli clauſulam, tamen nocere Doli Exceptionem (*a*) ait, ſi adversùs ea (inquit) factum erit. Poſſe enim petitorem, antequàm ſtipulatio committatur, nihil Dolo malo feciſſe; & tunc facere, quum petat (*b*): propter quod, Exceptionem eſſe neceſſariam (*c*). *l.* 4. § 15. ULP. LIB. 76. AD ED.

IV.

Et quidem Dolo fit tam in contractibus, quàm in teſtamentis, quàm in Legibus. *l.* 1. § 3. PAUL. LIB. 71. AD. ED.

Sed an Dolo quid factum ſit, ex facto intelligitur. *d. l.* 1. § 2.

In teſtamentis putà ſi quid teſtamento ſibi relictum quis petat, contra voluntatem teſtatoris: ut vid. ſuprà lib. 34. *Tit.* de Adim. legat. *& Tit.* de His quæ ut indig. *In Legibus, ut quum quis tacitam fidem accomodavit reſtituendi, ei qui per Leges capere non poteſt.*

Quinetiam abſque ullo facto, ex ſolâ diſſimulatione Dolus committi poteſt: ut in ſpecie ſequenti. Apud Celſum quæritur; Si quum Titio mandaſſent creditores hereditarii ut adiret hereditatem (*d*), unus non mandaſſet decipiendi ejus causâ (mandaturus alioquin, ſi non foret hic aditurus); deinde agat (*e*): an Exceptione repellatur? Et ait Celſus, doli eum Exceptione repellendum. *ſup. d. l.* 4. *pr.*

V.

Dolo etiam quis petendo aut excipiendo committere videtur.

Hoc ex variis exemplis innoteſcet.

Prima ſpecies.

DOLO *petit qui agendo certat ut bis idem conſequatur, & cum damno alterius locupletetur.*

Enimverò BONA fides non patitur ut bis idem exigatur. *l.* 57. *ff. de Reg. Jur.* GAIUS LIB. 18. AD ED. PROVINC.

Hinc V. G. ſi commodatarius, rei culpâ ipſius ſurreptæ æſtimationem tibi præſtare condemnatus ſit; & quum poſtea tu rem à fure recepiſſes, ex causâ judicati adversùs commodatarium agas: tibi quidem actio Judicati *ſummo Jure competit; ſed Dolo facis ſi agas, & adversùs bonam fidem quæ non patitur te cùm rem habeas adhuc pretium conſequi. Quâpropter ita reſcribit Antoninus.* Rebus quidem judicatis ſtandum eſt; ſed ſi probare poteris eum cui condemnatus es, id quod furto amiſiſſe videbatur, recepiſſe; adversùs Judicati agentem, DOLI Exceptione oppoſitâ tueri te poteris. *l.* 1. *Cod. de Re judic.*

VI.

Hinc quoque Si quis pupillo ſolverit ſine tutoris auctoritate id quod debuit, exque eâ ſolutione locupletior factus ſit pupillus; rectiſſimè dicitur, Exceptionem (*f*) petentibus nocere. Nam & ſi mutuam acceperit pecuniam, vel ex quo alio contractu locupletior factus ſit; dandam eſſe Exceptionem (*g*). *l.* 4. § 4. ULP. LIB. 76. AD ED.

Quo autem tempore inſpiciatur an ſit locupletior, ita docet Paulus. In pupillo cui ſoluta eſt debita pecunia ſine tutoris auctoritate, ſi quæratur an Doli Exceptione ſummoveri debeat; illud tempus inſpicitur, an pecuniam vel ex eâ aliquid habeat, quo petit. *l.* 4. *ff. de Exception. & præſcript.* PAUL. LIB. 20. AD ED.

Porrò quod hîc de pupillo. Idem de cæteris eſt dicendum quibus non rectè ſolvitur: nam ſi facti ſint locupletiores, Exceptio locum habebit. *d. l.* 4. ¶ *idemque.*

Undè Si debitor à furioſo delegatus, creditori ejus ſolvat (*h*) quem compotem mentis eſſe exiſtimabat; & ita cum eo agatur: Exceptione Doli in id quod in rem furioſi proceſſit, defenditur. *l.* 16. HERMOGEN. LIB. 6. JURIS EPITOMAR.

Idem eſt & ſi creditori ejus numeratam pecuniam,

(*a*) Scilicet dum quis ex ſtrictâ *Juris Civilis* ratione actionem habet ad aliquid conſequendum, quod eum conſequi æquitatis ratio non patiatur.

(*b*) Ratio dubitandi eſſe poterat; quòd non datur actio *De dolo*, niſi quum omnis alia actio deficit: ut vid. ſuprà lib. 4. Tit. *de Dolo mal.* Verùm non idem obſervatur circa Exceptionem *Doli*: facilius quippè competunt Exceptiones, quàm actiones. Igitur licèt V. G. quum tranſigerem, ſtipulatus ſim ab eo cum quo tranſigebam, *Dolum malum abeſſe abfuturumque*; tamen poſſum adversùs eum agentem, ſi quid Dolo fecerit, uti Exceptione.

(*c*) Putà, ſi quid contra fidem aut mentum tranſactionis petat.

(*d*) Magis enim expedit hunc ſtatim excludere per hanc Exceptionem, quàm recurrere ad actionem *Ex ſtipulatu* ex Doli clauſulâ.

(*e*) Hoc mandatum prodeſt heredi, ne ultra vires hereditarias teneatur. Si quid enim ultra vires præſtaret; à creditoribus qui mandaverunt, ex causâ Mandati indemnis fieri deberet.

(*f*) Scilicet in hoc, ut heres ultra vires hereditatis teneatur ipſi ſolvere quod ipſi debetur.

(*g*) Summo Jure non eſt liberatus debitor, qui pupillo ſine tutoris auctoritate ſolvit; adeòque petitio debiti pupillo competit. Sed *Dolo facit* petendo, cùm ex hâc ſolutione locupletior factus ſit.

(*h*) Id eſt; replicationem adversùs Exceptionem quâ pupillus conventus excideret de non interpoſitâ tutoris auctoritate.

(*i*) *Ejus* furioſi *quem &c.*

ratam

Source : BIU Cujas

ratam creditor non (a) habeat. *l.* 6. ¶ *idem.* GAIUS LIB. 30. AD ED. PROVINC.

Simili ratione nititur quod reſcribit Antoninus. Debitores quidem hereditarii, unicuique heredum pro portione hereditariâ, antiquâ Lege (b) obligati ſunt. Sed ſi eis heredibus omnem pecuniam exolviſti, quibus nomen patris tui teſtator in diviſione adſcripſerat; Doli mali Exceptione adversùs alios agentes tueri te potes. *l.* 1. *Cod. de Exceptionib.*

VII.

Hinc etiam Contra Senatuſconſulti quoque Macedoniani Exceptionem, DE DOLO dandam replicationem (c) ambigendum non eſſe; eamque nocere debere, etiam Conſtitutionibus, & ſententiis Auctorum cavetur. *l.* 4. § 14. ULP. LIB. 76. AD. ED.

Similiter Si Minor mihi infantem donaverit, deinde eum vindicet (d); Exceptione Doli mali repellendus eſt: niſi alimenta reddat, & ſi quis alius ſumptus probabilis in eum factus (e) ſit. *d. l.* 4. § 9.

Pariter Quum vir aut uxor in areâ ſibi donatâ aliquid ædificaſſet; pleriſque placet, Doli mali Exceptione poſitâ rem ſervari poſſe. *l.* 10. MARCIAN. LIB. 3. REGUL.

Simili ratione nititur quod Paulus definit in ſpecie ſequenti. Si donavi alicui rem, nec tradidero; & ille cui donavi, non traditâ poſſeſſione, in eo loco ædificaverit me ſciente; &, quum ædificaverit, nanctus ſim ego poſſeſſionem; & petat à me rem donatam, & ego excipiam quòd ſuprà legitimum modum (f) facta eſt: an DE DOLO replicandum eſt? Dolo enim feci, qui paſſus ſum eum ædificare; & non reddo impenſas. *l.* 5. § 2. PAUL. LIB. 71. AD ED.

Eadem etiam occurrit ratio, ad adſtruendam Exceptionem Doli in ſpecie ſequenti.

Item quæritur: Si ſtatuliberum mercatus quis fuerit, juſſum decem dare (quum hoc ignoraret), & Duplam ſtipulatus fuerit, deinde decem acceperit? Evicto eo in libertatem, agere ex Duplæ ſtipulatione poteſt: ſed niſi decem, quæ implendæ conditionis causâ acceperit, deduxerit; Exceptione ſummovendus erit. Et hæc ita Julianus quoque ſcripſit. Si tamen ex re emptoris, vel ex peculio quod ad emptorem pertinebat, pecuniam dederit ſtatuliber; poteſt dici Exceptionem non nocere, quia Dolo non faceret. *l.* 2. § *fin.* ULPIAN. LIB. 76. AD ED.

Item ſi ob id (g) quòd (antequàm dominium ad me transferatur) venditori dederit decem, [&] agam Ex empto ut decem recipiam: ita puto competere mihi actionem, ſi paratus ſim ex Duplæ ſtipulatione eum liberare (h). *l.* 3. PAUL. LIB. 71. AD ED.

VIII.

Secunda ſpecies.

DOLO *facit qui petit, nec offert quod ipſe viciſſim præſtare debet.*

Hâc ratione nititur Exceptio Doli quam docet Ulpianus competere in ſpecie ſequenti. Item quæritur: Si uniones tibi pignori dedero, & convenerit ut ſolutâ pecuniâ redderentur, & hi uniones culpâ tuâ perierint, & pecuniam petas: extat Nervæ & Atilicini ſententia dicentium ita eſſe excipiendum, SI inter me & te non convenit ut ſolutâ pecuniâ uniones mihi reddantur. Sed eſt verius, Exceptionem Doli mali nocere debere. *l.* 4. § 8. ULP. LIB. 76. AD ED.

Simili ratione: Si cui legata ſit via; & is Lege Falcidiâ locum habente totam eam vindicet, non oblatâ æſtimatione quartæ partis; ſummoveri eum Doli Exceptione Marcellus ait, quoniam ſuo commodo heres conſulit (i). *l.* 5. § 1. PAUL. LIB. 71. AD ED.

IX.

Tertia ſpecies.

DOLO facit, qui petit quod redditurus eſt. *l.* 8. *hîc*; & *l.* 173. § 3. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 6. AD PLAUT.

Sic, ſi heres damnatus ſit non petere à debitore; poteſt uti Exceptione Doli mali debitor, & agere (k) Ex teſtamento. *d. l.* 8. § 1.

Ita demùm autem Dolo facit qui petit quod redditurus eſt, ſi ad hoc reddendum ſit purè obligatus.

Hinc in illâ ſpecie: Purè mihi debes decem. Ea tibi ſub conditione legavi. Interim heres ſi petat, Doli Exceptione non eſt ſummovendus; cùm poſſit etiam deficere conditio.

Itaque Legatorum ſtipulationem interponere debebit (l). Sed ſi non caveat heres, Doli Exceptione ſummovebitur. Expedit enim legatario retinere ſummam, quàm mitti in poſſeſſionem rerum hereditariarum. *l.* 5. PAUL. LIB. 71. AD ED.

X.

Quarta ſpecies.

Hæc ſuperiori affinis eſt.

DOLO *petit, qui petit ab aliquo ſibi præſtari id quod ipſe illi præſtare tenebatur.*

Habes exemplum in ſpecie ſequenti. Fundum meum obligavi; deinde alienavi tibi, ut eo nomine non obligareris (m). Si eum poſtea abs te emam, & ſatis pro evictione mihi des; [non (n) eſt] excipiendum cautione, quòd pro me obligatus ſit: quia etiam non excepto eo, agendo eo nomine contra te, Doli mali Exceptione poſſim (o) ſummoveri. *l.* 20. *ff. de Evictionib.* POMP. LIB. 10. AD SABIN.

XI.

Quinta ſpecies.

DOLO *petit, qui ex illâ ſtipulatione petit quæ nullam cauſam habet, aut cujus cauſa finita eſt aut ſecuta non eſt.*

Igitur Si quis ſine causâ ab aliquo fuerit ſtipulatus, deindè ex eâ ſtipulatione experiatur; Exceptio utique Doli mali ei nocebit. Licèt enim eo tempore quo ſtipulabatur, nihil Dolo malo admiſerit: tamen dicendum eſt, eum quum litem conteſtatur, Dolo facere;

(a) Stricto Jure non liberatus ſum à creditore meo; ſi ipſius creditori pro eo ſolvi quod ipſi debebam, & ille ratam non habeat hanc ſolutionem: ideò ſtricto Jure à me petere poteſt. Sed quia hoc petendo, cum damno meo locupletaretur, & bis idem conſequeretur; *Dolo* facit, adeòque DOLI Exceptione eum repello.

(b) Lege XII. Tabularum.

(c) Scilicet quum pecunia filiofamilias mutuo data, in rem patris verſa eſt.

(d) Reſtitutus in integrum adversùs hanc donationem.

(e) Alioquin locupletaretur cum meâ jacturâ: quod non patitur æquitas.

(f) Veſtigium Juris antiqui. Lege Cincià quæ adhuc temporibus Pauli vigebat, certus modus donationibus erat conſtitutus; nec ultrà donare licebat. Vide ſuprà lib. 39. Tit. *de Donationib.* Art. 4. §°. 2°.

(g) Species hæc legis eſt: Heres ſervum quem ſtatuliberum neſciebam, mihi vendidit. Antequàm ex causâ venditionis mihi traderetur, ſervus ille dedit venditori decem quæ dare juſſus erat ut ad libertatem perveniret. Ego decem mihi dari rectè peto, tanquam cauſam hujus ſervi mihi venditi: ſed Exceptio *Doli* competit, ſi velim hæc decem habere, nec liberare venditorem ex ſtipulatione Duplæ.

(h) Hinc colligè actionem ex hâc ſtipulatione competere, licèt res tradita non ſit.

(i) Heres accipiendo *de Dolo* in hâc ſpecie, *ſuo commodo conſulit*; id eſt, proſpicit ſibi ut accipiat quod juſtum eſt ipſum accipere: nec immeritò Dolum objicit legatario, qui petendo viam non offert quod ipſe viciſſim præſtare debet.

(k) Id eſt, nec ſolùm poteſt uti hâc Exceptione: ſed & antequàm heres agat, poteſt adversùs heredem *Ex teſtamento* agere, ut heres ipſi acceptum faciat debitum.

(l) De quâ ſuprâ lib. 39. Tit. *Ut legat. ſeu fideicom. cav.*

(m) Id eſt, eâ lege ut ex hâc fundi mei obligatione non gravareris; ſed te indemnem adversùs creditorem præſtarem.

(n) Hæc verba *non eſt*; in textu reſtituenda eſſe rectè obſervat Hotomannus: quod evidenter expoſcit contextûs ratio. Senſus eſt: quum hunc fundum mihi retrò vendis, & mihi de evictione promittis; non eſt neceſſe expreſsè excipere cauſam evictionis, ex illâ obligatione quâ ego ipſe fundum obligavi antequàm hunc tibi venderem. Nam etſi expreſsè non excipiatur, tamen ex hâc evictionis causâ non teneberis.

(o) Dolo enim facerem, petendo ut ex hâc causâ evictionem præſtaret mihi; cùm ipſe ex priore contractu hanc ipſam evictionem præſtare tibi debeam.

Source : BIU Cujas

qui perſeveret ex eâ ſtipulatione petere. Etſi quum interponeretur, juſtam cauſam habuit; tamen nunc nullam idoneam cauſam habere videtur. Proindè & ſi crediturus pecuniam ſtipulatus eſt, nec credidit, etſi certa fuit cauſa ſtipulationis, quæ tamen aut non eſt ſecuta, aut finita eſt; dicendum erit nocere Exceptionem. *l.* 2. § 3. ¶ *ſi quis.* ULP. LIB. 76. AD ED.

Hâc ratione quòd cauſa finita ſit, nititur quod Julianus ſcripſit: Si quis cùm æger eſſet, centum aureos uxoris ſuæ conſobrino ſpopondiſſet, volens ſcilicet eam pecuniam ad mulierem pervenire; deinde convaluerit; an Exceptione uti poſſit, ſi conveniatur? Et refert Labeoni placuiſſe, Doli mali uti (*a*) eum poſſe. *l.* 4. § 1. IBIDEM.

De caſu autem quo nec veram cauſam habet ſtipulatio, Idem Julianus ait; Si ei quem creditorem tuum putabas, juſſu tuo pecuniam quam me tibi debere exiſtimabam, promiſero; petentem Doli mali Exceptione ſummoveri debere: & ampliùs, agendo cum ſtipulatore, conſequar ut mihi acceptam faciat ſtipulationem. Et habet hæc ſententia Juliani humanitatem; ut etiam adversùs hunc utar Exceptione, & Condictione, cui ſum obligatus. *l.* 7. § 1. ULPIAN. LIB. 76. AD ED.

Simili ratione nititur quod definit Scævola in ſpecie ſequenti.

Pater pro filiâ dotem promiſerat; & pactus erat ut ipſe aleret filiam ſuam, ejuſque omnes. Idem homo ruſticanus, genero ſcripſit quaſi (*b*) uſuras præteritas ex Dotis promiſſione. Quæſitum eſt, cùm ipſe filiam ſuam exhibuerit, & maritus nullam impenſam fecerit; an ex ſtipulatu agenti genero Exceptio obſtare debeat? Reſpondit; Si (ut proponatur) pater quum exhiberet, per errorem promiſiſſet, locum fore Doli mali Exceptioni. *l.* 17. SCÆVOLA LIB. 27. DIGEST.

XII.

Sexta ſpecies.

DOLO *petit, qui contra fidem pacti aliquid petit.*

Hoc docet Ulpianus. Item quæritur: Si quis purè ſtipulatus ſit certam quantitatem, quia hoc actum ſit; ſed poſt ſtipulationem interpoſitam, pactus ſit ne interim pecunia uſque ad certum diem petatur: an noceat Exceptio Doli: Et quidem & de pacto convento excipi poſſe, nequaquàm ambigendum eſt. Sed & ſi hâc quis Exceptione uti velit, nihilominùs poterit: DOLO enim facere eum qui contra pactum petat, negari non poteſt. *l.* 2. § 4. ULP. LIB. 76. AD ED.

Hinc Non malè dictum eſt: Si creditor uſuras in futurum acceperit; deinde pecuniam nihilominùs petat, antequàm id tempus prætereat cujus temporis uſuras accepit; an Doli Exceptione repellatur? Et poteſt dici Dolo eum facere. Accipiendo enim uſuras, diſtuliſſe videtur petitionem in id tempus quod eſt poſt diem uſurarum præſtitarum; & tacitè conveniſſe, interim ſe non petiturum. *d. l.* 2. § 6.

Simili ratione nititur quod definit Ulpianus in ſpecie ſequenti. Quæſitum eſt; Si, quum fundi uſumfructum haberem, eum fundum volente me vendideris; an vindicanti mihi uſumfructum Exceptio ſit objicienda? Et hoc Jure utimur, ut Exceptio Doli (*c*) noceat. *l.* 4. § 12. ULP. LIB. 76. AD ED.

XIII.

Ei qui contra fidem pacti aliquid petit, ſimilis eſt qui quid petit contra mentem quam contrahentes habuerunt.

Hinc Si in arbitrum compromiſerimus; deinde, cùm non ſtetiſſem ob adverſam valetudinem, pœna commiſſa eſt: an uti poſſim Doli Exceptione? Et ait Pomponius, prodeſſe mihi Doli Exceptionem (*d*). *d. l.* 4. § 2.

Similiter cùm in ſtipulationibus pœnalibus hæc ſit mens, ut quod pœnæ nomine ſolutum erit, cedat vice ejus quod in obligationem deductum eſt; Dolo facere videbitur, qui utrumque ſimul habere volet.

Hinc rectè Labeo ait; Si de homine petito, ſecundùm actorem fuerit judicatum; & juſſu judicis ſatisdatum ſit hominem intrà certum diem tradi, & ſi traditus non fuiſſet pœnam [que] ſtipulatus ſit: petitorem qui & hominem vindicat & pœnam petit, Exceptione eſſe repellendum. Iniquum enim eſſe, & hominem poſſidere, & pœnam exigere. *d. l.* 4. § 7.

XIV.

Quemadmodum autem Dolo petit, qui petit contra voluntatem contrahentium; ita pariter dicendum de voluntate defuncti.

Igitur Præterea ſciendum eſt, ſi quis quid ex teſtamento contra voluntatem petet, Exceptione eum Doli mali repelli ſolvere. Et ideò heres qui non habet voluntatem, per Exceptionem Doli (*e*) repellitur. *d. l.* 4. § 10.

Contra voluntatem defuncti petit, qui legatum ſibi ſub hâc conditione SI IPSE HERES NON ESSET *relictum petit, poſtquàm pretium omittendæ hereditatis causâ accepit. Noluit enim defunctus, eum ex utrâque causâ lucrum ſentire. Secùs, ſi gratis omiſit hereditatem.*

Hinc Ulpianus. Si quis ex unciâ heres ſit ſcriptus, ex quâ ducenta conſequi potuit: deinde propter hoc, legatum in quo centum erant, prætulit, ne moleſtiis hereditariis implicaretur: an, ſi legatum petat, Exceptione Doli mali ſummoveatur? Et ait Julianus, Non eſſe eum ſummovendum. Quòd ſi à ſubſtituto pretium accepit, vel quod pretii loco haberi poſſet, ne adeat hereditatem; petens legatum, Dolo (inquit) facere intelligetur: ac per hoc, Doli Exceptione (*f*) repelletur. *d. l.* 4. § 11.

Simili ratione nititur quod definit Scævola in ſpecie ſequenti. Marito & filio communi, ex parte dimidiâ ſcriptis heredibus, filiam ſuam ex priore matrimonio ita heredem inſtituit: « MÆVIA filia mea ex ſex unciis » heres mihi eſto; ſi cum coheredibus tuis parem » rationem feceris pro meâ portione, in diem mortis » meæ, ejus actûs qui pendet ex tutelâ tuâ; quàm » Titius pater meus, avus tuus, adminiſtravit. » Quæſitum eſt, an (quia ſub conditione inſtituta eſſet) ſi omitteret hereditatem uti ſalvam Tutelæ actionem haberet, legata ſibi à matre data conſequi poſſit? Reſpondit; Secundùm ea quæ proponerentur, eam de quâ quæreretur, contra voluntatem petere: & ideò Exceptionem Doli obſtaturam. *l.* 17. § 3. SCÆVOLA LIB. 27. DIGEST.

Quod diximus, eum Dolo facere qui contra voluntatem defuncti petat, ita demùm obtinet; ſi hoc ex teſtamento petat. Secùs, ſi alio jure.

Hinc Liberis exheredatis, qui nihil ex patris judicio meruerunt, rupto teſtamento jus ſuum conſervandum eſt; nec opponitur Doli mali Exceptio (*g*). Quod non ſolùm in perſonâ eorum, ſed in heredibus, in perſonâ liberorum quoque eorum, obtinendum eſt. *l.* 13. PAUL. LIB. 14. QUÆSTION.

(*a*) Cùm enim convaleſcentiâ donatio *Mortis causâ* revocetur; petit ex ſtipulatione cujus cauſa finita eſt, adeoque Dolo petit.

(*b*) *Quaſi* deberet. Has per errorem promittebat: nullas enim debebat, cùm ſuis impenſis filiam ſuam aleret.

(*c*) Conſentiendo enim ut fundus venderetur, videtur tacitè pactus ne uſumfructum peteret.

(*d*) Hæc enim mens contrahentium non fuit, ut hoc caſu committeretur.

(*e*) Putà ſi quid petat à debitoribus hereditariis.

(*f*) An à toto legato ut putat Accurſius? an duntaxat pro parte ex quâ heres ſcriptus fuerat, ut cenſet Cujacius Obſerv. XIV 29. Quod magis probo.

(*g*) Quòd contra defuncti patris voluntatem, hereditatem ejus vindicent. Hæc enim Exceptio his demùm opponitur, qui ex causâ teſtamenti petunt; non his qui Lege vocantur.

Source : BIU Cujas

X V.

Septima Doli ſpecies.

Hanc ita refert Gaius. Si operâ creditoris acciderit, ut debitor pecuniam quam ſoluturus erat, perderet; Exceptione Doli mali creditor removebitur. *l.* 6. GAIUS LIB. 30. AD ED. PROV.

X V I.

Ultima & generalis Doli ſpecies.

Et generaliter ſciendum eſt, ex omnibus IN FACTUM Exceptionibus, Doli oriri Exceptionem: quia Dolo facit quicumque id quod quaquâ Exceptione elidi poteſt, petit. Nam etſi inter initia nihil Dolo malo facit, attamen nunc petendo facit dolosè: niſi ſi talis ſit ignorantia in eo, ut Dolo careat. *l.* 2. § 5. ULP. LIB. 76. AD ED.

Hanc porrò limitationem æquitas ipſa poſtulat. Nam NEMO videtur Dolo exſequi, qui ignorat cauſam cur non debeat petere. *l.* 177. (*Aliàs* 137.) § 1. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 14. AD PLAUT.

Suprà dictam autem generalem definitionem, ita breviter complectitur Papinianus. QUI æquitate defenſionis infringere actionem poteſt, Doli Exceptione tutus eſt. *l.* 12. PAPIN. LIB. 3. QUÆST.

§ I I.

Adversùs quas perſonas hæc Exceptio objici poſſit, & an In rem *ſit.*

X V I I.

Non adversùs Majores tantùm, ſed & adversùs Minores, imò & pupillos quandoque & furioſos, rectè objicitur.

Unde Ulpianus: De Dolo autem ipſius minoris viginti quinque annis, Exceptio utique locum habebit. Nam & de pupilli Dolo interdum eſſe excipiendum, nequaquàm ambigendum eſt; ex eâ ætate quæ Dolo non careat. Denique Julianus quoque ſæpiſſimè ſcripſit; Doli pupillos, qui prope pubertatem ſunt, capaces eſſe. Quid enim ſi debitor, ex delegatu pupilli, pecuniam creditori ejus ſolvit? Fingendus (*a*) eſt (inquit) pubes eſſe; ne propter malitiæ ignorantiam, bis eamdem pecuniam conſequatur.

Idem ſervandum in furioſo ait; ſi quum exiſtimaretur compos mentis eſſe, juſſerit debitorem creditori ſolvere; vel ſi quod exigit, domi habeat. *l.* 4. § 26. ULP. LIB. 76. AD ED.

X V I I I.

Adversùs parentes patronoſque, neque Doli Exceptio, neque alia quidem quæ patroni parentis-ve opinionem apud bonos mores (*b*) ſuggillet, competere poteſt, IN FACTUM tamen erit excipiendum: ut, ſi fortè pecunia non numerata dicatur, objiciatur Exceptio PECUNIÆ NON NUMERATÆ.

Nihil autem intereſt, utrùm patronus ex ſuo contractu, an verò ex alieno conveniatur. Semper enim reverentia ei exhibenda eſt, tam vivo quàm defuncto. Si autem cum herede liberti patronus agat; puto excipere debere de Dolo patroni, heredem liberti. Libertum autem, de Dolo patroni, etſi ab herede ejus conveniatur, minimè Exceptionem objecturum. Namque convenit, tam vivo quàm mortuo patrono, à liberto honorem exhiberi.

In ſtipulatione planè, Doli clauſula (*c*) non erit detrahenda; quia ex Doli clauſulâ, non de Dolo actio intenditur, ſed Ex ſtipulatu. *d. l.* 4. § 16.

X I X.

Vidimus de quarum perſonarum Dolo excipi poſſit necne. Illud autem maximè obſervandum; hanc Exceptionem ex parte ejus cui opponitur, In perſonam *eſſe*, *non* In rem: *actori enim regulariter objici non poteſt, niſi de ipſius, non de alterius Dolo.*

Hinc Neratius. In univerſum autem hæc in eâ re regula ſequenda eſt, ut Dolus omnimodo puniatur; & (*d*) ſi non alicui, ſed ipſi qui eum admiſit, damnoſus futurus erit. *l.* 11. § 1. NERATIUS LIB. 4. MEMBRAN.

Quod tamen dicimus, non poſſe excipi niſi de Dolo ejus adversùs quem excipitur, ſuas habet limitationes.

De quarumdam enim perſonarum Dolo quæritur, an nobis objici poſſit; putà earum quas in poteſtate habemus, item procuratoris, tutoris, auctoris, ſimiliumque perſonarum.

X X.

Et quidem circa eos quos in poteſtate habemus, hæc diſtinctio adhibenda eſt quam proponit Ulpianus. Ita ille: In hâc Exceptione; & de Dolo ſervi, vel alterius perſonæ juri noſtro ſubjectæ, Excipere poſſumus; & de eorum Dolo quibus adquiritur. Sed de ſervorum & filiorum Dolo, ſi quidem ex peculiari eorum negotio actio intendatur, in infinitum Exceptio objicienda eſt. Si autem non ex peculiari causâ; tùm de eo duntaxat Excipi oportet, qui admiſſus ſit in ipſo negotio quod geritur; non etiam, ſi poſteà aliquis Dolus interveniſſet. Neque enim eſſe æquum, ſervi Dolum ampliùs domino nocere quàm in quo operâ ejus eſſet uſus. *l.* 4. § 17. ULPIAN. LIB. 76. AD ED.

X X I.

Quæſitum eſt an de procuratoris Dolo, qui ad agendum tantùm datus eſt, Excipi poſſit? Et puto rectè defendi; ſi quidem in rem ſuam procurator datus ſit, etiam de præterito ejus Dolo (hoc eſt, ſi ante acceptum judicium Dolo quid fecerit) eſſe Excipiendum: ſi verò non in rem ſuam, Dolum præſentem in Exceptione conferendum.

Si autem is procurator ſit, cui omnium rerum adminiſtratio conceſſa eſt; tunc de omni Dolo ejus Excipi poſſe, Neratius ſcribit. *d. l.* 4. § 18.

De procuratore autem ad agendum eadem quæ mox dicta ſunt, docet idem Neratius. Procurator agit, de Dolo ejus excipi non debet: quia aliena lis eſt; iſque, rei extraneus; neque alienus Dolus nocere alteri debet. Si poſt litem conteſtatam Dolo quid fecerit; an Exceptio eo nomine in judicium objicienda ſit, dubitari poteſt? quia litis conteſtatione res procuratoris fit, eamque ſuo jam quodammodo nomine exſequitur. Et placet, de procuratoris Dolo (*e*) Excipiendum eſſe.

Idem de tutore qui pupilli nomine aget, dicendum (*f*) eſi. *l.* 11. NERAT. LIB. 4. MEMBRAN.

Idem quoque de actore. Nam Actoris qui exigendis

(*a*) Haloander legit; *fingentis ſe* [*inquit*] *pubeſcere*, *ne propter*, *&c.* Magis placet lectio Florentina: & ſenſus eſt; Per Exceptionem *Doli* æquè liberatur, ac ſi pubes fuiſſet qui delegavit. Et quidem hoc obtinet, etiamſi pupillus nondum ſit proximus pubertati, etiamſi nondum ſit ejus ætatis quæ Doli capax eſt; *nec propter malitiæ*, *&c.*

(*b*) Gothofredus legit *Morateſque* Bynkershoeck ita potiùs legendum putat, *Opinionem* AUT *bonos mores*: imò lectionem vulgarem poſſe defendi; & Latinis *Bonos mores* dici bonos viros, ut *Malos mores* viros improbos; quod probat ex verbis ipſis SCti Macedoniani [l. 1. pr. ff. *d. SC. Maced.*] & ex Conſultatione Juriſconſulti illius quam Cujacius addit.

(*c*) In ſtipulationibus ſolebat adjici hæc clauſula, *Dolum abfuturum.*

(*d*) Id eſt, ita tamen ut damnum vel pœna non redundet in alterum quàm qui admiſit.

(*e*) Poſt litem conteſtatam admiſſo.

(*f*) Scilicet in eo judicio quo agit, excipi adversùs pupillum poſſe de eo dolo quem tutor admiſit poſt litem conteſtatam. De eo autem dolo qui præceſſerit, hactenùs tantùm quatenùs locupletior factus eſt pupillus: infrà N. ſeq. Dices: Atqui indiſtinctè de omni dolo procuratoris cui omnium rerum adminiſtratio conceſſa eſt excipitur: ut modò ſuprà dictum eſt. Ratio diſparitatis eſt, quòd ſibi imputare debet qui hunc procuratorem elegit; nihil autem pupillo imputari poteſt, qui tutorem non elegit, ſed in eum incidit: vide ſuprà lib. 14. Tit. *de Tribut. act.* N. 16.

Source : BIU Cujas

pecuniis præpositus est, etiam posterior Dolus (*a*) domino nocet. *l.* 5. § 3. PAUL. LIB. 71. AD ED.

XXII.

Generaliter autem circa dolum tutoris, etiam extrà judicii causam admissi, ita Ulpianus. Illa etiam quæstio ventilata est apud plerosque; an de Dolo tutoris, Exceptio pupillo experienti nocere debeat? Et ego puto utilius, etsi per eas personas pupillis favetur; tamen dicendum esse, sive quis emerit à tutore rem pupilli, sive contractum sit cum eo in rem pupilli, sive Dolo quid tutor fecerit, & ex eo pupillus locupletior factus est; pupillo nocere debere. Nec illud esse distinguendum; cautum sit ei an non; solvendo sit, an non: dummodò rem administret. Undè enim divinat is qui cum tutore contrahit? Planè si mihi proponas collusisse aliquem cum tutore, factum suum ei nocebit. *l.* 4. § 23. ULP. LIB. 76. AD ED.

Quòd Si quis non tutor, sed pro tutore negotia gerat; an Dolus ipsius noceat pupillo, videamus? Et putem non nocere. Nam si is qui pro tutore negotia gerebat, rem vendiderit, & usucapta (*b*) sit; Exceptionem (*c*) non nocere pupillo (*d*) rem suam persequenti, etiamsi ei cautum sit (*e*): quia huic rerum pupilli administratio concessa non fuit. Secundùm hæc, magis opinor de Dolo tutoris Exceptionem pupillo esse objiciendam. *d. l.* 4. § 24.

Quæ in tutore diximus, eadem in curatore quoque furiosi dicenda erunt; sed & in prodigi vel minoris viginti-quinque annis. *d. l.* 4. § 25.

XXIII.

Vidimus Dolum tutoris & procuratoris domino objici. Vice versâ Dolus domini objicitur procuratori, & substituto ejus.

Hinc Ulpianus. Mandavi Titio ut à te stipularetur: deindè Titius Seio (*f*); & stipulatus à te Seius est, & judicium edidit. Ait Labeo; Excipiendum esse, tam de meo quàm & Seii Dolo. *d. l.* 4. § 19.

XXIV.

De auctoris Dolo Exceptio emptori non objicitur.

Si autem accessione auctoris utitur; æquissimum visum est, eum qui ex personâ auctoris utitur accessione, pati Dolum auctoris. Et peræquè traditur; rei quidem cohærentem Exceptionem (*g*), etiam emptori nocere, eam autem quæ ex delicto personæ oriatur, nocere non oportere. *d. l.* 4. § 27.

Igitur de casu quo quis uteretur accessione auctoris, vel quo exciperetur de vitio aliquo quod rei cohæreret, accipienda est regula: NON debeo melioris conditionis esse, quàm auctor meus à quo jus in me transit. *l.* 175. (*Aliàs* 135.) § 1. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 11. AD PLAUT.

Et illa: QUI in jus dominium-ve alterius succedit, jure ejus uti debet. *l.* 177. (*Aliàs* 137.) *ff. d. tit.* IDEM LIB. 14. AD PLAUT.

Extra hoc casus autem, de Dolo auctoris Exceptio emptori opponi non potest. Hinc Si quum legitima hereditas Gaii-Seii ad te perveniret (*Aliàs* pertineret), & ego essem heres institutus, persuaseris mihi per Dolum malum ne adeam hereditatem; & posteaquàm ego repudiavi hereditatem, tu eam Sempronio cesseris pretio accepto; isque à me petat hereditatem: Exceptionem Doli mali ejus qui ei cessit, non potest pati. *l.* 4. § 28. ULP. LIB. 76. AD ED.

XXV.

Auctoris autem Dolus (sicut diximus) emptori non objicitur. Sed hoc in emptore solo servabimus; item in eo qui permutaverit, vel in solutum accepit; item in similibus qui vicem emptorum continent (obtinent *Haloand.*) *d. l.* 4. § 31.

Si quis autem ex causâ legati vindicet, aut is cui ex causâ donationis res præstita est, vindicet; an de Dolo Exceptionem patiatur ex causâ ejus in cujus locum successerit? Et magis putat Pomponius, summovendum (*h*), & ego puto Exceptione eos esse repellendos; cùm lucrativam causam sint nancti. Aliud [autem] est enim emere, aliud ex his causis succedere. *d. l.* 4. § 29.

Similiter Paulus. Si rem legatam petat legatarius; & de Dolo testatoris excipitur. Nam sicut heres, qui in universum jus succedit, summovetur Exceptione: ita & legatarius debet summoveri, quasi unius rei successor. *l.* 6. *ff. de Exceptionib.* PAUL. LIB. 71. AD ED.

Cæterùm si noxæ deditus quis sit; Pomponius putat passurum Exceptionem, quam ille pateretur qui noxæ dedit.

Proindè ex quâcumque aliâ causâ, quæ propè lucrativam habet acquisitionem, quæsisse quis videatur; patietur Exceptionem Doli ex personâ ejus in cujus locum successit. Sufficit enim si is qui pretium dedit vel vice pretii, cùm sit bonâ fide emptor, [ut] non patiatur Doli Exceptionem ex personâ auctoris. Utique si ipse Dolo caret: cæterùm si ipse Dolo non careat, pervenietur ad Doli Exceptionem; & patietur de Dolo suo Exceptionem. *sup. d. l.* 4. § 31. ¶ *cæterùm.*

XXVI.

Maximè autem objicietur successori auctoris Dolus; si res quam successor petit, ad auctorem sit reditura.

Hoc Idem tractat Pomponius, & in eum qui pignori accepit; si Servianâ vel hypothecariâ actione experiatur. Et hunc putat Pomponius summovendum; quia res ad eum qui Dolo fecit, reversura est. *d. l.* 4. § 30.

Vidimus quando de Dolo auctoris adversùs successorem excipi possit, necne.

Quæritur etiam an delegatus, de Dolo delegantis excipere possit ei cui delegatus est? Verùm eâ de re remitto ad Tit. de Novat. & delegat. *infrà lib.* 46.

XXVII.

Ex his quæ hactenùs diximus de personis adversùs quas hæc Exceptio locum habeat, sequitur; Et quidem illud adnotandum est, quòd specialiter exprimendum est de cujus Dolo quis queratur; non in rem, SI IN EA RE DOLO MALO FACTUM EST; sed sic, SI IN EA RE NIHIL DOLÒ MALO ACTORIS FACTUM EST. Docere igitur debet is qui objicit Exceptionem, Dolo malo actoris factum; nec sufficiet ei ostendere in re esse dolum. Aut si alterius dicat Dolo factum, eorum personas specialiter debebit enumerare; dummodò hæ sint, quarum Dolus noceat. *l.* 2. § 1. ULP. LIB. 76. AD ED.

XXVIII.

Exceptio Doli non est quidem IN REM, *ex personâ ejus cui objicitur. Contrà* Planè ex personâ ejus qui Exceptionem objicit, IN REM opponitur Exceptio. Neque enim

(*a*) *Etiam* hîc sumitur pro *pariter.* Nimirùm quemadmodum in procuratore ad agendum, ita pariter, *Etiam* in actore pecuniis exigendis præpositio, *posterior Dolus* qui nempè post litem ab eo actore cum debitoribus contestatam, ab ipso admittitur, *domino nocet*; non is dolus quem antè erga debitores illos admisisset. Ita Cujacius ad h. l. In quâ, vitandæ ambiguitatis gratiâ, verbum *etiam* reponendum putat initio legis; scilicet, *etiam actoris qui*, &c. Rectè autem notat idem Cujacius; actorem de quo hic quæritur, in hoc tantùm præpositum ut agat cum debitoribus, non ut omnia negotia procuret. *Cui* enim *omnium rerum administratio concessa est, de omni Dolo ejus excipi posse* mox vidimus.

(*b*) Legendum *non usucapta sit.* Et ita ex Basilicis lectionem restituit Cujacius. In specie enim rei quæ usucapta esset; aliena prorsùs hæc quæstio [de quâ tamen unicè agitur in h. l.] an emptor Exceptionem habeat quasi re sibi à tutore traditâ.

(*c*) *Rei venditæ & traditæ.*

(*d*) Adulto facto.

(*e*) Per actionem *Protutelæ.*

(*f*) Supple, mandavit ut à te stipularetur.

(*g*) *Rei cohærens Exceptio* hîc accipitur strictiori sensu; scilicet pro eâ quæ rem de quâ agitur, afficit, seu quæ nascitur ex certâ causâ quæ rei impressa est. Latiùs in l. 7. § 1. ff. *de Exceptionib.* sumitur, pro omni Exceptione quæ non intrà solam contrahentis personam concluditur.

(*h*) Objici solet lex 5*a.* ff. *de Diverf. temp. præscr.* suprà relata lib. 41. Tit. *de Usucap.* N. 48. ubi dicitur, vitium donatoris ejus-ve qui mihi legavit, neo nocere mihi nec prodesse. Glossa distinguit inter simplicem malam fidem, & Dolum. Alii ita distinguunt; ut non noceat possidenti & excipienti, sed noceat agenti. His rejectis distinctionibus, respondeo casus esse planè diversos. In specie hujusce legis; quum is qui dolo dominium alicujus rei consecutus est, hanc mihi legavit; & ego ex causâ legati eam meam factam, vindico adversùs eum quem decepit, & penès quem fortè res invenitur; ego tanquàm successor testatoris in hujus rei dominium, utor ejus jure quod in me transmisit, adeòque Exceptio *Doli* quæ ei objici potuisset, & mihi potest objici. Verùm in specie legis 5. oppositæ, agitur de usucapione; ad quam sufficiunt mihi justus titulus & bona fides. Nec objici mihi possunt Dolus ac vitium auctoris: in usucapiendo enim, non jure mei auctoris utor; meo proprio jure usucapio; dominium enim quod usucapio parit, non ex auctore, sed usu meo ipse consequor.

Source : BIU Cujas

quæritur adversùs quem commissus sit Dolus, sed an in eâ re Dolo malo factum sit à parte actoris. *d. l.* 2. § 2.

§ III.

Quandiù duret hæc Exceptio.

XXIX.

Non sicut DE DOLO actio certo tempore finitur, ita etiam Exceptio eodem tempore danda est. Nam hæc perpetuò competit : cùm actor quidem in suâ potestate habeat quando utatur suo jure ; is autem cum quo agitur, non habeat potestatem quando conveniatur. *l.* 5. § 6. PAUL. LIB. 71. AD ED.

§ IV.

De replicatione Doli.

XXX.

Quemadmodum reus actionem actoris Dolum ipsi objiciendo per Exceptionem excludit ; ita (ut jam obiter quoque vidimus) actor Exceptiones quibus reus niteretur, per replicationem DOLI *excludere potest. Hinc Antoninus rescribit.* Adversùs fratrem tuum quondam tutorem legitimum, Tutelæ judicio si expertus non es, propositâ actione consiste ; nec timueris exceptionem pacti (*a*), si in eâ fraudem Dolumque admissum probare potes : nam replicatio Doli apposita, bonæ fidei judicium (*b*) facit, & commentum fraudis repellit. *l.* 3. *Cod. de Exceptionib.*

XXXI.

Observandum autem quod Marcellus ait ; Adversùs DOLI Exceptionem, non dari replicationem Doli. Labeo quoque in eâdem opinione est. Ait enim iniquum esse, communem malitiam petitori quidem præmio esse ; ei verò cum quo ageretur, pœnæ esse : cùm longè æquum sit, ex eo quod perfidè gestum est, actorem nihil consequi. *l.* 4. § 13. ULP. LIB. 76. AD ED.

Hinc Ulpianus. Quum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa. Sicut fit, quum de Dolo excipitur petitoris : neque enim datur talis replicatio petitori AUT SI (*c*) rei quoque in eâ re Dolo actum sit. *l.* 154. (*Aliàs* 196.) *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 70. AD ED.

XXXII.

Observandum supereſt, sicut Exceptionem, ita etiam replicationem DOLI *esse perpetuam.*

Hinc Diocletianus & Maximianus : Si pactum interceſſit ; in Exceptione, sine temporis præfinitione, de Dolo replicare potes. *l.* 6. *Cod. de Exceptionib.*

ARTICULUS II.

De Exceptione Metûs, *seu* Quod Metûs causâ.

XXXIII.

METUS CAUSA Exceptionem Cassius (*d*) non proposuerat ; contentus Dolis Exceptione, quæ est generalis (*e*). Sed utilius visum est, etiam de Metu opponere Exceptionem. Etenim distat aliquid à Doli Exceptione ; quòd exceptio Doli personam complectitur ejus qui Dolo fecit (*f*) : enimverò Metûs causâ Exceptio in rem scripta est, SI IN EA RE NIHIL METUS CAUSA FACTUM EST : ut non inspiciamus, an is qui agit, Metûs causâ fecit aliquid ; sed an omninò Metûs causâ factum est in hâc re, à quocumque, non tantùm ab eo qui agit. Et quamvis de Dolo auctoris Exceptio non objiciatur (*g*) : verumtamen hoc Jure utimur ; ut de Metu ; non tantùm ab auctore, verùm à quocumque, adhibito, Exceptio objici possit. *l.* 4. § 33. ULP. LIB. 76. AD ED.

XXXIV.

Illud sciendum est ; hanc Exceptionem DE METU eum objicere debere, qui Metum non à parente passus est in cujus fuit potestate. Cæterùm parenti licere deteriorem conditionem liberorum in rebus peculiariis facere. Sed si se abstinuerit hereditate paternâ, succurrendum ei erit ; ut alioquin succurritur (*h*). *d. l.* 4. § 34.

Numquid ergo nec dedolo mulieris excipiendum sit, adversùs maritum qui dotem petit ? non ducturus uxorem, nisi dotem accepisset ? nisi jam divertit. Itaque Condictione tenetur debitor qui delegavit ; vel mulier, ut vel liberet debitorem, vel (si solvit) ut pecunia ei reddatur. *l.* 5. § 5. ¶ *numquid.* PAUL. LIB. 17. AD ED.

XXXV.

Observandum supereſt quod rescribunt Diocletianus & Maximianus. Licèt UNDE VI Interdictum intrà annum locum habeat ; tamen Exceptione perpetuâ succurri (*i*) ei qui per vim expulsus post retinuit possessionem, auctoritate Juris manifestatur. *l.* 5. *Cod. de Exceptionib.*

(*a*) Scilicet quòd de negotio tutelæ transactum sit.

(*b*) Ex hoc textu, necnon ex l. 42. ff. *de Mort. caus. donat.* Cujacius Observ. III 17. Dorothæum Græcum interpretem secutus, generaliter statuit ; Exceptione aut replicatione *Doli* oppositâ, judicium quodvis in quo illa opponitur, constitui bonæ fidei. Verùm cùm actio tutelæ de quâ hic agitur, sit ex naturâ suâ actio bonæ fidei ; quorsùm dicitur replicationem Doli eam facere bonæ fidei ? Respondet Cujacius esse quidem bonæ fidei, & ei ineſſe Exceptiones & replicationes Doli, etiamsi non opponantur ; verùm quum opponuntur, oppositas maximè constituere judicium bonæ fidei. Cujacii sententiam secuti sunt Wulteius, Pacius, aliique magni nominis Jurisconsulti. Wissenbachio autem hæc actionum *stricti Juris* aut *Arbitrariarum*, in actiones bonæ fidei [si dicere fas sit] metamorphosis, merum deliramentum videtur : & hujusce textûs verbis quibus Cujacius innititur, hunc sensum affingit, *Ut replicatio Doli oppoſita bonæ fidei judicium* [TUTELÆ scilicet, quod bonæ fidei est] quod per Exceptionem *Pacti* seu Transactionis erat exclusum & extinctum, *faciat*, id est, resuscitet. Ad legem autem 42. ff. *de M. C. donat.* respondet ; hæc verba *judicio bonæ fidei constituto*, non intelligi de judicio *Rei vindicationis* quod oppoſita Doli Exceptio converterit in judicium Bonæ fidei ; sed de judicio *Petitionis hereditatis* : hoc sensu ; si nempè non egerint *Rei vindicatione* sed bonæ fidei judicium [nimirum *Petitionem hereditatis*] constituerint, instituerint. Nos rejectis his Wissenbachii interpretationibus, quæ textibus apertis vim fruſtrà afferunt ; Cujacii sententiæ libenter adhæremus, nihil in eâ absurdi suspicantes.

(*c*) Formula replicationis.

(*d*) *Cassius* Prætor de quo vide Notas ad Tit. *Quod met. caus.* N. 1. suprà lib. 4.

(*e*) Dolus enim est, quidquid adversùs bonam fidem est ; continetque id quod per vim & Metum extorquetur.

(*f*) Id est ; regulariter non opponitur nisi ipsi qui dolo fecit : ut latè vidimus Art. præced. §°. 2°.

(*g*) Ut vidimus suprà N. 22.

(*h*) Scilicet Constitutione Claudii ; quæ filiofamilias peculii separationem indulget, quum bona patris publicantur. Hæc Constitutio refertur in l. 3. § 4. ff. *de Minorib.* quæ desumpta est ex præcedentibus libris ejusdem Ulpiani AD EDICTUM.

(*i*) Exceptione scilicet *Quod metûs causâ.*



Source : BIU Cujas

TITULUS V.

QUARUM RERUM ACTIO NON DATUR.

I.

AD Exceptiones quoque pertinet hic Titulus ; in quo tres aliæ cauſæ referuntur, ex quibus qui agit Exceptione, repellitur.

Primò enim ; ſi ex eâ causâ agat quis ex quâ juratum eſt ei non deberi : repellitur exceptione JURISJURANDI. *Quæ autem ad hanc rem pertinent, remittimus ad Titulum* de Jurejur. *ſuprà lib.* 12.

Secundam cauſam refert Paulus. Nimirùm Si in aleâ rem vendam ut ludam, & evictâ re conveniar; exceptione ſummovebitur emptor. *l.* 2. § 1. PAUL. LIB. 71. AD ED.

Scilicet puniri debet, is qui emit ab eo quem ſciebat pretium in aleam perditurum. Cæterùm de hâc causâ nihil eſt ampliùs quod dicamus.

Supereſt tertia, de quâ ita Ulpianus : Quæ onerandæ libertatis causâ ſtipulatus ſum, à liberto exigere non poſſum. *l.* 1. § 5. ULP. LIB. 76. AD ED.

Circa hanc autem Exceptionem quærendum 1°. *Quando onerandæ libertatis causâ factum videatur necne :* 2°. *Quo tempore & cui perſonæ promiſſum fuiſſe oporteat, ut locus ſit Exceptioni ex hâc causâ:* 3°. *Cui & adversùs quem hæc Exceptio detur:* 4°. *Denique, quando illa non ſit neceſſaria.*

§ I.

Quando Onerandæ libertatis cauſâ factum videatur necne.

II.

Onerandæ autem libertatis causâ facta, belliſſimè ita definiuntur; Quæ ita imponuntur, ut, ſi patronum libertus offenderit, petantur ab eo : ſemperque ſit metu exactionis ei ſubjectus; propter quem metum, quodvis ſuſtineat patrono præcipiente. *d. l.* 1. *ſup. d.* § 5. ¶ *onerandæ.*

III.

Cæterùm non quidquid à liberto ſtipulatur patronus, videtur onerandæ libertatis causâ impoſitum ; ſed ita demùm, ſi hoc animo id ſtipuletur.

Quòd Si ſervus promittat domino pecuniam ut manumittatur, cùm aliàs non eſſet manumiſſurus dominus eamque liber factus ſpondeat (*a*) ; dicitur non obſtare Exceptionem patrono, ſi eam petat. Non enim onerandæ libertatis causâ hæc pecunia promiſſa eſt: alioquin iniquum eſt, dominum & ſervo carere & pretio ejus.

Totiens ergo onerandæ libertatis causâ pecunia videtur promitti, quotiens ſuâ ſponte dominus manumiſit: & propterea velit libertum pecuniam promittere ; ut non exigat eam, ſed ut libertus eum timeat & obtemperet ei. *l.* 2. § 2. PAUL. LIB. 71. AD ED.

Item Si manumiſero eum ſervum qui negotia mea geſſerat in ſervitute ; deinde ſtipulatus ab eo fuero (quòd negotia mea geſſerit) QUIDQUID ob eam rem, ſi tunc liber fuiſſet, eum mihi dare oporteret, id dari (*b*) deinde ex ſtipulatu agam : non ſummoveri me Exceptione. Neque enim oneratum ſe hoc nomine poteſt queri libertus, ſi lucrum abruptum ex re patroni non faciat. *l.* 1. § 4. ULP. LIB. 76. AD ED.

§ II.

Quo tempore, & cui promiſſum fuiſſe oportet ; ut huic Exceptioni locus eſſe poſſit.

IV.

In ſummâ : ſi incontinenti impoſitum quid ſit liberto, quod ΕΠΕΙΩΡΟΥΜΕΝΟΝ [*id eſt, imminens*] oneret ejus libertatem ; dicendum eſt, Exceptioni locum facere.

Sed ſi poſt intervallum ; habet quidem dubitationem, quia nemo eum cogebat hoc promittere : ſed idem erit probandum. Et hìc tamen causâ cognitâ, ſi liquidò appareat libertum metu ſolo vel nimiâ patroni reverentiâ ita ſe ſubjeciſſe, ut vel pœnali quâdam ſtipulatione ſe ſubjiceret. *d. l.* 1. § 6.

Sive autem ipſi patrono ſit promiſſum, ſive alii voluntate patroni ; onerandæ libertatis causâ videtur factum ; & ideò hæc Exceptio locum habebit. *d. d. l.* 1. § 9.

§ III.

Cui & adversùs quem hæc Exceptio detur.

V.

Hæc Exceptio non tantùm ipſi liberto, verùm ſucceſſoribus quoque liberti danda eſt. Et versâ vice heredem patroni ſummovendum, ſi hæc perſequatur, ſciendum eſt. *d. l.* 1. § 12.

Item Exceptionem onerandæ libertatis causâ, ſicut & cæteras, fidejuſſori non eſſe denegandas ſciendum eſt; nec ei quidem qui rogatu liberti reus factus eſt ; ſed & ipſi liberto, ſive procurator ad defendendum à reo datus fuerit (*c*), ſive heres ei extiterit. Cùm enim propoſitum ſit Prætori, in hujuſmodi obligationibus reo ſuccurrere : non ſervaturum propoſitum ſuum ; niſi fidejuſſorem quoque, & eum qui rogatu liberti reus factus fuerit, adversùs patronum defenderit. Etenim parvi refert, protinùs libertus patrono cogatur dare, an per interpoſitam fidejuſſoris vel rei perſonam. *d. l.* 1. § 8.

VI.

Quòd ſi patronus libertum ſuum delegaverit creditori ; an adversùs creditorem, cui delegatus promiſit libertatis causâ onerandæ, Exceptione iſtâ uti poſſit, videamus ? Et Caſſius exiſtimaſſe Urſeium refert ; Creditorem quidem minimè eſſe ſummovendum Exceptione, quia ſuum recepit ; verumtamen libertum patrono poſſe condicere, ſi non tranſigendæ controverſiæ gratiâ id fecit. *d. l.* 1. § 10.

Item ſi libertus debitorem ſuum patrono delegaverit ; nullâ Exceptione ſummovendus eſt patronus : ſed libertus à patrono per Condictionem hoc repetet. *d. l.* 1. § 11.

(*a*) Alioquin non teneretur. Servus enim cùm non ſit obligationis capax ; ex eo quod in ſervitute geſſit, non obligatur ; nec poſt manumiſſionem conveniri poteſt.

(*b*) Vide Notam præced.

(*c*) Pone libertum obligatum fuiſſe patrono per interpoſitam perſonam ; quæ *ream* ſe patrono fecit pro liberto, & quæ libertum ipſum procuratorem in rem ſuam dedit *ad defendendum* contra patronum.

Source : BIU Cujas

§ IV.

Quando hæc Exceptio liberto non ſit neceſſaria.

VII.

In contractibus bonæ fidei, hæc Exceptio non eſt neceſſaria.

(a) Ratiò eſt quòd [ut ſuprà vidimus lib. 2. Tit. *de Pact.* N. 10. cum Notis] contractus bonæ fidei quibus dolus & vis cauſam dedit, ſunt ipſo Jure nulli. Porrò *Hinc Ulpianus.* Si libertatis causâ ſocietatem libertus cum patrono coierit, & patronus cum liberto PRO SOCIO agat: an hæc Exceptio ſit neceſſaria? Et puto, ipſo Jure tutum eſſe libertum (*a*) adversùs exactionem patroni. *d. l.* 1. § 7.

huic contractui cauſam dedit dolus & improbitas patroni, qui libertum onerandæ libertatis ejus gratiâ compulit ut ſocietatem contraheret; quod quidem, utpotè ad quæſtum pertinens, patronus facere non poteſt: ſuprà lib. 38. Tit. *de Oper. libert.* N. 4.

TITULUS VI.

DE LITIGIOSIS.

PRoponitur hoc Titulo alia Exceptionis ſpecies; quâ repellitur quis ab hujus rei perſecutione, quam ſciens Litigioſam comparavit ab uno ex litigatoribus.

Circa quod videbimus 1°. *Quæ res dicantur Litigioſæ:* 2°. *Quæ alienationes rei Litigioſæ prohibeantur, & quando huic exceptioni ſit locus.* 3°. *Specialiter agemus de interdictâ rei Litigioſæ conſecratione.* 4°. *Jus Codicis exponemus.*

§ I.

Quæ res dicantur necne Litigioſæ.

I.

LITIGIOSA res eſt, de cujus dominio cauſa movetur inter poſſeſſorem & petitorem, judiciariâ conventione. *Authent. ad l.* 1. *Cod. h. tit.*

Verùm Creditor qui hypothecæ ſeu pignori rem ſibi nexam vendidit, Litigioſam rem non videtur vendere; quia (*a*) precariò debitor poſſidet. *l.* 2. *Cod. de diſtract. pign.* ALEXANDER.

Imò Quum creditor pignus vendit, non poteſt videri Litigioſæ rei emptio contrahi; etſi debitor interdicat ne venditio perficiatur. *l.* 1. *Cod. h. tit.* SEVER. ET ANTON.

Et generaliter; Litigioſam rem non facit denuntiatio, quæ impediendæ venditionis causâ fit. *l.* 1. ULP. LIB. 76. AD ED.

§ II.

Quæ alienationes rei Litigioſæ prohibeantur, & quando huic exceptioni locus ſit.

II.

Lex quaſvis alienationes rei Litigioſæ prohibet, ſive venditiones ſive donationes. Nam DONATIONIS verbum (*b*) ſimpliciter loquendo, omnem donationem comprehendiſſe videtur: ſive mortis causâ, ſive non mortis causâ fuerit. *l.* 67. § 1. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 76. AD ED.

Et quidem etiam ea venditio prohibitione Legis continetur, quam nondum traditio ſecuta eſt. Quapropter emptor qui eam perſequetur, hâc exceptione REI LITIGIOSÆ *ſummovebitur. Nam etſi* Alienatum non propriè dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet; venditum tamen rectè dicetur. *d. l.* 67. *pr.*

III.

Exceptioni locus eſt, quum quis rem ab uno ex litigatoribus emit.

Quid Si inter primum & ſecundum ſit lis conteſtata, & ego à tertio emerò qui nullam controverſiam patiebatur, videamus an exceptioni locus ſit? Et putem ſubveniendum mihi: quia is qui mihi vendidit, nullam litem habuit; & quòd fieri poteſt ut duo in necem ejus litem inter ſe jungant, qui cum ipſo litigare non poterant.

Si tamen cum procuratore, tutore curatore-vè alicujus, judicium acceptum ſit; conſequens erit dicere, quaſi cum ipſo Litigetur, ita eum ad exceptionem pertinere. *l.* 1 § 1. ULP. LIB. 76. AD ED.

IV.

Oportet etiam, ut exceptioni locus ſit, eum qui rem comparavit, ſciviſſe eam eſſe Litigioſam.

Indè hæc quæſtio. Si ſervus quum emerit, ſcit; ignoravit autem dominus; vel contrà: videndum eſt, cujus potiùs ſpectanda ſit ſcientia? Et magis eſt, ut ſcientia inſpicienda ſit ejus qui comparavit, non ejus cui adquiretur; & ideò pœna Litigioſi competit. Sic tamen, ſi non mandatu domini emit. Nam ſi mandatu; etiamſi ſcit ſervus, dominus autem ignoravit; ſcientia non nocet (*c*). Et ita Julianus in re Litigioſâ ſcribit. *l.* 2. ULP. LIB. 6. FIDEICOMMISSOR.

§ III.

De interdictâ rerum Litigioſarum conſecratione.

V.

Hic non jam nuda exceptio, ſed actio IN FACTUM *ad duplum conſequendum adverſario competit.*

Enimverò Lege ipsâ XII Tabularum, Rem de quâ controverſia eſt, prohibemur in ſacrum dedicare: alioquin dupli pœnam patimur. Nec immeritò: ne liceat eo modo duriorem adverſarii conditionem facere.

Sed duplum utrùm fiſco, an adverſario præſtandum ſit, nihil exprimitur. Fortaſſis autem magis adverſario; ut id veluti ſolatium habeat, pro eo quòd potentiori adverſario traditus eſt. *l.* 3. GAIUS LIB. 6. AD LEG. XII. TAB.

De quâ re vide Commentarium noſtrum ad XII. Tabulas, Tab. 12. *Cap.* 2.

§ IV.

Jus Codicis circa res Litigioſas.

VI.

Jus quod circa res Litigioſas obtinebat, neoterici Imperatores confirmaverunt & auxerunt.

De his rebus ita edicit Conſtantinus. Lite pendente actiones quæ in judicium deductæ ſunt, vel res pro

(*a*) Senſus eſt: res non ideò Litigioſa eſt, quia debitor rem poſſidebat; nec enim faciebat debitor controverſiam pignoris.

(*b*) Hanc legem pertinere ad hanc materiam cenſet Cujacius; hoc ſcilicet argumento quòd Ulpianus in hoc libro egerit de interdictâ rerum litigioſarum alienatione: ut conſtat ex ſup. d. l. 1. ff. *h. tit.* quæ ex eodem libro deſumpta eſt.

(*c*) Contrà, quum res morboſa væniit; ſcientia ſervi qui ſciens emit, domino nocet: ſuprà lib. 21. Tit. *de Ædilit. Ed.* N. 38.

Ratio diſparitatis eſt quòd in ſpecie oppoſitâ agitur de liberatione venditoris, ad quam proniores eſſe debemus: in hâc verò ſpecie agitur de puniendo emptore, ad cujus pœnam ſcientia ſervi non debet ſufficere. Ita Treutlerus, ad quem vide Bachovium.

Source : BIU Cujas

quibus actor à reo detentis intendit ; in conjunctam perſonam vel extraneam, donationibus, vel emptionibus, vel quibuſlibet aliis contractibus, minimè transferri ab eodem actore liceat: tanquàm ſi nihil factum ſit, lite nihilominùs peragendâ. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Juſtinianus etiam res Litigioſas quibuſlibet titulis alienari vetuit; exceptis tamen, Dotis, Donationis Propter nuptias, *Tranſactionis, Diviſionis, Legati & fideicommiſſi. Hanc autem pœnam conſtituit; ut, ſi quidem ſciens rem Litigioſam quis comparaverit, redhibere eam teneatur, & inſuper pretio careat quod fiſco cedat: ſin autem ignorans comparaverit; irritâ alienatione factâ, pretium cum aliâ tertiâ parte à litigatore à quo eam comparavit, recipiat. Eamque pœnam etiam ad donationes ita porrigi voluit, ut verâ æſtimatione factâ donator mulctetur.* l. fin. Cod. h. tit.

Proviſum eſt etiam; ne titulo legati aut fideicommiſſi, res Litigioſæ in necem adverſarii ad fiſcum aut potentiores perſonas transferantur. Conſtituerunt enim Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius; ut hoc caſu non ipſa res legata, ſed æſtimatio litis, legatariis præſtaretur heredeſque ſuo periculo litem perſequerentur. l. 3. Cod. h. tit.

Ex Novellâ autem CXII Cap. 1. *hoc immutatum eſt: conſtitutumque ut hoc caſu legatarii litis eventum expectarent; ita ut, ſi victor heres extitiſſet, rem eis præſtare teneretur; nihil autem, ſi causâ caderet. Quapropter permittitur his adeſſe cauſæ; ne colludatur.*

VII.

Neque ſolùm de rebus verè ac propriè Litigioſis, id eſt jam in judicium deductis, providerunt Imperatores: verùm Anaſtaſius pro redemptoribus litium habuit; eos qui actiones aliquas, etiam antequàm motæ ſint, datis pecuniis ſibi cedi procurant; hoc ſtatuto, ut non poſſint eas exercere niſi intrà quantitatem pecuniæ quam pro earum pretio dederunt. Ab hâc lege excipit acceſſiones actionum hereditariarum, quæ fiunt inter coheredes; ceſſiones quæ fiunt creditori ad exſolvendum aliquod debitum, vel pignoris causâ; item illas quæ fiunt poſſeſſori, rei alienæ æſtimationem inferenti; denique eas quæ fiunt ex causâ donationis aut legati. l. PER DIVERSAS. 22. *Cod.* Mandati.

Juſtinianus addidit; ut Conſtitutio Anaſtaſii locum haberet etiam in his ceſſionibus quæ, pro parte venditionis titulo, pro reliquâ parte titulo donationis, confectæ eſſent. l. AB ANASTASIO. 23. *Cod.* d. tit.

TITULUS VII.

DE OBLIGATIONIBUS, ET ACTIONIBUS.

TOt variis Actionum, & quaſi Actionum, ſpeciebus ſigillatim expoſitis; Pandectarum ordinatores plurima hîc in fine ſextæ Digeſtorum Partis congerere neceſſarium duxerunt, quæ ſpectant ad Actiones in genere, necnon ad Obligationes ex quibus actiones naſcuntur. Qui tractatus ad omnes ferè præcedentes Partes libroſque pertinet: ideò fortè ad calcem rejectus, quo planior fieret ex his quæ hactenùs dicta ſunt, eorum quæ de generali Obligationum & Actionum omnium ſubſtantiâ & materiâ dicenda ſunt, tractatio.

Prima pars hujus Tituli erit DE OBLIGATIONIBUS, *altera* DE ACTIONIBUS.

PRIMA PARS.

De Obligationibus.

Partem hanc in quatuor Articulos diſtribuemus. In 1°. *Videbimus in quo conſiſtat Obligationis ſubſtantia, & quæ ſint diviſiones Obligationum.* 2^us^. *Exponet cauſas ex quibus naſcuntur: ubi quæremus quid in ſingulis pro variâ negotiorum naturâ præſtare debitor teneatur.* 3^us^. *Erit de perſonis inter quas contrahi poteſt Obligatio.* 4^us^. *De accidentalibus Obligationum.*

Quæri etiam poſſet de rebus quæ in Obligationem deduci poſſunt, & de modis quibus Obligationes extinguuntur. Verùm de primâ quæſtione, infrà lib. ſeq. ad Titulum de Verbor. oblig. *quid enim ibi dicitur de rebus quæ in Stipulationem deduci poſſunt, & ad cæteras Obligationum ſpecies trahi poteſt. Quod autem attinet ad modos quibus extinguuntur Obligationes, remittimus ad Tit.* de Solution. & liberat. *infrà lib.* 46.

ARTICULUS I.

De ſubſtantiâ & diviſione Obligationum.

§ I.

Quid ſit Obligatio, & in quo conſiſtat ejus ſubſtantia.

I.

Obligatio eſt Juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ (*a*), ſecundùm noſtræ civitatis jura. *Inſtit. tit. de Oblig.* pr.

Igitur Obligationum ſubſtantia non in eo conſiſtit; ut aliquod corpus, noſtrum; aut ſervitutem, noſtram faciat: ſed ut alium nobis obſtringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præſtandum. *l.* 3. PAUL. LIB. 2. INSTITUT.

II.

Cùm autem Obligationum ſubſtantia in eo conſiſtat, ut quis ADSTRINGATUR *ad aliquid; ſequitur neminem poſſe videri Obligatum ad id quod in merum ejus arbitrium collatum eſt.*

Hinc Diocletianus & Maximianus. In vendentis vel ementis voluntatem collatâ conditione comparandi; quia non adſtringit neceſſitate contrahentes, Obligatio nulla eſt. Idcircò dominus invitus, ex hujuſmodi conventione, rem propriam, vel quilibet alius, diſtrahere non compellitur. *l.* 13. *Cod. de Contrah. empt.*

Poteſt autem contractus in contrahentis arbitrium ritè conferri non merum ſed tanquàm boni viri: & indè naſcetur Obligatio.

Hinc Ulpianus. Hæc venditio ſervi, SI RATIONES DOMINI COMPUTASSET ARBITRIO, conditionalis eſt. Conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, quum impleta fuerit conditio. Sed utrùm hæc eſt venditionis conditio, ſi ipſe dominus putaſſet (*b*) ſuo arbitrio: an verò, ſi arbitrio boni viri? Nam ſi arbitrium domini accipiamus,

(*a*) SOLVERE verbum generale, quod *dare* & *facere* complectitur.

(*b*) Id eſt, *computaſſet* [ſupple] rationes.

Source : BIU Cujas

accipiamus, venditio nulla est: quemadmodum si quis ita vendiderit, SI voluerit; vel stipulanti sic spondeat, SI VOLUERO, decem dabo. Neque enim debet in arbitrium rei conferri, an sit obstrictus. Placuit itaque Veteribus, magis in viri boni arbitrium id collatum videri, quàm domini. Si igitur rationes potuit accipere, nec accepit; fingit autem se non accepisse: impleta conditio emptionis est, & Ex empto venditor conveniri potest. *l.* 7. *ff. de Contrah. empt.* ULP. LIB. 28. AD SABIN.

Et Generaliter probandum est; Ubicumque in bonæ fidei judiciis confertur in arbitrium domini, vel procuratoris ejus, conditio; pro boni viri arbitrio hoc habendum esse. *l.* 22. § 1. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 28. AD SABIN.

Plura de hâc re infrà lib. seq. Tit. de Verb. oblig. *Part.* 3ª.

§ II.

De Obligationum divisione.

III.

Obligationes dividuntur, in CIVILES & NATURALES. CIVILES *sunt, ex quibus actio descendit.*

NATURALES autem Obligationes non eo solo æstimantur, si actio aliqua earum nomine competit (*a*); verùm etiam eo, si soluta pecunia repeti non possit. *l.* 10. PAUL. LIB. 47. AD SABIN.

Nimirùm Is naturâ debet, quem Jure Gentium dare oportet; cujus fidem secuti sumus. *l.* 84. § 1. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 3. QUÆST.

Sunt & alii plures in Jure naturalis Obligationis effectus; nimirùm ut det locum Compensationi, Novationi, Pignori, Constituto, Fidejussoris accessioni; de quibus passim.

IV.

Altera divisio Obligationum. Sed aut proprio nomine quisque Obligatur, aut alieno.

Qui autem alieno nomine obligatur, FIDEJUSSOR vocatur. Et plerùmque ab eo quem proprio nomine obligamus, alios accipimus qui eâdem Obligatione teneantur; dum curamus, ut quod in Obligationem deduximus tutiùs nobis debeatur. *l.* 1. § 8. GAIUS LIB. 2. AUREORUM.

ARTICULUS II.

Ex quotuplici causâ nascantur Obligationes, & quænam illæ sint pro variâ negotiorum naturâ.

V.

Obligamur, aut re, aut verbis, aut simul utroque, aut consensu, aut Lege, aut Jure honorario, aut necessitate, aut ex peccato. *l.* 52. MODESTIN. LIB. 2. REGUL.

RE Obligamur, quum res ipsa intercedit. *d. l.* 52. § 1.

VERBIS, quum præcedit interrogatio & sequitur congruens responsio. *d. l.* 52. § 2.

RE ET VERBIS pariter obligamur, quum & res interrogationi intercedit. *d. l.* 52. § 3.

Consentientes in aliquam rem, EX CONSENSU obligari necessariò ex voluntate nostrâ videmur. *d. l.* 52. § 4.

LEGE obligamur; quum obtemperantes Legibus aliquid secundùm (*b*) præceptum Legis, aut contrà, facimus. *d. l.* 52. § 5.

JURE HONORARIO obligamur; ex his quæ Edicto Perpetuo vel Magistratu (*c*) fieri præcipiuntur, vel fieri prohibentur. *d. l.* 52. § 6.

NECESSITATE obligantur, quibus non licet aliud facere quàm quod præceptum est; quod evenit in necessario herede. *d. l.* 52. § 7.

EX PECCATO obligamur, quum in facto quæstionis summa (*d*) constitit. *d. l.* 52. § 8.

VI.

Breviùs Gaius & generaliùs: Obligationes aut ex contractu nascuntur, aut ex maleficio, aut proprio quodam jure, ex variis causarum figuris. *l.* 1. *pr.* GAIUS LIB. 2. AUREOR.

§ I.

De Obligationibus quæ ex contractu nascuntur.

VII.

Obligationes ex contractu; aut re (*e*) contrahuntur, aut verbis (*f*), aut consensu (*g*). *d. l.* 1. § 1.

VIII.

RE contrahitur Obligatio, mutui datione (*h*). Mutui autem datio consistit in his rebus, quæ pondere, numero, mensurâ-ve constant; veluti vino, oleo, frumento, pecuniâ numeratâ: quas res in hoc damus, ut fiant accipientis; postea alias recepturi, ejusdem generis & qualitatis. *d. l.* 1. § 2.

Is quoque cui rem aliquam commodamus, Re nobis obligatur. Sed is de eâ ipsâ (*i*) re quam acceperit, restituendâ tenetur. *d. l.* 1. § 3.

Is quoque apud quem rem aliquam deponimus, Re nobis tenetur; qui & ipse de eâ re quam acceperit restituendâ tenetur: sed is (*k*), etiamsi negligenter rem custoditam amiserit, securus est. Quia enim non suâ gratiâ accipit, sed ejus à quo accipit; in eo solo tenetur, si quid dolo perierit: negligentiæ verò nomine ideò non tenetur; quia qui negligenti amico rem custodiendam committit, de se queri debet. MAGNAM tamen NEGLIGENTIAM, PLACUIT IN DOLI CRIMINE CADERE. *d. l.* 1. § 5.

Creditor quoque qui pignus accepit, RE tenetur; qui & ipse de eâ re quam accepit restituendâ tenetur. *d. l.* 1. § 6.

Ad contractus qui RE *contrahuntur, etiam referendæ sunt quatuor classes contractuum innominatorum,* DO UT DES, DO UT FACIAS, FACIO UT DES, FACIO UT FACIAS: *de quibus egimus Tit.* de præscr. verb. *suprà lib.* 19. *In his enim si quid dederim aut fecerim, eâ conventione inter nos habitâ ut tu vicissim quid dares aut faceres; ex* RE, *id est ex eo quod dederim aut fecerim, tu vicissim Obligaris.*

Ita tamen, si honesta fuerit contrahendi causa. Hinc in specie sequenti. Seia cùm salarium constituere vellet, ita epistolam emisit: « Lucio-Titio salutem. Si in eodem » animo & eâdem affectione circa me es quâ (*Florent.* » qui semper fuisti; ex continenti acceptis litteris meis, » distractâ re tuâ, veni. Hoc tibi quandiù vivam præs- » tabo, annuos decem: scio enim quia valdè me benè » ames. » Quæro; cùm & rem suam distraxerit Lucius-Titius, & ad eam profectus sit, & ex eo (*l*) cum eâ sit; an ei ex his epistolis salarium annum debeatur?

(*a*) Sensus est; naturales Obligationes esse, non solùm quæ pariunt actionem; sed & illas quæ actionem quidem non pariunt, sed ex quibus rectè solvitur ita ut solutum repeti non possit.

(*b*) Cujacius exemplum ponit in specie in quâ plures heredes, præter infantem qui coheres ipsis adscriptus erat, rogati sunt manumittere servum. Illi secundùm præceptum Legis [id est, SCti Vitrasiani] servum manumittentes, obligantur ex illo SCto ad partem pretii coheredi suo infanti præstandam. De hoc casu vide suprà lib. 40. Tit. *de Fideic. libert.* N. 53.

(*c*) Putà si quis contra Edictum, patronum sine veniâ in Jus vocaverit: item si ædificaverit contra prohibitionem Prætoris.

(*d*) Aliàs *consistit.* Sensus est; quum tota summa quæstionis de illâ Obligatione, est de aliquo facto illicito quod admiserimus, & ex quo hæc Obligatio descendat.

(*e*) Id est; interveniente aliquâ re, ex cujus donatione aut traditione Obligatio nascatur.

(*f*) Solemnibus verbis adhibitis.

(*g*) Solo.

(*h*) Nec enim contrahitur Mutuum, nisi res intervenerit; scilicet pecunia detur. Vide plura de hoc contractu. Tit. *de Reb. cred.* suprà lib. 12.

(*i*) In quo differt ab eo qui mutuum accepit. Is enim non eam *ipsam rem* specie eamdem reddere tenetur, sed eamdem quantitatem.

(*k*) Notat discrimen inter *Depositum* & *Commodatum*.

(*l*) Supple, tempore.

Source : BIU Cujas

Reſpondit; Ex perſonis cauſiſque (*a*) eum cujus notio ſit, æſtimaturum an actio danda ſit. *l.* 61. § 1. SCÆVOLA LIB. 28. DIGEST.

IX.

Hactenùs de Obligationibus quæ RE *contrahuntur.*

Jam verò VERBIS Obligatio contrahitur, ex interrogatione & reſponſu: quum quid dari fieri-ve nobis ſtipulemur. *ſup. d. l.* 1. § 7.

De his Obligationibus eſt proprius infrà Titulus lib. ſeq. de Verb. oblig.

X.

CONSENSU fiunt Obligationes, in emptoribus-venditionibus, locationibus-conductionibus, ſocietatibus mandatis. *l.* 2. GAIUS LIB. 3. INSTITUT.

Ideò autem iſtis modis conſenſu dicimus Obligationem contrahi; quia neque verborum neque ſcripturæ nulla proprietas (*b*) deſideratur; ſed ſufficit eos qui negotia gerunt, conſentire. *d. l.* 2. § 1.

Undè inter abſentes quoque talia negotia contrahuntur; veluti per Epiſtolam vel per nuntium. *d. l.* 2. § 2.

Nimirùm in hâc contractuum ſpecie, Etiam nudus conſenſus ſufficit Obligationi; quamvis verbis hoc exprimi poſſit. *l.* 52. § 9. MODESTIN. LIB. 2. REGUL.

Sed & nutu ſolo pleraque conſiſtunt. *d. l.* 52. § 10.

Obſerva. Item in his contractibus alter alteri obligatur, de eo quod alterum alteri ex bono & æquo præſtare oportet. *ſup. d. l.* 2. § 3.

XI.

Præter ſupràdictas ſpecies contractuum, quorum alii RE *perficiuntur, alii* Verbis *alii ſolo* Conſenſu; *eſt & quarta ſpecies quam omiſit Gaius, nimirùm eorum qui* LITTERIS *contrahuntur.*

Hunc Litterarum contractum ita deſcribit Theophilus: LITTERARUM OBLIGATIO eſt, veteris nominis in novum creditum per ſolemnes litteras transformatio. Nam ſi quum quis mihi centum aureos deberet ex emptione, aut locatione, aut mutuo, aut ſtipulatione (multis enim modis aliquid nobis deberi poteſt), voluiſſem hunc mihi Obligatum eſſe litterarum Obligatione; neceſſe erat verba hæc dicere, & ſcribere ad eum quem litterarum Obligatione obligatum habere volebam. Sunt autem hæc verba quæ dicebantur & ſcribebantur: CENTUM AUREOS QUOS MIHI EX CAUSA LOCATIONIS DEBES, EXPENSOS TIBI TULI; deinde adſcribebantur, ut (*c*) ab eo qui jam ex locatione obligatus eſſet, hæc verba EXPENSOS MIHI TULISTI: & prior Obligatio extinguebatur; novaque LITTERARUM naſcebatur, quæ ex eo nomen habet quòd in litteris conſiſtat. THEOPHIL. INSTIT. *lib.* 3. *Tit.* 21.

Hujus contractûs hæc præcipua utilitas erat; quum plures ſummæ & ex variis cauſis debitæ, in novam & unicam litterarum Obligationem transfundebantur: quemadmodum & in ſtipulatione Aquilianâ, plures Obligationes in unam novabantur. Quod igitur Aquilianâ inter præſentes demùm fiebat, idem præſtabat Obligatio litterarum etiam inter abſentes.

In hunc Litterarum contractum, non ſolùm proprium ſed & alienum debitum deduci poterat. Sic enim Caius: LITTERIS Obligatio fit, aut à re in perſonam, aut à perſonâ in perſonam. A re in perſonam; velut ſi id quod ex emptione aut conductione aut ſocietate debes, alii (*d*) reddas. A perſonâ in perſonam; veluti ſi id quod mihi alter debet, alteri perſonæ delegem ut reddere debeat (*e*). CAII INSTIT. *lib.* 2. *Tit.* 9. § 13.

Quamvis litteræ ſeu ſcriptura, ſubſtantiam hujus contractûs potiſſimùm conſtituant: in eo tamen Non figurâ litterarum, ſed oratione quam exprimunt litteræ, obligamur: quatenùs (*f*) placuit non minùs valere quod ſcripturâ, quàm quod vocibus linguâ figuratis ſignificaretur. *l.* 38. PAUL. LIB. 3. AD ED.

Is Litterarum *contractus, tempore Juſtiniani jam dudùm exoleverat.*

At hodie alio ſenſu quis LITTERIS *Obligatus dicitur, ex ſuo chirographo ſeu cautione creditæ pecuniæ quæ ipſi numerata non eſt. Hoc enim ipſo quòd numerata non eſt; non numeratione, ſed ſolis litteris Obligatur.*

De hâc cautione, & exceptione adversùs illam competente, vide Tit. præced. Art. 2°.

XII.

Quod hactenùs diximus, contractus alios Re, *alios* Verbis *perfici; ita accipe, ut in his præter conſenſum requiratur rem aut verba intervenire. Cæterùm in omnibus cujuſcumque generalis contractibus, conſenſum requiri palàm eſt.*

Hinc Paulus. Non ſatis autem eſt dantis eſſe nummos & fieri accipientis, ut Obligatio naſcatur, ſed etiam hoc animo dari & accipi, ut Obligatio conſtituatur. Itaque ſi quis pecuniam ſuam donandi causâ dederit mihi: quanquàm & donantis fuerit; & mea fiat; tamen non obligabor ei, quia non hoc inter nos actum eſt. *l.* 3. § 1. PAUL. LIB. 2. INSTITUT.

Verborum quoque Obligatio conſtat, ſi inter contrahentes id agatur: nec enim, ſi per jocum, putà vel demonſtrandi intellectûs causâ (*g*), ego tibi dixero, SPONDES? & tu reſponderis, SPONDEO; naſcetur Obligatio. *d. l.* 3. § 2.

Hinc quoque Contractus imaginarii, etiam in emptionibus (*h*), Juris vinculum non obtinent, quum fides facti ſimulatur, non intercedente veritate. *l.* 54. MODEST. LIB. 5. REGULAR.

Circa conſenſum, plura vide ſuprà lib. 2. *Tit.* de Pactis.

§ II.

De Obligationibus quæ ex delicto aut maleficio naſcuntur.

XIII.

Ex maleficio naſcuntur Obligationes; veluti ex furto, ex damno, ex rapinâ, ex injuriâ: quæ omnia unius generis ſunt. Nam hæ RE tantùm conſiſtunt, id eſt ipſo maleficio: dùm alioquin ex contractu Obligationes, non tantùm re conſiſtant, ſed etiam verbis, & conſenſu. *l.* 4. GAIUS LIB. 3. RERUM COTTIDIAN. SIVE AUREORUM.

Porrò quæ ex maleficio naſcitur Obligatio, in hoc conſiſtit; ut qui maleficium admiſit, damnum ſarcire teneatur.

§ III.

De Obligationibus quæ ex variis cauſarum figuris naſcuntur, putà Quaſi ex contractu, *&* Quaſi ex maleficio.

Ad Varias cauſarum figuras *ex quibus Obligationes*

(*a*) Si enim eum accerſiviſſe videtur mulier, ut cum eo impudicè viveret; actio non dabitur. Secùs, ſi ut negotia mulieris procuraret, ut mulier ejus conſiliis regeretur: competit actio *In factum* ex contractu FACIO UT DES.

(*b*) In contractibus qui *Verbis* perficiuntur, certa ac ſolemnia ac PROPRIA huic contractui verba deſiderantur. In contractibus qui *Conſenſu* perficiuntur, nulla *Verborum* PROPRIETAS; id eſt, nulla ſolemnia ac *propria* verba deſiderantur: quibuſcumque verbis, imò & ſine verbis perficiuntur.

(*c*) Id eſt, quaſi *ab eo*, vel ejus nomine *qui jam &c.* Neque enim neceſſe fuiſſe videtur ut ipſe contrahens ſcriberet: ſed pro eo volente & conſentiente Argentarius fortè ſcribebat.

(*d*) Schultingius cenſet legendum *aliter reddas*: eo ſenſu ut, quod ex emptione aliâ-ve causâ debes, jam ſcripturâ illâ interveniente *aliter reddas*; id eſt, ex aliâ & novâ causâ, ex novo hoc litterarum contractu, obligeris ad reddendum. Et dicitur hæc Obligatio fieri *à re in perſonam*: quia non jam ex *re*, non jam ex contractu emptionis, debere incipis; ſed ex tuâ tantùm *perſonâ*, ex tuis litteris.

(*e*) Ita ut hæc nova perſona, volente & conſentiente me, hoc modo debitori meo quod debet expenſum ferat; ille autem erga eum ſe obliget, ſcribendo EXPENSUM TULISTI [*Vous êtes en avance avec moi de tant*].

(*f*) *Quatenùs* [id eſt, quia] *placuit* talem ſcripturam, eamdem vim habere quam habet ſtipulatio novationis. Et ſicut in novatione quis ex ſolemnibus verbis, ſeu potiùs ex oratione quam ſolemnium verborum pronuntiatio exprimit, obligatur; ita in hoc contractu, per litteras, aut potiùs per orationem quam ſolemnes litteræ exprimunt, obligatur.

(*g*) Id eſt, ſi velim tibi demonſtrare quomodo fiat ſtipulatio.

(*h*) Quarum ſolemnitas deſiderabatur in alienationibus omnibus quæ per *Mancipationem* fiebant. Hæ [inquam] emptiones ſimulatæ, ſicut & cæteri contractus ſimulati, omni Juris vinculo carent; cùm deficiat conſenſus. Hinc V. G. quamvis talis emptio ſimularetur in donatione per mancipationis ſolemnitatem factâ; non indè tamen, quaſi *Ex empto*, competebat actio donatario.

Source : BIU Cujas

deſcendunt, referenda ſunt ea omnia in quibus citra contractum aut maleficium obligatur quis, vel ex Lege, vel ex ſolâ æquitate. Præcipuè verò his verbis deſignavit Gaius eas Obligationes quæ naſci dicuntur Quaſi ex contractu, & Quaſi ex maleficio.

Harum innumera genera ſunt: ex quibus quædam tantùm exempli causâ hic ſubjecit.

XIV.

Et ad QUASI-CONTRACTUS *quidem quod attinet; prima eorum ſpecies, Negotia geſta ſine mandatu.*

Enimverò Si quis abſentis negotia geſſerit: ſi quidem ex mandatu; palàm eſt ex contractu naſci inter eos actiones MANDATI, quibus invicem experiri poſſunt de eo quod alterum alteri ex bonâ fide præſtare oportet. Si verò ſine mandatu; placuit quidem ſanè eos invicem obligari: eoque nomine proditæ ſunt actiones, quas appellamus NEGOTIORUM GESTORUM; quibus æquè invicem experiri poſſunt, de eo quod ex bonâ fide alterum alteri præſtare oportet. Sed neque ex contractu, neque ex maleficio, [hæ] actiones naſcuntur. Neque enim is qui geſſit, cum abſente creditur ante contraxiſſe: neque ullum maleficium eſt, ſine mandatu ſuſcipere negotiorum adminiſtrationem. Longè magis (*a*) is cujus negotia geſta ſunt, ignorans aut contraxiſſe aut deliquiſſe intelligi poteſt. Sed utilitatis causâ receptum eſt, invicem eos obligari. Ideò autem id ita receptum eſt; quia plerùmque homines eo animo peregrè proficiſcuntur, quaſi ſtatim redituri; nec ob id ulli curam negotiorum ſuorum mandant; deinde novis cauſis intervenientibus, ex neceſſitate diutiùs abſunt: quorum negotia diſperire iniquum erat. Quæ ſanè diſperirent; ſi vel is qui obtuliſſet ſe negotiis gerundis, nullam habiturus eſſet actionem de eo quod utiliter de ſuo impendiſſet; vel is cujus geſta eſſent, adversùs eum qui invaſiſſet negotia ejus, nullo Jure agere poſſet. *l.* 5. GAIUS LIB. 3. AUREORUM.

2ª. *Quaſi-contractûs ſpecies, Tutela. Nam* Tutelæ quoque judicio qui tenentur, non propriè ex contractu Obligati intelliguntur: nullum enim negotium inter tutorem & pupillum contrahitur. Sed quia ſanè non ex maleficio tenentur, quaſi ex contractu teneri videntur. Et hoc autem caſu mutuæ ſunt actiones: non tantùm enim pupillus cum tutore, ſed & contrà tutor cum pupillo habet actionem; ſi vel impenderit aliquid in rem pupilli; vel pro eo fuerit obligatus, aut rem ſuam creditori ejus obligaverit. *d. l.* 5. § 1.

3ª. *Quaſi-contractûs ſpecies, aditio hereditatis; per quam heres obligatur legatariis & fideicommiſſariis.*

Etenim Heres quoque qui legatum debet, neque ex contractu neque ex maleficio Obligatus eſſe intelligitur. Nam neque cum defuncto neque cum herede contraxiſſe quidquam legatarius intelligitur: maleficium autem nullum in eâ re eſſe, plus quàm manifeſtum eſt. *d. l.* 5. § 2.

4ª. *Quaſi-contractûs ſpecies, Indebitum. Et certè* Is quoque qui non debitum accipit per errorem ſolventis, Obligatur quidem quaſi ex mutui datione; & eâdem actione tenetur, quâ debitores creditoribus. Sed non poteſt intelligi is qui ex eâ causâ tenetur, ex contractu obligatus eſſe: qui enim ſolvit per errorem; magis diſtrahendæ Obligationis animo, quàm contrahendæ dare videtur. *d. l.* 5. § 3.

Quaſi-contractibus item adnumerat Juſtinianus Inſtitut. *lib.* 3. *Tit.* 28. *eas Obligationes quæ naſcuntur inter eos quibus res citra ſocietatem communis ſit; ut hereditas, legatum, &c.*

XV.

Ad varias cauſarum figuras referuntur etiam, ut ſuprà dictum eſt, Quaſi-delicta *vel Quaſi-maleficia. Tres duntaxat quatuor-ve horum ſpecies hîc deſignantur.*

Videlicèt 1°. Si judex litem ſuam fecerit (*b*); non propriè ex maleficio obligatus videtur (*c*). Sed quia neque ex contractu obligatus eſt, & utique peccaſſe aliquid intelligitur, licèt per imprudentiam; ideò videtur quaſi ex maleficio teneri. *d. l.* 5. § 4.

2°. Is quoque ex cujus cænaculo, vel proprio ipſius vel conducto vel in quo gratis habitabat, dejectum effuſum-ve aliquid eſt, ita ut alicui noceret; quaſi ex maleficio teneri videtur. Ideò autem non propriè ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerùmque ob alterius culpam tenetur (*d*) aut ſervi aut liberi. *d. l.* 5. § 5.

3°. Cui ſimilis eſt is qui eâ parte quâ vulgò iter fieri ſolet, id poſitum aut ſuſpenſum habet, quod poteſt ſi ceciderit alicui nocere.

Ideò (*e*) ſi filiusfamilias ſeorsùm à patre habitaverit; & quid ex cænaculo ejus dejectum effuſum-ve ſit, ſive quid poſitum ſuſpenſum-ve habuerit, cujus caſus periculoſus eſt; Juliano placuit, in patrem neque De peculio (*f*), neque Noxalem dandam (*g*) eſſe actionem, ſed cum ipſo filio agendum. *d.* § 5. ¶ *cui ſimilis.*

4°. Item exercitor navis aut cauponæ aut ſtabuli, de damno aut furto quod in nave aut cauponâ aut ſtabulo factum ſit (*h*), quaſi ex maleficio teneri videtur: ſi modò ipſius nullum eſt maleficium; ſed alicujus eorum quorum operâ navem, aut cauponam, aut ſtabulum exerceret. Cùm enim neque ex contractu ſit adversùs eum conſtituta hæc actio, & aliquatenùs culpæ reus eſt quod operâ malorum hominum uteretur: ideò quaſi ex maleficio teneri videtur. *d. l.* 5. § 6.

§ IV.

Quid in Contractibus aut Quaſi-contractibus præſtetur; dolus, an culpa, an caſus?

XVI.

De dolo & culpâ (quorum alterum modò vidimus Maleficia à Quaſi-maleficiis diſtinguere) quæritur pariter in Contractibus & Quaſi-contractibus, an & quando præſtari debeant: quæri poteſt & de caſu fortuito.

Circa quod generalis hæc regula tenenda eſt, dolum ſemper præſtari; caſum fortuitum, regulariter nunquàm: culpa autem, an & quæ præſtanda ſit, pendet id ex variâ negotiorum naturâ; vel in ſe duntaxat ſpectatâ; vel prout in illâ aut ſolius dantis, aut accipientis ſolius, aut utriuſque verſatur utilitas, ut jam ſuprà obiter vid. N. 8. *vel etiam pendet id ex conventione.*

Hæc autem omnia ita complectitur Ulpianus: Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam. Dolum tantùm (*i*) Depoſitum, &

(*a*) Legendum videtur *longè minùs*; aut ſaltem, mox infrà, negativè legendum *intelligi* NON *poteſt*.

(*b*) *Litem ſuam facere* eſt, litis Obligationem quæ in judicium deducta eſt, in ſe transferre; Judex enim, vice Rei quem malè abſolvit, tenetur Actori in æſtimationem litis; & contrà, quum reum iniquè condemnavit, reo tenetur ut condemnationis Obligationem in ſe transferat. Porrò hoc accipe de judicibus Pedaneis, & de minoribus Magiſtratibus putà municipalibus; non autem de majoribus Magiſtratibus quibus judices dandi jus eſt: hi enim non tenentur, ſi per inſcitiam Juris malè judicaverunt. Quâ autem actione minores judices teneantur, vide infrà lib. 50. Tit. *de Extraord. cognit.* Part. 2ª.

(*c*) Maleficium enim non intelligitur ſine dolo. Nec obſtat quòd actio *Legis Aquiliæ* refertur inter eas actiones quæ ex delicto naſcuntur; cùm tamen ex ſimplici culpâ competat, id eſt ex damno citra dolum dato. Dicendum eſt enim inter illas actiones eam recenſeri; non quòd ſemper, ſed quòd ſæpiùs ex delicto naſcitur, ſcilicet quum dolo damnum datum eſt.

(*d*) Vide Tit. *de His qui effud.* ſuprà lib. 9.

(*e*) *Ideò* nempè quia in duabus ſpeciebus præcedentibus quaſi delictum eſt. Vide Not. ſeq.

(*f*) Quia actiones *De peculio* ex contractibus aut quaſi-contractibus eorum qui noſtro juri ſubjecti ſunt, dantur; non ex eorum delictis: ut vid. ſuprà lib. 15. *de Pecul.* N. 30. Atqui filius hîc ex contractu aut quaſi-contractu non obligatur, ſed ex quaſi-delicto.

(*g*) *Noxales* enim actiones dantur ex delictis ſervorum, non ex delictis filiorum: ut vid. Tit. *de Noxal. act.* ſuprà lib. 9.

(*h*) Ab his quorum operâ ibi utitur. De quo vide Tit. *Furti adverſ. nautas.* infrà lib. 47.

(*i*) *Dolus* hîc latè accipitur, ut & latam culpam quæ dolo proxima eſt, contineat. Hæc duo duntaxat præſtantur in Depoſito, & in Precario; non autem culpa levis. In *Depoſito* ſi quidem nulla verſatur utilitas depoſitarii: in *Precario* id eſt proprium, ut à domino quum voluerit revocetur; adeòque ſatis eſt Dolum in eo præſtari.

Source : BIU Cujas

Precarium; dolum & culpam (*a*), Mandatum, Commodatum, Venditum, Pignori acceptum, Locatum, item Dotis datio, Tutelæ, Negotia gesta (in his quidem (*b*) diligentiam.) Societas & rerum communio, & dolum & culpam recipit.

Sed hæc ita; nisi si quid nominatim convenit, vel plùs vel minùs, in singulis contractibus. Nam hoc servabitur quod initio convenit; legem enim contractûs dedit. Excepto eo quod Celsus putat, non valere si convenerit ne dolus præstetur: hoc enim bonæ fidei judicio contrarium est, & ita utimur.

Animalium verò casus, mortes, quæ-que sine culpâ accidunt, fugæ servorum qui custodiri non solent (*c*), rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, à nullo (*d*) præstantur. *l.* 23. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 29. AD SABIN.

ARTICULUS III.

De personis inter quas contrahuntur Obligationes.

Ad Obligationem contrahendam, duas personas intervenire oportet; nimirùm eum qui Obligationem contrahat, & eum erga quem contrahatur. Et quidem eas esse personas oportet, quarum altera obligari, altera obligare possit; & inter quas Obligatio possit consistere.

§ I.

Quæ personæ Obligari possint.

XVII.

Obligari potest paterfamilias (*e*) suæ potestatis, pubes, compos mentis.

Pupillus sine tutoris auctoritate non Obligatur Jure Civili. *l.* 43. PAUL. LIB. 72. AD ED.

Imo Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, ne quidem Jure naturali (*f*) obligatur. *l.* 59. LICINNIUS-RUFIN. LIB. 8. REGULAR.

Multòminus obligari potest furiosus, ne quidem ex curatoris assensu.

Quædam tamen causæ excipiendæ sunt. Nimirùm Furiosus & pupillus, ubi ex re (*g*) actio venit, obligantur; etiam sine curatore, vel tutoris auctoritate. Veluti si communem fundum habeo cum his; & aliquid in eum impendero, vel damnum in eo pupillus (*h*) dederit: nam judicio COMMUNI DIVIDUNDO obligabuntur. *l.* 46. PAUL. LIB. 7. AD PLAUT.

Vide & legem 33. *ff.* Pro socio : *suprà lib.* 17. *d. tit. N.* 30.

SCHOLIUM.

Quod modò dictum est, Pupillum sine tutoris auctoritate ne naturaliter quidem obligari, idem prorsùs dicitur in l. 41. *ff.* de Condict. indeb. (*suprà lib.* 12. d. tit. *N.* 4.) *ubi etiam repetitio ejus quod ex hâc causâ solverit, ipsi conceditur* : QUIA NEC NATURA DEBET.

Quocircà celebris quæstio est; an de his tantummodò pupillis qui non sint pubertati proximi, an de quibuslibet indistinctè qui locupletiores facti non sint, id intelligendum sit? Rursùs, quonam sensu intelligendum; an absolutè, an duntaxat ratione effectuum quos Obligatio naturalis adversùs pupillum ipsum parere potest?

I. Nonnulli rem ita conciliari posse censent, quâdam subtilitate simul & æquitate; ut in pupillis quibuslibet, sive pubertati proximis sive non, in quantùm locupletiores facti sunt Obligatio naturalis contrahatur; quæ omnes naturalis Obligationis effectus, etiam contra pupillum pariat. In eo verò qui locupletior non est factus; si quidem pubertati proximus sit, naturalis item Obligatio subsit cum suis qui huic inesse possunt effectibus, sed qui nulli sint contra pupillum ipsum: quòd si non sit proximus pubertati, nec probè intelligat quid acti sit; nulla eo casu nec naturalis subesse Obligatio intelligatur.

Non ex eo igitur solo quòd pupillus locupletior factus sit vel non, volunt illi eum ex contractibus suis naturaliter obligari. Nituntur l. 21. *ff.* Ad L. Falcid. *& aliis similibus; in quibus simpliciter & indistinctè mentio sit de* NATURALI OBLIGATIONE *pupilli, sine tutoris auctoritate contractâ.*

Addunt illi, fidejussores pro pupillo sine tutore contrahente obligari; l. 127. *ff.* de Verb. oblig. *quod fieri non posset, nisi subsit aliqua hujus pupilli Obligatio naturalis cui fidejussor accedat: item quod in l.* 1. § 1. *ff.* de Novationib. *apertè dicitur, quamlibet Obligationem novari posse;* Dummodò sequens Obligatio teneat *vel* NATURALITER; ut putà, si pupillus sine tutoris auctoritate promiserit: *in quibus legibus id nequaquàm additur*, Si locupletior sit factus. *Denique lex* 95. § 2. *ff.* de Solution. *in specie quâ quis heres pupillo factus est cui pecuniam mutuam* Crediderat *sine tutoris auctoritate, ait additionem hereditatis eo casu* Pro solutione cedere : CREDITUM *autem &* SOLUTUM *absque* DEBITO *non intelligitur; & tamen ibi,* Non quantò locupletior pupillus factus est, *sed* IN SOLIDUM *creditor ex hereditate pupilli* creditum suum retinet.

Textus igitur suprà oppositos, in quibus NEC naturaliter Obligari *dicitur, vel de his duntaxat pupillis accipiendos esse qui non sint proximi pubertati; vel etiam (ut vult Vinnius) eo sensu quòd hæc Obligatio naturalis nullos in Jure contra pupillum effectus habeat. Cùm ergo (inquiunt) Obligatio hujusmodi, pupillis nullatenùs nocere possit; quantùm ad ipsos nulla est; aut saltem non attenditur, quasi nulla sit: atque hinc, nec aufertur ipsis repetitio ejus quod ex hâc causâ solverint, nec adversùs eos ex hâc causâ compensatio tribuitur; idem dic de cæteris effectibus Obligationis naturalis. Cæterùm subest nihilominùs in pupillorum personâ hæc naturalis Obligatio, quæ Juris effectum adversùs alios quoslibet habere possit: ut V. G. huic Obligationi fidejussores possint accedere; ut pupillo expromittente, veteris debitoris Obligatio consumatur adversùs creditorem (is nempè sibi imputet, quòd cum pupillo absque tutore novaverit): ut denique vel Pignori vel Constituto locum det; aliisque si qui sint, modò non contra pupillum ipsum, Obligationis naturalis effectibus.*

II. Contrà Cujacius, in pupillo sine tutoris auctoritate contrahente (cujuscumque ætatis sit) si locupletior non sit factus, nullam agnoscit Obligationem naturalem; cui aut fidejussores accedere possint, aut quæ possit priorem Obligationem per novationem consumere. Fingendum igitur (inquit) in sup. d. l. 1. *ff.* de Novation. *pupillum promisisse ex delegatione creditoris sui, ut ab ipso liberaretur; adeòque ex hâc expromissione locupletiorem esse factum. Quod pariter subaudiendum in omnibus passim similibus textibus. Nec obstat quòd in iis qui modò supra oppositi sunt, in quibus aliquis Obligationi pupilli tribuitur effectus, ipsa tamen exhibetur tanquam solo Jure naturali subnixa; & ex quâ* NULLA PETITIO EST, *ut expressè dicitur in sup. d. l.* 127. *ff.* de Verb. oblig. *Etsi enim hoc minimè dici posse videatur*

(*a*) Intellige de culpâ levi: & ratio est quia in iis qui sequuntur contractibus, utriusque contrahentis versatur utilitas; exceptio tamen Commodato, in quo [cùm accipientis solius versetur utilitas] etiam levissima culpa præstanda est. Excipienda quoque est causa Mandati; in quo, etsi plerùmque solius mandantis versetur utilitas, tamen culpa levis & levissima interdum ei præstanda est: quia is qui negotium suscipit, diligentiam huic gerendo parem in se suscipere videtur.

(*b*) Id est, in *Negotiis gestis*; cùm ultrò quis se offerat ad aliena negotia, diligentiam seu culpam levissimam præstare tenetur.

(*c*) Puberes scilicet, & integræ opinionis.

(*d*) Excipe; nisi culpa aut mora præcesserit, aut pactum intervenerit.

(*e*) Non hoc dicit ad excludendum filiumfamilias; quem etiam obligari posse constat exceptâ mutui causâ: ut mox infrà videb.

(*f*) Hoc sensu, ut ne quidem Obligationis naturalis affectum habeat. Excipe, nisi pupillus locupletior factus sit: nam eatenùs obligatur naturaliter, imò & actio in ipsum [post Rescriptum Divi Pii] competit. Vide *Scholium* mox infrà.

(*g*) Ex quasi-contractu; in quo nempè, citra consensum ejus qui obligatur, Obligatio nascitur. Vide Art. præced. §°. 3°.

(*h*) Ejus ætatis quæ doli capax est.

Source : BIU Cujas

in pupillis qui locupletiores facti sunt ; cùm eo casu, Utilis saltem actio in ipsos detur post Constitutionem Divi Pii : sciendum tamen est (inquit Cujacius) Jurisconsultos interdum id suis libris relativè ad priscum summumque Jus disputâsse. Porrò in specie propositâ, ante Divum Pium id Juris obtinebat ; ut etiam in pupillo locupletiori facto, sola naturalis Obligatio, & intrà fines merè naturalis debiti consistens, attenderetur. In eo autem qui locupletior factus non est, nulla intelligi potuit, neque ante neque post Rescriptum Divi Pii, vel naturalis Obligatio.

Longè fortiùs sibi objicit ipse Cujacius verba suprà dicta legis 95. § 2. *ff.* de Solution. *Verùm hæc alio omninò sensu accipienda esse fusiùs ostendemus suo loco infrà* d. tit. *Part.* 4ª. *Similiterque dicendum de lege* 25. 1. § 1. *ff.* Quando dies legat. *Nam licèt in hoc ipsum videatur expressa, quòd* Si pupillus sine tutoris auctoritate nummos accepisset, NEC LOCUPLETIOR FACTUS ESSET, *tamen* Naturalem Obligationem *contraxisse intelligitur : in eâ tamen lege (ut idem Cujacius observat, & nos post ipsum notavimus ad h. l. in Tit.* de Cond. & dem. *N.* 45.) *prorsùs abest ab Archetypo Florentino particula* NEC ; *potiùsque legendum*, Et locupletior &c. *Vide Cujacium ad d. l. & ad l.* 127. *ff.* de Verb. oblig.

III. Et certè, quum quæritur de Obligatione pupilli ; non in hoc quæstio est, quid illa In foro (*ut aiunt*) conscientiæ *parere possit ; sed quos civiliter & in Jure effectus habere debeat : ita ut omninò dicendum sit, nullam esse in pupillo nec naturalem Obligationem ; si eos quos civiliter parit Obligatio naturalis effectus, Jura in pupillo non agnoscant. Atqui talis est Obligatio sine tutoris auctoritate contracta, ex quâ pupillus nec locupletior factus est. Etenim in specie hujusmodi (uno verbo) solutum repetere potest quasi indebitum, etsi Major factus per errorem solverit : quod sanè quasi pro monstro est, si vel minima subsit in personâ pupilli, & quam vel naturalem dicere fas sit, Obligatio. Sed & monstri simile id videtur ; quod in Obligatione illâ quam vocant naturali adstruere conantur, contraria Cujacio sentientes ; illam nempè suos omnes contra quemlibet alium quàm pupillum sortiri effectus ; dum pupillus ipse, in cujus personâ inhæret hujus Obligationis veluti fundamentum & substantia, his omnibus effectibus impunè subtrahitur. Id, inquam, videtur vix posse concipi. Atque hinc est quòd, etsi nostrum non sit tantam inter Doctores utrimque consultissimos litem componere ; in nostro tamen Opere ubique sententiam Cujacii, utpotè longè magis probabilem secuti sumus. De cætero, Lectoris esto judicium.*

XVIII.

Inter furiosos de quibus suprà, cæterosque qui mentis compotes non sunt, annumerantur etiam prodigi quibus bonis interdictum est.

Hinc Pomponius : Furiosi, vel ejus cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est. *l.* 40. *ff. de Reg. Jur.* POMPON. LIB. 34. AD SABIN.

XIX.

Morbi autem & vitia corporis, non impediunt quominùs quis pacisci & Obligari possit.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Sanum mente, licèt ægrum corpore, rectè transigere manifestum est. Nec postulare debueras improbo desiderio, placita rescindi ; valetudinis corporis adversæ velamento. *l.* 27. *Cod. de Transact.*

Hinc etiam In quibuscumque negotiis sermone opus non est, sufficiente consensu ; iis etiam surdus intervenire potest, quia potest intelligere & consentire : veluti in locationibus-conductionibus, emptionibus, & cæteris. *l.* 48. PAUL. LIB. 16. AD PLAUT.

XX.

Hactenùs de patribusfamilias. Similiter autem, exceptâ ex SCto Macedoniano causâ mutui, Filiusfamilias ex omnibus causis tanquàm paterfamilias Obligatur ; & ob id agi cum eo tanquàm cum patrefamilias potest. *l.* 39. GAIUS LIB. 3. AD ED. PROVINC.

Hinc V. G. Si filiusfamilias rem vendiderit mihi, & tradiderit ; sicut paterfamilias tenebitur. *l.* 6. § 7. *ff. de Act. empt.* POMPON. LIB. 9. AD SABIN.

XXI.

Servus autem ex contractibus non Obligatur. *l.* 43. ¶ *fin.* PAUL. LIB. 70. AD ED.

Enimverò IN personam servilem nulla cadit Obligatio (*a*). *l.* 22. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 28. AD SABIN.

Hinc Antoninus. Creditoribus tuis qui tibi in servitute mutuam pecuniam crediderunt, nulla adversùs te actio competit ; maximè (*b*) cùm peculium tibi non esse legatum proponas. *l.* 2. *Cod. An servus pro suo facto &c.*

Hinc Scævola. Mulier Herede instituto marito, per fideicommissum libertatem servis dedit ; in quibus & Sticho actori mariti. Quæsitum est ; cùm absente domino isti Præsidem provinciæ adierint, ut libertas sibi præstaretur (*c*) quasi ex justâ causâ heres abesset, & Præses provinciæ pronuntiaverit libertatem deberi : an agi cum Sticho possit, ut rationem actûs à se administrati reddere compellatur ? Respondit, Non posse. *l.* 19. *ff. de Fideic. libert.* SCÆVOLA LIB. 24. DIGEST.

Simile est quod rescribit Gordianus. Si (ut allegas) antequàm à domino manumittereris, fundos ejus coluisti ; posteaque, adempto peculio, libertate donatus es : ob reliqua, si qua pridem contracta sunt, res bonorum quas postea propriis laboribus quæsiisti, inquietari minimè possunt. *l.* 5. *Cod. An servus pro suo facto &c.*

Consonat quod ante rescripserant Severus & Antoninus. Quamvis cum statulibero contraxeris ; tamen ex ante gesto te non habere cum eo, post impletam conditionem libertatis, actionem scire debes. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

Uno tamen casu datur actio IN FACTUM *adversùs manumissum, ex eo quod in servitute contraxit. Ita enim rescribit Alexander :* Promissæ tibi pecuniæ à servo tuo ut eum manumitteres, si posteaquàm manumisisti, stipulatus ab eo non es ; adversùs eum petitionem, per IN FACTUM (*d*) actionem, habes. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

XXII.

Quod hactenùs diximus servos non Obligari, accipe de Obligatione civili, non de naturali : & quod diximus non posse eos post manumissionem conveniri ; accipe de casu quo ex contractu Obligati sunt, non si ex delicto.

Hinc Ulpianus. Servi ex delictis quidem Obligantur ; & , si manumittantur, obligati remanent (*e*) : ex contractibus autem civiliter quidem non Obligantur, sed naturaliter & obligantur & obligant. Denique si servo qui mihi mutuam pecuniam dederat, manumisso solvam ; liberor (*f*). *l.* 14. ULP. LIB. 7. DISPUT.

Hinc Si tuo servo credidero, eumque rademero, & is manumissus mihi solverit ; non repetet (*g*). *l.* 83. *ff. de Solutionib.* POMPON. LIB. 14. EX VARIIS LECTION.

Circa id autem quod dicimus, servum ex suis delictis obligari ; observandum, non videri servum delinquere in his quæ jussu domini facit. Quod tamen de minoribus duntaxat delictis accipe.

Hinc Alfenus. Servus non in omnibus rebus, sine pœnâ domino audiens esse solet ; sicuti si dominus hominem occidere, aut furtum alicui facere servum jussisset. Quare, quamvis domini jussu servus piraticam

(*a*) Civilis scilicet : nam Jure civili pro nullis habentur. At obligantur naturaliter.

(*b*) Sed & eo casu quo legatum esset manumisso peculium ; non adversùs eum ; sed adversùs heredem ex sententiâ Proculeianorum annalis actio *de Peculio* competeret. Vide suprà lib. 15. Tit. *de Pecul.* N. 41. cum Notis.

(*c*) Ex SCto Junciano : de quo suprà lib. 40. Tit. *de Fideic. libert.* N. 54.

(*d*) Etsi stricto Jure nulla hoc casu actio competat ; tamen, quia iniquum esset dominum decipi, hæc actio *In factum* datur.

(*e*) Ratio est, quia NOXA *caput sequitur.* Vide suprà lib. 9. Tit. *de Noxal. act.*

(*f*) *Liberor* ab illo : undè sequitur me illi fuisse obligatum naturaliter. *Liberor* etiam ab ipsius domino, cui civiliter eram obligatus : potui enim ei manumisso solvere, si aut peculium servo concessum est, aut ignoravi ademptum ; ut videb. infrà lib. 46. *de Solution.* Part. 2ª. Art. 3. §°. 4°.

(*g*) Indicium est obligationis naturalis, quòd solutum ex eâ causâ non repetatur.

Source : BIU Cujas

feciſſet, judicium in eum poſt libertatem reddi oportet. Et quodcumque vi feciſſet, quæ vis à maleficio non abeſſet, ita (*a*) oportet pœnas eum pendere. Sed ſi aliqua rixa ex litibus & contentione nata eſſet, aut aliqua vis juris retinendi causâ facta eſſet, & ab his rebus facinus abeſſet; tum non convenit Prætorem, quod ſervus juſſu domini feciſſet, de eâ re in liberum judicium dare. *l.* 20. ALFENUS LIB. 2. DIGEST.

§ II.

Erga quas perſonas Obligatia contrahi poſſit.

XXIII.

Non ſolùm erga rationis compotes, ſed & ergà rationis expertes contrahi poteſt Obligatio. Nam Si à furioſo, quum eum compotem mentis eſſe putarem, pecuniam quaſi (*b*) mutuam acceperim; eaque in rem meam (*c*) verſa fuerit: Condictio (*d*) furioſo adquiritur. Nam ex quibus cauſis ignorantibus nobis actiones adquiruntur, ex iiſdem etiam furioſi nomine incidit agi poſſe. Veluti quum ſervus ejus ſtipulatur; quum furtum ei fit, aut damnum ei dando, in Legem Aquiliam committitur, aut ſi fortè, quum creditor fuerat, fraudandi ejus causâ debitor alicui rem tradiderit (*e*). Idemque erit, ſi legetur ei, vel fideicommiſſum ei relinquatur. *l.* 24. POMPON. LIB. SINGUL. REGULAR.

Et rursùs. Si à furioſo, quum eum compotem mentis eſſe putares, pecuniam quaſi mutuam acceperis; eaque in rem tuam verſa fuerit; Condictionem furioſo adquiri Julianus ait. Nam ex quibus cauſis ignorantibus, ex iiſdem etiam furioſo adquiri. *l.* 12. *ff. de Reb. cred.* POMPON. LIB. 6. EX PLAUTIO.

Item ſi is qui ſervo alieno crediderat, furere cœperit; deindè ſervus in rem domini id quod mutuum acceperat, verterit: furioſo Condictio (*f*) acquiritur. *ſup. d. l.* 24. § 1.

Item ſi alienam pecuniam credendi causâ quis dederit, deinde compos mentis eſſe deſierit; poſteà conſumptâ eâ (*g*), furioſo Condictio adquiritur. *d. l.* 24. § 2.

Et qui negotia furioſi geſſerit, Negotiorum geſtorum ei obligatur. *d. l.* 24. § 3.

XXIV.

Erga eos qui alieni juris ſunt, ſi caſtrenſis peculii cauſam excipias, Obligatio non contrahitur; cùm nihil proprium habere poſſint: ſed per illos contrahitur, erga eos quorum juri ſubditi ſunt.

Quinetiam, ſi ſubtilitatem Juris ſequamur; ex eo quod quis dum alieni juris eſſet, contraxit, etiamſi in id tempus quo jam ſui juris factus eſt, Obligatio incideret, adquiri ei Obligatio non poteſt. Hinc regula Juris: QUOD quis dum ſervus eſt egit, proficere libero facto non poteſt. *l.* 146. (*Aliàs* 188.) *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 62. AD ED.

Benignè tamen obtinuit, ut hoc caſu Utilis actio accommodaretur.

Exemplum in promptu eſt. Si filiofamilias mandavero ut pro me ſolveret, & emancipatus ſolvat; verum eſt, IN FACTUM (*h*) actionem filio dandam: patrem autem poſt emancipationem ſolventem, Negotiorum geſtorum (*i*) actionem habere. *l.* 12. § 6. *ff. Mandati.* ULP. LIB. 31. AD ED.

Aliud exemplum affert Africanus Utilis *actionis ex contractu filiifamilias ipſi jam patrifamilias facto competentis. Ita ille:* Quidam quum filiumfamilias heredem inſtituere vellet, ne ad patrem ejus ex eâ hereditate quidquam perveniret, voluntatem ſuam expoſuit filio. Filius, cùm patris offenſam vereretur, petiit à teſtatore, ne ſub conditione SI A PATRE EMANCIPATUS ESSET, heredem eum inſtitueret; & impetravit ab eo, ut amicum ſuum inſtitueret; atque ita teſtamento, amicus filii, ignotus teſtatori, heres inſtitutus eſt; nec quicquam ab eo petitum eſt. Quærebatur, ſi ille amicus aut adire nollet, aut aditam nollet reſtituere hereditatem; an fideicommiſſum ab eo peti poſſit, aut aliqua actio adversùs eum eſſet; & utrùm patri, an filio competeret? Reſpondit: Etiamſi manifeſtum ſit, ſcriptum heredem fidem ſuam interpoſuiſſe; non tamen aliter ab eo fideicommiſſum peti poſſe, quàm ſi & ipſum teſtatorem fidem ejus ſecutum eſſe probaretur. Si tamen, quum à filiofamilias rogaretur amicus, & aditurum ſe hereditatem recepiſſet, & reſtituturum patrifamilias facto; non abſurdè dici poſſit, MANDATI actionem futuram: & eam actionem patri inutilem fore; quia non ſit ex bonâ fide, id ei reſtitui quod teſtator ad eum pervenire noluerit. Sed nec filio vulgarem (*k*) competituram, verùm Utilem; ſicuti dare placeret ei, qui quum filiusfamilias eſſet, pro aliquo fidejuſſiſſet, ac paterfamilias factus ſolviſſet. *l.* 46. *ff. de Heredib. inſtit.* AFRICANUS LIB. 2. QUÆST.

Adhuc aliud exemplum habes actionis filiofamilias conceſſæ jam patrifamilias facto, ex re quæ dum filiusfamilias eſſet, accidit.

Enimverò Si filiofamilias furtum factum (*l*) eſſet; rectè is, paterfamilias eo nomine aget. Sed & ſi res ei locata ſubrepta fuit, paterfamilias factus itidem agere poterit. *l.* 58. (*Aliàs* 60.) *ff. de Furtis.* JULIAN. LIB. 4. AD URSEIUM-FEROCEM.

§ III.

De perſonis inter quas ad invicem Obligatio contrahi non poteſt.

XXV.

Inter perſonas quarum altera alterius juri ſubjecta eſt, ſi cauſam caſtrenſis peculii excipias, Obligatio contrahi non poteſt.

Hinc pater Si ſtipulanti filio ſpondeat; ſi quidem ex causâ peculii caſtrenſis, tenebit ſtipulatio: cæterùm ex quâlibet aliâ causâ non tenebit. *l.* 15. § 1. *ff. de Caſt. pecul.* PAPIN. LIB. 35. QUÆSTION.

Vice versâ Si pater à filio ſtipulatur, eadem diſtinctio ſervabitur. *d. l.* 15. § 2.

Hinc pariter Inter patrem & filium contrahi emptio non poteſt; ſed de rebus caſtrenſibus poteſt. *l.* 2. *ff. de Contrah. empt.* ULP. LIB. 1. AD SABIN.

Sed ſi filius meus qui habet caſtrenſe peculium, furtum mihi fecerit; an poſſim actione Utili adversùs eum agere, videndum eſt? cùm habeat undè ſatisfaciat. Et poteſt defendi, agendum. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 5. *ff. de Furtis.* ULP. LIB. 37. AD ED.

An autem pater filio teneatur, ſi rem ejus caſtrenſis peculii ſubtraxerit, videamus? Et putem teneri. Non tantùm igitur furtum faciet filio, ſed etiam Furti tenebitur. *d. l.* 52. § 6.

XXVI.

Multò magis inter dominum & ſervum nulla contrahi

(*a*) Bynkeshoeck notat, *Ita* hîc accipi pro *Tunc*: quod multis exemplis probat, tam ex legibus, quàm ex Latinis ſcriptoribus.

(*b*) Dicit *quaſi*: neque enim Mutuum, ullus-ve alius contractus cum furioſo intervenire poteſt; cùm non poſſit conſentire.

(*c*) Nam ſi eam non conſumpſiſſem, ſed adhuc extaret; nulla Obligatio naſceretur; ſed pecunia vindicari à furioſo poſſet.

(*d*) *Condictio certi*, perindè ac ſi reverà mutuum interveniſſet.

(*e*) Quo caſu naſcitur ignoranti actio Pauliana: de quâ ſuprà lib. 42. Tit. *Quæ in fraud. credit.*

(*f*) Actio *De in rem verſo.*

(*g*) Antequàm conſumpta fuiſſet, non conſiſtebat mutuum. Vide ſuprà lib. 12. Tit. *de Reb. cred.*

(*h*) Non *Directam*, ſed *In factum*; quia alieni juris erat quum contraxit.

(*i*) Non *Mandati*: nec enim ei per filium acquiri potuit actio *Mandati*; antequàm ex causâ mandati impenderetur; cùm hæc actio *Contraria Mandati* tunc demùm naſcatur quum impenditur: nec acquiri potuit quum impenſum eſt; quia jam ſui juris erat filius.

(*k*) Id eſt, *Directam.*

(*l*) Rei quæ ſit ejus periculo; putà rei ipſi locatæ, ut mox ſubjicit. Hæc actio patri non acquiritur, cùm periculum patrem non ſpectet, & actio detur ei cujus periculo erat res quæ ſurrepta eſt: filio autem familias, cujus res periculo erat, datur. Hanc tamen dum filiusfamilias eſt, nonniſi abſente patre, aut ſi præſens eſt nonniſi ex ejus voluntate, movere poteſt: paterfamilias factus poteſt. Ita Cujac.

Source : BIU Cujas

Obligatio poteſt. Hinc Diocletianus & Maximianus: Quoniam eum cum quo te tranſegiſſe commemoras, ex ancillâ tuâ natum ſervum tuum eſſe adſeveras : ſi vera ſunt quæ precibus complexus es, alia ratio pactum reformat. Nec enim dubii Juris eſt, dominos cum ſervis ſuis paciſcentes, ex placitis teneri atque Obligari non poſſe. *l.* 13. *Cod. de Tranſact.* ¶ *ſed quoniam.*

Hinc etiam Ulpianus. Sed & nomine earum rerum quas dominicas ſervus manumiſſus ſupprimebat, competunt adversùs eum actiones Ad exhibendum, & Furti, & Condictio : videlicèt quoniam & manumiſſus eas contrectabat. Cæterùm ex delicto in ſervitute facto, domino adversùs eum poſt libertatem actio non competit. Et hoc Reſcripto Divi Severi continetur. *l.* 11. ¶ *ſed &. ff. de Minorib.* ULP. LIB. 11. AD ED.

XXVII.

Hactenùs de perſonis quarum altera alterius juri ſubdita eſt.

Quid autem, ſi alter alteri bonâ fide ſerviat?

Liber homo qui bonâ fide ſervit mihi, quod ſtipulanti mihi promittit, propè eſt ut omnimodo ſit utile ; quamvis ex re meâ promittat. Nam quid aliud dici poteſt, quominùs liber homo teneatur? Nec tamen ideò, ſi ſtipulanti eidem ex eâdem causâ ſpondeam, tenebor. Quemadmodum etenim habebit ejus actionem adversùs me, quod ab alio ſtipulatus quæreret (*a*) mihi? Hoc itaque latere (*b*), fructuario ſervo, vel alieno qui bonâ fide ſervit, comparabitur : ſervus autem fructuario ſi promittat ex re ipſius, vel alienus qui bonâ fide ſervit emptori; nulla De peculio dabitur in dominum actio (*c*). Nam in his cauſis, eſſe (*d*) intelliguntur. *l.* 118. *ff. de Verb. obligat.* PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

Pariter Modeſtinus. Idem promittendo nobis liber homo qui bonâ fide nobis ſervit, ut emendo vel vendendo vel locando vel conducendo, Obligari ipſo Jure poterit. *l.* 54. § 1. *ff. de Acquir. rer. dominio.* MODEST. LIB. 31. AD Q. MUCIUM.

Sed damnum dando, Damni injuriæ tenebitur; ut tamen culpam in damno dando exigere debeamus graviorem, nec tam (*Florent.* tamen) levem quàm ab extraneo. *d. l.* 54. § 2.

At ſi juſſu noſtro quid in re noſtrâ gerant, vel abſentibus nobis quaſi procuratores aliquid agant; danda erit in eos actio (*e*), non ſolùm ſi eos emerimus : ſed etiam ſi donati fuerint nobis, aut ex dotis nomine aut ex legati pertinere ad nos cœperunt, aut ex hereditate; idem præſtabunt. Nec ſolùm ſi noſtros putaverimus, ſed & ſi communes aut fructuarios : ut tamen, quod adquiſituri non eſſent ſi reverâ communes aut uſuarii eſſent, id hodièque non adquirant. *d. l.* 54. § 3.

§ IV.

An per alium poſſimus nobis aliquem Obligare.

XXVIII.

Non ſolùm per noſmetipſos, ſed & per eos quos in poteſtate noſtrâ habemus; item ex certis cauſis per eos quorum uſumfructum habemus, aut eos quos bonâ fide poſſidemus, poſſumus nobis aliquem obligare. Ut enim dominium, ita etiam jus obligationis nobis per illos adquiritur : de quâ re videb. infrà lib. 45. *Tit.* de Stipul. ſerv.

Per extraneas autem perſonas, nullo modo poſſumus jus Obligationis adquirere. Hinc Ulpianus. Etſi poſſeſſio per procuratorem ignoranti quæritur, uſucapio verò ſcienti competit ; tamen evictionis actio domino contra venditorem invito procuratore non datur (*f*) : ſed per actionem Mandati, eâ cedere cogitur. *l.* 49. § 2. *ff. de Acquir. poſſeſſ.* PAPIN. LIB. 2. DEFINIT.

XXIX.

Non poteſt quidem ulla Obligatio actioque per extraneam procuratoris perſonam adquiri abſenti. Verùm Si procuratori præſentis fuerit cautum; Ex ſtipulatu actionem Utilem domino competere, nemo ambigit. *l.* 79. *ff. de Verb. oblig.* ULP. LIB. 70. AD ED.

Uno caſu, etiam abſenti per procuratorem actio quæritur; ſcilicet in contractu mutui. De quâ re vide ſuprà lib. 12. *Tit.* de Reb. cred. *N.* 22.

§ V.

An per alium Obligari poſſimus.

XXX.

Jure Civili nullo caſu per alium Obligamur, niſi per eum cui heredes exiſtimus. Jure autem Prætorio, nonnullis ex cauſis per alium obligamur; quæ referuntur ſuprà lib 14. *&* 15. *Tit.* de Pecul. *Tit.* de Exercit. act. *Tit.* de Inſtit. act. *&c.*

ARTICULUS IV.

De accidentalibus Obligationum, ſcilicet de die, conditione, modo, & acceſſione.

XXXI.

Obligationum ferè quatuor cauſæ (*g*) ſunt: aut enim dies in his eſt, aut conditio, aut modus; aut acceſſio. *l.* 44. PAUL. LIB. 74. AD ED. PRÆTORIS.

§ I.

De Obligationibus EX DIE, *&* AD DIEM; *& quando dies* Cedere *aut* Venire *dicatur in Obligationibus.*

XXXII.

Circa diem duplex inſpectio eſt. Nam vel ex die incipit Obligatio, aut conferturin diem.

EX DIE; veluti, Kalendis Martiis dare ſpondes? Cujus natura hæc eſt, ut ante diem non exigatur. *d. l.* 44. § 1.

Ex die incipit Obligatio ; non ſolùm quum certa dies adjecta eſt, ut in ſpecie præcedenti ; ſed & quum certum temporis ſpatium ſolutioni præfinitur. Neque enim priùs incipit exigi poſſe, quàm ex eo die quo elapſum fuerit hoc temporis ſpatium. Hinc V. G. Quod quis aliquo anno dare promittit, aut dare damnatur; ei poteſtas eſt quolibet ejus anni die dandi. *l.* 50. POMPON. LIB. 7. EX PLAUTIO.

Quod autem dicimus certo die adjecto, incipere ex die Obligationem; ſic accipe, ut ex eo demùm die efficax illa eſſe incipiat : ita ut ante hanc diem exigi non poſſit. Cæterùm is dies adjectus non impedit quominùs mero Jure, ſtatim atque contractum eſt, naſcatur Obligatio ; ſtatimque debeatur, quamvis nondum exigi poſſit.

XXXIII.

Quid porrò de alterâ adjectione, ſcilicet ut IN DIEM *aut uſque* AD DIEM *debeatur? De hâc ita pergit Juriſconſultus:*

(*a*) Sicut enim quod ab alio ex re meâ ſtipulatur, mihi acquirit ; eâdem ratione, & quod à me ſtipularetur, mihi acquireret : non poſſum autem erga me ipſum teneri.

(*b*) Id eſt, in hâc parte, in eâ re.

(*c*) Adverſari videtur lex 57. § fin. ff. *de Pecul.* in quâ dicitur ; fructuario qui mutuam pecuniam dedit ſervo in quo uſumfructum habebat, dari actionem *de Peculio* in dominum, deducto eo quod eſt in peculio fructuarii. Cujacius ait legem oppoſitam ſic debere accipi, ut intelligatur ſervus hanc pecuniam nomine domini mutuam accepiſſe. Hanc ſolutionem ſequuntur Pacius & alii : mihi verò divinatoria prorsùs videtur. Malum ſic intelligere uti, quod hìc dicitur nullam in dominam actionem dari, ita obtineat quandiù ſuppetit peculium quod ad fructuarium pertinet.

(*d*) Fructuarius & bonæ fidei poſſeſſor. Ratio diſparitatis igitur inter liberum hominem, & ſervos fructuarios aut alienos, bonâ fide poſſeſſos, hæc eſt ; quòd liber homo perſonam habet, in quam civilis Obligatio cadere poteſt : nihil igitur obſtat quominùs ex ſua promiſſione obligetur. Illi autem ſervi perſonam non habent, nec ipſi poſſunt Obligari : naſcitur duntaxat ex illorum contractu actio *De peculio* adversùs illorum dominos, eos-ve qui illorum domini intelliguntur. Porrò in his cauſis, non tam proprietatis dominus, quàm fructuarius poſſeſſor-ve bonæ fidei *Intelliguntur domini eſſe.*

(*e*) *Negotiorum geſtorum.* Vid. ſuprà lib. 3. Tit. *de Negot. geſt.* N. 8.

(*f*) Ex contractu enim procuratoris, actio ipſi procuratori quæritur, non autem domino negotii.

(*g*) *Cauſa* hìc accipitur longè diverſo ſenſu ac ſuprà Art?. 2°. Nimirùm CAUSÆ hìc ſunt qualitates accidentales Obligationum.

Source : BIU Cujas

Ad diem autem; (*V. G.*) USQUE AD KALENDAS dare ſpondes (*a*)?

Placet autem ad tempus Obligationem conſtitui non poſſe, non magis quàm legatum: nam quod alicui deberi cœpit, certis modis (*b*) deſinit deberi. Planè, poſt tempus, ſtipulator vel Pacti conventi vel Doli mali exceptione (*c*) ſummoveri poterit. Sic & in tradendo, ſi quis dixerit ſe ſolum ſine ſuperficie tradere; nihil proficit quominùs & ſuperficies tranſeat (*d*), quæ naturâ ſolo cohæret. *l.* 44. § 1.

Conſonat quod ait Julianus. Qui ita ſtipulatur, DECEM quoad vivam dare ſpondes? confeſtim decem rectè dari petit: ſed heres ejus exceptione Pacti conventi ſummovendus eſt; nam ſtipulatorem id egiſſe ne heres ejus peteret, palàm eſt. Quemadmodum is qui USQUE IN Kalendas dari ſtipulatur, poteſt quidem etiam poſt Kalendas petere; ſed exceptione Pacti ſummovetur. Nam & heres ejus cui ſervitus prædii ita conceſſa eſt, ut, quoad viveret, jus eundi haberet; Pacti conventi exceptione ſummovebitur. *l.* 56. § 4. *ff. de Verb. oblig.* JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

XXXIV.

Maximè autem dies adjecta, ad quam convenit ut deberetur, adveniens non extinguet Obligationem; ſi ante hanc diem, in morâ conſtitutus fuerit debitor.

Hinc in ſpecie ſequenti. « ILLE illi ſalutem. Mando tibi » ut Blæſio-Severo adfini meo octoginta credas, ſub » pignore illo & illo: in quam pecuniam, & quidquid » uſurarum nomine acceſſerit, indemnem rationem » tuam me eſſe ex causâ mandati, in eum diem quoad » vixerit Blæſius-Severus, præſtaturum. » Poſtea ſæpè conventus mandator non reſpondit. Quæro an morte debitoris liberatus ſit? Paulus reſpondit, Mandati Obligationem perpetuam eſſe; licèt in mandato adjectum videatur. « Indemnem rationem tuam eſſe ex causâ » mandati, IN EUM DIEM QUOAD VIXERIT BLÆSIUS- » SEVERUS, præſtaturum. » *l.* 59. § 5. *ff. Mandati.* PAUL. LIB. 4. RESPONSOR.

XXXV.

Vidimus quem effectum habeat dies ita adjecta, ut ad eam diem deberetur.

Non videtur autem ita adjecta, quum convenit intrà certam diem ſolvi. Hinc Paulus reſpondit: Die adjecto in mandato, intrà quem præſtaturum ſe Lucius-Titius ſcripſit; non eſſe impedimento, quominùs etiam poſt eum diem conveniri Mandati judicio poſſit. *d. l.* 59. § 2. *ff. d. tit.*

XXXVI.

Dictis circa diem, affinis eſt hæc quæſtio; quid ſit Diem CEDERE, Diem VENIRE.

Nimirùm in Obligationibus CEDERE diem ſignificat, incipere deberi; VENIRE diem ſignificat, eum diem, veniſſe quo pecunia peti poſſit. Ubi purè qui ſtipulatus fuerit & ceſſit & venit dies (*e*). Ubi in diem ceſſit dies, ſed nondum venit. Ubi ſub conditione, neque ceſſit neque venit dies pendente adhuc conditione. *l.* 213. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 1. REGUL.

§ II.

De conditione.

XXXVII.

Interdum in contrahendâ Obligatione conditio ponitur; cujus effectus eſt ut donec extiterit Obligationem ſuſpendat.

Hinc Ulpianus. Conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, quum impleta fuerit conditio. *l.* 7. ¶ *conditionales. ff. de Contrah. empt.* ULPIAN. LIB. 28. AD SABIN.

Idem de cæteris contractibus dictum puta.

Pro impletâ autem habetur conditio; quum per eum qui ſub conditione Obligatus eſt, ſtat quominùs impleatur.

Hinc Paulus: Quicumque ſub conditione Obligatus curaverit ne conditio exiſteret, nihilominùs obligetur. *l.* 85. § 7. *ff. de Verb. oblig.* PAUL. LIB. 75. AD ED.

Hinc quoque ita notat Ulpianus circa id quod Labeo ſcribit; Si mihi bibliothecam ita vendideris, ſi decuriones Campani locum mihi vendidiſſent in quo eam ponerem; & per me ſtet quominùs id à Campanis impetrem: non eſſe dubitandum, quin Præſcriptis verbis (*f*) agi poſſit. Ego, etiam Ex vendito agi poſſe puto; quaſi impletâ conditione, cùm per emptorem ſtet quominùs impleatur. *l.* 50. *ff. de Contrah. empt.* ULP. LIB. 11. AD ED.

Hùc pertinere poteſt hæc regula: QUI poteſt facere ut poſſit conditioni parere, jam poſſe videtur. *l.* 174. (*Aliàs* 134.) *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 8. AD PLAUT.

XXXVIII.

Et hæc quidem de effectu conditionis Obligationi adjectæ. Conditio verò efficax eſt, quæ in conſtituendâ Obligatione inſeritur, non quæ poſt perfectam eam ponitur: veluti, Centum dare ſpondes NISI NAVIS EX ASIA VENERIT? Sed hoc caſu, exiſtente conditione, locus erit exceptioni Pacti conventi vel Doli mali. *l.* 44. § 2. PAUL. LIB. 74. AD ED. PRÆTORIS.

XXXIX.

Cavendum etiam in contractibus, ne conditionem confundamus cum lege dandi aliquid aut faciendi. LEX DANDI *faciendi-ve eſt, quum id agitur ut alter ex contrahentibus ad dandum faciendum-ve obligetur; eaque lex non ſuſpendit contractum.* CONDITIO *autem eſt, quum id non agitur ut alter ex contrahentibus Obligetur ad dandum faciendum-ve quod in conditione poſitum eſt; ſed id agitur ut ſuſpendatur Obligatio, donec hoc datum factum-ve fuerit.*

Hoc liquebit ex ſpecie ſequenti. Quum ab eo qui fundum alii obligatum habebat, quidam ſic emptum rogaſſet ut eſſet is ſibi emptus Si EUM LIBERASSET; dummodò ante Kalendas Julias liberaret: quæſitum eſt an utiliter agere poſſit Ex empto, in hoc ut venditor eum liberaret? Reſpondit: Videamus, quid inter ementem & vendentem actum ſit. Nam ſi id actum eſt, ut omnimodo intrà Kalendas Julias venditor fundum liberaret; EX EMPTO erit actio ut liberet, nec ſub conditione emptio facta intelligitur: veluti ſi hoc modo emptor interrogaverit, ERIT mihi fundus emptus, ita ut eum intra Kalendas Julias liberes, vel, ita ut enm intrà Kalendas à Titio redimas. Si verò ſub conditione facta emptio eſt; non poterit agi ut conditio impleatur. *l.* 41. *ff. de Contrah. empt.* JULIAN. LIB. 3. AD URSEIUM-FEROCEM.

De conditionibus plura vide ſuprà lib. 35. *Tit.* de Condit. & dem. *& infrà lib. ſeq. Tit.* de Verborum obligat.

§ III.

De modo Obligationi adjecto.

XL.

MODUS Obligationis eſt, quum ſtipulamur decem

(*a*) In præcedenti ſpecie, quum dies Obligationi adjectus eſt ex quo deberetur, putà *Ex calendis dare ſpondes*; non antè exigi poteſt quàm calendæ venerint. In hâc verò ſpecie ubi dies adjicitur in quem debeatur, *Uſque ad calendas dare ſpondes*; hoc inter contrahentes agitur, ut ſtatim quidem à promiſſore exigi poſſit id quod in Obligationem deductum eſt; ſed ſi ante calendas exactum non fuerit, ampliùs non poſſit exigi. Quæ conventio poteſt frequenter intervenire in fidejuſſoribus: ſæpè enim pro aliis fidem noſtram ita adſtringimus, ut non in perpetuum Obligati eſſe velimus. Jam verò; ſicut in præcedenti ſpecie, is qui *Ex certo die* dare promiſit, ſtatim quidem debitor eſt, quamvis nondum ab eo exigi poſſit; ita in hâc ſpecie, qui *Ad diem* dare promiſit, poſt hunc diem manet ſubtili Jure debitor, quamvis deſierit ab eo exigi poſſe.

(*b*) Qui naturâ aut Jure comparati ſunt ad diſſolvendas Obligationes. Etenim Obligatio eſt civile vinculum, quo perſona debitoris adſtringitur; non ſecùs ac corpora vinculis corporalibus adſtringuntur. Quemadmodùm ergò ſervus putà ad decem dies a domino ligatus, ſolo hujus temporis lapſu non reſolvitur, niſi adimantur ei vincula: ita debitor Obligatus, quamvis eâ lege ut uſque ad certum tempus duntaxat Obligaretur, tamen ſubtilitate Juris manet Obligatus, niſi vinculum illud civile reverâ diſſolvatur. Certi autem ſunt diſſolvendarum Obligationum modi; aut naturales, nimirùm ſolutio ſeu ejus quod in Obligationem deductum eſt præſtatio; aut civiles quos Jus Civile invenit, ut acceptilatio aut novatio. Nec naturâ autem, nec Jure Civili proditum eſt, ut ſolus lapſus temporis de quo convenit ut ad illud tempus deberetur, diſſolveret Obligationem ſemel contractam.

(*c*) Vide ſuprà Tit. *de Dol. & met. except.* N. 12.

(*d*) Ita quidem ipſo Jure. Cæterùm vindicanti totam domum obſtabit exceptio *Pacti* in traditione appoſiti: aut etiam, ſi poſſideat, tenebitur actionibus de quibus ſuprà lib. 43. Tit. *de Superficieb.*

(*e*) Simul & ſtatim.

(*f*) *Utili* ſeu PRÆSCRIPTIS VERBIS actioni locus eſt, quoties dubitatur an competere poſſit Directa actio quæ ex contractu deſcendit. Hic autem dubitatur an competeret actio *Ex vendito*; quia videbatur nondum perfectus eſſe contractus, nondum impletâ conditione.

AUT

Source : BIU Cujas

AUT hominem. Nam alterius ſolutio totam Obligationem interimit; nec alter peti (*a*) poteſt, utique quandiù utrumque (*b*) eſt. *l.* 44. § 3. PAUL. LIB. 74. AD EDICT. PRÆTOR.

Utique etiam, ſi electio ſit debitoris. Semper autem electio eſt debitoris, niſi aliud convenerit.

Hinc Si ita diſtrahatur, ILLA AUT ILLA res: utram eliget venditor, hæc erit empta. *l.* 25. *ff. de Contrah. empt.* ULP. LIB. 34. AD SABIN.

Hinc etiam ita Marcellus. Comprehenſum erat lege venditionis, dolia ſexaginta emptori acceſſura; quum eſſent centum. In venditoris fore poteſtate reſponſum eſt, quæ vellet dare. *l.* 60. *ff. d. tit.* MARCELL. LIB. 6. DIGEST.

Obſerva quòd, quum quotannis præſtandum eſt, debitor quotannis hâc electione gaudere debet.

Hinc Paulus. Qui domum vendebat, excepit ſibi habitationem donec viveret, AUT in ſingulos annos decem. Emptor primo anno maluit decem præſtare; ſecundo anno habitationem præſtare. Trebatius ait; Mutandæ voluntatis poteſtatem eum habere, ſinguliſque annis alterutrum præſtare poſſe; & quandiù paratus ſit alterutrum præſtare, petitionem non eſſe. *l.* 21. § 6. *ff. de Act. empti.* PAUL. LIB. 33. AD ED.

(*a*) Determinatè. Sed peti oportet, *illum* AUT *illum*.

(*b*) Nam uno extincto, alterum ſolum in Obligatione remanet & peti poteſt.

(*c*) Talis acceſſio *Perſonæ* fit: non ut huic perſonæ Obligatio quæratur; ſed ut ei ſolvi poſſit, ſolutioque ei facta perindè habeatur ac ſi ipſi creditori facta eſſet. Quapropter talis perſona dicitur. *Adjectus ſolutionis gratiâ.* De his adjectis, vide Tit. *de Solut.* infra lib. 46.

(*d*) Nimirùm *ubi* REI *fit acceſſio.*

§ IV.

De acceſſione.

XLI.

Acceſſio verò in Obligatione aut perſonæ aut rei fit. Perſonæ, quum mihi aut Titio ſtipulator (*c*): rei, quum mihi decem aut Titio hominem ſtipulator; ubi (*d*) quæritur an ipſo Jure fiat liberatio, homine ſoluto Titio. *l.* 44. § 4. PAUL. LIB. 74. AD ED. PRÆTORIS.

De hâc quæſtione vide infrà lib. 46. *Tit.* de Solutionib. *Hîc exempli tantùm causâ id notaſſe ſufficiat.*

Stipulationem quæ acceſſionem rei contineat, videre eſt etiam in ſpecie ſequenti. Si ita ſtipulatus ſim; SI fundum non dederis, centum dare ſpondes? Sola centum in ſtipulatione ſunt, in exſolutione fundus. *d. l.* 44. § 5.

SECUNDA PARS.

De Actionibus.

XLII.

Ex Obligationibus naſci oportet Actiones.

Enimverò, Negantes debitores non oportet armatâ vi terreri: ſed petitore quidem non implente ſuam intentionem, vel exceptione ſubmoto, abſolvi; convictos autem condemnari, ac Juris remediis ad ſolutionem urgeri convenit. *l.* 9. *Cod. h. tit.* DIOCL. ET MAXIM.

Videndum in 1ª. *Sectione, quid ſit Actio, & quæ ſint Actionum diviſiones: in* 2ª. *Quando moveri poſſit, necnon de formularum quibus Actiones concipiuntur interpretatione. In* 3ª. *Agemus de Actionum concurſu.*

SECTIO I.

Quid ſit Actio, & quotuplex.

§ I.

Definitio Actionis, *& quàm multa hoc verbo contineantur.*

XLIII.

Nihil aliud eſt Actio, quàm jus quod ſibi debeatur judicio perſequendi. *l.* 51. CELSUS LIB. 3. DIGEST.

ACTIONIS verbum, & ſpeciale eſt & generale. Nam omnis Actio dicitur, ſive in perſonam, ſive In rem ſit petitio. Sed plerùmque ACTIONES, Perſonales ſolemus dicere; PETITIONIS autem verbo, In rem Actiones ſignificari videntur. PERSECUTIONIS verbo, extraordinarias perſecutiones puto contineri; ut putà fideicommiſſorum, & ſi quæ aliæ ſunt quæ non habent Juris ordinarii executionem. *l.* 178. § 2. *ff. de Verb. ſignif.* ULPIAN LIB. 49. AD SABIN.

(*a*) Quaſi diceret: Propriè *Actio* dicitur illa quæ in perſonam infertur; ea ergo quæ in rem infertur, propriè appellatur *Petitio*: *Perſecutio* autem commune nomen eſt tam Actionis In rem quàm Actionis In perſonam.

(*b*) Incluſa putat Cujacius gloſſema eſſe quod ad rem non pertineat.

Conſonat quod ait Papinianus. ACTIO. (*a*) in Perſonam infertur, PETITIO in rem; PERSECUTIO in rem vel in perſonam [rei perſequendæ (*b*) gratiâ] *l.* 28. PAPIN. LIB. 1. DE FIN.

Generali autem ſignificatione; ACTIONIS verbo continentur, In perſonam, Directa, Utilis, Præjudicium: ſicut ait Pomponius. Stipulationes etiam quæ Prætoriæ ſunt; quia Actionum inſtar obtinent: ut Damni infecti, Legatorum, & ſi quæ ſimiles ſunt. Interdicta quoque, Actionis verbo continentur. *l.* 37. ULPIAN. LIB. 4. AD ED. PRÆTORIS.

Item generaliter ACTIONIS verbo, etiam Perſecutio continetur. *l.* 34. *ff. de Verb. ſignif.* PAUL. LIB. 24. AD ED.

§ II.

De variis Actionum diviſionibus.

XLIV.

Prima diviſio; ex ipſâ Actionum naturâ.

Actionum genera ſunt duo; In rem, quæ dicitur VINDICATIO; & In perſonam, quæ CONDICTIO appellatur. *l.* 25. ULP. LIB. 5. REGUL.

IN REM Actio eſt, per quam rem noſtram quæ ab alio poſſidetur, petimus. Et ſemper adversùs eum eſt qui rem poſſidet.

IN PERSONAM Actio eſt, quâ cum eo agimus qui Obligatus eſt nobis ad faciendum aliquid vel dandum. Et ſemper adversùs eumdem locum habet. *l.* 25. ULPIAN. LIB. SING. REGULAR.

Sunt etiam Actiones MIXTÆ, *ſcilicet tam In rem quàm In perſonam. Vel etiam* MIXTÆ ſunt Actiones, in quibus uterque actor eſt: ut putà Finium regundorum, Familiæ erciſcundæ, Communi dividundo (*c*);

(*c*) In tribus quidem iſtis Actionibus *uterque Actor eſt*; ſed vulgò MIXTÆ illæ dicuntur alio ſenſu, ſcilicet quòd & Vindicationem quamdam contineant, & ſimul multas præſtationes perſonales: ut vid. in *Inſtit.* Tit. *de Actionib.* Interdicta autem *Uti poſſidetis*, & *Utrubi*, ideò tantùm hîc dicuntur Actiones *mixtæ*, eo quòd in his uterque actor eſt: & frequentiùs eo ſenſu dicuntur DUPLICIA.

Source : BIU Cujas

Interdictum Uti possidetis, Utrubi. *l.* 37. § 1. ULPIAN. LIB. 4. AD ED. PRÆTORIS.

XLV.

Subdivisio Actionum In personam.

Actionum autem quædam Ex contractu, quædam Ex facto, quædam In factum sunt EX CONTRACTU actio est, quoties quis sui lucri (*a*) causâ cum aliquo contrahit; veluti emendo, vendendo, locando, conducendo, & cæteris similibus. EX FACTO Actio est, quoties ex eo teneri quis incipit quod ipse admisit; veluti furtum vel injuriam commisit, vel damnum dedit. IN FACTUM Actio dicitur; qualis est (exempli gratiâ) Actio quæ datur patrono (*b*) adversùs libertum, à quo contra Edictum Prætoris in Jus vocatus est. *l.* 25. § 1. ULP. LIB. SING. REGUL.

XLVI.

Secunda, 3ª. 4ª. & 5ª. divisio.

Actionum aliæ sunt Rei persecutoriæ *aliæ* Pœnales, *aliæ* MIXTÆ *quæ rem simul persequuntur & pœnam.*

Item aliæ Solidum *persequuntur, aliæ minùs solido.*

Item aliæ in Simplum *dantur, aliæ in* Duplum *aut* Triplum, *aut* Quadruplum.

Denique quædam Actiones sunt Stricti Juris, *quædam* Bonæ fidei, *quædam* Arbitrariæ.

De his divisionibus vide Justinianum in Instit. *h. tit.*

XLVII.

Sexta divisio : ex Jure quo introductæ sunt.

Omnes autem Actiones, aut CIVILES dicuntur, aut HONORARIÆ. *d. l.* 25. § 2.

CIVILES *sunt, quæ ex Jure Civili, id est ex Legibus aut moribus & interpretatione Prudentum descendunt.* HONORARIÆ, *quæ de Jure Civili proditæ non sunt, sed duntaxat ex Edictis Magistratuum; sic dictæ ab honore quem gerunt Magistratus.*

XLVIII.

Septima divisio : ex earum duratione.

Actiones dividuntur in PERPETUAS & TEMPORALES.

Perpetuæ sunt omnes civiles Actiones; Honorariæ autem quædam perpetuæ, quædam annuæ.

Enimverò In Honorariis Actionibus sic esse definiendum Cassius ait; ut quæ rei persecutionem habeant, hæ etiam post annum darentur; cæteræ intrà annum. *l.* 35. ULP. LIB. 1. AD ED. PRÆTORIS.

Illæ autem rei persecutionem continent, quibus persequimur quod ex patrimonio nobis obest: ut quum agimus cum bonorum possessore (*c*) debitoris nostri. Item Publiciana (*d*), quæ ad exemplum Vindicationis datur.

Sed quum rescisâ usucapione redditur (*e*), anno finitur; quia contra Jus Civile datur. *d. l.* 35. ¶. *illæ autem.*

Circa temporales Actiones illud notat Paulus. In omnibus temporalibus Actionibus, nisi novissimus totus dies compleatur, non finit Obligationem. *l.* 6. PAUL. LIB. 4. AD SABIN.

XLIX.

Octava divisio : ex personis adversùs quas competunt.

Actionum quædam IN HEREDEM *& cæteros successores dantur; quædam* HEREDI *quidem, sed non in heredem; quædam* NEC HEREDI, NEC IN HEREDEM *dantur.*

Actiones In rem *propriè non dantur in heredem: nec enim in heredem quatenùs heres est, sed quatenùs ipse possidet, dantur.*

L.

Quod attinet ad Actiones In personam; *distinguendum est an ex contractu veniant, an ex maleficio.*

1°. Ex contractibus venientes Actiones, in heredes dantur, licèt delictum quoque versetur; veluti quum tutor in tutelâ gerendâ dolo fecerit, aut is apud quem depositum est: quo casu, etiam quum filiusfamilias aut servus quid tale commisit, De peculio Actio datur; non Noxalis. *l.* 49. PAUL. LIB. 18. AD PLAUT.

Igitur Ex Depositi & Commodati, & Mandati, & Tutelæ, & Negotiorum gestorum, ob dolum malum defuncti heres in solidum tenetur. *l.* 12. POMPON. LIB. 29. AD SABIN.

Pariter Ex facto rei promittendi, Doli stipulatio heredem ejus tenet; sicut ex cæteris aliis contractibus, veluti Mandati, Depositi. *l.* 121. § 3. *ff. de Verb. oblig.* PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

Consonat regula Juris : IN Contractibus (*f*) successores ex dolo eorum quibus successerunt, non tantùm in id quod pervenit, verùm etiam in solidum tenentur; hoc est, unusquisque pro eâ parte quâ heres est. *l.* 157. § 2. *ff. Reg. Jur.* ULP. LIB. 71. AD ED.

Et tursùs. IN contractibus quibus doli præstatio vel bona fides inest, heres in solidum tenetur. *l.* 152. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 69. AD ED.

LI.

Observandum est; Actiones ex contractibus in heredem dari, etiam eo casu quo adversùs ipsum qui contraxit competere non potuissent.

Hinc V. G. Qui à pupillo (*g*) substitutum ei servum emerit, agere cum substituto Ex empto potest, & Ex stipulatu de evictione; quum neutram earum Actionum adversùs pupillum habere poterit. *l.* 7. *ff. de Evictionib.* JULIAN. LIB. 13. DIGEST.

Hinc etiam Ulpianus in specie sequenti. Si Titius Stichum, post mortem suam liberum esse jussum, vendiderit; mortuo deinde reo, Stichus ad libertatem pervenerit: an stipulatio de evictione interposita teneat? Et ait Julianus, committi stipulationem. Quamvis enim Titio (*Florent.* Titius) hoc casu denuntiari pro evictione non potuisset, heredi tamen ejus denuntiari potuisset. *l.* 51. § 1. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 80. AD ED.

Non mirum autem est ut evicto homine, de evictione teneatur heres, quamvis defunctus non similiter fuerit obstrictus: cùm & aliis quibusdam casibus plenior adversùs heredem vel heredi competat Obligatio, quàm

(*a*) Quisquis enim contrahit, suo commodo studet; nec potest quis utiliter pacisci & contrahere, nisi sibi: ut vid. supra lib. 2. Tit. *de Pactis.*

(*b*) Ex hoc exemplo patet hic vocari *actiones* IN FACTUM, eas quæ descendunt ab aliquo delicto ex quo ordinaria actio non nascitur: & in eo distinguuntur ab his quas vocat *Actiones* EX FACTO. Rectè igitur monet Cujacius, non confundendas eas *In factum* Actiones, cum illis quæ non ex delicto, sed ex aliquâ re gestâ descendunt; de quibus supra actum est lib. 19. Tit. *de Præscr. verb.*

(*c*) Bonorum possessor cùm non Jure Civili succedat defuncto, non Civilibus sed Prætoriis duntaxat Actionibus propter æs alienum defuncti tenetur.

(*d*) De quâ suprà lib. 5. Tit. *de Public. in rem act.* quæ datur bonæ fidei possessori quasi dominus esset.

(*e*) Intelligit Actionem quæ vulgò dicitur *Rescissoria* aut *contraria Publiciana* quam Prætor dat ei cujus res usucapta est, dum propter absentiam suam aut adversarii sui agere non posset. De quâ latè egimus supra lib. 4. Tit. *Ex quibus caus. maj.*

(*f*) Et Quasi-contractibus. Heres non succedit quidem in dolum & delicta defuncti: unde, quum nulla alia causa est ex quâ nascatur actio quàm dolus aut delictum defuncti, non debet Actio in heredem transire. At quum defunctus qui dolum admisit, ex aliquo contractu aut quasi-contractu Obligatus est præstare in eo negotio dolum abesse; dolus quidem solus actioni materiam præbet, sed causa formalis actionis est contractus aut quasi-contractus. Jura autem omnia quæ ex contractibus & ex quasi-contractibus nascuntur, in heredes transeunt, adeòque Actio quæ propter dolum defuncti ex hoc contractu aut quasi-contractu nascitur, debet in heredem transire.

(*g*) Stichus servus, erat pupillo substitutus pupillariter. Hunc Stichum emit à pupillo. Mortuus est pupillus intra pubertatem; & sic factum est ut Stichus fieret liber, & heres tam testatori quàm pupillo. In hâc specie, rectè agam adversùs hunc Stichum tanquam heredem pupilli venditoris, Actione *Ex empto* aut *Ex stipulatu*; evictionis nomine ipsiusmet Stichi, qui perveniendo ad libertatem mihi evincitur. Non potuissem autem unquam agere his Actionibus adversùs ipsum pupillum; quia nonnisi mortuo pupillo Stichus ad libertatem pervenire potuit, adeòque nonnisi mortuo pupillo committi potuerunt hæ Actiones evictionis nomine.

Source : BIU Cujas

competierat defuncto; ut quum servus post mortem emptoris heres institutus est, jussuque heredis emptoris adiit hereditatem (*a*). Nam Actione EX EMPTO præstare debet (*b*) hereditatem; quamvis defuncto in hoc tantùm fuit utilis EX EMPTO Actio, ut servus traderetur. *d. l.* 51. § 3.

L I I.

2°. *Quòd si Actio ex maleficio descendat; heredi quidem plerùmque datur. At* In heredem non solent Actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio: veluti Furti, Damni injuriæ, Vi bonorum raptorum, Injuriarum. *l.* III. § 1. *ff. de Reg. Jur.* GAIUS LIB. 2. AD ED. PROVINC.

Imò hæc Injuriarum *Actio, non solùm in heredem non datur, sed nec heredi competit.*

Maximè verò: Honorariæ autem quæ post annum non dantur, nec in heredem dandæ sunt; ut tamen lucrum ei extorqueatur, sicut fit in Actione Doli mali, & Interdicto Undè vi, & similibus. *l.* 35. ¶ *honorariæ.* PAUL. LIB. 1. AD ED. PRÆTORIS.

Nam Sicuti pœnâ ex delicto defuncti heres teneri non debeat; ita nec lucrum facere, si quid ex eâ re ad eum perveniſſet. *l.* 38. *ff. de Reg. Jur.* POMPON. LIB. 29. AD SABIN.

Igitur hæ Actiones quæ naturâ suâ in heredem non dantur, tamen eatenùs saltem in eum competunt quatenùs ad eum pervenit. Et quidem Quum Prætor in heredem dat Actionem, quatenùs ad eum pervenit; sufficit, si vel momento ad eum pervenit (*c*) ex dolo defuncti. *l.* 127. (*Aliàs* 169.) *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 20. AD ED.

L I I I.

Interdum quoque ex his Actionibus quæ ex delicto veniunt, heres in solidum tenebitur.

Et primò quidem, si dolus ipsius versetur. Nam TOTIENS in heredem damus de eo quod ad eum pervenit, quotiens ex dolo defuncti convenitur; non quotiens ex suo. *l.* 44. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 29. AD ED.

Est etiam alter casus. Nam præterea Sciendum est; ex omnibus causis lites contestatas, & in heredem similesque personas transire. *l.* 58. CALLISTRATUS LIB. 1. EDICTI MONITORII.

Pariter Gaius. Omnes Actiones quæ morte aut tempore pereunt, semel inclusæ judicio salvæ permanent. *l.* 139. (*Aliàs* 181.) *ff. de Reg. Jur.* GAIUS LIB. 1. AD ED. PRÆTORIS URBANI.

Item Ulpianus. Omnes pœnales Actiones, post litem inchoatam & ad heredes transeunt. *l.* 26. ULP. LIB. 5. DE CENSIBUS.

Item Paulus: Constitutionibus quibus ostenditur heredes pœnâ non teneri, placuit, si vivus conventus fuerat, etiam pœnæ persecutionem transmissam videri; quasi lite contestatâ cum mortuo. *l.* 33. PAUL. LIB. 3. DECRETOR.

Consonat quod rescribunt Diocletianus & Maximianus. Post litis contestationem, eo qui vim fecit, vel concussionem intulit, vel aliquid deliquit, defuncto; successores ejus in solidum: alioquin (*d*) in quantùm ad eos pervenit conveniri, Juris absolutissimi est; ne (*e*) alieno scelere ditentur. *l. un. Cod. Ex delictis defunctor.*

Litis contestationi hâc in re æquipollet; si quis, quum litem contestari non posset, preces super eâ Actione Principi obtulerit, Princepsque his præcibus responderit. Ita enim fit ut Actiones annales, fiant perpetuæ & ad heredem transeant. Vide Tit. Cod. Quando libell. Princip. dat.

L I V.

Quod hactenùs diximus, personales Actiones (juxta distinctiones suprà allatas) transire ad heredes defuncti, porrigendum est ad quosvis successores juris universales; putà, Bonorum possessores, eum cui ex Trebelliano restituta est hereditas, &c. Hi enim heredum vice sunt, ut suis locis vidimus.

Verùm Creditores hereditarios, adversùs legatarios non habere personalem Actionem convenit: quippè cùm evidentissimè Lex duodecim Tabularum (*f*) heredes huic rei faciat obnoxios. *l. fin. Cod. de Heredit. act.* DIOCLET. ET MAXIM.

Sed nec adversùs debitores debitoris sui. Hinc ita rescribunt dicti Imperatores: Heredem mariti quondam tui, de dote tibi reddendâ convenit. Personalem enim actionem contra debitores hereditarios tibi decerni frustrà postulas. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

Et id quidem non solùm ita obtinet in creditoribus hereditariis adversùs debitores hereditarios; sed & generaliter dicendum est, personalem Actionem creditori nusquàm competere in debitoris sui debitores.

Hoc est quod iidem rescribunt: Ob causam proprii debiti locatoris, conveniri colonos pensionibus ex placito satisfacientes, perquàm injuriosum (*g*) est. *l.* 3. *Cod. de Oblig. & act.*

L V.

Nona divisio.

In Actionibus plerisque æqualis est condemnatio, sive adversùs confitentem sive adversùs inficiantem. At contrà Quædam Actiones si à reo inficientur, duplantur; velut Judicati, Depensi (*h*), Legati per damnationem (*i*) relicti, Damni injuriâ, Legis Aquiliæ; item de modo agri, quum à venditore emptor deceptus est. PAUL. SENTENT. LIB. 1. *Tit.* 27. § 1.

Quocircà duo notanda sunt. Et primò, quod idem Paulus ait: Ex his causis quæ inficiatione duplantur, pacto decidi (*k*) non potest. *d. tit.* § 1.

Secundò verò; ut quod his Actionibus petitur, licèt indebitè solutum, non repetatur: Juprà lib. 12. *tit.* de Condict. indeb.

Hic porrò emergit quæstio; an pro inficiante habeatur is qui tacet? Respondet Paulus: QUI tacet, non utique fatetur. Sed tamen verum est, eum non negare. *l.* 142. (*Aliàs* 184.) *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 56. AD ED.

L V I.

Decima & ultima divisio.

Actiones nobis & adversùm nos competunt, vel proprio nomine, id est ex contractu facto-ve nostro; vel indirectè &

(*a*) Supple: & posteà evictus est huic emptoris heredi; qui necesse habuit domino restituere ipsum servum, cum hereditate quam adierat.

(*b*) Id est, venditor præstare debet emptoris heredi æstimationem hereditatis, quæ ipsi cum servo evicta est.

(*c*) Ut non solùm is heres ipse, sed ejus heredis heres teneatur: nec jam in heredis heredè quæritur, an aliquid ad eum pervenerit. Enimverò solæ Actiones quæ ex dolo & delicto defuncti nascuntur, in heredem non transeunt: quæ ex aliis causis, putà ex contractibus aut ex aliquâ æquitate naturali nascuntur, in eum transeunt. Porrò causa actionis quæ in heredem datur in id quod ex defuncti dolo ad eum pervenit, non est delictum; cùm nullum ille delictum admiserit: sed causa hujus Actionis est æquitas naturalis. Debet igitur hæc Actio in ejus heredis heredem transire. Vide suprà lib. 4. Tit. *Quod metûs caus.* N. 20 & 21.

(*d*) Id est, si lis contestata non fuerit.

(*e*) Hoc refer tantùm ad postrema verba, *in quantùm ad eos pervenit.*

(*f*) His verbis, *Nomina inter heredes erĕa-cita sunto*: de quibus vide Commentarium nostrum ad Tab. V cap. 4.

(*g*) Id est, omninò contra Jus. Novellâ tamen Justiniani 135. creditoribus uno casu concessum convenire debitoris sui debitores: de quâ suprà lib. 42. Tit. *de Cessione bon.* N. 8.

(*h*) Cujacius legendum suspicatur, *Depositi.*

(*i*) Jure Justinianeo id locum habet circa ea duntaxat legata quæ pietatis causâ relicta sunt; & in his non distinguitur an *Per damnationem*, an alio modo fuerint relicta.

(*k*) Id est, *transigi*: pactum enim quod *Donationis gratiâ* interveniret, non prohiberi, non ambigitur. Sed cur transigi non potest? Hanc rationem affert Cujacius quòd ex his causis quis vel fatetur, & hoc casu pro judicato est: vel postquam inficiatus est, transigere vult; & ex eo quod transigere vult, pro inficiatore convicto habetur; adeòque adhuc pro judicato habendus est; porrò judicatis transigere non licet de re judicatâ: suprà Tit. *de Transact.* N. 4. Cujacii ratio non placet Schultingio: nec enim ullâ Juris auctoritate probatur, eum qui post inficiationem transigere vult, pro convicto haberi; ita ut jam quasi post rem judicatam, transactio non valeat. Equidem fateor pactos de delictis, quodammodo pro convictis haberi ad hoc ut infamiam non vitent: suprà lib. 3. Tit. *de His qui not. infam.* N. 11. non verò ad hoc ut transactio quasi post rem judicatam facta esset, non valeat. Nulla igitur hujus Pauli sententiæ ratio reddi potest. Suspicatur Schultingius, hunc textum mutilum esse; & quod hîc generaliter tradi videtur de omnibus causis quæ per inficiationem crescunt, Paulum de quibusdam duntaxat tradidisse, ut de causâ judicati, non verò de hisce omnibus causis. Et verò apud Tullium in Oratione *pro Roscio Comœdo* N. 11. Transactio de damno Legis Aquiliæ, ob interfectum servum post litem contestatam facta, tanquam licita refertur.

Source : BIU Cujas

propter res noſtras, quales ſunt quæ ſervorum noſtrorum nomine nobis competunt.

Et de his nota quòd Quæcumque Actiones ſervi mei nomine mihi cœperunt competere, vel ex duodecim Tabulis, vel ex Lege Aquiliâ, vel Injuriarum, vel Furti; eædem durant, etiamſi ſervus poſtea vel manumiſſus, vel alienatus, vel mortuus fuerit. *l.* 56. POMPON. LIB. 20. AD Q. MUCIUM.

Sed & Condictio ex furtivâ causâ competit, niſi ſi (*a*) nactus poſſeſſionem ſervi, aut alienavero, aut manumiſero eum. *l.* 56. ¶ *ſed &* POMPON. LIB. 20. AD Q. MUCIUM.

SECTIO II.

Quando Actio moveri poſſit; & de formularum quibus Actiones concipiuntur, interpretatione.

L VII.

IN omnibus Obligationibus in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur. *l.* 14. *ff. de Reg. Jur.* POMPON. LIB. 5. AD SABIN.

Adeòque ipsâ die quâ Obligatio contracta eſt, Actio moveri poteſt.

Hoc ita, niſi vi ipsâ dies inſit. Nam NIHIL peti poteſt ante id tempus quo per rerum naturam perſolvi poſſit.

Et quum ſolvendi tempus Obligationi additur; niſi eo præterito peti non (*b*) poteſt. *l.* 186. (*Aliàs* 146.) *ff. de Reg. Jur.* CELSUS LIB. 12. DIGEST.

Plura de hâc quæſtione, lib. ſeq. Tit. de Verb. oblig. *Part.* 4ª.

L VIII.

Quæ ſpectant formularum quibus Actiones concipiuntur interpretationem, paſſim expoſuimus in variis Titulis in quibus de ſingulis Actionum ſpeciebus egimus. Duo tamen hîc ſuperſunt generaliter obſervanda.

Scilicet 1°. *circa formulam Actionum In perſonam, quæ ſic concipitur* DARE FACERE OPORTERE; *obſervandum eſt quòd* DANDI *verbum anguſtam habet ſignificationem, & accipitur pro ſolâ dominii tranſlatione.*

Hinc Paulus. Non videntur data, quæ eo tempore quo dantur accipientis non fiunt. *l.* 167. (*Aliàs* 127.) *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 49. AD ED.

Contrà; Verbum FACERE, omnem omninò faciendi cauſam complectitur; dandi, ſolvendi, numerandi, judicandi, ambulandi. *l.* 218. *ff. de Verb. ſignif.* PAPIN. LIB. 27. QUÆSTION.

Igitur FACIENDI verbo, reddendi (*c*) etiam cauſa continetur. *l.* 175. *ff. de Verb. ſignif.* POMPON. LIB. 22. AD SABIN.

Quinetiam FACERE OPORTERE & hanc ſignificationem habet, ut abſtineat quis ab eo facto quod contra conventionem fieret; & curaret ne fiat. *l.* 189. *ff. de Verb. ſignif.* PAUL. LIB. 34. AD ED.

L IX.

2°. *In multarum Actionum formulis judex condemnare jubetur* QUANTI EA RES ERIT, *vel* QUANTI EAM REM ESSE PARET.

Inter hæc verba QUANTI EA RES ERIT, vel QUANTI EAM REM ESSE PARET, nihil intereſt: in utrâque enim clauſulâ, placet veram rei æſtimationem fieri. *l.* 179. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 51. AD SABIN.

Et rursùs. Hæc verba QUANTI EAM REM PARET ESSE, non ad quod intereſt, ſed ad rei æſtimationem referuntur. *l.* 193. *ff. de Verb. ſignif.* ULPIAN. LIB. 38. AD ED.

SECTIO III.

De Actionum concurſu.

ARTICULUS I.

De concurſu duarum aut plurium Actionum civilium.

L X.

Plures de eâdem re, & ex eâdem causâ Actiones interdum competent.

Enimverò ait Paulus: Quoties Lex (*d*) Obligationem introducit; niſi ſi nominatim caverit ut ſolâ eâ Actione utamur, etiam veteres eo nomine Actiones competere. *l.* 41. PAUL. LIB. 11. AD ED.

An autem ita competunt, ut unâ electâ ad cæteras non ſuperſit regreſſus?

Circa hanc quæſtionem, plures caſus diſtinguendi ſunt. Aut enim utraque Actio quæ de eâdem re concurrit, eſt rei perſecutoria; aut altera eſt rei perſecutoria, altera autem merè pœnalis; aut altera rei perſecutoria, altera mixta; aut utraque pœnalis, aut mixta.

§ I.

De caſu quo plures Actiones rei perſecutoriæ de eâdem re concurrunt.

L XI.

Hoc caſu hæc regula ſtatuenda eſt; QUOTIENS concurrunt plures Actiones ejuſdem rei nomine, unâ quis experiri debet. *l.* 43. § 1. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 28. AD ED.

Enimverò BONA fides non patitur ut bis idem exigatur. *l.* 57. *ff. d. tit.* GAIUS LIB. 18. AD ED. PROVINC.

Hinc Qui bis idem promittit, is eo jure ampliùs quàm ſemel non tenetur. *l.* 18. *ff. de Verb. oblig.* POMPON. LIB. 10. AD SABIN.

Conſonat quod de re ſubreptâ ait Pomponius: Sed ſi eam à fure vindicaſſem, Condictio mihi manebit. Sed poteſt dici, officio judicis qui de proprietate cognoſcit, contineri ut non aliter jubeat reſtitui, quàm ſi Condictionem petitor remitteret. Quòd ſi ex Condictione ante damnatus reus, litis æſtimationem ſuſtulerit: ut (*e*), aut omnimodo abſolvat reum; aut (quod magis placet) ſi paratus eſſet petitor æſtimationem reſtituere, nec reſtituetur ei homo; quanti in litem juraſſet, damnaretur ei poſſeſſor. *l.* 9. § 1. *ff. de Furtis.* POMPON. LIB. 6. AB SABIN.

Pariter Si is cui rem commodavero, eam ſubripuerit; tenebitur quidem & Commodati actione & Condictione. Sed altera Actio alteram peremit; aut ipſo Jure; aut per exceptionem, quod eſt tutius (*f*). *l.* 34. § 1. PAUL. LIB. SING. DE CONCURRENTIBUS ACTIONIBUS.

Suffragatur Javolenus, Si is cui res commodata erat, furtum ipſius admiſit; agi cum eo & Furti & Commodati poteſt. Et, ſi Furti (*g*) actum eſt, Commodati Actio

(*a*) His enim tribus caſibus ceſſat Condictio furtiva: 1°. Si res ad me redierit. Tit. *de Condict. furt.* N. 12. Inſuper [2°. & 3°.] ſi ſervus qui mihi ſurreptus eſt, à me alienatus aut manumiſſus fuit, putà ſi eum legaverim aut teſtamento manumiſerim; quia cùm hujus dominium facto meo à me abierit, Condictio quæ nonniſi domino competit, non poteſt ampliùs competere: d. Tit. *de Condict. furt.* N. 2. Vide Cujacium ad h. l.

(*b*) Alioquin in pœnam *Plus petitionis* actor incidit: de quâ ſuprà lib. 5. Tit. *de Judiciis.*

(*c*) Scilicet verbo *Facere oportere*, rectè continetur ut nobis reddatur res quam commodavimus, depoſuimus, &c. quum his Actionibus agimus.

(*d*) Exemplum habes in Lege Aquiliâ. Quum introduxit Obligationem & Actionem de quâvis re corruptâ; non antiquavit veteres Actiones, putà Actionem ex Lege XII. Tab. *de Arboribus ſuccisis.*

(*e*) Supple ex præcedentibus, *Officio judicis continetur ut, &c.*

(*f*) *Tutius* dicere.

(*g*) Id eſt, *Condictione furtivâ.*

Source : BIU Cujas

extinguitur: si Commodati; Actioni Furti, exceptio objicitur. *l.* 71. (*Aliàs* 73.) *ff. de Furtis.* JAVOLEN. LIB. 15. EX CASSIO.

L X I I.

Hoc quod dicimus, obtinet 1°. *Etsi ex pluribus delictis descendant singulæ Actiones quæ de eâdem re concurrunt.*

Hinc Modestinus. Plura delicta in unâ re plures admittunt Actiones. Sed non posse omnibus uti probatum est: nam si ex unâ Obligatione plures Actiones nascuntur, unâ tantummodò, non omnibus utendum est. *l.* 53. MODESTIN. LIB. 3. REGULAR.

2°. *Item obtinet, etiamsi adversùs diversas personas singulæ Actiones de eâdem re competant. Si unus enim solverit, aut solvere paratus sit; alter poterit agentem exceptione summovere. Hoc videre est in specie sequenti.*

Quæritur nempè: Quòd si is cui pecunia debeatur, cum debitore decidit; & nomen ejus vendidit Seio, cui debitor mandaverat ut nomen emeret; de-que eâ re emptor stipulatus (*a*) est; deinde creditor pecuniam retinet, quam per judicem abstulit (*b*): an emptor Ex stipulatu possit experiri (*c*)? Et Ofilius putat, si venditor nominis paratus non sit reddere quantùm ab emptore acceperit (*d*), non nocituram exceptionem (*e*) Doli mali. Et puto sententiam Ofilii veram. *l.* 4. §6. *ff. de Doli & met. except.* ULP. LIB. 76. AD ED.

§ I I.

De casu quo de eâdem re concurrunt Actiones, quarum altera rei persecutoria est, altera merè pœnalis.

L X I I I.

Hoc casu, altera Actio alteram non consumit. Habes exemplum: Furti actio pœnam petit legitimam, Condictio rem ipsam. Ea res facit, ut neque Furti Actio per Condictionem, neque Condictio per Furti Actionem consumatur. Is itaque cui furtum factum est, habet Actionem Furti & Condictionem; & Vindicationem habet, & Ad exhibendum Actionem. *l.* 7. § 1. *ff. de Condict. furt.* ULP. LIB. 42. AD SABIN.

Hinc de colo responsum est; si aliquid ex fundo subtraxerit, teneri eum Condictione, & Furti, quinetiam Ex locato. Et pœna quidem furti non confunditur; illæ (*f*) autem inter se miscentur. *l.* 34. § 2. PAUL. LIB. SINGUL. DE CONCURRENTIB. ACTIONIBUS.

Hæc regula semper vera est, quum adversùs eamdem personam utraque Actio concurrit. Verùm quum adversùs duas personas mihi diversæ Actiones competunt; scilicet adversùs eum cujus periculo res mea fuit, Actio rei persecutoria ex contractu; & adversùs eum qui furtum hujus rei fecit, aut in eâ damnum dedit, Actio pœnalis: alterâ electâ desinit altera mihi competere. Sic electâ Actione De recepto *adversùs exercitorem navis, desinit Actio* Furti *mihi competere adversùs furem: nam cùm mihi prospexerim; satius est ut exercitori cujus periculo res fuit, hæc Actio competat; ut vid. suprà lib.* 4. *Tit.* Nautæ caupon. *N. fint. Vide & Cujacium Observ. VIII.* 24.

§ I I I.

De casu quo altera Actio est rei persecutoria, altera mixta.

L X I V.

Hoc casu, mixta consumit rei persecutoriam. Vice versâ autem, rei persecutoria consumit mixtam; scilicet quatenùs mixta rei persecutionem continet; pro eo autem quod ultra rem habet, eam non consumit.

Et hoc in Legis Aquiliæ Actione dicitur: si tibi commodavero vestimenta, & tu ea ruperis. Utræque enim Actiones rei persecutionem continent. Et quidem post Legis Aquiliæ Actionem, utique Commodati finietur. Post Commodati, an Aquiliæ remaneat, in eo quod in repetitione triginta dierum ampliùs (*g*) est, dubitatur? Sed verius est remanere; quia simplo accedit, & simplo subducto locum [non (*h*)] habet. *l.* 34. § 2. ¶ *& hoc.* PAUL. LIB. SING. DE CONCURR. ACTIONIB.

Ita accipe quod alibi ait idem Paulus: Sed & si is qui pignori servum accepit, occidit eum vel vulneravit; Lege Aquiliâ, & Pignoratitiâ conveniri potest. Sed alterutrâ contentus esse debebit (*i*) actor. *l.* 18. *ff. Ad Leg. Aquil.* PAUP. LIB. 10. AD SABIN.

Item Gaius. Sive autem pignus, sive commodata res, sive deposita, deterior ab eo qui acceperit facta sit; non solùm istæ sunt Actiones de quibus loquimur, verùm etiam Legis Aquiliæ. Sed, si quâ earum actum fuerit, aliæ (*k*) tolluntur. 18. § 1. *ff. Commodati.* GAIUS LIB. 9. AD ED. PROVINC.

L X V.

Si Actio rei persecutoria mixtam, pro eo quod ultra rei persecutionem habet, non consumit; quum utraque Actio ex eodem facto nascitur, ut in speciebus præcedentibus: hoc multò magis debet obtinere, quum ex diversis factis descendunt.

Hinc quum quis hominem subripuit & occidit; Quæsitum est, si condictus fuerit ex causâ furtivâ, an nihilominùs Lege Aquiliâ agi possit? Et scripsit Pomponius agi posse; quia alterius æstimationis est Legis Aquiliæ actio, alterius Condictio ex causâ furtivâ. Namque Aquilia eam æstimationem complectitur, quanti eo anno plurimi fuit (*l*) Condictio autem ex causâ furtivâ, non egreditur retrorsùm judicii accipiendi tempus. *l.* 2. § 3. *ff. de Privat. delict.* ULP. LIB. 43. AD ED. SABIN.

Obiter nota. Sed si servus sit qui hæc admisit; quâcumque Actione noxæ fuerit deditus, perempta est altera actio. *d.* § 3.

Quod dicimus, Actionem rei persecutoriam non consumere mixtam pro eo quod hæc plus habet; accipe de Actionibus mixtis, quæ ab initio aliquid ultra rei persecutionem continent: non de Arbitrariis quæ demùm post interlocutionem judicis, ultra id quod in persecutione rei est, crescunt: ut rectè observat Cujacius Observ. VIII. 24.

§ I V.

De casu quo utraque Actio pœnalis est aut mixta.

L X V I.

Quum ex uno delicto plures nascuntur Actiones, sicut evenit quum arbores furtim cæsæ dicuntur; omnibus experiri permitti, post magnas varietates obtinuit. *l.* 32. HERMOGEN. LIB. 2. JURIS EPITOMAR.

Sic tamen ut, quantùm ex unâ actor consecutus fuerit, tantùm ex alterâ detrahatur. Ita enim Paulus. Si ex eodem facto duæ competant Actiones; postea (*m*) judicis potiùs partes esse, ut quo plùs sit in reliquâ Actione, id actor ferat; si tantùmdem aut minùs, id (*n*) consequatur. *l.* 41. § 1. PAUL. LIB. 22. AD ED.

(*a*) A debitore mandatore stipulatus est sibi reddi, quantùm ex causâ hujus mandati solverit venditori.

(*b*) Debitori cujus nomen vendidit.

(*c*) Adversùs debitorem; à quo stipulatus est sibi reddi pretium nominis ipsius, quod venditori solvisset.

(*d*) Ad quod tenetur erga emptorem, Actione *Ex empto*; eo nomine quòd acceperit pretium nominis quod ipsi vendiderat.

(*e*) Ergo contrà nocebit, si venditor paratus fuit reddere id emptori. Cùm enim id à venditore consequatur, non potest illud à debitore consequi.

(*f*) Scilicet *Condictio furtiva*, & Actio *Locati*.

(*g*) Quâ in re Actio *Legis Aquiliæ* continet pœnam rei persecutioni admixtam.

(*h*) Detrahendam negationem rectè observat Cujacius Observ. III 25. Sensus est: *Quia* hoc quod ampliùs est, pœna est; quæ *accedit simplo*, id est rei persecutioni: & deducto simplo quod jam actor *Commodati* Actione consecutus est, locum habet actio Legis Aquiliæ pro eo quod plùs est.

(*i*) Scilicet; ita tamen ut si quid plùs sit in Actione Legis Aquiliæ, possit saltem in hoc quod plùs est agere.

(*k*) Intellige ut in Notâ præced.

(*l*) Scilicet in id quod plùs habet.

(*m*) *Postea*quàm scilicet jam unâ actum est; in sequenti judicio *judicis*, *&c.*

(*n*) Patet legendum *nihil consequatur*, ut rectè emendat Cujacius.

Source : BIU Cujas

Hinc idem Paulus. Si quis egerit Vi bonorum raptorum, etiam Furti agere non potest. Quòd si Furti elegerit in duplum agere; potest & Vi bonorum raptorum agere, sic ut non excederet (*a*) quadruplum. *l.* 88. (*Aliàs* 90.) *ff. de Furt.* IDEM LIB. SINGUL. DE CONCURR. ACTIONIB.

Idem ait. Qui rem rapuit, & Furti nec manifesti tenetur in duplum, & Vi bonorum raptorum in quadruplum. Sed si ante actum sit Vi bonorum raptorum, deneganda est Furti: si ante Furti actum est, non est illa deneganda; ut tamen id (*b*) quod amplius in eâ est, consequatur. *l.* 1. *ff. Vi bonor. rapt.* PAUL. LIB. 22. AD ED.

Item Si vulnerato servo, Lege Aquiliâ actum sit; postea mortuo ex eo vulnere, agi Lege Aquiliâ nihilominùs potest. *l.* 46. *ff. Ad Leg. Aquiliam.* ULP. LIB. 51. AD SABIN.

Sed si priore judicio æstimatione factâ, posteà mortuo servo, de occiso agere dominus instituerit: exceptione Doli mali oppositâ compelletur, ut ex utroque judicio nihil ampliùs consequatur, quàm consequi deberet si initio de occiso homine egisset. *l.* 47. *ff. d. tit.* JULIAN. LIB. 86. DIGESTOR.

LXVII.

Dictis consonat & quod ait Paulus. Qui servum alienum injuriosè verberat, ex uno facto incidit & Aquiliam & Actionem Injuriarum. Injuria enim ex affectu fit, damnum ex culpâ. Et ideò possunt utræ competere. Sed quidam alterâ electâ, alteram consumi (*c*). Alii, per Legis Aquiliæ Actionem, Injuriarum consumi; quoniam desiit bonum & æquum esse, condemnati eum qui æstimationem præstitit (*d*): sed si ante Injuriarum actum esset, teneri eum ex Lego Aquiliâ (*e*). Sed & hæc sententia per Prætorem inhibenda (*f*) est: nisi in id quod ampliùs ex Lege Aquiliâ competit, agatur. Rationabilius itaque est, eam admitti sententiam; ut liceat ei quam voluerit Actionem priùs exercere; quod autem ampliùs in alterâ est, etiam hoc exsequi (*Aliàs* consequi). *l.* 34. PAUL. LIB. SING. DE CONCURR. ACTIONIB.

Cum hâc limitatione accipiendum quod ex Labeone refert Ulpianus: Si quis servo verberato, Injuriarum egerit, deinde postea Damni injuriæ agat; Labeo scribit, eamdem rem non esse (*g*): quia altera actio ad damnum pertineret culpâ datum, altera ad contumeliam. *l.* 15. § 46. *ff. de Injur.* ULP. LIB. 77. AD ED.

Similiter accipe quod alibi ait. Servus meus operâ vel querelâ tuâ, flagellis cæsus est à Magistratu nostro. Mela putat dandam mihi Injuriarum adversùs te, in quantùm ob eam rem æquum judici videbitur. Et, si servus decesserit, dominum ejus agere posse Labeo ait (*h*): quia de damno quod per injuriam factum est, agatur. Et ita Trebatio placuit. *l.* 17. § 2. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 57. AD ED.

LXVIII.

Quod hactenùs diximus; ex duabus Actionibus pœnalibus aut mixtis de eâdem re concurrentibus, quantùm quis ex unâ consecutus fuerit, tantùm ex alterâ detrahi; obtinet, quum ex eodem facto descendunt.

Quòd si duæ aut plures Actiones de eâdem quidem re concurrant, sed ex diversis factis; hæc regula tenenda est: NUNQUAM Actiones pœnales de eâdem pecuniâ concurrentes, alia aliam consumit. *l.* 60. ULP. LIB. 17. AD ED.

Et ita fert Regula Juris: NUNQUAM Actiones, præsertim pœnales, de eâdem re concurrentes, alia aliam consumit. *l.* 130. (*Aliàs* 172.) *ff. de Rer. Jur.* ULP. LIB. 18. AD ED.

Enimverò Nunquam plura delicta concurrentia, faciunt ut ullius impunitas detur. Neque enim delictum, ob aliud delictum, minuit pœnam. *l.* 2. *ff. de Privat. delict.* ULP. LIB. 43. AD SABIN.

Qui igitur hominem subripuit & occidit; quia subripuit, Furti, quia occidit Aquiliâ tenetur: neque altera harum Actionum alteram consumit. *d. l.* 2. § 1.

Idem dicendum, si rapuit, & occidit: nam & Vi bonorum raptorum, & Aquiliâ tenebitur. *d. l.* 2. § 2.

Item si quis subreptum flagello cæciderit; duabus Actionibus tenetur, Furti, Injuriarum. Et si fortè hunc eumdem occiderit, tribus Actionibus tenebitur. *d. l.* 2. § 4.

Item si quis ancillam alienam subripuit, & flagitaverit (*i*); utrâque Actione tenebitur: nam & Servi corrupti agi poterit, & Furti. *d. l.* 2. § 5.

Item si quis servum vulneravit, quem subripuerat; æquè duæ Actiones locum habebunt, Aquiliæ, & Furti. *d. l.* 2. § 6.

Consequenter: Si servus servum alienum subripuerit, & occiderit; & Julianus & Celsus scribunt, & Furti & Damni injuriæ competere (*k*) Actionem. *l.* 27. *ff. Ad Leg. Aquil.* ULP. LIB. 18. AD ED.

LXIX.

Regulæ nostræ adhuc tria exempla occurrunt.

Ium. Est in tabulis, cautionibus, chirographis, apochis, & similibus. Et quidem, qui ea surripuit, Furti tenetur.

Sed si quis non amovit hujusmodi instrumenta, sed interlevit; non tantùm Furti actio locum habet, verùm etiam Legis Aquiliæ: nam rupisse videtur, qui (*l*) corrupit. *l.* 27. § *fin. ff. de Furtis.* ULPIAN. LIB. 41. AD SABIN.

Sed (*m*) si subripuit priusquàm deleat, tanto tenetur quanti domini interfuit non subripi. Delendo enim, nihil ad pœnam adjicit. *l.* 28. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

Utroque autem casu, sive quis deleverit tantùm, animo furandi & lucri faciendi causâ, sive subripuerit priusquàm deleat; Hoc ampliùs, & Ad exhibendum agi potest. Et interdicto quorum bonorum agi poterit. *l.* 29. *ff. de tit.* ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Si hereditariæ tabulæ deletæ sint. *l.* 30. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 9. AD SABIN.

Sed & si imaginem quis vel librum deleverit (*n*); & hic tenetur Damno injuriæ, quasi corruperit. *l.* 31. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 41. AD SABIN.

IIum. Supràdictæ Regulæ exemplum.

Si idem eumdem servum vulneraverit, postea deinde etiam occiderit: tenebitur & de vulnerato, & de occiso: duo enim sunt delicta. Aliter atque si quis, uno impetu, pluribus vulneribus aliquem occiderit: tunc enim una erit actio de occiso. *l.* 32. § 1. *ff. Ad Leg. Aquil.* GAIUS LIB. 7. AD ED. PROVINC.

(*a*) Id est; ut ex utrâque Actione non plus consequatur quadruplo. Igitur in quadruplo quod præstandum est Actione *Vi bonorum raptorum*, imputabitur quod jam ex priore Actione consecutus est.

(*b*) *Id* duntaxat.

(*c*) Supple, aiunt. *Alii* distinguunt ab utrâ quis agere cœperit: si Lege Aquiliâ, Actionem *Injuriarum* consumi, &c.

(*d*) Porrò actio *Injuriarum* in id demùm dirigitur, quod BONUM ET ÆQUUM judici videbitur.

(*e*) Nec consumi actionem *Legis Aquiliæ* per Actionem *Injuriarum*, ut consumitur Actio *Injuriarum* per Actionem *Legis Aquiliæ*. Ratio differentiæ esse videbatur; quòd actio *Legis Aquiliæ* non in id quod ÆQUUM ET BONUM est simpliciter concipitur, sed in id QUANTI RES PLURIMI fuit hoc anno.

(*f*) Improbanda.

(*g*) Et proindè utrâque agi posse. Supple; ita tamen ut ex Actione *Legis Aquiliæ* deducatur, quantùm jam ex Actione *Injuriarum* consecutus est: ut dictum est in l. præced.

(*h*) Supple; nec obstare quòd jam *Injuriarum* egerit: *Quia*, &c. Hic autem supple limitationem ut mox suprà in Not. præced.

(*i*) Budæus interpretatur, *de stupro instantiùs appellaverit.*

(*k*) In dominum Noxaliter.

(*l*) Cujacius emendat, *qui interlevit.*

(*m*) Legendum videtur, *Sed Nisi.* Et hujus syllabæ adjectio apertum sensum hujus legis simul & præcedentis facit, & utriusque connexionem. Harum enim is sensus esse videtur: Si quis lucri faciendi causâ [putà debitor] instrumenta *non amovit* quidem, sed *interlevit*; eodem facto duo delicta admittit, & *Furtum* [l. 31. § 1. ff. *de Furt.*] & *damnum* Legis Aquiliæ: adeòque ex hoc facto *Non tantùm Furti actio locum habet, verùm etiam Legis Aquiliæ.* SED NISI SUBRIPUIT *priusquàm deleat, tanto* duntaxat *tenetur* [scilicet in duplum] *quanti domini interfuit non subripi*; non aliâ ullâ pœnâ. Etsi enim Delendo, duo delicta admiserit, & duplex actio nascatur: tamen cùm ex eodem facto utraque proficiscatur, adeòque actio *Furti* actionem Legis Aquiliæ consumat; indè est quòd *Delendo nihil ad pœnam* Furti *adjicit.* Ita scilicet, NISI subripuerit priusquàm deleat: hoc enim casu, cùm duo facta sint; altera actio, alteram non consumeret.

(*n*) Postquàm subripuit: ut patet ex verbis reduplicativis *Sed & si.*

Source : BIU Cujas

III^um. Exemplum. Si servus ante aditam hereditatem damnum in re hereditariâ dederit; & liber factus in eâ re damnum det: utrâque Actione (*a*) tenebitur, quia alterius & alterius facti hæ res sunt. *l.* 48. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 39. AD ED.

ARTICULUS II.

De concursu civilis Actionis cum judicio criminali.

Interest an judicium criminale cum quo civilis Actio concurrit, sit publicum judicium; an cognitio criminalis extraordinaria, quæ non publicè, sed ei duntaxat in quem admissum est delictum, competat. Quare separatim de utroque casu agemus.

§ I.

De concursu civilis Actionis cum judicio publico.

LXX.

Quando civilis Actio cum publico judicio concurrit; interest an hæc civilis Actio solam delicti ultionem persequatur; an de damno pecuniario sarciendo detur.

Primo casu, cùm & in Actione, & in judicio publico idem prorsùs veniat, scilicet ultio delicti; judicium per Actionem, aut Actio per judicium consumitur.

Electio autem est ejus qui ultionem persequitur, utro velit agere: putà, si quis talem injuriam passus ex quâ judicium quoque publicum dictari possit (b), maluerit civili Actione experiri. Nec enim prohibendus est privato agere judicio, quòd publico judicio præjudicatur (*c*); quia ad privatam causam pertinet (*d*). Planè si actum sit publico judicio, denegandum est privatum (*e*): similiter ex diverso. *l.* 6. ¶ *nec enim. ff. de Injur.* PAUL. LIB. 55. AD ED.

Altero autem casu, quo scilicet de damno pecuniario competit Actio civilis; judicium publicum quod ex eodem facto competere potest ad delicti ultionem, non consumitur: cùm in eo veniat quid prorsùs diversum ab Actione.

LXXI.

Utraque distinctionis nostræ pars probatur ex Ulpiano. Ita ille: Si dicatur homo injuriâ occisus; numquid non debeat permittere Prætor, privato judicio, Legi Corneliæ præjudicari? Idemque, & si ita quis agere velit quòd tu venenum dedisti hominis occidendi causâ? Rectiùs (*f*) igitur fecerit, si hujusmodi Actionem non dederit. Atquin (*g*) solemus dicere; ex quibus causis publica sunt judicia, ex his causis non esse nos prohibendos quominùs & privato agamus. Est hoc verum (*h*): sed ubi non principaliter de eâ re agitur, quæ habet publicam executionem.

Quid ergo de Lege Aquiliâ dicimus? nam ea Actio principaliter hoc (*i*) continet; hominem occisum, non principaliter: nam ibi principaliter de damno agitur, quod domino datum est. At in Actione Injuriarum; de ipsâ cæde, vel veneno, ut vindicetur; non ut damnum sarciatur.

Quid ergo si quis idcircò velit Injuriarum agere, quòd gladio caput ejus percussum est? Labeo ait, non esse prohibendum: neque enim utique hoc (inquit) intenditur, quod publicam habet animadversionem. Quod verum non est: cui enim dubium est, etiam hunc dici posse Corneliâ (*k*) conveniri? *l.* 7. § 1. *ff. de Injur.* ULP. LIB. 57. AD ED.

Quòd Si dolo servus occisus sit; & Lege Corneliâ agere dominum posse constat: &, si Lege Aquiliâ egerit, præjudicium fieri Corneliæ non debet. *l.* 23. § 9. *ff. Ad Leg. Aquil.* ULP. LIB. 18. AD ED.

Item Ulpianus alibi ait. In eum cujus dolo malo hominibus coactis damni quid datum esse dicatur; non debet cogi actor, omissâ actione civili, crimen (*l*) intendere. *l.* 15. *ff. de accusationib.* ULP. LIB. 56. AD ED.

Hinc Paulus. Interdum evenit, ut præjudicium (*m*) judicio publico fiat; sicut in Actione Legis Aquiliæ, & Furti, & Vi bonorum raptorum, & Interdicto UNDE VI, & De tabulis testamenti exhibendis. Nam in his de re familiari agitur. *l.* 4. *ff. de Publ. judic.* PAUL. LIB. 37. AD ED.

Hinc est quod Antoninus rescribit. Pater tuus adversùs eum à quo sollicitatam ancillam, plagio quoque facto exportatam queritur, apud suum judicem civiliter IN REM Actione institutâ consistat. Si verò in causâ tenuerit (*n*) etiam Legis Fabiæ crimen persequi poterit. Quòd si per violentiam mancipium abreptum est, accusationem ejus non prohibetur intendere. *l.* 1. *Cod. Ad L. Fab. de Plag.*

Pariter Gordianus. Ex morte ancillæ quam cæsam conquestus es, tam Legis Aquiliæ damni sarciendi gratiâ Actionem, quàm criminalem accusationem adversùs obnoxium, competere tibi posse non ambigitur. *l.* 3. *Cod. de Leg. Aquil.*

Hinc Diocletianus & Maximianus. De fide testamenti querenti, duplex via litiganti tributa est. Quamvis itaque per procuratorem, accusationem persequi non potes; disceptatione tamen privatâ de ejusdem fide queri non prohiberis: cùm reus ita conventus, non tantùm ab alio justè; sed etiam ab eo qui civiliter egit, solemniter accusari possit. *l.* 16. *Cod. Ad L. Cornel. de Falsis.*

Item Valens, Gratianus, & Valentinianus. A plerisque Prudentium generaliter definitum est; QUOTIES de re familiari & civilis & criminalis competit Actio, utrâque licere experiri; sive priùs criminalis, sive civilis Actio moveatur: nec si civiliter fuerit actum, criminalem posse consumi; & similiter è contrario. Sic denique & per vim de possessione dejectus, si de eâ recuperandâ Interdicto UNDE VI fuerit usus, non prohibetur tamen etiam Lege Juliâ DE VI publico judicio instituere accusationem. Et suppresso testamento; quum ex Interdicto DE TABULIS EXHIBENDIS fuerit actum, nihilominùs ex Lege Corneliâ testamentariâ poterit crimen inferri. Et quum libertus se dicit ingenuum; tam de operis civiliter, quàm etiam Lege Visselliâ (*o*) criminaliter poterit perurgeri. Quo in genere habetur Furti actio, & Legis Fabiæ constitutio. Et plurima alia sunt quæ numerari non possunt: ut, quum altera priùs

(*a*) Scilicet & Actione ex Edicto *Si quis testamento liber esse jussus, &c.* de quâ infrà lib. 17. & Actione Legis Aquiliæ ob damnum quod liber factus dedit.

(*b*) V. G. adversùs quem libellus famosus scriptus est. De quo vid. Tit. *de Injur. & fam. lib.* infrà lib. 47.

(*c*) *Publico judicio* PRÆJUDICARI, hîc est publicum judicium impediri. Aliàs diversam habet significationem.

(*d*) Hæc est ratio cur non debeat quis impediri agere privato judicio [quamvis hoc facto publicum consumatur]; QUIA nempè *privata* tantùm *causa* vertitur, scilicet ultio delicti in privatum admissi quod ad publicam causam nihil pertineat.

(*e*) Utrumque enim pariter ad solam delicti ultionem pertinet. Porrò *Non bis in idem.*

(*f*) Rectiùs quidem faciet si privatam Actionem denegaverit, ut non excludatur publicum judicium. Potest tamen, si velit, eam Actionem concedere [ut mox vidimus]: hoc prudentiæ ipsius committitur.

(*g*) Proponitur Objectio quæ talis est: Non debet [inquies] Actionem civilem denegare. Nam ideò dicitur deneganda, ne excludatur de eâ re publicum judicium: atqui hæc ratio non valet; neque enim per civilem Actionem publica judicia excluduntur.

(*h*) Respondet ad Objectionem, adhibitâ distinctione quam proposuimus.

(*i*) Id est; principaliter continet *hoc* damnum cujus sarciendi nomine competit, non autem continet vindictam cædis. Nec enim in hâc privatâ Actione, de cæde queritur principaliter & propter ipsam; sed indirectè, propter damnum quod ex cæde servi actor patitur.

(*k*) DE *Sicariis*, vel DE *Injuriis*. Cùm igitur hoc casu locus sit judicio publico Legis Corneliæ; malè definivit Labeo non esse denegandam Actionem *Injuriarum*. Imò deneganda est; ne, si non denegaretur, hæc actio præjudiciaret [id est, obstaret] judicio publico. Cùm enim utrumque judicium eamdem vindictæ persecutionem habeas, non potest utrumque concurrere.

(*l*) Aliud enim versatur in publico judicio *De vi publicâ*, scilicet publica vindicta violentiæ; aliud in privato judicio *Legis Aquiliæ*, scilicet restitutio damni.

(*m*) *Præjudicium fieri* hîc, est viam sterni ad judicium publicum; in quo argumentum sumitur, ex his quæ in disceptatione civilis negotii habita sunt, Cujac.

(*n*) Id est, obtinuerit.

(*o*) De quâ vide infrà lib. 48. Tit. *de L. Cornel. de Fal.*

Source : BIU Cujas

Actio intentata sit; per alteram quæ supererit, judicatum liceat retractari. Quâ Juris definitione non ambigitur, etiam Falsi crimen de quo civiliter jam actum est, etiam criminaliter esse repetendum. *l. un Cod. Quando civil. act. crimen. præjud.*

LXXII.

Observandum superest quòd quamvis civilis Actio criminalem publicam non consumat; tamen Qui civiliter agere cœpit, nonnisi finitâ per Sententiam Actione civili ad accusationem prosilire potest. *l.* 23. *Cod. de L. Corn. de Falsf.*

§ II.

De concursu civilis Actionis cum criminali, quæ non publicè sed ei soli in quem delictum commissum est, competat.

LXXIII.

Eo casu, altera Actio alteram consumet.

Hinc Julianus. Qui furem deducit ad Præfectum Vigilibus, vel ad Præsidem; existimandus est elegisse viam quâ rem persequeretur. Et, si negotium ibi terminatum, & damnato fure recepta est pecunia sublata in simplum; videtur furti quæstio sublata (*a*): maximè si non solum rem furtivam fur restituere jussus fuerit, sed ampliùs aliquid in eum judex constituerit. Sed etsi nihil ampliùs quàm furtivam rem restituere jussus fuerit, nec ampliùs aliquid in eum judex constituerit; ipso quòd in periculum majoris pœnæ deductus est fur, intelligendum est quæstionem furti sublatam esse. *l.* 56. (*Aliàs* 58.) § 1. *ff. de Furtis.* JULIAN. LIB. 22. DIGEST.

Sic accipe quod Divus Severus & Antoninus rescripserunt; Electionem esse, utrùm quis velit crimen Expilatæ hereditatis extra ordinem apud Præfectum Urbi, vel apud Præsides agere; an (*b*) hereditatem à possessoribus jure ordinario vindicare. *l.* 3. *ff. Expil. heredit.* MARCIAN. LIB. 2. PUBLICOR. JUDICIOR.

(*a*) Etsi pecuniam duntaxat receperit, & nihil ultrà pœnæ nomine. Ratio est quia in criminali actione *Furti*, & in cæteris extraordinariis criminalibus Actionibus quæ privatim duntaxat non publicè competunt; pœna quam accusator persequitur, magis refertur ad id quod suâ interest quàm ad publicam coercitionem & vindictam. Idem igitur versatur in criminali Actione, quod & in civili: porrò *Non bis in idem.*

(*b*) Ita scilicet; ut alterâ Actione electâ, alterâ consumatur.

(*c*) Quando? Fortè sub Titio: refert enim Suetonius vetuisse eum inter cætera, *de eâdem re pluribus Legibus agi.* in TITO n. 8.

ARTICULUS III.

De concursu duorum judiciorum publicorum.

LXXIV.

Ejusdem criminis ratione competere poterant plura simul judicia; putà ob vim illatam, judicium de Vi publicâ, & *judicium* de Vi privatâ, *utrumque ex Legibus publicorum judiciorum: item in aliis criminibus. Verùm is concursus talis erat, ut uno judicio electo alterum consumeretur. Nam* Senatus censuit (*c*) ne quis ob idem crimen, pluribus Legibus reus fieret. *l.* 14. *ff. de Accusat.* PAUL. LIB. 2. DE OFFIC. PROCONS.

FINIS SEXTÆ PARTIS DIGESTORUM.

Source : BIU Cujas

DIGESTORUM SEU PANDECTARUM

SEPTIMA PARS ET ULTIMA.

LIBER
QUADRAGESIMUS-QUINTUS.

TITULUS I.

DE VERBORUM OBLIGATIONIBUS.

COMMUNIS est hic Titulus omnium causarum & Obligationum de quibus suprà: & meritò rejectus est in ultimum locum; quia omnium negotiorum novissimâ parte, etiam subjici solet VERBORUM OBLIGATIO. *Cujac. in Parat. ad h. tit.*

I.

Tres contractus sunt Jure Pandectarum, qui ex Verborum solemnitate substantiam capiunt; Dotis dictio, jurata Operarum promissio patrono à liberto facta, denique Stipulatio. De duabus prioribus speciebus, alibi actum: hîc duntaxat de stipulatione.

STIPULATIO autem est, Verborum conceptio; quibus is qui interrogatur, daturum facturum-ve se quod interrogatus est responderit. *l.* 5. § 1. POMPON. LIB. 26. AD SABIN.

Stipulatio vocatur alio nomine SPONSIO. *Et quidem* Sponsio appellatur, non solùm quæ per sponsûs (*a*) interrogationem fit, sed omnis stipulatio promissioque. *l.* 7. *ff. de Verb. signif.* PAUL. LIB. 2. AD ED.

De SLIPULATIONIS *utilitate simul & verbi etimologiâ ita Paulus:*

Obligationum firmandarum gratiâ stipulationes inductæ sunt, quæ quâdam Verborum solemnitate concipiuntur; & appellatæ, quòd per eas firmitas Obligationum constringitur. STIPULUM enim Veteres (*b*) firmum appellaverunt. PAUL. SENTENT. *lib.* 5. *Tit.* 1. § 1.

Legum hujus Tituli series longior, in Florentinâ & aliis passim Editionibus distribuitur in tres partes A, B, Γ, *non aliâ quàm numeri divisionisque ratione. Nos, quæ de Stipulationibus hoc Titulo congesta sunt, in quatuor partes distribuemus hoc ordine: Prima erit de his quæ ad substantiam stipulationis pertinent. In* 2°. *varias stipulationum species exponemus, & quid quæque proprium habeat. Agemus in* 3ª. *de interpretatione stipulationum: In* 4ª. *de actionibus quas pariunt stipulationes.*

Quæ verò pertinent ad modos quibus stipulationes extinguuntur, ad Tit. de Solutionib. & liberationib. *infrà lib. seq.*

(*a*) Id est, per interrogationem ejus qui vicissim roget & rogetur: hæ enim mutuæ stipulationes, quales erant *Sponsalium*, proprie dicuntur SPONSIONES; eo quòd his verbis conciperentur, *Spondes?* SPONDEO. Obtinuit tamen ut quævis stipulatio, etiam *Sponsio* diceretur; etiamsi aliis verbis concipiatur, puta his: *Promittis?* PROMITTO. *Dabis?* DABO.

(*b*) Hæc etymologia quæ Justiniano quoque probatur. Instit. Tit. *de Verb. Obl.* magis placet quàm illa Festi qui in Verb. *STIPEM* ait, *Stipulari* dictum à stipe; quòd is qui interrogatus est, spondeat stipem, id est, æs. Isidorus stipulationem putat dictam à *Stipulâ*: quia inquit, Veteres quando aliquid sibi promittebant, stipulam tenentes frangebant; quam iterùm jungentes; sponsiones suas agnoscebant. Sed nullum Isidorus sententiæ suæ laudat auctorem.

PRIMA PARS.

De his quæ ad Stipulationis substantiam pertinent.

Ad Substantiam stipulationis pertinent sequentes quæstiones: 1°. *De formâ hujus contractûs:* 2°. *De personis quæ stipulari aut promittere possunt; item quibus quis stipulari possit, aut de quibus promittere:* 3°. *De rebus aut factis quæ in stipulationem deduci possunt:* 4°. *An licita stipulandi causa fuerit.*

SECTIO I.

De formâ Stipulationis.

Stipulationem duo constituunt: 1°. *Consensus utriusque contrahentis;* 2°. *Interrogatio stipulantis cum responsione congruâ promittentis, quibus consensus ille declaretur.*

ARTICULUS I.

De consensu Stipulantis & promittentis.

§ I.

Qualis consensus requiratur.

II.

Hoc stipulationi cum cæteris contractibus omnibusque conventionibus commune est, ut consensus contrahentium

Source : BIU Cujas

intervenire debeat circa id quod in Obligationem deducitur.

Hinc Venuleius. Si hominem ſtipulatus ſim; & ego de alio ſenſero, tu de alio; nihil acti erit. Nam ſtipulatio ex utriuſque conſenſu perficitur. *l.* 137. § 1. VENULEIUS LIB. I. STIPULATIONUM.

Pariter Paulus. Si Stichum ſtipulatus, de alio ſentiam, tu de alio; nihil actum erit. *l.* 83. § 1. PAUL. LIB. 72. AD ED.

Obiter nota. Quod & in judiciis Ariſto exiſtimavit. Sed hîc (*a*) magis eſt, ut petitus videatur de quo actor ſenſit. Nam ſtipulatio ex utriuſque conſenſu valet: judicium autem etiam in invitum redditur; & ideò actori potiùs credendum eſt. Alioquin ſemper negabit reus ſe conſenſiſſe. *d.* § 1. ¶ *quod &.*

§ II.

Qualis error non noceat.

III.

Is autem error qui non circa ipſam rem eſt, ſed circa rei materiam duntaxat, non nocet.

Hinc V. G. Si id quod aurum putabam, quum æs eſſet, ſtipulatus de te fuero; teneberis mihi hujus æris nomine (*b*), quoniam in corpore conſenſerimus. *l.* 22. PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

Obiter nota. Sed ex Doli mali clauſulâ (*c*) tecum agam, ſi ſciens me fefelleris. *d. l.* 22. ¶ *ſed ex.*

Multò minùs nocebit error, in rei quæ promittitur appellatione. Hinc Si in nomine ſervi quem ſtipularemur dari, erratum fuiſſet; cùm de corpore conſtitiſſet, placet ſtipulationem valere. *l.* 32. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

Pariter non nocebit error in ejus demonſtratione. Hinc V. G. Si divortio facto ea quæ nihil in dote habeat, dotis nomine (*d*) centum dari ſtipuletur; vel quæ centum duntaxat habeat, ducenta dotis nomine dari ſtipuletur: Proculus ait; Si ducenta ſtipuletur quæ centum habeat, ſine dubio centum (*e*) quidem in Obligationem venire, alia autem centum actione De dote deberi. Dicendum itaque eſt, etiamſi nihil ſit in dote, centum tamen venire in ſtipulatione; ſicuti quum filiæ vel matri, vel ſorori, vel alii cuilibet, dotis nomine legaretur; utile legatum eſſet. *l.* 21. POMPON. LIB. 15. AD SABIN.

ARTICULUS II.

De interrogatione & reſponſione.

IV.

Stipulationi proprium eſt, ut alter ex contrahentibus alterum interrogare, alter ei reſpondere debeat.

Hoc in cæteris contractibus non requiritur. Nam Si in locando, conducendo, vendendo, emendo, ad interrogationem quis non reſponderit; ſi tamen conſentitur in id quod reſponſum eſt (*f*), valet quod actum eſt: quia hi contractus, non tam Verbis quàm conſenſu, confirmantur. *l.* 35. § 2. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

(*a*) In judiciis ſcilicet. Ariſtonis ſententiam improbat, adductâ ratione diſcriminis inter contractus & judicia. Nimirùm cum invito non contrahimus; unde ſequitur eum conſentire debere de re de quâ contrahitur: at etiam cum invitis judicio experimur; undè conſenſus adverſarii non eſt neceſſarius circa rem quam in judicium deducimus.

(*b*) Atqui vidimus errorem circa materiam rei, vitiare emptionem: ſuprà lib. 18. Tit. *de Contract. empt.* N. 34. Ratio diſparitatis eſt quòd, quum quis æs pro auro mihi vendidit, meâ intereſt talem venditionem non valere. At quum æs pro auro promiſſum eſt mihi, mea intereſt ſaltem æs mihi deberi. Ita Cujac.

(*c*) Quæ ſtipulationibus addi ſolet, *Dolum malum abfuturum.* Cæterùm hæc clauſula debet eſſe expreſſa; nec enim ſuppletur in contractibus ſtricti Juris: quare ſi fuerit omiſſa, recurrere opus erit ad actionem *De dolo.*

(*d*) Sub falſo prætextu, ea ſe in dotem attuliſſe.

(*e*) Ea centum quæ in dote non erant, in hanc ſtipulationis Obligationem venient. Cæterùm ſupponendum eſt, promiſſorem non per errorem ea promiſiſſe, alioquin ſe tueretur exceptione.

(*f*) Zoannetus legit, *quod non reſponſum eſt*; alii, *quod præpoſitum eſt*, Binkershoeck cenſet trajectionem eſſe verborum, & legendum; *ſi tamen conſentitur in id quod actum eſt, quod reſponſum eſt valet*: hoc ſenſu ut, quamvis non ſit reſponſum ad interrogationem, ſcilicet aut quia non congruat interrogationi, aut quia non ſit illico reſponſum; valeat tamen reſponſum, ſi in id conſenſum eſt.

(*g*) De quâ in *Inſtitut.* lib. 3°. tit. 29.

(*h*) Suprà lib. 15. Tit. *Quod juſſu.*

(*i*) Igitur inutilis ſtipulatio, ne quidem vim pacti habet; quia non fuit animus paciſcendi, ſed ſtipulandi. Tamen acceptilatio inutilis, vim pacti habere dicitur. Sed ab acceptilatione ad ſtipulationem non valet argumentum; quia propenſiores ſumus ad liberandum, quàm ad obligandum.

(*k*) Scilicet modò per hoc intervallum ad alium actum contrahentes non diverterint: ut mox videb.

(*l*) Naturæ indultum, putà ſi quis diſceſſerit ad exonerandum ventrem.

(*m*) Ita rectiùs in Vulg. & in Haloandr. Editione; quàm in Florent. *acceperit*, nullo ſenſu. Bynkershoeck poſt Donellum legit, *Occeperit.*

(*n*) Cùm interrogatus ſis ut alternativè deberes, tu reſponderis ut obligareris purè.

§ I.

Qualis eſſe debeat interrogatio & reſponſio.

V.

Circa interrogationem & reſponſionem requiritur 1°. *Ut non paciſcendi duntaxat, ſed animo interponendæ ſtipulationis interveniat. Hic autem animus præſumitur, niſi contrarium probetur.*

Hinc Ulpianus. Quod ferè noviſſimâ parte pactorum ita ſolet inſeri, ROGAVIT TITIUS, SPOPONDIT MÆVIUS: hæc verba non tantùm pactionis loco accipiuntur, ſed etiam ſtipulationis. Ideòque Ex ſtipulatu naſcitur actio: niſi contrarium ſpecialiter adprobetur, quòd non animo ſtipulantium hoc factum eſt, ſed tantùm paciſcentium. *l.* 7. § 12. *ff. de Pactis* ULPIAN. LIB. 4. AD ED.

VI.

2°. *Requiritur ut, utroque loquente & ſe invicem exaudiente, interrogatio & reſponſio interveniant. Nam* Stipulatio non poteſt confici, niſi utroque loquente. Et ideò neque mutus, neque ſurdus, neque infans, ſtipulationem contrahere poſſunt: nec abſens quidem, quoniam exaudire invicem debent. *l.* 1. ULPIAN. LIB. 48. AD ED.

Obiter nota. Si quis igitur ex his vult ſtipulari; per ſervum præſentem ſtipuletur, & adquiret ei Ex ſtipulatu actionem (*g*). Item ſi quis obligari vult; jubeat, & erit QUOD (*h*) JUSSU obligatus. *d. l.* 1. ¶ *ſi quis.*

Ex eo quòd utroque loquente interrogatio & reſponſio interponi debeant; indè colligit Ulpianus quòd Si quis ita interroget, DABIS? reſponderit, QUIDNI? & is utique in eâ causâ eſt ut Obligetur: contrà, ſi ſine Verbis adnuiſſet. Non tantùm autem civiliter, ſed nec naturaliter (*i*) obligatur qui ita adnuit: & ideò rectè dictum eſt, non obligari pro eo nec fidejuſſorem quidem. *d. l.* 1. § 2.

Hinc etiam colligit idem Ulpianus: Qui præſens interrogavit; ſi antequàm ſibi reſponderetur, diſceſſit; inutilem efficit ſtipulationem. Sin verò præſens interrogaverit, mox diſceſſit, & reverſo reſponſum eſt; Obligat: intervallum enim medium (*k*) non vitiavit obligationem. *d. l.* 1. § 1.

VII.

3°. Continuus actus ſtipulantis & promittentis eſſe debet, ut tamen aliquod momentum (*l*) naturæ intervenire poſſit; & quominùs reſponderi ſtipulanti oportet. Cæterùm ſi poſt interrogationem aliud agere cœperit (*m*), nihil proderit; quamvis eâdem die ſpopondiſſet. *l.* 137. VENULEIUS LIB. I. STIPULATION.

VIII.

Illud 4°. *circa interrogationem & reſponſionem requiritur, ut invicem congruant; putà circa qualitatem obligationis.*

Hinc Si ſtipulante me Stichum aut Pamphilum, tu unum daturum te ſpoponderis; conſtat non teneri te, nec ad interrogatum (*n*) eſſe reſponſum. *l.* 83. § 2. PAUL. LIB. 72. AD ED.

Diverſa cauſa eſt ſummarum; veluti, DECEM AUT VIGINTI dari ſpondes? Hîc enim etſi decem ſpoponderis, rectè reſponſum eſt; quia ſemper in ſummis

Source : BIU Cujas

id quod minùs est, sponderi videtur (*a*). *d. l.* 83. § 3.

Cùm responsio interrogationi congruere debeat circa qualitatem obligationis: Hinc Si quis simpliciter interrogatus responderit, SI ILLUD FACTUM ERIT DABO; non Obligari eum constat: aut si ita interrogatus: INTRA KALENDAS QUINTAS ? responderit DABO IDIBUS, æquè non Obligatur. Non enim sic respondit ut interrogatus est. Et vice versâ si interrogatus fuerit sub conditione, responderit purè; dicendum, eum non Obligari. Cùm enim adjicit aliquid vel detrahit obligationi, semper probandum est vitiatam esse Obligationem.

Nisi (*b*) stipulatori diversitas responsionis illicò placuerit. Tunc enim alia stipulatio contracta esse videtur. *l.* 1. § 3. ULP. LIB. 48. AD ED.

Item responsio debet esse interrogationi congrua, circa rem in stipulationem deductam.

Hinc Si stipulanti mihi DECEM, tu VIGINTI respondeas; non esse contractam Obligationem nisi in decem constat. Ex contrario quoque si me VIGINTI interrogante, tu DECEM respondeas; Obligatio nisi in decem non erit contracta. Licèt enim (*c*) oportet congruere summam; attamen manifestissimum est, viginti & decem inesse. *d. l.* 1. § 4.

Nam IN EO quod plus sit, semper inest & minùs. *l.* 110. *ff. de reg. Jur.* PAUL. LIB. 6. AD ED.

Pariter si mihi stipulanti omnes servos tuos, promittas Stichum; Stichus debebitur. Nam SEMPER specialia generalibus insunt. *l.* 147. [*Aliàs* 189.] *ff. d. tit.* GAIUS LIB. 24. AD ED. PROVINC.

IX.

Vidimus in quibus responsio interrogationi congruere debeat. Necesse autem non est ut congruat circa ea quæ ad substantiam obligationis non pertinent.

Hinc 1°. Sed & si in rei quæ promittitur, aut personæ appellatione varietur; non obesse placet. Nam stipulanti denarios, ejusdem quantitatis aureos spondendo Obligaberis (*d*). Et servo stipulanti Lucio domino suo, si Titio qui idem sit daturum te spondeas; Obligaberis. *l.* 65. § 1. FLORENT. LIB. 8. INSTIT.

Consonat quod ait Paulus. Si sub unâ significatione diversis nominibus ea res quæ in stipulatum deducitur, appellatur; non infirmat Obligationem, si alter altero verbo utatur. *l.* 136. PAUL. LIB. 5. SENT.

Hinc dicendum 2°. Si ita fuero stipulatus, MIHI AUT TITIO, & tu MIHI daturum te spondeas; secundum omnium opinionem, ad interrogatum te respondere. Quia constat mihi soli adquiri Obligationem: Titio autem rectè duntaxat (*e*) solvitur. *l.* 141. § 3. GAIUS LIB. 2. DE VERB. OBLIGAT.

Hinc 3°. Eâdem an aliâ linguâ respondeatur, nihil interest. Proindè si quis Latinè interrogaverit, respondeatur ei Græcè, dummodò congruenter respondeatur, Obligatio constituta est. Idem per contrarium. Sed utrùm hoc usque ad Græcum sermonem tantùm protrahimus; an verò & ad alium, Pænum fortè vel Assyrium, vel cujus alterius linguæ, dubitari potest (*f*)? Et scriptura Sabini (*g*): Sed & verum patitur, ut omnis sermo contineat Verborum Obligationem; ita tamen ut uterque alterius linguam intelligat, sive per se sive per verum interpretem. *l.* 1. § 6. ULP. LIB. 48. AD ED.

X.

5°. *Denique requirebatur olim ut certis ac solemnibus Verbis interrogatio & responsio conciperentur. Et quidem* In hâc re olim talia verba tradita fuerunt: SPONDES? spondeo. PROMITTIS? promitto. FIDEPROMITTIS? fidepromitto. FIDEJUBES? fidejubeo. DABIS? dabo. FACIES? faciam. *Instit. h. tit.* § 1.

Leo verò sic constituit, non Jus novum introducendo, sed illud quod jam dudùm invaluerat, confirmando: Omnes stipulationes etiamsi non solemnibus vel directis, sed quibuscumque Verbis, consensu contrahentium compositæ sunt, vel Legibus cognitæ; suam habeant firmitatem. *l.* 10. *Cod. de Contrah. stipul.*

XI.

Circa interrogationem & responsionem in quibus stipulationum forma consistit, observandum superest; quòd Quæ extrinsecùs & nihil ad præsentem actum pertinentia adjeceris stipulationi, pro supervacuis habebuntur, nec vitiabunt Obligationem. Veluti si dicas, ARMA VIRUM-QUE CANO, SPONDEO; nihilominùs valet. *l.* 65. FLORENT. LIB. 8. INST.

ARTICULUS III.

An & quando una interrogatio cum responsione unâ, plures stipulationes continere videatur.

XII.

Scire debemus in stipulationibus, tot esse stipulationes quot summæ sunt (*h*); totque esse stipulationes quot species sunt. *l.* 29. ULPIAN. LIB. 46. AD SABIN.

Corollarium. Secundùm quod evenit, ut mixtâ unâ summâ vel specie quæ non fuit in præcedenti stipulatione, non fiat novatio; sed efficit (*i*) duas esse stipulationes. *d. l.* 29. ¶ *Secundùm.*

Item si ego plures res stipuler, Stichum putà & Pamphilum; licèt unum spoponderis, teneris (*k*). Videris enim ad unam ex duabus stipulationibus respondisse. *l.* 83. § 4. PAUL. LIB. 72. AD ED.

(*a*) Igitur verbis tenùs alternativa erat interrogatio, re autem non. Nam qui *Viginti aut decem* debet, reverà nihil aliud debet quàm decem; cùm nulla ipsi possit esse ratio eligendi viginti potiùs quàm decem.

(*b*) Cujacius putat hanc postremam hujus §i. partem, non debere aptari his quæ præcedunt; sed §°. 4°. ejusdem legis mox sequenti, ad quem vide Notam seq.

(*c*) Objici posset, ne quidem in decem debere valere stipulationem. Respondet autem, valere; & intra decem interrogationi responsionem congruere: quia qui stipulatus est viginti, etiam decem quæ continentur in viginti videtur stipulatus. An autem hoc semper obtinet, ut saltem in decem valeat stipulatio; an demùm eo casu quo diversitas responsionis illicò placuerit? Lis inter Doctores. Cujacius putat hoc demùm casu id ita obtinere, argumento §i. 6i. Instit. *de Inutil. stipul.* ubi dicitur, Stipulationem quâ quis decem stipulanti, quinque promittit, esse inutilem: item ex Caii Instit. § 10 & 11. Tit. *de Obligat.* ubi ait: « *Si purè* » *interroget creditor, & debitor sub conditione promittat: vel si creditor decem* » *solidos debitorem interroget, & debitor quoque promittat: hoc ordine integrum* » *debitum vacillare cognoscitur.* » Verùm responderi potest ad id quod ait Justinianus, stipulationem esse inutilem; sic esse hoc intelligendum, ut sit inutilis pro eâ quantitate quæ excedit QUINQUE quæ in promissione continentur. Sic & rursùs in Instit. Tit. *Mandati* § 9. dicitur mandatarium qui majori quàm jussus erat pretio emit, non habere actionem MANDATI; quam tamen intra eam duntaxat quantitatem quæ fines mandati excedit, ei denegandam ex Proculeianorum sententiâ definit ibidem Justinianus. Atque hinc etiam facilis responsio ad textum ex fragmentis Caii mox oppositum. Quæ etenim dissensio inter utramque Scholam fuit, teste Justiniano, circa mandatarium qui majori quàm jussus erat pretio emit; eadem quoque esse potuit circa stipulationem, quâ stipulator de majore quam quæ promissa est summâ interrogavit. Porrò Caius *d. loc.* censet talem stipulationem inutilem prorsùs esse; ex Sabinianorum sententiâ; & pinguiùs acceptâ regulâ Juris quæ statuit in stipulationibus promissionem interrogationi congruam esse debere. Ulpiano autem hîc [in eâ quam exponimus l. 1. § 4. *h. tit.*] placuit diversa Proculeianorum sententia; qui rem accuratiùs expendentes, & minorem summam in majori contineri animadvertentes; promissionem QUINQUE cum interrogatione quoad hanc summam congruere, & ideò intra hanc summam stipulationem esse utilem, rectè definiunt. Quæ posterior sententia Justiniano quoque magis probata est, qui eam in Pandectis inseruit.

(*d*) Enimverò idem prorsùs videris spopondisse, quod ille à te stipulatus est; cùm tam in aureis quàm in denariis, non corpora spectentur sed sola quantitas.

(*e*) Adjectio autem personæ cui solvi poterit, non pertinet ad substantiam Obligationis. De his adjectis solutionis gratiâ, vide infrà lib. 46. Tit. *de Solutionib.*

(*f*) Ratio dubitandi quia, cùm stipulatio non sit contractus Juris Gentium, sed Juris Civilis; videbatur nonnisi civilibus ac Latinis verbis peragi posse. Verùm propter frequentissimum stipulationum usum, receptum est ut quocumque sermone fieri possint.

(*g*) Id est, & hæc sunt verba Sabini.

(*h*) Dices: Quid interest hoc scire? Maximè: nam si plures sunt stipulationes, pluries agi poterit; scilicet ex singulis stipulationibus, ut observat Cujacius. Et aliundè stipulatio, quamvis inutilis circa speciem unam, non vitiabitur quoad alteram: ut mox sequitur.

(*i*) Sensus hujus legis suboscurus. Finge: Stipulatus est quis *Stichum*; postea stipulatur *Stichum & Pamphilum.* Ait Jurisconsultus, posteriore Stichi stipulatione non fieri novationem prioris: nihil enim novi additur in posteriore Stichi stipulatione. Nec dicas addi Pamphilum: nam Pamphilus ad Stichi stipulationem non pertinet; *Sed efficit* diversam & propriam stipulationem; cùm tot sint stipulationes quot sunt diversæ res seu species aut quantitates de quibus interrogatur.

(*k*) Ad præstandum eum quem dare spopondisti. Et illud prorsùs absque dubio est; neque hîc distingueret Cujacius [ut suprà N. 8.] an diversitas responsionis illicò placuerit: tot enim stipulationes hic esse videntur, quos res; & stipulatio utilis ejus servi ad quam responsum est, non vitiatur per inutilem stipulationem alterius servi ad quam responsum non est.

Source : BIU Cujas

Vice versâ. Sed si mihi Pamphilum stipulanti, tu Pamphilum & Stichum spoponderis; Stichi adjectionem pro supervacuo habendam puto. Nam si tot sunt stipulationes quot corpora; duæ sunt quodammodo stipulationes, una utilis, alia inutilis; neque vitiatur utilis per hanc inutilem. *l.* 1. § 5. ULP. LIB. 48. AD ED.

Et quidem nil refert, an ipsâ stipulationis formulâ species omnes aut summæ expressæ sint; an in præfatione quâdam, quibusdam-ve conventionibus quas subsecuta sit stipulatio.

Hinc Paulus Respondit; Quotiens pluribus specialiter pactis, stipulatio una omnibus subjicitur: quamvis una interrogatio, & responsum unum subjiciatur, tamen proindè haberi, ac si singulæ species in stipulationem deductæ fuissent. *l.* 134. § 3. PAUL. LIB 15. RESP.

Idem alibi. Pluribus rebus præpositis, ita stipulatio facta est: EA OMNIA QUÆ SUPRA SCRIPTA SUNT, DARI? Proprius est, ut tot stipulationes quot res sint. *l.* 140. PAUL. LIB. 3. AD NERAT.

Idem respondit: Plerùmque ea quæ præfationibus conveniisse concipiuntur, etiam in stipulationibus repetita creduntur. *sup. d. l.* 134. § 1.

Hoc sic limita: Sic tamen (*a*) ut non ex eâ repetitione inutilis efficiatur stipulatio. *d.* § 1.

XIII.

Quod dicitur tot stipulationes esse quot res, ibi locum habet ubi res exprimuntur (*b*) stipulationi (*Aliàs* stipulatione.) Cæterùm si non fuerint expressæ (*c*), una est stipulatio. *l.* 86. ULP. LIB. 79. AD ED.

Hinc V. G. Quamvis autem placuerit tot esse stipulationes quot res: tamen si pecuniam quis, quæ in conspectu est, stipulatus sit, vel acervum pecuniæ; non tot sunt stipulationes quot nummorum corpora, sed una stipulatio. Nam per singulos denarios, singulas esse stipulationes absurdum est.

Stipulationem quoque LEGATORUM (*d*), constat unam esse; quamvis plura corpora sunt, vel plura legata.

Sed & FAMILIÆ, vel OMNIUM servorum, stipulatio una est: itemque QUADRIGÆ aut LECTICARIORUM stipulatio una est.

At si quis ILLUD ET ILLUD stipulatus sit, tot stipulationes sunt quot corpora. *l.* 29. ¶ *quamvis autem.* ULP. LIB. 46. AD SABIN.

XIV.

De hâc stipulatione, ANNUA BIMA TRIMA DIE, ID ARGENTUM (quâque die) DARI? apud Veteres variatum fuit (*e*). Paulus: Sed verius, & hîc tres esse trium summarum stipulationes. *l.* 140. § 1. PAUL. LIB. 3. AD NERATIUM.

Stipulatio hujusmodi IN ANNOS SINGULOS, una est & incerta (*f*) & perpetua; non quemadmodum simile legatum morte legatarii finiretur. *l.* 16. § 1. POMPON. LIB. 6. AD SABIN.

§ III.

De præsumptione observatæ Verborum solemnitatis in stipulationibus.

XV.

Verborum solemnitas quam ex substantiâ stipulationis esse diximus, præsumitur fuisse observata; nisi contrarium appareat.

Hinc Ulpianus. Sciendum est generaliter: Quòd si quis se scripserit fidejussisse (*g*), videri omnia solemniter acta. *l.* 30. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

Item Paulus Respondit; Cum Septicius litteris suis præstaturum se caverit pecuniam, & usuras ejus semisses, quæ apud Sempronium depositæ sint; si inter præsentes actum est, intelligendum etiam à parte Lucii-Titii præcessisse Verba stipulationis. *l.* 134. § 2. PAUL. LIB. 15. RESPONSOR.

Consonat quod rescribunt Severus & Antoninus. Licèt epistolæ quam libello inseruisti, additum non sit Stipulatum esse eum cui cavebatur: tamen si res inter præsentes gesta est, credendum est præcedentem stipulationem vocem spondentis subsecutam esse. *l.* 1. *Cod. de Contrah. & committ. stipul.*

Hoc quoque constituit Justinianus; ut quum scripturâ continetur stipulationem inter præsentes interveniisse, non habeat stipulator necesse probare reverâ præsentes fuisse contrahentes; sed fides adhibeatur scripturæ: nisi adversarius liquidissimè probaverit alterum ex contrahentibus, eâ die, à civitate in quâ contractum est, abfuisse. l. 14. Cod. d. tit.

Observandum etiam quod ait Scævola. Si librarius in transcribendis stipulationis Verbis erraſſet; nihil nocere, quominùs & reus & fidejussor teneatur. *l.* 92. *ff. de Reg. Jur.* SCÆVOLA LIB. 5. REGUL.

SECTIO II.

De personis quæ Stipulari aut promittere possunt; item de iis quibus quis stipulari possit, aut de quibus promittere.

ARTICULUS I.

Quis stipulari & quis promittere possit.

XVI.

Sunt qui nec stipulari nec promittere possunt; ut furiosus. Enimverò Furiosum sive stipuletur sive promittat, nihil agere, naturâ manifestum (*h*) est. *l.* 1. § 12. *ff. de Oblig. & act.* GAIUS LIB. 2. AUREORUM.

Huic proximus est, qui ejus ætatis est ut nondum intelligat quid agatur. Sed quod ad hunc, benigniùs acceptum est; nam qui loqui potest, creditur & stipulari & promittere rectè posse. *d. l.* 1. §. 13.

Secùs si infans sit. Hinc Ulpianus. Mulier quæ dotem dederat populari meo Glabrioni-Isidoro, fecerat eum promittere dotem (si in matrimonio decessisset) infanti; & decesserat constante matrimonio. Placebat actionem non esse: quoniam qui fari non poterat, stipulari non poterat. *l.* 70. ULP. LIB. 11. AD ED.

Item Mutum nil pertinere ad Obligationem Verborum, naturâ manifestum est. *sup. d. l.* 1. § 14. *de Oblig. & act.*

Sed & de surdo idem dicitur: quia (etiamsi loqui possit) sive promittit, Verba stipulantis exaudire debet; sive stipuletur, debet exaudire Verba promittentis. Undè apparet non de eo nos loqui qui tardiùs exaudit, sed qui omninò non exaudit. *d. l.* 1. § 15.

XVII.

Sunt qui stipulari possunt, inutiliter autem promittunt.

(*a*) Putà; si pactus sim dare decem Titio, deinde stipuler decem simpliciter; non intelligetur repetita persona Titii: quia efficeret stipulationem inutilem; cùm stipulatio alteri facta non valeat.

(*b*) Non quidem in ipsâ stipulationis formulâ, sed saltem in præfatione aut conventione præcedenti: ut mox suprà.

(*c*) Sed sub uno genere in stipulationem deducto contentæ.

(*d*) De quâ vide suprà lib. 36. Tit. *Ut legat. seu fideic. caveat.*

(*e*) Et quidem maxima ratio dubitandi, an multiplex esset stipulatio: si quidem una summa est, *Id argentum*; licèt in plures pensiones divisa, *Annuâ bimâ trimâ die.*

(*f*) In superiori specie obtinuit tres videri summas, in tria certa tempora distinctas; quæ efficiunt tres stipulationes. Verùm in hâc specie in infinitos annos promittitur: undè aut dicendum est infinitum esse stipulationum numerum, quod absurdum foret; aut dicendum, unam esse *incertam ac perpetuam* stipulationem.

(*g*) Quæ fidejussio fiebat per stipulationem.

(*h*) Stipulatio enim, sicut cæteri contractus, requirit consensum contrahentium; qui in furioso nullus est. Vide lib. præced. Tit. *de Oblig. & act.* N. 17.

Source : BIU Cujas

Putà Is cui bonis interdictum eſt, ſtipulando ſibi acquirit; tradere verò non poteſt; vel promittendo, Obligari. Et ideò nec fidejuſſor pro eo intervenire poterit (*a*), ſicut nec pro furioſo. *l.* 6. ULP. LIB. 1. AD SABIN.

Item Pupillus(*b*) licèt ex quo fari cœperit, rectè ſtipulari poteſt; tamen ſi in parentis poteſtate eſt, ne auctore quidem patre Obligatur. *l.* 141. § 2. GAIUS. LIB. 2. VERB. OBLIG.

Obiter nota. Pubes verò qui in poteſtate eſt, proindè ac ſi paterfamilias, Obligari ſolet.

Quod autem in pupillo dicimus, idem & in filiâfamilias impubere dicendum eſt. *d.* § 2. ¶ *pubes.*

Pupillus autem paterfamilias, nonniſi tutore auctore promittendo Obligatur. Hinc Antoninus: Ex ſtipulatione in quâ impubes ſine tutore auctore ſpopondiſti, non es Obligatus. *l.* 1. *Cod. de Inutilib. ſtipulat.*

Quum ſtipulatur autem, modò infante major ſit, tutore opus non habet. Hinc Diocletianus & Maximianus: Neque tutoris neque curatoris abſentia quicquam ſtipulationi nocet; cùm & fœminam minorem viginti-quinque annis, abſente curatore ſtipulari poſſe non ambigatur. *l.* 7. *Cod. de Contrah. & committ. ſtipul.*

XVIII.

Puberes ſine curatoribus ſuis (*c*) poſſunt ex ſtipulatu Obligari. *l.* 101. MODESTIN. LIB. 4. DE PRÆSCRIPTIONIB.

XIX.

Quod attinet ad ſervos; & utiliter ſtipulantur; & promittendo dominos Obligare ſolent, vel De peculio, *aut* In rem verſo, *vel* Quod juſſu: *ut vid. ſuprà lib.* 15. *d. titulis.*

Hæc ita; ſi, quum ſtipulatur ſervus, dominum habet aut retrò fingi poſſit tunc habuiſſe: alioquin inutiliter ſtipulatur.

Hinc Si ſervus hereditarius ſtipulatus ſit; nullam vim habitura ſit ſtipulatio, niſi adita hereditas ſit: quaſi conditionem habeat (*d*). Idem eſt & in ſervo ejus qui apud hoſtes eſt (*e*). *l.* 73. § 1. PAUL. LIB. 24. AD ED.

Plura infrà Tit. de Stipul. ſervor. *Art. fin.*

ARTICULUS II.

Cui quis Stipulari, & de quâ perſonâ quis promittere poteſt.

§ I.

Cui quis utiliter Stipulari poſſit.

XX.

Regula Juris eſt: NEC paciſcendo, nec legem dicendo, nec ſtipulando, quiſquam alteri cavere poteſt. *l.* 73. § *fin. ff. de Reg. Jur.* Q. MUCIUS-SCÆVOLA. LIB. SING. ΟΡΩΝ.

Non videtur autem alteri cavere, qui heredi ſuo cavet. Igitur ſtipulando, Suæ perſonæ adjungere quis heredis perſonam poteſt. *l.* 38. § 14. ULP. LIB. 49. AD SABIN.

An autem unum duntaxat ex ſuis heredibus? Ita diſtinguit Venuleius. Præterea ſciendum eſt, quod dari ſtipulemur non poſſe [per] nos uni ex heredibus adquiri; ſed neceſſe eſſe omnibus adquiri. At quum quid fieri ſtipulemur, etiam unius perſonam (*f*) rectè comprehendi. *l.* 137. § 8. VENULEIUS LIB. 1. STIPULATION.

Sed adoptivi patris perſona (*g*) conjungi poterit. *ſup. d. l.* 38. § 15.

XXI.

Poteſt etiam qui in alienâ poteſtate eſt, non ſolùm ei in cujus poteſtate eſt utiliter ſtipulari; ut latè videb. infrà Tit. de Stipul. ſerv. *ſed & ei qui eſt in ejuſdem poteſtate.*

Igitur Si filius meus ſervo meo ſtipuletur, acquiritur mihi. *l.* 40. POMPON. LIB. 27. AD SABIN.

Vice verſâ pater aut dominus ſervo aut filio ſtipulari poſſunt. Et illud abſque dubio eſt quòd Dominus ſervo (*h*) ſtipulando, ſibi adquirit; ſed & pater filio, ſecundùm quod (*i*) Leges permittunt. *l.* 39. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

Hinc Severus & Antoninus. Si filiæ tuæ quam in poteſtate habebas, pecuniam dari ſtipulatus es; paratam Obligationem exercere non prohiberis. *l.* 2. *Cod. de Contrah. ſtipul.*

XXII.

Quod dicitur patrem filio utiliter ſtipulari, quaſi ſibi ille ſtipularetur; hoc in his verum eſt quæ juris ſunt, quæ-que adquiri patri poſſunt. Alioquin ſi factum conferatur in perſonam filii, inutilis erit ſtipulatio; veluti ut tenere (*k*) ei, vel ire agere liceat. Contrà autem filius, etiam ut ire patri liceat, ſtipulando adquiret ei: immò & quod in ſuam perſonam conferre non poteſt, hoc patri adquirat. *l.* 130. PAUL. LIB. 15. QUÆST.

Item ſtricto Jure inutilis eſt ſtipulatio, quâ pater filio ſtipularetur in eum caſum quo filius è poteſtate ipſius exiiſſet. Benignè tamen admittitur ut utilis ſit talis ſtipulatio, & Utilem filio actionem pariat.

Hinc Ulpianus. Si ita quis ſtipulatus ſit; POST mortem meam filiæ (*l*) meæ dari; vel ita, POST mortem filiæ meæ mihi dari (*m*); utiliter erit ſtipulatus. Sed primo caſu, filiæ Utilis actio competit; licèt heres ei non (*n*) exiſtat. *l.* 45. § ULP. LIB 50. AD SABIN.

Suffragatur Pomponius. Si ita conveniat ut, ſi vivo ſocero mortua ſit filia, ipſi ſocero; ſi mortuo, filio ejus; ſi filio quoque defuncto, totum ſuo heredi reddatur: benignâ interpretatione poteſt defendi, utilem ſtipulationem eſſe. *l.* 9. *ff. de Pact. dotalib.* POMPON. LIB. 16. AD SABIN.

Suffragatur & Africanus. Pater quum filiæ ſuæ nomine dotem daret; pactus eſt ut mortuâ filiâ uno pluribusve liberis ſuperſtitibus, deductâ parte tertiâ reliqua dos, ſibi, aut poſt mortem ſuam illi aut illi filiis quos in poteſtate habebat, reddatur: deinde hæc ita fieri ſtipulatus eſt. Poſt mortem ejus, mulier in matrimonio

(*a*) Subeſſe enim debet obligatio ſaltem naturalis, cui fidejuſſor accedat. In prodigo autem, quum aliquid promittit, ne naturalem quidem obligationem agnoſcunt Jura.

(*b*) Id eſt, impubes.

(*c*) Ergo [inquit Cujacius] agitur in h. l. de puberibus qui curatores habent; ſi quidem dicit *Suis*. Poſſunt autem ſine curatoribus ſuis obligari, quamvis non poſſint ſine curatore alienare: quia, ut obſervat idem Cujacius, adulti curator non perſonæ ſed rebus datur. Igitur de rebus ſuis adultus ſine curatore diſponere non poteſt; ſe autem poteſt obligare. Alii [ut Schultingius] cenſent adultos qui curatores habent, ſimiles eſſe eis quibus interdictum eſt bonis; adeòque non poſſe ſine curatorum conſenſu ſe obligare. Hanc autem legem hoc ſenſu accipiunt, quòd ad ſe Obligandum non habent opus præſentiâ curatoris; modò ex intervallo approbet eorum Obligationem: vel etiam dicunt fortè legendum *Obligare* pro *obligari*.

(*d*) Stipulatio. Huic nempè hæc conditio vi ipsâ tacitè ineſt, *Si adita ſit hereditas*. Si enim non fuerit adita, & diſtracta fuerint bona, nulla erit perſona cui potuerit ſervus ſtipulando acquirere. Quòd ſi fuerit adita; cùm tempus aditæ hereditatis retròtrahatur ad tempus mortis; ſervus quum ſtipulatus eſt, videbitur habuiſſe dominum; heredem ſcilicet.

(*e*) Et ibi deceſſit. Niſi enim ejus hereditas ex Lege Corneliâ adeatur, inutilis erit ſervi ſtipulatio.

(*f*) Differentiæ ratio eſt quòd, cùm jus ſtipulationis dividuæ [qualis eſt ſtipulatio *In dando*] inter omnes heredes diviſum ſit ipsâ Lege XII. Tab. *Nomina inter heredes cita ſunto*, non poſſit ſtipulator facere ut ſolidum uni acquiratur. At cùm non dividatur jus ſtipulationis quæ factum continet, utpotè cùm facta ex ſuâ naturâ individua ſint; nil vetat ſolidum uni ex heredibus ſtipulari.

(*g*) Id eſt; poteſt quis ita ſtipulari, MIHI & *ei in cujus adoptionem me dedero*. Nam adrogator eſt ſucceſſor univerſalis & inſtar heredis; cui non ſecùs ac heredi noſtro ſtipulari poſſumus.

(*h*) Cùm enim per eum acquirat, perindè eſt ac ſi ſibi ſtipuletur.

(*i*) Cujacius putat hæc verba eſſe Triboniani; & referri ad Conſtitutiones ex quibus jam, nonniſi ex causâ peculii profectitii, pater per filium adquirit.

(*k*) *Tenere* dicitur, de corporali detentione rei alicujus; ſcilicet naturaliter poſſidere, & quatenùs in poſſeſſione factum ſolum non jus conſideratur.

(*l*) Stipulatur in caſum quo filia erit poteſtate ejus ſoluta: morte enim patris ſolvitur poteſtas. Tamen benignè admittitur actionem ex hâc ſtipulatione, filiæ dari; non quidem *Directam* [nam Jure ſtricto non valet hæc ſtipulatio], ſed *Utilem*; quaſi ipſa filia voce patris cum quo tunc una erat perſona, eſſet ſtipulata.

(*m*) Non potuiſſet ſtipulari SIBI DARI *poſt mortem ſuam*, ut videb. infra N. 101. At nil vetat idem ſtipulari *Poſt mortem filiæ ſuæ*.

(*n*) Ex ſuâ enim perſonâ habet filia actionem hereditario nomine: cùm pater ex ſtipulatione poſt mortem ſuam conceptâ, nullum jus ſibi acquirere, adeòque nec ad heredem tranſmittere potuerit.

Source : BIU Cujas

deceſſerat relictis filiis. Quæſitum eſt, an ex ſtipulatione duas partes illi petere poſſint? Reſpondi, poſſe. Etenim vim ejus ſtipulationis hanc eſſe, ut ſi in matrimonio mortua eſſet (*a*), dos patri redderetur: & proindè habendum, ac ſi talis ſtipulatio interpoſita fuiſſet; Si navis ex Aſiâ venerit, mihi aut poſt mortem meam Lucio-Titio (*b*) dari ſpondes? Nam etſi poſt mortem ſtipulatoris navis veniſſet, heredi deberi. *l.* 23. *ff. de tit.* AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

XXIII.

Quod ad extraneos attinet, inutiliter ſtipulor alicui dari fieri-ve. Si tamen meâ interſit ei dari fieri-ve, utiliter ſtipulabor; non ut ipſi, ſed ut mihi acquiram eo nomine obligationem.

Hinc Ulpianus. Si ſtipuler alii, quum meâ intereſſet; videamus an ſtipulatio committatur? Et ait Marcellus ſtipulationem valere: in ſpecie hujuſmodi. Is qui pupilli tutelam adminiſtrare cœperat, ceſſit adminiſtratione contutori ſuo; & ſtipulatus eſt REM pupilli ſalvam fore. Ait Marcellus, Poſſe defendi ſtipulationem valere. Intereſt enim ſtipulatoris, fieri quod ſtipulatus eſt; cùm obligatus futurus eſſet pupillo, ſi aliter res ceſſerit. *l.* 38. § 20. ULP. LIB, 49. AD SABIN.

Si quis inſulam faciendam promiſerit aut conduxerit, deinde ab aliquo inſulam ſtipulatori fieri ſtipulatus ſit: aut ſi quis quum promiſiſſet Titio fundum Mævium daturum, aut (ſi is non dediſſet) pœnam ſe daturum; ſtipulatus à Mævio fuerit, fundum Titio datum iri: item ſi quis id locaverit faciendum quod ipſe conduxerit; conſtat habere eum utilem (*c*) Ex locato actionem. *d. l.* 38. § 21.

Si quis ergo ſtipulatus fuerit, quum ſuâ intereſſet ei (*d*) dari; in eâ erit causâ ut valeat ſtipulatio. *d. l.* 38. § 22.

Undè & ſi procuratori meo dari ſtipulatus ſum, ſtipulatio vires habebit; & ſi creditori meo: quia intereſt meâ, ne vel pœna committatur, vel prædia diſtrahantur quæ pignori data erant. *d. l.* 38. § 23.

XXIV.

Quod autem ſuâ non intereſt, Alteri ſtipulari nemo poteſt; præterquàm ſi ſervus domino, filius patri ſtipuletur. Inventæ ſunt enim hujuſmodi Obligationes, ad hoc ut unuſquiſque ſibi adquirat quod ſuâ intereſt: cæterùm ut alii detur, nihil intereſt meâ *d. l.* 38. § 17.

Nota: Planè ſi velim hoc facere, pœnam ſtipulari conveniet; ut ſi ita factum non ſit ut comprehenſum eſt, committatur ſtipulatio etiam ei cujus nihil intereſt. Pœnam enim quum ſtipulatur quis, non illud inſpicitur quid interſit; ſed quæ ſit quantitas, quæ-que conditio ſtipulationis. *d.* § 17. ¶ *planè.*

His quæ diximus conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Ut inter abſentes Verborum Obligatio contrahi non poteſt; ita alteri cujus juri ſubjectus non eſt, aliquid dari vel reſtitui (niſi ſuâ interſit) nemo ſtipulari poteſt. Cùm igitur defunctâ in matrimonio filiâ tuâ ſuperſtitis filii nomine partem dimidiam dotis à marito detineri; alteram verò partem nepoti tuo, vel ſi is in rebus humanis non eſſet, Juliano reſtitui per pactum conveniſſe proponas: præventoque morte nepote, etiam ſtipulationem ad Julianu n factam ob abſentiam ejus non valuiſſe ſignifices; ac propterea ex perſonâ ac ſtipulatione tuâ, quâ reſtitui cuncta juxta pactorum tenorem provideras, reddi tibi deſideres: ſuper ſtipulatu tuo adi Præſidem provinciæ; ut examinatis partium allegationibus, quanti conſtiterit intereſſe tuâ (juxta placiti fidem) dotis portionem Juliano fuiſſe reſtitutam, ob incertæ actionis effectum concludat condemnationem taxatæ quantitatis. *l.* 3. *Cod. de Inutilib. ſtipulat.*

Inutilem eſſe ſtipulationem quâ quis alteri ſtipulatur quod ſuâ non interſit, docet pariter Paulus in ſpecie ſequenti. « Chryſogonus Flavii-Candidi ſervus actor, ſcripſit » coràm ſubſcribente & adſignante domino meo, acce- » piſſe eum à Julio-Zoſâ rem agente Julii-Quintiliani » abſentis, mutua denaria mille: quæ dari Quintiliano » heredi-ve ejus ad quem ea res pertinebit, Kalendis » Novembribus quæ proximæ ſunt futuræ, ſtipulatus » eſt Zoſas libertus, & rem agens Quintiliani; ſpopon- » dit Candidus dominus meus ſub die ſuprà ſcriptâ. Si » ſatis eo nomine factum non erit; tunc quo pòſt ſol- » vetur, uſurarum nomine denarios octo præſtari ſtipu- » latus eſt Julius-Zoſas; ſpopondit Flavius-Candidus » dominus meus. Subſcripſit & dominus. » Reſpondit: Per liberam perſonam quæ neque juri noſtro ſubjecta eſt, neque bonâ fide nobis ſervit, obligationem nullam adquirere poſſumus. Planè (*e*) ſi liber homo noſtro nomine pecuniam daret vel ſuam vel noſtram, ut nobis ſolveretur; obligatio nobis pecuniæ cr editæ adquireretur (*f*). Sed quod libertus patrono dari ſtipulatus eſt, inutile eſt; ut nec ad ſolutionem (*g*) proficiat adjectio abſentis, cui principaliter Obligatio quærebatur (*h*).

Supereſt quæramus an ex numeratione, ipſe qui contraxit, pecuniam creditam petere poſſit? Nam quotiens (*i*) pecuniam mutuam dantes, eamdem ſtipulamur; non duæ Obligationes naſcuntur, ſed una VERBORUM. Planè (*k*) ſi præcedat numeratio, ſequatur ſtipulatio; non eſt dicendum, receſſum à naturali obligatione. Sequens ſtipulatio in quâ ſine adjectione nominis uſuras ſtipulatus eſt, non eodem vitio (*l*) laborat. Neque enim malignè (*m*) accipiendum eſt; eidem ſtipulatum uſuras, cui & ſortem, videri. Ideòque in liberti perſonâ valet ſtipulatio uſurarum, & cogitur eam patrono cedere. Plerùmque (*n*) enim in ſtipulationibus Verba ex quibus Obligatio oritur, inſpicienda ſunt. Rarò ineſſe tempus vel conditionem, ex eo quod agi apparebit, intelligendum eſt; nunquàm perſonam, niſi expreſſa ſit. *l.* 126. § 2. PAUL. LIB. 3. QUÆST.

XXV.

Sicut ſtipulatio quâ quis alteri ſtipulatur quod ſuâ ipſius non interſit, in totum inutilis eſt; ita illa quâ quis SIBI ET ALTERI *ſtipulatur, pro parte inutilis eſt.*

Hinc Pomponius. Si mihi & Titio in cujus poteſtate non ſim, ſtipuler decem; non tota decem, ſed ſola quinque mihi debentur. Pars enim aliena deducitur: ut quod extraneo inutiliter ſtipulatus ſum, non augeat meam (*o*) partem. *l.* 110. POMPON. LIB. 4. AD Q. MUCIUM.

Ratio eſt quia Eum qui ita ſtipulatur, MIHI ET TITIO DECEM dare ſpondes? veroſimilius eſt, ſemper una decem communiter ſibi & Titio ſtipulari (*p*); ſicuti qui

(*a*) Cujacius rectè cenſet mancum eſſe hunc textum, & legendum; *Ut ſi in matrimonio, vivo patre, mortua eſſet; dos patri redderetur: ſi poſt mortem patris, filiis.*

(*b*) Filio ſcilicet aut heredi.

(*c*) Id eſt, efficacem.

(*d*) Extraneo.

(*e*) Unam quidem exceptionem hæc regula patitur: nam *Si liber homo, &c.*

(*f*) Hoc ſingulari Jure obtinet in contractu *Mutui*, propter frequentem uſum hujus contractûs. Verùm ſecùs obtinet in ſtipulatione, & cæteris contractibus. Igitur *Quod libertus, &c.*

(*g*) Id eſt, perſona patroni in ſtipulatione comprehenſa eſt, ſed ut ei quæreretur Obligatio: quod fieri non potuit.

(*h*) Id eſt: hoc agebatur, ut ei quæreretur: ſed inutiliter hoc agebatur.

(*i*) Hic proponitur ratio dubitandi, quæ talis eſt: Non poteſt ſupereſſe liberto qui mutuum dedit, actio *Ex mutuo.* Nam quum poſt mutuum ſequitur ſtipulatio, non duæ obligationes naſcuntur; ſed obligatio ex mutuo transfundetur in Obligationem ex ſtipulatione quæ ſola ſupereſt, & vocatur Obligatio VERBORUM.

(*k*) Reſpondet; in hâc ſpecie non eſſe receſſum per ſtipulationem, ab obligatione ex mutuo: quam *Naturalem* vocat, quia mutuum eſt contractus Juris naturalis. Ideò autem non eſt receſſum ab eâ, quia non potuit novari niſi per utilem ſtipulationem, non verò per inutilem.

(*l*) Stipulatus eſt uſuras dari ſimpliciter, non verò PATRONO dari. Unde *non laborat eodem vitio* quo laborat ſtipulatio ſortis, quam ſtipulaturus erat patrono dari.

(*m*) Non admittenda eſt interpretatio ſecundùm quam intelligeretur ſtipulatus eſſe uſuras patrono, quia illi ſortem ſtipulatus eſt. Nam interpretatio *maligna*, id eſt quæ non fineret valere ſtipulationem, eſt rejicienda.

(*n*) Hîc aliam rationem affert cur hæc interpretatio ſit rejicienda.

(*o*) Secùs in contractibus ſynallagmaticis, ut in emptione. Vide ſuprà *lib.* 2. Tit. *de Pactis.* N. 23.

(*p*) Adeòqne hoc agit ut ſibi quinque duntaxat quærerentur: non poteſt autem acquirere plus quàm quod voluit.

Source : BIU Cujas

legat Titio & Sempronio, non aliud intelligitur quàm una decem communiter duobus legare. *l.* 56. JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

Sed & Eum qui dicat, MIHI DECEM, ET TITIO DECEM; eadem decem, non alia decem dicere credendum eſt. *l.* 38. § 19. ULP. LIB. 49. AD SABIN.

Ex hactenùs dictis abundè liquet; non poſſe perſonam extranei in ſtipulatione ſic comprehendi, ut ei Obligatio quæratur. Verùm ſic poteſt comprehendi, ut ei ſolvi poſſit: dicituſque is Adjectus ſolutionis gratiâ; *de quâ re vide infrà lib.* 46. *Tit.* de Solutionib.

§ II.

De quâ perſonâ quis promittere poſſit.

XXVI.

De ſe duntaxat heredibuſque ſuis quis promittere poteſt, non de altero. Hinc Paulus: Inter ſtipulantem & promittentem negotium contrahitur. Itaque alius pro alio promittens daturum facturum-ve eum, non Obligatur. Nam de ſe quemque promittere oportere. *l.* 83. PAUL. LIB. 72. AD ED.

Nec obſtant receptæ illæ in ſtipulationibus clauſulæ, per quas de facto etiam alieno quis promittere videtur. In his enim factum promittentis proprium, & heredis ejus, intelligendum eſt. Nam V. G. Et qui ſpondet DOLUM MALUM abeſſe abfuturumque eſſe, non ſimplex abnutivum ſpondet (*a*); ſed curaturum ſe ut dolus malus abſit. Idem in illis ſtipulationibus, HABERE LICERE; item, NEQUE per te neque per heredem tuum fieri quominus fiat. *d. l.* 83. ¶ *& qui.*

XXVII.

Hinc Ulpianus de iiſdem ſtipulationibus diſputans, pariter docet non poſſe quem ſtipulari niſi de ſe heredibuſque ſuis.

Et 1°. Stipulatio iſta, HABERE LICERE SPONDES? hoc continet ut liceat habere, nec per quemquam omninò fieri quominùs nobis habere liceat. Quæ res facit ut videatur reus promiſiſſe, per omnes futurum ut tibi habere liceat. Videtur igitur alienum factum promiſiſſe: nemo autem alienum factum promittendo obligatur; & ita utimur. Sed ſe Obligat, ne ipſe faciat quominùs habere liceat: Obligatur etiam, ne heres ſuus faciat; vel quis cæterorum ſucceſſorum (*b*) efficiat ne habere liceat. *l.* 38. ULPIAN. LIB. 49. AD SABIN.

Et breviùs. Sed quatenùs HABERE LICERE videbitur? Si nemo controverſiam faciat; hoc eſt, neque ipſe reus, neque heredes ejus, heredum-ve ſucceſſores. *d. l.* 38. § 2. ¶ *ſed quatenùs.*

Sed ſi quis promittat per alium non fieri, præter heredem ſuum; dicendum eſt, inutiliter eum promittere factum alienum. *d. l.* 38. § 1.

Circa hanc ipſam tamen ſtipulationem HABERE LICERE, *nota quod ſtatim ſubjicit idem Ulpianus:* At ſi quis velit factum alienum promittere; pœnam (*c*), vel QUANTI EA RES SIT, poteſt promittere. *d. l.* 38. § 2.

Ex dictis circa hanc ſtipulationem patet ſolutio ſequentis quæſtionis. Nimirùm Quæſitum eſt utrùm propriam demùm rem, an & alienam promittere poſſit HABERE LICERE? Et magis eſt ut & aliena promitti poſſit; quæ res ita effectum habebit, ſi propria eſſe promiſſoris cœperit. Quare ſi perſeveraverit aliena; dicendum erit ſtipulationem non committi, niſi pœna adjecta ſit: cùm neque per eum, neque per ſucceſſorem ejus quicquam factum ſit. *d. l.* 38. § 4.

2°. *Quæcumque de ſtipulatione* Habere licere *dicta ſunt, eadem pariter & circa ſtipulationem* DOLUM ABFUTURUM *dicenda ſunt; & ita breviter complectitur Ulpianus.* Si quis DOLUM MALUM promiſſoris herediſque ejus abeſſe velit; ſufficere, ABESSE ABFUTURUMQUE ESSE ſtipulari. Si verò de plurium dolo cavere velit; neceſſarium eſſe adjici, CUI rei dolus malus non abeſt, non abfuerit, QUANTI EA RES ERIT tantam pecuniam dari ſpondes. *d. l.* 38. § 13.

XXVIII.

Quoties quis alium ſiſti promittit, nec adjicit pœnam (putà vel ſervum ſuum, vel hominem liberum); quæritur an committatur ſtipulatio? Et Celſus ait: Etſi non eſt huic ſtipulationi additum, NISI STETERIT PŒNAM DARI; [in] id quanti intereſt ſiſti, contineri. Et verum eſt quod Celſus ait. Nam qui alium ſiſti promittit; hoc promittit, id ſe acturum ut ſtet. *l.* 81. ULP. LIB. 77. AD ED.

Igitur Si quis ita ſtipulatus fuerit, ILLUM SISTAS? nulla cauſa eſt, cur non Obligatio conſtat. *d. l.* 38. § 24.

XXIX.

Item de ſe promittit, qui promittit ſe alieno nomine ſoluturum.

Igitur Poſſum utiliter à te ita ſtipulari, Titii nomine te ſoluturum: neque enim hoc ſimile eſt illi, Titium daturum. *l.* 97. § 1. CELSUS LIB. 26. DIGEST.

Obiter nota. Sed ex eâ ſtipulatione, dum intereſt meâ, agere poſſum (*d*). Et ideò, ſi locuples ſit Titius, nihil ex hâc ſtipulatione conſequi poſſim. Quid enim meâ intereſt id à te fieri; quod ſi non feceris, æquè ſalvam pecuniam habiturus ſum? *d. l.* 97. § 1. ¶ *ſed ex eâ.*

Denique, modò id inter contrahentes agatur ut de ſe quis promittat; non neceſſe eſt hoc exprimi. Hinc à fidejuſſore tutoris aut curatoris, Illa ſtipulatio DECEM millia ſalva fore (*e*) promittis? valet. *l.* 67. ULP. LIB. 2. AD ED.

XXX.

Vidimus nonniſi de ſe heredibuſque ſuis poſſe quem promittere. Et quidem heredum perſonæ ſtipulatione comprehenſæ intelliguntur; etſi hoc non expreſſum ſit.

Quid autem ſi quis promiſerit nominatim de uno ex illis? Eâ de re ita Julianus: TE ET TITIUM heredem tuum, decem daturum ſpondes? Titii perſona ſupervacuè (*Florent.* ſupervacua) comprehenſa (*f*) eſt. Sive enim ſolus heres extiterit, in ſolidum tenebitur: ſive pro parte, eodem modo quo cæteri coheredes ejus, Obligabitur. Et quamvis conveniſſe videatur, ne ab alio herede quàm à Titio peteretur; tamen inutile pactum conventum coheredibus ejus erit. *l.* 56. § 1. JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

(*a*) Id eſt; non ſimplicem negationem facti alieni promittit: quo caſu promitteret de altero, adeòque non valeret ſtipulatio. Sed proprium factum promittit, ſcilicet *Curaturum ſe ut, &c.* Quod verbum CURARE rectè notat Cujacius hic accipi, non pro *Satagere*, ſed pro *Agere*, *perficere* ne fiat: ita ut indiſtinctè teneatur promiſſor ſi factum non fuerit; quaſi his verbis in ſe receperit ut id fieret, & ad id quod interſit fieri ſe obligaverit. Hæc ſententia Cujacii Praxi noſtræ forenſi conſentanea eſt.

Diſſentiunt tamen nonnulli; & cenſent eum qui promiſit curaturum ſe ut ab altero quid fiat; non teneri quamvis factum non fuerit, ſi omnem ipſe diligentiam adhibuerit: maximè ſi hoc factum in ſtipulationem deductum fuerit, quod ipſe vice alterius facere non poſſet. Vide Bachovium in Notis ad *Treutler.* Tom. 2. Diſput. 27. Th. 2.

(*b*) Scilicet heredis heredum, &c.

(*c*) Non poteſt quidem quis hoc ſimpliciter mihi promittere, alium non facturum quominùs mihi rem habere liceat; quia de alio promitteret. At utiliter mihi promittit pœnam ſi hoc contingat: putà utiliter mihi promittet. *Quanti meâ intereſt* habere licere; hoc enim caſu, de ſe promittit.

(*d*) Et in hoc à fidejuſſione differt. Ratio diſparitatis eſt; quòd, qui promittit ſe Titii nomine ſoluturum, non promittit dare aliquid; ſed factum promittit. Promiſſor autem facti, non tenetur niſi in id quod intereſt. Porrò hactenùs meâ intereſt eum pro Titio ſolvere, quatenùs ipſe Titius ſolvere non poſſet.

(*e*) Quamvis verbum illud FORE, generale videatur; nec ſolum tutoris aut curatoris perſonale factum *Ut ſalva faciat*, comprehendere.

(*f*) Ratio eſt quòd, quum promitto me & Titium heredem daturum: pro parte ex quâ heres meus erit, *ſupervacuè* eum in ſtipulatione comprehendo; cùm etiam citra hanc adjectionem, pro parte ex quâ meus heres eſt, in Obligationes meas ſuccedat: pro reliquis autem partibus *inutiliter* de eo promitto; quia, cùm in illis reliquis partibus non ſit meus heres, non videor quantùm ad illas partes de herede meo promittere quod de illo promitto. Aliud in perſonali pacto *Ne à me petatur*; in quo utiliter adjicio perſonam unius ex heredibus meis: prodeſt enim ei pro parte ex quâ heres eſt, ne ab illo petatur; qui alioquin teneretur.

Source : BIU Cujas

Hinc idem Julianus ſcripſit ; Si, NEQUE per te neque per heredem tuum Titium fieret (*Aliàs* fieri) quominùs mihi ire liceat, ſtipuler; non ſolum Titium teneri ſi prohibeat ſed etiam coheredes ejus. *l.* 131. SCÆVOLA LIB. 13. QUÆST.

SECTIO III.

De rebus aut factis quæ in Stipulationem deduci poſſunt, vel non poſſunt.

ARTICULUS I.

Quæ res in Stipulatum deduci poſſint necne.

§ I.

De rebus incertis; item de iis quæ non exiſtunt.

XXXI.

In ſtipulationem deduci non poteſt, res omninò incerta. *Exemplum affert Marcellus.* Triticum dare oportere ſtipulatus eſt aliquis. Facti quæſtio eſt, non Juris. Igitur ſi de aliquo tritico cogitaverit, id eſt, certi generis, certæ quantitatis; id habebitur pro expreſſo. Alioquin ſi, quum deſtinare genus & modum vellet, non fecit; nihil ſtipulatus videtur, igitur ne unum quidem modium. *l.* 94. MARCELL. LIB. 3. DIGEST.

XXXII.

Item Si id quod dari ſtipulemur, tale ſit ut dari non poſſit; palàm eſt naturali ratione inutilem eſſe ſtipulationem. Veluti ſi de homine libero, vel jam mortuo, vel ædibus deuſtis facta ſit ſtipulatio; inter eos qui ignoraverint eum hominem liberum eſſe, vel mortuum eſſe, vel ædes deuſtas eſſe. Idem Juris eſt, ſi quis locum ſacrum aut religioſum dari ſibi ſtipulatus fuerit. *l.* 1. *§ 9. ff. de Oblig. & act.* GAIUS LIB. 2. AUREORUM.

Quod tamen dicimus, rem quæ extincta eſt (putà hominem mortuum) non poſſe in ſtipulationem deduci, diſtinctionem recipit. Nam Stichum qui deceſſit, ſi ſtipuler; ſi quidem condici etiam mortuus potuit ut furi (*a*), utiliter me ſtipulatum Sabinus ait : ſi verò ex aliis cauſis (*b*), inutiliter; quia, etſi deberetur, morte promiſſor liberetur. Idem ergo diceret (*c*), & ſi morâ factâ defunctum ſtipularer. *l.* 83. *§* 7. PAUL. LIB. 72. AD ED.

XXXIII.

Non poteſt quidem res quæ extincta eſt, in ſtipulationem deduci. Verùm res quæ exiſtit, poteſt in ſtipulationem deduci etiam in eum caſum quo extincta erit.

Sic accipit Cujacius quòd reſcribunt Diocletianus & Maximianus : Non moriturum præſtari ſervum, impoſſibilis promiſſio (*d*) eſt; POST MORTEM autem ejus ſtipulatus, rectè ſolutionem (*e*) poſtulat. *l.* 8. *Cod. de Contrah. & committ. ſtipul.*

Hinc Hujuſmodi ſtipulationes non ſunt inutiles ; QUOD tibi Titius debet, quum debitor eſſe deſierit, dare ſpondes ? Nam valet ſtipulatio, quaſi ſub quâvis aliâ conditione concepta. *l.* 20. ULPIAN. LIB. 34. AD SABIN.

§ II.

De rebus extra commercium poſitis.

XXXIV.

In ſtipulationem deduci non poteſt, res exempta commercio. *Hinc* Liber homo in ſtipulatum deduci non poteſt : quia nec dari oportere intendi, nec æſtimatio ejus præſtari poteſt. Non magis quàm ſi quis dari ſtipulatus fuerit mortuum hominem, aut fundum hoſtium. *l.* 103. MODESTIN. LIB. 5. PANDECT.

Nam Quod nullius eſſe poteſt; id ut alicujus fieret, nulla Obligatio valet efficere. *l.* 182. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 3. AD VITELLIUM.

Item Sacram vel religioſam rem : uti uſibus publicis in perpetuum relictam, ut Forum, aut Baſilicam; aut hominem liberum, inutiliter ſtipulor : quamvis ſacra, profana fieri ; & uſibus publicis relicta, in privatos uſus reverti ; & ex libero ſervus fieri poteſt. Nam & quum quis rem profanam aut Stichum dari promiſit; liberatur, ſi ſine facto ejus res ſacra eſſe cœperit, aut Stichus ad libertatem venerit : nec revocantur in Obligationem, ſi rursùs Lege aliquâ & res ſacra (*f*) profana eſſe cœperit, & Stichus ex libero ſervus effectus ſit. *l* 83. § 5. PAUL. LIB. 72. AD ED.

Contrà tamen ſibi objicit ipſe Paulus, Quoniam (*g*) una atque eadem cauſa & liberandi & obligandi eſſet; quòd aut dari non poſſit, aut dari poſſit. Nam & ſi navem quam ſpopondit, dominus diſſolvit, & iiſdem tabulis compegerit ; quia eadem navis eſſet, inciperet Obligari. Pro quo & illud dici poſſe Pedius ſcribit ; Si ſtipulatus fuero ex fundo centum amphoras vini, expectare debeo donec naſcatur ; &, ſi natum ſine culpâ promiſſoris conſumptum ſit, rursùm expectare debeam donec iterùm naſcatur & dari poſſit ; & per has vices, aut ceſſaturam aut valituram ſtipulationem.

Sed hæc diſſimilia ſunt (*h*). Adeò enim, quum liber homo promiſſus eſt, ſervitutis tempus expectandum non eſſe; ut ne hæc quidem ſtipulatio de homine libero probanda ſit, Illum QUUM SERVUS ESSE CŒPERIT, dare ſpondes ? item, eum locum QUUM EX SACRO RELIGIOSOVE PROPHANUS ESSE CŒPERIT dari ? Quia nec præſentis temporis obligationem recipere poteſt; & ea duntaxat quæ naturâ ſui poſſibilia ſunt) deducuntur in Obligationem. Vini autem non ſpecies, ſed genus ſtipulari videmur : & tacitè in eâ tempus continetur.

(*a*) Vide ſuprà lib. 13. Tit. *de Condict. Furt.* N. 13.

(*b*) Deberetur.

(*c*) Scilicet ut valeat ſtipulatio, ſicut quum à fure ſtipulatus ſum.

(*d*) Adeòque inutilis ; nec enim ullus exiſtit in rerum naturâ, qui non ſit moriturus.

(*e*) Id eſt, ut Cujacius interpretatur; Si quis autem ſervum aliquem vivum, ſtipuletur ſibi poſt mortem hujuſce ſervi dari; valebit ſtipulatio, & rectè ex eâ poſtulabit ſtipulator, conditione exiſtente, Stichi æſtimationem ſibi dari. Longè autem differt hæc ſtipulatio, ab illâ quâ quis Stichum jam mortuum ſtipularetur : quia in hâc poſtremâ ſtipulatione nihil eſt quod poſſit eſſe ſubjectum Obligationis ; nec Stichus, qui jam non eſſe ſupponitur ; nec ejus æſtimatio ; cùm ejus quod non eſt [ſeu nihili] nulla eſſe poſſit æſtimatio : adeòque talis ſtipulatio non valet. Niſi fortè, cùm jam ex aliâ causâ foret debitus, demùm poſt moram debitoris mortuus fuiſſet : tunc enim per moram debitoris perpetuatâ Obligatione ; etiam poſt mortem Stichi deberetur ejus æſtimatio, & hæc debita Stichi æſtimatio poteſt eſſe ſubjectum ſtipulationis. Quamvis autem extra hunc caſum, Stichus jam tempore ſtipulationis mortuus, non poſſit in ſtipulationem deduci ; at contrà poteſt quis Stichum qui vivit, poſt ejuſdem Stichi mortem ſibi dari ſtipulari. Stichi enim qui vivit, aliqua æſtimatio eſt : quæ ſubjectum eſſe poteſt hujus ſtipulationis : & quoad hanc æſtimationem utilis eſſe poteſt ſtipulatio Stichi, licèt in eum caſum collata quo Stichus eſſe deſierit.

(*f*) Id eſt; quum Lege aliquâ latâ à Principe [qui erat Pontifex maximus] facer locus, ſacris indè evocatis ſolemnique ritu peracto, religione ſolutus fuerit & profanus factus.

(*g*) Quaſi diceret : Imò videtur ſtipulationem liberi hominis tunc valere debere, quum ſervus effectus fuerit : nam *una eademque cauſa* eſt cur ex ſtipulatione quis Obligari aut liberari debeat ; ut ſcilicet, prout res quæ in ſtipulationem deducitur, aut dari poteſt aut non poteſt, quis obligari debeat aut non Obligari. Ergo cùm liber homo, quando in ſervitutem revocatus eſt, incipiat poſſe dari ; ſequitur quòd eo caſu ſtipulatio quæ de hoc homine libero dando interpoſita eſt, debeat convaleſcere. Hanc autem Objectionem confirmat exemplis, quorum unum petitur à ſtipulatione vini quod naſcetur : quod quidem vinum tempore ſtipulationis non poteſt dari, cùm nondum exiſtat ; attamen quum natum fuerit, vires habebit ſtipulatio, quia jam dari poteſt. Alterum exemplum petit à ſtipulatione navis ; quam, poſtquàm diſſoluta eſt, dominus ex iiſdem tabulis compegit.

(*h*) Hic reſpondet Juriſconſultus ad Objectionem propoſitam.

Et 1°. ad argumentum petitum à ſtipulatione vini quod naſcetur ; duas diſparitatis rationes affert. Prima eſt quòd, qui ſtipulatur dari vinum quod naſcetur, ſtipulatur quid poſſibile. Nam tempore ſtipulationis poſſibile eſt illud naſci, faſque eſt expectare illud naſci. At hominem liberum dari impoſſibile eſt, nec fas eſt expectare caſum quo in ſervitutem revocatus dari poſſet. Altera diſparitatis ratio : Stipulatio vini, eſt ſtipulatio generis ; contrà ſtipulatio de quâ agitur, eſt ſtipulatio certæ ſpeciei : unde ſequitur nullam inter utramque ſtipulationem eſſe ſimilitudinem.

2°. Argumentum petitum ex ſtipulatione navis, ita diluit ; diſtinguendo duos caſus : quorum priore, ſtipulatio navis æquè inutilis eſt ut ſtipulatio liberi hominis ; nec magis convaleſcit ſi rursùs tabulæ in navem compactæ fuerint, quia videtur alia navis eſſe ; non ea quæ promiſſa fuit : poſteriore autem caſu, valet quidem ſtipulatio navis ; ſed ideò quia hoc caſu navis ſemper extitit, ſemper dari potuit.

Homo

Source : BIU Cujas

Homo liber certâ ſpecie continetur ; & caſum adverſamque fortunam ſpectari hominis liberi, neque civile neque naturale eſt. Nam de his rebus negotium rectè geremus, quæ ſubjici uſibus dominioque noſtro ſtatim poſſunt. Et navis ſi hâc mente reſolata eſt ut in alium uſum tabulæ deſtinarentur, licèt mutato conſilio perficiatur ; tamen & perempta prior navis, & hæc alia dicenda eſt. Sed ſi reficiendæ navis causâ omnes tabulæ refixæ ſint, nondum intercidiſſe navis videtur ; & compoſitis rursùs eadem eſſe incipit ; ſicuti de ædibus depoſita tigna eâ mente ut reponantur, ædium ſunt : ſed ſi uſque ad aream depoſita ſit, licèt eâdem materiâ reſtituatur, alia erit. Hic tractatus etiam ad Prætorias ſtipulationes pertinet, quibus de re reſtituendâ cavetur ; & an eadem res ſit, quæritur. *d.* § 5. ¶ *quoniam.*

XXXV.

Sed nec deduci in ſtipulationem poteſt ea res, quæ publico quidem commercio non eſt exempta, ſed cujus commercium ſtipulator non habet. Nil autem refert, promiſſor habeat necne.

Hinc Ulpianus. Multùm intereſt utrùm ego ſtipuler rem cujus commercium non habeo, inutilem eſſe ſtipulationem placet : ſi quis promittat cujus non commercium habet ; ipſi nocere, non mihi. *l.* 34. ULP. LIB. 48. AD SABIN.

§ III.

An quis rem ſuam aut ſibi à promiſſore debitam poſſit ſtipulari.

XXXVI.

Nec minùs inutilis eſt ſtipulatio, ſi quis rem ſuam ignorans ſuam eſſe (*a*) ſtipulatus fuerit. *l.* 1. § 10. *ff. de Oblig. & act.* GAIUS LIB. 2. AUREORUM.

Nam Nemo rem ſuam utiliter ſtipulatur.

Sed pretium rei ſuæ non inutiliter. Sanè rem meam mihi reſtitui rectè ſtipulari videor. *l.* 82. ULP. LIB. 78. AD ED.

Et quod dicitur, non poſſe quem rem ſuam ſtipulari, accipe de ſtipulatione quæ purè facta eſt. Enimverò Si rem meam ſub conditione ſtipuler ; utilis eſt ſtipulatio, ſi conditionis exiſtentis tempore mea non ſit. *l.* 31. POMPON. LIB. 24. AD SABIN.

Idem docet Marcellus. Exiſtimo poſſe id quod meum eſt, ſub conditione ſtipulari ; item viam ſtipulari ad fundum poſſe, quanquàm interim fundus non ſit meus. Aut (*b*) ſi hoc verum non eſt ; & alienum fundum ſub conditione ſtipulatus fuero, iſque ex lucrativâ causâ meus eſſe cœperit ; confeſtim perimeretur ſtipulatio : & ſi fundi dominus ſub conditione viam ſtipulatus fuerit, ſtatim fundo alienato evaneſcit. Et maximè ſecundùm illorum opinionem, qui etiam ea quæ rectè conſtiterunt (*c*) reſolvi putant, quum in eum caſum reciderunt à quo non potuiſſent conſiſtere. *l.* 98. MARCELL. LIB. 20. DIGESTOR.

XXXVII.

Rem meam expreſsè quidem ſtipulari purè non poſſum ; implicitè poſſum, ſtipulando ſcilicet à fure quod ex causâ Condictionis furtivæ debet.

Hinc Ulpianus. Si à fure hominem (*d*) ſim ſtipulatus, quæſitum eſt an ſtipulatio valeat ? Movet quæſtionem ; quòd ſtipulatus hominem, plerùmque (*e*) MEUM videor : non valet autem hujuſmodi ſtipulatio, ubi quis rem ſuam ſtipulatus eſt. Et conſtat ; ſiquidem ita ſtipulatus ſim, QUOD ex causâ Condictionis dare facere oportet, ſtipulationem valere : ſi verò HOMINEM dari ſtipulatus fuero, nullius momenti eſſe ſtipulationem. *l.* 29. § 1. ULP. LIB. 46. AD SABIN.

Obiter nota. Quòd ſi poſtea ſine morâ deceſſiſſe proponatur fervus ; non teneri furem Condictione, Marcellus ait. Quandiù enim vivit, condici poterit : at ſi deceſſiſſe proponatur ; in eâ conditione eſt ut evaneſcat Condictio, propter ſtipulationem (*f*). *d.* § 1. ¶ *quòd ſi.*

Illud planum eſt, poſſe quem ſtipulari aliquod jus quod in re ſuâ alienum eſt.

Hinc Qui proprietatem ſine uſufructu habet, rectè uſumfructum dari ſibi ſtipulatur. Id enim in Obligationem deducit quod non habet, ſed habere poteſt. *l.* 56. § 6. JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

XXXVIII.

Hactenùs de ſtipulatione rei ſuæ. Sed & rem quæ jam ſibi à promiſſore debetur, quis inutiliter ſtipulatur ; nempè Qui bis idem promittit, ideò (*g*) jure ampliùs quàm ſemel non tenetur. *l.* 18. POMPON. LIB. 10. AD SABIN.

Hinc ſequitur quòd, qui partem jam ſtipulatus eſt, poteſt quidem utiliter poſtea ſtipulari totum ; ſed qui totum jam ſtipulatus eſt, inutiliter poſteà ſtipuletur partem.

Hic porrò Qui uſumfructum fundi ſtipulatur, deinde fundum ; ſimilis eſt ei qui partem fundi ſtipulatur, deinde totum : quia fundus dari non intelligitur, ſi uſusfructus detrahatur. Et è contrario qui fundum ſtipulatus eſt, deinde uſumfructum ; ſimilis eſt ei qui totum ſtipulatur, deindè partem. Sed qui actum ſtipulatur, deinde iter ; poſteriore ſtipulatione nihil agit : ſicuti qui decem, deindè quinque ſtipulatur, nihil agit. Item ſi quis fructum, deinde uſum ſtipulatus fuerit ; nihil agit. Niſi in omnibus, novandi animo hoc facere ſpecialiter expreſſerit : tùnc enim priore Obligatione expirante, ex ſecundâ introducitur petitio ; & tam iter, quàm uſus, necnon quinque, exigi poſſunt. *l.* 58. JULIAN. LIB. 54. DIGESTOR.

Obiter nota ; hinc concludi non oportere, eum qui ſtipulatus eſt fundum detracto uſufructu, & alterâ ſtipulatione ejus uſumfructum, ſimilem eſſe ei qui unâ ſtipulatione fundum ſtipulatus eſt. Etenim inter illos duos non nihil intereſſe, ita docet Paulus : Titius à Mævio fundum detracto uſufructu ſtipulatus eſt ; & ab eodem, ejuſdem fundi uſumfructum. Duæ ſunt ſtipulationes ; & minùs eſt in eo uſufructu quem per ſe quis promiſit, quàm in eo qui proprietatem comitatur. Denique ſi illi uſumfructum cederit, eumque ſtipulator non utendo amiſerit ; tradendo poſtea fundum detracto uſufructu liberabitur. Non idem contingit ei qui fundum pleno jure promiſit, & uſumfructum dedit ; deinde amiſſo eo proprietatem ſine uſufructu tradidit. Ille (*h*) liberatus eſt dando uſumfructum : hic (*i*) nullâ parte Obligationis exoneratur, niſi pleno jure fundum effecerit ſtipulatoris. *l.* 126. § 1. PAUL. LIB. 3. QUÆST.

Quod diximus, eum qui rem ſtipulatus eſt, inutiliter eamdem ab eodem poſteà ſtipulari, ſic accipe, ſi prior ſtipulatio efficax eſſet. Quòd Si dari ſtipuler id quod mihi jam ex ſtipulatu debeatur, cujus ſtipulationis nomine exceptione tutus ſit promiſſor ; Obligabitur ex poſteriore ſtipulatione : quia ſuperior quaſi nulla ſit exceptione obſtante. *l.* 25. POMPON. LIB. 20. AD SABIN.

(*a*) Idem & ſi ſciens.

(*b*) *Si verum non eſt* quod dicimus ; & contrà quis ſtatuat, rei meæ ſub conditione factam ſtipulationem non valere : ſequitur cujuſvis rei ſub conditione ſtipulationem factam perimi, ſtatim atque mea eſſe cœperit ; ſi quidem recidet in eum caſum à quo dicis eam incipere non potuiſſe. Atqui hoc nemo dixerit. Ergo, &c.

(*c*) Id eſt, qui putant in præſenti ſpecie locum eſſe huic Juris regulæ : *Ea quæ rectè conſtiterunt, reſolvuntur, &c.* Contra quod alii magis putarent, locum eſſe potiùs huic alteri regulæ : *Non eſt novum ut quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent ; licèt ille caſus exiterit à quo initium capere non potuerunt* : l. 85. § 1. ff. *de Reg. Jur.*

(*d*) *Hominem* talem, putà Stichum ; qui ſubreptus eſt.

(*e*) Ideò dicit *Plerùmque* ; quia regulariter Condictio furtiva hon competit ; niſi ei qui dominus eſt : excepto tamen caſu quo dominus quis eſſe deſiit ſine ſuo facto, ſuprà lib. 13. Tit. *de Condict. furt.* N. 2.

(*f*) Quia ſtipulatio purgavit moram ; in quâ fur eſſe intelligitur donec rem reſtituat, aut eo nomine ſatis faciat : ſatis fecit enim promittendo.

(*g*) Ita legit Cujacius. Id eſt, *non ideò ampliùs quàm ſemel tenetur.* Florent. *id eo jure*, alii *ipſo Jure*, alius *is eo jure.*

(*h*) Qui primò fundum detracto uſufructu, deinde uſumfructum promiſit.

(*i*) Qui fundum ſimpliciter promiſit.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS II.

Quæ facta in Stipulationem deduci possint necne.

§ I.

De factis quæ impossibilia sunt, aut contra Leges.

XXXIX.

Si stipulor ut id fiat quod natura fieri non concedit; non magis Obligatio consistit, quàm quum stipulor ut detur quod dari non potest. Nisi per quem stetit quominùs facere id possit. *l.* 35. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

Id autem demùm impossibile existimatur, quod omnibus per rerum naturam impossibile est. Igitur Si ab eo stipulatus sim qui efficere non possit, cum alio possibile sit; jure factum Obligationem Sabinus scribit. *l.* 237. § 5. VENULEIUS LIB. 1. STIPULAT.

In sequenti specie, quæritur an factum pro impossibili haberi debeat? Si inter eos qui Romæ sunt, talis fiat stipulatio; HODIE CARTHAGINE DARE SPONDES? Quidam putant; non semper videri impossibilem causam stipulatione contineri: quia possit contingere ut tam stipulator quàm promissor, ante aliquod tempus suo quisque dispensatori notum fecerit, in eum diem futuram stipulationem; ac demandasset, promissor quidem suo dispensatori ut daret, stipulator autem suo ut acciperet. Quod si ita factum fuerit, poterit valere stipulatio. *l.* 141. § 4. GAIUS LIB. 2. DE VERB. OBLIGAT.

Si quis spoponderit insulam QUUM MORERETUR *ædificare; Veteribus videbatur stipulatio esse rei impossibilis. Justinianus autem definivit eam valere: nec enim hoc actum videtur ut eo tempore consummetur ædificium; sed ut eo tempore promissor Obligetur ad factum, quod per ejus heredes executioni mandabitur. l. fin. Cod.* de Contrah. & committ. stipul.

XL.

Hactenùs de stipulatione rei impossibilis. Item quod Leges fieri prohibent, si perpetuam causam servaturum est, cessat Obligatio; veluti si sororem nupturam sibi aliquis stipuletur. Quanquàm, etiamsi non sit perpetua causa, ut recidit in sorore adoptivâ (*a*), idem dicendum sit; quia statim contra mores sit. *l.* 35. § 1. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

Stipulationis contra Leges interpositæ exemplum suppeditat Alexander, qui sic rescribit. Ex conventione quidem quâ pactam novercam tuam cum patre tuo dicis, quum fundum in dotem daret, ut ipsa tributa agnosceret; actio tibi adversùs eam competere non potest, etiamsi pactum in stipulationem deductum probetur (*b*). Sed & si fundus æstimatus, ita ut pars instrumenti significat, in dotem datus est; Ex vendito actio ut placitis stetur, non (*c*) competit. *l.* 1. *Cod. Sine censu vel reliquis fundum compar.*

Non solùm quod directè, sed & quod vel indirectè Legibus adversatur, in stipulationem deduci non potest.

Hinc Si minor viginti annis à debitore suo stipuletur servum manumissurum, non est executio stipulationis danda (*d*). Sed si ipsorum viginti annorum erit, non impedietur manumissio; quia de Minore Lex loquitur. *l.* 66. PAUL. LIB. 3. AD L. ÆLIAM-SENTIAM.

(*a*) Quam solutâ adoptione possum ducere.
(*b*) Has conventiones Leges reprobant, ne turbetur publica ratio Censûs.
(*c*) Quamvis æstimatio pro venditione sit; tamen actio *Ex vendito* non competit ut tali pacto [circa Tributa] stetur, quod contra Leges est.
(*d*) Adversatur enim indirectè Legis Æliæ-Sentiæ de quâ suprà lib. 40. Tit. *Qui & à quib. manum.*
(*e*) Vide N. seq.
(*f*) Nisi stipulatoris interesset huic habere licere, putà quia ei de evictione cavillet.

§ II.

De factis quæ vel omninò incerta sunt, vel stipulantis non interfunt, vel aliena sunt promittenti.

XLI.

In stipulationem deduci non potest factum omninò incertum.

Hinc Si quis insulam fieri stipuletur, & locum non adjiciat: non valet stipulatio. *l.* 2. § 5. *ff. de Eo quod certo loco.* ULP. LIB. 27. AD ED.

Similiter Qui insulam fieri stipulatur, ita demùm adquirit Obligationem si apparet quo in loco fieri insulam voluerit; si & ibi insulam fieri interest (*e*) ejus. *l.* 95. MARCELL. LIB. 5. DIGEST.

Illud adhuc exemplum affert Papinianus. Ita stipulatus sum, te sisti in certo loco: si non steteris, quinquaginta aureos dari spondes? Si dies in stipulatione per errorem omissus fuerit, quum id ageretur ut certo die sisteres, imperfecta erit stipulatio. Nec secùs ac si quod pondere, numero, mensurâ continetur; sine adjectione ponderis, numeri, mensuræ stipulatus essem; vel insulam ædificari, non demonstrato loco; vel fundum dari, non adjecto nomine.

Quòd si ab initio id agebatur ut quocumque die sisteres; &, si non stetisses, pecuniam dares: quasi quælibet stipulatio sub conditione concepta, vires habebit. Nec ante committetur, quàm fuerit declaratum, reum promittendi sisti non posse. *l.* 115. PAPIN. LIB. 2. QUÆST.

XLII.

In stipulationem deduci non potest, factum quod stipulatoris non interest.

Hinc circa stipulationem HABERE LICERE, *ait Ulpianus:* Sicut autem ex parte rei, successores ejus cum ipso tenentur; ita etiam ex parte actoris committitur stipulatio, ipsi stipulatori, cæterisque quicumque ei succedunt; scilicet si rem ipsi habere non licuerit. Cæterùm si alii habere non licuit, certo certius est non committi stipulationem (*f*). Et nihil intererit utrùm ita stipuler Habere licere; an, MIHI habere licere. *l.* 38. § 5. ULP. LIB. 49. AD SABIN.

Quædam tamen sunt quæ, etsi fieri non nostrâ interfit pecuniariter, tamen rectè stipulamur fieri. Sic V. G. Ædem sacram vel locum religiosum ædificari, stipulari possumus. Alioquin nec Ex locato agere (*g*) possumus. *d. l.* 38. § 1. *fin.*

XLIII.

Denique in stipulationem deduci non potest factum alienum: ut satis liquet ex dictis Sect. præced. N. 27.

SECTIO IV.

Illud potissimùm ad substantiam Stipulationis requiri, ut honesta sit causa ex quâ interponitur.

XLIV.

Subesse debet causa propter quam stipulatio interponatur: alioquin stipulatio ipsa erit inefficax. Hanc autem causam, imprimis honestam esse oportet: secùs, stipulatio erit ipso Jure nulla.

Hinc Diocletianus & Maximianus: Si quidem Zenoni stipulanti, mortis vel cruciatûs corporis territus timore spopondisti; adversùs experientem, exceptione propositâ (*h*) defendi potes. Sin verò nihil tale probetur; accusationis institutæ vel futuræ prætextu (non ob

(*g*) Supple: atqui tamen certum est valere locationem ædificandæ ædis sacræ, & ex hâc causâ agere quem *Ex Locato* posse. Ergo etiam hoc possumus stipulari.
(*h*) *Quod metûs causâ.* Hîc si quidem nulla alia stipulandi causa fuit, quàm *Metus.*

Source : BIU Cujas

turpem, ſed probabilem cauſam habitâ ſtipulatione) promiſſio non infirmatur.

Sin autem ob non inſtituendam accuſationem criminis, pecunia promiſſa ſit; cùm de hujuſmodi cauſis paciſci non liceat, petitio denegatur. *l.* 9. *Cod. de Contrah. & committ. ſtipul.*

Quòd ſi inhoneſta eſt ſtipulandi cauſa; quum hoc agitur ut quis pœnæ quâ eum plecti publicè intereſt, ſubtrahatur: multò magis ea quæ ad delictum invitat, vel illud remuneratur.

Hinc Si flagitii faciendi vel facti causâ concepta ſit ſtipulatio, ab initio non valet. *l.* 123. PAPIN. LIB. 1. DEFINITION.

XLV.

Inhoneſtæ etiam eſt ſtipulandi cauſa, quæ eſt captatoria hereditatis alienæ.

Hinc Stipulatio hoc modo concepta, SI heredem me non feceris, tantùm dare ſpondes? inutilis eſt; quia contra bonos mores eſt hæc ſtipulatio. *l.* 61. JULIAN. LIB. 2. AD URSEIUM-FEROCEM.

Inhoneſta eſt etiam illa quæ votum alienæ mortis continere videtur.

Hinc Diocletianus & Maximianus: Ex eo inſtrumento nullam vos habere actionem in quo contra bonos mores de ſucceſſione futurâ interpoſita fuit ſtipulatio, manifeſtum eſt: cùm omnia, quæ contra bonos mores vel in pactum vel in ſtipulationem deducuntur, nullius momenti ſunt. *l.* 4. *Cod. de Inutilib. ſtipulationib.*

XLVI.

Illicita eſt ſtipulandi cauſa, quæ adverſatur utilitati publicæ; putà libertati matrimoniorum, ut in hâc ſpecie. Titia quæ ex alio filium habebat, in matrimonium coit Gaio-Seio habenti filiam; & tempore matrimonii conſenſerunt ut filia Gaii-Seii filio Titiæ deſponderetur. Et interpoſitum eſt inſtrumentum; & adjecta pœna, ſi quis eorum nuptiis impedimento fuiſſet. Poſtea Gaius-Seius conſtante matrimonio diem ſuum obiit, & filia ejus noluit nubere. Quæro an Gai-Seii heredes teneantur ex ſtipulatione? Reſpondit; Ex ſtipulatione quæ proponeretur, cùm non ſecundùm bonos mores interpoſita ſit, agenti, exceptionem Doli mali obſtaturam: quia inhoneſtum viſum eſt vinculo pœnæ matrimonia obſtringi, ſive futura ſive jam contracta. *l.* 134. PAUL. LIB. 15. RESPONS.

Pariter inhoneſtum eſt; ſi quis quæſtûs causâ ad matrimonium contrahendum invitetur. Hinc interdum inhoneſta videtur illa ſtipulatio de quâ ita Celſus: SI TIBI NUPSERO, decem dari ſpondes? Causâ cognitâ denegandam actionem puto (*a*). Nec rarò probabilis cauſa ejuſmodi ſtipulationis eſt. Item ſi vir à muliere eo modo non in dotem ſtipulatus eſt. *l.* 97. § 2. CELSUS LIB. 26. DIGEST.

Pariter inhoneſtum eſt, ſi quis quæſtûs causâ in matrimonio retineatur.

Hinc Si ſtipulatio facta fuerit, SI culpâ tuâ divortium factum fuerit, dari? nulla ſtipulatio eſt: quia contenti eſſe debemus pœnis Legum comprehenſis (*b*). Niſi ſi & ſtipulatio tamtùmdem habeat pœnæ, quantæ Lege ſit comprehenſa. *l.* 19. POMPON. LIB. 15. AD SABIN.

Hinc etiam Alexander. Libera matrimonia eſſe antiquitùs placuit. Ideòque pacta ne liceret divertere, non valere; & ſtipulationes quibus pœnæ irrogarentur ei qui quæ-ve divortium feciſſet, ratas non haberi, conſtat. *l.* 2. *Cod. de Inutilib. ſtipulationib.*

XLVII.

Item Generaliter novimus, turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti: *l.* 26. ULP. LIB. 42. AD SABIN. Veluti ſi quis homicidium vel ſacrilegium ſe facturum promittat. Sed & officio quoque Prætoris continetur, ex hujuſmodi obligationibus actionem denegari. *l.* 27. POMPON. LIB. 22. AD SABIN.

Utrùm turpem talem ſtipulationem putes; an non, quæro? Pater naturalis filium quem Titius habebat in adoptionem, heredem inſtituit; SI PATRIA POTESTATE LIBERATUS ESSET. Pater eum adoptivum non aliàs emancipari voluit, quàm ſi etiam dediſſet (*c*) à quo ſtipularetur certam ſummam, SI EUM MANUMISISSET. Poſt emancipationem adit heres filius; petit nunc pecuniam pater ex ſtipulatione ſupra relatâ. Reſpondit: Non puto turpem eſſe cauſam ſtipulationis, utpotè cùm aliter filium emancipaturus non fuerit. Nec poteſt videri injuſta cauſa ſtipulationis; ſi aliquid adoptivus pater habere voluerit, propter quod à filio poſt emancipationem magis curaretur (*d*). *l.* 107. JAVOLEN. LIB. 8. EPISTOLAR.

Illud patet honeſtam cauſam ſtipulandi eſſe, quæ libertatem delinquendi coercet: ut in hâc ſpecie. Mulier ab eo in cujus matrimonium conveniebat, ſtipulata fuerat ducenta; SI concubinæ tempore matrimonii conſuetudinem repetiſſet. Nihil cauſæ eſſe reſpondi, cur ex ſtipulatione (*Florent.* ſtipulatu) quæ ex bonis moribus concepta fuerat, mulier impletâ conditione pecuniam adſequi non poſſit. *l.* 121. § 1. PAPIN. LIB. 11. RESP.

(*a*) Scilicet denegabitur; ſi nulla alia cauſa fuit promittendi hæc decem, quàm ut hujus quæſtûs causâ mulier adduceretur ut nuberet promiſſori. Quòd ſi alia cauſa fuit ea promittendi, valebit ſtipulatio.

(*b*) De quibus vide ſuprà lib. 24. Tit. *de Divort.* N. 9. & ſeq.

(*c*) Supple, *reum promittendi.*

(*d*) Dum timeret exigi pecuniam ſi offenderet, ſperaret condonari ſi benè mereretur.

SECUNDA PARS.

De multiplici diviſione Stipulationum; & quid proprium ſingulæ habeant.

SECTIO I.

Exponuntur tres primæ Stipulationum diviſiones.

ARTICULUS I.

Prima diviſio: in Judiciales, Prætorias, Conventionales, & Communes.

XLVIII.

Stipulationum aliæ judiciales ſunt; aliæ Prætoriæ; aliæ conventionales; aliæ communes, Prætoriæ & judiciales.

JUDICIALES ſunt duntaxat, quæ à mero judicis (*a*) officio proficiſcuntur; veluti DE DOLO cautio (*b*).

PRÆTORIÆ, quæ à mero Prætoris officio proficiſcuntur; veluti DAMNI (*c*) INFECTI. Prætorias autem ſtipulationes ſic audiri oportet, ut in his contineantur

(*a*) *Judiciales* hic opponit *Prætoriis.* Alio ſenſu JUDICIALES dicuntur quædam ex Prætoriis, infrà lib. 46. Tit. *de Sipul. Præt.* Hic porrò *judicem* pedaneum intellige, cui demandata eſt diſceptatio cauſæ.

(*b*) Vide de eâ ſuprà lib. 6. Tit. *de Rei vindic.* N. 32 & lib. 21. Tit. *de Ædil. Ed.* N. 69.

(*c*) Vide Tit. *de Damn. infect.* ſuprà lib. 39.

Source : BIU Cujas

etiam Ædilitiæ (*a*): nam & hæ ab juriſdictione (*b*) veniunt.

CONVENTIONALES ſunt quæ ex conventione reorum (*c*) fiunt: quarum totidem genera ſunt, quot (penè dixerim) rerum contrahendarum. Nam & ob ipſam Verborum Obligationem fiunt (*d*), & pendent ex negotio contracto (*e*).

COMMUNES ſunt ſtipulationes, veluti REM SALVAM FORE PUPILLI, Nam & prætor jubet rem ſalvam fore pupillo caveri; & interdum (*f*) judex, ſi aliter expediri hæc res non poteſt. Item DUPLÆ ſtipulatio venit ab judice (*g*), aut ab Ædilis Edicto. *l.* 5. POMPON. LIB. 26. AD SABIN.

XLIX.

Hoc potiſſimùm diſcrimen eſt inter conventionales ſtipulationes, & cæteras; quòd In conventionalibus ſtipulationibus, contractui formam (*h*) contrahentes dant. Enimverò (*i*) Prætoriæ ſtipulationes, legem accipiunt de mente Prætoris qui eas propoſuit. Denique Prætoriis ſtipulationibus nihil immutare licet (*k*), neque addere, neque detrahere. *l.* 52. ULP. LIB. 7. DISPUT.

ARTICULUS II.

Secunda ſtipulationis diviſio: in Nudam, *& eam quæ dicitur* Satis acceptio *ex ſatiſdatione.*

L.

Stipulatio NUDA *eſt, quum promiſſor id de quo interrogatur ſolus promittit.*

SATIS ACCEPTIO, eſt ſtipulatio quæ ita obligat promiſſorem, ut adpromiſſores quoque ab eo accipiantur; id eſt, qui idem promittunt. *l.* 5. § 2. POMPON. LIB. 26. AD SABIN.

Satis autem accipere dictum eſt, eodem modo quo ſatisfacere. Nam quia id quo quis contentus erat ei præſtabatur, ſatisfieri dictum eſt: & ſimiliter, quia tales quibus contentus quis futurus eſſet, ita dabantur ut Verbis Obligarentur, SATIS ACCIPI dictum eſt. *d. l.* 5. § 3.

Et quemadmodum ſtipulator dicitur Satis accipere; ita promiſſor qui adpromiſſores dat, dicitur SATISDARE.

SATISDATIO eodem modo appellata eſt quo ſatisfactio. Nam ut ſatisfacere dicimur ei cujus deſiderium implemus: ita ſatis dare dicimur adverſario noſtro qui pro eo quod nobis petiit ita cavit, ut eum hoc nomine ſecurum faciamus datis fidejuſſoribus. *l.* 1. *ff. Qui ſatiſdare cogant.* GAIUS LIB. 5. AD EDICT. PROVINC.

LI.

Satiſdari autem & ſatis accipi ita demùm videtur, ſi illi dentur fidejuſſores qui poſſunt Obligari.

Hinc Ulpianus: Qui ſatiſdare promiſit; ita demùm impleſſe ſtipulationem ſatiſdationis videtur, ſi eum dederit acceſſionis loco (*l*) qui Obligari poteſt & conveniri. Cæterùm ſi dederit ſervum aut filiumfamilias ex quibus cauſis De peculio actio non datur, vel mulierem quæ auxilio Senatuſconſulti utitur; dicendum eſt, non eſſe impletam ſatiſdationem.

Planè ſi non idoneum (*m*) fidejuſſorem dederit, magis eſt ut ſatisfactum ſit: quia qui admiſit eum fidejubentem, idoneum eſſe comprobavit. *l.* 3. *ff. de Fidejuſſ.* ULPIAN. LIB. 43. AD SABIN.

ARTICULUS III.

Tertia Stipulationum diviſio: in Pœnales, *& eas ex quibus petitur id ipſum quod in ſtipulationem deductum eſt.*

Stipulationum quædam interponuntur, propter hoc ipſum quod in eas deducitur; quædam propter aliud, quæ & PŒNALES *dicuntur.*

Cùm autem ſtipulationes pœnales latè pateant, hîc quærendum 1°. *Quibus Verbis concipiantur:* 2°. *Quando committantur:* 3°. *An & quando ſtipulatio pœnalis pro parte commiti poſſit:* 4°. *Quis ſit earum effectus circa Obligationem principalem cui accedunt.*

§ I.

Quibus Verbis concipi ſoleant Stipulationes pœnales.

LII.

Quum, quid ut fiat, ſtipulemur pœnam; ſic rectè concipiemus, SI ITA FACTUM NON ERIT: quum, quid ne fiat; ſic, SI ADVERSUS ID FACTUM SIT. *l.* 71. ULP. LIB. 13. AD ED.

Item pleniùs. Si ut aliquid fiat ſtipulemur, & uſitatius & elegantius eſſe Labeo ait ſic ſubjici pœnam, SI ITA FACTUM NON ERIT: at quum quid ne fiat ſtipulemur; tunc hoc modo, SI ADVERSUS EA FACTUM ERIT: & quum alia fieri, alia non fieri conjunctè ſtipulemur; ſic comprehendendum, SI NON FECERIS, SI QUID ADVERSUS EA FECERIS. *l.* 137. § 7. VENULEIUS LIB. 1. STIPULAT.

LIII.

Quum ſtipulatio pœnalis interponitur ut duo plura-ve dentur vel fiant; non ſolùm ſic poteſt concipi, SI QUID HORUM datum factum non fuerit, *vel* SI ILLUD ET ILLUD non dederis non feceris; *ſed etiam ſic,* SI ILLUD AUT ILLUD non dederis, non feceris. *In his enim omnibus ſpeciebus, non alterutrum, ſed utrumque dandum faciendum-ve eſt; ne ſtipulatio committatur.*

Hæc docet Ulpianus. Quum ita ſtipulationem concipimus; Si hominem aut fundum non dederis, centum dari ſpondes? utrumque eſt faciendum ne ſtipulatio committatur: id eſt, ſive alterum ſive neutrum factum ſit, tenebit ſtipulatio.

Idemque eſt evidenter quum propoſitis ſpecialiter pluribus rebus quas fieri volumus, ita ſtipulamur; SI quid eorum factum non erit: veluti, Stichum & Damam & Herotem ſiſti; ſi quis eorum non ſteterit, decem dari? Neceſſe eſt enim omnes eſſe ſiſtendos, ut ſtipulationi ſatisfiat.

Vel ut propiùs accedamus, fingamus ita ſtipulationem factam: SI Stichum & Damam & Herotem non ſtiteris; decem dari. Neque enim dubitabimus, quin æquè omnes ſiſti oporteat. *l.* 13. § 2. *ff. de reb. dub.* JULIAN. LIB. SING. DE AMBIGUITATIB.

LIV.

Hæc de caſu quo ſtipulatio pœnalis interponitur ut duo plura-ve dentur vel fiant. Quod ſi interponatur ne dentur fiant-ve; ita concipitur, SI QUID HORUM FACTUM ERIT.

Hinc Julianus. Utrùm ita concipias ſtipulationem,

(*a*) Suprà d. Tit. *de Ædil. Edict.* paſſim.

(*b*) Id eſt; ab Edicto Ædilium formam ſuam accipiunt, ut Prætoriæ ab Edicto Prætoris.

(*c*) REI appellatio, tam ſtipulatori quàm promiſſori communis eſt. *Rei* enim dicuntur, quicumque quorum res quælibet agitur.

(*d*) Fiunt ſtipulationes *Ob ipſam Verborum Obligationem*: id eſt ad hoc interponuntur, ut negotio cui adjiciuntur tribuant Obligationem civilem; quæ ex verbis in quibus ſtipulatio conſtat, deſcendit.

(*e*) Tanquàm à neceſſario ſubjecto: ideòque tot ſunt genera illarum ſtipulationum, quot ſunt *rerum contrahendarum* ſeu negotiorum quibus adjicitur.

(*f*) Hoc Theophilus ita explicat. Si tutor antequàm ſatis dederit, pupilli debitorem conveniat; & is debitor excipiat, de non præſtitâ à tutore ſatiſdatione: judex eum ſatiſdare jubebit.

(*g*) Vide exemplum ſuprà lib. 9. Tit. *de Noxal. act.* N. 28.

(*h*) *Forma* hîc accipitur pro eo quod in contractum deducitur; quaſi ex eo formetur contractus.

(*i*) Id eſt, è contrario: ut in l. 3. § 1. ff. *h. tit.* & in l. 27. § 4. ff. *de Pactis.*

(*k*) Scilicet citra Prætoris auctoritatem; ad cujus juriſdictionem pertinet æſtimare, quid addi vel detrahi oporteat: l. 1. § fin. ff. *de Prætor. ſtipul.*

(*l*) Qui Obligationi ipſius accedat.

(*m*) Eum qui poſſit quidem obligari, ſed non ſit ſolvendo.

Source : BIU Cujas

Si illud aut illud factum non erit; aut hoc modo, Si quid eorum factum non erit (*a*) quæ ut fierent comprehensa sunt; hoc interest, quòd quamvis altero facto verum sit hoc aut illud verè factum esse; non ideo tamen verum erit, hoc aut illud factum non esse. Nam simul ea possunt esse vera, quamvis inter se contraria sunt: quia, quum significatio non ex universo sed ex aliquo sumitur, si veri aliquid indè sit, veram efficit totam orationem. Sicut è contrario duæ orationes pugnantia continentes, simul falsæ sunt: veluti si qui liberorum, partim puberes, partim impuberes decesserint; nam & hoc falsum erit, omnes impuberes; & illud, omnes puberes decessisse. Id accidit, quia significatio sumitur ex universo: in quo si aliquid falsum est, totam orationem falsam efficit. Animadvertendum igitur est, quid sit de quo quæritur. Nam quum ita concipio, Si illud aut illud non fuerit; quæri debet, an aliquid factum non sit. Illius effectus hic est, ut neutrum fiat; hujus autem, ut utrumque fiat. Nec in illo prodest aliquid non feciſse, si aliquid factum sit; neque in hoc aliquid feciſse, si aliquid factum non sit. *d. l.* 13. § 3.

Proindè si quis ita interroget, EORUM quid quæ objiciuntur tibi feciſti? ille neget: hoc exprimat, eorum quid quæ objiciuntur non feci; id est, nihil horum feci. *d. l.* 13. § 4.

L V.

Diximus de casibus quibus stipulatio interponitur, ut utrumque fiat, aut ut neutrum fiat. Si quis autem plura in stipulatum deducat, quorum unum fieri velit; ita comprehendere debet: ILLUD aut illud fieri spondes; si nihil eorum factum erit, tantùm dabis? *d. l.* 13. § 5.

§ II.

Quando committantur Stipulationes pœnales.

L V I.

Stipulatio pœnalis aut interposita est ne aliquid fieret; aut ut aliquid fieret.

Primo casu patet eam committi, statim atque factum erit id propter quod ne fieret interposita est. Committitur autem, etiamsi quod factum est effectum non habuerit; scilicet quum hoc animo fuerunt contrahentes in stipulando, ut ne quidem factum illud tentaretur.

Hinc Scævola. Duo fratres hereditatem inter se diviserunt; & caverunt sibi, nihil se contra eam divisionem facturos: & si contrà quis feciſſet, pœnam alter alteri promisit. Post mortem alterius; qui supervixit, petit ab heredibus ejus hereditatem, quasi ex causâ fideicommissi sibi à patre relicti debitam; & adversùs eum pronuntiatum est, quasi de hoc quoque transactum fuisset. Quæsitum est, an pœna commissa esset? Respondit; Pœnam: secundùm ea quæ proponuntur, commissam (*b*). *l.* 122. § 6. SCÆVOLA LIB. 28. DIGEST.

Altero casu quo stipulatio interposita est ut aliquid fieret, vel ut aliquid daretur; subdistinguendum est. Nam aut dies apposita est intrà quam fieret aut daretur, aut non est apposita.

L V I I.

Quum dies apposita est intrà quam quid daretur; committitur stipulatio pœnalis statim atque dies elapsa est, si promissor non dedit: nisi per ipsum non stetit quominùs daret.

Hinc Africanus. Trajecticiæ pecuniæ nomine (*c*) si ad diem soluta non esset, pœna (uti adsolet) ob operas ejus qui pecuniam peteret, in stipulationem erat deducta. Is qui eam pecuniam petebat, parte exactâ petere desierat; deinde interposito tempore, interpellare instituerat. Consultus respondit; Ejus quoque temporis quo interpellatus non esset, pœnam peti posse: ampliùs, etiamsi omninò interpellatus non esset. Nec aliter non committi stipulationem, quàm si per debitorem non stetisset quominùs solveret: alioquin dicendum est, si is qui interpellare cœpisset, valetudine impeditus interpellare desiisset; pœnam non committi (*d*).

De illo sanè potest dubitari; si interpellatus (*e*) ipse moram fecerit, an quamvis pecuniam postea offerat, nihilominùs pœna committatur (*f*)? Et hoc rectiùs dicitur. Nam etsi arbiter ex compromisso pecuniam certo die dare jusserit; neque per eum qui dare jussus sit steterit; non committi pœnam respondit (*g*). Adeò ut & illud Servius rectissimè existimaverit; Si quando dies quâ pecunia daretur, Sententiâ arbitri comprehensa non esset, modicum spatium datum videri. Hoc idem dicendum, & quum quid eâ lege vænierit, ut nisi ad diem pretium solutum fuerit, inempta res fiat. *l.* 23. *ff. de Oblig. & act.* AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

L V I I I.

Pariter si dies apposita est intrà quam quid fieret; stipulatio committitur statim atque certum esse incipit fore ut intrà hanc diem non fiat. Et quidem, postquàm commissa est ex prorogatione termini postea factâ non irritatur.

Hoc docet Proculus. Ita enim ille: « Cùm stipulatus » sim mihi, Procule, Si OPUS arbitratu meo ante Ka» lendas Junias effectum non sit, pœnam; & protuli » diem: putas-ne verè me posse dicere, arbitratu meo » opus effectum non esse ante Kalendas Junias; cùm » ipse arbitrio meo aliam operi laxiorem dederim? » Proculus respondit: Non sine causâ distinguendum est, interesse; utrùm per promissorem mora non fuisset, quominùs opus ante Kalendas Junias ita uti stipulatione comprehensum erat, perficeretur; an, quum jam opus effici non possit ante Kalendas Junias, stipulator diem in Kalendis Augustis protulisset. Nam si tum diem stipulator protulit, quum jam opus ante Kalendas Junias effici non poterat; puto pœnam esse commissam: nec ad rem pertinere quòd aliquod tempus ante Kalendas Junias fuit, quo stipulator non desideravit id ante Kalendas Junias effici; id est, quòd non est arbitratus ut fieret quod fieri non poterat. Aut si hoc falsum est; etiamsi stipulatus pridie Kalendas Junias mortuus esset, pœna commissa non esset: quoniam mortuus arbitrari non potuisset; ut aliquod tempus post mortem ejus operi perficiendo superfuisset. Et propemodùm etiamsi ante Kalendas Junias futurum esse cœpit (*h*), opus ante eam diem effici non posse; pœna commissa est. *l.* 113. PROCUL. LIB. 2. EPISOL.

L I X.

Observandum est, stipulationem committi ex eo solo quòd intrà diem datum factum-ve non fuerit; quamvis nulla esset persona quæ en morâ fuisse intelligi possit.

Hinc Paulus. Ad diem sub pœnâ (*i*) pecuniâ promissâ; & ante diem mortuo promissore; committetur pœna, licèt non sit hereditas ejus adita. *l.* 77. PAUL. LIB. 58. AD ED.

Hoc Jus, ut solus diei lapsus committat stipulationem pœnalem, confirmat Justinianus in l. 12. *Cod.* de Contrah. & comm. stipul.

L X.

Jam ad alterum casum veniamus; quo dies intrà quam fieret aut daretur, non est apposita.

Hoc casu pœnalis stipulatio non committitur ante litem contestatam: ut patet ex specie quam ita proponit Scævola.

(*a*) Ita restituendum textum rectè monet Cujacius Observ. V. 3. &c. *Si quid eorum factum erit, quæ ut non fierent.*

(*b*) Hoc ita; quia is qui petiit hereditatem, fecit contra pactum divisionis. Nec obstat quòd non obtinuerit: etenim id actum erat, ut ne quidem tentaretur aliquid contra illud pactum. Aliàs stipulatio pœnalis per factum inefficax non committitur: ut vid. suprà lib. 18. Tit. *de Serv. export.* N. 6.

(*c*) De eâ pecuniâ vide Tit. *de Naut. fœn.* suprà lib. 22.

(*d*) Quod tamen evidens est, dici non posse.

(*e*) Necesse non erat eum interpellari, ut suprà definivit. Sed ex abundanti, ne ambigeretur eum moram feciſse, interpellatus est.

(*f*) Id est, an nihilominùs perseveret posse peti pœna. Nam cœpit posse peti, quum primùm moram contraxit.

(*g*) Hoc solo casu quo non stetit per eum qui dare jussus est, non committitur pœna. Ergo quovis alio casu, diei lapsu pœna ipso Jure committitur.

(*h*) Supple *certum.*

(*i*) Id est, pœnâ promissâ si intra certum diem pecunia soluta non fuisset.

Source : BIU Cujas

Flavius-Hermes hominem Stichum manumissionis causâ donavit, & ita de eo stipulatus est « SI HOMO (*Florent.* » hominem Stichum) Stichus de quo agitur, quem hâc » die tibi donationis causâ manumissionisque dedi, à te » heredeque tuo manumissus Vindictâque liberatus non » erit, quod dolo malo meo non fiat, pœnæ nomine » quinquaginta dari? stipulatus est Flavius-Hermes, » spopondit Claudius. » Quæro an Flavius-Hermes Claudium de libertate Stichi convenire potest? Respondit, Nihil proponi cur non potest (*a*). Item quæro an, si Flavii-Hermetis heres à Claudii herede pœnam suprà scriptam petere voluerit Claudii heres libertatem Sticho præstare possit, ut pœnâ liberetur? Respondit (*b*), posse. *l.* 122. § 2. SCÆVOLA LIB. 28. DIGEST.

Obiter nota. Item quæro: Si Flavii-Hermetis heres cum Claudii herede ex causâ suprà scriptâ nolit agere; an nihilominùs Sticho libertas, ex conventione quæ fuit inter Hermetem & Claudium (ut stipulatione suprà scriptâ ostenditur) ab herede Claudii præstari debeat? Respondit debere. *d.* § 2. ¶ *fin.*

De casu quo dies stipulationi non est apposita, accipe quod rescribunt Diocletianus & Maximianus. Nudâ pollicitatione, secundùm ea quæ sæpè constituta sunt ad præstanda ea quæ promiserat, urgeri quemquam non semper Jura permittunt. Verùm quoniam præterea SI CONTRA PACTUM FECERIT, QUANTI EA RES EST dari tibi stipulanti, adversarium tuum promisisse proponas: hujusmodi etiam Obligationis, post motam litem, extitisse conditionem: & ejus summæ quæ in hâc quoque stipulatione continetur, petitioni locum factum esse convenit. *l.* 5. *Cod. de Contrah. stipul.*

LXI.

Vidimus quando committatur stipulatio pœnalis, quum promissor non fecit.

Observandum autem 1°. *quòd, si per stipulatorem stetit quòminùs fieret, pro facto habebitur; nec committetur stipulatio.*

Hinc Scævola. Coheredes quum prædia hereditaria diviserant, unum prædium commune reliquerunt; sub hoc pacto, ut si quis eorum partem suam alienare voluisset, eam vel coheredi suo, vel ejus successori venderet centum viginti-quinque: quòd si quis aliter feciisset, pœnam centum invicem stipulati sunt. Quæro; cùm coheredes mulier, coheredis liberorum tutores sæpiùs testatò convenerit, & desideraverit ut secundùm conventionem aut emerent aut venderent; hique nihil tale fecerint; an, si mulier extero vendiderit, pœna ab eâ CENTUM exigi possit? Respondit; Secundùm ea quæ proponerentur, obstaturam Doli mali exceptionem. *l.* 122. § 3. SCÆVOLA LIB. 28. DIGEST.

Sed nec committetur, si per rerum naturam fieri non potuit. Undè Ulpianus: Si homo mortuus sisti non potest, nec pœna rei impossibilis committetur. Quemadmodum si quis Stichum mortuum dare stipulatus, SI DATUS NON ESSET pœnam stipuletur. *l.* 69. ULP. LIB. 7. AD ED.

Observandum 2°. *stipulationem pœnalem* SI ADVERSUS EA FACTUM ERIT, *interdum committi ex eo quòd promissor aliquid omiserit; & vice versâ eam quæ sic concipitur.* SI ITA FACTUM NON ERIT, *committi ex eo quòd promissor aliquid fecerit.*

Nam Qui non facit (*c*) quod facere debet; videtur facere ADVERSUS EA, quia non facit: & qui facit quod facere non debet, non videtur facere id quod facere jussus est. *l.* 121. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 13. AD EDICT.

Observandum 3°. *de eo casu quo mutua inter convenientes stipulatio pœnalis interposita est; quòd si uterque pariter adversùs pacta conventa fecerit, neutri utiliter committitur stipulatio.*

Nam demùm Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit. *l.* 154. § 1. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 65. AD ED.

§ III.

An & quando pro parte duntaxat committantur Stipulationes pœnales.

Circa hanc quæstionem distinguendæ sunt duæ species.

LXII.

Prima species est, quum pœna promissa est ut aliquid daretur. In hâc specie, etsi pro parte datum fuerit, pro parte non fuerit datum; non tamen pro parte duntaxat, sed in solidum committetur stipulatio pœnalis.

Hinc V. G. Si fortem promiseris; &, si ea soluta non esset, pœnam: etiamsi unus ex heredibus tuis portionem suam ex forte solverit; nihilominùs pœnam committet, donec portio coheredis solvatur. Idemque est de pœnâ ex compromisso; si unus paruerit, alter non paruerit Sententiæ judicis. Sed à coherede ei satisfieri debet: nec enim aliud in his stipulationibus sine injuriâ stipulatoris (*d*) constitui potest. *l.* 5. § 4. POMPON. LIB. 26. AD SABIN.

Item si ita stipulatio facta sit, SI fundus Titianus datus non erit, centum dari? nisi totus detur, pœna committitur CENTUM. Nec prodest partes fundi tradere, cessante uno. Quemadmodum non prodest ad pignus liberandum, partem creditori solvere. *l.* 85. § 6. PAUL. LIB. 75. AD ED.

LXIII.

Secunda species est, quum pœna promissa est ut aliquid fieret vel non fieret.

Et in hâc specie subdistinguendum est; ut Cato libro quinto-decimo scribit: Pœnâ certæ pecuniæ promissâ, SI QUID ALITER FACTUM SIT; mortuo promissore, si ex pluribus heredibus unus, contra quàm cautum sit, fecerit; aut ab omnibus heredibus pœnam committi pro portione hereditariâ, aut ab uno pro portione suâ.

Ab omnibus; si id factum de quo cautum est, individuum sit; veluti ITER (*e*) FIERI: quia quod in partes dividi non potest, ab omnibus quodammodo factum videretur.

At si de eo cautum sit quod divisionem recipiat, veluti AMPLIUS NON AGI; tum eum heredem qui adversùs ea fecit, pro portione (*f*) suâ solùm pœnam committere.

(*a*) Nec enim ex eo quòd pœna adjecta est, consumpta est actio de ipsâ libertate præstandâ: de quo latiùs infrà §°. 4°. Hic porrò nota quòd; quum Scævola hæc scriberet, nondum prævaluerat ut Constitutio Divi Marci [de quâ suprà lib. 40. Tit. *Qui sine manum.* Art. 3.] ad donationes porrigeretur. Hodie enim libertas ex Constitutionis sententiâ ipso Jure competeret.

(*b*) Igitur tam promissori quàm ejus heredi, ante litem contestatam exsolvendo; liberum est defugere pœnæ obligationem.

(*c*) Pone exemplum in compromissis. Quum duo convenerunt se subjicere Sententiæ arbitri, & pœnam stipulati sunt ad invicem sic, *Si adversùs ea factum erit*, vel sic, *Si ita factum non erit*: committitur stipulatio SI ADVERSUS EA FACTUM ERIT, vel ex eo quod promissor aliquid omittat, putà solvere quod condemnatus est solvere; vel etiam committitur stipulatio SI ITA FACTUM NON ERIT, ex eo quòd quid faciat promissor, putà quod petat rem quam petere vetitus est.

(*d*) Cujus interest non accipere per partes.

(*e*) Patefieri, exhiberi.

(*f*) Cur non in solidum? sicut obtinet quum pœna promissa est ut aliquid daretur: mox suprà N. præced. Hanc disparitatis rationem affert Cujacius; quòd dari potest in solidum, & interest stipulatoris ita dari: verùm hoc factum *Amplius non agi*, & similia, non possunt nisi per partes exhiberi; unusquisque enim ex heredibus ejus qui promisit *Amplius non agi* seu *Non peti*, non potest per rerum naturam nisi pro parte suâ agere aut non agere.

Hæc tamen distinctio [quæ est Joannis Glossatoris] inter pœnam promissam ut aliquid *Daretur*, & eam quæ promissa est ut aliquid *Fieret* vel non fieret, non placet Wissenbachio: qui distinguendum potiùs putat inter stipulationes *Conventionales*, & *Prætorias*. Et conventionales quidem strictè accipiendas esse; ut in his non proficiat pro parte *Dedisse* aut *Fecisse*, quominùs pœna integra committatur: de quibus [inquit] intelligi debet sup. d. l. 5. § 4. N. præced. Prætorias verò benignùs & ex mente Prætoris esse interpretandas: ut, nisi factum individuum contineant, pro parte duntaxat committantur adversùs eum qui non fecit aut non dedit, si alter ex heredibus pro parte suâ fecit aut dedit: & de his Prætoriis stipulationibus accipiendum quod hic in l. 4. § 1. disputat Cato. Ita Wissenbach. Verùm, etsi stipulatio *Amplius non agi* quam Cato in exemplum adducit, sit ex numero Prætoriarum; tamen videtur in genere disputare de omnibus stipulationibus, non duntaxat de Prætoriis.

Longè minùs probabilis est Baronis conciliatio; qui ait in sup. d. l. 5. § 4. promissam esse pœnam, nullâ heredum factâ mentione; in hâc autem l. 4. § 1. supponendum, in stipulatione mentionem heredum factam fuisse. Hoc & divinatorium est, & nullâ ratione nititur.

Source : BIU Cujas

Differentiæ hanc esse rationem: quòd in priore casu omnes commisisse videntur (quòd nisi in solidum peccari non poterit) illam stipulationem, PER TE non steri quominùs mihi ire agere liceat? Sed videamus (*a*) ne non idem hîc sit; sed magis idem quod in illâ stipulatione, TITIUM heredemque ejus ratum habiturum? Nam hâc stipulatione, & solus tenebitur qui non habuerit ratum, & solus aget à quo fuerit petitum. Idque & Marcello videtur: quamvis (*b*) ipse dominus pro parte ratum habere non potest. *l.* 4. § 1. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

Priorem subdistinctionis partem probat alibi idem Paulus: Quòd si stipulatus fuero PER TE heredem-ve tuum non fieri quominùs eam, agam; si adversùs ea factum sit tantùm dari? & unus ex pluribus heredibus promissoris me prohibeat: verior est sententia existimantium, unius facto omnes teneri; quoniam licèt ab uno prohibeor, non tamen in partem prohibeor. Sed cæteri Familiæ erciscundæ judicio sarcient damnum. *l.* 85. § 3. IDEM LIB. 75. AD ED.

§ IV.

De effectu Stipulationis pœnalis, circa principalem Obligationem cui adjicitur.

LXIV.

Stipulatio pœnalis ad corroborandam priorem obligationem adhibetur, non ad eam novandam: ut jam obiter vid. suprà N. 60. *ex l.* 122. § 2. *h. tit. Vide & l.* 71. *ff.* Pro socio, *infrà lib. seq. Tit.* de Novation. *N.* 21.

Igitur, cùm ex stipulatione pœnali nulla contingat veteris Obligationis novatio, ex utrâque causâ agi potest. Cæterùm quod ex unâ quis consecutus fuerit, in alteram imputare debebit.

Hinc Julianus. Prædia mihi vendidisti: & convenit, ut aliquid facerem; quod si non fecissem, pœnam promisi. Respondit: Venditor, antequàm pœnam ex stipulatu petat, Ex vendito agere potest. Si consecutus fuerit quantùm pœnæ nomine stipulatus esset; agentem Ex stipulatu, Doli mali exceptio summovebit: si ex stipulatu pœnam consecutus fueris, ipso Jure Ex vendito agere non poteris; nisi in id quod pluris ejus interfuerit id fieri. *l.* 28. *ff. de Act. empt.* JULIAN. LIB. 3. AD URSEIEUM FEROCEM.

Item quæritur: Si cum eo à quo tibi sexaginta deberentur, compromiseris; deinde per imprudentiam pœnam centum stipulatus fueris? Labeo putat convenire officio arbitri, jubere tantùm tibi dari quantùm reverâ debeatur. Et, si non fiat, non vetare ne quid amplius petatur; sed etiam si id omissum fuerit, peti posse quod debetur Labeo dicit: &, si fortè pœna petatur, Doli mali exceptionem profuturam. *l.* 4. § 3. *ff. de Dol. mal. & met. except.* ULP. LIB. 76. AD ED.

Idem ait. Si quis à socio pœnam stipulatus sit; PRO SOCIO non aget, si tantumdem in pœnam sit quantùm ejus interfuit. *l.* 41. *ff. Pro socio.* ULP. LIB. 20. AD ED.

Quòd si ex stipulatu eam consecutus sit: postea PRO SOCIO agendo, hoc minùs accipiet; pœnâ ei in sortem imputatâ. *l.* 42. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 45. AD SABIN.

LXV.

Ita tamen altera actio alteram consumit, si priori actione idipsum petas propter quod pœna promissa est. Quòd si diversum petas, poterit utraque concurrere: ut in specie sequenti. Lucius-Titius acceptâ pecuniâ ad materias vendendas sub pœnâ certâ; ita ut, si non integras repræstaverit intrà statuta tempora, pœnâ conveniatur; partim datis materiis, decessit. Cùm igitur testator in pœnam commiserit, neque heres ejus reliquam materiam exhibuerit; an & in pœnam, & in usuras conveniri possit: præsertim cùm emptor mutuatus pecuniam, usuras gravissimas expendit; Paulus respondit; Ex contractu de quo quæritur, etiam heredem venditoris in pœnam conveniri posse. In actione quoque Ex empto, officio judicis post moram intercedentem, usurarum pretii rationem haberi oportere (*c*). *l.* 46. *ff. de Act. empt.* PAUL. LIB. 6. RSPONS.

LXVI.

Quemadmodum stipulatio pœnalis adjecta contractui, non adimit veterem actionem; ita & quum pacto DE *non petendo subjecta est, non adimit exceptionem.*

Ita enim Ulpianus. Si pacto subjecta sit pœnæ stipulatio: quæritur utrùm Pacti exceptio locum habeat, an Ex stipulatu actio? Sabinus putat, quod est verius, utrâque viâ uti posse; prout elegerit qui stipulatus est.

Si tamen ex causâ pacti, exceptione utatur; æquum erit, accepto eum stipulationem ferre. *l.* 10. § 1. *ff. de Pactis.* ULP. LIB. 4. AD ED.

Hinc Si mulier pacta sit ne ampliùs quàm pars dimidia dotis à se petatur, & pœnam stipulata sit: Mela ait, Alterutro eam contentam esse oportere, vel exceptione Pacti, & acceptam facere pœnæ Obligationem; vel, si Ex stipulatu agat, denegandam ei exceptionem. *l.* 2. *ff. de Pact. dotalib.* PAUL. LIB. 35. AD ED.

LXVII.

Illud etiam observandum quòd, cùm obligatio principalis à pœnali stipulatione quæ ei adjicitur non pendeat, per adjectam inutilem pœnalem stipulationem non vitiatur.

Hinc Paulus. Si ita stipulatus fuero, TE SISTI; & nisi steteris, aliquid dari quod promittenti impossibile est; detractâ secundâ stipulatione, prior manet utilis. Et perindè erit, ac si TE SISTI stipulatus essem. *l.* 126. § 3. PAUL. LIB. 3. QUÆST.

Ita etiam Celsus. Si ita stipulatus fuero, TE SISTI; nisi steteris, hippocentaurum dari? proindè erit atque TE SISTI solummodò stipulatus essem. *l.* 97. CELS. LIB. 26. DIGEST.

Enimverò Ea quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum naturâ non sunt, pro non adjectis habentur. *l.* 135. ULP. LIB. 23. AD ED. *ff. de Reg. Jur.*

SECTIO II.

De 4ª. 5ª. 6ª. 7ª. divisione Stipulationum.

ARTICULUS I.

De Stipulationibus Dandi, & Faciendi *& quænam* dividuæ *sint, quænam* individuæ.

LXVIII.

Percelebris & notissima est Quarta illa divisio; scilicet quòd Stipulationum quædam IN DANDO, quædam IN FACIENDO consistunt. *l.* 2. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

(*a*) *Videamus* hîc est affirmantis. Sensus est: in hâc stipulatione AMPLIUS NON AGI, *non idem* est ac in superiori ITER FIERI quæ factum individuum continet; *sed magis idem quod in illâ* TITIUM, *&c.* in quâ scilicet factum dividuum continetur.

(*b*) Sensus est. *Quamvis* enim *ipse dominus pro parte ratum habere non* possit: contrà tamen ejus heredes nonnisi pro suâ parte hereditariâ ratum habere possunt, adeòque non debet committi stipulatio, nisi pro parte eorum qui non ratum habebunt. Observa etiam; quod hîc dicitur, *Dominum pro parte non posse ratum habere*, accipiendum de casu quo ipse dominus promisit se ratum habiturum quod ipsius procurator ageret; & ex propriâ suâ promissione tenetur. At si procurator promisit dominum *Ratum habiturum*; rectè potest dominus pro parte ratum habere, & pro eo duntaxat quod ratum non habuit, committetur stipulatio: ut videb. infra lib. 46. Tit. *Rem. rat. hab.*

(*c*) Nec quod emptor ex pœnâ consecutus est, imputabit in eas usuras. Nam propter materias promissa est pœna: unde non posset simul & materias & pœnam petere. Verùm usuræ non propter materias, sed propter pretium quod venditori prorogavit emptor, ab eo petuntur: nihil igitur obstat, quominùs & pœnam, & eas usuras diversis actionibus consequi possit, cùm propter diversa petantur. Ita Cujac. ad h. l.

Source : BIU Cujas

Et harum omnium, quædam partium præstationem recipiunt; veluti quum decem dari stipulamur; quædam non recipiunt, ut in his quæ naturâ divisionem non admittunt; veluti quum viam, iter, actum stipulamur. Quædam partis quidem dationem naturâ recipiunt; sed nisi tota dantur, stipulationi non satisfit; veluti quum hominem generaliter stipulor, aut lancem, aut quodlibet vas (*a*). Nam si Stichi pars soluta sit, nondum in ullâ parte stipulationis liberatio nata est; sed aut statim repeti potest, aut in pendenti est (*b*) donec alius detur. Ejusdem conditionis est hæc stipulatio, STICHUM AUT PAMPHILUM dari. *d. l.* 2. § 1.

LXIX.

Hinc nascitur & Quinta divisio, in stipulationes Dividuas & Individuas: & quidem earum subdivisio multiplex.

DIVIDUÆ *stipulationes sunt, earum rerum quæ divisionem recipiunt:* INDIVIDUÆ, *contrà.*

Exempla stipulationum quæ individuæ sunt, affert Ulpianus. Stipulationes non dividuntur, earum rerum quæ divisionem non recipiunt: veluti viæ, itineris, actûs, aquæductûs, cæterarumque servitutum. Idem puto, & si quis faciendum aliquid stipulatus sit; ut putà fundum tradi, vel fossam fodiri, vel insulam fabricari, vel operas, vel quid his simile. Horum enim divisio corrumpit stipulationem.

Celsus tamen libro trigesimo-octavo Digestorum refert Tuberonem existimasse: Ubi quid fieri stipulemur, si non fuerit factum, pecuniam dari oportere: ideòque etiam in hoc genere dividi stipulationem. Secundùm quem Celsus ait; Posse dici, justâ æstimatione facti (*c*), dandam esse petitionem. *l.* 72. ULP. LIB. 20. AD ED.

Quadrifariam autem spectari potest hæc stipulationum divisio, scilicet quòd aliæ sint dividuæ tam quoad Obligationem, quàm quoad solutionem; aliæ individuæ quoad utrumque; aliæ dividuæ quoad Obligationem, & individuæ quoad solutionem; aliæ denique individuæ quoad Obligationem, & dividuæ quoad solutionem. Et hoc est quod ait Paulus. In executione Obligationis, sciendum est quatuor causas esse. Nam interdum est aliquid, quod à singulis heredibus divisum consequi possumus; aliud quod totum peti necesse est, nec divisum præstari potest; aliud quod pro parte petitur, sed solvi nisi totum non potest; aliud quod solidum petendum est, licèt in solutionem admittat sectionem. *l.* 85. PAUL. LIB. 75. AD ED.

Jam singulas species sigillatim prosequamur.

§ I.

De primâ Stipulationum specie; earum scilicet quæ dividuæ sunt, tam quoad Obligationem quàm quoad solutionem.

LXX.

Prima species pertinet ad promissorem pecuniæ certæ. Nam & petitio & solutio ad portiones hereditarias spectat. *l.* 85. § 1. PAUL. LIB. 75. AD ED.

Circa has stipulationes dividuas observat Julianus, aliter divisionem fieri quum species, aliter quum genera in stipulationem deducta sunt.

Ita ille: In stipulationibus aliàs species, aliàs genera deducuntur. Quum SPECIES stipulamur; necesse est inter dominos (*d*) & inter heredes ita dividi stipulationem, ut partes corporum cuique debebuntur (*Aliàs* debeantur). Quoties autem GENERA stipulamur, numero fit inter eos divisio. Veluti quum Stichum & Pamphilum (*e*) quis stipulatus, duos heredes æquis partibus reliquit; necesse est utrique partem dimidiam Stichi & Pamphili deberi. Si idem duos homines (*f*) stipulatus fuisset, singuli homines heredibus ejus deberentur. *l.* 54. JULIAN. LIB. 22. DIGEST.

Idem ait Ulpianus. Quum Stichus & Pamphilus communi servo promissi sunt; non alteri Stichus, alteri Pamphilus solvi [non (*g*)] potest; sed dimidiæ singulorum partes debentur. Idemque est (*h*) si quis aut duos Stichos, aut duos Pamphilos dari promisit; aut communi duorum servo homines decem (*i*) dare promisit. Nam ambigua vox est DECEM HOMINES, quemadmodum DECEM DENARII: atque utriusque rei dimidium duobus modis intelligi potest (*k*). Sed in nummis, & oleo, ac frumento, & similibus quæ communi specie continentur; apparet hoc actum ut numero dividatur Obligatio, quatenùs & commodius promissori stipulatoribusque est. *l.* 29. *ff. de Solutionib.* ULP. LIB. 38. AD ED.

Idem docet Papinianus. Si centum homines, quos ego heres-ve meus elegisset, stipulatus; antequàm eligerem, duos heredes reliquero: numero dividitur stipulatio. Diversum erit, si jam electis hominibus (*l*) successerint. *l.* 117. PAPIN. LIB. 12. QUÆST.

LXXI.

Operarum stipulatio similis est his stipulationibus; in quibus genera comprehenduntur; & ideò divisio ejus stipulationis, non in partes operarum, sed in numerum cedit. Quòd si unam operam servus communis stipulatus fuerit; necesse est utrique dominorum, partem operæ tantam quantam in servo habuerit, petere. Solutio autem ejus Obligationis expeditissima est; si æstimationem operæ malit libertus offerre, aut si consentiant patroni ut his commu niter operæ edantur. *l.* 54. JULIAN. LIB. 22. DIGEST.

§ II.

De secundâ Stipulationum specie, quæ individuæ sunt quoad Obligationem & solutionem.

LXXII.

Pertinet hæc species Secunda ad opus quod testator fieri jusserit. Nam singuli heredes in solidum (*m*) tenentur; quia operis effectus in partes scindi non potest. *l.* 85. § 2. PAUL. LIB. 75. AD ED.

In hâc igitur secundâ specie, obtinet generalis illa Juris Regula: EA quæ in partes dividi nou possunt, singula à singulis heredibus debentur. *l.* 192. *ff. de Reg. Jur.* MARCELL. LIB. 29. DIGEST.

(*a*) Addi potest & quarta species, ex eodem Paulo mox infrà; scilicet quòd in quibusdam solidum petendum est, licèt solutio sectionem admittat. Hæ sunt quæ dicuntur *Individuæ in Obligatione, dividuæ in solutione.*

(*b*) Valebit solutio, si reliqua pars Stichi detur, non valebit si alius detur.

(*c*) Id est; in id quod justè æstimabitur meâ interesse, ut fiat quod in stipulationem deductum est.

(*d*) Intellige plures *dominos* servi communis qui stipulatus est: inter quos pro dominicis portionibus dividitur stipulatio; quemadmodum dividitur pro hereditariis portionibus inter plures heredes liberi hominis qui stipulatus est.

(*e*) Hi *Species* sunt, cùm sint certa & determinata corpora.

(*f*) Hi sunt *Genus*, cùm in genere & indeterminatè comprehendantur in stipulatione.

(*g*) Vel hæc negatio vel præcedens expungenda est: ut Gothofredus rectè observat.

(*h*) Cujacius ad h. l. legit *idemque non est*, translatâ hâc quæ suprà expuncta est negatione. Hujus autem §i. hunc sensum esse; ut licèt, quum plures species in stipulationem deductæ sunt, stipulatio pro partibus cujusque speciei indivisis dividatur, non autem numero; tamen aliter observetur, si cum expressâ numeri adjectione, in stipulatum deductæ fuerunt: ut si quis plures ejusdem nominis servos habens, *duos* Stichos promiserit. Hoc enim casu stipulationem numero dividi censet, quemadmodum quum indeterminatè decem homines promittuntur. Ita Cujacius, quem sequitur & Wissenbach.

(*i*) Si Sententia Cujacii quam in Notâ præced. retulimus admittatur, planum est *decem homines* in genere hìc accipi debere. Sin; cum Accursio decem homines certi, putà Eros, Dama, Stichus, &c. intelligendi erunt.

(*k*) Scilicet; vel 1°. ut dimidium intelligatur, dimidia pars indivisa in unoquoque homine, aut in unoquoque denariorum corpore: vel 2°. ut dimidium esse intelligantur, quinque homines aut quinque denarii; per numeros, non per singulas species, factâ divisione.

(*l*) Quia electio fecit ut non jam genus, sed species determinatæ [scilicet illi homines qui electi sunt] deberentur: quo casu stipulatio dividitur, non numero; sed ita ut partes corporum cuique debeantur: ut suprà dictum est.

(*m*) Scilicet adversùs singulos agi potest *in solidum*, ut opus fiat; & sic individua est stipulatio quoad Obligationem. Item non potest unus ex his liberari, nisi opus in solidum factum fuerit; pro parte illud faciendo non liberatur: & sic stipulatio est individua quoad solutionem. Observa tamen quòd, etsi adversùs singulos agatur in solidum ut opus fiat, tamen si non fiat, resolvitur Obligatio in id quod interest: quod dividuum est.

Et

Source : BIU Cujas

Et ideò si divisionem res promissa non recipit, veluti via; heredes promissoris singuli in solidum tenentur. Sed quo casu unus ex heredibus solidum præstiterit; repetitionem habebit à coherede (*a*), Familiæ erciscundæ judicio.

Ex quo quidem accidere Pomponius ait; ut & stipulatoris viæ vel itineris heredes, singuli in solidum habeant actionem. Sed quidam hoc casu extingui stipulationem putant, quia (*b*) per singulos acquiri servitus non potest. Sed non facit inutilem stipulationem (*c*) difficultas præstationis. *l.* 2. § 2. ¶ *& ideò.* PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

§ III.

De tertiâ Stipulationum specie; quæ dividuæ sunt quoad Obligationem, individuæ quoad solutionem.

LXXIII.

Pro parte autem peti, solvi autem nisi totum non potest, veluti quum stipulatus sum hominem incertum (*d*). Nam petitio ejus scinditur; solvi verò nisi solidus non potest. Alioquin in diversis hominibus rectè partes solventur (*e*): quod non potuit defunctus facere; ne quod stipulatus sum [non] consequar. Idem Juris est; & si quis decem millia aut hominem promiserat. *l.* 85. § 4. PAUL. LIB. 65. AD ED.

Ex his igitur stipulationibus, ne heredes quidem pro parte solvendo liberari possunt; quandiù non eamdem rem omnes dederint. Non enim ex personâ heredum conditio obligationis immutatur (*f*). *l.* 2. § 2. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

LXXIV.

Ita tamen solutio partis erit inefficax; nisi jam ex reliquis partibus liberatio saltem per exceptionem contigisset. Undè statim additur: Si tamen hominem stipulatus, cum uno ex heredibus promissoris egero (*g*); pars duntaxat cæterorum Obligationi supererit, ut & solvi potest (*h*).

Idemque est, si uni ex heredibus accepto latum sit. *d. l.* 2. § 3.

Idemque est in ipso promissore & fidejussoribus ejus, quod diximus in heredibus. *d. l.* 2. § 4.

§ IV.

De quartâ Stipulationum specie; nimirùm quæ individuæ sunt quoad Obligationem, & dividuæ quoad solutionem.

LXXV.

Exemplum affert Paulus. In solidum verò agi oportet, & partis solutio adfert liberationem; quum ex causâ evictionis intendimus. Nam auctoris heredes in solidum denuntiandi sunt, omnesque debent subsistere, & quolibet defugiente omnes tenebuntur; sed unicuique pro parte hereditariâ præstatio injungitur. *l.* 85. § 5. PAUL. LIB. 75. AD ED.

Idem docet Venuleius. Quum ex causâ DUPLÆ stipulationis aliquid intendimus, venditoris heredes in solidum omnes conveniendi sunt; omnesque debent subsistere: & quolibet eorum defugiente, cæteris subsistere nihil prodest; quia in solidum defendenda est venditio, cujus indivisa natura est. Sed cùm uno defugiente omnes defugisse videantur, ideòque omnes teneantur; unicuique pro parte hereditariâ præstatio incumbit. *l.* 139. VENUL. LIB. 6. STIPULATIONUM.

Nota in hâc quartâ specie; quamvis singuli heredes promissoris in solidum conveniri debeant, tamen singulos heredes stipulatoris pro parte suâ agere.

Hoc docet Paulus. Si is qui Duplam stipulatus est, decesserit pluribus heredibus relictis; unusquisque ob evictionem suæ partis, pro portione suâ habebit actionem. Idemque est in stipulatione quoque Fructuariâ, & Damni infecti (*i*), & ex Operis novi nuntiatione: (restitui tamen opus ex operis novi nuntiatione (*k*) pro parte non potest). Hæc utilitatis causâ (*l*) ex parte stipulatorum recepta sunt. Ipsi autem promissori, pro parte neque restitutio (*m*) neque defensio (*n*) contingere potest. *l.* 4. § 2. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

ARTICULUS II.

Sexta Stipulationum divisio; in Certas, *&* Incertas.

LXXVI.

Stipulationum quædam Certæ sunt, quædam Incertæ. *l.* 74. GAIUS LIB. 8. AD ED. PROVINC.

§ I.

Quæ Stipulationes Certæ *dicantur.*

LXXVII.

Stipulatio certa, est ea quâ res certa promittitur.

CERTUM est quod ex ipsâ pronuntiatione apparet, qui, quale, quantumque sit. Et ecce: Aurei decem, Fundus Tusculanus; homo Stichus; tritici Africi optimi, modii centum; vini Campani optimi, amphoræ centum. *d. l.* 74. § 1.

(*a*) Finge; Titius promisit Caio viam per fundum Seii. Unus ex heredibus Titii à Caio in solidum ad præstandam viam conventus, jus viæ redemit; & Seius accepto ab eo herede, solido viæ pretio; jus viæ constituit Caio. Is heres hoc repetet judicio *Familiæ erciscundæ* à coheredibus suis. Ea enim quæ heres in solidum præstare necesse habuit, & quæ pro parte suâ solvere non potuit, veniunt in hoc judicium: suprà lib. 10. Tit. *Fam. erc.* N. 85. 86. 87.

(*b*) Servitus acquiri non potest, nisi ab eo qui prædii in solidum dominus est: ut vid. suprà lib. 8. Tit. *de Servitut.* N. 28. Undè videbatur, singulos heredes ejus qui servitutem prædio suo constitui stipulatus est [cùm non sint nisi pro parte hujus prædii domini] non posse hanc servitutem petere, quam singuli acquirere non possunt; adeòque corrumpi & *extingui* hanc *stipulationem*. Hæc ratio dubitandi.

(*c*) Respondet fatendo, in hâc specie occurrere difficultatem in præstatione servitutis promissæ; verùm non ideò fieri inutilem stipulationem: quia difficultas quidem, at non impossibilitas occurrit. Potest enim is ex heredibus qui *Ex stipulatu* agit ut servitus constituatur, adhibere coheredes suos, ut unà omnibus constituatur.

(*d*) Id est, indeterminatè, in genere.

(*e*) Sensus est; si dicas Obligationem pro parte extinctam; ergo stipulator poterit duntaxat petere partem hominis incerti: nec enim Stichi cujus partem jam accepit, reliquam partem petere potest; cùm non Stichus, sed homo incertus, in Obligatione contineatur. Sed si verum esset posse eum petere partem duntaxat hominis incerti, ergo cujusvis alterius hominis quàm Stichi pars ei solvi posset. Porrò, nec defunctus potuisset ita solvere diversorum hominum partes, nec stipulator exindè consequeretur quod stipulatus est; cùm stipulatus sit unum hominem, non duas diversorum hominum partes. Ergo injuriâ adficeretur.

(*f*) Ut enim defunctus solvere non potuisset, diversorum hominum partes; ita nec hoc possunt ejus heredes. Obligatio enim quæ ex personâ heredum immutari non debet, est Obligatio unius hominis. Diversorum autem hominum partes, non efficiunt unum hominem.

(*g*) Et victus fuero per injuriam aut imperitiam judicis.

(*h*) Aliàs, *ut exsolvi possit*. Pars, inquam, hominis hoc casu rectè solvetur; quia pars tantùm in obligatione remanet: cùm pro reliquâ parte ejus quod in Obligationem deductum erat, nihil prorsùs consequi possit stipulator utpotè summotus per exceptionem *Rei judicatæ*. Et quidem hoc casu metuendum non est ne diversorum hominum partes solvantur. Pone enim V. G. duos esse heredes: ab uno dimidiam petii, & victus sum; restat ergo una tantùm dimidia, quæ non potest esse nisi unius ejusdemque hominis, ut per se patet. Quòd si tres sint heredes; & tertiam petendo adversùs unum ex heredibus similiter victus sim: restat Bes mihi solvendus à duobus cæteris heredibus; Bes autem ille pariter non potest solvi nisi unius ejusdemque hominis, ob rationes suprà allatas Not. (*e*). Adeòque, si unus solvat trientem unius hominis; solutio non erit efficax, donec alter trientem alterum ejusdem hominis mihi solverit: quo facto, hujus hominis ego pro indiviso dominus fio ex besse; & liberantur heredes, cùm jam bes tantùm mihi deberetur.

(*i*) Scilicet ut unusquisque heredum stipulatoris non possit nisi pro parte suâ agere, de restituendâ re fructuariâ, aut de resarciendo damno de quo vicinus cavit. Cæterùm in hâc quidem re conveniunt hæ stipulationes [*Fructuaria* & *Damni*] cum stipulatione *Duplæ*. At cave hinc concludas, in cæteris convenire. Nam [ut observat Cujacius] hæ duæ stipulationes, etiam ex parte promissoris dividuæ sunt; stipulatio *Duplæ* individua.

(*k*) Quasi diceret: Quod autem attinet ad hanc stipulationem *Ex operis novi nuntiatione*; quâ quis opus quod ipsi nuntiatum est, *restituturum* id est, demoliturum se [si ita fieri oportere judicatum fuerit] promittit; hæc inquam stipulatio, etsi ex parte stipulatoris heredem dividua sit, nec possit unusquisque heredum agere nisi quatenùs pro parte suâ interest opus non restitui; tamen ex parte heredum promissoris individua est: restitui enim opus pro parte non potest; adeòque potest unusquisque heredum in solidum de restituendo opera conveniri. Cæterùm si restitutum non fuerit, sufficiet ut pro parte suâ solvat quod interest.

(*l*) Id est, ut quisque pro suâ parte consequatur quod interest. Id enim quod interest, sæpissimè *Utilitas* dicitur.

(*m*) *Restitutio* operis in stipulatione ex Operis novi nuntiatione.

(*n*) In stipulatione *de Re defendendâ ab evictione.*

Source : BIU Cujas

Igitur V. G. Hæc ſtipulatio, FUNDUM TUSCULANUM DARI, oſtendit ſe certi eſſe; continetque, ut dominium omnimodò efficiatur ſtipulatoris quoquo modo. *l.* 75. § 10. ULP. LIB. 22. AD ED.

Neque ſolùm quod ex ipsâ pronuntiatione certum appareat, ſed & quod in ſe certum eſt per relationem ad aliquid certi, certam quoque efficit ſtipulationem.

V. G. Sed qui vinum aut oleum vel triticum QUOD IN HORREO EST, ita ſtipulatur; certum ſtipulari intelligitur. *d. l.* 75. § 5.

Qui verò à Titio ita ſtipulatur, QUOD MIHI SEIUS DEBET dare ſpondes? & qui ita ſtipulatur, QUOD EX TESTAMENTO MIHI DEBES dare ſpondes? incertum in Obligationem deducit; licèt Seius certum debeat, vel ex teſtamento certum debeatur. Quamvis (*a*) iſtæ ſpecies vix ſeparari poſſint, ab eâ quam propoſuimus de vino vel oleo vel tritico quod in horreo repoſitum eſt & adhuc occurrit, quòd fidejuſſores certum videntur promittere; ſi modò & is pro quo obligentur, certum debeat: cùm alioquin ita interrogentur, ID FIDE TUA ESSE JUBES? *d. l.* 75. § 6.

§ II.

Quæ Stipulationes Incertæ *ſint.*

LXXVIII.

Ubi autem non apparet, quid, quale, quantumque eſt in ſtipulatione; incertam eſſe ſtipulationem dicendum eſt. *d. l.* 75. *pr.*

Tales ſunt 1°. *Omnes ſtipulationes quæ in faciendo conſiſtunt.*

Hinc Ulpianus. Qui id quod in faciendo aut non faciendo [conſiſtit] ſtipulatur, incertum ſtipulari videtur. IN FACIENDO; veluti foſſam fodiri, domum ædificari, vacuam poſſeſſionem tradi. IN NON FACIENDO: veluti, Per te non fieri quominùs mihi per fundum tuum ire agere liceat; Per te non fieri quominùs mihi hominem Erotem habere liceat. *d. l.* 75. § 7.

Hinc Paulus. Si pœnam (*b*) ſtipulatus fuero, SI mihi pecuniam non credidiſſes; certa eſt & utilis ſtipulatio. Quòd ſi ita ſtipulatus fuero, PECUNIAM te mihi crediturum ſpondes? incerta eſt ſtipulatio; quia id venit in ſtipulationem, quod meâ intereſt. *l.* 68. PAUL. LIB. 2. AD ED.

LXXIX.

2°. *Incertæ quoque ſunt ſtipulationes; quibus alternativè promittuntur plures res quamvis certæ; quum electio eſt debitoris: ſecùs, quum eſt creditoris.*

Hinc Ulpianus. Qui ILLUD AUT ILLUD ſtipulatur, veluti decem, vel hominem Stichum; utrùm certum deducat in Obligationem, non immeritò quæritur? nam & res certæ deſignantur; & utra earum potiùs præſtanda ſit, in incerto eſt. Sed utcumque (*c*); is qui ſibi electionem conſtituit adjectis his verbis UTRUM EGO VELIM, poteſt videri certum ſtipulatus; cùm ei liceat vel hominem tantùm, vel decem tantùm, intendere ſibi dari oportere: qui verò ſibi electionem non conſtituit, incertum ſtipulatur. *ſup. d. l.* 75. § 8.

3°. *Incertæ etiam ſunt tales ſtipulationes. Videlicèt* Qui ex pluribus fundis quibus idem nomen impoſitum fuerat, unum fundum ſine ullâ notâ demonſtrationis ſtipuletur: incertum ſtipulatur; id eſt eum fundum ſtipulatur, quem promiſſor dare voluerit. Tamdiù autem voluntas promiſſoris inpendenti eſt, quandiù id quod promiſſum eſt, ſolvatur. *l.* 106. JAVOL. LIB. 6. EPISTOL.

Ergo ſi qui fundum ſine propriâ appellatione, vel hominem generaliter ſine proprio nomine, aut vinum frumentum-ve ſine qualitate dari ſtipulatur; incertum deducit in Obligationem. *ſup. d. l.* 75. § 1.

Uſque adeò ut ſi quis ita ſtipulatus ſit, Tritici Africi BONI modios centum; Vini Campani BONI amphoras centum? incertum videatur ſtipulari; quia bono meliùs inveniri poteſt: quo fit ut Boni appellatio non ſit certæ rei ſignificativa; cùm id quod bono meliùs ſit, ipſum quoque bonum ſit. At quum OPTIMUM quiſque ſtipulatur; id ſtipulari intelligitur, cujus bonitas principalem gradum bonitatis habet. Quæ res efficit, ut ea appellatio certi ſignificativa ſit. *d. l.* 75. § 2.

LXXX.

4°. *Incerta etiam eſt ſtipulatio rei futuræ.*

Hinc Ulpianus. Illud dubitationem recipit: Si quis id quod ex Arethuſâ ancillâ natum erit, aut fructus qui in fundo Tuſculano nati erunt, dari ſibi ſtipulatus ſit; an certum ſtipulatus videatur? Sed ipsâ naturâ manifeſtiſſimum eſt, Incerti hanc eſſe (*d*) ſtipulationem. *d. l.* 75. § 4.

5°. *Incerta eſt ſtipulatio uſurarum. Hinc* Qui ſortem ſtipulatur & uſuras quaſcumque, certum & incertum (*e*) ſtipulatus videtur; & tot ſtipulationes ſunt, quot res ſunt. *d. l.* 75. § 9.

6°. *Incerta eſt ſtipulatio cujuſlibet rei quæ in jure conſiſtat. Putà* Fundi certi ſi quis uſumfructum (*f*) ſtipulatus fuerit, incertum intelligitur in Obligationem deduxiſſe. Hoc enim magis Jure utimur. *l.* 75. § 3.

LXXXI.

Denique ſtipulatio rei certæ, ex circumſtantiis interdum eſt incerta; V. G. ex perſonâ cui ſolvi oportet.

Hinc Papinianus. Decem mihi aut Titio, utri (*Florent.* utrum) ego velim, dare ſpondes? Ex eo quod mihi dandum eſt, certi ſtipulatio eſt; ex eo quod illi ſolvendum, incerti. Finge meâ intereſſe, Titio potiùs quàm mihi ſolvi; quoniam pœnam promiſeram, ſi Titio ſolutum non fuiſſet. *l.* 118. § 2. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

Item ex die aut loco quo ſolvi oportet. Dicendum igitur. Si fundum certo die præſtari ſtipuler, & per promiſſorem ſteterit quominùs eâ die præſtetur; conſecuturum me quanti meâ interſit moram factam (*Florent.* facti) non eſſe. *l.* 114. ULP. LIB. 17. AD SABIN.

Vide etiam eâ de re ſuprà lib. 12. *Tit.* de Reb. cred. *Sect.* 1ª. *de Condictione* CERTI.

ARTICULUS III.

Septima Stipulationum diviſio; in Simplices, *&* Alternatas.

LXXXII.

SIMPLICES *ſtipulationes hîc appello, in quas aliquid ita deducitur ut ſimpliciter ac determinatè debeatur.*

ALTERNATÆ *ſtipulationes ſunt; in quas duæ res pluresve ita deducuntur, ut nulla ex his determinatè debeatur; ſed ea, aut quam promiſſor dari elegerit, aut quæ ſola ſuperfuerit.*

Interdum tamen non promiſſoris ſed ſtipulatoris electio eſt,

(*a*) Cujacius poſt Joannem rectè obſervat; per hanc particulam *Quamvis*, corrigi & improbari quæ præcedunt.

(*b*) Scilicet certam ſummam pœnæ nomine.

(*c*) Id eſt, quidquid ſit de ratione dubitandi.

(*d*) Quid enim magis incertum, quàm quod fortè nunquàm exiſtet? Nec enim in Jure noſtro *Certum* aut *Incertum* metimur ex ipsâ rerum naturâ, illâ nempè in quâ omnia quæ futura ſunt, ab æterno certa ſunt; ſed ex naturâ noſtrâ, ſcilicet ex noſtrâ inſcientiâ: ut docet Paulus l. 28. § fin. ff. *de Judiciis.*

(*e*) Uſuræ ſunt quid incertum, cùm incertum ſit quandiù current.

(*f*) Uſusfructus eſt res incerta. Licèt enim res in quo conſtituitur certa ſit, tamen incertus eſt fructuum reditus in cujus perceptione conſiſtit, incertum eſt quandiù jus illos percipiendi duraturum ſit. Et aliundè placuit rebus incertis annumerari res omnes quæ in jure conſiſtunt; utpotè quæ cogitatione, non ſenſibus percipiantur, ut ex ipsâ pronuntiatione apparere nequeat *Quid, quale, quantumque ſit.* Secùs de ſtipulatione aut legato *Quaſi uſusfructûs.* Cùm enim is cui certæ quantitatis Quaſi-uſus-fructus legatus aut promiſſus eſt, ipſam rem quæ certa eſt, ipſum rei dominium conſequi debeat; non jus in re ab ipsâ re diverſum: talis ſtipulatio & tale legatum videntur eſſe velut alicujus certi; ut dicitur in l. 8. ff. *de Uſufr. ear. rer. quæ uſu conſum.*

Source : BIU Cujas

utra debeatur ; ſcilicet ſi convenerit ut ſtipulatoris electio eſſet. Convenit autem , non ſolùm adjectis his verbis putà hominem QUEM VOLUERO , *aut his* QUEM VOLAM : *ſed &* Si ſic ſtipulatus fuero , PER TE non fieri quominùs hominem ex his quos habes ſumam ? electio mea erit. *l.* 93. PAUL. LIB. 3. AD VITELLIUM.

Hìc porrò obſerva aliquid intereſſe , utrùm ſtipulator ſibi electionem ſervaverit his verbis, QUEM VOLUERO : *an his verbis ,* QUEM VOLAM.

Hinc Pomponius. Si quis ſtipulatus ſit Stichum aut Pamphilum, utrum ipſe vellet ; quem elegerit, petet, & is erit ſolus in Obligatione. An autem mutare voluntatem poſſit , & ad alterius petitionem tranſire , quærentibus ; reſpiciendus erit ſermo ſtipulationis : utrùm-ne talis ſit, QUEM VOLUERO , an QUEM VOLAM ? Nam ſi talis fuerit, QUEM VOLUERO , quum ſemel elegerit, mutare voluntatem non poterit : ſi verò tractum habeat ſermo illius , & ſit talis QUEM VOLAM ; donec judicium dictet, mutandi poteſtatem habebit. *l.* 112. POMPON. LIB. 15. AD Q. MUCIUM

Item nota. Quum purè ſtipulatus ſum , Illud aut illud dari ; licebit tibi , quoties voles , mutare voluntatem in eo quod præſtaturus ſis : quia diverſa (*a*) cauſa eſt voluntatis expreſſæ , & ejus quæ ineſt. *l.* 138. § 1. VENULEIUS LIB. 4. STIPULATION.

LXXXIII.

Vidimus quæ ſtipulationes eſſent alternatæ. Non eſt autem ſtipulatio alternata ; in quâ quis duas quantitates , licèt per particulam alternativam , ſtipulatus eſt. Quæ enim minor eſt , ſola promiſſa videtur. Sic & in diverſis diebus , quæ longior eſt , videtur adjecta.

Hinc Pomponius. Si ita ſtipulatus fuero, Decem aut quinque dari ſpondes ? quinque debentur. Et ſi ita , Kalendis Januariis vel Februariis dari ſpondes ? perindè eſt, quaſi Kalendis Februariis ſtipulatus ſim. *l.* 12. POMPON. LIB. 5. AD SABIN.

Idem alibi. Si ita ſtipulatus fuero , DECEM AUT QUINDECIM dabis ? decem debentur. Item ſi ita , POST ANNUM AUT BIENNIUM dabis ? poſt biennium debentur. Quia in ſtipulationibus id ſervatur ; ut quod minus eſſet , quodque longius , eſſe videretur in Obligationem deductum. *l.* 109. IDEM LIB. 3. AD Q. MUCIUM.

SECTIO III.

Exponitur 8ª. & ultima Stipulationum diviſio : Ut quædam nec diem nec conditionem habeant, quædam diem tantùm habeant aut conditionem, quædam utrumque.

Quæcumque hìc de ſtipulaionibus quæ aut diem aut conditionem habent, aut utrumque adjectum, dicenda occurrunt; eadem trahi poſſunt & ad cæteros contractus.

ARTICULUS I.

De Stipulationibus quæ diem habent.

§ II.

Quando dies aut tempus adjectum videatur in Stipulationibus , & quomodo tempus illud æſtimetur.

LXXXIV.

Dies adjecta videtur , non ſolùm ſi quis expreſsè ſtipuletur talibus Kalendis dari : ſed V. G. Et qui ſic ſtipulatur , QUOD te mihi illis Kalendis dare oportet , id dare ſpondes ? videtur non hodiè ſtipulari , ſeu ſuâ die ; hoc eſt , Kalendis. *l.* 47. ULPIAN. LIB. 50. AD SABIN.

Et hæ quidem aut ſimiles ſtipulationes , diem extrinſecùs adjectam habent.

LXXXV.

At verò Interdum ſtipulatio , ex re ipsâ dilationem capit : veluti ſi id quod in utero ſit , aut fructus futuros, aut domum ædificari ſtipulatus ſit. Tunc enim incipit actio, quum ea per rerum naturam præſtari poteſt. Sic qui Carthagini dari ſtipulatur , quum Romæ ſit ; tacitè tempus complecti videtur , quo perveniri Carthaginem poteſt. Item ſi operas à liberto quis ſtipulatus ſit ; non antè dies earum cedit quàm indictæ fuerint , nec ſint præſtitæ. *l.* 73. PAUL. LIB. 24. AD ED.

Ex loco etiam in quo ſolvendam eſſe pecuniam convenit , dies inducitur.

Hinc Ulpianus. Quotiens autem in obligationibus dies non ponitur , præſenti die pecunia debetur: niſi ſi locus adjectus ſpatium temporis inducat quo illò poſſit perveniri. *l.* 41. § 1. ULP. LIB. 40. AD SABIN.

Dicendum igitur de eo Qui ita ſtipulatur EPHESI DECEM DARI ; ſi ante diem quàm Epheſum pervenire poſſit , agat ; perperàm ante diem agi : quia & Julianus putat, diem tacitè huic ſtipulationi ineſſe. Quare verum puto quod Julianus ait, Eum qui Romæ ſtipulatur HODIE CARTHAGINE DARI , inutiliter (*b*) ſtipulari. *l.* 2. § 6. *ff. de Eo quod cert. loc.* ULP. LIB. 27. AD ED.

LXXXVI.

Quod diximus diem tacitè ineſſe ſtipulationi , quum id quod promiſſum eſt ante certum tempus præſtari non poteſt ; accipi debet de impedimento naturali , non de facultate perſonali.

Hinc Venuleius Illud inſpiciendum eſt, an qui centum dari promiſit , confeſtim teneatur ; an verò ceſſet obligatio donec pecuniam conferre poſſit. Quid ergo ſi neque domi habet, neque inveniat creditorem ? Sed hæc recedunt ab impedimento naturali , & reſpiciunt ad facultatem (*c*) dandi. Eſt autem facultas , perſonæ commodum incommodumque , non rerum quæ promittuntur. Et alioquin (*d*) ſi quis Stichum dari ſpoponderit , quæremus ubi ſit Stichus : aut ſi non multum referre videatur , Epheſi daturum ſe ; an quod Epheſi ſit , quum ipſe Romæ ſit , dare ſpondeat. Nam hoc quoque ad facultatem dandi pertinet : quia in pecuniâ & in Sticho illud commune eſt, quòd promiſſor in præſentiâ dare non poteſt. Et generaliter cauſa difficultatis ad incommodum promiſſoris , non ad impedimentum ſtipulatoris pertinet : incipiat dici eum quoque dare non poſſe, qui alienum ſervum quem dominus non vendat dare promiſerit. *l.* 137. § 4. VENULEIUS LIB. 1. STIPULATION.

LXXXVII.

Quomodo autem æſtimetur illud tempus , quod in pleriſque ſpeciebus ſuprà relatis ineſſe diximus, docet ibidem Venuleius. Quum ita ſtipulatus ſum EPHESI DARI ? ineſt tempus. Quod autem accipi debeat , quæritur ? Et magis eſt ut

(*a*) Si ita ſtipulatus eſſem , Stichum aut Pamphilum *utrum malueris* dabis ; ſtatim atque elegiſſes dare Pamphilum , non eſſet pœnitentiæ locus. Hic autem eſt locus ; ſcilicet *quia diverſa cauſa* , &c.

(*b*) Vide ſuprà N. 37.

(*c*) Confundere non oportet poſſibilitatem ſmpoſſibilitatem-ve præſtandi , ſive impedimentum naturale , cum facultate aut difficultate præſtandi. Poſſibilitas aut impoſſibilitas præſtationis eſt in ipsâ re , quæ ex ſuâ naturâ aut præſtari aut non præſtari poteſt ; & talis impoſſibilitas vitiat ſtipulationem. Difficultas autem præſtationis , non ex ipsâ re proficiſcitur , ſed extrinſecùs ; ſcilicet ex perſonâ promiſſoris , qui non poteſt præſtare quod ab alio præſtari poſſet : & hæc difficultas non vitiat ſtipulationem ; debuit enim promiſſor, quum promitteret , explorare vires ſuas.

(*d*) Senſus eſt : Si impedimentum quod à perſonâ non à naturâ venit , ſpectaretur ; abſurdum ſequeretur : ſcilicet in quâvis ſtipulatione purè conceptâ [putà Stichi] , inquirendum eſſe *Ubi fuerit Stichus* quum ſtipulatio interpoſita eſt ; ut , prout præſens abſens-ve fuerit , ſtipulatio pura eſſet aut diem haberet : quod tamen dici non poſſe , ſtatìm probat Juriſconſultus his verbis ad formam Replicationis compoſitis AUT SI NON ; id eſt ; *Quaſi verò non multùm referre videatur* , &c. Nimirùm ſi hoc dicatur ; ſequeretur nullum fore diſcrimen inter ſtipulationem quâ quis Romæ degens rem quæ Epheſi eſt , dare Epheſi promitteret ; & illam ſtipulationem quâ eamdem rem ſimpliciter promitteret : quod certè dici non poteſt.

Source : BIU Cujas

totam eam rem ad judicem, id est ad virum bonum remittamus; qui æstimet quanto tempore diligens paterfamilias conficere possit, quod facturum se promiserit. Ut qui Ephesi daturum se spoponderit; neque duplomate (*a*), diebus ac noctibus, & omni tempestate contemptâ iter continuari cogatur; neque tam delicatè progredi debeat, ut reprehensione dignus appareat: sed habitâ ratione temporis, ætatis, sexûs, valetudinis; cùm id agat ut maturè perveniat, id est eodem tempore quo plerique ejusdem conditionis homines solent pervenire. Eoque transacto, quamvis Romæ remanserit nec possit Ephesi pecuniam dare, nihilominùs ei rectè condicetur; vel quia per ipsum steterit quominùs Ephesi daret, vel quoniam per alium Ephesi possit dari, vel quia ubique potest solvere. Nam & quod in diem debetur, ante solvi potest; licèt peti non potest. Quòd si duplomate usus aut felici navigatione, maturiùs quàm quisque pervenerit Ephesum; confestim obligatus est: quia in eo quod tempore atque facto finitum est, nullus est conjecturæ locus. *d. l.* 137. § 2.

Item qui insulam fieri spopondit, non utique conquisitis undique fabris, & plurimis operis (*b*) adhibitis; festinare debet; nec rursùs utroque aut altero contentus esse: sed modus adhibendus est; secundùm rationem diligentis ædificatoris, & temporum, locorumque. Item si non inchoetur opus; id tantùm æstimetur, quod in illo intervallo (*c*) effici potuit: transactoque tempore quo insulam consummare oportuerit, si postea ædificetur, liberetur reus, sicut liberatur qui se daturum spopondit, si quandoque tradit. *d. l.* 137. § 3.

LXXXVIII.

Prorogatur autem ex intervallo illud tempus, ob repentinum si qui fortè supervenerit casum. Et ideò hæsitatur, si aliqua pars insulæ facta sit, deinde incendio consumpta sit; an integrum tempus computandum sit rursùs ad ædificandam insulam; an verò reliquum duntaxat expectandum quod deerat? Et verius est, ut integrum ei detur. *l.* 15. POMPON. LIB. 27. AD SABIN.

§ II.

Quem effectum habeat dies adjectus in Stipulatione.

LXXXIX.

Centesimis Kalendis (*d*) dari, utiliter stipulamur; quia præsens Obligatio est, in diem autem dilata solutio. *l.* 46. PAUL. LIB. 2. AD SABIN.

Igitur quamvis subtilitate Juris statim debeatur, quia PRÆSENS *& perfecta est obligatio: cùm tamen id quod in diem debetur, ante diem exigi non possit; patet inefficaciter deberi. Undè absolutè Ulpianus:* Verùm dies adjectus efficit, ne præsenti die pecunia debeatur.

Ex quo apparet diei adjectionem pro reo esse, non pro stipulatore. *l.* 41. § 1. ¶ *verùm.* ULPIAN. LIB. 50. AD SABIN.

XC.

Hinc ante tempus elapsum solvere quidem potest reus, conveniri autem non potest. Et quidem ita obtinet; licèt jam certum esse cœperit, hoc quod in obligationem deductum est, intrà tempus quod adjectum est præstari amplius non posse.

Ita Papinianus in hâc specie: INSULAM intrà biennium illo loco ædificari spondes? Ante finem biennii stipulatio non committitur; quamvis reus promittendi non ædificaverit, & tantùm residui temporis sit quo ædificium extrui non possit. Neque enim stipulationis status, cujus dies certus in exordio fuit, ex post facto mutatur. Idque & in stipulatione Judicio sistendi causâ factâ placuit: scilicet ut ante diem stipulatio non committatur, si certum esse cœperit (*e*) parere stipulationi residuo tempore non posse. *l.* 124. PAPIN. LIB. 2. DEFINIT.

Consonat quod ex Celso docet Pomponius. Si ita stipulatus essem, Abs te domum ædificari; vel heredem meum damnavero insulam ædificare: Celso placet non ante agi posse ex eâ causâ, quàm tempus præteriisset (*f*) quo insula ædificari posset; nec fidejussores dati ante diem tenebuntur. *l.* 14. POMPON. LIB. 5. AD SABIN.

Idem docet Marcellus. Ex hâc stipulatione, INSULAM FULCIRI SPONDES? quando nascatur actio, quæritur? Et utique non est expectandum ut ruat: nec enim nihil stipulatoris interest, fultam potiùs esse quàm non esse. Nec tamen rectè agetur; si nondum præterierit temporis tantùm, quo fulcire potuerit redemptor. *l.* 98. § 1. MARCELL. LIB. 20. DIGEST.

Ab his dissentit Ulpianus: Sabinianorum hâc in re contra Proculeianos sententiam secutus. Ita ille: Planè si INSULAM FULCIRI quis stipulatus sit; non est expectandum ut insula ruat, sic deinde agi possit: nec (*g*) INSULAM FIERI, ut tantùm temporis prætereat, quanto insula fabricari possit. Sed ubi jam cœpit mora faciendæ insulæ fieri; tunc (*h*) agetur, diesque Obligationi cedit. *l.* 72. § 2. ULP. LIB. 20. AD ED.

XCI.

Quædam sunt stipulationes, in quibus summa per plures pensiones diversis diebus solvendas divisa promittitur. Ab hoc autem beneficio dividendæ solutionis excidit promissor, qui summam integram licèt die & loco incongruis obtulit. Ita Cujacius accipiendum censet quod docet Scævola in specie sequenti.

Qui Romæ mutuam pecuniam acceperat, solvendam in longinquâ provinciâ per menses tres (*i*); eamque ibi dari stipulanti spopondisset; post paucos dies Romæ testatò creditori dixit paratum se esse Romæ eam numerare, detractâ eâ summâ quam creditori suo usurarum nomine dederat (*k*). Quæsitum est; cùm in integrum summam quâ stipulatione Obligatus est, obtulerit; an eo loco in quo solvenda promissa est, suâ die (*l*) integra peti posset? Respondit; Posse stipulatorem suâ die ibi ubi solvendum stipulatus est, petere. *l.* 122. SCÆVOLA LIB. 28. DIGEST.

(*a*) DUPLOMATE IRE, *Courir la poste.* Nimirùm *Duplomata* erant codicilli qui dabantur cursu publico utentibus. Cujac. ad h. l.

(*b*) Haloander legit *Operariis.*

(*c*) Cujacius improbat interpretationem Joannis, qui hunc textum sic interpretatur; ut sensus sit, statim à non cœpto opere agi posse in id quanti interest inchoari. Cujacius verò hanc hujus textûs sententiam esse ait; ut, si non inchoetur opus, judex æstimet quanto intervallo fieri potuerit: ut transacto demùm eo tempore sit actio; ita tamen ut si ante litem contestatam opus factum fuerit, reus liberetur.

(*d*) Id est, centesimo mense, vel post centum menses. Qui sub usuris fœnerabantur, solebant stipulari sortem sibi reddi post centum menses: quia, cùm centesima usura vulgaris & legitima esset, & ea usurarum ratio sortem æquaret mense centesimo; jam desinebat sors esse usuraria, aut saltem dubitari poterat an esse desineret. Necdum enim fortè Sabini temporibus pro certo habebatur, usuras per tempora minutim solutas, ad hanc æquatæ sortis computationem non proficere: ut posteà definitum Constitutione Antonini, l. 10. Cod. *de Usuris* [contra quod Justinianus postmodùm statuit l. 29. Cod. *d. tit.*] Undè sedulò cavebant fœneratores ne in longius tempus fœnerarentur, in quod usuræ ampliùs excurrere non possent.

(*e*) Id est, non committatur ex eo quòd jam *certum esse cœperit*, &c. Ergo non committitur, donec transactum sit totum tempus quo pareri potuit.

(*f*) Et quidem totum; licèt jam tantùm temporis effluxerit, ut residuum insulæ ædificandæ apertè non sufficiat.

(*g*) Id est; *nec* in illâ stipulatione INSULAM FIERI, expectandum *ut tantùm temporis*, &c.

(*h*) Joannes Ulpianum cum Marcello & Celso sic conciliare tentat; ut ex Marcelli & Celsi sententiâ, ante tempus quo ædificium perfici potuit, denegandæ quidem sit actio in id quod interfit ædificium non esse consummatum: at saltem dari debeat ex sententiâ Ulpiani, in id quod interfit non esse inchoatum. Quæ conciliatio à Cujacio improbatur ad sup. d. l. 14. Hic potiùs occurrit vera antinomia, ex dissentientibus Jurisconsultorum sententiis; inter quos, licèt Papinianus stet cum Marcello & Celso, præferenda tamen aliquatenùs videtur sententia Ulpiani.

(*i*) Id est, tribus pensionibus per singulos menses. Ita Græci. Rectior ergo hæc lectio Florentina, quam Vulgata & Haloandrina quæ habent *post tres menses.*

(*k*) Interdum qui pecuniam mutuabantur sub usuris, certâ die solvendam; usuras quæ ad hanc diem currere debebant, prorogabant creditori: [*Ils avançoient le paiement des interêts*].

(*l*) Primo mense.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS II.

De Stipulationibus quæ conditionem habent.

§ I.

Quando Stipulatio ſub conditione contracta videatur.

XCII.

Sub conditione contracta ſtipulatio videtur, quum in aliquem futurum eventum confertur. Enimverò Quum ad præſens tempus conditio confertur, ſtipulatio non ſuſpenditur : & ſi conditio vera ſit, ſtipulatio tenet; quamvis tenere contrahentes conditionem ignorent : veluti, Si Rex Parthorum vivit, centum millia dare ſpondes ? Eadem ſunt, & quum in præteritum conditio confertur. *l.* 37, *ff. de Reb. cred.* PAPIN. LIB. 1. DEFINIT.

Reſpiciendum enim eſſe (*a*) an, quantùm in naturâ hominum ſit, poſſit ſcire eam (*b*) debituiri. *l.* 38. *ff. d. tit.* SCÆVOLA LIB. 1. QUÆST.

Itaque tunc poteſtatem conditionis obtinet, quum in futurum confertur. *l.* 39. *ff. d. tit.* PAPINIAN. LIB. 1. DEFINITION.

Pariter Modeſtinus. Conditio in præteritum, non tantùm in præſens tempus relata, ſtatim aut perimit obligationem aut omninò non differt. *l.* 100. MODESTIN. LIB. 8. REGULAR.

Igitur Si ita ſtipulatus fuero, HANC ſummam centum aureorum (*c*) dari ſpondes ? etſi maximè (*d*) ita exaudiatur ille ſermo, ſi modò centum aureorum eſt ; non facit conditionem hæc adjectio : quoniam ſi centum non ſint, ſtipulatio nulla (*e*) eſt. Nec placuit inſtar habere conditionis, ſermonem qui non ad futurum, ſed ad præſens tempus refertur ; etſi contrahentes rei veritatem ignorant. *l.* 120. PAPIN. LIB. 37. QUÆST.

XCIII.

Hactenùs de conditionibus in præſens aut præteritum collatis.

Ea autem quæ in futurum collata eſt, ita efficit conditionalem ſtipulationem ; ſi ex illâ conditione promittatur, non ſi uſque ad illam conditionem.

Hinc Quia ita ſtipulatur, DECEM quoad vivam dari ſpondes ? confeſtim decem rectè dari petit. Sed heres ejus, exceptione Pacti conventi ſummovendus eſt : nam ſtipulatorem id egiſſe ne heres ejus peteret, palàm eſt. Quemadmodum is qui uſque in Kalendas dari ſtipulatur, poteſt quidem etiam poſt Kalendas (*f*) petere; ſed exceptione Pacti ſummovetur. Nam & heres ejus cui ſervitus prædii ita conceſſa eſt, ut, Quoad viveret jus eundi haberet ; Pacti conventi exceptione ſummovebitur. *l.* 56. § 4. JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

XCIV.

Cave etiam pro conditione accipias, hanc clauſulam quæ ſtipulationibus quandoque inſeritur, QUUM PETIERO, QUUM PETIERIS, *&c.*

Nam V. G. Si decem, QUUM PETIERO, dari fuero ſtipulatus; admonitionem magis quamdam quò celeriùs reddantur & quaſi ſine morâ, quàm conditionem habet ſtipulatio. Et ideò, licèt deceſſero priùs quàm petiero, non videtur defeciſſe conditio. *l.* 48. ULPIAN. LIB. 26. AD ED.

Hinc Scævola. Si ita quis promiſerit, Decem tibi dabo QUA DIE PETIERIS, & eorum uſuras in dies triginta ; quæro, uſuræ utrùm ex die ſtipulationis, an ex die quâ petita ſors fuerit debeantur ? Reſpondit ; Secundùm ea quæ proponerentur, ex die ſtipulationis deberi (*g*) : niſi aliud actum manifeſtè probaretur. *l.* 135. SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS

Item quæſitum eſt, quando pecuniam reddere debebo (*h*) QUUM PRIMUM PETIERIT ? Reſpondit ; Verba quæ proponerentur; ex die quo ſtipulatio facta eſſet initium capere. *d. l.* 135. § 1.

XCV.

De quibuſdam clauſulis dubitatur an conditionem faciant, an contineant duntaxat demonſtrationem undè ſolvatur quod promittitur.

In ſpecie ſequenti magis exiſtimatur conditio eſſe.

Hanc ita refert Julianus. Veriſimile eſt eum qui fructum olivæ pendentis vendidiſſet, & ſtipulatus eſt (*i*) Decem pondo olei quod natum eſſet; pretium conſtituiſſe ex eo quod natum eſſet, uſque ad decem pondo olei. Idcircò ſolis quinque collectis, non ampliùs emptor petere poteſt quàm quinque pondo olei quæ collecta eſſent : à pleriſque reſponſum eſt. *l.* 39. § 1. *ff. de Contrah. empt.* JULIAN. LIB. 15. DIGEST.

XCVI.

Obſervandum ſupereſt ; quaſdam eſſe ſtipulationes quibus tacitè adjecta conditio intelligitur.

Hujus rei argumentum, etiam ſtipulatio dotis causâ facta, eſt. Nam ante nuptias malè petitur, quaſi ſi hoc expreſſum fuiſſet (*k*), & nuptiis non ſecutis, ipſo Jure evaneſcit ſtipulatio. Idem Juliano placet. *l.* 4. § 2. *ff. de Pactis.* PAUL. LIB. 3. AD ED.

Ex facto etiam conſultus ; Quum conveniſſet ut donec uſuræ ſolverentur, ſors non peteretur : & ſtipulatio purè concepta fuiſſet : Conditionem (*l*) ineſſe ſtipulationi, atque ſi hoc expreſſum fuiſſet. *d. l.* 4. § 3.

§ II.

Quæ conditio adjici poſſit necne.

XCVII.

Quædam conditiones adjici non poſſunt, & adjectæ ſtipulationem vitiant.

Et 1°. *Illa conditio vitiat ſtipulationem, quæ confertur in id tempus quo res in Obligationem deduci non poſſit. Hinc V. G.* Nemo rem ſuam futuram, in eum caſum quo ſua ſit (*Florent.* quâ ſua ſit) utiliter (*m*) ſtipulatur. *l.* 87. PAUL. LIB. 75. AD ED.

XCVIII.

2°. Item ſub impoſſibili conditione factam ſtipulationem, conſtat inutilem eſſe. *l.* 1. § 11. *ff. de Oblig. & act.* GAIUS LIB. 2. AUREOR.

Et Non ſolùm ſtipulationes impoſſibili conditioni applicatæ, nullius momenti ſunt ; ſed etiam cæteri quoque contractus, veluti emptiones, locationes, impoſſibili conditione interpoſitâ, æquè nullius momenti ſunt : quia in eâ re quæ ex duorum plurium-ve conſenſu agitur omnium voluntas ſpectetur ; quorum procul dubio in hujuſmodi actu talis cogitatio eſt, ut nihil agi exiſtiment appoſitâ eâ conditione quam ſciant eſſe impoſſibilem (*n*). *l.* 31. *ff. d. tit.* MÆCIANUS LIB. 2. FIDEICOMMISSORUM.

(*a*) Non, an contrahentes ſciverint ; ſed *an, quantùm, &c.*

(*b*) Pecuniam.

(*c*) *Hanc ſummam* quæ in conſpectu eſt.

(*d*) Id eſt ; *etſi maximè* adſint circumſtantiæ quæ ſuadeant ut exaudiatur ſic ille ſermo, *Si modò centum aureorum ſit* ſumma. Cæterùm regulariter non ita intelligitur ille ſermo : vide l. 108. § 10. ff. *de Legatis* 1°. ſuprà lib. 35. Tit. *de Cond. & dem.* N. 231.

(*e*) Non ſuſpenditur Obligatio : ſed aut ſtatim valet ; ſi reverà ſumma quæ in conſpectu erat, centum continebat ; aut ſtatim nulla eſt, ſi non erant centum.

(*f*) Nam tempus non eſt modus ſolvendæ obligationis : ut vid. ſuprà lib. præced. Tit. *de Oblig. & act.* N. 33.

(*g*) Ut enim ſortis, ita & uſurarum ſtipulatio pura eſt ; & hæc verba *Quâ die petiero*, magis admonitionem quàm conditionem continent.

(*h*) In eâ ſpecie quâ quis ita ſtipulatus eſt ; *Quum primùm petierit, dari.*

(*i*) Paſſivè accipe, id eſt ſtipulanti promiſit : ut obſervat Cujacius ad h. l. in *Comm.* ad Julian. *Stipulari enim promittere eſt, ex Verbis Juriſconſultorum* : iſidor. Origin. X. Litt. *S.*

(*k*) Id eſt, quaſi in ſtipulatione *De dote dandâ* hæc conditio expreſſa fuiſſet, SI NUPTIÆ *ſequantur.* Cauſa enim ſtipulationis facit ut tacitè hæc conditio adjecta videatur.

(*l*) In ſtipulatione *de Reddendâ ſorte*, videtur adjecta conditio SI USURÆ SOLVI DESIERINT.

(*m*) Nemo enim rem ſuam ſtipulatur utiliter : ſuprà N. 36.

(*n*) Aliter obſervatur in ultimis voluntatibus : ſuprà lib. 35. Tit. *de Condit. & dem.* N. 22. & ſeq. propter favorem ultimarum voluntatum.

Source : BIU Cujas

Scilicet Impossibilis conditio, quum in faciendum concipitur, stipulationibus obstat.

Aliter atque si talis conditio inseratur stipulationi, SI IN CŒLUM NON ASCENDERIT: nam utilis & præsens est, & pecuniam creditam continet. *l.* 7. ULP. LIB. 6. AD SABIN.

Conditio autem impossibilis intelligitur, non solùm si naturâ, sed & si Jure sit impossibilis. Igitur Quum quis sub hâc conditione stipulatus sit; Si rem sacram aut religiosam Titius vendiderit, vel forum aut basilicam, & hujusmodi res quæ publicis usibus in perpetuum relictæ sint; ubi omninò conditio jure impleri non potest, vel id facere ei non liceat; nullius momenti fore stipulationem; proindè ac si ea conditio quæ naturâ impossibilis est, inserta esset. Nec ad rem pertinet, quòd jus mutari potest: & id quod impossibile est, postea possibile (*a*) fieri. Non enim secundùm futuri temporis jus, sed secudùm præsentis æstimari debet stipulatio. *l.* 137. § 6. VENULEIUS LIB. 1. STIPULATIONUM.

XCIX.

3°. *Illa conditio vitiat stipulationem, quæ confertur in merum promissoris arbitrium. Ita Ulpianus:* Stipulatio non valet, in rei promittendi arbitrium (*b*) collatâ conditione. *l.* 17. ULP. LIB. 76. AD SABIN.

Item Javolenus. Nulla promissio potest consistere, quæ ex voluntate promittentis statum cepit. *l.* 108. § 1. JAVOLEN. LIB. 28. EPISTOL.

Hinc Pomponius. Sub hâc conditione SI VOLAM, nulla fit obligatio: pro non dicto enim est, quod dare nisi velis, cogi non possis. Nam nec heres promissoris ejus qui nunquàm dare voluerit, tenetur: quia hæc conditio in ipsum promissorem unquàm extitit. *l.* 8. *ff. de Obligat. & act.* POMPON. LIB. 16. AD SABIN.

Pariter Paulus. Illam autem stipulationem SI VOLUERIS dari; inutilem esse constat. *l.* 46. § 3. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

Quòd Si ita stipulatus fuero, QUUM VOLUERIS; quidam inutilem esse stipulationem aiunt: alii ita inutilem, si antequàm constituas, morieris. Quod verum (*c*) est. *d. l.* 46. § 2.

C.

At contrà in arbitrium tertiæ personæ, dubium non est conferri stipulationem posse.

Igitur Si quis arbitratu (putà) Lucii-Titii restitui sibi stipulatus est; deindè ipse stipulator moram fecerit, non tenetur. Quid ergo si ipse qui arbitrari debuit, moram fecerit? Magis probandum est, à personâ non esse recedendum ejus cujus arbitrium insertum est. *l.* 43. ULP. LIB. 76. AD SABIN.

Et ideò si omninò non arbitretur, nihil valet stipulatio (*d*); adeò ut &, si pœna adjecta sit, ne ipsa quidem committatur. *l.* 44. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

CI.

Jure Pandectarum, sub hâc conditione POST MORTEM SUAM dari sibi nemo stipulari poterat: non magis quàm post ejus mortem à quo stipulabatur. *Institut. de Inut. stipul.* § 13.

Scilicet impedimento erat vetus Juris regula; AB HEREDIBUS INCIPERE ACTIONES VEL CONTRA HEREDES non posse, quæ à defuncto vel contra defunctum competere non cœpissent (*e*) *Quam Justinianus abrogavit: l. un. Cod.* Ut action. & ab hered.

Hodie igitur ex Constitutione Justiniani valent stipulationes in quibus quis POST MORTEM SUAM, *aut* PRIDIE QUAM MORIATUR, *dari aut fieri stipulatur aut promittit. l.* 11. *Cod.* de Contrah. stipulat.

CII.

At semper valuit stipulatio quâ quis, QUUM MORERETUR, *stipularetur aut promitteret; quia mortis tempus extremo vitæ momento adscribitur.*

Et Non solùm ita stipulari possumus, QUUM MORIERIS; sed etiam, SI MORIERIS. Nam sicuti inter hæc nihil interest QUUM VENERIS, aut SI VENERIS: ita nec ibi interest, Si morieris, & QUUM morieris. *l.* 45. § 3. ULP. LIB. 50. AD SABIN.

Et Sicuti QUUM MORIETUR quis stipulari potest; ita etiam hi qui subjecti sunt alienæ potestati, QUUM MORIENTUR (*f*) stipulari possunt. *d. l.* 45. § 1.

Non tamen quidvis sub tali conditione in stipulatum deduci poterat.

V. G. Id autem quod in facto est, in mortis tempus conferri non potest; veluti (*g*) QUUM MORIERIS Alexandriam venire spondes? *l.* 46. § 1. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

CIII.

Jure Pandectarum hæc conditio stipulationem vitiat, quæ eam præposteram faceret: ut si quis sic stipuletur, SI NAVIS CRAS VENERIT, HODIE DARE SPONDES?

Ita demùm autem præposteræ est stipulatio, si promittitur dari eo tempore quod ante conditionem præteriit; non si hujus temporis ante conditionem elapsi, pensiones post tempus conditionis præstandæ promittantur. Hinc Africanus. Hujusmodi stipulatio interposita est: SI TITIUS CONSUL FACTUS FUERIT, tùm EX HAC DIE in annos singulos dena dari spondes? Post triennium conditio extitit: an hujus temporis nomine agi possit, non immeritò dubitabitur? Respondit, Eam stipulationem utilem esse; ita ut in eâ, eorum quoque annorum qui ante impletam conditionem interceserint, præstatio in id tempus collata intelligatur: ut sententia ejus sit talis; TUNC QUUM Titius Consul factus fuerit, in annos singulos, etiam præteriti temporis habitâ ratione, dena præstentur. *l.* 64. AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

Item Paulus. Si ita stipulatus fuero; Si Titius Consul factus fuerit, tunc ex hâc die in annos singulos dena dare spondes? post triennium conditione existente, triginta peti potuerunt. *l.* 126. PAUL. LIB. 3. QUÆST.

Jure autem Justinianeo, etiam præposteræ stipulationes valent: ut vid. Instit. Tit. de Inutil. stipul. § 14.

§ III.

Quando conditio extitisse intelligatur.

CIV.

Conditio quæ in aliquo facto aut eventu posita est, extitisse intelligitur quum id evenit quod in conditione positum erat.

(*a*) Putà; si locus ex sacro aut religioso fiat prophanus.

(*b*) *Merum* scilicet. Duo enim sunt contraria, ut obliger ad aliquid, & ut illud mero meo arbitrio permittatur. Obligatio enim est vinculum quo necessitate adstringimur. Hæc ratio cessat, si non in merum arbitrium promissoris conferatur, sed tanquam in arbitrium boni viri: non enim pendet hoc casu an debeat; cùm arbitrari debeat quod vir bonus arbitraretur: adeòque valet stipulatio in tale arbitrium collata; quemadmodum & circa legata dictum est, sup. d. Tit. *de Cond. & dem.* N. 53.

(*c*) Scilicet hæc species differt à præcedenti; quia in præcedenti confertur expresè in arbitrium promissoris an debeat: quod naturæ Obligationis adversatur. In hâc autem specie non confertur expresè in arbitrium promissoris an debeat, sed quando; quod diversum est. Fit quidem & in hac specie ut indirectè pendeat à promissore an debeat, scilicet si nunquam voluerit; sed frequens est in Jure, ut quæ expressa nocerent, non expressa & indirecta non noceant. Favore ultimarum voluntatum aliter hæc conditio accipitur in legatis: legato enim sub tali conditione relicto; conditio pro impletâ habetur, si decesserit antequàm voluerit.

(*d*) Secùs in ultimis voluntatibus. In his enim tale arbitrium, conditionem non facit, & accipitur pro arbitrio boni viri cujusque: d. Tit. *de Condit. & dem.* N. 73.

(*e*) Ratio erat, quòd heres nihil aliud sit quàm successor in universum jus defuncti; non possit autem succedere in jus quod defunctus non habuit. In specie quidem cæterarum conditionum, stipulatio heredi aut adversùs heredem committitur; quamvis conditio post mortem stipulatoris promissoris-ve extiterit; verùm ita obtinet, quia conditio retrotrahitur ad tempus contractûs: & sic videtur obligatio ex tempore contractûs, adeòque vivo stipulatore aut promissore ab ipsis cœpisse. At conditio POST MORTEM, hujus naturæ est ut non possit retrotrahi, & conjungi cum tempore contractûs: nemo enim per rerum naturam intelligi potest contraxisse post mortem suam.

(*f*) Hi quorum in potestate sunt.

(*g*) Solet hæc lex limitari ad ea demum facta quæ per ipsam promissoris personam implenda sunt; quale est profectio promissoris, in exemplo hîc allato. Secùs obtinet circa ea facta quæ promissor per alium implere potest. Pacius VII 30.

Source : BIU Cujas

Et quidem regulariter, ſive ante ſive poſt mortem contrahentium id evenerit. Hinc Julianus; Si quis, SI Titius Conſul factus erit, decem dari ſpoponderit; quamvis pendente conditione promiſſor moriatur (*a*), relinquet heredem obligatum. *l.* 57. JULIAN. LIB. 53. DIGEST.

At ſi tempus intrà quod conditio exiſtere debeat, præfinitum eſt, ſive expreſsè ſive tacitè; nonniſi intrà illud tempus conditio utiliter exiſtere poteſt.

Tale tempus ſubaudiendum in hâc ſpecie. Agerius filius-familias ſervo Publii-Mævii ſtipulanti ſpopondit, ſe daturum quidquid patrem ſuum Publio-Mævio debere conſtitiſſet. Quæſitum eſt, patre defuncto antequàm conſtitiſſet quid quantumque deberet: an, ſi adversùs heredem ejus actum fuiſſet alium-ve ſucceſſorem, & de debito conſtitiſſet, Agerius teneatur? Reſpondit; Si conditio non extitiſſet (*b*) ſtipulationem non commiſſam. *l.* 122. § 4. SCÆVOLA LIB. 28. DIGEST.

Interdum tamen ex mente contrahentium colligitur, ut paulò poſt elapſum tempus præfinitum adhuc utiliter conditio exiſtere poſſit: ut in hâc ſpecie. Seia cavit Lucio-Titio, quòd mandante eo hortos emiſſet; quum pretium omne cum uſuris ab eo recepiſſet, ſe in eum proprietatem hortorum tranſlaturam. Deinde in continenti inter utrumque convenit; ut intrà Kalendas Apriles primas, univerſam ſummam mandator numeratet, & hortos acciperet. Quæritur, cùm ante Kalendas Apriles non omne pretium cum uſuris à Lucio-Titio Seiæ ſolutum ſit; interpoſito tamen modico tempore, reliquum pretium cum uſuris Seiæ Titius ſolvere paratus fuerit; neque Seia accipere voluit; & uſque in hodiernum per Titium non ſtet, quominùs reliquum ſolveret: an, ſi nihilominùs Lucius-Titius Seiæ univerſam pecuniam ſolvere paratus ſit, Ex ſtipulatu agere poſſit? Reſpondit, Poſſe; ſi non multò poſt obtuliſſet, nec mulieris quicquam propter eam moram intereſſet: quod omne ad judicis cognitionem remittendum eſt. *l.* 135. § 2. SCÆVOL. LIB. 5. RESPONS.

C V.

Quòd ſi conditio IN NON FACIENDO, *poſita ſit; vel tempus adjectum habet, vel non. Si tempus adjectum habet; tunc demùm exiſtit, quum certum eſſe cœperit non fore intrà illud tempus id quod in conditione poſitum eſt.*

Hinc Pomponius. Hoc Jure utimur ut ex hâc ſtipulatione, Si Lucius-Titius ante Kalendas Maias in Italiam non venerit, decem dare ſpondes? non antè peti quicquam poſſit; quàm exploratum ſit, ante eam diem in Italiam venire Titium non poſſe, neque veniſſe; ſive vivo ſive (*c*) mortuo id acciderit. *l.* 10. POMPON. LIB. 3. AD SABIN.

Idem ait. Si ſtipulatus hoc modo fuero; SI INTRA BIENNIUM CAPITOLIUM NON ASCENDERIS, dari? non niſi præterito biennio (*d*) rectè petam. *l.* 27. § 1. IDEM LIB. 22. AD SABIN.

Pariter Celſus. Si ſtipulatus hoc modo fuero; Si intrà biennium Capitolium non aſcenderis, dari? nonniſi præterito biennio rectè petam. Nam etſi ambigua (*e*) verba ſunt, ſic tamen exaudiuntur; ſi immutabiliter verum fuerit, te Capitolium non aſcendiſſe. *l.* 99. § 1. CELSUS LIB. 36. DIGEST.

(*a*) Nec obſtat Juris regula: *Obligatio quæ non cœpit à defuncto, &c.* Vide ſuprà N. 101. Not. (*e*).

(*b*) Senſus eſt; ſi hoc actum eſſet, ut vivo patre hoc liquere deberet.

(*c*) *Sive vivo*; quia aut Kalendæ præterierunt; aut non ſatis ſuperſit temporis ut ante Kalendas poſſit venire: *ſive mortuo*; quia, cùm mortuus ſit, jam certum eſt eum non venturum. Aliter Wiſſenbachius Coraſium ſecutus interpretatur. Cenſet enim in hâc ſpecie, non poſſe peti ante Calendas; licèt ante Calendas exploratum eſſe cœperit Titium non venturum, putà ſi mortuus fuerit. Duo enim copulatè requiri; ſcilicet, & ut exploratum ſit Titium venire non poſſe, & ut reverà non venerit intrà Calendas: adeòque Calendas omninò expectandas: & quidem expectandas, *ſive vivo ſive mortuo* eo *acciderit* ut exploratum eſſet venire non poſſe.

(*d*) Nam adhuc ultimâ die Biennii fieri poteſt ut aſcendat.

(*e*) In quo *ambigua?* Quia fortè quis ita ea accipere potuiſſet, *Si caveris te non aſcenſurum.* Quamvis interpretationem & quamvis aliam reprobat, præter illam SI *immutabiliter*, &c.

(*f*) Putà, SI *penum heres non dederit, centum dare damnas eſto.*

C VI.

Quòd ſi conditio In non faciendo *tempus adjectum non habeat; hoc caſu lis fuit inter diverſæ Scholæ auctores, quando extitiſſe cenſeri deberet: quam ita dirimit Papinianus.* Item ſi quis ita ſtipuletur: Si Pamphilum non dederis, centum dare ſpondes? Pegaſus reſpondit; Non ante committi ſtipulationem, quàm ſiiſſet poſſe Pamphilus dari. Sabinus autem exiſtimabat, ex ſententiâ contrahentium, poſtquàm homo potuit dari, confeſtim agendum; & tandiù ex ſtipulatione non poſſe agi, quandiù per promiſſorem non ſtetit quominùs hominem daret. Idque defendebat exemplo penûs legatæ (*f*): Mucius etenim heredem, ſi dare potuiſſet penum nec dediſſet, confeſtim in pecuniam legatam teneri ſcripſit; idque utilitatis causâ receptum eſt ob defuncti voluntatem, & ipſius rei naturâ. Itaque poteſt Sabini ſententia recipi, ſi ſtipulatio non à conditione cœpit; veluti SI PAMPHILUM NON DEDERIS, TANTUM DARE SPONDES? ſed ita concepta ſit ſtipulatio; PAMPHILUM DARE SPONDES? SI NON DEDERIS, TANTUM DARI SPONDES? Quod ſine dubio verum erit; quum id actum probatur ut, ſi homo datus non fuerit, & homo & pecunia debeatur. Sed & ſi ita cautum ſit, ut ſola pecunia non ſoluto homine debeatur; idem defendendum erit: quoniam fuiſſe voluntas probatur, ut homo ſolvatur, aut pecunia petatur. *l.* 115. § 2. PAPIN. LIB. 2. QUÆST.

In ſpecie autem ſequenti in quâ ſtipulatio à conditione cœpit, ſententiam Proculeianorum ſequitur Papinianus. Ita ille: Sed & ſi ita ſtipulatus fuero; Si in Capitolium non aſcenderis (*g*), vel Alexandriam non ieris, centum dari ſpondes? non ſtatim committetur ſtipulatio, quamvis Capitolium aſcendere, vel Alexandriam pervenire potueris (*h*): ſed quum certum eſſe cœperit te Capitolium aſcendere, vel Alexandriam ire non poſſe. *d. l.* 115. § 1.

Item Pomponius in hâc ſpecie: Si Titius & Seius ſeparatim ita ſtipulati eſſent; FUNDUM illum ſi illi non dederis, mihi dare ſpondes? finem dandi alteri fore, quoad judicium acciperetur (*i*); & ideò occupantis (*k*) fore actionem. *l.* 9. POMPON. LIB. 2. AD SABIN.

C VII.

Obſervandum ſupereſt, conditionem quamlibet pro impletâ haberi, quum factum eſt per promiſſorem ne impleretur.

Hinc Paulus. Quicumque ſub conditione obligatus curaverit ne conditio exiſteret, nihilominùs obligetur. *l.* 85. § 7. PAUL. LIB. 75. AD ED.

Vide plura, ſuprà lib. 35. *Tit.* de Cond. & demonſtr.

§ IV.

Quid proprium ſit Stipulationibus quæ conditionem habent; & in quo conditio à die certâ differat, aut cum eâ conveniat.

C VIII.

Stipulationibus quæ conditionem habent, hoc proprium eſt; ut, donec conditio extiterit, in ſuſpenſo ſint, nondumque ex his quicquam debeatur. Et in hoc conditio differt

(*g*) Frequens apud Romanos in conditionibus mentio Capitolii, in quod ſcilicet aſcendebant ſacrificaturi aut votum exoluturi.

(*h*) Et id non feceris. Accurſ.

(*i*) Hoc non diſſonat à ſententiâ Proculianorum. Quum enim Titius litem conteſtatus eſt, deſinit Seio dari poſſe; adeòque exiſtit conditio ſtipulationis à Titio interpoſitæ SI *Seio non dederit.* Dices: Titius egit ante conditionem exiſtentem, adeòque perperàm egit. Reſpondeo: imò fecit agendo, ut conditio exiſteret.

(*k*) Ex duabus illis ſeparatis ſtipulationibus, unica duntaxat obligatio unica, duntaxat actio ad hunc fundum conſequendum naſci poteſt; quæ ex illi ſtipulatoribus competit, qui priùs agendo eam occupat, adeòque alterum excludit. Malè opponi ſolet quòd in actionibus *Noxalibus* & *De peculio*, is potior ſit, non qui prior egit, ſed qui prior ad Sententiam pervenit. Nulla etenim paritas. Ibi namque non quæritur quis potior eſſe debeat in actione, cùm ſingulis ſua actio competat, ſed quis potior eſſe debeat in actionis executione. In hâc verò noſtrâ ſpecie, quæritur cui potiùs actio competat: & certò competere debet ei qui eam, dum prior agit, occupavit.

Source : BIU Cujas

à die certo, quì moratur duntaxat exactionem, non verò ſuſpendit Obligationem.

Hinc Julianus. Inter incertam certamque diem diſcrimen eſſe, ex eo quoque apparet; quòd certâ die promiſſum, vel ſtatim dari (*a*) poteſt: totum enim medium tempus ad ſolvendum, liberum promiſſori relinquitur. Et (*Pro* At) qui promiſit, SI ALIQUID FACTUM SIT, vel QUUM ALIQUID FACTUM SIT, niſi, quum id factum fuerit, dederit; non videbitur feciſſe quod promiſit (*b*) *l.* 38. § 16. ULP. LIB. 49. AD SABIN.

C I X.

Hoc autem dies incerta ſeu conditio, & dies certa; commune habent; quòd Quotiens in diem vel ſub conditione oleum (*V. G.*) quis ſtipulatur, ejus æſtimationem eo tempore ſpectari oportet quo dies Obligationis venit: tunc enim ab eo peti poteſt. Alioquin, aliàs (*c*) rei captio erit. *l.* 59. JULIAN. LIB. 88. DIGEST.

Idem erit, & ſi Capuæ certum olei pondo dari quis ſtipulatus ſit. Nam ejus temporis ſit æſtimatio, quum peti poteſt. Peti autem poteſt, quo primùm in locum perveniri potuit. *l.* 60. ULP. LIB. 20. AD ED.

§ V.

Quum plures conditiones adjectæ ſunt, an omnes extitiſſe oporteat.

C X.

Intereſt an disjunctim an conjunctim conditiones adſcriptæ ſint.

Si disjunctim, unam exiſtere ſatis eſt. Hinc V. G. Si quis ita ſtipuletur; SIVE navis ex Aſiâ venerit, ſive Titius Conſul factus fuerit: utra priùs conditio extitiſſet, ſtipulatio committetur; & ampliùs committi non poteſt. Sedenim, cùm ex duabus disjunctivis conditionibus altera defecerit; neceſſe eſt ut ea quæ extiterit, ſtipulationem committat. *l.* 63. AFRICAN. LIB. 6. QUÆST.

Contrà obtinet, quum plures conditiones conjunctim adjectæ ſunt.

Hinc Si quis ita ſtipulatus fuerit; DECEM aureos das, ſi navis venit, & Titius Conſul factus eſt? non aliàs dabitur, quàm ſi utrumque factum ſit. Item in contrarium: DARE ſpondes, ſi nec navis venit, nec Titius Conſul factus ſit? exigendum erit ut neutrum factum ſit. Huic ſimilis ſcriptura eſt, SI NEQUE navis venit, neque Titius Conſul factus eſt? At ſi ſic; DABIS ſi navis venit, aut Titius Conſul factus ſit? ſufficit unum factum. Et contrà, DABIS ſi navis non venit, aut Titius Conſul factus non eſt? ſufficit unum non factum. *l.* 129. SCÆVOLA LIB. 12. QUÆST.

(*a*) Cùm enim exactionem duntaxat differat dies certus, non verò ſuſpendat Obligationem; ſequitur ante eum diem deberi, adeòque rectè ſolvi.

(*b*) Tunc demùm *non videbitur*, *&c.* Anteà verò id quæreretur inutiliter, nec enim poteſt ſolvi, quod [nondum exiſtente conditione] nondum debetur.

(*c*) *Aliàs*, id eſt, interdum Reus caperetur ſeu deciperetur, & dies [quæ in ejus gratiam adjecta eſt] ipſi foret captioſa; putà ſi fortè res minoris eſſet tempore quo dies venit, quam quo contraxit.

(*d*) Ex hoc articulo TUM, dies ſtipulationi oppoſita videtur. Si non inſertus eſſet hic articulus; dies conditioni duntaxat, non ſtipulationi adjecta videretur: ut ſuprà vidimus.

(*e*) Nec ex quo certum eſſe cœperit, non fore perfectum ante Kalendas Martias.

(*f*) Ratio dubitandi eſt, quia certò jam conditio extitit; morte enim Stichi certum eſſe cœpit eum non datum iri.

ARTICULUS III.

De Stipulationibus quæ & diem & conditionem habent.

C X I.

Stipulationes diem & conditionem habent, quum dies non conditioni duntaxat, ſed ipſi ſtipulationi addita eſt: quod maximè demonſtrat particula TUM. Eo autem caſu ut peti poſſit, non ſufficit conditionem extitiſſe, niſi etiam dies elapſa ſit.

Hinc Si quis ſtipulatus ſit; SI ANTE Kalendas Martias primas opus perfectum non erit, TUM (*d*) quanti id opus erit, tantam pecuniam dari? Diem promiſſionis cedere, non ex quo locatum eſt opus (*e*), ſed poſt Kalendas Martias: quia nec conveniri ante Kalendas Martias reus promittendi poterat. *l.* 72. § 1. ULP. LIB. 20. AD ED.

Hoc adhuc apertiùs docet Paulus. In illâ ſtipulatione, Si Kalendis Stichum non dederis, decem dare ſpondes? mortuo homine quæritur, an ſtatim ante Kalendas agi (*f*) poſſit? Sabinus, Proculus, expectandum diem actori putant: quod eſt verius. Tota enim Obligatio ſub conditione, & in diem collata eſt: & licèt ad conditionem (*g*) committi videatur, dies tamen ſupereſt (*h*). *l.* 8. PAUL. LIB. 2. AD SABIN.

C X I I.

Dies autem conditioni inutili addita, nec ſtipulationi addita videtur.

Hinc ſtatim ſubjungit Paulus: Sed cum eo qui ita promiſit, SI INTRA KALENDAS DIGITO CŒLUM NON TETIGERIT, agi protinùs poteſt. Hæc & Marcellus probat. *d. l.* 8. ¶ *ſed cum eo.*

(*g*) Cujacius Obſerv. I. 22. pro *ad conditionem*, legem cenſet *ante diem conditio*, mendumque accidiſſe ex ſimilitudine ſiglorum *A. D. C.*

(*h*) Nam in hâc ſtipulatione SI *Kalendis Stichum non dederis*; cùm certâ die conditio impleri debeat, dies cum conditione ipſi ſtipulationi adjecta videtur. In illis verò conditionibus SI *ante Kalendas non dederis*; cùm totum præcedens tempus conditioni implendæ relinquatur, nec ulla certa dies quâ impleri deheat aſſignetur; non videtur ſtipulatio diem habere. Ita Pacius VIII 26. h. l. conciliat cum l. 10. ſuprà N. 105.

Aliter Coraſius & Wiſſenbachius. Suprà dictam enim l. 10. alio prorsùs ſenſu quàm notavimus [ſecuti Duarenum, Donellum, alioſque] volunt intelligi: in eâ nempè, ſicut & in h. l. 8. non ſufficere jam exploratum eſſe Titium ante Kalendas venire non poſſe; ſed, ut peti poſſit, oportere inſuper elapſum eſſe tempus. Id colligunt ex hâc geminatione quæ in d. l. 10. reperitur, *Exploratum ſit venire non poſſe, neque veniſſe.*

TERTIA PARS.

De interpretatione Stipulationum.

Ad ſtipulationum interpretationem pertinent Regulæ illæ generales de conventionum interpretatione; quas, utpotè non ſtipulationibus proprias, ſed omnibus conventionibus communes, collocavimus ſuprà lib. 2. *Tit.* de Pactis, *in quo de conventionibus in genere agitur.*

Hîc igitur eæ duntaxat regulæ exponendæ ſuperſunt, quæ pertinent ad ſpecialem quarumdam ſingularium ſtipulationum interpretationem; aut quarumdam clauſularum quæ his inſeri ſolent.

ARTICULUS I.

De interpretatione quarumdam ſingularium Stipulationum.

§ I.

De Stipulationibus, HABERE licere, UTI, IRE, licere.

Circa has ſtipulationes id potiſſimùm quæritur, quando committantur.

Et

Source : BIU Cujas

CXIII.

Et quidem quod ad ſtipulationem HABERE LICERE; *non ſolùm ſi de proprietate, ſed &* Si quis fortè non de proprietate, ſed de poſſeſſione nudâ controverſiam fecerit, vel de uſufructu, vel de uſu, vel de quo alio jure ejus quod diſtractum eſt; palàm eſt committi ſtipulationem. HABERE enim non licet, ei cui aliquid minuitur ex jure quod habuit. *l.* 38. § 3. ULP. LIB. 49. AD ED.

CXIV.

Item Si ſtipulatus fuero, PER TE NON FIERI QUOMINUS MIHI DOMO UTI LICEAT; an etiam ſi me non prohibeas, uxorem autem meam prohiberes (*a*); vel contrà, uxore meâ ſtipulatâ me prohibeas, an committatur ſtipulatio? Et ſatiùs eſt hæc verba ſic accipi. Nam & ſi ſtipulatus fuero, PER TE non fieri quominùs mihi viâ itinere actuque uti liceat: etſi non me, ſed alium nomine meo ingredientem prohibeas; ſciendum erit committi ſtipulationem. *l.* 111. POMPON. LIB. 5. AD Q. MUCIUM.

§ II.

De Stipulatione, IN ANNOS SINGULOS.

CXV.

Stipulatio hujuſmodi IN ANNOS SINGULOS, una eſt, & incerta, & perpetua; non quemadmodum ſimile legatum, morte legatarii finiretur (*b*). *l.* 16. § 1. POMP. LIB. 6. AD SABIN.

§ III.

De Stipulatione, DANDI; *item de illâ*, DARI CURABIS?

CXVI.

Stipulatione DANDI *continetur, ut dominium transferatur.*

Hinc Ulpianus. Hæc ſtipulatio FUNDUM Tuſculanum dari, oſtendit ſe certi eſſe; continerique ut dominium omnimodo efficiatur ſtipulatoris quoquomodo. *l.* 75. § *fin.* ULP. LIB. 22. AD ED.

Igitur Non videntur data; quæ eo tempore quo dantur, accipientis non fiunt. *l.* 167. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 49. AD ED.

Continetur etiam hâc ſtipulatione, ut promiſſor cavere teneatur de evictione rei quam ſolvit.

Hoc locum habet, etiamſi adjecto ſolutionis gratiâ ſolutum fuerit. Ita enim Scævola: Qui fundum ſibi aut Titio dari ſtipulatur, quamvis fundus Titio traditus ſit, nihilominùs petere fundum poteſt ut ſibi de evictione promittatur. Nam intereſt ejus, quia Mandati actione fundum recepturus ſit à Titio. *l.* 131. § 1. SCÆVOLA LIB. 13. QUÆST.

Excipe: Sed ſi donationis causâ Titium interpoſuit, dicetur traditione protinùs reum liberari (*c*). *d. l.* 131. *d.* § 1.

CXVII.

Omninò differt à præcedenti, hæc ſtipulatio DARI CURABIS. *Nam* Eum qui decem DARI SIBI CURARI ſtipulatus ſit, non poſſe decem petere; quoniam poſſit promiſſor reum locupletem dando liberari, Labeo ait. Idque & Celſus libro ſexto Digeſtorum refert. *l.* 67. § 1. ULP. LIB. 2. AD ED.

Et alibi rursùs. Labeo ait; Quum DECEM [DARI] CURARI ſtipulatus ſis, ideò non poſſe te decem dari oportere intendere, quia etiam reum locupletiorem dando promiſſor liberari poſſit. Quo ſcilicet ſignificet, non eſſe cogendum eum accipere judicium, ſi reum locupletem offerat. *l.* 42. § 1. *ff. de Reb. cred.* CELSUS LIB. 6. DIGEST.

§ IV.

De Stipulationibus, Rem tradi, & Vacuam poſſeſſionem tradi.

CXVIII.

Si REM TRADI ſtipulamur; non intelligimur proprietatem ejus dari ſtipulatori, ſed tantùm tradi. *l.* 28. PAUL. LIB. 10. AD SABIN.

Plus continet ſtipulatio VACUAM POSSESSIONEM TRADI, *de quâ vide ſuprà lib.* 24. *Tit.* de Evict. *Part.* 4ª.

§ V.

De Stipulatione, Per te non fieri quominùs, &c.

CXIX.

In illâ ſtipulatione PER TE NON FIERI, non hoc ſignificatur (*d*) nihil te facturum quominùs facere poſſis, ſed curaturum ut facere poſſis. *l.* 50. ULP. LIB. 50. AD ED.

§ VI.

De Stipulatione, Rem ad aliquem non perventuram.

CXX.

Hæc ſtipulatio continet non perventuram rem quocumque titulo, etiam titulo hereditatis.

Hinc Scævola. Eâ lege donatum ſibi eſſe à Seiâ ſervum & traditum, ut ne ad fratrem ejus aut filium aut uxorem aut ſocrum perveniret, ſcripſit, & hæc ita ſtipulante Seiâ, ſpopondit Titius: qui poſt biennium heredes reliquit Seiam, & fratrem cui ne ſerviret expreſſum erat. Quæritur, an Seia cum fratre coherede Ex ſtipulatu agere poſſit? Reſpondit, Poſſe in id quod ejus intereſt. *l.* 135. § 3. SCÆV. LIB. 4. RESPONS.

§ VII.

De Stipulatione, Quanto minùs à debitore conſequar.

CXXI.

Si ita à te ſtipulatus fuero; QUANTO minùs â Titio conſecutus fuero, tantùm dare ſpondes? non ſolet dubitari quin, ſi nihil à Titio fuero conſecutus, totum debeas quod Titius debuerit. *l.* 150. *ff. de Reg. Jur.* GAIUS LIB. 9. AD L. JUL. ET PAP. (*e*).

Item Papinianus. Decem ſtipulatus à Titio; poſtea, QUANTO minùs ab eo conſequi poſſes, ſi à Mævio ſtipularis; ſine dubio Mævius univerſum periculum poteſt ſubire. Sed etſi decem petieris à Titio; Mævius non erit ſolutus, niſi judicatum Titius fecerit. Paulus notat: Non enim ſunt duo rei Mævius & Titius ejuſdem Obligationis; ſed Mævius ſub conditione debet, ſi à Titio exigi non poterit. Igitur nec Titio convento Mævius liberatur; qui an debiturus ſit, incertum eſt: & ſolvente Titio non liberatur Mævius, qui nec tenebatur quum conditio ſtipulationis deficit; nec Mævius pendente ſtipulationis conditione rectè poteſt conveniri: à Mævio enim, ante Titium excuſſum, non rectè (*f*) petetur. *l.* 116. PAPIN. LIB. 4. QUÆST.

(*a*) Conjux uſuarius cum conjuge, domo uſuariâ uti poteſt: ut vid. ſuprà lib. 7. Tit. *de Uſu & habit.* N. 7.

(*b*) Ratio diſcriminis eſt; quòd is qui ſegat, ſolam legatarii perſonam cui benè facere vult intuetur: contrà, qui ſtipulatur, ſibi heredique ſuo ſtipulari intelligitur.

(*c*) Hoc enim caſu nullatenùs intereſt ſtipulatoris, fundum Titio evinci.

(*d*) *Non hoc* tantùm.

(*e*) Quid hoc ad Legem Juliam-Papiam? Heineccius cenſet patronas liberorum jure deſtitutas, ſolitas fuiſſe ſtipulari à libertis certam partem ex ipſorum bonis: & cùm in hâc ſtipulatione, utpotè de hereditate viventis interpoſitâ, denegari potuiſſet actio, adhibitos fuiſſe à quibus ſtipularentur QUANTO minùs ex hâc causâ à liberto eſſent conſecuturæ.

(*f*) Hinc liquet, talem promiſſorem toto cœlo à *Fidejuſſore* differre.

Source : BIU Cujas

Similiter Paulus. Si decem ſtipulatus à Titio, deinde ſtipuleris à Seio QUANTO minùs à Seio conſecutus ſis; etſi decem petieris à Titio, non tamen abſolvitur Seius. Quid enim ſi condemnatus Titius nihil facere poteſt? Sed etſi cum Seio priùs egeris, Titius in nullam partem liberatur; incertum quippè eſt, an omninò Seius debiturus ſit. Denique ſi totum Titius ſolverit; nec debitor fuiſſe videbitur Seius, quia conditio ejus deficit. *l.* 21. *ff. de Solutionibus.* LIB. 10. AD SABIN.

Conſonat quod ait Celſus. Si ego decem ſtipulatus à Titio, deinceps ſtipuler à Seio QUANTO minùs à Titio conſequi poſſim: ſi decem petiero à Titio, non liberatur Seius; alioquin nequicquam mihi cavetur. At ſi judicatum fecerit Titius, nihil ultrà Seius tenebitur. Sed ſi cum Seio egero; quantumcùmque eſt quo minùs à Titio exigere potuero, eo tempore quo judicium inter me & Seium acceptum eſt, tanto minùs à Titio poſtea petere poſſum. *l.* 42. *ff. de Reb. cred.* CELSUS LIB. 6. DIGEST.

§ VIII.

De interpretatione Stipulationis quâ quis à conductore operis, ejus-ve fidejuſſoribus, ſtipulatur Quanti illud alii locaverit.

CXXII.

Hæc ſtipulatio QUANTI OPUS ALII LOCAVERTI, *intelligenda eſt de locatione quæ effectum habuerit.*

Hinc Javolenus. Stipulatus es opus arbitratu tuo ante certam diem fieri. Quod ſi effectum non eſſet; QUANTI ut efficiatur opus locaſſes, tanti fidejuſſores cepiſti. Et quia opus effectum non erat, alii locaſti; & cùm poſterior conductor ſatis non daret, ipſe opus feciſti. Quæro an fidejuſſor teneatur? Reſpondit: Secundùm ea Verba ſtipulationis quæ à te propoſita ſunt, fidejuſſores non tenentur. Non enim id feciſti, quod in ſtipulatione convenerat; id eſt opus alii non locaſti, tametſi poſtea locaſti: ea enim locatio quam ſecutus es (*a*), perindè eſt ac ſi interpoſita non eſſet, & ſi ſtatim tu opus facere cœpiſſes. *l.* 44. *ff. de Fidejuſſ. & mandat.* JAVOL. LIB. 11. EPISTOT.

§ IX.

De Stipulatione, Quidquid te dare facere oportet; *quid ſi adjiciatur*, Oportebit-ve?

CXXIII.

Quum ſtipulamur, QUIDQUID TE DARE FACERE OPORTET; nihil aliud in ſtipulationem deducitur, quam quod præſenti die debetur. Hoc enim ſolùm hæc ſtipulatio demonſtrat. *l.* 125. PAUL. LIB. 2. QUÆST.

Igitur Si à colono cui fundum in quinquennium locaveram, poſt tres annos ita ſtipulatus fuero; QUIDQUID TE DARE FACERE OPORTET? non ampliùs in ſtipulationem deducitur, quàm quod jam dari oportet. In ſtipulationem enim deducitur, quod jam dari oportet.

Si autem adjiciatur OPORTEBIT-VE; etiam futura Obligatio deducitur. *l.* 89. PAUL. LIB. 9. AD PLAUT.

Idem Paulus alibi. Quum ſtipulamur QUIDQUID te dare facere oportet; id quod præſenti die duntaxat debetur, in ſtipulationem deducitur: non ut in judiciis, etiam futurum. Et ideò in ſtipulatione adjicitur verbum OPORTEBIT; vel ita, PRÆSENS IN DIEM-VE. Hoc ideò fit; quia, qui ſtipulatur. QUIDQUID te dare oportet, demonſtrat eam pecuniam quæ jam debetur: quòd ſi totam demonſtrare vult, dicit OPORTEBIT-VE; [vel] ita, PRÆSENS, IN DIEM-VE. *l.* 76. § 1. IDEM LIB. 18. AD ED.

CXXIV.

Contrà in formulis ſeu actionibus, Verbum OPORTET (*b*) tam præſens quàm futurum tempus ſignificat. *l.* 8. *ff. de Verb. ſignif.* PAUL. LIB. 3. AD ED.

§ X.

De Stipulatione: Quantum ad te pervenerit, redditum iri.

CXXV.

In hâc ſtipulatione; PERVENISSE ad te rectè dicitur, quod per te ad alium pervenerit: ut in hereditate (*c*) à liberto per patronum filiumfamilias patri ejus adoptivo acquiſitâ reſponſum eſt. *l.* 171. *ff. de Verb. ſignif.* POMPON. LIB. 16. AD SABIN.

§ XI.

De Stipulatione, Dolum abfuturum.

CXXVI.

Ad interpretationem hujus ſtipulationis pertinet ut quæramus, quum pluribus rebus adjicitur, ad quas referri intelligatur.

Ita eâ de re Papinianus: DOLI clauſula quæ ſtipulationibus ſubjicitur, non pertinet ad eas partes ſtipulationis de quibus nominatim (*d*) cavetur. *l.* 119. PAPIN. LIB. 36. QUÆST.

Hinc Julianus. Stipulationes commodiſſimum eſt ita componere; ut, quæcumque ſpecialiter comprehendi poſſint, contineantur: DOLI autem clauſula, ad ea pertineat quæ in præſentiâ occurrere non poſſint, & ad incertos caſus pertinent. *l.* 53. JULIAN. LIB. 16. DIGEST.

Omnes autem caſus de quibus ſpecialiter cautum non eſt, ad rem de quâ actum eſt pertinentes, complectitur doli clauſula. Undè hanc regulam ſtatuit Ulpianus; ut Hæc verba, cui rei dolus malus ABERIT, ABFUETIT, generaliter comprehendant omnem dolum; quicumque in hanc rem admiſſus eſt, de quâ ſtipulatio eſt interpoſita. *l.* 69. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 78. AD ED.

CXXVII.

Cæterùm non pertinet hæc doli clauſula, ad quid omninò diverſum ab his rebus de quibus actum eſt.

Hinc Scævola. Filia quæ de inofficioſo agere inſtituit, & tranſegit poſtea cum heredibus ſtipulatione interpoſitâ, & ſubjectâ DOLI clauſulâ; apud Præfectum dè falſo teſtamento egit, nec probavit. Quæro an ex DOLI clauſulâ poſſit conveniri? Reſpondit; Nihil ad eam ſtipulationem, id quod poſtea actum proponeretur (*e*), pertinere. l. 135. § 4. SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS.

CXXVIII.

Obſervandum quòd Ex eâ parte cautionis: « DOLUMQUE MALUM huic rei promiſſionique abeſſe abſ futurumque eſſe, ſtipulatus eſt ille, ſpopondit » ille; » INCERTI agetur, ſtipulationis utiliter interponendæ gratiâ (*f*). *l.* 121. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

(*a*) Vulgat. *quam non ſecutus es*: apertiori ſenſu, [*qui n'a pas eu de ſuite*].

(*b*) Ita lectionem reſtituit Cujacius pro *Oportebit*, quod ab imperito interprete ſubſtitutum rectè cenſet. Pertinet enim hæc lex ad formulas, cùm ſit deprompta ex lib. 40. Pauli AD EDICT. in quo de editione formularum egit, ut liquet ex Indice Labitti.

(*c*) Finge maritum manumiſiſſe ſervum dotalem. Stipulari ſolet mulier à viro: QUANTUM *ad ipſum ex hujus liberti bonis pervenerit, ſibi reddi*; poſteà maritus ſe dedit in adrogationem; & dum in adoptivâ familiâ eſſet, heres extitit huic liberto, hujuſque hereditatem patri ſuo adoptivo jure poteſtatis quæſivit. Quamvis eam non ſibi ſed patri ſuo quæſiverit maritus, tamen tenetur ex hâc ſtipulatione uxori; videturque ad ipſum perveniſſe. Idemque dicendum in ſimilibus caſibus.

(*d*) Putà ſi emptor mancipii ſtipulatus ſit *Sanum eſſe, Furem non eſſe*, DOLUM MALUM *à venditore abeſſe abfuturumque eſſe*: licèt dolo fecerit venditor, qui ſciens furem eum vendiderit; non tamen ex hâc noviſſimâ ſtipulationis parte, ſed ex illâ quâ promiſit *Furem non eſſe*, tenebitur.

(*e*) Ex doli clauſulâ teneretur filia; ſi contra fidem tranſactionis, circa quam DOLUM *malum à ſe abeſſe abfuturumque* promiſit, querelam inofficioſi de quâ tranſegit renovaret. Verùm accuſatio falſi teſtamenti, eſt alia res; & quid prorsùs diverſum, quod ad hanc ſtipulationem pertinere videri non poteſt.

(*f*) Id eſt; ut, ſi in aliquâ ex precedentibus clauſulis caverat inutiliter, teneatur ex hâc poſtremâ clauſulâ ſe per utilem ſtipulationem obligare.

Source : BIU Cujas

§ XII.

De eâ Stipulationis ſpecie, quæ pro libertate ſervo præſtandâ pactionem continet.

CXXIX.

Quæritur quis ſit ſenſus ſtipulationis, SI MANUMITTETUR, TOT DABIS? *Reſpondet Javolenus*: Quum ſervus pecuniam pro libertate pactus eſt, & ob eam rem reum dedit; quamvis ſervus ab alio (*a*) manumiſſus eſt, reus tamen rectè obligabitur: quia non quæritur à quo manumittatur, ſed ut manumittatur. *l.* 104. JAVOLEN. LIB. 11. EX CASSIO.

§ XIII.

Alia Stipulationis ſpecies exponitur, quâ quis filium alienum Ut proprium *obſervaturum ſe promittit.*

CXXX.

Quidam quum filium alienum ſuſciperet (*b*), tradenti promiſerat certam pecuniæ quantitatem, ſi eum aliter quàm ut filium obſervaſſet. Quæro, ſi poſtmodùm domo eum propulerit, vel moriens nihil ei teſtamento reliquerit; an ſtipulatio committatur: & quid interſit, utrùm filius, an alumnus, vel cognatus agentis fuerit? Præterea quæro, ſi filium ſuum quis legitimè in adoptionem dederit; &, ita ut ſuprà ſcriptum eſt, ſtipulatio interceſſerit; eumque pater adoptivus exheredaverit, vel emancipaverit: an ſtipulatio committatur?

Reſpondi: Stipulatio utilis eſt in utroque caſu (*c*). Igitur ſi contra conventionem factum ſit (*d*), committetur ſtipulatio. Sed videamus primùm in eo qui legitimè adoptavit; an poſſit committi, ſi eum exheredaverit, vel emancipaverit? hæc (*e*) enim pater circa filium ſolet facere; igitur non aliter eum, quàm ut filium obſervabit. Ergo exheredatus (*f*) de inofficioſo agat. Quid ergo dicemus, ſi & meruit exheredari (*g*); Emancipatus planè & hoc remedio carebit. Quare (*h*) ſic debuit interponi ſtipulatio; ut, ſi eum emancipaſſet vel exheredaſſet, certum quid promitteret. Quo tamen caſu; commiſsâ ſtipulatione poteſt quæri, an exheredato permittendum eſſet dicere de inofficioſo: maximè ſi patri naturali heres extitiſſet (*i*)? An victo (*k*) deneganda eſt Ex ſtipulatu actio? Sed ſi ei qui ſtipulatus eſt, non debuit denegari victo filio; nec ipſi deneganda erit debitæ pecuniæ exſecutio. In eo autem qui non adoptavit (*l*); quem intellectum habeat hæc exceptio, SI EUM ALITER QUAM UT FILIUM OBSERVASSET, non proſpicio. An & hic exigimus exheredationem vel emancipationem; res in extraneo ineptas (*m*)? Sed ſi is qui legitimè adoptavit, nihil facit contra verba ſtipulationis quum utitur patrio jure; in eo qui hæc non fecit, dicit ſupervacuò (*n*).

Dici tamen (*o*) poterit, commiſſam eſſe ſtipulationem. *l.* 132. PAUL. LIB. 15. QUÆST.

ARTICULUS II.

De interpretatione quarumdam clauſularum in Stipulationibus, diem conditionem-ve continentium.

§ I.

De hâc clauſulâ, Kalendis*; item de illâ,* Ante Kalendas*; aut ſimilibus.*

CXXXI.

Eum qui KALENDIS Januariis ſtipulatur; ſi adjiciat PRIMIS, vel PROXIMIS, nullam habere dubitationem palàm eſt; ſed & ſi dicat SECUNDIS vel TERTIIS, vel quibus aliis; æquè dirimit quæſtionem. Si autem non addat quibus Januariis; facti quæſtionem inducere quid fortè ſenſerit, hoc eſt quid inter eos acti ſit. Utique enim hoc ſequimur quod actum eſt, eaſque (*p*) adſumemus. Si autem non appareat; dicendum eſt quod Sabinus, PRIMAS Kalendas Januarias ſpectandas. Planè ſi ipsâ die Kalendarum quis ſtipulationem interponat; quid ſequemur? Et puto actum videri de ſequentibus Kalendis. *l.* 41. ULP. LIB. 50. AD SABIN.

Idem in Idibus etiam & Nonis probandum eſt, & generaliter in omnibus diebus. *d. l.* 41. § 2.

Jam verò Qui ANTE KALENDAS proximas ſtipuletur, ſimilis eſt ei qui Kalendis ſtipulatur. *l.* 13. ULPIAN. LIB. 19. AD SABIN.

Pariter Julianus: Qui ità ſtipulatur ANTE KALENDAS proximas dari ſpondes? nihil differt ab eo qui KALENDIS dari ſtipulatur. *l.* 56. § 5. JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

§ II.

De clauſulâ, Hoc anno, Hoc menſe, His nundinis.

CXXXII.

Eum qui certarum nundinarum diebus dari ſtipuletur, primo die petere poſſe Sabinus ait. Proculus autem, & cæteri diverſæ Scholæ auctores; quandiù vel exiguum tempus ex nundinarum ſpatio ſupereſſet, peti [non (*q*)] poſſe exiſtimant. Sed ego cum Proculo ſentio. *l.* 138. VENULEIUS LIB. 4. STIPULATIONUM.

Idem docet Pomponius. Qui HOC ANNO, aut HOC MENSE dari ſtipulatus ſit, niſi omnibus partibus præteritis anni,

(*a*) Putà ab alio cui ſtipulator eum donavit aut vendidit hâc lege ut manumitteretur. Sufficit enim ex beneficio ſtipulatoris qui hanc legem appoſuit, ſervum ad libertatem perveniſſe.

(*b*) *Filium alienum ſuſcipere* non eſt adoptare eum, ſed in clientelam ſuam recipere.

(*c*) *Stipulatio* quâ promſit ſe habiturum pro filio eum quem ſuſcipiebat, *utilis eſt in utroque*; id eſt, tam eo caſu quo legitimè adoptaſſet, quàm eo quo duntaxat in ſuam clientelam ſuſcepiſſet.

(*d*) Putà ſi flagellis eum cæcidit; ſi viles operas ab eo exegit, &c.

(*e*) Supple: non committitur ſtipulatio; nec videtur adoptator facere contra conventionem, & eum aliter quàm filium tractare. *Hæc enim pater, &c.* id eſt, frequens eſt ut patres emancipent aut exheredent filios ſuos.

(*f*) *Ergo*, cùm non committatur ſtipulatio per exheredationem, ſupereſt ut exheredato ſolum relinquatur remedium querelæ *Inofficioſo teſtamenti.*

(*g*) Supple: hoc caſu; cùm exheredato remedium querelæ non ſuppetat, an ideò magis dicemus committi ſtipulationem? Minimè: nam ſi non exheredatum, ſed emancipatum eum ſupponamus; *planè emancipatus & hoc remedio querelæ carebit*; & tamen non ideò magis committetur ſtipulatio.

(*h*) *Quare* Si pater naturalis, tradendo filium in adoptionem, cavere voluit ne emanciparetur aut exheredaretur; non ſatis fuit, ita concipi ſtipulationem *Si eum aliter quàm ut filium obſervaſſet*; ſed nominatim debuit, &c.

(*i*) Ratio dubitandi erat, quia querela eſt ultimum ſubſidium: unde videtur deneganda filio exheredato, cui aliter ſuccurri poteſt per actionem ex illâ ſtipulatione. Ratio decidendi in contrarium eſt; quòd actionem ex ſtipulatione habet non ex ſuâ perſonâ, ſed ex perſonâ patris naturalis cui heres extitit.

(*k*) Alteram quæſtionem proponit; an, quum filius ſuccubuit in querelâ, & pronuntiatum eſt eum juſtè exheredatum, tamen poſſit agere ex hâc ſtipulatione? Et definit poſſet: hoc argumento quòd *Ei qui ſtipulatus eſt, &c.*

(*l*) Sed duntaxat ſuſcepit.

(*m*) Extraneus enim qui in clientelam duntaxat ſuſceptus eſt, inutiliter emancipatur, cùm non ſit in poteſtate; inutiliter exheredatur, cùm non ſit ſuus heres.

(*n*) Id eſt, in ſuſceptore fruſtrà quis de eâ quæſtione *dicit*: ſi quidem evidens eſt ſuſceptorem non poſſe incidere in pœnam, emancipando aut exheredando; cùm nec poſſit emancipare & exheredare, niſi inutiliter.

(*o*) Jam reſpondet Juriſconſultus ad quæſtionem initio legis propoſitam, ſcilicet an committatur ſtipulatio, ſi ſtipulator hunc [adoptatum, aut duntaxat in clientelam ſuſceptum] domo propulerit vel moriens ei nihil reliquerit. Et reſpondet, committi. Non committeretur quidem, ſi eum emancipaſſet aut exheredaſſet; nam & hæc patres circa filios facere ſolent: ſed non eos domo propellunt; &, quum eos exheredant, ſolent ſaltem eis titulo legati aut fideicommiſſi aliquid relinquere. Ergo ſtipulator hunc non obſervavit *Ut filium*; ſi eum domo propulit, vel moriens nihil ei reliquit.

(*p*) Kalendas de quibus inter partes actum eſt.

(*q*) Hæc negatio abeſt à Florentinâ. Sed eam ratio contextûs evidenter expoſcit, & ſupplendam eſſe patet ex legibus ſequentibus.

Source : BIU Cujas

vel menſis, non rectè (*a*) petet. *l.* 42. POMPON. LIB. 27. AD SABIN.

Idem ait. Quod quis aliquo anno dare promittit, aut dare damnatur; ei poteſtas eſt quolibet ejus anni die dandi. *l.* 50. *ff. de Oblig. & act.* IDEM. LIB. 7. EX PLAUT.

Obiter nota. Quid autem in hâc ſpecie, Decem HODIE dari ſpondes? Dixi, Poſſe vel eo die pecuniam peti: nec videri præmaturiùs agi, non finito ſtipulationis die, quod in aliis temporibus Juris eſt, nam peti non debet quod intrà tempus comprehenſum ſolvi poteſt. In propoſito enim, diem non differendæ actionis inſertum videri, ſed quo præſens oſtendatur; eſſe reſponſum. *l.* 118. § 1. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

§ III.

De clauſulâ, Quum morieris.

CXXXIII.

Hæc clauſula, de morte naturali accipitur. Igitur In inſulam deportato reo promittendi; ſtipulatio ita concepta, QUUM MORIERIS dari? nonniſi moriente eo (*b*) committitur. *l.* 121. § 2. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

§ IV.

De hâc clauſulâ, Quæ ſunt pluris decem *aut* viginti, *&c.*

CXXXIV.

Finge eum qui aliquas res ſibi dari ſtipulabatur, earum æſtimandarum gratiâ ita adjeciſſe, QUÆ SUNT PLURIS *aureorum viginti aut triginta.* Hæc enunciatio, QUÆ SUNT PLURIS AUREORUM TRIGINTA, ſimul & quantitatis & æſtimationis ſignificativa eſt (*c*). *l.* 232. *ff. de Verb. ſignif.* GAIUS LIB. 1. DE VERB. OBLIG.

SCHOLIUM.

Quæcumque in hoc Articulo, de interpretatione clauſularum ſtipulationibus adjectarum diximus; trahi poteſt, & ad cæteros contractus quibus adjicerentur. Idem ferè eſt de his quoque quæ Articulo præcedenti dicta ſunt; quatenùs quid eorum inſertum fuerit conventioni, citra ſtipulationem.

(*a*) Nec obſtat quòd, quum legatur *In ſingulos annos*, debeatur initio cujuſque anni: tempus enim tunc multiplicandæ potiùs, quàm differendæ Obligationis causâ adjectum videtur. Nec obſtat etiam quòd libertas ita relicta, DUODECIMO ANNO *poſtquàm moriar Stichus liber eſto*, initio duodecimi anni competat: nam cùm omnibus anni diebus liber eſſe jubeatur, teſtator voluit vel primo anni die liberum eſſe. At quum quis promiſit aut damnatus eſt quid dare certo anno; cùm omnibus anni hujus diebus poſſit dare, etiam noviſſimo demùm anni die dare ei licèt; adeòque ante convenirì non poteſt.

(*b*) An pariter expectanda eſt mors naturalis, ſi promiſſor maximam capitis diminutionem paſſus ſit? Non putat Cujacius *Comment. ad Papin.* ad h. l.

(*c*) Id eſt; hæc Verba, tam ipſarum rerum æſtimationem, quàm quod ſtipulatoris intereſt, continent.

QUARTA PARS.

De actionibus quas Stipulationes pariunt.

CXXXV.

Ex Verborum Obligatione ſeu ſtipulatione, Duæ proficiſcuntur actiones; tam CONDICTIO CERTI (*a*), ſi certa (*b*) ſit ſtipulatio; quàm EX STIPULATU, ſi incerta ſit. *Inſtit. Tit.* de Verb. oblig. *in pr.*

Igitur Si quis certum ſtipulatus fuerit, ex ſtipulatu actionem non (*c*) habet; ſed illâ Condictitiâ actione id perſequi debet, per quam certum petitur. *l.* 24. *ff. de Reb. credit.* ULP. LIB. SING. PANDECT.

Circa has actiones quas ſtipulationes pariunt, quærendum quibus & adversùs quos dentur, quando committantur, & quid in his præſtandum veniat.

§ I.

Quibus & adversùs quos dentur, tam Condictio certi *ex Verborum Obligatione, quàm actio* Ex ſtipulatu?

CXXXVI.

Hæ actiones, quemadmodum & cæteræ quæ ex contractibus deſcendunt, heredi & in heredem dantur. Et quidem licèt aliàs ex dolo defuncti heres non teneatur; tamen Ex facto rei promittendi, DOLI ſtipulatio heredem ejus tenet; ſicut ex aliis contractibus, veluti Mandati, Depoſiti. *l.* 121. § *fin.* PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

Dubitabatur de ſtipulationibus quæ In faciendo *ſunt an in heredem tranſirent. Definivit Juſtinianus, tranſire; etſi in his heredum non fuerit facta mentio. l.* 13. *Cod.* de Contrah. ſtipulat.

Singulis autem heredibus, & adversùs ſingulos heredes datur actio Ex ſtipulatu; *vel in ſolidum, vel pro partibus hereditariis; pro ut ſtipulatio ex quâ deſcendit, dividua aut individua eſt. De quâ re ſuprà vid. Part.* 2ª. *Sect.* 2. *art.* 1°.

(*a*) De quâ dictum eſt ſuprà libro 12. Tit. *de Reb. cred.*

(*b*) De ſtipulationibus *certis*, & *incertis*, ſuprà Part. 2ª. Sect. 2. Art. 2.

(*c*) Qui certum ſtipulatus eſt, agit *Condictione certi* ex illâ ſtipulatione. Quæ *Condictio*, una ſpecies eſt illius generalis *Condictionis* CERTI quæ ex omnibus cauſis ex quibus certum debetur competit. Is autem demùm qui incertum ſtipulatus eſt [cùm ei *Condictio certi* non competat] agit actione *Ex ſtipulatu* ſimpliciter dictâ.

CXXXVII.

Quod attinet ad ſtipulationes in Non faciendo; *diſtinguendum eſt, an factum dividuum ſit, an individuum.*

Si dividuum ſit, & id factum fuerit; ſicut ei duntaxat ex heredibus ſtipulatoris adversùs quem erit factum, ita adversùs illum duntaxat ex heredibus promiſſoris qui fecerit, actio Ex ſtipulatu *datur.*

Hinc in ſtipulatione RATUM HABITURUM, *quæ in illam* NON AGI *reſolvitur* (*ut ſuprà vid. N.* 63.) *ait Paulus:* Si quis ſtipulatus fuerit Titium HEREDEMQUE ejus ratum habiturum, & Titius pluribus heredibus relictis deceſſerit; eum ſolum teneri, qui non habuit ratum: & ſolum ex heredibus ſtipulatoris acturum, à quo fuerit petitum. *l.* 44. § 6. *ff. Famil. erciſc.* PAUL. LIB. 6. AD SABIN.

Quòd ſi factum eſſet in dividuum; uno ex heredibus promiſſoris adversùs ſtipulationem faciente, cæteri tenentur: is tamen ſolus ex heredibus ſtipulatoris adversùs quem erit factum poteſt agere.

Hoc idem docet Paulus. Item ſi in facto ſit ſtipulatio; veluti ſi ita ſtipulatus fuero, « PER TE non fieri neque » per heredem tuum quominùs mihi ire agere liceat? » & unus ex pluribus heredibus prohibuerit: tenentur quidem & coheredes ejus; ſed familiæ erciſcundæ judicio, ab eo repetent quod præſtiterint. Hoc & Julianus & Pomponius probant. *l.* 2. § 5. PAUL. 12. AD SABIN.

Contrà autem ſi ſtipulator deceſſerit, qui ſtipulatus erat SIBI heredique ſuo agere licere; & unus ex heredibus ejus prohibeatur: intereſſe dicemus, utrùm in

Source : BIU Cujas

ſolidum committatur ſtipulatio, an pro parte ejus qui prohibitus eſt. Nam ſi pœna ſtipulationi adjecta ſit, in ſolidum committatur; ſed qui non ſunt prohibiti, Doli mali exceptione ſummovebuntur : ſive pœna nulla poſita ſit ; tunc pro parte ejus tantùm qui prohibitus eſt, committetur ſtipulatio. *d. l.* 2. § 6.

Idem Juris eſt & in illâ ſtipulatione, MIHI heredique meo habere licere. *l.* 3. ULP. LIB. 49. AD SABIN.

Sed hæc differentia illam habet rationem ; quòd ubi unus ex heredibus prohibetur, non poteſt coheres Ex ſtipulatu agere, cujus nihil intereſt; niſi pœna ſubjecta ſit. (Nam pœna ſubjecta efficit ut omnibus committatur; quia hîc non quærimus cujus interſit.) Enimverò (*a*) ubi unus ex heredibus prohibet, omnes tenentur heredes. Intereſt enim prohibiti, à nemine prohiberi. *d. l.* 3. § 1.

Eadem dicemus, & ſi DOLUM abeſſe A TE HEREDEQUE tuo ſtipulatus ſim ; & aut promiſſor aut ſtipulator pluribus heredibus relictis deceſſerit. *l.* 4. PAUL. LIB. 12. AD. SABIN.

CXXXVIII.

Quod diximus, actiones ex ſtipulationibus deſcendentes heredi dari ; ita verum eſt, niſi id promiſſum ſit quod naturâ ſuâ ad heredem non tranſit.

Igitur Si quis ita ſtipulatus fuerit, UTI-FRUI ſibi licere; ad heredem iſta ſtipulatio non pertinet. *l.* 38. § 10. ULP. LIB. 49. AD SABIN.

Sed etſi nom addiderit SIBI, non puto ſtipulationem de uſufructu ad heredem tranſire. Eoque Jure utimur. *d. l.* 38. § 11.

Sed ſi quis UTI-FRUI licere ſibi heredique ſuo, ſtipulatus ſit; videamus an heres ex ſtipulatu agere poſſit? Et putem poſſe, licèt diverſi ſint fructus. Nam & ſi IRE agere ſtipuletur ſibi heredique ſuo licere, idem probaverimus. *d. l.* 38. § 12.

Item alibi. Si ita ſtipuler, PER TE non fieri quominùs mihi heredique meo vindemiam tollere liceat ? etiam heredi datur actio. *l.* 92. PAUL. LIB. 18. AD PLAUT.

§ II.

Quando committantur hæ actiones quæ ex Stipulationibus dantur.

CXXXIX.

Si ſtipulatio interpoſita eſt, ut quid detur aut fiat : ſi quidem neque diem neque conditionem habeat; actio quæ ex eâ ſtipulatione deſcendit, committitur ſtatim : ſin, quum dies conditio-ve ſtipulationi adjecta venerit.

Quum autem ſtipulatio interpoſita eſt, NON FIERI *quominùs quid liceat ſtipulatori; committitur actio ſtatim atque fit per promiſſorem ejus-ve heredem, quominùs liceat ſtipulatori id quod in ſtipulationem deductum eſt. Et quidem* In hâc ſtipulatione, NEQUE per te neque per heredem tuum fieri? per heredem videtur fieri, quamvis abſit, & (*b*) ignoret; & ideò non facit (*c*) quod fieri ex ſtipulatu oportet.

Non videtur autem per pupillum ſtetiſſe ex hujuſmodi ſtipulatione; ſi pupillus (*d*) heres erit. *l.* 49. § 2. PAUL. LIB. 37. AD ED.

CXL.

Obſervandum etiam; ex ſtipulatione PER TE *heredemque tuum non fieri, tunc actionem committi quum per te heredemque tuum factum fuerit ; non ſi per alium factum fuerit.*

Hinc Si ſtipulatus ſim PER TE non fieri quominùs mihi ire agere liceat & fidejuſſorem accepero : ſi per fidejuſſorem ſteterit, neuter (*e*) tenetur ; ſi per promiſſorem, uterque. *d. l.* 49. § 1.

CXLI.

Quærendum ſupereſt, an ex hujuſcemodi ſtipulationibus ſemel duntaxat committatur actio, an quoties prohibitus fuerit ſtipulator?

Eâ de re ait Scævola : Si ſic ſtipulatus ſum, NEQUE per te neque per heredem tuum vim fieri ſpondes? & egi quòd mihi vim feceris : rectè remanere factum heredis in ſtipulatione. Nam & ex ipſius poſteriore vi poteſt committi ſtipulatio : non enim ad unam vim pertinet. Nam ſicut & ipſius & heredis caput (*f*), ita ipſius vis vel ſæpiùs facta complectitur (*g*); ut condemnetur quanti intereſt. Aut ſi ſic volumus factam eſſe ſtipulationem, NEQUE per te neque per heredem tuum fieri? ut ad unam vim primam teneat : ſi vim fecerit, ampliùs ex heredis committi non poterit; ergo (*h*) ſi actum ſit quaſi ex ipſius vi, tota conſumpta ſit : quod non eſt verum. *l.* 133. SCÆVOLA LIB. 13. RESPONS.

§ III.

Quid veniat in his actionibus præſtandum.

CXLII.

Quum ſtipulatio eſt In Dando ; *patet id venire, ut detur res vel quantitas in ſtipulationem deducta.*

Quum verò interpoſita eſt ſtipulatio Ut quid fiat; *poteſt quidem ſtipulator, vel in id agere ut fiat, vel in id quanti ſuâ interſit factum non eſſe. Cæterùm ſi reus nolit facere; in id condemnabitur, quanti interſit actoris factum non eſſe.*

Hinc Proculus. Quum venderet aliquis ; promiſit emptori fidejuſſores præſtari, & rem venditam liberari : quæ ut liberetur, nunc deſiderat emptor, in morâ eſt is qui eâ ſtipulatione id futurum promiſit. Quæro, quid Juris ſit ? Proculus reſpondit : Tanti litem æſtimari oportet, quanti actoris interſit. *l.* 113. § 1. PROCUL. LIB. 2. EPISTOLAR.

Item Si quis ita ſtipulatus fuerit, PRO CENTUM AUREIS ſatiſdabis ? & reum dederit in iſtam ſummam (i) : Proculus ait; ſemper in ſatiſdationis ſtipulatione venire quod intereſſet ſtipulantis : ut aliàs tota ſors ineſſet, veluti ſi idoneus promiſſor non ſit ; aliàs minùs, ſi in aliquid idoneus eſſet debitor ; aliàs nihil, ſi tam locuples eſſet ut noſtra non interſit ſatis ab eo accipere ; niſi quòd plerumque idonei, non tam patrimonio quàm fide quoque æſtimarentur. *l.* 112. § 1. POMPON. LIB. 15. AD Q. MUCIUM.

Conſonat quod ait Celſus. Si quis ab alio DECEM, ab alio SATISDARI ſtipulatus eſt; æſtimandum erit quantùm ſtipulatoris interſit ſatiſdari. Idque aut tantùmdem erit, aut minùs, aut interdum etiam nihil : NEQUE ENIM VANI TIMORIS ULLA ÆSTIMATIO EST. Verùm ſorte ſolutâ nullum jam pretium æſtimationis eſt ; aut quantùm ex ſorte fuerit ſolutum, tantumdem ex æſtimatione decedet. *l.* 13. *ff. de Re judic.* CELSUS LIB. 6. DIGEST.

CXLIII.

Quum promiſſum eſt ut intrà certum tempus fieret ; ex eâ ſtipulatione debetur, non ſolùm quanti intereſt factum

(*a*) Id eſt, contrà verò.

(*b*) Exemplum eſt quo mora contrahitur RE, citra ullum factum debitoris.

(*c*) Finge : Titius mihi promiſit, PER *ſe heredemque ſuum non fieri quominùs mihi liceret in agro ipſius arenam fodere.* Deceſſit ; & dum heres ejus abeſt & ignorat, mihi arenam fodere volenti ad agrum ipſius non præſtatur aditus.

(*d*) Singulari enim Jure receptum eſt, ut pupillus abſque tutore non obligetur ex ſuâ morâ.

(*e*) Non reus ; quia promiſit duntaxat PER SE *heredemque ſuum non fieri*, non verò *Per alium* non fieri. Nec etiam fidejuſſor tenebitur ; quia fidejuſſor ex causâ fidejuſſionis obligari non poteſt, niſi reus principalis ſit obligatus ; cùm ex naturâ ſit fidejuſſionis, ut cedat obligationi principali.

(*f*) Id eſt ; ſicut & ipſius promiſſoris vim ; ita & heredis quoque vim complectitur.

(*g*) Paſſivo ſenſu, pro *continetur.*

(*h*) Senſus eſt : ſi ſtatuimus hanc ſtipulationem ad primam vim referri ; ergo dicendum erit, ſi actum ſit ex vi defuncti, totam ſtipulationem eſſe conſumptam ; nec ampliùs heredem teneri vim non adhibere. Quod certè dici non poteſt.

(*i*) Hujus §*i*. ſpecies ita apud Cujacium : Stipulatus quis eſt à Caio, PRO *centum aureis ſatiſdabis mihi pro debitore meo* ; deindè exhibuit aliquem qui ſibi centum debebat, ut pro eo in hanc ſummam ſatiſdaret Caius.

Source : BIU Cujas

non fuiſſe, ſed quanti intereſt non factum fuiſſe eo tempore.

Hinc Si KALENDIS fieri aliquid ſtipulatus ſum; nempè quandocumque poſt Kalendas accepto judicio, tanti tamen æſtimanda lis eſt, quanti interfuit meâ Kalendis id fieri. Ex eo enim tempore quicquid (*a*) æſtimatur, quod noviſſimè ſolvi poterit. *l.* 11. *ff. de Re judic.* CELSUS LIB. 5. DIGEST.

Quòd ſi nullum tempus intrà quod fieret, ſtipulatione expreſſum eſt promiſſor uſque ad litem conteſtatam poteſt faciendo quod in ſtipulationem deductum eſt, omninò liberari.

Hinc Paulus. Si inſulam fieri ſtipulatus ſim, & tranſierit tempus quo potueris facere: quandiù litem conteſtatus non ſim, poſſe te facientem liberari placet. Quòd ſi jam litem conteſtatus ſim, nihil tibi prodeſſe (*b*) ſi ædifices. *l.* 84. PAUL. 7. AD ED.

CXLIV.

Quod attinet ad ſtipulationes in Non faciendo; *palàm eſt in actione ex his ſtipulationibus venire, quanti interſit actoris factum eſſe quod non fieri reus promiſerat. Hinc Celſus:* Si quis promiſerit prohibere ſe ut aliquod (*c*) damnum ſtipulator patiatur; & faciat [neque ex eâ re damnum ſtipulator patietur & faciat. ITA HABEATUR]: facit quod promiſit (*d*). Si minùs; quia non facit quod promiſit, in pecuniam numeratam condemnatur; ſicut evenit in omnibus faciendi obligationibus. *l.* 13. *ff. de Re judic.* CELSUS. LIB. 6. DIGEST.

☞ *Leges hujus Tituli quæ pertinent tum ad adjectos ſolutionis gratiâ, tum ad modos quibus ſtipulationes extinguuntur, collocatæ ſunt ſub Titulo* de Solutionibus *lib. ſeq.*

(*a*) Aliàs *Quidque.* Is videtur eſſe ſenſus: *Ex eo enim* Kalendarum *tempore eſtimatur, quidquid* ob moram ſolvi *potuit*, id eſt, debuit.

(*b*) Fingendum eſt, hoc caſu ſtipulatorem non egiſſe duntaxat Ut fieret; ſed egiſſe in id quod intereſt ſuâ factum non eſſe. Item fingendum eſt, etſi poſt litem conteſtatam factum non fuerit, tamen adhuc intereſſe ſtipulatoris quòd non citiùs & ante moram factum ſit. Hoc caſu non prodeſt promiſſori feciſſe; quominùs condemnetur, ſaltem in id quod intereſt citiùs factum non eſſe.

(*c*) Cujacius *Obſerv.* XXI 1. cenſet legendum, *Ne quod ex eâ re damnum*, &c. verba autem quæ ſequuntur incluſa, eſſe Notam alicujus Doctoris ſic momentis: *ita habeatur*, id eſt ita legi oportet, *neque ex eâ re damnum ſtipulator patiatur; & faciat* [pro eo quod mendosè in codice ſcriptum erat, *ut aliquod damnum ſtipulator patiatur, & faciat*].

(*d*) Putà ſi in ſtipulatione *Damni infecti* promiſerit quis, ex opere quod ædificabat, nullum damnum paſſurum ſtipulatorem: *ſi faciat*, id eſt, ſi ita ædificavit ut nullum damnum ſtipulator ſenſerit, *facit quod promiſit.* Ita Cujacius ibid.

TITULUS II.

DE DUOBUS REIS CONSTITUENDIS.

ABſolutâ generali de ſtipulationibus tractatione; Tribonianus tranſit ad illam ſingularem ſtipulationum ſpeciem in quâ aut DUO REI ſtipulandi, *aut* DUO REI promittendi *adhibentur.*

I.

Qui ſtipulatur, REUS ſtipulandi dicitur; qui promittit, REUS promittendi habetur. *l.* 1. MODESTIN. LIB. 2. REGUL.

Quòd ſi duo plures-ve idem ſtipulentur, CORREI ſtipulandi *dicuntur; ſi duo plures-ve idem promittant, dicuntur* CORREI promittendi.

Circa Correos videbimus 1°. *Quarum obligationum duo plures-ve Correi eſſe poſſint:* 2°. *Quæ ſit Correorum natura:* 3°. *Quomodo Conſtituantur.*

§ I.

Quarum obligationum Duo Rei *eſſe poſſint.*

II.

Non ſolùm obligationum quæ in Dando *conſiſtunt, ſed & earum quæ in* Faciendo, *Duo* REI *tam ſtipulandi quàm promittendi conſtitui poſſunt.*

Nam Nemo eſt qui neſciat alienas operas promitti poſſe (*a*), & fidejuſſorem adhiberi in eâ obligatione: & ideò nihil prohibet Duos Reos ſtipulandi conſtitui vel promittendi. Sicuti ſi ab eodem fabro, Duo Rei ſtipulandi eaſdem operas ſtipulentur; & ex contrario duo fabri ejuſdem peritiæ eaſdem operas promittere intelliguntur, & Duo Rei promittendi fieri. *l.* 5. JUL. LIB. 22. DIGEST.

III.

Item, non ſolùm ſtipulationum couventionalium; ſed Et ſtipulationum Prætoriarum, Duo Rei fieri poſſunt. *l.* 14. PAUL. LIB. 2. MANUALIUM.

IV.

Neque ſolùm in ſtipulationibus, ſed & in cæteris contractibus, Duo Rei fieri poſſunt.

Undè Papinianus. Eamdem rem apud duos pariter depoſui, utriuſque fidem in ſolidum ſecutus; vel eamdem rem duobus ſimiliter commodavi: fiunt Duo Rei promittendi. Quia non tantùm verbis ſtipulationis (*b*), ſed & cæteris contractibus; veluti emptione-venditione, locatione-conductione, depoſito-, commodato; teſtamento, ut putà ſi pluribus heredibus inſtitutis teſtator dixit, Titius & (*c*) Mævius Sempronio decem dato. *l.* 9. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

Similiter Ulpianus. Duo Rei locationis in ſolidum eſſe poſſunt. *l.* 13. § 9. *ff. Locati.* ULP. LIB. 32. AD ED.

§ II.

Quæ ſit correorum natura.

V.

Correorum ſive ſtipulandi ſive promittendi ea natura eſt; quòd, Quum duo eamdem pecuniam aut promiſerunt, aut ſtipulati ſunt; ipſo Jure & ſingulis (*d*) in ſolidum debetur, & ſinguli debent. Ideòque, petitione (*e*), acceptilatione unius, tota ſolvitur obligatio. *l.* 2. JAVOL. LIB. 3. EX PLAUT.

Tandiù tamen liberum eſt debitori alterutri ex Correis credendi ſolvere, quandiù neuter agere occupavit. Verùm Ex Duobus Reis ſtipulandi, ſi ſemel unus egerit; alteri promiſſor offerendo pecuniam, nihil agit. *l.* 16. GAIUS LIB. 3. DE VERB. OBLIG.

VI.

Quemadmodum ſolutio factâ re integrâ uni ex Correis credendi, debitorem ab omnibus liberat; ita vice versâ

(*a*) Nec obſtat quod, factum alienum promitti non poſſe, dicitur. Nam non poteſt quidem ſic promitti, ut quis non de ſe, ſed de alio promittat; ſed ſic poteſt promitti ut quis de ſe promittat, ſcilicet ſe curaturum ut alius faciat; aut quanti intereſt daturum, ſi is non fecerit.

(*b*) Supple, fieri poſſunt *Correi.*

(*c*) Cujacius cenſet legendum, AUT. Hæc enim particula, heredes qui damnantur, Correos debendi facit: ſuprà Tit. *de Legatis.* N. 269. Secùs de particulâ ET.

(*d*) Ita in lectione Vulgatâ & Haloandri; rectiùs quàm in Florentinâ *ſinguli in ſolidum debentur.*

(*e*) *Petitio* hîc accipitur pro *exactione*, ſeu eâ petitione quam ſolutio ſecuta eſt: ut notat Cujacius, & obiter jam vidimus ſuprà lib. 16. Tit. *Depoſiti.* N. 49.

Source : BIU Cujas

ſolutio ab uno ex pluribus Correis debendi facta, omnes liberat.

Hoc ita, ſi ſolutio efficax fuerit Hinc Julianus: Qui perpetuâ exceptione ſe tueri poteſt, ſolutum repetit: & ideò non liberatur (*a*). Quare ſi ex Duobus Reis promittendi alter pepigerit NE ab eo peteretur, quamvis ſolverit, nihilominùs alter obligatur (*b*) manebit. *l.* 34. § *fin. ff. de Solut. & liber.* JULIAN. LIB. 54. DIGEST.

VII.

Solutio quidem ab uno facta omnes liberat, quia ſolutio ipſam obligationem extinguit. Quibus autem modis, magis perſona ab obligatione eximitur, quàm ipſa obligatio ſolvitur; uno ex Reis liberato, cæteri non liberantur.

Hinc Quum duo eamdem pecuniam debent, unus capitis diminutione exemptus eſt obligatione (*c*); alter non liberatur. Multùm enim intereſt, utrùm res ipſa ſolvatur, an perſona liberetur. Quum perſona liberatur manente obligatione, alter durat obligatus: & ideò ſi aquâ & igni interdictum eſt alicujus, fidejuſſor poſtea ab eo (*d*) datus tenetur. *l.* 19. POMPON. LIB. 37. AD Q. MUCIUM.

VIII.

Cùm Duo Rei promittendi ſolidum ſinguli debeant: hinc etiam ſequitur quòd, Ubi Duo Rei facti ſunt, poteſt vel ab uno eorum ſolidum peti: hoc eſt enim Duorum Reorum, ut unuſquiſque eorum in ſolidum ſit obligatus, poſſitque ab alterutro peti. Et partes autem à ſingulis peti poſſe, nequaquàm dubium eſt; quemadmodum & à Reo & fidejuſſore petere poſſumus. Utique enim, cùm una ſit obligatio (*e*), una & ſumma eſt: ut, ſive unus ſolvat, omnes liberentur; ſive ſolvatur ab altero, liberatio contingat. *l.* 3. § 1. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Exprimere debueras tuis precibus, utrùm-ne in partem, an in ſolidum ſinguli vos obligaveritis; ac Duo Rei promittendi extiteritis: cùm, ſi quidem ab initio unuſquiſque pro parte ſit obligatus, egredi contractûs fidem non poſſit; ſi verò in ſolidum, electio Reſcripto adimi non debeat. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

Iidem reſcribunt. Creditor prohiberi non poteſt exigere debitum, cùm ſint Duo Rei promittendi ejuſdem pecuniæ, à quo velit. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Obiter nota quod ſequitur: Et ideò ſi probaveris te conventum, in ſolidum exſolviſſe; Rector provinciæ juvare te adversùs eum cum quo communiter mutuam pecuniam (*f*) accepiſti, non cunctabitur. *d. l.* 2. *Cod.* ¶ *& ideò.*

IX.

An autem hi Correi ſaltem beneficium diviſionis habent? Eâ de re ita Marcellus: Quum apparebit emptorem (*g*) conductorem-ve pluribus vendentem vel locantem, ſingulorum in ſolidum intuitum perſonam; ita demùm ad præſtationem partis ſinguli ſunt compellendi, ſi conſtabit eſſe omnes ſolvendo. Quanquam fortaſsè juſtius ſit, etiamſi ſolvendo omnes erunt, electionem comveniendi quem velit non auferendam actori; ſi actiones ſuas adversùs cæteros præſtare non recuſet. *l.* 47. *ff. Locati.* MARCELL. LIB. 6. DIGEST.

Ex Novellâ XCIX. Correi alternâ fidejuſſione *obligati, id eſt qui invicem alter pro altero fidejuſſerunt, & ſolvendo ſunt; habent inter ſe beneficium diviſionis; niſi ſpecialiter convenerit ut non haberent.*

X.

Circa Correorum naturam obſervandum ſupereſt quod definivit Juſtinianus: ſcilicet ut, ſi unus ex Correis ſtipulandi unum ex Correis debendi interpellet, vel unus ex Correis debendi erga unum ex Correis ſtipulandi debitum agnoſcat; hoc & omnibus Correis ſtipulandi, & adversùs omnes Correos debendi proſit (putà ad interpellandam præſcriptionem triginta annorum) l. fin. Cod. h. tit.

§ III.

Quomodo Duo Rei tam ſtipulandi quàm promittendi Conſtituantur.

XI.

Ut Duo Rei ſtipulandi Conſtituantur, oportet 1°. *Ut uterque ſtipulatus fuerit, & quidem utiliter.*

Hinc cùm ſtipulatio niſi in ejus perſonâ cui reſponſum eſt, non valeat; ſi plures ſtipulentur, omnibus debet eſſe reſponſum. Sed ſi à Duobus Reis ſtipulandi interrogatus reſpondiſſet uni ſe ſpondere, ei ſoli tenetur. *l.* 6. § 2. JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

Similiter Si id quod ego & Titius ſtipulamur, in ſingulis perſonis proprium intelligatur; non poterimus Duo Rei ſtipulandi Conſtitui: veluti quum uſumfructum (*h*), aut dotis nomine, dari ſtipulemur. Idque & Julianus ſcribit. Idem ait; Et ſi Titius & Seius, decem, aut Stichum qui Titii ſit, ſtipulati fuerint; non videri eos Duos Reos ſtipulandi: cùm Titio decem tantùm (*i*), Seio Stichus aut decem debeantur (*k*). Quæ ſententia eò pertinet; ut, quamvis vel huic vel illi decem ſolverit, vel Seio Stichum, nihilominùs alteri obligatus manet (*l*). Sed dicendum eſt (*m*) ut, ſi decem alteri ſolverit, ab altero liberetur. *l.* 15. GAIUS LIB. 2. DE VERB. OBLIG.

XII.

Ut Duo Rei ſtipulandi Conſtituantur, oportet 2°. *Ut ſinguli eamdem rem* IN SOLIDUM *ſtipulentur. Secùs, ſi quiſque pro parte ſuâ.*

In dubio autem, quiſque pro parte ſuâ ſtipulatus præſumetur. Undè Papinianus. Quum tabulis eſſet comprehenſum, Illum & illum centum aureos ſtipulatos; neque adjectum, ita ut Duo Rei ſtipulandi eſſent: virilem partem ſinguli ſtipulati videbantur. *l.* 11. § 1. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

Nil refert autem, an duo ſinguli ſolidum ſibi, an ſervo communi dari ſtipulentur. Nam Si ipſi domini ſinguli eadem decem ſervo communi dari fuerint ſtipulati, & ſemel reſponſum ſecutum fuerit; Duo Rei ſtipulandi erunt: cùm placeat dominum SERVO DARI ſtipulari poſſe. *l.* 28. § 2. *ff. de Stipulat. ſerv.* GAIUS LIB. 3. DE VERB. OBLIG.

XIII.

Hactenùs de Reis ſtipulandi. Jam verò ut Duo Rei promittendi Conſtituantur; oportet ut ſinguli utiliter promittant, & ſinguli idem in ſolidum.

Et 1°. *ut utiliter promittant. Hinc cùm inutiliter promittat qui non confeſtim reſpondet, ſuprà Tit præced. N.* 7. *id ſequitur,* Si ex Duobus qui promiſſuri ſint, HODIE alter, alter POSTERA DIE reſponderit; promitto;

(*a*) Alter correus.

(*b*) Scilicet quia ſolutio non valeat; cùm is qui ſolvit, poſſit repetere tanquam indebitum: ſuprà lib. 12. Tit. *de Condict. indeb.* N. 16.

(*c*) De quâ re vid. ſuprà lib. 4. Tit. *de Cap. minut.*

(*d*) *Ab eo* ſcilicet qui Correo ſuo deportato remanet obligatus. Et ſic intellectus hic textus, non pugnabit cum lege 47. ff. *de Fidejuſſ.*

(*e*) *Una* ſcilicet, reſpectu ejus quod debetur; quamvis reſpectu perſonarum quæ obligatæ ſunt, plures dici poſſint obligationes.

(*f*) Ergo [ut obſervat Vinnius lib. 1. *Quæſt.* cap. 6.] in ſpecie hujus legis, Correi erant ſocii. Alioquin, niſi fuiſſent ſocii; non putat ei qui ſolidum ſolviſſet, competere potuiſſe actionem adversùs alterum ad dimidiam recipiendam; non magis quam fidejuſſori adversùs conſidejuſſorem competit.

(*g*) *Emptorem* & *conductorem* dicit, pro *Venditorem* & *locatorem.* Hæ appellationes ſæpè confunduntur, ut vid. ſuprà lib. 19. Tit. *de Act. empt. & vend.*

(*h*) Scilicet ſi ego dominus proprietatis, & Titius, ſtipulemur à fructuario fundi mei, remitti hunc uſumfructum; vel ego Caiam ducturus, & Titius, ſtipulemur dotis Caiæ nomine centum dari; non erimus Duo Rei ſtipulandi, ſed ego ſolus creditor ero; quia quod in ſtipulationem deductum eſt, perſonæ meæ proprium eſt, nec niſi à me adquiri poteſt. Nec enim alii quàm domino fundi, remitti uſusfructus hujus fundi poteſt; nec niſi ei qui Caiam ducturus eſt, dotis Caiæ nomine quid deberi poteſt.

(*i*) Nec enim Titio res ſua [Stichus] deberi poteſt.

(*k*) Atqui hi demùm Correi ſtipulandi ſunt, quibus idem debetur; non poteſt autem dici idem his deberi, cùm uni decem determinatè, alteri decem alternativè cum Sticho debeantur.

(*l*) Ita definiendum, ſi ſtrictam Juris rationem ſequamur. Cùm enim non ſint Correi; ſolutio uni facta, ab alio non liberat.

(*m*) Sequendo, non ſtrictum Jus, ſed mentem contrahentium & æquitatem.

Source : BIU Cujas

(*Florent.* prolutus: *Haloand.* probatur; *alii* Proculus [*ſupple* ſcribit]; *alii aliter*) non eſſe Duos Reos: ac ne obligatum quidem intelligi eum qui POSTERA DIE reſponderat; cùm actor ad alia negotia diſceſſerit vel promiſſor, licèt peractis illis rebus reſponderit. *l.* 12. VENUL. LIB. 2. STIPULAT.

Hinc etiam Julianus. Duo Rei ſine dubio ita Conſtitui poſſunt, ut & temporis ratio habeatur intrà quod uterque reſpondeat. Modicum tamen intervallum temporis, item modicus actus qui modò contrarius obligationi non (*a*) ſit, nihil impedit quominùs Duo Rei ſunt (*Aliàs* ſint). Fidejuſſor quoque interrogatus inter Duorum Reorum Reſponſa, ſi reſponderit, poteſt videri non impedire obligationem Reorum: quia nec longum ſpatium interponitur, nec is actus qui contrarius ſit obligationi. *l.* 6. § 3. JUL. LIB. 52. DGEST.

XIV.

Hîc quæſtio emergit: an is qui utiliter promiſit, altero aut non promittente, aut inutiliter promittente, in ſolidum obligetur?

Et primò dicendum eſt, altero inutiliter promittente, alterum in ſolidum obligari. Ait enim Ulpianus: His verbis, EA QUÆ PRÆSTARI STIPULANTI TIBI SPOPONDIMUS; intereſſe quid inter contrahentes actum ſit. Nam ſi Duo Rei facti ſint; eum qui abſens fuit non teneri, præſentem autem in ſolidum eſſe obligatum. Aut ſi minùs, in partem fore obſtrictum. *l.* 8. ULP. LIB. 1. RESPONS.

Idem erit, & ſi alteruter omninò non promiſit. Ait enim Julianus: Duos Reos promittendi facturus, ſi utrumque interrogavero, ſed alter duntaxat reſponderit; verius puto, eum qui reſponderit (*b*) obligari. Neque enim ſub conditione interrogatio in utriuſque perſonâ fit; ut ita demùm obligetur, ſi alter quoque reſponderit. *l.* 6. JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

Similiter Venuleius. Si à Titio & pupillo ſine tutoris auctoritate ſtipulatus fuero eadem decem, vel à ſervo: quaſi Duos Reos promittendi Conſtitui, obligatumque Titium ſolum Julianus ſcribit. Quanquam ſi ſervus ſpoponderit; in actione De peculio eamdem obſervari debent, ac ſi liber (*c*) fuiſſet. *l.* 12. § 1. VENULEIUS LIB. 2. SUIPULAT.

XV.

Alterum quoque requiritur ut Duo Rei promittendi fiant; nimirùm utrumque eamdem rem promiſiſſe.

Hinc V. G. Sed ſi quis in deponendo penès duos, paciſcatur ut ab altero culpa quoque præſtaretur; verius eſt non eſſe Duos Reos, à quibus impar ſuſcepta eſt obligatio.

Non idem probandum eſt, quum duo quoque culpam promiſiſſent; ſi alteri poſtea, pacto culpa remiſſa ſit quia poſterior conventio quæ in alterius perſonâ interceſſit, ſtatum & naturam obligationis quæ Duos initio Reos fecit, mutare non poteſt. Quare ſi ſocii ſint, & communis culpa interceſſit; etiam alteri pactum cum altero factum proderit. *l.* 9. § 1. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

Maximè autem non videbuntur idem promiſiſſe, adeòque Rei promittendi non erunt; qui rem non in ſolidum, ſed pro ſuâ quiſque parte promiſerint.

In dubio autem, præſumentur pro ſuâ quiſque parte promiſiſſe.

Hinc, quemadmodum ſuprà in Correis ſtipulandi, ita etiam in Correis promittendi reſpondit Papinianus: Et è contrario, quum ita cautum inveniretur: «TOT au» reos rectè dari ſtipulatus eſt Julius-Carpus; ſpo» pondimus ego Antoninus-Achilleus, & Cornelius» Dius»: Partes viriles deberi; quia non fuerat adjectum ſingulos in ſolidum ſpopondiſſe, ita ut Duo Rei promittendi fierent. *l.* 11. § 2. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

Hodiè verò ex ſuprà dictâ Novellâ XCIX. non intelliguntur Duo Rei promittendi eſſe, niſi expreſſum ſit.

XVI.

Vidimus quæ requirantur ut Duo Rei promittendi Conſtituantur. Nil intereſt autem, an per ſingularem, an per pluralem numerum interrogati fuerint aut reſponderint.

Nam Duo Rei promittendi, ſive ita interrogati, SPONDETIS? reſpondeant SPONDEO, aut SPONDEMUS; ſive ita interrogati, SPONDES? reſpondiſſent, SPONDEMUS: rectè obligantur. *l.* 4. POMPON. LIB. 24. AD SABIN.

Nil refert etiam, an ſimul an ex intervallo ſe obligent.

Hinc In Duobus Reis promittendi, fruſtrà timetur novatio. Nam licet antè prior reſponderit, poſterior etſi ex intervallo accipiatur; conſequens eſt dicere priſtinam obligationem durare, & ſequentem accedere. Et parvi refert, ſimul ſpondeant, an ſeparatim promittant; cùm hoc actum inter eos ſit, ut Duo Rei Conſtituantur: neque ulla novatio fiet. *l.* 3. ULPIAN. LIB. 47. AD SABIN.

XVII.

Nil etiam intereſt, an eodem an diſpari modo obligentur.

Nam Ex Duobus Reis promittendi, alius in diem vel ſub conditione obligari poteſt. Nec enim impedimento erit dies aut conditio, quominùs ab eo qui purè obligatus eſt, petatur. *l.* 7. FLORENTIN. LIB. 8. INSTITUT.

Pariter, diverſa dies tacitè ſingulorum obligationi ineſſe poteſt.

Hinc Papinianus. Quum Duos Reos promittendi facerem ex diverſis locis; CAPUÆ pecuniam dari ſtipulatus ſum. Ex perſonâ cujuſque, ratio proprii temporis habebitur. Nam etſi maximè parem cauſam ſuſcipiunt, nihilominùs in cujuſque perſonâ propria ſingulorum conſiſtit (*d*) obligatio. *l.* 9. § 2. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

Julianus denique: Duobus autem Reis Conſtitutis, quin liberum ſit ſtipulatori, vel ab utroque, vel ab altero duntaxat fidejuſſorem accipere, non dubito. *l.* 6. § 1. JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

Obiter obſerva quòd Reos promittendi, vice mutuâ fidejuſſores non inutiliter accipi (*e*) convenit. Reus itaque ſtipulandi actionem ſuam dividere ſi velit, (neque enim dividere cogendus eſt) poterit eumdem ut principalem Reum, item qui fidejuſſor pro altero extitit, in partes convenire: non ſecùs ac ſi Duos promittendi Reos diviſis (*f*) actionibus conveniret. *l.* 11. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

(*a*) Putà *Modicus actus* quo alicui naturæ neceſſitati indulgetur: ſuprà Tit. *de Verb. Oblig.* N. 7.

(*b*) Nihilominùs, quamvis alter non reſponderit.

(*c*) Scilicet dominus ejus, non pro parte, ſed in ſolidum [peculio tamen tenùs] convenietur; perindè ac is ſervus, ſi liber ſolidum promiſiſſet, conveniretur in ſolidum.

(*d*) Ergo tot obligationes ſunt, quot perſonæ Reorum. Atqui tamen UNA dicitur eſſe obligatio: l. 3. § 1. ſuprà N. 7. Solve *Una* eſt reſpectu rei debitæ: unam enim, non diverſam rem Correi debent; reſpectu autem perſonarum obligatarum, plures ſunt obligationes.

(*e*) Quia, etſi ſocii non ſint; is qui ſolverit, habebit actionem *Mandati* adversùs alterum: item poterit unus compenſare quod alteri debetur. Cujac.

(*f*) Correi debendi, ſinguli & pro parte ſuâ & in ſolidum obligantur; adeòque electio creditoris eſt, aut unumquemque in ſolidum aut pro parte ſuâ *diviſis actionibus* convenire.

TITULUS

Source : BIU Cujas

TITULUS III.

DE STIPULATIONE SERVORUM.

PErgunt Pandectarum ordinatores incæptam de Stipulationibus tractationem ; aguntque in hoc Titulo, DE STIPULATIONIBUS SERVORUM. *Servis autem hâc in re similes sunt filiifamilias.*

Itaque videndum 1°. *in genere, de Stipulationibus Servorum & filiorumfamilias.* 2°. *Agemus de Stipulationibus Servorum qui plures dominos habent :* 3°. *De Stipulatione Servorum quorum usufructus aut usus alienus est, necnon Servorum aut etiam liberorum hominum qui à non domino possidentur :* 4°. *Denique, de Stipulatione servi qui sit hereditatis jacentis, aut cujus dominus captivus est.*

ARTICULUS I.

De Stipulationibus Servorum & filiorumfamilias.

Hîc quæremus 1°. *Quorum Servorum Stipulationes utiles sint :* 2°. *Ex quâ Stipulatione Servorum aut filiorumfamilias, promissor patri aut domino obligetur :* 3°. *Quæ ex Stipulatione Servi aut filiifamilias, patri aut domino possint acquiri :* 4°. *Quo tempore inspiciatur an quis in meâ potestate fuerit, ut ex hujus Stipulatione jus mihi acquiratur.*

§ I.

Quorum Servorum Stipulationes utiles sint.

I.

Cùm Servi in Jure pro nullis habeantur ; non ex se, sed ex personâ dominorum suorum habent ut stipulari possint.

Hinc ejus demùm Servi Stipulatio utilis esse potest, qui dominum habet aut intelligatur habere. Igitur Quod Servus Stipulatus est quem dominus pro derelicto habebat, nullius est momenti ; quia, qui pro derelicto rem habet, omnimodo à se rejecit ; nec potest ejus operibus (*a*) uti, quem eo Jure ad se pertinere noluit. Quòd si ab alio adprehensus est ; Stipulatione (*b*) ei adquirere poterit. Nam (*c*) & hæc genere quodam donatio est.

Inter (*d*) hereditarium enim servum, & eum qui pro derelicto habetur, plurimùm interest ; quoniam alter hereditatis jure retinetur, nec potest relictus videri qui universo hereditatis jure continetur (*e*) : alter voluntate domini derelictus, non potest videri ad usum ejus pertinere à quo relictus est. *l.* 36. JAVOLEN. LIB. 14. EPIST.

II.

Quamvis Servus mutuetur à personâ domini ut Stipulari possit ; tamen Si servus Reipublicæ vel municipii vel coloniæ stipuletur, puto valere (*f*) Stipulationem. *l.* 3. ULP. LIB. 5. AD SABIN.

Idem de servo infantis & muti dictum puta, ut passim videre est.

III.

Inutilis quidem est Stipulatio ejus Servi qui dominum non habet, ex cujus personâ stipulari possit. Cæterùm si dominum habet, etsi ab eo non possideatur, utiliter stipulatur & contrahit : dominoque suo ex his contractibus acquirit ; præterquàm ex his causis ex quibus ei à quo bonâ fide possidetur acquirit, ut videb. infrà Art. 3°.

Multò magis ; fugitivus domino suo, cùm hic adhuc eum possidere videatur, ex contractibus suis actionem acquiret ; ut in specie sequenti. Fugitivus meus quum apud furem esset, pecuniam adquisiit, & ex eâ servos paravit : eosque Titius per traditionem à venditore accepit. Mela ait, Mandati actione me consecuturum ut restituat mihi Titius (*g*), quia servus meus mandasse Titio videbatur ut per traditionem acciperet : si modò rogatu servi hoc fecerit. Quòd si sine voluntate ejus venditor Titio tradiderit, tunc posse me Ex empto agere (*h*) ut mihi eos venditor traderet ; venditoremque per Condictionem à Titio repetiturum, si servos tradiderit Titio quos non debuerit, quum debere se existimaret. *l.* 22. § 9. *ff. Mandati.* PAUL. LIB. 32. AD ED.

§ II.

Ex quâ Servorum aut filiorumfamilias Stipulatione, patri domino-ve actio quæratur.

IV.

Quodcumque stipulatur is qui in alterius potestate est, pro eo habetur ac si ipse (*i*) esset stipulatus. *l.* 45. *ff. de Verb. oblig.* ULP. LIB. 50. AD SABIN.

Nec interest, pater dominus-ve scierit necne. Imò Servus vetante domino si pecuniam ab alio Stipulatus sit, nihilominùs obligat domino promissorem. *l.* 62. *ff. d. tit.* JULIAN. LIB. 2. EX MINICIO.

V.

Item, Cùm servus stipuletur, nihil interest sibi an domino, an verò sine alterutrâ eorum adjectione, dari stipuletur. *l.* 1. JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

At Servus alienus, alii (*k*) nominatim Stipulando, non adquirit (*l*) domino. *l.* 30. PAUL. LIB. 1. AD PLAUT.

Cæterùm Quod servus meus meo servo dari Stipulatur, id perindè haberi debet ac si mihi stipuletur ; item quod servo tuo stipulatur (*m*), perindè ac si tibi stipulatus esset : ut altera Stipulatio obligationem pariat, altera (*n*) nullius momenti sit. *l.* 1. § 3. JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

(*a*) Servus stipulando nihil aliud agere videtur, quàm in hâc re operam suam vocemque domino suo subministrare. Non potest autem quis hâc in re uti operâ servi qui ampliùs non est ipsius servus, cùm eum abjecerit.

(*b*) Quam interponet, postquàm & apprehensus est.

(*c*) Ejus enim factus est servus, qui eum pro derelicto habitum occupavit. Nam qui eum dereliquit, quamdam hujus servi donationem contulisse videtur in incertam personam : in eum scilicet qui primus illum occuparet. Videtur obstare lex 2a. ff. *Qui sine manum. ad libert. perv.* in quâ dicitur servum derelictum, ex Edicto D. Claudii ad libertatem pervenire. Dic : ita demùm Jure singulari obtinere in eo servo, qui cùm gravi valetudine laboraret, derelictus est.

(*d*) Præoccupat Objectionem. Dixit Jurisconsultus, servi qui derelictus est Stipulationem non valere ; quia dominum non habet ex cujus personâ valere possit : potest objici servum hereditarium non habere dominum ; & tamen [ut infrà videb. Art. fin.] valet ejus Stipulatio.

(*e*) Respondet ad Objectionem, afferendo rationem disparitatis. Servus derelictus non solùm nullum dominum habet, sed nec fingi potest habere. Verùm servus hereditarius, etsi nullum realem dominum habeat, saltem fingitur habere pro domino hereditatem jacentem ; quæ in Jure sustinet vicem personæ ; & ex quâ jus stipulandi hic servus mutuatur.

(*f*) Atqui tales domini stipulari ipsi non potuissent, cùm non possint loqui. Et hæc ratio dubitandi. Verùm contrà obtinuit.

(*g*) Hos servos. Quæ actio *Mandati* mihi quæsita est per hunc servum meum fugitivum ; *quia*, &c.

(*h*) Quæ actio etiam mihi quæsita est per servum meum.

(*i*) In cujus potestate est.

(*k*) Putà ei quem falsò putat suum dominum.

(*l*) *Non adquirit domino*, quia *nominatim alii* stipulatus est ; sed nec ei cui stipulatur, quia non is est cui possit acquirere.

(*m*) Meus Servus.

(*n*) Qua Servus meus stipulatus est *tuo Servo* dari. Nam nec *Tibi* dari, posset stipulari.

Source : BIU Cujas

Quid ſi Servus meus, ſervo qui mihi & alteri communis eſt Stipuletur? Dicendum quòd Communis ſervus, duorum ſervorum perſonam ſuſtinet. Idcircò, ſi proprius meus Servus communi meo & tuo ſervo Stipulatus fuerit; idem Juris erit in hâc unâ conceptione verborum, quod futurum eſſet ſi ſeparatim duæ Stipulationes conceptæ fuiſſent, altera in perſonam mei ſervi, altera in perſonam tui ſervi (*a*). Neque exiſtimare debemus partem dimidiam tantùm mihi adquiri, partem nullius eſſe momenti: quia perſona ſervi communi ejus conditionis eſt, ut in eo quod alter ex dominis poteſt adquirere, alter non poteſt, perindè habeatur ac ſi ejus ſolius eſſet qui adquirendi facultatem habeat. *d. l.* 1. § 4.

V I.

Dictis conſonat Florentinus. Sive mihi, ſive ſibi, ſive conſervo ſuo, ſive impersonaliter dari Servus meus Stipuletur; mihi adquiret. *l.* 15. FLORENTIN. LIB. 8. INSTITUT.

Eadem de filio dicenda ſunt. Nam Filius patri dari ſtipulari videtur, etſi hoc non adjiciat. *l.* 45. § 4. *ff. de Verb. oblig.* ULP. LIB. 50. AD SABIN.

V I I.

Quod hactenùs diximus, nil referre ſibi an domino Servus Stipuletur, exceptionem recipit circa quaſdam res; quæ perſonæ domini ipſius cohærent, nec alteri quàm ipſi præſtari poſſunt.

Hinc V. G. Si Servus meus à liberto meo operas (*b*) ſibi dari Stipuletur, inutilem Stipulationem eſſe Celſus ſcribit. Aliter atque ſi non adjecto hoc verbo (*c*) SIBI, Stipulatus fuerit. *l.* 38. POMPON. LIB. 5. AD Q. MUCIUM.

§ I I I.

Quæ patri aut domino poſſint acquiri, ex Stipulatione filiifamilias aut Servi.

V I I I.

Patri domino-ve quæritur jus ad res quaſlibet quæ in Stipulationem Servi aut filii deductæ fuerint.

Ea verò quæ factum ſervi aut filiifamilias continent, in Stipulatione inſerta, perſonæ ipſius cohærent; nec ad patrem dominum-ve tranſeunt. Exemplum affert Gaius. Si Servus aut filiusfamilias ita Stipulatus ſit; ILLAM REM AUT ILLAM, UTRAM VELIM? non pater dominus-ve. ſed filius ſervus-ve deſtinare de alterutrâ debet (*d*), *l.* 141. *ff. de Verb. oblig.* GAIUS LIB. 2. DE VERB. OBLIG.

Nec mirum. Nam Extranei quoque perſona ſi comprehenſa fuerit; veluti hoc modo, UTRAM EARUM TITIUS ELEGERIT: non aliter ſtipulator alterutrius petendæ facultatem habet, quàm ſi Titius elegerit. *d. l.* 141. § 1.

Suffragatur Paulus. Si Stipulatus fuerim illud aut illud QUOD EGO VOLUERO; hæc electio perſonalis eſt. Et ideò ſervo vel filio talis electio cohæret. In heredes tamen tranſit obligatio (*e*), & ante electionem mortuo ſtipulatore. *l.* 76. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 18. AD ED.

I X.

Aliud exemplum habes, quum Servus Stipulatur POSSIDERE *aut* TENERE *ſibi licere. De quo ita Ulpianus:* Hæc quoque Stipulatio; POSSIDERE MIHI LICERE ſpondes? utilis eſt. Quam Stipulationem Servus an poſſit utiliter in ſuam perſonam concipere, videamus? Sed quamvis civili Jure ſervus non poſſideat, tamen ad poſſeſſionem naturalem hoc referendum eſt. Et ideò dubitari non oportet, quin & Servus rectè ita Stipuletur. *l.* 38. § 7. *ff. de Verb. oblig.* ULP. LIB. 49. AD SABIN.

Planè ſi TENERE SIBI LICERE Stipulatus ſit Servus, utilem eſſe Stipulationem convenit. Licèt enim poſſidere civiliter non poſſint, tenere tamen eos nemo dubitat. *d. l.* 38. § 8.

X.

HABERE, dupliciter accipitur. Nam & eum Habere dicimus, qui rei dominus eſt; & eum qui dominus quidem non eſt, ſed tenet. Denique Habere rem apud nos depoſitam, ſolemus dicere. *d. l.* 38. § 9.

Alterutro autem ſenſu pro ſubjectis circumſtantiis accipitur. Undè Hi qui ſunt in alienâ poteſtate, his in quorum ſunt poteſtate HABERE LICERE ſtipulari poſſunt; eâ ratione, quâ cætera quoque his poſſunt ſtipulari. Sed ſi Servus fuerit Stipulatus, SIBI HABERE; quæſitum eſt, an rectè ſtipulatus videatur? Et ait Julianus libro quinquageſimo-ſecundo Digeſtorum: Si ſervus ſtipuletur SIBI HABERE LICERE, aut PER SE NON FIERI QUOMINUS HABERE STIPULATORI LICEAT, promittat; Stipulatio, inquit (*f*), non committitur: quamvis auferri res ei, & ipſe auferre eamdem poſſit. Non enim factum (*g*), ſed jus in hâc Stipulatione vertitur. Quum verò ſtipulatur, PER PROMISSOREM NON FIERI quominùs ſibi ire agere liceat, non jus Sipulationis (inquit) ſed factum verſatur. Sed (*h*) videtur mihi, licèt juris verba contineat hæc Stipulatio HABERE LICERE, tamen ſic eſſe accipiendam; ut in ſervo & in filiofamilias, videatur actum eſſe de poſſeſſione (*i*) retinendâ, aut non auferendâ; & vires habeat Stipulatio. *d. l.* 38. § 6.

§ I V.

Quo tempore inſpicitur an quis in poteſtate fuerit, ut ex hujus Stipulatione jus mihi acquiratur.

X I.

In Stipulationibus, id tempus ſpectatur quo contrahimus. *l.* 144. § 1. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 62. AD ED.

Igitur Si filiusfamilias ſub conditione Stipulatus, emancipatus fuerit; deinde extiterit conditio: patri actio competit, quia in Stipulationibus, id tempus ſpectatur quo contrahimus (*k*). *l.* 78. *ff. de Verb. oblig.* IDEM LIB. 62. AD ED.

Quinetiam, generaliter; Quicquid contraxit ſervus dum nobis ſervit, etiamſi Stipulationem contulit in alienationem vel manumiſſionem ſuam, tamen nobis id adquiſitum erit; quia poteſtas ejus, tunc quum id contraheretur, noſtra fuit (*l*). Idque eſt, ſi filiusfamilias contrahat. Namque etiam quod in emancipationis ſuæ tempus contulerit, nobis debebitur; ſi tamen

(*a*) Scilicet ut tuî reſpectu ſit inutilis Stipulatio, quia meus ſervus tibi tuo-ve ſervo non poteſt ſtipulari; ſit autem utilis reſpectu meî.

(*b*) Operæ obſequiales, perſonæ patroni cohærent; nec niſi ipſi patrono poſſunt præſtari. Hinc ſervus inutiliter ſtipulatur eas *Sibi* dari.

(*c*) Sed impersonaliter.

(*d*) Electio enim, eſt factum.

(*e*) Vide Cujacium ad h. l. in *Comment.* ad libros Pauli AD EDICT. ubi confutat ſententiam quorumdam qui putabant obligationem quidem tranſire in heredem, electionem autem non tranſire. Contra quos adſtruit Cujacius; in caſu quo ſtipulator ſui juris, electionem in ſuam perſonam contuliſſet; electionem per conſequentias obligationis cum quâ in perſonâ Stipulatoris conjuncta eſt, tranſire in heredem ſtipulatoris.

(*f*) Julianus ſcilicet, cujus ſententia modò improbabitur.

(*g*) Hæc enim verba, *Habere licere*, non ad factum naturalis poſſeſſionis quod in perſonâ Servi conſiſtere poteſt, ſed ad jus dominii & poſſeſſionis civilis referri putabat Julianus; quod cùm in perſonâ Servi conſiſtere non poſſit, inutiliter ita Stipulatum Servum putabat.

(*h*) Hucuſque retulit ſententiam Juliani. Nunc eam improbat.

(*i*) *De poſſeſſione* naturali, quæ eſt facti. Et ſic hæc verba, pro variâ perſonarum quæ ſtipulantur conditione, variè accipiuntur.

(*k*) Retròtrahitur enim conditio ad tempus contractûs; & ex eo tempore extitiſſe, & actio ex Stipulatione patri domino-ve quæſita intelligitur.

(*l*) Majus tamen dubium erat in hâc ſpecie, quàm in ſuperiori. Nam in ſuperiori ſpecie, putà DABIS *ſi navis ex Aſiâ* venerit; quamvis, antequam ex Aſiâ venerit, filius emancipatus ſit; hæc conditio retròtrahitur, & fingitur extitiſſe jam ipſo tempore contractûs; adeòque antequàm filius emanciparetur. At quum conditio talis eſt, *Poſtquàm manumiſſus fuerim dabis?* repugnat ut poſſit hæc conditio intelligi extitiſſe, antequàm manumiſſus fuerim; cùm ipſa mea manumiſſio ſit in conditione poſita. Tamen, ne in poteſtate eſſet ſervorum, adjiciendo tales conditiones, defraudare dominos jure quod per ipſorum Stipulationes dominis adquiri debet; obtinuit ut ex his Stipulationibus, conditione exiſtente, actio non ipſis, ſed domino quæreretur. Et idem circa filiosfamilias dicendum eſt.

Source : BIU Cujas

dolo malo (*a*) id fecerit. *l.* 40. POMPON. LIB. 33. AD Q. MUC.

ARTICULUS II.

De Stipulatione Servorum qui plures dominos habent.

§ I.

Servum communem Stipulantem, regulariter omnibus dominis acquirere; aliquando uni duntaxat, interdum nulli, pro variâ Stipulationis conceptione.

XII.

REGULA *generalis.* Servus communis sic omnium est, non quasi singulorum totus, sed pro partibus utique indivisis; ut intellectu magis partes habeant quàm corpore. Et ideò, si quid Stipulatur, vel quaquâ aliâ ratione adquirit; omnibus adquirit, pro parte quâ dominium in eo habeant. *l.* 5. ULP. LIB. 48. AD SABIN.

Quinetiam Si servus communis, ex re unius Stipulatus erit; magis placuit utrique adquiri: sed eum cujus ex re facta est Stipulatio, cum socio COMMUNI DIVIDUNDO aut SOCIETATIS judicio de parte recuperandâ rectè acturum. Idemque esse dicendum, & si ex operis suis alteri ex dominis servus adquirit. *l.* 28. § 1. GAIUS LIB. 3. DE VERB. OBLIG.

Similiter Paulus. Servus communis, sive emat, sive Stipuletur; quamvis pecunia ex peculio detur, quod alterum ex dominis sequitur; utrique tamen adquirit. *l.* 27. PAUL. LIB. 2. MANUALIUM.

Obiter nota. Diversa causa est fructuarii servi (*b*). *d. l.* 27. ¶ *fin.*

Quod autem dicimus, Servum communem omnibus dominis acquirere, obtinet: si aut omnibus dominis, aut impersonaliter, aut sibi Stipuletur.

XIII.

Licet autem ei & nominatim alicui ex dominis Stipulari, vel traditam rem accipere; ut ei soli (*c*) adquirat. *l.* 5. ¶ *licet.* ULP. LIB. 48. AD SABIN.

Et Sicuti uni nominatim Stipulando, ei soli adquirit; ita placet & si rem emat nomine unius ex dominis, ei soli servum adquirere. Item si credat pecuniam ut uni ex dominis solveretur, vel quodlibet aliud negotium gerat; posse eum nominatim exprimere, ut uni ex dominis restituatur, aut solvatur. *l.* 28. § 3. GAIUS LIB. 3. DE VERB. OBLIG.

Hic porrò elegans species occurrit quam ita refert Julianus. Quum Servus communis Titii & Mævii, Stipulatur in hunc modum: » DECEM, Kalendis Titio » dare spondes? si decem Kalendis Titio non dede» ris, tunc Mævio viginti dare spondes »? duæ Stipulationes esse videntur. Sed si Kalendis, decem data non fuerint: uterque dominus ex Stipulatu agere poterit (*d*). Sed in secundâ obligatione Mævio promissâ (*e*), Titius exceptione Doli (*f*) summovebitur. *l.* 1. § 6. JUL. LIB. 52. DIGEST.

XIV.

Pariter: Sed si non nominatim domino Stipuletur, sed jussu unius dominorum; hoc Jure utimur, ut soli ei adquirat cujus jussu Stipulatus est. *l.* 5. ¶ *sed si.* ULP. LIB. 48. AD SABIN.

Igitur Ofilius rectè dicebat; Et per traditionem accipiendo, vel deponendo, commodandoque, posse soli ei adquiri qui jussit. Quæ sententia & Cassii & Sabini dicitur. *l.* 6. POMP. LIB. 26. AD SAB.

XV.

Quod dicimus, Servum qui nominatim uni ex dominis aut jussu unius ex dominis Stipulatur, ei soli acquirere; obtinet: etsi ex re alterius domini stipuletur.

Cæterùm eo casu nota quod Julianus ait. Si servus communis meus & tuus, ex peculio quod ad te solum pertinebat, mutuam pecuniam dederit (*g*); obligationem tibi acquirit. Et si eamdem mihi nominatim Stipulatus fuerit, debitorem à te non liberabit; sed uterque nostrûm habebit actionem; ego Ex Stipulatu; tu, quòd pecunia tua numerata sit. Debitor tamen me Doli mali exceptione summovere poterit. *l.* 1. § 2. JUL. LIB. 52. DIGEST.

XVI.

Communis servus qui aut nominatim uni ex dominis Stipulatur, aut ejus jussu, ei soli actionem acquirit; ut, mox vidimus. Proindè & si quatuor fortè dominos habuerit, & duorum jussu Stipulatus sit; his solis adquiret, qui jusserunt. Magisque est ut non æqualiter, sed pro portione dominicâ (*h*) totum eis adquiratur.

Idem puto, & si nominatim (*i*) eis Stipulatus esse proponatur.

Nam & si omnium jussu Stipulatus sit, vel omnibus nominatim (*k*); non dubitaremus omnibus pro dominicis eum portionibus, non pro virilibus, adquirere. *l.* 7. ULPIAN. LIB. 48. AD SABIN.

In eo tamen quod dicitur, Servum quibusdam ex dominis nominatim Stipulantem pro portione dominii acquirere, & in hoc Nominationem æquiparari jussioni; subtiliùs distinguendum docet Pomponius; ut quemadmodum is qui jussu dominorum Stipulatur, ipsis semper prout domini sunt & tanquam jussum eorum exequens stipulatur; ita pariter ex Stipulatione nominatim factâ tunc demùm pro ratâ dominii adquiri debeat, si Stipulatus ipsis fuerit quatenùs domini sunt: si verò sub propriorum duntaxat nominum appellatione ipsis Stipulatus esset; pro virilibus & æqualiter ipsis acquiratur, non pro dominicis portionibus.

Ita ille: Si communis Servus ita Stipularetur, LUCIO-TITIO ET GAIO-SEIO dari spondes? qui sunt domini illius; pro virilibus eis ex Stipulatione debetur. Si verò ita DOMINIS MEIS dare spondes? pro parte quâ domini essent. Si verò ita: LUCIO-TITIO ET GAIO-SEIO DOMINIS MEIS dare spondes? dubitaretur, utrùm-ne viriles partes, an pro dominicâ portione eis deberetur? Et interesset quid cujus demonstrandi gratiâ esset adjectum (*l*), & quæ pars ejus Stipulationis principalem causam haberet. Sed cùm ad nomina

(*a*) Id est, animo defraudandi patrem: & rarum est ut in tali conditione adjiciendâ alium animum habuisse videri possit. Interdum tamen citra dolum adjicitur: ut in specie legis 46. ff. *de Hered. instit.*

(*b*) Vide Art. seq.

(*c*) Alteri domino ex hâc Stipulatione acquirere non potest: quia ita demùm Servus domino acquirit, si aut ipsi aut sibi aut impersonaliter stipuletur; ut mox dictum est. Restat ergo *ut ei soli adquirat* cui nominatim stipulatus est.

(*d*) Non uterque ex posteriore Stipulationis parte; ut malè putavit Accursius, in hoc à Cujacio reprehensus; sed Titius ex priore, Mævius ex posteriore.

(*e*) Rectiùs vulgò legitur *commissâ.*

(*f*) Mens enim contrahentium fuit, ut prior Stipulatio in sequentem Stipulationem existente conditione transferretur, & ex illâ solâ deberetur.

(*g*) Nomine tuo; *obligationem* quidem *tibi* ex mutuo *acquirit.* At si deinde *eamdem* pecuniam *mihi nominatim* reddi *stipulatus sit*; tunc, quamvis *debitor à te non liberetur* [quia obligationem ex mutuo semel tibi quæsitam novare non potuit ille servus]; proindèque actio *Mutui* tua meneat, *quod pecunia tua numerata sit:* tamen, cùm mihi nominatim stipulatus sit, licèt ex re tuâ; *ego* quoque habebo actionem *Ex stipulatu.* Et sic *uterque nostrûm habebit actionem*: sed ego subtilitate Juris duntaxat; nam *Doli mali exceptione* summovebor.

(*h*) Quemadmodum & aliàs regulariter obtinet ut communis servus quidquid acquirit, singulis dominis pro portione dominii acquirat: suprà N. 12. Nam idem Jus in parte ac in toto: & quemadmodum *Si omnium jussu, &c.* [mox infrà]; ita pariter, &c.

(*i*) Nominatio enim similis est jussioni. *Nominatim* autem, id est, si duobus ex dominis specialiter Stipulatus sit; non autem communiter omnibus, non SIBI, aut impersonaliter. Vide legem 37. mox sequentem.

(*k*) Id est, sub commemoratione omnium; scilicet si sic stipulatus est, *Omnibus dominis meis.*

(*l*) *Quid* nempè principaliter intendere voluerit servus, & *quid adjectum sit demonstrandi* tantùm *gratiâ.*

Source : BIU Cujas

priùs decurſum (*a*) eſt, rationabilius eſſe videtur pro virili parte Stipulationem eis adquiri: quòd dominorum vocabula pro demonſtratione (*b*) habeantur. *l.* 37. POMP. LIB. 3. AD Q. MUCIUM.

XVII.

Interdum tamen Servus communis Stipulando, non partem unicuique, ſed ſolidum Stipulatus ſingulis dominis videtur; eoſque facit Stipulandi Correos.

Enimverò Si communis Servus ſic Stipulatus ſit, DECEM illi domino, eadem decem alteri dare ſpondes? dicemus duos reos eſſe Stipulandi. *l.* 29. PAUL. LIB. 72. AD ED.

XVIII.

Vidimus quid Juris obtineat, quum Servus communis vel omnibus dominis vel imperſonaliter vel ſibi ſtipulatur; & quid, quum nominatim uni ex his ſtipulatur.

Quòd Si Servus communis ſibi & uni ex dominis Stipuletur; perindè eſt ac ſi omnibus dominis, & uni ex his, Stipuletur: veluti TITIO ET MÆVIO, ET TITIO. Et probabile eſt, ut Titio dodrans, Mævio quadrans debeatur. *l.* 4. ULP. LIB. 21. AD SABIN.

XIX.

Rectè quidem Stipulatur Servus còmmunis; ſive imperſonaliter, ſive ſibi, ſive omnibus dominis, ſive uni ex illis ſtipuletur. At Si quum duos dominos Servus haberet, Stipulatus fuerit ILLI AUT ILLI dominis ſuis; quæſitum eſt an conſiſtat Stipulatio? Caſſius inutilem eſſe Stipulationem ſcripſit. Et Julianus Caſſii ſententiam probat: eoque Jure utimur. *l.* 9. § 1. ULP. LIB. 48. AD SAB.

Rationem affert Julianus in aliâ ſimili ſpecie. Nimirùm Sed ſi ita ſtipuletur: « TITIO decem aut Mævio » fundum dare ſpondes; » quia incertum eſt utri eorum adquiſierit actionem: ideircò inutilis Stipulatio exiſtimanda eſt. *l.* 10. JUL. LIB. 52. DIGEST.

Sed & in hâc ſpecie: Si Servus communis ita Stipuletur, « CALENDIS Januariis decem Titio aut Mævio » dominis, uter eorum tunc vivet, dare ſpondes? » inutilem eſſe Stipulationem Julianus ſcribit: quia non poſſit in pendenti eſſe Stipulatio, nec apparere utri eorum ſit adquiſitum. *l.* 21. VENULEIUS LIB. 1. STIP.

Sed ſi ſibi AUT primo, AUT ſecundo, dominis ſuis Stipulatus ſit; & hic tantumdem erit probandum quod Julianus, inutilem eſſe Stipulationem. Sed utrùm adjectio inutilis eſt, aut tota Stipulatio utilis non eſt? Puto adjectionem (*c*) ſolam eſſe inutilem. Eo enim quod ait MIHI, omnibus (*d*) adquiſiit ex Stipulatu actionem. An ergo in cæterorum perſona ſolutio locum habeat; exemplo extraneæ perſonæ? Et puto vel ſolvi eis poſſe: quemadmodum quum ego MIHI AUT TITIO ſtipuler.

Quum ergo cum PRIMO AUT SECUNDO dominis Stipulatio (*e*) non conſtitit; nec [aut] ſolutio eſt (*f*). Illa ratio eſt, quia non invenimus in cujus perſonâ Stipulatio conſtitit, in cujus (*g*) ſolutio. *l.* 11. ULP. LIB, 48. AD SABIN.

Nam cùm uterque obligationis capax ſit, non invenimus quis adjectus ſit; quia non eſt qui petere poſſit. *l.* 12. PAUL. LIB. 10. QUÆST.

(*a*) Ita, *Titio & Seio dominis meis*: per quod ſignificatur, ſervi intentionem reſpexiſſe potiùs ad perſonas Titii & Seii, quàm ad eorum quatenùs ſui domini ſunt qualitatem; quamvis ea ipſa qualitas poſterius expreſſa ſit. Secùs ergo, ſi ita ſtipulatus eſſet, *Dominis meis Titio & Seio*: quia tunc ad qualitatem domini priùs reſpexiſſet quàm ad perſonas.

(*b*) Id eſt; eo caſu *Vocabula* Titii & Seii *dominorum* hujus ſervi habentur duntaxat *pro demonſtratione* perſonarum, quibus ille ſtipulari voluit quaſi Titio & Seio ſimpliciter, non quaſi dominis ſuis.

(*c*) Scilicet perſonas dominorum quas adjecit per particulam AUT.

(*d*) Florentina habet *omni*. Vulgata magis placet.

(*e*) Hoc refer, non ad modò dictam ſpeciem in quâ ſervus *ſibi* AUT *dominis* ſtipulatus eſt; ſed ad illam quâ ſimpliciter *Primo* AUT *ſecundo*] putà, ſuprà l. 10. *Titio* AUT *Mævio*] dominis ſuis foret ſtipulatus.

(*f*) Id eſt; eo caſu, nec ſolvi poteſt uni quaſi adjecto: cùm incertum ſit cui domino acquiſierit Servus Stipulationem; quis proindè adjectus tantùm videatur ſolutionis gratiâ.

(*g*) At ſuperiori ſpecie, quum ſervus *ſibi* AUT *primo* AUT *ſecundo* ſtipulatus eſt, in perſonis cujuſque domini pro ſuâ parte dominicâ conſiſtit obligatio: in eâ verò parte quæ ſocio ipſius acquiritur, erit adjectus ſolutionis gratiâ.

Quum enim Stipulatur domino aut extraneo Servus, utrumque conſiſtat, & in domini perſonâ Stipulatio; & in extranei ſolutio. At hîc, TO' ΙΣΑΖΟΝ [*id eſt, æquivalens* (*h*)] corrumpit Stipulationem & ſolutionem. *l.* 13. ULP. LIB. 48. AD SABIN.

XX.

Eorumquæ hactenùs diximus, ſumma hæc eſt; quod ſi ſervus duorum aut plurium ita ſtipuletur: ILLI AUT ILLI, *ſtipulatur inutiliter: quòd ſi ita* ILLI ET ILLI; *item ſi* SIBI; *item ſi imperſonaliter ſtipuletur; his omnibus caſibus omnibus dominis acquirit ſi nominatim alteri ex illis, aut juſſu alterius ex illis, ſtipuletur; ei ſoli adquirit.*

Servus tamen Interdum, etiamſi neque juſſu neque nominatim alteri ex dominis Stipularetur, ei tamen ſoli adquirere eum Juliano placuit. Ut putà ſi quid fortè Stipuletur, quod utrique adquiri non poteſt: veluti ſervitutem ad fundum Cornelianum ſtipulatus eſt; qui fundus, Sempronii erat alterius ex dominis; ei ſoli adquirit. *l.* 7. § 1. ¶ *interdum*. ULP. LIB. 48. AD SABIN.

Item ſi alter ex dominis uxorem ducturus ſit, & huic ſervo dos promittatur. *l.* 8. GAIUS LIB. SING. DE CASIBUS.

Similiter Si communis Servus meus & tuus viam vel iter vel actum Stipuletur, ſine adjectione nominis noſtri; quum ego ſolus fundum vicinum habeam: ſoli mihi eam adquirit.

Quòd & ſi fundum tu habeas; mihi (*i*) quoque in ſolidum ſervitus adquiritur. *l.* 17. POMPON. LIB. 9. AD SABIN.

Item ſi Servus duorum, Titii & Mævii, hominem qui Titii erat, Stipulatus fuerit; ei ſoli acquirit, cujus non fuit. Sed ſi Stipulatus ſit (*k*) Stichum ſibi Mævio & Titio, DARE SPONDES? totum eum Mævio acquirit. Quod enim alteri ex dominis adquirere non poteſt; id ad eum qui ad obligationem admittitur, pertinet. *l.* 9. ULPIAN. LIB. 48. AD SABIN.

§ II.

An & quas res communis Servus ab uno è dominis poſſit Stipulari.

XXI.

Servus communis etiam ab uno ex dominis Stipulari poteſt.

Intereſt autem quomodo ſtipuletur. Nam Si Servus communis ab uno ex ſociis Stipulatus ſit: ſi quidem nominatim alteri ſocio, ei ſoli debetur: ſin autem ſine nullâ adjectione purè Stipulatus ſit (*l*); reliquas partes is ſervus cæteris ſociis, præter eam partem ex quâ promiſſor dominus eſſet, adquiret. Sed ſi juſſu unius ſocii Stipulatus eſt; idem Juris eſt, quod eſſet ſi eidem illi ſocio nominatim dari Stipulatus eſſet. *l.* 7. § 1. ULP. LIB. 48. AD SABIN.

XXII.

Sed & ſemetipſum Servus ab uno ex dominis utiliter Stipulatur; modò tamen non SIBI *ſtipuletur. Nam* Servus communis ipſe [ſe]ſibi Stipulari (*m*) non poteſt: quamvis conſtaret eum ſe Stipulari domino (*n*) poſſe; non enim

(*h*) Seu potiùs, æqualis in utriuſque domini perſonâ alternatio.

(*i*) Aliàs *tibi*. Idem ſenſus utriuſque lectionis; nimirùm ſervitutem ſingulis in ſolidum adquiri, quum uterque vicinum fundum habet: cùm ea ſit natura ſervitutum, ut non poſſit adquiri niſi in ſolidum. Itaque ſi non ego ſolus vicinum fundum habeam, ſed & *tu* pariter *habeas*; nihilominùs *mihi quoque*, aut *tibi*, &c.

(*k*) Eadem ſpecies ac præcedens: niſi quòd in præcedenti ſpecie *Hominem* Stichum qui Titii erat, imperſonaliter ſtipulatus eſt, hîc eum *Sibi*, *Mævio & Titio*, ſtipulatur. In utràque autem, ſoli Mævio adquirit: nec per hoc quòd Titio inutiliter ſtipulatus eſt, vitiatur quod utiliter ſtipulatus eſt Mævio.

(*l*) Aut etiam SIBI.

(*m*) Lectionem hanc *ipſe* SE *ſibi*, ratio contextûs omninò expoſcit. Sed fortè ita ſcriptum erat in Archetypo *ipsE*; & errore librariorum neglecta eſt vis reduplicativa litterarum Majuſcularum.

(*n*) Qui pro parte tantùm dominus eſſet. *Non enim* repugnat ut ſervus qui pro parte meus eſt, pro alterâ parte mihi debeatur; & hanc obligationem per ipſum acquiram. Repugnat autem ſeipſum SIBI dari.

Source : BIU Cujas

ſe domino adquirit, ſed de (*a*) ſe obligationem. *l.* 2. ULP. LIB. 4. AD SABIN.

Similiter Papinianus. Si Servus Titii & Mævii, partem quæ Mævii (*b*) eſt SIBI dari ſtipuletur; nulla Stipulatio eſt: cùm, ſi TITIO dari Stipulatus fuiſſet, Titio adquireretur. Quòd ſi ſimpliciter concepta eſt Stipulatio, veluti PARTEM eam quæ Mævii eſt dare ſpondes? non adjecto MIHI; propè eſt ut, quia ſine vitio concepta eſt Stipulatio, ſequatur ejus perſonam cujus poteſt. *l.* 18. § 1. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

ARTICULUS III.

De Stipulatione Servorum aut liberorum hominum qui à non domino poſſidentur, aut eorum Servorum quorum uſusfructus vel uſus alienus eſt.

§ I.

De Servis qui bonâ fide poſſidentur in ſolidum ab alio quàm domino, aut quorum uſusfructus ad alterum pertinet item in ſolidum.

XXIII.

Hi Servi Stipulantes aut contrahentes, ex duabus cauſis, non domino, ſed bonæ fidei poſſeſſori fructuario-ve adquirunt obligationem; ſcilicet quum ex re poſſeſſoris fructuarii-ve, aut ex operis ſuis contrahunt: ut in Inſtitutionib. *vidimus.*

Ex re poſſeſſoris fructuarii-ve quodammodo videtur Stipulari Servus, quum ab eo ſtipulatur qui his donatum voluit. Hinc Si quis donaturus uſufructuario, ſponderit ſervo in quem uſumfructum habet; Stipulanti ipſi (*c*) uſufructuario obligabitur; quia ut ei Servus talis Stipulari poſſit, uſitatum eſt. *l.* 24. *ff. de Uſufr. & quemadm.* PAUL. LIB. 10. AD SABIN.

XXIV.

Cùm ſervus ex his cauſis fructuario & bonæ fidei poſſeſſori acquirat; indè ſequitur quod [Idem] Julianus [eodem libro] ſcripſit: Si ſervo fructuarius operas ejus locaverat, nihil agit (*d*). Nam & ſi ex re meâ (inquit) à me Stipulatus ſit, nihil agit: non magis quàm ſervus alienus bonâ fide mihi ſerviens, idem agendo, domino quicquam adquirit.

Simili modo (ait), ne quidem ſi 'rem meam à me fructuario conducat, me non obligavit. Et regulariter definit: QUOD quis ab alio Stipulando, mihi adquirit; id à me Stipulando nihil agit. Niſi fortè (inquit) nominatim domino ſuo Stipuletur à me, vel conducat. *l.* 25. § 5. *ff. de Uſufr. & quemadm.* ULP. LIB. 18. AD SABIN.

XXV.

Quod ſtatuimus, Servum qui ex re fructuarii poſſeſſoris-ve aut ex operis ſuis Stipulatur, adquirere eis obligationem; ita demùm obtinet, ſi obligatio incidat in id tempus quo adhuc durat uſusfructus, aut ſervus adhuc bonâ fide poſſidetur.

Hinc Si operas ſuas locaverit ſervus fructuarius; & imperfecto tempore locationis, uſusfructus interierit: quod ſupereſt, ad proprietarium pertinebit. Sed & ſi ab initio certam ſummam propter operas certas Stipulatus fuerit: capite deminuto eo, idem dicendum eſt. *l.* 26. *ff. de Uſufr. & quemadm.* PAUL. LIB. 3. AD SABIN.

Pariter Ulpianus. Si operas ſuas iſte Servus locaverit, & in annos ſingulos certum aliquid ſtipuletur: eorum quidem annorum Stipulatio, quibus uſusfructus manſit, adquiretur fructuario; ſequentium verò Stipulatio ad proprietarium tranſit, ſemel adquiſita fructuario: quamvis non ſoleat Stipulatio ſemel cui quæſita, ad alium tranſire; niſi ad heredem, vel adrogatorem. Proindè ſi fortè uſusfructus in annos ſingulos fuerit legatus, & iſte ſervus operas ſuas locavit, & Stipulatus eſt ut ſuprà ſcriptum eſt; prout capitis minutione amiſſus fuerit uſusfructus, mox reſtitutus, ambulabit Stipulatio; profectaque ad heredem, redibit ad fructuarium. *l.* 25. § 2. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 18. AD SABIN.

XXVI.

Vidimus Servum fructuario aut bonæ fidei poſſeſſori acquirere, quum ex operis ſuis aut ex re ipſorum Stipulatur.

Quòd ſi partim ex re poſſeſſoris fructuarii-ve, partim ex re alterius Stipuletur; fructuario & domino pro ratâ adquiret.

Hoc videre eſt in ſpecie ſequenti. Apud Labeonem ita ſcriptum eſt: « Filium & filiam in ſuâ poteſtate pater » inteſtatus reliquit; filia eo animo fuit ſemper, ut » exiſtimaret nihil ad ſe ex hereditate patris pertinere; » deinde frater ejus filiam procreavit, & eam infantem » reliquit. Tutores ſervo avito ejus imperaverunt, ut » ab eo cui res avi hereditatis vendiderunt, Stipulà- » retur QUANTA PECUNIA AD EUM PERVENISSET. Ex » eâ Stipulatione quid pupillæ adquiſitum ſit, peto » reſcribas. » Paulus: Eſt quidem verum; bonâ fide poſſeſſum Servum, ex re ejus cui ſervit Stipulantem, poſſeſſori adquirere. Sed ſi res quæ ex hereditate avi communes fuerunt, in venditionem hereditatis venerunt; non videtur ex re pupillæ totum pretium Stipulari. Ideòque utriſque adquiri. *l.* 20. § 1. PAUL. LIB. 15. QUÆST.

Quid ſi in pendenti ſit ex cujus re Servus Stipulatus ſit? In pendenti quoque erit cui jus ex Stipulatione quæratur.

Hoc videre eſt in ſpecie ſequenti. Quum Servus fructuarius operas ſuas locaſſet, & eo nomine pecuniam in annos ſingulos dari Stipulatus eſſet; finito fructu, domino reſidui temporis adquiri Stipulationem Julianus ſcriptum reliquit. Quæ ſententia mihi videtur firmiſſimâ ratione ſubnixa. Nam ſi in annos fortè quinque locatio facta ſit; quoniam incertum eſt fructus in quem diem duraturus ſit, ſingulorum annorum initio cujuſque anni pecunia fructuario quæreretur. Secundùm quæ, non tranſit ad alterum Stipulatio; ſed unicuique tantùm adquiritur, quantùm ratio Juris permittit. Nam & quum idem Servus ita Stipuletur « QUANTAM pecuniam tibi » intrà illum diem dedero, tantam dari ſpondes? » in pendenti eſt, quis ex Stipulatu ſit habiturus actionem. Si enim ex re fructuarii vel operis ſuis pecuniam dederit (*Ita Haloand. In Florent.* dedero,) fructuario; ſi verò aliundè, domino Stipulatio quæretur. *l.* 18. § 3. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

XXVII.

Hactenùs de cauſis ex quibus ſervus fructuarius, aut ſervus alienus bonâ fide poſſeſſus, fructuario bona-ve fidei poſſeſſori adquirit.

Ex cæteris autem cauſis, acquirit domino. Quinetiam ex illis cauſis ex quibus acquiri fructuario bonæ-ve fidei poſſeſſori ſolet; acquirit domino, ſi fructuario bonæ-ve fidei poſſeſſori acquiri non poſſit.

Hinc Servus fructuarius ſi uſumfructum in ſe (*e*) dari Stipuletur, aut ſine nomine, aut nominatim proprietario; ipſi proprietario adquiri (*f*): exemplo ſervi

(*a*) Id eſt, obligationem ſui ipſius, pro parte quæ hujus domini non eſt. Igitur, eo caſu quo *Seipſum* ſtipulatur huic domino; SE quidem *ſtipulatur*, ſed non SE *adquirit*: neque hic unum & idem ſunt, & cauſa adquiſitionis, & ipſa res adquiſita; quod eſſet abſurdum.

(*b*) In ipſo ſervo qui ſtipulatur.

(*c*) Id eſt, æquè ac ſi fructuarius ipſe ſtipularetur.

(*d*) *Nihil agit* ſervus, ut ex hoc contractu poſſit ulla actio adversùs fructuarium naſci. Sed nec ulla actio fructuario naſceretur ex hoc contractu, adversùs dominum proprietatis; niſi ſubſidiaria, quo caſu non ſuppeteret illud ejus ſervi peculium quod ad fructuarium pertinet: ſuprà lib. 15. Tit. *de Pecul.* N. 66.

(*e*) Id eſt, uſumfructum ſui ipſius.

(*f*) Fructuario enim hoc acquirere non poteſt, cùm nemini res ſua deberi poſſit.

Source : BIU Cujas

communis ; qui Stipulando rem alteri ex dominis cujus res eſt, nihil agit (quoniam rem ſuam Stipulando quis, nihil agit) ; alteri (*a*) Stipulando ; acquirat ſolidum. *l.* 25. § 4. *ff. de Uſufr. & quemadm.* ULP. LIB. 18. AD SABIN.

Regula noſtra probatur etiam ex eo quod poſt Julianum docet Ulpianus. Ita ille : Quæſtionis eſt, an id quod adquiri fructuario non poteſt, proprietario adquiratur ? Et Julianus quidem libro trigeſimo-quinto Digeſtorum ſcripſit; Quod fructuario adquiri non poteſt, proprietario quæri. Denique ſcribit; Eum qui ex re fructuarii Stipuletur nominatim proprietario, vel juſſu ejus, ipſi (*b*) adquirere. Contrà autem nihil agit, ſi non ex re fructuarii nec ex operis ſuis fructuario (*c*) Stipuletur. *d. l.* 25. § 3.

Pariter Pomponius. Quum Servus in quo uſumfructum habemus, proprietatis domino ex re fructuarii vel ex operis ejus nominatim Stipuletur ; adquiritur domino (*d*) proprietatis. *l.* 39. POMPON. LIB. 22. AD Q. MUCIUM.

Hinc obiter nota. Sed quâ actione fructuarius reciperare poſſit à domino proprietatis, requirendum eſt ? Item ſi ſervus bonâ fide nobis ſerviat ; & id quod nobis adquirere poterit, nominatim domino ſuo Stipulatus fuerit ; ei adquiret : ſed quâ actione id reciperare poſſimus, quæremus ? Et non ſine ratione eſt quod Gaius noſter dixit, Condici (*e*) id in utroque caſu poſſe domino. *d. l.* 39. ¶ *ſed quâ.*

XXVIII.

Acquirit quidem dominus, etiam ex his cauſis ex quibus fructuario acquiri ſolet; quum ſervus juſſu ipſius domini Stipulatus eſt. Contrà vice versâ Si juſſu fructuarii aut bonæ fidei poſſeſſoris, ſervus Stipuletur ex quibus cauſis non ſolet iis adquiri ; domino adquirit. *l.* 31. PAUL. LIB. 8. AD PLAUT.

Hinc Si liber homo vel alienus qui bonâ fide ſervit, ex re alterius, juſſu poſſeſſoris Stipuletur ; Julianus ait, liberum quidem ſibi adquirere, ſervum verò domino : quia juſſum domino cohæreat. *l.* 33. PAUL. LIB. 14. AD PLAUT.

Non idem dicetur, ſi nomen ipſorum (*f*) in Stipulatione poſitum ſit. *ſup. d. l.* 31. ¶ *non idem.*

Hoc enim caſu, neque domino, ſed nec ipſis acquirit ; verùm nihil aget. Undè Julianus. Si ſervus tuus qui mihi bonâ fide ſerviebat, peculium habuerit quod ad te pertineat ; & ego ex eo pecuniam Titio credidero ; nummi tui manebunt. Stipulando autem mihi Servus eamdem pecuniam, nihil aget. Vindicando ergo eam pecuniam tu conſequi poteris. *l.* 1. § 1. JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

XXIX.

Videmus Servum fructuarium ex re domini inutiliter fructuario Stipulari, domino ex re fructuarii utiliter Stipulari. *l.* 22. NERATIUS LIB. 2. RESPONS.

Hinc ſequitur quòd Si Servus fructuarius, ex re fructuarii, domino proprietatis AUT fructuario Stipuletur ; inutilis eſt Stipulatio (*g*). At ex re proprietarii ſi ipſi domino AUT fructuario Stipuletur, rectè ſtipulatur : tantùm enim ſolutionis capax eſt fructuarius hoc caſu, non etiam obligationis (*h*) quoque. *l.* 98. § 7. *ff. de Solutionib.* PAUL. LIB. 15. QUÆST.

Similiter Julianus. Si fructuarius Servus Stipulatus eſſet fructuario (*i*) AUT proprietario : ſi quidem ex re fructuarii Stipulatus eſſet, inutilis eſt Stipulatio ; quia utrique ex re fructuarii actionem adquirere potuiſſet. Sed ſi aliud Stipulatus eſſet, proprietarium petere poſſe ; &, ſi promiſſor fructuario ſolviſſet, liberatur (*k*). *l.* 1. § 5. JULIAN. LIB. 52. AD ED.

Conſonat & Gaius. Si ex re domini, domino AUT fructuario Servus Stipulatus fuerit ; domino quidem adquiri obligationem Julianus ſcripſit : ſolvi autem fructuario poſſe, quaſi quolibet adjecto. *l.* 28. GAIUS. LIB. 3. DE VERB. OBLIGAT.

§ II.

De Stipulatione Servi cujus uſufructus aut bonæ fide poſſeſſio penès plures eſt.

XXX.

Hactenùs expoſuimus jus quod habere poſſum ex Stipulatione Servi in quo uſusfructus totus meus eſt, aut quem in ſolidum bonâ fide poſſideo.

Quid Si duos fructuarios proponas, & ex alterius re Servus ſit Stipulatus : quæritur utrùm totum, an pro parte quâ habet uſumfructum, ei quæratur ? Nam & in duobus bonæ fidei poſſeſſoribus hoc idem eſt apud Scævolam agitatum libro ſecundo Quæſtionum ? Et ait, Vulgò creditum, rationemque hoc facere ; ut, ſi ex re alterius Stipuletur, partem ei (*l*) duntaxat quæri, partem domino : quòd ſi nominatim (*m*) ſit Stipulatus, nec dubitari debere quin adjecto nomine ſolidum ei (*n*) quæratur. Idemque ait, & ſi juſſu ejus (*o*) Stipuletur : quoniam juſſum pro nomine accipimus. Idem & in fructuariis erit dicendum : ut, quo caſu non totum adquiretur fructuario, proprietatis domino erit quæſitum ; quoniam ex re fructuarii quæri ei poſſe oſtendimus. *l.* 25. § 6. *ff. de Uſufr. & quemadm.* ULP. LIB. 18. AD SAB.

At verò ſententiam poſtea mutavit idem Scævola libro tertio-decimo Quæſtionum.

Ibi enim ita ſcribit : Si alienus ſervus duobus bonæ fidei ſerviens, ex unius eorum re adquirat ; ratio facit ut ei ex cujus re adquiſiit, id totum ei adquirat : ſive ei ſoli, ſive quaſi duobus ſerviat. Nam & in veris dominis quotiens utrique adquiritur, totiens partes adquiri : cæterùm ſi alii non adquiratur, alium ſolidum habiturum. Igitur eadem ratio erit & in propoſito ; ut hic ſervus alienus qui mihi & tibi bonâ fide ſervit, mihi ſolidum ex re meâ adquirat : quia tibi non poteſt adquiri, quia non ſit ex re tuâ. *l.* 19. SCÆVOLA LIB. 13. QUÆST.

Idem dic de eo cujus uſumfructum plures habent. Et hanc poſteriorem Scævolæ ſententiam prævaluiſſe ex Ulpiano didicimus ſuprà lib. 41. *Tit.* de Acq. rer. dom. *N.* 86.

XXXI.

Et ita quidem in caſu quo ex re unius Stipulatus eſt ſervus, cujus uſusfructus aut poſſeſſio penès plures eſt.

Quòd ſi ex re amborum : ſi quidem ea res eſſet quæ ad ſingulos in ſolidum pertineret ; ei cui nominatim ſtipulabitur, ſolidum pariter acquiret.

Hinc Si duo rei ſtipulandi uſumfructum in ſervo habeant, vel quibus bonâ fide ſerviebat ; & juſſu unius à debitore (*p*) Stipuletur ; ei ſoli adquirit. *l.* 33. § 1. PAUL. LIB. 14. AD PLAUT.

Si verò ea res eſſet quæ pro parte cujuſque foret ; ſervus nominatim uni ex eâ re ſtipulando, pro eâ duntaxat parte

(*a*) *Alteri* cujus res non eſt, nominatim *ſtipulando.* Idem eſt, ſive impersonaliter Stipuletur.

(*b*) Domino ſcilicet. Non enim poteſt fructuario acquirere, quod nominatim alteri Stipulatus eſt.

(*c*) Nominatim ipſi *fructuario.* Et quidem *nihil agit* : nec enim fructuario acquirit, quia ex hâc causâ Stipulatur ex quâ fructuario acquiri non poteſt ; nec domino acquirit, quia nominatim alteri Stipulatus eſt, ſcilicet fructuario.

(*d*) Non fructuario ; quia fructuario non poteſt acquiri, quod nominatim Servus alteri Stipulatus eſt. Ideò autem domino acquiritur ; quia etiam ex his cauſis ex quibus fructuario acquiri ſolet, acquiritur domino, quotieſcumque fructuario hoc acquiri non poteſt.

(*e*) *Conditione ſine causâ.*

(*f*) Fructuarii ſcilicet aut poſſeſſoris.

(*g*) Quia incertum eſt utri quæratur obligatio, cùm uterque eſſet capax acquirendi ex hâc causâ.

(*h*) Adeòque non eſt incertum, ut in ſuperiori ſpecie, cui quæratur obligatio ; cùm non potuerit quæri, niſi domino.

(*i*) Legendum *proprietario* AUT *fructuario* ; ut rectè obſervavit Cujacius, & ratio contextûs demonſtrat.

(*k*) Fructuarius enim hoc caſu adjectus eſt ſolutionis gratiâ.

(*l*) Fructuario, ex cujus re Stipulatus eſt.

(*m*) Domino.

(*n*) Domino ſcilicet, cui *nominatim* Stipulatus eſt.

(*o*) Domini.

(*p*) Adeòque ex eâ re quæ in ſolidum ad ipſum pertinebat ; cùm hujus debitoris creditor in ſolidum fuiſſe fingatur.

Source : BIU Cujas

quàm in re habet is cui ſtipulatur, poteſt ei acquirere : ſaltem ex Proculeianorum ſententiâ, juxta quam definitum videtur quod Neratius ait ; Et ſi duorum uſusfructus ſit; quod ex operis ſuis alteri eorum Stipulatus ſit, pro eâ duntaxat parte ex quâ uſusfructus ejus ſit (*a*), adquiri. *l.* 24. NERATIUS LIB. 2. RESPONS.

Paulus verò ex Sabino diverſæ Scholæ auctore, etiam hoc caſu ſolidum ei cui ſervus nominatim ſtipulatus eſt, adquiri ſupponit. Quærit autem quâ ratione alter fructuarius partem ab eo recipere poſſit ? Ita ille : Si quum duorum uſusfructus eſſet in ſervo, & is Servus uni nominatim Stipulatus ſit ex eâ re quæ ad utroſque pertinet : Sabinus ait ; Quoniam ſoli obligatus eſſet, videndum eſſe quemadmodum alter uſuarius (*b*) partem ſuam recipere poſſit ? quoniam inter eos nulla communio juris eſſet (*c*). Sed verius eſt, Utile Communi dividundo judicio inter eos agi poſſe. *l.* 32. PAUL. LIB. 9. AD PLAUL.

§ III.

De Stipulatione Servi cujus uſus, non etiam fructus, alienus eſt.

XXXII.

Servus cujus uſus alienus eſt, ex operis ſuis, cùm ad uſuarium non pertineant, adquirit domino : ut vid. in Inſtitut.

Ex re autem uſuarii, uſuario adquirit : & de cætero, quæcumque circa fructuarium diximus, Eadem de eo dicenda ſunt cui uſus legatus eſt. *l.* 23. PAUL LIB. 9. AD PLAUT.

§ IV.

De Stipulatione liberi hominis qui bonâ fide poſſidetur ut ſervus.

XXXIII.

Idem Jus hîc obtinet, ac in ſervo qui ab alio bonâ fide poſſidetur, nimirùm ut liber homo ex operis ſuis & ex re poſſeſſoris ei acquirat. At ex reliquis cauſis, ſibi adquirit : ut vid. in Inſtit.

Et quidem, ex quibus cauſis poſſeſſori adquirit, etiam illam rem quam ſibi utiliter Stipulari non poſſet, poſſeſſori utiliter Stipulatur.

Hoc docet Paulus. Liber homo bonâ fide mihi ſervit (*d*) : ſtipulatur ex re meâ vel ex operis ſuis, Stichum qui ipſius eſt. Magis eſt ut mihi acquirat : quia etſi ſervus eſſet meus, adquireret mihi (*e*). Nec enim illud dici debet, quaſi ille quoque in peculio ejus eſſet.

Sed ſi ex re meâ Stichum qui meus eſt, ſtipulatur, ſibi (*f*) acquiret. *l.* 20. PAUL. LIB. 15. QUÆST.

XXXIV.

Inſtar hominis bonâ fide poſſeſſi habetur, Stipulator ille de quo Africanus in ſpecie ſequenti.

Ejus qui in provinciâ Stichum ſervum Kalendario præpoſuerat, Romæ teſtamentum recitatum erat ; quo idem Stichus liber, & ex parte heres erat ſcriptus : qui ſtatûs ſui ignarus, pecunias defuncti aut exegit aut credidit ; ut interdum ſtipularetur (*g*) & pignora acciperet. Conſulebatur quid de his Juris eſſet ?

Placebat, debitores quidem ei qui ſolviſſent liberatos eſſe ; ſi modò ipſi quoque ignoraſſent dominum deceſſiſſe. Earum autem ſummarum nomine quæ ad Stichum perveniſſent, Familiæ erciſcundæ quidem actionem non competere (*h*) coheredibus, ſed Negotiorum geſtorum dari debere. Quas verò pecunias ipſe credidiſſet, eas non ex majore parte quàm ex quâ ipſe heres ſit, alienatas eſſe. Nam & ſi tibi in hoc dederim nummos ut eos Sticho credas, deinde mortuo me ignorans dederis ; accipientis non facies. Neque enim, ſicut illud receptum eſt ut debitores ſolventes ei liberentur ; ita hoc quoque receptum ut credendo nummos alienaret. Quare, ſi nulla Stipulatio interveniſſet ; neque ut creditam pecuniam pro parte coheredis peti poſſe, neque pignora teneri.

Quòd ſi Stipulatus quoque eſſet ; referret, quemadmodum Stipulatus eſſet. Nam ſi nominatim (fortè Titio) domino ſuo, mortuo jam, dari Stipulatus ſit : procul dubio inutiliter eſſet Stipulatus. Quòd ſi tibi dari Stipulatus eſſet, dicendum hereditati eum adquiſiiſſe (*i*). Sicut enim nobiſmetipſis, ex re noſtrâ, per eos qui liberi vel alieni ſervi bonâ fide ſerviunt, adquiratur ; ita hereditati quoque ex re hereditariâ acquiri.

Poſt aditam verò à coheredibus hereditatem, non æquè (*k*) idem dici poteſt : utique ſi ſcierint, eum ſibi coheredem datum (*l*) ; quoniam tunc non poſſunt videri bonæ fidei poſſeſſores eſſe, qui nec poſſidendi animum haberent. Quòd ſi proponatur coheredes ejus id ignoraſſe, quòd fortè ipſi quoque ex neceſſariis fuerint ; poteſt adhuc idem (*m*) reſponderi. Quo quidem caſu illud eventurum, ut, ſi ſuæ conditionis coheredes iſte ſervus habeat, invicem bonâ fide ſervire viderentur. *l.* 41. *ff. de Reb. creditis.* AFRIC. LIB. 8. QUÆST.

§ V.

De Stipulatione ejus Servi aut liberi hominis qui malâ fide poſſidetur.

XXXV.

Malæ fidei poſſeſſori ſervi, ex nullâ causâ per ſervum acquiri poteſt.

Hinc Servus meus, quum apud furem eſſet, furi dari Stipulatus (*n*) eſt. Negat furi deberi Sabinus ; quia eo tempore quo Stipulatus eſt, ei non ſerviret. Sed nec ego ex eâ Stipulatione agere potero (*o*). Sed ſi detractâ furis perſonâ Stipulatus eſt (*p*), mihi quidem adquiritur actio. *l.* 14. JUL. LIB. 3. AD URSEIUM-FEROCEM.

(*a*) Pro reliquâ parte, inutiliter Stipulatur. Is videtur obvius Neratii ſenſus. Sed Accurſius & Cujacius ut Neratium cum Sabino [modò infrà in l. 32.] concilient ; hanc legem 24. aliter intelligunt ; ita ſcilicet ut ex hâc ſtipulatione actionem quidem in ſolidum adversùs promiſſorem ; is cui ſervus ſtipulatus eſt, acquirat ; quod autem ait Neratius *Pro parte duntaxat ei acquiri*, accipiendum eſſe inſpecto exitu ſeu effectu, eo quòd confructuario, jus quod ex hâc ſtipulatione conſecutus eſt, conferre teneatur. Hanc interpretationem non reſpuimus.

(*b*) Id eſt, uſufructuarius : ut & in l. 45. ff. *de Adq. rer. dom.* Unde Cujacius notat verbum *Usûs* aliquando ambiguum : Obſerv. X. 13.

(*c*) Propriè in ſolas res corporales communio cadit : ſuprà lib. 10. Tit. *Fam. erciſc.* N. 32. igitur jus uſusfructûs, in ſe ſpectatum & quatenùs jus eſt, propriè inter duos fructuarios commune non eſt : nec enim ambo unum aliquid commune, ſed unuſquiſque proprium ſuum ac perſonæ ſuæ inhærens jus uſusfructûs habet. Verùm, ratione objecti ejuſdem ad quod terminatur jus uſusfructûs quod quiſque habet ; poſſunt videri habere aliquid commune, adeòque experiri judicio *Communi dividundo* ſaltem *Utilis*.

(*d*) Ego ingenuus bonâ fide tibi ſervio. Titius debitor eſt mihi ex causâ peculii ad te pertinentis. Conveni cum Titio ut Stichum quem poſſidebat, & quem meum eſſe ignorabam, mihi daret ; & eâ de causâ ſtipulor ab ipſo Stichum. Hunc mihi inutiliter ſtipularer, cùm nemo rem ſuam utiliter ſtipuletur : ſed nihilominùs utiliter eam ſtipulor ex eâ causâ, ex quâ jus ſtipulationis non mihi ſed tibi acquiritur.

(*e*) Cùm ex his cauſis, non ſibi, ſed mihi tanquam ſi meus eſſet ſervus acquirat ; non quærendum eſt an ſibi hanc rem poſſet acquirere, ſed an mihi eam acquireret ſi ſervus meus eſſet. Mihi autem poteſt Stichus ille acquiri ; nam meus non eſt ullo modo : *nec enim dici* poteſt hunc eſſe in peculio hujus liberi hominis, quod ad me pertineat quaſi ſervi.

(*f*) Quod enim ex re meâ mihi acquirere non poteſt, acquirit ſibi : ſicut vidimus ſuprà §°. 1°. ſervum alienum quod ex re poſſeſſoris ei acquirere non poſſet, acquirere domino.

(*g*) Id eſt ; Et credendo, *interdum* [ut ſibi tutiùs cautum foret] aut adjiciebat Stipulationem, aut pignora accipiebat.

(*h*) Vide rationem ſuprà lib. 10. Tit. *Famil. erciſc.* N. 85.

(*i*) Dum enim ignoratur an liber ſit, eſt in hereditate ; inſtar eorum qui tanquam Servi bonâ fide poſſidentur : adeòque ex re hereditatis ſtipulando, acquirit hereditati.

(*k*) Scilicet *æquè dici non poteſt* ut adquirat coheredibus ſuis ; quemadmodum in ſpecie præced. adquirit hereditati jacenti, & per eam coheredibus ſuis.

(*l*) Vide infrà N. 36.

(*m*) *Idem* nempè quod in primâ ſpecie, in quâ jacens erat hereditas : ut quemadmodum in illâ ſpecie adquirit hereditati & per eam coheredibus ſuis, ita & in hâc ſpecie coheredibus ſuis, tanquam ab ipſis bonâ fide poſſeſſus, pro parte ipſorum hereditariâ adquirat.

(*n*) Et quidem [ſi vis] ex re furis.

(*o*) Ratio ſuprà N. 7. quia nominatim alteri quàm mihi ſtipulatus eſt. Vulgata autem ſupplet aliam rationem, ita legendo : *ſed nec ego ex eâ Stipulatione agere potero ; quia eo tempore quo ſtipulatus eſt, mihi non ſerviret.* Ineptum Gloſſema ; neque enim minùs ſervus meus eſt, quod apud furem ſit.

(*p*) Putà, imperſonaliter *ſtipulatus eſt.*

Source : BIU Cujas

Nota. Sed furi, nec Mandati, nec alia actio adversùs me dari debet. *d. l.* 14. ¶ *sed.*

XXXVI.

Idem dic de libero homine qui malâ fide possidetur, nimirùm ut ex nullâ causâ possessori acquirat.

Hoc docet Javolenus. Si servus testamento manumissus, quum se liberum esse ignoraret, & in causâ hereditariâ maneret, pecuniam heredi Stipulatus est; nihil debebitur heredibus, si modò scierint eum testamento manumissum: quia non potest videri justam servitutem servisse iis qui illum liberum esse non ignorabant. Distat ista causa, ejus qui liber emptus bonâ fide servit; quia in eo, & ipsius & emptoris existimatio consentit. Cæterùm is qui scit hominem liberum esse, quamvis ille conditionem suam ignoret, ne possidere quidem eum potest videri. *l.* 34. JAVOLEN. LIB. 2. AD PLAUT.

ARTICULUS IV.

De Stipulatione Servorum hereditariorum, & Servorum captivi.

§ I.

De Stipulatione Servorum hereditariorum.

XXXVII.

Servus hereditarius, & heredi futuro, & hereditati rectè Stipulatur. *l.* 35. MODESTIN. LIB. 7. REGUL.

Hoc tamen non fuit absque controversiâ. Nam Illud quæsitum est, an heredi futuro Servus hereditarius Stipulari possit? Proculus negavit: quia is eo tempore extraneus est. Cassius respondit, posse; quia, qui postea heres extiterit, videretur ex mortis tempore defuncto successisse. Quæ ratio illo argumento commendatur, quòd heredis familia ex mortis tempore funesta (*a*) facta intelligitur; licèt post aliquod tempus heres extiterit. Manifestum igitur est, Servi Stipulationem ei adquiri. *l.* 28. § 4. GAIUS LIB. 3. DE VERB. OBLIG.

Cæterùm heredi futuro, rectè quidem sub hâc appellatione HEREDIS FUTURI, *Stipulatur Servus hereditarius; non verò Stipulatur utiliter alicui sub proprii ejus nominis appellatione, quamvis ille postea heres extiterit.*

Sic accipe quod ait Paulus. Servus hereditarius futuro heredi nominatim dari Stipulatus, nihil agit; quia Stipulationis tempore heres dominus ejus non (*b*) fuit. *l.* 16. PAUL. LIB. 4. REGUL.

Item, etsi SIBI *aut impersonaliter stipuletur ille Servus; ita demùm utilis Stipulatio est, si postea adeatur hereditas. Est autem prorsùs inutilis, si nominatim* DOMINO *jam mortuo Stipuletur: ut obiter suprà N.* 34. *Vide & infrà* §°. *seq.*

XXXVIII.

Quædam etiam res sunt quas si jacente adhuc hereditate, etsi postmodùm adeatur, Servus hereditarius Stipulatus fuerit, non valebit Stipulatio. Talis est ususfructus.

Enimverò Ususfructus sine personâ (*c*) esse non potest: & ideò servus hereditarius inuliter usumfructum Stipulatur. Legari autem ei posse usumfructum dicitur, quia dies non cedit statim; Stipulatio autem pura suspendi non potest (*d*). Quid ergo, si sub conditione stipuletur? Nec hoc casu valeat Stipulatio; quia ex præsenti vires accepit Stipulatio, quamvis petitio ex eâ suspensa sit. *l.* 26. PAUL. LIB. 1. MANUAL.

XXXIX.

Quæ de servo hereditario diximus, noli trahere ad servum castrensis peculii jacentis. Non enim, sicut patrisfamilias hereditas intelligitur, etiam antequàm adeatur, ita & filiifamilias.

Unde Papinianus. Si Servus communis Mævii & castrensis peculii, defuncto filiofamilias milite, antequàm adeat institutus hereditatem, Stipuletur; socio qui solus interim dominus invenitur, tota Stipulatio quæretur: quoniam partem non facit hereditas ejus, quæ nondum est. Non enim si quis heredem existere filiifamilias dixerit, statim & hereditatem ejus jam esse consequens erit: cùm beneficium Principalium Constitutionum in eo locum habet, ut filiusfamilias de peculio testari possit; quod privilegium cessat, priusquàm testamentum aditione fuerit (*e*) confirmatum. *l.* 18. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

Quod mox dixit Papinianus, solidum ex Stipulatione Mævio acquiri, obtinebit si heres à filiofamilias scriptus postea omiserit hereditatem. Hoc enim casu servus, nec hereditati filiifamilias quæ non fuit, nec patri cujus nondum erat servus, potuit acquirere.

Quòd si heres à filiofamilias scriptus, postea adierit hereditatem: cùm aditio ad tempus mortis retròtrahatur, servus hujus heredis fuisse intelligetur pro eâ parte pro quâ in peculio erat, adeòque pro ea parte, ex suâ Stipulatione heredi acquirit. Et hoc discimus ex eodem Papiniano. Ita ille: Proxima species videtur, ut scriptis heredibus deliberantibus, quod Servus interim Stipulatus est, vel ab alio sibi traditum accepit; quod quidem ad patris personam attinet, si fortè peculium apud eum resederit, nullius momenti videatur; cùm in illo tempore non fuerit servus patris: quod autem ad scriptos heredes, in suspenso fuisse traditio itemque Stipulatio intelligatur. Ut enim hereditarius fuisse credatur, post aditam fit hereditatem. *l.* 14. §. 1. *ff. de Castr. pecul.* PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

Ita quidem ex stricto Jure censebat Papinianus obtinere debere. Verùm, vel idem ipse statim emendando se, vel saltem is qui Notas ad eum scripsit, aliud ex æquitate censet obtinendum. Sic enim subjicit: Sed paterna verecundia (*f*) nos movet; quatenùs & in illâ specie ubi Jure pristino apud patrem peculium remanet, etiam adquisitio Stipulationis vel rei traditæ per servum fiat. *d.* § 1. ¶ *sed paterna.*

Censuit etiam ipse Papinianus, aliter obtinere debuisse circa legatum quod hoc medio tempore servo castrensis peculii relictum est. Sic enim ait: Legatum quod ei servo relictum est, quamvis tunc propter incertum nulli sit adquisitum; omisso testamento, patri tunc primùm per servum adquiretur cùm, si fuisset (exemplo hereditatis) peculio adquisitum, jus patris hodie non consideraretur (*g*). *d. l.* 14. § 2.

§ II.

De Stipulatione Servi cujus dominus ab hostibus captus est.

XL.

Quemadmodum si servus hereditarius; ita pariter si servus ejus qui ab hostibus captus est, stipuletur sibi aut impersonaliter; non est dubium utilem esse Stipulationem: sive revertatur dominus; sive ibi decesserit, & adita fuerit ex Lege Corneliâ ejus hereditas; ut obiter suprà vid. N. 37.

(*a*) Quandiù mortuus non est humatus, non solùm familia defuncti, sed & familia heredis erant funestæ; & post humationem, debebant certo ritu purgari. De quibus vide Commentarium nostrum ad *XII Tabulas* Tab. X Cap. II n. 3. & Cap. III n. v.

(*b*) Ita Pacius has leges conciliat *Centur.* VII. 37.

(*c*) Quæ frui possit. Frui autem non potest ficta persona, qualis est hereditas: *Frui* enim, est quid facti.

(*d*) Hæc regula non est adæquatè vera: nam actus inter vivos, interdum in suspenso est; ut quum unus ex pluribus dominis cessit servitutem in Jure, donec cæteri eam cedant. Sed tunc maximè obtinet, si nulla initio subsit persona capax: ut hic. Et ita Pacius VII 35.

(*e*) Hereditas patrisfamilias est & antequàm adeatur: Jure enim communi habet paterfamiliàs, ut hereditatem habeat. Filii autem familiàs hereditatem non habent: hoc tantùm ex privilegio habent, ut de castrensi peculio testari possint; & ut quem in his bonis heredem scripserint, possit ea tanquam hereditatem habere. Sed cùm hoc ex privilegio obtineat; non intelligitur esse hereditas filiifamilias, donec privilegio locus fuerit, & is scriptus à filiofamilias heres hereditatem agnoverit. Interim igitur servus hujus peculii, non acquiret hereditati quæ nondum est; sed quæ nec intelligitur fuisse, si scriptus heres omiserit.

(*f*) Id est, observantia quam judices debent habere erga patres circa bona filiorum.

(*g*) Et in hâc re *Peculium* differt ab *hereditate*. Nam si fuisset filiifamilias hereditas; legatum huic servo relictum statim acquisitum fuisset hereditati, & per hereditatem heredi patri: adeòque *jus patris*, ex eo quoque tempore, *non* demùm *hodie consideraretur.*

Source : BIU Cujas

At ſi nominatim domino Stipulatio facta ſit; ſi quidem revertatur, utilis eſt. Quòd ſi non fuerit reverſus, licèt ex poſt facto hereditas ejus adita ſit, inutilem prorsùs eſſe hujuſmodi Stipulationem docet Papinianus. Ita ille : Servus capto domino ab hoſtibus, DOMINO (*a*) dari Stipulatus eſt. Quamvis quæ ſimpliciter (*b*) Stipulatur, vel ab alio accepit, etiam ad heredem captivi (*c*) pertinent : (aliudque ſit Juris in perſonâ filii, quia nec tunc fuit in poteſtate quum ſtipularetur, nec poſtea deprehenditur ut ſervus (*d*) in hereditate;) tamen in propoſito poteſt quæri, num ex hâc Stipulatione nihil adquiſitum heredi videtur? quomodo ſi ſervus hereditarius, defuncto (*e*) aut etiam heredi futuro Stipulatus fuiſſet. Sed in hâc ſpecie (*f*) ſervus filio exæquabitur. Nam & ſi filius captivi patri ſuo Stipulatus fuerit dari, res in pendenti erit : &, ſi pater apud hoſtes deceſſerit, nullius momenti videbitur fuiſſe Stipulatio (*g*); quoniam alii, non ſibi Stipulatus eſt. *l.* 18. § 2. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

(*a*) Nominatim.

(*b*) Id eſt, imperſonaliter. Idem eſt, ſi *ſibi* ſtipuletur.

(*c*) Qui *captivus* fictione Legis Corneliæ creditur mortuus eſſe quo primùm tempore captus eſt ; adeòque jus ex Stipulatione, hujus hereditati quæſitum videtur.

(*d*) Adeòque quod ſimpliciter filius ſtipulatur ; non hereditati captivi, ſed ſibi ipſi ex Stipulatione acquirit.

(*e*) *Defuncto* nominatim, *aut heredi futuro* ſub appellationis nomine propriâ, non tanquam heredi.

(*f*) In quâ nominatim captivo Stipulatur ſervus. Itaque in ſuperiori ſpecie, nimirùm quum imperſonalis eſt Stipulatio, differt ſervus à filio ; in eo quòd ex Stipulatione Servi, acquiritur heredi captivi ; ex Stipulatione filii, ipſi filio. *Sed in hâc ſpecie*, quâ nempè Stipulatio nominatim facta eſt captivo, *Servus filio exæquabitur.*

(*g*) Cùm jam mortuo ſtipulatus ſit.

LIBER QUADRAGESIMUS-SEXTUS.

TITULUS I.

DE FIDEJUSSORIBUS ET MANDATORIBUS.

CUM per ſtipulationem Fidejuſſio fieret, doctrinæ de ſtipulatione ſubjecta eſt tractatio DE FIDEJUSSORIBUS ; *& cùm Fidejuſſorum obligationi ſimilis ſit Mandatorum obligatio,* DE MANDATORIBUS *etiam hoc Titulo agitur.*

I.

FIDEJUSSOR *eſt, qui alieno creditori id quod ei debetur promittit; ſtipulatione interveniente, & eo animo ut debitoris obligationi accedat.*

MANDATOR *eſt, qui auctor fuit ſeu mandavit ut alicui crederetur.*

Circa Fidejuſſores & Mandatores videbimus 1°. *Cui obligationi accedere poſſint :* 2°. *Quinam poſſint Fidejuſſorio Mandatorio-ve nomine obligari ; pro quâ perſonâ, & cui :* 3°. *Quando Mandatorum & Fidejuſſorum obligatio contrahi poſſit ; quomodo contrahatur ; cujus rei & qualis eſſe debeat.*

4°. *De interpretatione ſtipulationum Fidejuſſoriarum agemus.*

5°. *Videbimus circa actiones quæ adversùs Fidejuſſores Mandatores-ve competunt, quando ipſi conveniri poſſint, & an etiam ante reum principalem ; ubi agemus de variis beneficiis quæ ſucceſſu temporum Fidejuſſoribus & Mandatoribus indulta ſunt,* Diſcuſſionis *ſcilicet*, Cedendarum actionum, & Diviſionis : *item videbimus de propriâ actione quam habent Fidejuſſores & Mandatores qui ſolverunt, adversùs reum principalem ; quæremuſque an aliquam etiam habeant adversùs confidejuſſores.*

6°. *Quando extinguatur obligatio Fidejuſſoria & Mandatoria.*

(*a*) Mortuo patrefamilias debitore ſupereſt obligatio ; nam ejus hereditas debet. At filiifamilias nulla eſt hereditas.

(*b*) Intra annum : de quâ vide ſuprà lib. 15. Tit. *de Pecul.*

(*c*) Non *Civilem*, ut patet ; cùm pater ipſe mutuum non acceperit : nec *Honorariam* DE PECULIO, quæ ex cæteris filiifamilias contractibus, mortuo eo, intra annum adversùs patrem datur ; hæc enim prohibente Senatuſconſulto Macedoniano non datur.

SECTIO I.

Cui obligationi Fidejuſſores aut Mandatores accedere poſſint.

ARTICULUS I.

Subeſſe debere obligationem aliquam, cui Mandator aut Fidejuſſor accedat.

II.

Ut Fidejuſſores vel Mandatores interveniant ; patet obligationem aliquam ſubeſſe oportere, quæ Jure vel ſaltem naturâ conſiſtat.

Enimverò Cùm principalis cauſa non conſiſtat ; plerùmque ne ea quidem quæ ſequuntur, locum habent. *l.* 178. (*Aliàs* 138.) *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 15. AD PLAUT.

Hinc V. G. 1°. Si ſub impoſſibili conditione ſtipulatus ſim, Fidejuſſor adhiberi non poteſt. *l.* 29. PAUL. LIB. 18. AD ED.

Talis enim ſtipulatio, eſt ipſo Jure nulla : ut ſuprà vid. lib. præced. Tit. de Verb. obligat. *N.* 98.

III.

Hinc. 2°. Creditorem filiifamilias, mortuo eo, Fidejuſſorem accipere non poſſe Julianus ſcribit ; quia nulla obligatio aut civilis aut naturalis ſuperſit (*a*), cui Fidejuſſor accedat. *l.* 18. *ff. Ad SC. Macedon.* VENULEIUS LIB. 2. STIPULATION.

Obiter nota : Planè à patre, ejus actionis nomine quæ DE peculio adversùs eum competat (*b*), Fidejuſſorem rectè accipi. *d. l.* 18. ¶ *planè.*

At verò Qui contra Senatuſconſultum filiofamilias crediderit, mortuo eo, Fidejuſſorem à patre accipere non poteſt : quia neque civilem neque Honorariam adversùs patrem actionem habet (*c*) ; nec eſt ulla here-

Source : BIU Cujas

ditas, cujus nomine Fidejussores obligari possint. *l.* 11. JULIAN LIB. 12. DIGEST.

3°. *Hinc etiam*, Cùm Lex (*a*) venditionibus occurrere voluerit, Fidejussor quoque liberatur : eo magis quòd per ejusmodi actionem, ad reum (*b*) pervenitur. *l.* 46. JAVOLEN. LIB. 10. EX POSTERIORIB. LABEONIS.

IV.

4°. *Indè etiam est quòd* Si quis pro eo qui libertus non esset & operas præstaturum se jurasset, Fidejussor erit; non (*c*) tenebitur. *l.* 56. PAUL. LIB. 15. QUÆST.

5°. *Hinc quoque* Si nummos alienos, quasi tuos, mutuos dederis sine stipulatione ; nec Fidejussorem teneri (*d*) Pomponius ait. *d. l.* 56. § 2.

Nota. Quid ergo si consumptis nummis nascatur Condictio (*e*)? Puto fidejussorem obligatum fore : in omnem enim causam acceptus videtur, quæ ex eâ numeratione nasci potest. *d.* § 2. ¶ *quid ergo.*

6°. *Hinc etiam*; Si quis, postquàm tempore transacto liberatus est, Fidejussorem dederit; Fidejussor non tenetur : quoniam erroris Fidejussio nulla est. *l.* 37. PAUL. LIB. 17. AD PLAUT.

7°. *Similiter* Si debitori deportatio irrogata est ; non posse pro eo Fidejussorem accipi scribit Julianus, quasi tota obligatio contra eum extincta (*f*) sit. *l.* 47. PAPIN. LIB. 9. QUÆST.

ARTICULUS II.

Cuilibet obligationi Mandatorem accedere posse, aut Fidejussorem.

V.

Cuilibet obligationi Mandatores accedunt : quidquid enim & quomodocumque crediderim ex tuo Mandato, mihi Mandatorio nomine obligaris.

Nec refert, gratuitò ; an sub usuris crediderim. Nam Placet Mandatorem teneri, etiamsi fœneraturo creditori Mandet pecuniam credere. *l.* 71. § 2. PAUL. LIB. 4. QUÆSTION.

VI.

Pariter Omni obligationi Fidejussor accedere potest. *l.* 1. ULP. LIB. 39. AD SABIN.

Et generaliter ; omnium obligationum Fidejussorem accipi, nemini dubium est. *l.* 8. § 6. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

Nec refert quo Jure teneat obligatio cui Fidejussor accedat, nec ex quâ causâ descendat, nec quid in obligationem deductum sit ; nec an sit principalis, an ipsa alterius accessoria.

§ I.

Nil referre quo Jure teneat obligatio cui Fidejussor accedit.

VII.

Et 1°. Pro eo etiam qui Jure Honorario (*g*) obligatus est, posse Fidejussorem accipi sciendum est. *d. l.* 8. § 2.

V. G. pro patre, ex contractu filiifamilias ; ut mox suprà obiter vidimus N. 3. *Idem dicendum de domino, ex contractu servi. Nam de utroque pariter ait Julianus* : Planè ejus actionis nomine quæ DE peculio adversùs eum competit, Fidejussor rectè accipitur. *l.* 12. JULIAN. LIB. 43. DIGEST.

VIII.

2°. Adhiberi autem Fidejussor tam futuræ quàm præcedenti obligationi potest ; dummodò sit aliqua, vel naturalis futura obligatio. *l.* 6. § *fin.* ULPIAN. LIB. 47. AD SABIN.

Quod enim solutum repeti non potest (*h*), conveniens est hujus naturalis obligationis Fidejussorem accipi posse. *l.* 7. IDEM LIB. 53. DIGEST.

Consonat quod Julianus ait. Fidejussor accipi potest, quoties est aliqua obligatio civilis vel naturalis cui applicetur. *l.* 16. § 3. JULIAN. LIB. 53. DIGEST.

Et Naturales obligationes, non eo solo æstimantur (*i*) si actio aliquo eorum nomine competit, verùm etiam quum soluta pecunia repeti non potest. Nam licèt minùs propriè DEBERE dicantur naturales (*k*), per abusionem intelligi possunt debitores ; & qui ab his pecuniam recipiunt, DEBITUM sibi recepisse. *d. l.* 16. § 4.

IX.

Quum dicimus nil referre quo Jure teneat obligatio cui Fidejussor accedat ; notandum tamen, ei obligationi quæ merâ Juris subtilitate teneret, & perpetuâ In rem *exceptione excluderetur, inutiliter Fidejussorem accedere : si quidem Fidejussor acceptus posset eâ exceptione uti, etiam invito eo pro quo fidejussisset.*

Hinc Julianus. Si stipulatus esses à me sine causâ (*l*), & Fidejussorem dedissem ; & nollem eum exceptione uti, sed potiùs solvere, ut mecum Mandati judicio ageret ; Fidejussori, etiam invito me, exceptio dari debet. Interest enim ejus, pecuniam retinere ; potiùs quàm solutam stipulatori, à reo petere. *l.* 15. JULIAN. LIB. 51. DIGEST.

§ II.

Nil referre ex quâ causâ descendat obligatio cui Fidejussor accedit.

X.

Præterea sciendum est, Fidejussorem adhiberi omni obligationi posse ; sive re, sive consensu. *l.* 8. § 1. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

V. G. Et Commodati, & Depositi, Fidejussor accipi potest ; & tenetur, etiamsi apud servum vel pupillum depositum commodatum - ve fuerit. Sed ita demùm, si aut dolo malo aut culpâ hi fecerunt (*m*), pro quibus Fidejussum est. *l.* 2. POMPON. LIB. 22. AD SABIN.

Ex quovis igitur contractu imò & quasi-contractu obligatio descendat, Fidejussor rectè accipitur. Putà Potest accipi Fidejussor ejus actionis quam habiturus sum adversùs eum pro quo Fidejussi, vel Mandati vel Negotiorum gestorum (*n*). *l.* 4. ULP. LIB. 45 AD SABIN.

Item obligationis quæ ex litis contestatione contrahitur, Fidejussor accipi potest.

Hinc Et post litem contestatam Fidejussor accipi potest ; quia & civilis & naturalis subest obligatio. Et hoc

(*a*) Putà illa quæ prohibet alienari prædia rustica Minorum.

(*b*) Sensus est : Lex voluit tales venditiones prorsùs nulla esse, adeòque nec principalem *Rei* seu venditoris consistere obligationem ; & proindè nec accessoriam. Eo magis quòd si in Fidejussorem ex venditione hujusmodi daretur actio ; indirectè teneretur ipse venditor, in quem nempè Fidejussor haberet regressum per actionem *Mandati*. Quod contra prohibitionem Legis fieri non potest.

(*c*) Obligatio operarum officialium non potest cadere nisi in libertum ejus cui promissæ sunt. Vide suprà lib. 38. Tit. *de Operis libert.*

(*d*) Nulla enim consistit obligatio mutui ; cùm nummos quos mutuos dedisti, non feceris accipientis. Vide suprà lib. 12. Tit. *de Reb. cred.* N. 10.

(*e*) Vide d. Tit. *de Reb. cred.* N. 15.

(*f*) Obligationes extinguuntur capitis deminutione debitoris ; quasi sublatâ per capitis deminutionem ejus personâ. Vide suprà lib. 4. Tit. *de Cap. minut.* Nec obstat lex 19. ff. *de Duob. correis* ; ubi correo deportato, *Fidejussor* POSTEA *datus nihilominùs tenetur.* Hoc enim verbum *Postèa*, vel intelligendum est ut ante capitis deminutionem datus, *postèa* teneatur ; vel etiam alio modo quem notavimus lib. præced. *d. tit.* N. 7.

(*g*) Solo, non etiam Civili.

(*h*) Jurisconsultus hâc notâ, & ex hoc effectu, demonstrat obligationem naturalem.

(*i*) Id est ; obligatio naturalis est, non solùm illa quæ actionem parit, quæ dat jus exigendi ; sed etiam illa quæ duntaxat inhibet repetitionem ejus quod ex hâc causâ solvitur.

(*k*) Merè naturales debitores propriè *Non debent*, propriè non obligantur ; cùm non possint cogi. Obligatio enim definitur, *Vinculum quo necessitate adstringitur ad dandum aut faciendum.*

(*l*) Putà, quasi mutuo daturus pecuniam quam non dedisti.

(*m*) Scilicet depositarius *dolo*, commodatarius etiam *culpâ*.

(*n*) Si pro aliquo Fidejusseram sine Mandato, & ex hâc causâ solvi : obligatur mihi ex quasi-contractu, actione *Negotiorum gestorum.* Porrò possum ab eo in hanc Fidejussorem accipere.

Source : BIU Cujas

& Julianus admittit : eoque Jure utimur. An ergo condemnato reo exceptione uti possit (*a*), quæritur ? Nam ipso Jure non liberatur. Et si quidem JUDICATI actionis acceptus non est, sed tantùm litis exercitationis ; rectissimè dicetur, uti eum exceptione posse (*b*) : si verò acceptus fuerit etiam totius causæ, cessabit exceptio. *Sup. d. l.* 8. § 3.

X I.

Neque solùm ex quovis contractu aut quasi-contractu ; Sed & si ex delicto oriatur actio, magis putamus teneri Fidejussorem. *l.* 8. § 5. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

Enimverò Id quod vulgò dictum est, MALEFICIORUM Fidejussorem accipi non posse ; non sic intelligi debet, ut in pœnam furti is cui furtum factum est, Fidejussorem accipere non possit (nam PŒNAS OB MALEFICIA SOLVI, MAGNA RATIO SUADET) : sed ita potiùs, ut quis cum alio cum quo furtum admisit, in partem quam ex furto sibi restitui desiderat, Fidejussorem obligare non possit ; & qui alieno hortatu ad furtum faciendum provectus est, ne in furti pœnâ ab eo qui hortatus est Fidejussorem accipere possit. In quibus casibus illa ratio impedit Fdejussorem obligari, quia scilicet in nullam rationem adhibetur Fidejussor ; cum flagitiosæ rei societas coita nullam vim habet. *l.* 70. § 5. GAIUS LIB. 1. DE VERB. OBLIG.

Igitur & Pro Furti actione Fidejussor accipi potest, item pro eo qui in Legem Aquiliam commisit. *l.* 56. § 3. PAUL. LIB. 15. QUÆST.

Nota. Diversa causa est Popularium actionum. *d.* § 3. ¶ *fin.*

In Popularibus enim actionibus, scilicet lite nondum contestatâ, quis Fidejussorem acciperet, cùm nullus sit ex hâc causâ creditor ; & per litis demùm contestationem hæ actiones, quasi quodam occupationis jure incipiant esse in bonis alicujus ? Cæterùm si lis semel contestata sit, in Popularibus sicut in cæteris actionibus Fidejussorem posse accipi, vix dubitari potest.

X I I.

Quod tamen diximus, ex quâvis causâ obligatio descendat, Fidejussores rectè accipi ; unam exceptionem patitur, de quâ sic rescribunt Gratianus, Valentinianus & Theodosius : sive ex Jure sive ex consuetudine Lex proficiscitur, ut vir uxori Fidejussorem servandæ dotis exhibeat, tamen eam jubemus aboleri (*c*). *l.* 1. *Cod. Ne fidejuss. vel mand. dot.*

Hoc Jus confirmavit Justinianus. Generali definitione Constitutionem pristinam ampliantes ; sancimus nullam esse satisdationem vel Mandatum pro dote exigendum, vel à marito, vel à patre ejus, vel ab omnibus qui dotem suscipiunt. Si enim credendam mulier sese suamque dotem patri mariti existimavit ; quare Fidejussor vel alius intercessor exigitur, ut causa perfidiæ in connubio eorum generetur ? *l.* 2. *Cod. d. tit.*

At non vicissim maritus prohibetur accipere Fidejussores dotis ipsi promissæ, & maximè si ab extraneo accipiat.

Hinc Paulus. Quum dotis causâ aliquid expromittitur (*d*), Fidejussor eo nomine datus tenetur. *l.* 55. *ff. de Jur. dot.* PAUL. LIB. 1. AD PLAUT.

§ I I I.

Nil referre quod factum in obligationem deductum sit ; nec utrùm obligatio cui Fidejussor accedit, sit principalis, an ipsa alterius accessoria.

X I I I.

Etiamsi illud in obligationem deductum sit, quod personæ principalis debitoris cohæreat ; tamen potest Fidejussor accedere.

Hinc V. G. Pro liberto jurante, Fidejubere quemvis posse placet. *l.* 8. § 1. *ff. de Oper. libert.* POMPON. LIB. 8. AD SABIN.

X I V.

Item Pro Fidejussore Fidejussorem accipi, nequaquàm dubium est. *l.* 8. § 12. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

SECTIO II.

Quis cui possit Mandatorio aut Fidejussorio nomine obligari, & pro quâ personâ.

ARTICULUS I.

Quis & pro quo Mandator aut Fidejussor intercedere possit.

X V.

Fidejubere non possunt mulieres, nisi in rem suam : ut vid. suprà lib. 16. *Tit.* Ad SC. Velleian.

Item servi, nisi in rem peculiarem : suprà lib. 15. *Tit.* de Pecul. *Sect.* 2. *Art.* 2.

Mandator autem aut Fidejussor intervenire potest, etiam pro servo. Putà, Servo vendente hominem ; Fidejussor venditionis omnia præstare debet, in quæ obligaretur si pro libero Fidejussisset. Nam & in dominum actio sic datur, ut emptor eadem consequatur quæ libero vendente consequi debuisset. Sed ultra peculii taxationem dominus non condemnatur. *l.* 24. § 2. *ff. de Act. empti.* JULIAN. LIB. 15. DIGEST.

Adeò à servo potest Fidejussor accipi ; ut ipse quoque dominus, in id quod sibi debetur, Fidejussorem ab eo rectè accipiat. Quem Fidejussorem, etiam ab eo ipso servo interrogari (*e*) nihil impedit. *l.* 70. § 3. GAIUS LIB. 1. DE VERB. OBLIG.

X V I.

Marcellus scribit : Si quis pro pupillo sine tutoris auctoritate obligato (*f*), prodigo-ve vel furioso, Fidejusserit ; magis esse ut ei non subveniatur, quoniam (*g*) his Mandati actio non competit. *l.* 25. ULP. LIB. 11. AD ED.

(*a*) Fidejussor.

(*b*) Finge : Is pro quo Fidejussi *Judicio sisti*, defuit ; deindè re adhuc integrâ se stetit, & actâ causâ condemnatus est. Ego Fidejussor exceptione tutus ero ; quia, etsi stipulatio commissa sit quum reus defuit, tamen cùm postea se steterit, nihil actoris jam interest. Ex eo autem quod reus condemnatus fuerit, ego Fidejussor non teneor ; quia *litis exercitationis* causâ duntaxat adhibitus sum, non in causam *judicati*.

(*c*) Cujacius ad h. l. tit. nixus auctoritate Harmenopuli lib. 4. *Epist.* tit. 8. putat inhiberi duntaxat, ne constante matrimonio Fidejussores dentur ; posse autem accipi, si ante nuptias ita convenerit. Dissentit Jac. Gothofredus. Idem Cujacius *Tract. ad Afric.* IV ad l. 17. ff. *ad SC. Vellei.* hanc legem cum sequenti sic accipit ; ut Fidejussor etiamsi ultrò à marito pro dote mulieri detur, prorsùs non obligetur : eo quòd minùs honestè hunc mulier acciperet, quæ ei magis quàm marito suo crederet ; ut innuitur in l. seq. Et hanc sententiam secuti sumus. Sunt tamen qui his legibus hoc tantùm prohiberi putant, ne mulier ab invito viro Fidejussorem eo nomine exigere possit.

(*d*) Scilicet quum id quod dotis causâ debebat mulier, extraneus novandi animo promittit.

(*e*) Ita ; *Centum quæ domino meo debeo, fide tuâ esse jubes ?*

(*f*) Efficaciter tamen obligato, putà cujus negotia utiliter gesta sunt.

(*g*) Cujacius ad l. 19. ff. *de Usucap.* censet hanc conjunctionem *Quoniam* hic accipi in sensu disjunctivo : ut in multis aliis Pandectarum locis. Sensumque hunc legis esse ; ut ei qui pro pupillo furioso-ve Fidejusserit, *non* ideò *subveniatur quoniam*, &c. id est, non remittatur obligatio Fidejussoria ; *quamvis* hæ personæ non potuerint illi mandare ut pro ipsis fidejuberet, adeòque *his* [furioso scilicet & pupillo] aut potiùs adversùs illos *actio Mandati* non competat. Nam saltem competet actio *Negotiorum gestorum*, si pro illis personis jure obligatis fidejusserit quis, & ex hâc causâ solverit. Et ita vulgò intelligitur : quam interpretationem libenter sequimur.

At verò D. Noodt ad Tit. *de Minorib.* alio sensu eam intelligit ; scilicet has personas pro quibus Fidejussor intervenerit, non opus habere restitutione in integrum ; quia ipso Jure tuti sunt, nec ullâ actione Fidejussori tenentur. Textum autem ita emendat : *ut* His [furioso scilicet & pupillo] *non subveniatur ; quoniam* Ei [Fidejussori] *Mandati actio non competit.*

Retentâ vulgari legis lectione D. Bynkershoeck ita interpretatur : *magis esse ut ei non subveniatur*, id est, ut Fidejussori obligatio non detur actio *Mandati* adversùs pupillum & furiosum ; *quoniam his* [pupillo nimirùm & furioso *Mandati actio non competit*, id est, quoniam ipsi nec mandare possunt. Vide alias quàm plurimas ejusdem legis interpretationes, quas refert & confutat idem Bynkershoeck Observ. V. 20.

Cæterùm in fingendâ tantùm hujus legis specie differunt modò dictæ Doctorum illorum sententiæ. Cujacius furiosum, pupillum-ve, reverà obligatum supponit ; putà quia in rem illorum versum est : ideòque Fidejussorem datum teneri. Noodt contrà & Bynkershoeck casum reponunt in eâ specie in quâ nec ipse pupillus furiosus-ve obligaretur ; adeòque nec Fidejussor.

Source : BIU Cujas

Distinguendum tamen ex quâ causâ pro his Fidejussor sit acceptus. Nam Si à furioso stipulatus fueris, non posse te Fidejussorem accipere certum est; quia non solùm ipsa stipulatio nulla interceſſiſſet, sed ne negotium quidem ullum gestum intelligitur. Quòd si pro furioso, Jure obligato (*a*) Fidejussorem accepero; tenetur Fidejussor. *l.* 70. § 4. GAIUS LIB. 1. DE VERB. OBLIG.

XVII.

Etiam pro jacente debitoris hereditate, Fidejussor utiliter accipitur.

Hinc Florentinus. Mortuo reo promittendi, & ante aditam hereditatem Fidejussor accipi potest: quia hereditas personæ vice fungitur, sicuti Municipium, & Decuria, & Societas (*b*) *l.* 22. FLORENTIN. LIB. 8. INSTITUT.

XVIII.

Pro semetipso quis Mandator aut Fidejussor esse non potest. Hinc Africanus Servo tuo pecuniam credidi: eum tu manumisisti; deinde eumdem Fidejussorem accepi. Si quidem in eam obligationem Fidejubeat, quæ adversùs te intrà annum fit (*c*); obligari eum ait. Sin verò in naturalem suam, potiùs (*Supple*; est) ut nihil agatur: non enim intelligi posse, ut quis pro se fidejubendo obligetur. *l.* 21. § 2. AFRICANUS LIB. 7. QUÆST.

At potest quis Fidejussor esse pro eo cujus juri subjectus est. Igitur Filiusfamilias qui, pro patre (*d*) quamvis, in venditione fundi Fidejussit; tenetur. *l.* 8. *Cod. h. tit.* ALEXANDER.

Item Ulpianus. Filiusfamilias pro pare poterit Fidejubere, nec erit sine effectu hæc Fidejussio: primò quidem quòd sui juris effectus poterit teneri in id quod facere (*e*) potest; dein quòd, & dum in potestate manet, condemnari potest. Sed an pater ex hâc causâ, QUOD JUSSU teneatur, videamus? Et puto ad omnes contractus, QUOD JUSSU etiam referri (*f*). Sed si ignorante patre pro eo Fidejusserit, cessat ista actio (*g*): tamen quasi IN REM PATRIS VERSUM (*h*) sit, potest agi cum patre. Planè si is emancipatus solverit, Utilis (*i*) ei actio debebit competere: in potestate etiam manenti eadem actio competit, si de peculio castrensi (*k*) pro patre solverit. *l.* 10. § 2. ULP. LIB. 7. DISPUT.

XIX.

Pro eo pro quo jam purè Fidejussi, patet inutiliter in eamdem causam me Fidejubere. Pro correo autem ejus, utiliter Fidejubebo. Undè Africanus: Quum & tu & Titius ejusdem pecuniæ rei essetis; eum qui pro te Fidejussit, posse & pro Titio Fidejubere respondit: quamvis eamdem pecuniam eidem debiturus sit. Nec tamen inanem eam creditori futuram: nonnullis enim casibus emolumentum habituram; veluti si ei pro quo antè Fidejussisset, heres existat; tunc enim confusâ primâ obligatione (*l*), posteriorem duraturam (*m*). *l.* 21. § 4. AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

ARTICULUS II.

Cui Fidejussor aut Mandator obligari possit necne.

XX.

Fidejussor obligari non potest ei apud quem reus promittendi obligatus non est. Quare si servus communis Titii & Sempronii, nominatim (*n*) Titio dari stipulatus fuerit: & Fidejussorem ita interrogaverit, TITIO AUT SEMPRONIO ID DARE SPONDES? Titius quidem petere à Fidejussore poterit; Sempronii verò persona in hoc solùm interposita videbitur (*o*), ut solvi ei ante litem contestatam, & ignorante vel invito Titio possit. *l.* 16. JUL. 53. DIGEST.

Cùm non possit, ei cui reus obligatus non est, Fidejussor obligari; hinc Si mihi AUT Titio decem stipulatus fuerim, Titius Fidejussorem accipere non potest; quia solutionis tantùm causâ adjectus (*p*) est. *l.* 23. MARC. LIB. 4. REGULAR.

Indè est etiam quòd Si filius in causâ peculiari ita Fidejussorem acceperit; « QUANTAM pecuniam credidero, » fide tuâ esse jubes? » & emancipatus credat: patri quidem, si non est reus (*q*) obligatus, non tenebitur (*r*). *l.* 47. § 1. PAPIN. LIB. 9. QUÆST.

Obiter nota. Filio verò, humanitatis intuitu (*s*), obnoxius esse debet. *d.* § 1.

Pariter Paulus. Filiusfamilias ita stipulatus est; « QUANTAM pecuniam Titio credidero, fide tuâ esse » jubes? » & emancipatus credidit; patri non debebit Fidejussor, quia nec reus ei tenetur. *l.* 132. § 1. *ff. de Verb. oblig.* PAUL. LIB. 15. QUÆST.

XXI.

Item si filius à patre, vel servus à domino stipuletur; nec Fidejussor acceptus tenetur: quia non potest pro eodem & eidem (*t*) esse obligatus.

Ex diverso ergo; patre à filio, vel domino à servo stipulato, Fidejussor acceptus (*u*) tenetur. *l.* 56. § 1. PAUL. LIB. 15. QUÆST.

SECTIO III.

Quando & quomodo Mandatoris aut Fidejussoris obligatio contrahi possit; cujus rei, & qualis ipsa esse debeat; item de quâ personâ possint promittere.

ARTICULUS I.

Quando contrahi possint, & quomodo contrahantur obligationes Fidejussoriæ, item Mandatoriæ.

§ I.

An sicut præcedere, ita etiam sequi principalem obligationem possit, obligatio Fidejussoris aut Mandatoris.

XXII.

In hoc Mandatum credendæ pecuniæ & Fidejussio con-

(*a*) Putà, cujus negotia utiliter gessi.

(*b*) Id est, Sodalitium, Collegium, Universitas.

(*c*) Vide suprà lib. 15. Tit. *de Pecul.*

(*d*) *Pro patre quamvis*, id est, *Quamvis pro patre*; verbo QUAMVIS postposito. Ita certè legendum omninò & interpungendum est. Nam ratio dubitandi cadere non poterat in hoc quòd *pro venditione fundi* fidejussisset; cùm hæc causa nullatenùs differat à quâvis alterâ, sed in hoc, quòd pro patre fidejussisset; cum quo videtur esse quodammodo una persona.

(*e*) Vide suprà lib. 14. Tit. *Quod cum eo qui in alien. potest.*

(*f*) Ergo & ad causam Fidejussionis pro ipso, à filio interpositæ, potest actio *Quod jussu* porrigi. Igitur si jubente patre filius pro patre fidejussit, tenebitur ex hâc causâ pater *Quod jussu.*

(*g*) *Quod jussu.*

(*h*) Nam fidejubendo pro patre, gerit negotium patris, & eum sibi naturaliter debitorem facit: quæ res parit actionem *De in rem verso*, suprà lib. 15. Tit. *de In rem vers.* N. 2.

(*i*) Non *Directa*: nam ab initio nulla consistit obligatio *Mandati* aut *Negotiorum gestorum*, ex quâ actio nasci posset: cùm inter patrem & filium qui in potestate est, nulla possit contrahi civilis obligatio.

(*k*) Nam quoad peculium castrense filiusfamilias pro patrefamilias habetur; adeòque ex hâc causâ patrem suum sibi obligare potest.

(*l*) Vide infrà Tit. *de Solution.* Part. fin.

(*m*) Is ergo effectus erit, ut creditor habeat electionem eum conveniendi; aut hereditario nomine, aut etiam proprio ex causâ posterioris Fidejussionis quæ durat: quam electionem alioquin non haberet, cùm prioris Fidejussionis causa extincta sit.

(*n*) Quo casu soli Titio acquiritur obligatio. Vide lib. præced. Tit. *de Stipul. serv.* N. 13.

(*o*) Non enim potuit Sempronio Fidejussor obligari, cùm ei reus non esset obligatus.

(*p*) De his adjectis vide infrà Tit. *de Solution.* Part. 2â. art. 4°.

(*q*) Porrò *reus non est obligatus patri*; si filius, demùm postquàm emancipatus, est, credidit. Mutui enim obligatio cùm RE contrahatur, non potuit incipere nisi quum pecunia numerata est; quo tempore jam filius, solutâ patriâ potestate, non acquirebat patri.

(*r*) Non potest enim Fidejussor teneri patri, cui reus non est obligatus.

(*s*) Non stricto Jure; quo nempè, ex stipulatione dum alieni juris esset interpositâ, sibi non potest acquirere.

(*t*) Ex stipulatione filii, obligatio acquiritur patri. Si ergo filio stipulanti fide meâ esse jubeam quod ejus pater ipsi debet; ero ex hâc stipulatione obligatus patri, pro eo quod pater debet: ero pro eodem eidem obligatus, quod repugnat. Nam obligamur alicui tanquam creditori, obligamur pro aliquo tanquam pro debitore: quæ duæ qualitates non possunt in eâdem personâ concurrere.

(*u*) Ut jam suprà vid. Sect. 2â. Art. 1°.

Source : BIU Cujas

veniunt, quòd obligationem principalem præcedere possunt; ut suprà vid. N. 8. *ita tamen ut* [*ipsâ rei naturâ id postulante*] *non priùs obligetur ex hâc causa Mandator aut Fidejussor, quàm contracta fuerit obligatio principalis.*

At verò in hoc differunt Mandatum credendæ pecuniæ & Fidejussio; quòd Mandatum credendæ pecuniæ, obligationem cui accedit sequi non possit; contrà Fidejussio potest obligationem principalem sequi, & quidem ex intervallo. Hinc Ulpianus. Stipulatus sum à reo, nec accepi Fidejussorem, postea volo adjicere Fidejussore: si adjecero, fidejussor obligatur. *l.* 6. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

§ II.

In quo conveniat obligatio Mandatoria aut in quo differat à Fidejussoriâ, circa modum & formam utriusque contrahendæ.

XXIII.

Differunt item Mandatum & Fidejussio, circa modum contrahendæ obligationis: in eo quod Mandatum credendæ pecuniæ, sicut quodvis aliud mandatum, solâ voluntate contrahitur: Fidejussio autem, per stipulationem. Neque enim posse quem Fidejussionis nomine citra stipulationem obligari, expressè docent Diocletianus & Maximianus. Ita illi: Mutuæ pecuniæ quam aliis dedit creditor, citra solemnitatem verborum, subscribentem instrumento te non habet obligatum. *l.* 14. *Cod. Si cert. pet.*

Stipulationum autem Fidejussoriarum idem jus est ac cæterarum.

XXIV.

Igitur 1°. *sicut alias stipulationes, etiam Græcè fieri posse receptum est; pariter* Græcè Fidejussor & ita accipitur: ΤΗ͂ Ε᾽ΜΗ͂ ΠΙ᾽ΣΤΕΙ ΚΕΛΕΥ᾽Ω, ΛΕ᾽ΛΩ, ΘΕ᾽ΛΩ͂ [*id est, meâ fide jubeo, dico, volo*] sive ΒΟΥ᾽ΛΟΜΑΙ [*id est, cum destinatione quâdam animi volo*]. Sed & si ΦΗΜΙ [*id est, affirmo*] dixerit, pro eo erit atque si dixerit ΛΕ᾽ΓΩ [*dico*]. *l.* 8. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

Consonat quod rescribit Alexander. Blanditus tibi est qui non teneri te persuasit, quòd, quum pro alio intervenires, Ο᾽ΤΙ Ο᾽ΥΚ͂Ν ΘΕ᾽ΛΕΙΣ ΠΟΙΗ᾽ΣΩ dixisti [*id est, Quia* (vel, *Quod*) *igitur vis faciam*]: Cùm & his verbis obligationem verborum posse contrahi, pridem receptum est. *l.* 12. *Cod. h tit.*

XXV.

2°. *Sicut aliæ stipulationes diem aut conditionem recipiunt: ita* Et parvi refert utrùm purè Fidejussorem obligem, an ex die, an sub conditione. *l.* 6. § 1. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

In hoc porrò convenit Mandatum cum Fidejussione. Nam conditionem pariter recipere potest Mandatum credendæ pecuniæ; nec aliter obligatur Mandator, quàm si creditor conditioni paruerit.

Hinc Antoninus. Si creditor conditioni Mandato adscriptæ, quum pecuniam mutuam daret, in accipiendis hypothecis, non paruit; frustrà te judicio Mandati convenit: quando non aliter te obligasse intelligaris, quàm si pignoribus contraheretur obligatio. *l.* 7. *Cod. h. tit.*

XXVI.

Observandum supereſt ad formam Fidejussoriæ obligationis, consensum ejus pro quo Fidejubetur non requiri. Nam Fidejubere pro alio potest quisque, etiamsi promissor ignoret. *l.* 30. GAIUS LIB. 5. AD ED. PROVINC.

Idem dicendum de voluntate ejus cui credenda pecunia Mandatur.

(*a*) *Ex hoc*, scripto scilicet seu promisso tuo.

(*b*) Mandosa hic lectio; legendumque, *ultra quod mandato tuo numeratum est.* Et tunc aperta est legis sententia. Finge speciem. Mandasti Titio ut crederet Seiæ quindecim, quæ te ei daturum scripsisti. Titius Mandatum tuum pro parte duntaxat executus, numeravit duntaxat decem. *Præses provinciæ* Ex HOC scripto tuo *à te exigi* per Titium *nihil patietur* ultra decem, scilicet *ultra* id *quod* reverâ Seiæ *numeratum est* ex *Mandato tuo* pro parte duntaxat impleto.

(*c*) Quia servus pro quo fidejubetur, naturaliter obligatur in solidum.

(*d*) Nam dominus pro quo fidejussit, in id tantùm tenetur.

ARTICULUS II.

Cujus rei & qualis esse debeat obligatio Fidejussoris aut Mandatoris, & de quâ personâ promittere debeant.

§ I.

Obligationem Mandatoris aut Fidejussoris debere esse ejusdem rei, cujus est & obligatio principalis.

XXVII.

Hujus Juris ratio evidens: nec enim potest Mandator aut Fidejussor in aliud se obligare, quàm in id in quod obligatur reus principalis.

Hinc V. G. Si ita Fidejussorem accepero; « QUOD » ego decem credidi, de eâ pecuniâ mille modios » tritici fide tuâ esse jubes; » non obligatur Fidejussor; quia in aliam rem quàm quæ credita est, Fidejussor obligari non potest: quia non, ut æstimatio rerum quæ mercis numero habentur in pecuniâ numeratâ fieri potest, ita pecunia quoque merce æstimanda est. *l.* 42. JAVOLEN. LIB. 10. EPISTOL.

Indè emergit quæstio. Videlicèt Si reo in fundum obligato, Fidejussor in usumfructum accipiatur; quæsitum est utrùm obligetur Fidejussor, quasi in minùs; an non obligetur, quasi in aliud? Nobis in eo videtur dubitatio esse, ususfructus pars rei sit, an proprium quiddam, Sed cùm ususfructus fundi jus est; incivile est, Fidejussorem ex suâ promissione non teneri. *l.* 70. § 2. GAIUS LIB. 1. DE VERB. OBLIG.

XXVIII.

Cùm Mandator & Fidejussor non possint obligari in aliud quàm in quod obligatur reus principalis; ergo nec in majorem quantitatem.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si ultra hoc quod accepit ea pro quâ te Mandatorio nomine interceſſiſſe commemoras, daturum te scripsisti; Præses provinciæ ex hoc (*a*), quod ultra (*b*) Mandatum tuum numeratum est, à te nihil exigi patietur. *l.* 22. *Cod. h. tit.*

Hinc etiam; dicendum quidem quòd, Quum Fidejubeat aliquis pro servo, in solidum tenetur; etiamsi nihil in peculio (*c*) sit. Planè si pro domino Fidejubeat, cum quo De peculio est; duntaxat de peculio tenebitur, quod tunc erit quum res judicatur (*d*). *l.* 35. PAUL. LIB. 2. AD PLAUT.

Cùm autem ex pluribus reis promittendi singuli in solidum teneantur; sequitur quòd Quum duo rei constituti sunt; sive ab utroque sive ab alterutro Fidejussor datus fuerit, in solidum rectè accipiatur. *l.* 40. MODEST. LIB. 3. REGULAR.

XXIX.

Non possunt quidem Mandatores aut Fidejussores, in plùs obligari quàm reus principalis, in minùs autem possunt.

Hinc Pomponius. Fidejussores & in partem pecuniæ, & in partem rei, rectè accipi possunt. *l.* 9. POMPON. LIB. 26. AD SABIN.

Ergo & in minorem summam: ut videb. infrà.

§ II.

Duriorem esse non posse Fidejussorum aut Mandatorum obligationem, quàm rei principalis.

XXX.

Fidejussorum aut Mandatorum obligatio, potest quidem esse strictiori vinculo colligata quàm obligatio principalis;

Source : BIU Cujas

ut accidit quum quis pro eo qui naturâ tantùm obligatus eſt, Fidejubet. Verùm durior eſſe non poteſt.

Hinc Ulpianus. Illud commune eſt in univerſis qui pro aliis obligantur; quòd, ſi fuerint in duriorem cauſam adhibiti, placuit eos omninò non obligari. In leviorem planè cauſam accipi poſſunt: propter quod, in minorem ſummam rectè Fidejuſſor accipietur (*a*). Item accepto reo purè, ipſe (*b*) ex die vel ſub conditione accipi poteſt. Enimverò ſi reus ſub conditione ſit acceptus, Fidejuſſor purè non obligabitur. *l.* 8. § 7. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

Item Si à reo ſub conditionem fuero ſtipulatus, potero Fidejuſſorem & in hanc & in aliam conditionem obligare; ſi modò eas conjungam. Niſi enim utraque extiterit, non tenebitur (*c*); cùm reus ex unâ conditione teneatur. Quòd ſi eas disjungam, durior fit conditio Fidejuſſoris; nec ob id obligatur: quippè ſive communis utriuſque conditio extiterit ſive alterutra, videatur adprehendi (*d*); cùm reus non aliter teneatur, quàm ſi communis extiterit (*e*). Aut igitur nullo modo tenebitur Fidejuſſor; aut, quod magis eſt, tenebitur ſi priùs extiterit communis (*f*). *l.* 70. GAIUS LIB. 1. DE VERB. OBLIG.

Sub diverſis quoque conditionibus ſi fuerint interrogati, intereſt utra eorùm prior extiterit. Si reo injuncta; tenebitur etiam Fidejuſſor, quum conditio ejus extiterit; tanquam ſi ſtatim ab initio reus purè, Fidejuſſor ſub conditione acceptus eſſet. Ex diverſo autem, ſi Fidejuſſoris conditio prior extiterit, non tenetur; perindè ac ſi ſtatim ab initio purè acceptus eſſet, reo ſub conditione obligato. *d. l.* 70. § 1.

Conſonat quod Julianus ait. Stipulatione in diem conceptâ, Fidejuſſor ſi ſub conditione acceptus fuerit, jus ejus in pendenti erit: ut ſi ante diem conditio impleta fuerit, non obligetur; ſi concurreret dies & conditio, vel etiam diem conditio ſecuta fuerit, obligetur. *l.* 16. § 5. JULIAN. LIB. 53. DIGEST.

XXXI.

Qui certo loco dari promiſit, aliquatenùs duriori conditioni obligatur quàm ſi purè interrogatus fuiſſet. Nullo enim loco alio, quàm in quem promiſit, ſolvere invito ſtipulatore poteſt. Quare ſi reum purè interrogavero, & Fidejuſſorem cum adjectione loci accepero; non obligabitur Fidejuſſor. *d. l.* 16. § 1.

Sed & ſi reus Romæ conſtitutus, Capuæ dari promiſerit; Fidejuſſor, Epheſi: perindè non obligabitur Fidejuſſor, ac ſi reus ſub conditione promiſiſſet, Fidejuſſor autem in diem certam vel purè promiſiſſet (*g*). *d. l.* 16. § 2.

XXXII.

His quæ diximus, conſonat & quod dicitur in ſpeciebus ſequentibus.

Hi qui acceſſionis loco promittunt, in leviorem cauſam accipi poſſunt, in deteriorem non poſſunt. Ideò ſi à reo MIHI ſtipulatus ſim, à Fidejuſſore MIHI AUT TITIO; meliorem cauſam eſſe Fidejuſſoris Julianus putat: quia poteſt vel Titio ſolvere. Quòd ſi à reo MIHI AUT TITIO ſtipulatus, à Fidejuſſore MIHI tantùm interrogem; in deteriorem cauſam acceptum Fidejuſſorem Julianus ait.

Quid ergo ſi à reo STICHUM AUT PAMPHILUM, à Fidejuſſore STICHUM interrogem? Utrùm in deteriorem cauſam acceptus eſt ſublatâ electione (*h*), an in meliorem Quod & verum eſt: quia mortuo eo liberari (*i*) poteſt. *l.* 34. PAUL. LIB. 74. AD ED.

Contra vice versâ. Si quis Stichum ſtipulatus [fuerit] Fidejuſſorem ita acceperit, STICHUM AUT DECEM FIDE TUA JUBES? non obligari Fidejuſſorem Julianus ait: quia durior fit conditio, ut potè cùm futurum ſit ut mortuo Sticho teneatur (*k*).

Marcellus autem notat; Non ideò tantùm non obligari, quia in duriorem conditionem acceptus eſt, ſed quia & in aliam (*l*) potiùs obligationem acceptus eſt. Denique pro eo qui decem promiſerit, non poterit Fidejuſſor ita accipi ut DECEM AUT STICHUM promittat; quamvis eo caſu non ſit ejus durior conditio (*m*). *l.* 8. § 8. GAIUS LIB. 47. AD SABIN.

Idem Julianus ait: Si is qui HOMINEM AUT DECEM dari ſtipulatus fuerat, Fidejuſſorem ita acceperit; hominem aut decem, UTRUM EGO (*n*) VELIM? non obligabit eum; quia durior ejus conditio facta (*o*) eſt. *d. l.* 8. § 9.

Contrà autem, ſi [is] qui hominem aut decem, UTRUM IPSE STIPULATOR VOLET ſtipulatus eſt, rectè Fidejuſſorem ita accipiet, decem aut hominem, UTRUM TU VOLES. Fit enim (inquit) hoc modo Fidejuſſoris conditio melior. *d. l.* 8. § 10.

Quod Si Stichum aut Pamphilum ſtipulatus eſſem, utrum PROMISSOR voluiſſet; non poſſum Fidejuſſorem ita accipere, Stichum aut Pamphilum, utrum FIDEJUSSOR vellet, quia futurum eſſet in ejus poteſtate, alium velle quàm reus voluiſſet (*p*). *l.* 38. MARCELL. LIB. 20. DIGEST.

Sed & ſi reum ſic interrogavero, Stichum ET Pamphilum? Fidejuſſorem, Stichum AUT Pamphilum rectè interrogem: quia levior Fidejuſſoris conditio eſt. *ſup. l.* 8. § 11.

§ III.

De ſuâ tantùm perſonâ Fidejuſſorem aut Mandatorem promittere debere.

XXXIII.

Sicut reus principalis non aliàs quàm ſi de ſuâ perſonâ promittat, obligatur: ita Fidejuſſores non aliàs tenentur quàm ſi SE quid daturos vel facturos promittant. Nam reum principalem daturum vel facturum aliquid fruſtrà promittunt; quia factum alienum inutiliter promittitur. *l.* 65. HERMOGENIAN. LIB. 6. JURIS EPITOMARUM.

Idem dic de Mandatoribus. Putà qui mandat mihi ut pecuniam credam Titio, debet promittere SE *hanc reſtituturum; non verò* TITIUM *reſtituturum eſſe.*

SECTIO IV.

De interpretatione ſtipulationum Fidejuſſoriarum.

XXXIV.

Fidejuſſor facilè intelligitur ſe obligaſſe eodem modo, quo ſe obligavit reus principalis.

(*a*) An autem in majorem acceptus, ſaltem intra concurrentem quantitatem teneri debeat; diſputant Doctores. Negat Wiſſenbachius, ex communi Doctorem ſententiâ. Hunc vide ad h. tit. *n.* 10. item Fachinum VIII 51. & alios.

(*b*) Fidejuſſor.

(*c*) Fidejuſſor. Et ſic leviùs erit obligatus quàm reus: cùm reus ſit debiturus ſi una conditio exiſtat; Fidejuſſor, ita demùm ſi hæc & præterea altera exiſtat.

(*d*) Fidejuſſor ſcilicet.

(*e*) Et ſic leviùs obligaretur. Nam ita demùm debiturus eſt, ſi illa communis conditio extiterit; Fidejuſſor autem poſſet debere, & in hunc caſum quo conditio communis exiſteret, & præterea adhuc in illum caſum quo altera conditio exiſteret. Quod non debet admitti.

(*f*) Secùs ſi altera, prior exiſteret. Nam exiſtentia hujus conditionis puram efficit Fidejuſſoris ſtipulationem: non poteſt autem purè obligari Fidejuſſor, quandiù adhuc pendet conditio obligationis principalis.

(*g*) Nam & in hâc ſpecie; duriùs videtur obligari Fidejuſſor quàm reus. Homini enim Romæ conſtituto facilius eſt ſolvere Capuæ, quàm Epheſi quæ eſt trans mare.

(*h*) Hæc ratio dubitandi.

(*i*) Reus autem qui Stichum AUT Pamphilum promiſit, nonniſi utriuſque interitu liberari poteſt.

(*k*) In decem.

(*l*) Nam ſi [quod poteſt] elegerit Fidejuſſor ut deberet decem; duo diverſa reus & Fidejuſſor debebunt: alia erit rei, alia Fidejuſſoris obligatio. Quod fieri non poſſe vidimus §°. præced.

(*m*) Hic enim caſus differt à ſuperiori. Reus qui Stichum ſimpliciter debet, poteſt Stichi interitu liberari: at is qui decem debet, nullius rei interitu liberatur; cùm quantitas non pereat.

(*n*) *Ego* ſtipulator.

(*o*) Nam, cæteris paribus, Fidejuſſor caret electione quam reus habet.

(*p*) Et ſic in diverſam rem obligari: quod fieri non poteſt, ut modò ſuprà notavimus.

Source : BIU Cujas

Hinc V. G. Si (ut proponitur) quum pecunia mutua daretur, ita convenit ut in Italiâ ſolveretur; intelligendum, mandatorem quoque ſimili modo contraxiſſe. *l.* 61. PAUL. LIB. 15. RESPONS.

XXXV.

Qui generaliter Fidejubet pro eo quì ex aliquo contractu obligatus eſt, intelligitur Fidejubere in omnem obligationem quæ ex illo contractu deſcendit.

Hinc Paulus. Si à colono ſtipulatus, Fidejuſſorem accepi; una ſtipulatio eſt, plurium penſionum. Et ideò in univerſis penſionibus Fidejuſſor tenetur. *l.* 58. PAUL. LIB. 22. QUÆST.

Hinc etiam Fidejuſſores à colonis datos, etiam ob pecuniam dotis (*a*) prædiorum teneri convenit; cùm ea quoque ſpecies, locationis vinculum ad ſe trahat. Nec mutat, confeſtim an interjecto tempore fidem ſuam adſtrinxerunt. *l.* 52. § 2. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

Ad ea autem obligatio Fidejuſſoria non porrigitur, quæ non ex ipſo contractu rei principalis pro quo quis Fidejuſſit, ſed ex aliâ causâ deſcendunt.

Hinc Paulus. Si in pignore contrahendo deceptus ſit creditor, qui Fidejuſſorem pro mutuo accepit; agit Contrariâ (*b*) Pignoratitiâ actione, in quam actionem veniet quod intereſt creditoris. Sed ea actio Fidejuſſorem onerare non poterit: non enim pro pignore, ſed pro pecuniâ mutuâ fidem ſuam obliget. *l.* 54. PAUL. LIB. 3. QUÆSTION.

Sed nec ad ea porrigitur obligatio Fidejuſſoria, in quâ reus principalis condemnatur magis officio judicis (putà, propter ſuam contumaciam) quàm quod ea contractui ineſſet.

Hinc in ſpecie ſequenti: Quum procurator In rem agebat, cautionem dederat RATAM REM DOMINUM HABITURUM. Poſtea victo eo dominus reverſus, iterùm de eâdem re agitabat: & quum reus haberet poſſeſſionem [&] noluit eam reſtituere; & ideò magno (*c*) condemnatus eſt. In ampliùs (*d*) Fidejuſſores non tenentur: hoc enim non debet imputari Fidejuſſoribus, quod ille propter ſuam pœnam præſtitit. *l.* 73. PAUL. LIB. 76. AD ED.

Pari ratione Imperator Severus Fidejuſſores Magiſtratuum (*e*), in pœnam vel mulctam quam non ſpopondiſſent, non debere conveniri decrevit. *l.* 68. PAUL. LIB. 3. DECRETOR.

XXXVI.

Maximè autem, qui ſpecialiter Fidejuſſit in ſortem, non intelligitur Fidejuſſiſſe in uſuras in quas reus officio judicis condemnatus erit.

Hinc ſupràdictus idem Imperator, in ſpecie ſequenti: Pro Aurelio-Romulo conductore vectigalis, centum Petronius-Tullius, & alii Fidejuſſerant: bona Romuli fiſcus ut obligata ſibi occupaverat, & conveniebat Fidejuſſores tam in ſortem quàm in uſuras. Qui deprecabantur, lectâ ſubſcriptione Fidejuſſionis; quoniam in ſola centum annua ſe obligaverunt, non in omnem conductionem. Decrevit, Fidejuſſores in uſuras non teneri: ſed quidquid ex bonis fuiſſet redactum, priùs in uſuras cedere, reliquum in ſortem; & ita in id quod defuiſſet, Fidejuſſores conveniendos; exemplo pignorum à creditore diſtractorum. *d. l.* 68. § 1.

Cæterùm Fidejuſſor ſeu Mandator, ſi in uſuras quoque obligatus eſt, juſtam cauſam recuſandi eas ſolvere non habet. *l.* 10. *Cod. h. tit.* ALEXANDER.

Et quidem in uſuras ſe obligaſſe videtur, quum IN OMNEM CAUSAM *fidejuſſit. Hinc V. G.* Qui fidejuſſerint pro conductore vectigalis in univerſam conductionem, in uſuras quoque [in] jure conveniuntur (*f*); niſi propriè quid in perſonâ eorum, verbis obligationis expreſſum eſt. *l.* 2. § 12. *ff. de Admin. rer. ad civit. pertin.* ULPIAN. LIB. 3. OPINIONUM.

Videtur etiam Fidejuſſor in univerſam conductionem acceptus, adeòque etiam in uſuras, in ſpecie ſequenti. Conductore perficiendi operis punito (*g*); Fidejuſſor qui pro eo intervenerat, idem opus extruendum alii locaverat. Nec à ſecundo redemptore opere perfecto (*h*); uſurarum præſtationem, heres Fidejuſſoris recuſare non debet: cùm & prior cauſa, in bonæ fidei contractu, in univerſum Fidejuſſorem obligaverit (*i*); & poſterior locatio, quia ſuum periculum agnovit, ſolidæ præſtationi Reipublicæ eum ſubſtituerit. *d. l.* 2. § 11.

XXXVII.

Qui mihi Fidejubet, in id quanti opus locaverim faciendum; non intelligitur Fidejuſſiſſe in id quanti impendero, ſi ipſe opus fecerim: ex l. 44. *h. tit. ſuprà, Tit.* de Verb. oblig. *N.* 122.

XXXVIII.

Ad interpretationem quoque ſtipulationum Fidejuſſoriarum pertinet, quod ait Paulus de ſenſu hujus vocabuli QUANDOQUE *in talibus ſtipulationibus adhibito.*

Si ita ſtipulatus à Seio fuero; « Quantam pecuniam » Titio QUANDOQUE credidero, dare ſpondes? » & Fidejuſſores accepero, deindè Titio ſæpiùs credidero: nempè Seius in omnes ſummas obligatus eſt, & per hoc Fidejuſſores quoque. Et id quod ex bonis ejus ſervari poteſt, omnibus (*k*) æquo jure proficere debet. *l.* 55. PAUL. LIB. 11. QUÆST.

XXXIX.

Interdum Fidejuſſores accipiuntur in id QUANTO MINUS *à reo ſervari poterit; vel in id* QUANTO MINUS *ex diſtractione pignoris ſervari poterit.*

Hujus autem ſtipulationis interpretatio hæc eſt; ut, ſi nihil ſervari poſſit, etiam totum Fidejuſſor promiſiſſe videatur. Ita docet Scævola. Inter creditricem & debitorem, pactum interceſſerat; ut, ſi centum quæ mutua dederit, ubi primùm petita fuiſſent, non ſolverentur, ornamenta pignori data, intrà certum tempus liceret ei vendere: &, ſi quo minoris vænîſſent, quodque ſortis vel uſurarum deberetur, id creditrici redderetur: & Fidejuſſor acceptus eſt. Quæſitum eſt, an Fidejuſſor in univerſam ſummam obligari potuerit? Reſpondit; Secundùm ea quæ proponerentur, teneri Fidejuſſorem in id quod minùs ex pignoribus venditis redactum (*l*) eſſet. *l.* 63. SCÆVOLA LIB. 6. RESPONS.

Conſonat quod ait Papinianus. Amiſſi ruinâ pignoris damnum, tam Fidejuſſoris quàm rei promittendi periculum ſpectat. Nec ad rem pertinebit, Fidejuſſor ita ſit acceptus QUANTO MINUS ex pretio pignoris diſtracti ſervari potuerit; iſtis enim verbis, etiam totum contineri convenit. *l.* 52. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

Obſervandum has Fidejuſſoris ſtipulationes, QUANTO MINUS *à reo ſervari poterit, hanc habere conditionem; ſi, antequàm in exigendo creditor ceſſaverit, deſierit reus eſſe ſolvendo.*

(*a*) Id eſt; ob æſtimationem inſtrumenti prædiorum, quod colonus à locatore æſtimatum accepit. Vulgatum eſt in Juriſconſultorum libris, ut *Inſtrumentum* dicatur Dos *fundi*. Wiſſenbachius autem cenſet hæc verba *Ob pecuniam*, quaſi Gloſſema expungi debere; legendumque, *etiam dotis prædiorum teneri*: id eſt; eo nomine teneri, ſi culpâ coloni deterius factum fuerit fundi inſtrumentum.

(*b*) Vide ſuprà lib. 13. Tit. *de Pignerat. act.* N. 27. & ſeq.

(*c*) Quanti actor in litem juraſſet, qnod poteſt excedere id quanti res eſt.

(*d*) Quàm quanti res eſt.

(*e*) Qui pro Magiſtratibus municipalibus ſpoponderunt *Rem Reipublicæ ſalvam fore.*

(*f*) Adde legem 54. *Locati* quam vide in *Append.* ad d. tit. ſuprà lib. 19.

(*g*) Condemnato in certam ſummam, eo quòd opus non feciſſet.

(*h*) Id eſt; ſi *nec* fecerit opus ſecundus redemptor, cui Fidejuſſor primi illud extruendum locaverat; Fidejuſſor heres-ve ejus recuſare non debet, præſtationem, non ſolùm ſortis in quam is pro quo fidejuſſit condemnatus eſt, ſed etiam uſurarum.

(*i*) Senſus eſt: *Cùm & prior* locationis *cauſa* [in quâ uſuræ veniunt, utpotè *in bonæ fidei contractu*] *Fidejuſſorem, in univerſum* quod ex hâc causâ debetur, adeòque & in uſuras, *obligaverit: & poſterior locatio*, quâ fidejuſſor alteri redemptori opus faciendum locavit, *eum Reipublicæ ſubſtituerit* [ſeu obnoxium fecerit] *ſolidæ præſtationi* ejus quod ex prioris locationis causâ debetur; *quia* relocando, ipſe *agnovit* ad *ſuum periculum* pertinere ſi opus non fieret; & ſe, in univerſum quanti eo nomine interſit, teneri ei cui fidejuſſit.

(*k*) An omnibus *Fidejuſſoribus*, ut plerique tam Latini quàm Græci interpretantur? an omnibus *ſummis*, ut vult Cujacius? Hunc vide Obſerv. XI 33.

(*l*) Adeoque ſi nihil redactum ſit, etiam in univerſam ſummam: ut apertiùs dicitur in l. ſeq.

Source : BIU Cujas

Hinc Modeſtinus lib. 13. Reſponſorum reſpondit:

Si Fidejuſſores in id accepti ſunt quod à curatore ſervari non poſſit; & poſt impletam legitimam ætatem, tam ab ipſo curatore, quàm ab heredibus ejus ſolidum ſervari potuit; & ceſſante eo qui pupillus fuit, ſolvendo eſſe deſierit (*a*): non temerè (*b*) utilem (*c*) in Fidejuſſores actionem competere. *l.* 41.

XL.

Fidejuſſoriis ſtipulationibus illa quoque conditio non infrequenter adjicitur, quam ita refert & interpretatur Julianus: Quum Fidejuſſor hoc modo acceptus eſſet; SI » reus quadraginta quæ ei credidit, non ſolverit, fide » tuâ eſſe jubes? » veriſimile eſt id actum, ut, quum appellatus reus non ſolviſſet, Fidejuſſor teneretur. Sed & ſi reus, antequàm appellaretur, deceſſiſſet; Fidejuſſor obligatus erit: quia hoc quoque caſu verum eſſet, reum non ſolviſſe. *l.* 16. § 6. JULIAN. LIB. 53. DIGEST.

SECTIO V.

De actionibus quæ adversùs Fidejuſſores & Mandatores competunt, & quibus ſe illi tueri poſſint beneficiis; item, an & quas actiones ipſi habeant.

ARTICULUS I.

Quando Mandatores & Fidejuſſores conveniri poſſint; ubi de beneficio Ordinis *ſeu* Diſcuſſionis.

XLI.

Jure antiquiſſimo; Mandatores & Fidejuſſores cæterique qui alienæ obligationi acceſſerant, tunc demùm conveniri potuere poſtquàm diſcuſſæ fuiſſent facultates debitoris principalis. Ita docet Juſtinianus Novellâ IV.

Hoc Jure ſemper uti perrexit fiſcus, ut non aliter debitorum ſuorum Fidejuſſores conveniat quàm poſt reum principalem: infrà lib. 49. *Tit.* de Jure fiſci, *Sect.* 3ª. *Item civitates; quæ Magiſtratuum ſuorum Fidejuſſores, nonniſi diſcuſſis priùs Magiſtratûs ipſius facultatibus, conveniunt: ut videb. lib.* 50. *Tit.* de Admin. rer. ad civit. pertin.

Privati verò hoc jure uti deſierant, jam longè ante Juſtinianum: cujus mutationis ipſe PAPINIANUS MAXIMUS *auctor fuerat,* (*d. Novell.*) *nimirùm ob longiores moras diſcuſſionis bonorum debitoris principalis.*

Hinc reſcribit Antoninus. Jure noſtro eſt poteſtas creditori, relicto reo, eligendi Fidejuſſores; niſi inter contrahentes aliud placitum doceatur. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

Similiter reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Si alienam, pro principaliter conſtituto, obligationem ſuſcepiſti; vel Fidejuſſorio, ſive Mandatorio, vel quocumque alio nomine, pro debitore interceſſiſti: non poſſe creditorem urgeri, eum qui mutuam accepit pecuniam magis quàm te convenire, ſcire debueras; cùm, ſi hoc in initio contractûs ſpecialiter non placuit, habeat liberam electionem. *l.* 19. *Cod. h. tit.*

XLII.

Et ſicut non cogitur creditor reum priùs convenire; pariter Creditor pignus diſtrahere non cogitur, ſi Fidejuſſorem ſimpliciter acceptum omiſſo pignore velit convenire. *l.* 51. § 3. PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

Omiſſis quoque pignoribus Fidejuſſorem à creditoribus utiliter conveniri, niſi in id tantùm quod ex his refici non poterit acceptus ſit, explorati Juris eſt. *l.* 17. *Cod. h. tit.* GORDIAN.

Hinc Scævola. Si Fidejuſſor creditori denuntiaverit ut debitorem ad ſolvendam pecuniam compelleret, vel pignus diſtraheret; iſque ceſſaverit: an poſſit eum Fidejuſſor Doli mali exceptione ſummovere? Reſpondit, Non poſſe. *l.* 62. SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS.

Quòd ſi à diſtractione pignorum incœperit creditor; non ideò minùs poterit ad Fidejuſſores & Mandatores reverti, quandiù creditor manebit. Inde ſpecies ſequens. Creditor pignus vendidit. Quæro an, ſi evicta ſit poſſeſſio emptori, regreſſum creditor ad Mandatorem habere poſſit; & an interſit creditoris, jure vendiderit, an communi jure promiſerit? Paulus reſpondit; Si creditor ex pretio pignorum debitum conſecutus (*Florent.* conſecuturus) non ſit, Mandatorem liberum non videri.

Ex hoc reſponſo (*d*) apparet; ſi evictionis nomine non teneatur, proficere eam rem ad liberationem. *l.* 59. § 5. *ff. Mandati.* PAUL. LIB. 4. RESPONS.

His quæ diximus conſonat quod ait Papinianus. Qui mutuam pecuniam dari Mandavit, omiſſo reo promittendi, & pignoribus non diſtractis, eligi poteſt. *l.* 56. *d. tit.* PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

Obſerva. Quod uti liceat (*e*) ſi litteris exprimatur; diſtractis quoque pignoribus, ad eum creditor redire poterit. Etenim QUÆ DUBITATIONIS TOLLENDÆ CAUSA CONTRACTIBUS INSERUNTUR, JUS COMMUNE NON LÆDUNT. *d. l.* 56. ¶ *quod uti.*

XLIII.

Poteſt quidem Fidejuſſor conveniri, antequàm conventus fuerit reus: verùm Fidejuſſor, antequàm reus debeat, conveniri non poteſt. *l.* 57. SCÆVOLA LIB. 18. QUÆST.

ANTEQUAM REUS DEBEAT, *ſic intellige, id eſt antequàm ipſe conveniri potuerit. Ergo & dies quæ ſtipulationi* Rei, *& illa quæ propriæ* Fidejuſſoris *obligationi tacitè ineſt, expectanda erit.*

Hoc ita docet Papinianus. Quæſitum eſt an Fidejuſſor qui Capuæ pecuniam ſe daturum, Romæ promiſit; ſi reus promittendi Capuæ eſſet, ſtatim conveniri poſſit (*f*)? Dixi: Non magis Fidejuſſorem confeſtim teneri, quàm ſi ipſe Capuæ ſpopondiſſet (*g*) quum reus adhuc Capuam pervenire non potuiſſet. Nec ad rem pertinere, quòd hoc latere (*h*) nemo dubitet nondum Fidejuſſorem teneri; quia nec ipſe reus promittendi teneretur. Nam è contrario quoque ſi quis reſponderit, Quoniam debitor Capuæ ſit, Fidejuſſorem confeſtim teneri non habitâ ratione taciti proprii temporis; eventurum ut eo caſu Fidejuſſor conveniatur, quo debitor ipſe, ſi Romæ fuiſſet, non conveniretur. Itaque nobis placet Fidejuſſoriam obligationem, conditionem taciti temporis ex utriuſque perſonâ recuperare, tam rei promittendi, quàm ipſius Fidejuſſoris: quoniam aliud reſpondentibus, contra Juris formam, in duriorem conditionem acceptus intelligitur. *l.* 49. § 2. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

XLIV.

Suprà dictâ autem Novellâ IV. Cap. 1. *Juſtinianus dat exceptionem omnibus qui alienæ obligationi acceſſerunt; quâ ſe adversùs creditorem tueri poſſint, donec rei principalis facultates excuſſerit: modò reus principalis præſens fuerit;*

(*a*) Curator.

(*b*) Id eſt, nonniſi causâ cognitâ. In quâ cognitione; ex circumſtantiis æſtimabitur, an creditori imputari poſſit quòd non convenerit debitorem antequàm eſſe ſolvendo deſineret.

(*c*) Id eſt, efficacem.

(*d*) Nota eſt ſtudioſi cujuſdam quem ignoramus; & quam unà cum textu Pauli, Tribonianus hîc inſeruit.

(*e*) Si creditor ſpecialiter cavit ut liceret ſibi, non diſtractis pignoribus & omiſſo reo principali, Fidejuſſores convenire; non videtur id eo animo caviſſe, ut poſtquàm pignora diſtraxiſſet, non poſſet pariter convenire Fidejuſſores & Mandatores: ſed videtur hoc caviſſe *Dubitationis tollendæ causâ*; quia fortè quis, quamvis perperàm, potuiſſet dubitare an poſſet Mandator ante reum principalem & pignora conveniri. Quod autem dubitationis tollendæ causâ ita cautum eſt, non derogat Juri communi; ſecundùm quod Fidejuſſor & Mandator, tam antè, quàm poſt diſtracta pignora, conveniri poteſt.

(*f*) Ratio dubitandi, quia reus poteſt ſtatim conveniri. Ratio decidendi in contrarium, quia propriæ Fidejuſſoris ſtipulationi ineſt dies; intra quam Fidejuſſor qui Romæ eſt, Capuam pervenire poſſit: quæ dies expectanda eſt.

(*g*) Sicut enim expectanda eſt dies quæ principali ſtipulationi ineſſet, quamvis Fidejuſſoris ſtipulatio nullam diem contineret; ita & expectanda dies quæ propriæ Fidejuſſoris ſtipulationi ineſt.

(*h*) Id eſt, in hâc parte, in hâc ſpecie.

fuerit;

Source : BIU Cujas

fuerit ; aut quum abeſſet, eum intrà tempus quod judex ſtatuet, Fidejuſſor exhibuerit : ne aliàs difficilior fiat diſcuſſio.

Videtur ab hoc beneficio excludere Argentarios, qui alienæ obligationi accederent. Ait enim in fine dictæ Novellæ Conſtitutionis, Cap. 3. § 1. Argentariorum ſponſionibus, propter utilitatem contrahentium, in ordine moderno durantibus. *Hanc autem eſſe hujus clauſulæ ſententiam manifeſtè liquet ex aliâ Novellâ ; in cujus Proemio inducit Argentarios conquerentes, quòd* Ipſi quidem Conſtitutionis auxilio uti nequeant ; ſed protinùs exigantur : quum verò conſtitutæ pecuniæ obligationes ab aliis percipiant, non item ipſis ſatisfaciant qui pecuniam conſtituerint, Mandatores-ve in eam rem aut Fidejuſſores extiterint : *Novell. CXXXVI. in pr.*

Eadem Novella CXXXVI. Cap. 1. *ſtatuit valere pactum quo Argentarii quum Fidejuſſores accipiunt, cavent ne ab ipſis opponi ſibi poſſit exceptio Conſtitutionis de diſcutiendis rei principalis facultatibus : Quæ pacta, inquit, propter ingens ſtudium quod Argentarii circa publicos contractus adhibent, admittimus ;* Cùm non videantur contra Legem eſſe, propterea quòd UNICUIQUE LICEAT HIS QUÆ IPSI A LEGE DATA ET CONCESSA SUNT RENUNTIARE. *Cùm autem hæc poſtrema ratio erga cæteros creditores æquè militet, crediderim ad eos quoque hanc renuntiandi facultatem eſſe porrigendam : & ita in praxi Fori obſervatur.*

ARTICULUS II.

De Beneficio Cedendarum actionum, *quod habent Mandatores & Fidejuſſores.*

XLV.

Cùm Jure Digeſtorum (ut modò diximus) beneficium DISCUSSIONIS *non competat iis qui alienæ obligationi acceſſerunt, alio remedio moribus introducto* Fidejuſſoribus ſuccurri ſolet ; ut ſtipulator compellatur ei qui ſolidum ſolvere paratus eſt, vendere cæterorum nomina. *l.* 17. JULIAN. LIB. 89. DIGEST.

Hinc Julianus. Si Mandatu meo, Titio decem credideris ; & mecum Mandati egeris ; non liberabitur Titius : ſed ego tibi non aliter condemnari debebo, quàm ſi actiones quas adversùs Titium habes, mihi præſtiteris. *l.* 13. JULIAN. LIB. 14. DIGEST.

Neque ſolùm actionem quam habet adversùs reum principalem, ſed & omnia hujus actionis acceſſoria, cedere creditor tenetur ; putà actiones adversùs cæteros adpromiſſores, & pignora.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Sicut eligendi Fidejuſſores creditor habet poteſtatem ; ita interceſſorem poſtulantem cedi ſibi hypothecæ ſive pignoris obligata jure, non priùs ad ſolutionem (*a*) niſi mandata ſuper hâc re fuerit perſecutio, convenit urgeri. *l.* 21. *Cod. h. tit.*

Similiter Severus & Antoninus. Creditori qui pro eodem debito & pignora & Fidejuſſorem accepit, licet (ſi malit) Fidejuſſorem convenire in eam pecuniam in quâ ſe obligaverit. Quod quum facit, debet jus pignorum in eum transferre. Sed quum in aliâ quoque causâ eadem pignora vel hypothecas habet obligatas ; non priùs compellendus eſt transferre pignora, quàm omne debitum exſolvatur. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Ab hâc regulâ nec fiſcus excipitur. Quamvis enim beneficium Diſcuſſionis *ipſi opponi ſemper potuerit ; & ipſe tamen eodem modo quo creditores cæteri, tenetur cedere actiones. Hinc Paulus :* Qui pro alio à fiſco conventus, debitum exſolvit ; non iniquè poſtulat perſecutionem bonorum ejus pro quo ſolvit ; in quo etiam adjuvari per Officium (*b*) ſolet. *l.* 45. § 9. *ff. de Jur. fiſci.*

Item reſcribunt Valerianus & Galienus. Si in te jus fiſci, cùm reliqua ſolveres debitoris pro quo ſatisfaciebas, tibi competens judex adſcripſit & tranſtulit, ab eis creditoribus quibus fiſcus potior habetur, res quas eo nomine tenes, non poſſunt inquietari. *l. fin. Cod. de Privileg. fiſci.*

XLVI.

Diximus creditorem cui Fidejuſſor ſolvit, teneri ei cedere ſuas actiones.

Hìc emergit quæſtio, quomodo hoc fieri poſſit ? Nam Quum is qui & reum & Fidejuſſores habens, ab uno ex Fidejuſſoribus acceptâ pecuniâ, præſtat actiones ; poterit quidem dici nullas jam eſſe, cùm ſuum perceperit, & perceptione omnes liberati ſunt. Sed non ita eſt : non enim in ſolutum accipit, ſed quodammodo nomen debitoris vendidit ; & ideò habet actiones, quia tenetur (*c*) ad id ipſum ut præſtet actiones. *l.* 36. PAUL. LIB. 14. AD PLAUT.

Obſervandum tamen quod idem Paulus reſpondit ; Fidejuſſorem in quem pignora à confidejuſſoribus data tranſlata ſunt, non emptoris (*d*) loco ſubſtitutum videri, ſed ejus qui pignora accepit : & ideò rationem fructuum & uſurarum haberi oportere. *l.* 59. LIB. 4. RESPONS.

XLVII.

Per hanc exceptionem repellitur creditor, non ſolùm ſi nolit cedere ſuas actiones adversùs reum & confidejuſſores ; ſed & ſi culpâ ſuâ contigerit ut eas non poſſit cedere.

Hinc Papinianus. Si creditor à debitore culpâ ſuâ (*e*) causâ ceciderit, propè eſt ut actione Mandati nihil à Mandatore conſequi debeat ; cùm ipſius vitio acciderit, ne Mandatori poſſit actionibus cedere. *l.* 95. § 11. *ff. de Solutionibus.* PAPIN. LIB. 28. QUÆST.

Diverſum ſtatuit Julianus, in eo caſu quo creditor alterum ex debitoribus pacto liberaſſet. Ita ille : Si ex duobus qui apud te Fidejuſſerant in viginti, alter NE AB EO PETERES quinque tibi dederit vel promiſerit ; nec alter liberabitur : & ſi ab altero quindecim petere inſtitueris, nullâ exceptione (*f*) ſummoveris ; reliqua autem quinque ſi à priore Fidejuſſore petere inſtitueris, Doli mali exceptione ſummoveris. *l.* 15. § 1. JULIAN. LIB. 47. DIGESTOR.

XLVIII.

Hoc ſingulare habet exceptio Cedendarum actionum, *ut etiam poſt Sententiam opponi poſſit. Enimverò judicatum non impugnat aut infringit hæc exceptio, ſed tantùm temperat.*

Hinc Modeſtinus Reſpondit ; Si in ſolidum condemnatus eſt unus ex Mandatoribus, quum Judicati conveniri cœperit, poſſe eum deſiderare ut adversùs eos qui idem Mandaverunt, actiones ſibi mandentur. *l.* 41. § 1. MODEST. LIB. 13. RESPONS.

XLIX.

Cæterùm hæc actionum ceſſio non habet locum ipſo Jure ; ſed ita demùm ſi Fidejuſſor, dum ſolveret, eas ſibi cedi curaverit. Alioquin non ceſſis creditoris actionibus, ſed propriâ duntaxat MANDATI *aut* NEGOTIORUM GESTORUM *actione adversùs reum principalem aget.*

(*a*) Id eſt, *non* aliter *niſi priùs mandata* ſeu ceſſa & tranſlata *fuerit* actio ſeu *perſecutio.*

(*b*) Cujacius intelligit Commentarienſem [*le Greffier*] qui Fidejuſſori tradere debet cautiones, chirographa, cæteraque inſtrumenta ad nomen rei principalis pertinentia ; & quæ Fidejuſſori qui pro reo ſolvit neceſſaria ſunt, ut adversùs eum actionibus fiſci experiatur.

(*c*) Senſus eſt : *Et ideò* perperàm dicitur eum nullas habere actiones quas cedere poſſit ; imò *habet actiones : quia*, cùm *ad id ipſum teneatur ut præſtet actiones* fidejuſſori eâ lege ſolventi ut ſibi cedantur ; pecuniam *non* tanquam *in ſolutum*, ſed tanquam in pretium actionum quas ei cedere tenetur, accipere debet.

(*d*) Id eſt ; non eſt inſtar extranei *emptoris* cui creditor hæc pignora lege pignoris diſtraxiſſet ; & à quo debitor ea non poſſet evocare ; ſed erit loco ipſius creditoris *qui pignora accepit.* Et ideò poterit debitor oblato debito pignus ab eo recipere ; fructus autem quos perceperit, uſuris compenſare tenebitur.

(*e*) Putà, plus petendo *re* vel *tempore.*

(*f*) Non ergo poterit excipere quòd facto ſuo creditor non poſſit ipſi cedere actiones ſuas in quinque, adversùs confidejuſſorem quem pacto liberavit. Non enim [inquit Cujacius ad h. l.] culpâ ſuâ, ſed liberalitate quæ culpanda non eſt, has actiones amiſit.

Source : BIU Cujas

Hinc Gordianus. Mandati actio perſonalis eſt : quæ ſi nomine Fidejuſſoris , vel adversùs debitorem ſeu heredes ejus competit; Præſes provinciæ, quæ deberi compererit , reddi jubebit. Pignora etiam quæ reo ſtipulandi nexa fuerunt , ita demùm ad vos tranſeunt , ſi factâ nominis redemptione ſolutio celebrata eſt; vobiſque mandatæ ſunt actiones. Quod ſi factum eſt ; ea quoque vobis perſequentibus , adversùs pignorum poſſeſſores extraordinariam juriſdictionem idem Vir Clariſſimus impertietur. *l.* 14. *Cod. h. tit.*

Obſervandum ſupereſt ; hanc ceſſionem actionum debere fieri quum ſolvitur , non verò ex intervallo & poſt factam abſque pacto ſolutionem.

Hinc Modeſtinus reſpondit ; Si poſt ſolutum ſine ullo pacto omne quod ex causâ tutelæ debeatur , actiones poſt aliquod intervallum ceſſæ ſint : nihil eâ ceſſione actum , cùm nulla actio ſuperfuerit (*a*). Quòd ſi ante ſolutionem hoc factum eſt; vel, quum conveniſſet ut mandarentur actiones, tunc ſolutio facta eſſet, mandatum ſubſecutum eſt ; ſalvas eſſe mandatas actiones : cùm noviſſimo quoque caſu pretium magis mandatarum actionum ſolutum ; quàm actio quæ fuit , perempta videatur. *l.* 76. *ff. de Solutionib.* MODEST. LIB. 6. RESPONS.

L.

Quæcumque diximus de beneficio Cedendarum actionum *quod Fidejuſſores & Mandatores habent, trahi poteſt & ad correos debendi.*

Idem beneficium autem non habet, qui ſolvit pro alio quod ipſe nullatenùs debet. Hinc Gordianus. Nulla tibi adversùs creditorem alienum actio ſupereſt ; eo quòd ei debitam quantitatem offerens , jus obligationis in te transferri deſideras ; cùm ab eo te nomen comparaſſe non ſuggeras : licèt ſolutione ab alio factâ nomine debitoris , evaneſcere ſoleat obligatio. *l.* 5. *Cod. de Solution.*

Item obſervandum eſt ; hoc beneficium cadere non poſſe in filium qui quid pro patre in cujus poteſtate eſt , ſolveret.

Nam Actiones adversùs patrem filio præſtari non poſſunt, dum in poteſtate ejus eſt (*b*) filius. *l.* 7. *ff. de Obl. & act.* POMPON. LIB. 15. AD SABIN.

Scholium.

Jure Juſtinianeo cumulatur beneficium Cedendarum actionum *de quo mox locuti ſumus , cum beneficio* Diſcuſſionis *de quo Art. præced.*

ARTICULUS III.

De Beneficio Diviſionis *quod habent plures Fidejuſſores.*

L I.

Præter beneficium CEDENDARUM ACTIONUM *quod Fidejuſſoribus competebat, Hadrianus hoc alterum ipſis beneficium conceſſit ; ut unus ex his conventus , poſſet oppoſitâ exceptione , jure deſiderare obligationem cum ſuis confidejuſſoribus qui ſolvendo ſunt dividi.*

Hoc confirmaverunt Severus & Antoninus ; qui ſic reſcribunt, diſtinguendo inter caſum quo unus eſt Fidejuſſor , & caſum quo plures accepti ſunt. Non rectè Procuratores Noſtri, ſi allegationi tuæ fides adeſſet, audire te noluerunt ; ex bonis Fidejuſſoris , quæ ad fiſcum pervenerunt , pecuniam repetentem ; ſed reum principalem convenire juſſerunt; cùm electionis poteſtas permittatur creditori. Sed cùm duos Fidejuſſores accepiſſe te proponas : ſi alter idoneus eſt ; intelligis te diviſâ quantitate partem competentem à Procuratore Noſtro petere debere , & adversùs alium Fidejuſſorem ejus experiri. Nam licèt ſignifices adjectum eſſe in obligatione, ut ſinguli in ſolidum tenerentur: tamen nihil hæc res mutat conditionem Juris & conſtitutionem. Nam & quum hoc non adjiciatur, ſinguli tamen in ſolidum tenentur : ſed ubi ſunt omnes idonei , in portionem obligatio dividitur. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

Hinc Paulus. Si contendat Fidejuſſor cæteros ſolvendo eſſe ; etiam exceptionem ei dandam (*c*) SI NON ET ILLI SOLVENDO SINT. *l.* 28. PAUL. LIB. 25. AD ED.

Obſervandum itaque ; hanc obligationis diviſionem inter confidejuſſores , non fieri ipſo Jure , ſed demùm oppoſitâ exceptione. Undè , ſi antea unus ſolidum ſolvit , non indebitum ſolvit : quâ in re plures Fidejuſſores differunt à pluribus debitoris heredibus , inter quos ipſo Jure ex Lege XII. Tabularum diviſa eſt obligatio.

Hoc diſcrimen notat Papinianus. Ita ille : Ex duobus Fidejuſſoris heredibus , ſi per errorem alter ſolidum exſolvat ; quidam putant (*d*) habere eum Condictionem (*e*) & ideò manere obligatum coheredem : ceſſante quoque Condictione (*f*) ; durare obligationem coheredis probant , propterea (*g*) quòd creditor qui dum ſe putat obligatum , partem ei qui totum dedit , exſolverit , nullam habebit Condictionem. Quòd ſi duo Fidejuſſores accepti fuerint , verbi gratiâ in viginti , & alter ex duobus heredibus alterius Fideſſoris totum creditori exſolverit : habebit quidem decem , quæ ipſo Jure non debuit (*h*) , Condictionem. An autem & aliæ quinque millia repetere poſſit , ſi Fidejuſſor alter ſolvendo eſt, videndum eſt ? ab initio enim (*i*) heres Fidejuſſoris ſive heredes, ut ipſe Fidejuſſor, audiendi ſunt : ut ſcilicet pro parte ſinguli Fidejuſſores qui ſunt, conveniantur. Sed verior (*Florent.* Severior) & utilior eſt in utroque caſu illa ſententia ; ſolutionem non indebitæ (*k*) quantitatis , non debere revocari. Quod etiam Epiſtolâ Divi Pii ſignificatur , in perſonâ Fidejuſſoris qui totum exſolverat. *l.* 49. § 1. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

Circa exceptionem Diviſionis *quæ confidejuſſoribus competit, hæc quæruntur :* 1°. *Inter quos obligatio dividatur :* 2°. *Quæ requirantur in perſonâ ejus qui hâc exceptione utitur , & in perſonâ confidejuſſorum cum quibus obligationem dividi oportet :* 3°. *Quando hæc exceptioni proponi debeat :* 4°. *Quomodo diviſio fiat.*

(*a*) Solutio enim purè facta , obligationem & actiones quæ ex eâ competebant extinxit. Ergo ampliùs non poſſunt cedi. Non obſtat huic quod dicimus , ceſſionem ex intervallo & poſt ſolutionem fieri non poſſe , lex 57. ff. *de Legatis* 1°. §. fin. ubi fideicommiſſarius fundi pignorati poteſt à creditoribus quibus fundus ille obligatus eſt deſiderare ut actiones ſibi cedantur adversùs debitorem : *Quod quanquàm ſuo tempore non fecerit* , inquit lex , id eſt ſtatim quum conveniretur ab his creditoribus ; *tamen per juriſdictionem Præſidis provinciæ id ei præſtabitur.* Ibi enim , non de ſolutione agitur quæ debitum extinxerit , ſed tantùm de traditione fundi à fideicommiſſario factâ creditoribus jus hypothecæ perſequentibus.

(*b*) Ratio eſt , quia nulla actio inter patrem & filium eſſe poteſt : Tit. *de Judiciis* N. 23. ſuprà lib. 5.

(*c*) Formula exceptionis.

(*d*) Et rectè putant.

(*e*) *Indebiti* ; quaſi plus ſolverit qui totum ſolvit , cùm partem duntaxat deberet.

(*f*) Id eſt ; quinetiam eo caſu quo locus non eſſet *Condictioni indebiti*, quia forte per errorem Juris ſolidum ſolvit.

(*g*) Solutionem totius ab uno ex heredibus factam , etiam eo caſu quo non competeret *Condictio indebiti* , non eſſe perfectam ſolutionem , nec liberaſſe coheredem , probat hoc argumento ; quòd ex hâc ſolutione pecunia non eſt perfectè facta creditoris ; cùm ſaltem naturaliter teneatur ad reſtitutionem ejus quod plus debitâ portione ſolutum eſt. Creditorem autem ad hanc reſtitutionem naturaliter teneri , probat hoc argumento ; quòd , ſi reſtituerit , non habebit ejus quod reſtituerit repetitionem : quæ eſt nota obligationis naturalis.

(*h*) Utpotè non ab ipſo , ſed à coherede ejus debita ; cùm ipſo Jure inter coheredes æs alienum dividatur.

(*i*) Ratio dubitandi hîc proponitur ; nimirùm quòd ab initio , antequàm ſolveretur & antequàm lis eſſet conteſtata , certè potuiſſent heredes defuncti Fidejuſſoris [quemadmodum potuiſſet ipſe defunctus] deſiderare ut obligatio cum altero Fidejuſſore divideretur. Cùm ergo potuiſſet Fidejuſſor per hanc diviſionis exceptionem ſe defendere quominùs hæc quinque ſolveret, videtur hæc indebitè ſolviſſe.

(*k*) Hæc ratio decidendi : Quamvis per exceptionem impetrari hæc diviſio potuiſſet, tamen revera ſolidum debebat unuſquiſque Fidejuſſor ; undè ſequitur non indebitè ſolutum eſſe.

Source : BIU Cujas

§ I.

Inter quos dividatur obligatio.

L I I.

Confidejuſſores inter quos dividitur obligatio, ſunt illi qui ejuſdem pecuniæ & pro eâdem perſonâ in ſolidum tenentur.

In ſolidum autem tenentur, qui ſic Fidejuſſerunt : IN SOLIDUM ET PARTES VIRILES. *Igitur* Inter eos Fidejuſſores actio dividenda eſt, qui ſolidum & partes viriles fide ſuâ eſſe juſſerunt.

Diverſum erit verbis ita conceptis, SOLIDUM AUT PARTEM VIRILEM fide tuâ eſſe jubes ? Tunc enim ab initio nonniſi viriles partes (*a*) ſingulos debere conveniet. *l.* 51. PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

Diximus confidejuſſores eſſe, qui in ſolidum & quidem pro eâdem perſonâ obligati ſunt. Quòd Si à Titio ſtipulatus, Fidejuſſorem te acceperim; deinde eamdem pecuniam ab alio ſtipulatus, alium Fidejuſſorem accipiam: confidejuſſores non erunt; quia diverſarum ſtipulationum Fidejuſſores ſunt. *l.* 43. POMPON. LIB. 7. EX VARIIS LECTIONIBUS.

Similiter Papinianus. Duo rei promittendi, ſeparatim Fidejuſſores dederunt. Invitus creditor inter omnes Fidejuſſores actiones dividere non cogitur, ſed inter eos duntaxat qui pro ſingulis intervenerunt. *l.* 51. § 2. PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

Obiter nota. Planè ſi velit actionem ſuam inter omnes dividere, non erit prohibendus : non magis quàm ſi duos reos pro partibus conveniret. *d. l.* 2. ¶ *planè.*

Pariter Si Fidejuſſor fuerit principalis, & Fidejuſſor Fidejuſſoris; non poterit deſiderare Fidejuſſor, ut inter ſe & eum Fidejuſſorem pro quo fidejuſſit, dividatur obligatio. Ille (*b*) enim loco rei eſt: nec poteſt reus deſiderare, ut inter ſe & Fidejuſſorem dividatur obligatio.

Proindè ſi ex duobus Fidejuſſoribus alter Fidejuſſorem dederit; adversùs eum quidem non dividitur obligatio, pro quo intervenit; adversùs confidejuſſorem (*c*), magis eſt ut dividatur. *l.* 27. § 4. ULPIAN. LIB. 22. AD ED.

L I I I.

Sicut ipſi Fidejuſſori, ita heredibus quoque eorum ſuccurrendum (*d*) Pomponius ſcribit. *d. l.* 27. § 3.

Hoc autem porrigendum & ad quoſvis ſucceſſores. Hinc Bonis damnati Fidejuſſoris fiſco vindicatis, inter Fidejuſſores actio poſtea ſi dividi cœperit; ut heredis, ita fiſci rationem haberi oportet. *ſup. d. l.* 51. § 5.

Prætereà ſi Fidejuſſor extiterit Fidejuſſori, ſive plures; æquè hic quoque pertinebit ad eamdem cauſam: in quorum perſonâ æquè locum habebunt ea quæ ſunt à Divo Hadriano conſtituta (*e*). *ſup. d. l.* 27. § 1.

§ II.

Quæ ſpecialiter requirantur in perſonâ ejus Fidejuſſoris qui petit obligationem dividi, & quæ in perſonâ eorum cum quibus obligationem dividi petit.

L I V.

In perſonâ ejus Fidejuſſoris qui obligationem dividi petit, hoc requiritur ut ſe Fidejuſſiſſe confeſſus fuerit.

Enimverò Ita demùm inter Fidejuſſores dividitur actio, ſi non inficientur. Nam inficiantibus, auxilium diviſionis non eſt (*f*) indulgendum. *l.* 10. § 1. ULP. LIB. 7. DISPUTAT.

L V.

In perſonâ autem confidejuſſorum cum quibus obligationem dividi petitur, hoc requiritur ut ſint ſolvendo.

Hoc docet Gaius. Inter Fidejuſſores, non ipſo Jure dividitur obligatio ex Epiſtolâ Divi Hadriani. Et ideò, ſi quis eorum ante exactam à ſe partem ſine herede deceſſerit, vel ad inopiam pervenerit, pars ejus ad cæterorum onus reſpicit. *l.* 26. GAIUS LIB. 8. AD ED. PROVINC.

Interdum evenit ut ambigatur an confidejuſſores cum quibus obligatio dividi poſtulatur, ſolvendo ſint necne.

De hoc caſu ita Ulpianus. Si dubitet creditor, an Fidejuſſores ſolvendo ſint; & unus ab eo electus paratus ſit offerre cautionem, ut ſuo periculo confidejuſſores conveniantur in parte : dico audiendum eum eſſe; ita tamen, ſi & (*Florent.* & ſi) ſatisdationes offerat, & omnes confidejuſſores qui idonei eſſe dicuntur; præſto ſint. Nec (*g*) enim ſemper facilis eſt nominis emptio, cùm numeratio totius debiti non ſit in expedito. *l.* 10. ULP. LIB. 7. DISPUTAT.

Obſervandum Præterea; Si quæratur an ſolvendo ſit principalis Fidejuſſor, etiam vires ſequentis (*h*) Fidejuſſoris ei adgregandæ ſunt. *l.* 27. § 2. ULP. LIB. 22. AD ED.

L V I.

Ejus quidem Fidejuſſoris qui ante diviſam obligationem ſolvendo non erat, pars ad cæterorum onus reſpicit. Secùs ſi ſolvendo eſſe deſiit poſtquam obligatio diviſa eſt; ſive ope hujus exceptionis, ſive voluntate creditoris qui diviſim eos convenit, fuerit diviſa.

Hinc Papinianus. Quum inter Fidejuſſores actione divisâ, quidam poſt litem conteſtatam ſolvendo eſſe deſierunt; ea res ad onus ejus qui ſolvendo eſt, non pertinet. Nec auxilio defendetur actor : non enim deceptus videtur, Jure communi uſus. *l.* 51. § 4. PAPIN. LIB. 4. RESPONS.

Pariter Gordianus. Liberum fuit antequàm lis adversùs omnes Fidejuſſores conteſtaretur, unum eorum eligere creditori; ſi modò cæteros minùs idoneos exiſtimaret. At nunc poſt litis conteſtationem; petitionem diviſam redintegrari, Juris ratio non patitur. *l.* 16. *Cod. h. tit.*

Rursùs Papinianus. Inter Fidejuſſores actione divisâ, condemnatus ſi deſierit eſſe ſolvendo; fraus vel ſegnitia tutoribus qui judicatum perſequi potuerunt, damnum dabit (*i*). Quòd ſi diviſam actionem inter eos qui non erant ſolvendo conſtabit, pupilli nomine reſtitutionis auxilium implorabitur. *l.* 52. § 1. PAPINIAN. LIB. 11. RESPONS.

L V I I.

Vidimus Fidejuſſoris obligationem dividi non poſſe; ſi confidejuſſor cum quo dividenda petitur, ſolvendo non ſit.

Multòminus dividi poterit, ſi nequidem ſit obligatus; maximè ſi is qui cum eo fidejuſſit, non ignoravit ejus conditionem. Hinc Si Titius & Seia pro Mævio fidejuſſerint; ſubductâ muliere, dabimus in ſolidum adversùs Titium actionem : cùm ſcire potuerit, aut ignorare non debuerit, mulierem fruſtrà (*k*) intercedere. *l.* 48. PAPIN. LIB. 10. QUÆST.

Huic ſimilis & illa quæſtio videri poteſt : Ob ætatem ſi reſtituatur in integrum unus Fidejuſſor, an alter onus

(*a*) Sicut ſi quis ſtipularetur DECEM AUT QUINQUE, ſtipulatio non valeret niſi in quinque : ut ſuprà vid. lib. præced. Tit. *de Verb. oblig.* N. 83.

(*b*) Principalis ſcilicet Fidejuſſor, qui pro ſe Fidejuſſorem dedit.

(*c*) *Confidejuſſorem* ejus pro quo ipſe intervenit. Eâdem enim diviſionis exceptione uti poteſt, quâ poſſet uti is pro quo intervenit.

(*d*) Scilicet ut hanc exceptionem habeant adversùs defuncti confidejuſſores, eorum-ve confidejuſſorum heredes.

(*e*) Nimirùm hic Fidejuſſor vel illi Fidejuſſores Fidejuſſoris, poterunt impetrare ut actio dividatur inter ſe, & confidejuſſores ejus pro quo intervenerunt : ut ſuprà modò dictum eſt.

(*f*) Nec enim ferendus eſt, qui ſe fidejuſſorem negat, implorare beneficium quod Lex Fidejuſſoribus concedit.

(*g*) Hoc refertur ad id quod dixit, Fidejuſſorem audiendum eſſe ut teneatur creditor periculo Fidejuſſoris confidejuſſorem pro parte convenire. Potuiſſet enim quis objicere : Quidni potiùs Fidejuſſor ille confidejuſſorem ſuum convenit, ceſſis ſibi à creditore actionibus ? Ad quam objectionem reſpondet; *Non ſemper facilem fore* hanc ceſſionem, ſeu *Nominis emptionem* : quia non ſemper præſto habet Fidejuſſor pecuniam, ut pro parte confidejuſſoris ſui ſolvat.

(*h*) Id eſt, ejus qui pro illo Fidejuſſore fidejuſſit.

(*i*) Tenebuntur ſcilicet eo nomine, *Tutelæ* judicio : cæterùm pupillus non poterit reſtitui adversùs diviſionem actionis; ſi quum diviſa eſt, erant omnes ſolvendo.

(*k*) Prohibente Senatuſconſulto Velleiano.

Source : BIU Cujas

obligationis integrum excipere debeat ? Sed ita demùm alteri totum irrogandum eſt, ſi poſtea (*a*) Minor interceſſit ; propter (*b*) incertum ætatis ac reſtitutionis. Quòd ſi (*c*) dolo creditoris inductus ſit Minor ut fidejubeat : non magis creditori ſuccurrendum erit adversùs confidejuſſorem ; quàm ſi factâ novatione circumvento Minore, deſideraret in veterem debitorem, Utilem actionem ſibi dari (*d*). *d. l.* 48. § 1.

LVIII.

Quemadmodum autem non rectè petitur obligationem dividi cum his confidejuſſoribus qui non ſunt obligati ; an pariter obtinebit ut non dividatur cum his qui ſub conditione ſunt obligati, aut à quibus nondum exigi poteſt ?

Hâc de re Ulpianus. Si plures ſint Fidejuſſores, unus purè, alius in diem vel ſub conditionem acceptus ; ſuccurri oportet ei qui purè acceptus eſt, dum exiſtere conditio poteſt : ſcilicet ut interim in virilem conveniatur. Sed ſi quum conditio extitit, non eſt ſolvendo qui ſub conditione acceptus eſt ; reſtituendam actionem in purè acceptum, Pomponius ſcribit. *l.* 27. ULPIAN. LIB. 22. AD ED.

§ III.

Quando exceptio Diviſionis *proponi poſſit.*

LIX.

Ut autem is qui cum altero fidejuſſit, non ſolus conveniatur, ſed dividatur actio inter eos qui ſolvendo ſunt, ante condemnationem (*e*) ex ordine (*f*) poſtulari ſolet. *l.* 10. § 1. *Cod. h. tit.* ALEXANDER.

§ IV.

Quomodo fiat hæc Diviſio.

LX.

Diviſio obligationis ſic fit, ut ſinguli Fidejuſſores qui ſolvendo ſunt, in virilem pecuniæ debitæ conveniantur.

An autem ejus pecuniæ quam ab initio debuerunt, an ejus quæ ſolvenda ſupereſt ? Ad hanc quæſtionem ita Papinianus : Fidejuſſor qui partem pecuniæ ſuo nomine vel rei promittendi ſolvit ; quominùs reſidui diviſione factâ portionis judicium accipiat, recuſare non debet. Eam enim quantitatem inter eos qui ſolvendo ſunt, dividi convenit ; quam litis tempore ſinguli debent.

Sed (*g*) humanius eſt, ſi & alter ſolvendo ſit litis conteſtationis tempore ; per exceptionem ei qui ſolvit, ſuccurri. *l.* 51. § 1. PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

ARTICULUS IV.

De actionibus quæ Mandatoribus & Fidejuſſoribus competunt.

§ I.

De propriâ actione adversùs reum principalem.

LXI.

Fidejuſſor aut Mandator qui alienæ obligationi acceſſit non donandi animo, etiamſi actiones creditoris (dum ſolveret) ſibi cedi non curaverit, nec ullos confidejuſſores habeat cum quibus dividi poſſit actio adversùs ipſum propoſita ; non tamen omni auxilio deſtitutus eſt. Habet enim ipſe adversùs reum principalem, propriam actionem ; ſcilicet aut MANDATI, *ſi ejus Mandato ipſius obligationi acceſſit ; ſin,* NEGOTIORUM GESTORUM ; *ut quod ipſe ſolverit, reus ipſi refundat.*

Et quidem Fidejuſſores & Mandatores, etſi ſine judicio ſolverint, habent actionem MANDATI. *l.* 10. § 11. *ff. Mandati.* ULP. LIB. 31. AD ED.

Sed etſi non Fidejuſſorio nomine ſolverit quis, habet hanc actionem : ut docet Tryphoninus in ſpecie ſequenti. Tutor datus ejus filio cui ex fidejuſſoriâ causâ obligatus erat, à ſemetipſo exigere debet. Et quamvis tempore liberatus (*h*) erit, tamen Tutelæ judicio eo nomine tenebitur (*i*) ; item heres ejus : quia cum eo, ob tutelam, non ex fidejuſſione agitur. Et quamvis non quaſi Fidejuſſor, ſed quaſi tutor ſolverit (*k*) ; etiamſi tempore liberatus eſt, Mandati actionem eum habere adversùs reum promittendi dixit : hæret enim in utrâque causâ (*l*) adhuc illius debiti perſecutio. Nam ejus ſolutione liberabit reum promittendi, obligatione in quam pro eo fidejuſſerat ; & non titulus (*m*) actionis, ſed debiti cauſa reſpicienda eſt. Licèt (*n*) enim is tutor, qui Fidejuſſor apud pupillum pro (*Ita Vulgat. Florent.* pro eo) reo eſt obligatus, ſolvit (ſe auctore) pupillo ; (quia (*o*) reo promittendi liberato, & ipſe tutor idemque Fidejuſſor liberabitur ; quod ſuâ auctoritate efficere non poteſt) : tamen [&] ſi non pro ſe ſolvendi animo, ſed pro Titio fecit ut maximè eum liberet, habebit cum eo Mandati actionem. *l.* 69. TRYPHONIN. LIB. 9. DISPUT.

LXII.

Quod diximus Fidejuſſores qui ſolverunt habere actionem MANDATI, *intelligendum eſt de verâ & utili ſolutione.*

Hinc Pomponius. Si is qui pro te hominem dare fidejuſſit, alienum hominem ſtipulatori dederit ; nec ipſe liberatur, nec te liberat ; & ideò Mandati actionem tecum non habet. Sed ſi ſtipulator eum hominem uſuceperit ; dicendum eſſe Julianus ait, liberationem contingere (*p*). Eo ergo caſu Mandati actio poſt uſucapionem demùm tecum erit. *l.* 47. § 1. *ff. Mandati.* POMPON. LIB. 3. PLAUT.

Interdùm tamen etiam inutilis ſolutio, eis hanc actionem parit. Enimverò Si quum debitor ſolviſſet, ignarus Fidejuſſor ſolverit (*q*) ; puto eum Mandati habere actionem (*r*). Ignoſcendum enim eſt ei, ſi non divinavit

(*a*) Si priùs fidejuſſit Major ſolus, & *poſtea* Minor fidejuſſit & reſtitutus eſt ; Major in ſolidum tenebitur : nam quum ſe obligavit ſolus, nullam obligationis diviſionem ſperabat. Contrà debet obtinere, ſi unà cum Minore fidejuſſit : nam ſic ſe obligavit, ut ſperaret diviſam fore obligationem ; quâ ſpe non debet defraudari.

(*b*) Et quidem hic caſus differt à ſuperiori, quo quis unà cum muliere fidejuſſit. Nam hic nullam debuit ſperare diviſionem obligationis ; cùm ſcire debuerit mulierem ex hâc causâ non obligari. At potuit hanc diviſionem ſperare qui fidejuſſit cum Minore, ſcilicet *Propter incertum ætatis ac reſtitutionis* ; id eſt, quia potuit ignorare ejus ætatem, & an reſtitutionis beneficio uteretur.

(*c*) Quod dixit, Minore reſtituto, creditori ſuccurri ut poſſit convenire in ſolidum Fidejuſſorem qui priùs ſolus fidejuſſerat, ita limitat ; niſi hic Minor dolo creditoris inductus fuerit ad fidejubendum.

(*d*) Quod obtinere non poteſt ; ut videb. infrà Tit. *de Novation.*

(*e*) Ergo etiam poſt litis conteſtationem. Diſſentiunt Cynus & alii nonnulli Doctores, argumento ducto ex textu *Inſtitutionum* h. tit. ubi dicitur, diviſionem fieri inter omnes Fidejuſſores *Qui ſolvendo ſunt litis conteſtatæ tempore.* Sed indè non ſequitur, etiam poſt litis conteſtationem deſiderari non poſſe ut actio dividatur inter Fidejuſſores qui jam tempore litis conteſtatæ ſolvendo erant.

Non magis obſtat quod dicunt, Eum qui litem conteſtatus eſt, inficiari : inficiantibus autem hanc exceptionem non competere, ut vid. ſuprà N. 54. Nec enim ex quâvis inficiatione denegatur, ſed ſi quis inficietur ſe fidejuſſiſſe. Vide plura apud Vinnium *Quæſtion.* lib. 2. § 4.

(*f*) Plures enim habere poteſt defenſiones, quas ſervato ordine proponit.

(*g*) Hactenùs Papinianus. Juriſconſultus autem qui Notas ad eum ſcripſit, his verbis ſententiam ejus improbat.

(*h*) Putà, quia fidejuſſerat ad certum tempus ; quo elapſo, liberatur per exceptionem.

(*i*) Quòd à ſe non exegerit. Vide ſuprà lib. 27. Tit. *de Tut. & rat. diſtr.* N. 34.

(*k*) Undè dubitari potuiſſet, an *Mandati* actionem haberet.

(*l*) Sive enim ex causâ fidejuſſionis, ſive ex causâ tutelæ ; convenitur pro illo debito pro quo fidejuſſit.

(*m*) Nil refert quo titulo, quo genere actionis ſolvere cogatur. U a *inſpiciendа eſt cauſa debiti* quod ſolvere cogitur : porrò illud eſt propter quod pro te fidejuſſerat, & à quo te liberat quum illud ſolvit.

(*n*) Hic objici poſſet nullam ex tali ſolutione competere tutori actionem *Mandati* adversùs reum principalem ; cùm ſolutio ipſa inutilis videatur, utpotè pupillo facta à tutore *ſe auctore* : quia in his actibus in quibus res ſua vertitur, in quibus id agitur ut liberetur, auctor eſſe non poteſt : l. fin. ff. *de Auct. tutor.* Reſpondet autem : *Licèt is tutor, &c.*

(*o*) Supple : adeòque primâ facie videatur non valere hæc ſolutio ; *quia, ſi valeret reumque liberaret, reo liberato & ipſe tutor Fidejuſſor liberaretur ; quod ſuâ auctoritate efficere non poteſt*, nimirùm ut ſe ipſum liberet ; *tamen ſi* reverà *non pro ſe ſolvendi animo id fecit, ſed pro Titio maximè ut eum liberaret* ; id eſt, ſi ſolvendo animum habuit principaliter negotium Titii pro quo fidejuſſerat gerendi ; ſolutio valebit, licèt ex hâc tutor quoque liberetur. Nam indirectè duntaxat, & ex ipsâ rei principalis liberatione tutor eo caſu liberatur. Porrò ſibi ipſe negotium gerere *ſe auctore* quamvis principaliter non poſſit, indirectè tamen non vetatur. Ergo, cùm ſolutio valeat, habebit quoque *Mandati actionem.*

(*p*) Infrà Tit. *de Solution.*

(*q*) Quæ ſolutio inutilis eſt, cùm ampliùs non ſubſit debitum ; utpotè prioris debitoris ſolutione extinctum.

(*r*) Sic tamen ut teneatur cedere *Conductionem indebiti* quam habet.

Source : BIU Cujas

debitorem ſolviſſe. Debitor enim debuit notum facere Fidejuſſori, jam ſe ſolviſſe : ne fortè creditor obrepat, & ignorantiam ejus circumveniat, & excutiat ei ſummam in quam fidejuſſit. *l.* 29. § 2. *ff. Mandati.* ULP. LIB. 7. DISPUT.

Vice versâ; interdum, licèt vera fuerit ſolutio, Fidejuſſor ab hâc MANDATI *actione ſummovetur. Nam* Hoc idem tractari & in Fidejuſſore poteſt; Si, quum ſolviſſet, non certioravit reum; ſic deinde reus ſolvit, quod ſolvere eum non oportebat. Et credo, ſi quum poſſet eum certiorare, non fecit; oportere MANDATI agentem Fidejuſſorem repelli. Dolo enim proximum eſt, ſi poſt ſolutionem non nuntiaverit debitori. Cedere autem reus INDEBITI actione Fidejuſſori debet, ne duplum creditor conſequatur. *d. l.* 29. § 3.

LXIII.

Regulariter autem Fidejuſſor qui creditori ſolvit, habet (*ut diximus*) MANDATI *actionem adversùs reum.*

Idem eſt, & ſi quid æquipollens fecit. Hinc Fidejuſſor qui minori viginti-quinque annis pecuniam obtulit, & in publico loco metu in integrum reſtitutionis conſignatam depoſuit; conſeſtim experiri Mandati poterit. *l.* 64. HERMOGEN. LIB. 2. JURIS EPITOMAR.

Similiter Papinianus. Fidejuſſor qui pecuniam in Jure obtulit, & propter ætatem ejus qui petebat, obſignavit ac publicè depoſuit; confeſtim agere Mandati poteſt. *l.* 56. § 1. *ff. Mandati.* PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

Item Qui debitorem ſuum delegat, pecuniam dare intelligitur quanta ei debetur. Et ideò ſi Fidejuſſor debitorem ſuum delegaverit, quamvis eum qui ſolvendo non erat (*a*); confeſtim Mandati agere poteſt. *l.* 18. JULIAN. LIB. 90. DIGEST.

Sed Quum Fidejuſſor reo ſtipulandi heres extiterit; quæritur an, quaſi ipſe à ſe exegerit, habeat adversùs reum MANDATI actionem? Reſpondit; Cùm reus obligatus maneat (*b*), non poſſe intelligi ipſum à ſe Fidejuſſorem pecuniam exegiſſe. Itaque Ex ſtipulatu potiùs quàm Mandati agere debebit. *l.* 21. § 5. AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

LXIV.

Quamvis Fidejuſſor ſtatim atque ſolvit, poſſit adversùs reum principalem agere; in quibuſdam tamen ſpeciebus hoc limitatur.

Putà Quod Dicimus in [eo] herede; [qui] Fidejuſſori (*c*) teſtatoris id quod ante aditam hereditatem ab eo ſolutum eſt, debere ſtatim ſolvere; cum aliquo ſcilicet temperamento temporis intelligendum eſt. Nec enim cum ſacco adire debet. *l.* 105. *ff. de Solutionib.* PAUL. LIB. SINGUL. AD LEG. FLACID.

Item tractatum eſt; Si quum in diem deberem, Mandatu meo in diem fidejuſſeris, & ante diem ſolveris; an ſtatim habeas Mandati actionem? & quidem putant, præſentem quidem eſſe Mandati actionem; ſed tanti minorem, quanti meâ interſit ſuperveniente die ſolutum fuiſſe. Sed meliùs eſt dici, interim nec hujus ſummæ MANDATI agi poſſe; quando nonnullum adhuc commodum meum ſit, ut nec hoc ante diem ſolvam. *l.* 22. § 1. *ff. Mandati.* PAUL. LIB. 32. AD ED.

Pariter Ulpianus. Si Fidejuſſor, vel quis alius pro reo ante diem creditori ſolverit; expectare debebit diem quo eum ſolvere oportuit. *l.* 31. ULP. LIB. 23. AD ED.

Item Javolenus. Fidejuſſor, quamvis per errorem ante diem pecuniam ſolverit, petere tamen ab eo non poteſt; ac ne Mandati quidem actionem, antequàm dies ſolvendi veniat, cum reo habebit. *l.* 51. *ff. Mandati.* JAVOLEN. LIB. 9. EX CASSIO.

LXV.

Contrà vice versâ interdum poteſt agere Fidejuſſor, & antequàm ſolverit; ſcilicet quum condemnatus eſt.

Hinc Gordianus. Si Fidejuſſor pro reo patiente (*d*) fidem ſuam adſtrinxerit; MANDATI cum eo poſt exſolutam pecuniam, vel factam condemnationem, poteſt actionem exercere. *l.* 6. *Cod. Mandati.*

Item Scævola. Fidejuſſor pro venditore fundorum duorum, altero evicto conventus ab emptore, condemnatus eſt incertam quantitatem. Quæſitum eſt, an cum herede venditoris, ante diem quo judicatum facere compelleretur, agere poſſit? Reſpondit; Agere quidem poſſe : ſed ex juſtâ causâ (*e*) ad officium judicis pertinere, quo Fidejuſſor aut defendatur, aut liberetur. *l.* 45. SCÆVOLA LIB. 6. DIGEST.

Cùm Fidejuſſori condemnato committatur adversùs reum principalem actio MANDATI; *hinc* Si ei cui damnatus ex causâ Fidejuſſoriâ fueram, heres poſtea extitero; habebo Mandati actionem (*f*). *l.* 11. *ff. Mandati.* POMPON. LIB. 3. EX PLAUT.

Quod tamen dicimus, committi Fidejuſſori actionem MANDATI *quum condemnatus eſt, ſic accipe niſi culpâ ſuâ condemnatus ſit.*

Hinc Paulus. Exceptione quæ tibi prodeſſe debebat, uſus, injuriâ judicis damnatus es. Nihil præſtabitur jure Mandati; quia injuriam quæ tibi facta eſt, penès te manere, quàm ad alium transferri æquius eſt : ſcilicet ſi culpâ tuâ injuſtæ damnationis cauſam præbuiſti. *l.* 67. PAUL. LIB. 3. AD NERATIUM.

Alias cauſas referunt Diocletianus & Maximianus, ex quibus Fidejuſſor ante ſolutionem MANDATI *agere poteſt.*

Ita illi reſcribunt. Si pro eâ contra quam ſupplicas, Fidejuſſor ſeu Mandator interceſſiſti; & neque condemnatus es, neque bona ſua eam dilapidare poſtea cœpiſſe comprobare poſſis, ut tibi juſtam metuendi cauſam præbeat; neque ab initio ita obligationem ſuſcepiſſe, ut eam poſſis & ante ſolutionem convenire : nullâ Juris ratione, antequàm ſatis creditori pro eâ feceris, eam ad ſolutionem urgeri certum eſt. Fidejuſſorem verò ſeu Mandatorem exceptione munitum, & injuriâ judicis damnatum, & appellatione contra bonam fidem minimè uſum, non poſſe MANDATI agere manifeſtum eſt. *l.* 10. *Cod. Mandati.*

LXVI.

Obſervandum ſupereſt; hanc actionem dari; etiam adversùs reum quem creditor per pactum perſonale liberaverat.

Putà Si ponamus unum ex reis promittendi, pactum eſſe (*g*) NE A SE PETERETUR (*h*); deinde Mandatorem ſolviſſe : Mandati judicio convenire potuit etiam eum cum quo pactum eſt. Non enim pactum creditoris tollit alienam (*i*) actionem. *l.* 71. § 1. PAUL. LIB. 4. QUÆST.

Cætera quæ ſpectant ad propriam hanc actionem quam Fidejuſſor adversùs reum principalem habet, vide ſuprà lib. 17. *Tit.* Mandati.

(*a*) Nam creditor qui hunc ſibi delegari conſenſit, hujus bonum nomen effecit.

(*b*) Etenim per confuſionem quæ ex aditione hereditatis contingit, eximitur duntaxat ab obligatione perſona Fidejuſſoris; obligatio verò non ſolvitur : ut videb. infrà Tit. *de Solution.* Part. 3*a*. Cùm igitur duret obligatio, & reus maneat obligatus; non poteſt dici Fidejuſſorem, adeundo hereditatem creditoris, ipſum ſibi ſolviſſe : unde ſequitur non habere eum actionem nomine proprio, ſcilicet actionem *Mandati*, quam haberet, ſi pro reo ſolviſſet : ſed aget, ut heres creditoris, actione *Ex ſtipulatu.*

(*c*) Hæ voces *eo* & *qui*, videntur abundare.

(*d*) *Patiente* pro ſe fidejuberi. Qui enim *patitur* aliquem pro ſe fidejubere, tacitè *Mandare* videtur.

(*e*) Ita demùm tamen judex condemnavit reum principalem, ut Fidejuſſorem condemnatum *Judicati* actione conventum defendat aut iberet; ſi juſta judicii cauſa videbitur. Juſta autem cauſa non eſſet, ſi Fidejuſſor culpâ ſuâ eſſet condemnatus, ut mox dicitur.

(*f*) Quæ ex eâ condemnatione commiſſa eſt. Secùs, ſi ante heres ei extitiſſem : ſuprà N. 63. ex lex 21. § 5. Potero autem eligere, an proprio nomine actione *Mandati*, an hereditario nomine actione quæ defuncto competebat, agere velim.

(*g*) Cum creditore.

(*h*) Pactum perſonale erat. Secùs, ſi fuiſſet *In rem* : nam Fidejuſſor perperà ſolviſſet, cùm de pacto *In rem* potuiſſet excipere.

(*i*) Pactum creditoris poteſt excludere actionem quam habet ipſe creditor non actionem quam alius habet, nimirùm Fidejuſſor.

Source : BIU Cujas

§ II.

An Fidejussor aliquam etiam actionem habeat adversùs confidejussores.

LXVII.

Ut Fidejussor adversùs confidejussorem suum agat, danda actio non est. Ideòque si ex duobus Fidejussoribus ejusdem quantitatis, [cum] alter electus à creditore totum exsolvet, nec ei cessæ sint actiones; alter nec à creditore, nec à confidejussore convenietur. *l.* 39. MODESTIN. LIB. 2. REGULAR.

Consonat quod rescribit Alexander. Quum alter ex Fidejussoribus in solidum debito satisfaciat; actio ei adversùs eum qui unà fidejussit, non competit. *l.* 11. *Cod. h. tit.*

Et idcircò locus est beneficiis de quibus suprà Art. 2°. *&* 3°. *nimirùm* DIVISIONIS *præsertim verò* CEDENDARUM ACTIONUM: *undè statim addit idem Imperator;* Potuisti sanè, quum fisco solveres, desiderare ut jus pignoris quod fiscus habuit in te transferretur. Et si hoc ita factum est, cessis actionibus uti poteris. Quod & in privatis delictis observandum est. *d. l.* 11. ¶ *potuisti.*

SECTIO VI.

Quando extinguatur obligatio Fidejussorum aut Mandatorum.

LXVIII.

Cùm sit hæc obligationis Fidejussoriæ substantia, ut alicui obligationi principali saltem naturali accedat (ut suprà Sect. 14. *vidimus); hinc est quod Scævola,* Ubicumque reus ita liberatur à creditore ut naturâ (*a*) debitum maneat, teneri Fidejussorem respondit. Quum verò genere novationis transeat obligatio; Fidejussorem, aut jure, aut exceptione (*b*) liberandum. *l.* 60. SCÆVOLA LIB. 1. RESPONSOR.

Similiter Antoninus. Novatione legitimè perfectâ debiti in alium translati, prioris contractûs Fidejussores vel Mandatores liberatos esse non ambigitur: si modò in sequenti se non obligaverunt. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

Simili ratione Non possunt conveniri Fidejussores, liberato reo transactione (*c*). *l.* 68. § 2. PAUL. LIB. 3. DECRETOR.

LXIX.

Quum reus principalis liberatur, non ipso Jure, sed per exceptionem; interest an exceptio sit In rem, *an* Personalis. *Priori casu liberantur Fidejussores, altero non liberantur. De harum exceptionum divisione & naturâ, vide suprà lib.* 44. *Tit.* de Exceptionib.

Pariter quum per restitutionem in integrum liberatur reus principalis; interest an propter personalem debitoris favorem concedatur illa restitutio, ut ea quæ Minoribus tribuitur: quo casu non liberantur Fidejussores. Quòd si ex aliquo obligationis principalis vitio, putà quòd sit vi aut dolo extorta; hoc casu liberantur Fidejussores.

Hinc V. G. Si quis per vim SISTI promittendo, postea Fidejussorem adhibeat; is quoque liberatur. *l.* 14. § 8. *ff. Quod metûs caus.* ULP. LIB. 11. AD ED.

LXX.

Cùm verò publicatio bonorum rei principalis, solam personam ejus ab obligatione eximat; eique fiscum substituat, magis quàm obligationem tollat; sequitur hinc non liberari ejus Fidejussores & Mandatores.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Sententiâ bonorum omnium ademptionem continente; rei damnati principalis intercessores eligendi, creditori potestas non adimitur. *l.* 20. *Cod. h. tit.*

Hinc Severus & Antoninus. Si Lysias ademptâ parte bonorum exulare jussus est; nonnisi pro parte quam retinuit, creditoribus obligatus est. Verùm qui pro eo fidem suam adstrinxerunt, Jure pristino conveniri possunt. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Tandiù igitur hujus Fidejussoris obligatio manebit, quandiù fiscus solverit. Non est autem dubium; Fidejussorem rei promittendi, bonis ad fiscum devolutis; si idem fiscus ob debitum restituendum fuerit conventus, & solverit; liberari. *l.* 15. *Cod. h. tit.* ¶ *non est autem.*

Et ita quidem in casu quo privatus erat creditor ejus cujus bona publicata sunt.

Quòd si ipse fiscus ejus creditor esset; hoc etiam casu & absque dubio, Si principalis rei bona ad fiscum devoluta sint, Fidejussores liberantur: nisi fortè minùs idonei (*d*) sint, & in reliquum non exsolutæ quantitatis accesserint (*e*). *l.* 45. § 11. *ff. de Jure fisci.* PAUL. LIB. 5. SENT.

LXXI.

Ex eo autem non liberantur Fidejussores, quòd reus principalis lapsu temporis ab obligatione exemptus sit.

Hinc quæritur: Si quis pro eo reverso fidejusserit (*f*), qui, cùm Reipublicæ causâ abesset, actione quâ liberatus sit; deinde annus præterierit; an Fidejussor liberetur (*g*)? Quod Juliano non placebat (*h*); & quidem, si cum Fidejussore experiundi potestas non fuit: sed hoc casu, in ipsum Fidejussorem ex Edicto actionem restitui debere; quemadmodum (*i*) in eum Fidejussorem qui hominem promissum occidit. *l.* 38. § 4. AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

LXXII.

Fuit & alius modus Jure Pandectarum quo liberabantur Fidejussores, non autem Mandatores. Nimirùm Electo reo principali, Fidejussor vel heres ejus liberatur. PAUL. SENTENT. *lib.* 2. *tit.* 17. § *fin.*

Idem ex Cicerone discimus lib. 16. Ad Attic. *Epist.* 15. *ubi scribit, litis contestatione cum procuratore rei principalis,* SPONSORES LIBERARI. *Cujus Juris hæc ratio est, quòd litis contestatio quamdam Novationem inducere videretur; quâ obligatio ejus pecuniæ quam fide suâ esse jusserunt, in aliam obligationem scilicet* JUDICATI *transfundatur: adeòque extinguitur obligatio Fidejussorum: utpotè pendens ab illâ principali quæ per litis contestationem quasi extincta aut saltem immutata videtur (k).*

Ipsum autem reum esse oportet qui eligatur, & ipsam personalem ejus obligationem in judicium deductam fuisse; ut hâc electione liberentur Fidejussores.

Hoc adeò verum est; ut, etsi cum domino servi debitoris actum sit DE PECULIO, *liberatio non contingat hujus servi Fidejussoribus (l.* 84. *ff.* de Solution. *infrà*, d. tit. *N.* 14.): *quia nempè eo casu, obligatio Prætoria domini in judicium*

(*a*) Putà, si liberatus sit capitis diminutione.

(*b*) Hinc apparet non constitisse inter Jurisconsultos, an novatio obligationis principalis tolleret Fidejussoriam ipso Jure, an duntaxat per exceptionem.

(*c*) Maximè si Aquiliana stipulatio intervenerit. Quòd si non intervenerit; liberantur, non ipso Jure, sed per exceptionem *Pacti.*

(*d*) Rei principales scilicet. Mutat numerum singularem in pluralem.

(*e*) Fidejussores. Et ex h. l. concludit Cujacius, interesse quomodo quis fidejusserit pro fisci debitore cujus bona postea ad fiscum devoluta sunt. Si simpliciter fidejussit in id quod reus debiturus esset; cùm reus bonis ipsius fisco devolutis desinat debere, liberatur Fidejussor; nec quæritur an ex bonis rei fiscus redegerit debitum. Quòd si in omnem causam fidejussit, vel etiam in id quod ex bonis rei servari non posset; non liberatur Fidejussor, nisi fiscus ex bonis rei principalis redegerit debitum. Vide, si lubet, d. Cujacium ad h. l.

(*f*) Scilicet nomine actionis *Restitutoriæ*, quâ reversus intra annum tenebatur ex Edicto QUIB. EX CAUSIS MAJORES, *&c.*

(*g*) Ratio dubitandi, quia reus liberatus est lapsu anni utilis, intra quem hæc *Restitutoria* actio competebat.

(*h*) Hâc ratione scilicet; quòd multùm interfit, res solvatur, an persona duntaxat tempore liberetur. Solutione extinguitur obligatio Fidejussorum; at ex eo solo quòd reus adversùs quem experiundi potestas fuit, anni lapsu exemptus sit ab obligatione; Fidejussor adversùs quem non fuit experiundi potestas, non ideò liberatur.

(*i*) Alter casus refertur quo liberato reo, non liberatur Fidejussor. Hîc enim reus liberatur rei debitæ interitu: adversùs Fidejussorem autem, propter ipsius factum, perpetuatur obligatio.

(*k*) Hinc rectè colligit Merylius: etsi electo reo liberaretur Fidejussor, non tamen vice versâ electo Fidejussore liberatum reum fuisse [ut mox infrà videb.] quia obligatio rei non pendet ab obligatione Fidejussoris.

Source : BIU Cujas

deducta est, non obligatio naturalis servi pro quo fidejusserunt.

Imò & cum ipso reo Etiamsi de jure obligationis pignorum actum fuerit (*a*), Fidessoribus liberatio non contingit. *l.* 9. *Cod. h. tit.* ALEXANDER.

Quinimò Pignoribus datis à reo principali distractis, nec post longi temporis intervallum, residuum à Fidejussore creditor petere prohibetur. *l.* 25. *Cod. h. tit.* DIOCLET. ET MAXIM.

LXXIII.

Hactenùs de Fidejussoribus. Mandatores autem nec ipso reo principali convento liberantur; ut statim addit Paulus: Non idem in Mandatoribus (*b*) observatur. SENT. *d. tit.* 17. § *fin.* ¶ *fin.*

Idem adhuc docet Gaius. Ita ille: Si Mandatu meo Titio credideris, & mecum MANDATI egeris; non aliter condemnari debeo quàm si actiones tuas quas adversùs Titium habes, mihi præstiteris. Sed si cum Titio egeris, ego quidem non liberabor; sed in id duntaxat tibi obligatus ero, quod à Titio servare non potueris. *l.* 27. § *fin. ff. Mandati.* GAIUS LIB. 9. AD EDICT. PROVINC.

Pariter & iisdem verbis Julianus: Item si cum Titio egeris, ego non liberabor; sed in id duntaxat tibi obligatus ero quod à Titio servare non potueris. *l.* 13. ¶ *fin.* JULIAN. LIB. 14. DIGEST.

Pariter rescribunt Diocletianus & Maximianus: Reos principales vel Mandatores simpliciter acceptos eligere, vel pro parte convenire; vel satis non faciente contra quem egeras primò, post illum ad alium reverti (cùm nullus de his electione liberetur) licet. *l.* 23. *Cod. h. tit.*

LXXIV.

Maximè autem non liberatur reus principalis electo Mandatore vel Fidejussore. Hinc Scævola; Creditor Mandatorem convenit: is condemnatus provocavit. Quærendum est an manente appellatione, debitor à creditore conveniri potest? Respondit, posse. *l.* 60. *ff. Mandati.* SCÆVOLA LIB. 1. RESPONS.

Justinianus discrimen inter Fidejussores ac Mandatores sustulit; constituitque ut rei electione non magis liberarentur Fidejussores quàm Mandatores. l. 28. Cod. h. tit.

LXXV.

Illud patet obligationem Fidejussorum & Mandatorum morte ipsorum non finiri. Nam Fidejussor & ipse obligatur, & heredem obligatum relinquit; cùm rei locum obtineat. *l.* 4. § 1. ULP. LIB. 45. AD SABIN.

(*a*) Jus enim pignorum, non verò personalis obligatio rei quam fide suâ esse jusserunt, in judicium deducitur: ipsa proindè in suo statu manet.

(*b*) Ratio differentiæ est; quod ex naturâ Mandati est ut mandator teneatur præstare Mandatario quidquid ei ex causâ Mandati abest; porrò creditori qui Mandato alicujus pecuniam credidit, abest ex causâ Mandati pecunia quam credidit; licèt convenerit reum; donec ipsi soluta fuerit aut per eum steterit quominùs solveretur: ergo debet durare actio quam adversùs Mandatorem habet.

TITULUS II.

DE NOVATIONIBUS ET DELEGATIONIBUS.

HUcusque passim in præcedentibus libris, Pandectarum ordinatores egerunt de modis omnibus contrahendarum obligationum, quæ ex contractu aut quasi-contractu nascuntur; imò & ex quasi delicto. Contractuum autem ultimus & frequentior est. STIPULATIO; *cujus occasione modò tractatum est* de Fidejussoribus, *qui & ipsi per stipulationem constituuntur.*

Stipulationes autem, aliæ sunt Conventionales, *de quibus suprà generaliter actum est; aliæ* Prætoriæ, *de quibus infrà à Tit. V. ad finem hujus libri. Porrò, cùm post expensos quicumque esse possunt contrahendi modos, ordo postulet ut jam expendantur varii quoque dissolvendarum obligationum modi; & in his ferè omnibus stipulatio conventionalis aut requiratur omninò, ut in* Novatione, Delegatione, Acceptilatione, *aut saltem intervenire possit: indè est quòd hîc statim inseritur tractatus de stipulationibus illis quæ ad dissolvendas obligationes inventæ sunt; antequàm transitum faciat Tribonianus ad stipulationes Prætorias.*

Primus itaque dissolvendæ obligationis cujuslibet, sive ex contractu aut Quasi, sive etiam ex delicto nascentis, modus est NOVATIO; *quæ per stipulationem fit. Huic affinis est &* DELEGATIO, *cùm & ipsa sit quædam Novationis species. Hinc de utràque simul agitur in hoc Titulo.*

SECTIO I.

De Novationibus.

I.

Novatio est prioris debiti in aliam obligationem vel civilem vel naturalem transfusio atque translatio: hoc est, quum ex præcedenti causâ ita nova constituatur, ut prior perimatur.

Novatio enim à Novo nomen accepit, & à novâ obligatione. *l.* 1. ULP. LIB. 46. AD SABIN.

Hinc liquet Novationem esse non posse absque duabus obligationibus, quarum altera in alteram transfundatur. Igitur Quum pecuniam mutuam dedit quis sine stipulatione, & ex continenti fecit stipulationem; unus contractus (*a*) est. Idem erit dicendum, & si antè stipulatio facta est, mox pecunia numerata sit. *l.* 6. § 1. ULPIAN. LIB. 46. AD SABIN.

Quum enim pecuniâ mutuâ datâ stipulamur, non puto obligationem numeratione nasci, & deinde eam stipulatione Novari: quia id agitur ut sola stipulatio teneat; & magis implendæ stipulationis gratiâ numeratio intelligenda est fieri. *l.* 7. POMPON. LIB. 24. AD SABIN.

Jam ordine videndum est; quæ obligatio Novari possit, & quæ obligatio veterem possit Novare; deinde quis Novare possit; quæ sit Novationis forma, quis hujus effectus.

De voluntariâ autem Novatione hîc unicè agitur; non de illâ singulari Novationis specie quæ per litis contestationem fit, ut passim vidimus.

ARTICULUS I.

De duplici obligatione, quarum una per alteram Novatur.

§ I.

Quæ obligatio Novari possit.

II.

Quælibet obligatio Novari potest. Undè Ulpianus. Illud

(*a*) Una obligatio contrahitur, non duæ; adeòque *Novatio* hîc intelligi non potest.

Source : BIU Cujas

non intereſt, qualis præceſſit obligatio; utrùm naturalis, an civilis, an Honoraria; & utrùm Verbis, an Re, an Conſenſu. Qualiſcumque igitur obligatio ſit quæ præceſſit, Novari verbis (*a*) poteſt. *l.* 1. § 1. ULP. LIB. 46. AD SABIN.

Idem ait. Omnes res tranſire in Novationem poſſunt. Quodcumque enim ſive Verbis contractum eſt, ſive non verbis, Novari poteſt, & tranſire in verborum obligationem ex quâcumque obligatione. Dummodò ſciamus Novationem ita demùm fieri, ſi hoc agatur ut Novetur obligatio: cæterùm ſi non hoc agatur, duæ erunt (*b*) obligationes. *l.* 2. IBID. LIB. 48.

III.

Nec ſolùm quæ pura eſt; ſed & In diem obligatio Novari poteſt, & priuſquàm dies advenerit. *l.* 3. ULP. LIB. 34. AD SABIN.

Sed ſi, quod ſub conditione debetur, purè quis Novandi causâ ſtipuletur; nec nunc quidem ſtatim Novat, licèt pura ſtipulatio aliquid (*c*) egiſſe videatur: ſed tunc Novabit, quum extiterit conditio. Etenim exiſtens conditio primam ſtipulationem committit, commiſſamque in ſecundam transfert. Et ideò, ſi fortè perſona promiſſoris pendente conditione fuerit deportata (*d*) Marcellus ſcribit, ne quidem exiſtente conditione ullam contingere Novationem: quoniam nunc, quum extitit conditio, non eſt perſona quæ (*e*) obligetur. *l.* 14. § 1. ULP. LIB. 7. DISPUT.

Similiter alibi. Legata vel fideicommiſſa ſi in ſtipulationem fuerint deducta, & hoc actum ut Novetur; fiet Novatio: ſi quidem purè, vel in diem fuerint relicta, ſtatim; ſi verò ſub conditione, non ſtatim, ſed ubi conditio extiterit. *l.* 8. § 1. IDEM LIB. 46. AD SABIN.

IV.

Quinetiam ea obligatio Novari poteſt, quæ tempore non præcedat eam per quam Novatur: ſufficit enim quòd ratione prior ſit.

Hinc quærit idem Ulpianus: Si quis ita ſtipulatus à Seio ſit, « QUOD à Titio ſtipulatus fuero dare ſpon» des? » an, ſi poſtea à Titio ſtipulatus ſim, fiat Novatio; ſoluſque teneatur Seius? Et ait Celſus, Novationem fieri: ſi modò id actum ſit ut Novetur, id eſt ut Seius debeat quod Titius promiſit. Nam eodem tempore & impleri prioris ſtipulationis conditionem, & Novari ait. Eoque Jure utimur. *d. l.* 8. § 2.

§ II.

De obligatione per quam prior obligatio Novatur.

V.

Obligatio quælibet quæ per ſtipulationem animo Novandæ prioris obligationis factam contrahitur, priorem obligationem Novat.

Et ad hoc, illud unum ſufficit; ſcilicet Dummodò ſequens obligatio aut civiliter teneat, aut naturaliter; ut putà ſi pupillus ſine tutoris auctoritate promiſerit (*f*). *l.* 1. § 1. ¶ *fin.* ULP. LIB. 46. AD ED.

VI.

Nil refert etiam an hæc obligatio quæ priorem Novat, purè contrahatur an in diem. Et generaliter conſtat, & ſtipulatione in diem factâ Novationem contingere; ſed non ſtatim ex eâ ſtipulatione agi poſſe, antequàm dies venerit. *l.* 5. ¶ *& generaliter.* ULP. LIB. 34. AD SABIN.

Nam & aliàs qui in diem ſtipulatur, ſtatim Novat; ſi hoc actum eſt: cùm certum ſit diem quandoque venturum.

At qui ſub conditione ſtipulatur, non ſtatim Novat (*g*) niſi conditio extiterit. *l.* 8. § 1. ¶ *nam & aliàs.* IDEM LIB. 46. AD SABIN.

Quod de conditione dicimus, accipe de conditione propriè dictâ, cujus eventus incertus ſit. Nam Qui ſub conditione ſtipulatur, quæ omnimodo exſtatura eſt; purè videtur ſtipulari. *l.* 9. § 1. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

Idem alibi. Quoties quod purè debetur, Novandi causâ ſub conditione promittitur; non ſtatim fit Novatio, ſed tunc demùm quum conditio extiterit.

Et ideò ſi fortè Stichus fuerit in obligatione, & pendente conditione deceſſerit; nec Novatio continget: quia non ſubeſt res eo tempore quo conditio impletur. Undè Marcellus, etſi poſt moram Stichus in conditionalem obligationem deductus ſit, purgari moram (*h*); nec in ſequentem deduci obligationem (*i*), putat. *l.* 14. ULP. LIB. 7. DISPUT.

VII.

Igitur per Novationem etiam conditionalem purgatur mora. Sed hoc ita obtinet, ſi promiſſor tunc haberet copiam rei offerendæ. Quòd ſi nec moram purgavit debitor, quum rem Novandi causâ promiſit; fortè quia res procul erat poſita (ut vid. ſuprà lib. 22. Tit. de Uſur. *N.* 64. *&* 65.) *hoc etiam caſu, licèt res pendente conditione interierit, tamen exiſtente poſtea conditione Novatio utilis erit.*

De hoc caſu intelligendum quod ait Venuleius. Si rem aliquam dari ſtipulatus ſum, deinde eamdem ſub conditione Novandi animo ab eodem ſtipuler; manere oportet rem in rebus humanis, ut Novationi locus ſit: niſi ſi per promiſſorem ſteterit quominùs daret. Ideòque ſi hominem mihi dare te oporteat, & in morâ fueris quominùs dares; etiam defuncto eo teneris. Et, ſi priuſquàm decederet, quum jam mora facta, ſit eumdem à te ſub conditione ſtipulatus fuero, & ſervus poſtea deceſſerit, deinde conditio extiterit, quum jam ex ſtipulatu obligatus es mihi (*k*); Novatio quoque fiet. *l.* 31. VENULEIUS LIB. 3. STIPULATIONUM.

Et ita quidem in caſu quo poſt moram ex priori obligatione contractam, ſtipulatio Novandi causâ interceſſit.

Quòd ſi ante moram intervenit ſtipulatio; deinde morâ ex priori obligatione factâ, dum penderet conditio ſub quâ Novatio facta eſt, res interierit: Novatio quidem deficiet, ſed debitor ex priori obligatione propter moram tenebitur. Sic accipe quod ait Julianus. Si hominem quem à Titio purè ſtipulatus fueram, Seius mihi ſub conditione promiſerit; & is pendente conditione poſt moram (*l*) Titii deceſſerit: confeſtim cum Titio agere potero, nec Seius exiſtente conditione obligetur (*m*). At ſi Titio

(*a*) Id eſt, per hanc verborum conceptionem in quâ Novationis forma conſiſtit: & de quâ infrà Art. 4.

(*b*) Quarum altera priori accedit, ut in *Conſtitutâ pecuniâ.*

(*c*) Quid porrò? Hoc ipſum quod ſubjicit; ſcilicet ut, ſi poſtea extiterit conditio, Novaſſe videatur.

(*d*) Deportatione ſicut & capitis diminutione, perſona eximitur ab obligatione: ut vid. ſuprà lib. 4. Tit. *de Cap. minut.*

(*e*) Adeòque non eſt obligatio quæ poſſit Novari: nec enim ulla intelligi poteſt obligatio ſine ſubjecto, id eſt ſine perſonâ quæ obligetur.

(*f*) Ita eo caſu quo locupletior factus eſt; quo caſu, ante Conſtitutionem Divi Pii naturalis duntaxat obligatio conſiſtebat. Quòd ſi locupletior factus non eſt; nec naturalem quidem obligationem naſci cenſet Cujacius: undè ſequitur Novationem non poſſe hoc caſu contingere. Vide *Scholium* ſuprà lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.* N. 17.

(*g*) Nam ex ſubſtantiâ Novationis eſt, ut ſint duæ obligationes; prior quæ Novetur & extinguatur, poſterior quæ priorem Novet. Igitur ſi defecerit conditio; nullâ exiſtente poſteriore obligatione durabit prior; nec ulla proindè Novatio intelligi poterit.

(*h*) Debitor in morâ conſtitutus, purgat moram quum Novandi animo ſtipulatur, licèt conditionaliter: quia ſatisfacit creditori.

(*i*) Etſi Stichus poſtmodùm extinctus ſit. Etenim purgatâ morâ, purgantur quoque omnes hujus effectus: quorum hic præcipuus eſt, ut etiam poſt rem extinctam debeatur rei æſtimatio. Itaque hæc mora cùm purgata ſit cum ſuis effectibus, non poteſt *in ſequentem deduci obligationem.* Undè, ſi poſtmodùm res extincta fuerit; nec ex præcedenti obligatione quæ interitu Stichi extincta eſt, nec ex ſequenti ſtipulatione quæ mortuo pendente conditione Sticho effectum non habuit, tenebitur promiſſor ad pretium rei poſt moram purgatam extinctæ.

(*k*) Id eſt, eo tempore quo *jam* propter moram præcedentem, etſi defuncto homine, tamen *ex ſtipulatu obligatus es mihi*; tunc Novationi locus eſſe poteſt. Mora enim effecit ut, poſt interitum rei in priorem obligationem deductæ, aliquid deberetur; adeòque ut eſſet prioris obligationis ſubjectum aliquod, quo hæc prior obligatio niteretur & Novari poteſt.

(*l*) Hinc Cujacius contra Accurſium colligit; rem quæ purè ex priori ſtipulatione alio-ve contractu promiſſa eſt, etiam poſtquàm Novandi animo eidem creditori ſub conditione promiſſa eſt; donec pendet conditio, adhuc ex priori obligatione deberi, & in ea re moram poſſe contrahi; ſcilicet quia certum eſt fore, ut ex alterutrâ obligatione ei debeatur. Diverſum obtinere fatetur, quum non eidem creditori, ſed alteri, Delegante priore creditore, res quæ purè priori debebatur, ſuo conditione promiſſa eſt: hoc enim caſu, pendente conditione, priori creditori ſub contrariâ conditione debitam agnoſcit Cujacius; nec moram contrahi poſſe.

(*m*) Id eſt, obligabitur: quia re extinctâ, exiſtente poſtea conditione non ſupereſt ſubjectum obligationis à Seio contractæ quæ Novata eſt. Principalis enim obligatio *Hominis* Novata eſt, non ea obligatio quæ poſtea ex morâ contracta eſt.

acceptum

Source : BIU Cujas

acceptum feciſſem, Seius exiſtente conditione obligari poteſt. Idcircò hæc tam variè, quòd homine mortuo deſinit eſſe res in quam Seius obligaretur; acceptilatione interpoſitâ, ſupereſt homo quem Seius promiſerat. *l.* 65. § *fin. ff. de Verb. oblig.* JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

VIII.

Ex his quæ hactenùs diximus, ſatis liquet quòd Novatio non poteſt contingere, eâ ſtipulatione quæ non committitur. Nec huic contrarium eſt quòd, ſi ſtipulatus à Titio fuero Novandi animo, ſub conditione, quod mihi Sempronius debet, & pendente conditione Titius deceſſerit; quamvis ante aditam hereditatem conditio extiterit, Novatio fieret. Hic enim morte promiſſoris non extinguitur ſtipulatio, ſed tranſit ad heredem cujus perſonam interim (*a*) hereditas ſuſtinet. *l.* 24. POMPON. LIB. 5. EX PLAUTIO.

ARTICULUS II.

Quis Novare poſſit.

§ I.

Regula generalis; Eum cui rectè ſolvitur, etiam Novare poſſe.

IX.

Hinc de correis ſtipulandis, ita Venuleiùs. Si duo rei ſtipulandi ſint, an alter jus Novandi habeat, quæritur; & quid juris unuſquiſque ſibi adquiſierit? Ferè autem (*b*) convenit, & uni rectè ſolvi; & unum judicium petentem, totam rem in litem deducere; item unius acceptilatione perimi utriuſque obligationem. Ex quibus colligitur unumquemque perindè ſibi adquiſiiſſe, ac ſi ſolus ſtipulatus eſſet: excepto (*c*) eo quòd, etiam facto ejus cum quo commune jus ſtipulantis eſt, amittere debitorem poteſt. Secundùm quæ; ſi unus ab aliquo ſtipuletur, Novatione quoque liberare eum ab altero poterit, [quum id (*d*) ſpecialiter agit]: eo magis, cùm eam ſtipulationem ſimilem eſſe ſolutioni exiſtimemus. Alioquin quid dicemus, ſi unus Delegaverit creditori ſuo communem debitorem, iſque ab eo ſtipulatus fuerit? Aut mulier fundum juſſerit doti promittere viro, vel nuptura ipſi doti eum promiſerit? Nam debitor ab utroque liberabitur. *l.* 31. § 1. VENULEIUS LIB. 3. STIPULAT.

Quamvis autem ex his argumentis fortiter adſtruatur, unum ex correis poſſe Novare; hoc tamen non fuit abſque controverſiâ: & contrà in l. 27. *ff.* de Pactis, *Paulus poſt Labeonem expreſsè negat, correum poſſe Novare. Sed perperàm. Vide Notas ad h. l. ſuprà lib.* 2. *d. tit.* de Pactis. *N.* 45.

X.

Cùm is Novare poſſit cui ſolvi poteſt; hinc Pupillus ſine tutoris auctoritate non poteſt Novare (*e*). Tutor poteſt, ſi hoc pupillo (*f*) expediat. *l.* 20. § 1. PAUL. LIB. 72. AD ED.

De ſtipulatione autem à pupillo ſolo factâ Novandi animo, ita Ulpianus: Si pupillus ſine tutoris auctoritate REM SALVAM FORE ſtipulatus (*g*), pubes factus ratam ſtipulationem habuerit Novandi causâ (*h*); tollitur Tutelæ actio (*i*). Si non habuerit ratum (*k*), licèt TUTELÆ egiſſet, habet tamen adhuc Ex ſtipulatu actionem (*l*): ſed judex Tutelæ non aliter condemnare debet, quàm ſi ex ſtipulatione liberatio (*m*) fieret. *l.* 9. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

Porrò, quemadmodum tutorem, ſimiliter & Adgnatum furioſi aut prodigi curatorem, Novandi jus habere minimè dubitandum eſt; ſi hoc furioſo vel prodigo expediat. *l.* 34. § 1. GAIUS LIB. 3. DE VERB. OBLIG.

Is verò ipſe Cui bonis interdictum eſt, Novare obligationem ſuam non poteſt; niſi meliorem ſuam conditionem fecerit. *l.* 3. POMPON. LIB. 1. AD SABIN.

XI.

Novare poteſt Item procurator omnium bonorum. *ſup. d. l.* 20. § 1. ¶ *fin.*

Secùs de eo cui exactio duntaxat mandata eſt. Hinc Gordianus. Non abſtulit tibi procurator tuus actionem; ſi, quum ei mandaſſes exactionem pecuniæ quam hi tibi debebant contra quos ſupplicas, parte acceptâ, de reliquo eos liberavit: cùm neque contra voluntatem tuam Novationem facere, neque in eo quod non ſolvebatur eos liberare potuerit. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

§ II.

Quas exceptiones patiatur Regula ſupràdicta.

XII.

Regula quam ſtatuimus eum cui ſolvi poteſt Novare poſſe, exceptionem patitur in eo qui tantùm adjectus eſt ſolutionis gratiâ.

Ita enim Paulus: Cui rectè ſolvitur, is etiam Novare poteſt; excepto eo, ſi MIHI AUT TITIO ſtipulatus ſim. Nam Titius Novare non poteſt, licèt rectè ei (*n*) ſolvitur. *l.* 10. PAUL. LIB. 11. AD SABIN.

XIII.

Item in aliis quoque perſonis obtinet exceptio. Undè Celſus: Non ideò Novare veterem obligationem quiſquam rectè poteſt, quòd interdum rectè ei ſolvitur. Nam & his qui in noſtrâ poteſtate ſunt, quod ad his creditum eſt, rectè interdum ſolvitur: cùm nemo eorum per ſe Novare priorem obligationem jure (*o*) poſſit. *l.* 25. CELSUS LIB. 1. DIGEST.

Similiter Florentinus. Servus nec peculiarem quidem obligationem, citra voluntatem domini, Novare poteſt; ſed adjicit potiùs obligationem, quàm priſtinam Novat. *l.* 16. FLORENT. LIB. 8. INSTITUT.

Pariter Filius: patris actionem ignorante eo Novare non poteſt. *l.* 23. POMPON. LIB. 3. AD PLAUT.

Hæc ita, niſi liberam peculii adminiſtrationem habuerint. Nam Dubitari non debet quin filius ſervus-ve, cui adminiſtratio peculii permiſſa eſt, Novandi quoque peculiaria debita jus habeat: utique ſi ipſi ſtipulentur, maximè ſi etiam meliorem ſuam conditionem eo modo faciunt. Nam ſi alium jubeant ſtipulari; intereſt utrùm donandi animo alium jubeant ſtipulari, an ut ipſi filio

(*a*) Eo nempè ſenſu quòd, quidquid *interim* tam activè quàm paſſivè adquirit, heredi futuro acquirere videatur. Et ita hereditas dicitur *Perſonam heredis ſuſtinere*, quum ſpectatur relativè ad id tempus quo adita erit. Aliàs, in ſe ſpectata & relativè ad tempus præſens; *Hereditas perſonam ſuſtinet, non heredis futuri* qui nondum ullus eſt & fortaſsè nullus unquam erit, *ſed defuncti.*

(*b*) Particula *Ferè* non reſtringendi causâ hìc ponitur, ſed quaſi diceret *Vulgò apud omnes.* [Gallicè, *On convient aſſez*].

(*c*) Legendum *recepto.* Senſus eſt: Cùm receptum ſit ut unus ex correis ſtipulandi, alterius facto debitum amittat; indè ſequitur unum quoque ex correis Novare poſſe; & ſtipulando à debitore animo Novandi, totam obligationem ſibi acquirere perindè ac ſi ſolus eſſet creditor.

(*d*) Hæc & ſimilia paſſim in h. t. videntur adjecta à Triboniano: propter Conſtitutionem Juſtiniani, quâ Novatio non intelligitur niſi id expreſſum ſit; infrà N. 23.

(*e*) Quia Novatio eſt alienatio prioris obligationis; & ſine tutoris auctoritate alienare non poteſt.

(*f*) Id eſt, expedire exiſtimaverit.

(*g*) A tutore, ſine tutoris auctoritate.

(*h*) Quod credo ſic intelligendum, ſi pubes factus denuò hanc ſtipulationem interpoſuerit ad Novandam *Tutelæ* obligationem. Alioquin, ſtipulatio quamdum pupillus erat ſine tutoris auctoritate interpoſuit, cùm ſit ipſo jure nulla, non poteſt ratihabitione confirmari; adeòque non poteſt novare hanc obligationem *Tutelæ.*

(*i*) Et remanet ſola factio *Ex ſtipulatu*, in quam actio ſeu obligatio *Tutelæ* per Novationem transfuſa eſt.

(*k*) Eo caſu, cùm nulla Novatio facta ſit, poteſt nihilominùs *Tutelæ* agere; & *licèt, &c.*

(*l*) Quia nempè, quum pupillus ſine tutoris auctoritate ſtipulatus eſt animo Novandæ actionis, quamvis hujuſmodi ſtipulatio hunc effectum habere nequeat ut novetur *Tutelæ* obligatio, tamen ex hâc ſtipulatione obligat ſibi promiſſorem; & obligatio ex hâc ſtipulatione, obligationi Tutelæ accedit.

(*m*) Nec enim idem bis exigi debet.

(*n*) Ratio eſt quòd ad adjectum ſolutionis gratiâ, jus obligationis non pertineat. Alienare autem jus per Novationem non poteſt, niſi is ad quem id pertinet.

(*o*) Eadem ratio quæ in Notâ præced.

Source : BIU Cujas

ſervo-ve negotium gerat. (*a*). Quo nomine, etiam Mandati actio peculio adquiritur. *l.* 34. GAIUS LIB. 3. DE VERB. OBLIG.

Hoc autem poſteriori caſu, Novare poterunt. Hinc Paulus: Cui peculii adminiſtratio data eſt, Delegare (*b*) debitorem ſuum poteſt. *l.* 48. § 1. *ff. de Peculio.* PAUL. LIB. 17. AD PLAUT.

ARTICULUS III.

Quæ ſit Novationis forma.

§ I.

De Verborum ſolemnitate: & an plures obligationes unicâ ſtipulatione Novari poſſint.

XIV.

Novatio fit per ſtipulationem. Et ſtipulationem intelligimus utilem; non eam ex quâ ne naturalis quidem naſceretur obligatio, qualis eſſet illa quâ quis ALTERI *ſtipularetur.*

Hinc Antoninus. Si quum pecuniam tuam crederes, accommodato nomine Juliani, ſtipulatio in perſonam ejus abſentis directa eſt: cùm nihil ſit actum eâ verborum conceptione, intelligis ſuperfuiſſe tibi rei contractæ obligationem. Ac propterea, ſi pecuniam à debitore tuo Julianus exegerit, eamque ſolutionem ratam habuiſti (*c*); habes adversùs eum Negotiorum geſtorum actionem. *l.* 3. *Cod. de Contrah. ſtipul.*

XV.

In ſummâ: admonendi ſumus nihil vetare, unâ ſtipulatione plures obligationes Novari. Veluti ſi ita ſtipulemur, « QUOD Titium & Seium mihi dare opor« tet, id dari ſpondes? » Licèt enim ex diverſis cauſis ſinguli fuerant obligati, utrique tamen Novationis jure liberantur; cùm utriuſque obligatio in unius perſonam, à quo nunc ſtipulemur, confluat. *l.* 34. § 2. GAIUS LIB. 3. DE VERB. OBLIG.

Quid ergo, ſi non per conjunctivam ET, *ſed per Particulam* AUT *ſtipulatio concepta ſit? Ita Neratius:* TE hominem, & SEIUM decem mihi dare oportet: ſtipulor ab altero, Novandi causâ, ita; QUOD TE AUT SEIUM DARE OPORTET: utrumque novatum Paulus: Meritò; quia utrumque in poſteriorem deducitur ſtipulationem. *l.* 32. PAUL. LIB. I. AD NERATIUM.

Hoc ita, quum ex aliquâ circumſtantiâ apparet animus novandæ utriuſque obligationis.

Alioquin, Si decem quæ mihi Titius debet Aut decem quæ Seius debet, à tertio ſtipulatus fuero: putat Marcellus neutrum liberari; ſed Tertium eligere poſſe, pro quo decem ſolvere velit. *l.* 8. § 4. ULP. LIB. 46. AD SABIN.

Suffragatur Celſus. Si is cui decem Titius, quindecim Seius debebat, ab Attio ſtipulatus eſt QUOD ILLE AUT QUOD ILLE DEBEAT dari ſibi; Novatum utrumque non (*d*) eſt: ſed in poteſtate Attii eſt pro quo velit ſolvere, & eum liberare. Fingamus autem ita actum (*e*) ut alter utrum daret: nam alioquin utrumque ſtipulatus videtur; & utrumque Novatum, ſi Novandi animo hoc fiat. *l.* 26. CELSUS LIB. 3. DIGEST.

§ II.

Novationem fieri poſſe, interventu novæ perſonæ, vel cui debeatur, vel quæ debeat: vel etiam ſine interventu novæ perſonæ; dummodò hoc ipſum quod in priori obligatione continebatur, deducatur in poſteriorem.

XVI.

Et 1°. *Novatio fieri poteſt interventu novæ perſonæ cui debeatur.*

Hinc Paulus. Novare poſſumus aut ipſi, ſi ſui (*Aliàs* noſtri) juris ſumus, aut per alios qui voluntate noſtrâ ſtipulantur. *l.* 20. PAUL. LIB. 72. AD ED.

Hæc autem Novationis ſpecies locum habere non poteſt, in obligationibus earum rerum quæ perſonæ prioris creditoris cohærent. Igitur dicendum quòd V. G. Si uſusfructûs debitorem meum Delegavero tibi, non Novetur obligatio mea (*f*). *l.* 4. ULP. LIB. 5. AD SABIN.

Cæterùm id ſtricto Jure. Undè ſtatim ſequitur: Quamvis exceptione Doli, vel In factum, tutus eſſe debet adversùs me, is qui Delegatus fuerit. Et non ſolùm donec manet ejus uſusfructus cui Delegavi, ſed etiam poſt interitum ejus videbimus? Quia (*g*) hoc incommodum ſentit, ſi poſt mortem meam manet ei uſusfructus.

Et hæc eadem dicenda ſunt, in quâlibet obligatione perſonæ cohærenti. *d. l.* 4. ¶ *quamvis.*

XVII.

2°. *Novatio fieri etiam poteſt interventu novæ perſonæ quæ debeat.*

Hinc Ulpianus. Si ab alio promiſſam ſibi dotem, maritus ab uxore (dotis nomine) ſtipulatus ſit; non duplari dotem, ſed fieri Novationem placet, ſi hoc actum eſt. Quid enim intereſt, ipſa, an alius quilibet promittat? Quod enim ego debeo, ſi alius promittat; liberare me poteſt, ſi Novationis causâ hoc fiat. Si autem non Novandi animo hoc intervenit, uterque quidem tenetur; ſed altero ſolvente, alter liberatur. Non tamen ſi quis ſtipuletur quod mihi debetur, aufert mihi actionem; niſi ex voluntate meâ ſtipuletur.

Liberat autem me, is qui quod debeo promittit; etiamſi nolim. *l.* 8. § 5. ULP. LIB. 46. AD SABIN.

Hinc cùm Labeo ſcripſiſſet; Si debitor tuus non vult à te liberari, & præſens eſt; non poteſt invitus à te ſolvi; Paulus: Immò debitorem tuum etiam præſentem, etiam invitum liberare ita poteris; ſupponendo à quo debitum Novandi causâ ſtipuleris. Quod etiamſi acceptum non feceris; tamen ſtatim, quod ad te attinet, res peribit (*h*). Nam & petentem te, Doli mali præſcriptio excludet. *l.* 91. *ff. de Solut.* LABEO LIB. 6. PYTHANON A PAULO EPITOMATORUM.

XVIII.

3°. *Denique Novatio fieri poteſt abſque interventu novæ perſonæ: ſed hoc caſu ſtipulatio debet aliquid novi continere; id eſt aliquid addere aut detrahere aut mutare, vel circa locum, vel circa qualitatem obligationis.*

Quòd ſi nihil novi contineat; nihil agi magis dicendum eſt, quàm obligationem Novari. Undè Ulpianus. Qui actum ſtipulatur, deinde iter, nihil agit. Item uſumfructum ſtipulatus, ſi uſum ſtipuletur, nihil agit. Sed qui iter

(*a*) Is nempè quem jubent ſtipulari.

(*b*) *Delegatio* autem Novationem continet, infrà Sect. ſeq.

(*c*) Quod ſi ratum non habuiſti, non à Juliano petes pecuniam, ſed à debitore tuo qui perperàm Juliano ſolvit; cùm per ſtipulationem inutilem, nec ei fuerit obligatus, nec à te liberatus.

(*d*) Id eſt, neutrum novatum eſt. Cui conſonat ſententia Marcelli, mox ſuprà in l. 8. § 4. *Neutrum liberari.*

(*e*) Et quidem ſemper fingere debemus *ita actum*, quandiù contrarium non apparet.

(*f*) Ratio eſt quòd, aut eumdem uſumfructum qui perſonæ meæ debetur, promiſit, aut diverſum. Si eumdem, inutiliter promiſit: promiſit enim rem cujus habendæ novùs ille ſtipulator capax non eſt, cùm uſusfructus ille perſonæ meæ cohæreat; porrò inutilis ſtipulatio non parit obligationem. Quòd ſi dixeris promiſiſſe diverſum uſumfructum; ergo res quæ mihi debebatur, non eſt in poſteriorem obligationem deducta: adeòque nulla eſt Novatio.

(*g*) Senſus eſt; fieri potuiſſet ut ego prior morerer: quo caſu, ex Delegatione hoc incommodum ſentiret promiſſor; quòd, cùm uſusfructus quem mihi conſtituiſſet morte meâ finiendus eſſet, contrà ille quem conſtituit ei cui illum Delegavi non finiatur. Hoc autem incommodum quod me præmortuo ſentiret, debet hoc commodo penſari; ut, ſi ille cui eum Delegavi prior moriatur, tamen ego ab uſusfructûs petitione repellendus ſim.

(*h*) Neque enim à veteri debitore quidquam conſequi poteris, cùm per hanc Novationem ſit liberatus; neque à novo promiſſore, quamvis ei nondum feceris acceptam ſtipulationem; quia repellet te exceptione *Doli*, ſi quidem hoc actum eſt inter vos ut ei acceptum faceres.

Source : BIU Cujas

ſtipulatus, actum poſtea ſtipuletur; aliud magis ſtipulatur: aliud eſt enim iter, aliud actus. *l.* 9. § 2. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

X I X.

Enimverò ad Novationis formam, id generaliter & maximè requiritur; ut hoc ipſum quod priori obligatione continebatur, deducatur in poſteriorem.

Hinc Si à te ſtipulatus fuero fundum Sempronianum, deinde eumdem fundum detracto uſufructu ab alio ſtipulor; prior ſtipulatio non Novabitur: quia nec ſolvendo fundum detracto uſufructu liberaberis, ſed adhuc à te rectè fundi uſumfructum (*a*) peterem.

Quid ergo eſt? Quum mihi fundum dederis; is quoque liberabitur, à quo detracto uſufructu fundum ſtipulatus fueram (*b*). *l.* 56. § 7. *ff. de verb. oblig.* JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

§ I I I.

De animo Novandi.

X X.

Ad formam etiam Novationis, maximè oportet ut animo Novandi interponatur. Alioquin non fit Novatio, ſed poſterior obligatio priori accedit.

Hinc Papinianus. Fundum Cornelianum ſtipulatus, QUANTI FUNDUS EST poſtea ſtipulor. Si non Novandi animo ſecunda ſtipulatio facta eſt, ceſſat Novatio; ſecunda verò ſtipulatio tenet; ex quâ non fundus, ſed pecunia debetur. Itaque ſi reus promittendi fundum ſolvat, ſecunda ſtipulatio jure non tollitur; nec ſi litem actor ex primâ conteſtetur. Denique meliore vel deteriore facto ſine culpâ debitoris poſtea fundo, præſens æſtimatio fundo petito rectè conſideretur: in alterâ verò ea æſtimatio venit, quæ ſecundæ ſtipulationis tempore fuit. *l.* 28. PAPIN. LIB. 2. DEFINITION.

Pariter in ſpecie ſequenti nulla fit Novatio; quia magis ad confirmandam ſervorum obligationem: ex quâ actio DE IN REM VERSO *naſcebatur, quàm ad eam Novandam ſtipulatio videtur interceſſiſſe.*

Hanc ita refert Scævola. Servus abſentis Reipublicæ causâ, pupilli ſervis pecuniam credidit ſubſcribente tutore. Stipulatione in perſonam tutoris tranſlatâ (*c*) quæutum eſt, an adversùs pupillum competat actio (*d*)? Reſpondit: Si, quum in rem pupilli daretur, id in rem ejus verſum eſt; & quo magis actus ſervorum confirmaretur, tutor ſpopondit; poſſe nihilominùs dici, DE IN REM VERSO cum pupillo actionem (*e*) fore. *l.* 20. § 1. *ff. de In rem verſo.* SCÆVOLA LIB. 1. RESPONS.

X X I.

Cùm abſque animo Novandi, Novatio non fiat, indè eſt quòd ſtipulationes pœnales Novationem non inducant. Enimverò in his non id agitur ut debitor ex priori causâ liberetur, ſed potiùs ut ad ſolutionem pœnæ metu urgeatur: de quâ re ſuprà vid. lib. præced. Tit. de Verb. oblig. *N.* 64.

Non omnes autem ſtipulationes quibus aliquid ſtipulamur in caſum quo id quod nobis debeatur præſtitum non fuerit, pœnales videri debent. Interdum enim non animo pœnæ adjiciendæ, ſed animo Novandæ prioris obligationis id fit: ut in ſpecie ſequenti, quam ita refert Paulus. Sed ſi navem fieri ſtipulatus ſum; &, ſi non feceris, centum: videndum utrùm duæ ſtipulationes ſint, pura, & conditionalis; & exiſtens ſequentis conditio non tollat priorem; an verò transferat in ſe, & quaſi Novatio prioris fiat? Quod magis verum eſt. *l.* 44. § *fin. ff. de Oblig. & act.* PAUL. LIB. 74. AD ED. PRÆTORIS.

Animus igitur contrahentium explorari debet, an Novare, an pœnam duntaxat adjicere voluerint.

Hinc idem Paulus. Duo ſocietatem coierunt ut Grammaticam docerent, & quod ex eo artificio quæſtûs feciſſent commune eorum eſſet: de eâ re, quæ voluerunt fieri, in pacto convento ſocietatis proſcripſerunt; deinde inter ſe his verbis ſtipulati ſunt: « Hæc quæ » ſuprà ſcripta ſunt, ea ita dari fieri, neque adversùs » ea fieri: ſi ea ita data facta non erunt, tum viginti » millia dari. » Quæſitum eſt, an ſi quid contrà factum eſſet, Societatis actione agi poſſet: Reſpondit; Si quidem pacto convento inter eos de ſocietate facto ita ſtipulati eſſent, HÆC ITA DARI, FIERI SPONDES? futurum fuiſſe ut, ſi Novationis causâ id feciſſent, PRO SOCIO agi non poſſit; ſed tota res in ſtipulationem tranſlata videretur. Sed quoniam non ita eſſent ſtipulati, EA ITA DARI FIERI ſpondes; ſed, SI EA ITA FACTA NON ESSENT, DECEM DARI? non videri ſibi rem in ſtipulationem perveniſſe, ſed duntaxat pœnam. Non enim utriuſque rei (*f*) promiſſorem obligari, ut ea daret faceret; &, ſi non feciſſet, pœnam ſufferret. Et ideò Societatis judicio agi poſſe. *l.* 71. *ff. Pro ſocio.* PAUL. LIB. 3. EPITOMAR. ALFENI DIGEST.

X X I I.

Cùm abſque animo Novandi, Novatio non fiat; Si ita fuero ſtipulatus; QUANTO MINUS à Titio debitore exegiſſem, tantùm fidejubes? non fit Novatio, quia non hoc agitur ut Novetur. *l.* 6. ULP. LIB. 46. AD SABIN.

Item Celſus ait: JUDICATUM SOLVI ſtipulatione, actionem Judicati non Novari. Meritò: quia hoc ſolum agitur eâ ſtipulatione, ut fidejuſſoribus cautum ſit; non ut ab obligatione Judicati diſcedatur. *l.* 8. § 3. ULP. LIB. 46. AD SABIN.

X X I I I.

Ex Conſtitutione Juſtiniani; ſive abſque interventu novæ perſonæ, ſive cum tali interventu Novatio contrahatur; non intelligitur adfuiſſe animus Novandi, niſi expreſſerint contrahentes ſe Novandi causâ ſtipulari. l. fin. Cod. h. tit.

X X I V.

Circa formam Novationis obſervandum ſupereſt, quòd, modò Novandæ obligationis animum contrahentes habuerint, nihil nocet error circa cauſam obligationis quæ Novaretur.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si ex pretio debitæ quantitatis, factâ Novatione per ſtipulationem, uſuras licitas ab eo contra quem ſupplicas ſtipulatus es; falſa mutuo datæ quantitatis demonſtratio præmiſſa, cùm obligationis ſubſtantia non defecerit, quominùs uſque ad modum placitum uſuræ poſſint exigi, nihil nocet. *l.* 6. *Cod. Si cert. pet.*

Obiter nota. Si verò citra vinculum ſtipulationis, tantùm mutuam pecuniam datam conſcriptum eſt, & ejus præſtari fœnus convenit; ſimulatis pro infectis habitis, hujuſmodi placitum nihil de præcedenti mutavit obligatione. *d. l.* 6. *Cod.* ¶ *ſi verò.*

ARTICULUS IV.

De effectu Novationis conventionalis: & in quo differat ab eâ quæ fit per litis conteſtationem.

X X V.

Effectus Novationis eſt, quòd prior obligatio extinguitur; nullaque eo nomine ſupereſt actio.

(*a*) Non proprietatem, cùm jam eam ſim conſecutus.

(*b*) Nec enim duæ cauſæ lucrativæ, de eâdem re, in eâdem perſonâ concurrere poſſunt.

(*c*) Id eſt; Si tutor ſpoponderit ſe daturum hoc quod jam ſpoponderat dare ſervus pupilli.

(*d*) *De in rem verſo.*

(*e*) Ex contractu ſervorum pupilli, qui in rem ejus mutuam pecuniam acceperunt. Nec enim ſtipulatio à tutore interpoſita; eorum obligationem Novavit.

(*f*) Probat Paulus, in hâc ſpecie Novatam non eſſe obligationem Societatis, hoc argumento: Is contrahentibus animus non fuit, ut ex hâc ſtipulatione promiſſor ad utrumque obligaretur; ſcilicet, & ad id quod in contractum deductum eſt, & ad pœnam. Ergo ſola pœna in hanc ſtipulationem deducta eſt, non verò id quod in contractum ſocietatis deductum fuerat. Ergo nulla Novatio facta eſt: proindèque non nova actio *Ex ſtipulatu*, ſed priſtina *Pro ſocio* competit.

Source : BIU Cujas

Hinc Gordianus. Ex contractu pecuniæ creditæ, actio inefficax dirigitur; si Delegatione personæ ritè factâ, jure Novationis vetustior contractus evanuit. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Cùm porrò per Novationem extinguatur prior obligatio. Hinc 1°. Novatione legitimè factâ, liberantur hypothecæ & pignus; usuræ non currunt. *l.* 18. PAUL. LIB. 57. AD ED.

Undè Paulus respondit; Si creditor à Sempronio Novandi animo stipulatus esset, ita ut à primâ obligatione in universum discederetur; rursùm easdem res à posteriore debitore, sine consensu prioris (*a*) obligari non posse. *l.* 30. PAUL. LIB. 5. RESPONS.

Item Papinianus. Emptor quum Delegante venditore pecuniam ita promittit, QUIDQUID EX VENDITO DARE FACERE OPORTET; Novatione secutâ, usuras neutri (*b*) post insecuti temporis debet. *l.* 27. PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

2°. *Simili ratione*: Si creditor pœnam stipulatus fuerat, Si ad diem pecunia soluta non esset; Novatione factâ, non committitur (*c*) stipulatio. *l.* 15. JULIAN. LIB. 13. DIGEST.

XXVI.

Hæc autem omnia de Novatione voluntariâ, de quâ solâ hoc Titulo agimus, accipienda sunt.

Enimverò Aliam causam esse Novationis voluntariæ, aliam judicii accepti, multa exempla ostendunt. Perit privilegium dotis & tutelæ; si post divortium dos in stipulationem deducatur, vel post pubertatem Tutelæ actio novetur; si id specialiter actum est (*d*). Quod nemo dixit lite contestatâ: neque enim deteriorem causam nostram facimus, actionem exercentes, sed meliorem; ut solet dici in his actionibus quæ tempore vel morte finiri possunt. *l.* 29. PAUL. LIB. 24. QUÆST.

Hinc idem Paulus. Non solet deterior conditio fieri eorum qui litem contestati sunt, quàm si non; sed plerumque melior. *l.* 86. *ff. de Reg. Jur.* IDEM LIB. 7. QUÆST.

Nemo enim in persequendo, deteriorem causam, sed meliorem facit. Denique post litem contestatam heredi quoque prospiceretur, & heres tenetur ex omnibus causis. *l.* 87. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 13. QUÆST.

SECTIO II.

De Delegationibus.

XXVII.

DELEGATIO *est species Novationis, quæ fit interventu novæ personæ quæ debitum suscipiat.*

Hinc Ulpianus. Delegare, est vice suâ alium reum dare creditori, vel cui jusserit. *l.* 11. ULPIAN. LIB. 27. AD ED.

Fit autem Delegatio, vel per stipulationem, vel per litis contestationem. *d. l.* 11. § 1.

ARTICULUS I.

De Delegatione quæ fit per stipulationem.

De eâ potissimùm in hoc Titulo agitur; de ejus formâ scilicet, & de ejus effectu.

§ I.

De formâ Delegationis.

XXVIII.

Ad formam Delegationis, ex parte Delegantis nihil præter ejus consensum requiritur.

Hinc Delegare scripturâ vel nutu, ubi fari non potest, Debitorem suum quis potest. *l.* 17. ULP. LIB. 8. AD ED.

Nil refert etiam consensus Delegantis præcedat aut sequatur. Hinc Si quis absente me, à debitore meo stipulatus est Novandi animo; ego postea ratum habuero; Novo obligationem (*e*). *l.* 22. PAUL. LIB. 14. AD PLAUT.

Ex eo autem solo quòd jussero debitorem meum creditori meo solvere, non intelligor eum Delegasse.

Hinc Pomponius. Si debitorem meum jussero tibi solvere, non statim tu etiam stipulando id Novare (*f*) possis; quamvis debitor solvendo tibi liberaretur. *l.* 21. POMPON. LIB. 1. EX PLAUT.

Hoc ita subtili Jure. Verùm cùm pro me expromittendo, utiliter negotium meum gesserit & me liberaverit; is debitor meus me in hanc summam vicissim habet obligatum: adeòque, etsi ipso Jure à me non liberetur, tamen oppositâ compensationis exceptione tutus erit. Sed hoc demùm obtinere cœpit ex Constitutione D. Marci (*Instit. Tit.* de Actionib. § 3°.) *quæ fortè, quum hæc Pomponius scriberet, nondum intervenerat. Jure Justinianeo, etiam ipso Jure compensatio inducitur: suprà lib.* 16. *Tit.* de Compensat. *N.* 2.

XXIX.

Hactenùs de Delegante. Ex parte autem Delegati, & ejus cui fit Delegatio, requiritur interponi stipulationem, & hâc in re differt Delegatio debitoris, à cessione nominis; in quâ ne quidem consensus debitoris requiritur.

Hoc discrimen eleganter ita notat Alexander. Delegatio debiti, nisi consentiente & stipulanti (*Malè vulgò* stipulante) promittente debitore, Jure perfici non potest. Nominis autem venditio, & ignorante vel invito eo adversùs quem actiones mandantur, contrahi solet. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Similiter Diocletianus & Maximianus: Nec creditoris creditori quisquam invitus Delegari potest. *l.* 6. *Cod. h. tit.*

Oportet igitur ut Delegatus ei cui Delegatur stipulanti promittat; & quidem ut ex causâ Delegationis promittat.

Hinc Proculus. Quum uxor virum suum, quam pecuniam sibi deberet, in dotem filiæ communis dare jusserit; & id feciisse dicatur: puto animadvertendum esse, utrùm eam dotem suo an uxoris nomine (*g*) dedit. Si suo, nihilominùs uxori eam debere pecuniam; si uxoris nomine dederit, ipsum ab uxore liberatum esse. *l.* 82. *ff. de Jure dotium.* PROCULUS LIB. 5. EPISTOL.

§ II.

De effectu Delegationis.

XXX.

Tres sunt Delegationis effectus.

Primus est; ut qui Delegavit, ipse à creditore suo liberetur.

2^us^. *Præterea is qui Delegatus est, si Delegantis debitor erat, à Delegante liberatur. Et hâc in re differt adhuc Delegatio à simplici cessione actionum.*

Hæc ex Gordiano discimus, qui ita rescribit. Si Delegatio non est interposita debitoris tui, ac propterea actiones apud te remanserunt: quamvis creditori tuo adversùs eum solutionis causâ mandaveris actiones;

(*a*) *Prioris* debitoris, qui eas pro priori obligatione pignori dederat.

(*b*) Nec venditori, quia ei debere desinit; nec stipulatori, quia ex stipulationis causâ non debentur, nisi expressè fuissent in stipulationem deductæ.

(*c*) Extinctâ enim per Novationem principali obligatione, extinguitur pœnalis stipulatio quæ ei accedebat.

(*d*) Ut Novatio fieret; ad quam nempè præcipuè requiritur animus novandi, suprà N. 20. & seqq.

(*e*) Et quidem mea obligatio quâ creditori meo tenebar, Novatur; & illa quâ debitor meus mihi tenebatur, ex meo consensu extinguitur & Novatur in obligationem quam erga meum creditorem contraxit.

(*f*) Stipulando à debitore meo quod tibi debeo, Novas quidem obligationem meam, & me à te liberas licèt invitum: suprà N. 17. Sed non Novas obligationem debitoris mei quâ mihi tenetur: nec enim potest à me liberari, citra meum consensum; ex eo autem quòd consensi ut tibi solvent, non intelligor eum Delegasse, non intelligor consensisse ut pro me tibi expromitteret.

(*g*) Negotium uxoris agens.

Source : BIU Cujas

tamen antequàm lis conteſtetur (*a*), vel aliquid ex debito accipiat, vel debitori tuo denuntiaverit, exigere à debitore tuo debitam quantitatem non vetaris; & eo modo tui creditoris exactionem contra eum inhibere. Quòd ſi Delegatione factâ, jure Novationis tu liberatus es; fruſtrà vereris ne, eo quòd quaſi à cliente ſuo non faciat exactionem, ad te periculum redundet: cùm per verborum obligationem voluntate Novationis interpoſitâ (*Meliùs fortè* interpoſitam) à debito liberatus ſis. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

Nota. Quòd ſi Delegatio ſub conditione facta eſt; pendente eâ, nondum à priori creditore liberatus eſt debitor; ſed ab ipſo interim exigere non poteſt, & perindè eſt ac ſi illi ſub contrariâ conditione deberet.

Hoc docet Javolenus conſultus in ſpecie ſequenti: Pecuniam quam mihi ſine conditione debebas, juſſu meo promiſiſti Attio ſub conditione. Cùm pendente conditione in eo ſtatu ſit obligatio tua adversùs me, tanquam ſub contrariâ conditione eam mihi ſpopondiſti; ſi pendente conditione petam, an nihil acturus ſum? Reſpondit: Non dubito quin mea pecunia quam ipſe ſine conditione ſtipulatus ſum, etiamſi conditio in perſonâ Attii (qui ex meâ voluntate eamdem pecuniam ſub conditione ſtipulatus eſt) non extiterit, credita eſſe permaneat. Perindè eſt enim, ac ſi nulla ſtipulatio interveniſſet. Pendente autem causâ conditionis, idem petere non poſſum; quoniam, cùm incertum ſit an ex eâ ſtipulatione deberi poſſit, ante tempus petere videor. *l.* 36. *ff. de Reb. cred.* JAVOLEN. LIB. 1. EPISTOLAR.

XXXI.

Tertius denique effectus eſt; quòd is qui Delegatus eſt, ei cui ipſe promiſit, obligatur; quamvis Delegatus Delegantis debitor non ſit: ſalvo ejus regreſſu adversùs Delegantem, ſi per errorem ſe Delegari paſſus eſt.

Hinc Ulpianus. Si non debitorem, quaſi debitorem, Delegavero creditori meo; exceptio locum non habebit: ſed condictio adversùs eum qui Delegavit, competit. *l.* 13. ULP. LIB. 38. AD ED.

Item quæritur; Si debitor meus te circumveniebat, teque mihi reum dederit, egoque abs te ſtipulatus fuero, deinde petam; an Doli mali exceptio obſtet? Et magis eſt, ut non tibi permittatur De dolo debitoris mei adversùs me excipere; cùm non ego te circumvenerim. Adversùs ipſum autem debitorem meum poteris experiri. *l.* 4. § 20. *ff. de Dol. mal. & met. except.* ULP. LIB. 76. AD ED.

Pariter Paulus. Si quis Delegaverit debitorem qui Doli mali exceptione tueri ſe poſſe ſciebat, ſimilis videbitur ei qui donat: quoniam remittere exceptionem videtur.

Sed ſi per ignorantiam promiſerit creditori; nullâ quidem exceptione adversùs creditorem uti poterit, quia ille ſuum recepit: ſed is qui Delegavit, tenetur Condictione; vel INCERTI (*b*) ſi non pecunia ſoluta eſſet, vel CERTI (*c*) ſi ſoluta eſſet. Et ideò, cùm ipſe præſtiterit pecuniam, aget Mandati judicio (*d*). *l.* 12. PAUL. LIB. 31. AD ED.

XXXII.

Pariter. Sed & ſi mulier poſt admiſſum dolum, debitorem ſuum marito in dotem Delegaverit; idem probandum erit, De dolo mulieris non eſſe permittendum excipere: ne indotata (*e*) fiat. *ſup. d. l.* 4. § 21. *ff. de Dol. & met. except.*

Obiter nota quòd, ſi jam divortium interceſſiſſet, marito rectè objiceretur dolus mulieris; cui jam dos reſtituenda eſſet.

De hoc caſu accipe quod ait Ulpianus. Apud Julianum quæſitum eſt: Si heres ſoceri à quo dos peteretur, exciperet De dolo mariti & mulieris cui pecunia quæreretur; an obſtatura eſſet exceptio ex perſonâ mulieris? Et ait Julianus; Si maritus ex promiſſione dotis ab herede ſoceri petat, & heres excipiat De dolo filiæ cui ea pecunia adquireretur; exceptionem obſtare (*f*). Dos enim quam maritus ab herede ſoceri petit, intelligitur (inquit) filiæ adquiri; cùm per hoc dotem ſit habitura. Illud non explicat Julianus, an & De dolo mariti excipi poſſit. Puto autem eum hoc ſentire, ut etiam De dolo mariti noceat exceptio; licèt (*g*) videatur nulla dos filiæ (ut ait) quæri. *d. l.* 4. § 22.

His conſonat quod Paulus ait. Si quis indebitam pecuniam, per errorem, juſſu mulieris, ſponſo ejus promiſiſſet; & nuptiæ ſecutæ fuiſſent (*h*); exceptione Doli mali uti non poteſt. Maritus enim ſuum negotium gerit, & nihil dolo facit: nec decipiendus eſt; quod fit, ſi cogatur indotatam uxorem habere. Itaque adversùs mulierem Condictio ei competit; ut, aut repetat ab eâ quod marito dedit, aut ut liberetur ſi nondum ſolverit. Sed ſi ſoluto matrimonio maritus peteret; in eo duntaxat exceptionem obſtare debere, quod mulier receptura (*i*) eſſet. *l.* 9. § 1. *ff. de Condict. cauſ. dat.* PAUL. LIB. 17. AD PLAUT.

Conſonat & Tryphoninus. Si marito dotis nomine ſtipulanti promiſit per errorem, is qui exceptione tutus erat ne ſolvat; cogetur ei ſolvere: & habebit Condictionem adversùs mulierem aut patrem, uter eorum Delegavit, ob id quod indebitum marito promiſit aut ſolvit. *l.* 78. § 5. *ff. de Jure dot.* TRYPHONIN. LIB. 11. DISPUTAT.

Idem quoque Julianus ait. Pater etiamſi falsò exiſtimans ſe filiæ ſuæ debitorem eſſe, dotem promiſiſſet; obligabitur. *l.* 46. § 2. *ff. d. tit.* JULIAN. LIB. 16. DIGEST.

XXXIII.

Hùc pertinet & quod alibi ait ſupràdictus Paulus. Doli exceptio quæ poterat Deleganti opponi, ceſſat in perſonâ creditoris cui quis Delegatus eſt. Idemque eſt & in cæteris ſimilibus exceptionibus; immò & in eâ quæ ex Senatuſconſulto (*k*) filiofamilias datur. Nam adversùs creditorem cui Delegatus eſt ab eo qui mutuam pecuniam contra Senatuſconſultum dederat, non utetur exceptione; quia nihil in eâ promiſſione contra Senatuſconſultum fit [ideòque quod ſolverit (*Incluſa deſunt in Florent.*) repetere non poteſt]: tantò magis quòd hîc (*l*) non ſolutum repetere poteſt.

Diverſum eſt in muliere quæ contra Senatuſconſultum promiſit: nam & in ſecundâ promiſſione interceſſio (*m*) eſt. Idemque eſt in Minore qui circumſcriptus Delegatur; quia, ſi etiam nunc Minor eſt, rursùm circumvenitur: diverſum ſi jam exceſſit ætatem vigintiquinque annorum; quamvis adhuc poſſit reſtitui adversùs priorem creditorem.

Ideò autem denegantur exceptiones adversùs ſecundum creditorem; quia in privatis contractibus & pactionibus non facilè ſcire petitor poteſt, quid inter eum qui Delegatus eſt & debitorem actum eſt; aut, etiamſi ſciat, diſſimulare debet, ne curioſus videatur. Et ideo meritò denegandum eſt adversùs eum exceptionem ex (*Aliàs* deneganda exceptio) perſonâ debitoris. *l.* 19. PAUL. LIB. 69. AD ED.

(*a*) Paſſivè, id eſt, conteſtata ſit. Et eſt primus caſus quo Nomen ſolvi adhuc poteſt ei qui ceſſit. Per litis autem conteſtationem fit Delegatio; quâ interpoſitâ, jam ſolvi debet ceſſionario.

(*b*) In hoc ut teneatur facere ut ab iſto creditore liberetur.

(*c*) In hoc, ut teneatur ei dare eam pecuniam quam ſolvit. Pecunia reſtituenda venit in *Condictione* CERTI; factum liberationis non poteſt peti niſi per *Condictionem* INCERTI. Vide ſuprà Tit. *de Verb. oblig.* N. 78.

(*d*) Delegatio enim mandatum continet inter delegantem & delegatum; & actio *Mandati* ex eo deſcendens, concurrit cum Condictionibus ſuprà relatis, ita ut unâ electâ, altera tollatur.

(*e*) Et ſic decipiatur maritus, qui onera matrimonii ſuſtinet.

(*f*) Scilicet quum jam ſoluto matrimonio, & eo tempore quo uxori eam reſtituere debet, eam petit.

(*g*) Hæc ratio dubitandi, *licèt* per hoc contingat ut mulier ſit indotata: quam rationem negligit.

(*h*) Stipulationes quæ dotis causâ fiunt, habent tacitam nuptiarum conditionem.

(*i*) Non in eo quod apud virum ex dote remanere deberet.

(*k*) Macedoniano. Vide ſuprà lib. 14. Tit. *de SC. Maced.* N. 15.

(*l*) Vide ſuprà lib. 12. Tit. *de Condict. indeb.* N. 33.

(*m*) Non enim in rem ſuam ſe obligat.

Source : BIU Cujas

XXXIV.

Obſervandum etiam quòd, Si Titius donare mihi volens Delegatus à me creditori meo ſtipulanti ſpopondit; non habebit adversùs eum illam exceptionem, ut quatenùs facere poteſt, condemnetur. Nam adversùs me tali defenſione meritò utebatur, quia donatum ab eo petebam: creditor autem debitum perſequitur. *l.* 33. TRYPHONIN. LIB. 7. DISPUTAT.

Pariter non habet exceptionem illicitæ vel immodicæ donationis. Hinc Celſus: Ut mihi donares, creditori meo Delegante me promiſiſti; Pactum valet (*a*). Ille enim ſuum recepit. *l.* 21. *ff. de Donationibus.* CELSUS LIB. 28. DIGEST.

Pariter Paulus. Si eum qui volebat mihi donare ſupra legitimum modum (*b*), Delegavero creditori meo: non poterit adversùs petentem uti exceptione (*c*); quoniam creditor ſuum petit. In eâdem causâ eſt maritus (*d*): nec hic enim debet exceptione ſummoveri, qui ſuo nomine agit. *l.* 5. §5. *ff. de Dol. mal. & met. except.* PAUL. LIB. 71. AD ED.

XXXV.

Quæcumque hactenùs diximus, obtinent quum quis ſpopondit creditori Delegantis; diverſum eſt, ſi ſpopondit ei cui Delegans donare volebat.

Enimverò Julianus ait: Si pecuniam quam me tibi debere exiſtimabam, juſſu tuo ſpoponderim cui donare volebas; exceptione Doli mali potero me tueri; & præterea Condictio mihi adversùs ſtipulatorem competit ut me liberet. *l.* 7. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 76. AD ED.

Item ſi (*e*) ei quem creditorem tuum putabas, juſſu tuo pecuniam quam me tibi debere exiſtimabam, promiſero; petentem Doli mali exceptione ſummovebo: & ampliùs, INCERTI agendo cum ſtipulatore, conſequar ut mihi acceptam faciat ſtipulationem. *l.* 2. § 4. *ff. de Donation.* JULIAN. LIB. 60. DIGEST.

(*a*) Scilicet quoad creditorem. Cæterùm poteris à me Condicere ex Lege Cinciâ, quod ex causâ hujus expromiſſionis ſuprà modum licitum factæ ſolveris.

(*b*) Hîc veſtigium Juris antiqui. Lex Cincia non permittebat donare niſi intra certum modum.

(*c*) Hâc ſcilicet, quòd ſupra legitimum modum donaſſet.

(*d*) Cui mulier Delegavit expromiſſorem aliquem; eum nempè qui ipſi mulieri ſupra modum donare volebat. Eo caſu maritus *qui ſuo nomine agit*, id eſt, qui ſuum recipit, non poterit ab expromiſſore *ſubmoveri* eâ *exceptione* quòd expromiſſor iſte ſupra licitum modum donaverit mulieri.

(*e*) Non vero creditori ſuo, ſed *ei quem, &c.*

ARTICULUS II.

De Delegatione quæ fit per litis conteſtationem.

XXXVI.

Fit Delegatio per litis conteſtationem; quum is cui actiones meas mandavi, litem cum debitore conteſtatus eſt. Nam, ut jam obiter vidimus (ex l. 3. Cod. h. tit. ſuprà N. 30.), jam non mihi, ſed procuratori ſolvere debet.

TITULUS III.

DE SOLUTIONIBUS ET LIBERATIONIBUS.

IN hoc Titulo continuatur tractatus de diſtrahendis obligationibus, quem ſuperiori Titulo inchoaverunt Pandectarum ordinatores: exponiturque præſertim modus ille præcipuus, & quidem ſolus propriè loquendo naturalis, obligationum diſſolvendarum; qui dicitur SOLUTIO, *ſcilicet ſtrictè & propriè ſumpta.*

I.

Enimverò SOLUTIO, *vario ſenſu accipitur.*

Stricto ſenſu eſt realis præſtatio ejus quod debetur.

Largo autem ſenſu SOLUTIONIS verbum pertinet ad omnem Liberationem quoquo modo factam. Magiſque ad ſubſtantiam obligationis refertur, quàm ad nummorum Solutionem. *l.* 54. PAUL. LIB. 56. AD ED.

Hinc LIBERATIONIS verbum, eamdem vim habet quàm Solutionis. *l.* 47. *ff. de Verb. ſignif.* IBID.

II.

SATISFACTIONIS *verbum adhuc generalius eſt. Satisfieri enim dicitur, quomodocumque creditoris deſiderium adimpleatur, quamvis ipſo Jure liberatio obligationis non contingat.*

Hinc V. G. Quòd ſi acceptum latum ſit quod (*a*) ſtipulationis nomine hypotheca erat obligata, vel ſine ſtipulatione accepta ſit; Solutionis quidem verbum non proficiet (*b*), ſed ſatisdationis (*c*) ſufficit. *l.* 49. ¶ *fin.* MARCIAN. LIB. SING. AD HYPOTHECARIAM FORMUL.

Igitur SATISFACTIO *non ſemper eſt ſolutio: ſed* Satisfactio pro Solutione eſt. *l.* 52. ULP. LIB. 14. AD ED.

Et largiſſimè accepto SOLUTIONIS verbo, ſatisfactionem quoque omnem accipiendam placet. Solvere dicimus eum qui fecit quod facere promiſit. *l.* 176. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 45. AD SABIN.

De ſatisfactione hæc ſufficiant.

Quæ autem ad Solutionem ſpectant, latiùs exponenda ſunt. Et 1°. *videndum de Liberatione in genere:* 2°. *De Solutione ſtrictè & propriè ſumptâ:* 3°. *De Liberatione quæ contingit ex rei debitæ interitu, aut ex eo quòd illa in eum caſum devenit quo non poſſet in obligationem deduci:* 4°. *Agemus de confuſione.*

(*a*) Puto mendum hîc irrepſiſſe; & legendum, *id propter quod non ſtipulationis nomine, &c.* debitum ſcilicet non *Verbis* contractum, cui acceſſerat hypotheca.

(*b*) Acceptilatio non ſolvit obligationem ipſo Jure; quum aut obligatio talis erat quæ non poterat diſſolvi per acceptilationem, putà quia *Re*, non *Verbis* & per ſtipulationem erat contracta: vel quum accceptilatio ipſa citra ſtipulationem facta eſt, quæ eſt ſolemnis forma acceptilationis.

(*c*) Aliàs *ſatisfactionis*: utrumque eodem ſenſu. Scilicet, etſi mero Jure ſoluta non ſit obligatio, tamen ſatisfactum eſt creditori; ita ut ſi peteret, exceptione ſummoveretur: utpotè qui peteret contra fidem pacti quod acceptilatio [quamvis ineſficax] continet. Et hoc ſufficit ad tollendam hypothecam; quæ durat donec ſolutum fuerit creditori, aut eo nomine *ſatisfactum.*

Source : BIU Cujas

PRIMA PARS.

De Solutione largè ſumptâ, ſeu de Liberatione *in genere.*

§ I.

De variis Liberationum modis & ſpeciebus.

III.

LIBERATIO *eſt obligationis reſolutio, quocumque modo fiat; obligationis, inquam, perſonalis: de hâc enim ſolâ obligationum ſpecie in toto hoc Titulo agitur.*

Variis modis poteſt illa contingere. Et 1°. *Solutione reali & propriè dictâ: de quâ ſpecialiter in Parte ſeq.*

2°. *Item obſignatione, quam oblatio debiti loco congruo facta præceſſerit. Hinc Diocletianus & Maximianus.* Obſignatione totius debitæ pecuniæ ſolemniter factâ, Liberationem contingere manifeſtum eſt. Sed ita demùm oblatio debiti Liberationem parit; ſi, eo loco quo debetur Solutio, fuerit celebrata. *l.* 9. *Cod. h. tit.*

3°. *Liberatio contingit rei interitu, aut quum res in eum caſum devenit quo non poſſet in obligationem deduci: de quâ ſpecie infrà Parte* 3ª.

4°. *Novatione, de quâ mox Tit. præced.*

5°. *Acceptilatione, de quâ infrà Tit. ſeq.*

6°. *Interdum quoque nudâ conventione: ut mox infrà N.* 6.

IV.

CONFUSIO *autem de quâ in ultimâ hujus Tituli Parte agemus, magis perſonam ab obligatione liberat, quàm ipſam obligationem tollit: quanquàm indirectè ipſam interdum obligationem tollat, quæ ſcilicet conſiſtere non poteſt ſi nulla ſubſit perſona obligata.*

Pari ratione, ſublatâ per capitis diminutionem debitoris perſonâ, tollitur obligatio. Et quidem Servus effectus, non idcircò quòd poſtea indulgentiâ Principali libertatem conſecutus eſt, rediiſſe dicitur in obligationem creditorum (*a*). *l.* 30. *ff. de Oblig. & act.* SCÆVOLA LIB. I. RESPONSOR.

Plura vide de hâc re, ſuprà lib. 4. *Tit.* de Cap. minut.

V.

Ex Liberationibus, aliæ ſunt naturales, aliæ civiles.

Sic V. G. Verborum obligatio; aut naturaliter reſolvitur, aut civiliter. NATURALITER, veluti Solutione; aut quum res in ſtipulationem deducta, ſine culpâ promiſſoris in rebus humanis eſſe deſiit. CIVILITER, veluti acceptilatione, vel quum in eamdem perſonam jus ſtipulantis promittentiſque (*b*) devenit. *l.* 107. POMPON. LIB. 3. ENCHIRIDII.

§ II.

An quævis obligationes, quibuſlibet modis ſuprà dictis tolli poſſint.

VI.

Non omnes autem obligationes, omnibus quos retulimus modis, ſolvuntur. Sed Prout quidque contractum eſt, ita & ſolvi debet. Ut quum RE contraxerimus, RE ſolvi debet; veluti quum mutuum dedimus, ut retrò pecuniæ tantùmdem ſolvi debeat. Et quum VERBIS aliquid contraximus; vel RE, vel VERBIS, obligatio ſolvi debeat: VERBIS, veluti quum acceptum promiſſori fit; RE, veluti quum ſolvit quod promiſit. Æquè quum emptio vel venditio, vel locatio contracta eſt; quoniam conſenſu nudo contrahi poteſt, etiam diſſenſu contrario diſſolvi poteſt. *l.* 80. POMPON. LIB. 4. AD Q. MUCIUM.

Igitur Si inter emptorem & venditorem convenerit, priuſquàm aliquid ex alterutrâ parte ſolveretur, ut ab emptione diſcedatur; fidejuſſor eo nomine acceptus, ſoluto contractu Liberabitur (*c*). *l.* 95. § *fin.* PAPIN. LIB. 28. QUÆST.

Conſonat quod ait Ulpianus. NIHIL tam naturale eſt, quàm eo genere quidque diſſolvere quo colligatum eſt. Ideò verborum obligatio, verbis tollitur; nudi conſenſûs obligatio, contrario conſenſu diſſolvitur. *l.* 35. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 48. AD SABIN.

Conſonat & Gaius. OMNIA quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt. *l.* 100. *ff. d.* 12. *tit.* GAIUS LIB. I. REGULAR.

VII.

Quod tamen dicimus, nudâ conventione Liberationem non contingere niſi ab his obligationibus quæ nudo conſenſu contrahuntur, ex ſubtilitate Juris eſt. At ſi non Jus, ſed effectum ſpectemus; quævis obligatio per Pactum DE NON PETENDO *eliditur, ſcilicet per exceptionem perpetuam quam hoc pactum parit. De hoc pacto egimus ſuprà lib.* 2. *Tit.* de Pactis.

Quocircà illud patet quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus: Sicut initio libera poteſtas unicuique eſt habendi vel non habendi contractus: ita renuntiare ſemel conſtitutæ obligationi, adverſario non conſentiente, nemo poteſt. Quàpropter intelligere debetis, voluntariæ obligationi ſemel vos nexos; ab hâc, non conſentiente alterâ parte cujus precibus feciſtis mentionem, minimè poſſe diſcedere. *l.* 5. *Cod. de Oblig. & act.*

VIII.

Hactenùs de obligationibus civilibus.

At Naturalis obligatio, ut pecuniæ numeratione, ita juſto pacto (*d*) vel jurejurando (*e*), ipſo Jure tollitur; quòd vinculum æquitatis, quo ſolo ſuſtinebatur, conventionis æquitate diſſolvitur. Ideòque fidejuſſor quem pupillus (*f*) dedit, ex iſtis cauſis Liberari dicitur. *l.* 95. § 4. PAPIN. LIB. 28. QUÆST.

§ III.

De Apochis.

Enumeravimus cauſas ex quibus obligationum tam civilium quàm naturalium Liberatio contingat.

IX.

APOCHA *autem magis continet Solutionis probationem, quàm per ſe Liberationem parit.*

Et quidem Solutionis probationem apochâ contineri, ita reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Pecuniæ Solutæ profeſſio collata inſtrumento, majorem rei geſtæ probationem continet, quàm ſi chirographum acceptæ pecuniæ mutuæ fuiſſet redditum. *l.* 14. *Cod h. tit.*

(*a*) Ratio eſt, quia [ut alibi dicitur] novus videtur homo eſſe; novam perſonam conſequi videtur, non eamdem quam amiſit, & quæ fuit obligata.

(*b*) Id eſt, confuſione.

(*c*) Obligatio enim quæ nudo venditoris emptoriſque conſenſu erat colligata, contrario ipſorum conſenſu ſolvitur, eàque ſolutâ, neceſſe eſt liberari fidejuſſores.

(*d*) Id eſt, pacto quod non eſt interpoſitum contra Leges aut bonos mores.

(*e*) *Jusjurandum* enim eſt vice pacti & tranſactionis.

(*f*) Naturalis obligationis exemplum eſt; pupillus qui ſe ex aliquâ cauſâ ex quâ locupletior factus eſt, obligavit ſine tutoris auctoritate. Talis obligatio ſolâ æquitate naturali nititur, & ante Conſtitutionem Divi Pii non pariebat actionem. Nudo igitur pacto tolletur ipſo Jure hujus pupilli obligatio; quâ ſublatâ, neceſſe eſt liberari ejus fidejuſſores.

Source : BIU Cujas

Quum autem ex pluribus cauſis debetur ; ejus tantùm debiti Solutio per apocham probatur, quod apochâ exprimitur: ad alias autem apocha non porrigitur.

Hinc Scævola. Ex pluribus cauſis & chirographis creditor, ita cavit : « TITIUS-MÆVIUS dico me accepiſſe, » & habere, & accepto tuliſſe à Gaio-Titio reliquum » omne; ratione poſitâ ejus pecuniæ quam mihi Stichum » Gaii-Titii ſervus caverat.» Quæſitum eſt an ex cæteris chirographis, quæ non Stichus cavit ſed ipſe debitor, integra manet actio ex reliquis chirographis per ipſum debitorem cautis ? Reſpondit ; Eam ſolam obligationem diſſolutam, ex quâ Solutum proponeretur. *l.* 89. SCÆVOLA LIB. 29. DIGEST.

X.

Cùm apocha per ſe Liberationem non pariat, ſed probet interveniſſe ; ſequitur quòd, ſi hæc probatio contrariâ probatione elidatur, nulla ex apochâ Liberatio obtinendi poteſt.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si litterarum Auxenonis contemplatione, quas ad Ariſtonem de numerandâ tibi pecuniâ dederat, recepiſſe te ſcripſiſti debitum ab Ariſtone ; mandato non impleto, cùm petitio debiti maneat integra, nihil legitimam exactionem impedire poteſt. *l.* 23. *Cod. h. tit.*

Hoc ita, quum apocha receptæ quantitatis per errorem ſcripta eſt. Secùs, ſi animo non exigendi ; putà tranſigendi, aut donandi.

Hinc Gordianus. Si inter patrem tuum eoſque quos debitores eſſe dicebas, non de dubiâ lite tranſactio facta eſt ; ſed parte tantummodò recuperatâ, univerſum ſe recepiſſe cavit ; nec de ſuperfluo eos quos verbis obligavit, per acceptilationem liberavit; nec donationis causâ id factum eſt : exuberantis debiti integra ei repetitio competit. *l.* 6. *Cod. h. tit.*

Item Diocletianus & Maximianus. Intereſt multùm, utrùm-ne ſpe futuræ numerationis ſuſcepiſſe te quod inſtrumento continetur, ſcripſiſti ; an acceptâ minore quantitate, tantum quantum lectio probat, in ſcripturâ conferri placuit. Nam ſuperiore quidem caſu, reſidui petitio debiti manet integra ; poſteriore verò, conſenſu tranſactionis finitis ſtare convenit. *l.* 21. *Cod. h. tit.*

§ IV.

De Liberationis effectu.

XI.

Effectus Liberationis eſt, quòd In omnibus ſpeciebus Liberationum, etiam acceſſiones liberantur ; putà, adpromiſſores, hypothecæ, pignora : præter quàm quòd inter creditorem & adpromiſſores confuſione factâ, reus non liberatur (*a*). *l.* 43. ULP. LIB. 2. REGUL.

(*a*) Ratio eſt, quia confuſio per ſe perſonam duntaxat ab obligatione eximit, non verò obligationem tollit ; niſi indirectè, eo ſcilicet caſu quo non ſuperesſet perſona quæ obligaretur. Cùm igitur in præſenti caſu ſuperſit perſona ; confuſio quæ adpromiſſoris perſonam ab obligatione eximit, nullo modo tollit obligationem, nec reum liberat.

SECUNDA PARS.

De Solutione *ſtrictè & propriè ſumptâ.*

Videndum 1°. *Quæ requirantur ut Solutio ſit efficax :* 2°. *De effectu Solutionis :* 3°. *In quam cauſam Solutio imputetur, quum quis ex pluribus cauſis debitor eſt.*

SECTIO I.

De his quæ requiruntur necne, ut Solutio ſit efficax.

XII.

Ante omnia oportet, ut ſubſit debitum aliquod. Cæterùm naturâ deberi ſufficit.

Hinc Si tuo ſervo credidero, eumque redemero, & is manumiſſus (*a*) mihi Solverit ; non repetet. *l.* 83. POMPON. LIB. 14. EX VARIIS LECTIONIBUS.

Ad efficaciam quoque Solutionis hæc pertinent : 1°. *Ut is ſolvat qui ſolvere poſſit :* 2°. *Ut debitoris nomine fiat Solutio :* 3°. *Ut ei cui oportet ſolvatur. De his agemus tribus prioribus Articulis.*

Cùm autem etiam adjectis Solutionis gratiâ ſolvi poſſit, de his erit Articulus 4^us^. *Interdum quoque Solutio ei cui non oportuerat facta convaleſcit ; quod quando contingat videbimus Art.* 5°.

6°. *Denique circa rem quæ ſolvitur, quæremus ; quid ſolvendum ſit, & quando, & ubi, ut Solutio ſit efficax ; item qualis præſtari debeat illa res, & quomodo.*

XIII.

Ad efficaciam autem Solutionis, ut perfecta ſit, non neceſſe eſt redditum aut cancellatum inductum-ve eſſe chirographum.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Inductum (id eſt, cancellatum) necne ſit chirographum veſtrum, Solutionem ſemel debiti causâ factam ei qui exigendi poteſtatem habuit, probantium ; nihil intereſt. *l.* 22. *Cod. h. tit.*

Pariter Gordianus. Nec enim ex eo quòd creditor conceſſit in fatum priuſquàm inſtrumenta redderet, evacuatæ obligationis vires reparari queunt. *l.* 4. *Cod.* ¶ *nec enim. h. tit.*

(*a*) Manumiſſus ex contractibus quos in ſervitute fecit, non obligatur niſi naturaliter : ut vid. ſuprà lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.* N. 21.

ARTICULUS I.

Quis Solvere poſſit.

XIV.

Solvere non poteſt, niſi is qui jus alienandi habet.

Igitur Pupillum ſine tutoris auctoritate nec ſolvere poſſe palàm eſt : ſed ſi dederit nummos, non fient accipientis, vindicarique poterunt. *l.* 14. §*fin.* ULPIAN. LIB. 30. AD SABIN.

Obiter nota. Planè ſi fuerint conſumpti (*b*) Liberabitur. *d.* § *fin.* ¶ *planè.*

Quid de reo criminis poſtulato ? Is cùm non ſimpliciter ſed in fraudem fiſci duntaxat alienare prohibeatur ; rectè ſolvere poteſt : nec enim in fraudem alienat, qui ſolvit quod debet. Undè Paulus : Sed nec illud prohibitum videtur, ne à reo creditori ſolvatur. *l.* 42. PAUL. LIB. 3. DE ADULTER.

Servus qui peculii adminiſtrationem habet, Solvere non prohibetur ; quandoquidem alienare poteſt.

Hinc illa Proculi diſtinctio, in ſpecie quâ fidejuſſores

(*b*) Is cui ſoluti ſunt, eos bonæ fidei conſumptione acquirit ; & ſic convaleſcit Solutio.

obligationi

Source : BIU Cujas

obligationi servi accesserunt. Egisti DE peculio, servi nomine cum domino: non esse Liberatos fidejussores ejus respondit (*a*). At si idem servus ex peculio suo permissâ administratione peculii nummos solvisset, Liberatos esse fidejussores (*b*) ejus rectè legisti. *l.* 84. PROCUL. LIB. 7. EPISTOLAR.

Extra hunc casum, irrita quidem est Solutio quum servus solvit; sed convalescit si dominus eam ratam habuerit, & quidem vel tacitè.

Hinc Paulus. Si servus alienus pro Titio fidejussit, & solvit; Liberatur Titius si dominus MANDATI contra eum agere instituit. Nam qui MANDATI agit, ratam habere Solutionem videtur. *l.* 66. *ff. de Fidejussorib.* PAUL. LIB. I. AD NERATIUM.

XV.

De cætero nihil refert, ipse debitor solvat, an ejus procurator. Nam Qui mandat solvi, ipse videtur Solvere. *l.* 56. PAUL. LIB. 62. AD ED.

Quinetiam, neque ad hoc necessarium est mandatum debitoris.

Hinc Celsus. Quodlibet debitum, Solutum à procuratore meo non repeto: quoniam quum quis procuratorem omnium rerum suarum constituit, id quoque mandare videtur ut creditoribus suis pecuniam solvat; neque postea expectandum est ut ratum habeat. *l.* 87. CELSUS LIB. 20. DIGEST.

Quinimò Solvere pro ignorante & invito, cuique licet: cùm sit Jure Civili constitutum, licere etiam ignorantis invitique meliorem conditionem facere. *l.* 53. GAIUS LIB. 5. AD ED. PROVINC.

Et alibi. Solutione, vel judicium pro nobis accipiendo, & inviti & ignorantes Liberari possumus. *l.* 23. POMPON. LIB. 24. AD SABIN.

Hinc Si pro me quis Solverit creditori meo, licèt ignorante me adquiritur mihi actio Pignoratitia (*c*). Item si quis solverit legata, debent discedere legatarii de possessione: alioquin nascitur heredi Interdictum, ut eos dejicere possit. *l.* 40. MARCIAN. LIB. 3. INSTITUT.

XVI.

Non tamen poterit alius quàm debitor principalis invito creditori solvere, si factum personale in obligationem deductum est. Nam V. G. Inter artifices longa differentia est, & ingenii, & naturæ, & doctrinæ, & institutionis. Ideò si navem à se fabricandam quis promiserit, vel insulam ædificandam fossam-ve faciendam; & hoc specialiter actum est, ut suis operis id perficiat: fidejussor ipse ædificans, vel fossam fodiens, non consentiente stipulatore, non Liberabit reum. Quare etiam si illis stipulationibus fidejussor accesserit, PER TE non fieri quominùs mihi ire agere liceat; prohibens ire fidejussor, stipulationem non committit; & si patientiam præstet, non efficiet quominùs committatur stipulatio. *l.* 31. ULPIAN. LIB. 7. DISPUTATION.

XVII.

Etiam ipse creditor sibimet ipsi efficaciter solvere intelligitur. Hujus rei exemplum habes in hâc specie. Titia, quum propter dotem bona mariti (*d*) possideret, omnia pro dominâ egit, reditus exegit, & moventia distraxit. Quæro an ea quæ ex re mariti percepit, in dotem ei reputari debeant? Marcellus respondit; Reputationem ejus quod proponeretur, non iniquam videri. Pro Soluto enim magis habendum est, quod ex eâ causâ mulier percepit. *l.* 48. MARCELL. LIB. SING. RESPONS.

Aliud exemplum videre est in creditore qui pretium pignoris quod distraxit, percipit: de quo suprà lib. 20. *Tit.* de Distr. pign. *N.* 29.

Huic affine est quod ait Marcianus. Si creditor Hypothecariâ usus, à possessore litis æstimationem consecutus fuerit, & à debitore petat debitum; puto Doli mali exceptionem ei (*e*) obstaturam. *l.* 8. § *fin. ff. Quib. mod. pign. solv.* MARCIAN. LIB. SINGUL. AD FORMULAM HYPOTHECARIAM.

ARTICULUS II.

Debitoris nomine Solutionem fieri oportere.

XVIII.

Vidimus Art. præced. Solutionem non solùm à debitore, sed à quovis alio factam valere. Verùm oportet ut nomine debitoris fiat.

Hinc Cassius ait; Si cui pecuniam dedi ut eam creditori meo solveret, si suo nomine (*f*) dederit, neutrum Liberari: me, quia non meo nomine data sit; illum, quia alienam dederit. Cæterùm MANDATI eum teneri. *l.* 17. POMPON. LIB. 19. AD SABIN.

Obiter nota. Sed si creditor eos nummos sine dolo malo consumpsit; is qui suo nomine eos solvisset, Liberaretur: ne, si aliter observaretur, creditor in lucro versaretur (*g*). *d. l.* 17.

Quum quis suo nomine solvit, me non liberat; etiamsi solvat quod ipse non debet, ego verò debeo.

Hinc Paulus respondit; Non ideò eos qui virilem portionem ex causâ fideicommissi inferre debuerant, Liberatos videri; quoniam quidam ex collegis per errorem plus debito intulerunt (*h*). *l.* 101. PAUL. LIB. 15. RESPONS.

Et quidem stricto Jure non convalescit Solutio, quamvis is qui suo nomine solvit quod non debebat, postea in obligationem successerit. Verùm ex æquitate, per exceptionem DOLI, *repetitio Soluti hoc casu inhibetur.*

Hoc docet Pomponius. Ex parte heres institutus, si decem quæ defunctus promiserat, tota solvit; pro parte quidem, quâ heres est, Liberabitur; pro parte autem reliquâ, ea Condicet. Sed si antequàm Condicat, ei adcrevit reliqua pars hereditatis; etiam pro eâ parte erit obligatus: & ideò Condicenti indebitum, DOLI mali exceptionem obstare existimo. *l.* 25. POMPON. LIB. 31. AD SABIN.

ARTICULUS III.

Cui Solvi possit.

XIX.

Solutam pecuniam intelligimus, utique naturaliter; si numerata sit creditori.

Sed & si jussu ejus alii Solvitur, vel creditori ejus, vel futuro debitori, vel etiam ei cui donaturus erat; absolvi debet. *l.* 49. MARCIAN. LIB. SING. AD HYPOTHEC. FORMUL.

(*a*) Ratio dubitandi, quòd Jure Pandectarum electo reo principali liberantur fidejussores: ut vid. suprà Tit. *de Fidejuss.* Sect. fin. Ratio decidendi; quòd dominus qui convenitur, non est reus principalis, sed accedit duntaxat obligationi servi sui; & quidem non in solidum, sed peculio tenùs.

(*b*) Hâc solutione scilicet: valet igitur Solutio. Cujacius aliter hanc legem interpretatur. Censet enim quod hîc dicitur *egisti*, sic accipiendum ut etiam *exegeris*: hujusque legis hanc sententiam esse; ut Solutio quâ dominus solvit suo nomine id quod condemnatus est, non tollat ipso jure obligationem servi fidejussorumque ejus; quia duæ sunt obligationes, licèt ejusdem pecuniæ: contrà verò servus ipse solvendo, etiam fidejussorum obligationem tollat quæ sine principali non potest consistere. Hanc itaque legem pugnare cum l. 38. § 2. ff. h. tit. infrà Sect. 24. in fine; in quâ Julianus diversæ scholæ auctor ab Africano laudatus, vel Africanus ipse Julianus discipulus contrarium statuit.

(*c*) Quæ actio soluto debito competit debitori, ut ipsi restituatur pignus.

(*d*) Putà qui divortio facto latitabat, propter quam causam mulier dotis creditrix in possessionem bonorum ejus missa est.

(*e*) Nam in suum debitum imputare debet, quod à possessore pignoris accepit; & quasi ipse sibi ex hâc pecuniâ solvisse videtur.

(*f*) Quum ipse eidem creditori pecuniam deberet.

(*g*) Nam consumptione bonæ fidei, hanc pecuniam quamvis alienam velut acquisivit creditor. Nec jam potest dominus pecuniæ eam ab ipso vindicare; cùm nec eam possideat, nec dolo desierit possidere. Debet igitur convalescere Solutio hujus pecuniæ, & liberari à creditore is qui eam suo nomine solvit: alioquin *creditor* qui eam accepit, *in lucro versaretur* cum detrimento ejus qui solvit; quod iniquum est.

(*h*) Quod enim plus intulerunt, cùm proprio nomine solverint, cæteros non potuit liberare.

Source : BIU Cujas

Tutori quoque si Soluta sit pecunia, vel curatori, vel procuratori vel cuilibet successori, vel servo actori; proficiet ei Solutio. *d. l.* 49. ¶ *tutori.*

Sed etsi omninò extraneo facta sit; Ratam quoque Solutionem si creditor habuerit, idem erit. *d. l.* 49. ¶ *ratam.*

Ut hæc methodicè tractentur; agemus 1°. *de Solutione factâ ipsi creditori, successoribus-ve ejus:* 2°. *De Solutione factâ tutori curatori-ve creditoris:* 3°. *De Solutione factâ ei cui creditor, is-ve qui pro eo accipere potest, putà tutor ejus aut curator, solvi voluit:* 4°. *De Solutione factâ servo aut filio creditoris, ex causâ negotii peculiaris, vel ex causâ negotii dominici aut paterni quod volente domino aut patre gessit; vel etiam extrà has causas, ab eo qui probabiliter existimabat eum esse sui juris.*

Videbimus denique, de his quibus utiliter non Solvitur.

§ I.

De Solutione factâ creditori, ejusque successoribus.

X X.

Ipsi creditori rectè Solvitur; modò tamen is sit qui alienare possit.

Hinc Pupillo solvi sine tutoris auctoritate non potest. Sed nec delegare potest: quia nec alienare ullam rem potest.

Si tamen solverit ei debitor, & nummi salvi sint: petentem pupillum, Doli mali exceptione (*a*) debitor summovebit. *l.* 15. PAUL. LIB. 6. AD SABIN.

Idem est, si nummi non extent quidem, sed ex his factus sit locupletior. Hinc Ulpianus. Si quis pupillo solverit sine tutoris auctoritate id quod debuit, exque eâ Solutione locupletior factus sit pupillus; rectissimè dicitur, exceptionem petentibus nocere. Nam &, si mutuam acceperit pecuniam, vel ex quo alio contractu locupletior factus sit, dandam esse exceptionem (*b*). Idemque & in cæteris erit dicendum, quibus non rectè solvitur: nam si facti sint locupletiores, exceptio locum habebit. *l.* 4. § 4. *ff. de Doli & met. except.* ULP. LIB. 76. AD ED.

Quo autem tempore inspici debeat an pecunia salva sit, aut ex eâ pupillus factus sit locupletior; ita docet Paulus. In pupillo cui Soluta est debita pecunia sine tutoris auctoritate, si quæratur an DOLI exceptione summoveri debeat; illud tempus inspicitur, an pecuniam vel ex eâ aliquid habeat, quo petit. *l.* 4. *ff. de Exception.* PAUL. LIB. 20. AD ED.

Similiter Marcianus. In pupillo cui sine tutoris auctoritate solutum est, si quæratur quo tempore sit locupletior; tempus quo agitur, inspicitur: & ut exceptio Doli mali posita ei noceat, tempus quo agitur, spectatur. *l.* 4. MARCIAN. LIB. 4. REGUL.

Planè (ut Scævola aiebat) etiamsi perierit res ante litem contestatam, interdum quasi locupletior factus intelligitur; id est si necessariam sibi rem emit, quam necessariò de suo erat empturus: nam hoc ipso quo non est pauperior factus, locupletior (*c*) est. Sic & in filiofamilias putabat Macedonianum cessare, si in necessarias causas filius mutuam pecuniam acceperit, & eam perdiderit (*d*). *l.* 47. § 1.

X X I.

Non potest quidem Solvi ei qui alienandi est incapax. Ei verò qui non simpliciter, sed duntaxat in fraudem alienare prohibetur; rectè solvitur.

Hinc Reo criminis postulato, interim nihil prohibet rectè pecuniam à debitoribus solvi (*e*). Alioquin plerique innocentium necessario sumptu egebunt. *l.* 41. PAPIN. LIB. 1. DE ADULTERIIS.

Et alibi. In reatu constitutus bona sua administrare potest, eique debitor rectè bonâ fide Solvit. *l.* 46. § 6. *ff. de Jure fisci.* HERMOGEN. LIB. 6. JURIS EPITOMAT.

X X I I.

Quod diximus de creditore, idem de herede alio-ve successore ejus dictum puta.

Quocircà observandum; heredi factam Solutionem valere, quamvis postea se abstineat. Hinc Scævola: Filius qui administrabat ut heres paterna bona, pecuniam ex his Sempronio mutuam dedit, & eamdem particulatim recepit; deinde se abstinuit, quia minor annis erat, ab eâ hereditate. Quæsitum est; Curator bonorum patris constitutus, an adversùs Sempronium utilem actionem habet? Respondit; Nihil proponi cur non, is qui solvisset id quod mutuum ita acceperat, Liberatus esset (*f*). *l.* 90. SCÆVOLA LIB. 26. DIGEST.

§ II.

De Solutione factâ tutori aut curatori creditoris.

X X I I I.

Tutori creditoris, Curatori quoque furiosi rectè solvitur. Item curatori sibi non sufficientis vel per ætatem vel per aliam justam causam, sed & pupilli curatori rectè solvi constat. *l.* 14. § 7. ULP. LIB. 30. AD SABIN.

Hinc Pomponius. Si filia furiosi à viro diverterit; dictum est, vel adgnato curatori voluntate filiæ, vel filiæ consentiente agnato (*g*) solvi dotem. *l.* 65. POMPON. LIB. 1. EX PLAUTIO.

Sive autem legitimi sunt, sive testamentarii (*h*) sive ex inquisitione dati; rectè vel uni (*i*) solvitur. *sup. d. l.* 14. § 5.

Ei qui notitiæ gratiâ datus est, an rectè solvatur videndum est? quia ad instruendos contutores datur (*k*). Sed cùm tutor sit; nisi prohibitum fuerit ei solvi, puto Liberationem contingere. *d. l.* 14. § 6.

Enimverò Sunt quidam tutores qui HONORARII appellantur; sunt qui rei notitiæ gratiâ dantur: sunt qui ad hoc dantur ut gerant: & hoc vel pater adjicit, ut unus (putà) gerat, vel voluntate tutorum uni committitur gestus, vel Prætor ita decernit. Dico igitur; Cuicumque ex tutoribus fuerat Solutum, etsi Honorariis (nam & ad hos periculum pertinet), rectè solvi. *d. l.* 14. § 1.

X X I V.

Ita tamen, Nisi interdicta eis fuerit à Prætore administratio. Nam si interdicta est, non rectè Solvitur.

Idem dico, & si quis sciens suspectis postulatis solvat: nam iis interim videtur interdicta administratio. *d. l.* 14. *d.* § 1. ¶ *fin.*

Item ex eo quòd Prætor tutores rebus certæ provinciæ dederit, videtur eis interdicta administratio rerum alterius regionis.

Undè Quæro; An curatoribus vel tutoribus in provinciâ datis, Romæ pecunia solvi possit; quæ in provinciâ ita ab his fœnerata esset UT ROMÆ SOLVERETUR: cùm iidem curatores vel tutores rerum Italicarum administrationem non sustinent; an, si Solverit

(*a*) Dolo enim faceret pupillus, qui vellet cum detrimento alterius locupletari.

(*b*) Credo legendum *actionem*, scilicet ex Constitutione Divi Pii; de quâ Ulpianus l. 5. ff. *de Auctor. tut.*

(*c*) Id est; in tantum locupletior videtur, in quantum non erogavit ex patrimonio suo quod alioquin necesse habuisset erogare.

(*d*) Eo sensu quòd consumpserit quidem in has necessarias causas in quas de suo erogare necesse habuisset, nisi hanc impendisset; sed postea fatali aliquo casu rem eâ pecuniâ quæsitam *perdiderit.*

(*e*) Huic enim non prohibetur alienare simpliciter, sed duntaxat alienare in fraudem fisci. Non potest autem præsumi facere in fraudem fisci, qui exigit quod sibi debetur.

(*f*) Idem dicendum, & si solvisset quod defuncto debuisset: eadem enim est ratio. Ideò valet solutio quia facta est heredi; semel autem utiliter facta non debet infirmari, ex eo quòd postea heres se abstineat.

(*g*) Dos profectitia solvi debet & filiæ & patri: quum pater furiosus est, solvitur agnato patris qui legitimus ejus curator est.

(*h*) Tutores creditoris scilicet.

(*i*) Ratio dubitandi fortassè erat; quòd *Auctoritas* nonnisi ab omnibus poterat interponi, quum plures tutores erant legitimi: ut vid. suprà lib. 26. Tit. *de Auctor. tut.* Art. 2°.

(*k*) Potiùs quàm ut ipse administret.

Source : BIU Cujas

debitor, Liberetur? Paulus reſpondit; His tutoribus vel curatoribus rectè, pupillo pecuniam debitam, ſolvi; qui negotia ejus adminiſtrant. Eos autem qui Provincialium rerum curatores vel tutores ſunt, Italica negotia adminiſtrare non ſolere (*a*); niſi ſpecialiter tutores provincialium rerum, ut ſibi Romæ redderetur, promitti curaverunt. *l.* 100. PAUL. LIB. 10. RESPONS.

A fortiori dicendum eſt, Quòd ſi remoto Solvit; ei ſolvit qui tutor eſſe deſierat, & ideò non Liberabitur. *ſup. d. l.* 14. § 2.

At ſi nec remotus eſt tutor, necdum ſuſpecti poſtulatus, licèt ſit in eâ causâ ut removeri debeat; adhuc ei ſolvi poteſt.

Hinc ſtatim ſubjicitur: Quid Ergo ſi ei ſolvit, in cujus locum curator erat conſtituendus; ut putà, relegato in perpetuum vel ad tempus? Dico; Si ante Solvit quàm ſubſtitueretur curator, oportere Liberari. *d. l.* 14. § 3.

Sed & ſi abfuturo Reipublicæ causâ ſolvit, rectè Solvit: quinimò & ſi abſenti, ſi non eſt alius in locum ejus ſubſtitutus. *d. l.* 14. § 4.

Ulpianus Idem Frontoni reſpondit: Perſeveranti tutori in tutelæ adminiſtratione, licèt capitis reo, potuiſſe id quod pupillo bonâ fide debetur exſolvi. *l.* 45. § 1. ULP. LIB. 1. RESPONS.

§ III.

De Solutione factâ ei cui creditor, is-ve qui pro eo accipere poteſt, juſſit Solvi.

XXV.

Quod juſſu alterius Solvitur, pro eo eſt quaſi ipſi Solutum eſſet. *l.* 180. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 17. AD PLAUT.

Et quidem, etiamſi creditor ei juſſerit ſolvi cui illicitè donabat. Putà Si eum qui mihi vendiderit, juſſerim eam rem uxori meæ donationis causâ dare, & is poſſeſſionem juſſu meo tradiderit; Liberatus (*b*) erit: quia, licèt illa Jure Civili poſſidere (*c*) non intelligatur, certè tamen venditor nihil habet quod tradat. *l.* 26. *ff. de Donat. inter vir. & uxor.* PAUL. LIB. 7. AD SABIN.

XXVI.

Cùm Solutio rectè fiat ei cui creditor juſſit voluit-ve ſolvi: hinc Vero procuratori rectè Solvitur.

VERUM autem accipere debemus, eum cui mandatum eſt ſpecialiter; vel cui omnium negotiorum adminiſtratio mandata eſt. *l.* 12. ULP. LIB. 30. AD SABIN.

At verò Hoc Jure utimur, ut litis procuratori non rectè ſolvatur. Nam & abſurdum eſt, cui Judicati actio non datur, ei ante rem judicatam ſolvi poſſe.

Si tamen ad hoc datus ſit ut & ſolvi poſſit, ſolvendo eo Liberabitur. *l.* 86. PAUL. LIB. 8. AD ED.

Cæterùm nil refert cujus conditionis fuerit is cui creditor ſolvi voluit; liber, an ſervus.

Hinc Gordianus. Nihil intereſt, utrùm creditori mutuam pecuniam Solveris, an ex ejus voluntate ſervo numeraveris. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

Hinc ſervo diſpenſatori rectè ſolvitur. Unde Diocletianus & Maximianus. Si actori ſervo tam mutuis dandis pecuniis, quàm debitis accipiendis præpoſito, in hoc quod ſuſceperas, ejus dominæ per ipſum ſatisfeciſti; inſtrumentum inane Solutione celebratâ (*d*) nihil tibi nocere poteſt. *l.* 19. *Cod. h. tit.*

XXVII.

Ut per Solutionem ei factam cui ſolvi creditor voluit, debitor ſaltem per exceptionem liberetur; nil refert quo animo acceperit is cui ſolvitur. Hinc Julianus. Si debitorem meum juſſero pecuniam Titio dare, donaturus ei; quamvis Titius eâ mente acceperit ut meos nummos faceret, nihilominùs debitor Liberabitur (*e*). Sed ſi poſtea Titius eamdem pecuniam mihi dediſſet, nummi mei fient. *l.* 34. § 7. JULIAN. LIB. 54. DIGEST.

XXVIII.

Non ſolùm valet Solutio facta ei cui ipſe creditor ſolvi voluit; ſed & illa quæ facta eſt ei cui ſolvi voluit is qui pro creditore poterat accipere, putà tutor aut curator.

Hinc ſi Pupilli debitor, tutore delegante pecuniam creditori tutoris ſolvit; Liberatio contigit. *l.* 96. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

Nota. Ita tamen Si non malo conſilio cum tutore habito factum eſſe probetur; ſed & Interdicto fraudatorio tutoris creditor pupillo tenetur, ſi eum conſilium participaſſe conſtabit. *d. l.* 96. ¶ *ſi non.*

Contrà autem non valebit Solutio facta ei cui ipſe creditor voluit ſolvi, ſi is creditor fuit cui non potuiſſet ſolvi.

Hinc Si pupilli debitor, jubente eo ſine tutoris auctoritate, pecuniam creditori ejus numeravit; pupillum quidem à creditore Liberat, ſed ipſe manet obligatus. *l.* 66. POMPON. LIB. 6. EX PLAUT.

Hoc autem caſu, cùm in rem pupilli verſum ſit, obiter nota: Sed exceptione ſe tueri poteſt. *d. l.* 66. ¶ *ſed exceptione.*

Obiter etiam nota. Si autem debitor pupilli non fuerat: nec pupillo Condicere poteſt, qui ſine tutoris auctoritate non obligatur (*f*); nec creditori cum quo alterius juſſu contraxit: ſed pupillus in quantum locupletior factus eſt, utpotè debito Liberatus, Utili actione (*g*) tenebitur. *d. l.* 66. ¶ *ſi autem.*

XXIX.

Obſervandum etiam; Solutionem ei cui creditor ſolvi juſſit factam, intrà eam demùm quantitatem valere quam ei ſolvi juſſit.

Hinc Scævola. Lucius-Titius ex duobus chirographis, quibus quadringenta ei à Seio debebantur, altero centum, altero trecentûm, ſctipſit Seio ut unius chirographi, centum, per Mævium & Septicium ſibi mitterentur. Quæro an Seius, ſi Mævio & Septicio ex trecentûm quoque ſolviſſe ſe dicat, Liberatus ſit? Reſpondit; Si nec mandavit ut ex trecentûm ſolveretur, nec ſolutum ratum habuit, non eſſe Liberatum. *l.* 89. § 1. CELSUS LIB. 29. DIGEST.

XXX.

Denique tandiù procuratori, ei-ve cui ſolvi creditor juſſit, Solvi poteſt: quandiù finitum non eſt creditoris mandatum.

Finitur autem creditoris morte. Hinc Paulus. Ei qui mandatu meo poſt mortem meam ſtipulatus eſt, rectè ſolvitur; quia talis eſt lex obligationis (*h*): ideòque etiam invito me rectè ei Solvitur. Ei autem cui juſſi

(*a*) Undè tacitè concludendum relinquit, his tutoribus hanc pecuniam non eſſe ſolvendam; quia exactio pecuniæ pertinet ad negotia loci ubi ſolvenda eſt, adeòque ad negotia Italica. Ita tamen exactio pecuniæ quæ Romæ ſolvenda eſt, ad negotia Italica pertinet; *niſi*, *&c.*

(*b*) Non quidem ipſo Jure, ſed per exceptionem; modò paratus ſit cedere mihi actionem *Rei vindicationis* quam habet adversùs mulierem, ad quam rei dominium ex causâ donationis *inter virum & uxorem* transferri non potuit: ut apertiùs dicitur in l. 38. § 1. infrà N. 32.

(*c*) Sed naturalem duntaxat poſſeſſionem habeat.

(*d*) Vide ſuprà N. 13.

(*e*) Dices: Ut debitor liberetur, debet dominium pecuniæ ſolutæ abire ab eo. Quî autem hîc abibit? nec enim dominium poteſt transferri in Titium, cùm non habeat animum ſibi acquirendi; nec pariter in creditorem, cùm eo animo ſit ut Titius acquirat, non ut ipſe ſibi. Cujacius ad h. l. ait dominium quodammodo transferri INTERIM in Titium. Sed nequaquàm id probare poſſum: Dominium enim non acquiritur niſi corpore & animo, ſuprà lib. 41. Tit. *de Adq. rer. dom.* N. 55. adeòque non poteſt acquiri Titio, qui non habet voluntatem acquirendi. Malim igitur dicere debitorem Liberari nondum quidem ipſo Jure, ſed per exceptionem; cùm pecuniæ dominium non fuerit tranſlatum: transferri verò dominium, quum Titius eamdem pecuniam mihi dederit; cùm, etſi à Titio non domino, tamen voluntate domini debitoris mei traditio fiat. Per hanc autem dominii tranſlationem perficitur Solutio, & incipiet ipſo Jure Liberatus eſſe debitor.

(*f*) *Mandati* erga eum.

(*g*) UTILI actione *Mandati*, ex Conſtitutione Divi Pii. Supple: aut ſi is cui juſſu pupilli ſolutum eſt, creditor pupilli non erat; in tantum pupillus locupletior eſt, in quantum adversùs hunc acquiſivit *Condictionem indebiti*; conſequenter *Utili* actione *Mandati* tenetur eam *Condictionem indebiti* cedere, ei qui pecuniam ipſius juſſu ſolvit.

(*h*) Eſt enim ipſe creditor, non duntaxat procurator; cùm ipſe ſit ſtipulatus.

Source : BIU Cujas

debitorem meum post mortem meam solvere (*a*), non rectè Solvitur: quia mandatum morte dissolvitur. *l.* 108. PAUL. LIB. 2. MANUAL.

Nota. Stricto quidem Jure mortuo creditore desinit posse Solvi ei cui solvi jusserat. Verùm ex æquitate, debitor Liberatur; si is qui solvere jussus est, creditorem mortuum ignoret: l. 32. h. tit. infrà N. 35.

Finitur item mandatum solvendi, creditore in adrogationem dato. Undè Si creditor cujus ignorantis procuratori solutum est, adrogandum se dederit; sive ratum habuit pater, rata Solutio est; sive non habuit, repetere debitor (*b*) potest. *l.* 58. § 1. ULP. LIB. 80. AD EDICT.

XXXI.

Cùm revocatione finiatur mandatum; eâ secutâ non potest ampliùs solvi ei cui creditor Solvi jusserat.

Hinc Proculus. Si quum Cornelius fundum suum nomine Seiæ, viro ejus doti dedisset; nec de eo reddendo quicquam cavisset (*c*); fecit ut inter se vir & Seia pacisc erentur (*d*), ut divortio facto is fundus Cornelio redderetur: non puto, divortio facto, virum vetante Seiâ eum fundum Cornelio tutò redditurum esse. Sicuti si, quum pactum conventum nullum interc essit, divortio facto mulier jussit eum fundum Cornelio reddi; deindè antequàm redderetur, vetuisset; non tutò redderetur. Sed si antequàm Seia vetaret, Cornelio eum fundum reddidisset; nec causam habuisset existimandi id invitâ Seiâ facturum esse: nec melius nec æquius esse existimarem, eum fundum Seiæ reddi (*e*). *l.* 82. PROCUL. LIB. 5. EPISTOLAR.

Ita tamen non potest Solvi procuratori post revocationem mandati, si revocatio innotuerat ei qui solvit.

Hoc passim docent Jurisconsulti. Si Titium omnibus negotiis meis præposuero; deinde vetuero eum, ignorantibus debitoribus, administrare negotia mea: debitores, ei Solvendo, Liberabuntur. Nam is qui omnibus negotiis suis aliquem proponit, intelligitur etiam debitoribus mandare ut procuratori solvant. *l.* 34. § 3. JULIAN. LIB. 54. DIGEST.

Sed & si quis mandaverit ut Titio solvam, deinde vetuerit eum accipere; si ignorans prohibitum eum accipere, Solvam: Liberabor. Sed si sciero, non Liberabor. *l.* 12. § 2. ULP. LIB. 30. AD SABIN.

Simili ratione; servo vel liberto Dispensatori qui ignorante debitore remotus est ab actu, rectè Solvitur. Ex voluntate enim domini ei solvitur; quam si nescit mutatam qui Solvit, Liberatur. *l.* 51. PAUL. LIB. 9. AD ED.

XXXII.

Quod diximus, procuratori revocato Solutionem ab ignorante debitore factam valere, distinctionem quamdam recipit. Hanc notat Africanus. Nimirùm Si debitorem meum jusserim Titio solvere, deinde Titium vetuerim accipere, & debitor ignorans solverit; ita eum Liberari existimavit, si non (*f*) eâ mente Titius nummos acceperit ut eos lucretur. Alioquin, quoniam furtum eorum sit facturus, mansuros eos debitoris; & ideò, Liberationem quidem ipso Jure non posse contingere debitori; exceptione tamen ei succurri æquum esse; si paratus sit Condictionem furtivam, quam adversùs Titium habet, mihi præstare; sicuti servatur, quum maritus uxori donaturus, debitorem suum jubeat solvere (*g*). Nam ibi quoque, quia nummi mulieris non fiunt, debitorem non Liberari: sed exceptione eum adversùs maritum tuendum esse; si Condictionem quam adversùs mulierem habet, præstet. Furti tamen actionem in proposito (*h*), mihi post divortium competituram; quando meâ interfit interceptos nummos non esse. *l.* 38. § 1. AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

XXXIII.

Hactenùs de procuratore cujus revocatio ignorabatur. Quòd Si nullo mandato intercedente, debitor falsò existimaverit voluntate meâ pecuniam se numerare; non Liberabitur. Et ideò procuratori qui se ultrò alienis negotiis offert, solvendo nemo Liberabitur. (*i*) *l.* 34. § 4. JUL. LIB. 54. DIGEST.

Negotiorum gestori qui mandatum non habet, non rectè quidem solvitur quod debetur domino negotii. Id verò quod ex proprio gestoris contractu debetur, rectè ei Solvitur; quamvis ex re domini, & quidem pupilli, debeatur: cùm propriè id debeatur ipsi gestori.

Hinc Scævola. Filiæ intestato patri heredis negotia mater gessit, & res vendendas per argentarios dedit: idque ipsum codice conscriptum est. Argentarii universum redactum venditionis solverunt. Et post Solutionem, novem ferè annis, quidquid agendum erat, nomine pupillæ mater egit; eamque marito nuptum collocavit, & res ei tradidit. Quæsitum est an puella cum argentariis aliquam actionem habet; quando non ipsa stipulata sit pretium rerum quæ in venditione datæ sunt, sed mater? Respondit: Si de eo quæreretur an jure eâ Solutione argentarii Liberati essent; responderi, Jure Liberatos. Claudius (*k*): Subest enim illa ex jurisdictione pendens quæstio, an pretia rerum quæ sciebant esse pupillæ, bonâ fide solvisse videantur matri quæ jus administrationis non habebat. Ideòque si hoc sciebant, non Liberantur: scilicet si mater solvendo non (*l*) sit. *l.* 88. SCÆVOLA LIB. 5. DIGEST.

§ IV.

De Solutione factâ servo aut filiofamilias, ex causâ negotii peculiaris, aut etiam ex causâ negotii dominici vel paterni quod volente domino patre-ve gessit; item, extra has causas, si pro patrefamilias habebatur.

XXXIV.

Filiofamilias aut servo, id quod ex peculiari causâ credidit, solvi potest.

Et quandiù id possit, docet Gordianus sit rescribens: Si quum servus liberam peculii administrationem haberet, mutuam ab eo accepisti pecuniam; eique ante ademptum peculium, vel priusquàm ademptum cognosceres, eam exsolvisti: eâ Solutione Liberatus es. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

Ex eo autem quòd servo rectè solvitur, quandiù ipsi

(*a*) Mendosa lectio, quam Cujacius Observ. I 38. ita restituit: *Ei cui jussi debitorem meum solvere, post mortem meam non rectè solvitur.*

(*b*) Debitor hâc Solutione non erit Liberatus à patre qui in jus creditoris quem adrogavit, successit; adeòque repetet ab eo quondam procuratore, quod ei inutiliter solvit.

(*c*) Quo casu dos soluto matrimonio restituenda est mulieri, non verò extraneo qui eam dedit: ut vid. suprà lib. 24. Tit. *Solut. matrim.* N. 20.

(*d*) Cùm nemo alteri pacisci possit [ut vid. suprà lib. 2. Tit. *de Pactis.* N. 18.] nullum jus ex hâc pactione Cornelio acquiritur; continetque illa duntaxat mandatum solvendi Cornelio, quod potest revocari.

(*e*) Solutio enim quæ facta est Cornelio, liberavit virum à Seiâ; cùm ex mandato Seiæ quod revocatum non erat, solverit.

(*f*) Si Titius bonâ fide accipiat, ignorans se vetitum accipere, cùm meo nomine accipiat, & eâ mente ut eos mihi acquirat, per eum acquiro pecuniæ Solutæ possessionem, & per possessionem hujus dominium: qui igitur eam solvit, ipso Jure liberatur. At si Titius sciat se vetitum accipere, & tamen accipiat ut nummos ipse lucretur; nec mihi eos acquirit, cùm aliâ mente eos accipiat; nec sibi, cùm is qui solvit non eâ mente eos det. Manent igitur

debitoris qui solvit: adeòque, si Juris subtilitatem spectemus, non valet Solutio; cùm non possit valere nisi alienetur quod solvitur, ut videb. infrà. Sed per exceptionem debitor liberaretur; quia non debet decipi per mandatum quod dedi Titio, cujus revocationem ignoravit.

(*g*) Supple; deinde divortio facto revocavi donationem, & tamen is debitor meus hoc ignorans solvit uxori.

(*h*) Scilicet quum mulier post divortium, sciens revocatam donationem esse, accipit nummos à debitore meo: intercipit mihi, animo furandi, nummos quos mihi solvere debitor proponebat; adeòque habeo, non quidem *Condictionem furtivam* cùm nondum fuerim horum dominus, sed actionem *Furti*, quia meâ interest non fuisse mihi interceptos.

(*i*) Disparitas est quòd debitor qui falso procuratori solvit, in culpâ sit; qui inquirere debuit de mandato. At quum mandatum extitit; nulla culpa est debitoris qui mandatum revocatum esse divinare non potuit, sed creditoris qui debitorem non certioravit.

(*k*) Hæc est Nota *Claudii*-Tryphonini ad Scævolam, non arguentis, sed confirmantis tacitam illam Responsi distinctionem *Si de eo quæreretur, &c.*

(*l*) Hoc enim solo casu quo gestor solvendo non esset, solventes ei non liberantur; quia hoc casu decipiendi pupilli consilium participant.

Source : BIU Cujas

aut peculium ademptum non est, aut ignoro ademptum; indè ita Alfenus: Quod servus ex peculio suo credidisset aut deposuisset: id ei, sive vænîsset, sive manumissus esset, rectè Solvi potest: NISI aliqua causa interciderit, ex quâ intelligi possit invito eo cujus tum is servus fuisset, ei solvi. *l.* 35. ALFENUS-VARUS LIB. 2. DIGESTOR. A PAULO EPITOMATORUM.

XXXV.

Neque solùm in peculii causâ; Sed & si quis dominicam pecuniam ab eo (*a*) fœneratus esset; si permissu domini servus negotium dominicum gessisset, idem Juris est. Videtur enim voluntate domini, qui (*b*) cum servo negotium contraheret, & ab eo accipere & ei Solvere. *d. l.* 35. ¶ *sed & si.*

Quoad Solutionem tamen manumisso factam; aliquid interest inter causam peculii, & cætera quæ domini voluntate fiunt aut fieri censentur. Nam Si qui servo pecuniis exigendis præposito Solvisset post manumissionem; si quidem ex contractu domini, sufficiet quòd ignoraverit manumissum: quòd si ex causâ peculiari; quamvis scierit manumissum, si tamen ignoraverit ademptum ei peculium, Liberatus erit. *l.* 18. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Obiter nota. Utroque autem casu, manumissus si intervertendi causâ id fecerit, furtum domino facit. Nam & si debitori meo mandavero ut Titio pecuniam solveret, deinde Titium vetuero accipere; idque ignorans debitor Titio simulanti se procuratorem solverit; & debitor Liberabitur (*c*), & Titius Furti actione tenebitur. *d. l.* 18. ¶ *utroque.*

XXXVI.

Si servus peculiari nomine crediderit; eique debitor, quum ignoraret dominum mortuum esse, ante aditam hereditatem solverit; Liberabitur. Idem Juris erit & si manumisso servo debitor pecuniam solverit, quum ignoraret ei peculium concessum non esse. Neque intererit, vivo an mortuo domino pecunia numerata sit. Nam hoc quoque casu debitor Liberatur. Sicut is qui jussus est à creditore pecuniam Titio solvere, quamvis creditor mortuus fuerit, nihilominùs rectè Titio solvit; si modò ignoraverit creditorem mortuum esse. *l.* 32. JULIAN. LIB. 13. DIGEST.

Circa has porrò Solutiones servo post mortem domini factas, emergit quæstio; an heres possit hoc quod solutum est retinere, ex peculio quod huic servo cum libertate relictum est?

Hâc de re ita disputat Paulus. Dispensatorem meum testamento liberum esse jussi, & peculium ei legavi: is post mortem meam à debitoribus (*d*) pecunias exegit. An heres meus retinere ex peculio ejus quod exegit, possit; quæritur? Et si quidem post aditam hereditatem exegerit pecuniam, dubitari non debet quin de peculio eo nomine retineri nihil (*e*) debeat; quia liber factus incipit debere, si (*f*) Liberantur Solutione debitores. Quum verò ante aditam hereditatem, pecuniam accepit dispensator; si quidem Liberantur debitores ipsâ Solutione, non est dubium quin de peculio id retinendum sit: quia incipit debere (*g*) hic heredi, quasi (*h*) Negotiorum gestorum, vel Mandati actione: si verò non Liberantur (*i*); illa quæstio est, quum negotium meum gerens à debitoribus meis acceperis, deinde ego ratum non habuero, & mox agere velim Negotiorum gestorum actione; an utiliter agam, si caveam te indemnem futurum? Quod quidem ego non puto; nam sublata est Negotiorum gestorum actio, eo quòd ratum non habui, & per hoc debitor mihi (*k*) constituitur. *l.* 62. PAUL. LIB. 8. AD PLAUT.

XXXVII.

Etiam ex causâ negotii non peculiaris, quod citra patris domini-ve voluntatem cum servo filio-ve familias contraxi, rectè ei solvo; si justâ ratione ductus eum patremfamilias credebam.

Hinc in hâc specie: Fugitivus meus, quum pro libero se gereret (*l*), nummos mihi subreptos credidit tibi. Obligari te mihi (*m*) Labeo ait; &, si eum liberum existimans solveris ei, Liberari te à me.

Sed si alii solvisses jussu ejus, vel is ratum habuisset, non Liberari (*n*): quia priore casu (*o*) mei nummi facti essent, & quasi mihi Solutum intelligeretur. Et ideò servus meus, quod peculiari nomine crediderit, exigendo Liberabit (*p*) debitorem: delegando autem (*q*) vel novando, non idem consequeretur. *l.* 19. POMPON. LIB. 21. AD SABIN.

Et quum fugitivus qui pro libero se gerebat, rem vendidisset; responsum est emptores fugitivo solventes, à domino Liberatos non (*r*) esse. *l.* 34. § 5. JULIAN. LIB. 54. DIGEST.

Quod dicimus, eum qui cum servo filio-ve familias quem patremfamilias credebat, contraxit, eique solvit, Liberari; hoc ita obtinet, si justâ ratione ductus hoc credidit; putà quia publicè pro patrefamilias habebatur.

Aliud in herede qui legatum quod ipsi relictum est, solvit. Is enim Liberatur, quomodocumque bonâ fide existimaverit eum patremfamilias.

Enimverò Qui cum alio contrahit, vel est vel debet esse non ignarus conditionis (*s*) ejus. Heredi autem hoc imputari non potest, cùm non spontè cum legatariis contrahit. *l.* 19. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 24. AD SABIN.

§ V.

Quibus facta Solutio non valeat.

XXXVIII.

Præter personas quibus solvi posse præced. §§is. diximus; & adjectos Solutionis gratiâ de quibus Art. seq. cuivis alii Solutio facta non valet.

Hinc Gaius. Solvendo quisque pro alio, licèt invito & ignorante, Liberat eum: quod autem alicui debetur, alius sine voluntate ejus non potest jure exigere. Naturalis enim simul & civilis ratio suasit, alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis & inviti nos facere posse, deteriorem non posse. *l.* 39. *ff. de Negot. gest.* GAIUS LIB. 3. DE VERB. OBLIG.

Nec ideò magis valebit Solutio, quòd is cui solvitur, sit in potestate creditoris; præterquàm his casibus quibus Solutiones ejusmodi personis factas valere diximus.

Igitur & Filiusfamilias patre invito debitorem ejus Liberare non potest. Adquirere enim obligationem potest,

(*a*) Servo.
(*b*) Is *qui.*
(*c*) Non ipso Jure, sed per exceptionem: ut vid. suprà N. 31.
(*d*) Qui rationi dominicæ debebant.
(*e*) Id est, *nihil retineri* opus sit; *quia* cùm jam *liber factus* exegerit, civiliter obligatur *Negotiorum gestorum*: adeòque potest heres meus, etsi retentionem ex peculio omiserit, consequi à manumisso per actionem *Negotiorum gestorum* quod manumissus exegit.
(*f*) Hoc ita, *si debitores* qui solverint, liberati sunt; scilicet quia ignorabant dominum mortuum esse. Nam si eum mortuum esse scientes solverunt, non liberantur ab heredibus: adeòque manumissus qui à debitoribus exegit, obligatur ipsis *Condictione indebiti*, non verò heredi obligatur.
(*g*) Saltem naturaliter obligatur servus heredi ex hâc causâ: quod sufficit ut heres jus retentioni s habeat.
(*h*) Dicit *quasi*: nam ex actu in servitute gesto, servus non tenetur propriè his actionibus; verùm naturaliter obligatur in id quod istis actionibus continetur.
(*i*) Quia scientes mortem solverunt, & heres ratam non habuit Solutionem.
(*k*) Id est, debitor manet qui antè erat.
(*l*) Et talis publicè haberetur.
(*m*) Nam ex contractu servi, jus domino quæritur. Sed supponendum est, te pecuniam acceptam bonâ fide consumpsisse: nec enim obligatio aliter nasci potest, cùm dominium nummorum in te transferre non potuerit: suprà lib. 12. Tit. *de Reb. credit.* N. 10.
(*n*) Nam ex substantiâ Solutionis est; ut pecunia quæ solvitur, fiat creditoris. Porrò pecunia quam non ipsi servo meo, sed alii jussu ejus solvis; non mea fit, sed ejus cui solvis. Priore autem casu quo ipsi servo meo solvis, fit mea.
(*o*) Scilicet quo ipsi servo meo solvisti.
(*p*) Dominus enim qui commisit huic servo habere peculium, velle intelligitur ut in hâc causâ posset credere & ei solvi posset.
(*q*) Vide suprà Tit. *de Novationib.* N. 13.
(*r*) Non liberantur quominùs possit dominus fugitivi rem suam vindicare, quæ apud ipsos extat, & quam fugitivus alienare non potuit. Ex contractu enim venditionis quem dominus fugitivi ratum non habuit, nequidem obligatio pretii adquisita est domino, utpotè qui dominium rei suæ retinet; adeòque nec liberatio potest emptoribus, hujus pretii Solutione, contingere. Ita Cujacius h. l. conciliat cum initio præcedentis.
(*s*) Alioquin sibi debet imputare, quòd voluerit contrahere cum eo quem non satis noverat.

Source : BIU Cujas

diminuere non potest. *l.* 22. ULPIAN. LIB. 45. AD SABIN.

Idem dic de servis. Nam Melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest. *l.* 133. *ff. de Reg. Jur.* GAIUS LIB. 8. AD ED. PROVINC.

XXXIX.

Multòminùs potest solvi marito quod mulieri debetur, aut vice versâ.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Cùm maritum tuum à debitoribus tuis minoris viginti-quinque annis constitutæ, velut ex causâ tibi debiti aliquas accepisse quantitates, nec tamen te consensum accommodasse significes : nullum tibi præjudicium potuit fieri, nisi factam Solutionem post majorem ætatem ratam feceris. *l.* 11. *Cod. h. tit.*

Et quidem licèt dotis nomine solverit marito debitor mulieris ; non ideò magis valebit Solutio, si non voluntate mulieris facta sit. Hinc Scævola : Pater naturalis filiæ suæ, ex testamento mariti ejus, fideicommissi debitor ; quum ea mulier alii nuberet, non mandatu mulieris dotem marito ejus dedit (*a*), & sibi reddi eam stipulatus est, SI sine liberis filia moreretur. Mulier filiam suscepit : quæsitum est an fideicommissum à patre exigere possit ? Respondit ; Si nec ratam habuisset (*b*) dotem datam, superesse fideicommissi (*c*) persecutionem. Idem quæsiit; An, si pater acceptò facere stipulationem (*d*) velit, mulieri persecutio fideicommissorum deneganda sit ? Respondit; Suprà responsum (*e*); eumque patrem de quo quæreretur, si ita dedisset ut mulier ratum haberet, posse condicere (*f*). *l.* 41. § 11. *ff. de Legatis.* 3°. SCÆVOLA LIB. 22. DIGEST.

ARTICULUS IV.

De adjectis Solutionis gratiâ.

XL.

Adjectus Solutionis gratiâ ; is est qui in contractu adjicitur ad hoc duntaxat ut ei solvi possit.

Hinc ita Ulpianus : Interdum tamen & non procuratori rectè solvitur ; ut putà cujus stipulationi nomen insertum est, si quis stipuletur sibi AUT Titio. *l.* 12. § 1. ULP. LIB. 30. AD SABIN.

Circa hos adjectos quæremus 1°. *Quis adjectus Solutionis gratiâ esse videatur, & quæ personæ ita adjici possint :* 2°. *Quàm variè quis Solutionis gratiâ adjici possit :* 3°. *An facultas solvendi adjecto, personam ejus egrediatur ; an vice versâ intrà personam promissoris concludatur :* 4°. *Quandiù huic adjecto solvi possit :* 5°. *Denique, an adjectio Solutionis gratiâ, ad alia porrigatur.*

§ I.

Quis adjectus Solutionis gratiâ esse videatur, & quæ personæ ita adjici possint.

XLI.

Adjectus Solutionis gratiâ videtur, is cujus nomen stipulationi per Particulam disjunctivam inseruit stipulator : nisi tamen is sit cui stipulator poterat stipulando acquirere.

Hinc Papinianus. Quæsitum est an ita stipulari quis possit, MIHI AUT FILIO MEO decem dari, vel ita, MIHI AUT PATRI ? Sed non incommodè potest adhiberi distinctio ; ut filio quidem stipulante, patris tunc (*g*) adjiciatur persona, quum stipulatio ei adquiri non possit : è contrario autem nihil prohibeat, patre stipulante, filii personam adjici (*h*) ; cùm toties quod pater filio stipulatur ; sibi stipulatus intelligitur, quum ipse sibi stipulatus non est. Et in proposito manifestum est, non obligationis (*i*), sed Solutionis gratiâ, filii personam adjectam. *l.* 95. § 5. PAPIN. LIB. 28. QUÆST.

Pariter Julianus. Qui sibi aut filio suo dari stipulatur ; manifestè personam filii in hoc complectitur ut ei rectè solvatur. Neque interest sibi aut extraneo cuilibet, an sibi aut filio suo quis stipuletur : quare ; vel manente in potestate vel emancipato filio rectè solvitur. Neque ad rem pertinet quòd qui filio suo dari stipulatur, sibi adquirit : quia conjunctâ suâ personâ stipulator efficit, ut non adquirendæ obligationis gratiâ, sed Solutionis causâ personam filii adprehendisse intelligatur. *l.* 56. § 2. *ff. de Verb. oblig.* JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

Quòd si soli filio suo qui in potestate suâ sit, dari quis stipulatus sit ; non rectè filio solvetur : quia filii persona, obligationi (*k*) magis quàm Solutioni applicatur. *d. l.* 56. § 3.

XLII.

Non potest autem Solutionis gratiâ adjectus videri, is qui obligationis ei acquirendæ animo in stipulatione comprehensus est, quamvis inutiliter.

Hinc Paulus. Si duo rei stipulandi ita extitissent, ut alter utiliter, alter inutiliter stipularetur ; ei qui non habet promissorem obligatum, non rectè solvitur : quia non alterius nomine ei solvitur, sed suæ obligationis quæ nulla est. Eâdem ratione (*l*) qui Stichum aut Pamphilum stipulatur ; si in unum constiterit obligatio, quia alter stipulatoris erat ; etiamsi defierit ejus esse, non rectè solvitur : quia utraque res ad obligationem ponitur, non ad Solutionem. *l.* 128. *ff. de Verb. oblig.* PAUL. LIB. 10. QUÆST.

XLIII.

De cætero, quælibet personæ adjici Solutionis gratiâ possunt ; etiam pupillus.

Igitur Si stipulatus fuero mihi AUT pupillo dare ; promissor sine tutoris auctoritate solvendo pupillo, Liberabitur à me. *l.* 11. POMPON. LIB. 8. AD SABIN.

An etiam capite minutus adjici possit, videb. infrà §°. 3°.

§ II.

Quàm variè quis adjici Solutionis gratiâ possit.

XLIV.

Adjici Solutionis gratiâ quis potest, non solùm ut ipsi solvi possit illud idem quod in obligationem deductum est ; sed etiam eâ lege ut diversa quantitas, imò ut planè diversa res ei solvi possit.

Hinc V. G. Stipulatus sum decem mihi, aut hominem Titio dari. Si homo Titio datus fuisset, promissor à me Liberatur. Antequàm homo daretur, ego decem petere possum. *l.* 34. § 2. JULIAN. LIB. 54. DIGEST.

Hoc tamen benignè admittitur. Nam stricto Jure, Quum mihi aut Titio stipulor ; dicitur, aliam quidem rem in personam meam, aliam in Titii designari non posse : veluti, mihi decem, aut Titio hominem.

Si verò Titio ea res Soluta sit, quæ in ejus personâ

(*a*) Animo exsolvendi fideicommissi quod filiæ debebat.

(*b*) Mulier. Ergo eo duntaxat casu quo ratam illa habuerit dotem marito datam, convalescit Solutio fideicommissi mulieri debiti ; quia citra voluntatem ejus facta est marito.

(*c*) Quo pater non est Liberatus, solvendo marito pecuniam debitam, citra mulieris voluntatem ; quamvis dotis nomine eam dederit ; quamvis ad eum reverti non debeat, defectu conditionis sub quâ eam sibi reddi stipulatus erat.

(*d*) Hoc enim pater debet esse paratus facere, ut Solutio convalescat. Nec enim convalescere poterit, quandiù pater ex causâ stipulationis repetere potest id quod solvit : infrà Art. 7°.

(*e*) Scilicet patrem non esse Liberatum à fideicommisso.

(*f*) A viro, per Condictionem *Ob rem dati re non secutâ* ; si mulier noluerit ratum habere.

(*g*) Id est ; *Tunc* demùm videri possit adjecta Solutionis gratiâ patris persona, quum stipulatio ex eâ causâ interponitur ex quâ patri per stipulationem filii acquiri non potest ; videlicèt quum ex causâ peculii castrensis filius stipulatur. Cùm enim hoc casu filius non potuerit stipulari patri, consequens est nomen patris in stipulatione adjectum Solutionis duntaxat gratiâ fuisse.

(*h*) Solutionis gratiâ.

(*i*) Id est ; personam filii non eâ mente stipulatione comprehensam, ut promissor filio obligaretur ; cùm pater non possit stipulando acquirere filio. Igitur eâ duntaxat mente adjectam personam filii, ut ei solvi posset.

(*k*) Scilicet ut per filium obligationem sibi acquirat.

(*l*) Vide infrà Art. seq.

Source : BIU Cujas

desìgnata fuerit; licèt ipso Jure non liberetur promissor, per exceptionem tamen defendi possit. *l.* 141. § 5. *ff. de Verb. oblig.* GAIUS LIB. 2. DE VERB. OBLIG.

Hìc autem, quum diversæ quantitates solvendæ desìgnatæ sunt, major in personâ stipulatoris, minor in personâ adjecti; emergit quæstio, an hujus minoris quantitatis Solutione factâ adjecto, debitor intrà eam demùm quantitatem, an penitùs Liberetur?

Hoc pendere ex mente contrahentium, ita docet Paulus. Qui stipulatur sibi aut Titio; si hoc dicit, SI TITIO NON SOLVERIS dari sibi, videtur conditionaliter stipulari: & ideò etiam sic factâ stipulatione, MIHI DECEM AUT QUINQUE TITIO dari? quinque Titio Solutis, Liberabitur reus à stipulatore. Quod ita potest admitti, si hoc ipsum expressìm agebatur; ut quasi pœna adjecta sit in personâ stipulantis, si Titio Solutum non esset. At ubi simpliciter SIBI AUT TITIO stipulatur; Solutionis tantùm causâ adhibetur Titius: & ideò quinque ei Solutis, remanebunt reliqua quinque in obligatione.

Contrà si mihi quinque, illi decem stipulatus sim; quinque Titio Solutis, non facit conceptio stipulationis (*a*) ut à me Liberetur. Porrò si decem solverit, non quinque repetet; sed mihi per Mandati actionem, decem (*b*) debebuntur. *l.* 98. § 5. PAUL. LIB. 15. QUÆST.

XLV.

Quemadmodum diversæ res aut quantitates in personis creditoris & adjecti desìgnari possunt; ita diversa etiam Solutionis loca desìgnari posse, docet Paulus.

Putà Mihi Romæ, aut Ephesi Titio dari stipulor. An solvendo Titio Ephesi, à me Liberetur, videamus? Nam si diversa facta sunt, ut Julianus putat (*c*); diversa res est (*d*). Sed cùm prævalet causa dandi (*e*), Liberatur. Liberaretur enim, & si mihi Stichum, illi Pamphilum dari stipulatus essem; & Titio Pamphilum solvisset (*f*).

At ubi merum factum stipulor; putà insulam in meo fundo ædificari, aut in Titii loco; numquid, si in Titii loco ædificet; non contingat Liberatio? Nemo (*g*) enim dixit, facto pro facto Soluto Liberationem contingere. Sed verius est, Liberationem contingere; quia non factum pro facto Solvere videtur, sed (*h*) electio promissoris completur. *d. l.* 98. § 6.

XLVI.

Tempora verò diversa desìgnari posse; veluti mihi Kalendis Januariis, aut Titio Kalendis Februariis? Imò etiam citeriorem diem in Titii personam conferri posse; veluti, mihi Kalendis Februariis, Titio Kalendis Januariis? Quo casu talem esse stipulationem intelligemus; si Titio Kalendis Januariis non dederis, mihi Kalendis Februariis dare spondes? *l.* 141. § 6. *ff. de Verb. oblig.* GAIUS LIB. 2. DE VERB. OBLIG.

Denique Mihi dare decem purè, aut Titio Kalendis vel sub conditione; aut mihi Kalendis Januariis, Titio Februariis, utiliter stipulor. Quòd si mihi Kalendis Februariis, Titio Kalendis Januariis; potest dubitari. Sed rectiùs dicitur, utiliter stipulatum. Nam cùm in diem sit ea quoque obligatio, etiam mihi solvi potest ante Februarias; igitur & illi solvi poterit. *sup. d. l.* 98. § 4.

XLVII.

Sed rursùs; mihi quidem purè, AUT Titio sub conditione stipulari possùm.

Contrà verò, si mihi sub conditione AUT Titio purè; inutilis erit tota stipulatio, nisi in meam personam conditio extiterit: scilicet quia, nisi quod ad me vim acceperit obligatio, adjectio nihil potest valere. Hoc tamen ita demùm tractari potest, si evidenter apparet purè Titii persona adjecta. Alioquin, quum ita stipulor: Si navis ex Africâ venerit, mihi aut Titio dari spondes? Titii quoque persona sub eâdem conditione adjici videtur. *sup. d. l.* 141. § 7. *ff. de Verb. oblig.*

Ex hoc apparet; si diversa conditio in meam personam, diversa in Titii posita sit; nec in meam personam, extiterit conditio; totam stipulationem nullius momenti futuram. Extante verò meâ conditione, si quidem Titii quoque conditio extiterit, poterit vel Titio solvi; si verò in illius personâ defecerit, quasi non adjectus habebitur. *d. l.* 141. § 8.

Obiter nota. Ex his omnibus apparet, licèt alterius persona non rectè adjiciatur, non ideò minùs in nostrâ personâ utiliter procedere stipulationem. *d. l.* 141. § 9.

§ III.

An facultas Solvendi adjecto, personam ejus egrediatur; an vice versâ, intra promissoris personam concludatur.

XLVIII.

Facultas Solvendi adjecto, personam ejus non egreditur.

Hinc 1°. Si stipulatus sim mihi AUT Titio dari; si Titius decesserit, heredi ejus solvere non poteris. *l.* 81. POMPON. LIB. 6. AD Q. MUCIUM.

Et alibi: Quum quis sibi AUT Titio dari stipulatus est; soli Titio, non etiam successoribus ejus rectè solvitur. *l.* 55. *ff. de Verb. oblig.* JULIAN. LIB. 36. DIGEST.

Hinc 2°. *quum* Stipulatus sum mihi AUT Sticho servo Sempronii solvi; Sempronio solvi non potest, quamvis dominus servi sit. *l.* 9. ULP. LIB. 24. AD SABIN.

XLIX.

3°. *Cùm facultas Solvendi adjecto, ejus personam non egrediatur; hinc etiam quæritur, an ejus tutori aut curatori solvi possit?*

Ad hanc quæstionem, simul & ad solutionis speciem de quâ mox diximus servo aut domino factæ, ita Papinianus. Nam si furiosi vel pupilli persona adjecta sit; ita tutori vel curatori pecunia rectè dabitur, si (*i*) conditionis quoque implendæ causâ rectè pecunia tutori vel curatori datur. Quod quidem Labeo & Pegasus putaverunt, utilitatis causâ recipiendum. Idque ita recipi potest, si pecunia in rem vel pupilli vel furiosi versa est. Quomodo si domino jussus dare, servo dedisset ut domino daret.

Cæterùm qui servo dare jussus est, domino dando non aliter impleviſse conditionem intelligendus est quàm si ex voluntate servi dedit. Idem respondendum est in Solutione; si stipulante Sempronio sibi AUT Sticho Mævii servo decem dari, debitor Mævio domino pecuniam solverit. *l.* 95. § 7. PAPIN. LIB. 28. QUÆST.

L.

Ex regulâ quam statuimus, facultatem solvendi adjecto personam ejus non egredi; sequitur 4°. *Hanc facultatem cessare si capite minuatur: desinit enim esse eadem persona.*

Hinc apertè Africanus, Quum quis sibi aut Titio dari stipulatus sit, magis esse ait, ut ita demùm rectè Titio solvi dicendum sit, si in eodem statu maneat quo fuit

(*a*) Id est: nulla ratio ex modo quo concepta est stipulatio, potest hoc casu excogitari; ut qui quinque Titio solvit, videatur liberatus.

(*b*) Ab adjecto scilicet, cui ex mandato meo soluta sunt. In specie hujus ¶i perindè est ac si dixisset: *Decem mihi promittis, quorum quinque aut mihi aut Titio, reliqua quinque nonnisi Titio solves.*

(*c*) Et rectè. Nam diversum factum est, dare Romæ: diversum, dare Ephesi.

(*d*) Porrò [ut vid. suprà] si subtilitatem Juris spectemus, diversæ rei Solutio adjecto facta, quamvis ex lege stipulationis, tamen non valet.

(*e*) Id est; verùm neglectâ hâc subtilitate [cui debet *prævalere* lex dicta in stipulatione, ut Solutio sic fieri posset]; dicendum est eum qui ita solvit, Liberari; scilicet per exceptionem *Pacti* aut *Doli*.

(*f*) Ut modò suprà vidimus.

(*g*) Ratio dubitandi.

(*h*) Hìc ratio decidendi; & sensus est: Quum promissor in loco Titii ædificat; adimpletur pactum in stipulatione appositum, quo promissori relicta est hæc electio. Porrò æquum est pacta servari, & hæc æquitas debet subtilitati Juris præponderare.

(*i*) Sensus est: Hæc quæstio, an tutori curatori-ve [quum pupillus aut furiosus adjecti sunt Solutionis gratiâ] rectè solvatur, pendet ex eo quod respondetur in alterâ. Nimirùm in specie in quâ conditio DANDI posita est in personâ pupilli; putà, Titius heres scriptus est SI Caio [qui pupillus est] *decem dederit*: receptum est ut rectè posset dari tutori, & per hoc conditio impleretur. Ergo à pari in specie præsenti, in quâ pupillus adjectus est Solutionis gratiâ, admitti quoque debet ut tutori pupilli rectè solvatur.

Source : BIU Cujas

quum ſtipulatio interponeretur. Cæterùm ſive in adoptionem ſive in exilium ierit, vel aquâ & igni ei interdictum, vel ſervus factus ſit; non rectè ei ſolvi dicendum. Tacitè enim ineſſe hæc conventio ſtipulationi videtur, ſi in eâdem causâ maneat. *l.* 38. AFRICANUS LIB. 7. QUÆSTION.

De eo igitur qui jam tempore ſtipulationis capite minutus eſſet, rectè monet Cujacius accipiendum eſſe quod Papinianus ait : Uſumfructum mihi aut Titio dari ſtipulatus ſum. Titio capite deminuto (*a*), facultas ſolvendi Titio non intercidit : quia & ſic ſtipulari poſſumus, mihi aut Titio QUUM CAPITE MINUTUS ERIT DARI. *ſup. d. l.* 95. §6.

L I.

Facultas autem Solvendi adjecto, non concluditur perſonâ promiſſoris ; ſed ad omnes qui ſolvere poſſunt, porrigitur.

Hinc ait Paulus ; Et ſi à filiofamilias mihi AUT Titio ſtipulatus ſim, patrem poſſe Titio ſolvere quod in peculio eſt ; ſcilicet (*b*) ſi ſuo, non filii nomine ſolvere velit. Dum enim adjecto ſolvitur, mihi ſolvi videtur. Et ideò ſi indebitum (*c*) adjecto ſolutum ſit, ſtipulatori poſſe condici Julianus putat. Ut nihil interſit, jubeam te Titio ſolvere, an ab initio ſtipulatio ita concepta ſit. *l.* 59. ¶ *& ſi à filio.* PAUL. LIB. 2. AD PLAUT.

§ IV.

Quandiù adjecto ſolvi poſſit.

L II.

Si ita ſtipulatus ſim, MIHI AUT TITIO dare ſpondes ? & debitor conſtituerit ſe mihi Soluturum : quamvis mihi competat DE Conſtitutâ actio, poteſt adhuc (*d*) adjecto ſolvere. *d. l.* 59. *pr.*

Imò huic adjecto ſolvi poteſt, etiam quum pars jam creditori ſoluta eſt.

Hinc Celſus. Quum decem mihi AUT Titio dari ſtipulatus, quinque accipiam ; reliquum promiſſor rectè Titio dabit. *l.* 71. CELSUS LIB. 27. DIGEST.

L III.

Igitur Aliud eſt, jure ſtipulationis Titio Solvi poſſe, aliud poſtea permiſſu meo id contingere. Nam cui jure ſtipulationis rectè ſolvitur, ei etiam prohibente me rectè ſolvi poteſt. Cui verò alias permiſero ſolvi, ei non rectè ſolvitur ; ſi priuſquàm ſolveretur, denuntiaverim promiſſori ne ei ſolveretur. *l.* 106. GAIUS LIB. 2. DE VERB. OBLIGAT.

Hoc diſcrimen notat etiam Ulpianus. Alia cauſa eſt, ſi mihi proponas ſtipulatum aliquem ſibi AUT Titio. Hic enim etſi prohibeat me Titio ſolvere, ſolvendo tamen liberabor : quia certam conditionem habuit ſtipulatio, quam immutare non potuit ſtipulator. *l.* 12. § 3. ULP. LIB. 30. AD SABIN.

L IV.

Deſinit autem adjecto ſolvi poſſe, lite conteſtatâ. Undè idem Ulpianus : Item ſi mihi AUT Titio ſtipulatus fuero dari, deindè petam ; ampliùs Titio ſolvi non poteſt ; quamvis ante litem conteſtatam poſſet. *l.* 57. § 1. IDEM LIB. 77. AD ED.

§ V.

An adjectio Solutionis gratiâ, ad alia præter facultatem Solutionis porrigatur.

L V.

Adjectio Solutionis gratiâ, ad alia non porrigitur. Undè Quod ſtipulatus ita ſum MIHI AUT TITIO, Titius nec petere nec novare nec acceptum facere poteſt ; tantùmque ei Solvi poteſt. *l.* 10. PAUL. LIB. 4. AD SABIN.

Adjectum Solutionis gratiâ nil poſſe præterquàm Solutum accipere, liquebit etiam ex ſpecie ſequenti. Callimachus mutuam pecuniam nauticam accepit à Sticho ſervo Seii in provinciâ Syriâ, civitate Beryto (*e*), uſque Brenteſium (*f*) : idque creditum eſſe in omnes navigii dies (*g*) ducentos ; ſub pignoribus & hypothecis ; mercibus à Beryto comparatis, & Brenteſium perferendis, & quas Brenteſio empturus eſſet ; & per navem Beryto invecturus. Convenitque inter eos, uti quum Callimachus Brenteſium perveniſſet, indè intrà Idus Septembres (*h*) quæ tunc proximæ futuræ eſſent, aliis mercibus emptis, & in navem miſſis, ipſe in Syriam per navigium proficiſcatur ; aut ſi intrà diem ſuprà ſcriptam non reparaſſet merces, nec enavigaſſet de eâ civitate, redderet univerſam continuò pecuniam quaſi perfecto navigio ; & præſtaret ſumptus omnes proſequentibus eam pecuniam, ut in Urbem Romam eam deportarent. Eaque ſic rectè dari fieri fide, roganti Sticho ſervo Lucii-Titii promiſit Callimachus. Et quum ante (*i*) Idus ſuprà ſcriptas, ſecundùm conventionem (*k*) mercibus in navem impoſitis cum Herote conſervo Stichi, quaſi in provinciam Syriam perventurus enavigavit : quæſitum eſt nave ſubmersâ, cùm ſecundùm cautionem Callimachus merces Beryto perferendas in navem miſiſſet, eo tempore quo jam pecuniam Brenteſio reddere Romæ perferendam deberet ; an nihil proſit Herotis conſenſus qui cum eo miſſus erat, cui-que nihil ampliùs de pecuniâ ſuprà ſcriptâ poſt diem conventionis permiſſum vel mandatum erat, quàm ut eam receptam Romam perferret ; & nihilominùs actione Ex ſtipulatu Callimachus de pecuniâ domino Stichi teneatur ? Reſpondit, Secundùm ea quæ proponerentur, teneri (*l*).

Item quæro ; Si Callimacho poſt diem ſuprà ſcriptam navigante, Heros ſuprà ſcriptus ſervus conſenſerit ; an actionem domino ſuo ſemel acquiſitam adimere potuerit ? Reſpondit, Non potuiſſe. Sed fore exceptioni locum, ſi ſervo (*m*) arbitrium datum eſſet eam pecuniam quocumque tempore in quemvis locum reddi. *l.* 122. § 1. *ff. de Verb. oblig.* SCÆVOLA LIB. 28. DIGEST.

(*a*) Tempore ſtipulationis. Nec placet quod Donellus ſcribit ; in ſpecie hujus legis ; capitis deminutionem Titii poſt ſtipulationem quidem accidiſſe ; ſed ſingulare eſſe in uſufructu, ut capitis deminutione adjecti, non perimatur facultas ei ſolvendi.

(*b*) Nam ſi filii nomine ſolveret, non poſſet ſolvere niſi totum quod debetur.

(*c*) Putà ; promiſi tibi aut Titio ſolvere decem, quæ mutua à te accipere ſperabam nec accepi.

(*d*) Contrarium ſtatuitur in l. 8. ff. *de Conſtit. pecun.* ſuprà lib. 13. *d. tit.* N. 24. An dicemus poſſe quidem ſolvi ex causâ prioris obligationis ; ita tamen ut maneat obligatio *Conſtitutæ pecuniæ ?* An cum Pacio dicemus, fingendum in hâc ſpecie, fuiſſe conſtitutum in continenti ; & ideò Solutionis gratiâ adjectum intelligi etiam ineſſe conſtituto, eique poſſe ſolvi : ſecùs, quum ex intervallo. Ita quoque Struvius.

(*e*) Urbe Phœniciæ littorali ; poſtea ſub Imperatoribus Conſtantinopolitanis, præſertimque Juſtiniano ipſo, Academiâ Juris Florentiſſimâ.

(*f*) Oppido, in territorio Bononienſi.

(*g*) Uſuræ nauticæ conſtituebantur, non ut cæteræ in ſingulos menſes, ſed in ſingulos navigationis dies.

(*h*) Hoc ita convenit, ut creditor evitaret periculum quod poſt Idus Septembres à mari ſummum imminet.

(*i*) Alciatus rectè cenſet legendum *non ante.* Hoc apertè colligitur ex eo quod infrà dicit Scævola, Callimachum miſiſſe merces in navim *eo tempore quo jam reddere pecuniam debebat* : atqui non debebat reddere niſi *Idibus Septembribus.*

(*k*) Quam cum ſervus Herote, adjecto Solutionis gratiâ, habuit ; quâ Heros propriâ auctoritate prorogavit Callimacho tempus proficiſcendi.

(*l*) Ratio eſt ; quia facultas data ut Heroti ſolvi poſſet, ad alia non porrigitur. Unde non potuit prorogare Callimacho tempus proficiſcendi.

(*m*) Id eſt, ita demùm ſi ſervo permiſit dominus arbitrium prorogandi terminum.

ARTICULUS V.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS V.

An & quando Solutio, ei cui non oportuerat facta, convaleſcat.

Solutio ei cui non oportuerat facta, convaleſcit certis caſibus.

§ I.

De ratihabitione creditoris.

L V I.

Si ego hâc mente pecuniam procuratori dem, ut ea ipſa creditoris fieret; proprietas quidem per procuratorem non adquiritur: poteſt tamen creditor etiam invito me ratum habendo, pecuniam ſuam facere; quia procurator in accipiendo, creditoris duntaxat negotium geſſit. Et ideò creditoris ratihabitione Liberor. *l.* 4. *ff. de Negot. geſt.* PAUL. LIB. 24. AD ED.

Pariter : Sed & ſi non vero procuratori Solvam, ratum autem habeat dominus quod Solutum eſt; Liberatio contingit. Rati enim habitio mandato comparatur. *l.* 12. § 4. ULP. LIB. 30. AD SABIN.

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Invito vel ignorante creditore; qui ſolvit alii, ſe non Liberat obligatione. Quòd ſi hoc vel mandante, vel ratum habente eo fecerit; non minùs Liberationem conſequitur, quàm ſi eidem creditori Solviſſet. *l.* 12. *Cod. h. tit.*

L V I I.

Nota; Solutionem ratihabitione ita convaleſcere, ut ab initio efficax fuiſſe retrò intelligatur.

Hinc 1°. Si fidejuſſor procuratori creditoris Solvit, & creditor poſt tempus quo liberari fidejuſſor (*a*) poterit, ratum habuit: tamen quia fidejuſſor, quum adhuc ex causâ fidejuſſoris teneretur, ſolvit; nec repetere poteſt; nec minùs agere adversùs reum MANDATI poteſt, quàm ſi tum præſenti (*b*) dediſſet. *l.* 71. § 1. CELSUS LIB. 27. DIGEST.

Hinc 2°. Et ſi duo rei ſtipulandi ſunt, quorum alterius abſentis procuratori datum, antequàm is ratum haberet, interim alteri ſolutum eſt; in pendenti (*c*) eſt poſterior Solutio, ac prior: quippè iucertum eſt, debitum, an indebitum exegerit. *l.* 58. § 2. ULPIAN. LIB. 80. AD ED.

Hinc 3°. Item ſi ignorans creditor procuratori ſuo Solutum, ſervo debitoris filio-ve acceptum fecerit; poſtea autem reſcierit, & ratum habuerit: confirmetur (*d*) Solutio; & quod acceptum latum ſit, nullius momenti eſt. Et contrà, ſi ratum non habuerit; quod acceptum fecerit, confirmatur. *d. l.* 71. § 2.

Hinc 4°. Sed ſi ignorans Solutum, litem conteſtatus eſt: ſi pendente judicio ratum habuit, abſolvi oportet illum cum quo actum eſt; ſi ratum non habuit, condemnari. *d. l.* 71. § 3.

L V I I I.

Hîc emergit quæſtio quam ſibi proponit Julianus. Poſtquàm enim quæſivit, Si quis offerenti ſe negotiis alienis bonâ fide ſolverit, quando liberetur? & ait Julianus, quum dominus ratum habuerit, tunc Liberari: idem ait; Antequàm dominus haberet ratum, an Condici ex eâ causâ poſſit? Et ait Julianus, Intereſſe quâ mente Solutio facta eſſet; utrùm ut ſtatim debitor Liberetur, an verò quum dominus ratum habuiſſet. Priore caſu, confeſtim poſſe Condici procuratori; & tunc demùm extingui Condictionem, quum dominus ratum habuiſſet: poſteriore, tunc demùm naſci Condictionem quum dominus ratum non habuiſſet (*e*) *l.* 58. ULP. LIB. 80. AD ED.

Item Ulpianus ipſe. Quòd ſi fortè quis ita ſolvit, ut niſi ratum habeatur, Condicat; ſi dominus Solutionem ratam non habuerit, Condictio ei qui ſolvit competit. *l.* 14. ULP. LIB. 30. AD SABIN.

Ratum autem habere dominus debet, quum primùm certior factus eſt. Sed hoc EN ΠΑΑΤΕΙ [*id eſt, cum laxamento & amplitudine*] & cum quodam ſpatio temporis accipi debet: ſicut in legato, quum de repellendo (*f*) quæreretur, ſpatium quoddam temporis adſumitur, nec minimum, nec maximum; & quod magis intellectu percipi, quàm ex locutione exprimi poſſet. *l.* 13. JULIAN. LIB. 54. DIGEST.

§ I I.

De aliis quibuſdam caſibus, quibus Solutio convaleſcit.

L I X.

Per ratihabitionem de quâ modò locuti ſumus, Solutio ipſo Jure convaleſcit. Sunt autem alii caſus in quibus ſaltem per exceptionem convaleſcit; putà, quum Solutum in rem creditoris verſum eſt.

Igitur Debitores ſolvendo ei qui pro tutore negotia gerit, liberantur (*g*) ſi pecunia in rem pupilli pervenit. *l.* 28. PAUL. LIB. 38. AD ED.

Item Si prædo id quod à debitoribus hereditariis exegerat, petenti hereditatem reſtituerit; debitores Liberabuntur. *l.* 34. § 9. JULIAN. LIB. 54. DIGEST.

L X.

Convaleſcit quoque Solutio; quum is cui facta eſt, poſtea in jus ccreditoris ſuccedit.

Hinc Papinianus. Quum inſtitutus deliberaret, ſubſtituto pecunia per errorem Soluta eſt. Ad eum hereditate poſtea devolutâ, cauſa Condictionis evaneſcit: quæ ratio facit, ut obligatio debiti ſolvatur. *l.* 96. § 4. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

ARTICULUS VI.

Quid Solvi debeat, ubi, & quando.

§ I.

Hoc quod ipſum debetur, Solvendum eſſe. An etiam pars, aut aliud pro alio, Solvi poſſit.

L X I.

Hoc ipſum quod debetur ſolvi debere, ita intelligendum eſt ut ſolidum ſolvatur.

Regulariter enim cogi non poteſt creditor partem accipere. Undè Quidam exiſtimaverunt; Neque eum qui decem peteret $\frac{4}{5}$ ($\frac{1}{5}$), cogendum quinque accipere, & reliqua perſequi: neque eum qui fundum ſuum diceret (*i*), partem duntaxat judicio perſequi (*k*). Sed in utrâque causâ humaniùs facturus videtur Prætor, ſi actorem compulerit ad accipiendum id quod offeratur; cùm ad

(*a*) Putà, quia fidejuſſerat eâ lege ut intra certum tempus duntaxat tenetur.

(*b*) Ergo Solutio valet ex die quo facta eſt. Nec enim poſſet valere ex die ratihabitionis: indebitum enim ſolviſſet, utpotè jam tempore liberatus; & ideò non potuiſſet agere *Mandati* adversùs reum, cùm hæc actio non poſſit ei competere niſi Solutio valuerit & reum liberaverit.

(*c*) Nam ſi creditor priorem Solutionem ratam habeat, non valebit poſterior: videbitur enim in poſteriori Solutione id veniſſe quod jam deberi deſierat. Contrà, valebit poſterior; ſi priorem ratam non habuerit creditor.

(*d*) Ex die quo facta eſt. Nam ex die ratihabitionis non poſſet valere, cùm per acceptilationem deſiiſſet deberi.

(*e*) Scilicet quum conſtitutus eſt in morâ.

(*f*) Putà; quum heres damnatus eſt dare penum; &, ſi penum non dederit, decem: ſi quæratur quando debeat dare penum, ut à ſe *repellat* legatum decem, ſeu ut non committatur legatum decem; ita intelligendum eſt ut non ipſo inſtanti, ſed intra modicum tempus dare debeat.

(*g*) Per exceptionem *Doli.* Dolo enim faceret pupillus, qui vellet cum eorum detrimento locupletari.

(*h*) Quum reus contrà contenderet, ſe quinque duntaxat debere.

(*i*) Quum reus contrà contenderet, fundum pro parte duntaxat eſſe actoris.

(*k*) Et alteram partem accipere.

Source : BIU Cujas

officium ejus pertineat, lites diminuere. *l.* 21. *ff. de Reb. cred.* JULIAN. LIB. 48. DIGEST.

Cùm porrò regulariter creditor non cogatur accipere, ſi debitor minùs eo quod debetur ſolvere velit; hinc quæritur, quando minus ſolvere videatur.

Et Calliſtratus: Solidum non ſolvitur, non minùs quantitate quàm die. *l.* 85. CALLISTRAT. LIB. I. EDICTI MONITORII.

Videtur itaque minùs ſolvere, etiam ſortem integram offerens; ſi uſuras quæ ex morâ exigi poſſunt, non offerat. Hoc eſt quod ſignificat Ulpianus, quum ait: MINUS ſolvit, qui tardiùs ſolvit: nam & tempore minùs ſolvitur. *l.* 12. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 7. AD ED.

At ſi quis offerat totum quod ab ipſo exigi poteſt; licèt præterea quid naturaliter debeat, putà uſuras nudo pacto in contractu ſtricti Juris promiſſas; creditor tenetur accipere. Enimverò Non poteſt videri minùs ſolviſſe, is in quem amplioris ſummæ actio non competit. *l.* 117. *ff. de Verb. ſignif.* JAVOLEN. LIB. 9. EPISTOL.

Sed & totum quod ex unâ causâ debetur & offertur, accipere tenetur creditor; nec neceſſe eſt ei offerri quod ex aliis cauſis ei deberetur.

Hinc Scævola. Primi creditoris qui pignori prædia acceperat, & poſterioris cui quidam ex iiſdem fundis dati erant, ad eamdem perſonam hereditas devenerat. Debitor offerebat quantùm à poſteriore creditore mutuatus fuerat. Reſpondit, Cogendum accipere; ſalvo jure pignoris prioris contractûs. *l.* 15. *ff. Quib. mod. pign. ſolv.* SCÆVOLA LIB. 6. DIGEST.

LXII.

Quòd ſi Solutio partis invito creditore non admittitur, multò magis aliud pro alio invito creditore ſolvi non poteſt.

Hinc Paulus libro quarto Reſponſorum reſpondit:

Creditorem (*a*) non eſſe cogendum in aliam formam nummos accipere, ſi ex eâ re damnum aliquod paſſurus ſit. *l.* 99. PAUL. LIB. 4. RESPONS.

Hinc Diocletianus & Maximianus: Eum à quo mutuam ſumpſiſti pecuniam, in Solutum nolentem ſuſcipere nomen debitoris tui, compelli Juris ratio non permittit. *l.* 16. *Cod. h. tit.*

Hinc quoque Si, quum aurum tibi promiſiſſem, ignoranti (quaſi aurum) æs Solverim; non Liberabor. Sed nec repetam hoc quaſi indebitum (*b*) Solutum, quòd ſciens feci. Petentem tamen te aurum, exceptione ſummovebo; ſi non reddas æs quod accepiſti (*c*). *l.* 50. PAUL. LIB. 10. AD SABIN.

LXIII.

Obſerva; Genere debito, videri ſolvi hoc ipſum quod debetur, quum quævis ſpecies hujus generis ſolvitur: modò tamen ea ſit ſpecies quæ creditori auferri nequeat, & de quâ liberè diſponere poſſit.

Hinc V. G. Promiſſor ſervi; eum debet hominem Solvere, quem (ſi velit) ſtipulator poſſit ad libertatem perducere. *l.* 72. § *fin.* MARCELL. LIB. 20. DIGEST.

Cæterùm, quantùmlibet vilis ſpecies ſolvi poteſt. Hinc Marcellus, poſtquàm negavit ſtatuliberum aut noxium ſervum poſſe ſolvi; ita quærit: Num ergo & ſi viſpellionem (*d*) aut aliàs turpem dederit hominem, idem ſit? Et ſanè datum negare non poſſumus. Sed differt hæc ſpecies à prioribus: habet enim ſervum qui ei auferri non poſſit. *d. l.* 72. § 5.

LXIV.

Cùm non conſiſtat Solutio niſi in eâ re quæ in obligationem deducta eſt; ergo non conſiſtet in eâ re quæ ne deduci quidem potuit.

Hinc in ſpecie ſequenti; Stichum aut Pamphilum ſtipulatus ſum, quum eſſet meus Pamphilus: nec ſi meus eſſe deſierit, Liberabitur promiſſor Pamphilum dando. Neutrum enim videtur in Pamphilo homine conſtitiſſe, nec obligatio, nec Solutio. *d. l.* 72. § 4.

Nota. Sed ei qui HOMINEM dari ſtipulatus eſt; unum (*e*) etiam ex his qui tunc ſtipulatori ſervierant dando, promiſſor Liberatur. Vi quidem ipsâ, & hic ex his dari ſtipulatus eſt qui ejus non erat (*Meliùs fortè* erant): fingamus ita ſtipulatum « HOMINEM ex his » quos Sempronius reliquit, dare ſpondes? » quum tres Sempronius reliquiſſet; eorumque aliquem ſtipulatoris fuiſſe. Num mortuis duobus qui alterius erant, ſupererit ulla obligatio, videamus? Et magis eſt deficere ſtipulationem; niſi ante mortem (*f*) duorum, deſierit eſſe reliquus ſervus ſtipulatoris. *d.* § 4. ¶ *ſed ei qui.*

LXV.

Diximus non poſſe aliud quàm quod debebatur, ſolvi. Si tamen illud creditor volens in Solutum accepit, debitor per exceptionem DOLI *Liberabitur.*

Enimverò Manifeſti Juris eſt, tam alio pro debitore ſolvente, quàm rebus pro numeratâ pecuniâ conſentiente creditore datis, tolli paratam obligationem. *l.* 17. *Cod. h. tit.* DIOCLET. ET MAXIM.

Idem docet Scævola: cum hâc tamen limitatione, ut ſi hâc in re Minor creditor captus ſit: ei ſit ſubveniendum. Ita ille: Tutor decedens aliis heredibus ſcriptis, pupillo ſuo cujus tutelam geſſit, tertiam partem bonorum dari voluit; Si heredibus ſuis tutelæ causâ controverſiam non fecerit, ſed eo nomine omnes Liberaverit. Pupillus legatum prætulit (*g*); & poſtea nihilominus petit quidquid ex diſtractione, aliâ-ve causâ, ad tutorem ſuum ex tutelâ pervenerit; quæro an verbis teſtamenti, ab his exactionibus excludatur? Reſpondit: Si priuſquàm conditioni pareret, fideicommiſſum percepiſſet, & pergeret petere id in quo contra conditionem faceret; Doli mali exceptionem obſtaturam: niſi paratus eſſet, quod ex causâ fideicommiſſi percepiſſet, reddere. Quod ei ætatis beneficio indulgendum eſt. *l.* 26. *ff. de Liberat. leg.* SCÆVOLA LIB. 4. RESPONS.

Sed & Majori ſubvenitur, qui aliam rem volens accipit; ſi dolus ſolventis intervenerit. V. G. Sed & ſi quis per dolum pluris æſtimatum fundum, in Solutum dederit; non Liberatur: niſi id quod deeſt, repleatur. *l.* 46. § 2. MARCIAN. LIB. 3. REGULAR.

LXVI.

Interdum autem & invito creditori aliud pro alio poteſt ſolvi; ſcilicet ſi ita lex in contrahendo dicta fuerit: modò tamen ante litem conteſtatam id ſolvatur.

(*a*) Ita Vulgata & Haloand. quam lectionem, utpotè etiam auctoritate Baſilicon ſubnixam, ultrò prætuli Florentinæ *Debitorem.* Hanc ultimam tamen tuetur Bynkershoeck Obſerv. I. 6. *Debitorem* hìc accipiendo pro eo qui debiturus eſt, qui nempè nummos mutuos rogavit. Senſumque legis hunc eſſe; ut, ſi ei offerantur nummi alterius formæ quàm cujus eos rogavit, impunè recuſare eos poſſit; ſcilicet ſi quid ipſius interſit eos ejuſdem formæ accipere: cùm contrà, ſi vel ejus non intereſſet, vel ejuſdem formæ offerrentur, non cogeretur quidem accipere; ſed ſaltem teneretur in id quod fœneratoris intereſſet nummos corrogaſſe, nec erogaſſe. Planior per omnia nobis videtur Vulgatæ lectionis ſenſus; nec naturæ *Mutui* adverſari, ut CREDITOR aliam nummorum formam accipere non teneatur. Etſi enim in Mutuo id Juris ſit, ut res *Genere* duntaxat non *Specie* eadem reddatur; ejuſdem tamen *Qualitatis* rem reddere tenetur debitor. Porrò non jam eadem rei *Qualitas*, ſi alia ſit nummorum forma ex quâ creditor DAMNUM ALIQUOD PASSURUS SIT. Quod ultimum ſanè, appoſitè omninò dictum. Non enim ſimpliciter negatur pecuniam alterâ formâ, Argentum putà pro Auro, poſſe ſolvi: ſed ſi forma talis deprehendatur, ut ex eâ damnum ſentiat creditor; ut ſi ea moneta ſolvatur quæ eò loci quò eam adſportaturus eſt, non ſit in commercio.

(*b*) Reverâ tamen iſtud æs *indebitum* ſolvi, ſi quidem æs non debeham; & ejus Solutio non valet, nullamque mihi liberationem parit. Sed ideò non repeto, quia dolo illud ſolvi: meus autem dolus actionem mihi parere non poteſt.

(*c*) Nam ſi dolo feci quum æs ſolvi: tu pariter dolo facis quum vis aurum habere, nec illud æs reddere. In pari autem causâ doli, potior eſt is qui excipit.

(*d*) *Porteur de corps morts.* Vide ſuprà lib. 36. Tit. *ad SC. Trebell.* N. 97. Not. (*n*).

(*e*) Contrarium affirmat Papinianus in l. 66. § 3. ff. *de Legatis* 2°. ſuprà, Tit. *de Legatis* N. 134. Undè veram hìc antinomiam agnoſcunt Ant. Faber, & Bachovius *ad Tleuter.* Cujacius autem Obſerv. XIV 20. ut eam tollat, cenſet mendum hìc irrepſiſſe, & legendum *num etiam* per interrogationem; idemque definiri in hâc ſpecie, ac in ſuperiori; eamdem proindè Marcelli eſſe ſententiam, quæ fuit Papiniani in l. oppoſitâ. Multi hanc ſententiam non probant: Vide Zoeſium in *Parat. ad h. tit.* ubi hanc impugnat. Et certè contrariam omninò Marcelli ſententiam fuiſſe, apparet ex fine hujus §*i.*

(*f*) Si enim mortuis duobus, is qui ſupererat adhuc erat ſervus ſtipulatoris; ſtipulatio eò devenit, ut nulla ſupereſſet res quæ deberi poſſet: adeòque extincta eſt obligatio.

(*g*) *A commencé par prendre.*

Source : BIU Cujas

Hinc Ulpianus. Si quis ſtipulatus fuerit decem (*a*) in melle, Solvi quidem mel poteſt antequàm ex ſtipulatu agatur : ſed ſi ſemel actum ſit, & petita decem fuerint ; ampliùs mel ſolvi non poteſt. *l.* 57. ULPIAN. LIB. 77. AD ED.

Neque ſolùm in contrahendo, ſed & poſtea interpoſitum pactum valet ; ut aliud præſtetur quàm quod debebatur.

Hinc Papinianus. Soror cui legatum ab herede fratre debebatur, poſt motam legati quæſtionem tranſegit ; ut nomine debitoris contenta, legatum non peteret. Placuit, quamvis nulla delegatio facta (*b*) neque Liberatio ſecuta eſſet, tamen nominis periculum ad eam pertinere. Itaque ſi legatum contra placitum peteret, exceptionem Pacti non inutiliter (*c*) opponi. *l.* 96. § 2. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

Porrò circa illud pactum, ut vice ejus quod debetur aliud ſolvi poſſit, obſerva ; tale pactum pro debitore interpoſitum videri : qui proindè ipſe nihilominùs quod debet, poteſt ſolvere.

Hinc Ulpianus libro primo Reſponſorum Callippo reſpondit :

Quamvis ſtipulanti uxori vir ſpoponderit, dirempto matrimonio prædia quæ doti erant obligata in Solutum dare ; tamen ſatis eſſe offerri dotis quantitatem. *l.* 45. ULP. LIB. 1. RESPONS.

Poſtquàm autem debitor, vice pecuniæ debitæ, rem in Solutum dedit ; eam ampliùs non poteſt, oblatâ pecuniâ quam debebat, repetere.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Succeſſores ejus qui major viginti-quinque annis in Solutum pro debito jure mancipia dedit, hæc revocare non poſſe conſtat. *l.* 10. *Cod. h. tit.*

Conſonat quod iidem reſcribunt. Cùm pro pecuniâ quam mutuo acceperas, ſecundùm placitum, Evandro te fundum dediſſe profitearis : ejus induſtriam vel eventum meliorem, tibi, non ipſi prodeſſe (contrarium poſtulaturus ſi minoris diſtraxiſſet), non juſtè petis. *l.* 24. *Cod. h. tit.*

LXVII.

Jure novo Juſtinianus, uno caſu aliud pro alio Solvere permittit. Si enim is qui pecuniam debet, nec pecuniam nec ullam ſubſtantiam mobilem præ manu habeat ; permittitur ei prædia juſto pretio æſtimanda, creditori in Solutum dare : niſi paratus ſit creditor ei ſubminiſtrare emptorem. Novell. IV. Cap. 3.

§ II.

Ubi Solutio fieri debeat.

LXVIII.

Is qui certo loco dare promittit ; nullo alio loco quàm in quo promiſit, Solvere invito ſtipulatore poteſt. *l.* 9. *ff. de Eo quod cert. loc.* ULP. LIB. 47. AD SABIN.

Hinc Qui Romæ mutuam pecuniam acceperat, ſolvendam in longinquâ provinciâ per menſes (*d*) tres ; eamque ibi dari ſtipulanti ſpopondiſſet ; poſt paucos dies Romæ teſtatò creditori dixit, paratum ſe eſſe Romæ eam numerare, detractâ eâ ſummâ quam creditori ſuo uſurarum nomine (*e*) dederat. Quæſitum eſt ; Cùm in integrum ſummam quâ ſtipulatione obligatus eſt, obtulerit ; an eo loco in quo ſolvenda promiſſa eſt, ſuâ die integra peti poſſet ? Reſpondit ; Poſſe ſtipulatorem ſuâ die, ibi ubi ſolvendam ſtipulatus eſt, petere (*f*). *l.* 122. *ff. de Verb. oblig.* SCÆVOLA LIB. 28. DIGEST.

Plura vide Tit. de Eo quod certo loc. *ſuprà lib.* 13.

LXIX.

Quòd ſi nullus locus ubi ſolveretur, expreſſus eſt ; tunc ſequendæ ſunt Regulæ quas tradidimus ſuprà ad Titulos de Legatis, *N.* 321. *& ſeq.*

§ III.

Quando Solvi poſſit.

LXX.

Si dies Solutionis venit, patet tunc ſolvi poſſe. Sed & Quod certâ die promiſſum eſt, vel ſtatim dari poteſt : totum enim medium tempus, ad ſolvendum promiſſori liberum relinqui intelligitur. *l.* 70. CELSUS LIB. 36. DIGEST.

An autem pendente conditione ſub quâ debetur facta Solutio erit efficax ? Reſpondit Pomponius : Sub conditione debitori, ſi acceptum feratur ; poſtea conditione exiſtente intelligitur jam olim Liberatus. Et hoc, etiamſi Solutio re fiat, accidere Ariſto dicebat. Scripſit enim : Si quis, qui ſub conditione pecuniam promiſit, dedit eam eâ conditione ut, ſi conditio extitiſſet, in Solutum cederet ; exiſtente conditione Liberari eum : nec obſtare quod ante ejus pecunia facta (*g*) eſt. *l.* 16. POMPON. LIB. 15. AD SABIN.

ARTICULUS VII.

Qualis & quomodo præſtari debeat res quæ Solvitur.

§ I.

Rem præſtari debere, qualis eſt.

LXXI.

Quum ſpecies debetur, talis ſolvi debet qualis eſt ; modò culpâ facto-ve debitoris non ſit corrupta. Quum autem genus debetur, non diſtinguitur à quo res corrupta ſit.

Hoc docet Ulpianus. Qui Stichum aut Pamphilum dari promiſit ; ſi Stichum vulneraverat ; non magis eum dando Liberatur, quàm ſi ſolum Stichum promiſiſſet, & à ſe vulneratum daret. Item qui hominem dari promiſit, & vulneratum à ſe offert ; non Liberatur. Judicio quoque accepto, ſi hominem is cum quo agetur vulneratum à ſe offert, condemnari debebit. Sed & ab alio vulneratum ſi det, condemnandus (*h*) erit ; cùm poſſit alium dare. *l.* 33. § 1. JULIAN. LIB. 52. DIGEST.

§ II.

Rem præſtari debere ita ut fiat accipientis.

LXXII.

Ut Solutio Liberationem pariat ei qui dare aliquid obligatus eſt, oportet rem ita præſtari ut fiat accipientis.

Enimverò Non videntur data, quæ eo tempore quo

(*a*) *Decem* putà ſeſtertios, quos *in melle* ſolvere debitor ad arbitrium poterit.

(*b*) Id eſt ; quamvis nulla eſſet interpoſita ſtipulatio, per quam obligatio legati in obligationem hujus nominis fuiſſet novata.

(*c*) Nam ex lege *Pacti* poteſt ſolvi nomen, & quidem quale invenietur.

(*d*) Id eſt, trinis menſtruis penſionibus : & ita in Florent. In aliis Editionibus legitur, *poſt menſes tres.*

(*e*) In anteceſſum *dederat*, prorogaverat. Fit alibi mentio uſurarum ita prorogatarum : ut in l. fin. Cod. *de Uſur.*

(*f*) Senſus hujus legis eſt ; poſſe ſtipulatorem petere ſummam integram ſine ullâ detractione uſurarum ſolutarum, quamvis promiſſor eam obtulerit. Nec enim talem oblationem potuiſſe ſiſtere uſuras, & creditorem in morâ accipiendi conſtituere ; quæ facta eſt alio loco quam quo ſolvi debuit. Cujacius tamen qui hoc ſenſu hanc legem vulgò ita accipi fatetur, alio ſenſu eam ipſe accipiendam cenſet ; hancque eſſe ejus ſententiam, ut ſtipulator qui non potuiſſet ex lege ſtipulationis niſi primam penſionem petere, poſſit tamen [cùm promiſſor integram ſummam obtulerit] propter hanc oblationem petere integram ſummam ; quaſi promiſſor per hanc oblationem commodo temporis renuntiaverit. Verùm hæc Cujacii ſententia, quam ſuprà exhibuimus lib. præced. Tit. *de Verb. oblig.* N. 91. minùs probabilis videtur. Debitor enim qui integram ſummam Romæ obtulit, non aliter voluit commodo temporis renuntiare, quàm ſi ei remitteretur onus ſolvendi in longinquâ provinciâ.

(*g*) Talis eſt Objectio : Non poteſt exiſtente conditione Solutio contingere ; quia non poteſt contingere, niſi pecunia ſoluta fiat ejus cui ſoluta eſt. Atqui quo tempore exiſtit conditio, non poteſt pecunia fieri ejus cui ſoluta eſt : nam jam ante hoc tempus, ejus fuerat facta ; quod autem ſemel factum eſt alicujus, non poteſt ejus ampliùs fieri. Ad eam Objectionem Juriſconſultus negligit reſpondere ; quia in promptu eſt reſponſio : nimirùm quòd, ſicut conditio retrotrahit obligationem ad tempus contractûs ; ita poteſt retrotrahere Solutionem ad tempus quo facta eſt, ut ex tunc videatur debitor Liberatus.

(*h*) Is ſcilicet qui *Hominem* in genere debet ; & eâ in re differt ab eo qui certi hominis debitor eſt.

Source : BIU Cujas

dantur, accipientis non fiunt. *l.* 167. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 49. AD ED.

Hinc ſequitur non valere Solutionem rei alienæ, niſi volente domino fiat. Sin autem communes nummos credam, aut ſolvam; confeſtim pro parte meâ (*a*) naſcetur & actio & Liberatio: ſive in ſingulis nummis communionem pro indiviſo quis eſſe intelligat; ſive in pecuniâ, non corpora cogitat, ſed quantitatem. *l.* 94. § 1. PAPIN. LIB. 8. QUÆSTION.

Rem autem caſtrenſis peculii ſolventem patrem, perindè accipere debemus ac ſi alienam dediſſet; quamvis poſſit reſidere apud eum cui Soluta eſt, priùs mortuo inteſtato filio (*b*): ſed tunc adquiſita creditur, quum filius deceſſerit. Ut utique cujus fuerit, eventus declaret: ſitque & hoc ex his quæ poſt factis, in præteritum quid fuerit, declarent. *l.* 98. § 3. PAUL. LIB. 15. QUÆST.

LXXIII.

Solutio quidem rei alienæ non valet. Cæterùm convaleſcit; ſi creditor dominium rei quod Solutio ei non tribuerat, per uſucapionem fuerit conſecutus.

Hinc V. G. Is qui alienum hominem in Solutum dedit, uſucapto (*c*) homine Liberatur. *l.* 60. PAUL. LIB. 4. AD PLAUT.

Convaleſcit etiam Solutio pecuniæ, quum bonâ fide conſumpta eſt.

Hinc Si alieni nummi inſcio vel invito domino Soluti ſunt, manent ejus cujus fuerunt. Si mixti eſſent (*d*) ita ut diſcerni non poſſent, ejus (*e*) fieri qui accepit; in libris Gaii ſcriptum eſt: ita ut actio domino, cum eo qui dediſſet, Furti competeret. *l.* 78. JAVOLEN. LIB. 11. EX CASSIO.

Et generaliter convaleſcit Solutio quum id quod Solutum eſt, deſinit poſſe auferri ei cui Solutum eſt. Hinc Papinianus: Sed & ſi fidejuſſor alienos nummos in cautam fidejuſſionis dedit, conſumptis his MANDATI agere poteſt. Et ideò ſi eam pecuniam ſolvat quam ſubripuerat; MANDATI aget, poſtquàm (*f*) Furti vel ex causâ Condictionis præſtiterit. *l.* 94. § 2. PAPIN. LIB. 8. QUÆST.

LXXIV.

Ex regulâ quam ſtatuimus, Solutionem ſic fieri debere ut res fiat accipientis; ſequitur etiam non poſſe alicui ſolvi rem ſuam. Id ſi quidem quod meum eſt, ampliùs meum fieri non poteſt.

Igitur Si mandaverim ſervo tuo, ut quod tibi debeam ſolveret meo nomine; Neratius ſcribit: Quamvis mutuatus ſervus pecuniam, rationibus tuis quaſi à me receptam intulerit; tamen ſi nummos à creditore non ita acceperit ut meo nomine daret (*g*), nec Liberari me, nec te MANDATI mecum acturum.

Quòd ſi ſic mutuatus ſit, ut pecuniam meo nomine daret; utrumque contrà eſſe (*h*): nec referre, alius quis an idem ipſe ſervus nomine tuo, quod pro me ſolvebatur, acceperit. Et hoc verius eſt: quoniam, quoties ſuos nummos accipit creditor, non contingit Liberatio debitori. *l.* 22. § 8. *ff. Mandati.* PAUL. LIB. 32. AD ED.

§ III.

Rem quæ Solvitur, ita fieri debere accipientis ut nullo caſu ei avocanda ſit.

LXXV.

Non videtur res perfectè fieri accipientis, nec rectè ſolvi; ſi fiat quidem ejus, ſed ita ut in aliquem caſum ei avocanda ſit. Nam QUOD evincitur, in bonis non eſt. *l.* 190. *ff. de Reg. Jur.* CELSUS LIB. 24. DIGEST.

Igitur Si rem meam quæ pignoris nomine alii eſſet obligata, debitam tibi Solvero; non Liberabor: quia avocari tibi res poſſit, ab eo qui pignori accepiſſet. *l.* 20. POMPON. LIB. 22. AD SABIN.

Pariter Si hominem in quo uſusfructus alienus eſt, vel qui erat pignori Titio obligatus, noxæ dediſti; poterit is cui condemnatus es, tecum agere Judicati: nec expectabimus ut creditor evincat.

Sed ſi uſusfructus interierit, vel diſſoluta fuerit pignoris obligatio; exiſtimo proceſſuram Liberationem. *l.* 69. CELSUS LIB. 24. DIGEST.

Hoc multò magis; quum res quæ ſoluta eſt, ipſa non erat in obligationem deducta, ſed in pecuniæ debitæ Solutionem data eſt. Hinc Paulus: Qui res ſuas obligavit, poſtea aliquam poſſeſſionem ex his pro filiâ ſuâ dotem promittendo obligavit, & ſolvit. Si ea res à creditore evicta eſt, dicendum eſt maritum ex dotis promiſſione agere poſſe; ac ſi ſtatuliberum rem-ve ſub conditione legatam, dotis nomine pro filiâ pater ſolviſſet. Harum enim rerum Solutio non poteſt niſi ex eventu Liberare; ſcilicet quo caſu certum erit remanere eas. *l.* 98. PAUL. LIB. 15. QUÆSTION.

LXXVI.

Quod dicimus, rem quæ ſolvitur, ita fieri debere accipientis ut ei non poſſit avocari; obtinet, ſive ipſi creditori ſive adjecto Solutionis gratiâ ſolvatur.

Hinc Julianus. Qui ſibi aut Titio fundum dari ſtipulatus eſt, quamvis fundus datus fuerit, tamen ſi poſtea evictus eſt, habet actionem. Quemadmodum ſi hominem ſtipulatus eſſet; & promiſſor ſtatuliberum Titio dediſſet, iſque ad libertatem perveniſſet. *l.* 33. JULIAN. LIB. 52. DIGESTOR.

LXXVII.

Sed & quum creditor ipſe ſibi ſolvit; non valet Solutio, ſi res pecunia-ve quæ in Solutum ceſſit, poſſit ipſi avocari.

Hinc V. G. Sed ſi ſervus pigneratus à creditore vænierit; quandiù redhiberi poſſit, non Liberabitur debitor: ſicut in quolibet pignore vendito, quandiù res inempta fieri poſſit. *l.* 26. ¶ *ſed ſi.* POMPON. LIB. 35. AD SABIN.

Item Si creditor, debitoris hereditatem ad ſe non pertinentem poſſedit; & tantùm ad eum pervenit, quantùm, ſi quilibet, alius bonorum poſſeſſor ei ſolveret, liberaret heredem: non poteſt dici fidejuſſores liberari. Neque enim ipſum ſibi ſolviſſe pecuniam credendum eſt, à quo hereditas evincitur. *l.* 95. § 8. PAPIN. LIB. 28. QUÆSTION.

LXXVIII.

Non valet quidem Solutio; ſi res quum ſolvitur, in eâ causâ ſit ut avocari debeat. At ſi in eâ causâ non erat, ſed ex novâ & poſt Solutionem ſuperveniente causâ fuerit evicta; Solutio quæ perfecta fuit, non infirmatur.

Hinc poſtquàm Paulus dixit, rem quæ evicta eſt non fuiſſe efficaciter Solutam, ſtatim ſubjungit: Diverſum reſpondetur, in eâ pecuniâ ſive re quam patronus poſt mortem liberti per Favianam aufert. Hæc enim actio, cùm ſit nova (*c*), partam Liberationem non poteſt revocare. *l.* 98. § 1. PAUL. LIB. 15. QUÆST.

(*a*) Pro alterâ non naſcitur.

(*b*) Nam mortuo inteſtato filio, res caſtrenſis peculii retrò intelliguntur fuiſſe patris.

(*c*) Uſucapio enim dominium rei ſolutæ tribuendo, perfecit quod deerat Solutioni.

(*d*) *Manent* quidem ..... Sed *Si mixti &c.* Pecunia ſic conſumpta intelligitur.

(*e*) Cùm enim ab eo vindicari non poſſint, utpotè qui eos ampliùs non poſſideat, nec dolo deſierit poſſidere; effectu perindè eſt ac ſi pecunia ejus facta fuiſſet: adeòque convaleſcit eorum Solutio.

(*f*) Nam poſtquàm dominus pecuniæ actione Furti, id eſt *Condictione furtivâ*, litis æſtimationem à fure conſecutus eſt; non poteſt ampliùs eam vindicare ab eo cui ſoluta eſt: nam bis idem exigeret, quod bona fides non patitur. Convaleſcit igitur Solutio, cùm deſinat poſſe auferri pecunia: perindè ac convaleſcit, quum bonâ fide conſumpta eſt à creditore.

(*g*) Nam ſi ſimpliciter eos accepit, dominium eorum per illum domino ſtatim quæſitum eſt. Igitur quum poſtea eos dedit domino, ſolvit domino rem ſuam; adeòque ſolutio non valet.

(*h*) Scilicet, & liberabor, & tu *Mandati* mecum ages. Ratio diſparitatis eſt quòd, quum ſub hâc conditione mutuatur, conditio impedit ne dominium hujus pecuniæ ad te tranſeat priuſquàm meo nomine tibi ſolvatur. Cùm igitur ex ipsâ Solutione dominium pecuniæ conſequaris, valet Solutio.

(*i*) Actio *Faviana*, quâ patronus revocat id quod libertus pro eo cui in fraudem patroni donare volebat, ſolvit ejus creditori fraudis conſcio, hîc dicitur *nova actio*; quia demùm poſt mortem liberti naſcitur. Valet igitur Solutio; quia quod ſolutum eſt, tempore Solutionis non erat in eâ causâ ut avocari poſſet; ſed ex causâ quæ poſt Solutionem emerſit, id avocatum eſt. Ita ſtricto Jure: ex æquitate tamen, reſtituetur actio hoc caſu creditori in debitorem.

Source : BIU Cujas

Huic applicatur minor viginti-quinque annis; qui à creditore circumſcriptus, in rem ex causâ debiti Solutam reſtituitur (*a*). *d. l.* 98. § 2.

LXXIX.

Uno caſu, etſi res quæ mihi ſolvitur in eâ causâ eſſet tempore Solutionis ut mihi eſſet avocanda, nihilominùs rectè ſolvitur; ſcilicet ſi ex ipsâ rei naturâ, nullo pretio tui res poſſet quominùs avocaretur.

Hinc Ulpianus. Illud tractatum eſt, an Liberatio contingat ei qui noxæ dederit ſtatuliberum? Et Octavenus putabat liberari. Et idem dicebat; & ſi ex ſtipulatu Stichum deberet, eumque ſtatuliberum ſolviſſet: nam etſi ante Solutionem ad libertatem perveniſſet, extingueretur obligatio tota. Ea enim in obligatione conſiſtere, quæ pecuniâ lui præſtarique poſſunt: libertas autem pecuniâ lui non poteſt, nec reparari (*b*) poteſt. Quæ ſententia mihi videtur vera. *l.* 9. § 2. *ff. de Statulib.* ULP. LIB. 28. AD SABIN.

Hinc Pomponius. Sed & ſi quis ſervum quem dari promiſit, heres à domino ſcriptus ſtatuliberum dederit; liberatur. *l.* 92. § 1. POMPON. LIB. 9. EPISTOLAR.

Hoc obtinet, quum res determinatè debetur. Secùs, quum genus debetur.

Hinc Marcellus. Qui hominem debebat, Stichum cui libertas ex causâ fideicommiſſi præſtanda eſt, ſolvit. Non videtur Liberatus. (*Vulgata hîc addit:* Similique modo ſi ſolverit ſervum qui noxâ Solutus non eſt, non Liberabitur. Item qui hominem noxæ deditum ſolvit, non liberatur. *Gloſſema.*) Nam vel minùs hic ſervum dedit, quàm ille qui ſervum nondum noxâ Solutum. *l.* 72. § 5. MARCELL. LIB. 20. DIGEST.

Item Africanus. Qui hominem promiſit, ſi ſtatuliberum ſolvat; magis puto non eſſe expectandam conditionem: ſed & creditorem agere poſſe, & illi Condictionem competere. *l.* 38. § 3. AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

Obiter nota convaleſcere Solutionem, ſi poſtea res incipiat non poſſe avocari.

Hinc ſtatim ſubjungitur: Quòd ſi interim conditio defecerit, Liberatur; perindè atque ſi quis pendente conditione ſolvit per errorem, & antequàm Conditio deficeret, conditio extiterit.

Illud nullo modo dici conveniet; ſi mortuo Sticho conditio deficiat, liberari debitorem: quamvis, ſi vivente eo defecerit, Liberaretur: quando iſto caſu, nullo tempore perfectè hominem meum feceris. Alioquin propè erit, ut etiamſi eum ſervum in quo uſusfructus alienus eſt, mihi ſolveris; iſque uſufructu manente deceſſerit, eâ Solutione Liberatus videaris: quod nullo modo probandum eſt. Sicuti ſi communem ſolviſſes, iſque deceſſiſſet. *d.* § 3. ¶ *quòd ſi.*

§ IV.

Ad perfectionem Solutionis requiri, ut ſi qua cautio circa rem quæ ſolvitur præſtari debeat, ea præſtetur.

LXXX.

Hoc quando eveniat, docet Ulpianus; ſimulque nondum ſolviſſe videri eum qui ſolvit, donec caverit.

Etiam circa ſtipulationem & Ex teſtamento actionem, ſi res tradita fuerit quæ debebatur, quandiù aliquid juri rei deeſt (*c*), adhuc tamen ipſa res petenda eſt. Ut putà poſſum fundum petere, licèt mihi traditus ſit; ſi jus quoddam cautionis ſupererit. *l.* 27. ULP. LIB. 28. AD ED.

Nec mutat eo caſu, quòd res ſoluta ſit adjecto Solutionis gratiâ.

Hinc Scævola. Qui fundum ſibi aut Titio dari ſtipulatur, quamvis fundus Titio traditus ſit, nihilominùs petere fundum poteſt, ut ſibi de evictione promittatur. Nam intereſt ejus; quia MANDATI actione fundum recepturus ſit à Titio.

Sed ſi donationis causâ Titium interpoſuit, dicetur traditione protinùs reum (*d*) liberari. *l.* 131. § 1. *ff. de Verb. oblig.* SCÆVOLA LIB. 13. QUÆST.

§ V.

Regulæ ex dictis conſectariæ circa Liberationem ex Solutione contingentem, prout vel ritè ſoluta res eſt, vel minùs legitimo modo.

LXXXI.

Ex omnibus quæ diximus circa quæſtionem quomodo rem debitam ſolvi oporteat, hæc eruitur regula.

IN PERPETUUM; quotiens id quod tibi debebam ad te pervenit, & tibi nihil abſit, nec quod Solutum eſt repeti poſſit; competit Liberatio. *l.* 61. PAUL. LIB. 4. AD PLAUT.

Altera regula. Etſi inutiliter res ſoluta ſit; tamen creditor debitum petens exceptione repelletur, ſi eam retineat.

Putà Si is cui nummos debitor ſolvit alienos, nummis integris pergat petere quod ſibi debeatur, nec offerat quod accepit; exceptione Doli ſummovebitur. *l.* 94. PAPIN. LIB. 8. QUÆST.

SECTIO II.

De effectu Solutionis.

LXXXII.

Solutionis effectus eſt, ut Liberationem obligationis pariat; & quidem totius, ſi totum quod debetur ſolvitur; vel pro parte, ſi pars volenti creditori ſolvatur.

Igitur Qui decem debet; partem ſolvendo, in parte obligationis liberatur; & reliqua quinque ſola in obligatione remanent. Item qui Stichum debet, parte Stichi datâ in reliquam partem tenetur. *l.* 9. § 1. ULP. LIB. 24. AD SABIN.

§ I.

An & quando Solutio partis totam obligationem tollat, aut contrà nec pro parte Liberationem pariat.

LXXXIII.

Interdum partis Solutio obligationem in ſolidum tollit, ſcilicet ſi multiplicata fuerit. V. G. Si quis duos homines promiſerit, & Stichum ſolverit; poterit ejuſdem Stichi dominium poſtea conſecutus, dando liberari. In nummis, minor vel propè nulla dubitatio eſt. Nam & apud Alfenum Servius; Eum qui minùs à debitore ſuo accipere, & liberare eum vellet, reſpondit; Poſſe, ſæpiùs aliquos nummos accipiendo ab eo eique retrò dando, ac rursùs accipiendo, id efficere. Veluti ſi centum debitorem, decem acceptis liberare creditor velit: ut quum decem acceperit, eadem ei retrò reddat; mox ab eo accipiat ac noviſſimè retineat. Etſi in dubitationem à quibuſdam hoc malè deducatur; quòd non poſſit videri is qui ita accepit, ut ei à quo acce-

(*a*) Minor dedit in ſolutum, rem pretioſiorem eâ pecuniâ quam debebat. Poſtea reſtituitur in integrum adversùs hanc Solutionem, & rem ſolutam avocat creditori. Nihilominùs Solutio valet; quia ex novâ causâ, ſcilicet reſtitutionis in integrum quæ demùm poſt Solutionem contigit, res avocatur. Non convaleſcet igitur priſtina actio, quæ Solutione efficaci fuit extincta: verùm *Utilis* dabitur ex reſtitutione in integrum.

(*b*) Id eſt, emi.

(*c*) Id eſt, quandiù deeſt creditori jus aliquod circa rem, putà jus Cautionis. Finge ex causâ emptionis-venditionis interveniſſe Stipulationem, vel heredem damnatum aliquid vendere; res ex his caſibus tradita Stipulatori aut legatario, non videbitur ei perfectè ſoluta niſi cautio de ejus rei evictione ipſi præſtita fuerit.

(*d*) Nulla enim cautio *De evictione* exhiberi poteſt: ſi quidem inutiliter ſtipularetur quod alterius duntaxat intereſt, non ſuâ; ut vid. ſuprà lib. 2. Tit. *de Pactis* N. 25.

Source : BIU Cujas

pit, retrò reddat, ſolviſſe potiùs quàm deceſſiſſe (*a*). *l.* 67. MARCELL. LIB. 13. DIGEST.

LXXXIV.

Contrà, partis Solutione interdum nec pro parte obligatio tollitur.

Hoc ita ſe habet 1°. *in obligatione generis.*

V. G. Qui autem hominem debet, partem Stichi dando, nihilominùs hominem debere non deſinit. Denique homo adhuc ab eo peti poteſt. *l.* 9. § 1. ¶ *qui autem.* ULP. LIB. 24. AD SABIN.

Nota. Sed ſi debitor reliquam partem Stichi ſolverit; vel per actorem ſteterit quominùs accipiat; Liberatur. *d.* § 1. ¶ *ſed ſi.*

2°. *Idem obtinet in obligatione alternativâ, idque, etiam quum ex hujuſmodi obligatione aut plures debent aut pluribus debetur.*

Igitur Si decem aut hominem dari ſtipulatus fuero, & duos fidejuſſores accepero, Titium & Mævium; & Titius quinque ſolverit; non (*b*) liberabitur, priuſquàm Mævius quoque quinque ſolvat. Quòd ſi Mævius partem hominis ſolverit, uterque obligatus (*c*) remanebit. *l.* 34. § 10. JULIAN. LIB. 54. DIGEST.

Similiter Si duo rei ſtipulandi, hominem dari ſtipulati fuerint: & promiſſor utrique partes diverſorum hominum dederit; dubium non eſt quin non Liberetur. Sed ſi ejuſdem hominis partes utrique dederit, Liberatio contingit: quia obligatio communis efficit, ut quod duobus ſolutum eſt, uni ſolutum eſſe videatur. Nam ex contrario, quum duo fidejuſſores hominem dari ſpoponderint, diverſorum quidem hominum partes dantes non liberantur: at ſi ejuſdem hominis partes dederint, liberantur. *d. l.* 34. § 1.

Pariter Ulpianus. Nam Idem ait: Et ſi duo heredes ſint ſtipulatoris; non ſic poſſe, alteri quinque ſolutis, alteri partem Stichi ſolvi; idem & ſi duo ſint promiſſoris heredes. Secundùm quæ; Liberatio non contingit, niſi aut utrique quina, aut utrique partes Stichi fuerunt ſolutæ. *l.* 26. § 14. *ff. de Condict. indeb.* ULP. LIB. 26. AD ED.

LXXXV.

Hactenùs de obligatione generis & alternativâ.

3°. *Similiter quum convenit, ut aliud quidpiam pro eo quod deberetur ſolveretur; Solutio in nullâ parte contingit, niſi hoc totum perfectè factum fuerit accipientis.*

Hoc docet Marcianus. Ita ille: Si quis aliam rem pro aliâ volenti ſolverit; & evicta fuerit res; manet priſtina obligatio. Et, ſi pro parte fuerit evicta, tamen pro ſolido obligatio durat. Nam non accepiſſet re integrâ creditor, niſi pro ſolido ejus fieret. *l.* 46. MARC. LIB. 3. REGUL.

Sed & ſi duos fundos (Verbi gratiâ) pro debito dederit; evicto altero fundo, remanet integra obligatio. Tunc ergo res pro re ſoluta Liberationem præſtat, quum pro ſolido facta eſt ſuſcipientis. *d. l.* 46. § 1.

§ II.

An & quando unâ numeratione duæ obligationes tollantur; aut contrà, unâ ſublatâ, altera naſatur.

LXXXVI.

In numerationibus aliquando evenit, ut unâ numeratione duæ obligationes tollantur uno momento. Veluti ſi quis pignus pro debito vendiderit creditori: evenit enim ut EX VENDITO tollatur obligatio, & DEBITI.

Item ſi pupillo, qui ſine tutoris auctoritate mutuam pecuniam accepit, legatum à creditore fuerit ſub eâ conditione SI eam pecuniam numeraverit. In duas cauſas videri eum numeraſſe; & in debitum ſuum (*d*) ut in Falcidiam heredi imputetur (*e*), & conditionis gratiâ ut legatum conſequatur. *l.* 44. MARC. LIB. 2. REGULAR.

Item Quum juſſu meo id quod mihi debes, ſolvis creditori meo; & tu à me, & ego à creditore meo liberor. *l.* 64. PAUL. LIB. 14. AD PLAUT.

Alia exempla affert Africanus. DE PECULIO cum domino actum eſt: is damnatus ſolvit: Et fidejuſſores pro ſervo acceptos, Liberari reſpondit (*f*). Eamdem enim pecuniam in plures cauſas ſolvi poſſe. Argumentum eſſe quòd, quum JUDICATUM SOLVI ſatiſdatum eſt, & damnatus reus ſolvat; non ſolùm actione Judicati, ſed etiam Ex ſtipulatu, & ipſe & fidejuſſores liberentur. Et magis ſimile eſſe (*g*) quòd, quum poſſeſſor hereditatis exiſtimans ſe heredem eſſe ſolverit, heres non liberetur: tunc enim propterea id evenire, quòd ille ſuo nomine indebitam pecuniam dando, repetitionem ejus (*g*) haberet. *l.* 38. § 2. AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

LXXXVII.

Interdum tamen Solutio quam quis ſuo nomine facit, non liberat eos qui idem ex aliâ causâ debent: ſcilicet quum creditor actiones ſuas adversùs illos, ei qui ſolvit, præſtare tenetur; ut in ſpeciebus ſequentibus.

Si mandatu meo Titio pecuniam credidiſſes; ejuſmodi contractus ſimilis eſt tutori, & debitori pupilli. Et ideò mandatore convento & damnato, quanquàm pecunia ſoluta ſit; non liberari debitorem (*i*) ratio ſuadet. Sed & præſtare debet creditor actiones mandatori adversùs debitorem, ut ei ſatisfiat. Et huc pertinet tutoris & pupilli debitoris nos feciſſe comparationem. Nam quum tutor pupillo tenetur, ob id quod debitorem ejus non convenit; neque judicio cum altero accepto, Liberatur alter; nec ſi damnatus tutor ſolverit, ea res proderit debitori. Quinetiam dici ſolet, Tutelæ contrariâ actione agendum, ut ei pupillus adversùs debitores actionibus cedat. *l.* 95. § 10. PAPIN. LIB. 28. QUÆST.

Hanc Papiniani ſententiam breviùs refert Ulpianus. Ita ille: Papinianus libro tertio Quæſtionum ait; Mandatorem debitoris ſolventem, ipſo Jure reum non Liberare. Propter mandatum enim ſuum ſolvit, & ſuo nomine; ideòque mandatori actiones putat adversùs reum cedi debere. *l.* 28. *ff. Mandati.* ULP. LIB. 14. AD ED.

LXXXVIII.

Vidimus unam numerationem plures interdum obligationes tollere.

Evenit etiam, ut una numeratio & obligationem tollat, & aliam obligationem pariat. Putà: Item ſi uſusfructus

(*a*) Rectior hæc Florentina lectio, quàm Vulgata *dediſſe*. Senſus eſt, [ut optimè explicat Voorda]: Quamvis quidam malè exiſtiment in hâc ſpecie, Solutionem pecuniæ quæ retrò redditur debitori qui eam ſolvit, non eſſe veram ſolutionem; adeòque creditorem qui ita accepit, non poſſe videri SOLVISSE, id eſt ipſo Jure extinxiſſe obligationem *potiùs quàm* ab eâ duntaxat DECESSISSE ſeu receſſiſſe, id eſt eam remiſiſſe: *Malè*, inquit Juriſconſultus, hoc exiſtimant. Non valet quidem Solutio, ſi deditor ſub eâ lege dederit ut ſtatim recipiat: ut apertè dicitur in l. 55 ff. h. tit. quam vide ſuprà lib. 41. Tit. *de Adquir. rer. domin.* N. 59. Nec enim videri poteſt verè transferri dominium rei, in eum qui rem retinere momento non poteſt. Verùm in hâc ſpecie, Solutio non fit ſub eâ conditione: manet in arbitrio creditoris ut rem ſolutam retineat, quamvis ejus ſit propoſiti ut eam ſtatim reddat. Igitur hoc propoſitum non impedit tranſlationem dominii; imò per hoc exercet ſuum dominium, quod maximè conſiſtit in jure diſponendi de re, eamque alienandi prout libuerit.

(*b*) Nullatenùs liberabitur.

(*c*) In ſolidum, donec alteruter reliqua quinque aut reliquam hominis partem ſolverit.

(*d*) Fingendum pecuniam eſſe verſam in rem pupilli: quo caſu, pupillus eam debebat.

(*e*) Utpotè qui hanc pecuniam accipiat tanquam debitam hereditati, & jure hereditario.

(*f*) Et ita, una numeratio duas obligationes ſuſtulit, & obligationem *Judicati* quâ dominus tenebatur, & obligationem ſervi fidejuſſorumque ejus. Nam cùm id quod dominus debet, idipſum ſit quod ſervus debet; nec poſſit creditor bis idem exigere; conſequens eſt ut ex unâ causâ ſolutum, ex cæteris Liberationem pariat. Hanc porrò l. 38. § 2. Cujacius [ut jam notavimus] pugnare cenſet cum l. 84. ſuprà relatâ N. 14. quem vide cum Notâ (*b*).

(*g*) Rectè Cujacius monet legendum, *nec diſſimile eſſe.*

(*h*) Ratio igitur diſparitatis eſt, quòd in præcedentibus ſpeciebus vera fuit Solutio: in hâc verò oppoſitâ ſpecie, Solutio non valet; cùm is qui ſolvit, poſſit Solutum repetere; [ſuprà lib. 12. Tit. *de Cond. indeb.* N. 20.] nec valeat Solutio ejus quod repeti poteſt ſuprà N. 76.

(*i*) Atqui tamen debitor idem debet quod mandator: non poteſt autem creditor bis idem exigere: verùm ideò non liberatur debitor, quia tenetur creditor cedere ſuas actiones mandatori adversùs illum.

Source : BIU Cujas

pecuniæ numeratæ legatus fuerit; evenit ut unâ numeratione, & Liberetur heres ex teſtamento, & obliget ſibi legatarium (*a*). *l.* 44. ¶ *item ſi.* MARC. LIB. 2. REGUL.

Tantumdem eſt, ſi damnatus fuerit alicui vendere vel locare: nam vendendo vel locando, & liberatur ex teſtamento heres & obligat ſibi legatarium. *d. l.* 44. ¶ *tantumdem.*

SECTIO III.

In quam cauſam Solutio imputetur, quum plures ſunt cauſæ debendi.

Huic quæſtioni locus eſt pariter, ſive quum ſolvit is qui ex pluribus cauſis debitor eſt, ſive quum ipſe ſibi creditor ex pretio diſtracti pignoris ſolvit.

ARTICULUS I.

De imputatione ejus quod debitor alius-ve pro eo creditori Solvit.

§ I.

Regulæ circa imputationem Solutionis in diverſa debita principalia.

LXXXIX.

Prima Regula.

In poteſtate ejus eſt qui ex pluribus contractibus pecuniam debet, tempore Solutionis exprimere in quam cauſam reddat. Quòd ſi debitor id non fecit, convertitur electio ad eum qui accepit. *l.* 1. *Cod. h. t.* ANTONINUS.

XC.

Prima pars Regulæ.

QUOTIENS quis debitor ex pluribus cauſis, unum debitum ſolvit; eſt in arbitrio ſolventis, dicere quod potiùs debitum voluerit ſolutum; & quod dixerit, id erit ſolutum. Poſſumus enim certam legem dicere ei quod ſolvimus. *l.* 1. ULP. LIB. 43. AD SABIN.

Hinc Si duos quis dederit fidejuſſores (*b*), poteſt ita ſolvere ut unum liberet. *l.* 5. § 1. IBIDEM.

Conſonat quod ait Scævola. Quum de ſorte debitâ conſtaret, de uſurâ litigatum eſſet; noviſſimè ex appellatione pronuntiatum eſt, Solutas quidem uſuras non repeti, in futurum verò non deberi. Quæro, pecunia data utrùm uſuris cedere deberet, quod petitor defenderet; an verò ſorti proficeret? Reſpondi; Si qui dabat, in ſortem ſe dare dixiſſet; uſuris non debere proficere. *l.* 102. § 1. SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS.

XCI.

Altera pars Regulæ.

QUOTIES VERÒ non dicimus in quod Solutum ſit, in arbitrio eſt accipientis cui potiùs debito acceptum ferat. *ſup. d. l.* 1. ¶ *quoties.*

Huic poſteriori parti Regulæ ſtatim ſubjicit Ulpianus duas limitationes.

Prima eſt: Dummodò in id conſtituat Solutum, in quod ipſe (ſi deberet) eſſet Soluturus, quo-que debito ſe exoneraturus eſſet, ſi deberet; id eſt, in id debitum quod non eſt in controverſiâ (*c*), aut in illud quod pro alio quis fidejuſſerat, aut cujus dies nondum venerat. Æquiſſimum enim viſum eſt, creditorem ita agere rem debitoris ut ſuam ageret. Permittitur ergo creditor, conſtituere in quod velit Solutum; dummodò ſic conſtituamus (*Aliàs* conſtituat), ut in re ſuâ conſtitueret. *d. l.* 1. ¶ *dummodò.*

Altera limitatio: Sed conſtituere in re præſenti, hoc eſt ſtatim atque ſolutum eſt. *d. l.* 1. ¶ *fin.*

Dùm in re agendâ hoc fiat; ut vel creditori hoc liberum ſit non accipere, vel debitori non dare, ſi alio nomine exſolutum quis eorum velit. *l.* 2. FLORENTIN. LIB. 8. INSTITUT.

Cæterùm poſtea non permittitur. *l.* 3. ULP. LIB. 43. AD SABIN.

Ita ergo permittitur creditor imputare, dùm imputet in quod ipſe ſi deberet eſſet Soluturus. Hæc res efficiet ut in duriorem cauſam ſemper videatur ſibi debere accepto ferre: ita enim & in ſuo conſtitueret nomine. *d. l.* 3. ¶ *hæc res.*

Indè eſt quòd, etiamſi creditor dixerit ſe accipere ex univerſo credito, non licebit imputare in id quod naturâ tantùm debebatur.

Hinc in ſpecie ſequenti: Favius-Januarius Papiniano ſalutem. Quum Titius Gaio-Seio deberet ex causâ fideicommiſſi certam quantitatem, & tantùmdem eidem ex aliâ causâ quæ peti quidem non poterat, ex Solutione autem petitionem non præſtat (*d*): Titii ſervus actor, abſente domino, ſolvit eam ſummam quæ efficeret ad quantitatem unius debiti; cautumque eſt, ei Solutum ex univerſo credito. Quæro; Id quod Solutum eſt, in quam cauſam acceptum videtur? Reſpondi; Si quidem Titio Seius ita caviſſet, ut ſibi Solutum ex univerſo credito ſignificaret; CREDITI appellatio ſolam fideicommiſſi pecuniam demonſtrare videtur; non eam quæ petitionem quidem non habet, Solutione autem factâ repeti pecunia non poteſt. Cùm verò ſervus Titii actor, abſente domino pecuniam ſolverit: ne dominium quidem nummorum in eam ſpeciem obligationis quæ habuit auxilium exceptionis tranſlatum foret, ſi ex eâ causâ Solutio facta proponeretur: quia non eſt veroſimile, dominum ad eam ſpeciem ſolvendis pecuniis ſervum præpoſuiſſe, quæ ſolvi non debuerunt; non magis quàm ut nummos peculiares ex causâ fidejuſſionis, quam ſervus non ex utilitate peculii ſuſcepit, ſolveret. *l.* 94. § *fin.* PAPIN. LIB. 8. QUÆST.

XCII.

Secunda Regula.

QUOD SI fortè à neutro dictum ſit; in his quidem nominibus quæ diem vel conditionem habuerunt, id videtur Solutum cujus dies venit. *l.* 3. § 1. ULP. LIB. 43. AD SABIN.

Nam Quum ex pluribus cauſis debitor pecuniam ſolvit; Julianus elegantiſſimè putat ex eâ causâ eum ſolviſſe videri debere, ex quâ tunc quum ſolvebat, compelli poterit ad Solutionem. *l.* 103. MÆCIAN. LIB. 2. FIDEICOM.

XCIII.

Tertia Regula.

IN HIS VERÒ quæ præſenti die debentur: conſtat, quoties indiſtinctè quid ſolvitur, in graviorem cauſam videri ſolutum.

SI AUTEM nulla cauſa prægravet, id eſt ſi omnia

(*a*) Ad reddendam finito uſufructu pecuniam.
(*b*) Ex diverſis cauſis ſcilicet.
(*c*) Fortè legendum tranſpoſitâ negatione, *Non in id debitum quod eſt in controverſiâ.* Et ita Græci. Vel ſi negationem ſuo loco retineas; in eo quod ſtatim ſequitur, pro *aut* legendum erit *haut* vel *haud.*
(*d*) Hæc eſt deſcriptio obligationis merè naturalis.

Source : BIU Cujas

nomina ſimilia fuerint; in antiquiorem. *l.* 5. ULP. LIB. 43. AD SABIN.

Duplicem hanc Regulæ partem, ita declarat Papinianus. Quum ex pluribus cauſis debitor pecuniam ſolvit, utriuſque demonſtratione ceſſante (*a*): potior habebitur cauſa ejus pecuniæ quæ ſub infamiâ debetur; mox ejus quæ pœnam continet; tertiò quæ ſub hypothecâ vel pignore contracta eſt; poſt hunc ordinem, potior habebitur propria quàm aliena cauſa, veluti fidejuſſoris. Quod Veteres ideò definierunt, quòd veriſimile videretur diligentem debitorem admonitu ita negotium ſuum geſturum fuiſſe.

Si nihil eorum interveniat, vetuſtior contractus antè ſolvetur. Si major pecunia numerata ſit, quàm ratio ſingulorum expoſcit; nihilominùs primo contractu Soluto qui potior erit, ſuperfluum ordini ſecundo vel in totum vel pro parte minuendo videbitur datum. *l.* 97. PAPIN. 2. DEFINIT.

XCIV.

Prima pars Regulæ, de cauſâ graviore.

Igitur cauſa Gravior videtur, quæ & ſub ſatiſdatione debetur (*Florent.* videtur), quàm ea quæ pura eſt. *ſup. d. l.* 5. ¶ *fin.*

Item Si quid ex famoſâ cauſâ & non famoſâ debeatur, id Solutum videatur quod ex famoſâ cauſâ debetur. Proindè ſi quid ex cauſâ judicati, & non judicati debetur; id putem ſolutum, quod ex cauſâ judicati (*b*) debetur. Et ita Pomponius probat. Ergo ſi ex cauſâ quæ inficiatione creſcit, vel pœnali, debetur; dicendum eſt id Solutum videri, quod pœnæ habet Liberationem. *l.* 7. ULP. LIB. 43. AD SABIN.

Enimvero ita Pomponius: Et magis quod meo nomine, quàm quod pro alio fidejuſſorio nomine debeo; & potiùs quod cum pœnâ, quàm quod ſine pœnâ debetur; & potiùs quod ſatiſdato, quàm quod ſine ſatiſdatione debeo. *l.* 4. POMP. LIB. 13. AD Q. MUCIUM.

XCV.

Exponitur altera pars Regulæ, de cauſâ antiquiore.

Hinc Ubi fidejuſſor pro duobus dena fidejuſſit, obligatus eſt in viginti; & ſive viginti (*c*) ſive dena (*d*) ſolverit, utrumque reum liberabit. Sed ſi quinque ſolverit, videamus quem ex reis relevet in quinque? Erit ille relevatus, de quo actum eſt; aut ſi non appareat, antiquius debitum erit inſpiciendum. Idem, & ſi quindecim ſint Soluta: ſi quidem appareat quid actum ſit, in decem, & aliundè quinque erunt relevata. Si verò non apparet; ex antiquiore contractu decem, ex alio quinque erunt relevata. *l.* 24. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

Antiquius autem debitum intelligitur, quod priore loco contractum eſt. Putà in Liberto antiquior contractus (*e*) operarum eſſe non poteſt, ſine quo libertas ei data non eſſet. *l.* 77. MODESTIN. LIB 7. PANDECT.

Ex pluribus autem eâdem die contractis, illud antiquius intelligitur cujus dies priùs venit.

Hinc Scævola. Lucius-Titius duabus ſtipulationibus, unâ quindecim ſub uſuris majoribus, alterâ viginti ſub uſuris levioribus, Seium eâdem die obligavit; ita ut viginti priùs ſolverentur, id eſt, Idibus Septembribus. Debitor poſt diem utriuſque ſtipulationis cedentem, ſolvit viginti-ſex; neque dictum eſt ab altero, pro quâ ſtipulatione ſolveretur. Quæro an quod Solutum eſt, eam ſtipulationem exoneraverit cujus dies antè ceſſit, id eſt ut viginti ſortis Soluta videantur, & in uſuras eorum ſex data? Reſpondit; Magis id accipi (*f*) ex uſu eſſe. *l.* 89. § 2. SCÆVOLA LIB. 29. DIGEST.

Item Valerius Lucii-Titii ſervus ſcripſit: « ACCEPI » à Mario-Marino, ex ſummâ majore tot aureos. » Quæro an hæc ſumma in proximum annum ei accepto ferri debeat, cùm ſuperioris anni ſit reliquator? Reſpondi; Videri in primam quamque ſummam, Liberationem proficere. *l.* 102. § 2. SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS.

XCVI.

Quarta Regula.

ILLUD non ineleganter ſcriptum eſſe Pomponius ait, Si par & dierum & contractuum cauſa ſit, ex omnibus ſummis pro portione videri Solutum. *l.* 8. PAUL. LIB. 10. AD SABIN.

§ II.

Regula circa imputationem Solutionis in ſortem aut in uſuras, quæ ex eâdem cauſâ debentur.

XCVII.

Quinta Regula.

SI NEUTER voluntatem ſuam expreſſit; priùs in uſuras id quod ſolvitur, deinde in ſortem accepto (*g*) feretur. *l.* 1. *Cod. h. tit.* ¶ *ſi neuter.*

Et quidem ſi voluntas expreſſa non fuerit, non inducitur contraria voluntas in ſpecie ſequenti. Apud Marcellum libro viceſimo Digeſtorum quæritur: Si quis ita caverit debitori, IN SORTEM ET USURAS ſe accipere: utrùm pro ratâ & ſorti & uſuris decedat; an verò priùs in uſuras; & ſi quid ſupereſt, in ſortem (*Florent.* ſorte)? Sed ego non dubito quin hæc cautio IN SORTEM ET IN USURAS, priùs uſuras admittat; tunc deinde ſi quid ſuperfuerit, in ſortem cedat. *l.* 5. § *fin.* ULP. LIB. 43. AD SABIN.

Nec enim ordo ſcripturæ ſpectatur; ſed potiùs ex Jure ſumitur id quod agi (*h*) videtur. *l.* 6. PAUL. LIB. 4. AD PLAUT.

Hæc autem Regula ita demùm obtinet, ſi uſuræ civiliter debeantur; non, ſi naturaliter tantùm.

Hinc Ulpianus. Sed ſi fortè uſuræ non ſint debitæ (*i*), & quis ſimpliciter ſolverit quas omninò non erat ſtipulatus (*k*); Imperator Antoninus cum Divo patre ſuo reſcripſit, ut in ſortem cedant. Eidem autem Reſcripto ita ſubjicitur: « QUOD generaliter conſtitutum eſt, » PRIUS IN USURAS NUMMUM SOLUTUM ACCEPTO » FERENDUM, ad eas uſuras videtur pertinere quas » debitor exſolvere cogitur. Et ſicut ex pacti conven- » tione datæ repeti non poſſunt; ita proprio titulo non » numeratæ, pro Solutis (ex arbitrio percipientis) non habebuntur. » *l.* 5. § 2. ¶ *ſed ſi.* ULP. LIB. 43. AD SABIN.

Sed etſi naturaliter tantùm deberentur uſuræ, ſi pignus

(*a*) Eſt enim in eo cæteris gravior, quòd pariat uſuras centeſimas: ſuprà lib. 42. Tit. *de Re jud.* N. 43. & habeat *Executionem* [ut Pragmatici vocant] *paratam.*

(*b*) Id eſt, nec debitor nec creditor demonſtravit in quam cauſam fieret Solutio.

(*c*) Viginti ſemel.

(*d*) Dena bis.

(*e*) *Antiquior* quàm *operarum.* Hic ſi quidem contractus, ſtatim in primo inſtanti libertatis, quo demùm momento incipit manumiſſi perſona obligari poſſe, inter patronum & libertum interponitur.

(*f*) Sed nonne eſt gravior altera cauſa, quæ ſub majoribus uſuris debetur? Fortè modicum erat diſcrimen inter utriuſque debiti uſuras, ut attendi non debuerit.

(*g*) Non enim potuiſſet cogi creditor accipere ſortem ante uſuras.

(*h*) Bynkershoeck pro *videtur*, cenſet legendum *jubetur*; & Juriſconſultum reſpicere ad Conſtitutionem Antonini quâ jubetur priùs in uſuras quàm in ſortem imputari: mox infrà l. 5. § 2. ff. *h. tit.* N. ſeq.

(*i*) Civiliter ſcilicet.

(*k*) Id eſt, non promiſerat per ſtipulationem. Verbum *Stipulari*, non ſolùm ad Stipulatorem, ſed interdum & ad promiſſorem refertur: ut in l. 26. § 13. ff. *de Condict. indeb.*

pro

Source : BIU Cujas

pro his datum fuerit; locum habebit Regula. Sic enim reſcribit Philippus: Si uſuras præſtari pignore dato convenerat; & in continenti numeratione factâ, poſtea vel ante propter quod debitum Solutionem feceras, non deſignaſti: habuit creditor, in uſuras tibi accepto ferendæ Solutæ quantitatis facultatem. *l.* 21. *Cod. de Uſuris.*

§ III.

Aliæ Regulæ circa eamdem Solutionis imputationem.

XCVIII.

Sexta Regula.

LICÈT *in unam cauſam expreſsè debitor ſolverit; ſi ex hâc causâ minùs debebat quàm quod ſolvit, in reliquas cauſas imputabitur: ſimilique ratione, ſi plus uſurarum nomine ſolvit quàm eo nomine deberet, hoc plus in ſortem imputabitur,*

Hinc Scævola. Titius mutuam pecuniam accepit, & quincunces uſuras ſpopondit, eaſque paucis annis ſolvit; poſtea nullo pacto interveniente, per errorem & ignorantiam ſemiſſes uſuras ſolvit. Quæro an patefacto errore, id quod ampliùs uſurarum nomine Solutum eſſet, quàm in ſtipulatum deductum, ſortem minueret? Reſpondit; Si errore plùs in uſuris ſolviſſet quàm deberet; habendam rationem in ſortem, ejus quod ampliùs Solutum eſt. *l.* 102. § *fin.* SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS.

XCIX.

Septima Regula.

QUOTIENS unus ex fidejuſſoribus ſuam partem ſolviſſet, tanquam negotium reo geſſiſſet; perindè habendum eſt, ac ſi reus ipſe unius fidejuſſoris partem ſolviſſet. Sed tamen ut non ex ſorte decedat (*a*): ſed is fidejuſſor ſolus Liberatur, cujus nomine Solutio facta fuerat. *l.* 37. JULIAN. LIB. 2. AD URSEIUM-FEROCEM.

ARTICULUS II.

De imputatione ejus quod creditor ex pretio diſtracti pignoris ipſe ſibi Solvit.

C.

Prima Regula.

QUUM *is qui ex pluribus cauſis creditor eſt, in unam cauſam pignus accepit; in eam cauſam pretium redacti pignoris imputat quamvis ſit levior, imò quamvis naturale debitum duntaxat contineret.*

Hinc Paulus reſpondit; Aliam cauſam eſſe debitoris ſolventis, aliam creditoris pignus diſtrahentis. Nam quum debitor ſolvit pecuniam, in poteſtate ejus eſſe commemorare in quam cauſam ſolveret. Quum autem creditor pignus diſtraheret, licere ei pretium in acceptum referre, etiam in eam quantitatem quæ naturâ tantùm debebatur: & ideò, deducto eo debitum peti poſſe. *l.* 101. § 1. PAUL. LIB. 15. RESPONS.

Conſonat quod ait Marcellus. Ob triginta nummos pecuniæ creditæ, fidejuſſorem in viginti dedi, & pignus in decem. Ex venditione autem pignoris, creditor decem conſecutus eſt. Utrùm ex univerſitate id decedit (ut quidam putant), ſi in ſolvendis decem nihil debitor dixiſſet; an (ſicut ego puto) in totis decem fidejuſſori contingit Liberatio? Quia hoc dicendo potuit hoc efficere debitor: ut, ubi non dixit, id potiùs Solutum (*Florent.* ſoluturum) exiſtimetur, quod ſatisdato (*b*) debeatur. Magis tamen exiſtimo licuiſſe creditori, in id quod ſolus debebat reus, accepto referre. *l.* 73. MARCELL. LIB. 31. DIGEST.

CI.

Secunda Regula.

QUUM eodem tempore pignora duobus contractibus obligantur; pretium eorum, pro modo pecuniæ cujuſque contractûs, creditor accepto facere debet. Nec in arbitrio ejus electio erit, cùm debitor pretium pignoris conſortioni ſubjecerit. *l.* 96. § 3. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

CII.

Tertia Regula.

QUOD ſi temporibus diſcretis ſuperfluum pignorum obligari placuit: prius debitum pretio pignorum jure ſolvetur, ſecundum ſuperfluo compenſabitur. *d.* § 3. ¶ *quòd ſi.*

Si tamen poſteriori loco hâc lege pignus contractum eſſet, ut in hanc æquè ac in priorem cauſam eſſet obligatum; pretium in utramque cauſam imputari deberet, & quidem æqualiter, non pro ratâ. Nil refert autem his omnibus caſibus, quòd altera ex his cauſis naturale duntaxat debitum contineat.

Sic accipe quod Imperator Antoninus cum Divo patre ſuo reſcripſit; QUUM diſtractis pignoribus creditor pecuniam redigit; ſi ſint uſuræ debitæ & aliæ indebitæ (*c*); quod ſolvitur in uſuras, ad utramque cauſam uſurarum, tam debitarum quàm indebitarum, pertinere. Putà quædam earum ex ſtipulatione, quædam ex pacto naturaliter debebantur. Si verò ſumma uſurarum debitarum & non debitarum, non eadem ſit; æqualiter ad utramque cauſam proficit quod Solutum eſt, non pro ratâ: ut verba Reſcripti oſtendunt. *l.* 5. § 2. ULP. LIB. 43. AD SABIN.

CIII.

Quarta Regula.

QUUM *ex eâdem causâ propter quam pignus datum aut captum eſt, ſors & uſuræ deberentur; quod creditor ex pignore percepit, priùs in uſuras debet imputari quàm in ſortem.*

Hinc Marcellus. Titia quum propter dotem bona mariti poſſideret, omnia pro dominâ egit, & moventia diſtraxit. Quæro an ea quæ ex re mariti percepit, in dotem ei reputari debeant? Marcellus reſpondit; Reputationem ejus quod proponeretur, non iniquam videri. Pro ſoluto enim magis habendum eſt, quod ex eâ causâ mulier percepit. Sed ſi fortè uſurarum quoque rationem arbiter dotis recuperandæ habere debuerit: ita eſt computandum; ut, prout quidque ad mulierem pervenit, non ex universâ ſummâ decedat; ſed priùs in eam quantitatem, quam uſurarum nomine mulierem conſequi oportebat. Quod non eſt iniquum. *l.* 48. MARCELL. LIB. SINGUL. RESPONSOR.

(*a*) Id eſt; non ex universâ ſorte, ſed ex eâ ſortis parte in quam fidejuſſor ille erat obligatus. Finge duos eſſe fidejuſſores, qui per exceptionem *Diviſionis* ſinguli pro dimidiâ ſortis à reo debitæ obligati ſunt: unus ſolvit ſuam dimidiam, non ſuo ſed rei nomine. Cùm rei nomine ſolverit, perindè eſt ac ſi reus ipſe ſolviſſet: ſed ſic tamen ut reus non ex universâ ſorte ſolviſſe videatur, ſed in eam partem imputaſſe quam fidejuſſor ille debebat; ita ut is ſolus fidejuſſor liberetur. Aliter Cujacius hanc legem interpretatur.

(*b*) Quæ cauſa gravior eſt, ſuprà N. 94.

(*c*) *Indebitæ* civiliter; debitæ tamen naturaliter, ſcilicet ex nudo pacto promiſſæ.

Source : BIU Cujas

TERTIA PARS.

De Liberatione quæ contingit ex rei debitæ interitu, aut ex eo quod in eum casum devenerit quo non posset in obligationem deduci.

ARTICULUS I.

Liberationis hujusmodi afferuntur varia exempla & exceptiones.

CIV.

Obligatio extinguitur; si res in obligationem deducta, in eam causam reciderit ut in obligationem deduci non possit.

Hinc V. G. Omnes debitores qui speciem ex causâ lucrativâ debent, Liberantur quum ea species ex causâ lucrativâ (*a*) ad creditores perveniſſet. *l.* 17. *ff. de Oblig. & act.* JULIAN. LIB. 33. DIGEST.

Et alibi. Si rem quam ex causâ lucrativâ stipulatus sum, nactus fuero ex causâ lucrativâ; evanescit stipulatio. Sed (*b*) si heres extitero domino, extinguitur stipulatio. *l.* 83. § 6. *ff. de Verb. oblig.* PAUL. LIB. 72. AD ED.

Hoc tamen locum non habet, nisi quum res perfectè & irrevocabiliter mea facta fuerit. Hinc statim subjicitur: Si verò à me herede defunctus eam legavit, potest agi Ex stipulatu. Idemque esse, & si sub conditione legata sit: quia & si ipse debitor rem sub conditione legatam dediſſet, non Liberaretur. Sed si conditione deficiente remanserit, petitio infirmabitur. *d.* § 6. ¶ *si verò.*

Observandum quòd Ex promiſſione dotis, non videtur lucrativa causa esse; sed quodammodo creditor (*c*) aut emptor intelligitur, qui dotem petit. Porrò quum creditor vel emptor ex lucrativâ causâ rem habere cœperit, nihilominùs integras actiones (*d*) retinent. Sicut ex contrario; qui non ex causâ lucrativâ rem habere cœpit, eamdem non prohibetur ex lucrativâ causâ petere. *l.* 19. *ff. de Oblig. & act.* JULIAN. LIB. 73. DIGEST.

CV.

Cùm stipulatio extinguatur, re deveniente in eam causam in quâ promitti non potuit; hinc Si qui viam ad fundum suum dari stipulatus fuerit, postea fundum partem-ve ejus ante constitutam servitutem alienaverit; evanescit (*e*) stipulatio. *l.* 136. § 1. *ff. de Verb. oblig.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Quocircà nota. Etsi placeat extingui obligationem, si in eum casum inciderit à quo incipere non potest; non tamen hoc in omnibus verum est. Ecce stipulari viam, iter, actum ad fundum communem socius non potest: & tamen si is qui stipulatus fuerat, duos heredes reliquerit; non extinguitur stipulatio. Et per partem dominorum servitus adquiri non potest; adquisita tamen conservatur & per partem (*f*) domini: hoc evenit, si pars prædii servientis, vel cui servitur, alterius domini esse cœperit. *l.* 140. § 2. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 3. AD NERAT.

CVI.

Maximè autem extinguitur obligatio, rei debitæ interitu; nisi tamen facto, culpâ-ve debitoris, aut post moram ejus, interierit.

Igitur Si certos (*g*) nummos, putà qui in arcâ sint, stipulatus sim, & hi sine culpâ promissoris perierint; nihil nobis debetur. *l.* 37. *ff. de Verb. oblig.* PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

Item Si Stichus certo die dari ptomissus, ante diem moriatur; non tenetur promissor. *l.* 33. *ff. d. tit.* POMPON. LIB. 25. AD SABIN.

Item Si ex legati causâ aut ex stipulatu hominem certum mihi debeas, non aliter post mortem ejus teneris mihi, quàm si per te steterit (*h*) quominùs vivo eo eum mihi dares. Quod ita fit, si aut interpellatus non dediſti, aut occidiſti eum. *l.* 23. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 9. AD SABIN.

Morti non dissimilis est is casus, quo res commercio eximitur. Igitur Is qui alienum servum promisit, perducto eo ad libertatem, ex stipulatu actione non tenetur. Sufficit enim si dolo culpâ-ve careat. *l.* 51. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 51. AD ED.

Similiter Pomponius. Si mihi alienum servum dari promiseris, aut testamento dare jussus fueris, isque servus, antequàm per te staret quominùs dares; à domino manumissus sit; hæc manumissio morti similis sit. Si autem decessisset, non tenearis. *l.* 92. POMPON. LIB. 9. EPISTOLAR.

CVII.

An autem resuscitabitur obligatio; si is qui manumissus est, rursùs servus fiat, aut res quæ interierat revivisceve videatur.

Hâc de re ita Celsus. Area legata, si inædificata medio tempore fuerat, ac rursùs area sit; quanquàm tunc peti non poterat, nunc tamen debetur. *l.* 79. § 2. *ff. de Legatis* 3°. CELSUS LIB. 9. DIGEST.

Servus quoque legatus, si interim manumittatur, & postea servus factus sit; postea peti potest. *d. l.* 79. § 3.

Meritò autem Celsum in utroque Paulus arguit; & in eo quod putavit obligationem servi qui manumissus est, aut rei quæ interierit, posse revivisceve; & in eo quod credidit, aream ideò interire nec peti posse quòd inædificetur.

Ita Paulus. Aream promisi alienam: in eâ dominus insulam ædificavit: an stipulatio extincta sit, quæsitum est? Respondi: Si alienum hominem promisi, & is à domino manumissus est; liberor. Nec admissum est quod Celsus ait; Si idem rursùs Lege aliquâ servus effectus sit, peti eum posse. In perpetuum enim sublata obligatio, restitui non potest; &, si servus effectus sit, alius videtur esse. Nec simili argumento usus est, ut si navem quam tu promisisti, dominus dissolverit; deinde iisdem tabulis compegerit; teneri te. Hìc enim eadem navis est quam te daturum spopondisti: ut videatur magis obligatio cessare (*i*), quàm extincta esse. Homini autem manumisso simile fiet, si eâ mente dissolutam esse navem posueris, ut in alios usus converterentur tabulæ; deinde mutato consilio easdem compositas.

(*a*) Secùs, si ex causâ onerosâ. Nam res cujus pretium mihi abest, non intelligitur esse perfectè mea: undè non est inutilis hujus stipulatio.

(*b*) *Sed* hìc accipe, pro pariter; *Sed & si.*

(*c*) *Creditorem* hìc appellat, qui dedit aut promisit ut quid viciſſim acciperet.

(*d*) Ut ejus rei æstimationem consequantur. Undè colligendum relinquit; maritum cui certus fundus ex causâ dotis promissus est, licèt hunc fundum postea ab alio ex causâ donationis acceperit; tamen posse adhuc à promissore dotis ejus pretium petere: quia causa dotis ex quâ ipsi debetur, est onerosa; propter onera matrimonii quibus se vir subjicit.

(*e*) *Via* enim deberi non potest, nisi ei qui totius fundi dominus est; cùm non possit pro parte acquiri servitus.

(*f*) Vide suprà lib. 8. Tit. *de Servitut.* N. 19.

(*g*) Secùs, si *incertos.* Nullius enim speciei interitu, generis obligatio extinguitur; cùm non possit dici eam quæ interierit, fuisse hoc ipsum quod debebatur. Vide infrà Art. fin.

(*h*) Vide Art. seq.

(*i*) Consopita esse donec reficiatur, non prorsùs extincta. Hoc efficit animus eam reficiendi.

Source : BIU Cujas

Alia enim videbitur esse posterior navis, sicut ille alius homo est. Non est his similis area in quâ ædificium positum est. Non enim desiit in rerum naturâ esse; imò & peti potest area, & æstimatio ejus solvi debebit: pars enim insulæ area est, & quidem maxima, cui etiam superficies cedit. Diversum dicemus; si servus promissus, ab hostibus captus sit: hic interim peti non potest, quasi ante diem; sed si redierit postliminio, rectè tunc petetur. Cessavit enim hîc obligatio (*a*): area autem extat, sicut cætera ex quibus ædificium constitit. Denique Lex Duodecim Tabularum tignum ædibus junctum vindicari posse scit (*b*); sed interim id solvi prohibuit, pretiumque ejus dari voluit. *l.* 98. § 8. PAUL. LIB. 15. QUÆST.

ARTICULUS II.

Fusiùs exponuntur ea quæ pertinent ad factum, culpam, moram-ve debitoris, quominùs obligatio extinguatur per rei interitum.

Vidimus extingui obligationem quum res interiit, aut commercio exempta est; nisi tamen facto culpâ-ve debitoris, aut post moram ejus hoc contigerit.

CVIII.

Et 1°. *non extinguitur, quum facto debitoris hæc contingunt.*

Igitur V. G. Si servum stipulatus fuero, & nullâ morâ intercedente servus decesserit; si quidem occidat eum promissor, expeditum (*c*) est. *l.* 91. *ff. de Verb. oblig.* PAUL. LIB. 17. AD PLAUT.

De illo quæritur; an & is qui nesciens se debere occiderit, teneatur? Quod Julianus putat; in eo qui, quum nesciret à se petitum codicillis ut restitueret, manumisit. *d. l.* 91. § 2.

Sed Qui servum mihi ex stipulatu debebit, si in facinore eum deprehenderit, impunè eum occidit: nec utilis actio erit in eum constituenda. *l.* 96. *ff. d. tit.* MARCELL. LIB. 12. DIGEST.

Quemadmodum qui facto promissoris interiit, perindè debetur ac si viveret; ita qui facto promissoris exemptus est commercio, perindè debetur ac si exemptus non esset.

Cæterùm Is qui ex stipulatu Stichum debeat, si eum ante moram manumiserit; & is, priusquàm super eo promissor conveniretur, decesserit: non tenetur (*d*). Non enim per eum stetisse videtur, quominùs eum præstaret. *l.* 45. *ff. de Oblig. & act.* PAUL. LIB. 5. AD PLAUT.

CIX.

2°. *Pariter, imò longè magis, non extinguitur obligatio; si culpâ debitoris res interiit, aut exempta commercio est.*

An autem hîc, etiam in non faciendo culpam æstimabimus? Ita hâc de re Paulus: Sin autem negligat infirmum, an teneri debeat promissor? considerantibus utrùm quemadmodum in vindicatione hominis, si neglectus à possessore fuerit, culpæ hujus nomine tenetur possessor; ita & quum dari promisit, an culpa (quod ad stipulationem attinet) in faciendo accipienda sit, non in non faciendo? Quod magis probandum est: quia qui dari promisit, ad dandum, non faciendum (*e*) tenetur. *l.* 91. *ff. de Verb. oblig.* ¶ *fin autem.* PAUL. LIB. 17. AD PLAUT.

Quando autem res commercio eximi culpâ promissoris videatur, ita docet idem. Paulus. Sed si sit quidem res in rebus humanis, sed dari non possit; ut fundus religiosus (putà) vel sacer factus, vel servus manumissus, vel etiam ab hostibus si capiatur; culpa in hunc modum dijudicatur: ut, si quidem ipsius promissoris res, vel tempore stipulationis, vel postea fuerit; & quid eorum acciderit; nihilominùs teneatur. Idemque fiat; & si per alium, posteaquàm ab hoc alienatus (*f*) sit, id contigerit. Sin autem alienus fuit, & ab alio tale quid accidit; non tenetur: quia nihil fecit; nisi si, posteaquàm moratus est Solutionem, aliquid hujusmodi acciderit. Quam distinctionem & Julianus sequitur. Item si homo qui fuit promissoris, ex præcedenti causâ ablatus ei fuerit, quòd statuliber fuit; perindè habendus sit, ac si alienum promisisset: quia sine facto ipsius desiit ejus esse. *d. l.* 91. § 1.

CX.

3°. *Denique non extinguitur obligatio, si post moram debitoris res promissa interierit aut commercio exempta est. Igitur* Si post moram promissoris homo decesserit; tenetur nihilominùs, perindè ac si homo viveret.

Et hic moram videtur feciisse, qui litigare maluit quàm restituere. *l.* 82. § 1. *ff. d. tit.* ULPIAN. LIB. 78. AD ED.

Maximè autem debebitur res quæ post moram interiit, quum ejus erat naturæ ut lapsu temporis interiret.

Hinc Africanus. Quæsitum est: Si quum in annos decem proximos usumfructum de te dari stipulatus essem, per te steterit quominùs dares; & quinquennium transierit; quid Juris sit? item, si Stichi decem annorum proximorum operas de te dari stipulatus sim; & similiter quinquennium præteriit? Respondit; Ejus temporis usumfructum & operas rectè peti, quod per te transactum est quominùs darentur. *l.* 37. *ff. de Usufr. & quemadm.* AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

CXI.

Quod hactenùs diximus rem quæ post moram interiit, adhuc deberi; sic accipe, nisi mora purgata fuisset.

Hinc Paulus. Sequitur videre de eo quod Veteres constituerunt, QUOTIENS CULPA INTERVENIT DEBITORIS PERPETUARI OBLIGATIONEM, quemadmodum intelligendum sit? Et quidem si effecerit promissor quominùs solvere possit, expeditum intellectum habet constitutio. Si verò moratus sit tantùm; hæsitatur an, si postea in morâ non fuerit, extinguatur superior mora? Et Celsus adolescens scribit; Eum qui moram fecit in solvendo Sticho quem promiserat, posse emendare eam moram postea offerendo: esse enim hanc quæstionem DE BONO ET ÆQUO; in quo genere, PLERUMQUE SUB AUCTORITATE JURIS SCIENTIÆ PERNICIOSÈ (inquit) ERRATUR. Et sanè probabilis hæc sententia est: quam quidem & Julianus sequitur. Nam dum quæritur de damno, & par utriusque causa sit; quare non potentior sit qui teneat, quàm qui persequitur? *l.* 91. § 3. *ff. de Verb. oblig.* PAUL. LIB. 17. AD PLAUT.

Idem alibi breviùs. Stichi promissor, post moram offerendo purgat moram. Certè enim Doli mali exceptio nocebit, ei qui pecuniam oblatam accipere noluit. *l.* 73. § 2. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 24. AD ED.

Denique ita demùm res culpâ aut post moram debitoris extincta, deberi pergit; si potuisset non æquè apud creditorem perire; putà quòd fortè eam esset distracturus: ut alibi passim jam obiter vidimus, l. 47. § *fin. ff.* de Legatis 1°. *l.* 24. § 1. *ff.* Depositi, *l.* 12. § 4. *ff.* ad exhibend. *l.* 15. § *fin. ff.* de Rei vind. *l.* 40. *ff.* de Petit. hered.

(*a*) Hæc est ratio cur *Diversum* dici debeat. Scilicet *hîc* [in servo] *cessavit interim* dum captus esset, & quasi consopita est *obligatio*: *Area autem* semper in eâdem obligatione manet quandiù ipsa *extat*, licèt inædificata.

(*b*) Vulgata *sciscit*. Melior Florentina lectio *scit*; id est, Lex XII Tabularum seu potiùs hujus Legis auctores sciebant, tignum ædibus junctum non videri interiisse, & solutum posse vindicari, & de eo exhibendo agi; sed propter singularem utilitatis rationem, prohibuerunt illud solvi ab ædibus. Et hâc ratione, vindicari non potest; sed loco ejus, pretium datur.

(*c*) Scilicet manere obligatum promissorem.

(*d*) Nam debebatur quidem, perindè ac si manumissus non esset; cùm esset facto possessoris exemptus commercio: sed, etiamsi manumissus non esset, desiisset deberi quum mortuus est. Ergo pariter debet desinere deberi.

(*e*) Unicuique licet in re suâ esse negligentem. Quum rem suam promisit; hoc duntaxat promisit, se eam daturum, non ut aliquam diligentiam circa eam rem præstaret.

(*f*) Ipse enim in culpâ est, hoc ipso quòd alienaverit rem quam promiserat dare. Eam alienando causam ipse præbuit facto quod postea contigit.

Source : BIU Cujas

Excipiuntur tamen ab hâc limitatione, fures & prædones; quia hi non ſolùm in culpâ & morâ, ſed & in delicto verſantur: l. fin. ff. de Condict. furt. *l.* 19. *ff.* de Vi & vi arm.

CXII.

Vidimus ex facto, culpâ, aut morâ debitoris, perpetuari obligationem poſt rei debitæ interitum. Nunc videamus in quibus perſonis hæc conſtitutio (*a*) locum habeat. Quæ inſpectio duplex eſt; ut primò quæramus; quæ perſonæ efficiant perpetuam obligationem; deindè, quibus eam producant. Utique autem principalis debitor perpetuat obligationem. Acceſſiones (*b*) an perpetuent, dubium eſt? Pomponio perpetuari placet. Quare enim facto ſuo fidejuſſor ſuam obligationem tollat? Cujus ſententia vera eſt. Itaque perpetuatur obligatio tam ipſorum quàm ſucceſſorum eorum; acceſſionibus quoque ſuis, id eſt fidejuſſoribus, perpetuant obligationem: quia in totam cauſam ſpoponderunt. *l.* 91. § 4. *ff. de Verb. oblig.* PAUL. LIB. 17. AD PLAUT.

Intereſt tamen, inter reum principalem & acceſſores ejus. Nam Quum facto ſuo reus principalis obligationem perpetuat, etiam fidejuſſoris durat obligatio: veluti ſi moram fecit in Sticho ſolvendo, & is deceſſit. *l.* 58. § 1. *ff. de Fidejuſſ. & mandat.* PAUL. LIB. 21. QUÆST.

At contrà vice versâ obtinet. Putà Item ſi fidejuſſor ſolus moram fecerit, reus non tenetur, ſicuti ſi Stichum promiſſum occiderit: ſed utilis actio in hunc (*c*) dabitur. *l.* 32. § 5. *ff. de Uſuris.* MARCIAN. LIB 4. REGUL.

CXIII.

Igitur Quum reus moram facit, & fidejuſſor tenetur. *l.* 24. § 1. *ff. de Uſuris.* PAUL. LIB. 37. AD ED.

Hinc Paulus. An filiusfamilias qui juſſu patris promiſit, occidendo ſervum producat patris obligationem, videndum eſt? Pomponius producere putat; ſcilicet quaſi acceſſionem (*d*) intelligens, eum qui jubeat. *ſup. d. l.* 91. § 5. *ff. de Verb. oblig.*

Idem alibi. Quum filiusfamilias Stichum dari ſpoponderit; & quum per eum ſtaret quominùs daret, deceſſit Stichus: datur in patrem DE peculio actio, quatenùs maneret filius ex ſtipulatu obligatus. *l.* 49. *ff. de Verb. oblig.* PAUL. LIB. 37. AD ED.

Uno tamen caſu notat idem Paulus, moram rei fidejuſſori non nocere. Ita ille: Mora rei, fidejuſſori quoque nocet: ſed ſi fidejuſſor ſervum obtulit, & reus moram fecit; mortuo Sticho, fidejuſſori ſuccurrendum eſt. *l.* 88. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 6. AD PLAUT.

Non autem, quemadmodum reus ſuam obligationem perpetuando, regulariter etiam acceſſorum obligationes perpetuat; ita vice versâ obtinet in iis qui ipſius obligationi acceſſerunt.

Hinc in ſpecie modò relatâ, ſtatim addit Paulus: Sed ſi fidejuſſor hominem occiderit, reus Liberatur; fidejuſſor autem ex ſtipulatione conveniri poteſt. *d. l.* 88. ¶ *fin.*

Pariter in ſpecie ſupràdictâ, quâ mora filiifamilias patrem obligat; contrà ait idem Paulus: At ſi pater (*e*) in morâ fuit, non tenebitur filius. Sed Utilis actio in patrem danda eſt. Quæ omnia & in fidejuſſoris perſonâ dicuntur. *l.* 49. *ff. de Verb. oblig.* ¶ *at ſi.* PAUL. LIB 37. AD ED.

CXIV.

Hæc de acceſſoribus. Quid autem in correis ſeu pluribus debitoribus æquè principaliter obligatis? Ex duobus reis ejuſdem Stichi promittendi factis, alterius factum alteri quoque nocet. *l.* 18. *ff. de Duob. reis conſtit.* POMP. LIB. 5. EX PLAUTIO.

Scilicet in hoc nocet, ut perpetuetur obligatio re extinctâ. An verò noceat etiam ad augendam obligationem pariendaſque uſuras? De hâc alterâ quæſtione accipe quod ait Marcianus: Sed ſi duo rei promittendi ſint, alterius mora alteri non nocet (*f*). *l.* 32. § 4. *ff. de Uſur.* MARCIAN. LIB. 4. REGUL.

Et alibi. Unicuique ſua mora nocet. Quod & in duobus reis promittendi obſervatur. *l.* 173. § 2. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 6. AD PLAUT.

Mora aut factum alterius ex correis, perpetuat quidem obligationem adversùs cæteros correos. Verùm cum correis cave confundas coheredes; qui rem legatam ſinguli, pro parte quam quiſque in eâ habet, debent.

Hinc Si unus ex heredibus ſervum legatum occidiſſet; omninò mihi non placet coheredem teneri, cujus culpâ factum non ſit ne res in rerum naturâ ſit. *l.* 48. § 1. *ff. de Legatis* 1°. POMP. LIB. 6. AD SABIN.

CXV.

Jam videndum quibus perpetuetur obligatio, ſeu quibus mora proſit? Et prodeſt, non ſolùm ipſi creditori cui facta eſt, ſed & heredibus ejus.

Unde Africanus. Cùm patrifamilias mora facta ſit, jam in herede ejus non quæritur mora. Nam tunc heredi proximo, hereditario jure ea (*g*) competet: ideòque ad cæteros quoque deinceps tranſmittitur. *l.* 27. *ff. de Uſuris.* AFRIC. LIB. 8. QUÆST.

CXVI.

Supereſt ut de effectu obligationis ita perpetuatæ videamus. Effectus hujus conſtitutionis ille eſt, ut adhuc homo peti poſſit. Sed & acceptum ei poſſe fieri creditur, & fidejuſſorem accipi ejus obligationis nomine.

Novari autem an poſſit hæc obligatio, dubitationis eſt: quia neque hominem qui non eſt, neque pecuniam quæ non debetur, ſtipulari poſſumus? Ego puto novationem fieri poſſe, ſi hoc actum inter partes ſit. Quod & Juliano placet. *l.* 91. § 6. *ff. de Verb. oblig.* PAUL. LIB. 17. AD PAUT.

ARTICULUS III.

In quibus obligationibus obtineat id quod duobus ſuperioribus Articulis dictum eſt.

CXVII.

Quæcumque hactenùs diximus de Liberatione quæ contingit ex eo quòd res debita interierit, aut in eum caſum devenerit ut deberi non poſſit; tunc obtinent, quum ſpecies determinatè debeta eſſet.

Obligatio autem generis non extinguitur, ſi quid ſimile in quâvis ſpecie contingat. Hinc Diocletianus & Maximianus. Incendium ære alieno non exuit debitorem. *l.* 11. *Cod. Si certum petat.*

Similiter quum duæ plures-ve res alternativè debentur, obligatio non extinguitur quandiù una ex his ſupereſt. Igitur V. G. Si Stichum aut Pamphilum mihi debeas; & alter ex eis meus factus ſit ex aliquâ causâ; reliquum debetur mihi à te. *l.* 16. *ff. de Verb. oblig.* POMP. LIB. 6. AD SABIN.

Si tamen creditor fuiſſet in morâ accipiendi ſpeciem alternativè debitam, aut ſub genere debito contentam, quæ ipſi fuiſſet oblata; hujus ſpeciei oblatæ interitu contingeret Liberatio: ut vid. ſuprà lib. 22. *Tit.* de Uſuris, *N.* 66. *Et ratio eſt quia per oblationem determinata eſt obligatio ad ſpeciem oblatam: perindè igitur debet extingui, ac quum ſpecies determinatè debetur.*

CXVIII.

Cùm obligationes plurium rerum alternativè promiſſarum,

(*a*) Id eſt, regula Juris. Cujac.
(*b*) Putà hi qui juſſerunt, Mandatores, Fidejuſſores, &c.
(*c*) Fidejuſſorem ſcilicet.
(*d*) Pater enim accedit obligationi filii, filius eſt debitor principalis.
(*e*) Qui ex contractu filii tenetur.
(*f*) Ita Cujacius has leges conciliat.
(*g*) Per moram perpetuata actio.

Source : BIU Cujas

unâ interemptâ in reliquis durent; non neceſſe eſt, quamvis facto aut culpâ promiſſoris aut poſt ejus moram una ſpecies interempta ſit, perpetuari hujus ſpeciei interemptæ obligationem; niſi poſt electionem hujus ſpeciei factam à creditore cujus erat electio, mora interceſſerit.

Hoc docet Scævola. Stichum aut Pamphilum, utrum ego velim, dare ſpondes? Altero mortuo, qui vivit ſolus petetur: niſi ſi mora facta ſit in eo mortuo quem petitor elegit. Tunc enim perindè ſolus ille qui deceſſit, præbetur (*a*), ac ſi ſolus in obligationem deductus fuiſſet. *l.* 95. PAPIN. LIB. 28. QUÆST.

Quòd ſi promiſſoris fuerit; defuncto altero, qui ſupereſt æquè peti (*b*) poterit. Enimverò ſi facto debitoris alter ſit mortuus, quum debitoris eſſet electio; quamvis interim non alius peti poſſit, quàm qui ſolvi etiam poteſt; neque defuncti offerri æſtimatio poteſt, ſi fortè longè fuit vilior (*c*): quoniam (*d*) id pro petitore in pœnam promiſſoris conſtitutum eſt.

Tamen, etſi alter ſervus poſtea ſine culpâ debitoris moriatur, nullo modo Ex ſtipulatu agi poterit (*e*); cùm illo in tempore quo moriebatur, non commiſerit ſtipulationem. Sanè, quoniam impunita non debent eſſe admiſſa, Doli actio non immeritò deſiderabitur (*f*). Aliter quàm in perſonâ fidejuſſoris qui promiſſum hominem interfecit; quia tenetur Ex STIPULATU actione fidejuſſor (*g*), quemadmodum tenebatur ſi debitor ſine herede (*h*) deceſſiſſet. *d. l.* 95. § 1.

(*a*) Id eſt, æſtimatio ejus præbetur.

(*b*) Et hoc obtinet; ſive citra moram & culpam, ſive poſt moram & culpam promiſſoris, prior deceſſerit.

(*c*) Quum prior culpâ promiſſoris mortuus eſt, poſterior ſolus determinatè debetur: nec poſſet promiſſor offerre mortui pretium, quamvis hoc ipſi utillus eſſet; putà, quia eſſet *vilioris* pretii quàm ſuperſtes.

(*d*) Supple: nec hoc caſu obtineret ſententia eorum qui exiſtimant poſſe ſolvi mortui pretium; quam retulimus ſuprà lib. 33. Tit. *de Optione leg.* N. 32. Hæc enim ſententia ſi poteſt obtinere, eo duntaxat caſu obtineret quo prior citra culpam promiſſoris mortuus eſſet: non autem in præſenti caſu; in quo nempè hoc ipſum ut ſolus qui ſupereſt debeatur, in pœnam promiſſoris conſtitutum eſt.

(*e*) Nec enim poſterioris nomine agetur, cùm ſine culpâ promiſſoris mortuus ſit: nec etiam nomine prioris; quia, quamvis culpâ promiſſoris periit, cùm eo tempore perierit quo liberum ipſi erat non hunc dare ſed illum qui tunc ſupererat; ejus interitus non commiſit ſtipulationem, non eam perpetuavit.

(*f*) Tenebitur promiſſor hoc caſu, non quidem *Ex ſtipulatu*, ſed actione *De dolo*, ut pretium præſtet.

(*g*) Non ſolùm *De dolo*; quamvis dubitari potuiſſet, an extinctâ rei interitu debitoris principalis obligatione, poſſet fidejuſſoria conſiſtere.

(*h*) Quamvis pariter hìc dubitari poſſet, an conſiſtere queat fidejuſſoris obligatio; cùm nulla eſſet perſona cujus eſſet fidejuſſor.

QUARTA PARS.

De Confuſione.

CXIX.

CONFUSIO *in genere ſumpta pro modo tollendæ actionis cujuſlibet, eſt concurſus duorum jurium oppoſitorum in eâdem perſonâ; quo aut invicem deſtruuntur, aut ſaltem alterum ab altero deſtruitur.*

Quatenùs verò conſideratur hìc prout, per ipſam contingit Liberatio obligationis perſonalis, non aliter fit quàm per aditionem hereditatis.

Quocircà ita Papinianus: Aditio hereditatis, nonnunquam jure confundit obligationem; veluti ſi creditor debitoris, vel contrà debitor creditoris, adierit hereditatem.

Aliquando pro Solutione cedit; ſi fortè creditor, qui pupillo ſine tutoris auctoritate nummos ei crediderat, heres ei extitit. Non enim quanto locupletior pupillus factus eſt, conſequeretur (*a*); ſed in ſolidum (*b*), creditum ſuum ex hereditate retinet.

Aliquando evenit, ut inanis obligatio (*c*) aditione hereditatis confirmetur. Nam ſi heres (*d*) qui reſtituerit ex Trebelliano hereditatem, fideicommiſſario heres extiterit; vel mulier (*e*) quæ pro Titio interceſſerat, eidem heres extiterit; incipit obligatio civilis, propter hereditatem ejus qui jure tenebatur, auxilium exceptionis amittere. Etenim inconditum eſt, ſubvenire ſexui mulieris quæ ſuo nomine periclitetur. *l.* 95. § 2. PAPIN. LIB. 28. QUÆST.

Duos illos poſteriores effectus aditæ hereditatis, ſcilicet quòd aliquando pro Solutione cedat, aliquando inanem obligationem confirmet, obiter hìc notaſſe ſufficiat. Cæterùm hìc agimus duntaxat de Confuſione: circa quam hæc tria quærenda ſunt, Quibus caſibus fiat, & Quatenùs; tum deinde, Quis ſit Confuſionis effectus; ubi notabimus, quid Jure Juſtinianeo immutatum hâc in re fuerit.

§ I.

Quibus caſibus actionum perſonalium Confuſio contingat necne per aditionem hereditatis.

CXX.

Confuſio de qua hìc agitur, duplici duntaxat caſu poteſt contingere.

Et 1°. *quum debitor creditori, vel creditor debitori heres exiſtit: ut modò vidimus.*

Hinc Diocletianus & Maximianus. Ut debitum tibi ante aditam hereditatem ſolvatur; ac tunc, ſi ad te pertineret hereditas, quæri jubeamus; præpoſtera petitio eſt. Etenim quum tibi ſoceri ſucceſſionem quæſitam patuerit; debiti petitionem extingui per Confuſionem non ambigitur. *l.* 5. *Cod. de Heredit. act.*

Pariter Antoninus. Debitori tuo ſi heres extitiſti;

(*a*) Per actionem; nec proindè conſequi poteſt per *Confuſionem.* Vide Notam ſeq.

(*b*) Hìc omninò legendum eſſe *in ſolutum* monet Cujacius, non verò *in ſolidum.* Quocircà ſciendum eſt, inquit, pupillum cui ſine tutoris auctoritate pecunia credita eſt, ne quidem naturaliter obligari ſi locupletior non ſit factus; quòd ſi locupletior ex eâ factus ſit, tunc naturaliter quidem obligari, at non civiliter ante Conſtitutionem Divi Pii qui etiam eo nomine actionem in ipſum dedit, ut alibi vidimus. Porrò non infrequens eſt ut Juriſconſulti in ſuis ſcriptis, præſertimque Papinianus, ad ſtrictum Jus & antiquum reſpiciant potiùs quàm ad illud quod de novo & ex ſingulari æquitatis ratione introductum fuerat. His poſitis ſenſus eſt; talem creditorem pupillo heredem factum, *Creditum ſuum* [quantò ſcilicet pupillus factus eſt locupletior] ex ipſius hereditate *retinere in* SOLUTUM ſeu vice Solutionis, non autem per Confuſionem propriè dictam. *Non enim conſequeretur* [inquit Papinianus] id eſt, non poſſet conſequi jure petitionis & actionis etiam id *quantò locupletior pupillus factus eſt*; cùm ſtricto jure nulla ſit eo caſu obligatio civilis & actio, nulla proindè Confuſio per aditionem hereditatis facta: *Confuſio* ſi quidem modus civilis eſt tollendæ obligationis, nec in alias quàm civiles obligationes cadere poteſt. At hìc ſubeſt naturalis ſaltem obligatio, quatenùs nempè locupletior factus eſt pupillus; cujus proindè & vera Solutio eſſe poteſt. Heres igitur poteſt rectè videri id ſibi ſolviſſe ex hereditate pupilli; adeòque in computatione hereditatis, & [putà] in ratione Falcidiæ ponendà, deducere quaſi verè *ſolutum.* Et ita rectè dicitur, Aditionem hereditatis eo caſu non *Confundere obligationem*, ſed *Pro Solutione cedere.*

Alii lectionem vulgatam tuentur, *In* SOLIDUM; putantque in ſpecie præſenti creditorem non id ſolum quatenùs locupletior pupillus factus eſt, ſed totum omninò *ſolidum*que *ſolum creditum* ex hereditate pupilli retinere. Sed minùs probabiliter. Quomodo enim hæc *ſolidi* retentio, *pro Solutione cedere* dici poteſt in eâ debiti ſpecie cujus nec vera *Solutio* eſſe poteſt? Conſtat enim ex aliis expreſſis textibus, id quod pupillus ſine tutoris auctoritate accepit, & ex quo locupletior non eſt factus, non rectè ſolvi, & quaſi perperàm ſolutum condici. Vide ſuprà lib. 12. Tit. *de Condict. indeb.* N. 4. Vide & ſuprà lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.* Scholium noſtrum N. 16.

(*c*) Juriſconſultus poſtquàm oſtendit quem effectum haberet aditio hereditatis, circa obligationes quæ civiles & efficaces ſunt; deinde quem effectum habeat circa obligationes merè naturales; hìc agit de obligationibus civilibus, quæ inefficaces ſunt propter exceptionem quâ excluduntur: docetque aditionem hereditatis hunc interdum effectum habere ut eas reddat efficaces, removendo exceptionem; & duo exempla affert.

(*d*) Primum exemplum ponit in herede qui reſtituit hereditatem ex Trebelliano. Manet quidem heres, & obligatus creditoribus hereditariis: verùm obligatio ejus eſt inefficax, propter exceptionem reſtitutæ hereditatis quâ ſe tueri poteſt. Sed cùm ipſe fideicommiſſario, qui his actionibus utiliter tenebatur, heres extiterit: obligatio quæ erat inefficax, fit efficax; remotâ eâ quâ jam uti non poteſt exceptione reſtitutæ fideicommiſſario hereditatis.

(*e*) Alterum exemplum.

Source : BIU Cujas

actio quam contra eum habuisti, aditâ hereditate Confusa est. *l.* 7. *Cod. de Pactis.*

Nota. Sed si eam hereditatem, posteaquam in judicio obtinuisti, ei tradidisti quem Sententiâ superaveras, eâ conditione pactoque ut tam cæteris creditoribus quàm tibi in eo quod tibi deberetur, si eam hereditatem non adisses, satisfaceret : pacti conventionisque fides servanda est. Quæ si non servatur; Ex stipulatu, si modò pacto subjecta est, dabitur actio; vel Præscriptis verbis, si stipulatio non intervenit. *d. l.* 7. *Cod.* ¶ *sed si.*

CXXI.

2°. *Alter casus est; quum reus principalis fidejussori heres extitit, aut vicè versâ, aut idem utrique.*

Igitur Quum reus promittendi, fidejussori suo heres extitit; obligatio fidejussoria perimitur.

Quid ergo est? tanquàm à reo debitum petatur: &, si exceptione fidejussori competente (*a*) usus fuerit, IN FACTUM (*b*) replicatio dari debebit, aut Doli mali proderit. *l.* 14. *ff. de Fidejussorib.* JULIAN. LIB. 47. DIGEST.

Consonat Scævola: Sed & si reus heredem fidejussorem scripserit, Confunditur (*c*) obligatio. Et quasi generale quid retinendum est; ut ubi ei obligationi quæ sequelæ locum obtinet, principalis accedit, Confusa sit obligatio (*d*) : quoties duæ sint principales (*e*), altera alteri potiùs adjicitur ad actionem, quàm Confusionem parere. *l.* 93. §. 2. SCÆVOLA LIB. SINGUL. QUÆSTIONUM PUBLICÈ TRACTATARUM.

Quid ergo, si fidejussor reum heredem scripserit? Confundetur obligatio, secundùm Sabini sententiam; licèt Proculus (*f*) dissentiat. *d. l.* 93. § *fin.*

Idem Juris est, quum & reo & fidejussori idem aliquis heres existit.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Fidejussoris quidem heres, exemplo rei principalis, tenetur. Sed si idem utrisque succedat; intercessionis obligatione finitâ, velut principalis tantùm debitoris heres conveniri potest. *l.* 24. *Cod. de Fidejussorib.*

CXXII.

Ita autem obligatio principalis Confundit fidejussoriam, si plenior sit, & reverâ PRINCIPALIS *dici possit.*

Hinc eo casu quo quis pro servo fidejussit, ita Africanus: Quòd si hic servus manumissus (*g*), fidejussori suo heres existat, durare causam fidejussionis putavit; & tamen nihilominùs naturalem obligationem mansuram; ut si obligatio civilis pereat, Solutum repetere non possit (*h*). Nec his contrarium esse, quòd quum reus fidejussori heres existat, fidejussoria obligatio tollatur: quia tunc duplex obligatio civilis cum eodem esse non potest (*i*). Retrò quoque si fidejussor servo manumisso heres extiterit, eadem adversùs eum obligatio manet, quamvis & naturaliter teneatur, nec pro se quis fidejubere possit. *l.* 21. § 2. ¶ *quod si. ff. de Fidejussorib.* AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

Ergo ea quidem obligatio quæ naturâ duntaxat consistit, cùm minùs plena videatur, non Confundit fidejussoriam. Secùs vero de eâ quæ Jure Civili consistit; quamvis reus possit contra eam, beneficio restitutionis quod ætati conceditur, defendi.

Hoc docet Papinianus. Ita ille : Quod vulgò (*k*) jactatur, fidejussorem qui debitori heres extitit, ex causâ fidejussionis liberari; totiens verum est, quotiens rei plenior promittendi obligatio invenitur. Nam si reus duntaxat (*l*) fuit obligatus, fidejussor Liberabitur.

È contrario non potest dici non tolli (*m*) fidejussoris obligationem, si debitor propriam & personalem habuit defensionem. Nam si minori viginti-quinque annis, bonæ fidei (*n*) pecuniam credidit; isque nummos acceptos perdidit, & intrà tempora in integrum restitutionis decessit herede fidejussore; difficile est dicere, causam (*o*) Juris Honorarii quæ potuit auxilio Minori esse, retinere fidejussoris obligationem, quæ principalis fuit, & cui fidejussor is accessit sine contemplatione Juris Prætorii. Auxilium igitur restitutionis, fidejussori qui adolescenti heres extitit; intrà constitutum tempus, salvum (*p*) erit. *l.* 95. § 3. PAPIN. LIB. 28. QUÆST.

CXXIII.

Jam quæri potest de tertio casu. Nempè Si duo rei sint stipulandi, & alter alterum heredem scripsit; videndum an Confundatur obligatio? Placet non Confundi. Quò bonum est hoc dicere (*q*)? quòd si intendat dari sibi oportere; vel ideò dari oportet ipsi quòd heres extitit, vel ideò quòd proprio nomine ei deberetur. Atquin (*r*) magna est hujus rei differentia. Nam si alter ex reis Pacti conventi temporali exceptione summoveri poterit; intererit, is qui heres extitit, utrùm-ne suo nomine, an hereditario experiatur: ut ita possis animadvertere, exceptioni locus sit, necne. *l.* 93. SCÆVOLA LIB. I. SINGUL. QUÆST. PUBLICÈ TRACTATARUM.

Et quemadmodum dicitur in correis stipulandi; pariter Item si duo rei sint promittendi, & alter alterum heredem scripsit; [non (*s*)] confunditur obligatio. *d. l.* 93. § 1.

Consonat quod ait Venuleius. Si reus promittendi altero (*Ita quandoque in Veteribus*, *pro* alteri) reo heres extiterit, duas obligationes eum sustinere dicendum est. Nam ubi quidem altera differentia obligationum esse possit, ut in fidejussore & reo principali; constitit alteram ab alterâ perimi. Quum verò ejusdem duæ potestatis sint; non reperiri quâ alterâ potiùs quàm alteram

(*a*) Putà, quòd pactus esset fidejussor ut non peteretur. Quod pactum soli ei prodest, non reo : ut vid. suprà lib. 2. Tit. *de Pactis* N. 52.

(*b*) Scilicet replicabitur SI NON tanquam fidejussor, sed tanquam reus conveniatur : adeòque, quòd perperàm opponat exceptionem.

(*c*) Malè in Florent. *non confunditur* : quæ negatio deest in Vulgatâ, & perperàm hìc transposita est ex § 1. ejusdem legis, ubi omittitur in Florent. infrà N. 123.

(*d*) Accessoria.

(*e*) Ut quum correus correo heres existit.

(*f*) Malè dissentiebat. Utroque enim casu æquè repugnat, principalem & fidejussoriam obligationem in eâdem personâ intelligi; cùm repugnet aliquem pro semetipso esse intercessorem.

(*g*) Qui naturaliter duntaxat tenetur ex contractu in servitute habito.

(*h*) Non fit igitur hoc casu Confusio.

(*i*) Quæ ratio cessat in hâc specie : cùm servus manumissus, ex contractu in servitute inito non fit civiliter obligatus.

(*k*) Legem hanc difficillimam, Basilica ita verterunt: QUOD dicitur, fidejussorem qui debitori heres extitit, liberari obligatione fidejussoriâ; tunc verum est, quum plenior eâ est obligatio principalis. Nam si reus naturâ duntaxat fuit obligatus, [NON] tollitur fidejussoris obligatio. Si verò debitor personale beneficium exceptionis habuit, tollitur : nam si Minor pecuniam quam accepit, perdiderit, & fidejussor heres ei extiterit; ipse quoque intra constitutum tempus, auxilium restitutionis implorabit. Vide Notam seq.

(*l*) Ex suprà dictis Basilicis ita restituit Cujacius Observ. XI. 34. *Si reus naturâ duntaxat fuit obligatus, fidejussor* NON *liberabitur.* Florentinam tamen lectionem, post Wissenbachium tuetur & Vir Cl. Abraham Wieling in Ultrajectensi Academiâ Juris Professor; & hæc verba *Si reus duntaxat fuit obligatus*, ita interpretatur, *si* modò *reus fuit obligatus*, tunc duntaxat fidejussorem liberari. Eum autem qui statim infrà sequitur ¶*um. E contrario*, ita superiori connectit: *Ex contrario* autem fidejussoris obligatio nonnunquam confunditur, licèt principalis quoad effectum non valeat.

(*m*) Perperàm hìc Rogerius negationem detrahit.

(*n*) Bonæ fidei, pro *Bonâ fide.* Ideò autem dicit credidisse eum *Bonâ fide*; quia qui sciens luxurioso & perdituro adolescenti credit, nullum jus crediti adquirit.

(*o*) Variè hunc locum emendaverunt Cujacius ad h. l. Faber *Conjectur.* VIII. 4. & alii. Probabilior & simplicior videtur emendatio Jacobi Voorda, qui legit PER *Causam juris honorarii*; & mox infrà ante hæc verba *quæ principalis fuit*, subaudit EAM. Ut sensus sit; *difficile est dicere*, PER *causam* [seu sub obtentu causæ] *juris honorarii quæ potuit auxilio Minori esse*, EAM *obligationem quæ principalis fuit & cui fidejussor is accessit, retinere* [hoc est, non tollere, illibatam relinquere, non confundere] *fidejussoris obligationem.*

(*p*) Scilicet hereditario nomine. Non tenebitur autem proprio; cùm obligatio fidejussoria, confusa fuerit per concursum principalis. Quamvis enim principalis ea esset, adversùs quam restitutio in integrum posset competere; tamen cùm hæc restitutio, extrinsecùs & propter ætatem debitoris qui eam contraxit, Jure Prætorio concedatur; non ideò minùs videri debet plena fuisse : nec ideò minùs confudit ac sustulit fidejussoriam obligationem.

(*q*) Hìc incipit Objectio, hoc sensu : Quònam pertinet quærere, utrùm confundatur necne alterutra obligatio, an neutra confundatur? Quid, inquam, hoc refert, cùm, etsi alterutro duntaxat jure, sive *proprio* sive *ideò quòd heres extitit*, correus intendat *sibi dari oportere*; idem omninò consequatur, & *dari ipsi oportet*, ac si utroque jure peteret? Alterutro enim jure rectè petit ille quod in obligationem deductum est; & debitor non plusquàm semel totum debere potest, quamvis utroque jure petatur.

(*r*) Respondet ad Objectionem : Imò magna est hâc in re differentia observanda. Nam si unus ex correis pactus sit se intra certum tempus non petiturum; & alter qui non pactus est, heres ei existat : valdè interest, utrùm-ne suo nomine an hereditario experiatur. Quòd si hereditario; summovetur exceptione *Pacti* quod debitor cum defuncto habuit : si proprio, non summovebitur; cùm ipse nihil tale pactus sit. Ex ergo *Quòd bonum est* scire an ipsius obligatio per additionem hereditatis correi Confusa sit necne : nam si Confusa esset, non posset ille proprio nomine agere.

(*s*) Ita Vulgata : & hæc negatio malè abest à Florentin.

Source : BIU Cujas

consummari: ideòque etsi reus stipulandi heres extiterit; duas species obligationis eum sustinere. *l.* 13. *ff. de Duob. reis const.* VENULEIUS LIB. 3. STIPULATION.

CXXIV.

Supràdictum utrumque casum complectitur Julianus, scilicet eum quo reus fidejussori aut vice versâ heres extitit, & eum quo reus correo; simulque utriusque differentiam apertè docet, consequenter his quæ modò dicta sunt.

Nam Generaliter Julianus ait: Eum qui heres extitit ei pro quo intervenerat, Liberari ex causâ accessionis; & solummodò quasi heredem rei teneri. Denique scripsit; Si fidejussor heres extiterit ei pro quo fidejussit; quasi reum esse obligatum (*a*), ex causâ fidejussionis Liberari.

Reum verò reo succedentem, ex duabus causis esse obligatum: nec enim potest reperiri quæ obligatio quam perimat. At in fidejussore & reo reperitur: quia rei obligatio plenior est. Nam ubi aliqua differentia est obligationum, potest constitui alteram per alteram perimi. Quum verò duæ ejusdem sint potestatis, non potest reperiri cur altera potiùs quàm altera consumeretur. *l.* 5. *ff. de Fidejussorib.* ULP. LIB. 46. AD SABIN.

Refert autem hæc ad speciem in quâ vult ostendere, non esse novum ut duæ obligationes in unius personâ concurrant. Est autem species talis: si reus promittendi reo promittendi heres extiterit, duas obligationes sustinet. Item si reus stipulandi extiterit heres rei stipulandi, duas species obligationis sustinebit. Planè si ex alterâ earum egerit, utramque consumet: videlicèt quia natura obligationum duarum quas haberet, ea esset, ut, quum altera earum in judicium deduceretur, altera consumeretur. *d.* l. 5. § 1.

CXXV.

Sicut obligatio principalis alteram æquè principalem, ita accessoria accessoriam, non Confundit.

Hinc Africanus. Non est novum ut fidejussor duabus obligationibus ejusdem pecuniæ nomine teneatur. Nam si in diem acceptus, mox purè accipiatur, ex utrâque obligatur. Et si fidejussor confidejussori heres extiterit, idem erit. *l.* 21. § 1. *ff* 1. *ff. de Fidejussorib.* AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

CXXVI.

Maximè autem nulla erit Confusio; poteruntque duæ obligationes de eâdem re in unâ personâ concurrere; quum prorsùs separatas causas habent.

Hinc Ulpianus. Non est novum ut duæ obligationes in ejusdem personâ, de eâdem re concurrant. Quum enim is (*b*) qui venditorem obligatum habebat, ei qui eumdem venditorem habebat, heres extiterit; constat duas esse actiones in ejusdem personâ concurrentes, propriam, & hereditariam; & debere heredem institutum, si velit separatim duarum actionum commodo uti, ante aditam hereditatem proprium venditorem convenire, deinde aditâ hereditate hereditarium. Quòd si priùs adierit hereditatem; unam (*c*) quidem actionem movere potest, sed ita ut per eam utriusque contractûs (*d*) sentiat commodum. Ex contrario quoque; si venditor venditori heres extiterit; palàm est, duas evictiones eum præstare debere. *l.* 10. *ff. de Actionib. empti.* ULP. LIB. 46. AD SABIN.

Consonat adhuc & Julianus. Si is qui Stichum dari stipulatus fuerat, heres extiterit ei cui ex testamento idem Stichus debebatur; si ex testamento Stichum petierit, non consumet stipulationem; & contrà, si ex stipulatu Stichum petierit, actionem ex testamento salvam habebit: quia initio ita constiterint hæ duæ obligationes, ut alterâ in judicium deductâ, altera nihilominùs integra remaneret (*e*). *l.* 18. *ff. de Oblig. & act.* JULIAN. LIB. 54. DIGEST.

§ II.

Quatenùs aditio hereditatis Confusionem pariat, obligationemque extinguat.

CXXVII.

Quum creditor debtiori heres fit; pro eâ parte duntaxat ex quâ heres est, extinguitur obligatio.

Hoc docet Papinianus. Ita ille: Debitori creditor pro parte heres extitit, accepto coherede fidejussore Quod ad ipsius quidem portionem attinet; obligatio ratione Confusionis intercidit, aut (quod est verius) solutionis potestate (*f*). Sed pro parte coheredis obligatio salva est, non fidejussoria (*g*), sed hereditaria; quoniam major tollit minorem. *l.* 50. *ff. de Fidejussorib.* PAPIN. LIB. 37. QUÆSTION.

Consonat quod rescribit Gordianus. Pecuniam quam tibi à matre debitam fuisse dicis; ab heredibus ejus, coheredibus tuis, pro parte tibi competente petere debes. Sed & res, si quæ tibi ob idem debitum obligatæ sunt, persequi non prohiberis. *l.* 1. *Cod. de Heredit. act.*

Item Diocletianus & Maximianus. Si adulta cujus curam geris, pro triente, patruo suo quem etiam tutelam ejus administrasse proponis, heres extitit; nec ab eo quicquam exigere prohibita est: debitum à coheredibus ejus pro bessе petere non prohibetur; cùm ultra eam portionem quâ successit, petitio non Confundatur. Nam adversùs (*h*) adultam tuam rescindi postulas testamentum; si quidem coheredes ejus adeuntes hereditatem, se etiam obligant; & si non solvendo constituti probentur, postulatâ separatione (*i*) nullum ei damnum Præses provinciæ fieri patietur. *l.* 6. *Cod. d. tit.*

CXXVIII.

Ita tamen creditor qui debitori heres ex parte exiſtit, salvas adversùs coheredes suos actiones habet; nisi debitor animo exsolvendi debiti eum heredem ex parte instituerit. Verùm hæc voluntas defuncti probari debet, nec præsumitur.

Hæc ex Marcello discimus. Ita ille: Lucius-Titius quum duos filios heredes relinqueret, testamento ita cavit: « QUISQUIS mihi liberorum meorum heres erit, » ejus fidei committo, ut si quis ex his sine liberis » decedat, hereditatis meæ bessem, quum morietur, » fratribus suis restituat. » Frater decedens, fratrem suum ex dodrante fecit heredem. Quæro, an fideicommisso satisfecerit? Marcellus respondit; Id quod ex testamento Lucii-Titii fratri testator debuisset, pro eâ parte quâ alius heres extitisset, peti posse: nisi diversum sensisse eum probaretur. Nam parvum inter hanc speciem interest, & quum aliàs creditor debitori suo exiſtit heres. Sed planè audiendus erit coheres; si probare possit eâ mente testatorem, heredem instituisse fratrem suum, ut contentus institutione, fideicommisso abstinere deberet. *l.* 123. *ff. de Legatis* 1°. MARCELL. LIB. SINGUL. RESPONS.

Huic voluntatis quæstioni locus esse non potest, quum creditor erat patronus filius-ve patroni; qui ex parte debitâ scriptus est heres.

Hinc Scævola. Mulier quædam Filium & filiam heredes

(*a*) Id est; hereditario duntaxat nomine, & *quasi ipsum reum* principalem cui nempè heres extitit: *Ex causâ* autem *fidejussionis*, utpotè per aditionem hereditatis rei principalis confusâ, *liberari*; cùm eo casu obligatio principalis quâ tenetur quasi heres *Rei* trahat ad se & confundat obligationem fidejussoriam quâ tenetur proprio nomine. Fieri enim non potest ut idem ipse sit & reus principalis, & suî ipsius fidejussor.

(*b*) In specie hujusce legis, aliquis rem vendidit uni, deinde eamdem alteri; neutri eam tradidit: alter ex emptoribus alteri heres extitit.

(*c*) Non enim potest ampliùs duas separatim movere. Illæ enim actiones non sunt ampliùs separatæ, cùm in eâdem personâ concurrant.

(*d*) Id est; consequetur unâ actione, in quam duæ quasi conflatæ sunt, quod ex utroque contractu debetur.

(*e*) Hæ enim obligationes diversas causas habent. In quo hæc species differt à specie legis 5. ff. *de Fidejuss.* suprà N. 124. ubi agitur de duobus reis ejusdem obligationis.

(*f*) Nam creditor qui debitoris sui hereditatem adit, compensat creditum suum cum hereditate quam adit: quæ compensatio est vice Solutionis.

(*g*) Id est; pro parte ex quâ fidejussor coheres est, potest eum convenire, sed non tanquam fidejussorem, sed tanquam defuncti debitoris heredem. Obligatio enim hereditaria, utpotè major & principalis, tollit fidejussoriam; suprà N. 121.

(*h*) Id est, adversùs utilitatem tuæ adultæ.

(*i*) De quâ vide Tit. *de Separat.* suprà lib. 42.

Source : BIU Cujas

instituit, & libertis legata dedit; eorumque fidei commisit in hæc verba : « A VOBIS peto, ut quidquid vobis » legavi, contenti sitis viventes, ut post vos filiis meis » restituatis. » Defunctâ testatricis filiâ Mæviâ, libertus decessit; herede instituto patronæ filio ex parte debitâ, ex alterâ extraneo. Quæsitum est an aditâ hereditate, patronæ filius à coherede suo partem eorum quæ ex testamento matris ad Mævium libertum pervenerant, petere potest? Respondi; Ejus quod ei deberetur, si hereditatem non adisset, partem à coherede petere posse. *l.* 89. § 6. *ff. de Legatis* 2°. SCÆVOLA LIB. 4. RESPONS.

§ III.

De effectu Confusionis.

CXXIX.

Effectus Confusionis est ut persona in quâ sit Confusio, ab obligatione eximatur; quâ sublatâ, omnes qui accesserunt obligationi hujus personæ liberantur : ita ut, si non sint alii hujus obligationis rei, necesse sit corruere obligationem.

Hinc Marcellus. A Titio qui mihi ex testamento sub conditione decem debuit, fidejussorem accepi; & ei heres extiti. Deinde conditio legati extitit. Quæro an fidejussor mihi teneatur. Respondit, si ei à quo tibi erat sub conditione legatum, quum ab eo fidejussorem accepisses, heres extiteris; non poteris habere fidejussorem obligatum : quia nec reus est pro quo debeat, sed nec res ulla quæ possit deberi. *l.* 38. § 1. *ff. de Fidejussorib.* MARCELL. LIB. 20. DIGEST.

Pariter Ulpianus. Quidam filiumfamilias à quo fidejussorem acceperat, heredem instituerat. Quæsitum est, si jussu patris adisset hereditatem, an pater cum fidejussore agere posset? Dixi : Quotiens reus satisdandi, reo satis accipiendi heres existeret; fidejussores ideò liberari, quia pro eodem apud eumdem debere non possent. *l.* 34. § 8. JULIAN. LIB. 54. DIGEST.

Hinc Modestinus Confusionem acceptilationi comparans, ait : Sicut acceptilatio in eum diem præcedentes peremit actiones, ita & Confusio. Nam si debitor heres creditori extiterit, Confusio hereditatis peremit petitionis (*Aliàs* petitoris) actionem. *l.* 75. MODESTIN. LIB. 8. REGUL.

CXXX.

Nota tamen; hanc Confusionis cum acceptilatione comparationem, non esse adæquatam. Non enim sicut acceptilatio cæteræque Liberationes, ipsam obligationem tollunt; ita & Confusio : nisi fortè per accidens; quum scilicet nulla alia remanet persona obligata. Aliàs Confusio personam tantùm ab obligatione eximit.

Hoc docet Paulus. Ita ille : Granius-Antoninus pro Julio-Pollione & Julio-Rufo pecuniam mutuam accipientibus, ita ut duo rei ejusdem debiti fuerint, apud Aurelium-Palmam mandator extitit. Julii bona ad fiscum venerunt, similiter & creditori fiscus successerat. Mandator allegabat se Liberatum jure Confusionis; quia fiscus tam creditori quàm debitori successerat. Et quidem, si unus debitor fuisset; non dubitabam, sicut fidejussorem, ita & mandatoremLiberatum esse. Quamvis enim judicio convento principali debitore, mandator (*a*) non liberetur; tamen ubi successit creditor debitori, veluti Solutionis jure sublatâ obligatione, etiam mandator Liberatur; vel quia non potest pro eodem apud eumdem quis mandator esse. Sed quum duo rei promittendi sint, & alteri heres extitit creditor; justa dubitatio est, utrùm alter quoque Liberatus est ac si Soluta fuisset pecunia, an persona tantùm exempta Confusâ obligatione? Et puto aditione hereditatis, Confusione obligationis eximi personam, sed & accessiones ex ejus personâ liberari; propter illam rationem, quia non possunt pro eodem apud eumdem obligati esse : ut quemadmodum incipere aliàs non possunt, ita nec remaneant. Igitur alterum reum ejusdem pecuniæ non Liberari : & per hoc nec fidejussorem, vel mandatorem ejus. Planè, quia is (*b*) Mandati judicio eligere potest vel creditorem (*c*); competituram ei exceptionem Doli mali, si cœperit conveniri : cum altero autem reo, vel in solidum si non fuerit societas, vel in partem si socii fuerunt, posse creditorem agere.

Quòd si creditor fidejussori heres fuerit, vel fidejussor creditori; puto convenire, Confusione obligationis non Liberari reum. *l.* 71. *ff. de Fidejussorib.* PAUL. LIB. 4. QUÆSTION.

His quæ diximus consonat Africanus. Quòd si stipulator reum heredem instituerit; omnimodò fidejussoris obligationem peremit, sive civilis, sive tantùm naturalis in reum fuisset : quoniam quidem nemo potest apud eumdem pro ipso obligatus esse. Quòd si idem stipulator fidejussorem heredem scripserit; procul dubio solam fidejussoris obligationem perimit. Argumentum (*d*) rei; quòd, si possessio rerum debitoris data sit creditori, æquè dicendum est fidejussorem manere obligatum. *l.* 21. § 3. *ff. de Fidejussorib.* AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

CXXXI.

Circa Confusionis effectum, observandum est; Confusione in personam unius ex heredibus contingente, non prægravari coheredes; eosque non magis teneri, nisi ex parte ex quâ heredes sunt.

Hoc adhuc docet Marcellus in specie sequenti. Lucius-Titius, quum pro Seio fratre suo apud Septicium intervenire vellet, epistolam ita emisit : « SI petierit à te » frater meus, peto des ei nummos fide & periculo meo. » Post quam epistolam, Septicius Seio pecuniam numeravit : deinde Titius, inter reliquos, & Seium fratrem pro tertiâ parte reliquit heredem. Quæro, an quia adversùs Seium debitorem Septicii Confusa sit actio, pro tertiâ parte quâ Titio fratri suo heres extitit, cum coheredibus ejus agere in solidum possit? Marcellus respondit; Cum coherede Seii, non pro majore quàm hereditariâ parte, quâ Mandati agi posse. *l.* 24. *ff. de Fidejuss.* MARCELL. LIB. SING. RESPONS.

CXXXII.

Quærendum superest, an Confusio obligationis personalis perimat pignora quæ ipsi accedunt? Et docet Africanus, non perimere. Ita ille : Qui pro te apud Titium fidejusserat, pignus in suam obligationem dedit : post idem heredem te instituit. Quamvis ex fidejussoriâ causâ non tenearis, nihilominus tamen pignus obligatum manebit.

At si idem (*e*) alium fidejussorem dederit, atque ita heredem te instituerit; rectiùs existimari ait, sublatâ obligatione ejus pro quo fidejussum sit (*f*), eum quoque qui fidejusserit (*g*) liberari. *l.* 38. § *fin.* AFRICAN. LIB. 7. QUÆST.

Docet pariter Paulus, Confusionem obligationis personalis non perimere pignus in specie sequenti. Debitor sub pignore, creditorem heredem instituit; eumque rogavit restituere hereditatem filiæ suæ, id est testatoris. Quum nollet adire ut suspectam, coactus jussu prætoris adiit, & restituit. Cùm emptorem pignoris non inveniret, desiderabat permitti sibi jure dominii id possidere. Respondi:

(*a*) Quâ in re, à fidejussore differebat Jure Pandectarum : ut vid. suprà Tit. *de Fidejuss.* N. 72 & 73.

(*b*) Mandator scilicet.

(*c*) Id est, fiscum; qui, & creditori, & uni ex debitoribus qui huic mandatori actione *Mandati* tenebatur, successerat.

(*d*) Quasi diceret : Non mirum est fidejussore liberato reum manere obligatum. Nam [quod magis est] interdum evenit ut, quum reus per exceptionem liberatur, fidejussor maneat obligatus, scilicet quando creditor in ejus bona missus est, & ea ex Edicto distraxit : vel quum reus bonis cessit, ipse per exceptionem quidem liberatus est, fidejussor tamen manet obligatus in id quantò minùs creditor ex bonis potuit consequi. Verùm quomodo dicitur fidejussorem manere obligatum? cùm constet Jure Pandectarum, electo reo fidejussores fuisse liberatos : ut vid. suprà Tit. *de Fidejuss.* N. 72. Fortè creditor non elegerat agere adversùs reum; sed reus sponte, ne conveniretur, ipsi bonis cessit in Jure.

(*e*) *Idem* fidejussor *dederit alium fidejussorem* qui pro se fidejuberet.

(*f*) Scilicet prioris fidejussoris.

(*g*) Nimirùm fidejussoris fidejussorem.

Aditione

Source : BIU Cujas

Aditione quidem hereditatis Confusa obligatio est; videamus autem, ne & pignus liberatum sit sublatâ naturali obligatione? Atquin sive possidet creditor [actor (*a*)] idemque heres rem, sive non possidet, videamus de effectu rei. Et, si possidet, nullâ actione à fideicommissario conveniri potest; neque Pignoratitiâ, quoniam hereditaria (*b*) est actio; neque fideicommissum (*c*), quasi minùs restituerit, rectè petetur: quod eveniret, si nullum pignus intercessisset. Possidet enim eam rem quasi creditor. Sed etsi fideicommissarius rem teneat, & hic Serviana actio tenebit: verum est enim non esse Solutam pecuniam; quemadmodum dicimus, quum amissa est actio propter exceptionem (*d*). Igitur non tantùm retentio, sed etiam petitio pignoris nomine competit; & Solutum non repetetur. Remanet ergo propter pignus, naturalis obligatio (*e*).

In re (*f*) autem integrâ, non putarem compellendum adire, nisi priùs de indemnitate esset ei cautum, vel Soluta pecunia esset. Nam & quum de lucro heres scriptus agit (*Florent.* asit) quòd fortè legatum accepit, SI HERES NON EXTITISSET; responsum est non esse cogendum adire; nisi legato præstito: ubi quidem potuit dici nec cogendum esse heredem adire, quodammodo contra voluntatem defuncti; qui legando heredi, SI NON adiisset, in ipsius voluntate posuit aditionem. Sed cùm testator alterutrum dederit, nos utrumque (*g*) ei præstamus. *l.* 59. *ff. Ad SC. Trebell.* PAUL. LIB. 4. QUÆST.

(*a*) Hanc vocem perperàm irrepsisse, & expungendam rectè censet Cujacius.

(*b*) Cujacius legit *hereditaria non est.* Sensus est; Pignoratitiam actionem quæ solutâ demùm pecuniâ competit, non videri esse actionem hereditariam quæ in fideicommissarium transierit; quandoquidem defuncto nunquàm competierit: eæ autem demùm actiones in fideicommissarium transeunt, quæ defuncto competierunt.

(*c*) Non potest etiam hæc filia persequi fideicommissum, quasi adhuc aliquid ex hereditate retineat. Quamvis enim retineat rem hereditariam, quam ipse defunctus pignori dedit; cùm eam non retineat, ut hereditariam, sed sibi pignori nexam, nil videtur ex hereditate retinere.

(*d*) Quum amissa est obligatio personalis per aliquam exceptionem ei oppositam, putà compensationis; durat nihilominùs pignus, quandiù soluta non est pecunia. Ita & in hoc casu, quamvis per Confusionem extincta sit obligatio personalis, tamen pignus durat.

(*e*) Personalis obligatio per Confusionem tollitur; at non tollitur pignus. Propter pignus autem quod remanet, remanere intelligitur obligatio naturalis cui pignus accedat. Cujac. Verùm Ant. Faber qui absurdum videtur ut *propter pignus* quod est accessorium, remaneat obligatio personalis quæ principalis est, totum hunc ¶um putat esse Glossema. Et hanc ejus Conjecturam probat quoque Wissenbachius. Enimverò non opus est ad *Pignoris* causam recurrere, ut in hâc specie non videatur tolli *Obligatio naturalis* per illam coactam & imaginariam aditionem heredis qui hereditatem restituit. Talis siquidem aditio, cùm ex merâ Juris subtilitate sit, ex merâ pariter Juris subtilitate confusionem parit; adeòque non potest obligationem nisi *civilem* tollere, non verò *naturalem*.

(*f*) Hactenùs de casu quo creditor, idemque heres, adivit & restituit. *Re autem integrâ*, id est, si nondum adivit, nondum restituit.

(*g*) Ut nempè & heres sit, sed nomine tenùs; & ut legatum accipiat, non à coherede, sed à fideicommissario qui eum debet præstare indemnem.

TITULUS IV.

DE ACCEPTILATIONE.

CUm Acceptilatio sit solutionis ac liberationis species quæ per Verborum solemnitatem fit, meritò tractatibus præcedentibus hîc subjungitur tractatio DE ACCEPTILATIONE.

Circa Acceptilationem quærendum 1°. *Quid sit, & quotuplex hujus species:* 2°. *Quæ obligatio Acceptilatione extingui possit:* 3°. *Quid Accepto ferri possit:* 4°. *Quis Accepto ferre aut rogare possit:* 5°. *Quæ sit forma Acceptilationis:* 6°. *Denique quis sit hujus effectus.*

§ I.

Quid sit Acceptilatio, & quotuplex species Acceptilationis.

I.

ACCEPTILATIO *est obligationis liberatio per interrogationem & responsionem; quum creditor à debitore interrogatus, an quod ipsi debetur, pro accepto (id est, pro soluto) habeat, respondet se habere.*

Acceptilationis duplex species: alia SIMPLEX, *qualem modò descripsimus; quâ id solum quod ex verborum obligatione debetur, accepto fertur: alia* AQUILIANA, *quæ fit præviâ novatione; quum creditor quod sibi ex aliâ causâ; quàm ex verborum obligatione debetur, in verborum obligationem novat; dein mox interrogatus accepto fert.*

AQUILIANAM *hanc Acceptilationem ita definit Modestinus.* Acceptilatio est liberatio per mutuam (*a*) interrogationem, quâ utriusque contingit ab eodem nexu absolutio. *l.* 1. MODESTIN. LIB. 2. REGUL.

(*a*) Cujacius Observ. V 38. censet hîc definiri illam Aquilianam Acceptilationem, per quam Synallagma [id est contractus ultrò citròque obligatorius] resolvitur mutuâ novatione quam subsequatur mutua Acceptilatio.

(*b*) Fidejussor est verbis obligatus, scilicet per stipulationem; adeòque ei Accepto ferri potest.

§ II.

Quæ obligatio Acceptilatione possit extingui.

II.

Acceptum fieri non potest, nisi quod verbis colligatum est. Acceptilatio enim verborum obligationem tollit, quia & ipsa verbis fit: neque enim potest verbis tolli; quod non verbis contractum est. *l.* 3. § 3. ULP. LIB. 48. AD SABIN.

Cùm autem obligatio operarum quæ nascitur ex jurejurando liberti, sit ex classe earum quæ verbis contrahuntur (ut vid. suprà Tit. de Oper. libert. *N.* 2. *& Tit.* de Verb. oblig. *N.* 1.) *Hinc* Et per jusjurandum liberti interpositam operarum obligationem, per Acceptilationem tolli verius est. *l.* 13. ULP. LIB. 50. AD SABIN.

Idem dictum puta, de obligatione quæ ex solemni dictione dotis nascebatur.

III.

Quod ad cæteras obligationes attinet, quæ verbis non contrahuntur; per se quidem Acceptilatione extingui non possunt. Illud autem quæritur; Si fidejussori (*b*) Accepto fuerit latum, quum reus RE (*c*) non VERBIS fuisset obligatus; an reus quoque liberetur? Et hoc jure utimur, ut licèt reus non sit verbis obligatus, tamen Acceptilatione per fidejussorem liberetur (*d*). *l.* 13. § 7. ULP. LIB. 50. AD SABIN.

Quòd si fidejussor cui Acceptolatum est, nondum debebat, pendente adhuc conditione sub quâ fidejussit, non liberatur reus. Hinc Si fidejussori sub conditione obligato SI NAVIS EX ASIA VENERIT, quem sub hoc modo accepi ut

(*c*) Putà, ex causâ mutui.

(*d*) Ratio evidens: Acceptilatio est vice solutionis; non potest autem reus, postquàm fidejussor solvit, manere obligatus.

Source : BIU Cujas

uſque ad tempus vitæ ſuæ duntaxat obligaretur, pendente conditione Acceptum latum fuerit; & is fidejuſſor adhuc pendente conditione mortuus fuerit: confeſtim à reo petere poſſum; quia exiſtens conditio, neque obligationem in perſonam jam mortui efficere, neque Acceptilationem (*a*) confirmare poſſit. *l.* 72. *ff. de Fidejuſſ. & mandat.* GAIUS LIB. 3. DE VERB. OBLIG.

Illud quoque patet; inutiliter Accepto ferri ſive reo ſive fidejuſſori, antequàm obligatio principalis ſit contracta.

Hinc Si legatorum ſub conditione relictorum fidejuſſori dato, Acceptolatum ſit; legata debebuntur (*b*), poſtea conditione eorum exiſtente. *ſup. d. l.* 13. § 8.

Item Qui ita ſtipulatur à fidejuſſore: « QUOD Titio » credidero, fide tuâ eſſe jubes? » deinde antequàm crederet, acceptum fecit fidejuſſori: reus non liberabitur (*c*); ſed quandoque ei creditum fuerit, tenetur. Nam etſi fidejuſſorem non antè liberatum eſſe credimus, quàm quum fuerit creditum reo; non tamen reus antiquiore Acceptilatione quàm obligatio ejus eſt, liberari potuit. *d. l.* 13. § 9.

I V.

Quod hactenùs diximus, eam demùm obligationem quæ verbis contracta eſt, Acceptilatione extingui; de Acceptilatione ſimplici accipiendum.

At verò Aquiliana ſtipulatio omnimodo omnes (*d*) præcedentes obligationes novat, & perimit; ipſaque perimitur per Acceptilationem: & hoc Jure utimur. Ideòque etiam legata ſub conditione relicta, in ſtipulationem Aquilianam deducuntur. *l.* 4. *ff. de Tranſact.* ULP. LIB. 46. AD SABIN.

Hinc & JUDICATI *obligatio, per hanc Aquilianam Acceptilationem ſolvitur. Nimirùm* Si in ſtipulatum, Judicatum novationis causâ deductum ſit; & ſtipulatio donationis causâ Acceptolata: dicendum eſt, locum liberationem habere. *l.* 17. *ff. de Donationib.* ULP. LIB. 58. AD ED.

V.

Hoc autem utrique Acceptilationi commune eſt, quòd etiam id Quod in diem vel ſub conditione debetur, Acceptilatione tolli poteſt. Sed ita id factum apparebit, ſi conditio ſtipulationis extiterit, vel dies venerit. *l.* 12. POMPON. LIB. 26. AD SABIN.

Conſonat quod, Si ſub conditione legatum mihi datum novandi causâ ſtipulatus ſum, & ante exiſtentem conditionem Acceptum fecero; Nerva filius ait: Etiamſi conditio extiterit, neque ex teſtamento competituram actionem; quia novatio facta ſit, neque ex ſtipulatu quæ acceptilatione ſoluta ſit. *l.* 21. VENULEIUS LIB. 11. STIPULAT.

§ III.

Quid Accepto ferri poſſit.

V I.

Accepto ferri poteſt hoc ipſum quod debetur, vel ejus rei pars.

Porrò PARS ſtipulationis Accepto fieri poteſt, non tantùm ſi ſic dicat: « Ex nummis decem quos tibi promiſi, quinque habes-ne Acceptos? » Sed & ſi ſic: « QUOD ego tibi promiſi, id pro parte dimidiâ habes- » ne Acceptum? » *l.* 9. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

Sed & ſi non numerata pecunia, ſed certum corpus veluti homo in ſtipulationem deductus eſt; poteſt ex parte Acceptilatio fieri. Quo modo & uni ex heredibus Acceptum fieri poteſt. *l.* 10. POMPON. LIB. 26. AD SABIN.

Quinetiam, quamvis rei quæ cum alterâ alternativè debetur, Solutio pro parte facta nullam liberationem pariat; tamen Acceptilatio hujus rei pro parte facta utilis eſt, & pro eâ parte liberationem parit.

Undè Julianus. Qui hominem aut decem ſtipulatus eſt; ſi quinque Accepto fecerit, partem ſtipulationis peremit (*e*); & petere quinque aut partem hominis poteſt. *l.* 17. JULIAN. LIB. 54. DIGEST.

V I I.

At Si id quod in ſtipulationem deductum eſt, diviſionem non recipiat; Acceptilatio in partem, nullius erit momenti: ut putà, ſi ſervitus fuit prædii ruſtici vel urbani.

Planè ſi uſusfructus ſit in ſtipulatum deductus, putà fundi Titiani; poterit pro parte Acceptilatio fieri, & erit reſiduæ partis fundi uſusfructus (*f*).

Si tamen viam (*g*) quis ſtipulatus, Accepto ITER vel ACTUM fecerit; Acceptilatio nullius erit momenti. Hoc idem eſt probandùm, ſi ACTUS Accepto fuerit latus. Si autem ITER ET ACTUS (*h*) Accepto fuerit latus, conſequens erit dicere liberatum eum qui viam promiſit. *l.* 13. § 1. ULPIAN. LIB. 50. AD SABIN.

V I I I.

Vidimus Accepto ferri poſſe hoc ipſum quod debetur, vel totum, vel hujus partem.

Inutiliter autem Acceptor fertur aliud quàm quod debetur. Undè Paulus. Niſi conſentiat Acceptilatio cum obligatione, & niſi verum eſt quod in Acceptilatione demonſtratur, imperfecta eſt liberatio: quia verbis verba ea demùm reſolvi poſſunt, quæ inter ſe congruunt. *l.* 14. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

Hinc Eum qui fundum ſtipulatus eſt, non poſſe DE DOLO MALO clauſulam Acceptum ferre conſtat. Non enim in partem debiti id conſtitit: & aliud eſt quod debetur, aliud quod Accepto fertur. *l.* 13. § 5. ULP. LIB. 50. AD. SABIN.

Similiter Illud certum eſt; eum qui fundum ſtipulatus, uſumfructum vel viam Accepto facit; in eâ eſſe causâ ut Acceptilatio non valeat. Qui enim Accepto facit, vel totum, vel partem ejus quod ſtipulatus eſt, debet accepto facere. Hæ autem partes non ſunt: non magis quàm ſi quis domum ſtipulatus, Accepto ferat cæmenta vel feneſtras vel parietem vel diætam. *d. l.* 13. § 2.

Quòd Si quis uſumfructum ſtipulatus, uſum Accepto tulerit: ſi quidem ſic tulerit Acceptum quaſi uſu debito, liberatio non continget; ſi verò quaſi ex uſufructu (*i*), cùm poſſit uſus ſine fructu conſtitui, dicendum eſt Acceptilationem valere. *d. l.* 13. § 3.

I X.

Non videtur aliud quàm quod debetur Accepto ferri; ſi genere debito, ſpecies hujus generis cujus ſolutio liberationem pareret, Accepto feratur.

Hinc Si is qui hominem ſtipulatus eſt, Stichum Accepto tulerit, Julianus libro quinquageſimo-quarto Digeſtorum ſcripſit; Acceptilationem aliquid egiſſe, tolliſſeque (*k*) totam obligationem. Quod enim invito ſtipulatori promiſſor ſolvere poteſt, id & Acceptum latum liberationem pariet. *d. l.* 13. § 4.

(*a*) Quòd ſi eo vivo conditio extitiſſet; exiſtentia conditionis, obligationem ejus commiſiſſet, ſimulque Acceptilationem confirmaſſet.

(*b*) Legata conditionalia ; demùm deberi incipiunt ex quo exiſtit conditio; legatarius anteà nondum erat creditor. Hinc ſequitur fidejuſſorem anteà non fuiſſe obligatum, adeòque non potuiſſe Accepto ferri quod nondum debebat.

(*c*) Fidejuſſor enim non erat obligatus, antequàm crederetur pecunia; cùm non poſſit fidejuſſoris obligatio præcedere principalem.

(*d*) Id eſt; omnis generis, & quocumque modo contractæ ſint. An autem *omnes* ſimul, unâ Acceptilatione novari poſſint; alia quæſtio eſt, de quâ infrà §°. 4°.

(*e*) Cur ſecùs obtinet in ſolutione? Nimirùm ne ſolutio fiat in diverſis; quod in Acceptilatione timeri non poteſt. Vide ſuprà Tit. *de Solution.* N. 84.

(*f*) Is enim dividuus eſt.

(*g*) Via individua eſt.

(*h*) *Iter & actus* Viam continent.

(*i*) Quaſi partem uſusfructûs debiti faciat. Nam uſusfructus in ſe complectitur; & uſum qui perſonali utentis indigentiâ terminatur, & fructum qui reliquum rei emolumentum continet. Et quidem potuiſſent hæc duo ex quibus uſusfructus conſtat, ſeparatim conſtitui; putà, primùm uſus, deindè fructus: quidni ergo poſſint ſeparatim per Acceptilationem remitti?

(*k*) Haloand. & Vulgat. *tuliſſe.* Florentina lectio retineri poteſt; ut *tolliſſe* dictum ſit antiquitùs pro *ſuſtuliſſe.* Certè Theod. Marcilius ad caput 12. Legis XII Tab. varia exempla refert in quibus *tollit* dictum eſt pro *ſuſtulit.* Atque ita videtur accipi apud Perſium *Satyr.* IV ubi de Socrate loquens ait... *Sorbitio* TOLLIT *quem dira cicutæ.*

Source : BIU Cujas

Contrà vice versâ, quum res determinatè debetur ; aliud quàm quod debetur Accepto ferri videtur, si ea res non determinatè [sed putà alternativè] Accepto feratur.

Hinc Si Stichum AUT decem sub conditione stipulatus, Stichum aut decem Acceptum feceris; & pendente conditione Stichus decesserit (*a*) : decem in obligationem manebunt, perindè ac si Acceptilatio interposita non fuisset. *d. l.* 13. § 6.

Quòd si in Acceptilatione rei quæ determinatè debetur, altera res non alternativè sed cumulativè conjungatur; Acceptilatio utilis erit, nec per inutilem alterius rei adjectionem vitiabitur.

Hinc Si is qui Stichum promisit, ita interroget : « QUOD Stichum promisi, Stichum & Pamphilum » habes-ne Acceptos ? » puto rectè Accepto latum, & pro supervacuo Pamphili mentionem factam. Quemadmodum si is qui decem promisit, ita interroget : « QUOD tibi decem promisi, viginti habes-ne Ac» cepta ? » etiam decem nomine erit liberatus. *l.* 15. POMPON. LIB. 27. AD SABIN.

§ IV.

Quis Accepto ferre, & quis Accepto rogare possit.

X.

Creditor is demùm qui alienare potest, Accepto ferre potest.

Igitur si creditor sit pupillus, auctore demùm tutore Accepto ferre poterit. Hinc ita rescribit Antoninus. Jam tibi scripsi, posse apud judicem quæri ; an solemnibus verbis, tutoris auctoritate interveniente, soror tua Acceptilatione debitorem suum liberavit. Quare si in repetendâ pecuniâ quam exsolvit, diversa pars perseveraverit ; utêris defensionibus competentibus. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Contrà quivis debitor, modò intelligat quid agat, Accepto rogare potest.

Hinc Pupillum per Acceptilationem, etiam sine tutoris auctoritate, liberari posse placet (*b*). *l.* 2. ULP. LIB. 24. AD SABIN.

XI.

Idem erit & in servo dicendum.

Nam & servus Accepto liberari potest; & tolluntur etiam Honorariæ obligationes, si quæ sunt adversùs dominum : quia hoc Jure utimur, ut Juris gentium (*c*) sit Acceptilatio. *l.* 8. § 4. ULP. LIB. 48. AD SABIN.

Contrà verò Servus nec jussu domini Acceptum facere potest (*d*). *l.* 22. GAIUS LIB. 3. DE VERB. OBLIG.

XII.

Neque solùm in servo id receptum est, sed & in cæteris personis quæ stipulando nobis ipso Jure acquirere possunt, ut possint etiam pro nobis Accepto rogare ; cùm melior eo modo per illos conditio nostra fiat.

Hinc Paulus. Species adquirendi est, liberare dominum obligatione. Et ideò fructuarius quoque servus liberare, Acceptum rogando, fructuarium potest ; quia ex re ejus videtur ei adquirere.

Sed & si usum tantùm habemus ; idem fiet. Idemque dicemus & in eo qui bonâ fide nobis servit ; & in cæteris qui nostro jure subjecti sunt. *l.* 11. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

Idem alibi ait. Si debitor sit, servi fructuarius ; potest is servus per Acceptilationem liberare eum ; videbitur enim ex re ejus adquirere. Idem in pacto dicemus. *l.* 63. *ff. de Solutionib.* PAUL. LIB. 9. AD PLAUT.

Pariter de servo Ulpianus. Sed sicuti stipulando fructuario acquirit : ita etiam, paciscendo eum adquirere exceptionem fructuario, Julianus libro trigesimo Digestorum scribit. Idemque ; Et si Acceptum rogaverit ; liberationem ei parere. *l.* 23. *ff. de Usufr. & quemadm.* ULP. LIB. 17. AD SABIN.

Servus communis sicut uni ex dominis stipulari potest, ita etiam Acceptum rogare uni ex dominis potest ; eumque in solidum liberat. Et ita Octavenus putat. *l.* 8. § 1. IDEM LIB. 48. AD SABIN.

Accepto liberare servus communis alterum ex dominis, etiam ab altero domino potest. Id enim & Labeoni placuit. Denique libro Pithanon scripsit ; si à Primo domino, Secundo socio domino suo stipulatus fuerit ; posse (*e*) Secundum Accepto rogare ; & per acceptilationem Primum liberare quem ipse obligaverat : sic fieri ut per unum atque eumdem servum, & constituatur & tollatur obligatio. *d. l.* 8. § 2.

Item cùm per servum hereditarium acquiratur hereditati ; Si servus hereditarius, ante aditam hereditatem, Acceptum roget quod defunctus promisit ; verius puto contingere liberationem, ut per hoc hereditas ipsa liberetur. *l.* 11. § 2. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

Sed & si dominus apud hostes sit ; dicendum est, jure postliminii confirmari Acceptilationem (*f*). Nam & stipulari ei qui apud hostes est, servus potest. *d. l.* 11. § 3.

XIII.

Filius quidem aut servus, ut ex modò dictis liquet, Accepto rogare possunt quod patri domino-ve debetur. At non vice versâ quod filius debet, Accepto rogare potest pater.

Hoc docet Ulpianus. Ita ille : Filiusfamilias, promittendo, patrem civiliter non obligat : sed se obligat : propter quod Accepto rogare filiusfamilias potest ut se liberet, quia ipse obligatus est. Pater autem Acceptum rogando nihil agit, cùm non sit ipse obligatus, sed filius. *sup. d. l.* 8. § 4.

XIV.

Cæteràm cùm Acceptilatio per solemnitatem verborum fiat, proindèque sit actus legitimus ; ipse debitor (per se, aut per eos quos in potestate habet) Accepto rogare, ipse creditor Accepto ferre debet.

Hinc Ulpianus. Tutor, curator furiosi, Acceptum ferre non potuit ; nec procurator quidem potest facere Acceptum. Sed hi omnes debent novare (*g*) : possunt enim & sic (*h*) Accepto facere.

Ne his quidem Accepto fieri potest ; sed novatione factâ poterunt liberari per Acceptilationem. Nam & in absentium personâ hoc remedio uti solemus : stipulamur ab aliquo id novandi causâ quod nobis absens debet, & ita Accepto liberamus à quo stipulati sumus. Ita fiet ut absens novatione, præsens Acceptilatione liberetur. *l.* 13. § 10. ULP. LIB. 50. AD SABIN.

Sic etiam accipe quod ait Paulus. Per procuratorem, nec liberari, nec liberare quisquam Acceptilatione [sine (*i*) mandato] potest. *l.* 3. PAUL. LIB. 4. AD SABIN.

(*a*) Morte Stichi stipulatio determinata est ad decem. Non potest autem obligatio rei determinatè debitæ, per Acceptilationem *Hujus rei* AUT *alterius* alternativè factam solvi.

(*b*) Nam in his in quibus meliorem conditionem suam facit, non eget auctoritate : ut vid. in Instit. Tit. *de Auctor. tutor.*

(*c*) Scilicet quoad materiam. Enimverò, quamvis olim non aliæ quàm civiles obligationes solemnibus verbis contractæ per Acceptilationem solvi possent ; postea tamen inventâ formulâ Aquilianâ placuit ut omnes etiam *Juris gentium* obligationes ita solvi possent. Cæterùm Acceptilationem quoad suam formam & quoad originem, esse non *Juris gentium* sed civilis, omninò certum est ; cùm Jure Civili inventa sit, & per civilem verborum conceptionem fiat.

(*d*) Servus, etsi jussu domini promittat, eum Jure Civili non obligat : ergo pariter Acceptilatione quæ contraria stipulatio est, dominum non potest privare jure obligationis quod habebat. Operâ enim servorum uti Jus Civile permittit, ut per eos acquiramus & meliorem conditionem nostram faciamus ; non ut illam faciamus deteriorem.

(*e*) Idem servus, qui stipulando à PRIMO obligavit *Primum secundo* ; poterit rogando SECUNDUM ut accepto ferat, liberare *Primum à secundo.*

(*f*) Quid si captivus moriatur apud hostes ? Valebit Acceptilatio tanquam ab hereditario servo facta ; modò non nominatim captivi personæ accepto rogaverit. Vide lib. præced. Tit. *de Stip. serv.* N. fin.

(*g*) Stipulando suo nomine, quo domino negotii debebatur.

(*h*) Cùm sic ipsi effecti sint stipulatores.

(*i*) Hæc verba *sine mandato*, Glossema esse crediderim, & omninò expungenda. Nam etsi interveniat mandatum ; cùm Acceptilatio sit actus legitimus, non potest per procuratores expediri nisi prævià novatione, de quâ mox Ulpianus in l. præced. Ad hanc autem novationem fateor opus esse mandato creditoris : at non opus est mandato debitoris ; potest enim procurator ejus, citra ejus mandatum, transferre in se ejus obligationem : ut vid. suprà Tit. *de Novation.* & postea eam accepto rogare suo nomine. Hotomannus & P. Faber pro *sine mandato*, reponunt *sine novatione.*

Source : BIU Cujas

X V.

Dicimus creditorem & debitorem per ſe ipſos Accepto ferre & Accepto rogare debere.

Quum autem plures ſunt unius obligationis creditores, plures-ve debitores; vel unus Accepto rogare & Accepto ferre poteſt. Et quidem Ex pluribus reis ſtipulandi ſi unus Acceptum fecerit, liberatio contingit in ſolidum (*a*). *ſup. d. l.* 11. § 12.

Vice verſâ Si ex pluribus obligatis (*b*) uni Accepto feratur; non ipſe ſolus liberatur, ſed & hi qui ſecum obligantur. Nam quum ex duobus pluribuſque ejuſdem obligationis participibus uni Accepto fertur, cæteri quoque liberantur; non quoniam ipſis Accepto latum eſt, ſed quoniam velut ſolviſſe videtur is qui Acceptilatione ſolutus eſt. *l.* 16. ULP. LIB. 7. DISPUTAT.

X V I.

Illud nullam recipit dubitationem, quòd Heres quoque & liberare, & liberari Accepto poteſt; & Honorarii ſucceſſores. *l.* 13. § 11. ULP. LIB. 50. AD SABIN.

§ V.

Quæ ſit forma Acceptilationis.

X V I I.

Acceptilationis ſicut & ſtipulationis forma, eſt interrogatio & reſponſio. Sanè & ſic Acceptilatio fieri poteſt, ACCEPTA FACIS decem? ille reſpondit, Facio. *l.* 7. ULP. LIB. 50. AD SABIN.

X V I I I.

Acceptilatio ſub conditione fieri non poteſt. *l.* 4. POMPON. LIB. 9. AD SABIN.

Item In diem acceptilatio facta nullius eſt momenti: nam ſolutionis exemplo, Acceptilatio ſolet liberare. *l.* 5. ULP. LIB. 34. AD SABIN.

Non poteſt quidem Acceptilatio fieri ſub conditione aut die expreſsa: verùm nil officit, tacitè ineſſe Acceptilationi conditionem.

Hinc Papinianus. Actus legitimi qui recipiunt (*c*) diem vel conditionem, veluti mancipatio, Acceptilatio, hereditatis aditio, ſervi optio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem: nonnunquam tamen actus ſuprà ſcripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehenſa vitium adferunt. Nam ſi Acceptum feratur ei qui ſub conditione promiſit: ita demùm egiſſe aliquid Acceptilatio intelligitur, ſi obligationis conditio extiterit; quæ ſi verbis nominatim Acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum. *l.* 77. *ff. de Reg. Jur.* PAPIN. LIB. 28. QUÆST.

Huc pertinet regula Juris: EXPRESSA nocent, non expreſſa non nocent. *l.* 195. *d. tit.* MODESTIN. LIB. 7. DIFFERENTIARUM.

X I X.

Ad formam Acceptilationis jam non requiritur ut Latinâ Linguâ fiat: ex quo nempè receptum eſt ut per formulam Aquilianam quælibet JURIS GENTIUM *obligationes ſolverentur, ut ſuprà diximus N.* 11. *in Notis: idque propter adeò frequentem Acceptilationis uſum* (*d*). Et ideò puto & Græcè poſſe Acceptum fieri, dummodò ſic fiat ut Latinis verbis (*e*) ſolet: ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα; ἔχω λαβών. [*id eſt, Habes Acceptum denario tot? Habeo acceptum*]. *l.* 8. § 4. ¶ & *ideò.* ULP. LIB. 48. AD SABIN.

X X.

Circa formam Acceptilationis obſervandum ſupereſt; quòd, ad Accepto ferendas plures obligationes, non neceſſe eſt tot intervenire Acceptilationes quot ſunt obligationes; ſed omnes unicâ Acceptilatione poſſunt accepto ferri.

Igitur Et uno & pluribus contractibus, vel certis, vel incertis; vel, quibuſdam exceptis, cæteris; & omnibus ex cauſis, una Acceptilatio & liberatio fieri poteſt. *l.* 18. FLORENT. LIB. 8. INSTITUT.

An autem omnes obligationes Accepto latæ videri debeant, an una; pendet ex eo quod actum eſt.

Undè Ulpianus. Pluribus ſtipulationibus factis, ſi promiſſor ita Accepto rogaſſet; QUOD ego tibi promiſi, habes-ne Acceptum? ſiquidem apparet quid actum eſt, id ſolum per Acceptilationem ſublatum eſt: ſi non apparet, omnes ſtipulationes ſolutæ ſunt. Dummodò illud ſciamus, ſi ego aliud Accepto tuli, aliud tu rogaſti, nihil valere Acceptilationem. *l.* 6. ULP. LIB. 47. AD SABIN.

Maximè autem in Aquilianâ Acceptilatione plures ſimul obligationes contineri poſſunt. Imò hujuſmodi Acceptilationis generalem formulam, quæ omnes omninò cujuſlibet generis precedentes obligationes complectatur & innovando tollat, nobis Florentinus ex Gallo ſervavit. Ita ille: Ejus rei ſtipulatio quam Acceptilatio (*Florent.* Acceptio) ſequatur, à Gallo-Aquilio talis expoſita eſt: « QUIDQUID » te mihi ex quâcumque causâ dare, facere, oportet, » oportebit, præſens, in diem-ve; quarum-que re- » rum mihi tecum actio, quæque adversùs te petitio, » vel adversùs te perſecutio eſt, erit-ve; quod-ve tu » meum habes; tenes, poſſides (*f*), quanti quæque » earum rerum res erit, tantam pecuniam dari ſtipula- » tus eſt Aulus-Agerius, ſpopondit Numerius-Nigidius. » Quod Numerius-Nigidius Aulo-Agerio promiſit, ſpo- » pondit, id haberet-ne à ſe Acceptum, Numerius- » Nigidius Aulum-Agerium rogavit? Aulus-Agerius » Numerio-Nigidio Acceptum fecit. » *l.* 18. § 1. FLORENT. LIB. 8. INSTITUT.

§ V I.

De effectu Acceptilationis.

X X I.

Effectus Acceptilationis eſt ut extinguatur obligatio quæ Accepto lata eſt, quamvis nulla realis ſolutio intervenerit. Hinc Inter Acceptilationem & apocham hoc intereſt; quòd Acceptilatione omnimodo liberatio contingit, licèt pecunia ſoluta non ſit; apochâ non aliàs, quàm ſi pecunia ſoluta ſit. *l.* 19. § 1. ULP. LIB. 2. REGUL.

Cùm porrò Acceptilatio liberationem ab obligatione quæ Acceptolata eſt tribuat; hinc Diocletianus & Maximianus. Si donationis gratiâ, novatione factâ, per Acceptilationem præſtitiſti liberationem; omnis agendi via perempta eſt. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Iidem reſcribunt. Per Aquilianam ſtipulationem (*g*) pacto ſubditam, obligatione præcedente ſublatâ; & Acceptilatione, quæ fuit inducta, peremptâ: ei qui ex nullâ causâ reſtitui poteſt, omnis agendi via præcluditur. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

X X I I.

Nec ſolùm ipſa obligatio quæ Accepto fertur, extinguitur; ſed & cæteræ quæ illius ſolutione extinguerentur.

V. G. Sed & ſi ſervo, quod ipſe mihi promiſit, Acceptum fecero; inutiles mihi erunt adversùs dominum Honorariæ actiones, quæ DE peculio vel In rem verſo dantur. *l.* 11. § 1. PAUL. LIB. 12. AD SABIN.

Item Si Accepto fuerit lata OB REM JUDICATAM

(*a*) Nam hoc contingeret, ſi uni ſolutum eſſet. Secùs obtinet in pactis: & diſparitas eſt quòd Acceptilatio ſit ſolutio & tollat obligationem, pactum verò non tollat obligationem.

(*b*) Scilicet correis, qui ſinguli in ſolidum obligati ſunt. Secùs, ſi uni ex debitoris heredibus; quorum obligatio ipſo Jure diviſa eſt ex Lege XII Tabularum.

(*c*) Fortè legendum *qui* NON *recipiunt*. Vel etiam poteſt ſervari lectio; hoc ſenſu, *qui recipiunt*, id eſt, quibus de facto adjecta eſt dies aut conditio, quamvis de Jure non debeat adjici.

(*d*) Quod etiam circa ſtipulationem receptum fuiſſe vid. lib. præced. Tit. *de Verb. oblig.* N. 9. item *Inſtit.* d. tit. § 1.

(*e*) Scilicet per interrogationem & congruam reſponſionem.

(*f*) TENERE proprium eſt naturalis poſſeſſionis; POSSIDERE, civilis, HABERE autem, utrumque comprehendit, & ad dominium refertur.

(*g*) Quum creditorem inter & debitorem convenit ut ab obligatione RE contractâ, putà *Mutui*, recedatur; tale pactum non extinguit obligationem: ſed pacto ſubdenda eſt Aquiliana ſtipulatio, per quam obligatio *Mutui* in *Verborum* obligationem novetur, & poſtea Accepto feratur.

Source : BIU Cujas

clauſula ; Marcellus ait , Cæteras partes ſtipulationis evanuiſſe : propter hoc enim tantùm interponuntur , ut res judicari poſſit. *l.* 20. ULP. LIB. 77. AD ED.

Pariter quoque Si Judicati fidejuſſor ſit datus , acceptus , eique Accepto latum ſit ; liberabitur & judicatus. *l.* 16. § 1. ULP. LIB. 7. DISPUTAT.

XXIII.

Circa vim Acceptilationis in contractibus ſynallagmaticis , Labeo ait : Si ego tibi Acceptum feci , nihilomagis ego à te liberatus ſum. (*Sic autem arguit*) Paulus : Imò quum locatio - conductio , emptio - venditio , conventione facta eſt , & nondum res interceſſit ; utrinque per Acceptilationem , tametſi ab alterutrâ parte duntaxat interceſſit , liberantur (*a*) obligatione. *l.* 23. LABEO LIB. 5. PITHANON A PAULO EPITOMATOR.

(*a*) Scilicet ſtrictæ Juris rationi quam ſequebatur Labeo , Paulus præfert paciſcentium voluntatem ; quæ talis eſſe præſumitur , quòd alter hâc mente alteri Acceptum tulerit ut invicem à contractu diſcederent.

TITULUS V.

DE STIPULATIONIBUS PRÆTORIIS.

POſtquàm Pandectarum ordinatores egerunt de Stipulationibus , ſive in genere , ſive conventionalibus , quarum occaſione tractatum eſt , & de modis diſſolvendarum obligationum ; jam tranſeunt ad illam ſpeciem Stipulationum quæ PRÆTORIÆ *dicuntur.*

I.

PRÆTORIÆ STIPULATIONES , *ſi ſtrictè accipias , ſunt illæ quæ ex Prætoris juriſdictione deſcendunt.*

Hîc autem latè accipiuntur pro quâlibet Stipulatione quæ non ex conventione , ſed vel ex Prætoris juriſdictione vel ex judicis officio deſcendit.

Quæ de hâc materiâ in hoc Titulo traduntur , in tres Articulos ſic diſtribuam. 1^us^. *Exponet varias Prætoriarum Stipulationum diviſiones , communemque earum omnium naturam. In* 2°. *Videbimus quomodo exhibeantur ; & de earum iteratione , ſi vitiosè exhibitæ ſint.* 3^us^. *Aget de utilitate adjiciendi pœnam in his Stipulationibus.*

ARTICULUS I.

Quæ ſint diviſiones Prætoriarum Stipulationum , communiſque earum omnium natura.

§ I.

Exponitur duplex diviſio Stipulationum Prætoriarum.

II.

Prima diviſio.

Prætoriarum Stipulationum tres videntur eſſe ſpecies ; judiciales , cautionales , & communes. *l.* 1. ULP. LIB. 70. AD ED.

JUDICIALES eas dicimus quæ propter judicium (*a*) interponuntur , ut ratum fiat : ut , JUDICATUM SOLVI , & ex Operis novi nuntiatione (*b*). *d. l.* 1. § 1.

CAUTIONALES ſunt autem , quæ inſtar actionis (*c*) habent , & ut ſit nova (*d*) actio intercedunt ; ut DE legatis ſtipulationes , & DE tutelâ , (& RATAM (*e*) REM HABERI) & DAMNI INFECTI. *d. l.* 1. § 2.

Alio ſenſu CAUTIONALES *dici poſſent omnes ſtipulationes.* Et ſciendum eſt , omnes Stipulationes naturâ ſuâ Cautionales eſſe. Hoc enim agitur in Stipulationibus , ut quis cautior ſit , & ſecurior , interpoſitâ Stipulatione. *d. l.* 1. § 4.

COMMUNES ſunt Stipulationes , quæ fiunt JUDICIO SISTENDI causâ. *d. l.* 1. § 3.

Et ideò ſic dictæ ſunt ; quia & Cautionalibus *affines , in eo quòd à Prætore inſtar actionum petuntur ; &* Judicialibus , *in eo quòd propter litem exhibeantur.*

III.

Secunda diviſio.

Prætoriæ Stipulationes , aut rei reſtitutionem continent , aut incertam quantitatem. *l.* 2. PAUL. LIB. 73. AD ED.

Prioris generis Stipulationes , individuæ ſunt ; poſterioris , dividuæ , ut modò videbimus.

Rei reſtitutionem continent ; Sicuti Stipulatio ex operis novi nuntiatione , quâ cavetur ut opus reſtituatur. Ideòque ſive actor ſive reus deceſſerit , pluribus heredibus relictis ; uno vincente , vel victo , totum opus reſtitui debebit. Quandiù enim aliquid ſupereſt , tandiù non poteſt videri opus reſtitutum. *d. l.* 2. § 1.

Incertam quantitatem continet Stipulatio , JUDICATUM SOLVI , & REM RATAM DOMINUM HABITURUM , & DAMNI INFECTI , & his ſimiles. In quibus reſpondetur , ſcindi eas in perſonas heredem : quamvis (*f*) poſſit dici , ex perſonâ heredum promiſſoris , non poſſe deſcendentem à defuncto Stipulationem , diverſam conditionem cujuſque (*g*) facere. At in contrarium (*h*) ſummâ ratione fit , ut uno ex heredibus Stipulatoris vincente , in partem ejus committatur Stipulatio : hoc enim facere verba Stipulationis , QUANTI EA RES EST. Sed ſi unus ex heredibus promiſſoris (*i*) totam rem poſſideat , in ſolidum eum damnandum Julianus ſcribit. In quantùm autem ipſe eâ Stipulatione (*k*) vel fidejuſſores , an omninò teneantur ,

(*a*) Id eſt , *propter* litem.

(*b*) Hæc enim ſimilis eſt Stipulationi *Judicatum ſolvi* ; nam promiſſor ſe obligat , in caſum quo judicatum fuerit rectè nuntiatum eſſe : habentque eaſdem clauſulas , DE *Re judicatâ* , DE *Re non defenſâ* , DE *dolo.*

(*c*) Id eſt , ex Edicto dantur , & ad inſtar actionum in Jure poſtulari debent à Prætore ; quum contrà judiciales , quatenùs hîc accipiuntur prout ſpecies ſunt Prætoriarum , ex mero Prætoris officio exhibeantur aut judicis.

(*d*) Ita rectè in Florent. Malè Vulgat. *ut ſit novatio.* Scilicet per eas Stipulationes *nova actio* acquiritur , vetus non perimitur : Prætoris enim propoſitum eſt , ut obligationes propter quas interponuntur confirmet , non ut eas extinguat. Adducit etiam Cujacius in hujus ſententiæ probationem , textum ex lib. 5. SENTENT. PAUL. Tit. *de Stipul.* ubi Paulus ait : « *Quoties* JUDICATUM » SOLVI *fatiſdatur ; omiſſa ejus actio , Rei judicatæ perſecutionem non excludit.* » Zoeſius tamen novationem fieri contendit : ſed per leges quas allegat , id minimè evincitur ; in ſpeciebus enim illarum legum , hoc ſpecialiter actum erat ut novatio fieret.

(*e*) Hæc verba hîc irrepſiſſe quidam ſuſpicantur , cùm hæc magis ſit judicialis.

(*f*) Rationem dubitandi duntaxat proponit ; non verò recedit à regulâ quam ſtatuit , *Scindi eas Stipulationes in perſonas heredum.*

(*g*) Senſus eſt. Videbatur Stipulatio quæ à defuncto interpoſita eſt , non debere ex perſonâ heredum promiſſoris *diverſam facere conditionem* Stipulatoris , qui non potuiſſet cogi à defuncto accipere per partes. Hæc autem eſt ratio duntaxat dubitandi.

(*h*) At in contrario caſu , quum Stipulator moritur pluribus heredibus relictis , nulla eſſe dubitatio poteſt.

(*i*) Finge poſſeſſorem rei alienæ *Rei vindicatione* conventum , caviſſe JUDICATUM SOLVI ; & ante litem conteſtatam , deceſſiſſe. Unus ex heredibus ejus qui totam rem poſſidet , ipſe non pro parte ex quâ heres eſt , ſed in ſolidum damnabitur ; ſcilicet quatenùs eſt poſſeſſor , non quatenùs heres , pro prio , non hereditario nomine.

(*k*) A defuncto interpoſitâ.

Source : BIU Cujas

dubitari potest ? Et videndum ait ; ne non committatur (*a*). Sed si lite contestatâ possessor decesserit ; unum ex heredibus non majore ex parte damnandum (*b*), licèt totum fundum possideat, quàm ex quâ heres est. *d. l.* 2. § 2.

§ II.

De communi Prætoriarum Stipulationum naturâ.

IV.

Prætoriarum Stipulationum natura hæc est ; quòd non ex conventione, sed ex Prætoris jurisdictione aut judicis officio descendunt.

Hinc Ulpianus. Quòd si sit aliqua controversia, ut putà si dicatur per calumniam desiderari ut Stipulatio interponatur ; ipse Prætor debet super eâ re summatim cognoscere, & cautum jubere aut denegare. *l.* 1. § 9. ULP. LIB. 70. AD ED.

Sed & si quid vel addi vel detrahi vel immutari in Stipulatione oporteat, Prætoriæ erit jurisdictionis. *d. l.* 1. § 10.

Hinc etiam est quòd In Prætoriis Stipulationibus, si ambiguus sermo acciderit, Prætoris erit interpretatio. Ejus enim mens æstimanda est. *l.* 9. VENUL. LIB. 1. STIPUL.

Hinc quoque dicendum est quòd istæ Stipulationes interpositæ, utiles non sint nisi quatenùs & in quantùm eas interponi oportebat ; scilicet quum hoc duntaxat actum est ut Prætoria & qualis in se est Stipulatio interponeretur.

Undè Ulpianus. Item quæritur : Si quis, quum JUDICIO SISTENDI causâ satisdare non deberet (*c*) satisdatò promiserit ; an sine jusforibus ejus exceptio detur ? Puto interesse utrùm per errorem satisdato promissum est, an ex conventione ; si per errorem (*d*), dandam fidejusforibus exceptionem ; si ex conventione, minimè (*e*) dandam. Nam & Julianus scribit ; Si JUDICIO SISTENDI causâ pluris quàm statutum est, per ignorantiam promissum fuerit ; exceptionem dari debere : si autem ex conventione tantæ summæ promissio facta sit ; exceptionem, PACTI CONVENTI replicatione infirmandam Julianus ait. *l.* 4. § *fin. ff. Si quis caution. in judic. sist.* ULP. LIB. 74. AD ED.

V.

Generaliter in omnibus Prætoriis Stipulationibus, & procuratoribus (*f*) satisdatur. *l.* 3. ULP. LIB. 79. AD ED.

Et In omnibus Prætoriis Stipulationibus hoc servandum est ; ut, si Procurator meus Stipuletur, mihi causâ cognitâ ex eâ Stipulatione actio competat (*g*). *l.* 5. PAUL. LIB. 48. AD ED.

Hoc tamen interdum & in conventionalibus admittitur. Nam Idem est & quum institor in eâ causâ esse cœpit, ut interpositâ personâ ejus, dominus mercis rem amissurus sit : veluti bonis ejus venditis. Succurrere enim domino (*h*) Prætor debet. *d. l.* 5. ¶ *idem.*

ARTICULUS II.

Quomodo exhibeantur Prætoriæ Stipulationes, & an semel exhibitæ iterari possint aut debeant.

Eâ de re videbimus 1°. *Quæ Prætoriæ Stipulationes per nudam repromissionem, quænam per satisdationem exhibeantur :* 2°. *Quibus personis remittatur satisdatio :* 3°. *Quum satisdandum est, quales debeant præstari fidejussores : & quid Juris obtineat, si de eorum idoneitate sit controversia :* 4°. *Ubi satisdandum sit :* 5°. *An & quando necessaria sit iteratio Stipulationis quæ semel exhibita est.*

§ I.

Quæ Prætoriæ Stipulationes exhibeantur per Satisdationem, *quæ per* Repromissionem.

VI.

Stipulationum istarum Prætoriarum quædam sunt quæ SATISDATIONUM exigunt, quædam nudam REPROMISSIONEM. Sed perpaucæ sunt quæ nudam repromissionem habeant : quibus enumeratis, apparebit cæteras non esse repromissiones, sed satisdationes. *l.* 1. § 5. ULP. LIB. 70. AD ED.

Stipulatio itaque ex Operis novi nuntiatione, aliàs satisdationem, aliàs repromissionem habet. Ex quâ [igitur] operis novi nuntiatione satisdare oporteat ? [&] quemadmodum satisdetur ? Namque de eo opere quod in privato factum erit, satisdatio est ; de eo quod in publico, repromitti oportet : sed hi qui suo nomine cavent, repromittunt ; qui alieno (*i*) satisdant. *d. l.* 1. § 6.

Item ex causâ Damni infecti interdum repromittitur, interdum satisdatur. Nam si quid in flumine publico fiat, satisdatur (*k*) : de ædibus autem repromittitur. *d. l.* 1. § 7.

VII.

At verò Stipulatio DUPLÆ, repromissio est ; nisi si convenerit ut satisdetur. *d. l.* 1. § 8.

Cæteræ item Prætoriæ satisdationes, personas desiderant pro se intervenientium ; & neque pignoribus quis, neque pecuniæ vel argenti depositione, in vicem satisdationis fungitur. *l.* 7. ULP. LIB. 14. AD ED.

Tamen SATISDATIONIS appellatione, interdum etiam repromissio continebitur, quâ contentus fuit is cui satisdatio debebatur. *l.* 61. *ff. de Verb. signif.* PAUL. LIB. 66. AD ED.

§ II.

Quibus personis remittatur satisdatio.

VIII.

Etiam in illis Stipulationibus quæ naturâ suâ satisdationem desiderant, hæc satisdatio certis personis remittitur.

Enimverò Sciendum est, possessores immobilium rerum satisdare non compelli. *l.* 15. *ff. Qui satisd. cogant.* MARCELL. LIB. 1. DE APPELLATIONIB.

Possessor autem is accipiendus est, qui in agro vel in civitate rem soli possidet, aut ex asse aut pro parte.

Sed & qui vectigalem, id est emphyteuticum agrum possidet, possessor intelligitur.

Item qui solam proprietatem habet, possessor intelligendus est. *d. l.* 15. § 1.

Si fundum quem possidebam, à me petieris ; deinde, cùm secundùm te esset judicatum, appellaverim : an possessor ejusdem fundi sim ? Et rectè dicitur, possessorem me esse ; quia nihilominùs possideo. Nec ad rem

(*a*) Modestè affirmat, non committi omninò hanc Stipulationem à defuncto interpositam. Ratio est quia non hereditario nomine, sed proprio condemnatus est. Tenetur quidem actione *Judicati*, sed non tenetur ex hâc Stipulatione.

(*b*) Quia, cùm lis fuerit cum defuncto contestata, lis transit in heredes quatenùs sunt heredes. Is igitur pro parte hereditariâ duntaxat damnandus est ; cùm hereditario, non proprio nomine damnetur.

(*c*) Scilicet quia erat immobilium possessor : infrà N. 8.

(*d*) Cùm per errorem satisdatum sit ; quia nimirùm is qui satisdedit, putabat se teneri ad hoc præcisè ut satisdaret [id est, ad dandos fidejussores] ; hoc duntaxat inter partes agebatur, ut Prætoria Stipulatio interponeretur. Ergo quæ interposita est, utilis esse non potest nisi quatenùs Prætoris jurisdictio exigebat eam interponi. Cùm igitur non exigeret adhiberi fidejussores, non debent ex hâc stipulatione fidejussores utiliter obligari.

(*e*) Nam non hoc duntaxat actum est ut Prætoria Stipulatio interponetur ; sed specialis intercessit conventio ut, quamvis Prætoriis jurisdictio fidejussores non exigeret, tamen adhiberentur. Satisdatio hoc casu vim habet, non à Prætoris jurisdictione, sed à conventione.

(*f*) Id est, non solùm ipsis dominis, sed *& procuratoribus* eorum. Quod utilitate suadente receptum est contra summum Jus secundùm quod *Nemo alteri Stipulatur.*

(*g*) Id est ; procurator Stipulatus, *Utilem* ex hâc Stipulatione actionem domino negotii acquirit.

(*h*) Ut det ei *Utilem* actionem ex Stipulatione institoris, adversùs eos qui cum institore contraxerunt ; cùm domino adversùs institorem qui solvendo non est, inanis sit actio *Mandati.*

(*i*) Suprà lib. 39. Tit. *de Op. nov. nunt.* N. 33.

(*k*) Vide suprà lib. 39. Tit. *de Damn. inf.* N. 29 & 30.

Source : BIU Cujas

pertinet, quòd evinci mihi ea poſſeſſio poſſit. *d. l.* 15. § 6.

Si fundus in dotem datus ſit; tam uxor quàm maritus, propter poſſeſſionem ejus fundi, poſſeſſores intelliguntur. *d. l.* 15. § 3.

IX.

Diverſa cauſa eſt ejus qui fundi petitionem (*a*) perſonalem habeat. *d. l.* 15. § 4.

Hinc illa regula: MINUS eſt actionem habere, quàm rem. *l.* 204. *ff. de Reg. Jur.* POMPON. LIB. 28. AD Q. MUCIUM.

Eum verò qui tantùm uſumfructum habet, poſſeſſorem non eſſe Ulpianus ſcripſit. *ſup. d. l.* 15. *d.* § 1. ¶ *fin.*

Creditor qui pignus accepit, poſſeſſor non eſt (*b*); tametſi poſſeſſionem habeat, aut ſibi traditam, aut precariò debitori conceſſam. *d. l.* 15. § 2.

In cautione JUDICIO SISTI *ſpeciale eſt; quòd* Tutores, ſive pupilli eorum ſive ipſi poſſideant, poſſeſſorum loco habentur (*c*). Sed & ſi unus ex tutoribus poſſeſſor fuit, idem dicendum erit. *d. l.* 15. § 5.

X.

Poſſeſſor autem quis necne fuerit, tempus cautionis ſpectandum eſt. Nam ſicut ei qui poſt cautionem poſſeſſionem vendidit, nihil obeſt; ita nec prodeſt ei qui poſt cautionem poſſidere cœpit. *d. l.* 15. § *fin.*

XI.

Ex Conſtitutione Honorii & Theodoſii, remittitur etiam hæc ſatiſdatio viris ILLUSTRIBUS; *& jusjurandum duntaxat ab his exigitur. l.* 17. *Cod.* de Dignitatib.

§ III.

Quales fidejuſſores in ſatiſdatione præſtandi ſint, & de eorum probatione.

XII.

Fidejuſſores præſtandi ſunt idonei, id eſt locupletes; excepto caſu quo ſatiſdatio exigitur à neceſſariis perſonis: ſuprà lib. 2. *tit.* Qui ſatiſd. cogant. §°. 1°.

Quòd ſi ambigatur an ſint idonei, arbiter ad hos probandos datur. Et Arbitro ad fidejuſſores probandos conſtituto; ſi in alterutram partem iniquum arbitrium videatur, perindè ab eo atque ab judicibus appellare licet. *l.* 9. *ff. Qui ſatiſd. cogant.* GAIUS LIB. 5. AD ED. PROVINC.

XIII.

Fidejuſſores non ſolùm debent eſſe locupletes: tales etiam eos eſſe oportet, qui efficaciter conveniri poſſint & facilè.

Hinc Ulpianus. Fidejuſſor in JUDICIO SISTENDI causâ locuples videtur dari, non tantùm ex facultatibus, ſed etiam ex conveniendi facilitate. *l.* 2. *ff. Qui ſatiſdat. cogant.* ULP. LIB. 5. AD ED.

Igitur Si fidejuſſor non negetur idoneus, ſed dicatur habere Fori præſcriptionem; & metuat petitor, ne jure Fori utatur: videndum quid Juris ſit? Et Divus Pius (ut & Pomponius libro Epiſtolarum refert, & Marcellus libro tertio Digeſtorum, & Papinianus libro tertio Quæſtionum) Cornelio-Proculo reſcripſit; Meritò petitorem recuſare talem fidejuſſorem: ſed ſi aliàs caveri non poſſit; prædicendum ei, non uſurum eum privilegio ſi conveniatur. *l.* 7. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 14. AD ED.

Idem ait. Si quis in Jus vocatus fidejuſſorem dederit in JUDICIO SISTENDI causâ, non ſuppoſitum juriſdictioni illius ad quem vocatur; pro non dato fidejuſſor habetur, niſi ſuo privilegio ſpecialiter renuntiaverit. *l.* 1. *ff. Si quis in jus vocatus &c.* ULP. LIB. 1. AD ED.

XIV.

Multò magis Qui mulierem adhibet ad ſatiſdandum, non videtur cavere. Sed nec miles, nec minor viginti-quinque annis probandi ſunt: niſi hæ perſonæ in rem ſuam fidejubeant, ut pro ſuo procuratore. Quidam etiam (*d*); Si à marito fundus dotalis petatur, in rem ſuam fidejuſſuram mulierem. *l.* 8. § 1. *ff. Qui ſatiſd. cogant.* PAUL. LIB. 14. AD ED.

Verùm Et filius fidejuſſor pro patre fieri poteſt, etiam ſi in alterius poteſtate ſit. *l.* 2. § 3. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 5. AD ED.

§ IV.

Ubi ſatiſdandum ſit.

XV.

Regulariter ibi quis ſatiſdare debet, ubi eâ de causâ convenitur.

Tamen Si neceſſaria ſatiſdatio fuerit, & non facilè poſſit reus ibi eam præſtare ubi convenitur; poteſt audiri, ſi in aliâ ejuſdem provinciæ civitate ſatiſdationem præſtare paratus ſit. Si autem ſatiſdatio voluntaria eſt (*e*), non in alium locum remittitur; neque enim meretur, qui ipſe ſibi neceſſitatem ſatiſdationis impoſuit. *l.* 7. § 1. *ff. Qui ſatiſd. cogant.* ULP. LIB. 24. AD ED.

In neceſſariis autem ſatiſdationibus, hoc (ut diximus) ex causâ impetratur.

Hinc Tutor & curator, ut REM SALVAM FORE pupillo caveant, mittendi ſunt in municipio; quia neceſſaria eſt ſatiſdatio.

Item DE RE RESTITUENDA domino proprietatis, cujus uſusfructus datus eſt.

Item legatarius; ut caveat EVICTA hereditate legata reddi, & QUOD ampliùs per Legem Falcidiam ceperit.

Heres quoque ut LEGATORUM ſatiſdet, audiendus eſt ut in municipium mittatur. Planè ſi miſſo jam legatario in poſſeſſionem, cùm per heredem ſtaret quominùs caveret; heres poſtulet uti de poſſeſſione decedat, paratumque ſe dicat in municipio cavere: impetrare non debebit. Diverſum, ſi ſine culpâ aut dolo heredis miſſus ſit in poſſeſſionem. *l.* 8. § 4. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 14. AD ED.

XVI.

Non temerè autem, etiam in neceſſariis ſatiſdationibus, conceditur ut quis ad cavendum in municipium remittatur. *Sed* Hoc tunc impetrabitur, quum juſta cauſa eſſe videbitur. Quid enim, ſi quum erat in municipio, noluit cavere? Hoc caſu non debet impetrare; cùm per eum ſteterit quominùs ibi, ubi ire deſiderat, ſatiſdaret. *d. l.* 8. § *fin.*

Præterea qui remitti deſiderat, Jubetur jurare de calumniâ; ne quis vexandi magis adverſarii causâ, forſitan quum Romæ poſſit ſatiſdare, in municipium evocet. Sed quibuſdam hoc jusjurandum de calumniâ remittitur, veluti parentibus & patronis.

Sic autem jurare debet qui in municipium remittitur; ROMÆ ſe ſatiſdare non poſſe, & ibi poſſe quò poſtulat remitti; idque ſe non calumniæ causâ facere. Nam ſic non eſt compellendus jurare; alibi ſe quàm eo loco ſatiſdare non poſſe: quaſi Romæ non poteſt, pluribus autem locis poſſit, cogitur pejerare. *d. l.* 8. § 5.

§ V.

An & quando iterari poſſit aut debeat Stipulatio quæ ſemel exhibita eſt.

XVII.

Palàm eſt Prætorias illas Stipulationes, quum ſemel exhibitæ ſunt, ſed vitioſè, debere iterari. Nam QUOTIENS vitioſè cautum vel ſatiſdatum eſt, non videtur cautum. *l.* 6. *ff. Qui ſatiſdare cogant.* PAUL. LIB. 12. AD ED.

(*a*) Putà emptor cui nondum traditus eſt.

(*b*) Id eſt, non habetur pro poſſeſſore quoad hanc cauſam: reverà tamen poſſidet.

(*c*) Ratio eſt quia, quum tutor cavet *Judicio ſiſti*, ſe & pupillum obligat; unde ſufficit, alterutrum eſſe poſſeſſorem.

(*d*) Supple, *aiunt* vel *putant*.

(*e*) Putà, quum quis ultrò ſe offert ad alienam defenſionem.

Source : BIU Cujas

Hinc V. G. Si ſervus (*a*) inveniatur, qui antequàm judicium accipiatur, fidejuſſit JUDICATUM SOLVI : ſuccurrendum eſt actori, ut ex integro caveatur.

Minori quoque viginti-quinque annis ſuccurrendum eſt : fortaſsè & mulieri propter imperitiam. *l.* 8. § 2. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 14. AD ED.

Cæterùm quamvis vitiosè cautum ſit, quum dati ſunt fidejuſſores egeni ; tamen ſi probati fuerunt, vix eſt ut ſub hoc prætextu audiatur quis iterùm caveri ſibi deſiderans. Enimverò Si ab arbitro probati ſunt fidejuſſores, pro locupletibus habendi ſunt ; cùm potuerit querela ad competentem judicem deferri. *l.* 10. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 75. AD ED.

Quocircà nota : Qui ex causâ improbat ab arbitro probatos, aliàs improbatos (*b*) probat ; multòque magis ſi ſuâ voluntate accepit fidejuſſores ; contentus his eſſe debet. *d. l.* 10. § 1.

XVIII.

Et hæc quidem de caſu quo ab initio vitiosè cautum eſſet. Sed & quum ab initio idoneè cautum eſt, iterationi locus eſſe poteſt. Hinc, etiam in eo caſu quo fidejuſſores locupletes dati eſſent, addit Paulus : Quòd ſi medio tempore calamitas fidejuſſoribus inſignis, vel magna inopia accidit ; causâ cognitâ ex integro ſatiſdandum erit. *d. l.* 10. *d.* § 1. ¶ *fin.*

Item Si fidejuſſor JUDICATUM SOLVI, Stipulatori heres extiterit, aut Stipulator fidejuſſori (*c*) ; ex integro cavendum erit. *l.* 8. § 3. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 14. AD ED.

Et generaliter : Prætoriæ Sipulationes ſæpiùs interponuntur, quum ſine culpâ Stipulatoris cautum eſſe deſiit. *l.* 4. PAUL. LIB. 75. AD ED.

XIX.

Iterantur etiam ex causâ Prætoriæ Stipulationes ; quum deſiit eſſe cautum lapſu temporis in quod cautum fuerat. Quocircà Ulpianus libro primo Reſponſorum Valeriano reſpondit :

Si Præſes qui antè in triennium caveri juſſerat, poſtea (*d*) in longum tempus caveri præcepit : quia à primâ Stipulatione prorsùs diſcedi voluerat, exceptionem primæ Stipulationi (*e*) obligatis peperiſſe videtur. *l.* 10. ULPIAN. LIB. 1. RESPONS.

(*a*) Servus non poteſt eſſe fidejuſſor, ut vid. ſuprà lib. 15. Tit. *de Pecul.* N. 24. adeòque vitiosè cautum eſt.

(*b*) Senſus eſt : ſicut poteſt quis *ex causâ* reprobare fidejuſſores quos arbiter probavit ; ita contrà *aliàs* poteſt probare eos quos arbiter immeritò reprobavit. Quum autem ipſe probaverit ; *multòque magis ſi . . . his contentus eſſe debet.*

(*c*) His caſibus extinguitur obligatio fidejuſſoria per confuſionem : ut vid. ſuprà Tit. *de Solution.* Part. fin. adeòque deſinit eſſe cautum.

(*d*) Pone exemplum in cautione *Damni infecti.*

(*e*) Id eſt, contra primam ſtipulationem, ut interpretatur Gloſſa. Aliàs *primæ ſtipulationis*, id eſt, ex causâ *primæ ſtipulationis obligatis.*

ARTICULUS III.

De utilitate adjiciendi pœnam Stipulationibus Prætoriis.

XX.

In ejuſmodi Stipulationibus quæ QUANTI RES EST promiſſionem habent, commodius eſt certam ſummam comprehendere ; quoniam plerùmque difficilis probatio eſt quanti cujuſque interſit, & ad exiguam ſummam deducitur. *l.* 11. VENULEIUS LIB. 8. ACTIONUM.

Aliundè In omnibus Prætoriis Sipulationibus, in quibus primò fieri aliquid, deinde ſi factum non ſit pœnam inferimus (*f*) ; pœnæ nomine Stipulatio (*g*) committitur. *l.* 6. PAUL. LIB. 14. AD PLAUT.

(*f*) Loco ejus quod noſtrâ intereſt fieri.

(*g*) *Stipulatio committitur* ad eam ſummam quæ *pœnæ nomine* Stipulatione comprehenſa eſt ; quamvis in Edicto Prætoris hoc non dicatur. Ita Paulus de Caſtro.

TITULUS VI.

REM PUPILLI VEL ADOLESCENTIS SALVAM FORE.

PRæmiſsâ generali de Prætoriis Stipulationibus tractatione, jam aliquæ ſingulares earum ſpecies exponuntur.

Agmen ducit cautio REM PUPILLI VEL ADOLESCENTIS SALVAM FORE, *quam Prætor à tutoribus & curatoribus jubet interponi : circa quam hæc quærenda ſunt ; nimirùm, à quibus & cui exhiberi debeat, quomodo exhibeatur, & quando committatur ſeu ex eâ agi poſſit.*

Circa ipſam autem actionem ex eâ cautione deſcendentem, videndum adversùs quos detur, & quatenùs quiſque teneatur, denique quæ veniant in eâ actione præſtanda.

ARTICULUS I.

De ipſâ cautione Rem pupilli, &c. *à quibus & cui exhiberi debeat, qualis ſit, quando committatur.*

§ I.

Quinam huic cautioni ſint obnoxii, & cui exhibenda ſit.

I.

Qui tutores huic cautioni obnoxii ſint, vid. ſuprà lib. 26. *Tit.* de Adminiſtr. & per. tut. *Art.* 1.

Exigere autem cautionem Magiſtratus ſic oportet ; ut Pupilli ſervus, aut ipſe Pupillus ſi fari poteſt & in preſentiarum eſt, ſtipuletur à tutoribus, item fidejuſſoribus eorum REM SALVAM FORE. Aut ſi nemo eſt qui ſtipuletur ; ſervus publicus ſtipulari debet, REM SALVAM FORE PUPILLO, aut certè ipſe Magiſtratus. *l.* 1. § 15. *ff. de Magiſtratib. conveniend.* ULP. LIB. 36. AD ED.

Igitur ipſi Pupillo hæc cautio exhibenda eſt. At Si Pupillus abſens ſit, vel fari non poſſit, ſervus ejus ſtipulabitur. Si ſervum non habeat, emendus ei ſervus eſt.

Sed ſi non ſit undè ematur, aut non ſit expedita emptio ; profectò dicemus ſervum publicum apud Prætorem ſtipulari debere. *l.* 2. ULP. LIB. 79. AD ED.

Aut dare aliquem Prætor debet cui caveatur ; *l.* 3. IDEM LIB. 35. AD ED.

Non quaſi ipſo jure Pupillo adquirat [neque enim (*a*) adquirit], ſed Utilis actio ex ſtipulatu Pupillo detur. *l.* 4. IDEM LIB. 79. AD ED.

Similiter nota. Planè ubi ſervus publicus, vel ipſe Magiſtratus ſtipulatur ; dicendum eſt Utilem actionem Pupillo dandam. *ſup. d. l.* 1. § 16. *ff. de Magiſtr. conven.*

Porrò ut ipſi Pupillo hæc cautio exhibeatur, ſufficit illum fari poſſe. Ita enim Servum Pupilli ſtipulari neceſſe eſt ; ſi Pupillus abeſt, aut fari non poteſt. Nam ſi præſens

(*a*) Ipſo Jure enim non poteſt quis acquirere, niſi per ſe aut eos quos ſuo juri ſubjectos habet : unde & eo caſu, *Utilis* tantùm actio competit. Quòd ſi ipſi Pupillo vel ſervo ejus exhibita fuiſſet cautio, eo caſu actio *Directa* competeret.

ſit

Source : BIU Cujas

fit & fari poteſt, etiamſi ejus ætatis erit ut non intelligat quid agat; tamen propter utilitatem receptum eſt, rectè eum ſtipulari [agere (*Vox ſuperflua.*] *l.* 6. GAIUS LIB. 27. AD ED. PROVINC.

I I.

Hactenùs de Pupillis.

Pertinet autem hæc ſtipulatio ad omnes curatores, ſive puberibus ſive impuberibus datos propter ætatis infirmitatem; ſive prodigis, vel furioſis, vel quibuſdam aliis [ut fieri adſolet], dati ſint. *l.* 4. § 8. ULP. LIB. 79. AD ED.

Sed Etſi ad ſpecies (*a*) curator datus ſit, Rem Salvam Fore ſtipulatio interponetur. *l.* 8. ULP. LIB. 2. AD ED.

Nam Appellatione (*b*) REI, pars etiam continetur. *l.* 72. *ff. de Verb. ſignif.* PAUL. LIB. 76. AD ED.

Exhibetur autem ſimiliter hæc cautio à curatore, ipſi Adoleſcenti, vel prodigo, ſervo-ve ejus. Pariterque, quum furioſo exhibenda eſt, cavetur his quos in poteſtate habet; putà, ſervo aut filio.

Hinc Paulus: Si filius qui in poteſtate furioſi erit; Rem Salvam Fore ſtipuletur, adquirit patri obligationes. *l.* 5. PAUL. LIB. 76. AD ED.

§ I I.

Qualis ſit hæc cautio, ſeu quomodo exhibeatur.

I I I.

Cavetur autem Pupillo hâc ſtipulatione, per ſatiſdationem. *l.* 4. § 1. ULP. LIB. 79. AD ED.

Idem dic de Adoleſcente, furioſo-ve; & cæteris quibus debet exhiberi.

Imò, etſi tales ſint tutores à quibus hæc cautio non exigitur, quales ſunt teſtamentarii tutores; ſi tamen ab aliis offeratur ſatiſdatio, & ipſi tenentur ſatiſdare: ut ſuprà vid. Tit. de Admin. tut. *N.* 5. *aut etiam, ſi ultrò ſatiſdederint, utilis eſt ſatiſdatio.*

Hinc A tutore qui teſtamento datus eſt, ſi fuerit fidejuſſor datus, tenetur. *l.* 8. § 4. *ff. de Fidejuſſor. & mand.* ULP. LIB. 47. AD SABIN.

§ I I I.

Quando committatur hæc cautio.

I V.

Quum Pupillo REM Salvam Fore ſatiſdatum ſit, agi ex eâ tunc poteſt quum & TUTELÆ poteſt. *l.* 1. PAUL. LIB. 24. AD ED.

Enimverò Hanc ſtipulationem placet finitâ demùm tutelâ committi, & fidejuſſoribus diem exindè incipere cedere.

In curatore aliud eſt. Sed & in eo qui pro tutore negotia geſſit, aliud dicendum eſt. Itaque iſtæ ſtipulationes, ſi quidem quis tutor fuit, finitâ demùm tutelâ committentur; ſi verò pro tutore negotia geſſit, conveniens eſt dicere ſtatim atque quæque res ſalva non eſſe cœpiſſet, committi ſtipulationem. *l.* 4. § 4. ULP. LIB. 79. AD ED.

Diſcrimen quod notavimus tutorem inter & curatorem, alibi rursùs ita notat adhuc Ulpianus. Si cum adhuc tutore ex ſtipulatu agatur, vel cum his qui pro eo intervenerunt; erit dubitatio, an quia TUTELÆ agi non poteſt, nec ex ſtipulatu agi poſſit? Et plerique putant; etiam hanc actionem, propter eamdem utilitatem, differendam. *l.* 16. *ff. de Tut. & rat. diſtr.* ULP. LIB. 74. AD ED.

Verùm Cum curatore Pupilli ſive Adoleſcentis agi poterit, etſi uſque adhuc cura perſeveret. *d. l.* 16. § 1.

V.

Cùm autem adversùs tutorem hæc actio, nonniſi finitâ tutelâ committatur, hinc emergit quæſtio. Nimirùm Si tutor ab hoſtibus captus ſit, an committatur ſtipulatio videamus? movet, quia finita tutela eſt; licèt recuperari ſperetur. Et puto poſſe agi. *l.* 4. § 5. ULP. LIB. 79. AD ED.

ARTICULUS II.

De actione quæ ex hâc ſtipulatione deſcendit.

§ I.

Adversùs quos competat, & quatenùs quiſque teneatur.

V I.

Actio ex hâc ſtipulatione datur contra tutorem curatorem-ve qui hanc exhibuit, & utriuſque fidejuſſores.

Nec refert, verus an falſus tutor fuerit. Nam Illud ſciendum eſt; hâc ſtipulatione teneri, tam eum qui tutor eſt, quàm eum qui pro tutore negotia geſſit vel gerat; & fidejuſſores eorum. *l.* 4. § 2. ULP. LIB. 19. AD ED.

Et quidem hi fidejuſſores, unâ cum tutore curatore-ve pro quo fidejuſſerunt ſinguli in ſolidum tenentur.

Cæterùm, ut reſcribit Alexander; Eligere debes, utrùm cum ipſis tutoribus vel curatoribus ſeu heredibus eorum, an cum his qui pro ipſis ſe obligaverunt, agere debeas; vel, ſi ita malis; dividere actionem (*c*). Nam in ſolidum & cum fidejuſſoribus agi, jure non poteſt. *l.* 1. *Cod. de Fidejuſſ. tutorum.*

V I I.

Illud ſingulare eſt in his fidejuſſoribus; quòd beneficium diviſionis quo cæteri fidejuſſores gaudent; his non concedatur.

Hoc docet Papinianus. Si plures fidejuſſores à tutore, Pupillo dati ſunt; non eſſe eum diſtringendum, ſed in unum dandam actionem: ita ut ei qui conveniretur, actiones præſtarentur. Nec quiſquam putaverit ab Jure diſceſſum (*d*), poſtquàm pro eâ parte placuit tutores condemnari quam adminiſtraverunt; & ita demùm in ſolidum, ſi res à cæteris non ſervetur, & idonea culpa detegatur quòd ſuſpectum facere ſuperſederit. Nam æquitas arbitri, atque officium viri boni, videtur eam formam Juris deſideraſſe. Cæterùm fidejuſſores civiliter in ſolidum obligati, cæteris quidem agentibus, ut dividatur actio impetrare poſſunt: Pupillo verò agente, qui non ipſe contraxit, ſed in tutorem incidit, & ignorat omnia; beneficium dividendæ actionis, injuriam habere viſum eſt: ne ex unâ tutelæ causâ, plures ac variæ quæſtiones apud diverſos judices conſtituerentur. *l.* 12. PAPIN. LIB. 12. QUÆST.

Uno tamen caſu, hujus ſtipulationis fidejuſſores beneficium diviſionis habebunt. Nimirùm Si fidejuſſores qui REM Salvam Fore Pupillo caverant, tutorem Adoleſcens ut antè conveniret petierant (*e*); atque ideò, ſtipulanti promiſerunt (*f*) ſe reddituros quod ab eo ſervari non

(*a*) Ad certas ſpecies, non ad univerſa bona.

(*b*) Ad Stipulationem *Rem Pupilli Salvam Fore*, hanc definitionem pertinere colligitur ex inſcriptione. Paulum enim in libro 76. AD EDICT. undè hæc deſumpta eſt, de hâc Stipulatione egiſſe conſtat ex ſimili ſuſcriptione legis 5. h. t. mox infrà.

(*c*) Senſus eſt: potes in ſolidum perſequi tutores, aut fidejuſſores eorum; vel *actionem dividere* inter tutores, aut inter eorum fidejuſſores. *Si ita malis*, inquam: ad hanc enim actionis diviſionem nullâ ratione cogeris; nec quoad tutores, cùm in ſolidum ipſo Jure teneantur; nec quoad fidejuſſores; cùm his beneficium diviſionis non competat, mox infrà. *In ſolidum* autem & tutores ſimul & fidejuſſores perſequi non potes: quia Jure Pandectarum, electo reo fidejuſſores liberantur; ut vid. ſuprà Tit. *de Fidejuſſ.* N. 72.

(*d*) Id eſt, neque hoc contrarium eſt huic Juri quo *placuit pro eâ parte &c.*

(*e*) Scilicet finitâ tutelâ, quum Adoleſcens ipſos convenire vellet, petierunt ab eo ut priùs excuteret tutorem.

(*f*) Novâ interpoſitâ ſtipulatione.

Source : BIU Cujas

potuiſſet: placuit inter eos qui ſolvendo eſſent; actionem reſidui dividi; quòd (*a*) onus fidejuſſorum ſuſceptum videretur. Nam & ſi mandato plurium pecunia credatur, æquè dividitur actio. Si enim quod datum [eſt], pro alio ſolvitur; cur ſpecies actionis (*b*) æquitatem diviſionis excludit? *l.* 7. *ff. de Fidejuſſ. & nominat. tut.* IDEM LIB. 3. RESPONS.

VIII.

Non poſſunt quidem impetrare plures unius tutoris fidejuſſores, ut actio inter ipſos dividatur.

Verùm obtinere poſſunt, ut ea cum tutoris pro quo fidejuſſerunt contutoribus eorumque contutorum fidejuſſoribus dividatur. Hoc docet item Papinianus. Ita ille: Pupillus contra tutores, eorumque fidejuſſores, judicem accepit. Judice defuncto, priuſquàm ad eum iretur; contra ſolos fidejuſſores alter judex datus eſt. Officio cognoſcentis conveniet, ſi tutores ſolvendo ſint, & adminiſtratio non diſpar ſed communis fuit; portionum virilium admittere rationem, ex perſonâ tutorum. *l.* 6. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 2. RESPONS.

§ II.

Quid contineat actio ex hâc ſtipulatione.

IX.

Quum Pupillus à tutore ſtipulatur REM Salvam Fore, non ſolùm quæ in patrimonio habet, ſed etiam quæ in nominibus (*c*), eâ ſtipulatione videntur contineri. Quod enim in Tutelæ judicium venit, hoc & eâ ſtipulatione continetur. *l.* 9. POMPON. LIB. 15. AD SABIN.

Et generaliter: Quum REM Salvam Fore Pupillo cavetur; committitur ſtipulatio, ſi quod ex tutelâ dari fieri oportet, non præſtetur. Nam, etſi Salva ei Res ſit; ob id non eſt, quia quod ex tutelâ dari fieri oportet, non ſolvitur. *l.* 11. NERATIUS LIB. 4. MEMBRANAR.

Ergo & exhibitio inventariorum & inſtrumentorum hâc actione continetur.

Hinc in ſpecie ſequenti. Sine herede tutor deceſſit: quæro an curator Pupillo datus, cùm neque inventaria neque alia inſtrumenta à fidejuſſore tutoris exhibeantur, poſſit eumdem fidejuſſorem convenire ex ſtipulatione, QUANTI Pupilli intereſt. Modeſtinus reſpondit; In id quod tutor conveniri potuit, fidejuſſorem quoque conveniri poſſe. *l.* 32. *ff. de Admin. & peric. tutor.* MODESTIN. LIB. 6. RESPONSOR.

Item Si poſteaquàm Pupillus ad pubertatem venerit, tutor in reſtituendâ tutelâ aliquandiù moram fecerit; certum eſt, & fructuum nomine, & uſurarum medii temporis, tam fidejuſſores ejus quàm ipſum teneri. *l.* 10. AFRICAN. LIB. 3. QUÆST.

Similiter Ulpianus. Etiam fidejuſſorem, & heredes fidejuſſoris, ad rationem eamdem uſurarum revocandos eſſe conſtat, ad quam & tutor revocatur. *l.* 3. *ff. de Fidejuſſ. & nominat. tutor.* ULP. LIB. 35. AD ED.

X.

Vidimus in actione ex hâc ſtipulatione contineri, quidquid TUTELÆ *actione peti poteſt. Vice versâ* Generaliter ſciendum eſt; ex quibus cauſis diximus TUTELÆ agi non poſſe, ex iiſdem cauſis nec ex ſtipulatu REM SALVAM FORE agi poſſe dicendum eſt. *l.* 4. § 6. ULPIAN. LIB. 79. AD ED.

Corollarium. Sedenim qui non geſſit, omninò non tenebitur: nam nec actio Tutelæ, eum qui non geſſit, tenet. Sed Utili actione conveniendus eſt, quia ſuo periculo ceſſavit; & tamen Ex ſtipulatu actione, neque ipſe neque fidejuſſores ejus tenebuntur. Compellendus igitur erit ad adminiſtrationem, propterea ut ſtipulatione quoque iſtâ poſſit teneri. *d. l.* 4. § 3.

Hinc etiam Paulus reſpondit; Propter ea quæ poſt pubertatem, nullâ neceſſitate cogente, ſed ex voluntate ſuâ tutor adminiſtravit, fidejuſſorem qui SALVAM REM FORE cavit, non teneri (*d*). *l.* 46. § 4. *ff. de Admin. & peric. tut.* PAUL. LIB. 9. RESPONS.

Ex regulâ quam ſtatuimus, ſequitur etiam quod docet Venuleius. Ita ille: Si duo plures-ve tutores tutelam adminiſtrent; in fidejuſſorem quidem in ſolidum, per quemlibet eorum committitur ſtipulatio. At ſi inter eos diviſa ſit tutela regionibus, quod plerumque fit; & alius urbica negotia, alius peregrina adminiſtraret; tunc ex ſubſtantiâ cujuſque rei, aut committi contra fidejuſſorem ſtipulationem, aut non committi dicemus. Nam licèt omnes tutores ſint, & tutelam gerant: tamen quum quis de eâ re quæ extra ſuam regionem erit, experiri vel ad judicium vocari cœperit; perindè non committitur ſtipulatio, atque ſi ei adminiſtratio tutelæ permiſſa non eſſet. Quantùm enim facit in totum denegata, tantumdem valet ſi in eâ re de quâ agitur, denegata ſit. *l.* 51. *ff. d. tit.* VENULEIUS LIB. 1. STIPULATIONUM.

Superioribus etiam conſentaneum eſt quòd Si cum fidejuſſoribus tutoris ex ſtipulatione REM Salvam Fore agetur, eaſdem reputationes habebunt (*e*) quas tutor. *l.* 5. *ff. de Fidejuſſ. & nominat. tutor.* PAUL. LIB. 38. AD ED.

XI.

Quæ de actione ex ſtipulatione REM PUPILLI *Salvam Fore, diximus; eadem dicenda & de actione ex ſtipulatione* REM ADOLESCENTIS *Salvam Fore.*

Hinc Si quis curator datus non gefſerit curam; conſequens erit dicere, ſtipulationem non committi. Sed eadem hìc erunt dicenda quæ in tutore diximus: illo ſecùs quo (*Aliàs* illud ſecùs, quòd) hæc ſtipulatio, ſtatim atque quid Salvum eſſe deſinit, committitur; & fidejuſſoribus dies cedit. Sed in ſe revolvitur (*f*). *l.* 4. § 7. ULP. LIB. 79. AD ED.

(*a*) Senſus eſt: quia videtur Adoleſcens, hoc quod fidejuſſorum onus fuiſſet, excutere tutorem ſi ipſi ſolviſſent, in ſe quaſi ex causâ mandati recepiſſe; adeòque non jam eos ex veteri fidejuſſione, ſed ex causâ mandati obligatos ſibi habere. Unde concludit, inter illos debere eſſe locum beneficio diviſionis; quod inter plures credendæ pecuniæ mandatòres obtinet.

(*b*) Beneficium diviſionis quod Hadrianus fidejuſſoribus dedit, probat Papinianus ad mandatores porrigi debere; hoc argumento. *Si enim* plures mandatores creditori id quod dedit ſolvunt, aut ipſi pro alio æquè ac fidejuſſores ſolvere coguntur; eadem occurrit ratio, cur hoc beneficio æquè gaudere debeant. Nec hanc æquitatem excludere poteſt diverſa *Species actionis*: id eſt; licèt alia actio ſit quâ mandatores tenentur, alia quâ fidejuſſores: tamen in his, licèt ſpecie diverſis actionibus, eadem æquitatis ratio occurrit: ut inter plures qui his actionibus tenentur, actio dividatur.

(*c*) Nam & *Nomina* appellatione REI continentur: l. 44. ff. *de Verb. ſignif.*

(*d*) Nam hæc in actione *Tutelæ* non venirent.

(*e*) Id eſt repetitiones.

(*f*) Nimirùm, ſæpiùs committitur ſtipulatio. Quotieſcumque enim aliquid culpâ perit; *in ſe revolvitur* & recurrit, hoc eſt denuò committitur ſtipulatio.



Source : BIU Cujas

TITULUS VII.

JUDICATUM SOLVI.

STipulatio JUDICATUM SOLVI *eſt etiam ex numero Prætoriarum. Quæ ut pleniùs innoteſcat, videndum eſt à quo & cui exhibeatur, quando & quoties & quatenùs committatur; cui & adversùs quem detur actio ex illâ ſtipulatione, & quid illa contineat; denique, quando ipſa ſtipulatio extinguatur.*

ARTICULUS I.

A quo, & cui, hæc cautio exhibeatur.

§ I.

Quis eam cautionem exhibeat, & quando.

I.

Hanc Prætor jubet exhiberi à reo vel procuratore ejus. Et quidem Jure Pandectarum in actionibus IN REM, *poſſeſſor qui ſuo nomine conveniebatur, hanc cautionem tenebatur exhibere. Ni faceret, poſſeſſio in petitorem, ſi ipſe ſatiſdare paratus eſſet, transferebatur. Ita docet Paulus*: Quoties hereditas petitur (*a*), ſatiſdatio jure deſideratur; &, ſi ſatiſdatio non detur, in petitorem hereditas transfertur. PAUL. SENT. LIB. I. *tit.* 19. § 1.

Si petitor ſatiſdare noluerit, penès poſſeſſorem remanet poſſeſſio; in pari enim causâ potior eſt poſſeſſor. *d. tit.* § 2.

De eâdem re intelligendum eſt etiam, ex ſententiâ Cujacii, quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus (*b*). UTI POSSIDETIS fundum de quo agitur, cùm ab altero nec vi nec clàm nec precariò poſſidetis, Rector provinciæ vim fieri prohibebit: ac ſatiſdationis (*c*) vel transferendæ poſſeſſionis Edicti Perpetui formâ ſervatâ, de proprietate cognoſcet. *l. un. Cod. Uti poſſidetis.*

Interdum tamen, etſi petitor non ſatis offerat, res non relinquitur penès poſſeſſorem qui non ſatiſdat. Nam Si ſatiſdatum (*d*) pro re mobili non ſit, & perſona ſuſpecta ſit ex quâ SATIS deſideratur (apud Officium deponi debebit, ſi hoc judici ſederit; donec vel ſatiſdatio detur, vel lis finem accipiat. *l.* 7. § *fin. Qui ſatiſd. cog.* ULPIAN. LIB. 14. AD ED.

Et hæc quidem de Actionibus IN REM. *Quod attinet ad actiones* IN PERSONAM; *in his ſi reus ſuo nomine judicium acciperet, ſatiſdare non cogebatur* Judicatum Solvi, *ſed tantùm ſi alieno.*

Hodie verò, Jure Juſtinianeo; is qui ſuo nomine convenitur ſive In rem *ſive* In perſonam, *non ſatiſdat* JUDICATUM SOLVI, *ſed duntaxat* JUDICIO SISTI; *niſi uno caſu de quo notavimus ſuprà lib.* 36. *tit.* Ut in poſſeſſ. legat. *N.* 15. *quem vide cum Notis.*

II.

Tam autem Jure antiquo quàm novo, & tam in actionibus IN REM *quàm in perſonalibus*; Si ad defendendum procurator datus fuerit, ſatiſdare jubetur JUDICATUM SOLVI ſtipulatione; quæ non ab ipſo procuratore, ſed à domino litis (*e*) interponitur.

Quòd ſi procurator aliquem defendat (*f*), ipſe cogitur ſatiſdare JUDICATUM SOLVI ſtipulatione. *l.* 10. MODEST. LIB. 4. PANDECT.

Et generaliter: Qui alium defendit, ſatiſdare cogitur. NEMO enim alienæ litis idoneus defenſor, ſine ſatiſdatione intelligitur. *l.* 46. § 2. *ff. de Procurat.* GAIUS LIB. 3. AD ED. PROVINC.

Et rursùs: Is qui ſuſcepit defenſionem, etſi locupletiſſimus eſt; *l.* 51. § *fin. ff. d. tit.* ULP. LIB. 60. AD ED. Etſi Conſularis ſit; *l.* 52. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 37. AD ED. Non videtur defendere, niſi ſatiſdare fuerit paratus *l.* 53. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 60. AD ED.

III.

Quando autem illa cautio præſtari debeat, ita breviter docent Diocletianus & Maximianus. Rei autem procurator vel defenſor, etiam ſub geſtorum teſtificatione factus (*g*), in ipſo litis limine JUDICATUM SOLVI ſatiſdationem in omnibus cauſis præſtare cogitur. *l. un. Cod. de Satiſd.* ¶ *fin.* DIOCLET. ET MAXIM.

IV.

Filiusfamilias defendit abſentem patrem: quæro an JUDICATUM SOLVI ſatiſdare debeat? Paulus reſpondit, Eum qui abſentem defendit, etiamſi filius vel pater ſit, ſatiſdare petituro ex formâ Edicti debere. *l.* 14. *ff. Qui ſatiſd. cog.* PAUL. LIB. 2. RESPONS.

Vice versâ Si filii nomine cum patre Injuriarum agere velim, & is procuratorem det; non intelligitur filius defendi, niſi JUDICATUM SOLVI ſatiſdetur. Et ideò actio adversùs filium, tanquam à patre non defendatur, danda erit. *l.* 36. *ff. de Injuriis.* JULIAN. LIB. 45. DIGEST.

V.

Qui alienum ſervum ſuum eſſe fatetur (*h*); quamvis Noxali actione obligetur; nihilominùs causâ cognitâ ſatiſdare debet. Qui autem pro ſervo convenitur, ſatiſdatione onerandus non eſt; non enim offert ſe defenſioni alieni ſervi. *l.* 39. § 1. *ff. de Noxalib. actionib.* JUL. LIB. 9. DIGEST.

Quid Si cum uno ex dominis noxalis agetur; an pro parte ſocii ſatiſdare deberet? Sabinus ait, Non debere, quia quodammodo totum ſuum hominem defenderet, cui id ſolidum defendendi neceſſitas eſſet; nec auditur, ſi pro parte paratus ſit defendere. *l.* 4. *ff. Si ex nox. causâ agat.* GAIUS LIB. 6. AD ED.

§ II.

Cui hæc cautio exhibeatur.

VI.

Non ſolùm ipſi litis domino hæc cautio exhiberi poteſt; ſed Stipulationem JUDICATUM SOLVI, & procurator, & tutor & curator ſtipulari (*i*) poſſunt. *l.* 3. § 1. ULP. LIB. 77. AD ED.

(*a*) Quod de Petitione hereditatis hîc dicitur, de cæteris actionibus IN REM dictum puta.

(*b*) Alium huic legi ſenſum affingit Duarenus; quem vide *Diſput. anniv.* I 21.

(*c*) *Judicatum Solvi.* Quam ni præſtet poſſeſſor, poſſeſſio in petitorem transfertur.

(*d*) Ulpianus loquebatur tam de ſatiſdatione *Judicatum Solvi*, quàm de *Judicio ſiſti*. Hodie hic textus locum habet duntaxat in ſatiſdatione *Judicio ſiſti*.

(*e*) Qui hunc procuratorem dedit.

(*f*) Ultrò abſentem defendat.

(*g*) *Par Acte au Greffe.* Et in hoc differt à procuratore Actoris; qui ſi *apud Acta* factus ſit procurator, non tenetur ſatiſdare DE RATO: infrà Tit. ſeq. N. 6.

(*h*) In Jure interrogatus.

(*i*) Hoc ſtipulationibus omnibus Prætoriis commune eſt; ut vid. ſuprà Tit. *de Stipul. Prætor.* art. 2.

Source : BIU Cujas

PROCURATOREM eum accipere debemus, cui mandatum est; sive hujus rei tantùm mandatum susceperit, sive etiam universorum bonorum.

Sed & si ratum fuerit habitum, procurator videtur. *d. l.* 3. § 2.

Hinc Julianus ait; Si antequàm mandarem tibi ut fundum peteres, satis acceperis petiturus fundum, & postea mandatur meo agere institueris; fidejussores teneri. *l.* 11. *Qui satisd. cogant.* ULP. LIB. 75. AD ED.

Secùs, si nec mandatum sit, nec ratum sit habitum. Sed & si fortè ex liberis vel parentibus aliquis interveniat, vel vir uxoris nomine, à quibus mandatum non exigitur; an committatur stipulatio, quæritur? Magisque erit, ne committi debeat; nisi fuerit ei mandatum vel ratum habitum. Quod enim eis agere permittitur Edicto Prætoris, non facit eos procuratores. Itaque si talis persona interveniat, ex integro erit cavendum (*a*). *sup. d. l.* 3. § 3.

VII.

Sed & quod de tutore diximus, ita accipiendum est; ut, (*Supple*, dicendum sit. *Et ita aliàs sæpissimè.*) si is fuerit qui tutelam administrabat quum tutor non esset, TUTORIS appellatione eum non contineri. *d. l.* 3. § 4.

Sed etsi quidem tutor sit, non tamen quasi tutor negotia administret, vel dum ignorat, vel aliâ ex causâ; dicendum erit, non committi stipulationem. Nam Edicto Prætoris, illi tutori agendi facultas datur, cui à parente majore-ve parte tutorum, eorum-ve cujus ea jurisdictio fuit, tutela permissa erit. *d. l.* 3. § 5.

Item Si tutor esse proponatur regionis alicujus vel provinciæ, vel rerum Italicarum; consequens erit dicere, stipulationem ita demùm committi, si ex eâ causâ egerint quæ ad administrationem eorum pertinebat. *d. l.* 3. § 7.

VIII.

Sed & curatorem accipimus, furiosi, furiosæ, item pupilli, pupillæ; cæterorum quoque curatores, putà adolescentis; vel si alterius cujus curator sit, committi puto stipulationem. *d. l.* 3. § 6.

IX.

Quamvis à procuratore cæterisque suprà dictis personis utiliter hæc cautio exhibeatur; tamen Si procurator agat, & præsens sit absentis servus; Atilicinus ait, Servo (*b*) cavendum, non procuratori. *l.* 43. § 5. *ff. de Procurat.* PAUL. LIB. 9. AD ED.

ARTICULUS II.

Quando hæc stipulatio committatur.

X.

JUDICATUM SOLVI stipulatio tres clausulas in unum collatas habet, DE re judicatâ, DE re defendendâ, DE dolo malo. *l.* 6. ULP. LIB. 78. AD ED.

Undè videndum primò & generaliter, quænam requirantur ut committatur stipulatio Judicatum Solvi: *deinde sigillatim de tribus ejus clausulis quærendum pariter, quando unaquæque committatur.*

§ I.

Quæ generaliter requirantur, ut committatur stipulatio Judicatum Solvi.

XI.

Id requiritur in primis, ut sit idem judicium propter quod cautum est. Quòd Si quis alio judicio acturus, JUDICATUM SOLVI satis acceperit; deinde & in alio judicio agat: non committetur stipulatio; quia de aliâ re videtur cautum. *l.* 64. § 1. *ff. de Judiciis.* ULP. LIB. 1. DISPUT.

Porrò ut idem judicium videatur, & cautio actori committatur; tria concurrere oportet; videlicèt ut super eâdem actione, ut cum eâdem personâ, & apud eumdem judicem actor judicium acceperit.

XII.

1°. *Oportet acceptum esse judicium super eadem actione propter quam cautio exhibita est.*

Quòd Si fuero à fidejussore procuratoris stipulatus JUDICATUM SOLVI, quasi In rem acturus, & postea In personam egero; vel aliâ actione acturus, aliam autem dictavero actionem: non committitur stipulatio; quia de aliâ actum videtur, de aliâ stipulatio interposita. *l.* 13. § 1. ULP. LIB. 7. DISPUT.

XIII.

2°. *Oportet ut cum eâdem personâ de quâ stipulatio interposita est, acceperit actor judicium.*

Non videbitur autem cum eâdem personâ acceptum judicium, si personæ causa mutata sit: modò tamen hanc causæ mutationem actor cognoverit.

Hinc Gaius. Si ante acceptum judicium prohibitus fuerit procurator à domino (*c*), & actor ignorans prohibitum eum esse egerit; an stipulatio committatur? Et nihil aliud dici potest, quàm committi. Quòd si quis sciens prohibitum esse egerit, Julianus non putat stipulationem committi. Nam ut committatur, non sufficere ait cum eâ personâ acceptum esse judicium quæ stipulationi comprehensa est; sed oportet etiam causam personæ eamdem esse, quæ stipulationis interponendæ tempore fuit.

Et ideò si is qui procurator datus est, heres extiterit domino, atque ita acceperit judicium; sive etiam prohibitus acceperit; non committitur stipulatio. Nam & aliàs responsum esse, si quis absentem defendens satisfederit, deinde vel procurator ab eo datus, vel postquàm heres ei extitit, judicium acceperit; fidejussores non teneri. *l.* 7. GAIUS LIB. 27. AD ED. PROVINC.

Cæterùm Si ex parte actoris, litis translatio fiat, dicimus committi JUDICATUM SOLVI stipulationem à reo factam. Idque & Neratius probat, & Julianus. Et hoc Jure utimur; scilicet si dominus satis accepit.

Sed & si procurator satis accepit, & transferatur judicium in dominum; verius est committi, & Ex stipulatu actionem à procuratore in dominum transferri.

Sed & si à domino vel à procuratore in judicium transferatur; non dubitat Marcellus, quin committatur stipulatio. Et hæc vera sunt. Et licèt procuratori commissa sit stipulatio, tamen domino erit danda Utilis Ex stipulatu actio: Directa (*d*) penitùs tollenda. *l.* 27. § 1. *ff. de Procurat.* ULPIAN. LIB. 19. AD ED.

XIV.

3°. *Oportet ut apud eumdem judicem acceptum sit judicium, apud quem cautio exhibita est.*

Ergo Si quis apud aliquem judicem iturus, stipulatus est JUDICATUM SOLVI, & agit apud alterum; non committitur stipulatio; quia non hujus judicis Sententiæ, fidejussores se subdiderunt. *l.* 3. ULP. LIB. 77. AD EDICT.

Hinc Scævola. Quum apud Sempronium judicem datum reus defenderetur; stipulatione cautum est ut quod Sempronius judex judicasset, præstaretur. A cujus Sententiâ appellavit. Et quum apud competentem appellationi judicem res ageretur; defensore condemnato, quæsitum est an stipulatio commissa esset? Respondit;

(*a*) Domino qui ipse postea aget.

(*b*) Scilicet ut domino litis *Directa* actio quæratur; cùm *Utilis* duntaxat quæreretur, si procuratori caveretur.

(*c*) Finge: Reus litis dominus constituit procuratorem ad defendendum, & pro eo satis dedit *Judicatum solvi.* Postea vetuit eum defendere; & sic causa ejus procuratoris mutata est. Actor qui ignorabat hunc procuratorem vetitum fuisse judicium accipere, judicium cum eo accepit, & condemnatus est: stipulatio committetur; quia actor ignorabat eum esse prohibitum.

(*d*) *Directa* actio, quæ procuratori qui stipulatus est ex subtilitate competeret, ei deneganda est.

Source : BIU Cujas

Secundùm ea quæ proponerentur, non esse jure commissam. Claudius : Ideò (*a*) stipulationi [*Florent.* stipulatione] adjicitur, QUI-VE IN EJUS LOCUM substitutus erit. *l.* 20. SCÆVOLA LIB. 20. DIGEST.

§ II.

Quando committatur prima stipulationis clausula, De re Judicatâ.

X V.

In stipulatione JUDICATUM SOLVI ; post rem Judicatam, statim dies cedit ; sed exactio in tempus (*b*) reo principali indultum differtur. *l.* 1. PAUL. LIB. 24. AD ED.

§ III.

Quando committatur clausula De re non defensâ.

X V I.

Ut ex hâc clausulâ committatur stipulatio, hæc concurrere oportet ; ut nemò rectè defendat, & ut vir bonus arbitraturus esse defendi oportere.

Prima conditio : Ut nemo sit qui defendere paratus sit.

Enimverò Ob rem non defensam stipulatio non committitur, quandiù potest existere qui defendat. *l.* 3. § 9. ULP. LIB. 77. AD ED.

X V I I.

Nunc videamus qualis defensio exigatur, ne committatur stipulatio, & quarum personarum. *l.* 5. § 3. IBID.

RECTE DEFENDI, hoc est ; judicium accipere vel per se vel per alium, sed cum satisdatione. Nec ille videtur defendi, qui quod Judicatum est (*c*) non Solvit. *l.* 63. *ff. de Judiciis.* ULP. LIB. 49. AD ED.

Et quidem Unus ex fidejussoribus, vel heredibus pluribus, alio cessante, suscipere defensionem potest. *l.* 5. § 1. ULP LIB. 77. AD ED.

Si tamen plures fidejussores defendere fuerint parati ; videamus utrùm unum defensorem debent dare, an verò sufficiat ut unusquisque eorum pro parte suâ defendat vel defensorem substituat ? Et magis est ut, nisi unum dent procuratorem, desiderante scilicet hoc actore, committatur stipulatio Ob rem non defensam. Nam & plures heredes rei, necesse habebunt unum dare procuratorem ; ne defensio per plures scissa, incommodo aliquo adficiat actorem. *d. l.* 5. § 7.

Nota. Aliud est in heredibus actoris, quibus necessitas non imponitur ut per unum litigent. *d.* § 7. ¶ *aliud.*

X V I I I.

Et, si quidem ex personis enumeratis in defensionem quis succedat ; palàm est rectè rem defendi, nec committi stipulationem. Si verò extrinsecùs persona defensoris interveniat ; æquè stipulatio non committetur ; si modò ille paratus sit rem boni viri arbitratu defendere, hoc est satisdare : sic enim videtur defendere, si satisdet. Cæterùm si simpliciter paratus sit intervenire, nec admittatur (*d*) ; committetur ista stipulatio Ob rem non defensam. Quòd si quis eum vel cum satisdatione, vel sine satisdatione admiserit ; consequens erit dicere, stipulationis istius nullam partem committi : quia sibi imputari debet, quia talem defensorem admisit. *d. l.* 5. § 3. ¶ *& si quidem.*

Quod de extraneo defensore dicimus, obtinet etiam & quum unus ex fidejussoribus defensioni se offert. Undè sic pergit Ulpianus : Si ex fidejussoribus qui Judicatum solvi caverant existat defensor, placuit ob rem Judicatam stipulationem non committi ; cæteraque eadem esse, atque si extraneus defensor existat. *d. l.* 5. § 4.

X I X.

Etiam Illud sciendum est ; ibi rem esse defendendam, ut rectè defendatur, ubi debet agi. *d. l.* 5. § 8.

X X.

Secunda conditio : Ut vir bonus arbitraturus fuerit defendere oportere.

Hinc propter eam rem non defensam de quâ Prætor judicium accipere non cogat, hæc stipulatio non committitur.

Enimverò Vir bonus non arbitratur indefensam esse rem, de quâ Prætor judicium accipere non cogat. *l.* 18. VENULEIUS LIB. 7. DISPUT.

His quæ dicimus, consonat quod Ulpianus ait : Si eum hominem quem à Titio petieram, pro quo satis de lite acceperam (*e*), Titius liberum heredemque reliquerit : si quidem reverâ ipsius fuit (*f*), dicendum est judicium in eum transferri ; &, si non patiatur id fieri, committi stipulationem. Si autem meus petitoris fuit, neque jussu meo hereditatem adierit (*g*) ; fidejussores tenebuntur Ob rem non defensam : si autem adierit me jubente, stipulatio evanescit (*h*). Planè si meus fuerit ; & idcircò differam aditionem, ut, quum vicero, tunc eum jubeam adire, & interim Ob rem non defensam agere velim : non committitur stipulatio ; quia vir bonus non arbitraretur. *l.* 33. *ff. de Fidejuss. & mandat.* ULP. LIB. 77. AD ED.

X X I.

Vidimus quæ concurrere oportet ut stipulatio ex hâc secundâ clausulâ committatur.

Cæterùm Etsi reus post JUDICATUM SOLVI ab eo datum, in magistratu sit, nec invitus in Jus vocari possit, tamen, nisi res boni viri arbitratu defendatur, fidejussores tenentur. *l.* 12. POMPON. LIB. 26. SABIN.

Item Si reus postquàm JUDICATUM SOLVI promisit, demens factus sit ; an stipulatio committatur Ob rem non defensam, quæritur ? Magisque est ut committatur, si nemo eum defendat. *l.* 3. § 8. ULP. LIB. 77. AD ED.

Item non ideò minùs stipulatio committitur, quod reus quem quis defendere promiserit, desierit esse solvendo.

Hoc docet Julianus. Ita ille : Titius quum absentem defenderet, satisdedit ; &, priusquàm judicium acciperet, desiit reus solvendo esse. Quam ob causam, defensor recusabat judicium in se reddi oportere. Quæro an id ei concedi oporteat ? Julianus respondit ; Defensor, quum satisdedit, domini loco habendus est ; nec multùm ei præstaturus est Prætor, si eum non coegerit judicium accipere ; cùm ad fidejussores ejus iri possit ; & hi quidquid præstiterint, à defensore consecuturi sint. *l.* 76. *ff. de Procuratorib.* JUL. LIB. 5. AD MINITIUM.

X X I I.

In hâc stipulatione hoc tractatur ; an hi qui fidejusserint, si defensionem omiserint, Mandati judicio teneantur ? Et est verius, non teneri. Hi enim in quantitatem intervenerunt, & hoc illis fuit mandatum ; non in defensionem. *l.* 5. § 5. ULP. LIB. 77 AD ED.

Quid tamen si & hoc sibi adsumpserint, ut defendant ? an Mandati possint agere ? Et si quidem victi sunt ; utique quod ob rem Judicatam præstiterunt, consequentur (*i*) : sumptus tamen litis minimè petent (*k*). Si autem obtinuerunt, poterunt sumptus litis consequi, quasi juxta mandatum (*l*), etsi non mandatum fecerint. *d. l.* 5. § 6.

(*a*) Ut possit committi.

(*b*) Intellige inducias quæ condemnatis dantur : de quibus suprà lib. 42. Tit. *de Re Judic.* N. 66.

(*c*) Id est, qui *Judicatum Solvi* non satisdat.

(*d*) Quia non satisdat.

(*e*) Nota hìc vestigium Juris antiqui ; quo etiam is qui suo nomine defendebat in actione IN REM, satisdabat *Judicatum Solvi* : suprà N. 1.

(*f*) De quâ re tamen adhuc sub judice lis est.

(*g*) Sed se immiscuerit, quasi esset liber & necessarius Titii heres.

(*h*) Nam cùm per eum heres extiterim reo, jam nulla lis superesse potest.

(*i*) Nam in mandato fidejubendi, continetur & mandatum Solvendi.

(*k*) Nec enim eis mandatum est ut litigarent.

(*l*) Litigando non fecerunt aliquid quod ipsis propriè mandatum fuerit. Sed cùm hoc faciendo liberaverint reum, saltem videntur fecisse *Juxta mandatum* ; id est, videntur fecisse aliquid quod accedat negotio fidejubendi pro reo, quod ipsis mandatum fuit. Adeòque ex hâc causâ, actione *Mandati contrariâ* UTILI ad repetendos sumptus agent.

Source : BIU Cujas

§ IV.

Quando committatur clauſula De dolo.

XXIII.

Noviſſima clauſula Judicatum Solvi ſtipulationis, DOLUM MALUM ABESSE ABFUTURUMQUE ESSE, & in futurum tempus permanens factum demonſtrat. Itaque etſi fortè deceſſerit is qui dolo fecerit, tenebitur heres ejus. Verbum enim ABFUTURUMQUE ESSE, pleniſſimum eſt, & ad omne tempus refertur; ut, ſi aliquo tempore non abfuerit dolus, quoniam verum ſit non abfuiſſe, committatur hæc clauſula. *l.* 19. VENULEIUS LIB. 9. STIPUL.

Quinetiam nôta. Si autem adjectum ſit; ſi HUJUS (*a*) REI dolus malus non aberit, quanti ea res eſt dare ſpondes? & ob extranei dolum promiſſor pœnâ tenebitur. *d. l.* 19. § 1.

Cæterùm clauſula ad dolum qui ſtipulationem præceſſiſſet, non pertinet. Hinc pergit Venuleius : Doli autem mali clauſula, ſicut reliquæ ſtipulationes in quibus tempus nominatim adjectum non eſt, ad principium ſtipulationis refertur. *d. l.* 19. § 2.

ARTICULUS III.

Quoties & quatenùs committatur hæc ſtipulatio.

XXIV.

In hâc ſtipulatione, quia plures cauſæ ſunt unâ quantitate concluſæ; ſi committeretur ſtatim ſtipulatio ex uno caſu, ampliùs ex alio committi non poteſt. *l.* 5. § 2. ULP. LIB. 77. AD ED.

Hinc Ulpianus. Quum quærebatur, ſi interpoſitâ JUDICATUM SOLVI ſtipulatione, quum quis rem non defenderet, poſtea ex heremodicio (*b*) Sententiam eſſet paſſus; an ob rem Judicatam clauſula committatur; dicebam Unam clauſulam in ſtipulatione, JUDICATUM SOLVI (*c*), & OB rem non defenſam & OB rem Judicatam in ſe habere. Cùm igitur JUDICATUM SOLVI ſtipulatio, unâ claudatur (*Florent.* cludatur, *& ſic frequenter.*) clauſulâ; ſive res judicetur ſive res non defendatur; meritò quæritur, ſi altera cauſa committatur, an ex alterâ rursùm committi poſſit? Ecce enim ſi quis ſtipuletur, Si navis ex Aſiâ venerit, aut SI Titius Conſul fuerit; conſtat, ſive navis prior venerit, ſive Titius Conſul antè factus ſit, committi ſtipulationem. Sed ubi commiſſa eſt ex priore causâ; ex alterâ, licèt exiſtat conditio, ampliùs non committitur: altera cauſa enim, non utraque inhæret ſtipulationi. Proindè videndum, ſtipulatio Ob rem non defenſam, utrùm commiſſa eſt re non defensâ, an non priùs creditur commiſſa, niſi ex ſtipulatione lis fuerit conteſtata? Quod magis eſt (*d*). Et ideò nec fidejuſſoribus videtur ſtatim dies cedere, ubi res cœperat non defendi. Proindè ſi fortè lis finita fuerit, ad quam defenſio erat neceſſaria, vel ſolutione vel tranſactione, vel acceptilatione, vel quo alio modo; conſequenter placuit, evaneſcere OB REM NON DEFENSAM, clauſulam. *l.* 13. ULP. LIB. 7. DISPUT.

Contra diverſas tamen perſonas, poteſt ſtipulatio ex his diverſis clauſulis committi.

Hinc SI unus ex fidejuſſoribus OB rem non defenſam conventus ſit, deinde poſtea res defendatur; alter fidejuſſorum, OB rem Judicatam conveniri poteſt.

Et, ſi reus promittendi duobus heredibus relictis, deceſſerit, alter rem non defendat, alter defendat: is qui non defendat OB rem non defenſam conveniri poteſt; ille qui defendat, OB rem Judicatam. Quoniam in unius ejuſdemque perſonâ non poſſe committi has duas clauſulas creditur; & nos dicimus, ſemper prævalere REI JUDICATÆ clauſulam, eamque ſolam committi. *l.* 21. SCÆVOLA LIB. SING. QUÆST. PUBLICE TRACTATARUM.

XXV.

Jam verò, ex unâquâque ſuarum clauſularum, ſtipulatio JUDICATUM SOLVI *committitur in ſolidum. Nimirùm triplici* Ex clauſulâ, RE Judicatâ, DOLO malo, OB rem non defenſam, in ſolidum committitur ſtipulatio (*e*). Non enim videbitur defenſa res boni viri arbitratu, quæ non in ſolidum defenſa ſit. *l.* 17. VENULEIUS LIB. 6. STIPULATIONUM.

Quamvis autem in ſolidum hæc ſtipulatio committatur, ſinguli tamen fidejuſſores beneficium diviſionis habent.

Hinc Neratius. EX JUDICATUM SOLVI ſtipulatione, OB rem non defenſam, cum uno ex fidejuſſoribus agere volo: is quod pro parte ejus ſit, ſolvere mihi paratus eſt. Non debet mihi in eum dari judicium. Neque enim æquum eſt, aut judicio diſtringi, aut ad inficiationem compelli, eum qui ſine judice dare paratus eſt; quo non ampliùs adverſarius ejus per judicem ab eo conſecuturus eſt. *l.* 16. NERATIUS LIB. 3. MEMBRANARUM.

ARTICULUS IV.

Cui & adversùs quem actio detur ex hâc ſtipulatione, & quid in illâ veniat.

XXVI.

Quamvis regulariter ipſi ſtipulatori actio, quæ ex quâvis ſtipulatione deſcendit, detur : tamen Si procurator meus JUDICATUM SOLVI ſatis acceperit; mihi Ex ſtipulatu actio utilis eſt, ſicuti JUDICATI actio mihi indulgetur. Sed & ſi egit procurator meus ex eâ ſtipulatione me invito, nihilominùs tamen mihi Ex ſtipulatu actio tribuitur. Quæ res facit ut procurator meus Ex ſtipulatu agendo, exceptione debeat repelli: ſicuti quum agit JUDICATI, non in rem ſuam datus, nec ad eam rem procurator factus.

Per contrarium autem; ſi procurator meus JUDICATUM SOLVI ſatiſdederit, in me Ex ſtipulatu actio non datur. Sed & ſi defenſor meus ſatiſdederit, in me Ex ſtipulatu actio non datur, quia nec JUDICATI mecum agi poteſt (*f*). *l.* 28. *ff. de Procuratorib.* ULP. LIB. 1. DISPUTATION.

XXVII.

Jam verò JUDICATUM SOLVI ſtipulatio expeditam (*g*) habet quantitatem. In tantùm enim committitur, in quantùm judex pronuntiaverit. *l.* 9. ULP. LIB. 14. AD ED.

Quòd ſi OB *rem non defenſam agatur, illud venit quanti judex condemnaret.*

Cæterùm hoc caſu; Quoties ex ſtipulatione Judicatum Solvi, OB rem non defenſam agitur cum fidejuſſoribus;

(*a*) Hic dolus RET, id eſt, qui à quocumque circa rem admiſſus erit, non dolus talis *Perſonæ* in ſtipulationem deductus eſt.

(*b*) Vide ſuprà lib. 5. Tit. *de Judiciis*, N. 75.

(*c*) Clauſulam hanc ſcilicet *Judicatum ſolvi*, duas alias *in ſe habere.*

(*d*) Definit ſtipulationem *Judicatum Solvi*, ex clauſula OB REM NON DEFENSAM, non intelligi commiſſam adversùs promiſſorem qui defenſioni deeſt; donec cum eo ex hâc ipsâ ſtipulatione *Ob rem non defenſam* actum ſit; liſque ſit cum illo, eo nomine conteſtata. Unde ſequitur reſponſio ad propoſitam in lege quæſtionem. Nam ſi promiſſor fuerit ex heremodicio priore judicio condemnatus, poſtquàm jam cum ipſo ex clauſulâ *Ob rem non defenſam* novo judicio actum eſſet, liſque cum eo conteſtata; non committetur ſtipulatio ex causâ judicati, cùm jam commiſſa fuerit ex clauſulâ *rei non defenſæ*. Contrà vice versâ; ſi nondum cum eo ex clauſulâ *Rei non defenſæ* actum erat, committetur ſtipulatio ex clauſulâ *Judicatum Solvi*, & evaneſcet clauſula *De re defendendâ*; cùm jam non interſit actoris, *Rem defendi*, poſtquàm lis per Sententiam finita eſt.

(*e*) Supple: Atque hinc ſequitur quòd, etſi fortè quis V. G. pro parte defendere paratus eſſet; non ideò minùs ſtipulatio committetur, quaſi res omninò non defenderetur. *Non enim &c.*

(*f*) Accipe hunc §*um.* de procuratore abſentis. Nam conſtat in eo qui præſens conſtituit procuratorem, ex Sententiâ adversùs ipſius procuratorem datâ ipſum teneri actione *Judicati*, non ejus procuratorem: ut vid. ſuprà lib. 42. Tit. *de Re Judic.* N. 35.

(*g*) Nec obſtat quod in l. 2. § 1. ff. *de Stipul. Prætor.* dicatur *incertam* quantitatem continere. Nam incerta quidem eſt, quum interponitur, & antequàm Judicatum ſit: at poſtquàm Judicatum eſt, ſit explicita.

Source : BIU Cujas

non eſt iniquum caveri, dominum priore judicio abſolvi : quia omiſsâ cautione (*a*), fidejuſſores MANDATI judicio non conſequentur, aut certè cogantur dominum priore judicio defendere. *l.* 14. § 1. JULIAN. LIB. 55. DIGEST.

ARTICULUS V.

Quando extinguatur hæc ſtipulatio.

XXVIII.

Huic quæſtioni locus eſt in hâc ſtipulatione, propter clauſulam DE RE DEFENDENDA. *Et breviter docet Africanus, quando illa extinguatur.*

Ita ille : Hæc ſtipulatio, QUANDIU RES NON DEFENDATUR, ſimul atque defendi cœperit, aut defendi debere deſierit, reſolvitur. *l.* 15. AFRICAN. LIB. 6. QUÆSTION.

XXIX.

1°. *Itaque reſolvitur quum res defendi cœperit.*

Et quidem Si plures fuerint fidejuſſores; poſteaquàm cum uno lis conteſtata eſt ex clauſulâ OB rem non defenſam, ipſe reus poteſt ſuſcipere defenſionem. *l.* 3. § *fin.* ULP. LIB. 77. AD ED.

Is autem cum quo actum fuit, abſolvi (*b*) debet. *l.* 4. JULIAN. LIB. 55. DIGEST.

Liberatur quidem fidejuſſor, cum quo lis OB *rem non defenſam conteſtata eſt; ſi reus defendere incipiat.* Jam tamen fidejuſſore qui judicium acceperat damnato, fruſtrà defenſionem reus ſuſcipit. Cæterùm (*c*) & ſi ſolutum fuerit poſteaquàm Judicatum eſt, repetitionem conſtituerimus ejus quod ſolutum (*d*) eſt. *l.* 5. ULPIAN. LIB. 77. AD ED.

Si poſt fidejuſſoris condemnationem, fruſtrà defenſio ſuſcipitur; multò magis Qui OB rem non defenſam ſolvit, quamvis poſtea defendere paratus eſt, non repetet quod ſolverit. *l.* 35. *ff. de Condict. indeb.* JULIAN. LIB. 45. DIGEST.

Idem Julianus ait. Si ex duobus fidejuſſoribus qui Judicatum Solvi ſpoponderant, alter OB rem non defenſam partem ſuam ſolverit; nihilominùs res defendi poterit, nec tamen is qui ſolverit, repetet. Stipulatio enim pro parte ejus perempta eſt, perindè ac ſi acceptum ei factum fuiſſet. *l.* 14. JULIAN. LIB. 55. DIGEST.

XXX.

2°. *Reſolvitur ſtipulatio Ob rem non defenſam, ſi defendi debere deſierit; putà, finitâ lite : ut ſuprà obiter vidimus N.* 24. *ex l.* 13. *h. tit.*

Similiter Paulus. Cùm lite mortuâ nulla res ſit; ideò conſtat fidejuſſores ex ſtipulatu JUDICATUM SOLVI non teneri. *l.* 2. PAUL. LIB. 71. AD ED.

Item Si petitor poſt ſatiſdationem (*e*), ante judicium acceptum (*f*), heres poſſeſſori extiterit; extinguitur ſtipulatio. *l.* 8. PAUL. LIB. 74. AD ED.

Quòd Si ſervus qui IN REM actione petebatur, litè conteſtatâ deceſſerit; deinde poſſeſſor litem deſeruerit: quidam, fidejuſſores ejus pro lite datos, non teneri putant; quia mortuo homine nulla jam res ſit. Quod falſum eſt: quoniam expedit, DE evictione actionis conſervandæ causâ, item fructuum nomine, rem Judicari. *l.* 11. PAUL. LIB. 74. AD ED.

(*a*) Si neglexerint exhiberi hanc cautionem, non poterunt conſequi Judicio *Mandati* ab eo pro quo fidejuſſerunt, ut ipſis refundat quod pro eo ſolverunt; quia ipſe culpâ eorum adhuc perieſitetur, cùm poſſit condemnari. Aut ſi dicamus nihilominùs poſſe fidejuſſores conſequi, ut ſibi refundatur quod pro eo ſolverunt; certè non aliter hoc poterunt conſequi, quàm ſub eâ lege ut ipſum defendant ſi ex hâc causâ iterùm conveniatur.

(*b*) Nec obſtat lex 84. Tit. *de Verb. oblig.* in quâ dicitur, eum qui inſulam fabricare promiſit, lite cum ipſo conteſtatâ non poſſe jam purgare moram; etſi inſulam fabricare paratus ſit. Diſparitas eſt quòd in lege oppoſitâ, ipſe cum quo lis conteſtata eſt, offert facere quod in obligationem deductum eſt; non poteſt autem ipſe, qui Judicium accipiendo obligationem rei faciendæ in obligationem ejus quod intereſt novavit, poſtea offerendo id quod in priorem obligationem deductum eſt, evitare condemnationem ejus quod intereſt. Verùm in hâc l. 4. non ipſe fidejuſſor cum quo lis conteſtata eſt, ſed reus cum quo lis conteſtata non eſt, offert defendere. Quidnî autem admittatur? Si quidem cum ipſo lis conteſtata non eſt. Quum autem reus ad defendendum admittitur; jam nihil poteſt intereſſe actoris *Rem non defendi*, adeòque jam nihil eſt in quod poſſit condemnari fidejuſſor cum quo lis conteſtata eſt: & ſic fit ut liberetur fidejuſſor; & ex perſonâ rei principalis conſequatur, quod ex ſuâ habere non poſſet. Ita ferè Duarenus & Cujacius.

(*c*) Id eſt, alioquin.

(*d*) Quod certè dici non poteſt.

(*e*) Hic nota veſtigium Juris antiqui, quo in actionibus IN REM poſſeſſor ſatiſdabat petitori *Judicatum Solvi*. In hâc ſpecie; petitor cui ſatiſdatum eſt *Judicatum Solvi*, heres extitit poſſeſſori qui ſatiſdedit; liberantur fidejuſſores: nec enim poſſunt eidem pro eodem obligati eſſe.

(*f*) Idem & ſi poſt judicium acceptum, cùm ſit eadem ratio.

TITULUS VIII.

RATAM REM HABERI, ET DE RATIHABITIONE.

DUæ ſunt Tituli partes.

ARTICULUS I.

De ſtipulatione Ratam Rem Haberi, *ſeu* De Rato.

I.

Stipulatio RATAM REM HABERI *eſt etiam ex numero Prætoriarum; hanc enim Prætor exigit à procuratore actoris, de cujus mandato non conſtat, aut qui eſt ex illis perſonis quæ ſine mandato admittuntur.*

Eſt autem hæc ſtipulatio DE RATO, *etiam conventionalis. Enimverò* Interdum ex conventione ſtipulatio REM RATAM interponi ſolet; ut putà, ſi quid procurator aut vendat, aut locet, aut ſi ei ſolvatur. *l.* 10. ULP. LIB. 80. AD ED.

Vel paciſcitur, vel quodlibet aliud nomine abſentis gerit. *l.* 11. HERMOGEN. LIB. 80. EPITOMAR.

Quò enim tutiore loco ſit qui contrahit, DE RATO ſolet ſtipulari. *l.* 12. ULP. LIB. 80. AD ED.

In hoc autem Titulo præſertim agitur de ſtipulatione Prætoriâ. Circa quam videbimus, à quo exigatur, & in quibus cauſis; de quarum perſonarum Ratihabitione cavendum ſit, & quâ in parte litis cautio illa poſſit exigi; quando committatur; & quid veniat in actione quæ ex hâc ſtipulatione deſcendit.

§ I.

A quo hæc cautio exigatur.

II.

Qui alieno nomine agit, quamcumque actionem; id Ratum Habiturum eum ad quem ea res pertinebit, cavere debet. *l.* 39. § 1. *ff. de Procur. & defenſ.* ULPIAN. LIB. 9. AD ED.

A procuratore autem rei, hæc cautio non exigitur : imò nec à procuratore actoris, ſi talis ſit actio ut procurator qui agit, magis defendere videatur quàm aliquid petere V. G. Si procuratori opus novum nuntiatum ſit, iſque Interdicto utatur NE ei vis fiat ædificanti; defenſoris partes eum ſuſtinere (*a*), nec compelli cavere RATAM rem

(*a*) Vide ſuprà lib. 39. Tit. *de Oper. nov. nunt.* N. 7. & ibi Not. (*g*).

Source : BIU Cujas

dominum habiturum, Julianus ait. Et, si satisdederit; non animadverto, inquit Julianus, quo casu stipulatio committatur. *l.* 45. § 2. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 9. AD ED.

III.

In quibusdam tamen causis, etiam à procuratore rei hæc cautio exigitur. Has ita refert Ulpianus : Est & casus quo quis ejusdem actionis nomine, & DE RATO caveat, & JUDICATUM SOLVI. Ut putà postulata est cognitio de in integrum restitutione, cùm minor circumscriptus in venditione diceretur : alterius (*a*) procurator existit. Debet cavere hic procurator; & RATAM Rem dominum Habiturum, ne fortè dominus reversus velit quid petere : item JUDICATUM SOLVI; ut, si quid fortè propter hanc restitutionem in integrum præstari adolescenti debeat, hoc præstetur. Et hæc ita Pomponius libro vicesimo-quinto ad Edictum scribit. *l.* 39. § 6. *ff. de Procurator.* ULP. LIB. 9. AD ED.

Item ait; Si suspectus tutor postuletur, defensorem ejus oportere DE RATO cavere; ne reversus ille velit retractare quod actum est. Sed non facilè per procuratorem quis suspectus accusabitur; quoniam famæ causa est : nisi constet ei à tutore mandatum nominatim; aut si etiam absente tutore, quasi non defenderetur, Prætor erat cogniturus. *d. l.* 39. § 7.

Similiter Hermogenianus. Tutore suspecto postulato; defensor, si velit respondere; cautionem RATAM Rem dominum Habiturum cavere compellendus est. *l.* 6. HERMOGENIAN. LIB. I. JURIS EPITOMAR.

IV.

Sed & is qui quasi defensor IN REM actione convenitur, præter solitam satisdationem JUDICATUM SOLVI, etiam DE RATO cavere debere. Quid enim si in hoc judicio, rem meam esse pronuntietur : reversus ille cujus defensor extiterat, velit fundum vindicare? Nonne Ratum non videbitur habere quod judicatum est? Denique si verus procurator extitisset, vel ipse præsens causam suam egisset, & victus esset : si à me vindicaret, exceptione Rei Judicatæ summoveretur. Et ita Julianus libro quinquagesimo Digestorum scribit. Nam quum judicatur rem meam esse, simul judicatur rem illius non esse. *l.* 40. § 2. *ff. de Procuratorib.* ULPIAN. LIB. 9. AD ED.

Multò magis tenebitur procurator rei cavere DE RATO, *auctori quem laudavit; cùm erga ipsum sit vice auctoris.*

Hoc docet Julianus. Qui absentem emptorem eumdemque possessorem fundi defendebat, & judicium nomine ejus accipiebat, postulabat à venditore fundi ut ab eo defenderetur : venditor desiderabat caveri sibi RATAM Rem emptorem habiturum. Puto eum (*b*) venditori DE RATO satisdare debere; quia, si fundum agenti restituerit, nihil prohibet dominum (*c*) rem petere, & cogi venditorem rursùs defendere. *l.* 75. *ff. de Procurator.* JULIAN. LIB. 3. DIGEST.

Item Si statûs controversiam cui faciat procurator; sive ex servitute in libertatem adversùs eum quis litiget, sive ipse ex libertate in servitutem petat; debet cavere Ratam Rem dominum Habiturum : & ita Edicto scriptum est; ut ex utroque latere quasi actor habeatur. *l.* 39. § 5. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 9. AD ED.

V.

Maximè autem in judiciis duplicibus, tam à rei quàm ab actoris procuratore utraque cautio exigitur; cùm uterque litigator hanc duplicem personam sustinere videatur.

Hinc Ulpianus. Qui ad Communi dividundo judicium datus est ad agendum, item & ad defendendum videbitur datus; duplici cautelâ interponendâ. *l.* 15. § 1. *ff. de Procuratorib.* ULP. LIB. 8. AD ED.

VI.

Vidimus cautionem DE RATO, *à procuratore actoris regulariter exigi; à procuratore autem rei, in certis causis duntaxat.*

Ab eo autem demùm procuratore exigitur, qui aut agere sine mandato potest, aut de cujus mandato dubitatur.

Hinc Divus Antoninus Pius : Cautio Ratihabitionis tunc exigitur à procuratore, quoties incertum est an ei negotium mandatum sit. *l.* 1. *Cod. de Procurat.*

At verò Non est incerti Juris; eum qui apud Acta factus est agentis procurator, non compelli RATAM Rem dominum habiturum satisdare. Hoc enim casu, veluti præsentis procuratorem intervenire intelligendum est. Itaque, etsi postea mutatâ voluntate procuratorem esse noluerit; tamen judicium quo quasi procurator expertus est, judex ratum habere debebit. Sin autem ei ab adversario suo oppositа fuerit in ipso litis exordio defensionis (*d*) allegatio; etiam ipse quasi absentis in hâc parte procurator, satisdationem super excipiendâ lite (*e*) præstare cogitur : quâ non præcedente, lis quæ ei data est, ulteriùs procedere à judice non (*f*) conceditur. *l. un. Cod. de Satisdando.* DIOCLET. ET MAXIMIAN.

Pariter Si procuratorem absentem dominus satisdatione relevare velit, litteras suas ad adversarium dirigere debebit; quibus significet, quem adversùs eum procuratorem, & in quâ causâ fecerit; Ratumque se Habiturum quod cum eo actum sit. Hoc enim casu, litteris ejus adprobatis, velut præsentis procuratorem intervenire intelligendum est. Itaque & si postea mutatâ voluntate, procuratorem esse noluerit; tamen judicium quo quasi procurator expertus est, ratum esse debet. *l.* 65. *ff. de Procuratorib.* MODESTIN. LIB. SING. DE EUXEMATIC.

Simili ratione ait Ulpianus : Ne satisdatio RATAM Rem dominum Habiturum exigatur; in his quæ nomine ejus ageret, qui eum se fecisse procuratorem libello Principi (*g*) dato professus est, prodest. *l.* 21. ULP. LIB. 1. OPINIONUM.

Obiter nota. Quòd si JUDICATUM SOLVI satis ab eo procuratore postuletur, necesse est ut Juri manifesto (*h*) pareatur. *d. l.* 21. ¶ *quòd si.*

VII.

Ita demùm autem DE RATO *cautio non exigitur à procuratore de cujus mandato constat, quum ipse dominus actionis mandavit. Cæterùm* Actor à tutore datus, omnimodo cavet. Actor civitatis nec ipse cavet, nec Magister universitatis (*i*); nec curator bonis consensu creditorum datus. *l.* 9. ULP. LIB. 9. AD ED.

VIII.

Maximè autem cautio DE RATO *non exigitur, ab eo qui suo nomine agit.*

Sed interdum licèt suo nomine procurator experiatur, tamen DE RATO debebit cavere; ut Pomponius libro vicesimo-quarto scribit. Ut putà, jusjurandum procuratori retulit : juravit absenti dari oportere. Agit hoc judicio, suo nomine, propter suum jusjurandum : neque enim hæc actio domino competere potuit, sed debebit De (*k*) Rato cavere.

Sed etsi procuratori constitutum est, & ex eâ causâ agat; dubitandum non est, quin locus sit DE RATO cautioni; idque Pomponius scribit. *l.* 39. § 1. ¶ *sed interdum. ff. de Procuratorib.* ULP. LIB. 9. AD ED.

(*a*) Emptoris scilicet, adversùs quem petitur restitutio in integrum.

(*b*) Procuratorem emptoris.

(*c*) Emptorem scilicet, cui non poterit opponi Res judicata; cùm RATUM non Habuerit.

(*d*) Id est; adversarius ei objecerit, allegaverit ipsum non debere admitti nisi satisdet; non quidem *de Rato*, cùm de ejus mandato constet; sed *De defendendo* absentem in reconventionibus.

(*e*) Reconventione.

(*f*) Supra lib. 3. Tit. *de Procurat.* N. 30 & 34.

(*g*) Noodt rectè emendat *Prætori.*

(*h*) Vide Tit. præced. Art. 1.

(*i*) Id est, Syndicus. Quo sensu & *Magistri societatum* dicuntur in l. 14. *ff. de Pactis*, & passim apud Ciceronem. Supervacua igitur observatio Cujacii in Paratit. ad Tit. *de Administr. rer. ad civit. pert.* ubi Triboniani interpolationem hîc arguit; Ulpianumque non de Magistro *Universitatis* hæc scripsisse, sed de MAGISTRO simpliciter, qui scilicet bonis proscribendis olim creabatur : leviori sanè conjecturâ.

(*k*) Scilicet absentem ampliùs ex veteri actione non petiturum, quod reus ex causâ actionis *Jurisjurandi* dederit.

Item

Source : BIU Cujas

Item Si de dote agat pater, cavere debet RATAM Rem filiam Habituram. Sed & defendere eam debet; ut & Marcellus ſcribit. *d. l.* 39. § 3.

Si pater filii nomine (*a*) INJURIARUM agat; cùm duæ ſint actiones, una patris, altera filii, ceſſat DE RATO cautio. *d. l.* 39. § 4.

§ II.

In quibus cauſis hæc ſtipulatio exigatur.

IX.

Non ſolùm in actionibus quas procurator intendit, verùm in ſtipulationibus quoque quas interponi deſiderat, ſi vicem (*Florent.* vice repræſentat) repræſentant actionum, cavere eum de Rato oportet. Quare ſi duplæ ſtipulationem procurator interponat; DE RATO cavere debet. Sed & ſi Damni infecti ſtipulatio à procuratore interponatur, DE RATO debet procurator cavere. *l.* 20. ULP. LIB. I. DISPUT.

Similiter Ulpianus. Si ſtipuletur procurator DAMNI INFECTI, vel LEGATORUM, debebit DE RATO cavere. *l.* 40. § 1. *ff. de Procuratorib.* ULP. LIB. 9. AD ED.

X.

Item Is qui curatorem alicui præſenti petat, non aliter audietur niſi adulto conſentiente. Quòd ſi abſenti RATAM Rem eum Habiturum neceſſe habet dare. *l.* 43. § 3. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 9. AD ED.

Item Si ſine judice procuratori legatum ſolvatur, cavere debere Pomponius ait. *l.* 13. § 1. PAUL. LIB. 76. AD ED.

§ III.

De quarum perſonarum Ratihabitione cavendum ſit, & quâ in parte litis hæc cautio poſſit exigi.

XI.

Non ſolùm de Ratihabitione domini litis cavendum eſt, ſed & de earum perſonarum ad quas lis redire poſſit.

Hinc Qui patris nomine Injuriarum agit, ob eam rem quòd filius ejus verberatus pulſatus-ve ſit; in ſtipulatione cogendus eſt, filii quoque perſonam comprehendere: præſertim cùm fieri poſſit ut pater ante decedat, quàm ſciret procuratorem ſuum egiſſe; & ita Injuriarum actio redeat ad filium. *l.* 22. § 9. JULIAN. LIB. 56. DIGEST.

Sed & ſi nepoti injuria facta fuerit, & procurator avi propter hanc cauſam Injuriarum aget, non ſolùm filii, ſed etiam nepotis perſona comprehendenda erit in ſtipulatione. Quid enim prohibet, & patrem & filium, antequàm ſcirent procuratorem egiſſe, decedere? quo caſu iniquum eſt fidejuſſores non teneri, nepote Injuriarum agente. *d. l.* 22. § 10.

XII.

Illud Quæritur apud Julianum; Utrùm dominum ſolum RATAM Rem habere, debet ſatiſdare; an etiam cæteros creditores? Et ait, Duntaxat de domino cavendum, nec illis verbis AD QUEM EA RES PERTINET (*b*), creditores contineri. Nam nec ipſi domino hæc incumbebat cautio. *l.* 39. § 2. *ff. de Procuratorib.* ULP. LIB. 9. AD ED.

XIII.

Ratihabitionis autem ſatiſdatio, ante litis conteſtationem à procuratore exigitur. Cæterùm ſemel lite conteſtatâ, non compelletur ad cautionem. *l.* 40. § 3. *ff. de Procuratorib.* ULP. LIB. 9. AD ED.

§ IV.

Quando committatur ſtipulatio de Rato.

XIV.

Committitur ſtipulatio DE RATO, *quum retractatur quod à procuratore actum eſt.*

Retractari autem hoc videtur, etiamſi aliud judicium dictetur quàm quod procurator dictaverat; dummodò illud ſit quo dominus experiri non poſſet, ſi Ratum habuiſſet.

Hinc Si procurator judicium de hereditate ediderit, deinde dominus fundum ex eâ hereditate petierit; ſtipulatio RATAM Rem Haberi committetur: quia ſi verus procurator fuiſſet, exceptio Rei judicatæ dominum ſummoveret. Plerumque autem ſtipulatio RATAM REM HABERI his caſibus committetur; quibus, ſi verus procurator egiſſet, domino aut ipſo Jure aut propter exceptionem actio inutilis eſſet. *l.* 22. § 8. JULIAN. LIB. 56. DIGEST.

Contrà vice versâ fieri poteſt, ut dominus non videatur RATUM *non Habere; quamvis idem judicium dictet, quod procurator dictaverat: ſcilicet quum ex diversâ causâ illud dictat; ex quâ non repelleretur, etiamſi id quod à procuratore actum eſt, Ratum habuiſſet.*

Hoc videre eſt in ſpecie ſequenti. Procurator AD exhibendum egit, & adverſarius abſolutus eſt quia non poſſidebat: at quum poſſeſſionem ejuſdem rei nanctus eſſet, agit cum eo dominus AD exhibendum. Sabinus ait, Fidejuſſores non teneri; quoniam hæc alia res ſit. Nam etſi dominus egiſſet; mox abſoluto adverſario quia non poſſideret, ex integro ageret; non obſtaturam Rei judicatæ exceptionem. *l.* 8. VENULEIUS LIB. 15. STIPULAT.

XV.

Non ſolùm autem quum adversùs ipſum ſtipulatorem iterùm agitur; ſed etiam Quum quis DE RATO ſtipularetur; quamvis non idem, ſed alius à domino conveniretur qui conveniri non poſſet ſi Ratum habuiſſet; (*c*) committi ſtipulationem placuit. Veluti [ſi] quum fidejuſſor, aut alter ex reis promittendi qui ſocius eſt, convenitur. *l.* 1. PAPIN. LIB. 28. QUÆST.

Igitur Si quis uni ex reis promiſerit REM Ratam dominum Habiturum, aut AMPLIUS eam non peti; dicendum eſt ſtipulationem committi, ſi ab eo petatur qui ejuſdem obligationis ſocius eſt. *l.* 14. PAUL. LIB. 3. AD PLAUT.

XVI.

Non ſolùm etiam, quum is ipſe experitur qui tunc litis dominus erat, committitur ſtipulatio; ſed & quum ſucceſſor ejus licèt ſingularis agit, qui repelleretur, ſi is Ratum Habuiſſet.

Igitur Si procurator fundum petiiſſet, & caviſſet (uti adſolet) RATAM Rem dominum Habiturum; deinde dominus poſtea eumdem fundum vendidiſſet, eumque emptor peteret: ſtipulationem RATAM Rem Haberi, committi Julianus ſcribit. *l.* 16. § 1. POMPON. LIB. 3. EX PLAUTIO.

Hoc ita, quum aut IN REM (*ut ſolet*) *concepta eſt ſtipulatio* de Rato; *aut quum omnes ad quos res pertinere poterit, ſtipulatione comprehenſi ſunt.* Quòd Si in ſtipulationem RATAM Rem Haberi, hactenùs comprehenſum fuerit (*d*) LUCIUM-TITIUM Habiturum; cùm id apertè ageretur, ut heredis cæterorumque perſonæ ad quos ea res pertineret, omitterentur: difficile eſt exiſtimari,

(*h*) Id eſt, *ſi agat nomine* injuriæ filio factæ. Ceſſat eo caſu cautio DE RATO: & in hoc differt hæc ſpecies à præcedenti; ubi pater qui agit *De dote*, debet cavere filiam *Ratum habituram*. Scilicet una eſt actio *De dote*, communis patri & filiæ. Verùm in ſpecie injuriæ filio factæ, duæ ſunt actiones; *una patris* qui ipſe in filii perſonâ patitur injuriam, *altera filii*: adeòque pater opus non habet conſenſu filii, nec debet cavere DE RATO, ut propriam quæ ipſi competit actionem exerceat. Quid porrò de illâ quæ filio competit? Videtur nec propter illam pater cavere debere DE RATO; cùm jure poteſtatis ipſi acquiratur, nec poſſit filius agere niſi quo caſu pater non egiſſet: ut videb. infrà lib. 47. Tit. *de Injur.*

(*b*) Fortè Prætor Edicto ita caverat, *Ratam Rem Haberi ab eo* AD QUEM RES PERTINET. Porrò his verbis, is cujus nomine agitur ſeu cui actio competit, & hi ad quos actio redire poteſt [ut in ſpeciebus præcedentibus] ſolum modò continentur: non continentur autem ejus creditores. Nec enim actiones quas habet debitor, creditoribus ipſius competunt; quamvis ſi in fraudem ipſorum actionibus illis excidiſſet, poſſent ipſi per Paulianam actionem eas revocare.

(*c*) Et quem non conveniri interſit ſtipulatoris.

(*d*) Id eſt, eatenùs tantùm in ſola perſona [putà, Lucii-Titii] comprehenderetur.

Source : BIU Cujas

Doli clauſulam (*a*) committi. *l.* 22. § 7. JULIAN. LIB. 56. DIGESTOR.

Obiter nota. Sanè, quum per imprudentiam hæ perſonæ omittantur, actio ex DOLI clauſulâ competit. *d.* § 7. ¶ *fin.*

Illud patet; non videri ampliùs peti ſi falſus ſit procurator qui petat. Hoc ita docet Julianus: Procurator quum peteret pecuniam, ſatiſdedit AMPLIUS NON PETI. Poſt judicium acceptum, extitit qui & ipſe procuratorio nomine eamdem pecuniam peteret. Quæſitum eſt; quum is qui poſtea peteret, procurator non eſſet; & propter hoc exceptionibus Procuratoriis excludi poſſet; num fidejuſſores prioris procuratoris tenerentur? Julianus reſpondit: Verius eſt non obligari fidejuſſores. Nam in ſtipulatione cavetur, non petiturum eum cujus de eâ re actio, petitio, perſecutio ſit; & RATUM Habituros omnes ad quos ea res pertinebit. Hic autem qui procurator non eſt, nec actionem nec petitionem habere intelligendus eſt. *l.* 23. JULIAN. LIB. 5. EX MINICIO.

XVII.

Sed & ſi ſine judicio, quomodocumque hoc retractetur quod cum procuratore actum eſt; pariter committetur ſtipulatio.

Igitur Sive quis petat, ſive compenſatione utatur; committitur ſtatim REM Ratam dominum Habiturum ſtipulatio. Nam qualiter quis eumdem actum retractet qui à procuratore actus eſt, committi ſtipulationem oportet. *l.* 12. § 3. ULP. LIB. 80. AD ED.

Non tamen hoc efficiet nuda in Jus vocatio. Hinc Paulus: AMPLIUS NON PETI verbum Labeo ita accipiebat, ſi judicio petitum eſſet. Si autem in Jus eum vocaverit, & ſatis Judicio ſiſtendi causâ acceperit, judicium tamen cœptum non fuerit; ego puto non committi ſtipulationem AMPLIUS NON PETI. Hic enim non petit, ſed petere vult.

Si verò ſoluta eſſet pecunia, licèt ſine judicio; committitur ſtipulatio. Nam & ſi quis adversùs petentem compenſatione deductione-ve uſus ſit; rectè dictum eſt petiſſe eum videri, & ſtipulationem committi AMPLIUS NON PETI. Nam & heres qui damnatus [eſt] non petere (*b*), ſi horum quicquam feciſſet, ex teſtamento tenetur. *l.* 15. PAUL. LIB. 14. AD PLAUT.

XVIII.

Maximè autem non videtur retractatum quod à procuratore actum eſt, quum dominus appellat à Sententiâ adversùs hunc procuratorem. Imò potiùs hoc facto procuratorem probare videtur.

Hinc Papinianus. Falſus procurator DE RATO HABENDO cavit; atque ita dominus à Sententiâ judicis procuratore victo provocavit. Stipulationis defeciſſe conditionem apparuit; cùm ad auxilium commune, ſuperatus confugiſſet. Quòd ſi dominus qui Ratum non habuit, pecuniam exegerit: ſtipulatio DE RATO committetur in eam pecuniam quam dominus accepit; quamvis nihil procurator acceperit. *l.* 3. § 1. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

XIX.

Vidimus committi ſtipulationem DE RATO, *quum quomodocumque retractatur quod à procuratore actum eſt.*

Quinetiam committitur, vel ex eo ſolo quòd præterierit certum tempus intrà quod dominus Ratum non habuit. Quale autem illud ſit; Julianus ait intereſſe, quando dominus Ratam habere debere ſolutionem in procuratorem factam: an tunc demùm, quum primùm certior factus eſſet? Hoc autem Ε'Ν ΠΑΑΤΕΙ [*id eſt, cum laxamento & amplitudine*] accipiendum, & cum quodam ſpatio temporis nec minimo nec maximo; & quod magis intellectu percipi, quàm elocutione exprimi poſſit.

Quid ergo; ſi quod Primò Ratum non habuit, poſtea habebit Ratum? Nihilomagis proficere ad impediendam actionem ſuam; & ob id quod primò non habuit Ratum, actionem ſalvam habere ait. Ideòque, ſi quod fuerat procuratori ſolutum exegerit (*c*); agi perindè ex eâ ſtipulatione poterit, ac SI Ratum habere ſe poſtea non dixiſſet. Sed ego puto exceptionem Doli mali locum habituram. *l.* 12. § 2. ULP. LIB. 80. AD ED.

XX.

Quòd ſi tunc demùm dominus Ratum habeat, quum debitor qui ſtipulatus eſt dominum REM RATAM HABITURUM, *jam tempore liberatus eſt; ſtipulatio efficaciter committetur.*

Ita Africanus: Procurator, quum ab eo æs alienum exegerat qui tempore liberaretur, RATAM Rem dominum Habiturum cavit. Deinde poſt tempus liberato jam debitore, dominus Ratam Rem habet. Poſſe debitorem agere cum procuratore exiſtimavit, cùm jam debitor liberatus ſit. Argumentum rei; quòd, ſi nulla ſtipulatio interpoſita ſit, Condictio locum adversùs procuratorem habitura ſit; in locum autem Condictionis, interponi ſtipulationem. *l.* 25. § 1. AFRICAN. LIB. 6. QUÆST.

XXI.

Quæcumque hactenùs diximus; regulariter obtinent. Illud autem ſingulare eſt in controverſiis ſtatûs: ut ſtipulator cui iterùm ſit ſtatûs controverſia, non poſſit ſtatim ex hâc ſtipulatione agere, ſed expectandus ſit Sententiæ eventus.

Hoc docet Venuleius. Si quis à procuratore ſtatûs controverſiam patiatur; ſatis accipere debet à procuratore, ne impunè ſæpiùs pro ſuo ſtatu conveniretur; & ſi dominus venienteſque ab eo perſonæ Ratum non Habuerunt quòd procurator eum in ſervitutem petierit, vel adversùs procuratorem ex ſervitute in libertatem petitus fuerit; quanti ea res eſt, ei præſtetur (ſcilicet quum de libertate ejus conſtiterit): id eſt, quanti interfuerit ejus de ſtatu ſuo rursùs non periclitari, & propter impendia quæ in litem fecerit. Sed Labeo certam ſummam comprehendendam exiſtimabat: quia æſtimatio libertatis ad infinitum extenderetur. Ex quo autem dominus Ratum non Habuerit, committi videtur ſtipulatio; ſed non ante ex eâ agi poterit, quàm de libertate judicatum fuerit; quia, ſi ſervus ſit judicatus, inutilis ſit ſtipulatio: cùm &, ſi qua ſit actio, eam domino acquiſiiſſe intelligitur. *l.* 8. § 2. VENULEIUS LIB. 15. STIPULAT.

§ V.

Quatenùs & quoties committi poſſit hæc ſtipulatio.

XXII.

Hæc ſtipulatio non ſolùm in ſolidum, ſed & pro parte & ſæpiùs committi poteſt.

Hoc docet Pomponius. Ita ille: Si procurator RATAM Rem dominum heredem-ve ejus Habiturum caverit, & unus ex heredibus domini Ratum Habeat, alter non habeat; ſine dubio committetur ſtipulatio pro eâ parte pro quâ Ratum non habebitur: quia in id committitur, quod ſtipulatoris interſit. Nam & ſi ipſe dominus pro parte Ratum Habuerit, pro parte non habuerit; non ultrà quàm in partem committetur ſtipulatio: quia in id committitur, quod interſit agentis.

Et ideò ſæpiùs ex eâ ſtipulatione agi poteſt, prout interſit agentis, quòd litigat, quòd conſumit, quòd advocat, quòd damnatus ſolvit. Sicut in ſtipulatione Damni infecti accidere poteſt; ut is qui ſtipulatus ſit, ſubindè agat. Cavet enim, ſi quid ibi ruet, ſcindetur, fodietur, ædificabitur. Finge ergo ſubindè damnum dari; non erit dubium quin agere poſſit. Nam ſi toto damno computato, tunc agendum eſt; propemodùm non ante aget, quàm dies ſtipulationis præterierit, intrà quem ſi damnum datum ſit, ſtipulationi (*Aliàs* ſtipulatori) cautum erit. Quod verum non eſt. *l.* 18. POMP. LIB. 26. AD SABIN.

(*a*) Nec enim ullus dolus intelligi poteſt, in eo quod ex mutuo ac libero conſenſu profectum eſt. Secùs eſſet ſi *per imprudentiam*, aut ſi per dolum promiſſoris omiſſa eſſent: ut mox dicitur.

(*b*) Teſtamento ſcilicet *Damnatus.*

(*c*) Id eſt, petierit.

Source : BIU Cujas

§ VI.

Quid veniat in actione quæ ex hâc ſtipulatione deſcendit.

XXIII.

In ſtipulatione quâ procurator cavet RATAM Rem dominum Habiturum, id continetur quod interſit ſtipulatoris. Idemque Juris eſt in clauſulis omnibus (*a*) DE dolo malo. *l.* 19. PAUL. LIB. 13. AD SABIN.

Igitur Si commiſſa eſt ſtipulatio RATAM Rem dominum Habiturum, in tantùm competit in quantùm meâ interfuit; id eſt, quantùm mihi abeſt, quantumque lucrari potui. *l.* 13. IDEM. LIB. 76. AD ED.

Hinc ſequitur quòd, ſi nihil interſit ſtipulatoris Rem Ratam Haberi, committi non poteſt ſtipulatio.

Hoc videre eſt in ſpecie de quâ ita reſpondit Africanus. Pater dotem à ſe datam abſente filiâ petit, & RATAM Rem Habituram eam cavit. Ea, priuſquàm Ratum haberet, mortua eſt. Negavit committi ſtipulationem: quia, etſi verum ſit Ratam eam non habuiſſe, nihil tamen mariti interſit dotem reſtitui, cùm patri, etiam mortuâ filiâ, ſalva eſſe dos debeat. *l.* 25. AFRICAN. LIB. 6. QUÆST.

XXIV.

Obſerva in eo quod intereſt, contineri utilitatem quæ circa rem eſt, non verò compendium quod extra rem ex Ratihabitione conſequi potuiſſet ſtipulator.

Hoc eſt quod ait Papinianus. In ſtipulatione DE RATO HABENDO, non eſt cogitandum rei promittendi vel ſtipulandi compendium; ſed quid interfuerit ejus qui ſtipulatus eſt, Ratum Haberi quod geſtum eſt. *l.* 2. PAPIN. LIB. 11. RESPONS.

Cæterùm tam lucrum quod ſtipulator omittit, quàm damnum quod patitur, continentur; modò circa ipſam rem verſentur. Hinc in eâ ſpecie quâ ex centum quæ debentur, falſus Procurator quinquaginta petit (*b*) ſi dominus centum petat; tenebuntur fidejuſſores qui de Ratihabitione caverunt, in quinquaginta, & quanti interfuit differri (*c*) quinquaginta actionem. *l.* 4. SCÆVOLA LIB. 13. QUÆST.

XXV.

Specialis hîc quæſtio eſt; quid ex hâc ſtipulatione præſtandum veniat; quum quis DE RATO *ſtipulatus, ſolverit procuratori à quo ſtipulatus eſt? Diſtinguendum, an ſine judice an per judicem, an indebitum an debitum ſolverit.*

De caſu quo ſine judice indebitum procuratori ſolutum eſt, ita Pomponius. Si indebitum procuratori ſolutum ſit; agi ſtati ex hâc ſtipulatione adversùs procuratorem poteſt, ut Ratum habeat dominus: ut poſſit dignoſci, utrùm-ne domino Condici debeat id quod indebitum ſolutum ſit, ſi is Ratum Habeat; an verò procuratori Condicendum ſit, ſi dominus Ratum non habeat. *l.* 16. POMPON. LIB. 3. EX PLAUTIO.

Et quidem hoc à procuratore condicet, non per CONDICTIONEM INDEBITI, *ſed per actionem ex hâc ſtipulatione deſcendentem. Ita Julianus.* Si ſine judice non debitam pecuniam exegerit procurator, & dominus Ratam ſolutionem non habuerit, ſed eamdem pecuniam petere inſtituerit; fidejuſſores tenentur; & Condictio quâ procurator teneretur ſi ſtipulatio interpoſita non fuiſſet, perimitur. Quoties enim procuratori pecunia ſolvitur, & dominus eam ſolutionem Ratam non habet; exiſtimo id agi, ut Condictio perimatur; & ſola actio, ei qui indebitum ſolvit, adversùs procuratorem, EX STIPULATU competat. Hoc ampliùs, præſtant fidejuſſores impenſas quæ in judicium factæ fuiſſent. Quòd ſi dominus Ratam habuiſſet, fidejuſſores quidem liberantur: ſed ab ipſo domino eadem pecunia per Condictionem peti poteſt. *l.* 22. JULIAN. LIB. 56. DIGEST.

XXVI.

Hactenùs de caſu quo quis indebitum ſolvit. Quòd ſi procurator debitam domino pecuniam ſine judice exegiſſet, idem Juris eſt (*d*): hoc ſecùs quòd, ſi dominus Ratam Rem habuiſſet, nulla ejus pecuniæ repetitio futura eſt. *d. l.* 22. § 1.

Similiter Julianus: Si procuratori ejus qui mortuus erat, ſine judice ſoluta fuerint legata; ſtipulatio committetur, niſi heres Ratum habuerit: utique ſi debita fuerint; tunc enim non dubiè intereſt ſtipulatoris Ratam ſolutionem ab herede haberi, ne bis eadem præſtet. *d. l.* 22. § 6.

Et quidem dici poteſt, Si procurator à debitore pecuniam exegerit, & ſatisfecerit dominum Ratam Rem Habere; mox dominus de eâdem pecuniâ egit, & litem amiſerit (*e*); committi ſtipulationem (*f*). *l.* 8. § 1. VENULEIUS LIB. 15. STIPULATION.

Obiter nota. Et ſi procurator eamdem pecuniam domino ſine judice ſolverit, Condicturum (*g*).

Sed quùm debitor ex ſtipulatu agere cœperit; poteſt dici dominum, ſi defenſionem procuratoris ſuſcipiat (*h*), non inutiliter Doli mali exceptione adversùs debitorem uti: quia (*i*) naturale debitum manet. *d. l.* § 1. ¶ *& ſi.*

XXVII.

Vidimus ei qui falſo procuratori ſive debitum ſive indebitum ſine judice ſolvit, committi ſtipulationem in eam ſummam quam ſolvit; quum dominus Ratum non habet.

An idem obtinet, & quum per judicem ſolvit? Ad hanc quæſtionem ita Julianus. Quòd ſi procurator per judicem non debitam domino pecuniam exegiſſet; dici poteſt, ſive Ratam dominus habuiſſet, ſive non habuiſſet, fidejuſſores non teneri: vel quia nulla res eſſet (*k*) quam dominus Ratam habere poſſit, vel quia nihil ſtipulatoris (*l*) intereſt Ratum Haberi. Adficietur ergo injuriâ is qui procuratori ſolvit. Magis (*m*) tamen eſt, ut ſi dominus Ratum non habuerit, fidejuſſores teneantur. *l.* 22. § 2. JULIAN. LIB. 56. DIGEST.

Quòd ſi debitam pecuniam procurator per judicem, cui nihil mandatum fuerit, petierit; magis eſt ut in ſolidum fidejuſſores teneantur, ſi dominus Ratum non habuerit. *d. l.* 22. § 3.

XXVIII.

Hactenùs de falſo procuratore. Quum autem verò procuratori debitor ſolvit; ſtipulatio DE RATO *non poteſt committi niſi in lites impenſas, non in ſummam quam ſolvit: etiamſi per injuriam judicis, creditor vicerit; quia quòd hanc bis ſolvat, magis hoc ab injuriâ judicis patitur debitor, quàm ex eo quòd creditor Ratum non habuerit.*

(*a*) Id eſt; In quibuſcumque ſtipulationibus inſerta ſit Clauſula *De dolo malo* [ut in omnibus ſolebat interponi], *idem Juris eſt*; in id eam committi QUANTI INTERSIT ACTORIS.

(*b*) Adde: quæ ipſi ſolvuntur, cum hoc pacto ut reliqua quinquaginta debita non petantur intra certum tempus.

(*c*) Quâ in re lucrum omittit, quod ſenſiſſet ſi dominus tamen habuiſſet.

(*d*) Scilicet ut tantùm ipſi præſtandum ex hâc ſtipulatione veniat, quantùm ſolvit. Tanti enim ipſius intereſt dominum Ratum Habere; quia, niſi Ratum habeat, tantùm ab eo iterùm exiget: quod non exigeret, ſi Ratum Habuiſſet.

(*e*) Per injuriam judicis.

(*f*) Scilicet in eam ſummam quam procuratori ſolvit. Nec obſtat quòd ab eo creditor nihil poſſit exigere; propter exceptionem *Rei judicatæ*. Hoc enim extrinſecùs contingit. Reverà autem ipſi debitor manet naturaliter obligatus, in eam ſummam quam ſolvit; in quam non eſſet obligatus, ſi ſolutionem creditor Ratam habuiſſet: ergo in tantùm, ejus intereſt.

(*g*) *Condictione ſine causâ.* Videtur enim ſolviſſe procurator, ſub eâ tacitâ conditione ut ſolutionem ipſi factam Ratam Haberet dominus.

(*h*) *S'il prend ſon fait & cauſe.*

(*i*) Dolo enim facit; qui domino, procuratoris ſui defenſionem ſuſcipienti, compenſare non vult quo domino naturaliter debet.

(*k*) Cùm nulla ſit ſolutio quæ egeat Ratihabitione, utpotè quæ per ſe firma ſit; maximè quæ per judicem facta eſt.

(*l*) Nam quum quis ſolvit procuratori; ideò ejus intereſſe poteſt ſolutionem à domino Ratam Haberi, vel ne dominus iterùm exigat ſi debitum erat, vel ut poſſit à domino Condicere ſi erat indebitum. In hâc autem ſpecie, neutrâ ex causâ ejus intereſſe poteſt. Nec enim timere poteſt ne iterùm exigatur, cùm ſupponatur indebitum; nec ex Ratihabitione domini poſſet conſequi ut à domino condiceret indebitum, quia hæc Condictio non datur ejus quod per judicem ſolutum eſt: ut vid. ſuprà lib. 12. Tit. *de Condict. indeb.* N. 28.

(*m*) Quod hactenùs dixit, eſt ſecundùm ſtrictum Jus. Verùm ex æquitate, magis eſt ut committi debeat ſtipulatio.

Source : BIU Cujas

Hoc docet idem Julianus. Quum autem procurator rectè petit, dominus perperàm; non debet procurator præstare, ne injuriâ judicis dominus aliquid consequatur. Nunquàm enim propter injuriam judicis, fidejussores obligantur. Verùm tamen est hoc casu fidejussores non nisi in impensas litis teneri. *d. l.* 22. § 2.

A fortiori in eâdem specie veri procuratoris, observat Marcellus: Si dominus Ratam Rem non Habuerit, sed lite motâ rem amiserit, nihil præter impendia in stipulatione RATAM REM deducitur. *d. l.* 22. § 5.

ARTICULUS II.

De Ratihabitione.

Cùm is qui DE RATO *promisit, Ratihabitione domini ab obligatione suâ liberetur; videndum quid sit Ratihabitio & quomodo fiat, deinde de ejus effectu.*

§ I.

Quid sit Ratihabitio, & quomodo fiat.

XXIX.

REM HABERI RATAM, hoc est, comprobare adgnoscereque quod actum est à falso procuratore. *l.* 12. § 1. ULP. LIB. 80. AD ED.

XXX.

Scævola libro quinto Responsorum respondit:

Non tantùm verbis Ratum Haberi posse, sed etiam actu. Denique si eam litem quam procurator inchoasset, dominus comprobans persequeretur; non esse commissam stipulationem. *l.* 5.

(*a*) Animo novandi.

(*b*) Quasi meus procurator.

(*c*) Scilicet bonorum possessor aut fideicommissarius Trebellianus Minoris.

§ II.

De Ratihabitionis effectu.

XXXI.

Ratihabitionis is effectus est, quòd consumat obligationem ex quâ solutum est procuratori. Quòd si pro parte duntaxat Ratum habeatur, pro eâ saltem parte obligatio consumitur.

Hinc Marcellus. Cum debitore decem, creditoris nomine Titius egit: partem petitionis Ratam habuit dominus. Dicendum est, obligationis partem consumptam: quemadmodum si decem stipulatus esset (*a*) aut exegisset, creditorque non totum, sed partem gestæ rei comprobasset. Idcircò si (ex stipulatu DECEM AUT STICHUM, utrùm ego voluero) absente me Titius (*b*) domino quinque petisset; insecutâ Ratihabitione, rectè actum videri. *l.* 17. MARCELL. LIB. 21. DIGEST.

XXXII.

Ratihabitio consumit etiam obligationem quæ ex stipulatione De Rato *nascitur; adeò ut si dominus, postquàm Ratum habuit, restitutione in integrum impetratâ, retractet quod à procuratore actum est, non committatur stipulatio.*

Hoc docet Papinianus. Ita ille: Quum minor viginti-quinque annis creditor, pecuniam recuperare vellet; interpositus procurator, debitori DE RATO HABENDO cavit. Restitutione in integrum datâ; neque indebiti Condictionem, neque stipulationem committi constabat. Idemque eveniret, si falsi procuratoris actum minor annis Ratum Habuerit. Et ideò ita cavendum erit, præcedente mandato: « SI ILLE in integrum restitutus » fuerit, heres-ve ejus, aut is ad quem ea res quâ de » agitur, pertinebit (*c*). Quanti ea res erit, tantam pe- » cuniam dari. » Mandato verò non interveniente, vulgaribus verbis de Rato Habendo, hæc quoque prudentiùs inter consentientes adstruentur. Alioquin (*d*), si non conveniat, nec creditor Minor consentiat; actionem dari oportebit. *l.* 3. PAPIN. LIB. 12. RESPONS.

(*d*) Sensus est: *Alioquin*, si ita specialiter non conveniat; ita demùm debitori qui solvit actionem in procuratorem dari oportebit, si creditor Minor non consentiat solutioni: & si semel consensit solutioni, quamvis postea adversùs solutionem restituatur, debitor non repetet à procuratore.

Source : BIU Cujas

LIBER
QUADRAGESIMUS-SEPTIMUS.
TITULUS I.
DE PRIVATIS DELICTIS.

A*Bſolutâ tractatione de Contractibus & Quaſi-contractibus; in quibus datâ occaſione inſerta eſt & tractatio de Quaſi-Delictis; jam ad* DELICTA *tranſeunt Pandectarum ordinatores.*

I.

DELICTUM *generaliter definiri poteſt, factum jure prohibitum quod pœnam meretur.*

Porrò Delicta vulgò dividuntur in PRIVATA *quibus quis privatim læditur dolo alterius, &* PUBLICA *quæ publicam offenſam vel læſionem continent.*

Plenior diviſio eſt in DELICTA PRIVATA, *ſeu propriè dicta, &* CRIMINA. *Rurſùſque crimina, alia* EXTRAORDINARIA *dicuntur, alia* PUBLICA *ſeu Publicorum judiciorum.*

De Privatis Delictis, & extraordinariis criminibus, in hoc libro agitur; de publicis in libro ſeq.

PRIVATA DELICTA *dicuntur, ex quibus actio ordinaria competit ei ad quem ea res pertinet.*

Plura ſunt hujuſmodi Delicta, de quibus agetur ſeparatim in decem prioribus hujuſce libri Titulis; & ad quatuor ſpecies referri poſſunt, ſcilicet Furtum, Rapina, Damnum injuriâ datum, & Injuria ſeu contumelia.

In hoc autem Tituło quædam regulæ generales traduntur, circa Privata Delicta actioneſque ex his deſcendentes.

II.

Prima Regula.

Civilis conſtitutio (*a*) eſt, pœnalibus actionibus heredes non teneri, nec cæteros quidem ſucceſſores.

Idcircò nec Furti conveniri poſſunt. *l.* 1. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Obiter nota. Sed quamvis Furti actione non teneantur; attamen AD exhibendum actione teneri eos oportet ſi poſſideant, aut dolo fecerint quominùs poſſideant: ſed enim & Vindicatione tenebuntur, re exhibitâ. Item (*b*) Condictio adversùs eos competit. *d. l.* 1. ¶ *ſed quamvis.*

(*a*) Id eſt, Regula Juris civilis.

(*b*) Etenim *Condictio furtiva*, item *Ad exhibendum* actio, & *Vindicatio*, non pœnam, ſed rem perſequuntur.

Item quod dicimus, perſonalibus judiciis heredes non teneri, ſic accipe; niſi lis cum defuncto fuerit conteſtata.

Enimverò Pœnalia judicia ſemel accepta, in heredes tranſmitti poſſunt. *l.* 164. *ff. de Ruris.* PAUL. LIB. 51. AD ED.

Plura vide ſupra lib. 44. *Tit.* de Obligat. & act. *Part.* 2a.

III.

Heredem autem, Furti agere poſſe æquè conſtat. *ſup. d. l.* 1. § 1.

Secunda Regula.

EXECUTIO enim quorumdam Delictorum heredibus data eſt.

Ita & Legis Aquiliæ actionem heres habet. Sed Injuriarum actio heredi non competit. *d.* § 1. ¶ *executio.*

IV.

Tertia Regula.

NON TANTUM in Furti, verùm in cæteris quoque actionibus quæ ex Delictis oriuntur, ſive civiles ſunt, ſive Honorariæ; id placet, ut NOXA (*c*) CAPUT SEQUATUR. *d. l.* 1. § 2.

V.

Quarta Regula.

IN ACTIONIBUS *ordinariis quæ ex Privatis Delictis deſcendunt, actor non ſubſcribit in crimen.*

Ita docet Ulpianus. Si quis actionem quæ ex maleficiis oritur, velit exequi; ſi quidem pecuniariter agere velit, ad jus ordinarium remittendus erit; nec cogendus erit in crimen ſubſcribere. Enimverò, ſi extra ordinem ejus rei pœnam exerceri velit, tunc, ſubſcribere eum in crimen oportebit. *l.* 3. ULP. LIB. 2. DE OFFIC. PROCONSULIS.

(*c*) Vide ſuprà lib. 9. Tit. *de Noxal. act.*



Source : BIU Cujas

TITULUS II.

DE FURTIS.

IN recenſendis ſigillatim privatis delictis, à FURTO *exordium ſumitur : circa quod videndum* 1°. *Quid ſit & quotuplex, & quæ requirantur ut Furtum committi videatur* : 2°. *Quarum rerum Furtum fiat* : 3°. *Quæ perſonæ Furtum admittere poſſint* : 4°. *De actionibus quæ ex Furto naſcuntur.*

SECTIO I.

Quid ſit Furtum & quotuplex, & quæ requirantur ut Furtum admitti videatur.

ARTICULUS I.

Furti Etymologia, definitio, diviſio.

I.

FURTUM à furvo, id eſt nigro, dictum Labeo ait; quòd clàm & obſcuro fiat, & plerùmque nocte (*a*). Vel à Fraude, ut Sabinus ait; vel à ferendo, & auferendo; vel à Græco ſermone, qui ΦΩΡΑΣ appellant Fures. Imò Græci, ΑΠΟ ΤΟΥ ΦΕΡΕΙΝ [*id eſt, à ferendo*] ΦΩΡΑΣ dixerunt. *l.* 1. PAUL. LIB. 39. AD ED.

FURTUM eſt contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, vel ipſius rei, vel etiam usûs ejus, poſſeſſionisve; quod Lege naturali prohibitum eſt admittere. *d. l.* 1. § 3.

II.

Furtorum genera duo ſunt, Manifeſtum, & NEC (*a*) manifeſtum. *l.* 2. GAIUS LIB. 13. AD ED.

Fur eſt manifeſtus quem Græci ΕΠ' ΑΥΤΟΦΩΡΩ appellant, hoc eſt eum qui deprehenditur cum Furto. *l.* 3. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Et parvi refert à quo deprehendatur, utrùm ab eo cujus res fuit, an ab alio. *d. l.* 3. § 1.

Deprehendi autem eum oportet, nec ſufficit quòd viſus fuerit.

Enimverò Pomponius eleganter ſcripſit, Deprehenſione manifeſtum Furem. Cæterùm ſi quum tibi Furtum facerem de domo tuâ, abſcondiſti te, ne te occidam; etiamſi vidiſti Furtum fieri, attamen non eſt manifeſtum. *l.* 7. § 1. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Cæterùm non præcisè neceſſe eſt, ut apprehenſus Fur fuerit. Modò enim non ſimplex & otioſa viſio, ſed clamor aut accurſus intervenerit; deprehenſus Fur intelligetur.

Undè ſtatim ſubjicitur. Sed Celſus deprehenſioni etiam hoc adjicit; Si quum vidiſſes eum ſubripientem, & ad comprehendendum eum accurriſſes (*c*), abjecto Furto effugit; Furem manifeſtum eſſe. *d. l.* 7. § 2.

Parvique referre putat, dominus an vicinus, an quilibet tranſiens adprehendat. *d. l.* 7. § 3.

III.

Quando autem & ubi deprehendi Furem oporteat ut ſit manifeſtus, ita docet Ulpianus. Sed utrùm ita demùm Fur ſit manifeſtus, ſi in faciendo deprehendatur; an verò; & ſi alicubi fuerit deprehenſus? Et magis eſt (ut & Julianus ſcripſit) etſi non ibi deprehendatur ubi Furtum fecit, attamen eſſe Furem manifeſtum; ſi cum re furtivâ fuerit adprehenſus, priuſquàm eo loci rem pertulerit quò deſtinaverat. *l.* 3. § 2. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

QUO DESTINAVERIT quis auferre, ſic accipiendum eſt: Quo deſtinaverit eo die manere cum eo Furto. *l.* 4. PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

Sive igitur in publico, ſive in privato deprehendatur, antequàm ad locum deſtinatum rem perferret; in eâ causâ eſt ut Fur manifeſtus ſit, ſi cum re furtivâ deprehendatur. Et ita Caſſius ſcripſit. *l.* 5. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Sed ſi pertulit quo deſtinavit; tametſi deprehendatur cum re furtivâ, non eſt manifeſtus Fur. *d. l.* 5. § 1.

Quamvis enim ſæpè furtum contrectando (*d*) fiat; tamen initio, id eſt faciendi Furti tempore, conſtituere viſum eſt, manifeſtus necne Fur eſſet. *l.* 6. PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

Hinc Si quis in ſervitute Furtum fecerit, & manumiſſus deprehendatur; an Fur manifeſtus ſit, videamus? Et ait Pomponius libro nono-decimo ex Sabino, Non poſſe eum Manifeſti conveniri; quia origo Furti in ſervitute facti, non fuit manifeſti. *l.* 7. ULPIAN. LIB. 41. AD SABIN.

IV.

NEC MANIFESTUM Furtum quid ſit, apparet. Nam quod manifeſtum non eſt, hoc ſcilicet Nec manifeſtum eſt. *l.* 8. GAIUS LIB. 13. AD ED. PROVINC.

Jam verò in utràque Furti ſpecie, ut Furtum committi videatur, hæc tria concurrere oportet : 1°. *Contrectationem* : 2°. *Furandi animum* : 3°. *Ut invito domino ſeu poſſeſſore fiat.*

ARTICULUS II.

De Contrectatione.

§ I.

Ad Furtum requiri contrectationem, & quæ indè ſequantur Corollaria.

V.

Neque verbo neque ſcripturâ quis Furtum facit. Hoc enim Jure utimur, ut Furtum ſine contrectatione non fiat. Quare & opem ferre vel conſilium dare tunc nocet, quum ſecuta eſt contrectatio. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 19. ULPIAN. LIB. 37. AD ED.

VI.

Corollarium Iᵘᵐ. Indè ſola cogitatio Furti faciendi, non facit Furem. *l.* 1. § 1. PAUL. 39. AD ED.

Igitur Qui Furti faciendi causâ conclave intravit; nondum Fur eſt, quamvis furandi causâ intravit. Quid ergo? quâ actione tenebitur? Utique Injuriarum; aut

(*a*) Ita etiam Varro, ut Gellius refert *Noct. Attic.* I. 18.

(*b*) Veteres NEC dicebant pro NON. Hæc appellatio Furti non manifeſti deſumpta eſt ex Lege XII. Tabularum.

(*c*) Idem præſtat clamor. Hinc furem manifeſtum ita deſcribit Virgilius:

Non ego te vidi Damonis, peſſime, caprum
Excipere inſidiis, multùm latrante Lyciſcâ?
ET QUUM CLAMAREM, *Quò nunc ſe proripit ille?*
. . . . . *Tu poſt carecta latebas.* Eclog. II.

(*d*) Id eſt; Non ſemel, ſed ſæpiùs contrectetur. Vide infrà N. 10.

Source : BIU Cujas

De VI accuſabitur, ſi per vim introivit. *l.* 21. § 7. Ulp. lib. 40. ad Sabin.

Corollarium IIum. Si is qui ſimulabat ſe procuratorem eſſe, effeciſſet ut vel ſibi, vel cui me delegavit, promitterem; Furti cum eo agere non poſſum: quoniam nullum corpus interveniſſet, quod furandi animo contrectaretur. *l.* 75. (*Aliàs* 77.) Pompon. lib. 21. ad Q. Mucium.

Corollarium IIIum. Qui vendit rem alienam ſciens, ita demùm Furtum committit ſi eam contrectaverit.

Hoc docet Alexander qui ſic reſcribit. Alienum ſervum ſine voluntate domini, qui ſciens vendiderit ſeu donaverit, vel alio modo alienaverit; nihil domino deminuere poteſt. Et, ſi contrectet vel apud ſe detinuerit, etiam Furtum facit. *l.* 6. *Cod. h. tit.*

VII.

Corollarium IVum. Inficiando depoſitum, nemo facit Furtum. Nec enim Furtum eſt ipſa inficiatio, licèt prope Furtum eſt.

Sed ſi poſſeſſionem ejus adipiſcatur intervertendi causâ, facit Furtum.

Nec refert in digito habeat annulum, an dactyliothecâ; quem quum depoſito teneret, habere pro ſuo deſtinaverit. *l.* 67. (*Aliàs* 69.) Celsus lib. 12. digest.

Celſo ſuffragatur Paulus. Ita ille: Sic is qui depoſitum abnegat, non ſtatim etiam Furti tenetur; ſed ita, ſi intercipiendi causâ occultaverit. *l.* 1. § 2. Paul. lib. 39. ad Ed.

Sic etiam accipe quod de creditore probat Ulpianus. Eum creditorem qui poſt ſolutam pecuniam pignus non reddat, teneri Furti Mela ait; ſi celandi animo retineat (*a*). Quod verum eſſe arbitror. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 7. Ulp. lib. 37. ad Ed.

Hinc quoque eſt quòd Procurator, qui non res incluſas ſubtraxit, ſed traditas non reddit; judicio Mandati, non Furti (*b*) tenetur. *l.* 55. *ff. Mandati.* Papin. lib. 1. respons.

§ II.

Quandonam contrectatio fieri intelligatur.

VIII.

Vidimus Furtum abſque contrectatione non fieri. Cæterùm ſufficit rem aliquâ ſui parte eſſe contrectatam, ut totius Furtum factum videatur.

Hinc Qui lancem raſit, totius Fur eſt; & Furti tenetur, ad id quod domini intereſt. *l.* 22. § 2. Paul. lib. 9. ad Sabin.

Hoc quidem obtinet circa res individuas, qualis eſt lanx (un plat, ou autre piece de vaiſſelle). *Secùs verò obtinere circa res dividuas, docet Ulpianus.*

Ita ille: Vulgaris eſt quæſtio; an is qui ex acervo frumenti modium ſuſtulit, totius rei Furtum faciat, an verò ejus tantùm quod abſtulit? Ofilius totius acervi Furem eſſe (*c*) putat: nam & qui aurem alicujus tetigit, inquit Trebatius, totum eum (*d*) videri tetigiſſe. Proindè & qui dolium aperuit, & indè parùm (*Florent.* parvum) vini abſtulit, non tantùm ejus quod abſtulit, verùm totius videtur Fur eſſe. Sed verùm eſt, in tantùm eos Furti actione teneri, quantùm abſtulerunt. Nam (*e*) & ſi quis armarium quod tollere non poterat, aperuerit; & omnes res quæ in eo erant contrectaverit, atque ita diſceſſerit; deinde reverſus unam ex his abſtulerit, & antequàm ſe reciperet quò deſtinaverat deprehenſus fuerit: ejuſdem (*f*) rei & manifeſtus & nec manifeſtus Fur erit. Sed & qui ſegetem luce ſecat, & contrectat (*g*); ejus quod ſecat, manifeſtus & nec manifeſtus Fur eſt. *l.* 21. Ulp. lib. 40. ad Sabin.

Eamdem agit quæſtionem idem Ulpianus. Sed ſi de navi oneratâ, Furto quis ſextarium frumenti tulerit; utrùm totius oneris, an verò ſextarii tantùm Furtum fecerit? Faciliùs hoc quæritur in horreo pleno. Et durum eſt dicere, totius Furtum feri. Et quid ſi ciſterna (*h*) vini ſit? Quid dices? (*Florent.* licet) Aut aquæ ciſterna? Quid deinde, ſi [de] nave vinariâ; ut ſunt multæ, in quas vinum effunditur? Quid dicemus de eo qui vinum hauſit? An totius oneris Fur ſit? Et magis eſt, ut hîc non totius dicamus. *d. l.* 21. § 5.

Certè ſi proponas, in apothecâ amphoras eſſe vini, eaſque ſubtractas; ſingularum Furtum ſit, non totius apothecæ: quemadmodum ſi ex pluribus rebus moventibus in horreo recluſis unam tulerit. *d. l.* 21. § 6.

IX.

Item contrectaſſe intelligitur, ſive quis per ſe, ſive per alium [*præſens tamen*] *rem contrectaverit: ſecùs, ſi abſens.*

Hinc Si is qui indebitum accipiebat (*i*), delegaverit ſolvendum; non erit Furti actio, ſi cum eo abſente ſolutum ſit. Cæterùm ſi præſente, alia cauſa eſt; & Furtum fecit. *l.* 43. (*Aliàs* 44.) § 2. Ulp. lib. 41. ad Sabin.

Si is qui ipſe omninò non contrectat, ſed per alium contrectat, Furtum facit; multò magis Si duo plures-ve unum tignum Furati ſunt, quod ſinguli tollere non potuerint, dicendum eſt omnes eos Furti in ſolidum teneri: quamvis id contrectare nec tollere ſolus poſſet. Et ita utimur. Neque enim poteſt dicere, pro parte Furtum feciſſe ſingulos; ſed totius rei univerſos: ſic fiet, ſingulos Furti teneri. *l.* 21. § 9. Ulp. lib. 40 ad Sabin.

X.

Furti actio quæ re ſemel contrectatâ naſcitur, non multiplicatur quamvis aſſiduâ ejuſdem rei contrectatione Furtum perſeveret.

Hinc Pomponius. Ei qui Furti actionem habet, aſſiduâ contrectatione Furis non magis Furti actio naſci poteſt; ne in id quidem in quod (*k*) creviſſet poſtea res ſubrepta. *l.* 9. Pompon. lib. 6. ad Sabin.

In eo tamen quod dicimus ex primâ duntaxat rei contrectatione Furtum fieri, duo caſus excipiendi ſunt.

Nam Interdum Fur, etiam manente pœnæ obligatione, in quibuſdam caſibus rursùs obligatur; ut cum eo ſæpiùs ejuſdem rei nomine Furti agi poſſit.

Primus caſus occurrit, ſi poſſeſſionis cauſa mutata eſſet: veluti ſi res in domini poteſtatem rediiſſet (*l*); eamdemque idem ſubriperet, vel eidem domino, vel ei cui is commodaſſet, aut vendidiſſet. *l.* 56. (*Aliàs* 58.) Julian. lib. 22. digestor.

Igitur Si Furtiva res ad dominum rediit, & iterùm contrectata eſt; competit alia Furti actio. *l.* 46. (*Aliàs* 47.) Ulp. lib. 42. ad Sabin.

2*us. Caſus*: Sed & ſi perſona domini mutata eſſet. alterâ pœnâ obligatur. *ſup. d. l.* 56. ¶ *ſed & ſi.*

De hoc altero caſu pariter Paulus. Si is cui ſubrepta

(*a*) Supple; & occultandi causâ contrectet, ſeú rem de loco moveat.

(*b*) Niſi eas contrectaverit; ſicut in depoſitario & creditore dictum eſt.

(*c*) Huic Juriſconſultorum ſententiæ ſuccinere Horatius videtur, ſaltem ironicè; ex doctrinâ ſtoicorum apud quos omnia peccata erant æqualia:

Nam de mille fabæ modiis quum ſurripis unum;
Damnum eſt, non facinus, mihi pacto lenius iſto. Epiſt. lib. I. Ep. XVI.

(*d*) Hominem.

(*e*) Nec repugnat, in eâdem re intelligi Furtum & factum eſſe & non factum. Hoc enim contingit ſub diverſo reſpectu, ſcilicet diverſarum partium ex quibus res illa conſtat. Neque hoc magis repugnat, quàm aliquem ſimul videri ejuſdem rei furem manifeſtum, & non manifeſtum: quod tamen abſque dubio eſt. *Nam & ſi quis &c.*

(*f*) Scilicet ejus rei quam abſtulit; & cum quâ deprehenſus eſt, ſimul & Fur manifeſtus eſt ex ſecundâ contrectatione, & non manifeſtus ex primâ quâ eam clàm cum cæteris contrectavit.

(*g*) Secat clàm; & poſtea reverſus cum eâ re quam contrectat & aufert, deprehenditur.

(*h*) De his ciſternis vide ſuprà lib. 9. Tit. *ad L. Aquil.* N. 15. & ibi Notas.

(*i*) Putà ſimulando ſe eſſe perſonam creditoris.

(*k*) Non dabitur nova actio de eo quod crevit, ſed hoc augmentum veniet in actione quæ ex primâ contrectatione datur.

(*l*) Tunc enim, cùm purgetur vitium Furti; ſeu deſinat res eſſe furtiva ex primâ contrectatione, ex quâ Fur rem retinere non potuit; nova ejus rei contrectatio non poteſt videri primi Furti continuatio, ſed novum Furtum eſt. Adeòque multiplicatur actio quaſi ex ſingulis Furtis; & ex utrâque contrectatione Fur ſingulis actionibus tenetur. Ubi nota, licèt purgato rei vitio, actionem tamen *Furti* non extingui ſeu Furem non liberari.

Source : BIU Cujas

ſit, dum apud Furem ſit, legaverat eam mihi; an ſi poſtea Fur eam contrectet, Furti actionem habeam? Et ſecundùm Octaveni ſententiam, mihi ſoli competit Furti actio (*a*); cùm heres ſuo nomine non habeat (*b*): quia, quâcumque ratione dominium mutatum ſit, domino competere Furti actionem conſtat. *l.* 68. (*Aliàs* 66.) § 1. PAUL. LIB. 7. AD PLAUT.

Idem alibi. Si dominium rei ſubreptæ quâcumque ratione mutatum ſit, domino Furti actio competit; veluti heredi, & bonorum poſſeſſori, & patri adoptivo, & legatario. *l.* 47. (*Aliàs* 48.) PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

ARTICULUS III.

De Furandi affectu.

XI.

Cùm ad Furtum requiratur Furandi voluntas; hinc de eo qui ſervum alienum invito domino ſuſcepit, ait Ulpianus: Quòd ſi dominus vetuit, & ille ſuſcepit; ſi quidem non celandi animo, non eſt Fur; ſi celavit, tunc Fur eſſe incipit. Qui igitur ſuſcepit, nec celavit, etſi invito domino Fur non eſt. *l.* 48. (*Aliàs* 49.) § 3. ULP. LIB. 42. AD SABIN.

Hinc etiam Quum creditor rem ſibi pignoratam aufert, non videtur contrectare, ſed pignori ſuo incumbere. *l.* 55. ULP. LIB. 3. DISPUT.

Ad furandi autem affectum duo requiruntur, fraus & affectus lucri.

§ I.

Oportere ut contrectatio ſit fraudulenta.

XII.

Hinc contrectatio quæ dolo caret, Furtum non eſt.

Quapropter Rectè dictum eſt, qui putavit ſe domini voluntate rem attingere, non eſſe Furem. Quid enim dolo facit qui putat dominum conſenſurum fuiſſe; ſive falsò id ſive verè putet? Is ergo ſolus Fur eſt, qui adtrectavit quod invito domino ſe facere ſcivit. *l.* 46. (*Aliàs* 47.) § 7. ULP. LIB. 42. AD SABIN.

Indè Si quis aſinum meum coegiſſet, & in equas ſuas ΤΗΣ' ΓΟΝΗΣ duntaxat ΧΑΡΙΝ [*id eſt, genituræ, ſuſcipiendique fœtûs gratiâ*] admiſiſſet Furti non tenetur, niſi Furandi quoque animum (*c*) habuit. Quod & Herennio-Modeſtino ſtudioſo meo de Dalmatiâ conſulenti reſcripſi, circa equos quibus ejuſdem rei gratiâ ſubjeciſſe quis equas ſuas proponebatur; Furti ita demùm teneri, ſi furandi animo id feciſſet; ſi minùs, IN factum (*d*) agendum. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 20. ULP. LIB. 37. AD EDICT.

Hinc quoque Qui re ſibi commodatâ; vel apud ſe depoſitâ uſus eſt aliter atque accepit; ſi exiſtimavit ſe non invito domino id facere, Furti non tenetur. *l.* 76. (*Aliàs* 78.) POMPON. LIB. 38. AD Q. MUCIUM.

Obiter nota. Sed nec Depoſiti ullo (*e*) modo tenebitur Commodati an teneatur, in culpâ æſtimatio erit (*f*); id eſt, an non debuerit exiſtimare id dominum permiſſurum. *d. l.* 76. ¶ *ſed nec.*

XIII.

Cùm Furtum ſine voluntate furandi non fiat: hinc etiam in eo quid jacens tulit, ita Ulpianus: Sed ſi non fuit derelictum, putavit tamen derelictum, Furti non tenetur. *l.* 43. (*Aliàs* 44.) § 6. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Sed ſi neque fuit, neque putavit; jacens tamen tulit non ut lucretur, ſed redditurus ei cujus fuit, non tenetur Furti. *d. l.* 43. § 7.

Proindè videamus; ſi neſcit cujus eſſet, ſic tamen tulit quaſi redditurus ei qui deſideraſſet, vel qui oſtendiſſet rem ſuam; an Furti obligetur? Et non puto obligari eum. Solent plerique etiam hoc facere, ut libellum proponant continentem inveniſſe, & redditurum ei qui deſideraverit. Hi ergo oſtendunt, non furandi animo ſe feciſſe. *d. l.* 43. § 8.

Quid ergo ſi ΕΥΡΕΤΡΑ quæ dicunt (*g*), petat? Nec hic videtur Furtum facere, etſi non probè petat (*h*) aliquid. *d. l.* 43. § 9.

Conſonat quod alibi ait. Si jactum ex nave factum alius tulerit, an Furti teneatur? Quæſtio in eo eſt, an pro derelicto habitum ſit. Et, ſi quidem derelinquentis animo jactavit (quod plerùmque credendum eſt (*i*), cùm ſciat periturum, qui invenit, ſuum fecit; nec Furti tenetur. Si verò non hoc animo; ſed hoc, ut, ſi ſalvum fuerit, haberet: ei qui invenit, auferendum eſt; &, ſi ſcit hoc qui invenit, & animo furandi tenet, Furti tenetur. Enimverò ſi hoc animo ut ſalvum faceret domino, Furti non tenetur. Quòd ſi putans ſimpliciter jactatum, Furti ſimiliter non tenetur. *d. l.* 43. § 11.

XIV.

Multò minùs Fur eſt, qui quod ſuum eſſe putat, contrectat. Hinc Neratius reſpondit; Si quis ex bonis ejus quem putabat mortuum, qui vivus erat, Pro hered res adprehenderit; eum Furtum non facere. *l.* 83. (*Aliàs* 85.) NERATIUS LIB. 1. RESPONS.

§ II.

Oportere ut contrectatio fiat lucri faciendi cauſâ.

XV.

Hactenùs de contrectatione non fraudulentâ. Sed nec in quâvis fraudulentâ contrectatione, Furandi voluntas eſt; ſed ita demùm, quum quis contrectat ut ipſe vel alter lucrum querat, non ſi, duntaxat ut noceat.

Hinc Si quis de manu alicujus nummos aureos, vel argenteos, vel aliam rem excuſſerit; ita Furti tenetur, ſi ideò fecit ut alius tolleret, iſque ſuſtulerit. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 13. ULP. LIB. 37. AD ED.

Hinc Interdum evenire Pomponius eleganter ait, ut quis tabulas delendo, Furti non teneatur, ſed tantùm Damni injuriæ: ut putà ſi non animo Furti faciendi, ſed tantùm damni dandi delevit. Nam Furti non tenebitur: cum facto enim, etiam animum furis Furtum exigit. *l.* 41. § 1. *ff. Ad Leg. Aquil.* ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Hoc igitur ſenſu accipe, quòd Si quis tabulas inſtrumentorum Reipublicæ municipii alicujus, aut ſubripuerit, aut interleverit; Labeo ait Furti eum teneri.

(*a*) Scilicet ex hâc novâ contrectatione.

(*b*) Hereditario autem nomine habet actionem ex primâ contrectatione.

(*c*) Quem habere dicendus eſt, ſi exiſtimabat me [ſi ſcirem] non conſenſurum: hoc enim Furtum facit usûs mei aſini. Quòd ſi exiſtimavit me conſenſurum, etſi conſenſurus non fuiſſem; Furtum non facit: non enim habet furandi affectum.

(*d*) Scilicet ſi quid indè damni contigit; putà ſi equus aſinus-ve coitu viribus defectus eſt aut mortuus.

(*e*) Depoſitarius enim non tenetur niſi de dolo. Dolus autem non eſt in eo qui fecit, quod credebat ſe facere volente domino.

(*f*) Senſus eſt: *æſtimatio* ſeu deciſio hujus quæſtionis *an Commodati tenetur*, pendet ex hâc alterâ quæſtione an culpa ipſius aliqua verſetur; *id eſt, an &c.*

(*g*) Id eſt, inventionis præmia. Budæus legit ΜΗΝΥΤΡΑ, eodem ſenſu; vel ΕΥΑΓΓΕΛΙΑ, quaſi præmium ob bonum nuntium: [*Récompenſe pour avoir trouvé la choſe & l'avoir rapportée*].

(*h*) Ita ſcilicet ut non aliter quàm accipiendo quæ petit, rem inventam velit domino reddere.

(*i*) Videtur eâ in re Ulpianus diſſentire à Javoleno, Juliano, Gaio, & Paulo; qui omnes ſtatuunt eum qui tempeſtatis levandæ causâ merces in mare projicit, non videri eas pro derelictis abjicere: quorum ſententiam ſequitur Juſtinianus Inſtit. Tit. *de Rer. divis.* Quapropter Hotomannus & Ferrerus Ulpianum eâ in re erroris inſimulare non dubitant. Excuſat Ulpianum Connanus: & ut cum cæteris Juriſconſultis reconciliet, ait; cæteros Juriſconſultos intelligendos eſſe de caſu quo non ira procul à littore merces in mare projiciuntur, quo caſu ſpes eſt ut mare eas ad littus ejiciat; propter quam ſpem dominus qui eas projecit, animum dominii retinere præſumitur: Ulpianum verò intelligendum de caſu quo in medio mari id contigiſſet. Hoc caſu, cùm nulla eas recuperandi ſpes concipi poſſit; dominus qui eas abjecit, omnem dominii retinendi animum depoſuiſſe videtur. Unde ſi præter ſpem ex mari extractæ ſint; qui eas extraxerit, ſuas faciet utpotè pro derelictis habitas.

Idemque

Source : BIU Cujas

Idemque ſcribit, & de cæteris rebus publicis, de-que ſocietatibus. *l.* 31. § 1. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Ex eodem etiam lucri faciendi animo eſt quòd Si quis ſervo meo perſuaſerit, ut nomen ſuum ex inſtrumento (putà) emptionis tolleret; & Mela ſcripſit, & ego puto, Furti agendum. *ſup. d. l.* 52. § 23.

Nullus autem lucri faciendi animus eſt in ſpecie ſequenti; in quâ proindè actio FURTI *non competit. V. G.* Sed ſi ſervo perſuaſum ſit ut tabulas meas deſcriberet; puto, ſi quidem ſervo perſuaſum ſit, SERVI CORRUPTI agendum; ſi ipſe fecit, DE DOLO actionem dandam. *d. l.* 52. § 24.

XVI.

Similiter Furtum non eſt, contrectatio quæ ſolo explendæ libidinis propoſito fieret.

Hinc Verum eſt, ſi meretricem alienam ancillam rapuit quis vel celavit, Furtum non (*a*) eſſe: nec enim factum quæritur, ſed cauſa faciendi; cauſa autem faciendi, libido fuit, non Furtum. Et ideò etiam eum qui fores meretricis effregit libidinis causâ; & fures non ab eo inducti, ſed aliàs ingreſſi, meretricis res egeſſerunt; Furti non teneri. *l.* 39. (*Aliàs* 40.) ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Obiter nota. An tamen vel Fabiâ teneatur, qui ſuppreſſit (*b*) ſcortum libidinis causâ? Et non puto teneri. Et ita etiam, ex facto quum incidiſſet, dixi. Hic enim turpiùs facit, quàm qui ſubripuit; ſed ſecum facti ignominiam compenſat (*c*): certè Fur non eſt. *d. l.* 39. ¶ *an tamen.*

Hæc ita, ſi meretrix erat. Verùm Qui ancillam non (*d*) meretricem, libidinis causâ ſubripuit; Furti actione tenebitur: &, ſi ſuppreſſit, pœnâ Legis Faviæ coercetur. *l.* 82. (*Aliàs* 84.) § 2. PAUL. LIB. 2. SENTENT.

Furtum quidem non fit, niſi lucri faciendi causâ res contrectetur. Cæterùm nil refert, an Fur lucrum ſuum an alteriue quærat.

Hinc Eum qui quid utendum accepit, ipſe alii commodaverit, Furti obligari reſponſum eſt. Ex quo ſatis apparet Furtum fieri, & ſi quis uſum alienæ rei in ſuum lucrum convertat. Nec movere quem debet, quaſi nihil lucri ſui gratiâ faciat. SPECIES ENIM LUCRI EST, EX ALIENO LARGIRI; ET BENEFICII DEBITOREM SIBI ADQUIRERE. Undè & is Furti tenetur, qui ideò rem amovet, ut eam alii donet. *l.* 54. (*Aliàs* 56.) § 1. GAIUS LIB. 13. AD ED. PROVINC.

XVII.

Quòd ſi plures ſimul ab aliquo contrectatæ res fuerint, in ſingulis inſpicitur an earum furandarum voluntatem habuerit.

Hinc Si is qui viginti nummorum ſaccum depoſuiſſet, alium ſaccum in quo ſcit triginta eſſe, errante eo qui dabat, acceperit; putavit autem illic ſua viginti eſſe; teneri Furti, decem nomine (*e*) placet. *l.* 21. § 1. ULP. LIB. 40. AD SABIN.

Similiter: Sed & ſi quis ſubripuerit Furto duos ſaccules, unum decem, alterum viginti; quorum alterum ſuum putavit, alterum ſcit alienum; profectò dicemus, tantùm unius quem putavit alienum, Furtum eum facere. Quemadmodum ſi duo pocula abſtulerit quorum alterum ſuum putavit, alterum ſcit alienum: nam & hîc unius fit Furtum. *d. l.* 21. § 3.

Obiter nota. Sed ſi anſam in poculo ſuam putavit, vel verè fuit; totius poculi eum Furtum facere (*f*) Pomponius ſcripſit. *d. l.* 21. § 4.

Quòd dicimus, pluribus rebus contrectatis, in ſingulis inſpici an voluntas Furandi adfuerit; hoc adhuc exemplo confirmat Paulus: Si eo conſilio arca refracta ſit, ut uniones (putà) tollerentur, hique Furti faciendi causâ contrectati ſint; eorum tantummodò Furtum factum videri. Quod eſt verum. Nam cæteræ res quæ ſeponuntur ut ad uniones perveniatur, non Furti faciendi causâ contrectantur. *l.* 22. § 1. PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

Et generaliter Si quid Fur fregerit aut rumperit, quod non etiam Furandi causâ contrectaverit; ejus nomine cum eo Furti agere non poteſt. *d. l.* 22. *pr.*

Maximè autem intelligitur Fur, qui ex pluribus rebus quas contrectavit quaſdam abſtulit, cæterarum auferendarum voluntatem non habuiſſe; ſi omnes tolli non poterant. Quòd ſi poterant, facilius præſumetur voluntatem omnium auferendarum habuiſſe, Furtumque omnium feciſſe, quamvis omnes non abſtulerit.

Hoc docet Ulpianus. Item ſi majoris ponderis quid aperuit aut refregit, quod tollere non poſſit; non eſt omnium rerum cum eo furti actio, ſed earum tantùm quas tuli.. quia totum tollere non potuit. Proindè ſi involucrum quod tollere non potuit, ſolvit ut contrectet; deinde contrectavit quaſdam res: quamvis ſingulas res quæ in eo fuerunt, tollere potuerit; ſi tamen totum involucrum tollere non potuerit; ſingularum rerum quas tulerit, Fur eſt; cæterarum non eſt. Quòd ſi totum vas tollere potuit, dicimus eum totius eſſe Furem; licèt ſolverit (*g*) ut ſingulas vel quaſdam tolleret. Et ita Sabinus ait. *l.* 21. § 8. ULP. LIB. 40. AD SABIN.

§ III.

Quæ non requirantur circa affectum furandi.

XVIII.

In rebus ipſis quæ contrectatæ ſunt, & quidem in ſingulis [ut mox vidimus], requiritur ut Fur eas furari voluerit. Neceſſe autem non eſt ut eas propter ſemetipſas furandi habuerit affectum.

Hinc V. G. Qui ſaccum habenti pecuniam ſubripit; Furti, etiam ſacci nomine tenetur; quamvis non ſit ei animus ſacci ſubripiendi. *l.* 77. (*Aliàs* 79.) POMPON. LIB. 13. EX VARIIS LECTIONIBUS.

Hinc qui epiſtolam aut libellum aufert, quamvis non tam epiſtolam aut libellum per ſe ſpectet quàm utilitatem extrinſecam quam indè eſt laturus: Furtum epiſtolæ aut libelli facere intelligitur.

Ita enim in ſpecie ſequenti reſpondit Modeſtinus. Sempronia libellos compoſuit, quaſi datura Centurioni ut ad Officium (*h*) tranſmitterentur; ſed non dedit. Lucius pro tribunali eos recitavit, quaſi Officio traditos. Quæro (non ſunt inventi in Officio, neque Centurioni traditi) quo crimine ſubjiciatur, qui auſus eſt libellos de domo ſubtractos, pro tribunali legere, qui non ſint dati? Modeſtinus reſpondit; Si clàm ſubtraxit, Furtum commiſſum. *l.* 72. (*Aliàs* 74.) POMPON. LIB. 7. RESPONS.

XIX.

Circa voluntatem furandi, neceſſe etiam non eſt ut

(*a*) Contrà Paulus *Sentent.* lib. 2. Tit. 32. § 12. *Qui meretricem libidinis causâ rapuit & celavit, eum quoque Furti actione teneri.* Verùm omninò ſupplenda negatio, *Qui* NON *meretricem &c.* Ut eadem ſpecies ſit, non de quâ hîc Ulpianus; ſed quæ mox infrà l. 82. § 2. ex eodem Pauli libro.

(*b*) *Supprimere* eſt occultare & celare, quolibet modo & quocumque animo id fiat; *ſurripere* verò eſt auferre animo furandi. In Lege autem Fabiâ de PLAGIARIIS, is demùm ſupprimere cenſetur qui ſupprimit *animo Furandi*; ita ut idem ſit ac ſi ſurripuiſſet: alioquin pœnâ Legis non tenetur.

(*c*) *Compenſat ſecum*; id eſt, in ſuâ perſonâ luit pœnam hujus ignominioſi facti, per ſummam ignominiam quæ in ipſum redundat. Cùm enim turpior ſit *libido* quàm Furtum ipſum; *turpiùs facit* qui *ſupprimit* libidinis causâ, *quàm qui ſurripuit.*

(*d*) Thaumaſius legit: *Qui ancillam meretricem non libidinis &c.* Ut diverſitas hujus ſpeciei à præcedenti, non ex eo petatur quòd ancilla ſit meretrix vel non; ſed ex causâ propter quam hæc ancilla rapitur. Verùm perperàm omninò, ut mihi videtur. Poſitâ enim hâc lectione, & eo legis ſenſu; id deſiniret Juriſconſultus, de quo nulla potuit eſſe quæſtio; nimirùm ancillam ſubreptam *non libidinis causâ*, ſed furandi, dare locum actioni *Furti.* Retinenda itaque lectio vulgaris, *non meretricem*: ut ratio diſparitatis ſit quòd, quum meretrix eſt, magis præſumi poteſt quis eam libidinis, non Furti causâ rapuiſſe: quum non eſt meretrix, audiri non debet is qui alleget ſe libidinis causâ feciſſe; ita ut, etſi reverâ libidinis causâ fecerit, tamen furandi animo feciſſe credatur. Hæc eſt vera ſolutio, quam video etiam Wielingio placuiſſe. *Leg. Jur. Civ.* I 1.

(*e*) Nam circa alia viginti, non habuit voluntatem furandi, ſed ſuum recipiendi.

(*f*) Hoc ita, quia poculum eſt quid individuum: ſuprà N. 8.

(*g*) Præſumitur initio quum vas contrectavit, habuiſſe animum ſurripiendi totum; licèt poſtea pœnitentiâ ductus vel aliquo caſu impeditus, vas aperuerit, [reſoluto involucro] ut duntaxat quaſdam tolleret.

(*h*) Id eſt, ad milites Actuarios qui legionis rationes deſcribunt; & quibuſcum mulier rem habuerat.

Source : BIU Cujas

contineat scientiam quantitatis & qualitatis rei quæ surripitur.

Hinc Si quis æs subripuit, dum aurum se subripere putat, vel contrà (ex libro octavo Pomponii (*a*) ad Sabinum); aut minùs esse, quum plùs esset: ejus quod subripuit Furtum committit. Idem Ulpianus. *l.* 21. § 2. ULP. LIB. 40. AD SABIN.

Necesse pariter non est, ut sciat Fur cui personæ Furtum faciat.

Hinc Qui alienum quid jacens, lucri faciendi causâ sustulit, Furti obstringitur; sive scit cujus sit, sive ignoravit (*b*). Nihil enim ad Furtum minuendum facit, quòd cujus sit, ignoret. *l.* 43. (*Aliàs* 44.) § 4. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

ARTICULUS IV.

Oportere ut contrectatio fiat domino possessore-ve invito.

XX.

Ut Furtum fieri intelligatur requiritur ut invito domino fiat. Et certè in eo consistit Furti malitia, quòd is cui Furtum sit, indè lædatur: porrò nemo volens lædituɾ, juxta adagium; VOLENTI NON FIT INJURIA.

Hinc V. G. Qui ex voluntate domini, servum recepit; quin neque Fur neque plagiarius sit, plusquàm manifestum est. Quis enim voluntatem domini habens, FUR dici potest? *l.* 48. (*Aliàs* 49.) § 2. ULP. LIB. 42. AD SABIN.

Per contrarium: Si ego me invito domino facere putarem, quum dominus vellet; an Furti actio sit? Et ait Pomponius, Furtum me facere (*c*). Verum tamen est; ut, cùm ego velim eum uti, licèt ignoret, ne Furti sit obligatus. *l.* 46. (*Aliàs* 47.) § 8. ULP. LIB. 42. AD. SABIN.

XXI.

Jam videndum quando dominus invitus intelligatur. Vetare autem dominum accipimus, etiam eum qui ignorat; hoc est, eum qui non consensit. *sup. d. l.* 48. § 3.

Sed & is qui scivit nec consensit, quamvis non prohibuerit (fortè conterritus), invitus est.

Hinc quum Labeo dixisset: Si quis quum sciret quid sibi subripi non prohibuit, non potest Furti agere: Paulus: Immò contrà. Nam si quis scit sibi rapi; &, quia non potest prohibere, quievit: Furti agere potest. At si potuit prohibere, nec prohibuit (*d*); nihilominùs Furti aget.

Et hoc modo, patronus quoque liberto; & is cujus magna verecundia, ei quem in præsentiâ pudor ad resistendum impedit; Furtum facere solet. *l.* 91. (*Aliàs* 93.) LABEO LIB. 2. PITHANON A PAULO EPITOMAT.

XXII.

Non videtur autem invitus, qui per metum compellitur ut velit.

Hinc Qui vim intulit; cùm possessionem à me sit consecutus, Fur non est: quamvis qui vi rapuit, Fur improbior esse videtur (*e*), ut Juliano placet. *l.* 14. § 12. *ff. Quod metûs causâ.* ULP. LIB. 11. AD ED.

Non videtur etiam invitus, qui dolo adductus est ut vellet.

Hinc 1°. Si Titius alienam rem vendidit, & ab emptore accepit nummos; non videtur nummorum (*f*) Furtum fecisse. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 17. ULP. LIB. 37. AD ED.

Hinc 2°. Servus qui se liberum adfirmavit, ut sibi pecunia crederetur, Furtum non facit. Namque hic nihil ampliùs quàm idoneum se debitorem adfirmat.

Idem est & in eo qui se patremfamilias finxit, quum esset filiusfamilias; ut sibi promptiùs pecunia crederetur. *d. l.* 52. § 15.

Hinc 3°. *Et generaliter*, Si quis nihil in personâ suâ mentitus est, sed verbis fraudem adhibuit; fallax est, magis quàm Furtum facit: ut putà, si dixit se locupletem, si in mercem se collocaturum quod accepit, si fidejussores idoneos daturum, vel pecuniam confestim se soluturum. Nam ex his omnibus, magis decepit quàm Furtum fecit; & ideo Furti non tenetur. Sed quia dolo fecit; nisi sit alia adversùs eum (*g*) actio, DE dolo dabitur. *l.* 43. (*Aliàs* 44.) § 3. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

XXIII.

Diversum statuendum est, si te alium hominem finxeris. Nam hìc non tibi volebam dare, adeòque invito me contrectas.

Hoc docet Ulpianus. Italle: Quum Titio honesto viro pecuniam cedere vellem, subjecisti mihi alium Titium egenum, quasi ille esset locuples; & nummos acceptos cum eo divisisti. Furti teneris, quasi ope tuâ consilioque Furtum factum sit: sed & Titius Furti tenebitur. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 21. ULPIAN. LIB. 37. AD ED.

Consonat Papinianus. Falsus autem procurator ita demùm Furtum pecuniæ faciet, si nomine quoque veri procuratoris, quem creditor habuit, adsumpto, debitorem alienum circumvenerit. Quod æquè probatur & in eo qui sibi deberi pecuniam, ut heredi Sempronii creditoris (*h*) adseveravit, quum esset alius. *l.* 80. (*Aliàs* 82.) § 6. PAPIN. LIB. 12. QUÆST.

De eo etiam qui se alium hominem fingit, accipe quod ait Ulpianus: Falsus creditor (hoc est, is qui se simulat (*i*) creditorem) si quid acceperit, Furtum facit; nec nummi ejus fient. *l.* 43. (*Aliàs* 44.) ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Pariter accipe quod ait Scævola. Quoniam Furtum sit, quum quis indebitos nummos sciens (*k*) acceperit; videndum, si procurator suos numinos solvat, an ipsi Furtum fiat? Et Pomponius Epistolarum libro octavo, Ipsum condicere ait ex causâ furtivâ: sed & me condicere (*l*), si ratum habeam, quod indebitum datum sit. Sed alterâ Condictione altera tollitur. *l.* 18. *ff. de Condict. furt.* SCÆVOLA LIB. 4. QUÆST.

XXIV.

Sed & si quis non se alium hominem fingat, Furtum facit si se fingat alterius nomine accipere: nam me invito accepit; cùm non ipsi, sed ei cujus nomine se fingit accipere: velim dare.

Hinc Si jussu debitoris ab alio falsus procurator creditoris accepit, debitori iste (*m*) tenetur Furti; & nummi debitoris erunt. *l.* 44. (*Aliàs* 45.) POMPON. LIB. 19. AD SABIN.

(*a*) Hæc verba videntur transposita, & reponenda infrà post illa verba *quum plus esset.*

(*b*) Modò non existimet rem esse derelictam, quæ nullius sit. Suprà N. 9.

(*c*) Imò Furtum non fit *Instit.* lib. IV. Tit. 1. § 8. Scilicet hìc refertur duntaxat sententia Pomponii, quam mox Ulpianus ita improbat: *verum tamen est &c.*

(*d*) Quia metuebat; non tamen consensit, sed duntaxat tacuit.

(*e*) *Qui vi rapit*, invito me rapit; & ideò *Fur improbior* est. At qui me cogit ut velim, me volente aufert, non invito; nam coacta voluntas, est voluntas: & ideò non est Fur, sed tenetur ex Edicto *Quod vi aut metûs causâ.* de quo suprà lib. 4. Tit. 2. Prima vis species, dicitur *Vis ablativa*, altera est *Vis coactiva.*

(*f*) Emptor enim volens dedit nummos, quamvis dolo fuerit adductus ut daret; dum ipsi persuadetur rem venditam, quæ aliena erat, esse venditoris.

(*g*) Vide suprà lib. 4. Tit. *de Dolo mal.* N. 5.

(*h*) Assumpto hujus heredis nomine.

(*i*) Cujus nomen assumit.

(*k*) Scilicet sciens eos deberi alteri quem se esse fingit, aut cujus nomine se accipere fingat. Quòd si suo nomine acciperet, Furtum non faceret; cùm volente domino acciperet.

(*l*) *Condictione indebiti.* Glossa.

(*m*) Quum enim quis pecuniam jussu debitoris huic falso procuratori tradit; fictione *Brevis manûs* perindè est, ac si debitor acceptam ab eo qui jussu ipsius dedit hanc pecuniam ipse dedisset: adeòque falsus procurator, qui eam suo nomine accipit, contra voluntatem debitoris qui eam nonnisi suo creditori vult solvere; Furtum ei hujus pecuniæ facit.

Source : BIU Cujas

Hinc Julianus reſpondit ; Eum qui pecuniis exigendis præpoſitus eſt, ſi manumiſſus exigat, Furti teneri. Quod ei conſequens eſt dicere, & in tutore cui poſt pubertatem ſolutum eſt. *l.* 66. (*Aliàs* 68.) PAUL. LIB. 7. AD PLAUT.

His quæ diximus conſonat hæc diſtinctio ab Ulpiano relata. Falſus procurator Furtum quidem facere videtur. Sed Neratius videndum eſſe ait, an hæc ſententia cum diſtinctione vera ſit: ut, ſi hâc mente ei dederit nummos debitor, ut eos creditori perferret, procurator autem eos intercipiat ; vera ſit. Nam & manent nummi debitoris, quum procurator eos non ejus nomine accepit, cujus eos debitor fieri vult, & invito domino eos contrectando, ſine dubio Furtum facit. Quòd ſi ita det debitor, ut nummi procuratoris fiant; nullomodo eum Furtum facere ait, voluntate domini eos accipiendo. *l.* 43. (*Aliàs* 44.) § 1. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Igitur de caſu quo quis pecuniam accipiat, non ſuo nomine, ſed ejus ad quem eam perferre jubebatur ; accipe quod Julianus libro vigeſimo-ſecundo Digeſtorum ſcripſit ; Si pecuniam quis à me acceperit, ut creditori meo ſolvat ; deinde, quum tantam pecuniam eidem creditori deberet, ſuo nomine ſolverit ; Furtum eum facere. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 16. ULP. LIB. 37. AD ED.

Pariter accipe quod reſcribit Alexander. Si is cui te pecuniam ad matrem tuam perferendam dediſſe proponis, parvâ quantitate numeratâ reliquam in uſus ſuos convertit ; Furtum fecit. *l.* 7. *Cod. h. tit.*

Sic etiam accipe quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Falſus procurator depoſitum recipiendo, vel æs alienum exigendo citra domini voluntatem, Furtum facit ; ac præter rei reſtitutionem, actione dupli NEC MANIFESTI FURTI convenitur. *l.* 19. *Cod. h. tit.*

Simili ratione : Sed & ſi ſervo creditoris mei ſolverim nummos, ut is eos domino ſuo det ; æquè locus erit Furti actioni, ſi is nummos acceptos interceperit. *l.* 38. § 3. *ff. de Noxalib. actionib.* ULP. LIB. 37. AD ED.

XXV.

Invitus etiam videtur dominus, quum rem ſuam tradit quam credit accipientis ; nec enim ſuam vult dare.

Igitur Si rem meam quaſi tuam tibi tradidero, ſcienti meam eſſe: magis eſt Furtum te facere, ſi lucrandi animo id feceris. *l.* 44. (*Aliàs* 45.) § 1. POMPON. LIB. 19. AD SABIN.

Invitus videtur dominus in ſpecie ſequenti : Majora quis pondera tibi commodavit, quum emeres ad pondus. Furti eum venditori teneri, Mela ſcribit: te quoque, ſi ſciſti. Non ex voluntate venditoris accipis, cùm erret in pondere. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 22. ULP. LIB. 37. AD ED.

XXVI.

Obſervandum adhuc ; Furtum facere eum qui rem accipit, volente quidem eo qui rem detinebat, ſed invito eo ad quem res pertinet.

Hinc Ulpianus. Si fugitivum meum quis quaſi ſuum, à Duumviro, vel ab aliis qui poteſtatem habent, de carcere vel cuſtodiâ dimitteret ; an is Furti teneatur? Et placet, ſi fidejuſſores dedit, in eos domino actionem dandam ; ut hi actiones ſuas mihi mandent. Quòd ſi non acceperint fidejuſſorem, ſed tanquàm ſuum accipienti ei tradiderint ; dominum Furti actionem adverſùs plagiarium habiturum. *d. l.* 52. § 12.

XXVII.

Ex Conſtitutione Juſtiniani, uno ſingulari caſu FURTI *actio datur, quamvis res volente domino ablatæ ſint : ſcilicet in eâ ſpecie quâ quis ſervum ſollicitaſſet, ut rem aliquam domino furriperet & ad ſe deferret. Nam etſi ſervus monuerit dominum, & volente domino res illas detulerit ; is ſervi corruptor,* & FURTI & SERVI CORRUPTI *actione tenebitur ; quamvis nec propriè Furtum factum fuerit. nec ſervus ſit corruptus.* l. 20. Cod. h. tit.

SECTIO II.

Quarum rerum Furtum fiat, & à quo fieri poſſit.

Furtum fieri poteſt, tam rerum ipſarum, quàm earum uſûs aut poſſeſſionis.

ARTICULUS I.

Quas in res cadat vitium Furti.

Earum demùm rerum Furtum quis facere poteſt, quæ ſunt mobiles, & ab aliquo poſſidentur, nec ſunt furis propriæ.

§ I.

Oportere rem eſſe mobilem.

XXVIII.

Sabino placuerat fundi & ædium Furtum fieri, ut refert Gellius XI. 18. *Juxta quod Sabinus ipſe ſcripſerat in libro* DE FURTIS, *condemnatum Furti colonum qui fundo quem conduxerat vendito dominum poſſeſſione ejus intervertiſſet. Contrà Proculeiani qui vocum etymologias curioſiùs inveſtigabant, cùm* FURTUM *à* ferendo *ſeu* auferendo *dictum videatur ; Furtum nonniſi rerum quæ auferri poſſunt, id eſt mobilium fieri poſſe putaverunt. Hæc ſententia prævaluit. Undè Ulpianus* : Verum eſt quod plerique probant, fundi Furti agi non poſſe. *l.* 25. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

At verò Eorum quæ de fundo tolluntur, ut putà arborum, vel lapidum, vel arenæ, vel fructuum quos quis fraudandi (*Aliàs* furandi) animo decerpſit ; Furti agi poſſe nulla dubitatio eſt. *d. l.* 25. § 2.

Similiter Si cretæ fodiendæ causâ ſpecum quis feciſſet, & cretam abſtuliſſet ; Fur eſt, non quia fodiſſet, ſed quia abſtuliſſet. *l.* 57. (*Aliàs* 59.) ALFENUS LIB. 4. DIGEST. A PAULO EPITOMATOR.

§ II.

Oportere rem eſſe quæ ab aliquo poſſideretur.

XXIX.

Furtum fieri non poteſt, niſi ejus rei quam aliquis poſſidet.

Hinc Si apes feræ in arbore fundi tui apes fecerint ; ſi quis eas vel favum abſtulerit, eum non teneri tibi Furti : quiâ non fuerint tuæ ; eaſque conſtat captarum terrâ, mari, cœlo, numero eſſe. *l.* 26. PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

Hinc & in ſpecie quâ quis aliquid jacens tulit : Quòd ſi dominus id dereliquit, Furtum non fit ejus ; etiamſi ego furandi animum habuerò. Nec enim Furtum fit, niſi ſit cui fiat. In propoſito autem nulli fit ; quippè cùm placeat Sabini & Caſſii ſententia, exiſtimantium ſtatim noſtram eſſe deſinere rem quam derelinquimus (*a*). *l.* 43. (*Aliàs* 44.) § 5. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

XXX.

Cùm rei quæ à nemine poſſidetur, Furtum non fiat ; hinc Rei hereditariæ antequàm ab herede poſſideatur, Furtum fieri non poteſt. PAUL. SENT. LIB. 2. *tit.* 32. § 11.

Enimverò Scævola ait, Poſſeſſionis Furtum fieri : denique ſi nullus ſit poſſeſſor, Furtum negat fieri. Idcircò autem hereditati Furtum non fieri ; quia poſſeſſionem hereditas non habet, quæ facti eſt & animi : ſed nec

(*a*) Vide ſuprà lib. 41. Tit. *de Acquir. rer. dom.* N. 116.

Source : BIU Cujas

heredis eſt poſſeſſio ; antequàm poſſideat ; quia hereditas in eum id tantùm transfundit , quod eſt hereditatis : non autem fuit poſſeſſio hereditatis. *l.* 1. § 15. *ff. Si is qui teſtam. liber. &c.* ULP. LIB. 48. AD ED.

XXXI.

Quod dicimus , non poſſe fieri Furtum ejus rei quam nemo poſſidet , obtinet ; etſi is qui eam aufert , crederet eam ab aliquo poſſideri.

Hinc Si quis ſponte rem jecit vel jactavit, [non (*a*)] quaſi pro derelicto habiturus , tuque hanc rem tuleris ; an Furti tenearis , Celſus libro duodecimo Digeſtorum quærit ? Et ait : Si quidem putaſti pro derelicto habitam , non teneris. Quòd ſi non putaſti, hîc dubitari poſſe ait : & tamen magis defendit non teneri ; quia (inquit) res non intervertitur ei qui eam ſpontè rejecit. *l.* 43. (*Aliàs* 44.) § 10. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Hinc Neratium ita arguit Paulus. Neratius enim. Si rem hereditariam , ignorans in eâ causâ eſſe ſubripuiſti , Furtum te facere reſpondit. Paulus : Rei hereditariæ Furtum non fit , ſicut nec ejus quæ ſine domino (*Florent.* dominâ) eſt : & nihil mutat exiſtimatio ſubripientis. *l.* 6. *ff. Expilatæ heredit.* PAUL. LIB. 1. AD NERATIUM.

XXXII.

Cæterùm ſufficit ſi vel naturaliter quis rem poſſideret.

Hinc rectè , in ſpecie modò relatâ , Hereditariæ rei Furtum fieri , Julianus negabat : NISI fortè pignori dederat defunctus , aut commodaverat : *l.* 68. (*Aliàs* 70.) MARCELL. LIB. 8. DIGEST.

Aut in quâ uſusfructus alienus eſt. *l.* 69. (*Aliàs* 71.) SCÆVOLA LIB. 4. QUÆSTION.

His enim caſibus putabat hereditariarum rerum fieri Furtum , & uſucapionem impediri : idcircòque , heredi quoque actionem Furti competere poſſe. *l.* 70. (*Aliàs* 72.) MARCELL. LIB. 8. DIGEST.

Si homo cujus uſusfructus legatus erat , ab herede nunquam poſſeſſus , ſubreptus fuiſſet ; quæſitum eſt , quia heres Furti actionem non haberet , an uſucapi poſſit ? Sabinus reſpondit ; Nullam ejus rei uſucapionem eſſe , cujus nomine Furti agi poſſet : agere autem Furti , eum qui frui deberet , poſſe. Quod ſic accipiendum eſt , ut fructuarius poterit uti-frui ; aliter enim homo in causâ (*b*) non perduceretur : ſed ſi utenti jam & fruenti abductus homo fuerit , non ſolùm ipſe , ſed etiam heres , Furti agere poterit. *l.* 35. *ff. de Uſurp. & uſuc.* JULIAN. LIB. 3. AD URSEIUM-FEROCEM.

Sic & rei ad captivum pertinentis , quam quis nomine ejus naturaliter poſſidet , Furtum fit. Et de hoc caſu accipe quod ait Ulpianus : Si quum quis in hoſtium poteſtate eſſet , Furtum ei factum ſit , & poſtliminio redierit ; poterit quis dicere eum Furti habere actionem. *l.* 41. (*Aliàs* 42.) ULP. LIB. 41. AD SABIN.

XXXIII.

Sufficit etiam , animo ſolo rem poſſideri.

Hinc Si res commodata eſt , & is cui commodata eſt, deceſſerit ; quamvis hereditati Furtum fieri non poſſit , & ideò nec heres ejus cui commodata eſt , poſſit agere : tamen commodator poterit Furti agere (*c*).

Idemque & in re pignorata , vel in re locata. Licèt enim hereditati Furti actio non adquiratur , tamen alii cujus intereſt , adquiritur. *l.* 14. § 14. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

XXXIV.

Filiusfamilias propriè quidem non poſſidetur ſicut cæteræ res : tamen Si filiusfamilias ſubreptus ſit, patrem, habere Furti actionem palàm eſt. *d. l.* 14. § 13.

Nam ob patriam poteſtatem videtur à patre quaſi-poſſideri. Undè contrà , cùm mater talem poteſtatem non habeat ; Mater filii ſubrepti , Furti actionem non habet. *l.* 38. (*Aliàs* 39.) PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

§ III.

Oportere rem quam quis ſurripit , eſſe alienam.

XXXV.

Rei ſuæ Furtum non fit. Hinc rectè Paulus ait : Si rem quam tibi commodavi , poſtea ſubripui ; Furti actio competere tibi non poterit. Rei enim noſtræ Furtum facere non poſſumus. PAUL. SENT. LIB. 2. *tit.* 32. § 20.

Hinc Si tibi centum dedero (*d*) ut ea Titio dares, tuque non dederis , ſed conſumpſeris ; & Mandati , & Furti , teneri te Proculus ait. Aut ſi ita dederim ut quæ velles dares (*e*) , Mandati tantummodò. *l.* 22. § 7. *ff. Mandati.* PAUL. LIB. 32. AD ED.

Furtum quidem rei ſuæ quis facere non poteſt. At pecuniæ , quamvis ex re ejus redacta ſit , Furtum facere poteſt : non enim ipſius eſt hæc pecunia.

Hinc V. G. Si ſervus meus rem tuam ſubtraxerit , & vendiderit ; tuque nummos quos ex pretio habebat , ei excuſſeris ; locus erit Furti actioni ultrò citròque : nam & tu adversùs me Furti ages Noxali , ſervi nomine ; & ego adversùs te , nummorum nomine (*f*). *l.* 38. § 2. *ff. de Noxalib. actionib.* ULP. LIB. 37. AD ED.

XXXVI.

Quod dicimus rei ſuæ non fieri Furtum , intellige de eo qui in ſolidum dominus eſt.

Qui autem pro parte dominus eſt , partis quæ aliena eſt Furtum facere poteſt. Hinc Ulpianus. Si ſocius communis rei Furtum fecerit , (poteſt enim communis rei furtum facere) ; indubitatè dicendum eſt , Furti actionem competere. *l.* 45. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Plura de hâc re vide tit. Pro ſocio , *ſuprà lib.* 17.

Item regula noſtra ita intelligenda eſt ; ut , qui rei dominus eſt in ſolidum , non poſſit quidem ipſius rei Furtum facere ; usûs verò aut poſſeſſionis ſi aliena ſunt , Furtum facere poteſt : ut mox videbimus Art. ſeq.

ARTICULUS II.

Declaratur quomodo & quando Uſûs rei *aut* Poſſeſſionis ejus *Furtum fiat.*

§ I.

De Furto Uſûs.

XXXVII.

Etiam in uſu rei Furtum admittitur ; videlicèt quum quis ſciens contra domini voluntatem utitur. Putà Si pignore creditor utatur , Furti tenetur. *l.* 54. (*Aliàs* 56.) GAIUS LIB. 13. AD ED. PROVINC.

Similiter Fullo & ſarcinator , qui polienda vel ſarcienda veſtimenta accepit , ſi fortè his utatur , ex contrectatione eorum Furtum feciſſe videtur ; quia non in

(*a*) Hæc negatio expungenda ; ut ex contextu liquet.

(*b*) Id eſt , *in causâ* rei furtivæ. Scilicet quamvis *homo* ille ſeu ſervus hereditarius ſurreptus fuerit antequàm heres poſſeſſionem ejus apprehenderit , adeòque non poſſit intelligi ipſi heredi ſurreptus fuiſſe ; tamen , quia poteſt videri fructuario ſurreptus eſſe , intelligi poteſt vitium furti contraxiſſe , adeòque non poterit uſucapi. *Quod ſic accipiendum* , ſi tunc ſurreptus eſt quum jam poſſet fructuarius eo uti-frui ; nimirùm poſt diem legati uſusfructûs cedentem , præſtitam à fructuario cautionem , factamque ipſi fructuario copiam utendi ſervo : tunc enim fructuarius quodammodo eum poſſidere videtur. *Aliter* , id eſt ſi antequàm fructuarius frui eo ſervo potuerit , ſervus ſurreptus eſſet ; cùm hoc caſu , nec fructuario ſurreptus intelligi poſſit , nec heredi qui hujus poſſeſſionem nondum apprehendiſſe ſupponitur ; *in causâ* rei furtivæ *non perduceretur* , ſeu vitium rei furtivæ non contraheret ; cùm propriè furtum non fiat rei quæ à nemine poſſidetur : Tit. *de Furtis* N. 20. 21. & ſeqq.

Igitur modò jam fructuario facta fuerit copia utendi eo ſervo , quamvis nondum eo uti cœperit , intelligi poteſt fructuario homo ſurreptus : *Sed ſi utenti jam & fruenti abductus homo fuerit* ; non ſolùm fructuario ſurreptus videtur , ſed & ipſi heredi qui per fructuarium ipſius nomine poſſidentem ipſe poſſidere videtur. Ita Cujacius ad h. l.

(*c*) Commodator enim eam rem animo poſſidet , quamvis à nemine teneatur.

(*d*) Tradidero.

(*e*) Ita enim dando , ut non eos in ſpecie quos tibi dedit , ſed *Quos velles* nummos dares ; dominium eorum ad te tranſtuli. Furtum autem in re tuâ non potuiſti admittere.

(*f*) Nam erant per ſervum meum mihi quæſiti , quamvis ex rei tuæ pretio redacti.

Source : BIU Cujas

eam cauſam ab eo videntur accepta. *l.* 82. (*Aliàs* 84.) PAUL. LIB. 2. SENTENT.

Quinimò & qui aliàs re commodatâ utitur, non ſolùm Commodati, verùm Furti quoque tenetur: ut Julianus libro undecimo Digeſtorum ſcripſit. *l.* 5. § 8. *ff. Commod.* ULP. LIB. 28. AD ED.

Idem ex Labeone, Bruto; & Q. Scævolâ refert Gellius Noct. Attic. *VII.* 5.

Hinc Qui jumenta ſibi commodata longiùs duxerit, alienâ-ve re invito domino uſus ſit; Furtum facit. *l.* 40. (*Aliàs* 41.) PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

Hoc Furtum usûs, etiam dominus proprietatis facere poteſt. Putà Dominus qui rem ſubripuit in quâ uſusfructus alienus eſt, Furti uſufructuario tenetur. *l.* 15. § 1. PAUL. LIB. 5. AD SABIN.

§ II.

De Furto Poſſeſſionis.

XXXVIII.

Ut in uſu, ita etiam in poſſeſſione ſolâ Furtum admitti poteſt.

Et quidem etiam ego in rei meæ poſſeſſione Furtum admittere poſſum, quum hæc poſſeſſio aliena eſt. V. G. Si bonâ fide rem meam emeris, eamque ego ſubripuero; vel etiam tuus uſusfructus ſit, & eam contrectavero; tenebor tibi Furti actione, etſi dominus rei (*a*) ſum. *l.* 20. § 1. PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

Obiter nota. Sed his caſibus uſucapio quaſi Furtivæ rei non impedietur (*b*): quoniam etſi alius ſubripiat, & in meâ poteſtate reverſa res fuerit, uſucapiebatur. *d.* § 1. ¶ *ſed his.*

Quod tamen dicimus, dominum rem ſuam bonæ fidei poſſeſſori ſurripientem, Furti teneri; cum hâc limitatione accipe, ſi ejus poſſeſſoris intereſſet eam retinere.

Undè Si ex donatione alterius rem meam teneas, & eam ſubripiam; ita demùm Furti te agere mecum poſſe Julianus ait, ſi interſit tuâ retinere poſſeſſionem: veluti ſi hominem donatum, Noxali judicio defendiſti, vel ægrum curaveris; ut adversùs vindicantem, juſtam retentionem habiturus ſis. *l.* 53. (*Aliàs* 55.) § 4. PAUL. LIB. 39. AD ED.

XXXIX.

Aliud exemplum Furti quod in poſſeſſione rei ſuæ dominus admittit, habes in re pignoratâ. Enimverò Qui rem pignori dat, eamque ſubripit; Furti actione tenetur. *l.* 19. § 5. ULP. LIB. 40. AD SABIN.

Quocircà nota quod ait Paulus: Quum æs pignori datur, etiamſi aurum eſſe dicitur: turpiter fit, Furtum non fit (*c*). Sed ſi datum eſt aurum; deinde, quum dixiſſet ſe ponderare aut obſignare velle, æs ſubjecit; Furtum fecit. Rem enim pignori datam intervertit. *l.* 20. PAUL. LIB. 6. AD SABIN.

Furtum autem rei pignoratæ dominus non tantùm tunc facere videtur, quum poſſidenti ſive tenenti creditori aufert, verùm & ſi eo tempore abſtulerit quo non poſſidebat, ut putà ſi rem pignoratam vendidit. Nam & hìc Furtum eum facere conſtat. Et ita & Julianus ſcripſit. *ſup. d. l.* 19. § 6.

Similiter Paulus. Si is qui rem pignori dedit, vendiderit eam; quamvis dominus ſit, Furtum facit: ſive eam tradiderat creditori, ſive ſpeciali Pactione tantùm obligaverat. Idque & Julianus putat. *l.* 66. (*Aliàs* 68.) PAUL. LIB. 7. AD PLAUT.

Dominum, poſſeſſori cui nudâ conventione pignori rem ſubjecit, poſſeſſionis Furtum facere docet etiam Africanus in hâc ſpecie: Locavi tibi fundum, & (ut adſolet) convenit uti fructus ob mercedem pignori mihi eſſent. Si eos clàm deportaveris, Furti tecum agere poſſe aiebat. *l.* 61. (*Aliàs* 63.) § 8. AFRICAN. LIB. 8. QUÆST.

Obiter nota. Sed & ſi tu alii fructus pendentes vendideris, & emptor eos deportaverit; conſequens erit ut in Furtivam cauſam eos incidere dicamus. Et enim fructus, quandiù ſolo (*d*) cohæreant, fundi eſſe: & ideò colonum, quia voluntate domini eos percipere videatur, ſuos fructus facere. Quod certè in propoſito non æquè dicitur; quâ enim ratione coloni fieri poſſint, cùm emptor eos ſuo nomine (*e*) cogat? *d.* § 1. 8. ¶ *ſed & ſi.*

XL.

Hactenùs de creditore. An etiam & commodatario Furtum poſſeſſionis facere dominus intelligi poterit? Ad hanc quæſtionem ita Paulus: Sed eum qui tibi commodaverit, ſi eam rem ſubripiat, non teneri Furti placuiſſe Pomponius ſcripſit: quoniam nihil tuâ intereſſet; utpotè cùm nec COMMODATI tenearis (*f*). Ergo ſi ob aliquas impenſas, quas in rem commodatam feciſti, retentionem ejus habueris; etiam cum ipſo domino, ſi eam ſubripiat, habebis Furti actionem: quia eo caſu quaſi pignoris loco ea res fuit. *l.* 15. § 2. PAUL. LIB. 5. AD SABIN.

Suffragatur Julianus. Si is qui rem commodaſſet, eam rem clàm abſtuliſſet, Furti cum eo agi non poteſt: quia ſuum recepiſſet, & ille COMMODATI liberatus eſſet. Hoc tamen ita accipiendum eſt; ſi nullas retinendi (*Florent.* retinendo) cauſas, is cui commodata res erat, habuit. Nam ſi impenſas neceſſarias in rem commodatam fecerat; interfuit ejus, potiùs per retentionem eas ſervare, quàm ultrò Commodati agere. Ideòque Furti actionem habebit (*g*). *l.* 59. (*Aliàs* 61.) JULIAN. LIB. 3. EX MINICIO.

ARTICULUS III.

Quis Furtum admittere poſſit.

XLI.

In quemlibet qui ſit doli capax, cadit crimen Furti. Undè & Impuberem Furtum facere poſſe, ſi jam doli capax ſit, Julianus libro viceſimo-ſecundo Digeſtorum ſcripſit. Item poſſe cum impubere Damni injuriâ agi; quia id (*h*) Furtum ab impubere fit. Sed modum (*i*) adhibendum eſſe ait: nam in infantes id non cadere. Nos putamus, cum impubere culpæ capace, Aquiliâ agi poſſe; item verum eſt quod Labeo ait; Nec ope impuberis (*k*) Furto facto, teneri eum. *l.* 23. ULP. LIB. 41: AD SABIN.

Nec minùs etiam condici (*l*) ei poſſe Julianus ſcripſit. *l.* 24. PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

Pariter Gaius ait: Pupillum qui proximus pubertati ſit, capacem eſſe & furandi & injuriæ faciendæ. *l.* III. *ff. de Reg. Jur.* GAIUS LIB. 2. AD ED. PROVINC.

(*a*) Nam bonæ fidei emptori Furtum feci poſſeſſionis, quæ ipſius erat non mea; fructuario Furtum feci uſûs, qui ipſius erat, non meus.

(*b*) Hoc non intellige de eâ uſucapione quam tu bonæ fidei poſſeſſor inchoaveras: nec enim poteſt illa procedere, vitio Furti interpellata. Sed intellige de quolibet alio bonæ fidei poſſeſſore ad quem res poſtea pervenerit. Enimverò, licèt in rei poſſeſſione Furtum anteà admiſſum eſſet; tamen propter hoc ipſum quòd ad dominum reverſa fuerit, etſi alius contrectaſſet, vitium Furti purgaretur.

(*c*) Non enim intervertitur creditori poſſeſſio auri, quam non adeptus eſt.

(*d*) Cujacius [in *African.*] ad h. l. ait, in archetypo Florent. & in Baſilicis legi *ſuo loco*. Utriuſque lectionis idem ſenſus.

(*e*) Igitur non fiunt coloni; cùm non percipiantur nomine coloni. Sed nec fiunt emptoris; nec enim ille eos percepit voluntate domini fundi: imò, cùm eos invito domino contrectet, Furtum eorum facit.

(*f*) Commodatarius tenetur actione *Commodati*, quum res ipſi ſubrepta eſt ab extraneo; non quum ab ipſo domino, qui rem ipſi commodaverat.

(*g*) Adversùs dominum; quaſi Furtum fecerit ipſi poſſeſſionis, quæ apud ipſum remanere debebat donec ſuas impenſas recepiſſet.

(*h*) Legendum videtur, *quia & Furtum.* Argumentum à pari: *Aquiliâ* cum eo agi poteſt, ſicut & *Furti*; utrumque ſcilicet, quum dolo impubes facit: nam culpa ignoſcitur huic ætati, niſi ſit dolo proxima.

(*i*) Id eſt, diſtinctionem aliquam & temperamentum; ut non in impuberibus quibuſlibet id admittatur.

(*k*) Scilicet, ſi infans ſit. At tenetur, ſi pubertati proximus erat.

(*l*) Id eſt; *nihilominùs etiam*, quamvis obligari ſine tutore non poſſit pupillus, tamen ex Furto ſuo *Condictione Furtivâ* tenetur.

Source : BIU Cujas

XLII.

Ad cæteras perſonas quod attinet : ſi dominus ipſe quandoque Furtum in re ſuâ admittere poteſt, ſcilicet usûs ejus aut poſſeſſionis, ut ſuprà vid. N. 36. 37. *&* 38; *à fortiori, etiam is qui rem juſtè, ſed tanquam alienam naturaliter poſſidet, poteſt hujus Furtum facere. Putà* Si is qui pignori rem accepit, quum de vendendo pignore nihil conveniſſet, vendidit; aut antequàm dies venditionis veniret, pecuniâ non ſolutâ id fecit; Furti ſe obligat. *l.* 73. (*Aliàs* 75.) JAVOLEN. LIB. 15. EX CASSIO.

At Quum creditor rem ſibi pigneratam aufert, non videtur contrectare, ſed pignori ſuo incumbere. *l.* 55. (*Aliàs* 57.) ULP. LIB. 3. DISPUT.

XLIII.

Multò magis is qui potiùs in poſſeſſione rei eſt quàm eam poſſidet, Furtum hujus facere poteſt; qualis eſt commodatarius.

Hinc Javolenus. Si is cui commodata res erat, Furtum ipſius admiſit, agi cum eo & Furti & Commodati poteſt. *l.* 71. (*Aliàs* 73.) JAVOLEN. LIB. 15. EX CASSIO.

Obiter nota. Et ſi FURTI actum eſt, Commodati actio extinguitur; ſi COMMODATI, actioni Furti (*a*) exceptio objicitur. *d l.* 71. ¶ *& ſi.*

Hinc etiam; Si ſervum veſtrum nutriendum qui ſuſceperat; venumdedit; Furtum commiſit. *l.* 16. *Cod. h. tit.* DIOCLET. ET MAXIM.

Idem die de fructuario. Nam Proprietarius quoque agere adversùs fructuarium poteſt judicio Furti; ſi quid celandæ proprietatis vel ſupprimendæ causâ fecit. *l.* 46. (*Aliàs* 47.) § 6. ULP. LIB. 42. AD SABIN.

Idem dic de tutore. Undè Ulpianus : Tutor adminiſtrationem quidem rerum pupillarium habet, intercipiendi autem poteſtas ei non datur. Et ideò ſi quid furandi animo amoverit, Furtum facit; nec uſucapi res poteſt. Sed & Furti actione tenetur, quamvis & Tutelæ agi cum eo poſſit.

Quod in tutore ſcriptum eſt, idem erit & in curatore adoleſcentis, cæteriſque curatoribus. *l.* 33. ULPIAN. LIB. 41. AD SABIN.

SECTIO III.

De actionibus Furti.

ARTICULUS I.

Quotuplex actio ex Furto naſcatur.

XLIV.

Olim ex Furto naſcebantur actiones FURTI CONCEPTI, OBLATI, PROHIBITI, NON EXHIBITI; *de quibus Juſtinianus Inſtit. lib. IV. tit.* 1. § 4.

CONCEPTI actione is tenetur, apud quem Furtum quæſitum (*b*) & inventum eſt.

OBLATI actione is tenetur, qui rem Furtivam alii obtulit ne apud ſe inveniretur. PAUL. SENT. LIB. 2. *tit.* 32. § 2. ¶ *concepti.*

Concepti is agere poteſt (*c*) qui rem concepit & invenit. *d. tit.* § 4.

Oblati is agere poteſt (*d*), penès quem res concepta inventa eſt. *d. tit.* § 5.

Et his actionibus tenentur, etiam qui fures non ſunt. An verò ſaltem neceſſe ſit ut ſciverint rem eſſe Furtivam, lis eſt inter Interpretes. Negat Cujacius, affirmant Joannes à Coſta & Schultingius. Probabiliter videtur id ſaltem requiri; ut, quum res ab eo qui eam quærere vellet, deſignata eſſet, dolo inficiatus fuerit, is qui tenebat, eam apud ſe eſſe.

Furti oblati actio adversùs eum qui obtulit, tripli eſt pœna, & ipſius rei repetitio. *ſup. d. tit.* SENT. PAUL. § 14.

Eadem tripli pœna eſt in Furto concepto : Gellius XI. 18.

Quænam fuerint actiones FURTI PROHIBITI, *&* NON EXHIBITI, *vide Juſtinianum ſup. d. loc. ubi has omnes in deſuetudinem abiiſſe docet. Quàpropter de his non plura.*

XLV.

Quod ad eas attinet quæ Jure Juſtinianeo obtinent; ſciendum eſt; plures Furti nomine actiones ſimul competere poſſe, quia diverſa perſequuntur : ut ſuprà lib. 44. *tit.* de Oblig. & act. *Part.* 2ª.

Is itaque cui Furtum factum eſt, habet actionem Furti & Condictionem, & Vindicationem. Habet & Ad exhibendum actionem. *l.* 7. § 1. ¶ *fin. de ff. Condict. furt.* ULP. LIB. 42. AD SABIN.

De Condictione Furtivâ *jam ſuprà actum eſt lib.* 13.

De actione autem Ad exhibendum, *lib.* 10.

XLVI.

Supereſt igitur ut in hâc Sectione agamus de actione FURTI *pœnali; quæ datur adversùs eum qui Furtum fecit, aut ope conſilii affuit.*

Eſt autem hæc actio duplex, pro duplici Furti ſpecie; ſcilicet aut FURTI MANIFESTI, *in quadruplum; aut* FURTI NON MANIFESTI, *in duplum.*

Interdum autem idem Furtum utramque actionem parit; ut quum quis furi manifeſto opem tulit. Nam Is qui opem Furtum facienti fert, nunquam manifeſtus eſt. Itaque accidit, ut is quidem qui opem tulit, Furti NEC MANIFESTI; is autem qui deprehenſus eſt, ob eamdem rem MANIFESTI teneatur. *l.* 34. PAUL. LIB. 9. AD. SABIN.

Sed & ex duobus qui principaliter admiſerunt, alter poteſt Furti manifeſti, alter non manifeſti teneri. Putà Si quis perferendum acceperit, & ſcierit Furtivum eſſe; conſtat, ſi deprehendatur, ipſum duntaxat furem manifeſtum eſſe : ſi neſcierit, neutrum; hunc (*e*), quia fur non ſit; Furem, quia deprehenſus non ſit. *l.* 35. POMPON. LIB. 19. AD SABIN.

Quinetiam eadem perſona utrâque actione, & FURTI MANIFESTI & NON MANIFESTI, *teneri poteſt; ſcilicet ratione diverſorum ſervorum ſuorum qui Furtum admiſerunt. Putà* Si unus ſervus tuus hauſiſſet & abſtuliſſet, alter hauriendo deprehenſus eſſet; prioris nomine, NEC MANIFESTI; alterius, MANIFESTI; alterius, MANIFESTI teneberis. *d. l.* 35. § 1.

ARTICULUS II.

Quibus competant necne actiones FURTI.

§ I.

Cuilibet cujus intereſt, actionem Furti *competere.*

XLVII.

Cujus interfuit non ſubripi, is actionem Furti habet. *l.* 10. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

(*a*) Hoc accipe de *Condictione Furtivâ*. Nam certum eſt, pœnalem actionem *Furti* non conſumi per actionem *Commodati*.

(*b*) De vetere Furti inquirendi ritu *per lancem & licium* vide Commentarium noſtrum ad XII. Tab. *Cap.* 4. *Tab. II.* Eo poſtea abrogato, ex Prætoris auctoritate per præcones & ſervos publicos res Furtivæ quærebantur. Et ita obtinebat Plauti temporibus; ut patet ex *Mercator.* Act. III. Scen. 4. in fine :

Certum eſt præconum jubere jam, quantum eſt, conducier
Qui illam inveſtigent, qui inveniant; poſt ad Prætorem illicò
Ibo, orabo ut conquiſitores det mihi in vicis omnibus.

Suffragatur locus Petronii in Satyr. *Intrat ſtabulam præco cum ſervo publico aliâque ſanè modicâ frequentiâ. Facemque fumoſam magis quàm lucidam quaſſans : hæc proclamavit :* PUER IN BALNEO PAULÒ ANTÈ ABERRAVIT, [ſervus nempè furtim ab alio ſubtractus.] SI QUIS EUM REDDERE AUT COMMONSTRARE VOLUERIT, ACCIPIAT NUMMOS MILLE. *Nec longe à præcone* [dominus pueri, nomine] *Aſcyltos ſtabat, amictus diſcoloreâ veſte, atque in lance argenteâ indicium & fidem præferebat* [id eſt, promiſſum indicii præmium]. Quem locum probat Heinneccius *Antiq. Roman.* lib. IV. Tit. 1. n. 21. ad res Furtivas pertinere.

(*c*) Adversùs eum apud quem res inventa eſt.

(*d*) Adversùs eum qui ipſi obtulit dolo ut apud ipſum conciperetur.

(*e*) Qui perferendum accepit, & furtivum id eſſe neſciebat.

Source : BIU Cujas

Hinc quæritur; Si epiſtola quam ego tibi miſi, intercepta ſit; quis Furti actionem habet? Et primùm quærendum eſt, cujus ſit epiſtola; utrùm ejus qui miſit, an ejus ad quem miſſa eſt? Et ſi quidem dedi ſervo ejus, ſtatim ipſi quæſita eſt cui miſi; ſi verò procuratori, æquè (quia per liberam perſonam poſſeſſio quæri poteſt) ipſius facta eſt; maximè ſi ejus interfuit eam habere. Quòd ſi ita miſi epiſtolam ut mihi remittatur, dominium meum manet; quia ejus nolui amittere vel transferre dominium. Quis ergo Furti aget? Is cujus interfuit eam non ſubripi; id eſt, ad cujus utilitatem pertinebant ea quæ ſcripta ſunt. Et ideò quæri poteſt; an etiam is cui data eſt perferenda, Furti agere poſſit? Et, ſi cuſtodia ejus ad eum pertineat, poteſt (*a*): ſed & ſi interfuit ejus epiſtolam reddi, Furti habebit actionem. Finge eam epiſtolam fuiſſe quæ continebat ut ei quid redderetur, fieret-ve; poteſt habere Furti actionem: vel ſi cuſtodiam ejus rei recepit, vel mercedem perferendæ accepit. Et erit in hunc caſum ſimilis cauſa ejus, & cauponis, aut magiſtri navis: nam his damus Furti actionem, ſi ſint ſolvendo; quoniam periculum rerum ad eos pertinet. *l.* 14. § 17. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

XLVIII.

Obſervandum; domini videri intereſſe rem ſuam non ſubripi, quamvis eam alteri deberet. Hinc Papinianus. Si vendidero, neque tradidero ſervum, & is ſine culpâ meâ ſubripiatur; magis eſt ut mihi Furti competat actio. Et meâ videtur intereſſe; quia dominium apud me fuit, vel quoniam ad præſtandas actiones teneor. *l.* 80. (*Aliàs* 82.) PAPIN. LIB. 12. QUÆST.

Maximè autem in ſpecie ſequenti, domini intereſſe videtur; adeòque ei actio Furti datur. Hanc ita refert idem Papinianus. Si AD exhibendum egiſſem, optaturus ſervum mihi legatum: & unus ex familiâ ſervus [fuerit] ſubreptus; heres Furti habebit actionem. Ejus intereſt: nihil (*b*) enim refert, cur præſtari cuſtodia debeat. *d. l.* 80. § 2.

Ex dictis ſequitur; etiam domino non competere hanc actionem, ſi nihil ejus interſit ut patet ex l. 14. § 1. *infrà.* N. 54.

XLIX.

Si autem alii quàm domino res ſurripiatur, poteſt variis ex cauſis videri ejus interfuiſſe cui ſubrepta eſt, eam non ſurripi; adeòque actio Furti ei competere.

V. G. ſi pignus ſurripiatur creditori; intereſt ejus, quòd ſecuritatem crediti ſui amittat: & hâc ratione ei Furti actio competit. Hinc Diocletianus & Maximianus. Si tibi notarium (*c*) pignoris titulo debitor tuus obligavit; eum à quo mancipium abreptum proponis, apud Rectorem provinciæ conveni (*d*). *l.* 26. *Cod. de Pign. & hypoth.*

Quâ de re ita diſſerit Ulpianus. Sed & ſi res pignori data ſit, creditori quoque damni Furti actionem; quamvis in bonis ejus res non ſit. Quinimò non ſolùm adversùs extraneum dabimus, verùm & contra ipſum quoque dominum, Furti actionem. Et ita Julianus ſcripſit. Necnon & ipſi domino dari placet: & ſic fit, ut non (*e*) teneatur Furti, & agat. Ideò autem datur utrique, quia utriuſque intereſt. Sed utrùm ſemper creditoris intereſt, an ita demùm ſi debitor ſolvendo non eſt? Et Putat Pomponius, ſemper ejus intereſſe pignus habere: quod & Papinianus libro duodecimo Quæſtionum probat. Et verius eſt, ubique videri creditoris intereſſe: & ita & Julianus ſæpiſſimè ſcripſit. *l.* 12. § 2. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

Ratio eſt quòd PLUS cautionis in re eſt quàm in perſonâ. *l.* 25. *ff. de Reg. Jur.* POMPON. LIB. 11. AD SABIN.

Non ideò minùs etiam creditoris videtur intereſſe, quòd alia pignora habeat; nec ex hâc causâ minuitur jus actionis quod habet pro eo quod ſurreptum eſt.

Enimverò Papinianus tractat; Si duos ſervos ob decem aureos pignori acceperim, & alter ſubripiatur; cùm alter quoque qui ſit retentus, non minoris decem valeret; utrùm uſque ad quinque tantùm habeam Furti actionem, quia in alio habeo ſalvos quinque; an verò, quia mori poteſt, dici debeat in decem fore actionem, etiamſi magni pretii ſit is qui retinetur? Et ita putat. Non enim reſpicere debemus pignus quod ſurreptum non eſt, ſed id quod ſubtractum eſt. *l.* 14. § 5. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

Rursùs Papinianus & Pomponius Idem dicunt, & ſi duo ſervi ſubrepti ſint ſimul; competere utriuſque nomine Furti actionem creditori: ſed non in totum, ſed pro quâ parte, in ſingulos diviſo eo quod ei debetur; ejus intereſt.

Separatim autem duobus ſubreptis, ſi unius nomine ſolidum conſecutus ſit, alterius nihil conſequetur. *d. l.* 14. § 7.

Similiter Papinianus Idem ſcribit: Si, quum mihi decem deberentur, ſervus pignori datus ſubtractus ſit; ſi actione Furti conſecutus fuero decem, nom competere mihi Furti actionem, ſi iterùm ſurripiatur: quia deſiit meâ intereſſe, cùm ſemel ſim conſecutus.

Hoc ita, ſi ſine culpâ meâ ſubripiatur. Nam ſi culpâ meâ, quia intereſt eo quòd teneor Pignoratitiâ actione, agere potero. Quòd ſi culpa abeſt; ſine dubio domino competere actio videtur, quæ creditori non competit. Quam ſententiam Pomponius quoque libro decimo ad Sabinum probat. *d. l.* 14. § 6.

De caſu igitur quo res culpâ creditoris ipſi ſurrepta eſt, accipe quod ait Paulus: Creditoris cujus pignus ſubreptum eſt, non credito tenùs intereſt; ſed omnimodo in ſolidum, Furti agere poteſt. Sed & Pignoratitiâ actione id quod debitum excedit, debitori præſtabit. *l.* 15. PAUL. LIB. 5. AD SABIN.

Idem alibi ait. Creditori actio Furti in ſummam pignoris, non debiti competit.

Sed ubi debitor ipſe ſubtraxiſſet pignus, contrà probatur; ut in ſummam pecuniæ debitæ, & uſurarum ejus, Furti (*f*) conveniretur. *l.* 87. (*Aliàs* 89. (PAUL. LIB. 1. DECRETOR.

L.

Hactenùs de creditore.

Pariter ſi fructuario vel uſuario res ſurripiatur, patet ejus intereſſe; cùm ex Furto amittat, ille rei fruitionem quæ ad ipſum pertinebat, hic utendi commodum.

Igitur Si ſervus fructuarius ſubreptus eſt; uterque, & qui fruebatur, & dominus, Furti actionem habet. *l.* 46. (*Aliàs* 47.) § 1. ULP. LIB. 42. AD SABIN.

Pariter Hæc actio, etſi ſit qui in eo ſervo habeat uſum tantùm, poterit ei competere. *d. l.* 46. § 3.

LI.

Præterea habent Furti actionem coloni, quamvis domini non ſint; quia intereſt eorum. *l.* 14. § 2. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

Hinc Paulus. Item conſtat colonum qui nummis colat, cùm eo qui fructus ſtantes ſubripuerit, acturum Furti: quia, ut primùm decerptus eſſet, ejus eſſe cœpiſſet. (*g*). *l.* 26. § 1. PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

(*a*) Ejus enim intèreſt; eo nomine quòd ob rem ipſi eam attentè non cuſtodienti ſubreptam, teneatur *Mandati.*

(*b*) Supple: nec ſolùm jure dominii intereſt heredis; ſed etiam ob hanc cauſam quòd legatario *Optionis*, cuſtodiam ſervorum optandorum præſtare teneatur. Adeòque vel ex hâc ſolâ causâ, *Furti* actionem habere debet; quemadmodum habet ſullo, commodatarius, &c. *Nihil enim refert, &c.*

(*c*) Servum qui notis ſcribit.

(*d*) Scilicet actione *Furti.*

(*e*) Creditor, quum extraneus rem pignoratam ipſi ſurripuit, tenetur ob illud Furtum *Contrariâ* actione *Pignoratitiâ*; eo quod rem, ut debebat non cuſtodierit, Quum ipſe dominus ſurripuit, certè non tenetur; & nihilominùs *Furti* agere poteſt: aliâ enim de causâ ejus intereſt rem ipſi non eſſe ſubreptam, ſcilicet ob ſecuritatem debiti. Hic ſenſus germanus eſt, ſervatâ negatione: quam detrahi neceſſe non puto, quamvis Cujacius Obſerv. XI 11. eam detrahendam cenſeat, abſitque illa à Baſilicis.

(*f*) Hoc enim caſu non tenetur ob illud Furtum *Contrariâ Pignoratitiâ* actione; cùm debitor illud admiſiſſe proponatur. Ergo ex eâ ſolâ causâ ejus intereſſe videri poteſt, quòd amiſerit ſecuritatem debiti. Igitur non ultra debitum, ejus intereſt.

(*g*) Coloni intereſt: quia ſi non fuiſſet ſurreptus; ut primùm à colono deceptus eſſet, ejus eſſe cœpiſſet.

Source : BIU Cujas

Ergo dicendum quòd Frugibus ex fundo ſubreptis, tam colonus quàm dominus (*a*) Furti agere poſſit; quia utriuſque intereſt rem perſequi. *l.* 82. (*Aliàs* 84.) § 1. PAUL. LIB. 2. SENTENT.

Quòd Si ſulphurariæ (*Florent.* ſulpuariæ) ſunt in agro, & indè aliquis terram egeſſiſſet, abſtuliſſetque; dominus Furti aget: deinde colonus Conducti actione conſequitur, ut idipſum ſibi præſtaretur. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 8. ULP. LIB. 37. AD ED.

L I I.

Poteſt etiam videri alicujus intereſſe, rem ipſi non fuiſſe ſubreptam; vel eo ſolo quòd obligetur culpæ nomine, quòd rem quæ ipſi ſubrepta eſt, non cuſtodierit.

V. G. Quòd ſi conduxerit quis; habebit Furti actionem, ſi modò culpâ ejus ſubrepta ſit res. *l.* 14. § 12. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

Itaque fullo qui curanda, polienda veſtimenta accepit, ſemper agit: præſtare enim cuſtodiam debet. *l.* 12. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

Hinc etiam quum Rem inſpiciendam quis dedit; ſi periculum ſpectet eum qui accepit, ipſe Furti agere poteſt. *l.* 78. (*Aliàs* 80.) PAPIN. LIB. 8. QUÆST.

Simili ratione; commodatario, ſi ipſi ſurrepta ſit res commodata, actio Furti dabitur. Non ſolùm autem in re commodatâ competit, ei cui commodata eſt, Furti actio; ſed etiam in eâ quæ ex eâ adgnata eſt: quia & hujus cuſtodia ad eum pertinet. Nam & ſi ſervum tibi commodavero; & veſtis ejus nomine, Furti ages: quamvis veſtem quam veſtitus eſt, tibi non commodaverim. Item ſi jumenta tibi commodavero, quorum ſequela erat equuleus (*Florent.* eculeus); puto competere tibi Furti actionem, etiam ejus nomine: quamvis ipſe non ſit commodatus. *l.* 14. § 15. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

Et cùm commodatario detur actio Furti; hinc Si ſervus commodatoris, rem ſubripuerit; & ſolvendo (*b*) ſit is cui ſubreptum eſt: Sabinus ait poſſe & Commodati agi cum eo, & contra dominum Furti, ſervi nomine. Sed ſi pecuniam quam dominus exegit (*c*), reddat (*d*); evaneſcere Furti actionem (*e*). Idem, & ſi remittat Commodati actionem. *l.* 53. (*Aliàs* 55.) § 1. PAUL. LIB. 39. AD ED.

Imò adeo datur commodatario actio Furti, *quum res commodata ſurrepta eſt; ut hâc in re potior ſit ejus cauſa quàm domini.*

Indè eſt Quòd ſi ſervus tuus rem tibi commodatam ſubripuerit; Furti tecum actio non (*f*) eſt, quia tuo (*g*) periculo res ſit; ſed tantùm Commodati (*h*). *d. l.* 53. § 2.

Juſtinianus aliquid novi conſtituit, circa rei commodatæ Furtum commodatario factum; ſcilicet ut electio eſſet domini hoc caſu, an ipſe FURTI *ageret, an* COMMODATI. *Quod ſi* Commodati *egiſſet, ſciens rem Furto eſſe ſurreptam; ad actionem* Furti *regredi eum non poſſe; eamque actionem commodatario manere. Sin adversùs furem agere inſtituiſſet; liberari commodatarium actione* COMMODATI, *ſed actionem* FURTI *non habere. l. fin. Cod.* h. tit.

L I I I.

Circa eos quibus hanc ob cauſam actio Furti *datur, quod res eis ſurrepta ad ipſorum periculum pertineret; obſervandum eſt, ita demùm eam illis dari ſi ſint ſolvendo.*

Hinc de fullone Ulpianus: Si autem ſolvendo non eſt, ad dominum actio redit. Nam QUI NON HABET quod perdat, ejus periculo nihil eſt. *l.* 12. ¶ *ſi autem.* ULP. LIB. 29. AD SABIN.

Hinc etiam, Si ſervus tuus vel filius polienda veſtimenta ſuſceperit; an Furti actionem habeas; quæritur? Et, ſi quidem peculium ſervi ſolvendo ſit, potes habere Furti actionem; ſi non fuerit ſolvendo, dicendum eſt non competere Furti actionem. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 9. ULP. LIB. 37. AD ED.

Obſervandum quod SOLVENDO eſſe (*i*) nemo intelligitur, niſi qui ſolidum poteſt ſolvere. *l.* 114. *ff. de Verb. ſignif.* JAVOLEN. LIB. 15. EX CASSIO.

L I V.

Varias retulimus cauſas ex quibus videri poteſt intereſſe alicujus, rem ei non eſſe ſurreptam.

Generaliter autem tenendum eſt, alicujus ita intereſſe videri; ſi damnum ex Furto patiatur, non ſi duntaxat caret lucro. Hinc Javolenus. Ejus rei quæ Pro herede poſſidetur, Furti actio ad poſſeſſorem non pertinet; quamvis (*k*) uſucapere quis poſſit: quia Furti agere poteſt is cujus intereſt non ſubripi, intereſſe autem ejus videtur qui damnum paſſurus eſt, non ejus qui lucrum facturus (*l*) eſſet. *l.* 71. (*Aliàs* 73.) § 1. JAVOL. LIB. 15. EX CASSIO.

A poſſeſſore Pro herede *valdè differt bonæ fidei emptor. Hic etenim ex rei Furto damnum patitur; ſcilicet pretii quod actione* DE EVICTIONE *recepiſſet, ſi non Furto, ſed jure judicioque res ei eſſet ablata.*

Igitur: Sed & ſi rem Furtivam imprudens quis emerit, & ei ſubrepta ſit; habebit FURTI actionem. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 10. LIB. 37. AD ED.

L V.

Obſervandum ſupereſt, tempore rei judicatæ æſtimari an actoris interſit.

Hoc docet Javolenus. Ita ille: Fullo actione locati, de (*Pro* à domino) domino liberatus eſt. Negat eum Furti rectè acturum Labeo. Item ſi Furti egiſſet, priuſquàm Ex locato cum eo ageretur; & antequàm de Furto judicaretur, Locati actione liberatus eſſet; & fur ab eo abſolvi debet. Quòd ſi nihil eorum ante accidiſſet, furem ei condemnari oportere. Hæc idcircò; quoniam Furti eatenùs habet actionem, quatenùs ejus intereſt. *l.* 90. (*Aliàs* 92.) JAVOLEN. LIB. 9. EX POSTERIORIBUS LABEONIS.

L V I.

Vidimus, his quorum intereſt, dari actionem Furti. Quum autem plurium intereſt; unicuique, quatenùs ejus intereſt, datur.

Hinc Si ſervus fructuarius ſubreptus eſt; uterque, & qui fruebatur, & dominus, actionem Furti habet. Dividetur igitur actio inter dominum & fructuarium: fructuarius aget de fructibus; vel quanti interfuit ejus Furtum factum non eſſe, ejus DUPLI; proprietarius verò aget, quod interfuit ejus proprietatem non eſſe ſubtractam. *l.* 46. (*Aliàs* 47.) § 1. ULP. LIB. 42. AD SABIN.

Obiter nota. Quod dicimus DUPLI, ſic accipere debemus; etiam Quadrupli competere actionem, ſi manifeſtum ſit. *d. l.* 46. § 2.

Et ſi quis propoſuerit hunc ſervum, etiam pigneratum eſſe; eveniet ut etiam is qui pignori accepit, habeat Furti actionem. Hoc ampliùs: etiam debitor, ſi

(*a*) Dominus fundi habet dominium fructuum quos Fur furripuit: non fiunt enim coloni, niſi eos nomine perceperit. Intereſt igitur domini, ratione dominii quod habet: intereſt & coloni, ratione dominii quod habiturus fuiſſet. Vide Notam præced. Hinc & deciſio legis 52 § 8. mox infrà.

(*b*) Nam, ut infrà videb. commodatarius ita demùm *Furti* actionem habet, ſi ſolvendo ſit.

(*c*) *Exegit* à commodatario, actione COMMODATI, ſcilicet æſtimationem rei ſurreptæ.

(*d*) Dominus ſcilicet.

(*e*) Nam deſinit intereſſe commodatarii.

(*f*) Id eſt; dominus Noxaliter tecum *Furti* agere non poteſt, quia ex hoc Furto magis tibi actio competere deberet, quàm domino: & propterea duntaxat tibi non competit, quia inter te & ſervum tuum nulla actio eſſe poteſt.

(*g*) Secùs igitur, ſi res non eſſet commodatarii periculo; vel ex ſpeciali pacto; vel quòd ſolvendo non eſſet.

(*h*) Quòd ſi ipſe Furtum feciſſes, abſque dubio utràque actione tenereris: ut vid. ſuprà N. 43.

(*i*) Hanc legem ad tractationem de Furtis pertinere, probat ejus inſcriptio LIB. 15. EX CASSIO; in quo libro Javolenum egiſſe de Furtis, rectè animadverterunt Accurſius & Cujacius ex legibus 71 & 75. ff. *h. tit.* quæ habent eamdem inſcriptionem.

(*k*) Id eſt, quamvis ejus intereſſe videatur; utpotè qui rem fortè uſucepiſſet, ſi non fuiſſet ipſi Furto ablata.

(*l*) Cæterùm qui damnum rei ſuæ paſſus eſt, adeòque habet *Furti* actionem, computabit etiam lucrum quod ex re ſuâ [ſi ipſi ſubrepta non eſſet] profectum eſſet putà ſi; ſervus mihi ſurreptus, fuerat hæres inſtitutus.

modò

modò plus valeat quàm pro pignore debetur, habet Furti actionem. *d. l.* 46. § 4.

Usque adeò autem diversæ sunt actiones, quæ eis competunt; ut si quis eorum pro fure damnum decîderit, dici oporteat solummodò actionem sibi competentem amisisse eum, cæteris verò superesse. Nam & si proponas communem servum subreptum, & alium ex dominis pro fure damnum decidisse; is qui non decidit, habebit Furti actionem. *d. l.* 46. § 5.

§ II.

Quibus non detur actio Furti.

LVII.

Non datur actio Furti ei cujus nihil interest rem fuisse surreptam.

Hinc V. G. Is qui precariò servum (*Florent.* servo) rogaverat, subrepto eo potest quæri an habeat Furti actionem? Et cùm non est civilis actio (*a*), quia simile donato precarium est; ideòque & Interdictum necessarium visum (*b*) est: non habebit Furri actionem.

Planè post Interdictum redditum, puto eum etiam culpam præstare; & ideò Furti agere posse. *l.* 14. § 11. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

Simili ratione: Is autem apud quem res deposita est, videamus an habeat Furti actionem? Et cùm dolum duntaxat præstet, meritò placet non habere eum Furti actionem. Quid enim ejus interest, si dolo careat? Quòd si dolo fecit, jam quidem periculum ipsius est, sed non debet ex dolo suo, Furti quærere actionem. *d. l.* 14. § 3.

LVIII.

Ergo non datur actio Furti, ei cujus interest quidem, sed non ex honestâ causâ. Nam Tùm is cujus interest Furti habet actionem, si honestâ causâ interest. *l.* 11. PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

V. G. Sed Furti actio malæ fidei possessori non datur; quamvis interest ejus rem non subripi, quippè cùm res periculo ejus sit. Sed NEMO DE IMPROBITATE SUA CONSEQUITUR ACTIONEM. Et ideò soli bonæ fidei possessori, non etiam malæ fidei, Furti actio datur. *l.* 12. § 1. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

Igitur Si quis alteri Furtum fecerit; & id quod subripuit, alius ab eo subripuit; cum posteriore fure dominus ejus rei Furti agere potest, fur prior non potest: ideò quòd domini interfuit, non prioris furis, ut id quod subreptum est, salvum esset. Hæc Quintus-Mucius refert, & vera sunt. Nam licèt interfit furis (*c*), rem salvam esse quia Condictione tenetur; tamen cum (*d*) eo is cujus interest Furti habet actionem, si honestâ ex causâ interest. Nec utimur Servii sententiâ; qui putabat, si rei subreptæ dominus nemo extaret nec extaturus esset, furem habere Furti actionem. Non magis enim tunc ejus esse intelligitur, qui lucrum facturus (*e*) sit. Dominus igitur habebit cum utroque Furti actionem; ita ut si cum altero Furti actionem inchoat, adversùs alterum nihilominùs duret: sed & Condictionem (*f*); quia ex diversis factis tenentur. *l.* 76. (*Aliàs* 78.) § 1. POMPON. LIB. 38. AD Q. MUCIUM.

Julianus quoque libro vicesimo-secundo Digestorum scribit: Quia in omnium furum personâ constitutum est, ne ejus rei nomine Furti agere possint, cujus ipsi fures sunt; non habebit Furti actionem is apud quem res deposita (*g*) est: quamvis periculo ejus esse res cœperit, qui eam contrectavit. *l.* 14. § 4. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

Item Pomponius libro decimo ex Sabino scripsit; Si is cui commodavi, dolo fecerit (*h*) circa rem commodatam, agere eum Furti non posse. *d. l.* 14. § 8.

Idem Pomponius probat, & in eo qui rem mandato alicujus accepit perferendam. *d. l.* 14. § 9.

LIX.

Quòd si quis non sit ipsius rei fur, sed tantùm furtum admiserit circa usum rei quæ ipsi putà commodata aut conducta erat; habebit actionem Furti. Cùm enim ex honestâ causâ rem teneret: ejus honestè interest non fuisse subreptam.

Hoc docet Ulpianus. Si ego tibi poliendum vestimentum locavero, tu verò inscio aut invito me commodaveris Titio, & Titio Furtum factum sit: & tibi competit Furti actio, quia custodia rei ad te pertinet; & mihi adversùs te, quia non debueras rem commodare, & id faciendo Furtum admiseris. Ita erit casus, quo fur Furti agere possit. *l.* 48. (*Aliàs* 49.) § 4. ULP. LIB. 42. AD SABIN.

Fur quidem actionem Furti non habet, si furtiva res ei surripiatur. Secùs est si sua res ei surripiatur: quamvis à Furtivo servo. Enimverò Quòd furi ipsi Furtum fecerit Furtivus servus, eo nomine actionem cum domino furem habiturum placet; ne facinora talium servorum, non solùm ipsis impunitatem præstent, sed dominis quoque eorum quæstui erunt. Plerùmque enim ejus generis servorum Furtis, peculia eorumdem augentur. *l.* 67. (*Aliàs* 69.) § 4. CELSUS LIB. 12. DIGEST.

LX.

Vidimus actionem Furti non dari, ei cujus aut nihil aut turpiter interest.

Sed nec cuivis cujus honestè interesset, datur. Nam ita demùm Is cujus interest non subripi, Furti actionem habet, si & rem tenuit domini voluntate, id est veluti is cui res locata est. *l.* 85. (*Aliàs* 87.) PAUL. LIB. 2. MANUALIUM.

Is autem qui suâ voluntate, vel etiam pro tutore negotia gerit, item tutor, vel curator; ob rem suâ culpâ subreptam, non habet Furti actionem. *d. l.* 85. § 1.

Et alibi. Qui alienis negotiis gerendis se obtulit, actionem Furti non habet, licèt culpâ ejus res perierit, sed actione Negotiorum gestorum ita damnandus est, si dominus actione ei cedat.

Eadem sunt in eo qui pro tutore negotia gerit: vel in eo tutore, qui diligentiam præstare debeat; veluti qui ex pluribus tutoribus testamento datis, oblatâ satisdatione solus administrationem suscepit. *l.* 53. (*Aliàs* 55.) § 3. PAUL. LIB. 39. AD ED.

LXI.

Maximè autem ei non datur actio Furti, qui nec dominium nec possessionem ullam ac rei detentionem habebat; quamvis ipsius interesset.

Hinc Papinianus. Qui rem Titii agebat, ejus nomine falso procuratori creditoris solvit, & Titius ratum habuit. Non nascitur ei (*i*) Furti actio; quæ, statim quum pecunia soluta est, ei qui dedit nata est; cùm Titii nummorum dominium non fuerit, neque possessio (*k*).

Sed Condictionem INDEBITI quidem Titius habebit; FURTIVAM autem, qui pecuniam dedit: quæ, si Negotiorum gestorum actione (*l*) Titius conveniri cœperit, arbitrio judicis ei præstabitur. *l.* 80. (*Aliàs* 82.) § 7. PAPIN. LIB. 12. QUÆST.

(*a*) Ad restitutionem rei precariò concessæ. Vide suprà lib. 43. Tit. *de Precar.*

(*b*) Ex eo quòd nullus contractus in precario interveniat, & solâ æquitate Prætoriâ teneatur ad restitutionem is qui precario accepit; collegerunt satis esse si in eâ re dolum præstet. Unde sequitur rem non esse ejus periculo, adeòque actionem *Furti* ei non competere.

(*c*) Prioris.

(*d*) Cum posteriore Fure.

(*e*) Si nullus dominus extaret, nova ratio Furem excluderet; scilicet quia, cùm hoc casu nullus esset cui tenetur; certaret de lucro. Hæc actio autem, ut suprà vidimus, datur eis qui certant de damno.

(*f*) Adversùs utrumque habebit. Sed cùm hæc sit rei persecutoria; si ab uno consecutus fuerit, adversùs alterum Furem cessabit.

(*g*) Qui-que eam furandi animo celavit.

(*h*) Celando eam furandi animo.

(*i*) Titio.

(*k*) Quamvis ejus interfit; cùm ex suâ ratihabitione ei qui dedit, actione NEGOTIORUM GESTORUM *Contrariâ* teneatur.

(*l*) *Contrariâ.*

Source : BIU Cujas

Propè ſimile eſt quod Apud Labeonem relatum eſt : Si ſiliginario quis (*a*) dixerit, ut quiſquis nomine ejus ſiliginem petiſſet, ei daret; & quidam ex tranſeuntibus, quum audiſſet, petiit ejus nomine, & accepit (*b*) Furti actionem adversùs eum qui ſuppetet (*Haloand.* ſic petiit), ſiliginario competere; non mihi (*c*). Non (*d*) enim mihi negotium, ſed ſibi ſiliginarius geſſit. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 11. ULP. 37. AD ED.

Suffragatur etiam Gaius. Interdum accidit ut non habeat Furti actionem, is cujus intereſt rem ſalvam eſſe. Ut ecce creditor ob rem debitoris ſubreptam, Furti agere non poteſt; etſi aliundè creditum ſervare non poſſit. Loquimur autem, ſcilicet de eâ re quæ pignoris jure obligata non ſit. Item rei dotalis nomine, quæ periculo mulieris eſt, non mulier Furti actionem habet, ſed maritus. *l.* 49. (*Aliàs* 50.) GAIUS LIB. 11. AD ED. PROVINC.

LXII.

Indè eſt etiam quòd Si ex duobus ſociis omnium bonorum, unus rem pignori acceperit, eaque ſubrepta ſit; Mela ſcripſit, eum ſolùm Furti habere actionem, qui pignori accepit; ſocium, non habere (*e*). *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 18. ULP. LIB. 37. AD ED.

Simili ratione nititur quod definitur in ſpecie ſequenti. Nimirùm An pater cujus filio commodata res eſt, Furti actionem habeat quæritur? Et Julianus ait; Patrem hoc nomine agere non poſſe, quia (*f*) cuſtodiam præſtare non debeat. Sicut (inquit) is qui pro eo cui commodata res eſt, fidejuſſit; non habet Furti actionem. Neque enim (inquit) is cujuſcumque intererit rem non perire, habet Furti actionem; ſed qui ob eam rem tenetur, quòd ea res culpâ ejus perierit. Quam ſententiam Celſus quoque libro duodecimo Digeſtorum probat. *l.* 14. § 10. IDEM LIB. 29. AD SABIN.

LXIII.

Hinc etiam eſt quòd Is cui ex ſtipulato vel ex teſtamento ſervus debetur, quamvis interſit ejus, non habet Furti actionem. Sed nec is qui fidejuſſit pro colono. *l.* 85. (*Aliàs* 87.) ¶ *fin.* PAUL. LIB. 2. MANUALIUM.

Idem Paulus alibi ait. Si ſtipulatus de te ſim, PER TE non fieri quominùs homo Eros intrà Kalendas illas mihi detur: quamvis meâ intereſſet eum non ſubripi, cùm ſubrepto eo Ex ſtipulatu non teneris; ſi tamen per te factum non ſit quominùs mihi daretur, non tamen Furti actionem me habere. *l.* 66. (*Aliàs* 68.) § 5. IDEM LIB. 7. AD PLAUT.

Multò majori ratione; Is cui ex ſtipulatu res debeatur, Furti actionem non habet; ſi ea ſubrepta ſit, quum per debitorem ſtetiſſet quominùs eam daret. *l.* 13. PAUL. LIB. 5. AD SABIN.

LXIV.

Quod de ſtipulatore & legatario diximus, dic & de eo cui res ex quâcumque aliâ causâ debita foret. Hinc Eum qui emit, ſi non tradita eſt ei res; Furti actionem non habere; ſed adhuc venditoris eſſe hanc actionem, Celſus ſcripſit. Mandare eum planè oportebit emptori, Furti actionem, & Condictionem, & Vindicationem: & ſi quid ex his actionibus fuerit conſecutus, id præſtare eum emptori oportebit. Quæ ſententia vera eſt: & ita & Julianus. Et ſanè periculum rei ad emptorem pertinet; dummodò cuſtodiam venditor ante traditionem præſtet. *l.* 14. ULPIAN. LIB. 29. AD SABIN.

Adeò autem ante traditionem, furti non habet actionem, ut ſit quæſitum, an ipſe ſubripiendo rem emptor Furti teneatur? Et Julianus libro viceſimo-tertio Digeſtorum ſcribit: Si emptor rem cujus cuſtodiam venditorem præſtare oportebat, ſoluto pretio ſubripuerit; Furti actione non tenetur (*g*). Planè ſi, antequàm pecuniam ſolveret, rem ſubtraxerit; Furti actione teneri, perindè ac ſi pignus ſubtraxiſſet. *d. l.* 14. § 1.

LXV.

Emptori quidem & ſimilibus, Directa actio FURTI *non competit; at eis Utilis dari poteſt. Quo ſenſu Paulus ait:* Si res vendita ante traditionem ſubrepta ſit, emptor & venditor Furti agere poſſunt. Utriuſque enim intereſt (*h*) rem tradi vel tradere. PAUL. SENT. *lib.* 2. *Tit.* 32. § 34.

§ III.

An actio Furti ſucceſſoribus detur.

LXVI.

Actio Furti heredi cæteriſque univerſalibus ſucceſſoribus datur.

Hinc V. G. Arrogatorem poſſe Furti agere; ſcilicet ejus Furti nomine quod factum eſt ei quem adrogavit, antequàm eum adrogaret certum (*i*) eſt. Cæterùm ſi poſtea, nulla erit dubitatio. *l.* 41. (*Aliàs* 42.) § 1. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

ARTICULUS III.

Adversùs quos actiones Furti dentur, & adversùs quas perſonas denegentur.

§ I.

Adversùs quos dentur.

LXVII.

Non tantùm qui Furtum fecerit, ſed etiam is cujus ope aut conſilio Furtum factum fuerit, Furti actione tenetur. PAUL. SENT. *lib.* 2. *Tit.* 32. § 10.

Item dubitatum illa verba, OPE CONSILIO quemadmodum accipienda ſunt; ſententiæ (*k*) conjungentium aut ſeparantium? Sed verius eſt, quod & Labeo ait, ſeparatim accipienda (*l*) : quia aliud factum eſt ejus qui OPE, aliud ejus qui CONSILIO Furtum facit. Sic enim alii condici (*m*) poteſt, alii non poteſt. Et ſanè poſt Veterum auctoritatem eò perventum eſt; ut nemo Ope videatur feciſſe, niſi & conſilium malignum habuerit; nec conſilium habuiſſe noceat, niſi & factum ſecutum fuerit. *l.* 53. § 1. *ff. de Verb. ſignif.* PAUL. LIB. 59. AD ED.

LXVIII.

Jam videndum quis propriè CONSILIUM *dare, quis* OPEM *propriè ferre videatur.*

Conſilium autem dare videtur, qui perſuadet & impellit, atque inſtruit conſilio (*n*) ad Furtum faciendum. Opem fert qui miniſterium atque adjutorium ad ſubripiendas res præbet. *l.* 50. (*Aliàs* 51.) § 3. ULP. LIB. 37. AD ED.

(*a*) Qui ſiliginem à ſiliginario emerat. Siligo eſt ſelectum frumenti genus quod Plinius XVIII 8. appellat *Tritici delicias.*

(*b*) A ſiliginario; qui deceptus dedit ei ſiliginem perferendam emptori, quàm is ſibi retinuit & ſic Furtum ſiliginis fecit.

(*c*) Siligo enim manſit ſiliginarii. Ego ad quem perlata non eſt, nec dominium nec ullam poſſeſſionem hujus ſiliginis habebam.

(*d*) Supple : nec ſiliginarius hanc actionem *Furti* mihi cedere tenetur. Is quidem qui alienum negotium gerendo, actiones aliquas comparavit; tenetur eas cedere domino negotii. Verùm ſiliginarius tradendo huic ſiliginem ut ad me perferretur, non tam meum videtur negotium geſſiſſe, quàm ſuum: hoc enim fecit, animo exſolvendæ ſuæ obligationis.

(*e*) Quamvis tamen & ejus interſit, propter ſocietatem.

(*f*) Id eſt; pater, quamvis ejus interſit rem filio commodatam, non fuiſſe ſubreptam, utpotè qui eo nomine commodatori actione *De peculio* obligetur; tamen actionem *Furti* non habet, quia ipſe rem non tenebat, ipſe ejus cuſtodiam præſtare non debebat.

(*g*) Nihil enim intereſt venditoris; cùm, etſi non fuiſſet ſurrepta, tradere eam emptori neceſſe habuiſſet.

(*h*) Venditoris intereſt; cùm eo nomine obligetur emptori, ſaltem in id ut hanc actionem cedat. Non eſt novum autem ut, cui actio cedi debet, ſi ceſſa non fuerit, Utilis ei detur.

(*i*) Omnia enim jura quæ arrogatus habebat, ad arrogatorem tranſeunt.

(*k*) Græcè accipe, id eſt, *ex ſententiâ*; Genitivum ſcilicet pro ablativo.

(*l*) Igitur non ſolùm is qui aliquo facto, ſed & is qui conſilio Furtum adjuvat, hâc actione tenetur.

(*m*) Ei nimirùm qui per aliquod factum externum opem tulit Furi. Vide ſuprà lib. 13. Tit. *de Cond. Furt.* N. 7. Not. (*d*).

(*n*) Secùs de eo qui aliquem jam furari paratum hortaretur ſimpliciter ad furandum, laudaretque ejus propoſitum. De eo intelligendus §us. 12us. Inſtit. Tit. *de Oblig. quæ ex delict.*

Source : BIU Cujas

Exemplum in eo quod Eum qui mulionem dolo malo (*a*) in Jus vocaſſet; ſi intereà mulæ periſſent (*b*), Furti teneri veteres reſponderunt. *l.* 66. (*Aliàs* 68.) § 2. PAUL. LIB 7. AD. PLAUTIUM.

Aliud exemplum. Cum eo qui pannum rubrum oſtendit, fugavitque pecus, ut in fures incideret, ſi quidem dolo malo fecit, Furti actio eſt. *ſup. d. l.* 50. § 4.

Obiter Nota. Sed, etſi non Furti faciendi causâ hoc fecit, non debet impunitus eſſe luſus tam pernicioſus. Idcircò Labeo ſcribit, In factum dandam actionem. *d.* § 4.

Nam & ſi præcipitata ſint pecora; Utilis (*c*) actio Damni injuriæ, quaſi ex Lege Aquiliâ dabitur. *l.* 51. (*Aliàs* 52.) GAIUS LIB. 13. AD ED. PROVINC.

Aliud exemplum eſt, quum quis ſciens res furatas ſuſcipit. Hinc Diocletianus & Maximianus: Eos qui à ſervo furtim ablata ſcientes ſuſceperint, non tantum de ſuſceptis convenire, ſed etiam pœnali Furti actione potes. *l.* 14. *Cod. h. tit.*

Sciviſſe autem facilè præſumuntur, qui non poſſunt dicere à quo ſuſceperint. Undè Alexander: Civile eſt quod à te adverſarius tuus exigit, ut rei quam apud te fuiſſe fateris exhibeas venditorem. Nam à tranſeunte & ignoto te emiſſe, dicere non convenit; volenti evitare alienam bono viro ſuſpicionem. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

Opem etiam ferre videtur, qui furem celat: ſecùs ſi tantùm non indicat.

Hinc Ulpianus. Qui furem novit, ſive indicet eum, ſive non indicet, Fur non eſt; cùm multùm interſit, furem quis celet, an non indicet: qui novit, Furti non tenetur; qui celat, hoc ipſo tenetur. *l.* 48. (*Aliàs* 49.) ULP. LIB. 42. AD SABIN.

LXIX.

Jam obſervandum quòd ut quis eo nomine quòd opem conſilium-ve dederit, Furti teneatur; hæc duo concurrere oportet: 1°. *Ut dolo hoc fecerit*: 2°. *Ut Furtum reverà ſecutum ſit.*

1°. *Oportet ut dolo hoc fecerit. Nam* Rectè Pedius ait: Sicut nemo Furtum facit ſine dolo malo, ita nec conſilium vel opem ferre ſine dolo malo poſſe. *l.* 50. (*Aliàs* 51.) § 2. ULP. LIB. 37. AD ED.

Item verum eſt quod Labeo ait; Nec ope impuberis (*d*) Furto facto teneri eum. *l.* 23. ¶ *fin.* ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Enimverò. Nemo opem aut conſilium alii præſtare poteſt, qui ipſe Furti faciendi conſilium capere non poteſt. *l.* 90. (*Aliàs* 92.) § 1. JAVOLEN. LIB. 9. EX POSTERIORIB. LABEONIS.

LXX.

Dolo factum autem accipimus, non quidquid malignè fit, ſed duntaxat quod fit eo propoſito ut Furtum ſequatur. Hinc V. G. Qui injuriæ causâ januam effregit (*e*), quamvis indè per alios res amotæ ſunt, non tenetur Furti. Nam MALEFICIA voluntas & propoſitum delinquentis diſtinguit. *l.* 53. (*Aliàs* 55.) PAUL. LIB. 39. AD ED.

Cæterùm modò quis hoc propoſitum habuerit ut Furtum ſequeretur; nihil refert, an furi prodeſſe, an duntaxat ei cui Furtum fieret, nocere voluerit.

Undè Ope conſilio Furtum factum Celſus ait, non ſolùm ſi idcircò fuerit factum ut ſocii furarentur; ſed & ſi non ut ſocii furarentur, inimicitiarum tamen causâ fecerit. *ſup. d. l.* 50. (*Aliàs* 51.) § 51.

Quinetiam non neceſſe eſt ut principaliter voluerit Furtum ſequi. Sufficit ut hoc ſecundariò voluerit putà ſi principale ejus propoſitum fuerit, obſequi & obtemperare ei quem furari velle ſciebat.

Hinc Qui ferramenta ſciens commodaverit ad effringendum oſtium vel armarium, vel ſcalam ſciens commodaverit ad aſcendendum; licèt nullum ejus conſilium principaliter ad Furtum faciendum intervenerit, tamen Furti actione tenetur. *l.* 54. (*Aliàs* 56.) § 4. GAIUS LIB. 13. AD ED. PROVINC.

LXXI.

Ut qui opem conſilium-ve dedit, actione Furti teneatur; non ſufficit quòd hoc habuerit propoſitum ut Furtum ſequeretur: oportet 2°. *Furtum reverà ſecutum eſſe.*

Hinc Si tu Titium mihi commendaveris quaſi idoneum cui crederem, & ego in Titium inquiſii, deinde tu alium adducas quaſi Titium; Furtum facies (*f*) quia Titium eſſe hunc credo (*g*): ſcilicet ſi & ille qui adducitur, ſit. Quòd ſi neſciat, non facies Furtum (*h*); nec hic qui adduxit, opem tuliſſe poteſt videri, cùm Furtum factum non ſit: ſed dabitur actio In factum, in eum qui adduxit. *l.* 66. (*Aliàs* 68.) § 4. PAUL. LIB. 7. AD PLAUT.

Multò magis, ſi nulla omninò contrectatio ſequatur, ceſſabit actio Furti. Undè Si pavonem meum manſuetum quum de domo meâ effugiſſet, perſecutus ſis quoad is perit (*i*); agere tecum Furti ita potero, ſi aliquis eum habere cœperit. *l.* 37. POMPON. LIB. 19. AD SABIN.

Conſonat quod Ulpianus ait. Qui ſervo perſuaſit ut fugeret, fur non eſt: nec enim qui alicui malum conſilium dedit, Furtum facit; non magis quàm ſi ei perſuaſit, ut ſe præcipitet, aut manus ſibi inferret. Hæc enim (*k*), Furti non admittunt actionem. Sed ſi alius ei fugam perſuaſerit, ut ab alio furripiatur; Furti tenebitur is qui perſuaſit (*l*), quaſi ope conſilio ejus Furtum factum ſit. Plùs Pomponius ſcripſit; Eum qui perſuaſit (*m*), quamvis interim Furti non teneretur; tunc tamen incipere teneri quum quis fugitivi fur eſſe cœperit: quaſi videatur ope conſilio ejus Furtum factum. *l.* 36. ULPIAN. LIB. 41. AD SABIN.

Idem Pomponius ait; Si cum rebus auſugerit fugitivus, poſſe Furti actione ſollicitatorem (*n*) conveniri rerum nomine: quia opem, conſilium, contrectatori (*o*) tulit. Quod & Sabinus ſignificat. *d. l.* 36. § 2.

Si duo ſervi invicem ſibi perſuaſerunt, & ambo ſimul auſugerunt; alter alterius fur non eſt. Quid ergo, ſi invicem ſe celaverunt? Fieri enim poteſt, ut invicem fures ſint; & poteſt dici alterum alterius furem eſſe: quemadmodum ſi alii ſingulos ſubripuiſſent, tenerentur quaſi alter alterius nomine opem tuliſſent. Quemadmodum rerum quoque nomine teneri eos Furti Sabinus ſcripſit. *d. l.* 36. § 3.

Supradictis quoque conſonat Marcianus: Furtum non committit, qui fugitivo iter monſtravit. *l.* 62. (*Aliàs* MARCIAN. 64.) LIB. 4. REGUL.

§ IV.

Adversùs quas perſonas actiones Furti *denegentur.*

LXXII.

In re vili Si libertus patrono, vel cliens; vel mercenarius ei qui eum conduxit, Furtum fecerit; Furti

(*a*) Hoc animo ut interim alter mulas ſurriperet.
(*b*) Surreptæ ſcilicet fuerint.
(*c*) Non *Directa*, quia non ſuo corpore damnum dedit. Vide ſuprà lib. 9. Tit. *ad L. Aquil.* N. 13. & ſeq.
(*d*) Scilicet ejus qui nondum ſit doli capax, nondum ſit pubertati proximus. Suprà N. 41.
(*e*) Non eo animo ut auxiliaretur Furibus.
(*f*) Id eſt, videberis opem tuliſſe Furto quod mihi faciet hîc pſeudo-Titius.
(*g*) Adeòque pecuniam quam huic pſeudo-Titio numero, non ipſi, ſed vero Titio numerare volo. Cùm igitur eam invito me accipiat, hujus Furtum mihi facit.
(*h*) Non fit enim Furtum ſine affectu furandi; quem ſi non habuerit hîc pſeudo-Titius; non poteſt videri Furtum ab eo commiſſum; adeòque nec opem Furto allatam, cùm nullum Furtum factum fuerit.
(*i*) Et quidem etiamſi hoc animo ut aliquis eum ſurriperet.

(*k*) Sola fuga ſervi non magis admittit *Furti* actionem quàm ſi ſe præcipitet. Etſi enim fugitivus, quodammodo Furtum ſuîmet ipſius facere videatur [quoad cauſam uſucapionis ſcilicet; & quidem ſolam]; nimirùm ut, donec reverſus fuerit, non poſſit uſucapi: tamen ſola ſervi fuga propriè non eſt Furtum, cùm in Furto fur diſtingui debeat ab eo quod ſurripitur. Qui ergo perſuaſit fugam, Fur non eſt, nec Furti particeps; cùm hæc fuga ſola nullum contineat Furtum: ſed tenetur actione *de Servo corrupto.*
(*l*) Sed tunc demùm quum Furtum ſervi ſecutum fuerit, & ab alio furreptus fuerit is ſervus fugitivus; ut modò infrà latius explicat Pomponius.
(*m*) Licèt non habuerit animum favendi ei qui poſtea hujus ſervi Furtum fecit. Modò tamen habuerit ſaltem generalem voluntatem ut ſervus ille mihi ſubtraheretur.
(*n*) Servi. Etſi enim ſervus qui res domini furatur, ipſe *Furti* non teneatur [ut infrà videbimus]; tamen Furtum fecit, adeòque *Furti* tenetur, qui ei opem ſert.
(*o*) Servo.

Source : BIU Cujas

actio non naſcitur. *l.* 89. (*Aliàs* 91.) PAUL. LIB. SING. DE PŒNIS PAGANOR.

Contrà pariter; cujuſcumque rei nomine, adversùs eas perſonas quibus reverentia quædam debetur, actiones Furti denegantur: quales ſunt parentes & patroni, ſuprà lib. 38. *Tit.* de Obſeq. parent.

Conjux quoque quæ Furtum fecit actione Furti non tenetur, ſed actione RERUM AMOTARUM, *ut vid. ſuprà lib.* 25. *Tit.* de Act. Rer. amotar. *quo remitto.*

Ipſa quoque ſi opem furi tulit Furti non tenebitur, ſed Rerum amotarum. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 2. ULPIAN. LIB. 37. AD ED.

Hæc ita, ſi proprio nomine conveniatur. Servi verò ſui nomine, Furti eam teneri nequaquàm ambigendum eſt. *d. l.* 52. § 3.

Idem dicendum eſt & in filiofamilias milite. Nam ipſe patri Furti non tenebitur (*a*); ſervi autem ſui nomine caſtrenſis tenebitur, ſi patri ſervus Furtum fecerit. *d. l.* 52. § 4.

LXXIII.

Obſervandum; eas perſonas quas diximus actione Furti non teneri, ipſas quidem conveniri non poſſe: ſecùs de ſociis earum. Nam Item placuit eum qui filio vel ſervo vel uxori opem fert Furtum facientibus, Furti teneri, quamvis ipſi Furti actione non conveniantur. *l.* 36. § 1. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Et alibi. Si quis uxori res mariti ſubtrahenti opem conſilium-ve accommodaverit, Furti tenebitur. *ſup. d. l.* 52. *pr.*

Sed & ſi Furtum cum eâ fecit, tenebitur Furti; quum ipſa non teneatur. *d. l.* 52. § 1.

ARTICULUS IV.

Quid in his actionibus inſtituendis obſervari debeat.

LXXIV.

In actione Furti ſufficit rem demonſtrari ut poſſit intelligi. *l.* 19. ULP. LIB. 40. AD SABIN.

De pondere autem vaſorum non eſt neceſſe loqui. Sufficiet igitur ita dici, lancem, vel diſcum, vel pateram. Sed inſcribenda etiam materia eſt, utrùm argentea, an aurea, an alia quæ ſit. *d. l.* 19. § 1.

Quòd ſi quis argentum infectum petat; & maſſam argenteam dicere, & pondus debebit ponere. *d. l.* 19. § 2.

Signati argenti numerum debebit complecti; velut aureos tot, plures-ve, Furto ei abeſſe. *d. l.* 19. § 3.

Si linea margaritarum ſubrepta ſit, dicendus eſt numerus. Sed & ſi de vino Furti agatur, neceſſe eſt dici quot amphoræ ſubreptæ ſint. Si vaſa ſubrepta ſint, numerus erit dicendus. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 25. ULP. LIB. 37. AD ED.

De veſte quæritur, an color ejus dicendus ſit? Et verum eſt, colorem ejus dici oportere; ut quemadmodum in vaſis dicitur patera aurea, ita & in veſte color dicatur. Planè ſi quis juret, pro certo ſe colorem dicere non poſſe; remitti ei hujus rei neceſſitas debet. *ſup. d. l.* 19. § 4.

ARTICULUS V.

Quales ſint hæ actiones, & quid in his veniat.

LXXV.

Actio Furti manifeſti *eſt in quadruplum: ex quo pœna quadrupli ſucceſſit capitali pœnæ Legis XII Tabularum, de quâ infrà Tit.* de Extraord. crimin.

Actio Furti nec manifeſti *eſt in duplum* (*b*): *& hæc pœna ex ipsâ Lege XII Tabul. deſcendit; ut vidimus Tab. II Cap.* 4.

Utraque actio merè pœnalis eſt. In his igitur ipſa res non continetur.

Hinc Ulpianus. Qui vas argenteum perdiderat, eosque nomine Furti egerit; de pondere vaſis controverſia quum eſſet, & actor majus fuiſſe diceret, fur vas protulit. Id, is cujus erat, abſtulit ei qui ſubripuerat: dupli nihilominùs condemnatus eſt. Rectiſſimè judicatum eſt. Nam in actionem pœnalem non venit ipſa res quæ ſubrepta eſt, ſive manifeſti Furti ſive nec manifeſti agatur. *l.* 48. (*Aliàs* 49.) ULP. LIB. 42. AD SABIN.

LXXVI.

Quid autem duplatur aut quadruplatur? Nimirùm non præcisè res ipſa quæ ſubrepta eſt, ſed quod actoris intereſt Furtum non fuiſſe factum.

Et ſi quidem dominus actione Furti *agat, nec aliâ ratione ejus interſit quàm quòd dominus eſt; hoc intereſſe refertur ad verum rei quæ furrepta eſt pretium. Quum autem is qui dominus non eſt, agit; patet non poſſe hoc quod intereſt, referri ad rei pretium: ſed referri debere ad utilitates quæ ei per Furtum interceptæ ſunt.*

Hoc eſt quod ait Papinianus. Quum autem jure dominii defertur Furti actio; quamvis non aliàs, niſi noſtrâ interſit, competat; tamen ad æſtimationem corporis, ſi nihil ampliùs interſit, utilitas mea referenda eſt. Idque & in ſtatuliberis, & in legato ſub conditione relicto probatur. Alioquin diverſum probantibus ſtatui facilè quantitas non poteſt. Quia itaque tunc ſola utilitas æſtimationem facit, quum ceſſante dominio Furti actio naſcitur; in iſtis cauſis ad æſtimationem corporis, Furti actio referri non poteſt. *l.* 80. (*Aliàs* 82.) § 1. PAPIN. LIB. 12. QUÆST.

Hinc Javolenus. Furtivam ancillam, bonâ fide duorum aureorum emptam, quum poſſiderem, ſubripuit mihi Attius; cum quo & ego & dominus Furti agimus. Quæro quanta æſtimatio pro utroque fieri debet? Reſpondit: Emptori, duplo quanti ejus intereſt, æſtimari debet; domino autem, duplo quanti ea mulier fuerit. Nec nos movere debet, quòd duobus pœna Furti præſtabitur: quippè (cùm ejuſdem rei nomine præſtetur) emptori, ejus poſſeſſionis, domino, ipſius proprietatis cauſa præſtanda eſt. *l.* 74. (*Aliàs* 76.) JAVOLEN. LIB. 4. pretium. *l.* 50. EPISTOL.

Igitur quum dominus ait; In Furti actione, non quod intereſt quadruplabitur, vel duplabitur ſed rei verum pretium. *l.* 50. (*Aliàs* 51.) ULP. LIB. 37. AD ED.

LXXVII.

Cujus autem temporis ratione hoc pretium æſtimabitur? V. G. Sed & ſi res in rebus humanis eſſe deſierit quum judicatur, nihilominùs condemnatio facienda eſt; idemque etſi nunc deterior ſit: æſtimatione relatâ in id tempus quo Furtum factum eſt.

Quòd ſi pretioſior facta ſit; ejus duplum, quanti tunc quum pretioſior facta ſit, fuerit, æſtimabitur: quia & tunc (*c*) Furtum ejus factum eſſe verius eſt. *d. l.* 50. ¶ *ſed & ſi.*

Hinc Celſus. Infans apud furem adolevit. Tam adoleſcentis Furtum fecit ille, quàm infantis: & unum tamen Furtum eſt. Ideòque dupli tenetur, quanti unquàm apud eum plurimi fuit. Nam quòd ſemel duntaxat Furti agi cum eo poteſt, quid refert propoſitæ quæſtioni? Quippè ſi ſubreptus furi foret, ac rursùs à fure altero eum recuperaſſet; etiamſi duo Furta feciſſet, non ampliùs quàm ſemel cum eo Furti agi poſſe.

(*a*) Nulla enim actio inter duos quorum alter in alterius poteſtate eſt: ût vid. ſuprà lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.*

(*b*) Pœna Furti manifeſti major; quia qui deprehendendo Furem, ſe rerum ſuarum vigilantiorem cuſtodem exhibuit, plus debet conſequi: *Vigilantibus* enim magis *jura ſubveniunt* quàm negligentibus. Præterea in Fure qui occultari ita parum curat ut in Furto deprehendatur, major audacia eſt; adeòque & major pœna eſſe debet.

(*c*) Jugiter enim fit & continuatur Furtum, quando pergit fur eam rem contrectare & detinere.

Source : BIU Cujas

Nec dubitaverim, quin adoleſcentis potiùs quàm infantis æſtimationem fieri oporteret. Et quid tam ridiculum eſt, quàm meliorem furis conditionem eſſe, propter continuationem Furti exiſtimare. *l.* 67. (*Aliàs* 69.) § 2. CELSUS LIB. 12. DIGEST.

Simili ratione : Si quis maſſam meam argenteam ſubripuerit, & pocula (*a*) fecerit; poſſum vel poculorum vel maſſæ Furti agere, vel Condictione.

Idem eſt & in uvis, & in muſto, & in vinaceis. Nam & uvarum & muſti & vinaceorum nomine, Furti agere poteſt : ſed & Condici. *l.* 52. (*Aliàs* 53.) § 14. ULPIAN. LIB. 37. AD ED.

LXXVIII.

Vidimus quid dupletur, aut quadrupletur, quum ex ſolo jure dominii actio Furti datur. Quòd ſi quid ultrà aliâ ratione intererat domini qui actione Furti agit ; hoc quoque duplabitur quadruplabitur-ve.

Hinc V. G. Si tibi ſubreptum eſt, quod niſi die certâ dediſſes, pœnam promiſiſti; ideòque ſufferre eam neceſſe fuit : Furti actione hoc quoque coæſtimabitur. *ſup. d. l.* 67. § 1.

Hinc Si ſervus ſubreptus heres inſtitutus fuerit ; Furti judicio actor conſequetur etiam pretium hereditatis : ſi modò ſervus, antequàm juſſu domini adeat, mortuus (*b*) fuerit. Condicendo quoque mortuum, idem conſequetur. *ſup. d. l.* 52. § 28.

Simili ratione; Qui tabulas vel cautiones amovet, Furti tenetur, non tantùm pretii ipſarum tabularum, verùm ejus quod interfuit : ad quod æſtimationem refertur ejus ſummæ quæ in his tabulis continetur ; ſcilicet ſi tanti interfuit. Ut putà ſi chirographa aureorum decem, tabulæ fuerint ; dicimus hoc duplicari. Quòd ſi jam erant inanes quia ſolutum proponebatur, numquid ipſarum tantùm tabularum pretii videatur eſſe æſtimatio facienda? Quid enim interfuit hujus? Sed poteſt dici, quia nonnunquam debitores tabulas ſibi reſtitui petant (quia nonnunquàm calumniantur debitores, quaſi indebito ſoluto ab his) intereſſe creditoris, tabulas habere ; ne fortè controverſiam ſuper eâ re patiatur. Et generaliter dicendum eſt, id quod intereſt duplari. *l.* 27. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Conſonat quod ait Paulus : Qui tabulas cautiones-ve ſubripuit ; in adſcriptam ſummam, Furti actione tenebitur. Nec refert cancellatæ necne ſint ; quia ex his debitum magis ſolutum eſſe comprobari poteſt. *l.* 82. (*Aliàs* 84.) § 3. PAUL. LIB. 2. SENTENT.

Indè poteſt quæri ; Si quis quum alias probationes, menſæque (*c*) ſcripturam haberet, chirographi Furtum paſſus ſit? An æſtimari duplo, chirographi quantitas debeat? Et numquid non, quaſi nihil interſit? Quantum enim intereſt, cùm poſſit debitum aliundè probare? Quemadmodum ſi in binis tabulis inſtrumentum ſcriptum ſit. Nam nihil videtur deperdere, ſi futurum eſt ut alio chirographo ſalvo ſecurior ſit creditor. *ſup. d. l.* 27. § 1.

Apocha quoque ſi fuerit ſubrepta ; æquè dicendum eſt Furti actionem in id quod intereſt locum habere : ſed nihil mihi videtur intereſſe, ſi ſint & aliæ probationes ſolutæ pecuniæ. *d. l.* 27. § 2.

LXXIX.

Hinc generaliter Quidam tabularum duntaxat æſtimationem faciendam in Furti actione exiſtimant : quia ſi judici apud quem Furti agatur, poſſit probari quantum debitum fuerit; poſſit etiam apud eum judicem eadem probare apud quem pecuniam petat : ſi verò in Furti judicio probare non poteſt, ne illud quidem poſſe oſtendi quanti ejus interſit. Sed (*d*) poteſt, poſt Furtum factum tabulas nanctus eſſe actor ; ut ex eo probet, quanti ſuâ interfuerit ſi tabulas nanctus non (*e*) eſſet. *l.* 32. PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

De Lege Aquiliâ (*f*) major quæſtio eſt, quemadmodum poſſit probari quanti ejus interſit? Nam ſi poteſt alias probare, non patitur damnum. Quid ergo ſi fortè pecuniam ſub conditione credidit ; & interim teſtimonia quorum probationem habeat, qui poſſunt mori pendente conditione? Aut puta me petiiſſe creditum ; & quia teſtes & ſignatores qui rem communiſſent præſentes non haberem, victum rem amiſiſſe : nunc verò quum Furti agam, eorum memoriâ & præſentiâ ad fidem creditæ pecuniæ uti poſſum. *d. l.* 32. § 1.

(*a*) Nam & poculorum quæ ex meâ materiâ facta mea ſunt, Furtum fecit quum ea contrectavit.

(*b*) Et ſic non poſſit eam ampliùs acquirere domino.

(*c*) *La Banque.*

(*d*) Jam hanc ſententiam improbat.

(*e*) Quo caſu etiam quantitatis in tabulis contentæ æſtimatio fiet, quia & hujus quantitatis nomine interfuit actoris tabulas non eſſe ſubreptas, quamvis poſtea his recuperatis intereſſe deſierit.

(*f*) Quâ tenetur quoque qui tabulas delevit.

(*g*) Etenim in liberâ peculii adminiſtratione non continetur facultas donandi : ſuprà lib. 39. Tit. *de Donat.* N. 27.

(*h*) *Vindicatio* ; quia in eâ actione non quæritur an eam rem ſurripueris, ſed an mea ſit.

(*i*) At *Condictione Furtivâ* tenentur, quia Condictio rem duntaxat perſequitur ; ut vid. ſuprà lib. 13. Tit. *de Condict. Furt.*

ARTICULUS VI.

Quando extinguatur necne actio FURTI, Manifeſti, *aut* Non manifeſti.

LXXX.

Perimitur actio FURTI, *ſi de Furto tranſactum ſit ; & quidem ipſo Jure ; ut vid. ſuprà lib.* 2. *Tit.* de Pactis. *N.* 29.

Nec ſolùm ſi ipſe hujus actionis dominus, ſed & Si tutor qui negotia gerit, aut curator tranſegerit cum fure ; evaneſcit Furti actio. *l.* 54. (*Aliàs* 56.) GAIUS § 5. LIB. 13. AD ED. PROVINC.

Nam Qui tutelam gerit, tranſigere cum fure poteſt. Et, ſi in poteſtatem ſuam redegerit rem furtivam, deſinit Furtiva eſſe ; quia tutor domini loco habetur.

Sed & circa curatorem furioſi eadem dicenda ſunt : quia adeò perſonam domini ſuſtinet, ut etiam tradendo rem furioſi alienare exiſtimetur. *l.* 56. (*Aliàs* 58.) § 4. JULIAN. LIB. 22. DIGEST.

Nota. Condicere autem rem Furtivam, tutor, & curator furioſi, eorum nomine poſſunt. *d.* § 4.

Item Si ſervus meus qui habebat peculii adminiſtrationem liberam, pactus ſit cum eo (non donationis (*g*) causâ) qui rem ejus peculiarem ſubripuerat ; rectè tranſactum videtur. Quamvis enim domino quæratur Furti actio, attamen in peculio ſervi eſt. Sed & ſi tota pœna Furti (dupli) ſervo ſoluta ſit, non dubiè fur liberabitur. Cui conſequens eſt, ut ſi fortè à fure acceperit ſervus quod ei rei ſatis eſſe videatur, ſimiliter rectè tranſactum videatur. *l.* 52. [*Aliàs* 53.] § 26. ULP. LIB. 37. AD. ED.

LXXXI.

Cùm jusjurandum vicem tranſactionis obtineat ; Si quis juraverit ſe Furtum non feciſſe, deinde rem furtivam contrectet ; Furti quidem actio perimitur, rei tamen perſecutio (*h*) domino ſervatur. *d. l.* 52. § 27.

LXXXII.

Extinguitur etiam Furti actio, morte furis.

Hinc Diocletianus & Maximanus : Furti actione minimè teneri ſucceſſores, ignorare non debueras (*i*). De inſtrumentis autem ablatis ; IN REM actione, tenentes convenire potes. *l.* 15. *Cod. h. tit.*

Cæterùm Quandiù vivit is qui Furtum fecit, non perit Furti actio. Aut enim ſui juris eſt qui Furtum fecit, & cum ipſo actio eſt : aut alieni juris eſſe cœpit, & actio Furti cum eo eſt cujus poteſtati ſubjectus eſt. Et hoc eſt quod dicitur NOXA caput ſequitur. *l.* 41. [*Aliàs* 42.] § 2. ULP. LIB. 41. AD SABIN.

Quòd Si quis poſt noxam admiſſam, hoſtium ſervus fuerit factus ; videndum eſt an extinguatur actio? Et

Source : BIU Cujas

Pomponius ſcripſit, extingui actionem : &, ſi fuerit reverſus poſtliminio, vel quo alio jure, renaſci eam actionem debere. Et ita utimur. *d. l.* 41. § 3.

LXXXIII.

Singulare eſt in actione Furti ; quòd pluribus rebus ſimul ſurreptis, ſi vel unius nomine actum ſit, excludatur actio cæterarum rerum nomine.

Hoc ita, niſi adversùs diverſas perſonas agatur; aut adversùs eamdem quidem, ſed diverſarum perſonarum nomine. Hinc reſpondetur; Ei cum quo ſuo nomine Furti actum eſt, ſi ſervi nomine de aliâ re adversùs eum agatur ; non dandam exceptionem Furti unà facti. *l.* 82. (*Aliàs* 85.) § 1. NERATIUS LIB. I. RESPONS.

Similiter Si duo ſervi tui veſtem & argentum ſubripuerint, & alterius nomine tecum de veſte actum fuerit, alterius de argento agetur ; nulla exceptio dari debebit, ob eam rem quòd jam de veſte actum fuerit. *l.* 56. (*Aliàs* 58.) § 5. JULIAN. LIB. 22. DIGEST.

LXXXIV.

Conſumitur quoque actio Furtum ſpecie ſequenti. Nimirùm Si pecuniâ tuâ mandantibus ſervis tuis (*a*) quidam prædia comparaverunt ; eligere debes, utrùm Furti actionem (*b*) & Condictionem, an Mandati potiùs inferre debeas (*c*). Neque enim æquitas patitur, ut & criminis cauſam perſequaris ; & bonæ fidei contractum impleri poſtules. *l.* 1. *Cod. h. tit.* SEVER. ET ANTONIN.

§ I.

An extinguatur actio Furti, *receptâ re aut extinctâ.*

LXXXV.

Cùm Furti actio ad pœnæ perſecutionem pertineat, Condictio verò & Vindicatio ad rei recuperationem ; apparet, receptâ re, nihilominùs ſalvam eſſe Furti actionem ; Vindicationem verò & Condictionem tolli. Sicut ex diverſo poſt ſolutam dupli aut quadrupli pœnam, ſalva eſt Vindicatio & Condictio. *l.* 54. (*Aliàs* 56.) § 3. GAIUS LIB. 13. AD ED. PROVINC.

Nam Qui eâ mente alienum quid contrectavit, ut lucrifaceret ; tametſi mutato conſilio id domino poſtea reddidit, Fur eſt. Nemo enim tali peccato pœnitentiâ ſuâ nocens eſſe deſiit. *l.* 65. (*Aliàs* 67.) ULP. LIB. 1. AD ED. ÆDIL. CURULIUM.

A fortiori, ſi pars tantùm recepta ſit, omnes actiones ſalvæ domino remanent ; nec pro tranſactione habebitur hæc partis receptio. Undè Diocletianus & Maximianus : equidem Poſt deciſionem, FURTI Leges agi prohibent. Quòd ſi non tranſegiſti, ſed de ſublatis partem tantùm accepiſti ; reſiduum Vindicare, vel Condicere, & actione Furti apud Præſidem provinciæ agere potes. *l.* 13. *Cod. h. tit.*

LXXXVI.

Inter omnes conſtat ; etiamſi extincta ſit res furtiva, attamen Furti remanere actionem adversùs furem. Proindè mortuo quoque homine quem quis Furto abſtulit, viget Furti actio. Sed nec manumiſſio, Furti actionem extinguit : nec enim diſſimilis eſt morti manumiſſio (*d*), quod ad ſubtrahendum domino ſervum. Apparet (*e*) itaque, qualiter qualiter domino ſit ſervus ſubtractus, attamen ſupereſſe adversùs furem Furti actionem. Eoque Jure utimur. Competit enim actio, non ideò quia nunc abeſt, ſed quia unquam beneficio (*f*) furis abſuerit. Hoc idem in Condictione (*g*) quoque placet : nam condici furi poteſt, etiamſi res ſit aliquâ ratione extincta. Hoc idem dicendum, ſi res in poteſtatem hoſtium pervenerit. Nam conſtat poſſe de eâ FURTI agi. Sed & ſi pro derelicto ſit poſtea à domino habita, Furti nihilominùs agi poterit. *l.* 46. (*Aliàs* 47.) ULP. LIB. 42. AD SABIN.

(*a*) Te invito.
(*b*) Pecuniæ tuæ nomine.
(*c*) Quo caſu conſumetur actio *Furti*.
(*d*) Servi ſurrepti, facta à domino in cujus poteſtatem fortè rediit.
(*e*) Ita diſpungendum eſſe docent Græci ad hunc locum. Vulgò . . . *quod ad ſubtrahendum domino ſervum apparet. Itaque, qualiter*, &c.
(*f*) Maleficio.
(*g*) Quod dicit idem obtinere in *Condictione Furtivâ* ; ſic accipe IDEM, non quoad omnia, ſed quoad quædam. Scilicet re caſu extinctâ, æquè durat *Condictio Furtiva* & actio *Furti* pœnalis : quod ſi in poteſtatem domini reverſa ſit, aut facto domini cui ſurrepta eſt extincta ſit ; non durat *Condictio Furtiva*, quamvis duret actio *Furti* pœnalis. Vide ſup. d. tit. *de Condict. Furt.* N. 12 & 13.

TITULUS III.

DE TIGNO JUNCTO.

I.

NOva hic prodit actionis ſpecies, ex furto quoque deſcendens, nimirùm actio DE TIGNO JUNCTO ; *quum quis Tignum alienum, ſive à ſe ſive ab alio ſubreptum, ædibus vineis-ve ſuis junxit.*

Enimverò Lex Duodecim Tabularum neque ſolvere permittit Tignum furtivum ædibus vel vineis Junctum, neque vindicare. Quod providenter Lex effecit, ne vel ædificia ſub hoc prætextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur. Sed in eum qui convictus eſt Junxiſſe (*a*), in duplum dat actionem. *l.* 1. ULP. LIB. 37. AD ED.

Hâc porrò actione Lex conſulit, tam domino ædium, quàm Tigni : domino ædium ; qui queri non debet ſe in duplum condemnari, cùm non cogatur Tignum ædibus ſuis eximere & reſtituere ; quod ſæpè non poſſet facere niſi ingenti ſumptu & demoliendo ſuum ædificium : item conſulit domino Tigni, qui queri non debet ſe cogi invitum re ſuâ carere ; cùm duplum conſequatur.

Et quidem quod dicitur Legem XII Tabularum non permittere SOLVI *Tignum, indiſtinctè obtinet. Quod autem additur, non permittere illud* VINDICARE, *hanc limitationem accipit ; ſcilicet præterquàm adversùs eum qui malâ fide illud Junxiſſet.*

De hoc caſu accipe quod ait Ulpianus. Sed ſi proponas, Tigni furtivi nomine ædibus Juncti actum ; deliberari poterit, an extrinſecùs ſit rei Vindicatio ? Et eſſe (*b*) non dubito. *l.* 2. IDEM LIB. 42. SABIN.

II.

Sed & AD exhibendum danda eſt actio. Nec enim parci oportet ei qui ſciens alienam rem ædificio inclufit,

(*a*) Et quidem ſive bonâ ſive malâ fide junxerit, ut latè probavimus in Commentario noſtro ad *XII. Tabul.* Tab. VI. Cap. 7. *n.* 4.
(*b*) Scilicet adversùs eum qui malâ fide junxit. Similis eſt enim ei qui malâ fide deſiit poſſidere ; adversùs quem, *Utilem* rei vindicationem dari vidimus Tit. præced. N. 16.
Wiſſembachius aliter hanc legem intelligit ; & pro *an extrinſecùs ſit*, legit *an extincta ſit* : juxta quam lectionem, lex de bonæ fidei poſſeſſore erit intelligenda.
Aliter adhuc intelligit Wiſſenbachius : qui putat, ab eo qui duplum præſtitit, poſſe adhuc ſive bonæ ſive malæ fidei fuerit, Tignum quandoque ſolutum erit vindicari. Quod non probo. Quod tamen ſi admittatur ; ſaltem dici debet reſtituendum ei hoc caſu duplum quod præſtitit.

Source : BIU Cujas

vinxit-ve. Non enim ſic eum conveniemus quaſi poſſidentem, ſed ita quaſi dolo malo fecerit quominùs poſſideat. *ſup. d. l.* 1. § 2.

TIGNI autem appellatione continetur omnis materia ex quâ ædificium conſtet, vineæque neceſſaria. Undè quidam aiunt, tegulam quoque, & lapidem, & teſtam, cæteraque ſi qua ædificiis ſunt utilia. TIGNA enim à tegendo dicta ſunt. Hoc ampliùs; & calcem, & arenam, Tignorum appellatione contineri. Sed & in vineis, Tigni appellatione omnia vineis neceſſaria continentur, ut putà perticæ, pedamenta. *d. l.* 1. § 1.

Et generaliter Tigni appellatione in Lege Duodecim Tabularum, omne genus materiæ ex quâ ædificia conſtant, ſignificatur. *l.* 62. *ff. de Verb. ſignif.* GAIUS LIB. 26. AD ED. PROVINC.

Plura vide ſuprà lib. 6. *tit.* de Rei vind. *N.* 6.

TITULUS IV.

SI IS QUI TESTAMENTO LIBER ESSE JUSSUS ERIT, POST MORTEM DOMINI ANTE ADITAM HEREDITATEM SUBRIPUISSE AUT CORRUPISSE QUID DICETUR.

I.

PRoponitur in hoc Titulo alia ſpecies actionis, quæ ad inſtar FURTI *datur. Enimverò* « SI dolo malo ejus » qui liber eſſe juſſus erit, poſt mortem domini, ante » aditam hereditatem, in bonis quæ ejus fuerunt qui » eum liberum eſſe juſſerit, factum eſſe dicetur quomi- » nùs ex his bonis ad heredem aliquid perveniret; » in eum intrà annum utilem, dupli (*a*) judicium datur. *l.* 1. ULP. LIB. 38. AD ED.

Hæc autem actio (ut Labeo ſcripſit) naturalem potiùs in ſe, quàm civilem habet æquitatem; ſi quidem civilis deficit actio (*b*): ſed naturâ æquum eſt, non eſſe impunitum eum qui hâc ſpe audacior factus eſt; quia neque ut ſervum ſe coerceri poſſe intelligit, ſpe imminentis libertatis; neque ut liberum damnari, quia hereditati furtum fecit, hoc eſt, dominæ. Dominus autem dominave non poſſunt habere Furti actionem (*c*) cum ſervo ſuo, quamvis poſtea ad libertatem pervenerit, vel alienatus ſit; niſi ſi poſtea quoque contrectaverit. È re itaque eſſe Prætor putavit, calliditatem & protervitatem horum qui hereditates depopulantur, dupli actione coercere. *d. l.* 1. § 1.

Ut autem ad inſtar actionis Furti quum quid ſurreptum eſt, hæc actio datur; ita & ad inſtar actionis Legis Aquiliæ datur, quum quid damni datum eſt.

Hinc Ulpianus. Non tantùm autem ad ſola furta, iſta actio pertinet; ſed etiam ad omnia damna quæcumque hereditati ſervus dedit. *d. l.* 1. § 14.

Circa has actiones videbimus quando his locus ſit, deinde quæ ſit earum natura.

ARTICULUS I.

Quando his actionibus, ex Surrepto *aut* Damno *locus ſit.*

Ut his actionibus locus ſit, hæc concurrere oportet: 1°. *Ut circa res hereditatis, furtum damnum-ve admiſſum ſit:* 2°. *Ut ab eo ſervo qui ſtatim poſt aditam hereditatem, ad libertatem aut in dominium alterius quàm heredis perventurus eſt:* 3°. *Ut dolo ejus aut latâ culpâ admiſſum ſit:* 4°. *Ut eo tempore quo jacebat hereditas:* 5°. *Ut heres alio remedio careat.*

§ I.

Oportere ut circa res hereditatis admiſſum ſit furtum aut damnum.

II.

Pinguiùs hîc res hereditatis accipimus. Nam Hæc actio locum habet, non tantùm in rebus quæ in bonis fuerunt teſtatoris; ſed & ſi heredis interfuit dolum malum admiſſum non eſſe, quominùs ad ſe perveniret. Et ideò Scævola pleniùs tractat; Et ſi eam rem Subripuiſſet ſervus quam defunctus pignori acceperat, hanc actionem Honorariam locum habere. Pleniùs enim cauſam bonorum hîc accipimus pro utilitate. Nam ſi in locum deficientis Furti actionis propter ſervitutem (*d*) hanc actionem ſubſtituit Prætor; veriſimile eſt in omnibus cauſis eum, in quibus Furti agi potuit (*e*), ſubſtituiſſe.

Et in ſummâ probatur; hanc actionem, & in rebus pigneratis, & in rebus alienis bonâ fide poſſeſſis, locum habere.

Idem & de re commodatâ teſtatori. *l.* 1. § 10. ULP. LIB. 38. AD ED.

Item, ſi fructus poſt mortem teſtatoris perceptos, hic ſervus qui libertatem proſpicit, contrectaverit; locus erit huic actioni. Sed & ſi partus vel fœtus poſt mortem adgnatos, tantumdem erit dicendum. *d. l.* 1. § 11.

Præterea ſi impubes (*f*) poſt mortem patris quæſierit rei dominium; eaque, antequàm impuberis hereditas adeatur, Subripiatur (*g*); locum habere iſtam actionem dicendum eſt. *d. l.* 1. § 12.

Sed & in omnibus quæ interfuit heredis non eſſe averſa, locum habet hæc actio. *d. l.* 1. § 13.

§ II.

Oportere ut ab eo ſervo factum ſit, qui continuò, ſtatim atque adita erit hereditas, aut ad libertatem aut in dominium alterius quàm heredis perventurus ſit.

III.

Hoc conſequitur ex ratione Edicti quam attulimus. Quid tamen ſi ſub conditione accepit libertatem? Ecce

(*a*) Ad inſtar actionis *Furti.*

(*b*) *Furti* ſcilicet.

(*c*) Suprà lib. 9. Tit. *de Noxal. act.* N. 4.

(*d*) Suprà N. 1. ex d. l. 1. § 1. *Propter ſervitutem*, id eſt propter conditionem ſervi hereditarii à quo ipſi hereditati quid ſubreptum eſt.

(*e*) Atqui *Furti* agi poteſt; non ſolùm quum mea res, ſed & quum ea quæ mihi pignori data eſt, Subripitur: ut vid. ſuprà Tit. *de Furt.* N. 49.

(*f*) A cujus ſubſtituto relicta fuerit ſervo libertas.

(*g*) A ſervo qui ſecundis tabulis libertatem accepit, jacente hereditate impuberis. Vide infrà N. 8.

Source : BIU Cujas

nondum liber erit, ſed ut ſervus poteſt coerceri : idcircò (*a*) dicendum eſt, ceſſare hanc actionem. *d. l.* 1. § 3.

Sed ubi libertas competit continuò (*b*), dicendum eſt poſſe & debere hanc actionem dari, adversùs eum qui pervenit ad libertatem. *d. l.* 1. § 4.

CONTINUÒ *autem, non ſtrictè accipimus. Hinc rectè* Labeo putavit ; ſub conditione manumiſſum, res amoventem, ſi citò conditio extitit, hâc actione conveniendum. *l.* 3. ULP. LIB. 13. AD ED.

Hinc etiam convenietur is cui per fideicommiſſum libertas relicta eſt : quamvis non ſtatim aditâ hereditate liber fiat, ſed demùm quum manumiſſus eſt, aut ejus libertati mora facta eſt.

Hoc docet Ulpianus. Sed & ſi fideicommiſſaria libertas ſervo data ſit, qui (*Florent.* quidquid) quid in hereditate maleficii admiſit ; numquid non priùs cogatur heres manumittere ? quàm ſi ſatisfecerit ? Eſt autem ſæpiſſimè & à Divo Marco & ab Imperatore noſtro cum patre reſcriptum, Non impediri fideicommiſſariam libertatem quæ purè data eſt. Divus ſanè Marcus reſcripſit ; Arbitrum ex continenti dandum, apud quem ratio ponatur. Sed hoc Reſcriptum, ad rationem ponendam pertinet actûs quem ſervus adminiſtravit. Arbitror igitur & hîc poſſe hanc actionem competere. *l.* 1. § 7. ULP. LIB. 38. AD ED.

I V.

Quod de eo ſervo qui aditâ hereditate ad libertatem perventurus eſt, diximus, pariter de eo ſervo qui in alterius quàm heredis dominium perventurus eſt, dictum puta.

Igitur Si ſervus purè legatus, ante aditam hereditatem quid admiſerit in hereditate ; dicendum eſt, quia dominium in eo mutatur, huic actioni locum eſſe. *d. l.* 1. § 5.

Et generaliter dicimus ; Quo caſu in ſervo dominium vel mutatur vel amittitur vel libertas competit poſt intervallum modicum aditæ hereditatis ; eo caſu hanc actionem indulgendam. *d. l.* 1. § 6.

§ III.

Oportere dolo culpâ-ve factum eſſe.

V.

Non aliàs tenebitur iſte libertus, quàm ſi dolo quid diſſipaſſe proponatur. Culpa autem negligentiaque ſervi poſt libertatem, excuſata eſt. Sed culpa dolo proxima, dolum repræſentat. Proindè ſi quid damni dedit ſine dolo, ceſſabit iſta actio ; quamvis aliàs Aquiliâ tenetur (*c*) ob hoc quòd damnum qualiter qualiter dederit. *d. l.* 1. § 2.

§ IV.

Oportere ut jacente adhuc hereditate admiſſum ſit.

V I.

Habet itaque certum finem iſta actio ; ut & dolo fecerit iſte, & poſt mortem domini, & ante aditam hereditatem. Cæterùm ſi ſine dolo ; aut dolo quidem, verùm vivo domino ; non tenebitur hâc actione.

Quinimò & ſi poſt mortem, poſt aditam tamen hereditatem ; ceſſabit actio. Nam ubi adita hereditas eſt, jam quaſi liber conveniri poteſt. *d.* § 2. ¶ *habet.*

ANTE ADITAM HEREDITATEM ſic accipere debemus, antequàm vel ab uno adeatur hereditas : nam ubi vel unus adit, competit libertas. *d. l.* 1. § 8.

Quòd Si ſervus ante aditam hereditatem, damnum in re hereditariâ dederit ; & liber factus, in eâ re damnum det ; utrâque actione tenebitur ; quia alterius & alterius facti hæ res ſunt. *l.* 48. *ff. Ad Leg. Aquil.* PAUL. LIB. 39. AD ED.

V I I.

Quod autem poſt aditam hereditarem admiſſum eſt, ad hoc Edictum non pertinet. Nec ſolùm ſi teſtamento manumiſſus qui hoc admiſit, jam ad libertatem pervenerat ; ſed & Si paulò ante quàm ſtatuta libertas obtigerit, amoverit aliquid ſervus aut Corruperit ; ignorantia domini non introducit hanc actionem. Ideòque, licèt maximè ignoraverit heres à ſtatulibero, aut quilibet alius dominus à ſervo ſuo amotum aliquid Corruptum-ve eſſe ; non impetrat poſt libertatem ejus, ullam actionem ; quamvis in pluribus aliis cauſis, juſta ignorantia excuſationem mereatur. *l.* 2. GAIUS LIB. 13. AD ED. PROVINC.

V I I I.

Quòd hactenùs diximus, oportere admiſſum eſſe jacente hereditate ; accipe de hereditate teſtatoris, quum ſervus qui admiſit, primis tabulis libertatem accepit ; de hereditate autem impuberis, quum ſecundis tabulis ſervus eam accepit.

Hinc Ulpianus ait. Si pupillus heres inſtitutus ſit, & à ſubſtituto ejus libertas data, medioque tempore quædam admittantur : ſi quidem vivo pupillo quid fuerit factum, locum non eſſe huic actioni ; ſin verò poſt mortem antequàm quis pupillo ſuccederet actionem iſtam locum habere. *l.* 1. § 9. ULP. LIB. 38. AD ED.

§ V.

Oportere ut alio remedio heres careat.

I X.

Illud verum eſt ; Si poteſt aliàs heres ad ſuum pervenire, non eſſe Honorariam hanc actionem tribuendam : cùm in eo quod interſit, condemnatio fiat. *d. l.* 1. § 16.

ARTICULUS II.

De earum actionum naturâ.

X.

Natura harum actionum ſimilis eſt illis ad quarum inſtar dantur.

Hinc V. G. quum quid ſervus ſurripuit ; hæc actio, ad inſtar actionis FURTI, *merè pœnalis eſt : &* Præter hanc actionem, eſſe & Vindicationem rei conſtat ; cùm hæc actio ad ſimilitudinem Furti competat. *d. l.* 1. § 17.

Hinc etiam, Si plures ſervi libertatem acceperunt, & dolo malo quid admiſerint ; ſinguli convenientur in ſolidum, hoc eſt in duplum. Et cùm ex delicto conveniantur, exemplo Furti ; nullus eorum liberetur ; etſi unus conventus præſtiterit. *d. l.* 1. § 19.

Denique : Item heredi cæteriſque ſucceſſoribus competere iſtam actionem, dicendum eſt. *d. l.* 1. § 18.

(*a*) Ratio Edicti eſt ne impunitum eſſet factum. Ceſſat ergo, ſi puniri potuit ut ſervus, domeſticâ pœnâ.

(*b*) Ita diſpungendum rectè monet Cujacius Obſerv. VI 1.

(*c*) Quilibet.

Source : BIU Cujas

TITULUS V.

FURTI ADVERSUS NAUTAS, CAUPONES, STABULARIOS.

I.

EN alia adhuc actionis ſpecies ex Furto aut ex damno deſcendentis, hoc Titulo proponitur.

Enimverò In eos qui Naves, Cauponas, Stabula exercebunt, ſi quod à quoquo eorum quos-ve ibi habebunt, Furtum factum eſſe dicetur, judicium datur; ſive Furtum ope conſilio exercitoris factum ſit, ſive eorum cujus (*a*) qui in eâ navi navigandi causâ (*b*) eſſet. *l. un.* ULP. LIB. 38. AD ED.

Et eſt in duplum actio. *d. l. un.* § 2.

Quum enim in Cauponâ vel in Navi res perit; ex Edicto Prætoris obligatur exercitor Navis, vel Caupo: ita ut in poteſtate ſit ejus cui res ſubrepta ſit, utrùm mallet cum exercitore Honorario (*c*) Jure, an cum fure Jure civili experiri. *d. l. un.* § 3.

Obiter nota. Quòd ſi receperit SALVUM FORE Caupo, vel Nauta; Furti actionem non dominus rei ſubreptæ, ſed ipſe habet qui recipiendo periculum cuſtodiæ ſubiit. *d. l. un.* § 4.

Circa actionem autem quæ ex hoc Edicto deſcendit, hæc quæremus. 1°. *Quæ ſpectentur ut ſit locus huic actioni:* 2°. *Ad quid & in quem detur, & quandiù duret:* 3°. *An eam actionem quam adversùs ipſum furem eum-ve qui damnum dedit habemus, excludat.*

ARTICULUS I.

Quæ ſpectentur ut huic actioni locus ſit.

Spectandum ubi Furtum factum, damnum-ve datum ſit, cui & à quo; denique, num convenerit ne exercitor teneretur.

§ I.

Ubi factum eſſe oporteat Furtum aut damnum; & de conventione, NE *præſtetur.*

II.

Debet exercitor omnium Nautarum (*d*) ſuorum, ſive liberi ſive ſervi, factum præſtare. Nec immeritò factum eorum præſtat, cùm ipſe eos ſuo periculo adhibuerit. Sed non aliàs præſtat, quàm ſi in ipsâ nave damnum datum ſit: cæterùm ſi extra navem, licèt à Nautis; non præſtabit.

Item ſi prædixerit, ut unuſquiſque vectorum res ſuas ſervet, neque damnum ſe præſtaturum, & conſenſerint vectores prædictioni; non convenitur. *l.* 7. *ff. Nautæ, Caupon.* ULP. LIB. 18. AD ED.

Idem dicendum de exercitore Cauponæ aut Stabuli; & pariter ille non præſtabit Furta & damna, niſi quæ facta fuerint in Cauponâ aut Stabulo.

§ II.

Cui & à quo Furtum factum damnum-ve datum eſſe oporteat.

III.

Ut huic actioni locus ſit; requiritur viatorem vectorem-ve eſſe, cui Furtum factum damnum-ve datum ſit.

Igitur: Sed ſi quid Nautæ inter ſe damni dederint, hoc ad exercitorem non pertinet. *d. l.* 7. § 2. *ff. d. tit.*

Excipe. Sed ſi quis ſit Nauta & mercator, debebit illi dari. Quòd ſi quis, quos vulgò ΝΑΥΤΕΠΙΒΑΤΑΣ dicunt, [*id eſt, remum pro naulo* (*ſeu pretio vecturæ*) *ſolventes*] & huic tenebitur. *d. l.* 7. § 2.

Vice versâ; Sed hujus factum præſtat, cùm ſit & Nauta. *d. l.* 7. § 2. ¶ *fin.*

Enimverò hâc actione, eorum omnium factum præſtat navis exercitor; qui, ut diximus, in navi NAVIGANDI CAUSA *eſſent.* Navigandi autem causâ accipere debemus, eos qui adhibentur ut navis naviget; hoc eſt, Nautas. *l.* 1. § *un.* ULP. LIB. 13. AD ED.

Similiter Caupo præſtat factum eorum qui in eâ Cauponâ, ejus Cauponæ exercendæ causâ ibi ſunt. Item eorum, qui habitandi causâ ibi ſunt. Viatorum autem factum non præſtat, namque viatorem ſibi eligere Caupo vel Stabularius non videtur; nec repellere poteſt iter agentes (*e*): inhabitatores verò perpetuos ipſe quodammodo elegit, qui non rejecit; quorum factum oportet eum præſtare. In navi quoque, vectorum factum non præſtatur. *d. l. un.* § *fin.*

IV.

Etiamſi is cujus operâ exercitor utebatur, fuerit ſervus ipſius vectoris viatoris-ve cui Furtum fecit; hujus factum præſtabit.

Hinc Paulus. Si ſervo meo in Nave vel in Cauponâ utaris, & damnum mihi det vel Furtum faciat: quanquam (*f*) & Furti actio & Damni injuria mecum ſit; hæc tamen actio, quia In factum eſt, etiam ſervi mei nomine adversùs te competit.

Idem dicetur & ſi communis ſit. Tu tamen quod mihi præſtiteris ejus nomine, vel Communi dividundo vel Pro ſocio actione; aut ſi partem ejus vel totum conduxiſti, Ex conducto habebis me obligatum. *d. l.* 6. § 1. *ff. Naut. caup.* PAUL. LIB. 22. AD ED.

Contrà verò: Sed ſi damnum in eo (*g*) datum ſit ab alio qui in eâdem nave vel Cauponâ eſt; cujus factum Prætor æſtimare ſolet (*h*): non putat Pomponius ejus nomine hanc actionem utilem futuram. *d. l.* 6. § 2.

V.

Vidimus exercitorem, quorumlibet hominum factum præſtare; eorum ſcilicet quorum operâ utitur.

Excipiendi ſunt ſervi ipſius proprii. Ita enim Ulpianus: Servi verò ſui nomine, exercitor noxæ dedendo ſe

(*a*) *Quelqu'un de ceux qui, &c.*

(*b*) Id eſt, ad navigationis miniſterium: infrà N. 4.

(*c*) Ex hoc Edicto.

(*d*) *Nauta* in Rubricâ Tituli accipitur pro ipſo exercitore navis [*le Maître*]; hîc verò & mox infrà paſſim, pro iis quorum operâ & miniſterio ille utitur [*les Mariniers*].

(*e*) Nec obſtat lex 1. § 1. ff. *Nautæ, Caupon.* ubi dicitur *eſſe in ipſorum* [nautarum] *arbitrio ne quem recipiant.* Hoc ſenſu enim id dicitur, ut in arbitrio ipſorum ſit ne publicè navem exerceant; adeòque ne quem recipiant. Verùm, poſtquàm ſemel aliquis ſe Nautam, Cauponem, Stabularium, profeſſus eſt; jam *non poteſt repellere iter agentes.*

(*f*) Senſus eſt; Quamvis ſervus meus ſit; quamvis is ſit ex cujus Furto aut injuriâ, ſi quid alteri ſurripuiſſet aut damnum dediſſet, mecum eſſet Furti actio & Damni *noxalis*; & quanquàm regula ſit, *Hujus hominis gratiâ pro quo noxalem Furti actionem ſuſcipere quis compellitur, adversùs alium Furti actionem non habet* [ſuprà lib. 9. Tit. *de Noxal. act.* N. 6.]: tamen poſſum tecum actionem ex hoc Edicto agere. Hæc enim Juris regula prohibet quidem quominùs poſſim unquam noxaliter agere hujus ſervi nomine; verùm hanc actionem quâ tu proprio nomine teneris, non excludit.

(*g*) Servo meo, cujus operâ utitur exercitor.

(*h*) Scilicet *ab alio* nautâ, aut cauponæ miniſtro. Horum enim *factum Prætor æſtimare ſolet*, quum damnum dant alicui vectori aut viatori; non autem quum alteri nautæ, qualis eſt in hoc caſu ſervus meus.

Source : BIU Cujas

liberat. Cur ergo non exercitor condemnetur, qui servum tam malum in nave admisit? Et cur liberi quidem hominis nomine tenetur in solidum, servi verò non tenetur? Nisi fortè idcircò, quòd liberum quidem hominem adhibens statuere debuit de eo qualis esset: in servo verò suo ignoscendum sit ei, quasi in domestico malo, si noxæ dedere paratus sit. Si autem alienum adhibuit servum, quasi in libero tenebitur. *l. un.* § 5. ULP. LIB. 13. AD ED.

Idem ait. Servorum autem suorum nomine, Noxali duntaxat tenetur. Nam quum alienos adhibet, explorare eum oportet cujus fidei cujus innocentiæ sint; in suis veniâ dignus est, si quales quales ad instruendam navem adhibuerit. *sup. d. l.* 7. § 4. ¶ *servorum. ff. Nautæ. caupon.*

Indè hæc quæstio. Nimirùm si non ipse servus exercitoris, non ipse Nauta cujus operâ utitur exercitor; sed Si servus Nautæ, damnum dederit: licèt servus Nauta non sit; æquissimum erit, in exercitorem actionem Utilem (*a*) dare. *d. l.* 7. § 3.

VI.

Hactenùs de his qui in Nave aut in Cauponâ aut Stabulo sunt, hujus ministrandæ causâ, aut qui serviunt ipsi ministrantibus.

Certè illud patet quòd si à vectoribus aut viatoribus damnum datum sit, hæc actio non dabitur.

Undè Ulpianus. In factum actione Caupo tenetur, pro his qui habitandi causâ (*b*) in Cauponâ sunt: hoc autem non pertinet ad eum qui hospitio repentino recipitur; veluti viator. *sup. d. l.* 6. § 3. *ff. Nautæ, caupon.*

ARTICULUS II.

Ad quid, & in quem detur actio, & quandiù duret; & an per eam excludatur illa quæ competit adversùs furem ipsum, eum-ve qui damnum dedit.

VII.

Hæc actio In factum, in duplum est. *l.* 7. § 1. *ff. Naut. caupon.* ULP. LIB. 18. AD ED.

(*a*) Non *Directam*; cùm *servus* hujus Nautæ, *non sit* ipse *Nauta*, nec ejus operâ exercitor utatur. Verba itaque Edicti deficiunt. Sed tamen cùm servus ille cum domino suo Nautâ in nave sit, eadem hujus ratio est ac ipsius Nautæ. Quemadmodum enim exercitor non debuit admittere Nautas noxios, ita non debuit uti eorum Nautarum operâ qui secum noxios servos adducerent. Unde ex eorum servorum facto tenetur ipse actione *Utili*.

(*b*) Id est, habitationis exercendæ causâ.

VIII.

Hâc autem actione suo nomine exercitor tenetur; culpæ scilicet suæ qui tales adhibuit. Et ideò, si decesserint, non relevabitur. *d. l.* 7. § 4.

Si plures Navem exerceant; unusquisque pro parte quâ navem exerceat, convenitur. *d. l.* 7. § 5.

Si servus navem exerceat, non voluntate domini; de eo quod ibi perit, vulgaris formula in dominum danda est: ut quod alter admisit, duntaxat DE peculio; quod ipse exercitor, adjiciatur UT noxæ dederet. Igitur si manumissus sit, persecutio quidem in peculio manebit adversùs dominum intrà annum; Noxalis ipsum sequetur. *l.* 42. (*Aliàs* 43.) *ff. de Furtis.* PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

IX.

Hæc judicia, quamvis Honoraria sunt, tamen perpetua sunt. In heredem autem non dabuntur. Proindè & si servus navem exercuit, & mortuus est, De peculio non dabitur actio in dominum, nec intrà annum. Sed quum voluntate patris vel domini, servus vel filius exercent Navem vel Cauponam vel Stabulum; puto etiam hanc actionem in solidum eos pati debere, quasi omnia quæ ibi contingunt, in solidum receperint. *sup. d. l.* 7. § 6. *ff. Nautæ, caupon.*

X.

In exercitorem datur actio ex hoc Edicto descendens. Possumus autem FURTI vel DAMNI INJURIÆ actione uti cum Nautis, ut certi hominis factum arguamus. Sed unâ contenti esse debebimus: &, si cum exercitore egerimus, præstare ei debemus actiones nostras; quamvis Ex conducto actio adversùs eos competat exercitori. Sed si absolutus sit exercitor hâc actione, deinde agatur cum Nautâ; exceptio dabitur: ne sæpiùs de ejusdem hominis admisso quæratur. Et contrà, si de admisso unius hominis actum sit, deinde In factum actione agatur; exceptio dabitur. *l.* 6. § 4. *ff. Naut. caup.* PAUL. LIB. 22. AD ED.

TITULUS VI.

SI FAMILIA FURTUM FECISSE DICETUR.

AD materiam quoque Furti pertinet hic Titulus; & Damni injuriâ dati.

I.

Utilissimum id Edictum Prætor proposuit, quo dominis prospiceret adversùs maleficia servorum: videlicèt ne, quum plures Furtum admittunt, evertant domini patrimonium; si omnes dedere, aut pro singulis æstimationem litis offerre cogatur. Datur igitur arbitrium hoc Edicto; ut, si quidem velit dicere noxios servos, possit omnes dedere qui participaverunt Furtum; enimverò si maluerit æstimationem offerre, tantùm offerat quantum si unus liber Furtum fecisset; & retineat familiam suam. *l.* 1. ULP. LIB. 38. AD ED.

Videndum est in quorum & in quibus delictis hoc Edictum obtineat, cui beneficium hujus Edicti tribuatur & adversùs quem, & de hujus beneficii effectu.

§ I.

Hoc Edictum obtinere non in Furto solùm, sed & in Damno injuriâ dato à Familiâ servorum.

II.

Hoc Edictum obtinet, quum Familia delictum admisit. FAMILIÆ *autem appellatione hic intelligimus, plures servos qui ad eumdem dominum pertinent.*

Rectè autem Julianus putat; Sed & Furti faciendi tempus spectandum esse, an ejusdem Familiæ sint servi. Nam si hi qui plurium dominorum erunt, unius esse postea cœperint; locus Edicto non erit. *l.* 31. ¶ *fin. ff. de Noxalib. actionib.* PAUL. LIB. 7. AD PLAUT.

III.

Illud quæsitum est; an quod Proconsul in Furto observat quod à Familiâ [Furtum] factum sit, (id est,

Source : BIU Cujas

ut non in ſingulos detur pœnæ perſecutio, ſed ſufficeret id præſtari quod præſtandum foret ſi id Furtum unus liber feciſſet), debeat & in actione DAMNI INJURIÆ obſervari? Sed magis viſum eſt, idem eſſe obſervandum. Et meritò. Cùm enim circa Furti actionem hæc ratio ſit, ne ex uno delicto totâ Familiâ dominus careat; eaque ratio ſimiliter & in actionem Damni injuriæ interveniat: ſequitur, ut idem debeat æſtimari; præſertim cùm interdum levior ſit hæc cauſa delicti: veluti ſi culpâ & non dolo damnum daretur. *l.* 32. *ff. Ad Leg. Aquil.* GAIUS. LIB. 7. AD ED. PROVINC.

Pariter Ulpianus. Si plures ſervi damnum culpâ dederint, æquiſſimum eſt eamdem facultatem domino dari. *l.* 1. § 2. ULP. LIB. 38. AD ED.

In his autem delictis quæ ex multitudine perſonarum augentur, locus non eſt huic Edicto: ut quum plures ſervi contumeliam alicui faciunt. Vide ſuprà lib. 2. *tit.* de Juriſdict. *N. fin. & ibi Notas & infrà tit.* de Injur.

§ II.

Cui hujus Edicti beneficium detur.

IV.

Hujus Edicti levamentum, non tantùm ei qui ſervos poſſidens condemnatus, præſtitit tantùm quantùm ſi unus liber feciſſet, datur; verùm ei quoque qui idcircò condemnatus eſt, quia dolo fecerat quominùs poſſideret. *l.* 3. § 2. ULP. LIB. 38. AD ED.

V.

Hæc autem facultas domino tribuitur toties, quoties ignorante eo Furtum factum eſt. Cæterùm ſi ſciente, facultas ei non erit data: nam & ſuo nomine, & (*a*) ſingulorum nomine conveniri poteſt Noxali judicio; nec unâ æſtimatione quam homo liber ſufferret, defungi poterit.

Is autem accipitur SCIRE, qui ſcit & potuit prohibere. Scientiam enim ſpectare debemus, quæ habet & voluntatem: cæterùm ſi ſcit, prohibuit tamen; dicendum eſt, uſurum Edicti beneficio. *d. l.* 1. § 1.

VI.

Diximus ei demùm domino qui ignoravit aut ſciens prohibuit, beneficium hujus Edicti tribui.

Hinc quum Familia communis ſciente altero Furtum fecit; omnium nomine, cum eo qui ſcit, Furti agi poterit; cum altero, ad eum modum qui Edicto comprehenſus eſt.

Quod ille (*b*) præſtiterit, non totius Familiæ nomine, ab hoc ſocio (*c*) partem conſequetur.

Et ſi ſervus communis alterius juſſu damnum dederit; etiam quod præſtiterit alter (*d*), ſi modò (*e*) cum eo quoque ex Lege Aquiliâ, vel ex Duodecim Tabulis agi poteſt, repetat à ſocio (*f*): ſicut (*g*) quum communi rei nocitum eſt.

Si ergo duntaxat duos habuerim (*h*) ſervos communes cum eo quo non ignorante factum eſt; agetur utriuſque ſervi nomine; ſed non ampliùs conſequetur à ſocio, quàm ſi unius nomine præſtitiſſet. Quòd ſi cum eo quo ignorante factum eſt agere volet (*i*), duplum tantùm conſequetur.

Videamus autem an jam in ſocium (*k*) alterius ſervi nomine non ſit dandum judicium (*l*)? quemadmodam ſi omnium nomine ſocius (*m*) decidiſſet (*n*). Niſi (*o*) fortè hoc caſu ſeveriùs à Prætore conſtituendum eſt: nec ſervorum conſcio parcendum eſt. *l.* 5. MARCELL. LIB. 8. DIGEST.

§ III.

Adversùs quos hoc beneficium competat.

VII.

Beneficium hujus Edicti competit, non ſolùm adversùs eum cui Furtum factum aut damnum datum eſt, ſed & adversùs plures ejus heredes.

Hoc docet Scævola, Labeonem emendans. Enimverò Labeo putat; Si coheres meus, quòd Furtum Familia cujus feciſſet, duplum abſtuliſſet; me non impediri quominùs dupli agam, eoque modo fraudem Edicto fieri: eſſeque iniquum, plùs heredes noſtros ferre; quàm ferremus ipſi. Item ſi defunctus minùs duplo abſtulit, adhuc ſingulos heredes rectè experiri. Scævola reſpondit; Verius puto, partes ejus heredes perſecuturos: ſed & cum eo quod defunctus abſtulit, uterque heres non plùs duplo ferat. *l.* 6. SCÆVOLA LIB. 4. QUÆST.

Conſentit Julianus. Etiam heredibus ejus cui plures ejuſdem Familiæ Furtum fecerint, eadem actio competere debet quæ teſtatori competebat; id eſt, ut omnes non ampliùs conſequantur, quàm conſequentur ſi id Furtum liber feciſſet. *l.* 4. JULIAN. LIB. 22. DIGEST.

§ IV.

De hujus beneficii effectu.

VIII.

Quod ait Prætor « QUUM Familia Furtum faciat, ad » eum modum ſe actionem daturum, ut tantùm actor » conſequatur, quantùm ſi liber feciſſet, conſequere» tur: » quæritur utrùm ad pecuniæ præſtationem reſpiciat, an etiam ad noxæ deditionem? Ut putà, ſi ex pretiis noxæ debitorum duplum colligatur, ſequentes actiones inhibeantur? Sabinus & Caſſius putant, pretium quoque noxæ deditorum imputari debere. Quod Pomponius probat; & eſt verum. Nam & ſi ſervus indefenſus ductus ſit, æſtimatio ejus imputanda eſt. Certè non tantùm duplationis, ſed & Condictionis rationem habendam Julianus putat. *l.* 31. *ff. de Noxalib. actionib.* PAUL. LIB. 7. AD PLAUT.

Hinc ſequitur quòd, Quum plures ſervi ejuſdem rei Furtum faciunt, & unius nomine cum domino lis conteſtata ſit; tandiù aliorum nomine actio ſuſtineri debebit, quandiù priore judicio poteſt actor conſequi quantùm conſequeretur ſi liber id Furtum feciſſet. *l.* 5. § *fin.* ULP. LIB. 38. AD ED.

Id eſt; & pœnæ nomine duplum &, Condictionis ſimplum. *l.* 2. JULIAN. LIB. 33. DIGEST.

IX.

Obſervandum quòd, Quoties tantùm præſtat dominus quantùm præſtaretur ſi unus liber feciſſet, ceſſat cæterorum nomine actio, non tantùm adversùs ipſum, traheret, indemnem ſocium præſtare ab hoc noxæ vitio; ſicut eum indemnem reddere debet, ſi quàvis aliâ ratione culpâ ſuâ ſervo communi nocuiſſet, eumque deteriorem effeciſſet.

(*a*) Si mavult actor.

(*b*) Qui ignoravit.

(*c*) Quo ſciente, non tamen jubente, delictum admiſſum eſt.

(*d*) Qui non ſcit.

(*e*) Poſſet enim fieri ut is qui non juſſit, non teneretur: ut putà ſi ſervus fecit invitus, ut obtemperaret alteri domino jubenti, alioquin periturus; & factum quod admiſit, non ſit ex atrocioribus. Hoc enim caſu, nullum eſt ſervi delictum; adeòque ille ex dominis qui non juſſit, nullatenùs teneretur *Noxaliter*; & is qui juſſit, ſolus ſuo nomine teneretur.

(*f*) Et quidem totum. Et in hoc differt ſocius qui juſſit, ab eo qui duntaxat ſcivit.

(*g*) Debet enim is qui imperando delictum, fecit ut ſervus hanc noxam con-

(*h*) Legendum *habuerimus*.

(*i*) Is cui Furtum factum eſt.

(*k*) Qui ſcivit.

(*l*) Ei cui Furtum factum eſt.

(*m*) Qui ignoravit.

(*n*) Hæc erat ratio dubitandi. Enimverò & ille qui ignoravit, uſus dupli præſtatione poteſt omnium ſervorum Furtum expiare.

(*o*) Ratio decidendi in contrarium.

Source : BIU Cujas

verùm etiam adversùs emptorem duntaxat, si fortè quis eorum qui simul fecerant, vænierint. Idemque, & si fuerit manumissus.

Quòd si priùs fuerit ablatum à manumisso, tunc dabitur adversùs dominum Familiæ nomine. Nec enim potest dici, quod à manumisso præstitum est, quasi à Familiâ esse præstitum.

Planè si emptor præstiterit, puto denegandam in venditorem actionem. Quodammodo enim hoc à venditore præstitum est: ad quem nonnunquam regressus est ex hâc causâ; maximè si FURTI NOXAQUE solutum esse promisit. *l.* 3. ULP. LIB. 38. AD ED.

Sed an, si legati servi nomine, vel ejus qui donatus est, actum sit cum legatario, vel eo cui donatus est; agi possit etiam cum domino cæterorum, quæritur? Quod admittendum puto. *d. l.* 3. § 1.

TITULUS VII.

ARBORUM FURTIM CÆSARUM.

PPoponitur in hoc Titulo alia actio, ex delicto quoque descendens; & quidem ipsâ Lege XII. Tabularum proposita.

Videndum quando sit locus actioni ARBORUM FURTIM CÆSARUM, *cui & adversùs quem: deinde quid in ea præstandum veniat, quandiù duret, & cum quibus aliis actionibus concurrat.*

ARTICULUS I.

Quando hæc actio competat, cui & adversùs quem.

§ I.

Quodnam delictum hâc actione coërceatur.

Huic actioni locus est adversùs eos qui Arbores Furtim cæciderint, cinxerint, subsecuerint.

I.

Quocircà quæritur 1°. *Quid* ARBORUM *appellatione in hâc actione contineatur.*

Etiam Vitem, ARBORIS appellatione contineri plerique Veterum existimaverunt. *l.* 3. ULP. LIB. 42. AD SABIN.

Hederæ quoque & arundines, Arbores non malè dicentur. *d. l.* 3. § 1.

Idem de salicèto dicendum est. *d. l.* 3. § 2.

Sed si quis saligneas virgas instituendi salicti causâ defixerit; hæque, antequàm radices coegerint, succidantur, aut evellantur: rectè Pomponius scripsit, non posse agi de Arboribus succisis; cùm nulla Arbor propriè dicatur, quæ radicem non conceperit. *d. l.* 3. § 3.

Quòd si ex seminario, id est stirpitùs Arborem transtulerit; eam, quamvis nondum comprehenderit terram, ARBOREM tamen videri Pomponius libro decimo-nono Ad Sabinum probat. *d. l.* 3. § 4.

Ideò (*a*) ea quoque Arbor esse videtur, cujus radices desinent vivere; quamvis adhuc terrâ contineatur. Quam sententiam Labeo quoque probat. *d. l.* 3. § 5.

Labeo etiam eam ARBOREM rectè dici putat, quæ subversa à radicibus, etiam nunc reponi potest; aut quæ ita transtata est ut poni possit. *d. l.* 3. § 7.

Stirpes oleæ, ARBORES esse magis est; sive jam egerunt radices, sive nondum. *d. l.* 3. § 7.

Omnium igitur Arborum harum quas enumeravimus, nomine agi poterit. *d. l.* 3. § 8.

Certè non dubitatur; si adhuc adeò tenerum sit ut herbæ loco sit, non debere ARBORIS numero haberi. *l.* 4. GAIUS LIB. 1. AD LEG. XII. TABUL.

II.

Quæritur 2°. *quid sit* CÆDERE, CINGERE, & SUBSECARE.

CÆDERE est, non solùm succidere, sed etiam ferire cædendi causâ. *l.* 5. PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

Undè Etiamsi non tota Arbor cæsa sit, rectè tamen agetur quasi Cæsâ. *d. l.* 7. § 3. ULP. LIB. 38. AD ED.

CINGERE est deglabrare (*b*).

SUBSECARE est subsecuisse (*c*): non enim poterat cæcidisse intelligi, qui ferrâ secuisset. *sup. d. l.* 5. *pr.*

Quòd Si quis radicitùs Arborem evellerit, vel extirpaverit; hâc actione non tenetur: neque enim vel cædit, vel succidit, vel subsecuit. Aquiliâ tamen tenetur, quasi ruperit. *sup. d. l.* 7. § 2.

III.

Quæritur 3°. *quando* FURTIM *factum videatur?*

FURTIM Arborem cædit, qui clàm cædit. *l.* 8. § 1. PAUL. LIB. 39. AD ED.

Et FURTIM Cæsæ Arbores videntur: quæ ignorante domino celandique ejus causâ cæduntur. *sup. d. l.* 7. *pr.*

Nec esse hanc Furti actionem scribit Pedius; cùm & sine furto (*d*) fieri possit, ut quis Arbores Furtim Cædat. *d. l.* 7. § 1.

At Qui per vim sciente domino cædit, non incidit in hanc actionem. *d. l.* 8 § 3.

Non ideò minùs autem FURTIM *Cæsa Arbor videbitur; quòd, qui radices hujus cæcidit, eas in suo solo cæcidit.*

Enimverò Si Arbor in vicini fundum radices porrexit; recidere eas vicino non licebit: agere autem licebit NON ESSE ei jus, sicuti tignum aut protectum immissum habere. Si radicibus vicini, Arbor aletur; tamen ejus est, in cujus fundo origo ejus (*e*) fuerit. *l.* 6. § 2. POMP. LIB. 20. AD SABIN.

§ II.

Cui & adversùs quem hæc actio competat, & quandiù duret.

IV.

Ejus actionis eadem causa est, quæ est Legis Aquiliæ. *l.* 5. § 1. PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

Nobis igitur sicut actio Legis Aquiliæ competit ex damno in re nostrâ dato; ita quoque domino soli Arborum datur.

(*a*) Cùm nempè *Arbor* in hoc Edicto dicatur, etiam illa quæ stirpitùs translata nondum terræ coaluit radicibus; *ideò* & illa quoque cujus [licèt truncus *adhuc terrâ contineatur*] radices mortuæ sunt, nihilominùs rectè Arbor videtur & ad hoc Edictum pertinet.

(*b*) Decorticare. Budæus legit *deglubere*; eodem sensu.

(*c*) Quolibet modò. Itaque verbum illud quod generaliorem habet significationem, ideò additum est quia CÆDERE propriè dicitur is duntaxat qui securi ferit.

(*d*) Ut quum quis nocendi duntaxat causâ, non lucri faciendi gratiâ Arbores clàm cædit.

(*e*) Nec obstat quod in *Institut.* lib. 2. Tit. 1. § 31. dicitur, ejus Arborem videri in cujus fundo radices egit. Hoc enim intelligendum quum integras radices egit, ita ut omninò ex hoc solo Arbor alatur. Quòd si mea Arbor extremas duntaxat radices egerit in solo vicini: quamvis hæc indè aliquatenùs alatur; tamen mea manet; cùm in meo solo; & radicum maxima pars, & ergo Arboris sit.

Source : BIU Cujas

Ergo Is cujus usufructus est in fundo, hanc actionem non habet. *d. l.* 5. § 2.

Qui autem fundum vectigalem habet, hanc actionem habet: sicut Aquæ pluviæ arcendæ actionem, & Finium regundorum. *d. l.* 5. § 3.

Qui agrum vendidit (*a*), nihilominùs Furtim Arborum Cæsarum agere potest. *l.* 12. JAVOLEN. LIB. 15. EX CASSIO.

At si eadem Arbor plurium fuerit; universis duntaxat una & semel pœna præstabitur. *l.* 6. § 1. POMP. LIB. 20. AD SABIN.

V.

Competit hæc actio adversùs eum qui Arbores Furtim cæcidit.

Sive autem quis suis manibus, sive dum imperat servo Arbores cingi, subsecari, cædi, hâc actione tenetur. Idem & si libero imperet. *l.* 7. § 4. ULP. LIB. 38. AD EDICT.

Quòd si servo suo non præceperit dominus, sed ipse suâ voluntate id admiserit; Sabinus ait competere Noxale; ut in cæteris maleficiis. Quæ sententia vera est. *d. l.* 7. § 5.

Si plures eamdem Arborem Furtim Cæciderint, cum singulis in solidum agetur. *sup. d. l.* 6. *pr.*

Hæc actio etiamsi pœnalis sit, perpetua est. Sed adversùs heredem non datur. Heredi cæterisque successoribus dabitur. *sup. d. l.* 7. § 7.

ARTICULUS II.

Quid in hâc actione veniat, & cum quibus aliis actionibus concurrat.

V I.

Ex Lege Duodecim Tabularum (ut vid. in Commentario ad Tab. II. Cap. 5.) *qui hâc actione conveniebatur, viginti-quinque æris in singulas Arbores quas cæcidisset pendere damnabatur.*

Hinc, quum duæ Arbores invicem junctæ fuissent, scire intererat an una an gemina Arbor videretur. De quâ re ita Julianus: Si gemina Arbor esset, & supra terram junctura ejus emineret, una Arbor videtur esse. Sed si id quâ jungeretur non extaret; totidem Arbores sunt, quot species earum supra terram essent. *l.* 10. JULIAN. LIB. 3. EX MINICIO.

Hæc pœna viginti-quinque æris exolevit: in cujus locum, ex Edicto Prætoris successit actio de quâ in h. tit.

Condemnatio autem ejus, duplum continet. *l.* 7. § 7. ULP. LIB. 38. AD ED.

In faciendâ æstimatione; quanti domini interfit non lædi, ipsarumque Arborum pretium deduci oportet; & ejus quod supereſt, fieri æstimationem. *l.* 8. PAUL. LIB. 39. AD ED.

V I I.

Si Furtim Arbores Cæsæ sint; & ex Lege Aquiliâ; & ex Duodecim Tabularum dandam actionem Labeo ait. Sed Trebatius; ita utramque dandam, ut judex in posteriore deducat id quod ex primâ consecutus sit, & reliquo (*b*) condemnet. *l.* 1. PAUL. LIB. 9. AD SABIN.

Item cum Interdicto QUOD VI AUT CLAM *concurrit.* Sed si de Arboribus Cæsis ex Lege Aquiliâ actum sit; Interdicto QUOD VI AUT CLAM reddito absolvetur, si satis primâ condemnatione gravaverit reum: manente nihilominùs actione ex Lege Duodecim (*c*) Tabularum. *l.* 11. PAUL. LIB. 22. AD ED.

Interdum & aliis actionibus tenetur, qui Arbores Furtim cæcidit. Igitur si Cæciderit, & lucri faciendi causâ contrectaverit; etiam Furti tenebitur lignorum causâ, & Condictione (*d*), & Ad exhibendum. *l.* 8. § 2. PAUL. LIB. 39. AD ED.

Item Si colonus sit qui Cæciderit Arbores, etiam Ex locato cum eo agi potest. Planè unâ actione contentus esse debet (*e*) actor. *l.* 9. GAIUS LIB. 13. AD EDICT. PROVINC.

V I I I.

Sciendum est autem eos qui Arbores & maximè vites Cæciderint, etiam tanquam latrones puniri. *l.* 2. GAIUS LIB. 1. AD LEG. XII. TABUL.

Qui noctu fructiferas Arbores manu factâ cæciderint, ad tempus plerùmque in opus publicum damnantur; aut honestiores damnum sarcire coguntur (*f*), vel Curiâ submoventur vel relegantur. PAUL. SENTENT. *lib.* 5. *Tit.* 17. § *fin.*

(*a*) Et nondum tradidit.

(*b*) Vide suprà lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.* N. 66. & seq.

(*c*) In id scilicet quod plus continet actione *Legis Aquiliæ.*

(*d*) Furtiva.

(*e*) Scilicet, nisi quid plus esset in alterâ; quàm id quod consecutus est in primâ.

(*f*) Scilicet per actionem civilem; *vel*, si criminaliter agatur, *Curiâ*, *&c.* Nimirùm electio actoris est, utro judicio agere velit, an civili, an criminali: & unâ electâ altera tollitur; cùm judicium criminale de quo hic quæstio est, publicè non competat. Vide sup. d. Tit. *de Oblig. & act.* Art. fin.

TITULUS VIII.

VI BONORUM RAPTORUM, ET DE TURBA.

NOvum hîc delicti genus coercetur, nimirùm RAPINA *seu furtum rei mobilis per Vim ablatæ. Occasione autem hujus delicti; loquitur Prætor & de damno quod alicui in* TURBA *seu tumultu coactorum hominum datum est, sive in admittendo, sive in amittendo.*

Cætera porrò quæ ad Vim *pertinent, alibi expensa sunt; nimirùm de fundo undè quis per Vim dejectus est, suprà lib.* 43. *Tit.* de Vi & vi armatâ; *de eo autem opere quod* VI *factum est, ibid. Tit.* Quod vi aut clàm.

Quandoque in his omnibus Vis ipsa locum dat judiciis publicis DE VI: *sed de his infrà lib.* 48. *Tit.* de Vi publ. & de Vi privat.

ARTICULUS I.

De actione VI Bonorum Raptorum.

I.

Prætor ait: « SI CUI dolo malo hominibus coactis » damni quid factum esse dicetur, sive cujus Bona Rap- » ta esse dicentur; in eum qui id feciſſe dicetur, judi- » cium dabo. »

Item si servus feciſſe dicetur, in dominum judicium Noxale dabo. *l.* 2. ULPIAN. LIB. 56. AD ED.

Source : BIU Cujas

Hoc Edicto contra ea quæ Vi committuntur, conſuluit Prætor. Nam ſi quis ſe Vim paſſum docere poſſit, publico judicio DE VI (*a*) poteſt experiri: neque debere (*Florent.* debet) publico judicio (*b*) privatâ actione præjudicari quidam putant. Sed utilius viſum eſt, quamvis præjudicium Legi Juliæ DE VI PRIVATA fiat (*c*), nihilominùs tamen non eſſe denegandam actionem eligentibus privatam perſecutionem. *d. l.* 2. § 1.

Hæc actio vulgò VI BONORUM RAPTORUM dicitur. *d. l.* 2. § 17.

Circà hanc actionem quærendum 1°. *Quæ delicti ſpecies huic locum det, & in quibus rebus delictum illud admittatur:* 2°. *Quibus perſonis detur hæc actio, & adversùs quas:* 3°. *Quid in eâ veniat præſtandum.* 4°. *Cum quibus actionibus concurrat.*

§ I.

Quæ delicti ſpecies huic actioni locum det; & in quibus rebus poſſit illud admitti.

Actionem VI BONORUM RAPTORUM *pariunt furta & damna, quæ dolo malo per Vim coactis hominibus admittuntur.*

I I.

Igitur 1°. *requiritur dolus, nec ſufficeret violentia abſque dolo. Nam* Hâc actione is demùm tenetur, qui dolum malum adhibuit. *d. l.* 2. § 18.

Hinc Si publicanus pecus meum abduxerit, dum putat contra legem vectigalis aliquid à me factum; quamvis erraverit, agi tamen cum eo VI Bonorum Raptorum non poſſe Labeo ait [ſanè dolo (*d*) caret): ſi tamen ideo incluſit ne paſcatur, & ut fame periret; etiam Utili (*e*) Lege Aquiliâ *d. l.* 2. § 20.

Sed Si per Vim abductum pecus incluſerit quis, utique VI Bonorum Raptorum conveniri poterit. *d. l.* 2. § 21.

Cæterùm cùm dolo factum eſſe oporteat ut huic actioni locus ſit; hinc Vi Bonorum Raptorum actio in impuberem qui doli mali capax non eſt, non dabitur: niſi ſervus ipſius, vel familia ejus admiſiſſe proponantur; & ſervi & familiæ nomine, Noxali VI Bonorum Raptorum actione tenetur. *d. l.* 2. § 19.

I I I.

2°. *Præter dolum, requiritur pariter ut per Vim factum ſit, aut coactis hominibus; nec ſufficere dolus ſolus.*

Enimverò Doli mentio hîc, & VIM in ſe habet. Nam qui vim facit, dolo malo facit; non tamen qui dolo malo facit, utique & VI facit. Ita dolus habet in ſe & Vim & ſine Vi ſi quid callidè admiſſum eſt, æquè continebitur (*f*). *d. l.* 2. § 8.

Hinc interpretans Edictum Ulpianus ait: DAMNI, Prætor inquit. Omnia ergo damna continet, & clandeſtina? Sed non puto clandeſtina, ſed ea quæ violentiâ permixta ſunt.

Etiam quis rectè definiet, ſi quid ſolus admiſerit quis non Vi, non contineri hoc Edicto; & ſi quid hominibus coactis, etiam ſi ſine Vi (*g*), dummodò ſit dolo admiſſum, ad hoc Edictum ſpectare. *d. l.* 2. § 9.

I V.

Alterutrum autem cum dolo concurrere ſufficit, aut Vim aut coactos homines.

Hinc Ulpianus. Dolo autem malo facere poteſt, quod Edictum ait, non tantùm is qui Rapit; ſed & qui præcedente conſilio, ad hoc ipſum homines colligit armatos, ut damnum det, Bona-ve Rapiat. *d. l.* 2. § 2.

Vice versâ: Item ſi proponas SOLUM (*h*) damnum dediſſe; non puto deficere verba. Hæc enim [quod ait HOMINIBUS COACTIS] ut ſive ſolus Vim fecerit, ſive etiam hominibus coactis (*i*) ſic accipere debemus [etiam hominibus coactis), vel armatis vel inermibus, hoc Edicto teneatur. *d. l.* 2. § 7.

Quid ſit VI *facere, jam vidimus ſuprà lib.* 43. *Tit.* Quod vi aut clàm. *Videndum ſupereſt quis* HOMINIBUS COACTIS *facere videatur.* Homines coactos accipere debemus, ad hoc coactos ut damnum daretur. *d. l.* 2. § 4.

Neque additur, quales homines: qualeſcumque, ſive liberos, ſive ſervos. *d. l.* 2. § 5.

Sed etſi unus homo coactus ſit, adhuc dicemus homines coactos. *d. l.* 2. § 6.

Pariter nil refert à quo homines fuerint coacti. Sive igitur ipſe quis cogat homines, ſive ab alio coactis utitur ad Rapiendum; dolo malo facere videtur. *d. l.* 2. § 3.

Proindè Si quis non homines ipſe coegerit, ſed inter coactos ipſe fuerit; & quid aut Rapuerit, aut damni dederit; hâc actione tenetur.

Sed utrùm hoc ſolùm contineat Edictum, quod dolo malo hominibus à reo coactis damnum datum ſit, vel Raptum: an verò quod dolo malo rei Raptum vel damnum datum ſit, licèt ab alio homines ſint coacti, quæritur; Et meliùs eſſe dicitur, etiam hoc contineri; ut omnia hæc contineantur, & quod ex coactis ab alio damnum datum ſit: ut, & is qui coegit, & ſi qui coactus eſt, contineri videatur. *d. l.* 2. § 12.

V.

His verbis Edicti, VEL CUJUS BONA RAPTA ESSE DICUNTUR; quod ait Prætor BONA RAPTA, ſic accipiemus, etiamſi una res ex bonis Rapta ſit. *d. l.* 2. § 11.

V I.

Porrò de his demùm rebus quarum furtum fieri poteſt, hæc actio datur.

Hinc 1°. *de mobilibus duntaxat. Undè Gordianus.* Vi Bonorum Raptorum actionem quæ cum pœnâ ſuâ retrahit ablata, potiùs ad mobilia moventiaque, quàm ad fundos per injuriam occupatos, ſpectare; explorati Juris (*k*) eſt. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

2°. Si quis igitur ſuam rem rapuit, Vi quidem Bonorum Raptorum non tenebitur (*l*), ſed aliter mulctabitur (*m*).

Sed & ſi quis fugitivum ſuum, quem bonâ fide aliquis poſſidebat, Rapuit; æquè hâc actione non tenebitur, quia rem ſuam aufert.

Quid ergo ſi ſibi obligatam? Debebit teneri. *l.* 2. § 18. ¶ *ſi quis igitur.* ULP. LIB. 56. AD ED.

§ I I.

Quibus competat actio Vi Bonorum Raptorum *& adversùs quos.*

V I I.

Hæc actio non ſolùm domino datur, ſed & cuicumque cujus intererat rem ſibi non auferri.

Igitur In hâc actione, non utique ſpectamus rem in bonis actoris eſſe. Sive in bonis ſit, ſive non ſit; ſi

(*a*) Legis Juliæ DE VI; de quâ infrà lib. ſeq.

(*b*) Id eſt, criminale judicium non debere tolli aut inane reddi per actionem privatam & civilem.

(*c*) Interim dum agitur privatâ actione. Eâ verò peractâ non prohibetur actor judicio publico experiri: ut vid. ſupra lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.* N. 70 & 72. Ita hunc textum interpretantur Joannes & poſt eum Bartolus.

(*d*) Nec enim habet animum faciendi injuriam.

(*e*) Cur *Utili?* vide ſuprà lib. 9. Tit. *Ad Leg. Aquil.* Sect. 1. Art. 3. §°. 2°.

(*f*) *Continebitur* ſcilicet ſub appellatione DOLI. Cæterùm ad hoc Edictum non pertinebit.

(*g*) Putà, quia nemo erat qui prohiberet. Vis enim propriè in prohibentem admittitur: ut vid. ſuprà lib. 43. Tit. *Quod vi aut clàm.*

(*h*) *Solum* quidem hominem, ſed tamen per vim.

(*i*) Mendoſa lectio, & manifeſtè ſuperflua verborum quorumdam repetitio. Sic videtur legendum & tranſponendum: *Hæc enim ſic accipere debemus* [*quod ait*, HOMINIBUS COACTIS]; *ut ſive ſolus vim fecerit, ſive etiam hominibus coactis vel armatis vel inermibus, &c.*

(*k*) Ratio eſt quòd Rapina eſt ſpecies furti. Furtum autem non cadit niſi in res mobiles: ſuprà Tit. *de Furtis* N. 28.

(*l*) Nam furtum ſuæ rei eſſe non poteſt: d. Tit. *de Furtis* N. 35. ergo nec rapina, quæ eſt ſpecies furti. Hoc ſenſu ait Juſtinianus *Inſtit.* h. tit. eum abſolvi debere, ſcilicet ab hâc actione; non autem; quòd ei omninò impune eſſe debeat.

(*m*) Etiam in re ſuâ vis adhibita punitur; cùm unuſquiſque res ſuas jure judicioque repoſcere, non verò per vim auferre debeat. Pœna autem eſt, ex Conſtitutione Valentiniani & Theodoſii, ut rei ſuæ dominio excidat: infrà lib. 48. Tit. *Ad L. Jul.* DE VI *privatâ.*

Source : BIU Cujas

tamen ex (*a*) bonis sit, locum hæc actio habebit. Quare sive commodata res sit, sive locata, sive etiam pignorata proponatur; sive depositа apud me, sic ut interfit meâ eam non auferri (*b*); sive bonâ fide à me possideatur, sive usumfructum in eâ habeam, vel quod aliud jus, ut interfit meâ non Rapi dicendum est competere mihi hanc actionem. Ut non dominum accipiamus; sed illud solùm, EX BONIS MEIS, hoc est ex substantiâ meâ, res ablata esse proponatur. *d. l.* 2. § 22.

Et generaliter dicendum est; Ex quibus causis FURTI mihi actio competit in re clàm factâ, ex iisdem causis habere me actionem.

Dicet aliquis: Atquin ob rem depositam, Furti actionem non habemus (*c*)? Sed ideò addidi, SI INTERSIT nostrâ non esse Raptam. Nam & Furti actionem habeo. *d. l.* 2. § 23.

V. G. Si in re depositâ culpam quoque repromisi, vel pretium depositionis non quasi mercedem (*d*) accepi. *d. l.* 2. § 24.

Et generaliter: Utiliùs dicendum est, etsi cessет actio Furti (*e*) ob rem depositam, esse tamen Vi Bonorum Raptorum actionem. Quia non minima differentia est inter eum qui clàm facit, & eum qui Rapit; cùm ille celet suum delictum; hic publicet, & crimen etiam publicum admittit. Si quis igitur intereſſe suâ vel modicè docebit, debet habere Vi Bonorum Raptorum actionem. *d.* § 24. ¶ *utiliùs.*

VIII.

Observandum etiam, ut alicui hæc actio competat, nil referre an ipsi an ei per quem possidebat res Rapta sit.

Igitur Si fugitivus meus quasdam res instruendi sui causâ emerit, eæque Raptæ sint; quia in bonis meis hæ sunt res, possum de his Vi Bonorum Raptorum actione agere. *d. l.* 2. § 25.

IX.

Hæc actio heredi cæterisque successoribus dabitur. Adversùs heredes autem vel cæteros successores non dabitur: quia pœnalis actio in eos non datur.

An tamen in id quod locupletiores facti sunt dari debeat, videamus? Et ego puto ideò Prætorem non esse pollicitum in heredes, IN ID quod ad eos pervenit; quia putavit sufficere (*f*) Condictionem. *d. l.* 2. § 27.

X.

Si plures alicujus servi Vi quid Rapuerunt damnum-ve dederunt, Hæc actio etiam familiæ nomine competit; non impositâ necessitate ostendendi qui sunt ex familiâ homines qui Rapuerunt, vel etiam damnum dederunt (*g*).

FAMILIÆ autem appellatio servos continet; hoc est eos qui in ministerio sunt, etiamsi liberi esse proponantur, vel alieni bonâ fide nobis servientes. *d. l.* 2. § 14.

Hâc actione non puto posse actorem, singulorum servorum nomine agere adversùs dominum eorum; quia sufficit dominum semel (*h*) quadruplum offerre. *d. l.* 2. § 15.

Ex hâc actione; noxæ deditio non totius familiæ, sed eorum tantùm vel ejus qui dolo feciſſe comperietur, fieri debet. *d. l.* 2. § 16.

§ III.

Quid veniat in hâc actione, & intra quod tempus detur.

XI.

In hâc actione, intrà annum utilem verum pretium rei quadruplatur (*i*); non etiam quod intereſt. *d. l.* 2. § 13.

Et Non prodest ei qui Vi Rapuit, ad evitandam pœnam, si ante judicium restituat rem quam Rapuit. *l.* 5. GAIUS LIB. 21. AD ED. PROVINC.

XII.

Circa annum utilem intrà quem hæc actio datur, observa quòd; Si servus Rapuerit, & cum libero agatur; etiamsi cum domino experiundi potestas fuit, non rectè cum manumisso post annum agetur: quia, cum quocumque experiundi potestas fuerit, excluditur actor. Et, si cum domino intrà annum actum sit, deinde cum manumisso agatur; Rei judicatæ exceptionem (*k*) nocere Labeo ait. *l.* 3. PAUL. LIB. 54. AD ED.

§ IV.

Cum quibus actionibus concurrat hæc actio.

XIII.

Cæterùm neque Furti actio, neque Legis Aquiliæ contributæ sunt in hoc Edicto; licèt interdum communes sint cum Edicto. Nam Julianus scribit; Eum qui Vi Rapit, furem esse improbiorem. Et, si quid damni coactis hominibus dederit, utique etiam Aquiliâ poterit teneri. *l.* 2. § 10. ULP. LIB. 56. AD. ED.

Rerum Raptarum nomine, etiam Furti, vel Damni injuriæ, vel Condictione agi potest: vel certè singulæ res vindicari possunt. *d. l.* 2. § 26.

Et quidem plerùmque rerum Raptarum nomine, FURTI MANIFESTI *actione agi potest.*

Undè Papinianus. Quum Raptor omnimodo furtum facit, manifestus fur existimandus est. *l.* 80. (*Aliàs* 82.) § 3. *ff. de Furt.* PAPIN. LIB. 12 QUÆST.

Hoc tamen non semper verum est, ut Raptor sit fur manifestus & FURTI MANIFESTI *teneatur. V. G.* Si quis ex domo in quâ nemo erat, Rapuerit (*l*); actione DE Bonis Raptis in quadruplum convenietur, Furti non manifesti, videlicèt si nemo eum deprehenderit tollentem. *l.* 52. § *fin.* (*Aliàs lex* 54. IDEM LIBRO 38.) *ff. de Furt.* ULP. LIB. 37. AD ED.

A fortiori quum Edicto locus est adversùs eum qui ipse non Rapuit. V. G. Is autem cujus dolo fuerit Raptum Furti quidem non tenebitur, sed Vi Bonorum Raptorum *sup. d. l.* 80. § 4. *ff. de Furt.*

ARTICULUS II.

De Turbâ.

XIV.

Prætor ait: « CUJUS dolo malo in Turbâ damnum

(*a*) Rerum quæ *Ex bonis* non *In bonis* sunt, mox subjicit exempla.

(*b*) Quia V. G. speciali pacto exactam custodiam in me recipi; mox infrà *d. l.* 15. § 24.

(*c*) Ergo suprà non rectè dictum est, locum habere *Vi Bonorum Raptorum* actionem, si res apud nos depositа nobis rapiatur? Ad hanc Objectionem sic respondet; non indistinctè dixi, in re depositâ locum esse *Vi Bonorum Raptorum* actioni: *sed addidi*, SI INTERSIT, *&c.*

(*d*) Alioquin non esset depositum, sed locatio.

(*e*) Supradictis modò duobus casibus, depositario competit & actio *Furti*: unde & eos uno contextu cum præcedenti legis §°. legendos monet Cujacius. Sed *etsi* cessaret in aliis quibuscumque; modo aliquatenùs nostrà interfit rem apud nos depositam, non fuisse raptam, *Utiliùs dicendum est, &c.*

(*f*) Scilicet actiones pœnales & mixtæ non aliter dantur in heredes, in id quod ad ipsos pervenit; quàm quum alia actio non suppetit; cùm ergo in hâc specie suppetat *Condictio furtiva*, non debet dari actio *Vi Bonorum Raptorum.* Nec obstat lex un. Cod. *Ex del. defunct.* ubi dicitur successores ejus qui vim fecit, in id quod pervenit teneri. Hoc enim non de *Vi Bonorum Raptorum*; sed de Vi coactivâ intelligendum est.

(*g*) Quum *Familia*, id est plures servi coeunt ad aliquid Rapiendum aut ob damnum dandum, non est necesse demonstrare quis præcisè ex illis rem abstulerit, aut damnum dederit. Hoc enim ipso quòd coierint, omnes Rapuisse aut damnum dedisse videntur.

(*h*) Ex Edicto de quo suprà Tit. *Si familiæ furt. fec. dic.*

(*i*) In quo quadruplo inest ipsa res: *Instit.* h. tit. *pr.* Et in eo minor est pœna hujus actionis, quàm pœna furti manifesti. Non tamen ideò minùs punitur Raptor, cùm præteerà obnoxius sit judicio publico *de Vi.*

(*k*) Manumissus enim, quoad actionem noxalem succedit suo domino adversùs quem competebat. Unde actio quæ adversùs dominum mota est, quum adversùs eum manumissum rursùs movetur, videtur de eâdem re & inter eàsdem personas moveri. Vide suprà lib. 42. Tit. *de Except. rei judic.* N. 22.

(*l*) Coactis hominibus.

Source : BIU Cujas

» quod factum esse dicetur; in eum, in anno quo pri-
» mùm de eâ re experiundi potestas fuerit, in duplum;
» post annum, in simplum, judicium dabo. » *l.* 4. ULP. LIB. 56. AD ED.

§ I.

Quando actioni ex hoc Edicto locus sit.

X V.

Loquitur autem hoc Edictum de damno dato, & de amisso: de Rapto non; sed superiori Edicto, VI bonorum Raptorum agi poterit. *d. l.* 4. § 9.

AMISSA autem dicuntur ea quæ corrupta alicui relinquuntur, scissa fortè vel fracta. *d. l.* 4. § 10.

At verò ut huic actioni locus sit, non sufficit datum esse damnum: oportet ut in Turbâ datum sit. Nam Hoc Edictum de eo damno proponitur, quod quis in Turbâ dedit. *d. l.* 4. § 1.

Docereque actor, in Turbâ damnum esse datum, debet. Cæterùm si alibi datum sit quàm in Turbâ, cessabit hæc actio. *d. l.* 4. § 12.

TURBAM autem appellatam Labeo ait ex genere tumultûs: idque verbum ex Græco tractum ἀπὸ τοῦ θορυβεῖν [*id est*, à tumultuando.] *d. l.* 4. § 2.

Turbam autem ex quo numero admittimus? Si duo rixam commiserint, utique non accipiemus in Turbâ id factum: quia duo, TURBA non propriè dicentur. Enimverò si plures fuerunt, decem aut quindecim homines; TURBA dicetur. Quid ergo si tres aut quatuor? Turba utique non erit. Et rectissimè Labeo inter TURBAM & RIXAM multùm interesse ait. Namque Turbam, multitudinis hominum esse Turbationem & cœtum; RIXAM, etiam duorum. *d. l.* 4. § 3.

§ II.

Quis hâc actione teneatur.

X V I.

Hoc autem Edicto tenetur, non solum qui damnum in Turbâ dedit, sed & is qui dolo malo fecerit ut in Turbâ damni quid daretur, sive illò venerit; sive non fuerit præsens (*a*), dolus enim absentis esse potest. *l.* 4. § 4. ULP. LIB. 56. AD ED.

Item Hoc Edicto dicendum est etiam eum teneri, qui venit & in Turbâ fuit auctor damni dandi: si tamen & ipse inter Turbam fuit quum damnum daretur, & dolo malo fuit. Nam & hujus dolo malo, in Turbâ damni quid factum esse negari non potest. *d. l.* 4. § 5.

X V I I.

Si quis adventu suo Turbam concitavit vel contraxit, vel clamore, vel facto aliquo, vel dum criminatur aliquem, vel dum misericordiam provocat; si dolo malo ejus damnum datum sit, etiamsi non habuit consilium Turbæ cogendæ, tenetur: verum est enim dolo malo ejus in turbâ damni quid datum. Neque enim exigit Prætor, ut ab ipso sit Turba convocata, sed hoc, ut dolo alicujus in Turbâ damnum datum sit. Eritque hæc differentia inter hoc Edictum & superius; quòd ibi de eo damno Prætor loquitur quod dolo malo hominibus coactis datum est, vel Raptum etiam non coactis hominibus: at hîc de eo damno quod dolo malo in Turbâ datum est, etiamsi ipse Turbam non coegit; sed ad clamorem ejus, vel dicta, vel misericordiam, Turba contracta est; vel si alius contraxit, vel ipse ex Turbâ fuit. *d. l.* 4. § 6.

Hinc Si quum servum meum Titius pulsaret, Turba fuerit collecta; isque servus in eâ Turbâ aliquid perdiderit: cum eo qui pulsabat, agere possum; quippè cùm in Turbâ dolo malo damnum datum sit. Sic tamen, si ut damnum daret, ideò cœperat cædere: cæterùm si alia causa verberandi fuit, cessat actio. *d. l.* 4. § 13.

X V I I I.

Vice versâ is qui Turbam dolo convocavit, tenetur de damno quod in Turbâ datum fuit; quamvis non habuerit consilium damni dandi.

Putà Sed & si quis ipse Turbam convocasset, ut Turbâ coràm servum verberaret injuriæ (*b*) faciendæ causâ, non damni dandi consilio; locum habet Edictum (*c*). Verum est enim eum qui per injuriam verberat, dolo facere; eum qui causam præbuit damni dandi, damnum dedisse. *d. l.* 4. § 14.

X I X.

In servum autem (*d*) & in familiam Prætor dat actionem. *d. l.* 4. § 15.

Et Quæ de heredibus cæterisque successoribus, in VI Bonorum Raptorum actione diximus; & hîc erunt repetita. *d. l.* 4. § 16.

§ III.

Quæ pœna in hoc judicio præstanda veniat.

X X.

Hæc autem actio In factum est, & datur in duplum Quanti ea res erit: quod ad pretium verum rei refertur, & præsentis temporis fit æstimatio. Et semper in duplum intrà annum est. *d. l.* 4. § 11.

Igitur pœna hujus Edicti minor est, quàm superioris quo vindicatur factum atrocius. Idcircò illud quidem Edictum propter atrocitatem facti, quadrupli pœnam comminatur; at hoc, dupli. *d. l.* 4. § 7.

Sed & hoc & illud intrà annum tribuit experiundi facultatem, post annum in simplum competit. *d. l.* 4. § 8.

(*a*) In ipso loco ubi damnum datum est; tamen fuit in Turbâ: ut liquet ex §°. seq. Locus in quo fit Turba, potest habere majorem latitudinem quàm locus in quo damnum datur. Ita Glossa conciliat hunc §*um.* cum §°. seq. ¶ *si tamen.*

(*b*) Contumeliæ.

(*c*) Si damnum datum sit; quamvis is qui Turbam concitavit, contumeliæ faciendæ duntaxat consilium habuerit.

(*d*) Cujacius censet legendum, *item.* Porrò sensus est: vel unius servi, *item* familiæ nomine, hanc actionem dari; scilicet *Noxalem* in dominum; vel etiam ipsum servum aut familiam posse eo nomine accusari, & extra ordinem puniri.



Source : BIU Cujas

TITULUS IX.

DE INCENDIO, RUINA, NAUFRAGIO, RATE, NAVE EXPUGNATA.

DE aliâ quoque ſpecie furti & damni dati, hîc proponitur ſpeciale Prætoris Edictum; cum nonnullis Conſtitutionibus ad eamdem materiam, Naufragia ſcilicet & Incendia, damnumque quod eorum occaſione datum eſt, pertinentibus.

ARTICULUS I.

De Edicto Prætoris circa furta & damna quæ Incendio, Ruinâ, Naufragio, Rate aut Nave Expugnatâ, fiunt.

I.

Prætor ait: « IN EUM qui ex Incendio, Ruinâ, Nau» fragio, Rate, Nave Expugnatâ, quid rapuiſſe, re» cepiſſe dolo malo, damni-ve quid in his rebus dediſſe » dicetur; in quadruplum in anno, quo primùm de eâ » re experiundi poteſtas fuerit; poſt annum, in ſim» plum judicium dabo.

» Item in ſervum & in familiam judicium dabo. » *l.* 1. ULP. LIB. 56. AD ED.

II.

Hujus Edicti utilitas evidens, & juſtiſſima ſeveritas eſt: ſi quidem publicè intereſt, nihil rapi ex hujuſmodi caſibus. Et quanquàm ſint de his facinoribus, etiam criminum executiones; attamen rectè Prætor fecit, qui forenſes (*a*) quoque actiones criminibus iſtis præpoſuit (*b*). *d. l.* 1. § 1.

Et Hæ actiones heredibus dantur. In heredes eatenùs dandæ ſunt, quatenùs ad eos pervenit. *l.* 4. § 2. PAUL. LIB. 5. AD ED.

§ I.

De quibus delictis hoc Edictum ſit propoſitum.

III.

Non ſolùm autem qui rapuit, ſed & qui abſtulit vel amovit vel dandum dedit, vel recepit, hâc actione tenetur. *l.* 3. § 4. ULPIAN. LIB. 56. AD ED.

Aliud autem eſſe, RAPI, aliud AMOVERI palàm eſt; ſi quidem amoveri aliquid etiam ſine vi poſſit, rapi autem ſine vi non poteſt. *d. l.* 3. § 5.

Non tantùm qui rapuit, verùm is quoque qui recepit, ex cauſis ſuprà ſcriptis tenetur: quia receptores non minùs delinquunt, quàm adgreſſores. *d. l.* 3. § 3.

IV.

Sedenim additum eſt, DOLO MALO: quia non omnis qui recipit, ſtatim etiam delinquit; ſed qui dolo malo recipit. Quid enim ſi ignarus recipit? Aut quid ſi ad hoc recipit ut cuſtodiret, ſalvaque faceret ei qui amiſerat? Utique non debet teneri. *d.* § 3.

Similiter Quod ait Prætor de damno dato, ita demùm locum habet ſi dolo malo damnum datum ſit. Nam ſi dolus malus abſit, ceſſat Edictum. Quemadmodum ergo procedit quod Labeo ſcribit; Si defendendi mei causâ vicini ædificium orto Incendio diſſipaverim; & meo nomine, & familiæ, judicium in me dandum? Cùm enim defendendarum mearum ædium causâ fecerim, utique dolo careo. Puto igitur non eſſe verum quod Labeo ſcribit. An autem Lege Aquiliâ agi cum hoc poſſit? Et non puto agendum. Nec enim injuriâ hoc fecit; qui ſe tueri voluit, cùm aliàs non poſſet. Et ita Celſus ſcribit. *d. l.* 3. § 7.

§ II.

Quibus caſibus delicta ſuprà enumerata hoc Edicto vindicentur.

V.

Quatuor caſibus delicta ſuprà enumerata vindicantur hoc Edicto.

1^us. *Caſus eſt, Incendii. Quod porrò ait Prætor* EX INCENDIO, quemadmodum accipimus? utrùm ex ipſo igne, an verò ex eo loco ubi Incendium fit? Et meliùs ſic accipietur, propter Incendium; hoc eſt, propter tumultum Incendii; vel trepidationem Incendii rapi. Quemadmodum ſolemus dicere in bello amiſſum, quod propter cauſam belli amittitur. Proindè ſi ex adjacentibus prædiis ubi Incendium fiebat, raptum quid ſit; dicendum ſit, Edicto locum eſſe: quia verum eſt ex Incendio rapi. *l.* 1. § 2. ULP. LIB. 56. AD ED.

2^us. *Caſus eſt, Ruinæ. Et* Item RUINÆ appellatio refertur ad id tempus quo Ruina fit; non tantùm ſi ex his quæ ruerunt tulerit, quis, ſed etiam ſi ex adjacentibus. *d. l.* 1. § 3.

VI.

3^us. *Caſus eſt, Naufragii; juxta quod* Item ait Prætor SI QUID EX NAUFRAGIO. Hîc illud quæritur; utrùm ſi quis eo tempore tulerit, quo Naufragium fit; an verò & ſi alio tempore, hoc eſt, poſt Naufragiumque? Nam res ex Naufragio etiam hæ dicuntur, quæ in littore poſt Naufragium jacent. Et magis eſt, ut de eo tempore, *d. l.* 1. § 5.

Et loco, *l.* 2. GAIUS LIB. 21. AD ED. PROVINC. Quo Naufragium fit vel factum eſt, ſi quis rapuerit; incidiſſe in hoc Edictum videatur.

Qui autem rem in littore jacentem, poſteaquàm Naufragium factum eſt, abſtulit; in eâ conditione eſt, ut magis fur ſit quàm hoc Edicto teneatur: quemadmodum is qui, quod de vehiculo excidit, tulit. Nec rapere videtur, qui in littore jacentem tollit. *l.* 3. ULP. LIB. 56. AD ED.

Conſonat quod ait Pedius, Poſſe etiam dici ex Naufragio rapere, qui, dum Naufragium fiat, in illâ trepidatione rapiat. *l.* 4. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Obſervandum quòd, NAUFRAGIUM *appellamus & quum Navis ejecta eſt. Igitur* Qui ejectâ Nave quid rapuit, hoc Edicto tenetur. Ejecta, hoc eſt quod Græci aiunt ΕΞΕΒΡΑΣΘΗ. *ſup. d. l.* 3. § 6.

VII.

4^us. *Caſus eſt, Ratis aut Navis Expugnatæ.*

Deinde ait Prætor, RATE NAVE EXPUGNATA. Expugnare videtur, qui in ipſo quaſi prælio & pugnâ adversùs Navem & Ratem, aliquid rapit; ſive expugnet; ſive prædonibus expugnantibus rapiat. *d. l.* 3. § 1.

(*a*) Id eſt, civiles.

(*b*) Scilicet quibus ad criminalia judicia publica, nimirùm De VI *publicâ* aut *privatâ*, via ſterneretur.

Source : BIU Cujas

Expugnatur Navis, quum ſpoliatur, aut mergitur, aut diſſolvitur, aut pertunditur, aut funes ejus præciduntur, aut vela conſcinduntur, aut ancoræ involantur (*a*) de mare. *l.* 6. CALLISTRAT. LIB. 1. EDICTI MONITORII.

Caſus Expugnatæ Navis, per interpretationem ad caſum Expugnatæ domûs aut villæ productus eſt. Enimverò Labeo ſcribit; Æquum fuiſſe ut, ſive de domo ſive in villâ Expugnatis aliquid rapiatur, huic Edicto locus ſit. Nec enim minùs in mari quàm in villâ, per latrunculos inquietamur, vel infeſtari poſſumus. *l.* 3. § 2. ULPIAN. LIB. 56. AD ED.

VIII.

Apparet his omnibus caſibus illud eſſe commune, ut in ipſo caſu delictum factum eſſe oporteat.

Hinc Si quis ex Naufragio vel ex Incendio Ruinâ-ve ſervatam rem, & alio loco poſita n ſubtraxerit aut rapuerit; FURTI ſcilicet, aut aliàs VI bonorum raptorum judicio tenetur; maximè ſi non intelligebat, ex Naufragio, vel Incendio, Ruinâ-ve eam eſſe. Jacentem quoque rem ex Naufragio, quæ fluctibus expulſa ſit, ſi quis abſtulerit; plerique idem putant. Quod ita verum eſt, ſi aliquod tempus poſt Naufragium interceſſerit: alioquin ſi in ipſo Naufragii tempore id acciderit; nihil intereſt, utrùm ex ipſo mari quiſque rapiat, an ex Naufragiis, an ex littore.

De eo quoque quod ex Rate, Nave Expugnatâ raptum ſit, eamdem interpretationem adhibere debemus. *l.* 5. GAIUS LIB. 21. AD ED. PROVINC.

IX.

Circa hos omnes caſus obſervandum ſupereſt; ſolam eorum ſuſpicionem, huic Edicto locum non facere.

Hinc Ulpianus: Si ſuſpicio fuit Incendii vel Ruinæ, Incendium vel Ruina non fuit; videamus an hoc Edictum locum habeat? Et magis eſt, ne habeat: quia neque ex Incendio neque ex Ruinâ quid raptum eſt. *l.* 1. § 4. ULP. LIB. 56. AD ED.

ARTICULUS II.

De variis Conſtitutionibus circa Naufragia & Incendia.

X.

Senatuſconſultum Claudianis temporibus factum eſt; ut SI quis ex Naufragio clavos, vel unum ex his abſtulerit, omnium rerum nomine teneatur (*b*).

Item alio Senatuſconſulto cavetur; Eos quorum fraude aut conſilio naufragi (*c*) ſuppreſſi per vim fuiſſent, ne Navi vel iis periclitantibus opitulentur, Legis Corneliæ quæ DE SICARIIS lata eſt pœnis adficiendos. Eos autem qui quid ex miſerrimâ Naufragiorum fortunâ rapuiſſent, lucrati-ve fuiſſent dolo malo; in quantùm Edicto Prætoris actio daretur, tantùm & fiſco dare debere. *l.* 3. § 8. ULP. LIB. 56. AD ED.

XI.

Ne quid ex Naufragiis diripiatur, vel quis extraneus interveniat colligendis eis, multifariàs proſpectum eſt. Nam & Divus Hadrianus Edicto præcepit; ut hi qui juxta littora maris poſſident; ſcirent, ſi quando Navis vel inficta (*Aliàs* infixa) vel fracta inter fines agri cujuſque fuerit, ne Naufragia deripiant; in ipſos judicia Præſides his qui res ſuas direptas queruntur, reddituros; ut quidquid probaverint ademptum ſibi Naufragio, id à poſſeſſoribus recipiant. De his autem quos deripuiſſe probatum ſit, Præſidem ut de latronibus gravem Sententiam dicere.

Ut facilior ſit probatio hujuſmodi admiſſi; permiſit his, & quidquid paſſos ſe hujuſmodi queruntur, adire Præfectum (*Florent.* Præfectos); & ad eum teſtari, reoſque petere: ut pro modo culpæ, vel vincti (*d*) vel ſub fidejuſſoribus, ad Præſidem remittantur. A domino quoque poſſeſſionis in quâ id admiſſum dicatur, ſatis accipi (NE cognitioni deſit) præcipitur.

Sed nec intervenire Naufragiis colligendis, aut militem aut privatum, aut libertum ſervum-ve Principis; placere ſibi, ait Senatus. *l.* 7. CALLISTRAT. LIB. 2. QUÆST.

Divus Antoninus de his qui prædam ex Naufragio diripuiſſent, ita reſcripſit: « QUOD de Naufragiis Navis » & Ratis ſcripſiſti mihi; eò pertinet, ut explores quâ » pœnâ adficiendos eos putem, qui diripuiſſe aliqua » ex illo probantur. Et facilè (ut opinor) conſtitui » poteſt. Nam plurimùm intereſt, peritura collegerint; » an quæ ſervari poſſint, flagitiosè invaſerint. Ideòque, » ſi gravior præda vi adpetita videbitur; liberos quidem fuſtibus cæſos in triennium relegabis; aut ſi ſordidiores erunt, in opus publicum ejuſdem temporis » dabis; ſervos flagellis cæſos, in metallum damnabis. Si non magnæ pecuniæ res fuerint; liberos fuſtibus; ſervos flagellis cæſos dimittere poteris. Et omninò, ut in cæteris, ita hujuſmodi cauſis, ex perſonarum conditione & rerum qualitate, & diligenter » ſunt æſtimandæ; ne quid aut duriùs aut remiſſiùs » conſtituatur, quàm cauſa poſtulabit. » *l.* 4. § 1. PAUL. LIB. 5. AD ED.

XII.

Proviſum eſt quoque ne quis prohiberetur Naufragium ſuum colligere.

Hinc Ulpianus. Licere unicuique Naufragium ſuum impunè colligere, conſtat. Idque Imperator Antoninus cum Divo patre ſuo reſcripſit. *l.* 12. ULP. LIB. 8. DE OFFICIO PROCONSULIS.

Reſcripti hæc verba ſunt; perperàm in Collice Juſtinianeo, Conſtantini nomine inſcripta (*e*). Si quando Naufragio Navis expulſa fuerit ad littus; vel ſi quando aliquam terram attigerit; ad dominum pertineat; fiſcus (*f*) meus ſeſe non interponat. Quod enim jus habet fiſcus in alienâ calamitate? ut de re tam luctuosâ compendium ſectetur. *l.* 1. *Cod. de Naufrag.*

XIII.

De piſcatoribus autem qui navigantes fallunt, ita Ulpianus. Ne piſcatores nocte lumine oſtenſo fallant navigantes, quaſi in portum aliquem delaturi, eoque modo in periculum Naves & qui in eis ſunt, deducant, ſibique execrandam prædam parent; Præſidis provinciæ religioſa conſtantia efficiat. *l.* 10. ULP. LIB. 1. OPINION.

XIV.

Hactenùs de Naufragiis.

De Incendiis etiam Leges proditæ ſunt. Ait enim Gaius.

(*a*) Id eſt, furantur; paſſivè. Aliàs *involvuntur.*

(*b*) Meritò hoc ſingulariter conſtitutum eſt, quia ex furto clavi [*le Gouvernail*] totius navis periculum ſequitur.

(*c*) Id eſt, opem contra Naufragium afferentes.

(*d*) Vide infrà lib. 48. Tit. *de Cuſtod. & exhib. reor.*

(*e*) Ita cenſet Cujacius, hanc legem eſſe Antonini; cujus nomine inſcriptam illam in veteri Manuſcripto teſtatur & Contius.

(*f*) Seldenus *de Mari clauſo* lib. 1. Capp. 24 & 25. cenſet, ante hanc Conſtitutionem, fiſcum ſibi res Naufragas & in littus ejectas, etiam excluſis dominis qui eas amiſerant, ſibi vindicaſſe. Hoc jus ex Rhodiorum Legibus deſcendere ſuſpicatur: & eo jure nixos fuiſſe Publicanos, quos Eudemones ſuas Naufragio amiſſas diripuiſſe queritur; de quâ re Antoninum-Pium ſimpliciter reſcripſiſſe, ut res ex Rhodiorum Legibus judicaretur: l. 9. ff. *de Lege Rhod.* Sed hoc tantùm mihi ex his quæ ille collexit teſtimoniis probari videtur; res Naufragas, ſi dominus non appareat qui de domino ſuo probaverit, fiſco vindicari; quemadmodum fiſco vindicatur theſaurus in loco publico inventus.

Source : BIU Cujas

Qui datâ operâ in civitate Incendium fecerint; ſi humiliore loco ſint, beſtiis objici ſolent; ſi in aliquo gradu id fecerint, capite puniuntur, aut certè in inſulam deportantur. *ſup. d. l.* 12. § 1.

Quòd Si fortuitò Incendium factum ſit, veniâ indiget; niſi tam lata fuit culpa, ut luxuriæ aut dolo ſit proxima. *l.* 11. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Item Gaius ait. Qui ædes acervum-ve frumenti juxta domum poſitum combuſſerit; vinctus, verberatus, igni necari jubetur, ſi modò ſciens prudenſque id commiſerit: ſi verò caſu, id eſt negligentiâ, aut noxiam ſarcire jubetur; aut, ſi minùs idoneus ſit, leviùs caſtigatur.

Appellatione autem ÆDIUM, omnes ſpecies ædificii continentur. *l.* 9. GAIUS LIB. 4. AD LEG. XII. TABUL. *De quo vide Commentarium noſtrum ad Tab. VII. Cap.* 6.

TITULUS X.

DE INJURIIS, ET FAMOSIS LIBELLIS.

ABſolvitur hoc Titulo tractatio de privatis delictis, ex quibus ordinariæ actiones competunt; quorum ultimo loco recenſetur INJURIA.

Quæ ad hujus delicti materiam pertinent: in quinque Sectiones diſtribuemus. Prima aget de Injuriis in genere: 2ª. *De nonnullis Injuriarum ſpeciebus, de quibus ſigillatim variis Edicti partibus Prætor cavit:* 3ª. *De Lege Corneliâ, quæ tres ſingulares Injuriarum ſpecies vindicat:* 4ª. *De Senatuſconſulto adversùs Famoſos Libellos. In* 5ª. *paucas alias Conſtitutiones circa Injurias referemus.*

SECTIO I.

De Injuriis in genere.

Vidimus 1°. *quid ſit Injuria:* 2°. *Quotuplex Injuriarum ſpecies:* 3°. *De actione Injuriarum.*

Quæ autem ſpectant criminalem & extraordinariam cognitionem, cui interdum locus eſt quum Injuria eſt atrox, remittimus ad Tit. ſeq. de Extraord. crim. §°. 2°.

ARTICULUS I.

Quid ſit Injuria, & quando facta videatur.

I.

INJURIA ex eo dicta eſt, quòd non jure fiat: omne enim quod non jure fit, Injuriâ fieri dicitur. Hoc generaliter.

Specialiter autem Injuria dicitur, contumelia.

Interdum Injuriæ appellatione, damnum culpâ datum ſignificatur; ut in Lege Aquiliâ dicere ſolemus. Interdum iniquitatem, Injuriam dicemus: nam quum quis iniquè vel injuſtè Sententiam dixit; INJURIAM ex eo dictam quòd jure & juſtitiâ caret, quaſi NON JURIAM.

CONTUMELIAM autem, à contemnendo. *l.* 1. ULP. LIB. 56. AD ED.

In hoc Titulo, de Injuriâ ſpeciali ſenſu acceptâ, quæ & CONTUMELIA *dicitur, agimus.*

Ut autem Injuria eo ſenſu facta videatur, tria concurrere oportet, 1°. *Voluntatem Injuriæ faciendæ:* 2°. *Ut quod fit, ad deſpectum perſonæ fiat:* 3°. *Ut non jure fiat.*

§ I.

De voluntate Injuriæ faciendæ.

II.

Injuria abſque voluntate Injuriæ faciendæ intelligi non poteſt.

Itaque pati quis Injuriam, etiam ſi non ſentiet, poteſt: facere nemo, niſi qui ſcit ſe Injuriam facere; etiamſi neſciat cui faciat. *l.* 3. § 2. ULPIAN. LIB. 36. AD ED.

Undè quum Ulpianus dixiſſet; Illud relatum peræquè eſt, eos qui Injuriam pati poſſunt, & facere poſſe. *d. l.* 3. *pr.*

Ita ſtatim emendat ipſe quod dixerat: Sanè ſunt quidam qui facere non poſſunt ut putà furioſus & impubes qui doli capax non eſt. Namque hi pati Injuriam ſolent; non facere. Cùm enim Injuria ex affectu facientis conſiſtat; conſequens erit dicere, hos, ſive pulſent ſive convicium dicent, Injuriam feciſſe non videri. *d. l.* 3. § 1.

III.

Cùm Injuria abſque voluntate ejus faciendæ non fiat, ſequitur & illud Corollarium: Quare ſi quis per jocum percutiat, aut dum certat, Injuriarum non tenetur. *d. l.* 3. § 3.

Simili ratione; Si quis aſtrologus, vel qui aliquam illicitam divinationem pollicetur, conſultus aliquem furem dixiſſet, qui non erat; Injuriarum cum eo agi non poteſt. Sed Conſtitutiones (*a*) eos tenent. *l.* 15. § 13. ULP. LIB. 77. AD ED.

Hinc etiam Si quis hominem liberum cæciderit, dum putat ſervum ſuum; in eâ causâ eſt, ne Injuriarum teneatur. *ſup. d. l.* 3. § 4.

Ergo Si, quum ſervo meo pugnum ducere vellem, in proximo te ſtantem invitus percuſſerim; Injuriarum non teneor. *l.* 4. PAUL. LIB. 50. AD ED.

IV.

Cæterùm, ut jam diximus, ſufficit generalis voluntas Injuriæ faciendæ.

Hinc Si Injuria mihi fiat ab eo cui ſim ignotus, aut ſi quis putet me Lucium-Titium eſſe, quum ſim Gaius-Seius; prævalet quod principale eſt, Injuriam eum MIHI facere velle (*b*). Nam certus EGO ſum; licèt ille putet me alium eſſe quàm ſum: & ideo Injuriarum habeo. *l.* 18. § 3. PAUL. LIB. 55. AD ED.

At quum aliquis filiumfamilias, patremfamilias putat; non poteſt videri Injuriam patri facere; non magis quàm viro, ſi mulierem viduam eſſe credat: quia (*c*) neque in perſonam eorum confertur Injuria, nec transferri per perſonæ putationem ex perſonâ filiorum ad eos poteſt; cùm affectus Injuriam facientis, in hunc tanquam in patremfamilias (*d*) conſiſtat. *d. l.* 18. § 4.

Quod ſi ſciſſet filiumfamilias eſſe; tamen ſi neſciſſet

(*a*) Adversùs mathematicos & aſtrologos, de quibus in Tit. Cod. *de Mathemat.*

(*b*) Verum eſt enim V. G. me ab ipſo percuſſum, & quidem ab ipſo Injuriam facere volente; adeòque Me ab ipſo Injuriâ effectum, licèt neſciret quis eſſem, aut me alium putaret.

(*c*) Senſus eſt: quia neque in ſe, id eſt in perſonâ ſuâ, in corpore ſuo, Injuriam patiuntur; neque ex perſonâ filii aut uxoris cui facta eſt Injuria, poteſt videri ad eos Injuria tranſlata. Ut enim poſſet videri quis Injuriam pati tanquam pater aut maritus hujus perſonæ quæ Injuriâ effecta eſt; fatem oporteret ut is qui Injuriam fecit, voluiſſet alicui patri vel marito Injuriam facere: quod dici non poteſt, cùm perſonam illam quam Injuriâ affic ebat, putaret eſſe patremfamilias aut viduam.

(*d*) Hoc ipſo enim quòd exiſtimo eum patremfamilias, neceſſariò ſequitur, meam voluntatem Injuriæ faciendæ conſiſtere in ejus perſonâ; nec porrigi ad aliquem patrem, cùm eum ſine patre eſſe exiſtimem.

Source : BIU Cujas

cujus filius esset; dicerem, inquit, patrem suo nomine Injuriarum agere posse: nec minùs virum, si nuptam esse sciret. Nam qui hæc non ignorat, cuicumque patri, cuicumque marito, per filium, per uxorem, vult facere Injuriam. *d. l.* 18. § 5.

§ II.

Oportere ut factum ad despectum personæ pertineat.

V.

Injuria, quo sensu hîc accipitur, illud demùm est quod ad despectum personæ fit.

Hinc V. G. Si quis de honoribus decernendis alicujus passus non sit decerni, ut putà imaginem alicui, vel quid aliud tale; an Injuriarum teneatur? Et ait Labeo non teneri, quamvis hoc contumeliæ causâ faciet. Etenim multùm interest (inquit) contumeliæ causâ quid fiat, an verò fieri quid in honorem alicujus quis non patiatur. *l.* 13. § 4. ULP. LIB. 57. AD ED.

Idem Labeo scribit; Si, quum alium contingeret Legatio, alii hoc onus Duumvir indixerit; non posse agi Injuriarum ob laborem injunctum. Aliud enim esse laborem injungere, aliud Injuriam facere. Idem ergo erit probandum & in cæteris muneribus atque honoribus, quæ per Injuriam injunguntur.

Ergo si quis per Injuriam Sententiam dixerit, idem erit (*a*) probandum. *l.* 13. § 5. ULP. LIB. 57. AD ED.

§ III.

Requiri ut factum sit non jure.

VI.

Injuria non est, nisi quod factum est non jure.

Enimverò Is qui Jure publico utitur, non videtur Injuriæ faciendæ causâ hoc facere. Juris enim executio non habet Injuriam. *d. l.* 13. § 1.

Igitur Si quis, quòd Decreto Prætoris non obtemperaverit, ductus sit; non est in eâ causâ ut agat Injuriarum; propter Prætoris præceptum. *d. l.* 13. § 2.

Tamen Si quis per Injuriam ad tribunal alicujus me interpellaverit, vexandi mei causâ; potero Injuriarum experiri. *d. l.* 13. § 3.

VII.

Maximè autem ea Quæ jure potestatis à Magistratu fiunt, ad Injuriarum actionem non pertinent. *d. l.* 13. § 6.

Undè Paulus. Quod Reipublicæ venerandæ (*b*) causâ secundùm bonos mores fit, etiamsi ad contumeliam alicujus pertinet; quia tamen non eâ mente Magistratus facit ut Injuriam faciat, sed ad vindictam majestatis publicæ respiciat; actione Injuriarum non tenetur. *l.* 33. PAUL. LIB. 10. AD SABIN.

VIII.

Cùm Injuria non fit, nisi quod non jure fit; hinc etiam colligit Paulus, Eum qui nocentem infamavit (*c*), non esse bonum æquum ob eam rem condemnari: PECCATA enim nocentium nota esse, & oportere & expedire. *l.* 18. PAUL. LIB. 55. AD ED.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Injuriæ species.

§ I.

Prima divisio generalis, ex triplici modo quo fieri potest Injuria.

IX.

Injuriam autem fieri Labeo ait, aut RE, aut VERBIS; Re, quoties manus inferuntur: Verbis autem, quoties non manus inferuntur, CONVICIUM fit. *l.* 1. § 1. ULP. LIB. 56. AD ED.

Addenda est tertia species, nimirùm ejus Injuriæ quæ SCRIPTURA *fit: de quâ infrà.*

§ II.

Secunda divisio Injuriæ, ex quintuplici objecto ad quod potest illa pertinere.

X.

Idem Labeo ait; Omnemque Injuriam aut in corpus inferri, aut ad dignitatem, aut infamiam pertinere. *d. l.* 1. § 2.

Adde, aut ad res seu bona; aut ad facultatem seu potiùs libertatem naturalem, sive rei sive personæ alicujus.

Jam de his quinque speciebus sigillatim agendum.

XI.

I. Prima Injuriæ species: Quæ In corpus *fit.*

Injuria In corpus fit, quum quis pulsatur. *l.* 1. § 2. ULP. LIB. 56. AD ED.

Sed & Si quis pulsatus quidem non est, verùm manus adversùs eum levatæ, & sæpè territus quasi vapulaturus, non tamen percussit; Utili Injuriarum actione tenetur. *l.* 15. § 1. IDEM LIB. 77. AD ED.

Cùm mens ab organis corporis pendeat, videtur quoque in corpus Injuria fieri in specie sequenti. Nimirùm Item apud Labeonem quæritur, si quis mentem alicujus medicamento alio-ve quo alienaverit; an Injuriarum actio locum haberet? Et ait, Injuriarum adversùs eum agi posse. *d. l.* 15. *pr.*

XII.

II. Secunda Injuriæ species: Quæ pertinet Ad dignitatem.

Injuria pertinet Ad dignitatem, quum comes matronæ (*d*) abducitur. *l.* 1. § 2. ULP. LIB. 56. AD ED.

Comitem accipere debemus, eum qui comitetur & sequatur; & (ut ait Labeo) sive liberum, sive servum, sive masculum; sive fœminam. Et ita comitem Labeo definit; qui frequentandi cujusque causâ ut sequeretur destinatus, in publico privato-ve abductus fuerit. Inter comites, utique & pædagogi erunt. *sup. d. l.* 15. § 16.

Abduxisse videtur (ut Labeo ait), non qui abducere comitem cœpit, sed qui perfecit ut comes cum eo non esset. *d. l.* 15. § 17.

Abduxisse autem non tantùm is videtur qui per vim abduxit, verùm is quoque qui persuasit comiti ut eam desereret. *d. l.* 15. § 18.

Tenetur hoc Edicto, non tantùm qui comitem abduxit; verùm etiam si quis eorum quem appellavisset (*e*) affectatus-ve est. *d. l.* 15. § 19.

XIII.

III. Tertia species: Quæ Ad infamiam *pertinet.*

Ium. Exemplum habes Injuriæ quæ pertinet Ad infamiam, quum pudicitia adtentatur. *l.* 1. § 2. ULPIAN. LIB. 56. AD ED.

Enimverò Si quis tam fœminam quàm masculum, sive

(*a*) Scilicet non posse *Injuriarum* agi: quia in hâc actione, *Injuria* stricto sensu accipitur; quamvis laro sensu, *Injuriæ* nomine & Sententia injusta contineatur.

(*b*) Budæus legit *vindicandæ*, id est asserendæ ab improbis.

(*c*) Quolibet modo publicè notum fecit.

(*d*) Ad dignitatem Matronarum Romanarum pertinebat, ut in publicum non prodirent absque comite. Pignorius *de Servis* in Notitiâ familiæ Urbanæ recenset ancillas ANTE-AMBULATRICES, & PEDISSEQUAS. Athæneus *Deipnosoph.* VI. refert fuisse Romanos qui decem aut viginti millia servorum alebant, præcipuè ut ingens esset comitum in prodeundo numerus.

(*e*) Quid sit *Appellare* & *Assectari* videb. modò infrà. Hæc injuria facta comiti, in matronam videtur redundare.

Source : BIU Cujas

ingenuos sive libertinos, impudicos facere attentavit, Injuriarum tenebitur. Sed & si servi pudicitia adtentata sit, Injuriarum locum habet. *l.* 9. § 4. ULP. LIB. 57. AD ED.

Adtentari pudicitia dicitur, quum id agitur ut ex pudico impudicus fiat. *l.* 10. PAUL. LIB. 55. AD ED.

Putà si quis mulierem appellaverit : ita tamen si huic mulieri matronalis habitus fuerit. Undè Ulpianus. Si quis virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas, minùs peccare videtur ; multò minùs, si meretriciâ veste fœminæ (*a*) non matrumfamiliarum vestitæ fuissent. Si igitur non matronali habitu fœmina fuerit, & quis eam appellavit, vel comitem abduxit ; Injuriarum [non (*b*)] tenetur. *l.* 15. § 15. GAIUS LIB. 77. AD ED.

APPELLARE est, blandâ ratione alterius pudicitiam adtentare. Hoc enim non est Convicium facere, sed adversùs bonos mores adtentare. *d. l.* 15. § 20.

At Qui turpibus verbis utitur, non tentat pudicitiam, sed Injuriarum tenetur. *d. l.* 15. § 21.

II^um^. Exemplum. Ad infamiam etiam Injuria pertinet, quum quis honestam mulierem adsectatur.

Sciendum est autem quòd Aliud est appellare, aliud assectari. Appellat enim qui sermone pudicitiam adtentat ; assectatur qui tacitus frequenter sequitur. Assidua enim frequentia, quasi præbet nonnullam infamiam. *d. l.* 15. § 22.

XIV.

Meminisse autem oportebit ; non omnem qui adsectatus est, nec omnem qui appellavit, hoc Edicto conveniri posse. Neque enim si quis colludendi (*c*), si quis officii honestè faciendi gratiâ id facit, statim in Edictum incidit ; sed qui contra bonos mores hoc facit. *d. l.* 15. § 23.

XV.

III^um^. Exemplum. Ad infamiam pertinet etiam ea Injuriæ species quæ PROBRUM & FLAGITIUM *dicitur, de quâ Lex XII Tabularum, Tab. VII cap.* 7. *quod vide ; id est, si per calumniam aliquid turpe de aliquo conviciatus quis fuerit.*

Circa quod notat Ulpianus : Probrum & opprobrium, idem (*Florent.* id) est. Probra quædam naturâ turpia sunt ; quædam civiliter, & quasi more civitatis. Ut putà, furtum, adulterium naturâ turpe (*d*) est. Enimverò Tutelæ damnari, hoc non naturâ probrum est, sed more civitatis (*e*) : nec enim naturâ probrum est, quod potest etiam in hominem idoneum (*f*) incidere. *l.* 42. *ff. de Verb. signif.* ULPIAN. LIB. 57. AD ED.

De hâc porrò Injuriæ specie, quâ quis probrum de aliquo prædicavit ; ita Gordianus. Si non es nunciator (*g*) ; vereri non debes ne, eapropter quòd Injuriæ faciendæ gratiâ quidam te veluti delatorem esse dixerunt, opinio tua maculata sit. Quinimò adversùs eos qui minuendæ opinionis tuæ causâ aliquid confeciss comperientur, more solito Injuriarum judicio experiri potes. *l.* 3. *Cod. de Injur.*

XVI.

IV^um^. Exemplum. Ad infamiam quoque ea Injuria pertinet, si quid fiat aut dicatur quo liber habeatur pro servo.

Hinc Si quis de libertate aliquem in servitutem petat, quem sciat liberum esse ; neque id propter evictionem (*h*), ut eam sibi conservet, faciat ; Injuriarum actione tenetur. *l.* 12. GAIUS LIB. 22. AD ED. PROVINC.

Similiter Ulpianus. Ei qui servus dicitur, seque adserit in libertatem ; Injuriarum actionem adversùs dicentem se dominum, competere nulla dubitatio est.

Et hoc verum est, sive ex libertate in servitutem petatur, sive ex servitute in libertatem proclamet. Nam hoc Jure indistinctè utimur. *l.* 11. § *fin.* ULP. LIB. 57. AD. ED.

Item Si liber pro fugitivo adprehensus erit, Injuriarum cum eo (*i*) agit. *l.* 22. IDEM LIB. 1. AD ED. PRÆTORIS.

Et generaliter : Qui liberos infamandi gratiâ dixerunt servos, Injuriarum actione conveniri posse non ambigitur. *l.* 9. *Cod. de Injur.* DIOCLET. ET MAXIM.

Interest autem ; an quis extrà judicium liber dictus fuerit servus, an in servitutem petitus sit. Priori casu, statim potest Injuriarum agi ; posteriori, lite demùm finitâ.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si quidem aviam tuam, ancillam (infamandi causâ) Reipublicæ civitatis Comanensium dixit Zenodorus, ac recessit : Injuriarum actione statim conveniri potest. Nam si perseverat in eâ causâ, facultatem habens agendi : super hâc re deferri querelam ; ac tunc demùm, si non esse serva fuerit pronuntiata, postulari convenit. *l.* 10. *Cod. h. tit.*

XVII.

V^um^. Exemplum. Ad infamiam pertinet etiam ea Injuriæ species, quâ id agitur ut invidia alicui concilietur : ut si quis in alicujus invidiam, ad statuam Principis confugiat.

De hâc Injuriæ specie ita Callistratus. Ad statuas confugere vel imagines Principum in injuriam alterius, prohibitum. Cùm enim Leges omnibus hominibus æqualiter securitatem tribuant ; meritò visum est, in Injuriam potiùs alterius quàm suî defensionis gratiâ ad statuas vel imagines Principum confugere. Nisi si quis ex vinculis vel custodiâ detentus à potentioribus, ad hujusmodi præsidium confugerit : his enim venia tribuenda est. Ne autem ad statuas vel imagines quis confugiat, Senatus censuit ; eumque qui imaginem Cæsaris in invidiam alterius prætulisset, in vincula publicula coerceri Divus Pius rescripsit. *l.* 28. § 7. *ff. de Pœnis.* CALLISTR. LIB. 6. DE COGNITIONIBUS.

XVIII.

VI^um^. Exemplum. Ad infamiam etiam pertinet hæc singularis Injuriæ species à Papiniano proposita. Nam Idem ait ; Eum qui eventum Sententiæ, vel ut daturus (*k*) pecuniam, vendidit, fustibus à Præside ob hoc castigatum, Injuriarum damnatum videri. Utique autem apparet, hunc Injuriam ei (*l*) feciss cujus Sententiam venditavit. *l.* 15. § 30. ULP. LIB. 77. AD ED.

Non dissimilis est species de quâ ita Gordianus. Qui explicandi negotii spem (cujus finis in judicis potestate ac motu situs est) pollicetur ; non minùs ob illicitam sponsionem crimen (*m*) contrahit, quàm qui ad hujusmodi promissionis commercium contra disciplinam publicam adspirat. *l.* 10. *Cod. de Accusation.*

(*a*) *Matronalis* seu Matrumfamiliàs *habitus* [ut jam suprà lib. 34. Tit. *de Auro leg.* N. 29. ad Not. observavimus] erat STOLA, cui subsuta erat *Insita* quæ medios pedes tegeret. Porrò Matronas sine hoc habitu versari in publico, indecorum fuit ; ita ut sibi imputare deberent, si quis eas absque hoc habitu incedentes *appellasset*. Hinc Tertullianus *de Pallio*, conqueritur mulieres audere SINE STOLA, *lectică sellâ-ve in publico versari ; quasi in semetipsas lenocinantes.* Nimirùm Stolâ hâc solis honestis mulieribus uti licebat. Testis Acron, vetus ille Horatii interpretes ; qui refert mulieres adulterii damnatas *Stolam* deposuisse, & pro Stolâ TOGAM induisse : ad hunc nempè Horatii versum . . .

Quid interest in Matronâ, ancillâ pecces-ve Togatâ ?

Cui succinit & Juvenalis : *Non sumet damnata* TOGAM . . . Satyr. II. Erat autem *Toga*, species Pallii viris proprii : ut etiam notavimus sup. d. N. 29. ad Not.

Quum igitur Matronæ talari veste, contrà *Meretrices succinctiori veste utebantur*, inquit Novius XIV 27. Refertque Isidorus meretricum *Amiculum*, pallium lineum fuisse : Origin. XIX 25.

(*b*) [Hanc negationem quæ deest in *Florent.* ratio contextus omninò desiderat ; & eam rectè suppleverunt Haloander & Vulgata. Nisi fortè, ut vult Bynkershoeck, lectio Florentina cum interrogatione legatur ; quæ vice negationis sit.

(*c*) Si per jocum hoc blando sermone usus fuerit, si secutus fuerit officii causâ.

(*d*) Adeòque semper *Probrum.* Semper igitur Injuria est, si falsò hæc alicui objiciantur.

(*e*) Et cùm hoc Jus sæpè varium sit pro circumstantiis ; hæc condemnatio non est semper *Probrum.* Neque enim turpe est si quis *Tutelæ* quidem damnetur, sed culpæ duntaxat nomine.

(*f*) Honestum.

(*g*) Delator ; de quo hominum genere, vide infrà lib. 49. Tit. *de Jure fisc.* N. 1.

(*h*) Quia ipsi venditus est.

(*i*) *Cùm eo* scilicet qui eum adprehenderit quasi fugitivum.

(*k*) Qui accipit à litigatore pecuniam quam mentitur se daturum judici ut litigator in lite obtineat. Rectè igitur Florentina lectio habet *daturus*, scilicet judici : malè Haloand. & Vulg. *laturus, pecuniâ.*

(*l*) Judici.

(*m*) *Injuriarum* scilicet. Nam & criminaliter extra ordinem, Injuriarum nomine agitur : ut videb. infrà Sect. 3*d.*

Source : BIU Cujas

XIX.

Inter Injurias quæ ad infamiam pertinent, hæ quoque referendæ ſunt.

VII^um^. Exemplum. Si Injuriæ faciendæ gratiâ Seia domum abſentis debitoris ſignaſſet (*a*), ſine auctoritate ejus qui concedendi jus poteſtatem-ve habuit; Injuriarum actionem intendi poſſe reſpondit. *l.* 20. MODESTIN. LIB. 12. RESPONS.

VIII^um^. Exemplum. Qui pro rei qualitate evidentiſſimè locupletem, vel (ſi dubitetur) adprobatum fidejuſſorem, judicio ſiſtendi causâ non acceperit; Injuriarum actio adversùs eum eſſe poteſt: quia ſanè non quælibet (*b*) Injuria eſt, duci in Jus eum qui ſatis idoneum fidejuſſorem det. Sed & ipſe fidejuſſor qui ſit acceptus, tanquàm de Injuriâ ſibi factâ queri poterit. *l.* 5. § 1. *ff. Qui ſatiſd. cogantur.* GAIUS LIB. 1. AD ED. PROVINC.

IX^um^. Exemplum. Si creditor meus, cui paratus ſum ſolvere, in Injuriam meam fidejuſſores meos interpellaverit; Injuriarum tenetur. *l.* 19. GAIUS LIB. 22. AD ED. PROVINC.

X^um^. Exemplum Si quis non debitorem quaſi debitorem appellaverit, injuriæ faciendæ causâ; Injuriarum tenetur. *l.* 15. § 33. ULP. LIB. 77. AD. ED.

XI^um^. Exemplum. Item ſi quis pignus proſcripſerit, venditurus tanquam à me acceperit (*c*), infamandi mei causâ; Servius ait, Injuriarum agi poſſe. *d. l.* 15. § 32.

XX.

XII^um^. & ultimum exemplum. Si quis Libello dato vel Principi vel alicui, famam alienam inſectatus fuerit, Injuriarum erit agendum: Papinianus ait. *l.* 15. § 29. ULP. LIB. 77. AD ED.

XXI.

IV. Quarta Injuriæ ſpecies: Quæ Ad rem *pertinet.*

Hujus exemplum in promptu eſt. Qui in domum alienam invito domino introiret, quamvis in Jus vocati (*d*); actionem Injuriarum in eum competere Oſilius ait. *l.* 23. PAUL. LIB. 4. AD ED.

Sed & ſi quis in meum fundum me invito citra jus ſervitutis ingrediatur, aut ibi aliquid faciet; Injuria eſt: ut vid. Inſtit. de Rer. diviſ.

Hinc Divus Pius aucupibus ita reſcripſit: OYK, *&c.* [*id eſt*] NON eſt conſentaneum ut per aliena prædia invitis dominis aucupium faciatis. *l.* 16. *ff. de Serv. præd. ruſt.* CALLISTR. LIB. 3. DE COGNITIONIB.

Et generaliter: Si quis bona alicujus vel rem unam per Injuriam occupaverit; Injuriarum actione tenetur. *ſup. d. l.* 15. § 31.

Huc etiam pertinet ea ſpecies quam refert Javolenus. Si inferiorum dominus ædium, ſuperioris vicini fumigandi causâ fumum faceret; aut ſi ſuperior vicinus, in inferiores ædes quid aut projecerit aut infuderit: negat Labeo, Injuriarum agi poſſe. Quod falſum puto: ſi tamen Injuriæ faciendæ causâ (*e*) immittitur. *l.* 44. JAVOLEN. LIB. 9. EX POSTERIORIB. LABEONIS.

XXII.

V. Quinta ſpecies: quæ pertinet Ad libertatem *facultatem-ve naturalem quâ unuſquiſque gaudere debet.*

Injuriarum quæ ad hanc ſpeciem pertineant, exempla habes. 1°. Si quis proprium ſervum diſtrahere prohibetur à quolibet, Injuriarum experiri poteſt. *l.* 24. ULP. LIB. 15. AD ED. PRÆTORIS.

2°. *Item* Si quis me prohibeat in mari piſcari, vel everriculum (*f*) quod Græcè ΣΑΓΗΝΗ dicitur, ducere; an Injuriarum judicio poſſim eum convenire? Sunt qui putent Injuriarum me poſſe agere. Et ita Pomponius. Et plerique eſſe huic ſimilem eum qui in publicum lavare, vel in caveâ publicâ (*g*) ſedere, vel in quo alio loco agere, ſedere, converſari, non patiatur; aut ſi quis re meâ uti me non permittat. Nam & hic Injuriarum conveniri poteſt. Conductori (*h*) autem Veteres Interdictum (*i*) dederunt, ſi fortè publicè hoc conduxit. Nam vis ei prohibenda eſt, quominùs conductione ſuâ fruatur.

Si quem tamen ante ædes meas, vel ante prætorium meum piſcari prohibeam; quid dicendum eſt? Me Injuriarum judicio teneri, an non? Et quidem mare commune omnium eſt, & littora, ſicuti aer. Et eſt ſæpiſſimè reſcriptum, Non poſſe quem piſcari prohiberi; ſed nec aucupari niſi quòd ingredi quis agrum alienum prohiberi poteſt. Uſurpatum tamen & hoc eſt (*k*), tametſi nullo jure, ut quis prohiberi poſſit ante ædes meas vel prætorium meum piſcari. Quare ſi quis prohibeatur, adhuc Injuriarum agi poteſt.

In lacu tamen qui mei dominii eſt, utique piſcari aliquem prohibere poſſum. *l.* 13. § 7. ULPIAN. LIB. 57. AD ED.

Sanè ſi maris proprium jus ad aliquem pertineat (*l*); UTI POSSIDETIS Interdictum ei competit, ſi prohibeatur jus ſuum exercere: quoniam ad privatam jam cauſam pertinet, non ad publicam hæc res; utpotè cùm de jure fruendo agatur quod ex privatâ causâ contingat, non ex publicâ. Ad privatas enim cauſas accommodata Interdicta (*m*), ſunt non ad publicas. *l.* 14. PAUL. LIB. 13. AD PLAUTIUM.

§ III.

Tertia Injuriarum diviſio: in eas quæ Per noſmetipſos, *& eas quæ* Per alium *patimur.*

XXIII.

Item aut per ſemetipſum alicui fit Injuria, aut per alias perſonas. Per ſemet, quum directò ipſi cui patrifamilias vel matrifamilias fit Injuria: per alias, quum per conſequentias fit, quum fit liberis meis vel ſervis meis vel uxori nurui-ve; ſpectat enim ad nos Injuria, quæ in his fit qui vel poteſtati noſtræ vel affectui ſubjecti ſint. *l.* 1. § 3. ULP. LIB. 56. AD ED.

Limitationem tamen aliquam addit Paulus. Ita enim ille: Si liberis qui in poteſtate ſunt aut uxori fiat Injuria, noſtrâ intereſt vindicare; ideòque per nos actio inferri poteſt, ſi modò is qui fecit, in Injuriam noſtram feciſſe videatur. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 4. § 3.

Verùm ut eo animo feciſſe videatur, ſufficit quod ſcierit filiumfamilias aut uxorem eſſe. Sive autem ſciat quis filium MEUM eſſe, vel uxorem MEAM, ſive ignoraverit (*n*); habere me eo nomine actionem Neratius ſcripſit. *ſup. d. l.* 1. § 8.

XXIV.

Perſonis in quibus Injuriam pati nos intelligi diximus; addenda eſt ſponſa. Nam, inquit Ulpianus: Sponſum quoque ad Injuriarum actionem admittendum puto. Etenim ſpectat ad contumeliam ejus, Injuria quæcumque ſponſæ ejus fiat. *l.* 15. § 24. ULP. LIB. 77. AD ED.

(*a*) *A mis le ſcellé.*

(*b*) Id eſt, non levis.

(*c*) Tanquam hanc rem à me acceperit pignori, quam non accepit quum ei non *pignori* obligaverim.

(*d*) Vid. ſuprà lib. 2. Tit. *de in Jus voc.* N. 6.

(*e*) Per contemptum domini fundi in quem immittitur.

(*f*) Budæus ait *Everticulum*, retis ſpeciem eſſe; ita dictum quòd aquam verrat [*une Séme ou Epervier*].

(*g*) *L'Amphithéatre.*

(*h*) Loci publici.

(*i*) *De loco publico fruendo:* de quo ſuprà lib. 43. *d. tit.*

(*k*) Vitioſâ ſcilicet conſuetudine.

(*l*) Quia hunc maris locum ſuis ædificiis occupavit, & ſic proprii juris fecit.

(*m*) UTI POSSIDETIS ſcilicet, & alia ſimilia; de quibus ſolis hîc agitur. Neque enim hîc quæſtio eſſe poteſt de illis quæ ad publicam cauſam pertinere nemo neſcit, ut *De Viâ Publicâ*, *&c.*

(*n*) Modò tamen ſciverit alicujus filium aut alicujus uxorem. Alioquin nec patri nec marito injuria facta cenſeri poteſt: ſuprà N. 4.

Source : BIU Cujas

Hæc ita, ſi Injuria ſponſæ noſtræ facta ſit dum eſſet ſponſa noſtra : ſecùs, ſi antè. Hinc Alexander. Propter violatam virginem adultam ; qui poſtea maritus eſſe cœpit, accuſator juſtus non eſt : & ideò, jure mariti crimen exercere non poteſt ; niſi puella violata, ſponſa ejus fuerat. Sed ſi ipſa Injurias ſuas adſiſtentibus curatoribus, per quos etiam negotia ejus gerenda ſunt, proſequatur ; Præſes provinciæ pro debitâ tanto delicto, ſi probetur, ſeveritate examinabit. *l.* 7. *Cod. Ad Leg. Jul. de adult.*

Vir quidem aut ſponſus in perſonâ uxoris aut ſponſæ Injuriam pati videntur, & eo nomine actionem habent.

Quòd ſi viro Injuria facta ſit, uxor non agit : quia DEFENDI uxores à viris, non viros ab uxoribus æquum eſt. *l.* 2. PAUL. LIB. 50. AD ED.

X X V.

Cùm in perſonis quas ſuprà enumeravimus Injuriam quis pati videatur, eoque nomine agere poſſit ; hinc ſuprà dictus Idem ait Neratius : Ex unâ Injuriâ, interdum tribus oriri Injuriarum actionem ; neque ullius actionem per alium conſumi. Ut putà ; uxori meæ, filiæfamilias, Injuria facta eſt : & mihi, & patri ejus, & ipſi, Injuriarum actio incipiet competere. *l.* 1. § 9. ULP. LIB. 56. AD ED.

Et cùm his caſibus unius actio, alterius actionem non conſumat ; hinc Pater cujus filio facta eſt Injuria ; non eſt impediendus quominus duobus judicis & ſuam Injuriam perſequatur & filii. *l.* 41. NERATIUS LIB. 5. MEMBRANAR.

Conſonat quod cuidam patri cujus filiæ Injuria facta fuerat, reſcribit Alexander. Injuriarum actio tibi duplici ex causâ (*a*) competit ; cùm & maritus in uxoris pudore, & pater in exiſtimatione filiarum, propriam Injuriam pati intelligantur. *l.* 2. *Cod. de Injur.*

Hinc pariter Si nupta filiafamiliæ, Injuriam acceperit ; & vir & pater Injuriarum agant, Pomponius rectè putat tanti patri condemnandum eſſe reum, quanti condemnetur ſi ea vidua eſſet ; viro tanti, quanti condemnaretur ſi ea in nullius poteſtate eſſet : quòd ſua cujuſque Injuria propriam æſtimationem haberet. Et ideò ſi nupta in nullius poteſtate ſit ; non ideò minùs eam Injuriarum agere poſſe, quòd & vir in ſuo nomine agat. *l.* 18. § 2. PAUL. LIB. 55. AD ED.

X X V I.

Obſervandum quòd, quum Injuria alicui perſonæ facta in plures perſonas redundat, diverſas æſtimationes recipere poteſt ; reſpectu diverſarum perſonarum quibus facta videtur.

V. G. Si filio Injuria facta ſit ; cùm utrique tam filio quàm patri adquiſita actio ſit, non eadem utique facienda æſtimatio eſt : *l.* 30. § 1. ULP. LIB. 42. AD SABIN. Cùm poſſit propter filii dignitatem major ipſi quàm patri Injuria facta eſſe. *l.* 31. PAUL. LIB. 10. AD SABIN.

X X V I I.

Obſervandum quoque : Injuriam in perſonâ eorum qui juri vel affectui noſtro ſunt ſubditi, fieri nobis poſſe ; etiam quum ipſis facta non videtur.

Undè Ulpianus. Uſque adeò autem Injuria quæ fit liberis noſtris, noſtrum pudorem pertingit ; ut etiamſi volentem filium quis vendiderit ; patri, ſuo quidem nomine competit Injuriarum actio ; filii verò nomine non competit, quia nulla Injuria eſt quæ in volentem fiat. *l.* 1. § 5. ULP. LIB. 56. AD ED.

Conſonat & quod ait Paulus : Si quis ſervum meum vel filium ludibrio habeat, licèt conſentientem ; tamen ego Injuriam videor accipere : veluti ſi in popinam duxerit illum, ſi aleam luſerit. Sed hoc utcumque tunc locum habere poteſt ; quotiens ille qui ſuadet, animum Injuriæ faciendæ habet. Atquin poteſt malum conſilium dare, & qui dominum ignoret ; & ideò incipit Servi corrupti actio neceſſaria eſſe. *l.* 26. PAUL. LIB. 19. AD ED.

X X V I I I.

Interdum & ex perſonâ defunctorum, Injuriam pati videmur.

Hinc Si ſtatua patris tui in monumento poſita, ſaxis cæſa eſt ; Sepulcri violati agi non poſſe (*b*), Injuriarum poſſe Labeo ſcribit. *l.* 27. PAUL. LIB. 27. AD ED.

Item Et ſi fortè cadaveri defuncti fit Injuria, cui heredes bonorum-ve poſſeſſores exſtitimus ; Injuriarum noſtro nomine habemus actionem. Spectat enim ad exiſtimationem noſtram, ſi qua ei fiat Injuria. Idemque & ſi fama ejus, cui heredes exſtitimus, laceſſatur. *ſup. d. l.* 1. § 4.

Obſerva. Quoties autem funeri teſtatoris, vel cadaveri fit Injuria ; ſi quidem poſt aditam hereditatem fiat, dicendum eſt heredi quodammodo factam ; ſemper enim heredis intereſt, defuncti exiſtimationem purgari : quotiens autem ante aditam hereditatem ; magis hereditati, & ſic heredi per hereditatem, acquiri. Denique Julianus ſcribit ; Si corpus teſtatoris ante aditam hereditatem detentum (*c*) eſt, adquiri hereditati actiones dubium non eſſe. Idemque putat, & ſi ante aditam hereditatem ſervo hereditario Injuria facta fuerit ; nam per hereditatem heredi adquiretur. *d. l.* 1. § 6.

§ I V.

Quarta Injuriarum diviſio : in Atrocem, *aut* Levem.

X X I X.

Atrocem Injuriam, quaſi contumelioſiorem & majorem accipimus. *l.* 7. § 7. ULP. LIB. 57. AD ED.

Atrocem autem Injuriam, aut perſonâ, aut tempore, aut re ipſâ fieri Labeo ait. *d. l.* 7. § 8.

X X X.

Perſonâ atrocior Injuria fit ; ut quam Magiſtratui, quam parenti, patrono fiat. *d.* § 8. ¶ *perſonâ.*

Item Atrocem ſine dubio Injuriam eſſe factam manifeſtum eſt, ſi tibi illata eſt quum eſſes in ſacerdotio, & dignitatis habitum & ornamenta præferres : & ideò vindictam potes eo nomine perſequi. *l.* 4. *Cod de Injur.* VALERIAN. ET GALLIEN.

Nec ſolùm ex perſonâ cui infertur, ſed & ex perſonâ inferentis, atrox Injuria æſtimatur.

Nam Quædam Injuriæ à liberis hominibus factæ, levis nonnullis (*Vulg. & Haloand.* leves & nullius) momenti videntur : enimverò à ſervis, graves ſunt. Creſcit enim contumelia, ex perſonâ ejus qui contumeliam fecit. *l.* 17. § 3. ULP. LIB. 57. AD ED.

X X X I.

Injuria æſtimatur atrox Tempore ; ſi ludis, & in conſpectu (*d*). Nam Prætoris (*e*) in conſpectu, an in ſolitudine Injuria facta ſit, multùm intereſſe ait ; quia atrocior eſt quæ in conſpectu fiat. *ſup. d. l.* 7. § 8.

Sed & ſi in theatro vel in foro cædit & vulnerat, quànquam non atrociter, atrocem Injuriam facit. *l.* 9. § 1. ULP. LIB. 57. AD ED.

X X X I I.

RE atrocem Injuriam haberi Labeo ait ; ut putà ſi vulnus illatum, vel os alicui percuſſum. *ſup. d. l.* 7. *d.* § 8. ¶ *fin.*

(*a*) Scilicet ex perſonâ filiæ tuæ, & ex tuâ propriâ perſonâ.

(*b*) Supponendum eſt, hanc ſtatuam fuiſſe quidem poſitam in loco ubi erat monumentum, ſed non cohæſiſſe ſepulcro : alioquin pars eſſet ſepulcri, & agi poſſet *Sepulcri violati* crimine, ut videb. infrà Tit. *de Sepul. viol.*

Magis placet hæc ſolutio, quàm ſolutio Wiſſenbachii qui ait teneri quidem *Sepulcri violati* crimine, qui ſtatuam disjicit & auſert ; at non eum qui tantùm ſaxis cœdit.

(*c*) *Detentum*, ſcilicet ne ad ſepulturam duceretur. De quâ re datur Interdictum *de Mortuo inferendo* : ſuprà lib. XI. *d. tit.* ubi vide ſeveriſſimam eâ de re Juſtini Conſtitutionem, N. 4.

(*d*) Populi.

(*e*) Cujacius legendum cenſet *Populi.* Obſerv. IX 16.

Source : BIU Cujas

Vulneris magnitudo atrocitatem facit ; & nonnunquam locus vulneris, veluti oculo percusso. *l.* 8. PAUL. LIB. 55. AD ED.

Sed est quæstionis, quod dicimus RE Injuriam atrocem fieri ; utrùm si corpori inferatur, atrox sit ; an & si non corpori, ut putà vestimentis scissis, comite abducto, vel convicio dicto ? Et ait Pomponius ; Etiam sine pulsatione posse dici atrocem Injuriam, personâ (*a*) atrocitatem faciente. *l.* 9. ULP. LIB. 57. AD ED.

XXXIII.

Parvi autem refert utrùm patrisfamilias, an filiosfamilias Injuria facta sit : nam & hæc atrox æstimabitur. *d. l.* 9. § 2.

ARTICULUS III.

De actione Injuriarum.

XXXIV.

INJURIARUM actio, aut Lege, aut more, aut mixto Jure introducta est.

Lege Duodecim Tabularum, de Famosis carminibus (*b*), membris ruptis, & ossibus fractis.

Moribus (*c*) ; quotiens factum pro qualitate suî arbitrio judicis æstimatur, congruentis pœnæ supplicio vindicatur.

Mixto jure (*d*) Injuriarum actio ex Lege Cornelià (*e*) constituitur ; quotiens quis pulsatur, vel cujus domus introitur ab his qui vulgò DIRECTARII appellantur (*f*) ; in quos extra ordinem (*g*) animadvertitur : ita ut priùs ingruentis consilium, pro modo commentæ fraudis, pœnâ vindicetur exilii, aut metalli, aut operis publici. PAUL. SENT. LIB. 5. *tit.* 4. § 6.

Pœnæ Legis XII Tabularum sive pecuniariæ, sive capitales exoleverunt. De Lege autem Cornelià specialiter agemus infrà Sect. 3ª. *Hîc igitur tantùm quæstio est de illâ actione* INJURIARUM *quam Paulus* Moribus *introductam dicit, & quæ ex Edictis Prætorum descendit.*

Hæc actio privata est. Hinc Diocletianus & Maximianus : Injuriarum causa, non publici judicii, sed privati continet querelam. *l.* 7. *Cod. de Injur.*

Circa illam quærendum, de quâ Injuriâ detur, & cui ; adversùs quem competat ; quid in eâ præstandum veniat ; quid obtineat, quum Noxaliter *agitur de Injuriâ quam servus fecit ; denique quando* INJURIARUM *actio extinguatur.*

§ I.

De quâ Injuriâ detur actio Injuriarum, *& cui.*

XXXV.

Posse hodie de omni Injuriâ, sed & de atroci (*h*), civiliter agi ; Imperator (*i*) noster rescripsit. *l.* 7. § 6. ULP. LIB. 57. AD ED.

XXXVI.

Hæc actio competit ei cui Injuria facta est ; sive in personâ suâ, sive in personis eorum in quibus Injuriam pati intelligitur.

Et quidem quum facta est filiofamilias Injuria ; hanc actionem, sicut & omnia jura quæ ex quâcumque causâ ipsi competunt, acquirit patri. Interdum tamen ipsi filiofamilias hæc actio datur.

Enimverò Ait Prætor : « SI EI qui in alterius potestate » erit, Injuria facta esse dicetur ; neque is cujus in » potestate est, præsens erit ; neque procurator quis- » quam existat qui eo nomine agat ; causâ cognitâ, ipsi » qui Injuriam accepisse dicetur, judicium dabo. » *l.* 17. § 10. ULP. LIB. 57. AD ED.

Ait Prætor, NEQUE PRÆSENS ERIT : *pro præsente non habemus eum qui, etsi præsens sit, non potest agere.*

Hinc Ulpianus. Filiofamilias Injuriam passo ; si præsens sit pater, agere tamen non possit propter furorem, vel quem alium casum dementiæ ; puto competere Injuriarum actionem. Nam & hîc pater ejus, absentis loco est. *d. l.* 17. § 11.

Planè si præsens agere nolit, vel quia differt, vel quia remittit atque donat Injuriam ; magis est ut filio actio non detur. Nam & quum abest ; idcircò datur filio actio, quia verisimile est patrem, si præsens fuisset, acturum fuisse. *d. l.* 17. § 12.

Interdum tamen putamus, etsi pater remittat, Injuriarum actionem filio dandam. Ut putà si patris persona vilis abjectaque sit, filii honesta. Neque enim debet pater vilissimus, filii sui contumeliam ad suam vilitatem metiri : ponamus esse eum patrem, cui jure meritòque (*k*) curator à Prætore constitueretur. *d. l.* 17. § 13.

Quinetiam Si pater lite contestatâ cœperit abesse, vel etiam negligere executionem pater vilis ; dicendum est, causâ cognitâ translationem filio competere. Idem, & si emancipatus filius esse proponatur. *d. l.* 17. § 14.

XXXVII.

Ut filio agere permittatur, non sufficit patrem non esse præsentem : addit Prætor, SI NEQUE PROCURATOR EJUS AGAT.

Procuratorem patris prætulit Prætor, ipsis personis quæ Injuriam passæ sunt.

Si tamen procurator aut negligat, aut colludat, aut non sufficiat (*l*) adversùs personas quæ Injuriam fecerunt ; ipsi potiùs qui passus est Injuriam, actio Injuriarum competit. *d. l.* 17. § 15.

Procuratorem autem accipere debemus, non utique eum cui specialiter mandata est procuratio actionis Injuriarum : verùm sufficit eum esse, cui omnium rerum administratio mandata est. *d. l.* 17. § 16.

XXXVIII.

Quod autem ait Prætor ; CAUSA COGNITA ipsi qui Injuriam accepisse dicetur judicium permitti ; ita accipiendum est, ut in cognitione causæ hoc versetur, quàm longè pater absit, & quando superventurus : & nunquid is qui (*m*) Injuriarum vult actionem movere, segnitior vel inutilis admodùm ; qui non sufficiat ad rei cujus administrationem ; ac per hoc, nec ad actionem. *d. l.* 17. § 17.

Quod deinde ait, QUI INJURIAM ACCEPIT, interdum ita accipiendum est, ut patri ejus competat actio (*n*). Ut putà nepoti (*o*) facta Injuria est, pater præsens est, avus abest ; scribit Julianus ; patri potiùs dandam Injuriarum actionem, quàm ipsi nepoti : ad cujus (inquit) officium pertinet, etiam vivente avo, filium suum in omnibus tueri. *d. l.* 17. § 18.

XXXIX.

Observandum est, quum filiofamilias agere permittitur ; eum non patris, sed proprio nomine agere : translatâ scilicet

(*a*) Non solùm enim ex *Re*, sed & ex *Personâ* fit atrox Injuria.

(*b*) Intellige Satyricos Libellos, sive Poemata, sive etiam alia quælibet scripta. Vide quæ diximus ad Leges XII. Tabularum, Tab. VII. Cap. 7. ubi etiam de *Membris ruptis & Ossibus fractis.*

(*c*) Hæc actio quæ hîc *Moribus* attribuitur, Edicto Prætoris tribuitur in *Instit.* § 7. h. tit. Nimirùm Edicta quæ ex consuetudine idem Jus edicendi quotannis, tralaticiam auctoritatem habebant, rectè assignantur *Moribus.*

(*d*) *Mixtum jus* appellat, Jus *Lege* constitutum & *Moribus* receptum. Cujac. ad. h. locum Pauli.

(*e*) Lata à Dictatore Cornelio-Syllâ, ad refrænandam licentiam quæ per bella civilia invaluerat.

(*f*) Qui se per tegulas vel alio modo in alienas ædes dirigunt : & indè nomen. Aliàs *Derectarii.* Cujac.

(*g*) Tempore enim Pauli, jam extraordinariæ pœnæ legitimis publicorum judiciorum, quæ minùs frequentabantur, pœnis successerant.

(*h*) Quamvis propter atrocem Injuriam possis etiam criminaliter agere, si malueris : ut videb. infrà.

(*i*) Ante hoc Rescriptum, nonnisi criminaliter agi potuisse censet Schultingius ad *Sent. Paul.* h. tit.

(*k*) Decoctor, prodigus, hîc designatur.

(*l*) Minùs idoneus. N. seq.

(*m*) Filius scilicet.

(*n*) Potiùs quàm ipsi qui Injuriam accepit.

(*o*) Qui est cum patre suo in potestate avi.

actione

actione ex perſonâ patris cui per filium quæſita fuerat, in perſonam filii.

Hinc Idem Julianus ſcribit; Filium non tantùm ipſum agere debere, verùm procuratorem dare poſſe. Alioquin (inquit) niſi ei permiſerimus Procuratorem dare; futurum eſt, ut ſi valetudine impediatur, neque ſit qui Injuriarum actionem exequatur, impediatur actio. *d. l.* 17. § 19.

Idem ait; Et ſi nepoti facta ſit Injuria, & nemo ſit qui avi nomine agat, permittendum eſſe patri experiri: & is procuratorem dabit. Omnibus enim qui ſuo nomine actionem habent, procuratoris dandi eſſe poteſtatem. Intelligi autem filium (inquit) familias ſuo nomine agere, quum patre ceſſante Prætor ei agere permittat. *d. l.* 17. § 20.

Cùm actio in perſonam filii transferatur; hinc etiam ſequitur quòd, Si filiusfamilias Injuriarum egerit, patri actio (*a*) non competit. *d. l.* 17. § 21.

Indè eſt quòd hujus actionis executio filio datur, ut ex eodem Juliano diſcimus. Nam Idem ait; Filiofamilias Injuriarum nomine actionem dari, quotiens nemo eſt qui patris nomine experiatur; & hoc caſu quaſi patremfamiliæ conſtitui. Quare ſive emancipatus ſit (*b*) ſive ex parte heres ſcriptus fuerit, vel etiam exheredatus, ſive paternâ hereditate abſtinuerit; executionem litis ei dandam. Eſſe enim perabſurdum, quem Prætor manente patriâ poteſtate ad actionem admittendum probaverit, ei patrifamilias ultionem Injuriarum ſuarum eripi; & transferri ad patrem, qui eum (quantùm in ipſo eſt) omiſerit; aut, quod eſt indignius, ad heredes patris; ad quos non pertinere injuriam filiofamilias factam, procul dubio eſt. *d. l.* § 22.

§ II.

Adversùs quem actio Injuriarum *detur.*

X L.

Non ſolùm is Injuriarum tenetur, qui fecit Injuriam, hoc eſt qui percuſſit; verùm ille quoque continetur, qui dolo fecit, vel qui curavit ut cui mala pugno percuteretur. *l.* 11. ULP. LIB. 57. AD ED.

Undè Si mandatu meo facta ſit alicui Injuria; plerique aiunt, tam me qui mandavi, quàm eum qui ſuſcepit, Injuriarum teneri. *d. l.* 11. § 3.

Item Proculus rectè ait; Si in hoc te conduxerim ut Injuriam facias; cum utroque noſtrûm Injuriarum agi poſſe, quia meâ operâ facta ſit Injuria. *d. l.* 11. § 4.

Idemque ait, & ſi filio mandavero ut tibi Injuriam faciat. *d. l.* 11. § 5.

Atilicinus autem ait; Et ſi perſuaſerim alicui aliàs (*c*) nolenti, ut mihi ad Injuriam faciendam obediret; poſſe Injuriarum mecum agi. *d. l.* 11. § 6.

X L I.

Quamvis autem mandator actione Injuriarum teneatur; Non ideo minùs. crimine, ſive atrocium Injuriarum judicio, tenetur is qui in juſtam accuſationem incidit; quia dicit alium ſe hujuſmodi facti (*d*) mandatorem habuiſſe. Namque hoc caſu præter principalem reum, mandatorem quoque ex ſuâ perſonâ conveniri poſſe ignotum non eſt. *l.* 5. *Cod. de Accuſation.* GORDIAN.

X L I I.

Tenetur actione INJURIARUM, *qui Injuriam fecit; etiamſi in Magiſtratu conſtitutus fuerit. Enimverò* Nec Magiſtratibus licet aliquid injuriosè facere. Si quid igitur per Injuriam fecerit Magiſtratus, vel quaſi privatus, vel fiduciâ magiſtratûs; Injuriarum poteſt conveniri. Sed utrùm poſito magiſtratu, an verò & quandiù eſt in magiſtratu? Sed verius eſt, ſi is Magiſtratus eſt qui ſine fraude (*e*) in Jus vocari non poteſt, expectandum eſſe quoad magiſtratu abeat. Quòd (&) ſi ex minoribus Magiſtratibus erit, id eſt qui ſine imperio aut poteſtate ſunt Magiſtratus; & in ipſo magiſtratu poſſe eos conveniri. *l.* 32. ULP. LIB. 42. AD SABIN.

X L I I I.

Quædam autem ſunt perſonæ quæ Injuriarum *actione conveniri non poſſunt; niſi Injuria quam fecerunt, fuerit atrox.*

Talis eſt pater. Undè Ulpianus: Sed & ſi quis ex liberis qui non ſunt in poteſtate, cum parente velit experiri; non temerè Injuriarum actio danda eſt, niſi atrocitas ſuaſerit.

Certè his qui ſunt in poteſtate, prosùs nec competit; etiamſi atrox (*f*) fuerit. *l.* 7. § 3. ULP. LIB. 57. AD EDICT.

Talis eſt & patronus. Quocircà idem ait: Prætereà illò ſpectat, dici CERTUM (*g*) de Injuriâ quam paſſus quis ſit; ut ex qualitate Injuriæ ſciamus, an in patronum liberto reddendum ſit Injuriarum judicium. Etenim meminiſſe oportebit, liberto adversùs patronum non quidem ſemper, verùm interdum Injuriarum dari judicium; ſi atrox ſit Injuria quam paſſus ſit, ſi ſua (*h*) putà ſi ſervilis (*i*). Cæterùm levem coercitionem utique patrono adversùs libertum dabimus. Nec patietur eum Prætor querentem, quaſi Injuriam paſſus ſit; niſi atrocitas eum moverit. Nec enim ferre Prætor debet, heri ſervum, hodie liberum, conquerentem quòd dominus ei convicium dixerit, vel quòd leviter pulſaverit, vel emendaverit: ſed ſi flagris, ſi verberibus; ſi vulneravit non mediocria (*Vulgat.* non mediocriter); æquiſſimum erit, Prætorem ei ſubvenire. *d. l.* 7. § 2.

Multò magis in patroni heredes dabitur actio, ſi atrox Injuria ſit. Unde Diocletianus & Maximianus: Cùm nec patronos Injuriam facere libertis, Juris æquitas permittat; proponaſque patronæ heredes, eum qui libertatem à defunctâ acceperat, Injuriis afficere: curabit Præſes provinciæ contumeliam heredum compeſcere. *l.* 6. *Cod. de Injur.*

Quid de marito? Quanquam adversùs patronum liberto Injuriarum actio non detur; verùm marito; libertæ nomine, cum patrono actio competit. Maritus enim, uxore ſuâ Injuriam paſsâ, ſuo nomine Injuriarum agere videtur: quod & Marcellus admittit. Ego autem apud eum notavi; Non de omni Injuriâ hoc eſſe dicendum, me putare. Levis enim coercitio etiam in nuptam, vel convicii non impudici dictio, cur patrono denegetur? Si autem conliberto nupta eſſet; diceremus, omninò Injuriarum marito adversùs patronum ceſſare actionem (*k*): & ita multi ſentiunt. Ex quibus apparet; libertos noſtros, non tantùm eas Injurias adversùs nos Injuriarum actione exequi non poſſe, quæcumque fiunt ipſis; ſed ne eas quidem quæ eis fiunt, quos eorum intereſt Injuriam non pati. *l.* 11. § 7. ULP. LIB. 57. AD ED.

Planè ſi fortè filius liberti vel uxor velint Injuriarum experiri: quia patri marito-ve non datur, denegandum non erit; quia ſuo nomine experiuntur. *d. l.* 11. § 8.

§ III.

Quomodo inſtituatur actio Injuriarum, *& quid in illâ veniat.*

X L I V.

Agere quis Injuriarum, & per ſe, & per alium poteſt;

(*a*) Quod intellige de eâ quam ex perſonâ filii habebat, & quæ ipſi jure patriæ poteſtatis per filium erat quæſita. Hæc actio tranſlata eſt in filium; adeòque ampliùs ei non competit: verùm habet actionem quam ex perſonâ ſuâ habet, tanquam ipſe in perſonâ filii Injuriam paſſus.

(*b*) Poſt Injuriam admiſſam, actionemque patri quæſitam.

(*c*) Non ergo tenebor *Injuriarum*, ſi duntaxat laudavi propoſitum ejus qui jam ad Injuriam faciendam paratus erat.

(*d*) De quo accuſatur.

(*e*) Id eſt, impunè: l. 2. ff. *de in Jus voc.*

(*f*) Nulla enim inter filium qui in poteſtate eſt, & patrem, actio eſſe poteſt: ſuprà lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.*

(*g*) Vide infrà N. 45.

(*h*) Ita poteſt intelligi, ſi eam in ſuâ perſonâ paſſus eſt. Cæterùm hæc verba *ſi ſua*, potiùs videntur abundare, & deſunt in Vulgatâ.

(*i*) Id eſt; ſi patronus eum tractavit ut ſervum, excipiendo eum verberibus. Gloſſa verò interpretatur: ſi adeò atrox ſit, ut, etiamſi in perſonâ ſervi facta eſſet, vindicaretur.

(*k*) Scilicet niſi eſſet atrox.

Source : BIU Cujas

ut putà procuratorem, tutorem, cæteroſque qui pro aliis ſolent (*a*) intervenire. *d. l.* 11. § 2.

XLV.

In inſtituendâ autem hâc actione, quædam obſervari debent.

Enimverò Prætor edixit: « QUI AGIT INJURIARUM, » CERTUM DICAT QUID INJURIÆ FACTUM SIT; » quia qui famoſam actionem intendit, non debet vagari cum diſcrimine alienæ exiſtimationis; ſed deſignare, & certum ſpecialiter dicere, quam ſe Injuriam paſſum contendit. *l.* 7. ULP. LIB. 57. AD ED.

Quod autem Prætor ait, QUID INJURIÆ FACTUM SIT CERTUM DICAT, quemadmodum accipiendum ſit? CERTUM eum dicere Labeo ait, qui dicat nomen Injuriæ; neque ſub alternatione, putà illud aut illud, ſed illam Injuriam ſe paſſum. *d. l.* 7. § 4.

Si mihi plures Injurias feceris; putà turbâ & cœtu facto domum alicujus introeas; & hoc facto efficiatur, ut ſimul & convicium patiar & verberer: an poſſim ſeparatim tecum experiri de ſingulis Injuriis, quæritur? Et Marcellus ſecundùm Neratii ſententiam hoc probat; cogendum, Injurias quas ſimul paſſus eſt, conjungere. *d. l.* 7. § 5.

XLVI.

Venit in actione Injuriarum, æſtimatio Injuriæ; quæ fieri debet ex æquo & bono. Nam Injuriarum actio, ex bono & æquo eſt. *l.* 11. § 1. ULP. LIB. 57. AD ED.

Et quidem hanc pecuniariam Injuriæ æſtimationem, ipſis Injuriam paſſis permittit Prætor; eamque ipſe, ſi ſibi æqua videatur, ſequitur: Inſtit. Tit. de Injur. § 7.

Hæc Injuriarum æſtimatio, non ad id tempus quo judicaturr ſed ad id quo facta eſt, referri debet. *l.* 21. JAVOLEN. LIB. 9. EPISTOL.

§ IV.

De judicio Noxali INJURIARUM, *quod datur quum ſervus Injuriam faciat.*

XLVII.

Si atrocem Injuriam ſervus fecerit; ſi quidem dominus præſens ſit, poteſt agi de eo (*b*); quod ſi abfuerit, Præſidi offerendus eſt, qui eum flagris rumpat. *l.* 9. § 3. ULP. LIB. 57. AD ED.

Enimverò Quum ſervus Injuriam facit, maleficium eum admittere palàm eſt. Meritò igitur ſicuti ex cæteris delictis, ita ex hoc Injuriarum, Noxalis actio datur. Sed in arbitrio domini eſt, an velit eum verberandum exhibere, ut ita ſatisfiat ei qui Injuriam paſſus eſt. Neque erit neceſſe domino utique eum verberandum præſtare, ſed dabitur ei facultas præſtare ei ſervum verberandum. Aut ſi de eo verberibus ſatis non fiat, noxæ dedendum, vel litis æſtimationem ſufferendam. *l.* 17. § 4. ULP. LIB. 57. AD ED.

Ait Prætor, ARBITRATU JUDICIS; utique quaſi viri boni, ut ille modum verberum imponat. *d. l.* 17. § 5.

Si ante judicem dominus verberandum ſervum exhibuerit, ut ſatis verberibus ei fieret; & erit factum arbitratu alicujus: poſtea actor agere Injuriarum perſeverat; non eſt audiendus. Qui enim accepit ſatisfactionem, Injuriam ſuam remiſit. Nam & ſi nudâ voluntate Injuriam remiſit; indubitatè dicendum eſt, extingui Injuriarum actionem, non minùs quàm ſi tempore abolita fuerit Injuria. *d. l.* 17. § 6.

XLVIII.

Et ita quidem de Injuriâ quam ſervus fecit domino non conſcio.

Quòd Si juſſu domini ſervus Injuriam fecerit; utique dominus conveniri poterit, etiam ſuo nomine (*c*). Sed ſi proponatur ſervus manumiſſus; placet Labeoni, dandam (*d*) in eum actionem: quia & NOXA CAPUT SEQUITUR, nec in omnia ſervus domino parere debet; cæterùm (*e*), etſi occiderit juſſu domini, Cornelià eum (*f*) eximemus. *d. l.* 17 § 7.

Planè ſi defendendi domini gratiâ aliquid fecerit; rationem ei conſtare apparet: in-que eam rem, adversùs agentem exceptio objicienda erit. *d. l.* 17. § 8.

XLIX.

Hactenùs de Injuriâ quam ſervus fecit.

Quòd Si plures ſervi ſimul aliquem cæciderint, aut convicium alicui fecerint; ſingulorum proprium eſt maleficium, & tanto major Injuria à pluribus admiſſa (*g*) eſt. Imò etiam tot Injuriæ ſunt, quot & perſonæ Injuriam facientium. *l.* 34. GAIUS LIB. 13. AD ED. PROVINC.

§ V.

Quando extinguatur Injuriarum *actio.*

L.

Injuriarum actio extinguitur 1°. *Morte, ſive ejus cui competebat, ſive ejus adversùs quem competebat.*

Enimverò Injuriarum actio neque heredi neque in heredem datur. Idem eſt, & ſi in ſervum meum Injuria facta ſit: nam nec hîc heredi meo Injuriarum actio (*h*) datur.

Semel autem lite conteſtatâ, hanc actionem etiam ad ſucceſſores pertinere. *l.* 13. ULP. LIB. 57. AD ED.

Cùm Injuriarum actio, niſi conteſtata fuerit, ad heredem non tranſeat; hinc Ulpianus: Injuriarum actio in bonis noſtris non computatur, antequàm litem conteſtemur. *l.* 28. ULPIAN. LIB. 34. AD SABIN.

LI.

Injuriarum actio extinguitur anni lapſu.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si non convicii conſilio te aliquid injurioſum dixiſſe probare potes, fides veri à calumniâ te defendit. Si autem in rixam inconſulto calore prolapſus, homicidii convicium objeciſti, & ex eo die annus (*i*) exceſſit: cùm Injuriarum actio annuo tempore præſcripta ſit, ob Injuriæ admiſſum conveniri non potes. *l.* 5. *Cod. de Injur.*

LII.

Denique Injuriarum actio Et diſſimulatione aboletur. Si quis enim Injuriam dereliquerit, hoc eſt ſtatim paſſus ad animum ſuum non revocaverit; poſtea ex pœnitentiâ remiſſam Injuriam non poterit recolere. Secundùm hæc ergo (*k*); æquitas actionis omnem metum ejus abolere videtur, ubicumque contra æquum quis venit. Proindè & ſi pactum de Injuriâ interceſſit, & ſi tranſactum, & ſi jusjurandum exactum erit; actio Injuriarum non tenebit. *l.* 11. § 1. ¶ *& diſſimulatione.* ULPIAN. LIB. 57. AD ED.

(*a*) Secùs de criminali judicio.
(*b*) Scilicet NOXALI actione *Injuriarum.*
(*c*) Vide ſuprà lib. 9. Tit. *de Noxal. act.* Sect. fin.
(*d*) Nihilominùs, ſi maluerit.
(*e*) Id eſt, alioquin.
(*f*) Quod certè dici non poteſt.
(*g*) Non ſufficiet igitur tantum præſtare quantum ſi unus homo liber feciſſet: at in Edicto de quo ſuprà Tit. 6.
(*h*) De quâ actione vide Sect. ſeq. Art. 1°.

(*i*) Continuus, ut rectè monet Wiſſenbachius; quamvis plures diſſentiunt. Rectè etiam addit, hâc præſcriptione non ſolùm Prætoriam, ſed & civilem quæ ex Lege Corneliâ deſcendit [de quâ infrà] actionem excludi; criminale autem judicium, quum huic locus eſt, nonniſi vicennio.
(*k*) Ex eo quòd hæc actio nullam certam pœnam contineat, ſed in eâ id duntaxat veniat in quod reum condemnari oportere æquum judici videbitur; rectè concludit, remiſſione Injuriæ hanc actionem prorsùs extingui. Jam enim nihil eſt in quod condemnari oportere æquum videri poſſit, cùm æquitas nolit ut condemnetur ei qui injuriam remiſit.

Source : BIU Cujas

SECTIO II.

De nonnullis ſingularibus Injuriarum ſpeciebus, de quibus ſpecialiter Edicto Prætoris cavetur.

ARTICULUS I.

De Injuriis quæ in perſonas ſervorum fiunt.

LIII.

Nec ſervis quidem alienis licet facere Injuriam. *l.* 1. *Cod. de Injur.* ALEXANDER.

Enimverò Prætor ait: « QUI ſervum alienum adversùs » bonos mores verberaviſſe; de-ve eo, injuſſu domini, » quæſtionem habuiſſe dicetur; in eum judicium dabo. » Item ſi quid aliud factum eſſe dicetur, causâ cognitâ » judicium dabo. » *l.* 15. § 34. ULP. LIB. 77 AD ED.

§ I.

Quando actioni ex hâc Edicti parte locus ſit.

LIV.

Ex ipſis Edicti verbis, huic locus eſt 1°. *Quum ſervum meum quis verberavit.* VERBERASSE dicitur abuſivè (*a*), & qui pugnis cæciderit. *d. l.* 15. § 40.

Adjicitur ADVERSUS BONOS MORES: ut non omnis omninò qui verberavit, ſed qui adversùs bonos mores verberavit, teneatur. Cæterùm ſi quis corrigendi animo, aut ſi quis emendandi; non tenetur. *d. l.* 15. § 38.

Undè quærit Labeo; Si Magiſtratus municipalis ſervum meum loris ruperit, an poſſim cum eo experiri, quaſi adversùs bonos mores verberaverit? Et ait; Judicem debere inquirere, quid facientem ſervum meum verberaverit. Nam ſi honorem ornamentaque petulanter adtentantem cæciderit, abſolvendum eum. *d. l.* 15. § 39.

Maximè autem non videtur ADVERSUS BONOS MORES *ſervum verberaſſe, qui uſus eſt jure quod in eum habebat.*

Hinc Si communem quis ſervum verberaverit, utique hâc actione non tenebitur; cùm jure domini id fecerit. *d. l.* 15. § 36.

Nec ſi fructuarius id fecerit, dominus cum eo agit; vel ſi proprietarius fecerit, fructuarius eum conveniet. *d. l.* 15. § 37.

LV.

2°. *Huic Edicto locus eſt, quum de ſervo meo aliquis quæſtionem habuit.*

QUÆSTIONEM intelligere debemus, tormenta & corporis dolorem AD ERUENDAM VERITATEM. Nuda ergo interrogatio, vel levis territio, non pertinet ad hoc Edictum.

Quæſtionis verbo, etiam ea quam MALAM MANSIONEM (*b*) dicunt, continebitur. Quum igitur per vim & tormenta habita quæſtio eſt, tunc QUÆSTIO intelligitur. *d. l.* 15. § 41.

LVI.

3°. Prætor ait: « SI QUID aliud factum eſſe dicetur, » causâ cognitâ judicium dabo. »

Proindè ſi quidem verberatus ſit ſervus, vel tormentis de eo quæſtio habita eſt; ſine cauſæ cognitione judicium in eum competit. Si verò aliam Injuriam paſſus ſit, non aliter competit quàm ſi causâ cognitâ. *d. l.* 15. § 43.

Itaque Prætor non ex omni causâ, Injuriarum judicium ſervi nomine promittet. Nam ſi leviter percuſſus ſit, vel malè dictum ei leviter; non dabit actionem. At ſi infamatus ſit, vel facto aliquo, vel carmine ſcripto; puto cauſæ cognitionem Prætoris porrigendam & ad ſervi qualitatem. Etenim multùm intereſt qualis ſervus ſit, bonæ frugi, ordinarius diſpenſator; an verò vulgaris, vel mediaſtinus (*c*), an qualis qualis: & quid, ſi compeditus, vel malè (*d*) notus, vel notæ extremæ? Habebit igitur Prætor rationem tam Injuriæ quæ admiſſa dicitur, quàm perſonæ ſervi in quem admiſſa dicitur. Et ſic, aut permittet, aut denegabit actionem. *d. l.* 15. § 44.

In cauſæ cognitione illud etiam verti debet, an Injuria in dominum redundet.

Enimverò Interdum Injuria ſervo facta ad dominum redundat, interdum non. Nam ſi pro libero ſe gerentem, aut quum eum alterius potiùs quàm meum exiſtimat quis (*e*), [cæcîdit]; non cæſurus eum, ſi meum ſciſſet: non poſſe eum, quaſi mihi Injuriam fecerit, ſic conveniri; Mela ſcribit. *d. l.* 15. § 45.

Non ſemper tamen factum erit impunitum, quamvis Injuria in dominum non redundet.

Undè Ulpianus. Si quis ſic fecit Injuriam ſervo, ut domino faceret; video dominum Injuriarum agere poſſe ſuo nomine. Si verò non ad ſuggillationem domini id fecit; ipſi ſervo facta injuria, inulta à Prætore relinqui non debuit; maximè ſi verberibus vel quæſtione fieret (*f*). Hanc enim & ſervum ſentire palàm eſt. *d. l.* 15. § 35.

LVII.

Illud patet, ex eo quod in perſonam ſervi, juſſu domini aut ejus qui vice domini eſt, factum eſt, actionem Injuriarum non naſci.

Undè Si juſſu tutoris, aut procuratoris, vel curatoris, quæſtio habita ſit; conſequens erit dicere, ceſſare Injuriarum actionem. *l.* 17. § 1. ULP. LIB. 57. AD ED.

Tamen: Sed etſi juſſu domini quis quæſtionem habeat, modum tamen exceſſerit (*g*), teneri eum debere Labeo ait. *ſup. d. l.* 15. § 42.

§ II.

Cui competat hæc actio, & adversùs quem.

LVIII.

Servi domino competit hæc actio.

Quòd Si ſervum complurium cæcîdero; competere Injuriarum actionem omnibus, plùs quàm manifeſtum eſt. *l.* 15. § *fin.* ULP. LIB. 77. AD ED.

Sed non eſſe æquum, pro majore parte quàm pro quâ dominus (*h*) eſt, damnationem fieri Pedius ait. Et ideò officio judicis portiones æſtimandæ erunt. *l.* 16. PAUL. LIB. 45. AD ED.

Cùm autem in eo quod domini juſſu aut permiſſu factum eſt, ceſſet Injuriarum actio mox ſuprà N. 57. *quid ſi ſervus verberatus, aut de quo quæſtio habita eſt, plurium erat?* Sed ſi unius permiſſu id fecero; ſi quidem ſolius ejus

(*a*) Propriè enim *verberat*, qui verberibus ſeu flagellis percutit.

(*b*) MALA MANSIO, ſupplicii genus de quo ita Prudentius: *Ligno plantas inſerit, divaricatis cruribus.* Græci vertunt, ΤΟ' ΕΜΒΑΛΛΕΙΝ ΤΟΥΣ ΠΟΔΑΣ ΞΥΛΩ. Baſil. lib. 60. Eclog. XXI. Cap. 32.

(*c*) Quaſi medius inter ſummos [quales erant Diſpenſatores, Atrienſes, &c.] & imos ſeu extremæ notæ ſervos, quales erant compediti: Turneb. *Adverſ.* XXVIII 31. Alii *Mediaſtinos* interpretantur, qui nulli certo miniſterio deputati ſunt; ſed in mediis ædibus ad quidvis juſſum præſtò eſſe debent.

(*d*) Malæ famæ.

(*e*) Quum falsò credit, hunc ſervum eſſe certæ perſonæ cui ſoli Injuriam facere vult. Secùs, ſi duntaxat ignoraret cujus eſſet ſervus: hoc enim caſu haberet ſaltem generalem voluntatem faciendi Injuriam ei qui ejus eſſet dominus, quiſquis ille eſſet; tuncque mihi competeret actio Injuriarum argumento ejus quod dictum eſt ſuprà N. 4.

(*f*) Haloand. *quæſtionibus adfecerit*: Vulgat. *adfligeret.*

(*g*) In eo enim quod præſcriptum modum & fines mandati excedit, jam non videtur juſſu domini facere; adeòque huic actioni obnoxius eſt.

(*h*) Imò Juſtinianus Inſtit. *de Injur.* § 4. ait *Non pro eâ parte quâ dominus quiſque eſt, æſtimationem Injuria fieri; ſed* EX DOMINORUM PERSONA, *quia ipſis fit iniuria.* Woorda hos textus, recenſitis variis Doctorum conciliationibus, aliter conciliari poſſe negat, quàm ſi Juſtinianus accipiatur de eâ Injuriæ ſpecie quæ animo contumeliæ ipſi domino inferendæ, Paulus autem de Injuriâ quæ ſimpliciter fit ſervo. Sed quid vetat, quominùs utrumque textum de Injuriâ quæ ſimpliciter fit ſervo intelligamus, & eos ita conciliemus; ut, cùm actio *Injuriarum*, quatenùs domini ſunt, ipſis competat; non pro majore parte quàm quiſque dominus eſt, damnatio fieri debeat; non tamen in æſtimatione Injuriæ faciendæ, habendam duntaxat rationem partis quam quiſque in domino habet; ſed etiam ex perſonâ & dignitate cujuſque domini, variè æſtimandas portiones in quas reus ipſis condemnandus ſit: quia cùm Injuria ſervis facta, dominis ipſis fieri videatur; conſequens eſt, in æſtimatione Injuriæ, perſonæ ac dignitatis dominorum rationem habendam eſſe.

Source : BIU Cujas

eſſe putavi, nulli competit. Injuriarum actio. Planè ſi ſcivi plurium; ei quidem qui permiſerit, non competit, Injuriarum actio; cæteris competit. *l.* 17. ULP. LIB. 57. AD ED.

L I X.

Si uſumfructum in ſervo habeam, tu proprietatem; iſque verberatus ſit, vel quæſtio de eo habita: Injuriarum actio magis proprietario quàm mihi competit.

Idemque probatur, & ſi ſervum meum (*i. e.* quem bonâ fide poſſidebam) cæcîderis. Domino enim magis competit Injuriarum actio. *ſup. d. l.* 15. § 47.

Interdum tamen ipſi bonæ fidei poſſeſſori vel fructuario dabitur. Undè Ulpianus: Item ſi liberum hominem qui mihi bonâ fide ſerviebat, quis cæciderit; diſtinguendum eſt: ut, ſi in contumeliam meam pulſatus ſit, competat mihi Injuriarum actio. Idem ergo, & ſi in ſervo alieno bonâ fide mihi ſervienti; ut toties admittamus Injuriarum actionem, quoties in meam contumeliam Injuria ei facta ſit. Nam ipſius quidem ſervi nomine, domino dabimus Injuriarum actionem. (Si autem me tangat & pulſet, Injuriarum mihi quoque eſt.) Ergo & in fructuario idem diſtingui poteſt. *d. l.* 15. § 48.

L X.

*Obſervandum quòd, et*Si ſervum cujus nomine Injuriarum actio tibi competit, manumiſeris aut alienaveris; ſupereſt tibi Injuriarum actio. *l.* 29. PAUL. LIB. 10. AD SABIN.

Servo autem manumiſſo non competere actionem, ob Injuriam quam in ſervitute paſſus eſt, quis dubitet? *l.* 30. ULP. LIB. 42. AD SABIN.

Conſonat quod Labeo ſcribit; Si quis ſervum hereditarium teſtamento manumiſſum, ante aditam hereditatem verberaverit, Injuriarum heredem agere poſſe. At ſi poſt aditam hereditatem verberatus ſit; ſive ſcit ſe liberum, ſive ignorat, ipſum agere poſſe. *l.* 1. § 7. ULP. LIB. 56. AD ED.

L X I.

Vidimus cui hæc actio detur. Datur autem adversùs eum qui Injuriam fecit aut fieri curavit: de quâ re vide Sect. præced.

Quòd Si ſervus ſervo (*a*) fecerit Injuriam, perindè agendum quaſi domino (*b*) feciſſet. *l.* 18. § 1. PAUL. LIB. 55. AD ED.

§ III.

Cum quibus actionibus concurrat hæc actio.

L X I I.

Hæc actio poteſt cum aliis concurrere. V. G. Si ſtuprum ſerva paſſa ſit, Injuriarum actio dabitur. Aut, ſi celavit mancipium, vel quid aliud furandi animo fecit, etiam Furti: vel ſi virginem immaturam ſtupraverit, etiam Legis Aquiliæ actionem competere quidam putant (*c*). *l.* 25. ULP. LIB. 18. AD ED.

ARTICULUS II.

De ſingulari Injuriæ ſpecie, quæ alicujus infamandi cauſâ fit.

L X I I I.

Ait prætor: « NE QUID infamandi causâ fiat. Si quis » adversùs ea fecerit, prout quæque res erit animad» vertam. » *l.* 15. § 25. ULP. LIB. 77. AD ED.

Hoc Edictum (*d*) ſupervacuum eſſe Labeo ait; quippè cùm ex generali, INJURIARUM, agere poſſumus. Sed videtur & ipſi Labeoni, & ita ſe habet; Prætorem eamdem cauſam ſecutum, voluiſſe etiam ſpecialiter de eâ re loqui. Ea enim quæ notabiliter fiunt, niſi ſpecialiter notentur, videntur quaſi neglecta. *d. l.* 15. § 26.

L X I V.

Generaliter vetuit Prætor quid ad infamiam alicujus fieri. Proindè quodcumque quis fecerit vel dixerit, ut alium infamet; erit actio Injuriarum.

Hæc autem ferè ſunt quæ ad infamiam alicujus fiunt: ut putà, ad invidiam alicujus, veſte lugubri utitur aut ſqualidâ, aut ſi barbam demittat, vel capillos ſubmittat (*e*); aut ſi carmen conſcribat vel proponat, vel cantet aliquod, quod pudorem alicujus lædat. *d. l.* 15. § 27.

Similiter Venuleius. Veſtem ſordidam rei nomine in publico habere, capillum-ve ſummittere nulli licet: niſi (*f*) ita conjunctus eſt adfinitate, ut invitus in reum teſtimonium dicere cogi non (*g*) poſſit. *l.* 39. VENULEIUS LIB. 2. PUBLICORUM JUDICIORUM.

Multas alias Injuriarum ſpecies quæ ad infamiam pertinent, enumeravimus Sect. præced. Art. 2°.

L X V.

Quod ait Prætor: SI QUIS ADVERSUS EA FECERIT, PROUT QUÆQUE RES ERIT, ANIMADVERTAM; ſic intelligendum eſt, ut plenior eſſet Prætoris animadverſio: id eſt, & quodcumque eum moverit, vel in perſonâ ejus qui agit Injuriarum actione, vel ejus adversùs quem agitur, vel etiam in re ipsâ, in qualitate Injuriæ; audiat eum qui agit. *ſup. d. l.* 15. § 28.

ARTICULUS III.

De Conviciis, *de quibus ſpecialiter Edicto Prætoris cavetur.*

L X V I.

Ait Prætor: « Qui adversùs bonos mores Convi» cium cui feciſſe, cujus-ve operâ factum eſſe dicetur » quo adversùs bonos mores Convicium fieret; in eum » judicium dabo. » *l.* 15. § 2. ULP. LIB. 77. AD ED.

CONVICIUM, Injuriam eſſe Labeo ait. *d. l.* 15. § 3.

Convicium autem dicitur, vel à concitatione; vel à conventu, hoc eſt, à collatione vocum. Quum enim in unum complures voces conferuntur, CONVICIUM appellatur; quaſi CONVOCIUM. *d. l.* 15. § 4.

Ex his apparet; non omne maledictum, convicium eſſe; ſed id ſolum quod cum vociferatione dictum eſt. *l.* 15. § 11.

Cæterùm Sive unus ſive plures dixerint quod in cœtu dictum eſt, CONVICIUM eſt. Quod autem non in cœtu nec vociferatione dicitur, convicium non propriè dicitur, ſed infamandi causâ dictum. *d. l.* 15. § 12.

Ut autem convicium intelligatur, nil refert utrùm præſenti fiat necne. Nam Convicium non tantùm præſenti, verùm abſenti quoque fieri poſſe Labeo ſcribit. Proindè ſi quis ad domum tuam venerit te abſente, Convicium factum eſſe dicitur. Idem, & ſi ad ſtationem vel tabernam ventum ſit, probari oportere. *d. l.* 15. § 7.

L X V I I.

Sed quod adjicitur à Prætore, ADVERSUS BONOS MORES, oſtendit non omnem in unum collatatam vociferationem, Prætorem notare; ſed eam quæ bonis moribus improbatur, quæ-que ad infamiam vel invidiam alicujus ſpectaret. *d. l.* 15. § 5.

(*a*) Servo alterius domini.

(*b*) Domino ſervi cui fecit Injuriam. Scilicet agendum *Noxali* judicio, de quo Sect. præced. §°. 4°.

(*c*) Et rectè. An autem & quatenùs altera alteram conſumat, vide ſuprà lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.* Part. 2*da*. art. fin.

(*d*) Id eſt, hæc Edicti pars.

(*e*) Id eſt, capillos non tondeat. Hæc erant apud Romanos indicia luctûs & mæroris. Si quis igitur cum hoc luctûs habitu affectaret aliquem ſequi, indicans ſe ab eo vexari & opprimi, non levem ei Injuriam facere videbatur. Sed & ſi quis induat hunc habitum ob aliquem qui ex ipſius cognatis aut neceſſariis non foret, alicujus criminis accuſatum, videtur hoc fieri ad concitandam invidiam tam in accuſatorem quàm in judices qui eum condemnarent; adeòque ad ipſorum Injuriam pertinere. Hinc quum omnes Senatores mutaſſent habitum pro Cicerone, quum à Clodio accuſatus & in exilium actus fuiſſet; Conſules intelligentes hoc ad invidiam ipſorum factum, talem luctum Edicto inhibuerunt: ut ipſe Cicero teſtatur in Orat. *Pro reditu.*

(*f*) Qui accuſabatur, veſtem ſordidam induebat, barbam promittebat: idem faciebant neceſſariæ perſonæ. Verùm quod in neceſſariis perſonis erat officium, videbatur Injuria in extraneis; quaſi hoc ipſo jam convictum eum exiſtimarent.

(*g*) Quinam tales ſint, vide ſuprà lib. 22. Tit. *de Teſtib.* N. 21.

Source : BIU Cujas

Idem ait; ADVERSUS BONOS MORES. Sic accipiendum, non ejus qui fecit; sed generaliter accipiendum, adversùs bonos mores hujus civitatis. *d. l.* 15. § 6.

Maximè autem adversùs bonos mores videtur, illud convicium quod fit judici ab appellatoribus. Hinc Paulus : Judici ab appellatoribus convicium fieri non oportet, alioquin infamiâ notantur. *l.* 42. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Item illud demùm convicium Edicto continetur, quod certæ personæ factum est. Undè in Edicto, CUI non sine causâ adjectum est: nam si in certæ personæ convicium fiat, nulla executio est. *d. l.* 15. § 5.

LXVIII.

Addit Prætor CUJUS-VE OPERA FACTUM ESSE DICETUR.

Igitur Fecisse convicium non tantùm is videtur qui vociferatus est, verùm is quoque qui concitavit ad vociferationem alios, vel qui summisit ut vociferentur. *d. l.* 15. § 8.

Cæterùm Si curaverit quis convicium alicui fieri, non tamen factum sit; non tenebitur. *d. l.* 15. § 10.

LXIX.

Hæc Injuriæ species hoc cum cæteris habet commune; quòd actio Injuriarum quæ ex convicio nascitur, in heredes non est reddenda, sed nec heredi. *d. l.* 15. § 14.

SECTIO III.

De Lege Corneliâ de Injuriis.

LXX.

Sunt quædam Injuriarum species quas Lex Cornelia à Cornelio-Syllâ Dictatore lata vindicat; propositâ actione criminali.

Hanc criminalem actionem fuisse publicum judicium, multi (inter quos Cujacius) existimant; eo quòd in. l. 12. *ff.* de Accusationib. *in quâ plura publica judicia recensentur, mentio etiam fiat Legis Corneliæ* INJURIARUM. *Alii, inter quos Vinnius, negant hanc actionem fuisse publicum judicium; argumento legis* 42. § 1. *ff.* de Procur. *quæ* PRIVATAM *dicit* Injuriarum *actionem ex Lege Corneliâ, etsi pro utilitate publicâ exerceatur. Hanc litem dirimere nostri non est instituti.*

Cæterùm non solùm criminaliter, verùm Etiam ex Lege Corneliâ Injuriarum actio civiliter moveri potest; condemnatione, æstimatione judicis, faciendâ. *l.* 37. § 1. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

LXXI.

Lex Cornelia de Injuriis competit ei qui Injuriarum agere volet, ob eam rem quòd se pulsatum, verberatumve, domum-ve suam vi introitam esse dicat. *l.* 5. ULP. LIB. 56. AD ED.

Lex itaque Cornelia ex tribus causis dedit actionem, quòd quis PULSATUS, VERBERATUS-VE, DOMUS-ve ejus vi introita sit. Apparet igitur omnem Injuriam quæ manu fiat, Lege Corneliâ contineri. *d. l.* 5. *pr.* ¶ *lex itaque.*

Inter Pulsationem & Verberationem hoc interest, ut Ofilius scribit: VERBERARE est, cum dolore cædere; PULSARE, sine dolore. *l.* 5. § 1. ULP. LIB. 56. AD ED.

Quod autem Lex ait DOMUM-VE VI INTROITAM: DOMUM accipere debimus, non proprietatem domûs sed domicilium. Quare sive in propriâ domu quis habitaverit, sive in conducto, vel gratis sive hospitio receptus; hæc Lex locum habebit. *d. l.* 5. § 2.

Quid si quis in villâ habitet, vel in hortis? Idem erit probandum. *d. l.* 5. § 3.

Et si dominus fundum locaverit in-que eum impetus factus sit; colonus aget, non dominus. *d. l.* 5. § 4.

Dicimus DOMUM *in hâc Lege accipi pro domicilio. Domicilium autem accipe, non strictè, sed pro omni domu in quâ quis non momenti causâ habitat.*

Hoc contra Labeonis sententiam docet Ulpianus. Ita ille. Si tamen in fundum alienum qui domino colebatur, introitum sit; Labeo negat esse actionem domino fundi ex Lege Corneliâ: quia non possit ubique domicilium habere, hoc est per omnes villas suas. Ego puto ad omnem habitationem in quâ paterfamilias habitat, pertinere hanc Legem; licèt ibi quis domicilium non habeat. Ponamus enim studiorum causâ Romæ agere: Romæ utique domicilium non habet; & tamen dicendum est, si vi domus ejus introita fuerit, Corneliam locum habere. Tantùm igitur ad meritoria vel stabula (*a*) non pertinebit.

Cæterùm ad hos pertinebit qui inhabitant non momenti causâ, licèt ibi domicilium non habeant. *d. l.* 5. § 5.

LXXII.

Illud quæritur, an pater, filiofamilias Injuriam passo, ex Lege Corneliâ Injuriarum agere possit? Et placuit non posse (*b*); de-que eâ re inter omnes constat. Sed patri quidem (*c*) Prætoria Injuriarum actio competit, filio verò Legis (*d*) Corneliæ. *d. l.* § 6.

Et quidem In Lege Corneliâ filiusfamilias agere potest ex omni causâ, nec cavere debet RATAM rem patrem habiturum. Nam nec aliàs agentem filium Injuriarum, ad cautionem DE RATO compellendum Julianus scribit (*e*). *d. l.* 5 § 7.

LXXIII.

Hâc Lege permittitur actori jusjurandum deferre, ut reus juret Injuriam se non fecisse. Sed Sabinus in Adsessorio (*f*); Etiam Prætores exemplum Legis secuturos (*g*) ait: & ita res se habet. *d. l.* 5. § 8.

Unum etiam nota singulare in judicio Legis Corneliæ. Quâ Lege cavetur ut non judicet, qui ei qui agit gener, socer, vitricus, privignus, sobrinus-ve est, propriùs-ve eorum quemquam eâ cognatione affinitate-ve attinget; qui-ve eorum ejus, parentis-ve cujus eorum, patronus erit. *d. l.* 5. *pr.* ¶ *quâ Lege.*

SECTIO IV.

De Senatusconsulto adversùs Famosos Libellos.

LXXIV.

Hæc specialis Injuriæ species proposita eâ de re publicò judicio vindicatur; de quo judicio & hujus pœnâ, ita Ulpianus. Si quis Librum ad Infamiam alicujus pertinentem scripserit, composuerit, ediderit, dolo-ve malo fecerit; etiamsi alterius nomine ediderit, vel sine nomine: uti de eâ re agere liceret; &, si condemnatus sit qui id fecit, INTESTABILIS ex Lege esse jubetur. *l.* 5. § 9. ULP. LIB. 56. AD EDICT.

Eâdem pœnâ ex Senatusconsulto tenetur, etiam qui ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΑ [*id est, inscriptiones*] aliud-ve quid sine

(*a*) *Les Auberges.*

(*b*) Scilicet ex personâ suâ, & ob Injuriam quam per filium patitur, Ratio est, quia Lex Cornelia ei dat actionem *Qui pulsatus verberatus-ve est*; ipse autem non est pulsatus. Cæterùm agere poterit eâ Legis Corneliæ actione quæ filio competit, & patri per filium jure patriæ potestatis quæritur.

(*c*) Ex propriâ personâ.

(*d*) Quam tamen ipsam pater exercebit, si præsens est. Ita Accursius, qui simul notat Doctores quosdam dissentire; & peculiare esse huic actioni *Legis Corneliæ* DE INJURIIS, ut solus filius eâ agere possit; argumento ejusdem legis § 7. mox seq. Quod ultimum sanè, minùs rectè consequi videtur ex *d.* § 7. mox seq. Quod ultimum sanè, minùs rectè consequi videtur ex *d.* § 7. in quo supponi rectiùs potest, filium propter absentiam patris agere.

(*e*) Sensus est: si filiusfamilias, quando patre absente *Injuriarum* agit Prætoriâ actione, non cavet DE RATO; quia scilicet suo nomine intelligitur agere, actione ex personâ patris in ipsius personam translatâ; ut vid. suprà N. 39. pariter non debet cavere DE RATO, quum ex Lege Corneliâ agit; ex quâ Directa actio ipsi filio competit.

(*f*) In libro ADSESSORIORUM.

(*g*) Id est; ad exemplum hujus Legis, pariter jusjurandum deferre permittetur in actione Prætoriâ.

Source : BIU Cujas

ſcripturâ (*a*) in notam aliquorum produxerit; item qui emendum vendendum-ve curaverit. *d. l.* 5. § 10.

Et ei qui indicaſſet (*b*), ſive liber, ſive ſervus ſit; pro modo ſubſtantiæ accuſatæ perſonæ, æſtimatione judicis, pretium conſtituitur: ſervo forſitan & libertate præſtandâ. Quid enim ſi publica utilitas ex hoc emergit? *d. l.* 5. § 11.

Quod Senatuſconſultum neceſſarium eſt, quum nomen adjectum non eſt ejus in quem factum eſt. Tunc enim (*Florent.* ei), quia difficilis probatio (*c*) eſt, voluit Senatus publicâ quæſtione rem vindicare.

Cæterùm ſi nomen adjectum ſit; & jure communi Injuriarum agi poterit. Nec enim prohibendus eſt privato agere judicio, quo publico judicio præjudicatur: quia ad privatam cauſam (*d*) pertinet. Planè ſi actum ſit publico judicio, denegandum eſt privatum. Similiter ex diverſo. *l.* 6. PAUL. LIB. 55. AD ED.

LXXV.

Publicæ quæſtioni hoc Senatuſconſulto introductæ, ſucceſſit extraordinaria. Undè Paulus:

In eos auctores qui Famoſos Libellos in contumeliam alterius propoſuerint; extra ordinem, uſque ad relegationem inſulæ (*e*) vindicatur. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 4. § 15.

Idem ait:

Pſalterium quod vulgò dicitur CANTICUM (*f*) in alterius infamiam compoſitum & publicè cantatum, tam in eos qui hoc cantaverint, quàm in eos qui compoſuerint, extra ordinem vindicatur; eo acriùs, ſi perſonæ dignitas hâc Injuriâ defendenda ſit. *d. tit.* § 14.

Circa Famoſos Libellos conſtituunt Valentinianus & Valens; ut ſi quis Famoſum (*g*) *Libellum invenerit nec ſuppreſſerit, ſed eum manifeſtaverit; puniatur capitali pœnâ tanquam ſi hujus auctor eſſet: hortanturque eos qui ſalutis publicæ ſolliciti ſunt, ut ea quæ* PER FAMOSUM LIBELLUM PERSEQUENDA *putaverint, adeuntes Principem* ORE PROPRIO *edicant; propoſito ipſis præmio, ſi ea probaverint. l. un. Cod.* de Famoſ. lib.

(*a*) Haloand. Vulgat. & Gothofredus legunt, *ſive ſcripturam.* Vel fortè legendum *ſimile ſcripturæ.* Alii retinent lectionem *ſine ſcripturâ*, expuncto quod mox ſequitur verbo *aliquorum*: ut ſenſus ſit, *non litteris ſed notis produxerit.* Poteſt omninò retineri lectio integra; hoc ſenſu, putà ſi in contumeliam alicujus, imago facta ſit [*une Eſtampe injurieuſe*].

(*b*) Adde, & conviciſſet: l. 197. ff. *de Verb. ſignif.*

(*c*) Quum quis in infamiam alicujus, Libellum aut imaginem proponit; ita ut ejus quem infamare vult nomen reticeat; eumque deſignet quidem, ſed non ita indubitatis indiciis ut convici poſſit auctor de eâ perſonâ ſenſiſſe: non poteſt quidem competere privata actio *Injuriarum* ei quem infamare voluerit, quia probare non poteſt ſe fuiſſe pretium. Maximè igitur neceſſaria eſt eo caſu publica quæſtio; in quâ ſufficit doceri, auctorem habuiſſe voluntatem infamandi alicujus, nec neceſſe ſit doceri de quo ſenſerit.

(*d*) Secùs de his publicis judiciis quæ publicè interſunt, & publicam cauſam continent. His enim non præjudiciatur, per privatum quo quis ejuſdem facti nomine egerit judicium; ſuprà Tit. *de Oblig. & act.* N. 70 & 71.

(*e*) Hanc pœnam hoc caſu uſitatam refert etiam Tacitus *Annal.* XIV 50.

(*f*) Schultingius intelligit illud quod proludii loco ſcurræ urbicarii canebant, cum *Pſalterio*; quod erat ſpecies inſtrumenti muſici.

(*g*) Interpretes rectè hanc Conſtitutionem intelligunt, non de quovis Famoſo Libello, ſed eo quo atrox facinus & capitali pœnâ dignum alicui objiceretur.

(*h*) Innuens ſe hoc facere adversùs ejus ſævitiam, quaſi ſub umbrâ Principis quærat perfugium. Rævardus aliter intelligit; ſcilicet de eo qui in invidiam regnantis Imperatoris, imaginem defuncti alicujus Imperatoris cujus memoria damnata eſſet, portaret. Et quidem Suetonius refert [in NERON. n. fin.] non defuiſſe qui per longum tempus tumulum Neronis floribus ornarent, ejuſque imaginem præferrent: ſed hoc alio prorsùs ſenſu.

SECTIO V.

De aliis Legibus circa Injurias.

LXXVI.

Conſtitutionibus Principalibus cavetur, ea quæ infamandi alterius causâ in monumenta publica poſita ſunt, tolli de medio. *l.* 37. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Senatuſconſulto cavetur, ne quis imaginem Imperatoris in invidiam alterius portaret (*h*). Et qui contrà fecerit, in vincula publica mittetur. *l.* 48. SCÆVOLA LIB. 4. REGUL.

Ex Conſtitutione Arcadii & Honorii, capitalis pœna decernitur; contra eos qui Eccleſiam irruentes, aliquid Injuriæ ibi ſacerdotibus aut miniſtris fecerint. l. 10. *Cod.* de Epiſc. & Cleric.

TITULUS XI.

DE EXTRAORDINARIIS CRIMINIBUS.

AD aliam delictorum ſpeciem tranſeunt Pandectarum ordinatores, quæ CRIMINA *dicuntur; quæ nempè non civili actione, ſed Criminali per accuſationem & ſubſcriptionem in Crimen vindicantur.*

I.

Horum autem Criminum (ut jam alibi diximus) quædam PUBLICA *ſunt, ex quibus ſcilicet proditæ ſunt* Leges Publicorum judiciorum *de quibus in lib. ſeq.*

Quædam EXTRAORDINARIA *vocari placuit; eo quòd ex his nec ulla ordinaria actio, ut ex delictis privatis, naſcatur, nec ullum publicum judicium proditum ſit; verùm de his Criminales & Extraordinariæ cognitiones habeantur, quorum nulla formula ſolemnis, nulla certa pœna. In his itaque, & pœna judicis arbitrio relinquitur; & peragitur accuſatio citra ſolemnem judiciorum ordinem, hoc tantùm obſervato ut accuſator in crimen ſubſcribere debeat: l. fin. ff.* de Privat. delict. *ſuprà*, d. tit. *N. fin.*

Præterea cùm in publicis judiciis quilibet è populo ad accuſandum admitteretur; contrà probabile eſt, in Extraordinariis cognitionibus pleriſque, non fuiſſe admiſſos niſi eos quorum intererat: certè hoc conſtat de quibuſdam, ut de Crimine EXPILATÆ HEREDITATIS; *infrà Tit.* XIX. *Fatendum tamen, in quibuſdam ex illis cognitionibus quæ ad ſtatum Reipublicæ pertinerent, qualis eſt illa (de quâ mox in h. tit.) quæ* de Nili aggeribus ruptis *competit, quoſlibet ad accuſandum admiſſos fuiſſe.*

In hoc Titulo & ſequentibus, variæ Extraordinariorum Criminum ſpecies recenſentur, de quibus Extraordinariæ illæ cognitiones habentur; necnon & varii caſus in quibus locus eſt his Extraordinariis cognitionibus, etiam propter illa delicta ex quibus ordinariæ actiones naſcuntur.

§ I.

Recenſentur aliquot Extraordinariorum Criminum ſpecies.

II.

Sollicitatores alienarum nuptiarum (*a*), itemque matrimoniorum interpellatores (*b*); etſi effectu ſceleris

(*a*) Qui pudicitiam mulieris alteri nuptæ attentant.

(*b*) Qui mulierem alteri nuptam, cujus nuptias appetunt, ad divortium cum viro faciendum ſollicitant.

Source : BIU Cujas

potiri non poſſunt, propter voluntatem pernicioſæ libidinis Extra ordinem puniuntur. *l.* 1. PAUL. LIB. 5. SENT.

Qui puero ſtuprum, abducto ab eo vel corrupto comite (*a*), perſuaſerit; aut mulierem puellam-ve interpellaverit, quid-ve impudicitiæ gratiâ fecerit, domum præbuerit, pretium-ve quo is perſuadeat, dederit; perfecto flagitio, puniuntur capite (*b*); imperfecto, in inſulam deportantur: corrupti comites ſummo ſupplicio adficiuntur. *d. l.* 1. § 2.

III.

Inter Extraordinaria Crimina recenſebimus etiam, crimina STELLIONATUS & EXPILATÆ HEREDITATIS *de quibus infrà, ſpecialibus Titulis.*

Nam Stellionatûs vel Expilatæ hereditatis judicia, accuſationem quidem habent, ſed non ſunt publica. *l* 3. ULP. LIB. 3. DE ADULTERIIS.

IV.

Ad Extraordinaria Crimina, etiam illud pertinet de quo ita Modeſtinus. Si quis aliquid fecerit quo leves hominum animi, ſuperſtitione Numinis terrerentur; Divus Marcus hujuſmodi homines in inſulam relegari (*c*) reſcripſit. *l.* 30. *ff. de Pœnis.* MODESTIN. LIB. 1. DE PŒNIS.

Huc referri poteſt quod ait Paulus:

Qui novas (*d*) & uſu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honeſtiores deportantur, humiliores capite puniuntur. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 18. § 2.

V.

Extra ordinem etiam puniuntur, qui annonam vexant. Annonam attentare & vexare (*e*) vel maximè Dardanarii (*f*) ſolent; quorum avaritiæ obviàm itum eſt, tam Mandatis quàm Conſtitutionibus. Mandatis denique ita cavetur: « PRÆTEREA debebis cuſtodire, ne » Dardanarii ullius mercis ſint; ne ab his qui coemptas merces ſupprimunt, aut à locupletioribus qui » fructus ſuos æquis pretiis vendere nollent, dum minùs uberes proventus expectant, [ne] annona » oneretur. » Pœna autem in hos variè ſtatuitur: nam plerùmque, ſi negotiantes ſunt, negotiatione eis tantùm interdicitur; interdum & relegari ſolent, humiliores ad opus publicum dari. *l.* 6. ULP. LIB. 8. DE OEFICIO PROCONSULIS.

Onerant annonam, etiam ſtateræ adulterinæ; de quibus Divus Trajanus Edictum propoſuit. Quo Edicto pœnam Legis Corneliæ (*g*) in eos ſtatuit; perindè ac ſi Lege teſtamentariâ (quòd teſtamentum falſum ſcripſiſſet, ſignaſſet, recitaſſet) damnatus eſſet. *d. l.* 6. § 1.

Sed & Divus Hadrianus, eum qui falſas menſuras habuit, in inſulam relegavit. *d. l.* 6. § 2.

De his & Paulus ait. In Dardanarios, propter falſum menſurarum modum, ob utilitatem popularis annonæ, pro modo admiſſi, Extra ordinem vindicari placuit. *l.* 37. *ff. de Pœnis.* PAUL. LIB. 1. SENT.

VI.

Mulier quæ datâ operâ abortum fecit, publico Legis Corneliæ judicio non ſubjacet, ut videb. infrà lib. 48. *Tit.* ad Leg. Cornel. de Sicar. *verùm Extra ordinem punitur.*

Et quidem Divus Severus & Antoninus reſcripſerunt; Eam quæ datâ operâ abegit, à Præſide in temporale exilium dandam. Indignum enim videri poteſt, impunè eam maritum liberis fraudaſſe. *l.* 4. MARCIAN. LIB. 1. REGUL.

VII.

Extraordinaria etiam cognitio eſt, de quâ ait Paulus: In circulatores qui ſerpentes (*h*) circumferunt & proponunt, ſi cui ob eorum metum damnum datum eſt, pro modo admiſſi actio dabitur. *l.* 11. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Et generaliter: Sunt præterea Crimina quæ ad executionem Præſidis pertinent (*i*), ut putà, ſi quis inſtrumenta ſua prodita (*k*) eſſe dicat. Nam hujus rei executio, Præfecto Urbis à Divis Fratribus data eſt. *l.* 8. ULP. LIB. 9. DE OFFICIO PROCONSULIS.

Adde & crimen mendicantium validorum: l. un. Cod. de Mendic. valid.

VIII.

Crimina quæ hactenùs retulimus, ſunt quorumlibet locorum. Quædam autem ſunt certis provinciis peculiaria: horum ſpecies quaſdam ita refert Ulpianus.

Sunt quædam quæ more provinciarum coercitionem ſolent admittere: ut putà in provinciâ Arabiâ ΣΚΟΠΕΛΙΣΜΟ'Ν [*id eſt, lapidum poſitionem*], Crimen appellant; cujus rei admiſſum tale eſt. Plerique inimicorum ſolent prædium inimici ΣΚΟΠΕΛΙ'ΣΕΙΝ; id eſt, lapides pomalo indicio futuros quòd ſi quis eum agrum coluiſſet, nere, letho periturus, eſſet inſidiis eorum qui ſcopulos poſuiſſent. Quæ res tantum timorem habet ut nemo ad eum agrum accedere audeat, crudelitatem timens eorum qui Scopeliſmon fecerunt. Hanc rem Præſides exequi ſolent graviter, uſque ad pœnam capitis: quia & ipſa res mortem comminatur. *l.* 9. ULP. LIB. 9. DE OFFICIO PROCONSULIS.

In Ægypto qui Chomata rumpit, vel diſſolvit (hi ſunt aggeres, qui quidem ſolent aquam Niloticam continere); æquè plectitur Extra ordinem, & pro conditione ſuâ, & pro admiſſi menſurâ. Quidam opere publico aut metallo plectuntur; & metallo quidem ſecundùm ſuam dignitatem, ſi quis arborem Sycaminonem (*l*) excideriit: nam & hæc res vindicatur Extra ordinem non levi pœnâ; idcircò quòd hæ arbores colligunt aggeres Niloticos, per quos incrementa Nili diſpenſantur & coercentur, & diminutiones æquè coercentur. Chomata etiam, & diacopi (*m*) qui in aggeribus fiunt, plecti efficiunt eos qui id admiſerint. *l.* 10. ULP. LIB. 9. DE OFF. PROCONS.

Pœnam exacerbavit Theodoſius; juſſitque comburi eos, qui antequàm Nilus ad duodecimum cubitum creverit, ULLA (*n*) *fluenta uſurpaverit. l. un. Cod.* de Nili agger. non rump.

(*a*) Moris fuit apud Romanos, ut pueris dum Prætextâ uterentur [id eſt, ad annum 15. aut, ut aliis placet, 16.] cuſtos ſeu pædagogus qui de latere eorum non diſcederet, apponeretur; ad tuendam eorum pudicitiam. De quâ re vide Caſaubonum ad Perſ. Satyr. V 30. Pædagogi illi ſolebant eſſe ſervi, aut liberti, probatæ fidei.

(*b*) Hujus itaque criminis pœna durior in judicio Extraordinario; mitior illa quæ ex ordinario Legis Juliæ DE ADULTERIIS deſcendit. Ita Gothofredus hunc §*um.* conciliat cum §° 4°. Inſtit. *de Public. judic.*

(*c*) Suſpicatur Bynkershoeck hoc Reſcriptum intelligendum eſſe de his qui contra publicam quietem Imperiumque Romanum, ita terrerent. Et ad id referendum eſſe quod Ulpianus refert de Marco Imperatore, apud Collat. Leg. Moſaic. Tit. 16. « *Denique & eum qui motu Caſſiano vaticinatus erat, & multa* » *quaſi ex inſtinctu deorum dixerat, in inſulam relegavit* ». Fortè etiam propter eas vaticinationes quibus Avidii - Caſſii aſſeclæ populum decipiebant, FUROREM CASSIANUM appellari in l. 7. Cod. *ad L. Jul. Majeſt.*

Poteſt etiam hoc Reſcriptum referri ad eos impoſtores qui iram deorum, futuroſque terræ motus, peſtilentias, & alia id genus comminantes, remediaque, ne quid horum accideret, promittentes; pecuniam credulis hominibus emungebant. Quales plurimos fuiſſe Marci temporibus, ex Luciano diſcimus in ALEXANDRO.

(*d*) Antiquiſſima & ab ipſis civitatis exordiis Lex Romæ fuit, ne peregrina ſacra, ulli-ve externi Religionis ritus à Romanis admitterentur: de quâ Dionyſ. Halic. II 3. Livius XXXIX 16. Hinc illa contra Apoſtolos criminatio: *Hi homines conturbant civitatem noſtram, & annunciant morem quem non licet nobis ſuſcipere cùm ſimus Romani*: Act. XVI 20. 21.

(*e*) *Annonam attentare, Vexare, Onerare, Flagellare* dicitur, qui ſupprimit, qui non vendit juſto pretio.

(*f*) Id eſt, Pantapolæ [*les Arrheurs*]; ut interpretatur Cujacius ex veteribus Gloſſis Obſerv. X 19. Turnebus *Adverſar.* IX 17. eos ita dictos cenſet, à *Dardano* quodam celebri mago, quòd plebs crederet eorum magicis artibus annonam in ipſorum horrea averti; item in metiendo menſuram imminui.

(*g*) DE FALSIS.

(*h*) Qui circulos hominum congregant, offutiaſque agunt ut videantur devorare ſerpentes [*Charlatans*].

(*i*) Ita deſignantur Extraordinariæ cognitiones quas ipſe Præſes citra judiciorum ordinem exequitur; ut opponantur publicis judiciis.

(*k*) *Si quelqu'un aiant la garde de mes titres, les a fait voir à quelqu'un, pour me cauſer du dommage.*

(*l*) Arbor moro ſimilis, ficus producens: de quâ Plin. *Hiſt. nat.* XIII 7.

(*m*) Meatus interciſi, per quos effluebat Nili aqua in arva remotiora.

(*n*) Ita legendum monet Cujacius; non verò *ultra fluenta*. Senſus eſt; ſi quis apertis aggeribus qui aquam intra duodecimum cubitum continent, fluenta in ſuos agros derivaverit.

Source : BIU Cujas

§ II.

De Extraordinariis cognitionibus propter delicta ordinaria.

I X.

Non ſolùm propter Crimina, ſed interdum & propter ordinaria delicta cognitiones illæ Extraordinariæ habentur.

Et 1°. Meminiſſe oportebit, nunc Furti plerùmque (*a*) criminaliter agi; & eum qui agit, in Crimen ſubſcribere: non quaſi publicum ſit judicium, ſed quia viſum eſt temeritatem agentium etiam Extraordinariâ (*b*) animadverſione coercendam. Non ideò tamen minùs, ſi quis velit, poterit (*c*) Civiliter agere. *l. fin. ff. de Furt.* ULP. LIB. 38. AD ED.

Vide & infrà Tit. de Furib. balnear. *cum ſequenti.*

2°. Sed & ex Conſtitutionibus Principum; Extra ordinem, qui de naufragiis aliquid diripuerint (*d*), puniuntur. Nam & Divus Pius reſcripſit, nullam vim nautis fieri debere; & ſi quis fecerit, ut ſeveriſſimè puniatur. *l.* 1. § 2. *ff. Ad Leg. Jul. de vi priv.* MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

3°. *Item in ſpecie ſequenti, in quâ ordinaria actio* SERVI CORRUPTI *competit; tamen Extra ordinem quoque*, In eum cujus inſtinctu ad infamandum dominum ſervus ad ſtatuam confugiſſe compertus erit (præter CORRUPTI SERVI actionem quæ ex Edicto Perpetuo competit) ſeverè animadvertitur. *l.* 5. ULP. LIB. 5. DE OFF. PROCONSULIS.

4°. *Item quamvis Injuria ſit ordinarium delictum; tamen* De Injuriâ, nunc, Extra ordinem ex causâ & perſonâ ſtatui ſolet. Et ſervi quidem flagellis cæſi, dominis reſtituuntur. Liberi verò, humiliaris quidem loci, fuſtibus ſubjiciuntur (*e*); cæteri autem vel exilio temporali, vel interdictione certæ rei (*f*) coercentur. *l.* 45. *ff. de Injur.* HERMOG. LIB. 5. EPITOMAR.

Ex cauſæ qualitate hæc criminalis cognitio habetur, in exemplis quæ ita refert Paulus. Fit injuria contra bonos mores, veluti ſi quis fimo corrupto aliquem perfuderit, cœno, luto obliniverit (*Florent.* oblinuerit); aquas ſpurcaverit, fiſtulas, lacus, quid-ve aliud ad injuriam publicam (*g*) contaminaverit: in quos graviter animadverti ſolet. *l.* 1. § 1. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Ex perſonæ autem quæ injuriam fecit qualitate, criminalis hæc cognitio habetur: veluti Si quis injuriam atrocem fecerit, qui contemnere Injuriarum judicium poſſit ob infamiam ſuam & egeſtatem; Prætor acriter exequi hanc rem debet; & eos qui injuriam fecerunt, coercere. *l.* 35. *ff. de Injur.* ULPIAN. LIB. 3. DE OMNIBUS TRIBUNALIBUS.

X.

Habentur etiam interdum illæ Extraordinariæ cognitiones, etiam de iis Criminibus de quibus aliquod publicum judicium competeret: ut videb. Tit. ſeq. & paſſim in libro ſeq.

(*a*) Non igitur ſemper, ſed quum furtum eſt atrocius.

(*b*) Jamdiù quippè exoleverat pœna legitima furti, de quâ ſanxerant Leges XII. Tab. *Tab. II. Cap. 4.* Et id fortè, Lege Porciâ latâ quæ civem Romanum verberari & vinciri, & Poetilia-Papiriâ quæ eumdem addici vetuerunt: Gellius XI 18.

(*c*) Scilicet ſi malit agere *civiliter*; nam unâ actione electâ altera conſumitur: ut vid. ſuprà lib. 44. *de Oblig. & act.* Part. 2â. art. fin.

(*d*) Vide ſuprà Tit. *de Incend. ruin. naufr.*

(*e*) Nec obſtat modò dicta Lex Porcia, civem Romanum verberari vetans. Hæc enim Lex in pœnis extraordinariis non obſervabatur; imò in deſuetudinem oblivionemque prorsùs abierat, imminutâ quæ omnibus ferè communicata fuerat civium Romanorum dignitate.

(*f*) Putà, Advocationis.

(*g*) Extat eâ de re vetus lex apud Frontinum, DE Aquæductibus Urbis Romæ: *Ne quis aquam* OLETATO *dolo malo, &c.* id eſt corrumpito, perdito, [à verbo Græco ΟΛΛΥΜΙ, *Tuer, perdre, ou nuire*].

TITULUS XII.

DE SEPULCRO VIOLATO.

PErgunt Pandectarum ordinatores varias delictorum ſpecies exponere, propter quas extra ordinem criminaliter agi ſolet: inter quas eſt SEPULCRI VIOLATI *crimen.*

I.

De hoc autem, non ſolùm extraordinaria cognitio eſt, ſed etiam publicum judicium.

Enimverò Sepulcri Violati crimen poteſt dici ad Legem Juliam DE VI PUBLICA pertinere; ex illâ parte quâ de eo cavetur qui fecerit quid, quominùs aliquis funeretur, ſepeliatur-ve: quia & qui Sepulcrum Violat, facit quo quis minùs Sepultus ſit. *l.* 8. MACER. LIB. 1. PUBLICOR.

De Sepulcro Violato, actio quoque pecuniaria datur. *l.* 9. IDEM LIB. 2. PUBLICORUM JUDICIORUM.

Circa hanc materiam videbimus 1°. *Quid ſit* SEPULCRUM *ad hoc crimen pertinens, & quis videatur necne illud Violare.*

2°. *Agemus de actionibus pecuniariis, quæ ex Edicto Prætoris eâ de re dantur.*

3^us^. *Articulus verſabitur circa extraordinariam cognitionem, pœnaſque quæ in Sepulcrorum Violatores ſtatui ſolent.*

ARTICULUS I.

Quid ſit Sepulcrum ad hoc crimen pertinens, & quis videatur necne illud Violare.

I I.

Sepulcrum cujuſlibet hominis hîc intelligimus, non tamen hoſtis. Nam Sepulcra hoſtium religioſa nobis non ſunt. Ideòque lapides indè ſublatos, in quemlibet uſum convertere poſſumus: non Sepulcri Violati actio competit. *l.* 4. PAUL. LIB. 27. AD ED. PRÆTORIS.

SEPULCRI autem appellatione, omnem ſepulturæ locum contineri exiſtimandum eſt. *l.* 3. § 2. ULP. LIB. 25. AD ED. PRÆTORIS.

I I I.

Violat Sepulcrum 1°. *Is qui eò infert mortuum quem jus inferendi non habeat.*

Et quidem & Si quis in hereditarium Sepulcrum inferat, quamvis heres; tamen poteſt SEPULCRI VIOLATI teneri, ſi fortè contra voluntatem teſtatoris intulit. Licet enim cavere teſtatori, ne quis eò inferatur: ut Reſcripto Imperatoris Antonini cavetur. Servari enim voluntatem ejus oportere. Ergo & ſi cavit ut unus tantùm

Source : BIU Cujas

tantùm heredum inferret; ſervabitur, ut ſolus inferat. *d. l.* 3. § 3.

2°. *Maximè autem Sepulcrum Violatur ex eo quod Paulus ait :*

In eo ſarcophago vel ſolo (*a*) ubi corpus jam depoſitum eſt, aliud corpus inferri non poteſt (*b*). Et qui intulerit, reus Sepulcri Violati poſtulari (*Malè vulgò* non) poteſt. PAUL. SENT. LIB. I. *tit.* 29. § 8.

3°. Qui monumento inſcriptos titulos eraſerit, vel ſtatuam everterit, vel quid ex eodem traxerit, lapidem columnam-ve ſuſtulerit ; Sepulcrum Violaſſe videtur. *Ibid. in.* EDIT. *Schulting.*

Item, ut reſcribit Gordianus ; Res religioni deſtinatas, quinimò jam religionis effectas, ſcientes qui contigerint, & emere & diſtrahere non dubitaverint : tametſi jure venditio non ſubſiſtat, læſæ tamen religionis inciderunt in crimen. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Enimverò Senatuſconſulto cavetur, ne uſus Sepulcrorum permutationibus polluatur : id eſt, ne Sepulcrum aliæ converſationis uſum accipiat. *l.* 12. *ff. de Relig. & ſumpt. fun.* ULP. LIB. 25. AD ED.

4°. *Item pluribus aliis modis poteſt Sepulcrum Violari.*

I V.

Non Violat autem Sepulcrum, qui illud reficit aut ornat; non contactis corporibus.

Hinc Marcianus. Sepulcri deteriorem conditionem fieri prohibitum eſt ; ſed corruptum & lapſum monumentum, corporibus non contactis, licet reficere. *l.* 7. MARCIAN. LIB. 3. INSTITUT.

Item, modò corpus non contingatur ; Statuas Sepulcro imponere, vel monumento quod à te extructum profiteris, ornamenta quæ putas ſuperaddere non prohiberis : cùm jure ſuo eorum quæ minùs prohibita ſunt, unicuique facultas libera non denegatur. *l.* 7. *Cod. de Relig. ſumpt. fun.* GORDIAN.

Item (ut alibi obiter vidimus ex l. 4. *ff.* de Aq. & aq. pluv.) *qui juſſu judicis reſtituit opus quod vicino nocebat, non videtur Violare Sepulcrum. Nam* Qui juſſu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere ; qui parere neceſſe habet. *l.* 167. (*Aliàs* 125.) § 1. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 49. AD ED.

ARTICULUS II.

De actionibus pecuniariis quæ ex Edicto Prætoris competunt in Sepulcrorum Violatores.

§ I.

De primâ parte Edicti, in quoſlibet dolo malo Violatores ; quæ & qualis ſit actio.

V.

Prætor ait : « CUJUS dolo malo Sepulcrum Violatum » eſſe dicetur, in eum IN FACTUM judicium dabo : ut ei » ad quem pertineat, quanti ob eam rem æquum vide- » bitur ; condemnetur. »

» Si nemo erit ad quem pertineat, ſive agere nolet ; » quicumque agere volet, ei centum aureorum actio- » nem dabo : ſi plures agere volent, cujus juſtiſſima » cauſa eſſe videbitur, ei agendi poteſtatem faciam. » *l.* 3. ULP. LIB. 25. AD ED. PRÆTORIS.

Hæc prima pars Edicti ſpectat generaliter omnes Sepulcrorum Violatores, ſcilicet eos qui dolo violant. Nam hæc Edicti Prima verba oſtendunt, eum demùm ex hoc plecti qui dolo malo violavit. Si igitur dolus abſit, ceſſabit. Ejuſdem (*c*) perſonæ igitur doli non capaces (ut admodùm impuberes, item omnes qui non animo Violandi accedunt), excuſati ſunt. *d. l.* 3. § 1.

Hâc primâ parte Edicti, duæ actiones proponuntur ; quarum una ei ad quem pertinet, datur, altera popularis eſt.

V I.

Circa eam quæ ei ad quem pertinet, datur ; Quæſitum eſt an ad heredem neceſſarium, quum ſe bonis non miſcuiſſet, actio Sepulcri Violati pertineret ? Dixi ; Rectè eum eâ actione experiri, quæ in bonum & æquum concepta eſt. Nec tamen ſi egerit, hereditarios creditores timebit : cùm, etſi per hereditatem obtigit hæc actio, nihil tamen ex defuncti capiatur voluntate ; neque id capiatur quod in rei perſecutione, ſed in ſolâ vindictâ ſit conſtitutum. *l.* 10. PAPIN. LIB. 8. QUÆST.

Illud quoque quæritur ; Si ad plures jus Sepulcri pertineat, utrùm omnibus damus actionem, an ei qui occupavit ? Labeo omnibus dandam dicit. Rectè ; quia in id quod uniuſcujuſque intereſt, agitur. *l.* 3. § 9. ULP. LIB. 25. AD ED. PRÆTORIS.

Hæc actio in id quod æquum videbitur, competit : ut ex verbis Edicti liquet. Igitur Qui de Sepulcri Violati actione judicant, æſtimabunt quatenùs intereſt ; ſcilicet ex injuriâ quæ facta eſt, item ex lucro ejus qui Violavit, vel ex damno quod contigit, vel ex temeritate ejus qui fecit. Nunquam tam minoris debent condemnare, quàm ſolent extraneo agente. *d. l.* 3. § 8.

V I I.

Jam de eâ actione SEPULCRI VIOLATI *quæ popularis eſt, videndum.*

Hæc in centum aureos cuivis ex populo datur ; ſi is ad quem pertinet, aut nolit agere, aut abſit : & ita in Edicto.

Obſervandum tamen quòd ; Si is cujus intereſt, Sepulcri Violati agere nollet ; poteſt pœnitentiâ actâ, antequàm lis ab alio conteſtetur, dicere ſe velle agere : & audietur. *d. l.* 3. § 10.

Poſt conteſtatam autem actionem popularem, ampliùs non auditur ; etiamſi Reipublicæ causâ abfuerit. Ita enim Julianus. Sepulcri Violati actio imprimis datur ei ad quem res pertinet. Quo ceſſante ſi alius egerit, quamvis Reipublicæ causâ abfuerit dominus, non debebit ex integro adversùs eum qui litis æſtimationem ſuſtulerit, dari. Nec poteſt videri deterior fieri conditio ejus qui Reipublicæ causâ abfuit ; cùm hæc actio non ad rem familiarem ejuſdem, ſed magis ad ultionem pertineat. *l.* 6. JULIAN. LIB. 10. DIGEST.

V I I I.

Obſervandum ſupereſt, quòd Sepulcri Violati actio infamiam irrogat. *l.* 1. ULP. LIB. 2. AD ED. PRÆT.

§ II.

De poſtremâ Edicti parte, in eos qui habitando Sepulcrum Violant.

I X.

Prætor ait : « Si QUIS in in Sepulcro, dolo malo ha- » bitaverit ; ædificium-ve aliud quàm que (*Aliàs* quod) » Sepulcri causâ factum ſit, habuerit : in eum ſi quis eo

(*a*) Schultingius rectè cenſet legendum, *ſolio*. Eſt autem SOLIUM, arca mobilis quâ corpus conditur. Sueton. in NERONE. cap. 50.

(*b*) Etſi jus Sepulcri habeat. Potes enim in eodem monumento, & eodem Sepulcro, mortuum inferre ; at non in eodem ſarcophago [*le même cercueil*].

(*c*) Ita legendum puto : *ceſſavit*, Edictum ſcilicet. *Ejuſdem igitur* [Edicti] *perſonæ doli non capaces . . . . excuſati ſunt* ; id eſt, non tenentur hoc Edicto. Cujacius Obſerv. VI 22. ita interpungit : *ceſſabit ejuſdem*, ſcilicet Edicti pœna. *Perſonæ igitur*, &c. Wielingius verò facilioris ſenſus conjecturâ, ſic interpungendum putat : *Si igitur dolus abſit ejuſdem perſonæ, ceſſabit* Edictum. *Igitur doli*, &c.

Source : BIU Cujas

» nomine agere volet, ducentorum aureorum judicium » dabo. » *l.* 8. *pr.* ¶ *ſi quis.* ULP. LIB. 25. AD ED. PRÆTORIS.

Ex hâc Edicti parte: Si quis in Sepulcro habitaſſet; ædificiumque habuiſſet; ei qui velit, agendi poteſtas fit. *d. l.* 3. § 6.

Enimverò Hæc actio popularis eſt. *d. l.* 3. § 12.

Quum ſervus habitavit, an hæc actio Noxalis in dominum danda ſit, an duntaxat criminaliter adversùs ſervum agi debeat, pro modo admiſſi ſtatuetur.

Sic accipe quod ait Ulpianus. Si ſervus in Sepulcro habitat, vel ædificavit; Noxalis actio ceſſat, & in eum Prætor hanc actionem (*a*) pollicetur. Si tamen non habitet, ſed domunculam (*b*) ibi habeat ſervus; Noxale judicium erit dandum: ſi modò habere poſſe videtur. *d. l.* 3. § 11.

ARTICULUS III.

De extraordinariâ cognitione adversùs Sepulcri Violatores.

X.

Adversùs eos qui cadavera ſpoliant, Præſides ſeveriùs intervenire ſolent; maximè ſi manu armatâ adgrediantur: ut, ſi armati more latronum id egerint, etiam capite plectantur; ut Divus Severus reſcripſit. Si ſine armis, uſque ad pœnam metalli procedunt. *d. l.* 3. § 7.

Rei Sepulcrorum Violatorum, ſi corpora ipſa extraxerint vel oſſa eruerint; humilioris quidem fortunæ, ſummo ſupplicio adficiuntur; honeſtiores in inſulam deportantur: aliàs autem relegantur, aut in metallum damnantur. *l.* 11. PAUL. LIB. 5. SENT.

Et alibi:

Qui corpus perpetuæ ſepulturæ traditum, vel ad tempus alicui loco commendatum, nudaverit, & Solis radiis oſtenderit; piaculum committit. Atque ideò, ſi honeſtior ſit, in inſulam; ſi humilior, in metallum datur. PAUL. SENT. *lib.* 1. *Tit.* 29. § 4.

XI.

Ex Lege Conſtantii; Si ſervus in demoliendis Sepulcris fuerit deprehenſus, ſi id ſine domini ſcientiâ faciat, metallo addicatur. Sin verò domini auctoritate vel juſſione urgetur, relegatione plectatur (*c*). Et ſi fortè detractum aliquid de Sepulcro, ad domum ejus villamque provectum reperitur: villa, ſive domus aut ædificium quodcumque erit, fiſci juribus vindicetur. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Idem Conſtantius pœnam decem pondo auri ſtatuit, adversùs ſpoliatores Sepulcrorum. l. 4. Cod. h. tit.

Julianus omnes Sepulcrorum Violatores pœnâ SACRILEGII *plecti voluit.* l. 5. Cod. h. tit.

Non ſoli Sepulcrorum Violatores plectuntur; ſed ex Lege Conſtantii, locorum judices ſi hoc vindicare neglexerint, mulctantur pœnâ viginti librarum auri. l. 3. Cod. h. tit.

(*a*) Criminalem ſcilicet.

(*b*) Minùs enim delinquit qui non habitat, ſed duntaxat *Domunculam* ſeu receſſum in amplo Sepulcro ſibi facit; quò interdum & ad breve tempus ſe abſcondat. Unde ex hâc causâ, non criminaliter contra ſervum, ſed *Noxaliter* adversùs dominum agitur.

(*c*) Dominus: de ſervo enim hoc accipi non poteſt, cùm pœna relegationis non cadat in ſervos: l. 22. § fin. ff. *de Accuſationib.*

TITULUS XIII.

DE CONCUSSIONE.

CONCUSSIO *in genere, ſic rectè à Cujacio definitur: Terror injectus, pecuniæ alterius-ve rei extorquendæ gratiâ. Et duplex eſt.*

I.

Et primò, ſpecialiter ſumitur pro crimine quo Officialis, id eſt, in miniſterio aliquo conſtitutus, pecuniam aliud-ve quid à ſubditis per metum extorquet, ultra ſalarium debitum.

Hæc locum facit cognitioni extraordinariæ. Nimirùm Si ſimulato Præſidis juſſu Concuſſio intervenit; ablatum ejuſmodi terrore reſtitui Præſes provinciæ jubet, & delictum coercet. *l.* 1. ULP. LIB. 5. OPINIONUM.

Igitur hoc Concuſſionis judicium, publicum non eſt. *l.* 2. MACER. LIB. 1. PUBLICORUM JUDICIORUM.

II.

Altera Concuſſionis ſpecies generalior, quâ quilibet debitum officium recuſat, aut injuſtum quid minatur, niſi pecuniâ acceptâ.

Ex hâc autem Concuſſionis ſpecie poteſt eſſe locus & judicio publico. Undè ſtatim additur: Sed ſi ideò pecuniam quis accepit, quòd crimen minatus ſit; poteſt judicium publicum eſſe ex Senatuſconſultis (*a*) quibus pœnâ Legis Corneliæ teneri jubentur, qui in accuſationem innocentium coierint; qui-ve ob accuſandum vel non accuſandum, denuntiandum (*b*) vel non denuntiandum teſtimonium, pecuniam acceperint. *d. l.* 2. ¶ *ſed ſi.*

De gravioribus aliis Concuſſionis ſpeciebus, quæ publico REPETUNDARUM *judicio vindicantur, vide infrà lib. ſeq. Tit. XI.*

(*a*) De quibus infrà lib. 48. Tit. *de L. Cornel.* DE FALSIS.

(*b*) *Denuntiare* alicui *teſtimonium*, eſt eum evocare ad judicium teſtimonii ferendi causâ. Enimverò duo ſunt genera teſtium, aut voluntariorum, aut eorum quibus judex in publicis judiciis *Lege denuntiare* ſolet: quorum altero utraque pars utitur, alterum accuſatoribus tantùm conceſſum eſt. Species autem calumniæ & *Concuſſionis* eſt, pecuniam ab aliquo extorquere, *ad teſtimonium non denuntiandum*; id eſt, ne quis domo ſuâ in longinquum tribunal evocaretur; aut pecuniam accipere *ad teſtimonium denuntiandum*, ab his qui teſtimonium ſibi denuntiari propter largi viatici publici lucrum exoptarent. Ita Budæus.



Source : BIU Cujas

TITULUS XIV.

DE ABIGEIS.

EXtra ordinem quoque criminaliter interdum agitur adversùs Abigeos; de quibus videndum 1°. *Quinam illi sint:* 2°. *Quomodo hoc crimen vindicetur.*

§ I.

Qui Abigei *dicantur, ut ad hanc criminalem persecutionem pertineant.*

I.

ABIGEI autem propriè hi habentur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahunt & quodammodo deprædantur; & Abigendi studium quasi artem exercent, equos de gregibus, vel boves de armentis abducentes. Cæterùm si quis bovem aberrantem, vel equos in solitudine relictos abduxerit, non est abigeus, sed fur potiùs. *l.* 1. § 1. ULPIAN. LIB. 8. DE OFFICIO PROCONSULIS.

II.

Ex numero etiam animalium, interdum quis aut ABIGEUS *aut* FUR *simpliciter dicitur. Hinc Callistratus:* Oves pro numero abactorum, aut furem aut Abigeum faciunt. Quidam decem oves gregem esse putaverunt: porcos, etiam quinque vel quatuor abactos; equum, bovem (*a*), vel unum, Abigeatûs crimen facere. *l.* 3. CALLISTRAT. LIB. 6. DE COGNITIONIBUS.

Ratio discriminis est, quòd pretium rei surreptæ augeat delictum. Sed & qui porcam, vel capram, vel vervecem abduxit, non tam graviter (*b*) quàm qui majora animalia abigunt, plecti debet. *sup. d. l.* 1. § 2.

Quod diximus quædam esse animalia quæ nisi plura abigantur, Abigeum non faciant; sic accipe, ut non necesse sit ea simul fuisse abacta. Nam Qui sæpiùs abegerunt, licèt semper unum vel alterum pecus surripuerint, tamen Abigei sunt. *sup. d. l.* 3. § 2.

III.

Ut autem Abigeus quis dici possit, maximè requiritur furandi voluntas; adeòque ut non existimaverit animal esse suum.

Igitur Qui pecora de quorum proprietate faciebat controversiam, Abegit; ut Saturninus quidem scribit, ad examinationem civilem remittendus est. Sed hoc ita demùm probandum est, si non color Abigeatûs quæsitus est; sed verè putavit sua, justis rationibus ductus. *l.* 1. § 4. ULP. LIB. 8. DE OFFICIO PROCONSULIS.

§ II.

De ipsâ criminali persecutione quâ vindicatur Abigeatûs *crimen; & an semper criminaliter de eo agatur.*

IV.

Abacti animalis accusatio, non solùm cum *inscriptionibus* (*c*), sed etiam sine eâ observatione (*d*) proponitur. *l. Cod. un. h. tit.* HONOR. ET ARCAD.

V.

Abigeatûs crimen, publici judicii non est; quia furtum magis est. Sed quia plerùmque Abigei & ferro utuntur, si deprehendentur; ideò graviter & puniri eorum admissum solet. *l.* 2. MACER LIB. 1. PUBL. JUDICIOR.

De Abigeis puniendis ita Divus Hadrianus Consilio (*e*) Beticæ rescripsit: « Abigei, quum durissimè » puniuntur, ad gladium (*f*) damnari solent. Puniun- » tur autem durissimè, non ubique, sed ubi frequen- » tius est id genus maleficii. Alioquin & in opus, & » nonnunquam temporarium dantur. » *sup. d. l. pr.*

Quanquam autem Hadrianus Metalli pœnam item Operis, vel etiam Gladii præstituerit; attamen qui honestiore loco nati sunt; non debent ad hanc pœnam pertinere: sed aut relegandi erunt, aut movendi Ordine. Sanè (*g*) qui cum gladio abigunt, non iniquè bestiis objiciuntur. *d. l.* 1. § 3.

Nota Et eum quoque plenius (*h*) coercendum, qui à stabulo abegit domitum pecus, non à sylvâ nec grege. *l.* 3. § 1. CALLISTRAT. LIB. 6. DE COGNITIONIB.

VI.

Non solùm Abigei, sed & receptores eorum puniuntur.

Et quidem Receptores Abigeorum quâ pœnâ plecti debeant, Epistolâ Divi Trajani ita cavetur, ut extra terram Italiam decem annis relegarentur. *d. l.* 3. § 3.

(*a*) Contrà Paulus putat, oportere duos boves abactos esse ut quis abactor esse videatur: *Sentent.* lib. 5. Tit. 18. § 1. Variæ scilicet fuerunt eâ de re Sententiæ.

(*b*) Nam duntaxat civili actione, ut fur, punitur.

(*c*) Id est, criminali & extraordinariâ cognitione. Is his enim cognitionibus subscribitur in crimen: ut vid. suprà Tit. *de Extraord. crim.*

(*d*) Proindèque civili ac ordinariâ *Furti* actione; si is cujus abacta sunt pecora, hoc maluerit; aut si minor numerus abactus sit, quàm ut *Abigeum* facere possint.

(*e*) Synedrio Beticæ. *Betica* pars Hispaniæ, de quâ Plinius *Histor. nat.* III. & seq.

(*f*) Ad ludum gladiatorum: & ita interpretatur Collator *Legum Mosaic.* Tit. VI 7. At verò Justinianus intelligi voluit de pœnâ mortis; cùm dudùm à Constantino pœna ludi gladiatorii fuisset abrogata: infrà Tit. *de Pœnis.*

(*g*) Humiliores.

(*h*) Græci legunt *Leniùs*, ut observat Cujacius Observ. VI 8. Quò enim major peccandi facultas & occasio, eò graviori pœnâ quisque in officio continendus: ABACTIO autem facilior à *sylvâ* quàm à *stabulo.*

TITULUS V.

DE PRÆVARICATIONE.

I.

PRævaricatores eos appellamus, qui causam adversariis suis donant, & ex parte actoris in partem rei concedunt. A varicando enim (*a*), Prævaricatores dicti sunt. *l.* 212. *ff. de Verb. signif.* ULP. LIB. 1. DE ADULT.

Solet autem adversùs Prævaricatores criminaliter extra ordinem agi; quod quando obtineat videndum primò, deinde agemus de pœnis Prævaricatorum.

§ I.

Quando & adversùs quos Prævaricatores criminaliter extra ordinem agatur.

II.

Ex modò allatâ definitione; PRÆVARICATOR est quasi varicator, qui diversam partem adjuvat proditâ causâ suâ.

(*a*) *Vari* dicuntur, obtortis plantis aut cruribus.

Source : BIU Cujas

Quod nomen Labeo à variâ certatione tractum ait. Nam qui Prævaricatur, ex utrâque parte constitit, quinimò ex alterâ. *l.* 1. ULP. LIB. 6. AD ED. PRÆTORIS.

Is autem Prævaricator propriè dicitur, qui publico judicio accusaverit.

Cæterùm Advocatus, non propriè Prævaricator (*a*) dicitur. Quid ergo de eo fiet; sive privato judicio, sive publico prævaricatus sit; hoc est, prodiderit causam? Hic extra ordinem solet puniri. *d. l.* 1. § 1.

I I I.

Hinc Prævaricationis judicium aliud publicum, aliud moribus inductum (*b*) est. *l.* 3. MACER LIB. 1. PUBLICOR. JUDICIORUM.

Nam si reus accusatori, publico judicio ideò præscribat (*c*) quòd dicat se eodem crimine ab alio accusatum & absolutum; cavetur Lege Juliâ Publicorum, ut non priùs accusetur, quàm de prioris accusatoris Prævaricatione constiterit, & pronuntiatum fuerit. Hujus ergo Prævaricationis pronuntiatio, publici judicii intelligitur. *d. l.* 3. § 1.

Quòd si Advocato Prævaricationis crimen intendatur, publicum judicium non est. Nec interest, publico an privato judicio Prævaricatus dicatur. *d. l.* 3. § 2.

Item Si ideò quis accusetur, quòd dicatur crimen judicii publici destituisse; judicium publicum non est: quia neque Lege aliquâ de hâc re cautum est; neque per Senatusconsultum (*d*) quo pœna quinque auri librarum in desistentem statuitur, publica accusatio inducta est. *d. l.* 3. § 3.

§ I I.

Quæ sit pœna Prævaricatorum.

I V.

Pœna eorum qui publico judicio Prævaricationis damnabantur, erat TALIO, *sicut & calumniatorum. Refert enim Tacitus* Annal. *XIV* 41. *Senatusconsultum in Prævaricatores ita latum, ut* « Qui *talem operam emptitasset* » *vendidisset-ve, perindè pœnâ teneretur ac si publico judicio* » CALUMNIÆ *condemnatus.* » *Atqui constat calumniatorum pœnam fuisse Talionem; ut videb. infrà lib. seq. Tit.* ad SC. Turpill.

Hæc pœna, ex publicis judiciis porrecta est etiam ad eos qui in extraordinariis criminibus, Prævaricationis damnarentur.

Hinc Paulus. Ab Imperatore nostro & patre ejus rescriptum est; ut in criminibus quæ extra ordinem objiciuntur, Prævaricatores eâdem pœnâ adficiantur, quâ tenerentur si ipsi in Legem commisissent quâ reus per Prævaricationem absolutus est. *l.* 6. PAUL. LIB. SINGUL. DE JUDICIIS PUBLICIS.

Postea, sicut judicia ordinaria cœperunt esse extraordinaria, ita etiam pœnæ. Hinc Ulpianus: Sciendum est quòd hodiè iis qui Prævaricati sunt, pœna injungitur extraordinaria. *l.* 2. ULP. LIB. 9. DE OFFICIO PROCONSUL.

V.

Illud autem singulare est in Prævaricationis pœnâ; quòd, licèt certis personis indulgeatur, si temerè calumniosam accusationem instituerint (*ut videb. d. Tit.* ad SC. Turp. *infrà*); *his tamen non indulgeatur si Prævaricati fuerint. Nam et* Si is de cujus calumniâ agi prohibetur, Prævaricator in causâ judicii publici pronuntiatus sit; infamis erit. *l.* 4. MACER LIB. 2. PUBLICORUM JUDICIORUM.

Item Accusator in Prævaricatione convictus, postea ex Lege non accusat. *l.* 5. VENULEIUS-SATURN. LIB. 2. PUBLICORUM JUDICIORUM.

(*a*) *Prævaricator* propriè non est nisi is qui accusat; Advocatus qui causam clientis prodit, est *proditor* potiùs quàm *Prævaricator*.
(*b*) Illud scilicet quod extra ordinem peragitur.
(*c*) Id est, excipiat adversùs accusatorem.
(*d*) Turpillianum de quo infrà lib. seq. Tit. *ad SC. Turpill.*

TITULUS XVI.

DE RECEPTATORIBUS.

I.

AGitur *etiam criminaliter extra ordinem, adversùs* RECEPTATORES LATRONUM.

Enimverò Pessimum genus est Receptatorum, sine quibus nemo latere diù potest. Et præcipitur, ut perindè puniantur atque latrones.

In pari causâ habendi sunt, qui, quum apprehendere latrones possent, pecuniâ acceptâ vel subreptorum parte, demiserunt. *l.* 1. MARCIAN. LIB. 2. PUBLICORUM JUDICIORUM.

I I.

Eos tamen apud quos adfinis vel cognatus latro conservatus est, neque absolvendos neque severè admodùm puniendos. Non enim par est eorum delictum, & eorum qui nihil ad se pertinentes latrones recipiunt. *l.* 2. PAUL. LIB. SING. DE PŒNIS PAGANORUM.

Source : BIU Cujas

TITULUS XVII.

DE FURIBUS BALNEARIIS.

ET

TITULUS XVIII.

DE EFFRACTORIBUS ET EXPILATORIBUS.

Et etiam criminalis & extraordinaria cognitio adversùs Fures quosdam; qui atrociores æstimantur vel ex circumstantiâ temporis loci-ve quo Furtum factum est, aut ex aliis quibuslibet circumstantiis.

I.

Et 1°. *Si noctu Furtum factum sit, aut si Balneis publicis vestimenta lavantium fuerint subrepta. Enimverò* Fures nocturni extrà ordinem audiendi sunt, & causâ cognitâ puniendi: dummodò sciamus, in pœnâ eorum, operis publici temporarii (*a*) modum non egrediendum.

Idem & in Balneariis Furibus. *l.* 1. *ff. de Fur. Baln.* ULP. LIB. 8. DE OFFICIO PROCONSULIS.

Et hæc quidem operis publici pœna, in humiliores. At verò Miles qui in Furto Balneario adprehensus est, ignominiâ (*b*) mitti debet. *l.* 3. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. SING. DE PŒNIS MILITUM.

Gravius autem quandoque puniuntur sive nocturni sive Balnearii fures, si & illa circumstantia concurrat, quòd vel se telo defendant, vel aliquid effregerint. Undè statim addit Ulpianus: Sed si telo se fures defendunt, vel Effractores (*c*) vel cæteri his similes, nec quemquam percusserunt (*d*): metalli pœnâ, vel honestiores relegationis adficiendi erunt. *d. l.* 1. ¶ *sed si.*

II.

Cæteri autem Fures, regulariter, civili tantùm & ordinariæ FURTI *actioni subjiciuntur. Putà;* Sed si interdiù Furtum fecerunt, ad Jus ordinarium remittendi sunt. *l.* 2. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 2. JUDICIORUM PUBLICOR.

III.

Aliæ tamen circumstantiæ atrocioris furti etiam in diurnis Furibus, & pœnæ inde gravioris hîc recensentur.

Nimirùm 2°. Expilatores qui sunt atrociores (*e*) Fures (hoc enim est EXPILATORES), in opus publicum vel perpetuum vel temporarium dari solent; honestiores autem ordine ad tempus moveri, vel fines patriæ juberi excedere quibus nulla specialis pœna Rescriptis Principalibus imposita est; idcircò causâ cognitâ liberum erit arbitrium statuendi, ei qui cognoscit. *l.* 1. § 1. *ff. de Effractorib.* ULP. LIB. 8. DE OFFICIO PROCONSULIS.

3°. Simili modo & saccularii & directarii erunt puniendi, item Effractores. *d. l.* 1. § 2.

Scilicet Saccularii qui vetitas in sæculo artes exercentes partem subducunt, partem subtrahunt (*f*); item qui DIRECTARII appellantur, hoc est hi qui in aliena cœnacula se dirigunt (*g*) furandi animo; plùs quàm fures puniendi sunt. Idcircòque aut ad tempus in opus dantur publicum, aut fustibus castigantur & dimittuntur, aut ad tempus relegantur. *l.* 7. *ff. de Extraord. crimin.* LIB. 9. DE OFFICIO PROCONSULIS.

Idem dicendum de effractoribus diurnis. Sedenim Divus Marcus Effractorem equitem Romanum qui Effracto perforatoque pariete pecuniam abstulerat, quinquennio abstinere jussit provinciâ Africâ undè erat, & Urbe, & Italiâ. *l.* 1. § 2. *ff. de Effractor.* ULP. LIB. 8. DE OFFICIO PROCONSULIS.

Oportebit autem æquè & in Effractores, & in cæteros suprà scriptos, causâ cognitâ statui, prout admissum suggerit: dummodò ne quis in plebeio, operis publici pœnam; vel in honestiore, relegationis, excedat. *d. l.* 1. § 2.

IV.

Suprà dictum inter Effractores nocturnos aut diurnos discrimen ita rursùs confirmat Ulpianus: Inter Effractores variè animadvertitur. Atrociores enim sunt nocturni Effractores: & ideò hi fustibus cæsi in metallum dari solent. Diurni verò Effractores post fustium castigationem in opus perpetuum vel temporarium dandi sunt. *l.* 2. *ff. d. tit.* ULP. LIB. SING. DE OFFI. PRÆFECTI VIGILUM.

(*a*) In quo hæc pœnâ differat à pœna *Metalli* de quâ mox infrà, vide lib. seq. Tit. *de Pœnis.*

(*b*) Satis pœnæ est militi, ignominiosa missio seu exauctoratio; irrogandâ tamen quandoque & relegationis pœnâ, sicut in honestiores, si ex circumstantiis gravius delictum exurgat.

(*c*) Intellige eos qui noctu vel in balneo aliquid effregerint, aut quid simile fecerint. Nam diurni effractores non in metallum damnantur: infrà N. 4.

(*d*) Quòd si percusserint, atrociùs in eos statuitur; scilicet Lege Corneliâ DE SICARIIS, infrà lib. seq.

(*e*) Asconius in *Verrin.* II. scribit EXPILATORES dici, quòd ne pilum quidem relinquant in corpore spoliatorum. Alciatus, Haloander, Cujacius, *Expilatores* interpretantur eos qui noctu viatoribus pallia & vestes diripiunt: [vernaculè, *Détrousseurs, Pillards*].

(*f*) Cujacius Observ. X 27. ita interpretatur, qui ex sacculo alieno malis artibus pecuniam subducentes, quasi carminibus vetitis seu magicâ arte eam indè subducere credebantur, reverâ autem eam subtrahebant manu. Ita etiam Turnebus *Adversar.* IX 17.

(*g*) Per tecta scilicet in alienas ædes: [*qui escaladent les maisons.*]

Source : BIU Cujas

TITULUS XIX.

EXPILATÆ HEREDITATIS.

I.

SI quis alienam Hereditatem Expilaverit, extra ordinem ſolet coerceri per accuſationem Expilatæ Hereditatis; ſicut & Oratione Divi Marci cavetur. *l.* 1. MARCIAN. LIB. 3. INSTITUT.

Si Expilatæ Hereditatis crimen intendatur, Præſes provinciæ cognitionem ſuam accommodare debet. Cùm enim Furti agi non (*a*) poteſt, ſolum ſupereſt auxilium Præſidis. *l.* 2. ULP. LIB. 9. DE OFFICIO PROCONSULIS.

Apparet autem Expilatæ Hereditatis crimen eo caſu intendi poſſe, quo caſu FURTI agi non poteſt: ſcilicet ante aditam Hereditatem; vel poſt aditam, antequàm res ab herede poſſeſſæ ſunt. Nam in hunc caſum, Furti actionem non competere palàm eſt: quamvis AD exhibendum agi poſſe, ſi quid vindicaturus exhiberi deſideret, palàm ſit. *d. l.* 2. § 1.

Conſonat quod reſcribunt Philippi. Expilatæ Hereditatis crimen, loco deficientis actionis intendi conſueviſſe; non eſt Juris ambigui. *l.* 6. *Cod. de Crimine expil. hered.*

II.

Quædam autem perſonæ ſunt adversùs quas crimine Expilatæ Hereditatis *agi non poteſt. Talis eſt coheres.*

Hinc Antoninus. Adversùs coheredes tuos, dividendæ Hereditatis judicio ſecundùm Juris formam experire. Judex datus, ſi quid à coherede, etiam tuæ portionis, ex hereditate ſublatum fuerit probatum; factis adjudicationibus ſecundùm Juris formam eum tibi condemnabit. Expilatæ enim Hereditatis crimen fruſtrà coheredi intenditur, cùm (*b*) judicio Familiæ erciſcundæ indemnitati ejus proſpiciatur. *l.* 3. *Cod. Fam. erciſc.*

Item Severus & Antoninus. Expilatæ quidem Hereditatis crimen intentare non potes, quando communis arcæ rebus inſpectis claves traditas coheredi profitearis. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Obiter nota. Sed cùm de his exhibendis apud judicem quæreretur, rationem compenſationis induci non oportuit (*c*). Exhibitis enim quæ deſiderantur, ſuis judicibus directa quæſtio relinquenda eſt. *d. l.* 1. *Cod.* ¶ *ſed cùm.*

III.

Item Uxor Expilatæ Hereditatis crimine idcircò non accuſatur, quia nec Furti cum eâ agitur. *l.* 5. HERMOGEN. LIB. 2. JURIS EPITOMAR.

Hinc Papinianus. Heres viri defuncti, uxorem quæ res viri tempore nuptiarum in ſuâ poteſtate habuit, Compilatæ Hereditatis poſtulare non debet. Prudentiùs itaque faciet, ſi AD exhibendum (& Negotiorum geſtorum, ſi negotia quoque viri geſſit) cum eâ fuerit expertus. *l.* 33. *ff. de Neg. geſt.* PAPIN. LIB. 12. RESPONS.

Similiter Gordianus. Adversùs uxorem (quæ ſocia rei humanæ, atque divinæ domûs (*d*) ſuſpicitur) mariti diem ſuum functi ſucceſſores, Expilatæ Hereditatis crimen intendere non poſſunt.

Et ideò res quas per eamdem abeſſe quereris, competenti IN REM actione, vel (ſi dolo malo fecerit quominùs res mobiles poſſideret) AD exhibendum perſequere. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

Similiter Diocletianus & Maximianus. Quamvis etiam Expilatæ Hereditatis criminis promiſcuus uſus, exemplo actionis Furti, ream uxorem fieri non patiatur; tamen heredes, itemque filii, ſuper his quæ de patris bonis poſſidet, adversùs eam IN REM actione experiri non prohibentur. *l.* 17. *Cod. de Furtis.*

Fructus autem rerum quas malâ fide tenuit, licèt Expilatæ Hereditatis non teneatur crimine, ſuos non facit: ſed extantes quidem vindicari, conſumptos verò condici poſſe procul dubio eſt. *ſup. d. l.* 4. *Cod. h. tit.* ¶ *fructus.*

IV.

Adversùs cæteras perſonas hoc crimine agi poteſt.

Hinc V. G. Expilatæ Hereditatis crimen adversùs vitricum adito Præſide provinciæ non prohiberis perſequi. *l.* 2. *Cod. h. tit.* ANTONIN.

Idem Antoninus reſcribit. Si avi hereditatem adiiſti; Expilatæ Hereditatis crimen adversùs novercam quondam tuam experiri non prohiberis. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

V.

Obſervandum ſupereſt quod Paulus notat; Res Hereditarias, omnium heredum fuiſſe communes: & ideò eum qui Expilatæ Hereditatis crimen objecit, & obtinuit, etiam coheredi profuiſſe videri. *l.* 4. PAUL. LIB. 3. RESPONS.

(*a*) Furtum enim Hereditati non fit: ſuprà Tit. *de Furtis* N. 27.

(*b*) Hæc ratio ſola non ſufficeret: nam adversùs extraneum etiam, heredi proſpici poteſt per *Petitionem Hereditatis.* Vera igitur ratio petenda eſt à communione; ut non videatur EXPILASSE quis, res quæ pro parte ipſius erant.

(*c*) Unus ex coheredibus qui ex communi arcâ res quaſdam abſtulit, debet eas res exhibere; nec auditur compenſationem allegans, quòd nempè coheres viciſſim habeat alias res ex arcâ communi penès ſe. *His* autem quas tenet ipſe *exhibitis*; de ipsâ rei communis diviſione & perſonalibus præſtationibus *Directa quæſtio*, ad judices qui ſuper eâ re cognoſcere debent [ſcilicet *Familiæ erciſcundæ* judicio] remittenda eſt.

(*d*) Probabilis emendatio eorum qui ita legunt, *ſocia rei humanæ atque divinæ in dominum ſuſcipitur*: & hoc videtur imprimis pertinere ad uxores PER CONFARREATIONEM acceptas. Sed etſi hæc ratio ceſſet in uxoribus quæ in manum non convenerunt; tamen nec illæ poſſunt aut *Furti* aut *Expilatæ Hereditatis* conveniri, ſcilicet propter honorem matrimonii: ut vid. ſuprà lib. 25. Tit. *de Act. rer. amot.*

TITULUS XX.

STELLIONATUS.

I.

STELLIONATUS *dicitur, omnis atrox dolus qui proprio nomine caret, & ideò extra ordinem criminaliter coercetur.*

A Stellione ſic dictus eſt. Porrò STELLIO *dicitur lacerta Stellata, quo* Nullum animal fraudulentiùs *invidere homini tradunt; indè* STELLIONUM *nomen, in maledictum tranſlatum. Plin.* Hiſt. nat. *XXX.* 10.

Stellionatum autem objici poſſe his qui dolo quid fecerunt, ſciendum eſt; ſcilicet ſi aliud crimen non ſit quod objiciatur. Quod enim in privatis judiciis, eſt DE DOLO actio; hoc in criminibus, Stellionatûs perſecutio. Ubicumque igitur titulus criminis deficit, illic Stellionatus objiciemus.

Maximè autem in his locum habet: Si quis fortè rem

Source : BIU Cujas

alii obligatam, dissimulatâ obligatione, per calliditatem alii distraxerit, vel permutaverit, vel in solutum dederit. Nam hæ omnes species, Stellionatum continent.

Sed & si quis merces suppositas averterit, vel si corruperit; æquè Stellionatûs reus erit.

Item si quis imposituram fecerit vel collusionem in necem alterius, Stellionatûs poterit postulari. *l.* 3. § 1. ULP. LIB. 8. DE OFFICIO PROCONSULIS.

Item Qui merces suppressit (*a*), specialiter hoc crimine postulari potest. *d. l.* 3. § 3.

Et (ut generaliter dixerim) deficiente titulo criminis hoc crimen locum habet. Nec est opus species enumerare. *d. l.* 3. § 1. ¶ *fin.*

II.

De re pluribus obligatâ rescribit etiam Philippus. Ignorantia creditoris, cui res pridem apud alios obligatæ pignoris sive hypothecæ jure obligantur, non sine periculo capi (*b*) consuevit. Etenim hujusmodi fraudes ad extraordinariam criminis executionem spectare, ac Stellionatûs commissum severissimè esse vindicandum, sæpè rescriptum est. Proindè sive ignorantiam tuam debitor circumvenire tentaverit, sive obligatione ritè perfectâ, participato fraudis consilio, per subjectam quasi anteriorem personam, dispendium tuum ad occultum compendium suum trahere pertentat: adire suum judicem potes, congruentem Juri ac debitæ religioni Sententiam relaturus. *l.* 4. *Cod. de Crimin. Stellion.*

Item Alexander. Improbum quidem & criminosum fateris, easdem res pluribus pignorasse; dissimulando in posteriore obligatione, quòd eædem aliis pignori tenerentur. Verùm securitati tuæ consules; si oblato omnibus debito, criminis instituendi causam peremeris. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

III.

Aliud Stellionatûs exemplum affert Gordianus. Si pater tuus in te donationem contulerit; &, quum emancipatus esses, traditionibus dominium corporum in te transtulit; posteaque creditores fortitus, quasdam earum rerum sine voluntate tuâ velut proprias suas obstrinxit: jus tuum non læsit. Nec tamen injuriâ, Stellionatûs crimine petetur; cùm sciens alienam rem, te non consentiente, velut propriam suo nexuerit creditori. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

A fortiori, si rem illam alienam obligando quis juravit suam esse. Igitur De perjurio (*c*) si sua pignora esse quis in instrumento juravit, crimen Stellionatûs fit: & ideò ad tempus exulat. *l.* 4. MODESTIN. LIB. 3. DE PŒNIS.

IV.

Actio Stellionatûs, neque publicis judiciis neque privatis actionibus continetur. *l.* 1. PAPINIAN. LIB. 1. RESPONS.

Pariter Gordianus: Stellionatûs accusatio inter crimina publica non habetur. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

Igitur Stellionatûs accusatio ad Præsidis cognitionem spectat. *l.* 3. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

V.

Stellionatûs judicium famosum quidem non est (*d*), sed coercitionem extraordiarinam habet. *l.* 2. ULPIAN. LIB. 8. AD SABIN.

Pœna autem Stellionatûs nulla legitima est, cùm nec legitimum crimen sit. Solent autem ex hoc extra ordinem plecti: dummodò non debeat opus metalli hæc pœna in plebeis egredi; in his autem qui sunt in aliquo honore positi, ad tempus relegatio, vel ab Ordine motio remittenda (*e*) est. *l.* 3. § 2. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

(*a*) *Un Monopoleur, un Arrheur.*

(*b*) Id est, decipi.

(*c*) Si simplex perjurium esset, solum Deum ultorem haberet: suprà lib. 11. Tit. *de Jurejur.* N. 52. Sed propter circumventionem quam continet, quia nempè creditorem decepit jurando *suas* res *esse* quas pignori dabat, crimine *Stellionatûs* agitur.

(*d*) Nisi detur ex eo delicto ex quo civilis actio famosa competit. Vide suprà lib. 3. Tit. *de His qui not. infam.* N. 12. ad Not.

(*e*) *La peine doit être modérée à celle de la relégation &c.*

TITULUS XXI.

DE TERMINO MOTO.

I.

Magna apud Romanos fuit Terminorum religio. Quum Numa-Pompilius jussisset unumquemque suum agrum circumscribere, & lapides in finibus ponere; lapides illos (qui TERMINI *vocantur) voluit Jovi Terminali sacros esse; jussitque ut omnes die stato quotannis convenientes, illis Terminis (quos & ipsos* DEOS (*a*) *esse credebant) sacrificarent libis cerealibus & frugum primitiis. Si quis verò Terminum exarasset, & ipsum & boves sacros esse; adeòque impunè occidendos. Dionys. Halic. II. 9. Festus in Verb. TERMINUS.*

Lege Agrariâ, quam Caius-Cæsar tulit; adversùs eos qui Terminos statutos extra suum gradum (*b*) fines-ve moverint dolo malo, pecuniaria pœna constituta est. Nam in Terminos singulos quos ejecerint locove moverint, quinquaginta aureos in publico (*c*) dari jubet: & ejus actionem (petitionem) ei qui volet, esse jubet. *l.* 3. CALLISTRAT. LIB. 5. DE COGNITIONIBUS.

Aliâ quoque Lege Agrariâ quam Divus Nerva tulit, cavetur; [ut] si servus serva-ve, insciente domino, dolo malo fecerit, ei capital esse: nisi dominus dominave mulctam sufferre maluerit. *d. l.* 3. § 1.

At verò Divus Hadrianus in hæc verba rescripsit: « QUIN pessimum factum sit eorum qui Terminos finium » causâ positos propulerunt, dubitari non potest. De » pœnâ tamen modus, ex conditione personæ, & mente » facientis, magis statui potest. Nam si splendidiores » personæ sunt quæ convincuntur, non dubiè occu- » pandorum alienorum finium causâ id admiserunt: & » possunt in tempus, ut cujusque patiatur ætas, rele- » gari; id est, si juvenior, in longius; si senior, reciùs. » Si verò alii negotium gesserunt, & ministerio functi » sunt, castigari, & ad opus biennio dari. Quòd si per » ignorantiam aut fortuitò lapides furati sunt, sufficiet » eos verberibus decìdere. » *l.* 2. CALLISTRAT. LIB. 3. DE COGNITIONIB.

(*a*) Ut testatur idem Dionysius paulò infrà. Adde Ovidium Fastor. II.
Termine, sive lapis, sive es defossus in agro
Stipes, ab antiquis; tu quoque Numen habes.

(*b*) Id est, ordinem: *hors de son rang, dérangé de sa place.*

(*c*) Id est, fisco inferri.

Source : BIU Cujas

Alexander autem ita reſcribit. Eos qui Terminos effoderunt, extraordinariâ animadverſione coerceri debere Præſes provinciæ non ignorabit. *l.* 1. *Cod. de Accuſat.*

Hinc liquet, DE TERMINO MOTO, *& civiliter Populari actione, & criminaliter agi potuiſſe.*

Ita accipe quod ait Modeſtinus: Terminorum avulſorum non (*a*) mulcta pecuniaria eſt; ſed (*b*) pro conditione admittentium, coercitione tranſigendum. *l.* 1. MODEST. LIB. 8. REGUL.

(*a*) Scilicet *non tantùm.*

II.

Hactenùs de his qui Terminos tranſtulerunt. Hi quoque qui finalium quæſtionum obſcurandarum causâ faciem locorum convertunt; ut ex arbore arbuſtum, aut ex ſylvâ novale, aut aliquid ejuſmodi faciunt; pœnâ plectendi ſunt, pro perſonâ & conditione, & factorum violentiâ. *l.* 3. § 2. CALLISTR. LIB. 5. DE COGNITIONIB.

(*b*) *Sed*, ſi criminaliter actum fuerit; *pro conditione*, &c.

TITULUS XXII.

DE COLLEGIIS ET CORPORIBUS.

FUêre olim apud Romanos varia Collegia; putà tibicinum, aurificum, architectorum, &c. Verùm hæc omnia SCto quod ſub Syllâ & Mario Coſſ. factum eſt, ſublata ſunt; paucis quibuſdam ſervatis. Poſtea reſtituta ſunt à Clodio, iterùm ſublata Lentulo & Metello Coſſ. Aſcon. Ped. in Piſon. *Cicero lib.* 2. Epiſt. ad Q. Fratrem.

I.

Porrò cùm nullum niſi publicâ auctoritate Corpus debeat conſtitui aut coire, eſt quoque extraordinaria cognitio adversùs eos qui illicita Collegia coeunt.

In ſummâ autem; niſi ex Senatuſconſulti auctoritate vel Cæſaris, Collegium vel quodcumque tale Corpus coierit; contra Senatuſconſultum & Mandata & Conſtitutiones, Collegium celebrat. *l.* 3. § 1. MARCIAN. LIB. 2. JUDICIORUM PUBLICORUM.

Enimverò Mandatis Principalibus præcipitur Præſidibus provinciarum, ne patiantur eſſe Collegia, ſodalitia; ne-ve milites Collegia in caſtris habeant.

II.

Sed permittitur tenuioribus ſtipem menſtruam conferre; dum tamen ſemel in menſe coeant: ne ſub prætextu hujuſmodi, illicitum Collegium coeat. Quod non tantùm in Urbe, ſed & in Italiâ & in provinciis, locum habere Divus quoque Severus reſcripſit. *l.* 1. IDEM LIB. 3. INSTITUT.

Et quidem Servos quoque licet in Collegium tenuiorum recipi, volentibus dominis: ut Curatores horum corporum ſciant, ne invito aut ignorante domino in Collegium tenuiorum reciperent; & in futurum pœnâ teneantur, in ſingulos homines aureorum centum. *ſup. d. l.* 3. § 2.

(*a*) Quod intelligendum, tam de patriâ Romanorum religione, ſeu paganicâ; quàm de exteris etiam quibuſdam religionibus: nam & Judæis religionis causâ coire conceſſum erat. Religionis autem coitus appellantur, concurſus qui certis ac ſolemnibus diebus ad templa fiunt.

Sed religionis causâ (*a*) coire non prohibentur; dum tamen per hoc non fiat contra Senatuſconſultum quo illicita Collegia arcentur. *ſup. d. l.* 1. § 1.

Scilicet ea demùm Collegia religionis causâ permittuntur, quæ ſpecialiter probata ſunt.

Cæterùm Sub prætextu religionis vel ſub ſpecie ſolvendi voti, cœtus illicitos nec à veteranis tentare oportet. *l.* 2. *ff. de Extraordin. crimin.* ULP. LIB. 4. OPINION.

III.

Collegia ſi qua fuerint illicita, Mandatis & Conſtitutionibus & Senatuſconſultis diſſolvuntur. Sed permittitur eis, quum diſſolvuntur, pecunias communes (ſi quas habent) dividere, pecuniamque inter ſe partiri. *l.* 3. MARCIAN. LIB. 2. JUDICIORUM PUBLICORUM.

IV.

Quiſquis illicitum Collegium uſurpaverit; eâ pœnâ tenetur, quâ tenentur qui hominibus armatis loca publica vel templa occupaſſe judicati ſunt. *l.* 2. ULP. LIB. 6. DE OFFIC. PROCONS.

V.

Non licet autem ampliùs quàm unum Collegium licitum habere, ut eſt conſtitutum & à Divis Fratribus: & ſi quis in duobus fuerit, reſcriptum eſt eligere eum oportere in quo magis eſſe velit: accepturum ex eo Collegio à quo recedit, id quod ei competit ex ratione quæ communis fuit. *ſup. d. l.* 1. § 2.

Alia ad naturam & jura Corporum ſeu univerſitatum ſpectantia, vide ſuprà lib. 3. *Tit.* Quod cujuſc. univerſ.



Source : BIU Cujas

TITULUS XXIII.

DE POPULARIBUS ACTIONIBUS.

JAm de civilibus & ordinariis actionibus omnibus quæ cuilibet negotiorum generi ſunt propriæ, imò etiam de illis quæ ex quibuſdam delictis deſcendunt, necnon de criminalibus & extraordinariis judiciis quæ ex aliis delictis competunt, abſolutus eſt tractatus. Reſtant judicia publica, de quibus in lib. ſeq.

I.

Antequàm autem ad ea tranſitum faciat Trebonianus, pauca hîc inſerit de aliâ generali actionum civilium & forenſium ſpecie, quæ POPULARES *ideò dicuntur quòd competunt cuilibet è Populo, quemadmodum in criminibus judicia publica.*

Harum actionum ſpecies plurimas paſſim recenſuimus: putà, mox ſuprà de Sepulcro violato, de Termino moto, *& alibi*, de Albo corrupto *lib.* 2. *Tit.* 1. *item* de Dejectis & effuſis *lib.* 9. *Tit.* 3. *&* de Tabulis teſtamenti *apertis ante quæſtionem de familiâ ejus qui occiſus dicetur habitam lib.* 29. *Tit.* 5. *Talia denique pleraque Interdicta, de quibus in lib.* 43.

Hic porrò earum actionum, nullâ ſingulari ſpecie propoſitâ, natura tantùm expenditur generaliter: & quæ omnibus hujuſmodi actionibus communis ſit.

Eam Popularem actionem dicimus, quæ ſuum jus Populi (*a*) tuetur. *l.* 1. PAUL. LIB. 8. AD ED.

II.

Popularis actio integræ perſonæ permittitur, hoc eſt, cui per Edictum poſtulare licet. *l.* 4. IDEM LIB. 3. AD EDICT.

Mulieri & pupillo Populares actiones non dantur, niſi quum ad eos res pertineat. *l.* 6. ULP. LIB. 25. AD ED.

Quum plures agere volunt; In Popularibus actionibus, is cujus intereſt (*b*) præfertur. *l.* 3. § 1. ULP. LIB. 1. AD ED.

Sed & inter eos quorum privatim non intereſt, Si plures ſimul agant Populari actione; Prætor eligat idoneiorem. *l.* 2. PAUL. LIB. 1. AD ED.

III.

Cùm actiones Populares non tam id quod privatim intereſt quàm jus Populi tueantur; hinc qui agit Populari actione, non poteſt dare Procuratorem: ſuprà Tit. de Procur. *N.* 13.

Hinc etiam, Populares actiones non tranſeunt ad eum cui reſtituta eſt hereditas ex Trebelliano Senatuſconſulto. *l.* 7. PAUL. LIB. 41. AD ED.

Hinc Item qui habet has actiones, non intelligitur eſſe (*c*) locupletior. *d. l.* 7. § 1.

Scilicet ante litem conteſtatam. Eodem ſenſu ait Ulpianus de eo cui aliquid debetur: Quòd ſi ex Populari causâ; ante litis conteſtationem, rectè dicetur creditoris loco (*d*) non eſſe, poſtea eſſe. *l.* 12. ¶ *quod ſi. ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 7. AD ED.

IV.

Omnes Populares actiones neque in heredes dantur, neque ſupra annum extenduntur. *l. fin.* ULP. LIB. 1. AD ED.

(*a*) Haloand. *populo.*
(*b*) Privatim.
(*c*) Niſi id quod ſuâ privatim interſit, perſequatur.
(*d*) Etſi enim cuivis ex Populo actio Popularis competat; tamen quòd ex hâc causâ debetur, non debetur niſi ei qui per litis conteſtationem occupaverit hanc actionem omnibus promiſcuam, & privati ſui juris fecerit. Nemo igitur ex hâc causâ ante litis conteſtationem eſt creditor; ſcilicet niſi ipſius privatim interſit.

Source : BIU Cujas

LIBER
QUADRAGESIMUS-OCTAVUS.
TITULUS I.
DE PUBLICIS JUDICIIS.

I.

Superiore libro vidimus de privatis delictis quæ pariunt civiles & ordinarias actiones; item de criminibus quibusdam, seu delictis illis quorum persecutio fit criminaliter per extraordinarias actiones. Jam de illis criminibus ex quibus Publica Judicia descendunt.

Enimverò Non omnia Judicia in quibus crimen vertitur, & Publica sunt; sed ea tantùm quæ ex Legibus Judiciorum Publicorum veniunt: ut Juliâ MAJESTATIS, Juliâ DE ADULTERIIS, Corneliâ DE SICARIIS & veneficiis, Pompeiâ PARRICIDII, Juliâ PECULATUS, Corneliâ DE TESTAMENTIS, Juliâ DE VI PRIVATA, Juliâ DE VI PUBLICA, Juliâ AMBITUS, Juliâ REPETUNDARUM, Juliâ DE ANNONA. *l.* 1. MACER. LIB. 1. DE PUBL. JUDIC.

§ I.

Quæ sit Publicorum Judiciorum Communis natura, & quotuplex divisio.

II.

PUBLICA JUDICIA *rectè definit Cujacius, criminalia Judicia quæ ex Populo quilibet in crimen subscribens, jure ordinario intendere potest in pœnam certam & legitimam.*

Igitur hæc communis Publicorum Judiciorum natura est, ut cuilibet è Populo competant, ut certa sit eorum exequendorum forma, de quâ Tit. seq. & ut pœnam certam ac Lege definitam contineant.

Hoc etiam commune est omnibus Publicis Judiciis, ut sint famosa. Undè Macer. Infamem non ex omni crimine Sententia facit, sed ex eo quod Judicii Publici causam habuit. Itaque ex eo crimine quod Judicii Publici non fuit, damnatum infamia non sequetur; nisi id crimen ex eâ actione fuit, quæ etiam in privato Judicio infamiam condemnato importat: veluti Furti, Vi bonorum raptorum, Injuriarum. *l.* MACER. LIB. 2. JUD. PUBL.

III.

Jam verò Publicorum Judiciorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia.

CAPITALIA sunt ex quibus pœna mors aut exilium est, hoc est aquæ & ignis interdictio (*a*). Per has enim pœnas eximitur caput de civitate. Nam cætera, non exilia, sed relegationes propriè dicuntur: tunc enim civitas retinetur.

Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria aut in corpus aliqua coercitio pœna est. *l.* 2. PAUL. LIB. 15. AD ED. PRÆTOR.

Consonat quod ait Modestinus. Licèt capitalis, Latinè loquentibus omnis causa existimationis videatur: tamen appellatio CAPITALIS, mortis vel amissionis civitatis intelligenda est. *l.* 103. *ff. de Verb. signif.* MODESTIN. LIB. 8. REGUL.

§ II.

Quando extinguantur Judicia Publica.

IV.

Publica accusatio reo vel reâ antè defunctis permittitur. (*b*) *l.* 3. ULP. LIB. 35. AD SABIN.

Hinc putà etiam Parricidii postulatus, si interim decesserit, si quidem sibi mortem conscivit, successorem (*c*) fiscum habere debebit. Si minùs, eum quem voluit, si modò testamentum fecit: si intestatus decessit, eos heredes habebit qui Lege vocantur. *l.* 8. *ff. Ad Leg. Pomp. de parricid.* IDEM LIB. 8. DISPUT.

Item Paulus: Si pœna alicui irrogatur, receptum est commentitio (*d*) Jure, ne ad heredes transeat. Cujus rei illa ratio videtur, quod pœna constituitur in emendationem hominum; quæ mortuo eo in quem constitui videtur, desinit. *l.* 20. *ff. de Pœn.* PAUL. LIB. 18. AD PLAUT.

V.

Hanc tamen regulam ita limitat Modestinus. Ex Judiciorum Publicorum admissis, non aliàs transeunt adversùs heredes pœnæ bonorum ademptionis, quàm si lis contestata & (*e*) condemnatio fuerit secuta: excepto Repetundarum & Majestatis judicio (*f*), quæ etiam mortuis reis cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco vindicentur: adeò ut Divus Severus & Antoninus rescripserint, ex quo quis aliquod ex his causis crimen contraxit, nihil ex bonis suis alienare aut manumittere eum posse. Ex cæteris vero delictis (*g*) pœna incipere ab herede ita demùm potest, si vivo reo accusatio mota est, licèt non fuit

(*a*) Adde, & Deportatio.

(*b*) Haloand. *non permittitur.* Sed opus non est supplere hanc negationem; nam *permittitur* sumi interdum pro *remittitur* seu extinguitur [ut in l. 37. ff. *de Pactis*, & l. 6. § fin. *de Jur. patr.*] probat Cujacius Observ. XXI 29.

(*c*) Vide infrà Tit. *de His qui mort. sibi consciv.*

(*d*) *Commentitio*; id est, [inquit Gothofredus] non novo, sed antiquissimo. Contrà Budæus interpretatur Jus novum & recens excogitatum: alii Jus vulgatissimum, cujus semper reminiscimur. Bynkershoek interpretatur eo Jure quod Jurisconsulti disputationibus suis finxerunt & commenti sunt, contra Juris Civilis regulas; secundùm quas heres, utpotè universi juris successor, etiam in obligationem pœnæ succedere videretur.

(*e*) Utrumque igitur requiri, rectè observat Wissenbachius. Imò & si secuta sit condemnatio; si per appellationem suspensa fuit, ea pœna ademptionis bonorum ad heredem non transit, quæ duntaxat sequela esset capitalis Sententiæ: secùs de eâ quæ specialiter irrogata esset: infrà lib. 49. Tit. *de Appell.*

(*f*) Adde & crimina *Peculatûs*, & *de Residuis*: l. fin. ff. *ad L. Jul. Pecul.* Item Jure Codicis, crimen hæreseos; cùm sit ad instar Majestatis: l. 4. Cod. *de Hæret. & Man.* Apostasiæ quoque crimen post mortem objicitur: l. 2. Cod. *de Apostat.*

(*g*) Scilicet non Publicis.

Source : BIU Cujas

condemnatio ſecuta. *l.* 20. *ff. de Accuſ. & inſcript.* MODESTIN. LIB. 2. DE PŒN.

Pariter docet Paulus per litis conteſtationem, pœnam criminum pecuniariam ad heredes tranſire. Ita ille : Conſtitutionibus quibus oſtenditur heredes pœnâ non teneri; placuit; ſi vivus conventus fuerat, etiam pœnæ perſecutionem tranſmiſſam videri ; quaſi lite conteſtatâ cum mortuo. *l.* 33. *ff. de Oblig. & act.* PAUL. LIB. 3. DECRETOR.

V I.

Vidimus crimina Publica non dari in heredem. Verùm in ipſum dabitur actio civilis, in id quod ad ipſum pervenit.

Hinc Marcianus. Defuncto eo qui reus fuit criminis, & pœnâ extinctâ; in quâcumque causâ criminis extincti debet is cognoſcere, cujus de pecuniariâ re cognitio eſt. *l.* 6. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Similiter Papinianus. Quum falſi reus, ante crimen illatum, aut Sententiam dictam, vitâ decedit; ceſſante Corneliâ, quod ſcelere quæſitum eſt heredi non relinquitur. *l.* 12. *ff. de Leg. Corn. de falſ.* PAPIN. LIB. 13. RESPONS.

Hinc V. G. Si quis quum falsò ſibi legatum adſcribi curaſſet, deceſſerit ; id heredi quoque extorquendum eſt. *l.* 4. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 8. DISPUTAT.

V I I.

Extinguitur etiam Publicum Judicium & omnis criminalis cognitio, lapſu temporis quod ad illud peragendum judex præfinivit. Dilationem quidem judex ex causâ concedit ; ſed ita ut non excedat legitimum tempus, à die litis conteſtatæ, intrà quod omnes criminales cognitiones peragi oportet. Hoc tempus olim erat annus : ut colligere eſt ex l. 7. *ff.* de Mun. & hon. & *l.* 1. *Cod. Theod.* Ut intrà ann. crimin. quæſt. *Juſtinianus illud produxit ad biennium : l. fin. Cod.* Ut intrà certum temp.

Longà brevius tempus datur, quum reus in carcere aut in vinculis eſt : de quâ re vide l. fin. Cod. de Cuſtod. reor.

V I I I.

Denique extinguitur Publicum Judicium, Abolitione ; de quâ infrà Tit. AD SC. Turpill. & de abolit. *quò remitto.*

APPENDIX:

DE LEGENDIS JUDICIBUS.

In Publicis & criminalibus Judiciis, non ſecùs ac in civilibus cauſis, Prætor judicibus qui privati homines erant diſceptandas cauſas ac judicandas committebat. De Conditione, Cenſu, Ætate, ac Numero horum judicum varium Jus fuit ; quod hic, antequàm ulteriùs ad judiciorum publicorum ordinem progrediamur, operæ pretium eſt breviter exponere.

I.

Antiquiſſimo Jure, Judices nonniſi ex Senatorio Ordine legebantur : quod ex ipſo Romuli inſtituto dimanaverat. Hic enim (teſte Dionyſio I. 12. *) patricios Reipublicæ adminiſtrandæ,* Judiciis exercendis, *urbaniſque muniis obeundis ; plebeios agris colendis, quæſtuoſiſque artibus exercendis deputaverat.*

Hoc Jus duravit uſque ad tempora C. Gracchi : qui Senatoribus ob fraternam cædem infenſus, quum iterùm Tribunus plebis creatus eſſet, flagrarentque invidiâ judicia, eò quòd plures REPETUNDARUM *rei captis apertè pecuniis recens abſoluti eſſent ; Legem tulit quâ Judicia à Senatorio Ordine ad Equeſtrem tranſlata ſunt. Appian.* de Bell. civ. lib. 1. *Velleius-Pat.* lib. 2. *Aſc. Pedian. in* Divin.

Poſtea Lege Serviliâ, à Q. Servilio-Cœpione Conſule latâ, cautum eſt ut ex utroque Ordine Senatorio & Equeſtri Judices legerentur : Caſſiodor. in Chronic. *Alterâ verò Lege Serviliâ, à C. Servilio-Glauciâ latâ, Judicia ad ſolos Equites redierunt. Cùm verò plures innocentiſſimi viri, inter quos Rutilius Juriſconſultus quem Velleius virum non ſolùm ſæculi ſui ſed* OMNIS ÆVI OPTIMUM *appellat, ab his Judicibus injuſtè damnati eſſent ; M. Druſus-Livius Tribunus plebis novam Legem tulit ; quâ rurſùs Judicia inter utrumque Ordinem communicata ſunt :* (*Appian. Velleius-Pat. Epit. Liv.*). *Verùm hæc Lex non obtinuit, Livio in ipſo magiſtratu interfecto ; ejuſque Legibus ſublatis, tanquam adversùs auſpicia latis : Cic.* de Legib. *lib.* 3.

Poſt biennium autem, Strabone & Catone Conſulibus, Lex à M. Plautio-Silvano Trib. plebis lata eſt ; ut quotannis ex ſingulis Tribubus, ipſarum Tribuum ſuffragio quindeni judices deligerentur qui eo anno judicarent. Et ita factum eſt ut Senatores quoque cum Equitibus in eo numero eſſent, & quidam etiam de plebe : Aſcon. Ped. in Orat. pro Cornel. *Poſt Septennium, Dictator Sylla Equitibus & plebi infenſus, Legem tulit ut ſoli Senatores judicarent : Cic.* Divin. in Verr. *Cùm autem per decem annos turpiter judicaſſent ; L. Aurelio-Cottâ rogante ; communicata ſunt Judicia Senatui, Equitibus, & Tribunis Ærarii qui ex plebe erant : Aſc. Ped. in* Divin. & *in* Piſon.

Poſtea Cæſar Dictator (teſte Suetonio in JULIO *n.* 41.) Judicia ad duo genera judicum redegit, Equeſtris Ordinis & Senatorii ; Tribunos ærarios, quod erat tertium, ſuſtulit. *Idem refert Dio-Caſſius. At interfecto Cæſare, Antonius Legem tulit ; ut ad duas Centurias Senatorum & Equitum, tertia adjungeretur centurionum & manipularium militum legionis Alaudæ, quam Legem exagitat Cicero* Philip. 1ª.

Hæc de Ordinibus ex quibus legebantur Judices.

I I.

Spectatus etiam fuit Cenſus circa Judices. « POMPEIUS » *enim in Conſulatu ſecundo Legem promulgavit ; ut ampliſſimo ex Cenſu, ex Centuriis (aliter quàm antea) lecti* » *judices, æquè tamen ex illis tribus Ordinibus, judicarent :* » *Aſc. Ped. in* Piſon.

I I I.

Quod ad ætatem judicum attinet ; in his, ſuprà dictâ Lege Serviliâ-Glauciâ, ætas non minor triginta annorum, nec major ſexaginta, requiſita fuit. Videtur poſtea requiſita aliis Legibus ætas triginta-quinque annorum ; ex eo quod apud Suetonium legimus in AUGUSTO *n.* 32. « Judices » Auguſtus à triceſimo ætatis anno allegit, id eſt quin» quennio maturiùs quàm ſolebat. » *Poſtea plenæ pubertatis annos ſaltem in civilibus cauſis ſuffeciſſe apparet ex l.* 57. *ff.* de Repub.

I V.

Variè etiam variis Legibus horum judicum numerus definitus fuit ; quos ex Ordinibus penès quos Judicia eſſent, Prætores jurati in ſelectos Judices referre debebant.

Ex quodam fragmento Legis Serviliæ REPETUNDARUM *quod nobis exhibet Sigonius ; apparet quotannis Prætorem elegiſſe Quadringentos-quinquaginta viros qui de hoc crimine judicarent : ex quorum numero accuſator centum reo edebat ; qui ex his centum, ipſe eligebat quinquaginta.*

Source : BIU Cujas

TITULUS II.

DE ACCUSATIONIBUS ET INSCRIPTIONIBUS.

PUblica judicia omnia, per Accuſationem & Inſcriptionem in crimen inſtituuntur. Hinc præcedenti Titulo ſtatim hic ſubjicitur, ad generalem æquè pertinens judiciorum publicorum materiam.

Quæ in eo congeſta ſunt, in Sectiones duas diſtribuam. Prima exponet quæcumque pertinent ſive ad jus ſive ad ſolemnem ordinem Accuſationis & Inſcriptionis.

Altera verſabitur circa ea quæ citra ſolemnem ordinem in judiciis criminalibus confici poſſunt.

SECTIO I.

De jure & ſolemni formâ Accuſationis & Inſcriptionis.

Sex Articulis tractatus hic concludetur.

1us. Aget de his qui Accuſare poſſunt necne : 2us. De his qui accuſari. In 3°. Videbimus apud quos Magiſtratus Accuſatio inſtituatur : In 4°. An per procuratores Accuſare quis aut defendi poſſit. In 5°. exponemus ordinem inſtituendæ & peragendæ Accuſationis, ac Sententiæ ferendæ. In 6°. quæremus, an Accuſatio de eodem crimine bis moveri poſſit.

ARTICULUS I.

Qui Accuſare poſſint, necne.

§ I.

Regulæ generales.

I.

Qui Accuſare poſſunt intelligemus, ſi ſcierimus qui non poſſunt.

Itaque prohibentur Accuſare, alii propter ſexum, vel ætatem ; ut mulier, ut pupillus (*a*).

Alii propter ſacramentum, ut qui ſtipendium merent.

Alii propter magiſtratum, poteſtatem-ve in quâ agentes ſine fraude (*b*) in Jus evocari non poſſunt.

Alii propter delictum proprium ; ut infames.

Alii proprer turpem quæſtum ; ut qui duo judicia adversùs duos reos (*c*) ſubſcripta habent, nummos-ve ob Accuſandum vel non Accuſandum acceperint.

Alii propter conditionem ſuam, ut liberti contra patronos. *l.* 8. MACER. LIB. 2. DE PUBL. JUD.

Alii propter ſuſpicionem calumniæ, ut illi qui falſum teſtimonium ſubornati dixerunt. *l.* 9. PAUL. LIB. 5. SENT.

Accuſare prohibentur etiam Nonnulli propter paupertatem ; ut ſunt hi qui minùs quàm quinquaginta aureos (*d*) habent. *l.* 10. HERMOGEN. LIB. 6. EPITOM.

II.

Hi tamen omnes, ſi ſuam injuriam exequantur, mortem-ve propinquorum defendant, ab Accuſatione non excluduntur. *l.* 11. MACER. LIB. 2. DE PUBL. JUDIC.

Hinc militi ita reſcribit Gordianus. Non prohibentur milites Accuſationem quæ publici judicii inſtar obtineat, infendere ; ſi ſuam ſuorumque injuriam exequantur. Ideòque conſobrini tui necem defendere tibi permittimus. *l.* 8. *Cod de His qui acc. non poſſ.*

Item Si crimen ad tuam tuorumque injuriam pertinens exequaris ; ſolemnibus te Inſcriptionibus adſtringe, ut Præſidem provinciæ habere judicem poſſis. *l.* 10. *Cod. d. tit.*

Idem de cæteris qui regulariter Accuſare non poſſunt, dictum puta ; ut patebit ex ſubjectâ in §§is. ſeqq. ſuprà dictarum ferè omnium perſonarum recenſione.

§ II.

De Mulieribus, & pupillis.

III.

Senatuſconſulto permiſſum non eſt mulieri, Legis Corneliæ crimine reum facere ; niſi res ad eam pertineat. Cùm igitur filii tui tutores vel curatores habeant ; ipſi deliberare debent, an inſtrumenta ex quibus adverſarium filiorum tuorum obtinuiſſe dicis, falſa Accuſare debeant. *l.* 5. *Cod. de His qui accuſ. non poſſ.* ALEXANDER.

Similiter Diocletianus & Maximianus cuidam mulieri reſcribunt. Etſi ad te negotium pertinuit ; etiam atque etiam tecum deliberare debueras, ne improbam inſtitueres Accuſationem, hoc inſtrumentum in quo ſubſcripſeras, falſum arguere contendens. At cùm mulieribus in alienâ causâ, Falſi non ſit conceſſum Accuſare ; tu autem hæc eadem prædia te priùs alii donaſſe proponas : fieri tibi facultatem accuſandi, contra Juris poſtulas formam. *l.* 19. *Cod. Ad Leg. Cornel. de falſ.*

IV.

Non eſt permiſſum mulieri publico judicio quemquam autem facere, niſi ſcilicet parentium liberorumque, & patroni & patronæ, & eorum filii, filiæ, nepotis, neptis, mortem exequatur. *l.* 1. POMPON. LIB. 1. AD SABIN.

Similiter Paulus. Certis ex cauſis conceſſa eſt mulieribus publica Accuſatio, veluti ſi mortem exequantur eorum earumque, in quos Lege (*e*) teſtimonium

(*a*) Quid de adultis minoribus 25e. annis ? Excluduntur quidem Lege Juliâ ab accuſatione adulterii, infrà Tit. *ad L. Jul. de Adult.* Minimè autem hoc porrigendum ad cætera crimina, rectè docet Wiſſenbachius : modò ſint majores 17. annis, & adſit eis curator. Etenim, etiam in criminalibus cauſis agere aut defendere ſine curatoribus Minores non poſſunt : l. 14. Cod. *de Auct. præſt.* & ſi minor 17. annis ſit, omninò poſtulare prohibetur : ſuprà lib. 2. Tit. *de Poſtul.* N. 3.

Certè, eo quem cum Wiſſenbachio definimus ſenſu, minorem accuſare poſſe, apertè colligitur ex l. 14. § 1 & 2. ff. *de Bon. libert.* ubi ſupponitur accuſatio à Minore inſtituta. Exemplo eſt etiam M. Cotta ; qui eo ipſo die quo togam virilem ſumpſit, Carbonem à quo pater ejus damnatus fuerat, accuſavit : Val. Max. V. 4.

(*b*) *Fraus* hîc pro damno accipitur. Vide ſuprà lib. 2. Tit. *de in Jus voc.*

(*c*) Arcentur à tertiâ accuſatione : vide infrà N. 9. Hoc porrò quomodo ad turpem queſtum referri queat, vix poteſt intelligi : niſi dicatur eum qui duos ſimul reos jam accuſatos habet, & tertium poſtulat, hoc ipſo ſuſpectum fieri nimiæ ad accuſandum proclivitatis, & quaſi venalem accuſatorem proſtare. Dion. autem Gothofredus ſic tranſponendum putat : *Alii . . . ut qui nummos ob accuſandum . . . . Item qui duo Judicia, &c.*

(*d*) Id eſt, rem minorem quàm 50. HS. millia : vide ſuprà Tit. *de Bon. lib.* N. 12. Not. & Cujac. Obſerv. XVII 30. Verùm alia fortè Hermogeniani ævo computatio. Utut ſit, hæc fuiſſe videtur ratio Legis ; tum ne infimæ plebis perſonæ, ſuâpte naturâ leviores, in temerarias Accuſationes ultrò proſilirent ; maximè cùm is *Qui nihil habet quod perdat, ejus periculo nihil ſit* : tum fortè quia his ex communi pravitatis ſæculorum opinione minor fides. Quò pertinet illud Juvenalis :

Quantum quiſque ſuâ nummorum ſervat in arcâ,
Tantum habet & fidei. Satyr. III.

(*e*) Quales ſunt cognati uſque ad gradum ſobrinorum, necnon ex ſobrinis nati ; item quidam affines : ſuprà lib. 22. Tit. *de Teſtib.* N. 21. Cæterùm hic videtur eſſe quædam verborum trajectio ; legendumque, *Lege* PUBLICORUM [judiciorum], *teſtimonium &c.*

Source : BIU Cujas

PUBLICORUM invitæ non dicunt. Idem & in Lege Corneliâ teſtamentariâ Senatus ſtatuit. Sed & de teſtamento paterni liberti vel materni, mulieribus publico judicio dicere permiſſum eſt. *l.* 2. PAPIN. LIB. 1. ADULTERIIS.

Hinc Alexander. Uxor tua, ſi conſobrini ſui necem vindicandam exiſtimat, adeat Præſidem provinciæ. *l.* 4. *Cod. de His qui accuſ. non poſſ.*

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. De crimine quod publicorum fuerit judiciorum, mulieri Accuſare non permittitur, niſi certis ex cauſis: id eſt, ſi ſuam ſuorumque perſequatur injuriam (ſecundùm antiqui Juris ſtatuta) tantùm, de quibus ſpecialiter ei conceſſum eſt; non exactâ (*a*) ſubſcriptione. Undè aditus Præſes provinciæ imprimis examinabit, an tale ſit crimen cujus Accuſationem mulier ſubire non prohibeatur. *l.* 12. *Cod. d. tit.*

Diximus mulierem admitti ad Accuſationem, quum conjunctarum ſibi perſonarum injuriam proſequitur. Priùs autem probanda eſt hæc cognatio, quàm admittatur.

Hinc Gordianus. Non ignorat competens judex, eam quæ ultionem & mortem filii perſequi allegat, non temerè ad Accuſationem eſſe admittendam; niſi priùs matrem ſe eſſe probaverit. *l.* 9. *Cod. d. tit.*

V.

Hactenùs de mulieribus. Similiter Pupillis ex conſilio tutorum, patris mortem; item pupillæ, avi ſui mortem exequi conceſſum eſt. Lege autem teſtamentariâ (*b*); nam de patris quidem teſtamento pupillis agere Divus Veſpaſianus permiſit. Sed (*c*) quaſi non exhibeantur tabulæ, per Interdictum poſſunt experiri. *l.* 2. § 1. PAPIN. LIB. 1. DE ADULTER.

§ III.

De his qui Accuſare prohibentur propter infamiam aut delictum, vel ob ſuſpicionem calumniæ turpis-ve quæſtûs.

VI.

Ob infamiam Is qui judicio (*d*) publico damnatus eſt, jus Accuſandi non habet; niſi liberorum, vel patronorum ſuorum mortem eo judicio vel rem ſuam exequatur. Sed & calumniâ notatis jus Accuſandi ademptum eſt. Item his qui cum beſtiis depugnandi causâ in arenam intromiſſi ſunt; qui-ve artem ludicram, vel lenocinium fecerint; qui-ve prævaricationis calumniæ-ve causâ quid feciſſe judicio publico pronuntiatus erit; qui-ve ob Accuſandum, negotium-ve qui faceſſendum, pecuniam accepiſſe judicatus erit. *l.* 4. ULPIAN. LIB. 2. DE ADULTERIIS.

Undè Diocletianus & Maximianus. Criminis Accuſationem inſtituere cum periculo calumniæ, ſi tibi exiſtimatio integra eſt, minimè prohiberis. *l.* 15. *Cod. de His qui Accuſ. non poſſ.*

VII.

Ita demùm autem ob delictum quis Accuſare prohibetur, ſi hujus fuit convictus. Cæterùm Capitis reus, ſuſpenſo crimine, cauſam fiſco deferre non prohibetur. *l.* 21. PAPIN. LIB. 15. RESPONS.

Cæterùm accuſatorem ſuum, ipſe accuſatus, quamvis nondum convictus, Accuſare non poteſt.

Hinc Severus & Antoninus. Priùs eſt uti criminibus quæ tibi ut graviora ab adverſario tuo objiciuntur, cædis atque vulnerum, reſpondeas: & tunc ex eventu cauſæ judex æſtimabit; an tibi permittendum ſit eumdem Accuſare; tametſi prior Inſcriptionem depoſuiſti. *l.* 1. *Cod. de His qui accuſ. non poſſ.*

Item Diocletianus & Maximianus. Neganda eſt accuſatis qui non ſuas ſuorumque injurias exequuntur, licentia criminandi in pari vel minori crimine; priuſquàm ſe crimine quo premuntur, exuerint; ſecundùm ſcita veterum Juris conditorum. Ita tamen ut & ipſi Inſcriptiones contra eos etiam pendente Accuſatione deponere poſſint. *l.* 19. *Cod. d. tit.*

Sic accipe quod ait Ulpianus. Si quis reus factus eſt; purgare ſe debet, nec ante poteſt Accuſare quàm fuerit excuſatus. Conſtitutionibus enim obſervatur, ut non relatione criminum ſed innocentiâ reus purgetur. *l.* 5. *ff. de Publ. jud.* ULPIAN. LIB. 8. DISPUT.

Illud incertum eſt; utrùm ita demùm Accuſare poteſt ſi fuerit liberatus, an & ſi pœnam ſubierit? Eſt enim conſtitutum ab Imperatore noſtro & Divo patre ejus; poſt damnationem, Accuſationem quem inchoare non poſſe. Sed hoc puto ad eos demùm pertinere, qui vel civitatem (*e*) vel libertatem amiſerunt. *d. l.* 5. § 1.

Inchoatas planè (*f*) delationes ante damnationem, implere eis & poſt damnationem permiſſum eſt. *d. l.* 5. § 2.

VIII.

Hactenùs de his qui prohibentur Accuſare propter infamiam aut delictum.

Idem eſt de ſuſpicione calumniæ. Undè Ulpianus. Si tamen alio crimine poſtuletur, ab eodem qui in alio crimine eum calumniatus eſt; puto non facilè admittendum eum qui ſemel calumniatus ſit; quamvis filium Accuſatoris admitti oportere, aliam (*g*) Accuſationem inſtituentem adversùs eum quem pater accuſaverat, Divus Pius Julio-Candido reſcripſit. *l.* 7. § 3. ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONSULIS.

Eâdem ratione: Qui deſtiterit agere, ampliùs & Accuſare prohibetur. *l.* 2. *ff. Ad SC. Turpill.* PAUL. LIB. SING. DE PŒNIS OMNIUM LEGUM.

IX.

Item Lege Juliâ judiciorum publicorum cavetur; Ne eodem tempore de duobus (*h*) reis quis quereretur, niſi ſuarum injuriarum causâ. *l.* 12. § 2. VENULEIUS-SATURN. LIB. 2. DE PUBL. JUDIC.

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Cum rationibus Juris congruit deſiderium tuum; poſtulantis Accuſationem tertiam ei qui duos reos delatos habet, non permitti contra Legis præſcripta: niſi ſuas ſuorumque injurias quis perſequatur. *l.* 16. *Cod. de His qui accuſ. non poſſ.*

§ IV.

De filiis, ſervis, libertis, aliis-ve neceſſitudinibus.

X.

Nullo modo ſervi cum dominis ſuis conſiſtere poſſunt; cùm ne quidem omninò Jure Civili, neque Jure Prætorio, neque extra ordinem computantur: præterquàm quòd favorabiliter Divi Marcus & Commodus reſcripſerunt, quum ſervus quereretur quòd tabulæ teſtamenti, quibus ei data erat libertas, ſupprimerentur; admittendum ad ſuppreſſi teſtamenti Accuſationem. *l.* 7. *ff. de L. Corn. de falſ.* MARC. LIB. 2. INSTIT.

Ampliùs reſcribunt Arcadius & Honorius. Si quis ex familiaribus (*i*): vel ex ſervis cujuſlibet domûs, cujuſcumque criminis delator atque Accuſator emerſerit;

(*a*) Mulieribus enim remittitur ſubſcriptio in crimen, ob fragilitatem ſexûs.

(*b*) Supple, idem probatur; ſcilicet pupillos, quum ſuam injuriam perſequuntur, admitti ad accuſandum ex conſilio tutorum.

(*c*) Cujacius cenſet legendum, *ſed ſi*, &c. Nimirùm Papinianus id probat comparatione ductâ ab Interdicto *De tabulis exhibendis*, quod quaſi populare eſt, & ad quod admittitur pupillus quum id quod ſuâ intereſt, perſequitur; quamvis regulariter populares actiones pupillus non admittatur.

(*d*) Vide ſuprà lib. 3. Tit. *de His qui not. infam.*

(*e*) Qui igitur nec libertatem nec civitatem amiſerunt, poterunt poſt condemnationem, Accuſationem inſtituere; eam ſcilicet quæ ſuam, ſuorumve injuriam perſequeretur, ſi Publico Judicio damnati ſunt: quòd ſi extraordinario & non famoſo Judicio damnati ſunt, quamcumque accuſationem inſtituere poterunt.

(*f*) Quaſi diceret. Illud abſque dubio eſt, poſſe quem *inchoatus*, &c. Quod tamen adhuc accipiendum puto de his qui per damnationem, nec libertatem nec civitatem amiſerunt.

(*g*) De alio crimine. Secùs ſi de eodem: infrà Art. 6.

(*h*) Cujacius Obſerv. VII 12. legendum cenſet *de tribus*, ne pugnet cum l. ſeq. Adſtipulatur & Wiſſembachius.

(*i*) *Familiares* hic intellige eos quos in noſtro famulitio habemus, ſive libertos, ſive alios homines liberos.

Source : BIU Cujas

ejus exiſtimationem, caput, atque fortunas petiturus, cujus familiaritati vel dominio inhæſerit: ante exhibitionem teſtium, atque examinationem judicii, in ipsâ expoſitione criminum, atque Accuſationis exordio, ultore gladio feriatur. Vocem enim funeſtam amputari oportet, potiùs quàm audiri. MAJESTATIS autem crimen tantùm excipimus. *l.* 20. *Cod. de His qui Accuſ. non poſſ.*

Similiter de libertis Honorius & Theodoſius. Si liberti Accuſatores manumiſſorum heredum-ve eſſe præſumpſerint; eodem quo ſervi ſupplicio tenebuntur, luituri pœnas ante prohibitæ delationis exordium. *l.* 21. *Cod. d. tit.*

XI.

Sed nec ei qui ab aliquo educatus eſt, educatorem accuſare permittitur. Undè Diocletianus & Maximianus. Iniquum & longè à ſæculi Noſtri beatitudine eſſe credimus, ut Thaumaſius Accuſandi ejus habeat facultatem, in cujus domo eum [licèt ingenuum] primâ ætate tamen fuiſſe conſtabat. Quare ex nomine Thaumaſii, mentio ſuper conflictu criminis cum Symmacho conquieſcat. Si quam ſanè civilem petitionem idem Thaumaſius ſibi competere confidit; judicio Præſidali poterit experiri. *l.* 17. *Cod. d. tit.*

Iidem de fratre reſcribunt. Si magnum & capitale crimen ac non leve frater contra fratrem ſuum inſtituit; non ſolùm audiendus non eſt, ſed etiam exilii pœnâ plectendus eſt. *l.* 13. *Cod. d. tit.*

Secùs ergo, ſi de levi crimine, id eſt non capitali (*a*) *agatur. Hinc iidem reſcribunt:* Si ſororem tuam leviorum commiſſorum ream facis, Accuſationem non prohiberis exercere in judicio Præſidali; quo temerariè commiſſa congruâ ultione plectantur. *l.* 18. *Cod. d. tit.*

Simili neceſſitudinis ratione, Quæſtori Prætorem ſuum Accuſare non permittebatur; « NE (*inquit Cicero*, Divin. » in Verr.) *libido violandæ neceſſitudinis, auctoritate ju-* » *dicantium comprobaretur.* »

XII.

Igitur liberti, item liberi, parentes patronos-ve non poſſunt Accuſare; nequidem propter propriam injuriam. Poſſunt autem duntaxat civiliter agere.

Hinc Macer. Liberi libertique non ſunt prohibendi, ſuarum rerum defendendarum gratiâ, de facto parentum patronorum-ve queri; veluti ſi dicant, vi ſe à poſſeſſione ab his expulſos; ſcilicet non ut crimen VIS intendant, ſed ut poſſeſſionem recipiant. Nam & filius non quidem prohibitus eſt de facto matris queri, ſi dicat ſuppoſitum ab eâ partum, quo magis coheredem haberet; ſed ream eam Lege Corneliâ facere, permiſſum ei non eſt. *l.* 11. § 1. MACER LIB. 2. DE PUBL. JUDIC.

Conſonat quod reſcribit Alexander. Falſi quidem crimen, vel aliud capitale movere vos matri veſtræ, ſecta mea non patitur: ſed ea res pecuniarium compendium non aufert. Si enim de fide ſcripturæ undè eadem mater veſtra fideicommiſſum ſibi vindicat, dubitatio eſt; inquiri fides veritatis etiam ſine metu criminis poteſt. *l.* 5. *Cod. Ad Leg. Corn. de falſis.*

Contrà, parens filium propter propriam injuriam poteſt Accuſare. Ita enim Diocletianus & Maximianus. Propter inſidias quas tuæ vitæ paratas contendis, Accuſationem apud Præſidem provinciæ contra filium tuum, ſi pietas & ratio naturalis animi tui non revocat intentionem, conſtituere potes. *l.* 14. *Cod. de His qui acc. non poſſ.*

(*a*) Alio ſenſu quandoque LEVE *Crimen* dicitur; id eſt, quod de plano Præſes coercet: infrà Sect. 2*d*.

(*b*) Tum illam quæ ei præfiniebat tempus, tum alteram quâ pronuntiaverat non poſſe eam ampliùs accuſare.

(*c*) Fuit is ſub Tiberio unus ex Senatoribus, *Naturâ bonus*; inquit Dio lib. 57.

§ V.

In quibuſdam criminibus quoſlibet indiſtinctè admitti ad Accuſationem; & aliàs contrà, eum qui regulariter admitteretur, per exceptionem quandoque excludi.

XIII.

Sunt certa crimina in quibus Jure ſingulari admittuntur ad Accuſationem, etiam illi qui regulariter non admitterentur. V. G. Mulierem propter publicam utilitatem ad Annonam pertinentem, audiri à Præfecto Annonæ deferentem Divus Severus & Antoninus reſcripſerunt. Famoſi quoque accuſantes, ſine ullâ dubitatione admittuntur. Milites quoque qui cauſas alienas deferre non poſſunt, qui pro pace excubant, vel magis ad hanc Accuſationem admittendi ſunt. Servi quoque deferentes audiuntur. *l.* 13. MARC. LIB. 1. DE PUBL. JUDIC.

Et quidem etiam dominos ſuos ſervi ex hâc causâ deferre poſſunt; item ex causâ falſæ monetæ, aliiſque ſuprà lib. 4. *Tit.* de Judic. *N.* 16. *pariterque in crimine læſæ majeſtatis, ſuprà N.* 10. *Vide & infrà Tit. IV. N.* 9.

XIV.

Præter ſupràdictos omnes caſus quibus quis ab Accuſatione repellitur regulariter, obſervandum ſupereſt; etiam eum qui jure admitti potuiſſet, excludi propter auctoritatem Sententiæ à quâ non provocavit: ut in ſpecie ſequenti. Quum Titia teſtamentum Gaii fratris ſui falſum arguere minaretur, & ſolemnia Accuſationis non implevit intrà tempus à Præſide præfinitum; Præſes provinciæ iterùm pronuntiavit, non poſſe illam ampliùs de falſo teſtamento dicere. Adversùs quas (*b*) Sententias Titia non provocavit, ſed dixit ſe poſt finitum tempus de irrito teſtamento dicere. Quæro an Titia, quæ non appellavit adversùs Sententiam Præſidis, poſſit ad falſi Accuſationem poſtea reverti? Reſpondit; Nihil apertè proponi, propter quod adversùs Sententiæ auctoritatem de falſo agens audienda ſit. *l.* 18 MODEST. LIB. 17. RESPONS.

(*d*) Hoc Lege Memmiâ cautum, ex Valerio-Max. diſcimus lib. 5. ubi refert M. Antonium, quum Quæſtor in Aſiam profectus jam Brunduſium perveniſſet, litteris acceptis ſe inceſti poſtulatum apud Caſſium Prætorem, in urbem recurriſſe; quamvis id vitare potuiſſet beneficio Legis Memmiæ, quæ vetat recipi nomina eorum qui Republicæ causâ abſunt.

(*e*) Fortè *detrectandæ*, ut infrà.

ARTICULUS II.

Qui Accuſari poſſint necne.

XV.

Hos Accuſare non licèt; Legatum Imperatoris, id eſt Præſidem provinciæ ex ſententiâ Lentuli (*c*) dictâ Sullâ & Trione Conſulibus; item Legatum provincialem, ejus duntaxat criminis quod ante commiſerit quàm in legationem venerit: item Magiſtratum Populi Romani, eum-ve qui Reipublicæ causâ abfuerit (*d*) dum non retractandæ (*e*) Legis causa abeſt. *l.* 12. VENULEIUS-SATURN. LIB. 2. DE PUBL. JUDIC.

Hoc beneficio in reos recepti uti poſſunt, ſi abolitione interveniente repeti ſe non debere contendant; ſecundùm Epiſtolam Divi Hadriani ad Glabrionem Conſulem ſcriptam. *d. l.* 12. § 1.

Vide hâc de re infrà Art. 6.

Quod de abſentibus Reipublicæ causâ dictum eſt, fuſiùs Lege Juliâ declaratur; & ad cætera judicia porrigi poteſt. Nimirùm Legis Juliæ DE ADULTERIIS Capite ſeptimo ita cavetur; « NE quis inter reos referat eum qui tùm, » ſine detrectatione, Reipublicæ causâ aberit. » Neque enim æquum viſum eſt abſentem Reipublicæ causâ inter

Source : BIU Cujas

reos referri, dum Reipublicæ operatur. *l.* 15. § 1. *ff. Ad L. Juliam de adult.* ULP. LIB. 2. DE ADULTER.

Necessariò adjicitur, SINE DETRECTATIONE. Cæterùm si quis evitandi criminis [*Supple*, causâ] id egit ut Reipublicæ causâ abesset, nihil illi commentum hoc proficiat. *d. l.* 15. § 2.

Non ergo sola absentia prohibet aliquem accusari; sed ea sola quæ est Reipublicæ causâ, sine fraude.

Igitur Adultera si posteaquàm crimen contra eam inchoatum est, provinciam excesserit; etiam absentem inter reos recipi posse, explorati Juris est. *l.* 13. *Cod. Ad L. Jul. de Adulter.* ALEXANDER.

Sed nec omnes qui in aliis causis pro absentibus Reipublicæ causâ habentur, prohibentur Accusari. V. G. Quòd si quis præsens sit, vice tamen absentis habetur, ut putà qui in Vigilibus vel Urbanis castris militat; dicendum est deferri hunc posse. Neque enim laborare habet, ut se repræsentet. *l.* 15. § 3. *ff. Ad Leg. Jul. de adulter.* ULP. LIB. 2. DE ADULTER.

Et generaliter dicendum est; Eorum demùm absentiam excusatam esse, qui in aliâ provinciâ Reipublicæ causâ absunt, quàm in eâ in quâ deferuntur. Proindè si quis in provinciâ in quâ agit, adulterium commiserit; Accusari poterit; nisi sit ea persona quæ ad Præsidis cognitionem non pertinet. *d. l.* 15. § 4.

Si quis in honore ministerio-ve publico sit, reus quidem postulatur, sed differtur ejus Accusatio; & cautione JUDICIO SISTENDI causâ, promittitur in finem honoris. Et hoc ita Tiberius-Cæsar rescripsit. *l.* 38. § *fin. ff. d. tit.* PAPIN. LIB. 36. QUÆST.

X V I.

Vidimus qui Accusari non possint, Cæteræ personæ Accusari possunt: & quidem liberi homines, indistinctè.

Omnibus autem Legibus servi rei fiunt, exceptâ Lege Juliâ DE VI PRIVATA: quia eâ Lege damnati partis tertiæ bonorum publicatione puniuntur; quæ pœna in servum non cadit. Idemque dicendum est in cæteris Legibus quibus pecuniaria pœna irrogatur; vel etiam capitis (*a*) quæ servorum pœnis non convenit, sicuti relegatio. Item nec Lex Pompeia PARRICIDII (*b*): quoniam Caput primum eos adprehendit, qui parentes cognatos-ve aut patronos occiderint; quæ in servos; quantùm ad verba pertinet, non cadunt. Sed cùm natura est communis, similiter & in eos animadvertetur. Item Corneliâ Injuriarum servum non debere recipi reum, Cornelius-Sulla auctor fuit: sed durior ei pœna extra ordinem imminebit. *l.* 12. § 4. VENUL. SATURN. LIB. 2. DE PUBL. JUDIC.

ARTICULUS III.

Apud quem Magistratum Accusatio sit instituenda.

X V I I.

Romæ, initio publica judicia exercebant Reges ipsi. Hoc de Romulo testatur Dionysius. Halicarn. I. 1. *Tullus autem Hostilius Duumviros creaverat qui de perduellione judicarent, à quibus provocatio esset ad Populum. At Tarquinius-Superbus, ut metum pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum sine Consiliis per se solus exercebat.* Liv. *lib.* 1.

Exactis Regibus, Consules qui in Regum locum successerant Quæstionibus criminalibus præfuerunt. Nemo enim nescit Junium-Brutum primum Consulem, de conjuratione nobilium adolescentium qui Tarquinium in Urbem revocare tentaverant, quæstionem habuisse, & de conjuratis ultimum sumpsisse supplicium.

Hæc potestas Consulum non diù duravit. Nam quum eodem anno Valerius-Publicola Legem de PROVOCATIONE *tulisset; invaluit postea ut Consul de capite civis, injussu Populi non quæreret; verùm illi soli quos Populus huic negotio præficeret, qui* QUÆSTORES PARRICIDII *appellati sunt. Constituebantur autem isti Quæstores, prout res poscebat; ut videre est apud Livium. Scilicet fieri solebat SCtum, ut de quæstione instituendâ Tribuni ad plebem ferrent. Consentiente aut suffragante plebe, negotium quærendi de crimine, vel Populus, vel jussu Populi, Senatus, alicui mandabat; modò ipsis Consulibus, ut quæstio de Posthumianâ cæde (Liv. IV* 51.*); modò uni ex Prætoribus, ut quæstio de pecuniâ ab Antiocho Rege coactâ, & non relatâ in publicum (Liv. XXXVIII* 54.*); modò eâ de re Dictator dicebatur. Lib. IX* 26.

Anno autem U. C. 604. *Mario-Censorino & M. Manilio Consulibus, perpetuæ Quæstiones esse cæperunt. Cùm enim eo anno L. Piso Tribunus plebis Legem* DE REPETUNDIS *tulisset (teste Cicerone in* Brut. *n.* 27.*) id quoque Legi addidit ut singularis Prætor de eo crimine quæreret. Similes Leges postea factæ sunt,* DE PECULATU, DE MAJESTATE, DE AMBITU: *& sic esse cœperunt quatuor, ex Lege cuique singulari, Perpetuæ Quæstiones* (*c*).

Hinc factum est ut tota ratio Prætoriæ sortitionis mutaretur. Nam ante constitutas has Quæstiones, postquàm duo ex Prætoribus, domi Urbanam & Peregrinam jurisdictionem sortiti essent; reliqui quatuor Prætores, provincias foris gubernandas sortiebantur. Ab hoc verò tempore, duas Urbanas jurisdictiones, & quatuor Quæstiones, sortiri Prætores cœperunt: Prætura verò Romæ actâ, in provincias sorte ductas cum PRO PRÆTORIS *titulo iverunt.*

Demùm Publius-Cornelius-Sylla Dictator, quatuor alias Quæstiones totidemque Prætores adjecit: ut vid. suprà lib. 1. *Tit.* de Orig. jur. *N.* 22.

Interdum tamen & post perpetuas Quæstiones institutas, evenit ut Quæstiones quorumdam criminum, non ab his ordinariis Quæsitoribus fierent; sed Plebiscito aut Senatusconsulto, extrà ordinem ut antea, aut Consulibus aut aliis Magistratibus aut etiam privatis hominibus demandarentur (*d*)*: sive ob singularem criminis atrocitatem, sive quòd ea criminis species esset de quo non erat quæstio ordinaria instituta.*

Eversâ Republicâ, Quæstiones illæ ordinariæ sensim exoleverunt; & Jure Pandectarum, non jam apud proprios Quæsitores sed Romæ apud Præfectum Urbi, in provinciis apud earum Rectores, crimina vindicantur.

Minoribus autem Magistratibus (qualis erat V. G. in Urbe, Præfectus Vigilum) hæc potestas omninò denegatur, graviùs scilicet quidquam statuendi in liberos homines (*e*)*. At verò, etiamsi servus sit qui crimen admisit;* Magistratibus municipalibus supplicium à servo sumere non licet: modica autem castigatio eis non est deneganda. *l.* 12. *ff. de Jurisdict.* ULP. LIB. 18. AD ED.

X V I I I.

Is autem Magistratus de crimine cognoscit, in cujus territorio commissum est.

Et quidem Alterius provinciæ reus apud eos Accusatur & damnatur, apud quos crimen contractum ostenditur. Quod etiam in militibus esse observandum, optimi Principes nostri generaliter rescripserunt. *l. fin.* PAPIN. LIB. 16. RESPONS.

Scilicet, si non de militari delicto agatur. Nam V. G.

(*a*) Pœna *Capitalis* hîc largissimè sumitur, pro omni pœnâ quæ aut statum publicum tollit omninò, aut ei detrahit; id est, non solùm eâ quæ continet capitis diminutionem, sed & eâ quæ infamiam. Neutra in servos cadit, qui statu publico carent.

(*b*) Supple, locum habere videtur in servis.

(*c*) *Perpetuam quæstionem* Lex facere dicitur, quum jubet ut Prætori in singulos annos ea Quæstio mandetur: putà his verbis, PRÆTORI DE EA RE QUÆSTIO ESTO; vel his, PRÆTOR QUI EX HAC LEGE QUÆRERET, FACITO UT, &c.

(*d*) Sic anno 611. Plebiscito à P. Scævolâ Tribuno plebis lato, quæstio extra ordinem decreta est Cn. Cæpioni Consuli; de L. Tubulo, qui Prætor quum quæstionem DE *Sicariis* exerceret, pecuniam ob rem judicandam acceperat, Cic. *de Finib.* lib. 2. Sic quoque anno 615. D. Brutus & P. Scipio Consules, ex Senatusconsulto quæstionem de cæde factâ in Sylvâ Scambiâ exercuerunt: Cic. in *Bruto.* Similiter anno 639. L. Cassio quæstio demandata est de incestu Vestalium. Sic denique celeberrima illa quæstio de cæde Clodii contra Milonem [quem Tullius defendit], non ex Lege Corneliâ ab ordinario Prætore facta est, sed L. Domitio viro Consulari extra ordinem decreta est, teste Asconio.

(*e*) Vide *l.* 15. *de Cond. causâ dat.* suprà lib. 12. *d. tit.* N. 17. in Notis.

Source : BIU Cujas

Deſertorem, auditum, ad ſuum ducem cum elogio Præſes mittet; præterquàm ſi quid gravius ille deſertor, in eâ provinciâ in quâ repertus eſt, admiſerit. Ibi enim eum plecti pœnâ debere ubi facinus admiſſum eſt, Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt. *l.* 3. *ff. de Re militari.* MODESTIN. LIB. 4. DE PŒNIS.

Juxta hanc diſtinctionem accipe quod refert Saturninus. De militibus ita ſervatur; ut ad eum remittantur, ſi quid deliquerint, ſub quo militabunt. Is autem qui exercitum accipit, etiam jus animadvertendi in milites caligatos habet. *l.* 9. *ff. de Cuſtod. reorum.* VENULEIUS-SATURN. LIB. I. DE OFFIC. PROCONS.

Sed nec Senatores ex crimine conventi, FORI *præſcriptionem habent.* Omnem enim hujuſmodi honorem, reatus excludit; *inquit Conſtantinus. l.* 1. *Cod.* Ubi Senator.

XIX.

Præſes provinciæ in quâ admiſſum eſt delictum, de eo cognoſcit, non ſolùm quum reus ibi apprehenditur, ſed & ſi alibi degat.

Enimverò Solent Præſides provinciarum in quibus delictum eſt, ſcribere ad collegas ſuos ubi factores (*a*) agere dicuntur, & deſiderare ut cum proſecutoribus (*b*) ad ſe remittantur. Et id quoque quibuſdam Reſcriptis declaratur. *l.* 7. *ff. de Cuſtod. reor.* MACER LIB. 2. DE OFFIC. PRÆSID.

Et quod dicimus, eò loci ubi delictum eſt, reum accuſari; etiam in ſervis obtinere voluit Divus Pius. Nam Idem Imperator reſcripſit; Servos ibi puniendos, ubi deliquiſſe arguantur: dominumque eorum, ſi velit eos defendere, non poſſe revocare in provinciam ſuam; ſed ibi oportere defendere, ubi deliquerint. *l.* 7. § 4. ULPIAN. LIB. 7. DE. OFFIC. PROCONS.

XX.

Quid ſi in diverſis provinciis diverſa crimina admiſſa ſunt? Et quidem Quum ſacrilegium admiſſum eſſet in aliquâ provinciâ, deinde in aliâ minus crimen, Divus Pius Pontio-Proculo reſcripſit; Poſtquàm cognoverit de crimine in ſuâ provinciâ admiſſo, ut reum in eam provinciam remitteret ubi ſacrilegium admiſit. *d. l.* 7. § 5.

XXI.

Interdum judex provinciæ in quâ agitur & ubi delictum admiſſum eſt, ad judicem provinciæ remittit ex quâ reus eſt oriundus.

Hoc docet Celſus, de cætero ſupràdictis conſonans. Etenim (*inquit*) Non eſt dubium quin, cujuſcumque eſt provinciæ homo qui ex cuſtodiâ producitur, cognoſcere debeat is qui ei provinciæ præeſt in quâ provinciâ agitur. *l.* 11. *ff. de Cuſtod. reor.* CELSUS LIB. 37. DIGEST.

At Illud à quibuſdam obſervari ſolet; ut, quum cognovit, & conſtituit, remittat illum cum elogio ad eum qui provinciæ præeſt, undè is homo eſt (*c*). Quod ex causâ faciendum eſt. *d. l.* 11. § 1.

XXII.

Si quos comitum (*d*), vel Legati ſui, reos Proconſul invenerit; utrùm punire eos debeat, an ſucceſſori ſervare, quæri poteſt; Sed multa exſtant exempla, quæ non tantùm officialium ſuorum, nec ſub ſe agentium, verùm ſuos quoque ſervos pœnæ adfecerunt. Quod quidem faciendum eſt, ut exemplo deterriti minùs delinquant. *l.* 6. § 1. *ff. de Pœnis.* ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONSUL.

XXIII.

Ex Conſtitutione Zenonis; perſonæ in eâ enumeratæ, ſummis dignitatibus functæ, non poſſunt Accuſari niſi apud eum judicem qui vice Principis cognoſcit. l. 3. *Cod.* Ubi Senatores &c.

(*a*) Qui fecerunt, qui admiſerunt.
(*b*) Accuſatoribus.
(*c*) Sic Pontius-Pilatus remiſit Dominum Noſtrum J. C. ad Herodem.
(*d*) Adſeſſorum. Cujac. Obſerv. VII 21.
(*e*) Et quidem abſens recipi poteſt: ſuprà N. 15.
(*f*) Wiſſenbachius tamen contra hunc textum cenſet, ne in capitalibus quidem cauſis procuratorem admitti ad defendendum reum; & hanc legem cum ſequenti, non de verâ ac plenariâ defenſione accipiendam [*de la défenſe au fond*], ſed de eâ excuſationis ſpecie quâ cauſæ abſentiæ allegantur.
(*g*) Regulariter in capitalibus abſens damnari non poteſt: infrà, Tit. *de Requir. reis.* N. 2. Interdum tamen poteſt, ut is qui crimine caſtrati hominis poſtulatur. Tit. *ad L. Cornel. de Sicar.* N. 4. ex l. 4. § 2.
(*h*) Wiſſenbachius vult legendum *abſentiam.*

ARTICULUS IV.

An per procuratores Accuſare quis aut defendi in publicis judiciis poſſit.

§ I.

Regula generalis.

XXIV.

Ad crimen judicii publici perſequendum, fruſtrà procurator intervenit; multòque magis ad defendendum. Sed excuſationes abſentium, ex Senatûſconſulto judicibus allegantur; &, ſi juſtam rationem habeant, Sententia differetur. *l.* 13. § 1. *ff. de Publ. judic.* PAPINIAN. LIB. 15. RESPONS.

Hinc V. G. Ea quæ inter reas adulterii recepta eſſet (*e*), abſens defendi non poteſt. *l.* 11. § 2. *ff. Ad Leg. Jul. de adulter.* PAPIN. LIB. SING. DE ADULTERIIS.

Et quidem eâ in re differunt publica judicia, ab actionibus civilibus quæ ex delictis deſcendunt. Quod diſcrimen notat Antoninus, qui ſic reſcribit: Si ab Æliano ſervum tuum ſuſceptum & aliquandiù occultatum, moxque eo ſuadente fugæ datum probare potes: Legis Fabiæ crimen, per te; vel actionem ad eam rem propoſitam, id eſt SERVI CORRUPTI, per procuratorem tuum perſequi potes. *l.* 2. *Cod. Ad Leg. Fabiam de plagiariis.*

Hoc obtinet, cujuſcumque dignitatis fuerit reus aut Accuſator.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Tunc convenit potentiores viros adeſſe judiciis, cùm eorum præſentiam in criminibus publicis per inſcriptionem cauſa depoſcat. Licèt in pecuniaris cauſis per procuratores litem ſuſtineant. *l.* 15. *Cod. de Accuſat. & inſcript.*

Item obtinet, tam in causâ appellationis quàm in principali. Meritum appellationis cauſæ capitalis, & ipſam rationem ſtatûs, nonniſi per noſmetipſos proſequi poſſumus. Nemo enim abſens aut duci in ſervitutem poteſt, aut damnari. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 34. § 1.

Juſtinianus huic Juri derogavit; conſtituendo ut is qui ex libertate in ſervitutem vocatur, poſſit dare procuratorem. l. 1. *Cod. de* Aſſert. toll. *ut vid. ſuprà lib.* 40. *Tit.* de Liberal. causâ.

§ II.

Quas exceptiones patiatur Regula ſuprà dicta.

XXV.

Primam exceptionem ratio humanitatis admiſit; ſi capitale eſt judicium quo abſens quis Accuſatur.

Ergo Reos capitalium criminum abſentes, etiam per procuratorem defendi, Leges publicorum judiciorum permittunt. *l.* 3. *Cod. h. tit.* ALEXANDER.

Hinc Ulpianus. Publicè utile eſt, abſentes à quibuſcumque defendi. Nam & in capitalibus judiciis defenſio (*f*) datur. Ubicumque itaque abſens quis damnari poteſt (*g*); ibi quemvis verba pro eo facientem, & innocentiam (*h*) excuſantem audiri æquum eſt, & ordinarium admittere. Quod ex Reſcripto Imperatoris noſtri apparet. *l.* 33. § 2. *ff. de Procurat.* ULP. LIB. 9. AD ED.

XXVI.

Secunda exceptio eſt, quum ſervus accuſatur. Nam Si cuidam crimini obnoxius ſervus poſtulatur, dominus

eum

eum defendere poteſt, in judicio ſiſtere Accuſatoris intentionibus reſponſurum. Poſt probationem autem criminis, non ipſe dominus, ſed ſervus pro ſuo delicto condemnationem ſuſtineat. Ideò enim ſervum ſuum domino defendere permiſſum eſt, ut pro eo poſſit competentes allegationes offerre. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Quinimò Servus, etiam per procuratorem domini, æquè ac per dominum, defendi poteſt. *l.* 11. *ff. de Publ. judic.* MARCIAN. LIB. 10. DE JUDIC. PUBL.

Obſervandum quòd, Si ſervum dominus in crimine capitali defendat, ſiſtendum ſatiſdatò promittere jubetur. *l.* 17. MODESTIN. LIB. 6. DIFFERENT.

Quòd Si non defendantur ſervi à dominis, non utique ſtatim ad ſupplicium deducuntur; ſed permittetur eis defendi vel ab alio : & qui cognoſcit, debebit de innocentiâ eorum quærere. *l.* 19. *ff. de Pœnis.* ULP. LIB. 57. AD ED.

XXVII.

Duos alios caſus refert Paulus in quibus procurator admittitur in criminali causâ. Ita ille :

Neque Accuſator per alium Accuſare, neque reus per alium defendi poteſt; niſi ingratum libertum patronus accuſat, aut rei abſentia defendatur. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 16. § 11. (*Edit. Schulting.*)

Similiter Ulpianus de Accuſatione ingrati liberti ait: Patronus libertum, & per procuratorem, ut ingratum accuſare poteſt; & libertus per procuratorem reſpondere. *l.* 35. § 1. *ff. de Procurat.* ULP. LIB. 9. AD ED.

Nam Per procuratorem, ingratum libertum poſſe argui, Divus Severus & Antoninus reſcripſerunt. *l.* 4. *ff. de Obſeq. parent. & patr.* MARCIAN. LIB. 2. PUBLICOR. JUDICIORUM.

Quod ad alterum caſum attinet; Abſens reus, cauſas abſentiæ per procuratorem reddere poteſt. *l.* 71. *ff. de Procurat.* PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Pariter Papinianus. Inter Accuſatorem & reum cognitione ſuſceptâ (*a*), excuſatio pro abſente (*b*) juſtis rationibus admittitur : nec per triduum (*c*) per ſingulos dies ter citatus reus damnetur (*d*); vel de Accuſatoris abſentis, præſente reo, calumniâ pronuntietur. *l.* 10. *ff. de Publ. jud.* PAPIN. LIB. 2. DEFINIT.

ARTICULUS V.

Quis ordo fuerit Accuſationis inſtituendæ, & peragendæ; item Sententiæ ferendæ in publicis judiciis.

Publica judicia vel apud Prætorem publicæ Quæſtioni præpoſitum, vel apud ipſum Populum per Tribus aut Centurias congregatum, exercebantur.

§ I.

De judiciis publicis quæ apud Prætorem exercebantur.

XXVIII.

Publicorum judiciorum qui Romæ apud Prætorem exercebantur, is ordo fuit. (Idem probabiliter obſervatus, etiam in Provinciis apud Præſides : hi ſiquidem juriſdictionem Prætoriam exercebant, & eodem modo; cùm Edicta Provincialia ex urbanis ferè ad verbum per omnia tranſlata ſint).

Qui aliquem Accuſare volebat, eum vocabat in Jus perindè ac in judiciis civilibus (*e*). *Deinde Prætorem ad quem hujus judicii quæſtio pertineret, adibat; poſtulabatque ut nomen deferre* (*f*) *ſeu Accuſare liceret : quæ poſtulatio etiam abſente* (*g*) *reo fieri poterat.*

Si unus erat qui hoc poſtularet, hoc ei permittebatur; niſi ex his eſſet qui Accuſare non poſſunt : de quâ re, ſuprà Art. 1.

Quòd Si plures exiſtant qui eum in publicis judiciis Accuſare volunt, judex eligere debet eum qui Accuſet; cauſâ ſcilicet cognitâ, æſtimatis Accuſatorum perſonis, vel de dignitate, vel ex eo quod intereſt, vel ætate, vel moribus, vel aliâ juſtâ de cauſâ. *l.* 16. ULP. LIB. 2. DE OFFIC. CONSULIS.

Hæc cauſæ cognitio, dicebatur DIVINATIO (*h*)*: quam ita dictam refert Gellius lib.* 4. *quoniam in hoc genere cauſæ (ſcilicet quum plures Accuſare volunt) reus quidem jam eſt; ſed Accuſatore nondum electo, adhuc latet & quaſi Divinatione ſupplendum eſt, quiſnam ſit Accuſator futurus; maximè cùm ſæpiùs in hâc re parva admodùm & exilia ſint quibus moveri judex poſſit ad eligendum, quinam magis ad Accuſandum idoneus ſit, ut in eo munere præferri debeat.*

XXIX.

Die conſtitutâ reus & Accuſator ante Prætorem ſe ſiſtebant. Accuſator de calumniâ jurabat (*i*), *nomenque rei deferebat.*

Hæc autem nominis delatio ſic fiebat : in Jus vocatus Accuſatorem interrogabat quid vellet (*k*). *Tunc Accuſator exponebat* (*l*) *crimen quod illi objiciebat. Si interrogatus tacuiſſet, lis ei æſtimabatur ut convicto. Sin; Accuſator petebat à Prætore nomen inter reos recipi, id eſt, referri in Acta inter reos à Scribâ. Simul libellum Prætori offerebat quo illud idem quod jam voce expreſſerat, contineretur; & quo ſe ad pœnam talionis obſtringeret, ſi non probaſſet.*

Libellorum inſcriptionis conceptio talis eſt :

CONSUL ET DIES.

Apud illum Prætorem vel Proconſulem Lucius-Titius profeſſus eſt ſe Mæviam Lege Juliâ DE ADULTERIIS ream deferre : quòd dicat eam cum Gaio Seio in civitate illâ, domo illius, menſe illo, Conſulibus illis, adulterium commiſiſſe. Utique enim & locus deſignandus eſt in quo adulterium commiſſum eſt, & perſona cum quâ admiſſum dicitur, & menſis. Hoc enim Lege Juliâ PUBLICORUM cavetur; & generaliter præcipitur omnibus qui reum aliquem deferunt. Neque autem diem, neque horam, invitus comprehendat. *l.* 3. PAUL. LIB. 3. DE ADULTER.

Sed & ſi aliud crimen objiciat; veluti, quòd domum ſuam præbuit ut ſtuprum materfamilias pateretur, quòd adulterum deprehenſum dimiſerit, quòd pretium pro comperto ſtupro acceperit; & ſi quid ſimile, idipſum libellis comprehendendum erit. *d. l.* 3. § 3.

Item ſubſcribere debebit is qui dat libellos, ſe profeſſum eſſe; vel alius pro eo, ſi litteras neſciat. *d. l.* 3. § 2.

Quæ omnia circa libelli formam exactiſſimè obſervanda erant. Quòd ſi libelli inſcriptionum, legitimè ordinati non fuerint; rei nomen aboletur, & ex integro repetendi reum (*m*) poteſtas fiet. *d. l.* 3. § 1.

Cæterùm re integrâ poteſt Accuſator emendare libellum.

Hinc Modeſtinus. Accuſaturus adulterii, ſi quid circa

(*a*) Id eſt, lite conteſtatâ.

(*b*) Sive reo ſive accuſatore.

(*c*) Cujacius Obſerv. XX 11. legit NE *per triduum.* Hìc porrò TRIDUUM eſt trinundinum; id eſt per tres dies, non continuos, ſed nono quoque die recurrentes.

(*d*) Abſens ante litem conteſtatam non damnabatur, ſed annotabatur : infrà Tit. *de Requir. reis.* Qui verò poſt litem conteſtatam aberat, ſive Accuſator ſive reus, ter à præcone citatus damnabatur; ſcilicet reus, objecti criminis non capitalis; accuſator, calumniæ : niſi juſta cauſa abſentiæ probaretur.

(*e*) Seneca *Contr.* lib. 4. « *Subindè eum ad Prætorem* voco; & poſtulavi ut » Prætor nomen ejus reciperet, Lege inſcripti maleficii.

(*f*) Hæc poſtulatio non eſt confundenda cum ipsâ nominis delatione quam præcedebat. Teſtis Cælius apud Ciceronem : *Illud mihi occurrit, quòd inter* POSTULATIONEM & NOMINIS DELATIONEM *uxor à Dolabellâ diſceſſit.*

(*g*) Sic Valerius-Max. ſuprà N. 15. in Not. ſcribit M. Antonium poſtulatum quum eſſet Brunduſii.

(*h*) Extat celeberrima Oratio Ciceronis *de Divinatione* in Verrem.

(*i*) Livius lib. 44. « *Si velut accuſatores* CALUMNIAM *in eum jurarent, nomen-* » *que deferrent.*

(*k*) Ut in actionibus civilibus, ſuprà lib. 5. Tit. *de Judic.* N. 3. in Not.

(*l*) « REUM FIERI, eſt apud Prætorem Legibus interrogari. Quum in Jus conventum eſſet; dicebat Accuſator reo, AIO TE SPOLIASSE, *&c.* Aſcon. Ped. in *Verr.*

(*m*) Denuò Accuſationem inſtaurandi.

Source : BIU Cujas

Inſcriptionem erraverit, ſi tempora largiantur, emendare non prohibetur, ne cauſa aboleatur. *l.* 35. *ff. Ad Leg. Jul. de Adulter.* MODESTIN. LIB. 8. REGUL.

Huic libello Accuſationis interdum plures ſubſcribebant. Scilicet quum plures ad Accuſandum proſiluerant ; qui ex his vicerat in Divinatione, *& primas in Accuſatione partes obibat,* ACCUSATOR *dicebatur ; cæteri* SUBSCRIPTORES, *ſolebantque Accuſatorem adjuvare* (*a*).

XXX.

Præter libellum Inſcriptionis, cautio inſuper ab Accuſatoribus requirebatur. Cavent itaque ſinguli quod crimen objiciant (*b*), & præterea perſeveraturos ſe in crimine uſque ad Sententiam. *l.* 7. § 1. ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

Hæc cautio dato fidejuſſore interponitur. Hinc Alexander. Qui crimen publicum inſtituere properant; non aliter ad hoc admittantur, niſi priùs Inſcriptionum pagina præceſſerit, & fidejuſſor de exercendâ lite adhibitus fuerit. Sin verò poſt ſatisdationem præſentes non fuerint, Edicto admonendi ſunt ut veniant ad cauſam agendam: &, ſi non adfuerint, non ſolùm extra ordinem æſtimatione judicis puniendi ſunt; ſed etiam ſumptus quos in eam rem, & circa ipſum iter ad litem vocati fecerunt, dependere cogentur. *l.* 3. *Cod. de His qui accuſ. non poſſ.*

XXXI.

Hæ in Delatione nominis partes Accuſatoris erant: Prætoris autem qui quæſtioni præerat, ſtatuere an rei nomen inter reos reciperetur (*c*).

Nomine autem recepto, diem ad judicium conſtituebat; intrà quem reus ad ſe defendendum parare, & patronos conquirere poſſet: qui dies varius erat pro variis Legibus ex quibus fiebat Accuſatio ; in aliis decimus (*d*), *in aliis multò longior.*

Quocircà Paulus. Cogniturum de criminibus Præſidem, oportet ante diem palàm facere cuſtodias ſe auditurum: ne hi qui defendendi ſunt, ſubitis Accuſatorum criminibus opprimantur. Quamvis defenſionem quocumque tempore poſtulante reo, negari non oportet: adeò ut propterea, & differantur (*e*) & proferantur cuſtodiæ. *l.* 18. § 9. *ff. de Quæſtionib.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Jam exindè reus veſtem mutare, ſordidam ſcilicet & obſoletam (*unde* SORDES *pro reatu, &* SORDIDATI *pro reis paſſim accipiuntur*), *barbamque & capillos promittere* (*f*); *& interim patronos conquirere.*

XXXII.

Die ad judicium conſtitutâ; ubi Prætor aſſederat, Accuſatores & reus citabantur. Si defuiſſent Accuſatores, nomen rei eximebatur ex reis (*g*). *Si reus defuiſſet ; pro variâ criminum qualitate, aut abſens damnabatur, aut requirendus annotabatur : de quâ re, infrà Tit.* de Requir. reis.

Ubi autem & Accuſator & reus, patronique, prodierant; primùm de judicibus legendis (*h*) *agebatur : quod negotium mandare ſolebat Prætor illi Magiſtratui qui* JUDEX QUÆSTIONIS *dicebatur, & in his ferè quæ cognitionis ſunt occupatus erat* (*i*).

Porrò legebatur is judicum numerus, qui illâ Lege publici judicii ex quâ agebatur, definitus erat. Hoc fiebat per SORTITIONEM SUBSORTITIONEMQUE, *aut per* EDITIONEM; *prout illis ipſis diverſorum judiciorum Legibus fuerat cautum. In quibuſdam enim «* NECESSE *erat judices conſcribi, » deinde in urnam* SORTITÒ *mitti ; ut de pluribus neceſſa- » rius numerus confici poſſet : pòſt, urnam permitti Accu- » ſatori ac reo ; ut ex illo numero rejiciant quos putaverint » ſibi iniquos aut incommodos fore... Rejectione celebratâ ; » in eorum locum qui rejecti fuerant,* SUBSORTIEBATUR » *Prætor* (i. e. *aut per ſe, aut per* Judicem Quæſtionis » *cui demandaverat*) *alios quibus judicum legitimus nume- » rus compleretur: Aſcon. Ped. in* Verr. *1. » In aliis autem judiciis,* EDITIO *ſic fiebat. Accuſatori nempè licentia concedebatur, ut ipſe eligeret certum numerum judicum : ex quo numero judicum ab Accuſatore electorum, licentia dabatur reo eligendi quos ipſe vellet, intra numerum Lege ſtatutum* (*k*).

Hâc re tranſactâ, judices lecti citabantur & adeſſe tenebantur ; niſi ex juſtâ causâ excuſationem ab eo Magiſtratu qui Quæſtioni præerat, meruiſſent (*l*). *Judicium ſuſcipiebant jurejurando* IN LEGES *interpoſito, ut obſtricti religione judicarent. Et quum juraſſent omnes, ſcilicet præter ipſum Prætorem, nomina eorum libellis comprehenſa in arculâ reponebantur : ne pro ſelectis aliqui ſuppoſiti, corruptiſſimè judicarent ; facilè enim pro veris judicibus improbi ſupponi poterant,* (*inquit Pedian. in* Verr. *1.*) *volente Judice Quæſtionis.*

XXXIII.

Judicio ita conſtituto ; Accuſator per eum dierum numerum quem Accuſatori ad cauſam dicendam Lex publici judicii concedebat, (*quod tempus alii viginti dierum fuiſſe volunt* (*m*), *alii plurium, alii pauciorum*) *; poterat inſtrumenta producere, & teſtes tam ad ipſo quàm à reo rei-ve patronis interrogandos* (*n*) *juramento ante perhibendum teſtimonium præſtito ; & cauſam dicere.*

Res autem variè procedebat. Interdum enim Accuſator primùm cauſam uno contextu orationis dicebat, poſtea teſtes & inſtrumenta ad dictorum probationem producebat. Contrà interdum, primùm interruptam orationem (*o*) *ad ſingulæ cauſæ capita teſtibus & inſtrumentis productis habebat ; deinde alterâ oratione cauſam retractabat, & crimina teſtimoniis confirmata oratoriè amplificabat. Interdum quoque, hoc non arbitrio Accuſatoris relictum ; ſed Lege Quæſtionis quæ exercebatur, definitum erat : ut in Lege Quæſtionis quæ contra Milonem habita eſt, definitum fuerat ut teſtes audirentur priuſquàm cauſa ageretur. Aſcon. in* Milon.

(*a*) Sic in Cornelianâ Pedianus : *Reum Cornelium duo fecerunt ; detulit nomen Publius, ſubſcripſit Caius.* Et in Scaurianâ : *Subſcripſerunt Triario* [accuſatori] *in Scaurum, Marius & Pacuvii fratres.*

(*b*) *Cavent* ſcilicet, crimen *quod objiciunt*, eſſe verum *crimen*, non per calumniam confictum ; *& præterea, &c.*

(*c*) Cælius apud Ciceronem Epiſt. VIII 8. « *Nec Lateranenſis Prætor, poſtu- » lante Pauſaniâ quò ea pecunia perveniſſet,* NOMEN RECIPERE *voluit.*

(*d*) Aſconius in *Cornel.* « DETULIT *nomen Publius, ſubſcripſit Caius : & tùm L. Caius Prætor* DECIMO DIE UT MOS EST *adeſſe juſſiſſet, &c.* » Vide & Ciceronem in *Vatin.* & ſuprà. Aſcon. in *Verr.* 1.

(*e*) Id eſt ; judicium reorum qui in cuſtodiâ ſunt, aut proferatur aut differatur [*avancé ou retardé*], prout ipſis plus minus-ve temporis ad defenſionem ſuam neceſſarium Præſes æſtimaverit.

(*f*) Refert Gellius III. 4. Scipionem-Æmilianum, quum eſſet reus, neque deſiiſſe radi, necnon candidâ veſte uti ; neque fuiſſe ſolito cultu reorum. Idem de Rutilio refert Valerius-Max. VI. 4.

(*g*) « Poſtero die, quum P. Caſſius aſſediſſet, & citati accuſatores non » adeſſent, exemptum eſt nomen de reis Cornelii. » Aſcon. in *Cornel.* in proem.

(*h*) De quibus vide ſuprà *Append.* ad Tit. præced.

(*i*) Conſtat hunc *Judicem Quæſtionis* diverſum fuiſſe ab ipſo Quæſitore ſeu Prætore qui Quæſtioni præerat. Nam in causâ Verris, PRÆTOR M. Glabrio, JUDEX QUÆSTIONIS Q. Curtius ; in causâ Cluentii, PRÆTOR Q. Naſo, JUDEX QUÆSTIONIS Q. Voconius. Cùm porrò Prætor ſeu Quæſitor magis circa ea quæ imperii eſſent verſaretur [ut diſcimus ex Quintil. *Inſtit. Orat.* 8.] ad hujus imperium pertinebat nomen rei recipere, & dare judicium. Judex autem Quæſtionis, ex Prætoris imperio datum judicium exercebat, judices ſortiebatur quibus ipſe præeſſet ; teſtibus audiendis, quæſtionibus habendis, tabulis inſpiciendis vacabat, cæteriſque omnibus quæ cognitionis erant.

Porrò judices Quæſtionum non erant privati, ſed Magiſtratus ; quales erant in civilibus cauſis DECEMVIRI LITIBUS JUDICANDIS : de quibus ſuprà lib. 1. Tit. *de Orig. jur.* Hoc multis probat Sigonius lib. 2. *de Judic.* Cap. 11. & imprimis ex antiquo marmore Caii-Octavii qui pater Auguſti-Cæſaris fuit : ubi inter titulos variorum magiſtratuum quos gradatim geſſit, is legitur : *Cum Toranio* JUDEX QUÆSTIONUM.

(*k*) Sic V. G. ex Lege Serviliâ-Glauciâ centum dabantur ; ex quibus reus eligebat quinquaginta. Vide Sigonium lib. 2. cap. 12. & ibi Fragmentum dictæ Legis Serviliæ.

(*l*) Cicero *Philipp.* V. « *Quæro, ſi Lyciades citatus judex non reſponderit ; » accipiet-ne excuſationem qui Quæſtioni præerit?*

(*m*) Vide Aſcon. Ped. in *Verr. de Præt. urb.*

(*n*) Teſtium duo erant genera, voluntariorum, & eorum quibus judex in publicis judiciis Lege denuntiare ſolet ut teſtimonium perhibeant. Voluntarios tam reus quàm Accuſator producere poterant ; altero teſtium genere uti ſolus Accuſator poterat. Ita Quintillianus *Inſtit. orat.* V. 7. ubi multa videre eſt de arte interrogandi teſtes. Hanc autem ipſam teſtium interrogationem [inquit Aſconius in *Ver. de Præt. urb.*] tenere debemus & Accuſatoris & defenſoris eſſe, & ejus qui producit & ejus contra quam producuntur. Solita erat teſtes interrogandi formula : TE ROGO. Hinc Cicero pro Flacco : *Quid tu iſtum roges, Cæli, quò priuſquàm hoc* [TE ROGO] *dixerit, plura effundat &c.* Sed & aliis formulis eâ de re utebantur ; putà his verbis : QUÆRO &c. VOLO UT MIHI RESPONDEAS : Cicer. in *Vatin.* Teſtes autem in teſtimonio perhibendo ſolebant uti verbo, ARBITROR. Hinc Cicero *Pro Fonteio.* n. 9. *Conſiderati ſſimum noſtræ conſuetudinis,* ARBITROR, *quo nos etiam utimur quum ea dicimus jurati quæ comperta habemus.* Et alibi : *Majores noſtri voluerunt ut qui teſtimonium diceret,* ARBITRARI *ſe diceret etiam quod ipſe vidiſſet.* Cicer. in Lucull.

(*o*) Hoc cauſæ dicendæ modo uſus eſt Cicero in Accuſationibus Verris ; quum prior modus eſſet uſitatior, ut ex ipſo diſcimus in *Verr.* 1. citra fin. & ibi Aſcon.

Source : BIU Cujas

Accusatione perfectâ, patroni defensionem rei aggrediebantur diluendo objecta crimina; & ad hanc rem, si opus esset, testes etiam ex parte suâ producendo. Adhiberi etiam solebant LAUDATORES, *id est summæ auctoritatis viri, qui publicâ laudatione rei periculum sublevarent; & plerùmque decem (a) adhibebantur, aut etiam plures. Quæ laudatio, aut præmittebatur aut innectebatur defensioni, aut eam claudebat.*

Hæc erat PRIMA ACTIO *causæ, quâ perfectâ, Sententia ferebatur; nisi Lex publici judicii ex quâ agebatur, Comperendinationem admitteret.*

Erat autem COMPERENDINATIO, *secunda actio causæ quam perendino die post primam actionem perfectam institui in quibusdam publicis judiciis moris erat: ut obtinuit in Accusatione Verris.*

Inchoabatur (b) hæc altera actio à defensione rei, quam patronus oratione declamatoriâ retractabat; deinde hanc orationem confutabat Accusator.

XXXIV.

Jam verò Sententia hoc modo ferebatur. Postquàm uterque orator se dixisse significasset, hoc verbo ad ultimum ex veteri more prolato, DIXI; *& præco (c) eos* DIXISSE *pronuntiasset; Prætor qui Quæstioni præerat, judicibus singulis tabulas tres dabat, eosque ad consilium mittebat. Harum tabellarum diversæ erant notæ: in unâ, littera C, id est* CONDEMNO; *in 2ª. littera A, id est* ABSOLVO: *3ª. insculpta erat his notis N. L. id est,* NON LIQUET. *Singuli judices unam quam ex his vellent tabellis in urnam conjiciebant; quisque scilicet in urnam sui Ordinis. Ut putà eo tempore quo judices ex tribus Ordinibus selecti judicarent, totidem fuerunt urnæ quot judicum Ordines. Et hoc colligere est ex eo quod scribit Cicero ad Q. fratrem:* « Senatorum urna » copiosè absolvit, Equitum adæquavit, Tribuni Æra» rii condemnârunt. »

Dum judices sententias ferrent, reus & qui pro eo rogabant ad genua judicum se projicere solebant (d).

Latis suffragiis & in urnam conjectis, Prætor tabulas dirimebat; ut numerus absolventium, aut condemnantium, aut ampliantium judicum conciperetur; &, prout plura suadebant suffragia, pronuntiabat aut condemnando aut absolvendo. Formula condemnationis: VIDETUR FECISSE *(passim apud Cicer.) Absolutionis,* NON VIDERI, *Prætextamque ponebat Prætor, ut Sententiam condemnationis pronuntiaret (e). Quandoque nec absolvendo nec condemnando, pronuntiabat* AMPLIUS ESSE COGNOSCENDUM (Un plus amplement informé). *Sic refert Valerius-Max. VIII. 1. causam Cottæ à Scipione Accusati, septies ampliatam; & ad ultimum, octavo judicio Cottam absolutum.*

XXXV.

Observandum superest, quòd Si servus reus postulabitur eadem observanda sunt, quæ si liber esset: ex Senatus-Consulto, Cottâ & Messalâ (f) Consulibus. *l.* 12. § 3. VENULEIUS-SAT. LIB. 2. DE JUD. PUBL.

§ II.

De ordine Judiciorum Populi.

XXXVI.

In his agebant, & Accusatoris partibus fungebantur Magistratus; vel majores, ut Consul, Prætor, aut etiam Quæstor (g); vel minores, ut Tribunus plebis, Ædilisve (h). Cùm autem in ordinariis Quæstionibus, Magistratus non nisi post depositum magistratum Accusari possent; contrà in his Populi judiciis, interdum Magistratus in ipso magistratu Accusati fuerunt: ut Scantinius apud Valerium-Maxim. Item L. Flaccus cui, quum Ædilis-Curulis esset, Decianus Tribunus plebis diem dixit. Cic. Pro Flacco.

Is autem horum judiciorum ordo fuit.

I. Magistratus qui aliquem Accusare volebat, Rostra (i) conscendens, & Populo per præconem advocato; palàm testabatur se tali die, de tali crimine, hominem hunc Accusaturum, eique, ut ad audiendam Accusationem adesset, denuntiabat. Hæc actio vocabatur DIEI DICTIO; *Magistratus qui ita agebat,* DIEM DICERE; *& reus cui ita denuntiatum erat,* ADESSE JUSSUS *dicebatur: Liv. XXXVII. 43. Dionys. Halic. lib 7. Cicero* Pro domo.

Die in hunc modum dictâ; rei, sponsores JUDICIO SISTI *dare tenebantur: ni facerent, in carcerem usque ad diem judicii conjiciebantur. Sic Virginius Tribunus plebis Cæsonem-Quintium cui diem capitis dixerat, arripi & in vincula duci jussit: collegæ autem intercesserunt ne in vincula conjiceretur, sed vades pro eo darentur: Liv. lib. 2.*

II. Ubi dies dicta venisset, Accusator Rostris similiter conscensis reum per præconem citabat (k). Quo citato, si abesset, neque ex aliquâ justâ causâ excusatus fuisset; mulcta (l) irrogabatur. Quòd si affuisset reus; tunc Magistratus tribus orationibus (m) per singulos dies habitis reum accusabat, simulque testes & instrumenta producebat. In singulâ autem oratione perorandâ, pœnam mulctam-ve quâ reum dignum judicaret (n) dicebat, in hunc fermè modum: « QUANDO *hæc & illa quæ dixi, feci; ob eas res ego* » *hanc mulctam tibi dico, (vel)* PERDUELLIONEM TIBI » JUDICO. » *Quæ formula* ANQUISITIO *vocabatur; undè* Anquiri pecuniâ, *aut* Anquiri capite, *prout vel mulcta duntaxat, vel pœna capitis irrogabatur (o): neque enim utramque simul conjungi fas erat ex more Majorum (p). Dum hæc agebantur; reus sub Rostris stabat, adolescentium conviciis expositus (q).*

His perfectis orationibus: Magistratus Accusator rogationem scriptam promulgabat, quâ crimen & pœna mulctave comprehenderetur: quæ actio, MULCTÆ (PŒNÆ-VE) IRROGATIO (r) *dicta est; eâdem formulâ concepta, qua ipsa* Anquisitio; *nec ab eâ differebat, nisi quòd hæc voce, illa scripto perageretur. Hæc pœnæ mulctæ-ve irrogatio per trinas nundinas promulgata in Foro manebat, ut Populo nota fieret. Tum tertiis ipsis nundinis, Accusator rursùs Rostra conscendebat; & citato reo Quartam Accusationem instituebat: quam Cicero* Pro domo *n.* 45. TRIUM NUNDINUM *appellat.*

Eâ perfectâ, Magistratus Accusator reo causam dicendi potestatem faciebat. Igitur reus ipse aut ejus patronus, Rostra ascendens orationem habebat; quâ & crimina objecta

(a) Hinc Cicero in *Verrem:* » QUI *decem laudatores dare non potest, honestius* » *est ei nullum dare, quàm illum quasi legitimum numerum consuetudinis non* » *explere.*

(b) Cicero in Verr. *de Præt. Urb.* & ibi Ascon. « SIMUL *Accusator dixerit,* » *respondet primâ actione defensor; & rursùm, comperendinato judicio dicit prior* » *defensor: & defensionem, tanquam duplicem in medio positam obruit ultimus* » *Accusator.*

(c) Ascon. in *Verr.* I circa finem: ubi pro *Prætor*, legendum *Præco* rectè Hotomannus observavit ex illo Ciceronis loco in *Verr.* II *Præco* DIXISSE *pronuntiat.*

(d) Hoc de Scauro eisque qui pro ipso rogabant, refert Asconius in Orat. *Pro Scaur.* circa finem.

(e) Hinc de C. Licinio viro Prætorio, legitur apud Valerium-Max. IX 12. quòd REPETUNDARUM *reus, dum sententiæ dirimerentur in mœntanum conscendit; & cùm M. Ciceronem qui id judicium cogebat,* PRÆTEXTAM PONENTEM *vidisset...* præcluso sibi spiritu *pœnam morte præcurrit.*

(f) Inveniuntur hi Consules sub Tiberio, infrà Tit. *de L. Cornel. de Falsis* N. 3.

(g) *Quæstores Sp. Cassio ob affectatam tyrannidem diem dixerunt.* Liv. II.

(h) Marcellus Ædilis-Curulis, Scantinio Tribuno plebis diem ad populum dixit, quòd filium suum [Marcelli] de Stupro appellasset. Val. Max. VI 1. 7.

(i) [*La Tribune aux harangues*]. Erant ROSTRA, locus eminens in Foro, Hostiliam ante Curiam; sic dictus quòd ibi esset pulpitum ornatum nostris navium quas Romani ab Antiatibus ceperant.

(k) Livius de judicio Q. Scipionis agens: « *Ubi dies*, inquit, *dicta venit,* » *Tribuni in Rostris primâ luce consederunt...* Scribæ, viatores, Tribunos reli» querunt; nec cum eis præter servilem manum & præconem qui reum ex Rostris citabat, quisquam fuit ».

(l) *Quando citatus neque respondit neque excusatus* [malè vulgò *excitatus*] *est, cum ergo unum ovem mulctam dico:* ex Terentio apud Nonium III 153.

(m) Vide infrà N. 37.

(n) Dionysius-Halic. VII 4. de Sicinnio Tribuno plebis qui unà cum collegis accusabat Marcium-Coriolanum ita refert: « Accusationem suam hâc sen» tentiâ clausit; *Capitali Sententiâ à Tribunorum collegio eum damnari*, ob » factam Ædilibus injuriam; quos pridie, jussos à se eum ducere, pulsatos » abegisset ».

(o) Livius XXVI 3. de judicio Cn. Fulvii ita refert: *Bis est* [*accusatus pecuniâque* ANQUISITUM; *tertiò*, testibus datis, cùm jurati permulti dicerent initium fugæ à Prætore [Fulvio] ortum, ira accensa est, ut CAPITE ANQUIRENDUM concio acclamaret... De eodem... quum Tribunus bis *Pecuniâ anquisisset*, tertiò *Capiti se anquirere* diceret &c.

(p) Vide infrà, sup. d. N. 37.

(q) Hinc quum P. Scipioni dies dicta esset, Gracchus Tribunus plebis in intercessione suâ dicebat: « *P. Scipionem sub Rostris stare, & præbere aures* » *adolescentum conviciis, Populo Romano magis deforme quàm ipsi esse.* Livius XXXVIII 52.

(r) Passim apud Ciceronem *Pro Rabir. Pro Mil. Pro domo.*

Source : BIU Cujas

diluëret, productis si opus esset testibus, & sua merita Populo (a) *commendaret. His peractis Magistratus Accusator diem Comitiis edicebat; quibus suprà dictam illam rogationem, quam per tres nundinas promulgatam habuerat, ferret: & quidem si mulcta irrogata fuisset,* TRIBUTA *Comitia: si per duellionem judicaret,* CENTURIATA *Comitia indicebat. Cùm autem nonnisi majores Magistratus Centuriata Comitia indicere possent; si Tribunus plebis per duellionem irrogasset, diem Comitiis Centuriatis à Prætore urbano poscebat: ut de Rutilio Tribuno plebis refert Livius, qui utrique Censori (Tib. Sempronio-Gracchо, & C. Claudio) per duellionem judicare pronuntiavit; diemque Comitiis à C. Sulpitio Prætore Urbano petiit.*

III. Die Comitiis indictâ, Magistratus reum per præconem citabat, & Populum advocabat.

Si reus non adfuisset, per cornicinem in arcem & ante fores (b) *evocabatur; &, si nec tunc affuisset, exilium ei sciscebatur; aut, si jam solum verterat, justum id ei esse exilium jubebatur. Sic apud Livium XXV. 4. Posthumius vadibus datis non affuit, Tribuni vocaverunt plebem quæ ita scivit; « Si M. Posthumius ante Kalendas Maias non » prodiisset, neque excusatus esset;* VIDERI EUM IN » EXILIO ESSE. » *Et contrà (ibid. XXVI. 3.) quum priusquàm dies Comitiorum adesset, Cn. Fulvius Tarquinius abiisset;* ID EI JUSTUM EXILIUM ESSE *scivit plebs.*

Quòd si reus adesset, jubebat Magistratus rogationem per Scribam Populo recitari, & Populum, num eam acciperet, rogabat hâc formulâ: VELITIS JUBEATIS, QUIRITES, UT (*tali homini* AQUA ET IGNI INTERDICATUR (c) *quòd tale crimen fecerit? Tum Populum ad suffragia dimittebat. Et quidem primis temporibus, vivâ voce suffragia ferebantur: verùm anno U. C.* 616. (d) *L. Cassius Tribunus plebis Legem tulit, ut in omnibus judiciis* [*præterquàm perduellionis*] *Populus tabellâ suffragium ferret. Et aliquanto post tempore; ut etiam in judicio perduellionis idem servaretur, Lex à Cælio lata est. Igitur Populus per Tribus, si* TRIBUTA, *aut per Centurias, si* CENTURIATA *Comitia essent, divisus; per pontes ad sepia transibat. Et unusquisque ad caput pontis tabellas accipiens, unam litterâ U inscriptam (id est,* UTI ROGAS) *quæ condemnatoria erat, alteram inscriptam litterâ A quæ erat absolutoria; ad alteram extremitatem pontis, utram mallet tabellam sententiæ suæ indicem custodibus Comitiorum dabat. Quod autem major pars Tribuum aut Centuriarum sciverat, id* POPULI ROMANI *judicium habebatur.*

IV. Observandum superest, reis ad populum factis hæc auxilia suppetiisse. 1°. Ab intercessione scilicet Tribunorum plebis (e), *aut collegæ ejus qui Accusabat; quâ intercessione, ut & singulas actiones, ita etiam & ne Comitia haberentur, prohibere poterant.*

2°. Ab auspiciis, id est aliquo signo de cælo (f) *quo Comitia dissolvebantur.*

3°. Ab excusatione morbi, funeris curandi, exilii voluntarii.

4°. Ab ipso Accusatore, si exorari posset ut desisteret.

Ultimum denique auxilium fuit in supplicationibus, quas reus ejusque necessarii immutato habitu, promissâ barbâ, ad Populum faciebant; unumquemque è plebe in Foro prensantes ac supplicantes ut absolverent.

XXXVII.

Hæc ferè omnia quæcumque de prisco illo ordine judiciorum Populi modò exposuimus, ita breviter complectitur & mori Majorum adscribit Cicero Pro domo *n.* 45. « NAM » *cùm tam moderata (inquit) judicia Populi sint à Majoribus constituta; primùm, ut* NE *pœna capitis cum* » *pecuniâ conjungatur; deinde, ne nisi prædictâ* [*Aliàs* » *productâ*] *die quis accusetur; ut* TER *antè Magistratus* » *accuset, intermissâ die, quàm mulctam irroget aut judi-* » *cet;* QUARTA *sit Accusatio* TRIUM NUNDINUM *præ-* » *dictâ die, quâ die judicium sit futurum: tùm multa etiam* » *ad placandum, atque ad misericordiam, reis concessa* » *sunt; deindè exorabilis Populus, facilis suffragatio pro* » *salute, denique etiam, si qua res illum diem aut auspi-* » *ciis aut excusatione sustulit, tota causa judiciumque* » *sublatum est.* »

§ III.

De novo ordine judiciorum publicorum; & de servatâ temporibus omnibus necessitate INSCRIPTIONIS *seu* Subscriptionis in crimen.

XXXVIII.

Vidimus quis ordo fuerit exercendorum publicorum judiciorum, tum in judiciis Populi, tum apud Magistratus. Hic autem Ordo exercendorum publicorum capitalium in usu esse desiit durante tamen pœnâ Legum, quum extra ordinem crimina probantur. *l.* 8. *ff. de Publ. judic.* PAUL. LIB. SING. DE JUDIC. PUBL.

Verùm hæc pœna postea & ipsa exolevit, substitutis pœnis extraordinariis.

At semper in omnibus criminalibus judiciis, sive antiquo sive novo Jure, & quamvis extra ordinem cognoscatur, debet Accusator libellum porrigere & subscribere in crimen.

Omninò enim, Si cui crimen objiciatur, præcedere debet in crimen subscriptio. Quæ res ad id inventa est, ne facilè quis prosiliat ad Accusationem; cùm sciat inultam sibi Accusationem non futuram. *l.* 7. ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

Indè hunc Inscriptionis morem, qui exolescebat admissâ in ejus locum simplici criminis PROFESSIONE [*id est, nudo sermone & vivâ voce*] *omninò revocat & confirmat Constantinus. l.* 5. Cod. Theod. *h. tit.*

Pariter constituunt Arcadius & Honorius. In causis criminalibus dignum est, ut Inscriptiones præponantur, quæ magnitudinem videlicèt criminis, tempusque designent: ut alterutram partem digna Legum terrere possit auctoritas. Quòd si fuerit statutum fortè contemptum; hi qui ex officio ingrediuntur Secretarium (g) quinque librarum auri condemnatione ferientur. *l.* 16. *Cod. h. tit.*

Idem Honorius & Theodosius rescribunt. Accusationis ordinem jam dudum Legibus institutum servari jubemus: ut quicumque in discrimen capitis accersitur, non statim reus qui Accusari potuit, existimetur; ne subjectam innocentiam feriamus. Sed quisquis ille est qui crimen intendit, in judicium veniat, nomen rei indicet vinculum Inscriptionis arripiat; custodiæ similitudinem (habitâ tamen dignitatis æstimatione) patiatur (h): nec impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cùm calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii. *l.* 17. *Cod. h. tit.*

(a) Vide Orat. Ciceronis *Pro Rabir.*

(b) Varro *de Ling. Lat.* V 9. refert commentarium vetus Anquisitionis M. Sergii Quæstoris, qui capitis accusavit Trogum: in quo sic est.. « *Præconi* » *id imperare oportet*: cornicinem ad privati januam & in arcem mittas; ubi » canat classicum T. Trogo, [malè vulgò *collegas T. Trogi*] & *comitia edicat* » *è Rostris &c.* » Pariter Plutarchus in Gracchis: « *Moris est Romanis, si quis capitis anquisitus non adsit, cornicinem summo mane ad fores ejus venientem classico evocare.*

(c) Solemnis omninò & absolutè necessaria hæc verbi conceptio in præsens aut futurum; non in præteritum, quasi populus nondum rogatus jam jussisset. Hinc de Clodio ita conquæritur Cicero *Pro domo n.* 48. QUID *tulit legum scriptor peritus & callidus! Ut M. Tullio aquâ & igni interdicatur? Non tulit ut interdicatur; Quid ergo?* UT INTERDICTUM SIT. Et infrà n. 51. *Iis verbis scripta est ista proscriptio, ut se ipsâ dissolvat.*

(d) Cicero de Legibus III 16. inter Leges tabellarias Legem Cassiam refert, & latam dicit *Lepido & Mancino Consulibus* qui in Fastis inveniuntur anno 616.

(e) Insignem formulam Decreti octo Tribunorum plebis intercedentium contra irrogationem mulctæ P. Scipioni à Minucio-Augurino Tribuno pleb. vide apud Gellium VII 19.

(f) Sic apud Valerium-Max. VIII 1. 4. Appius Claudius classis ob neglectam religionem amissæ reus ad Populum factus, quum damnationem vitare non posse crederetur; subitò coorti imbris beneficio, periculo liberatus fuit. Aliam enim quæstionem, velut Diis interpellantibus instaurari non placuit.

(g) SECRETARIUM est locus interior Auditorii in quo Magistratus Jus reddebant. Eos autem *qui ex officio ingrediuntur Secretarium*, Jac. Gothofredus ad Tit. Cod. Theod. *de Jurisd. & ubi &c.* interpretatur Officiales qui ad VELUM seu fores Secretarii stantes, in Secretarium introducebant litigatores. Nimirùm Mulcta in eos irrogatur, si quem Accusatorem, priusquam in crimen subscripserit, introduxerint.

(h) Ergo si reus in custodiâ sit, tenetur etiam se in custodiam dare Accusator, nisi conditione suâ aut dignitate excusetur.

Source : BIU Cujas

Ab Inſcriptionis tamen vinculo diſpenſatur maritus aut pater, qui uxorem filiam-ve adulterii accuſat: infrà Tit. ad L. Jul. de adulter.

Idemque dicendum videtur, de cæteris perſonis quibus CALUMNIA *non objicitur; ſuprà lib.* 3. *Tit.* de Calumniat.

XXXIX.

Circa criminalia judicia non prætermittendum eſt 1°. *Quòd, ſi ex eodem facto plura naſcuntur crimina, poſſint plures Accuſationes etiam à diverſis Accuſatoribus inſtitui: de quibus tamen ſimul erit cognoſcendum.*

Hinc Diocletianus & Maximianus. Qui de crimine publico in Accuſationem deductus eſt, ab alio ſuper eodem crimine deferri non poteſt. Si tamen ex eodem facto plurima crimina naſcuntur, & de uno crimine in Accuſationem fuerit deductus; de altero non prohibetur ab alio deferri. Judex autem ſuper utroque crimine audientiam accommodabit. Nec enim licebit ei ſeparatim de uno crimine Sententiam proferre, priuſquàm pleniſſima examinatio ſuper altero quoque crimine fiat. *l.* 9. *Cod. h. tit.*

2°. *Obſervandum etiam; judices quibus criminalis cauſæ cognitio demandata eſt, etiam de pecuniariâ causâ ſi criminali connexa ſit, cognoſcere & ſtatuere poſſe.*

Hinc V. G. Si dicantur termini dejecti, vel exarati; judex qui de crimine cognoſcit, etiam de finibus cognoſcere poteſt. *l.* 4. § 4. *ff. Fin. regund.* PAUL. LIB. 23. AD ED.

ARTICULUS VI.

An ejuſdem criminis Accuſatio bis moveri poſſit.

XL.

Regulariter ejuſdem criminis Accuſatio bis moveri non poteſt, maximè ab eodem Accuſatore. Hinc Paulus: De his criminibus quibus quis abſolutus eſt, ab eo qui accuſavit refricari Accuſatio non poteſt. PAUL. SENT. *lib.* 1. *Tit.* 14. § 6.

Nec ſolùm ſi abſolutio ſecuta ſit; Sed & Accuſationem à quâ diſcedere te profeſſus es, repetere non debes. *l.* 6. *Cod. de His qui accuſ. non poſſ.* ALEXANDER.

Item Valerianus & Gallienus. Si is de quo ſupplicas, contra parentes veſtros deſertam (ut dicis) Accuſationem cœperit perſequi: præſcriptio illi in judicio Præſidis DESTITUTÆ REI poterit opponi. *l.* 4. *Cod. ad SC. Turpill.*

Hoc obtinet, quamvis quis abolitione privatâ interveniente deſiterit.

Hinc circa crimen falſi Papinianus ait: Poſt abolitionem, idem crimen ab eodem in eumdem inſtaurari non poteſt. *l.* 4. § 1. *ff. ad SC. Turpill.* PAPIN. LIB. 15. RESPONS.

Hinc & ſupràdicti Valerianus & Gallienus. Quamvis eum ordinem ſcriptura (*a*) contineat, ut primo abolitio criminis poſceretur, & tunc dehinc omnibus placitis obtemperaretur: non obſervantibus tamen adverſariis pactorum fidem, inſtaurare Accuſationem minimè potes à quâ ipſe deſtitiſti. *l.* 3. *Cod. ad SC. Turpill.*

Item Diocletianus & Maximianus. Præſes provinciæ ſi perſpexerit abolitionem ad omnia crimina quæ mota ſunt pertinentem, à ſe impetratam; ne ſemel finita inſtaurentur, interceſſione auctoritatis ſuæ proſpiciet.

Supplicatione verò porrectâ Nutui Principali (*b*) præfatâ abolitione ſopitum crimen, ab eâdem perſonâ revocari (*c*) poteſt. *l.* 1. *Cod de Abolitionibus.*

Hactenus de ipſo Accuſatore. Sed & ſimiliter (*inquit Paulus*) Filius Accuſatoris, ſi hoc crimen quod pater intendit poſt liberatum reum perſequi velit, Accuſatione removendus eſt. PAUL. SENT. *lib.* 1. *Tit.* 14. § 7.

XLI.

Quid de extraneo? De eo ita Ulpianus: Hiſdem criminibus quibus quis liberatus eſt, non debet Præſes pati eumdem Accuſari; & ita Divus Pius Salvio-Valenti reſcripſit. Sed hoc utrùm ab eodem, an nec ab alio Accuſari poſſit videndum eſt? Et putem, quoniam res inter alios judicatæ alii non præjudicant, ſi is qui nunc Accuſator extitit ſuum dolorem perſequatur, doceatque ignoraſſe ſe Accuſationem ab alio inſtitutam magnâ ex causâ admitti eum ad Accuſationem debere. *l.* 7. § 2. ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

Extra hunc caſum tenenda eſt Regula quam tradit Macer: Ab alio delatum alius deferre non poteſt; ſed eum qui abolitione publicâ vel privatâ (*d*) interveniente, aut deſiſtente Accuſatore, de reis exemptus eſt, alius deferre non prohibetur. *l.* 11. § 2. MACER. LIB. 2. DE PUB. JUDIC.

Pariter Paulus:

Crimen in quo alius deſtitit vel victus receſſit, alius objicere non prohibetur. PAUL. SENT. *lib.* 1. *Tit.* 14. § 8.

Hoc tamen non indiſtinctè tenendum monet Cujacius: ſed ſi alterius Accuſatoris privatim interſit, ut videb. infrà Tit. ad L. Jul. de Adult. *ex l.* 4. § *fin.* d. tit. *vel ſi prior Accuſator prævaricationis convictus fuerit, ut vid. ſuprà Tit.* de Prævaricat.

SECTIO II.

De iis quæ citra ſolemnia in judiciis criminalibus confici poſſunt.

§ I.

De Notoriis.

XLII.

NOTORIA *dicuntur illa judicia* (Procès criminels) *quæ fiunt citra Accuſationis & Inſcriptionis cæterique criminalis ordinis ſolemnia, ex relatione ſeu denuntiatione alicujus ex Officialibus Magiſtratûs, putà Apparitorum vel Irenarcharum.*

Erant autem IRENARCHÆ (*quorum nomen idem ſonat ac* Principes pacis) *hi qui paci ſeu publicæ quieti tutandæ præpoſiti erant; quorum officium erat latrones cæteroſque tranquillitatis publicæ perturbatores apprehendere, eoſque interrogare & cum elogio ad Præſides mittere.*

Cautus tamen debet eſſe Magiſtratus, in fide his relationibus adhibendâ.

Enimverò Divus Hadrianus Julio-Secundo ita reſcripſit: « Et aliàs reſcriptum eſt, non eſſe utique » epiſtolis eorum credendum qui quaſi damnatos ad » Præſidem remiſerint. » Idem de Irenarchis præceptum eſt: quia non omnes ex fide bonâ, elogia (*e*) ſcribere compertum eſt. *l.* 6. *ff. de Cuſtod. reor.* MARCIAN. LIB. 2. DE PUBL. JUDIC.

Sed & Caput Mandatorum extat, quo Divus Pius quum provinciæ Aſiæ præerat, ſub Edicto propoſuit; ut Irenarchæ, quum adprehenderint latrones, interrogent eos de ſociis & receptatoribus; interrogationes litteris incluſas atque obſignatas ad cognitionem Magiſtratûs mittant.

Igitur qui cum elogio mittuntur, ex integro audiendi

(*a*) Cujacius ad h. l. *Scripturam* interpretatur, inſtrumentum conventionis quâ intervenientibus amicis convenit ſub certâ lege aliquod faciendi, ut Accuſator deſiſteret ab Accuſatione, abolitionemque impetraret; & tùm demùm quod ei ob id promiſſum eſſet impleretur.

(*b*) Id eſt, Principi.

(*c*) Ex veniâ Principis, abolitionem abolentis.

(*d*) Abolitio *privata*, eſt venia quam juſtâ de causâ impetrabat Accuſator deſiſtendi ab Accuſatione.

(*e*) *Relations, Rapports.*

Source : BIU Cujas

ſunt, etſi per litteras miſſi fuerint, vel etiam per Irenarchas perducti. Sic & Divus Pius & alii Principes reſcripſerunt; ut etiam de his qui requirendi annotati ſunt, non quaſi pro damnatis, ſed quaſi re integrâ quæratur, ſi quis erit qui eos (*Florent.* eum) arguat. Et ideò quum quis ΑΝΑΚΡΙΣΙΝ [*id eſt, quæſtionem ſeu inquiſitionem*] faceret, juberi oportet venire Irenarcham, & quod ſcripſerit exequi (*a*); & ſi diligenter ac fideliter hoc fecerit, conlaudandum eum; ſi parùm prudenter non exquiſitis argumentis, ſimpliciter denotare Irenarchen minùs retuliſſe; ſed ſi quis malignè interogaſſe aut non dicta retuliſſe pro dictis eum compererit, ut vindicet; in exemplum ne quid & aliud poſtea tale facere moliatur. *d. l.* 6. § 1.

Pariter Paulus: Nuntiatores qui per notoria, indicia (*b*) produnt; notoriis ſuis aſſiſtere jubentur. *l.* 6. § 3. *ff. ad SC. Turpill.* PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Item Gordianus. Ea quidem quæ per Officium (*c*) Præſidibus denuntiantur, & citra ſolemnia Accuſationum poſſe perpendi incognitum non eſt. Verùm ſi falſis necne notoriis (*d*) inſimulatus ſit, perpenſo judicio diſpici debet. *l.* 7. *Cod. h. tit.*

In his porrò notoriis, extrà ordinem cognoſcebat ipſe Magiſtratus, vel pro Tribunali ſi de gravi aliquo crimine ageretur (ut in paſſione D. N. Jeſu-Chriſti factum à Pontio-Pilato, ad denuntiationem Optimatum Judaicæ gentis); vel de plano, ſi de levioribus res eſſet.

(*a*) Id eſt, probare.

(*b*) Ita legendum, *indicia*. Malè in quibuſdam Editionibus *judicia*, ut rectè notat Budæus. *Indicium prodere* eſt crimen arcanum, in medium proferre. NOTORIA hìc ſunt teſtificationis ſeu denuntiationis genus, quod opponitur delationi ſeu Accuſationi ſolemni.

(*c*) Id eſt; per ipſius Officiales, quales erant *Irenarchæ*.

§ II.

De Levibus criminibus.

XLIII.

Generaliter tenendum, quòd Levia crimina audire & diſcutere de plano Proconſulem oportet; vel liberare eos quibus objiciuntur, vel fuſtibus caſtigare, vel flagellis ſervos verberare. *l.* 6. ULP. LIB. 2. DE OFFIC. PROCONS.

§ III.

De Cuſtodiis, *id eſt reis qui in cuſtodiâ ſunt, audiendis & judicandis.*

XLIV.

Cuſtodiæ non ſolùm pro tribunali, ſed & de plano audiri; poſſunt atque damnari (*e*). *l.* 18. § 10. *ff. de Quæſt.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Cæterùm Præſidem Cuſtodias auditurum, tam Clariſſimos viros (*f*) quàm patronos cauſarum (*g*), ſi omnes in civitate provinciæ quam regit, agunt, adhibere debere; & feriatis diebus cuſtodias audire poſſe reſcriptum eſt: ita ut innoxios dimittat (*h*); & nocentes, qui duriore (*Florent.* duriorem animadverſionem) animadverſione indigent, differat. *l.* 12. *ff. de Public. judic.* MODESTIN. LIB. 3. DE PŒNIS.

(*d*) *Si les* INFORMATIONS *ſont vraies.*

(*e*) Scilicet pro modo delicti, ſi leve ſit; ut ſuprà dictum eſt N. 42. in fine. Vide & l. 12. ff. *de Public. jud.* mox ſeq.

(*f*) Conſiliarios ſuos.

(*g*) Advocatos, ſi eorum miniſterio ad reos defendendos ſit opus.

(*h*) Ideòque & feriatis diebus *Cuſtodiæ* audiuntur; cùm nihil minùs differendum ſit, quàm innocentis ab injuſtâ cuſtodiâ dimiſſio.

TITULUS III.

DE CUSTODIA ET EXHIBITIONE REORUM.

TRactationis de Accuſationibus ſequela eſt, ut doceatur quo modo pendente accuſatione Rei Cuſtodiri & Exhiberi debeant.

SECTIO I.

De Cuſtodiâ Reorum.

I.

De Cuſtodiâ Reorum Proconſul æſtimare ſolet, utrùm in carcerem recipienda ſit perſona, an militi tradenda, vel fidejuſſoribus committenda, vel etiam ſibi. Hoc autem vel pro criminis quod objicitur qualitate, vel propter honorem, aut propter ampliſſimas facultates, vel pro innocentiâ perſonæ, vel pro dignitate ejus qui accuſatur, facere ſolet. *l.* 1. ULPIAN. LIB. 2. DE OFFIC. PROCONS.

Hinc apparet quadruplici modo Cuſtodiri Reos. De his porrò quibus ſuamet Cuſtodia traditur, nihil eſt quod dicamus: de tribus aliis ſeparatim agendum.

ARTICULUS I.

De his qui ſunt ſub fidejuſſoribus.

II.

Divus Pius ad Epiſtolam Antiochenſium Græcè reſcripſit, Non eſſe in vincula conjiciendum eum qui fidejuſſores dare paratus eſt: niſi ſi tam grave ſcelus admiſiſſe eum conſtet (*a*), ut neque fidejuſſoribus, neque militibus committi debeat; verùm hanc ipſam carceris pœnam ante ſupplicium ſuſtinere. *l.* 4. ULPIAN. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

III.

Fidejuſſoribus autem acceptis; Si quis reum criminis pro quo ſatiſdedit, non exhibuerit; pœnâ pecuniariâ (*b*) plectitur. Puto tamen, ſi dolo non exhibeat, etiam extrà ordinem eſſe damnandum. Sed ſi neque in cautione neque in Decreto Præſidis certa quantitas comprehenſa eſt, ac ne conſuetudo oſtenditur quæ certam formam habet; Præſes de modo pecuniæ quæ inferri oporteat, ſtatuet. *l.* 4. ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

(*a*) Vel confeſſione, vel publicâ notitiâ in atrocibus.

(*b*) Quæ ultionem & vindictam publicam quodam modo ſupplere poſſit.

ARTICULUS II.

De his qui ſunt ſub militum Cuſtodiâ.

§ I.

Quibus & quot militibus committantur, & de eorum periculo circa Cuſtodias.

IV.

Non eſt facilè tironi Cuſtodia (*c*) credenda. Nam eâ

(*c*) *Cuſtodiæ* hîc & paſſim appellantur, ipſi homines qui cuſtodiendi militibus traditi ſunt.

Source : BIU Cujas

proditâ, is culpæ reus eſt qui eam ei commiſit. *l.* 14. HERENNIUS-MODESTIN. LIB. 4. DE PŒNIS.

Nec uni, ſed duobus Cuſtodia committenda eſt. *d. l.* 14. § 1.

Qui ſi negligentiâ amiſerint; pro modo culpæ, vel caſtigantur, vel militiam mutant. Quòd ſi levis perſona Cuſtodiæ fuit, caſtigati reſtituuntur. Nam ſi miſeratione Cuſtodiam quis miſerit, militiam mutat: fraudulenter autem ſi fuerit verſatus in dimittendâ Cuſtodiâ, vel capite punitur, vel in extremum gradum militiæ datur. Interdum venia datur: nam quum Cuſtodia cum altero cuſtode ſimul fugiſſet, alteri venia data eſt. *d. l.* 14. § 2.

Enimverò non tenebitur miles à commilitone ſuo præcavere.

Sed ſi ſe Cuſtodia interfecerit vel præcipitaverit; militi culpæ adſcribitur, id eſt caſtigabitur. *d. l.* 14. § 3.

Obiter nota. Quòd ſi ipſe cuſtos Cuſtodiam interfecerit, homicidii reus eſt. *d. l.* 14. § 4.

Ergo ſi caſu Cuſtodia defuncta dicitur, teſtationibus id probandum eſt: & ſic venia dabitur. *d. l.* 14. § 5.

V.

Miles cujus culpâ Cuſtodia evaſit, præterquàm quòd extrà ordinem punitur, condemnatur etiam erga eos quorum intererat cuſtodiam non evadere.

V. G. Quòd ſi fugitivum domino reddendum prodiderit; ſi facultates habeat, domino pretium reddere juberi, Saturnius probat. *d. l.* 14. § 7.

Obſervandum quòd Solet præterea, amiſsâ culpâ Cuſtodiâ (ſi tamen interſit eam adprehendi), tempus causâ cognitâ militi dari ad eam requirendam; applicito ei alio milite. *d. l.* 14. § 6.

VI.

Dictis conſonat Calliſtratus; & ſimul docet ea omnia quæcumque diximus de militibus, & de paganis quibus fortè ex circumſtantiis Cuſtodia tradita eſſet, dicta pariter accipi debere. Ita ille:

Milites ſi amiſerint Cuſtodias, ipſi in periculum deducuntur. Nam Divus Hadrianus Statilio-Secundo Legato reſcripſit; Quoties Cuſtodia militibus evaſerit, exquiri oportere, utrùm nimiâ negligentiâ militum evaſerit, an caſu; & utrùm unus ex pluribus, an unà plures: & ita demùm adſiciendos ſupplicio milites, quibus Cuſtodiæ evaſerint, ſi culpa eorum nimia deprehendatur; alioquin pro modo culpæ in eos ſtatuendum.

Salvio quoque Legato Aquitaniæ idem Princeps ſcripſit; in eum qui Cuſtodiam dimiſit, aut ita ſciens habuit ut poſſit Cuſtodia evadere, animadvertendum. Si tamen per vinum aut deſidiam Cuſtodis id evenerit, caſtigandum eum, & in deteriorem militiam dare: ſi verò fortuitò amiſerit, nihil in eum ſtatuendum. *l.* 12. CALLISTRAT. LIB. 5. DE COGNITIONIB.

Quòd Si paganos (*a*) evaſerit Cuſtodia; idem puto exquirendum, quod circa militum perſonas explorandum retuli. *d. l.* 12. § 1.

§ II.

De his qui Cuſtodias eripuerint.

VII.

Qui Cuſtodiam militi proſequenti, magnâ manu excuſſerint; capite puniuntur. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 30. § 2.

(*a*) Cuſtodes datos, loco militum.
(*b*) *Eſpeces de Cages de planches.*
(*c*) Budæus notat, *Cauſam dicere*, nihil aliud eſſe hîc quàm inter eos receptum eſſe. Igitur ſenſus eſt, eum donec reus erit, dùm lis pendebit, vinctum in carcere eſſe debere.
(*d*) De quibus infrà, Tit. *Ad SC. Turpill.*

ARTICULUS III.

De his qui ſunt in carcere ſeu in vinculis.

§ I.

Qui incarcerari debeant, cujus juſſu, & in quâ Cuſtodiâ.

VIII.

Carcerem Romæ primus ædificavit Rex Ancus, imminentem Foro, ad terrorem creſcentis audaciæ. Liv. lib. 1.

Carceris partes erant, ROBUS & TULLIANUM. *De primâ ita Feſtus:* « ROBUS *in carcere dicitur is locus quo* » *præcipitatur maleficiorum genus, quòd ante arcis* (*b*) *robuſ-* » *teis* (*id eſt, ligni rubei coloris*) *includebatur.*

TULLIANUM *ſic dictum à Rege Servio-Tullio, qui hunc locum carceri adjecit. Locus ille* (*auctore Salluſtio*) « *eſt in* » *carcere, ubi paululùm aſcenderis ad lœvam, circiter XII* » *pedes humi depreſſus. Eum muniunt undiquè parietes,* » *atque inſuper camera lapideis fornicibus vincta; ſed inculta,* » *tenebris odore fœda, atque terribilis ejus facies.* » Bell. Catil. *cap.* 40.

Summa carceris & animadverſionis penès Triumviros Capitales, de quibus ſuprà lib. 1. *Tit.* de Orig. Jur. *N.* 21. *Sub his præpoſitus erat cuſtos carceris, qui* COMMENTARIENSIS *dicebatur* (Le Geolier *ou* Concierge). *Valer. Max. V.* 4. 5.

IX.

His præmiſſis, videndum qui incarcerari debeant.

Et quidem Si confeſſus fuerit reus, donec de eo pronuntietur, in vincula publica conjiciendus eſt. *l.* 5. VENUL. SATURN. LIB. 2. DE JUDIC. PUBL.

De iis autem qui non erant confeſſi, generaliter ſancitum eſt, ut Nullus in carcerem priuſquàm convincatur, omninò vinciatur. *l.* 2. *Cod. de Exhib. reis.* GRATIAN. VALENT. ET THEOD.

Itaque aut ſub fidejuſſoribus erant; aut in Cuſtodiis liberis aſſervabantur, ut paſſim ex Livii liquet hiſtoriis. Refert item Salluſtius detectâ conjuratione Catilinæ, Senatum decreviſſe ut conjurati in liberis Cuſtodiis haberentur, Lentulumque P. Lentulo qui tum Ædilis erat, Cethegum Q. Cornificio, Statilium C. Cæſari, Gabinium M. Craſſo, Ceparium Terentio Senatori traditos. Bell. Catil. *cap.* 30.

X.

Hæc de liberis hominibus.

Quòd Si ſervus capitali crimine poſtuletur; Lege Publicorum cavetur, UT ſiſtendum vel ab extero ſatiſdato promittatur. Quòd ſi non defendatur, in vincula publica conjici jubetur; ut ex vinculis cauſam (*c*) dicat. *l.* 2. PAPIN. LIB. 1. DE ADULTER.

Solet itaque tractari; an poſtea domino permittendum ſit, oblatâ ſatiſdatione ſervum ſuum vinculis liberare? Dubitationem auget Edictum Domitiani; quo cautum eſt, Abolitiones Senatuſconſulto (*d*) factas, ad hujuſmodi ſervos non pertinere. Nam & Lex ipſa prohibet eum abſolvi, priuſquàm de eo judicetur. Sed hæc interpretatio perdura, pernimirùm ſevera eſt, in eo cujus dominus abſens fuit, vel quòd per inopiam illo momento temporis ſatiſdationem implere non potuit. Neque enim pro indefenſo derelictus rectè dici poteſt, qui dominum præſentem non habuit, vel habuit paratum defendere, pauperem tamen. Quod utique faciliùs admitti poterit, ſi non poſt longum temporis ſpatium hoc deſideretur. *d. l.* 2. § 1.

Source : BIU Cujas

X I.

Novellâ CXXXIV. Cap. 9. mulieres incarcerari prohibentur : ſed ſi crimen graviſſimum ſit, in monaſterium mittuntur, vel mulieribus publicè cuſtodiendæ traduntur.

X I I.

Cæterùm nemo incarcerari poteſt niſi ex juſſu Magiſtratûs, aut Defenſorum civitatum. l. 22. *Cod.* de Epiſc. aud.

Et quidem in publicam Cuſtodiam incarcerari oportet. Etenim, inquit Juſtinianus, Privatos carceres modis omnibus, in urbibus atque in vicis conſtitui vetamus. *l.* 23. *Cod. h. tit.*

§ I I.

Quæ circa incarceratos obſervari debeant.

X I I I.

Hâc de re plura conſtituerunt poſteriores Imperatores.

Et quidem ex Conſtantini ſanctione, incarcerati debent per diem uſurpatâ luce vegetari; nocte autem, geminatâ Cuſtodiâ in veſtibulis carcerum & locis ſalubribus recipi. Nec duriùs debent tractari : putà non debent manicis ferreis quæ oſſibus inhæreant, ſed longioribus catenis ita ut cruciatio deſit, detineri. l. 1. *Cod.* de Cuſtod. reor.

Idem ſancivit ut mulieres diverſo clauſtrorum tutamine ſeparentur à viris. l. 3. *Cod.* d. tit.

Maximè autem commendatur judicibus, De his quos tenet carcer iucluſos ; ut aut convictos velox pœna ſubducat, aut liberandos Cuſtodia diuturna non maceret. *l.* 5. *Cod. d. tit.*

Eâdem Conſtitutione jubent Gratianus, Valentinianus & Theodoſius. Ut intrà triceſimum diem ſemper Commentarienſis ingerat judici numerum perſonarum, varietatem delictorum ; clauſorum ordines, ætatemque vinctorum. *d. l.* 5. *Cod.* ¶ *jubemus.*

Ex Conſtitutione autem Honorii & Theodoſii ; judices diebus dominicis debent ad ſe produci curare incarceratos, eoſque interrogare, & inquirere an quæ circa eos obſervanda diximus, obſerventur. Epiſcopi autem eâ de re judices monere debent. l. 9. *Cod.* de Epiſc. aud.

§ I I I.

De pœnâ Commentarienſis cujus culpâ incarceratus evaſit, aut incarceratorum qui ipſi per vim vel conſpirationem evadunt.

X I V.

Carceri præpoſitus ſi pretio corruptus, ſine vinculis agere cuſtodiam, venenum-ve in carcerem inferri paſſus eſt ; officio judicis puniendus eſt : ſi neſcit, ob negligentiam removendus eſt officio. *l.* 8. PAUL. LIB. SINGUL. DE PŒNIS MILITUM.

Valentinianus autem, Valens & Gratianus, ſanciunt ut Commentarienſis qui incarceratum evadere paſſus eſt, eâdem pœnâ plectatur quâ plexus fuiſſet is qui evaſit. Eidemque pœnæ ſubjiciunt adjutorem Commentarienſis, quum Commentarienſis abeſt. l. 4. *Cod.* de Cuſtod. reor.

X V.

De his qui carcere effracto evaſerunt, ſumendum ſupplicium, Divi Fratres Æmilio-Tironi reſcripſerunt. Saturninus etiam probat [in] eos qui de carcere eruperunt, ſive effractis foribus, ſive conſpiratione cum cæteris qui in eâdem Cuſtodiâ erant, capite puniendos. Quòd ſi per negligentiam cuſtodum evaſerunt, leviùs puniendos. *l.* 1. *ff. de Effractoribus.* ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

Calliſtratus etiam ait. In eos qui quum recepti eſſent in carcerem, conſpiraverint ut, ruptis vinculis & effracto carcere evadant, ampliùs quàm cauſa ex quâ recepti ſunt repoſcit, conſtituendum eſt. Quamvis innocentes inveniantur ex eo crimine propter quod impacti ſunt in carcere, tamen puniendi ſunt. Eos verò qui conſpirationem eorum detexerint, relevandos. *l.* 13. CALLISTR. LIB. 6. DE COGNITIONIB.

Miles qui ex carcere, dato gladio erupit, pœnâ capitis punitur. Eâdem pœnâ tenetur & qui, cum eo quem cuſtodiebat, deſeruit. *l.* 38. § 11. *ff. de Pœnis.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

§ I V.

De Cuſtodiis non temerè dimittendis.

X V I.

Ne quis receptam Cuſtodiam ſine causâ dimittat ; Mandatis ita cavetur : « Si quos ex his qui in civitatibus » ſunt, celeriter & ſine causâ ſolutos à Magiſtratibus » cognoveris, vinciri jubebis ; & his qui ſolverint » mulctam dices. Nam quum ſcierint ſibi quoque mo» leſtiæ futurum Magiſtratus, ſi facilè ſolverint vinc» tos ; non indifferenter de cætero facient. » *l.* 10. VENULEIUS-SATURNINUS LIB. 2. DE OFFIC. PROCONS.

X V I I.

Ex Conſtitutione Valentiniani, Theodoſii & Arcadii ; omnes incarcerati, etiam non expectato juſſu Principis, debent die Paſchatis dimitti : modò criminis ſemel duntaxat admiſſi rei ſint, & quod non ſit ex numero atrociorum quæ hâc eâdem Conſtitutione recenſentur. l. 3. *Cod.* de Epiſc. aud.

SECTIO II.

De Exhibitione Reorum.

X V I I I.

Poſt inſcriptionem delatoris, ſequitur ut judicis Decreto Reus Exhibeatur accuſatori, ut lis cum eo procedere poſſit.

1°. *Enim* (*inquiunt Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius*) Neminem in judicio Exhibendum eſſe præcipimus, niſi de cujus Exhibitione judex pronuntiaverit. *l.* 3. *Cod. de Exhib. reis.*

2°. *Neque hanc Exhibitionem pronuntiare debet judex, etiamſi Reus præſens ſit, antequàm accuſator ſe inſcripſerit. l.* 11. *& aliis paſſim. Cod. Theod.* de Accuſat.

Imò non ſolùm antequàm exhibeatur reus, ſed & ad accerſendum Ex longinquo ſi quis eſt acciendus ; non priùs inſimulanti (id eſt accuſatori) accommodetur adſenſus, quàm ſolemni lege ſe vinxerit ; & in pœnam reciproci (*a*), ſtylo trepidante recaverit (*b*). *l.* 2. *Cod. de Exhib. & tranſmitt. reis.*

Porrò ei qui ita accerſendus eſt & deducendus, triginta dies conceduntur ad componendos penates. d. l. 2. *Cod.* ¶ ei verò.

X I X.

Quum Reus condictâ die accuſatori ſe Exhibet ; fit litis conteſtatio ſuper crimine de quo poſtulatus eſt. Non poteſt autem tunc ei aliud objici.

Hoc docet Papinianus. Ita ille : Qui Exhibendi poſtulati ſunt propter aliam cauſam : alterius criminis quod antè admiſſum eſt, rei non recipiuntur ex Senatuſconſulto. Quod in privatis quoque cauſis & hominibus ſub fidejuſſore factis obſervatur : niſi ex hoc temporalis actio in periculum cadat. *l.* 2. § 2. PAPIN. LIB. 1. DE ADULTER.

(*a*) Id eſt, Talionis.

(*b*) *Recavere* hîc voce propriâ, id eſt invicem cavere : quod fit per inſcriptionem.

Source : BIU Cujas

TITULUS IV.

AD LEGEM JULIAM MAJESTATIS.

HUcusque de publicis judiciis generaliter actum. In exponendis jam singulis judiciorum publicorum speciebus, Pandectarum ordinatores ordiuntur ab illo quo MAJESTATIS *crimen vindicatur.*

I.

Primus de hoc crimine Legem tulisse videtur Romulus; illam scilicet PRODITIONIS *Legem, quâ etiam eos teneri voluit qui patronos aut clientes prodidissent: cujus pœna erat ut proditor à quovis impunè tanquam Diti sacer occidi & mactari posset.* Dionys. Halic. *II.* 2.

De crimine Majestatis sanxerunt quoque Decemviri. Enimverò Lex Duodecim Tabularum jubet; Eum qui hostem concitaverit, qui-ve civem hosti tradiderit, capite puniri. *l.* 3. MARCIAN. LIB. 14. INSTIT.

De quo vide Commentarium nostrum ad XII Tabulas Tab. IX. cap. 7.

Hanc plures aliæ secutæ sunt Leges. Et 1°. GABINIA; *& ea quidem antiquissima, quâ cautum ut qui coitiones clandestinas in Urbe conflavisset, more Majorum capitali judicio mulctaretur. De hâc quoque vide prædictum Commentarium. d.* Tab. IX. cap. 6.

2°. *Lex* APULEIA, *rogata (ut putat Sigonius) à L. Apuleio-Saturnino Tribuno plebis circa annum ab U. C.* 652. *ut de quâdam seditione quæreretur (a).*

3°. *Lex* VARIA *quam circa annum ab U. C.* 662. *Tribunus plebis Q. Varius-Hybrida (qui per errorem* VALERIUS *apud Appianum appellatur) intercedentibus licèt collegis omnibus tulit; ut quæreretur de his qui sociis Populi Romani ad Reipublicæ administrationem affectantibus clàm-ve palàm-ve favissent. Quæ res bello sociali Italico causam præbuit (b).*

4°. *Lex* CORNELIA *lata à Dictatore Syllâ. Hujus mentio apud Ciceron. in Orat.* in Pison. *& alibi. Varia ejus Capita collegit Sigonius lib II.* de Judiciis.

5°. *Novissima autem Lex* JULIA, *de quâ in hoc Titulo agitur; lata à Julio Cæsare, ut constat ex Ciceronis* Philip. I. *n.* 23.

Circa crimen quod hâc Lege vindicatur, videndum 1°. *Quale sit, & ad quæ facta producatur:* 2°. *Quæ in eo crimine vindicando singulariter observentur:* 3°. *Quæ sit ejus pœna.*

ARTICULUS I.

Quid sit crimen Majestatis, *& ad quæ delicta porrigatur.*

II.

Proximum sacrilegio crimen est, quod MAJESTATIS dicitur. *l.* 1. ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

MAJESTAS *residet propriè in Populo Romano. Hanc* MINUERE *dicitur, qui de dignitate aut amplitudine aut potestate Populi, aut eorum quibus Populus potestatem dedit, aliquid derogat. Cicero lib.* 2. de Invent.

Hoc fit duobus modis: undè exoritur duplex criminis Majestatis species.

Prima est, quæ PERDUELLIO *dicitur; quum quis* HOSTILI ANIMO *in Populum Romanum (vel in Principem in quem Populus Romanus potestatem suam transtulit) animatus est: videlicèt quum qui apud hostes se recipit, vel quum statum publicum in totum vel pro parte (c) evertere, securitatem publicam seditionibus turbare, aut Imperatori vitam Principatum-ve auferre studet.*

Altera species quæ crimen LÆSÆ MAJESTATIS *simpliciter dicitur; quum quis, non habens quidem hunc hostilem animum, tamen audaci aliquo facto potestatem publicam turbat, vel debitam Principi aut Magistratibus venerationem atrociter offendit.*

Hanc hujus-ce criminis in hæc duo præcipua Capita divisionem, nobis suggerit Ulpianus in l. fin. ¶ Planè *h. tit. infrà N.* 12.

§ I.

De Perduellione.

III.

Ad PERDUELLIONEM *pertinent ferè omnes sequentes species, quas ita enumerat idem Ulpianus.*

Majestatis autem crimen illud est, quod adversùs Populum Romanum vel adversùs securitatem committitur: quo tenetur is cujus operâ dolo malo consilium initum erit, quo obsides injussu Principis intercideret (*d*), quo armati homines cum tellis lapidibus-ve in Urbe sint, conveniant-ve adversùs Rempublicam, loca-ve occupentur vel templa; quo-ve cœtus conventus-ve fiat, homines-ve ad seditionem convocentur; cujus-ve operâ, consilio, dolo malo consilium initum erit, quo quis Magistratus Populi Romani, qui-ve imperium potestatem-ve habet, occidatur (*e*); quo-ve quis contra Rempublicam arma ferat, qui-ve hostibus Populi Romani nuntium litteras-ve miserit, signum-ve dederit, fecerit-ve dolo malo quo hostes Populi Romani consilio juventur adversùs Rempublicam; quive milites sollicitaverit concitaverit-ve, quo seditio tumultus-ve adversùs Rempublicam fiat. *l.* 1. § 1. ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

Qui-ve de provinciâ, quum ei successum esset, non discessit (*f*) aut qui exercitum deseruit; vel privatus ad hostes perfugit; qui-ve sciens falsum conscripsit, vel recitaverit in tabulis publicis; nam & hoc, Capite primo Lege MAJESTATIS enumeratur. *l.* 2. IDEM LIB. 8. DISPUTAT.

(*a*) Hujus Legis mentio est apud Ciceronem *de Orator.* II 49. ubi inducitur Antonius Orator clarissimus referens quomodo Norbanum hâc Lege postulatum defenderit: IN *illâ omni defensione*, inquit, *quod esse in arte positum videbatur ut de* LEGE APULEIA *dicerem, ut quid esset* MINUERE MAJESTATEM *explicarem, perquàm breviter perstrinxi atque attigi.* Quænam autem seditio huic Legi causam dederit, præcisè non liquet. Fortè una ex tam multis, quibus idem ipse Tribunus Saturninus locum præbuerat occasione alterius Legis ab ipso latæ DE *agris distribuendis.*

(*b*) Hâc Lege multi nobilissimi cives per calumniam crimine MAJESTATIS postulati sunt; &, aut iniquè damnati, aut sponte in exilium iverunt. Postulatus & M. Scaurus, qui ad accusationem ita respondit: « *Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem Senatûs socios in arma concitasse.. ait: M. Scaurus princeps Senatûs negat. Testis nemo est. Utri, Quirites, convenit vos credere?* Et ita absolutus est. Appian. *de Bell. Civil.* lib. 1. Cicero *pro Cornelio & pro Scauro*, & ibi Ascon. Pedian. Vide & Valer. Max. VIII 6. n. fin.

(*c*) Scio Hotomannum putare, *Perduellem* non esse nisi qui SUMMAM *reipublicæ* labefactare conatur: non quum PARS duntaxat ejus offenditur. Sed magis placuit Jac. Gothofredi sententia, qui tantùm *Ab hostili animo* perduellium æstimat; sive universam Rempublicam, sive partem duntaxat oppugnaverit.

(*d*) Populo Romano pereunt seu *intercidunt* obsides, quum aufugiunt.

(*e*) Per factionem: & pertinet hoc ad securitatem publicam, maximè in provinciis quæ Magistratûs imperio coercentur. Quod autem hîc *Magistratûs* secernitur ab eo qui *Imperium potestatem-ve habet*, pertinet ad illam distinctionem de quâ suprà lib. 1. & lib. 2. passim; quâ *Magistratus Populi Romani* propriè dicti, id est, vel Urbani vel à Senatu in provincias missi, secernuntur à Legatis Cæsari & Præsidibus penès quos *Imperium* duntaxat est & *potestas.*

(*f*) Budæus, DECESSIT. *Decedere* est, cedere ei qui successor missus sit,

Source : BIU Cujas

Item Marcianus. Lex autem Julia MAJESTATIS præcipit, eum qui Majeſtatem publicam læſerit, teneri: qualis eſt ille qui in bellis (*a*) ceſſerit, aut arcem tenuerit, aut caſtra conceſſerit.

Eâdem Lege tenetur, & qui injuſſu Principis bellum geſſerit (*b*), delectum-ve habuerit, exercitum comparaverit; qui-ve quum ei provinciâ ſucceſſum eſſet, exercitum ſucceſſori non tradidit; qui-ve imperium exercitum-ve Populi Romani deſeruerit; qui-ve privatus, pro Poteſtate Magiſtratu-ve quid ſciens dolo malo geſſerit: qui-ve quid eorum quæ ſuprà ſcripta ſunt, facere curaverit. *l.* 3. § 1. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Addit Scævola: Cujuſque dolo malo jurejurando quis adactus eſt, quo adversùs Rempublicam faciat; cujusve dolo malo exercitus Populi Romani in inſidias deductus, hoſtibus-ve proditus erit; factum-ve dolo malo cujus dicetur, quominùs hoſtes in poteſtate Populi Romani veniant; cujus-ve operâ dolo malo hoſtes Populi Romani, commeatu, armis, telis, equis, pecuniâ, aliâ-ve quâ re adjuti erunt; ut-ve ex amicis hoſtes Populi Romani fiant; cujus-ve dolo malo factum erit, quo rex exteræ nationis Populo Romano minùs obtemperet: cujus-ve operâ dolo malo factum erit, quo magis obſides, pecunia, jumenta, hoſtibus Populi Romani dentur adversùs Rempublicam. Item qui confeſſum in (*c*) judicio reum; & propter hoc in vincula conjectum, emiſerit. *l.* 4. SCÆVOLA LIB. 4. REGUL.

Denique Hermogenianus. Majeſtatis crimine accuſari poteſt cujus, ope conſilio, dolo malo, provincia vel civitas hoſtibus prodita eſt. *l.* 10. HERMOGEN. LIB. 6. JURIS EPITOMAR.

IV.

Ex hactenùs dictis liquet, PERDUELLIONIS *crimine maximè teneri proditores & transfugas.*

Porrò Exploratores, qui ſecreta nuntiaverunt hoſtibus, proditores ſunt; & capitis pœnas luunt. *l.* 6. § 4. *ff. de Re militar.* ARRIUS-MENANDER LIB. 3. DE RE MILIT.

Quis autem transfuga habendus eſt? Non is ſolùm qui ad hoſtes pervenit, ſed Et is qui volens transfugere, adprehenſus eſt, capite punitur. *l.* 3. § 11. *ff. d. tit.* MODEST. LIB. 4. DE PŒNIS.

Item Qui captus, quum poterat redire, non rediit; pro transfugâ habetur. Item eum qui in præſidio (*d*) captus eſt, in eâdem conditione eſſe certum eſt. Si tamen ex improviſo, dum iter facit, aut epiſtolam fert, capiatur quis; veniam meretur. *l.* 5. § 5. *ff. d. tit.* ARRIUS-MENANDER LIB. 2. DE RE MILITARI.

§ II.

De crimine quod Læſæ Majeſtatis *ſimpliciter dicitur.*

V.

Ad crimen LÆSÆ MAJESTATIS *ſimpliciter, & quatenùs à* Perduellione *diſtinguitur, pertinere diximus ſi quis audaci aliquo facto poteſtatem publicam turbet.*

Et 1°. *hoc crimen committit, qui Magiſtratui pro magiſtratu ſuo agenti obſiſtit, eumque magiſtratu ſuo fungi prohibet: & id Lege Corneliâ expreſſum fuit.*

Ex hâc causâ C. Claudio & Tito-Graccho Cenſoribus, quòd concionem Tribunis avocaſſent, diem perduellionis dictum fuiſſe refert Livius.

2°. *Hoc pariter crimen committit qui quod publicæ poteſtatis eſt, privatus ſibi arrogat. Hinc ex Conſtitutione Valentiniani & Theodoſii*, Falſæ monetæ rei quos vulgò PARACHARACTAS (*e*) vocant, Majeſtatis crimine tenentur obnoxii. *l.* 9. COD. THEOD. *de Falsâ mon.*

Item Si quis poſthoc reum privato carcere deſtinârit, reus Majeſtatis habeatur. *l. un.* COD. THEOD. *de Priv. carc. cuſtod.*

Idem ſtatuit Zeno circa privatos carceres. l. 1. *Cod.* de Priv. carc. inhib.

3°. *Denique Læſæ Majeſtatis crimen eſt, ſi quis debitam Principi venerationem atrociter offendat.*

Et quidem ſtante Republicâ, Veturium quemdam Patriciæ gentis hominem, vel ex eo ſolo capite damnatum legimus, quòd Tribuno plebis (cujus ſacroſancta poteſtas erat) ambulanti viâ non deceſſiſſet: Plutarch. in GRACCHO. *Quantò magis ſub Imperatoribus, qui & Tribunitiam poteſtatem & cæteros magiſtratus in perſonâ ſuâ complectebantur, reus Majeſtatis eſſe debuit, qui contumelioſus in Principem fuerit? Crimen autem* MAJESTATIS *ex hâc causâ plùs minùs-ve productum eſt, prout proni ad crudelitatem aut ad humanitatem fuerunt Imperatores. Sub Tiberio crudeliſſimo Principe, leviſſima quæque crimini Majeſtatis vertebantur; putà, circa Auguſti ſimulachrum ſervum cæcidiſſe, veſtimenta mutaſſe, nummo vel annulo Cæſaris effigiem impreſſam latrinæ vel lupanari intuliſſe: Sueton. in* TIBERIO, *n.* 58. *Sed hæc magis erant opprimendæ innocentiæ velamenta, quàm verum Majeſtatis crimen.*

VI.

Ex quibus autem admiſſis læſam Principis Majeſtatem exiſtimaverint Juriſconſulti noſtri, jam videndum eſt.

Eâ de re ita Venuleius: Qui ſtatuas aut imagines Imperatoris jam conſecratas conflaverint, aliud-ve quid ſimile admiſerint, Lege Juliâ Majeſtatis tenentur. *l.* 6. VENULEIUS-SATURN. LIB. 2. DE JUDIC. PUBL.

Cæterùm Hoc crimine liberatus eſt à Senatu, qui ſtatuas Imperatoris reprobatas (*f*) conflaverit. *l.* 4. § 1. SCÆVOLA LIB. 4. REGULAR.

Sed & circa eas ſtatuas quæ conſecratæ ſunt; Non contrahit crimen Majeſtatis, qui ſtatuas Cæſaris vetuſtate corruptas reficit. *l.* 5. MARCIAN. LIB. 5. REGUL.

Nec qui lapide jactato incertò, fortuitò ſtatuam attigerit, crimen Majeſtatis commiſit. Et ita Severus & Antoninus Julio-Caſſiano reſcripſerunt. *d. l.* 5. § 1.

Iidem Pontio reſcripſerunt; Non videri contra Majeſtatem fieri, ob imagines Cæſaris nondum conſecratas venditas. *d. l.* 5. § 2.

Videtur quoque contra debitam Principi venerationem facere & Ad ſimilitudinem Læſæ Majeſtatis *punitur qui eas veſtes quæ ſoli* Principi domuique ejus *reſervantur, purpuram ſcilicet & holoſericas* (*g*) *veſtes, habere præſumpſerit. l.* 4. *Cod.* de Veſtib. holober.

Crimini autem Majeſtatis deputari noluit Alexander; quòd quis contra ipſius Leges judicaſſet, aut per ipſum pejeraſſet. Ita enim reſcribit: Etiam ex aliis cauſis, Majeſtatis crimina ceſſant meo (*h*) ſæculo: nedum etiam admittam te paratum accuſare judicem propterea crimine Majeſtatis, quòd contra Conſtitutionem meam eum dicis pronuntiaſſe. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

(*a*) Idem Budæus legit: IMBELLIS *ceſſerit, aut arcem* NON *tenuerit.*

(*b*) Cicero *in Piſon.* n. 21. de Gabinio Proconſule Syriæ ita loquitur: » *Exercitum eduxit è Syriâ, tribuit ſe mercenarium comitem regi Alexandrino... Si mentis eſſet ſuæ; auſus eſſet exire de Provinciâ, educere exercitum, bellum ſuâ ſponte gerere?.. Quæ, cùm plurimæ Leges veteres, tum Lex Corneliâ* MAJESTATIS, *Julia* DE PECUNIIS REPETUNDIS, *planiſſimè vetant.*

(*c*) Accurſius intelligit de eo qui ob crimen perduellionis incarceratus ſit. D. Gothofredus legit *in hoc judicio.* Wiſſenbachius contrà cenſet, rectè legem intelligi de quovis incarcerato: cùm enim auctoritate publicâ ſit incarceratus, Majeſtatem populi aut Principis ex cujus auctoritate incarceratus eſt, ſpernit ac violat, qui eum emittit.

(*d*) Hæc lectio ſenſu caret. Cujacius legi *in profugio*: eo ſenſu, ut transfuga ſit, ſi quis dum profugit ad hoſtes, captus ſit. Græci verterunt, ΕΝΤΗ ΒΑΡΒΑΡΩ͂ΝΤΗ͂ *in terrâ hoſtili.*

(*e*) Id eſt, falsæ fuſionis reos, aut aliàs monetæ adulteratores. Hi tenentur etiam Lege Corneliâ DE FALSIS: ut videb. infrà Tit. *de L. Corn. de Falſ.* Nec novum ut quis ob idem crimen pluribus Legibus teneatur; quamvis [ut ſuprà vid. lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.* N. fin.] non poſſit pluribus ſimul *Reus fieri.*

(*f*) Rævardus hoc accipit de ſtatuis Imperatorum quorum memoria fuerat damnata à Senatu, ut Neronis, Domitiani, &c. Dion. Gothofredus intelligit ſtatuas ſine permiſſu Principis factas.

(*g*) Id eſt, totas ſericas. Unde hæc lectio planior, quàm quæ vulgò *Holoberas* vel *holobericas.*

(*h*) His verbis notat malos Imperatores, qui delatoribus quoſlibet ſub leviſſimo prætextu criminis Majeſtatis accuſantibus aures accommodabant. Sic *Locupletabant fiſcum, non tam Voconiæ & Juliæ Leges, quàm* MAJESTATIS *ſingulare & unicum crimen eorum qui crimine vacarent*: ut ait Plinius in *Paneg.*

Source : BIU Cujas

Item Alienam sectæ meæ sollicitudinem concepisti; quasi crimen Majestatis sustineres, si servo tuo iratus esse non perseveres: quod semper te facturum inconsultè juraveras (*a*). *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Ex personâ & circumstantiis interdum æstimatur, an crimen Majestatis admissum videri debeat necne. Quocircà bellè Modestinus: Hoc tamen crimen à judicibus, non in occasionem (*b*) ob Principalis Majestatis venerationem habendum est, sed in veritate. Nam & personam spectandam esse, an potuerit facere; & an antè quid fecerit, & an cogitaverit, & an sanæ mentis fuerit. NEC LUBRICUM LINGUÆ AD PŒNAM FACILE TRAHENDUM EST. Quanquàm enim temerarii, digni pœnâ sint; tamen ut insanis, illis parcendum est: si non tale sit delictum, quod vel ex scripturâ Legis descendit, vel ad exemplum Legis vindicandum est. *l.* 7. § 3. MODESTIN. LIB. 12. PANDECT.

Interdum personæ qualitas aggravat crimen Majestatis. Sic Crimen Majestatis, facto, vel violatis statuis vel imaginibus, maximè exacerbatur in milites. *d. l.* 7. § 4.

VII.

De pluribus factis quæsivimus, an Læsæ Majestatis crimini vertenda essent necne. Quærendum supereſt an etiam sola dicta huic crimini vertantur?

Varium de hâc re Jus fuit. Sub liberâ Republicâ, « FACTA » *duntaxat* arguebantur, DICTA impunè erant. *Primus* » *Augustus cognitionem de famosis libellis, specie Legis* » (MAJESTATIS) *tractavit: commotus Cassii-Severi libidine,* » *quâ viros fœminasque Illustres procacibus scriptis diffa-* » *maverat:* » *Tacit.* Annal. I. 72.

Postea ad verba quoque, Majestatis crimen productum est. Quod crimen non solùm facto, sed & verbis impiis ac maledictis maximè exacerbatur. PAUL. SENT. LIB. 5. *Tit.* 29. *pr. in fin.*

Boni tamen Principes hæc contemnere magis quàm vindicare solebant. Refert Dio-Cassius lib. 56. *Titum Imperatorem noluisse ex hâc causâ Majestatis cognosci*: « NEMO » (*inquiebat*) *injuriâ me afficere aut insequi contumeliâ* » *potest, propterea quòd nihil ago quod reprehendi merea-* » *tur; ea verò quæ falsò de me dicuntur, prorsùs negligo.* »

Hoc Titi moderationis exemplum secutus est Theodosius-Magnus, qui cum filiis suis Arcadio & Honorio jam Imperio sociatis ita constituit. Si quis (*c*) modestiæ nescius & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto nomina Nostra crediderit lacessenda; ac temulentiâ turbulentus, obtrectator temporum Nostrorum fuerit; eum pœnæ nolumus subjugari, neque durum aliquid nec asperum volumus sustinere: quoniam SI ID EX LEVITATE PROCESSERIT, CONTEMNENDUM EST; SI EX INSANIA, MISERATIONE DIGNISSIMUM; SI AB INJURIA, REMITTENDUM. Undè integris omnibus, hoc ad Nostram scientiam referatur; ut ex personis hominum dicta pensemus, & utrùm prætermitti an exquiri debeant censeamus. *l. un. Cod. Si quis Imp. maledix.*

VIII.

Præter varias species criminis Majestatis, de quibus hactenùs egimus, de novo constituit Arcadius, & hoc crimine teneri eos qui per factionem vitam alicujus ex Consisto-rianis Principis appeterent. Quod iisdem pœnis quibus perduelles puniantur, vindicari præcipit: l. 5. *Cod. h. tit. quam vide infrà N. fin.*

Item Theodosius ethnicos qui sacrificarent aut exta victimarum consulerent: l. 12. *Cod. Theod.* de Pagan.

Honorius denique; Cœlicolas (*d*) *qui christianos ad suam superstitionem traherent: l.* 19. *Cod.* de Jud. & cœlic.

ARTICULUS II.

Quæ singulariter observentur in crimine Læsæ Majestatis.

IX.

Multa singulariter observantur in crimine Læsæ Majestatis. Nimirùm 1°. *Ex Lege Corneliâ, nulla erat in hoc crimine calumniatoribus pœna;* Ut in quemvis impunè declamare liceret, *inquit Tullius ad Appium.*

Quod posterioribus temporibus, non solùm immutatum est; sed & Accusatorem quoque qui intentionem non plenè probavit, necnon insligatorem accusationis, unà cum reo (*e*) *torqueri jubet Constantinus: l. un. Cod Theod.* h. tit. *Et hoc ipsum quoque singulariter obtinet in causâ* MAJESTATIS; *cùm in cæteris criminibus accusator, etsi prævaricationis suspectus, nusquam torqueatur.*

2°. *Ad accusandum admittuntur, qui in cæteris criminibus non admitterentur.*

Enimverò Famosi qui jus accusandi non habent, sine ullâ dubitatione admittuntur ad hanc accusationem. *l.* 7. MODESTIN. LIB. 12. PANDECT.

Sed & milites, qui causas alias defendere non possunt. Nam qui pro pace excubant, magis magisque ad hanc accusationem admittendi sunt. *d. l.* 7. § 1.

Servi quoque deferentes audientur, & quidem dominos suos (*f*) & liberti patronos. *d. l.* 7. § 2.

Hoc tamen à Constantino abrogatum: l. un. Cod. Theod. Ad L. Jul. Majest. *quâ constituit ut si quis servus libertus-ve dominum aut patronum Majestatis deferre ausus sit, denegatâ audientiâ patibulo adfigatur. Verùm illud idem brevi revocaverunt posteriores Imperatores: ut Gratianus l.* 2. *Cod. Theod.* Ne præter crim. Majest. *Arcadius quoque & Honorius, l.* 3. *d. tit.*

Denique In quæstionibus Læsæ Majestatis, etiam mulieres audiuntur. Conjurationem denique Sergii-Catilinæ, Julia (*g*) mulier detexit, & Marcum-Tullium Consulem in indicium ejus instruxit. *l.* 8. PAPIN. LIB. 13. RESPONS.

X.

3°. *In crimine Læsæ Majestatis; nulla dignitas ejus qui hujus criminis postulatur, impedit quominùs tormentis quæstionis subjiciatur.*

Sic enim rescribunt Valentinianus, Valens & Gratianus. Nullus omninò cui inconsultis ac nescientibus Nobis fidicularum (*h*) tormenta inferuntur, militiæ vel generis aut dignitatis defensione uti prohibeatur: exceptâ tantùm Majestatis causâ, in quâ solâ (*i*) OMNIBUS ÆQUA CONDITIO est. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

(*a*) Per Imperatorem scilicet. Vulgatæ enim erant jurisjurandi formulæ, per genium Principis vel per ejus fortunam aut salutem. Refert Tacitus *Annal.* I. 73. cuidam Rubrio crimini datum, quòd violasset perjurio nomen Augusti.

(*b*) Id est; non debent in vindictâ hujus-ce criminis, captare *occasionem* adulandi Principis; *sed in veritate* dispicere an atrox sit factum, quod reverà in crimen MAJESTATIS incidat, & ultione Legis dignum sit.

(*c*) Quidam putaverunt hanc ipsam Constitutionem esse per quam Theodosius à sancto Antistite Flaviano & à Libanio exoratus, Antiochenis qui statuas ipsius dejecerant, indulgentiam præbuerat. Verùm hanc sententiam, ex temporum ratione latè confutat Jac. Gothofredus in Comment. Cod. Theod. ad h. l.

(*d*) Cœlicolarum superstitionem Jac. Gothofredus ad l. 19. Cod. Theod. *de Jud. & Cœlic.* censet sub Honorio primùm exortam fuisse, præsertim in Africâ; ex Judaicâ & Christianâ religione commixtam; & fortè ideò CŒLICOLAS dictos, quòd in nomine cœli baptisarent. His enim objicitur, quòd CATHOLICÆ FIDEI SACRAMENTA turbarent. De his vide d. l. 19. & leges 43 & 44. Cod. *de Heret. & Man.*

(*e*) Intellige de eo duntaxat casu, quo reus criminis de quo postulatus est legitimè suspectus videretur; ita ut quod *Plenæ probationi* deficit, ipsi demùm accusatoris prævaricationi foret imputandum.

(*f*) Rarò tamen boni principes has delationes admittebant. Et quum sub Domitiano nihil frequentius fuisset quàm delationes servorum & libertorum, dominos patronos-ve suos Majestatis insimulantium; Nerva Princeps optimus hos omnes servos & libertos interfici jussit, sanxitque ne eis liceret crimen ullius facinoris dominis inferre: Dio lib. 68. circa initium. De eâ re etiam Trajanum ita laudat Plinius in *Paneg.* suprà laudato N. 6. Not. (*h*) HUJUS [criminis Majestatis] TU *metum sustuliſti. . . . Omnes accusatore domestico liberasti.*

(*g*) Legendum *Fulvia*, ut constat ex Sallustio & Eutropio; qui referunt hanc Fulviam quæcumque à Curio de conjuratione Catilinæ audiverat, Ciceroni *indicasse*. Unde & mox infrà legendum est *in indicium*, pro eo quod vulgò *in judicium*. Error similis in l. 1. ff. *ad L. Cornel. de Sicar.* Vide Cujacium ad Novell. XXII & Bynkershoek *Obsery.* I 6.

(*h*) *Fidiculæ* erant nervi seu chordæ quibus rei alligabantur in equuleo [à verbo *Fides* seu chorda]. Tormentum *Fidicularum* infrà describitur, Tit. *de Quæstion.* Art. 4.

(*i*) Hoc Jus ex Lege Corneliâ descendit. Ita enim Ammian. Marc. lib. 19. UBI *Majestas pulsata defenditur; à quæstionibus vel cruentis, nullam Corneliæ Leges excmère fortunam.*

Source : BIU Cujas

4°. In hoc item crimine quod ad Læſam Majeſtatem Imperatoris pertinet, etiam in caput domini ſervi torquentur. *l.* 7. (*Aliàs* 6.) § 1. *Cod. h. tit.* [*ex* PAUL. LIB. SING. DE PUBL. JUDIC.]

Et rursùs. In hâc causâ, in caput domini ſervi (*a*) torquentur; *id eſt*, propter cauſam Majeſtatis. *l.* 8. (*Aliàs* 7.) § 1. *Cod. h. tit.* (*ex* MARCIAN. LIB. I. DE PUBL. JUD. AD L. JUL. MAJEST.) *De quo Jure, ne regulariter ſervi* IN CAPUT DOMINI *torqueantur, vide infrà Tit.* de Quæſtion. *Art.* 2.

XI.

5°. *Illud etiam valdè ſingulare eſt in hoc crimine, quòd morte non extinguitur. Et verò* Is qui in reatu decedit, integri ſtatûs decedit: extinguitur enim crimen mortalitate. Niſi fortè quis Majeſtatis reus fuit: nam hoc crimine, niſi à ſucceſſoribus purgetur, hereditas fiſco vindicatur. *l. fin.* ULP. LIB. 8. DISPUT.

Quinetiam Meminiſſe oportebit, ſi quid contra Majeſtatem Imperatoris commiſſum dicatur, etiam poſt rei mortem id crimen inſtaurari (*b*) ſolere; poſteaquàm Divus Marcus Drunciani, ut potè Senatoris qui Caſſiani (*c*) furoris ſocius fuerat, bona poſt mortem fiſco vindicari juſſit. Et noſtro tempore multis heredibus ablata ſunt. *l.* 7. (*Aliàs* 6.) *Cod. h. tit.* (*ex* PAUL. LIB. SING. DE PUBL. JUDIC.)

Poſt Divi Marci Conſtitutionem hoc Jure uti cœpimus, ut etiam poſt mortem nocentium hoc crimen inchoari poſſit, ut convicto mortuo memoria ejus damnetur, & ejus bona ſucceſſori ejus eripiantur. Nam ex quo ſceleratiſſimum quis conſilium cœpit, exindè quodammodo ſuâ mente punitus (*d*) eſt.

Sic & Divi Severus & Antoninus conſtituerunt; ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare, neque manumittere eum poſſe. Nec ei ſolvere jure debitorem, Magnus etiam Antoninus (*e*) reſcripſit. *l.* 8. (*Aliàs* 7.) *Cod. h. tit.* (*ex* MARC. LIB. I. DE PUBL. JUD. AD L. JUL. MAJEST.)

Igitur Etſi deceſſerit quis; propter incertam perſonam ſucceſſoris (*f*) bona obſervantur, ſi in causâ Majeſtatis fuiſſe mortuus arguatur: ut Severus & Antoninus litteris ad Rationales (*g*) miſſis reſcripſerunt. *d. l.* 8 § 2. *Cod.*

Scilicet Et mortuo eo res ejus ſervantur; quia exiſtente heredi agi oportet. *l.* 6. § 3. *Cod. h. tit.* (*quæ lex in D. Gothofredi Editione reſtituta eſt ex lib.* 6. *Baſilic. Tit.* 36.)

XII.

His quæ hactenùs diximus, hæc limitatio afferenda eſt. Planè non quiſque (*Pro* quiſquis) Legis Juliæ Majeſtatis reus eſt, in eâdem conditione eſt; ſed qui perduellionis reus eſt, hoſtili animo adversùs Rempublicam vel Principem animatus. Cæterùm ſi quis ex aliâ causâ Legis Juliæ Majeſtatis reus ſit; morte, crimine liberatur. *l. fin.* ¶ *planè.* ULP. LIB. 8. DISPUT.

ARTICULUS III.

De pœnis hujus criminis.

§ I.

De pœnis antiquis, & iis quæ Jure Digeſtorum obtinebant.

XIII.

Lex XII Tabularum jubet capite puniri: ſuprà N. 1. *Docet Suetonius in* NERONE *n.* 49. *hanc fuiſſe ex* MORE MAJORUM *pœnam, quum quis hoſtis patriæ judicatus eſſet; ut nudi hominis cervix furcâ inſeretur, & virgis ad necem cæderetur.*

Leges quæ poſtea ſecutæ ſunt, Cornelia ſcilicet, & deinde Julia: pœnam aquæ & ignis interdictionis ſanxerunt: ut patet ex Sigonio lib. II. de Judic. *& Cicerone Philipp. I.* 23. *ubi ait;* LEGIBUS CÆSARIS... EI QUI MAJESTATIS DAMNATUS SIT, AQUA ET IGNI INTERDICI.

Demùm verò ſucceſſit pœna capitis; non quidem priſtino illo ſupplicii virgarumque genere, Lege Porciâ in perpetuum adversùs cives ſublato; ſed eo de quo ita Paulus: Lege Juliâ MAJESTATIS tenetur, is cujus ope conſilio adversùs Imperatorem vel Rempublicam arma mota ſunt, exercitus-ve ejus in inſidias deductus eſt; qui-ve injuſſu Imperatoris bellum geſſerit, delectum-ve habuerit, exercitum comparaverit, ſollicitaverit (*h*), deſeruerit Imperatorem (*i*). His antea in perpetuum igni & aquâ interdicebatur. Nunc verò humiliores beſtiis objiciuntur, vel vivi exuruntur; honeſtiores capite (*k*) puniuntur. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 27. *pr.*

Igitur cùm civitate ipsâ juribuſque ſtatûs omnibus abjectis, inter viliores reputari debeant Transfugæ ad hoſtes, vel conſiliorum noſtrorum renuntiatores; aut vivi exuruntur aut furcæ (*l*) ſuſpenduntur. *l.* 38. § 1. *ff. de Pœnis* PAUL. LIB. 5. SENT.

Similiter Ulpianus. Hoſte (*m*) autem, item transfugæ, ea pœnâ adficiuntur ut vivi (*n*) exurantur. *l.* 8. § 2. *ff. n. tit.* ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

Et quidem, etiamſi miles ſit Is qui ad hoſtem confugit, & rediit; torquebitur, ad beſtiaſque vel in furcam damnabitur: quamvis milites nihil eorum (*o*) patiantur. *l.* 3. *ff. de Re militari.* MODEST. LIB. 4. DE PŒNIS.

Item Paternus. Proditores, transfugæ, plerùmque

(*a*) Jus illud, ut in crimine *Majeſtatis* ſervos in caput domini interrogari & torqueri liceret, non ſemper obtinuit. Tacitus *Annal.* II 30. Tiberium eo nomine *Novi Juris repertorem appellat*, quòd in fraudem veteris SCti quo ſervi in caput domini interrogari prohibebantur. Libonis cujuſdam rei Majeſtatis ſervos actori publico mancipaſſet; ut ita in Libonem ipſum, qui dominus eorum eſſe deſiiſſet, jure torquerentur. Simile quid anteà ab Auguſto factum refert Dio-Caſſius lib. 55. *Quod* [inquit] *à nonnullis culpatum, Legem diſſolvi eâ domini mutatione querentibus; aliis neceſſariò id fieri dicentibus, cùm multi hoc freti contra ipſum conſpirarent.* Poſtea verò, etiam in hujus domini caput in cujus poteſtate remanſerant, torqueri ſervi cœperunt: & ita obtinebat Pauli & Marciani temporibus. Quod expreſsè abrogatum deindè fuiſſe ab optimo Imperatore Tacito, refert Vopiſcus in ejus vitâ: ſanxit enim UT *ſervi in dominorum capita non interrogarentur, ne in causâ Majeſtatis quidem.* Sed tamen illud idem rursùs revocatum eſt Grecâ illâ cujus auctor ignoratur Conſtitutione: ex quâ nihil remanſit niſi ea quæ hîc & in N. ſeq. referuntur ex Paulo & Marciano fragmenta; pro ipſo textu legum 7 & 8. in Codice Juſtinianeo inſerta.

(*b*) Contra heredem, ſi reus ante mortem convictus & damnatus non fuerit.

(*c*) Intellige rebellionem Avidii-Caſſii qui ſub D. Marco in Oriente Imperium affectaverat. Quis autem Druncianus ille fuerit, neſcio: & Cujacius, aliter omninò legendum monet. Nec enim hoc accipi poſſe videtur de Drunciano Avidii-Caſſii genero; cui D. Marcum facultatem dediſſe evagandi quò vellet, Jul. Capitolinus & Volcatius teſtantur.

(*d*) In aliis criminibus pœna infligitur Sententiâ demùm judicis; quæ ſi ante mortem lata non fuerit, nulla poteſt infligi mortuo. At in MAJESTATIS crimine, quaſi ſolâ *mente*, ſolo *conſilio* reus in anteceſſum videtur damnatus. Unde, quamvis antè mortuus ſit quàm pœna ipſi fuerit Sententiâ judicis inflicta; mortuo lis poteſt inferri, memoria damnari, bona ſucceſſori eripi.

(*e*) Caracalla.

(*f*) Quia nimirùm incertum eſt quis ſucceſſor futurus ſit; an heres, ſi [inſtaurato in hujus perſonâ crimine, ut ſuprà dictum eſt] defunctus innocens judicetur, an fiſcus, ſi nocens.

(*g*) Procuratores Cæſaris; de quibus ſuprà lib. 1. Tit. 19.

(*h*) Vel ad partes ſuas, ut ipſe dux belli eſſet; vel ad aliam aliquam ſeditionem.

(*i*) *Deſeruerunt*, non tamen transfugiendo ad hoſtes. In his enim nul'us locus diſtinctioni inter *Humiliores & Honeſtiores*, mox infrà cum Notis (*p*) & (*a*).

(*k*) Id eſt, gladio.

(*l*) Par itaque pœna in humiliores, & arbitrio judicis eligenda Pauli temporibus, aut *Vivi-comburium*, aut *Beſtiis objici*, vel *Furcæ ſuſpendi*. Ubi nota Tribonianum hîc ſubjeciſſe FURCÆ [*la Potence*] pro CRUCI; ex quo Conſtantinus pœnam Crucis ſublatam voluit.

(*m*) Cujacius Obſerv. XV 34. cenſet legendum, *Ad hoſtes autem transfugæ*: vel *Hoſtes, id eſt, transfugæ*. Rectiùs Bynkershoek lectione non mutatâ, HOSTES hîc accipit, non exteros qui juſto bello cum populo Romano decertant; ſed cives, qui hoſtilia adversùs patriam moliti ſunt, & hoſtes patriæ judicati ſunt. Sic apud Salluſt. *de Bello Catil.* ſæpiùs ſocii Catilinæ vocantur HOSTES.

(*n*) Hæc pœna jam primis Reipublicæ temporibus irrogata eſt. Nam P. Mucius Tribinus plebis OMNES collegas ſuos qui duce Sp. Caſſio id egerant, ut Magiſtratibus non ſubrogratis communis libertas in dubium vocaretur, vivos cremavit. Valer. Max. VI 3. 4.

(*o*) Scilicet dignitatem & julia militiæ perdidit confugiendo ad hoſtes, ut inter viliores reputari debeat.

Source : BIU Cujas

capite puniuntur (*a*) & exauctorati torquentur. Nam pro hoſte, non pro milite habentur. *l.* 7. *ff. d. tit.* TARRENT. PATERNUS LIB. 2. DE RE MILIT.

Interdum tamen transfugis venia datur. Nam Qui transfugit & poſtea multos latrones adprehendit, & transfugas demonſtravit; poſſe ei parci Divus Hadrianus reſcripſit. Ei tamen pollicenti ea, nihil promitti oportere. *l.* 5. § 8. *ff. d. tit.* ARRIUS-MENANDER LIB. 2. DE RE MILIT.

XIV.

Non omnes autem quæ ad crimen Majeſtatis pertinent ſpecies, capitali ſupplicio plectuntur; ſed variè, prout magis minùs-ve atrox delictum eſt, animadvertitur.

Hinc apud Paulum hæc Imperialis Sententia refertur. Metrodorum, cùm hoſtem fugientem ſciens ſuſceperit, in inſulam deportari; Philoctetem, quòd occultari eum non ignorans diù diſſimulaverit, in inſulam relegari placet. *l.* 40. *ff. de Pœnis.* PAUL. LIB. 3. DECRETORUM.

Nota. Porrò Eorum qui relegati vel deportati ſunt ex causâ Majeſtatis, ſtatuas detrahendas (*b*) ſcire debemus. *l.* 24. *ff. d. tit.* MODESTIN. LIB. 11. PANDECT.

§ III.

Quæ ſit pœna ex noviſſimis Legibus.

XV.

Non minùs ſeverè hoc crimen vindicaverunt poſteriores Imperatores.

Conſtantinus ſancit; ut Si quis Barbaris ſceleratâ factione facultatem deprædationis in Romanos dederit, vel ſi quis alio modo factam diviſerit, vivus comburatur. *l.* 9. *Cod. de Re milit.*

Circa pœnam criminis Majeſtatis, noviſſimè hanc ſeveriſſimam Conſtitutionem edidit (*c*) *Arcadius; quam cæterarum omnium loco hîc integram exhibere, operæ pretium eſt.*

Quiſquis cum militibus, vel privatis (*d*), vel Barbaris (*e*) ſceleſtam inierit factionem, aut factionis ipſius ſuſceperit ſacramentum vel dederit; de nece etiam (*f*) virorum Illuſtrium qui Conſiliis & Conſiſtorio Noſtro (*g*) interſunt, Senatorum etiam (nam & ipſi pars corporis Noſtri (*h*) ſunt), vel cujuſlibet poſtremò qui Nobis militat (*i*), cogitaverit; (eâdem enim ſeveritate voluntatem ſceleris quâ effectum puniri Jura voluerunt): ipſe quidem ut potè Majeſtatis reus, gladio feriatur; bonis ejus omnibus fiſco noſtro addictis. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

Filii verò ejus, quibus vitam Imperatoriâ ſpecialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire ſupplicio, in quibus paterni, hoc eſt, hereditarii criminis exempla (*k*) metuuntur); à maternâ, vel avitâ, omnium etiam proximorum hereditate ac ſucceſſione habeantur alieni (*l*); teſtamentis extraneorum nihil capiant; ſint perpetuò egentes & pauperes (*m*); infamia eos paterna ſemper comitetur; ad nullos prorsùs honores (*n*), ad nulla ſacramenta (*o*) perveniant: ſint poſtremò tales ut his perpetuâ egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium, & vita ſupplicium. *d. l.* 5. § 1.

Denique jubemus etiam eos Notabiles eſſe ſine veniâ, qui pro talibus unquam apud Nos intervenire (*p*) tentaverint. *d. l.* 5. § 2.

Ad filias ſanè eorum quotlibet numero fuerint, Falcidiam tantùm ex bonis matris, ſive teſtata, ſive inteſtata deceſſerit, volumus pervenire; ut habeant mediocrem potiùs filiæ alimoniam, quàm integrum emolumentum ac nomen heredis. Mitior enim circa eas debet eſſe Sententia; quas pro infirmitate ſexûs, minùs auſuras confidimus. *d. l.* 5. § 3.

Emancipationes quoque quæ à prædictis, ſive in filios [poſt legem duntaxat latam] ſive in filias fuerint collatæ, non valeant (*q*). Dotes, donationes, quarumlibet poſtremò rerum alienationes; quas ex eo tempore quâlibet fraude vel jure factas eſſe conſtiterit, quo primùm memorati de ineundâ factione ac ſocietate cogitaverint; nullius ſtatuimus eſſe momenti. *d. l.* 5. § 4.

Uxores ſanè prædictorum, recuperatâ dote, ſi in eâ conditione (*r*) fuerint, ut quæ à viris titulo donationis acceperunt, filiis debeant reſervare; tempore quo uſusfructus abſumitur, omnia ea fiſco Noſtro ſe relicturas eſſe cognoſcant, quæ juxta legem filiis debebantur; & Falcidia ex his etiam rebus, filiabus tantùm non etiam filiis deputata videatur. *d. l.* 5. § 5.

Id quod de prædictis, eorumque filiis cavemus; etiam de ſatellitibus (*s*); conſciis (*t*), ac miniſtris, filiiſque eorum ſimili ſeveritate cenſemus. *d. l.* 5. § 6.

Sanè ſi quis ex his in exordio initæ factionis, ſtudio veræ laudis accenſus, initam prodiderit factionem; & præmio & honore à Nobis donabitur. Is verò qui uſus fuerit factione, ſi vel ſerò (incognita tamen adhuc) conſiliorum arcana patefecerit, abſolutione tantùm ac veniâ dignus habebitur. *d. l.* 5. § *fin.*

Scholium.

Huic quod in hujus legis 5. § 1. *dictum eſt, de filiis*

(*a*) Hoc accipe, non pro pœnâ gladii, ut ſuprà; ſed pro quovis ultimo ſupplicio: ſi quidem hi dignitatem non militarem tantùm, ſed & aliam civilem quamlibet ſpontè amiſerunt.

(*b*) Sicubi in locis publicis poſitæ deprehendantur.

(*c*) Hæc lex utriuſque Imperatoris Arcadii & Honorii nomine inſcripta, auctorem habet Arcadium ſolum. Inſcribitur enim *Euthychiano* qui Præfectus Prætorio Orientis fuit, teſte Socrate lib. 6. cap. 2. Item ſubſcripta eſt *Ancyræ* quæ eſt civitas Orientalis imperii cui Arcadius præerat. Legis architectus fuiſſe videtur Eutropius Eunuchus, ſummus ſub Arcadio Imperii adminiſter; quâ ſibi adversùs fortunæ ſuæ æmulos proſpiceret. Hanc poſtea revocatam per legem 22. Cod. *de Pœnis*, ab eodem Arcadio biennio poſt ſancitam, minùs probabiliter putavit Budæus; cùm utraque pariter Codici inſerta ſit à Theodoſio juniore, Arcadii filio. Et certè quamvis in hâc poſteriore lege præcipiatur, ut *Pœna ſuos duntaxat teneat auctores*; id tamen vel ad cætera quæque crimina pertinet, non ad cauſam Majeſtatis; vel potiùs intelligendum de ſolâ *pœnâ* mortis.

(*d*) *Privatos* hîc accipe, paganos; id eſt, qui non ſunt milites.

(*e*) *Barbaros* intellige, qui hoc tempore in orbe Romano degebant; quorum multi in exercitibus Romanis merebantur, nonnulli ad dignitates quoque evehebantur.

(*f*) Hoc verbum ETIAM quidam ſic intelligunt; *non ſolùm contra Nos, ſed* DE NECE ETIAM *&c.* Jac. Gothofredus cenſet de conjuratione contra ipſum Principem nullatenùs hîc agi; ſed vocis *etiam* hunc eſſe ſenſum, ut non de quâvis factione hîc agatur, ſed de illâ quæ eo audaciæ proruperit ut *de nece etiam &c.* Hâc lege Arcadius pœnas ſtatuit tanquam in perduelles, contra eos qui Senatoris aut Conſiſtoriani vitam per factionem appetierint: quæ à fortiori obtinere debent contra eos qui verè *Per duelles* eſſent, & hoſtili animo adversùs ipſum Imperatorem aut rempublicam conſpiraſſent.

(*g*) Hi ſunt intimi ac arcani confeſſûs Principis Conſilarii; quales erant Præfectus Prætorio, Quæſtor Sacri Palatii, Magiſter Militum; & Præpoſitus Sacri Cubiculi, quem honorem tunc gerebat Eutropius.

(*h*) His verbis ſignificat arctiſſimam neceſſitudinem inter ſe & Senatores; ut quod in eos admittitur, quaſi in ſe admiſſum haberi velit.

(*i*) Rectè Gothofredus cenſet hîc non intelligi [ut quidam putaverunt] quoſvis milites; nec quidem nobiliores, quales erant DOMESTICI & PROTECTORES [*Ceux de la garde du Prince*]: nec enim conjurationes de quibus in hâc lege agitur, in vulgaria capita fiunt: his autem verbis deſignari putat, tum eos qui Palatinis dignitatibus fungebantur; tum etiam eos qui in provinciis alicui adminiſtrationi civili aut militari præeſſent, quales erant Præſides Provinciarum, Procuratores Cæſaris, Duces exercituum, &c.

(*k*) Vide *Scholium* infrà.

(*l*) Hinc colligit Gothofredus, has hereditates fiſco vindicandas, & his velut *indignis* auferri. Magis placet ſententia Gentilis, qui eos cenſet eſſe *Incapaces* duntaxat; eaſque hereditates, tanquam ſi ipſi non exiſterent, cæteris cognatis deferri.

(*m*) Eſt ratio politica; ne, ſi opes haberent, his uterentur ad machinandum aliquid contra Principem quo ſupplicium patris ulciſcerentur.

(*n*) Eadem ratio.

(*o*) Id eſt, militiam.

(*p*) Hoc duriſſimum, & ad terrorem duntaxat ſancitum videtur: nec ea res deterruit D. Chryſoſtomum quominùs populum ſuum hortaretur ut ſupplicaret Arcadio imperatori, pro ipſo Eutropio, qui poſtea loco motus, ad vitandum periculum capitis, ad altare Eccleſiæ confugerat.

(*q*) Adeòque quod filii poſt emancipationem illam acquiſiverint, auferret fiſcus quaſi per ipſos patri quæſita; reſciſsâ hâc emancipatione, quaſi pater in fraudem confiſcationis eos emancipaverit.

(*r*) Putâ, ſi ad ſecundas nuptias convolaverint.

(*s*) *Satellites* interpretatur Jac. Gothofredus valentiores Barbaros, quorum auxilio duces factionum utebantur.

(*t*) Idem Gothofredus *conſcios* hîc interpretatur quaſi CONSOCIOS, ſeu participes & adjutores; nec vult accipi de his qui duntaxat non prodiderunt quod ſciebant. Hos etenim Theodoſius Arcadii pater ob ſolam eam cauſam puniri nolebat; eam ob rem Themiſtio laudatus *in Panegyr.* Verùm & de his hoc verbum *conſcios* intelligendum ſuadent, tum verbi proprietas, tum Eutropii hujuſce Conſtitutionis architecti ingenium: præſertim cùm nova non fuerit hæc ſeveritas; nam & Valentem in conſcios criminis Majeſtatis animadverſiſſe, apertis verbis tradit Zozymus. Hujuſque Conſtitutionis ſeveritatem ſecutus eſt Leo in filium Aſparis. Hæc moribus quoque noſtris Gallicis comprobata eſt, ut triſti documento illuſtris Thuanus comprobavit. Poteſt etiam hæc ſeveritas his argumentis comprobari; quòd ſervi ob ſolam cædis domini conſcientiam puniuntur, paſſim in Tit. *de SCto Silan.* item filius ob conſcientiam cædis paternæ, l. 2. *ff. ad L. Pomp. de Parric.* Non minor autem eſſe debet erga patriam fides ac caritas; quàm ſervorum erga dominos fides, & liberorum caritas erga parentes.

Source : BIU Cujas

eorum qui Læſæ Majeſtatis damnati ſunt; paterno eos debuiſſe perire ſupplicio, nimirùm IN QUIBUS PATERNI CRIMINIS EXEMPLA METUUNTUR; *addit & aliam rationem Cicero*, Epiſt. *ad Brut.* « NON ME fugit [*inquit*] quàm ſit acerbum, parentûm ſcelera filiorum pœnis lui: ſed hoc præclare Legibus conſtitutum eſt; ut caritas liberorum, amiciores Reipublicæ redderet. » *Itaque* (*ut ibid. ſententiam hanc ſuam proſequitur idem Cicero*) *crudelior in liberos ille cenſendus eſt qui deliquit, non is qui delinquentem* Hoſtem patriæ *judicat.*

Hujus porrò ſeveritatis exemplum ſuppeditat Veſpaſianus Imperator, aliàs Princeps optimi genii. Cùm enim Sabinum-Gallum qui ſe Cæſarem dixerat, detectum ipſe tandem viciſſet; non ſolùm de eo ſupplicium ſumpſit, ſed de uxore ejus ac liberis quos ei in monumento in quo latebant, pepererat. Imò crudeliùs Severus Imperator, filium, aut ut alii ſcribunt, filios Albini, quum eis primùm veniam dediſſet, cum matre ipſorum percuſſit: Capitolin. in ALBIN.

Quidquid ſit de his exemplis, & eâ quâ excuſari poſſent ratione politicâ; longè aliter humaniùſque M. Antoninus qui ita ad Senatum ſcribit: Filiis Avidii-Caſſi, & genero & uxori veniam dabitis. Et quid dico veniam? cùm illi nihil fecerint. Vivant igitur ſecuri; SCIENTES SE SUB MARCO VIVERE. Vivant in patrimonio parentûm pro parte DONATO (*dimidiam enim bonorum patris publicatorum Marcus eis donaverat*): ſint divites, ſint ſecuri & liberi &c. *Volcat. in* AVID. *Quinetiam poſteros ejuſdem Avidii-Caſſi vivo Marco ad honores admiſſos refert ibid. Volcatius.*

TITULUS V.

AD LEGEM JULIAM DE ADULTERIIS COERCENDIS.

I.

ROmæ antiquis temporibus ex Romuli inſtituto, in mulierem violatæ pudicitiæ ream, ipſi marito aſſidentibus mulieris cognatis domeſtico judicio animadvertere jus fuit: ſuprà in Append. ad XII Tab. *Cap. I. n. 9.*

Publicam autem de hoc crimine Quæſtionem nullam novimus ante Legem de quâ in hoc Titulo agitur: niſi fortè placuerit V. Cl. Hoſmanni conjectura qui in libro ad L. Jul. DE ADULT. *cenſet Legem quamdam Serviliam* DE ADULTERIIS *à P. Servilio-Iſaurico Conſule, ſuadente Dictatore Syllâ, latam fuiſſe. Et verò Plutarchus in* SYLLA *refert auctorem eum fuiſſe Legum* DE MATRIMONIIS ET PUDICITIA; *quum ipſe amoribus Adulteriiſque turpiter fuerit maculatus. De Lege autem Serviliâ circa Adulterii crimen, apertè ſignificare videtur Valerius-Maximus VIII* 1. 8. *ubi ait Coſconium quemdam Serviliâ Lege reum propter plurima & evidentiſſima facinora, & ſine ullâ dubitatione nocentem, abſolutum tamen fuiſſe; ob recitatum in judicio carmen Valerii-Valentini accuſatoris ejus, quo is puerum prætextatum & ingenuam virginem â ſe corruptam poetico joco ſignificaverat:* « SI QUIDEM *judices iniquum » rati ſunt* (*inquit Valerius*) *eum victorem dimittere qui » palmam non ex alio ferre ſed de ſe dare merebatur. Magis » ergo accuſator in Coſconii abſolutione damnatus, quàm » Coſconius in causâ ſuâ liberatus eſt. » Ex quibus verbis vix dubium eſt, ejuſdem criminis Coſconium à Valerio accuſatum fuiſſe quod ipſi accuſatori poterat ob carmen ſuum exprobrari: de ſtupris proindè & Adulteriis quæſtionem hîc habitam ex eâ Lege quam Valerius* SERVILIAM *vocat; quamvis alii Doctores locum hunc Valerii de Lege* Serviliâ REPETUNDARUM *intelligi velint, inter quos & Hotomanus & Pighius.*

Ut ut ſit de illâ quam modò expoſuimus, valdè probabili Hoſfamanni conjecturâ; ſanè conſtat extitiſſe apud Romanos ante Legem Juliam, alias de Adulteriis Leges, quamvis omninò incertum ſit an publica ex his quæſtio aliqua fuerit inſtituta. Diſertus in eam rem ſequens Pauli textus.

Primum Caput Legis Juliæ DE ADULTERIIS, prioribus obrogat. *apud Pariat. IV.* 2.

Hæc Lex lata eſt à Divo Auguſto (*a*). *l.* 1. ULP. LIB. I. DE ADULTERIIS.

Et diverſis nominibus appellatur; ſcilicet, vel Lex Julia DE ADULTERIIS ET STUPRO *vel Lex Julia* DE PUDICITIA (*b*). *Ejus ætatem circa annum ab U. C.* 736. *aut* 737. *adſcribit Hoſmannus; ejuſque ferendæ occaſionem indè natam cenſet, quoniam quum Leges* DE MARITANDIS ORDINIBUS *Auguſtus ſuaderet, his eo potiſſimùm prætextu contradiceretur* (*inquit Dio lib.* 54.) *quòd jam vix ullæ inveniri poſſent pudicæ uxores. Quam ut ſpecioſam cœlibum excuſationem removeret, ſeveriſſimam contra Adulteria & ſtupra Legem ferendam eſſe duxit. Atque hinc Ovidius Auguſtum Romulo comparans, & adulatoriè præponens, ita canit:*

Tu rapis, hic caſtas duce ſe jubet eſſe maritas;
Tu recipis luco, ſubmovet ille nefas. *Faſtor. II.*

Hanc quoque Legem ſic egregiè celebrat Horatius. Od. *IV.* 5.

Nullis polluitur caſta domus ſtupris,
Mos & Lex maculoſum edomuit neſas.
Laudantur ſimili prole puerperæ:
Culpam pœna premit comes.

II.

Lex loquitur de Adulteriis ſtupriſque Coercendis. Quocircà Inter STUPRUM & ADULTERIUM, hoc intereſſe quidam putant; quòd Adulterium in nuptam, ſtuprum in viduam (*c*) committitur. Sed Lex Julia DE ADULTERIIS, hoc verbo indifferenter (*d*) utitur. *l.* 101. *ff. de Verb. ſignif.* MODESTIN. LIB. 9. DIFFERENT.

Et quidem Lex, ſtuprum promiſcuè & ΚΑΤΑΧΡΗΣΤΙΚΩ'ΤΕΡΟΝ [*id eſt, abuſivè*] appellat: ſed propriè Adulterium in nuptâ committitur, propter partum ex altero conceptum compoſito nomine; ſtuprum verò in virginem viduam-ve (*e*) committitur, quod Græci ΦΘΟΡΑ'Ν [*id eſt, corruptionem*] appellant. *l.* 6 § 1. PAPIN. LIB. I. DE ADULTERIIS.

Prima Sectio erit de Adulterio; altera de ſtupro & aliis criminibus quæ his affinia ſunt.

SECTIO I.

De Adulterio.

Circa hoc crimen, quærendum 1°. *Quarum perſonarum*

(*a*) De quo ita Suetonius: *Leges retractavit; & quaſdam ex integro ſanxit, ut* SUMPTUARIAM, *&* DE ADULTERIIS ET DE PUDICITIA: in *Auguſt.* n. 34.

(*b*) Unam autem eamdemque Legem eſſe, non duas diverſas [ut putaverunt Ant. Auguſtinus & Schub.] patet ex l. 9. Cod. *ad L. Jul. de Adult.* quæ Legi DE PUDICITIA tribuit hoc ipſum quod in l. 37. ff. *de Minorib.* diſertè tribuitur Legi Juliæ DE ADULTERIIS.

(*c*) Id eſt, imnuptam.

(*d*) Ad utrumque ſignificandum.

(*e*) Sed & quod in mulierem nuptam admittatur, paſſim etiam appellatur STUPRUM; ut ex pluribus Ciceronis & Suetonii textibus probat Budæus ad h. l.

Source : BIU Cujas

Adulteria hâc Lege vindicentur, & qualia Adulteria: 2°. Qui hujus criminis poſtulari poſſint; cui & quando hæc accuſatio concedatur: 3°. Quomodo extinguatur ipſa aut excludatur: 4°. Quæ in eâ inſtituendâ aut peragendâ obſerventur: 5°. De pœnâ Adulterii: 6°. Quæ marito aut patri in uxorem filiam-ve Adulteram & in Adulterum concedantur.

ARTICULUS I.

Quarum perſonarum & qualia Adulteria hâc Lege vindicentur.

III.

Hâc Lege, mulierum, non maritorum Adulteria vindicantur.

Hinc Severus & Antoninus. Publico judicio non habere mulieres Adulterii Accuſationem, quamvis de matrimonio ſuo violato queri velint, Lex Julia declarat: quæ cùm maſculis jure mariti accuſandi facultatem detuliſſet, non idem fœminis privilegium detulit. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Tria autem, ut quod eo Legis Capite vindicatur Adulterium, in muliere commiſſum intelligatur, oportet concurrere; ut fuerit nupta, libera, & honeſta.

§ I.

Nuptam eſſe oportere, de cujus Adulterio judicium datur.

IV.

NUPTAM *hîc ſtrictè non accipimus, pro uxore juſtâ; ſed pro eâ quæ qualicumque matrimonio juncta ſit. Undè Ulpianus.* Planè ſive juſta uxor fuit, ſive injuſta; accuſationem inſtituere vir poterit. Nam & Sextus-Cæcilius ait, Hæc Lex ad omnia matrimonia pertinet. Et illud Homericum adfert: NEC enim ſoli (inquit) Atridæ uxores ſuas amant (*a*).

ΟΥ' ΜΟΝΟΙ ΦΙΛΕΟΥΣ' ΑΛΟΧΟΥΣ, *&c. l.* 13. § 1. ULP. LIB. 2. DE ADULTERIIS.

Igitur Si uxor non fuerit in Adulterio, concubina tamen fuit; jure quidem mariti accuſare eam non poterit, quæ uxor non fuit; jure tamen extranei, accuſationem inſtruere non prohibebitur: ſi modò ea ſit quæ in concubinatu ſe dando, matronæ nomen non amiſit; ut putà, quæ patroni concubina (*b*) fuit. *d. l.* 13. *pr.*

Sed & ſi ea ſit mulier cum quâ inceſtum commiſſum (*c*) eſt; vel ea quæ quamvis uxoris animo haberetur, uxor tamen eſſe non poteſt; dicendum eſt, jure mariti accuſare eam non poſſe, jure extranei poſſe. *d. l.* 13. § 4.

Secùs de eâ quæ ſervi contubernio adhæſiſſet; ea enim à ſervo poſtea manumiſſo accuſari non poteſt. Sic accipit Cujacius quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus: Si ejus à quo nunc Adulterii rea poſtularis, contra Juris formam contubernio hæſiſti; innumeris auctoritatibus te tueri potes. *l.* 24. *Cod. h. tit.*

V.

Vidimus Adulterium committi in nuptam, ſive legitimæ nuptiæ fuerint, ſive non.

Quinetiam Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt, Etiam in ſponsâ hoc idem vindicandum: quia neque matrimonium qualecumque, nec ſpem matrimonii, violare permittitur. *ſup. d. l.* 13. § 3.

Cæterùm ſponſa alteri nubendo, magis ſponſalia diſſolvere quàm Adulterium committere videtur.

Hinc Papinianus. Quærebatur, an jure mariti poſſit accuſare vir eam fœminam, quæ, quum ei deſponſa fuiſſet, alii in matrimonium à patre fuiſſet tradita? Reſpondit: Novam rem inſtituere hujuſmodi accuſatorem exiſtimo; qui Adulterii crimen objicere deſiderat, propter hoc tantùm quòd priori ſibi deſponſa puella, à patre in matrimonium alii fuerit tradita. *l.* 11. § 7. PAPINIAN. LIB. SING. DE ADULTER.

VI.

Cùm Adulterium non committatur niſi in eam mulierem quæ nupta eſt aut ſaltem alteri deſponſata; hinc ad Legem Juliam non pertinet qui alienæ uxoris thorum appetens, ei malis artibus ſuaſit ut divorteret à viro, & demùm poſt divortium eam duxit.

Non tamen ei impunè eſſe debet. Et Divus Hadrianus eum qui alienam uxorem ex itinere domum ſuam duxiſſet, & indè marito ejus repudium miſiſſet, in triennium relegavit. *l.* 8. *ff. de Divort.* PAPIN. LIB. 2. DE ADULTER.

§ II.

Liberam eſſe oportere, de cujus Adulterio quæratur.

VII.

Inter liberas tantùm perſonas Adulterium ſtuprumve paſſas Lex Julia locum habet. Quod autem ad ſervas pertinet, & Legis Aquiliæ actio facilè tenebit, & Injuriarum quoque competit, nec erit deneganda Prætoria quoque actio DE SERVO CORRUPTO. Nec propter plures actiones parcendum erit (*d*) in hujuſmodi crimine reo. *l.* 6. PAPIN. LIB. 1. DE ADULTER.

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Servi, ob violatum contubernium ſuum, adulterii crimine accuſari non poſſunt. *l.* 23. *Cod. h. tit.*

Vide eâ de re, infrà Sect. 2ª. *Art.* 1.

§ III.

Honeſtam mulierem eſſe oportere de cujus Adulterio quæritur, aut eam quæ in fraudem Legis deſierit eſſe honeſta.

VIII.

Cum his quæ publicè mercibus vel tabernis exercendis procurant, Adulterium fieri non placuit. PAUL. SENT. *lib.* 2. *Tit.* 27. § 10.

Diſtinctionem autem aliquam adhiberi voluit Conſtantinus, in hoc Juri antiquo derogans; ſcilicet ut à tabernæ miniſtris ipſas tabernæ dominas ſecerneret, eaſque matronali honore ſolvi vetaret (*e*).

Ita ille: Quæ Adulterium commiſit, utrùm domina cauponæ an miniſtra fuerit, requiri debebit; & ita obſequio famulata ſervili, ut plerùmque ipſa intemperantiæ vina præbuerit: ut ſi domina tabernæ fuerit, non ſit à vinculis Juris excepta. Si verò potantibus miniſterium præbuerit; pro vilitate ejus quæ in reatum deducitur, accuſatione exclusâ, liberi qui accuſantur abſcedant: cùm ab his fœminis pudicitiæ ratio requiratur, quæ Juris nexibus detinentur, & matrisfamilias nomen obtinent. Hæ autem immunes à judiciariâ ſeveritate & ſtupri & Adulterii præſtentur, quas vitæ vilitas dignas Legum obſervatione non credidit. *l.* 29. *Cod. h. tit.*

IX.

Item in mulieribus ſcenicis, aut quæ palàm corpore quæſtum profeſſæ ſunt, Lex ceſſat.

Si tamen quæ honeſta fuit mulier, in fraudem Legis ut impunè eſſet Adultera, dignitatem matrisfamilias amiſit; punietur.

(*a*) Verba ſunt Achillis ad Legatos Græcorum querentis ſibi ereptam ab Agamemnone Briſeidem captivam, quam uxoris amore diligebat. Illiad. IX.

(*b*) *Matronæ nomen amittit* mulier, ſi in alterius quàm patroni ſui concubinatum ſe dederit. Cujac. Obſerv. III 18.

(*c*) Putà, per errorem.

(*d*) Quin is qui unâ jam condemnatus eſt, ex cæteris in id quod plus continent poſſit conveniri. Vide ſuprà lib. 44. Tit. *de Obl. & act.* N. 64.

(*e*) Hoc fortè, ut quidam putant, eo quòd Conſtantinus ipſe S. Helenæ filius, quæ quondam cauponam exercuerat, hanc natalium ſuorum maculam eluere voluerit.

Source : BIU Cujas

Hinc V. G. Mulier quæ evitandæ pœnæ Adulterii gratiâ (*a*), lenocinium fecerit, aut operas ſuas in ſcenam locavit; Adulterii accuſari, damnarique ex Senatuſconſulto (*b*) poteſt. *l.* 10. § 2. PAPIN. LIB. 2. ADULTER.

Sed & in eâ uxore poteſt maritus Adulterium vindicare, quæ vulgaris (*c*) fuerit; quamvis ſi vidua eſſet, impunè in eâ ſtuprum committeretur. *l.* 13. § 2. ULP. LIB. 2. DE ADULTER.

§ IV.

Quale Adulterium vindicetur.

X.

Lege non vindicatur, nec propriè videtur Adulterium, niſi illud quod dolo committitur.

Hinc Si ex Lege repudium miſſum non ſit, & idcircò mulier adhuc nupta eſſe videatur; tamen ſi quis eam uxorem duxerit, Adulter non erit. Idque Sabinus Julianus reſpondit: Quia Adulterium (inquit) ſine dolo malo non committitur. Quanquàm dicendum, ne (*d*) is qui ſciret eam ex Lege repudiatam non eſſe, dolo malo committat. *l.* 43. GAIUS LIB. 3. AD LEG. XII TABUL.

Item Papinianus in ſpecie ſequenti. Mulier cùm abſentem virum audiſſet vitâ functum eſſe, alii ſe junxit. Mox maritus reverſus eſt. Quæro quid adversùs eam mulierem ſtatuendum ſit? Reſpondit, tam Juris quàm facti quæſtionem moveri. Nam ſi longo tempore tranſacto, ſine ullius ſtupri probatione, falſis rumoribus inducta, quaſi ſoluta priore vinculo, legitimis nuptiis ſecundis juncta eſt: quòd veriſimile eſt deceptam eam fuiſſe, nihil vindictâ dignum videri poteſt. Quòd ſi ficta mariti mors argumentum faciendis nuptiis probabitur præſtitiſſe; cùm hoc facto pudicitia laboretur, vindicari (*Florent.* vindicare) debet pro admiſſi criminis qualitate. *l.* 11. § 12. PAPIN. LIB. SING. DE ADULTERIIS.

Conſonat quod reſcribit Conſtantinus. Uxor quæ in militiam profecto marito, poſt interventum annorum quatuor, nullum ſoſpitatis ejus potuit habere indicium; atque ideò de nuptiis aliis cogitavit, nec tamen antè nupſit quàm libello ducem (*e*) ſuper hoc ſuo voto convenit; non videtur nuptias iniiſſe furtivas, nec dotis amiſſionem ſuſtinere, nec capitali pœnæ eſſe obnoxia; quæ poſt tam magni temporis jugitatem; non temerè, nec clanculò, ſed publicè conteſtatione depoſita nupſiſſe firmatur. Ideòque obſervandum eſt, ut, ſi Adulterii ſuſpicio nulla ſit, nec conjunctio furtiva detegatur; nullum periculum ab his quorum conjugio erant copulatæ, vereatur (*f*): cùm ſi conſcientia maritalis thori furtim eſſet violata, diſciplinæ ratio pœnam congruam flagitaret. *l.* 7. *Cod. de Repudiis.*

X I.

Hactenùs de muliere quæ per errorem habuit conſuetudinem alterius viri.

Multò minùs in eam mulierem cui vis adhibita eſt, Adulterium vindicabitur. Hinc Papinianus: Vim paſſam mulierem, Sententiâ Præſidis provinciæ continebatur. In Legem Juliam de Adulteriis non commiſiſſe reſpondi: licèt injuriam ſuam, protegendæ pudicitiæ causâ, confeſtim marito renuntiari prohibuit. *l.* 39. PAPIN. LIB. 15. RESPONS.

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Fœdiſſimam earum nequitiam, quæ pudorem ſuum alienis libidinibus poſternunt, non etiam earum quæ per vim ſtupro compreſſæ ſunt, irreprehensâ voluntate, Leges ulciſcuntur. Quinetiam inviolatæ exiſtimationis eſſe, nec nuptias earum aliis interdici meritò placuit. *l.* 20. *Cod. h. tit.*

ARTICULUS II.

Adversùs quos, cui, & quando hæc accuſatio concedatur.

§ I.

Qui hujus criminis poſtulari poſſint, & quos eodem tempore.

X II.

Hujus criminis poſtulantur mulier & Adulter.

Et quidem etiam Si minor annis Adulterium commiſerit, Lege Juliâ tenetur: quoniam tale crimen poſt pubertatem incipit. *l.* 36. PAPIN. LIB. 3. QUÆST.

Servos quoque Adulterii poſſe accuſari, nulla dubitatio eſt. Sed qui prohibentur Adulterii liberos homines accuſare, iidem ſervos quoque prohibebuntur. Sed ex Reſcripto Divi Marci, etiam adversùs proprium ſervum accuſationem inſtituere dominus poteſt. Poſt hoc igitur Reſcriptum, accuſandi neceſſitas incumbet domino ſervum ſuum. Cæterùm juſtè mulier nupta (*g*), præſcriptione (*h*) utetur. *l.* 5. *ff. de Accuſ. & inſcript.* ULP. LIB. 3. DE ADULTER.

X III.

Duos uno tempore uxoris adulteros (*i*) accuſari poſſe ſciendum eſt. plures (*k*) verò non poſſe. PAUL. SENT. LIB. 2. *tit.* 27. § 9.

§ II.

Quibus hujus criminis accuſatio concedatur.

X IV.

Marito primùm, vel patri eam filiam (*l*) quam in poteſtate habet, intrà dies ſexaginta divortii, accuſare permittitur; nec ulli alii in (*Aliàs*, intrà) id tempus agendi poteſtas datur; ultra eos dies, neutrius voluntas expectatur. *l.* 14. § 2. SCÆVOLA LIB. 4. REGUL.

Quinetiam, ut ait Papinianus apud Pariatorem Tit. IV. 7. Accuſare jure patris, ne quidem emancipatam pater prohibetur.

X V.

Quòd Si ſimul ad accuſationem veniant, maritus & pater mulieris; quem præferri oporteat, quæritur? Et magis eſt ut maritus præferatur. Nam & propenſiore irâ, & majore dolore executurum eum accuſationem credendum eſt. In tantùm ut & ſi pater prævenerit, & libellos inſcriptionum depoſuerit; marito non negligente nec retardante, ſed accuſationem parante & probationibus inſtituente atque muniente, ut faciliùs judicantibus de Adulterio probetur; idem erit dicendum. *l.* 2. § 8. ULP. LIB. 8. DISPUT.

(*a*) Refert Suetonius in TIBERIO *n.* 35. fœminas, ut ad evitandas Legum pœnas jure ac dignitate matronali ſolverentur, lenocinium profiteri cœpiſſe; & pariter ex juventute utriuſque ordinem profligatiſſimum quemque, quominùs teneretur Senatuſconſulto contra eos lato qui ſtuprum in corpore ſuo patiebantur, aut ſcenæ arenæque operam edidiſſe, aut famoſi judicii notam ſponte ſubiiſſe. Tiberium autem ne refugium in tali fraude cuiquam eſſet, eos eaſque omnes exilio affeciſſe.

(*b*) Quonam SCto? Aliquo nempè in idipſum facto ſub Tiberio.

(*c*) Id eſt, quæ ſe proſtituit.

(*d*) Expungendum NE, monet Gloſſa ex ſententiâ quorumdam. Sed ſimul quoque expungendum videtur verbum illud *dicendum*; legendumque, *Quanquàm is qui ſciret, &c.* Alii pro NE ſubſtituunt UT.

(*e*) *Le Capitaine de ſon mari.*

(*f*) *Vereatur* [ſupplendum ſcilicet]; ſive illa de quâ quæris, ſive aliæ quibus quandoque ſimilis caſus contingeret. Frequens in legibus hic tranſitus, à ſpecie ſingulari ad generalem definitionem: unde hic in plurali numero dicitur, *ab his quorum conjugio erant copulatæ.*

(*g*) *Nuptæ* alteri viro.

(*h*) Hâc ſcilicet, quòd non poſſit vir ad ipſam pervenire antequàm Adulterum accuſaverit & peregerit: de quo infrà Art. ſeq. §°. 1°.

(*i*) At non poteſt quis Adulterum ſimul & mulierem accuſare: infrà N. 49.

(*k*) Quamvis, ſi duos reos ex aliis criminibus haberet, tamen adhuc poſſet tertium injuriæ ſuæ perſequendæ causâ reum Adulterii facere: infrà N. 17.

(*l*) Id eſt, maximè *eam quam in poteſtate habet.*

Si

Source : BIU Cujas

Si maritus ſit in magiſtratu ; poteſt præveniri à patre (*a*) ? Atquin non oportet (*b*) : & putat Pomponius debere dici, quoad maritus magiſtratum gerit, patris quoque accuſationem impediendam (*Florent.* impediendum) : ne præripiatur marito jus quod cum eo æquale habet. Igitur non cedent ſexaginta dies patri, quam accuſare non poteſt. *l.* 15. IDEM LIB. 2. DE ADULTER.

Niſi igitur pater maritum infamem aut arguat, aut doceat colludere magis cum uxore quàm ex animo accuſare : poſtponetur marito. *l.* 3. ULPIAN. LIB. 2. DE ADULTER.

XVI.

Filiusfamilias maritus, ab eo qui ſui juris eſt (*c*) in eâ Lege non ſeparatur. Divus quoque Hadrianus Roſiano-Gemino reſcripſit, & invito patre filium hâc Lege reum (*d*) facere poſſe. *l.* 6. § 2. PAPIN. LIB. 1. DE ADULTER.

Hinc idem Papinianus. Filiumfamilias publico judicio Adulterium in uxorem ſine voluntate patris arguere poſſe, conſtitutum eſt : vindictam enim proprii doloris conſequitur. *l.* 37. IDEM. LIB. 5. QUÆST.

XVII.

Maritus, etſi duos reos ex alio crimine habeat, poterit jure viri tertium accuſare (*e*) ; quoniam ea cauſa non cedit in numerum cæterarum. *l.* 6. § 3. PAPIN. LIB. 1. DE ADULTERIIS.

XVIII.

Liberto, patroni famam laceſſere non facilè conceditur. Sed ſi jure mariti velit Adulterii accuſare, permittendum eſt : quomodo ſi atrocem injuriam paſſus eſſet (*f*). IDEM LIB. 36. QUÆSTION.

XIX.

Jam videndum ex quo cedant ſexaginta dies, intra quos maritus & pater cæteris accuſatoribus præferuntur. Nimirùm hi Sexaginta dies à divortio numerantur. In diebus autem ſexaginta, & ipſe ſexageſimus eſt. *l.* 30. § 8. PAUL. LIB. 1. DE ADULTER.

Iſti autem dies, ut jam obiter vidimus, ſunt utiles. Hinc Diocletianus & Maximianus : Ob commiſſa Adulteria, atque accuſandas uxores, certa tempora quæ utiliter computari ſolent, præſcripta ſunt. Si igitur per occupationes publicas accuſationem inſtituere non potuiſti ; nec ante creditum tibi munus, præſcripta tempora tranſacta ſunt ; poſt depoſitam ſollicitudinem quâ detineris, integram accuſandi poteſtatem habebis : ad quam quum vacare cœperis, properare debebis, nec effrenatâ licentiâ, ad terrendam adverſariam, futuræ accuſationis ſpeciem prætendas. *l.* 21. *Cod. h. tit.*

Conſonat quod reſcribit Gordianus. Si quondam uxor tua, antequàm crimine Adulterii accuſaretur, provinciam exceſſit : neque abſens accuſari poteſt ; neque in eam provinciam, in quâ ſtipendium facis, tranſmitti jure deponſcitur. Sanè cùm per occupationem militarem non licuerit, accuſare eam ſolemniter poteris. Nec enim tempus quo muneribus militaribus occuparis, vindictam tibi quam maritali dolore percuſſus depoſcis, debet auferre. *l.* 15. *Cod. h. tit.*

Conſonat quod in ſpecie ſequenti reſpondit Papinianus. Quidam accuſare volebat Adulterii mulierem ; & poſtulabat, ne ſibi computarentur dies, quos in cuſtodiam feciſſet (*g*). Me hoc admittente, extitit qui mihi contradiceret. Cujus opinionem an tu probes, rogo maturiùs mihi ſcribas ? Reſpondit : Opinionem tuam, & verba Legis & ſententia adjuvant ; cui placuit utiles dies accuſatori computandos eſſe, id eſt quibus potuit accuſationis ſolemnia implere. Quare ſine dubio dies quibus quis in cuſtodiâ fuit, extra computationem utilium dierum exiſtimanti tibi conſtitutos contradici non debuit. *l.* 11. § 5. PAPIN. LIB. SING. DE ADULTER.

XX.

Adeò verùm eſt, marito tempus non cedere dum impeditus eſt ; ut ſi, quum ignoraretur maritum fuiſſe impeditum, extraneus ad accuſandum admiſſus ſit, & mulier abſoluta ; tamen maritus poſteà docens de impedimento, debeat admitti.

Ita docet Ulpianus. Si ante (*h*) extraneus inſtituerit accuſationem ; an ſuperveniente marito permittatur accuſatio, quæritur ? Et magis arbitror hoc quoque caſu maritum audiendum, ſi non negligentiâ præventus eſt. Et ideò & ſi accuſatione inſtitutâ, abſoluta ſit mulier extraneo accuſante ; tamen marito debet permitti reſtaurare accuſationem : ſi idoneas cauſas allegare poſſit, quibus impeditus non inſtituit accuſationem. *l.* 4. § 2. ULP. LIB. 8. DISPUT.

XXI.

Vidimus ſexaginta dies marito non currere, quandiù impeditus eſt.

Cæterùm Sexaginta dies qui marito accuſante utiles computantur, feriatis quoque diebus, ſi modò facultatem Præſidis adeundi accuſator habuit, numerari certum eſt ; quoniam de plano quoque libellus dari poteſt. *l.* 11. § 6. PAPIN. LIB. DE ADULTERIIS.

XXII.

Obſervandum quòd Si maritus prævenerit, accuſareque inſtituerit, tempora non cedunt patri ; quo accuſationem inſtituere non poteſt : ſic tamen ut quoad unus occupet, utrique tempora cedant ; ubi verò maritus occupavit, reſidua tempora ei qui occupare non poteſt, non cedant. Quod & in eo dici poteſt, qui ab Adultero vel Adulterâ cœpit : non adversùs quem non cœpit, deſinunt ei tempora cedere. Hæc in maritis & patribus dicta ſunt. *l.* 4. ULP. LIB. 8. DISPUT.

XXIII.

Obſervandum ſupereſt, ita demùm alicui jure mariti hanc accuſationem competere ; ſi juſtæ nuptiæ fuerint, & his conſtantibus Adulterium ſit commiſſum.

Hinc Si quis uxorem ſuam velit accuſare, dicatque eam Adulterium commiſiſſe antequàm ſibi nuberet : jure viri accuſationem inſtituere non poterit ; quia non quum ei nupta eſt, Adulterium commiſit. Quod & in concubinâ dici poteſt, quam uxorem quis poſtea habuit ; vel in filiâfamilias, cujus conjunctionem pater poſtea conceſſit (*Aliàs* conſenſit). *l.* 13. § 6. ULPIAN. LIB. 2. DE ADULTER.

Item Si minor duodecim annis in domum deducta, Adulterium commiſerit ; mox apud eum ætatem exceſſerit, cœperitque eſſe uxor : non poterit jure viri accuſari, ex eo Adulterio quod ante ætatem nupta commiſit (*i*). Sed (*k*) vel quaſi ſponſa poterit accuſari, ex Reſcripto Divi Severi quod ſuprà relatum eſt. *d. l.* 13. § 8.

Si quis planè uxorem ſuam, quum apud hoſtes eſſet, Adulterium commiſiſſe arguat ; benigniùs (*l*) dicetur, poſſe eum accuſare jure viri. Sed ita demùm Adulterium maritus vindicabit, ſi vim hoſtium paſſa non eſſet. Cæterùm quæ vim patitur, non eſt in eâ causâ ut Adulterii vel ſtupri (*m*) damnetur. *d. l.* 13. § 7.

XXIV.

Hactenùs de marito & patre. Extraneis autem qui accuſare poſſunt, accuſandi facultas poſt maritum & patrem

(*a*) Id eſt ; videtur quòd poſſit præveniri à patre mulieris, ne nimirùm differatur accuſatio ; ſi quidem maritus ipſe, quandiù in magiſtratus eſt, non poteſt fungi munere accuſatoris : ſuprà Tit. *de Accuſat.* N. 1.

(*b*) Ratio decidendi quia nulla poteſt eo caſu marito imputari negligentia.

(*c*) Ex his verbis colligit Wiſſenbachius, in cæteris publicis judiciis filiumfamilias non poſſe accuſare niſi ex conſenſu patris ; quamvis ſine eo conſenſu munera publica & tutelas obire poſſit.

(*d*) Aliquem, uxoris ſuæ adulterum.

(*e*) Quod regulariter fieri non poteſt : ſuprà Tit. *de Accuſat.* N. 9.

(*f*) Suprà lib. præced. Tit. *de Injur.* N. 43.

(*g*) Vulgata habet, *quibus in cuſtodiâ fuiſſet.* Gothofredus obſervat hunc loquendi modum *Facere dies in*, pro *Morari dies in*, alibi reperiri.

(*h*) *Ante* virum. Alibi, *Si autem.*

(*i*) Scilicet ſi, non ſponſalia, ſed nuptiæ cum eâ impubere contractæ ſunt ; quia nuptiæ tales ſunt injuſtæ, nec valent ut ſponſalia, ſed omninò irritæ ſunt.

(*k*) Supple : *Sed* eo caſu quo ſponſalia contracta eſſent. Vide ſuprà N. 4.

(*l*) Stricto Jure ſecùs eſſet. Nam nuptiæ cum captivâ durare non poſſunt intelligi, cùm nonniſi inter cives conſtare poſſint.

(*m*) Cùm dolus abſit. Vide ſuprà N. 10 & 11.

Source : BIU Cujas

conceditur. Nam poſt ſexaginta dies, quatuor menſes extraneis dantur; & ipſi utiles. *l.* 4. § 1. ULP. LIB. 8. DISPUT.

Hoc eſt quod ait idem Ulpianus. Derelictam verò à marito accuſationem, etiam ab alio excitari utile eſt. *l.* 26. § 1. IDEM LIB. 3. DISPUTAT.

Quid ergo? Si negaverint ſe pater & maritus accuſaturos intrà diem ſexageſimum, an ſtatim incipiant tempora extraneo cedere? Et primus Pomponius putat admitti ad accuſationem extraneum poſſe, ſtatim atque iſti negaverint. Cui adſentiendum puto: fortiùs enim dicitur, eum qui ſe negaverit acturum, poſtea non audiendum. *l.* 15. § 5. ULP. LIB. 2. DE ADULTER.

XXV.

Intrà hoc autem tempus quod extraneis datur, maritus ut quivis alius poterit admitti. Undè Alexander. Jure mariti, Adulterii accuſare volenti ſexaginta dies utiles computantur; quibus in publico ejus facultas fuerit (*a*) apud quem reus vel rea poſtulari poteſt. Et quum præterierint dies iſti utiles, maritus quoque jure extranei agere poteſt. *l.* 6. *Cod. h. tit.*

Similiter ait Papinianus de lapſu ſexaginta dierum qui marito dantur: Quod privilegium ſi amiſit, non prohibetur intrà alios quator menſes querelam ſuam apud judicem deferre. *l.* 11. § 6. ¶ *fin.* PAPIN. LIB. SING. DE ADULTER.

XXVI.

Vidimus quibus accuſatio Adulterii competat. Lex Julia DE ADULTERIIS ſpecialiter quoſdam Adulterii accuſare prohibet: ut minorem annis viginti-quinque. Nec enim viſus eſt idoneus accuſator, qui nondum robuſtæ ætatis eſt. *ſup. d. l.* 15. § 6.

Et in hâc causâ, ſicut & in aliis omnibus quæ Jure ſtricto reguntur; Minorem viginti-quinque annis etiam eum accipimus, ut qui viceſimum-quintum annum ætatis agit. *d.* § 6. ¶ *minorem.*

Excipe. Quod ita verum eſt, ſi non matrimonii ſui injuriam exequatur: cæterùm ſi ſuum matrimonium vindicare velit, quamvis jure extranei (*b*) ad accuſationem veniat, tamen audietur. Nec enim ulla præſcriptio objicitur ſuam injuriam vindicanti. Sanè ſi juvenili facilitate ductus, vel etiam fervore ætatis accenſus, ad accuſationem proſiliit; accuſanti ei non facilè calumniæ pœna irrogabitur. *d.* § 6. ¶ *quod ita.*

Similiter apud Pariatorem Paulus ait: Vir aut pater Licèt talis qui aliàs accuſare non poſſit, ut libertinus, aut minor viginti-quinque annis, aut infamis, tamen ad accuſationem aditur. *Collat. Leg. Moſaic. Tit.* 4. § 4.

Item Papinianus de exceptionibus infamiæ aut libertinitatis: Civis Romanus qui ſine connubio ſibi peregrinam in matrimonio præbuit, jure quidem mariti eam Adulteram non poſtulat; ſed ei non opponetur infamia, vel quòd libertinus rem ſeſtertiorum triginta milliûm (*c*) aut filium non habuit, propriam injuriam perſequenti. *ibid.* § 5.

XXVII.

Ex Lege Conſtantini; Quamvis Adulterii crimen inter PUBLICA judicia referatur; quorum delatio in commune omnibus ſine aliquâ Legis interpretatione conceditur: tamen ne volentibus temerè liceat fœdare connubia, proximis neceſſariiſque perſonis ſolummodò placet deferri copiam accuſandi (*d*); hoc eſt, patri, fratri necnon patruo, & avunculo, quos verus dolor ad accuſationem impellit. *l.* 30. *Cod. h. tit.*

XXVIII.

Obſervandum ſupereſt quòd, ex pluribus qui ad accuſandum proſiliunt, debeat eligere judex cui accuſationem decernat.

Ita enim Ulpianus. Sed & quotiens alii qui poſt maritum & patrem accuſare poſſunt, ad accuſandum proſiliunt; Lege expreſſum eſt, ut is cujus de ea re notio eſt, de juſto accuſatore conſtituat. *l.* 2. § 9. ULP. LIB. 8. DISPUT.

§ III.

Quando hæc accuſatio competat.

XXIX.

Hæc accuſatio marito non niſi poſt ſolutum matrimonium competit.

Hinc apud Papinianum ſequens quæſtio. Volenti mihi ream Adulterii poſtulare, eam quæ poſt commiſſum Adulterium in eodem matrimonio perſeveraverit, contradictum eſt. Quæro an juſtè reſponſum ſit? Reſpondit, Ignorare non debuiſti, durante eo matrimonio in quo Adulterium dicitur eſſe commiſſum, non poſſe mulierem ream Adulterii fieri; ſed nec Adulterum interim accuſari poſſe. *l.* 11. § 10. PAPIN. LIB. SINGUL. DE ADULTER.

Cæterùm non ſolùm quum quis uxorem repudiavit; verùm In matrimonio quoque defunctâ uxore, vir jure Adulterum inter reos recipi poſtulat. *l.* 39. § 2. PAPIN. LIB. 15. RESPONS.

Ex Conſtitutione Conſtantini; poteſt vir mulierem quam Adulterii ſuſpicatur, hujus criminis poſtulare, & interim eam in matrimonio retinere. ſup. d. l. 30. *Cod.* h. tit.

XXX.

Hactenùs de viro. Quod ad extraneos attinet; mulier quidem poterit ab his ſoluto matrimonio accuſari. Putà, Defuncto marito, Adulterii rea mulier poſtulatur. *ſup. d. l.* 11. § 8.

Conſtante autem matrimonio, ab eo qui extra maritum ad accuſationem admittitur, accuſari mulier Adulterii non poteſt. Probatam enim à marito uxorem, & quieſcens matrimonium, non debet alius turbare atque inquietare; niſi priùs lenocinii maritum accuſaverit. *l.* 26. ULPIAN. LIB. 3. DISPUT.

Verùm Nuptâ quoque muliere, tametſi lenocinii vir prior non poſtuletur, Adulterii crimen contra Adulterum ab extrario poterit (*e*) inferri. *ſup. d. l.* 39. § 1.

XXXI.

Quod hactenùs diximus, crimen Adulterii non poſſe inferri conſtante matrimonio; accipe de eodem ipſo matrimonio, quo conſtante Adulterium commiſſum eſt, non de eo quod poſtea foret contractum. Conſtante enim hoc poſteriore, accuſari poteſt Adulterii in priore commiſſi.

Hinc Julianus. Nuptam mihi, Adulterii ream poſtulari poſſe in priore matrimonio commiſſi, dubium non eſt: cùm apertè Lege Julia DE Adulteriis Coerceendis caveatur, ſi quidem vidua ſit de cujus Adulterio agetur, ut accuſator liberum arbitrium habeat, Adulterum an Adulteram priùs accuſare malit; ſi verò nupta ſit, ut priùs Adulterum peragat, tunc mulierem. *l.* 5. JUL. LIB. 86. DIGEST.

Imò Commiſſum antea Adulterium cum eo cui ſe poſtea nuptiis ſociavit, velamento matrimonii non extinguitur. *l.* 27. *Cod. h. tit.* DIOCL. ET MAXIM.

(*a*) Id eſt, copia adeundi *in publico ejus* judicis *apud quem, &c.*

(*b*) Elapſo tempore quo jure viri accuſare poſſet.

(*c*) Scilicet Lege Juliâ, à cæteris accuſationibus, libertini tanquam viliores perſonæ arcebantur; niſi aut ex divitiis ſuis, aut ex eo quòd filium juſtis nuptiis procreatum haberent, commendationem aliquam accepiſſent.

(*d*) Gloſſa, Cujacius, Duarenus, & plures alii cenſent, extraneos ab hâc accuſatione conſtante demùm matrimonio excludi; cùm ceſſet ratio Legis *Ne liceat fœdare connubia*, ſi matrimonium jam ſolutum ſit. Wiſſenbachius eos utroque caſu excludi putat; cùm etiam videantur *Fœdari connubia*, ſi memoria benè tranſacti matrimonii maculetur; & Lex indictinctè jubeat, extraneos arceri.

(*e*) Ita in extraneo. Vir verò conſtante matrimonio neque mulierem neque Adulterum ejus accuſare poterat, Jure Pandectarum ſuprà N. 29.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS III.

Quæ præscriptiones adversùs accusationem Adulterii objiciantur.

§ I.

Prima præscriptionis species; de Adultero non peracto, vel absoluto.

XXXII.

Ex Lege Juliâ servatur; ut, cui necesse est ab Adultero incipere (*a*), quia mulier antè denuntiationem nupsit, non aliàs ad mulierem possit pervenire, nisi reum peregerit.

PEREGISSE autem non aliàs quis videtur, nisi & condemnaverit. *l.* 2. ULP. LIB. 8. DISPUTAT.

Et quidem Licèt ei mulier qui in suspicione Adulterii incidit, nupsisse dicatur; non antè accusari poterit, quàm Adulter fuerit convictus. Alioquin ad hoc vel maximè viri confugient, volentes benè concordatum sequens matrimonium dirimere; ut dicant cum Adultero mulierem nuptias contraxisse. *l.* 11. § 11. PAPIN. LIB. SING. DE ADULTER.

XXXIII.

Nupta non potest accusari, non tantùm ab eo qui Adulterum accusavit nec obtinuit, sed nec ab alio quidem, si Adulter absolutus est. Proindè si per collusionem cum Adultero constituerit, fueritque absolutus; dedit mulieri nuptæ adversùs omnes securitatem. *l.* 19. § 3. ULP. LIB. 2. AD L. JUL. DE ADULTER.

Sed si antequàm condemnetur, *l.* 17. § *fin.* IBIDEM. Vel antequàm cum eo agi cœperit, *l.* 18. MACER LIB. 1. DE PUBL. JUDIC.

Adulter diem suum obierit; constitutum est, etiam mortuo Adultero, sine præscriptione mulierem posse accusari. *sup. d. l.* 19. *pr.*

Sed & si non mors, sed pœna alia reum subtraxerit; adhuc dicimus posse ad mulierem veniri. *d. l.* 19. § 1.

XXXIV.

Hæc necessitas peragendi Adulterum antequàm ad mulierem deveniatur, tunc demùm locum habet quum mulier nupta est.

Quòd Si in viduitate mulier perseverat: in accusatoris est arbitrio, à quo velit incipere; utrùm ab Adultero, an ab Adulterâ. *l.* 15. § 8. ULP. LIB. 2. DE ADULTER.

Sed & Si eo tempore quo eligebatur reus, Adultera nupta non fuit; quo autem absolvatur, nupta invenitur: dicendum est hanc absoluto quoque Adultero, posse accusari; quia eo tempore quo Adulter eligebatur, nupta non fuit. *l.* 19. §. 2. IDEM LIB. 2. AD L. JUL. DE ADULTER.

Sed etsi nupta fuisset; Planè si nupta esse desierit, accusari poterit. Neque enim aliam Lex tuetur, quàm eam quæ nupta erit. *d. l.* 19. § 3.

XXXV.

Denique, etiamsi adhuc constet secundum matrimonium; ita demùm Nupta, priusquàm Adulter damnetur, Adulterii non postulatur (*b*); si nuptias denuntiatio [vel ad domum mulieris missa] non præcessit. *l.* 39. § 3. PAP. LIB. 15. RESPONS.

Enimverò Qui uxori repudium miserit, potest ei denuntiare ne Seio nuberet; &, si denuntiaverit, & ab eâ incipere potest. *l.* 16. ULPIAN. LIB. 1. DE ADULTER.

Consonat quod rescribit Gordianus. Si dum in tuo matrimonio uxor tua esset, se Adulterio polluit: in eâ provinciâ in quâ idipsum factum est, Adulterium more solito persequi debes. Nec enim ab ea quæ jam nupta & Adulterium passa est, exordium accusationis sumi potest; si denuntiatio criminis nuptias non præcessit. *l.* 14. *Cod. h. tit.*

Non necesse est autem ut prior maritus per semetipsum denuntiaverit. Sed & si per procuratorem denuntiaverit, puto posse eum accusationem si velit instituere; sufficereque procuratoris denuntiationem. *l.* 17. § 4. ULP. LIB. 2. AD L. JUL. DE ADULTER.

Ergo & si per actores denuntiaverit, id est per servum dominus denuntiaverit; rata erit denuntiatio. *d. l.* 17. § 5.

XXXVI.

DENUNTIASSE qualiter accipiamus? utrùm ad judicem, an verò simpliciter? Ego, etsi non denuntiavit ad judicem, sufficere credo si Adulterii se acturum denuntiaverit. *d. l.* 17. *pr.*

Quid ergo si tantùm denuntiavit ne nuberet, non addidit quare? Num rectè nupsisse videatur? Sed melius est illud sequi, ut ejus denuntiatio videatur electionem accusatori reservare, qui crimen denuntiavit. Omninò igitur, si fecit Adulterii criminis commemorationem in denuntiatione, etsi judicem non monstravit; magis putamus mulierem, quasi denuntiatio [*Malè in Florent.* denuntiationem] præcesserit, posse accusari. *d. l.* 17. § 2.

Quid tamen si specialiter, cum quo Adulterium fecerit, denuntiatione complexus est; mox velit eam ex alterius personâ accusare? Magis est, ut non debeat audiri: neque enim crimen quod denuntiavit, objicit. *d. l.* 17. § 3.

Quid ergo si non quidem denuntiavit, verùm libellos accusatorios dedit, antequàm nuberet; eaque, quum id cognovisset, nupsit, vel ignorans? Puto non videri ei denuntiatum: idcircò non posse accusatorem ab eâ incipere. *d. l.* 17. § 1.

§ II.

De 2ª. & 3ª. præscriptionis specie; si accusator destitit, aut mores mulieris probavit.

XXXVII.

Non extraneo solùm, sed & Marito jure mariti accusanti illa præscriptio objicitur, SI (*c*) Legem prodidisse dicatur; ob hoc quòd adgressus accusationem Adulterii, destitit (*d*). *l.* 2. § 1. ULP. LIB. 8. DISPUT.

XXXVIII.

Sed & si qua repudiata, mox reducta sit; non quasi eodem matrimonio durante, sed quasi alio interposito: videndum est an ex delicto, quod in priore matrimonio admisit, accusari possit? Et puto non posse: abolevit enim prioris matrimonii delicta reducendo eam. *l.* 13. § 9. ULP. LIB. 2. DE ADULTER.

Idem dicendum est; si stupri velit accusare eam, quam postea duxit uxorem. Serò enim accusat mores, quos uxorem ducendo probavit. *d. l.* 13. § 10.

§ III.

Quarta præscriptionis species, ex lenocinio mariti; & an illa ab uxore objici possit.

XXXIX.

Marito Adulterum accusanti objici etiam solet præscriptio LENOCINII. *Et quidem Jure Pandectarum æstimabatur,*

(*a*) In casu scilicet de quo in N. præced.

(*b*) Ita demùm *non postulatur, si non præcesserit denuntiatio.* Poterit ergo quamvis nupta, ante peractum adulterum postulari, si denuntiatio præcesserit ejus nuptias: neque solùm si ore proprio, sed & si *vel ad domum mulieris* missâ epistolâ vel nuntio, vir denuntiaverit; mox infrà.

(*c*) Budæus legit SI NON; hæc enim formula solemnis in exceptionibus, ut passim animadvertere est.

(*d*) Suprà Tit. *de Accusat.* N. 41.

Source : BIU Cujas

ex eo ſolo quòd uxorem penès ſe poſt deprehenſum Adulterium habuerit.

Hinc Alexander. Crimen Adulterii maritum, retentâ in matrimonio uxore, inferre non poſſe nemini dubium eſt. *l.* 11. *Cod. h. tit.*

Hanc autem præſcriptionem liberos homines, non etiam ſervos, objicere poſſe docent Diocletianus & Maximianus. Ita illi: Quoniam Alexandrum qui in crimen vocatur, etiam præſcriptionem eſſe pollicitum eo nomine quòd accuſator uxorem poſt deprehenſum Adulterium penès ſe habuiſſe videatur, & de ſtatu ſuo agere nunc velle perſpeximus: ita ordo quæſtionis dirimendus videtur, ut in primis quidem de ſtatu Alexandri quæratur, ita ut, ſi liberum eum eſſe adhibitâ audientiâ deprehenderis, præſcriptionis ei objiciendæ facias poteſtatem: ſin verò eumdem eſſe ſervum cognoveris, remotis præſcriptionis impedimentis, in Adulterum crimen protinùs debebis inquirere; ac ſi eum detectum in eo flagitio eſſe perſpexeris, pœnam decernere quam in Adulterii crimen Legum ſanctio ſtatuit. *l.* 26. *Cod. h. tit.*

X L.

Hæc de Adultero. Secùs de ipsâ uxore. Nam Si publico judicio maritus uxorem ream faciat; an lenocinii allegatio repellat maritum ab accuſatione? Et putem non repellere. Lenocinium igitur mariti ipſum onerat, non mulierem excuſat. *l.* 2. § 5. ULP. LIB. 8. DISPUT.

Undè quæri poteſt; an is qui de Adulterio cognoſcit, ſtatuere in maritum ob lenocinium poſſit? Et puto poſſe. Nam Claudius-Gorgus vir Clariſſimus uxorem accuſans, cùm detectus eſt uxorem in Adulterio deprehenſam retinuiſſe; & ſine accuſatore, lenocinii damnatus eſt à Divo Severo. *d. l.* 2. § 6.

Conſonat quod alibi ait idem Ulpianus. Judex Adulterii ante oculos habere debet, & inquirere, an matitus pudicè vivens, mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit. PERINIQUUM ENIM VIDETUR ESSE, UT PUDICITIAM VIR AB UXORE EXIGAT, QUAM IPSE NON EXHIBEAT. Quæ res poteſt & virum damnare, non rem ob compenſationem mutui criminis inter utroſque communicare. (*a*) *l.* 13. § 5. IDEM LIB. 2. DE ADULTER.

§ IV.

De præſcriptione Quinquennii continui, aut ſex menſium utilium.

X L I.

Notiſſimà eſt præſcriptio QUINQUENNII, *quæ adversùs accuſationem Adulterii objicitur.*

Enimverò Adulter poſt quinquennium quàm commiſſum Adulterium dicitur (quod continuum numeratur), accuſari non poteſt. Eaſque præſcriptiones Legibus reo datas, auferri non oportet. *l.* 5. *Cod. h. tit.* ALEXANDER.

Hoc temporis lapſu, non ſolùm Adulterium, ſed & cætera crimina quæ ex Lege Juliâ deſcendunt, extinguuntur. Ita enim Ulpianus. Hoc quinquennium obſervari legiſlator voluit; ſi reo vel reæ ſtuprum, Adulterium, vel lenocinium objiciatur. Quid ergo ſi aliud crimen ſit quod objiciatur, quod ex Lege Juliâ deſcendit? ut ſunt qui domum ſuam ſtupri causâ præbuerunt, & alii ſimiles (*b*). Et meliùs eſt dicere; Omnibus admiſſis ex Lege Juliâ venientibus, quinquennium eſſe præſtitutum. *l.* 29. § 6. ULP. LIB. 4. DE ADULTER.

Duo tamen excipiuntur. Et 1°. Eum autem qui per vim ſtuprum intulit vel mâri vel fœminæ, ſine præfinitione hujus temporis accuſari poſſe dubium non eſt; cùm eum publicam vim committere nulla dubitatio eſt. *d. l.* 29. § 9.

2°. *Item* Præſcriptione quinque annorum, crimen inceſti conjunctum Adulterio non excluditur. *l.* 39. § 5. PAPIN. LIB. 15. RESPONS.

X L I I.

Quinquennium autem ex eo die accipiendum eſt, ex quo quid admiſſum eſt; & ad eum diem quo quis poſtulatus poſtulata-ve eſt, & non ad eum diem quo judicium DE Adulteriis exercetur. *d. l.* 29. § 7.

Hoc ampliùs Senatuſconſulto additum eſt; ut, ſi plures eumdem poſtulaverint, ejus qui perſeveraverit reum ream-ve facere, poſtulationis dies prima exigatur: ſcilicet ut qui accuſat, ſuos libellos accuſatorios expectet (*c*), non alienos. *d. l.* 29. § 8.

X L I I I.

Quinquennium non utile, ſed continuò numerandum eſt.

Quid ergo fiet, ſi prior mulier rea facta ſit; Et ideò adulter eodem tempore reus fieri non potuit, & diù tractâ lite quinquennium tranſierit? Quid ſi is qui intra quinquennium, quem poſtulaverat, non peregerit; aut prævaricatus eſt; & alius eumdem repetere velit, & quinquennium tranſactum ſit? æquum eſt computationi quinquennii eximi id tempus; quod per poſtulationem præcedentem conſumptum ſit. *l.* 31. PAUL. LIB. 2. DE ADULTER.

X L I V.

Præter hanc quinquennii continui præſcriptionem quæ mâri & fœminæ Adulteris communis eſt, habet mulier & propriam præſcriptionem ſex menſium utilium. Scilicet ſexaginta dies ſeu duo menſes viro & patri conceduntur; poſt quos alii quatuor menſes duntaxat conceduntur extraneis: & ſic fit ut poſt ſex menſes omninò non poſſit accuſari mulier.

Porrò horum Sex menſium hæc fit ſeparatio; ut in nuptâ quidem, ex die divortii ſex menſes computentur; in viduâ verò, ex die commiſſi criminis. Quod ſignificari videtur Reſcripto ad Tertyllum & Maximum Conſules.

Prætereà ſi ex die divortii ſexaginta ſint (*d*), ex die verò commiſſi criminis quinquennium præteriit; debuit dici, nec mulierem poſſe accuſari: ut quòd dantur ſex menſes utiles, ſic ſit accipiendum; ne crimen quinquennio continuo ſopitum excitetur. *l.* 29. § 5. ULP. LIB. 4. DE ADULTER.

§ V.

De reprobatis cæteris præſcriptionibus circa crimen Adulterii.

X L V.

Præter præſcriptiones quas enumeravimus, cæteræ quælibet omninò reprobantur. Hinc Diocletianus & Maximianus: Ita nobis cordi pudor (*e*) eſt, ut removeamus priſci Juris ambages; conſtituamus in Adulterii quæſtione, abolitis de medio cæteris præſcriptionibus, præter Quinquennii temporis, & Lenocinii quod marito objicitur, exceptionem illam etiam quæ poſt ſolutum prius matrimonium ante denuntiationem nuptæ competit (*f*), fidem criminis noſci. Indignum eſt enim ut ultionem pudoris, præſtigia verſuti Juris excludat. *l.* 28. *Cod. h. tit.*

X L V I.

Jam ante hoc Reſcriptum reprobata erat illa præſcriptio, SI NON PRÆJUDICIUM FIAT FILIO IMPUBERI; *ſuſcepto ſcilicet ex eo matrimonio in quo Adulterium commiſſum dicitur.*

(*a*) In Reſcripto Antonini undè hic Textus deſumptus videtur, & quod extat apud Divum Auguſtinum *ad Pollentium* lib. 2°. pro *communicare* legitur *componere*. Et ſenſus eſt: *Quæ res*, id eſt, quod lenocinium viri, *poteſt & virum damnare*; *non* verò *rem componere*, id eſt, non verò abſolvere mullerem, *ob compenſationem mutui criminis inter utroſque.*

(*b*) Infrà Sect. ſeq. Art. 6.

(*c*) Pro *Spectet*; ut in Editione Sennetonianâ. Senſus eſt: Quum objicitur accuſatori preſcriptio *Quinquennii*, ſpectatur ipſius accuſatoris libellus, an intra Quinquennium editus ſit; non verò ſpectatur an alter accuſator, qui fortè deſtitit, intra Quinquennium libellum ediderit.

(*d*) *Sint*; id eſt nondum effluxerint ſexaginta dies utiles.

(*e*) Id eſt; caſtitas ita nobis cordi eſt, ut hâc in re removeamus exceptiones ex priſci Juris ambagibus petitas.

(*f*) Scilicet ut priùs peragatur adulter: de quâ ſuprà §°. 1°.

Source : BIU Cujas

Ita enim Papinianus. Quæ propter impuberem filium vult dilationem ab accuſatore impetrare, an debeat audiri? Reſpondi: non videtur mihi confugere ea mulier ad juſtam defenſionem, quæ ætatem filii prætendit ad eludendam legitimam accuſationem. Nam non utique crimen Adulterii quod mulieri objicitur, infanti præjudicat; cùm poſſit & illa Adultera eſſe, & impubes defunctum patrem habuiſſe. *l.* 11. § 9. PAPIN. LIB. SING. DE ADULTER.

Ex Lege Theodoſii, Arcadii & Honorii; & illa præſcriptio meritò reprobatur, quâ vir non ante debebat admitti quàm dotem redderet vel pecuniam ex aliâ ratione uxori debitam: maximè Cùm civilis actio criminali (*inquiunt*) jure poſtponatur. *l.* 33. *Cod.* h. tit.

XLVII.

Nullam præſcriptionem eruere Adulter poteſt, ex eo quòd defuncta ſit mulier.

Hinc Ulpianus. Adulterii reum, intrà quinque annos continuos à die criminis admiſſi, defunctâ quoque muliere poſtulari poſſe palàm eſt. *ſup. d. l.* 11. § 4.

§ VI.

Quando præſcriptiones ſupràdictæ objici debeant.

XLVIII.

Præſcriptiones quæ objici ſolent accuſantibus adulterii, ante ſolent tractari quàm quis inter eos recipiatur. Cæterùm poſteaquàm ſemel receptus eſt, non poteſt præſcriptionem objicere. *l.* 15. § 7. ULPIAN. LIB. 2. DE ADULTER.

Hinc de præſcriptione lenocinii quam marito objici poſſe vidimus, ait Ulpianus: Extraneus autem nequaquàm Lenocinium objiciens, poſteaquàm reus factus eſt, ſe relevabit, nec maritum pœnæ ſubjiciet. *l.* 2. § 7. IDEM. LIB. 8. DISPUTAT.

Idem ait. Qui hoc dicit, Lenocinio mariti ſe feciſſe; relevare quidem vult crimen ſuum: ſed non eſt hujuſmodi compenſatio admiſſa. Ideò ſi maritum velit reus Adulterii, lenocinii reum facere; ſemel delatus non audietur. *d. l.* 2. § 4.

ARTICULUS IV.

Quæ in inſtituendâ & peragendâ Adulterii accuſatione obſerventur.

§ I.

De ordine & formâ inſtituendæ hujus accuſationis.

XLIX.

In inſtituendâ Adulterii accuſatione illud obſervari debet, ne quis & mulierem & Adulterum ſimul accuſet.

Enimverò Si quis & Adulterum & Adulteram ſimul detulit, nihil agit: poteritque, quaſi neutrum detulerit, rursùs à quo velit initium facere: quia nihil agit primâ delatione. *l.* 15. § 9. ULP. LIB. 2. DE ADULTER.

Similiter Alexander. Reos Adulterii duos ſimul, marem & fœminam, ex eâdem causâ fieri Lex Julia DE PUDICITIA vetat; ſed ordine peragi utroſque licet. *l.* 8. *Cod. h. tit.*

Et quidem Quum alterum ex Adulteris elegerit maritus, alterum non ante accuſare poteſt quàm prius judicium finietur: quia duos ſimul ab eodem accuſari non licet. Non tamen prohibetur accuſator ſimul cum Adultero vel Adulterâ, eum quoque accuſare qui domum ſuam præbuit, vel conſilio fuit ut crimen redimeretur. *l.* 32. §. 1. MACER. LIB. 1. DE PUBL. JUDIC.

L.

Eadem perſona non poteſt quidem mulierem & Adulterum ſimul accuſare. Sed Quæritur an alius Adulteram, alius Adulterum poſtulare poſſit; ut quamvis ab eodem ambo ſimul poſtulari non poſſint, à diverſis tamen ſinguli poſſint? Sed non ab re eſt hoc probare, diverſos accuſatores admitti poſſe; dùm, ſi ante denuntiationem nupſerit prior mulier, accuſari non poſſit (*a*).

Expectabit igitur mulier Sententiam de Adultero latam. Si abſolutus fuerit; mulier per eum vincet, nec ultrà accuſari poteſt: ſi condemnatus fuerit, mulier non eſt condemnata; ſed aget cauſam ſuam. Fortaſſis & obtinere, vel gratiâ, vel juſtitiâ, vel Legis auxilio poſſit. Quid enim, ſi Adulter inimicitiis oppreſſus eſt, vel falſis argumentis teſtibuſque ſubornatis apud Præſidem gravatus; qui aut noluit aut non potuit provocare? Mulier verò judicem religioſum ſortita pudicitiam ſuam defendet. *l.* 17. § 6. ULP. LIB. 2. AD L. JUL. DE ADULTER.

LI.

Quod attinet ad formam hujus accuſationis inſtituendæ, eadem eſt quæ & in cæteris publicis judiciis.

Maritum tamen (*ut nos docet Conſtantinus*) Nec inſcriptionis vinculo contineri, quum jure mariti accuſaret, veteres retrò Principes annuerunt. *l.* 30. *Cod. h. tit.* ¶ *nec inſcriptionis.*

Idem dic de patre qui jure patris accuſat. Hinc Paulus: Jure mariti vel patris qui accuſat, poteſt ſine calumniæ pœnâ vinci: ſi jure extranei accuſat, poteſt calumniæ causâ puniri. *Apud Pariatorem Tit.* 4. § 4. *ex Pauli lib. ſingul.* DE ADULT.

Hoc ita, ſi uterque bonâ fide, quamvis non ex ſatis gravibus indiciis accuſationem inſtituerunt. Secùs ſi vexandi animo: nam hoc caſu, etiam Jure mariti qui accuſant, calumniæ periculum non evitant. *l.* 14. § 3. SCÆVOLA LIB. 4. REGULAR.

Et pariter hoc caſu, Pater ſine periculo calumniæ non poteſt agere. *l.* 30. PAUL. LIB. 1. DE ADULTER.

Ex Novellâ autem CXVII cap. 8. § 2. *etiam maritus quum Adulterii uxorem accuſat, inſcribere ſe in crimen debet.*

§ II.

Quæ in peragendâ Adulterii accuſatione obſerventur.

LII.

Singulare eſt in hâc accuſatione; quòd Haberi quæſtionem Lex jubet, de ſervis ancillis-ve ejus (*b*) de quo vel de quâ quæreretur; parentis-ve utriuſque eorum, ſi ea mancipia ad uſum ei à parentibus data ſint. Divus autem Hadrianus Cornelio-Latiniano reſcripſit, Et de exteris (*c*) ſervis quæſtionem haberi. *l.* 27. § 6. ULP. LIB. 3. DE ADULTER.

Conſonat quod reſcribunt Gratianus, Valentinianus Theodoſius & Arcadius: In Adulterii quæſtione, ab omni familiâ non ſolùm mariti, ſed etiam uxoris (quæ tamen tunc temporis domi fuerit, quo Adulterium dicatur admiſſum) quærendum eſt; ſine defenſione cujuſquam. *l.* 32. *Cod. h. tit.*

De eoque ſervo in quo uſumfructum reus habuit, magis eſt ut quæſtio haberi poſſit. Licèt enim ſervus ejus non fuerit, in ſervitute tamen fuiſſe videtur: nec tam proprietatis cauſa ad quæſtionem, quàm miniſterii pertinet. *ſup. d. l.* 27. § 8.

Ergo & ſi bonâ fide ſerviat reo ſervus alienus; admittit quis interrogari eum per quæſtionem poſſe. *d. d. l.* 27. § 9.

Sed ſi ſervus ſit cui fideicommiſſa libertas debetur vel ſtatuta ſperatur; torqueri eum poſſe magis eſt. *d. l.* 27. § 10.

Imò intrà duos menſes poſt miſſionem repudii numerandos, libertas eorum ſuſpenditur; ut poſſint, ſi opus fuerit,

(*a*) Propter præſcriptionem de quâ Art. præced. §°. 1°. N. 35.

(*b*) Hoc contra regulam quæ *Servos in caput domini torqueri* vetat, Jure ſingulari obtinet, propter odium hujus criminis, & difficultatem eruendarum aliundè probationum.

(*c*) Vide quæ mox ſequuntur.

Source : BIU Cujas

quæstioni subjici. Et hoc observari voluit Justinianus, etiam mortuâ muliere, propter quæstionem dotis. l. 36. *Cod.* h. tit.

L III.

Quod diximus circa quæstionem de servis habendam, obtinet; non solùm quum vir jure mariti accusat, sed & quum jure extranei.

Ita enim de marito qui jure extranei accusabat, ait Alexander: Et qui confidit accusationi, calumniæ notam timere non debet. Nam ad probationem sceleris, Divi parentes Mei quæstionem de mancipiis eodem modo haberi permiserunt, quasi jure mariti ageretur. *l.* 6. *Cod. h. tit.* ¶ *& qui.*

L IV.

Circa ea quæ in peragendâ hâc accusatione servantur, notandum superest; quòd In crimine Adulterii nulla danda dilatio est, nisi ut personæ exhibeantur; aut judex ex qualitate negotii motus, hoc causâ cognitâ permiserit. *l.* 41. PAUL. LIB. I. SENTENT.

ARTICULUS V.

De pœnâ Adulterii.

L V.

Adulterii convictas mulieres, dimidiâ parte dotis & tertiâ parte bonorum, ac relegatione in insulam placuit Coerceri (*a*). Adulteris verò viris, pari in insulam relegatione, dimidiam bonorum partem auferri; dummodò in diversas insulas relegentur. PAUL. SENTENT. *lib.* 2. *Tit.* 27. § 13.

Hanc autem pœnam Adulterii, ipsam esse quæ Lege Juliâ definita fuerit, vulgò creditur. Quod tamen, ut negari non potest; ita nec certò affirmari: cùm neque Legi Juliæ eam Paulus adscribat; & fieri possit ut Legis Juliæ pœna immutata fuerit sequentium Imperatorum Constitutione aliquâ, quæ ad nos non pervenit. Enimverò quasdam hujusmodi Constitutiones circa Adulteria extitisse, putà Divi Marci, colligitur ex eo quod scribit Capitolinus; eum MORES MATRONARUM DIFFLUENTES *composuisse Apertiùs de Severo & disertè dicitur (apud Dionem lib.* 76. *in fine) hunc Imperatorem* LEGES DE MŒCHIS *tulisse: ex quibus quàm muti in Jus vocati sint, testis ibidem Dio, quum ait; se, dum Consul esset sub Severo, tria millia mœchorum invenisse in tabulis accusata. Harum porrò omnium Legum aut Constitutionum, ne fragmentum quidem hodie reperire est.*

Sic tamen verosimiliùs distinguendum videtur; ut quod ait Paulus de publicatione partis bonorum, in incerto quidem sit an Legi Juliæ an posterioribus his Constitutionibus adscribi debeat. RELEGATIONEM *autem ipsam, tanquam Legis Juliæ pœnam ordinariam definiri posse vix dubium est. Sic apud Tacitum Annal. II.* 51. ADULTERO MANLIO, ITALIA ATQUE AFRICA INTERDICTUM EST; *ibidemque n.* 85. *quædam Vistilia ob vulgatum Adulterii crimen* IN INSULAM SERIPHON ADDITA EST. *Plinius autem Epist. VI.* 31. *refert Galletam quamdam Adulterii ream, damnatam à Trajano extra ordinem cognoscente,* Juliæ Legis pœnis relictam esse (*quæ proindè sub Trajano adhuc vigebant*); *Centurionemque hujus mulieris Adulterum, ab eodem Imperatore exauctoratum &* RELEGATUM *fuisse. Porrò, quanquàm ex hoc Plinii loco præcisè non constet quæ fuerit Legis Juliæ pœna; cùm non ex Lege in hâc specie, sed extra ordinem Trajanus cognoverit; eum tamen in Adultero probabile est non recessisse à pœnâ Legis, cui Adulteram voluit relinqui. His omnibus adde quod scribit Dio lib.* 55. *Julium-Antonium morte punitum; reliquos domûs Augusti Adulteros,* Quasi cujuslibet uxore violatâ *pœnas pependisse: quod ipsum Tacitus* Annal. *IV. ita breviter comprehendit; Augustum, filiæ & neptis Adulteros* MORTE AUT FUGA *puniviſſe. Ergo* FUGA *seu relegatio fuit pœna quæ ob* cujuslibet uxorem *violatam irrogabatur, adeòque ordinaria Legis Juliæ pœna: si quos autem domûs suæ Adulteros Augustus morte punivit; id non tanquam in Adulteros simpliciter, sed tanquam in violatæ majestatis reos animadvertisse dicendum est; & eâ in re, ut ibidem observat Tacitus,* Suas ipse Leges egrediebatur.

L VI.

Graviùs etiam ex hâc causâ puniebatur libertus, qui hoc facinus in uxorem patroni admiserat.

Quid autem Si is qui jus annulorum impetravit, Adulterium commisit in patroni uxorem, aut in patronam suam, aut in ejus ei-ve (*b*) cujus libertus patris aut matris, filii filiæ-ve fuit; an ut libertus puniri debeat? Et, si deprehensus sit in Adulterio, an impunè occidatur? Et magis probo, subjiciendum pœnâ libertinorum; quoniam Lege Juliâ DE Adulteriis Coercendis, ad tuenda matrimonia, pro libertinis eos haberi placuit: & deteriorem causam, per istud beneficium, patronorum habere non oportet. *l.* 42. TRYPHON. LIB. 2. DISPUT.

L VII.

Ex Lege Constantini; Sacrilegos nuptiarum, gladio (*c*) puniri oportet. *l.* 30. § 1. *Cod. h. tit.*

Idem sancivit, ut si servus cum dominâ Adulterium commisisset, servus combureretur; mulier capite puniretur. Filiis autem ex hâc conjunctione natis, sola libertas relinquitur; nec matri possunt succedere. l. un. Cod. de Mulierib. quæ se propr. serv.

Jus illud à Constantino introductum circa pœnam mulieris Adulteræ, Jure Novellarum mitigatum est. Novellâ enim CXXXIV. cap. 10. *mulier, non jam capite punitur; sed verberata detruditur in monasterium, undè post biennium potest à viro recipi. Sin noluerit vir eam accipere, ibi perpetuò manet, bonaque ejus addicuntur monasterio: servato tamen liberis ejus, si qui sint, besse; aut his deficientibus, servato ascendentibus triente.*

Ex Constitutione anonymâ; Adulteris verberatis & tonsis nares abscinduntur. Nuncii verò, & impii hujusce facinoris administri, verberati & tonsi in perpetuum relegantur. *l. fin. Cod. h. tit.*

ARTICULUS VI.

Quæ permittantur patri & marito in mulierem Adulteram & Adulterum ejus.

§ I.

De jure occidendi Adulteros, quod patri filiæ conceditur.

L VIII.

Capite secundo Legis Juliæ de Adulteriis, permittitur patri tam adoptivo quàm naturali, Adulterum cum filiâ, cujuscumque dignitatis, domi suæ vel generi sui deprehensum, SUA MANU occidere. PAUL. SENT. LIB. 2. *Tit.* 27. § 1.

Qui textus Pauli latiùs refertur apud Pariatorem, cujus locus mendosus ita in Pithœi Editione rectè restitutus est: Paulus libro singulari de Adulteriis...

(*Lex Julia*) secundo Capite permittit patri, si in filiâ

(*a*) Hæc *Relegationis* pœna quam in Adulteros statutam refert Paulus; non de relegatione in perpetuum, sed de relegatione ad tempus accipienda videtur. Aliàs etenim, ut quid opus fuisset adulterii damnatis jus prohibendi testimonii adimere? suprà lib. 22. Tit. *de Testib.* N. 2. Ut quid opus fuisset mulieris Adulterii damnatæ nuptiis interdicere, suprà lib. 23. Tit. *de Ritu nupt.* N. 23. si in perpetuum fuisset relegata?

(*b*) Alibi *eam-ve*; & tunc sensus planior. Id est, *in ejus* vidi uxorem, *eam-ve* fœminam, *cujus* [viri aut fœminæ] *patris aut matris libertus fuit*, vel etiam *filii* ejus *filiæ-ve* libertus.

(*c*) Malè igitur Tribonianus *Instit.* Tit. *de Publ. jud.* § 4. adscribit Legi Juliæ pœnam gladii. Et certè si capitalis ex ipsâ Lege Juliâ fuisset pœna hujus criminis; inutiliter prorsùs & perperam [longè magis hîc quam in relegationis pœnâ] cautum fuisset de vetitis Adulteræ nuptiis, & testimonii Adulteris omnibus interdictione, de quibus in Notâ (*a*) mox suprà. Quod autem Virgilius Æneid. VI ait, *Qui-que ob adulterium læsi...* [id est occisi]; intellige *læsos* non gladio judicis, sed mariti.

Source : BIU Cujas

suâ (*a*) quàm in potestatem habet, aut in eâ quæ eo auctore (cùm in potestate esset) viro in manum convenerit, Adulterium domi suæ, generi-ve sui deprehenderit; isque in eam rem rem (*b*) socerum adhibuerit; ut is pater eum Adulterum sine fraude (*c*) occidat, ita ut filiam in continenti occidat. *Collat. Leg. Mosaic. tit. IV.* § 2.

L I X.

Quæritur ergo 1°. *An id demùm obtineat in filiâfamilias? Et quidem ita Papinianus & Ulpianus.* Patri datur jus occidendi Adulterum (*d*) cum filiâ quam in potestate habet. Itaque neque alius ex patribus (*e*) idem jure faciet. Sed nec filius familias pater. *l.* 20. PAPIN. LIB. I. DE ADULTER.

Sic eveniet ut nec pater (*f*), nec avus (*g*), possint occidere. Nec immeritò (*h*): in suâ enim potestate non videtur habere, qui non est suæ potestatis. *l.* 21. ULP. LIB. I. DE ADULTER.

Porrò Sufficit patri si eo tempore habeat in potestate quo occidit, non quo in matrimonio collocavit. Finge enim postea (*i*) redactam in potestatem. *l.* 23. § 1. ULP. LIB. I. DE ADULTER.

Ex stricto tamen Jure est quod dicitur, patrem hoc jus non habere nisi filiam in potestate habeat. Ita enim Paulus: Filiusfamiliàs pater si filiam in Adulterio deprehenderit, verbis quidem Legis propè est ut non possit occidere, permitti tamen ei debet ut (*k*) occidat. PAUL. SENT. LIB. 2. *tit.* 27. 2.

Observandum 2°. *quòd, ut jam dictum est*, Nec in eâ Lege naturalis ab adoptivo pater se paratur. *l.* 22. PAPIN. LIB. I. DE ADULTER.

3°. *Nil refert cujus conditionis aut dignitatis fuerit Adulter. Ita enim pergit Pariator loco suprà dicto: ejusdem Legis* Auctoritate quoque: patrem posse interficere vel Consularem virum, vel patronum (*l*), si eum in filiam suam Adulterum deprehenderit; Marcellus probat. *Collat. sup. d. tit. IV.* § 2.

L X.

4°. Jus occidendi patri conceditur DOMI SUÆ, licèt ibi filia non habitat, vel in domo generi.

Sed DOMUS & pro domicilio accipienda est, ut in Lege Corneliâ DE INJURIIS. *sup. d. l.* 22. § 2.

Quare non ubicumque deprehenderit pater, permittitur ei occidere, sed DOMI SUÆ GENERI-VE SUI tantùm, illa ratio redditur; quòd majorem injuriam putavit legislator, quòd in domum patris aut mariti ausa fuerit filia Adulterum inducere. *l.* 23. § 2. ULPIAN. LIB. I. DE ADULTER.

Hinc statim addit Jurisconsultus. Sed si pater alibi habitet, habeat autem & aliam domum in quâ non habitet; deprehensam illò filiam ubi non habitat, occidere non poterit. *d. l.* 23. § 3.

L X I.

5°. Quod ait Lex: IN FILIA ADULTERUM DEPREHENDERIT, non otiosum videtur. Voluit enim ita demùm hanc potestatem patri competere, si in ipsâ turpitudine filiam de Adulterio deprehendat. Labeo quoque ita probat, & Pomponius scripsit, In ipsis rebus Veneris deprehensum, occidi. Et hoc est quod Solo & Draco dicunt, Ἐν ἔρτῳ. *d. l.* 23. *pr.*

Non ergo sufficeret quòd quis in ipso cubiculo mariti nocte deprehensus fuisset. Nec enim ex eo solo contra aliquem inauditum colligi potest, eum Adulterium commisisse; cùm aliâ de causâ ingredi & latitare potuerit (*m*).

6°. *Item* Quod ait Lex, IN CONTINENTI filiam occidat; sic erit accipiendum, ne occiso hodie Adultero, reservet, & post dies filiam occidat; vel contrà. Debet enim propè uno ictu & uno impetu utrumque occidere, æquali irâ adversùs utrumque sumptâ. Quòd si non affectavit, sed dum Adulterum occidit; profugit filia; & interpositis horis adprehensa est à patre qui persequebatur, IN CONTINENTI videbitur occidisse. *d. l.* 23. § 4.

Nihil interest Adulteram filiam priùs pater occiderit, an non: dùm utrumque occidat. Nam si alterum (*n*) occidit, Lege Corneliâ reus erit.

Quòd si altero occiso alter vulneratus fuerit, verbis quidem Legis non liberatur; sed Divus Marcus & Commodus rescripserunt, impunitatem ei concedi: quia licèt interempto Adultero mulier supervixerit, post tam gravia vulnera quæ ei pater inflixerat, magis fato quàm voluntate ejus servata est: quia Lex parem in eos qui deprehensi sunt, indignationem exigit, & severitatem requirit. *l.* 32. MACER. LIB. I. DE PUBL. JURIC.

§ I I.

An idem marito liceat quod patri, circa jus occidendi Adulteros.

L X I I.

Maritus in Adulterio deprehensos, non alios quàm infames, & eos qui corpore quæstum faciunt, servos etiam (exceptâ uxore quam prohibetur) occidere potest. PAUL. SENT. LIB. 2. *tit.* 2. 27. § 4.

Inventâ in Adulterio uxore maritus ita demùm Adulterum occidere potest, si eum DOMI SUÆ deprehendat. *d. tit.* § 7.

Igitur Marito quoque Adulterum uxoris suæ occidere permittitur; sed non quemlibet (*o*), ut patri. Nam hâc Lege cavetur, ut liceat viro deprehensum DOMI SUÆ, non etiam soceri (*p*), in Adulterio uxoris occidere; eum qui leno fuerit, qui-ve artem ludicram ante fecerit, in scenam saltandi cantandi-ve causâ prodierit,

(*a*) Ita vulgò corruptè ... *Pater filias suas quas ... ut in eâ quæ auctore ... inque eam rem, &c.*

(*b*) Sensus est; si gener ejus [patris scilicet, qui filiam ex suâ potestate, in potestatem generis sui per conventionem in manum transmisit] *in eam rem*, id est ad vindictam de Adulterio deprehenso sumendam, *socerum suum adhibuerit*: hoc casu permittitur patri Adulterum cum filiâ suâ occidere. Nimirùm cùm filia in patris potestate esse desierit, & in potestatem viri transierit; jam non habet pater jus occidendi, nisi quo casu gener ipsius auxilium ejus implorat.

(*c*) Id est, impunè; ut sæpè notavimus ad *L. XII Tab.*

(*d*) Modò *suâ manu*, suprà ex Paulo. Item *cum filiâ* simul & quasi uno ictu: nec enim Lex Julia ei permittit Adulterum occidere, nisi simul & filiam confodiat, infrà N. 61. Ut autem & filiam occidere possit, id non ex eâ Lege, sed ex antiquo Romuli instituto habet.

(*e*) Quàm is qui filiam in potestate habet. Adde, aut cujus filia ipso auctore ex potestate ejus in viri manum convenit, ut suprà ex laudato apud Pariatorem textu Pauli: cum hoc tamen discrimine, ut ibidem dicitur, quòd in filiam quæ in potestate est jus occidendi patri omninò competat; in eam autem quæ in manum convenit, non aliàs quàm si gener ipse auxilium patris imploret. Verùm, cùm Justiniani ævo jamdiù exolevisset conventio in manum, nullum in libris suis voluit relinqui Juris hujus vestigium.

(*f*) Filiusfamilias.

(*g*) Qui in potestate neptem habet.

(*h*) Supple; quoad avum, quia hoc jus soli patri datur: quoad patrem autem qui ipse filiusfamilias est, hâc optimâ ratione quia non habet filiam in potestate; *in suâ enim, &c.*

(*i*) Putà, morte avi in cujus potestate erat quum nupsit.

(*k*) Hæc posterior sententia fortasse Justiniano non placuit, qui eam libris suis non inseruit.

(*l*) Malè vulgò *patronum suum in filiam*, &c. Schultingius autem verbum hoc *patronum*, etiam emendandum censet; legendumque *Prætorium*. Nec enim sibi persuadere potest hoc liberto patri licuisse in patronum, cujus sancta semper persona ipsi esse debet. Certè marito in patronum denegatur, infrà §°. seq. Verùm facilè respondetur, majus in totâ eâ re patris jus fuisse quàm mariti, ut patebit etiam ex infrà dicendis.

(*m*) Etiamsi aliàs turpi de causâ: ut refertur de Callidio quodam Bononiensi; qui in cubiculo mariti nocte deprehensus, & Adulterii postulatus, absolutus fuit; cùm affirmaret se, non Adulterii causâ, sed ob amorem pueri servi eò se perductum. Itaque [inquit Valer. Max. lib. VIII 1. 12.] *Crimen adulterii, libidinis intemperantis confessio liberavit.*

(*n*) *Alterum* tantùm, id est Adulterum.

(*o*) Hanc distinctionem introduxit Lex Julia. Anteà verò non videtur obtinuisse: hinc ad illos Horatii versus, lib. 2. Satyr. VII.

Quid refert uri virgis, ferroque necari,
Auctoratus eas? An turpi clausus in arcâ
Quò te demisit peccati conscia herilis,
Contractum genibus tangas caput? Est-ne marito
Matronæ peccantis, In ambos justa potestas?
In corruptorem vel justior?

Antiquus Scholiastes indistinctè ait: *Lex fuit apud Athenienses ut Adulterum eum Adulterâ deprehensum marito liceret occidere. Hæc* Lex [à Romanis recepta] *abolita est Lege Juliâ.*

(*p*) Multò minùs in alienâ. Etenim sub Imperatoribus, ut erant corrupti Romanorum mores, nonnullæ uxores interdum seorsim à viris habitabant; quod præsertim inter Consulares & digniores personas accidebat: ut constat ex *l.* 32. § 13. ff. *de Donat. int. vir. & ux.* & l. 15. ff. *de Act. rer. amor.*

Source : BIU Cujas

judicio-ve publico damnatus neque in integrum reſtitutus etit; qui-ve libertus (*a*) ejus mariti, uxoris-ve, patris, matris, filii, filiæ, utrius eorum fuerit. Nec intereſt, proprius cujus eorum, an cum alio communis fuerit, qui-ve (*b*) ſervus erit. *l.* 24. MACER. LIB. I. PUBLICOR.

Addit Paulus apud Pariatorem IV 3. *eum* Qui operas ſuas ut cum beſtiis pugnaret, locavit, *& eum* Qui Auctoramento rogatus eſt ad gladium, *id eſt in gladiatorum numero ſe devovit* (*c*).

Nota tamen : Certè ſi patronum qui ſit ex eo numero qui deprehenſus ab alio (*d*) interfici poteſt, in Adulterio uxoris deprehenderit; deliberandum eſt an impunè poſſit occidere? Quod durum nobis eſſe videtur. Nam cujus famæ, multò magis vitæ parcendum eſt. *l.* 38. § 9. ¶ *certè.* PAPIN. LIB. 36. QUÆST.

LXIII.

Et præcipitur ut is maritus qui horum quem occiderit, uxorem ſine morâ dimittat. *d. l.* 24. § 1.

Scilicet, cùm nullâ ex parte Legis (*ut ait Pariator* IV 10.) *marito uxorem in Adulterio deprehenſam occidere* (*e*) *liceat :* Occiſo Adultero, dimittere ſtatim maritus debet uxorem; atque ita triduo proximo profiteri, cum quo Adultero & in quo loco uxorem deprehenderit. PAUL. SENTENT. LIB. 2. *tit.* 27. § 6.

Ideò autem patri, non marito, mulierem & omnem Adulterum permiſſum eſt occidere; quòd plerùmque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit. Cæterùm mariti calor & impetus facilè decernentis, fuit refrænandus (*f*). *l.* 22. § 4. PAPINIAN. LIB. I. DE ADULTER.

LXIV.

Circa ſupràdictam quæ marito conceditur poteſtatem, hîc duo notanda ſunt.

Et 1°. Cæterùm ſui juris an filiusfamilias ſit maritus, nihil intereſſe à pleriſque dictum eſt. *ſup. d. l.* 24. § 2.

Et in hoc major eſt quæ marito conceditur licentia, quàm quæ patri : ſuprà N. 59.

2°. *Quamvis Adulteram uxorem marito occidere non liceat, & in hoc minùs juris ſit marito quàm patri : tamen* Maritum qui uxorem deprehenſam cum Adultero occidit, quia hoc impatientiâ juſti doloris admiſit, leviùs puniri placuit. PAUL. SENT. LIB. 2. *tit.* 27. § 5.

Enimverò Imperator Marcus-Antoninus & Commodus filius reſcripſerunt : Si maritus uxorem in Adulterio deprehenſam, impetu tractus doloris interfecerit; non utique Legis Corneliæ DE SICARIIS pœnam excipiet. Nam & Divus Pius in hæc verba reſcripſit Apollonio : Ei qui uxorem ſuam in Adulterio deprehenſam occidiſſe ſe non negat, ultimum ſupplicium (*g*) remitti poteſt; cùm ſit difficillimum, juſtum dolorem temperare; & [magis] quia plùs fecerit, quàm quia vindicare ſe non debuerit, puniendus ſit. Sufficiet igitur, ſi humilis loci ſit, in opus perpetuum eum tradi; ſi quis honeſtior, in inſulam relegari. *l.* 38. § 8. PAPIN. LIB. 36. QUÆST.

Item, quamvis Adulter qui non eſt vilis perſona non jure à marito occidatur; leviùs pariter punietur maritus ſi occiderit. Undè ita reſcribit Alexander. Gracchus quem Numerius in Adulterio noctu deprehenſum interfecit, ſi ejus conditionis fuit ut per Legem Juliam impunè occidi potuerit; quod legitimè factum eſt, nullam pœnam meretur : idemque filiis ejus, qui patri paruerunt, præſtandum eſt (*h*). Sed ſi Legis auctoritate ceſſante, inconſulto dolore Adulterum interemit; quamvis homicidium perpetratum ſit; tamen quia & nox & dolor juſtus factum ejus relevant, poteſt in exilium dari. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

Novellâ CXVII. cap. fin. tanquam Adulterum occidere jure poſſum, eum quem poſt trinas denuntiationes [*ex ſcripto & cum trium teſtium teſtimonio factas*] *ne uxorem meam inviſeret, invenio ſive in meâ ſive in uxoris aut in Adulteri domo; aut in popinis aut in ſuburbanis, cum uxore meâ. Quòd ſi in alio loco eum cum uxore meâ inveniam, judici tradendus eſt; & ex eo ſolo Adulterii convincetur.*

§ III.

Quæ jura communia ſint patri & marito contra Adulteros.

LXV.

Hactenùs de jure occidendi quod pater aut maritus habent.

Illud in utroque ex ſententiâ Legis quæritur; an patri Magiſtratum occidere liceat? Item ſi filia ignominioſa ſit, aut uxor contra leges nupta, an id jus nihilominùs pater maritus-ve habeat? Et ſi Pater, maritus, leno vel aliquâ ignominiâ notatus eſt? Et rectiùs dicetur; Eos jus occidendi habere, qui jure patris mariti-ve accuſare (*i*) poſſunt. *l.* 24. § 3. MACER LIB. I. PUBLIC.

LXVI.

In utroque etiam, præter jus occidendi, & illud nota quod ait Papinianus : Sed qui occidere poteſt Adulterum, multò magis contumeliâ poterit jure adficere. *l.* 22. § 3. PAPIN. LIB. I. DE ADULTER.

Nota : Eumdem ſcilicet qui jure occideretur, id eſt adprehenſum & convictum. Aliàs, ſicut nec occidere, ita nec quidquam in eum audere impunè poteſt, ex Lege Juliâ; ſed jure judicioque agere debet. Quocircà refert Plutarchus de ipſo Auguſto, quum in adoleſcentem Juliæ filiæ Adulterio famoſum incidiſſet, eumque manibus pulſaſſet; adoleſcente clamante, LEGEM CÆSAR TULISTI, *adeò Auguſtum facti pœnituiſſe ut per totum diem cibo abſtinuerit.*

LXVII.

Eſt & aliud jus quod in Adulterum tam viro quàm patri conceditur.

Enimverò Capite quinto Legis Juliæ ita cavetur; Ut viro Adulterum in uxore ſuâ deprehenſum, quem aut nolit aut non liceat occidere, retinere horas diurnas nocturnaſque continuas, non plùs quàm viginti, teſtandæ ejus rei causâ, ſine fraude ſuâ, jure liceat. *l.* 25. ULPIAN. LIB. 2. AD L. JUL. DE ADULTER.

Ego arbitror, etiam in patre id ſervandum quod in marito expreſſum eſt. *d. l.* 25. § 1.

Sed etſi non in domo ſuâ deprehenderit maritus, poterit retinere. *d. l.* 25. § 2.

Sed ſemel remiſſus Adulter, reduci non poteſt. *d. l.* 25. § 3.

Quid ergo ſi evaſerit? an reductus cuſtodiri viginti horis poſſit? Et putem hîc magis dicendum,

(*a*) Etiamſi jus aureorum annulorum habeat : l. 42. ſuprà N. 56.

(*b*) Id eſt; qualis ille ſervus.

(*c*) Vetus ille Scholiaſtes ſupràdictus, ad eumdem Horatii locum : Gladiatores [inquit] ſe vendunt, & cautiones faciunt *Uri virgis, ferro necari.* Et apud Senecam Epiſt. 37. de eo qui nomen profeſſus ſapientiæ ſe mancipat : *Eadem honeſtiſſimi, & illius turpiſſimi Auctoramenti verba ſunt :* URI, VINCIRI, FERRO NECARI. *Ab illis qui manus arenæ locant, cavetur ut iſta vel inviti patiantur; à te ut volens, &c.* Dicebantur autem AUCTORATI; quia cùm nemo civis niſi ſe auctore libertatem amittere poſſet, erant ſibi *auctores* venditionis ſuî ipſius.

(*d*) Marito, qui non eſſet libertus adulteri.

(*e*) Ita omninò Jure Pandectarum. Jure autem antiquo id licuit. Ita enim M. Cato cujus verba refert Gellius *Noct. Attic.* X 23. « IN Adulterio uxorem » tuam ſi deprehendiſſes, *ſine judicio impunè necares : illa te, ſi adulterares,* » *digito non auderet contingere.* » Ita fortaſsè, quia viri in uxores quæ in manum convenerant, jus patriæ poteſtatis habebant : quod longè ante Juſtinianum exoleverat.

(*f*) Scilicet in occidendo; contrà autem præferendus in accuſando, ſuprà N. 15. ad legitimam ſceleris Coercitionem.

(*g*) Quod tempore D. Pii erat ficariorum pœna; & quam ideò Antoninus & Commodus *pœnam Legis Corneliæ* vocant, quia ſuccefferat deportationi quam dicta Lex irrogabat.

(*h*) Hinc rectè colligitur; maritum iis quos occidendi jus habet, non ſolùm *Suâ manu* [ut ſuprà dictum eſt in patre] ſed & per domeſticos ſuos, necem inferre poſſe.

(*i*) Undè, ſequitur eum qui magiſtratu eſt non poſſe occidi; quia, quandiù in magiſtratu eſt, accuſari non poteſt : ſuprà Tit. *de Accuſat.* N. 1. Nec locum eſſe jus occidendi, quum ignominioſa eſt mulier, aut contra leges nupta, aut maritus infamis; quia Adulterium in ignominioſâ muliere non committitur, ſuprà N. 7. Nec jure viri accuſari poteſt quæ non juſta uxor eſt, N. 22. Nec à marito lenone, N. 37. aut qui aliàs turpis perſona ſit, l. 3. N. 15.

reductum

Source : BIU Cujas

reductum retineri posse testandæ rei gratiâ. *d. l.* 25. § 4.

Quod adjicitur, TESTANDÆ EJUS REI GRATIA, ad hoc pertinet ; ut testes inducat testimonio futuros accusatori, deprehensum reum in Adulterio. *d. l.* 25. § 5.

SECTIO II.

De cæteris criminibus quæ hâc Lege Juliâ vindicantur.

Huc pertinent, Stuprum, Incestum, Polygamia, Conjunctio masculorum contra naturam, Lenocinium, item crimen eorum qui Adulteriis cæteris-ve hujusmodi criminibus opem aut consilium præbent.

ARTICULUS I.

De Stupro.

LXVIII.

Stuprum committit, qui liberam mulierem consuetudinis causâ non matrimonii continet (*Aliàs* retinet), exceptâ videlicèt concubinâ. *l.* 34. MODESTIN. LIB. I. REGUL.

Ab Adulterio differt, in eo quòd Adulterium in nupta admittitur; stuprum in viduâ, vel virgine, vel puero committitur. *d. l.* 34. § 1.

Liberam autem & honestam personam fuisse oportet, in quam stuprum commissum intelligatur.

Et 1°. *liberam. Hinc Diocletianus & Maximianus rescribunt.* Etsi libidine intemperatæ cupiditatis, ex Actorum lectione exarsisse te cognitum est : tamen cùm ancillas compressisse, & non liberas stuprasse detectum sit, ex hujusmodi Sententiâ gravatam potiùs opinionem tuam, quàm infamiâ afflictam esse, manifestum est. *l.* 25. *Cod. h. tit.*

Competit autem eo casu, vel INJURIARUM *vel* LEGIS AQUILIÆ *actio : l.* 25. *ff.* de Injur. *suprà, lib.* 46. d. tit. *N.* 62.

Porrò hoc Jus, ut quidquid in servile corpus peccaretur, stuprum non videretur nec publicâ animadversione dignum ; fluxit ex antiquo illo apud Romanos instituto, quo servi in Jure Civili pro nullis habebantur. Quod tamen trahendum non est ad nexos qui salvis natalibus serviebant : ut constat ex eo quod refert Valerius-Max. VI. 1. 9. *de quodam Veturio qui* « *Cùm propter domesticam ruinam & grave æs* » *alienum C. Plotio in servitium se dare admodùm adoles-* » *cens coactus esset ; servilibus ab eo verberibus quia stuprum* » *pati noluerat affectus, querelam ad Consules detulit.* » *A quibus hâc de re certior factus Senatus, Plotium in* » *carcerem duci jussit.* IN QUALICUMQUE ENIM STATU » POSITO, ROMANO SANGUINI PUDICITIAM TUTAM » ESSE VOLUIT. »

2°. *Personam honestam esse oportet. Hinc suprà dicti iidem Imperatores.* Si ea quæ stupro tibi cognita est; & passim venalem formam exhibuit, ac prostitutam meretricio more (*a*) vulgò se præbuit : Adulterii (*b*) crimen in eâ cessat. *l.* 22. *Cod. h. tit.*

Idem Juris est in masculo, qui se stupratum ab aliquo quereretur.

Et in eas quidem personas, similiter ut in serviles, ex antiquo Romanorum instituto stuprum committi non videbatur. Cæterùm oportebat, ut publicè de ipsarum vitæ turpitudine constaret. Hinc apud Gellium IX. 12. *ex fragmento M. Catonis ita legitur :* « SED *nisi qui palàm corpore pe-* » *cuniam quæreret, aut se lenoni locavisset...vim in corpus* » *liberum,* [*Majores nostri*] *non æquum censuêre afferri.* » *Hinc* (*ut refert Valerius-Max. VI.* 1. 10.) *quidam C. Cornelius in carcere mori coactus, ob stuprum ingenuo adolescentulo illatum ; etsi sponsionem se facere paratum diceret, quòd adolescens ille palàm atque aperto corpore quæstum factitasset.*

LXIX.

Circa crimen stupri, observandum 1°. *quod Honorius & Theodosius rescribunt.* Si mulier repudii oblatione sine ullâ legitimâ causâ à se dati discesserit ; ne viduitatem stupri procacitate commaculet, accusationem repudiato marito jure deferimus. *l.* 35. *Cod. h. tit.*

Observandum 2°. *In stupro cessare omninò jus occidendi, quod patri in filiam Adulteram permittitur.*

Enimverò In occisionem (*c*) viduæ (*d*) filiæ non habet pater jus præcipuum. *l.* 22. § 1. PAPIN. LIB. I. DE ADULTER.

Pariter apud Pariatorem, postquàm dictum est de jure quod habet pater occidendi Adulterum cum filiâ deprehensum: In viduâ (*e*) autem filiâ, qui Adulterum deprehensum occiderit, & in continenti filiam; illicito (*f*) jure hoc factum, Marcellus libro 31. Digestorum probat. *Collat. L. Mosaic. Tit. IV.* § 2.

LXX.

Quæ fuerit pœna stupri ex Lege Juliâ, non liquet. Nec enim omnimodo Justiniano ea in re fides ; qui Inst. *Tit.* de Publ. jud. *hanc stupratoribus irrogatam fuisse ex hâc Lege ait ;* Si honesti sint, publicationem partis dimidiæ bonorum ; si humiles, corporis coercitionem cum relegatione : *cùm in eodem* §°. *pœnam* GLADII *contra Adulteros huic quoque Legi adscribat ; quod falsum esse suprà N.* 57. *Not.* (*c*) *demonstravimus.*

Specialis pœna stupri nota est, ejus quod in nondum viripotentem admittebatur. Enimverò Qui nondum viripotentes virgines corrumpunt, humiliores in metallum damnantur; honestiores in insulam relegantur, aut in exilium mittuntur. *l.* 38. § 3. *ff. de Pœnis.* PAUL. LIB. I. SENTENT.

Ex Constitutione Constantini ; Si tutor pupillam quondam suam, violatâ castitate stupraverit ; deportationi subjugetur, atque universæ ejus facultates fisci juribus vindicentur : quamvis (*g*) eam pœnam debuerit sustinere, quam raptori Leges imponunt. *l. un. Cod. Si quis eam cujus tutor, &c.*

ARTICULUS II.

De Incesto.

§ I.

De ipso Incestûs crimine ; quando & quomodo puniatur, aut excusetur.

LXXI.

INCESTUM *specialiter definiri potest, conjunctio contra jura sacra vel sanguinis vel religionis.*

(*a*) Solebant mulieres quæ impunitatem ac licentiam stupri habere vellent, meretriciam vitam apud Ædiles profiteri : ut de quâdam *Vistiliâ* Prætoriâ familiâ genitâ refert Tacitus *Annal.* II 85. Scilicet [inquit] *ex more inter Veteres recepto, qui satis pœnarum adversùm impudicas in ipsâ professione flagitii credebant.*

(*b*) *Adulterium* hic in suâ generali significatione accipitur, quæ & STUPRUM continet.

(*c*) Ita legendum, pro *in accusationem*, censet Cujacius post Græcos plerosque Interpretes : Observ. VI 14. Et verò tota illa lex 22. cum præcedenti (21) & sequenti (23) unicè circa jus occidendi versantur : ut patet ex suprà dictis Art. præced. Adde quòd perperàm diceretur patrem non habere *jus præcipuum* circa *Accusationem* stupri filiæ innuptæ illati ; cùm certè quibuslibet aliis præferri in accusatione debeat, utpotè cujus hoc maximè interfit.

(*d*) Id est, innuptæ.

(*e*) Malè vulgò *Invidiâ*.

(*f*) Ita Cujacius, pro eo quod vulgò legitur *licito jure*. Emendationem suadet particula adversativa AUTEM, quæ innuit non idem jus obtinere circa innuptam quod circa nuptam : sed nec eadem occurrit ratio permittendi, cùm hîc non polluatur genialis thorus.

(*g*) Id est ; Quamvis ea pœna videri possit mitior ; cùm is qui tutoriâ potestate abutitur ad pupillæ stuprum, raptor intelligi possit ; & sic ultimo supplicio afficiendus ; infrà Tit. seq. N. 7.

Source : BIU Cujas

Inter omnes inceſtarum conjunctionum ſpecies, maximè nefaria Romanis ſpecies ſtupri quod in virginem Veſtæ ſacram committebatur. Cujus hæc pœna fuit, ut virgo in campo viva intra Urbem defoderetur, ſtuprator virgis ad necem uſque cæderetur. Liv. XXII. & XXVIII.

In perſonis autem religione ſolutis; INCESTUM *dicitur conſuetudo nefaria, ſive inter parentes & liberos, quæ maximè juri naturali & gentium adverſatur (a); ſive inter affines qui ſibi invicem parentum & liberorum loco ſunt, vel etiam inter fratrem & ſororem. Et hoc inceſtum dicitur,* JURIS GENTIUM.

Generaliùs autem ſumpto inceſti nomine, ſeu inceſtum JURIS CIVILIS, *eſt conſuetudo inter cæteras perſonas inter quas nuptiæ ſolo Jure Civili interdictæ ſunt. Et illud quoque generaliſſimâ* ADULTERII *appellatione continetur, & hoc publico Legis Juliæ* DE ADULTERIIS *judicio vindicatur.*

Hinc Marcianus. Qui pupillam ſuam duxit uxorem contra Senatuſconſultum, nec matrimonium eſt hoc; & poteſt ADULTERII accuſari qui tutor & curator fuit, & infra viceſimum-ſextum annum duxit uxorem; non à patre deſponſam, vel teſtamento denominatam. *l.* 7. MARCIAN. LIB. 10. INSTIT.

LXXII.

In eo tamen differt utraque inceſti ſpecies; quòd inceſtum Juris Civilis in fœminis excuſetur, inceſtum Juris Gentium non item.

Undè ita Papinianus. Si Adulterium (*b*) cum inceſto committatur, ùt putà cum privignâ, nuru, novercâ; mulier ſimiliter quoque punietur. Id enim remoto etiam Adulterio (*c*) eveniret. *l.* 31. PAPIN. LIB. 36. QUÆSST.

Stuprum in ſororis filiam ſi committatur; an Adulterii pœna ſufficiat mâri, conſiderandum eſt? Occurrit (*d*) quòd hîc duplex admiſſum eſt. Quia (*e*) multùm intereſt, errore matrimonium illicitè contrahatur; an contumacia juris, & ſanguinis contumelia concurrunt. *d. l.* 38. § 1.

Quare mulier tunc demùm eam pœnam, quam mares, ſuſtinebit; quum inceſtum Jure Gentium prohibitum admiſerit. Nam ſi ſola Juris noſtri obſervatio interveniet, mulier ab inceſti crimine erit excuſata. *d. l.* 38. § 2.

Pariter Paulus de inceſto quod ſolius Juris Civilis eſt, ait: Si verò cognatam contra interdictum duxerit; remiſſo errore (*f*), ipſe pœnam Adulterii Legis Juliæ patitur, non etiam inducta (*Aliàs* ducta). PAUL. SENT. *lib.* 2. *Tit.* 19. § 14.

Et rursùs:

Inceſti pœnam, quæ in viro in inſulam deportatio (*g*) eſt, mulieri placuit remitti; hactenùs tamen, quatenùs Lege Juliâ DE ADULTERIIS non apprehenditur (*h*). IBID. *Tit.* 27. § 14.

In maſculis autem, quamvis militibus & Jura ignorantibus, inceſtum quodlibet, etiam Juris Civilis punitur.

Hinc Militem qui ſororis filiam in contubernio habuit, licèt non in matrimonium, Adulterii (*i*) pœnâ teneri rectiùs dicetur. *l.* 11. § 1. PAPIN. LIB. SINGUL. DE ADULTER.

LXXIII.

Nonnunquam tamen & in mâribus inceſti crimina, quanquam naturâ graviora ſunt, humaniùs quàm Adulterii tractari ſolent; ſi modò inceſtum per matrimonium illicitum contractum ſit. *ſup. d. l.* 38. § 3.

V. G. Inceſtum autem quod per illicitam matrimonii conjunctionem admittitur, excuſari ſolet ſexu vel ætate, vel etiam puniendi correctione (*k*) quæ bonâ fide intervenit. Utique ſi error allegetur; & faciliùs, ſi nemo reum poſtulavit. *d. l.* 38. § 7.

Et 1°. *quidem excuſatur ætate.* Fratres denique Imperatores Claudiæ (*l*), crimen inceſti propter ætatem remiſerunt; ſed diſtrahi conjunctionem illicitam juſſerunt: cùm aliàs Adulterii crimen, quod pubertate delinquitur, non excuſetur ætate. Nam & mulieres in Jure errantes (*m*), inceſti crimine non teneri ſuprà dictum eſt: cùm in Adulterio commiſſo nullam habere poſſint excuſationem. *d. l.* 38. § 4.

2°. *Item excuſatur inceſtum, puniendi correctione. Nam* Iidem Imperatores reſcripſerunt; Poſt divortium quod cum novercâ bonâ fide (*n*) privignus fecerit, non eſſe crimen admittendum inceſti. *d. l.* 38. § 5.

3°. *Facilius excuſatur ſi nemo reum poſtulavit. Nam* Iidem Pollioni in hæc verba reſcripſerunt: Inceſtæ nuptiæ confirmari non ſolent. Et ideò abſtinenti tali matrimonio, pœnam præteriti delicti, ſi nondum reus poſtulatus eſt, remittimus. *d. l.* 38. § 6.

LXXIV.

Circa inceſtas conjunctiones unum obſervandum ſupereſt; nimirùm Theodoſium cum Arcadio & Honorio conſtituiſſe, ut ex inceſtis nuptiis contractis cum eo cum quo mulier adulterii priùs poſtulata erat, hoc crimen adulterii *quo mulier quaſi incredibile proximitatis prætextu à ſe depulerat; pro confeſſo haberetur & vindicaretur. l.* 34. *Cod.* h. tit.

§ II.

De accuſatione inceſti, in quo differat aut conveniat cum Adulteri accuſatione.

LXXV.

In accuſatione inceſti non eadem obſervantur, ac circa accuſationem Adulterii.

Et 1°. *quidem, ut* In libro ſecundo DE ADULTERIIS Papiniani Marcianus notat; Inceſti commune crimen adversùs duos (*o*) ſimul intentari poteſt. *l.* 7. § 1. MARC. LIB. 10. INSTIT.

Et hoc ex ipſis Papiniani verbis. Ita enim ille: Inceſti commune crimen adversùs duos ſimul intentari poteſt. *l.* 39. § 7. PAPIN. LIB. 15. RESPONS.

Poterit etiam adversùs alterum duntaxat intentari, & quidem altero defuncto. Undè Defunctâ quoque ſocru gener inceſti poſtulabitur, ut Adulter poſt mortem mulieris. *l. fin.* IDEM LIB. 4. RESPONS.

(*a*) Hinc de amore quo Myrrha genitorem ſuum Cinyram deperibat, ita Ovidius: . . . . *Scelus eſt odiſſe parentem:*

Hic amor eſt odio majus ſcelus . . . . Metamorph. X 314.

Improbandæ porrò hujuſce conjunctionis hæc vulgò affertur ratio; quòd ex illâ, nominum & jurium cognationis confuſio ac perturbatio oriatur. Unde ſic pergit Ovidius: *Sperare aliquid potes impia virgo?*

Nec quòd confundas & jura & nomina ſentis?
Tu-ne erit & matris pellex, & adultera patris?
Tu-ne ſoror gnati, genitrixque vocabere fratris? Ibid. 345.

Cæterùm ea eſt hujuſce conjunctionis turpitudo, quæ ſentiatur magis & honeſtum naturæ pudorem incutiat, quàm quæ demonſtrari poſſit rationum argumentis. Undè nonniſi ex corruptiſſimâ ejuſdem naturæ fæditate factum eſſe potuit, quod apud gentes quaſdam, & quidem aliàs moratiores, factum refert Hieronymus [*Contra Jovinian.* lib. II.] Perſas, Medos, Indos, Æthiopes, cum matribus, cum filiabus copulari.

(*b*) ADULTERIUM hîc largè accipitur, pro ſtupro quod in innuptam committitur.

(*c*) Nam, etſi non eſſet Adulterium ſeu ſtuprum, putà quia admiſſum in turpem mulierem; vir & mulier punirentur, non ratione ſtupri, ſed inceſti.

(*d*) Ratio dubitandi proponitur; quòd in hâc ſpecie duplex videtur crimen, ſtupri & inceſti, ut in ſuperiori.

(*e*) Ratio decidendi. Sufficit puniri virum; nec debet puniri mulier in hâc ſpecie: eſt enim inceſtum cujus venia mulieri concedi debet. Valdè enim differt tale matrimonium per errorem Juris Civilis contractum, ab inceſto de quo in ſpecie præced.

(*f*) Mulieri ſcilicet *remiſſo* Juris *errore.*

(*g*) Schultingius cenſet legendum *relegatio.* Nec enim probabile eſt, inceſti Jus contra Civile duntaxat, de quo igitur, duriorem fuiſſe pœnam quàm *Adulterii*; quæ ſola relegatio fuit. Imò, ex modo ſuprà dictâ Pauli Sententiâ, vir inceſtus eo caſu *Adulteri pœnam* duntaxat *patitur.*

(*h*) Id eſt, non continetur; ut ſi inceſtum cum ſtupro eſſe conjunctum.

(*i*) Id eſt, inceſti.

(*k*) Id eſt; ſi is qui puniendus erat, ipſe ſponte ſuâ errorem ſuum emendaverit; ſeparens ſe ab eâ quam illicitè in uxorem adſumpſerat.

(*l*) Legendum *Claudio*: ut rectè obſervat Cujacius ad l. 37. ff. *de Minorib.*

(*m*) Probat maſculos Minores debere excuſari propter ætatem; eo argumento, quòd mulieres excuſat ſexûs fragilitas. Idem porrò tribui debet ætati Minorum, quod tribuitur ſexûs fragilitati.

(*n*) Comperto errore, ſuprà Not. (*k*).

(*o*) Secùs in accuſatione Adulterii: ut vid. ſuprà N. 49.

Source : BIU Cujas

2°. Præscriptione quinque annorum crimen incesti conjunctum Adulterio non excluditur. *sup. d. l.* 39. § 5.

3°. *Denique* De servis quæstionem in dominos incesti postulatos, ita demùm habendam respondi; si per Adulterium, incestum esse contractum dicatur. *d. l.* 39. § *fin.*

ARTICULUS III.

De Polygamiâ.

LXXVI.

Polygamia Romanis semper turpis visa est. Neque verò ullum unquam effectum habuit id quod eâ de re cogitaverat Julius-Cæsar, teste Suetonio in ejus vitâ n. 52. *ubi refert Helvium-Cinnam Tribunum, plerisque confessum habuisse se scriptam paratamque Legem quam Cæsar ferre jussisset, quum ipse abesset; ut uxores liberorum quærendorum causâ quas & quot quisque vellet habere liceret. Cæsare enim interfecto Lex lata non fuit, nec Juri antiquo quidquam derogatum.*

Hinc ita rescribunt Diocletianus & Maximianus. Neminem qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse, vulgò patet: cùm etiam in Edicto Prætoris, hujusmodi viri infamiâ notati sint. Quam rem competens judex inultam esse non patietur. *l.* 2. *Cod. de Incestis nupt.*

Similiter ante rescripserant Valerianus & Gallienus. Eum qui duas simul habuit uxores, sine dubitatione comitatur infamia. In eâ namque re, non Juris effectus quo cives nostri matrimonia contrahere plura prohibentur, sed animi destinatio cogitatur.

Verumtamen ei qui te ficto cœlibatu, cùm aliam matremfamilias in provinciâ reliquisset, sollicitavit ad nuptias; etiam crimen stupri, à quo tu remota es quòd uxorem te esse credebas, ab accusatore legitimo solemniter inferetur. Cæterùm res tuas omnes quas ab eo interceptas matrimonii simulatione deploras, restitui tibi omnis exactionis instantiâ impetrabis à Rectore provinciæ; nam ea quidem quæ se tibi ut sponsæ daturum promisit, quomodo repetere cum effectu potes quasi sponsa? *l.* 18. *Cod. h. tit.*

Novissimè tamen Valentinianus-junior Legem edidit, ut duas liceret uxores ducere: ut patet ex Socrate IV. 30. *& Nicephoro II.* 33. *Verùm hæc Lex nec viguit, nec in ullo Constitutionum Imperialium Codice inserta legitur.*

ARTICULUS IV.

De Conjunctione quæ est contra naturam.

LXXVII.

Adversùs INFAMES *illos, proprio hîc nomine dictos, qui alienam (masculorum scilicet) pudicitiam sollicitassent, aut suam prostituissent, lata est incertâ ætate Lex Scantinia (a); cujus passim mentio fit apud Tullium, Juvenalem, Ausonium, Suetonium, Tertullianum, aliosque: sed quæ fuerit hujus pœna, non liquet (b).*

Jure autem Digestorum, ut patet ex Pauli sententiis, Qui masculum liberum invitum stupraverit, capite punitur. PAUL. SENT. *lib.* 2. *Tit.* 27. § 11.

(a) Hanc quidem *Scantiniam* vocatam volunt, à C. Scantinio Tribuno plebis, stupri in Cl. Marcelli Ædilis-Curulis filium commissi damnato, de quo Valerius-Max. VI 1. 7. Alii *Scatiniam*, à quodam Scatinio Aricino latam: unde Cicero Philipp. III *n.* 16. Aricinum municipium laudat eo nomine, quòd *hinc* profectæ sint *Voconiæ*, *hinc* SCATINIÆ *Leges*. Meminit quoque hujus Legis in *Epist. Famil.* VIII 12.

(b) Sunt qui Decem millium æris eam fuisse, colligere volunt ex hoc Quintiliani loco *Instit. Orat.* IV 2 & VII 4. ubi ex recenti facto ita invehitur in nimiam pœnæ levitatem: « *Ingenuum* [quis] *stupravit: stupratus se suspendit.* » *Non tamen ideò stuprator capite ut causa mortis punietur; sed* DECEM MILLIA, » *quæ pœna stupratori constituta est, dabit* ». Verùm quânam Lege *Constituta* illa *pœna est*? an Scantiniâ, an Juliâ quæ etiam stupra coercuit? Imò potiùs an Lege aliquâ, & non potiùs improbo usu in locum severioris ex Legis pœnæ substituta illa fuerat?

Qui voluntate suâ stuprum flagitiumque impurum patitur, dimidiâ parte bonorum suorum mulctatur; nec testamentum ei ex majore parte facere licet. *d. tit.* § 12.

Jure novissimo; in tale portentum, nempè (inquiunt Constantius & Constans) quum vir viro nubit fœmineum in morem, mutatâ in alteram formam venere; Jubemus insurgere Leges, armari jura gladio (*c*) ultore, ut exquisitis pœnis subdantur INFAMES, qui sunt vel futuri sunt rei. *l.* 31. *Cod. h. tit.*

Videlicèt Hujusmodi scelus flammis vindicibus expiabunt. *l.* 6. *Cod. Theod. h. tit.*

ARTICULUS V.

De Lenocinio quod Lege Juliâ vindicatur.

§ I.

De Lenocinio mariti.

LXXVIII.

Lenocinii crimen Lege Juliâ DE ADULTERIIS præscriptum (*d*) est; cùm sit in eum maritum pœna statuta, qui de Adulterio uxoris suæ quid ceperit: item in eum, qui in Adulterio deprehensam retinuerit. *l.* 2. § 2. ULP. LIB. 8 DISPUT.

Igitur 1°. Qui quæstum ex Adulterio uxoris suæ fecerit, plectitur. Nec enim mediocriter delinquit, qui lenocinium in uxore exercuit. *l.* 29. § 3. ULPIAN. LIB. 4. DE ADULT.

Quæstum autem ex Adulterio uxoris facere videtur, qui quid accepit ut Adulteretur uxor. Sive enim sæpiùs sive semel accepit, non est eximendus. Quæstum enim de Adulterio uxoris facere propriè ille existimandus est, qui aliquid accepit ut uxorem pateretur Adulterari meretricio quodam genere. *d. l.* 29. § 4.

Idem dic de eo qui aliquid pactus est. Undè etiam Miles qui cum Adultero uxoris suæ pactus est, solvi sacramento deportarique debet. *l.* 11. PAPIN. LIB. SING. DE ADULTER.

LXXIX.

2°. *Ut alibi jam diximus;* Mariti lenocinium Lex coercuit qui deprehensam uxorem in Adulterio retinuit, Adulterumque dimisit. Debuit enim uxori quoque irasci, quæ matrimonium ejus violavit.

Tunc autem puniendus est maritus, quum excusare ignorantiam suam non potest, vel adumbrare patientiam prætextu incredibilitatis. Idcirco enim Lex ita locuta est, ADULTERUM IN DOMO DEPREHENSUM DIMISERIT; quòd voluerit in ipsâ turpitudine deprehendentem maritum Coercere. *d. l.* 29. *pr.*

Lex loquitur de eo qui uxorem retinuit, Adulterumque dimisit. Quòd Si quis Adulterum non dimiserit, sed retinuerit; forsan filium (*e*) in novercam, vel etiam libertum vel servum in uxorem: ex sententiâ Legis tenetur, quamvis verbis (*f*) non continetur. Quæ autem retinetur, punitur (*g*).

Sed si dimissam reduxerit, verbis (*h*) non tenetur: sed tamen dicendum est ut teneatur, ne fraus fiat. *l.* 33. § 1. MARC. LIB. 1. DE PUBLIC. JUDIC.

(c) *Gladius ultor* hic, non pro ipsâ gladii pœnâ, sed pro meri & sævissimi imperii exercitio.

(d) Id est, expresso Capite sancitum.

(e) Supple repetendo, *Adulterum.*

(f) Lex loquitur de eo qui retinuit uxorem dimisso Adultero; hic autem non *dimisit* nec abire passus Adulterum: ergo *Verbis* Legis non tenetur. Sed Lex voluit ut dimisso Adultero uxor non retineatur: à fortiori, si retineatur uterque, præberi videtur causa domestico lenocinio; unde & sententiæ Legis & pœnæ locus est.

(g) Scilicet, postquàm potiùs *Lenocinii* vir accusatus fuerit & convictus; suprà N. 39.

(h) Quia dimisit.

Source : BIU Cujas

LXXX.

Maximè autem lenocinium contrahit vir in ſpecie ſequenti. Nimirùm Si vir infamandæ uxoris ſuæ causâ Adulterum ſubjecerit, ut ipſe deprehenderet; & vir & mulier Adulterii crimine tenentur, ex Senatuſconſulto de ea re facto. *l.* 14. § 1. SCÆVOLA LIB. 4. REGUL.

LXXXI.

Vidimus quibus caſibus vir lenocinii crimen contrahat. Cæterùm qui patitur uxorem ſuam delinquere, matrimoniumque ſuum contemnit, qui-que contaminationi non indignatur, pœna Adulterûm non infligitur. *l.* 2. § 3. ULP. LIB. 8. DISPUT.

Et alibi. Quòd ſi patiatur uxorem delinquere, non ob quæſtum, ſed negligentiam, vel culpam, vel quamdàm patientiam, vel nimiam credulitatem; extra Legem poſitus videtur. *l.* 29. § 4. ¶ *quod ſi.* IDEM LIB. 4. DE ADULTER.

Conſonat quod reſcribunt Severus & Antoninus. Crimen lenocinii contrahunt, qui deprehenſam in Adulterio uxorem in matrimonio retinuerunt; non qui ſuſpectam Adulteram habuerunt. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Lenocinium etiam non committit vir, qui mulierem non deprehenſam in Adulterio, ſed quam repudiavit & accuſavit, errore comperto in matrimonium revocat.

Hoc reſcribunt Valerianus & Galienus. Sine metu Legis Juliæ DE Adulteriis Coercendis, revocare uxorem in matrimonium potes; cùm nihil ampliùs quàm libellos accuſationis obtuliſti: quia poſtea comperiſſe te affirmas, quòd vanâ indignatione ad accuſationem incitatus fueris. Is enim committit in pœnam quam Lex certo Capite denuntiat, qui vel publicè Adulterio damnatum habet, vel Adulteram ſciens, ut ignorantiam ſimulare non poſſit, retinet uxorem. *l.* 17. *Cod. h. tit.*

LXXXII.

Quod de Adulterii damnatâ dicitur, ad alia crimina ne porrigas. Nam Mulierem ob latronum ſocietatem exulare juſſam, citra pœnæ metum in matrimonio retineri poſſe reſpondi; quia non fuerat Adulterii damnata. *l.* 39. § 4. PAPIN. LIB. 15. RESPONS.

§ II.

De Lenocinio mulieris, aliarum-ve perſonarum ad hanc Legem pertinente.

LXXXIII.

Sed & in uxorem lenocinium cadere poteſt. Nam Si uxor ex Adulterio viri pretium acceperit, Lege Juliâ quaſi Adultera tenetur. *l.* 35. § 2. MARCIAN. LIB. 1. DE PUBLIC. JUDIC.

LXXXIV.

Cadit etiam hoc crimen in quoſlibet extraneos, putà in eum qui mulierem Adulterii damnatam duxerit: hæc enim turpitudo lenocinio affinis eſt.

Hinc Alexander. Caſtitati temporum meorum convenit, Lege Juliâ DE PUDICITIA damnatam in pœnis legitimis perſeverare. Qui autem Adulterii damnatam, ſi quocumque modo pœnam capitalem (*a*) evaſerit, ſciens duxerit uxorem, vel reduxerit; eâdem Lege, ex causâ lenocinii punietur. *l.* 9. *Cod. h. tit.*

Quod ait Lex, ADULTERII DAMNATAM ſi quis duxerit uxorem eâ Lege teneri: an & ad ſtuprum referatur videamus? Quod magis eſt.

Certè ſi ob aliam (*b*) cauſam eâ Lege ſit condemnata, impunè uxor ducetur. *l.* 29. § 1. ULP. LIB. 4. DE ADULT.

Quæſitum eſt an ea quam maritus Adulterii crimine ſe accuſaturum minatus eſt, nec quicquam egit vel jure mariti vel jure publico; nubere poſſit ei quem in eâ reum Adulterii deſtinavit? Paulus reſpondit; Nihil impedire, quominùs ei quem ſuſpectum maritus habuit, ea de quâ quæritur, nubere poſſit. *l.* 40. PAUL. LIB. 19. RESPONS.

Obiter nota. Item quæritur, an idem maritus deſtitiſſe videatur, vel lenocinium commiſiſſe, qui eamdem reduxit uxorem? Paulus reſpondit; Eum qui poſt crimen Adulterii intentatum, eamdem uxorem reduxit, deſtitiſſe videri: & ideò ex eâdem Lege poſtea accuſandi ei jus non (*c*) ſupereſſe. *d. l.* 40. § 1.

LXXXV.

Vidimus qui pertineant ad hoc Legis Juliæ Caput. Ad hanc autem Legem non pertinent publici Lenones, (turpi apud nos vocabulo Maquereau) *qui quæſtuarias mulieres proſtituunt; ſed hi ex Edicto Prætoris infamiâ duntaxat notantur.*

Verùm ex Novellâ XIV. Juſtinianus lenones Urbe expelli, & comprehenſos ultimo ſupplicio puniri ſtatuit.

ARTICULUS VI.

De his qui ope conſilio ſtuprum aut Adulterium juverunt.

LXXXVI.

Puniuntur etiam Lege Juliâ, qui ſtuprum aut Adulterium ope conſilio adjuvant quolibet modo ut committatur.

Hinc Qui domum ſuam, ut ſtuprum Adulterium-ve cum alienâ MATREFAMILIAS vel cum maſculo fieret, ſciens præbuerit; vel quæſtam ex Adulterio uxoris ſuæ fecerit, cujuſque ſit conditionis, quaſi Adulter punitur. *l.* 8. PAPIN. LIB. 2. DE ADULTER.

MATER autem FAMILIAS ſignificatur, non tantùm nupta, ſed etiam vidua (*d*). *l.* 10. IBID.

Appellatione DOMUS, habitationem quoque ſignificari palàm eſt. *ſup. d. l.* 8. § 1.

Et, ſi amici quis domum præbuiſſet, tenetur. *l.* 9. ULP. LIB. 4. DE ADULTER.

Sed & ſi quis in agro balneo-ve ſtuprum fieri præbuiſſet, comprehendi debet. *d. l.* 9. § 1.

Sed & ſi in domum aliquam ſolitus fuerit convenire ad tractandum de Adulterio; etſi eò loci nihil fuerit admiſſum, verùmtamen videtur is domum ſuam, ut ſtuprum Adulterium-ve committeretur præbuiſſe: quia ſine colloquio illo Adulterium non committeretur. *d. l.* 9. § 2.

Adulterii & ſtupri ſuaſores etiam hâc Lege tenentur. Nam Hæc verba Legis, NE QUIS POSTHAC STUPRUM, ADULTERIUM, FACITO SCIENS DOLO MALO; & ad eum qui ſuaſit, & ad eum qui ſtuprum vel Adulterium intulit, pertinent. *l.* 12. ULP. LIB. 1. DE ADULTER.

LXXXVII.

Neque ſolùm hi quorum ope aut conſilio factum eſt ut ſtuprum Adulterium-ve committeretur; ſed & Is cujus ope, conſilio, dolo malo factum eſt, ut vir fœmina-ve in Adulterio deprehenſa, pecuniâ aliâ-ve quâ pactione ſe redimerent; eâdem pœnâ damnatur, quæ conſtituta eſt in eos qui lenocinii crimine damnantur. *l.* 14. SCÆVOLA. LIB. 4. REGUL.

Igitur Plectitur & qui pretium pro comperto ſtupro acceperit (*e*), Nec intereſt utrùm maritus ſit qui acceperit, an alius quilibet. Quicumque enim ob conſcientiam ſtupri accepit aliquid, pœnâ erit plectendus. Cæterùm ſi gratis quis remiſit, ad Legem non pertinet. *l.* 29. § 2. ULP. LIB. 4. DE ADULTER.

His quæ diximus conſonat quod reſcribit Alexander. De crimine Adulterii paciſci non licet; & par delictum eſt accuſatoris prævaricatoris, & defugientis veritatis inquiſitionem. Qui autem pretium pro comperto ſtupro accepit, pœnâ Legis Juliæ DE ADULTERIIS tenetur. *l.* 10. *Cod. h. tit.*

(*a*) Manifeſta Triboniani interpolatio: nam ante Conſtantinum pœna Adulterii non erat *Capitalis.*
(*b*) Putà, quòd præbuerit domum.
(*c*) In lenocinii autem crimen non incidit: ſuprà N. 81.
(*d*) Id eſt, innupta.
(*e*) Putà, ne accuſet.

Source : BIU Cujas

Intereſt tamen, quum pecunia accuſatori datur ne accuſet, quâ mente detur; an pro occultandâ turpitudine, an ex terrore potentiæ accuſatoris.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Is autem qui poſt diſſociatum matrimonium uxorem licito jure duxit, obque intentatæ accuſationis ac potentis patrocinii metum, ei qui accuſationem inſtituerat, aurum & argentum dedit; ad recipiendum id, ulciſcendamque turpis lucri cupiditatem, adire Præſidem poteſt: qui examinatis partium allegationibus, & inquiſitâ fide veri, ſi quidem id ab eo qui innocens eſt, ob illati criminis timorem datum eſſe cognoverit; quemadmodum Sententiam formare debeat, ex evidentibus Juris placitis inſtruetur. Sin verò conſtiterit corrupti matrimonii velut mercedem, ad captandam impunitatem, ſolutam pecuniam eſſe; eum qui etiam adversùs Senatuſconſulti cenſuram cum fœdiſſimo flagitio accepit, puniri jubebit. *l.* 23. § 1. *Cod. h. tit.*

LXXXVIII.

Obſervandum ſupereſt, ea quæ hoc toto Articulo diximus, tam ad fœminas quàm ad mares pertinere. Nam Mulieres quoque hoc Capite Legis, quòd domum præbuerunt, vel pro comperto ſtupro aliquid acceperunt, tenentur. *l.* 10. § 1. PAPIN. LIB. 2. DE ADULTERIIS.

TITULUS VI.

AD LEGEM JULIAM DE VI PUBLICA.

ET

TITULUS VII.

AD LEGEM JULIAM DE VI PRIVATA.

I.

HOc Jure utimur; ut quidquid omninò per Vim fiat, aut in Vis Publicæ, aut in Vis Privatæ crimen incidat. *l.* 152. (*Aliàs* 194.) *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 69. AD ED.

Quid ſit autem VIS PUBLICA, *quid* PRIVATA, *& in quo differant, ex infra dicendis patebit.*

Porrò antiquis temporibus, De Vi ſeu Publicâ ſeu Privatâ nulla Lex erat ſingularis; ſed hoc crimen ex Legibus DE Majeſtate *aut* DE Sicariis *vindicabatur.*

Primùm de hoc crimine lata eſt Lex PLAUTIA, *à Plautio Trib. plebis, adjuvante maximè Catulo Conſule; atque (ut videtur) poſt pulſum Urbe & interfectum in Sardiniâ Lepidum hujus Catuli collegam, Marianarum partium aſſertorem. Indè hanc Catulo tribuit Cicero in Orat.* Pro P. Sextio, *contra quem ex hâc Lege quæſtio habebatur. De Catilinâ pariter, & de Clodio ex eâdem Lege habita quæſtio eſt.*

Novam Legem DE VI *tulit Cn. Pompeius; ut quæreretur de cæde in viâ Appiâ factâ, incendio Curiæ, & domo Interregis Lepidi oppugnatâ. Hujus Legis reus factus eſt Milo, pro quo extat egregia oratio apud Ciceronem.*

Aliam tulit & C. Julius-Cæſar, cujus mentio apud eumdem Ciceronem in Philipp. I. n. 23. EI QUI DE VI DAMNATUS SIT, AQUA ET IGNI INTERDICI.

An autem LEX JULIA *de quâ in hoc Titulo agitur, ſit ea ipſa Lex Julii-Cæſaris, an alia ab Auguſto lata ut Sigonius & alii quidam Eruditi cenſent, non auſim definire. Sed & idem Sigonius duas fuiſſe conjicit Leges Julias, aliam* DE VI PUBLICA, *aliam* DE VI PRIVATA, *duobus hîc meritò diſtinctas Titulis; quemadmodum & duæ de utroque crimine diverſæ quæſtiones fuerunt inſtitutæ. Quod quamvis valdè probabile ſit; aliis contrà videtur, unicam fuiſſe Legem duobus diſtinctam Capitibus: utrumque ſanè in Rubricâ Codicis ad hanc Legem, ſub eodem Titulo continetur.*

Ut ut ſit; & nos quoque in unum utramque Vis ſpeciem conjungimus, facilitatis causâ; videbimuſque 1°. *Quinam Lege Juliâ teneantur, ſive* De Vi Publicâ *ſine* De Privatâ: 2°. *Agemus de pœnâ hujus criminis.*

ARTICULUS I.

Qui Lege Juliâ DE VI *ſive Publicâ ſive Privatâ teneantur, & quod aut quale criminis genus ad hanc Legem pertineat.*

§ I.

De Vi Publicâ.

II.

VIS PUBLICA *propriè ea eſt quam publica perſona infert, aut quæ publicæ perſonæ infertur.*

Igitur Lege Juliâ DE VI PUBLICA tenetur; qui quum imperium poteſtatem-ve haberet, Civem Romanum adversùs provocationem necaverit (*a*), ut torqueatur. Item quod ad Legatos (*b*), Oratores, comites-ve attinebit; ſi quis, eorum quem pulſaſſe, & ſive injuriam feciſſe arguetur. *l.* 7. *ff. Ad L. Jul. de vi publ.* ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

Item Lege Juliâ DE VI PUBLICA cavetur; ne quis reum vinciat, impediat-ve quominùs Romæ intrà certum tempus adſit. *l.* 8. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 5. PUBLICOR.

III.

Vis etiam Publica dicitur, quum privatus ſtatum publicum offendit directè.

Hinc 1°. Qui nova vectigalia exercent, Lege Juliâ De Vi Publicâ tenentur. *l.* 12. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. SINGUL. AD SCTUM TURPILL.

Hinc 2°. Qui dolo malo fecerit quominùs judicia tutò exerceantur, aut judices ut oportet, judicent; vel is qui poteſtatem imperium-ve habebit, quàm ei (*c*) jus erit, decernat, imperet, faciat; qui ludos pecuniamve ab aliquo invito polliceri, publicè privatim-ve per

(*a*) Pœnæ causâ collo alicujus imponebatur, vel canis, vel furca, vel ſporta ſabulo plena, quid-ve aliud quod circumferre tenebatur. Unde Plautus in Cacinâ: *Deos quæſo, ut tu quidem hodie canem aut furcam feras.* Vide etiam Philon. *de Legibus* lib. 2.

(*b*) Qui ad Principem mittuntur [*Députés, Envoyés, Ambaſſadeurs*]. Horum ſancta erat perſona; & qui eos eorum-ve comites pulſaverit, Lege Juliâ DE *Vi Publicâ* tenetur.

(*c*) Senſus eſt; *vel* quo magis *is qui poteſtatem habebit*, aliter *quàm si jus erit decernat, &c.*

Source : BIU Cujas

injuriam exegerit; item qui cum telo dolo malo in Concione fuerit, aut ubi judicium publicè exercebitur. *l.* 10. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 68. AD ED.

I V.

In eâdem causâ sunt, qui turbæ seditionis-ve faciendæ consilium inierint; servos-ve aut liberos homines in armis habuerint. *l.* 3. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 14. INSTIT.

ARMATOS non utique eos (*a*) intelligere debemus qui tela habuerunt, sed etiam qui aliud quod nocere potest. *l.* 9. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 7. AD. ED.

Imò Lege Juliâ De Vi Publicâ tenetur, qui arma, tela, domi suæ, agro-ve in villâ (præter usum venationis, vel itineris, vel navigationis) coegerit. *l.* 1. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Excipiuntur autem arma quæ quis promercii causâ habuerit, hereditate-ve ei obvenerint. *l.* 2. *ff. d. tit.* SCÆVOLA. LIB. 4. REGUL.

Item in eo quod de hominibus armatis dicitur, Exceptus est qui propter venationem habeat homines qui cum bestiis pugnent: ministrosque ad ea habere conceditur. *sup. d. l.* 10. ¶ *exceptus.*

Cæterùm hodiè, ex Constitutionibus noviſſimorum Imperatorum, hæ exceptiones cessant. Enimverò usus armorum inconsulto Imperatore privatis interdictus est; & jam arma non in privatorum commercio sunt, sed in publicis Fabricensium officinis cuduntur: passim, Tit. Cod. de Fabricens. *& l. un. Cod.* Ut arm. usus insc. Prine.

V.

Quinetiam obtinuit ut Vis Publica diceretur ea quæcumque armata est, licèt principaliter privatos offenderet.

Hinc Eâdem Lege tenetur, qui hominibus armatis possessorem domo agro-ve suo aut navi suâ dejecerit, expugnaverit, concursu. *l.* 3. § *fin. ff. de Vi publ.* MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Uti-ve id staret (*Vulgat.* fieret), homines commodaverit. *l.* 4. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 59. AD ED.

In eâdem causâ sunt, qui pessimo exemplo convocatâ seditione villas expugnaverint, & cum telis & armis bona rapuerint. *sup. d. l.* 3. § 2.

Et quidem ad hanc Legem pertinet qui armatus processit; quamvis flagitium quod armis exequi proposuerat, non consummaverit.

Hinc Item tenetur qui ex incendio rapuerit aliquid, præter materiam (*b*). *d. l.* 3. § 3.

Sed & qui in incendio cum gladio aut telo rapiendi causâ fuit, vel prohibendi dominum res suas servare; eâdem pœnâ tenetur. *d. l.* 3. § 5.

Et generaliter; Eâdem Lege tenetur, qui pubes cum telo in publico fuerit. *d. l.* 3. § 1.

TELORUM autem appellatione, omnia ex quibus singuli homines nocere possunt, accipiuntur. *l.* 11. § 1. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

V I.

Producta est etiam Lex ad eam Vim quæ fit hominibus coactis; etiamsi sine armis fiat.

Undè hâc Lege teneri Marcianus ait eum Qui cœtu, concursu (*Florent.* conversu), turbâ, seditione incendium fecerit; qui-que hominem dolo malo incluserit, obsederit, qui-ve fecerit quominùs sepeliatur, quo magis funus diripiatur, distrahatur; qui-ve per Vim sibi aliquem obligaverit: nam eam obligationem Lex rescindit. *l.* 5. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Hâc Lege tenetur, & qui convocatis hominibus Vim fecerit, quo quis verberetur & pulsetur; neque homo occisus (*c*) sit. *l.* 10. § 1. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 68. AD ED.

V I I.

Producta est etiam hæc Lex Julia ad raptum liberi hominis. Hinc Marcianus. Qui vacantem (*d*) mulierem rapuit, vel nuptam, ultimo supplicio punitur. Et, si pater injuriam suam precibus exoratus remiserit; tamen extraneus sine quinquennii præscriptione reum postulare poterit; cùm raptûs crimen, Legis Juliæ DE ADULTERIIS potestatem excedat. *l.* 5. § *fin. ff. de Ad. L. Jul. vi publ.* MARCIAN. LIB. 14. INSTIT.

Et eum qui puerum ingenuum rapuit, puniendum Divus Pius rescripsit in hæc verba: « EXEMPLUM libelli » dati mihi à Domitio-Silvano, nomine Domitii-Silvani » patrui, subjici jussit; motus querelâ ejus, quâ signi» ficavit filium suum ingenuum, juvenem admodùm, » raptum atque conclusum, mox verberibus ac tor» mentis usque ad summum periculum adflictum. Ge» mine carissime, velim audias eum; & si compereris » hæc ita admissa, rem severè exequaris. » *l.* 6. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

Præterea punitur hujus Legis pœnâ, qui puerum velfœminam vel quemquàm per Vim stupraverit. *sup. d. l.* 3. § 4.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si confidis sponsam filii tui raptam esse, vel filium tuum inclusum; instituere solemni more, Legis Juliæ DE VI accusationem, apud Præsidem provinciæ non prohiberis. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

§ I I.

De Vi Privatâ.

V I I I.

Quod modò dictum est de hominis raptu, & de coactis hominibus, potest quoque pertinere ad Legem DE VI PRIVATA.

Et 1°. *quidem raptus hominis, quum sit sine armis.*

V. G. Legis Juliæ De Vi Privatâ crimen committitur quum cœtum aliquis & concursum feciſſe dicitur quominùs (*e*) quis in Jus produceretur. *l.* 4. *ff. de Vi priv.* PAUL. LIB. 55. AD ED.

Obiter nota. Idem dicendum Et si quis quæstionem de alterius servo habuisset. Et ideò (*f*) moderatiùs Edicto Prætoris DE INJURIIS utendum esse Labeo ait. *d. l.* 4. § 1.

I X.

2°. *Pariter, quod suprà de coactis hominibus dictum est, & ad Privatam quoque Vim pertinere potest. Undè eâ de re accusatori liberum est arbitrium, utro voluerit Legis Capite aut (si lubet) utrâ Lege experiri.*

Enimverò ita Scævola, DE VI PRIVATA *agens:* Hâc Lege tenetur qui convocatis hominibus Vim fecerit, quo quis verberatur, pulsaretur; neque homo occisus erit. *l.* 2. *ff. de vi priv.* SCÆVOLA LIB. 4. REGUL.

Nec interest liberos an servos, & suos an alienos quis ad Vim faciendam convocaverit. *l.* 3. *ff. d. tit.* MACER. LIB. 1. PUBLICOR.

Nec minùs hi qui convocati sunt, eâdem Lege tenentur. *d. l.* 3. § 1.

Consonat quod rescribunt Diocletianus & Maximianus. Quoniam à Fiscinulo etiam te verberibus adflictum adseveras; si hominibus coactis hoc fecerit; de hoc etiam, si Legis Juliæ DE VI PRIVATA reum deferendum putaveris, apud Præsidem provinciæ age; non ignarum quemadmodùm criminibus probatis res vindicari debeat. *l.* 4. *Cod. h. tit.* ¶ *sed quoniam.*

Item Si quis aliquem dejecit ex agro suo hominibus congregatis sine armis, Vis Privatæ postulari possit. *l.* 5. *ff. de Vi priv.* ULP. LIB. 69. AD ED.

Scholium.

Ex dictis itaque, sic commodè potest Publica *Vis à*

(*a*) *Eos* solos.

(*b*) Excipitur *Materia;* quia ideò rapi videri potest, ne præbeat flammis alimentum.

(*c*) Id est, etiamsi homo occisus non sit. Aliàs tenetur insuper Lege *Corneliâ* DE SICARIIS.

(*d*) Id est, innuptam.

(*e*) Est etiam eâ de re privata actio: de quâ suprà lib. 2. Tit. *Ne quis eum quî in Jus voc.*

(*f*) Agitur etiam eo nomine privato judicio *Injuriarum* ex Edicto Prætoris. Sed cùm is qui eo egerit, ampliùs non possit reverti ad publicum judicium; [suprà lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.* N. 70 & 71.] *ideò moderatiùs, &c.* ut potiùs judicio publico locus fiat.

Source : BIU Cujas

Privatâ *fecerni ; ut quidquid fit cum armis , ad ſolam Vim Publicam pertineat ; quod ſine armis & ſine coactis hominibus , ad ſolam Privatam Vim ; quidquid autem ſine armis quidem , ſed coactis hominibus , ad utramque.*

X.

Quæ ſequuntur exempla , ad Vim Privatam unicè pertinent.

Et 1°. Sed ſi nulli convocati , nullique pulſati ſint ; per injuriam tamen ex bonis alienis quid ablatum ſit ; hâc Lege teneri eum qui id fecerit. *l.* 3. § 2. *ff. de Vi priv.* MACER. LIB. 1. PUBLICOR.

Item & eum qui receperit. Nam Crimen non diſſimile eſt capere , & ei qui rapuit , raptam rem (ſcientem delictum) ſervare. *l.* 9. *Cod. h. tit.* HONOR. ET THEOD.

2°. Ob debitum viri vel civile munus, res uxoris qui pignori capiunt , Vim contrahere videntur. *l.* 1. *Cod. h. tit.* SEVER. ET ANTON.

3°. *Sed &* Si creditor ſine auctoritate judicis res debitoris occupet , hâc Lege tenetur ; & tertiâ parte bonorum mulctatus , & infamis ſit. *l.* 8. *ff. de Vi priv.* MODESTIN. LIB. 2. DE PŒNIS.

Igitur ſi quis In poſſeſſionem fundi , licèt creditor , per vim ingrediatur ; Juliæ Legis Vis Privatæ reus deferri poteſt. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

Enimverò Non eſt ſingulis concedendum, quod per Magiſtratum publicè poſſit fieri ; ne occaſio ſit majoris tumultûs faciendi. *l.* 176. (*Aliàs* 136.) *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 13. AD PLAUT.

Ex Conſtitutione Divi Marci , creditorem hoc caſu jure crediti excidere , docet Calliſtratus. Ita ille : Creditores ſi adversùs debitores ſuos agant ; per judicium , id quod deberi ſibi putant, reſpoſcere debent. Alioquin ſi in rem debitoris ſui intraverint , id nullo concedente ; Divus Marcus decrevit , jus crediti eos non habere. Verba Decreti ſunt (*a*) : « OPTIMUM eſt , ut ſi quas putes » te habere petitiones , actionibus experiaris : interim » ille in poſſeſſione debet morari : tu petitor es. » Et quum Marcianus diceret , VIM NULLAM FECIT ; Cæſar dixit , « Tu Vim putas eſſe ſolùm , ſi homines vulne- » rarentur ? VIS EST TUNC , QUOTIENS QUIS ID QUOD » DEBERI SIBI PUTAT , NON PER JUDICEM REPOSCIT. » Non puto autem nec verecundiæ , nec dignitati tuæ « convenire , quicquam non jure facere. Quiſquis igitur » probatus mihi fuerit rem ullam debitoris , non ab ipſo » ſibi traditam , ſine ullo judice temerè poſſidere , » eumque ſibi jus in eam rem dixiſſe ; jus crediti non » habebit. » *l.* 7. *ff. de Vi priv.* CALLISTRAT. LIB. 5. DE COGNITION.

Obiter nota : nec impunè eſſe ei qui rem (quamvis ſuam) per Vim , quum ab alio poſſideretur , ante eventum judicialis arbitrii rapit. Conſtituerunt enim Valentinianus , Theodoſius & Arcadius , ut rei ſuæ dominio excideret. Quòd ſi res ſua non erat , æſtimationem ejus rei cum ipsâ re inferre cogitur. l. 7. *Cod.* Undè Vi.

4°. *Denique* Ex Senatuſconſulto Voluſiano , qui improbè coeunt in alienam litem , ut quidquid ex condemnatione in rem ipſius redactum fuerit , inter eos communicaretur ; Lege Juliâ De Vi Privatâ tenentur. *l.* 6. *ff. de Vi priv.* MODESTIN. LIB. 8. REGULAR.

(*a*) Refertur hoc Edictum iiſdem verbis in l. 13. ff. *Quod met. cauſ.* ſuprà lib. 4. *d. tit.* N. 11.

interdicitur. *l.* 10. § 2. *ff. Ad L. Jul. de vi publ.* ULP. LIB. 68. AD ED.

Hodie varia pro admiſſi qualitate pœna infligitur. Enimverò Hi qui ædes alienas aut villas expilaverint , effregerint , expugnaverint ; ſi quidem in turbâ cum telo fecerint , capite puniuntur. *l.* 11. *ff. de tit.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Item Graſſatores qui prædæ causâ id faciunt , proximi latronibus habentur : & , ſi cum ferro adgredi & ſpoliare inſtituerunt , capite puniuntur : utique ſi ſæpiùs , atque in itineribus hoc admiſerunt. Cæteri in metallum dantur, vel inſulas relegantur. *l.* 28. § 10. *ff. de Pœnis.* CALLISTR. LIB. 6. DE COGNITION.

Auctores ſeditionis & tumultûs populo concitato , pro qualitate dignitatis , aut in furcam tolluntur , aut beſtiis objiciuntur , aut in inſulam deportantur. *l.* 38. § 2. *ff. de tit.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

XII.

Ex Conſtitutione Juſtiniani , qui mulierem nuptam vel innuptam , liberam vel alienam ancillam rapuit , ſive volente (b) ſive nolente muliere facinus fuerit perpetratum ; capite punitur , remoto appellationis auxilio : & , ſi ingenuæ fuit mulier quæ rapta eſt , omnia bona raptoris ei addicuntur. Adjutores & participes pariter capite puniuntur. Servi ex hâc causâ cremantur. Permittitur autem parentibus & cognatis mulieris , raptorem in ipſo raptûs delicto deprehenſum interficere. l. un. Cod. de Rapt. virg.

§ II.

De pœnâ Vis Privatæ.

XIII.

De Vi Privatâ damnati , pars tertia bonorum ex Lege Juliâ publicatur : & cautum eſt , ne Senator ſit , ne Decurio , aut ullum honorem capiat , ne-ve in eum Ordinem (*c*) ſedeat ; ne-ve judex ſit ; & videlicèt omni honore quaſi infamis [ex Senatuſconſulto (*d*)] carebit. *l.* 1. *ff. de Vi priv.* MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Eâdem pœnâ adficiuntur , qui ad pœnam Legis Juliæ De Vi Privatâ rediguntur (*e*) ; & ſi quis ex naufragio dolo malo quid rapuerit. *d. l.* 1. § 1.

Ex Conſtitutione Conſtantini ; quum Vis adhibita ut quis poſſeſſione dejiceretur , occaſionem alicui cædi dedit ; capitale ſupplicium irrogatur. l. 6. Cod. h. tit.

Pœna etiam deportationis , alterâ ejuſdem Conſtantini Conſtitutione decernitur , adversùs eum qui poſſeſſione rei quam ſuam falsò dicebat , dominum dejecit. Quapropter voluit ut cauſa poſſeſſionis & proprietatis ante criminale judicium diſceptaretur. l. 7. Cod. h. tit.

Ex Conſtitutione Valentiniani , Theodoſii & Arcadii , ſervus qui Vim fecerit , ſi inſcio domino , morte ; ſi juſſu domini , metallo punitur. Item cavetur ut viles & infames perſonæ , & hi qui bis aut pluries Vim fecerint , pœnâ Conſtitutionum (f) teneantur : & judex qui in hoc crimen animadvertere diſtulerit , aut mitiùs punierit , gravi infamiâ notatur. l. 8. Cod. h. tit.

(*b*) Nec obſtat quòd *Volenti non fit injuria.* Nec enim propriè & perfectè vult , quæ ſeducitur. Imò Soloni majore pœna digna viſa eſt illa vis quæ *verbis* quàm quæ *viribus* fit ; quoniam hæc corpus corrumpit , illa animum quoque.

(*c*) Cujacius Obſerv. IX 16. cenſet legendum , *Ne-ve in XIV. Ordinibus ſedeat* ; ſcilicet in ſpectaculis. Hæc emendatio , utpote non neceſſaria , & contra fidem omnium exemplarium , non placet D. Bynkershoeck. Primùm cavetur , ne poſſit promoveri ad honores , his verbis *ne Senator ſit aut ullum honorem capiat* ; adjicitur ut , ſi quos habet , nec eos retineat ; his verbis *ne-ve in* EUM ORDINEM *ſideat* , id eſt *in* eo *Ordine* : ſi apud Noſtros paſſim , *in poſſeſſionem , in poteſtatem* eſſe ; pro *in poſſeſſione , in poteſtate.*

(*d*) Incluſa verba , trajecta eſſe & ad Sum. ſeq. rejicienda rectè monent Cujacius & Bynkershoeck ; ita : *Ex Senatuſconſulto , eâdem pœnâ adficiuntur &c.*

(*e*) Id eſt , quicumque continentur ſub crimine & pœnâ Legis *de Vi privatâ* ; *Ut ſi quis* [ita enim Bynkershoek rectè emendat] *ex naufragio , &c.* Quod etiam extra ordinem quandoque punitur : ſuprà lib. 47. Tit. *de Extraord. crimin.* N. 7.

(*f*) Id eſt , ſecundùm omnem ſeveritatem Legum DE VI damnentur ; cùm contrà , honeſtiores qui ſemel in hoc crimen inciderunt , infamiæ pœnâ notari ſatis eſſe quandoque poſſit.

ARTICULUS II.

Quæ ſit pœna Legis Juliæ De Vi, *ſive Publicâ ſive Privatâ.*

§ I.

De pœnâ vis Publicæ.

XI.

Ex Lege Juliâ Damnato de Vi Publicâ , aquâ & igni

Source : BIU Cujas

TITULUS VIII.

AD LEGEM CORNELIAM DE SICARIIS ET VENEFICIIS.

I.

Leges Regiæ, & XII. Tabularum, crimen homicidii vindicaverunt: ut vidimus ad Tab. VII.

Ex posterioribus autem celeberrima est Lex quam DE SICARIIS ET VENEFICIIS *tulit Cornelius-Sylla Dictator, de quâ in hoc Titulo agitur.*

Porrò SICARII *propriè sunt latrones cultellis utentes recurvis, ad similitudinem eorum quos Romani* SICAS *dixêre (undè &* Sicariis *nomen inditum); qui ita breves erant ut occultari sinu vestis possent. Joseph* Ant. Jud. *XX.*

Videndum 1°. *Quæ crimina hâc Lege coerceantur:* 2°. *Quæ sit eorum pœna.*

ARTICULUS I.

Quæ crimina Lex Cornelia vindicet.

II.

Lex Cornelia homicidia ulciscitur, & specialiter Veneficia; ad incendiarios quoque porrecta est, aliosque maleficos quàm plurimos.

Igitur Lege Corneliâ DE SICARIIS ET VENEFICIIS tenetur, qui hominem occiderit. Cujus-ve dolo malo incendium factum erit, qui-ve hominis occidendi furti-ve faciendi causâ cum telo ambulaverit (*a*); qui-ve quum Magistratus esset publico-ve judicio præesset, operam dedisset quo quis falsum indicium (*b*) profiteretur, ut quis innocens conveniretur (*c*) condemnaretur. 1. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

§ I.

De Homicidiis.

III.

Nihil interest occidat quis, an mortis causam (*d*) præbeat. *l.* 15. ULP. LIB. 8. AD L. JUL. ET. PAP.

Hinc Mandator cædis, pro homicidâ habetur. *d. l.* 15. § 1.

Præterea tenetur qui hominis necandi causâ venenum confecerit, dederit: qui-ve falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur. Qui-ve Magistratus judex-ve quæstionis sub capitalem causam, pecuniam acceperit ut publicâ Lege reus fieret. *sup. d. l.* 17. § 1.

Nihil etiam interest an quis hominem occiderit, an ejus vitæ attentaverit quamvis non occidat.

Hinc Diocletianus & Maximianus rescripserunt. Is qui cum telo ambulaverit hominis necandi causâ, sicut is qui hominem occiderit, vel cujus dolo malo factum erit commissum, Legis Corneliæ DE Sicariis pœnâ coercetur. *l.* 7. *Cod. h. tit.*

Item is cujus familia sciente eo, adipiscendæ, recuperandæ possessionis causâ, arma sumpserit; item qui auctor seditionis fuerit; & qui naufragum (*e*) suppresserit; & qui falsa indicia confessus fuerit confitenda-ve curaverit, quo quis innocens circumveniretur. *l.* 3. § 4. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Non tamen quisquis arma gerit, statim hoc ipso videri debet occidendi gratiâ gerere. Nam Qui telum tutandæ salutis suæ causâ gerunt, non videntur hominis occidendi causâ portare. *l.* 11. § 2. *ff. Ad L. Jul. de vi publ.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

IV.

Tenetur etiam quasi occiderit, qui non occidit quidem nec præcisè occidere voluit; sed tamen volens aliquem in discrimen vitæ adduxit.

Hinc V. G. Et qui hominem libidinis vel promercii causâ castraverit, Senatusconsulto (*f*) pœnâ Legis Corneliæ punitur. *sup. d. l.* 3. § 4.

Item Is qui servum castrandum tradiderit, pro parte dimidiâ bonorum mulctatur; ex Senatusconsulto quod Neratio-Prisco & Annio-Vero Consulibus (*g*) factum est. *l.* 6. VENULEIUS-SATURNIN. LIB. 1. DE OFFIC. PROCONS.

Hi quoque qui thlibias (*h*) faciunt, ex Constitutione Divi Hadriani ad Ninium-Hastam, in eâdem causâ sunt quâ hi qui castrant. *l.* 5. PAUL. LIB. 2. DE OFFIC. PROC.

Et generaliter Idem Divus Hadrianus rescripsit; « Constitutum quidem est, ne spadones fierent: eos autem qui hoc crimine arguerentur, Corneliæ Legis pœnâ teneri, eorumque bona meritò fisco meo vindicari debere. Sed & in servos qui spadones fecerint, ultimo supplicio animadvertendum esse. Et qui hoc crimine tenentur, si non adfuerint, de absentibus (*i*) quoque tanquam Lege Corneliâ teneantur, pro nuntiandum esse. Planè si ipsi qui hanc injuriam passi sunt, proclamaverint; audire eos Præses provinciæ debet, qui virilitatem amiserunt. Nemo enim liberum servum-ve, invitum, sinentem, castrare debet; ne-ve quis se sponte castrandum præbere debet. Ac si quis adversùs Edictum meum fecerit; medico quidem qui exciderit, capitale erit; item ipsi qui se sponte excidendum præbuit. » *l.* 4. § 2. ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

Haud absimili ratione; Circumcidere Judæis filios suos tantùm, Rescripto Divi Pii permittitur. In non ejusdem religionis qui hoc fecerit, castrantis pœna irrogatur. *l.* 11. MODESTIN. LIB. 6. REGUL.

Cives Romani qui se Judaico ritu vel servos suos circumcidi patiuntur, bonis ademptis in insulam perpetuò relegantur; medici capite puniuntur. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 20. § 3.

V.

Et qui hominem occiderit, punitur; non habitâ differentiâ cujus conditionis hominem interemit. *l.* 1. § 2. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

(*a*) Nam latro qui furti faciendi causâ arma gerit, videtur habere animum occidendi eos qui ad prohibendum eum occurrerent. Jam autem ante Legem Corneliam, apud Romanos prohibitum fuit cum armis ambulare. Hinc in *Aulular.* ita Plautus: E. *ad Tres-viros jam ego deferam tuum nomen*: C. *quamobrem* E. *quia cultrum habes.* C. *coquum decet.*

(*b*) Ita Budæus; non verò *judicium*, ut vulgò. Est autem [inquit] *Profiteri indicium*, ultrò se se consortesque criminis deferre.

(*c*) Budæus legit, *circumveniretur.* Nititur hoc textu Ciceronis *Pro Cluent.* n. 55. *Legem ne quis judicio publico* CIRCUMVENIRETUR, *C. Gracchus tulit.*

(*d*) Secùs in Lege Aquiliâ.

(*e*) Qui hominem ex naufragio errabundum *suppresserit*, id est è medio sustulerit [*fait disparoître*]: quamvis incertum sit an occiderit, an ut in ergastulo ad opus faciendum eum haberet suppresserit.

(*f*) Sub Nervâ. Ita enim Dio-Cassius in vitâ Nervæ: *Leges tulit multas; inter quas*, NE MARES CASTRARENTUR.

(*g*) Sub Trajano.

(*h*) *Thlibiæ* dicuntur quibus testes non exsecti, sed attriti sunt: à verbo Græco ΘΛΙΒΩ quod significat *Terere.* D. Gothofr.

(*i*) Hoc speciale est in hoc casu. Regulariter enim pœna capitalis non irrogatur absenti: infrà Tit. *de Requir. reis.*

Hinc,

Source : BIU Cujas

Hinc, Servo ſine judice ad beſtias dato ; non ſolùm qui vendidit, pœnâ, verùm & qui comparavit, tenebitur. *l.* 11. § 1. MODESTIN. LIB. 6. REGUL.

Homicidium etiam intelligitur in infantem admitti.

Hinc Valentinianus, Valens & Gratianus. Si quis necandi infantis piaculum (*a*) aggreſſus aggreſſa-ve ſit: ſciat ſe capitali ſupplicio eſſe puniendum. *l.* 8. *Cod. h. tit.*

V I.

Ejus autem qui in utero eſſet, homicidium eſſe Juriſconſultis non videbatur ; qui Stoæ principiis imbuti hunc nondum hominem eſſe judicabant: Chryſippus ſi quidem [*Plutarcho teſte in Opuſcul.* de Repugn. Philoſ. Stoic.] *infantem, demùm poſtquàm ex utero exiit, putabat incipere eſſe animatum.*

Non tamen impunè eſſe debet mulieri quæ abortum ſibi procuravit: l. 4. *ff.* de Extraord. crim. *ſuprà lib. præced.* d. tit. N. 5. *& l.* 39. *ff.* de Pœnis *infrà Tit. XX.*

Pariter Ulpianus. Si mulierem viſceribus ſuis vim intuliſſe quo partum abigeret, conſtiterit, eam in exilium (*b*) Præſes provinciæ exiget. *l.* 8. ULP. LIB. 33. AD ED.

V I I.

Quædam autem homicidia Lege Cornelia & Conſtitutionibus non vindicantur: ea ſcilicet quæ jure admittuntur, putà in hoſtes & transfugas.

Nam Transfugas licet, ubicumque inventi fuerint, quaſi hoſtes interficere. *l.* 3. § 6. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Et hoc confirmant Arcadius, Honorius, & Theodoſius, qui ſic reſcribunt. Opprimendorum deſertorum facultatem provincialibus jure permittimus. Qui ſi reſiſtere auſi fuerint, in his velox ubique jubemus eſſe ſupplicium. Cuncti etenim adversùs latrones publicos, deſertoreſque militiæ, jus ſibi ſciant pro quiete communi, exercendæ publicæ ultionis indultum. *l.* 2. *Cod. Quando liceat unicuiq. ſine judice &c.*

V I I I.

Jure etiam fit homicidium, quum Magiſtratus aliquem morte condemnat ex Legibus.

Secùs, ſi contra Leges. Nam [*Vide & ſuprà N.* 1.] Lege Corneliâ DE SICARIIS tenetur, qui quum in magiſtratu eſſet, eorum quid fecerit contra (*c*) hominis necem quod Legibus permiſſum non ſit. *l.* 4. ULPIAN. LIB. 7. DE OFFIC. CONSULIS.

Jure etiam videbatur olim homicidium fieri, ſi quis aliquem ex liberis aut ſervis quos in poteſtate haberet, occidiſſet. Quod Jus exolevit: ut vid. ſuprà lib. 1. *Tit.* de His qui ſui vel alien.

I X.

Tranſeamus ad aliam ſpeciem homicidii quod jure fit: videlicèt quod quis ſuæ tutelæ causâ admittit.

Hinc Gordianus. Is qui aggreſſorem vel quemcumque alium in dubio vitæ diſcrimine conſtitutus occiderit, nullam ob id factum calumniam metuere debet. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Idem reſcribit. Si quis percuſſorem ad ſe venientem gladio repulerit; non ut homicida tenetur : quia defenſor propriæ ſalutis in nullo peccaſſe videtur. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

Similiter Gallienus. Si (ut allegas) latrocinantem peremiſti; dubium non eſt, eum qui inferendæ cædis voluntate proceſſerat, jure cæſum videri. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

X.

Furem interdiù deprehenſum non aliter occidere Lex Duodecim Tabularum permiſit (*d*) quàm ſi telo ſe defendat.

TELI autem appellatione, & ferrum, & fuſtis, & lapis ; & denique omne quod nocendi causâ habetur, ſignificatur. *l.* 54. (*Aliàs* 56) § 2. *ff. de Furtis.* GAIUS LIB. 13. AD ED. PROVINC.

Enimverò TELUM vulgò quidem id appellatur quod ab arcu mittitur, ſed tunc (*e*) omne ſignificatur quod mittitur manu. Ita ſequitur, ut & lapis, & lignum, & ferrum hoc nomine contineatur. Dictumque ab eo quòd in longinquum mittitur, Græcâ voce figuratum Α'ΠΟ' ΤΟΥ˜ ΤΗΛΟΥ˜ (*ab eo quod eſt longè*). Et hanc ſignificationem invenire poſſumus & in Græco nomine: nam quod nos TELUM appellamus, illi ΒΕ'ΛΟΣ appellant : eoque nomine vulgò quidem (*f*) id ſignificatur quod ab arcu mittitur, ſe non minùs omne ſignificatur quod (cum) mittitur manu, Α'ΠΟ' ΤΟΥ˜ ΒΑΛΛΕ'ΣΘΑΙ (*à jaciendo.*) Admonet nos Xenophon : nam ita ſcribit; ΚΑΙ' ΤΑ' ΒΕ'ΛΗ *&c.* (*id eſt*) & tela ſimul ferebantur, haſtæ, ſagittæ, fundæ, plurimi item lapides. Et id quod ab arcu mittitur, apud Græcos quidem proprio nomine ΤΟ'ΞΕΥΜΑ (*id eſt ſagitta*) vocatur; apud nos autem communi nomine TELUM appellatur. *l.* 233. *ff. de Verb. ſignif.* GAIUS LIB. 1. AD LEG. XII. TABUL.

Sed & Furem nocturnum ſi quis occiderit, ita demùm impunè feret, ſi parcere ei ſine periculo ſuo non potuit. *l.* 9. ULP. LIB. 37. AD ED.

Hanc ſcilicet limitationem mores attulêre Legi XII. Tab. quæ permittebat indiſtinctè occidere furem nocturnum.

Cujacius autem rectè notat hanc limitationem locum habere in Urbe, non in agris. Indiſtinctè ſi quidem Valentinianus, Theodoſius & Arcadius, nocturnos populatores agrorum, item eos qui in itineribus aggrediuntur, interimere permittunt. l. 1. *Cod.* Quand. lic. unicuiq. ſine judic.

X I.

Non ſolùm quod propriæ vel publicæ ſalutis tuendæ causâ homicidium fit, extra Legis pœnam eſt ; ſed & illud quod fit pudicitiæ tuendæ causâ.

Nam Item Divus Hadrianus reſcripſit ; Eum qui ſtuprum ſibi vel ſuis per vim inferentem occidit, dimittendum. *l.* 1. § 4. MARC. LIB. 14. INSTIT.

Aliud exemplum homicidii quod jure fit, vide ſuprà Tit. ad L. Jul. de Adulter. *Sect. 1. Art. fin.*

X I I.

Hactenùs de homicidiis quæ jure fiunt. Non punitur etiam illud quod etſi non jure, tamen nec injuriâ admiſſum dici poteſt.

Scilicet Infans vel furioſus ſi hominem occiderint, Lege Corneliâ non tenentur; cùm alterum innocentia conſilii tuetur, alterum fati infelicitas excuſat. *l.* 12. MODEST. LIB. 8. REGULAR.

Præter infantiam autem, ætas non excuſat. Hinc Diocletianus & Maximianus. Si quis te reum Legis Corneliæ DE SICARIIS fecerit ; innocentiâ purgari crimen, non adultâ ætate defendi convenit. *l.* 6. *Cod. h. tit.*

X I I I.

Sed & illud homicidium quod culpâ adeòque injuriâ quis admiſit, ad hanc Legem non pertinebit ; ſi citra conſilium occidendi, aut ſaltem in diſcrimen vitæ adducendi, admiſſum eſt: quantùmvis lata fuerit culpa.

Hinc Paulus. In Lege Corneliâ dolus pro facto accipitur, nec in hâc Lege culpa lata pro dolo accipitur. Quare, ſi quis alto ſe præcipitaverit, & ſuper alium venerit, eumque occiderit; aut putator ex arbore quum

(*a*) Fortè intelligunt Imperatores occulta ſacrificia infantum quæ immolabantur Saturno, maximè in Africâ : ut liquet ex Tertulliano in *Apolog.* Impia hæc conſuetudo potuit adhuc temporibus Valentiniani perſeveraſſe.

(*b*) Temporale ſcilicet, ut vid. ſuprà Tit. *de Extraord. crim.* N. 5. Hæc autem pœna infligitur judicio extraordinario : nam hoc crimen, cùm propriè homicidium non ſit, propriè ad hanc Legem Corneliam non pertinet.

(*c*) Id eſt, IN *hominis necem.*

(*d*) Ad quam vide Commentarium noſtrum Tab. II. Cap. 4.

(*e*) *Tunc*, id eſt quando hoc verbo Lex XII. Tab. uſa eſt.

(*f*) Apud illos, quemadmodum & apud nos *Telum.*

Source : BIU Cujas

ramum dejiceret, non proclamaverit, & prætereuntem occiderit; ad hujus Legis coercitionem non pertinet. *l.* 7. PAUL. LIB. SING. DE PUBLICIS JUDICIIS.

Hinc Divus Hadrianus reſcripſit; Eum qui hominem occidit, ſi non occidendi animo hoc admiſit, abſolvi poſſe. Et qui hominem non occidit, ſed vulneravit ut occidat, pro homicidâ damnandum. Et ex re conſtituendum hoc. Nam ſi gladium ſtrixerit, & in eo percuſſerit; indubitatè occidendi animo id eum admiſiſſe; ſed ſi clavi percuſſit, aut cuccumâ (*a*) in rixâ, quamvis ferro percuſſerit, tamen non occidendi animo; leniendam pœnam ejus, qui in rixâ caſu magis quàm voluntate homicidium admiſit. *l.* 1. § 3. MARC. LIB. 14. INSTITUT.

Indè eſt quòd Si in rixâ percuſſus homo perierit, ictus uniuſcujuſque in hoc collectorum (*b*) contemplari oportet. *l.* 17. PAUL. LIB. 5. SENT.

Conſonat quod reſcribit Antoninus. Frater veſter rectiùs fecerit, ſi ſe Præſidi provinciæ obtulerit. Qui ſi probaverit non occidendi animo hominem à ſe percuſſum eſſe; remiſſâ homicidii pœnâ, ſecundùm diſciplinam militarem Sententiam proferet: CRIMEN ENIM CONTRAHITUR, SI ET VOLUNTAS NOCENDI INTERCEDAT. Cæterùm ea quæ ex improviſo caſu potiùs quàm fraude accidunt, fato plerùmque non noxæ imputantur. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Simile eſt quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Eum qui adſeverat homicidium ſe non voluntate, ſed caſu fortuito feciſſe, cùm calcis ictu mortis occaſio præbita videatur: ſi hoc ita eſt, neque ſuper hoc ambigi poterit; omni metu ac ſuſpicione quam ex admiſſæ rei diſcrimine ſuſtinet, ſecundùm id quod Adnotatione Noſtrâ comprehenſum eſt, volumus liberari. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

Hinc etiam eſt quod Paulus ait:
Servus ſi ex plagis defecerit, niſi id dolo fiat, dominus homicidii reus non poteſt poſtulari (*c*). Modum enim caſtigandi & in ſervorum coercitione placuit temperari. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 21. § 16.

X I V.

Non pertinent quidem ad publicum Legis Corneliæ judicium, ea homicidia quæ ſine conſilio occidendi aut ſaltem in diſcrimen vitæ adducendi facta ſunt. Verum, ſi culpâ non careant, extra ordinem puniuntur.

Huc pertinet ſpecies legis ſequentis, quæ ita refertur apud Collatorem *Tit.* 1. § 11. *Quidam Clodius Lupi filius, in convivio, dum ſago jactatur per laſciviam, culpâ cujuſdam Inarii-Evariſti ita malè acceptus fuerat ut poſt quintum diem moreretur. Igitur* Quum quidam per laſciviam cauſam mortis præbuiſſet; comprobatum eſt factum Ignatii-Taurini Proconſulis Beticæ (*d*) à Divo Hadriano, quòd eum in quinquennium relegaſſet. *l.* 4. § 1. ULP. LIB. 7. DE OFF. CONSULIS.

§ II.

De Veneficiis, & maleficiis.

X V.

Legem tulerant Decemviri contra eos qui malum venenum dant aut faciunt: Tab. VII. cap. 11. *Quam Legem interpretans Gaius obſervat, rectè in Decemvirali Lege ſcriptum eſſe* Venenum MALUM.

Enimverò, inquit, Qui venenum dicit, adjicere debet utrùm malum an bonum. Nam & medicamenta, venena ſunt; quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum naturam ejus cui adhibitum eſſet, mutat. Cùm id quod nos venenum appellamus, Græci ΦΑΡΜΑΚΟΝ dicunt: apud illos quoque tam medicamenta quàm quæ nocent, hoc nomine continentur. Undè adjectione alterius nominis diſtinctio fit. Admonet nos ſummus apud eos Poetarum Homerus. Nam ſic ait ΦΑΡΜΑΚΑ &c. (*id eſt*) Venena multa quidem bona mixta, multa autem mala. *l.* 236. *ff. de Verb. ſignif.* GAIUS LIB. 4. AD L. XII. TAB.

De hoc Veneficii crimine ſæpè extra ordinem quæſitum fuiſſe adversùs mulieres quæ viros ſuos necaviſſent, refert Livius lib. VIII. XL. XLVIII. Vide & hujus Epitomen lib. LXVIII.

Tandem ad exemplum Legis Decemviralis, Lex Cornelia ſpecialiter in Veneficos ſtatuit. Et rectè: quandoquidem Plus eſt hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio. *l.* 1. *Cod. de Malefic.* ANTONIN.

X V I.

Igitur Ejuſdem legis Corneliæ DE SICARIIS ET VENEFICIIS Capite quinto, qui venenum necandi hominis causâ fecerit, vel vendiderit, vel habuerit, plectitur. *l.* 3. MARC. LIB. 14. INSTIT.

Ejuſdem Legis pœnâ adficitur, qui in publicum mala medicamenta vendiderit, vel hominis necandi causâ habuerit. *d. l.* 3. § 1.

Adjicit igitur ea Lex, quemadmodum & in Lege XII. Tab. medicamentum MALUM, *Venenum* MALUM.

Adjectio autem iſta veneni MALI, oſtendit eſſe quædam & non mala venena. Ergo nomen (*e*) medium eſt tam id quod ad ſanandum quàm id quod ad occidendum paratum eſt, continet, ſed & id quod amatorium appellatur. Sed hoc ſolum notatur in eâ Lege, quod hominis necandi causâ habet. *d. l.* 3. § 2.

Sed & ſi quis venenum malum dederit quo homo interierit, ſi non necandi causâ dedit, ad hanc Legem non pertinet. Sed ex Senatuſconſulto relegari juſſa eſt ea, quæ non quidem malo animo, ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quæ acceperat, deceſſerit. *d. l.* 3. § 2. ¶ *ſed.*

Item Alio Senatuſconſulto effectum eſt, ut pigmentarii: ſi cui temerè cicutam, ſalamandram, aconitum, pituocampas (*f*), aut bubroſtim (*g*), mandragoram, & id quod luſtramenti causâ dederint cantharidas (*h*), pœnâ teneantur hujus Legis. *d. l.* 3. § 3.

X V I I.

Ex eodem quoque, vel etiam alio Ex Senatuſconſulto, ejus Legis pœnâ damnari jubetur qui mala ſacrificia fecerit, habuerit. *l.* 13. MODESTIN. LIB. 12. PANDECT.

Adversùs eos quoque Conſtitutionem edidit Conſtantinus, quæ extat in l. 3. *Cod.* de Malef. & Math.

Item adversùs Maleficos *proprio nomine dictos. Quâ appellatione, hi demùm intelligendi ſunt ex Lege Conſtantini, qui quid contra ſalutem hominum moliuntur, aut ut pudicos animos ad libidinem flectant. Criminis autem expertes ſunt, qui ſuâ arte utuntur ut corporibus remedia afferant; aut ut à frugibus imbres, ventos, grandines depellant. l.* 4. *Cod.* de Malefic. & Mathem.

X V I I I.

Obſervandum ſupereſt in hoc crimine ſatis eſſe; ut quis venenum malum necandi hominis causâ compoſuerit, quamvis nullus eo ſit interremptus; item ut mala ſacrificia fecerit, quamvis fuerint inefficacia.

Enimverò Divus Hadiranus in hæc verba reſcripſit: In

(*a*) Budæus ad h. l. interpretatur, genus baculi ferrati. Alii, vaſis coquinarii ſpeciem ad calefaciendam aquam; ex ære & terrâ factum.

(*b*) Græci ita interpretantur: *oportet* judices *in hoc collectos contemplari* quæ fuerit *ictûs* ſpecies; putà quo inſtrumento quis percuſſerit. Poteſt etiam ſic accipi: *oportet contemplari* quis & qualis fuerit *ictus uniuſcujuſque* hominum *in hoc* [id eſt, in rixâ] *collectorum.*

(*c*) Supple: ſecùs ſi *Dolo*, id eſt animo occidendi. *Modo enim &c.*

(*d*) *Betica* pars Hiſpaniæ.

(*e*) *Veneni* ſeu medicamenti.

(*f*) Vel *Pithiocampas.* Budæus ad h. l. [*Chenilles de pin*].

(*g*) *Buboſtris* eſt animal ex genere cantharidum, Scarabeo ſimile, bobus exitiale.

(*h*) Hæc vox videtur tranſpoſita. Rectiùs in Editione Haloandri, *mandragoram, cantharidas, & id &c.* Id eſt, & alia ſimilia venena dederint *Luſtramenti causâ*; ſcilicet quaſi apta eſſent ad purgandos renes aut ventrem.

Source : BIU Cujas

Maleficiis (*a*) voluntas ſpectatur (*b*), non exitus *l.* 14. CALLISTRAT. LIB. 6. DE COGNITIONIB.

§ III.

De Incendiariis.

XIX.

Ad incendiarios quoque Lex Cornelia porrecta eſt. Undè ita Philippus reſcribit. Datâ operâ partis adverſæ res veſtras incendio exarſas eſſe aſſeverantes, crimen Legis Corneliæ DE Sicariis exequi poteſtis. *l.* 11. *Cod. de His qui accuſ. non poſſ.*

§ IV.

De Mathematicis ſeu Magis, Ariolis, & ſimilibus.

XX.

MATHEMATICI *hîc vocantur impoſtores qui ex ſiderum obſervatione profitentur ſe fata noſſe. Hanc artem prohibuêre Dioeletianus & Maximianus, qui ita reſcribunt.* Artem geometriæ diſcere atque exercere publicè intereſt. Ars autem mathematica damnabilis eſt, & interdicta omninò. *l.* 2. *Cod. de Malèfic.*

His ſimiles ſunt aruſpices, augures, arioli, & cæteri vaticinatores. De his porrò artibus ita reſcriptum à Valentiniano & Valente: Culpa ſimilis eſt, tam prohibita diſcere quàm docere. *l.* 8. *Cod. d. tit.*

ARTICULUS II.

De pœnâ Legis Corneliæ, & Conſtitutionum, in ſuprà dicta crimina.

§ I.

De pœnâ Homicidarum.

XXI.

Antiquiſſima ex Legibus Regiis homicidii pœna fuit, ut homicida virgis priùs cæſus arbori infelici ſuſpenderetur. Quâ pœnâ Horatius ob cædem ſororis à Duumviris condemnatus, provocatione ad Populum interpoſitâ abſolutus eſt: apud Livium l. 49.

Legis Corneliæ DE Sicariis & Veneficiis pœna, inſulæ deportatio eſt, & omnium bonorum ademptio. Sed ſolent hodie capite puniri, niſi (*c*) honeſtiore loco poſiti fuerint ut pœnam Legis ſuſtineant: humiliores enim ſolent vel beſtiis ſubjici, altiores verò deportantur in inſulam. *l.* 3. § 5. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Quocircà Modeſtinus ait. Qui cædem admiſerunt ſponte, dolo-ve malo, in honore aliquo (*d*) poſiti, deportari ſolent; qui ſecundo gradu (*e*) ſunt, capite puniuntur. Faciliùs hoc in Decuriones (*f*) fieri poteſt; ſic tamen ut conſulto priùs Principe, & jubente id (*g*) fiat: niſi fortè tumultus aliter ſedari non poſſit. *l.* 16. MODESTIN. LIB. 3. DE PŒNIS.

Homicidium tamen remiſſiùs quandoque puniri voluerunt Imperatores; ſcilicet in caſu adulterii de quo ſuprà Tit. ad L. Jul. de Adulter. *N.* 59. *De eodem caſu ita breviter Martianus.* Sed & in eum qui uxorem deprehenſam in adulterio occidit, Divus Pius leniorem pœnam irrogandam eſſe ſcripſit; & humiliore loco poſitum in exilium (*h*) perpetuum dari juſſit, in aliquâ dignitate poſitum ad tempus relegari. *l.* 1. § 5. MARC. LIB. 14. INSTITUT.

§ II.

De pœnâ Veneficorum.

XXII.

Par pœna Veneficorum, ac homicidarum.

Nimirùm Venenarii capite puniendi ſunt; aut ſi dignitatis reſpectum agi oportuerit, deportandi. *l.* 28. § 9. *ff. de Pœnis.* CALLISTRAT. LIB. 6. DE COGNITION.

§ III.

De pœnâ Incendiariorum.

XXIII.

Si quis dolo inſulam meam exuſſerit, capitis pœna plectetur quaſi incendiarius. *l.* 10. ULP. LIB. 18. AD ED.

Illi autem Incendiarii capite puniuntur, qui ob inimicitias vel prædæ causâ incenderint intrà oppidum: & plerùmque vivi exuruntur. Qui verò caſam aut villam, aliquo leniùs. *ſup. d. l.* 20. § 12. *de Pœnis.*

Nam (*i*) fortuita incendia, ſi, quum vitari poſſent, per negligentiam eorum apud quos orta ſunt, damno vicini fuerunt, civiliter exercentur; ut qui jacturâ adfectus eſt, damni diſceptet, vel modicè vindicaretur. *l.* 28. § 12. ¶ *nam fortuita. ff. de Pœnis.* CALLISTR. LIB. 6. DE COGNITIONIB.

§ IV.

De pœnâ Maleficorum, Mathematicorum & magorum, aliorumque ſimilium.

XXIV.

Adversùs maleficos, mathematicos, & ſimile hominum genus, plura conſtituerunt poſteriores Imperatores; quæ vide toto tit. Cod. de Maleficis &c.

Conſtantinus aruſpices cremari voluit, & eos qui aruſpicem advocaverint deportari. l. 3. Cod. d. tit.

Conſtantius etiam & Julianus capite puniri voluerunt qui hos colant. l. 5. Cod. d. tit.

Cæterùm circa magos & ſimiles, hoc obſervandum, quòd nemo privatus aliquem ſub hujus criminis prætextu occidere poteſt, ſed debet eum accuſare. l. fin. Cod. d. tit.

(*a*) Bynkershoek *Obſerv.* III 10. cenſet MALEFICIA hîc non pro quovis maleficio accipi, ſed pro eâ maleficii ſpecie, quæ ſpecialiter & quaſi per eminentiam MALEFICIUM appellatur (*Malèfices*). Nec enim omnibus delictis communis eſt regula, in his voluntatem ſolùm non exitum ſpectari; ſed duntaxat in quibuſdam obtinet de quibus ita ſpecialiter Lege cautum eſt, ut in crimine Majeſtatis, homicidio, parricidio, Veneficio: in cæteris autem eventum maximè ſpectari infrà videbimus Tit. *de Pœnis.*

(*b*) Non tamen nuda *voluntas*: ſed ea quæ ad aliquem actum proruperit; licèt ad delicti conſummationem ſupereſſet aliquid quod ageretur.

(*c*) Id eſt, niſi fortè ob honeſtiorem conditionem, pro pœnâ capitis, ſolam deportationis pœnam quæ ipsâ Lege irrogatur, ſuſtinere debeant.

(*d*) Perperam Noodt emendat *alto.* Vide Notam ſeq.

(*e*) Rectè Wielingius monet, *ſecundo gradu* hîc non dici, qui minores magiſtratus gerunt; ſed perſonas quæ medio gradu ſunt, inter eos qui in honore aliquo conſtituti ſunt, & infimam plebem. Et hoc patet ex his quæ ſequuntur.

(*f*) Senſus eſt, quamvis regulariter (ut diximus) in honore aliquo conſtituti deportari tantùm debeant, non etiam capite puniri; tamen *in Decurionibus* deportari tantùm debeant, non etiam capite puniri; tamen *in Decurionibus* utpotè in minimo honore conſtitutis *faciliùs fieri poteſt* ut etiam capite plecti poſſint; quod tamen, cùm in honore quamvis minimo conſtituti ſint, regulariter fieri non debet, nec aliter quàm ſi Præſes eâ de re Principem conſuluerit.

(*g*) Vid. Tit. *de Pœnis* infrà, & Tit. *de Decurionib.* lib. ſeq.

(*h*) Relegationem. Vide hoc Reſcriptum ſuprà Tit. *ad L. Jul. de adulter.* N. 59.

(*i*) *Nam* pro *ſed.*

Source : BIU Cujas

TITULUS IX.

DE LEGE POMPEIA DE PARRICIDIIS.

I.

PARRICIDII *priscâ appellatione quodvis homicidium continetur, apud Festum in Verb. PARICI.*

Hic strictiùs accipitur pro eâ homicidii specie quæ ex necessitudine sanguinis inter occisorem & interfectum atrocior est.

De hoc crimine caverat Lex XII. Tabularum, quam vide Tab. VII Cap. 12. *Fuit etiam Caput de Parricidio in Lege Corneliâ quæ à Cornelio-Syllâ Dictatore lata fuerat. Postea lata est* LEX POMPEIA, *à Cn. Pompeio.*

§ I.

Quid hâc Lege caveatur, & adversùs quos.

II.

Lege Pompeiâ de Parricidiis cavetur, ut si quis patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, sororem, patruelem (*a*), matruelem, patruum, avunculum, amitam, consobrinum, consobrinam, uxorem, virum, generum, socrum, vitricum, privignum, privignam, patronum, patronam, occiderit; cujus-ve dolo malo id factum erit: ut pœnâ eâ teneatur, quæ est Legis Corneliæ DE sicariis (*b*).

Sed & mater (*c*) quæ filium filiam-ve occiderit, ejus Legis pœnâ adficitur, & avus qui nepotem occiderit.

Et præterea qui emit venenum ut patri daret, quamvis non potuerit dare. *l.* 1. MARCIAN. LIB. 14. INSTIT.

Sed sciendum est Lege Pompeiâ de consobrino comprehendi; sed non (*d*) etiam eos pariter complecti, qui pari (*e*) propriori-ve (*f*) gradu sunt.

Sed & novercæ & sponsæ personæ omissæ sunt: sententiâ tamen Legis continentur; *l.* 3. IBID.

Cùm pater & mater sponsi [aut] sponsæ, SOCERORUM; ut liberorum sponsi (*g*), GENERORUM appellatione continentur. *l.* 4. IDEM LIB. I. DE PUBLICIS JUDICIIS.

III.

Non solùm auctor Parricidii aut qui illud duntaxat attentavit, sed & flagitii participes hâc Lege puniuntur.

Hinc V. G. Si sciente creditore ad scelus committendum pecunia sit subminístrata; & putà, si ad veneni mali comparationem, vel etiam ut latronibus adgressoribusque daretur, qui patrem interficerent: Parricidii tenebitur qui quæsierit pecuniam, qui-que eorum ita crediderint, aut à quo (*h*) ita caverunt. *l.* 7. ULPIAN. LIB. 29. AD ED.

Et generaliter: Utrùm qui occiderunt parentes, an etiam conscii, pœnâ Parricidii adficiantur quæri potest? Et ait Mæcianus; Etiam conscios eâdem pœnâ adficiendos, non solùm Parricidas. Proindè conscii (*i*), etiam extranei, eâdem pœnâ adficiendi sunt. *l.* 6. IDEM LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

De eo qui scivit tantùm nec indicavit, quum filius emisset venenum ut patri daret; ita Scævola. Frater autem ejus qui cognoverat tantùm, nec patri indicaverat, relegatus (*k*) est; & medicus supplicio affectus. *l.* 2. SCÆVOLA LIB. 4. REGUL.

IV.

Hoc crimen, sicut & cætera crimina, non cadit, nisi in personas rationis compotes. Igitur Sanè si per furorem aliquis parentem occiderit, impunitus erit, ut Divi Fratres rescripserunt super eo qui, per furorem, matrem necaverat. Nam sufficere, furore ipso eum puniri: diligentiùsque custodiendum esse, aut etiam vinculis coercendum. *l.* 9. § 2. MODESTIN. LIB. 12. PANDECT.

§ II.

De pœnâ Parricidii.

V.

Hâc in re distinguendum est Parricidium quod in parentes admittitur, ab eo quod admittitur in cæteras personas.

De priori Parricidii specie accipe quod ait Modestinus: Pœna Parricidii, more Majorum (*l*) hæc instituta; ut Parricida virgis sanguineis (*m*) verberatus, deinde culeo insuatur, cum cane, gallo gallinaceo, & viperâ & simiâ (*n*); deinde in mare profundum culeus jactatur. Hoc ita, si mare proximum sit: alioquin bestiis objicitur, secundùm Divi Hadriani (*o*) Constitutionem. *l.* 9. MODEST. LIB. 12. PANDECT.

Et juxta hanc locorum distinctionem accipe quod ait Paulus.

(*a*) Hotomannus & Cujacius hîc intelligunt non patrui filium, sed fratrem consanguineum; & per *matruelem*, fratrem uterinum. Nituntur, tum auctoritate Græcorum qui ita interpretati sunt; tùm quòd præponantur hæc nomina patruo & avunculo, quorum filii satis postea generali *Consobrinorum* appellatione videntur contineri.

(*b*) Noodt legendum censet DE PARRICIDIIS. Sed lectione retentâ potest dici eamdem fortè Legem Corneliam, & *de Homicidiis* statuisse, & alio Capite *de Parricidiis*. Porrò quæ fuerit hæc pœna, vide infrà §°. 2°.

(*c*) De patre tacet, propter jus vitæ & necis patribus in liberos concessum.

(*d*) Hotomannus detractâ negatione legit, *sed etiam eos, &c.* Verùm, imò potiùs hæc retinenda. Sensus enim est Lege Pompeiâ *comprehendi*, id est exprimi, *de Consobrino* duntaxat; *non etiam pariter* exprimi de his personis quæ *pari propriori-ve gradu sunt*; quemadmodum nec expressum est de sponsâ, de novercâ. Sed tamen hos omnes sententiâ Legis, etsi non verbis, contineri.

(*e*) Nepotem scilicet neptem-ve ex fratre aut sorore.

(*f*) Ita legendum ut in l. 1. § 1. ff. *ad L. Jul. Repet.* Et putà, fratris filium.

(*g*) Cùm ex nuptiis tantùm, non ex sponsalibus contrahatur affinitas, Pater aut mater sponsi, non sunt SOCERI propriè dicti; sicut hi qui liberos nostros desponderunt (*fiancé*), nondum dici possunt GENERI. Et illi tamen *Socerorum*, & hi *Generorum* appellatione, in hâc Lege continentur; saltem ex sententiâ Legis.

(*h*) Budæus interpretatur, & qui crediderit & qui mutuatus fuerit. Nam creditor dicitur *cavere* sibi ab eo qui mutuatur, id est cautum accipere.

(*i*) Disputant Interpretes an *Conscii* hîc intelligi debeant, qui duntaxat sciverunt & reticuerunt, quamvis facinus improbarent; an hi demùm qui socii facinoris fuerunt, approbando saltem & instigando? Quod magis probabile est.

(*k*) Hinc colligunt non puniendum capitali pœnâ eum qui duntaxat conscius, non socius fuit. Alii putant singularem hanc esse speciem; in quâ indultum aliquid fraternæ amicitiæ, quæ fratrem prohibuit fratris consilium patri prodere.

(*l*) Id est, Lege XII Tabularum: ad quam vide Commentarium nostrum *Tab. VII.* cap. 12.

(*m*) An ex frutice sanguinei coloris? An reverâ sanguine cruentatis, ad terrorem incutiendum; qualis fuit (teste Livio lib. 1.) hasta Fecialis indicentis bellum? An denique id tantùm significatur, quòd debeat virgis ad usque sanguinis effusionem cædi, & donec illæ penitùs cruententur?

(*n*) Non ipsâ Legem Decemvirali sancitum ut culeo cum parricidâ consuerentur hæc quatuor animalia, probabilius est: ut jam notavimus ad XII Tabulas. Cæterùm jam tempore Augusti M. Seneca lib. 5. *Controvers.* 4. mem nit VIPERÆ seu serpentis in parricidarum supplicio: reumque damnatum ita loquentem inducit; *imaginabar mihi* CULEUM, SERPENTES, *profundum.*

SIMIAM autem simul cum serpente canit Juvenalis Satyr. VIII de Nerone loquens,

Cujus supplicio non debuit una parari.
SIMIA, *nec* SERPENS *unus, nec* CULEUS *unus.*

Quod ad CANEM & GALLUM-GALLINACEUM attinet, eorum quoque mentio est in fragmentis Dosithei cujusdam Grammatici græci: « *Fuit* Lex (inquit) *ut qui* » *parricidium feciſſet, publicè in culeum missus consueretur cum* VIPERA & » SIMIA, GALLO, & CANE, *impiis animalibus, impius homo; & in plaustrum* » *junctum nigris bobus deportaretur ad mare & in profundum mitteretur.* » Et hujus quidem Dosithei incerta ætas: verùm cùm hujus fragmenta nihil ferè aliud contineant quàm Hadriani sententias; hinc colligi posse putat J. Gothofredus, eum circa tempora hujus Imperatoris vixisse: atque hinc confutari eorum sententiam qui Modestini textum à Triboniano interpolatum, canemque & gallum demùm ex Constitutione Constantini supplicio Parricidarum additos censent; ut Vinnius.

(*o*) Priscam Parricidii pœnam in his solis locis quæ mari proxima essent, observari voluit Hadrianus; nec permisit ut in flumina projiceretur culeus, ne diurturniori tanti sceleris præsentiâ dii geniales hujus loci offenderentur: quod in mari non est metuendum. Sprevit porrò hujus vani terroris superstitionem Constantinus mox infrà.

Source : BIU Cujas

Hi, etsi antea (*a*) insuti culeo in mare præcipitabantur, hodie tamen vivi exuruntur (*b*) vel ad bestias dantur. PAUL. SENTENT. LIB. 5. *tit.* 22. § 1.

Ex Lege autem Constantini; prisca Parricidii pœna decernitur adversùs eum qui Parentis aut filii, aut omninò affectionis ejus quæ nuncupatione PARRICIDII continetur, fata properaverit: *edixitque ut in flumen projiceretur Parricidæ corpus, quum mare vicinum non esset. l. un. Cod.* de His qui par. vel lib. occid.

V I.

Qui alias personas occiderint, præter matrem, & patrem, & avum & aviam (quos more Majorum puniri supra diximus); capitis pœnâ plectentur, aut ultimo supplicio mactantur. *d. l.* 9. § 1.

§ I I I.

Quando hoc crimen extinguatur.

V I I.

Hoc crimen, non secùs ac cætera crimina morte rei extinguitur. Undè Ulpianus. Parricidii postulatus si interim decesserit, si quidem sibi mortem conscivit, successorem fiscum habere debebit: si minùs, eum quem voluit; si modò testamentum fecit. Si intestatus decessit, eos heredes habebit qui Lege vocantur. *l.* 8. ULP. LIB. 8. DISPUTAT.

(*a*) Id est; ante Hadriani Constitutionem, non alia recepta fuerat in tanto scelere nisi *Culei* pœna.

(*b*) Scilicet in locis quæ non sunt vicina mari.

TITULUS X.

DE LEGE CORNELIA DE FALSIS; ET DE SENATUSCONSULTO LIBONIANO.

I.

FALSUM (*ut definit Cujacius*) *fraudulenta veritatis mutatio vel suppressio, in præjudicium alterius facta.*

Duplex fuit LEX CORNELIA DE FALSIS: & 1°. *Ea quæ dicitur* TESTAMENTARIA, *quia ad sola testamenta pertinebat, eorumque fidem adstruendam: sed postea ad varias Falsi species, tum* SENATUSCONSULTO LIBONIANO, *tum aliis Senatusconsultis & Constitutionibus producta est.*

2°. *Altera porrò Cornelia Lex* DE FALSIS, *ad rem nummariam seu monetariam pertinet; ideòque* NUMMARIA *dicitur.*

Denique de aliis etiam Falsi speciebus, sive quas Lex VISELLIA *persequitur sive aliis singularibus, in hoc Titulo agitur.*

Hæc omnia prosequemur ordine sequenti.

SECTIO I.

De Lege Corneliâ Testamentariâ.

Qui testamentum amoverit, celaverit, eripuerit, deleverit, interleverit, subjecerit, resignaverit (*a*); qui-ve testamentum Falsum scripserit, signaverit, recitaverit, dolo malo; cujus-ve dolo malo id factum erit; Legis Corneliæ pœnâ damnatur. *l.* 2. PAUL. LIB. 3. AD SABIN.

I I.

1°. *Itaque* Eum qui celavit, vel amovit testamentum, committere crimen Falsi publicè notum est. *l.* 14. *Cod. h. t.* DIOCL. ET MAXIM.

Celare autem vel amovere idem est ac supprimere. Porrò Testamentum supprimit, qui sciens prudensque tabulas testamenti in fraudem heredum, legatariorum, fideicommissariorum, aut libertatum, non profert. PAUL. SENT. *lib.* 4. *Tit.* 7. § 3.

Igitur Testamentum quod nullo jure valet, impunè supprimitur: nihil est enim quod ex eo aut petatur, aut consistere possit. *l.* 38. §. 6. *ff. de Pœnis.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Et quod de testamento suppresso dicitur, interpretatione Legis ad codicillos quoque productum est; hi enim demùm post Legem Corneliam (quæ auctorem habet Dictatorem Syllam) inventi, scilicet sub Augusto. Sed cùm sint pars testamenti: Codicilli quoque si lateant, nec proferantur, supprimi videbuntur. PAUL. SENTENT. *sup. d. tit.* 7. § 5.

I I I.

2°. *Item* Is qui aperuerit vivi testamentum, Legis Corneliæ pœnâ tenetur. *l.* 7. § 5. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

I V.

3°. *Jam verò quod attinet ad eos qui Falsum testamentum* vel Scripserint, vel Signaverint, &c. *observandum est eos teneri pœnâ Legis, quamvis eo testamento non uterentur.*

Hinc Valerianus & Gallienus. Si Falsos codicillos, ab his contra quos supplicas, factos esse contendis; non ideò accusationem evadere possunt, quòd se illis negent uti. Nam illis prodest instrumenti usu abstinere, qui non ipsi Falsi machinatores esse dicuntur, & quos periculo solus usus adstrinxerit. Qui autem compositis per scelus codicillis, in severitatem Legis Corneliæ inciderunt, non possunt defensione ejus recusando crimen evitare. *l.* 8. *Cod. h. t.*

Item tenetur non solùm qui Falsum testamentum confecit, sed qui paravit undè conficeretur.

Hinc Lege Corneliâ testamentariâ obligatur, qui signum adulterinum fecerit, sculpserit. *l.* 30. MODEST. LIB. 12. PANDECT.

SECTIO II.

De variis Falsi speciebus, ad quas Lex Cornelia Testamentaria *producta est.*

V.

Divus Claudius Edicto præcepit adjiciendum Legi Corneliæ; ut, si quis quum alterius testamentum vel codicillos scriberet, legatum sibi suâ manu scripserit, proindè teneatur ac si commisisset in Legem Corneliam; & ne vel iis venia detur, qui se ignorasse Edicti

(*a*) *Resignare* est signa auferre, aperire.

Source : BIU Cujas

severitatem prætendant. *l.* 15. CALLISTR. LIB. I. QUÆST.

Idipsum autem, est primum Caput Senatusconsulti Liboniani; quod factum est sub Tiberio, Statilio Tauro & L. Scribonio-Libone Coss. Undè quidam Edictum ipsum suprà dictum, non Claudio Imperatori Romanorum quinto, sed Tiberio qui etiam ipse CLAUDIUS *dicebatur, tribuendum censent: inter quos præcipuè est P. Faber* Semest. l. 25. *Edictum itaque & Senatusconsultum, unam eamdemque esse Legem; diversis nuncupatam nominibus;* EDICTUM CLAUDII *dictam à Tiberio Principe, qui hujus relationis ad Senatum auctor fuit;* SENATUSCONSULTUM LIBONIANUM *à Libone Consule ad Patres referente. Hinc & in l.* 22. *ff. h. t. quæ inscribitur ex Pauli libro singulari* AD SC. LIBONIAN. *unicè quæstio est de iis qui quid sibi aut suis adscribendo* IN HOC EDICTUM *incidunt; & in Indice Justinianeo, hic ejusdem Pauli liber singularis dicitur* AD SCTUM LIBONIANUM seu CLAUDIANUM.

Alii porrò (ut Cujacius) magis volunt, duo eâ de re fuisse Edicta seu Senatusconsulta; unum sub Tiberio, alterum sub Claudio (a): quod evincunt ex l. 10. *pr. & §* 1. *ff. h. tit. infrà N.* 6. *&* 8. *ubi* Senatusconsulta *dicuntur in numero plurali; maximè verò ex l.* 3. *Cod.* de His qui sibi adsc. *infrà N.* 13. *ubi* SCtum *ab* Edicto D. Claudii *separatur. Quanquàm, cùm idem hæc duo sanxerint, plerùmque confundantur.*

Ut ut sit; & sive EDICTUM *pro ipso Senatusconsulto accipi debeat; sive idipsum quod* Liboniano Senatusconsulto *cautum fuerat, rursùs ab Imperatore Claudio fuerit sancitum; sanè hoc constat, præter illud Caput quod suprà relatis Edicti verbis continetur adversùs eos qui testamento sibi quid adscribunt, aliud quoque simile circà Falsum quod in cæteris instrumentis committitur Senatusconsulto Liboniano cautum fuisse: ut apertè colligitur ex Pariatore mox infrà; ubi etiam mentio fit de tribus aliis Senatusconsultis quibus insuper varia Capita Legis Corneliæ* DE FALSIS *adjecta sunt. Ita enim ille.*

« ULPIANUS SUB TITULO DE PŒNA LEGIS CORNELIÆ TESTAMENTARIÆ » LIB. 8.

« Præterea factum est Senatusconsultum Statilio & » Tauro consulibus (*b*); quo pœna Legis Corneliæ » irrogatur ei qui aliud quàm testamentum sciens (*c*) » signaverit, signari-ve curaverit. Item qui Falsas testa» tiones (*d*) faciendas testamenta-ve Falsa (*e*) invicem » dicenda aut consignanda dolo malo curaverit; Licinno » & Tauro Coss. (*f*).

» Item qui ob struendam advocationem testimonia» ve, pecuniam acceperit, pactus-ve fuerit, societatem coierit, aut aliquam delationem (*g*) interpo» suerit: Item si quis coierit ad occisionem (*h*) inno» centium, Senatusconsulto quod Cortâ & Messalâ (*i*) » factum est, coercentur.

« Sed & si quis ob venumdandum, vel denundan» dum (*k*) non remittendum-ve testimonium, pecuniam » acceperit; Senatusconsulto quod duobus Geminis » Coss. (*l*) factum, sit, pœnâ Legis Corneliæ adficitur. »

Apud Pariator lib. VIII cap. 7.

Ad plures alias denique Falsi species, variis Constitutionibus Lex producta est; sicque, quasi per gradus, accepit incrementum.

De his omnibus sigillatim agendum. Et 1°. *de Edicto D. Claudii, seu priori Senatusconsulti Liboniani Capite, circa eos qui testamento sibi aliquid adscribunt:* 2°. *De altero Capite Senatusconsulti; cujus occasione generaliter agemus de Falso quod committitur in cæteris instrumentis.*

3°. *Varias deinde Falsi species prosequemur, quæ suprà dictis aliis Senatusconsultis aut Constitutionibus vindicantur, & ad quatuor classes referri possunt; scilicet quibus Falsum committitur, vel circa judicia, vel circa Edicta Prætoris aut Constitutiones Principum, vel in contrahendo, vel denique in assumendo in fraudem alicujus Falso nomine.*

ARTICULUS I.

Exponitur Edictum Divi Claudii, seu primum Senatusconsulti Liboniani Caput, contra eos qui testamento sibi quid adscribunt.

Hîc quæritur 1°. *Quando testamentarius, seu is qui testamentum scribit, sibi quid adscribere intelligatur:* 2°. *Quid sibi adscribens in pœnam Senatusconsulti incidat:* 3°. *Ad quorum testamenta Senatusconsultum pertineat, & quæ personæ sint pœnis hujus obnoxiæ;* 4°. *Denique quando Senatusconsultum cesset necne.*

§ I.

Quando quis sibi adscripsisse intelligatur.

VI.

Scribere quis sibi intelligitur, non solùm quum legatum quid-ve aliud sibimetipsi adscribit; sed & quum hoc adscribit personis quæ tempore testamenti, ipsius juri subjectæ fuerint, aut subjectæ fuisse intelligantur.

Hinc Si ei filio qui apud hostes est, adscripserit legatum; dicendum est reverso eo, incidere in pœnam Senatusconsulti (*m*); quòd si ibi decesserit, innocens pater existimatur. *l.* 22. § 1. PAUL. LIB. SINGUL. AD SC. LIBONIANUM.

Illud constat; si extraneo quis adscripserit legatum, licèt postea vivo testatore in potestate eum habere cœperit; Senatusconsultis (*n*) locum non esse. *l.* 10. § 1. MACER LIB. 1. PUBLIC.

De hoc Sequens quæstio est: An quoniam placet id quod illicitè scriptum est, pro non scripto esse; quod servo communi scribentis & alterius adscriptum est, utrùm in totum pro non scripto sit, an quantùm ad eum tantùm qui adscripsit; cæterùm socio totum debeatur? Et inventi Marcellum apud Julianum adnotasse (*o*). Nam quum Julianus scripsisset, Si sibi & Titio scripsisset aut servo communi cùm pro non scripto sit, facillimè quæri posse quantùm Titio & socio adquiratur:

(*a*) Hotomannus diversam adhuc sententiam amplectitur; *Libonianum*-que Senatusconsultum ad tempora Hadriani rejicit, sub Coss. Torquato & Annio-Libone; Edicto proindè Claudii longè posterius.

(*b*) Pithæus, Schultingius, & alii, ita rectè emendant; *Statilio-Tauro & L. Scribonio-Libone Coss.* neque enim duæ diversæ personæ *Statilius* & *Taurus*, sed unica eademque persona *Statilius-Taurus*; qui bis Consul fuit, cum *Libone* sub Tiberio, cum *Crispino* sub Imperatore Claudio. Jam verò Senatusconsultum illud cujus sententia hîc exhibetur, probabilius sub Tiberio factum creditur quàm postea sub Claudio; cùm Pariator illud recenseat ante alia tria quæ mox sequuntur, de quibus apud omnes constat sub Tiberio facta fuisse.

Hîc igitur à Pariatore designari Senatusconsultum ipsum Libonianum, vix dubium est; quo pœna legis Corneliæ Testamentariæ producta est adversùs eos *qui aliud quàm testamentum, &c.* Ut proindè hujus Senatusconsulti duo fuisse Capita dicendum sit; Primum, ut suprà in Edicto Claudii, de iis qui in testamento sibi quid adscribunt; alterùm hîc, in eos *qui aliud quàm testamentum, &c.* De quo vide l. 9. § 3. h. tit. infrà N. 23.

(*c*) *Sciens* Falsum.

(*d*) *Testationes* hîc [ut in l. 7. ff. *de Sponsalib.* & passim] intelligendæ sunt, scripturæ testibus munitæ.

(*e*) Budæus legit *Testimonia*, ut in sup. d. l. 9. § 3. Et pro *invicem dicenda*, alii legunt *in necem dicenda*. Cujacius admissâ priori emendatione, posteriorem respuit; & *testimonia invicem dicenda* intelligit de his qui conveniunt ut se mutuò Falsis testimoniis juvent quotiescumque opus erit.

(*f*) *Licinius* in Fastis Consul invenitur, non cum *Tauro*, sed cum *L. Calphurnio-Pisone*, sub Tiberio, anno Ch. 28. Sed potuit *Taurus* esse Consul suffectus. Hanc porrò horum Consulum designationem quidam rejici volunt ad ¶um. seq. *item qui ob struendam, &c.* quasi hoc ultimum cautum fuerit Liciniano demùm SCto. Liboniano autem tribuunt quidquid præcedit, tam de iis *qui aliud quàm testamentum, &c.* quàm de iis *qui Falsas testationes &c.* Et ita Heineccius, dissentiente Cujacio.

(*g*) *Delationem* falsam scilicet, pecuniâ acceptâ. Schultingius legit, *obligationem*; ut in l. 20. ff. h. tit. infrà N. 28.

(*h*) Id est, in necem & perniciem. Schultingius legit *ad accusationem*. Vide l. 1. § 1. ff. h. tit. infrà N. 28. ubi Marcianus ait *obligationem*.

(*i*) Hi inveniuntur Consules sub Tiberio, anno Ch. 21.

(*k*) Textus apertè mendosus Cujacio videtur, qui sic legit: *Ob denuntiandum vel non denuntiandum remittendum-ve.* Porrò *denuntiare testimonium*, est denuntiare testibus ut adsint ad illud perhibendum: & in crimen Legis Corneliæ incidit ex hoc SCto, judex aut accusator qui pecunia accipit ut hoc denuntiet, vel non denuntiet seu remittat. Vide sup. d. l. 1. § 2. ff. h. tit. infrà N. 29.

(*l*) Nimirùm C. *Rubello*-GEMINO & *C. Fusio*-GEMINO, qui Consules inveniuntur sub Tiberio, anno Ch. 30.

(*m*) Nam hoc casu per fictionem posliminii intelligitur fuisse in potestate testamentarii, tempore testamenti.

(*n*) Liboniano scilicet, sub Tiberio; & Claudiano postea facto, seu Edicto Divi Claudii, quo idem rursùs sancitum est: ut vult Cujacius.

(*o*) Aliquid ad hanc quæstionem pertinens.

Source : BIU Cujas

ita adjicit iſte Marcellus ; Quemadmodum ſocio debebitur, ſi quaſi Falſum nomen ſervi ſubducitur ? Quod & in præſenti quæſtione obſervandum (*o*) eſt. *l.* 14. § 1. PAUL. LIB. 22. QUÆSTIONUM.

VII.

Quod diximus teſtamentarium ſibi adſcripſiſſe videri, quum quid adſcribit perſonis ipſius juri ſubjectis ; ita verum eſt, niſi tale ſit id quod ipſis adſcripſit ut per eas perſonas non potuiſſet illud adquirere.

Hinc V. G. Si pater filio ſuo militi, quem habet in poteſtate, teſtamento commilitonis filii aliquid adſcripſerit quem commilitonem in militiâ novit (*b*) ; quia patri non acquiritur, extrà pœnam eſt. *l.* 11. MARCIAN. LIB. I. DE JUDIC. PUBLIC.

Item ſi ſervo, cui moram fecit in fideicommiſſariâ libertate præſtandâ, adſcripſerit ; dicendum eſt extrà ſententiam Senatuſconſulti eum eſſe : quoniam placet omne quod per hujuſmodi ſervum adquiſitum eſt, reſtitui oportere manumiſſo. *l.* 22. § 3. PAULUS LIB. SINGUL. AD SC. LIBONIANUM.

Pariter Si dominus adſcripſerit ſervo legatum QUUM LIBER ERIT ; dicimus Senatuſconſulto dominum excuſatum eſſe ; qui compendio ſuo nullo modo proſpexerit. Eadem & de filio poſtea emancipato. *d. l.* 22. § 5.

Si teſtamentarius ſervo ſuo fideicommiſſam libertatem dederit, videamus ne extrà pœnam ſit ; quoniam nullum ipſius commodum eſt. Niſi ideò adſcripſerit, ut ſervus magno pretio redimatur ab eo & manumittatur. *d. l.* 22. § 10.

VIII.

Et hæc quidem de eo qui quid adſcribit perſonis quas in ſuâ poteſtate habet.

Quid autem vice verſâ ? De eo qui ei in cujus poteſtâte eſt, eique qui in eâdem poteſtate eſt, adſcripſerit ; nihil Senatuſconſultis cavetur. Sed hoc quoque caſu committitur in Legem ; quia hujus rei emolumentum ad patrem dominum-ve pertinet (*c*), ad quem pertineret ſi filius ſervus-ve ſibi adſcripſiſſent. *l.* 10. MACER LIB. I. PUBLICORUM.

Scribere autem ſibi legatum videri, non ſolùm eum qui manu ſuâ id fecit ; ſed etiam qui per ſervum ſuum, vel filium quem in poteſtate habet, dictante teſtatore, legato honoratur. *l.* 15. ¶ SCRIBERE CALLISTRATUS LIB. I. QUÆST.

IX.

Præter ſupràdictas perſonas ; quibuſcumque aliis quis aliquid adſcribat, quamtumvis ipſi conjunctæ perſonæ fuerint, in Senatuſconſultum non incidit.

Sed & ſi emancipato filio adſcribit, rectè id faciet ; item in adoptionem dato. *l.* 22. § 2. PAUL. LIB. SINGUL. AD SC. LIBONIANUM.

Et quum matri filius adſcripſerat, Divi Fratres reſcripſerunt ; Cùm juſſu teſtatoris hoc ſcripſit, impunitum eum eſſe, matremque capere poſſe. *l.* 11. § 1. MARCIANUS LIB. I. DE JUDIC. PUBLIC.

Pariter Uxori (*d*) legatum in alieno teſtamento ſcribere non prohibemur. *l.* 18. PAUL. LIB. 3. SENTENT.

Idem obtinet, etſi eum cui teſtamentarius aliquid adſcripſit, putaret ſuo juri ſubjectum eſſe. Sufficit enim quòd reverà ſubjectus non fuerit. Hinc V. G. Et ſi ei ſervo qui bonâ fide ſervit, aliquid adſcripſit ; quod ad cogitationem animi nocens eſt, quia ei adſcribit quem ſuum putat ; ſed quoniam neque legatum neque hereditas bonæ fidei poſſeſſori acquiritur, dicamus eum pœnæ eximendum eſſe. *d. l.* 22. § 4.

(*a*) Scilicet ut in totum ſit pro non ſcripto, nec debeatur quicquam ſocio. In alterâ verò ſpecie dicendum ſubductâ teſtamentarii perſonâ, totum Titio deberi.

(*b*) Vide infrà lib. ſeq. Tit. *de Caſtr. pecul.*

(*c*) Ita argumentatur Juriſconſultus, Perindè eſt domino patri-ve teſtamentarii legatum ſcribi, ac ipſi teſtamentario ; cùm utroque caſu domino patri-ve quæratur.

§ II.

Quid adſcribendo quis in pœnam Senatuſconſulti incidat.

X.

Verbis Senatuſconſulti tenetur teſtamentarius qui HEREDITATEM, LEGATUM, FIDEICOMMISSUM-*ve ſibi adſcribit ; item ſervus teſtatoris proprius qui* LIBERTATEM *ſibi adſcribit.*

Cæterùm qui quodvis aliud emolumentum ſibi adſcribit ; etſi verbis non teneatur, ſententiâ tamen Senatuſconſulti tenetur ; & in pœnam incidit. Hinc putà Qui liberti adſignationem ſuâ manu adſcripſit, non verbis, ſed ſententiâ Senatuſconſulti tenetur. *d. l.* 22. § 8.

Sed & ille qui, quum Titio fundus legaretur, adjecit ſuâ manu conditionem pecuniæ ſibi dandæ ; in voluntatem Senatuſconſulti incidit. *d. l.* 22. § 11.

Item non continetur verbis, ſervus qui alieno teſtamento fideicommiſſam libertatem ſibi adſcripſit. Sed de hoc poteſt hæſitari ; quoniam (ut ſuprà diximus) Senatus ita demùm ei qui ſibi libertatem fideicommiſſam in teſtamento domini adſcripſit, pœnam remiſit, ſi dominus ſubſcripſit. Imò magis dicendum eſt hunc (*e*) contra Senatuſconſultum facere, quàm eum qui legatum ſibi adſcribit ; cùm libertas omnimodo ipſi competitura ſit, legatum autem domino adquiri poſſit. *d. l.* 22. § 9. PAUL. LIB. SINGUL. AD SC. LIBONIANUM.

XI.

Sed & ſi teſtamentarius id adſcribat, quo confirmetur id quod ipſi ab alio adſcriptum eſt, & quod alioquin inutiliter adſcriptum foret ; in ſententiam Edicti incidit.

Hinc Si inſtitutus heres, exheredationem nominatim filii vel aliarum perſonarum adſcribit ; Senatuſconſulto tenetur. *l.* 6. § 1. AFRICANUS LIB. 3. QUÆSTIONUM.

Pariter Qui codicillos ante teſtamentum factos, in quibus legatum ei adſcriptum erat, confirmat ; in Senatuſconſultum incidit. Quod & Julianus ſcribit. *ſup. d. l.* 22. § 6.

XII.

Adimendo quoque aliquid, incidere in pœnam debet, quaſi ſibi aliquid dederit. Veluti ſi ſervo legato ſibi, eodemque manumiſſo, libertatem ſuâ manu ademerit. Hoc (*f*) ita, ſi voluntate teſtatoris ademerit : nam ſi ignorante eo, libertas valet. Item ſi rogatus reſtituere legatum ſibi adſcriptum, fideicommiſſum ademerit. *d. l.* 22. § 7.

Item Africanus. Similiter & is qui libertatem ſuâ manu ademit, ſervi teſtatoris, & maximè cui à ſe legata vel fideicommiſſa data erant, Senatuſconſulto tenetur. *ſup. d. l.* 6. § 2.

XIII.

Dictis conſonat quod reſcribit Alexander. Senatuſconſulto, & Edicto Divi Claudii, prohibitum eſt ; eos qui ad ſcribenda teſtamenta adhibentur, quamvis dictante teſtatore, aliquod emolumentum ipſis futurum ſcribere : & pœna Legis Corneliæ facienti irrogata eſt. Cujus veniam deprecantibus ob ignorantiam, & profitentibus à relicto diſcedere ; Ampliſſimus Ordo, vel Divi Principes veniam rarò dederunt. *l.* 3. *Cod. de His qui ſibi ad adſcrib.*

XIV.

Qui autem voluntate patris ſe exheredat, vel legatum ſibi adimit ; neque verbis Senatuſconſulti ; neque ſententiâ continetur. *ſup. d. l.* 22. § *fin.*

Atqui, ſi ſibi ipſi teſtamentarius ſcripſiſſet, pro non ſcripto eſſet. Ergo perindè pro non ſcripto habendum, quod domino patri-ve ipſius adſcriptum eſt.

(*d*) Modo non ea ſit quæ in manum viri convenerit.

(*e*) Qui in teſtamento alterius, ſibi libertatem adſcribit.

(*f*) Supple ante hunc ¶*um* : Cùm igitur in pœnam Legis incidat, Fiſcus ipſi hunc ſervum aufert.

Source : BIU Cujas

§ III.

Ad quorum teſtamenta pertineat Senatuſconſultum, & quæ perſonæ ſunt huic obnoxiæ.

XV.

Etiam Ad teſtamenta militum (*a*), Senatuſconſultum pertinet; quo Lege Corneliâ tenentur qui ſibi legatum fideicommiſſum-ve adſcripſerint. *l.* 1. § 7. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

XVI.

Et quævis perſonæ, quantùmvis teſtatori conjuncta fuerint, Senatuſconſulto obnoxiæ ſunt.

Hinc, etiam ea Quæ in teſtamento uxoris maritus ſuâ manu legata ſibi adſcripſerit, pro non ſcriptis habentur: & Legis Corneliæ pœna, ſi venia impetrata non eſt, locum habet. *l.* 4. *Cod. de His qui ſibi adſcrib.* ALEXANDER.

Etiam milites huic Senatuſconſulto obnoxii ſunt. Pœnam tamen Falſi eis ſolet remittere Princeps.

Hinc Alexander militi ita reſcribit. Quod adhibitus ad teſtamentum commilitonis ſcribendum, juſſu ejus ſervum tibi adſcripſiſti, pro non ſcripto habetur: & ideò id legatum petere non potes. Sed ſecuto tenore indulgentiæ meæ, pœna Legis Corneliæ tibi remittitur; in quam credo te magis errore quàm malitiâ incidiſſe. *l.* 5. *Cod. d. tit.*

Quod ad minores viginti-quinque annis attinet, ait Julianus. Senatus pœnam remiſit ei qui legata à ſe teſtamento data, codicillis ſuâ manu ſcriptis ademerat. Sed quia & juſſu patris id fecerat, & (*b*) annorum viginti-quinque erat, hereditatem quoque ei capere permiſſum eſt. *l.* 5. JUL. LIB. 86. DIGEST.

Maximè autem Impuberem in hoc Edictum incidere, dicendum non eſt; quoniam Falſi crimine vix poſſit teneri, cùm dolus malus in eam ætatem non cadit. *l.* 22. PAUL. LIB. SINGUL. AD SC. LIBONIANUM.

§ IV.

Quando ceſſet necne Senatuſconſultum.

XVII.

Ceſſat Senatuſconſultum, quum teſtator ſubſcriptione ſuâ confirmavit hoc quod teſtamentarius ſibi adſcripſit.

Cæterùm hâc in re Inter filium & ſervum, & extraneum teſtamentum ſcribentes; hoc intereſt; quòd in extraneo, ſi ſpecialiter ſubſcriptio facta eſt QUOD ILLI DICTAVI ET RECOGNOVI, pœna ceſſat, & capi poteſt: in filio vel ſervo, vel generalis ſubſcriptio ſufficit, & ad pœnam evitandam, & ad capiendum. *l.* 1. § 8. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Specialem ſubſcriptionem deſiderari quum teſtamentarius erat extraneus, putà ſervus alienus, docet pariter Calliſtratus. Ita ille. Planè Conſtitutionibus Principalibus cavetur; [ut] ſi teſtator SPECIALITER ſubſcriptione ſuâ declaraverit, dictaſſe ſervo alicujus, ut domino ejus legatum ab heredibus ſuis daretur; id valere, nec generalem ſubſcriptionem teſtatoris valere adversùs Senatuſconſulti auctoritatem: & ideò legatum pro non ſcripto habendum; & ſervo, qui etiam ſibi legatum adſcripſit, veniam dari. Ego tutius eſſe puto, veniam petendam ab Imperatore; ſcilicet eo quod relictum eſt, abſtinentibus. *l.* 15. § 1. CALLIST. LIB. 1. QUÆST.

Contrà; quum teſtamentarius qui quid ſibi adſcripſit, in poteſtate teſtatoris erat; generalem ſubſcriptionem teſtatoris ſufficere ut pœna ceſſet & capi poſſit, idem Calliſtratus docet: ut mox ſequitur.

Item Senatus cenſuit, ut ſi ſervus domini ſui juſſu teſtamento codicillis-ve libertatem ſibi adſcripſerit, ob eam rem quòd ipſius manu adſcriptum eſt, minùs liber ſit. Sed libertas ei ex fideicommiſſi causâ præſtatur; ſi modò poſt eam ſcripturam manu ſuâ teſtator teſtamento codicillis-ve ſubſcripſerit. *d. l.* 15. § 2.

Et quatenùs de ſolâ ſpecie fideicommiſſæ libertatis hoc Senatuſconſulto continebatur; Divus Pius reſcripſit, ſententiam magis ſequendam eſſe hujus Senatuſconſulti, quàm ſcripturam. Nam ſervos quum dominis ſuis parent, neceſſitate poteſtatis excuſari: ſi tamen accedat domini auctoritas ſubſcribentis, SE EA DICTASSE ET RECOGNOVISSE. Videri enim ait ipſius domini manu ſcripta, cujus voluntate ea ſcripta ſunt.

Quod tamen (inquit) ad liberas perſonas in quas nullum jus teſtator habuerit, extendi non debet. Quæri tamen debet, an (*c*) æquè ſubſequendi neceſſitas & honeſta excuſatio eſt, non facientibus quod non ſit conceſſum. *d. l.* 15. § 3.

XVIII.

Vidimus in perſonâ teſtamentarii qui in poteſtate teſtatoris erat, Senatuſconſultum ceſſare, vel ex generali ſubſcriptione teſtatoris.

Hoc ita demùm obtinet, quum teſtator ſubſcripſit ipſimet ſcripturæ quam teſtamentarius confecit. Alioquin, quantùmvis aliundè teſtator confirmaverit quod teſtamentarius ſibi adſcripſit, id pro non ſcripto habebitur. Hinc tamen pœna Falſi evitabitur. Quæ omnia diſcimus ex Diocletiano & Maximiano, qui ita reſcribunt. Si libertatem tibi manu tuâ, imperante domino adſcripſiſti; cùm proponas dominum non ſubſcripſiſſe, & ſuis litteris tuam libertatem expreſſim agnoviſſe: ad impetrandam libertatem, Senatuſconſulti auctoritas tibi obeſt. Pœna tamen Falſi tibi remittitur; quoniam non potueras contra domini voluntatem venire. *l. fin. Cod. de His qui ſibi adſcrib.*

Multò magis, quum teſtamentarius extraneus erat; quod ſibi ille adſcripſit, non confirmabitur, ex eo quòd teſtator illud alibi agnovit. Sed poterit hoc ſaltem ei prodeſſe, ut veniam accuſationis Falſi impetret.

Hinc Antoninus. Si teſtator codicillis quos ſcripſiſti, legatum quoque ſeu fideicommiſſum reliquiſſe tibi ſuâ manu adſcripſit; non videris in pœnam Senatuſconſulti incidiſſe. Quòd ſi teſtamentum (*d*) dictaſſe codicillis ſignificavit, legato quidem vel fideicommiſſo abſtinere debes: pœna verò Falſi, tibi Principali beneficio remittitur. *l.* 2. *Cod. de His qui ſibi adſcript.*

XIX.

Jam ad alios caſus pergamus, quibus ceſſat Senatuſconſultum.

Nimirùm ceſſat, quum teſtamentarius pro parte quidem manu ſuâ ſcripſit orationem per quam ipſi quid relinquitur, verùm nomen ejus aliâ manu ſcriptum eſt.

Hinc in ſpecie ſequenti. Si quis duobus heredibus inſtitutis adjecerit, ut ſi alteruter heres ſine liberis deceſſiſſet, ei qui ſupereſſet & liberos haberet, hereditas redderetur; vel ſi uterque ſine liberis deceſſiſſet, hereditas (deinde aliâ manu, SCRIPTORI TESTAMENTI) reſtitueretur: placet teſtamentario pœnam Legis Corneliæ remitti. Sed benignius eſt, ut etiam ea quæ ſuprà ſcripta ſunt, ſimili modo conſequatur. *l.* 15. § *fin.* CALLIST. LIB. 12. QUÆST.

Ceſſat etiam Senatuſconſultum; quum teſtamentarius qui ſibi hereditatem adſcripſit, nullum coheredem ac ſubſtitutum habet per quem teſtamentum ſuſtineatur, & ipſe eſt ab inteſtato heres. Fruſtrà enim pro non ſcriptâ haberetur ejus inſtitutio.

Sic accipe quod reſcribit Antoninus. Quanquàm ita interpretantur Juriſperiti; ut contra Legem Corneliam videatur ſe ſcribere heredem emancipatus filius patre

(*a*) Vide ſuprà lib. 29. Tit. *de Teſtam. mil.*

(*b*) Legendum, *& minor annorum*, &c.

(*c*) Jauchius [in *Actis Lipſienſib.*] deletâ Particulâ AN, quam Taurellus abſuiſſe à MS. Florentino docet, & tranſpoſitâ negatione legit: *Quæri tamen debet æquè, ſubſequendi neceſſitas; & honeſta excuſatio non eſt, facientibus quod non ſit conceſſum.*

(*d*) In quo tibi legatum adſcripſiſti.

dictante,

dictante, tamen si, quum (*a*) testamentum non esset scriptum, justus successor futurus esset (acceptâ bonorum possessione) filius patris; perindè habebitur atque si suâ manu pater tuus te heredem scripsisset, functus dulci (*b*) officio. *l.* 1. *Cod. de His qui sibi adscrib.*

X X.

Cæterùm non ideò minùs Senatusconsulto locus erit, quòd testamentarius qui sibi quid adscripsit, is esset qui præteritus posset petere possessionem CONTRA TABULAS. *Nec etiam ideò minùs locus erit Senatusconsulto, quòd ex eo quod testamentarius sibi adscripsit nullum laturus esset emolumentum.*

Hoc docet Paulus in hâc specie. Maritus servum dotalem manumisit, & in testamento ejus (*c*) legatum sibi adscripsit. Quæsitum est, quid mulier ex Lege Juliâ consequi (*d*) possit? Respondi: Et patronum incidere in pœnam Edicti Divi Claudii dicendum est, & filium emancipatum; licèt præteriti possint petere bonorum possessionem. Ergo si nihil habet patronus ex bonis liberti, non tenebitur mulieri.

An (*e*) ideò teneri potest, quòd adjectum est in Lege; AUT DOLO FECIT quominùs ad eum perveniat? Sed (*f*) nihil perfecit in fraudem mulieris: non enim adversùs illam hoc excogitavit.

An (*g*) ideò non denegamus huic actiones, quoniam alii restituturus est? Atquin, quum is qui (*Fortè legendum* quum quis) sibi jussu testatoris legatum adscripsit, etiamsi fidei suæ similiter jubente testatore commisisset uti id alii restitueret; Senatus jussit eum nihilominùs legato abstinere, idque apud heredem remanere cum onere fideicommissi. *l.* 14. § 2. PAUL. LIB. 22. AD QUÆST.

X X I.

Non ideò etiam cessat pœna Legis; ex eo quòd legatum quod quis sibi adscripsit, aliundè futurum fuisset inutile. Ita enim Africanus. Si quis legatum sibi adscripserit; tenetur pœnâ Legis Corneliæ, quamvis inutile legatum sit. Nam & eum teneri constat, qui eo testamento quod postea ruptum vel etiam quod initio non jure fieret, legatum sibi adscripserit. Hoc tamen tunc verum est, quum perfectum testamentum erit. Cæterùm si non signatum fuerit, magis est ut Senatusconsulto locus non sit. Sicuti nec (*h*) Interdictum DE tabulis testamenti exhibendis locum habet. Priùs enim oportet esse aliquod testamentum, vel non jure factum, ut Senatusconsulto locus sit. Nam & Falsum testamentum id demùm rectè dicitur; quod, si adulterinum non esset, verum tamen testamentum rectè diceretur. Similiter igitur, & non jure factum testamentum id appellatur; in quo si omnia ritè facta essent, jure factum diceretur. *l.* 6. AFRIC. LIB. 3. QUÆST.

X X I I.

Non cessat etiam pœna Legis, ex solâ ratione conjunctionis personæ testamentarii cum testatore.

Hinc Paulus. Filius emancipatus, quum scriberet patris testamentum, jussu patris, servo communi Titii & sui legatum adscripsit. Quæro quis exitus quæstionis sit? Respondit: Plures (*i*) quæstiones conjunxisti. Et quidem, quantùm ad Senatusconsultum quo prohibemur nobis vel his quos in potestate habemus adscribere legatum; emancipatus quoque filius eâdem pœnâ tenebitur, licèt jussu patris scripserit. Excusatus enim is videtur qui in potestate est, sicut servus; si tamen jussum ex subscriptione testatoris appareat. Sic enim inveni Senatum censuisse. *d. l.* 14. *pr.*

Quòd si rationi conjunctionis personæ; ratio imbecillitatis sexûs accedat; venia tribuitur testamentario.

Hinc Matri quoque cui per servum suum dictante filio, legatum scriptum esset, veniam tribuendam Legis Corneliæ placuit. *l.* 15. § 4. CALLIST. LIB. 1. QUÆST.

Idem in filiam quæ dictante matre suâ, per ignorantiam Juris, legatum sibi scripserat; Senatus censuit. *d. l.* 15. § 5.

ARTICULUS II.

De altero Capite SCti Liboniani; & generaliter de omnibus Falsi speciebus quod in Instrumentis *quibuslibet, præter testamenta, committeretur.*

X X I I I.

Paulus respondit; Legis Corneliæ pœnâ omnes teneri, qui (etiam extra testamenta) cætera Falsa signassent. *l.* 16. § 1. PAUL. LIB. 3. RESP.

Nimirùm secundo SCti Liboniani Capite, Pœna Legis Corneliæ irrogatur ei qui quid aliud quàm in testamento, sciens dolo malo Falsum signaverit, signari-ve curaverit. *l.* 9. § 3. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

X X I V.

Generaliter autem idem Paulus respondit: Sed & cæteros qui in rationibus, tabulis, litteris publicis, aliâve quâ re, sine (*k*) consignatione Falsum fecerunt; vel ut verum non appareat, quid celaverunt, subripuerunt, subjecerunt, resignaverunt eâdem pœnâ affici solere dubium non esse. *sup. d. l.* 16. § 2.

Similiter Marcianus. Qui in rationibus, tabulis cerisve (*l*), vel aliâ quâ re, sine consignatione (*m*) Falsum fecerint, vel rem (*n*) amoverint; perindè ex his causis, atque si erant Falsarii, puniuntur. Sic & Divus Severus Lege Corneliâ DE FALSIS damnavit Præfectum Ægypti; quòd instrumentis (*o*) suis, quum præerat provinciæ Falsum fecit. *l.* 1. § 4. MARC. LIB. 14. INSTIT.

Item Is qui depositа instrumenta apud alium, ab eo prodita esse adversariis suis dicit, accusare eum Falsi (*p*) potest. *d. l.* 1. § 6.

Denique, Quid sit Falsum quæritur? Et videtur id esse, si quis alienum chirographum imitetur, aut libellum, vel ratione intercidat vel describat; non qui aliàs in computatione, vel in ratione mentiuntur. *l.* 23. PAUL. LIB. SING. DE PŒNIS PAGAN.

X X V.

Imò etiam in proprio instrumento quis crimen Falsi committit; putà si circa diem quo confectum est, mentiatur.

Igitur Si, à debitore prælato (*Vulg.* prolato) die pignoris, obligatio mentiatur; Falsi crimini locus est. *l.* 28. MODEST. LIB. 4. RESPONS.

(*a*) Id est, etiam eo casu quo, &c.

(*b*) *Dulce officium* est patri, si ipse filium suum scribat manu suâ heredem. Itaque inutilis emendatio Cujacii, qui legit *functus lucis officio*, id est defunctus.

(*c*) Manumisit.

(*d*) Maritus quidquid ex bonis servi dotalis quem manumisit consecutus est, restituere mulieri soluto matrimonio debet: ut vid. suprà lib. 23. Tit. *Sol. matr.* N. 87. Hinc quæritur an hoc legatum mulieri restituere debeat? Definitur autem non debere restituere, quia illud non consequitur, sed pro non scripto ex Senatusconsulto habetur.

(*e*) Hic prima objectio proponitur.

(*f*) Objectionem diluit.

(*g*) Altera Objectio. Videretur tale legatum non debere haberi pro non scripto; quia is qui illud sibi adscripsit, hujus emolumentum habere non debet, sed debet illud restituere uxori. Verùm hanc rationem non valere, probat ex exemplo quod infrà subjicit.

(*h*) Donellus censet legendum, *Nec sicut*; ne alioquin hæc lex manifestè pugnet cum l. 1. § 5. ff. *de Tab. exhib.*

(*i*) Una duntaxat hîc refertur. Altera relata est suprà N. 6.

(*k*) Id est, alio-ve instrumento etiam non signato. Nisi malis legere cum Haloandro & Vulgatâ, *sive consignatione*: CONSIGNATIONEM autem accipe scripturam quamlibet solemnem, testium simul & partium signaculis munitam, & inde ita dictam.

(*l*) Malè in Florentinâ *cereis-ve*. Rectiùs in Editione Rob. Stephani 1528. TABULIS CERIS-VE; quæ locutio veteribus usitata, ut in formulâ nuncupationis testamenti apud Ulpianum *Fragm.* Tit. XX. § 9. UTI HIS TABULIS CERIS-VE *scripta sunt*; & in fœdere Albano apud Livium I 24. Erant autem *Ceræ*, tabulæ cerâ inductæ in quibus scribebant.

(*m*) Vide Not. (*k*) suprà. Bynkershoek hîc & in l. 16. § 2. mox suprà, omninò legendum censet *sive*, pro *sine*; imò & aliquam putat esse trajectionem verborum, legendumque *sive consignationem, aliâ-ve quâ re* [id est, alibi quàm in scripturâ] *falsum*, &c.

(*n*) *Rem* accipe, aliquid ex suprà numeratis rebus. *Amoverint*, veritatis intervertendæ ergo.

(*o*) Legendum cum litteris reduplicativis IN*strumentis*, id est, *in instrumentis*.

(*p*) Extra ordinem: l. 3. ff. *de Extr. crim.* vide & infrà N. 26.

Source : BIU Cujas

Nec ſolùm debitor, ſed & creditor qui cum eo colludit, eo nomine in crimen Falſi incidit. De hâc ſpecie accipe quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Si creditor colludens cum debitore ſuo tibi prædium venumdedit (*a*), Falſum commiſit; & tibi nihil offecit, ſed ſe magis criminis accuſationi fecit obnoxium. *l.* 15. *Cod. h. tit.*

Erga tertiam quidem perſonam ea res crimini Falſi locum facit: at non inter ipſos qui conſenſerunt.

Hinc Paulus libro tertio Reſponſorum reſpondit.

Repetitâ (*b*) quidem die cautionem interponi non debuiſſe. Sed Falſi crimen, quantùm ad eos qui in hoc conſenſerunt, contractum non videri; cùm inter præſentes & convenientes res actitata ſit, magiſque debitor (*c*) quàm creditor deliquerit. *l.* 3. *ff. de Fid. inſtrum.* PAUL. LIB. 3. RESP.

XXVI.

Valdè autem notandum circa ſpecies omnes modò ſuprà recenſitas, ex quibus Falſum circa inſtrumenta committitur; quòd non omnes præcisè ad SCtum Libonianum pertinent: eo ſiquidem Senatuſconſulto Lex Cornelia ad eos duntaxat producta eſt, qui Falſum inſtrumentum fecerunt aut ſignaverunt. Cæteræ igitur ſpecies, licèt pœna Legis in his quoque locum habeat ex dictis, tamen non ex Lege aut SCto, ſed extra ordinem puniuntur.

Hinc V. G. Paulus libro tertio Reſponſorum reſpondit; Inſtrumentorum ſubreptorum crimen, non eſſe publici judicii: niſi teſtamentum alicujus ſubreptum arguatur. *l.* 16. PAUL. LIB. 3. RESP.

Pariter qui Falſum inſtrumentum recitavit, punitur quidem, ſed extra ordinem.

Hinc Papinianus. Ordine Decurionum decem annis Advocatum motum, qui Falſum inſtrumentum cognoſcente Præſide recitavit; poſt finem temporis, dignitatem reſpondi reciperare: quoniam in Corneliam (Falſo recitato, non facto) non (*d*) incidit. Eâdem ratione; plebeium ob eamdem cauſam exilio temporario punitum, Decurionem poſt reditum rectè creari. *l.* 13. § 1. PAPIN. LIB. 15. RESP.

Ita demùm autem is qui Falſum inſtrumentum recitavit aut protulit, extra ordinem punitur, ſi ſciens fecit. Et ita ſimiliter in omnibus Falſi ſpeciebus: neque enim ſine dolo crimen admittitur.

Hinc Divus Pius Claudio reſcripſit; Pro menſurâ cujuſque delicti conſtituendum in eos, qui apud judices inſtrumenta protulerunt quæ probari non poſſint. Aut, ſi plus meruiſſe videantur quàm ex formâ juriſdictionis peti poſſint, ut Imperatori deſcribatur; æſtimaturo, quatenùs coerceri debeant.

Sed Divus Marcus cum fratre ſuo, pro ſuâ humanitate hanc rem temperavit: ut, ſi (quod plerùmque evenit) per errorem hujuſmodi inſtrumenta proferantur, ignoſcatur eis qui tale quicquam protulerint. *l.* 31. CALLISTR. LIB. 3. DE COGNAT.

ARTICULUS III.

De variis Falſi ſpeciebus quæ ſpecialiter Senatuſconſulto LICINNIANO *aliiſque ſimilibus coërcentur; & generaliter de Falſo quod circa* Judicia *committitur.*

XXVII.

Senatuſconſulto Licinniano, de quo vide ſuprà N. 5. *cum Notis;* Pœna Legis Corneliæ irrogatur ei qui Falſas teſtationes faciendas, teſtimonia-ve Falſa inſpicienda (*e*) dolo malo cojecerit (*Aliàs* curaverit *Aliàs* coierit, *ſupple* in). *l.* 1. MARC. LIB. 14. INSTIT.

Hoc idem in Ulpiani textu ſic legitur:

Item qui Falſas teſtationes (*f*) faciendas, teſtimonia-ve Falſa invicem dicenda, dolo malo coierint. *l.* 9. § 3. ¶ *item.* ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

XXVIII.

Item ob inſtruendam Advocationem, teſtimonia-ve pecuniam acceperit, pactus-ve fuerit, ſocietatem coierit, ad obligationem (*g*) innocentium, ex Senatuſconſulto coercetur. *ſup. d. l.* 1. § 1.

Eo nempè Senatuſconſulto quod ſub eodem Tiberio factum eſt [*ſup. d. N.* 5.] *Aurelio-Cottâ & Valerio-Meſſalâ Coſſ. quo* [*ut Hermogenianus ait*] Falſi pœnâ coercentur (*h*) & qui ad litem inſtruendam Advocatione, teſtibus, pecuniam acceperunt; obligationem (*i*) pactionem fecerunt; ſocietatem inierunt; ut aliquid eorum fieret, curaverunt. *l.* 20. HERMOGEN. LIB. 5. JUR. EPITOMAR.

Quocircà notat Ulpianus. Qui delatorem ſummiſit in causâ pecuniariâ, eâdem pœnâ tenetur, quâ tenentur hi qui ob inſtruendas lites pecuniam acceperunt. *l.* 9. § 4. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

XXIX.

Denique ſub duobus Geminis facto SCto (*de quo etiam ſup. d. N.* 5.) Sed & ſi quis ob renuntiandum (*k*) remittendum-ve teſtimonium, dicendum vel non dicendum, pecuniam acceperit; pœnâ Legis Corneliæ adficitur. *l.* 1. § 2. MARC. LIB. 14. INSTIT.

XXX.

Ex eorumdem Senatuſconſultorum mente & ſententiâ, pœna Legis Corneliæ coercentur quælibet aliæ Falſi ſpecies quæ circa judicia committi poſſunt.

Hinc 1°. *Addit Marcianus* pœna eâdem teneri, Et qui judicem corruperit, corrumpendum-ve curaverit. *d.* § 2. ¶ *& qui.*

Similiter Paulus: Iis adjungitur & is qui judicem corrumpit. *l.* 21. ¶ *iis.* PAUL. LIB. SING. AD SC. TURPILL.

Idem dicendum de iis etiam qui accuſatorem corruperunt ut videb. infrà Tit. de Bonis eor. qui mort. ſibi conſc. *Art.* 2.

Ipſi autem Judices pedanei, ſi pecuniâ corrupti dicentur; Plerùmque à Præſide aut Curia ſummoventur aut in exilium mittuntur, aut ad tempus relegantur. *l.* 38. § 10. *ff. de Pœnis.* PAUL. LIB. 5. SENT.

2°. *Modeſtinus* Eos qui diverſa inter ſe teſtimonia

(*a*) Quaſi ipſe tempore prior in pignore eſſet, prolato per mendacium die cautionis pignoratitiæ; cùm tu reverà prior tempore eſſes.

(*b*) Id eſt, prolatâ: [Gallicè, *Antidaté*].

(*c*) Senſus eſt: Quâ frontè debitor adversùs quem creditor hoc inſtrumento uteretur, accuſaret creditorem Falſi criminis; eo quòd produceret inſtrumentum in quo falſitas circa diem continueretur? Cùm ipſe debitor qui illud confecit, hanc ipſe falſitatem commiſerit; magiſque eâ in re dereliquerit, quàm creditor.

(*d*) Malè Haloander hanc negationem expunxit. Nam ſi incideret in publicum Legis Corneliæ judicium, eſſet infamis, utpotè publico judicio damnatus, adeòque non poſſet Ordini reſtitui. Hic porrò *non incidit in Corneliam*, id eſt in Senatuſconſultum Libonianum quo Lex Cornelia DE TESTAMENTIS porrecta eſt ad Falſum quod circa alia inſtrumenta fit; quia Senatuſconſultum illud loquitur de Falſo *facto* ſeu ſignato duntaxat, non de *recitato*: Advocatus autem in hâc ſpecie *recitavit* tantùm, non ipſe *fecit*.

(*e*) Budæus legit *Teſtimonia-ve falſa invicem dicenda*: argumento legis 9. § 3. mox infra. Hanc emendationem reſpuit Bynkershoek; eo quòd longiùs recedat à lectione Florentinâ, quam etiam Baſilica confirmant. Quare lectionem [*inſpicienda*] retinendam cenſet; & *teſtimonia* hìc accipi pro *teſtamenta*, ut Baſilica verterunt ΔΙΑΘΗ'ΚΑΣ. Verùm, quale ſit crimen teſtamenta falſa *inſpicere*, aut curare ut inſpiciantur, non video.

(*f*) Budæus legit, IN *falſas*, *&c.* TESTATIONEM autem nomine venire poteſt, quodcumque rei de quâ agitur teſtandæ causâ fit; tam inſtrumenta, quàm teſtium teſtimonia. Aliquando ſtrictiùs, pro inſtrumentis, *Teſtatio* accipitur.

(*g*) Macer in l. fin. ff. *de Concuſſion.* dicit, *ad* ACCUSATIONEM *innocentium*; eodem ſenſu. Nam *Obligare* idem eſt quod nectere, implicare: ut in l. 3. § 3. ff. *de Bonis eor. qui ante Sent.* dicitur NEXUS *crimine* pro *Accuſatus*. Igitur ad *Obligationem* innocentium coire dicuntur, qui confingunt crimina adversùs innocentes, ut eos litibus obligent ſeu implicent, vel qui remoram ſtruunt, quominùs ſe accuſati expediant. Ita Bynkershoek. Apud Collatorem legitur *ad occiſionem innocentium*, quo ſenſu dicimus in *necem* ſeu in præjudicium alicujus.

(*h*) Nimirùm ſi ea quæcumque hìc recenſetur, fiant *ad obligationem innocentium* aut aliàs *dolo*, ut mox ſuprà.

(*i*) *Engagement*, *complot.*

(*k*) Florentina lectio habet *denuntiandum*, quam probat Bynkershoek. Eſt autem *denuntiare teſtimonium*, exigere ab aliquo teſtimonium auctoritate judicis aut Legis. In crimen igitur incidunt judices aut accuſatores, qui pecuniam accipiunt ut alicui teſtimonium *denuntient* [fortè ad moleſtiam ipſi procreandam], vel ut ei *non denuntient*. Et pariter in crimen incidunt teſtes qui pecuniam accipiunt, ut ultrò dicant, vel ne dicant teſtimonium. Neminem latet apud Romanos duplicis generis teſtes produci ſolitos; nimirùm eos qui ultrò teſtimonium perhibebant, & eos quibus teſtimonium denuntiabatur: ut ex Pediano & aliis Auctoribus diſcere eſt.

Source : BIU Cujas

præbuerunt, quasi Falsum fecerint, & præscripto Legis teneri pronuntiat. *l.* 27. MODESTIN. LIB. 8. REGUL.

Et eum qui contra signum suum, Falsum præbuit testimonium, pœna Falsi teneri pronuntiatum est.

De impudentiâ ejus qui diversa duobus testimonia præbuit, cujus ita anceps fides vacillat; quòd crimine Falsi teneatur, nec dubitandum est. *d. l.* 27. § 1.

3°. *Item* Si quis obrepserit Præsidi provinciæ tam per acta (*a*) quàm per libelli interpellationem, nihil agit: imò si accusatus fuerit, pœnam temeratoris luit; proindè enim punitur, atque si Falsum fecerit. Sunt enim Rescripta de eâ re. Sufficit autem unum argumenti causâ referre, cujus verba hæc sunt: « Alexander Augustus » Julio-Maryllo: Si libello dato adversarius tuus veri» tatem in precibus ab eo datis non adjecit, subscrip» tione uti non potest; imò si accusatus fuerit, & pœ» nam inferre debet. » *l.* 29. MODESTIN. LIB. SING. DE ENUCLEATIS CASIB.

ARTICULUS IV.

De aliis Falsi speciebus, ad quas Lex Cornelia testamentaria porrecta est.

§ I.

De Falso circa Edicta Prætorum *aut* Constitutiones Principum *admisso.*

XXXI.

Hodie qui Edicta proposita dolo malo corrumpunt, Falsi pœnâ plectuntur. *l.* 32. MODEST. LIB. 1. DE PŒNIS.

Ex hâc causâ etiam actio civilis IN FACTUM *nihilominùs datur, quatenùs actoris interest.*

Ita enim Ulpianus: Qui nomine Prætoris litteras Falsas reddidisse, Edictum-ve Falsum proposuisse dicetur; ex causâ, actione IN FACTUM pœnali tenetur: quanquàm Lege Corneliâ reus sit. *l.* 25. ULP. LIB. 7. AD ED.

XXXII.

Producta est etiam Lex ad illud Falsum quod circa Constitutiones Principis committitur.

Putà Si quis Falsis Constitutionibus, nullo auctore habito, utitur; Lege Corneliâ, aquâ & igni ei interdicitur. *l.* 33. MODEST. LIB. 3. DE PŒNIS.

Hoc ita; si, sciens falsitatem, utatur.

Hinc Alexander. Majorem severitatem exigit ut merita eorum qui Falsis Rescriptionibus utuntur, dignâ coerceantur pœnâ. Sed qui deceptus est per alium, si suam innocentiam probat, & eum à quo accepit exhibet; se liberat. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

Consonat quod rescribunt Diocletianus & Maximianus. Nec exemplum editionis precum, aliter per errorem scriptum [cùm nonnisi dolo malo Falsum committentes crimini subjugentur], cognitionem dati judicis moratur. *l.* 20. *Cod. h. tit.*

Sed & circa veras Principis Constitutiones quoddam Falsi genus committitur, à judice; si secundùm eas non judicaverit.

Hoc sensu accipiendus textus ille Marciani, quem sub hoc Titulo Legis Corneliæ protulerunt Pandectarum ordinatores: Sed & si judex Constitutiones Principum neglexerit, punitur. *l.* 1. § 3. MARCIAN. LIB. 14. INSTIT.

§ II.

De Falso quod In contrahendo *committitur.*

XXXIII.

Ex illâ quoque causâ Falsi pœnæ quis subjicitur, ut Divi quoque Severus & Antoninus constituerunt; ut tutores & curatores, & qui officio depositò non restituerunt tutelam vel curationem, cum fisco contrahere non possint (*b*): at si quis adversùs hanc Legem (*Aliàs* Præfectis) profectus Ærario obrepserit, ut perindè puniatur ac si Falsum commisisset. *l.* 1. § 9. MARCIAN. LIB. 14. INSTIT.

Iidem Principes rescripserunt; ità demùm eum qui rationem tutelæ vel curæ nondum reddidit, cum fisco contrahere non debere, si vivat is cujus tutela administrata est. Nam si decesserit, licèt nondùm heredi ejus rationem reddiderit, jure eum (*c*) contrahere. *d. l.* 1. § 11.

Nota. Sed ad illos hoc non pertinet (ut iidem Principes scripserunt) qui antequàm tutelam susciperent, hæc gesserunt. Nec (*d*) enim excusationes admisisse, sed fraudes exclusisse. *d. l.* 1. § 10.

Item: Sed si jure hereditario successerunt in fiscalem contractum tutor vel curator, licèt ante rationem redditam; non puto pœnam locum habere, licèt adhuc vivat is cujus tutela vel cura administrata est. *d. l.* 1. § 12.

XXXIV.

Aliam Falsi speciem quæ in contrahendo admittitur, refert Paulus. Ita ille: Qui duobus in solidum eamdem rem diversis contractibus vendidit, pœnâ Falsi coercetur. Et hoc & Divus Hadrianus (*e*) constituit. *l.* 21. PAUL. LIB. SING. AD SC. TURPILL.

§ III.

De Falso quod committitur in assumendo Falsò nomine.

XXXV.

Falsi nominis vel cognominis adseveratio, pœnâ Falsi (*f*) coercetur. *l.* 13. PAPIN. LIB. 15. RESPONS.

Interest tamen quo animo hoc fiat. Et quidem Qui sibi Falsum nomen imposuerit, genus, parentes-ve finxerit; quo quid alienum intercepere, possederit; pœnâ Legis Corneliæ DE FALSIS coercetur. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 23. § 10.

Cæterùm qui sine fraude nomen mutat, nulli pœna subjacet.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Sicut in initio nominis, cognominis, prænominis recognoscendi singulos impositio libera est privatis; ita eorum mutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaque nomen, vel prænomen, sive cognomen, sine aliquâ fraude (licito jure si (*g*) liberes) secundùm ea quæ sæpè statuta sunt; minimè prohiberis: nullo ex hoc præjudicio futuro. *l. un. Cod. de Mutat. nomin.*

(*a*) Vernaculè diceremus: *S'il surprend une Ordonnance du Magistrat, sur un faux exposé dans la Requête ou dans les Pieces.*

(*b*) Propter privilegium actionis *Tutelæ* quâ tenentur.

(*c*) Nam mortuo pupillo cessat privilegium actionis *Tutelæ.*

(*d*) Sensus est: nec enim Principes voluerunt, ut ex hâc causâ quis se excusaret à tutelâ, quòd fisco obligatus esset; sed tantùm voluerunt excludere fraudem eorum qui, dum contrahunt cum fisco, dissimulant se ex causâ privilegiatâ *Tutelæ* jam esse obligatos.

(*e*) Hæc autem Constitutio intra suam speciem continetur, nec ad similes species porrigitur. Undè si quis rem non alii venditam, sed alii obligatam distraxerit; non FALSI, sed STELLIONATUS crimine tenetur: supra Tit. *Stellionat.* N. 1. Ita conciliat Wissenbachius. Aliæ conciliationes referentur apud Guill. Fornerium [lib. *de Antinom. pign.*] quæ non placent.

(*f*) Supra Tit. *de Furtis* N. 23. qui falsum nomen assumpsit, *Furti* tenetur; quia scilicet hoc pacto pecuniam interceperat. Sed cùm insuper Falsum committat in eo nomine assumendo, tenetur etiam pœnâ *Falsi.*

(*g*) Servus enim, ut nec suæ personæ, ita nec sui nominis dominus est; adeòque illud mutare invito suo domino non potest.

Source : BIU Cujas

SECTIO III.

De pœnâ criminis Legis Corneliæ Teſtamentariæ, & quibus præſcriptionibus hoc judicium excludatur.

ARTICULUS I.

Quæ ſit pœna criminis Falſi.

XXXVI.

Vetus pœna Falſi ex Lege Decemvirali fuit præcipitatio de rupe Turpeiâ: ut vidimus ad Tab. VII. Cap. 10. n. 2.

Ex Lege Corneliâ aut SCtis per quæ illa variè producta eſt; Pœna Falſi, vel quaſi (*a*) Falſi, deportatio eſt, & omnium bonorum publicatio: & ſi ſervus eorum quid admiſerit, ultimo ſupplicio adfici jubetur. *l.* 1. § 13. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

XXXVII.

Ex quo autem Publicis Judiciis extraordinaria ſucceſſerunt, interdum legitimæ pœnæ alia ſubſtituitur.

V. G. deportationi ſubſtitui ſolet pœna metalli in perſonas humiliores.

Hinc Paulus. Qui vivi teſtamentum aperuerit, recitaverit, reſignaverit, pœnâ Corneliæ tenetur; & plerumque humiliores aut in metallum damnantur, aut honeſtiores in inſulam deportantur. *l.* 38. § 7. *ff. de Pœnis.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Idem ait. Inſtrumenta penès ſe depoſita (*b*) quicumque alteri altero abſente reddiderit, vel adverſario prodiderit; prout perſonæ conditio eſt, aut in metallum damnatur, aut in inſulam deportatur. *d. l.* 38. § 9.

Interdum quoque pœna relegationis cum ademptione partis bonorum, ſubſtituitur deportationi.

Hinc idem Paulus. Si quis inſtrumentum litis ſuæ, à procuratore, adverſario proditum eſſe convicerit: procurator ſi humilior ſit, in metallum damnatur; ſi honeſtior, ademptâ parte bonorum dimidiâ, in perpetuum relegatur. *d. l.* 38. § 8.

XXXVIII.

Circa pœnam Falſi nota quod ait Paulus de his qui rem eamdem duobus vendidit, aut judicem corrupit: Sed remiſſiùs puniri ſolent, ut ad tempus relegentur nec bona illis auferantur. *l.* 21. ¶ *ſed.* PAUL. LIB. SING. AD SC. TURPILL.

Scilicet ſucceſſu temporis, pœna Legis durior viſa eſt in his ſpeciebus quæ ad FALSUM *non niſi ex longinquo accedunt.*

ARTICULUS II.

Quibus præſcriptionibus excludatur necne Legis Corneliæ judicium.

XXXIX.

Judicium hujus Legis excluditur, præſcriptione tranſactionis ab accuſatore factæ ſuper Falſitate inſtrumenti.

Sic enim reſcribunt Valerianus & Gallienus. Ipſe ſignificas, quum primùm adverſarii inſtrumenta protulerunt, fidem eorum te habuiſſe ſuſpectam. Factâ igitur tranſactione, difficile eſt ut is qui provinciam regit, velut Falſum cui ſemel acquieviſti, tibi accuſare permittat. *l.* 7. *Cod. h. tit.*

Ceterùm Qui ignorans Falſum eſſe teſtamentum, vel hereditatem adiit, vel legatum accepit, vel quoquomodo agnovit; Falſum teſtamentum dicere non prohibetur. *l.* 3. ULP. LIB. 4. DISPUTAT.

Similiter reſcribit Alexander. Licèt ex tabulis quas ſub nomine patris tui, uxorem ejus (id eſt novercam tuam) ſubrepto vero teſtamento, Falſa protuliſſe allegas, quum crimen admiſſum ignorares, legatum adſcriptum tibi conſecutus ſis; tamen non impedieris accuſationem contra eam impletis ſolemnibus inſtituere. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

XL.

Querela Falſi, temporalibus præſcriptionibus non excluditur; niſi viginti annorum exceptione: ſicut cætera quoque ferè crimina. *l.* 12. *Cod. h. tit.* DIOCL. ET MAX.

SECTIO IV.

De Lege Corneliâ - Nummariâ.

XLI.

*Lex Cornelia-*NUMMARIA *pertinet ad eam Falſi ſpeciem quæ in adulterandâ monetâ committitur.*

Hâc Lege Corneliâ cavetur, [ut] (*Aliàs* eum qui) qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos flaverit, Falſi crimine teneri. *l.* 9. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

Non vindicatur autem hoc facinus, niſi fuerit conſummatum. Nam Qui falſam monetam percuſſerint, ſi id totum formare noluerunt, ſuffragio juſtæ pœnitentiæ abſolvuntur. *l.* 19. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Hactenùs de eo qui fecit. Eâdem pœnâ afficitur etiam is qui, quum prohibere tale quid poſſet, non prohibuit. *d. l.* 9. § 1.

Eâdem Lege exprimitur; ne quis nummos ſtagneos, plumbeos, emere, vendere, dolo malo vellet. *d. l.* 9. § 2.

XLII.

Quæ hujus criminis pœna fuerit docet Paulus; eoſque qui illo crimine teneantur, ita complectitur: Qui nummos aureos, argenteos, adulteraverit, laverit (*c*), conflaverit, raſerit, corruperit, vitiaverit, vultu-ve ſignatam monetam (*d*) præter adulteriam reprobaverit. Et honeſtiores quidem in inſulam deportantur; humiliores aut in metallum damnantur, aut in crucem tolluntur. Servi autem poſt admiſſum manumiſſi, capite puniuntur. PAUL. SENTENT. *lib.* 5. *Tit.* 23. § 1. ¶ *qui-ve nummos.*

De humilioribus igitur accipe quod ait Ulpianus. Quicumque nummos aureos partim raſerit, partim tinxerit (*e*), vel finxerit (*f*); ſi quidem liberi ſunt, ad beſtias dari; ſi ſervi, ſummo ſupplicio affici debent. *l.* 8. ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

Conſtantinus eos qui adulterinam monetam cudunt, vivos comburi præcepit. l. 2. *Cod.* de Falſâ monet.

Item domum in quâ hoc factum eſt, publicari jubet; etiamſi dominus non fuerit conſcius. Ab hâc tamen pœnâ excipit dominum qui procul ab hâc ſuâ domo moratur; item viduas ac pupillos, quamvis non procul morentur; ſed tutores vice pupillorum vult pœnam luere, & pretium domûs fiſco inferre.

Vult etiam privato hujus criminis accuſato appellationem

(*a*) *Quaſi-Falſum* appellat, varias ſpecies ad quas Lex Cornelia teſtamentaria producta eſt.

(*b*) Sequeſtrata.

(*c*) Qui ope liquoris quo metalla corroduntur, nummos imminuunt: quod in l. 8. mox infrà dicitur *tingere.*

(*d*) Vide N. ſeq.

(*e*) Adulteratores monetæ tingunt nummos æreos, ut argentei vel aurei appareant. Sed ut quid tingerent *aureos*, de quibus hîc ſermo? Ideò Hotomannus emendat *ſtrinxerit*; id eſt, circumciderit. Bynkershoek eodem ſenſu legendum potiùs putat *cinxerit*, ſeu ex circulo nummi abraſerit; ut in l. 25. ff. *Arb. furt. cæſ.* dicitur CINGERE *arborem*, id eſt, decorticare: ad differentiam ejus qui RADERE dicitur, id eſt ex ſuperficie nummi corrodere. Verùm poteſt hîc ſervari lectio *tinxerit*: vide Notam (*c*) mox ſuprà.

(*f*) Adulterinos conflaverit.

Source : BIU Cujas

denegari. Et accusatori immunitatem tribuit à pœnâ calumniæ, etsi non probet. l. 1. *Cod.* d. tit.

Denique eos qui Falsam monetam cudunt, etiam Rescripto quo hanc veniam impetrassent, excusari à pœnâ prohibet. l. fin. Cod. h. tit.

Huc pertinet & totus Titulus Codicis de Veteris numismatis potestate.

XLIII.

Monetæ adulteratoribus similes, & contra debitam vultui Principis reverentiam graviter peccare credebantur, qui monetam hujus vultu signatam [*cùm non adulterina, sed genuina esset*] *reprobarent; quamlibet aliam monetam illi præferentes.*

Hinc Constantinus : « Omnes solidi in quibus nostri » vultus ac veneratio una est, uno pretio æstimandi » sunt. . . Nec enim qui majore habitu faciei extendi- » tur, majoris est pretii; aut qui angustiore expressione » concluditur, minoris haberi credendus est; cùm » cùm pondus idem existat. Quòd si quis aliter fecerit, » aut capite puniri debet, aut flammis tradi, vel aliâ » pœnâ mortiferâ. *l.* 1. *Cod.* [*Theod.*] *Si quis solid. circ.*

Hinc & Valentinianus districtè prohibet ne quis Solidos veterum Principum veneratione formatos *accipere refragetur: quasi hoc in eorum Principum quorum effigies solidis impressa est contumeliam fieri videatur. l.* 1. *Cod.* de Vet. num. post.

Hinc Arrianus Epictet. *III.* 3. *Cæsaris nummum nec argentario nec olerum venditori improbare licet, sed ostenso eo rem venditam trahere oportet.*

SECTIO V.

De Lege Visellià.

XLIV.

Est etiam quædam species Falsi, quod Lex Visellia persequitur; fortè ab eo L. Visellio-Varrone lata, qui in Fastis Consularibus anno Christi 25. *sub Tiberio Imperatore Consul invenitur.*

Lex Visellia libertinæ conditionis homines persequitur, si ea quæ ingenuorum sunt, contra [*Haloand.* circa] honores & dignitates ausi fuerint attentare, vel Decurionatum arripere: nisi jure aureorum annulorum impetrato à Principe sustententur. Tunc enim quoad vivunt, IMAGINEM, NON STATUM INGENUITATIS obtinent; & sine periculo, ingenuorum etiam officia peragunt publica. Qui autem libertinus se dicit ingenuum, tam de operis civiliter, quàm etiam ex Lege Visellià criminaliter poterit perurgeri. In Curiam autem se immiscens, damno quidem cum infamiâ afficitur: muneribus verò personalibus in patriâ patroni quæ congruunt hujusmodi hominibus, singulos pro viribus adstrictos esse non dubium est. *l. un. Cod. Ad L. Visell.* DIOCL. ET MAXIM.

(*a*) Intellige litteras, quæ ad usurpationem cursûs publici à Principe concedebantur. Brisson.

(*b*) Ante hunc ¶*um.* supple : Nec metui debet ex hâc accusatione, impuberi qui suppositus dicitur, fieri posse præjudicium; si mulier quæ suppositi partûs arguitur, se malè defendat & causam suam prodat. *Neque enim verisimile &c.*

SECTIO VI.

De tribus aliis Falsi speciebus.

§ I.

De Falsis mensuris.

XLV.

Si venditor mensuras publicè probatas vini, frumenti vel cujuslibet rei, aut emptor corruperit, dolo-ve malo fraudem fecerit; quanti ea res est, ejus dupli condemnatur. Decretoque Divi Hadriani præceptum est, in insulam eos relegari qui pondera aut mensuras Falsassent. *l.* 32. § 1. MODEST. LIB. 1. DE PŒNIS.

§ II.

De usurpatæ Dignitatis Falsæ insignibus.

XLVI.

Qui insignibus altioris Ordinis utuntur, militiamque confingunt, quo quem terreant, vel concutiant; humiliores capite puniuntur, honestiores in insulam deportantur. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 23. § 11.

Hæc tamen pœna ab admissi qualitate pendet. Undè Modestinus. Qui se pro milite gessit, vel illicitis insignibus usus est, vel Falso duplomate (*a*) vias commeavit; pro admissi qualitate, gravissimè puniendus est. *l.* 27. § 2. MODEST. LIB. 8. REGUL.

§ III.

De Supposito partus.

LXVII.

De partu supposito soli accusant parentes, aut hi ad quos ea res pertineat; non quilibet ex populo, ut publicam accusationem intendat. *l.* 30. § 1. MODEST. LIB. 12. PAND.

Hinc Diocletianus & Maximianus : Cùm suppositi partûs crimen patris tui uxori moveas; apud Prætorem provinciæ institutâ accusatione id proba. *l.* 10. *Cod. h. tit.*

XLVIII.

Ad tempus pubertatis hanc causam non differri, ita rescribit Antoninus. Si partûs subjecti crimen diversæ parti objicitis causa capitalis in tempus pubertatis pueri differri non debuit: sicut jam pridem mihi & Divo Severo patri meo placuit. Neque enim (*b*) verisimile est eam quæ arguitur, non ex fide causam suam defensuram; cùm periculum capitis subeat. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

XLIX.

Accusatio suppositi partûs nullâ temporis (*c*) præscriptione depellitur : nec interest, decesserit necne ea quæ partum subdidisse contenditur. *l.*19. § 1. PAUL. LIB. 5. SENT.

Enimverò, etiam post mortem mulieris quæ partum supposuisse dicitur, hoc crimen in participes exequi licet.

Cæterùm variis conjecturis & præsumptionibus elidi potest. V. G. Nec facilè credendum subjectam eam, quam ambo parentes dicuntur caram filiam habuisse; Rescripto Divorum Fratrum ad Lucium-Tiberianum emisso declaratur. *l.* 1. § 3. ¶ *nec facilè. ff. de Quæst.* ULPIAN. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS

(*c*) Non excludit ordinariam viginti annorum præscriptionem, ut rectè observat Cujac. ad h. l. sed quamvis aliam, putà præscriptionem *Quinquennii* cui in crimine adulterii locus est.



Source : BIU Cujas

TITULUS XI.

DE LEGE JULIA REPETUNDARUM.

I.

QUÆSTIO *de hoc crimine prima* PERPETUA *facta est, Prætorque eâ de re singularis creatus Lege Calphurniâ; circa annum U. C.* 604. « *Lucius enim Piso Tribunus Plebis* » *Legem primus* DE PECUNIIS REPETUNDIS *Censorino* » *& Manilio Consulibus tulit;* » *ut ait Cicero in* Bruto *n.* 27. *quum antea* (nondum centum & viginti anni sunt, *inquit idem* de Offic. *lib.* 2. *cap.* 21.) QUÆSTIONES PERPETUÆ *constitutæ nullæ essent.*

Hujus autem Legis pœna pecuniaria duntaxat fuisse videtur (*a*).

Hanc secutæ 1°. *Lex* JUNIA *quam à M. Junio Penno Trib. plebis circa ann.* 627. *latam; ejusque pœnam præter litis æstimationem, etiam exilium fuisse censet Sigonius* DE JUDICIIS, *lib.* 2. *cap.* 27.

Deindè Lex SERVILIA; *à Servilio Glauciâ lata anno U. C.* 623. *cujus pœna fuit etiam exilium. Hujus Legis meminit Cicero* pro Scauro : *ubi vide Asconium. Sigonius autem loco sup. d. hujus Fragmentum, vetustissimis tabulis æneis insculptum descriptum exhibet.*

Tum Lex ACILIA, *quam tulit Acilius-Glabrio, hujus Glabrionis qui Quæstioni contra Verrem præerat pater. De eâ Lege meminit Cicero in Verrem I. ubi Asconius scribit Legem Aciliam* DE PECUNIS REPETUNDIS *fuisse severissimam, quâ nec comperendinare liceret reum.*

Postea eam quæ CORNELIA *dicta est, tulit Dictator Sylla; ex quâ quæstiones habitæ contra Verrem quem Cicero accusabat; item contra Fonteium, & contra P. Flaccum, quos idem Cicero defendit. Hæc Lex restituerat reis comperendinationem quam* Acilia *ademerat. Hujus quoque pœna fuit exilium. Sigon. sup. d. loc.*

Tandem Lex JULIA *à C. Julio-Cæsare lata, & quidem (ut videtur) sub primo ejus Consulatu* (*b*)*; de quâ in hoc Titulo agitur.*

II.

Lex Julia REPETUNDARUM pertinet ad eas pecunias quas quis in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere ministerio-ve publico, cepit; vel (*c*) quum ex cohorte cujus eorum est. *l.* 1. MARCIAN. LIB. 14. INSTIT.

Lex Julia REPETUNDIS, præcipit; Ne quis ob judicem arbitrium-ve dandum, mutandum, jubendum-ve ut judicet; ne-ve ob non dandum, non mutandum, non jubendum ut judicet: ne-ve ob hominem in vincula publica conjiciendum, vinciendum, vinciri-ve jubendum, ex-ve vinculis dimittendum; ne-ve quis ob hominem condemnandum, absolvendum-ve; ne-ve ob litem æstimandam (*d*), judicium-ve capitis pecuniæve faciendum, vel non faciendum, aliquid acceperit. *l.* 7. MACER. LIB. 1. PUBLIC. JUDIC.

Eâdem Lege tenentur, qui ob denuntiandum vel non denuntiandum testimonium (*e*) pecuniam acceperint. *l.* 6. VENUL. SATURN. LIB. 3. PUBL. JUD.

Lege Juliâ REPETUNDARUM cavetur, ne quis ob militem legendum mittendum-ve (*f*) æs accipiat; ne-ve quis ob sententiam in Senatu Consilio-ve publico dicendam, pecuniam accipiat; vel ob accusandum vel non accusandum.

Ut-que Urbani Magistratus ab omni sorde se abstineant; ne-ve plus doni, muneris, in anno accipiant, quàm quod sit aureorum centum. *l.* 6. § 2. VENULEIUS-SATURN. LIB. 3. PUBLIC. JUDIC.

Brevius. Lege Juliâ Repetundarum tenetur; qui, quum aliquam potestatem haberet, pecuniam ob judicandum decernendum-ve acceperit. *l.* 3. MACER LIB. 1. PUBLIC.

Vel quò magis aut minùs quid ex officio suo faceret. *l.* 4. VENUL. SATURN. LIB. 3. PUBL. JUDICIOR.

In comites (*g*) quoque judicum ex hâc Lege judicium datur. *l.* 5. MACER. LIB. 1. PUBL.

Et generaliter: Qui munus Publicè mandatum acceptâ pecuniâ ruperunt (*h*) crimine Repetundarum postulantur. *l.* 3. PAPIN. LIB. 15. RESPONS.

III.

Imprimis autem notandum quod hâc Lege cavetur, NE PLUS DONI MUNERIS VE ACCIPIANT. *Quocircà quæritur quid sit* MUNUS, *quid* DONUM.

MUNUS propriè est, quod necessariè obimus; Lege, more imperio-ve ejus qui jubendi habet potestatem.

Dona autem propriè sunt, quæ nullâ necessitate Juris officii, sed sponte præstantur; quæ si non præstentur, nulla reprehensio est; &, si præstentur, plerumque laus inest.

Sed in summâ, in hoc ventum est; ut non (*i*) quodcumque munus id & donum accipiatur: at quod donum fuerit, id munus rectè dicatur. *l.* 214. *ff. de Verb. signif.* MARCIAN. LIB. 1. PUBLIC. JUDICIOR.

Et hâc posteriori significatione; Inter donum & munus hoc interest, quod inter genus & speciem. Nam genus esse DONUM Labeo, à donando dictum; munus speciem. Nam munus esse donum cum causâ; ut putà, natalicium, nuptalicium. *l.* 194. *ff. de Verb. signif.* ULP. LIB. 43. AD ED.

Excipit Lex à quibus licet accipere; à sobrinis, propriore-ve gradu cognatis suis, (*k*) uxore. *l.* 1. § 1. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Apparet autem quod Lex ab exceptis quidem in infinitum capere permit. Ab his autem qui (*l*) hoc Capite

(*a*) Hoc probat Sigonius ex eo quod apud Valerium refertur, Lentulum Consularem Lege *Cæciliâ* Repetundarum damnatum, creatum fuisse Censorem cum Censorino. Hanc autem *Cæciliam* Legem esse *Calphurniam*, vel quod habuerit duo nomina, vel quod per mendum *Cæcilia* scriptum sit pro *Calphurnia* probat ex eo quod in Fastis, Lentulus ille Censor inveniatur anno 606. adeòque biennio post latam Calphurniam Legem.

(*b*) Ita enim Cicero in Vatinium, qui anno hujus Consulatûs Tribunus plebis fuerat : « *Quæro ex te, sis-ne ex pauperrimo dives factus illo ipso anno quo Lex* » *lata est* DE PECUNIIS REPETUNDIS ACERRIMA?

(*c*) *Vel* [subaudi, quas quis cepit] *quum ex cohorte, &c.* Quasdam tamen res Lex excipiebat, quas Magistratus eorumque comites sibi à provincialibus subministrandas imperare poterant : à quibus Cicero se abstinuisse gloriatur: & à provincialibus, nec fœnum [*ut quod dari Lege Juliâ solet*] sed ne ligna quidem: nec præter quatuor lectos & tectum quemquam accipere quicquam permisisse, Epist. ad Atticum.

(*d*) *Lis æstimari* dicebatur, quum reus criminalis judicii in certam summam mulctæ nomine damnabatur Budæus.

(*e*) Judicis erat, denuntiare testibus ut ad testimonium perhibendum adessent. In hoc locus est & Legi Corneliæ *de Falsis*, ut vid. Tit. præced. N. 29.

(*f*) Id est, dimittendum.

(*g*) *Comites* duplicis generis fuisse observat Budæus. Prioris generis, ii qui adjutores & ministri erant imperii & Magistratûs; ut Legatus, Adsessores, Scribæ. Alterius generis erant, domestici Præsidis; ut Accensi [*Les Huissiers, Appariteurs, Licteurs*], medici, aruspices, &c. Utriusque generis comites Lex complectitur. De his ita Cicero *In Verrem III. Comites illi delecti, manus erant Præfecti, Scribæ, Medici, Aceneste, Aruspices, Præcones.*

(*h*) Id est; corrumpi se passi sunt, quo minùs ut par est munere fungerentur.

(*i*) Sensus est : si quidem proprium verborum sensum spectemus, MUNUS est quod necessitate obimus, DONUM quod sponte præstamus. Verùm per abusum sermonis huc *ventum est*, ut quidem non quodcumque munus possit appellari donum: nam V. G. tutela *munus* est, & tamen non potest appellari donum: sed ut saltem [& in hoc abusus consistit], id quod propriè *donum* est, id quod sponte præstamus, appellaretur *munus*. Quod tamen non de omni dono verum est, sed de illo duntaxat quod causam aliquam habet, ut nuptiale, natalitium, &c. Vide l. seq.

(*k*) Nec obstat quòd donationes inter virum & uxorem prohibitæ sunt. Nam *Munera* inter ipsos non prohibentur : adeòque excipienda fuit uxor; ut quod muneris causâ ab eâ Magistratus accipit, non computetur in eâ quantitate *Centum aureorum* ultra quam in anno non licet ei munera accipere.

(*l*) Cujacius legit, *Iis autem qui.* Woorda, *Ab his autem quæ*, id est *ob hæc autem quæ* Wielingius retentâ vulgari lectione, rectè ita interpretatur : *Ab his autem* Magistratibus *qui* prohibiti sunt accipere [scilicet suo munere fungentibus] *à nullo, &c.*

Source : BIU Cujas

enumerantur, à nullo, neque ullam quantitatem capere permittit. *l.* 7. § 1. MACER LIB. 1. PUBLICOR. JUDICIOR.

I V.

Alio capite hujus Legis, Illud quoque cavetur; Ne in acceptum feratur opus publicum faciendum, frumentum publicè dandum, præbendum, adprehendendum (*a*), sarta tecta tuenda; antequàm perfecta, probata, præstita Lege (*b*) erunt. *d. l.* 7. § 2.

V.

Ex Lege Juliâ REPETUNDARUM *id etiam esse videtur quod scribit Hermogenianus.*

Quod à Præside seu Procuratore, vel quolibet alio in eâ Provinciâ in quâ administrat, licèt per suppositam personam comparatum est; infirmato contractu vindicatur, & æstimatio ejus fisco infertur. Nam & navem in eâdem provinciâ in quâ quis administrat, ædificare prohibetur. *l.* 46. § 2. *ff. de Jure fisci.* HERMOG. LIB. 6. JURIS EPITOMAR.

Imò eâdem Lege prohibetur ne Senatores navem habeant: *l.* 3. *ff.* de Vacat. & excus. mun. *infrà lib.* 50. d. tit.

Plura alia Capita fuerunt hujus Legis; quorum quædam referuntur à Cicerone in Pison. *Et Cœlius apud Sigonium mentionem facit cujusdam* Centesimi-primi *Capitis hujus Legis Juliæ.*

V I.

Hanc Legem Juliam posteriorum Imperatorum Constitutiones confirmaverunt.

Elegans eâ de re Gratiani, Valentiniani & Theodosii Rescriptum. Omnes cognitores & judices à pecuniis atque patrimoniis manus abstineant; neque alienum jurgium putent suam prædam. Etenim privatarum quoque litium cognitor idemque mercator, statutam Legibus cogetur sub ire jacturam. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

V I I.

Ex Lege Juliâ REPETUNDARUM *publicum erat judicium.* Hodie ex Lege REPETUNDARUM, extrà ordinem puniuntur, vel etiam duriùs, prout admiserint. Quid enim si ob hominem necandum pecuniam acceperint? vel licèt non acceperint, calore tamen inducti interfecerint, vel innocentem, vel quem punire non debuerant? Capite plecti debent; vel certè in insulam deportari, ut plerique puniti sunt. *l.* 7. § 3. MACER LIB. 1. PAUL. JUDIC.

Si pecuniâ datâ judici, reus absolutus esse dicatur, idque in eum fuerit comprobatum; ea pœnâ damnatur judex, quâ reus damnari potuisset. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 14. § 12.

V I I I.

Frequentiùs autem pœnâ quadrupli plectuntur Magistratus tam ejus quod ipsi quàm ejus quod ipsorum domestici aut manipularii ministri-ve extorserunt.

Sic enim rescribunt Gratianus, Valentinianus & Theodosius. Ut unius pœna metus possit esse multorum; ducem qui malè egit, ad provinciam quam nudaverit cum custodiâ competenti ire præcipimus: ut non solùm quod ejus non dicam domesticus, sed manipularius & minister, acceperit; verùm etiam quod ipse à provincialibus nostris rapuerit aut sustulerit, in quadruplum exsolvat invitus. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Ita scilicet (*ut rescribunt Arcadius & Honorius*) Ut duplum spoliatus accipiat, & duplum noster fiscus acquirat. *l.* 3. *Cod. de Adsessor.*

Hanc pœnam quadrupli pronuntiant etiam Theodosius & Valentinianus Constitutione sud quâ præcipitur ut Magistratus jurent se nihil dedisse nec daturos pro sortiendâ administratione, nec quidquam accepturos pro aliquo beneficio cùm administrarent præstito. Si contra hoc jusjurandum fecerint; tam adversùs dantem quàm accipientem judicium publicum in quadruplum institui possit. l. fin. Cod. h. tit.

I X.

Publicum judicium REPETUNDARUM *hoc cum cæteris publicis judiciis commune habet ut sit famosum.*

Unde Hâc Lege damnatus testimonium publicè dicere, aut judex esse postulare-ve prohibetur. *l.* 6. § 1. VENUL. SATURNIN. LIB. 3. PUBLIC. JUDICIOR.

Singulare autem est in hoc crimine, quòd pœna pecuniaria in heredes transeat. Sic enim rescribunt Gratianus, Valentinianus & Theodosius. Sciant judices super admissis propriis, aut à se, aut ab heredibus suis pœnam esse Repetendam. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Item Scævola. Datur ex hâc Lege & in heredes actio, intrà annum duntaxat à morte ejus qui arguebatur. *l.* 2. SCÆVOLA LIB. 4. REGUL.

Adversùs autem ipsum nocentem, hoc crimen sicut cætera nonnisi vicennio excluditur.

De uno casu dubitari potest, an Jure singulari excludatur anni lapsu, post depositam administrationem? Scilicet quum comites domorum aliquid à colonis, procuratoribus, susceptoribus (*c*), *Tabulariis* (*d*), *aut Gynæcio* (*e*) *præpositis extorserunt. Jubent quidem Valentinianus & Theodosius, eos colonos & cæteros intrà annum quæri; eosque ultra annum audiri vetat, & ad solutionem compelli:* l. 5. Cod. h. tit. *Verùm indè non sequitur accusationem criminis post annum exclusam; sed tantùm post annum non profuturam ut hi ad solutionem urgeantur.*

X.

Observandum superest, hanc accusationem regulariter nonnisi post depositam administrationem posse institui; exceptis tamen quibusdam casibus, ex Constitutione Valentiniani, Theodosii & Arcadi: quas vide l. 4. Cod. h. tit.

(*a*) Hæc lectio sensu caret. Budæus legit *adprobandum*: quæ emendatio valdè probabilis, & præsertim ex his qui sequuntur, *antequàm*. . . . PROBATA, &c. Quod autem ait lex *Acceptum ferre*, est quod nos dicimus *Donner décharge à l'Entrepreneur.*

(*b*) Ex lege scilicet locationis.

(*c*) *Receveurs.*

(*d*) *Teneurs de Livres.*

(*e*) *Gynæcium* est à verbo Græco ΓΥΝΑΙΚΕΙΟΝ [*Appartement des femmes*]. Videntur ergo hi esse præpositi mulierem operibus; iidemque qui in l. 11. Cod. *de Murileg.* dicuntur PRÆPOSITI TEXTRINARUM.

TITULUS XII.

DE LEGE JULIA DE ANNONA.

I.

LEge Juliâ DE ANNONA pœna statuitur adversùs eum qui contra Annonam fecerit, societatem-ve coierit quo Annona carior fiat. *l.* 2. ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

Eâdem Lege continetur ne quis navem nautam-ve retineat, aut dolo malo faciat quo magis detineatur. Et pœna viginti aureorum statuitur. *d. l.* 2. § 2. *d. l.* 2. § 1.

I I.

Videntur etiam in hanc pœnam incidisse Magistratus municipales qui quid contra Annonam commisissent.

Cæterùm Decuriones pretio viliori frumentum quod Annona temporalis est, patriæ suæ præstare non sunt

Source : BIU Cujas

cogendi. *l.* 5. *ff. de Admin. rer. ad civ.* PAUL. LIB. 5. SENT.

Et verò Non debere cogi Decuriones viliùs præſtare frumentum civibus ſuis quàm Annona exigit. Divi Fratres reſcripſerunt ; & aliis quoque Conſtitutionibus Principalibus id cautum eſt. *l.* 8. *ff. Ad municip.* MARC. LIB. I. DE PUBL. JUD.

En ipſa verba : Imperatores Antoninus & Verus Auguſti in hæc verba reſcripſerunt : « MINIME æquum » eſt, Decuriones civibus ſuis frumentum viliùs quàm » Annona exigit vendere. » *l.* 3. PAPYRIUS - JUST. LIB. I. DE CONSTIT.

Item reſcripſerunt ; Jus non eſſe Ordini cujuſque civitatis, pretium grani quod invehitur ſtatuere. *d l.* 3. § 1.

III.

Ex hâc Lege publicum judicium deſcendit ; in quo ſingulariter obtinet 1°. *Ut mulieres ad accuſandum admittantur. Nam ſuprà dicti Imperatores.* Item in hæc verba reſcripſerunt ; « Etſi non ſolent hoc genus nuntiationis mu- » lieres exercere : tamen quia demonſtraturam te quæ » ad utilitatem Annonæ pertinent, polliceris ; Præ- » fectum Annonæ docere potes. » *d. l.* 3. § 2.

2°. *Quinetiam* Conſtitit inter ſervum & dominum judicium, ſi Annonam publicam fraudaſſe dicat dominum. *l.* 1. MARCIAN. LIB. 2. INSTIT.

TITULUS XIII.

AD LEGEM JULIAM PECULATUS, ET DE SACRILEGIIS, ET DE RESIDUIS.

TRia crimina, PECULATUS, DE SACRILEGIIS, & DE RESIDUIS, *utpotè affinia, hæc Lex Julia complexa eſt ; & quidem Lex unica, ut patet ex Rubricâ Tituli* (AD LEGEM JULIAN) *in numero ſingulari. Utrùm autem à C. Julio-Cæſare, an demùm ab Auguſto lata, incertum.*

Fuit & ante hanc Legem alia Lex DE PECULATU, *cujus auctor ignoratur : imò & ex illâ perpetua Quæſtio ; hanc ſiquidem Servio-Sulpitio noſtro* (*de quo in* Præfat. *Part.* 2. *Cap.* 1. *n. XI.*) *in Prætură obtigiſſe diſcimus ex Cicerone* PRO MUREN. *n.* 20.

Tulit & DE RESIDUIS *Legem Cornelius Tribunus plebis, teſte eodem Cicerone in Oratione quam pro eo habuit : ubi vide Aſconium.*

ARTICULUS I.

De Peculatu.

I.

Lege Juliâ PECULATUS cavetur ; Ne quis ex pecuniâ ſacrâ, religiosâ, publicâ-ve auferat ; ne-ve intercipiat, ne-ve in rem ſuam vertat, ne-ve faciat quo quis auferat, intercipiat, vel in rem ſuam vertat : niſi cui utique Lege licebit. Ne-ve quis in aurum, argentum, æs publicum, quid indat, ne-ve immiſceat ; ne-ve quo (*Florent.* quod) quid indatur, immiſceatur, faciat ſciens dolo malo, quo id pejus fiat. *l.* 1. ULP. LIB. 44. AD SABIN.

Videndum 1°. *quid ſit Peculatus, & in quos cadat, item de rebus circa quas committitur.* 2°. *Per quod factum, in hoc crimen quis incidat.* 3°. *Quæ ſit hujus pœna.* 4°. *Intrà quod tempus hoc crimen moveri poſſit.*

§ I.

Quid ſit Peculatus, & in quos cadat ; item in quas res admittatur.

II.

Labeo libro trigeſimo-octavo Poſteriorum, Peculatum definit ; Pecuniæ publicæ aut ſacræ furtum, non ab eo factum cujus periculo fuit. Et ideò Ædituum in his quæ ei tradita ſunt, Peculatum non admittere. *l.* 9. § 2. PAUL. LIB. SING. DE JUDIC. PUBLIC.

Simili ratione : Is autem qui pecuniam trajiciendam ſuſcepit, vel quilibet alius ad cujus periculum pecunia pertinet, Peculatum non committit. *d. l.* 9. § 4.

III.

Lege Juliâ Peculatûs tenetur ; qui pecuniam ſacram, religioſam (*a*), abſtulerit, interceperit. *l.* 4. MARC. LIB. 14. INSTITUT.

Sed & ſi donatum Deo immortali abſtulerit, Peculatûs pœnâ tenetur. *d. l.* 4. § 1.

PECUNIAM *igitur ſacram & religioſam, hîc & pro quâpiam re mobili ſacrâ & religiosâ accipimus.*

Theſaurus autem ubicumque inventus fuerit, non eſt pecunia religioſa. Enimverò Non ſit locus religioſus (*b*), ubi theſaurus invenitur. Nam etſi in monumento inventus fuerit, non quaſi religioſus tollitur. Quod enim (*c*) ſepelire quis prohibetur, id religioſum facere non poteſt. At pecunia ſepeliri non poteſt, ut & Mandatis Principalibus cavetur. *d. l.* 4. § 6.

IV.

Peculatus item committitur circa pecuniam PUBLICAM. *Hinc V. G.* Is qui prædam ab hoſtibus captam (*d*) ſubripuit ; Lege Peculatûs tenetur, & in quadruplum damnatur. *l.* 13. MODESTIN. LIB. 2. DE PŒNIS.

Publicam autem pecuniam hic accipe, non ſolùm pecuniam fiſci, verùm etiam civitatum.

Ita enim Marcianus. Sed & ſi de re civitatis aliquid ſubripiatur ; Conſtitutionibus Principum Divorum Trajani & Hadriani cavetur, Peculatûs crimen committi. Et hoc Jure utimur. *l.* 4. § 7. MARCIAN. LIB. 14. INSTIT.

Obſtare tamen videtur ſequens Papiniani textus : Ob pecuniam civitati ſubtractam, actione Furti, non (*e*) crimine Peculatûs tenetur. *l.* 81. (*Aliàs* 83.) *ff. de Furt.* PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

Ad res etiam Cæſaris, Lex porrecta eſt ; ut ex infrà dicendis facile erit animadvertere.

(*a*) *Religioſam* accipe, quæ Diis Manibus dicata erat.

(*b*) Legendum puto : *Non facit religioſum theſaurum, locus ubi invenitur.*

(*c*) Non poteſt quis religioſum facere, niſi quod legitimè Diis Manibus conſecravit. Non poteſt autem quis legitimè conſecraſſe theſaurum quem in monumento ſepelivit : imò hoc contra Leges fit. Mandata Principum prohibent ſepelire pecuniam, & hoc etiam prohibuerat Lex XII Tabularum Tab. X. Cap. III. n. 10.

(*d*) Scilicet in publico conflictu. Nam præda in excurtionibus facta, non publica eſt, ſed capientis : ſuprà lib. 41. Tit. *de Adquir. rer. dom.* N. 11.

(*e*) Variæ conciliationes afferuntur. Ineptè omninò Gloſſa ſuprà dictam l. 4. accipiendam eſſe cenſet de ſolâ civitate Romanâ : quid enim Conſtitutionibus opus fuiſſet, ut definiretur pecuniam hanc eſſe *Publicam* ? Duarenus, Cujacius, eorumque aſſeclæ, aiunt ; his demum Conſtitutionibus crimen *Peculatûs* ad furtum pecuniæ civitatum eſſe porrectum : Legem enim Juliam nonniſi furtum pecuniæ Populi Romani vindicaſſe, & ad hanc ſolam Legem Papinianum reſpicere, in h. l. 81. Verùm cùm hæc ipſa lex 81. non ex Papiniani QUÆSTIONIBUS (in quibus quandoque ſecundùm Jus antiquum diſputat) ſed ex libris RESPONSORUM deprompta ſit ; fingi nequaquàm poteſt Papinianum in illâ lege, ex Jure obſoleto & contra Conſtitutiones quæ tunc in uſu erant, nec ipſum latere poterant, conſultori reſpondiſſe.

Omitto conciliationes cæteras, ſeu potiùs divinationes.

Amplectenda ergo videtur, aut Alciati ſententia qui in h. l. 81. cenſet legendum, *actione Furti* NECNON *crimine Peculatûs* (ut in antiquo Exemplari legiſſe ſe teſtatur) : vel cum Cl. viro Bynkershoek dicendum, hic trajectionem verborum eſſe, quemadmodum & aliàs non infrequenter in libris noſtris ; legendumque *Peculatûs, non actione Furti* ; particulam autem NON hîc accipi pro *non tantùm*, ut in l. 5. § 2. ff. *de Injur.* l. un. § 4. ff. *Furti adv. naut.* & in multis aliis quos laudat textibus.

V.

Source : BIU Cujas

V.

Suprà dictus Labeo Eodem Capite inferiùs ſcribit; Non ſolùm pecuniam publicam, ſed etiam privatam, crimen Peculatûs (*a*) facere: ſi quis, quod fiſco debetur, ſimulans ſe fiſci creditorem, accepit; quamvis privatam pecuniam abſtulerit. *l.* 9. § 3. PAUL. LIB. SING. DE JUDIC. PUBLIC.

At Peculatus nequaquàm committitur, ſi exigam ab eo pecuniam, qui & mihi & fiſco debet. Non enim pecunia fiſci intercipitur; quæ debitori ejus auferetur; ſcilicet qui manet debitor fiſci (*b*) nihilominùs. *l.* 12. MARCELL. LIB. 25. DIGEST.

§ II.

Per quod factum quis in crimen Peculatûs incidat.

VI.

Peculatus admittitur, quum furtum fit pecuniæ ſacræ, religioſæ, publicæ, aut quaſi-publicæ.

Furtum autem talis pecuniæ fieri videtur in ſpeciebus ſequentibus.

1°. Qui, quum in monetâ publicâ operarentur, extrinſecùs (*c*) ſibi ſignant pecuniam formâ publicâ, vel ſignatam furantur; hi non videntur adulterinam monetam exercuiſſe; ſed furtum publicæ monetæ feciſſe, quod ad Peculatûs crimen accedit. *l.* 6. § 1. ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

2°. *Item quaſi in pecuniâ publicâ furto facto; is* Qui tabulam æream, legis (*d*) formam-ve agrorum (*e*), aut quid aliud continentem refixerit; vel quid indè immutaverit; Lege Juliâ Peculatûs (*f*) tenetur. *l.* 8. VENUL. SATURNIN. LIB. 3. JUDIC. PUBLIC.

Simili ratione: Eâdem Lege tenetur, qui quid in publicis tabulis deleverit vel induxerit. *d. l.* 8. § 1.

3°. *Item* Senatus juſſit Lege Peculatûs teneri eos qui injuſſu ejus qui ei rei præerit, tabularum publicarum inſpiciendarum deſcribendarumque poteſtatem fecerint. *l.* 9. § 5. PAUL. LIB. SING. DE PUBL. JUDIC.

4°. *Item* Hâc Lege tenetur, qui in tabulis publicis minorem pecuniam, quàm quid vænierit aut locaverit, ſcripſerit, aliud-ve quid ſimile commiſerit. *l.* 10. MARC. LIB. 1. JUDIC. PUBLIC.

5°. Qui perforaverit muros (*g*), vel indè aliquid abſtulerit; Peculatûs actione tenetur. *l.* 11. ULPIAN. LIB. 68. AD ED.

§ III.

Quæ ſit pœna criminis Peculatûs.

VII.

Si quis fiſcalem pecuniam attrectaverit, ſubripuerit, mutaverit, ſeu in ſuos uſus converterit; in quadruplum ejus pecuniæ quam ſuſtulit, condemnatur. PAUL. SENT. LIB. 5. *tit.* 25.

In hâc autem pœnâ illud minùs eſt quàm in pœnâ actionis FURTI; *quòd* Si multi fiſco fraudem fecerint, non (ut in actione Furti) ſinguli ſolidum, ſed omnes ſemel quadrupli pœnam pro virili portione debent. Sanè pro non idoneis; qui ſunt idonei conveniuntur. *l.* 46. § *fin. ff de Jure fiſci.* HERMOGEN. LIB. 6. JURIS EPITOM.

VIII.

Hæc pœna pecuniaria Legis PECULATUS *exolevit. Ait enim Ulpianus*: Peculatûs pœna aquæ & ignis interdictionem, in quam hodie ſucceſſit deportatio, continet. Porrò qui in eum ſtatum deducitur, ſicut omnia priſtina jura, ita & bona amittit. *l.* 3. ULPIAN. LIB. 1. DE ADULTER.

In humiliores autem eſt pœna metalli. Undè Paulus: Si quis aliquid ex metallo Principis, vel ex monetâ ſacrâ furatus ſit: pœnâ metalli & exilii punitur. *l.* 38. *ff. de Pœnis.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Similiter Ulpianus. Si quis ex metallis Cæſarianis aurum argentum-ve furatus fuerit; ex Edicto Divi Pii, exilio vel metallo (prout dignitas perſonæ) punitur. *l.* 6. § 2. ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

De pœnâ autem eorum qui participes ſunt, ita ſubjicit: Is autem qui furanti ſinum (*h*) præbuit; perindè habetur atque ſi Manifeſti furti condemnatus eſſet, & famoſus efficitur. Qui autem aurum ex metallo habuerit illicitè, & conflaverit, in quadruplum condemnatur. *d. l.* 6. *d.* § 2.

Ex Conſtitutione Honorii & Theodoſii, capitalis pœna ſtatuitur in judices qui tempore adminiſtrationis pecunias publicas ſubſtraxerunt, & in eos qui miniſterium adhibuerunt, aut eam pecuniam ſuſceperunt ſcientes. l. un. Cod. de Crimine pecul.

§ IV.

Quandiù duret hoc crimen.

IX.

Peculatûs crimen ante quinquennium admiſſum, objici non oportet. *l.* 7. VENUL. SATURNIN. LIB. 2. PUBL. JUDIC.

ARTICULUS II.

De Sacrilegio.

X.

Lex Julia, DE SACRILEGIIS *quoque locuta eſt: ſed quam pœnam ſtatuerit, incertum.*

Sunt autem SACRILEGI, qui publica ſacra compilaverunt.

At qui privata ſacra, vel ædiculas (*i*) incuſtoditas tentaverunt; ampliùs, quàm fures minùs quàm Sacrilegi, merentur. Quare, quod ſacrum, quod-ve admiſſum in Sacrilegii crimen cadat, diligenter conſiderandum eſt. *l.* 9. § 1. PAUL. LIB. SING. DE JUDIC. PUBL.

Similiter Divi Severus & Antoninus Caſſio-Feſto reſcripſerunt; Res privatorum, ſi in ædem ſacram depoſitæ, ſubreptæ fuerint; Furti actionem, non (*k*) Sacrilegii eſſe. *l.* 5. MARC. LIB. 5. REGUL.

XI.

Publico Legis Juliæ judicio DE SACRILEGIIS *ſucceſſit cognitio extraordinaria.* Mandatis autem cavetur de Sacrilegiis; ut Præſides, Sacrilegos, latrones, plagiarios conquirant; & ut; prout quiſque deliquerit, in eum animadvertant. Et ſic Conſtitutionibus cavetur;

(*a*) Non crimen *Peculatûs* propriè dicti, ſed QUASI-*Peculatûs* ſeu Peculatûs improprie dicti, ad quod Lex Julia per interpretationem producta eſt.

(*b*) Hæc ratio ſola non ſufficeret. Nam & in præcedenti ſpecie, manet fiſci debitor cui quis intercipit pecuniam. Sed ideò in h. l. 12. non committitur *Peculatus*, quia nec furtum ullum committitur; cùm debitor meus volens mihi pecuniam ſuam ſolvat, etſi in fraudem fiſci cujus debitor eſt hoc faciat: Furtum enim non eſt, niſi quod fit invito domino. At in ſpecie legis 9. § 3. mox ſuprà; quum me alium ſimulans, pecuniam debitoris fiſci intercipio; certè furtum fit: l. 43. ff. *de Furtis*, ſuprà *d. tit.* N. 23. Et cùm hæc pecunia cujus furtum fecit, ſit fiſco debita, ad quem perveniſſet niſi eam intercepiſſem; hoc Furtum, *Quaſi-peculatus* intelligitur.

(*c*) Id eſt, præter eam quam publico nomine faciunt.

(*d*) Budæus emendat *leges*, ſub quibus ſcilicet agri illi poſſidentur.

(*e*) *Plan & figure*; *Toiſage*, *Bornage*.

(*f*) Eſt enim *Publica* res, hæc tabula; cujus furtum committit, refingendo eam aut aliquid ex eâ immutando.

(*g*) Muri civitatum, Romanis ſacri. Vide ſuprà lib. 1. Tit. *de Diviſ. reſ.*

(*h*) Id eſt, laxiorem veſtimenti partem quâ pecuniam ſurreptam exciperet. Vulgò malè, ſignum.

(*i*) Budæus *Ædiculam* interpretatur, appendicem ſacelli: [*Une eſpece de châſſe qui avoit la figure d'un temple en petit, dans laquelle étoit une idole*]. Ait etiam accipi pro loculamento ſimulachri [*la couverture d'une idole*]: ut apud Plinium *Hiſt. nat.* XXXVI.

(*k*) Hoc non fuit abſque controverſiâ. Diverſum placuerat Ciceroni *de Legib.* lib. II. *Sacrum* SACRO-VE COMMENDATUM *qui clepſerit, rapſerit-ve, parricida eſto.* Ambiguum hoc Jus fuiſſe, & de eo diſputari in Foro ſolitum, liquet etiam ex Quintilliano *Inſtit. Orat.* V. 10. ubi in exemplum, hoc argumentum adducit: *Privatam pecuniam ſuſtuliſti; verùm quia de templo, non furtum; ſed* SACRILEGIUM *eſt.* Contrà ibid. lib. 4. cap. 2. *Pecuniam de templo ſuſtulit, ſed privatam; non ideò* SACRILEGUS *eſt*: & cap. 4. apertè ſcribit, de Jure quærere judicem oportere; an *Sacrilegium* ſit, quum privata pecunia è templo ſurripitur.

Source : BIU Cujas

ut Sacrilegi extra ordinem dignâ Pœnâ puniantur. *l.* 4. § 2. MARC. LIB. 14. INSTIT.

Plerùmque Sacrilegi capite puniuntur. *ſup. d. l.* 9. *pr.*

Cæterùm Sacrilegii pœnam debebit Proconſul pro qualitate perſonæ, pro-que rei conditione, & temporis & ætatis, & ſexûs, vel ſeveriùs vel clementiùs ſtatuere. Et ſcio multos, & ad beſtias damnaſſe Sacrilegos; nonnullos etiam vivos exuſſiſſe, alios verò in furcâ ſuſpendiſſe. Sed moderanda pœna eſt; uſque ad beſtiarum damnationem, eorum qui manu factâ templum effregerunt (*Florent.* effugerunt), & dona Dei noctu tulerunt: cæterùm ſi qui interdiù modicum aliquid (*a*) de templo tulit, pœna metalli coercendus eſt; aut ſi honeſtiore loco natus ſit, deportandus in inſulam eſt. *l.* 6. ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

Divus Severus & Antoninus quemdam Clariſſimum juvenem, quum inventus eſſet arculam in templum ponere, ibique hominem includere; qui poſt cluſum templum de arcâ exiret, & de templo multa ſubtraheret, & ſe in arculam iterùm referret; convictum, in inſulam deportaverunt. *l.* 10. § 1. MARC. LIB. 1. JUDIC. PUB.

De pœnâ Sacrilegii ait Harmenopulus : Ο' ΕΝ ΘΥΣΙΑΣΤΗΡΙΩ' *&c.* [*id eſt*] Qui ſacrarium ingreſſus interdiù vel noctu, ſacrorum aliquid indè aufert, excæcator: qui verò extra ſacrarium è templo reliquo aufert, verberatus & tonſus exilio mulctator. *l.* 11. § 1. (*b*). ULP. LIB. 68. AD ED.

XII.

Hactenùs de Sacrilegio propriè dicto.

Sunt quædam crimina quæ ex Conſtitutionibus poſteriorum Imperatorum inſtar Sacrilegii habentur.

Tres ſpecies referuntur; inter quas prima, HÆRESIS. *De eâ accipe quod reſcribunt Gratianus, Valentinianus & Theodoſius.* Qui divinæ Legis ſanctitatem aut neſciendo omittunt, aut negligendo violant & offendunt, Sacrilegium committunt. *l.* 1. *Cod. de Crimin. ſacrileg.*

Altera ſpecies eſt, de quâ iidem ita reſcribunt : Diſputare de Principali judicio non oportet. SACRILEGII enim inſtar eſt, dubitare an is dignus ſit quem elegerit Imperator. *l.* 3. (*Aliàs* 2.) *Cod. d. tit.*

3ª. *Species eſt de quâ iidem & Arcadius reſcribunt.* Ne quis ſine Sacrilegii crimine deſiderandum intelligat gerendæ ac ſuſpiciendæ adminiſtrationis officium, intrà eam provinciam in quâ provincialis & civis habetur: niſi hoc cuiquam ultroneâ liberalitate per Divinos affatus Imperator indulgeat. *l.* 4. (*Aliàs* 3.) *Cod. d. tit.*

(*a*) Deo templi dicatum.

(*b*) Hic textus ex Baſilicis exceptus *Eclog.* LX. 5. malè hîc tribuitur Ulpiano. Pœnæ in eo contentæ, Græcis familiares.

(*c*) Scilicet ſi Curator Reipublicæ, ex pecuniâ quam ex locationibus aut venditionibus rerum ad civitatem pertinentium redegit, quid retineat.

(*d*) Cùm fiſcus apud quem eam pecuniam profeſſus eſt, videatur cum ipſo in creditum abiiſſe. Adeòque hanc non retinere, ſed ut privatus quilibet fiſco eam debere videtur.

(*e*) Supple, pecuniæ.

ARTICULUS III.

De Reſiduis.

XIII.

Lege Juliâ DE RESIDUIS tenetur, is apud quem ex locatione, emptione (*c*) alimentaria ratione ex pecuniâ quam accepit, aliâ-ve quâ causâ, pecunia publica Reſedit. *l.* 4. 3. MARC. LIB. 14. INSTITUT.

Sed & qui publicam pecuniam in uſu aliquo acceptam retinuerit, nec erogaverit, hâc Lege tenetur. *d. l.* 4. § 4.

Similiter Paulus : Lege Juliâ DE RESIDUIS tenetur, qui publicam pecuniam delegatam in uſum aliquem retinuit, neque in eum conſumpſit. *l.* 2. PAUL. LIB. 11. AD SABIN.

Eum quoque qui pecuniam publicam in uſus aliquos retinuerit, nec erogaverit, hâc Lege teneri; Labeo libro trigeſimo-octavo Poſteriorum ſcripſit.

Cum eo autem qui, quum provinciâ abiret, pecuniam quæ penès ſe eſſet, ad Ærarium profeſſus, retinuerit, non eſſe Reſiduæ pecuniæ actionem, quia eam privatus fiſco (*d*) debeat. Et ideò inter debitores eum ferri: eamque ab eo, is qui hoc imperio utitur, exigeret; id eſt, pignus capiendo, corpus retinendo, multam dicendo. Sed eam quoque Lex Julia RESIDUORUM, poſt annum Reſiduam eſſe juſſit. *l.* 9. § 6. PAUL. LIB. SING. DE JUDIC. PUBLIC.

Quâ Lege damnatus, ampliùs tertiâ parte (*e*) quam debet, punitur. *ſup. d. l.* 4. § 5.

XIV.

Publica judicia PECULATUS, & DE RESIDUIS, & REPETUNDARUM, ſimiliter adversùs heredem exercentur. Nec immeritò, cùm in his quæſtio principalis ablatæ pecuniæ moveatur. *l.* 14. PAPIN. LIB. 36. QUÆST.

TITULUS XIV.

DE LEGE JULIA AMBITUS.

I.

CRimen AMBITUS *eſt eorum qui ſtudioſiùs impenſiùſque honores petebant, quàm mores Legeſque civitatis ferrent.*

De nullo crimine tam multæ apud Romanos latæ Leges nec ullæ minùs obſervatæ.

Antiquiſſima occurrit circa annum U. C. 322. *L. Pinario, S. Furio, & Sp. Poſthumio Tribunis militum Conſulari poteſtate. Cùm enim* (*inquit Livius V.* 25.) *quererentur Plebeii aditum ſibi ad honores magiſtratuſque ſummos præcluſum ambitione Patrum; placuit* « TOLLENDÆ » AMBITIONIS CAUSA, *ne cui album veſtimentum ad-* » *dere petitionis causâ liceret... & vicere Tribuni ut* (*hanc*) » *Legem perferrent.* »

Secuta eſt Lex PŒTELIA, *lata C. Fabio & C. Plautio Coſſ. circa annum* 395. *Hanc ita refert Livius lib. VII.* « DE AMBITU *à C. Pœtelio Tribuno plebis primùm latum* » *ad Populum eſt : eâque rogatione, novorum maximè* » *hominum ambitionem qui nundinas & conciliabula obire* » *ſoliti erant, compreſſam credebant.* »

Poſt deindè BÆBIA - ÆMILIA *circa annum* 571. *à Cn. Bœbio & L. Æmilio Coſſ. teſte eodem Livio.*

Tùm CORNELIA - FULVIA, *anno* 594. *Cn. Cornelio-Dolabellâ & M. Fulvio Coſſ. ut patet ex* Epitom. *Liv.*

Lex MARIA, *lata* (*ut videtur*) *à Mario, Trib. plebis; idque & Plutarchus confirmat in* MARIO, *dum ait eum Legem tuliſſe De ſuffragiis in electione Magiſtratuum ferendis. Hujus Legis mentio eſt apud Ciceronem* de Legib. *III.* 17. PONTES, *inquit*, LEX MARIA FECIT ANGUSTOS;

Source : BIU Cujas

pontes autem hîc intelligit Cicero ligneos pontes per quos unaquæque Tribus aut Centuria ad lationem suffragii transiret, in cujus pontis capite unusquisque tabellas accipiebat; quarum quam vellet in cistam quæ in fine pontis esset, mitteret. Porrò hos pontes Lex Maria præceperat fieri ANGUSTOS, *ne locus in iis pateret ad rogandos eos qui suffragia ferebant.*

Lex FABIA *quæ est* DE NUMERO SECTATORUM, *inquit Cicero* Pro Muren. *n.* 34. *Silicet bonorum candidati ut se à Populo coli ostentarent, clientes habebant qui ipsos in ædibus primâ lucis horâ salutatum venirent, habebant & qui eos domo exeuntes in Forum deducerent, habebant denique qui eos quâcumque irent, assectarentur. Hi* SECTATORES *dicti, quorum ingenti numero modum intulisse videtur Lex Fabia.*

ACILIA-CALPHURNIA, *lata circa annum* 686. *M. Acilio-Glabrione & L. Calphurnio-Pisone Coss. Eâ Lege sancitum ut qui Ambitûs damnati essent; neque iis magistratum capere, neque eos in Senatum legi liceret, & pecuniâ mulctarentur: Dio-Cass. lib.* 36. *Præmia quoque accusatoribus eâdem Lege proposîti sunt; quorum illud refert Cicero* Pro Cluentio *n.* 36. (*quod etiam Lege Juliâ sancitum est, mox infrà*) *ut qui ipse Ambitûs damnatus esset, si alium Ambitûs convinceret, ipse in integrum restitui mereretur.*

Anno deindè 690. *lata ex auctoritate Senatûs, L. Cæsare & C. Figulo Coss. referente Cicerone, Lex* TULLIA, *seu potiùs SCtum; cujus sententiam ita exhibet ipse Tullius* Pro Muren. *n.* 32. « SI *mercede conducti obviàm candidatis issent, si Conducti sectarentur: si gladiatoribus* » *vulgò locus tributus, & item prandia si vulgo essent* » *data, contra Legem Calphurniam factum videri.* » *Maximè autem vetitum, biennio quo quis honores petat petiturus-ve sit, gladiatores dare; nisi ex testamento præstitutâ die: Cicer.* in Vatin. *n.* 15. *Denique in eos qui de Ambitu condemnarentur, adjecta est pœna relegationis in decennium:* Dio-Cass. *lib.* 36.

AUFIDIA *lata est biennio post Tulliam, ab Ausidio-Lurcone Tribuno plebis. Illud novi in hâc Lege fuit, ut ei qui nummos in Tribu aliquâ divisurum se ad suffragia concilianda promisisset, si quidem non dedit, impunè sit: sin autem reverâ dederit; tunc quoad vivat, singulis abhinc annis, singulis Tribubus sestertiûm triginta quasi mulctæ nomine dare debeat: Cic.* Epist. ad Attic.

Lex LICINIA *quæ* DE sodalitiis *appellata est, lata Cn. Pompeio & M. Licinio-Crasso Coss. Ex hâc Lege accusatus est Cn. Plancius pro quo extat Oratio Ciceronis. Videtur autem lata Lex præsertim adversùs coitiones petitorum cum sodalibus suis, pecuniarumque largitiones per eos qui* DIVISORES *dicebantur. Hujus pœna fuisse videtur exilii, id est relegationis: Cic.* Pro Planc. *junctò Dione.*

POMPEIA *lata paulò post à Cn. Pompeio-Magno, solo Consule, anno U. C.* 701. *Hujus meminit Plutarchus in vitâ Catonis minoris.*

Denique Lex JULIA, *de quâ in hoc Titulo agitur.*

I I.

Hujus Legis auctor Augustus, qui Comitia quæ Julius-Cæsar inter se & Populum diviserat, in pristinum statum reduxit; ac multiplici pœnâ Ambitum coercuit: Sueton. in AUGUST. *n.* 40. *Ex quibus pœnis hæc fuit, ut qui largitionibus magistratum petissent, quinquennio vacarent.* Dio-Cass. *lib.* 54.

Postquàm autem sub Tiberio Comitia à Populo ad Senatum, & demùm à Senatu ad Principem translata sunt; Hæc Lex in Urbe hodie cessat; quia ad curam Principis, Magistratuum creatio pertinet, non ad Populi favorem. *l. un.* MODEST. LIB. 2. DE PŒNIS.

Quòd si in municipio contra hanc Legem, magistratum aut sacerdotium quis petierit; per Senatusconsultum, centum (*a*) aureis cum infamiâ punitur. *d. l. un.* § 1.

Quâ Lege damnatus, si alium convicerit, in integrum restituitur; non tamen pecuniam recipit. *d. l. un.* § 2.

I I I.

Hujus Legis pœna & ad alia crimina producta est. Nam V. G. Item is qui novum vectigal instituerit, ex Senatusconsulto hâc pœnâ plectitur. *d. l. un.* § 3.

Et si quis reus vel accusator domum judicis ingrediatur; per Legem Juliam judiciariam (*b*) in Legem Ambitûs committit (*c*), id est aureorum centum fisco inferre jubetur. *d. l. un.* § 4.

I V.

Ex Constitutione Arcadii & Honorii; qui ad aliquod publicum officium quod jam gessit, ante redditas rationes, iterùm (etiam PER SACRAS LITTERAS) *irrepit, Ambitûs reus est. Et hæc singularis species Ambitûs, deportatione punitur. l. un. Cod.* h. *tit.*

Species etiam Ambitûs est, si quis ad obtinendum sacerdotium pecuniam dederit. Hunc deponi cum infamiâ, necnon eum qui accepit ut aliquem ordinaret vel eligeret, jubent Leo & Anthemius: l. 31. *Cod.* de Episc. & cleric.

(*a*) Cujacius Observ. XIX. 31. interpretatur *Centum millia sestertium.* Hotomannus autem in lib. *de Aureo Justinianeo* censet esse decem milliûm duntaxat; & hanc pœnam non ex ipsâ Lege Juliâ, sed ex Senatusconsulto ad hanc Legem adjecto & cujus ætas ignoratur descendere.

(*b*) Ita appellatur Lex quam Julius-Cæsar circa judicia tulerat; per quam inter alia cavebatur, ex quo Ordine judices in criminalibus quæstionibus seligi deberent: de quâ suprà in APPEND. *de Legendis Jud.* N. 1. in fine.

(*c*) Non quidem in *Legem* JULIAM *Ambitûs*; hæc si quidem ab Augusto demùm lata, posterior est Legi Judiciariæ; sed in crimen AMBITUS, quod & ante Legem Augusti multiplici aliâ Lege coercitum fuisse vidimus.

TITULUS XV.

DE LEGE FABIA DE PLAGIARIIS.

LEx FABIA *seu* Favia, *undè publicum judicium adversùs Plagii crimen descendit, ante Ciceronis tempora lata est: ut liquet ex ejus oratione* Pro Rabirio *n.* 3.

§ I.

Quando adversùs Legem Fabiam committatur.

I.

Lege Fabiâ cavetur, ut liber qui hominem ingenuum vel libertinum invitum celaverit, invinctum habuerit, emerit, sciens dolo malo, qui-ve in earum quâ re socius erit; qui-que servo alieno servæ-ve persuaserit ut à domino dominâ-ve fugiat; vel eum eam-ve invito vel insciente domino dominâ-ve celaverit, invinctum habuerit, emerit, sciens dolo malo, qui-ve in eâ re socius erit; ejus pœnâ teneatur. *l.* 6. § 2. CALLISTR. LIB. 6. DE COGNITIONIB.

Similiter Ulpianus. Si liberum hominem emptor sciens emerit, capitale crimen adversùs eum ex Lege Fabiâ DE PLAGIO nascitur; quo venditor quoque fit obnoxius, si sciens liberum esse vendiderit. *l.* 1. ULP. LIB. 1. REGUL.

Similiter Diocletianus & Maximianus. Liberum, sciens conditionem ejus, invitum venumdando, Plagii criminis pœnâ tenetur. *l.* 15. *Cod. h. tit.*

Source : BIU Cujas

Quod de venditione dicimus, & de aliis similibus dominii titulis dictum puta. Etenim Lege Faviâ, qui sciens liberum hominem donaverit, vel in dotem dederit, item qui ex earum quâ causâ sciens liberum esse acceperit; in eâdem causâ haberi debet, quâ venditor & emptor habetur. Idem, & si pro eo res permutata fuerit. *l.* 4. GAIUS LIB. 22. AD ED. PROVINC.

I I.

Admittitur quoque Plagium, ut jam diximus, suppressione alieni mancipii. Et ita etiam rescribunt Diocletianus & Maximianus : Eum qui mancipium alienum celat, Fabiæ Legis crimine teneri non est incerti Juris. *l.* 9. *Cod. h. tit.*

Cæterùm Non statim Plagiarium esse qui Furti crimine ob servos alienos interceptos tenetur, Divus Hadrianus in hæc verba rescripsit : « SERVOS alienos qui sollicita-» verit, aut interceperit; crimine Plagii quod illi » intenditur, teneatur necne, facit quæstionem. Et ideò » non me consuli de eâ re oportet. Sed quòd verissimum » in re præsenti cognoscitur, sequi judicem oportet : » planè autem scire debet, posse aliquem furti crimine » ob servos alienos interceptos teneri, nec idcircò » tamen statim Plagium esse existimari. *l.* 6. CALLISTRAT. LIB. 6. DE COGNITIONIB.

Igitur tunc demùm in mancipio Plagium admitti videtur, quum fugitivus celatur & suscipitur dolo malo.

DOLO MALO, *inquam. Nam suprà dictus* Idem Princeps de eâdem re in hæc verba rescripsit : « APUD quem unus » aut alter fuerit fugitivus inventus, qui operas suas » locaverint ut pascerentur (*a*), & utique si iidem anteà » apud alios opus fecerint; hunc suppressorem non jure » quis dixerit. » *d. l.* 6. § 1.

Multò magis Legis Faviæ crimine suppressi mancipii bonâ fide possessor non tenetur; id est, qui ignorabat servum alienum, & qui voluntate domini putabat id eum agere. Et ita de bonæ fidei possessore ipsa Lex scripta est : nam adjicitur, SI SCIENS DOLO MALO HOC FECERIT. Et sæpissimè à Principibus Severo & Antonino constitutum est, ne bonæ fidei possessores hâc Lege teneantur. *l.* 3. MARCIAN. LIB. 1. JUDIC. PUBLIC.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Comparantem ab eo qui abduxit Plagio mancipia, si delicti socius non probetur, nullo crimine teneri convenit. *l.* 10. *Cod. h. tit.*

Cæterùm Modestinus libro decimo-septimo Responsorum respondit :

Eum qui fugitivum alienum suscepisse & celasse doceatur; ex eo quòd proprietatis quæstionem referret, crimen (si probetur) evitare minimè posse. *l.* 5. MODEST. LIB. 17. RESP.

Consonat quod rescribunt Diocletianus & Maximianus. Plagii criminis accusatio cessat, si suos servos vel liberos adseverent hi qui suppressisse dicuntur; non commissi velandi causâ, sed ad hanc opinionem justâ ducti ratione. *l.* 14. *Cod. h. tit.*

I I I.

Est adhuc unus casus ad quem Fabia Lex producta est Senatusconsulto quodam, cujus ætas & auctor ignorantur. Hoc autem Senatusconsulto domini quoque continentur, qui fugam servorum suorum (*b*) vendiderunt. *l.* 2. § 3. ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

Contra Decretum Amplissimi Ordinis fugitivum in fugâ constitutum nec emere nec vendere permissum est; irrogatâ pœnâ in utrumque, sestertiorum decem millium. PAUL. SENTENT. *lib.* 1. *Tit.* 13. § 2.

Similiter Diocletianus & Maximianus. In fugâ servum constitutum neque vendere neque donare licet. Unde intelligis te in Legem incidisse, quæ super hujusmodi delictis certam pœnam fisco inferendam statuit.

Exceptis coheredibus & sociis; quibus in divisione communium rerum, licitationem de fugitivo servo invicem facere permissum est.

Ita verò liceat fugitivum servum vendere, & tunc venditio valeat; quando ab emptore requisitus fuerit, & deprehensus. *l.* 6. *Cod. h. tit.*

Is quidem qui in fugâ est, vendi non potest. Cæterùm Sciendum est Legem Faviam ad eos non pertinere, qui, quum absentes servos haberent, eos vendiderunt. Aliud est enim abesse, aliud in fugâ esse. *l.* 2. ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

Item non pertinere ad eum qui mandavit servum fugitivum persequendum & distrahendum : nec enim fugam (*c*) vendidit. *d. l.* 2. § 1.

Amplius dicendum est : & si quis Titio mandaverit servum fugitivum adprehendendum, ut si adprehendisset eum, emptum haberet; cessare Senatusconsultum (*d*). *d. l.* 2. § 2.

§ I I.

De pœnâ Plagii.

I V.

Pœna Plagii Legis Faviæ fuit pecuniaria. Hodie autem Pœna pecuniaria statuta Lege Faviâ, in usu esse desiit. Nam in hoc crimine detecti, pro delicti modo coercentur; & plerùmque in metallum damnantur. *l.* 7. HERMOGEN. LIB. 6. JURIS EPITOMAR.

Pœnam capitis statuunt Diocletianus & Maximianus in specie de quâ ita rescribunt. Quoniam servos à Plagiariis alienari ex urbe significas, atque ita interdum ingenuos homines eorum scelere asportari solere perscribis; horum tibi delictorum licentiæ, majore severitate occurrendum esse decernimus. Ac propterea, si quem in hujusmodi facinore deprehenderis, capite eum plectere non dubitabis : ut pœnæ genere deterreri cæteri possint, quominùs iftius modi audaciâ vel servos vel liberos ab urbe distrahere atque alienare audeant. *l.* 7. *Cod. h. tit.*

Constantinus autem ita edixit. Plagiarii qui viventium filiorum miserandas infligunt parentibus orbitates, metalli pœnâ cum cæteris ante cognitis suppliciis teneantur (*e*). Si quis tamen hujusmodi reus fuerit oblatus, posteaquàm super crimine claruerit; servus quidem vel libertate donatus (*f*) bestiis subjiciatur, ingenuus autem gladio consumatur. *l.* 16. *Cod. h. tit.*

§ I I I.

An hoc crimen morte suppressi hominis extinguatur.

V.

Illud non est omittendum quòd, exemplo Legis Aquiliæ si is propter quem quis in Faviam commisit, decesserit; adhuc accusatio, & pœna Legis Faviæ supersit : ut & Divus Severus & Antoninus rescripserunt. *l.* 3. § 1. MARCIAN. LIB. 1. JUDIC. PUBLIC.

(*a*) Id est, victûs sui causâ.

(*b*) Ratio est; tum ne Plagiarii redemptis à domino servis crimen plagii eludant; tum ut servi à fugâ deterreantur, cùm sciant se non posse à quoquam recipi aut acquiri. Cujac. Observ. XVI. 10.

(*c*) Si quidem mandatum distrahendi servi, confertur in id tempus quo apprehensus fuerit; adeòque desierit esse in fugâ.

(*d*) Emptio enim confertur in tempus quo apprehensus erit, adeòque in fugâ esse desierit.

(*e*) Wissenbachius rectè monet legendum *tenebantur*, ut in Cod. Theod. & ut ratio contextûs exposcit. Id est, anteà quidem solâ metalli pœnâ &c. Ex præsenti *tamen* Constitutione, *si quis &c.* Aliter Alciatus *Parerg.* l. 23.

(*f*) Libertinus.

Source : BIU Cujas

TITULUS XVI.

AD SENATUSCONSULTUM TURPILLIANUM, ET DE ABOLITIONIBUS CRIMINUM.

Post recensitas superioribus Titulis varias publicorum judiciorum species, Pandectarum ordinatores jam redeunt ad generalem de publicis judiciis tractationem : ad quam pertinet exponere quomodo coerceatur accusatorum temeritas.

I.

Porrò hæc Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, & tribus pœnis subjicitur. Aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiversantur. *l.* 1. MARCIAN. LIB. SING. AD SC. TURPILL.

CALUMNIARI, est falsa crimina intendere; PRÆVARICARI, vera crimina abscondere; TERGIVERSARI, in universum ab accusatione desistere. *d. l.* 1. § 1.

De prævaricatoribus egimus libro præcedenti. Et quidem Prævaricatorem eum esse ostendimus qui colludit cum reo, & translatitiè munere accusandi defungitur; eo quòd proprias quidem probationes dissimularet, falsas verò rei excusationes admitteret. *d. l.* 1. § 6.

Supereſt igitur ut de Calumniatoribus, & de Tergiversatoribus dicamus; specialiterque DE SC. TURPILLIANO *adversùs tergiversatores facto.*

Cùm autem Tergiversator non sit, nisi qui citra Abolitionem ab accusatione desistit; rectè hìc subjicitur tractatus ET DE ABOLITIONIBUS CRIMINUM.

SECTIO I.

De Calumniatoribus.

Videndum primò, quinam illi sint, & quomodo quâ-ve pœnâ puniantur in publicis judiciis; deinde verò de calumniâ extrà publica judicia puniendâ.

§ I.

Quis calumniator esse intelligatur in publicis judiciis.

II.

Calumniator, ut modò diximus, is est qui falsum crimen intendit. Sed non utique, qui non probat, quod intendit, protinùs calumniari videtur. Nam ejus rei inquisitio arbitrio cognoscentis committitur; qui reo absoluto, de accusatoris incipit consilio quærere, quâ mente ductus ad accusationem processit. Et si quidem justum ejus errorem repererit, absolvit eum; si verò in evidenti calumniâ eum deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat. *l.* 1. § 3. MARCIAN. LIB. SINGUL. AD SC. TURPILL.

Quorum alterutrum ipsis verbis pronuntiationis manifestatur. Nam si quidem ita pronuntiaverit, NON PROBASTI; pepercit ei : sin autem pronuntiaverit, CALUMNIATUS ES; condemnavit eum. *d. l.* 1. § 4.

Consonat quod rescribit Alexander. Qui NON PROBASSE crimen quod intendit, pronuntiatur; si CALUMNIÆ non damnetur, detrimentum existimationis non patitur. Non enim, si reus absolutus est, ex eo solo etiam accusator (qui potest justam habuisse veniendi ad crimen rationem) calumniator credendus est. *l.* 3. *Cod. de Calumniat.*

Quæri possit; si ita fuerit interlocutus, LUCIUS TITIUS TEMERE ACCUSASSE VIDETUR; an calumniatorem pronuntiasse videtur? Et Papinianus; TEMERITATEM facilitatis veniam continere; & inconsultum calorem calumniæ vitio carere : & ob id hunc nullam pœnam subire oportere. *sup. d. l.* 1. § 5.

III.

Enimverò in quibusdam personis is inconsultus calor præsumitur & excusatur; putà in filiis Undè ita Carus, Carinus & Numerianus : Calumniæ pœna in paternæ mortis accusatione cessat. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

Item in parentibus. Hinc in eâ specie; Generi servis à socero veneficii (*a*) accusatis, Præses provinciæ patrem Calumniam intulisse pronuntiaverat, Inter infames patrem defunctæ non habendum (*b*); respondi; quoniam etsi publicum judicium inter liberos de morte filiæ constitisset, citra periculum (*c*) pater vindicaretur. *l. fin. ff. de Publ. judic.* PAPIN. LIB. 16. RESPONS.

Pariter Mater inter eas personas est, quæ sine calumniæ timore necem filii sui vindicare possunt. Idque beneficium Senatusconsulti, & in aliis publicis judiciis servatum est.

Sed extraneus heres qui suspicionem quam de morte suâ habuisse defunctus cavit, exequitur; hoc nomine à calumniâ excusatus est : cùm inter voluntariam accusationem, & officii necessitatem heredis multùm interfit. *l.* 2. *Cod. de Calumniat.* ALEXANDER.

Non intelligitur etiam per calumniam accusasse, maritus qui uxorem, aut pater qui filiam adulterii accusavit : suprà Tit. Ad L. Jul. de Adulter.

IV.

Vidimus temeritati accusatoris interdum veniam dari. Cæterùm rescribunt Gratianus, Valentinianus & Theodosius, ut Fallaciter incusantibus, maximè post exhibitionem accusati, nullius Juris color veluti derivatâ (*d*) accusatione proficiat : non publica quidem Abolitio, non privata, talibus proficiat subveniatque personis; non specialis indulgentia, nec beneficium quidem eos generale subducat. *l.* 9. *Cod. de Calumniat.*

V.

Observandum supereſt quòd, ex eorumdem Constitutione, etiam submissus ab alio accusator Calumniæ *damnari potest.* l. 8. Cod. d. tit.

§ II.

Quomodo calumnia puniatur, & quæ sit pœna calumniæ.

VI.

Calumniatores non institutâ adversùs eos accusatione

(*a*) Id est; quum socer accusasset generi sui servos, eo nomine quòd veneficiis filiam suam interemissent.

(*b*) Quia [inquit Cujacius *Comm. ad Papin.* lib. 16. ad h. l.] non pronuntiavit Præses patrem esse calumniatorem, sed *Intulisse calumniam.* Ex eo autem solo quòd calumniam intulerit, non est calumniator; si non calumniandi animo, sed justo dolore provocatus fecit : sicut & mandax non est qui mendacium profert, si hoc existimet verum.

(*c*) *Circa periculum* calumniæ. *Etsi publicum judicium inter liberos* homines *constitisset, citra periculum* calumniæ *pater vindicaretur*, id est [activo sensu] prosequeretur ultionem necis filiæ suæ; ipsiusque justo dolori indulgeretur venia. A fortiori indulgendum ei in hâc specie, in quâ non liberos sed servos accusavit.

(*d*) Id est, quasi per hanc Rei exhibitionem jam in judicium deductâ accusatione.

Source : BIU Cujas

puniuntur : ſed iidem judices qui reum abſolverunt , ex continenti de accuſatorum calumniâ judicant (*a*).

Hinc reſcribit Alexander. Calumnia eo tempore coerceri ſolet, quo de causâ præſente accuſatore judicatur. Ideòque , poſtquàm de causâ judicatum eſt ; contra conſuetudinem, calumniam accuſatoris puniri deſideras. *l.* 1. *Cod. de Calumniat.*

Sufficit autem quòd judex aliquem calumniatorem pronuntiaverit. Et quamvis nihil de pœnâ ſubjecerit, tamen Legis poteſtas adversùs eum exercebitur. Nam (ut Papinianus reſpondit) facti quidem quæſtio in arbitrio eſt judicantis ; pœnæ verò perſecutio non ejus voluntati mandatur, ſed Legis auctoritati reſervatur. *l.* 1. § 4. ¶ *& quamvis.* MARCIAN. LIB. SING. AD SC. TURPILL.

VII.

Calumniatoribus pœna Lege Remniâ (*b*) irrogatur. *d. l.* 1. § 2.

Hæc pœna erat ut calumniatoris fronti littera K. inureretur (*c*) *; & præterea ut infamiâ notaretur , ſuprà lib.* 3. *Tit.* de His qui not. infam.

Conſtantinus autem id ultra fieri prohibuit ; Cùm & in manibus & in ſuris poſſit pœna damnationis unâ inſcriptione comprehendi : quò facies (*inquit*) , quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis eſt cœleſtis figurata , minimè maculetur. *l.* 17. *Cod. de Pœnis.*

Præter hanc pœnam Legis Remniæ , puniebantur calumniatores pœnâ Talionis cui ſe per ſuſcriptionem ſubjiciebant. Eam autem in uſu manſiſſe diſcimus ex Honorio & Theodoſio qui ita reſcribunt : Quiſquis crimen intendit , non impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cùm calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii. *l.* 10. *Cod. de Calumniat.*

VIII.

Præter pœnam quæ adversùs calumniatorem ad vindictam publicam exquiritur ; Dominis ſervorum per accuſatoris calumniam tortorum , adversùs eum pœnâ dupli Lege Juliâ providetur. *l.* 6. *Cod. d. tit.* DIOCL. ET MAXIM.

Similiter Papinianus. De ſervo qui accuſatur, ſi poſtuletur , quæſtio habetur : quo abſoluto , in duplum pretium accuſator domino damnatur. Sed & citra pretii æſtimationem quæritur de calumniâ ejus : ſeparatum eſt etenim calumniæ crimen , à damno quod in ſervo propter quæſtionem domino datum eſt. *l. fin. ff. de Calumniator.* PAPIN. LIB. 2. DE ADULTER.

Conſonat quod ait Ulpianus. Si poſtulaverit accuſator, ut quæſtio habeatur de ſervo adulterii accuſato (*d*) ; ſive voluit ipſe intereſſe , ſive noluit , jubent judices eum ſervum æſtimari : & ubi æſtimaverint , tantam pecuniam , & alterum tantum , eum qui nomen ejus ſervi detulerit , ei ad quem ea res pertinet , dare jubebunt. *l.* 27. *ff. Ad L. Jul. de Adulter.* ULP. LIB. 3. DE ADULTER.

Sed deſpiciamus , cui iſta pœna præſtanda ſit : quia Lex eum nominavit AD QUEM EA RES PERTINEBIT. Igitur bonæ fidei emptorem , quamvis ab eo emerit qui dominus non eſt , rectè dicemus eum eſſe ad quem ea res pertinet. *d. l.* 27. § 1.

Eum quoque qui pignori accepit , magis admittimus in eâdem causâ eſſe ; ſcilicet quia intererat ejus , quæſtionem non haberi. *d. l.* 27. § 2.

Sed & ſi uſusfructus in ſervo alienus ſit , inter dominum & fructuarium dividi debet æſtimatio. *d. l.* 27. § 3.

Et ſi communis plurium ſervus erit , utique inter eos quoque erit æſtimatio dividenda. *d. l.* 27. § 4.

Si liber homo dum ſervus exiſtimatur , tortus ſit, quia & ipſe conditionem ſuam ignorat ; magis admittit Cælius , actionem utilem ipſi dandam adversùs eum qui per calumniam appetit : ne impunita ſit calumnia ejus, ob hoc quòd liberum hominem quaſi ſervum deduxit in quæſtionem. *d. l.* 27. § 5.

§ III.

De calumniâ extra publica judicia coërcendâ.

IX.

Qui calumniatores pronuntiantur ; in publicorum duntaxat judiciorum quæſtionibus , non etiam in liberalibus cauſis quæ privatas diſceptationes continent , periclitari ſolent. *l.* 5. *Cod. de Calumniat.* DIOCLET. ET MAXIM.

Non tamen calumnia quæ extra publica judicia admittitur , impunita eſt.

Sed Et in privatis & in extraordinariis criminibus, omnes calumnioſi extra ordinem pro qualitate admiſſi plectuntur. *l.* 3. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Hinc V. G. Qui Injuriarum actionem per calumniam inſtituit , extra ordinem damnatur , id eſt exilium , aut relegationem , aut ordinis amotionem patiatur. *l.* 43. *ff. de Injur.* GAIUS LIB. 3. REGUL.

Hinc etiam , præterquàm quòd is Qui ſe ſuis nummis redemptum non probaverit , libertatem petere non poteſt ; ampliùs eidem domino ſub pœnâ vinculorum redditur ; vel ſi ipſe dominus malit , in metallum damnatur. *l.* 38. § 4. *ff. de Pœnis.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Item Calumniæ causâ puniuntur ; qui in fraudem alicujus , librum vel teſtimonium aliud-ve quid conquiſiſſe, vel ſcripſiſſe , vel in judicium protuliſſe dicuntur. *l.* 6. § 4. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

SECTIO II.

De Tergiverſatoribus , & Senatuſconſulto Turpilliano.

X.

TERGIVERSATOREM *eum eſſe diximus, qui ab accuſatione deſtitit. Adversùs hujuſmodi deſtitores Senatuſconſultum ſub Nerone factum eſt , Cæſonio-Pæto & Petronio-Turpilliano Coſſ. de quibus Tacitus* Annal. *XIV.* 29.

Sententiam hujus Senatuſconſulti ita exhibet Marcianus : Si quis autem ab accuſatione citra abolitionem deſtiterit , punitur. *l.* 1. § 7. MARCIAN. LIB. SINGUL. AD SCTUM TURPILL.

Circa hoc Senatuſconſultum videbimus 1°. *Quis deſtitiſſe dicatur :* 2°. *Quando deſtitiſſe aliquem oporteat , & in quibus judiciis , ut incidat in SCtum :* 3°. *Ex quibus cauſis excuſetur qui deſtitit.* 4°. *Deſiſtente accuſatore qui ab alio ſummiſſus eſt ; quæremus uter ex his , an uterque , in Senatuſconſultum incidat.* 5°. *Denique quæ ſit deſiſtentium pœna.*

§ I.

Quis deſtitiſſe dicatur.

XI.

Ab accuſatione deſtitit , qui cum adverſario ſuo de compoſitione ejus criminis quod intendebat , fuerit locutus. *l.* 6. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

(*a*) Unde ita Aſconius in *Scaur.* « Cato Prætor , quum abſoluto Scauro vellet » de accuſatoribus in conſilium mittere , ceſſit imperitæ multitudini ; ac poſtero » die in conſilium de calumniâ accuſatorem miſit. »

(*b*) Zaſius cenſet legendum *Memmiâ* ; tum quia Cicero *Pro Roſc. Amer.* Legis MEMMIÆ adversùs calumniatores facit mentionem ; tum quòd ignotum (inquit Zaſius) apud Romanos *Remnii* nomen , Memmiorum autem frequens apud hiſtoricos mentio. Quo contrà , rectè obſervavit Heinneccius non ignoratam fuiſſe apud Romanos Remniam gentem : Remnii enim Ædilis mentionem facit Aurelius-Victor *de Vir. Illuſtr.* 66. Alterius etiam Remnii mentio apud Tacitum *Annal.* II. 68.

(*c*) « *Si hoc judices benè novi , litteram illam ita vehementer ad caput affigent* » *ut poſtea neminem accuſare poſſitis* ». Cic. *pro Roſc. Am.* n. 20. Non dicit cujus litteræ , ſed veriſimile eſt fuiſſe litteram K. Nam Veteres ſcribebant *Kalumnia.*

(*d*) Budæus legit *accuſati* ; putatque hîc non agi de ſervo qui ipſe ſit accuſatus ; ſed de ſervo accuſati. Sed perperàm : nam ipſum ſervum accuſatum eſſe indicant verba legis mox ſequentia , *qui nomen ejus ſervi detulerit.*

Source : BIU Cujas

Sed & citra hæc colloquia ; Animo ab accuſatione deſtitit, qui affectum & animum accuſandi depoſuit. *d. l.* 6. § 1.

Et quidem Deſtitiſſe eum accipiemus, qui in totum animum agendi depoſuit ; non qui diſtulit accuſationem. *l.* 13. PAUL. LIB. 3. DE ADULTER.

Alibi pariter : Deſtitiſſe is videtur, non qui diſtulit, ſed qui liti renuntiavit in totum. *l.* 10. *ff. de Judiciis.* ULP. LIB. 10. AD ED.

Et ita Deſtitiſſe videtur, qui intra præfinitum accuſationis à Præſide tempus, reum ſuum non peregit. *ſup. d. l.* 6. § 2.

Hinc Alexander. Si ea quæ crimen intendit, cognitionem moratur ; certa perferendæ accuſationis tempora judex competens præſtet : intrà quæ ſi agere ſuperſederit, renuntiaſſe cauſæ intelligitur. *l.* 7. *Cod. de His qui accuſ. non poſſ.*

X I I.

Tamen Qui poſt inſcriptionem ante litem conteſtatam, anno (vel (*a*) biennio) agere non potuerint, variis Præſidum occupationibus, vel etiam civilium officiorum neceſſitatibus diſtricti ; in Senatuſconſultum non incident. *l.* 15. § 5. MACER LIB. 2. PUBLICORUM.

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. In exſecutionibus criminum obtinuiſſe videtur, illos deſtitiſſe, qui animum accuſationis implendæ prorsùs deſeruerunt. Cùm igitur aliis ex cauſis, vel ſimplicitatis ratione, necdum te ad finem vindictæ perveniſſe preces tuæ teſtentur ; poteris, poſtpoſitâ formidine impedimenti ſuper aliquantulo ſilentio, inſtitutam accuſationem ſecundùm Leges perferens, quam probabis tibi debitam vindictam reportare. *l.* 6. *Cod. Ad SC. Turpill.*

X I I I.

Maximè autem deſtitiſſe non videtur, qui citra voluntatem ſuam, aliquâ præſcriptione excluditur ab inſtituendâ accuſatione.

Hinc Papinianus : Quærebatur, an hi qui ab accuſatione tempore excluſi eſſent, in Senatuſconſultum Turpillianum inciderunt ? Reſpondit ; Non oportere dubitari, calumniâ non puniri eos qui præſcriptione temporis excluſi (*b*) cauſam adulterii perferre non potuerunt. *l.* 11. PAPIN. LIB. SING. DE ADULTER.

Simili ratione ; non deſtitit qui mortuo reo deſtitit. Igitur Si propter mortem rei, accuſator deſtiterit ; non poteſt hoc Senatuſconſulto teneri : quia morte rei judicium ſolvitur : niſi tale crimen fuit cujus actio & adversùs heredes durat veluti Majeſtatis ; idem in accuſatione Repetundarum eſt, quia hæc quoque morte non ſolvitur. *l.* 15. § 3. MACER LIB. 1. PUBLICORUM.

Cæterùm ſi poſteaquàm accuſator deſtitit, reus deceſſerit, non ideò magis delictum accuſatoris relevatur. Nam eum qui ſemel deſtitit, ſi poſtea accuſare paratus ſit, non eſſe audiendum Severus & Antoninus ſtatuerunt. *d. l.* 15. § 4.

X I V.

Deſtitiſſe etiam non dicitur, is qui accuſatione citra ipſius voluntatem ſolutâ, reum quem poſſet repetere, non repetit.

Igitur Si interveniente publicâ Abolitione ex Senatuſconſulto (ut fieri adſolet) vel ob lætitiam aliquam, vel honorem domûs Divinæ (*c*), vel ex aliquâ causâ ex quâ Senatus cenſuit Abolitionem reorum fieri ; nec intrà dies præſtitutos reum repetierit : dicendum eſt, ceſſare Turpillianum Senatuſconſultum. Nec enim videtur deſiſtere, qui exemptum reum non defert : eximitur autem, reorum Abolitione interveniente. *l.* 12. ULP. LIB. 2. DE ADULTER.

X V.

Denique is demùm deſtitiſſe videtur, qui ipſum quem detulit reum non peregit ; non qui alium non accuſat.

Nam Item non oportere compelli accuſatorem plures reos facere (*d*) Divus Hadrianus reſcripſit. *l.* 19. § 1. *ff. de Accuſat.* CALLISTR. LIB. 5. DE COGNITIONIB.

§ I I.

Quando deſtitiſſe accuſatorem oporteat, & in quibus judiciis, ut Senatuſconſulto locus ſit.

X V I.

Is demùm in Senatuſconſultum incidiſſe videtur, qui crimen publici judicii detulit ; & causâ criminis ordinatâ, id eſt inſcriptionibus depoſitis, & fidejuſſore de exercendâ lite præſtito, eoque qui accuſatur ſub cuſtodiâ Officii facto, non impetratâ Abolitione, ab exſecutione criminis deſtitit. *l.* 1. *Cod. Ad SC. Turpill.* ANTONINUS.

Non tamen neceſſe eſt ut litem conteſtatus ſit. Hinc Papinianus : Duos quidem adulterii marem & fœminam propter commune crimen ſimul non jure, nec à viro poſtulari (*e*). convenit. Quum tamen duobus denuntiatum (*f*) fuiſſet ; ab eo qui poſtea deſiſtere volebat Abolitionem eſſe neceſſariam in utriuſque perſonam reſpondi. *l.* 39. § 6. *Ad L. Jul. de Adult.* PAPIN. LIB. 15. RESPONS.

Sola autem accuſationis movendæ comminatio non obligat. Hinc Paulus : Quæſitum eſt an is qui libello Principi dato, Falſum ſe objecturum minatus eſt, ſi non objeciſſet, Turpilliano Senatuſconſulto teneretur ? Paulus reſpondit ; Verbis Senatuſconſulti Turpilliani eum de quo quæritur, non contineri. *l.* 5. PAUL. LIB. 2. RESPONS.

X V I I.

Quid porrò, ſi Reus condemnatus provocavit ; deinde accuſator deſtitit : an in hoc Senatuſconſulto incidit ? Propè eſt, ut incidiſſe videatur ; quia provocationis remedio, condemnationis extinguitur pronuntiatio. *l.* 1. § *fin.* MARCIAN. LIB. SING. AD SC. TURPILL.

X V I I I.

In publicis judiciis duntaxat, accuſator deſiſtens in Senatuſconſultum incidit.

Igitur Si ſtellionatum quis objecerit, vel expilatæ (*g*) hereditatis crimen, & deſtitit ; pœnam Senatuſconſulti Turpilliani non ſubibit : nec ſi Furti, vel Injuriarum. Sed officio judicis culpa ejus coercebitur. *l.* 7. § 1. ULP. LIB. 8. DISPUT.

Hinc etiam Marcianus. Suſpecti tutoris accuſatio, pro tribunali tantùm examinari poteſt : & nullus alius de hujuſmodi quæſtione, quàm Præſes (*h*) pronuntiare poteſt. Et tamen qui ab eâ deſtitit, Senatuſconſulto non tenetur (*i*). *l.* 1. § 11. MARC. LIB. SING. AD SCTUM TURPILL.

Item ſi dicatur aliquis in Senatuſconſultum incidiſſe Turpillianum ; Præſidis eſt ſuper eâ re notio. Et tamen contra deſertorem, Senatuſconſulti non intervenit coercitio. Qui autem dicit quem in hoc Senatuſconſulto incidiſſe, accuſator non (*k*) eſt. *d. l.* 1. § 12.

(*a*) Jure Pandectarum annus duntaxat dabatur ad peragendas criminales quæſtiones : ut vid. ſuprà Tit. *de Publ. judic.* Hoc tempus Juſtinianus produxit ab biennium, & ideò Tribonianus hic addidit *vel biennio.*

(*b*) Poſt quinquennium accuſationem inſtituerant ; ideò præſcriptione ab hâc accuſatione excluſi ſunt. At non videntur deſtitiſſe ; cùm per eos non ſteterit eam perſequi ; utpotè qui fuerint præſcriptione excluſi.

(*c*) Principis.

(*d*) Imò repellitur ab accuſatione, qui duos ſimul reos accuſatos habet : ſuprà Tit. *de Accuſat.* N. 1 & 9.

(*e*) Suprà Tit. *ad L. Jul. de Adult.* N. 4. 9.

(*f*) *Denuntiatum* duntaxat, non tamen lis conteſtata : Id ſi quidem cum utrâque perſonâ màris & fœminæ ſimul fieri non poteſt. d. N. 49.

(*g*) Hæc enim crimina ſunt extraordinaria : ut vid. lib. præced.

(*h*) Hoc dicit ad excludendos Magiſtratus municipales. Cæterùm cognitio *Suſpecti* tranſit in eum cui mandata eſt juriſdictio : ſuprà lib. 27. Tit. *de Suſpect. tut.*

(*i*) Cognitio enim de ſuſpecto tutore eſt extraordinaria, non publicum judicium.

(*k*) Senſus eſt : cognitio in quâ diſpicitur an quis accuſationem publici judicii deſeruerit & in Turpillianum inciderit, non eſt ipſa publicum judicium. Adeòque, quum is qui hanc querelam adversùs aliquem inſtituit, eam deſerit *non intervenit* adversùs eum *Senatuſconſulti* Turpilliani *coercitio* ; quia is propriè *Accuſator non eſt*, id eſt publici judicii accuſationem non inſtituit : unde ipſe non ſubjacet Turpilliano.

Source : BIU Cujas

Quòd si crimen quidem fuerit ex quo publicum est judicium, sed ut hodie solet extra ordinem de eo cognitum fuerit: An ad eos qui hodie de judiciis publicis extra ordinem cognoscunt; Senatusconsultum pertineat, quæritur? Sed jam hoc Jure ex Sacris Constitutionibus utimur, ut pertineat. Ita, ex singulis causis singulæ pœnæ irrogentur. *lib.* 15. § 1. MACER LIB. 2. PUBL.

§ III.

Ex quibus causis excusetur, qui ab accusatione destitit.

XIX.

In Senatusconsultum non incidit, qui Abolitione impetratâ destitit. Nam cùm illa his demùm concedatur, qui non per calumniam sed ex justo errore aut saltem ex excusabili calore accusaverunt; quodammodo illi destitisse non videntur.

Desistere enim est, de negotio abstinere quod calumniandi animo instituerat.

Planè si quis cognitâ rei veritate suum negotium deseruerit, nolens in lite improbâ perseverare quam calumniæ causâ non instituerat; is destitisse non videtur. *l.* 10. *ff. de Judiciis.* ¶ *desistere.* ULP. LIB. 10. AD ED.

Observandum quòd Si plura crimina idem eidem intulit, singulorum debet Abolitionem petere: alioquin, prout quid admiserit, ejus nomine Senatusconsulti pœnam patietur. *l.* 1. § 9. MARCIAN. LIB. SINGUL. AD SCTUM TURPILL.

Hactenùs de eo qui Abolitionem impetravit.

XX.

Pariter: Sed qui permissu Imperatoris ab accusatione destitit, impunitus est. *l.* 13. § 1. PAUL. LIB. 3. DE ADULTER.

XXI.

Item Eos de quorum calumniâ agi non permittitur, si destiterint, non incidere in pœnam hujus Senatusconsulti, Constitutionibus cavetur. *l.* 15. § 2. MACER LIB. 2. PUBL.

Talis est V. G. maritus qui jure viri uxorem accusavit: ut vid. suprà Tit. Ad L. Jul. de adulter.

Secùs, quum ut extraneus accusat: Nam hoc casu de calumniâ tenetur, & subscribit in crimen: adeòque Abolitionem petere debet. De hoc casu Cujacius intelligendum docet sequens Valeriani & Gallieni Rescriptum.

Abolitionem adulterii criminis postulans, Præsidem in cujus Officio accusatio fuerit instituta, adire debes. Cæterùm erras tu marite; existimans, etiamsi simpliciter (id est, sine Abolitione) destitisses, Senatusconsulto in personâ tuâ futurum locum non fuisse: diversum enim Divi Principes sæpè sanxerunt. Quin hoc ampliùs scias; nullam tibi fuisse ulteriùs potestatem instituendi hujusmodi accusationem: quia & Decreto Patrum & Lege Petroniâ (*a*) ei qui jure viri delatum adulterium non peregit, nunquam postea hoc crimen deferre permittitur. *l.* 16. *Cod. Ad L. Jul. de adulter.*

XXII.

Item inter eos qui de calumniâ non tenentur, numerandi sunt qui ex necessitate officii accusaverunt. Impunè igitur desistent, maximè si causa officii cessavit.

Hinc Divus Hadrianus Salvio-Caro Proconsuli Cretæ rescripsit; Tutorem qui pupilli causâ instituerat accusationem, defuncto pupillo cujus causâ accusare cœperat, non esse cogendum accusationem implere. *l.* 14. ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

Denique de calumniâ non tenentur mulieres & Minores: ut vid. suprà Tit. de Accusat.

Hinc Mulier quæ falsi crimen, injuriæ propriæ, post interpositam denuntiationem desistens omisit, ex Senatusconsulto Turpilliano teneri non videtur. *l.* 4. PAPIN. LIB. 15. RESPONS.

XXIII.

Hi omnes quos diximus de calumniâ non teneri, ita demùm non tenentur si duntaxat desliterint: verùm tenentur si pacti sint.

Hinc V. G. Si fœmina suam suorumque injuriam exequatur; cùm ipsa pacto (*b*) contra vetitum destitisse profiteatur; in Senatusconsulti Turpilliani pœnam eam incidisse, certi Juris est. *l.* 5. *Cod. Ad SC. Turpill.* DIOCL. ET MAXIM.

XXIV.

Præter eos quos diximus; nullus accusator qui citra Abolitionem destitit, pœnam Senatusconsulti effugit: ne quidem illi qui potuissent excludi ab accusatione.

Hoc docet Modestinus. Accusationem is intulit, qui præscriptione summoveri poterat; ut quilibet adulterii, masculo post quinque annos continuos ex die commissi adulterii, vel fœminæ post sex menses utiles (*c*) ex die divortii. An, si destiterit, hoc Senatusconsulto plecti debet, bellè dubitatur? Movit quòd penè nulla erit accusatio, quam temporis spatium aut personæ vitium omni modo removeret; reoque securitatem timoris ac periculi promitteret. Contrà movet quòd qualiscumque accusatio illata, cognoscentis auctoritate, non accusantis voluntate Aboleri debet; majoreque odio dignus existimaretur, qui temerè ad tam improbam accusationem processisset. Ergo verius est eum quoque de quo loquimur, in Senatusconsultum incidere oportere. Atquin Papinianus respondit; Mulierem quæ idcircò ad falsi accusationem non admitteretur, quod suam suorum-ve injuriam non persequeretur, desistentem, Senatusconsulto Turpilliano non plecti (*d*) Num ergo & in cæteris idem responsurus sit? Quid enim interest, propter sexûs infirmitatem, an propter statûs turpitudinem, temporis-ve finem, ad accusationem aliquam non admittatur? Multòque magis excludendi sunt; quòd mulieris quidem accusatio, vel propter proprium ejus dolorem effectum habere potuit; illorum verò accusatio, voce duntaxat tenùs intervenit. Atquin idem aliàs scribit; Non posse aliquem duos eodem tempore adulterii accusare, mârem & fœminam: & tamen, si utrique simul denuntiaverit, in utriusque personâ Abolitionem eum petere debere ne in hoc Senatusconsulto incidat (*e*). Quid porrò refert, propter causas suprà scriptas accusatio non valuerit, an propter numerum personarum non tenuerit? An hæc intersint, plenam habuerit aliquos accusandi facultatem, sed propter personarum conjunctionem ab accusatione summoveatur, an verò strictâ ratione, quibusdam accusandi facultas non competat? Meritò itaque dicendum est; Omnes, exceptâ muliere & Minore, nisi Abolitionem petierint, in hoc Senatusconsulto incidere. *l.* 1. § 10. MARC. LIB. SING. AD SCTUM TURPILL.

§ IV.

Desistente eo accusatore qui ab alio submissus est; an submissus, an qui summisit, an uterque incidant in Senatusconsultum, & an etiam fidejussores.

XXV.

Hæc circa Turpillianum supererat quæstio; quam ita

(*a*) *Decretum Patrum*, est ipsum SCtum Turpillianum; *Lex Patronia* est Lex à populo lata ad SCtum illud sanciendum; sic dicta ab ipso Turpilliano, qui PETRONIUS-TURPILLIANUS vocabatur. Et ita ferè in omnibus Legibus: Decreto suo Senatus auctor erat Legis ferendæ, Consules Populum rogabant, & Lex à populo sanciebatur.

(*b*) Scilicet aliquid recepit ut desisteret. Nam si sine pecuniâ & animo condonandæ injuriæ pactus est se non acturum, in pœnam Senatusconsulti non incidit & abolitio ei denegari non debet, infrà l. 2. Cod. *de Abolit.* N. 32. Ubi Cujacius pro his verbis *Sin autem per deceptionem*, legendum putat *per depectionem*; id est, pactione cum reo habitâ. Vide ibi Notas. Ratio disparitatis est quòd turpe sit injuriam suam pretio æstimare; at nulla turpitudo, imò animi magnitudo est, eam condonare.

(*c*) Suprà Tit. *Ad L. Jul. de Adulter.* N. 40 & 44.

(*d*) Mox suprà l. 4. h. tit. N. 22.

(*e*) Suprà N. 16.

definit

Source : BIU Cujas

definit Marcianus. Incidit in hoc Senatuſconſulto, & qui accuſatorem ſummittit aut inſtigat; aut qui mandat alicui & inſtruit eum ad accuſationem capitalem, dando probationes, allegando accuſationes. Et meritò: nam deficiendo crimini (*a*) quod movet, & eximendo ſe periculo calumniæ vel deſertionis, meritò calumniantis & deſiſtentis pœnæ ſubjici [*Florent.* ſubdici, *mendosè; fortè pro* ſubdi.] debuit; niſi ſubornatus accuſator probaverit crimen quod intendere ſuſcepit. Nec intereſt, per ſe mandavit accuſationem, an per alium. Verùm hunc qui hoc miniſterio uſus eſt ad mandandam accuſationem, non ex verbis, ſed ex ſententiâ Senatuſconſulti puniri, Papinianus reſpondit. Summiſſus enim accuſator, ſimiliter eodem Senatuſconſulto plectitur; id eſt propter hoc ſolum punitur, quòd miniſterium alieni timoris recepit. *d. l.* 1. § 13.

Hoc Papiniani reſponſum ita alibi refertur: Eos quoque pœna delatoris ex ſententia Senatuſconſulti teneri reſpondi, qui per ſuppoſitam perſonam delatori cauſam dederunt. *l.* 34. § 1. *ff. de Pœnis.* PAPINIAN. LIB. 16. RESPONS.

Item Macer. In Senatuſconſultum Turpillianum incidunt, qui ſubjeciſſent accuſatores, aut ſubjecti poſtulaſſent; nec peregiſſent reos, aut aliter qnàm Abolitione factâ deſtitiſſent: qui-que chirographum ob accuſandum dediſſent, pactionem-ve aliquam interpoſuiſſent. Hoc autem verbum NEC PEREGISSENT, ad univerſos ſuprà ſcriptos pertinere dicendum eſt. *l.* 15. MACER LIB. 2. PUBLIC.

XXVI.

Ad fidejuſſores autem accuſatoris, pœna Senatuſconſulti non porrigitur.

Hinc Gordianus. Si pro eo qui in crimen ſubſcripſit, fidem tuam adſtrinxiſti; iſque deſtitit, & commiſſa ſtipulatio eſt: non ultra quantitatem quam ſpopondiſti, obligatus es (*b*). Eo qui deſtitit, infamia nihilominùs notando, & extra ordinem ſecundùm judicialem motum puniendo. *l.* 2. *Cod. Ad SC. Turpill.*

§ V.

Quæ pœna eorum qui in Senatuſconſultum incidunt.

XXVII.

Prævaricatorum pœna, olim Talio; *quemadmodum & Calumniatorum ſuprà N.* 7. *Par ſiquidem pœna in utroſque: lib. præced. Tit.* de Prævaricat. *N.* 4.

Pœna autem Senatuſconſulti Turpilliani fuit mulcta quinque librarum auri: ut obiter vidimus ſup. d. Tit. de Prævaric. *N.* 3. *ex l.* 3. § 3. d. tit.

Adjunctam habebat infamiam. Hinc V. G. Qui judicii publici quæſtionem citra veniam Abolitionis deſeruerunt, Decurionum honore decorari non poſſunt; cùm ex Turpilliano Senatuſconſulto notentur ignominiâ, veluti calumniæ causâ judicio publico damnati. *l.* 6. § 3. *ff. de Decurionib.* PAPIN. LIB. 1. RESP.

Hæc Turpilliani Senatuſconſulti pœna fuit. In accuſatorem autem abſentem nonnunquam graviùs ſtatuendum, quàm Turpilliani Senatuſconſulti pœna irrogatur, dicendum eſt. *l.* 5. § 1. *ff. de Pœnis.* ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

Hodie pœna Senatuſconſulti exolevit, & ab arbitrio judicis pendet: ut obiter mox vid. N. præced. ex l. 2. Cod. h. tit.

(*a*) *Tombant en défaut à l'Accuſation.* Superflua & mendoſa emendatio Haloandri, qui legit *diffitendo*: nec enim qui deſiſtit ſimpliciter, crimen diffitetur.

(*b*) Non in Talionem, qui olim calumniatorum pœna fuit; non in mulctam quinque librarum auri, quæ poſtea ex SCto prævaricatorum pœna eſſe cœpit.

SECTIO III.

De Abolitionibus.

XXVIII.

Abolitio aut PUBLICE fit, ob diem inſignem, aut publicam gratulationem; *l.* 8. PAPINIAN. LIB. 2. DE ADULTER.

Vel ob rem proſperè geſtam: *l.* 9. MACER LIB. 2. PUBL.

Aut PRIVATIM, actore poſtulante.

Tertio genere fit EX LEGE Abolitio; accuſatore mortuo, vel ex juſtâ causâ impedito quominùs accuſare poſſit. *l.* 10. PAPIN. LIB. 2. DE ADULTER.

ARTICULUS I.

De publicâ ſeu generali Abolitione.

§ I.

Ad quas accuſationes pertineat.

XXIX.

Hæc Abolitio non extinguit accuſationes, niſi quæ jam in judicium deductæ erant.

Hinc in hâc ſpecie: Lucius-Titius Seium reum Falſi fecit; & priuſquàm perſequeretur (*c*), indulgentia reorum crimina Abolita ſunt. Quæro, ſi poſteà eum iteratò reum non fecerit, an in Turpillianum Senatuſconſultum inciderit? Herennius-Modeſtinus reſpondit; Abolitionem reorum quæ publicè indulgetur, ad hoc genus (*d*) criminis non pertinere. *l.* 17. MODEST. LIB. 17. RESPONS.

Similiter Dioletianus & Maximianus. Cùm eo tempore quo indulgentia Noſtra crimina extinxit, accuſatio à te inſtituta (*e*) non fuerit; publicæ Abolitionis præſcriptio ceſſat. *l.* 2. *Cod. de Gener. abolit.*

Denique generalis Abolitio pertinet ad accuſationes duntaxat liberorum hominum. Nam Domitianus reſcripſit, Quod de feriis & de Abolendis reis dicitur, non pertinere ad ſervos, qui accuſati in vinculis eſſe jubentur ne (*f*) judicium finiatur. *l.* 16. PAUL. LIB. SING. DE ADULTER.

§ II.

De hujus Abolitionis effectu.

XXX.

Hæc Abolitio accuſationes ita extinguit, ut tamen repetendi reos accuſatoribus intrà triginta dies licentia concedatur.

Hos porrò Triginta dies repetendi rei, Divus Trajanus utiles eſſe interpretatus eſt; ex die ſcilicet quo feriæ finitæ ſunt. Et Senatus cenſuit eas dies cedere, quibus quiſque reum ſuum repetere poſſit. Hoc autem repetendi rei tempus non aliter cedit, quàm ſi accuſator quoque potuit adire. *l.* 10. § 2. PAPIN. LIB. 2. DE ADULTER.

Quànquam priùs reum quis detulerat, etſi poſt Abolitionem, antequàm reus repeteretur, alia Abolitio ſupervenerit; non ex ſuperiore, ſed ex ſecundâ Abolitione, dies tringinta computantur. *l.* 15. § 6. MACER LIB. 2. PUBLIC.

(*c*) Litem conteſtaretur.

(*d*) Quod nondum conteſtatum, nondum in judicium deductum eſt. Ita Cujacius ad h. l.

(*e*) Id eſt, conteſtata. Si enim necdum mota eſſet; quiſnam eſſe potuerat dubitandi locus, ut ad Imperatores talis quæſtio referretur?

(*f*) Cujacius Obſerv. XX. 12. legit, *donec judicium &c.*

Source : BIU Cujas

Verùm poſt elapſum illud temporis ſpatium, repetendi reum accuſatori facultas eripitur.

Hinc Antoninus. Qui potentatûs & vis, aliorumque criminum reum fecit; ſi poſt Abolitionem ex formâ ſolitâ reorum factam, & poſt Edicta propoſita, intrà diem ſtatutum repetere ſuperſederit; perſequi crimina volens, non eſt audiendus. *l.* 1. *Cod. de General. abolit.*

XXXI.

Obſervandum quòd Si quis repetere velit crimen, publicâ Abolitione interveniente; eo jure repetit, quo accuſabat. Non æquè enim poſſunt præſcriptiones ei objici (*a*), quæ ante reorum Abolitionem non ſunt objectæ. Et ita Divus Hadrianus reſcripſit. *l.* 7. ULPIAN. LIB. 8. DISPUTAT.

Hinc V. G. Abolitione autem publicè factâ; non retractabitur in judicio repetendo, de mariti jure. *ſup. d. l.* 10. § 1.

ARTICULUS II.

De Abolitione privatâ.

§ I.

De hujus impetratione.

XXXII.

Abolitio privatim à Præſidibus poſtulari ac impetrari ſolet.

Item pro tribunali, non de plano. Nec præſens hanc cognitionem alteri demandare poteſt. *l.* 1. § 8. MARC. LIB. SING. AD SC. TULPILL.

XXXIII.

Ex quibus cauſis impetrari aut denegari debeat, docet Conſtantinus. Ita ille : Abolitio præſentibus partibus causâ cognitâ, non à Principe, ſed à competenti judice poſtulari debet: id eſt, ſi per errorem ſeu temeritatem ſeu calorem, ad accuſationem proſiluerit; hoc enim accuſator explanans, Abolitioni locum faciet. Sin autem per deceptionem (*b*) vel pecuniis à reo corruptus, ad poſtulandam Abolitionem venit; redemptæ miſerationis vox minimè admittatur: ſed adversùs nocentem reum inquiſitione factâ, pœna competens ingeratur. Hi autem qui ſuam ſuorumque injuriam defendunt, & qui cognatos (*c*) ſuos in accuſationem deducant; omnimodo Abolitionem petere non prohibentur. *l.* 2. *Cod. de Abolitionib.*

Illud patet quòd Fallaciter incuſantibus, accuſationis Abolitio non dabitur. *l. fin. Cod. d. tit.* VALENTIN. ET VALENS.

XXXIV.

In concedendâ Abolitione obſervatur interdum, ut rei conſenſus deſideretur.

Enimverò Imperatores Antoninus & Verus Auguſti Julio-Vero reſcripſerunt; Cùm ſatis diù litem traxiſſe dicetur, invito adverſario non poſſe eum Abolitionem accipere. *l.* 18. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 1. DE CONSTITUT.

Item reſcripſerunt; Niſi evidenter probetur conſentire adverſarium, Abolitionem non dari. *d. l.* 18. § 1.

Valentinianus autem & Valens diſtinguunt, an ex accuſatione quid paſſus ſit reus, putà carceres, tormenta: quo caſu Abolitio nonniſi ex conſenſu rei (propriam hanc ſuam injuriam condonantis) conceditur, quandocumque petatur. Quòd ſi nil tale reus paſſus eſt, ſed Officii cuſtodiæ traditus eſt; Abolitio eo invito concedetur accuſatori, ſi intrà triginta dies petat; quòd ſi poſt triginta dies, nonniſi ex conſenſu rei concedetur. ſup. d. l. fin. Cod. de Abolit.

XXXV.

Iidem conſtituerunt ut nec conſentiente reo concedatur Abolitio, ſi ingenui (quamvis plebeii) teſtimonii gratiâ torti ſunt: cùm eo caſu reus non poſſit alienam hanc, teſtibus illatam, injuriam remittere.

Item non conceditur in quibuſdam criminibus; nimirùm Perduellionis, Peculatûs, & ſacramenti deſerti. d. l. fin. Cod. de Abolit.

§ II.

De duplici hujus Abolitionis effectu.

XXXVI.

Hujus Abolitionis primus effectus eſt; ut qui eam impetravit, impunè deſiſtat.

Hoc ita, niſi per obreptionem impetraverit eam.

Hinc Imperatores Antoninus & Verus Item reſcripſerunt; Quum in crimine capitali Abolitionem ut in re pecuniariâ (*d*) petitam eſſe diceretur (*Florent.* diceret) reſtaurandam eſſe nihilominùs cognitionem: ita ut ſi non probaſſet hoc quod proponeret, non impunè eum laturum. *l.* 18. § 2. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 1. DE CONSTITUTIONIB.

Alter effectus hujus Abolitionis privatæ eſt; ut qui eam impetravit, non poſſit accuſationem renovare: ſuprà tit. de Accuſat. *N.* 40.

Verùm non prohibetur, ſi qua ei civilis actio de eâ re competat, eam movere.

Hinc Carinus & Numerianus. Si docueris apud Præſidem provinciæ, ab inteſtato te heredem ejus extitiſſe qui codicillos ſcripſerat; ordinarium eſt, ut in hereditatis poſſeſſione conſtitutus fideicommiſſa præbeas quæ jure relicta ſunt: niſi conſilium eſt, codicillos falſos arguere. Quòd ſi criminaliter cœptum judicium, interventu indulgentiæ ſolitum eſt; habes tamen reſiduam indagationem, & potes de fide ſcripturæ civiliter queri. *l.* 9. *Cod. Ad L. Cornel. de falſis.*

ARTICULUS III.

De tertiâ Abolitionis ſpecie, quæ Ex Lege *intervenit accuſatore mortuo aut impedito.*

XXXVII.

Si accuſator deceſſerit, alia-ve quæ cauſa ei impedierit quominùs accuſare poſſit, & ſi quid ſimile; nomen rei aboletur, poſtulante reo. Idque & Lege Juliâ DE VI & Senatuſconſulto cautum eſt; ita ut liceat alii ex integro repetere reum. Sed intrà quod tempus, videbimus? Et utique triginta dies utiles obſervandi ſunt. *l.* 3. § 4. *ff. de Accuſat.* PAUL. LIB. 1. DE ADULTER.

Similiter Papinianus. Accuſatore defuncto; res (*e*) ab alio, judicante Præſide provinciæ, peragi poteſt. *l.* 13. *ff. de Public. judic.* PAPIN. LIB. 15. RESPONS.

Poteſt quidem hoc caſu repeti reus. Verùm Divi Fratres reſcripſerunt; Non debere cogi heredes accuſatorum, exſequi crimina. *l.* 19 *ff. de Accuſat.* CALLISTR. LIB. 5. DE COGNITIONIB.

(*a*) Putà, cœperat quis accuſare jure mariti; & publicâ Abolitione interveniente, accuſatio fuit perempta. Finitis feriis accuſator in eâdem causâ reponetur repetendum reum, in quâ erat quàm accuſare cœpit; adeòque, quamvis fortè jam effluxerit tempus intra quod jure viri accuſatio permittitur, tamen poterit accuſare jure viri. Neque ulla aut temporis aut alia quælibet præſcriptio opponetur, quæ ei quum accuſare cœpit objecta non eſt.

(*b*) Cujacius monet Legendum depletionem, id eſt, pactione cum reo habitâ.

(*c*) Regulariter; accuſatori abolitio non conceditur; niſi docuerit de juſto errore quo ad accuſandum profiliit: maximè autem non conceditur, ſi ideò abolitionem petat, quòd gratificare reo voluerit. *Hi autem qui ſuam injuriam* perſequuntur, OMNIMODO petere abolitionem poſſunt; id eſt, indiſtinctè, licèt non doceant de errore quod ad accuſandum profiluerunt. Nam qui publicam cauſam in accuſando agit, eam quidem quam ſemel ſuſcepit prodere & deſerere non poteſt: at privatam ſuam injuriam remittere facilè cuique permittitur.

Facilè etiam ad Abolitionem petendam admittuntur, *Qui cognatos ſuos* accuſaverunt. Juſta enim & excuſabilis cauſa videtur pœnitendi & deſiſtendi ab accuſatione, ſi quis cognatorum ſuorum quos accuſavit miſereatur. Hoc neceſſitudini indulgendum.

(*d*) Obrepſerat Prætori; prætexendo agi *de Re pecuniariâ* duntaxat, quum de crimine capitali ageretur.

(*e*) Budæus cenſet legendum *Reus*. Utraque lectio eumdem ſenſum habet; ſcilicet ut accuſatore defuncto & nomine rei exempto, poſſit Præſes alium accuſatorem admittere, ad *Rem* id eſt accuſationem ex integro repetendam, ſeu *Reum* ex integro *repetendum* & peragendum, ut dictum eſt in l. præced.

Source : BIU Cujas

TITULUS XVII.

Bibliothèque de l'École de Droit

DE REQUIRENDIS REIS, VEL ABSENTIBUS DAMNANDIS.

Vidimus quomodo adversùs præsentes Reos publica judicia ordinentur. In hoc Titulo exponuntur ea quæ observari debent, quum Absentes sunt.

I.

Divi Severi & Antonini-Magni Rescriptum est, NE QUIS ABSENS PUNIATUR. Et hoc Jure utimur, ne Absentes Damnentur : neque enim INAUDITA CAUSA QUEMQUAM DAMNARI æquitatis ratio patitur. *l.* 1. MARCIAN. LIB. 2. PUBLIC.

Corollarium. Si autem gravius quis puniatur (*a*), putà in opus metalli, vel similem pœnam sive capitalem; hoc casu non est irroganda in Absentem pœna : sed Absens Requirendus adnotatus (*b*) est ut copiam sui præstet. *d. l.* 1. § 1.

Scilicet ita Antoninus rescribit. Quum Absenti Reo gravia crimina intentantur, Sententia festinari non solet; sed adnotari ut Requiratur :, non utique ad pœnam; sed ut potestas ei sit purgandi se, si potuerit. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Pariter Gordianus. Absentem capitali crimine accusari non posse ; sed Requirendum tantummodò annotari solere, si desit, vetus Jus est. Et ideò, cùm Absentem te & ignorantem, cui nunquam ullum crimen denuntiatum esset, per injuriam à Præside provinciæ in metallum Damnatum esse dicas : quo magis in præsenti te agente (ut asseveras) jam nunc fides veri possit illuminari, Præfectum Prætorio adire cura; qui, quidquid novo more & contra formam Constitutionum gestum deprehenderit, pro suâ justitiâ reformabit. *l.* 6. *Cod. de Accus.*

II.

Ita in capitalibus obtinet. Secùs in non capitalibus.

Hinc ita Ulpianus. Absentem IN CRIMINIBUS Damnari non debere, Divus Trajanus Julio-Frontoni rescripsit.

Sed nec de suspicionibus debere aliquem damnari, Divus Trajanus Adsiduo-Severo rescripsit : SATIUS ENIM ESSE, IMPUNITUM RELINQUI FACINUS NOCENTIS, QUAM INNOCENTEM DAMNARE.

Adversùs contumaces verò, qui (*c*) neque denuntiationibus neque Edictis Præsidum obtemperassent, etiam Absentes pronuntiari oportet; secundùm morem privatorum judiciorum.

Potest quis defendere hæc non esse contraria. Quid igitur est? Meliùs statuetur; in Absentes, pecuniarias quidem pœnas, vel eas quæ existimationem contingunt, si sæpiùs admoniti per contumaciam desint, statui posse, & usque ad relegationem procedi. Verùm si quid gravius irrogandum fuisset, putà in metallo, vel capitis, pœnam non esse Absentibus irrogandam. *l.* 5. *ff. de Pœnis.* ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

Speciali Jure; pœna Legis Corneliæ, quamvis capitalis, decernitur contra Absentes qui aliquem castraverunt: ut obiter vid. suprà Tit. Ad Leg. Corn. de Sicar. *N.* 4.

Idem constituunt Valentinianus & Theodosius in Apparitorum perfidiam; ut etiam Absentes Damnentur. l. 21. *Cod.* de Pœnis.

III.

Præsides autem provinciarum, circa Requirendos adnotatos hoc debent facere, ut eos quos adnotaverint, Edictis adesse jubeant : ut possit innotescere eis qui adnotati sunt. Sed & litteras ad Magistratus ubi consistant mittere; ut per eos possit innotescere, Requirendos eos esse adnotatos. *l.* 1. § 2. MARCIAN. LIB. 2. PUBLIC.

Et ex hoc (*d*) annus computatur, ad se purgandos. *d. l.* 1. § 3.

Pariter Macer. Annus exindè computandus est, ex quo ea adnotatio facta est, quæ vel Edicto vel litteris ad Magistratus factis publicè innotuit. *l.* 4. MACER LIB. 2. DE PUBLIC. JUDIC.

IV.

Quid autem fiet intrà hunc annum? Nimirùm Mandatis cavetur, intra annum Requirendorum bona obsignari; ut, si redierint & se purgaverint, integram rem suam habeant : si neque responderint, neque qui se defendant habuerint; tunc post annum bona in fiscum coguntur. *l.* 5. MODESTIN. LIB. 12. PANDECT.

Et intra annum medio tempore, moventia si qùa sunt, ne aut mora deteriora fiant, aut aliquo modo intereant, vænire debere; pretiumque eorum in depositio esse, Divus Severus & Antoninus sanxerunt. *d. l.* 5. § 1.

Sed & Divus Trajanus, inter moventia fructus quoque haberi, rescripsit. *d. l.* 5. § 2.

Curandum est autem ne quid ei qui profugit, medio tempore à debitoribus ejus solvatur; ne per hoc fuga ejus instruatur. *d. l.* 5. § 3.

V.

Quandòque autem hæc ipsa obsignatio cessat. Sed & Papinianus libro sexto-decimo Responsorum scripsit; Requirendum adnotatum, si provinciæ Præsidem intrà annum adierit, & satis obtulerit; non esse locum Mandatis ut bona fisco vindicentur. Nam &, si intrà annum mortuus sit; criminis causa expirat & perit, & bona ejus ad successores transmittuntur. *l.* 1. § 4. MARCIAN. LIB. 2. PUBLIC.

Consonat quod rescribit Antoninus. Postquàm verò Requirendus factus intrà annum redierit; si se crimine purgaverit, res arbitrio judicis signatas recipiat. Sin verò intrà id tempus reversus post intimationem suam fuerit defunctus; etsi necdum se purgaverit, ad heredes proprios res transmittat. *sup. d. l.* 1. *Cod. h. tit.* ¶ *postquàm.*

VI.

Hoc Anni spatium ad occupanda bona ejus qui Requirendus adnotatus est, pertinet. *l.* 2. MACER LIB. 2. PUBLIC.

Cæterùm In summâ sciendum est, nullâ temporis præscriptione, à causæ defensione summoveri eum qui Requirendus adnotatus est. *sup. d. l.* 4. § 2.

Non tamen post annum recuperabit bona. Ita enim Constantinus : Quicumque ex eo die quo (*e*) Reus fuerit in judicio petitus, intrà anni spatium noluerit adesse judicio; res ejus fisco vindicentur. Et si postea repertus, nocens fuerit deprehensus; severiori Sententiæ subjugetur. Sed si argumentis evidentibus & probatione dilucidâ innocentiam suam purgaverit,

(*a*) Id est, puniendus sit.

(*b*) *L'accusé décreté.* Dicitur Magistratus *Requirendum annotare Reum*, quum in Acta publica referre curat ut quis tanquam reus requiratur.

(*c*) Post litem cum ipsis contestatam. Vide suprà lib. 5. Tit. *de Judic.* §°. 7°.

(*d*) Scilicet quum is adnotatur Requirendus, qui absens accusatus est. Quòd si adversùs præsentem qui postea abfuit, institutum fuit judicium; currit annus ex die quo petitus judicio fuit : infrà N. 6. ex l. 2. Cod.

(*e*) Videtur obstare lex 1. § 3. & l. 4. *ff.* suprà. Vide Solutionem in Notâ præced.

Source : BIU Cujas

nihilominùs facultates ejus penès fiscum remaneant. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

VII.

Sed si per viginti annos fiscus bona non occupaverit, postea præscriptione vel ab ipso Reo, vel ab heredibus ejus summovebitur. *l.* 2. § 1. MACER LIB. 2. PUBLIC.

Quamcumque enim quæstionem apud fiscum, si non alia sit præscriptio, viginti annorum silentio præscribi Divi Principes voluerunt. *l.* 3. MARCIAN. LIB. 2. DE PUBLIC. JUDICIIS.

Ergo & viginti annorum tempus exindè fisco numeretur, quo adnotatio publicè innotuit. *l.* 4. § 1. MACER LIB. 2. DE PUBLIC. JUDICIIS.

VIII.

Hactenùs de obsignandis & publicandis bonis contumacis. Observandum superest quòd In pecuniariis causis, Edictum contra latitantem propositum, existimationem ejus non lædit. Criminalis verò Programmatis tenor, hanc tantam ferat de jure censuram; ut inter Reos, adnotanti non tantùm patrimonium debeat transferre, sed & famæ existimationem lædere. *l.* 3. *Cod. h. tit.* HONOR. ET THEODOS.

TITULUS XVIII.

DE QUÆSTIONIBUS.

Tractationi de publicis judiciis meritò inseritur hic Titulus DE QUÆSTIONIBUS, *quarum in illis frequens erat usus.*

I.

QUÆSTIO, *ut definit Cujacius, est interrogatio quæ tsi per tormenta, vel de reis, vel de testibus qui facto interveniisse dicuntur.*

Enimverò Testes torquendi non sunt, convicendi mendacii aut veritatis gratiâ; nisi quum facto interveniisse dicuntur. *l.* 18. § 3. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Circa hanc materiam, hæc quærenda veniunt. 1°. *De quibus tam reorum quàm testium personis Quæstio habeatur, & in quibus causis :* 2°. *Pro quo, & adversùs quem testis Quæstioni subjici possit :* 3°. *Quando ad Quæstionem deveniendum sit :* 4°. *Quæ in Quæstione habendâ servari debeant :* 5°. *Quid fiat de servis post Quæstionem de ipsis habitam :* 6°. *Denique, quæ fides Quæstioni habenda.*

ARTICULUS I.

De quibus personis Quæstio habeatur, & in quibus causis.

II.

Edictum Divi Augusti, quod proposuit Vivio-Avito & Lucio Aproniano Consulibus, in hunc modum extat: » QUÆSTIONES neque semper in omni causâ & per- » sonâ desiderari debere arbitror. Et quum capitalia & » atrociora maleficia non aliter explorari & investigari » possunt, quàm per servorum Quæstiones; efficaciss- » simas meas esse ad requirendam veritatem existimo, » & habendas censeo. » *l.* 8. PAUL. LIB. 2. DE ADULTER.

§ I.

De quibus reorum personis Quæstio habeatur.

III.

Quædam sunt personæ de quibus prohibetur haberi Quæstionem.

Tales sunt 1°. *Milites; de quibus ita Diocletianus & Maximianus.* Milites neque tormentis neque plebeiorum pœnis in causis criminum subjungi concedimus, etiamsi non emeritis stipendiis suis videantur esse (*a*) dimissi: exceptis his qui scilicet ignominiosè sunt soluti. Quod & in filiis militum & veteranorum servabitur. *l.* 8. *Cod. h. tit.*

2°. *A tormentis immunes sunt Clarissimi. l.* 10. *Cod.* de Dignitat.

Item Divo Marco placuit Eminentissimorum (*b*) quidem, necnon etiam Perfectissimorum virorum, usque ad pronepotes liberos, plebeiorum pœnis vel Quæstionibus non subjici: si tamen propioris gradûs liberos, per quos id privilegium ad ulteriorem gradum transgreditur, nulla violati pudoris macula adspergit. *l.* 11. *Cod. h. tit.* DIOCLET. ET MAXIM.

3°. In Decurionibus autem & filiis eorum hoc observari (*c*), vir prudentissimus Domitius-Ulpianus, in publicarum disceptationum libris, ad perennem scientiam & memoriam refert. *d. l.* 11. *Cod.* ¶ *in Decur.*

Si tamen postularetur Decurio falsi crimine: quod antequàm Curialis esset, dum tabellio esset, admisisset; Quæstionem non effugiebat. l. 12. *Cod.* Ad L. Corn. de falsis.

A plebeiorum quidem tormentis, quales erant V. G. Fudicilæ *immunes erant Decuriones. At* Plumbatarum *ictibus subjici poterant : ut liquet ex Prudentii carminibus de Martyrio S. Romani; & ex l.* 2. *Cod. Theod.* h. tit. *quâ Valens & Gratianus solos decem primos Ordinis ab his liberat.*

His autem plumbatarum ictibus expressè præcipitur subjici, tam principales quàm Decuriones, tribus casibus; scilicet ob decoctam pecuniam publicam, improbè adscripta tributa, & immoderatas exactiones. l. 40. *Cod.* de Decur.

IV.

Cæteri plebeiæ conditiones homines, quamvis ingenui, si ipsi rei postulentur, Quæstioni possunt subjici.

Imò observandum, immunitates à tormentis locum non habuisse in crimine Majestatis : suprà, Tit. Ad L. Jul Maj. *N.* 10.

Ad hoc autem crimen pertinere dicuntur, qui in comitatu Principis magicis artibus operam dant; &, ut MAJESTATIS *postulati, Quæstionibus subjiciuntur. l.* 7. *Cod.* de Malefic.

§ II.

De quibus testium personis habeatur Quæstio.

V.

Ex libero homine, pro testimonio non vacillante;

(*a*) Sed putà ob adversam valetudinem dimissi: quæ missio *Causaria* dicitur.

(*b*) *Eminentissimi* complectuntur *Illustres, Spectabiles, Clarissimos.* Post illos erant *Perfectissimi* : erat autem PERFECTISSIMATUS, dignitatis titulus quem Princeps concedebat. Vide Tit. Cod. *de Perfect. dign.* Hoc titulo etiam fruebantur quidam ratione sui officii, ut PRIMICERII SCRINIORUM : l. 7. Cod. Theod. *de Privileg. eor. qui in Sacro Palat. mil.* Vide l. & un. Cod. *de Perfect. dign.* & ibi Cujacium.

(*c*) Cujacius censet legendum, NON *observari.* Enimverò Ulpianus cujus sententia hîc refertur, expressè ait in l. 2. § 2. ¶ *in avo*, ff. *de Decurion.* patris notam filio hâc in re nepoti Decurionis non obesse. Scilicet major integritas desideratur in genere *Eminentissimorum* & *Perfectissimorum*, quàm in genere *Decurionum.*

Source : BIU Cujas

Quæſtionem haberi non oportet. *l.* 15. CALLISTR. LIB. 5. DE COGNITIONIB.

Hoc obtinet, etſi jura civitatis non habeat. Nam etiam De eo qui in inſulam deportatus eſt, Quæſtio habenda non eſt; ut Divus Pius reſcripſit. *l.* 9. § 2. MARCIAN. LIB. 2. DE JUDIC. PUBL.

Quod tamen dicimus teſtes liberæ conditionis tormentis non ſubjici, duas exceptiones patitur.

Prima eſt : Si ſervus ad hoc erit manumiſſus ne torqueatur; dummodò in caput domini non torqueatur, poſſe eum torqueri Divus Pius reſcripſit. *l.* 1. § 13. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Cùm teſtamentum falſum eſſe proponas; ad illuminandam veritatem ſervos hereditarios (etſi libertas eis ab eo qui ſe heredem eſſe adfirmet, præſtita eſt) etiam per tormenta interrogari Conſtitutionibus Principum eſt permiſſum. *l.* 10. *Cod. h. tit.*

Altera exceptio. Si ea rei (*a*) conditio ſit, ubi harenarium teſtem vel ſimilem perſonam admittere cogimur; ſine tormentis teſtimonio ejus credendum non eſt. *l.* 21. § 2. *ff. de Teſtib.* ARCADIUS (qui &) CHARISIUS LIB. SING. DE TESTIBUS.

V I.

Cùm ergo regulariter de teſtibus liberæ conditionis Quæſtio non habeatur : Si quis, ne Quæſtio de eo agatur, liberum ſe dicat; Divus Hadrianus reſcripſit, Non eſſe eum antè torquendum, quàm liberale judicium experiatur. *l.* 12. ULP. LIB. 54. AD ED.

Indè eſt etiam quòd In cauſis quoque liberalibus non oportet per eorum tormenta, de quorum ſtatu quæritur, veritatem requiri. *l.* 10. § 6. ARCADIUS (qui &) CHARIS. LIB. SING. DE TESTIBUS.

V I I.

Hactenùs de liberis hominibus. Sed nec de ſtatulibero in pecuniariis cauſis Quæſtio habenda eſt, niſi deficiente conditione (*b*). *l.* 9. § 3. MARCIAN. LIB. 2. DE JUDIC. PUBLICOR.

Imò Is cui fideicommiſſa libertas (*c*) debetur, non aliter ut ſervus Quæſtioni applicetur, niſi aliorum Quæſtionibus oneretur. *l.* 19. TRYPHON. LIB. 4. DISPUTAT.

Tamen Statuliber in adulterio poſtulari poterit, ut Quæſtio ex eo habeatur; quòd ſervus heredis eſt. Sed ſpem ſuam retinebit. *l.* 8. § 1. PAUL. LIB. 2. DE ADULTER.

V I I I.

Maximè autem non debent tormentis ſubjici teſtes, quorum teſtimonium non admittitur.

Hinc docet Ulpianus, Ad Quæſtionem non eſſe provocandos eos quos accuſator de domo ſuâ produxit. *l.* 1. § 3. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

De minore quoque quatuordecim annis, in caput alterius Quæſtionem habendam non eſſe Divus Pius Cæcilio (*Florent.* Mæcilio. *Malè* : l. 10. *mox ſeq. ubi idem Reſcriptum refertur.*) reſcripſit: maximè cùm nullis extrinſecùs argumentis accuſatio impleatur. Nec tamen conſequens eſſe, ut etiam ſine tormentis eiſdem credatur. Nam ætas (inquit) quæ adversùs aſperitatem Quæſtionis eos interim tueri videtur, ſuſpectiores quoque eoſdem facit ad mentiendi facultatem. *l.* 15. § 1. CALLISTR. LIB. 5. DE COGNITION.

Et rursùs. De minore quatuordecim annis Quæſtio habenda non eſt; ut & Divus Pius Cæcilio-Jubentiano reſcripſit. *l.* 10. ARCADIUS (qui &) CHARISIUS LIB. SING. DE TESTIB.

I X.

Nota. Quemadmodum autem in Reorum perſonâ ceſſant immunitates certis caſibus, putà in crimine Majeſtatis; ita pariter in perſonâ teſtium.

Hinc addit Chariſius : Sed omnes omninò in Majeſtatis crimine, quod ad perſonas Principum (*d*) attinet; ſi ad teſtimonium provocentur, quum res exigit, torquentur. *d. l.* 10 1.

§ III.

In quibus cauſis Quæſtio habeatur.

X.

In criminalibus cauſis Quæſtioni locus eſt. Sed & Divus Pius reſcripſit; Poſſe de ſervis haberi Quæſtionem in pecuniariâ causâ, ſi aliter veritas inveniri non poſſit. Quod & aliis Reſcriptis cavetur.

Sed hoc ita eſt, ut non facilè in re pecuniariâ Quæſtio habeatur. Sed SI ALITER VERITAS INVENIRI NON POSSIT niſi per tormenta, licet habere Quæſtionem; ut & Divus Severus reſcripſit. Licet itaque & de ſervis alienis habere Quæſtionem, ſi ita res ſuadet. *l.* 9. MARCIAN. LIB. 2. DE JUDIC. PUBL.

Si in cauſis pecuniariis Quæſtio haberi poteſt; multò magis in causâ ſtatûs. Hinc Diocletianus & Maximianus. Super ſtatu ingenuitatis, per omnia interrogationum & Quæſtionum veſtigia decurrendum eſt: ne alienæ fortè ſordidæ ſtirpes, ſplendidis & ingenuis natalibus audeant ſubrogari: vel propria ac debita, per compoſitam Quæſtionem, quibus competit ſucceſſio denegetur. *l.* 9. *Cod. h. tit.*

ARTICULUS II.

Pro quo & adversùs quem quis Quæſtioni ſubjici poſſit.

§ I.

Exponitur regula, Servum aut libertum in caput domini aut patroni torqueri non poſſe.

X I.

Adversùs dominum Servus, nec ſi à domino ad tormenta offeratur, interrogandus eſt. *l.* 18. § 7. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Servos qui proprii indubitatè juris tui probabuntur, ad interrogationem nec offerente te produci ſineremus. Tantùm abeſt ut etiam invitâ te, contra dominam, vocem rumpere cogantur. *l.* 7. *Cod. h. tit.*

Sed nec libertum torqueri in patroni caput, conſtitutum eſt. *l.* 1. § 9. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

Nota porrò; Ex quibus cauſis Quæſtio de ſervis adversùs dominos haberi non debet, ex his cauſis ne quidem interrogationem valere. Et multò minùs indicia ſervorum contra dominos admittenda ſunt. *l.* 9. § 1. MARCIAN. LIB. 2. DE JUDIC. PUBL.

Item Severus Spicio-Antigono ita reſcripſit: « CUM » Quæſtio de ſervis contra dominos neque haberi de- » beat, neque ſi facta ſit, dicturi Sententiam conſi- » lium inſtruat; multominùs indicia ſervorum contra » dominos admittenda ſunt. » *ſup. d. l.* 1. § 16.

Idem de libertis dictum puta. Nam Nec debet initium probationum de domo rei accuſator ſumere; dum aut libertos ejus quem accuſat, aut ſervos in teſtimonium

(*a*) Id eſt, *Conditio* negotii ſeu cauſæ : putà ſi ſit cauſa MAJESTATIS. Nec enim paſſim in omnibus cauſis, talium perſonarum teſtimonium admittitur : ſuprà lib. 22. Tit. *de Teſtib.* N. 4.

(*b*) Statutæ libertatis.

(*c*) Non eſt quidem is ſtatuliber, ſed inſtar ſtatuliberi.

(*d*) Id eſt, ad perſonam & ſalutem Principis [*le crime de Léſe-Majeſté au premier chef*] : ut infrà N. 12. ex l. 1. Cod. h. tit. Quod autem dicitur eo caſu *Omnes* torqueri; intellige, etiam ingenuos, etiam honore claros : cæterùm impuberes, etiam in eâ causâ, torqueri ætas eorum non patitur; ſed habenâ duntaxat aut fœrulâ cædi ac terreri poterunt.

Source : BIU Cujas

vocat. *l.* 10. § 4. ARCADIUS (qui &) CHARISIUS LIB. SING. DE TESTIBUS.

His quæ diximus consonat quod Gordianus rescribit. Pridem placuit, domesticâ servorum seu libertorum propriorum vel maternorum interrogatione, in causis ad dominos vel patronos pertinentibus abstinendum esse; ut neque pro his neque adversùs eos in capitalibus vel pecuniariis Quæstionibus veritatis vim obtinere possit, quod in confessionem ab eis fuerit deductum. *l.* 6. *Cod. h. tit.*

XII.

Cæterùm Divus Hadrianus Calpurnio-Celeriano in hæc verba rescripsit: « Agricola Pompeii-Valentis » servus de se potest interrogari. Si dum Quæstio habetur, amplius dixerit (*v*); rei fuerit indicium, non » interrogationis culpa. » *l.* 1. § 22. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

An ergo quod servus dum de se interrogatur, dixit de domino, oneret dominum, quæritur? Varium hâc de re Jus fuit.

Enimverò Si servi quasi sceleris participes in se torqueantur, de-que domino aliquid fuerint confessi apud judicem; prout causa exegerit, ita pronuntiare eum debere Divus Trajanus rescripsit. Quo Rescripto ostenditur gravari dominos confessione servorum. Sed ab hoc Rescripto recessum, Constitutiones posteriores ostendunt. *d. l.* 1. § 19.

Nam Divus Antoninus & Divus Hadrianus Sennio-Sabino rescripserunt; Quum servi pariter cum domino aurum & argentum exportasse dicerentur, non esse de domino interrogandos: ne quidem si ultrò aliquid dixerint, obesse hoc domino. *d. l.* 1. § 5.

Consonat quod ait Paulus. Servo qui ultrò aliquid de domino confitetur, fides non accommodatur. Neque enim oportet salutem dominorum, servorum arbitrio committi. *l.* 18. § 5. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Hâc in re autem maximè notandum quod rescribunt Severus & Antoninus: Quæstionem de servis contra dominos haberi non oportet, exceptis adulterii criminibus, item fraudati censûs accusationibus, & crimine Majestatis quod ad salutem Principis pertinet. In cæteris autem quanquàm ea quæ servus contra dominum dixit, judicaturi sententiam formare non debeant; tamen si aliis quoque probationibus fines veritatis investigatur, præscriptionis invidia (*b*) evanescit. In pecuniariis verò causis, nec inopiâ (*c*) probationum servos contra dominum interrogari posse manifestum est. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

XIII.

Cùm servus nec torqueri nec interrogari, nec ultrò testari adversùs dominum possit; hinc sequitur quòd, Quoties quæritur an servi in caput domini interrogandi sint, priùs de eorum dominio oportet inquiri. *d. l.* 18. § 8.

Hinc Divi Fratres Leliano-Longino rescripserunt; De servo heredum non esse habendam Quæstionem in res hereditarias: quamvis suspectum fuisset quòd imaginariâ venditione dominium in eo quæsisse heres videretur. *l.* 1. § 6. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

Enimverò, et Si quis dicatur nullo jure emptus; non priùs torqueri poterit, quàm si constiterit venditionem non valuisse. Et ita Imperator noster cum Divo patre suo rescripsit. *d. l.* 1. § 15.

XIV.

Quæ hactenùs diximus; accipe & de eo qui vel pro parte dominus est. Nam Constitutione Imperatoris nostri & Divi Severi placuit, plurium servum in nullius caput torqueri posse. *l.* 3. ULP. LIB. 50. AD ED.

Excipe, nisi unus ex dominis de cæde alterius domini accusetur. l. 17. § 2. *infrà N.* 21.

XV.

Servos non solùm pro dominis sub quorum dominio sunt constituti, sed nec pro his quorum antea fuerunt, interrogari posse constat. *l.* 14. *Cod. h. tit.* DIOCLET. ET MAXIM.

Igitur Servus in caput ejus domini à quo distractus est, cui-que aliquando servivit, in memoriam prioris dominii interrogari non potest. *l.* 18. § 6. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Longè magis Quum quidam deponere pretium servi (*d*) paratus esset, ut servus torqueretur contra dominum; Imperator noster cum Divo patre suo id non admiserunt. *l.* 1. § 18. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

Item Etiamsi redhibitus fuerit servus; in caput emptoris non torquebitur. *l.* 11. PAUL. LIB. 2. DE OFF. PROCONS.

Simili ratione; De servo in metallum damnato Quæstionem contra eum qui dominus fuit, non esse habendum respondi. Nec ad rem pertinere, si ministrum se facinoris fuisse confiteatur. *l.* 17. § 3. PAPIN. LIB. 16. RESPONS.

Hæc ita, nisi quis ob suum facinus dominus esse desierit. Hinc Trajanus; Item Mummio-Lolliano rescripsit; Damnati servos, quia desierunt esse ipsius, posse in eum torqueri. *sup. d. l.* 1. § 12.

XVI.

Observandum domini loco esse bonæ fidei possessorem. Igitur Si servus bonâ fide mihi serviat, etiamsi dominium in eo non habui, potest dici torqueri eum in caput meum non debere. Idem est, & in libero homine qui bonâ fide servit. *d. l.* 1. § 8.

Hoc obtinet, etiam quum super eo servo possessor controversiam patitur. Nam Eum qui vindicanti servum cavit (*e*), domini loco habendum; & ideò in caput ejus servos torqueri non posse, Divus Pius in hæc verba rescripsit: « Causam tuam aliis probationibus » instituere debes. Nam de servis Quæstio haberi non » debet; cùm possessor hereditatis, qui petitori satisf- » det, interim domini loco habeatur. » *l.* 15. § 2. CALLISTR. LIB. 5. DE COGNIT.

XVII.

Potest quæri; an de servis filii castrensis peculii, in caput patris Quæstio haberi nam possit? nam patris non debere torqueri in filium, constitutum est. Et puto rectè dici, nec filii servos in caput patris esse interrogandos. *l.* 10. § 2. ARCADIUS (qui &) CHARISIUS LIB. SINGUL. DE TESTIB.

Item Insolitum est & grave exemplo, audiri servos adversùs tutores vel matrem dominorum suorum: nisi TUTELÆ agatur. *l.* 2. *Cod. h. tit.* SEVER. ET ANTON.

Cæterùm Servum mariti in caput uxoris posse torqueri, Divus Trajanus Servio-Quarto rescripsit. *l.* 1. § 11. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

Item Servum municipum posse in caput civium torqueri, sæpissimè rescriptum est: quia non sit illorum servus, sed Reipublicæ. Idemque in cæteris servis Corporum dicendum est; nec enim plurium servus videtur, sed Corporis. *d. l.* 1. § 7.

§ II.

Quas exceptiones patiatur hæc regula.

XVIII.

Quod diximus servos non posse torqueri in caput domini,

(*a*) Id est; si non solùm de se, sed & de domino facinoris participe, quid dixerit: hoc non vitiabit interrogationem, quasi culpa adversùs leges interrogationis commissa [*ce ne sera pas un défaut dans l'Interrogatoire*]; cùm de se tantùm, non de domino interrogatus fuerit: quamvis ex dicto servi, aliquando indicium ministretur ad detegendum an reverà dominus reus sit.

(*b*) Sensus est [ut Glossa interpretatur]: Quum aliundè quàm ex servorum testimoniis qui interrogati sunt, crimen probatum est; frustrà objicitur eos servos non debuisse Quæstioni subjici adversùs dominum.

(*c*) Hanc lectionem Basilica comprobant. Haloander legit *ex inopiâ*: quam lectionem probat Cujacius Observ. XX. 28. At in hujus suæ sententiæ argumentum frustrà adducit legem 7. ff. *de Testib.* cùm hæc lex de testimonio servi adversùs quoslibet, non adversùs dominum loquatur.

(*d*) Id est, redimere servum à domino.

(*e*) Jure Digestorum in judiciis IN REM, possessor conventus cavebat *Judicatum solvi*: ut vid. suprà lib. 46. Tit. *Judic. solvi.*

Source : BIU Cujas

quaſdem exceptiones patitur. Nam V. G. Qui ſervum ideò comparaverit (*a*) ne in ſe torqueretur, reſtituto pretio poterit interrogari. PAUL. SENT. LIB. 5. *tit.* 14. § 17.

Maximè verò : Sed & eum qui cognitionis ſuſceptæ tempore alienus fuit ; licèt poſtea rei ſit effectus, torqueri in caput poſſe (*b*) Divi Fratres reſcripſerunt. *ſup. d. l.* 1. § 24.

XIX.

Regula noſtra aliam exceptionem patitur ; ſi criminis ea ſit natura ut aliundè probari non poſſit.

Talis eſt ſpecies de quâ ita reſcribunt Gratianus, Valentinianus & Theodoſius. Si fortè mulier marito mortis paraſſe inſidias, vel quovis alio genere voluntatem occidendi habuiſſe inveniatur ; vel ſi fortè maritus eodem modo inſectetur uxorem ; in eâdem Quæſtione ab omni familiâ non ſolùm mariti, ſed etiam uxoris ſuæ (quæ tamen tunc temporis domi fuerit) quærendum eſt, ſine cujuſquam defenſione. *l.* 9. *Cod. Ad. L. Corn. de Sicar.*

XX.

In his criminibus in quibus ſervi deferentes dominos audiuntur, qualia ſunt crimina MAJESTATIS, FALSÆ MONETÆ, & ARCTIORIS ANNONÆ, *ut vid. ſuprà ſuis Titulis ; rectè etiam concludas poſſe eos in caput dominorum torqueri & interrogari. Et quidem de crimine Majeſtatis id expreſsè ſancitum. ſuprà vid. Tit.* Ad Legem Juliam. mrjeſt. *N.* 10.

Idem quoque & in causâ adulterii aut fraudati censûs obtinere, ſuprà obiter vid. N. 12. *ex Reſcripto Antonini.*

Hujus Juris, quod ad cenſum & tributa attinet, rationem ita tradit Ulpianus : In causâ tributorum, in quibus eſſe REIPUBLICÆ NERVOS nemini dubium eſt ; periculi quoque ratio, quod ſervo fraudis conſcio capitalem pœnam denuntiat, ejuſdem profeſſionem extruat. *l.* 1. § 20. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

De adulterio autem nota : Extrario quoque accuſante, ſervos in adulterii quæſtione contra dominum interrogari placuit. Quod Divus Marcus ac poſtea Maximus Princeps judicantes ſecuti ſunt. *l.* 17. PAPIN. LIB. 26. RESPONS.

Contrà verò : Sed & in quæſtione ſtupri, ſervi adversùs dominum non torquentur. *d. l.* 17. § 2.

Imò In inceſto (ut Papinianus reſpondit, & eſt recriſptum) ſervorum tormenta ceſſant : quia & Lex Julia ceſſat (*c*) DE adulteriis. *l.* 4. ULPIAN. LIB. 3. DISPUT.

Hoc ita ; niſi huic inceſto adulterium, aut ſtuprum (cum muliere honeſtâ ſcilicet) commixtum ſit.

Hinc Marcianus. Si quis viduam vel alii nuptam cognatam, cum quâ nuptias contrahere non poteſt, corruperit (*d*) in inſulam deportandus eſt : quia dupiex crimen eſt ; & inceſtum, quia cognatam violavit contra fas ; & adulterium vel ſtuprum adjungit. Denique hoc caſu, ſervi in perſonam (*Florent.* perſonâ.) domini torquentur. *l.* 5. MARCIAN. LIB. 2. INSTITUT.

§ III.

Enumerantur varii caſus, in quibus quæri poteſt an ſervi videri debeant necne In caput domini *torqueri.*

XXI.

Recenſuimus crimina in quibus contra communem regulam ſervorum teſtimonium contra dominos recipitur.

Obſervandum etiam eſt quod, quamvis ſervi contra dominos non interrogentur ; tamen Quoties de dominio mancipiorum tractatur, ſi aliis probationibus veritas illuminari non poſſit, de ſe ipſa eſſe cum tormentis interroganda Juris auctores probant. *l.* 12. *Cod. h. tit.* DIOCL. ET MAXIM.

Similiter quum de hereditate controverſia eſt, interrogantur ſervi hereditarii. Enimverò Hereditarii ſervi, quandiù incertum eſt ad quem bona pertineant, non poſſunt videri in caput domini torqueri. *l.* 2. ULP. LIB. 39. AD ED.

Hinc Quum de falſo teſtamento quæritur, hereditarii ſervi poſſunt torqueri. *l.* 6. § 1. PAPIN. LIB. 2. DE ADULTER.

Item Judex quum de fide generis inſtrui non poteſt, poterit de ſervis hereditariis habere Quæſtionem. *l.* 18. § 4. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Igitur De quæſtione ſuppoſiti partûs, vel ſi petat hereditatem [is] quem cæteri filii non eſſe fratrem ſuum contendunt ; Quæſtio de ſervis hereditariis habebitur ; quia non contra dominos cæteros filios, ſed pro ſucceſſione domini defuncti quæritur. Quod congruit ei quod Divus Hadrianus reſcripſit. Quum enim in ſocium cædis ſocius poſtularetur : de communi ſervo habendam Quæſtionem reſcripſit : quòd pro domino (*e*) ſore videtur. *l.* 27. § 2. PAPIN. LIB. 16. RESPONS.

Quòd ſi non de ipsâ hereditate lis ſit ; ſed inter duos qui ſe coheredes eſſe fatentur, quæretur an aliquod corpus ſit hereditarium necne : de eâ re ſervus hereditarius torqueri non poteſt ; cùm hoc caſu ſervus adversùs unum ex dominis certè torqueretur.

Sic rectè intelligit Salycetus Reſcriptum Diocletiani & Maximiani, ubi ita illi : Hoc quod placet, ſi de hereditate quæratur, hereditarios ſervos interrogari, tibi opitulari non poteſt. Ubi de dominio incertum eſt ; ad quem hereditas pertineat ; meritò per interrogationem hereditarii ſervi, ad veritatis indaginem pervenitur. Tu autem adſeverando ſervum communem eſſe, non dubitas portionem ad eum pertinere contra quem interrogari eum cupis. Quæ res Quæſtionem haberi ab eo non permittit, cùm nec communis ſervus adversùs dominum communem (qui non occidiſſe ſocium ſuum dicatur) interrogari poſſit. *l.* 13. *Cod. h. tit.*

Juſtinianus autem conſtituit ; ut, nullo diſcrimine ſecundùm anteriores Leges interpoſito, ſive de jure hereditatis moveatur inter heredes quæſtio, ſive de corporibus tantùm hereditariis, ſive de utroque eorum (id eſt, tam de Jure *quàm de* Corporibus) ; *ſervos de corporibus tantùm hereditariis interrogari liceret : eoſque tantummodò in Quæſtionem deduci*, qui res gerendas detinent (*f*) ; *ſive in ſervitute relicti ſunt ; ſive libertas eis relicta ſit.* l. fin. Cod. h. tit.

§ IV.

Quinam alii, præter ſervos & libertos, in caput aliorum torqueri non poſſint.

XXII.

Hactenùs de ſervis & libertis qui in caput domini aut patroni torqueri non poſſunt. Sed Nec fratrem quidem in fratris, Imperator noſter cum Divo patre reſcripſit : additâ ratione, quòd IN eum in quem quis invitus teſtimonium dicere non cogitur (*g*), in eum nec torqueri debet. *l.* 1. § 10. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

(*a*) Etiam ante motam accuſationem, quum ſuſpicaretur fore ut moveretur.

(*b*) Non dicitur in hâc ſpecie reſtituendem pretium. Jam enim ſuſceptâ cognitione, reus non debuit hoc mancipium comparare.

(*c*) Senſus eſt : quia Lex Julia DE ADULTERIIS, de ſolo crimine adulterii locuta eſt, ut in eo ſervi in caput domini torquerentur ; *ceſſat* verò, ſeu tacet de eâ re, circa crimen Inceſti.

(*d*) Ex hoc verbo intelligitur quomodo inceſtum à ſtupro ſeparari queat ; ſi quis V. G. cognatam quidem ſuam, ſed corruptam aut aliàs turpem, cognoverit.

(*e*) Potiùs quàm contra dominum, proindèque *In caput domini* non torquetur.

(*f*) Id eſt, qui notitiam habent rerum dominicarum quas geſſerunt ; [*& qui en retiennent les Mémoires*].

(*g*) Quinam illi ſint, vide ſuprà lib. 22. Tit. *de Teſtib.* N. 21.

Source : BIU Cujas

XXIII.

Item, generaliter; Is qui de ſe confeſſus (*a*) eſt, in caput aliorum non torquebitur: ut Divus Pius reſcripſit. *l.* 16. § 1. MODESTIN. LIB. 3. DE PŒNIS.

Paulus optimam hanc hujus Juris addit rationem: Qui de ſe confeſſus eſt, in alium torqueri non poteſt; ne alienam ſalutem in dubium deducat, qui de ſuâ (*b*) deſperavit. PAUL. SENT. LIB. I. *tit.* 20. § 7.

Addunt & aliam rationem Honorius & Theodoſius qui hoc Jus confirmant. Nemo de proprio crimine confitentem ſuper conſcientiâ ſcrutetur alienâ; *ne fortè confeſſus ſibi blandiatur, vel quaſi* inimici ſupplicio in ipsâ ſupremorum ſuorum ſorte ſatiandus, aut eripi ſe poſſe confidens aut ſtudio aut privilegio nominati. *l.* 17. *Cod.* de Accuſat.

XXIV.

Priuſquàm autem reus ultrò de ſe confeſſus ſit; Si ſuſpicione aliquâ reus urgeatur; adhibitis tormentis, de ſociis & ſceleribus ſuis confiteri compellitur. PAUL. SENT. LIB. 5. *tit.* 14.

ARTICULUS III.

Quando ad Quæſtionem deveniendum ſit.

XXV.

In criminibus eruendis Quæſtio adhiberi ſolet: ſed quando vel quatenùs id faciendum ſit, videamus.

Et non eſſe à tormentis incipiendum, & Divus Auguſtus conſtituit; neque adeò fidem Quæſtioni adhibendam. *l.* 1. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

Sed & epiſtolâ Divi Hadriani ad Sennium-Sabinum continetur. Verba Reſcripti ita ſe habent: «AD » tormenta ſervorum ita veniri oportet, quum ſuſpec» tus eſt reus; & aliis argumentis ita probationi ad» movetur (*c*), ut ſola confeſſio ſervorum deeſſe videa» tur. » *d. l.* 1. § 1.

Igitur In eâ causâ in quâ nullis reus argumentis urgebatur, tormenta non facilè adhibenda ſunt. Sed inſtandum accuſatori; ut id quod intendat, comprobet atque convincat. *l.* 18. § 2. PAUL. LIB. 5. SENT.

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Sicut falſi teſtamenti vel codicillorum ſcriptura, temporis intervallo firmari non poteſt; ita vera quæ jure ſubſiſtit, non evaneſcit. Si itaque de fide delicti vel per accuſationem, vel per privatum judicium quereris: Rector provinciæ tunc demùm eos exhiberi, de quibus interrogatio fieri poteſt, jubebit; ſi priùs cæteris indiciis fuerit commotus. *l.* 17. *Cod. Ad L. Corn. de falſ.*

XXVI.

Non eſt autem ſufficiens probatio quæ ex unius teſtimonio eruitur, ut Quæſtioni locus ſit.

Ita docet Paulus (*d*). Maritus quidam heres uxoris ſuæ, petebat à Suro pecuniam quam apud eum depoſuiſſe defunctam ſe abſente dicebat; & in eam rem unum teſtem liberti ſui filium produxerat. Apud Procuratorem deſideraverat, & Quæſtionem habere de ancillâ. Surus negabat ſe accepiſſe, & teſtimonium non oportere unius hominis admitti; nec ſolere à Quæſtionibus incipi, etſi aliena eſſet ancilla. Procurator Quæſtionem de ancillâ habuerat. Quum ex appellatione cognoviſſet Imperator; pronuntiavit, Quæſtione illicitâ habitâ unius teſtimonio non eſſe credendum: ideòque rectè provocatum. *l.* 20. PAUL. LIB. 3. DECRETOR.

XXVII.

Vidimus ad Quæſtionem ſervorum deveniendum non eſſe, donec graviſſimis indiciis inſtruxerit ſuam accuſationem accuſator. Multòminùs, antequàm eam inſtituerit.

Hinc Marcianus. Si quis adulterium à ſervo ſuo commiſſum dicat, in eam quam uxorem habuit; Divus Pius reſcripſit, Accuſare potiùs mulierem eum debere, quàm in præjudicium ejus ſervum ſuum torquere. *l.* 33. *ff. Ad. L. Jul. de adult.* MARCIAN. LIB. 1. DE PUBL. JUDIC.

XXVIII.

Hactenùs de Quæſtione teſtium; quam interdum ſequitur Quæſtio de ipſo reo. Nam Imperator Antoninus quum cognitionaliter audiſſet, dixit:

Primùm ſervi alieni interrogabuntur. Si præſtita fuerint ex tanto ſcelere argumenta, ut videantur accidere ad veriſimilia cauſæ crimina; ipſa quoque mulier torquebitur: neque enim ægrè feret, ſi torqueatur quæ venenis ſuis viſcera hominis extinxit. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

XXIX.

Maximè autem, etiam Si quis ſervos crediderit accuſandos, non priùs ad corporum tormenta veniatur, quàm ſe vinculo ſubſcriptionis adſtrinxerit. *l.* 13. *Cod. de Accuſat.*

His tamen caſibus quibus quis ſine accuſatore damnari poteſt, iiſdem & torqueri poterit. Cæterùm Qui ſine accuſatoribus in cuſtodiam recepti ſunt. Quæſtio de his habenda non eſt; niſi aliquibus ſuſpicionibus urgeantur. *l.* 22. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

ARTICULUS IV.

Quæ in Quæſtione adhibendâ obſerventur.

§ I.

Quid prævium ſit Quæſtioni; quinam huic intereſſe debeant, & quomodo interrogandi teſtes.

XXX.

Quæſtioni, quum de ſervo habetur, prævium eſt ut de hujus pretio domino caveatur.

Nam demùm Certo pretio ſervum æſtimatum in Quæſtionem dari, interpoſitâ ſtipulatione, receptum eſt. *l.* 13. MODEST. LIB. 5. REGUL.

XXXI.

Dum teſtes torquentur, Quæſtioni intereſſe jubentur reus rea-ve, & patroni eorum, & qui crimen detulerit; interrogandique facultas datur patronis. *l.* 27. § 7. *ff. Ad L. Jul. de Adulter.* ULPIAN. LIB. 3. DE ADULTER.

XXXII.

Qui Quæſtionem habiturus eſt, non debet ſpecialiter interrogare an LUCIUS-TITIUS homicidium fecerit; ſed generaliter QUIS id fecerit. Alterum enim magis ſuggerentis quàm requirentis videtur. Et ita Divus Trajanus reſcripſit. *l.* 1. § 21. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

§ II.

A quo incipiendum ſit, quum à pluribus reis habenda eſt Quæſtio.

XXXIII.

Divus Hadrianus Claudio-Quartino reſcripſit. Quo Reſcripto illud expreſſit, à ſuſpectiſſimo incipiendum, & à quo facillimè poſſe verum ſcire judex crediderit. *d. l.* 1. § 2.

(*a*) *Ultrò*; ut limitat Wiſſenbachius. Et ſic conciliatur cum Sententia Pauli mox infrà N. ſeq. item cum l. 29. ¶ fin. ff. *de Pœnis*, & aliis paſſim textibus: ubi ex confeſſis etiam & damnatis in alios Quæſtio habetur.

(*b*) Timendum ſcilicet ne tam facilè alios oneret, quàm de ſe facilè confeſſus eſt.

(*c*) Imperſonaliter; *On approche tellement de la preuve, que &c.*

(*d*) Malè hanc legem interpretatur Gloſſa. Rectiùs Cujacius ad l. 3. Cod. *de Reb. cred.* Cujus interpretationem ſecuti ſumus.

Hinc

Source : BIU Cujas

Hinc V. G. Unius facinoris plurimi rei ita audiendi ſunt, ut ab eo primùm incipiatur qui timidior eſt, vel teneræ ætatis videtur. *l.* 18. PAUL. LIB. 5. SENT.

§ III.

Quæ tormentorum ſpecies potiſſimùm in Quæſtionibus adhiberetur, & quis eorum modus.

XXXIV.

Notiſſima tormentorum quæ in Quæſtionibus adhibebantur ſpecies, EQUULEUS. *Hunc ita deſcribit Sigonius; ex quo Auctore eruditiſſimo, ferè omnia Antiquitatum monumenta quæ ad hanc in toto hoc libro de judiciis publicis tractationem pertinent excerpſimus.*

ECULEUS, *inquit, cataſta* (*a*) *fuit lignea; cochleata* (*b*), *ad intendendum ac remittendum apta. Ubi cataſtæ huic brachia pedeſque ejus qui torquendus erat, alligaverant, nervis quibuſdam quæ* FIDICULÆ *dicebantur: tum cataſtâ intentâ atque in altum erectâ, ut indè quaſi ex cruce quâdam miſer penderet; primùm compagem ipſam oſſium divellebant* (*c*), *deindè candentibus ejus corpori laminis admotis, atque biſulcis ungulis ferreis latera laniantes* (*d*), *doloris acerbitatem augebant.*

Huic equulei tormento non ſolùm reos, ſed & ſervos qui in teſtimonium adhibebantur, ſubjectos fuiſſe liquet ex illo Ciceronis loco pro Dejotar. *n.* 1. « *Exortus eſt ſervus; qui, quem* » *in eculeo appellare non poſſet, eum accuſat ſolutus.* »

XXXV.

Modus in his tormentis adhibendus erat.

Tormenta autem adhibenda ſunt, non quanta accuſator poſtulat, ſed ut moderatæ rationis temperamenta deſiderant. *l.* 10. § 3. ARCADIUS (qui &) CHARIS. LIB. SING. DE TESTIBUS.

Hunc Quæſtionis modum, magis eſt judices arbitrari oportere: ita-que Quæſtionem habere oportet, ut ſervus ſalvus ſit vel innocentiæ vel ſupplicio. *l.* 7. ULP. LIB. 3. DE ADULTER.

§ IV.

An repeti poſſit Quæſtio.

XXXVI.

Repeti poſſe Quæſtionem Divi Fratres reſcripſerunt. *l.* 16. MODEST. LIB. 3. DE PŒNIS.

Neque novum Jus hoc Reſcripto continetur. Refert Valerius-Max. VIII. 42. *Alexandrum quemdam Fannii ſervum, cædis Equitis Romani reum,* SEXIES tortum *nec confeſſum, à judicibus damnatum.*

Igitur Reus evidentioribus argumentis oppreſſus, repeti in Quæſtionem poteſt; maximè ſi in tormenta animum corpuſque duraverit. *l.* 18. § 1. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

ARTICULUS V.

Quid fiat de ſervis poſtquàm teſtimonii cauſâ torti ſunt.

XXXVII.

Servi extraneorum poſtquàm torti ſunt dominis ſuis reddantur. In criminibus autem in quibus familia rei in caput domini torquetur, ut in crimine adulterii; Jubet Lex eos homines de quibus Quæſtio ita habita eſt, publicos eſſe.

Proindè in communi partem publicamus; in proprio, cui jus uſusfructus alienus eſt, nudam proprietatem; in quo tantùm uſumfructum habuit reus, magis eſt ut perceptio uſusfructûs ad publicum incipiat pertinere. Alienum ſervum utique non publicabimus.

Ratio autem publicandorum ſervorum ea eſt, ut ſine ullo metu verum dicant; & ne, dum timeant ſe in reorum poteſtatem regreſſuros, obdurent in Quæſtione. *l.* 27. § 11. *ff. Ad L. Jul. de adult.* ULPIAN. LIB. 3. DE ADULTER.

Sed etſi negaverint, nihilominùs publicantur: ratio enim adhuc eadem eſt, ne, dum hi ſperant ſe in poteſtatem dominorum reverſuros, ſi negaverint, ſpe meriti collocandi in mendacio perſeverent. *d. l.* 27. § 13.

Non tamen priùs publicantur, quàm Quæſtio de illis habita fuerit. *d. l.* 27. § 12.

Sed & ſervi accuſatoris, ſi de his Quæſtio habita ſit, publicentur: ejus enim ſervi, ne mentiantur, meritò à dominio ejus recedunt.

Extranei verò non habent cui gratificentur. *d. l.* 27. § 14.

XXXVIII.

Obſervandum quòd ſervis rei tortis, Si reus vel rea abſoluti fuerint, æſtimari per judices Lex damnum voluit; ſive mortui fuerint, quantæ pecuniæ ante Quæſtionem fuerint; ſive vivent, quantæ pecuniæ in his damnum datum fuerit factum-ve (*e*) eſſet. *d. l.* 17. § 15.

Conſonat quod ait Papinianus. Patre, vel marito, de adulterio agente; & poſtulantibus, de ſervis rei ut Quæſtio habeatur: ſi verè causâ peroratâ, teſtibus prolatis, abſolutio ſecuta fuerit; mancipiorum quæ mortua ſunt æſtimatio habetur; ſecutâ verò damnatione, quæ ſuperſunt (*f*), publicantur. *l.* 5. PAPIN. LIB. 2. DE ADULTER.

Notandum eſt quod Capite quidem nono cavetur; ſi ſervus adulterii accuſetur, & accuſator Quæſtionem in eo haberi velit, duplum pretium domino præſtari Lex jubet: at hîc (*g*) ſimplum. *ſup. d. l.* 27. § *fin. ff. Ad L. Jul. de Adulter.*

Quod ex his cauſis debetur, per Condictionem quæ EX LEGE deſcendit, petitur. *l.* 28. *ff. d. tit.* MARC. LIB. 1. DE JUDIC. PUBLIC.

ARTICULUS VI.

Quam fidem faciat Quæſtio.

XXXIX.

Divi Fratres Cornelio-Proculo reſcripſerunt; Non utique in ſervi unius Quæſtione fidem rei conſtituendam, ſed argumentis cauſam examinandam. *l.* 1. § 4. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

Generaliter autem Quæſtioni fidem, non ſemper, nec tamen nunquam habendam, Conſtitutionibus declaratur. Etenim res eſt fragilis & periculoſa, & quæ

(*a*) CATASTA, machina tormentaria [vulgò *Travail*]: quæ cùm *lignea* eſſet, indè eam Prudentius in hymno Sancti Vincentii, *Noxialem ſtipitem* appellat.

(*b*) Hinc vetus Poeta apud Nonium I. 12. *Ubi inſilui in* COCHLEATUM *Eculeum, ibi tolutim tortor.* TOLUTIM autem veteri vocabulo *dicitur, quaſi volutim vel volubiliter.* ibid.

(*c*) Prudentius loco ſuprà laudato:

Vinctum retortis brachiis
Sursùm ac deorsùm extendite;
Compago donec oſſium
Divulſa membratim crepet.

(*d*) Prudentius ibid.

Extorque, ſi potes, fidem.
Tormenta, carcer, ungulæ,
Strideníque flammis lamina. . . .

Et in hymno *Sti* Romani:

Sponte nudas offerens
Coſtas biſulcis exſecandas ungulis.

(*e*) Cùm reus à fiſco cui addicuntur ſervi, duntaxat conſequatur id quanti poſt Quæſtionem valent: neceſſe eſt reum, ut indemnis ſit, inſuper ab accuſatore conſequi id quanti per Quæſtionem deteriores facti ſint.

(*f*) Nullâ eo caſu habitâ æſtimatione, quia hoc caſu nil reo reſtituendum eſt.

(*g*) Quum ſervus de quo Quæſtio habita eſt, ipſe reus erat, & abſolutus eſt, duplum domino præſtandum ab accuſatore in pœnam calumniæ: ut vid. ſuprà Tit. *ad SC. Turpill.* N. 8. Quum ſervus, non ut reus, ſed ut teſtis tortus eſt; putà in crimine adulterii: accuſator qui ſuccubuit, ſimplum duntaxat præſtat; ut modò ſuprà dictum eſt.

Source : BIU Cujas

veritatem fallat (*a*). Nam plerique patientiâ, ſive duritiâ tormentorum, ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo poſſit. Alii tantâ ſunt impatientiâ, ut quodvis mentiri quàm pati tormenta velint. Ita fit, ut etiam vario modo fateantur; ut non tantùm ſe, verùm etiam alios comminentur (*Vulg.* criminentur). *d. l.* 1. § 23.

Præterea inimicorum Quæſtioni fides haberi non debet; quia facilè mentiuntur. Nec tamen ſub prætextu inimicitiarum, detrahenda erit fides Quæſtionis. *l.* 1. § 24. ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

Causâque cognitâ habenda fides, aut non habenda. *d. l.* 1. § 25.

X L.

Quum quis latrones tradidit; quibuſdam Reſcriptis continetur, non debere fidem haberi eis in eos qui eos tradiderunt. Quibuſdam verò quæ ſunt pleniora, hoc cavetur; ut neque deſtrictè non habeatur (*b*) ut in cæterorum perſona ſolet, ſed causâ cognitâ æſtimetur habenda fides ſit necne. Plerique enim, dum metuunt ne fortè adprehenſi eos nominent, prodere eos ſolent; ſcilicet impunitatem ſibi captantes, quia non facilè eis indicantibus proditores ſuos creditur. Sed neque paſſim impunitas eis per hujuſmodi proditiones concedenda eſt; neque tranſmittenda (*c*) allegatio dicentium, idcircò ſe oneratos quòd eos ipſi tradidiſſent. Neque enim invalidum argumentum haberi debet mendacii, ſive calumniæ in ſe inſtructæ. *d. l.* 1. § 26.

Sicuti convictis confeſſiſque, ad ſocietatem ſcelerum vocantibns eos à quibus adprehenſi cuſtoditi-ve ſunt, facilè credi non oportet; ita ſi evidentibus rationibùs poſt commiſſum communiter facinus ad evitandam de ſe Sententiam id feciſſe fuerint probati, publicæ vindictæ non ſunt ſubtrahendi. *l.* 4. *Cod. h. tit.* ANTONIN.

X L I.

Denique circa fidem Quæſtionis obſervandum eſt quòd Plurimum quoque in excutienda veritate, etiam vox ipſa & cognitionis ſubtilis diligentia adfert. Nam & ex ſermone; & ex eo quâ quis conſtantiâ, quâ trepidatione quid diceret, vel cujus exiſtimationis quiſque in civitate ſuâ eſt; quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt. *l.* 10. § 5. ARCADIUS [qui &] CHARISIUS LIB. SINGUL. DE TESTIB.

(*a*) Inſigne exemplum apud Tacitum *Ann.* XV. 56. de quodam Antonio-Natali; qui equuleo impoſitus, præ tormentorum metu innocentiſſimum virum Annæum-Senecam falsò inſimulavit quaſi conjurationis conſcium.

(*b*) Senſus eſt: ut judex non pro ſtrictâ regulâ & à quâ recedi non liceat, obſervandum putet *ut* fides eis *non habeatur*; [quemadmodum *ſolet in cæterorum* inimicorum *perſonâ* obſervari ut non admittantur eorum teſtimonia]; ſed pro circumſtantiis, *causâ cognitâ*, &c.

(*c*) Id eſt: & contrà, non prorsùs omittenda & reſpuenda.

TITULUS XIX.

DE PŒNIS.

Titulo de Quæſtionibus meritò ſubjicitur hîc Titulus DE PŒNIS; *quia nempè is finis Quæſtionum erat, ut reo convicto certa Pœna poſſet irrogari.*

I.

In veteribus Legibus, quod hodie PŒNAM *appellamus, etiam appellabatur* FRAUS: *ut paſſim vidimus in XII Tabulis,* SE FRAUDE; *id eſt, ſine pœnâ, impunè. Nunc autem* Aliud FRAUS eſt, aliud PŒNA. Fraus enim ſine Pœnâ eſſe poteſt; Pœna ſine fraude eſſe non poteſt. PŒNA eſt noxæ vindicta, FRAUS & ipſa noxa dicitur, & quaſi Pœnæ quædam præparatio. *l.* 131. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 3. AD JUL. ET PAP.

Quæ in hoc Titulo traduntur, tribus Sectionibus diſtribuemus. 1ª. *Sectio erit de diverſis Pœnis quæ irrogari ſolent, necnon de ſingularum Pœnarum naturâ & poteſtate:* 2ª. *De officio judicis in irrogandâ Pœnâ:* 3ª. *De Pœnâ quæ ſemel irrogata per Sententiam fuit, non retractandâ, ſed executioni mandandâ.*

SECTIO I.

De diverſis Pœnis quæ irrogari ſolent necne, & de earum naturâ & poteſtate.

II.

Sic vulgò dividuntur Pœnæ; ut aliæ vitam adimant, aliæ exiſtimationem vel minuant vel etiam omninò conſumant.

Exiſtimatio eſt dignitatis inlæſæ ſtatus, Legibus ac moribus comprobatus; qui ex delicto noſtro, auctoritate Legum, aut minuitur aut conſumitur. *l.* 5. § 1. *ff. de Extraord. cognit.* CALLISTR. LIB. 1. DE COGNIT.

MINUITUR exiſtimatio; quotiens manente libertate, circa ſtatum dignitatis Pœnâ plectimur: ſicuti quum relegatur quis, vel quum Ordine movetur, vel quum prohibetur honoribus publicis fungi, vel quum plebeius fuſtibus cæditur (*a*), vel in opus publicum (*b*) datur; vel quum in eam cauſam quis incidit, quæ Edicto Perpetuo infamiæ causâ enumeratur. *d. l.* 5. § 2.

CONSUMITUR verò, quotiens magna capitis minutio intervenit (*c*), id eſt quum libertas adimitur; veluti quum aquâ & igni interdicitur; quæ (*d*) in perſonâ deportatorum evenit (*Florent.* venit.) vel quum plebeius in opus metalli, vel in metallum datur: nihil enim refert, nec diverſa Pœna eſt, OPERIS, & METALLI; niſi quòd refugæ operis, non morte, ſed Pœnâ metalli ſubjiciuntur. *d. l.* 5. § 3.

III.

Notiſſima autem & generaliter diviſio Pœnarum, in Capitales, & Non capitales.

CAPITALES *ſunt quæ vitam naturalem aut civilem adimunt;* NON CAPITALES, *quæ damnatum non minuunt capite.*

Has omnes ita breviter complectitur Ulpianus: Nunc genera Pœnarum nobis enumeranda ſunt, quibus Præſides adficere quemque poſſint.

Et ſunt Pœnæ quæ aut vitam adimant, aut ſervitutem injungant, aut civitatem auferant; aut exilium (*e*), aut coercitionem corporis contineant; *l.* 6. § 2. ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

Aut damnum cum infamiâ, aut dignitatis aliquam depoſitionem, aut alicujus actûs prohibitionem. *l.* 8. ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

(*a*) Scilicet ex eâ causâ quæ infamiam irrogat. Nam per ſe ictus fuſtium non infamant: ut vid. ſuprà lib. 3. Tit. *de His qui not. infam.* N. 25.

(*b*) Cave confundas cum *Opere metalli*, de quo mox infrà.

(*c*) *Magna capitis diminutio* hîc appellatur, tam media quàm maxima: item *Libertas* dicitur, non ſolùm naturalis & Juris gentium, quæ per maximam capitis minutionem amittitur; ſed etiam civilis ſeu Quiritium, quæ per mediam tollitur diminutionem capitis, naturali licèt libertate retentâ. Ita Cujacius *Obſerv.* III. 29. Duarenus *Diſput.* I. 9. & alii.

(*d*) Id eſt, quæ capitis minutio contingit etiam in perſonâ deportatorum.

(*e*) Hîc intellige relegationem.

Source : BIU Cujas

Harum tres priores ſpecies, Capitales ſunt; cæteræ, non capitales.

De his omnibus ſigillatim agendum. Cùm autem ſervus non habeat caput Jure civili, pauca ſubjicienda erunt & de Pœnis ſervorum.

ARTICULUS I.

De Pœnis capitalibus.

I V.

Rei capitalis damnatum ſic accipere debemus; ex quâ causâ damnato, vel mors, vel etiam civitatis amiſſio, vel ſervitus, contingit. *l.* 2. ULP. LIB. 48. AD ED.

Et Capitalium Pœnarum ferè iſti gradus ſunt.

SUMMUM SUPPLICIUM eſſe videtur, ad furcam (*a*) damnatio: item vivi crematio; quod quanquam ſummi ſupplicii appellatione meritò contineretur, tamen (eo quòd poſtea id genus Pœnæ adinventum eſt) poſterius primo viſum eſt: item capitis amputatio.

Deinde proxima morti Pœna, metalli coercitio.

Poſt deinde, in inſulam deportatio. *l.* 28. CALLISTR. LIB. 6. DE COGNITION.

§ I.

De ultimo ſupplicio; & quo ſupplicii genere mors civibus poſſit inſligi necne.

V.

Ultimum ſupplicium eſſe mortem ſolam interpretamur. *l.* 21. CELSUS LIB. 37. DIGEST.

Apud Romanos antiquiſſimis temporibus, hæ ultimi ſupplicii ſpecies erant.

1°. SUSPENDIUM *in arbore infelici. Hujus ſupplicii mentionem videmus jam ſub Rege Tullo-Hoſtilio; in Lege quâ creati Duumviri, qui Horatio propter cædem ſororis perduellionem judicarent. Ita autem Lex ſcripta erat:* DUUM » VIRI *perduellionem judicent. Si à Duumviris provocavit,* » *provocatione certato; ſi vincent, caput obnubito, infelici* » *arbori reſte ſuſpendito.* » *Liv. I.* 26.

Erant autem INFELICES ARBORES, *damnatæque religione; quæ nec ſeruntur, nec fructum ferunt: quales, Populus, Alnus, Ulnus. Plin.* Hiſt. nat. *lib.* 26.

Hanc animadverſionem præcedebat verberatio, ut patet ex eodem loco Livii: « *I, lictor, colliga manus;* VER- » BERATO *vel intra Pomœrium vel extra Pomœrium, caput* » *obnubito, &c.*

2°. FURCA, *quæ eadem ferè Pœna fuiſſe videtur ac ſuperior. Alio nomine dicitur* PATIBULUM. *Hanc præcedebat quoque verberatio: ut teſtatur Cicero* (de Divinat. 126.) *de ſervo quodam, qui per circum, quum* VIRGIS *cæderetur furcam ferens, ductus eſt.*

3°. CRUX, *cujus gravior Pœna quàm patibuli:* « *Nam* » PATIBULUM *appenſos ſtatim exanimat,* CRUX *autem* » *ſuffixos diù cruciat:* » *inquit Iſidorus* Orig. *V.* 27. *Hoc ſupplicium interdum in carcere ſumendum Triumviro Capitali committebatur: ut refert Valerius Max. VIII.* 4. 2. *de Alexandro quodam Fannii ſervo; qui ſexies tortus, & à judicibus damnatus, à L. Calpurnio Triumviro in crucem actus eſt. Sed etiam foràs hoc ſupplicium quandoque ſumebatur, ad ſummam ignominiam: undè Cicero* pro Rabit. *n.* 4. & 10. *queritur quòd Labienus, adversùs quem defenſionem Rabirii ſuſcipit, in Campo Martio crucem ad ſupplicium civium defigi jubeat.*

4°. PRÆCIPITATIO. *Hæc Pœna jam in uſu fuit ſub Romulo: qui (teſte Dionyſio-Halicarn. lib.* 2.) *cives non obſcuros latrocinii convictos è rupe dejici juſſit. Poſtea hanc Pœnam ſtatuit Lex XII Tabularum, in eos qui falſum teſtimonium dixiſſent: item in ſervos furti manifeſti convictos, de quâ re vide quæ diximus ad Tab. II. cap.* 4. & *Tab. VII. cap.* 10. *Manlius quoque criminis affectati regni condemnatus, è rupe Tarpeiâ præcipitatus eſt: apud Livium VI.* 20.

Hujus Pœnæ meminit etiam Appianus de Bello civ. *lib. III. ubi refert; ortâ ſeditione, occaſione alicujus Amatii (qui quum aram Cæſari in loco ubi crematus erat, poſuiſſet, plebemque contra Senatum concitaſſet, indictâ causâ necatus eſt) quoſdam ex ſeditioſis comprehenſos; ex quibus quotquot ſervi erant, ſuſpenſos fuiſſe; ingenuos verò è rupe præcipitatos. Refert pariter Cicero* Philipp. *I.* & ad Attic. *XIII. Dolabellam in ſervos & nefarios liberos, cruce & ſaxo animadvertiſſe.*

Præcipitatio igitur fiebat ex rupe Turpeiâ, ut adhuc ex Cellio diſcimus Noct. Attic. *XX.* 1. *Fiebat tamen interdum & ex illo carceris loco qui* ROBUS *dicebatur: ut de familiâ Gracchorum refert Valerius-Max.*

5°. DECOLLATIO. *Hâc Pœnâ affecti nobiles illi adoleſcentes qui de Tarquinio reducendo conſpiraverant. De quibus ita Livius II.* 5. « STABANT *deligati ad palum, nobiliſſimi* » *Juvenes. ... Conſules in ſedem proceſſere ſuam: miſſique* » *lictores ad ſumendum ſupplicium, nudatos virgis cædunt,* » *ſecurique feriunt.* » *Idem de Campanis refertur apud* » *eumdem Livium XXV.* 15.

6°. STRANGULATIO IN CARCERE. *Hanc Pœnam Prætor exequendam committebat Triumviris, penès quos cura & ſumma carceris erat. Inſigne eam in rem teſtimonium, ſimul & exemplum pietatis in parentes, apud Valerium-Max. V.* 4. 7. *ubi mulierem quamdam damnatam Prætor Triumviro necandam in carcere tradiderat: quum autem cuſtos carceris eam miſericordiâ motus non protinùs ſtrangulaſſet, putans ineliâ facilè perituram; hæc lacte filiæ ſuæ (cui diligenter priùs excuſſæ aditus ad ipſam permittebatur) deprehenſa ſuſtentari, Pœnæ remiſſionem meruit. Salluſtius quoque refert Lentulo Catilinæ conjurationis ſocio, in eâ parte carceris quæ* TULLIANUM *dicitur, judices capitalium rerum (quibus præceptum erat) laqueo gulam fregiſſe.*

7°. FUSTIGATIO USQUE AD INTERNECIONEM: *quæ Pœna fuit famoſorum carminum ex Lege XII Tabularum. De quâ vide quæ diximus ad Tab. VII. cap.* 7.

8°. *Fuit & Pœna* CULEI, *de quâ diximus ad eamdem Tab. VII. cap.* 12.

V I.

Anno U. C. 654. *Lex* PORCIA *à M. Porcio-Catone Tribuno plebis lata, Valerio & Apuluio Coſſ. Cives Romanos ab his Pœnis vindicaverat; ſub graviſſimâ Pœnâ prohibens ne quis Magiſtratus Civem Romanum virgis verberaret aut necaret, ſed damnato exilium permitteret:* Liv. *lib.* 10. *Cicero* pro Rabir. *Salluſt. in* Catill. *Sed hæc Lex vergente republicâ, minùs obſervari cœpit; & ſub Imperatoribus exolevit.*

Sub his igitur, & Jure Pandectarum, ut ſuprà vid. N. 4. Summa ſupplicia ſunt, Crux, Crematio, Decollatio. PAUL. SENT. LIB. 5. *tit.* 14. § 19.

CRUCI *autem ſubſtituit Conſtantinus* Furcam, *ut ibidem notatum eſt; Not.* (*a*).

Item Capitis Pœna eſt, beſtiis objici, vel alias ſimiles Pœnas, pati, vel animadverti (*a*). *l.* 11. § 3. MARC. LIB. 2. DE PUBLIC. JUDIC.

Hoc quoque ultimi ſupplicii genus Imperatores Titus & Trajanus delatoribus inflixerunt; ut vetuſtiſſimæ navi impoſiti, mari ac ventis committerentur: Sueton. in TITO *n.* 28. *Plin.* Panegir. *n.* 34. *Quam Pœnam minitabatur & Julius-Cæſar militibus ſuis: Sueton. in* JULIO *n.* 66. *Verùm extra ordinem hoc ſupplicium decretum eſt, nec inter ordinarias Pœnas referendum.*

V I I.

Vidimus quibus modis vita fontibus adimatur. Ex Ulpiano autem diſcimus, quibus modis adimi non debeat. Ita ille:

(*a*) Calliſtratus ſcripſerat *Crucem.* Tribonianus *Furcam* ſubſtituit, quia Conſtantinus ſupplicium crucis abrogaverat.

(*b*) Gladio.

Source : BIU Cujas

Vita adimitur, ut putà ſi damnatur aliquis ut GLADIO in eum animadvertatur. Sed animadverti gladio oportet, non ſecuri (*a*) vel telo, vel fuſti, vel laqueo, vel quo alio modo. Proindè nec liberam mortis facultatem concedendi Præſides habent, multò magis vel veneno necandi. Divi tamen Fratres reſcripſerunt (*b*), permittentes liberam mortis facultatem. *l.* 8. § 1. ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

Nec eâ quidem Pœnâ damnari quem oportet, ut verberibus necetur, vel virgis interimatur, nec tormentis; quamvis plerique dum torquentur, deficere ſolent. *d. l.* 8. § 3.

Item Non poteſt quis ſic damnari, ut de ſaxo præcipitetur. *l.* 25. § 1. MODESTIN. LIB. 12. PANDECT.

Non etiam, ne utatur neceſſariis impenſis (*c*). *l.* 10. *ff. de Interd. & relegat.* MARCIAN. LIB. (*Vide infrà ad calcem N.* 14.)

VIII.

Hoc autem omnibus quas enumeravimus ultimi ſupplicii generibus commune eſt; quòd, Qui ultimo ſupplicio damnantur ſtatim & civitatem & libertatem perdunt. Itaque præoccupat hic caſus mortem, & nonnunquam longum tempus occupat. Quod accidit in perſonis eorum qui ad beſtias damnantur. Sæpè etiam ideò ſervari ſolent poſt damnationem, ut ex his in alios quæſtio habeatur. *l.* 29. GAIUS LIB. 1. AD L. JUL. ET PAP.

Et quidem, Quod ad ſtatum damnatorum pertinet; nihil intereſt, judicium publicum fuerit necne. Nam ſola Sententia, non genus criminis ſpectatur. Itaque hi in quos animadverti jubetur, qui-ve ad beſtias dantur, confeſtim Pœnæ ſervi (*d*) fiunt. *l.* 12. MACER LIB. 2. DE OFFIC. PRÆSIDIS.

§ II.

De Pœnis quæ civitatem adimunt.

IX.

Alterum capitalis Pœnæ genus eſt, quod libertatem adimit; antiquiſſimo Jure non incognitum; ſi quidem Lex XII Tabularum Tab. II. cap. 4. *fures manifeſtos in ſervitutem ei cui furtum factum erat, addicebat.*

Jure Pandectarum Eſt Pœna quæ adimat libertatem, hujuſmodi; ut putà, ſi quis in metallum (*e*) vel in opus metalli (*f*) damnetur.

Metalla autem multa numero ſunt. Et quædam quidem provinciæ habent, quædam non habent. Sed quæ non habent, in eas provincias mittunt quæ metalla habent. *l.* 8. § 4. ULP. LIB. 9. DE OFFIC PROCONS.

Qualem autem ſervitutem patiantur, ita docet Hermogenianus. In metallum, ſed & in miniſterium metallicorum damnati, ſervi efficiuntur; ſed Pœna (*g*). *l.* 36. HERMOGEN. LIB. 1. EPITOM.

Similiter Marcianus. Sunt quidam ſervi Pœnæ; ut ſunt in metallum dati, & in opus metalli.

Et ſi quid eis teſtamento datum fuerit, pro non ſcriptis eſt; quaſi non Cæſaris ſervo datum, ſed Pœnæ (*h*). *l.* 17. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Pariter Calliſtratus. In metallum damnatis libertas adimitur, cùm etiam verberibus ſervilibus coercentur. Sanè per hujuſmodi perſonas fiſco nihil adquiri Divus Pius reſcripſit. Et ideò quod legatum erat ei qui poſtea (*i*) in metallum damnatus erat ad fiſcum non pertinere reſcripſit. Magiſque ait PŒNÆ eos quàm fiſci ſervos eſſe. *l.* 12. *ff. de Jure fiſci.* CALLISTRAT. LIB. 6. DE COGNIT.

Statim autem à Sententiâ, in hanc ſervilem conditionem deducuntur.

Undè Macer. Qui ex causâ in metallum dati ſunt, & poſt hoc deliquerunt, in eos tanquàm metallicos (*k*) conſtituti debet: quamvis nondum in eum locum perducti fuerint, in quo operari habent. Nam ſtatim ut de his Sententia dicta eſt, conditionem ſuam permutant. *l.* 10. § 1. MACER LIB. 2. DE PUBLIC. JUDIC.

X.

Ita demùm autem ex condemnatione in metallum & ſimilibus libertas adimitur, ſi quis in perpetuum damnetur. Enimverò Divus Hadrianus in hæc verba reſcripſit: « In opus metalli ad tempus nemo damnari debet. Sed » qui ad tempus damnatus eſt, etiamſi faciet metal- » licum opus, non in metallum damnatus eſſe intelligi » debet. Hujus enim libertas (*l*) manet, quandiù etiam » hi qui non (*m*) in perpetuum opus damnantur. » Proindè & mulieres hoc modo damnatæ, liberos pariunt. *l.* 28. § 6. CALLISTRAT. LIB. 6. DE COGNITION.

Similiter Ulpianus ait In miniſterium metallicorum, fœminæ in perpetuum vel ad tempus damnari ſolent; ſimili modo & in ſalinas. Et, ſi quidem in perpetuum fuerint damnatæ, quaſi ſervæ Pœnæ conſtituuntur: ſi verò ad tempus damnantur, retinent civitatem. *l.* 8. § 8. ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

Nota. Sine præfinito tempore in metallum dato imperitiâ dantis, decennii tempora præfinita videntur. *l.* 23. MODESTIN. LIB. 8. REGUL.

XI.

Inter eos autem qui in METALLUM, & eos qui in OPUS METALLI damnantur, differentia in vinculis tantùm (*g*) eſt; quòd qui in metallum damnantur, gravioribus vinculis premuntur; qui in opus metalli, levioribus: quòdque refugæ ex opere metalli, in metallum dantur; ex metallo, graviùs coercentur. *ſup. d. l.* 8. § 6.

In calcariam quoque vel ſulphurariam damnari ſolent. Sed hæ Pœnæ, METALLI magis (*o*) ſunt. *d. l.* 8. § 10.

XII.

Quicumque in LUDUM VENATORIUM fuerint damnati, videndum eſt an ſervi Pœnæ efficiantur? Solent enim juniores hâc pœnâ adfici. Utrùm ergo ſervi Pœnæ iſti efficiantur, an retineant libertatem, videndum eſt? Et magis eſt, ut hi quoque ſervi efficiantur. Hoc enim diſtat (*Haloand.* diſtant) à cæteris (*p*); quòd inſti-

(*a*) Quâ in re Jus Pandectarum à vetuſtiſſimo Jure differt. Hinc ei qui Papinianum ſecuri percuſſerat, Caracalla dixit: GLADIO *te exequi oportuit juſſum meum.* Spartian. in CARACALL.

(*b*) Id eſt; per ſingulare beneficium, alicui capitis damnato conceſſerunt ut ipſe ſibi genus mortis eligeret. Idem videmus Neronem conceſſiſſe, apud Tacitum Annal. XIII.

(*c*) Id eſt, ut fame pereat.

(*d*) Hanc PŒNÆ *ſervitutem* per fictionem natam docet Gerardus Noodt: quia, cùm Lege Porciâ cives Romanos capitali ſupplicio ſubdi nefas eſſet, judex eum quem damnabat, civem abnegabat; eumque in ſervilem conditionem detrudebat; ut non jam civis, ſed ſervus, ſupplicio ſubderetur.

(*e*) Id eſt; ad inquirendas eruendaſque venas metallicas, auri, argenti, æris, ferri, &c.

(*f*) Quid hæc differant, *Metallum*, & *Opus metalli*, vide infrà N. 11.

(*g*) Id eſt; ita ut nullum alium dominum habere videantur, quàm Pœnam cui addicti ſunt.

(*h*) Adeòque nulla ſit domini perſona cui poſſit adquiri.

(*i*) Poſt teſtamentum à teſtatore conditum.

(*k*) Id eſt, puniri debent ſervorum pœnis & tanquam *Metallici*, non tanquam liberi homines; putà flagellis debent, non fuſtibus. Vi enim ſolius Sententiæ, amiſsâ libertate ſervi metalli facti ſunt.

(*l*) Et quidem libertas civilis quæ jus civitatis continet; ut rectè obſervat Cujacius Obſerv. VI. 25. Neque enim civitas ad tempus amitti, nec ulla ad tempus capitis diminutio eſſe poteſt. Mutat tamen ſententiam idem Cujacius Obſerv. XV. 22.

(*m*) Cujacius Obſerv. VI. 25. credit legendum, *quemadmodum etiam his qui non in perpetuum opus, &c.* ſervatâ negatione quæ in aliquibus Editionibus deeſt. Idem autem ſibi contrarius in Notis *ad Sent. Paul.* lib. 5. Tit. 9. § fin. putat ſine negatione legendum; & agi hîc de libertate naturali, quam retinent hi qui in opus perpetuum damnantur [l. 17. § 1. infrà N. 15.] licèt civitatem amittant. Magis placet prior ſententia.

(*n*) Si differentia tantùm eſt in pondo vinculorum; ergo & qui in *Opus metalli* damnantur, æquè patiuntur maximam capitis diminutionem, ac qui in *Metallum* damnantur. METALLA autem ſunt, quæ apud nos dicuntur *les Mines*. Itaque in METALLUM damnati, hi ſunt quos diceremus, *les Mineurs*; in OPUS METALLI, *les Aides des Mineurs*. Utrique igitur differunt ab his qui in *Opus publicum* perpetuum damnantur [*aux travaux publics*], qui civitatem duntaxat amittunt: l. 17. § 1. infrà N. 15.

(*o*) Id eſt; magis ſub *Metalli* pœnâ continentur, quàm propriam Pœnæ ſpeciem conſtituunt.

(*p*) Cujacius Obſerv. XIII. 10. verbum hoc *à cæteris* ad eos referendum putat qui AD BESTIAS damnantur: hoc ſenſu ut IN LUDUM VENATORIUM damnati, hoc tantùm ab his diſtent, quòd damnati AD BESTIAS ſtatim conſumendi ſunt, iſti verò reſervantur ad Populi voluptatem, ut diſcant venari in Theatro & pugnare contra beſtias, aut aliàs autem mimicam exercere. Verùm cùm in præcedentibus §*is.* hujus legis 8. nulla de his qui *ad Beſtias* damnantur ſit mentio; ſic potiùs intelligendum videtur *à cæteris*, id eſt, ab iis de quibus hucuſque locuti ſumus, ſcilicet in *Metallum* aut in *Opus metalli* damnatis. In hoc [inquam] ſolummodò diſtant IN LUDUM damnati, ab his *cæteris*; quòd eorum Pœna in aliquam Populi voluptatem inſtituatur: verùm nihilominùs ſervi Pœnæ efficiuntur.

Source : BIU Cujas

tuuntur venatores; aut pyrricharii (*a*), aut in aliam quam voluptatem, gesticulandi vel aliter se movendi gratiâ. *d. l.* 8. § 11.

Igitur LUDUS VENATORIUS *est, quum quis in hoc damnabatur ut contra bestias pugnaret, aut eas in Theatro venaretur : cujus proindè Pœna longè diversa ab eo qui ita damnabatur ad bestias, ut iis objiceretur statim* (*b*) *consumendus.*

Et pariter confundenda non est Pœna cujuslibet gladiatorii ludi, cum Pœnâ Gladii. *Ita enim Pariator* : Est differentia inter eos qui AD GLADIUM, & eos qui AD LUDUM damnantur (*c*) Nam ad gladium damnati, confestim consumuntur, vel certè intrà annum debent consumi : hoc enim Mandatis continetur. Enimverò qui in ludum damnantur, non utique consumuntur; sed etiam pileari & rudem accipere possunt post intervallum: si quidem post quinquennium pileari, triennium rudem (*d*) induere eis permittitur. *Coll. Leg. Mos. XI* 7.

Hanc Pœnam ut quis ad ludum gladiatorium damnaretur, ita abrogat Constantinus. Cruenta spectacula in otio civili & domesticâ quiete non placent. Quapropter omninò gladiatores esse prohibemus. *l.* 1. *Cod. de Gladiatorib.*

Verùm hæc Lex Constantini non ubique fuit observata, imò, brevi exoleverat : si quidem Valentinianus-Senior Christianis ab hâc Pœnâ immunitatem dedit, item Palatinis l. 8. *& l.* 11. *Cod. Theod.* de Pœnis. *Tandem Honorius hortatu Prudentii, gladiatorios ludos omninò abolevit : ut refert Theodoretus* Hist. *lib.* 5. *cap.* 26.

XIII.

Observandum superest, Novellâ XXII cap. 8. *abrogatas esse servitutes* PŒNÆ; *adeòque in metallum aut aliâ Pœnâ damnatos, non jam maximam, sed mediam duntaxat capitis diminutionem pati.*

§ III.

De Pœnis quæ civitatem adimunt.

XIV.

Harum Pœnarum antiquissima est, Aquæ & ignis interdictio; *quæ perduellionis, id est, capitalis criminis reis stante republicâ irrogabatur : quanquàm propriè olim hæc Pœna nonnisi indirectè jura civitatis adimebat.*

Enimverò (*inquit Cicero* Pro Domo *n.* 29.) *hoc à Majoribus proditum est; ut nemo Civis Romanus aut libertatem aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit. Quum autem aliquem civitate ejicere vellent; hâc illum Pœnâ afficiebant, ut in ditione Romanâ nemini liceret damnatum tecto aliisque vitæ subsidiis excipere : undè ille necesse habebat solum vertere & in aliam civitatem se recipere; in quam receptus, ipso facto, & quasi ex suâ voluntate Romanam civitatem amittebat. Hæc enim erat ipsis justa regula, ut* NEMO DUARUM CIVITATUM CIVIS *esse posset. Sub Imperatoribus autem hoc jus Civis Romani, ut jura civitatis Romanæ non amitteret nisi in aliam civitatem receptus, pro mero commento & fabulâ habebatur.*

Minùs frequentari cœpit hæc Pœna interdictionis aquâ & igne, ex quo semel DEPORTATIO *inventa est. Hanc* (*ut refert Dio-Cassius lib.* 55.) *primus instituit Augustus ex consilio Liviæ, periculum ab exulibus hinc indè dispersis metuentis. Et postea, cùm frequentiùs usurparetur quàm aquæ & ignis interdictio, indè est quòd passim dicitur illa huic successisse. Remansit tamen interdictio & post deportationem inventam; ut constat ex variis scriptorum & Jurisconsultorum textibus. Utriusque Pœnæ mentionem facit Justinianus* Instit. *Tit.* de Cap. minut.

De deportatione autem ita Ulpianus. Inter Pœnas est insulæ deportatio : quæ Pœna adimit civitatem Romanam. *l.* 6. *ff. de Interd. & releg.* ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

De hâc etiam nota : Deportatio autem ad tempus non est. *l.* 18. § 1. *ff. d. tit.* POMPON. (*Hæc lex* 18. *cum sequenti* 19. *& octo præcedentibus, scilicet à l.* 10. *inclusivè ad finem Tituli* de Interd. & releg. *absunt à Florentinis & Vulgatâ. Restitutæ sunt à Contio & Cujacio ex Basilicis, & habentur in D. Gothofredi* Corporis Juris *Editionibus*).

Hæ Pœnæ, Aquæ & ignis interdictionis, & Deportationis, invicem differunt (*inquit Theophilus*) *quòd Deportatus certo loco concludatur, hoc est insulâ quâdam, is verò cui aquâ & igni interdictum est, omni loco arceatur.*

XV.

Etiam in OPUS PERPETUUM damnati, non dissimilis conditionis sunt ab his qui deportantur in insulam. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Eorum porro qui his Pœnis afficiuntur, conditionem sic exponit Marcianus. Item quidam ΑΠΟΛΙΔΕΣ sunt, hoc est sine civitate; ut sunt in opus publicum perpetuò dati, & in insulam deportati : ut ea quidem quæ Juris Civilis sunt, non habeant; quæ verò Juris gentium sunt, habeant. *l.* 17. § 1. MARCIAN. LIB. 14. INSTITUT.

Igitur Deportatus civitatem amittit, non libertatem. Et speciali quidem jure civitatis non (*e*) fruitur, jure tamen Gentium utitur. Emit & vendit, locat, conducit, permutat, fœnus exercet, & cætera similia. Et postea quæsita, pignori dare potest; nisi in fraudem fisci qui ei mortuo successurus est, ea obliget : priora (*f*) enim bona, quæ publicata sunt, alienare non potest. *l.* 15. *ff. de Interd. & regl.* MARCIAN. LIB. (*Vide suprà N.* 14.).

Cùm ea quæ Juris Civilis sunt non habeat, hinc civiles & legitimos actus exercere non potest.

V. G. Manumittere, deportatum non posse Divus Pius rescripsit. *l.* 2. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 13. INSTIT.

Item directis actionibus agere & conveniri non potest. Cæterùm Qui civitatem amisit, & bona detinet, Utilibus actionibus (*g*) tenetur. *l.* 14. § 3. *ff. d. tit.* ULP. LIB. (*Vide suprà N.* 14.).

Ipsi etiam frustrà testamento relinquitur. Benignè tamen concessum est, ut alimenta possint ei relinqui. Nam Quum Ulpianus Damascenus rogasset Imperatorem ut sibi permitteret matri relinquere ad victum necessaria; & mater per libertum, ut quædam sibi liceret filio deportato relinquere; Imperator Antoninus eis rescripsit in hunc modum : « NEQUE hereditas, neque legatum, neque » fideicommissum contra mores & Jus publicum hujus- » modi personis relinqui potest. Nec conditio harum » personarum mutari debet. Quod verò piè rogastis; » liceat vobis ultimâ voluntate eis ad victum, & alios » usus necessarios sufficientia relinquere; eisque ex hâc » causâ capere. » *l.* 16. *ff. d. tit.* MARCIANUS (*Vide suprà N.* 14.).

(*a*) *Pyrricha* lusûs genus erat, simulacrum pugnæ equestris aut etiam pedestris, adhibitis numeris & concentu musico : undè & *Pyrrichius pes* in metris. Vide Cujacium *Observ.* XIII. 10. Schultingius autem mavult intelligere de his quos describit Plutarchus *de Serâ numin. vind.* qui in veste auratâ saltabant, statim arsuri : sed malè; cùm hic Pyrricharii assimilentur Gladiatoribus qui non *Statim* consumendi sunt.

(*b*) Hinc Budæus distinguit *Bestiis objici*, & *ad Bestias damnari*: Bestiis enimobjicitur quis ut devoretur, ad Bestias damnatur ut contra eas pugnet. Cujacius autem sup. d. loco Observ. XIII. 10. utramque Pœnam vult confundi; quemadmodum & sæpiùs reverà confunditur, passim in legibus & aliis scriptoribus. Strictè autem loquendo, si ad pugnandum contra Bestias quis damnetur, tunc non *ad Bestias* damnatum dici, sed in *Ludum venatorium.*

(*c*) AD GLADIUM damnari, *Etre condamné à périr par l'épée* : IN LUDUM GLADIATORIUM, *à exercer le métier de gladiateur.*

(*d*) RUDIS erat scipio quem Gladiator stans in intrepidine Circi, à Populo petere & impetrare solebat. Rudis donatio, non reddebat libertatem; sed præstabat vacationem periculosi laboris : ampliùs enim non tenebatur ferro dimicare, sed rudibus tantùm batuere [*s'escrimer*]. Ita Acro ad *Horat.* & Turnebus *Adversar.* XXVI. 26. PILEUS autem erat insigne liberationis; quo donati, ad statum publicum & civilem restituebantur.

Sensus itaque est, post triennium exercitii Gladiatorii, *Rudem*; post quinquennium verò, etiam *Pileum* accipere potuisse : ut interpretantur J. Gothofredus & Schultingius. Malè Cujacius sup. d. loco Observ XIII. 10. sic accipit; post quinquennium *Pileari*, ac deindè post triennium *Rudem* accipere.

(*e*) Hinc Plinius Epist. IV. 11. « *Carent togæ jure, quibus aquâ & igni interdictum est* ».

(*f*) Dixi, *post* deportationem quæsita : *priora enim* facta sunt fisci, dominus eorum esse desiit.

(*g*) Ex contractibus post deportationem initis. Ex eo enim quod ante deportationem debitor est, liberatur; & fiscus qui ejus bona occupat, in hoc æs alienum succedit.

Source : BIU Cujas

XVI.

Circa hujus Pœnæ effectum, obſervandum ſupereſt; Eum qui civitatem amitteret, nihil aliud juris adimere liberis, niſi quod ab ipſo perventurum eſſet ad eos ſi inteſtatus in civitate moreretur; hoc eſt hereditatem (*a*) ejus, & LIBERTOS (*b*), & ſi quid aliud in hoc genere reperiri poteſt. Quæ verò non à patre, ſed à genere, à civitate, à rerum naturâ tribuerentur; ea manere eis incolumia. Itaque & fratres fratribus fore legitimos heredes, & adgnatorum tutelas, & hereditates habituros: non enim hæc patrem, ſed majores ejus eis dediſſe. *l.* 3. *ff. d. tit.* ALPHEN. LIB. I. EPITOM.

Conſonat regula Juris: Ea ſola deportationis Sententia aufert, quæ ad fiſcum perveniunt. *l.* 97. *ff. de Reg. Jur.* HERMOGEN. LIB. 3. JURIS EPITOM.

XVII.

Vidimus ad quam conditionem deducatur qui Pœnâ deportationis aut operis perpetui damnatus eſt. Statim autem à Sententiâ, ad hanc conditionem deducitur.

Hinc Calliſtratus. Quum in liberos homines ea Sententia fertur quæ publicat eorum bona, qualis eſt in inſulam deportatio; ſtatim à Sententiâ priorem conditionem mutant, & ſuæ pœnæ traduntur: niſi quid majeſtatis inſit (*c*), quod Pœnam exaſperari flagitet. *l.* 19. § 1. *ff. de Interd. & releg.* CALLISTRAT. (*Vide ſuprà N.* 14.).

Quum dicitur damnatum, STATIM *ad hanc conditionem deduci;* Eum accipimus damnatum, qui non provocavit. Cæterùm ſi provocet, nondum damnatus videtur.

Sed & ſi ab eo qui jus damnandi non habuit, rei capitalis quis damnatus ſit; eadem cauſa erit. DAMNATUS enim ille eſt, ubi damnatio tenuit. *l.* 2. § 2. ULPIAN. LIB. 48. AD ED.

Hinc Conſtat, poſtquàm deportatio in locum aquæ & ignis interdictionis ſucceſſit, non priùs amittere quem civitatem, quàm Princeps deportatum in inſulam ſtatuerit. Præſidem enim deportare non poſſe, nulla dubitatio eſt. *d. l.* 2. § 1.

Interim igitur Deportatus à Preſide ſine Principe, & heres exiſtere, & legata ex teſtamento capere poteſt. *l.* 15. § 1. *ff. de Interd. & releg.* MARCIAN. (*Vide ſuprà N.* 14.).

Nota. Sed Præfectus Urbi jus habet deportandi. Satimque poſt Sententiam Præfecti, amiſiſſe civitatem videtur. *ſup. d. l.* 2. *d.* § 1. ¶ *ſed.*

ARTICULUS II.

De Pœnis non capitalibus.

XVIII.

Vidimus quæ Pœnæ ſint capitales.

Cæteræ Pœnæ ad exiſtimationem, non ad capitis periculum pertinent; veluti relegatio, ad tempus, vel in perpetuum, vel in inſulam; vel quum in opus quis publicum (*d*) datur; vel quum fuſtium ictu ſubjicitur. *l.* 28. § 1. CALLISTRAT. LIB. 6. DE COGNITIONIB.

Sunt & plures aliæ ſpecies Pœnarum non capitalium, quæ hîc veniunt recenſendæ.

§ I.

De relegatione, & in quo à deportatione differat: ubi & de Exſilio.

XIX.

RELEGATUS eſt is cui provinciâ, vel Româ vel continentibus ejus, perpetuò vel ad tempus interdicitur. *l.* 14. *ff. de Interd. & releg.* ULP. LIB. (*Vide ſuprà. N.* 14).

Relegatorum duo genera ſunt; quidam, qui in inſulam relegantur; ſunt qui ſimpliciter (*e*), ut provinciis eis interdicatur, non etiam inſula adſignetur. *l.* 7. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 10. DE OFFIC. PROCONS.

Hæc poſterior ſpecies duas complectitur. Undè triparita naſcitur relegationis diviſio, quam ita refert Marcianus. Exilium (*f*) triplex eſt; aut certorum locorum interdictio: aut lata fuga, ut omnium locorum interdicatur præter certum locum; aut in inſulæ vinculum, id eſt relegatio in inſulam. *l.* 5. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 1. REGULAR.

XX.

Graviſſima relegationis ſpecies eſt, in inſulam relegatio. Circa quam obſervandum eſt, quòd In inſulam relegare Præſides provinciæ poſſunt. Sic tamen ut, ſi quidem inſulam ſub ſe habeant, id eſt ad ejus provinciæ formam pertinentem quam adminiſtrant, & eam ſpecialiter inſulam adſignare poſſint, in-que eam relegare.

Sin verò non habeant; pronuntient quidem in inſulam ſe relegare, ſcribant autem Imperatori ut ipſe inſulam adſignet. Cæterùm non poſſunt damnare in eam inſulam, quam in eâ provinciâ cui præſunt, non habeant.

Interim quoad Imperator inſulam adſignet, militi tradendus eſt relegatus. *l.* 7. § 1. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 10. DE OFFIC. PROCONS.

Eſt quoddam genus quaſi in inſulam relegationis in provinciâ Ægypto, in Ouaſin (*g*) relegare. *d. l.* 7. § 5.

Sed & in eas partes provinciæ quæ ſunt deſertiores, ſcio Præſides ſolitos relegare. *d. l.* 7. § 9.

Sicut autem relegare in inſulam quiſquam, quæ non eſt ſub ſe, non poteſt; ita ne in provinciam quidem relegandi jus habet, quæ non eſt ſub ſe. Fortè (*h*) Præſes Syriæ, in Macedoniam non relegabit. *d. l.* 7. § 6.

XXI.

Altera relegationis ſpecies quæ in inſulam relegationi proximè accedit, eſt interdictio omnium locorum præter certum locum; ideòque dicitur LATA FUGA, *quia ab his omnibus locis arcetur & quaſi fugatur. Hæc ſub Claudio demùm in uſu eſſe cœpit: is enim « quaſdam* NOVO EXEMPLO *relegavit, ut ultrà lapidem tertium vetaret egredi ab » Urbe. » Sueton. in* CLAUD. *n.* 23.

Pariter Poteſt Præſes quemdam damnare, ne domo ſuâ procedat. *l.* 9. *ff. d. tit.* ULPIAN. LIB. 10. DE OFFIC. PROC.

Item in parte certâ provinciæ moratum relegare poteſt; ut fortè non excedat civitatem aliquam, vel regionem aliquam non egrediatur. *ſup. d. l.* 7. § 8.

XXII.

3ª. *Relegationis ſpecies eſt, quum quis certis duntaxat locis interdicitur.*

(*a*) Vide infrà Tit. *de Bonis damnata.*

(*b*) Graviter obſtant lex 4 & 2. ff. *de Bon. libert.* lex 4. ff. *de Jur. patron.* lex 9. ff. *ad L. Jul. maj.* quæ referuntur ſuprà lib. 37. Tit. *de Jur. patron.* N. 36. ubi jura *Paternorum libertorum* ſalva ſunt filio deportati. Ibi ita conciliavimus, ut id intelligatur de libertis *Avitis.* At fatendum eſt, per hanc conciliationem aliquatenùs ipſis textibus vim inferri; & propè eſt ut hîc agnoſcenda ſit vera antinomia per incuriam Triboniani relicta; aliudque Jus ea de re obtinuiſſe tempore Alfeni, aliud ex Conſtitutione Severi introductum eſſe exiſtimem.

(*c*) Nam in crimine *Majeſtatis* hoc ſpeciale eſt ut, etiam *ante Sententiam*, ſtatim ex die admiſſi criminis reus pœnæ ſuæ debitus intelligatur l. 8. Cod. *ad L. Juſt. Majeſt.* Unde non extinguitur crimen morte: ſuprà, Tit. *ad L. Jul. Majeſt.* N. 11.

(*d*) Ad tempus. Nam *Opus perpetuum* ſimile eſt deportationi: ſuprà N. 15.

(*e*) Supple relegantur, ita *ut &c.*

(*f*) *Exilium* hîc & in multis paſſim legibus patet accipi pro relegatione. Vide infrà N. 29. *Scholium.*

(*g*) *Ouaſis* eſt quædam regio in Ægypto, quæ quidem non eſt inſula: ſed cùm ſit locus culicibus infeſtus [*Inſectes, Moucherons*], & magis deſertus quàm inſula; meritò relegatio in *Oaſin*, relegationi in inſulam adjungitur.

(*h*) Id eſt, putà, exempli gratiâ.

Source : BIU Cujas

Enimverò Solet præterea interdici Sententiâ quibuſdam, ne intra patriæ territorium vel muros morentur; ne excedant patriam, vel in vicis quibuſdam morentur. *l.* 7. § 19. *ff. de Interd. & releg.* ULP. LIB. 10. DE OFFIC. PROC.

Item ab omni provinciâ poteſt interdici. Nam Præſes non poteſt quidem in locum qui non ſit ſuæ provinciæ relegare, Sed extra provinciam ſuam poteſt relegare. *d. l.* 7. § 7.

Interdicere autem quis eâ provinciâ poteſt quam regit, aliâ non poteſt. Et ita Divi Fratres reſcripſerunt. *d. l.* 7. § 10.

Quibuſdam tamen Præſidibus, ut multis provinciis interdicere poſſint, indultum eſt; ut Præſidibus Syriarum, ſed & Daciarum. *d. l.* 7. § 14.

XXIII.

Regulariter autem Præſes aliâ provinciâ præter eam cui præeſt, aliquem interdicere non poteſt. Undè eveniebat ut qui relegatus eſſet ab eâ provinciâ in quâ domicilium habuit, morari apud originem ſuam poſſet. Sed Imperator noſter cum Divo patre ſuo huic rei providerunt. Mæcio enim Probo Præſidi provinciæ Hiſpaniæ reſcripſerunt, Etiam eâ provinciâ interdici undè quis oriundus eſt, ab eo qui regit eam provinciam ubi quis domicilium habet.

Sed & eos qui, quum incolæ non eſſent, in eâ provinciâ quid admiſerint, æquum eſt ad Reſcripti auctoritatem pertinere (*a*). *d. l.* 7. § 10.

Quòd Si quis eam ſententiam admiſerit, ut is qui in aliâ provinciâ commiſit, poſſit relegari ab eo qui ei provinciæ præeſt; eveniet ut relegatus iſte, tribus provinciis præter (*b*) Italiam debeat abſtinere; & in quâ deliquit, & quam incolit, & originis.

Et ſi ex diverſis provinciis oriri videatur propter conditionem vel ſuam, vel parentis, patronorum (*c*); vel pluribus provinciis conſequenter interdictum ei dicemus. *d. l.* 7. § 13. *ff. d. tit.*

XXIV.

Dubitatum eſt, interdicere quis alicui poſſit provinciâ in quâ oriundus eſt, quum ipſe ei provinciæ præſit quam incolit, dum ſuâ non interdicit? ut ſolent Italiâ interdicere, qui patriâ non interdicunt. Vel an per conſequentias, videatur etiam provinciæ interdixiſſe cui præeſt? Quod magis erit probandum. *d. l.* 7. § 11.

Diximus Præſidem provinciæ in quâ reus domicilium habet, poſſe ei interdicere provinciam originis. Per contrarium autem is qui originis provinciæ præeſt, non eſt nanctus jus interdicendi eâ provinciâ quam incolit is qui relegatur. *d. l.* 7. § 12.

XXV.

Ex Conſtitutione Claudii, « HI *quibus à Magiſtratibus, » provinciæ interdicerentur: Urbe quoque & Italiâ ſummo- » ventur.* » *Sueton. in* CLAUD. *n.* 23.

Igitur eſt Conſtitutum, eum cui patriâ interdictum eſt, etiam Urbe abſtinere debere. Contrà autem, ſi cui Urbe fuerit interdictum, patriâ ſuâ interdictum non videtur. Et ita multis Conſtitutionibus cavetur. *d. l.* 7. § 15.

Si cui planè non patriâ ſua, ſed aliquâ civitate interdictum ſit; videndum eſt, an etiam patria ſua, itemque Urbe, interdictum dicamus? quod magis eſt. *d. l.* 7. § 16.

Et generaliter: quilibet Relegatus non poteſt Romæ morari, licèt hoc Sententia comprehenſum non ſit; quia OMNIUM EST PATRIA: ſed neque in civitate in quâ verſatur Princeps, vel per quam tranſit. Eis enim duntaxat Principem intueri licet, qui Romam ingredi poſſunt. EST ENIM PRINCEPS, PATER PATRIÆ. *l.* 19. *ff. d. tit.* CALLISTRATUS.

Et quidem non ſolùm ipſe relegatus, ſed & Manumiſſus à relegato, non poteſt Romam accedere: quod nec patrono ejus licet. *l.* 13. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. (*Vide N.* 14.)

XXVI.

Circa eam relegationis ſpeciem quæ interdictionem à certis duntaxat locis continet; obſervandum ſupereſt quòd His qui relegantur, dies excedendi à Præſidibus dari & poteſt, & ſolet. Etenim moris eſt ita pronuntiari; ILLUM PROVINCIA ILLA INSULISQUE RELEGO. Excedereque debebit intrà illum diem. *ſup. d. l.* 7. § 17. *ff. de Interd. & releg.*

Relegatum planè, libellum dare Principi poſſe (*d*) Divi Fratres reſcripſerunt. *d. l.* 7. § 18.

XXVII.

Expoſitis variis relegationis ſpeciebus, jam diligenter notandum quòd Magna differentia eſt inter deportationem & relegationem. Nam deportatio civitatem & bona adimit; relegatio neutrum tollit, niſi ſpecialiter bona publicentur. *l.* 14. § 1. *ff. d. tit.* ULPIAN. LIB. (*Vide ſuprà N.* 14.)

Similiter Alexander reſcribit. Deportatorum in inſulam ab eo cui id faciendi jus erat, bona fiſco vindicantur. Relegatorum autem, non, niſi Sententiâ ſpecialiter adempta fuerint. *l.* 8. *Cod. h. tit.*

Hoc etiam continet Caput ex Reſcripto Divi Trajani ad Didium Secundum: « Scio relegatorum bona ava- » ritiâ ſuperiorum temporum fiſco vindicata. Sed aliud » clementiæ meæ convenit; qui, inter cætera quibus « innocentiam rationum meorum temporum (*e*), hoc » quoque remiſi exemplum. » *l.* 1. *ff. de Interd. & releg.* POMP. LIB. 4. AD SABIN.

Et quidem Ad tempus relegatis neque tota bona neque partem adimi debere, Reſcriptis quibuſdam manifeſtatur. Reprehenſæque ſunt Sententiæ eorum qui ad tempus relegatis ademerunt partem bonorum, vel bona. Sic tamen ut non infirmarentur Sententiæ quæ ita ſunt prolatæ. *l.* 7. § 4. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 10. DE OFFIC. PROCONS.

Conſonat Papinianus. Bona fiſco, citra Pœnam exilii (*f*) perpetuam, adjudicari (*g*) Sententiâ non oportet. *l.* 39. *ff. de Jur. fiſc.* PAPIN. LIB. 16. RESPONS.

Imò etſi in perpetuum quis relegatus ſit; Bona relegati non publicantur, niſi ex Sententiâ ſpecialiter. Sed jura libertorum, nec ſpeciali Sententiâ adimi poſſunt; quia ſolus Princeps relegato ea adimere poteſt. *l.* 8. § 3. *ff. de Bonis damnatorum.* MARCIAN. LIB. (*Ita in Edit. D. Gothofr.*)

XXVIII.

Item Sive ad tempus, ſive in perpetuum quis fuerit relegatus, & civitatem Romanam retinet, & teſtamenti factionem non amittit. *ſup. d. l.* 7. § 3. *ff. de Interd. & relegat.*

Denique Relegatus integrum ſuum ſtatum retinet, & dominium rerum ſuarum, & patriam poteſtatem; ſive ad tempus ſive in perpetuum relegatus ſit. *l.* 18. *ff. de Interd. & releg.* POMP. (*Vide ſuprà N.* 14.)

Ergo & Relegati in inſulam, in poteſtate ſuâ liberos retinent. Tantùm enim inſulâ eis egredi non licet; & bona quoque ſua omnia retinent, præter ea ſi qua eis adempta ſunt. Nam eorum qui in perpetuum exilium dati ſunt, vel relegati, poteſt quis Sententiâ partem bonorum adimere. *l.* 4. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 2. INSTITUT.

Quinetiam Relegatus ſtatuis & imaginibus honorari non prohibetur. *l.* 17. *ff. d. tit.* POMPON. (*Vide N.* 14)

(*a*) Scilicet ut non ſolùm ab eâ provinciâ in quâ deliquerunt, ſed ab eâ in quâ domicilium habent, poſſint relegari.

(*b*) Propter Conſtitutionem Claudii infrà N. 25.

(*c*) Pro [*patronorum; vel*], alii legunt *Patronorum-ve.*

(*d*) Ut producat diem.

(*e*) Supplet D. Gothofredus, *agnoſcis.*

(*f*) Relegationem perpetuam hîc intellige cum Cujacio, non deportationem cum Accurſio.

(*g*) Nec in totum nec pro parte, ut dictum eſt in textu præcedenti.

Source : BIU Cujas

XXIX.

Ex primâ quam modò expoſuimus deportatos inter & relegatos differentiâ, hæc altera naſcitur. Cùm enim deportatus civitati moriatur, nec mori niſi in perpetuum quis intelligi poſſit; hinc (ut vidimus ſuprà N. 14.) deportatio ad tempus non eſt: quæ ratio ceſſat in relegatis.

2ª. *Igitur* Hæc eſt differentia inter deportatos & relegatos, quòd in inſulam relegari & ad tempus & in perpetuum quis poteſt. *ſup. d. l. 7. § 2. ff. d. tit.*

Circa eos autem qui ad tempus relegantur; obſervandum quòd, ex Conſtitutione Honorii & Thheodoſii, tempus quo quis exilio damnatur in cuſtodiâ fuit, donec ad locum exilii proficiſceretur, computandum eſt in tempus exilii. l. 23. Cod. h. tit.

XXX.

3ª. *Inter deportationem & relegationem eſt differentia, quod (ut vidimus ſuprà N. 17.) Magiſtratus provinciarum jus deportandi non habent. Contrà* Relegatur quis à Principe, Senatu, Præfectis, & Præſidibus provinciarum. Non à Conſulibus. *l. 14. § 2. ff. de Interd. & releg.* ULP. LIB. (*Vide* N. 14.)

Sed nec à Prætore. Nam coercitio criminum in Urbe, nulli alii Magiſtratui data eſt præter Præfectum: ſuprà lib. 1. Tit. de Offic. Præf. Urb.

Item nec à Procuratore Cæſaris in provinciis. Hinc Antoninus: Procurator meus qui vice Præſidis non fungebatur (*a*), exilii (*b*) tibi Pœnam non potuit irrogare. Ac propterea, fruſtrà vereris Sententiam quæ nullâ Juris ratione ſubnixa eſt. *l. 2. Cod. h. tit.*

Scholium.

Ex dictis ſequitur, EXSILII *nomen quàm cautè intelligendum ſit in variis hujus Tituli, aliiſque paſſim textibus. Strictè ſiquidem & propriè loquendo, Deportationem ſignificat; ſcilicet juxta vim nominis:* EXSULESque *dicuntur (quaſi* Soli exſortes) *qui civitatem amiſerunt; & ſolo ſuo in perpetuum privati, velut* Sine ſolo *eſſe intelliguntur. Hinc & Ovidius* Triſtium *II.*

Quippe RELEGATUS, non EXSUL, dicor in illâ.

Frequentiùs tamen in legibus, pro ſolâ Relegatione ſumitur; imò & quandoque exſilii nomine deſignatur ea Relegationis ſpecies quæ eſt omnium mitiſſima. Hinc in l. 38. § 3. ff. de Pœnis, *exilium opponitur Relegationi in inſulam;* Aut in inſulam relegantur, *inquit Juriſconſultus,* aut (*ſaltem*) in exilium mittuntur: *eo ſenſu ſcilicet, ut exuli certis tantùm locis interdicatur cum facultate eundi quò velit; contrà verò in inſulam relegatus, certo loco quaſi vinculis conſtringatur.*

Quidquid ſit; id certè conſtat, quotiens Exilium temporale *dicitur, ſolam eo caſu Relegationem intelligendam eſſe; quia Deportatio ad tempus non fit, mox ſuprà: quum autem* Exilium *quaſi Pœna capitalis irrogatur, pro ipsâ deportatione accipiendum; cùm Relegatio ſemper ſalvâ civitate contingat.*

§ II.

De Pœnis quæ coërcitionem corporis continent.

XXXI.

Tales ſunt; Veluti fuſtium admonitio (*c*), flagellorum caſtigatio (*d*), vinculorum verberatio (*e*) *l. 7.* CALLISTR. LIB. 6. DE COGNITION.

Adde; Damnatio in Opus publicum temporale: *ut ſuprà obiter vidimus N. 18. Aliàs vide infrà* § 6°.

§ III.

De Pœnâ quæ damnum cum infamiâ continet, ſeu de Mulctâ.

XXXII.

Frequentiſſimæ apud Romanos fuerunt Pœnæ pecuniariæ; quæ MULCTÆ (*vocabulo Sabino*) *dicebantur.*

Primis temporibus, in pecudibus conſiſtebant. SUPREMA *fuit (inquit Gellius XI. 1.) duarum ovium & boum triginta; ſcilicet pro copiâ boum quibus ſolum Romanum abundabat, & ovium penuriâ. Ultra hunc numerum, mulctam dicere non licebat.* MINIMA *mulcta fuit, unius ovis. Cùm autem in his mulctis inæqualitas contingeret; eo quòd boves aliàs majoris aliàs minoris pretii adigerentur; Lege Ateriâ quæ etiam* TARPEIA *dicitur, ut potè Sp. Tarpeio-Capitolino & A. Aterio-Fontinali Coſſ. circa annum ab U. C. 299. latâ, æſtimatio his mulctis data eſt; centum æris in ſingulos boves, decem æris per ſingulas oves. Unde,* « MAXIMAM » *mulctam dixerunt, trium millium & viginti aſſium; quia* » *non licebat quondam, pluribus triginti bobus, & duabus* » *ovibus, quemquam mulctari:* » *Feſtus in Verb. MULCTAM.*

Hæ Pœnæ pecuniariæ, propriè dicuntur MULCTÆ. *Quocircà dicebat Labeo:* Si qua Pœna eſt, MULCTA eſt; ſi qua mulcta eſt, Pœna eſt. Paulus: Utrumque eorum falſum eſt. Namque harum rerum diſſimilitudo ex hoc quoque apparet, quòd de Pœnâ provocatio non (*f*) eſt. Simul atque enim victus (*Pro* convictus, *& ita aliàs ſæpè.*) quis eſt ejus maleficii cujus Pœna eſt ſtatuta, ſtatim ea debetur. At Mulctæ provocatio eſt; nec antè debetur quàm aut non eſt provocatum, aut provocator victus eſt; nec aliter quàm ſi is dicit cui dicere licet. Ex hoc quoque earum rerum diſſimilitudo apparere poterit: quia Pœnæ certæ ſingulorum peccatorum ſunt. Mulctæ contrà: quia ejus judicis poteſtas eſt quantam dicat, niſi quum Lege eſt conſtitutum quantum dicat. *l. 244. ff. de Verb. ſign.* LABEO LIB. 4. PITHANON A PAULO EPITOMAT.

Ulpianus pariter ait. Inter Mulctam autem & Pœnam multùm intereſt; cùm PŒNA generale ſit nomen, omnium delictorum coercitio; MULTA (*Ita ſemper hoc verbum ſcribitur in* Florent.) ſpecialis peccati, cujus animadverſio hodie (*g*) pecuniaria eſt. Pœna autem non tantùm pecuniaria, verùm capitis & exiſtimationis irrogari ſolet. Et Mulcta quidem ex arbitrio ejus venit, qui mulctam dicit: Pœna non irrogatur, niſi quæ quâque Lege, vel quo alio Jure ſpecialiter huic delicto impoſita eſt. Quinimò Mulcta ibi dicitur, ubi ſpecialis Pœna non eſt impoſita. Item Mulctam is dicere poteſt, cui judicatio (*h*) data eſt. Magiſtratus ſolos & Præſides

provinciarum

(*a*) Quidam enim vice Præſidis fungebantur; ut in Judæâ Pontius-Pilatus: ſuprà lib. 1. Tit. *de Off. Procur. Cæſ.*

(*b*) Relegationis.

(*c*) Hoc verbo lex utitur, ut ſignificet Pœnas in emendationem nocentum, & ut officii ſui *admoneantur*, irrogari.

(*d*) Differt hæc Pœna *Flagellorum* à *Fuſtibus*; quòd hi in ſolos homines liberos cadant, ſervile autem erat cædi *Flagellis*. De his ita Plautus in Amphytr. Act. I. Sc. 1.

Quid faciam nunc ſi tres viri me in carcerem compegirint?
Inde quaſi è promptuariâ cellâ depromar ad FLAGRUM,
Nec cauſam liceat dicere mihi . . . . ita
Quaſi incudem me miſerum hominem homines octo validi cadant.

Et in Afinar. Act. III. Sc. 2. ſervus conſervo ita gratulatur:

Ædepol pro merito tuo nunc memorari multa poſſint;
Ubi fidentem fraudaveris, ubi hero infidelis fueris . . . .
Ubi ſæpe cauſam dixeris pendens, adversùs octo
Artitos audaciâ viros, valentes virgatores.

(*e*) Id eſt, ut interpretatur Bynkershoek, *verberatio* eorum qui in vinculis detinentur; nimirùm VINCULORUM hîc appellatione ſignificari eos qui in vinculis ſunt, quemadmodum & CUSTODIÆ appellantur hi qui ſunt in cuſtodiâ ſeu carcere. Quod ſi non placet: idem Bynkershoek ait legendum VICTORUM *verberatio*; eodem ſenſu. Erat autem hæc Pœna duabus ſuperioribus gravior, & in eo conſiſtebat ut quis ad certum tempus in vincula conjiceretur ſeu latumiis includeretur, ibi verberandus. Vide l. 10. ff. h. tit. & Iſidor *Orig.* V. 27. De his latumiis eſt illa locus Plauti:

Apud fuſtidinas ferri crepidinas inſulas
Ubi vivos homines mortui incurſant boves.

(*f*) Scilicet quum publici judicii reus confeſſus & victus eſt: ut videb. lib. ſeq. Tit. *de Appellat.* Cùm enim de crimine confiteatur, Pœna autem criminis ſit certa ac Lege definita; nihil eſt de quo per appellationem poſſit queri. Verùm cùm Mulcta arbitraria ſit; poteſt quis quamvis confeſſus, de Mulctâ appellare & graviorem quàm par eſt inflictam queri.

(*g*) Nam antè, in pecudibus conſiſtebat: ut modo diximus.

(*h*) Id eſt, cui publicè judicium eſt; ſcilicet qui eſt Magiſtratus.

Source : BIU Cujas

provinciarum posse Mulctam dicere, Mandatis permissum est: Pœnam autem unusquisque irrogare potest, cui hujus criminis sive delicti exsecutio (*a*) competit. *l.* 131. § 1. *ff. de Verb. signif.* ULP. LIB. 3. AD L. JUL. ET PAP.

Et alibi. His datur mulctæ dicendæ jus, quibus publicè judicium est; & non aliis, nisi hoc specialiter eis permissum est. *l.* 2. § *fin. ff. de Judiciis.* ULPIAN. LIB. 3. AD ED.

XXXIII.

Si condemnatus mulctam non solveret, Prætor Quæstores (*b*) *mittebat in possessionem bonorum ejus; qui ea sub hastâ vendebant* (*c*), *ut ex pretio satisfieret mulctæ.*

Quòd si non erat undè mulcta solveretur; Generaliter placet, in Legibus publicorum judiciorum vel privatorum criminum, qui extra ordinem cognoscunt Præfecti vel Præsides; ut eis qui Pœnam pecuniariam egentes eludunt, coercitionem extraordinariam inducant. *l.* 1. § 3. ULP. LIB. 8. DISPUTAT.

Hoc autem casu vitatur infamia quæ mulctæ condemnationi adjuncta fuisset, si publico aut famoso judicio fuisset irrogata. Nam In personis tam plebeiorum quàm Decurionum illud constitutum est; ut qui majori Pœnâ adficitur quàm Legibus statuta est, infamis non fiat. Ergo etsi opere temporario quis mulctatus sit, vel tantùm fustibus cæsus; licèt in actione famosâ, veluti FURTI; dicendum erit, infamem (*d*) non esse: quia & solus fustium ictus gravior est, quàm pecuniaris (*Aliàs* pecuniaria) damnatio. *l.* 10. § 2. MACER LIB. 2. DE PUBL. JUDIC.

§ IV.

De Pœnis quæ consistunt in dignitatis vel depositione perpetuâ vel temporariâ interdictione.

XXXIV.

Pœna Senatori hæc irrogari potest, ut à Senatu moveatur.

Cassius-Longinus non putat ei permittendum, qui propter turpitudinem Senatu motus nec restitutus est, judicare vel testimonium dicere; quia Lex Julia REPETUNDARUM hoc fieri vetat. *l.* 2. *ff. de Senatorib.* MARCELL. LIB. 3. DIGEST.

Cæterùm Senatorem remotum Senatu, capite non minui; sed Romæ morari, Divus Severus & Antoninus permiserunt. *l.* 3. *ff. d. tit.* MODESTIN. LIB. 6. REGUL.

Ut Senatoribus; ita Solet Decurionibus Ordine interdici; vel ad tempus, vel in perpetuum. *l.* 7. § 20. *ff. de Interd. & releg.* ULP. LIB. 10. DE OFFIC. PROCONS.

XXXV.

Item potest alicui Pœna injungi, ne honores adipiscatur. Nec ea res facit, ut Decurio esse desinat: cùm fieri possit, ut quis Decurio quidem sit, ad honores autem non admittatur. Nam & Senator quis esse potest, & tamen honores non repetere. *d. l.* 7. § 21.

Potest alicui & unus honor interdici: sic tamen ut si cui honore uno interdictum sit, non tantùm eum honorem petere non possit, verùm ne eos quoque qui eò honore majores sunt. Est enim perquàm ridiculum, eum qui minoribus Pœnæ causâ prohibitus sit, ad majores aspirare. Majoribus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur.

Sed MUNERIBUS si quis Pœnæ causâ fuerit prohibitus, nihil valebit Sententia. Neque enim immunitatem Pœna tribuere debet.

Ergo etsi HONORIBUS quis in Pœnam fuerit prohibitus; poterit dici, si honores isti habuerunt mixtam muneris gravem impensam, infamiam illi ad hoc non profuturam. *d. l.* 7. § 22.

Sed honore quidem illum arceri puto, cæterùm impendia debere præstare. *l.* 8. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 2. PUBLICOR. JUDIC.

§ V.

De Pœnâ quæ consistit in interdictione alicujus actûs.

XXXVI.

Moris est, Advocationibus quoque Præsides interdicere; & nonnunquam in perpetuum interdicunt, nonnunquam ad tempus: vel annis metiuntur (*e*), vel etiam tempore quo provinciam regunt. *l.* 9. ULPIAN. LIB. 10. DE OFFIC. PROCONS.

Necnon ita quoque interdici potest alicui, ne certis personis adsit. *d. l.* 9. § 1.

Potest & ita interdici cui, ne apud tribunal Præsidis postulet; & tamen apud Legatum, vel Procuratorem (*f*), non prohibetur agere. *d. l.* 9. § 2.

Si tamen apud Legatum prohibitus fuerit postulare; credo, per consequentias, ne quidem apud Præsidem relictam illi postulandi facultatem. *d. l.* 9. § 3.

XXXVII.

Nonnunquam non Advocationibus cui interdicitur, sed FORO. Plus est autem Foro, quàm Advocationibus interdicere: si quidem huic omninò forensibus negotiis accommodare se non permittatur. Solet autem ita vel Juris studiosis (*g*) interdici, vel Advocatis (*h*); vel (*i*) tabellionibus, sive Pragmaticis. *d. l.* 9. § 4.

Solet & ita interdici, ne instrumenta omninò forment, ne-ve libellos concipiant, vel testationes consignent. *d. l.* 9. § 5.

Solent & sic, ne eò loci sedeant quo in publico instrumenta deponuntur; Archio fortè (*k*) vel Grammatophalacio. *d. l.* 9. § 6.

Solet & sic, ut testamenta nè ordinent, vel scribant, vel signent. *d. l.* 9. § 7.

Erit & illa Pœna, ne quis negotiis publicis interveniat. Hic enim privatis quidem interesse poterit, publicis prohibebitur: ut solent, quibus Sententiâ præcipitur ΔΗΜΟΣΙΩΝ ΑΠΕΧΕΣΘΑΙ [*id est*, publicis abstinere]. *d. l.* 9. § 8.

XXXVIII.

Sunt autem & aliæ Pœnæ, si negotiatione quis abstinere jubeatur; vel ad conductionem eorum quæ publicè locantur accedere, ut ad vectigalia publica. *d. l.* 7. § 9.

(*a*) Etsi non sit ordinarius Magistratus. Sæpè enim Populus privato quæstionem de aliquo crimine adversùs quosdam facinorosos homines mandabat.

(*b*) Refert Livius XXXVIII. Prætorem misisse *Quæstores* in possessionem bonorum Scipionis.

(*c*) *Sectoribus* scilicet. SECTORES autem dicti sunt qui spem lucri secuti, bona damnatorum simul auctionabantur; ac postea pro compendio suo singulas quisque res pecuniâ populo venditabant. Ascon. in *Verr.*

(*d*) Per graviorem pœnam, de infamiâ quasi transactum videtur: suprà lib. 3. Tit. *de His qui not. inf.* N. 13.

(*e*) Supple, *interdictum*: & ita rectè Wielingius. Alii aliter intelligunt & interpungunt: putà Woorda legit; *ad tempus, vel annis metiendum, vel etiam &c.*

(*f*) Cæsatis.

(*g*) *Juris studiosus* idem ac Jurisconsultus, nimirùm qui juris artem & studium profitebatur. Generalis appellatio est, complectens, sive eos qui assidebant Magistratibus, sive eos qui responsa consulentibus dabant, sive eos qui causas defendebant, sive *Pragmaticos* de quibus infrà.

(*h*) *Advocati* generale nomen, complectens omnes qui quoquo studio causam adjuvant; sed hic videtur accipi pro *Causidico.*

(*i*) Non omninò necessarium quod censet Salmasius, delendum VEL; & verba quæ sequuntur, ad §*um.* seq. ita esse rejicienda: *Tabellionibus sive Pragmaticis solet & ita interdici &c.*

PRAGMATICI apud Græcos, erant homines qui mercedulâ adducti ministros se præbebant oratoribus in causis agendi: Cicero *de Orat.* I. 45. Hic mos è Græciâ Romam pervenit; meminitque Quintilianus *Instit. orat.* XII. 3. eorum Pragmaticorum qui *velut tela agentibus subministrant*; id est, oratoribus causarum in Jure sæpè minùs versatis responsa Juris formulasque actionum suppeditant. De his quoque mentio est apud Juvenalem qui miseram eorum qui se ad causas orandas conferebant conditionem deplorans, ita scribit Satyr. VII.

> . . . . . *Si contigit aureus unus,*
> *Indè cadunt partes in fœdera Pragmaticorum.*

TABELLIONES sunt vel scriptores publici contractuum: l. 1. Cod. *Ut nemo ad suum patr.* vel [ut vult Brissonius] forenses homines qui instrumenta formabant, libellos concipiebant: [*Praticiens qui dressoient les Actes, les Requêtes &c.*] quales ferè apud nos in litibus *Les Procureurs*; proindèque diversi omnino ab his de quibus modò dictum est *Pragmaticis* Juris scientiâ peritis.

(*k*) Ubi tabulæ & instrumenta asservantur: [*Dépôt public.*]

Source : BIU Cujas

Interdici autem negotiatione plerùmque, vel negotiationibus solet. Sed damnare ut quis negotietur, an possit videamus? Et sunt quidem hæ Pœnæ, si quis generaliter tractare velit, inciviles; invitum hominem jubere facere, quod facere non potest. Sed si quis specialiter tractaverit, potest esse justa causa compellendi cujus ad negotiationem: quod si fuerit, sequenda erit Sententia. *d. l.* 9. § 10.

XXXIX.

Observandum etiam quod Imperator Antoninus Aurelio-Atiliano rescripsit: Præses ultra administrationis suæ tempus interdicere alicui arte suâ uti, non potest. *l.* 43. PAUL. LIB. I. RESPONS.

§ VI.

De reprobatis quibusdam Pœnarum non capitalium speciebus.

XL.

Solent Præsides in carcere continendos damnare, aut ut in vinculis contineantur. Sed id eos facere non oportet; nam hujusmodi Pœnæ interdictæ (*a*) sunt. CARCER enim AD CONTINENDOS HOMINES, NON AD PUNIENDOS haberi debet. *l.* 8. § 9. ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

Item Quæstionis habendæ causâ neminem esse damnandum (*b*), Divus Hadrianus rescripsit. *l.* 21. *ff. de Quæstion.* PAUL. LIB. SING. DE PŒNIS PAGANOR.

Prohibent etiam Valentinianus & Valens; Ne quis pro coercitione delicti, vel pistoribus, vel cuicumque alteri corpori (cùm alterius sit corporis) addicatur; sed unusquisque pro crimine in quo fuerit deprehensus, motum congruæ severitatis excipiat. *l.* 19. *Cod. h. tit.*

Prohibita est etiam Pœna Legis Remmiæ quâ calumniatores in fronte signabantur: ut vid. suprà Tit. ad SC. Turpill. *N.* 6.

Ex Novellâ CXXXIV. cap. 13. *reprobatur Pœna amputationis utriusque manûs aut pedis, necnon dissolutionis articulorum. Probatur tamen Pœna amputationis unius duntaxat manûs; sed non debet irrogari, pro furto occulto & sine armis admisso.*

ARTICULUS III.

Quæ Pœnæ in servos cadant necne.

XLI.

Quadruplex Pœnarum species in servos cadit.

Primum Pœnæ genus cum liberis omnibus commune, est Pœna mortis.

2ª. *Est ejus damnationis quæ servitutem eorum commutat, in servitutem Pœnæ.*

Talis est Pœna metalli. Nam Metalli supplicium tam ad personas liberas, quàm etiam ad serviles pertinet conditiones. *l.* 11. *Cod. h. tit.* GORDIAN.

Enimverò Servos in metallum, vel in opus metalli, item in ludum venatorium dari solere, nulla dubitatio est. Et, si fuerint dati, servi Pœnæ efficiuntur; nec ad eum pertinebunt, cujus fuerint antequàm damnarentur. *l.* 8. § 12. ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

Denique quum quidam servus in metallum damnatus, beneficio Principis esset jam Pœnâ liberatus; Imperator Antoninus rectissimè rescripsit: Quia semel domini esse desierat, servus Pœnæ factus; non esse eum in potestatem domini postea reddendum. *d. l.* 8. *d.* § 12.

Similiter Valerianus & Gallienus. Frustrà adhuc servum esse tui juris existimas; qui in metallum damnatus, Pœnâ ejus postea liberatus est. Per hujusmodi enim indulgentiæ occasionem, integrari dominium prius non placuit. *l.* 8. *Cod. de Sentent. pass.*

Obiter nota: Verùm idcircò tamen, impunè tibi eum Præses provinciæ injuriosum esse non patietur. Quòd si quid rerum tuarum tenet, Procurator vobis judex erit: fisci enim cœpit esse mancipium. *d. l.* 8. ¶ *verùm.*

Scholium.

Hodie reprobatâ à Justiniano servitute Pœnæ, servos dominium per Pœnam non mutare consequens est.

XLII.

Cæterùm nisi tale esset facinus quod morte aut pœnâ metalli dignum esset, servi ad Pœnam dominis suis non auferebantur. Itaque Servus in opus publicum perpetuum, ac multò magis temporarium, non datur (*c*).

Cùm igitur per errorem in opus temporarium fuisset datus; expleto tempore, domino servum esse reddendum respondi. *l.* 34. PAPIN. LIB. 16. RESPONS.

XLIII.

Circa Pœnas servorum notandum 3°. *Quòd in criminibus quæ Pœnas servis peculiares non continent;* In servorum personâ ita observatur, ut exemplo humiliorum puniantur: & ex quibus causis liber FUSTIBUS cæditur, ex his servus FLAGELLIS cædi, & domino reddi jubetur. Et ex quibus liber fustibus cæsus, in opus publicum damnatur; ex his servus sub Pœnâ vinculorum, ad ejus temporis spatium, flagellis cæsus, domino reddi jubetur (*d*).

Si sub Pœnâ vinculorum domino reddi jussus, non recipiatur, venumdari; & si emptorem non invenerit, in opus publicum & quidem perpetuum, tradi jubetur. *l.* 10. MACER LIB. 2. DE PUBLIC. JUDIC.

XLIV.

Tertia itaque species Pœnæ est, quæ non mutat servitutem, sed duntaxat aggravat; ut est Pœna vinculorum. Sed sive in perpetua vincula fuerit damnatus servus, sive in temporalia; ejus remanet cujus fuit antequàm damnaretur. *sup. d. l.* 8. § 13.

De hâc specie ita Diocletianus & Maximianus. Servo ex Sententiâ damnato; si quomodo ex Sententiâ, proprietatis jus amputatum non sit; domino suo obsequi eum par est. *l.* 13. *Cod. h. tit.*

In perpetua autem vel in temporaria vincula servi damnantur. Quid ergo? Servus sub Pœnâ vinculorum sine temporis præfinitione domino reddi jussus Sententiâ Præsidis provinciæ, perpetuò vinctus esse debet. *l.* 10. *Cod. h. tit.* ALEXANDER.

4ª. *Pœnæ species quæ in servos cadit, est castigatio corporis; nimirùm* (*ut etiam mox suprà obiter vidimus*) *Pœna* FLAGELLORUM: *neque enim* FUSTIBUS *cæditur servus, ut liberi homines, sed flagellis. Ita autem* Servi cæsi, reddi domino debent. *l.* 28. § 4. CALLISTRAT. LIB. 6. DE COGNITIONIB.

SECTIO II.

De officio judicis in irrogandâ Pœnâ.

Judex antequàm Pœnam irroget, tria potissimùm ponderare debet: 1°. *Quæ sit natura & atrocitas criminis:* 2°. *Quis sit probationum modus:* 3°. *Denique quæ Pœna statuenda sit.*

(*a*) Scilicet ut quis perpetuo carcere damnetur. Non videtur autem interdictum ut ad tempus quis damnetur: l. 28. § 7. ff. h. tit. & l. 1. § fin. ff. *de Aleator.*

(*b*) Igitur inexcusabiles erant ethnici Magistratus; qui Christianos de suâ religione, quæ ipsis in crimen vertebatur, confessos, quæstionum tormentis subjiciebant.

(*c*) Nisi dominus nolit eum recipere, nec sit qui eum emere velit: modò infrà. l. 10.

(*d*) Et ita conciliatur domini utilitas cum pœnâ debitâ. Nec enim facilè debent domini servis suis privari: sed citra injuriam domini, æquè punitur servus, si domino suo *In vinculis* opus facere damnetur.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS I.

De æſtimandâ naturâ & atrocitate criminis.

XLV.

Crimina quæ punienda ſunt, & quorum pleraſque ſpecies Titulis præcedentibus enumeravimus, ad quatuor genera poſſunt referri. Enimverò Aut facta puniuntur, ut furta cædeſque; aut dicta, ut convicia, & infidæ Advocationes; aut ſcripta, ut falſa, & famoſi libelli; aut conſilia, ut conjurationes, & latronum conſcientia, quoſque alios ſuadendo juviſſe ſceleris eſt inſtar. *l.* 16. CLAUDIUS-SATURNIN. LIB. SING. DE PŒNIS PAGANOR.

At verò ſolius Cogitationis Pœnam nemo patitur. *l.* 18. ULP. LIB. 3. AD ED.

Atque hinc apud Gellium VII 3. *Cato Rhodienſes qui Romanis bellum facere voluiſſe arguebantur, hâc optimâ ratione defendit;* NEMINEM PŒNAS DARE, QUOD ARGUATUR MALE FACERE VOLUISSE (*a*).

XLVI.

Jam verò : Sed hæc quatuor genera conſideranda ſunt ſeptem modis; causâ, perſonâ, loco, tempore, qualitate, quantitate & eventu. *ſup. d. l.* 16. § 1.

§ I.

De Cauſâ *in delictis conſiderandâ.*

XLVII.

Maximè in factis cauſa faciendi ſpectanda eſt. Nam factum aut noxium eſt aut innoxium ex Causâ; ut in verberibus, quæ impunita ſunt à magiſtro allata, vel parente; quoniam emendationis, non injuriæ gratiâ videntur adhiberi : puniuntur, quum quis per iram ab extraneo pulſatus eſt. *d. l.* 16. § 2.

XLVIII.

Sed & quum cauſa faciendi juſta non fuit; refert an propoſito ſeu conſultò, an impetu, an caſu admiſſum ſit. Delinquitur autem aut propoſito, aut impetu, aut caſu. PROPOSITO delinquunt latrones, qui factionem habent; IMPETU autem, quum per ebrietatem ad manus aut ad ferrum venitur; CASU verò; quum in venando telum in feram miſſum, hominem interfecit. *l.* 11. § 2. MARCIAN. LIB. 2. DE PUBLIC. JUDIC.

Et quidem Refert & in majoribus delictis, conſultò aliquid admittitur, an caſu. Et ſanè in omnibus criminibus, diſtinctio hæc Pœnam aut juſtam (*b*) eligere debet, aut temperamentum admittere. *l.* 5. § 2. ULP. LIB. 7. DE OFFIC. PROCONS.

Sed & quum quid propoſito admiſſum eſt, refert quale propoſitum fuerit. Nam pro majori aut minori malignitate propoſiti, major aut minor irrogatur Pœna; ut ex duabus circa idem factum ſpeciebus ſequentibus liquebit. Videlicèt Cicero in Oratione PRO Cluentio-Avito ſcripſit; Mileſiam quamdam mulierem quum eſſet in Aſiâ, quòd ab heredibus ſecundis acceptâ pecuniâ partum ſibi medicamentis ipſa abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam (*c*).

Sed & ſi qua viſceribus ſuis poſt divortium (quòd prægnans fuit) vim intulerit, ne ut jam inimico marito filium procrearet (*d*); ut temporali exilio (*e*) coerceatur, ab optimis Imperatoribus noſtris reſcriptum eſt. *l.* 29. TRYPHONIN. LIB. 10. DISPUT.

§ II.

De Perſonâ *in delictis ſpectandâ.*

XLIX.

Perſona dupliciter ſpectatur, ejus qui fecit, & ejus qui paſſus eſt. Aliter enim puniuntur ex iiſdem facinoribus ſervi, quàm liberi; & aliter qui quid in dominum parentem-ve auſus eſt, quàm qui in extraneum; in Magiſtratum (*Malè in Florent.* Magiſtrum), vel in privatum.

In ejus rei conſideratione, ætatis quoque ratio habeatur. *l.* 16. § 3. CLAUDIIS-SATURN. LIB. SING. DE PŒN. PAGAN.

L.

1°. *Igitur inſpici debet perſona in quam admiſſum eſt. Nam* Omnia admiſſa in patronum, patroni-ve filium, patrem, propinquum, maritum, uxorem, cæteraſque neceſſitudines graviùs vindicanda ſunt quàm in extraneos. *l.* 28. § 8. CALLISTRAT. LIB. 6. DE COGNIT.

LI.

2°. *Inſpici debet perſona quæ fecit; putà, an miles, an paganus. Enimverò* Quædam delicta pagano, aut nullam aut leviorem Pœnam irrogant; militi verò graviorem. Nam ſi miles artem ludicram fecerit, vel in ſervitutem ſe vænire paſſus eſt; capite puniendum Menander ſcribit. *l.* 14. MACER LIB. 2. DE RE MILITARI.

Item inſpici debet an perſona quæ fecit, ea ſit quæ primâ vice peccaverit, ad ea quæ jam emendata fuerat. CONSUETUDO ENIM PECCANDI, AUGET PECCATUM ET PŒNAM.

Hoc liquet ex ſpecie ſequenti, quam refert Calliſtratus. Solent quidam, qui vulgò ſe JUVENES appellant, in quibuſdam civitatibus, turbulentis ſe acclamationibus popularium accommodare. Qui ſi nihil ampliùs admiſerint, nec ante ſint à Præſide admoniti; fuſtibus cæſi dimittuntur, aut etiam ſpectaculis eis interdicitur. Quòd ſi ita correcti, in eiſdem deprehendantur; exilio puniendi ſint : nonnunquàm capite plectendi; ſcilicet quum ſæpiùs, ſeditiosè & turbulentè ſe geſſerunt; & aliquoties adprehenſi, tractati clementiùs in eâdem temeritate propoſiti perſeveraverint. *ſup. d. l.* 28. § 3.

Item ætas admittentis inſpicitur; ſcilicet ut minuat Pœnam, non ut in totum excuſet.

Hinc Alexander. Impunitas delicti propter ætatem non datur; ſi modò in eâ quis ſit, in quam crimen quod intenditur, cadere poteſt. *l.* 7. *Cod. h. tit.*

§ III.

De Loco & Tempore *in delictis ſpectando.*

LII.

In delictis ſpectandus etiam eſt locus in quo admiſſum eſt. Enimverò Locus facit, ut idem vel furtum vel ſacrilegium (*f*) ſit; & capite luendum, vel minore ſupplicio. *l.* 16. § 4. CLAUDIUS-SATURN. LIB. SINGUL. DE PŒNIS PAGANOR.

LIII.

Tempus quoque in delictis ſpectatur. Nam Tempus

(*a*) Et hanc regulam pro certiſſimâ habe, ſi ea cogitatio fuit qui intra fines cogitationis ſteterit. Quòd ſi ad aliquem externum actum profiluerit, licèt exitus ſecutus non ſit; ex eo tamen ſolo voluntas in quibuſdam atrocioribus criminibus punitur : ut vid. ſuprà Tit. *ad L. Cornel. de Sicar.* N. 15.

(*b*) Lege definitam. Pro verbo autem *Eligere*, Burgius legendum cenſet *Exigere* vel *elicere*. Bynkershoek lectionem tuetur ut ſenſus ſit, prout conſultò aut caſu factum eſt, judicem electurum *Pœnam* legitimam aut *temperamentum*.

(*c*) Nec injuriâ, ut addit Cicero; nimirùm *Quæ ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, heredem familiæ, & deſignatum Reipublicæ civem ſuſtulit.*

(*d*) Minor in hoc caſu quàm in ſuperiore malignitas, cùm hîc ita commota fecerit.

(*e*) Relegatione.

(*f*) Obſtare videtur lex 5. ff. *ad L. Jul. Peculat.* quæ definit SACRILEGIUM non eſſe, ſi res profana etſi ex loco ſacro ſurrepta ſit. Cujacius agnoſcit antinomiam; & ait, Saturninum ſcripſiſſe antequàm hoc Conſtitutione Severi definitum fuiſſet. Sed Bynkershoek has leges rectè conciliat : Nulla eſt (inquit) differentia loci, quum res profana ſubripitur; etſi enim è loco Sacro ſurripiatur, furtum duntaxat, non SACRILEGIUM eſt. d. l. 5. ff. *ad L. Jul. Pecul.* Verùm in furto rei ſacræ locus diſtinguit furtum à ſacrilegio : quum enim res ſacra ex loco profano ſurripitur; furtum eſt, non ſacrilegium; ſi quidem ſacrilegium nonniſi *dolo malo* (l. 1. ff. d. Tit. *ad L. Jul. pec.*) id eſt ab eo qui rei ſacræ ſcientiam habuit, committitur : hæc autem ſcientia in eo minimè poteſt ſupponi qui rem ſacram in loco prophano ubi ſacra eſſe non ſolent apprehendit. Similis diſtinctio habetur circa crimen peculatûs in libro I. *Ad Herenn.* cap. 12. ubi FURTI non PECULATUS agi oportere dicitur, quum ex loco privato vaſa publica ablata ſunt.

Source : BIU Cujas

diſcernit emanſorem à fugitivo ; effractorem vel furem diurnum, à nocturno. *d. l.* 16. § 5.

§ IV.

De facti Qualitate *ſpectandâ in delicto.*

L IV.

Æſtimantur etiam delicta ex facti Qualitate ; quum factum vel atrocius vel levius eſt, ut furta manifeſta à nec manifeſtis diſcerni ſolent, rixæ à graſſaturis (*a*), expilationes à furtis, petulantia à violentiâ. Quâ de re maximus apud Græcos Orator Demoſthenes ſic (*b*) ait : ΟΥ' ΓΑΡ Η' ΠΛΗΓΗ' *&c.* [*id eſt*] « *Non* enim plaga » repræſentat contumeliam (*c*), ſed dedecoratio. Neque » verberari liberis eſt malum (*d*), quamvis eſt malum ; » [ſed] ſi in contumeliam. Multa enim utique facit » qui verberat. O viri Athenienſes (quorum, qui » patitur, quædam neque annuntiare poterit alii), » ſchemate (*e*), aſpectu, voce ; quum verberat ut » contumeliam inferens, quum ut inimicus. Exiſtens, » quum verberat fuſtibus quum in pupillâ (*f*). Hæc » movent, hæc extra ſe conſtituunt (*g*) homines » eorum non aſſuetos exiſtentes, [ſcilicet] ut convicia- » rentur (*h*). » *d. l.* 16. § 6.

§ V.

De Quantitate *in delictis conſiderandâ.*

L V.

Quantitas diſtinguit furem ab abigeo. Nam qui unum ſuem ſubripuerit, ut fur coercebitur ; qui gregem, ut abigeus. *l.* 16. § 7.

Maximè autem in furtis domeſticis quantitas ſpectatur. Etenim Furta domeſtica ſi viliora (*Aliàs* leviora) ſunt, publicè vindicanda non ſunt. Nec admittenda eſt hujuſmodi accuſatio ; quum ſervus à domino, vel libertus à patrono in cujus domo moratur, vel mercenarius ab eo cui operas ſuas locaverat, offeratur quæſtioni. Nam (*i*) domeſtica furta vocantur, quæ ſervi dominis, vel liberti patronis, vel mercenarii [iis] apud quos degunt, ſubripiunt. *l.* 11. § 1. MARCIAN. LIB. 2. DE PUBLIC. JUDICIIS.

§ VI.

De Eventu *in delictis ſpectando.*

L VI.

Eventus ſpectetur, ut à clementiſſimo quoque facta (*k*) : (quanquàm Lex non minùs eum qui occidendi hominis causâ cum telo fuerit, quàm eum qui occiderit, puniat). Et ideò apud Græcos exilio voluntario (*l*) fortuiti caſus luebantur, ut apud præcipuum Poetarum (*m*) ſcriptum eſt : ΕΥ'ΤΕ ΜΕ' *&c.* [*id eſt*]

« Quando me parvulum exiſtentem, Menœtius ex
» Opunte (*n*),
» Duxit ad veſtram domum, parricidium (*o*) ob triſte
» Die illo quum filium occidi Amphidamantis
» Imprudens', invitus, circa talos (*p*) iratus *l.* 16. § 8.

CLAUDIUS-SATURN. LIB. SING. DE PŒNIS PAGANOR.

Eventum in delictis interdum ſpectari, liquebit etiam ex ſpecie ſequenti. Nimirùm Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etſi dolo non faciant ; tamen quia mali exempli res eſt, humiliores in metallum, honeſtiores in inſulam amiſsâ parte bonorum relegantur. Quòd ſi eo mulier aut homo perierit, ſummo ſupplicio adficiuntur.

Scholium.

Circa hæc varia temperamenta (*de quibus in hoc toto Articulo, & infrà N.* 60. & 61.) *quæ ſcilicet pro variâ admiſſi qualitate aliis-ve circumſtantiis, arbitrio judicis relinquuntur ; notandum eſt, non omnia olim obtinere potuiſſe in Publicis judiciis. In his ſiquidem non licebat recedere à pœnâ Lege judicii ſtatutâ : & huic indiſtinctè locus erat, quoties crimen animo delinquendi admiſſum probaretur ; ſin minùs, reus erat abſolvendus.*

At verò quoties extra ordinem cognoſcebatur, his omnibus locus erat. Etſi enim regulariter, ne in Extraordinariis quidem, crimen ſine dolo non videatur admitti ; tamen interdum ſolam imprudentiam, imò aliquando & caſum (*ut in Homicidio*), *aliquâ pœnâ puniri res poſtulat ; & in ipſo delinquendi propoſito major minor-ve malignitas, Pœnam vel graviorem vel leviorem exigit irrogari. Quod totum pendet ex æſtimatione judicantis ; cui liberum, in iis criminibus quæ* EXTRAORDINARIA *dicebantur, permiſſum erat circa Pœnas arbitrium.*

Porrò, etiam dum vigerent judicia Publica ; apud antiquos ſcriptores frequenter videmus, decretas, non ex Publicorum Legibus, ſed Extra ordinem *de criminibus cognitiones. Et ex multis paſſim in totâ hâc Sectione textibus patet, jam ante Pauli tempora minùs frequentari cœpiſſe Pœnas Legitimas &* Publicorum *judicia ; quæ ſenſim tandem, penitùs exoleverunt. Undè Juſtinianus* (*cujus ævo & ipſe judiciorum civilium ordo, licèt longè diutiùs in uſu perſeveraſſet ;* EXTRAORDINARIUS *quoque factus erat*), *in Criminalibus hæc omnia de quibus loquimus Temperamenta generaliter & indiſtinctè voluit in libris ſuis exhiberi.*

ARTICULUS II.

De æſtimando probationum modo.

L VII.

Maximè debet judex ponderare an planè probatum ſit crimen, antequàm Pœnam irroget.

Quâ de re ita Conſtantinus. Qui Sententiam laturus eſt, temperamentum hoc teneat ; ut non priùs capitalem in quempiam promat ſeveramque Sententiam, quàm in adulterii homicidii vel maleficii crimine, aut

(*a*) GRASSATURA à *Graſſati*, undè etiam *Graſſatores*. Budæus interpretatur eos qui in urbibus aut vicis vias obſident, & obvios quoſque mortem ipſis comminando ſpoliant. De quibus Juvenalis Satyr. III.

Interdum & ferro ſubitus GRASSATOR *agit rem.*

Hæc Graſſatura differt à *Rixâ*, quæ eſt aggreſſura minùs noxia ; ut illa Indibunda quam deſcribit ibid. Juvenalis : *Miſeræ cognoſce proœmia* RIXÆ.

(*b*) Locus ille deſumptus eſt ex oratione Demoſthenis contra quemdam Mediam à quo pugno cæſus fuerat in theatro in ludis Dionyſiis, quum tunc Demoſthenes eſſet Curator horum ludorum.

(*c*) *Plaga* per ſe, non contumeliam, ſed nihil aliud repræſentat quàm malum aut vulnus in membro corporis ejus qui percuſſus eſt : *Dedecoratio* autem, quæ contumeliam facit, aliundè quàm ex ipsâ plagâ [nimirùm ex affectu ejus qui plagam intulit] æſtimanda eſt.

(*d*) Liberi homines in verberibus, non habent pro malo ipſa verbera ſeu dolorem ex verberibus. Sed hoc malum reputant, ſi in contumeliam verberentur.

(*e*) Id eſt ; habitu oris & geſtu. Scilicet præter ipſum verberantis actum, multa ſunt in geſtu, aſpectu, voce ; quæ is qui paſſus eſt, non poteſt alii repreſentare, & in quibus tamen dedecus & contumelia conſiſtit.

(*f*) Id eſt, *in pupillâ oculi*. Senſus eſt : atrocitas contumeliæ ſæpè non tam ſenſibus, quàm intellectu æſtimatur ; ut ſi quis verberetur non ſimpliciter non manu, ſed *fuſtibus* ; item ut in oculo magis quàm in aliâ quavis parte corporis.

(*g*) Id eſt, perturbant.

(*h*) Paſſivè, pro *convicium paterentur* ; id eſt, homines ad talia convicia non aſſuetos.

(*i*) Supple : ejuſmodi enim ſunt quæ *Furta domeſtica* dicimus. *Nam*, *&c.*

(*k*) Supple, cædes puniatur. Aliàs à *dementiſſimo* : ſed malè, cùm in dementem æquè ac furioſum nulla cadat Pœna, ſicut nec delictum & dolus ; ſuprà Tit. *ad L. Cornel. de Sicar.* N. 12.

Senſus eſt ; ita eventus ſpectatur in delictis, putà in homicidio, ut etiam puniantur facta imprudenter *à clementiſſimo* homine : ab eo V. G. qui nullam occidendi voluntatem habebat, tamen propter eventum punitur facta cædes. Quanquam videri poſſet, non eſſe eam puniendam, cùm in delictis voluntas maximè ſpectetur ; ita ut, etiam quum eventus ſecutus non eſt, puniatur : ut in ſpecie ejus qui cum telo occidendi gratiâ ambulavit, nec occidit. Verùm quamvis maximè voluntas ſpectetur, tamen & eventus etiam ſpectetur ; & involuntaria delicta ab imprudentibus admiſſa puniuntur, non quidem pœnâ Legis à quâ ſemper excuſatur qui non habuit animum delinquendi, ſed extra ordinem.

(*l*) *Exiilum voluntarium* intellige ; vel quod quis ſponte eligit, damnationem præveniens ; vel illud quod nullo circumſcribitur loco, relinquitque exuli facultatem vagandi quò velit.

Quod porrò hîc dicitur, etiam fortuitos caſus pœnæ ſubjici ; intellige, in homicidio ſcilicet ; in quo ſingulariter id receptum ob ſummam communemque inter omnes homines cognationem.

(*m*) Homerum nempè apud quem [*Iliad.* XXIII. 85.] Patrocli umbra ita Achillem alloquitur.

(*n*) *Opus*, urbs Bœotiæ ; à quâ Sinus Opuntius [hodie, *le Golfe de Négrepont*]. De eâ etiam ita Ovidius *de Ponte* lib. 1. Eleg. 4.

Cæde puer factâ Patroclus Opunta reliquit.

(*o*) Homicidium.

(*p*) In *Talorum* ludo.

Source : BIU Cujas

ſuâ confeſſione, aut certè omnium qui tormentis vel interrogationibus fuerint dediti, in unum conſpirante concordanteque rei finem, convictus ſit; & ſic in objecto flagitio deprehenſus, ut vix etiam ipſe ea quæ commiſerit, negare ſufficiat. *l.* 16. *Cod. h. tit.*

LVIII.

Cæterùm Divus Severus reſcripſit; Confeſſiones (*a*) reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, ſi nulla (*b*) probatio religionem cognoſcentis inſtruat. *l.* 1. § 17. *ff. de Quæſtionib.* ULP. LIB. 8. DE OFFIC. PROCONS.

Multò magis; Si quis ultrò (*c*) de maleficio fateatur: non ſemper ei fides habenda eſt. Nonnunquam enim aut metu (*d*), aut quâ aliâ de causâ, in ſe confitentur. *d. l.* 1. § 27. *d. tit.*

ARTICULUS III.

De æſtimandâ eâ quæ irrogari debet Pœnâ.

LIX.

In publicis judiciis (ut diximus) Pœna judicis æſtimationi non relinquebatur, ſed Lege ſtatuta erat. Undè, quum ſemel judex reum objecti criminis convictum pronuntiaſſet; etſi nil de Pœnâ expreſſiſſet, Pœna Legis ſequebatur.

Quid ergo in ſpecie ſequenti, ſcilicet in eo qui DE VI *ſimpliciter damnatus eſt? Etenim præter Interdictum* DE VI *quo civiliter agitur, duæ ſunt Leges Juliæ ex quibus criminaliter agi poteſt;* DE VI PUBLICA *nimirùm, &* DE PRIVATA.

Igitur Si Præſes vel judex ita interlocutus ſit, VIM FECISTI: ſi quidem ex Interdicto, non erit notatus; nec Pœna Legis Juliæ ſequetur. Si verò ex crimine, aliud eſt. Quid ſi non diſtinxerit Præſes utrùm Juliâ PUBLICORUM; an Juliâ PRIVATORUM? Tunc ex crimine erit æſtimandum. Sed ſi utriuſque Legis crimina objecta ſunt; mitior Lex, id eſt Privatorum, erit ſequenda. *l.* 32. ULP. LIB. 6. AD ED.

Circa Pœnas legitimas, & illud diligenter nota. SANCTIO Legum, quæ noviſſimè certam Pœnam irrogat iis qui præceptis Legis non obtemperaverint, ad eas ſpecies pertinere non videtur, quibus ipsâ Lege Pœna ſpecialiter addita eſt. Nec ambigitur, in cætero omni Jure SPECIEM GENERI DEROGARE. Nec ſanè veriſimile eſt, delictum unum eâdem Lege variis æſtimationibus coerceri. *l.* 41. PAPIN. LIB. 2. DEFINIT.

LX.

Publica judicia, & Pœnæ legitimæ exoleverunt.

Igitur Hodie licet ei qui extra ordinem de crimine cognoſcit, quam vult Sententiam ferre; vel graviorem vel leviorem: ita tamen, ut in utroque modo rationem non excedat. *l.* 13. ULP. LIB. 1. DE APPELL.

In primis autem Perſpiciendum eſt judicanti, ne quid aut duriùs aut remiſſiùs conſtituatur quàm cauſa depoſcit. Nec enim vel ſeveritatis aut clementiæ gloria affectanda eſt; ſed perpenſo judicio, prout quæque res expoſtulat, ſtatuendum eſt. Planè in levioribus cauſis proniores ad lenitatem judices eſſe debent; in gravioribus, Pœnis ſeveritatem Legum cum aliquo temperamento benignitatis (*e*) ſubſequi. *l.* 11. MARCIAN. LIB. 2. DE PUBLIC. JUDICIIS.

Enimverò Interpretatione Legum, Pœnæ molliendæ ſunt potiùs quàm aſperandæ. *l.* 42. HERMOGEN. LIB. 1. EPITOM.

Et generaliter, In Pœnalibus cauſis benigniùs interpretandum eſt. *l.* 155. § 2. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 65. AD ED.

LXI.

In determinandâ autem Pœnâ judex conſiderare debet, non ſolùm naturam & atrocitatem criminis de quâ mox ſuprà Art. 1°. *verùm etiam provinciam in quâ admiſſum eſt, frequentiam ſimilium delictorum, tempus quo quis in reatu fuit, denique conditionem & perſonam nocentis.*

Et 1°. *provinciam in quâ delictum admiſſum eſt. Nam* Evenit ut eadem ſcelera, in quibuſdam provinciis graviùs plectantur; ut in Africâ meſſium incenſores; in Myſiâ, vitium; ubi metalla ſunt, adulteratores monetæ. *l.* 16. § 9. CLAUDIUS-SATURN. LIB. SING. DE PŒN. PAGAN.

2°. *Judex debet etiam reſpicere ad frequentiam ſimilium delictorum. Nam* Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur; quotiens nimirùm multis perſonis graſſantibus exemplo opus ſit. *d. l.* 16. § 10.

3°. *In æſtimandâ Pœnâ ratio etiam interdum habetur temporis quo quis in reatu fuit. Enimverò* Si diutino tempore aliquis in reatu (*f*) fuerit, aliquatenùs Pœna ejus ſublevanda erit. Sic enim conſtitutum eſt; non eo modo puniendos eos qui longo tempore in reatu agunt, quàm eos qui in recenti Sententiam excipiunt. *l.* 25. MODESTIN. LIB. 12. PANDECT.

4°. *Obſervanda eſt conditio perſonæ nocentis. Et* Majores noſtri in omni ſupplicio ſeveriùs ſervos quàm liberos, famoſos quàm integræ famæ homines, punierunt. *l.* 28. § 16. CALLISTR. LIB. 6. DE COGNITION.

Plebeii quoque ſeveriùs puniuntur quàm Decuriones: ut vidimus paſſim, & adhuc mox infrà latiùs N. 63.

LXII.

Quædam etiam Pœnæ ſunt quæ nonniſi liberis hominibus, quædam quæ nonniſi ſervis irrogantur.

Circa liberos enim, Mandatis Principalibus quæ Præſidibus dantur, cavetur; Ne quis perpetuis vinculis damnetur. Idque etiam Divus Hadrianus reſcripſit. *l.* 35. CALLISTR. LIB. 1. QUÆST.

Item Antoninus. Incredibile eſt quod allegas, liberum hominem ut vinculis perpetuis contineretur eſſe damnatum. Hoc enim vix in ſolâ ſervili conditione procedere poteſt. *l.* 6, *Cod. h. tit.*

Id porrò in ſervis procedere ſuprà vidimus Sect. præced. Art. 3. *ubi & de aliis ſervorum Pœnis.*

Circa hoc liberos inter & ſervos Pœnarum diſcrimen; obſervandum quòd Statuliber in delicto repertus, ſperandæ libertatis prærogativâ, non ut ſervus ob ambiguum conditionis, ſed ut liber puniendus eſt. *l.* 14. *ff. de Quæſtion.* MODEST. LIB. 8. REGUL.

Enimverò Statuliberum quaſi liberum eum (*g*) jam puniendum, Divus Pius (*h*) Salvio-Marciano reſcripſit. *l.* 9. § 16. ULP. LIB. 10. DE OFFIC. PROCONS.

LXIII.

Quædam etiam Pœnæ ſunt plebeiis peculiares, & quæ in nobiles non cadunt.

Undè recenſitis de quibus in Sect. præced. variis Pœnarum generibus, ita Ulpianus pergit: Iſtæ ferè ſunt Pœnæ quæ injungi ſolent.

Sedenim ſciendum eſt diſcrimina eſſe Pœnarum, neque omnes eâdem Pœnâ adfici poſſe. Nam in primis Decuriones in metallum damnari non poſſunt, nec in opus metalli, nec furcæ ſubjici, vel vivi exuri. *d. l.* 9. § 11.

(*a*) *Confeſſionem* intellige, non extrajudicialem: ait enim *Confeſſione* REORUM; *reos* igitur factos, adeoque judicium cœptum ſupponit. Nec etiam intellige *Confeſſionem* tormentis extortam, de quâ ſuprà Tit. præced. Sed confeſſionem liberam rei ex Legibus interrogati.

(*b*) Scilicet ſaltem conſtare de corpore delicti.

(*c*) Non interrogatus. Ita Schultingius in *Diſſert.* ad h. §am.

(*d*) Exemplum vide infrà N. 67. in l. 1. § 1. ff. *de Quæſtionib.*

(*e*) Quod hodie in omnibus judiciis locum habet: *Schol.* ſuprà N. 36.

(*f*) Maximè ſi interim reus in vinculis fuit. In partem enim pœnæ cedere debet ſqualor carceris, in quo diutiùs quàm par fuerat retentus eſt.

(*g*) Duyrſema [in *Actis Lipſiens.*] legit *liberum reum.*

(*h*) Cenſet Rævardus hic *Divum Pium* appellari Antoninum-Caracallam, qui etiam hoc cognomen ſumpſit. Et quod Ulpianus ſcribit in l. 1. § 3. ff. *Si is qui teſtam. lib.* eum qui ſub conditione libertatem accepit, poſſe interim ut ſervum coerceri; ante hanc Conſtitutionem ſcriptum eſſe. Hoc etiam colligere eſt ex particulâ JAM, quæ denotat Ulpiani tempora.

Source : BIU Cujas

Imò, ut reſcribit Antoninus; Decurionem in opus publicum dari non oportere, manifeſtum eſt. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

Et ſi fortè hujuſmodi Sententiâ fuerint affecti; liberandi erunt. Sed hoc non poteſt efficere, qui Sententiam dixit; verùm referre ad Principem debet, ut ex auctoritate ejus, Pœna aut permutetur aut liberetur. *ſub d. l.* 9. *d.* § 11. ¶ *& ſi.*

Vix eſt etiam, ut cæteræ ultimi ſupplicii ſpecies in Decuriones cadant. Nam Divus Hadrianus eos qui in numero Decurionum eſſent, capite puniri prohibuit; niſi ſi qui parentem occidiſſent. Verùm Pœnâ Legis Corneliæ puniendos (*a*), Mandatis pleniſſimè cautum eſt. *l.* 15. VENULEIUS-SATURN. LIB. I. DE OFFIC. PROCONS.

Similiter Decuriones civitatium, propter capitalia crimina deportandos vel relegandos, Divi Fratres reſcripſerunt. Denique Priſcum in homicidio & incendio nominatim ante quæſtionem confeſſum, in inſulam deportari juſſerunt. *l.* 6. § 2. *ff. de Interd. & releg.* ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

Illud quoque De Decurionibus & principalibus civitatium qui capitale admiſerunt, Mandatis cavetur; ut ſi quis id admiſiſſe videatur, propter quòd relegandus extra provinciam in inſulam ſit; Imperatori ſcribatur, adjectâ ſententiâ à Præſide. *l.* 27. § 1. CALLIST. LIB. 5. DE COGNIT.

Alio quoque Capite Mandatorum in hæc verba cavetur: « Si qui ex principibus alicujus civitatis, latrocinium fecerint; aliud-ve quod facinus, ut capi» talem Pœnam meruiſſe videatur, commiſerint; vinc» tos eos cuſtodies, & mihi ſcribes; & adjicies, quid » quiſque commiſerit. » *d. l.* 27. § 2.

LXIV.

Parentes quoque & liberi Decurionum, in eâdem causâ ſunt. *l.* 9. § 13. ULP. LIB. 10. DE OFFIC. PROCONS.

Hinc Alexander. Si matrem tuam, Decurionis filiam fuiſſe probatum fuerit; apparebit eam non oportuiſſe in miniſterium metallicorum, nec in opus metalli dari. *l.* 9. *Cod. h. tit.*

Item Diocletianus & Maximianus In Conſiſtorio dixerunt: Decurionum filii non debent beſtiis ſubjici. Quumque à populo exclamatum eſſet, iterùm dixerunt: VANÆ VOCES POPULI NON SUNT AUDIENDÆ. Nec enim vocibus eorum credi oportet, quando aut noxium crimine abſolvi, aut innocentem condemnari (*b*) deſiderant. *l.* 12. *Cod. h. tit.*

Decurionem Liberos, non tantùm filios accipere debemus, verùm omnes liberos. *l.* 9. § 13. ULP. LIB. 10. DE OFFIC. PROCONS.

Sed utrùm hi ſoli qui poſt Decurionatum ſuſcepti ſunt, his Pœnis non adficiantur; an verò omnes omninò liberi etiam in plebeiâ familiâ ſuſcepti, videndum eſt? Et magis puto, omnibus prodeſſe debere. *d. l.* 9. § 14.

Planè ſi parens Decurio eſſe deſierit; ſi quidem jam Decurione fuerit editus, proderit ei ne adficiatur. Enimverò ſi poſteaquàm plebeius factus eſt, tunc ſuſcipiat filium; quaſi plebeio editus, ita erit plectendus. *d. l.* 9. § 15.

Obſervandum etiam quod Paulus Reſpondit: Eum qui ſolo ſuo admiſſo Decurionum honorem amiſit; non poſſe in Pœnis evitandis, Decurionis filii honorem vindicare. *l.* 43. § 1. PAUL. LIB. 1. RESP.

LXV.

Hactenùs de Decurionibus.

Veterani & eorum liberi annumerandi ſunt etiam inter eos qui in dignitate poſiti videntur. Enimverò Honor veteranis etiam in eo habitus eſt, ut liberi eorum uſque ad primum duntaxat gradum, Pœnâ metalli vel operis publici non adficiantur; ſed in inſulam relegentur. *l.* 5. *Cod. h. tit.* ANTONIN.

Et generaliter, omnes in aliquo honore poſiti diſtinguntur à tenuioribus circa Pœnas.

Hinc Calliſtratus. Non omnes fuſtibus cædi ſolent, ſed hi duntaxat qui liberi ſunt; & quidem tenuiores homines. Honeſtiores verò fuſtibus non ſubjiciuntur: idque Principalibus Reſcriptis ſpecialiter exprimitur. *l.* 28. § 2. CALLISTR. LIB. 6. DE COGNIT.

Et (ut generaliter dixerim) omnes qui fuſtibus cædi prohibentur, eamdem habere honoris reverentiam debent quam Decuriones habent. Eſt enim inconſtans dicere, eum quem Principales Conſtitutiones fuſtibus ſubjici prohibuerunt, in metallum dari poſſe. *d. l.* 28. § 5.

Vivi-comburium eſt etiam pœna quæ nonniſi in humiliores cadit. Hinc Calliſtratus: Igni cremantur plerùmque ſervi, qui ſaluti dominorum ſuorum inſidiaverint; nonnunquam etiam liberi plebeii, & humiles perſonæ. *l.* 28. § 11. CALLISTR. LIB. 6. DE COGNIT.

LXVI.

Circa ea quæ de inſpiciendâ conditione perſonæ diximus, unum obſervandum ſupereſt. Nimirùm Quotiens de delicto quæritur, placuit non eam Pœnam ſubire quem debere, quam conditio ejus admittit eo tempore quo Sententia de eo fertur; ſed eam quam ſuſtineret, ſi eo tempore eſſet Sententiam paſſus (*c*) quum deliquiſſet. *l.* 7. ULP. LIB. 8. DISPUT.

Proindè ſi ſervus crimen commiſerit, deindè libertatem conſecutus dicetur; eam Pœnam ſuſtinere debet, quam ſuſtineret, ſi tunc Sententiam paſſus fuiſſet quum deliquiſſet. *d. l.* 1. § 1.

Per contrarium quoque, ſi in deteriorem conditionem fuerit redactus; eam Pœnam ſubire eum oportebit, quam ſuſtineret ſi in conditione priore duraſſet. *d. l.* 1. § 2.

SECTIO III.

De Pœnâ; quum ſemel irrogata eſt, non retractandâ; ſed executioni mandandâ, aut etiam augendâ adversùs contumacem.

ARTICULUS I.

De Pœnâ non retractandâ.

LXVII.

Pœnam ſuâ dictam Sententiâ, Præſidi provinciæ revocare non licet. *l. Cod. h. tit.* DIOCL. ET MAXIM.

Sed & De ampliandâ vel minuendâ Pœnâ damnatorum poſt Sententiam dictam, ſine Principali auctoritate nihil eſt ſtatuendum. *l.* 45. § 1. *ff. de Re judicat.* PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Divi Fratres Harruntio-Siloni reſcripſerunt, NON ſolere Præſides provinciarum, ea quæ pronuntiaverunt ipſos reſcindere. Verinæ quoque Italicenſi reſcripſerunt, SUAM MUTARE SENTENTIAM NEMINEM POSSE: idque inſolitum eſſe fieri. Si tamen de ſe quis mentitus fuerit, vel quum non haberet probationum inſtrumenta, quæ poſtea repererit, Pœnâ afflictus ſit: nonnulla

(*a*) Deportatione ſcilicet.

(*b*) Et hîc optimè notat Gloſſa, Pilatum ergo nullatenùs excuſari potuiſſe; qui *Ad vanas Populi voces*, Chriſtum ſibi pro innocente habitum condemnavit.

(*c*) Regula quæ hîc traditur, in publicis criminibus maximè obtinet; quia cùm eorum certa eſſet Pœna; is qui crimen admiſerat, ſtatim ex momento admiſſi criminis huic certæ Pœnæ obligabatur, nec per mutationem conditionis, hanc ſuæ perſonæ obligationem mutare poterat. In extraordinariis autem criminibus, cùm nulla ſit certa eorum Pœna, hæc ratio ceſſat, & regula non obſervatur: ut conſtat ex l. 5. ff. *Si ex nox. cauſ. ag.* in quâ dicitur, ab eo qui poſt crimen admiſſum liber factus eſt, aliter ſumi vindictam ac ſi ſervus manſiſſet.

Source : BIU Cujas

extant Principalia Reſcripta, quibus vel Pœna eorum minuta eſt, vel in integrum reſtitutio conceſſa. Sed id duntaxat à Principibus fieri poteſt. *l.* 27. CALLISTRAT. LIB. 5. DE COGNITION.

Et extat epiſtola Divorum Fratrum ad Voconium Saxam; quâ continetur liberandum eum qui in ſe fuerat confeſſus, cujus poſt damnationem de innocentiâ conſtitiſſet. Cujus verba hæc ſunt, « PRUDENTER & » egregiâ ratione humanitatis, Saxa cariſſime, Primi» tium ſervum qui homicidium in ſe confingere metu » ad dominum revertendi ſuſpectus eſſet, perſeveran» tem falsâ demonſtratione damnaſti; quæſiturus de » conſciis quos æquè habere ſe commentitus fuerat, » ut ad certiorem ipſius de ſe confeſſionem pervenires. » Nec fruſtrà fuit tam prudens conſilium tuum; cùm » in tormentis conſtiterit, neque illos ei conſcios fuiſſe, » & ipſum de ſe temerè commentum. Potes itaque » Decreti gratiam facere, & eum per Officium diſtrahi » jubere; conditione additâ, ne unquam in poteſtatem » domini revertatur: quem pretio recepto certum ha» bemus libenter tali ſervo carituram. » Hâc epiſtolâ ſignificatur; quaſi ſervus damnatus, ſi fuiſſet reſtitutus, ad eum pertinebit cujus fuiſſet antequàm damnetur. Sed Præſes provinciæ eum quem damnavit, reſtituere non poteſt, cùm nec pecuniariam Sententiam ſuam revocare poſſit. Quid igitur? Principi eum ſcribere oportet; ſi quando ei, ejus qui nocens videbatur, ratio innocentiæ conſtituit. *l.* 1. § 1. *ff. de Quæſtionib.* ULP. LIB. 8. DE OFF. PROCONS.

LXVIII.

Cùm Præſes Sententiam retractare non poſſit; hinc Ad Beſtias damnatos, favore populi Præſes dimittere non debet. Sed ſi ejus roboris vel artificii ſint (*a*) ut dignè Populo Romano exhiberi poſſint; Principem conſulere debet. *l.* 31. MODESTIN. LIB. 3. DE PŒNIS.

Ex provinciâ autem in provinciam tranſduci damnatos, ſine permiſſu Principis non licere, Divus Severus & Antoninus reſcripſerunt. *d. l.* 31. § 1.

Hinc etiam Diocletianus & Maximianus: Si operis publici temporalis Pœnæ, Sententiâ præfinitus nondum exceſſit dies: hunc expectari convenit: cùm non remitti Pœnam facilè, publicè interſit; ne ad maleficia temerè quiſquam proſiliat. *l.* 14. *Cod. h. tit.*

Tamen In metallum damnari, ſi valetudine aut ætatis infirmitate inutiles operi faciundo deprehendantur; ex Reſcripto Divi Pii, à Præſide dimitti poterunt. Qui æſtimabit de his dimittendis; ſi modò vel cognatos vel adfines habeant (*b*), & non minùs decem annis (*c*) Pœnæ ſuæ functi fuerint. *l.* 22. MODESTIN. LIB. 1. DIFFERENT.

ARTICULUS II.

De Pœnâ executioni mandandâ.

§ I.

Quando executioni mandari debeat.

LXIX.

Pœna quum ſemel per Sententiam irrogata eſt, debet quàm primùm executioni mandari.

Quòd Si quis fortè, ne ſupplicio adficiatur, dicat ſe habere quod Principi referat ſalutis ipſius causâ; an remittendum ſit ad eum, videndum eſt? Et ſunt plerique Præſidum tam timidi, ut, etiam poſt Sententiam de eo dictam, Pœnam ſuſtineant, nec quicquam audeant. Alii omninò non patiuntur quicquam tale allegantes. Nonnulli neque ſemper neque nonnunquam remittunt; ſed inquirunt quid ſit quod allegare Principi velit, quidque quod pro ſalute ipſius habeat dicere; poſt quæ, aut ſubſtinent Pœnam, aut non ſuſtinent: quod videtur habere mediam rationem. Cæterùm (ut mea fert opinio) prorsùs eos non debuiſſe, poſteaquàm ſemel damnati ſunt, audiri quidquid allegent. Quis enim dubitat, eludendæ Pœnæ causâ ad hæc eos decurrere? Magiſque eſſe puniendos, qui tamdiù conticuerunt quod pro ſalute Principis habere ſe dicere jactant: nec enim debebant tam magnam rem tamdiù reticere. *l.* 6. ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

Conſtantinus etiam edixit, ut Pœna quàm primùm executioni mandaretur; ne daretur venia deprecandi, vel malis artibus Pœnam evitandi. l. 18. Cod. h. tit.

LXX.

Quibuſdam tamen caſibus executio Sententiæ debet differri V. G. Prægnantis mulieris conſumendæ, damnatæ Pœna differtur quoad pariat. Ego quidem & ne quæſtio de eâ habeatur, ſcio obſervari; quandiù prægnans eſt. *l.* 3. ULP. LIB. 14. AD SABIN.

Item ex celeberrimâ Theodoſii-Magni Conſtitutione: quam ſuadente D. Ambroſio tulit, juſto dolore percuſſus imperatæ à ſe Theſſalonicenſium ſtragis in quâ ſeptem millia hominum occubuerant; Quum Princeps ſeveriùs quàm moris eſt in aliquos quid imperavit, triginta dies expectandi ſunt priuſquàm Pœna executioni mandetur. l. 20. Cod. h. tit.

Sunt quædam aliæ cauſæ differendi, quas obiter Art. præced. notavimus.

§ II.

Ubi Pœna executioni ſit mandanda.

LXXI.

Id Magiſtratûs officio relinquitur. Cæterùm Famoſos latrones; in his locis ubi graſſati ſunt, furcâ figendos compluribus placuit, ut & conſpectu deterreantur alii ab iiſdem facinoribus, & ſolatio ſit cognatis & adfinibus interemptorum; eodem loco Pœnâ redditâ, in quo latrones homicidia feciſſent. Nonnulli etiam ad beſtias hos damnaverunt. *l.* 28. § 15. CALLISTRAT. LIB. 6. DE COGNITIONIB.

ARTICULUS III.

Quomodo coërceatur contumacia non obtemperantis Pœnæ ſibi irrogatæ.

LXXII.

Si quis Pœnæ ſibi irrogatæ contumaciter non obtemperaverit, adversùs eum augetur Pœna.

Et quidem In exulibus gradus Pœnarum conſtituti Edicto Divi Hadriani; ut qui ad tempus relegatus eſt, ſi redeat, in inſulam relegetur; qui relegatus in inſulam exceſſerit, in inſulam deportetur: qui deportatus evaſerit, capite puniatur. *d. l.* 28. § 13.

Ita & in cuſtodiis (*d*) gradum ſervandum eſſe, idem Princeps reſcripſit; id eſt, ut qui in tempus damnati erant, in perpetuum damnarentur; qui in perpetuum damnati erant, in metallum damnarentur; qui in metallum damnati id admiſerint, ſummo ſupplicio afficerentur. *d. l.* 28. § 14.

Conſonat quod ait Marcianus Relegati, ſive in inſulam

(*a*) Intellige de his qui inermes objecti beſtiis ut ſtatim conſumerentur, viribus eximiis aut ſingulari artificio unam aut alteram belluam ſuperaſſent.

(*b*) Qui nempè id ipſum pro his deprecentur, eoſque alendos ſuſcipiant: alioquin potiùs aſſervari debebunt, quàm ut vagi mendicent. Scribit Plinius *Epiſt.* X. 40. 41. Trajanum de infirmis metallariis reſcripſiſſe, ut ad leviora opera poſſint deputari, putà ad balnea publica, purgationem cloacarum, aut aliquid quodlibet opus publicum.

(*c*) Quid ergo, ſi ante expletos decem annos infirmitate correpti ſupereſſe nequeant operi faciundo? Videtur dicendum quòd nihilominùs in metallo detinebuntur, quâ valebunt operaturi. Idem; ſi etiam decem annis expletis, adfines à quibus alantur, non habeant.

(*d*) *Cuſtodias* eos appellat qui pœnâ ſuâ funguntur in cuſtodiâ.

Source : BIU Cujas

deportati, debent locis interdictis abstinere; & hoc Jure utimur, ut relegatus interdictis locis non (*a*) excedat: alioquin in tempus quidem relegato perpetuum exilium; in perpetuum relegato, insulæ relegationis; in insulam relegato, deportationis, in insulam deportato, Pœna capitis adrogatur (*Vulg.* irrogatur.) Et hæc ita, sive quis non excesserit in exilium intrà tempus intrà quod debuit, sive etiam aliàs exilio non obtemperaverit. Nam contumacia ejus cumulat Pœnam; & nemo potest commeatum remeatum-ve dare exuli, nisi Imperator ex aliquâ (*b*) causâ. *l.* 4. MARCIAN. LIB. 13. INSTITUT.

Item si quis est duntaxat A suâ civitate relegatus, si non excedat (*c*), ad tempus à provinciâ relegatur. *l.* 12. *ff. de Interd. & releg.* MARCIANUS LIB. (*Vide suprà N.* 14.)

Quisquis autem in opus publicum damnatus refugit, duplicato tempore damnari solet. Sed duplicare eum id temporis oportet, quod ei quum supereresset, fugit; scilicet ne illud duplicetur, quod (*Aliàs* quo) adprehensus in carcere (*d*) fuit. Et si in decem annos damnatus sit; aut perpetuari ei debet Pœna, aut in opus metalli transmitti. Planè si decennio damnatus fuit, & initio statim fugit; videndum est, utrùm duplicari ei tempora debeant, an verò perpetuari, vel transferri in opus metalli? Et magis est, ut transferatur aut perpetuetur. Generaliter enim dicitur, quotiens decennium excessura est duplicatio, non esse tempore Pœnam arctandam. *l.* 8. § 7. ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

LXXIII.

Vidimus quomodo puniantur relegati, deportatique, aut aliæ personæ quæ Sententiæ adversùs se latæ non obtemperant.

Obiter observandum quòd; etiam Interdum pecuniariter damnantur, qui relegatos suscipiunt. *l.* 11. *ff. de Interd. & releg.* ULP. LIB. (*Vide suprà N.* 14.)

(*a*) Quidam negationem expungendam censent; sed malè, & eâ retentâ apertus omninò sensus. Relegatus nempè [idem à fortiori, in deportato] debet abstinere iis locis quæ interdicto comprehensa sunt ut iis abstineat; & pariter *hoc Jure utimur ut* debeat non excedere iis quibus ipsi interdictum est ne excedat.

(*b*) Neque enim Princeps Pœnam ullam condonare censetur absque justâ causâ.

(*c*) Id est, si eâ non abstineat, nec pareat Sententiæ.

(*d*) Cujacius Observ. VI. 36. monet hoc accipiendum, non de eo tempore quo ante damnationem fuit in carcere; sed de eo tempore quo post damnationem: quia damnati ad metallum, & interdum deportati, incarcerabantur, & Pœnâ suâ in carcere fungebantur. Quod tamen postea fuit prohibitum l. fin. Cod. *de Pœnis*; cujus nempè sensum ex Basilicis exhibuit Cujacius, & quæ in Editionibus D. Gothofredi inserta est.

TITULUS XX.

DE BONIS DAMNATORUM.

I.

DAmnatione Bona publicantur; quum aut vita adimitur, aut civitas; aut servilis conditio irrogatur. *l.* 1. CALLISTRAT. LIB. 1. DE JURE FISCI ET POPULI.

Cùm igitur BONORUM DAMNATI *publicatio, pars quædam sit pœnarum capitalium; est quoque hic Titulus sequela quædam superioris* DE PŒNIS.

Circa hanc publicationem videndum 1°. *Quæ Bona Damnati publicentur:* 2°. *Quibus personis portio ex Bonis Damnati servetur:* 3°. *Ex quo tempore publicentur; & quid circa ea Bona post publicationem observetur.*

ARTICULUS I.

Quæ bona damnatorum publicentur.

II.

Bona Damnati publicantur, non solùm quæ tempore Damnationis habuit, sed & si quæ in fraudem fisci aut alienavit aut omisit acquirere.

Nam In fraudem fisci non solùm per donationem, sed quocumque modo res alienatæ revocantur. Idemque Juris est, & si non (*a*) quæratur. Æquè enim in omnibus fraus punitur. *l.* 45. *ff. de Jure fisci.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Hinc A debitore fisci (*b*) in fraudem datas libertates retrahi placuit.

Sanè ipsum ita ab alio emere mancipium ut manumittat, non est prohibitum. Ergo tunc & libertatem præstare possit. *d. l.* 45. § 3.

Uno tamen casu non videtur in fraudem fisci factum; quòd quis acquirere omittat. Nimirùm Quam quidam capitis reus emancipasset filium; ut hereditatem adiret; rescriptum est non videri in fraudem (*c*) fisci factum, quod adquisitum non est. *l.* 26. *ff. de Jur. fisc.* ULPIAN. LIB. 31. AD SABIN.

III.

Ad ea autem non porrigitur publicatio, quæ quis post Damnationem acquirit.

Hinc Is cujus Bona publicata sunt, mandare alicui potest ut ea emat. Et si emerit, Utilis (*d*) erit MANDATI actio, si non præstet fidem. Quod ideò receptum est, quia publicatis Bonis, quidquid postea adquiritur, non sequitur fiscum. *l.* 22. § 5. *ff. Mandati.* PAUL. LIB. 32. AD ED.

Hæc ita, dum Damnatus vivit. Cæterùm Deportati nec earum quidem rerum quas post Pœnam irrogatam habuerint, heredem habere possunt (*e*): sed & hæ publicabuntur. *l.* 2. *Cod. h. tit.* ALEXANDER.

Secùs obtinebit in relegato, cujus bona specialiter fuissent publicata.

Enimverò Post condemnationem adquisita, si is cujus Bona publicata sunt, relegatus sit, ad heredes ejus pertinent testamento scriptos, vel ad heredes ab intestato. Nam relegatus in insulam, testamenti factionem habet, sicut reliqua jura (*f*). Quòd si deportatus sit; quia civitatem amisit, heredem habere non potest, & adquisita fiscus accipit. *l.* 7. § *fin.* (*Vide infrà N.* 5.) PAUL. LIB. SING. DE PORTIONIB. QUÆ LIBERIS DAMNATOR. CONCED.

IV.

Quum mulier Damnatur; quæritur an dos in Bonis ejus esse videtur, ut publicetur.

(*a*) Id est, adquirere omittatur. Atque hinc rectè Cujacius ad l. 26. ff. *de Jure Fisci* hoc inter privilegia fisci annumerat, ut revocet etiam ea quæ debitores sui acquirere omiserunt; cùm cæteri creditores, imò & patronus, hæc non revocent: ut vid. suprà lib. 42. *Quæ in fraud. cred.* & lib. 37. Tit. *Si quid in fraud. patron.*

(*b*) Criminis alicujus reo.

(*c*) Magis enim animo proficiendi filio, quàm fraudandi fisci fecit. Ita Cujac.

(*d*) Civiles quidem & *Directæ* actiones deportatis non competunt, utpotè qui Juris Civilis communionem non habeant; verùm *Utiles* dantur. Suprà Tit. præced. N. 15.

(*e*) Jura enim hereditatum tam passiva quàm activa sunt Juris Civilis, cujus communionem non habet deportatus. Unde res illæ, post mortem deportati, quasi bona vacantia *publicabuntur.*

(*f*) Ratio disparitatis est quòd relegatus capite non minuatur, jura civitatis non amittit. Tit. præced. N. 28.

Quinque

Quinque Legibus Damnatæ mulieris dos publicatur; Majeſtatis, Vis publicæ, Parricidii, Veneficii, De ſicariis. *l.* 3. ULP. LIB. 33. AD ED.

Et omnes omninò maritus ſalvas actiones (*a*) contra fiſcum habet. *l.* 4. PAPINIAN. LIB. 2. DE ADULTER.

Sed ſi aliâ Lege capitis punita ſit, quæ Lex dotem non publicat: quia priùs ſerva pœnæ efficitur, verum eſt dotem mariti lucro cedere; quaſi mortua (*b*) ſit. *l.* 5. ULP. LIB. 33. AD ED.

Quòd ſi deportata ſit filiafamilias: Marcellus ait (quæ ſententia & vera eſt,) Non utique deportatione diſſolvi matrimonium. Nam cùm libera mulier remaneat; nihil prohibet, & virum mariti affectionem, & mulierem uxoris animum retinere. Si igitur eo animo mulier fuerit, ut diſcedere à marito velit; ait Marcellus, tunc patrem DE dote acturum. Sed ſi materfamilias ſit, & interim conſtante matrimonio fuerit deportata; dotem penès maritum remanere; poſteà verò diſſoluto matrimonio poſſe eam agere, quaſi humanitatis intuitu hodie natâ (*c*) actione. *d. l.* 5. § 1.

V.

Hactenus de caſu quo mulier Damnata eſt.

Quòd Si pater qui pro filiâ dotem dedit, Damnetur; nihil competit fiſco, etiamſi in matrimonio poſteà filia deceſſerit; quo caſu aliàs dos profectitia rediret ad patrem: manebit ergo penès virum. *l.* 8 § 4. MARC. LIB. [*Hæc lex* 8. *cum ſequentibus* 9. 10. & 11. & §°. *fin. legis* 7. *hujus Tituli, deſunt in Florent. & Vulgatâ. Habentur, reſtitutæ à Cujacio ex lib.* 40. *Baſilicon, in Editionibus D. Gothofredi.*]

Sed & ſi pater dotem pro filiâ promiſerit, & Damnatus ſit; viro dotis exactio adversùs fiſcum ex bonis patris datur. *l.* 10. IDEM. LIB.

Hoc obtinet, Niſi probetur patrem metu condemnationis in fraudem fiſci filiis (*d*) proſpexiſſe. *l.* 9. CALLISTR. LIB.

Hæc de caſu quo pater mulieris conſtante matrimonio Damnatur. Quod Si ſoluto filiæ matrimonio, pater Damnatus ſit, ſi quidem poſteaquàm filia ei conſenſit ut dotem repeteret, fiſcus eam repetet à marito: ſin verò antequàm conſentiret, ipſa filia dotis repetitionem habet. *d. l.* 10. § 1.

VI.

Vidimus quid obtineret quum mulier Damnata eſt; & quid, quum pater mulieris.

Viro autem Damnato, nihil ex Bonis mulieris publicari debet. Hinc Diocletianus & Maximianus. Ob maritorum culpam uxores inquietari, Leges vetant. Proindè Rationalis Noſter, ſi res quæ à fiſco occupatæ ſunt dominii tui eſſe probaveris, Jus publicum ſequetur. *l.* 2. *Cod. Ne uxor pro marito &c.*

Dotem quum vir accepit, & quidquid mulieri donavit, mulieri ſervari jubent Arcadius & Honorius. l. 9. Cod. h. tit.

VII.

Servorum capitis crimine Damnatorum peculia, dominis non auferri notum eſt: ſed quod ſervum dominus habuiſſe probaverit, recipiet; pretiumque rerum, ſi quæ ab eo diſtractæ ſunt. Ipſius quoque præſentiæ poteſtas ei dabitur, quoad rationes per eum adminiſtratæ reddantur ac diſponantur. Sed meminiſſe dominum oportebit, inſtare ut id velociùs fiat; ut pœnæ ſuæ reddi poſſit. *l.* 1. *Cod. h. tit.* ANTONIN.

Idem de peculio filiifamilias Damnati dictum puta.

Hinc Alexander reſcribit. Si filius tuus, quum eſſet in tuâ poteſtate, in inſulam deportari meruit; peculium ejus, nec (*e*) quod in caſtris acquiſivit, vel quod ei militaturo donaſti, auferri tibi debet. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

VIII.

Obſervandum ſupereſt; ex Bonis Damnati quæ publicantur, quædam res excipi, quæ ad Panniculariam rationem pertinent [la Dépouille du Condamné], *& à Præſidibus ipſorum arbitrio erogari poſſunt.*

Quâ de re Divus Hadrianus Aquilio-Eraduæ ita reſcripſit; « Panniculariæ cauſa quemadmodum intelligi » debeat, ex ipſo nomine (*f*) apparet. Non enim Bona » Damnatorum, panniculariâ ſignificari quis probè » dixerit; nec ſi zonam circa ſe habuerit, protinùs » aliquis (*g*) ſibi vindicare debebit: ſed veſtem quâ is » fuerit indutus, aut nummulos in vetralem (*h*), » quos victûs ſui causâ in promptu habuerit; aut leves » annullos; id eſt, quæ rem non excedunt aureo- » rum quinque: alioquin ſi quis damnatus digito ha- » buerit aut ſardonycha, aut aliam gemmam magni » pretii, vel ſi quod chirographum magnæ pecuniæ in » ſinu habuerit; nullo jure illud in panniculariâ ratione » tenebitur. »

PANNICULARIA ſunt, ea quæ in cuſtodiam receptus ſecum attulit; ſpolia quibus indutus eſt, quum quis ad ſupplicium ducitur: ut & ipſa appellatio oſtendit. Ita neque Speculatores (*i*) ultrò ſibi vindicent, neque Optiones (*k*) ea deſiderent, quibus ſpoliatur quo momento quis punitus eſt.

Hanc rationem non compendio ſuo debent Præſides convertere; ſed nec pati, Optiones ſive Commentarienſes eâ pecuniâ abuti: ſed debent ad ea ſervari, quæ jure Præſidum ſolent erogari; ut putà chartiaticum quibuſdam Officialibus indè ſubſcribere (*l*); vel ſi qui fortiter fecerint milites, indè eis donare; barbaros etiam indè munerari venientes ad ſe, vel Legationis vel alterius rei causâ. Plerùmque etiam indè conraſas pecunias Præſides ad fiſcum tranſmiſerunt. Quod perquàm nimiæ diligentiæ eſt; cùm ſufficiat, ſi quis non in uſus proprios verterit, ſed ad utilitatem Officii patiatur deſervire. *l.* 6. ULP. LIB. 10. DE OFFIC. PROCONS.

ARTICULUS II.

Quibus perſonis portio ex Bonis Damnati ſervetur.

§ I.

De liberis Damnati.

IX.

CUM RATIO NATURALIS, QUASI LEX QUÆDAM TACITA, LIBERIS PARENTIUM HEREDITATEM ADDICERET, VELUT AD DEBITAM SUCCESSIONEM EOS VOCANDO; (propter quod & in Jure Civili, SUORUM heredum nomen eis inductum eſt); ac ne judicio quidem parentis, niſi meritis de cauſis ſummoveri ab eâ ſucceſſione poſſunt: æquiſſimum exiſtimatum eſt, eo quoque caſu quo propter pœnam parentis aufert Bona Damnatio, rationem haberi liberorum; NE ALIENO

(*a*) Habet eaſdem exceptiones, eaſdem retentiones, eaſdem petitiones, quas haberet ſi mulier ipſa ſoluto matrimonio repeteret dotem; putà, *Ob res amotas, Ob liberos, &c.*

(*b*) Nam Jure Pandectarum mortuâ in matrimonio muliere dos adventitia lucro mariti cedit: ut vid. ſuprà lib. 23. Tit. *Solut. matrim.* N. 3.

(*c*) Quaſi hæc actio ad repetitionem dotis, demùm poſt damnationem ad ipſam pertinere cœperit. Porrò [ut ſuprà diximus] quæ deportatus poſt damnationem habere incipit, vivo eo non publicantur.

(*d*) Dotem poſt crimen admiſſum promiſiſſe, quam aliàs non fuiſſet daturus.

(*e*) Ne illud quidem quod in caſtris acquiſitum eſt.

(*f*) Quaſi *Panniculi*, res viles.

(*g*) Neque Præſes ipſe, cui *Pannicularia* aſſignatur; & à fortiori, neque Carnifices aut miniſtri, quibus ne quidem ex *Panniculariâ* quidquam ſibi vindicare permittitur, mox infrà.

(*h*) Rectiùs alibi *ventralem*, ſacculum ſcilicet vel crumenam; diſtinctam omninò à *Zonâ* quæ majoris pretii eſt, & Panniculariæ rationi non cedit.

(*i*) Carnifices, ſatellites: quo ſenſu hæc duo confunduntur, *Speculator* & *Spiculator*. Hinc patet apud Romanos non obtinuiſſe quod moribus hodiernis apud nos vulgò receptum: *la Dépouille, de droit appartient au Bourreau.*

(*k*) *Les Geoliers.*

(*l*) Id eſt, indè detrahere ſubſcriptione ſuâ munus aliquod quod Officialibus ſuis concedatur quaſi pro chartis: hunc *Chartiaticum* dictum.

Source : BIU Cujas

ADMISSO CR[illegible]VIOREM, PŒNAM LUERENT, QUOS NULLA CO[illegible]TINGERET CULPA, interdum in ſummam egeſtate[illegible]n devoluti. Quod cum aliquâ moderatione de[illegible] placuit; ut qui ad univerſitatem venturi erant jure ſucceſſionis, ex eâ portiones (*a*) conceſſas haberent. *l.* 7. PAUL. LIB. SING. DE PORTION. QUÆ LIBER. DAMNAT. CONCEDUNT.

Interdum ex ſingulari Principis beneficio, non portio duntaxat, ſed univerſa Damnati Bona liberis ejus relinquuntur.

Enimverò Si plures filios Damnatus habeat, feruntur exempla (*b*) per quæ pluribus liberis omnia Bona Damnati conceſſa ſunt. Sed & Divus Hadrianus in hâc ſententiâ reſcripſit: « FAVORABILEM apud me cauſam » liberorum Albini, filiorum numerus facit; cùm » AMPLIARI IMPERIUM HOMINUM ADJECTIONE, » POTIUS QUAM PECUNIARUM COPIA malim. Ideò- » que illis paterna ſua concedi volo; quæ manifeſta- » bunt (*c*) tot poſſeſſores, etiamſi acceperint uni- » verſa. » *d. l.* 7. § 3.

X.

Cæterùm Ex his quæ per flagitium Damnatus acquiſiit, portiones liberorum non augentur. Veluti ſi cognatum ſuum interimi curaverit, & ejus hereditatem adiit, vel Bonorum poſſeſſionem accepit. Nam ita Divus Pius reſcripſit. Cui conſequenter illud idem Princeps conſtituit; quum filiafamilias veneno necaſſe convinceretur eum à quo heres inſtituta erat; quamvis juſſu patris, cujus in poteſtate eſſet, adierit hereditatem; vindicari eam fiſco. *d. l.* 7. § 4.

XI.

Jam videndum in cujus parentis Bonis, & quibus liberis portio ſervetur.

Hæc portio in Bonis patris Damnati indulgetur. At De Bonis matris deportatæ ſiliis nihil deberi, Juris abſolutiſſimi eſt. *l.* 6. *Cod. h. tit* DIOCLET. ET MAXIM.

Etiam hi qui antè concepti, & poſt damnationem nati ſunt, portiones, ex Bonis patrum Damnatorum accipiunt. *l.* 1. § 1. CALLISTRAT. LIB. 1. DE JUR. FISCI ET POPULI.

Liberis autem ita demùm portio tribuitur, ſi juſtis nuptiis nati ſint. *d. l.* 1. § 2.

Ex Bonis Damnatorum portiones adoptivis liberis, ſi non fraudis causâ facta eſt adoptio, non minùs quàm naturalibus concedi æquum eſt.

Fraudis autem causâ adoptio facta videtur, etiamſi non in reatu; ſed deſperatione rerum, per conſcientiam, metu imminentis accuſationis, quis adoptet, in hoc, ut ex Bonis quæ ſe amiſſurum cogitat, portio detrahatur. *l.* 7. § 2. PAUL. LIB. SINGUL. DE PORTION. QUÆ LIB. DAMNATOR. CONCED.

Obſervandum quòd Si deportatus SUOS & emancipatos filios habuerit; pars quæ ex Bonis ejus liberis conceſſa eſt, ad eos tantùm qui in poteſtate erant, transferatur: ſi emancipati ea quæ conſecuti erant (*d*) emancipationis tempore, damno ſuo exiſtimant conferenda. Sin autem confuſionem bonorum & donationis elegerint; ea omnia quæ fiſcus liberis Damnati concedit, æquæ diviſionis partibus ſortiantur. Quæ regula etiam in dote filiæ, vel neptis ex filio deportati confe- rendâ, cuſtodienda erit. *l.* 8. *Cod. h. tit.* GRATIAN. VALENT. ET THEODOS.

XII.

Quæ hactenùs diximus de portione in Bonis Damnati liberis ſervandâ, obtinent quum univerſa Bona publicantur.

At verò Liberis ejus cui pars dimidia duntaxat bonorum ablata eſt, partes non dantur: idque & Divi Fratres reſcripſerunt. *l.* 1. § 3. CALLISTR. LIB. 1. DE JURE FISCI ET POPULI.

XIII.

Hæc Jure Pandectarum.

Ex Conſtitutione autem Theodoſii & Valentiniani; Quando quis quolibet crimine Damnatus, capitalem pœnam deportationem-ve ſuſtineat; ſi quidem ſine liberis mortuus ſit, Bona ejus ad fiſcum perveniant. Si verò filii vel nepotes ex defunctis filiis relicti erunt; dimidiâ parte Ærario vindicatâ, alia eis reſervetur. Idem eſt, & ſi poſthumos dereliquerit. Decurioni verò qui hoc incurrit, ſi liberos non habeat, ſuccedat Curia; Bonaque univerſa detineat, aut ipſa per ſe, aut ſuo ordinatura periculo munera (*e*) ſubiturum. Sin autem erit ſoboles Curiali; etſi ea necdum procreata eſt, integris patris fortunis ſulciatur. Si filia vel filiæ fuerint, pars dimidia ad eas devolvatur facultatum; altera dimidia ad Curiam. Sin autem mares Curiales fuerint intermixti, dimidia pars eis Curiæ nomine deferatur; & alia quam in commune omnibus tribuit indulgentia Principalis, pro virili dividatur portione. Exceptâ ſolâ Majeſtatis quæſtione; quam ſi quis ſacrilego animo adſumpſerit, juſtè pœnam ad ſuos etiam poſteros tranſmittet. *l.* 10. *Cod. h. tit.*

Novellâ CXXXIV. cap. fin. excepto crimine Majeſtatis, *Bona Damnati deſcendentibus & aſcendentibus uſque ad tertium gradum ſervantur.*

Circa quam Novellam diligenter lector obſervabit, quòd in Authenticâ Bona *quam Irnerius inſeruit ad l. fin. Cod.* de Bon. proſcript. *de ſuo addidit* ET EX LATERE uſque ad &c. *quorum* EX LATERE *cognatorum, nullum verbum in Novellâ ex quâ hæc Authentica confecta eſt.*

§ II.

De patrono Damnati & liberis patroni.

XIV.

Si in libertinum animadverſum erit; patrono ejus, id quod in bonis illius habiturus eſſet, ſi is in quem animadverſum eſt, ſuâ morte deceſſiſſet, eripiendum non erit: reliqua pars Bonorum quæ ad manumiſſorem non pertinebit, fiſco erit vindicanda. *l.* 7. § 1. PAUL. LIB. SING. DE PORTION. QUÆ LIBERIS DAMNAT. CONCED.

Liberis etiam patronorum integrum jus patronatûs ſervatur, in Bonis paterni liberi cujus bona publicata ſunt. Si filius patroni exiſtat liberto, fiſco locus non eſt in partem filii patroni. *l.* 8. MARC. LIB. (*Vide ſuprà N* 5.)

Sed ſi patroni filius exiſtente filio liberti excludatur; faciliùs dicemus, fiſco locum non eſſe: quoniam patroni quidem filium excludunt liberti filii, ipſe autem (*f*) excludit fiſcum. *d. l.* 8. § 1.

(*a*) Sub Triumviris; liberis proſcriptorum, mâribus decima, fœminis viceſima, concedebatur. Hadrianus *Liberis proſcriptorum Duodecimas bonorum conceſſit*: Spartian. in HADRIAN. Interdum Principes, modò *Aſſem*, ut de Pio proditum eſt; modò *Semiſſem*, ut de Marco refertur, conceſſerunt. Cujac. Obſerv. VI. 23.

(*b*) Hæc exempla continent beneficia perſonalia, non autem Jus generale continent; ut rectè animadvertit Bynkershoek ad h. l. *Obſerv.* II. 16. Malè ergo quidam hinc colligunt, publicationi bonorum locum non fuiſſe quum plures damnato eſſent liberi.

(*c*) Bynkershoek legit, *manifeſtè dabunt tot poſſeſſores*: & hunc ſenſum eſſe cenſet: etiamſi univerſa damnati Bona acceperint meâ indulgentiâ; *Manifeſtè* [certè] tot liberi, *dabunt tot poſſeſſores* inter quos amplum illud patrimonium diviſum erit: ſubaudiendumque; & inter partes diviſo patrimonio, non erunt ſinguli ſatis locupletes ut metui ab his poſſit ne quæ contra Rempublicam moliantur; ſicut hoc metui poſſet, ſi unicus filius tam ingens patrimonium acciperet.

Conradus diverſo prorsùs ſenſu legit *manifeſtabunt tota*; nimirùm ut poſſeſſores, ſcilicet unuſquiſque filiorum Albini, debeant ea manifeſtare ſeu deſignare TOTA & ſingula, quamvis ea per univerſitatem acceperint.

(*d*) Senſus eſt: *Si emancipati exiſtimant* damnoſum ſibi fore, eam bonorum paternorum partem quæ liberis damnati ſervatur, cum *Suis* heredibus dividere; quia nempè in hâc diviſione tenerentur ipſis conferre ea quæ ſibi quum emanciparentur donata ſunt, & hæc majoris pretii eſſe putant quàm quod ex ſuprà dictâ bonorum paternorum parte habere poſſent.

(*e*) Textus obſcurus, in quo aliquid deeſſe videtur. Hunc tamen probabile eſt ſenſum eſſe; ut Curia vel *Ipſa per ſe* ea bona detinere poſſit, quaſi in ſuo patrimonio; vel alicui ea adſignare qui ea ſuo periculo ordinet, & exindè numeret Curiæ ſubire teneatur.

(*f*) *Ipſe* patroni filius *excludit fiſcum*. Et quòd à liberti filiis ipſe patroni filius excludatur, hoc non fiſco prodeſſe debet, ſed magis debet prodeſſe liberti filiis.

Source : BIU Cujas

Sed etsi nolit filius patroni petere Bonorum possessionem; constat fiscum excludi in partem ei debitam ex Bonis paterni (*a*) liberti. *d. l.* 8. § 2.

ARTICULUS III.

Ex quo tempore Bona publicentur; & quid circa ea Bona post publicationem observetur.

XV.

Non ut quis in carcerem ductus est, spoliari eum oportet; sed post condemnationem. Idque Divus Hadrianus rescripsit. *l.* 2. CALLISTRAT. LIB. 6. DE COGNIT.

Igitur In reatu constitutus, Bona sua administrare potest; eique debitor rectè bonâ fide solvit. *l.* 46. § 6. *ff. de Jur. fisc.* HERMOGEN. LIB. 6. JURIS EPITOM.

Similiter Marcianus. Reus, præterquàm Majestatis, Bona sua administrare potest; debita solvere, & accipere, si bonâ fide ei solvantur. Post condemnationem verò revocantur, quæ in fraudem fisci alienavit. *l.* 11. § 1. MARCIAN. LIB. (*Vide suprà N.* 5.)

XVI.

Cùm Bona alicujus non publicentur priusquàm damnatus sit; hinc sequitur quod ait Marcianus : Si qui autem sub incerto causæ eventu, in vinculis, vel sub fidejussoribus decesserint; horum Bona non esse confiscanda, Mandatis cavetur. *l.* 3. § 7. *ff. de Bonis eorum qui ante Sentent.* MARCIAN. LIB. SING. DE DELATORIB.

Similiter Paulus. Bona eorum qui in custodiâ, vel in vinculis, vel compedibus decesserunt; heredibus eorum non auferuntur, sive testatò sive intestatò decesserunt. *l.* 45. § 1. *ff. de Jur. fisc.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Consonat quod rescribit Alexander. Eorum qui in reatu diem suum functi sunt, si non perduellionis causam sustinuerunt, nec ob metum criminis mortem sibi consciverunt, Bona ad successores transmittuntur. *l.* 2. *Cod. de Bonis eor. qui mort. sibi consciv.*

XVII.

Si is de cujus pœnâ Imperatori scriptum est, veluti quòd Decurio fuerit, vel quòd in insulam deportari debuerit; antequàm rescriberetur, decesserit: potest quæri num ante Sententiam decessisse videatur? Argumento est Senatusconsultum, quod factum est de his qui Romam transmissi (*b*) ante Sententiam decessissent. Cujus verba hæc sunt: « CUM Damnatus nemo videri » possit in hunc annum, antequàm de eo fortè judicium » Romæ redditum & pronuntiatum esset; neque cujus- » quam mortui Bona, antequàm de eo Romæ pronun- » tiatum sit, publicata sunt eaque Bona heredes possidere » debent. » *l.* 2. § 1. *ff. de Bonis eorum qui ante Sentent.* MACER LIB. 2. PUBLICOR.

Item Condemnatus si appellaverit, & decesserit pendente appellatione; Bona ejus non publicantur: nam & hujus secundum testamentum valet. Idem dicendum est, & si appellatio ejus non recipiatur. *l.* 11. MARCIAN. LIB. (*Vide suprà N.* 5.)

XVIII.

Publicatis Bonis, quomodo particulatim describi debeant; & hæc descriptio Comiti seu Rationali Rei privatæ *tradi, & ad Principem mitti debeat; vide in Constitutione Valentiniani, Valentis & Gratiani :* l. 7. Cod. h. tit.

XIX.

Observandum superest, Bona cum onere æris alieni publicari.

Hinc Philippus. Si (ut proponis) Bona ejus qui tutelam tuam administravit, Sententiam passi, ad fiscum sunt devoluta; Procuratorem Nostrum adire cura: qui, si quid jure posci animadverterit, non negabit. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

(*a*) Scilicet cedit hæc pars his qui sequenti gradu veniunt.

(*b*) Cùm ad Principem appellassent: ut Apostolus Paulus, *Act.* XXV. 12. 25.

TITULUS XXI.

DE BONIS EORUM QUI ANTE SENTENTIAM MORTEM SIBI CONSCIVERUNT, VEL ACCUSATOREM CORRUPERUNT.

Superiore Titulo actum est de publicatione bonorum quæ ex damnatione contingebat. Proximum erat ut ageretur de publicatione bonorum quæ pariter contingebat quum reus se damnationi subtraxisset.

ARTICULUS I.

De his qui Mortem sibi Consciverunt.

I.

Ejus Bona qui sibi Mortem Conscivit, non ante ad fiscum coguntur, quàm priùs constiterit cujus criminis gratiâ manus sibi intulerit.

Ejus Bona qui sibi ob aliquod admissum flagitium Mortem Conscivit, & manus intulit, fisco vindicantur (*a*). Quòd si id tædio vitæ, aut pudore æris alieni, vel valetudinis alicujus impatientiâ admisit; non inquietabuntur, sed suæ successioni relinquuntur. *l.* 45. § 2. *ff. de Jur. fisc.* PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Et alibi. Si quis autem tædio vitæ, vel impatientiâ doloris alicujus, vel alio modo vitam finierit; successorem habere Divus Antoninus rescripsit. *l.* 3. § 4. MARCIAN. LIB. SING. DE DELATORIB.

Hæc sunt verba Rescripti. « Eorum demùm Bona fisco » vindicantur, qui conscientiâ delati admissique cri- » minis, metuque futuræ Sententiæ, manus sibi intu- » lerunt. Eapropter fratrem vel patrem tuum, si nullo » delato crimine, dolore aliquo corporis, aut tædio » vitæ, aut furore vel insaniâ, aut aliquo casu, sus- » pendio vitam finisse constiterit; Bona eorum tam ex » testamento quàm ab intestato ad successores perti- » nebunt. » *l.* 1. *Cod. h. tit.*

II.

Propter conscientiam aut criminis; mortem sibi Consciviſſe eos demùm accipimus, qui aut jam postulati, aut in eo deprehensi essent.

Hinc Marcianus. Qui rei postulati, vel qui in scelere deprehensi, metu criminis imminentis Mortem sibi constituerunt, heredem non habent. Papiniamus tamen libro

(*a*) Hoc videtur non semper obtinuisse, ut colligitur ex eo quòd refert Valerius Max. IX. 12. de C. Licinio. Is enim *Repetundarum* reus factus, dum Sententiæ dicerentur, cùm vidisset M. Ciceronem qui Quæstioni præerat, Prætextam ponentem; misit ad eum qui diceret se REUM, non DAMNATUM periisse; adeòque bona ejus non debere hastæ subjici: ac protinùs sudario se strangulavit. Quâ cognitâ re, Cicero non pronuntiavit.

Source : BIU Cujas

ſexto-decimo Reſponſorum ita ſcripſit; ut, qui rei criminis non poſtulati, manus ſibi intulerint, Bona eorum fiſco non vindicentur. Non enim facti ſceleritatem (*a*) eſſe obnoxiam; ſed conſcientiæ metum in reo velut confeſſo teneri, placuit. Ergo aut poſtulati eſſe debent, aut in ſcelere deprehenſi; ut, ſi ſe interfecerint, Bona eorum confiſcentur. *l.* 3. MARCIAN. LIB. SINGUL. DE DELATORIB.

III.

De illo videamus: ſi quis Conſcitâ Morte, nullâ juſtâ causâ præcedente, in reatu deceſſerit, an, ſi parati fuerint heredes cauſam ſuſcipere, & innocentem defunctum oſtendere, audiendi ſint; nec priùs Bona in fiſcum cogenda ſint, quàm ſi de crimine fuerit probatum; an verò omnimodo publicanda ſunt? Sed Divus Pius Modeſto-Taurino reſcripſit; Si parati ſint heredes defenſiones ſuſcipere, non eſſe Bona publicanda: niſi de crimine fuerit probatum. *d. l.* 3. § 8.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Factum ſponte ſe præcipitantis, innocenti criminis periculum afferre non poteſt. *l.* 12. *Cod. de Accuſation.*

IV.

Sed & illud quod diximus, publicari Bona ejus qui Mortem ſibi Conſcivit propter conſcientiam criminis, non de quovis crimine accipiendum eſt. Ut autem Divus Pius reſcripſit, ita demùm Bona ejus qui in reatu Mortem ſibi Conſcivit, fiſco vindicanda ſunt; ſi ejus criminis reus fuit, ut ſi damnaretur, morte aut deportatione adficiendus eſſet. *l.* 3. § 1. MARCIAN. LIB. SING. DE DELAT.

Hinc Idem reſcripſit; Eum qui modici furti reus fuiſſet, licèt vitam ſuſpendio finierit, non videri in eâdem causâ eſſe ut Bona heredibus adimenda eſſent: ſicut neque ipſi adimerentur, ſi compertum in eo furtum fuiſſet. *d. l.* 3. § 2.

Ergo ita demùm dicendum eſt Bona ejus qui manus ſibi intulit, fiſco vindicari; ſi eo crimine nexus fuit, ut ſi convinceretur, bonis careat. *d. l.* 3. § 3.

Nota. Cùm ergo talis pœna eſſe debeat quæ publicationem bonorum contineret: hinc etiam collige quòd, cùm Jure Novellarum excludatur fiſcus per liberos & parentes uſque ad tertium gradum ejus qui damnatus eſt, ſuprà Tit. præced. N. 14. *pariter excludi debet per liberos & parentes ejus qui ſibi Mortem Conſcivit.*

V.

Singulari quodam caſu, etſi crimen fuit capitale & conſtet, poteſt quis videri non ob conſcientiam criminis ſibi Mortem intuliſſe. Putà Videri autem & patrem, qui ſibi manus intuliſſet, quòd diceretur filium ſuum occidiſſe, magis dolore filii amiſſi mortem irrogaſſe; & ideò Bona ejus non eſſe publicanda, Divus Hadrianus reſcripſit. *d. l.* 3. § 5.

VI.

Supràdicta diſtinctio circa faciendam necne publicationem bonorum ejus qui ſibi Mortem Conſcivit, poteſt & aptari ad eum qui tentavit duntaxat nec perfecit.

Undè ita pergit Marcianus. Sic autem hoc diſtinguitur, intereſſe quâ ex causâ quis ſibi Mortem Conſcivit; ſicuti quum quæritur an is qui ſibi manus intulit, & non perpetravit, debeat puniri; quaſi de ſe Sententiam detulit (*Aliàs* tulit)? Nam omnimodo puniendus eſt, niſi tædio vitæ, vel impatientiâ alicujus doloris coactus eſt hoc facere (*b*). Et meritò, ſi ſine causâ ſibi manus intulit, puniendus eſt: qui enim ſibi non pepercit, multò minùs alii parcet. *d. l.* 3. § 6.

ARTICULUS II.

De his qui Accuſatores Corruperunt.

VII.

Non omnibus In capitalibus criminibus, à Principibus decretum eſt non nocere ei qui adverſarium Corrupit; ſed in his demùm quæ pœnam mortis continent. Nam ignoſcendum cenſuerunt ei qui ſanguinem ſuum qualiter qualiter redemptum voluit. *l.* 1. ULP. LIB. 8. DISPUT.

Is igitur qui in crimine capitali quidem, ſed quod pœnâ ſanguinis non plectitur, Accuſatorem Corrupit; tanquam confeſſus punitur: & ejus tanquam confeſſi Bona publicantur.

Hinc Imperatores Severus & Antoninus Julio-Juliano: « Eos qui à latronibus nominati (*c*), Corruptis Accuſatoribus diem ſuum obierint; ut confeſſos de crimine, » non relinquere defenſionem heredibus (*d*) rationis » eſt. » *l.* 2. MACER LIB. 2. PUBLIC.

Conſonat Ulpianus. In omnibus cauſis, præterquàm in ſanguine; qui delatorem Corrupit, ex Senatuſconſulto, pro victo habetur. *l.* 7. *ff. de Prævaric.* ULPIAN. LIB. 4. DE CENSIBUS.

Præterea tenetur Lege Corneliâ DE FALSIS. *Ita enim Diocletianus & Maximianus.* Tranſigere vel paciſci de crimine capitali (excepto (*e*) adulterio) prohibitum non eſt (*f*). In aliis autem publicis criminibus quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, tranſigere non licet citra (*g*) Falſi accuſationem. *l.* 18. *Cod. de Tranſact.*

(*a*) *Sceleritas* eſt malitia.

(*b*) Vide infrà lib. ſeq. Tit. *de Re milit.*

(*c*) Tanquam *Latrocinii* participes: quod crimen punitur ſæpè mitiori pœnâ quàm ſanguinis.

(*d*) Atqui is qui ſibi Mortem Conſcivit, tamen *Defenſionem ſui relinquit heredibus*, ſuprà N. 3? Ratio diſparitatis eſſe poteſt, quòd incertum ſit an revera conſcientiâ criminis hoc fecerit: quod tamen liquere debet ut pro confeſſo habeatur. Verùm qui Accuſatores Corrupit, hoc ipſo habetur pro confeſſo. Minùs ergo neceſſaria videtur emendatio Cujacii Obſerv. VI. 24. qui legit *rationis non eſt.* Sed nec obſtat lex 29. ff. *de Jur. fiſc.* ubi, licèt is qui *Delatorem corrupit* pro victo & confeſſo habeatur, pœna tamen *adversùs ejus heredem tranſire non debet.* Vide ſolutionem infrà, d. Tit. *de Jure fiſc.* N. 31.

(*e*) *Capitali* hîc ſtrictè accipe, pro eo quod irrogat pœnam mortis. Sequentia autem verba *excepto adulterio*, interpolata fuiſſe dubium non eſt; cùm conſtet demùm ſub Conſtantino adulterium pœnâ mortis vindicatum fuiſſe: ut vid. ſuprà Tit. *ad L. Jul. de Adult.* Apparet autem antiquam eſſe hanc interpolationem, & veriſimiliter ipſi Triboniano tribuendam; cùm & in Baſilicis inveniatur.

(*f*) Non quòd talis tranſactio valeat, ſed quòd propter hanc tranſactionem non puniatur reus qui tranſegit.

(*g*) Eodem loquendi modo utitur Paulus, quum, ait; *Socrum, &c.* ducere non licere CITRA *pœnam inceſti*: apud Pariatorem Tit. VI. cap. 3. Ideò autem hîc excipitur cauſa ſanguinis, quia eo caſu honeſta quælibet ratio expediendæ ſalutis: ſuprà mox, l. 1.



Source : BIU Cujas

TITULUS XXII.

DE INTERDICTIS, ET RELEGATIS, ET DEPORTATIS.

Hunc Titulum palàm eſt, non ſecùs ac ſuperiores, eſſe ſequelam Tituli de Pœnis, *in quem illum transfudimus.*

TITULUS XXIII.

DE SENTENTIAM PASSIS ET RESTITUTIS.

Poſtquàm de damnatione actum eſt, jam de RESTITUTIONE *adversùs damnationem.*

§ I.

Quid ſit Reſtitutio; quæ variæ ejus ſpecies, & quid contineant.

I.

RESTITUTIO, *eſt indulgentia Principis quâ hi qui capitali Sententiâ damnati fuerant, quodammodo renaſcebantur ad vitam civilem quam amiſerant (Undè & apud Salluſtium, Cotta ab exſilio revocatus* BIS SE GENITUM *dicit). Eſt enim illa, quaſi* Redditio ſtatûs.

Reſtitutio alia GENERALIS, *alia* SPECIALIS.

Reſtitutio generalis eſt, quum Princeps generaliter omnibus deportatis reditum in patriam permittit.

Hæc, civitatis quidem jura Reſtituit; non etiam priſtinos honores aut famam. Hinc Philippus : Generalis indulgentia Noſtra, reditum exſulibus ſeu deportatis tribuit; non etiam loca militiæ pridem adempta conceſſit, neque integram atque illibatam exiſtimationem reſervavit. *l.* 6. *Cod. h. tit.*

Nec etiam jura privata : qualia ſunt jura familiæ & patriæ poteſtatis. Hinc Diocletianus & Maximianus : Si pater veſter in inſulam deportatus, generali indulgentiâ Reſtitutus eſt, nec ut liberos in poteſtatem reciperet ſpecialiter impetravit; in dubium non venit, hereditatis commodum per vos ei acquiri, quos Sententia contra eum prolata patresfamilias effecit, nequaquàm potuiſſe. *l.* 9. *Cod. h. tit.*

II.

Reſtitutio SPECIALIS *illa eſt, quæ certis perſonis conceditur. Hæc vel ſpecialiter exprimit ea quæ Princeps perſonæ concedit; vel per generalia illa verba,* RESTITUO IN INTEGRUM, *concepta eſt.*

Reſtitutio prioris generis, intrà ea quæ expreſſa ſunt, concluditur; nec ad alia porrigitur. Hinc Gordianus : In inſulam deportato filio, hâcque ratione vinculo paternæ poteſtatis exempto; ſi poſtea ex indulgentiâ Divi Alexandri (ut proponis) reditus in patrium ſolum, præcedenſque dignitas Reſtituta ſit; poteſtas tamen patria repetita non videtur. *l.* 6. *Cod. h. tit.*

Multominùs continere videbitur bonorum Reſtitutionem nuda pœnæ remiſſio. Hinc Antoninus : Cùm patrem tuum in metallum damnatum fuiſſe proponas; ejus quidem bona meritò à fiſco occupata ſunt. Nec ideò quòd ex indulgentiâ Meâ, pœnâ tantùmmodò metalli liberatus eſſet; etiam bonorum reſtitutionem impetravit, niſi ſpeciale beneficium ſuper hoc fuerit impetratum. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

Alterum Reſtitutionis ſpecialis genus pleniſſimè interpretatur Antoninus-Caracalla in ſpecie ſequenti. Quum ſalutatus eſſet à Gentiano (*a*), & Advento, & Opilio-Macrino Præfectis Prætorio-Clariſſimis viris; item amicis (*b*) & principalibus Officiorum, & utriuſque (*c*) Ordinis viris; & proceſſiſſet : oblatus eſt ei Julianus-Licinnianus, ab Opilio (*d*) Ulpiano tunc Legato in inſulam deportatus. Tunc Antoninus Auguſtus dixit, RESTITUO TE IN INTEGRUM PROVINCIÆ TUÆ. Et adjecit : Ut autem ſcias quid ſit in integrum Reſtituere; honoribus & Ordini tuo & omnibus cæteris te Reſtituo. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

III.

Conſtantinus autem definit, in ſpeciali quæ alicui indulgetur Reſtitutione, etiamſi non generaliter concepta eſſet, ſed eo tantùm expreſſo ut Dignitas ac bona *reſtituentur; eo caſu, ex Papiniani ſententiâ, remotiſque Ulpiani ac Pauli Notis, patria quoque poteſtas Reſtituta intelligeretur.* l. 13. Cod. h. tit.

Ideòque (*inquit*) tantùm ad Reſtitutionem indulgentia valeat, quantùm ad correctionem Sententia valuit. Utque deportationis ipſum per ſe nomen, rerum omnium ſpoliatio eſt; ita indulgentiæ Reſtitutio BONORUM AC DIGNITATIS, uno nomine amiſſorum omnium ſit recuperatio. Et filii emancipationem à patribus, officiis (*e*) petant; ut libertatem non damnationis, ſed lenitatis paternæ teſtem habeant. *d. l.* 13. § *fin. Cod. h. tit.*

Has tamen Conſtitutioni ſuæ limitationes addit : 1°. *Ut rata ſint omnia quæ liberi ipſius qui in ejus poteſtatem recidunt, interim geſſerint :* 2°. *Ut ſi filii ſint impuberes, & is qui Reſtituitur, ſit prodigus; adminiſtratio bonorum pupillarium, tutori ſervetur.* d. l. 13. § 1. & 2.

IV.

Illud verò controverſum non fuiſſe videtur, jura cognationis per quamlibet Reſtitutionem recipi. Hinc Paulus, qui (contra Papiniani Sententiam, mox ſuprà) jura patriæ poteſtatis recipi negabat, de juribus cognationis ait : In metallum damnata mulier, eum quem priùs conceperat edidit; deindè à Principe Reſtituta eſt. Humaniùs dicetur, etiam cognationis jura huic (*f*) Reſtituta videri. *l.* 4. PAUL. LIB. 17. QUÆST.

(*a*) Cujacius *Obſerv.* XV. 3. legit, ab *Ecdeciano.*

(*b*) Ibidem conjicit Cujacius legendum *Magiſtris*, *&c.* id eſt, Principibus *Agentium in rebus* : de quibus eſt Titulus 22. lib. XII. Cod.

(*c*) Senatorii & Equeſtris.

(*d*) Cujacius ibid. ait in veteribus libris legi *Ælio.*

(*e*) Id eſt, obſequiis ſuis erga patres petant ab ipſis emancipationis beneficium; ut hoc non debeant patris damnationi, ſed magis benignitati.

(*f*) *Huic* matri ſcilicet. Neque enim de filio ulla quæſtio; cùm ante damnationem conceptus, liber abſque dubio editus ſit. Id unum ergo quæritur, an mater reſtituta poſſit huic filio *Cognationis jure* ſuccedere. Ratio dubitandi, quòd Reſtitutio magis tribuit novam perſonam civilem, quàm reddit veterem illam perſonam quam damnatus amiſit cum omnibus quæ ei cohærebant juribus. Ratio decidendi, *Humanitas*; cujus intuitu, jura cognationis utpotè naturalia non videntur per capitis diminutionem interiiſſe; ſed ſuſpenſum duntaxat eorum in Jure Civili exercitium. Sublato autem per Reſtitutionem impedimento, reviviſcunt.

Source : BIU Cujas

Ulpianus quoque, qui pariter non putabat patriam poteſtatem per Reſtitutionem recipi; hunc ſaltem Reſtitutioni effectum concedit, ut liberi qui deportati ac reſtituti ſunt, eodem jure quo emancipati admittantur ad Bonorum poſſeſſionem Contra tabulas *patris: quamvis & ipſe deportatus ac Reſtitutus fuiſſet, ſuprà lib.* 36. *Tit.* de Bon. poſſ. contr. tab. *N.* 4.

Facilè etiam intelliguntur per Reſtitutionem recipi jura patronatûs. Hinc idem Ulpianus: Ad ſucceſſionem liberti, patronus deportatus & Reſtitutus admittitur. *l.* 1. ULP. LIB. 38. AD ED.

Sed ſi in metallum damnatus Reſtituatur; numquid ſervitus pœnæ extinguat jus patronatûs etiam poſt Reſtitutionem? Et magis eſt, ut non extinguat ſervitus jus Patronatûs. *d. l.* 1. § 1.

§ I.

De eâ Reſtitutionis ſpecie quæ ſine bonis conceditur.

V.

Si deportatus Reſtitutus dignitatem quidem indulgentiâ Principis recuperaverit, in ſua autem omnia bona non eſt Reſtitutus; nec à creditoribus, nec publico nomine conveniri poteſt. *l.* 2. ULP. LIB. 5. OPINION.

Similiter Papinianus. In inſulam deportati bona, fiſcus pœnâ remiſsâ retinuit. Creditores, ex antè geſto non habere, cum eo qui debitor quondam fuit, actiones, conſtitit. *l.* 3. PAPIN. LIB. 16. RESPONS.

Conſonat quod reſcribit Alexander. Tutor filiorum tuorum quorum te Bonorum poſſeſſionem accepiſſe dicis, in metallum damnatus, & poſtea ex indulgentiâ generali regreſſus; quanquàm locupletior ſit, actione TUTELÆ adminiſtratæ tibi non tenetur; ſi non ex gratiâ Sententiæ factâ, ſpecialiter ſtatum priſtinum CUM BONIS OMNIBUS recuperaverit. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

Vice versâ; Reſtitutus cui bona non ſunt reſtituta, actiones quas ante Sententiam habebat, non recipit. Hinc idem Alexander. Si ademptis bonis in inſulam deportatus ſis; quamvis ex indulgentiâ communi rediiſti, actiones tamen quaſcumque habuiſti remanent in causâ bonorum publicatorum. Nec ex ordine eſt quod petis; ut contra heredes tutorum, actiones tibi præſtentur. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

§ III.

De eâ Reſtitutionis ſpecie quæ bonorum quoque reſtitutionem continet.

VI.

Ei qui talem impetravit Reſtitutionem, & adversùs eum actiones perindè competere incipiunt atque ante Sententiam competebant; & in eâdem causâ in quâ erant.

Hoc eſt quod ait Paulus. Princeps bona concedendo, videtur etiam obligationes concedere. *l.* 21. *ff. de Verb. ſignif.* PAUL. LIB. 11. AD ED.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Caſus ejus qui fundi moverat quæſtionem, & ex benignitate Noſtrâ facta in eum cum bonis Reſtitutio, ſtatum priſtinum cauſæ non immutavit. *l.* 11. *Cod. h. tit.*

Iidem reſcribunt. Si deportationis Sententiæ veniam indulgentiâ Noſtrâ conſecuta, ſuam recepit ſubſtantiam; ſe protegere ſceleris pœnâ contra creditores, quominùs jure debitum ſolvat, improbè conatur. *l.* 12. *Cod. h. tit.*

Quinimò: Quòd ſi bona cum dignitatis reſtitutione conceſſa recuperaverit; Utiles actiones neceſſariæ non erunt, cùm & Directæ competunt. *l.* 3. ¶ *quòd ſi.* PAPIN. LIB. 16. RESPONS.

Ampliùs nota. Sed [ſi] quum ei facultas oblata eſſet à Principe bona quoque ſua recuperandi, maluerit ea derelinquere; actionibus exuere ſe quibus ante Sententiam ſubjectus fuerat, non poterit. *l.* 2. ¶ *ſed quum.* ULP. LIB. 5. OPINION.

VII.

Hæc ita, quum univerſa bona Reſtituta ſunt. Secùs, ſi certæ res tantùm.

Hinc Alexander. Si debitor pœnam Sententiæ paſſus eſt, quam bonorum ademptio ſecuta eſt; quamvis poſtea civitati Romanæ Reſtitutus, non totam ſubſtantiam, ſed aliquid ex indulgentiâ Principis ut haberet, impetravit: æris tamen alieni ex præcedente tempore pœnâ liberatus eſt. Si verò partem bonorum accepit, pro ratâ portione ejus tenetur. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

Obiter nota. Quòd ſi ob pecuniam debitam (*a*) fiſco, bona ejus occupata ſunt; manſit unà cum ſuis fidejuſſoribus, propriis creditoribus obligatus. *d. l.* 3. *Cod.* ¶ *quòd ſi.*

§ IV.

De Reſtitutione quæ adnotatis datur.

VIII.

Non Sententiam Paſſis ſolùm, ſed Adnotatis ſimpliciter, Reſtitutio conceditur. Cùm autem is eſſet annotationis effectus (ſuprà, Tit. de Requir. reis*); ut is quem Magiſtratus requirendum annotaverat, ſe ad purgandum crimen in Jus ſiſtere teneretur; &, ſi prehendi poſſet, prehenderetur: conſequenter Reſtitutionis indultæ à Principe contra adnotationem effectus eſt, ut jam non ſiſtere ſe teneatur quis propter crimen quod abolitum eſt, adeòque nec prehendi poſſit.*

Ad bona autem quod attinet; ſi jam fiſci facta fuerant, probabile eſt ea per hanc Reſtitutionem non Reſtitui, niſi ſpecialiter in illâ de his quoque cautum ſit.

De hâc adnotati reſtitutione ita Diocletianus & Maximianus (*b*). Cùm indulgentiâ Noſtrâ interveniente ſis reverſus ad lares tuos; fruſtrà veteris ne ex Adnotatione Præſidis quæ jam abolita eſt, calumniam patiaris. *l.* 10. *Cod. h. tit.*

☞ *Relegati, cæterique quibus pœna aliqua non capitalis inflicta eſt, non propriè* Reſtitui *dicuntur quum pœna ipſis remittitur.*

(*a*) Id eſt, ſi non ex causâ damnationis, ſed ex causâ quòd quis fiſco debitor erat.

(*b*) Aliter Cujacius hanc legem intelligit; ſcilicet non de adnonatione quâ quis reus requirendus adnotatus eſt; ſed de Sententiâ Præſidis quâ aliquem deportandum adnotaſſet, & quam Princeps confirmaverat, & deindè relaxaverat.



Source : BIU Cujas

TITULUS XXIV.

DE CADAVERIBUS PUNITORUM.

I.

CORpora eorum qui capite damnantur, cognatis ipſorum neganda non ſunt. Et id ſe obſervaſſe etiam Divus Auguſtus libro decimo de vitâ ſuâ ſcribit. Hodie autem eorum in quos animadvertitur, corpora non aliter ſepeliuntur, quàm ſi fuerit petitum & permiſſum : & nonnunquam non permittitur, maximè Majeſtatis (*a*) causâ damnatorum. *l.* 1. ULP. LIB. 9. DE OFFIC. PROCONS.

Regulariter autem in cæteris criminibus Eorum quoque corpora qui exurendi damnantur, peti poſſunt, ſcilicet ut oſſa & cineres collecta, ſepulturæ tradi poſſint. *d. l.* 1. ¶ *eorum.*

Undè indiſtinctè Paulus. Corpora animadverſorum, quibuſlibet petentibus ad ſepulturam danda (*b*) ſunt. *l.* 3. PAUL. LIB. I. SENTENT.

II.

Hæc in his qui ultimo ſupplicio plexi ſunt. Quòd Si quis in inſulam deportatus vel relegatus fuerit, pœna etiam poſt mortem manet; nec licet eum indè transferre aliubi, & ſepelire, inconſulto Principe : ut ſæpiſſimè Severus & Antoninus reſcripſerunt, & multis petentibus hoc ipſum indulſerunt. *l.* 2. MARCIAN. LIB. 2. PUBLIC.

(*a*) Veſpaſianus quorumdam conjuratorum pœnæ adjecit ſpecialiter, ut inſepulti projicerentur. Sueton. in VESPAS. cap. 2.

(*b*) Scilicet ſi id petitum fuerit. Sic Pontius-Pilatus Præſes & Procurator Judeæ conceſſit corpus Salvatoris noſtri Joſepho Decurioni Arimatheæ civitatis, ut illud ſepeliret.

Source : BIU Cujas

LIBER QUADRAGESIMUS-NONUS.

TITULUS I.

DE APPELLATIONIBUS ET RELATIONIBUS.

Cum duodecim ſequentibus Titulis uſque ad 13^um^. *incluſivè, quorum omnem ferè materiam hîc ordinis cauſâ conjungi neceſſarium viſum eſt.*

ABſolutis jam quæcumque ſpectant ad judicia, ſive civilia, ſive criminalia; hîc rectè ſubjicitur tractatio DE APPELLATIONIBUS *: quod nempè remedium judiciis omnibus commune eſt.*

Pauca ſubnectuntur & DE RELATIONIBUS *ad Principem factis ab ipſo judice, vel citra Appellationem partium, vel partibus ipſis Principem appellantibus.*

SECTIO I.

De Relationibus ad Principem factis à judice, citra Appellationem partium.

I.

RELATIO *eſt, actorum & opinionis ſuæ ad Principem facta Relatio; quæ alio nomine* CONSULTATIO *dicitur.*

Referunt autem judices inſtructâ quidem causâ, ſed ante ejus definitionem, non poſtea. Unde Conſtantinus: Si quis judicum duxerit eſſe Referendum, nihil inter partes pronuntiet: ſed magis ſuper quo hæſitandum putaverit, Noſtram conſulat ſcientiam. Aut ſi tulerit Sententiam; minimè poſtea, ne à ſe provocetur, Relatione præmiſsâ terreat litigantes: ſciens quòd, ſi hoc fecerit, nihilominùs jure Appellationis res agitabitur (*a*).

Sed nec ad Nos mittatur aliquid, quod plenâ inſtructione indigeat. *l.* 1. *Cod. de Relationib.*

II.

Quoties autem ad Noſtram ſcientiam judex ſe polliceatur Relaturum, conſultationis exemplum litigatoribus illicò edi apud Acta jubeat: ut, ſi cui fortè Relatio minùs plena vel contraria videatur, is refutatorias preces ſimiliter apud Acta ſine aliquâ fruſtratoriâ dilatione offerat. *d. l.* 1. *Cod de Relationib.* ¶ *fin.*

Hoc confirmant Valentinianus & Valens, qui ita reſcribunt. Super delictis provincialium nunquam Rectores provinciarum ad ſcientiam Principum putent eſſe Referendum, niſi ediderint priùs conſultationis exemplum. Quippè TUNC DEMUM Relationibus plena veritas eſt, quum vel allegationibus repelluntur [*Cod. Theod.* refelluntur] vel probantur aſſenſu. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

III.

Hoc item circa Relationis formam conſtitutum eſt ab Imperatoribus Valentiniano, Valente, & Gratiano; ut Si quando ratio aut neceſſitas eſt in negotiis Noſtra judicia requirendi expectandique reſponſa; omnes omninò cauſas, Relationis ſeries comprehendat: ut, recitatâ conſultatione quæ ita eſt dirigenda, propemodùm actorum recenſione non ſit opus; actis etiam neceſſariò ſociandis. *l.* 3. *Cod. de Relationib.*

IV.

Obſervandum ſupereſt quòd. Ad Principem remiſſa cognitio, ab eo circumduci (*b*) poteſt qui remiſit. *l.* 22. PAPIN. LIB. 2. RESPONS.

Hoc ita, ſi partes conſenſerint. Hinc Hermogenianus: Ad Imperatorem cauſam remiſſam, partibus conſentientibus Præſes, ſi ad ejus notionem pertinet, audire poteſt. *l.* 26. HERMOGEN. LIB. 2. JURIS EPITOMARUM.

☞ *De Relatione alio ſenſu acceptâ, ſcilicet quum partibus Principem Appellantibus judex neceſſe habet ad eum referre, vide infrà N.* 47. *&* 48.

SECTIO II.

De Appellationibus.

V.

APPELLATIO *vulgò definitur, ab inferioris judicis Sententiâ ad ſuperiorem legitimè facta provocatio.*

Appellandi uſus quàm ſit frequens quàmque neceſſarius, nemo eſt qui neſciat; quippè cùm iniquitatem judicantium vel imperitiam recorrigat: licèt nonnunquam benè latas Sententias in pejus reformet; neque enim utique meliùs pronuntiat qui noviſſimus Sententiam laturus eſt. *l.* 1. *ff. de Appell. & relat.* ULPIAN. LIB. 1. DE APPELL.

Circa Appellationes quærendum 1°. *A quibus judicibus & ad quos Appelletur:* 2°. *De Sententiis à quibus appellatur:* 3°. *Quibus perſonis Appellatio concedatur, & quibus præſcriptionibus excludantur necne: item adversùs quas perſonas Appellatio admittatur:* 4°. *Agendum de formâ & tempore interponendæ Appellationis, ubi quæremus quoties illa interponi poſſit:* 5°. *De formâ pariter & temporibus hujus recipiendæ, necnon de officio judicis in eâ recipiendâ:* 6°. *De effectu Appellationis interpoſitæ:* 7°. *De proſequendâ & abſolvendâ Appellatione:* 8°. *Videbimus quibus Sententia in causâ Appellationis lata proſit:* 9°. *De Pœnâ ejus qui temerè appellavit. Denique, quæremus quando ſolvatur Appellatio.*

(*a*) Vide Sect. ſeq. art. 3. §°. 2°. N. 27.

(*b*) Id eſt, revocari.

ARTICULUS

Source : BIU Cujas

ARTICULUS I.

De judicibus à quibus, *& de iis* ad quos *appellatur : (quâ de re est*

TITULUS II.

A quibus appellari non licet.

&

TITULUS III.

Quis à quo appelletur.)

§ I.

A quibus judicibus Appellari possit necne.

V I.

Tractandum est, à quibus Appellare non liceat. *l.* 1. *ff. A quib. appell.* ULP. LIB. I. DE APPELLAT.

Et quidem stultum est illud admonere, à Principe Appellare fas non esse ; cùm ipse sit qui provocatur. *d. l.* 1. § 1.

Item Sciendum est ; Appellari à Senatu non posse Principem. Idque Oratione Divi Hadriani effectum. *d. l.* 1. § 2.

V I I.

A Præfectis autem Prætorio provocare non sinimus. *l.* 19. *Cod. de Appell.* ¶ *A Præfectis.* CONSTANTINUS.

Verùm adversùs eorum Sententias supplicari potest coràm ipsis [*ut ferè apud nos*, par Requête civile] ; *sed semel duntaxat.*

Hinc Valentinianus & Valens. Si quis adversùs Præfectorum Prætorio Sententias duxerit supplicandum, victusque defuerit ; nullam habebit licentiam iterùm super eâdem causâ supplicandi. *l.* 5. *Cod. de Prec. Imper. offer.*

Novella CIX. cap. 5. *permittit pariter supplicare Præfecto Prætorio adversùs ipsius Sententiam : sed ita ut, si quidem intra decem dies supplicatum fuerit, non possit is qui vicit Sententiæ executionem prosequi ; nisi satisdet de restituendo, in eum casum quo Sententia rescinderetur. Sin post decem dies supplicetur, supplicatio executionem Sententiæ non morabitur ; nec necesse erit victori satisdare.*

Et hæc quidem de Præfecto Prætorio ; à quo solo [*inquiunt Arcadius & Honorius*] non sine dispendio causæ provocare permissum *est. l.* 50. *Cod.* de Appellat.

V I I I.

At verò A Proconsulibus & Comitibus, & his qui vice Præfectorum cognoscunt, sive ex delegatione, sive ex ordine judicaverint, provocare permittimus. Ita ut Appellanti judex præbeat opinionis exemplum (*a*) ; & acta cum refutatoriis partium suisque litteris ad Nos dirigat. *l.* 19. *pr. Cod. d. tit.*

Imò Eos etiam qui imaginem Principalis disceptationis accipiunt (*b*), Appellationum adminicula necesse est accipere. *l.* 16. *Cod. d. tit.* CONSTANTIN.

Tamen Interdum Imperator ita solet judicem dare, ne liceret ab eo provocare : ut scio sæpissimè à Divo Marco judices datos.

An & alius possit ita judicem dare, videbimus ? Et puto non posse. *sup. d. l.* 1. § 3. *ff. A quib. appell.*

I X.

Ex consensu litigantium (citra (*c*) compromissum) à Præside provinciæ judice dato, victus potest provocare. *l.* 23. *ff. de Appell. & relat.* PAPIN. LIB. 19. RESPONS.

Quæsitum est, in arbitros (*Haloand.* arbitris) qui ad fidejussores probandos dantur, an appellare liceat (*d*) ? Quamvis hoc casu & sine Appellatione quidam putent, ab eo qui eum dedit Sententiam ejus corrigi posse. *l.* 2. *ff. A quib. appellari.* PAUL. LIB. SINGUL. DE APPELL.

§ II.

Quis judex à cujus judicis Sententiâ sit Appellandus.

X.

Ab utroque Prætore Urbano, Præfectus Urbi appellatur. l. 17. *Cod.* de Appell.

Ex quarumdam etiam provinciarum judicibus, Præfectus Urbi Appellatur ; quarum enumerationem vide in l. 23. *Cod.* d. tit.

A cæterarum provinciarum Rectoribus & à Præfecto Urbi appellabatur, vel Præfectus Prætorio ; vel etiam ipse Imperator, si causa esset magni momenti & usque ad certam summam pertingeret.

Quòd Si quis, quum unâ actione ageretur quæ plures species in se habeat pluribus summis sit condemnatus ; quarum singulæ notionem Principis non faciunt, omnes autem conjunctæ faciunt ; poterit ad Principem Appellare. *l.* 10. § 1. *ff. de Appell. & relat.* ULP. LIB. 8. DISPUTAT.

Ex Constitutione autem Theodosii & Valentiniani ; In omnibus Appellationibus quæ à Proconsulibus & Spectabilibus judicibus interponuntur, audientia Principis non debet expectari ; sed de his cognoscit Præfectus Prætorio cum Quæstore Sacri Palatii. l. 32. *Cod.* de Appellat.

Hæc de Appellationibus à judicibus ordinariis sufficiant.

X I.

Quid de delegatis ?

A judice quem Princeps delegavit, Princeps appellatur. Et quidem si delegatus erat Illustris, ipse Princeps cognoscit ; sin, cognoscet Præfectus Prætorio cum Quæstore Palatii. d. l. 32. Cod. §§ 1. & 2.

Dato judice à Magistratibus Populi Romani cujuscumque ordinis ; etiamsi ex auctoritate Principis, licèt nominatim judicem declarantis, dederint ; ipsi tamen Magistratus Appellabuntur. *l.* 3. *ff. Quis à quo appellet.* MODESTIN. LIB. 8. REGUL.

Similiter Theodosius & Valentinianus rescribunt : quòd Eorum sententiis Appellatione suspensis, qui ex delegatione cognoscunt : necesse est eos æstimare justè necne fuerit Appellatum, qui causas delegaverint judicandas. *sup. d. l.* 32. § 3. *Cod. de Appellat.*

Proindè & si Præfectus Urbi judicem dederit, vel Prætorio ; ipse erit provocandus, qui eum dederit judicem. *l.* 1. ¶ *proindè. ff. Quis à quo appellet.* ULP. LIB. I. DE APPELL.

Quod dicitur, eum Appellari qui dedit judicem : sic accipiendum est, ut & successor ejus possit Appellari. *d. l.* 1. *pr.*

Hæc ita de judice quem Magistratus, duntaxat ad judicandum delegavit.

At verò Ab eo cui quis mandavit jurisdictionem, non ipse provocabitur. Nam generaliter erit provocandus ab eo cui mandata est jurisdictio, qui provocaretur ab eo qui mandavit jurisdictionem. *d. l.* 1. § 1. *ff.*

Tamen Appellari à Legatis Proconsul potest (*e*) &

(*a*) *Les motifs de la Sentence, avec les pieces du Procès.*

(*b*) Id est, etiam judices à Principe datos, ut ejus vice causam disceptent.

(*c*) Hanc lectionem quæ vulgata est, rectè probat Cujacius. Malè in Florent. *circa.* A compromissario judice non Appellatur : frustrà enim appellaretur, cùm ejus Sententia actionem *Rei judicatæ* non pariat. A judice delegato Præses qui delegavit Appellatur ; nec refert an delegaverit eum quem ipse, an quem partes elegissent.

(*d*) Supple ; & dicendum est licere, imò & tutius esse. *Quamvis* [& hæc erat ratio dubitandi] *quidam putent* Appellationem hoc casu superfluam ; Magistratumque qui arbitrum delegavit, citra Appellationem posse hujus arbitri Sententiæ iniquitatem corrigere.

(*e*) Hinc Bynkershoek Observ. VI. 23. observat Proconsules non plenè mandasse Legatis suis suam jurisdictionem ; illam ipsis magis communicasse, quam transtulisse : undè à legato Proconsul, utpotè qui jurisdictionem suam retinuerit, Appellabitur.

Source : BIU Cujas

si multam dixerit, potest de iniquitate ejus Proconsul cognoscere, & quod optimum putaverit, statuere. *l.* 2. *ff. Quis à quo appell.* VENULEIUS-SATURNIN. LIB. 2. DE OFFIC. PROCONS.

§ III.

An & quando noceat provocanti, error circa judicem qui Appellandus est.

XII.

Si quis in Appellatione erraverit, ut putà quum alium Appellare deberet, alium Appellaverit : videndum an error ei nihil officit? & si quidem, quum majorem judicem Appellare deberet, ita erravit ut minorem Appellet; error ei nocebit : si verò majorem judicem provocavit, error ei nihil oberit. Et ita multis Constitutionibus continetur. *l.* 1. § 3. *ff. de Appellat. & relat.* ULP. LIB. I. DE APPELL.

Non nocebit pariter provocanti, si alium similis potestatis Appellaverit.

Hinc Denique ; quum quidam judicem ex Rescripto Principis à Consulibus accepisset, & Præfectum Urbi Appellasset; errori ejus subventum est Rescripto Divorum Fratrum, cujus verba hæc sunt : « Cùm per errorem » factum dicas, uti à judice quem ex Rescripto Nos» tro ab Amplissimis Consulibus acceperas, ad Junium» Rusticum nostrum amicum Præfectum Urbi provo» cares ; Consules Amplissimi perinde cognoscant, » atque si ad ipsos facta esset provocatio. » Si quis ergo vel parem vel majorem judicem Appellaverit, alium tamen pro alio; in eâ causâ est, ut error ei non noceat. Sed si minorem, nocebit. *d.* § 3. ¶ *denique.*

XIII.

Appellationes igitur omisso medio interpositæ, non sunt irritæ ; sed causa remittitur ad judicem qui Appellari debuit.

Undè Imperatores Antoninus & Verus rescripserunt; Appellationes quæ rectò ad Principem factæ sunt, omissis his ad quos debuerunt fieri, ex imo ordine (*a*) ad Præsides remitti. *l.* 21. *ff. de Appell. & relat.* PAPYRIUS-JUSTUS LIB. I. DE CONSTITUTIONIB.

Iidem rescripserunt; A judice quem à Præside provinciæ quis acceperat, non rectè Imperatorem Appellatum esse : ideòque reverti eum ad Præsidem debere. *d. l.* 21. § 1.

ARTICULUS II.

De Sententiis à quibus appellatur necne.

XIV.

Appellationi locus non est, quoties Sententia ipso Jure non valet : de quâ re satis suprà lib. 42. *Tit.* de Re judicatâ.

Contrà autem plures casus sunt, in quibus insuper habitâ Appellatione mandatur executioni Sententia. Enimverò ita Paulus (postquàm dixit, Lege Juliâ DE VI PUBLICA *teneri Magistratum qui civem Appellantem necasset, &c.) ait:* Hâc Lege excipiuntur qui artem ludicram faciunt (*b*), judicati etiam & confessi (*c*), & qui ideò in carcerem duci jubentur quòd Jus dicenti non obtemperaverint, quid-ve contra publicam disciplinam fecerint. Tribuni etiam militum & Præfecti Classium Alarum-ve; ut sine aliquo impedimento-Legis Juliæ, per eos militare delictum coerceri possit. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 24. § 2.

Item à Sententiâ quam Magistratus adversùs aliquem ex Officialibus suis tulit, in his quæ officium ejus spectant, Appellatio Officialis non admittitur. l. 3. *Cod.* Quor. appell. non.

XV.

Sed & ratione causæ duntaxat, Si res dilationem non recipiat, non permittitur Appellare ; ne vel testamentum aperiatur, ut Divus Hadrianus (*d*) constituit; ne frumentum in usum militum in annonæ subsidia contrahatur, ne-ve scriptus heres in possessionem inducatur. *l.* 7. *ff. de Appell. recip.* PAUL. LIB. SING. DE APPELL.

Hoc confirmant Gratianus, Valentinianus & Theodosius qui ita rescribunt. Quisquis, ne voluntas defuncti testamento scripta referetur, vel ne hi quos scriptos patuerit heredes in possessionem mittantur, ausus fuerit provocare; interpositamque Appellationem is cujus de eâ re notio erit, recipiendam esse crediderit : viginti librarum argenti mulcta, & litigatorem qui tam importunè Appellaverit, & judicem qui tam ignavam conniventiam adhibuerit, involvat. *l.* 6. *Cod. Quor. appell. non recip.*

Item quominùs pignus vendere liceat, Appellari non potest. *sup. d. l.* 7. § 2. *ff. de Appell. recip.*

XVI.

Item regulariter ab omnibus Sententiis interlocutoriis appellari non permittitur.

Igitur quum de agendâ causâ judex aliquid interlocutus est; Ejus qui ideò causam agere frustratur, quòd dicit se libellum Principi dedisse, & Sacrum Rescriptum expectare, audiri desiderium prohibetur. Et, si ob eam causam provocaverit, Appellatio ejus recipi Sacris Constitutionibus vetatur. *l.* 4. *ff. d. tit.* MACER LIB. 1. DE APPELLAT.

Hinc Gratianus, Valentinianus, Theodosius & Arcad. Ante Sententiæ tempus & ordinem eventûs, nec à Discussore (*e*) nec à Rationali Appellare liceat. *l.* 7. *Cod. Quor. appell. non recip.*

Interdum tamen ab interlocutoriâ appellatur; nimirùm si ea sit cujus gravamen reparari non posset, per provocationem interpositam post definitivam Sententiam.

Hinc V. G. Ante Sententiam Appellari potest, si quæstionem (*f*) in civili negotio habendam judex interlocutus sit; vel in criminali, si contra Leges hoc faciat. *l.* 2. *ff. de Appell. recip.* SCÆVOLA LIB. 4. REGULAR.

XVII.

Hactenùs de interlocutoriis Sententiis.

Diversâ ratione, Ab executore Sententiæ appellare (*g*) non licet. *l.* 4. *ff. de Appellat. & relat.* MACER LIB. 1. DE APPEL.

Similiter Valens, Gratianus & Valentinianus rescribunt. Ab executione Appellari non posse, satis & Jure & Constitutionibus cautum est.

Nisi fortè executor Sententiæ, modum judicationis excedat.

A quo si fuerit Appellatum, executione suspensâ decernendum putamus; ut, si res mobilis est ad quam restituendam executoris opera fuerit indulta, Appellatione susceptâ possessori res eadem detrahatur, & sequestro idoneo collocetur, reddenda ei patri pro quâ Sacer Cognitor (*h*) judicaverit. Quòd si de possessione vel de fundis executio cessaverit, & eam suspenderit provocatio; fructus omnes qui tempore interpositæ provocationis capti, vel postea nati erunt, in depositò

(*a*) *Ex imo ordine* judicum. Nam, ut vid. §°. præced. à majoribus judicibus, non ad *Præsides*, sed ad *Præfectos* appellatur.

(*b*) Scilicet si Magistratus quid in eos statuit ex causâ alicujus delicti in ludo aut scenâ; Sententia executioni mandatur. Cæterùm Augustus Magistratibus coercitionem quam ex vetere Lege in histriones habebant, ademerat, præterquàm hoc casu : ut refert Suetonius in AUGUSTO N. 45.

(*c*) Vide Art. seq. §°. 2°.

(*d*) Intellige Edictum Hadriani, de quo suprà lib. 29. in *Append.* ad Tit. 3.

(*e*) Cujacius [ad Tit. Cod. *de Discussor.*] DISCUSSORES in h. l. accipi censet pro cognitoribus & disceptatoribus Rationum fiscalium ab aliis tractarum ; *Rationalis* verò hîc intelligi potest, Judex quibusvis rationibus dispiciendis datus. Ab eorum, sicut & à quorumvis aliorum judicum, interlocutoriis Sententiæ ante definitam non appellatur.

(*f*) Tormenta.

(*g*) Ab ipsâ enim Sententiâ Appellandum fuit, non ab ejus executione.

(*h*) Judex qui vice Principis de Appellatione cognoscit.

Source : BIU Cujas

collocentur; jure fundi penès eum qui Appellaverit, constituto.

Sciant autem provocatores, se vel ab executione Appellantes, vel ab articulo, si eos perperàm intentionem Cognitoris suspendisse claruerit, quinquaginta librarum argenti animadversione multandos. *l.* 5. *Cod. Quor. appell. non recip.*

Ab executoriâ porrò Sententiâ valdè distinguenda est interpretatoria. Sed *enim* ab eo qui Sententiam malè interpretari dicitur, Appellare licet; si tamen is interpretandi potestatem habuit, velut Præses provinciæ, aut Procurator Cæsaris (*a*) : ita tamen ut in causis Appellationis reddendis hoc solum quæratur, an Jure interpretatum sit. Idque etiam Divus Antoninus rescripsit. *l.* 4. § 1. *ff. de Appellat. & relat.* MACER LIB. 1. DE APPELLAT.

XVIII.

Observandum superest quòd, ut provocatio recipiatur, nihil refert quanti momenti fuerit res de quâ judicatum est.

Enimverò Et in majoribus & in minoribus negotiis, Appellandi facultas est. Nec enim judicem oportet injuriam sibi fieri existimare, eo quòd litigator ad provocationis auxilium convolavit. *l.* 20. *Cod. de Appell.* CONSTANT.

ARTICULUS III.

A quibus personis & adversùs quas provocatio admittatur necne, & quibus præscriptionibus ab Appellando quis excludi possit.

§ I.

Qui ad provocandum admittantur.

XIX.

Non solent audiri Appellantes, nisi hi quorum interest, vel quibus mandatum est, vel qui alienum negotium gerunt quod mox ratum habetur. *l.* 1. *ff. de Appell. recip.* ULP. LIB. 28. AD ED.

Hinc V. G. Filiumfamilias, quum adversùs patrem ejus de bonis quæ per ipsum poterant adquiri, pronuntiatum esset; respondi, Nonnisi patris nomine (*b*) potuisse provocare. *l.* 23. § 2. *ff. de Appell. & releg.* PAPINIAN. LIB. 19. RESPONS.

XX.

Et generaliter statuendum quòd A Sententiâ inter alios dictâ Appellari non potest, nisi ex justâ causâ; veluti si quis in coheredum præjudicium se condemnari (*c*) patitur, vel similem (*d*) huic causam : quamvis (*e*) & sine Appellatione tutus est coheres. *l.* 5. *ff. d. tit.* MARCIAN. LIB. 1. DE APPELL.

Nimirùm Alio condemnato, is cujus interest Appellare potest; qualis est qui per procuratorem expertus, victus est. Nec procurator suo nomine (*f*) Appellet. *l.* 4. § 2. *ff. d. tit.* MACER LIB. DE APPELL.

Eum qui procuratorem constituit, non minùs quàm ipsum procuratorem, posse provocare; docent etiam Diocletianus & Maximianus qui ita rescribunt. Si actor à curatore ordinatus, deteriorem calculum reportaverit; tam ipse quàm curator ad provocationis auxilium possunt pervenire: curator verò solus provocationis litem exercebit. Sin autem interim adolescens veniam ætatis impetraverit, vel ad legitimam ætatem pervenerit; potest suo nomine Appellationem exercere. *l.* 10. *Cod. de Appellat.*

XXI.

Item si emptor de proprietate victus est; eo cessante, auctor ejus Appellare poterit. Aut si auctor egerit, & & victus sit; non est deneganda emptori Appellandi facultas. Quid enim si venditor qui Appellare noluit, idoneus non est? Quinetiam, si auctor Appellaverit, deinde in causæ defensione suspectus visus sit; perindè defensio causæ emptori committenda est, atque si ipse Appellasset. *l.* 4. § 3. *ff. de Appell. & relat.* MACER LIB. 1. DE APPELAT.

Idque ita constitutum est in personâ creditoris (*g*); quum debitor victus (*h*) Appellasset, nec ex fide causam defenderet. Quæ Constitutio ita Accipienda est, si interveniente creditore debitor de pignore victus provocaverit : nam absenti creditori nullum præjudicium debitor (*i*) facit. Idque statutum est. *d. l.* 4. § 4.

Ad Appellandum admittuntur Idem fidejussores, pro eo pro quo intervenerunt. Igitur & venditoris fidejussor (*k*) emptore victo Appellabit, licèt emptor & venditor adquiescant. *l.* 5. *ff. d. tit.* ¶ *item fidejussores.* MARCIAN. LIB. 1. DE APPELLAT.

Simili ratione : Si heres institutus, victus fuerit ab eo qui de inofficioso testamento agebat; legatariis & qui libertatem acceperunt permittendum est Appellare, si querantur per collusionem pronuntiatum : sicut Divus Pius rescripsit. *d. l.* 5. § 1.

Idem rescripsit, legatarios causam Appellationis agere posse. *d. l.* 5. § 2.

Sed & si in fraudem suam transactionem factam ab eo qui Appellasset, dicerent; idem dicendum est. *d. l.* 5. § 3.

Sed & sine Appellatione si fuerit transactum, similiter rescriptum est. *d. l.* 5. § 4.

Consonat quod ait Ulpianus. Si perlusorio judicio actum sit adversùs testamentum; an Jus faciat judex, videndum? Et Divus Pius, quum inter conjunctas personas diceretur per collusionem in necem legatariorum & libertatium actum, Appellare eis permisit. Et hodie hoc Jure utimur, ut possint Appellare; sed & agere causam apud ipsum judicem qui de testamento cognoscit, si suspicantur non ex fide heredem causam agere. *l.* 14. *ff. de Appell. & relat.* ULP. LIB. 14. AD ED.

XXII.

Interdum ut quis ad provocandum admittatur, sufficit quòd vel ex solâ pietatis ratione ejus interfit.

Putà : Sed & si cùm mater filii rem Sententiâ eversam animadverteret, provocaverit; pietati dans; dicendum est, & hanc audiri debere. Et si litem præparandam curare maluerit, intercedere (*l*) non videtur; licèt ab initio defendere non potest. *l.* 1. § 1. *ff. de Appell. recip.* ULP. LIB. 28. AD ED.

Simili ratione : Non tantùm ei qui ad supplicium ducitur, provocare permittitur; verùm alii quoque nomine ejus, non tantùm si ille mandaverit, verùm quisquis alius provocare voluerit. Neque distinguitur utrùm necessarius ejus sit, necne. Credo enim humanitatis ratione, omnem provocantem audiri debere. Ergo, etsi ipse adquiescit Sententiæ. Nec quærimus, cujus interfit. Quid ergo, si resistat qui damnatus est, adversùs provocationem; nec velit admitti ejus Appellationem, perire festinans? Adhuc putem differendum

(*a*) Hanc non habet judex pedaneus; qui statim atque officio functus est, privatus est.

(*b*) Non suo : neque enim ipsius interest, sed patris.

(*c*) Si unus ex heredibus se falso creditori hereditario condemnari patiatur, videntur primâ facie coheredes ejus, ab hâc Sententiâ quæ inter ipsos lata non est, posse Appellare; eo quòd eorum interfit hunc non judicari hereditatis creditorem. Verùm quod dixit, mox emendat his verbis; *Quamvis & sine Appellatione tutus est coheres :* quia Sententia non facit ut is erga coheredem cum quo Sententia lata non est, videri debeat hereditatis creditor. Undè tacitè concludendum relinquit supervacuam Appellationem, adeòque non recipiendam.

(*d*) Vide exempla infrà N. seq.

(*e*) Pro *quanquam*, emendativè.

(*f*) Sed procuratorio rectè.

(*g*) Pigneratitii.

(*h*) In causâ in quâ de proprietate pignoris agebatur.

(*i*) Adeòque provocatione opus non habet; cùm ex Sententiâ inter alios latâ, jus sui pignoris non amittat.

(*k*) *Venditoris fidejussor* hîc accipitur, non qui pro venditore, sed qui apud venditorem pro emptore fidem suam interposuit : ut liquet ex his quæ sequuntur, *emptore victo, &c.*

(*l*) Regulariter mulieres arcentur à lite pro alio suscipiendâ; propter Senatusconsultum Velleianum quo intercedere prohibentur, id est, in alterius rem obligationem suscipere. Hîc autem non prohibentur; pietatis enim ratio facit ut res ipsa matris agi quodammodo videatur, adeoque non videatur *intercedere* pro alio.

Source : BIU Cujas

ſupplicium. *l.* 6. *ff. de Appell. & relat.* ULP. LIB. 2. DE APPELL.

XXIII.

Vidimus, in perſonâ quæ Appellat inſpici an ejus interſit, mandatum-ve habeat ejus cujus intereſt.

Inſpicitur etiam conditio perſonæ. Nam Servi Appellare non poſſunt.

Sed domini eorum, ad opem ſervo ferendam poſſunt uti auxilio Appellationis; & alius domini nomine id facere poteſt. *l.* 15. *ff. de Appellat. & relat.* MARCELL. LIB. 1. DIGEST.

Uno tamen caſu ſervus ad Appellandum admittitur. Nimirùm : Sin verò neque dominus neque pro domino (*a*) Appellaverit; ipſi ſervo qui Sententiam triſtem paſſus eſt, auxilium ſibi implorare non denegamus. *d. l.* 15. ¶ *fin.*

Extra hunc caſum ſervus appellare non poteſt, ne quidem pro domino.

Hinc Scævola. Creditor cum fidejuſſoribus egerat; ſed poſt judicium acceptum, ad agendam cauſam ipſe non adfuit: & quum abſoluti eſſent fidejuſſores, ſervus ejus appellavit. Quæſitum eſt, an Appellatio quam ſervus interpoſuit nomine domini, nullius momenti eſſet? Reſpondit, Ejuſmodi Appellationem non eſſe obſervandam. *l.* 28. *ff. de Appell. & relat.* SCÆVOLA LIB. 25. DIGEST.

§ II.

Quibus præſcriptionibus quis ab Appellando excluditur.

XXIV.

Appellationem excludit præſcriptio PACTI. *Hinc* Si quis ante Sententiam profeſſus fuerit ſe à judice non provocaturum, indubitatè provocandi auxilium perdidit. *l.* 1. § 3. *ff. A quib. appell.* ULP. LIB. 1. DE APPELL.

Multò magis excluditur, qui Sententiæ poſtquàm lata eſt acquievit vel tacitè. Et quidem Ad ſolutionem dilationem petentem, acquieviſſe Sententiæ manifeſtè probatur; ſicut eum qui quolibet modo Sententiæ acquievit. Nec enim inſtaurari finita, rerum judicatarum patitur auctoritas. *l.* 3. *Cod. de Re judic.* DIOCL. ET MAXIM.

XXV.

Hâc etiam præſcriptione quis ab appellando excluditur, quòd convictus & confeſſus fuerit.

Hinc Conſtantinus & Conſtans. Obſervare curabis; ne quis homicidarum, veneficorum, maleficorum, adulterorum, itemque eorum qui manifeſtam violentiam commiſerunt, argumentis convictus, teſtibus ſuperatus, voce etiam propriâ vitium ſceluſque confeſſus, audiatur Appellans. *l.* 2. *Cod. Quor. appell. non recip.*

Oportet autem ut hæc duo concurrant; ut convictus, & ut confeſſus ſit. Undè ita pergunt : Sicut enim hoc obſervari diſpoſuimus; ita æquum eſt, teſtibus productis, inſtrumentiſque prolatis, aliiſque argumentis præſtitis, ſi Sententia contra eum lata ſit; & ipſe qui condemnatus eſt, aut minimè voce ſuâ confeſſus ſit, aut formidine tormentorum territus, contra ſe aliquid dixerit; provocandi licentiam ei non denegari. *d. l.* 2. *Cod.* ¶ *ſicut.*

Quædam tamen ſunt cauſæ, in quibus ex Conſtitutione Valentiniani, Valentis, & Gratiani, ab Appellatione excluditur is qui evidenter convictus eſt; licèt non ſit confeſſus.

Ita enim edicunt : Abſtinendum prorsùs ab Appellatione ſancimus, quoties fiſcalis calculi ſatisfactio poſtulatur; aut tributariæ functionis ſolemne munus expoſcitur, aut publici vel etiam privati (dummodò evidentis, atque convicti) redhibitio debiti flagitatur: ut neceſſariò in contumacem vigor judiciarius excitetur. *l.* 4. *Cod. Quor. appell. non recip.*

Pariter conſtituunt Arcadius & Honorius, ut ab Appellatione excludantur illi quos apertè manifeſtèque convictos conſtiterit, publicos eſſe debitores. l. fin. Cod. d. tit.

XXVI.

Hâc præſcriptione etiam quis ab appellando excluditur, quod adversùs ipſum tanquam contumacem fuerit Sententia dicta. Ait enim Papinianus. Eum qui cognovit Edictum peremptorium ſecundùm ordinis cauſam dati (*b*), placuit non rectè provocaſſe: cùm in ejus poteſtate fuerit, ante diem præſtitutum pro tribunali reſpondentem aut defenſum, Edicti denuntiationem rumpere. *l.* 23. § 3. *ff. de Appell. & relat.* PAPIN. LIB. 9. RESP.

Sic etiam accipe quod ait Paulus : Item ſi ex perpetuo (*c*) Edicto, aliquid decernatur; id quominùs fiat, non permittitur appellare. *l.* 7. *ff. d. tit.*

Conſonat quod reſcribit Antoninus. Ejus qui per contumaciam abſens, quum ad agendam cauſam vocatus eſſet, condemnatus eſt; negotio priùs ſummatim perſcrutato, Appellatio recipi non poteſt. *l.* 1. *Cod. Quor. appell. non recip.*

XXVII.

Vidimus quibus ex cauſis quis ab appellando excludatur. Ex hâc autem causâ excludi non debet, quòd judex ex Reſcripto Principis quem conſuluerat, judicârit.

Hinc Ulpianus. Quæſitum eſt, an adversùs Reſcriptum Principis provocari poſſit? Fortè ſi Præſes provinciæ vel quis alius conſuluerit, & ad conſultationem ejus fuerit reſcriptum. Eſt enim quæſitum, an appellandi jus ſuperſit? quid enim ſi conſulendo mentitus eſt? De quâ re extat Reſcriptum Divi Pii ΠΡΟΣ ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ ΤΩΝ ΘΡΑΚΩΝ [*id eſt, ad communitatem Thracum*] quo oſtenditur provocari oportere. Verba Reſcripti ita ſe habent. ΕΑΝ &c. [*id eſt*] « Si ſcripſerit » quiſquam ad Nos, & illi aliquid reſcripſerimus; vo» lenti ad Sententiam noſtram provocare permiſſum erit. » Si enim docuerint vel falsò vel non ita ſe habere quæ » ſcripta ſunt; nihil à Nobis videbitur judicatum, priuſ» quàm contrà ſcriptum fuerit quemadmodum aliter res » ſe habeat quàm Nobis inſinuatum ſit. » *l.* 1. § 1. *ff. de Appell. & relat.* ULP. LIB. 1. DE APPELL.

Obiter nota. Huic conſequenter videtur reſcriptum, A conſultatione judicis non eſſe appellandum; ſi quis fortè interlocutus fuit, Principem ſe conſultaturum: cùm poſſit poſt Reſcriptum provocare. *d. l.* 1. § 2.

Ex hâc causâ etiam quis ab Appellando non excluditur, quòd poſt adverſarii jusjurandum in litem lata ſit Sententia. Ita enim Scævola. Juſſus à judice exhibere, ſecundùm præceptum Præſidis provinciæ, rationes quas apud ſe eſſe caverat; inſtrumentorum gratiâ datâ dilatione, nec poſteà exhibuit: ideòque ſecundùm Conſtitutionem recitatam, quia per contumaciam inſtrumenta non exhibuerat quum petitor quanti ſuâ intereſſet exhiberi juraſſet, facta erat condemnatio. Quæſitum eſt an, poſt jusjurandum, Appellationem interponere poſſit? Reſpondit; Nihil proponi, cur denegandum eſſet Appellationis auxilium *l.* 28. § 1. *ff. d. tit.* SCÆVOLA LIB. 25. DIGEST.

§ III.

Adversùs quos Appellatio recipiatur.

XXVIII.

Adversùs omnes, etiam fiſcum, Appellatio recipitur. Igitur Latâ Sententiâ quæ pertinet ad bona vacantia, & ad ea quæ ut indignis (Legibus cogentibus) auferuntur ſi quis putaverit provocandum, vox ejus debebit admitti. *l.* 22. *Cod. de Appellat.* CONSTANTIUS ET CONSTANS.

(*a*) Id eſt, is qui *Pro domino* habetur.

(*b*) Id eſt, *ſecundùm* ſolemnem formulam *ordinis* Legibus *dati*; ſeu ſolemni ordine Edictorum peracto. Cujac.

(*c*) *Peremptorio* : ita enim legendum.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS IV.

De formâ & tempore Appellationis interponendæ, & quoties appellare liceat.

§ I.

De formâ Appellandi.

XXIX.

Appellatur regulariter per libellum, judici à quo appellatur porrectum. Tamen Quum quidam propter violentiam judicis, non ipsi à quo Appellavit, dedit libellos, sed publicè proposuisset; Divus Severus veniam ei dedit, & permisit ei causas Appellationis agere. *l.* 7. *ff. de Appell. & relat.* MARC. LIB. I. DE APPELL.

XXX.

Libelli qui dantur APPELLATORII, ita sunt concipiendi; ut habeant scriptum, & à quo dati sint (hoc est, qui appellet), & adversùs quem, & à quâ Sententiâ. *l.* 1. § 4. *ff. d. tit.* ULP. LIB. I. DE APPELL.

Sed illud cecidit in quæstionem; Si plures habuerit adversarios, & quorumdam nomina libellis sint plexa, quorumdam non; an æquè ei præscribi ei possit ab his quorum nomina comprehensa non sunt, quasi adversùs ipsos adquieverit Sententiæ? Et cùm una causa sit, arbitror non esse præscribendum. *l.* 3. § 1. ULP. LIB. I. DE APPEL.

Certè si plures hi sunt adversùs quos pronuntiatur, & quorumdam nomina in libellis sint comprehensa, quorumdam non; hi soli Appellasse videbuntur, quorum nomina libellis sunt comprehensa. *d. l.* 3. § 2.

In libellis solet etiam inseri causa propter quam quis appellat. Sufficit autem vel unam enuntiare; aitque Ulpianus Non solere improbari Appellationem eorum, qui vel unam causam appellandi probabilem habuerunt. *l.* 13. § 1. *ff. d. tit.* ULPIAN. LIB. 2. RESPONS.

Quid ergo si causam appellandi certam dixerit? An liceat ei discedere ab hâc, & aliam causam allegare; an verò quasi formâ quâdam obstrictus sit? Puto tamen (cùm semel Provocaverit) esse ei facilitatem in agendo; etiam aliam causam provocationis reddere, persequi-que provocationem suam quibuscumque modis potuerit. *sup. d. l.* 3. § 3.

Circa Sententiam quoque à quâ appellatur, in libello exprimendam, nota: Quum in unâ causâ separatim duplex Sententia divisa datur, veluti una sortis, alia usurarum; duplex Appellatio necessaria est: ne alteram agnovisse, de alterâ provocasse intelligatur. *l.* 17. *ff. d. tit.* MODEST. LIB. 8. REGUL.

Quòd si una fuerit Sententia, Ulpianus respondit; Appellanti nihil obesse quòd in libellis, à quâ parte Sententiæ appellaret, non significavit. *sup. d. l.* 13. *pr. ff. d. tit.*

XXXI.

Et hæc quidem de libellis Appellatoriis.

Sed si apud Acta (*a*) quis appellaverit, satis erit si dicat, APPELLO. *l.* 2. *ff. de Appell. & relat.* MACER LIB. I. DE APPELL.

Enimverò Litigatoribus copia est, etiam non scriptis libellis, illicò appellare voce; quum res poposcerit, judicata tam in civilibus quàm in criminalibus causis. *l.* 14. *Cod. de Appellat.* CONSTANTIN.

Quocircà, *inquit Ulpianus* (*de hâc enim Appellationis specie hic textus intelligendus est*), Scio quæsitum; Si qui non addiderit (in (*b*) libellis) contra quem adversarium Appellet, an præscriptioni (*c*) subjiciatur? Et puto, nihil oportere præscribi. *l.* 3. *ff. d. tit.* ULP. LIB. I. DE APPELL.

XXXII.

Illud sciendum est; eum qui provocavit, non debere conviciari ei à quo appellat. Cæterùm oportebit eum plecti. Et ita Divi Fratres rescripserunt. *l.* 8. *ff. de Appell. & relat.* ULP. LIB. 4. DE APPELLAT.

Pariter Paulus:

Eum qui appellat, cum convicio ipsius judicis appellare non oportet; ideòque quod ita factum est, arbitrio (*d*) Principis vindicatur. PAUL. SENTENT. *lib.* 5. *Tit.* 34. § 3.

§ II.

De tempore interponendæ provocationis:

(*quò ferè pertinet totus*

TITULUS IV.

Quando Appellandum sit, & intra quæ tempora).

XXXIII.

Si quis ipso die inter Acta (*e*) voce appellavit, hoc ei sufficit. Sin autem hoc non fecerit; ad libellos appellatarios dandos, biduum vel triduum computandum est. *l.* 5. § 5. *ff. de Appellat. & relat.* MARCIAN. LIB. I. DE APPELL.

XXXIV.

In propriâ causâ biduum accipitur.

Propriam causam ab alienâ quemadmodum discernimus? Et palàm est eam esse propriam causam, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. *l.* 1. § 11. *ff. Quand. appell.* ULP. LIB. I. DE APPELL.

V. G. Is verò qui in rem suam procurator datus est, intrà biduum appellare debet; quia suam causam agit. *l.* 20. § 1. *ff. de Appell. & relat.* MODESTIN. LIB. SING. DE PRÆSCRIPT.

Sed si alius quàm qui judicio expertus est, appellet; qualis est, cujus interest; an etiam tertiâ die appellare possit, videamus; Sed dicendum est, secundâ die appellare eum debere; quia verum est, eum causam suam defendere. Contrarium ei est; si dicat idcircò sibi licere intra triduum appellare, quia videtur quasi alieno nomine appellare: quando, si velit suam causam alienam videri, semetipsum excludit; quia in alienâ causâ ei qui judicio expertus non est, appellare non liceat. *l.* 2. § 1. *ff. Quando appell.* MACER LIB. I. DE APPELL.

Si is qui ex libertinitate in ingenuitatem se defendebat, victus appellare omiserit; an pater ejus appellare possit, maximè si dicat eum in potestate suâ esse, quæritur? Sed si potest, quod magis probatur; secundâ die, ut in propriâ causâ, appellare debet. *d. l.* 2. § 2.

Sed Si pro eo qui capite puniri jussus est, necessaria persona appellet; an tertiâ die audiri possit, Paulus dubitat. Sed dicendum est; hanc quoque personam, ut in propriâ causâ secundâ die appellare debere; quia qui suâ interesse dicit, propriam causam defendit. *d. l.* 2. § 3. *d. tit.*

Quid igitur? Si procuratorio nomine egeris, & victus appellaveris, deindè injusta Appellatio tua fuerit pronuntiata; potest dubitari num secundo die appellare debeas? quia, cùm de tuâ Appellatione injustâ

(*a*) *Au Greffe*, ou *Sur le Barreau.*

(*b*) Hæc verba *in libellis* absunt à Basilicis; & glossema esse evidenter patet ex suprà dictis N. præced. l. 1. § 4. de formâ *Libellorum*, in quibus necessariò exprimendum est contra quem Appelletur.

(*c*) Exceptioni ad excludendam Appellationem.

(*d*) Schultingius hunc textum corruptum fuisse censet. Nec enim probabile est necesse fuisse eâ de re referri ad Principem. Quàpropter putat Paulum fortasse scripsisse, *ex Rescripto Principum vindicatur*; & intellexisse illud Rescriptum Divorum Fratrum Marci & Veri, de quo mox suprà Ulpianus.

(*e*) *Apud acta* seu *Inter acta* Appellare dicitur, qui illico post auditam Sententiam ex scripto recitatam, ad Scribam conversus dicit APPELLO. Cujus Appellationis mentionem, Actis causæ Scriba inferere debebat,

Source : BIU Cujas

pronuntiatum sit, tuâ interfuisse videtur. Sed rectiùs dicetur, tertiâ die appellare te posse ; quia nihilominùs alienam causam defenderis. *d. l.* 2. *pr.*

XXXV.

Ex dictis sequitur hæc generalis regula. Quare procurator nisi in suam rem datus est, tertium diem habebit ; in suam autem rem datus, magis est ut alteram diem observet.

At si in partem proprio nomine, in partem pro alieno litigat ; ambigi potest utrùm biduum, an triduum observetur. Et magis est, ut suo nomine biduum, alieno triduum observetur. *l.* 1. § 12. *ff. Quando appell.* ULP. LIB. I. DE APPELLAT.

Quemadmodum autem procurator qui in rem suam datus non est, triduum habet ; ita pariter Tutores, item Defensores Rerumpublicarum, & curatores adolescentium vel furiosi, tertium diem habere debent ; idcircò quia alieno nomine appellant.

Ex hoc apparet, tertio die provocandum defensori ; si modò quasi defensor causam egit, non suo nomine : cùm obtentu alieni nominis suam causam agens, tertio die (*a*) appellare possit. *d. l.* 1. § 13.

Item Si quis suspectum tutorem faciens, non obtinuerit, appellare eum intrà triduum debere, Julianus libro quadragesimo Digestorum scripsit ; profectò, quasi pupilli defensorem. *d. l.* 1. § 14.

Similiter Paulus. Intra triduum appellare licet ei qui de suspecto tutore egit, victusque appellat. *l.* 3. *ff. de Appell. recip.* PAUL. LIB. SING. REGUL.

Item Modestinus. Qui suspectum tutorem facit, & qui de non recipiendâ tutelâ excusationem agitat (*b*) ; alieno nomine agere intelligendus est. *l.* 20. *ff. de Appellat. & relat.* MODESTIN. LIB. SING. DE PRÆSCRIPTIONIB.

XXXVI.

Biduum vel triduum Appellationis, ex die Sententiæ latæ computandum erit.

Quid ergo, si Sententia fuerit sub conditione dicta ? Utrùm ex die Sententiæ tempus computamus ad appellandum, an verò ex die quo conditio Sententiæ extitit ? Sanè quidem non est sub conditione Sententia dicenda : sed si fuerit dicta, quid fiet ? Et est utile ; statim tempora ad appellandum computari debere. *l.* 1. § 5. *ff. Quando appell.* ULP. LIB. I. DE APPELL.

Indè etiam hæc quæstio. Si quidem in insulam deportandum adnotaverit Præses provinciæ, & Imperatori scripserit ut deportetur ; videamus quando sit provocandum, utrùm quum Imperator scripserit, an quum ei scribitur ? Et putem tunc esse appellandum quum recipi (*c*) eum Præses jubet, Sententiâ prolatâ (*d*) Imperatori scribendum ut deportetur. Cæterùm (*e*) verendum est, ne serò sit ut tunc provocetur quum Imperator insulam ei adsignaverit ; comprobatâ enim Sententiâ Præsidis, tunc solet insulam adsignare : rursùs illud verendum est, si mendaciis apud Principem oneravit eum quem deportandum laborabat, intercludi illi viam provocandi.

Quid ergo est ? Rectè dicetur humanitate suggerente, ut & hoc & illo tempore non frustrà provocaretur : quia non adversùs Principem, sed adversùs judicis caliditatem provocavit. Simili modo & in Decurione erit probandum ; quem punire sibi Præses permittere non debet, sed recipere eum in carcerem, & Principi scribere de pœnâ ejus. *d. l.* 1. *pr.*

Illud videamus ; si, quum Imperatori scriberetur, exemplum litterarum litigatori editum sit ; neque is appellaverit, & posteà contra eum rescriptum sit : an appellare à litteris pridem sibi editis possit (*f*) ? Quia qui tunc non appellavit, vera esse quæ scripta sunt consensisse videtur ; nec audiendus est, si dicat eventum Rescripti Sacri se sustinuisse. *l.* 3. *ff. d. tit.* MACER LIB. 2. DE APPELL.

XXXVII.

Dies autem istos quibus appellandum est, ad aliquid utiles esse Oratio Divi Marci voluit ; si fortè ejus à quo provocatur, copia non fuerit ut ei libelli dentur. Ait enim : « IS DIES SERVABITUR QUO PRIMÒ ADEUNDI FACULTAS ERIT. »

Quare si fortè post Sententiam statim dictam, copiam sui non fecerit is qui pronuntiavit, ut fieri adsolet ; dicendum est, nihil nocere appellatori. Nam ubi primùm copiam ejus habuerit, poterit provocare. Ergo si statim se subduxit, similiter subveniendum est. *sup. d. l.* 1. § 7. *ff. d. tit.*

Quid igitur, si conditio horæ effecit ut se reciperet ? Si fortè dicta sit Sententia jam supremâ horâ (*g*) ? Utique non videbitur se subtraxisse. *d. l.* 1. § 8.

Adeundi autem facultatem semper accipimus, si in publico sui copiam fecit. Cæterùm si non fecit ; an imputetur alicui quòd ad domum ejus non venerit, quòdque in hortos non accesserit ; & ulteriùs, quòd ad villam suburbanam ? Magisque est ut non debeat imputari. Quare si in publico ejus adeundi facultas non fuit, meliùs dicetur facultatem non fuisse adeundi. *d. l.* 1. § 9.

Si quis ipsius quidem à quo appellavit, adeundi facultatem non habuit ; ejus autem quem appellavit, habeat copiam : videndum est, an ei præscribi possit quòd eum non adierit ? Et hoc Jure utimur ; ut, si alterutrius adeundi fuit copia, præscriptio locum habeat. *d. l.* 1. § 10.

XXXVIII.

Cùm istud tempus sit utile ; hinc etiam sequitur quòd, Si adversùs absentem fuerit pronuntiatum ; biduum vel triduum, ex quo quis scit, computandum est ; non ex quo pronuntiatum est.

Quod autem dicitur absentem posse provocare Ex QUO SCIT, sic accipit (*h*) ; si non in causâ per procuratorem defensus est. Nam si ille non provocavit, difficile est ut hic audiatur. *d. l.* 1. § *fin.*

XXXIX.

Observandum quòd Militibus Appellandi tempora non remittuntur ; & victi, si non provocaverint, & solemnia fecerint, postea non audiuntur. *l.* 20. § 2. MODESTIN. LIB. SING. DE PRÆSCRIPTIONIB.

XL.

Novellâ XXIII. cap. 1. *dati decem dies* A recitatione Sententiæ *numerandi ad appellandum ; sive suo sive alieno nomine quis provocet.*

§ III.

Quoties Appellare liceat.

XLI.

Ex Constitutione Theodosii & Arcadii ; qui gemino judicio erat victus (putà Prætoris, & Præfecti Urbi), ampliùs provocare non poterat. l. 1. *Cod. Theod.* Post ab eo &c.

Ex Constitutione autem Justiniani ; bis, non etiam ter provocare licet. l. un. Cod. Ne liceat in unâ &c.

(*a*) Sensus est : cùm receptum sit ut triduum concedatur ei qui causam agit, suam quidem factam per litis contestationem, sed quam non pro se sed pro alio suscepit.

(*b*) Id est, impugnat. Et intellige de nominatore qui tutori quem nominavit, excusationem de non recipiendâ tutelâ alleganti contradicit. Hâc in re non suam, sed pupilli causam agit ; adeòque alieno nomine.

(*c*) In carcerem.

(*d*) Sententiâ nempè in hunc modum prolatâ, *Imperatori scribendum* esse ut adsignet insulam in quam *deportetur*. Neque enim Præsides ipsi jus deportandi habebant ; sed tantùm Sententiâ suâ adnotabant deportandum, & ad eorum relationem Princeps deportabat.

(*e*) Id est ; alioquin, si contrà diceres tunc demùm Appellandum quum Princeps rescripsisset, *verendum*, &c.

(*f*) Et dicendum quòd non possit : *Quia*, &c.

(*g*) De quâ vide Commentarium nostrum in Legem XII. Tabularum, *Tab. Iâ.* cap. fin.

(*h*) Oratio Divi Marci, cujus fragmentum suprà N. præced.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS V.

De formâ & tempore recipiendæ Appellationis; & de officio judicis à quo appellatur, in eâ recipiendâ.

(*ubi exponitur maximâ ex parte*

TITULUS V.

De Appellationibus recipiendis vel non.

& totus

TITULUS VI.

De libellis dimissoriis qui APOSTOLI dicuntur.)

§ I.

De formâ & tempore recipiendæ Appellationis.

XLII.

Post Appellationem interpositam litteræ dandæ sunt ab eo à quo appellatum est, ad eum qui de Appellatione cogniturus est, sive Principem sive quem alium; quas litteras Dimissorias, sive APOSTOLOS, appellant. *l. un. ff. de Libell. dimiss.* MARCIAN. LIB. 2. DE APPELL.

Nota porrò DIMISSORIÆ litteræ dicuntur, quæ vulgò APOSTOLI dicuntur. Dimissoriæ autem dictæ, quòd causa ad eum qui appellatus est, dimittitur. *l.* 106. *ff. de Verb. signif.* MODEST. LIB. SING. DE PRÆSCRIPTION.

Sensus autem litterarum talis est; Appellasse (putà) Lucium-Titium, à Sententiâ illius, quæ inter illos dicta est. *sup. d. l. un. ff. de Libell. dimiss.*

XLIII.

Ab eo à quo appellatur, ad eum qui de Appellatione cogniturus est, litteræ dimissoriæ diriguntur, quæ vulgò APOSTOLI appellantur: quorum postulatio & acceptio, intrà quintum diem ex officio facienda est. PAUL. SENTENT. LIB. 5. *Tit.* 33. § 1.

Qui intrà tempora præstituta, Dimissorias non postulaverit, vel acceperit (*a*) vel reddiderit (*b*); præscriptione ab agendo submovetur. PAUL. SENT. LIB. 5. *Tit.* 33. § 2.

Adde: & pœnam Appellationis inferre cogitur, de quâ infrà N. 45.

Tamen Præses provinciæ, ad quem appellasti; si non vitio negligentiæ vestræ, tempus quod ad reddendos APOSTOLOS præscriptum est, exemptum esse animadverterit: sed ex fatalis casûs necessitate, diem functo eo qui eos perferebat, id accidisse cognoverit; juxta perpetui Juris formam, desiderio vestro medebitur. *l.* 5. *Cod. de Appell.* DIOCL. ET MAXIM.

XLIV.

Quid si judex à quo appellatur, Appellationem recipere vel APOSTOLOS *dare nolit? Hoc casu* Ei cujus Appellatio non recipitur, sufficit si possit dicere Appellationem suam non esse receptam. Quod quâquâ ratione doceat, admittetur ejus Appellatio. *l.* 5. *ff de Appell. recip.* ULP. LIB. 4. DE APPELLAT.

Undè Marcianus. Sufficit autem petisse intrà tempus Dimissorias, INSTANTER ET SÆPIUS; ut &, si non accipiat, idipsum contestetur. Nam instantiam repetentis dimissorias, Constitutiones desiderant. Æquum est igitur, si per eum steterit qui debebat dare litteras, quominùs det, ne hoc accipienti noceat. *l. un.* § 2. *ff. de Libell. dim.* MARCIAN. LIB. 2. DE APPELLAT.

Non receptâ autem Appellatione; si quidem Principem appellari oportuit, Principi erit supplicandum; sin verò alius appellabatur quàm Princeps, ille erit adeundus. *sup. d. l.* 5. § 1. *ff. de Appell. recip.*

Sed & si quid aliud post receptam Appellationem impedimento factum fuerit; eum adiri oportet, quem appellare quis debet. *d. l.* 5. § 2.

Planè si Appellatione non receptâ, non ipsum adierit quem debuit, sed Principem; pro eo habebitur, atque si is aditus est qui adiri debuit. Idque Rescriptis Imperatoris nostri Antonini declaratur. *d. l.* 5. § 3.

Planè si alium pro alio adiit, non Principem; nihil ei hic error proderit, licèt non videatur cessasse. *d. l.* 5. § 4.

Intrà constituta autem appellatoria tempora; debet is cujus Appellatio non est recepta, vel competentem judicem vel Principem adire. *d. l.* 5. § 5. *ff. d. tit.*

XLV.

Hactenùs de Apostolis.

Præterea ab appellante requirebatur & cautio. Undè Paulus: Ne liberum quis & solutum haberet arbitrium retractandæ & revocandæ Sententiæ; & pœnæ, & tempora Appellatoribus præstituta sunt. Et nisi justè appellaverint, tempora ad cavendum (*c*) in pœnâ Appellationis præstituta sunt. Igitur morans in eo loco ubi appellavit, cavere debet ut ex die acceptarum litterarum continui quinque dies computentur: si verò longiùs, salvâ dinumeratione (*d*), integri quinque dies cum eo ipso quo litteras acceperit, computantur. PAUL. SENTENT. LIB. 5. *Tit.* 32. § 1.

Quum à pluribus Sententiis provocatur; singulæ cautiones exigendæ sunt, & de singulis pœnis spondendum est. *d. tit.* § 5.

Si plures appellant, una cautio sufficit: & si unus caveat, omnibus vincit. *d. tit.* § 4.

In quam autem pœnam cavebatur, docet idem Paulus. In omnibus pecuniariis causis, magis est ut in tertiam partem ejus pecuniæ caveatur. *d. tit.* § *fin.*

Pariter quoque in causâ liberali; ut ibidem dicitur: Assertor si provocet, in ejusmodi tertiam cavere debet quanti causa æstimata est. *d. tit.* § 7.

Tria verò circa formam hujus cautionis præstandæ observanda ex eodem Paulo:

1°. Quotiens in pœnâ Appellationis cavetur; tam unus quàm plures fidejussores, si idonei sunt, dari possunt. Sufficit enim, etiam per unum idoneum indemnitati pœnâ consuli. *d. tit.* § 3.

2°. Modus pœnæ in quâ quis cavere debet, specialiter in cautione exprimendus est; ut sciat in quâ stipulatio committatur. Aliter enim, rectè caviisse non videtur. *d. tit.* 32. § 6.

3°. Ne quis in captionem verborum in cavendo incidat; expeditissimum est, pœnam ipsam, vel quid aliud pro eâ deponere. Necesse enim non habet sponsorem quis vel fidejussorem dare, aut præsentem esse: sed si contra eum fuerit pronuntiatum, perdit quod deposuit. *d. tit.* § 2.

Hæc Jure Pandectarum.

XLVI.

Ex Constitutione Diocletiani & Maximiani; APOSTOLOS post interpositam provocationem, etiam non petente appellatore, sine aliquâ dilatione judicem dare oportet: cautione videlicèt de exercendâ provocatione (*e*) in posterum minimè præbendâ. *l.* 6. § *fin. Cod. de Appell.*

§ II.

De officio judicis à quo appellatur, in recipiendâ necne Appellatione.

XLVII.

Judex à quo appellatur, Appellationem recipere debet;

(*a*) A judice à quo Appellatur.

(*b*) Judici qui Appellatur.

(*c*) Quid si per inopiam quis hanc cautionem exhibere non possit? Putat Schultingius hunc ad appellandum non fuisse admissum: arg. l. 8. § 8. ff. *Mandati.*

(*d*) Singulorum dierum, in singula viginti millia passuum itineris.

(*e*) Et de pœnâ nisi justè Appellasset solvendâ.

Source : BIU Cujas

niſi exiſtimaverit jus appellandi non competere ei qui appellat.

Hoc autem caſu Sciendum eſt, quum Appellationon recipitur, præcipi Sacris Conſtitutionibus omnia in eodem ſtatu eſſe; nec quicquam novari, etiamſi contra fiſcum appellatum ſit. Eumque qui Appellationem non receperit, opinionem ſuam confeſtim per Relationem manifeſtare; & cauſam pro quâ non recepit Appellationem; ejuſque exemplum litigatori edere debere, Mandatis cavetur. *l.* 6. *ff. de Appell. recip.* MACER LIB. 2. DE APPELL.

Diſtrictè autem prohibetur, ne cui ab ipſius Sententiâ appellare volenti judex vim faciat. Sic enim eâ de re reſcribit ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ [*id eſt*] « Imperator Alexander » communi eorum qui in Bithyniâ ſunt Græcorum. » Appellare quidem qualiter quis prohibeatur à judi- » cantibus, non video; quando licet aliam viam » tenentem, idem facere; & celeriùs ad Me pervenire. » Injuriâ autem & vi uti adversùs eos qui appellant, » & cuſtodiâ militari circumſiſtere, & (ut ſimpliciter « dicam) obſtruere illis eam ad Nos viam; interdici- » mus Curatoribus & Ducibus gentium (*a*). Et obe- » diant huic Meæ pronuntiationi; ſcientes quòd tan- » tum Mihi curæ eſt eorum qui reguntur libertas, » quantùm & illorum benevolentia & obedientia. » *l.* 25. *ff. de Appell. & relat.* PAUL. LIB. 20. RESPONS.

Pariter Conſtantinus. Minimè fas eſt ut in civili negotio libellis appellatoriis oblatis, aut carceris cruciatus, aut cujuſliber injuriæ genus, ſeu tormenta, vel etiam contumelias perferat appellator: abſque his criminalibus cauſis, in quibus etiamſi provocare poſſit, eum tamen ſtatum debet obtinere, ut poſt provocationem in cuſtodiâ (ſi fidejuſſores idonei copiam non habeat) perſeveret. *l.* 12. *Cod. de Appell.*

XLVIII.

Multa alia ſuper recipiendâ Appellatione, à poſterioribus Imperatoribus conſtituta ſunt. Quorum hæc ſumma eſt:

Nimirùm 1°. *Ut liberior ſit provocandi facultas; judex cui libellus Appellationis adversùs ipſius Sententiam oblatus eſt, non debet ullam injuriam aut contumeliam inferre appellanti, nec eum carcere coercere in civilibus cauſis. l.* 12. *Cod.* h. tit.

In criminalibus tantùm poterit appellator in cuſtodiâ retineri. l. 6. § 3 Cod. de Appell.

2°. *Item ſub pœnâ mulctæ debet judex à quo appellatur Appellationem ſuſcipere, &* APOSTOLOS *dare. l.* 22. *& l.* 31. *Cod.* h. tit.

3°. *Poſt ſuſceptam autem Appellationem, ſi ipſe Princeps appelletur: judex à quo appellatur, ad eum Relationem mittit: ſi alius judex appelletur, ad eum* Apoſtolos *dirigit. Relationis autem ſeu opinionis quam ad Principem miſſurus eſt, intra decem dies litigatoribus exemplum apud Acta edere debet; ut ſi cui minùs plena aut contraria videatur, poſſit intra quinque dies ex quo ipſi editum eſt refutatorias preces offerre: l.* 1. *Cod. Theod.* de Appell.

Nota. In quibus refutatoriis libellis obſervandum eſt, ne jam perorata reſuſcitentur. l. 39. § 1. *Cod.* de Appell.

Hæ autem refutatoriæ preces unà cum judicis Relatione, necnon omnia quæ ad inſtructionem cauſæ pertinent, mitti ad Principem intra viginti dies ex quo Sententia lata eſt debent. Alioquin intrà alios viginti dies qui ſequuntur, litis æſtimationem quam Comes Rationum *æſtimaverit, Officiales judicis à quo provocatur, fiſco pendere coguntur;* Rationalis*que ſub pœnâ capitis prohibetur hanc pœnam relaxare. l.* 8. *Cod.* (*Theod.*) *h. tit.*

Hoc tempus viginti dierum, Conſtitutionibus poſteriorum Imperatorum, ſcilicet Juliani, deindè Valentiniani & Valentis (*l.* 29. *& l.* 42. Cod. Theod.) *ad triginta dies productum eſt. l.* 24. *Cod.* de Appellat.

Pœna infamiæ decernitur adversùs judicem; ſi cuncta quæ litigatores inſtructionis probationiſque causâ recitaverint, indita actis non inveniantur. l. 15. *Cod.* de Appell.

4°. *Si his omnibus quæ à judice à quo appellatur obſervanda diximus, judex ille non paruerit; nimirùm ſi aut Appellationem ſuſcipere noluerit, aut eâ ſuſceptâ* Apoſtolos *denegaverit: appellator poteſt ſuper eâ re querimoniam ſuam deponere intrà anni tempus, juxta Jus antiquum, ſi Præfectus Prætorio aut Præfectus Urbi appelletur; intra ſex menſes, ſi inferiores judices appellentur; intrà quatuor, ſi ab arbitro appelletur. l.* 31. *Cod.* de Appellat.

Judex autem qui Appellationem ſuſcipere noluerit, necnon Officiales ejus (niſi judici eâ in re pertinaciter reſtiterint), mulcta pecuniaria Conſtitutione Conſtantii & Conſtantis ſtatuta plectuntur. l. 21. *Cod.* de Appell.

Quinetiam, ſi vicerit is cujus Appellatio ſuſcepta non eſt; jubet Conſtantinus ad ſe Referri: ut judex qui eam non ſuſcepit, digno ſupplicio puniatur. l. 19. *Cod.* de Appell.

ARTICULUS VI.

De effectu Appellationis interpoſitæ.

XLIX.

Appellationis interpoſitæ is effectus eſſe ſolet; ut, quandiù pendet Sententia, mandari executioni non poſſit, nihilque debeat innovari. De quo eſt ſpecialis Titulus VII. infrà Nihil innovari &c.

Is etiam eſt Appellationis effectus; ut judex à quo interpoſita eſt, poſtquàm eam receperit, non poſſit ampliùs quidquam ſuper ea causa de qua appellatum eſt audire.

Hinc Conſtantinus. Ex illo tempore ex quo in civilibus cauſis quæ inter privatos moventur, conſulturum vel relaturum te eſſe promiſeris, vel Appellationis à te interpoſitæ ſolemnia completa fuerint; nihil poſthac tibi, quodlibet ſpeciale ac requiſitum, vel quibuſcumque modis favoris gratiam præferens, audiendum eſt. Sed obſervandum, ut juxta priora ſtatuta ſolemnitatis more expleto, geſta ad Comitatum (*b*) omnia dirigantur. *l.* 13. *Cod. de Appell.*

Quòd Si quis ex aliâ causâ appellaverit à judice; an in aliâ causâ eumdem judicem habere neceſſe habeat, videamus? Et hodie hoc Jure utimur. Et tametſi Appellatio interpoſita ſit; tamen apud eumdem judicem à quo quis provocavit, compelletur alias cauſas ſi quas habet agere. Nec utetur hoc prætextu, quaſi ad (*Aliàs* apud) offenſum judicem non debeat experiri; cùm poſſit denuò provocare. *l. un. ff. Apud eum à quo appell.* ULP. LIB. 4. DE APPELL.

ARTICULUS VII.

De proſequendâ & abſolvendâ cauſâ Appellationis.

Videndum intra quod tempus cauſam Appellationis proſequi oporteat, & quæ in ea diſceptanda ac judicanda obſerventur.

Huc etiam pertinet quærere, quis cauſam Appellationis proſequi poſſit. Verùm ea de re ſpecialis eſt infrà Titulus IX. An per alium cauſæ Appellat. reddi poſſ.

§ I.

Intra quod tempus cauſam Appellationis proſequi & abſolvere oporteat.

L.

Intrà certa tempora, Appellationis cauſa ante judicem

(*a*) GENTES ſunt [ut Cujacius interpretatur, in Notis ad *Proem. Inſtit.*] obſcuriores extremi Imperii regiones quæ à Satrapis reguntur [qui in hâc lege *Duces gentium* appellantur], nec Provinciæ formam habent. De quibus etiam mentio in l. fin. Cod. *de Offic. Mag. mil.* ubi GENTES per Armeniam Magiſtro militum ſubjiciuntur.

(*b*) Noſtrum; id eſt, ad Nos.

Appellationis

Source : BIU Cujas

Appellationis introducenda & absolvenda est. Quæ tempora varia fuêre; pro varietate causarum & distantiâ locorum.

Ex susceptâ Appellatione; aut, si susceptа non fuisset, ex die quâ appellator querimoniam deposuisset; currebat hoc tempus: hujusque ultimus dies dicebatur FATALIS, *quia eo elapso lis perimebatur. Si tamen appellator excidisset sine culpâ suа,* REPARATIO *ei concedebatur. Hæc reparatio adversario denuntiari debebat; &, si adhuc sine culpâ excidisset appellator à reparato tempore, altera reparatio ei concedebatur. Nunquam dabatur tertia. Sed si geminus lapsus culpâ judicis excidisset, judex litis æstimatione mulctabatur. l. un.* (*Theod.*) *Cod.* de Reparat. Appell.

Ex Constitutione autem Theodosii & Valentiniani; quum à Rectore provinciæ vel alio Spectabili judice appellatur, primi fatalis diei tempus sex mensium est: quo si appellator citra culpam exciderit, prima reparatio intra trigesimum-primum diem datur; secunda item & tertia totidem dierum dari potest, ita ut sint quatuor fatales dies. A Principe autem, etiam Quarta trium mensium reparatio, ex die quarti fatalis diei impetrari potest.

Quòd si ab arbitro qui vice Principis cognoscebat, fuerit appellatum; eadem servabantur: præterquàm quòd Quarta reparatio à Principe nulla impetrabatur. Quum autem ab arbitro qui à Præfecto Prætorio alio-ve Illustri, aut etiam à judice Spectabili delegatus erat, appellatur, primus fatalis dies est duorum mensium; alii tres mensis unius, ut mox suprà. l. 2. Cod. de Tempor. & reparat. appell.

Observandum quòd, si tempora illa in diem feriatum incidant: dies qui hunc præcedit, ipse fatalis habetur. d. l. 2. Cod. ¶ illud etiam.

L I.

Ex Constitutione autem Justiniani; primus fatalis dies qui erat sex mensium, obtinet quidem quum ex provinciis longinquis (*quæ in hâc lege enumerantur*) *Appellatio interponitur; ex vicinis autem provinciis Appellatione interpositâ, tempus illud est duntaxat trimestre. l. fin. Cod.* de Temporib. & repar. appellat.

Illud præterea constituit; ut fatalis dies non tam strictè fatalis foret, quin, Sive ante quartum diem fatalis luminis & ipsum fatalem, sive post quinque dies ex quo ortus fatalis effluxerit, *appellator audiri possit. d. l. fin. Cod.* § 1.

Constituit quoque; ut Appellatione interpositâ, possit victor ipse Secundùm id quod jam constitutum est (*inquit*), præmaturè causam inducere (*a*); *annali spatio non expectato. d. l. fin.* § 2.

Statuit etiam ut alterâ parte absente, causa Appellationis dirimi possit. d. l. fin. § 4.

Denique ex eâdem Constitutione discimus; causam Appellationis intra fatalem diem in Auditorio Principis introductam perpetuari, in cæterorum autem judicum Auditoriis intra annum inchoatâ lite absolvi debere. Si tamen appellator citra culpam suam litem non esse absolutam evidenter docuerit, alterum annum ei concedi. d. l. fin. § 3. & 4.

L II.

Ex Novellâ CXXIII. cap. 1. *tempus absolvendæ causæ Appellationis non currit, si super ea fuerit compromissum, donec compromissum finitum fuerit. Item ex Novellâ CXIX. cap.* 4. *non perimitur Appellatio, si die fatali appellator steterit ante judicem, & per judicem factum sit quominùs judicaret.*

§ II.

Quæ in disceptandâ & judicandâ causâ Appellationis observentur.

L III.

Hâc de re sic rescribunt Diocletianus & Maximianus. Eos qui de Appellationibus cognoscent ac judicabunt, ita judicium suum præbere conveniet; ut intelligant quòd, quum Appellatio post decisam Sententiâ litem interposita fuerit, non ex occasione aliquâ remittere negotium ad judicem suum fas sit, sed omnem causam propriâ Sententiâ determinare conveniat; cùm salubritas Legis constitutæ (*b*) ad id spectare videatur, ut post Sententiam ab eo qui de Appellatione cognoscit, recursus fieri non possit ad judicem à quo fuerit provocatum. Quapropter remittendi litigatores ad provincias, remotam occasionem atque exclusam penitùs intelligant; cùm super omni causâ interpositam provocationem, vel injustam tantùm liceat pronuntiare, vel justam. *l. 6. Cod. de Appellat.*

Si quid autem in agendo negotio minùs se allegasse litigator crediderit, quod in judicio acto fuerit omissum; apud (*c*) eum qui de Appellatione cognoscit, persequatur: cùm votum gerentibus Nobis ALIUD NIHIL IN JUDICIIS QUAM JUSTITIAM LOCUM HABERE DEBERE, necessaria res fortè transmissa (*d*) non excludenda videatur. *d. l.* 6. § 1.

Si quis autem post interpositam Appellationem, necessarias sibi putaverit esse personas, per quas apud judicem qui super Appellatione cognoscet, veritatem posset ostendere quam existimavit occultam; hocque fieri judex perspexerit: sumptus iisdem ad faciendi itineris expeditionem præbere debebit; cùm id ipsa justitia persuadeat, ab eo hoc recognosci qui evocandi personas suâ interesse crediderit. *d. l.* 6. § 2.

Hoc confirmat Justinianus qui ita rescribit. Per hanc divinam sanctionem decernimus, ut licentia quidem pateat exercendis Consultationibus, tam Appellatori quàm adversæ parti, novis etiam adsertionibus utendi; vel exceptionibus quæ non ad novum capitulum pertinent, sed ex illis conjunctæ sunt quæ apud anteriorem judicem noscuntur propositæ. Sed & si qua dicta quidem allegatio monstrabitur, vel instrumentum aliquod prolatum, probationes tamen illo quidem defuerint tempore; verùm apud Sacros Cognitores sine procrastinatione præberi poterunt: id quoque eos admittere, quo exercitatis jam negotiis pleniore subveniatur veritatis lumine. *l. 4. Cod. de Temp. appell.*

L IV.

Uno casu nulla fiet disceptatio causæ super qua provocatum est; scilicet quum is qui provocavit, pactus est postea rei judicatæ stare.

Hinc Papinianus. Qui provocavit, pactus est, INTRA diem certam pecuniâ quam transegerat non solutâ, judicatis se satisfacturum. Judex Appellationis, nullo alio de principali causâ discusso, justam conventionem velut confessi sequetur. *l. 40.* § 1. *ff. de Pactis.* PAPIN. LIB. I. RESP.

ARTICULUS VIII.

Cui Appellatio prodesse possit.

L V.

Regulariter soli appellatori Appellatio prodesse potest.

Hinc Ulpianus. Si qui separatim fuerint condemnati, quamvis ex eâdem causâ; pluribus eis Appellationibus opus est. *l.* 10. *ff. de Appell. & relat.* ULP. LIB. 8. DISPUT.

Excipe. Sed quum adversùs plures probatæ essent rationes quæ eis nocerent, sufficit eis una Appellatio; quia uno titulo comprobatarum rationum omnes conveniebantur. *d. l.* 10. § 2.

Hinc generaliter rescribit Alexander. Si judici probatum

(*a*) *Anticiper.*
(*b*) Sensus est: Ita demùm *Salubris* seu utilis esse potest Lex Appellandi; si à judice AD QUEM Appellatum est, recursus non fit ad eum A QUO provocatio est interposita.
(*c*) Apud priorem judicem.
(*d*) Id est, prætermissa.

Source : BIU Cujas

fuerit unam eamdemque condemnationem, eorum quoque quorum Appellatio justa pronuntiata est, fuisse; nec diversitate factorum separationem accipere: emolumentum victoriæ, secundùm ea quæ sæpè constituta sunt, ad te quoque qui nec provocasti; pertinere non ignorabit. *l.* 1. *Cod. Si unus ex pluribus &c.*

De his & similibus casibus accipe, quod ait idem Alexander: Si in unâ eademque causâ unus appellaverit, ejusque justa Appellatio pronuntiata est; ei quoque prodest, qui non appellaverit. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

L V I.

Cæterùm Quod est rescriptum, IN COMMUNI causâ quoties alter appellat, alter non, alterius victoriam ei proficere qui non provocavit; hoc ita demùm probandum est, si una eademque causa fuit defensionis. Cæterùm si diversæ, alia causa est: ut in duobus tutoribus procedit, si alter tutelam gesserat, alter non attigerat; & is qui non gesserat, provocavit. Iniquum est enim, qui idcircò agnoverat Sententiam quoniam gessisse se scit, propter Appellationem ejus qui non gesserat obtinere. *sup. d. l.* 10. §. 4. *ff. de Appell. & relat.*

Similiter: Quòd si ætatis auxilio unus contra Sententiam restitutionem impetraverit; Majori, qui suo jure non appellaverit, hoc Rescriptum non prodest. *sup. d. l.* 2. *Cod. Si unus ex plurib.* ¶ *quòd si.*

L V I I.

Observandum superest; Constitutione Justiniani introductum, ut Appellatio etiam ei qui ipse non provocaverat, prodesset; nempè ut ipse à judice Appellationis desiderare possit, Sententiam in his in quibus ipse læsus esset emendari. l. 39. *Cod.* de Appell.

ARTICULUS IX.

De pœnâ ejus qui temerè Appellavit.

L V I I I.

Pœna temerariæ Appellationis, primùm obtinere cœpit in solis Appellationibus quæ ad Imperatorem interponebantur. Nero constituit ut eidem pœnæ subjacerent, qui ad Senatum provocarent: Tacit. Annal. *XIV.* 28.

Temporibus Pauli, passim obtinebat ut in temerarios appellatores pœnæ constituerentur. Undè ita ille generaliter: Omnimodò probandum est ut, quotiens injusta Appellatio pronuntiatur, sumptus quos dum sequeretur adversarius impendit, reddere cogatur; non simplos, sed quadruplos. PAUL. SENTENT. *lib.* 4. *Tit.* 36.

Hanc quadrupli pœnam exolevisse, & huic arbitrariam multam successisse, liquet ex eo quod hâc de re rescribunt Diocletianus & Maximianus. Ne temerè autem ac passim provocandi omnibus facultas præbeatur; arbitramur eum qui malam litem fuerit persecutus, mediocriter pœnam à competenti judice sustinere. *l.* 6. § 4. *Cod. ff. de Appell.*

ARTICULUS X.

Quando solvatur Appellatio.

L I X.

Solvitur Appellatio, diei fatalis lapsu. De quâ re vidimus suprà Art. 7°.

Item Appellatoris pœnitentiâ. Nam (ut rescribunt Arcadius & Honorius) Si quis libellos Appellatorios ingesserit; sciat se habere licentiam arbitrium commutandi, & suos libellos recuperandi: ne justæ pœnitudinis humanitas amputetur. *l.* 28. *Cod. de Appellat.*

L X.

Item Appellatore defuncto; si quidem sine herede, cujuscumque generis Appellatio fuit, evanescit.

Quòd si Appellatori heres extiterit: si quidem nullius alterius intereat causas Appellationis reddi, cogendus non est peragere Appellationem. Si verò fisci, vel alterius contra quem appellatum est, interest; causas Appellationis reddere necesse habet. Nullius autem interest, veluti quum sine ademptione bonorum relegatus est. Nam si ademptis bonis relegatus, vel in insulam deportatus, vel in metallum datus, provocatione interpositâ decesserit; Imperator noster Alexander Pletorio militi ita rescripsit: « QUAMVIS pendente » Appellatione, morte rei crimen extinctum sit; data » tamen etiam de parte bonorum ejus Sententia propo- » nitur. Adversùs quam non aliter is qui emolumentum » successionis habet, obtinere potest; quàm si in red- » dendis causis Appellationis, iniquitatem Sententiæ » detexerit. *l. un. ff. Si pend. appell.* MACER LIB. 2. DE APPELL.

Quod dicimus, reo pendente Appellatione mortuo, judicium Appellationis propter causam bonorum durare; ita demùm obtinet, si expressè adempta erant. Secùs, si tacitè.

Hoc ex Alexandro discimus, qui ita rescribit: Si is qui ademptis bonis in exilium datus est, appellaverit; ac pendente provocatione defunctus: quamvis crimen in personâ ejus evanuerit, tamen causam bonorum agi oportet. Nam multùm interest; utrùm capitalis pœna irrogata, bona reo quoque adimat (quo casu, morte ejus extincto crimine, nulla quæstio supereste potest); an verò non ex damnatione capitis, sed speciali Præsidis Sententiâ bona auferantur: tunc etenim, subducto reo, sola capitis causa perimitur, bonorum remanente quæstione. *l.* 3. *Cod. Si pend. appell.*

Non videtur autem Sententia auferre bona, quum duntaxat jubet ea obsignari. Undè idem Imperator: Ejus qui requirendus annotatus appellavit (*a*), & ante actam causam mortuus est; bona ad successorem pertinere, parentibus Meis placuit. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

Ex dictis liquet, sequens ejusdem Alexandri Rescriptum de eo casu accipiendum esse, quo Sententiâ à quâ appellatum fuit de bonis statueret. Ita ille: Etiam post mortem ejus qui appellavit, necesse est heredibus ejus vel reddere causam provocationis, vel statutis acquiescere. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

Observandum superest: quum ad heredem judicium Appellationis transit, non tantùm residuum temporis quod defuncto ad prosequendam Appellationem supererat, ei concedi; sed præterea quatuor menses, qui non currunt tempore ad deliberandum de hereditate adeundâ indulto. l. fin. Cod. Si pend. appellat.

Hactenùs de morte Appellatoris.

L X I.

Jam quæritur an solvatur judicium Appellationis, interitu rei de quâ litigabatur? Et dicendum non semper solvi; scilicet, si quid præter eam rem adhuc interfit.

Hinc Gordianus. Quamvis ancilla de cujus dominio disceptabatur, & à Rectore provinciæ contra te Jus dictatum fuerat, in fatum concesserit: tamen cùm Appellationem super eâ re interpositam fuisse, & in numero cognitionum pendere proponas; ea provocatio, suo ordine, propter peculium ancillæ audiri debet. *l.* 5. *Cod. d. tit.*

(*a*) Absens in capitali causâ non damnatur, ut vid. suprà Tit. *de Requir. reis.* Sed judex jubet eum requiri & bona ejus obsignari. Ab hâc porrò Sententiâ, reus appellare potest: quòd hìc notandum.

Source : BIU Cujas

TITULUS VII.

NIHIL INNOVARI APPELLATIONE INTERPOSITA.

I.

Præcipuum Appellationis effectum exponit hic Titulus. *Nimirùm* Appellatione Interpositâ; sive ea recepta sit sive non, medio tempore Nihil Novari oportet; si quidem fuerit recepta Appellatio, quia recepta est; si verò non est recepta, ne præjudicium fiat: quoad deliberetur (*a*) utrùm recipienda sit Appellatio, an non sit. *l. un.* ULP. LIB. 4. DE APPELLAT.

Item Gordianus. Appellatione Interpositâ, licèt à judice (*b*) repudiata sit; in præjudicium deliberationis (*c*) nihil fieri debere, & in eo statu omnia esse quo tempore pronuntiationis fuerunt, sæpissimè constitutum est. *l.* 3. *Cod. de Appell.*

Et hæc quidem, etiam in casu quo Appellatio recepta non est.

II.

Receptâ autem Appellatione, tandiù Nihil erit Innovandum, quandiù de Appellatione fuerit pronunciatum. *sup. d. l. un.* § 1. *ff. h. tit.*

Si quis ergo fortè relegatus fuit, & appellaverit; non arcebitur, neque Italiâ, neque in provinciâ quâ relegatus est. *d. l. un.* § 4.

Propter eamdem rationem; & si quis deportatus fuit ab eo cui deportandi jus est, vel adnotatus; neque vincula patietur, neque ullam aliam injuriam quam patitur qui Sententiæ non adquieverat. Integer enim status esse videtur provocatione interpositâ. *d. l. un.* § 3.

Ergo & si abstinere Ordine jussus sit, & provocaverit, eâdem ratione potest cœtum participare; cùm hoc sit constitutum, & sit Juris ne quid pendente Appellatione Novetur. *d. l. un.* § 1.

III.

Interdum tamen judex à quo appellatur, debet Appellationem insuper habere.

Enimverò Constitutiones quæ de recipiendis (nec non) Appellationibus loquuntur, ut Nihil novi fiat; locum non habent in eorum personâ, quos damnatos statim puniri publicè interest: ut sunt insignes latrones, vel seditionum concitatores, vel duces factionum. *l.* 16. *ff. de Appellat. & relat.* MODESTIN. LIB. 6. DIFFERENT.

In specie sequenti quærit etiam Ulpianus, an Appellatio debeat executionem Sententiæ suspendere? Nimirùm Si quis ex pluribus facinoribus condemnatus, propter quædam appellavit, propter quædam non: utrùm differenda pœna ejus sit, an non, quæritur? Et si quidem graviora sint crimina ob quæ Appellatio interposita est, levius autem id propter quod non appellavit; recipienda est omnimodò Appellatio, & differenda pœna. Si verò graviorem Sententiam meruit ex eâ specie ex quâ non est appellatum; omnimodo pœna imponenda est. *sup. d. l. un.* § 5.

In specie etiam sequenti Appellatio non differt executionem Sententiæ. Scilicet ex Constitutione Valentiniani, Theodosii & Arcadii, Quum de possessione & ejus momento causa dicitur; etsi Appellatio Interposita fuerit, tamen lata Sententia sortitur effectum.

Ita tamen possessionis reformationem fieri oportet; ut integra omnis proprietatis causa servetur. *l. un. Cod. Si de moment. possess.*

IV.

In causâ autem Rei vindicationis, suspendit quidem Appellatio (ut in cæteris causis) executionem Sententiæ; verùm Quoties possessor appellat, fructus medii temporis deponi convenit. PAUL. SENT. LIB. 5. *Tit.* 35. § 1.

Pariter in hâc eâdem judicii Rei vindicationis causâ; Si propter prædia urbana vel mancipia appelletur, pensiones eorum vel mercedes; vecturæ etiam si de navi agatur, deponi solent. *d. tit.* § 2.

Quòd si petitor provocet; fructus in causâ depositi esse non possunt, nec rectè eorum nomine satisdatio postuletur. *sup. d.* § 1. ¶ *quòd si.*

Tamen Antoninus & Verus Rescripserunt; Quamvis usitatum non sit post Appellationem (*d*) fructus agri de quo disceptatio sit, deponi: tamen quum populitarentur ab adversario, æquum sibi videri, fructus apud sequestres deponi. *l.* 21. § 3. *ff. de Appellat. & relat.* PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 1. DE CONSTITUTIONIB.

(*a*) A judice superiore.
(*b*) Inferiore scilicet, id est eo à quo appellatur.
(*c*) De quâ mox suprà.

(*d*) Scilicet à petitore interpositam. Quæ verba fortassè ex textu Papyrii consultò expunxit Tribonianus; cùm Jure Justinianæo, huic fructuum sequestrationi jam locus non sit, ab utrovis provocatio interponatur.

Source : BIU Cujas

TITULUS VIII.

QUÆ SENTENTIÆ SINE APPELLATIONE RESCINDANTUR.

Hujus Tituli leges omnes suprà transfusæ sunt (*lib.* 42.) *in Titulum* de Re judicatâ *Sect.* 3ª.

TITULUS IX.

AN PER ALIUM CAUSÆ APPELLATIONUM REDDI POSSUNT.

I.

IN Causâ Appellationis hæc quæstio specialis est, quis eam persequi possit.

Nempè Quæri solet, An Per Alium Causæ Appellationis Reddi Possunt ? Quæ res in rebus pecuniariis & in criminibus agitari consuevit. Et in rebus pecuniariis sunt Rescripta, posse agi. Verba Rescripti ita se habent : « Divi Fratres Longino. Si tibi qui appellavit, » mandavit ut eum de appellatione quam Pollia ad eum » fecit, defenderes ; & res pecuniaria est : nihil pro- » hibet nomine ejus te respondere. Sin autem non sit » pecuniaria causa, sed capitalis ; per procuratorem » agi non licet. Sed & si ea causa sit ex quâ sequi solet » pœna usque ad relegationem (*a*), non oportet Per » Alium Causas agi : sed ipsum Adesse Auditorio de- » bere, sciendum est. » Planè si pecuniaria causa est, ex quâ ignominia sequitur, potest & per procuratorem hoc agi. Idque erit probandum & in ipso accusatore, si appellaverit, vel si adversùs eum sit appellatum. Et generaliter ; QUÆ CAUSA per alium agi non potest, ejus nec Appellationem per alium agi oportet. *l.* 1. ULP. LIB. 4. APPELLAT.

Quemadmodum autem dominus servum in capitali judicio potest per procuratorem suum defendere, ut vid. lib. præced. Tit. de Accusat. *ita & in causâ appellationis à domino interpositæ.*

Hinc in specie sequenti. Lucius-Titius pro servo suo qui ad bestias datus est, provocationem interposuit. Quæro an hujusmodi Appellationis Causas, per procuratorem Reddere possit ? Modestinus respondit, Posse. *l.* 18. *ff. de Appell. & relat.* MODESTIN. LIB. 17. RESPONS.

II.

Si procurator qui judicio interfuit, victus sit; an ipse quoque per procuratorem appellare possit videamus ? quia constet procuratorem, alium procuratorem facere non posse. Sed meminisse oportet, quòd procurator lite contestatâ dominus litis efficietur, & ideò per procuratorem appellare potest. *l.* 4. § 5. *ff. d. tit.* MACER LIB. 1. DE APPELL.

III.

Non solùm ipse qui appellavit, procurator-ve ejus, potest Causam Appellationis prosequi : sed interdum causa illa ipso Jure transfertur in alium quàm eum qui appellavit.

Hoc evenit, quoties quis alieno nomine provocavit ; putà tutor, curator, procurator. Transfertur enim eo casu appellationis causa, ab eo qui ipse provocavit, in eum cujus nomine provocatum est : ut videre est in speciebus sequentibus.

Curator juvenis, adversùs tutoris heredes judicio expertus, Appellationem interposuit. Quum implesset autem vicesimum-quintum annum ætatis juvenis, & in militiâ ageret, exequi. Appellationem desiit (*b*). Quæro, regressus à militiâ, utrùm ipse Appellationem explicare deberet ; an verò curatorem in eam rem conveniri oportet ? Respondit ; Ipsum militem, litem ad se pertinentem exsequi debere : secundùm ea quæ proponerentur. *l.* 24. § 1. *ff. de Appell. & relat.* SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS.

Similiter in specie sequenti. Substituti tutores in locum legitimi tutoris, experti cum eo Tutelæ judicio ; cùm arbiter iniquè condemnavit (*c*) quàm rei æquitas exigebat, à Sententiâ ejus provocaverunt. Pendente Causâ Appellationis, juvenes adoleverunt. Quæsitum est, cùm omnis exsecutio hujus ad adultos pertineat, & Causam ad se pertinentem idoneè tueri possunt ; an postulatio eorum contra quos appellatum erat, dicentium illos debuisse Causas Appellationis Reddere qui primi sunt experti, admittenda non sit ? Respondit ; Eos quorum tutela gesta esset, si vellent causam exsequi, non prohibendos. Idem & in curatoribus observandum est, si interim adultus ad legitimam ætatem pervenit. *l.* 28. § 2. *ff. d. tit.* SCÆVOLA LIB. 25. DIGEST.

Auditur quidem adultus, si desideret Causam Appellationis in se transferri. An autem à tutore qui rationes reddidit, cogi poterit eam suscipere ? De eâ re ita Macer. Tutor quoque in negotio pupilli, Appellatione interpositâ, si decesserit ; heredem ejus Causas Appellationis Reddere necesse est, etiamsi rationes tutelæ heres reddiderit : quia sufficit mortis tempore ad Causas Appellationis Reddendas obligatum fuisse. Sed Divi Severus & Antoninus rescripserunt ; Non cogendum tutorem, post rationes redditas, Causas Appellationum reddere (*d*). *l. un.* § 1. *ff. Si pendent. appell.* MACER LIB. 2. DE APPELL.

Pariter Hermogenianus. Tutor si in negotio pupilli provocaverit, vel curator in adulti; heres ejus antequam reddat rationes Appellationis, Causam persequi debet. Nam post redditas rationes ; nec ipse tutor, nec curator, Appellationis merita probare cogitur. *l.* 27. *ff. de Appell. & relat.* HERMOGEN. LIB. 5. JURIS EPITOMAR.

Hactenùs de tutore aut curatore.

(*a*) Inclusivè : ut rectè contra Menochium censet Wissenbachius. Opponitur quippè hîc *Relegatio* causis pecuniariis, in quibus licet per procuratorem experiri.

(*b*) Utpotè finitâ curatione.

(*c*) Id est, *condemnavisset minoris quàm, &c.*

(*d*) Ergo nec heredem ejus, Postquàm heres rationes tutelæ reddiderit; Vide l. seq.

Source : BIU Cujas

I V.

Pariter ex perſonâ procuratoris, in eum cujus nomine provocavit transferri poteſt Appellationis Cauſa; ſi tamen dominus velit. Nam Si procurator abſentis appellaverit, deinde rationes reddiderit; nihilominùs ipſe reſpondere (*a*) debet.

Sed an eo ceſſante dominus litis reſpondere poſſit, exemplo adoleſcentis, videamus? Magis tamen obſervatur ut audiri debeat in Cauſis Appellationis reddendis, is cujus abſentis procurator appellavit. *l.* 2. MACER LIB. 2. DE APPELL.

Similiter reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Dominus litis, Cauſam Appellationis quam procurator ſuus litigando interpoſuit, etiam abſente procuratore exequi poteſt. *l.* 9. *Cod. de Appell.*

Iidem reſcribunt. Si actor à curatore ordinatus, deteriorem calculum reportaverit; tam ipſe quàm curator ad provocationis auxilium poſſunt pervenire : curator verò ſolus provocationis litem exercebit (*b*). Sin autem interim adoleſcens veniam ætatis impetraverit, vel ad legitimam ætatem pervenerit; poteſt ſuo nomine Appellationem exercere *l.* 10. *Cod. de Appell.*

(*a*) Pubertate aut ætate majore 25. annis ſuperveniente, finitur tutela & cura : ergo tutor curator-ve qui rationes reddidit, poteſt deſiderare ut lis quam eo nomine ſuſceperat, ab ipſo transferatur. At procuratoris qui litem exequendam ſuſcepit, finitum quod ſuſcepit mandatum non eſt, donec litem ad finem perduxerit.

(*b*) Quamvis actor provocaſſet; quia actor, non pro ſe, ſed pro eo provocavit.

TITULUS X.

SI TUTOR VEL CURATOR MAGISTRATUS-(VE), CREATUS APPELLAVERIT.

I.

APpellatur, non à Sententiâ ſolùm, ſed & à nominatione tutelæ vel curæ, muneris-ve cujuſlibet aut honoris. Quæ Appellationis ſpecies ab eâ de quâ ſuperioribus Titulis egimus, diverſa eſt; eamque Conſtantinus magis QUERIMONIAM *quàm* APPELLATIONEM *dici vult. l.* 12. *Cod. Theod.* de Appellat. *Cùm autem generali Appellationis verbo hæc quoque contineatur, hinc in medio de Appellationibus Tractatu hîc inſerta eſt. Undè etiam, Appellatio in genere ita rectè à Cujacio definitur :* « QUERELA *non adquieſcentis, vel Sententiæ minoris judicis, vel nominationi ad honorem aut munus publicum :* » Parat. *ad Tit.* de Appell.

Circa provocationem ab eâ nominatione, videndum 1°. *Quando huic locus ſit, & qui provocare teneatur :* 2°. *Quis appellandus ſit, & intrà quod tempus; & de tempore exſequendæ cauſæ hujus Appellationis :* 3°. *De pendentis hujuſmodi provocationis effectu; ubi quæremus cui imputetur damnum quod Reſpublica inter moras Appellationis tulit :* 4°. *Denique, an morte provocantis extinguatur hæc Appellatio.*

§ I.

Quando huic provocationi locus ſit, & qui provocare teneantur à nominatione.

I I.

Si quis tutor datus fuerit, vel teſtamento vel à quo alio qui jus dandi habet, non oportet eum provocare; hoc enim Divus Marcus effecit (*a*) : ſed intrà tempora præſtituta, excuſationem allegandam habet; &, ſi fuerit repulſa, tunc demùm Appellare debebit. Cæterùm ante fruſtra appellatur. *l.* 1. § 1. *ff. Quando app.* ULP. LIB. 1. DE APPELL.

Alia cauſa eſt eorum qui ad aliquod munus vel honorem vocantur, quum dicant ſe habere excuſationem. Nam non aliter allegare poſſunt cauſas immunitatis ſuæ, quàm ſi Appellationem interpoſuerint. *d. l.* 1. § 2.

Idem Ulpianus ait. Omnis excuſatio ſuâ æquitate nititur. Sed ſi prætendentibus aliquid ſine judice credatur; aut paſſim ſine temporis præfinitione, prout cuique libuerit, permiſſum fuerit ſe excuſare : non erunt qui munera neceſſaria in Rebuſpublicis obeant. Quare & qui iberorum incolumium jure à muneribus civilibus ſibi vindicant excuſationem, Appellationem interponere debent; & qui tempora præfinita in ordinem ejuſmodi Appellationum peragendo non ſervaverint, meritò præſcriptione repelluntur. *l.* 1. *ff. de Vacat. muner.* ULP. LIB. 2. OPINION.

Conſonat quod reſcribit Philippus. Si ad Scribatum nominatus non provocaſti, convelli ſtatuta non poſſunt. *l.* 4. *Cod. de Appellat.*

Similiter Diocletianus & Maximianus. Cives & incolæ, manifeſtas etiam excuſationes habentes, ſi ſub juſtâ (*b*) nominatione non appellaverint, ad earum probationem non admittuntur. *l* 11. *Cod. d. tit.*

Iidem reſcribunt. Hi qui ad civilia munera vel ad Decurionatum vel honores evocantur, licèt vacationem à Principibus acceperint, ſi Appellationis auxilio non utantur, conſenſu ſuo nominationem confirmant. Cùm igitur ad munus vocatus appellaveris; apud Præſidem provinciæ juſtè te appellaſſe oſtende. *l.* 7. *Cod. d. tit.*

Quinetiam hi Qui excuſatione aliquâ utuntur; quotieſcumque Creati fuerint, etſi jam antè abſoluti ſunt, neceſſe habent (*c*) appellare.

Sed ſi per calumniam & ſæpiùs idem adverſarius, vexandi gratiâ ejus quem ſcit perpetuâ vacatione ſubnixum, facere probatus erit; ſumptus litis, exemplo Decretorum Principalium, præſtare jubeatur ei quem ſine cauſâ ſæpiùs inquietabit. *ſup. d. l.* 1. § 1. *ff. de Vacat. mun.*

I I I.

Hæc tamen appellandi neceſſitas remiſſa eſt, 1°. *Veteranis qui viginti ſtipendia meruerunt.*

Sic enim Diocletianus & Maximanus. Veteranis qui in Legione vel Vexillatione militantes, poſt viceſima ſtipendia honeſtam vel cauſariam miſſionem conſecuti ſunt; onerum vel munerum perſonalium vacationem conceſſimus. Hujuſmodi autem indulgentiæ Noſtræ tenore remunerantes fidam devotionem militum noſtrorum, etiam provocandi neceſſitatem remiſimus. *l.* 9. *Cod. Quando provoc.*

2°. *Multòminùs neceſſaria erit provocatio, ſi inhabilis erat qui Creatus eſt.*

Hinc iidem reſcribunt. Si pater tuus, quum Decurio creareris, non conſenſit; & decimum-quintum annum

(*a*) Ne neceſſe eſſet.

(*b*) Id eſt, ritè factâ : alioquin eſſet ipſo Jure nulla, nec eſſet opus Appellatione.

(*c*) Fieri enim poteſt ut ceſſaverit cauſa excuſationis.

Source : BIU Cujas

ætatis agis : aditus Præſes provinciæ, ſi inhabilem te ad eumdem Decurionatûs honorem eſſe perſpexerit; quando hujuſmodi ætati etiam prætermiſsâ Appellatione ſubveniatur; iniquam nominationem removebit. *l.* 8. *Cod. d. tit.*

3°. *Item neceſſaria non erit provocatio, ſi Decretum ex defectu ſolemnitatis fuerit invalidum.*

Hinc Ulpianus. Si conſtet nullo actu ex Lege habito Duumvirum Creatum, ſed tantùm vocibus popularium poſtulatum; eiſque tunc Proconſulem, quod facere non debuit, conſenſiſſe : Appellatio in re apertâ ſupervacua fuit. *l.* 12. *ff. de Appell. & relat.* ULP. LIB. 2. OPINION.

§ II.

Quis adversùs nominationem Appellandus ſit, & intra quod tempus ; item de tempore hujus Appellationis exſequendæ.

IV.

A Decreto minoris poteſtatis appellatur poteſtas ſuperior ; putà à Decreto Ordinis Decurionum, Præſes.

Quod autem attinet ad tempus intrà quod hæc Appellatio emitti debet ; Quod in Sententiis præceptum eſt, ut vel alterâ die vel tertiâ provocetur ; hoc etiam in cæteris obſervandum, ex quibus Sententia quidem non profertur, appellari tamen oportere & poſſe ſuprà relatum eſt. *l.* 1. § 6. *ff. Quando appelland.* ULP. LIB. 1. DE APPELLAT.

Quæritur autem quis appellandus ſit, & ex quo biduum currat, in ſpecie ſequenti ?

Nimirùm Solent plerùmque Præſides remittere ad Ordinem, nominatum; ut Caium-Seium creent Magiſtratum, vel alius quis honor vel munus in eum conferatur. Utrùm igitur tunc appellandum eſt, quum Ordo decretum interpoſuerit ? an verò à remiſſione quam Præſes fecerit, Appellatio ſit interponenda ? Et magis eſt ut tunc ſit appellandum, quum Ordo decreverit. Magis enim conſilium dediſſe Præſes videtur quis ſit creandus, quàm ipſe conſtituiſſe. Denique ipſe erit appellandus, non ab eo provocandum. *d. l.* 1. § 3.

Sed etſi Præſes in Ordine fuerit (ut fieri adſolet), quum ab Ordine crearetur ; quis ipſe erit provocandus : quaſi ab ordine, non ab ipſo, fiat Appellatio. *d. l.* 1. § 4.

V.

Tempus duorum menſium datur, ad hanc Appellationem exſequendam.

De hoc tempore accipe quod ait Conſtantinus. Si quis per abſentiam nominatus, vel ad Duumviratûs aliorumque honorum infulas (*a*) vel munus aliquod evocatus, ad provocationis auxilium cucurrerit; ex eo die, interponendæ Appellationis duorum menſium ſpatia ei computanda ſunt, ex quo contra ſe celebratam nominationem didiciſſe monſtraverit. Nam præſenti qui factam nominationem cognoverit, & appellare voluerit, ſtatim debent duorum menſium ſpatia computari. *l.* 1. *Cod. de Tempor. appellat.*

(*a*) Erant *Infulæ*, quædam faſciæ in modum diadematis : fueruntque inter inſignia Conſulatûs, ut liquet ex l. fin. Cod. *de Decurionib.* Cùm autem Duumviratus in Municipiis Conſulatum adumbraret ; habuerunt etiam *Infulas* Duumviri.

(*b*) Præſides qui appellantur.

(*c*) Alius interim.

§ III.

De pendentis hujus Appellationis effectu : quomodo proſpiciatur ne quod ex hujus morâ damnum emergat, & cui imputetur ſi emerſerit.

VI.

Pendente Appellatione non poteſt cogi obire munus, is qui nominatus eſt ; ſed nec poteſt ad aliud ejuſdem naturæ munus nominari.

Hinc Gordianus Si (ut proponis) ſuſpensâ apud Ampliſſimos judices cognitione provocationis, quam te ob id interpoſuiſſe dicis quòd Decurio nominatus eſſes, ad Duumviratum vocatus es : manifeſtum eſt, præjudicium futuræ notioni memoratorum judicum fieri non potuiſſe. *l.* 3. *Cod. Quando provoc.*

VII.

At verò Si qui ad munera publica nominati appellaverint, nec cauſas probaverint ; ſcient ad periculum ſuum pertinere, ſi quid damni per moram Appellationis reipublicæ acciderit. Quòd ſi apparuerit eos neceſſariò provocaſſe; cui adſcribendum ſit id damnum, Præſes vel Princeps æſtimabit. *l.* 1. ULP. LIB. 3. DE OFFIC. CONSULIS.

Conſonat Papyrius-Juſtus, ſimulque docet quomodo generaliter proſpiciatur ne quod ex Appellationis morâ damnum accidat.

Ita ille : Si Magiſtratus Creatus Appellaverit, collegam ejus interim utriuſque officium ſuſtinere; ſi uterque Appellaverit, alium interim in locum eorum creandum.

Et eum qui non juſtè appellaverit, damnum agniturum ſi quod res publica paſſa ſit ; ſi verò juſta ſit Appellatio, & hoc pronuntietur ; eos (*b*) æſtimaturos cui hoc adſcribendum ſit.

In locum autem Curatoris qui annonam adminiſtraturus eſt, alium interim adſumendum ; quoad uſque Appellatio pendeat. *l.* 21. § 2. *ff. de Appell. & relat.* PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 1. DE CONSTITUTIONIB.

Similiter pupillo proſpicitur, ne quod damnum interim pati poſſit. Enimverò Tutor pupillo datus ſi provocet; interim pupillo curator dabitur. Sed ſi tutoris auctoritas fuerit neceſſaria, veluti ad adeundam hereditatem, tutor (*c*) ei neceſſariò dabitur ; quoniam curatoris auctoritas ad hoc inutilis (*d*) eſt. *l.* 17. § 1. *ff. d. tit.* MODESTIN. LIB. 8. REGUL.

§ IV.

An morte provocantis extinguatur hæc Appellatio.

VIII.

Eâ de re ita Gordianus reſcribit. Si pater tuus ad Decurionatum evocatus, Appellationem interpoſuit ; eâque pendente conceſſit in fatum : honoris ejus quæſtio morte finita eſt. *l.* 4. *Cod. ſi pend. appellat.*

Idem dic de tutore vel curatore.

Hoc ita, niſi damnum medio tempore pupillus minor-ve (item ſi Reſpublica) tuliſſe dicatur. Nam Tutor vel curator retentus ſi provocaverit, & ante cauſam actam moriatur ; propter periculum medii temporis ſucceſſores ejus cauſas Appellationis neceſſe habent reddere. *l.* 2. HERMOGEN. LIB 5. EPITOMAR.

Eo autem caſu, ſimiliter ut ſuprà, ſi injuſta fuerit pronuntiata Appellatio, is damnum ſuſtinebit qui injuſtè provocabit ; ſi juſta, Magiſtratus æſtimabit ad quem debeat pertinere periculum.

(*d*) *Auctoritas* eſt ſolemnis actus ; qui non poteſt niſi à tutore, non etiam à curatore interponi.

Source : BIU Cujas

TITULUS XI.

EUM QUI APPELLAVERIT, IN PROVINCIA DEFENDI.

Duæ leges hujus Tituli transfuſæ ſunt ſuprà lib. 42. *in Tit.* de Re judic. *N.* 18.

TITULUS XII.

APUD EUM A QUO APPELLATUR, ALIAM CAUSAM AGERE COMPELLENDUM.

Hujus Tituli legem unicam vide ſuprà Tit. I. Sect. 2. *Art.* 6.

TITULUS XIII.

SI PENDENTE APPELLATIONE MORS INTERVENERIT.

Hujus quoque Tituli legem unicam vide ſuprà, d. Tit. I. Sect. 2. *Art. fin.*

IN his quæ mox ſequuntur ad duos uſque Titulos ultimos Pandectarum, pauca jam de Jure publico exponenda ſuſcipiunt earum ordinatores. Quid enim ſupereat, abſolutis per omnia tractatibus quicumque ad Jus privatum pertinere poſſunt; ſive Perſonas *ſpectent, ſive* Res, *ſive* Actiones *& judicia tum civilia tum criminalia? Imò in præcedentibus multa paſſim, quatenùs ad judiciorum ſive inſtituendorum ſive proſequendorum intelligentiam neceſſarium viſum eſt Tribonianii ſociis, inſerta ſunt, quæ Juri publico deputari debuerant potiùs; ut ea quæ pertinent ad* Magistratus, *& ad ipſum* Judiciorum ordinem, *præſertim criminalium. Id unum ergo reſtat ex iis omnibus qnæ ad publicum Reipublicæ Romanæ Jus ſtatumque propriè reſpiciunt, ut hîc ex profeſſo proponantur Jura* Fisci, *Jura* Captivorum, *&* Militaria: *tum deindè in libro ſequenti, de ſpeciali Jure* Municipiorum *ac civitatium agetur.*

Source : BIU Cujas

TITULUS XIV.

DE JURE FISCI.

I.

FISCUS *dicitur, publicum Ærarium & publica Ratio Principis ſeu Imperii. Hæc enim duo, quum olim diverſa eſſent,* ÆRARIUM *Populi ſeu Reipublicæ &* FISCUS *Principis, hodie ex poſteriorum Principum dominatu confunduntur.*

Cùm porrò Fiſcum illum, licèt odioſum & turpe ſit ex facultatibus privatorum promiſcuè locupletari, aliàs tamen ad onera Reipublicæ ſuſtinenda locupletiſſimum eſſe interſit civium omnium & ſingulorum; hinc meritò placuit, ipſi deferri bona quædam, ſive vacantia, ſive quibus quis in pœnam ſceleris fraudis-ve Legi factæ privari meruit: hinc etiam, ad rerum ſuarum conſervationem, multa præter Juris communis regulas privilegia fiſco indulta ſunt. Contrà verò, ad vitandum cauſæ Fiſcalis odium (quæ, ut aiunt, SUB BONO PRINCIPE NUNQUAM BONA); *in aliis multis Jure communi privatorum utitur Fiſcus, imò in quibuſdam deteriori. Quæ omnia Jura ad Fiſcum pertinentia, in hoc Titulo expenduntur, & nos proſequemur hoc ordine.*

Agemus 1°. *de Delatoribus & nuntiatione ad Fiſcum, bonorumque ipſi delatorum aut aliàs ad eum pertinentium diſtractione:* 2°. *De diverſis Fiſci privilegiis.* 3°. *Exponemus, in quibus Fiſcus aut communi aut deteriori Jure utatur quàm privati; & quas dilationes dare debeat ſuis debitoribus.*

SECTIO I.

De Delatoribus & nuntiatione bonorum ad Fiſcum, item de rerum publicatarum diſtractione.

ARTICULUS I.

Expenduntur ea quæ pertinent ad perſonas deferentium, aut ad ipſam nuntiationem.

§ I.

Qui Delatores *dicantur necne.*

II.

DELATORES *dicuntur, infame hominum genus qui rem ad Fiſcum pertinentem, ultrò & præmii gratiâ denuntiant.* Cujac.

Delator autem non eſt, qui non ULTRO, *ſed neceſſitate officii ſui denuntiat; quales ſunt V. G.* Cæſariani *ſeu Officiales Procuratoris Cæſaris* (ſes Sergents), *ad quorum munus pertinuit nuntiare ea quæ ad Fiſcum pertinebant: quos ideò Alciatus* EXECUTORES ET NUNTIOS FISCALES *interpretatur.*

Hinc Gordianus, uni (*ut videtur*) *ex Cæſarianis, ita reſcribit.* Monente officii ſollicitudine, quinimò juſſu Procuratoris, ut cauſam ab alio delatam convenienti diligentiâ inſtrueres; non ipſum voluntarium delatoris munus ſuſcepiſſe te, Actorum lectio quæ præcibus intexta ſunt, manifeſtè declarat. Eapropter ne quid in perſonâ tuâ, quod eſt ſectæ temporum Meorum alienum, attentetur; Præſes provinciæ vir Clariſſimus ad ſollicitudinem ſuam revocabit. *l.* 2. *Cod. de Delatoribus.*

Item Delator non eſt, qui protegendæ cauſæ ſuæ gratiâ aliquid ad Fiſcum nuntiat. *l.* 44. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Hinc Papinianus. Delatoris operâ non eſſe functum reſpondi, cui Fiſci pecuniam quam alius tenebat, ad ſui temporis adminiſtrationem pertinere (*a*) quamvis probare non potuiſſet, contendit; quoniam propriam cauſam egerat. *l.* 38. § 1. PAPINIAN. LIB. 13. RESPONS.

Sed & communem cauſam ſibi cum Fiſco quivis deferre poteſt, hoc eſt vindicare (*b*); nec per hoc famoſus eſt, licèt in causâ ſuâ non obtinuerit. *l.* 18. § 7. MARCIAN. LIB. SINGUL. DE DELATORIB.

Hinc V. G. Eum qui periculum communis condemnationis dividi poſtulavit, quòd participes judicati ſolvendo eſſent, revocatis alienationibus quas fraudulenter fecerant, non videri cauſam pecuniæ Fiſco nuntiaſſe (*c*) reſpondi. *l.* 39. § 1. PAPIN. LIB. 16. RESPONS.

Item Nullâ maculâ vel crimine delatoris aſpergitur, is qui, cùm ab Officialibus fundum ſeu domum Fiſci poſſidere contenderetur, non ſe, ſed alium ejus rei Poſſeſſorem eſſe monſtraverit. *l.* 3. *Cod. de Delator.* GORDIAN.

III.

Ex quibuſdam aliis cauſis, delationes ſuſcipientium fama non læditur; veluti eorum qui non præmii conſequendi, item eorum qui ulciſcendi gratiâ, adverſarium ſuum deferunt; vel quòd nomine Reipublicæ ſuæ quis exſequitur cauſas. Et hæc ita obſervari, plurifariàm Principalibus Conſtitutionibus præcipitur. *l.* 2. CALLIST. LIB. 2. DE JUR. FISCI.

Similiter Carus, Carinus, & Numerianus. Ex variâ ſtatutorum diverſitate ad id decurſum eſt; ut hi qui Reipublicæ cauſas defendunt, delatorum criminibus non teneantur; cùm omnibus notiſſimum ſit, eos ſolos execrabiles nuntiatores eſſe, qui Fiſco deferunt (*d*). *l.* 4. *Cod. de Delatorib.*

Conſonat quod antè reſcripſerant Severus & Antoninus. Neminem ſequitur infamia, ob defenſa publica negotia patriæ ſuæ. *l.* 9. *Cod. Ex quib. cauſ. infam.*

IV.

Quale autem fuerit illud præmium delatoris, quod Lex Papia conſtituerat, non ſatis liquet. Suetonius in NERONE *cap.* 10. *ſcribit; Neronem, præmia delatorum Papiæ Legis ad* Quartas *redegiſſe. An autem hoc accipiendum de Quartâ ejus quod Lex Papia aſſignabat, an de* Quartâ *bonorum delatorum; quum anteà major pars in his bonis daretur delatori? Quod probabilius eſt; atque hinc fortè, Delatores apud varios Auctores appellari* Quadruplatores: *quanquàm certè,*

(*a*) Finge: Qui adminiſtrationem aliquam habuit, conventus à Fiſco de pecuniâ quam adminiſtravit, contendit adversùs aliquem, partem certam hujus pecuniæ apud eum eſſe: nec probavit. Victus, periculum calumniæ & infamiæ, quod delatores incurrere ſolent quum victi ſunt, non incurret; quia non eſt DELATOR. Non enim ultrò, quum ſuâ non intereſſet, ſed *Cauſæ ſuæ protegendæ gratiâ*, objecit hunc hominem habere pecuniam ad Fiſci rationem pertinentem.

(*b*) Cujacius Obſ. XVII. 22. legit, *indicare.*

(*c*) Ideò enim contendit eos in fraudem Fiſci bona alienaſſe, non ut Fiſco prodeſſet, ſed ut ſibi; ne ſcilicet ipſe ſupra virilem teneretur.

(*d*) Ultrò, nullâ officii neceſſitate cogente.

Source : BIU Cujas

certè, varia pro variis temporibus & cauſis fuerint hæc præmia. Jure novo OCTAVAM *eſſe, colligere eſt ex l. fin.* § 7. *Cod.* de Delatorib.

§ II.

Quis nuntiare ſeu deferre poſſit.

V.

1°. Deferre non poſſunt mulieres, propter ſexûs infirmitatem. Et ita Sacris Conſtitutionibus cautum eſt. *l.* 18. MARCIAN. LIB. SINGUL. DE DELATORIB.

2°. Item Clariſſimi viri deferre non poſſunt. *d. l.* 18. § 1.

3°. Item milites, propter honorem ſtipendiorum quæ merent, deferre prohibentur. *d. l.* 18. § 6.

Veterani quoque Sacris Conſtitutionibus delatores eſſe prohibentur; propter honorem utique & merita militiæ. *d. l.* 18. § 5.

4°. Item damnati deferre non poſſunt: ut Divi Fratres de eo reſcripſerunt, qui fuſtibus cæſus in opus publicum erat datus. *d. l.* 18. § 2.

Item Conſtitutionibus Principum prohibentur deferre illi, qui in metallum dati ſunt. Hoc ideò, ne deſperati ad delationem facilè poſſint ſine causâ confugere. *d. l.* 18. § 3.

Sed eas cauſas quas ante damnationem cœperunt deferre, poſſe eos etiam poſt damnationem exequi, reſcriptum eſt. *d. l.* 18. § 4.

VI.

5°. Imperator noſter Severus Auguſtus conſtituit, ne ſervi delatores dominorum audiantur; ſed ut pœnâ coerceantur.

Libertos quoque, cauſæ mandatores (*a*) contra patronos, à Præſidibus provinciarum pœnæ plectendos. *l.* 2. § 6. CALLISTR. LIB. 2. DE JURE FISCI.

Hoc confirmant Gratianus, Valentinianus & Theodoſius, qui ita reſcribunt. Servum domini delatorem, jubemus, in exemplum omnium proditorum, ſeveriſſimæ Sententiæ ſubjugari; etiamſi objecta probaverit: excepto crimine (*b*) Majeſtatis. *l. fin. Cod. de Delatorib.*

9°. Item eos qui tutores vel curatores fuerunt, non oportere deferre, cauſa pupillorum vel adoleſcentium ſuorum. Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt. Quod conſequens eſt obſervari, & in eo qui quaſi procurator negotia geſſit. Et ita iidem Principes reſcripſerunt.

Iidem decreverunt nullâ Conſtitutione prohibitum eſſe, procuratorem interrogari (*c*); ſed accuſare eum, cujus negotia geſſit. Et tutorem qui aut detulit aut mandavit, ſeveriſſimè puniendum reſcripſerunt. *l.* 18. § 8. MARCIAN. LIB. SING. DE DELAT.

7°. *Denique* Sed ne quidem is qui aliquam vendidit rem, eamdem deferre debet vel per ſe vel per ſubjectam perſonam: ne alioquin pœnam patiatur dignam ſuæ perſonæ, ut & conſtitutum eſſe refertur. *d. l.* 18. § 9.

§ III.

Ex quibus cauſis nuntiatio ad Fiſcum fiat.

VII.

Variæ cauſæ ſunt, ex quibus nuntiatio ad Fiſcum fieri ſolet. Aut enim ſe quis (*d*) quod tacitè relictum eſt, profitetur capere non poſſe, vel ab alio præventus defertur; vel quòd mors ab heredibus non vindicatur (*e*), vel quòd indignus quis heres nuntiatur (*f*): vel quòd Princeps heres inſtitutus, & teſtamentum ſive codicilli ſubrepti eſſe nuntiantur; vel quòd dicatur quis theſaurum (*g*) inveniſſe; vel magni pretii rem, minoris ex fiſco comparaſſe; vel prævaricatione Fiſcum victum eſſe; vel eum deceſſiſſe qui in capitali crimine eſſet (*h*), vel etiam poſt mortem aliquem reum eſſe (*i*); vel domum reſtructam eſſe (*k*); vel ab accuſatione receſſum (*l*); vel rem litigioſam venumdari (*m*); vel pœnam fiſco ex contractu privato (*n*) deberi; vel adversùs leges commiſſum (*o*) factum eſſe. *l.* 1. CALLIST. LIB. 1. DE JURE FISCI.

In ſupràdictis cauſis prima numeratur, id quod tacitè relictum eſt; ei ſcilicet qui legibus prohibetur capere. Nam Si ei qui capere poteſt, tacitum fideicommiſſum relictum eſt; ceſſat delatio. His enim prohibetur tacitè relinqui, qui palàm relictum capere non poſſunt. *l.* 1. *Cod. de Delatorib.* ALEXANDER.

Item quod de relictis Principi dictum eſt, accipe de his quæ juſtè & bonâ fide ei relicta ſunt. Cæterùm Lites donatas (*p*) ſe non ſuſcipere Divus Pius reſcripſit, licèt bona relictorum (*q*) ſe quis profiteatur; vel partem bonorum donatam (*r*), non ſuſcipere. Et adjecit; Et illum fuiſſe dignum puniri, pro tam turpi tamque invidioſo commento; &, niſi durum eſſe videbatur, In ultrò venientem pœnam ſtatuere, *l.* 22. § 2. MARCIAN. LIB. SING. DE DELAT.

Scilicet, ut præclarè ait Paulus in eos qui tale quid moliuntur; Imperatorem litis causâ heredem inſtitui, invidioſum eſt. Nec enim CALUMNIANDI FACULTATEM EX PRINCIPALI MAJESTATE capi oportet. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 11. § 24.

De theſauro ſimiliter nota. Deferre autem ſe nemo cogitur quòd theſaurum invenerit, niſi ex eo theſauro pars Fiſco debeatur. Qui autem, quum in loco Fiſci theſaurum invenerit, (&) partem ad Fiſcum pertinentem ſuppreſſerit; totum cum altero tanto cogitur ſolvere. *l.* 3. § *fin.* CALLISTR. LIB. 3. DE JURE FISCI.

Porrò cujus theſauri pars Fiſco debeatur, vide ſuprà lib. 41. *Tit.* de Adq. rer. dom. *N.* 10.

VIII.

Eſt etiam cauſa nuntiandi Fiſco, ſi quæ bona vacantia dicantur; id eſt, ejus qui ſine ullo ſucceſſore deceſſerit. Ea enim bona ad Fiſcum pertinere, vidimus ſuprà in Appendice ad calcem libri 38. *cap.* 2.

(*a*) Id eſt, non ſolùm ſi ipſi detulerint, ſed & ſi mandaverint alteri ut deferret.

(*b*) Suprà lib. præced. Tit. *ad L. Jul. Majeſt.* N. 9.

(*c*) Id eſt, teſtem eſſe adversùs eum cujus negotia geſſit. Magna quippè differentia, inter *Teſtem* qui vocatus teſtimonium perhibet, & *Delatorem* qui ultrò accuſat.

(*d*) Si nempè, quum heres tacitam fidem defuncto deciſſet aliquid reſtituendi incapaci, incapax ille profeſſus fuerit ſe per Leges capere non poſſe. Vide ſuprà lib. 34. Tit. *de His quæ ut indign.*

(*e*) De quâ re vide ſuprà lib. 29. Tit. *ad SC. Silan.*

(*f*) Varias cauſas ex quibus heredi ut indigno Fiſcus hereditatem aufert, vide ſup. d. Tit. *de His quæ ut indign.*

(*g*) De vario jure circa theſauros ſub Imperatoribus, vide ſuprà lib. 41. Tit. *de Acq. rer. dom.* N. 9 & 10 cum Notis.

(*h*) Scilicet ſi conſcientiâ criminis mortem ſibi intulit: quo caſu bona ejus publicantur. Suprà lib. præced. Tit. *de Bon. eor. qui mort.*

(*i*) Quod in paucis criminibus obtinet, quale eſt crimen *Perduellionis.*

(*k*) Haloand. *deſtructam*; ſcilicet ut cæmenta venderetur: quo caſu tam emptor quàm venditor ſinguli pretium Fiſco inferre coguntur: ut vid. ſuprà lib. 18. Tit. *de Contrah. empt.* N. 17. Bynkershoek Florentinâ lectione ſervatâ ſuſpicatur domos *reſtructas* ſeu denuò ædificatas ſolarium aliquod Fiſco debuiſſe, propter quod nunciationem fieri potuiſſe.

(*l*) Qui enim contra abolitionem deſtitit, in mulctam Fiſco præſtandam incidit. De quâ re, lib. præced. Tit. *ad SC. Turpill.*

(*m*) Ob quam cauſam tam venditor quàm emptor ſinguli pretium Fiſco inferre tenentur: ſuprà lib. 44. Tit. *de Litigio.*

(*n*) Id eſt, ex contractu inter privatos illicitè habito; putà ſi Præſes aliquid in provinciâ comparavit, ſuprà lib. 1. Tit. *de Offic. præſ.* N. 19.

(*o*) Bynkershoek ita tranſponit; *adversùs leges factum, commiſſum eſſe*, ſeu in pœnam Commiſſi incidiſſe; ut ſi quis non profeſſus fuerit merces, &c. Planior eſt hujus emendationis ſenſus, quàm interpretatio Cujacii qui ad l. 5. ff. *de Uſucap.* cenſet verba hæc *adversùs leges* hîc accipi pro *juxtà* vel *ſecundùm leges*; hoc ſenſu: ſi ex legibus Commiſſum factum ſit, ſeu pœna Commiſſi impoſita.

(*p*) Bonorum de quibus lis eſt donationes, cùm factæ videantur animo vexandi ſubſtituendique potentiorem adverſarium, non ſuſcipit Princeps.

(*q*) Vulgata *relictarum.* Verùm lectionem Florentinam, etiam Baſilica confirmant, quæ ita verterunt: *Etiamſi quis dicat bona ſibi relicta vel partem eorum ſe donare Principi, ſe jus ſucceſſionis donare Fiſco*; hoc Princeps non ſuſcipit. Igitur *bona relictorum* hîc ſunt, bona comprehenſa in his quæ ab aliquo ſibi relicta ſunt.

(*r*) *Donatum* [ſupple] *ſe velle Principi*; tamen, &c.

Source : BIU Cujas

Cùm autem ſucceſſorem habere non poſſint qui apud Romanos captivi ſunt, aut Romanis obſides dati; hinc Divus Commodus reſcripſit, Obſidum bona ſicuti captivorum, omnimodo in fiſcum eſſe cogenda. *l.* 31. MARCIAN. LIB. 5. INSTITUT.

Sed ſi accepto uſu Togæ Romanæ, ut Cives Romani egerint, Divi Fratres Procuratoribus hereditatum reſcripſerunt; Sine dubitatione jus eorum ab obſidis conditione ſeparatum eſſe beneficio Principali: ideòque idem jus eis ſervandum, quod haberent ſi à legitimis Romanis (*a*) heredes inſtituti fuiſſent. *l.* 32. IBID. LIB. 14.

§ IV.

Intra quod tempus nuntiatio Fiſco fieri debeat.

IX.

Intereſt ex quâ causâ fiat nuntiatio. Enimverò Divus Pius Cælio-Amaranto ita reſcripſit, Vacantium bonorum nuntiationem quadriennio finiri. Idque tempus, ex die quo certum eſſe cœpit neque heredem bonorum poſſeſſorem extare, computari oportere. *l.* 1. § 2. CALLISTRAT. LIB. 1. DE JUR. FISC.

Hoc autem Quadriennii tempus quod bonis vacantibus nuntiandis præſcriptum eſt, non ex opinione hominum, ſed de ſubſtantiâ (*b*) vacantium bonorum dinumeratur. Quatuor autem anni, poſt irritum teſtamentum factum, & inteſtati poſſeſſionem ab omnibus repudiatam qui gradatim petere potuerunt, vel temporis finem quod ſingulis præſtitutum eſt, computabuntur. *l.* 10. § 1. *ff. de Diverſ. temp. præſcript.* PAPIN. LIB. 13. RESPONS.

Obſervandum quod Si intrà quatuor annos vacantium bonorum delator, factâ denuntiatione deſtitit; poſt quatuor annos ſecundo delatori venienti, prior nuntiatio, quominùs præſcriptione temporis ſummoveatur, non proderit: niſi prioris prævaricatio detegetur. Quo declarato (*c*), præſcriptio, ſed & negotii quæſtio perimetur. *d. l.* 10. *pr.*

X.

Ex cæteris cauſis nuntiatio intrà viginti annos fieri poteſt. Nam generaliter, In omnibus Fiſci quæſtionibus, exceptis cauſis in quibus minora tempora ſervari ſpecialiter conſtitutum eſt, viginti annorum præſcriptio cuſtoditur. *l.* 13. *ff. d. tit.* HERMOGEN. LIB. 6. JURIS EPITOM.

Præſcriptio autem viginti annorum, quæ etiam circa requirendorum adnotatorum bona obſervatur; ex Conſtitutione Divi Titi ſolet ex eo numerari; ex quo quid ad Fiſcum pertinere potuit. *l.* 1. § 3. CALLISTR. LIB. 1. DE JURE FISCI.

Cauſæ autem quæ ſtatim motæ ſunt, & tractæ ultra viceſimum annum; differri poſſunt etiam poſt viceſimum annum. *d. l.* 1. § 4.

Illæque cauſæ, quæ à priore nuntiatore proditæ dicuntur, etiam poſt annos quibus præſcribi diximus, Fiſco nuntiari poſſunt. *d. l.* 1. § 5.

§ V.

Quæ ſit delatoris obligatio; & quæ, ſi eam non impleat, pœna ipſi aut mandatori ejus infligatur.

XI.

Sicut renuntiare cauſam nemo cogitur, ita liberum arbitrium deſiſtendi ei non datur qui detulit. Et ita Divus Severus & Antoninus reſcripſerunt.

Et idem eſſe, licèt alieno mandato detuliſſet.

Planè reſcripſerunt, delatorem audiendum, volentem à lite deſiſtere, ſi ſibi mandatorem ſubtractum quæratur. *l.* 22. § 3. MARCIAN. LIB. SING. DE DELATOR.

Hoc caſu excuſatur quidem delator, abolitioque ei datur. Mandator autem qui ſe ſubtraxit, punitur, ſcilicet Si quis delatorem ſubjecerit: tantùm in Ærarium deferat, quantùm præmii nomine delator conſecuturus fuiſſet, ſi viciſſet. *l.* 15. § 1. JUNIUS-MAURITIANUS LIB. 3. AD LEG. JUL. ET PAP.

Cæterùm De eo delatore qui cauſam ſolus agere inſtituerat non habitâ mentione mandatoris, ſi poſtea deſiſtat prætendens mandatorem cauſæ deceſſiſſe; puniendum Divi Fratres reſcripſerunt. *l.* 23. CALLISTRAT. LIB. 2. DE JURE FISCI.

Non ſola autem abolitionis impetrandæ cauſa eſt, quòd mandator ſubtractus ſit. Etenim Senatus cenſuit, ſi delator abolitionem petat, quòd erraſſe ſe dicat; ut idem judex cognoſcat, an juſta cauſa abolitionis ſit; &, ſi erraſſe videbitur; det imprudentiæ veniam. Si autem calumniæ (*d*); hoc ipſum judicet: eaque cauſa accuſatori perindè cedat, ac ſi cauſam egiſſet, & prodidiſſet. *l.* 15. JURIUS-MAURITIAN. LIB. 3. AD LEG. JUL. ET PAP.

XII.

Abolitione verò non impetratâ, delator cauſam nuntiationis perſequi, & cauſæ adeſſe, & hanc probare tenetur.

Et quidem Divus Hadrianus reſcripſit; Eamdem pœnam delatorem ferre debere ſi citatus ad Edictum non reſponderit, quâ teneretur (*e*) ſi cauſam non probaſſet. *d. l.* 15. § 2.

Quòd ſi tribus Edictis à Præfecto Ærario adeſſe delator juſſus, venire noluerit; ſecundùm poſſeſſorem ſit pronuntiandum: ſed ab eo qui ita adeſſe juſſus reſpondente poſſeſſore non adfuerit, tantùm exigendum; quantùm apud Ærarium ex eâ causâ quam detulerit, remaneret, ſi profeſſionem eam impleſſet. *d. l.* 15. § 4.

Quando autem ſecundùm poſſeſſorem abſente delatore judicandum ſit, ita docet Calliſtratus. Quotiens tamen delator adeſſe juſſus ceſſat, nec hoc fraude poſſeſſoris factum eſſe probabitur: Divus Hadrianus reſcripſit, Secundùm poſſeſſorem pronuntiari oportere: ita ut Sententiâ comprehendatur, etiam delatores (*f*) Edicto id comprehendiſſe. *l.* 2. § 4. CALLISTRAT. LIB. 2. DE JURE FISCI.

Et hæc quidem de caſu quo delator defuit, reus adfuit. Quòd ſi uterque defuit: Senatus cenſuit, ut, ſi neque delator neque poſſeſſor tribus Edictis evocati adfuerunt; delatoris fidejuſſores teneantur (*g*); & ei poſtea publicam cauſam deferendi jus adimatur: poſſeſſoris autem jus idem eſſet, quod ſi delatus omninò non eſſet (*h*). *d. l.* 2. § 3.

XIII.

Vidimus delatorem puniri quum deſtitit, vel cauſæ defuit, aut etiam non probavit. Non tantùm autem delator punitur, ſi non probaverit; ſed & mandator, quem exhibere debet delator. *l.* 24. MARCIAN. LIB. SING. DE DELATORIB.

Nec ideò minùs ipſe delator punitur. Nam Divus Pius Cæcilio-Maximo reſcripſit; Conſtitutionem patris ſui, quâ compelleretur delator edere mandatorem; ac, niſi edidiſſet, ut in vincula deduceretur; eò pertinere,

(*a*) Obſides qui uſum Togæ à Senatu aut Principe acceperunt, non ſunt quidem *Legitimi Romani*; ſed jure *Legitimorum* utuntur, ut poſſint heredes inſtituere, & inſtituti hereditatem eorum acquirere, perindè ac ſi à legitimis Romanis inſtituti eſſent. Quod jus à beneficio *Togæ* obſides accipiunt.

(*b*) Id eſt, ex ipsâ ſubſtantiâ rei & veritate; ſcilicet ex quo certum eſt bona eſſe vacantia.

(*c*) Senſus eſt; quâ prævaricatione declaratâ & manifeſtatâ, non ſolùm *Præſcriptio* quadriennii *perimetur*, *ſed &* ipſa *negotii quæſtio*. Poſſeſſor enim qui priorem delatorem corrupiſſe docebitur, hoc ipſo pro convicto habetur. Ita Cujac.

(*d*) *Si autem calumniæ* causâ feciſſe.

(*e*) Quæ ſit hæc pœna, mox infrà d. l. 15. § 4.

(*f*) Cujacius Obſerv. XIX. 2. legit *Delatoris*, hoc ſenſu; Poſſeſſorem abſente delatore ita demùm poſſe abſolvi, ſi judex in Edicto Peremptorio quo delatorem citavit, expreſſit ſe [niſi compareat] abſoluturum poſſeſſorem; & pariter expreſſerit ſuâ Sententiâ, ſe hoc in Edicto Peremptorio expreſſiſſe. Verùm quidni vulgaris lectio ſervetur, eodem ſenſu? Nimirùm Sententiâ comprehendi debet, *Delatores id Edicto* Peremptorio *comprehendiſſe* ſeu intellexiſſe; quia ſcilicet apertè idipſum à judice in hoc Edicto expreſſum erat *ſe abſolutum*, &c.

(*g*) Delator certam ſummam ſpondebat niſi delationem exſequeretur, & in eam ſummam fidejuſſores dabat.

(*h*) Non abſolvitur, ut in præcedenti caſu: ſed nil ſtatuitur.

Source : BIU Cujas

hon ut delator pœnâ ſubduceretur ſi mandatorem haberet, ſed ut mandator quoque, perindè atque ſi ipſe detuliſſet, puniretur. *l.* 2. § 5. CALLISTR. LIB. 2. DE JURE FISCI.

§ VI.

Quid obtineat pendente delatione; & quid ſtatuatur adversùs poſſeſſorem, quum delator probavit, aut à poſſeſſore corruptus eſt.

XIV.

Quum quis res aut bona detulit, donec controverſia pendet, poſſeſſor ſuper his bonis inquietandus non eſt: nec ea interim deſcribi fas eſt. l. 7. *Cod.* h. tit.

Excipiuntur hâc lege Conſtantini, ob conſuetudinem fraudum, Cæſariani ſeu officiales Procuratoris Cæſaris, quum ipſis ſuper aliquâ re Fiſcus quæſtionem movet. d. l. 7.

XV.

Eſt & decretum ab Imperatore Severo, & conſtitutum, Nullo modo exigendum quem (*a*) probare undè habeat, circa delationes fiſcales; ſed delatorem probare debere, quod intendit. *l.* 25. ULPIAN. LIB. 19. AD SABIN.

Poſtquàm autem delator probaverit res aut bona ad Fiſcum pertinere, condemnandus eſt poſſeſſor ea reſtituere cum fructibus ex die delationis.

Et quidem in ſpecie ſequenti; Fiſcus (*b*) in quæſtione falſi teſtamenti non obtinuit. Priuſquàm autem ea quæſtio decideretur; alio nuntiante, bona poſtea vacare conſtitit. Fructus poſt primam litem abſumi non oportuiſſe, reſpondi. Neque enim ad Senatuſconſulti beneficium, ſcriptum heredem pertinere; controverſiâ motâ. *l.* 38. PAPIN. LIB. 13. RESPONS.

XVI.

Item Senatus cenſuit ut perindè rationes ad Ærarium deferat, is à quo tota hereditas Fiſco evicta eſt, vel univerſa legata; atque is deferre deberet, à quo pars hereditatis (*c*) vel legati evicta ſit. *l.* 15. § 5. JUNIUS-MAURITIAN. LIB. 3. AD LEG. JUL. ET PAP.

Et Si quis arguetur falſas rationes detuliſſe, de eo Præfectus Ærarii cognoſcat; quantam fraudem invenerit, ut tantam pecuniam in Ærarium jubeat inferri. *d. l.* 15. § 6.

XVII.

Quum poſſeſſor delatorem corrupit, idem adversùs eum ſtatuendum eſt quàm quùm delator probavit. Nam In fiſci cauſis (*d*), pacti cum delatoribus pro confeſſis habentur; ſi modò pretium vel modicum (*e*) dederunt. *l.* 4. ULP. LIB. 6. AD ED.

Et alibi rursùs. Ejus qui delatorem corrupit, ea conditio eſt ut pro victo habeatur. Nam in fiſcalibus cauſis id conſtitutum eſt. *l.* 29. ULP. LIB. 8. DISPUT.

Nota. Sed enim hæc pœna, magis eſt ut adversùs ipſum locum habeat qui delatorem redemit; cæteroquin adversùs heredem ejus tranſire non debet. Nec enim exindè perit cauſa ex quo redempta eſt, vel actio perimitur, vel condemnatio facta videtur; verùm oportet conſtare priùs & de crimine pronuntiare (*f*).

Planè ſi fortè de retractandâ causâ agatur, quæ ſemel judicata eſt per delatoris corruptelam; mortuus corruptor non efficiet quominùs agi poſſit atque retractari cauſa. Hìc enim non pœnæ, ſed cauſæ reſtitutio eſt. *d. l.* 29. ¶ *ſed enim.*

Quod de corruptore delatoris diximus, trahe & ad eum qui judicem corrupit.

Hinc Imperatores Severus & Antoninus Aſclepiadi ita reſcripſerunt: « TU qui defenſione omiſsâ redimere » Sententiam maluiſti, quum tibi crimen objiceretur; » non immeritò quingentos (*g*) ſolidos inferre Fiſco » juſſus es: omiſsâ enim ipſius cauſæ inquiſitione, ipſe » te huic pœnæ ſubdidiſti. Obtinendum eſt enim, ut » hi quibus negotia Fiſcalia moventur, ad defenſiones » cauſæ bonâ fide veniant, non adverſarios aut judices » redimere tentent. » *l.* 34. MACER LIB. 2. PUBLICOR.

ARTICULUS II.

Quatenùs bona Fiſco nuntiata publicentur, & de eorum diſtractione.

Suprà vidimus lib. præced. Tit. de Bonis damnat. *quæ ſpectent publicationem bonorum ad Fiſcum pertinentium ex capitali Sententiâ. Hìc de publicatione eorum quæ aliâ quâlibet ratione Fiſco deferuntur. Utrique tamen ſpeciei æquè conveniunt, quæcumque toto hoc Articulo tradentur.*

§ I.

De æris alieni cæterorumque onerum deductione.

XVIII.

Non poſſunt ulla bona ad Fiſcum pertinere, niſi quæ creditoribus ſuperfutura ſunt. Id enim bonorum cujuſque intelligitur, quod æri alieno ſupereſt. *l.* 11. JAVOLEN. LIB. 9. EPISTOL.

Hinc rectè Paulus reſpondit; Eum qui bona vacantia à Fiſco comparavit, debere actionem quæ contra defunctum competebat excipere. *l.* 41. PAUL. LIB. 21. RESPONS.

Hinc etiam Ex his bonis quæ ad Fiſcum delata ſunt, inſtrumenta vel chirographa (*h*), acta etiam ad jus privatorum pertinentia, reſtitui poſtulantibus convenit. *l.* 45. § 4. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Non autem priùs Fiſcus conveniri poteſt, quàm conditio ſub quâ debetur, extiterit.

Hinc Paulus. Cornelio-Felici mater, ſcripta heres, rogata erat reſtituere hereditatem poſt mortem ſuam. Quum heres ſcripta condemnata (*i*) eſſet, & à

(*a*) Poſſeſſor ſcilicet probare non tenetur *undè habeat* & quo jure, ea bona quæ delator Fiſco nuntiat; ſed ipſe delator tenetur probare quo jure ad Fiſcum pertineant.

(*b*) Species hæc eſt: Primus denuntiavit adversùs heredem ſcriptum, bona vacantia; ex hâc causâ, quòd diceret falſum eſſe teſtamentum. Pendente hâc primâ delatione, Secundus eadem bona tanquam vacantia detulit; ex hâc causâ, quòd teſtamentum eſſet injuſtum. Primus ſuccubuit, alter delator obtinuit. Ait Papinianus *ſcriptum heredem* teneri de fructibus conſumptis, ex die primæ delationis; quia ex hâc die, non duntaxat ex ſecundæ delationis tempore, ea bona non poſſedit abſque controverſiâ: adeòque ex hâc die non habuit beneficium Senatuſconſulti; quo poſſeſſoribus bonæ fidei conceditur, ut de conſumptis fructibus non teneantur niſi quatenùs locupletiores ſunt: de quo Senatuſconſulto ſuprà lib. 5. Tit. *de Hered. petit.* N. 29.

(*c*) Is qui *partem* duntaxat capere ex teſtamento poteſt, ſi plus eâ parte relictum ei eſſe dicatur, debet profectò referre Fiſco rationes ad hereditatem pertinentes; ut ſciatur quæ ſit pars quam retinere poteſt, & quæ ſit pars quæ Fiſco cedere debet. Sed nec minùs debet eas rationes referre is qui eſt incapax ſolidi, & cui ſolidum evincit Fiſcus.

(*d*) Non tamen capitalibus.

(*e*) Quòd ſi duntaxat quis deprecatus eſt delatorem, cauſam deferere; non habetur pro convicto; ſed ſine præſcriptionis metu alius ipſum deferre poteſt: ſuprà N. 9.

(*f*) Qui bona ad Fiſcum pertinentia habere delatus eſt; non ſtatim atque delatorem corrupit, pro convicto eſt; ſed poſtquàm conſtiterit eum corrupiſſe delatorem, & judex pronuntiaverit eum in pœnam hujuſce facti habendum eſſe pro convicto. Cùm ergo pœna ſit ut pro convicto haberi debeat, heres ejus qui nec in delictum nec in pœnam ſuccedit; non debet in hâc causâ pro convicto haberi, ſed cauſa adversùs ipſum de novo diſcuti debet. Ergo nihil pugnat hæc lex cum l. 2. ff. *de Bonis eor. qui ante Sent.* ſuprà, lib. præced. *d. tit.* N. 7. ubi dicitur eum qui corrupto accuſatore diem ſuum obierit, ut confeſſum de crimine, *Non relinquere defenſionem heredibus.* Nam præterquàm quòd ibi agitur de accuſatione criminis, hìc verò de nuntiatione bonorum ad fiſcum pertinentium, quæ diverſæ ſunt omninò ſpecies; inſuper hæc præcipua obſervanda eſt differentia, quòd in ſpecie legis oppoſitæ reus vivus convictus eſt accuſatorem corrupiſſe; unde, quaſi hoc ipſo tacitè convictus latrocinii quod ipſi objiciebatur, nullam hujus criminis defenſionem relinquit heredibus. In ſpecie autem præſenti is qui delatorem corrupiſſe dicitur, mortuus eſt antequàm convictus fuerit corrupiſſe.

(*g*) Supponendum [inquit Cujacius] tanti fuiſſe cauſam de quâ Aſclepiades Fiſco delatus fuerat.

(*h*) Finge debitorem Titii ei ſolviſſe, nec chirographum ſuum recepiſſe. Actio *Ad exhibendum* quæ debitori adversùs Titium competiiſſet, ut reſtituatur ipſi chirographum ſuum; adversùs Fiſcum publicatâ Titii hereditate competet. Idem dic de cæteris actis & inſtrumentis.

(*i*) Cujacius ad h. l. monet ſupponendum eſſe in hâc ſpecie, pœnam non fuiſſe capitalem, ſed ſpecialiter Sententiâ comprehenſum ut bona publicarentur. Hoc colligere eſt ex eo quod in fine legis dicitur, matrem potuiſſe poſtea *alias res adquirere* ex quibus fideicommiſſo ſatisfieret; nam ſi deportata V. G. fuiſſet; hæc poſt mortem ejus æquè ad Fiſcum pervenirent.

Source : BIU Cujas

Fiſco omnia bona mulieris occuparentur; dicebat Felix ſe ante pœnam eſſe: hoc enim conſtitutum eſt. Sed ſi nondum dies fideicommiſſi veniſſet, quia poſſet priùs ipſe mori, vel etiam mater alias res adquirere; repulſus eſt interim à petitione. *l.* 48. § 1. PAUL. LIB. 2. DECRET.

X I X.

An bona quæ ſolvendo non ſint, ipſo Jure ad Fiſcum pertineant, quæſitum eſt. Labeo ſcribit; Etiam ea quæ ſolvendo non ſint, ipſo Jure ad Fiſcum pertinere. Sed contra ſententiam ejus, Edictum Perpetuum ſcriptum eſt; quòd ita bona væneunt (*a*), ſi ex his Fiſco adquiri nihil poſſit. *l.* 1. CALLISTRAT. LIB. 1. DE JURE FISCI.

X X.

Hactenùs de ære alieno. Sed & quum heredi ſcripto bona Fiſcus aufert, ea cum onere & legatorum & Fideicommiſſorum ad Fiſcum tranſeunt : ſuprà lib. 34. *Tit.* de His quæ ut indign.

§ I I.

Rebus aut bonis publicatis, quæ res à Fiſci procuratoribus diſtrahantur necne.

X X I.

Etiam illæ res diſtrahuntur, quæ pro parte duntaxat Fiſco debent cedere. Nam diſtractionis regula, ſeu (ut reſcribit Alexander) Forma eſt, quotiens ad Fiſcum vel minima portio rei pertinet, ut univerſa à Procuratoribus Meis diſtrahatur; ſed pretium partis tantùm in Fiſcum redigatur, reliquum dominis partium reſtituatur. Emptorem igitur prædiorum de quibus libellum dediſti, apud ſuum judicem conveni; uſurum defenſionibus ſi quæ ſibi competunt. *l. Cod. de Vendit. rer. fiſcal. cum priv. commun.*

A fortiori : Res autem nexas pignori, diſtrahere Procuratores poſſunt.

Sed ſi antè alii res obligatæ ſunt jure pignoris, non debet Procurator jus creditorum lædere. Sed ſi quidem ſuperfluum eſt in re, permittitur Procuratori vendere eâ lege, ut imprimis creditoribus præcedentibus ſatisfiat; &, ſi quid ſuperfluum eſt, Fiſco inferatur : aut ſi acceperit totum Fiſcus, ſolvat ipſe. Vel ſimpliciter ſi vendidit Procurator, jubebit pecuniam quam deberi creditori privato fuerit probatum, exſolvi ei. Et ita Divus Severus & Antoninus reſcripſerunt. *l.* 22. § 1. MARCIAN. LIB. SING. DE DELATORIB.

X X I I.

Quarum tamen rerum diſtractio prohibetur. Et quidem imprimis Res quæ in controverſiâ ſunt, non debent à Procuratore Cæſaris diſtrahi : ſed differenda eſt eorum venditio, ut Divus quoque Severus & Antoninus reſcripſerunt. Et defuncto Majeſtatis reo parato herede purgare innocentiam mortui, diſtractionem bonorum ſuſpendi juſſerunt. Et generaliter prohiberunt rem diſtrahi à Procuratore, quæ eſſet in controverſiâ. *d. l.* 22. *pr.*

Sunt & aliæ res quarum venditio prohibetur. Nam Ne Procuratores Cæſaris, bonorum actores quæ ad Fiſcum devoluta ſunt, alienent (*b*); Imperatores Severus & Antoninus reſcripſerunt. Et, ſi manumiſſi fuerint, revocantur ad ſeveritatem. *l.* 30. MARCIAN. LIB. 4. INSTITUT.

Hinc Modeſtinus. Bonorum Fiſco vindicatorum actores, venumdari à Procuratoribus non poſſunt. Et, ſi diſtrahantur, irritam fieri venditionem reſcriptum eſt. *l.* 8. IDEM LIB. 5. REGUL.

Similiter Hermogenianus. Actores qui aliquod officium gerunt, in bonis quæ diſtrahunt Procuratores venumdare inconſultis Principibus prohibentur. Et, ſi væneant, venditio nullas vires habebit. *l.* 46. § 7. HERMOGENIAN. LIB. 6. JURIS EPITOMAR.

§ I I I.

De Procuratoris officio in diſtrahendis rebus publicatis.

X X I I I.

Divi fratres reſcripſerunt; In venditionibus Fiſcalibus fidem & diligentiam à Procuratore exigendam; & juſta pretia non ex præteritâ emptione, ſed ex præſenti æſtimatione conſtitui. Sicut enim diligenti culturâ pretia prædiorum ampliantur; ita, ſi negligentiùs habita ſint, minui ea neceſſe eſt. *l.* 3. § 5. CALLISTRAT. LIB. 3. DE JURE FISCI.

X X I V.

Præterea hoc Procurator obſervare debet, ut ultra ſimplum pro evictione non caveat. Et quidem Si Curator (*c*) Cæſaris rem aliquam vendiderit, quamvis duplum vel triplum pro evictione promiſerit, tamen Fiſcus ſimplum præſtabit. *l.* 5. ULP. LIB. 16. AD ED.

§ I V.

De hujus venditionis effectu.

X X V.

Si ab eo cui jus diſtrahendi res Fiſci datum (*d*) eſt, fuerit diſtractum quid Fiſci; ſtatim fit emptoris, pretio tamen (*e*) ſoluto. *d. l.* 5. § 1.

ARTICULUS III.

De Trajani Edicto circa præmium eorum qui ſe ipſos Fiſco deferunt.

X X V I.

Edicto Divi Trajani (quod propoſui) ſignificatur; ut, ſi quis antequàm cauſa ejus ad Ærarium (*f*) deferatur, profeſſus eſſet eam rem quam poſſideret, capere ſibi non licere; ex eâ partem Fiſco inferret, partem ipſe retineret. *l.* 13. PAUL. LIB. 7. AD LEG. JUL. ET PAP.

Poſtea verò Senatus Hadriani temporibus cenſuit, quum quis ſe ad Ærarium detulerit quòd capere non potuerit, ut totum in Ærarium colligatur; & ex eo pars dimidia ſibi, ſecundùm beneficium Divi Trajani, reſtituatur. *l.* 15. § 3. JUNIUS-MAURITIAN. LIB. 3. AD LEG. JUL. ET PAP.

Circa hoc Edictum videndum 1°. *Ad quarum rerum delationem, Edicti beneficium pertineat :* 2°. *Quibus perſonis hoc præmium tribuatur, & in quo conſiſtat.*

Pauca ſubjungemus de iis qui poſtquàm ſe detulerint, deſiſtunt, item de his qui per errorem ſe deferunt.

Denique dicemus & de præmio eorum qui deferunt, non quod ipſi capere non poſſunt, ſed quod illicitè rogati ſunt reſtituere; & contrà, de pœnâ eorum ſi hoc ſibi retineant.

§ I.

Ad quarum rerum delationem Edictum Trajani pertineat.

Circa eas tria concurrere oportet : 1°. *Ut ipſimet qui ſe defert, relictæ fuerint* 2°. *Ut eas capere Lege prohibeatur :*

(*a*) A creditoribus. Ergo ſi talia ſint, non vindicantur à Fiſco bona vacantia, ſed creditoribus diſtrahenda permittuntur.

(*b*) Ratio eſt; quòd ea mancipia ſunt Fiſco neceſſaria propter notitiam quam habent bonorum quæ adminiſtraverunt.

(*c*) Hîc & alibi, pro *Procurator* : ut in l. 20. ff. *h. tit.* & in l. 10. § 1. ff. *de Publican.*

(*d*) Qualis eſt Procurator Cæſaris, aut quivis cui Cæſar negotium dediſſet.

(*e*) Suprà lib. 41. Tit. *de Acq. rer. dom.* N. 60.

(*f*) *Ærarium* erat Theſaurus Populi Romani, cui tempore Trajani cedebant caduca. Sed poſtea Caracalla Fiſco Principis hæc eadem vindicavit : ut vid. ſuprà ad Tit. *de Legatis* Part. 54.

Source : BIU Cujas

3°. *Ut jus quod in his rebus Fiſcus habet, Fiſcum lateat.*

XXVII.

Et 1°. *Requiritur ut id in quo me defero, mihimetipſi relictum ſit.*

Undè Paulus. Ad eos beneficium Trajani pertinet, qui ex defuncti voluntate relictum ſibi capere non poſſunt. Ergo nec illud quod ſervo meo relictum eſt, deferre potero. *l.* 13. § 8. PAUL. LIB. 7. AD LEG. JUL. ET PAP.

Sed nec illud quod relictum eſt defuncto cui heres extiti; niſi appareat eum habuiſſe voluntatem ſe deferendi, quam exſecutus ſum. Eâ enim de re Extat ejuſdem Hadriani epiſtola; UT, ſi is qui ſe deferre poterat, morte præventus fuerit, heres ejus, ſi detulerit præmium conſequatur: ſi tamen (inquit) liquebit defunctum ejus animi fuiſſe, ut ſe vellet deferre. Si verò idcircò diſſimulaverit, dum rem occultari ſperat: heredem ejus ultra vulgare præmium (*a*) nihil conſecuturum. *d. l.* 13. § 5.

Item Divi Fratres reſcripſerunt; Heredes eorum quibus tacitum fideicommiſſum relictum eſt, ita demùm ex beneficio Trajani deferre ſe poſſe; ſi is cui datum fuerat, morte præventus eſſet, & ideò per anguſtias temporis deferre ſe non potuerit. *d. l.* 13. § 6.

XXVIII.

Oportet 2°. *id in quo quis ſe detulit, hoc ipſum quod capere non poterat.*

Secùs de his quæ ex aliâ causâ Fiſcus auferre poſſet. Undè Paulus ait; Eos qui quaſi indigni repelluntur, ſummovendos eſſe ab ejuſmodi præmio; id eſt, eos qui de inofficioſo egerunt, vel falſum dixerunt teſtamentum, qui uſque ad finem litis oppugnaverunt teſtamentum. *d. l.* 13. § 9.

Igitur de eo ſolo quod capere non poteſt is qui ſe detulit, accipe quod dicitur: Nihil autem intereſt quæ cauſa impediat hujus capiendi. *d. l.* 13. § 2.

Nihil etiam intereſt, tacitè an palàm relictum fuerit; nec, an deferens id jam poſſideat necne.

Nam Trajanus Idem, poſtea Edicto ſignificavit; Ut quæcumque (*b*) profeſſa eſſet, vel palàm vel tacitè relictum ſibi quod capere non poſſet; & probaſſet jam id ad Fiſcum pertinere (*c*), etiamſi id non poſſideret; ex eo quod redactum eſſet à Præfectis Ærario, partem dimidiam ferat. *d. l.* 13. § 1.

XXIX.

3°. *Denique:* Id autem deferri debet quod latet, non id quod Fiſci eſt. *d. l.* 13. § 3.

Hinc ſequi videtur, præmium ceſſare, ſi is qui ſe detulit ab alio fuerit præventus.

Tamen Quum ante apertum teſtamentum, tacitum fideicommiſſum nuntiatum eſſet ab his (*d*) qui fidem tacitam ſuſceperunt, deinde poſt apertas (*Haloander ſupplet* tabulas) à fideicommiſſario delatum eſſet: Divus Antoninus recipi profeſſionem ejus (*e*) juſſit. Neque enim dignam eſſe præmio tam præcipitem feſtinationem prioris: & quum quis ſe nuntiet non capere, potiùs confiteri de ſuo jure (*f*) quàm aliud (*Haloand.* alium) deferre videtur. *d. l.* 13. § 7.

XXX.

Obſervandum ſupereſt; interdum etiam ejus quod jam Fiſcus poſſidet, delationem, ad beneficium Trajani pertinere.

Enimverò Arrianus-Severus Præfectus Ærarii, quum ejus qui tacitè rogatus fuerat non capiendi fideicommiſſum reddere, bona publicata erant; pronuntiavit, nihilominùs jus deferendi ex Conſtitutione Divi Trajani habere eum cui fideicommiſſum (*g*) erat relictum. *l.* 42. VALENS LIB. 5. FIDEICOMMISSOR.

§ II.

Quibus perſonis hoc præmium tribuatur, & in quo conſiſtat.

XXXI.

Ait Divus Trajanus: QUICUMQUÆ PROFESSUS FUERIT. QUICUMQUE accipere debemus, tam maſculum quàm fœminam. Nam fœminas quoque, quamvis delationibus prohibentur, tamen ex beneficio Trajani deferre ſe permiſſum eſt.

Necnon illud æquè non intererit, cujus ætatis ſit is qui ſe defert, utrum juſtæ an pupillaris. Nam pupillis etiam permittitur deferre ſe, ex quibus non capiunt. *l.* 16. ULP. LIB. 18. AD LEG. JUL. ET PAP.

Ad heredes ejus qui ſe detulerat, non videbatur præmium tranſire. Sed Divus Hadrianus reſcripſit; ut licèt ante deceſſiſſet is qui ſe detulerat, antequàm id quod detulerat fiſco addiceretur, heredi ejus præmium daretur. *l.* 13. § 4. PAUL. LIB. 7. AD LEG. JUL. ET PAP.

XXXII.

Præmium hujus Edicti conſiſtit, in dimidiâ parte ejus duntaxat quod is qui ſe detulit, accepiſſet; quamvis ex hâc delatione Fiſcus ſit plùs conſecutus.

Hoc ex Paulo diſcimus in ſpecie ſequenti. Quum tacitum fideicommiſſum, is cui datum erat, capere ſe nihil poſſe detuliſſet; in quæſtionem venit dodrantis, an totius aſſis partem dimidiam ex beneficio Divi Trajani recipere debeat? De quâ re extat Reſcriptum Imperatoris Antonini, in hæc verba: « Imperator Antoninus-Rufo. « Qui tacitam fidem accommodavit, ut non capienti » reſtitueret hereditatem; ſi deductâ parte quartâ reſti- » tuit, nihil retinere debet. Quadrans autem qui heredi » imponitur ipſius, eripiatur, & ad Fiſcum transfe- » ratur. » Undè dodrantis ſemiſſem ſolum (*h*) capit, qui ſe detulit. *l.* 49. PAUL. LIB. SING. DE TACITIS FIDEICOMM.

§ III.

De eo qui, poſtquàm ſe detulit, deſtitit.

XXXIII.

Quia autem nonnulli ingrati adversùs beneficium Divi Trajani, poſt profeſſionem quoque de tacito fideicommiſſo factam, quum poſſeſſoribus (*i*) tranſigunt; atque tribus Edictis evocati non reſpondent: placuit Senatui, tantùm ab eo qui id feciſſet, exigi, quantùm apud Ærarium ex eâ causâ quam detulerat, remanere oporteret, ſi profeſſionem ſuam impleſſet. Et, ſi poſſeſſoris quoque fraus apud Præfectum convicta fuiſſet; ab eo quoque, quod convictus inferre debuiſſet (*k*), exigi. *l.* 42. § 1. VALENS. LIB. 5. FIDEICOMMISSOR.

(*a*) De quo ſuprà N. 4.

(*b*) Putà, mulier vidua.

(*c*) *Etiamſi* mulier nondum poſſideret id quod profeſſa eſt; ſi tamen probavit *id jam ad Fiſcum pertinere*, eo quòd ſibi relictum ipſa capere non poſſet: nihilominùs feret dimidiam partem ejus quod poſtea ex hâc delatione à Præfecto redactum erit.

(*d*) Heredibus ſcilicet.

(*e*) Fideicommiſſarii.

(*f*) Porrò favorabilior eſt qui ſe ipſum defert, quàm qui alium. Ergo in hâc ſpecie, in præmio præferendus eſt.

(*g*) Quamvis deferat ea bona quæ jam à Fiſco poſſidentur. Sed cùm bona cum onere legatorum & fideicommiſſorum publicentur, ſuprà N. 20. intererat Fiſci, ex hâc delatione diſcere fideicommiſſum eſſe illicitum. Adeòque deferens ſe, habere debet præmium.

(*h*) Quia, ſi ſe non detuliſſet, dodrantem duntaxat cepiſſet; cùm ei deductâ quartâ reſtituta ſit hereditas: porrò præmium eſt, ſemis ejus quod cepiſſet ſi ſe non detuliſſet. Dodrantem duntaxat ei aufert Fiſcus, reliquum quadrantem, non ipſi, ſed heredi aufert.

(*i*) *Cum poſſeſſoribus* qui tacitam fidem reſtituendi ipſi accommodaverunt. Verbum autem illud *tranſigunt*, accipe non de vera tranſactione, quâ de lite tranſigitur aliquo dato; ſed de his, qui ut heredi ipſi reſtituere tacitè rogato gratiam præſtent, ſive acceptâ pecuniâ ſive etiam non acceptâ, tacitum fideicommiſſum ei remittunt; & ut illud retineat, profeſſionem ſuam non exequuntur. Unde Cujacius ad eam Tranſactionis ſpeciem vult referri legem TRANSACTA 229. ff. *de Verb. ſign.* Idque ex ipsâ legis inſcriptione, DE TACITIS FIDEICOMMISSIS.

(*k*) Finge: heres tacitè rogatus eſt reſtituere mihi centum. Ego me ipſe detuli; poſtea per gratiam, hæc centum apud heredem relinquere volens, deſtiti. Inferre debebo Fiſco quinquaginta quæ Fiſcus habuiſſet, ſi profeſſionem meam impleſſem: nam ex centum legatis, quinquaginta ex præmio Trajani habuiſſem, reliqua demùm quinquaginta Fiſco ceſſiſſent. Sed præterea Fiſcus auferet ab herede centum, ſi convictus fuerit fraudem participaſſe; quia hæc centum inferre Fiſco debuiſſet.

Source : BIU Cujas

§ IV.

De eo qui se per errorem detulit.

XXXIV.

Ei qui per errorem se detulit, quum capere solidum posset (*a*); non nocere hoc, Divus Hadrianus, & Divus Pius, & Fratres rescripserunt. *l.* 13. § 10. PAUL. LIB. 7. AD LEG. JUL. ET PAP.

Similiter Callistratus. Complura sunt Rescripta Principalia; quibus cavetur non obesse errorem cuiquam quòd ignarus juris sui ipse se detulerit.

Sed extat eorumdem Principum Rescriptum, ex quo videtur posse defendi, ita demùm non nocere cuiquam se detulisse; si ea persona sit quæ ignorare propter rusticitatem, vel propter sexum fœmininum jus suum possit. *l.* 2. § 7. CALLISTRAT. LIB. 2. DE JURE FISCI.

§ V.

De præmio ejus qui detulit id quod illicitè restituere rogatus erat; & de pœnâ, si hoc sibi retinuerit.

XXXV.

Jure novissimo hoc additum Trajani Edicto, & præcedentibus Constitutionibus ad ipsum factis.

Qui illicitè restituere rogatus est; huic tertiam partem dare jubet Constantinus, si ipse se deferat. Sin autem nec se detulerit nec incapaci restituerit, sed sibi retinere tentaverit, jubet eum deportari. Quòd si uxor defuncti qui fideicommissum reliquit, ipsa hoc detulerit; jubet medium eo casu hanc consequi & cum Fisco dividere, imò & portionis optionem habere. l. un. Cod. De his qui se deferunt.

SECTIO II.

De privilegiis Fisci.

XXXVI.

Quæ hîc de privilegiis Fisci dicturi sumus, porrige ad rationem Cæsaris & Augustæ. Nam Quodcumque privilegii Fisco competit, hoc idem & Cæsaris (*b*) ratio, & Augustæ habere solet. *l.* 6. § 1. ULP. LIB. 6. AD ED.

§ I.

De privilegio Actionum Fisco competentium.

XXXVII.

Actiones personales Fisci, privilegium habent præ cæteris creditoribus personalibus.

Hoc ità, quum Fiscus rem suam, seu id quod suâ interest persequitur; secùs, si pœnam. Imò Rem suam persequentibus, pœnæ exactio postponitur. Sicut itaque in sortis quantitate, Fisci persecutio potior est; ita in triplo quod pœnæ nomine adjectum (*c*) est, propria forma servanda est. *l. un. Cod. Pœnis fiscal. credit. præf.* ALEXANDER.

In summâ sciendum est, omnium Fiscalium pœnarum petitionem creditoribus postponi. *l.* 17. MODEST. LIB. 2. DE PŒNIS.

Scilicet postponitur creditoribus antiquioribus; id est, his qui creditores erant antequàm pœna Fisco deberetur; verùm posterioribus, si primus agere occupaverit, præfertur.

Nota. Sed Quod placuit, Fisco non esse pœnam petendam, nisi creditores suum recuperaverint; eò pertinet, ut privilegium in pœnâ contra creditores non exerceatur, non ut jus commune privatorum (*d*) Fiscus amittat. *l.* 37. PAPIN. LIB. 10. RESPONS.

XXXVIII.

Quod autem dicimus, in actionibus rei persecutoris Fisco privilegium competere, intellige quum suo jure creditor est.

Quòd Si posteriori (*e*) creditori Fiscus successerit; eo jure utitur, quo his usurus erat cui successit. *l.* 3. § 7. CALLISTRAT. LIB. 3. DE JURE FISCI.

Hoc tamen sic accipiendum est; quòd Fiscus quum in privati jus succedit, privati jure pro anterioribus suæ successionis temporis (*f*) utitur. Cæterùm posteaquàm successit, habebit privilegium suum (*g*). Sed utrùm statim atque cœpit ad eum pertinere nomen, an verò posteaquàm convenit debitorem, an posteaquàm relatum est inter nomina debitorum, quæritur? Et quidem usuras exindè petit Fiscales, etsi breviores debeantur, ex quo convenit certum debitorem & (*h*) confitentem. At in privilegio (*i*) variè rescriptum est. Puto tamen exindè privilegio esse locum, ex quo inter nomina debitorum relatum nomen est. *l.* 6. ULP. LIB. 63. AD ED.

§ II.

De Privilegio ut, per privatorum actiones, Fisci actionibus non præjudicetur.

XXXIX.

Exemplum in Petitione hereditatis. Enimverò quum plures privati adversùs eumdem possessorem petunt hereditatem, singuli admittuntur; & ei qui prior vicerit restituetur hereditas, modò victo caveat de indemnitate adversùs alios petitores: ut suprà lib. 5. Tit. de Hered. petit. *Item si privatus petat hereditatem, non sustinentur creditorum hereditariorum actiones.*

Contrà autem, hoc Fisci privilegium est; ut, quum ipse petit hereditatem; tam cæterorum qui eamdem hereditatem peterent quàm creditorum hereditariorum actiones interim sustineantur: ut docet Pomponius. Ita ille: Apud Julianum scriptum est: Si privatus ad se pertinere hereditatem Lucii-Titii dicat, altero eamdem hereditatem Fisco vindicante; quæritur utrùm Jus Fisci antè excutiendum sit, & sustinendæ actiones cæterorum; an nihilominùs inhibendæ petitiones creditorum singulorum, ne publicæ causæ præjudiceretur? Idque Senatusconsultis expressum est. *l.* 35. POMPON. LIB. 11. EPISTOL.

§ III.

De privilegio taciti pignoris.

XL.

Fiscus semper habet jus pignoris. *l.* 46. § 3. HERMOG. LIB. 6. JURIS EPITOMAT.

Hinc Universa bona eorum qui censentur, vice pignorum tributis obligata sunt. *l.* 1. *Cod. In quib. caus. pign. tac. contrah.* ANTONIN.

Item Certum est ejus qui cum Fisco contrahit, bona

(*a*) Putà cœlebs qui per errorem credit se capere non posse: quum ejus ætatis sit quâ his Legibus solvitur.

(*b*) Privata Cæsaris ratio est privatum Principis patrimonium, quod Princeps ut privatus & in privatos usus habet, & cui administrandæ præest *Procurator rerum privatarum.* Fiscus est thesaurus Principis, quem ut Princeps & in publicos usus habet. Vide Notas ad N. 398. Tit. *de Legatis.*

(*c*) Ponit Cujacius exemplum in eo qui detectus est sumpsisse mutuam pecuniam ab Ærario publicarum rationum, qui in quadruplum tenetur: l. 1. Cod. *de His qui ex publ. rat.*

(*d*) Debet Fiscus in pœna exigendâ uti *jure communi privatorum.* Atqui privatus qui pœnam sibi debitam peteret & primus agere occupasset, perferretur posterioribus creditoribus.

(*e*) *Posteriori.* Ergo secùs esset si antiquiori creditori successisset: hoc enim casu privilegium præ cæteris creditoribus chirographariis posterioribus haberet, quod non habuisset creditor in cujus jus succedit. Temporis enim prærogativa, quæ sola non sufficeret, juncta favori causæ publicæ & fiscalis, hanc prælationem parit.

(*f*) *Anteriora temporis*, Græca locutio; id est, tempus illud quod anteceſſit.

(*g*) Putà ut deinceps creditoribus, qui postea cum debitore contraherent, præferatur; ut deinceps fiscales usuræ currant, &c.

(*h*) Cujacius hanc Conjunctivam, &, detrahendam censet.

(*i*) Exactionis, ut præferatur cæteris creditoribus chirographariis.

Source : BIU Cujas

veluti pignoris titulo obligari ; quamvis ſpecialiter id non exprimatur. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

Idem dic & de his qui cum Fiſco quaſi-contrahunt. Ait enim Ulpianus ; Eum qui debitoris Fiſci adiit hereditatem (*a*), privilegiis Fiſci cœpiſſe eſſe ſubjectum. *l.* 33. ULP. LIB. I. RESPONS.

Regulæ ſupràdictæ conſonat quod reſcribit Gordianus. Cùm patrem tuum Fiſci debitorem fuiſſe demonſtres, eumque nubenti tibi poſſeſſionem dediſſe alleges ; Procuratorem Jus Fiſci exequentem, eam jure pignoris revocare potuiſſe intelligis. *l.* 6. *Cod. de Privileg. fiſci.*

XLI.

Hoc jus pignoris Fiſcus habet, non ſolùm in rebus corporalibus debitorum ſuorum, ſed & in nominibus ſi liquida & non controverſa ſunt.

Hinc idem Gordianus. Si debitum non inficiantur hi quos obnoxios debitoribus Fiſci eſſe proponis ; poteſt videri non eſſe iniquum quod deſideras, ut ad ſolutionem per officium Procuratoris compellantur (*b*). Nam ſi quæſtio aliqua refertur ; id concedi non oportere, etiam ipſe perſpicis. *l.* 3. *Cod. Quando fiſc. vel privat.*

Illud patet ; fiſcale pignus non porrigi ad ea quæ Fiſci debitor deſierat habere, priuſquàm cum Fiſco contraheret.

Hinc Antoninus. Si debitor cujus fuiſſe fundum ipſe confiteris, priùs eum diſtraxit quàm Fiſco aliquid debuit ; inquietandum te non eſſe Procurator meus cognoſcet. Nam etſi poſtea debitor extiterit ; non ideò tamen ea quæ de dominio ejus exceſſerunt, pignoris jure Fiſco potuerunt obligari. *l.* 4. *Cod. de Privil. fiſci.*

Conſonat quod reſcribit Alexander. Si priuſquàm Fiſci rationibus pater veſter obligaretur, perfectam prædiorum donationem feciſſe fuerit probatus ; quod citra fraudem creditorum geſtum eſt, non reſcinditur. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

XLII.

Singulare eſt in causâ adminiſtrationis Primipili (Le Centurion-Major), *ad quem ſcilicet totius æris militaris cura pertinebat & ſtipendiorum militum : ut Fiſcus ex hâc causâ pignus habeat in ſubſidium, etiam in his bonis quæ debitor ab uxore ſuâ in dotem accepit. Nam* (*inquiunt Carus, Carinus, & Numerianus*) Satis notum eſt & ratione conſtitutum ; bona earum in dotem data, quæ nuptæ ſunt his qui primipili ſarcinam ſubeunt, obnoxia neceſſitati ejus teneri. Verùm certo ordine : ut ſcilicet tunc demùm ad hoc periculum, mulieris patrimonium reſpiciat ; ſi univerſis viri ac nominatorum facultatibus exhauſtis, nihil reſiduum inveniatur. *l.* 4. *Cod. in quib. cauſ. pign. tacit.*

Ad eas res autem quas uxor habet extra dotem, non porrigitur.

Hinc Antoninus. Bona mariti tui, ſi ob reliqua adminiſtrationis primipilariæ à Fiſco occupata ſunt, res quas tuas eſſe liquidò probaveris, ab aliis ſeparatæ tibi reſtituantur. *l.* 1. *Cod. de Privileg. fiſci.*

XLIII.

Obſervandum ſupereſt ; hoc taciti pignoris privilegium tunc demùm obtinere, quum Fiſcus ipſe contraxit aut quaſi-contraxit. Verùm quum in jus creditoris ſucceſſit ; non habet jus pignoris in rebus debitoris quæ creditori obligatæ non fuerant, aut vitiosè fuerunt obligatæ.

Hinc Modeſtinus. Cùm vitiosè vel inutiliter contractus pignoris intercedat, retentioni locus non eſt ; nec ſi bona creditoribus ad Fiſcum pertineant. *l.* 25. *ff. de Pign. & hypoth.* MODESTIN. LIB. 8. REGULAR.

(*a*) Qui adit hereditatem, quaſi-contrahit cum creditoribus hereditariis. *Inſtit. Tit. de Oblig. quaſi ex contr.*

(*b*) Actione hypothecariâ ſcilicet.

(*c*) *Publicam* appellat, non quæ reverâ publica eſt, ſed quæ Fiſco debetur. Cujac.

(*d*) Hæc actio quæ reſtituitur creditori adversùs debitorem, qui ſolvit pecuniam quam poſtea Fiſcus abſtulit, eſt actio *Utilis* ; quemadmodum & cæteræ omnes quas per ſolutionem extinctas reſtituit Prætor. Ideò autem *Directa* vocatur ; quia hâc actione creditor convenit rectâ viâ debitorem, nec opus ſit ipſi cedi Fiſci actiones : quæ via eſſet obliqua & *indirecta.*

(*e*) Fiſcus magis *convenit* ſeu repoſcit *rem*, id eſt pecuniam, quæ [quum ſolvenda eſſet] in fraudem Fiſci ab eo debitore accepta eſt ; quàm *perſonam* hujus debitoris, utpotè quæ nunquam cum Fiſco contraxit : adeòque non debet uſuras.

§ IV.

De privilegio repetendi id quod alteri creditori ſolutum eſt in fraudem Fiſci.

XLIV.

Hoc quoque privilegium Fiſco tributum eſt, ut quam pecuniam debitor Fiſci in ejus fraudem ſolvit alteri ſuo creditori, Fiſcus repetere poſſit ; etiam adversùs eum qui illam bonâ fide in ſolutum accepit & conſumpſit.

Diverſum ſenſerat Papinianus. Enimverò Papinianus tam libro ſexto quàm undecimo Reſponſorum ſcribit : Ita demùm publicam (*c*) auferri pecuniam ei qui (cùm erat creditor) in ſolutum pecuniam accepit ; ſi aut ſciebat, quum accipiebat, publicum quoque eſſe debitorem ; aut poſtea cognovit antequàm conſumeret pecuniam.

Sed placet omnimodo ei pecuniam auferendam eſſe, etiamſi ignoravit quum conſumeret. Et poſtea quidem Principes directam (*d*) actionem competere ablatâ pecuniâ reſcripſerunt : ut & Marcellus libro ſeptimo Digeſtorum ſcribit. *l.* 18. § 10. MARCIAN. LIB. SING. DE DELATORIB.

Quocircà nota. Denique non eſſe præſtandas uſuras, quum pecunia revocatur, convenit ; quoniam res, non perſona (*e*) convenitur. *l.* 19. PAPIN. LIB. 10. RESPONS.

Similiter Alexander reſcribit. Pecunia quam creditor à debitore ſuo recepit, ſi poſtea ex juſtâ causâ Fiſco reſtituenda erit, ſine uſuris debetur : quia non fœnus contractum, ſed ſuum recuperatum extraordinario jure aufertur. *l.* 5. *Cod. de Privileg. fiſci.*

XLV.

Huic autem creditori cui quod acceperat Fiſcus aufert, ſuccurritur ; non ſolùm reſtitutâ (ut mox dictum eſt) actione adversùs debitorem ; Sed revocatâ pecuniâ, in fidejuſſorem liberatum Utilis actio dabitur. *l.* 20. PAPIN. LIB. 11. RESPONSOR.

Item pignora quæ à debitore acceperat, non liberantur. Ita docet Paulus. Titius qui mihi ſub pignoribus pecuniam debebat, quum eſſet Fiſci debitor, ſolvit mihi quæ debebat : poſtea Fiſcus, Jure ſuo uſus, abſtulit mihi pecuniam. Quærebatur an liberata eſſent pignora ? Marcellus rectè exiſtimabat, ſi id quod mihi ſolutum eſt Fiſcus abſtulit, non competere pignorum liberationem. Neque differentiam admittendam eſſe exiſtimo ; intereſſe putantium, id ipſum quod ſolutum eſt an tantumdem repetatur. *l.* 21. PAUL. LIB 3. QUÆST.

§ V.

De privilegio Editionis.

XLVI.

Quum privatus agit, NEMO TENETUR EDERE CONTRA SE : *ſuprà lib.* 2. *Tit.* de Edend. *N.* 10.

Fiſcus autem adverſarium cogit ut ipſi edat contra ſe.

Quocircà Divus Hadrianus Flavio-Arriano in hæc verba reſcripſit : « QUIN ei qui inſtrumenta ad cauſam » Fiſci pertinentia, quum poſſit exhibere, non exhibet, » nocere debeat, (ſi verum aliter non invenitur, [&] » ea ſubtracta eſſe credantur quæ nocitura cauſæ ejus » fuerint) dubitatum non eſt. »

« Sed nec aliàs dubitari oportet, quin non in aliam » rem nocere debeant, quàm in eam quâ deſiderata » ſunt. » *l.* 2. § 1. CALLISTR. LIB. 2. DE JUR. FISCI.

Hoc autem privilegium non indiſtinctè obtinet. Nam Item Divi Fratres ad libellum Cornelii-Rufi reſcripſerunt ;

Source : BIU Cujas

Totiens edenda esse instrumenta, quotiens de jure capiendi, vel de jure dominii, vel de aliquâ causâ simili, re nummariâ quæratur; nonsi de capitali causâ agatur. *d. l.* 2. § 2.

XLVII.

Vice versâ, cùm jure desideremus à privato quolibet ut contra adversarium nostrum sua instrumenta edat; contrà ex speciali Fisci privilegio, Neque instrumenta, neque acta à quoquam adversùs Fiscum edi oportet. *l.* 45. § 5. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Ipse autem Fiscus actorum suorum exempla hâc conditione edit; ut ne is cui describendi sit potestas, adversùs se vel Rempublicam his actis utatur. De quo cavere compellitur; ut, si usus is contra interdictum fuerit, causâ cadat. *d. l.* 45. § 6.

Et circa hanc editionem Actorum Fisci, illud observa: Quotiens apud Fiscum agitur, actorum potestas postulanda est ut meritò iis uti liceat: eaque manu Commentariensis (*a*) adnotanda sunt. Quòd si ea aliter proferantur; is qui ita protulerit, causâ cadit. *d. l.* 45. § 7.

§ VI.

De privilegio ut causæ Fiscales nonnisi præsente Advocato Fisci judicari possint.

XLVIII.

Eò usque porrigitur hoc Fisci privilegium, ut alioquin Sententia irrita sit; quamvis pro libertate.

Enimverò Divus Hadrianus Flavio-Proculo rescripsit: Quum in libertatem proclamat, qui ex bonis ad Fiscum pertinentibus esse dicitur; judicium dari, præsentibus, & agentibus etiam, his qui negotiis Fisci solent intervenire. Et hujusmodi liberales causæ, si non interveniente Fisci advocato decisæ sint, in integrum restituuntur. *l.* 3. § 9. CALLISTR. LIB. 3. DE JUR. FISCI.

Consonat quod ait Ulpianus. Si Fiscus alicui statûs controversiam faciat, Fisci Advocatus adesse debet. Quare si sine Fisci Advocato pronuntiatum sit; Divus Marcus rescripsit, Nihil esse actum; & ideò ex integro cognosci oportere. *l.* 7. ULP. LIB. 54. AD ED.

§ VII.

De privilegio Sententiæ retractandæ.

XLIX.

Causas in quibus contra Fiscum judicatum est, intrà triennium retractari posse; & post id tempus, si prævaricatio arguatur vel manifesta fraus probetur, notum est. *l. un. Cod. de Sent. adv. fisc. retract.* ANTONIN.

Quocircà nota. Quotiens iterùm apud Fiscum eadem causa tractatur; priorum actorum, duorum usus non fuerat postulatus, ex Officio (*b*) recitatio jure poscetur. *l.* 45. § 8. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

§ VIII.

De privilegio Adjectionis, *seu Addictionis in diem.*

L.

In venditionibus rerum fiscalium, post perfectam emptionem, admittitur quivis intrà certum tempus ad pretii adjectionem.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Si tempora quæ in fiscalibus auctionibus vel hastis statuta sunt (*c*) patiuntur, cùm etiam augmentum te facturam esse profitearis; adi Rationalem Nostrum, ut justam uberioris pretii oblationem admittat. *l.* 4. *Cod. de Fide hastæ fisc.*

LI.

Notandum porrò, hoc Fisci privilegium (quemadmodum & alia pleraque) non debere trahi ad civitates.

Hinc Antoninus. Si sine ullâ conditione prædia vendente Republicâ comparasti; perfectâ venditione, nullâ ratione vereris, ne adjectione factâ, auferri tibi dominium possit. Tempora enim adjectionibus præstituta, ad causam Fisci pertinent: nisi si qua civitas propriam legem habeat. *l.* 1. *Cod. de Vendendis reb. civit.*

Paulus quoque Idem respondit; Si civitas nullam propriam legem habet de adjectionibus admittendis, non posse recedi à locatione vel venditione prædiorum publicorum jam perfectâ. Tempora enim adjectionibus præstita (*Aliàs* præstituta) ad causas Fisci pertinent. *l.* 21. § *fin. ff. Ad municip.* PAUL. LIB. 1. RESPONS.

§ IX.

De privilegio, Ut emptor stare colono teneatur.

LII.

Illud quoque privilegium Fisco, ex sententiâ Papiniani tributum est; ut citra expressum pactum, is qui fundum à Fisco emit, teneretur stare colono.

Hoc liquet ex specie sequenti. Valerius-Patroinus Procurator Imperatoris, Flavio-Stalticio prædia certo pretio addixerat: deinde factâ licitatione, idem Stalticius receptâ eâ (*d*) licitatione obtinuerat, & in vacuam possessionem inductus erat. De fructibus medio tempore perceptis quærebatur? Patroinus, Fisci esse volebat: planè si medio tempore inter primam licitationem, & sequentem adjectionem (*e*), percepti fuissent; ad venditorem pertinere. Sicut solet dici, quum in diem addictio facta est, deinde melior conditio allata est (*f*). Nec moveri deberemus, quòd idem fuisset cui & primò addicta fuerant prædia. Sed cùm utraque addictio intrà tempus vindemiarum facta fuisset; recessum est ab hoc tractatu (*g*). Itaque placebat fructus emptoris esse. Papinianus & Messius (*h*) novam sententiam induxerunt (*i*); quia sub colono erant prædia, iniquum esse fructus ei auferri universos; sed colonum quidem percipere eos debere, emptorem verò pensionem ejus anni accepturum: ne Fiscus colono teneretur quòd ei frui non licuisset, atque si hoc ipsum in emendo convenisset. Pronuntiavit tamen secundùm illorum opinionem; quòd quidem domino colerentur, universos fructus habere; si verò sub colono, pensionem accipere. Tryphonino suggerente, quid putaret de aridis fructibus qui ante percepti in prædiis fuissent (*k*)? Respondit; Si nondum dies pensionis veniisset quum addicta sunt, eos quoque emptorem accepturum. *l. fin.* PAUL. LIB. 3. DECRETOR.

§ X.

De aliis Fisci privilegiis.

LIII.

Illud quoque Fisci privilegium est quòd Qui aliquid sciens in fraudem Fisci suscepit, non solùm rem in quâ

(*a*) Officialis Procuratoris Cæsaris, qui vernaculè dicitur *son Greffier*.
(*b*) *Du Greffe*.
(*c*) Quale fuerit hoc tempus, nullibi invenio expressum. Cujacius ad l. fin. h. tit. suspicatur duorum mensium fuisse; eo quòd privati, si quando sub hâc *Adjectionis* lege venderunt, hoc tempus præscribere solebant: arg. l. 38. ff. *de Minorib.*
(*d*) Id est; quum intra tempus alter pluris licitus pretio Stalticii aliquid adjecisset, ipse Stalticius adjecit, & ei pro secundâ vice prædia addicta sunt.
(*e*) Alii legunt *addictionem.*
(*f*) Vide suprà lib. 18. Tit. *In diem addictione* N. 16.
(*g*) Locus enim quæstioni esse non potuit pro vineis; cùm medio tempore nulli fructus ex vineis percepti sint.
(*h*) Quis ille Jurisconsultus fuerit, ignoratur. Ex hoc textu, contaneus Papiniano fuisse videtur, temporibusque Severi & Antonini floruisse.
(*i*) Hactenùs inauditam, ut teneretur emptor stare colono; perindè atque si sub eâ lege emisset, quamvis hoc expressum non esset. Quod in favorem Fisci induxerunt, ne regressus esset colono adversùs Fiscum.
(*k*) Hactenùs de fructibus vinearum locutus est: de quibus ambigi non poterat, eos non ad Fiscum, sed ad emptorem pertinere; cùm demùm post secundam addictionem percepti essent. Quid autem *de aridis fructibus* statuendum? Scilicet de fructibus arvorum, pratorum; quos supponendum est medio tempore perceptos. Et ait; Si demùm post addictionem secundam dies pensionis venerit, pensionem pro his debitam adhuc sequi emptorem.

fraudis

Source: BIU Cujas

fraudis miniſterium ſuſcepit, ſed alterum tantum reſtituere cogitur. *l.* 46. § 1. HERMOGENIAN. LIB. 6. JURIS EPITOMATOR.

L I V.

Privilegium illud quoque eſt Fiſci & Cæſaris ; quòd, quamvis regulariter nonniſi ipſius domini juſſu ſervus hereditatem adire poſſit ; tamen Si Fiſci ſervus ſit, juſſu Procuratoris Cæſaris adibit hereditatem : ut eſt ſæpè reſcriptum. *l.* 25. § 2. *ff. de Adquir. hered.* ULP. LIB. 8. AD SABIN.

Ita tamen, ſi Princeps ratum habuerit. Undè hæc regula : Servus Cæſaris, ſi juſſu Procuratoris adiit hereditatem, Cæſari volenti (*a*) adquirit. *l.* 46. § 8. HERMOGENIAN. LIB. 6. JURIS EPITOMAR.

L V.

Varia alia ſunt Fiſci privilegia, quæ omnia recenſet Cujacius in Comment. ad d. l. 46. *fin. ff.* h. tit. *& quæ alibi paſſim ſupra vidimus* :

Putà, lib. 16. *Tit.* de Compenſat. *N.* 10.
Lib. 20. *Tit.* Qui potiores in pign. *N. fin.*
Lib. 22. *Tit.* de Uſuris *N.* 50.
Lib. 39. *Tit.* de Publican. *N.* 28. *in fine.*
Lib. 41. *Tit.* de Uſucap. *N.* 10.
Lib. 48. *Tit.* de Bonis damn. *N.* 2.

Denique illud Fiſci privilegium eſt, ut GRATIS *litiget : Tit. Cod.* de Sportulis, *& ibi Gothofred. Adde Cujacium ſup. d. loco.*

SECTIO III.

De Jure Fiſci quod cum privatis commune, aut etiam quandoque deterius eſt ; item quas dilationes Fiſcus dare debeat debitoribus.

L V I.

Exceptis quæ modò ſuprà expoſita ſunt privilegiis, in cæteris omnibus Fiſcus jure communi utitur.

Hinc Fiſcalibus debitoribus petentibus ad comparandam pecuniam, dilationem negari non placuit. Cujus rei æſtimatio ita arbitrio judicantis conceditur ; ut in majoribus ſummis non pluſquàm tres menſes, in minoribus verò non pluſquàm duo prorogentur. Prolixioris autem temporis ſpatium ab Imperatore poſtulandum eſt. *l.* 45. § 10. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

L V I I.

Imò in quibuſdam cauſis, minùs juris habet quàm privati.

Et 1°. *non poteſt V. G. pignora ſua adversùs tertios poſſeſſores perſequi, quandiù debitor idoneus eſt : quod tamen privati quilibet poſſunt, ut vid. ſuprà lib.* 20. *Tit.* de Pign. & hyp. *N.* 31.

Hoc docet Paulus in ſpecie ſequenti. Moſchis quædam Fiſci debitrix ex conductione vectigalis, heredes habuerat, à quibus poſt aditam hereditatem, Faria-Senilla, & alii prædia emerant. Quum convenirentur propter Moſchidis reliqua, & dicebant heredes Moſchidis idoneos eſſe, & multos alios ex iiſdem bonis emiſſe : æquum putavit Imperator priùs heredes conveniri debere ; in reliquum, poſſeſſorem omnem. Et ita pronuntiavit. *l.* 47. PAUL. LIB. 1. DECRETOR.

Conſonat quod reſcribit Gordianus. Non injustâ ratione deſideratis, repromiſsâ Fiſco indemnitate, eos priore loco conveniri qui reliqua contraxerunt ; mox ad vos perveniri, qui ab his quædam mercati eſtis. *l.* 1. *Cod. de Conveniend. fiſc. debit.*

2°. *Hinc etiam eſt quòd, quamvis nomina quæ in bonis habet debitor Fiſci, ut & cæteræ res ejus, Fiſco tacitè obligentur : tamen* Multa Principalia ſunt Reſcripta, quibus cavetur, non aliter Fiſcum debitorum ſuorum debitores convenire ; niſi principales debitores defecerint, vel ex ratione Fiſci (*b*) nomina facta liquidò probentur ; vel ex (*c*) contractu fiſcali debitores conveniantur. *l.* 3. § 8. CALLISTRAT. LIB. 3. DE JURE FISCI.

Pariter Diocletianus & Maximianus. Non priùs ad eos qui debitoribus Fiſci Noſtri ſunt obligati, actionem fiſcalem extendi oportere, niſi potuerit principales reos idoneos non eſſe ; certiſſimi Juris eſt. *l.* 4. *Cod. Quand. fiſc. vel privat. &c.*

L V I I I.

In hoc etiam generaliter Fiſci conditio poteſt videre deterior, quod ait Modeſtinus. Scilicet quum de aliquâ re privatus adversùs Fiſcum contendit ; Non puto delinquere eum, qui in dubiis quæſtionibus contra Fiſcum facilè reſponderit. *l.* 10. MODEST. LIB. SING. DE PRÆSCRIPTION.

(*a*) Ne ſcilicet Princeps invitus ſubjiciatur oneribus, ex minùs conſulto Procuratoris ſui juſſu.

(*b*) Scilicet *liquidò probetur* eum qui convenitur, debitori Fiſci eſſe obligatum propter pecuniam quam ex ratione Fiſci ab eo accepit. Hoc caſu, inexcuſſo debitore ſuo, Fiſcus poterit hunc convenire.

(*c*) Id eſt ; vel ſi cum hoc debitore debitoris ſui Fiſcus contraxerit, putà ei delegatus ſit.

TITULUS XV.

DE CAPTIVIS, ET DE POSTLIMINIO (*) ET REDEMPTIS AB HOSTIBUS.

(*) *Vulg. addit* REVERSIS.

Duæ in hoc Titulo celeberrimæ Juris fictiones exponuntur, ad Jus publicum pertinentes ; ſcilicet fictio POSTLIMINII, *& fictio* LEGIS CORNELIÆ : *quibus, è re natâ occaſione, adjungitur tractatus de jure quod in eum qui ab Hoſtibus Redemptus eſt, competit redemptori.*

Tres ſunt itaque Tituli partes, totidem Sectionibus abſolvendæ.

SECTIO I.

De Poſtliminio.

I.

Juſtinianus Inſtit. *Tit.* Quib. mod. jus patr. pot. ſolv.

Source : BIU Cujas

hujus vocis etymologiam ducit à LIMINE & poſt : *fines enim imperii*, LIMEN *appellari poſſe ; ad quos qui reverſi ſunt*, *dicuntur* Poſtliminio reverſi.

Aliam etymologiam affert Heineccius ; ex eo quòd Captivi, quos diem obiiſſe fama fuerat, mali ominis eſſe crederent, ſi reverſi per limen domûs ſuæ introirent ; ſed Poſt limen *per tegulas & impluvium intrò ſe mittebant : ut refert Plutarchus.* Quæſt. Rom. *V.*

POSLIMINIUM eſt jus amiſſæ rei recipiendæ ab extraneo (*a*), & in ſtatum priſtinum reſtituendæ ; inter nos ac liberos populos regeſque, moribus, Legibus conſtitutum.

Nam quod bello amiſimus, aut etiam citra bellum, hoc ſi rursùs recipiamus, dicimur Poſtliminio recipere. Idque naturali æquitate introductum eſt ; ut qui per injuriam ab extraneis detinebatur, is ubi in fines ſuos rediiſſet, priſtinum jus ſuum reciperet. *l.* 19. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

I I.

Duplex Poſtliminium diſtingui poteſt : ACTIVUM, *quo Captivus reverſus jura quæ ante Captivitatem habebat, recipit ;* PASSIVUM, *quo res quæ ab Hoſtibus barbaris-ve captæ fuerant, receptæ, in eorum jus ac poteſtatem recidunt quorum erant quum caperentur.*

Utramque hanc Poſtliminii ſpeciem in perſonâ filiifamilias ab Hoſtibus reverſi concurrere docet Pomponius. Ita ille: Cùm duæ ſpecies Poſtliminii ſint, ut aut nos revertamur, aut aliquid recipiamus ; quum filius revertitur, duplicem in eo cauſam eſſe oportet Poſtliminii, & quod pater eum reciperet (*Pro* recuperet. *Et ita aliàs ſæpiſſimè.*) & ipſe jus (*b*) ſuum. *l.* 14. POMPON. LIB. 3. AD SABIN.

Hanc tractationem de jure Poſtliminii, in quinque Articulos dividam. In 1°. *videbimus, Inter quos ſit locus juri Captivitatis & Poſtliminii : In* 2°. *Quibus temporibus juri Poſtliminii locus ſit : In* 3°. *Quæ perſonæ & quæ res jus Poſtliminii habeant : In* 4°. *Quando competat : In* 5°. *Quis ſit hujus effectus.*

ARTICULUS I.

Inter quos locus ſit juribus Captivitatis, & Poſtliminii.

I I I.

His juribus locus eſt inter Populum Romanum & ejus Hoſtes.

Quos nos HOSTES appellamus, eos Veteres PERDUELLES appellabant ; per eam adjectionem indicantes cum quibus bellum eſſet. *l.* 234. *ff. de Verb. ſignif.* GAIUS LIB. 2. AD LEG. XII. TAB.

Igitur HOSTES ſunt quibus bellum publicè (*c*) Populus Romanus decrevit, vel ipſi Populo Romano.

Cæteri, LATRUNCULI vel PRÆDONES appellantur. Et ideò qui à latronibus captus eſt, ſervus latronum non eſt : nec Poſtliminium illi neceſſarium eſt. Ab Hoſtibus autem captus (ut putà, à Germanis & Parthis) & ſervus eſt Hoſtium, & Poſtliminio ſtatum priſtinum recuperat. *l.* 24. ULP. LIB. 1. INSTIT.

Similiter Paulus. A piratis aut latronibus capti, liberi permanent. *l.* 19. § 2. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

Nullum etiam Poſtliminium in civilibus diſſentionibus infenſas partes invicem habere, docet Ulpianus ; ſimulque Juris hujus rationem tradit luculentam. In civilibus diſſentionibus, quamvis ſæpè per eas Reſpublica lædatur, non tamen in exitium Reipublicæ contenditur. Qui in alterutras partes diſcedent, vice Hoſtium non ſunt ; eorum inter quos jura captivitatum aut Poſtliminiorum fuerint. Et ideò captos & venumdatos, poſteaque manumiſſos, placuit ſupervacuò repetere à Principe ingenuitatem, quam nullâ captivitate amiſerant. *l.* 21. § 1. ULP. LIB. 5. OPINION.

I V.

Gentes externæ non fœderatæ, quibuſcum nullum bellum gerimus ; quamvis propriè Hoſtes non ſint, tamen hâc in re Hoſtium loco ſunt, & cum eis jus Poſtliminii eſt : ut videb. Art. ſeq. N. 6. *junctâ l.* 6. *infrà N.* 22.

Quod ad fœderatas attinet ; eâ de re videtur controverſia fuiſſe inter Veteres de quâ ita Cicero de Orator. *l.* 40. « SI » *quis apud nos ſerviſſet ex populo* FŒDERATO, *ſeſeque* » *liberaſſet, ac poſteà domum reveniſſet ; quæſitum eſt apud* » *Majores noſtros, num is ad ſuos* POSTLIMINIO *rediiſſet.* »

Et quidem Ælius-Gallus (*apud Feſtum in Verb. POSTLIMINIUM*) *ita ſcribit :* « CUM POPULIS *liberis & cum* » *fœderatis & cum Regibus* POSTLIMINIUM NOBIS EST ; *ita uti cum Hoſtibus.*

Contrà Proculus, cujus ſententia prævaluit : Non dubito quin fœderati & liberi, nobis externi (*d*) ſint ; non (*e*) inter nos atque eos Poſtliminium eſſe. Etenim quid inter nos atque eos Poſtliminii opus eſt : cùm & illi apud nos & libertatem ſuam & dominium rerum ſuarum æquè atque apud ſe retineant ; & eadem nobis apud eos contingant ? *l.* 7. PROCUL. LIB. 8. EPIST.

Liber autem populus eſt, is qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus ; ſive is fœderatus (*f*) eſt, item ſive æquo fœdere in amicitiam venit, ſive fœdere comprehenſum eſt ut is populus alterius populi majeſtatem comiter conſervaret (*g*). Hoc enim adjicitur, ut intelligatur alterum populum ſuperiorem eſſe ; non ut intelligatur alterum non eſſe liberum. Et quemadmodum clientes noſtros intelligimus liberos eſſe, etiamſi neque auctoritate neque dignitate neque viri boni (*h*) nobis præſunt ; ſic eos qui majeſtatem noſtram comiter conſervare debent, liberos eſſe intelligendum eſt. *d. l.* 7. § 1.

Nota. At fiunt apud nos rei ex civitatibus fœderatis (*i*), & in eos damnatos animadvertimus. *d. l.* 7. § 2.

(*a*) Id eſt, Hoſte.

(*b*) Scilicet jura civitatis & familiæ.

(*c*) Id eſt, publico ritu indicendi belli : cujus veterem formam Cincius à Gellio XVI. 4. laudatus ita refert. Fecialis Populi Romani telum in agrum eorum quibus bellum indicebatur, mittebat, his verbis uſus : « QUÒD *populus* [*Hermun-* » *dulus* V. G.] *homineſque populi Hermunduli adversùs Populum Romanum* » *bellum fecère, deliqueruntque ; quòdque Populus Romanus cum populo* » *Hermundulo hominibuſque populi Hermunduli bellum juſſit : ob eam rem ego* » *Populuſque Romanus populo Hermundulo hominibuſque Hermundulis bellum* » *indico, facioque.* »

(*d*) Haloander, Vulgata, & Budæus legunt *non ſint*. Florentinam lectionem tuetur Cujacius Obſerv. XI. 23. ubi probat EXTERNOS Romanis dici quicumque civitate donati non ſunt, etiamſi fœderati ſint & amici Populi Romani.

(*e*) *Non tamen.* Idque contra Ælii ſententiam ſuprà. Cujacius ſolvit diſtinguendo [ut apud Livium XXXIV. 57. in oratione Legatorum Antiochi] « TRIA » GENERA FŒDERUM *quibus inter ſe paciſcerentur amicitias, civitates regeſque ;* » *Unum, quum bello victis dicerentur Leges. . . . Alterum, quum pares bello,* » *æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent. . . . Tertium eſſe genus ; quum,* » *qui hoſtes nunquam fuerint, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe jungendam* » *coeant* ». De duobus duntaxat prioribus loqui Proculum in hujuſce legis ſpecie, de tertio verò genere intelligendum eſſe textum Ælii-Galli oppoſitum, quaſi hoc fœdus minùs firmum ſit.

Ego verò non ſentio quid eâ in re à prioris fœderis genere tertium differat, & cur in hoc minùs quàm in illo jus Poſtliminii ceſſare debeat. Dicendum potiùs videtur ; eâ de re, ex Veterum controverſiâ, Ælium ac Proculum in diverſas iviſſe Sententias.

(*f*) Feriendi fœderis ritum antiquiſſimum vide apud Livium : ubi Pater patratus Populi Romani [id eſt, Sacerdos ad jusjurandum ſanciendum creatus ; ita dictus quaſi *Pater patris*, quia nemo eo munere fungi poterat niſi haberet filium qui ipſe pater eſſet aliorum filiorum] legibus fœderis recitatis, ait : » *Audi Jupiter, audi Pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus.* » *Ut illa* [pacta] *palàm, prima, poſtrema, ex illis tabulis cerâ-ve recitata* » *ſunt ſine dolo malo, uti-que ea hic hodie rectiſſimè intellecta ſunt illis* » *legibus Populus Romanus prior non deficiet. Si prior defecerit publico con-* » *ſilio, dolo malo ; Tu illo die Jupiter Populum Romanum ſic ferito, ut ego* » *hunc porcum hodie feriam, &c.* Id ubi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit. » Is ritus & ſub Imperatoribus in uſu fuit : ut teſtatur Suetonius de CLAUDIO n. 26. *Cum Regibus fœdus in Foro icit porcâ cæſâ, ac vetere Fecialum Præfatione adhibitâ.*

(*g*) Refert Cicero *pro Balbo* N. 21. fœderi cum Gaditanis id adjunctum, MAJESTATEM POPULI ROMANI COMITER CONSERVANTO. Id, inquit, habet hanc vim ; ut ſit ille [populus Gaditanus] *in fœdere inferior.* Igitur *Comiter obſervare Majeſtatem*, eſt non quidem ſervire, ſed obſervationem libero populo dignam, Populo Romano tanquam ſuperiori exhibere. Tales fœderatos cenſet Cujacius eos fuiſſe qui IN DITIONE POPULI ROMANI eſſe dicerentur : ut de Appulis refert Livius IX. 20. eos impetraſſe *Ut fœdus daretur ; neque ut æquo tamen fœdere, ſed ut in ditione Populi Romani eſſent.*

(*h*) Mendoſa lectio quæ ſenſu caret. Rectiùs in Pand. Noricis, *neque* VIRIBUS NOBIS PARES *ſunt* : quam lectionem probat Cujacius Obſerv. XXVII. 33.

(*i*) Intellige civitates fœderatas poſterioris generis ; quæ Populo Romano ejuſque Magiſtratibus ſuberant, PROVINCIALESque dicebantur. Hoc ſenſu Siculos Cicero *fœderatos* vocat : in Verrem *de Supplic.* N. 63.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS II.

Quibus temporibus locus sit juri Postliminii.

V.

Postliminii jus competit, aut in bello, aut in pace. *l.* 5. POMPON. LIB. 37. AD Q. MUCIUM.

IN BELLO; quum hi qui nobis Hostes sunt, aliquem ex nostris ceperunt, & intrà præsidia sua perduxerunt. Nam si eodem bello is reversus fuerit, Postliminium habet; id est, perindè omnia restituuntur ei jura, ac si captus ab Hostibus non esset. Antequàm in præsidia perducatur Hostium, manet civis: tunc autem reversus intelligitur, si aut ad amicos nostros perveniat, aut intra præsidia nostra esse cœpit. *d. l.* 5. § 1.

VI.

His quos diximus, In bello Postliminium est.

IN PACE autem, his qui bello capti erant; de quibus nihil (*a*) in pactis erat comprehensum.

Quod ideò placuisse Servius scribit; QUIA SPEM REVERTENDI CIVIBUS, IN VIRTUTE BELLICA MAGIS QUAM IN PACE, ROMANI ESSE VOLUERUNT.

Verùm in pace qui pervenerunt ad alteros (*b*), si bellum subitò exarsisset, eorum servi efficiuntur apud quos jam Hostes suo facto (*c*) deprehenduntur; quibus jus Postliminii est, tam in bello quàm in pace (*d*); nisi fœdere cautum fuerat, ne esset his jus Postliminii. *l.* 12. TRYPHONIN. LIB. 4. DISPUTAT.

Aliud exemplum Postliminii quod in pace competit, sic refert Pomponius.

In pace quoque Postliminium datum est. Nam si cum gente aliquâ neque amicitiam neque hospitium, neque fœdus amicitiæ causâ factum habemus; hi Hostes quidem non sunt. Quod autem ex nostro ad eos pervenit, illorum fit; & liber homo noster ab eis captus, servus fit & eorum. Idemque est, si ab illis ad nos aliquid perveniat. Hoc quoque igitur casu, Postliminium datum est. *sup. d. l.* 5. § 2.

VII.

Hactenùs de bello & pace. Quid de induciis? INDUCIÆ sunt, quum in breve & in præsens tempus convenit, ne invicem se lacessant. Quo tempore non est (*e*) Postliminium. *l.* 19. § 1. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

ARTICULUS III.

In quas personas, quas-ve res cadat jus Postliminii.

§ I.

Qui Jure Postliminii activo gaudere possint.

VIII.

Eos qui ab Hostibus capiuntur vel Hostibus deduntur, jure Postliminii reverti, (*f*) antiquitùs placuit. *l.* 4. MODESTIN. LIB. 3. REGULAR.

DEDITUM *accipimus, qui invitus deditus est. Nam* Postliminio carent, qui armis victi Hostibus se dederunt. *l.* 17. PAUL. LIB. 2. AD SABIN.

Multò magis, Transfugæ nullum Postliminium est. Nam qui malo consilio & proditoris animo patriam reliquit, Hostium numero habendus est. *l.* 19. § 4. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

Transfuga autem non is solus accipiendus est, qui aut ad Hostes, aut in bello transfugit; sed & qui per induciarum tempus aut ad eos cum quibus nulla amicitia est, fide susceptâ transfugit. *d. l.* 19. § 8.

Uno verbo; Postliminium habent qui non sponte, sed inviti in potestatem Hostium pervenerunt.

Hinc Gratianus, Valentinianus & Theodosius. Si quos fortè necessitas Captivitatis abduxit; sciant, si non transierint, sed Hostilis irruptionis necessitate transducti sunt, ad proprias terras festinare se debere: recepturos jure Postliminii ea quæ in agris vel mancipiis seu aliis rebus ante tenuerunt, etsi à fisco Nostro possideantur. Nec timeat quisquam alicujus contradictionis moram: cùm hoc solum requirendum sit, utrùm forsitan aliquis cum barbaris voluntate fuerit, an coactus. *l.* 19. *Cod. de Postlimin.*

Quòd si quis invitus quidem in potestatem Hostium pervenerit: sed postea (quum reverti posset) volens remanserit; jus Postliminii amplius habere non poterit.

Hinc Si Captivus de quo in pace cautum fuerat ut rediret, suâ voluntate apud Hostes mansit; non est ei posteà Postliminium. *l.* 20. POMPON. LIB. 36. AD SABIN.

IX.

Apud Hostes susceptus filius, si Postliminio redierit, filii jura habet. Habere enim eum Postliminium nulla dubitatio est, post Rescriptum Imperatoris Antonini & Divi patris ejus ad Ovinium-Tertullum Præsidem provinciæ Mysiæ inferioris. *l.* 9. ULP. LIB. 4. AD LEG. JUL. ET PAP.

§ II.

Quas res jure Postliminii passivo recipiamus.

X.

Jus Postliminii passivum cadit maximè in res soli. Nam Verum est, expulsis Hostibus ex agris quos ceperint, dominia eorum ad priores dominos redire: nec aut publicari, aut prædæ loco cedere. Publicatur enim ille ager, qui ex Hostibus captus sit *l.* 20. § 1. POMP. LIB. 36. AD SABIN.

XI.

Jure Postliminii passivo recipimus etiam homines qui patriæ aut dominicæ nostræ potestati subditi fuerunt. Sic accipe quod ait Paulus. Postliminium hominibus est cujuscumque sexûs conditionis-ve sint. Nec interest, liberi an servi sint. Nec enim soli Postliminio recipiuntur qui pugnare possunt, sed omnes homines: quia ejus naturæ sunt, ut usui esse vel consilio vel aliis modis possint. *l.* 19. § 10. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

(*a*) Petrus Faber lib. 1. *Semestr.* 7. legit *id in pactis*. Quod probat Cujacius. Observ. XXIV. 31. & censet eos qui in bello capti sunt, non habere Postliminium si in pace revertantur, nisi de eo nominatim convenerit: cùm nec in induciis id Postliminium habeant; infrà N. seq. Et hoc confirmat ratio quæ subjicitur: *Quod ideò, &c.* Præclarè si quidem id sancitum apud Romanos, ut culpabilis esset qui se capi ab hostibus passus fuerat; nec aliàs ei pateret hujus culpæ redemptio, quàm si propriâ industriâ ab iisdem hostibus evadere contigisset. In pace autem, induciis-ve, jam non sunt Hostes, nec ullâ ad revertendum opus est industriâ.

Bynkershoek verò suprà dictam emendationem improbans, receptam lectionem tuetur: & ¶um hunc *In pace autem*, intelligendum censet, non de quibuslibet in pace revertentibus; sed de his duntaxat qui, quum ante bellum apud Hostes peregrinarentur, exorto bello capti essent: his enim etiam, si factâ denuò pace revertantur, *Jus Postliminii* esse dicitur in ¶o. seq. *Verùm in pace*; quem huc referendum putat. Intermedium autem ¶um, *Quod ideò*, refert ad id quod initio legis dictum est, regulariter IN BELLO demùm *Postliminium* esse.

(*b*) Quidam legunt, *ad exteros*.

(*c*) Rob. Stephanus, Vintim Iliana Editio, & alii, legunt *suo* FATO: hoc sensu quòd hi qui ad amicos primùm profecti, bello exorto apud eos deprehensi, non capti, non victi, sed SUO FATO [*par un pur effet de leur mauvaise destinée*] in servitutem absque ullâ culpâ suâ devenisse videantur, digni sunt Postliminio. Bynkershoek hic quoque lectionem Vulgarem tuetur, ita interpungendo: *apud quos jam hostes suo facto deprehenduntur*; id est, apud eos qui non prævià indictione belli, sed re ipsâ, & solo *facto suo* dum eos detinent, Hostes facti sunt.

(*d*) Id est, sive revertantur durante bello; quo casu semper Postliminium habent: sive revertantur in pace; quo casu id quoque habent, *nisi &c.*

(*e*) Non magis quàm in pace; propter eamdem rationem quæ suprà N. præced. *Quia* nempè *spem revertendi civibus, &c.* Cæterùm eo qui suprà exceptus est casu, quo non culpâ suâ quis captus est ab Hostibus, sed apud eos [quum subitò bellum exarsisset] *Fato suo* deprehensus est: huic reverso per induciarum tempus, Postliminium esse debet; cùm etiam *in pace* eo casu concedatur.

(*f*) Et ii quidem qui capti fuerunt, hoc ipso quòd reversi sunt, Postliminii jure gaudent. Qui autem dediti sunt, non aliter quàm si à nobis recipiantur; infrà N. 18.

Source : BIU.Cujas

Item Diocletianus & Maximianus. Sicut liberis captis ab Hoſtibus, ac Poſtimininio reverſis, ſtatus priſtinus reſtituitur, ſic ſervi domino. Undè ſi hæc cujus meminiſti, ancilla patris tui fuit, nec commercio redempta eſt: reverſa, dominum, vel ejus ſequitur ſucceſſorem, qui per captivitatem hanc amiſerat. *l.* 10. *Cod. de Poſtlimin.*

Et quidem etiam transfugas ſervos jure Poſtliminii recipimus. Undè ſupràdictam ex Paulo regulam TRANSFUGÆ NULLUM POSTLIMINIUM *eſſe, ſtatim ita limitat idem Paulus*: Sed hoc in libero transfugâ Juris eſt, ſive fœmina ſive maſculus ſit. *l.* 19. § 4. ¶ *ſed hoc.* PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

Si verò ſervus trasfugerit ad Hoſtes; quoniam, & quum caſu captus eſt, dominus in eo Poſtliminium habet; rectiſſimâ dicitur, etiam ei Poſtliminium eſſe: ſcilicet ut dominus in eum priſtinum jus recipiat: ne contrarium Jus, non tam ipſi injurioſum ſit qui ſervus ſemper permanet, quàm domino damnoſum conſtituatur. *d. l.* 19. § 5.

Contrà Filius quoque familias transfuga, non poteſt Poſtliminio reverti neque vivo patre: quia pater ſic illum amiſit, quemadmodum patria: & quia DISCIPLINA CASTRORUM ANTIQUIOR FUIT PARENTIBUS ROMANIS, QUAM CARITAS LIBERORUM. *d. l.* 19. § 7.

XII.

Item licèt ſervus ſolo jure belli noſter factus ſit, & ad ſuos redierit; iterùm captum jure Poſtliminii recipere poſſumus.

Hinc quum generaliter dixiſſet Labeo: Si quid (*a*) bello captum eſt, in prædâ eſt, non Poſtliminio redit; Paulus: Immò (*b*) ſi in bello captus pace factâ demùm refugit, deinde renovato bello capitur; Poſtliminio redit ad eum à quo priore bello captus erat: ſi modò non convenerit in pace (*c*), ut Captivi redderentur. *l.* 28. LABEO LIB. 4. PITHANON A PAULO EPITOM.

XIII.

Pariter Navibus longis atque onerariis propter belli uſum, Poſtliminium eſt; non piſcatoriis, aut ſi quas actuarias voluptatis causâ paraverunt. *l.* 2. MARCELL. LIB. 39. DIGEST.

Equus item aut equa freni patiens, recipitur Poſtliminio: nam ſine culpâ equitis proripere ſe potuerunt. *d. l.* 2. § 1.

Non idem in armis Juris eſt: quippè nec ſine flagitio amittuntur. Arma enim Poſtliminio reverti negatur, quòd turpiter amittantur; *d. l.* 2. § 2.
Item veſtis (*d*). *l.* 3. POMPON. LIB. 37. AD Q. MUCIUM.

XIV.

Sed & res illas quæ noſtro juri ſubditæ non fuerunt, ſed futuræ fuiſſent ſi in poteſtate Hoſtium non fuiſſent, hoc jure recipimus.

Hinc Si me tibi adrogandum dediſſem, emancipato me, reverſum ab Hoſtibus filium meum (*e*) loco nepotis tibi futurum (*f*) conſtat. *l.* 13. PAUL. LIB. 2. AD SABIN.

XV.

Quemadmodum res ab hoſtibus captæ, ſi receptæ ſint, priſtinorum dominorum juri reſtituuntur; ita quoque ſervi pœnæ ab Hoſtibus capti, recepti pœnæ ſuæ reſtituuntur. Ergo de metallo captus, Redemptus in pœnam ſuam revertetur. Nec tamen ut transfuga metalli puniendus erit: ſed redemptor à fiſco pretium recipiet. Quod etiam conſtitutum eſt ab Imperatore noſtro & Divo Severo. *l.* 12. § 17. TRYPHONIN. LIB. 4. DISPUTAT.
Vide & infrà N. 22.

(*a*) Turpe eſt militi, ſi veſte ſpoliari ſe patiatur.

(*b*) Senſus eſt: ſi res noſtra, mobilis, ab Hoſtibus capta ſit, quum à noſtris recipitur, *in prædâ eſt*; ſeu capientis ſit jure prædæ bellicæ, non verò ad veterem dominum redit Jure Poſtliminii. Bynkershoek eodem ſenſu ita legit & interpungit: *Si quod bello captum eſt, in prædâ eſt*; ergo *non Poſtliminio* redit.

(*c*) Exceptio hîc, non emendatio; ut rectè obſervat idem Bynkershoek. Scilicet ſpeciale eſt in hominibus; ut, ſi in bello capiantur, non fiant capientis, ſed ad veterem dominum revertantur.

(*d*) Nam ſi hoc convenit; jus veteris domini quod ex captivitate habebat, extinctum eſt; & hoc caſu is jure rediit ad ſuos, nullumque jus in eo ſervavi, adeòque, quum renovato bello iterùm capitur, nullus eſt antiquus dominus ad quem poſſit redire.

(*e*) Qui captus erat antequàm me adrogares.

(*f*) Ratio dubitandi eſſe poterat, quòd nunquam fuerit in tuâ poteſtate. Verùm ſufficit futurum fuiſſe, ſi non fuiſſet captus.

(*g*) Id eſt, non impedit quominùs Redemptus omnia jura ſua & civitatis & familiæ recipiat. Servire quidem redemptori tenetur, [mox infrà Sect. ſeq.] quaſi quodam jure pignoris; verùm non eſt ſervilis conditionis.

ARTICULUS IV.

Quando jure Poſtliminii reſtituatur quis, aut res noſtræ recipiantur.

§ I.

Quando quis Jure Poſtliminii activo in ſua jura reſtituatur.

XVI.

Tunc quis jure Poſtliminii in ſua jura reſtituitur, quum rediit.

Poſtliminio rediiſſe videtur, quum in fines noſtros intraverit; ſicuti amittitur, ubi fines noſtros exceſſit.

Sed & ſi in civitatem ſociam amicam-ve, aut ad Regem ſuum vel amicum venerit; ſtatim Poſtliminio rediiſſe videtur: quia ibi primùm nomine publico tutus eſſe incipiat. *l.* 19. § 3. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

Nihil intereſt, quomodo Captivus reverſus eſt; utrùm dimiſſus, an vi vel fallaciâ poteſtatem Hoſtium evaſerit. Ita tamen ſi eâ mente venerit, ut non illò reverteretur: nec enim ſatis eſt corpore domum quem rediiſſe, ſi mente alienus eſt. Sed & qui victis Hoſtibus recuperentur, Poſtliminio rediiſſe exiſtimantur. *l.* 26. FLORENT. LIB 6. INSTITUT.

Sed & ſi quis Redemptus ab Hoſtibus redierit, jure Poſtliminii gaudebit. Nam Redemptio facultatem redeundi præbet, non jus Poſtliminii mutat (*g*). *l.* 20. § 2. POMPON. LIB. 36. AD SABIN.

XVII.

Cæterùm rediiſſe Captivum oportet, cum animo non revertendi ad Hoſtes.

Hinc Pomponius. Captivus autem ſi à nobis manumiſſus fuerit, & pervenerit ad ſuos, ita demùm Poſtliminio reverſus intelligitur, ſi malit eos ſequi, quàm in noſtrâ civitate manere. Et ideò in Atilio-Regulo quem Carthaginienſes Romam miſerunt, reſponſum eſt; Non eſſe eum Poſtliminio reverſum: quia juraverat Carthaginem reverſurum, & non habuerat animum Romæ remanendi. Et ideò in quodam Interprete Menandro, qui poſteaquàm apud nos manumiſſus erat, miſſus eſt ad ſuos; non eſt viſa neceſſaria Lex quæ lata eſt de illo, UT maneret Civis Romanus. Nam ſive animus ei fuiſſet remanendi apud ſuos, deſineret eſſe civis; ſive animus fuiſſet revertendi, maneret civis. Et ideò Lex eſſet ſupervacua. *l.* 5. § 3. POMPON. LIB. 37. AD Q. MUCIUM.

XVIII.

Hæc de Captivis; quibus ſufficit rediiſſe, ut jus Poſtliminii habeant.

Ei verò qui à nobis deditus fuerat Hoſtibus, non ſufficit rediiſſe, niſi à nobis ſit receptus. Et ita obtinuiſſe ex Modeſtino diſcimus. Ita enim ille: An qui Hoſtibus deditus reverſus, nec à nobis receptus, Civis Romanus ſit, inter Brutum & Scævolam variè tractatum eſt. Et conſequens

Source : BIU Cujas

est, ut civitatem (*a*) non adipiscatur. *l.* 4. ¶ *an qui* MODESTIN. LIB. 3. REGULAR.

§ II.

Quando jure Postliminii passivo res nostras recipiamus.

XIX.

Res jure Postliminii passivo recipiuntur, tunc demùm quum in veteris domini potestatem pervenerunt aut saltem in ejus qui teneatur eas illi restituere.

Undè ad Labeonem ita Paulus, sententiam ejus limitando. Labeo ait : Si id quod nostrum Hostes ceperunt, ejus generis est ut Postliminio redire possit; simul atque ad nos redeundi causâ profugit ab Hostibus, & intrà fines imperii nostri esse cœpit, Postliminio rediisse existimandum est.

Paulus : Immò quum servus civis nostri ab Hostibus captus, inde aufugit, & vel in Urbe Româ ita est, ut neque in domini sui potestate sit, neque ulli serviat; nondum Postliminio rediisse existimandum est. *l.* 30. LABEO LIB. 8. PITHANON. A PAULO EPITOMATOR.

ARTICULUS V.

De effectu juris Postliminii.

§ I.

De effectu juris Postliminii activi.

XX.

Hujus juris is effectus est; quòd Retrò creditur in civitate fuisse, qui ab Hostibus advenit. *l.* 16. ULPIAN. LIB. 13. AD SABIN.

Undè omnia Cætera quæ in jure sunt, posteaquàm Postliminio rediit, pro eo habentur ac si nunquàm iste Hostium potitus fuisset. *l.* 12. § 6. TRYPHONIN. LIB. 4. DISPUTAT.

Hinc V. G. hereditates eo tempore delatæ quo Captivus erat, intelligentur ei delatæ perindè ac si semper in civitate mansisset.

Sic enim rescribunt Diocletianus & Maximianus. Jus Postliminii, filiam (rebus humanis exemptâ matre, dum in servitute ipsâ necessitate per Captivitatis causam fuit) eventûs purgato vigore, ad ejus legitimam invitat hereditatem. Nec tibi medii temporis fortunâ, quominùs res maternas successione quæsitas persequi possis, injuriam fieri patimur. *l.* 14. *Cod. Postlimin.*

XXI.

Vi etiam juris Postliminii, liberos quos quis quum captus est in potestate habebat, semper in potestate habuisse videtur.

Hinc Filius dum in civitate est, si stipuletur; patri reverso ab Hostibus videtur adquisiisse. *l.* 11. *ff. de Verb. oblig.* PAUL. LIB. 2. AD SABIN.

Imò eos reversus videtur in potestate habuisse, qui dum Captivus esset in civitate nati sunt, aut apud Hostes nati & ipsi reversi sunt.

Hinc Julianus. Si quis prægnante uxore relictâ, in Hostium potestatem pervenerit; mox natus filius ejus, uxore ductâ, filium vel filiam procreaverit; ac tunc Postliminio avus reversus fuerit : omnia jura nepotis nomine perinde capiet, ac si filius natus (*Vulg.* si is, quum filius nasceretur) in civitate fuisset. *l.* 23. JULIAN. LIB. 69. DIGEST.

Nota. Sed Divi Severus & Antoninus rescripserunt. Si uxor cum marito ab Hostibus capta fuerit, & ibidem ex marito enixa sit; si reversi fuerint, justos esse & parentes & liberos, & filium in potestate patris; quemadmodum jure Postliminii reversus sit. Quòd si cum matre solâ revertatur; quasi sine marito natus spurius habebitur. *l.* 25. MARCIAN. LIB 14. INSTITUT.

Consonat quod rescribunt Severus & Antoninus. Ex duobus Captivis Sarmatia nata, patris originem ita secuta videtur, si ambo parentes in civitatem nostram rediissent. Quanquàm enim jure proprio Postliminium habere non possit quæ capta non est; tamen parentûm restitutio reddet patri filiam : qui cùm ab Hostibus interfectus sit, matris duntaxat conditionem, quæ secum filiam duxit, videtur necessariò secuta. Nam fictio Legis Corneliæ (*b*), quæ legitimos apud Hostes defuncto constituit heredes; ad eam quæ illic suscepta est, non pertinet : cùm eo tempore quo captus est, diem suum pater obiisse existimetur. *l.* 1. *Cod. de Postlimin.*

XXII.

Postliminium Captivo reverso restituit non solùm ea jura quæ ipsi prodessent, sed omnem suam qualiscumque fuerit conditionem.

Hinc Si deportatum, ab insulâ Hostes ceperunt; Redemptus, quibus casibus redit, in eam causam veniet, in quâ futurus esset si captus non fuisset. Deportabitur igitur. *l.* 12. § 15. TRYPHONIN. LIB. 14. DISPUTAT.

Nota. Scilicet deportabitur, quum pretium à fisco solutum fuerit Redemptori. Habebit autem interim sine pœnâ suâ, qui Redemit. *d. l.* 12. § 16. ¶ *fin.*

Similiter Mulier in opus salinarum ob maleficium data, & deinde à latrunculis exteræ gentis capta, & jure commercii vendita, ac Redempta, in causam suam recidit. Centurioni pretium ex fisco, reddendum est. *l.* 6. POMPON. LIB. 1. EX VARIIS LECTIONIB.

XXIII.

Quædam tamen non restituit Postliminium. Putà 1°. *Non restituit nuptias quæ captivitate alterius solutæ sunt, nisi novo consensu redintegretur.*

Hinc Pomponius. Non ut pater filium, ita uxorem maritus jure Postliminii recipit; sed consensu redintegratur matrimonium. *l.* 14. § 1. POMPON. LIB. 3. AD SABIN.

Similiter Paulus. Non ut à patre filius, ita uxor à marito jure Postliminii recuperari potest; sed tum quum & voluerit mulier, & adhuc alii post constitutum tempus (*c*) nupta non est. Quod si voluerit (*d*), nullâ causâ probabili interveniente; pœnis dissidii tenebitur. *l.* 8. PAUL. LIB. 3. AD LEG. JUL. ET PAP.

2°. *Postliminium non restituit ea quæ sunt facti; ut est possessio. Undè Tryphoninus* : Facti autem causæ infactæ nullâ Constitutione fieri possunt.

Ideò eorum quæ usucapiebat per semetipsum possidens qui postea nanctus (*Ratiùs aliàs* captus) est, interrumpitur usucapio : quia certum est eum possidere (*e*) desiisse.

Eorum verò quæ per subjectas juri suo personas possidebat, usuque capiebat, vel si qua postea peculiari nomine comprehenduntur; Julianus scribit, credi suo tempore impleri usucapionem, remanentibus iisdem personis in possessionem. Marcellus nihil interesse, ipse possedisset, an subjecta ei persona. Sed Juliani sententia sequenda est. *l.* 12. § 2. TRYPHONIN. LIB. 4. DISPUT.

Distinctioni à Juliano allatæ suffragatur Paulus. Dixerat indistinctè Labeo : Si Postliminio rediisti; nihil, dum in Hostium potestate fuisti, usucapere potuisti. Paulus : Immò si quid servus tuus peculii nomine, dum in eo

(*a*) Vide Balduinum ad l. fin. ff. *de Legation.* Hinc cùm C. Mancinus vir Consularis per invidiam ex Senatusconsulto Numantinis deditus esset, nec ab illis receptus, & is Romam reversus, in Senatum veniisset; P. Rutilius Tribunus plebis [de quo in nostrâ Præfat. Part. 2. cap. 1. n. VII.] è Senatu jussit eum educi, civemque esse negavit; quia memoriâ sic esset proditum, QUEM *pater suus aut populus vendidisset aut pater Patratus dedisset, ei nullum esse Postliminium.* Cic. lib. 1. *de Orat.* N. 40. Scilicet nisi Lege speciali, quæ & ideò PRIVILEGIUM dicitur, in civem esset receptus : [*Il faut l'avoir reçu*].

(*b*) De quâ infrà Sect. 3ª.

(*c*) Quod est quinquennii : l. 6. ff. *de Divort.* quam vide suprà lib. 23. Tit. *de Ritu nupt.* N. 22. Quanquam suspicatur Cujacius in Notis ad h. l. 8. & in Comm. ad Julianum ad sup. d. l. 6. hæc à Triboniano interpolata. Jure etenim Pandectarum, matrimonium omninò solutum fuisse captivitate : & ideò novo consensu opus fuit ut redintegraretur.

(*d*) *Quod* ultimum *si voluerit*, scilicet alii nubere. Aliàs *noluerit*, eodem farè sensu; id est, si noluerit redintegrari matrimonium cum reverso marito.

(*e*) Porrò possessio est facti.

Source : BIU Cujas

ſtatu eſſes, poſſederit; ideò quoque tempore uſucapere poteris, quoniam eas res etiam inſcientes uſucapere ſolemus. Et eo modo etiam hereditas nondum nato poſthumo, aut nondum adita, augeri per ſervum hereditarium ſolet. *l.* 29. LABEO LIB. 6. PITHANON A PAULO EPITOMAT.

3°. *Denique non reſtituit Poſtliminium, ſtipendia temporis quo miles apud Hoſtes fuit. Sic enim Antoninus:* Stipendia & donativa (*a*) temporis quo apud Hoſtes fuiſſe te dicis, reſtitui tibi Poſtliminio regreſſo reſtitutoque, non jure deſideras. *l.* 1. *Cod. de Re militari.*

§ II.

De effectu juris Poſtliminii paſſivi.

XXIV.

Jure Poſtliminii paſſivo res recipiuntur, cum causâ quam habebant quum captæ ſunt.

Hinc Si ager ab Hoſtibus occupatus ſervus-ve captus, liberatus fuerit; jure Poſtliminii reſtituetur uſusfructus. *l.* 26. *ff. Quib. mod. uſufr. amitt.* PAUL. LIB. 1. AD NERAT.

Hinc Si ſtatuliber transfuga reverſus ſit; exiſtente conditione poſtquàm rediit, liber efficitur.

Diverſum eſt, ſi conditio extitiſſet dum apud Hoſtes eſt. In eo enim caſu, neque ſibi reverti poteſt ut liber ſit; neque heredi in jus Poſtliminii eſt (*b*): quia non poteſt queri, cùm nullum damnum patiatur; libertate jam obtingente, ſi non impediret quòd transfuga factus eſt. *l.* 19. § 6. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

SECTIO II.

De Redemptis ab Hoſtibus.

Videndum quale jus Redemptori competat, tam in liberos homines, quàm in cæteras res quas ab Hoſtibus redemit; quibus Redemptoribus & in quas perſonas res-ve hoc jus competat; denique quando hoc jus ſolvatur.

ARTICULUS I.

Quale jus competat Redemptori in liberum hominem, cæteraſque res quas ab Hoſtibus Redemit.

§ I.

De jure in homines liberos.

XXV.

Ab Hoſtibus Redempti, quoad exolvatur pretium (*c*), magis in cauſam pignoris conſtituti, quàm in ſervilem conditionem eſſe detruſi videntur. *l.* 2. *Cod. de Poſtlimin.* GORDIAN.

Corollarium Iᵘᵐ. Et ideò ſi nummi eo nomine expenſi donatio (*d*) intercedat, priſtinæ conditioni eos reddi manifeſtum eſt. Proinde ſi ab Hoſtibus Redemptam, poſt diſſolutum veluti naturalis pignoris vinculum, habere in matrimonio (*e*) cœpiſti; nihil eſt quod de ſtatu ejus ſeu liberorum communium debeas pertimeſcere. *d. l.* 2. ¶ *& ideò.*

Enimverò Commercio Redemptæ fœminæ filios (licèt ex ſervo, medio ſuſceptos tempore) origini ingenuitatis matris juxta ea quæ benignè placuerunt, reddi convenit. *l.* 16. *Cod. d. tit.* DIOCLET. ET MAXIM.

Hinc Is qui liber conſtitutus, captus ab Hoſtibus commercio Redimitur, etiam antequàm reſtituatur pro eo data pecunia, ſucceſſionis jura ſibi vindicare favore ingenuitatis poteſt. ut ex eâ poſſit pretium pro ſe datum exolvere. *l.* 15. *Cod. d. tit.* IDEM.

Corollarium IIᵘᵐ. Indè eſt etiam quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Si liberum captum te ab Hoſtibus commercio redemit Sabinus, & eum vinculum pignoris ſuperſtitem remiſiſſe tibi probetur; non libertus effectus, ſed ingenuitati quam amiſeras reſtitutus, nullum filiis ejus obſequium debes. *l.* 11. *Cod. h. tii.*

Corollarium IIIᵘᵐ. Indè eſt etiam quòd durante Redemptoris pignore, redemptus non debet tractari ut mancipium, nec proſtitui.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Fœdiſſimæ mulieris nequitiâ permovemur. Cùm igitur filiam tuam ab Hoſtibus captam, ac proſtitutam ab eâ quæ eam Redemerat, ob retinendæ pudicitiæ cultum, ac ſervandam natalium honeſtatem, ad te confugiſſe proponas: Præſes provinciæ, ſi filiæ tuæ ſuprà dictam injuriam ab eâ quæ ſciebat ingenuam eſſe, inflictam cognoverit; cùm hujuſcemodi perſona indigna ſit pretium recipere, propter odium deteſtabilis quæſtûs; etiamſi pretium compenſatum non eſt, ex neceſſitate miſerabili cuſtoditâ ingenuitate natæ tuæ; adverſùs flagitioſæ mulieris turpitudinem tutam eam defenſamque præſtabit. *l.* 7. *Cod. d. tit.*

§ II.

De jure Redemptoris in ſervos aut res cæteras quas Ab Hoſtibus Redemit.

XXVI.

Si quis ſervum captum Ab Hoſtibus Redemerit; protinùs eſt redimentis, quamvis ſcientis alienum fuiſſe. Sed oblato ei pretio quod dedit, Poſtliminio rediiſſe aut receptus eſſe ſervus credetur. *l.* 12. § 7. TRYPHONIN. LIB. 4. DISPUTAT.

Quòd Si plurium ſervus fuerat; & omnium nomine, ei qui redemit, reſtitutum pretium erit: in communionem redibit. Si unius tantùm, vel quorumdam, nec omnium; ad eum eos-ve qui ſolverunt, pertinebit: ita ut in portione ſuâ priſtinum jus obtineant; & in parte cæterorum, ei qui redemit ſuccedant (*f*). *d. l.* 12. § 15.

XXVII.

Exindè emergunt duæ quæſtiones.

Prima hæc eſt. Et ſi ignorans Captivum, exiſtimans vendentis eſſe, redemit; an quaſi uſucepiſſe videatur; ſcilicet ne, poſt legitimum tempus, offerendi pretii priori domino facultas ſit, videamus? Nam occurrit quòd Conſtitutio quæ de Redemptis lata eſt (*g*) eum redimentis ſervum facit; & quòd meum jam uſucapere me intelligi non poteſt (*h*). Rursùm, cùm Conſtitutio non deteriorem cauſam redimentium, ſed ſi quo meliorem effecerit, perimi jus bonæ fidei emptoris vetuſtiſſimum, & iniquum & contra mentem Conſtitutionis

(*a*) *Donativa* erant, pecuniæ quas Imperatores ob victoriam vel adoptionem auſpicia-ve Imperii militibus diſtribuendas donabant. Miles qui eo tempore quo donativa data ſunt, erat captivus, non poteſt Poſtliminio reverſus petere ut in his pars ſibi ſervetur.

(*b*) Finge: Teſtator reliquerat Sticho libertatem, *Si navis ex Aſiâ veniſſet.* Stichus transfugit ad hoſtes; & dum ibi eſſet, conditio extitit. Si poſtea aut ab hoſtibus redemptus ſit, aut milites noſtri in expeditione bellicâ eum ceperint; non poterit ipſe jus poſtliminii invocare *ut liber ſit*; cum transfugæ jus poſtliminii activum non habeant, ſuprà N. 8. Sed nec heres teſtatoris poterit eum jure poſtliminii paſſivo vindicare; oblato redemptori pretio: nam jus poſtliminii nobis reſtituit ſervos illos qui, ſi ab hoſtibus potiti non fuiſſent, noſtri manſiſſent: is autem non manſiſſet heredis; quia conditione; ſub quâ libertas ei relicta fuerat exiſtente, ad libertatem perveniſſet. Ergo ceſſante jure poſtliminii, manebit redemptoris, aut militis à quo captus eſt tanquam præda bellica.

(*c*) Redemptori ſcilicet, ab ipſis qui redempti ſunt, aliis-ve eorum nomine.

(*d*) A redemptore facta ei qui redemptus eſt.

(*e*) Vide infrà N. 33.

(*f*) Adeòque hanc partem cæteris, ſi pretium offerant, reſtituere teneantur.

(*g*) Quænam illa ſit, non indicat Juriſconſultus. Certè non ſuprà dicta lex 2. Cod. *de Poſtlim.* [ſuprà N. 25.] quæ Tryphonino poſterior eſt.

(*h*) Hactenùs ratio dubitandi. Servus redemptus ſit interim redimentis: potrò uſucapere poſſe non videor, quod jam meum eſt. Quod enim meum eſt, ampliùs non poteſt fieri meum.

Source : BIU Cujas

est : ideòque transacto tempore, quanto nisi Constitutio eum proprium fecisset, usucapi potuisset ; nihil, ex Constitutione, domini supereſſe (*a*) rectè dicetur. *d. l.* 12. § 8.

Altera quæstio est de casu quo is qui Redemit servum, eum manumittit. Manumittendo autem utrùm desinit tantùm dominus esse, & relictus ab eo servus in jus prioris domini redit ; an & liberum eum fecit, ne præstatio libertatis dominii fiat translatio ? Certè apud Hostes manumissus liberatur ; & tamen si eum nanctus dominus ipsius vetus intra præsidia nostra fuisset, quamvis non secutum res nostras, sed dum eo consilio venisset ut ad illos reverteretur, servum retineret jure Postliminii. Quod in liberis aliter erat : non enim Postliminio revertebatur, nisi qui hoc animo ad suos venisset ut eorum res sequeretur, illosque relinqueret à quibus abisset : quia (ut Sabinus scribit) de suâ quâ civitate cuique constituendi facultas libera est, non de dominii jure. Verùm hoc non multùm onerat præsentem inspectationem (*b*) : quia in Hostium jure manumissio, obesse civi nostro domino servi non potuit ; at is de quo quæritur, lege nostrâ quam Constitutio fecit, civem Romanum dominum habuit ; & an ab eo possit libertatem adsequi, tractamus. Quid enim si nunquam ille pretium ejus offerat ? Si nec conveniendi ejus sit facultas ? Liber (*c*) erit servus : qui nullo merito suo poterit à domino libertatem consequi ; quod est iniquum, & contra institutum à Majoribus libertatis favorem. Certè & veteri Jure, si ab hoc qui sciens alienum esse Redemisset, alius bonâ fide emisset ; usucapere, ad libertatemque perducere potuit : & isto quoque modo prior dominus, qui ante Captivitatem fuerat, jus suum amittebat. Quare igitur iste non habet jus (*d*) manumittendi ? *d. l.* 12. § 9.

XXVIII.

Vidimus rem Redemptam fieri redimentis cum eâ causâ ut lui possit. Præterea inest rei Redemptæ, omnis causa quam habebat priusquàm in Hostium potestatem perveniret ; putà, causa pignoris quo nexa res erat antequàm caperetur.

Igitur Si pignori servus datus fuerat ante Captivitatem ; post dimissum Redemptorem (*e*), in veterem obligationem revertitur.

Et, si creditor obtulerit ei qui redemit quanto Redemptus est ; habet obligationem, & in propriorem (*Haloand.* propiorem) debiti causam, & in eam summam quâ eum liberavit : quasi eâ obligatione, quâdam Constitutione, inductâ ; ut quum posterior creditor priori satisfacit, confirmandi sui pignoris causâ (*f*). Nisi quòd in hoc controversa (*g*) res est : & posterior, (qui apud nos esset prior, quia eum servum ut apud nos esset, efficit), ab eo qui tempore prior fuit, ut infirmiore dimittendus est. *d. l.* 12. § 12.

Pariter inerit rei Redemptæ, causa rei furtivæ ; si, antequàm ad Hostes perveniret, surrepta fuerat.

Hinc Javolenus. Latrones tibi servum eripuerant : postea is servus ad Germanos pervenerat. Inde in bello victis Germanis, servus vænierat. Negant posse usucapi eum ab emptore, Labeo, Ofilius, Trebatius ; quia verum esset, eum subreptum esse : nec quòd Hostium fuisset, aut Postliminio rediisset, ei rei impedimento esse. *l.* 27. JAVOLEN. LIB. 9. EX POSTERIORIB. LABEONIS.

Item Tryphoninus. Sed si in Captivo servo talis præcesserat causa, quæ ejus vel ad tempus, vel in perpetuum libertatem impediret ; nec Redemptione ab Hostibus mutabitur. Veluti si in Legem Faviam commisisse eum constiterat, vel ita vænierat NE manumitteretur (*h*). *l.* 12. § 16. TRYPHONIN. LIB. 4. DISPUTAT.

Vice versâ. Si statuliber fuerit antequàm ab Hostibus caperetur, Redemptus pendente conditione, suam causam retinebit. *d. l.* 12. § 10.

Quid ergo si ita libertatem acceperat, Si decem millia dederit ? quæsitum est, undè dare debebit ? Quoniam etsi concessum est statulibero, de peculio dare ; hoc tamen quod apud hunc qui redemit, habet, numquid vice illius sit (*i*) quod apud Hostes quæsisset ? Utique (*k*), si ex re illius (*l*) aut ex operis suis quæsitum est. Ex aliâ autem causâ parto peculio, potest dare : ita ut conditioni benignè eum paruisse credamus. *d. l.* 12. § 11.

Observa quòd existente quâvis statutæ libertatis conditione, Si fideicommissa libertas debita Captivo fuerit ; Redemptus nondum eam petere poterit, nisi (*m*) Redemptori satisfecerit. *d. l.* 12. § 14.

ARTICULUS II.

Quibus Redemptoribus jus in personas res-ve Redemptas competat.

XXIX.

Jus de quo loquimur, his demùm Redemptoribus competit qui Captivum captas-vè res pretio redemerunt.

Hinc præclarè Diocletianus & Maximianus. Ab Hostibus Capti, & non commercio Redempti, sed virtute militum nostrorum liberati, illicò statum quem Captivitatis casu amiserant, recipiunt : servi autem dominis suis restituentur. RECEPTOS enim eos, non CAPTOS judicare debemus ; & militem nostrum defensorem eorum decet esse, non dominum. *l.* 12. *Cod. de Postlimin.* DIOCLET. ET MAXIM.

Consonat quod iidem rescribunt. Cùm non Redemptum Ab Hostibus filium tuum, sed sine ullo contractu traditum à Barbaris Præfecto Legionis dicas ; Postliminii jus locum habuit ; & illicò ingenuitati suæ reddi eum Præses provinciæ jubebit. *l.* 5. *Cod. d. tit.*

XXX.

Sed nec ei qui pretio Redemerit, jus pignoris competit ; si pietatis causâ redemisse præsumatur : ut in specie de quâ ita rescribunt prædicti Imperatores.

Liber captus ab Hostibus, & commercio Redemptus, tunc demùm quum pretium solverit, vel ei hoc qualicumque remittatur judicio, statum pristinum recipit. Quo genere matre filium redimente, cùm hujusmodi contractus, non de mercede, sed de tristitiâ repudiandâ

(*a*) Nec obstat ratio dubitandi suprà allata : quia non possum quidem usucapere quòd jam perfectè meum est ; at quod imperfectè, potest per usucapionem ampliùs & perfectiùs meum fieri, & ita ut mihi auferri non possit.

(*b*) Id est, speciem quam nunc *inspectamus* & consideramus.

(*c*) Certè per manumissionem redemptoris, *liber erit servus* ; *qui* [si aliter statueremus] *nullo merito suo poterit libertatem consequi*, quod esset apertè iniquum.

(*d*) Redemptor servi, potest dominio veteris domini præjudicare, vendendo hunc servum bonæ fidei emptori qui eum usucapiet : suprà ex l. præced. Quidni ergo & manumittendo ?

(*e*) Ut servus Redemptus, non nisi dimisso Redemptore, ad libertatem ex causâ statutæ libertatis quæ ipsi inerat, pervenit ; ita nonnisi dimisso Redemptore, ad veterem creditorem causâ ex pignoris ante captivitatem in eo contracti revertitur.

(*f*) Supple ; tunc res ipsi ex utrâque causâ tenetur, & sui debiti, & prioris quod solvit. De quâ re suprà lib. 20. Tit. *Qui potior.*

(*g*) Vulgat. *conversa.* Sensus est : Et quidem similis uterque casus ; *Nisi quòd* in præsenti casu conversa res est [*L'espece présente est l'inverse de l'autre*, c'est-à-dire, *de celle qui arrive ordinairement*]. Nam cùm aliàs, ut pignus posterioris creditoris confirmetur, debet posterior ille creditor priori satisfacere ; hîc contrà prior creditor, ut pignus suum confirmet, debet dimittere eum qui posterior est. Scilicet redemptor, licèt *posterior* tempore ; jure tamen *prior apud nos* habetur, quia redimendo effecit ut servus apud nos esset. Ergo priùs dimittendus est ab altero creditore, si hic pignus suum servare velit ; cùm, tempore licèt antiquior, jure tamen *infirmior* seu posterior inveniatur.

(*h*) Verba finalia hujus §i. quæ hîc statim in omnibus Editionibus subjiciuntur [*Habebit autem &c.*] omninò rejicienda putavimus ad alium casum suprà, N. 22.

(*i*) Si Redemptor redemit ab Hostibus servum cum peculio quod ille servus apud Hostes quæsiverat ; Redemptor dominus est hujus peculii quod cum servo ab Hostibus emit : certè non potest servus ex hoc peculio dare. *Numquid autem vice illius est* [numquid huic simile est] illud quod ex aliâ ratione servus Redemptus habet ; numquid pariter potest ex illo peculio dare ?

(*k*) *Utique* erit vice illius, nec poterit dari ; *si*, *&c.*

(*l*) Redemptoris.

(*m*) Nam & liber qui Redemptus est, tenetur, donec se luat, servire Redemptori.

Source : BIU Cujas

cogitatur; voti recipiendi filium cogitatio, cum optabili conditione filium illicò reſtituit: ita ut à civilium obſequio munerum, propter caſum præteritum filius non excuſetur (*a*). Pro pietatis itaque ratione ab Hoſtibus Redempto filio, facti te pœnitere, ac de pretio quicquam tractare non convenit: dotem tamen ab eo (*b*) debitam, jure conceſſo (*c*) reddi poſtulas. *l.* 17. *Cod. d. tit.*

ARTICULUS III.

In quas perſonas res-ve jus Redemptoris competat.

XXXI.

Jus Redemptoris, perſonam rem-ve Redemptam non egreditur.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Præſes provinciæ ne ulteriùs in ſervitutis jugo detinearis, curæ habebit: qui pro ſolertiâ ſuâ parùm ignorat (*d*) filiorum tuorum ſtatum tueri, quos poſteaquàm Redempta es enixam te eſſe ſignificas; cùm eos qui poſt Redemptionem naſcuntur, ne pignoris quidem vinculo ob pretium quod pro his datum non eſt, teneri, nullis (*Aliàs* ullis, *ſeu* nonnullis) Auctoribus viſum eſt. *l.* 8. *Cod. de Poſtlimin.*

ARTICULUS IV.

Quando hoc jus Redemptoris ſolvatur.

XXXII.

Hoc jus Redemptoris ſolvitur 1°. *Reſtituto Redemptionis pretio; quod quidem cogitur ille accipere.*

Hinc Diocletianus & Maximianus. Cùm & Poſtliminii jus & communis utilitatis ratio exigat, ut ſi qui captos Ab Hoſtibus Redemerint, accepto pretio Redemptos ſuæ ingenuitati reſtituant; proponaſque Redemptorem tuum noluiſſe oblatum pretium à te vel ab alio recipere: Præſes provinciæ efficaci inſtantiâ compellet eum Legibus obtemperare; & percepto eo quod pretii nomine dependitur, ſtatûs ſecuritatem non inquietare. *l.* 6. *Cod. de Poſtlimin.*

Obſervandum quòd Si is qui emat ab Hoſtibus, pluris alii jus pignoris, quod in Redempto habet, ceſſerit; non eam quantitatem, ſed priorem Redemptus reddere debet. Et emptor habet actionem adversùs eum qui vendidit, Ex empto. *l.* 19. § 9. PAUL. LIB. 16. AD SABIN.

XXXIII.

2°. *Solvitur pignus condonato Redemptionis pretio. Condonatum autem præſumitur, ex nuptiis inter Redemptorem & Redemptam perſonam ſecutis.*

Hoc docent Diocletianus & Maximianus. Si is qui te Ab Hoſtibus ingenuam captam commercio Redemit, ſibi matrimonio conjunxit; dignitate nuptiarum, & voto futuræ juſtæ ſobolis, vinculo pignoris tibi remiſſo, reddi natales priſtinos rationis eſt. *l.* 13. *Cod. de Poſtlimin.*

Conſonat quod ait Ulpianus. Si quis inguenam Ab Hoſtibus Redemptam eo animo ſecum habuerit, ut ex eâ ſuſciperet liberos, & poſtea ex ſe natum ſub titulo naturalis filii cum matre manumiſerit; ignorantia mariti ejuſdemque patris, neque ſtatui eorum quos manumiſiſſe viſus eſt, officere debet. Et exindè intelligi oportet remiſſum matri pignoris vinculum, ex quo de eâ ſuſcipere liberos optaverat. Ideòque eam quæ Poſtliminio reverſa erat libera & ingenua, ingenuum peperiſſe conſtat (*e*). *l.* 21. ULP. LIB. 5. OPINION.

Obiter nota. Quòd ſi publicè prædâ virtute militum recuperatâ, nulli pretium matris pater numeravit; protinùs Poſtliminio reverſa, non cum domino, ſed cum marito fuiſſe declaratur. *d. l.* 21. ¶ *quòd ſi.*

XXXIV.

Denique ſolvitur hoc pignus, perſona aut rei Redempta interitu.

Undè Ulpianus. Si patre Redempto & ante luitionem defuncto, filius poſt mortem ejus Redemptionis quantitatem offerat; dicendum eſt, Suum ei poſſe exiſtere. Niſi fortè quis ſubtiliùs dicat; hunc, dum moritur, quaſi jure pignoris finito, nanctum Poſtliminium; & ſine obligatione debiti obiiſſe, ut poterit Suum habere. Quod non ſine ratione dicetur. *l.* 15. ULPIAN. LIB. 12. AD SABIN.

Ex Conſtitutione Honorii & Theodoſii, finitur hoc pignus quinquennali operarum obſequio. l. 20. Cod. h. tit.

SECTIO III.

De fictione Legis Corneliæ circa eos qui in Captivitate moriuntur.

XXXV.

Ex Lege Corneliâ; In omnibus partibus Juris, is qui reverſus non eſt ab Hoſtibus, quaſi tunc deceſſiſſe videtur quum captus eſt. *l.* 18. ULP. LIB. 35. AD SABIN.

§ I.

De hujus fictionis effectu, quoad teſtamenta & ſucceſſiones.

XXXVI.

Hujus fictionis utilitas evidens eſt. Enimverò, ſi hæc non ſubveniat; Ejus qui apud Hoſtes deceſſit, dici hereditas non poteſt; qui ſervus deceſſit. *l.* 3. § 1. *ff. de Verb. ſignif.* ULP. LIB. 2. AD ED.

Hujus autem fictionis virtute; Captivus qui apud Hoſtes moritur, eos heredes habebit quos habiturus eſſet ſi tunc mortuus eſſet quum captus eſt: ſive illi tunc in civitate erant, ſive apud Hoſtes undè poſtea reverſi ſunt.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Captum ab Hoſtibus filium, patre mortuo medio tempore, Lex Cornelia reverſum (ſi in poteſtate patris tempore quo capiebatur, fuit) ſuum facit heredem. Undè, ſive ex teſtamento ad te, ſive ab inteſtato ſucceſſionem patris tui pertinere apud Præſidem provinciæ probaveris; reſtitui tibi res hereditarias jubebit: ſi non tantùm, poſtquàm reverſus es, tempus effluxit, quantùm intentionem tuam temporis prolixitate conquieſcere faciat. *l.* 9. *Cod. de Poſtlimin.*

XXXVII.

Hâc fictione Legis Corneliæ innititur Papinianus in definiendâ ſpecie ſequenti. Pater inſtituto impuberi filio ſubſtituerat, & ab Hoſtibus captus ibi deceſſit. Poſteà defuncto impubere legitimum admitti quibuſdam videbatur; neque tabulas ſecundas in ejus perſonâ locum habere, qui vivo patre ſui juris effectus fuiſſet (*f*).

(*a*) Non excuſatur à muneribus publicis: quaſi non ſit liber, & teneatur ſervire matri quæ ipſum redemit, donec ſe luat. Imò falſum eſt eum teneri ſervire: mater enim officio pietatis, non animo repetendi pretium redemptionis, eum videtur redemiſſe.

(*b*) Ut herede patris.

(*c*) Scilicet quatenùs facere poteſt.

(*d*) Id eſt, non ignorabit.

(*e*) Sed etſi adhuc durante vinculo peperiſſet, ingenuum peperiſſet: ſuprà N. 25.

(*f*) Pupillaris enim ſubſtitutio non valet; niſi is cui ſubſtituitur, in poteſtate teſtatoris fuerit tempore mortis teſtatoris: ſuprà lib. 28. Tit. *de Vulg. & pupill. ſubſtit.* N. 40.

ex

Source : BIU Cujas

Verùm huic ſententiæ refragatur Juris ratio: quoniam ſi pater qui non rediit, jam tunc deceſſiſſe intelligitur ex quo captus eſt; ſubſtitutio ſuas vires neceſſariò (*a*) tenet. *l.* 10. PAPIN. LIB. 29. QUÆST.

Quòd ſi filius antè (*b*) moriatur in civitate, nihil eſt quod de ſecundis tabulis tractari poſſit (*c*): ſive (*d*) quoniam vivo patre filiusfamilias mori intelligitur; ſive (*e*) quoniam non reverſo eo, exindè ſui juris videtur fuiſſe ex quo pater Hoſtium potitus eſt. *l.* 11. IDEM LIB. 31. QUÆST.

Jam conversâ ſpecie ponamus, non patrem, ſed filium ab Hoſtibus captum, & ibi deceſſiſſe. De hâc ſpecie ita diſſerit idem Papinianus. Si mortuo patre capiatur impubes inſtitutus vel exheredatus; in promptu eſt dicere Legem Corneliam de tabulis ſecundis nihil locutam, ejus duntaxat perſonam demonſtraſſe qui teſtamenti factionem habuiſſet (*f*). Planè (*g*) Captivi etiam impuberis legitimam hereditatem per Legem Corneliam deferri: quoniam (*h*) verum eſt, ne impuberem quidem factionem teſtamenti habuiſſe. Et ideò non eſſe alienum, Prætorem ſubſequi non minùs patris, quàm Legis voluntatem; & Utiles (*i*) actiones in hereditatem ſubſtituto dare. *ſub. d. l.* 10. § 1.

Sed ſi ambo apud Hoſtes, & prior pater decedat; ſufficiat Lex Cornelia ſubſtituto: non aliàs (*k*) quàm ſi apud Hoſtes patre defuncto, poſtea filius in civitate deceſſiſſet. *ſup. d. l.* 11. § 1.

Quòd Si quis quum prægnantem uxorem haberet (*l*) in Hoſtium poteſtatem pervenerit; nato deinde filio & mortuo, ibi deceſſerit; ejus teſtamentum nullum eſt; quia & eorum qui in civitate manſerunt, hoc caſu teſtamenta rumpuntur. *l.* 22. § 4. JULIAN. LIB. 62. DIGEST.

XXXVIII.

Pertinet etiam ad fictionem Legis Corneliæ, ſequens ſpecies. Si filiusfamilias miles captus apud Hoſtes deceſſerit: dicemus Legem Corneliam, etiam ad ejus teſtamentum (*m*) pertinere. Sed quæramus, ſi pater ejus (*n*) priùs in civitate deceſſerit, relicto nepote (*o*) ex filio; an ſimiliter teſtamentum patris rumpatur (*p*)? Et dicendum eſt, non rumpi teſtamentum; quia ex eo tempore quo captus eſt, videtur deceſſiſſe. *l.* 39. *ff. de Teſtam. milit.* PAUL. LIB. 9. QUÆST.

XXXIX.

Uno verbo: Bona eorum qui in Hoſtium poteſtatem pervenerint, atque ibi deceſſerint; ſive teſtamenti factionem habuerint, ſive non habuerint, ad eos pertinent, ad quos pertinerent ſi in poteſtatem Hoſtium non perveniſſent (*q*). Idemque Jus in eâdem causâ omnium rerum jubetur eſſe Lege Corneliâ; quæ futura eſſet, ſi hi de quorum hereditatibus & tutelis conſtituebatur, in Hoſtium poteſtatem non perveniſſent. *l.* 22. JULIAN. LIB. 62. DIGEST.

§ II.

De effectu hujus Legis, quoad jus acquirendi per eos qui in Captivi poteſtate erant.

XL.

Ex dictis Apparet ergo, eadem omnia pertinere ad heredem ejus; quæ ipſe qui Hoſtium potitus eſt, habiturus eſſet ſi Poſtliminio revertiſſet. Porrò quæcumque ſervi Captivorum ſtipulantur vel accipiunt, adquiri dominis intelliguntur quum Poſtliminio redierint. Quare neceſſe eſt, etiam ad eos pertineant qui ex Lege Corneliâ hereditatem adierint. Quòd ſi nemo ex Lege Corneliâ heres extiterit, bona publica fient. Legata quoque ſervis eorum, præſenti die, vel ſub conditione, ad heredes (*r*) pertinebunt. Item ſi ſervus ab extero heres inſtitutus fuerit, juſſu heredis Captivi adire poterit. *d. l.* 22. § 1.

Conſonat quod ait Marcellus. Quod ſervus ejus qui ab Hoſtibus captus eſt, poſteà ſtipulatus eſt; aut ſi legatum ſit ſervo ejus poſteaquàm ille ad Hoſtes pervenit: hoc habebunt heredes ejus: quia & ſi Captivitatis tempore deceſſiſſet, adquiſitum foret heredi (*s*). *l.* 1. MARCELL. LIB. 22. DIGEST.

Ex his quæ diximus, illud ſequitur quoque; quòd ea Quæ peculiari nomine ſervi Captivorum poſſident, in ſuſpenſo ſunt. Nam ſi domini Poſtliminio redierint, eorum facta intelliguntur: ſi ibi deceſſerint, per Legem Corneliam ad heredes eorum pertinebunt. *d. l.* 22. § 3.

XLI.

Hactenùs de his quæ per ſervos Captivi acquiruntur. Quòd ſi filius ejus qui in Hoſtium poteſtate eſt, accipit aut ſtipulatur; id, patre priuſquàm Poſtliminio rediret mortuo, ipſi adquiſitum intelligitur: & (*t*) ſi vivo patre deceſſerit, ad heredem patris pertinebit. Nam ſtatus hominum, quorum patres in Hoſtium poteſtate ſunt, in pendenti eſſet: reverſo quidem patre, exiſtimatur nunquam ſuæ poteſtatis fuiſſe; mortuo, tunc paterfamilias fuiſſe quum pater ejus in Hoſtium poteſtatem perveniret. *l.* 22. § 2. JULIAN. LIB. 22. DIGEST.

XLII.

Conſequenter huic quam ſtatuimus ſervos inter & filios differentiæ, ita diſputat Tryphoninus. Si quis capiatur ab Hoſtibus; hi quos in poteſtate habuit in incerto ſunt, utrùm ſui juris facti, an adhuc pro filiisfamiliarum computentur. Nam defuncto illo apud Hoſtes; ex quo captus eſt, patresfamiliarum, reverſo, nunquam non in poteſtate ejus fuiſſe credentur. Ideò & de his quæ medio tempore adquirunt, ſtipulatione, traditione, legato, (nam hereditate non (*u*) poſſunt) tractatum eſt

(*a*) Cùm enim pater fingatur mortuus tunc quum captus eſt, adeòque ultimo momento quo civis eſſe deſiit; ſequitur filium fuiſſe in poteſtate patris, tempore mortis patris.

(*b*) *Ante* patrem, dum pater Captivus eſſet.

(*c*) Id eſt, [ut interpretatur Cujacius in lib. 22. *Quæſt. Papin.*] nulla quæſtio, nulla dubitatio circa tabulas pupillares eſſe poteſt. Certum enim eſt hoc caſu eas irritas fore, ſi pater ab Hoſtibus redeat; & pariter certum eſt eas valituras, ſi pater ibi moriatur.

(*d*) Quo caſu pater poſtea reverteretur, *quoniam vivo*, &c.

(*e*) Quo caſu ibi pater moreretur, *quoniam non reverſo*, &c.

(*f*) Hæc ratio dubitandi; quia Lex Cornelia videtur introducta, ut confirmet teſtamentum eorum qui teſtamenti factionem habent: non ergo pertinere ad impuberem qui teſtamenti factionem non habet.

(*g*) Hic confutat rationem dubitandi. Imò, inquit, Lex Cornelia non eſt reſtringenda ad eas perſonas quæ teſtamenti factionem habent: nam impuberis apud Hoſtes mortui legitimam hereditatem confirmat, quamvis impubes teſtamenti factionem non habeat. Quidni pariter ſubſtitutionem pupillarem confirmet?

(*h*) Verba hæc cenſet Wielingius *Lect. Jur. civ.* I. 23. trajecta eſſe, & ſuprà reponenda ante ¶um. *Planè.* Vel potiùs, abſque ullâ trajectione legendum eſt *Quanquam* pro *Quoniam.*

(*i*) Non *Directas*; quia non ex verbis, ſed ex ſententiâ Legis Corneliæ admittitur.

(*k*) Senſus eſt [ut interpretatur Cujacius]: ſi ambo capti fuerint, & pater prior decedat; *ſubſtituto Lex Cornelia non aliàs ſufficiat*, id eſt non aliter poſſit ſubſtitutus ex Lege Corneliâ ad ſubſtitutionem admitti, *quàm ſi filius* redierit. Secùs, ſi etiam ipſe apud Hoſtes decedat: ut dicitur in l. 29. ff. *de Vulg. ſubſtit.* Vide rationem in Notis ad h. l. *d. tit.* N. 51.

(*l*) Et poſthumum qui ex eâ ſperabatur, præteriiſſet.

(*m*) Atqui non obſervantur in teſtamento militis, regulæ Juris Civilis? Solve: non obſervantur regulæ quæ illud impugnarent: ſecùs de illis per quas conſervatur.

(*n*) Militis Captivi.

(*o*) Cujus nepotis præteritio in teſtamento avi, illud ruperit: cùm inveniatur ſuus heres fuiſſe avo. Nec enim poteſt videri pater ejus eum præceſſiſſe; qui, cùm non redierit, jam ex quo captus eſt intelligitur præmortuus eſſe. Hæc neceſſariò ſupplenda monet Cujacius.

(*p*) *An* quemadmodum rumpi diximus teſtamentum avi, ita *ſimiliter rumpatur teſtamentum patris* quod ante captivitatem fecit, & in quo pariter præteritus invenitur? Minimè verò: nam pater videtur deceſſiſſe vivo avo, & dum ipſe adhuc eſſet filiusfamilias; adeòque præteritio filii, qui non ipſi ſed avo ſuus heres erat, teſtamentum ejus non rumpit. Ita Cujac.

(*q*) Sed tunc quum capti ſunt deceſſiſſent.

(*r*) Captivi.

(*s*) Servi enim jacentis hereditatis, acquirunt hereditati; & per eam adquiritur heredi.

(*t*) Legendum *nec ſi*; ut rectè obſervant Accurſius & Cujacius, & ipſa ratio contextûs poſtulat.

(*u*) Quia, dum ſperatur redire pater, reditum ejus expectare debent; ut ipſe jubeat eos adire.

Source : BIU Cujas

ubi non eſt reverſus; ſi fortè alii, vel in totum his exheredatis teſtamento (*a*), vel in partem, inſtituti ſunt heredes: utrùm (*b*) in hereditate Captivi, quæ Lege Corneliâ inducitur, an propria ipſorum ſint? Quod verius eſt. Diverſumque in his quæ per ſervos adquiruntur: meritò; quia hi bonorum (*c*) fuerunt, & eſſe perſeverant; hi (*d*) ſui juris exindè, ſibique ideò adquiſiiſſe intelliguntur. *l.* 12. § 1. TRYPHONIN. LIB. 4. DISPUTAT.

(*a*) Quod pater eorum ante ſuam captivitatem fecit.

(*b*) *Utrùm* hæc quæ filii [ut diximus] durante patris Captivitate acquiſiverunt, erunt in hereditate patris in Captivitate mortui; *an propria ipſorum* filiorum?

(*c*) Hi ſervi, fuerunt in bonis Captivi; & in bonis ejus eſſe perſeverant, poſtquàm mortuus intelligitur.

(*d*) Filii.

TITULUS XVI.

DE RE MILITARI.

JUribus captivitatum & poſtliminiorum, nemo non videt proximam eſſe tractationem de Militibus & RE MILITARI.

I.

MILES autem appellatur; vel à Militiâ, id eſt, duritiâ quam pro nobis ſuſtinent; aut à multitudine; aut à malo quod arcere Milites ſolent; aut à numero mille hominum (ducitum à Græco verbo, tractum à tagmate: nam Græci mille hominum multitudinem ΤΑΓΜΑ appellant) quaſi milleſimum quemque dictum: undè ipſum ducem ΧΙΛΙΑΡΧΟΝ appellant.

EXERCITUS autem, nomen ab exercitatione traxit. *l.* 1. § 1. *ff. de Teſtam. militis.*

Quæ de Militibus & Re Militari in hoc Titulo traduntur, ita dividentur; ut videamus 1°. *Quomodo fiant Milites:* 2°. *De his quibus non licet dare nomen Militiæ:* 3°. *De his qui eam detrectant:* 4°. *Quæ ſint præmia, item privilegia Militum, necnon quæ ipſis interdicantur:* 5°. *Agemus de delictis Militum, & variis eorum pœnis:* 6°. *De his Militibus qui immunitatem à muneribus Militiæ habent:* 7°. *De officio eorum qui Militibus præſunt:* 8°. *Denique, de miſſione à Militiâ.*

ARTICULUS I.

De Militiâ Romanorum, & quomodo fiant Milites.

II.

Romanus exercitus conſtabat Legionibus & Auxiliis. LEGIONES *erant civium Romanorum,* AUXILIA *verò ſociorum Populi Romani.*

Prima Legio à Romulo inſtituta, fuit trium millium peditum; & trecentorum equitum. Poſteà crevit Militum cujuſque legionis numerus: fueruntque pro variis temporibus, modò quinque, modò etiam ſex millium peditum; equitum autem, modò ducentorum, modò trecentorum.

Pedites cujuſque Legionis dividebantur in decem Cohortes, quibus ſingulis præerant Tribuni Militum *aut* PRÆPOSITI [Commandants, *ou* Chefs de Brigade]; *& in ſingulis cohortibus, quatuor Militum ordines erant. Scilicet* [*præter* Velites *qui ætate ac facultatibus minimi cæteris ordinibus circumfuſi erant*), *peditum erat triplex ordo;* Haſtatorum *qui juniores in primâ acie haſtis* Principum *ſeu antepilanorum qui in ſecundâ gladiis, Pilanorum denique ſeu* Triariorum *qui graviſſimi & majores natu Milites in tertiâ acie jaculis decertabant:* Varro *IV.* 16. Polyb. *lib.* 6. *Singulos autem ordines* (*præterquàm Velitum*) *ducebant Centuriones. Cùm portò Legio in decem Cohortes diſtributa eſſet; cohors unaquæque ſuos Haſtatorum, Principum, ac Triariorum ordines ſeu manipulos ſingulos in ſingulas Centurias diſtributos haberet; ſic fit, ut in unaquâque legione, ſexaginta Centuriæ & ſexaginta Centuriones eſſent; inter quos primus erat qui primæ cohortis Triariorum primæ Centuriæ præerat, vocabaturque* Centurio PRIMIPILI *ſeu Primipilaris. Singuli autem Centuriones, ſuos habebant adjutores* [Sergents]; *qui &* OPTIONES & Tergi-ductores *dicebantur: de quibus Polybius ſup. d. loc.*

Quod ad Equites attinet; ſub Magiſtris Equitum *diſtributi erant, in decem* ALAS *ſeu turmas* [Eſcadrons]. *Singulæ autem alæ* [*ita dictæ, quòd in cujuſque Legionis lateribus ordinarentur*] *tres habebant Decurias, quibus ſingulis præerant ſinguli Decuriones; quorum, qui primus electus eſſet, univerſæ turmæ ſeu alæ præerat. Pariterque ſinguli Decuriones, ſuos ſibi* OPTIONES *ſeu Tergi-ductores eligebant. Polyb. & Varro ſuprà.*

III.

Fiebant autem antiquis temporibus Milites tribus modis, DELECTU, CONJURATIONE, & EVOCATIONE; *ſcilicet, vel inviti, vel ſponte.*

I. Uſitatiſſimus erat DELECTUS, *qui &* SACRAMENTUM *appellatur. Nimirùm indicto bello, Conſul alius-ve Magiſtratus cui à Senatu bellum gerendum decretum erat, delectum edicebat. Convenire in Capitolium tenebantur omnes ad arma idonei, ab anno ætatis* 17°. *ad* 46^um^ (*a*). *Tribuni Militares, qui aut à duce exercitûs, aut populi ſuffragiis creati erant, Tribus ſortiebantur ex quibus delectum haberent; & ex Tribu ſorte ductâ eligebant juvenes quibus legionum numerus compleretur, quos nempè in ſingulas legiones diſtribuebant. Tunc uno ex unâquaque legione ſacramenti verba præeunte, cæteri omnes in eam legionem conſcripti in verba ejus jurabant; ſcilicet obtemperaturos ſe ducibus, & mandata eorum pro viribus executuros.* Polyb. *d. loc.*

II. CONJURATIONI *locus erat, quoties imminens periculum moras delectûs non permitteret. Qui erat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium; & exindè prolatis vexillis, roſeo ad Pedites, cœruleo ad Equites convocandos, ſic proclamabat:* QUI VULT SALVAM REMPUBLICAM, ME SEQUATUR. *Omneſque qui convenerant, ſimul jurabant: undè hæc Militia* CONJURATIONIS *nomen accepit. Vide Servium in* Æneid. *VIII. Et apud Livium quoque lib.* 45. *mentio eſt Militum* CONJURATORUM.

III. Erat denique tertius modus, EVOCATIO; *quum ad diverſa loca diverſi ad cogendos exercitus mittebantur:* Serv. *d. loc.*

Quocumque autem modo fierent Milites, maximè ad Militiam requirebatur SACRAMENTUM; *ita ut qui illud nondum præſtitiſſet, nondum eſſet miles, nec ei cum hoſte pugnare liceret. Plutarch.* Quæſt. Rom. 49. *Cicero* de Offic. *lib.* 1°.

IV.

Ita antiquis temporibus fiebant Milites. Jure Pandectarum, PLERUMQUE *voluntarii Militiæ nomen dant.*

Debent autem probari à Principe. Nam ex Conſtitutione Zenonis antiquata conſuetudo quæ Magiſteriæ poteſtati vel ducibus, probatorias Militum facere vel Militibus

(*a*) Vide infrà N. 9. Aliquando tamen & juniores & ſeniores lecti ſunt: ſed hoc præter regulam.

Source : BIU Cujas

adjungere, *licentiam tribuebat ; caveturque ut nemo in ullo peditum equitum-ve numero ſine ſacrâ Principis Probatoriâ ſocietur* (ſans un Brevet de l'Empereur.) *l.* 17. *Cod. h. tit.*

ARTICULUS II.

De his quibus non licet dare nomen Militiæ.

V.

Dare ſe Militem, cui non licet, grave crimen habetur ; & augetur, ut in cæteris delictis, dignitate, gradu, ſpecie Militiæ. *l.* 2. § 1. ARRIUS-MENANDER LIB. I. DE RE MILIT.

Videndum igitur quibus non liceat Milites eſſe.

V I.

Antiquo Jure Romanorum, Milites legi non poterant niſi ingenui, & quidem ex quinque primis claſſibus ; non verò capite cenſi, qui ex antiquo Servii-Tullii inſtituto Militiæ immunes erant, ut Dionyſius refert : ſed nec illi qui hiſtrionicam egerant ; teſte Livio lib. VII. Quanquam ab his regulis aliquando receſſum : nam bello Samnitico, etiam libertini centuriati ſunt ; & Punico bello, octo millia ſervorum empta publicè armaverunt ; Liv. XXII. 57. *Refert etiam Salluſtius Marium ſcripſiſſe Milites, non more Majorum, neque ex claſſibus, ſed pleroſque capite cenſos.*

Jure Pandectarum, ſicut antiquitùs, Ab omni Militiâ ſervi prohibentur : alioquin capite puniuntur. *l.* 11. MARCIAN. LIB. 2. REGUL.

Ex Conſtitutione autem Juſtiniani, ſi ſervus militaverit, ſi quidem ignorante domino, dominus impetrabit ut ſibi reſtituatur : ſin eo ſciente, dominii jure & patronatûs cadet ; ſervuſque factus ingenuus militabit, ſi idoneus erit ; ſin, Militiâ privabitur. l. 6. *Cod.* Qui milit. poſſ.

Ad beſtias datus ſi profugit & Militiæ ſe dedit, quandoque inventus capite puniendus eſt. Idemque obſervandum eſt in eo qui legi ſe paſſus eſt. *l.* 4. § 1. ARRIUS-MENAND. LIB. I. DE RE MILITARI.

V I I.

Hactenùs de ſervis. Sed & Qui ſtatûs controverſiam patiuntur, licèt reverâ liberi ſunt, non debent per id tempus nomen Militiæ dare ; maximè lite ordinatâ, ſive ex libertate in ſervitutem, ſive contrà petantur.

Nec hi quidem qui ingenui bonâ fide ſerviunt.

Sed nec qui ab hoſtibus redempti ſunt, priuſquàm ſe luant. *l.* 8. ULP. LIB. 8. DISPUTAT.

Item libertus Operis obligatus, Militiæ nomen non ſine injuriâ patroni dabit. *l.* 43. *ff. de Oper. libert.* PAPIN. LIB. 19. RESPONS.

V I I I.

Adulterii vel aliquo judicio publico damnati, inter Milites non ſunt recipiendi. *l.* 4. § 7. ARRIUS-MENAND. LIB. I. DE RE MILIT.

Reus capitalis criminis, voluntarius Miles, ſecundùm Divi Trajani Reſcriptum capite puniendus eſt. Nec remittendus eſt eò ubi reus poſtulatus eſt ; ſed ut accedente causâ Militiæ audiendus, ſi dicta (*a*) cauſa ſit ; vel requirendus adnotatus. *d. l.* 4. § 5.

Ignominiâ miſſus ad judicem ſuum remittendus eſt, nec recipiendus poſtea volens Militare : licèt fuerit abſolutus. *d. l.* 4. § 6.

Conſonat quod ait Paulus. Qui metu criminis in quo jam reus fuerat poſtulatus (*b*) nomen Militiæ dedit ; ſtatim ſacramento ſolvendus eſt. *l.* 16. PAUL. LIB. 5. SENTENT.

Relegato ad tempus, non licet dare nomen Militiæ, aut pati ſe in Militem legi. Alioquin Temporarium exilium (*c*) voluntario Militi inſulæ relegationem adſignat, diſſimulatio (*d*) perpetuum exilium. *ſup. d. l.* 4. § 3.

Ad tempus relegatus, ſi expleto ſpatio fugæ Militem ſe dedit ; cauſa damnationis quærenda eſt : ut, ſi contineat infamiam perpetuam (*e*), idem obſervetur. Si tranſactum de futuro (*f*) ſit ; & in Ordinem (*g*) redire poteſt, & honores petere Militiæ non prohibetur. *d. l.* 4. § 4.

In inſulam deportatus ſi effugiens Militiæ ſe dedit, lectus (*Haloand.* luctus-ve) vel diſſimulavit ; capite puniendus eſt. *d. l.* 4. § 2.

Deſertores alicujus Militiæ, in aliam adſcribi non poſſunt.

Igitur Qui poſt deſertionem in aliam Militiam nomen dederunt, legi-ve paſſi ſunt ; Imperator noſter reſcripſit, ET hos Militariter puniendos. *d. l.* 4. § 9.

I X.

Ab armatâ Militiâ arcentur homines Curiales : item homines Cohortalis conditionis ; adſcripti ſcilicet & obnoxii cohorti Officialium (*h*), *qui Magiſtratibus in provinciis ſemper præſtò eſſe debebant l.* 4. *Cod.* Qui milit. poſſ.

Ab eâ pariter arcentur, Saltuarii & Coloni Principis. l. 3. Cod. d. tit.

Ex Conſtitutione Juſtiniani, hi qui ergaſterio (*id eſt, officinæ ac tabernæ*) *præſunt* (*i*), *ab omni Militiâ prohibentur, etiam Urbanâ* (*k*) *: exceptis argenti diſtractoribus* (*l*) *qui Conſtantinopoli negotiantur, qui ab armatâ duntaxat Militiâ prohibentur. l. un. Cod.* Negotiat. ne militent.

Militare etiam prohibentur Clerici & Monachi. Si fecerint, Militiâ mittuntur, & ſuæ aut alicujus civitatis Curiæ mancipantur. l. 53. *Cod.* de Epiſcop. & Clerc.

Arcentur etiam à Militiâ hæretici, exceptis Gothis fœderatis. l. 22. *Cod.* de Epiſc. aud. *junctâ Novellâ CIX.*

Item minores 17. *annis Idque ex antiquiſſimo Servii-Tullii Regis inſtituto. Hunc enim refert Tubero apud Gellium X.* 28. *quum claſſes Cenſûs faciendi gratiâ inſtitueret ;* « PUEROS *eſſe exiſtimaſſe, qui minoris eſſent annis* » *ſeptem-decim ; atque indè ab anno Septimo-decimo, quòd* » *idoneos jam eſſe Reipublicæ arbitraretur, Milites ſcrip-* » *ſiſſe : eoſque ad annum Quadrageſimum-ſextum,* JU- » NIORES ; *ſupraque eum annum,* SENIORES *appellaſſe.* »

Quædam denique vitia corporis, arcent à Militiâ ; ut ſurditas, & cœcitas.

Cæterùm Qui cum uno teſticulo natus eſt, qui-ve amiſit, jure militabit ; ſecundùm Divi Trajani Reſcriptum. Nam & duces Sylla & Cotta memorantur eo habitu fuiſſe naturæ. *l.* 4. ARRIUS-MENAND. LIB. I. DE RE MILIT.

X.

Vidimus qui ſint Militiæ incapaces. Sed & illis qui capaces ſunt, nomen dare non permittitur ; ſi dolo hoc faciant : putà, in fraudem alicujus muneris quod ipſis injungendum erat.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Non tantùm Decurionum filiis (*m*), ſed omnibus in fraudem civilium munerum nomina armatæ Militiæ dantibus, fraudem prodeſſe diſplicuit. *l.* 2. *Cod. Qui milit. poſſ.*

Hinc generaliter Ulpianus. Qui obnoxius muneribus ſuæ civitatis fuit ; nomen Militiæ, defugiendi oneris

(*a*) Senſus eſt ; *Sed* etſi jam cauſa dici cœpta ſit apud judicem coram quo poſtulatus eſt, nihilominùs ſuper eodem crimine audiendus eſt apud judicem Militarem, *accedente causâ Militiæ* ; id eſt, cùm ex militiâ acceſſerit nova cauſa mutandæ juriſdictionis ; vel, ut alii volunt, accedente huic crimini de quo jam poſtulatus eſt, hoc novo crimine quòd reus poſtulatus nomen Militiæ dederit.

(*b*) Nondùm licèt inter reos receptus.

(*c*) Senſus eſt : Ad tempus relegatus, ſi fiat voluntarius miles ultrò dans nomen militiæ, hâc pœnâ plectitur ut *In inſulam* relegetur : quæ erat duriſſima relegationis ſpecies, ut vid. lib. præced. Tit. *de Pœnis* N. 20.

(*d*) Quòd ſi, quum legeretur, diſſimulavit ſe eſſe relegatum ; ita punitur ut, quum ad tempus duntaxat eſſet relegatus, perpetuum fiat exilium.

(*e*) Putà, ſi publico judicio damnatus eſſet.

(*f*) Id eſt, de infamiâ futuri temporis ; ſervatâ ſcilicet ipſi famâ pro futuro tempore. Vide ſuprà lib. 3. *de His qui not. infam.* N. 11.

(*g*) Scilicet, quemadmodum *in* Decurionum *Ordinem redire poteſt* ; ita & *honores &c.*

(*h*) Ita Budæus interpretatur.

(*i*) *Ceux qui ſont à la tête d'un commerce* ou *d'une Manufacture.*

(*k*) Quales erant Vigiles, &c.

(*l*) *Banquiers.*

(*m*) Qui propter conditionem ſuam incapaces ſunt : ſuprà N. 9.

Source : BIU Cujas

municipalis gratiâ, dedit: deteriorem cauſam Reipublicæ facere non potuit. *l.* 4. *§ fin. ff. de Munerib. & hon.* ULP. LIB. 3. OPINION.

Item litis causâ Militiam appetere non licet. Undè Severus & Antoninus. Si nomen Militiæ dare vultis, offerte vos his qui probandi jus habent (*a*). Non autem ignoratis eos qui litis causâ Militiam appetierint, poſtulantibus adverſariis ſolvi ſacramento ſolere. *l.* 1. *Cod. Qui milit. poſſ.*

Cæterùm Non omnis qui litem habuit, & ideò Militaverit, exauctorari jubetur, ſed qui eo animo Militiæ ſe dedit, ut ſub obtentu Militiæ pretioſiorem (*b*) ſe adverſario faceret.

Nec tamen facilè indulgendum eſt, extra ordinem judicationis (*c*), qui negotium antè habuerunt. Sed ſi in tranſactione (*Haloand.* tranſactionem) recidit, indulgendum eſt.

Exauctoratus eo nomine, non utique infamis erit: nec prohibendus lite finitâ, Militiæ ejuſdem ordinis ſe dare. Alioquin & ſi relinquat litem vel tranſigat, retinendus eſt. *l.* 4. § 8. ARRIUS-MENAND. LIB. 1. DE RE MILIT.

ARTICULUS III.

De his qui Militiæ ſe aut filios ſuos ſubtrahunt.

X I.

Superiori Art. egimus de his qui contra fas Militiam appetunt.

Gravius autem delictum eſt detrectare munus Militiæ, quàm adpetere. Nam & qui ad delectum (*d*) olim non reſpondebant, ut proditores libertatis, in ſervitutem redigebantur. Sed mutato ſtatu Militiæ, receſſum à capitis pœnâ eſt; quia plerùmque voluntario Milite numeri ſupplentur. *l.* 4. § 10. ARRIUS-MENAND. LIB. 1. DE RE MILIT.

Qui filium ſuum ſubtrahit Militiæ, belli tempore; exilio & bonorum parte mulctandus eſt. Si in pace, fuſtibus cædi jubetur: & requiſitus juvenis, vel à patre poſtea exhibitus, in deteriorem Militiam dandus eſt. Qui enim ſe ſollicitavit (*e*) ab alio, veniam non meretur. *d. l.* 4. § 11.

Eum qui filium debilitavit, delectu per bellum indicto, ut inhabilis Militiæ ſit; præceptum Divi Trajani deportavit. *d. l.* 4. § 12.

ARTICULUS IV.

De præmiis ac privilegiis Militum, & de his quæ ipſis interdicuntur.

§ I.

De Militum præmiis.

X I I.

Præmia Militum, *vel* Ordinaria *ſunt*, *vel* Extraordinaria.

1°. *Ordinaria ſunt*, STIPENDIA. *Horum initium refert Livius IV.* 59. *circa annum ab U. C.* 347. *Etenim poſt Anxur Volſcorum oppidum captum, Senatum decreviſſe ut* « STIPENDIUM MILES DE PUBLICO ACCIPERET; » *quum ante id tempus, de ſuo quiſque functus eo munere* » *eſſet.* »

Cenſet autem Sigonius; hoc tunc Peditibus duntaxat indultum fuiſſe; Equitibus verò nonniſi anno U. C. 350. *Idque ex eodem Livio V.* 7. *ubi poſt cladem ad Veios acceptam, ii* « *Quibus Cenſus Equeſter erat, nec qui publici* » *erant aſſignati.....* EQUIS SUIS STIPENDIA SE FACTU- » ROS PROMITTUNT. *Quibus quum ampliſſimis verbis* » *gratiæ ab Senatu actæ eſſent..... placuit omnibus his* » *voluntariam extra ordinem profeſſis militiam æra procedere; & equis certus numerus æris eſt aſſignatus.* TUM » PRIMUM *equis* (*ſtipendia*) MERERE EQUITES CŒ- » PERUNT. »

Exindè frequens apud Livium, ſtipendii Militaris mentio; cujus varia fuit ſumma, pro variis temporibus.

Polybius ſcribit ætate ſuâ diurnum Peditis ſtipendium fuiſſe, duos obolos, ſeu tertiam drachmæ patrem; Centurionis, duplex; Equitis drachmam, id eſt (*f*) *denarium. Sub Auguſto crevit peditis ſtipendium, uſque ad ſummam denarii. Ita enim* (*apud Tacitum* Annal. *I.* 17.) *poſt obitum Auguſti, Percennius quidam, gregarius miles, ita conqueritur:* « *Militiam gravem, infructuoſam;* DENIS IN » DIEM ASSIBUS *animam & corpus æſtimari.* »

Diſcimus etiam ex Polybio, frumentum, veſtes, arma, Militibus data; detractâ tamen in id à Quæſtore (*pro ratâ*) *ex diurnâ mercede ſummâ. Quocircà Plutarchus refert Gracchum Tribunum plebis Legem tuliſſe, ut veſtes Militibus darentur; nec quidquam propterea ex ſtipendio minueretur.*

Fuére quoque, quibus in præmium virtutis duplicia cibaria darentur; qui DUPLICARII *vocabantur.* Varro *IV.* 16.

Hæc de ordinariis Militum præmiis.

II. Extraordinaria fuére, dona Imperatorum; qui in præmium ſingularis virtutis donabant Militibus torques, armillas, haſtas, phaleras (*g*), *cornicula* (*h*). *Inter dona autem, glorioſiſſima fuére varia genera coronarum; putà* MURALIS, *quæ ei qui primus in murum urbis expugnatæ inſiluerat*; CASTRENSIS *ſeu* Vallaris, *quæ ei qui in expugnatione caſtrorum hoſtium primus in illa pugnans intraverat*; NAVALIS *ſeu* Roſtrata, *quæ ei qui primus in navem hoſtium tranſilierat; ab Imperatore donabantur: hæ aureæ eſſe ſolebant. Erat &* CIVICA *ex quercu corona, quam miles commilitoni qui ipſum in prælio, occiſo hoſte aggreſſore ſervaverat, donabat. Erat &* OBSIDIONALIS, *graminea; quam hi qui obſidione liberati fuerant, dabant duci plerumquè aut imperatori* (*vel etiam, ſi quando occaſio tulerat, Militis alicujus virtuti ſingulari*) *qui eos obſidione liberaſſet.* Gell. *V.* 6. (*i*).

Ad præmia extraordinaria Militiæ pertinet etiam pecunia, quam Imperatores triumphaturi Militibus diſtribuebant; plerumque redacta ex prædâ publicâ, cujus pars in Ærarium, pars Militibus dividi ſolebat. In hâc autem diſtributione, ut in ſtipendiis, Centuriones duplam, Equites triplam portionem habebant. Liv. XXXIV.

Denique inter præmia Militiæ recenſeri etiam poſſunt; agri qui veteranis interdum aſſignabantur.

§ II.

Quæ ſint Militum privilegia.

X I I I.

Præter ſtipendia quæ Milites à publico accipiunt, multâ

(*a*) Putà Magiſtris Militum, &c. Quòd ſublatum à Zenone ſuprà N. 4.

(*b*) Budæus legit *præciſiorem*; id eſt, duriorem, intolerabiliorem.

(*c*) Id eſt, concedendum ut in Militiâ retineantur, abſque cognitione judicis; iis omnibus qui, quum ante litem haberent, nomen Militiæ dederunt: ſed explorandum quo animo hoc fecerint, num vexandi adverſarii causâ. Quod ſanè non præſumitur; ſi quis V. G. poſt datum Militiæ nomen, cum adverſario tranſegerit.

(*d*) Florent. *dilectum*. Veteres etiam *dilectum* pro *delectum* dicebant, auctore Feſto. Cujac. Obſerv. VI. 7.

(*e*) Mendoſa lectio. Fortè, *Qui enim ſe ſubtrahit ſollicitatus ab alio.*

(*f*) Sex obolos. Igitur Equitum ſtipendium, ſtipendio Peditum triplum fuiſſe apparet; tum ex hoc loco, tum ex Livio V. 12. ubi mentio de Cn. Cornelio Trib. plebis circa annum 354. *qui* TRIPLEX *ſtipendium Equitibus dederat.* Idem lib. VII. 41. ubi de illâ ſeceſſione conjuratæ plebis adversùs quam M. Valerius-Corvus Dictator creatus eſt, ait: *Æquè impotens poſtulatum fuit, ut de ſtipendio Equitum* [*merebant autem* TRIPLEX *eâ tempeſtate*] *æra demerentur; quòd adverſati conjurationi fuiſſent.*

(*g*) Genus ornamenti Mititaris. Non. XVIII. 13.

(*h*) Ornamenti genus.

(*i*) Idem Gellius II. 11. memorat quemdam L. Siccium-Dentatum qui ante Decemviros vixit, & ob ingentem fortitudinem appellatus eſt ACHILLES ROMANUS. « *Is*, inquit, *pugnaſſe in hoſtem dicitur centum & viginti prœliis, cicatricem* » *averſam nullam, adverſas quinque & quadraginta tuliſſe; Coronis eſſe donatus* » *aureis octo, Obſidionali unâ, Muralibus tribus, Civicis quatuordecim, Torquibus* » *tribus & octoginta, Armillis plus centum-ſexaginta, Haſtis duodeviginti, Pha-* » *leris item donatus eſt quinquies vicieſque.* »

Source : BIU Cujas

habent privilegia; quæ ſparſim in variis Pandectarum Titulis videre eſt. Hæc præcipua ſunt.

1°. *Proprios habent judices; & præſcriptione fori utuntur, ſi apud alios conveniantur: ſuprâ lib.* 5. *Tit.* de Judiciis.

2°. *Habent & privilegium reſtitutionis quaſi abſentes Reipublicæ causâ. De quo ſuprà lib.* 4. *Tit.* 6. Ex quib. cauſ. major.

3°. *In pecuniariis cauſis condemnati ſi fuerint; ab his non exigitur ultra id quod facere poſſunt: ſuprà lib.* 42. *Tit.* de Re judic.

4°. *In criminalibus cauſis, tormentis non ſubjiciuntur, & certis pœnis non ſunt obnoxii: ſuprà lib.* 48. *Tit.* de Pœnis.

5°. *Notiſſimum Militum privilegium, circa jus teſtandi & circa bona occaſione Militiæ quæſita: ut vid. ſuprà lib.* 29. *Tit.* de Teſtam. mil. *& mox infrà videb. Tit* de Caſtr. pecul.

6°. *Privilegium hoc quoque habent ut à muneribus publicis ſint immunes, item à tutelis & curis: ſuprà lib.* 27. *Tit.* de Excuſ. tut. & cur. *& infrà lib. ſeq. Tit.* de Vac. & excuſ. mun.

Hæc breviter de Militum privilegiis dixiſſe ſufficiat.

§ III.

Quæ Militibus interdicantur.

XIV.

1°. *Interdicitur Tribunis & Militibus facultas omnis evagandi per poſſeſſiones; utpotè qui cum ſignis propriis, in manſionibus ſolitis ac publicis manere debeant.* l. 11. Cod. h. tit.

2°. *Eis interdicitur ne ſibi vacent, aut aliena obſequia ſine nutu Principali peragere audeant.* l. 13. Cod. h. tit.

Hinc civiles curæ eis interdicuntur; item agrorum cultus, cuſtodia animalium, mercimonia. l. 15. & l. 16. Cod. h. tit.

Idem rursùs ſancitum Conſtitutione Leonis. Milites Noſtros alienarum rerum conductores, ſeu procuratores aut fidejuſſores vel mandatores conductorum fieri prohibemus; ne omiſſo armorum uſu ad opus rureſtre ſe conferant; & vicinis graves, præſumptione cinguli Militaris, exiſtant. ARMIS AUTEM, NON PRIVATIS NEGOTIIS OCCUPENTUR; ut numeris & ſignis ſuis jugiter inhærentes, Rempublicam à quâ aluntur, ab omni bellorum neceſſitate defendant. *l.* 31. *Cod. de Locato.*

Quod Juſtinianus confirmat: l. fin. Cod. d. tit.

Tamen Si ignorans quis Militi quaſi pagano locaverit, exigere illum poſſe probandum eſt: non enim contemnit diſciplinam, qui ignoravit Militem. *l.* 50. *ff. Locati.* MODESTIN. LIB. 10. PANDECTAR.

XV.

Item Milites prohibentur prædia comparare in his provinciis in quibus militant; præterquàm ſi paterna eorum fiſcus diſtrahat. Nam hanc ſpeciem Severus & Antoninus remiſerunt. *l.* 9. MARCIAN. LIB. 3. INSTITUT.

Cæterùm Milites ſi heredes extiterint, poſſidere ibi prædia non prohibentur. *d. l.* 9. § 1.

Sed & ſtipendiis impletis, emere permittuntur. *d. l.* 9. *pr.* ¶ *ſed &.*

Similiter Macer. Milites agrum comparare prohibentur in eâ provinciâ, in quâ bellica opera peragunt, ſcilicet ne ſtudio culturæ, Militiâ ſuâ avocentur.

Et ideò domum comparare non prohibentur. Sed & agros in aliâ provinciâ comparare poſſunt.

Cæterùm in eâ provinciâ in quam propter prælii cauſam venerunt, ne ſub alieno quidem nomine eis agrum comparare licet. Alioquin fiſco vindicabitur. *l.* 13. MACER. LIB. 2. DE RE MILITAR.

Fiſco autem vindicatur prædium illicitè comparatum, ſi delatus fuerit (*a*). Sed &, ſi nondum delatâ causâ ſtipendia impleta ſint, vel miſſio contigerit; delationi locus non eſt. *l.* 9. ¶ *fiſco.* MARCIAN. LIB. 9. INSTIT.

Pariter Macer. Is autem qui contra diſciplinam agrum comparaverit, ſi nullâ de eâ re quæſtione motâ miſſionem acceperit, inquietari prohibetur. *ſup. d. l.* 13. § 1.

Illud conſtat; hujus præſcriptionis commodum, ad eos qui ignominiæ causâ miſſi ſunt non pertinere, quod præmii loco veteranis conceſſum intelligitur. Et ideò & ad eum qui cauſariâ miſſus eſt, poteſt dici pertinere; cùm huic quoque præmium præſtatur. *d. l.* 13. § 2.

ARTICULUS V.

De delictis Militum, & variis eorum pœnis.

XVI.

Militum delicta ſive admiſſa, aut propria ſunt, aut cum cæteris communia. Undè & perſecutio aut propria, aut communis eſt.

Proprium Militare eſt delictum, quod quis utî Miles admittit. *l.* 2. ARRIUS-MENAND. LIB. 1. DE RE MILIT.

Scilicet Omne delictum eſt Militis, quod aliter quàm diſciplina communis exigit, committitur; veluti ſegnitiæ crimen, vel contumaciæ, vel deſidiæ. *l.* 6. IDEM LIB. 3. DE RE MILIT.

De his tribus delicti Militaris ſpeciebus, necnon de variis aliis delictis quæ in Milite puniuntur, ſigillatim agemus. Deindè pauca ſubjungemus in genere, de pœnis Militum; ſive ſingulorum, ſive etiam univerſæ cohortis. aut legionis.

§ I.

De ſegnitiâ.

XVII.

Segnitiæ hæc exempla ſunt. Nimirum 1°. Qui in acie prior fugam fecit ſpectantibus Militibus, propter exemplum capite puniendus eſt. *d. l.* 6. § 3.

2°. Qui præpoſitum ſuum non protexit, quum poſſet, in pari causâ factori (*b*) habendus eſt. Si reſiſtere non potuit, parcendum ei. *d. l.* 6. § 8.

Sed & in eos qui Præfectum Centuriæ à latronibus circumventum deſeruerunt, animadverti placuit. *d. l.* 6. ¶ 9.

Similiter Modeſtinus. Qui præpoſitum ſuum protegere noluerint, vel deſeruerunt, occiſo eo, capite puniuntur. *l.* 3. § *fin.* MODEST. LIB. DE PŒNIS.

3°. Sed & caligatus (*c*) qui metu hoſtium languorem ſimulavit, in pari causâ eis eſt. *ſup. d. l.* 6. § 5.

§ II.

De deſidiâ.

XVIII.

Miles qui in bello arma amiſit vel alienavit, capite punitur. Humanè, Militiam mutat. *ſup. d. l.* 3. § 13.

De hoc crimine deſidiæ ita etiam Paulus. Arma alienaſſe grave crimen eſt, & ea culpa deſertioni exæquatur; utique ſi tota alienavit. Sed & ſi partem eorum; niſi

(*a*) Miles.
(*b*) Id eſt, ei qui præpoſitum occidit.
(*c*) *Caligatus*, vulgò idem quod *Gregarius* & *Manipularis* Miles dicitur; id eſt, infimæ conditionis; è plebe militum: ita dictus à *Caligâ*, quæ eſt armatura crurum; quaſi qui nulla alia inſignia habeat. Hic porrò pro omni *Milite* accipitur.

Source : BIU Cujas

quòd intereſt (*a*) : nam ſi tibiale vel humerale alienavit, caſtigari verberibus debet: ſi verò loricam, ſcutum, galeam, gladium; deſertori ſimilis eſt.

Tironi in hoc crimine faciliùs parcetur. Armorumque cuſtodi plerùmque ea culpa imputatur, ſi arma Militi commiſit non ſuo tempore. *l.* 14. § 1. PAUL. LIB. SING. DE PŒNIS MILIT.

§ III.

De contumaciâ.

XIX.

Contumacia omnis adversùs ducem vel Præſidem, Militis capite punienda eſt. *l.* 6. § 2. ARRIUS-MENAND. LIB. 3. DE RE MILIT.

In bello qui rem à duce prohibitam fecit, aut mandata non ſervavit, capite punitur; etiamſi res benè geſſerit (*Budeus* ceſſerit). *l.* 3. § 15. MODEST. LIB. 4. DE PŒNIS.

Sed qui agmen exceſſit, ex causâ vel fuſtibus cæditur, vel mutare Militiam ſolet. *d. l.* 3. § 16.

Necnon & ſi vallum quis tranſcendat, aut per murum caſtra ingrediatur, capite punitur. *d. l.* 3. § 57.

Si verò quis foſſam tranſiluit, Militiâ rejicitur. *d. l.* 3. § 18.

XX.

Irreverens miles non tantùm à Tribuno, vel Centurione, ſed etiam à Principali (*b*) coercendus eſt. Nam eum qui Centurioni caſtigare ſe volenti reſtituerit, Veteres notaverunt. Si vitem (*c*) tenuit, Militiam mutat. Si ex induſtriâ fregit, vel manum Centurioni intulit, capite punitur. *l.* 13. § 4. MACER LIB. 2. DE RE MILIT.

Similiter Menander. Qui manus intulit Præpoſito, capite puniendus eſt: augetur autem petulantiæ crimen dignitate Præpoſiti. *l.* 6. § 1. ARRIUS-MENAND. LIB. 3. DE RE MILIT.

§ IV.

De ſeditionibus & rixis.

XXI.

Miles turbator pacis, capite punitur. *l.* 16. § 1. JUL. LIB. 5. SENT.

Scilicet Qui ſeditionem atrocem Militum concitavit, capite punitur. *l.* 3. § 19. MODESTIN. LIB. 4. DE PŒNIS.

Quòd Si intra vociferationem aut levem querelam ſeditio mota eſt, tunc gradu Militiæ dejicitur. *d. l.* 3. § 20.

Si quis commilitonem vulneravit; ſi quidem lapide, Militiâ rejicitur; ſi gladio, capitale admittit. *ſup. d. l.* 6. § 6.

§ V.

De furto.

XXII.

Priſco Jure, quum delectus fiebat, Tribunus Militaris eos qui Milites ſcribebantur ſpeciali jurejurando adigebat; quòd furtum non facerent IN EXERCITU DECEMQUE MILLIA PASSUM PROPE *; &, ſi quid alienum invenirent, hoc in triduo proximo, aut ad imperatorem deferrent, aut domino redderent. Cujus jurisjurandi formulam; ex libris Cincii* DE RE MILITARI, *refert Gellius XVI.* 4.

De furto Militari, etiam Frontinus ſcribit; M. Catonem memoriâ prodidiſſe, olim in furto deprehenſis inter commilitones dextras eſſe præciſas, aut ſi leniùs punirentur, ſanguinem emiſſum: de quâ pœnâ infrà §°. 8°.

Is autem Qui aliena arma ſubripuit, gradu Militiæ pellendus eſt. *ſub. d. l.* 3. § 14.

§ VI.

De eo qui ſibi manus intulit.

XXIII.

Miles qui ſibi manus intulit, nec factum peregit; niſi impatientiâ doloris aut morbi, luctûs-ve alicujus, vel aliâ causâ fecerit; capite puniendus eſt: aliàs, cum ignominiâ mittendus eſt. *l.* 38. *ff. de Pœnis.* PAUL. LIB. 5. SENT.

Pariter de eo Qui ſe vulneravit, vel aliàs mortem ſibi conſcivit; Imperator Hadrianus reſcripſit, ut modus ejus rei ſtatutus ſit: ut ſi impatientiâ doloris aut tædio vitæ, aut morbo, aut furore, aut pudore mori maluit, non animadvertatur in eum; ſed ignominiâ mittatur. Si nihil tale prætendat, capite (*d*) puniatur.

Per vinum aut laſciviam lapſis, capitalis pœna remittenda eſt; & Militiæ mutatio irroganda. *l.* 6. § 7. ARRIUS-MENANDER LIB. 3. DE RE MILLIT.

§ VII.

De emanſoribus & deſertoribus.

XXIV.

EMANSOR eſt, qui diù vagatus ad caſtra regreditur. *l.* 3. § 2. MODEST. LIB. 4. DE PŒNIS.

DESERTOR eſt, qui per prolixum tempus vagatus reducitur. *d. l.* 3. § 3.

In hâc invicem diſtant, quòd deſertor videatur abjeciſſe animum revertendi, emanſor non item.

Levius itaque delictum emanſionis habetur, ut erronis in ſervis; deſertionis gravius, ut in fugitivis. *l.* 4. § 14. ARRIUS-MENANDER LIB. 1. DE RE MILIT.

Neque ſolùm emanſor aut deſertor eſt, qui ſine commeatu exceſſit: ſed & Si ad diem commeatûs quis non veniat; perindè in eum ſtatuendum eſt ac ſi emanſiſſet, vel deſeruiſſet, pro numero temporis (*e*): factâ priùs copiâ docendi, num fortè caſibus quibuſdam detentus ſit propter quos veniâ dignus videatur. *ſup. d. l.* 3. § 7.

Conſonat quod ait Paulus. Qui commeatûs ſpatium exceſſit; emanſoris vel deſertoris loco habendus eſt. Habetur tamen ratio dierum quibus tardiùs reverſus eſt, item temporis navigationis, vel itineris. Et ſi probet valetudine impeditum, vel à latronibus detentum, ſimilive caſu moram paſſum (dum non tardiùs à loco profectum ſe probet, quàm ut occurrere poſſet intra commeatum), reſtituendus eſt. *l.* 14. PAUL. LIB. SING. DE PŒNIS MILITUM.

XXV.

Ex priſcâ diſciplinæ Militaris ſeveritate; Edicta Germanici Cæſaris, Militem deſertorem faciebant qui diù abfuiſſet; ut (*f*) is inter emanſores (*Florent.* remanſores) haberetur. Sed (*g*) ſive redeat quis, & offerat ſe,

(*a*) *Intereſt* quam partem alienaverit.

(*b*) *Principalis* hîc videtur fuiſſe unus ex Præpoſitis militiæ, minor Tribuno & Centurione; fortè, quod apud nos *Caporal.*

(*c*) *Vitis* geſtamen erat Centurionum quo tardos Milites ad Aquilas perducerent, vel ſi quid commiſiſſent punirent: [*Baguette, verge*]. Moris namque erat Militaris, ut à Centurionibus *Vite* cæderentur Milites: quæ pœna minùs infamabat, quàm quæ à lictore eſſet illata. Plin. XIV. 1.

(*d*) Pagano, cùm ſuæ poteſtatis ſit, impunè videbatur apud Ethnicos, ſi ſe interficere tentaſſet: l. 3. ff. *de Bonis eor. qui mort.* Militi non eſt impunè; quia ſic violat fidem Reipublicæ per ſacramentum datam, quâ non jam ipſe ſuus eſt; cùm vitam ſuam Reipublicæ obſtrinxerit & quaſi locaverit.

(*e*) Scilicet quaſi *emanſiſſet*, ſi diù vagatus; quaſi *deſeruiſſet*, ſi prolixiori tempore.

(*f*) UT hîc accipi pro *Quamvis* notat Cujacius Obſerv. VI. 26. Senſus eſt: Pœnâ deſertionis plectendum jubebant eum *qui diù abfuiſſet*; licèt is ex circumſtantiis videretur non omninò abjeciſſe animum revertendi, UT *inter emanſores* magis quàm inter deſertores habendus videri poſſet.

(*g*) *Sed* hodie, & juxta remiſſiorem præſentis ævi diſciplinam; is qui diù abfuit, modò videri poſſit non abfuiſſe eo animo ut Militiam prorsùs deſereret; *ſive redeat; &c.*

Source : BIU Cujas

ſive deprehenſus offeratur, pœnam deſertionis evitat. Nec intereſt, cui ſe offerat, vel à quo deprehendatur. *l.* 4. § 13. ARRIUS-MENAND. LIB. I. DE RE MILIT.

Videlicèt, ſi probabilem emanſionis excuſationem docuerit. Cujuſmodi plurimæ veteri ſacramenti Militaris formulæ inſertæ referuntur apud Gellium XVI. 4. *Nimirùm, funus familiare, feriæ denicales quæ non in eum diem collatæ ſint quo is eo die minùs ibi eſſet, morbus ſonticus, auſpicium quod ſine piaculo præterire non liceat, ſacrificium anniverſarium quod rectè fieri non poſſet niſi ipſius eo die ibi ſit, vis, hoſtis-ve, ſtatus condictus-ve dies cum hoſte.*

Examinantur autem cauſæ ſemper emanſionis, & cur, & ubi fuerit, & quid egerit. Et datur venia valetudini, affectioni parentium & adfinium; &, ſi ſervum fugientem perſecutus eſt, vel ſi qua hujuſmodi cauſa ſit. Sed & ignoranti adhuc diſciplinam tironi ignoſcitur. *d. l.* 4. § 15.

XXVI.

Ejus fugam, qui quum ſub cuſtodiâ vel in carcere eſſet, diſceſſerit, in numero deſertorum non computandam, Menander ſcripſit: quia cuſtodiæ refuga, non Militiæ deſertor eſt.

Eum tamen qui carcere effracto fugerit, etiamſi ante non deſeruerit, capite puniendum Paulus reſcripſit. *l.* 13. § 5. MACER LIB. 2. DE RE MILIT.

XXVII.

Hactenùs de his qui caſtris exceſſerunt, aut intrà tempus commeatûs non redierunt.

Inter deſertores etiam habentur, qui deſeruerunt ſtationem ſuam & munus.

Ergo Si Præſidis, vel cujuſvis præpoſiti ab excubatione quis deſiſtat, peccatum deſertionis ſubibit. *l.* 3. § 6. MODESTIN. LIB. 4. DE PŒNIS.

Is autem Qui excubias Palatii deſeruerit, capite punitur. *l.* 10. PAUL. LIB. SING. REGUL.

Et generaliter Qui ſtationis munus reliquit, plus quàm emanſor eſt. Itaque pro modo delicti, aut caſtigatur, aut (*a*) gradu Militiæ dejicitur. *ſup. d. l.* 3. § 5.

Is qui exploratione (*b*) emanet hoſtibus inſiſtentibus, aut qui à foſſato recedit, capite puniendus eſt. *d. l.* 23. § 4.

XXVIII.

Porrò Non omnes deſertores ſimiliter puniendi ſunt: ſed habetur & ordinis ſtipendiorum ratio, gradûs Militiæ vel loci, muneris deſerti, & ante actæ vitæ (*c*). Sed & numerus (*Supple* attenditur); ſi ſolus, vel cum pluribus deſeruit, aliud-ve quid crimen deſertioni adjunxerit. Item temporis quo in deſertione fuerit, & eorum quæ poſtea geſta fuerint. Sed & ſi fuerit ultrò reverſus, non cum neceſſitudine; non erit ejuſdem ſortis. *l.* 5. ARRIUS-MENAND. LIB. 2. DE RE MILIT.

Igitur Qui deſertioni aliud crimen adjungit, graviùs puniendus eſt. Et ſi furtum factum ſit; veluti alia deſertio habebitur; ut ſi plagium factum, vel adgreſſura, abigeatus, vel quid ſimile acceſſerit. *d. l.* 5. § 2.

Haberi etiam rationem temporis quo quis deſeruerit, aut quo duravit deſertio, item loci ubi quis evagatur, aut numeri deſertorum, cæterarumque delicti circumſtantiarum, ſequentibus exemplis comprobatur.

Et 1°. Qui in pace deſeruit, eques gradu pellendus eſt, pedes Militiam mutat. In bello idem admiſſum capite puniendum eſt. *d. l.* 5. § 1.

2°. *Indiſtinctè autem, ſive in bello ſive in pace factus ſit* Deſertor, ſi in urbe inveniatur, capite puniri ſolet. *d. l.* 5. § 3.

At verò Alibi adprehenſus, ex primâ deſertione reſtitui poteſt; iterùm deſerendo, capite puniendus eſt. *d. l.* 5. § 3. ¶ *alibi.*

3°. *Quòd* Si plures ſimul primò deſeruerint, deindè intrà certum tempus reverſi ſint; gradu pulſi, in diverſa loca diſtribuendi ſunt. *l.* 3. § 9. MODESTIN. LIB. 4. DE PŒNIS.

Hâc in re autem, ſicut & in cæteris delictis Militaribus, nota: Sed tironibus parcendum eſt; qui ſi iteratò hoc admiſerint, pœnâ competenti adficiuntur. *d.* § 9. ¶ *ſed.*

4°. *Intereſt denique, quomodo & quando deſertor reductus fuerit.*

Aliàs enim capite puniendus is Qui in deſertione fuit; ſi ſe obtulerit, ex indulgentiâ Imperatoris noſtri in inſulam deportatus eſt. *l.* 5. § 4. ARRIUS-MENANDER. LIB. 2. DE RE MILIT.

Item Divus Severus & Antoninus eum qui poſt quinquennium deſertionis ſe obtulit, deportari juſſerunt (*d*). Quod exemplum & in cæteris ſequi nos debere, Menander ſcripſit. *l.* 13. § 6. ¶ *item* MACER LIB. 2. DE RE MILIT.

Quinimò, longe mitiùs, eum Deſertorem qui à patre ſuo fuerat oblatus in deteriorem (*e*) Militiam Divus Pius dari juſſit; NE VIDEATUR (inquit) PATER AD SUPPLICIUM OBTULISSE. *d.* § 6.

XXIX.

Obſervandum ſupereſt, crimen deſertionis morte non extingui. Ita enim Alexander: Defunctorum in deſertione bona confiſcari, Divus Marcus & Antoninus pater meus conſtituit. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

Qui tamen contradicit alia lex ita ex Baſilicis reſtituta: Si Miles ΑΕΙΠΟΤΑΚΤΗ'Σ [*id eſt*, deſertor Militiæ] deceſſerit; ſolvitur (*f*) crimen. *l.* 1. *Cod. Si reus vel accuſat.*

§ VIII.

De variis pœnarum ſpeciebus, quibus in Milites animadvertitur.

XXX.

Pœnæ Militum quæ antiquiſſimis temporibus apud Romanos in uſu erant, diſtingui ſolent in graviores & leniores.

I. Graviores fuerunt: 1°. DECOLLATIO. *Scilicet nudi in medium protrahebantur; & religati ad palum, virgis cæſi, ſecuri percutiebantur. Liv. II.* 5. *& XXVI.* 15.

2°. FUSTUARIUM SUPPLICIUM: *de quo videtur mentio eſſe in oratione Appii-Claudii apud Livium V.* 6. « FUS- » TUARIUM *meretur qui ſigna relinquit aut præſidio decedit.* » *Quo ritu infligeretur, ita Polybius deſcribit lib.* 5. « *Accepto* » *fuſte Tribunus vix tantùm attingebat damnatum. Quod* » *ubi factum erat, omnes qui in caſtris erant cædentes* » *fuſtibus lapidibuſque, aut in caſtris conficiebant; aut ſi* » *evaſiſſent, nec ſic quidem ſervari poterant, quippè quibus* » *nec in patriam redire, nec à propinquis domum recipi* » *liceret.* »

Quocircà notandum quòd Lex Porcia quæ cives Romanos à virgis ſecuribuſque Magiſtratuum urbanorum vindicabat, ad Milites diſciplinamque Militarem non pertinuit.

3°. *Denique* ADEMPTIO LIBERTATIS. *Exemplum refert Livius de quodam C. Metieno qui accuſatus quòd exercitum in Hiſpaniâ deſeruiſſet, ſub furcâ diù virgis cæſus, ſeſtertio nummo vœniit. Item lib. XL. n.* 41. *refertur Senatuſconſultum quo Conſul Militem qui ad exercitum non rediiſſet, ipſum bonaque ejus vendere juſſus eſt.*

II. Leniores erant 1°. *Ignominioſa miſſio ſeu* EXAUCTORATIO, *de quâ infrà Art.* 8.

ÆRE DIRUI, *id eſt ſtipendio privari. Hujus pœnæ meminit Varro apud Nonium XII.* 53. « STIPENDIUM (*inquit*) » *appellabatur, quod æs Militi ſemeſtre aut annuum dabatur:*

(*a*) Severior tempore Polybii diſciplina. Scribit enim indiſtinctè, deſertorem ſtationis fuſtuario ſupplicio necatum: lib. 6.

(*b*) Budæus legit, *Qui* IN *exploratione . . . aut qui à foſſâ tum recedit.*

(*c*) Vide infrà N. 37.

(*d*) Alioquin [ſi non ſe obtuliſſet] capite puniendus, qui tam diù in deſertione fuiſſet.

(*e*) Duntaxat.

(*f*) Cujacius ut eam conciliet, ait eam eſſe accipiendam de deſertore qui rediit. Verùm hìc quidni varium Jus agnoſcamus?

Source : BIU Cujas

» *cui datum non ſit propter ignominiam*, ÆRE DIRUTUS » *eſſet.* » *Hæc pœna dicebatur etiam;* ÆRIS RESIGNATIO; *de quâ ita Feſtus in Verb.* RESIGNATUM. « *Reſignatum* » *æs dicitur militi, quum ob delictum aliquod juſſu Tribuni* » *Militum, ne ſtipendium ei detur, in tabulas refertur.* Re- » ſignare *enim Antiqui pro* Scribere *interdum ponebant.* » *Sic apud Livium XL.* 41. *refertur, in bello Ligurico, legioni ſecundæ hanc pœnam decretam ut ignominiæ causâ ſemeſtre duntaxat ſtipendium eſſet.*

« 3°. CENSIO HASTARIA *dicebatur quum Militi mulctæ* » *nomine ob delictum Militare indicebatur ut haſtas daret.* » *Et* « *Cenſionem facere dicebatur Cenſor, quum mulctam* » *Equiti irrogabat.* » *Feſtus in Verb. CENSIO.*

4°. MUTATIO MILITIÆ; *cujus mentio apud Livium XXV. ubi Cannenſes Milites ita queruntur:* « *Deteriore condi-* » *tione ſumus quàm apud patres noſtros fuerunt captivi. Illis* » *arma tantùm atque* ORDO MILITIÆ, *locuſque in quo* » *tenderent in caſtris, eſt mutatus; quæ tamen ſemel navatâ* » *Reipublicæ operâ & uno felici prælio recuperarunt.* » .

5°. *Quandoque etiam ſpecialis hæc pœna fuit:* TENTORIUM EXTRA CASTRA *Polybius lib.* 7. *refert apud Romanos, Milites quos ignominiâ afficere voluerint, extrà caſtra tendere juſſos.*

6°. EXTRA OPPIDA HYBERNARE. *Livius XXVI.* 1. *de exercitu Cn. Fulvii qui in Apuliâ, & de Militibus P. Corn. Scipionis qui in Hiſpaniâ fœdè fuſi fugatique erant, ait;* « *Additum utrorumque ignominiæ,* NE IN OPPIDIS HYBER- » NARENT; *ne-ve hyberna propiùs ullam urbem decem mil-* » *libus paſſuum ædificarent.* »

7°. CIBUM STANTES CAPERE. *Hujus pœnæ mentio apud Livium XXIV.* 16. *ubi Gracchus dux Romani exercitûs voſt reportatam de Hannone victoriam, ad concionem ita loquitur:* « *Nomina eorum qui detrectatæ pugnæ memores,* » *ſeceſſionem paulò antè fecerunt, referri ad me jubebo;* » *citatoſque ſingulos jurejurando adigam, niſi quibus morbus* » *cauſa erit,* Non aliter quàm ſtantes cibum potumque » (quoad ſtipienda facient) capturos eſſe . . . . . » *Nullâ ignaviæ notâ leviori vos deſignari potuiſſe.* »

8°. HORDEUM *quoque pro tritico ignominiæ causâ Militibus datum ſcribit Polybius. Et apud Livium XXVII.* 15. *Marcellus Cohortibus quæ ſigna amiſerant, hordeum dari juſſit.*

9°. FOSSAM FODERE. *Hoc etiam refert Plutarchus in* LUCULLO, *antiquum Militaris pœnæ genus fuiſſe; ut tunicis interioribus ſolutis, foſſam fodere inſpectante exercitu cogerentur.*

10°. *Denique* SANGUINEM EMITTI. *Nam* « *Fuit hæc* » *quoque antiquitùs Militaris animadverſio (inquit Gel-* » *lius X.* 8.) *jubere ignominiæ causâ Militi venam ſolvi* » *& ſanguinem dimitti . . . . quaſi minùs ſani viderentur* » *omnes qui delinquerent.* » *Et hoc: non ob deſidiam ſolùm ſed ob pleraque alia delicta factitatum teſtatur ibidem Gellius. Undè minùs probabilis Mureti conjectio: ideò hoc factum ut ſanguinem quem veriti fuiſſent pro patriâ effundere, cum ignominiâ amitterent.*

His pleriſque in Militari diſciplinâ, quam ſeveriſſimè rexit Auguſtus-Cæſar, pœnarum generibus uſus eſt in quâ « *Et commutavit multa, & inſtituit, atque etiam ad anti-* » *quum morem nonnulla revocavit . . . . Decimam Legio-* » *nem contumaciùs parentem, cum ignominiâ totam dimiſit;* » *item alias immodeſtè miſſionem poſtulantes, citra commoda* » *emeritorum præmiorum* EXAUCTORAVIT. *Cohortes, ſi* » *quæ ceſſiſſent loco decimatas* HORDEO PAVIT . . . *Pro* » *cætero delictorum genere, variis ignominiis affecit; ut* » STARE *per totum diem juberet ante prætorium (a), inter-* » *dum tunicatos (b) diſcinctoſque, nonnunquam cum decem-* » *pedis (c) vel etiam ceſpitem portantes.* » *Sueton. in* AUG. *N.* 24.

XXXI.

Quæ autem Jure Pandectarum maximè frequentatæ fuerint (quod ad leniores attinet) Militum pœnæ ita recenſet Modeſtinus. Pœnæ Militum hujuſmodi ſunt, caſtigatio (*d*), pecuniaria mulcta, munerum indiſtinctio, Militiæ mutatio, gradûs dejectio, ignominioſa miſſio. Nam in metallum, aut in opus metalli non dabuntur, nec torquentur. *l.* 3. § 1. MODESTIN. LIB. 4. DE PŒNIS.

Hæ autem pœnæ (ſi ignominioſam miſſionem excipias) ob Militare delictum infictæ, nullam infamiæ notam irrogant.

Hinc Gordianus. Fruſtra vereris ne nota quæ propter delictum Militare interceſſit, exiſtimationem tuam jam veterani læſiſſe videatur. Maximè cùm nec ex eo delicto quod in paganorum poteſt cadere perſonam, notatos Milites, poſt miſſionem placuerit eſſe famoſos. *l.* 7. *Cod. h. tit.*

XXXII.

Has porrò pœnas non in ſingulos ſolummodò Milites, ſed & in plures ſimul, univerſamque legionem aut cohortem ſi tota deliquerit, cadere poſſe, patet ex ſupràdictis: maximèque eas quæ in mutatione Militiæ aut gradûs, vel etiam in exauctoratione conſiſtunt.

Nam Et quum multi Milites in aliquod flagitium conſpirent, vel ſi legio deficiat; avocari (*e*) Militia ſolet. *l.* 3. § 21. MODESTIN. LIB. 4. DE PŒNIS.

Interdum & DECIMATIO *fiebat. Sic apud Livium II.* 60. *Appius-Claudius, Centurionibus qui deliquerant ſecuri percuſſis, cæteræ multitudinis decimum quemque ſorte ad ſupplicium legit.*

ARTICULUS VI.

Qui Milites à muneribus Militiæ immunitatem habeant.

XXXIII.

Militia ſua habet munera, quæ Milites per vices ſuas obeunt.

Militibus autem Quibuſdam aliquam vacationem munerum graviorum [*Aliàs* gravior] conditio tribuit: ut ſunt Menſores (*f*), Optio (*g*), Valetudinarii (*h*), Medici, Capſarii (*i*) & artifices, & qui foſſam (*k*) faciunt, Veterinarii (*l*), Architectus (*m*), Gubernatores (*n*), Naupegi (*o*), Balliſtarii (*p*) [*Florent.* balliſtrarii], Specularii (*q*), Fabri ſagittarii, Ærarii (*r*),

(*a*) Tabernaculum ducis.

(*b*) *Tunicatum* apparere in publico, magnum apud Romanos fuit vilitatis argumentum; præſertim in caſtris, & *diſcinctum* zonâ Militari.

(*c*) Quo pœnæ genere indicatur regradatio. *Decempedæ* ſiquidem & *Ceſpitem portantes*, infimum Militiæ genus, ſeu potiùs militiam auſpicantium, qui vilia quæque & quaſi in Militum ſervitium obibant munera, in metiendis aut conficiendis tabernaculis.

(*d*) Verberum ſcilicet ſeu Fuſtuaria [quod apud nos dicitur, *Paſſer par les baguettes*]. Hujus pœnæ mentio ſupra N. 17. Non autem Fuſtuarium illud ſupplicium de quo N. præced. quod ad necem uſque procedebat.

(*e*) Id eſt, exauctorari. Imperator legione convocatâ ita pronuntiabat, *Quirites diſcedite, atque arma deponite*; ſignificans per hanc appellationem QUIRITES, eos jam eſſe paganos. Exemplum apud Lampridium in ALEXANDRO.

(*f*) Vel frumentarii; vel potiùs qui in caſtris dimetiuntur loca in quibus figantur tentoria, de quibus Vitruvius lib. VII.

(*g*) In Re Militari OPTIO [quaſi optatio] appellatur, is quem Decurio aut Centurio optat ſibi rerum privatarum miniſtrum, quo faciliùs obeat publica officia. *Nomen* itaque *ex facto ſortitus eſt*, ut rectè ait Feſtus in verb. OPTIO: anteà verò dicebatur ACCENSUS [apud nos, *Sergent de compagnie*]. Quod autem addit Feſtus; cum adjutorem datum olim Centurioni à Tribuno militum, ſed poſtea permiſſum Centurionibus quem velint optare; minùs rectè poſitum videtur, Varrone omninò contradicente: ut potiùs ambitioni Tribunorum tribuendum ſit, ſi Centurionibus jus optandi eripiatur. Ita enim ille *de Ling. Lat.* IV. 16. *Quos hi* [Decuriones Militum] *primò adminiſtros ipſi ſibi adoptabant*, OPTIONES *vocari cœpti; quos nunc, propter ambitionem, Tribuni faciunt.*

(*h*) Qui valetudinarii curam habet: [*ceux qui ont ſoin de ce qui concerne l'Hôpital*].

(*i*) Id eſt, & capſarum *Artifices*, & *Capſarii* ipſi apud quos deponuntur res ad legiones pertinentes in capſis aſſervandæ.

(*k*) *Pionniers.* Veget. 10.

(*l*) VETERINAM *beſtiam*, *jumentum Cato appellavit*: apud Feſtum in verb. *VETERINAM.* Rectè ergo Budæus *Veterinarios* hìc interpretatur, jumentorum curatores & medicos: [*les Maréchaux*].

(*m*) *Ingénieur.*

(*n*) *Pilotes.*

(*o*) Fabricatores navium: Bud. Gothofr. Kalv. & alibi. (*Charpentiers de vaiſſeau*).

(*p*) BALLISTÆ (à ΒΑΛΛΕΙΝ quod eſt jacere) ſunt machinæ ad jacienda ſaxa aut ſagittas paratæ. Igitur *Balliſtarii* ſunt, aut Balliſtarum artifices, aut hi quorum operâ per Balliſtas ſaxa aut lapides jaciuntur.

(*q*) Gothofredus putat eos eſſe qui à Vegetio II. 11. in fine, *Cunicularii* dicuntur.

(*r*) Æris cuſores.

Bucularum

Source : BIU Cujas

Bucularum (*a*) ſtructores, Carpentarii (*b*), Scandularii (*c*), Gladiatores (*d*), Aquilices (*e*), Tubarii (*f*), Cornuarii, Arcuarii (*g*), Plumbarii, Ferrarii, Lapidarii (*h*) & hi qui calcem coquunt, & qui ſylvam infindunt, qui carbonem cædunt ac torrent. In eodem numero haberi ſolent Lanii, Venatores (*i*), Victimarii (*k*), & Optio fabricæ (*l*), & qui ægris (*m*) præſto ſunt: Librarii quoque (*n*) qui docere poſſint, & Horreorum librarii (*o*), & Librarii depoſitorum (*p*), & Librarii caducorum (*q*), & adjutores Corniculariorum (*r*), & Stratores (*s*), & Polliones (*t*), & Cuſtodes armorum, & Præco, & Buccinator. Hi igitur omnes inter immunes habentur. *l.* 6. *ff. de Jur. immunit.* TARRUNTIN. PATERNUS LIB. 1. MILITAR.

Diverſam vacationis ſpeciem refert Antoninus, qui ſic ſcribit. Viginti ſtipendia ſi impleſtis, ſordida munera Militiæ vobis non indicentur. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

ARTICULUS VII.

De officio eorum qui Militibus præſunt.

XXXIV.

Officium regentis exercitum, non tantùm in dandâ, ſed etiam in obſervandâ diſciplinâ conſtitit. *l.* 12. MACER LIB. 1. DE RE MILITARI.

Paternus quoque ſcripſit; Debere eum qui ſe meminerit armato præeſſe, parciſſimè commeatum dare, equum Militarem extra provinciam duci non permittere; ad opus privatum, piſcatum, venatum, Militem non mittere. Nam in diſciplinâ Auguſti ita cavetur: « Etſi ſcio fabrilibus operibus exerceri Milites, » non eſſe alienum (*u*); vereor tamen, ſi quicquam » permiſero, quod in uſum meum aut tuum fiat, ne » modus in eâ re non adhibeatur qui mihi ſit tolerandus. » *d. l.* 12. § 1.

Expeditionis autem tempore, non parciſſimè ſolùm, ſed omninò commeatum duces dare non debent; &, ſi dederint, ex Conſtitutione Conſtantini & Conſtantis capite puniendi ſunt. l. 1. *Cod.* de Commeatu.

XXXV.

Item Officium Tribunorum eſt vel eorum qui exercitui præſunt, Milites in caſtris continere, ad exercitationem producere, claves portarum ſuſcipere, vigilias interdum circumire; frumentationibus (*x*) commilitonum intereſſe, frumentum probare, menſorum fraudem coercere, delicta ſecundùm ſuæ auctoritatis modum caſtigare, principiis (*y*) frequenter intereſſe, querelas commilitonum audire, valetudinarios inſpicere. *ſup. d. l.* 12. § 2.

(*a*) BUCULA eſt pars galeæ (*la Muſeliere du caſque*]. Igitur *Bucularum ſtructores* ſunt, artifices qui galeas aut hanc galearum partem inſtruunt & ornant.

(*b*) CARPENTUM vehiculi ſpecies eſt: undè videtur, *Carpentarios* eos eſſe quæ hæc fabricant. Baſilica tamen interpretantur ΣΑΓΜΑΤΟΠΟΙΟΙ, qui ſtrata conficiunt: (*Selliers*).

(*c*) *Ceux qui ſont employés à couvrir de bardeau les baraques des ſoldats, pour le quartier d'hiver.* Nam SCANDULÆ, tabellæ ſunt prætenues è robore, quæ tegularum vicem præſtant. Plin. *Hiſt. nat.* XVI.

(*d*) Hic accipi videntur pro gladiorum artificibus, ſenſu parùm uſitato. Gothofr. Bud.

(*e*) AQUILICES, ſeu *Aquileges* ut legit Budæus (& apud Plinium Epiſt. ad Traj. *de Nicomed. aquæduct.* legitur) ſunt aquarum ſcrutandarum & deducendarum periti, aquarum libratores.

(*f*) *Tubarios* & *Cornuarios*, Gothofredus rectè accipit pro Tubarum & Cornuum opificibus. Eſt autem *Cornu* ex uvis agreſtibus, argento nexum, quod temporatum arte & canentis flatu ſonum emittit. *Tuba* verò ex ære confecta erat, & in eo differebat à Buccinâ, quòd *Tuba* directa ſit, *Buccina* in ſemetipſam æreo circulo flectitur.

(*g*) *Arcuum* opifices.

(*h*) Qui lapidibus excidendis operam dant: Prateius apud Kalv. Varia nimirùm hîc plumbi, ferri, lapidum, aliorumque id genus opificum genera recenſetur, quorum in exercitu varius uſus erat, præcipuè ad conſtruenda hiberna habitacula.

(*i*) Multiplex potuit eſſe uſus *Venatorum* in exercitu, ſive ad victum, ſive ad varia quæ ex feratum pellibus erui poſſunt commoda.

(*k*) Qui vendunt victimas ad ſacrificia.

(*l*) *Fabrica* eſt locus in quo arma fabricantur. *Optio fabricæ*, eſt adjutor præfecti fabrorum: *Le Clerc ou Aide du maitre de l'Arſenal.*

(*m*) *Valetudinarii* de quibus ſupra, curam habent eorum quæ ad inſtruendum valetudinarium neceſſaria ſunt: hi verò ipſorum ægrorum in valetudinario decumbentium: (*ceux qui ſoignent les Soldats malades*).

ARTICULUS VIII.

De miſſione ex Militiâ.

XXXVI.

Miſſionum generales cauſæ ſunt tres; honeſta, cauſaria, ignominioſa. *l.* 14. § 3. MACER LIB. 2. DE RE MILITAR.

Fuit & quarta ſpecies quæ GRATIOSA *dicebatur; quum quis ante tempus expletum citra cauſam valetudinis mittebatur. Verùm eam reprobavit Conſtantinus; & ita miſſos juſſit ad numeros ſuos reduci. l.* 4. *Cod.* (*Theod.*) h. tit.

§ I.

De miſſione honeſtâ.

XXXVII.

Miſſio Honeſta eſt, quæ tempore Militiæ impleto datur. *d.* § 3.

De hoc tempore ſcribit Polybius lib. 6. *Peditem niſi neceſſitate Reipublicæ, non poſſe cogi ultra* 46um. (*ætatis*) *annum, Equitem ultra decem ſtipendia.*

Hoc tempus currit Militi dum hoſtium captivus eſt, modò non transfuga.

Hinc Menander. Si poſt multùm temporis redit qui ab hoſtibus captus eſt, & captum eum non transfugiſſe conſtiterit: ut veteranus erit reſtituendus, & præmia, & emeritum capit. *l.* 5. § 7. MENAND. LIB. 2. DE RE MILIT.

Item reverſos, aut A Barbaris remiſſos Milites, ita reſtitui oportere Hadrianus reſcripſit; ſi probabunt ſe captos evaſiſſe, non transfugiſſe. Sed hoc licèt liquido conſtare non poſſit, argumentis tamen cognoſcendum eſt. Et, ſi bonus Miles antea æſtimatus fuit, propè eſt ut adfirmationi ejus credatur. Si remanſor, aut negligens ſuorum, aut ſegnis aut extra contubernium agens; non creditur ei. *d. l* 5. § 6.

Menandro ſuffragatur Modeſtinus. Ita ille: Sed ſi ex improviſo dum iter quis facit, capitur ab hoſtibus, inſpecto vitæ ejus præcedentis actu, venia ei dabitur. Et, ſi expleto tempore Militiæ redeat; ut veteranus reſtituetur, & emerita accipiet. *l.* 3. § 12. MODESTIN. LIB. 4. DE PŒNIS.

XXXVIII.

Hactenùs de captivo. Is autem Qui Militiæ tempus in deſertione implevit, emerito privatur. *d. l.* 3. § 8.

Nec enim per illud tempus meruiſſe ſtipendia dici poteſt. Hinc Papinianus. Ex causâ deſertionis notatus ac

(*n*) Qui in libros referunt rationes ad Milites pertinentes, & unumquemque docere poſſunt quantum ex eis rationibus ad eum pertineat: [*les teneurs de livres du Décompte des Soldats*].

(*o*) HORREA ſunt, *les Magaſins de l'armée.* Librarii horreorum, qui in libros rationum referunt quæcumque in hæc horrea aſportantur, & quæ indè exportantur.

(*p*) Refert Vegetius XI. 20. id moris fuiſſe ut ex donativo quod Milites conſequebantur, dimidia pars apud ſigna deponeretur. Decem follibus (*des Bourſes*) per ſingulas cohortes hæc ratio condebatur. Erat undecimus follis, in quo tota legio particulam aliquam ſepulturæ cau à conferebat.

(*q*) Ratio *Depoſiturum* de quâ in Notâ præced. non publicam ſed privatam cujuſque Militis rationem continebat. Ratio CADUCORUM, eſt publica legionis ratio, fiſcus legionis; in quem varia cadebant, putà hereditates Militum ſine ſucceſſore decedentium: ut vid. ſuprà lib. 38. *Append.* ad Tit. *de Suis & leg. hered.*

(*r*) Varia eâ de re Interpretum ſententia. Probabilius quod Turnebus & Gothofredus cenſent, CORNICULUM in ordinibus Tribuni Militum ſeu cujuſque legionis idem fuiſſe (*l'aile de la Légion*), quod in acie CORNU (*l'aile de l'Armée*); CORNICULARIUMque fuiſſe illum qui Cornicu'o præeſſet.

(*s*) STRATORES probabant equos Militares qui a provincialibus conferri debebant, ut conſtat ex l. un. Cod. *de Strator.* Hi (ut refert Spartianus in CARACAL.) Imperatori equum conſcendenti opem ferebant: (*les Ecuyers du Général*).

(*t*) Budæus legit *Pelliones*, & interpretatur eos opifices qui pelles ſub quibus Milites degebant, conficiebant. Alii legunt POLITORES, qui arma poliunt: [*Les Fourbiſſeurs*].

(*u*) Imò *Fabrilibus operibus*, & *Venationi*, quoſdam milites ſpecialiter deſtinatos fuiſſe mox ſupra N. præced. Sed nullus præter eos, his vacare debet.

(*x*) *Frumentationes* intelligunt Kalvinus & Hotomannus poſt Prateium, operas Militum in congerendo intra caſtra præſidia-ve frumento.

(*y*) *Principia* erant in caſtris locus ubi Jus reddebatur, ut ex Livio & Cicerone probat Budæus.

Source : BIU Cujas

reſtitutus, temporis quod in deſertione fuerit impendiis expungitur. *l.* 15. PAPIN. LIB. 9. RESPONS.

Similiter Paulus. Sed ex causâ deſertionis reſtitutus in Militiam, non aliter medii temporis ſtipendium & donativa accipit, niſi hoc liberalitas Principalis ei ſpecialiter indulſerit. *l.* 10. § 1. PAUL. LIB. SING. REGUL.

Quòd ſi ratio (*a*) conſtiterit, neque deſertorem fuiſſe apparuerit; omnia ſtipendia citra temporis finem (*b*) redduntur. *ſup. d. l.* 15. ¶ *quòd ſi.*

His quæ diximus conſonat quod reſcribit Gordianus. Cùm allegatis ſeptem annos in deſertione egiſſe maritum ſororis veſtræ, & indulgentiâ Noſtrâ eſſe reſtitutum: non rectè deſideratis ut id tempus, ac ſi in caſtris fuerit, habeatur. Proindè, excepto eo tempore quod ad deſertores pertinet, reſtitutus ex indulgentiâ Noſtrâ reſiduo Militare debebit: ideòque nec ſtipendia, quo in deſertione fuerit, exigere poterit. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

§ II.

De miſſione cauſariâ.

XXXIX.

Eſt miſſio Cauſaria, quum quis vitio animi vel corporis minùs idoneus Militiæ renuntiatur. *l.* 13. § 3. MACER LIB. 2. DE RE MILITARI.

Cauſariâ miſſus, nullâ exiſtimationis maculâ adſpergitur. *l.* 8. *Cod. h. tit.* PHILIPP.

Semel cauſariâ miſſis Militibus, inſtauratio non ſolet concedi obtentu recuperatæ valetudinis melioris: quando non temerè dimittantur, niſi quos conſtet medicis denuntiantibus, & judice competente diligenter examinante, vitium (*c*) contraxiſſe. *l.* 6. *Cod. h. tit.* GORDIAN.

§ III.

De ignominioſâ miſſione.

XL.

Ignominioſa cauſa eſt, quum quis propter delictum ſacramento ſolvitur. *l.* 13. § 3. ¶ *ignominioſa.*

Etſi ſine ignominiæ mentione miſſi ſunt, nihilominùs ignominiâ (*d*) miſſi intelliguntur. *d.* § 3. ¶ *fin.*

Milites ignominiâ miſſi, cùm infamiâ notentur, nullis honoribus qui integræ dignitatis hominibus deferri ſolent, uti poſſunt. Habeant autem morandi ubi velint poteſtatem, præterquàm in eis locis in quibus ſpecialiter arguentur (*e*). *l.* 3. *Cod. h. tit.* ANTONIN.

Et is qui ignominiâ miſſus eſt, neque Romæ, neque in Sacro (*f*) comitatu agere poteſt. *ſup. d. l.* 13. *d.* 3. ¶ *& is.*

Rursùsque alibi. Ignominiâ autem miſſis, neque in Urbe, neque alibi ubi Imperator eſt, morari licet. *l.* 2. § 4. *ff. de His qui not. infam.* ULP. LIB. 6. AD ED.

(*a*) Abſentiæ.
(*b*) Id eſt, nullâ medii temporis parte ſeclusâ.
(*c*) *Vinnium*, id eſt, habitum morbi; non morbum temporalem.
(*d*) Imò hæc mentio neceſſaria, l. 2. § 2. ff. *de His qui not. infam.* ſuprà lib. 3. *d. tit.* N. 2. Ant. Auguſtinus ut eas leges conciliet, hic legendum putat *nihilomagis.* Poteſt tamen retineri lectio *nihilominùs*; ſi dicas hanc mentionem non eſſe ita neceſſariam, ut non poſſit per aliud ſuppleri: ut ſi, qui miſſus eſt, fuerit detractis inſignibus exauctoratus; quod ex l. oppoſitâ liquet.
(*e*) Cujacius legit *arcentur.*
(*f*) Id eſt, Principis.

TITULUS XVII.

DE CASTRENSI PECULIO.

Hic Titulus eſt ſequela præcedentis.

I.

Militiam patriâ poteſtate non liberare, ita reſcribit Alexander. Errat qui tibi perſuaſit, quòd nexu paternæ poteſtatis, jure ſacramenti ſolutus es. Manent enim nihilominùs milites in poteſtate parentum.

Sed Peculium Caſtrenſe proprium habent: nec in eo ullum jus patris eſt. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

Hoc porrò, ut in Peculio Caſtrenſi pater nullum jus haberet, videtur auctorem habuiſſe Julium-Cæſarem aut ſaltem Divum Titum. Hujus mentio apud Juvenalem Satyr. fin.

> ..... Quæ ſunt parta labore,
> Militiæ, placuit non eſſe in corpore cenſûs
> Omne tenet cujus regimen pater.

Circa hoc Peculium hæc duo quærenda veniunt: 1°. Quæ in eo contineantur: 2°. De jure tam filiifamilias militis quàm patris circa hoc Peculium.

Tertium Articulum ſubjungemus, de Peculio Quaſi-Caſtrenſi.

ARTICULUS I.

Quæ in Peculio Caſtrenſi contineantur.

II.

Caſtrenſe Peculium eſt, quod à parentibus vel cognatis in militiâ agenti donatum eſt; vel quod ipſe filiusfamilias in militiâ adquiſiit, quod niſi militaret, adquiſiturus non fuiſſet.

Nam quod erat & ſine militiâ adquiſiturus, id Peculium ejus Caſtrenſe non eſt. *l.* 11. MACER LIB. 2. DE RE MILITAR.

Intereſt autem quid à parentibus donatum fuerit. Hinc Alexander: Si filiusfamilias fuiſti, & res mobiles vel ſe moventes, quæ Caſtrenſis Peculii eſſe poſſunt, donatæ tibi à patre ſunt; eas quoque in cætero Peculio Caſtrenſi non communes cum fratribus tuis habes. Prædia tamen licèt eunti tibi in caſtra filio pater donaverit, Peculii tamen Caſtrenſis non ſunt. Diverſo jure ea prædia habentur, quæ ex occaſione militiæ filiisfamilias obveniunt. Hæc enim Peculio Caſtrenſi cedunt. *l.* 5. *Cod. Fam. erciſ.*

Item intereſt in quibus circumſtantiis parentes donaverint. Nam Miles præcipua habere debet, quæ tulit ſecum in Caſtra concedente patre. *l.* 4. TERTYLLIAN. LIB. SING. DE CASTR. PECUL.

Contrà Pater militi filio reverſo quod donat, Caſtrenſis Peculii non facit; ſed alterius Peculii, perindè ac ſi filius nunquam militaſſet. *l.* 15. PAPIN. LIB. 35. QUÆSTION.

Similiter in eo quod donat uxor, diſtinguit Ulpianus. Si militi filiofamilias uxor ſervum manumittendi causâ (*a*) donaverit; an ſuum libertum fecerit, videamus? quia Peculiares & ſervos & libertos potuit habere. Et magis

(*a*) Talis donatio permittitur inter virum & uxorem: ut vid. ſuprà lib. 25. Tit. *de Donat. inter vir. & ux.* N. 30.

Source : BIU Cujas

est, ut hoc Castrensi Peculio non adnumeretur; quia uxor ei non propter militiam nota esset. Planè si mihi proponas, ad Castra eunti marito uxorem servos donasse ut manumittat, & habiles (*a*) ad militiam libertos habeat; potest dici, suâ voluntate sine patris permissu manumittentem, ad libertatem perducere. *l.* 6. ULP. LIB. 32. AD SABIN.

III.

Hæ distinctiones servantur quidem quum parentes aut cognati affines-ve donaverunt; non quum is donavit aut reliquit, qui occasione militiæ duntaxat notus erat.

Hinc Alexander. Si in potestate tuâ filius tuus fuit eo tempore quo quædam nomine ejus emisti, ea tua esse non dubitatur. Peculio autem Castrensi cedunt res mobiles, quæ eunti in militiam à patre vel à matre aliis-ve propinquis vel amicis donatæ sunt: item quæ in Castris per occasionem militiæ quæruntur; in quibus sunt etiam hereditates eorum qui non aliàs noti esse potuerunt, nisi per militiæ occasionem, etiamsi res immobiles in his erunt.

Matris autem hereditas, quamvis in militiâ delata sit, ad Peculium Castrense non pertinet.

In Castrensi verò Peculio prædium donatum (*b*) non esse constat; quamvis empta ex Castrensi Peculio prædia, ejus conditionis efficiantur. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Sed & quod commilito donat aut relinquit, quamvis aliundè quàm ex militiâ notus fuerit, facilè intelligitur contemplatione militiæ donasse; Peculioque Castrensi cedit.

Hoc docet Tryphoninus. Ita ille: De hereditate ab agnato commilitone datâ, Scævola noster dubitabat; quia potuit & ante notus & amicus dare, potuit & non dare nisi commilitium caritatem auxisset. Nobis ita videtur, si ante commilitium factum sit testamentum, non esse Peculii Castrensis eam hereditatem; si postea, contrà. *l.* 19. TRYPHONIN. LIB. 18. DISPUTAT.

Hanc Tryphonini sententiam confirmavit Gordianus qui sic rescribit. Cùm allegas te à fratre tuo eodemque commilitone in eisdem Castris institutum heredem; successionem ejus potiùs in Castrensi Peculio tuo, quàm patri tuo cujus in potestate es, per te quæsitam videri rationis est. Etenim peregrinationis laborem sociatum, commilitii ejus & obeundorum munerum consortium, affectioni fraternæ nonnihil addidisse, quinimò vice mutuâ chariores invicem sibi eos reddidisse credendum est. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

Hoc ita obtinet, si in eodem loco merebant. Cæterùm Hereditatem Castrensi Peculio non videri quæsitam respondi, quam frater patruelis in aliâ provinciâ stipendia merens, fratri patrueli, cum quo nunquam militavit, reliquit. Sanguinis etenim ratio, non militiæ causa, meritum hereditatis accipiendæ præbuerat. *l.* 16. § 1. PAPIN. LIB. 19. RESPONS.

IV.

Quinetiam quod conjuncta persona quæ non sit commilito reliquit, Peculio Castrensi cedet; si ex circumstantiis appareat occasione militiæ relictum. Hinc Divus Hadrianus rescripsit, in eo quem militantem uxor heredem instituerat; Filium (*c*) extitisse heredem, & ab eo servos hereditarios manumissos, proprios ejus libertos (*d*) fieri. *l.* 13. PAPIN. LIB. 16. QUÆST.

V.

Quum autem quæritur an comtemplatione militiæ quis militi donaverit; non tam inspicitur quod expressit, quàm quod revera voluit.

Hinc Ulpianus. Si fortè uxor, vel cognatus, vel qui alius non ex Castris notus, filiofamilias donaverit quid, vel legaverit; & expresserit nominatim, ut in Castrensi peculio habeat: an possit Castrensi Peculio adgregari? Et non puto. Veritatem enim spectamus, an verò (*Pro* verè) Castrensis notitia vel affectio fuit; non quod quis finxit. *l.* 8. ULP. LIB. 45. AD EDICT.

Illud patet non posse videri contemplatione militiæ filiofamilias militi datum, quod ei in dotem datum est.

Hinc Papinianus. Dotem filiofamilias datam vel promissam, in Peculio Castrensi non esse respondi. Nec ea res contraria videbitur ei quod Divi Hadriani temporibus, filiumfamilias militem uxori heredem extitisse placuit, & hereditatem in Castrense Peculium habuisse. Nam hereditas adventitia (*e*) jure quæritur; dos autem matrimonio cohærens, oneribus ejus ac liberis communibus, qui sunt in avi familiâ (*f*) confertur. *l.* 16. PAPIN. LIB. 19. RESP.

VI.

Hactenùs de his quæ propter militiam, aut occasione vel contemplatione militiæ donata sunt.

Est etiam Peculii Castrensis, quidquid rebus hujus Peculii accedit & consolidatur. Hinc putà Si servi pater usumfructum amiserit (*g*), cujus proprietatem in Castrensi Peculio filius habebat, plenam proprietatem habebit filius. *l.* 15. § 4. PAPINIAN. LIB. 35. QUÆST.

VII.

Est etiam Peculii Castrensis, quidquid ex rebus Castrensibus acquiritur.

Hinc Si mulier filio viri militi ad Castrenses vel militares fortè res comparandas, reliquerit pecuniam; utique Castrensi Peculio ea quæ comparantur, adnumerari incipiunt. *l.* 3. ULP. LIB. 8. AD LEG. JUL. ET PAP.

Servus Peculii quod ad filium spectat, ab extero si stipuletur, aut per traditionem accipiat; sine distinctione causarum res ad filium pertinebit. Non enim ut filius (*h*) duplex jus sustinet, patris, & filiifamilias; ita servus qui Peculii Castrensis est, qui-que nullo jure quandiù filius vivit (*i*) patri subjectus est, aliquid acquirere simpliciter stipulando vel accipiendo patri potest. Quæ ratio suadet, ut si ab ipso patre servus, qui ad filium pertinet, stipuletur ex quâcumque causâ, vel traditum accipiat; sic adquiratur filio res & stipulatio, quemadmodum si extero promisisset: quoniam persona stipulantis & accipientis ea est, ut sine differentiâ causarum, quod rerum (*Aliàs per* eum) agitur, emolumentum filii spectet. *l.* 15. § 3. PAPIN. LIB. 35. QUÆST.

Hinc etiam: Sed si servus Peculii Castrensis à quocumque sit heres scriptus, jussu militis adire debebit herediratem: eaque fiet bonorum Castrensis Peculii. *l.* 19. § 1. TRYPHONIN. LIB. 18. DISPUT.

Sed & Ex Castrensi Peculio servus, à patre heres institui potest, & filium necessarium heredem patri (*k*) facit. *l.* 18. MÆCIAN. LIB. 1. FIDEIC.

VIII.

Una quæstio superest. Si paterfamilias, militiæ tempore, vel post missionem, adrogandum se præbuerit; videndum erit, ne huic quoque permissa intelligatur

(*a*) Id est, ii liberti sint, quorum operâ in militiâ uti possit; putà, medici. Non præsumeretur ergo militiæ contemplatione donatus, nec esset in Peculio Castrensi, si hujus operâ domi uteretur; putà, esset procurator rerum ipsius.

(*b*) Ab eo qui aliundè quàm ex militiâ notus est.

(*c*) Filiumfamilias.

(*d*) Ergo non patri cujus in potestate est, sed sibi hanc hereditatem acquisivit, & in Castrensi Peculio habet: scilicet quia cùm uxor in pœnam orbitatis ex Lege Papiâ non posset viro suo relinquere [ut vid. ad Tit. *de Legatis* N. 384.] & Hadrianus ab hâc regulâ exceperit milites; hæc hereditas uxoris, occasione militiæ ad ipsum pervenit, quæ nonnisi militi ei relinqui potuit. Ita Cujacius in *Comment. Papin.* ad l. 16. ff. h. tit.

(*e*) Aliundè quàm ex causâ matrimonii.

(*f*) Dos ab uxore confertur seu affertur pro oneribus matrimonii, pro alendis educandisque liberis communibus ipsius & mariti sui. Ergo debet adquiri patri mariti, cùm sint apud ipsum hæc onera.

(*g*) Putà, non utendo.

(*h*) Filiusfamilias duplex jus sustinet, patrisfamilias, & filiifamilias. Nam in causâ Peculii Castrensis sustinet jus patrisfamilias, & sibi acquirit; in cæteris causis sustinet jus filiifamilias, & acquirit patri. Verùm servus Peculii Castrensis, unicum jus duntaxat sustinet in omnibus causis; servus nempè filii esse intelligitur, non patris; adeòque ex omnibus causis acquirit filio.

(*i*) Nam si decesserit intestatus, patri jure Peculii cedit.

(*k*) In quo differt servus Peculii Castrensis filii, à servo Peculii paganici. Hic à patre hujus filii heres institutus, tanquam testatoris proprius, liber & heres ipse fit: ille hereditatem acquirit filio.

Source : BIU Cujas

earum rerum administratio, quas ante adrogationem in Castris adquisierit (*a*): quamvis (*b*) Constitutiones Principales de his loquantur, qui ab initio quum essent filiifamilias militaverint. Quod admittendum (*c*) est. *l.* 4. § 2. TERTYLLIAN. LIB. SING. DE CASTR. PECUL.

ARTICULUS II.

Quale sit jus tam filiifamilias quàm patris, in Peculium Castrense.

§ I.

De jure filiifamilias.

I X.

Filiusfamilias plenissimum jus habet in Peculium Castrense, æquè ac paterfamilias in res suas.

Ergo Actionem persecutionemque Castrensium rerum semper filius, etiam invito patre, habet. *d. l.* 4. § 1.

Ergo Miles filiusfamilias à commilitone, vel ab eo quem per militiam cognovit, heres institutus, & citra jussum patris, suo arbitrio rectè Pro herede geret. *l.* 5. ULP. LIB. 6. AD SABIN.

Ergo etiam, creditores filii rectè adversùs eum desiderabunt sibi ex his bonis satisfieri. Hoc est quod ait Ulpianus: Si Castrense Peculium maritus habeat, in quantùm facere potest condemnabitur (*d*); quia etiam non Castrensibus creditoribus, ex eo Peculio magis est eum cogi respondere. *l.* 7. IDEM LIB. 33. AD ED.

§ II.

An jus aliquod habeat pater filiifamilias viventis vel defuncti, in Peculium ejus Castrense.

X.

Cùm plenum & integrum jus filio competat, contrà pater nullum jus in illud Peculium habere videtur, quandiù filius vivit.

Hinc Pater qui dat in adoptionem filium militem, Peculium ei auferre non potest, quod semel jure militiæ filius tenuit. Quâ ratione, nec emancipando filium, Peculium ei aufert, quod nec in familiâ retento potest auferre. *l.* 12. PAPIN. LIB. 14. QUÆST.

Hinc Itaque negabimus (*e*) patrem, filio salvo (*f*), Communi dividundo agentem, proprietatem (*g*) alienaturum; exemplo dotalis prædii. Sed nec si socius ultrò cum eo agat, quicquam agetur; veluti si cum eo agat cui bonis interdictum (*h*) est. *l.* 18. § 2. MÆCIAN. LIB. 1. FIDEIC.

Hinc etiam solvitur sequens quæstio. Si quando ex eo Peculio filius rem alienam bonâ fide tenebit; an pater ejus IN REM, vel AD EXIBENDUM actionem pati debeat, ut cæterorum [filiorum (*i*)] nomine, quæritur? Sed verius est, cùm hoc Peculium à patris bonis separetur, defensionis necessitatem patri non imponendam. *d. l.* 18. § 4.

Sed nec cogendus est pater [propter] æs alienum, quod filius, peculii nomine quod in Castris adquisiit, feciſſe dicetur, DE PECULIO actionem pati. Et, si sponte patiatur; ut quilibet defensor, satisdato, filium in solidum non Peculio tenùs defendere debeat. *d. l.* 18. § 5.

Vice versâ. Sed & ejus filii nomine non aliter movere actiones potest, quàm si satisdederit eum RATAM rem habiturum. *d.* § 5. ¶ *sed &.*

Non tamen omninò extranei loco circa Peculium Castrense habetur pater. Et verò non potest quidem vivo filio deteriorem ejus causam facere; at potest facere meliorem.

Hinc Servos ex eo Peculio, usufructu, item prædia tam usufructu quàm cæteris servitutibus pater liberare poterit: sed & servitutes his adquirere (*k*). Id enim & eum cui bonis interdictum est, verum est consequi posse. Neque autem servis ex eo Peculio, neque prædiis, usumfructum vel servitutem imponere pater potest. *d. l.* 18. § 3.

X I.

Quemadmodum in Peculio Castrensi pater superstite filio nullum jus habet; ita & post ejus mortem, quum de eo disposuit, nullum jus in eo sibi vindicare pater potest ne quidem legitimam portionem. Nam Ex Notâ Marcelli constat, nec patribus aliquid ex Castrensibus bonis filiorum deberi. *l.* 10. POMP. LIB. SING. REGUL.

Post mortem autem filii qui de Peculio Castrensi non disposuit, pater retrò creditur hujus semper fuisse dominus.

Hinc de eo casu rescribunt Diocletianus & Maximianus: Intelligis filio qui militavit defuncto, Peculium ejus penès patrem remansisse, non hereditatem (*l*) patri quæsitam. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

Item Ulpianus. Si filiusfamilias miles decesserit; si quidem intestatus, bona ejus non quasi hereditas, sed quasi Peculium patri deferuntur; si autem testamento facto, hîc pro hereditate habetur Castrense Peculium. *l.* 2. ULP. LIB. 67. AD ED.

Hinc Papinianus. Filiusfamilias miles, si captus apud hostes vitâ fungatur; Lex Cornelia subveniet scriptis heredibus. Quibus cessantitus (*m*), Jure pristino (*n*) Peculium pater habebit. *l.* 14. PAPIN. LIB. 27. QUÆST.

Observandum quòd, Filiifamilias militis si Peculium apud patrem remansit; sine testamento filio defuncto, pater ipsi heres non sit: sed tamen heres iis fiet, quibus filius fuit. *l.* 1. ULP. LIB. 14. AD ED.

X I I.

Valdè autem interest an pater intestati filii bona Castrensia obtineat, an ipse filio ex ejus testamento heres existat.

Nam Pater qui Castrense Peculium intestati filii retinebit, æs alienum, intrà modum ejus, & annum (*o*) utilem, Jure Prætorio solvere cogitur (*p*).

Idem si testamento scriptus heres extiterit, perpetuò, civiliter, ut heres convenietur *l.* 17. PAP. LIB. 2. DEFINIT.

Hinc valdè nota. Pater à filio milite, vel qui militavit, heres institutus, testamenti causam omisit; & Castrense Peculium possidet. Legitimi heredis exemplo cogetur, ad finem Peculii, perpetuò legata (*q*) præstare. Quòd si filius post annum quàm militare desierat, jure communi testamento facto, vitâ decessit; ratione Falcidiæ retinebitur quarta (*r*). Cæterùm si testamenti causam pater omisit, cùm Peculium creditoribus solvendo non

(*a*) Quasi hæc videantur esse in Peculio Castrensi adrogati.

(*b*) Hæc ratio dubitandi.

(*c*) Scilicet ut hæc ad adrogatorem non transeant, & sint Peculii Castrensis.

(*d*) Uxori dotem soluto matrimonio repetenti; quamvis uxor non sit, certè in hâc causâ, Castrensis creditrix.

(*e*) Finge in Peculio Castrensi filium habere partem indivisam alicujus rei, cum aliquo extraneo, patremque citra mandatum filii egisse eâ de re *Communi dividundo*.

(*f*) Id est, vivo.

(*g*) Scilicet ejus partis quæ est in Peculio Castrensi; quia ad filium, non ad patrem videtur pertinere.

(*h*) Cùm pater de Peculio Castrensi filii disponere, quandiù vivit filius, non possit; est respectu hujus Peculii, non quidem omninò instar extranei; si quidem apud ipsum remansurum est, si filius intestatus decesserit; sed instar ejus *cui bonis interdictum est*.

(*i*) Manifestè abundat hæc vox *filiorum*. Sensus est; *Cæterorum* quæ in Peculio sunt ejusdem filiifamilias militis paganico.

(*k*) Quod non posset extraneus. Suprà lib. 8. Tit. *de Servitut.* N. 27. & seq.

(*l*) Id est; pater hoc Peculium jure Peculii retinet, non jure hereditatis adquirit.

(*m*) Id est, si nulli existant testamentarii heredes.

(*n*) Jure antiquo quod observabitur ante distinctionem Peculii *Castrensis* & *Paganici* à Cæsaribus introductam.

(*o*) Vide suprà lib. 15. Tit. *de Pecul.* N. 36. & seq.

(*p*) Scilicet quia hoc casu non est heres, sed hoc Peculium retinet sicut & paganicum.

(*q*) Ex sententiâ Edicti SI QUIS OMISSA CAUSA, &c. de quo suprà lib. 29. Tit. *Si quis omissâ, &c.*

(*r*) Quæ alioquin non retineretur, si jure militari testatus decessisset intra annum à missione. Supra lib. 35. Tit. *Ad L. Falcid.* N. 10.

Source : BIU Cujas

esset; nihil dolo videbitur feciſſe, quamvis temporis incurrat compendium (*a*). *d. l.* 17. § 1.

XIII.

Ex his quæ hactenùs diximus, facilè ſolvetur ſequens quæſtio.

Pater Peculii Caſtrenſis filii ſervum, teſtamento liberum eſſe juſſit. Inteſtato defuncto filiofamilias, mox patre; quæritur an libertas ſervo competat? Occurrebat enim, non poſſe dominium apud duos pro ſolido fuiſſe: denique filium poſſe manumittere talis Peculii ſervum, Hadrianus conſtituit. Et, ſi teſtamento tam filii quàm patris idem ſervus accepiſſet libertatem, & utrique pariter deceſſiſſent; non dubitaretur, ex teſtamento filii liberum (*b*) eum eſſe. Sed in ſuperiore caſu (*c*), pro libertate à patre datâ, illa dici poſſunt; numquid, quoad utatur jure conceſſo filius in Caſtrenſi Peculio, eòuſque jus patris ceſſaverit? Quòd ſi inteſtatus deceſſerit filius, poſtliminii cujuſdam ſimilitudine pater antiquo jure habeat Peculium; retròque videatur habuiſſe rerum dominia (*d*). *l.* 19. § 3. TRYPHONIN. LIB. 18. DISPUTAT.

Et hæc quidem de caſu quo filius nullo facto teſtamento deceſſit. Retentâ autem hâc eâdem ſpecie, quâ pater teſtamento reliquit libertatem ſervo caſtrenſis peculii, ita pergit Tryphoninus: Quid autem, ſi teſtamentum fecerit filius, & non ſit ejus adita hereditas? Non tam facile eſt dicere, continuatum patri poſt mortem filii rerum Peculii dominium; cùm medium tempus, quo deliberant inſtituti heredes, imaginem (*e*) ſucceſſionis præſtiterit. Alioquin, etſi adita ſit ab inſtituto hereditas filii, dicetur à patre ad eum tranſiſſe proprietatem: quod abſurdum eſt; ſi in (*f*) pendenti [ut in aliis, & in hâc ſpecie] habeamus dominia, ut ex facto retrò fuiſſe patris credamus. Secundùm quod, difficile erit expedire; ſi, dum deliberant heredes, dies ceſſerit legati ſervo dati, iſtius Peculii, teſtamento ejus quo pater nihil capere potuiſſet: an id ad ipſum pertineat (*g*), cùm utique ad heredem filii pertineret (*h*)?

Facilior tamen de libertate ſervi (*i*) deliberatio eſt, in ſpecie in quâ inteſtatus filius deceſſiſſe proponitur. Non (*k*) eſt ergo ratio reſpondendi, competere libertatem; eo tempore datam, quo non fuit in dominio patris. Favorabilem tamen ſententiam contrariam, in utroque caſu (*l*) non negamus. *d. l.* 19. § 5.

Sed ſi ponas filium teſtamentum feciſſe, & patrem heredem inſtituiſſe; cùm utique pater teſtamento ſuo, ſervo filii libertatem dediſſet, qui ad eum ex teſtamento filii pertinere cœperit; videndum eſt, numquid ei comparari debeat, qui quum manumitteretur alienus erat, deinde poſtea (*m*) adquiſitus eſt? Sed favorabile eſt, libertatem à patre relictam admittere. Et ab initio patris eum eſſe videri, ex hoc quod poſtea contigit, oſtenditur. *l.* 20. PAUL. LIB. SING. AD REGUL. CATONIAN.

XIV.

Valdè autem differt ſpecies de quâ hucuſque locuti ſumus, in quâ pater teſtamento reliquit libertatem ſervo Peculii Caſtrenſis filii; ab eâ quâ huic ſervo libertatem daret inter vivos. Undè idem Tryphoninus: Non tamen, ſi ut heres (*n*) vivo filio Vindictam ſervam ſervo impoſuit, dicatur eum poſt mortem inteſtati filii ex illâ manumiſſione liberum factum eſſe. *d. l.* 19. § 4.

Et in ſummâ: Ea res, hi actus patris qui ad præſens alienationem alicujus juris de Caſtrenſi Peculio præſtant, impediuntur; hi verò qui non ſtatim quidem, ſed poſtea efficere ſolent, eo tempore animadvertentur quo habere effectum conſueverunt: ut, ſi ſit filius cui auferatur, nihil agatur; ſi ante deceſſerit, actus patris non impediatur. *l.* 18. § 1. MÆCIAN. LIB. 1. FIDEICOMMISSOR.

XV.

Alia elegans quæſtio. Proponebatur filiusfamilias miles teſtamento facto extraneum heredem ſcripſiſſe, patre deinde ſuperſtite deceſſiſſe; pater deliberante herede inſtituto, & ipſe diem functus, deinde heres inſtitutus repudiaſſe hereditatem. Quærebatur ad quem Caſtrenſe Peculium filiifamilias pertineret? Dicebam Caſtrenſe Peculium filiifamilias, ſiquidem teſtatus deceſſit, quaſi hereditatem deferri heredi ſcripto; ſive extraneum ſcripſit heredem, ſive patrem. Sed quum nihil de Peculio decernit filius; non nunc obveniſſe patri, ſed non eſſe ab eo profectum creditur. Denique ſi ſervo filii Caſtrenſi libertatem pater adſcripſerit, moxque filius vivo patre defunctus ſit; non impeditur libertas: cùm ſi filius patri ſupervixerit, impediatur libertas. Undè Marcellus putat, neceſſarium quoque heredem ſervum filii Peculiarem patri exiſtere poſſe; ſi filio pater ſupervixerit. Idem referebam, & ſi rem Peculiarem filii pater legaverit (*o*): nam eodem caſu quo libertatem competere diximus, legatum quoque vel debebitur vel impedietur.

Quibus ita præmiſſis; & in propoſito dicebam, quum heres non adiit hereditatem, retrò Peculium patris bonis acceſſiſſe (*p*). Undè poſſe dici etiam aucta patris bona per hanc repudiationem. Nec eſt novum, ut ex poſt facto aliquis ſucceſſorem habuiſſe videatur. Nam &, ſi filius ejus qui ab hoſtibus captus eſt, deceſſerit, patre captivo vivo; ſi quidem pater regrederetur, quaſi filiusfamilias Peculium haberet: enimverò ſi ibidem pater deceſſerit, quaſi paterfamilias legitimum habebit ſucceſſorem; & retrò habuiſſe creditur ejus ſucceſſor, ea quoque quæ medio tempore filius iſte quæſiit; nec heredi patris, ſed ipſi filio quæſita videbuntur. *l.* 9. ULP. LIB. 4. DISPUT.

Hæc Jure Pandectarum. Jure Juſtinianæo, filiofamilias inteſtato mortuo, liberi ipſius & fratres præferuntur patri in ſucceſſione Peculii Caſtrenſis: Inſt. *Tit.* Quib. non eſt permiſſ. *in pr.*

(*a*) Illud ſcilicet, ut intra annum duntaxat teneatur; cùm contrà, ſi ex teſtamento heres eſſet, *Perpetuò* teneretur.

(*b*) Non verò ex teſtamento patris.

(*c*) Quo ſcilicet libertas teſtamento patris ſolius relicta eſt, & filius prior inteſtatuſque deceſſit. Qui eſt caſus propoſitus.

(*d*) Unde ſequitur libertatem *directam à patre* competere; cùm hujus ſervi retrò fuiſſe dominus videatur. Quod tamen hic Juriſconſultus definire non audet, ſed diſputationem ſuam proſequitur adhuc in § 5. mox ſeq.

(*e*) Id eſt, bona Caſtrenſia, dum ſcripti heredes deliberant, quædam hereditas jacens eſſe videntur. Non autem poſſunt interim videri ad patrem pertinere; undè ſequeretur heredes adeuntes hæc bona à patre accepturos: quod abſurdum eſt. Eſt enim ex hereditatis ſubſtantiâ, ut directè à defuncto accipiatur, cùm heres ſit defuncti ſucceſſor.

(*f*) Gloſſa cenſet legendum *niſi in pendenti*. Senſus eſt: Quid igitur dicimus? niſi in pendenti eſſe dominium Peculii Caſtrenſis: pendere ſcilicet ex eo quod eveniet, an inſtar hereditatis fuiſſe videatur, quod ita erit, ſi ſcripti heredes adeunt: an quaſi Peculium ſemper apud patrem remanſiſſe credatur; quod ita erit, ſi repudient.

(*g*) Nam ſi ſervus ille & cæteræ res Peculii Caſtrenſis, videri debent fuiſſe patris eo tempore quo deliberabat heres ſcriptus; legatum inutiliter cederet, cùm cederet ſervo incapacis. Hæc ratio dubitandi.

(*h*) Hîc tacitè innuitur ratio in contrarium. Nam ſi dum deliberant ſcripti heredes, Peculium iſtud conſiderari poteſt velut quædam hereditas jacens; quæ perſonam ſuſtineat defuncti filii, qui ipſe capax erat, & cui proindè per ſervum Peculiarem acquiri potuerit legatum illud: certè hoc poſito, dies legati utiliter ceſſiſſe videri poterit; &, ſi poſtea repudient ſcripti heredes, ad patrem pertinere; *Cùm utique ad* ſcriptum *heredem filii* procul dubio *pertineret*, ſi ſcriptus adiiſſet.

(*i*) De quâ quæſtio propoſita fuit initio hujus Ni. Hæc [inquam] *deliberatio facilior eſt* quam ſpecies legati mox propoſita; & apertiùs dicendum videtur non competere libertatem.

(*k*) Supple: Nam in caſu legati, mortuus erat filius quando ceſſit dies: unde magis diſputari poteſt de dominio quod patri potuit eo tempore competere necne. At in caſu de quo agimus; quo, antequàm inteſtatus decederet filius, pater teſtamento libertatem ſervo ejus Caſtrenſi reliquerat, certè videtur hæc libertas ſervo alieno relicta: ſiquidem filius quandiù vixit, hujus ſervi dominus erat: nec unquam potuit dominium Peculii Caſtrenſis pertinere ad patrem, niſi eo tempore quo filius moritur. *Ergo non* videtur eſſe ulla *ratio reſpondendi*, &c.

(*l*) Tam libertatis teſtamento relictæ à patre; quàm legati ab extraneo relicti huic ſervo, & cujus dies ceſſit dum deliberarent ſcripti à filio heredes. Scilicet ita reſpondendum in primo caſu, favore libertatis: in altero autem, favore ultimarum voluntatum; & quia continuatio illa dominii quæ pro patre introducta eſt, non debet contra ipſum [eo caſu quo per ſe incapax deprehenderetur] retorqueri.

(*m*) Quo caſu non valet relicta libertas, ſuprà lib. 28. Append. *de Hered. qual. & diff.* N. 4.

(*n*) Alibi rectè *herus*. Cujacius tamen Obſerv. X. 16. putat lectionem retineri poſſe; & apud Veteres, *Heredem* pro hero ſeu domino accipi.

(*o*) *Per vindicationem*: quo genere legati nonniſi res propria legari poteſt, ſuprà Tit. *de Legatis* N. 122.

(*p*) Aliud putabat Papinianus, l. 14. ff. h. tit. quam vide ſuprà lib. 45. Tit. *de Stipul. ſerv.*

Source : BIU Cujas

Ex Novellâ autem CXVIII. Cap. 2. pater cum fratribus defuncti concurrere debet.

ARTICULUS III.

De Peculio Quaſi-Caſtrenſi.

XVI.

An Jure Pandectarum jam receptum fuerit Quaſi-Caſtrenſe Peculium, diſputant Doctores.

Hujus quidem mentio fit in l. 16. § 12. *ff.* Ad SC. Trebell. *l.* 3. § 5. *ff.* de Bon. poſſ. *l.* 1. § 15. *ff.* de Collation. *l.* 7. § *fin. ff.* de Donationib. *l.* 52. § 8. *ff.* Pro Socio. *Verùm hi textus à Triboniano interpolati eſſe potuerunt, ut credit Balduinus. Duo tamen in integræ fidei textibus* (*l.* 50. *ff.* Ad SC. Trebell. & *l.* 52. *ff.* de Adquir. hered.) *ſingulares caſus notantur, ubi quædam habet filius in quibus nihil habet pater, etiam Jure antiquo. At hi caſus ad Quaſi-Caſtrenſe Peculium non pertinent.*

XVII.

Ex Conſtitutione Conſtantini; omnes Palatini Principis, quidquid occaſione hujus muneris acquirunt, inſtar Peculii Caſtrenſis habere poſſunt. l. 1. *Cod.* de Caſtr. omn. Palat.

Officiales etiam Præfecti Prætorio, hoc jure gaudent; putà Scriniarii (Gardes des Actes), *Exceptores* (*id eſt, qui Acta Notis excipiebant*), & *cæteri. l. fin. Cod.* h. tit.

Eodem jure uſos fuiſſe adminiſtratores provinciarum, Divi Hieronymi temporibus, liquet ex ejus lib. ad Nepotian.

Hoc jus Advocatis indulſerunt Theodoſius-Junior & Valentinianus III^us. l. 8. *Cod.* de Advoc. diverſ. jud.

Ex Conſtitutione Leonis & Anthemii, Preſbyteris & Diaconis permittitur omnia quæcumque dum in Clericatu ſunt, acquirunt, inſtar Peculii Quaſi-Caſtrenſis habere; ita ut patri in cujus poteſtate ſunt, hæc non quærantur; nec ea conferre teneantur, & de his poſſint teſtari. l. 34. *Cod.* de Epiſc. & Cleric.

Juſtinianus addidit ut teſtamenta de his rebus, querelæ inofficioſi non ſubjaceant l. 50. *Cod.* d. tit.

Novellâ ſuâ CXXIII. Cap. 9. *hoc jus Peculii Quaſi-Caſtrenſis ad Subdiaconos, Lectores & Cantores porrexit. Cæterùm voluit ut liberi, aut his non extantibus parentes, in his bonis legitimam partem ferant.*

De cætero, quæcumque de Peculio Caſtrenſi dicta ſunt, & de Quaſi-Caſtrenſi dicenda ſunt.

TITULUS XVIII.

DE VETERANIS.

I.

VETERANI *ſunt, ut jam vidimus, qui honeſtè poſt emerita ſtipendia militiâ dimiſſi ſunt.*

§ I.

De privilegiis Veteranorum.

II.

Varia ſunt Veteranorum privilegia.

Et 1°. *Ut immunes ſint à muneribus perſonalibus.*

V. G. Veteranos Divus Magnus-Antoninus cum patre ſuo reſcripſit, à navium fabricâ excuſari. *l.* 5. PAUL. LIB. SING. DE COGNITION.

Sed & ab exactione tributorum habent immunitatem; hoc eſt, ne exactores tributorum (*a*) conſtituantur. *d. l.* 5. § 1.

Eos generaliter ab omni civili, id eſt corporali, ſive perſonali ſeu deportationis tributorum munere immunes eſſe voluit Conſtantinus; necnon ut vectigalia pro mercibus quas vendunt, non ſolvant. l. 1. Cod. h. tit.

Hæc autem Honeſtè ſacramento ſolutis data immunitas, etiam in eis civitatibus apud quas incolæ ſunt, valet.

Nec labefactatur, ſi quis eorum voluntate ſuâ honorem aut munus ſuſceperit. *l.* 2. ULP. LIB. 3. OPINION.

Hoc ſic accipe; ut ab alio ſimili ſuſcipiendo excuſentur, non ab eo quod ſuſceperunt. V. G. Sed Veterani qui paſſi ſunt in ordinem (*b*) legi, muneribus (*c*) fungi coguntur. *ſup. d. l.* 5. § 2.

III.

Dicimus Veteranos eſſe immunes à muneribus perſonalibus. Secùs de realibus: nam Vectigalia & patrimoniorum onera ſolemnia, OMNES ſuſtinere oportet. *ſup. d. l.* 2. § 1.

Hinc Viæ ſternendæ immunitatem Veteranos non habere, Julio-Soſſiano Veterano reſcriptum eſt. Nam nec ab intributionibus quæ poſſeſſionibus fiunt, Veteranos eſſe excuſatos, palàm eſt. *l.* 4. ULP. LIB. 4. DE OFFICIO PROCONS.

Sed & naves eorum angariari (*d*) poſſe, Ælio-Firmo & Antonino-Claro Veteranis reſcriptum. *d. l.* 4. § 1.

De immunitate Veteranorum plura vide ſuprà lib. 27. *Tit.* de Excuſat. tut. & curat. & *infrà lib. ſeq. Tit.* de Vacat. mun.

IV.

2°. Veteranorum privilegium (inter cætera) etiam in delictis habet prærogativam, ut ſeparentur à cæteris in pœnis. Nec ad beſtias itaque Veteranus datur, nec fuſtibus cæditur. *l.* 1. ARRIUS-MENANDER LIB. 3. DE RE MILITARI.

Conſonat Marcianus. Veteranis & liberis Veteranorum idem honor habetur, qui & Decurionibus. Igitur nec in metallum damnabuntur, nec in opus publicum, vel ad beſtias; nec fuſtibus cædentur. *l.* 3. MARCIAN. LIB. 2. REGULAR.

§ II.

Qui à Veteranorum privilegiis arceantur.

V.

Veterani qui ex negligentiâ vitæ, nec rus colunt, nec aliquid honeſtum peragunt, ſed latrociniis ſeſe dederunt; omnibus Veteranorum privilegiis exuti, pœnis competentibus à provinciarum Rectoribus ſubjiciantur. *l.* 3. *Cod. h. tit.* CONSTANTIN.

(*a*) *Collecteurs.*
(*b*) Decurionem.
(*c*) Quibus obnoxii ſunt Decuriones.

(*d*) *Angariari* eſt cogi; ſcilicet ad uſum aliquem publicum. [*On peut mettre l'Embargo ſur leurs barques*].

Source : BIU Cujas

LIBER QUINQUAGESIMUS.

TITULUS I.

AD MUNICIPALEM, ET DE INCOLIS.

QUÆ *ad jus publicum Romanæ Reipublicæ pertinentia Tribonianus tractare susceperat, in posterioribus præcedentis libri Titulis absoluta sunt. Supereſt dicendum de jure publico Municipiorum, seu de jure quod municipiis proprium est & iis qui ea Incolunt: quod quandoque etiam dicitur* Lex municipalis, *latè sumpto* Legis *nomine. Undè qui statim hîc præmittitur Titulus, de ipsis Municipibus, & quomodo fiant; inscriptus legitur* AD MUNICIPALEM (*supple*) Legem (*a*).

I.

Et propriè quidem MUNICIPES appellantur MUNERIS PARTICIPES, recepti in civitate (*b*) ut munera nobiscum facerent. Sed nunc abusivè MUNICIPES dicemus, suæ cujusque civitatis (*c*) cives; ut putà Campanos, Puteolanos. *l.* 1. § 1. ULPIAN. LIB. 2. AD ED.

Propriè igitur, inquit Gellius XVI. 13. « MUNICIPES » *sunt cives Romani ex Municipiis, legibus suis & suo* » *Jure utentes; muneris tantùm cum Populo Romano hono-* » *rarii participes, (à quo munere capessendo appellati* » *videntur); nullis aliis necessitatibus neque ullâ Populi* » *Romani Lege adstricti.* »

Diverso jure erant COLONIÆ, *quæ (ut ibid. ait Gellius)* » *non veniunt extrinsecùs in civitatem; sed ex civitate* » *quasi propagatæ sunt potiùs; & jura institutaque omnia* » *Populi Romani, non sui arbitrii habent.* »

Abusivè autem cujusque civitatis cives dicuntur Municipes. *Adde quòd Municipiorum jura sensim obliterata sunt, & in Municipiis omnibus instituta Populi Romani invaluerunt.*

Municipes alii originarii, alii Incolæ: de quibus singulis separatim agemus.

SECTIO I.

De Municipibus originariis.

ARTICULUS I.

Quibus modis Municipalis origo adquiratur.

II.

Municipem aut nativitas facit, aut manumissio, aut adoptio. *d. l.* 1. *pr.*

Adde; aut ALLECTIO, *infrà N.* 15.

(*a*) *Municipali Lege* hîc generaliter sumptâ pro jure Municipum. Alio & speciali sensu, *legis Municipalis* mentio in l. 25. ff. h. t. & l. 1. ff. *de Albo scribendo.* Malè Cujacius in hujus Tituli Rubricâ legendum putat, *ad Municipales.* Rectiùs in Basilicis, *de Municipibus.*

§ I.

De nativitate.

III.

Municipes intelligendi sunt, & qui in eodem Municipio nati sunt. *l.* 228. *ff. de Verb. signif.* PAUL. LIB. SING. DE COGNITION.

Qui ex duobus igitur Campanis parentibus natus est, Campanus est. Sed si ex patre Campano, matre Puteolanâ; æquè Municeps Campanus est. *l.* 1. § 2. ULPIAN. LIB. 2. AD ED.

Hinc Philippus. Filios apud originem patris, non in maternâ civitate, etsi ibi nati sint (si modò non domiciliis retineantur), ad honores seu munera posse compelli explorati Juris est. *l.* 3. *Cod. de Municipib.*

Hoc ita, Nisi fortè privilegio aliquo materna origo censeatur: tunc enim maternæ originis erit Municeps. Ut putà Ilienſibus (*d*) concessum est; ut, qui matre Ilienſi est, sit eorum Municeps. Etiam Delphis hoc idem tributum & conservatum est. Celsus etiam refert Ponticis ex Beneficio Pompeii-Magni competere, ut qui Ponticâ matre natus esset, Ponticus esset. Quod beneficium ad vulgò quæsitos solos pertinere quidam putant. Quorum sententiam Celsus non probat. Neque enim debuisse caveri, ut vulgò quæsitus matris conditionem sequeretur; (quam enim aliam originem hic habet?) sed ad eos qui ex diversarum civitatium parentibus orirentur. *sup. d. l.* 1. § 2. ¶ *nisi.*

Regulariter igitur solius patris origo attenditur in his qui ex justâ conjunctione nati sunt.

At Ejus qui justum patrem non habet, prima origo à matre; eoque die quo ex eâ editus est, numerari debet. *l.* 9. NERATIUS LIB. 3. MEMBRAN.

IV.

Quoad originem, observandum supereſt; quòd Qui ex vico ortus est, eam patriam intelligitur habere, cui Reipublicæ vicus ille respondet. *l.* 30. ULP. LIB. 61. AD ED.

§ II.

De manumissione.

V.

Libertini originem patronorum vel domicilium sequuntur; item qui ex his nascuntur. *l.* 6. § 3. ULP. LIB. 2. OPINION.

(*b*) Id est, quibus Jus civitatis nostræ communicatum est, ut officiorum civilium essent participes nobiscum.

(*c*) Etiam ejus civitatis quæ jura Municipii non haberet.

(*d*) Ob Romanæ sobolis originem, ab *Ilio* seu Trojâ oriundam.

Source : BIU Cujas

Nam Filii libertorum libertarumque, liberti paterni (*a*) manumiſſoris (*b*) domicilium aut originem (*c*) ſequuntur. *l.* 22. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Et quidem quoad originem nulla diſtinctio. Quoad domicilium *autem, ſic accipe; interim donec ipſi ſibi aliud domicilium conſtituant.*

Sed nec mutato domicilio libertus aut liberti filius, patroni patriam in quam civis per ipſam manumiſſionem adſciſcitur, exuere poteſt. Hoc eſt quod ait Ulpianus : Ejus qui manumiſit, Municeps eſt manumiſſus; non domicilium ejus (*d*), ſed patriam ſecutus. *l.* 27. ULP. LIB. 2. AD ED.

Nota : Et ſi patronum habeat duarum civitatium Municipem; per manumiſſionem, earumdem civitatium erit Municeps. *d. l.* 27. ¶ *& ſi.*

Pariter Si quis à pluribus manumiſſus ſit; omnium patronorum originem ſequitur. *l.* 7. ULPIAN. LIB. 5. DE OFFICIO PROCONS.

V I.

Cùm igtiur patriam patroni originem ſemper ſequatur libertus; & munera civilia, tam ratione domicilii, quàm ratione origis deferantur; hinc Libertos eo loco munus facere debere undè patrona erit, & ubi ipſi domicilium habebunt (*e*), placet. *l.* 37. § 1. CALLISTR. LIB. 1. DE COGNITIONIB.

Item Paulus : Municipes ſunt liberti, & in eo loco ubi ipſi domicilium ſuâ voluntate tulerunt. Nec aliquod ex hoc origini patroni faciunt præjudicium; & utrubique muneribus adſtringuntur. *l.* 22. § 2. PAUL. LIB. 1. SENT.

V I I.

Ex causâ fideicommiſſi manumiſſus; in muneribus civilibus, manumiſſoris originem ſequitur, non ejus qui libertatem (*f*) relinquit. *l.* 17. § 8. PAPINIAN. LIB. 1. RESPONS.

Conſonat quod reſcribit Gordianus. Si (ut proponis) ea quæ ex causâ fideicommiſſi te manumiſit, ab eâ libertatem juſtam fuerit conſecuta, quæ originem ex provinciâ Aquitaniâ ducebat; tu quoque ejus conditionis; ejuſque civitatis jus obtines, undè quæ te manumiſit, fuit. Eorum enim conditionem ſequi, ex causâ fideicommiſſi manumiſſos pridem placuit, qui libertatem præſtiterint, non qui dari rogaverint. *l.* 2. *Cod. de Municipib.*

§ III.

De adoptione.

V I I I.

Adoptio etiam Municipem facit.

Cæterùm Jus originis in honoribus obeundis, ac muneribus ſuſcipiendis, adoptione non mutatur. Sed novis quoque muneribus, filius per adoptivum patrem adſtringitur. *l.* 15. § 3. PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

Similiter qui ex adoptivo filio ſuſcipientur liberi, duplicem ſortientur originem.

Enimverò In adoptivâ familiâ ſuſceptum, exemplo dati (*g*), muneribus civilibus apud originem avi quoque naturalis reſpondere Divo Pio placuit; quamvis in iſto fraudis (*h*) nec ſuſpicio quidem interveniret. *l.* 17. § 9. IBID.

ARTICULUS II.

Quomodo probetur Municipalis origo.

I X.

Antoninus & Verus Reſcripſerunt; Quum quæritur an Municeps quis ſit, ex ipſis etiam rebus probationes ſumi oportere. Nam ſolam nominis ſimilitudinem ad confirmandam cujuſque originem ſatis non eſſe. *l. fin.* § 5. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUTIONIB.

(*a*) Id eſt, liberti patris ſui.
(*b*) Qui manumiſit patrem ipſorum.
(*c*) Nam [ut vid. §°. præced.] filii ſequuntur originem patris. Porrò origo patris ipſorum, eſt origo patroni à quo pater ipſorum manumiſſus eſt: ergo hanc originem ipſi ſequuntur.

ARTICULUS III.

Quomodo Municipàtus originis amittatur necne.

X.

Origine propriâ neminem poſſe voluntate ſuâ eximi, manifeſtum eſt. *l.* 4. *Cod. de Municipib.* DIOCLET. ET MAXIM.

Item Adſumptio originis quæ non eſt, veritatem naturæ non peremit. Errore enim veritas originis non amittitur; nec mendacio dicentis ſe eſſe undè non ſit, deponitur. Neque recuſando quis patriam ex quâ oriundus eſt, neque mentiendo de eâ quam non habet; veritatem mutare poteſt. *l.* 6. ULP. LIB. 2. OPINION.

X I.

Sed nec Incolatus in alterâ civitate, mutat jus originis.

Hinc Alexander. Cùm te Biblium (*i*) origine, Incolam autem apud Berytios eſſe proponas; meritò apud utraſque civitates muneribus fungi compelleris. *l.* 1. *Cod. de Municipib.*

Hinc Gaius. Incola & his Magiſtratibus parere debet apud quos Incola eſt, & illis apud quos civis eſt. Nec tantùm Municipali juriſdictioni in utroque Municipio ſubjectus eſt, verùm etiam omnibus publicis muneribus fungi debet. *l.* 29. GAIUS LIB. 1. AD ED. PROVINC.

Hoc confirmat Conſtantinus. l. fin. Cod. de Municipib.

Hæc accipe, non ſolùm de origine quam dat nativitas, ſed & de eâ quam dat manumiſſio aut adoptio : ut liquet ex ſuprà dictis Art. 1. §§*is*. 2°. & 3°.

X I I.

An Senatoriâ dignitate amittatur domicilium originis; quæritur? Reſpondit Paulus : Senatores licèt in Urbe domicilium habere videantur; tamen & ibi undè oriundi ſunt, habere domicilium intelliguntur : quia dignitas, domicilii adjectionem potiùs dediſſe, quàm permutaſſe videtur. *l* 11. *ff. de Senatorib.* PAUL. LIB. 44. AD ED.

Hæc tamen Pauli definitio diſtinctionem aliquam recipit. Nimirùm Municeps eſſe deſinit, Senatoriam adeptus dignitatem; quantùm ad munera. Quantùm verò ad honorem (*k*), retinere creditur originem. Denique manumiſſi ab eo, ejus Municipii efficiuntur Municipes undè originem trahit. *l.* 23. HERMOGENIAN. LIB. 1. JURIS EPITOMARUM.

Pariter Senatores, & eorum filii filiæque, quoquo [*Florent.* quoque] tempore nati natæ-ve, idemque nepotes pronepotes & proneptes ex filio, origini eximuntur; licèt Municipalem retineant dignitatem. *l.* 22. § 5. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

X I I I.

Captivitate jus Municipatûs amittitur; ſed per poſtliminium recipitur. Igitur Poſtliminio regreſſi, patriæ muneribus obtemperare coguntur; quamvis in alienæ civitatis finibus conſiſtant. *l.* 17. § 6. PAPIN. LIB. 1. RESPONSOR.

X I V.

Denique, in eo qui adoptione Municeps factus eſt, nota : Sed ſi emancipatur ab adoptivo patre; non tantùm

(*d*) Scilicet ſi ipſe ſibi aliud domicilium conſtituit manumiſſus.
(*e*) Id eſt, tam in patriâ originis quàm in loco domicilii.
(*f*) Non enim defuncti, ſed heredis qui ipſum manumiſit, eſt libertus. Secùs, ſi directam libertatem accepiſſet.
(*g*) Ejus qui ipſe datus eſt in adoptionem.
(*h*) Id eſt, animi ſe ſubtrahendi muneribus patriæ ſuæ.
(*i*) *Bible* urbs Aſiæ, ad Tigrim fluvium. Alciato *Biblus*, urbs Phœniciæ, non longè à Beryto.
(*k*) Hinc eveniebat, ut idem & Romæ, & in Municipio ſuo magiſtratibus fungeretur. Annius-Milo Dictator erat Lanuvii, quum Romæ Conſulatum peteret. Cicero *pro Milone* n. 10.

filius,

Source : BIU Cujas

filius, sed etiam civis ejus civitatis cujus per adoptionem fuerat factus, esse desinit. *l.* 16. HERMOGENIAN. LIB. 2. EPITOMAR.

SECTIO II.

De Incolis, & Domicilio.

XV.

Cives quidem origo, manumissio, allectio (*a*), vel adoptio; Incolas verò (sicut & Divus Hadrianus Edicto suo manifestissimè declaravit) domicilium facit.

Et in eodem loco singulos habere DOMICILIUM non ambigitur, ubi quis larem (*b*) rerumque ac fortunarum suarum summam constituit; undè rursùs non sit discessurus, si nihil avocet; undè quum profectus est, peregrinari videtur; quòd si rediit, perigrinari jam destitit. *l.* 7. *Cod. de Incolis.* DIOCLET. ET MAXIM.

Ut quæ ad Incolas & domicilium spectant, methodicè ordinentur; videndum 1°. *Qui* INCOLÆ *dicantur, & cujus judicis notio sit an quis sit Incola:* 2°. *Quæ faciant domicilium necne:* 3°. *An uxor viri, sponsa sponsi, & filius patris domicilium sequantur; an diversum habere possint:* 4°. *Denique, quomodo domicilium amittatur.*

ARTICULUS I.

Qui sint Incolæ, & cujus judicis notio sit an quis sit Incola.

XVI.

INCOLA est, qui aliquâ regione domicilium suum contulit, quem Græci ΠΑΡΟΙΚΟΝ [*id est, juxta habitantem*] appellant. Nec tantùm hi qui in oppido morantur, Incolæ sunt; sed etiam qui alicujus oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum se quasi in aliquam sedem recipiant. *l.* 239. § 2. *ff. de Verb. signif.* POMPON. LIB. SINGUL. ENCHIRIDII.

Cæterùm, nisi ibi sedem suam fixerit; ΕΙΔΕΝΑΙ, *&c.* [*id est*] Scire oportet, quoniam qui in agro permanet (*c*), Incola esse non existimatur. Qui enim illius civitatis præcipuis (*d*) non utitur, non existimatur esse Incola. *l.* 35. MODEST. LIB. I. EXCUSAT.

Cùm autem Incola sit, qui ultrò eò loci sedem suarum fortunarum fixerit; hinc etiam Incola ab advenâ differt. Advena est, quem Græci ΑΠΟΙΚΟΝ [*id est, domo profugum* (*e*) *& colonum advenientem*] appellant. *Sup. d. l.* 239. § 4. *ff. de Verb. signif.*

XVII.

De Jure omnium Incolarum quos quæque civitates sibi vindicant, Præsidum provinciarum cognitio est. Quum tamen se negat quis Incolam esse; apud eum Præsidem provinciæ agere debet, sub cujus curâ est ea civitas à quâ vocatur ad munera; non apud eam, ex quâ ipse se dicat oriundum esse. Idque Divus Hadrianus rescripsit mulieri, quæ aliundè orta, alibi nupta est. *l.* 37. CALLISTRAT. LIB. I. DE COGNITIONIB.

(*a*) Si nempè civitas aliquem in suum civem alleget: [*par Lettres de Bourgeoisie*].

(*b*) *Lar* erat deus tutelaris cujusque domûs ac familiæ. Huic pueritiam egressi, *Bullam* pueritiæ & ingenuitatis insigne; militiâ dimissi, arma consecrare solebant. Hinc apud Persium:

Bullaque succinctis laribus donata pependit.

Et apud Ovidium Trist. IV. 8.

Miles ubi emeritis non est satis utilis armis,
Ponit ad antiquos quæ tulit arma lares.

Horum deorum simulacra unusquisque domi suæ, in sacello quod *Lararium* vocabatur, asservabat. Ubi autem quis hoc Lararium habebat, ibi *Domicilium* suum habere intelligebatur.

(*c*) Ad tempus scilicet, & quatenùs necesse est ad hunc agrum colendum. Cæterùm præcipuis civitatis in cujus finibus ille est, non utitur; sed his in aliâ civitate in quam perfecto opere se recipit, utitur.

ARTICULUS II.

Quæ faciant Domicilium necne.

Domicilium facit potissimùm sedes fortunarum suarum quas quis in aliquo loco habet. Et tale domicilium, dicitur DOMICILIUM *simpliciter.*

Est præterea DOMICILIUM PŒNÆ, *item* DOMICILIUM DIGNITATIS.

De his tribus speciebus domicilii separatim agemus; deindè quædam enumerabimus quæ non tribuunt domicilium.

§ I.

De Domicilio simpliciter dicto, & ex quibus circumstantiis æstimetur.

XVIII.

Tale domicilium sibi unusquisque, ubi vult constituit Enivmerò Nihil est impedimento quominùs quis, ubi velit, habeat domicilium; quod ei interdictum non sit. *l.* 31. MARCELL. LIB. I. DIGEST.

Ex circumstantiis æstimatur, ubi sit domicilium. Putà Si quis negotia sua non in Coloniâ (*f*), sed in Municipio semper agit; in illo vendit, emit, contrahit; eo, in foro, balneo, spectaculis, utitur; ibi festos dies celebrat, omnibus denique Municipii commodis, nullis Coloniarum fruitur: ibi magis habere domicilium, quàm ubi colendi causâ diversatur. *l.* 27. § 1. ULPIAN. LIB. 2. AD ED.

Quid si hæc æquè in duobus locis agit? Labeo indicat eum qui pluribus locis ex æquo negotietur, nusquàm domicilium habere. Quosdam autem dicere refert, pluribus locis eum Incolam esse, aut domicilium habere: quòd verius est. *l.* 5. PAUL. LIB. 55. AD ED.

Hanc posteriorem sententiam sequitur, & sequendam docet Ulpianus. Ita ille: Viris Prudentibus placuit, duobus locis posse aliquem habere domicilium; si utrobique ita se instruxit, ut non ideò minùs apud alteros se collocasse videatur. *l.* 6. § 2. ULPIAN. LIB. 2. OPINION.

Idem alibi. Celsus libro primo Digestorum tractat: Si quis instructus sit duobus locis æqualiter, neque hìc quàm illic minùs frequenter commoretur: ubi domicilium habeat, existimatione [*Aliàs* destinatione] animi esse accipiendum. Ego dubito, si utrobique destinato sit animo, an possit quis duobus locis domicilium habere? Et verum est habere, licèt difficilè est (*g*).

Quemadmodum difficile est, sine domicilio esse quemquam. Puto autem & hoc procedere posse, si quis domicilio relicto naviget, vel iter faciat, quærens quò se conferat, atque ubi constituat. Nam hunc puto sine domicilio (*h*) esse. *l.* 27. § 2. JULIAN. LIB. 2. AD ED.

De domicilio militis quæritur? Et dicendum quòd Miles ibi domicilium habere videtur, ubi meret; si nihil in patriâ possideat (*i*). *l.* 23. HERMOGEN. LIB. I. JURIS EPITOMAR.

(*d*) Foro scilicet, balneo, templo, spectaculis: argumento legis 27. § 1. mox infra N. 18. Ita Wissenbach.

(*e*) Ad tempus; ut divertat apud nos scilicet, & non tanquam in sede suarum fortunarum. Ita Cujacius hanc legem à præcedenti discriminat.

(*f*) *Colonia* hìc accipitur à Gothofredo, pro unâ ex his Coloniis Populi Romani quæ diverso ac *Municipiorum* jure olim utebantur. In eâ si quis quasi *colonus* & *Advena* diversatur, colendi gratiâ; cæterùm *in Municipio semper agit*, *&c.* is non in eâ Coloniâ, sed in Municipio domicilium habere dicendus est.

(*g*) Hìc unicè quæstio est de Domicilio propriè dicto. Nam contrà *facile est*, ut quis duplex domicilium habeat; aliud propriè dictum in quo habitat, aliud dignitatis.

(*h*) Scilicet si ex circumstantiis appareat, eum abjecisse domicilium quod habebat. Alioquin retinere illud semper præsumitur, donec novum sibi constituerit.

(*i*) Nam quum nihil in patriâ possidet; ibi præcipuam fortunarum suarum sedem videtur habere, ubi meret.

Source : BIU Cujas

§ II.

De eâ ſpecie Domicilii quod pœna tribuit.

XIX.

Relegatus, in eo loco in quem relegatus eſt, interim neceſſarium domicilium habet. *l.* 22. § 3. PAUL. LIB. I. SENTENT.

Pœna autem domicilium adjicit, non mutat. Undè Julianus: Domicilium autem habere poteſt & relegatus, eò loci undè arcetur: ut Marcellus ſcribit. *l.* 27. § 3. JULIAN. LIB. 2. AD ED.

§ III.

De tertiâ Domicilii ſpecie; quod dignitas tribuit.

XX.

Dignitas etiam tribuit domicilium. Nam Senatores in Sacratiſſimâ Urbe domicilium dignitatis habere videntur. *l.* 8. *Cod. de Incol.* VALENTIN. ET THEODOS.

Et quidem Senatores qui liberum commeatum, id eſt, ubi velint morandi arbitrium impetraverunt (*a*), domicilium in Urbe retinent. *l.* 22. § 6. PAUL. LIB. I. SENTENT.

§ IV.

Quæ res non tribuant Domicilium.

XXI.

Peregrinatio temporaria in aliquo loco, non tribuit ibi domicilium.

Hinc Alexander. Nec ipſi qui ſtudiorum causâ aliquo loco morantur, domicilium ibi habere creduntur; niſi decem annis tranſactis eo loco ſedes ſibi conſtituerint, ſecundùm Epiſtolam Divi Hadriani; nec pater qui propter filium ſtudentem frequentiùs ad eum commeat.

Sed ſi aliis rationibus domicilium in ſplendidiſſimâ civitate Laodiceorum habere probatus fueris; mendacium, quominùs muneribus fungaris, non proderit. *l.* 2. *Cod. de Incolis.*

XXII.

Item Sola domûs poſſeſſio, quæ in alienâ civitate comparatur, domicilium non facit. *l.* 17. § 13. PAPIN. LIB. 2. RESPONS.

Igitur Sola ratio poſſeſſionis, civilibus poſſeſſori muneribus injungendis; citra privilegium ſpecialiter civitati datum, idonea non eſt. *d. l.* 17. § 5.

Similiter Diocletianus & Maximianus. Cùm neque originales, neque Incolas vos eſſe memoratis; ob ſolam domûs vel poſſeſſionis (licèt ex ſubſtantiâ (*b*) Decurionis acquiſita ſit) cauſam, publici Juris auctoritas muneribus ſubjugari vos non ſinet. *l.* 4. *Cod. de Incolis.*

ARTICULUS III.

An uxor viri, ſponſa ſponſi, aut filius patris Domicilium ſequantur; an aliud habere poſſint.

XXIII.

Ea quæ deſponſa eſt, ante contractas nuptias ſuum non mutat domicilium. *l.* 32. MODEST. LIB. 4. DIFFERENT.

XXIV.

Aliud in nuptâ. Nam Antoninus & Verus Item reſcripſerunt; Mulierem quandiù nupta eſt, Incolam ejuſdem civitatis videri, cujus maritus ejus eſt; & ibi undè originem (*c*) trahit, non cogi muneribus (*d*) fungi. *l.* 38. § 3. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUTIONIB.

Pariter Philippus reſcribit. Eam quæ aliundè oriunda alibi nupta eſt, ſi non in Urbe Româ maritus ejus conſiſtat, non apud originem ſuam, ſed apud Incolatum mariti ad honores ſeu munera quæ perſonis cohærent, quorumque is ſexus capax eſſe poteſt, compelli poſſe, ſæpè reſcriptum eſt. Patrimonii verò munera neceſſe eſt mulieres, in his locis in quibus poſſident, ſuſtinere. *l. un. Cod. de Mulierib. in quo loco &c.*

Hæc ita, quum nuptiæ juſtæ ſunt. Nam contrà, Mulieres quæ in matrimonium ſe dederint non legitimum, non ibi muneribus fungendas undè mariti earum ſunt, ſciendum eſt; ſed undè ipſæ ortæ ſunt. Idque Divi Fratres reſcripſerunt. *l.* 37. § 2. CALLISTRAT. LIB. 1. DE COGNITIONIB.

XXV.

Filius, civitatem ex quâ pater ejus naturalem originem ducit, non domicilium ſequitur. *l.* 6. § 1. ULP. LIB. 2. OPINION.

Scilicet quum aliud domicilium ipſe ſibi conſtituit. Enimverò Placet etiam, & filiosfamilias domicilium habere poſſe. *l.* 3. ULP. LIB. 25. AD SABIN.

Non utique ibi ubi pater habuit, ſed ubicumque ipſe domicilium conſtituit. *l.* 4. ULP. LIB. 39. AD ED.

Igitur Patris domicilium, filium aliorum (*e*) Incolam civilibus muneribus alienæ civitatis non adſtringit; cùm in patris quoque perſonâ, domicilii ratio temporaria ſit. *l.* 17. § 11. PAPIN. LIB. I. RESPONS.

ARTICULUS IV.

Quomodo Domicilium amittatur.

XXVI.

Domicilium re & facto transfertur, non nudâ conteſtatione (*f*): ſicut in his exigitur (*g*), qui negant ſe poſſe ad munera ut Incolas vocari. *l.* 20. PAUL. LIB. 24. QUÆSTION.

XXVII.

Sed & reali domicilii tranſlatione, tunc demùm Incolatui quis renuntiare poteſt, ſi res ſit integra.

Cæterùm Incola jam muneribus publicis deſtinatus, niſi perfecto munere, Incolatui renuntiare non poteſt. *l.* 34. MODESTIN. LIB. 3. REGULAR.

Perfecto autem munere poteſt. Undè Antoninus: Non tibi obeſt, ſi, quum Incola eſſes, aliquod munus ſuſcepiſti: modò, ſi, antequàm ad alios honores vocareris, domicilium tranſtuliſti. *l.* 1. *Cod. de Incolis.*

XXVIII.

Vidua mulier amiſſi mariti domicilium retinet (*h*), exemplo Clariſſimæ perſonæ per maritum factæ. Sed utrumque aliis intervenientibus nuptiis permutatur. *l.* 22. § 1. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

(*a*) Etenim ob neceſſitatem & utilitatem negotiorum publicorum, Senatores alibi quàm in Urbe commorari non poterant abſque commeatu; imò nec abeſſe extra Italiam, non requiſitâ Principis ſententiâ: Tacit. *Annal.* XII. 22.

(*b*) Hæc ratio dubitandi, fortè à conſultore propoſita, quòd domus illa profecta eſſet ex bonis Decurionis Municipii. Verùm hæc ratio nihil mutat: munera enim; perſonæ genus & originem ſequuntur, aut ſaltem habitationem, non bonorum locum.

(*c*) Ipſa.

(*d*) Perſonalibus ſcilicet, quorum is ſexus capax eſſe poteſt; qualia notum eſt ſacerdotia quædam fuiſſe, mulieribus propria: quibus etiam addi poſſunt, calefactio balnearii publici [putà, ad uſum mulierum], cuſtodia Aquæductûs, & alia quædam ex his quæ enumerantur infrà Tit. *de Munerib.* Nec enim ſeparari debet à viro uxor, ut ea obeat.

(*e*) *Aliorum* Municipiorum, ſeu alterius Municipii: plurale pro ſingulari.

(*f*) Voluntatis ſcilicet, aliò transferendi.

(*g*) Nempè id probatur ex eo quod *exigitur ab his qui, &c.* Exigitur nimirùm, ut *re & facto* tranſtulerint.

(*h*) Quandiù aliò ſe non tranſtulit; quemadmodum Clariſſima titulum Clariſſimæ retinet, quandiù alteri nupta non eſt.

Source : BIU Cujas

TITULUS II.

DE DECURIONIBUS ET FILIIS EORUM.

I.

Civitates provinciarum seu Municipia, ad instar civitatis Romanæ, tres ordines habebant; Plebeium, Equestrem (*a*), *& Senatorium.*

Imò in illis, qui præcipuum magistratum gerebant, plerùmque duo lecti quotannis ad instar Consulum: ideò DUUMVIRI *dicti. Quod tamen non ita in omnibus municipiis observabatur: nam alibi* DICTATOR, *alibi* QUÆSTORES, *primatum tenebant.*

Municipiorum Senatus, dicitur CURIA; *& qui ex hoc Senatu sunt,* DECURIONES *seu* Curiales *dicuntur.*

DECURIONES quidam dictos aiunt, ex eo quòd initio, quum Coloniæ deducerentur, decima pars eorum qui ducerentur, consilii publici gratiâ conscribi solita sit. *l.* 239. § 5. *ff. de Verb. signif.* POMPON. LIB. SINGUL. ENCHIRIDII.

Alii origine tales sunt, alii cooptantur in Curiam. Undè videbimus 1°. *Qui origine tales sint:* 2°. *Qui per cooptationem sint Decuriones, & qui possint cooptari necne:* 3°. *Quæ Decurionum obligationes, & quæ ipsis interdicantur:* 4°. *Quæ eorum privilegia:* 5°. *Quomodo à Curiâ liberatio contingat.*

ARTICULUS I.

Qui origine sint Decuriones seu Curiales.

II.

Quemadmodum Romæ, Senatorius est qui ex patre Senatore natus est; ita in Municipiis, origine Curialis est qui ex patre Curiali legitimo matrimonio susceptus est. Matris autem conditio non inspicitur.

Hoc rescribunt Gratianus, Valentinianus & Theodosius: Exemplo Senatorii Ordinis, patris originem unusquisque sequitur. Nec valeant specialiter delata Rescripta; si quis se matris origine defensâ, à majore Curiâ ad minorem (*b*) transferri fortassè promeruerit; neque ulla pro more provinciæ referri sinatur exceptio. *l.* 36. *Cod. h. tit.*

Similiter Theodosius, Arcadius, & Honorius. Nullus solius materni sanguinis vinculis illigetur: quia mulierum infirmitas nusquàm hujusmodi functionibus reddit obnoxios, à quibus ipsa habetur immunis. *l.* 44. *Cod. h. tit.*

Ex privilegio tamen quibusdam civitatibus, V. G. Antiochenæ, concesso; Eos indulserunt veteres Principes ex materno genere Curialibus Antiochenis adscribi, quos patris conditio nullius vindicaret juri civitatis. *l.* 22. *Cod. h. tit.* JULIANUS.

III.

In inquilinis Principis, id etiam speciale est quod rescribunt Valens & Valentinianus. Nati ex inquilinarum Nostræ domûs (*c*) matrimonio & patre Decurione, non patrum suorum, verùm matrum conditionem sequantur. *l.* 29. *Cod. h. tit.*

Hoc autem privilegium quod Inquilinatui Principis (licèt ex matre solâ) concessum fuerat, nimirùm ut Curialis conditio ipsi cederet; videtur abrogatum Novellâ XXXVIII. Cap. fin.

Non idem fuit militiæ favor. Nam contrà, militia semper Curiali conditioni cedit. Undè iidem Valens & Valentinianus. Privilegio militiæ paternæ se non vindicet, quem avitus (*d*) Curiæ nexus adstringit. Quòd si militari avo & patre Decurione nascetur, paternæ erit succidaneus functionis. *l.* 27. *Cod. h. tit.*

IV.

Vidimus qui propriè origine Decuriones sint. Quidam etiam, quoad aliquos effectus, tales videntur: & hi sunt, quos nativitas quidem Curiæ non mancipavit, utpotè natos ex patre tunc plebeio, sed qui postea in Ordinem cooptatus est.

De his ita Ulpianus. In filiis Decurionum quæstio est; utrùm is solus Decurionis filius esse videatur, qui conceptus & natus est ex Decurione; an verò & is qui ante natus est, quàm pater Decurio fieret? Et quidem, quantùm pertinet ne fustibus castigetur, & ne in metallum detur; non nocet plebeio patre esse natum, si postea honor Decurionis patri eorum accesserit. In avo quoque Papinianus idem respondit (*e*); ne patris notâ filius maculatur. *l.* 2. § 2. ULP. LIB. I. DISPUTAT.

Sed si pater ipsius, Ordine motus sit; si quidem ante conceptionem ejus moveatur, arbitror eum quasi plebeii filium in honoribus spectari (*f*). Quòd si post conceptionem pater ipsius dignitatem amiserit; dicendum erit benignè, ut Decurionis filium intuendum. *d. l.* 2. § 3.

Proindè hic quoque qui post patris relegationem natus sit; si quidem ante conceptus est, similis Senatoris filio habebitur; si postea, nocebit illi relegatio. *d. l.* 2. § 4.

Præterea si conceptus sit à plebeio, mox ante editionem pater ejus Decurionatum adeptus, ante editionem amiserit: non infavorabiliter quis medium tempus illi prodesse, veluti jam nato, respondit. *d. l.* 2. § 6.

Quinetiam Si ad tempus Ordine moto patre fuerit natus, medioque tempore conceptus & editus; an quasi Decurionis filius nascatur, licèt pater ejus ante obierit quàm in Ordinem venerit? Quod benignè erit admittendum. *d. l.* 2. § 5.

V.

Adoptio etiam Curialem dignitatem tribuit.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Cùm adoptivum filium, ex adoptantis dignitate Decurionis filium effici nulla dubitatio sit: pro atrocibus injuriis eum quem ad vicem naturalis pignoris (*g*) tibi adscribebas, à Præside provinciæ illicitis corporis cruciatibus adfici non oportuit. Hocque congruenti pœnâ coercebitur. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

(*a*) *Equitum Romanorum* in Municipiis, mentio passim apud Ciceronem *Pro Cælio, pro Cluentio*, & in Epistolis.

(*b*) Ad Curiam alterius civitatis minoris ex quâ oriunda erat mater; & ubi fortè munera curialia, utpotè in minore civitate, minùs gravia erant.

(*c*) *Inquilini sacræ domûs*, sunt adscriptitii prædiorum Principis.

(*d*) Vulgò legitur, *assuetus*. Verùm in hâc eadem lege qualis est in Cod. Theod. legitur *habitus*: est autem *habitus* idem atque *avitus*: ut rectè observat Cujacius.

(*e*) Scilicet ut nepos Decurionis intelligatur, etiam is qui jam natus erat quum avus ejus factus est Decurio: & sic non obsit ei patris nota: qui fortè, antequàm is conciperetur, Ordine motus est: habeatque ab avo, quod non habet à patre.

(*f*) Nisi avus fuerit Decurio.

(*g*) Id est, in locum filii.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS II.

De his qui per cooptationem in Curiam fiunt Decuriones.

VI.

Qui origine Curiales non sunt, fiunt Decuriones quum in Curiam cooptantur.

Forma autem creandi Decurionem, eadem quæ nominandi ad honores & munera: de quâ infrà Tit. de Muner. & hon. *Art.* 3°.

Cæterùm Herennius-Modestinus respondit; Solâ Albi (*a*) proscriptione minimè Decurionem factum, qui secundùm legem Decurio creatus non sit. *l.* 10. MODESTIN. LIB. 1. RESPONS.

VII.

Variis autem ex causis, cives aut incolæ alicujus civitatis creabantur Decuriones.

Et 1°. *interdum in pœnam alicujus delicti, Ordini aggregabantur. Etsi enim valdè honorificus esset Decurionatus; tamen tot ac tanta adjuncta onera habebat, ut plerique spreto honore Decurionatum refugerent.*

Verùm judicibus omnibus prohibuerunt Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, NE quis eorum existimet Curiæ, loco supplicii, quemquam deputandum; cùm utique unumquemque criminosum, non dignitas debeat, sed pœna comitari. *l.* 38. *Cod. h. tit.*

Hoc jam ante prohibuerat Valentinianus: l. 66. Cod. Theodos. *d. tit.*

2°. *Ex hâc causâ etiam cives aut incolæ Curiis suarum civitatum adscribebantur, quòd ipsi essent vacantes; id est nullâ ullius corporis societate conjuncti. l.* 137. & 179. Cod. Theod. *d. tit.*

3°. *Item ex hâc causâ quòd, cùm essent veteranorum filii, & jam ætatem triginta quinque annorum excessissent, militiæ inhabiles essent aut eam detrectarent. l.* 18. Cod. Theod. *d. tit.*

4°. *Item ex hâc causâ, quòd essent ex certis corporibus ex quibus solebat suppleri Decurionum numerus. l.* 119. Cod. Theod. *d. tit.*

5°. *Quum non suppeterent qui ex causis suprà dictis possent Decurionum numerum supplere; quivis civis aut incola qui idoneus erat, poterat in Ordinem & quidem invitus cooptari, nisi excusationem haberet: ut passim videre est.*

Cæterùm à Decreto quo quis in Curiam cooptatur, non solùm is qui cooptatus est, provocare potest, si fortè quam sibi excusationem competere putet; sed & quivis ex Ordine, qui eum contenderet cooptatum qui cooptari non debuerit. Quocircà Antoninus & Verus Rescripserunt; Non admitti contradicere volentem, quòd non rectè quis sit creatus Decurio; cùm initio contradicere debuerit. *l.* 13. § *fin.* PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUTIONIB.

Videndum superest, qui idonei necne sint ad Decurionatum.

§ I.

Quinam idonei non videantur ut cooptari possint.

VIII.

Idonei non videntur, qui professione aliquâ, quæ utilissima sit, impediuntur quominùs Curiæ muneribus vacare possint.

Hinc Paulus ait; Non esse dubitandum, quin navicularii (*b*) non debent Decuriones creari. *l.* 9. § 1. PAUL. LIB. 1. DECRETOR.

IX.

Item idoneus non est, qui sufficientes muneribus facultates non habet. Sufficientes autem facultates eum habere æstimat Constantinus, qui viginti-quinque jugerum proprietatem habet. l. 33. Cod. Theodos. *h. tit.*

Circa quod suprà dictus Paulus Idem respondit; Constante matrimonio dotem in bonis mariti esse: sed si ad munera municipalia à certo modo substantiæ vocentur, dotem non debere computari. *l.* 21. § 4. *ff. Ad municipalem.* PAUL. LIB. 1. RESPONS.

X.

Idoneus etiam quis non videtur, propter ætatem minorem aut grandiorem.

Enimverò Non tantùm qui teneræ ætatis, sed etiam qui grandes natu sunt, Decuriones fieri prohibentur: illi (*c*) quasi inhabiles rempublicam tueri, ad tempus excusantur; hi verò in perpetuum amoventur: non aliàs seniores (*d*); ne seniorum excusatione juniores onerentur, ad omnia munera publica suscipienda soli relicti. Neque enim minores viginti-quinque annis, Decuriones allegi nisi ex causâ possunt: neque hi qui annum quinquagesimum & quintum excesserunt. Nonnunquam etiam longa consuetudo in eâ re observata respicienda erit. Quod etiam custodiendum Principes nostri, consulti de allegendis in Ordine Nicomediensium hujus ætatis hominibus, rescripserunt. *l.* 11. CALLISTRAT. LIB. 1. COGNIT.

XI.

Ad Decurionatûs honorem idonei non sunt, qui ingenuitatis jura non habent. Sic enim rescribunt Diocletianus & Maximianus: Si libertus vel jus aureorum annulorum adeptus non est, vel natalibus suis non restitutus; Præses provinciæ non tantùm Curiæ participare non permittat, sed juxta Legis severitatem congruenti pœnâ ulciscatur. *l.* 1. *Cod. Si servus aut libert. ad decurion. aspir.*

XII.

Arcentur etiam à Decurionatu, infames.

Hinc Divus Severus Dionysio-Diogeni ita rescripsit: Atrocis injuriæ damnatus (*e*), in Ordine Decurionum esse non potest. Nec prodesse tibi debet error Præsidum, aut ejus qui de re aliquid pronuntiavit, aut eorum qui contra formam Juris mansisse te in Ordine Decurionum putaverunt. *l.* 40. *ff. de Injuriis.* MACER LIB. 2. PUBLIC. JUDICIORUM.

Hinc quoque Qui judicii publici quæstionem citra veniam abolitionis deseruerunt, Decurionum honore decorari non possunt; cùm ex Turpilliano Senatûsconsulto notentur ignominiâ, veluti calumniæ causâ judicio publico damnati. *l.* 6. § 3. PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

Simili ratione Imperatores Antoninus & Verus Augusti rescripserunt; In tempus relegatos (*f*), & reversos, in Ordinem allegi sine permissu Principis (*g*) non posse. *l.* 13. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUTIONIB.

Quando autem hoc Princeps indulgere soleat, necne, iidem Item rescripserunt: Relegatos non posse tempore finito in Ordinem Decurionum allegi; nisi ejus ætatis fuerint ut nondum Decuriones creari possent, & dignitas (certa spes (*h*) ejus honoris) id faceret ut Princeps indulgere possit. *d. l.* 13. § 1.

(*a*) ALBUM est matricula sed catalogus Decurionum; de quo est specialis infrà Titulus *de Albo scribendo*. Porrò, licèt quis in hoc catalogo inscriptus sit, non ideò est Decurio; si per errorem hoc accidit; & legitimè creatus non est.

(*b*) Exercitores navium ad annonam publicam.

(*c*) Minores scilicet.

(*d*) *Grandes natu*, inquam, *non aliàs seniores*; id est, non quilibet qui *seniores* dici possunt, eò quòd juniorum ætatem seu trigesimum-quintum annum excesserunt; sed qui demùm seniores natu grandævi, & qui saltem [ut infrà dicitur] annum 55*um* excesserunt.

(*e*) Quod judicium, in Jure famosum suprà vidimus lib. 3. Tit. *de His qui not. infam.*

(*f*) Ex causâ famosi judicii. Alioquin non contrahunt infamiam, adeòque possunt in Ordinem allegi: ut modò videb. infrà art. 6. § 1.

(*g*) Qui eos in integrum restituat.

(*h*) Appositè dictum ad verbum *dignitas*: nimirùm *Dignitas*, *certa spes honoris*; id est, quæ spem certam facit. Ita enim legit Cujacius; non [ut vulgò] *dignitas certa*, *spès honoris*, &c. Hîc autem *Dignitatem* accipi censet, pro optimâ indole quæ fulget in juvene; & ex quâ nascitur certa spes Decurionatûs ab eo probè gerendi. Hæc, inquam, facit ut Princeps ad concedendam ei restitutionem moveri debeat.

Source : BIU Cujas

§ II.

Qui ad Decurionatum idonei cenſeantur.

XIII.

Non ideò minùs quis idoneus eſt, quòd patre infami & damnato natus ſit. Nam NULLUM PATRIS DELICTUM INNOCENTI FILIO PŒNÆ EST ; ideòque nec Ordine Decurionum, aut cæteris honoribus propter ejuſmodi cauſam prohibetur. *l.* 2. § 7. ULP. LIB. 1. DISPUTAT.

Hinc Antoninus & Verus Item reſcripſerunt ; Eum qui in relegatione natus eſt ; non prohiberi honore Decurionatûs ſungi. *l.* 13. § 2. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUTIONIBUS.

XIV.

Spurios poſſe in Ordinem allegi, nulla dubitatio eſt.

Sed ſi habeat competitorem legitimè quæſitum, præferri eum oportere, Divi Fratres Lolliano-Avito Bythiniæ Præſidi reſcripſerunt.

Ceſſantibus verò his, etiam ſpurii ad Decurionatum & re & vitâ honeſtâ recipientur. Quod utique non ſordi erit Ordini ; cùm ex utilitate ejus ſit, ſemper Ordinem plenum habere. *l.* 3. § 2. ULP. LIB. 3. DE OFFIC. PROCONSUL.

Huic quod dicimus ſpurium poſſe fieri Decurionem, ſatis conſonat quod Severus-Auguſtus dixit : Etſi probaretur Titius in ſervitute patris ſui natus ; tamen, cùm ex liberâ muliere ſit procreatus (*a*), non prohibetur Decurio fieri in ſuâ civitate. *l.* 9. PAUL. LIB. 1. DECRET.

Si Spurii Decuriones fiunt ; & ideò fieri poterit ex inceſto quoque natus. Non enim impedienda eſt dignitas ejus qui nihil admiſit. *l.* 6. PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

XV.

Eos qui utenſilia negotiantur & vendunt (*b*), licèt ab Ædilibus cæduntur, non oportet quaſi viles perſonas negligi. Denique non ſunt prohibiti hujuſmodi homines, Decurionatum vel aliquem honorem in ſuâ patriâ petere : nec enim infames ſunt. *l.* 12. CALLISTR. LIB. 6. COGNIT.

Neque ſolùm hi qui pro conditione ſuâ poſſunt ab Ædilibus cædi ; Sed ne quidem arcentur honoribus, qui ab Ædilibus (*c*) flagellis cæſi ſunt ; quanquàm jure ſuo ita Ædiles officio iſto fungantur (*d*).

Inhoneſtum tamen puto eſſe, hujuſmodi perſonas flagellorum ictibus ſubjectas, in Ordinem recipi ; & maximè in eis civitatibus, quæ copiam virorum honeſtorum habent. Nam paucitas eorum qui muneribus publicis fungi debeant, neceſſariò etiam hos (*e*) ad dignitatem municipalem, ſi facultates habeant, inviter. *d. l.* 12. ¶ *ſed ne.*

XVI.

Expertes litterarum, Decurionis munera peragere non prohibent Jura. *l.* 6. *Cod. h. tit.* DIOCLETIAN. ET MAXIM.

XVII.

Denique non ſolùm patresfamilias, ſed & filiifamilias in Curiam cooptari poſſunt.

Nec requiritur patris conſenſus. Hinc Ulpianus : Quòd pater non conſenſit honoribus ſive muneribus filii ; ne illius (*f*) patrimonium oneri ſubjiciatur, præſtat defenſionem ; non civem patriæ utilitatibus, quatenùs poteſt, aufert. *l.* 3. § 5. *ff. de Munerib. & honorib.* ULP. LIB. 2. OPINION.

(*a*) Adeòque ingenuus.

(*b*) UTENSILIA ab utendo ; ea nempè quæ ad eſum & potum, cæteroſque uſus vitæ neceſſarios pertinent. Hujuſmodi negotiatiores, licèt juriſdictioni Ædilium ita ſubſint ut ab iis poſſint pro conditione ſuâ flagellis cædi, tamen, &c.

(*c*) *Pour quelque fait de Police.* Hæc corporalis coercitio non obſtat, &c. Ictus enim fuſtium non infamat : ſuprà, lib. 3. Tit. *de His qui not. infam.* N. 27. Et idem dicendum, etiam *de Flagellis* ; quamvis ea pœna in viliores cadat, & quaſi ſervile ſit flagellis cædi ; ſuprà Tit. *de Pœnis* N. 44.

(*d*) Id eſt, quanquàm jure & meritò, & ex officio Ædilium cæſi ſint.

(*e*) Id eſt, eos qui flagellis ſubjecti ſunt.

(*f*) Patris.

ARTICULUS III.

Quæ ſint obligationes Decurionum, & de bonis eorum quæ his obligationibus ſunt obnoxia.

XVIII.

Potiſſima Decurionum obligatio eſt, ut varia ſuæ Curiæ munera obire cogantur : & quidem per ſe, non per ſubſtitutam perſonam ; quod iis ſolis qui Illuſtri dignitate decorati ſunt, permittitur. l. 60. *Cod.* h. tit.

Hinc 1°. *tenentur Decuriones in civitate ſuâ reſidere.*

Igitur Decuriones quos, ſedibus civitatis ad quam pertinent relictis, in alia loca tranſmigraſſe probabitur ; Præſes provinciæ in patrium ſolum revocare, & muneribus congruentibus fungi curet. *l.* 1. ULP. LIB. 2. OPINION.

Eâ de causâ, ſi à Præſide Edictis evocatus, intrà annum non redierit ; ex facultatibus ipſius, Reipublicæ conſuli præcipit Theodoſius. Sed & manûs injectione poteſt latitans Curialis vindicari. l. 54. *Cod.* h. tit.

Sed & Is qui ultra commeatum abeſt, vel ultra formam commeatui datam, ad munera vocari poteſt. *l.* 2. § *fin. ff. Ad municipalem.* ULP. LIB. 1. DISPUT.

Circa Decurionum reſidentiam, ita etiam Conſtantinus. Si quis Decurio vel propriæ rei causâ vel rei publicæ, cogatur Noſtrum adire comitatum ; is non ante diſcedat, quàm inſinuato judici deſiderio, proficiſcendi licentiam conſequatur. Quòd ſi pro ſuâ audaciâ parvi aliquis hanc fecerit juſſionem, indignationem competentem fortiatur. *l.* 16. *Cod. h. tit.*

XIX.

Cùm Decuriones Curiæ ſuæ munera obire teneantur ; hinc 2°. *Illis interdicitur, quidquid poſſet eos avocare ; putà militia, ut vid. lib. præced. Tit.* de Re milit.

Item illis interdicunt Arcadius & Honorius, ne ordinentur Clerici ; ne quidem ſi bonis ſuis Curiæ cederent, ut antea licebat : jubentque ut, ſi ordinati fuerint, ad Curiam revocentur. l. 12. *Cod.* de Epiſc. & Cler.

Hoc confirmat Juſtinianus : jubetque pariter ut, ſi ordinati fuerint, ad Curiam revocentur ; & ut per ſe, non verò [ut antè licebat] per ſubſtitutam perſonam munera civilia obeant. Si tamen ab ephebis cum monachis in habitu monachali morati, eſſent ordinati ad ſacerdotium ; non revocabuntur ad Curiam, ſed quartam bonorum ſuorum Curiæ dabunt. l. 53. Cod. d. tit.

Hinc etiam procuratio alienarum rerum eis interdicitur : l. 34. Cod. h. tit.

Item tabellionatus. Sic enim reſcribit Conſtantinus : Univerſos Decuriones volumus à tabellionum officiis temperare. *l.* 15. *Cod. h. tit.*

Item Decurio, etiam ſuæ civitatis vectigalia exercere prohibetur. *l.* 6. § 2. PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

Quod quis ſuo nomine exercere prohibetur ; id nec per ſubjectam perſonam agere debet. Et ideò, ſi Decurio ſubjectis aliorum nominibus prædia publica locat, quæ Decurionibus conducere non licet ; ſecundùm Legem uſurpatam revocentur. *l.* 2. § 1. *ff. de Adminiſtr. rer. ad civ.* ULP. LIB. 3. OPINION.

Obiter nota quòd Decurio qui prohibetur conducere quædam, ſi jure ſucceſſerit in conductione, remanet in eâ. Quod & in omnibus ſimilibus ſervandum eſt. *l.* 4. MARCIAN. LIB. 1. DE JUDICIIS PUBLIC.

XX.

Hæ ſunt præcipuæ Decurionum obligationes. Generatim

Source : BIU Cujas

verò pleraque civilia munera ipsis potissimùm incumbunt, de quibus infrà Tit. de Munerib. & honor.

Cùm autem his omnibus quæ obeunt muneribus obnoxia sint ipsorum bona; hinc est quòd ad Decurionatûs quoque onera pertinet, ut Decuriones prædia sua tam urbana quàm rustica vendere, nisi ex Decreto judicis probatâque ipsi necessitate rei familiaris, non possint. Secùs, qui ea sciens emerit, ea cum pretii quod solvit dispendio restituere tenetur. l. 1. Cod. de Prædiis Decurion.

Sola autem venditio Decurionibus interdicitur; nec prohibentur sua prædia, donationis, permutationis, alio-ve titulo alienare. l. 3. Cod. d. tit.

ARTICULUS IV.

Quæ personæ ex gestu Decurionum obligentur.

XXI.

Non solùm Decurio qui administravit, ipse Reipublicæ obligatur: sed Si filiusfamilias volente patre magistratum gesserit; Julianus existimavit, in solidum patrem teneri, in id quod ejus nomine Reipublicæ abesset. *l. 7. ff. de Admin. rer.* PAUL. LIB. 1. AD ED. PRÆTORIS.

Similiter Ulpianus. Quotiens filiusfamilias voluntate patris Decurio creatur; universis muneribus quæ Decurioni filio injunguntur, obstrictus est pater quasi fidejussor pro filio. Consensisse autem pater Decurionatui filii videtur, si præsens nominationi non contradixit. Proindè quidquid in Republicâ filius gessit, pater ut fidejussor præstabit. *l. 2. ff. Ad municip.* ULPIAN. LIB. 1. DISPUT.

§ I.

Quis pater pro filio Decurione obligetur, & quando.

XXII.

PATREM *hîc intelligimus, non solùm eum qui ipse filium in potestate habet, sed & eum qui cum filio suo ipse est in potestate avi. Nam* Quod ad honores pertinet, creditur in potestate filium habere, etiam is qui in patris potestate est. *l. 2. ff. de Munerib. & honorib.* ULP. LIB. 21. AD SABIN.

Imò etiam ille pater qui est Immunis ab honoribus & muneribus civilibus, si Decurioni creato filio, quem habet in potestate, consentiat; in muneribus & honoribus sumptus subministrare filii compellitur. *l. 17. § 1. ff. d. tit.* HERMOGEN. LIB. 1. EPITOM.

XXIII.

Ita demùm pater pro filio Decurione obligatur, si Decurionatui ejus consensit.

Hinc Diocletianus & Maximianus. Filios in potestate patris positos ad munera seu honores non posse evocari, falsò (*a*) tibi persuasum est. Sanè si ad nominationem filii, consensum non accommodaveris; ob administrationem ipsius minimè conveniri poteris. *l. 5. Cod. h. tit.*

Porrò Ad Decurionatum filii ita demùm pater non consentit, si contrariam voluntatem, vel apud Acta Præsidis, vel apud ipsum Ordinem, vel quo alio modo contestatus sit. *l. 7. § 3.* PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Cæterùm ut videatur non consensisse pater, necesse non est ut provocaverit, aut provocationem interpositam persecutus sit.

Hinc Papinianus. Pater qui filio Decurione creato provocavit, etsi præscriptione temporis exclusus fuerit; si, quod gestum est, non habuit ratum; muneribus civilibus pro filio non tenebitur. *l. 6. § 4.* PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

XXIV.

Ei qui Decurionatui filii consensit, similis est ille qui Decurionem jam factum adoptavit.

Hinc Paulus Respondit; Eum qui Decurionem adoptavit, onera Decurionatûs ejus suscepisse videri: exemplo patris, cujus voluntate filius Decurio factus est. *l. 21. § 3. ff. Ad municip.* PAUL. LIB. 1. RESP.

§ II.

De quibus & quatenùs teneatur pater pro filio Decurione.

XXV.

Pater qui Decurionatui filii consensit, tenetur pro eo de omnibus quæ in republicâ gessit.

Gestum autem in republicâ accipere debemus, pecuniam publicam tractare, sive erogandam decernere. *l. 2. § 1. ff. Ad municip.* ULP. LIB. 1. DISPUT.

Sed & si curatores operum vel cujus alterius rei (*b*) publicæ creavit, tenebitur. *d. l. 2. § 2.*

Sed & si successorem sibi nominavit, patrem obstringit. *d. l. 2. § 3.*

Sed & si vectigalia publica locavit (*c*), pater erit obstrictus. *d. l. 2. § 4.*

Hæc de eo gesto quod rem publicam spectat.

XXVI.

Pro eo autem gesto quod spectat privatos, non tenetur pater nisi peculio tenùs: quamvis illud sit, quod filius ut Decurio gessit.

Hinc V. G. Sed si filius tutores dare non curaverit, vel minùs idoneos elegerit, nec satis exegerit, vel non idoneum acceperit; ipse quidem quin sit obstrictus, nulla dubitatio est: pater verò ita demùm obligatur, si fidejussores solent hoc nomine obligari. Sed non solent; hoc enim & relatum (*d*) & rescriptum est: quia fidejussores REMPUBLICAM salvam fore promittunt; Reipublicæ autem nihil [quod ad rem pecuniariam attinet] interest, pupillis tutores dari. *d. l. 2. § 5.*

Consonat quod ait Ulpianus. Si filiusfamilias Duumvir (*e*) PUPILLO REM SALVAM FORE caveri non curavit; Papinianus libro nono Quæstionum, DE PECULIO actionem competere ait. Nec quicquam mutare arbitror, an voluntate patris (*f*) Decurio factus sit: quoniam REM PUBLICAM (*g*) salvam fore pater obstrictus est. *l. 3. § fin. ff. de Pecul.* ULP. LIB. 29. AD ED.

XXVII.

Observandum superest, obligationem patris non eò porrigi ut ipse obeat munera quæ obire non potest filius ejus. Sic enim rescribunt Imperatores Severus & Antoninus Augusti Septimio-Zenoni: « PRO infante filio, quem » Decurionem esse voluisti, quanquàm fidem tuam in » posterum adstrinxeris, tamen interim onera sustinere » non cogeris: cùm ad ea quæ mandari possunt (*h*) » voluntatem dedisse videaris. » *l. 21. § 6. ff. Ad mun.* PAUL. LIB. 1. RESPONS.

XXVIII.

Pater pro filio nonnisi in subsidium tenetur.

Hinc Papinianus. Filium pater Decurionem esse voluit. Ante filium ex personâ suâ respublica debet convenire, quàm patrem [*Florent.* pater] ex personâ filii. Nec ad rem pertinebit, an filius castrense peculium tantùm

(*a*) Vide suprà N. 17.
(*b*) Id est, alterius negotii publici.
(*c*) Minùs idoneis conductoribus.
(*d*) Apud Jurisconsultos, id est, in scriptis eorum probatum. Similis locutio in l. 3. § 4. ff. *de Hered. instit.*
(*e*) Præcipuus Magistratus municipii.
(*f*) Nec obstat lex 14. Cod. *Quod cum eo qui in alien.* suprà lib. 27. Tit. *de Tutel. & rat.* N. 3. Ibi enim pater pro filio tenetur pupillo in solidum; quia tacitè videtur consensisse ut tutor esset; & filius videtur patris voluntate tutor factus. Quæ ratio in hâc specie cessat, in quâ filius non est tutor, sed tenetur duntaxat subsidiariâ actione, quòd à tutore satis non exegerit. Cujac.
(*g*) Non privatam.
(*h*) Infanti autem nondum ulla munera mandari possunt.

Source : BIU Cujas

possideat; quum antè militasset, vel posteà. *l.* 17. § 2. *ff. Ad munic.* PAPIN. LIB. 1. RESP.

§ III.

An obligatio patris ad heredes ejus transeat.

XXIX.

Non solùm pater ipse obligatus est pro filio Decurione, sed & heredes relinquit obligatos. Hinc Valerianus & Gallienus. Si cùm te pater Decurionem esse voluisset, [&] illo in rebus humanis agente honor iste tibi delatus est: tenentur quidem etiam heredes ejus, Reipublicæ; nam in hâc parte, vice fidejussoris pater accipitur: sed non ante nisi tuis propriis rebus excussis. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Cæterùm pro eorum demùm honorum aut munerum administratione quam filius vivo patre susceperat, tenentur patris heredes. Verùm Etsi filium pater Decurionem esse voluit; tamen defuncto, honores qui filio Decurioni congruentes post mortem patris obtigerunt, ad onus coheredis filii non pertinent; cùm ei Decurioni sufficientes facultates pater reliquerit. *l.* 15. *ff. de Muner. & hon.* PAP. LIB. 5. RESP.

Similiter Paulus Respondit; Heredes patris, propter munera filii quæ post mortem patris suscepit, jure conveniri non posse. *l.* 21. § 2. *ff. Ad municip.* Hoc responsum & ad eum pertinet, qui à patre Decurio factus, post mortem patris munera suscepit. *d.* § 2. ¶ *hoc respons.* PAUL. LIB. 1. RESPONS.

Ergo Si is qui duos filios relinquebat, nihil de expediendis muneribus alterius filii ex communi patrimonio, supremis suis cavit; propriis sumptibus, is, & munera & honores qui ei injungentur, suscipere debet; quamvis pro altero vivus pater ejusmodi onera expedierit. *l.* 3. § 17. *ff. de Munerib. & honorib.* ULPIAN. LIB. 2. OPINION.

§ IV.

An aliæ personæ quàm pater, pro Decurione alio-ve munus publicum administrante, teneantur; & an noviter allecti pro decessoribus.

XXX.

Uxorem pro marito Decurione conveniri non posse, procul dubio est. *l.* 11. *Cod. h. tit.* DIOCLET. ET MAXIM.

Item Invitus filius pro patre REMPUBLICAM SALVAM FORE cavere non cogitur. *l.* 16. § 2. *ff. de Munerib. & honorib.* PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Item Vitricus onera munerum civilium nomine privigni sui suscipere; nullâ Juris ratione cogitur. *l.* 3. § 7. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 2. OPINION.

Nec patronus pro liberto. Hinc Ulpianus : Liberti muneribus fungi debent, apud originem patronorum; sed si sua patrimonia habent suffectura oneribus. Res enim patronorum, muneribus libertinorum subjecta non est. *d. l.* 3. § 8.

XXXI.

Sed nec de his quæ peccaverunt prædecessores, tenentur hi qui postea in Ordinem successerunt.

Sic enim rescribit Imperator Julianus. Providendum est eorum novitati Decurionum, qui nuper nomen Curiis addiderunt; ne præteritis debitis susceptorum onerentur (*a*). Sed conventis propter hæc debita, his qui ea præcedentibus delegationibus contraxerunt; nullam eos molestiam pro sarcinâ nominationis alienæ sustinere patiaris. *l.* 23. *Cod. h. tit.*

(*a*) Decuriones qui nominaverant susceptorem publicarum annonarum aut publicorum tributorum, si fortè nominassent minùs idoneum qui quid decoxisset, in subsidium ejus tenebantur. Huic autem obligationi succedaneos non esse jubet Julianus novos Decuriones, qui demùm post factam susceptoris nominationem in Curiam allecti sunt; cùm nihil ipsi peccaverint.

(*b*) *Dux* & *Comes* dicti, qui in provincias limitaneos cum imperio missi, præerant militibus ad præsidium limitum destinatis (*Commandans des frontieres*).

(*c*) Qui in Ordine Decurionum primas sedes obtinebant, *Principales* dicebantur.

ARTICULUS V.

De privilegiis Decurionum.

XXXII.

Decurionum multa privilegia.

Et 1°. *specialiter proteguntur adversùs milites. Hinc Theodosius, Arcadius & Honorius*: Militaribus viris nihil sit commune cum Curiis; nihilque sibi licitum sciant, quod suæ non subjectum est potestati. Nullum injuriâ, nullum verbere, nullum gravi pulsatione, (Tribunus Dux-ve ille (*b*) aut Comes sit) Curialem principalemve (*c*) contingat. Si quis posthâc temerario & inconsiderato ausu, ullum ex principalibus viris usurpatâ attrectaverit injuriâ; sciat se decem libris auri esse mulctandum. *l.* 42. *Cod. h. tit.*

2°. Curiales, ultra terminos provinciæ civitatis, non jubeantur à moderatoribus provinciarum exhibere suî præsentiam; nisi publica necessitas exegerit. *l.* 25. *Cod. h. tit.* VALENS ET VALENTINIAN.

3°. *Ab extraordinariis muneribus immunes sunt. Undè Constantinus & Constans* Curiales omnium civitatum, nullam pro re privatâ Nostrâ debent inquietudinem sustinere; nec hujusmodi oneribus, velut extraordinariis, occupari: quoniam satis est, si civitatum munera per eos congruè compleantur. *l.* 21. *Cod. h. tit.*

Maximè autem à sordidis muneribus excusantur. Cæterùm Exigendi tributi munus, inter sordida munera non habetur; & ideò Decurionibus quoque mandatur. *l.* 17. § 7. *ff. Ad municip.* PAPIN LIB. 1. RESPONS.

4°. Decurionibus facultatibus lapsis alimenta decerni permissum est; maximè si ob munificentiam in patriam; patrimonium exhauserint. *l.* 8. HERMOG. LIB. 1. EPITOM.

5°. De Decurione damnato non debere quæstionem haberi, Divus Pius rescripsit. Undè etiamsi desierit Decurio esse, deindè damnetur, non esse torquendum, in memoriam prioris dignitatis placet. *l.* 14. PAUL. LIB. 1. QUÆSTION.

Ex certis tamen causis, quæstioni cum plumbatarum ictibus subjiciuntur. l. 30. *Cod.* h. tit.

6°. *Certis pœnis quibus Plebeii plectuntur, non sunt obnoxii; putà metallo, fustigationi: ut vid. suprà, lib.* 48. *Tit.* de Pœnis.

ARTICULUS VI.

Quomodo Decurionatus amittatur.

§ I.

De his qui in pœnam delicti alicujus, Decurionatûs honore privantur.

XXXIII.

Qui ad tempus relegatus est, si Decurio sit, desinet esse Decurio.

Reversus planè locum suum quidem non obtinebit; sed non semper (*d*) prohibetur Decurio fieri. Denique (*e*) in locum suum (*f*) non restituetur: nam & sublegi in locum ejus (*g*) potest; &, si (*h*) numerus

(*d*) Ita demùm enim prohibetur, si ex causâ famosi judicii (qualia sunt publica judicia) damnatus sit: mox infrà.

(*e*) *Denique*; id est, hoc ipso ultimo casu quo reversus Curialem dignitatem recipit.

(*f*) Pristinum in Ordine.

(*g*) Statim atque relegatus est.

(*h*) Impleto tempore ad quod relegatus est. Donec ergo locus aliquis vacet, interim honore quidem Curiali fruitur quasi supernumerarius; sed neque locum neque suffragium habet in Curiâ.

Source : BIU Cujas

Ordinis plenus sit, expectare eum oportet donec alius vacet.

Alia causa est ejus qui ad tempus Ordine removetur. Hic enim impleto tempore Decurio est. Sed (*a*) & in ejus locum sublegi poterit : sed etsi plenum locum invenerit, expectet [&] donec locus vacet. *l.* 2. ULP. LIB. I. DISPUTAT.

Restitutus tamen in Ordinem, utrùm eum ordinem teneat quem primum habuit, an verò quem nunc nanctus est, quæri potest; si fortè de ordine sententiarum dicendarum agatur? Arbitror tamen eumdem ordinem tenere, quem pridem habuit.

Non idem erit in eo qui relegatus ad tempus est. Nam hic velut novus in Ordinem venit. *d. l.* 2. § 1.

Sed si quis ob falsam causam vel aliam de gravioribus, non ad tempus sit relegatus, sed ad tempus Ordine motus; in eâ est causâ ut possit in ordinem redire. Imperator enim Antoninus Edicto proposito statuit; ut cuicumque aut quâcumque causâ ad tempus Ordine vel Advocationibus vel quo alio officio fuisset interdictum, completo tempore nihilominùs fungi honore vel officio possit. Et hoc rectè : neque enim exaggeranda fuit Sententia, quæ modum interdictioni fecerat. *l.* 3. § 1. IDEM LIB. 3. DE OFFIC. PROCONS.

Quod diximus, ad tempus relegatos posse in Curiam redire; item Ordine motos, tempore elapso locum etiam suum in Curiâ recipere, limitationem patitur; scilicet si non ex causâ famosi judcii damnati sint. Nam Ad tempus Ordine motos ex crimine quod ignominiam importat, in perpetuum (*b*) moveri placuit : ad tempus exulare jussos ex crimine leviore, velut transacto negotio (*c*), non esse inter infames habendos. *l.* 5. PAPIN. LIB. 2. QUÆST.

Non igitur de casu quo quis ex causâ famosâ damnatus esset, nec de infamiâ propriè dictâ accipiendum quod rescribit Antoninus : Quibus posthac Ordini suo, vel Advocationi ad tempus interdicetur; post impletum temporis spatium non prorogabitur infamia (*d*). *l.* 1. *Cod. de His qui in exil.*

A fortiori; qui ex famoso judicio in perpetuum relegari debuerat, si mitiori Sententiâ ad tempus duntaxat relegatus sit, Curiâ ejectus manet in perpetuum. Enimverò Generaliter id erit defendendum; ut qui clementiorem Sententiam passus est, ob hoc quòd ad tempus relegatur, boni consulere (*e*) debeat humanitatis Sententiæ, nec Decurionatum recipiat. *l.* 3. ULP. LIB. 3. DE OFFICIO PROCONS.

XXXIV.

Ex Novellâ XLV. honoribus Curiæ privatur, qui Judæus est aut Hæreticus; curiali autem fortunâ, & oneribus Curiæ non liberatur.

Non ex aliâ autem causâ quàm delicti, quis à Curiâ ejiciendus est. Hinc Diocletianus & Maximianus. Infamia quæ tibi abominanda est, non etiam amissionis oculorum casus, quæsitum tibi adimit honorem. *l.* 8. *Cod. h. tit.*

§ II.

De his qui gratiâ aliquâ personali vel dignitatis alicujus, Curiæ muneribus aut curiali conditione liberantur.

XXXV.

Si quis Decurio pater sit duodecim (*f*) liberorum, honoratissimâ munerum quiete (*g*) donetur. *l.* 24. *Cod. h. tit.* JULIAN.

XXXVI.

Quædam sublimes dignitates, ut Consulatus, Patriciatus, Præfecturæ Prætorii & Urbis, eos qui his potiti sunt, necnon liberos eorum, à Curiali conditione liberant; atque etiam post depositum officium, à Curiâ immunitatem præstant. Item aliæ dignitates quæ enumerantur in l. 61. *l.* 64. *l.* 65. *l.* 66. *Cod.* h. tit.

Nusquàm id legitur de Rectoratu provinciæ. Sic autem de eâ dignitate quam Curialis fraudulenter adeptus fuisset, rescribunt Arcadius & Honorius. Omnes omninò Curiales, in originalibus ac debitis perpetuò Curiis perseverent. Et qui ex his ad provinciarum regimen atque administrationem quâlibet fraude atque ambitione pervenerint; sciant se (*h*) non solùm in suâ Curiâ remansuros, sed & cunctis rursùs ab exordio muneribus servituros. *l.* 50. *Cod. h. tit.*

XXXVII.

Qui derelictâ Curiâ militaverit, revocetur ad Curiam. *l.* 17. *Cod. h. tit.* CONSTANTIN.

Imò, ut rescribunt Theodosius & Valentinianus : Si quis Decurio, aut subjectus Curiæ, ausus fuerit ullam affectare militiam; nullâ temporis præscriptione muniatur, sed ad conditionem propriam retrahatur. Nec ipse (vel ejus liberi post talem ipsius statum procreati), quod patriæ debetur, valeat declinare. *l.* 55. *Cod. h. tit.*

Rescribunt etiam Gratianus & Valentinianus. Curiales qui sese privilegio domûs Nostræ defendi posse crediderint, ad Curiam retrahantur; & propriis functionibus mancipentur, & publica damna sarciant. *l.* 39. *Cod. h. tit.*

Denique Omnes qui curiali obstricti sanguine, diversis se officiorum privilegiis & actuum præjudiicis aggregârunt, reddendos muniis esse non ambiges.

Sed nec Rescripta, aut Adnotationes (*i*) ad munerum fugam prodesse permittimus. *l.* 43. *Cod. h. tit.* THEODOS. ET ARCAD.

Non liberantur etiam à Curiâ, Advocati, & Professorum filii.

Hinc Gratianus, Valentinianus & Theodosius. In filiis Decurionum retinendis, priorum præceptorum Decreta sublimitas tua custodiat. Eosque qui Advocationis obtentu curialia onera declinant, agere universa compellat : quæ etsi necessitas non exigit, tamen patria non remittit. Ipsos quinetiam filios Magistrorum qui ex Curiali stirpe descendunt, simili modo obnoxios esse decernat. *l.* 35. *Cod. h. tit.*

Nullius etiam sectæ professio à Curiâ liberat. Sic enim rescribunt Arcadius & Honorius : Omnes qui quolibet modo Curiæ jure debentur, cujuscumque superstitionis sint, ad implenda munera teneantur. *l.* 49. *Cod. h. tit.*

(*a*) Licèt autem jure Decurio sit tempore impleto; tamen *in locum ejus*, donec tempus compleatur, *poterit sublegi*, *&c.*

(*b*) Ineptè quidem judicat judex, qui ex famosâ causâ aliquem ad tempus duntaxat Ordine movet. Verùm si de facto & per imperitiam ita judicaverit; condemnatus utpotè infamis, in perpetuum ab Ordine excluditur.

(*c*) Vide Tit. *de His qui not. infam.* N. 13.

(*d*) Infamia juris non potest aboleri nisi per restitutionem in integrum; nec est infamia quæ sit ad tempus. Sed hîc *infamia* accipitur pro ipsâ probrosâ interdictione. Et cùm fortè eveniret ut Curia eos qui ad tempus Ordine moti erant, etiam post expletum tempus nollet admittere, tanquam aliquâ infamiâ *facti* laborantes; jubet Imperator eos admitti.

(*e*) *Se savoir gré, se tenir pour content.*

(*f*) In l. 55. Cod. Theod. *h. tit.* undè hæc desumpta est, legitur *Tredecim.* Nimirùm, ut ingeniosè observat J. Gothefredus ad h. l. auctor hujus legis Imperator Julianus, in indulgendâ à Curialibus muneribus immunitate parcissimus [teste Ammiano-Marcellino lib. 22 & 25.] insuper & Philosophiæ deditus, Philosophisque circumfusus; ex Pithagoræorum dogmatibus qui omnia ex numeris proficisci volunt [ut ait Cicero *Acad. quæst.* IV.] hujus numeri tertio-decimani rationem præcipuam habuit. Compositus ille scilicet ex *denario* numero, quem Pithagorei tanquam reliquorum numerorum parentem imprimis colebant [inquit Tertullianus *de Animâ*], & ex *Ternario* qui ad *Confirmationem* accedere solebat, de quo vide Censorinum Cap. 7. Quam ob rationem, ad perfectam rationem privilegii quod à Curiâ excusare valeret, Ternarium quoque numerum denario accedere voluerat Imperator. Justinianum autem, cui fortè rotundior numerus *Duodecim* magis placuit, pro *Tredecim* in hâc lege substituisse. *Duodecim.* Aliter Cujacius, qui censet & in l. 55. Cod. Theod. & hîc quoque mendum irrepsisse; & utrobique legendum *sedecim* : argumentò legis 5. § 2. ff. *de Jur. immun.* infrà Tit. V. N. 11. Verùm satis divinatoriè. Quid enim commune habet Constitutio Pertinacis quæ in dictâ lege 5*a*. refertur, cum Constitutione Juliani? cùm diversas species contineant; hæc immunitatem à Curiâ, illa à muneribus quibus municipes etiam non curiales sint obnoxii. Adde quòd in d. l. 5. § 2. numerus *sedecim* magis ex contingentiâ facti enuntiari, quam desiniri videatur.

(*g*) Id est, immunitatem consequatur à muneribus quibus sunt obnoxii Decuriones. Cæterùm Decurionatûs honorem conservet.

(*h*) In l. 159. Cod. Theod h. tit. undè hæc desumpta est, legitur; *sciant se eo quem meruerant honore privandos*, *&c.*

(*i*) *Adnotationes* sunt, quod Princeps manu propriâ ad libellum supplicem sibi porrectum respondit.

Source : BIU Cujas

XXXVIII.

Sed nec Reſcriptum Principis valet ad liberandum aliquem à Curiâ, ut jam modò ſuprà obiter vidimus. Et ita adhuc reſcribunt Gratianus, Valentinianus & Theodoſius : Quotieſcumque ſe ex Reſcriptis Noſtris aliquid impetraſſe contendunt hi quos obnoxios Curiæ vel origo fecerit, vel latum inter partes judicium deſignaverit ; nullam prorsùs ſpem Curiam declinandi ex colore Sacræ juſſionis accipiant. *l.* 37. *Cod. h. tit.*

Tale igitur Reſcriptum, etſi nominatim ab oneribus Curiæ aliquem eximat, quaſi obreptitium & ex importunitate ſubreptum cenſebitur generaliter. Ratione tamen morbi aut cujuſvis alterius casûs, Princeps (non etiam Præſes) vacationem à muneribus Curiæ tribuere poteſt.

Hinc Conſtantinus. Nemo judex aliquem ſuo arbitrio de Curiâ liberet. Nam ſi quis fuerit hujuſmodi infortunio depravatus, ut debeat ſublevari ; de ejus nomine ad Noſtram ſcientiam referri oportet, ut certo temporis ſpatio civilium munerum ei vacatio porrigatur. *l.* 14. *Cod. h. tit.*

TITULUS III.

DE ALBO SCRIBENDO.

I.

Hic Titulus eſt ſequela præcedentis, & ad Decuriones quoque pertinet. Nam ALBUM *eſt matricula Decurionum.*

Quæritur potiſſimùm in hoc Titulo, quoto ordine unuſquiſque Decurio in hoc Albo ſcribi debeat ?

Decuriones in Albo ita ſcriptos eſſe oportet, ut Lege municipali præcipitur.

Sed ſi Lex ceſſat ; tunc dignitates erunt ſpectandæ : ut ſcribantur eo ordine, quo quiſque eorum maximo honore in municipio functus eſt. Putà qui Duumviratum geſſerunt, ſi hic honor præcellat (*a*) ; & inter Duumvirales antiquiſſimus quiſque, prior is (*b*) : deinde hi qui ſecundo poſt Duumviratum honore in republicâ functi ſunt ; poſt eos qui tertio, & deinceps : mox hi qui nullo honore functi ſunt, prout quiſque eorum in Ordinem venit. *l.* 1. ULP. LIB. 3. DE OFFIC. PROCONS.

Quocircà nota. In Albo Decurionum in municipio, nomina ante ſcribi oportet eorum qui dignitates Principis judicio conſecuti ſunt, poſtea eorum qui tantùm municipalibus honoribus functi ſunt. *l.* 2. ULP. LIB. 2. OPINION.

II.

In ſententiis quoque dicendis idem ordo ſpectandus eſt, quem in Albo ſcribendo diximus. *ſup. d. l.* 1. § 1.

Privilegiis ceſſantibus cæteris ; eorum cauſa potior habetur in ſententiis ferendis, qui pluribus (*c*) eodem tempore ſuffragiis jure Decurionis decorati ſunt.

Sed & qui plures liberos habet, in ſuo collegio primus ſententiam rogatur ; cæteroſque honoris ordine præcellit. *l.* 6. § 5. *ff. de Decurionib.* PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

Pariter reſcribunt Diocletianus & Maximianus. In Albo Decurionum præſcriptis patrem non habenti filios anteferri conſtat. *l.* 9. *Cod. de Decurionib.*

(*a*) Neque enim paſſim in municipiis Duumviri fuere ; ſed vel Ædiles, vel Dictatores, vel Quatuorviri.

(*b*) Inter honore pares, *prior is* qui *antiquiſſimus.*

(*c*) Ceſſante ſuffragii prærogativâ, quæ ex aliquo cauſarum ſuprà-dictarum privilegio petatur ; is potior erit, qui plurium conſenſu & ſuffragio Decurionatum adeptus eſt.

TITULUS IV.

DE MUNERIBUS ET HONORIBUS.

Cum in tribus præcedentibus Titulis hoc propoſitum Triboniano fuerit, ea præmittere ex quibus intelligeretur quinam ad Magiſtratus municipales, honoreſque & Munera publica inviti vocentur ; jàm ex profeſſo agit DE MUNERIBUS ET HONORIBUS.

Quocircà videndum 1°. *Quid ſit* Munus, *& in quo ab* Honore *differat ; item quotuplex ſit Munerum ſpecies :* 2°. *Quibus Honores & Munera deferri poſſint necne :* 3°. *Agemus de formâ nominandi ad Honores & Munera, & de his quæ in eâ nominatione obſervari debeant :* 4°. *De compellendis his qui nominati ſunt :* 5°. *Denique videbimus ex quo, ubi, & quomodo quis Honore & Munere fungi debeat.*

ARTICULUS I.

Quid ſit Munus, *& quotuplex hujus diviſio ; & in quo ab* Honore *differat.*

I.

MUNUS tribus modis dicitur : uno DONUM ; & indè Munera dici, dari mitti-ve : altero ONUS ; quod, quum remittatur, vacationem militiæ muneriſque præſtat ; indè immunitatem appellari : tertio OFFICIUM ; undè Munera militaria, & quoſdam milites munificos (*a*) vocari. (Igitur Municipes dici, quòd munera civilia

(*a*) Qui funguntur muneribus vilioribus, quaſi ad commilitonum ſervitium ; contrà, *Beneficiarii* qui vacationem horum Munerum militarium habebant.

Source : BIU Cujas

capiant.) *l.* 18. *ff. de Verb. ſignif.* PAUL. LIB. 9. AD ED.

De MUNERE *priori ſenſu accepto hic non agitur; ſed de onere & officio.*

Hoc ſenſu, Munus aut publicum aut privatum eſt. *l.* 14. § 1. CALLISTRAT. LIB. 1. DE COGNITIONIB.

MUNUS PUBLICUM, eſt officium privati hominis (*a*), ex quo commodum ad ſingulos univerſoſque cives remque eorum, imperio Magiſtratûs extraordinarium (*b*) pervenit. *l.* 239. § 3. *ff. de Verb. ſignif.* POMPON. LIB. SINGUL. ENCHIRID.

Ex quo patet, PRIVATUM MUNUS *contrà eſſe; quod non ad ſingulos univerſoſque cives, ſed ad privatorum duntaxat rem pertinens, officio item Magiſtratûs injungitur: ut Tutela & Cura; licèt illæ quandoque latiori ſenſu* PUBLICA *etiam Munera dicantur.*

II.

Jam verò Munerum civilium quædam ſunt patrimonii, alia perſonarum. *l.* 1. HERMOGEN. LIB. 1. EPITOMAR.

Et Illud tenendum eſt generaliter; PERSONALE quidem Munus eſſe, quod corporibus, labore, cum ſollicitudine animi ac vigilantiâ ſolemniter (*c*) extitit; PATRIMONII verò, in quo ſumptus maximè poſtulatur. *d. l.* 1. § 3.

De patrimoniali igitur accipe quod ait Calliſtratus: Publicum Munus dicitur; quod in adminiſtrandâ Republicâ, cum ſumptu, ſine titulo dignitatis, ſubimus. *l.* 14. § 1. ¶ *publicum.* CALLISTRAT. LIB. 1. DE COGNIT.

Ab utroque autem, tum patrimoniali tum perſonali Munere, differt HONOR *propriè dictus. Nam* Honor municipalis, eſt adminiſtratio Reipublicæ cum dignitatis gradu; ſive cum ſumptu, ſive ſine erogatione contingens. *d. l.* 14. *pr.*

Hinc abſolutè Ulpianus Munera omnia ab Honoribus ſic diſtinguit; Sciendum eſt quædam eſſe Munera, aut perſonæ, aut patrimoniorum; itidem quoſdam eſſe Honores. *l.* 6. § 3. ULP. LIB. 4. DE OFFIC. PROCONS.

III.

Supràdictam Munerum diviſionem, tripartitam facit Chariſius. Ita ille: Munerum civilium triplex diviſio eſt. Nam quædam Munera PERSONALIA ſunt, quædam PATRIMONIORUM dicuntur, alia MIXTA. *l.* 18. ARCAD. CHARIS. LIB. SING. DE MUNERIB. CIVILIB.

Quocircà notandum eſt, diviſionem illam ad publica tantùm Munera propriè pertinere. Etenim privatorum Munerum unicum duntaxat genus eſt, cùm omnia perſonalia ſint.

Hæc omnia Munera quæ trifariàm diviſimus, unâ ſignificatione comprehenduntur. Nam perſonalia, & patrimoniorum, & mixta Munera, CIVILIA ſeu publica appellantur. *d. l.* 18. § 28.

Hîc porrò enumerandæ veniunt variæ Munerum ſpecies; quæ in ſingulis hujus diviſionis partibus continentur.

§ I.

De Muneribus perſonalibus.

IV.

Munera Perſonalia ſunt, quæ animi proviſione & corporalis laboris intentione, ſine aliquo gerentis detrimento perpetrantur; veluti tutela, vel (*d*) cura. *d. l.* 18. § 1.

Kalendarii quoque curatio (*e*), & Quæſtura in aliquâ civitate, inter Honores non habetur; ſed perſonale Munus eſt. *d. l.* 18. § 2.

Tyronum ſive equorum productio (*f*), & ſi qua alia animalia neceſſariò producenda, vel res pervehendæ ſive perſequendæ ſunt, vel pecuniæ fiſcales, ſive annona, vel veſtis; perſonæ Munus eſt. *d. l.* 18. § 3.

Curſûs vehicularis ſollicitudo (*g*), item angariarum (*h*) præbitio, perſonale Munus eſt. *d. l.* 18. § 4.

Cura quoque emendi frumenti, olei, (nam harum ſpecierum curatores, quos ΣΙΤΩΝΑΣ & ΕΛΑΙΩΝΑΣ [*id eſt, frumentarios & olearios*] appellant, creari moris eſt) inter perſonalia Munera in quibuſdam civitatibus numerantur: & calefactio publici balinei, ſi ex reditibus alicujus civitatis curatori pecunia ſubminiſtratur. *d. l.* 18. § 5.

Certè Sitoniam ſeu curam emendi frumenti, Munus merè perſonale eſſe, ex eo patet quod Antoninus & Verus Item reſcripſerunt; Sitonas indemnes (*i*) eſſe oportere, qui non ſegniter officio ſuo functi ſunt: ſecundùm Litteras Hadriani. *l.* 9. § 6. *ff. de Admin. rer. ad civ.* PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUTIONIB.

Sed & cura cuſtodiendi aquæductûs, perſonalibus Muneribus adgregatur. *d. l.* 18. § 6.

Hirenarchæ quoque, qui diſciplinæ publicæ & corrigendis moribus præficiuntur; ſed & qui ad faciendas (*k*) vias elegi ſolent, cùm nihil de proprio patrimonio in hoc Munus conferant; item epiſcopi (*l*) qui præſunt pani, & cæteris venalibus rebus quæ civitatum populis ad quotidianum victum uſui ſunt; perſonalibus Muneribus funguntur. *d. l.* 18. § 7.

Qui annonam ſuſcipit, vel exigit (*m*), vel erogat; & exactores pecuniæ pro capitibus, perſonalis Muneris ſollicitudinem ſuſtinent. *d. l.* 18. § 8.

Sed & Curatores qui ad colligendos civitatium publicos reditus eligi ſolent, perſonali Munere ſubjugantur. *d. l.* 18. § 9.

Hi quoque qui cuſtodes ædium, vel archeotæ (*n*), vel logographi (*o*), vel tabularii (*p*), vel Xenoparochi (*q*) ut in quibuſdam civitatibus, vel limenarchæ (*r*); vel curatores ad extruenda vel reficienda ædificia publica, ſive palatia, ſive navalia, vel manſiones (*s*), deſtinantur; ſi tamen pecuniam publicam in operis fabricam erogant; & qui faciendis vel reficiendis navibus, ubi uſus exigit, præponuntur; Muneribus perſonalibus adſtringuntur. *d. l.* 18. § 10.

Camelaſia (*t*) quoque, ſimiliter perſonale Munus eſt. Nam ratione habitâ, & alimentorum & camelorum, certa pecunia camelariis dari debet; ut ſolo corporis miniſterio obligentur. Hos ex Albi ordine vocari (*u*), nec ullâ excuſatione liberari, niſi ſolâ læſi & inutilis

(*a*) Id eſt, abſque dignitate.

(*b*) Meliùs *extraordinario*. Ita enim intelligit Cujacius, quod imperio Magiſtratûs extra ordinem [putà, captis pignoribus] injungitur.

(*c*) *Principaliter*: Haloander. Quæ emendatio minùs neceſſaria videri poteſt; cùm Antiquis id dicatur SOLEMNE, *quod in omnibus annis præſtari debet*: Feſtus in Verb. *SOLLO*. Undè verbum illud *Solemniter* poteſt aptari in genere, ad id quodcumque neceſſariò & regulariter obeundum eſt.

(*d*) Hæc duo, modò *Publica* modò *Privata* dicuntur; & propriè quidem *Privata*, cùm ad adminiſtrationem publicam non ſpectent, ſed ad res privatorum; *Publica* autem, tùm ratione utilitatis quia reipublicæ intereſt illas ritè adminiſtrari, tùm præcipuè quia publicâ auctoritate deferuntur. At ſub quolibet reſpectu accipiantur, ſemper *Perſonalia* ſunt.

(*e*) Id eſt, adminiſtratio fœnebris pecuniæ civitatis.

(*f*) *La charge de faire les levées de Soldats, de Chevaux, & de Fournitures.*

(*g*) Munus ejus qui præpoſitus erat præbendis è publico vehiculis, eis qui propter publicas neceſſitates iter faciebant. Vide Jac. Gothofredum in Paratitl. tit. Cod. Theodoſ. *de Curſ. publ.*

(*h*) *Angariæ*, curſûs publici ſpecies. Hoc nomine appellantur in l. 11. Cod. Theod. *de Curſ. publ.* vehicula quæ à duobus boum paribus trahebantur: [*les Chariots pour conduire les Bagages*].

(*i*) Et proindè ſine ſumptu.

(*k*) Legendum, *ad reficiendas.*

(*l*) *Commiſſaires, Inſpecteurs des vivres.*

(*m*) A poſſeſſoribus agrorum qui eam conferre tenentur, infrà N. 7. ex d. l. 18. § 25.

(*n*) *Gardes d'Archives.*

(*o*) Tributorum rationibus deſcribendis occupati.

(*p*) His incumbebat tractatio ratiocinationis rei tributariæ. Quò alludit Sidonius Epiſt. IV. 10. *Habet* PROCURATOREM *in negotiis*, VILLICUM *in prædiis*, TABULARIUM *in tributis.* Vide Jac. Gothofred. ad l. 1. Cod. Theod. *de Tabul.*

(*q*) Quorum munus, ut ſalem & ligna peregrinis præberent. Hinc Horatius *Sermon.* I. 5.

Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit; & PAROCHI quæ præbent ligna ſalemque.

(*r*) Portuum cuſtodes.

(*s*) Erant *Manſiones*, ſtationes per certa viarum publicarum intervalla diſpoſitæ, hominum & animalium Curſui publico deputatorum gratiâ; & quaſi Diverſoria publica [*Auberges fournies aux dépens du public*]. Illic etiam divertebant milites: l. 11. Cod. *de Re milit.*

(*t*) Munus ejus qui camelos è publico præbere debebat, ad vehenda exercitûs impedimenta.

(*u*) *Suivant l'ordre du Tableau.*

Source : BIU Cujas

corporis, & infirmitate, ſpecialiter ſit expreſſum. *d. l.* 18. § 11.

Legati quoque qui ad ſacrarium Principis (*a*) mittuntur; quia viaticum, quod LEGATIVUM dicitur, interdum ſolent accipere; ſed & nyctoſtrategi (*b*), & piſtrinorum curatores, perſonale Munus ineunt. *d. l.* 18. § 12.

Defenſores quoque, quos Græci ΣΥΝΔΙ'ΚΟΥΣ [*id eſt*, SYNDICOS] appellant, & qui ad certam cauſam agendam vel defendendam eliguntur; laborem perſonalis Muneris adgrediuntur. *d. l.* 18. § 13.

Judicandi quoque neceſſitas inter Munera perſonalia habetur. *d. l.* 18. § 14.

Si aliquis fuerit electus, ut compellat eos qui prope viam publicam poſſident, ſternere viam; perſonale Munus eſt. *d. l.* 18. § 15.

Pari modo qui acceptandis ſive ſuſcipiendis cenſualibus profeſſionibus deſtinantur, ad perſonalis Muneris ſollicitudinem animum intendunt. *d. l.* 18. § 16.

Maſtigophori (*c*) quoque qui agonothetas in certaminibus comitantur, & ſcribæ Magiſtratûs, perſonali Muneri ſerviunt *d. l.* 18. § 17.

V.

Breviùs ſupràdicta ferè omnia recenſet Hermogenianus, & alia item addit. Perſonalia civilia ſunt Munera; defenſio civitatis, id eſt ut ſyndicus fiat; legatio ad cenſus accipiendum (*d*) vel patrimonium; ſcribatus [*Ita Cujac. Florent.* ſcribitus], ΚΑΜΗΛΑΣΙ'Α [*id eſt*, *camelorum agitatio exhibitioque*], annonæ ac ſimilium cura, prædiorumque publicorum, frumenti comparandi, aquæductûs, equorum Circenſium; ſpectacula publicæ viæ, munitiones, arcæ frumentariæ, calefactiones thermarum, annonæ diviſio, & quæcumque aliæ curæ iſtis ſunt ſimiles. Ex his enim quæ retulimus; cætera etiam, per Leges cujuſque civitatis, ex conſuetudine longâ intelligi potuerunt. *l.* 1. § 2. HERMOGENIAN. LIB. 1. EPITOMAR.

Æquè perſonale Munus eſt, tutela; cura adulti furioſive, item prodigi, muti; etiam ventri; etiam ad exhibendum cibum, potum, tectum, & ſimilia; ſed & in bonis (*e*), cujus officio uſucapiones interpellantur, ac ne debitores liberentur, providetur. Item ex Carboniano Edicto bonorum poſſeſſione petitâ ſi ſatis non detur, cuſtodiendis bonis curator datus, perſonali fungitur Munere. His ſimiles ſunt bonis dati curatores, quæ fuerunt ejus qui ab Hoſtibus captus eſt, & reverti ſperatur: item cuſtodiendis ab eo relictis cui necdum quiſquam civili vel Honorario Jure ſucceſſit, curatores conſtituti. *d. l.* 1. § 4.

§ II.

De Muneribus patrimoniorum.

VI.

Patrimoniorum ſunt Munera, quæ ſumptibus patrimonii & damnis adminiſtrantis expediuntur. *l.* 18. § 18. ARCADIUS-CHARIS. LIB. SING. DE MUNERIB. CIVILIB.

V. G. Exactionem tributorum, onus patrimonii (*f*) eſſe conſtat. *l.* 3. § 11. ULP. LIB. 2. OPIN.

Elemporia (*g*), & Oſpratura (*h*) apud Alexandrinos, patrimonii Munus exiſtimatur. *ſup. d. l.* 11. § 19.

Suſceptores quoque vini per provinciam Africam, patrimonii Munus gerunt. *d. l.* 18. § 20.

Item Munus hoſpitis in domo recipiendi non perſonæ, ſed patrimonii onus eſt. *ſup. d. l.* 3. § 14.

Ad hæc Munera patrimonialia præcipuè pertinet, notiſſima illa Munerum diviſio in ordinaria & extraordinaria. Scilicet Ordinaria *dicuntur quæ ex Legibus, Senatuſconſultis, Conſtitutionibus-ve Principum, de more præſtabantur.* Extraordinaria, *quæ ex improviſo per Magiſtratus indicebantur. De his paſſim in toto hoc libro.*

VII.

Alia diviſio. Sedenim hæc Munera quæ patrimoniis indicuntur, duplicia ſunt. Nam quædam poſſeſſoribus injunguntur, ſive municipes ſunt, ſive non ſunt; quædam nonniſi municipibus vel incolis. Intributiones quæ agris fiunt vel ædificiis, poſſeſſoribus indicuntur. Munera verò quæ patrimoniorum habentur, non aliis quàm municipibus vel incolis. *l.* 6. § *fin.* ULP. LIB. 4. DE OFFIC. PROCONS.

Similiter Arcadius. Patrimoniorum autem Munera duplicia ſunt. Nam quædam ex his Muneribus poſſeſſionibus ſive patrimoniis indicuntur, veluti agminales (*i*) equi vel mulæ, & angariæ (*k*), atque veredi (*l*). *l.* 18. § 21. ARCADIUS-CHARIS. LIB. SINGUL. DE MUNER. CIVIL.

Prætereà habent quædam civitates prærogativam, ut hi qui in territorio earum poſſident, certum quid frumenti pro menſurâ agri per ſingulos annos præbeant. Quod genus collationis, Munus poſſeſſionis eſt. *d. l.* 18. § 25.

Pariter Viarum munitiones, prædiorum collationes, non perſonæ, ſed locorum Munera ſunt. *l.* 14. § 2. CALLISTRAT. LIB. 1. DE COGNIT.

Hujuſmodi igitur obſequia, & hi qui neque municipes neque incolæ ſunt, adgnoſcere coguntur. *ſup. d. l.* 18. § 22.

Altera autem patrimoniorum Muneris ſpecies nonniſi municipes aut incolas ſpectat, & quidem quamvis res ſoli non poſſideant, aut veteranorum privilegio à Muneribus excuſentur.

De hâc ſpecie accipe quod ait Arcadius: Sed & eos qui fœnus exercent, [e]tſi veterani (*m*) ſint, tributiones ejuſmodi adgnoſcere debere reſcriptum eſt. *d. l.* 18. § 23.

§ III.

De Muneribus mixtis.

VIII.

Mixta Munera, Decaprotiæ & Icoſaprotiæ; ut Herennius-Modeſtinus & notando & diſputando benè & optimâ ratione decrevit. Nam decaproti (*n*) & icoſaproti tributa exigentes, & corporale miniſterium gerunt, & pro omnibus defunctorum fiſcalia detrimenta reſarciunt: ut & meritò inter mixta hoc Munus numerari debeat. *d. l.* 18. § 26.

Cùm autem ad patrimonialia magis accedant; hinc Conſtantinus: Nec protoſtaſiæ (*o*), vel ſacerdotii, vel decaprotiæ, Munera corporalia ſunt; ſed tantùm patrimonii eſſe non ambigitur. *l.* 8. *Cod. de Munerib. patrim.*

Imò: Sed ea quæ ſuprà perſonalia eſſe diximus, ſi

(*a*) Id eſt, ad aulam Principis, ad ſacram ejus perſonam.

(*b*) Gerebant in municipiis idem munus, quod Romæ Præfectus Vigilum; ſic dicti, quaſi duces exercitûs nocturni.

(*c*) Quaſi *Flagriferi*, qui flagris armati præibant agonothetas, vel ad turbam compeſcendam, vel ad puniendos gladiatores ſi timidiùs pugnaſſent.

(*d*) Id eſt, munus quo alicui hæc cura delegatur ut cenſus cæteroſque patrimonii civitatis reditus accipiat: [*Recette de ville*].

(*e*) Supple, Curator datus; qui ſcilcet ad hoc interdum datur, ut uſucapionem interpellet, &c. putà in hereditate jacente.

(*f*) Vel potiùs mixtum eſt: infrà N. 8.

(*g*) Olei publici emendi cura. Ita Budæus, & Dionyſ. Gothofred.

(*h*) *Oſpratura* ſeu [ut Hugo à Portâ legit] *Oſprionia* eſt, Budæo interprete, minutarum frugum emendarum cura. In Editione Haloandri legitur, *hoſpitatura*; id eſt hoſpitis recipiendi munus, putà militum vel officialium Præſidis [*Fourniture de logement de gens de guerre, ou autres*]: quod munus per vices pati, Alexandrini cives ſolebant. Sed cùm de hoc munere mox infrà ejuſdem legis § 14. dicatur, probabile non eſt bis idem Munus recenſuiſſe Juriſconſultum.

(*i*) Equi qui agmen ſequuntur ad vehenda exercitûs impedimenta [*pour porter les bagages*].

(*k*) Vide ſuprà N. 4. Not. (*h*).

(*l*) Equi ad currendum.

(*m*) De quibus in Tit. ſeq. §°. 6°.

(*n*) Quaſi decem primi. Erant ſcilicet in quibuſdam civitatibus decem viri, in aliis viginti qui *Icoſaproti* [id eſt, viginti primi] dicebantur, ſuper tributa præpoſiti.

(*o*) Alibi appellatur *Principalitas*: unde primi Curiæ, *Principales* dicti.

Source : BIU Cujas

hi qui funguntur, ex Lege civitatis ſuæ, vel more etiam de propriis facultatibus impenſas faciant, vel annonam exigentes deſertorum prædiorum damna ſuſtineant; mixtorum definitione continebuntur. *ſup. d. l.* 18. § 27.

De mixtis etiam muneribus accipe quod Hermogenianus ait: Patrimonii ſunt, Munera rei vehicularis, item navicularis; Decemprimatus: ab iſtis enim, periculo ipſorum, exactiones ſolemnium celebrantur. *l.* 1. § 1. HERMOGENIAN. LIB. 1. EPITOMAR.

ARTICULUS II.

De his quibus Honores aut Munera deferri poſſunt necne.

IX.

Munera cujuſque civitatis, tam hujus civitatis incolis quàm civibus originariis deferuntur. Nam Et qui originem ab urbe Româ habent; ſi alio loco domicilium conſtituerunt, Munera ejus ſuſtinere debent. *l.* 3. ULP. LIB. 2. OPINION.

Atque hinc ſine negatione legendum cenſet Cujacius (ut in Baſilicis) quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Eſt verum eos qui in territorio alicujus civitatis commorantur, velut incolas ad ſubeunda Munera vel ad capiendos Honores [non (*a*)] adſtringi. *l.* 3. *Cod. de Incolis.*

Non quibuſvis autem civibus aut incolis deferuntur quævis Munera & Honores.

X.

Et quidem hâc in re diſtinguendum inter Munera patrimonialia, perſonalia & Honores.

Patrimoniorum Munera, mulieres etiam ſuſtinere debent. *l.* 9. *Cod. de Munerib. patrim.* DIOCLET. ET MAXIM.

Contrà Corporalia Munera fœminis ipſe ſexus denegat, quominùs Honores aut Munera injungantur. *l.* 3. § 3. ULP. LIB. 2. OPIN.

XI.

Eadem diſtinctio obtinet circa Minores. Nam Etiam minores ætate, patrimoniorum Muneribus ſubjugari ſolent. Unde intelligis, te fruſtrà plenam immunitatem deſiderare; cùm Munera quæ impenſas exigunt, ſubire te neceſſe ſit. *l.* 7. *Cod. de Muner. patrimon.* DIOCLET. ET MAXIM.

Hinc Decaprotos, etiam minores anni vigintiquinque fieri, non militantes tamen, pridem placuit: quia patrimonii magis onus eſſe videtur. *ſup. d. l.* 3. § 10.

Secùs obtinet circa Munera perſonalia, & Honores. Nam Ad rempublicam adminiſtrandam ante viceſimum-quintum annum, vel ad Munera quæ non patrimonii ſunt, vel Honores, admitti Minores non oportet. Denique nec Decuriones creantur, vel creati ſuffragium in Curiâ ferunt.

Annus autem viceſimus-quintus cœptus, pro pleno habetur. Hoc enim in Honoribus favoris causâ conſtitutum eſt, ut pro plenis inchoatos accipiamus; ſed in his Honoribus, in quibus Reipublicæ quid eis non committitur. Cæterùm cum damno publico Honorem ei committi non eſt dicendum, etiam cum ipſius pernicie Minoris. *l.* 8. ULP. LIB. 11. AD ED.

Idem Ulpianus ait. Sextum-decimum ætatis annum agentem, ad Munus ſitoniæ (*b*) vocari non oportet. Sed ſi nihil propriè in patriâ ſervatur, de minoribus quoque annis viginti-quinque ad Munera ſive Honores creandi; juſta ætas ſervanda eſt. *l.* 2. *ff. de Vacat. & excuſ. mun.* ULP. LIB. 3. OPIN.

Multò magis arcentur impuberes à perſonalibus Muneribus & Honoribus: & quidem Impuberes, quamvis neceſſitas penuriæ hominum cogat, ad Honores non eſſe admittendos, Reſcripto ad Benidium-Rufum Legatum Ciliciæ declaratur. *l.* 2. § 1. *ff. de Jur. immun.* ULP. LIB. 4. DE OFFIC. PROCONS.

Indè generalis hæc regula. Item IMPUBES ab omnibus officiis civilibus debet abſtinere. *l.* 2. § 1. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 1. AD SABIN.

XII.

Infames perſonæ, licèt nullis Honoribus qui integræ dignitatis hominibus deferri ſolent, uti poſſint; Curialium tamen vel civilium munerum vacationem non habent. Sed ſolemnibus indictionibus ob tutelam publicam, eos ſatisfacere neceſſe eſt. *l. un. Cod. de Infam.* DIOCL. ET MAXIM.

Nec infames immunitatem habere; cùm hæc privilegii, non notæ ſit; convenit. *l.* 12. *Cod. de Decur.* DIOCL. ET MAXIM.

XIII.

Ab Honoribus, non ſolùm qui jam Sententiâ notatus eſt, arcetur: ſed & Reos criminis poſtulatos, novos Honores appetere non debere, antequàm purgaverint innocentiam ſuam; & à Divis parentibus Noſtris (*c*), & à Me ſæpè reſcriptum eſt. *l. un. Cod. de Reis poſtulatis.* ALEXANDER.

Similiter Papinianus. In quæſtionibus nominatos (*d*) capitalium criminum, ad novos Honores ante cauſam finitam admitti non oportet. Cæterùm priſtinam interim dignitatem retinent. *l.* 17. § 12. *ff. Ad munic.* PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

Item Marcianus. Reus delatus, etiam ante Sententiam, Honores petere, Principalibus Conſtitutionibus prohibetur. Nec intereſt, plebeius an Decurio fuerit.

Sed poſt annum (*e*) quam reus delatus eſt, petere non prohibetur; niſi per ipſum ſtetit, quominùs cauſa intrà annum expedietur. *l.* 7. MARC. LIB. 2. PUBLIC.

Aut ſaltem, niſi per adverſarium non ſteterit. Nam Paulus Reſpondit, Si per accuſatorem criminum capitalium non ſtetiſſet, quominùs crimen intrà ſtatutum tempus perſequeretur; reum non debuiſſe medio tempore Honorem appetere. *l.* 21. § 5. *ff. Ad munic.* PAUL. LIB. 1. RESP.

Quòd Si quis accuſatorem non habeat (*f*), non debet Honoribus prohiberi; quemadmodum non debet is cujus accuſator deſtiterit. Ita enim Imperator noſter cum Divo patre ſuo reſcripſit. *l.* § 2. ULP. LIB. 4. DE OFFIC. PROCONS.

XIV.

Senator Ordine motus, ad originalem patriam (*g*) niſi hoc ſpecialiter impetraverit, non reſtituitur. *l.* 22. § 4. *ff. Ad municip.* PAUL. LIB. 1. SENTENT.

XV.

Ad tempus exulare Decurio juſſus, & impleto tempore regreſſus, priſtinam quidem recipit dignitatem (*h*): ad novos verò Honores non admittitur; niſi tanto tempore his abſtinuerit, quanto perfugam abfuit. *l.* 2. *Cod. de His qui in exilium dat.* GORDIAN.

Pariter Ordine Decurionum ad tempus motus, & in Ordinem regreſſus; ad Honorem (exemplo relegati) tanto tempore non admittitur, quanto dignitate caruit. *l.* 15. *ff. Ad munic.* PAPINIAN. LIB. 1. RESPONS.

(*a*) Quidam tamen negationem retinent; ut lex intelligi debeat non de his qui domicilium habent, ſed qui ad tempus commorantur.

(*b*) Curationis frumenti coemendi: ſuprà N. 4.

(*c*) Sic & ſub Republicâ; Catilina eo quòd eſſet Repetundarum reus, prohibitus eſt petere Conſulatum. Salluſt.

(*d*) *Nominatos* hìc accipit Cujacius, reos poſtulatos.

(*e*) Nam Jure Pandectarum finis quæſtionum criminalium erat annus; ut conſtat ex l. 1 & 2. Cod. Theod. *Ut intra ann. crim. quæſt.* Cùm autem Jure Juſtinianeo biennium his peragendis conceſſum, ſit aliud ſtatuendum eſt: & incuriâ Triboniani id relictum.

(*f*) Putà, accuſator mortuus ſit: tunc enim nomen accuſati eximitur è reis; ſuprà lib. 48. Tit. *ad SC. Turpill.* N. fin.

(*g*) Et ejus honores.

(*h*) Curialem; non tamen locum ſuum in Ordine, Tit. præced. N. 33.

Source : BIU Cujas

Obiter nota. Sed in utroque (*a*) placuit examinari, quo crimine damnati Sententiam ejuſmodi meruerunt. Durioribus etenim pœnis affectos, ignominiâ velut tranſacto negotio (*b*) poſtea liberari: minoribus verò quàm Leges permittunt ſubjectos (*c*), nihilominùs inter infames haberi (*d*); cùm Facti quidem quæſtio ſit in poteſtate judicantium, Juris autem auctoritas non (*e*) ſit. *d. l.* 15. ¶ *ſed in.*

X V I.

Ab Honoribus pauperes arcentur. Quod quidem Reſcripto Divorum Fratrum ad Rutilium-Luppum ita declaratur: « CONSTITUTIO quâ cautum eſt, prout » quiſque Decurio creatus eſt, ut ita & magiſtratum » apiſcatur, totiens ſervari debet, quotiens idoneos » & ſufficientes omnes contingit. Cæterùm ſi ita qui- » dam tenues & exhauſti ſunt, ut non modò publicis » Honoribus pares non ſint, ſed & vix de ſuo victum » ſuſtinere poſſint; & minùs utile, & nequaquàm » honeſtum eſt, talibus mandari magiſtratum: præ- » ſertim quum ſunt qui convenienter ei (*f*), & ſuæ » fortunæ & ſplendori publico, poſſint creari. Sciant » igitur locupletiores, non debere ſe hoc prætextu » legis uti (*g*); & de tempore quo quiſque in Curiam » allectus ſit, inter eos demùm eſſe quærendum, qui » pro ſuâ ſubſtantiâ capiant Honoris dignitatem. » *l.* 6. ULP. LIB. 4. DE OFFIC. PROC.

X V I I.

Debitores rerum publicarum, ad Honores invitari non poſſe certum eſt; niſi priùs in id quod debetur Reipublicæ, ſatisfecerint.

Sed eos demùm debitores rerum publicarum accipere debemus, qui ex adminiſtratione Reipublicæ reliquantur [*Florent.* relinquantur]. Cæterùm ſi non ex adminiſtratione ſint debitores, ſed mutuam pecuniam à republicâ acceperint; non ſunt in eâ causâ ut Honoribus arceantur.

Planè vice ſolutionis ſufficit, ut quis aut pignoribus aut fidejuſſoribus idoneis caveat: & ita Divi Fratres Aufidio-Herenniano reſcripſerunt.

Sed & ſi ex pollicitatione debeant, quæ tamen pollicitatio recuſari non poteſt (*h*); in eâ ſunt conditione ut Honoribus arceantur. *d. l.* 6. § 1.

Dictis conſonat quod reſcribit Antoninus. Non priùs debitorem Reipublicæ, Honorem in republicâ ſubire quàm id quod debere conſtiterit, conventus exſolverit; tam Meis quàm Divorum Principum Conſtitutionibus declaratur. *l.* 1. *Cod. de debit. civit.*

X V I I I.

Is qui non ſit Decurio, Duumviratu vel aliis Honoribus fungi non poteſt; quia Decurionum Honoribus plebeii fungi prohibentur. *l.* 7. § 2. *ff. de Decurion.* PAUL. LIB. I. SENT.

Multò minùs aſpirare ad Honores poteſt, qui nec Decurio eſſe poſſet. Nam Qui indignus eſt inferiore Ordine, indignior eſt ſuperiore. *l.* 4. *ff. de Senatorib.* POMPON. LIB. 12. EX VARIIS LECTIONIBUS.

X I X.

Vidimus quæ cauſæ ab Honoribus removeant. Nunc contrà.

Et 1°. Eis quis Judaicam ſuperſtitionem ſequantur, Divi Severus Antoninus Honores adipiſci permiſerunt. Sed & neceſſitates eis impoſuerunt, quæ ſuperſtitionem eorum nonlæ derent. *l.* 3. § 3. *ff. de Decur.* ULP. LIB. 3. DE OFFIC. PROCONS.

At verò ex Conſtitutionibus Chriſtianorum Imperatorum, Judæi ab Honoribus arcentur: à Muneribus autem vacationem non habent. Idem conſtitutum circa Paganos, & circa Hæreticos. l. 5. *l.* 10. *l. fin. Cod.* de Judæis. *l.* 1. & *l.* 12. *Cod.* de Hæretic.

2°. Quòd pater in reatu criminis alicujus eſt, filiis impedimento ad Honores eſſe non debet. *l.* 3. § 9. ULP. LIB. 2. OPINION.

3°. *Item non arcetur quis ab Honoribus, quòd capitalem Sententiam paſſus ſit; ſi fuerit in integrum reſtitutus. Putà* Si in metallum datus, in integrum reſtitutus ſit; perinde ac ſi nec damnatus fuiſſet, ad Munera vel Honores vocatur. Nec opponet fortunam & caſus triſtiores ſuos, ad hoc ſolum ne patriæ idoneus civis eſſe videatur. *d. l.* 3. § 2.

4°. *Item non ideò quis arcetur, quòd Honoribus jurejurando renuntiaverit. Nam* Imperatores Antoninus & Verus reſcripſerunt; Gratiam ſe facere jurisjurandi, ei qui juraverat ſe Ordini non interfuturum, & poſtea Duumvir creatus eſſet. *l.* 38. *ff. Ad Municip.* PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUT.

ARTICULUS III.

De formâ nominandi ad Munera & Honores; & quæ circa eas nominationes obſervanda ſint.

X X.

Obſervare oportebit Magiſtratus (*i*), ut Decurionibus ſolemniter in Curiam convocatis, nominationem ad certa munera faciant: eamque ſtatim in notitiam ejus qui fuerit nominatus per Officialem publicum perferri curent; habituro appellandi, ſi voluerit, atque agendi facultatem apud Præſidem cauſam ſuam jure conſueto. Quem ſi conſtiterit nominari minimè debuiſſe; ſumptum litis eidem à nominatore reſtitui oportebit. *l.* 2. *Cod. de Decurionib.* DIOCLET. ET MAXIM.

Nominationum forma vacillare non debet; ſi omnes qui Albo Curiæ detinentur, adeſſe non poſſunt: ne pauciorum abſentia, ſive neceſſaria, ſive fortuita, debilitet quod à majore parte Ordinis ſalubriter fuerit conſtitutum; cùm duæ partes Ordinis in urbe poſitæ, totius Curiæ inſtar exhibeant. *l.* 46. *Cod. d. tit.* ARCAD. ET HONOR.

Et hæc quidem formam nominationis extrinſecam ſpectant.

X X I.

Jam verò De Honoribus ſive Muneribus gerendis quum quæritur; imprimis conſideranda perſona eſt ejus cui defertur Honor, ſive Muneris adminiſtratio; item origo natalium; facultates quoque, an ſufficere injuncto Muneri poſſint; item Lex ſecundùm quam Muneribus quiſque fungi debeat. *l.* 14. § 3. CALLISTRAT. LIB. 1. DE COGNITIONIB.

Maximè autem obſervari debet quòd Honores & Munera non ordinationi (*k*), ſed potioribus quibuſque injungenda ſunt. *l.* 7. *ff. de Decur.* PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Igitur Etſi Lege municipali caveatur, ut præferrentur in Honoribus certæ conditionis homines, attamen ſciendum eſt hoc eſſe obſervandum, ſi idonei ſint. Et ita Reſcripto Divi Marci continetur. *l.* 11. § 1. MODEST. LIB. 11. PANDECT.

X X I I.

Quando autem virorum idoneorum copia eſt; Præſes provinciæ provideat Munera & Honores in civitatibus æqualiter per vices, ſecundùm ætates & dignitates; ut gradus Munerum Honorumque qui antiquitùs ſtatuti ſunt, injungi: ne ſine diſcrimine & frequenter iiſdem

(*a*) In relegato, & in eo qui Ordine motus eſt.
(*b*) Vide ſuprà lib. 3. Tit. *de His qui not. infam.* N. 13.
(*c*) Famoſo judicio.
(*d*) Adeòque non poſſe unquam ad honores aſpirare: imò nec in Ordinem recipi, à quo arcentur infames; ſuprà Tit. *de Decurion.* N. 12.
(*e*) Et proindè infamiam quam damnato Lex irrogat, remittere non poſſit.
(*f*) Magiſtratui.
(*g*) Nimirùm de honoribus per vices deferendis.
(*h*) Vide infrà Tit. *de Pollicitat.*
(*i*) Duumviros ſcilicet, municipalis Curiæ principes.
(*k*) Ordini temporis quo quiſque in Curiam allectus eſt.

Source : BIU Cujas

oppreſſis, ſimul viris & viribus reſpublicæ deſtituantur. *l.* 3. § 15. ULP. LIB. 2. OPINION.

Hinc Honorius & Theodoſius. Quis tam inveniri iniquus arbiter rerum poteſt, qui in urbibus magnifico ſtatu præditis, ac votivâ Curialium numeroſitate locupletibus, ad iterationem quempiam tranſacti oneris compellat? Ut, quum alii necdum penè initiati Curiæ ſacris fuerint, alios & continuatio & repetitæ ſæpè functiones adficiant. *l.* 52. *Cod. de Decurionib.*

In primis verò illa Munera per vices obiri debent, quæ ſumptum duntaxat, non etiam induſtriam requirunt.

Hinc V. G. Eos milites quibus ſupervenientibus hoſpitia præberi in civitate oportet per vices, ab omnibus quos id Munus contingit, ſuſcipi oportet. *ſup. d. l.* 3. § 13.

Circa Honores verò, non ſolùm obſervari oportet ut quantùm fieri poteſt per vices deferantur t ſed etiam Ut gradatim Honores deferantur, Edicto; & ut à minoribus ad majores perveniatur, Epiſtolâ Divi Pii ad Titianum exprimitur. *l.* 11. MODESTIN. LIB. 11. PANDECT.

Undè Calliſtratus. Gerendorum Honorum non promiſcua facultas eſt: ſed ordo certus huic rei adhibitus eſt. Nam neque priùs majorem magiſtratum quiſquam niſi minorem ſuſceperit, gerere poteſt; neque ab omni ætate, neque continuare quiſque Honores poteſt. *l.* 14. § 5. CALLISTRAT. LIB. 1. DE COGNITION.

ARTICULUS IV.

De compellendis his qui nominati ſunt, ut Honores aut Munera ſuſcipiant.

XXIII.

Si quis Magiſtratus in municipio creatus, Munere injuncto fungi detrectet; per Præſides Munus adgnoſcere cogendus eſt; remediis quibus tutores quoque ſolent cogi, ad Munus quod injunctum eſt agnoſcendum. *l.* 9. ULP. LIB. 3. DE OFFIC. PROCONS.

Et quidem Si ad magiſtratum nominati aufugerint, requirantur; &, ſi pertinaci eos animo latere patuerit, his ipſorum bona permittantur, qui præſenti tempore in locum eorum ad Duumviratûs Munera vocabuntur: ita ut, ſi poſtea reperti fuerint, biennio integro onera Duumviratûs cogantur agnoſcere. Omnes enim qui obſequia publicorum Munerum tentaverint declinare, ſimili conditione teneri oportet. *l.* 18. *Cod. de Decurionib.* CONSTANTIN.

XXIV.

Æſtimationem Honoris aut Muneris in pecuniâ pro adminiſtratione offerentes, audiendi non ſunt. *l.* 16. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Item Quum quidam ne Honoribus fungeretur, opus promiſiſſet; Honores ſubire cogendum, quàm (*a*) operis inſtructionem, Divus Antoninus reſcripſit. *l.* 12. § 1. *ff. de Pollicit.* MODESTIN. LIB. 11. PANDECT.

ARTICULUS V.

Ex quo poſſit quis fungi ſibi injuncto Honore aut Munere; ubi exercere debeat; & an per ſe obire Curiales functiones teneatur.

XXV.

Si nulla provocatio interceſſit; ſtatim ex quo quis ab Ordine nominatus eſt, fungi Munere poteſt; nec expectare tenetur confirmationem Præſidis: ad quem tamen relatio nominationis, tam ab ipſo quàm ad his qui eum creaverunt, mitti debet; quam tenetur confirmare. l. 59. *Cod.* de Decur.

Quòd ſi provocatio interpoſita eſt; Eum contra quem propter Honores appellatum eſt, ſi pendente appellatione Honorem uſurpaverit, coercendum Divus Severus reſcripſit. *l.* 7. § 1. MARCIAN. LIB. 2. PUBLIC.

Obiter nota. Ergo & ſi qui Honoribus per Sententiam uti prohibitus eſt, appellaverit; abſtinere interim petitione Honoris debebit. *d.* § 1. ¶ *ergo.*

XXVI.

Duumvirum impunè non liceat extollere poteſtatem faſcium, extra metas territorii propriæ civitatis. *l.* 53. *Cod. de Decurionib.* ARCAD. ET HONORIB.

XXVII.

Quamvis regulariter quis per ſe fungi Munere debeat; tamen viri Illuſtres, necnon Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi, per ſubſtitutos, Periculo ſuarum facultatum, *Munera Curiæ ſuæ obire non vetantur. l.* 21. *Cod.* de Epiſc. & Cleric.

(*a*) Id eſt, *potiuſquàm.* D. Gothofred.

TITULUS V.

DE VACATIONE ET EXCUSATIONE MUNERUM.

I.

POſt eos quibus Munera deferuntur, ſequitur ut videamus de iis qui ab eorum delatione ſunt immunes.

Et primùm, Munera alicujus civitatis injungi non poſſunt, niſi his qui ſunt hujus cives aut incolæ. Imò Error ejus qui ſe municipem aut colonum exiſtimans, Munera civilia ſuſcepturum promiſit, defenſionem Juris non excludit. *l.* 17. § 10. *ff. Ad municip.* PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

Sed & ſi quis ſit hujus civitatis civis aut incola, poteſt ex pluribus cauſis Vacationem Munerum habere; nimirùm ex ætate, valetudine, paupertate; numero liberorum, vitæ inſtituto, variiſque dignitatibus ac officiis.

§ 1.

Qui ætate excuſentur.

II.

Majores annis quinquaginta-quinque, ad Decurionatûs honorem inviti vocari Conſtitutionibus prohibentur. Sed ſi ei rei conſenſerint, etſi majores annis ſeptuaginta ſint, Munera quidem civilia obire non coguntur, honores autem gerere debent. *l.* 2. § 8. *ff. de Decur.* ULP. LIB. 1. DISPUTAT.

Ita de Decurionatu.

Source : BIU Cujas

III.

Quod ad Munera perſonalia attinet : Manifeſti Juris eſt majores quinquaginta-quinque (*a*) annis invitos ad Munera perſonalia vocari non poſſe. Cùm itaque ſeptuagenario majorem te eſſe profitearis; ſi à nominatione factâ appellationis auxilium interpoſuiſti, tueri te notione Præſidis provinciæ potes jure conceſſo. *l.* 3. *Cod. Qui ætate vel profeſſ.* DIOCLET. ET MAXIM.

Pariter Ulpianus. Majores ſeptuaginta annis, à tutelis & Muneribus perſonalibus vacant.

Sed qui ingreſſus eſt ſeptuageſimum annum, nondum egreſſus, hâc Vacatione non utetur : quia non videtur major eſſe ſeptuaginta annis, qui annum agit ſeptuageſimum. *l.* 3. *ff. de Jur. immun.* ULP. LIB. 5. DE OFFIC. PROCONS.

Sed nec ſemper & indiſtinctè à Muneribus excuſari ætatem majorem ſeptuaginta annis, ita docet Calliſtratus. Semper in civitate noſtrâ ſenectus venerabilis fuit. Namque Majores noſtri, penè eumdem honorem ſenibus quem Magiſtratibus tribuebant. Circa Munera quoque municipalia ſubeunda, idem honor ſenectuti tributus eſt. Sed eum qui ſenectute locuples factus eſt, & antè nullo publico Munere functus eſt, dici poteſt non eximi ab hoc onere, privilegio ætatis : maximè ſi non tam corporis habeat vexationem, quàm pecuniæ erogationem indicti Muneris adminiſtratio; & ex eâ ſit civitate, in quâ non facilè ſufficientes viri publicis Muneribus inveniantur. *l.* 5. *ff. d. tit.* CALLISTRAT. LIB. I. DE COGNITIONIB.

Legem quoque reſpici cujuſque loci oportet; an, quum aliquas immunitates nominatim complecteretur, etiam de numero annorum in eâ commemoretur. Idque etiam colligi poteſt ex Litteris Divi Pii, quas emiſit ad Ennium-Proculum Proconſulem provinciæ Africæ. *d. l.* 5. § 1.

§ II.

De valetudine & infirmitate corporis.

IV.

Valetudo quoque tribuit Vacationem à Muneribus.

Hinc Ulpianus. Quem ita ſenio & corporis imbecillitate vexari Præſes animadverterit, ut Muneri perferendæ pecuniæ non ſufficiat; dimittat, & alium conſtituat. *l.* 2. § 7. ULP. LIB. 3. OPINION.

Et quidem Corporis debilitas eorum Munerum Excuſationem præſtat, quæ tantùm corpore implenda ſunt. Cæterùm quæ conſilio prudentis viri, vel patrimonio ſufficientis [in homines] obiri poſſunt; niſi certis & receptis probabilibus cauſis non remittuntur. *d.* § 7. ¶ *corporis.*

Quanquàm tamen talis eſſe poteſt valetudo, ut etiam ab his Muneribus quæ conſilio obeuntur remiſſionem tribuere debeat.

Hinc idem Ulpianus. Prætor eos quoſcumque intelligit operam dare non poſſe ad judicandum, pollicetur ſe Excuſaturum: fortè quòd in perpetuum quis operam dare non poteſt; quòd in eam valetudinem incidit, ut certum ſit eum civilia officia ſubire non poſſe; aut ſi alio morbo laboret, ut ſuis rebus ſupereſſe non poſſit. Vel ſi quod ſacerdotium nacti ſunt, ut diſcedere ab eo ſine religione non poſſint : nam & hi in perpetuum excuſantur. *l.* 13. ULP. LIB. 23. AD ED.

V.

Quæ igitur infirmitatis ſpecies, Vacationem à Muneribus tribuat; vix definiri poteſt. Interdum enim hoc pendet à vehementiâ mali; quodcumque illud ſit.

Hinc reſcribunt Diocletianus & Maximianus : Podagræ quidem valetudo, nec ad perſonalium Munerum prodeſt Excuſationem. Verùm cùm ita te valetudine pedum adflictum dicas, ut rebus propriis interceſſum commodare non poſſis; Rector provinciæ, ſi allegationibus tuis fidem adeſſe perſpexerit, ad perſonalia Munera te vocari non patietur. *l.* 3. *Cod. Qui morbo ſe excuſant.*

Sic etiam accipe quod iidem reſcribunt. Cùm auriculari morbo debilitatum te eſſe dicas; juxta Juris publici auctoritatem, à perſonalibus Muneribus Vacationem habebis. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

De cæcitate autem ita Gordianus. Si eâ cæcitate pater tuus oppreſſus eſt, ut utriuſque oculi aciem prorsùs amiſerit; levamentum perſonalium Munerum ſentiet. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

Surdus & mutus ſi in totum non audiant aut non loquantur, ab honoribus civilibus, non etiam à Muneribus (*b*) Excuſantur. *l.* 7. § 1. *ff. de Decur.* PAUL. LIB. 1. SENT.

At Minùs audiens immunitatem civilium Munerum non habet. *l.* 2. § 6. ULP. LIB. 3. OPIN.

§ III.

De paupertate.

VI.

Inopes onera patrimonii, ipsâ non habendi neceſſitate non ſuſtinent; corpori autem indicta obſequia ſolvunt. *l.* 4. § 2. *ff. de Muner. & honor.* ULP. LIB. 3. OPINION.

Hæc autem Deficientium facultatibus, ad Munera vel honores qui indicuntur, Excuſatio; non perpetua; ſed temporalis eſt. Nam ſi ex voto, honeſtis rationibus patrimonium incrementum acceperit; ſuo tempore, an idoneus ſit aliquis ad ea quæ creatus fuerit, æſtimabitur. *d. l.* 4. § 1.

Quinetiam Auctis poſt appellationem medio tempore facultatibus, paupertatis obtentu non Excuſantur. *l.* 10. § 3. PAUL. LIB. 1. SENT.

VII.

Obſervandum 1°. *Inopem aliquem intelligi, quamvis in filium ſuum bona tranſtulerit.*

Hinc Diocletianus & Maximianus : Cùm facultates tuas omnes in filium tuum contuliſſe te, nec quicquam habere proponas; reſpectu patrimonii ejus quod tuum eſſe deſiit, Muneribus civilibus non adſtringeris. *l.* 4. *Cod. de his qui num. liber. vel paup. excuſat.*

Quòd ſi quis in fraudem bona ſua ſimulatè vendidiſſet, hæc fraus vindicatur. Scilicet In fraudem civilium Munerum, per tacitam fidem prædia tranſlata, fiſco vindicantur : tantùmque alterum interdictæ rei miniſter (*c*) de ſuis bonis cogitur (*d*) ſolvere. *l.* 15. § 2. *ff. Ad mun.* PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

Obſervandum 2°. *Non quemvis qui poſſeſſionem non habet, pro inope haberi. Nam* Qui fœnus exercent, omnibus patrimonii intributionibus (*e*) fungi debent; etſi poſſeſſionem non habeant. *l.* 22. § 7. *ff. Ad munic.* PAUL. LIB. 1. SENTENT.

VIII.

Jure igitur Pandectarum, paupertas à ſolis patrimonialibus Muneribus Excuſat, non etiam à perſonalibus. Conſtantinus autem hanc Excuſationis cauſam, etiam ad perſonalia Munera porrexiſſe videtur. Sic enim reſcribit: Si quis propter cenſum tenuiorem, Vacationem meruerit, atque probaverit : beneficio potiatur, ſi propter rerum anguſtias ad perſonalia vocatur obſequia. *l.* 6. ¶ *quòd ſi. Cod. de His qui num. liber. vel pauper.*

(*a*) Cujacius ad h. l. cenſet legendum *ſeptuaginta* : quod apertè comprobatur ſequentibus textibus. Olim verò Romæ ætas ſexaginta annorum à negotiis publicis vacationem tribuebat : teſte Plinio *Epiſt.* IV. & Varrone lib. III. *de Vitâ Pop. Rom.*

(*b*) Scilicet patrimonialibus.
(*c*) Id eſt, qui finxit ea emiſſe.
(*d*) Eidem Fiſco.
(*e*) Apud nos, *Contributions.*

Source : BIU Cujas

§ IV.

De justâ absentiâ.

IX.

Justa absentia tribuit etiam Munerum Vacationem.

Hinc Qui maximos Principes appellavit, & causam propriam acturus Romam profectus est; quoad cognitio finem accipiat, ab honoribus & civilibus Muneribus apud suos excusatur. *l.* 8. § 5. PAPINIAN. LIB. 1. RESPONS.

Multò magis qui Reipublicæ causâ abest, Excusari debet. Quinetiam & intra annum post reditum Excusatur: ut vid. suprà lib. 27. *Tit.* de Excusat. tut.

Et quidem Tempus Vacationis quod datur eis qui Reipublicæ causâ abfuerunt, non ex die numerandum est quo quis abesse desiit, sed cum quodam laxamento itineris. Neque enim minùs abesse Reipublicæ causâ intelligendus est, qui adit negotium, vel ab eo revertitur. Si quis tamen plùs justo temporis, aut itinere, aut in loco commoratus, consumpserit; ita ea interpretanda erit, ut ex eo tempore Vacationis dies incipiat ei cedere, quo iter ax commodo peragere potuisset. *l.* 4. NERAT. LIB. 1. MEMBRAN.

§ V.

De numero liberorum.

X.

Quinque liberorum numerus, personalium Munerum Vacationem tribuit.

Hinc V. G. de Munere comparandi frumenti ait Ulpianus: Cura frumenti comparandi, Munus est; & ab eo ætas septuaginta annorum, vel numerus quinque incolumium liberorum Excusat. *l.* 3. § 12. *ff. de Muner.* ULP. LIB. 2. OPINION.

Item Cura extruendi vel reficiendi operis in civitate, Munus publicum est; à quo quinque liberorum incolumium pater Excusetur. *l.* 4. *ff. d. tit.* IBID. LIB. 3.

Nec solùm viros; sed & De personalibus Muneribus quæ fœminis pro sexûs conditione indicuntur (*a*), exemplo mârium, quinque superstitum liberorum numero eas Excusari, Divi parentes Nostri constituerunt. *l.* 5. *Cod. de His qui num. liber. vel paupert.* DIOCLET. ET MAXIM.

Multò magis Incolumes liberi, etiamsi in potestate patri suo desierint esse, Excusationem à Muneribus civilibus præstant. *l.* 2. § 5. ULP. LIB. 3. OPIN.

Naturales autem duntaxat prosunt. Adoptivi filii in numerum non proficiunt eorum liberorum qui Excusare parentes solent. *d. l.* 2. § 2.

XI.

Ad Excusationem Munerum, defunctus filius non prosit; præterquàm in bello amissus. *l.* 14. MODEST. LIB. 7. REGUL.

Pariter Filium ab hostibus captum, ac necdum reversum, ad Excusationem Munerum personalium patri proficere non posse, magis placuit. *l.* 2. *Cod. de His qui num. lib. vel paup.* PHILIPPUS.

Per se quidem filius captivus aut defunctus non prodest. Verùm Nepotes loco parentûm succedentes, vice eorum prodesse consueverunt. Ideòque, si quinque numerus liberorum ex amissorum filiorum nepotibus suppletur; à Muneribus personalibus is quem patrem tuum esse dicis, juxta constituta Excusatur. *l.* 3. *Cod. d. tit.* IDEM.

Observandum superest quòd hi Qui ad Munera vocantur, vivorum se liberorum numerum habere, tempore quo propter eos Excusari desiderant, probare debent. Numerus enim liberorum posteà impletus, susceptis anteà Muneribus non liberat. *l.* 2. § 3. ULP. LIB. 3. OPINION.

XII.

Porrò hæc omnia, de personalibus Muneribus accipe. De patrimonialibus autem ait Callistratus: Demonstratur variè nec abscisse, numerum liberorum ad Excusationem municipalium Munerum prodesse, ex Rescriptis Divi Elvii-Pertinacis. Namque Silvio-Candido in hæc verba rescripsit: ΕΙ ΚΑΙ' &c. [*id est*] « ETSI non ab omnibus Muneribus dimittit patrem, natorum numerus: tamen quia sedecim pueros habere te per libellum notificasti; non est irrationabile, ut concedamus filiorum educatione remitti tibi Munera. » *l.* 5. § 2. *ff. de Jur. immun.* CALLISTR. LIB. 1. DE COGN.

Regulariter igitur; Quæ patrimoniorum onera sunt, numero liberorum non Excusantur. *l.* 2. § 4. ULP. LIB. 3. OPIN.

§ VI.

De Vacatione quæ tribuitur veteranis.

XIII.

A Muneribus quæ non patrimoniis indicuntur, veterani post optimi nostri Severi Augusti litteras, perpetuò Excusantur. *l.* 7. PAPIN. LIB. 36. QUÆST.

At verò, inquiunt Diocletianus & Maximianus; Veteranis ita demùm onerum & Munerum personalium Vacatio jure conceditur; si post vicesimum annum militiæ, quàm in legione vel vexillatione (*b*) militaverint, honestam vel causariam missionem consecuti esse ostendantur. Undè, cùm te in cohorte (*c*) militasse commemores; intelligis supervacuò Vacationem tibi velle flagitare. *l.* 3. *Cod. de His qui non impl. stipend.*

De his autem qui ante tempus causariam missionem acceperunt, ita iidem rescribunt. Cùm ob provectæ ætatis senium sis dimissus; honestam missionem consecutum te esse, ambigi non potest. Habebis itaque à civilibus Muneribus, necnon etiam honoribus; Vacationem (*d*). Non tamen ea privilegia, quæ his competunt qui pleno stipendiorum numero funguntur, usurpare te Jus permittit; quando non perfecto statuto militiæ tempore, nec omnibus stipendiis decursis, sacramento solutum te esse, etiam ipse confitearis *l.* 2. *Cod. d. tit.*

XIV.

Ignominiæ causâ sacramento liberati, honoribus abstinere debent: à Muneribus autem civilibus excludendi non sunt. *l.* 1. *Cod. d. tit.* ANTONIN.

§ VII.

De Vacatione quæ tribuitur liberalium studiorum Professoribus.

XV.

Professores liberalium studiorum, scilicet Grammaticos, Rhetores, & Medicos, qui in patriâ suâ profitentur, à Muneribus immunes esse jam vidimus suprà lib. 27. *Tit.* de Excusat. tut.

Sed & Eos qui Romæ profitentur, proindè in patriâ suâ Excusari Muneribus oportere, ac si in patriâ suâ profiterentur. *l.* 9. PAUL. LIB. 1. RESP.

At 1°. *ita demum qui in patriâ suâ profitentur, hâc immunitate gaudent; si intrà statutum numerum sint.*

Hinc Antoninus. Cùm te medicum legionis secundæ

(*a*) Regulariter mulieres à civilibus Muneribus removentur: quædam tamen sunt, pauciſſima licèt, quæ in eas cadere possunt.

(*b*) *Vexillationes* sunt Vegetio II. 1. alæ seu turmæ equitum.

(*c*) *Cohortem* hîc accipe, officialium Præfectorum Prætorio aut Præfidum. Constantinus postea etiam his qui in cohortibus Præfectorum aut Præsidum militassent, Vacationem dedit l. 1. Cod. Theod. *de Cohort. Princip.* Quæ lex videtur non placuisse Justiniano.

(*d*) Sed non perpetuam, ut veterani; verùm ad certum tempus: ut observat Perezius ad h. tit.

Adjutricis

Source : BIU Cujas

Adjutricis esse dicas; Munera civilia, quandiù Reipublicæ causâ abfueris, susciperе non cogeris. Quum autem abesse desieris, post finitam eo jure Vacationem; si in eorum numero es qui ad beneficia medicis concessa pertinent, eâ immunitate utêris. *l.* 1. *Cod. de Prof. & medic.*

Maximè autem oportet ut ab Ordine probati sint. Quod confirmat Imperator Julianus; qui vetat ne, qui docere vult, temerè ad hoc munus prosiliat; Sed judicio Ordinis probatus, Decretum Curialium mereatur; optimorum conspirante consensu. *l.* 7. *Cod. d. tit.*

Sed & Reprobari posse medicum à republicâ, quamvis semel probatus sit, Divus Magnus-Antoninus cum patre rescripsit. *l.* 11. § 3. *ff. de Muner. & honor.* MODEST. LIB. 11. PANDECT.

Similiter Grammaticos seu oratores Decreto Ordinis probatos, si non se utiles studentibus præbeant, denuò ab eodem Ordine reprobari posse, incognitum non est. *l.* 2. *Cod. de Profess.* GORDIAN.

2°. *Observandum est, hanc immunitatem medicorum & Professorum liberalium studiorum, ipsis ab Ordine tribui oportere.*

Enimverò Nec intrà numerum præstitutum, Ordine invito medicos immunitatem habere, sæpè constitutum est; cùm oporteat eis Decreto Decurionum immunitatem tribui. *l.* 5. *Cod. d. tit.* DIOCLETIAN. ET MAXIM.

X V I.

Hoc privilegium medicorum & Professorum liberalium studiorum, confirmavit Constantinus; & ad Doctores Legum porrexit. Ita ille : Medicos, & maximè Archiatros (*a*) vel ex Archiatris, Grammaticos, & Professores alios litterarum, & Doctores legum; unà cum uxoribus & filiis, necnon & rebus quas in civitatibus suis possident; ab omni functione, & ab omnibus Muneribus vel civilibus vel publicis immunes esse præcipimus: & neque in provinciis hospites recipere, nec ullo fungi Munere, nec ad judicium deduci (*b*), nec eximi, vel exhiberi, vel injuriam pati; ut si quis eos vexaverit, pœnâ arbitrio judicis plectatur. Mercedes etiam eis & salaria reddi jubemus; quò faciliùs liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituant. *l.* 6. *Cod. de Profess. & medic.*

X V I I.

Hæc de Grammaticis, Rethoribus, Antecessoribus, & Medicis. At verò Philosophis qui se frequentes atque utiles per eamdem studiorum sectam contendentibus præbent, tutelas, item Munera sordida corporalia remitti placuit; non ea quæ sumptibus expediuntur. Etenim VERE PHILOSOPHANTES PECUNIAM CONTEMNUNT; cujus retinendæ cupidine, fictam adseverationem (*c*) detegunt. *l.* 8. § 4. PAP. LIB. I. RESP.

De Philosophis item nota quod rescribunt Valentinianus & Valens: Reddatur unusquisque patriæ suæ, qui habitum philosophiæ indebitè & insolenter usurpare cognoscitur: exceptis his qui à probatissimis approbati, ab hâc debent collusione secerni. Turpe enim est ut patriæ functiones ferre non possit, qui etiam fortunæ vim se ferre profitetur. *l.* 8. *Cod. d. tit.*

X V I I I.

At verò Poetæ nullâ immunitatis prærogativâ juvantur. *l.* 2. *Cod. d. tit.* PHILIPPUS.

Item Eos qui primis litteris pueros inducunt, non habere Vacationem Divus Magnus-Antoninus rescripsit. *l.* 11. § 4. *ff. de Mun. & hon.* MODESTIN. LIB. 11. PANDECT.

Igitur Qui pueros primas litteras docent, immunitatem à civilibus Muneribus non habent.

Sed ne cui eorum id quod supra vires sit indicatur, ad Præsidis religionem pertinet; sive in civitatibus, sive in vicis primas litteras magistri doceant. *l.* 2. § 8. ULP. LIB. 3. OPIN.

X I X.

Hactenùs de his qui docent. Excusantur etiam à personalibus Muneribus, hi qui liberalibus disciplinis student, usque ad 25^{um}. ætatis suæ annum. Ita enim Diocletianus & Maximianus : Cùm vos affirmetis liberalibus studiis operam dare, maximè circa Juris professionem, consistendo in civitate Berytiorum provinciæ Phœniciæ: providendo utilitati publicæ & spei vestræ decernimus, ut singuli, ad vicesimum-quintum annum ætatis suæ, studiis non avocentur. *l.* 1. *Cod. Qui ætate vel prof. se excusant.*

Rusùs iidem rescribunt. Cùm filios tuos patriâ potestate liberatos, adhuc minores legitimâ ætate esse dicas; meritò postulas ut liberalibus studiis non avocentur. Et ideò Muneribus personalibus, quæ ad patrimonium non pertinent, non adstringentur; si civium inopia non est. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

§ VIII.

De Athletis.

X X.

Athletis ita demùm si per omnem ætatem certasse, coronis quoque non minùs tribus certaminis sacri (in quibus vel semel Romæ seu antiquæ (*d*) Græciæ) meritò coronati, non æmulis corruptis ac redemptis, probentur; civilium Munerum tribui solet Vacatio. *l. un. Cod. de Athletis.* DIOCLET. ET MAXIM.

§ IX.

De Vacatione quorumdam artificium & negotiatorum.

X X I.

Quibusdam collegiis vel corporibus quibus jus coeundi Lege permissum est, immunitas tribuitur : scilicet eis collegiis vel corporibus, in quibus artificii sui causâ unusquisque adsumitur : ut fabrorum corpus est, & si qua eamdem rationem originis habent; id est, idcircò instituta sunt, ut necessariam operam publicis utilitatibus exhiberent. *l.* 5. § 12. *ff. de Jur. immun.* CALLISTRAT. LIB. I. DE COGNIT.

Sed Nec omnibus promiscuè, qui adsumpti sunt in his collegiis, immunitas datur; sed artificibus duntaxat.

Nec ab omni ætate allegi possunt, ut Divo Pio placuit; qui reprobavit prolixæ vel imbecillæ admodùm ætatis homines.

Sed ne quidem eos qui augeant facultates, & Munera civitatium sustinere possunt; privilegiis quæ tenuioribus per collegia distributis concessa sunt, uti posse, plurisariàm constitutum est. *d.* § 12. ¶ *nec omnibus.*

Immunitatem quoque à Muneribus tribuit Constantinus multis artificibus quos recenset in l. 1. *Cod.* de Excusat. artif. *quam vide cum l.* 2. *Cod.* d. tit.

X X I I.

At verò Hydraulæ (*e*) Munerum civilium immunitatem sibi jure concessam approbare minimè possunt. *l.* 4. *Cod. de Excus. mun.* DIOCLET. ET MAXIM.

(*a*) *Premier Médecin, Chirurgien-major* : sive actu in Palatio exerceant, sive *ex Archiatris* & sacro Comitatu sint dimissi.

(*b*) Id est, invitos in Jus trahi, vel in Jure exhiberi; sed ut possint per Procuratores sistere. Quod sane non proprium & singulare Professoribus privilegium est, sed omnibus commune. Verùm in hoc positum erat privilegium, quòd circa horum professorum personam gravissimæ in eum qui talem ipsis injuriam inferret, pœnæ constitutæ forent : l. 1. Cod. Theod. *de Professorib. & med.* Tribonianus autem hanc ipsam legem in Codicem Justinianum transferendo, pœnas illas sustulit; arbitrariâ substitutâ.

(*c*) Id est; sapientiæ professionem.

(*d*) *Antiquam Græciam* hîc accipi pro Italiâ censet Cujacius ad h. l. Verùm quidnî accipiatur in obvio sensu, pro iis Græciæ civitatibus in quibus antiquitùs hæc certamina instituta fuerant; ut Olympiaci ludi, Isthmici &c.? Exigitur ergo ut ex his tribus coronis, unam saltem in Certaminibus Romæ vel in antiquis illis Græciæ ludis adeptus sit.

(*e*) Qui machinas ad aquam ducendam faciunt.

Source : BIU Cujas

Item Venatoribus (*a*) immunitas, ob hanc professionem solam, nullo Jure concessa probari potest. *l.* 6. *Cod. d. tit.* IDEM.

XXIII.

Hactenùs de artificibus. Sunt etiam negotiatorum corpora, quibus Vacatio civilium Munerum concessa est.

Enimverò Negotiatores qui annonam Urbis adjuvant, item navicularii qui annonæ Urbis serviunt, immunitatem à Muneribus publicis consequuntur; quandiù in ejusmodi actu sunt. Nam remuneranda pericula eorum, quinetiam & hortanda præmiis meritò placuit: ut qui peregrè Muneribus & quidem publicis cum periculo & labore fungentur, à domesticis vexationibus & sumptibus liberentur; cùm non sit alienum dicere, etiam hos Reipublicæ causâ (dum annonæ Urbis serviunt) abesse. *sup. d. l.* 5. § 3. *ff. de Jure immun.*

Quinetiam Paulus respondit; Privilegium frumentariis negotiatoribus concessum, etiam ad honores Excusandos pertinere. *l.* 9. § 1. PAUL. LIB. 1. RESPONS.

Quanta autem navis esse debeat, ut quis hâc immunitate gaudeat, definitum est. Nimirùm His qui naves marinas fabricaverunt, & ad annonam Populi Romani præbuerint, non minores quinquaginta milliûm modiorum; aut plures singulas, non minores decem milliûm modiorum; donec hæ naves navigant, aut aliæ in earum locum; Muneris publici Vacatio præstatur ob navem. *l.* 3. SCÆVOLA LIB. 5. REGUL.

Hoc privilegium negotiatorum annonæ, & ad mensores quoque porrectum est. Cæterùm Corpus mensorum [*Florent.* mensurarum] frumenti, juxta annonam Urbis (*b*) habent Vacationem. In provinciis non idem. *l.* 10. § 1. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Item circa negotiatores navicularios Divus Hadrianus rescripsit; Immunitatem navium maritimarum, duntaxat habere qui annonæ Urbis serviunt. *l.* 5. § 5. *ff. de Jur. immun.* CALLISTR. LIB. 1. DE COGNITIONIB.

Cæteri igitur alterius negotiationis navicularii non habent eamdem immunitatem quam navicularii annonæ; cujus nempè privilegio gaudeant quandiù negotiantur: sed habent ad certum tempus. Ait enim Scævola: Navicularii, & mercatores olearii, qui magnam partem patrimonii ei rei contulerunt, intrà quinquennium (*c*) Muneris publici Vacationem habent. *l. ff. de Mun. & hon.* SCÆVOLA. LIB. 1. REGUL.

XXIV.

Ita autem ipsis etiam Annonæ *naviculariis Excusatio tribuitur, si pro majore patrimonii parte negotientur. Et quidem* Negotiatio pro incremento facultatium exercenda est. Alioquin si quis majore pecuniæ suæ parte negotiationem exercebit, rursùs locuples factus in eâdem quantitate negotiationis perseveraverit; tenebitur Muneribus: sicuti locupletes, qui modicâ pecuniâ comparatis navibus, Muneribus se publicis subtrahere tentant. Idque ita observandum, Epistola Divi Hadriani scripta est. *l.* 5. § 8. *ff. de Jure immunit.* CALLISTRAT. LIB. 1. DE COGNITION.

Igitur Licèt in corpore navicularіorum quis sit, navem tamen vel naves non habeat, nec omnia ei congruant quæ Principalibus Constitutionibus cauta sunt; non poterit privilegio navicularіis indulto uti. Idque Divi Fratres rescripserunt in hæc verba: ΗΣΑΝ ΚΑΙ &c. [*id est*] « ERANT & alii quidam, qui sub occasione naviculariorum frumentum & oleum inferentium in Romani » Populi forum, & ideò immunitum, postulant se » subtrahere; qui neque navigabant, neque maximam » patrimonii partem in re nauticâ & mercibus habebant. Auferatur hujusmodi hominum immunitas. » *d. l.* 5. § 6.

Consonat quod Divus quoque Pius rescripsit; Ut quoties de aliquo navicularіo quæratur, illud excutiatur an effugiendorum Munerum causâ imaginem navicularii induat. *d. l.* 5. § 9.

Observa: Senatores autem hanc Vacationem habere non possunt; quod nec habere illis navem, ex Lege Juliâ Repetundarum (*d*), licèt. *l.* 3. ¶ *Senatores.* SCÆVOLA LIB. 3. REGUL.

Hactenùs de navicularіis seu navium exercitoribus. At Qui ob hoc tantùm in navibus sint ut in his agendi causâ operarentur, nullâ Constitutione immunitatem à Muneribus civilibus habent. *l.* 1. *ff. de Jur. immun.* ULPIAN. LIB. 3. OPINION.

XXV.

Sunt alii negotiatores quibus Vacatio Munerum concessa est; ut hi de quibus ita Constantinus: Negotiantes vestiarios, linteones (*e*), purpurarios (*f*), & parthiarios (*g*), qui devotioni Nostræ deserviunt; visum est, secundùm veterem consuetudinem ab omni munere immunes esse. *l.* 7. *Cod. de Excusat. mun.*

§ X.

De Vacatione quæ datur conductoribus vectigalium, & colonis Cæsaris.

XXVI.

Conductores etiam vectigalium fisci, necessitate subeundorum municipalium Munerum non obstringuntur. Idque ita observandum, Divi Fratres rescripserunt. Ex quo Principali Rescripto intelligi potest, non honori conductorum datum ne compellantur ad Munera municipalia, sed ne extenuentur facultates eorum quæ subsignatæ sint fisco. Undè subsisti potest, an prohibendi sint à Præside vel Procuratore Cæsaris; etiamsi ultrò se offerant municipalibus Muneribus? Quod propius est defendere, nisi si paria fisco feciisse dicantur. *l.* 5. § 10 *ff. de Jur. immun.* CALLISTRAT. LIB. 1. DE COGNITION.

Quòd si hujus fortunæ sint ut nullum sit fisci periculum; nec removentur, nec Excusantur.

Hinc Antoninus & Verus Item rescripserunt; Colonos prædiorum fisci, Muneribus fungi sine damno fisci oportere: idque excutere Præsidem adhibito Procuratore (*h*) debere. *l. fin.* § 1. *ff. Ad municip.* PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUT.

At Non alios fisci vectigalium redemptores à Muneribus civilibus ac tutelis Excusari placuit, quàm eos qui præsentes negotium exercent. *l.* 8. § 1. PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

Item Non alios à Muneribus & honoribus Vacationem habere, quàm qui mancipatum suo nomine vectigal à fisco conducunt, certum est. Quare eos qui ab his quædam exercenda recipiunt, nullis privilegiis esse munitos haud dubii Juris est. *l.* 2. *Cod. Quib. munerib. excusantur. &c.* DIOCLET. ET MAXIM.

XXVII.

Coloni quoque Cæsaris, à Muneribus municipalibus liberantur; ut idoneiores prædiis fiscalibus habeantur. *l.* 5. § 11. *ff. de Jur. immun.* CALLISTRAT. LIB. 1. DE COGNITIONIB.

Ita demùm tamen Excusantur, nisi in fraudem Munerum ad hanc conductionem accesserint.

Hinc Ulpianus. Qui in fraudem Ordinis in honoribus gerendis (cùm inter eos ad primos honores creari

(*a*) Qui patriam purgant malis bestiis.
(*b*) Id est, pro copiâ Urbi necessariâ.
(*c*) *Intra quinquennium* ex quo hanc negotiationem exercere cœperunt; per quòd nempè tempus, liceat ipsis [ab aliis negotiis & muneribus vacando] huic ipsi negotiationi suæ totos incumbere, & in futurum providere.
(*d*) Hoc jam ipsis fuerat prohibitum Lege Claudiâ, latâ à Q. Claudio Tribuno plebis; quâ cautum ne quis ex Senatoribus, maritimam navem quæ plusquàm trecentarum amphorarum esset, haberet: quod satis visum est ad fructus ex agris vectandos: Livius XXXI. 31. Hujus meminit & Cicero in Verr. VII.
(*e*) Qui vestes ex lino texunt. Kalvin.
(*f*) Negotiatores purpuræ.
(*g*) Parthiarum pellium negotiatores.
(*h*) Fisci.

Source : BIU Cujas

possint, qui in civitate munerabantur), evitandorum majorum onerum gratiâ, ad colonos prædiorum se transtulerunt, ut minoribus subjiciantur; hanc Excusationem sibi non paraverunt. *l.* 1. § 2. ULP. LIB. 2. OPINION.

§ XI.

De Vacatione Munerum, quæ variis officiis tribuitur.

XXVIII.

Comites Præsidum, & Proconsulum, Procuratorumve Cæsaris, à Muneribus & honoribus & tutelis vacant. *l.* 12. § 1. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Item Assessores Præfectorum Prætorio & Urbi, Magistrorum militum, & Magistri Officiorum, ab omni indictionis onere immunes esse; Theodosius & Valentinianus constituunt. l. 11. *Cod.* de Adsessorib.

Gratianus item, Valentinianus & Theodosius. Eos qui cum honore Comitum, nomine Magistrorum (*a*), præfuêre vel Epistolis vel Libellis; item eos qui ibidem peragendis signandisque responsis Nostræ mansuetudinis obsecundant, omnium civilium Munerum fieri jubemus exsortes. Igitur qui ex eo gradu Palatio Nostro adhæserint, adesse sibi competentia privilegia glorientur: qui verò superioribus dignitatibus creverint, nihilominùs ejus loci privilegia præstò sibi fuisse lætentur. *l.* 11. *Cod. de Excus. mun.*

XXIX.

Vacatio autem quam officium tribuit, eo deposito cessat. Hinc Carus, Carinus & Numerianus. Etiam hi qui Nostra procurasse monstrantur, Muneribus civilibus quæ dignitati eorum congruunt fungi debent *l.* 1. *Cod. d. tit.*

§ XII.

De Excusatione quam tribuit dignitas.

XXX.

Ab Illustribus personis sordida Munera & extraordinariæ necessitatis damna removemus. *l.* 16. *Cod. de Excus. mun.* ARCAD. ET HONORIUS.

Pariter Gratianus, Valentinianus & Theodosius. Maximarum culmina dignitatum (*b*), Consistoriani quoque Comites (*c*), notarii etiam Nostri (*d*), & cubicularii, ab omnibus sordidis Muneribus vindicentur. Cæteros autem Palatinâ vel militari intrà Palatium prærogativâ (*e*) munitos, ita demùm privilegium simile contineat; si prioribus statutis se ad hujusmodi exceptionem (*f*) docuerint pertinere, ut non singulis indulta personis, sed in commune dignitati vel corpori hujusmodi beneficia doceantur fuisse concessa: circa rhetores atque grammaticos eruditionis utriusque (*g*), vetusto more durante. Sordidorum verò Munerum talis exceptio sit; ut patrimoniis dignitatum superiùs digestarum (*h*), nec conficiendi pollinis (*i*) cura mandetur, aut panis excoctio (*k*), aut obsequium pistrini (*l*), nec paraverdorum (*m*) hujusmodi viris [*Malè vulgò* juris], aut parangariarum (*n*) præbitio mandetur; exceptis his quibus ex more Rheticus limes includitur (*o*), vel expeditionis Illyricæ pro necessitate vel tempore utilitas adjuvatur. Operarum (*p*) quoque artificum diversorum, excoquendæ etiam calcis (*q*) obsequia, nulla de talibus adjumenta (*r*) poscantur. Materiam lignorum atque (*s*) tabulata, exceptorum virorum patrimonia non præbeant. Carbonis quoque, nisi eum quem moneta solemniter, vel fabricatio secundùm veterem morem poscit armorum, ab hujusmodi viris præbitio desistat. Publicis vel sacris ædibus construendis atque reparandis, capitalis atque temonis (*t*) necessitas nulla mandetur. Legatis atque adlectis (*u*) sumptus, possessio hujusmodi privilegiis munita conferet.

Hoc tamen his patrimoniis prosit, quæ dignitatem proprio videntur nomine possidere. Eos etiam qui simili honore functi sunt, generali prærogativâ à præbitione sordidorum Munerum vindicamus. *l.* 12. *Cod. de Excus. muner.*

XXXI.

Circa Senatores autem rescribunt Constantinus & Constans. Senatorum substantias quas in diversis locis & provinciis possident, & homines eorum, tam à temonariis oneribus (*x*) conferendis quàm à cæteris præstationibus quas judices describunt, necnon etiam ab omnibus sordidis Muneribus extraordinariisque & vilioribus, liberos esse præcipimus; nullâque sorte constringi functionis indignæ. *l.* 4. *Cod. de Dignitatibus.*

Iidem rescribunt: Quoniam diversi judices nonnulla opera in quibusdam existimant urbibus extruenda; ad hujusmodi necessitatem, Senatorum substantia non vocetur. *l.* 7. *Cod. d. tit.*

Et generaliter: Nemo Præfectus urbis, citra præceptionem vel scientiam Nostram, ulli Muneri subjuget Senatorem. *l.* 5. *Cod. d. tit.*

Pariter Theodosius & Valentinianus. Præcipimus ut Senatori in quâlibet provinciâ constituto, nullam habeant judices injungendi aliquid fortè publici Muneris potestatem. *l.* 14. *Cod. d. tit.*

§ XIII.

De Vacatione Munerum quæ Clericis, eorumque uxoribus, liberis, & famulis conceditur.

XXXII.

Ex Constitutione Constantini; Clerici, necnon eorum

(*a*) Magistri Memoriales: *Secretaires du Prince.*

(*b*) Ut Præfecti Prætorio, & Urbi; Quæstores sacri Palatii, &c.

(*c*) Quotquot Princeps in Consistorio suo ad consilia admittit: *Conseillers d'Etat.*

(*d*) Erat schola seu collegium *Notariorum* Principis. Hi erant qui in Consistorio Principis, acta excipiebant; & etiam foràs Imperialia responsa efferebant. De quibus latè Jac. Gothofredus ad Tit. Cod. Theod. *de Primic. & notar.*

(*e*) *Qui ont quelque dignité militaire ou domestique à la Cour de l'Empereur.*

(*f*) *Exceptio* hîc pro jure immunitatis accipitur; quo personæ suprà enumeratæ, quoad sordida Munera à cæteris hominibus excipiuntur.

(*g*) Id est, Græcæ & Latinæ.

(*h*) Id est, ut qui suprà *Digestis* seu enumeratis dignitatibus decorati sunt; his ratione patrimonii sui non injungantur infrà scripta munera.

(*i*) *Pollen* vel *pollis* est flos tritici: Plin. XVIII. 10. Quorsùm autem spectet Munus *conficiendi pollinis*, non mihi satis notum.

(*k*) Ad Provincialium munera pertinuit, ut panem pro exercitu excoqui curarent. De quâ re vid. Cod. Theod. Tit. *de Excoct. & transl. milit. ann.*

(*l*) De quo vide tit. Cod. *de Pistorib.*

(*m*) *Paraveredes* [qui *Agminales* quoque dicuntur in l. 3. Cod. Theod. *de Cursu publ.*] Budæus interpretatur equos qui *agmini* exercitûs transmittendo, & convehendis impedimentis, à Provincialibus præbendi erant. Pariter Cujacius interpretatur majores equos qui agmen exercitûs sequerentur, & conveherent impedimenta. Verùm Jac. Gothofredus ad d. l. 3. Cod. Theod. censet *Paraveredos* à *Veredis* magnitudine non differre; sed utramque equorum speciem gestandis hominibus ad publicas necessitates expediendas inserviisse; cum hâc differentiâ, quòd *Veredorum* in viis publicis, *Paraveredorum* in transversalibus & obliquis [*chemin de traverse*] usus esset; AGMINALES autem indè appellatos; quòd eorum equorum agmina quædam ad eum finem propè civitates à Provincialibus alerentur.

(*n*) *Parangarias* fuisse Boum & vehiculorum exactionem in viis transversalibus, censet Jac. Gothofredus ad l. 25. Cod. Theod. *de Curs. pubi.*

(*o*) Legendum videtur *instruitur*. Sensus est cessare immunitatem à parangariis, quoties opus est instrui annonâ militari Rhœticum limitem. Cùm enim is Imperii Romani limes Alemannorum incursionibus valdè esset expositus, & ibi in præsidiis essent numerosæ militum copiæ: ut eò quam citiùs annona militaris transveheretur, omnis cessare jubetur ab angariis & parangariis immunitas. Eadem ratio *Illyricæ expeditionis*; de quâ Tit. seq. N. 7.

(*p*) *Corvées.*

(*q*) *L'imposition pour l'entretien des Fours-à-chaux publics*, c'est-à-dire *destinés aux réparations des ouvrages publics.*

(*r*) *Adjumenta* Jac. Gothofredus interpretatur, carpenta, vehicula, vecturas, & cætera ad transferendas materias calcis, lignorum, carbonis &c. de quibus hîc mentio.

(*s*) Jac. Gothofredus interpretatur asseres, (*Ais*, *Planches*). Harum quoque rerum collationes in usus militares, provincialibus patrimoniis indicebantur.

(*t*) Id onus possessionibus provincialibus indici solebat; ut certum numerum tyronum, ad supplendos militares numeros præberent; aut si præstò eos non haberent, certum pretium vice eorum Temonario seu æstimationis exactori penderent: unde hæc exactio, *capitalis seu temonalis necessitas* dicitur. Vulgò pretium cujusque tyronis constituitur, triginta-sex solidorum, & sex pro ipsius veste & sumptibus. Vide l. 7. Cod. Theod. *de Tyronib.* & Jac. Gothofredum ad d. l.

(*u*) *Adlectos* Gothofredus interpretatur, tributorum susceptores. Erat quoque patrimoniorum onus; ut sumptus tum *Allectis*, tum *Legatis* qui ad perferendas preces mittebantur, ad munera ipsorum obeunda necessarii à possessoribus conferrentur.

(*x*) Vide Notam (*t*) suprà.

Source : BIU Cujas

conjuges, liberi, & miniſtri, mâres & fœminæ, ab omnibus Muneribus ſordidis & extraordinariis immunes ſunt; etiam à Munere hoſpites recipiendi (de fournir de logement). *l.* 1. & 2. *Cod.* de Epiſc. Clerc.

Generaliter autem, ex Conſtitutione Valentiniani, Valentis & Gratiani, à perſonalibus Muneribus omnibus. l. 6. *Cod.* d. tit.

His privilegiis Clericorum, ſoli Orthodoxi gaudent. l. 1. *Cod.* de Hæret.

Cæterùm ab iis Muneribus non Vacant, quæ ratione poſſeſſionum imponebantur: Tit. ſeq. N. 8.

§ XIV.

De Vacatione quam honor municipalis ab alio honor aut Munere tribuit.

XXXIII.

Honor municipalis quem quis gerit, ab alio honore aut Munere præſtat Vacationem.

Hinc Defenſores reipublicæ, ab honoribus & Muneribus eodem tempore vacant. *l.* 10. § 4. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

A regulâ quam ſtatuimus, excipiendus eſt Decurionatus. Nam A Decurionatu, quamvis hic quoque honor eſt, ad alium honorem nullam Vacationem tribuendam Ulpianus reſpondit. *l.* 5. MACER LIB. 2. DE OFFIC. PRÆSID.

XXXIV.

Non ſolùm, dum quis honorem gerit; Vacationem habet: ſed & poſtquàm honores obiit, Ab honoribus ad honores eoſdem quinquennii datur Vacatio; triennii verò ad alios. Legatione autem perfunctis (*a*), biennii Vacatio conceſſa eſt. *l.* 2. *Cod. de Muner. & hon. non continuand.* GORDIAN.

Quinetiam Defenſionem reipublicæ, ampliùs quàm ſemel ſuſcipere nemo cogitur; niſi id fieri neceſſitas poſtulet. *l.* 16. § 3. *ff. de Muner. & hon.* PAUL. LIB. 1. SENTENT.

Cæterùm exceptio ſeu defenſio petita ex eo quòd tempus (*quinquennii putà aut triennii*) *honorum Vacationi datum, nondum effluxerit: apud eoſdem municipes, ſeu in eâdem civitate prodeſt, non ad aliam. Hoc eſt quod ait Papinianus:* Præſcriptio temporum quæ in honoribus repetundis, vel aliis ſuſcipiendis data eſt; apud eoſdem ſervatur, non apud alios. *l.* 17. § 3. *ff. Ad municip.* PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

Sed eodem tempore non ſunt honores in duabus civitatibus ab eodem gerendi. Quum ſimul igitur utrubique deferuntur, potior eſt originis cauſa. *d. l.* 17. § 4.

XXXV.

Item Sicut honores & Munera, quum pater & filius Decuriones ſunt, in eâdem domo continuari non oportet; ita Vacationum conceſſa tempora non aliis prodeſſe poſſunt, quàm his qui ad eoſdem vel alios honores eademque vel alia Munera denuò vocantur. *l.* 1. *Cod. de Mun. & hon. non contin.* SEVERUS ET ANTONIN.

Igitur, ut inquiunt Diocletianus & Maximianus: Intervalla temporum quæ in unius perſonâ locum habent, fratribus (licèt communia poſſideant bona) minimè prodeſſe, frequenter conſtitutum eſt. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

XXXVI.

Obſervandum ſupereſt quod Divus Severus reſcripſit; Intervalla temporum in continuandis oneribus, invitis (*b*), non etiam volentibus conceſſa: dùm ne quis continuet (*c*) honorem. *l.* 18. *ff. Ad municip.* PAUL. LIB. 1. QUÆSTION.

Sed & Spontè provinciæ ſacerdotium iterare nemo prohibetur. *l.* 17. *ff. de Mun. & hon.* HERMOGEN. LIB. 1. EPITOMAR.

§ XV.

De Excuſatione quam Munus ab alio Munere præſtat, eodem tempore injuncto.

XXXVII.

Munus ab alio Munere præſtat Vacationem.

Hinc Eodem tempore idem duas curas operis non adminiſtrabit. *l.* 14. § 1. MODESTIN. LIB. 7. REGUL.

Nec ſi per vim extortum Munus fuerit; Excuſationem quam habet ab aliis Muneribus, auferet. *l.* 4. ¶ *nec ſi. ff. de Mun. & hon.* ULP. LIB. 3. OPINION.

Simili ratione; Si duo filii in patris poteſtate ſint, eodem tempore Munera eorum pater ſuſtinere (*d*) non compellitur. *l.* 3. § 16. *ff. d. tit.* ULP. LIB. 2. OPINION.

Nota; ex hâc causâ Vacationem tribui ejus Muneris quod poſterius delatum eſt, non verò prioris.

Hinc Ulpianus. Curam operis aquæductûs, in alio jam Munere conſtitutus poſtea ſuſceperat. Præpoſterè viſus eſt petere exonerari priore Munere, utriſque jam implicitus: quando, ſi alterum tantùm ſuſtinere eum oportuiſſet, antè probabiliùs impetraſſet propter prius Munus à ſequenti Excuſationem. *l.* 1. § 1. *ff. de Operib. publ.* ULP. LIB. 2. OPINION.

XXXVIII.

Munus quidem ab alio Munere Vacationem præſtat, at non præſtat Vacationem ab honore.

Undè Modeſtinus. Honorem ſuſtinenti, Munus imponi non poteſt: Munus ſuſtinenti, honor deferri poteſt. *l.* 10. *ff. de Mun. & hon.* MODEST. LIB. 5. DIFFERENT.

Item Munera quæ ab alio Munere Vacationem præſtare dicimus, ſunt publica Munera, non privata. Nam V. G. Tutelæ ſollicitudo à Muneribus civilibus non Excuſat: utpotè cùm nec tres ſimul injunctæ diverſarum domuum, hujuſmodi beneficium præſtent. *l.* 3. *Cod. de Excuſ. mun.* DIOCLET. ET MAXIM.

§ XVI.

Quæ cauſæ Vacationem non tribuant.

XXXIX.

Suprà vidimus ætatem ſeptuaginta annorum, & numerum quinque liberorum, Excuſare. Separatim autem quælibet ex his cauſis ſpectatur.

Hinc ſi concurrant ſimul, ætas propiùs accedens ei quæ tribuit Vacationem, & numerus liberorum qui propior ſit ei ex quo Vacatio præſtatur, non tamen competet Vacatio. Putâ Quamvis ſexaginta-quinque annorum aliquis ſit, & tres liberos incolumes habeat; à Muneribus tamen civilibus propter has cauſas non liberatur. *l.* 1. § 3. ULP. LIB. 2. OPINION.

XL.

Ex eo ſolo Vacatio Munerum alicui non competit, quòd alieno juri ſubditus ſit.

Igitur Filio, ſi nullam habet Excuſationem, intercedere (*e*) pater in cujus poteſtate eſt jus non habet. *l.* 3. § 4. *ff. de Mun. & hon.* ULP. LIB. 2. OPINION.

Conſonat quod refert Calliſtratus. Plebeii filiifamilias, periculo ejus qui nominaverit, tenebuntur. Idque Imperator noſter Severus Auguſtus in hæc verba reſcripſit:

(*a*) Vide infrà Tit. *de Legationib.*

(*b*) Id eſt, iis qui inviti vocarentur.

(*c*) Scilicet id tantùm requiritur ut ne quis, nullo interpoſito intervallo, in eodem honore continuetur.

(*d*) *Munera* hic videntur accipi pro ſumptu quem deſiderant. Pater qui Decurionatui filii conſenſit, ſi quando filius ad aliquod munus vocetur ad quod ſumptus neceſſarii ſint, tenetur hos ſuppeditare filio. Sic tamen ut non eodem tempore pro duobus filiis ſumptum duplicem ſuſtinere teneatur. Proindèque obſervabit Curia, ne duo filii eodem tempore ad talia vocentur munera.

(*e*) Pro *Intercedendi.* Quod dicendi genus non infrequens apud Juriſconſultos

Source : BIU Cujas

» Si in numero plebeiorum filius tuus est ; quanquàm » invitus honores ex personâ filii susceipere cogi non » debeas ; tamen resistere quominùs patriæ obsequatur, » periculo ejus qui nominavit, jure patriæ potestatis » non potes. » *l.* 14. § 4. *ff. de Mun. & hon.* CALLISTRAT. LIB. I. DE COGNITIONIB.

XLI.

Libertus propter patronum à civilibus Muneribus non Excusatur. Nec ad rem pertinet, an operas patrono vel ministerium capto luminibus exhibeat. *l.* 17. *ff. Ad municip.* PAPIN. LIB. I. RESPONS.

Specialiter excipe: Liberti verò Senatorum, qui negotia patronorum gerunt, à tutelâ Decreto Patrum Excusantur. *d. l.* 17. § 1.

XLII.

Procuratores absentium reipublicæ causâ, Munerum civilium Vacationem non habent. *l.* 5. *Cod. de Excusat. mun.* DIOCLET. ET MAXIM.

TITULUS VI.

DE JURE IMMUNITATIS.

I.

Quemàdmodum à munere seu onere officio-ve publico, personæ aut res huic obnoxiæ MUNES *dicuntur ; ut in l.* 8. § 1. *ff.* de Publican. *ita è contrario* IMMUNES *appellantur, quæ non sunt huic muneri obnoxiæ :* (*Festus in Verb. MUNEM*) *Atque hinc* IMMUNITAS ; *quæ in hoc Titulo nihil aliud est, quàm vacatio à muneribus.*

Superiori Titulo recensuimus causas ex quibus illa competit. Hîc jam videndum supereſt, à quibus muneribus ex his causis Immunitas præstetur ; intrà quas personas concludatur ; & de Immunitatis effectu.

ARTICULUS I.

Ad quas munerum species Immunitas porrigi debeat.

II.

Cui muneris publici vacatio datur, non remittitur ei ne Magistratus fiat, quia id ad honorem magis quàm ad munera pertinet. Cætera omnia quæ ad tempus extra ordinem exiguntur, veluti munitio viarum, ab hujusmodi personâ exigenda non sunt. *l.* 12. *ff. de Mun. & hon.* JAVOLEN. LIB. 6. EX CASSIO.

Hinc Numerus liberorum, aut septuaginta annorum, ab honoribus aut muneribus his cohærentibus excusationem non præstat, sed à muneribus tantùm (*a*) civilibus. *l.* 2. § 1. *ff. de Vacat. mun.* ULPIAN. LIB. 3. OPINION.

Similiter Papinianus. In honoribus delatis, neque major annorum septuaginta, neque pater numero liberorum excusatur.

Sed in Asiâ, sacerdotium provinciæ susceipere non coguntur numero liberorum quinque subnixi. Quod optimus maximusque Princeps noster Severus Augustus decrevit ; ac postea in cæteris provinciis servandum esse constituit. *l.* 8. *ff. de Vacat. mun.* PAPIN. LIB. I. RESPONS.

III.

Sunt tamen quædam vacationum species, quæ etiam ab honoribus Immunitatem tribuunt : ut Comitatus Præsidum, & aliæ quas superiori Titulo notavimus.

Hinc Ulpianus. Duo genera tribuendæ muneris publici vacationis sunt : unum plenius, quum & (*b*) militiæ datur ; aliud exiguius, quum nudam muneris (*c*) vacationem acceperint. *l.* 13. § 1. *ff. de Vacat. mun.* ULP. LIB. 23. AD ED.

Utraque autem vacationis species hoc commune habet, ut ad deferenda, non ad jam delata munera porrigatur.

Hinc Callistratus. Hoc circa vacationes dicendum est ; ut si ante quis ad munera municipalia vocatus sit, quàm negotiari (*d*) inciperet, vel antequàm in collegium adsumeretur (*e*) quod Immunitatem pariat, vel antequàm septuagenarius fieret, vel antequàm publicè profiteretur (*f*), vel antequàm liberos susciperet ; compellatur ad honorem gerendum. *l.* 5. § 7. CALLISTR. LIB. I. DE COGNITION.

IV.

Item, quantùmvis plena sit vacatio, ad munera patrimoniorum non porrigitur. Nam Munera quæ patrimoniis publicæ utilitatis gratiâ indicuntur, ab omnibus subeunda sunt. *l.* 2. *Cod. de Munerib. patrim.* ANTONIN.

Et qui Immunitatem munerum publicorum consecuti sunt, onera patrimoniorum sustinere debent ; in quibus causis, & hospites recipiendi sunt. *l.* 3. *Cod. d. tit.* ALEXANDER.

Similiter Paulus. Ab his oneribus quæ possessionibus vel patrimonio indicuntur, nulla privilegia præstant vacationem. *l.* 10. *ff. de Vac. & excus. mun.* PAUL. LIB. I. SENTENT.

Item Ulpianus. Munera quæ patrimoniis injunguntur, vel intributiones ; talia sunt ut neque ætas ea excuset, neque numerus liberorum, nec alia prærogativa quæ solet à personalibus muneribus exuere. *l.* 6. § 4. *ff. de Mun. & hon.* ULP. LIB. 4. DE OFFIC. PROCONS.

Pariter Charisius. Ab hujusmodi muneribus, neque primipilaris, neque veteranus aut miles, alius-ve qui privilegio aliquo subnixus, nec pontifex excusatur. *l.* 18. § 24. *ff. d. tit.* ARCADIUS-CHARISIUS LIB. SINGUL. DE MUNERIB. CIVILIB.

Similiter Hermogenianus. Sunt munera quæ rei propriæ cohærent, de quibus neque liberi, neque ætas, nec merita militiæ (*g*), nec ullum aliud privilegium jure tribuit excusationem : ut sit prædiorum collatio (*h*), viæ sternendæ, angariorum-ve exhibitio, hospitis susciipiendi munus : (nam nec hujus quisquam excusationem, præter eos quibus Principali beneficio concessum est, habet) : & si qua sunt præterea alia hujusmodi. *l.* 11. *ff. de Vac. & excus. muner.* HERMOGEN. LIB. I. JURIS EPITOM.

V.

Quorumdam tamen patrimonialium munerum, quibusdam personis vacatio ex privilegio indulta est. Putà Magistris qui civilium munerum vacationem habent, item grammaticis, & oratoribus, & medicis, & philosophis ; ne

(*a*) Sine honore.
(*b*) Conjunctio & hîc sumitur pro *etiam* vel *exempli causâ*. Et verò nullum plenius est vacationis genus, quàm quod *militibus* datur ; cùm ad omnes sive honorum sive munerum personalium species pertineat.
(*c*) *Muneris* alicujus personalis, non omnium ; non honorum.
(*d*) Quibusdam negotiatorum speciebus vacationem à muneribus tribui vidimus Tit. præced. §°. 9°.
(*e*) De Collegiis quibus vacatio munerum tributa est, vide ibid.
(*f*) Putà, Rhetoricam : ibid. §°. 7°.
(*g*) Antè actæ. Secùs, si quis actu militet : infrà N. seq.
(*h*) Id est, ita ut ad collationem prædiorum pertineat munus *viæ sternendæ*, &c. Alii verbum hoc *Ut sit*, accipiunt pro *Exempli causâ* ; vel legendum censent, *Ut sunt* : tuncque *Prædiorum collatio* intelligi debet, quidquid ad onus prædiorum pertinet.

Source : BIU Cujas

hoſpitem reciperent, à Principibus fuiſſe Immunitatem indultam, & Divus Veſpaſianus, & Divus Hadrianus reſcripſerunt. *l.* 18. § 30. *ff. de Mun. & hon.* ARCADIUS-CHARISIUS LIB. SING. DE MUNERIB. CIV.

Similiter Paulus. Angariorum præſtatio, & recipiendi hoſpitis neceſſitas; & militi, & liberalium artium profeſſoribus inter cætera remiſſa ſunt. *l.* 10. § 2. *ff. de Vac. & excuſ. mun.* PAUL. LIB. I. SENTENT.

Adhuc alia ſunt patrimoniorum munera, quæ militibus, non etiam aliis remittuntur. Enimverò ita Chariſius: Sive autem perſonalium duntaxat, ſive etiam civilium munerum Immunitas alicui conceditur; neque ab annonâ, neque ab angariis, neque à verhedo, neque ab hoſpite recipiendo, neque à nave, neque capitatione (*a*), exceptis militibus & (*b*) veteranis, excuſari poſſunt. *ſup. d. l.* 18. § 29. *ff. de Mun. & hon.*

V I.

Quod Hactenùs diximus de patrimoniorum muneribus; accipe de ordinariis, non de extraordinariis. Nam Hi qui muneris publici vacationem habent; ad ea quæ extra ordinem imperantur, compelli non ſolent. *l.* 6. *ff. de Vac. & excuſ. mun.* PAPIN. LIB. 2. QUÆST.

Igitur Qui muneris publici vacationem habet, per Magiſtratus ex improviſo collationes indictas recuſat; eas verò quæ è Lege fiunt, recuſare non debet. *l.* 8. § 3. *ff. d. tit.* IDEM LIB. I. RESPONS.

Conſonat quod reſcribit Gordianus. Muneris publici vacationem ea continere quæ non Lege, non Senatuſconſulto, non Conſtitutionibus Principum injunguntur, meritò reſponſum eſt. Ad quam formam Juris pertinens, ſi cœperis ad munera extraordinaria à Magiſtratibus devocari; appellatione interpoſitâ poteris apud Præſidem Juris rationibus protegi. *l. un. Cod. de Vac. publ. mun.*

V I I.

Nemo tamen ex quovis privilegio Immunis eſt ab his quoque præſtationibus quæ extra ordinem indicuntur propter angarias, parangarias, Plauſtra, & cætera quæ exhiberi debent Principi iter facienti. l. 2. *Cod.* de Quib. munerib. vel præſt. *Undè, hæc inter ordinarias functiones paſſim recenſentur.*

Item propter murorum conſtructionem, & frumenti comparationem in quâvis civitate. l. 3. *Cod.* d. tit.

Imò & propter comparationem & tranſvectionem ſpecierum ad maximas quaſdam neceſſitates: quales fuerunt, initio imperii Theodoſii junioris, Illyricianæ neceſſitates; *quum nempè Stilico vindicato ſibi Occidentis Imperio, id egit modis omnibus præſertimque ope Alarici, ut Illyricum orientale Occidentis Imperio adjiceret. l.* 1. *Cod.* d. tit.

V I I I.

Ad privilegia Clericorum, Eccleſiarumque, quod attinet; Conſtantinus Clericos qui prædia poſſident in provinciis, penſitationes fiſcalium, tranſlationeſque faciendas (le Convoy des Tributs) *recognoſcere jubet. l.* 3. *Cod.* de Epiſc. & Cleric.

Ipſas verò Eccleſias Catholicas, id eſt earum prædia, idem Conſtantinus exceperat à penſitatione tributorum. l. 1. *Cod.* (*Theod.*) de Annon. & trib. *quas nempè tunc à perſecutionum æſtu vix reſpirantes; paupertas ſumma excuſabat. Verùm auctis brevi poſtea earum opibus, hanc Immunitatem ſequentes Imperatores Honorius & Theodoſius ita limitaverunt; ut à ſordidis quidem muneribus & à* Superindictis *ſeu extraordinariis tributis Immunes eſſent, quemadmodùm perſonæ ipſæ Clericorum; imò ampliùs, etiam à ſollicitudine tranſlationum* (des convois); *non autem* attributis ordinariis quæ canonica illatio (*c*) *dicuntur. l.* 5. *Cod.* de Sacroſ. Eccleſ.

Inter ordinaria autem recenſentur, Inſtructiones itinerum pontiumque. *l.* 7. *Cod.* d. tit.

Item Capitatio *mancipiorum cæterorumque animalium prædiis deſervientium, à quibus ſola ex ſpeciali privilegio Eccleſia Theſſalonicenſis Immunis eſt. l.* 8. *Cod.* d. tit.

Denique angariæ, parangariæ, & plauſtra (les Chariots) *quæ Principi ad expeditionem eunti dantur. l.* 11. *Cod.* d. tit.

Quòd porrò in l. 14. *Cod.* d. tit. *dicitur, ut Eccleſiæ* Patrimonium jugiter ſervetur illæſum; *apertè ſpectat ad hujus ſive in totum ſive pro parte alienandi prohibitionem, non ad patrimonialium ordinariorumque munerum Immunitatem.*

ARTICULUS II.

Ad quas perſonas porrigatur vacatio munerum alicui conceſſa.

I X.

Regulariter hæ vacationes non egrediuntur perſonam ejus cui tributæ ſunt, nec ad liberos ejus tranſeunt.

Hinc Quamvis major annis ſeptuaginta, & quinque liberorum incolumium pater ſit; ideòque à muneribus civilibus excuſetur: filii tamen ejus ſuo nomine competentia munera agnoſcere debent. Ideò enim proprium præmium Immunitatis propter filios patribus datum eſt, quòd illi ſubibunt. *l.* 3. § 6. *ff. de Mun. & hon.* ULP. LIB. 2. OPINION.

Pariter Caſus corporis (*d*) patris, munerum perſonalium filio jure non præſtat excuſationem. *l.* 4. *Cod. Qui morbo ſe excuſ.*

Item Vacationum privilegia non vetant liberos (*e*) veteranorum. *l.* 8. § 2. *ff. de Vac. & excuſ. mun.* PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

Circa navicularium Immunitatem ait Calliſtratus. Immunitati quæ navicularii præſtatur, certa forma data eſt. Quam immunitatem ipſi duntaxat habent: non etiam liberis, aut libertis eorum præſtatur. Idque Principalibus Conſtitutionibus declaratur. *l.* 5. § 4. CALLISTR. LIB. 1. DE COGNITION.

Item His qui caſtris operam per militiam dant, nullum municipale munus injungi poteſt. Cæteri autem privati, quamvis militum cognati ſunt, Legibus patriæ ſuæ & provinciæ obedire debent. *l.* 3. § 1. *ff. de Mun. & hon.* ULP. LIB. 2. OPIN.

X.

Perſonis datæ Immunitates, heredibus non relinquuntur. *l.* 1. § 1. IDEM LIB. 3. OPINION.

At verò Immunitates generaliter tributæ, eo jure ut ad poſteros tranſmitterentur, in perpetuum ſuccedentibus durant. *l.* 4. MODESTIN. LIB. 6. REGULAR.

Nota tamen. Sed & GENERI POSTERISQUE datæ cuſtoditæque, ad eos qui ex fœminis nati ſunt, non pertinent. *ſup. d. l.* 1. § 2.

Enimverò Vacatio, itemque Immunitas, quæ liberis & poſteris alicujus data eſt, ad eos duntaxat pertinet qui ejus familiæ ſunt. *l.* 13. *ff. de Mun. & hon.* JAVOLEN. LIB. 15. EX CASSIO.

ARTICULUS III.

De Immunitatis effectu.

X I.

Jus Immunitatis, regulariter vacationem à publicis muneribus & interdum ab honoribus tribuit.

(*a*) *Capitatio* hîc, tributum annuum pro capite cujuſque mancipi aut animalium prædiis addictorum. Vide infrà Tit. *de Cenſib.*

(*b*) Fortè pro *et* legendum *ñ ét*, id eſt, *non etiam*; ne aliàs pugnet cum ſup. d. l. 11. ff. *de Vac. & excuſ. num.* ubi dictum eſt, *nec merita militiæ* (antè actæ, ut notavimus) ab *Angariarum* exhibitione, & *hoſpite* recipiendo, tribuere Immunitatem. De quâ tamen antinomiâ, ſi qua ſit, viderint Doctiores.

(*c*) Mendosè prorsùs in Juſtinianeo Codice ita legitur; *Nihil præter canonicam illationem* QUAM *adventitiæ neceſſitatis ſarcina repentina popoſcerit.* Neque enim *Canonica illatio* dici poteſt, id quod de repentè ſuperindicitur. Textus itaque ex codice Theodoſiano ita omninò reſtituendus: *Nihil* (*præter canonicam illationem*) QUOD *adventitiæ neceſſitatis &c.* id eſt, nihil ab iis exigatur ſuperindictum extraordinariè & ex repetentinâ neceſſitate, ſed tantùm *Canonica* ſeu ordinaria illatio.

(*d*) Morbus.

(*e*) Id eſt, non tranſeunt ad liberos. Cujac.

Source : BIU Cujas

Tamen Quoties penuria eſt eorum qui Magiſtratum ſuſcipiunt, Immunitas ad aliquid infringitur: ſicuti Divi Fratres reſcripſerunt. *l.* 11. § 2. *ff. de Muner. & honor.* MODESTIN. LIB. 11. PANDECT.

Hinc quamvis qui honore functus eſt, ab eodem honore intrà quinquennium Immunitatem habeat (*ut vid. Tit. præced. N.* 34.) *tamen* Si alii non ſint qui honores gerant; eoſdem compellendos qui geſſerint, complurimis Conſtitutionibus cavetur. Divus etiam Hadrianus de iterandis muneribus reſcripſit in hæc verba : « ILLUD con- » ſentio, ut, ſi alii non erunt idonei qui hoc munere » fungantur, ex his qui jam functi ſunt creentur. » *l.* 14. § 6. *ff. de Mun. & hon.* CALLISTR. LIB. I. DE COGNITION.

XII.

Jus Immunitatis quod quis habet, tale eſt ut ipſi renuntiare poſſit. Cæterùm Si qui certâ conditione muneribus vel honoribus ſe adſtrinxerunt, quum aliàs compelli non poſſent inviti ſuſcipere iſtum honorem; fides eis ſervanda eſt, conditioque quâ ſe ad munera ſive honores applicari paſſi ſunt. *l.* 2. ULP. LIB. 4. DE OFFIC. PROCONS.

Ex eo autem quòd is qui jus Immunitatis habet, aliquem honorem aliquod-ve munus ſuſceperit; non videtur juri ſuo quoad cætera renuntiaſſe. Ita enim Diocletianus & Maximianus : Qui publici muneris vacationem habet, ſi aliquem honorem, excepto Decurionatu (*a*), ſponte ſuſceperit; ob id quòd patriæ ſuæ utilitatibus ceſſerit, vel gloriæ cupiditate pauliſper jus publicum relaxaverit, competens privilegium non amittit (*b*). *l.* 2. *Cod. de His qui ſponte publ. mun. ſub.*

Qui verò ſe Decurionem creari patitur, renuntiaſſe videtur privilegio ſuo quoad omnia munera quæ Decuriones obire ſolent.

Hinc Calliſtratus. Eos qui in corporibus allecti ſunt (quæ Immunitatem præbent) navicularіorum; ſi honorem Decurionatûs adgnoverint, compellendos ſubire publica munera, accepi. Idque etiam confirmatum videtur Reſcripto Divi Pertinacis. *l.* 5. § 13. CALLISTRAT. LIB. I. DE COGNITION.

Pariter Alexander. Veterani qui quum poſſent ſe tueri Immunitate his conceſsâ, Decuriones ſe fieri in patriâ ſuâ maluerunt; redire ad excuſationem quam reliquerunt, non poſſunt : niſi certâ lege & pacto ſervandæ Immunitatis, vel partem ejus honoris agnoverint. *l.* 1. *Cod. de His qui ſponte publ. mun.*

(*a*) Vide legem mox ſeq.

(*b*) Ut excuſari valeat ab his honoribus aut muneribus, ad quæ poſtea vocaretur.

TITULUS VII.

DE LEGATIONIBUS.

LEGATUS EST, *qui à republicâ ſuâ alicujus negotii publici causâ ad Principem Præſidem-ve provinciæ, aut aliam perſonam* (*etiam privatam*) *mittitur :* (un Député).

Occaſione arreptâ, quædam etiam in hoc Titulo inſerta ſunt de alterâ Legationis ſpecie quæ Libera *dicitur* (Congé indéfini), *& Senatoribus concedebatur ut Urbe exire ad privata ſua negotia poſſint; ſimulque de Legatis hoſtium* (des Ambaſſadeurs).

ARTICULUS I.

De Legatis municipiorum.

Circa hanc Legatorum ſpeciem videndum, quæ ſit forma eorum decernendorum, quot Legati mitti poſſint, quibus hoc munus deferri debeat, qui removeantur, qui excuſentur ab eo : deinde agendum de Legatorum officio, de eorum privilegiis, & de Legativo *ſeu viatico Legatorum.*

§ I.

De formâ decernendæ Legationis, & quot eâdem de cauſâ eodemque tempore Legati mitti poſſint.

I.

Quæ fuerit forma Legationis decernendæ, diſcimus ab Honorio & Theodoſio qui ita reſcribunt. Quotiens ab Alexandrinâ civitate Legatio deſtinatur; univerſos Curiales præcipimus qui intrà urbem conſiſtunt, ſi non ægritudine vel aliâ excuſabili neceſſitate impediuntur, in locum Curiæ convenire; & Decreta ſua propriâ ſubcriptione firmata, viro Spectabili Præfecto Auguſtali inſinuare; ut ejus relatione comitati, tuis virtutibus ſuas petitiones intiment, & ſub examine tuo perpensâ Legatione res ordinetur. *l.* 6. *Cod. h. tit.*

II.

Præcipitur autem Edicto Divi Veſpaſiani, omnibus civitatibus; ne plures quàm ternos Legatos mittant. *l.* 4. § 6. MARCIAN. LIB. 12. INSTITUT.

§ II.

Quibus Legationis munus deferri debeat, quinam contrà ab eo removeantur.

III.

Ordine unuſquiſque, munere Legationis fungi cogitur. Et non aliàs compellendus eſt munere Legationis fungi; quàm ſi priores qui in Curiam lecti ſunt, functi ſint.

Sed ſi Legatio de primoribus viris deſideret perſonas; & qui ordine vocantur, inferiores ſint: non eſſe obſervandum ordinem, Divus Hadrianus ad Clazomenios reſcripſit. *d. l.* 4. § 5.

Eumdem plures Legationes ſuſcipere prohibitum non eſt; præterea ſi & ſumptus & itineris compendium ſuadeat. *l.* 16. MODESTIN. LIB. 8. REGUL.

IV.

At verò Sciendum eſt debitorem reipublicæ, Legatione fungi non poſſe (*a*). Et ita Divus Pius Claudio-Saturnino & Fauſtino reſcripſit. *ſup. d. l.* 4. *pr.*

Nota. Debitores autem fiſci, non prohibentur Legatione fungi. *d. l.* 4. § 2.

Ita tamen, ſi apparuerit nullum indè damnum fiſco inferri in exſolutione ejus quod ipſi debetur. Aliàs Legatione prohibentur, ſicut & aliis muneribus : l. 5. § 10. *ff.* de Jure immun. *& l. fin.* § 1. *ff.* Ad municipal. *ſuprà Tit.* de Vacat. & exc. mun. *N.* 26.

(*a*) Ne ſic differatur exactio ejus quod debet; dum propter ſuam Reipublicæ causâ abſentiam conveniri non poteſt. Item, ne fortè eis reverſis parceretur in exactione debiti; propter officium ab his reipublicæ præſtitum. Quæ ultima ratio ceſſat *in Debitore fiſci*, de quo mox ſtatim.

Source : BIU Cujas

V.

Sed & eos, quibus jus poſtulandi non eſt, Legatione fungi non poſſe : & ideò harenâ miſſum , non jure Legatum eſſe miſſum Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt. *d. l.* 4. § 1.

§ III.

Quinam excuſentur à Legationis munere.

VI.

Pater trium incolumium liberorum , Legationibus publicis liberatur. *l.* 1. *Cod. h. tit.* VALERIAN. ET GALLIEN.

VII.

Imperatores Antoninus & Severus Auguſti , Germano-Sylvano : « Legatione functis , biennii vacatio » conceditur. Nec intereſt utrùm Legatio in Urbe an » in provinciâ agentibus Nobis mandata ſit. » *l.* 8. § 1. PAUL. LIB. I. RESPONS.

Item non intereſt , an de Alio an de eodem negotio agatur. Nam Paulus reſpondit ; Eum qui Legatione functus eſt , intrà tempora vacationis præfinita non oportere compelli rursùm ad defendendum publicum negotium , etiamſi de eâdem causâ litigetur. *d. l.* 8. *pr.*

Idem alibi ait. Legato qui publicum negotium tuitus ſit, intrà tempora vacationis præſtituta rursùm ejuſdem negotii defenſio mandari non poteſt. *l.* 12. *ff. de Vac. & excuſ. mun.* PAUL. LIB. I. SENTENT.

Cæterùm intellige Vacationem ab alterâ duntaxat Legatione , non à cæteris muneribus civitatis : hoc enim ſolis tranſmarinis Legationibus proprium eſt. Ita reſcribunt Diocletianus & Maximianus : Tranſmarinâ Legatione apud Nos perfunctos , conſtitutum eſt biennii vacationem munerum civilium & honorum habere , non eos qui de proximo obſequia Reipublicæ videntur exhibuiſſe. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

VIII.

Is demum autem vacationem habet , qui ſuo nomine Legatione functus eſt. Vicarius alieni muneris voluntate ſuâ datus , ordine ſuo Legationem ſuſcipere non admiſsâ biennii præſcriptione cogetur. *l.* 13. PAPIN. LIB. I. RESPONS.

Hinc quum Filius Decurio , pro patre Legationis officium ſuſcepit : ea res filium quominùs ordine ſuo Legatus proficiſcatur , non excuſat.

Pater tamen biennii vacationem vindicare poterit : quia per filium Legatione functus videtur. *l.* 7. PAPIN. LIB. I. RESPONS.

Contrà Filio propter patrem Legationis vacatio ne concedatur ; Imperator noſter cum patre , Claudio-Calliſto reſcripſit in hæc verba : « QUOD deſideras , ut » propter Legationem patris tui à Legatione tu vaces ; » in intervallis honorum qui ſumptum habent rectè » obſervatur. In impendiis Legationum , quæ ſolo » miniſterio obeuntur , diverſa cauſa eſt. » *l.* 6. ULP. LIB. 5. DE OFFIC. PROCONS.

IX.

Eſt etiam excuſationis cauſa in ſpecie ſequenti. Nimirùm Si accuſatio alicujus publicè inſtituta ſit ; non eſt compellendus accuſator ad eum Legationem ſuſcipere , qui ſe amicum vel domeſticum dicit ejus qui accuſatur. Et ita Divi Fratres Æmilio-Rufo reſcripſerunt. *l.* 4. § 3. MARCIAN. LIB. 12. INSTITUT.

§ IV.

Quæ ſint Legatorum obligationes.

X.

Potiſſima eſt Legatorum obligatio , ut Legatione ſuâ fungantur. Et quidem Legati , vicarios dare non alios poſſunt niſi filios ſuos. *l.* 4. § 4. MARCIAN. LIB. 12. INSTIT.

Tamen Si abſenti injuncta eſt Legatio , eamque gratuitam ſuſcepit ; poteſt quis & per alium Legationem mittere. *l.* 11. PAUL. LIB. SING. DE JURE LIBELLOR.

Legatus municipalis , u deſeruerit Legationem , pœnâ adficiatur extraordinaria ; motus Ordine , ut plerùmque ſolet. *l.* 1. ULP. LIB. 8. AD MASSURIUM-SABIN.

Ideòque Utrùm quis deſeruerit Legationem , an ex neceſſariâ causâ moram paſſus ſit ; Ordini patriæ ſuæ probare debet. *l.* 2. § 1. Idem LIB. 2. OPINION.

Cæterùm , ſi duo vel tres Legati fuerint ; Ceſſatio unius Legati , ei qui munus ut oportet , obiit , non nocet. *d. l.* 2. § 2.

XI.

Ad Legatorum obligationes hoc quoque pertinet quod Paulus reſpondit ; Eum qui Legatione fungitur , neque alienis neque propriis negotiis ſe interponere debere. In quâ causâ non videri eum quoque contineri , qui cum amico ſuo Prætore gratis conſilium participat. *l.* 8. § 2. PAUL. LIB. I. RESPONS.

Item Paulus reſpondit ; De eo damno quod Legationis tempore Legatus paſſus eſt, poſſe eum etiam Legationis tempore experiri. *l.* 9. IDEM LIB. 3. RESPONS.

Hinc idem Paulus ita definit : Legatus antequàm officio Legationis functus ſit , in rem ſuam nihil agere poteſt ; exceptis his quæ ad injuriam ejus vel damnum parata ſunt. *l.* 10. PAUL. LIB. I. SENTENT.

Hoc quoque ei permittitur , ut domum ſibi in patriâ emat. Undè Scævola. Legatus creatus à patriâ ſuâ , ſuſceptâ Legatione , in Urbem Romam venit ; & nondum perfectâ Legatione , domum quæ erat in ipſius civitate Nicopoli emit. Quæſitum eſt , an in Senatuſconſultum inciderit , quo prohibentur Legati ante perfectam Legationem negotiis vel privatis rebus obſtringi ? Reſpondit ; Non videri teneri. *l.* 12. SCÆVOLA LIB. I. DIGEST.

Qui Legationis officio fungitur , licèt ſuum negotium curare non poteſt ; Magnus tamen Antoninus (*a*) permiſit ei , pupillæ nomine & inſtruere & defendere cauſam ; licèt Legationi quam ſuſcepit , nondum renuntiaverit : præcipuè cum participem (*b*) officii ipſius, abſentem eſſe dicebat. *l.* 11. § 1. PAUL. LIB. SING. DE JURE LIBELLOR.

XII.

Suis autem negotiis per ſe quidem vacare non poteſt. Hinc Is qui Legatione fungitur ; libellum ſine permiſſu Principis de aliis ſuis negotiis dare non poteſt. *l.* 15. MODESTIN. LIB. 7. REGULAR.

At per alium rectè poteſt. Imò etiam ; Legatus , contra Rempublicam cujus Legatus eſt , per alium à Principe quid poſtulare poteſt. *l.* 2. ULP. LIB. 2. OPINION.

§ V.

De privilegiis Legatorum.

XIII.

Præcipuum Legatorum privilegium ; ut per tempus Legationis ſuæ , nulla adversùs eos , velut Reipublicæ causâ abſentes, actio moveri poſſit.

Quocircà Legato tempus prodeſt , ex quo Legatus creatus eſt ; non ex quo Romam venit. *l.* 5. SCÆVOLA LIB. I. REGULAR.

At verò Ante Legationem ſuſceptam ſi cui negotium moveatur , etiam abſens defendi debet : ſuſceptâ Legatione (*c*) , non , niſi injuncto munere fungatur (*d*). *l.* 16. § 1. MODEST. LIB. 8. REGUL.

Eſt caſus quo etiam durante Legatione Legatus conveniri

(*a*) Caracalla ſcilicet, qui hoc aſſumpſerat *Magni* cognomen ; ut jam ſæpè dictum eſt.

(*b*) Contutorem.

(*c*) Scilicet ſi motum ſit ſuſceptâ jam Legatione.

(*d*) Id eſt , functus ſit ; finita ſit Legatio. Gloſſa.

poteſt :

Source : BIU Cujas

poteſt : nimirùm ſi , quum contraxit , hoc actum eſt ut durante Legatione debitum ſolveretur.

Hinc Quum quæritur an in eum qui in Legatione ſit ; actio dari debeat : non tam intereſt ubi quis aut crediderit aut dari ſtipulatus ſit ; quàm illud , an id actum ſit ut Legationis tempore ſolveretur. *l.* 3. AFRICAN. LIB. 3. QUÆST.

De privilegio quod habent Legati , quum Romæ conveniuntur , revocandi domum ; vide ſuprà lib. 4. *Tit.* de Judiciis *N.* 30. *& ſeq.*

§ VI.

De Legativo.

XIV.

LEGATIVUM *eſt certa pecunia quam Legatis viatici nomine dari mos eſt.*

Et quidem etiam His qui gratuitam (*Alibi* non gratuitam) Legationem ſuſceperunt , Legativum ex formâ reſtituatur. *l.* 2. § 3. ULP. LIB. 2. OPINION.

Imò ei qui ſe pro Legato geſſit quum non eſſet , & Legationis negotium perfecit , hoc Legativum deberi vult Cujacius ; & hoc definiri à Modeſtino in ſpecie ſequenti : quam porrò alii longè diverſo ſenſu accipiendam putant. Hæc talis eſt.

Titio , quum eſſet Romæ ſtudiorum gratiâ , epiſtola miſſa eſt à Magiſtratibus patriæ ſuæ ; ut porrigeret Imperatori Decretum ejuſdem civitatis , quod erat cum ipsâ epiſtolâ miſſum. Is autem qui ſuſcepiſſet litteras reſtituendas (*a*) , colluſione factâ dedit Lucio [Titio *Vox ſuperflua*] qui & ipſe Romæ morabatur ſuæ rei gratiâ. Sublato Titii nomine , cui erat Decretum miſſum uti per ipſum daretur , ſuum nomen ſcripſit (*b*) ; & ſic Imperatori Decretum ſecundùm mandata Reipublicæ dedit. Quæro , qui (*c*) viaticum petere ab eâ potuiſſet : & quid commiſiſſe videtur , is qui non reſtituit litteras (*d*) ei cui reſtituere mandatum ſuſceperat ; & is qui ſublato alieno nomine , inſcriptoque ſuo , quaſi ipſe juſſus à patria Decretum Imperatori porrexit ? Herennius Modeſtinus reſpondit ; Titium quidem viaticum petere non poſſe , ſed eum (*e*) qui nomen incidiſſet. *l.* 36. *ff. Ad municip.* MODEST. LIB. 2. RESPONS.

XV.

Si quis in munere Legationis , antequàm ad patriam revertatur , deceſſit ; ſumptus qui proficiſcenti ſunt dati , non (*f*) reſtituuntur. *l.* 10. § 1. PAUL. LIB. 1. SENTENT.

ARTICULUS II.

De duabus aliis Legationis ſpeciebus.

§ I.

De liberâ Legatione.

XVI.

LIBERA LEGATIO *eſt honorarius titulus , quo ab Imperatore aut Senatu donabantur Clariſſimi viri , profecturi in provincias , aut voti ſolvendi causâ , aut ad hereditates adeundas , nomina-ve debitorum ſuorum perſequenda* (*g*).

A Legatione de quâ priori Articulo egimus , omninò differt. Nam Qui liberâ Legatione abeſt , non videtur Reipublicæ causâ abeſſe. Hic enim non publici commodi causâ , ſed ſuî abeſt. *l.* 24. ULP. LIB. 74. AD EDICTUM PRÆTORIS.

§ II.

De Legatis hoſtium , ſeu exterarum gentium.

XVII.

Si quis Legatum hoſtium pulſaſſet , contra Jus Gentium id commiſſum eſſe exiſtimatur : quia ſancti habentur Legati. Et ideò , ſi quum Legati apud nos eſſent gentis alicujus , bellum cum eis indictum ſit ; reſponſum eſt , liberos eos manere : id enim Juri Gentium conveniens eſſe. Itaque eum qui Legatum pulſaſſet , Quintus Mucius dedi hoſtibus (*h*) quorum erant Legati , ſolitus eſt reſpondere. *l.* 17. POMPON. LIB. 37. AD Q. MUCIUM.

(*a*) Tabularius ſcilicet qui litteras ad *Titium* perferendas ſuſceperat ; colludens cum *Lucio* , eas huic Lucio tradidit , non Titio.

(*b*) Lucius , nimirùm in ſuperſcriptione epiſtolæ ad Titium miſſæ ; ut ipſe Lucius videretur , ex juſſu ſuæ civitatis , Decretum offerre Principi.

(*c*) *Quis* nempè ; an Lucius , an Titius.

(*d*) Nimirùm Tabularius qui non reſtituit Titio , ſed Lucio. Alio ſenſu [de quo in Notâ ſeq.] intellige Titium ipſum qui non reſtituit Principi.

(*e*) Scilicet Lucium *qui nomen* Titii *incidiſſet*. [Perperàm alibi , *indidiſſet*]. Huic Lucio legativum debetur , quia ipſe negotium Legationis abſolvit , quamvis non eſſet ei mandatum. Ita Cujacius.

Longè aliter Bynkershoek *Obſerv.* II. 9.

Et 1°. nullam hîc Tabularii interventum ſupponendum eſſe : ſed rem totam inter *Titium* & *Lucium* actam vult intelligi ; ipſumque Titium qui ſuſceperat litteras reſtituendas [*Le paquet de ſes pouvoirs* , *& le Décret*] , colluſiſſe cum Lucio , ut Lucius ipſe eas reſtituerat Principi. Enimverò ſtultam forè quæſtionem an Titius *viaticum petere* poſſet , (ſcilicet actione MANDATI) ; ſi Titius ille mandatum non ſolùm non ſuſcepiſſet , ſed Tabularii facto ne ſciviſſet quidem.

2°. In fine legis trajectâ voculâ (NON) , textum ita emendat : *Modeſtinus reſpondit ; Titium quidem viaticum petere poſſe , ſed* NON *eum &c.* Quippè ex Juris principiis ; Lucium qui nolentis Reipublicæ negotium geſſit , *Negotiorum geſtorum* actionem contra eam habere non poſſe : Titio autem *Mandati* actionem rectè competere ; utpotè quæ competat , non tantùm ſi quis per ſe Mandatum exequatur , ſed & ſi per alium.

3°. Denique hîc VIATICUM accipiendum cenſet , non (ut Cujacius intelligit) præmium operæ Legationis conſtitutum ; ſed quicquid ad negotium exequendum impendi oportuit : putà ſi quid Officio admiſſionis datum eſt , quò aditus pateret ad Principem.

(*f*) Ab ejus heredibus.

(*g*) Hoc eſt quod ait Cicero *de Legib.* lib. III. *Legatione hereditates aut ſyngraphas ſuas perſequatur.*

(*h*) Id eſt , populis. Adde ſuprà lib. 4. Tit. *de Cap. min.* N. 2.



Source : BIU Cujas

TITULUS VIII.

DE ADMINISTRATIONE RERUM AD CIVITATES PERTINENTIUM.

IN hoc Titulo agitur de Administratione Rerum ad Civitates pertinentium ; simul & de jure Civitatum circa suos contractus, aut in judiciis : quod Jus vel ipsis proprium est, vel commune cum privatis omnibus.

SECTIO I.

De jure quo Civitates utuntur, vel sibi proprio, vel privatis omnibus communi, circa contractus & judicia.

I.

Hoc Civitatum privilegium est, quòd Si in aliquo captum est jus reipublicæ, juxta scita Divorum Principum, Defensores Reipublicæ, modò adesse fiduciam negotio putant, restitutionis auxilium possunt flagitare. *l.* 1. *Cod. de Officio ejus qui vicem alicuj.* ¶ *sanè si.*

Enimverò Rempublicam, ut pupillam, extra ordinem juvari moris est. *l.* 3. *Cod. de Jur. Reipubl.* ALEXANDER.

Non ex eo autem solo capta videtur in priori locatione, quòd fundum postea pluris locaverit.

Hinc Ulpianus. Non utique de exemplo posterioris locationis, præteritarum conductionum quæ suam legem habuerunt, rationem iniri oportet. *l.* 2. ULP. LIB. 3. OPINION.

In hoc etiam pupillis respublica similis est, quod Antoninus rescribit. Si quid adversùs Rempublicam indefensam, in eâ specie in quâ neque defensores creati fuerint, neque ut crearentur placuit, statutum est; actionibus ejus nihil est præjudicatum. *l.* 1. *Cod. de Jur. Reipubl.*

II.

De cætero, regulariter Civitates communi omnium jure utuntur.

Hinc 1°. Simile privilegium fisco nulla Civitas habet in bonis debitoris, nisi nominatim id à Principe datum sit. *l.* 10. *ff. Ad munic.* MARCIAN. LIB. SINGUL. DE DELATORIB,

Similiter Antoninus. An Respublica in cujus locum successistis ideò quia satisfeciste debito vos proponitis, jus pignoris in eo fundo habeat ; apud suum judicem quæritur. Si etiam neque beneficio sibi concesso id jus nacta est, neque specialiter in obligatione pignoris sibi prospexit: causa ejus non separatur à cæteris creditoribus, qui habent personalem actionem. *l.* 2. *Cod. de Jure Reipubl.*

Quædam autem Civitates hoc privilegium taciti pignoris habent ex beneficio Principis ; quædam illud habent ex propriis suis legibus, ut de Antiochenâ Civitate refert Papinianus. Ita ille : Antiochensium Cœle-Syriæ Civitati, quod lege suâ privilegium in bonis defuncti debitoris accepit, jus persequendi pignoris durare constitit (*a*). *l.* 37. *ff. de Reb. auctor. jud. poss.* PAPIN. LIB. 10. RESPONS.

Hinc 2°. *Severus-Antoninus rescribit.* Si sine ullâ conditione prædia (*b*) vendente Republicâ comparasti: perfectâ venditione, nullâ ratione vereris, ne adjectione factâ auferri tibi dominium possit. Tempora enim adjectionibus præstituta, ad causam fisci pertinent : nisi si qua Civitas propriam legem habeat. *l.* 1. *Cod. de Vend. reb. civit.*

Idem circa locationes rescribunt Valerianus & Gallienus. Quamvis incrementum conductioni factæ publici prædii videatur offerri ; non tamen additamenti specie oportet fidem locationis infringi : præsertim cùm tantùm jam temporis ex contractu decessisse proponas. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

Atque hinc est quod Paulus (idem) respondit : Si Civitas nullam propriam legem habet de adjectionibus admittendis (*c*), non posse recedi à locatione vel venditione prædiorum publicorum jam perfectâ. Tempora enim adjectionibus præstita, ad causas fisci pertinent. *l.* 21. § 7. *ff. Ad municip.* LIB. 1. RESPONS.

III.

Hoc quoque habent commune Civitates cum privatis, quòd pacta in Civitatum contractibus inserta custodiri debent.

V. G. Sed si in locatione fundorum, pro sterilitate temporis, BONI VIRI ARBITRATU, in solvendâ pensione cujusque anni, pacto comprehensum est: exploratâ lege conductionis, fides bona sequenda est. *l.* 2. § 13. ULP. LIB. 3. OPIN.

In hoc etiam Respublica jure communi utitur ; quòd res quas emit, perfectâ emptione ipsius periculo esse incipiant.

Hinc si granum Reipublicæ nomine emptum necdum traditum est, & post emptionem venditori sine ipsius culpâ (*V. G. furto*) *ablatum, ait Ulpianus :* Grani æstimationem per injuriam post emptionem ablati, quæ rationibus publicis refertur, Curator Reipublicæ domino restitui (*d*) jubeat. *d. l.* 2. § 6.

Item cùm in privatorum contractibus plerùmque interfit an is qui contraxit, scientiam alicujus rei habuerit ; necne ; ita etiam in contractibus municipum. Quocircà observandum quòd his casibus Municipes intelliguntur scire, quod sciant hi quibus summa Reipublicæ commissa est. *l.* 14. *ff. Ad municip.* PAPIN. LIB. 15. QUÆST.

SECTIO II.

De his quæ pertinent ad Administrationem Rerum Civitatis, & de officio Curatorum Reipublicæ.

IV.

CURATORIS *Reipublicæ appellatio generalis est ; complectens, tam eos qui summam Reipublicæ Administrarent cum honore ; quàm eos quibus aliqua pars Administrationis credita erat sine honoris gradu, quales erant Curatores Kalendarii, Curatores operum, &c.*

(*a*) Imperator Severus Antiochenis omnia privilegia quibus antè gaudebat civitas, ademerat; eo quòd partibus Nigri faviſſent : ut refert Spartianus in vitâ Severi. Verùm hoc referri ad privilegia à Severo & præcedentibus Imperatoribus concessa ; non ad hoc quod *Lege suâ*, id est propriâ civitatis Lege habebant, docet Papinianus ; adeòque durare illud privilegium.

(*b*) *Prædia* intellige, debitorum V. G. Reipublicæ obligata & pignoris jure distracta. Res enim civitatis propriæ, alienari non possunt : infrà N. fin.

(*c*) Hoc privilegium proprium fisci, de quo suprà lib. 49. Tit. *de Jure fisci* N.

(*d*) Ita hunc §*um.* intellige, & hic sensus planus est. Aliter hunc accipit Glossa ; frumentum scilicet à Republicâ, non emptum, sed venditum: & ineptè supponit speciale esse in Republicâ, ut rei à se venditæ quæ per injuriam ablata est ante traditionem, teneatur evictionem præstare.

Source : BIU Cujas

Non ſatis liquet quinam fuerint illi Curatores Reipublicæ, *ad quos ſumma Adminiſtrationis pertineret. Certè Magiſtratus eos fuiſſe dubium non eſt; cùm Adſeſſores habuerint, l. fin. ff.* de Adſeſſorib. *non tamen habuerunt jus mulctæ dicendæ, l.* 3. *Cod.* de Modo mulct. *Græco vocabulo* LOGISTÆ *appellabantur, d. l.* 3. *item* PATRES CIVITATUM, *l. un. Cod.* de Ratiocin. op. publ. *Eos de cauſis inter Civitatem & privatos cognoviſſe (quemadmodum Procurator fiſci, qui & ipſe* LOGISTA *ſeu* RATIONALIS *vocatur, de cauſis inter fiſcum & privatos cognoſcebat) cenſet Cujacius; argumento l.* 2. § 6. *ff.* h. tit. *Magiſtratumque horum Curatorum quinquennalem fuiſſe, ut Romæ Cenſorum; arg. l.* 3. § 2. *ff.* h. tit. *infrà N.* 13. *in fine. Alibi autem, Curatorum Reipublicæ annuum fuiſſe Magiſtratum apparet ex l.* 13. *ff.* Ad municipal. *infrà N.* 20. *& fortè à Duumviris diverſi non erant, arg. l.* 3. *Cod.* Quo quiſq. ord. *d. N.* 20. *infrà. Varium porrò eâ de re Jus pro diverſis diverſarum Civitatum inſtitutis eſſe potuit.*

Ut ut ſit; generaliter, circa officium eorum tam Magiſtratuum quàm Curatorum rei alicujus publicæ ſine honoris gradu, videbimus primò, Quid prævium ſit Adminiſtrationi Rerum Civitatis; deinde de officio Adminiſtratorum, de eorum obligationibus erga Rempublicam, de perſonis quæ eorum obligationi accedunt; denique de obligatione Adminiſtratoris erga collegam.

ARTICULUS I.

De cautione prævià Adminiſtrationi Reipublicæ.

V.

Adminiſtrationi Reipublicæ prævium eſt; ut is cui delegata eſt, caveat rem Reipublicæ ſalvam fore; ſimul & pater ejus, ſi alieni juris ſit.

Et quidem Imperatores Antoninus & Verus reſcripſerunt; Non minùs eos qui compulſi magiſtratu funguntur, cavere debere; quàm qui ſponte officium adgnoverunt. *l.* 38. § 6. *ff. Ad municip.* PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTIT.

Item reſcripſerunt; Patris qui conſultò filium emancipaverat, ne pro magiſtratu ejus caveret, perindè bona teneri atque ſi fidejuſſor pro eo extitiſſet. *d. l.* 38. § 4.

Pater quidem pro filio cavere cogitur. Contrà vice versâ, Filium pro patre Curatore Reipublicæ creato cavere cogi non oportet. Nec mutat, quòd in eum pater emancipatum, priuſquàm Curator conſtitueretur, partem bonorum ſuorum donationis causâ contulit. *l.* 3. § 3. PAPIN. LIB. 1. RESP.

Iis tamen Adminiſtratoribus cautio remittitur, quos Præſes ex inquiſitione creat.

Hinc ſupràdicti Imperatores Item reſcripſerunt; A Curatore Calendarii cautionem exigi non debere, cùm à Præſide ex inquiſitione eligatur. *l.* 9. § 7. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTIT.

ARTICULUS II.

De officio Adminiſtratorum Reipublicæ.

VI.

Cùm res civitatum alienari non poſſint, ad officium Adminiſtratorum id ante omnia pertinet, quod ſupràdicti Antoninus & Verus Item reſcripſerunt; Agros Reipublicæ retrahere Curatorem Civitatis debere, licèt à bonâ fide emptoribus poſſideantur; cùm poſſint (*a*) ad auctores ſuos recurrere. *l.* 9. § 2. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTIT.

At verò Agri publici qui in perpetuum locantur (*b*), à Curatore (*c*) ſine auctoritate Principali revocari non poſſunt. *l.* 11. § 1. *ff. de Public. & vectigal.* PAUL. LIB. 5. SENT.

VII.

Item ad officium Curatoris pertinet, ut à debitoribus Reipublicæ exigat; putà ſi legatum civitati ſit relictum.

Hinc iidem Imperatores Antoninus & Verus reſcripſerunt; Ad Magiſtratûs officium pertinere exactionem pecuniæ legatorum: &, ſi ceſſaverint, ipſos, vel heredes conveniri; aut ſi ſolvendo non ſint, fidejuſſores eorum qui pro his caverunt. *l. fin.* § 2. *Ad municip.* PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUT.

Idem eſt, ex quâcumque aliâ causâ debeatur. Tamen Si benè collocatæ ſunt pecuniæ publicæ, in ſortem inquietari debitores non debent; & maximè ſi parient uſuras. Si non parient, proſpicere Reipublicæ ſecuritati debet Præſes provinciæ; dummodò NON ACERBUM SE EXACTOREM, NEC CONTUMELIOSUM PRÆBEAT; SED MODERATUM, ET CUM EFFICACIA BENIGNUM, ET CUM INSTANTIA HUMANUM. Nam inter inſolentiam incurioſam, & diligentiam non ambitioſam, multùm intereſt. *l.* 33. *ff. de Uſur.* ULP. LIB. SING. DE OFFIC. CURAT. REIPUBL.

Hoc Jus confirmavit Conſtantinus in l. 2. *Cod.* de Debitor. civit.

Quod diximus ſortem exigi non debere, non obtinet certis caſibus; putà ſi ea pecunia debeatur, quæ ad annonam ſit deſtinata.

Hinc Ulpianus. Frumentariæ pecuniæ ſuo nomine debitor, quàm primùm ſolvat. Neceſſaria enim omnibus rebus-publicis frumentaria pecunia, moram ſolutionis accipere non debet; ſed debitores, quos ex eâdem causâ habet, ad ſolutionem per Præſidem provinciæ compellantur. *l.* 2. § 3. ULP. LIB. 3. OPINION.

Hinc Antoninus & Verus Item reſcripſerunt; Pecuniam ad annonam deſtinatam, diſtractis rebus (*d*) Curatorem exigere debere. *l.* 9. § 5. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONST.

VIII.

Pertinet etiam ad officium Curatoris, ut pecuniam Civitatis collocet. Et quidem Præterea proſpicere debet, ne pecuniæ publicæ credantur ſine pignoribus idoneis, vel hypothecis. *ſup. d. l.* 33. § 1. *ff. de Uſur.*

Obſervare etiam debet ut in certos uſus deſtinatam pecuniam, in alios uſus non eroget.

Et hoc maximè circa pecuniam frumentariam obſervandum eſt: alioquin eam ipſe cum uſuris reſtituere tenebitur. Enimverò Ad frumenti comparationem pecuniam datam reſtitui Civitati, non compenſari in erogata debet. Sin autem frumentaria pecunia in alios uſus, quàm quibus deſtinata eſt, converſa fuerit; veluti in opus balneorum publicorum: licèt ex bonâ fide datum probatur, compenſari quidem frumentariæ pecuniæ non oportet; ſolvi autem à Curatore Reipublicæ jubetur. *l.* 2. § 4. ULP. LIB. 3. OPINION.

Et Quod de frumentariâ ratione in alium uſum converſum eſt, ſuâ causâ (*e*) cum incremento debito reſtituatur. Idque etſi contra abſentem pronuntiatum eſt, inanis eſt querela (*f*). Ratio tamen adminiſtrationis; ſecundùm fidem acceptorum & datorum ponatur (*g*). *d. l.* 2. § 2.

Cæterùm Si indemnitas debiti frumentariæ pecuniæ

(*a*) Emptores.
(*b*) Jure emphyteutico.
(*c*) Id eſt, per Curatorem.
(*d*) Id eſt, per diſtractionem rerum debitoris.
(*e*) Senſus planior, ſi legas *ſuæ cauſæ*.
(*f*) Id eſt; objici non poteſt irritam eſſe condemnationem, quia abſens condemnatus eſt. Etſi enim regulariter Sententia in abſentem lata non valeat (ut vid. ſuprà lib. 42. Tit. *de Re judic.* N. 21.) tamen ſpeciali jure hîc valet.
(*g*) Curator qui pecuniam frumentariam in alios uſus convertit, debet quidem eam cum uſuris reſtituere: cæterùm ſumptum quem in alios uſus fecit, amittere non debet; ſed ratio inter ipſum & rempublicam *ſecundùm fidem acceptorum & datorum* poni debet.

Source : BIU Cujas

cum ſuis uſuris ſit; immodicæ & illicitæ computationis modus non adhibetur: id eſt, ne commodorum commoda, & uſuræ uſurarum incrementum faciant. *d. l.* 2. § 5.

IX.

Ad officium Curatoris Reipublicæ pertinent etiam, in quos uſus impendere debeat pecuniam Civitati relictam. Et quidem Niſi ad opus novum pecunia ſpecialiter legata ſit, vetera ex hâc reficienda ſunt. *l.* 5. § 1. PAUL. LIB. I. SENTENT.

At Quod ad certam ſpeciem, Civitati (*Florent.* Civitatis) relinquitur; in alios uſus convertere non licet. *l.* 1. ULP. LIB. 10. DISPUTAT.

Similiter Valens. Legatam municipio pecuniam, in aliam rem quàm defunctus voluit, convertere citra Principis auctoritatem non licet.

Et ideò ſi unum opus fieri juſſerit, quod Falcidiæ Legis interventu fieri non poteſt; permittitur, ſummam quæ eo nomine debetur, in id quod maximè neceſſarium Reipublicæ videatur, convertere. Sive plures ſummæ in plura opera legantur; & Legis Falcidiæ interventu, id quod relinquitur omnium operum extructioni non ſufficit; permittitur in unum opus, quod Civitas velit, erogari. *l.* 4. VALENS. LIB. 2. FIDEIC.

Sed etſi pecunia legata ſufficiat ad eam cauſam ad quam legata eſt, interdum in aliam cauſam convertenda eſt. V. G. Sed municipio pecuniam legatam, ut ex reditu ejus venatio aut ſpectacula edantur; Senatus in eas cauſas erogari vetuit. Et pecuniam eò legatam, in id quod maximè neceſſarium municipibus videatur, conferre permittitur: ut in eo munificentia ejus qui legavit, inſcriptione notetur. *d. l.* 4. ¶ *ſed.*

Item Pecuniam quæ in opera nova legata eſt; potiùs in tutelam eorum operum quæ ſunt, convertendam, quàm ad inchoandum opus erogandam, Divus Pius reſcripſit: ſcilicet ſi ſatis operum Civitas habeat, & non facilè ad reficienda ea pecunia inveniatur. *l.* 7. *ff. de Operib. public.* CALLISTRAT. LIB. 2. DE COGNIT.

X.

Ad officium Adminiſtratoris Reipublicæ pertinet, ut quoſvis contractus in rem Civitatis ineat. An autem ipſe, an Reſpublica ex his contractibus tenebitur?

Et quidem In eum qui Adminiſtrationis tempore creditoribus Reipublicæ, novatione factâ pecuniam cavit; poſt depoſitum officium, actionem denegari non oportet.

Diverſa cauſa eſt ejus qui ſolvi conſtituit. Similis etenim videtur ei qui publicè vendidit, aut (*a*) locavit. *l.* 3. § 2. PAPIN. LIB. I. RESP.

Quid ſi Adminiſtrator, Civitatis nomine, mutuam pecuniam acceperit? Civitas mutui datione obligari poteſt, ſi ad utilitatem ejus pecuniæ verſæ ſunt: alioquin ipſi ſoli qui contraxerunt, non Civitas, tenebuntur. *l.* 27. *ff. de Reb. cred.* ULP. LIB. 10. AD ED.

Et generaliter; ex contractu Magiſtratuum municipalium, in ipſos actio datur, ſi id quod contraxerunt, non verſum eſt in rem Reipublicæ: ſin autem, in ipſam Rempublicam actio datur.

Et quidem quamvis anno magiſtratus eorum finiatur: tamen ultra annum, ſive in ipſos ſive in Rempublicam, juxta hanc diſtinctionem datur actio. Hoc eſt quod ait Paulus: In Duumviros, & Rempublicam, etiam poſt annum actio datur, ex contractu Magiſtratuum municipalium. *l.* 35. § 1. *ff. de Oblig. & act.* PAUL. LIB. I. AD ED. PRÆTORIS.

(*a*) Qui ex his contractibus poſt depoſitum officium non poſſunt conveniri. Secùs obtinet in procuratore privati: ut conſtat ex lege 67. ff. *de Procurat.* Verùm magis parcendum fuit ei qui neceſſitate publici muneris adminiſtrat; quàm ei qui ſponte negotia aliena tractat.

(*b*) Id eſt; eâ lege ut, quum Reſpublica diſtraheret pignus, nullam præſtaret emptori repromiſſionem de evictione aut aliâ re; ſed ut is ipſe qui pignus conſtituerat, teneretur emptori eo nomine.

XI.

Denique Ad Curatoris Reipublicæ officium ſpectat, ut dirutæ domus à dominis extruantur. *l.* 46. *ff. de Damn. infect.* PAUL. LIB. I. SENTENT.

Sin, poteſt eas ſumptu publico extruere. Et eo caſu Domum ſumptu publico extructam, ſi dominus ad tempus pecuniam impenſam cum uſuris reſtituere noluerit, jure eam Reſpublica diſtrahit. *d. l.* 46. § 1.

ARTICULUS III.

De obligatione Adminiſtratoris Reipublicæ erga Rempublicam.

XII.

Adminiſtrator, Reipublicæ obligatur ad reddendam Adminiſtrationis ſuæ rationem.

Hæc obligatio complectitur, non ſolùm ut pecuniam quæ ex rationibus apud eum remanſit reſtituat; ſed etiam ut in id teneatur quod dolo aut culpâ in Adminiſtratione peccavit.

Enimverò Magiſtratus Reipublicæ, non dolum ſolummodò, ſed & latam negligentiam, & (hoc ampliùs) etiam diligentiam debent. *l.* 6. ULP. LIB. 1. AD ED. PRÆTORIS.

Aliter tamen ex dolo, aliter ex culpâ tenentur. Nam Antoninus & Verus Item reſcripſerunt; Curatores, ſi negligenter in diſtrahendis bonis ſe geſſerint, in ſimplum teneri; ſi per fraudem, in duplum: nec ad heredes eorum, pœnam deſcendere. *l.* 9. § 4. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTIT.

XIII.

Exemplum culpæ eſt, ſi pecuniam malè collocaverunt; aut, dum debitorem fortè non interpellant; nomen deterius factum eſt. Ad Curatores enim Reipublicæ, quemadmodum & ad tutores pupillorum, æquè pertinet quod ait Modeſtinus: Periculum nominum, ad eum cujus culpâ deterius factum probari poteſt, pertinet. *l.* 35. *ff. de Reb. cred.* MODEST. LIB. 3. RESPONS.

Cæterùm Antoninus & Verus Item reſcripſerunt; Nominum quæ deteriora facta ſunt tempore Curatoris, periculum ad ipſum pertinere. Quia verò antequàm Curator fieret, idonea non erant; æquum videri, periculum ad eum non pertinere. *l.* 9. § 9. PAPYRIUS-JUST. LIB. 2. CONSTITUT.

Excipe, niſi ipſe ea probaverit. Eorum autem periculo nominum quæ ipſe fecit, liberatur, ſi ejus ſucceſſores ea probaverunt; modò tamen ſucceſſores idoneos nominaverit.

Hoc docet Modeſtinus in ſpecie ſequenti. Titius pro pecuniâ publicâ quam ipſe credidit, pignus accepit; pacto facto cum debitore, ut, non ſoluto debito, ſine (*b*) ullâ repromiſſione diſtrahatur pignus. Succedentes gradus in locum Titii, nomen & pignus probaverunt uſque ad Mævium. Ex venditione pignoris, propter repromiſſionem à Magiſtratu (*c*) vendentibus factam de modo fundi demonſtrato, ſatis debito factum non eſt (*d*). Quærebatur, quis Reipublicæ tenetur? Herennius-Modeſtinus; Titium, cùm ſucceſſores ejus periculum nominis agnoverint, eo nomine obſtrictum non eſſe reſpondit. Sed nec poſt Magiſtratus, qui vendidiſſe proponuntur (*e*); cùm videlicèt pluris vendiderunt, propter menſuræ agri demonſtrationem; & hoc, quâ pluris vendiderunt, reſtituere (minore modo deprehenſo) juſſi ſunt. Eum igitur qui noviſſimus

(*c*) *Magiſtratibus.* Cujac. Obſerv. VII. 12.

(*d*) Scilicet Magiſtratus emptori repromiſerunt de certo modo agri. Cùm autem tantus non eſſet, conventi ſunt ab emptore: & ſic non fuit undè ſatisfieret Reipublicæ.

(*e*) Quamvis ex diſtractione pignoris quam fecerunt, Reipublicæ non ſit ſatisfactum; non tamen tenentur, *Cùm videlicet &c.*

Source : BIU Cujas

nomen probavit (*a*), indemnitati Reipublicæ ſatisfacere debere; ſi nomen ad ſucceſſorem idoneum (*b*) tranſmiſiſſe non doceatur. *l.* 36. § 1. *ff. Ad municip.* MODEST. LIB. 1. RESPONS.

Similiter periculum conductoris qui fundum Reipublicæ non exactâ cautione locaveram, deſinit ad me pertinere pro futuro tempore; ſi ſucceſſor conductionem probavit, eique ipſe locavit.

Hoc docet Papinianus. Ita ille: Prædium publicum in quinque (*c*) annos, idoneâ cautione non exactâ, Curator Reipublicæ locavit. Cæteris annis (*d*) colonus ſi reliqua traxerit, & de fructibus prædii mercedes [que] ſervari (*e*) non potuerint; ſucceſſor qui locavit, tenebitur (*f*). Idem in vectigalibus non ita pridem conſtitutum eſt; ſcilicet ut ſui temporis ſinguli periculum præſtarent. *l.* 3. § 1. PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

XIV.

Quæſitum eſt an pecuniæ quam Reipublicæ debent ex Adminiſtratione ſuâ, uſuras quoque deberent Curatores? Quocircà, Imperatores Antoninus & Verus reſcripſerunt; Pecuniæ quæ apud Curatores remanſit, uſuras exigendas: ejus verò quæ à redemptoribus operum exigi non poteſt, ſortis duntaxat periculum ad Curatores pertinere. *l.* 9. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUT.

1°. *Itaque* (*ut ait Papyrius* Idem libro eodem) Imperatores Antoninus & Verus reſcripſerunt; Eum qui pecuniam publicam Magiſtratûs ſui tempore, & poſt non pauco tempore detinuerat, uſuras etiam præſtare debere: niſi ſi quid allegare poſſit, quâ ex causâ tardiùs intuliſſet. *d. l.* 9. § *fin.*

2°. *At verò ſi ea non ſit pecunia quæ apud ipſum remanſerit*; Conſtitutionibus Principum continetur, ut pecuniæ quæ ex detrimento (*g*) ſolvitur, uſuræ non præſtentur. Et ita Imperatores Antoninus & Verus Auguſti reſcripſerunt his verbis: « HUMANUM EST reliquorum » uſuras, neque ab ipſo qui ex Adminiſtratione honoris » reliquatus eſt, neque à fidejuſſore ejus, & multò » minùs à Magiſtratibus qui cautionem acceperint, » exigi. Cui conſequens eſt ut ne in futurum à formâ » obſervatâ diſcedatur. » *l.* 24. *ff. Ad municip.* SCÆVOLA LIB. 2. DIGEST.

Supràdictum utrumque caſum ita etiam complectitur Paulus. Eos qui ex Adminiſtratione rerum Civitatium conveniuntur, uſuris obnoxios eſſe, ſatis notum eſt. Idem obſervatur in operum Curatoribus, ſi pecunia apud eos remanſit. Sed in eâ quam redemptoribus commiſerunt, etiamſi negligenter dederint, uſura eis remittitur. Hæc autem ita ſunt, ſi nulla fraus arguitur: alioquin etiam uſuræ applicabuntur. *l.* 17. § 7. *ff. de Uſur.* PAUL. LIB. SING. DE USUR.

Et generaliter idem Paulus reſpondit; Eos qui pro aliis non ex contractu, ſed ex officio quod Adminiſtraverint, conveniuntur; in damnum ſortis ſubſtitui ſolere, non etiam in uſuras. *l.* 21. § 1. *ff. Ad municip.* PAUL. LIB. 1. RESPONS.

Conſonat quod antè reſcripſerat Antoninus. Fœnoris Reipublicæ, quod non tuâ culpâ (*h*) perditum eſſe apparuerat: ſufficit ſortis damnum, non etiam uſurarum uſus ſuſtinere. *l. un. Cod. de His qui ex offic. quod adminiſtr. conv.*

XV.

Sorte autem ſalvâ, tenetur quidem de uſuris quas culpâ ſuâ non exegit: ſed eis uſuris, imò ſorti quam à minùs idoneis debitoribus non recepiſſet, compenſat id quod plùs ſolitis uſuris ex aliis nominibus percepit.

Hoc docet Paulus. Ita ille: Gaius-Seius qui rem publicam gerebat, fœneravit pecuniam publicam ſub uſuris ſolitis. Fuit autem conſuetudo, ut intrà certa tempora non inlatis uſuris, graviores iuſligerentur. Quidam debitores ceſſaverunt in ſolvendis (*i*) uſuris, quidam plus intulerunt (*k*). Et ſic effectum eſt, ut omne quod uſurarum nomine competebat, etiam pro his qui ceſſaverant in uſuris ſuppleatur. Quæſitum eſt; an illud quod ampliùs ex conſuetudine pœnæ nomine à quibuſdam exactum eſt, ipſi Seio proficere (*l*) deberet; an Reipublicæ lucro cederet? Reſpondi: Si Gaius-Seius à debitoribus uſuras ſtipulatus eſſet; eas ſolas Reipublicæ præſtari oportere, quæ ſecundùm formam (*m*) ab his exigi ſolent: etiamſi omnia (*n*) nomina idonea ſint. *l.* 11. *ff. de Uſur.* PAUL. LIB. 23. QUÆST.

Quid ſi ſervus (*o*) publicus obligationem uſurarum Reipublicæ adquiſiit? Æquum eſt, quamvis ipſo Jure uſuræ Reipublicæ debeantur, tamen pro defectis nominibus compenſationem majorum uſurarum fieri; ſi non ſit parata Reſpublica, univerſorum debitorum fortunam ſuſcipere. Eadem ferè in tutoribus Marcellus refert. *d. l.* 11. § 1.

XVI.

Circa rationes quas Curator reddere tenetur, unum adhuc obſervandum ſupereſt. Scilicet Reipublicæ rationes ſubſcriptæ & expunctæ, adversùs eum quidem qui adminiſtravit, ultra viginti; adversùs heredem verò, ultra decem annos, retractari non poſſunt. *l.* 13. § 1. *ff. de Diverſ. tempor. præſcript.* HERMOGENIAN. LIB. 6. JURIS EPITOMARUM.

Tamen Calculi erroris retractatio, etiam poſt decennii aut vicennii tempora admittetur. *l.* 8. MODEST. LIB. 8. REGULAR.

Sed ſi gratioſè expunctæ (*p*) dicentur, non retractabuntur. *d. l.* 8. § 1.

(*a*) Sequendo fidem debitoris principalis; qui, ejus quod ex pretio pignoris Reſpublica minùs ſuo debito conſecuta eſſet, debitor remanebat. Ita probato debitoris nomine, prædeceſſorem qui pignus diſtraxit, periculo hujus nominis liberavit.

(*b*) Senſus eſt; ſi reverâ fuit noviſſimus probator, qui *non doceatur tranſmiſiſſe* & ipſe *nomen ad ſucceſſorem*; & quidem ad ſucceſſorem *Idoneum*. Duo enim requiruntur, ut prædeceſſor periculo liberetur.

1°. Ut *tranſmiſerit nomen* ad ſucceſſorem; id eſt, ut ſucceſſor nomen in ſuum periculum receperit, fidem ſequendo debitoris: 2°. Ut ſucceſſor ille quem nominavit, fuerit idoneus. Ita Cujacius, cujus interpretationem ſecuti ſumus.

Probabiliter quoque poſſet vox illa *Idoneum* referri, non ad ſucceſſorem, ſed ad *Nomen*; hoc ſenſu: Si noviſſimus qui nomen probavit, non doceatur NOMEN IDONEUM tranſmiſiſſe ad ſucceſſorem. Et juxta hunc intellectum, deceſſor periculo liberaretur, ſi quo tempore Adminiſtrationem ſuam cum hoc nomine ad ſucceſſorem tranſmiſit, nomen erat idoneum; & culpâ ſucceſſoris qui illud exigere ceſſavit, deſierit eſſe idoneum.

Lector quem maluerit in hâc lege, definitionis Modeſtini intellectum eligat.

(*c*) Scilicet in tempus ſui magiſtratûs; juxta Cujacium. Vide ſuprà N. 4.

(*d*) Poſt elapſum tempus primæ conductionis.

(*e*) Secundæ conductionis.

(*f*) Nec imputabitur deceſſori, quòd minùs idoneam cautionem acceperit. In culpâ eſt enim ſucceſſor, qui eam probavit.

(*g*) Id eſt, quam debent ob detrimentum quod culpâ ipſorum Reſpublica paſſa eſt. Satis enim pœnæ viſum eſt; ſi in ſortem quam Reſpublica perdidit, teneantur.

(*h*) *Culpam* hic accipe fraudem, aut ſaltem latam culpam; quæ ſi in Adminiſtratore argueretur, in uſuras ille teneretur. Non autem intellige de culpâ levi: imò ſupponenda eſt in eo culpa levis; alioquin ſortis damnum præſtare non teneretur.

(*i*) Quia ſcilicet facultatibus defecti ſunt; & ſic nullas ab eis uſuras percepit; fortè nec ſortem.

(*k*) *Plus* ſolitis uſuris; ex ſtipulatione ſcilicet, quâ Seius graviores ſolitis uſuras ab his ſtipulatus eſt.

(*l*) In hoc, ut compenſaretur cum nominibus deperditis.

(*m*) Id eſt, non ſecundùm conſuetudinem graviorum inferendarum in pœnam moræ, ſed *ſecundùm formam* ſolitam uſurarum quæ vulgò frequentabantur, (*au Taux ordinaire qui avoit lieu dans le Pays*).

(*n*) Cujacius ad h. l. legit *etiamſi* NON *omnia*. Senſus eſt; etiamſi non omnia nominat idonea ſint; & aliquid plus ſolitis uſuris Seius perceperit, ex his quæ idonea ſunt: tamen Seium ad nihil aliud teneri, quàm ut ſortes cum uſuris ſolitis omnium nominum Reipublicæ ſolvat; adeò ut quod plus ſolitis uſuris ex quibuſdam nominibus percepit, ei cedat in compenſationem ejus quod à non idoneis nominibus ſervare non potuit.

Dices: Quum ſocius induſtriâ ſuâ auxit ſocietatem; lucrum quod ſocietati attulit, non compenſatur cum damno quod ei dedit: ſuprà lib. 17. Tit. *Pro ſocio* N. 29. Reſpondeo majore indulgentiâ dignum eſſe Adminiſtratorem Reipublicæ qui in eâ Adminiſtrandâ ſolam ejus utilitatem ſectatur; quàm ſocium, qui proprium lucrum ſectatur.

(*o*) In ſpecie præcedenti Seius ſuo nomine has graviores uſuras ſtipulatus erat: ipſi ergo debebantur; undè non mirum quòd ipſi proficiant, ut quod plus eſt ſolitis uſuris, poſſit compenſare cum eo quod aliundè deperditum eſt. Verùm an idem Juris erit, ſi ſervus publicus eas ſtipulatus eſt? Ratio dubitandi, quia hoc caſu per hunc ſervum ipſo Jure ipſi Reipublicæ debentur: videntur igitur lucro Reipublicæ, non verò Seii cedere debere. Tamen & in hâc ſpecie idem ac in præcedenti Jus obtinere docet Paulus.

(*p*) *Expungere* eſt punctis circumducere, & quaſi rem confectam è codice tollere. Senſus eſt: *Si* non calculi error, *ſed gratia arguatur*; poſt ſupràdictum tempus *non retractantur*. Imò, inquit Cujacius, quod gratioſè fit in perniciem Reipublicæ, nunquam ullius momenti eſſe poteſt ſi hoc poſſit detegi: quàpropter pro *ſed ſi gratioſè*, legit *Sed ſi rationes*, &c. Et certè, ſi non ita legatur, jam non eſt ad quod referri poſſit verbum illud *expunctæ*.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS II.

De perſonis quæ accedunt obligationi Adminiſtratoris Reipublicæ.

Obligationi Adminiſtratoris Reipublicæ accedunt fidejuſſores, & collegæ, & nominatores.

§ I.

De fidejuſſoribus & nominatore Curatoris Reipublicæ.

XVII.

Adminiſtratoris Reipublicæ obligationi, quemadmodum & in tutoribus pupillorum obtinet, fidejuſſores ejus accedere palàm eſt.

Item accedit & ille qui eum nominavit. Id enim moris fuit in municipiis, ut ad Curatorum Reipublicæ officium pertineret ſucceſſores ſibi nominare; viros ſcilicet quos idoneos ſponderent Reipublicæ, & ex quibus Ordo ipſe duos eligebat quibus Adminiſtratio Reipublicæ mandaretur.

Tamen Si eo tempore quo nominatus eſt, idoneus, poſtea lapſus facultatibus, damnum debitis Reipublicæ dederit; quia fortuitos caſus nullum humanum conſilium providere poteſt, creator hoc nomine nihil præſtare debet. *l.* 2. § 7. ULP. LIB. 3. OPINION.

Multò magis In eum qui ſucceſſorem ſuo periculo nominavit, ſi finito Magiſtratu ſucceſſor idoneus fuit, actionem dari non oportet. *l.* 15. § 1. *ff. Ad municip.* PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

Conſonat quod reſcribit Gordianus. Hi qui à te collegâque tuo magiſtratus creati ſunt; etiamſi maximè fidejuſſores non exegiſtis; tamen ſi per id tempus quo magiſtratûs honor deponebatur, ſolvendo fuerunt; periculo vos creationis non fecerunt obnoxios, ex eo quòd caſu aliquo patrimonium eorum mutilatum ſit: cùm ceſſationi ſuæ id debeant imputare, damnaque Reipublicæ (ſi qua ob culpam eorum paſſa eſt) ſarcire; qui, quum nomine publico eos convenire potuiſſent, id facere ſuperſederunt. *l.* 1. *Cod. de Peric. nominatorum.*

XVIII.

Non tenentur etiam fidejuſſores, qui pro Adminiſtratore Reipublicæ fidejuſſerunt; niſi quatenùs is ſolvendo non eſſet. Et quidem & ſi Pro Magiſtratu fidejuſſor interrogatus, pignora quoque ſpecialiter dedit; in eum caſum pignora videntur data, quo rectè convenitur; videlicèt poſtquàm res ab eo ſervari non potuerit, pro quo interceſſit. *l.* 3. § 4. PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

XIX.

Sed nec de omnibus tenentur fidejuſſores & nominatores, de quibus ipſe Adminiſtrator teneri poteſt. Enimverò Fidejuſſores qui ſalvam Rempublicam fore reſponderunt, & qui Magiſtratus ſuo periculo nominant; pœnalibus actionibus (*a*) non aſtringuntur, in quas inciderunt hi pro quibus intervenerunt Eos enim damnum Reipublicæ præſtare ſatis eſt, quod promitti videtur. *l.* 17. § 15. *ff. Ad municip.* IDEM LIB. 1. RESPONS.

Conſonat quod reſcribit Antoninus. Fidejuſſores Magiſtratuum in his quæ ad Reipublicæ Adminiſtrationem pertinent, teneri; non in his quæ ob culpam vel delictum eis pœnæ nomine irrogentur; tam mihi quàm Divo Severo patri meo placuit. *l. un. Cod. de Peric. eor. qui pro magiſtr. interven.*

Item fidejuſſores & nominatores, accedunt quidem obligationi quæ ex Adminiſtratione Magiſtratûs naſcitur; non illi quâ Magiſtratus ſe devinxit, ſucceſſorem ſibi nominando.

Hinc Papinianus. Nominati ſucceſſoris periculum, fidejuſſorem nominantis non tenet. *ſup. d. l.* 17. § 14. *ff. Ad municip.*

Item Philippus reſcribit. Si ſucceſſoris tui ſucceſſor non idoneum loco ſui Magiſtratum denominaverit; Adminiſtrationis ejus periculum, ad tuam perſonam ſpectare nequaquàm poteſt. Etenim nominati ſucceſſoris duntaxat quiſque periculum ſuſcipere compellitur: nec ad nominatoris nominatorem manus jure porrigi poſſunt. *l.* 2. *Cod. de Peric. nominat.*

§ II.

An & quatenùs collega obligationi collegæ accedat.

XX.

Magiſtratum, municipales, cùm unum magiſtratum adminiſtrant, etiam unius hominis vicem ſuſtinent. Et hoc plerùmque quidem lege municipali eis datur: verùm etſi non ſit datum, dummodò non denegatum, moribus competit. *l.* 25. *ff. Ad Municip.* ULPIAN. LIB. 1. AD ED. PRÆTORIS.

Hinc Imperator Titus-Antoninus Lentulo-Vero reſcripſit; Magiſtratuum officium individuum, ac periculum eſſe commune.

Quod ſic intelligi oportet; ut ita demùm collegæ periculum adſcribatur, ſi neque ab ipſo qui geſſit, neque ab his qui pro eo intervenerunt, res ſervari poſſit, & ſolvendo non fuit, honore depoſito. Alioquin ſi perſona vel cautio ſit idonea, vel ſolvendo fuit quo tempore conveniri potuit; unuſquiſque in id quod adminiſtravit, tenebitur. *l.* 11. *ff. Ad municip.* PAPIN. LIB. 2. QUÆST.

Quòd ſi fortè is qui periculo ſuo nominavit Magiſtratum, ſolvendo ſit; utrùm in eum priùs actio reddi quaſi fidejuſſorem debeat; an verò non aliàs quàm ſi res à collegâ ſervari non potuerit? Sed placuit, fidejuſſoris exemplo, priorem conveniendum qui nominavit: quoniam collega quidem, negligentiæ ac pœnæ causâ; qui verò nominavit, fidei ratione convenitur. *d. l.* 11. § 1.

Et ei, contra nominati (*b*) collegam, actionem Utilem dari non oportet. *l.* 12. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 1. RESPONS.

Quid ergo ſi alter ex Magiſtratibus toto anno abfuerit; aut fortè præſens per contumaciam ſive ignaviam vel ægram valetudinem, Reipublicæ negotia non geſſerit; omnia collega ſolus adminiſtraverit, nec tamen tota res ab eo ſervari poſſit? Talis ordo dabitur, ut in primis qui Reipublicæ negotia geſſit, & qui pro eo caverunt, in ſolidum conveniantur; mox peractis omnibus, periculum adgnoſcat qui non idoneum nominavit; poſtremò alter ex Magiſtratibus, qui Reipublicæ negotiis ſe non immiſcuit. Nec juſtè, qui nominavit, univerſi periculum recuſabit; cùm ſcire deberet, eum qui nominaretur, individuum officium & commune periculum ſuſcepturum. Nam & quum duo geſſerunt, & ab altero ſervari quod debetur, non poteſt; qui collegam nominavit, in univerſo convenitur. *l.* 13. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 2. QUÆST.

Conſonat quod reſcribunt Diocletianus & Maximianus. Cùm te & collegam tuum magiſtratûs veſtri tempore publicum fœnus collocaſſe proponas; nec potuiſſe debitum à quibuſdam Reipublicæ reſtitui: cùm paratus ſis pro te id quod ſolus geſſiſti, Reipublicæ ſatisfacere; conſequens eſt Rempublicam, ſi ſeparati actûs veſtri contractus fuerint, ſucceſſores collegæ tui vel rerum ejus poſſeſſores priùs ob perſonam ejus congredi; &

(*a*) *Dupli*, de quibus ſuprà N. 12.

(*b*) Hanc vocem expungendam cenſet Cujacius Obſerv. XIII. 14. Nec de collegâ *Nominati* hîc agi, ſed potiùs de collegâ *nominantis*; hujuſque legis ſententiam eſſe, ut nominatores omninò ſimiles ſint fidejuſſoribus; & quemadmodum fidejuſſor qui ſolvit, niſi cedi ſibi actiones curaverit, non habet actionem adversùs confidejuſſorem (ſupra lib. 46. Tit. *de Fidejuſſ.* N. 67.) ita, unus ex his qui nominaverunt ſibi ſucceſſores, ſi conventus pro nominato ſolverit, niſi ſibi cedi actiones curaverit, non habebit actionem *Utilem* adversùs collegam ſuum: quia quod ipſe debebat, ſolviſſe; & ſuum, non collegæ negotium geſſiſſe videtur. Nec obſtat quòd Reipublicæ Curator qui ex communi Adminiſtratione ſolvit, adversùs collegam actionem habet; infrà Art. ſeq. Hoc enim porrigi non debet ad communem nominationem.

Source : BIU Cujas

ſi ſolida indemnitas Reipublicæ ſervata non fuerit, nominatores ejus interpellare; ac poſtremo loco, ſi quid ex nomine collegæ tui defuerit, ob culpæ nexum te interpellare. Priores enim nominatores, veluti fidejuſſores, placuit obſtringi. *l.* 4. *Cod. Quo quiſque ordine conven.*

Similiter antè reſcripſerant Carus, Carinus, & Numerianus; nominatorem priùs quàm collegam eſſe diſcutiendum.

Ita enim illi: Si ita Duumviri creati eſtis [hoc (*a*) expreſſo] ut mutuo periculo teneamini in dubium non venit, vicariis damnis vos eſſe obſtrictos: cùm (*b*) in Magiſtratibus priùs nominatores conveniendos eſſe (hoc quod in perſonâ veſtrâ (*c*) cuſtodiri conſideratis) conſtitutum eſt. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

Obſervandum ſupereſt, quòd Jus Reipublicæ pacto mutari non poteſt; quominùs Magiſtratus collegæ quoque nomine conveniantur, in his ſpeciebus in quibus id fieri jure permiſſum eſt. *l.* 2. § 8. ULP. LIB. 2. OPINION.

XXI.

Hactenùs de Magiſtratibus.

Circa eos autem quibus aliqua Reipublicæ Adminiſtratio ſine honore conceſſa eſt, ita diſtinguit Gordianus. Quoties duobus non ſeparatim, ſed pro indiviſo munus (*d*) injungitur, & ita ut unuſquiſque eorum periculo ſoliditatis videatur obſtrictus; manus ad nominatorem, priuſquàm utrique qui id munus adminiſtraverunt ſolemniter fuerint excuſſi, nullâ ratione porrigi poſſunt (*e*). Si verò ſeparatis portionibus ad munus nominati ſunt: priùs pro portione conveniantur, qui id munus adminiſtraverint; item fidejuſſores eorum. Si nec ab his quidem indemnitas fuerit ſervata, tunc demùm creatorem: ac ſi nec is quidem ſufficiat, noviſſimè participem muneris conveniri debere Præſes non ignorat. *l.* 2. *Cod. Quo quiſq. ord.*

Et quidem hoc poſteriori caſu, collega non indiſtinctè tenetur. Nam Antoninus & Verus Item reſcripſerunt; Curatorem etiam nomine collegæ teneri, ſi intervenire & prohibere eum potuit. *l.* 9. § 8. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUTIONIB.

Priori autem caſu, quum duobus in ſolidum Adminiſtratio data eſt; quamvis eam inter ſe diviſerint, alter pro altero indiſtinctè tenetur.

Hinc Papinianus. Curatores communis officii, divisâ pecuniâ quam omnibus in ſolidum publicè dari placuit, periculo vice mutuâ non liberantur. Ulpianus (*autem notat*): Prior tamen, exemplo tutorum, conveniendus eſt is qui geſſit. *l.* 3. PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

Conſonat quod reſcribit Antoninus. Etſi duobus ſimul cura pecuniæ Civitatis, non tamen ſeparatis portionibus mandetur; ſinguli non pro virili portione, ſed in ſolidum Reipublicæ obligantur. Quum autem de indemnitate Civitatis quæritur: priùs ejus bona qui Adminiſtravit; ac mox, ſi ſatisfieri non poterit, collegæ conveniuntur. *l.* 1. *Cod. Quo quiſq. ord. conven.*

Obſervandum autem, hanc obligationem quâ pro collegâ teneor, ad ea non porrigi quæ poſt mortem meam geſſit. Undè ſtatim ſequitur: Vos tamen qui heredes unius ex Curatoribus extitiſtis; damno ſi quo[illegible] poſt mortem ejus dolo vel culpâ collegarum acceſſit, onerari non eſt rationis. *d. l.* 1. *Cod.* ¶ *vos tamen.*

XXII.

Pro collegis quis, ſive Magiſtratus ſive nudus Adminiſtrator, non ideò minùs tenetur, quòd ſe non miſcuerit & in alienâ poteſtate fuerit.

Hinc Paulus. Lucius-Titius quum eſſet in patris poteſtate, Magiſtratibus inter cæteros frumento comparando invito patre Curator conſtitutus eſt. Cui rei Lucius-Titius neque conſenſit, neque pecuniam accepit, neque in eam cavit aut ſe comparationibus cum cæteris miſcuit: & poſt mortem patris, in reliqua collegarum interpellari cœpit. Quæritur an ex eâ causâ teneri poſſit? Paulus reſpondit; Eum qui injunctum munus à Magiſtratibus ſuſcipere ſuperſedit, poſſe conveniri eo nomine propter damnum Reipublicæ; quamvis eo tempore quo creatus eſt, in alienâ fuerit poteſtate. *l.* 21. *ff. Ad municip.* PAUL. LIB. 1. RESPONS.

ARTICULUS V.

De obligatione Adminiſtratoris Reipublicæ, erga collegam.

XXIII.

Quivis Reipublicæ Adminiſtrator obligatur erga collegam, hujus pecuniæ nomine quam collega in commune munus impendit.

Hinc Maximianus. Cùm ad munus exhibendarum angariarum cum aliis creatus, à conſortibus muneris ſollicitudine deſertâ, ſolum te functum eſſe proponas; ſumptuum detrimenta ſi qua acciderint, collatione eorum quos munus oportuerat participare, proviſione Præſidis dividentur. Quòd ſi etiam à te obſequium derelictum eſſe cognoverit; quid cenſuræ publicæ congruit, non ignorat. *l. un. Cod. Sumptus injuncti mun.*

Actio autem quæ propterea in collegam decerni ſolet, ei qui pro altero dependit; ex æquitate competet. *l.* 2. § 9. ULP. LIB. 3. OPINION.

Quod depenſum pro collegâ in Magiſtratu probabitur, ſolvi & ab heredibus ejus Præſes provinciæ jubet. *d. l.* 2. § 10.

SECTIO III.

De alienatione Rerum ad Civitates pertinentium.

XXIV.

Adminiſtratoris poteſtatem & officium excedit alienatio Rerum Civitatis.

Ex Conſtitutione tamen Leonis; ſi quæ ædificia, annonæ (f) civiles, mancipia, ad Civitatem titulo hereditatis aut legati pervenerint; poſſunt diſtrahi præſentibus & conſentientibus plurimâ parte Curialium & honoratorum. Res autem utriuſque Romæ, nonniſi ex Principis auctoritate diſtrahi debent. l. 3. *Cod.* de Vend. reb. civit.

(*a*) Verba illa (*hoc expreſſo*) abundare, rectè cenſet Cujacius. Si enim idipſum in creatione fuiſſet expreſſum; quorsùm alteruter pro collegâ conventus, Imperatorem conſuleret an teneretur hujus collegæ nomine?

(*b*) *Cùm* illud duntaxat in eâ obligatione temperamentum variis Conſtitutionibus introductum fuerit; nempè ita demùm alterum pro altero teneri, ut priùs excutiendi ſint nominatores.

(*c*) Malè vulgò *noſtrâ*. Senſus eſt: hoc ipſum in perſonâ veſtrâ videtis eſſe obſervatum, ut ultimo loco, & poſt diſcuſſos demùm alterius nominatores, alter pro altero conveniamini. Nullus igitur querelæ veſtræ locus: nec enim dubium eſt, vicariis damnis vos (in ſubſidium ſaltem) eſſe obſtrictos.

(*d*) Sine honore.

(*e*) Et eâ in re differunt munera | ab honoribus ſeu magiſtratibus, in quibus Collega nonniſi poſt nominatores tenetur: ut ſuprà dictum eſt.

(*f*) *Annonas civiles* puto appellari, vectigalia in certâ ſpecie frumenti aut vini quod à prædiis civitatum vectigalibus debebatur.

Source : BIU Cujas

TITULUS IX.

DE DECRETIS AB ORDINE FACIENDIS.

I.

DEcurionum munus potiſſimùm conſiſtit in decernendo quod Reipublicæ conducit.

§ I.

De quibus rebus hæc Drecreta interponantur, & à quibus Decurionibus.

II.

Hæc Decreta interponuntur de his quæ ad communem civitatis & civium utilitatem ſpectant.

Talis eſt V. G. probatio medicorum & profeſſorum liberalium artium intrà præfinitum numerum. De quâ re ita Ulpianus : Medicorum intrà numerum præfinitum conſtituendorum arbitrium, non Præſidi provinciæ commiſſum eſt; ſed Ordini (*a*) & poſſeſſoribus (*b*) cujuſque civitatis : ut certi de probitate morum & peritiâ artis, eligant ipſi, quibus ſe liberoſque ſuos in ægritudine corporum committant. *l.* 1. ULP. LIB. 3. OPINION.

Quam cooptationem in numerum medicorum, ex conſilio & probatione eorum qui jam inter Profeſſores recepti ſunt fieri debere, reſcribunt item Valentinianus & Valens. l. 10. *Cod.* de Profeſſ. & med.

III.

In Decretis ferendis, ſoli Decuriones majores viginti-quinque annis jus ſuffragii habent.

Minores viginti-quinque annorum Decuriones facti, ſportulas Decurionum accipiunt; ſed interim ſuffragium inter cæteros ferre non poſſunt. *l.* 6. § 1. *ff. de Decurion.* PAPIN. LIB. 1. RESPONS.

§ II.

Quæ Decreta non valeant; & contrà, quæ ſit virtus Decreti ritè interpoſiti.

IV.

Illa Decreta quæ non legitimo numero Decurionum coacto facta ſunt, non valent. *l.* 2. MARCIAN. LIB. 1. PUBLICOR.

Lege autem municipali cavetur; ut ORDO non aliter habeatur, quàm duabus partibus adhibitis. *l.* 3. ULP. LIB. 3. DE APPELLATIONIB.

Cæterùm non neceſſe eſt omnes adeſſe. Nam Quod major pars Curiæ effecit, pro eo habetur ac ſi omnes egerint. *l.* 19. *ff. Ad municip.* SCÆVOLA LIB. 1. QUÆST.

Et Refertur ad univerſos, quod publicè fit per majorem partem. *l.* 160. § 1. *ff. de Reg. Jur.* ULPIAN. LIB. 76. AD ED.

V.

Item illa quæ non tam ad utilitatem patriæ, quàm ad captandam & ambiendam gratiam facta eſſent, Ordinis ambitioſa Decreta, Sacris Conſtitutionibus improbantur. *l.* 2. *Cod. de Decret. decur.* DIOCL. ET MAXIM.

Putà Ambitioſa Decreta Decurionum reſcindi debent, ſive aliquem debitorem dimiſerint, ſive largiti ſunt. *l.* 4. ULP. LIB. SING. DE OFFIC. CURAT. REIPUBL.

Proindè (ut ſolent) ſive decreverint de publico alicujus (*c*) vel prædia, vel ædes, vel certam quantitatem præſtari; nihil valebit hujuſmodi Decretum. *d. l.* 4. § 1.

Ambitioſum quoque Decretum foret, quo immunitatem munerum concederent. Nam Exceptis qui liberalium ſtudiorum antiſtites (*d*) ſunt, & qui medendi curâ funguntur; Decurionum Decreto immunitas nemini tribui poteſt. *l.* 1. *Cod. de Decret. decur.* DIOCLET. ET MAXIM.

Item ambitioſum eſt Decretum quo Salarium alicui ex Reipublicæ reditibus conſtitueretur. Quod ita confirmavit Conſtantinus : Nulli ſalarium tribuatur ex juribus (*Meliùs in Cod. Theod.* viribus) Reipublicæ niſi ei qui jubentibus Nobis ſpecialiter fuerit conſecutus. *l. un. Cod. de Præb. ſalar.*

Nota tamen : Sed etſi ſalarium alicui Decuriones decreverint, Decretum id nonnunquam ullius erit momenti; ut putà ſi ob liberalem artem fuerit conſtitutum, vel ob medicinam. Ob has enim cauſas licet conſtitui ſalaria. *ſup. d. l.* 4. § 2.

VI.

Contrà, ſi Decretum ritè interpoſitum ſit; Quod ſemel Ordo decrevit, non oportere id reſcindi Divus Hadrianus Nicomedenſibus reſcripſit; niſi ex causâ, id eſt, ſi ad publicam utilitatem reſpiciat reſciſſio prioris Decreti. *l.* 5. CALLISTRAT. LIB. 2. DE COGNITIONIB.

(*a*) Decurionum.

(*b*) Alii emendant, *primoribus*. Rectiùs Bynkershoek, *Profeſſoribus*; id eſt, adhibitis iis qui medicinam in eâ civitate profitentur. Enimverò, cùm de peritiâ ejus qui in ordinem medicorum cooptandus eſt conſtare debeat profeſſores artis in conſilium eâ de causâ arceſſendos, vel ipſa ſola ratio evincit. Teſtator & hoc Symmachus Epiſt. X. 40. ubi de promotione medici ſcribens ait : QUIA *Lege & more ſummates ejuſdem profeſſionis par fuit in examen « acciri ; adhibitum eſt » judicio, collegium omne medicorum.*»

(*c*) Crederem legendum, *alicui*.

(*d*) Profeſſores.

TITULUS X.

Source : BIU Cujas

TITULUS X.

DE OPERIBUS PUBLICIS.

CIrca Opera Publica videndum eſt 1°. *De debitoribus pecuniæ ad Opus Publicum relictæ:* 2°. *Cujus auctoritate fieri debeant Opera Publica, & quo ſumptu:* 3°. *Quarum perſonarum nomen inſcribi Operibus Publicis liceat:* 4°. *De Curatoribus qui his Operibus præponuntur, necnon de redemptoribus eorum Operum.*

Pauca ſubjungemus de locis Publicis quæ à privatis poſſidentur.

§ I.

De debitoribus pecuniæ ad Opus Publicum relictæ.

I.

Si legatum vel fideicommiſſum fuerit ad Opus relictum; uſuræ, quæ, & quando incipiant deberi, Reſcripto Divi Pii ita continetur: « Si quidem dies non ſit, » ab his qui ſtatuas vel imagines ponendas legaverunt, » præfinitus; à Præſide provinciæ tempus ſtatuendum » eſt: & niſi poſuerunt heredes, uſuras leviores (*a*) » intrà ſex menſes (*b*); ſi minùs, ſemiſſes uſuras » Reipublicæ pendant. Si verò dies datus eſt, pecu- » niam deponant intrà diem. Si aut non invenire ſe » ſtatuas (*c*) dixerint, aut [de] loco controverſiam » fecerint; ſemiſſes protinùs pendant. » *l.* 5. ULP. LIB. SING. DE. OFFIC. CURAT. REIPUBL.

§ II.

Cujus auctoritate Opera Publica fieri debeant; & quo ſumptu.

II.

Opus novum, privato, etiam ſine Principis auctoritate, facere licet; præterquàm ſi ad æmulationem alterius civitatis pertineat, vel materiam ſeditionis præbeat; vel circum, theatrum, vel amphiteatrum ſit. *l.* 3. MACER LIB. 2. DE OFFIC. PRÆSID.

Publico verò ſumptu Opus novum ſine Principis auctoritate fieri non licere, Conſtitutionibus declaratur. *d. l.* 3. § 1.

De Operibus quæ in muris vel portis, vel rebus Publicis fiunt, aut ſi muri extruantur, Divus Marcus reſcripſit; Præſidem aditum conſulere Principem debere. *l.* 6. MODESTIN. LIB. 11. PANDECTAR.

III.

Obſervandum eſt publico ſumptu fieri non oportere, niſi ea Opera quæ Publicam utilitatem ſpectant.

Quòd ſi ſtatua Præſidi vel cuivis alteri de Republicâ benè merito erigatur; ſumptu ejus in cujus honorem erigitur, debet erigi. l. fin. Cod. de Statuis & imag.

Neque id fieri poteſt, niſi ex Principis auctoritate. l. 1. Cod. d. tit.

Circa has ſtatuas etiam obiter obſervandum quòd In privatis Operibus, invitis his qui fecerunt, ſtatuas aliis ponere non poſſumus: ut Reſcripto Divi Severi continetur. *l.* 12. *ff. de Pollicitat.* MODESTIN. LIB. 11. PANDECT.

(*a*) Id eſt, trientes: ut dictum eſt ſuprà lib. 22. Tit. *de Uſur.* N. 24.

(*b*) Ab elapſo die quem ſtatuerit Præſes; anteà verò, nullas: ſi quidem *Liberalitatis in Remp. factæ, uſuræ non exiguntur.* l. 16. ff. *de Uſur.*

(*c*) *Statuas* accipe, Operarios ad eas conficiendas; vel potiùs *ſtatuas* ad quarum archetypum conficiantur illæ quas ponere juſſi ſunt à teſtatore.

§ III.

Quarum perſonarum nomina Operibus publicis inſcribi poſſint.

IV.

Qui liberalitate, non neceſſitate debiti, reditus ſuos interim (*d*) ad Opera finienda conceſſit; munificentiæ ſuæ fructum; de inſcriptione nominis ſui Operibus, ſi qua fecerit, capere per invidiam non prohibetur. *l.* 2. ULP. LIB. 3. OPINION.

Inſcribi autem nomen Operi Publico, alterius quàm Principis aut ejus cujus pecuniâ id Opus factum ſit, non licet. *l.* 3. § 2. MACER LIB. 2. DE OFFIC. PRÆSID.

Nec Præſidis quidem nomen licebit ſuperſcribere. *l.* 4. MODEST. LIB. 11. PANDECT.

V.

Quum autem ſemel inſcriptum fuerit; Ne ejus nomine, cujus liberalitate Opus extructum eſt, eraſo, aliorum nomina inſcribantur; & propterea revocentur ſimiles civium in patrias liberalitates; Præſes provinciæ auctoritatem ſuam interponat. *ſup. d. l.* 2. § 2.

Enimverò Si quis Opus ab alio factum, adornare marmoribus, vel alio modo ex voluntate populi facturum ſe pollicitus ſit: nominis proprii titulo ſcribendo, manentibus priorum titulis qui ea Opera feciſſent, id fieri debere Senatus cenſuit.

Quòd ſi privati, in Opera quæ pecuniâ publicâ fiant, aliquam de ſuo adjecerint ſummam; ita titulo inſcriptionis uti eos debere iiſdem Mandatis cavetur, ut quantam ſummam contulerint in id Opus ſcribant. *l.* 7. § 1. CALLISTRAT. LIB. 2. DE COGNITIONIB.

VI.

Obſervandum ſupereſt; quædam eſſe opera, in quibus nomen ejus cujus ſumptu fiunt, inſcribi non debet.

Sic enim reſcribunt Theodoſius & Valentinianus. In Noſtræ Serenitatis imaginibus ac ſtatuis erigendis, privatæ collationis injuriam propulſari (*e*) præcipimus, ne quid in eis ſuum collator cognoſcat. *l.* 3. *Cod. de Statuis & imagin.*

§ IV.

De Curatoribus qui Operibus publicis præponuntur; & de redemptoribus eorum Operum.

VII.

Operibus publicis faciendis Catatores conſtitui ſolent. Curatores Operum cum redemptoribus (*f*) negotium habent; Reſpublica autem, cum his quos efficiendo Operi præſtituit. Quatenùs ergo, & quis, & cui obſtrictus eſt; æſtimatio Præſidis provinciæ eſt. *l.* 2. § 1. ULP. LIB. 3. OPINION.

Curatoris officio potiſſimùm incumbit, ut à redemptore ſatiſdationem exigat; juxta quod (*inquit Papyrius* Idem eodem libro) Imperatores Antoninus & Verus reſcripſerunt; Operum exactionem ſine cautione non oportere

(*d*) *Interim.*

(*e*) Id eſt, mentionem privatorum qui contulerint; ne ſcilicet per hanc mentionem, privatus quis dicere poſſit aliquid in iis ad ſe pertinere.

(*f*) *Redemptor* eſt, qui faciendum opus conduxit: [*l'Entrepreneur*].

Source : BIU Cujas

committi. *l.* 9. § 3. *ff. de Administr. rer. ad civit. pertin.* PAPYRIUS-JUST. LIB. 2. DE CONSTIT.

VIII.

Item reſcripſerunt; Operum periculum, etiam ad heredes Curatorum pertinere. *d. l.* 9. § 1.

Non tamen de eo quod poſt mortem Curatoris contingeret. Undè Ulpianus: Curator Operum creatus, præſcriptione motus (*a*) ab excuſatione perferendâ; ſicuti ceſſationis nomine in quâ quoad vivit, moratus eſt, heredes ſuos obligatos reliquit; ita temporis quod poſt mortem ejus ceſſit, nullo onere eos obſtrinxit. *l.* 1. ULP. LIB. 2. OPINION.

§ V.

De locis Publicis quæ à privatis poſſidentur.

IX.

Fines publicos à privatis detineri non oportet. Curabit igitur Præſes provinciæ ſi qui publici ſunt, à privatis ſeparare; & publicos potiùs reditus augere. Si qua loca publica, vel ædificia in uſus privatorum invenerit; æſtimare, utrùm-ne vindicanda in publicum ſint, an vectigal eis ſatius ſit imponi; & id quod utilius eſſe Reipublicæ intellexerit, ſequi. *l.* 5. § 1. ULP. LIB. SING. DE OFFIC. CURAT. REIPUBL.

(*a*) Qui nempè appellaverit à creatione, prætextu alicujus excuſationis; & per exceptionem aliquam ab excuſatione motus fuerit.

TITULUS XI.

DE NUNDINIS.

PErtinent etiam Nundinæ, ad jura publica municipiorum de quibus in hoc libro agitur.

I.

NUNDINÆ *quaſi* Novemdinæ *dictæ ſunt; quòd ex Antiquo Romuli inſtituto, Cives Romani octo diebus ruri operam darent, nono autem quoque die Romam ad mercatum convenirent.*

Hinc Leges Trinundino die, *id eſt tribus harum Nundinarum diebus promulgari ſolebant; ut omnibus innoteſcerent. Macrob.* Saturnal. *l.* 16.

Retento nomine res poſteà mutata eſt. Quæ etenim hodie NUNDINÆ *dicuntur, nihil aliud ſunt* (*ut definit Cujacius*) *quàm celebriores mercatus, qui ſtatis certiſque temporibus maximo mercatorum concurſu habentur; in his locis quibus jus habendi datum eſt, vel ex longâ conſuetudine, vel ex beneficio Principis aut Senatûs:* (les Foires publiques).

II.

Nundinis & mercatibus originem dedit publica utilitas. Enimverò, inquit Calliſtratus; Si quis ipſos cultores agrorum, vel piſcatores deferre utenſilia (*a*) in civitate juſſerit, ut ipſi ea diſtrahant, deſtituetur annonæ præbitio; cùm avocentur ab opere ruſtici, qui confeſtim ubi detulerint mercem, tradere eam, & ad opera ſua reverti debeant. Denique ſummæ prudentiæ & auctoritatis apud Græcos Plato, quum inſtitueret quemadmodum civitas benè, beatè habitari poſſit, in primis iſtos negotiatores neceſſarios duxit. Sic enim libro ſecundo ΠΟΛΙΤΕΙ'ΑΣ ait: ΔΕΙ˜ ΓΑΡ &c. [*id eſt*] «Indiget enim civitas pluribus utique ruſticis, & aliis miniſtratoribus: itemque his, qui invehant & evehant ſingula. Hi autem ſunt negotiatores. Adferens autem agricola in forum aliquid eorum quæ facit, vel aliquis alius opificum; niſi ſub idem tempus contingat, eum cum his quibus indiget, ſua permutare; vacabit-ne ſuo opificio deſes ſedens in foro? Nequaquàm: ſed ſunt qui hoc videntes, ſeipſos in hoc ſtatuant miniſterium.» *l.* 2. CALLISTRAT. LIB. 3. DE COGNIT.

III.

Ut autem magis invitentur mercatores ad Nundinas, hoc conſtituunt Valens & Valentinianus. Qui exercendorum mercatuum aut Nundinarum licentiam, vel Veterum indulto, vel Noſtrâ auctoritate meruerunt (*b*); ita beneficio Reſcripti potiantur, ut nullum in mercatibus atque Nundinis, ex (*c*) negotiatorum mercibus conveniant, vel in venalitiis, aut locorum temporali quæſtu & commodo (*d*), privatâ exactione ſectentur vel ſub prætextu privati debiti aliquam ibidem concurrentibus moleſtiam poſſint inferre. *l. un. Cod. h. tit.*

IV.

Nundinis impetratis à Principe; non utendo, qui meruit, decennii tempore uſum amittit. *l.* 1. MODEST. LIB. 3. REGUL.

(*a*) *Utenſilia* hîc appellantur, quæ ad uſum vitæ inſerviunt; quibus alimur.

(*b*) Hoc intellige de dominis prædiorum in quibus exercentur Nundinæ.

(*c*) Ex [*mercibus*] & IN [*venalitiis*] hîc ſignificat, *pro* vel *propter*. Senſus eſt, ut ne quid exigant ratione *Mercium* aut rerum *Venalium* quæcumque proſtabunt in Nundinis. *Mercis* nomen minùs patet quàm *Venalitiorum* aut rerum *Venalium*; cùm his ultimis, etiam ſervi contineantur.

(*d*) *Ex quæſtu temporali & commodo locorum* ubi exponuntur merces: [*pour le droit de la place dans le marché, pendant le temps que les marchandiſes l'occupent*].



Source : BIU Cujas

TITULUS XII.

DE POLLICITATIONIBUS.

IN hoc Titulo agitur de Pollicitationibus quæ Reipublicæ fiunt, & Votis quæ Deo.

ARTICULUS I.

De Pollicitatione.

I.

Pollicitatio à pacto differt. Nam PACTUM eſt duorum conſenſus atque conventio ; POLLICITATIO verò, offerentis ſolius promiſſum. *l.* 3. ULPIAN. LIB. 4. DISPUT.

Regulariter, neque ex pacto neque ex Pollicitatione civilis obligatio naſcitur. Hoc autem privilegium civitatum eſt, ut ex Pollicitatione ipſis factâ interdum obligatio naſcatur; maximè verò duobus caſibus, quos ita ſtatim ſubjungit Ulpianus: Et ideò illud eſt conſtitutum; ut, ſi OB HONOREM Pollicitatio fuerit facta, quaſi debitum exigatur.

Sed & CŒPTUM OPUS, licèt non ob honorem, promiſſum perficere promiſſor eò cogetur : & eſt conſtitutum. *d. l.* 3. ¶ *& ideò.*

Videndum igitur, Quando quis ex Pollicitatione obligetur; ad quid Pollicitatio obliget; quando Pollicitationis obligatio extinguatur, aut remittatur; denique agendum de conditionibus quæ liberalitatibus in rempublicam factis adponuntur.

Quæremus deinde, an quis ad opus publicum ſuo ſumptu faciendum obligari poſſit citra Pollicitationem.

§ I.

Quando quis ex Pollicitatione obligetur.

II.

Qui Pollicitus eſt aliquid Reipublicæ, vel nondum cœpit adimplere quod promiſit, vel jam cœpit.

Primus caſus, quo nondum cœpit. Non ſemper autem obligari eum qui Pollicitus eſt, ſciendum eſt. Si quidem ob honorem promiſerit decretum ſibi vel decernendum, vel ob aliam juſtam cauſam, tenebitur ex Pollicitatione: ſin verò ſine causâ promiſerit, non erit obligatus. Et ita multis Conſtitutionibus & veteribus & novis continetur. *l.* 1. § 1. ULP. LIB. SINGUL. DE OFFICIO CURAT. REIPUBL.

Et alibi. Hoc Jure utimur; ut in rebus publicis; quum de donatione quæritur, illud ſolum ſpectetur, utrùm ob cauſam aliquam juſtam Reipublicæ promittat quis vel Polliceatur, an non : ut, ſi ob honorem aliquem promittat, teneatur; ſi minùs, non. *l.* 19. *ff. de Donat.* ULP. LIB. 76. AD ED.

Et quidem Non tantùm maſculos, ſed etiam fœminas (*a*), ſi quid ob honores Pollicitatæ ſunt, debere implere ſciendum eſt. Et ita Reſcripto Imperatoris noſtri & Divi patris ejus continetur. *l.* 6. § 2. ULP. LIB. 5. DE OFFIC. PROCONSUL.

Sunt etiam aliæ cauſæ. Putà Propter incendium, vel terræ motum, vel aliquam ruinam quæ Reipublicæ contingit, ſi quis promiſerit; tenetur. *l.* 4. MARCIAN. LIB. 3. INSTITUT.

Et generaliter : Ob caſum quem civitas paſſa eſt, ſi quis promiſerit ſe quid facturum, etſi non inchoaverit, omni modo tenetur : ut Divus Severus Dioni reſcripſit. *l.* 7. PAUL. LIB. 1. DE OFFIC. PROCONS.

Ita tamen Pollicitatio, etiamſi ob juſtam cauſam fieret, obligat; ſi à præſente fiat.

Hinc idem Ulpianus libro primo Reſponſorum, Charidemo reſpondit :

Ex (*b*) epiſtolâ quam muneris edendi gratiâ abſens quis miſit, compelli eum ad editionem non poſſe. *l.* 5. ULP. LIB. 1. RESPONS.

III.

Hactenùs de priore caſu, quo quis nondum cœpit implere quod promiſit.

Alter caſus. Item ſi ſine causâ promiſerit, cœperit tamen facere ; obligatus eſt qui cœpit. *l.* 1. § 2. ULP. LIB. SING. DE OFFIC. CURAT. REIPUB.

CŒPISSE ſic accipimus, ſi fundamenta jecit, vel locum purgavit. Sed & ſi locus illi petenti deſtinatus eſt, magis eſt ut cœpiſſe videatur; item ſi apparatum ſive impenſam in publico poſuit. *d. l.* 1. § 3.

Imò : Sed ſi non ipſe cœpit; ſed cùm certam pecuniam promiſiſſet ad opus Reipublicæ, contemplatione pecuniæ cœpit (*c*) opus facere; tenebitur quaſi cœpto opere. *d. l.* 1. § 4.

Denique quum columnas quidam promiſiſſet, Imperator noſter cum Divo patre ſuo ita reſcripſit : « QUI » non ex causâ pecuniam Reipublicæ Pollicentur, libe» ralitatem perficere non coguntur. Sed ſi columnas » Citienſibus (*d*) promiſit; & opus eâ ratione ſumpti» bus civitatis, vel privatorum inchoatum eſt : deſeri » quod geſtum eſt, non oportet. » *d. l.* 1. § 5.

IV.

Si Pollicitatio quæ cauſam non habebat, obligat opere inchoato; multò magis illa quæ ob cauſam facta eſt, putà ob honorem.

Hinc Si quis pecuniam ob honorem promiſerit, cœperitque ſolvere; eum debere quaſi cœpto opere (*e*), Imperator noſter Antoninus reſcripſit. *l.* 6. § 1. ULP. LIB. 5. DE OFFIC. PROCONSUL.

Pariter Paulus. Qui pro honore pecuniam promiſit, ſi ſolvere eam cœpit; totam præſtare, operis inchoati exemplo, cogendus eſt. *l.* 16. § 1. *ff. de Mun. & hon.* PAUL. LIB. 1. SENTENT.

V.

Si is qui id quod Pollicitus eſt, exequi inchoavit, tenetur perficere; multò magis non poterit ex hâc causâ traditum repetere.

Undè Ulpianus. Si quis, quam ex Pollicitatione tradiderat rem municipibus, vindicare velit; repellendus eſt à petitione. Æquiſſimum eſt enim, hujuſmodi voluntates in civitates collatas, pœnitentiâ non revocari. Sed & ſi deſierint municipes poſſidere; dicendum erit,

(*a*) Nam quidam honores cadunt in fœminas : ut patet ex l. un. Cod. *de Mulierib. in quo loc.* Putà quædam ſacerdotia.

(*b*) Ita Cujacius Obſerv. XXVI. 19. hanc legem accipit; cenſetque in hâc ſpecie non ſupponendum cauſam defuiſſe, cùm de eâ re taceat Ulpianus; ſed ideò obligationem non naſci, quòd non fit vera Pollicitatio niſi quæ à præſente præſentibus Magiſtratibus fiat. Id probat ex ipsâ Pollicitationis definitione, quæ eſt OFFERENTIS *promiſſum*; ſuprà N. 1. Porrò non videtur [inquit] *Offerentem* poſſe, niſi præſentem.

(*c*) Reſpublica.

(*d*) *Citium* civitas Macedoniæ; undè natus eſt Zeno philoſophus, *Citienſis* dictus. Gloſſa.

(*e*) Imò, etſi nondum cœpiſſet ſolvere, teneretur; quia *Ob cauſam* Pollicitus eſt : ut dictum eſt ſuprà. Igitur *quaſi cœpto* hîc intelligendum eſt, maximè cùm jam cœperit.

Source : BIU Cujas

actionem eis concedendam. *l.* 3. § 1. ULPIAN. LIB. 4. DISPUTAT.

Hinc etiam Paulus : Si quis ſtatuam in municipio eâ mente poſuit ut ea municipii eſſet, & eam petere vult ; excludi eum oportet præſcriptione IN FACTUM datâ. *l.* 23. *ff. de Exceptionib.* LABEO LIB. 6. PITHANON A PAULO EPITOMATORUM.

V I.

Hactenùs vidimus quando quis teneatur ex Pollicitatione civitati factâ.

Ex Conſtitutione autem Zenonis ; ſi quis donaverit aliquam rem mobilem vel immobilem alicui Angelo aut Sancto, Tanquam ipſi poſtea Oratorium ædificaturus, *donationemque inſinuaverit ; poteſt compelli ab Epiſcopo perficere opus, quamvis illud nondum inchoaverit ; & poſteà dare ea quæ donatione continentur.*

Idem vult obſervari circa Pollicitationes factas locis piis, veluti Xenodochiis : licentiâ dandâ Epiſcopis & Œconomis, convenire ipſos donatores. l. 15. *Cod.* de Sacroſanct. Eccleſ.

§ I I.

Ad quid obligetur quis ex Pollicitatione.

V I I.

Ex Pollicitatione quis obligatur ad hoc ipſum quod promiſit, non ad æquipollens.

Nam Imperatores Antoninus & Verus Auguſti reſcripſerunt ; Opera extruere debere eos qui pro honore Polliciti ſunt, non pecunias pro his inferre cogi. *l.* 13. PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUT.

Si Pollicitus quis fuerit Reipublicæ opus ſe facturum, vel pecuniam daturum ; in uſuras non conveniatur. Sed ſi moram cœperit facere, uſuræ accedunt ; ut Imperator noſter cum Divo patre ſuo reſcripſit. *l.* 1. ULPIAN. LIB. SING. DE OFFIC. CURAT. REIPUBL.

§ I I I.

Quando Pollicitationis liberatio contingat ; & quando in totum aut pro parte, Pollicitationis obligatio heredibus Pollicitatoris, & ipſi Pollicitatori remittatur.

V I I I.

Pollicitationis liberatio tunc maximè contingit, quum adimpleta eſt.

Hinc Si quis opus quod perfecit, adſignavit (*a*) ; deinde id fortuito caſu aliquid paſſum ſit ; periculum ad eum qui fecit, non pertinere Imperator noſter reſcripſit. *l.* 1. § 6. ULP. LIB. SING. DE OFFIC. CURAT. REIPUBL.

I X.

Interdum Pollicitationis obligatio in totum aut pro parte remittitur, vel Pollicitatori, vel ejus heredibus.

Hâc in re autem intereſt ex quâ causâ hæc Pollicitationis obligatio contracta ſit. Nam Si quis ſui alieni-ve honoris causâ opus facturum ſe in aliquâ civitate promiſerit ; ad perficiendum, tam ipſe, quàm heres ex Conſtitutione Divi Trajani obligatus eſt. Sed ſi quis [non] ob honorem (*b*) opus facturum ſe in civitate aliquâ promiſerit, atque inchoaverit ; & priuſquàm perficeret, deceſſerit : heres ejus extraneus quidem neceſſe habet, aut perficere id, aut partem quintam patrimonii relicti ſibi ab eo qui id opus facere inſtituerat (ſi ita mallet), civitati in quâ id opus fieri cœptum eſt, dare ; is autem qui ex numero liberorum eſt, ſi heres extitit, non quintæ partis, ſed decimæ concedendæ neceſſitate adficitur. Et hæc Divus Antoninus conſtituit. *l.* 14. POMPON. LIB. 6. EPISTOLAR. ET VARIARUM. LECTIONTM.

Inter liberos, nepotem quoque ex filiâ contineri, Divus Pius reſcripſit. *l.* 15. ULP. LIB. SINGUL. DE OFFIC. CURAT. REIPUBL.

Igitur Toties locum habet diminutio Pollicitationis in perſonâ heredis, quoties non eſt Pollicitatio ob honorem facta. Cæterùm ſi ob honorem facta ſit, æris alieni loco habetur, & in heredum perſonâ non minuitur. *l.* 6. IDEM. LIB. 5. DE OFFIC. PROCONSUL.

Conſonat quod ait Modeſtinus. Ex Pollicitatione quam quis ob honorem apud Rempublicam fecit, ipſum quidem omnimodo in ſolidum teneri : heredem verò ejus, ob honorem quidem factâ promiſſione, in ſolidum ; ob id verò quòd opus promiſſum cœptum eſt, ſi bona liberalitati ſolvendo non fuerint, extraneum heredem in quintam partem patrimonii defuncti, liberos in decimam teneri, Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt.

Sed & ipſum donatorem pauperem factum ex promiſſione operis cœpti, quintam partem patrimonii ſui debere Divus Pius conſtituit. *l.* 9. MODESTIN. LIB. 4. DIFFERENT.

X.

Poteſt etiam contingere liberatio ejus quod quis ob honorem Pollicitus eſt ; ſi, antequàm honore fungeretur, deceſſerit.

Etenim Si quis ob honorem vel ſacerdotium pecuniam promiſerit ; & antequàm honorem vel magiſtratum ineat, decedet : non oportere heredes ejus conveniri in pecuniam quam is ob honorem vel magiſtratum promiſerat, Principalibus Conſtitutionibus cavetur.

Niſi fortè ab eo, vel ab ipsâ Republicâ eo vivo, opus fuerit inchoatum. *l.* 11. MODESTIN. LIB. 9. PANDECT.

X I.

Ex eo autem quòd quis relegatus fuit, Pollicitatio operis faciendi jam cœpti non remittitur.

Hoc ex Paulo diſcimus. Ita ille : De Pollicitationibus in civitatem factis ; judicum cognitionem eſſe Divi Fratres Flavio-Celſo in hæc verba reſcripſerunt : « PROBE faciet Statius-Rufinus ; ſi opus proſcænii (*c*) » quod ſe Gabinis extructurum promiſit, quod tandem » adgreſſus fuerat, perficiat. Nam etſi adversâ fortunâ » uſus, in triennio à Præfecto Urbis relegatus eſſet ; » tamen gratiam muneris quod ſponte obtulit, minuere » non debet ; cùm & abſens per amicum perficere iſtud » opus poſſit. Quod ſi detrectat ; actores conſtituti, » qui legitimè pro civitate agere poſſint, nomine pu- » blico adire adversùs eum judices poterunt : qui, quum » primùm potuerint, priuſquàm in exilium proficiſca- » tur, cognoſcent ; &, ſi opus perfici ab eo debere » conſtituerint, obedire eum Reipublicæ ob hanc » cauſam jubebunt, aut prohibebunt diſtrahi fundum » quem in territorio Gabiniorum habet. » *l.* 8. PAUL. LIB. 3. DE OFFIC. CONSUL.

§ I V.

De conditionibus quæ Pollicitationibus aliis-ve liberalitatibus in Rempublicam collatis adponuntur.

X I I.

Conditiones ſub quibus Pollicitatio aut alia liberalitas in Rempublicam collata eſt, ſervari debent.

Hoc in ſpecie ſequenti docet Modeſtinus. Septicia certamen patriæ ſuæ Pollicita eſt ; uti ſors apud eam remaneat, & ipſa uſuras ſemiſſales ad præmia certantium reſolvat (*d*) : in hæc verba : ΦΙΛΟΤΙΜΟΥΜΑΙ &c.

(*a*) *L'a fait recevoir.*
(*b*) Hic omninò ſupplenda negatio, ut patet ex ſequentibus.
(*c*) *Proſcænium* dicitur, veſtibulum Theatri ; locus ſcilicet ante ſcenam porrectus, in quo pulpitum erat ludicris exercendis accommodatum. Kalvin.
(*d*) Veteres dicebant *reſolvere* pro *ſolvere*. Sic Plautus in *Aſinar.* Act. II. 4. *Ecquis vecturam olivi reſolvit ?* Et alibi paſſim.

Source : BIU Cujas

[*id est*] « LARGIOR & dedico agonem quadriennalem » ex tringinta millibus sortis, ipsa penès me retinens » pecuniam; & cavens apud Decem primos (*a*) idoneè, » super pendendis à me solitis triginta milliûm usuris: » agonothetâ & præside futuro viro meo, & deinceps » liberis ex me nascituris. Cedent autem hæ usuræ in » præmia thymelicorum (*b*), prout in unoquoque » certamine Curia determinabit. » Quæro an possunt injuriam pati filii Septiciæ, quominùs ipsi præsiderent certamini; secundùm verba conditionemque Pollicitationis? Herennius-Modestinus respondit; Quo casu certaminis editio licita est, formam Pollicitationi datam servandam esse. *l.* 10. MODESTIN. LIB. 1. RESPONS.

Cæterùm Antoninus & Verus. Item rescripserunt; Conditiones donationibus adpositas quæ in Rempublicam fiunt, ita demùm ratas esse si utilitatis publicæ interest: quòd si damnosæ sint, observari non debere. Et ideò non observandum quod defunctus, certâ summâ legatâ, vetuit vectigal (*c*) exerceri. Esse enim tolerabilia, quæ vetus consuetudo comprobat. *l.* 13. § 1. PAPYRIUS JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUTIONIB.

§ V.

An quis citra Pollicitationem obligari possit ad opus publicum suo sumptu faciendum.

XIII.

Nemo ad id obligari potest, ne quidem in honorem Principis. Unde ita Ulpianus: Si qui respublica necessitatem imposuerit statuarum Principi ponendarum; qui non promisit, non esse ei necesse obtemperare, Rescriptis Imperatoris nostri & Divi patris ejus continetur. *l.* 6. § 3. ULP. LIB. ». DE OFFIC. PROCONS.

(*a*) Significat eos qui *Decem primi* Curiæ dicuntur.

(*b*) Isidorus *Origen.* XVI. 47. interpretatur musicos Scenicos. Vide suprà lib. 3. Tit. *de His qui not. infam.* N. 5. Not. (*c*).

(*c*) Id est; vetuit Rempublicam exigere *vectigal* aliquod [*quelque espece d'impôt*] quod diuturnâ consuetudine comprobatum erat.

ARTICULUS II.

De Votis.

XIV.

Votum est species Pollicitationis quæ Deo fit. Voto autem patresfamiliarum obligantur, puberes sui juris. Filius enim familias vel servus, sine patris domini-ve auctoritate, voto non obligantur. *l.* 2. § 1. ULPIAN. LIB. 1. DISPUT.

Similiter dicendum videtur de uxore, absque mariti consensu aliquid vovente. Et in his, sicut & in aliis multis (*ut notavimus ad* Leges XII. Tab.) *consonat Jus Romanum Juri divino:* « MULIER *si quidpiam voverit & se* » *constrinxerit juramento, quæ est* IN DOMO PARTIS SUI » *& in ætate adhuc puellari.... si contradixerit pater; &* » *vota & juramenta ejus irrita erunt.*

» UXOR *in domo viri quum se voto constrinxerit &* » *juramento; si audierit vir, &... exemplò contradixerit,* » *non tenebitur promissionis rea.* » Num. *XXX.* 4--13.

XV.

Si quis rem aliquam voverit, voto obligatur; quæ res personam voventis, non rem quæ vovetur, obligat. Res enim quæ vovetur, soluta quidem liberat vota; ipsa verò sacra non efficitur. *d. l.* 2. *pr.*

Hinc Si decimam quis bonorum vovit; decima non priùs esse in bonis desinit, quàm fuerit separata. Et si fortè qui decimam vovit, decesserit ante sepositionem; heres ipsius hereditario nomine decimæ obstrictus est. VOTI enim OBLIGATIONEM AD HEREDEM TRANSIRE CONSTAT. *d. l.* 2. § 2.

Quocircà notandum ex Plutarcho Quæst. Roman. *XVIII. id moris apud Antiquos fuisse; ut nonnulli divites bonorum suorum* DECIMAM *Herculi voverent: quæ ideò apud Plautum in* Trinum. *appellatur* PARS Herculeana.

Sic & Dictator Camillus Veios expugnaturus, Apollini Pythio DECIMAM *prædæ vovit: Liv. V.* 21. *Et similium votorum plura passim apud Historicos scriptores exempla.*

TITULUS XIII.

DE (VARIIS, ET) EXTRAORDINARIIS COGNITIONIBUS: ET SI JUDEX LITEM SUAM FECISSE DICERETUR.

PRIMA PARS TITULI.

De Extraordinariis Cognitionibus.

I.

DE municipibus & incolis, de excusatione munerum, de pollicitationibus Reipublicæ factis, &c. erant cognitiones Præsidum Extraordinariæ, de quibus actum est superioribus Titulis: hinc ansam arripuit Tribonianus agendi de variis quibusdam aliis Extraordinariarum cognitionum speciebus.

Cæterùm hæc Rubrica rectiùs in Vulgatâ inscribitur, de VARIIS ET Extraordinariis Cognitionibus. *Neque enim hîc generaliter tractatur de omnibus Cognitionibus quæ Extraordinariæ sunt, sed quædam tantùm & variæ hujus generis Cognitionum species enumerantur.*

Porrò antequàm de his agatur, præmittendæ videntur generales saletm Cognitionum divisiones. Sed Cognitionum numerus cùm ex variis causis descendat, in genera dividi facilè non potest; nisi summatim dividatur. Numerus ergo Cognitionum, in quatuor ferè genera dividi potest: aut enim de honoribus sive de muneribus gerendis agitatur aut de re pecuniariâ disceptatur, aut de existimatione alicujus cognoscitur, aut de capitali crimine quæritur. *l.* 5. CALLISTRAT. LIB. 1. DE COGNITIONIB.

Alia est Cognitionum divisio; in Ordinarias, & Extraordinarias.

ORDINARIÆ *in quibus Magistratus, judiciorum ordine servato;* EXTRAORDINARIÆ, *in quibus Præses ipse citra judiciorum ordinem cognoscebat.*

Plures harumce cognitionum Extraordinariarum species hîc referuntur, quæ omnes ad pecuniariam causam pertinent.

II.

V. G. Præses provinciæ de mercedibus Jus dicere

Source : BIU Cujas

ſolet, ſed præceptoribus tantùm ſtudiorum liberalium (*a*).

Liberalia autem ſtudia accipimus quæ Græci ΕΓΚΥΚΛΙΟΣ appellant. Rethores continebuntur, Grammatici, Geometræ. *l.* 1. ULP. LIB. 8. DE OMNIB. TRIBUNALIB.

An & philoſophi, Profeſſorum numero ſint? Et non putem : non quia non religioſa res eſt; ſed quia hoc primùm profiteri eos oportet, mercenariam operam ſpernere. *d. l.* 1. § 4.

Proindè ne Juris quidem civilis profeſſoribus Jus dicent. EST QUIDEM RES SANCTISSIMA, CIVILIS SAPIENTIA : SED QUÆ PRETIO NUMMARIO NON SIT ÆSTIMANDA NEC DEHONESTANDA; dum in judicio honor petitur, qui in ingreſſu ſacramenti (*b*) offerri debuit. QUÆDAM ENIM TAMETSI HONESTE ACCIPIANTUR, INHONESTE TAMEN PETUNTUR. *d. l.* 1. § 5.

III.

Alia cauſa eſt Juriſconſultorum qui comites ſeu adſeſſores ſunt Magiſtratuum. Undè idem Ulpianus. Sed & ſi comites ſalarium petant; idem, Juris eſt; quod in Profeſſoribus (*c*) placet. *d. l.* 1 § 8.

Item Divus Antoninus Pius reſcripſit; Juris ſtudioſos (*d*) qui ſalaria petebant, hæc exigere poſſe. *l.* 4. PAUL. LIB. 4. AD PLAUT.

IV.

Advocatis etiam Extra ordinem Jus dicitur; ut mox videbimus ADVOCATOS accipere debemus, omnes omninò qui cauſis agendis quoquo ſtudio operantur. Non tamen qui pro tractatu (non adfuturi cauſis) accipere quid ſolent (*e*), Advocatorum numero erunt. *l.* 1. § 11. ULP. LIB. 8. DE OMN. TRIBUNALIB.

Qualem autem mercedem petere poſſunt Advocati? Si cui cautum eſt honorarium, vel ſi quis de lite pactus eſt; videamus an petere poſſit? Et quidem de pactis ita eſt reſcriptum ab Imperatore noſtro, & Divo patre ejus: « LITIS causâ malo more pecuniam tibi promiſſam, » ipſe quoque profiteris. Sed hoc ita Jus eſt, ſi ſuſpensâ » lite ſocietatem futuri emolumenti cautio pollicetur. » Si verò poſt cauſam actam cauta eſt honoraria ſumma; » peti poterit uſque ad probabilem quantitatem, etſi » nomine palmarii (*f*) cautum ſit. Sic tamen ut com- » putetur id quod datum eſt, cum eo quod debetur; » neutrumque compoſitum licitam quantitatem exce- » dat. »

Licita autem quantitas intelligitur, pro ſingulis cauſis, uſque ad centum (*g*) aureos. *d. l.* 1. § 12.

Cæterùm etiam ante cauſam, rectè certum honorarium ſolvitur Advocatis.

Et quidem Advocati quoque, ſi per eos non ſteterit quominùs cauſam agant, honoraria reddere non debent. *l.* 38. § 1. *ff. Locati.* PAUL. LIB. SINGUL. REGULAR.

Hinc Divus Severus ab heredibus Advocati mortuo eo prohibuit mercedem repeti; quia per ipſum non ſteterat, quominùs cauſam ageret. *ſup. d. l.* 1. § 13.

Quòd ſi de ſummâ quæ honorarii nomine ſolveretur, non convenit; nihilominùs peti poteſt. Et quidem In honorariis Advocatorum ita verſari judex debet; ut pro modo litis, proque Advocati facundiâ, & Fori conſuetudine, & judicii in quo erat acturus, æſtimationem adhibeat: DUMMODO LICITUM HONORARIUM QUANTITAS NON EGREDIATUR : ita enim Reſcripto Imperatoris noſtri, & patris ejus continetur. Verba Reſcripti ita ſe habent : « SI Julius-Maternus, quem patronum » cauſæ tuæ eſſe voluiſti, fidem ſuſceptam exhibere » paratus eſt; eam duntaxat pecuniam quæ modum » legitimum egreſſa eſt, repetere debes. » *d. l.* 1. § 10.

V.

Hactenùs de Profeſſoribus liberalium ſtudiorum, Adſeſſoribus Magiſtratuum, & Advocatis. Medicorum quoque eadem cauſa eſt, quæ Profeſſorum: niſi quòd juſtior; cùm hi ſalutis hominum, illi ſtudiorum cauſam agant: & ideò his quoque Extra ordinem Jus dici debet. *d. l.* 1. § 1.

Sed & obſtetricem audiant, quæ utique medicinam exhibere videtur. *d. l.* 1. § 2.

Medicos fortaſſis quis accipiet, etiam eos qui alicujus partis corporis, vel certi doloris ſanitatem pollicentur: ut putà ſi auricularius (*Rectiùs* auricularum), ſi fiſtulæ, vel dentium. Non tamen ſi incantavit, ſi imprecatus eſt, ſi (ut vulgari verbo impoſtorum (*h*) utar) exorcizavit : non ſunt iſta medicinæ genera; tametſi ſint qui hos ſibi profuiſſe, cum prædicatione adfirment. *d. l.* 1. § 3.

VI.

Ad nutricia quoque officium Prætoris vel Præſidis devenit. Namque nutrices, ob alimoniam infantium, apud Præſides, quod ſibi debetur, petunt. Sed nutricia eò uſque producemus, quoad infantes uberibus aluntur : cæterùm poſt hæc, ceſſant partes Prætoris vel Præſidis. *d. l.* 1. § 14.

VII.

Ludi quoque litterarii Magiſtris (*i*), licèt non ſint Profeſſores, tamen uſurpatum eſt ut his quoque Jus dicatur. Jam & librariis (*k*) & notariis, calculatoribus (*l*) ſive tabulariis. *d. l.* 1. § 6.

Sed cæterarum artium opificibus ſive artificibus quæ ſunt extra litteras vel notas poſitæ, nequaquàm Extra ordinem Jus dicere Præſes debebit. *d. l.* 1. § 7.

VIII.

Vidimus quibus perſonis de mercede ipſis debitâ Præſes Extra ordinem Jus dicat. Sed & adversùs ipſos omnes cognoſcere Præſes debet : quia, ut adversùs Advocatos adeantur, Divi Fratres reſcripſerunt. *d. l.* 1. § 9.

Hinc V. G. Si medicus cui curandos ſuos oculos, qui eis laborabat, commiſerat; periculum amittendorum eorum per adverſa medicamenta inferendo, compulit ut ei poſſeſſiones ſuas contra fidem bonam æger venderet: incivile factum Præſes provinciæ coerceat, remque reſtitui jubeat. *l.* 3. ULP. LIB. 5. OPINION.

IX.

Varias alias cauſas refert Ulpianus, de quibus Extra ordinem Jus dicitur. Nimirùm De uſu aquæ, de rivis novis inciviliter inſtitutis; item de equis alienis à ſciente poſſeſſis, fœtuque earum; & de damno dato per immiſſos in prædium ſuum univerſos homines, eos qui in plurium prædia diſtribui debuerunt (ſi modò id non ex auctoritate ejus qui jubere potuit, factum eſt); Præſidem provinciæ doceri oportere reſponſum eſt : ut is ſecundùm rei æquitatem, & juriſdictionis ordinem, convenientem formam rei det. *l.* 2. ULP. LIB. 1. OPINION.

X.

Hæc omnia ſi apud Præſides petantur, videamus

(*a*) Romæ autem hanc Cognitionem habuiſſe Tribunos plebis, auctor eſt Juvenalis Satyr. VII. ubi ait :

Rara tamen mercès quæ Cognitione TRIBUNI
Non egeat.

(*b*) Solemni aliquo ritu, ſcholarum curriculum auſpicabuntur Doctor & ſcolaſtici : Doctor jurabat ſe probè & ex officio, non ex ullo pravo affectu leges interpretaturum; Scholaſtici munera Doctori offerebant. Senſus eſt igitur; HONOR id eſt ſumma quæ honorarii nomine, muneris nomine pro more offerri debuit, & non oblata eſt, inhoneſtè petitur in judicio; quamvis, ſi oblata fuiſſet, honeſtè accipi potuiſſet : *Quædam enim, &c.*

(*c*) Liberalium ſtudiorum, mox ſuprà.

(*d*) Cujacius intelligit de Adſeſſoribus Magiſtratuum, iiſdem nempè qui & *Comites* mox dicti ſunt.

(*e*) Illi erant qui excutiebant Juris quæſtiones, & quaſi tela agentibus ſubminiſtrabant. Hos Græci *Pragmaticos* vocabant : Quintill. *Inſtitut. Orat.* lib. XII. cap. 3.

(*f*) Præmium victoriæ ergo : [*Somme promiſe en cas de gain de cauſe*].

(*g*) Quæ ſumma definita eſt Conſtitutione Claudii Imperatoris : de quâ vide ſuprà lib. 3. Tit. *de Poſtul.* N. 20. Not. (*b*).

(*h*) Non improbabile eſt Ulpianum hîc intelligere Chriſtianos. Quanquàm & apud ethnicos fuerunt exorciſtæ, & qui carminibus morbos ſe ſanare jactarent : de quibus Plinius *Hiſt. nat.* XXVIII. 2.

(*i*) *Maitres d'école.*

(*k*) Librarii, *Copiſtes, Scribes.* Notarii, *Ceux qui écrivoient en Notes.*

(*l*) *Arithméticiens.*

Source : BIU Cujas

an de mutuis petitionibus poſſint Præſides cognoſcere? Et putem debere admitti. *l.* 1. *§ fin.* IDEM LIB. 8. DE OMNIB. TRIBUNALIB.

ALTERA PARS TITULI.

Si judex litem ſuam feciſſe diceretur.

X I.

Diſtincta prorsùs à priore Tituli parte hæc altera pars; in quâ non Extraordinaria Cognitio proponitur, ſed actio ordinaria In factum *adversùs eum judicem qui malè judicaverit.*

Pertinet id, non ad Magiſtratus ſolùm municipales, quibus ex officio incumbebat judicandi munus; ſed & ad quoſvis judices datos qui Pedanei *dicebantur, & quorum munus inter munera publica ſuprà recenſitum eſt Tit.* de Muner. & honor. *N.* 4.

Horum ſi quis per imperitiam Juris malè judicaverit; dicitur Litem ſuam facere; *quia periculum litis in ſe vertit: obligaturque ei qui per ipſius injuriam causâ cecidit, in id quod malè condemnatus eſt, aut in id à quo malè adverſarius ejus abſolutus eſt. Quum alioquin per gratiam aut ſordes malè judicans, teneretur inſuper in id quod alterutrius litigantium poſſet intereſſe, ſi quid nempè damni ultrà ſenſiſſet: ut ſuprà vid. lib.* 4. *Tit.* de Judiciis, *Sect. VI.* §°. 2°.

De hoc caſu quo per ſolam imprudentiam malè judicatum eſt, accipe quod ait Gaius: Si judex litem ſuam fecerit, non propriè ex maleficio (*a*) obligatus videtur. Sed quia neque ex contractu obligatus eſt, & utique peccaſſe aliquid intelligitur, licèt per imprudentiam; ideò videtur quaſi ex maleficio teneri IN FACTUM actione. Et in quantùm de eâ re æquum religioni judicantis viſum (*b*) fuerit, pœnam ſuſtinebit. *l.* 6. GAIUS LIB. 3. RERUM COTTID. SIVE AUREOR.

X I I.

Patet autem hanc pœnam ad majores Magiſtratus non pertinere, cùm ex militari plerùmque Ordine legerentur, & ipſis non imputetur Juris inſcitia. Ideoque cogebantur dare judices litigantibus jure ordinario, ſortitos ex certo ordine hominum qui Juris ſcientiam ipsâ ſuâ deſtinatione & profeſſione ſponderent.

Contrà cùm Magiſtratus municipalis per ſe ipſe judicare teneatur, ſcire debet leges ex quibus judicet. Excuſatur tamen ipſius ignorantia, ſi in formâ judicii quid peccaverit adversùs peculiares duntaxat municipii leges. Exemplum ſuppeditat Scævola. Municipii Lege ita cautum erat: Ε'ΑΝ ΤΙΣ &c. [*id eſt*] «Si quis extrà ſynedrium (*c*) judi» caverit, Ordine ſeu ſynedrio moveatur, & luat ad » hæc (*d*) drachmas mille.» Quæſitum eſt an pœnam ſuſtinere debeat, qui ignorans adversùs Decretum fecit? Reſpondit; Et hujuſmodi pœnas adversùs ſcientes paratas eſſe. *l.* 6. *ff. de Decret. ab ord. faciend.* SCÆVOLA LIB. I. DIGESTOR.

(*a*) Id eſt; ſi malè judicando in eum caſum inciderit ut litem ſuam facere debeat; *non* utique ſemper *ex maleficio* propriè *obligatus videtur.* Enimverò LITEM SUAM FACERE æquè dicitur, ſive quum dolo, ſive quum imprudentiâ duntaxat malè judicavit. *Sed* hoc ultimo caſu, *quia neque &c.*

(*b*) Cùm nulla lex hujus maleficii aut quaſi maleficii pœnam definierit. Æquitas autem hoc ſuggerit *Religioni judicantis*, ut in ſaltem condemnet eum in quantùm ipſe litigatorem iniquè condemnavit aut abſolvit.

(*c*) *Le lieu d'aſſemblée.*

(*d*) *Ad hæc*, id eſt, inſuper.

TITULUS XIV.

DE PROXENETICIS.

Est hic Titulus pars ac ſequela ſuperioris. Eſt enim cognitionis extraordinariæ ſpecies, cognitio DE PROXENETICIS.

I.

PROXENETICA *ſunt præmia ſeu mercedes quæ conſtituuntur* Proxenetis; *id eſt, his perſonis quarum interventu nuptiæ, amicitiæ, nomina, aut quævis negotiationes inter duos plures-ve contrahuntur.*

Proxenetica jure licito petuntur. *l.* 1. ULPIAN. LIB. 42. AD SABIN.

Proxenetici autem duplex genus. Pariterque De Proxenetico, quod & SORDIDUM, ſolent Præſides cognoſcere: ſic tamen ut in his modus eſſe debeat, & quantitatis & negotii in quo operulâ iſtâ defuncti ſunt, & miniſterium quale quale accommodaverunt. Faciliùs quod Græci Ε'ΡΜΗΝΕΥΤΙΚΟ'Ν [*id eſt*, INTERPRETATIVUM (*a*), ſeu *interpretis honorarium*] appellant, peti apud eos poterit; ſi quis fortè conditionis (*b*) vel amicitiæ vel Adſeſſuræ, vel cujus alterius hujuſcemodi, Proxeneta fuit. Sunt enim (*c*) hujuſmodi hominum, ut tam in magnâ civitate, officinæ. Eſt enim Proxenetarum modus, qui emptionibus-venditionibus, commerciis, contractibus licitis, utiles non adeò improbabili more ſe exhibent. *l.* 3. ULP. LIB. 8. DE OMN. TRIBUN.

I I.

A Mandatore valdè differt Proxeneta.

Hinc Ulpianus. Si Proxeneta intervenerit faciendi nominis, ut multi ſolent; videamus an poſſit quaſi mandator teneri? Et non puto teneri; quia hic monſtrat magis nomen quàm mandat, tametſi laudet nomen.

Idem dico, & ſi aliquid philantropiæ (*d*) nomine acceperit: nec Ex locato-conducto erit actio. Planè ſi dolo & calliditate creditorem circumvenerit, DE dolo actione tenebitur. *l.* 2. ULPIAN. LIB. 31. AD EDICT.

(*a*) *Salaire de celui qui a porté les paroles.*

(*b*) *Clauſes & Articles de Traité*, ſive ad amicitiam conciliandam, ſive ad Adſeſſores Magiſtratibus quærendos &c.

(*c*) Hoc refer ad Proxeneticum *ſordidum* de quo ſuprà: ut patet ex exemplis modò ſubjectis, ſcilicet Proxenetarum qui commerciis inſerviunt (vulgariter *Courtiers*).

(*d*) Salarii. Id, inquam, nihil ad rem; quo magis teneatur.

Source : BIU Cujas

TITULUS XV.

DE CENSIBUS.

DE Jure publico reſtabat hoc tantùm, ut rationem Cenſûs quæ in provinciis obtinebat, exponerent Pandectarum ordinatores.

I.

Res omnibus vulgata eſt, duplicem apud Romanos fuiſſe Cenſum, CAPITIS, & SOLI.

I. Cenſus *ſeu tributum & ſtipendium* capitis, *quod & proprio nomine* CAPITATIO *dicitur, jam ſub primis Romanorum Regibus in uſu fuit. Et quidem ita viritim diſtribuebatur, ut ſinguli cives abſque ullo divitum pauperumque diſcrimine conferre tenerentur æqualiter:* Dionyſ. Halicarn. *lib. IV. Ex inſtituto verò* Servii-Tullii, *quod à Tarquinio-Superbo abrogatum, rursùs ſtante Republicâ obtinere cœpit, pro modo facultatum in ſingula capita diſtributum eſt.*

Imperabatur Cenſus ille, prout res poſcebat. Verùm anno U. C. 349. *cùm placuiſſet plebem Romanam quæ hactenùs ſuis militaverat ſtipendiis, ex publico ſtipem accipere; tributum civium annuum ordinariumque factum eſt, ut ſemper paratum haberet Reſpublica undè ſtipendium militare ſolveretur. Remanſitque hæc forma ad annum uſque* 586. *Quo anno, hoc tributum antea non ſemel à Tribunis impeditum, à Senatu remiſſum, brevi reductum, imò & auctum quandoque, poſtremò tandem prorsùs ſublatum eſt: quum nempè Æmilius-Paulus tantam ex prædâ Macedonicâ vim auri in Ærarium intuliſſet, ut jam tributo non eſſet opus. Et exindè, ad Conſulatum Hirtii & Panſæ anno U. C.* 710. *poſt cædem Julii-Cæſaris, duravit hujus tributi remiſſio; ſi Plutarcho hâc in re fides, in vitâ ejuſdem Pauli.*

Fuit & in provinciis tributum Capitis, *à perſonis debitum; quod nempè Romani populis debellatis in præmium victoriæ ſignumque ſubjectionis imperabant, quotannis Ærario ſolvendum. Sic V. G. captâ Carthagine, civitatum illarum quæ Carthaginienſibus opem tulerant, viros ac mulieres tributarios ac ſtipendarios factos refert Appianus* de Bell. Pun. *circa fin.*

II. Cenſus *ſeu tributum* SOLI, *de quo potiſſimùm in hoc Titulo agitur, illud eſt quod in provinciis ratione prædiorum debetur, & inter poſſeſſores pro ratâ ejus quod quiſque in territorio civitatis huic tributo obnoxiæ poſſidet, diſtribuitur. Hujus, ut variæ ſpecies, ita & varia occurrunt nomina.*

Et 1°. *poſtquàm Auguſtus provincias cum Populo partitus eſſet; tributum quod provinciæ Cæſaris pendebant, propriâ appellatione* TRIBUTUM; *illud verò quod à provinciis Populi exigebatur,* STIPENDIUM *dictum fuiſſe auctor eſt Theophilus* Inſtit. *Tit.* de Rer. diviſ. *Quæ tamen nomina promiſcuè quandoque uſurpata probat Cujacius* Obſerv. *VII.* 3. *ex Suetonii, Eutropii, aliorumque teſtimoniis.*

2°. *Item propria appellatio* TRIBUTI *erat, ejus quod in auro, argento, ære, equis-ve conſiſteret: ſi in frumento, hordeo, oleo, vino, larido, &c. peculiari nomine* ANNONA *dicitur. Utraque autem ſpecies, generali* INDICTIONIS *nomine continetur; quemadmodum &* Jugatio, *ſeu id quod pro eo agri modo qui uno jugo boum arari poteſt penditur* [pour chaque Charruë]; & CAPITATIO, *ſumpta pro eâ indictionis ſpecie quæ ſolvebatur pro ſingulis capitibus hominum adſcriptiiorum aut animalium quæ in prædio eſſent.*

3°: *Denique tributa omnia, quæcumque illa ſint, dividuntur in annua & ordinaria, quæ proprio nomine* CANONICA functio, *ſeu* Illatio *aut* Collatio *dicuntur; & extraordinaria ſeu repentina, quæ dicebantur* SUPERINDICTIO *vel* Superindicta.

Ipſa autem appellatio CENSUS, *impropriè duntaxat accipitur pro tributis ipſis: ſiquidem propriè loquendo ſignificat recenſitionem, æſtimationem, & in tabulas publicas relationem eorum quæ unuſquiſque in territorio civitatis poſſideret.*

III. In horum-ce tributorum onere, aut ab his immunitate, poſitam fuiſſe certum eſt præcipuam quæ olim obtinebat inter prædia ITALICA & PROVINCIALIA *differentiam. Enimverò prædia* Provincialia *quorum dominium Populus Romanus retinuerat, fruendâ duntaxat poſſeſſoribus ſub lege tributi conceſſa fuerant; prædiorum verò* Italici ſoli *perfectum dominium penès poſſeſſores erat, abſque tributi onere. Atque hinc communis eſt Doctorum ſententia, circa ea quæ in hoc Titulo traduntur de jure Italico,* JUS *illud* ITALICUM *continere immunitatem à tributis omnimodam: quamvis contrà, ſola* IMMUNITAS *à tributis minor ſit jure Italico & illud non contineat; utpotè quod latiùs extendatur, ad jura* Mancipiorum, Nexi, Annalis exceptionis, &c.

Diſſentit tamen Cujacius Obſerv. X. 35. *& hæc duo prorsùs diverſa fuiſſe contendit; nec eas quæ* Jus Italicum *habuerint regiones, hoc ipſo à tributis immunes cenſeri: adeò ut verbum hoc* Immunitas, *licèt aliàs jure Italico minùs extendatur, ad tributa tamen quod attinet, latiùs pateat quàm jus* Italici ſoli. *Et ſanè* Italici *quoque* ſoli *prædia ab omni tributo libera non fuiſſe, ſub poſterioribus præſertim Imperatoribus, apertè liquet ex l.* 6. *l.* 9. *l.* 12. *Cod.* [*Theod.*] de Annon. & trib. *Huc facit & ille Aurelii-Victoris textus lib.* 9. *ubi, poſtquàm dixit, Partito inter quatuor duces, Diocletianum, Maximianum, Conſtantium, & Galerium Imperio, Italiam Maximiano obtigiſſe; ita ſubjicit:* « HINC *parti Italiæ invectum tributorum in-*
» *gens malum. Nam quum* (anteà) *omnis eâdem functione*
» *moderatâque ageret: penſionibus inducta lex nova, quò*
» *exercitus atque Imperator qui ſemper aderant in eâ Italiæ*
» *parte ali poſſent.* » *Undè certò colligi videtur, jam ante hæc tempora tributum aliquod* (Moderatum *quidem*) *per univerſam Italiam obtinuiſſe. Quæ autem de novo introducta fuit à Maximiano functionis ſpecies, videtur eſſe tributum illud vini ad cellarium Principis; cujus mentio in ſup. d. l.* 6. *Cod.* (*Theod.*) de Annon. & tribun.

IV. Utut ſit; & quamvis prædia omnia, etiam per Italiam, tributis quibuſdam obnoxia dici debuerint; non ideò minùs certum eſt fuiſſe aliquam, circa tributa ipſa, Jure Pandectarum & Juſtinianeo differentiam inter prædia Italica & Provincialia; cùm tam diligenter in hocce DE CENSIBUS Titulo exquiratur, quæ in provinciis regiones JURIS ITALICI *fuerint. Hanc Cujacius poſitam fuiſſe ſuſpicatur, duntaxat in levatione Cenſûs* (dans la maniere de lever les Impôts); *ſcilicet ut quæ Coloniæ Juris Italici eſſent, idem in Cenſione jus experirentur ac ſolum Italicum. Quænam porrò illa ſit, ignorare me fateor.*

Hæc autem qualiſcumque fuit differentia, etiam poſt Conſtitutionem Caracallæ quâ Civitas Romana omnibus orbis Romani nationibus communicata eſt, perſeveravit. Hâc enim Conſtitutione exæquata quidem eſt conditio perſonarum, ac non rerum; & differentia juris Italici & Provincialis quæ circa conditionem perſonarum ſublata eſt, circa agros remanſit.

Primùm

Source : BIU Cujas

Primùm igitur in hoc Titulo exquiritur; Quæ regiones ac civitates in provinciis, aut nudum Coloniæ *nomen, aut Immunitatem à tributis, aut Jus Italicum habuerint:* 2°. *Exponitur quomodo fiant professiones Censuales, tabulæ Censûs, & distributio tributi inter possessores:* 3°. *Denique agitur de exactione tributi.*

ARTICULUS I.

Quæ regiones ac civitates in provinciis, aut Immunitatem à tributis aut Jus Italicum habuerint necne, quænam nudum Coloniæ *nomen.*

II.

Olim COLONIÆ *erant oppida cum suo agro seu territorio, quò Populus Romanus victis abductisque indè originariis civibus, Cives ipse suos ad incolendum deduxerat. Aliæ* MILITARES, *aliæ* PLEBEIÆ *dictæ; prout in eas deducti essent, aut veterani milites, aut homines è Romanâ plebe. Item varii Juris erant: quædam enim* COLONIÆ CIVIUM, *quum scilicet deductis eò civibus jus* Quiritium *servabatur: aliæ verò, & quidem pleræque,* COLONIÆ LATINÆ; *non quia Latini homines in eas missi, sed cives Romani eâ lege ut jus duntaxat Latinitatis ibi haberent. Undè & generaliter Boethius, in Colonias deductos* MEDIAM CAPITIS DIMINUTIONEM PASSOS *scribit.*

Tunc temporis, Coloniæ *à* Municipiis *valdè differebant.* MUNICIPIA *siquidem dicebantur,* [*teste Gellio X.* 13.] *civitates illæ quibus ultrò deditis aut fœdere sociatis, non agros solùm suos relinquebat Populus Romanus, sed & jus suis Legibus utendi; imò communicatâ ipsis civitate, muneris honorarii cum ipso Populo Romano fiebant participes. Quum contrà* COLONI, *non suo proprio Jure, sed Legibus institutisque Romanis uterentur; nec cives Romani dici possent, si suprà dictas illas* CIVIUM ROMANORUM *Colonias exceperis.*

Postea verò Municipii *aut* Coloniæ *nomen promiscuè usurpari cœpit; quum Romanæ Leges commune Jus factæ sunt Orbis universi. Sublato proindè hâc in parte, Municipiorum à Coloniis discrimine; Coloniæ potiùs nomen datum est civitatibus provinciarum illis omnibus, quibus jura aliqua seu privilegia quasi in societatem quamdam cum Populo Romano indulta sunt. Et indè passim, etiam absque deductione civium, factæ Coloniæ sub Imperatoribus, id est jus Coloniæ datum. Quod in quo consistat, vix est ut apertè dignosci possit. Hoc tantùm, quod ad tributa attinet, liquebit ex decursu hujus Tituli; alias nempè civitates nudum Coloniæ nomen accepisse, alias jus Italicum, alias omnimodam immunitatem.*

De his Coloniis ita Ulpianus. Sciendum est esse quasdam Colonias juris Italici: ut est in Syriâ-Phœnice, splendidissima Tyriorum colonia [undè mihi origo est], nobilis regionibus, serie sæculorum antiquissima, armipotens, fœderis quod cum Romanis percussit tenacissima. Huic enim Divus Severus & Imperator noster, ob egregiam in Rempublicam, Imperiumque Romanum insignem fidem, jus Italicum dedit. *l.* 1. ULP. LIB. I. DE CENSIBUS.

Sed & Berytensis Colonia in eâdem provinciâ, Augusti beneficiis gratiosa, & (ut Divus Hadrianus in quâdam oratione ait) AUGUSTANA (*a*) COLONIA; quæ jus Italicum habet. *d. l.* 1. § 1.

Est & Heliopolitana (*b*), quæ à Divo Severo per belli civilis occasionem (*c*) Italicæ Coloniæ Rempublicam accepit. *d. l.* 1. § 2.

Est & Laodicena (*d*) Colonia in Syriâ-Cœle (*e*); cui Divus Severus jus Italicum ob belli civilis merita (*f*) concessit. Ptolemensium enim Colonia, quæ inter Phœnicen & Palestinam sita est, nihil præter nomen (*g*) Coloniæ habet. *d. l.* 1. § 3.

Sed & Emisenæ civitati Phœnices, Imperator noster (*h*) jus Coloniæ dedit; jurisque Italici eam fecit. *d. l.* 1. § 4.

Est & Palmyrena civitas in provinciâ Phœnice, propè barbaras gentes & nationes collocata. *d. l.* 5. § 5.

In Palestinâ duæ fuerunt Coloniæ, Cæsarienses (*i*), & Ælia-Capitolina (*k*): sed neutra jus Italicum habet. *d. l.* 1. § 6.

Divus quoque Severus in Sebastenam (*l*) civitatem, Coloniam deduxit. *d. l.* 1. § 7.

In Daciâ (*Ita Basilic. Malè vulgo* Indica) quoque Zernensium Colonia, à Divo Trajano deducta, juris Italici est. *d. l.* 1. § 8.

Zarmizegethusa (*m*) quoque ejusdem juris est; item Napocensis (*n*) Colonia, & Apulensis (*o*); & Patavicensium (*p*) vicus, qui à Divo Severo jus Coloniæ impetravit. *d. l.* 1. § 9.

Est & in Bithyniâ Colonia Apamena (*q*), & in Ponto Sinopensis. *d. l.* 1. § 10.

Est & in Ciliciâ Selinus (*r*) & Trajanopolis. *d. l.* 1. § 11.

III.

Pariter plures hujusmodi civitates recenset Paulus.

In Lysitaniâ Pacenses, sed & Emeretenses (*s*), juris Italici sunt. Idem jus Valentini (*t*) & Licitani (*u*) habent. Barcenonenses (*x*) quoque ibidem, immunes sunt. *l.* 8. PAUL. LIB. I. DE CENSIB.

Lugdunenses (*y*) Galli, item Viennenses in Narbonensi, juris Italici sunt. *d. l.* 8. § 1.

In Germaniâ inferiore, Agrippinenses (*z*) juris Italici sunt. *d. l.* 8. § 2.

Laodicia in Syriâ, & Berytos in Phœnice, juris Italici sunt; & solum earum. *d. l.* 8 § 3.

Ejusdem juris & Tyriorum civitas, à Divis Severo & Antonino facta est. *d. l.* 8. § 4.

Divus Antoninus Antiochenses COLONOS fecit, salvis tributis. *d. l.* 8. § 5.

Imperator noster Antoninus civitatem Emisenorum, Coloniam & juris Italici fecit. *d. l.* 8. § 6.

Divus Vespasianus Cæsarienses COLONOS fecit, non adjecto ut & juris Italici essent: sed tributum his remisit

(*a*) Eò enim Augustus coloniam deduxit, duasque legiones ibi collocavit anno U. C. 740. (Euseb. in *Chron.* Strabo *lib.* 16.) Ibi floruit Schola Juridica.

(*b*) Duæ fuerunt hujus nominis, una in Ægypto ob cultum Solis celeberrima, undè etiam nomen accepit: alia in Syriâ. De utraque egit Isaac Vossius *Var. observ.* cap. 15. Syriacam Heliopolim intelligi facilè colligitur ex his quæ præcedunt & sequuntur, ubi de Syriæ duntaxat civitatibus agitur.

(*c*) Scilicet contra Piscennii-Nigri asseclas.

(*d*) Duplex fuit Laodicea, una ad Libanum in Syriâ-Phœnice, altera ad mare de quâ hic agitur.

(*e*) *Cœle-Syria* hic accipitur, non propriè dicta quæ una ex quinque Syriæ diœcesibus fuit; sed pro universo Syriæ tractu, à Seleucide usque ad Euphratem, Arabiam, & Ægyptum porrecto. Ita etiam accipitur in l. 37. ff. *de Reb. auct. jud. poss.*

(*f*) Laodiceni enim, partes Severi contra Piscennium-Nigrum secuti fuerant; ad usque civitatis suæ excidium.

(*g*) Nudum nomen *Coloniæ* Romanæ habet, absque ullâ immunitate.

(*h*) Caracalla; eo quòd *Emesina* patria fuit matris ipsius Juliæ-Domnæ.

(*i*) Palæstinæ Metropolis.

(*k*) Urbs nova, ita ab Ælio-Hadriano conditore suo appellata; propè solum ubi fuerat Hierosolyma, & quasi ex ejus ruderibus ædificata.

(*l*) Quæ olim Samaria fuit; ab Hircano eversa, & ab Herode de novo condita.

(*m*) Fuit quoque in Daciâ. Ipsa est quæ *Ulpia-Trajana* dicta est.

(*n*) In Daciâ: hodie *Claudiopolis* Trans-Sylvaniæ.

(*o*) Fuit olim *Apulum*, regia Daciæ: hodie *Alba-Julia.*

(*p*) Heineccius (in Opere posthumo *Topograph. Juris*) legit *Paralisensium*; nixus auctoritate cujusdam marmoris apud Spondan. *Misc. erud. antiq.* ubi mentio *civitatis Paralisensium provinciæ Daciæ.*

(*q*) Ab apamâ Prusiæ regis uxore dicta: Strabo lib. 12. quem vide & de *Sinopensi.*

(*r*) Legendum *Selinus seu Trajanopolis*: utrumque enim nomen est ejusdem civitatis; ut rectè Cujacius animadvertit, auctore Dione in Trajano.

(*s*) *Augusta-Emerita*, urbs Lusitaniæ celeberrima: (hodiè *Merida*).

(*t*) Urbs Hispaniæ notissima.

(*u*) Heineccius censet legendum *Illitani.* Plinius *Hist. nat.* III. 3. Hispaniam citeriorem describens, mentionem facit *Coloniæ immunis* ILLICI, *undè Illicitanus sinus*; in viciniâ novæ Carthaginis. Binkershoek legit *Lucitani*, & ait Lucentiam fuisse urbem Hispaniæ non procul à Valentiâ, auctore Melâ *de Situ Orbis* II. 6.

(*x*) *Barcelone.*

(*y*) *Lugdunensis Gallia*, eadem quæ *Celtica.*

(*z*) Ab Aggrippinâ Claudii uxore ita dicta. Tacit. *Annal.* XII. 27. (Hodie *Cologne*).

Source : BIU Cujas

capitis. Sed Divus Titus etiam ſolum immune factum interpretatus eſt.

Similes eis Capitulenſes (*a*) eſſe videntur. *d. l.* 8. § 7.

In provinciâ Macedoniâ ; Dyrracheni, Caſſadrenſes, Philippenſes, Dienſes , Stovenſes , juris Italici ſunt. *d. l.* 8. § 8.

In provinciâ Aſiâ, duæ ſunt juris Italici ; Troas , & Parium. *d. l.* 8. § 9.

In Piſidiâ , ejuſdem juris eſt Colonia Antiochenſium. *d. l.* 8. § 10.

In Africâ Carthago , Uticea , Leptis magna , à Divis Severo & Antonino juris Italici factæ ſunt. *d. l.* 8. § 11.

Suffragantur Celſus & Gaius. Colonia Philippenſis , juris Italici eſt. *l.* 6. CELSUS LIB. 25. DIGEST.

Item Juris Italici ſunt, Troas , Berytus , Dyrrachium. *l.* 7. GAIUS LIB. 6. AD LEG. JUL. ET PAP.

IV.

Hîc porrò obſervandum eſt ; immunitatem à tributis , quam quibuſdam Coloniis ac civitatibus conceſſam eſſe diximus , perpetuam eſſe.

Enimverò Quanquàm in quibuſdam beneficia perſonis data immunitatis , cum perſonâ extinguantur , tamen quum generaliter locis aut quum civitatibus, immunitas ſic data videtur ut ad poſteros tranſmittatur. *l.* 4. § 3. ULP. LIB. 3. DE CENSIBUS.

Et alibi. Rebus conceſſam immunitatem non debere (*Florent.* habere) intercidere , Reſcripto Imperatoris noſtri ad Pelignianum rectè expreſſum eſt. Quippè perſonis quidem data immunitas cum perſonâ extinguitur ; rebus , nunquam extinguitur. *l.* 3. § 1. IBIDEM LIB. 2.

ARTICULUS II.

De tabulis Censûs , & profeſſionibus Cenſualibus.

V.

Ut conficiantur tabulæ Censûs , unuſquiſque profiteri debet fundos quos poſſidet in territorio quod tributo obnoxium eſt.

Et utique in ſuâ civitate quis profiteri debet , ſi ibi poſſideat. Is verò qui agrum in aliâ civitate habet , in eâ civitate profiteri debet in quâ ager eſt. Agri enim tributum in eam civitatem debet levare (*b*), in cujus territorio poſſidetur. *l.* 4. § 2. ULP. LIB. 3. DE CENSIBUS.

VI.

Quomodo autem hæc profeſſio facienda ſit , & quænam debeat complecti , ita docet Ulpianus. Formâ Cenſuali cavetur , ut agri ſic in Cenſum referantur ; NOMEN fundi cujuſque , & in quâ civitate , & quo pago ſit , & quos duos vicinos proximos habeat : & id ARVUM quod in decem annos proximos ſatum erit , quot jugerum ſit : VINEA , quot vites habeat : OLIVA (*Alibi* olivetum), quot jugerum , & quot arbores habeat : PRATUM quod intrà decem annos proximos ſectum erit , quot jugerum : PASCUA quot jugerum eſſe videantur , item SYLVÆ cæduæ ; omnia ipſe qui defert , æſtimet. *d. l.* 4. *pr.*

Lacus quoque piſcatorios ; & portus , in Cenſum dominus debet deferre. *d. l.* 4. § 6.

Salinæ ſi quæ ſunt in prædiis , & ipſæ in Cenſum deferendæ ſunt. *d. l.* 4. § 7.

Sed & Si quis inquilinum vel colonum (*c*) non fuerit profeſſus ; vinculis Cenſualibus tenetur. *d. l.* 4. § 8.

Et quidem In ſervis deferendis obſervandum eſt , ut & nationes eorum & ætates , & officia , & artificia , ſpecialiter deferantur. *d. l.* 4. § 5.

Quæ poſt Cenſum edictum nata , aut poſtea quæſita ſint ; intrà finem operis conſummati , profeſſionibus edi poſſunt. *d. l.* 4. § 9.

VII.

Circa prædicta autem notandum 1°. *Profeſſionem Censûs non præjudicare quæſtioni de dominio rei profeſſæ.*

Igitur Si quum ego fundum poſſiderem , profeſſus ſim ; petitor autem non fuerit profeſſus : actionem illi manere placet. *d. l.* 4. § 4.

Obſervandum 2°. *Quòd* Vitia priorum Cenſuum , editis novis profeſſionibus evaneſcunt. *l.* 2. ULP. LIB. 28. AD SABIN.

Quocircà nota quòd Si quis veniam petierit ut Cenſum ſibi emendare permittatur ; deinde poſt hoc impetratum , cognoverit ſe non debuiſſe hoc petere , quia res emendationem non deſiderabat : nullum ejus præjudicium , ex eo quod petiit ut Cenſum emendaret , fore ; ſæpiſſimè reſcriptum eſt. *ſup. d. l.* 4. § 10.

VIII.

Cenſu ex ſingulorum poſſeſſorum profeſſionibus ita confecto , tributum inter poſſeſſores diſtribuendum erat.

Hujus tributi modus definitus erat Litteris manu Principis ſubſcriptis , quæ DELEGATIONES *vocabantur* (les Commiſſions de Départemens). *Hæ quotannis , initio anni , per Scriniarios Præfecti Prætorio in ſingulas provincias tranſmittebantur ; ibi , celeberrimis in locis , certo tempore antequàm collatio fieri deberet , publicandæ. Tit. Cod.* de Indictionib. *l.* 1. *Cod.* [*Theod.*] de Annon. & trib. *l.* 3. & 4. *Cod.* [*Theod.*] de Indiction.

Fiebat autem tributi diſtributio per CENSITORES , *inter ſingulos poſſeſſores , pro rata ejus quod quiſque poſſideret : undè &* TRIBUTUM *dictum.*

Quâ in diſtributione , Illam æquitatem debet mittere Cenſitor ; ut officio ejus congruat , relevari eum qui in publicis tabulis delato modo frui certis ex cauſis non poſſit. Quare & ſi agri portio chaſmate perierit , debebit per Cenſitorem relevari : ſi vites mortuæ ſint , vel arbores aruerint ; iniquum , eum numerum inſeri Cenſui. Quòd ſi excîderit arbores vel vites ; nihilominùs eum numerum profiteri jubetur , qui fuit Cenſûs tempore : niſi cauſam excîdendi Cenſitori probabit. *l.* 4. § 1. ULP. LIB. 3. DE CENSIBUS.

Quinetiam eum hâc de causâ puniri jubent Gratianus & Valentinianus : l. 2. Cod. h. tit.

Quòd ſi qui ſe à Cenſitoribus plùs æquo gravatos in Tributi diſtributione quererentur ; à Peræquatoribus , *quibus id muneris injungebant Præfecti Prætorio , omne territorium denuò Cenſebatur : & , his quorum intererat , eorum-ve procuratoribus aut colonis , auditis , vel etiam inauditis ſi vocati defuiſſent ; Cenſio retractabatur & emendabatur.* l. 6. *Cod.* (*Theod.*) de Cenſu , *l.* 3. & 4. *Cod.* h. tit.

Ut autem de Cenſitorum , *ita & de* Peræquatorum *injuriâ queri fas erat ; ſed intrà annum duntaxat ex die clauſi & renunciati Censûs* (du jour du Rôle arrêté & publié) *: exceptis Minoribus indefenſis , & Abſentibus reipublicæ causâ , quibus annus non currebat. Comprobatâ porrò Peræquatoris iniquitate ; quod quis plùs æquo gravatus deprehendebatur , in eos qui per injuriam levati erant , rejiciebatur ; & Peræquator ſi quid per negligentiam aut gratiam commiſerat , honore privabatur , annonarumque quadruplo mulctabatur* , (il perdoit ſon Office , & étoit condamné à une amende du Quadruple de ſes gages) : *inſuper , ſi quid à Provincialibus accepiſſet , in quadruplum reſtituere tenebatur.* l. 5. l. 6. Cod. h. tit.

IX.

Hactenùs de formâ profeſſionum quæ propter tributum ſoli fiebant.

De his autem qui tributum capitis deberent , ſciendum

(*a*) Cenſet Heineccius legendum *Capitolienſes* ; & intelligendum de *Æliâ-Capitolinâ* cujus Ulpianus ſuprà in l. 1. § 6. mentionem fecit , unà cum Cæſareâ.

(*b*) *Alléger.* Hoc ſenſu ut tributum hujus agri levare debeat tributum generale territorii hujus civitatis in quo is ager poſſidetur : *il doit venir à la décharge de l'impôt du territoire.* Alii legunt *luere* ; hoc ſenſu , ut ibi debeat profiteri quia ibi debet tributum luere (*c'eſt là qu'il doit faire ſa déclaration , parce que c'eſt là qu'il doit porter le tribut*) : & hanc lectionem confirmant exemplo hujus quod dicitur LUERE æs alienum *Payer ſes dettes* , LUERE pœnam *Porter la peine.*

(*c*) Servos culturæ adſcriptos.

Source : BIU Cujas

quod Ulpianus ait : Ætatem in Cenſendo ſignificare neceſſe eſt : quia quibuſdam ætas tribuit, ne tributo onerentur : veluti in Syriis à quatuordecim annis maſculi, à duodecim fœminæ, uſque ad ſexageſimum-quintum (*a*) tributo capitis obligantur.

Ætas autem ſpectatur, Cenſendi tempore. *l.* 3. ULP. LIB. 2. DE CENSIB.

ARTICULUS III.

A quibus & quâ ratione tributum exigatur.

§ I.

A quibus exigatur.

X.

Imperatores Antoninus & Verus reſcripſerunt ; In vectigalibus ipſa prædia ; non perſonas conveniri. Et ideò poſſeſſores, etiam præteriti temporis vectigal ſolvere debere ; eoſque (*Florent.* eoque exemplo) EX EMPTO actionem (*b*) ſi ignoraverint, habituros. *l.* 7. *ff. de Public. & vectig.* PAPYRIUS-JUSTUS LIB. 2. DE CONSTITUT.

Et quidem, etiam Prædiis à fiſco diſtractis ; præteriti temporis tributum, eorumdem prædiorum onus, emptorem ſpectare placuit. *l.* 36. *ff. de Jur. fiſc.* PAPIN. LIB. 3. RESPONS.

Qui autem deſinit poſſidere, in futurum liberatur.

Hinc Ulpianus. Et benignum eſt dicere ; Vectigalis exactionem futuri temporis, poſt redhibitionem adversùs emptorem ceſſare. *l.* 49. ¶ *& benign. ff. de Ædilit. Edict.* ULP. LIB. 8. DISPUTAT.

XI.

Ex dictis colligere eſt, horum vectigalium onus eum qui in prædium ſuccedit, potius quàm heredem ſequi.

Hinc Valerianus & Gallienus. Æs quidem alienum pro portione ex quâ quiſque defuncto heres extiterit, præſtari oportet : annonas autem is ſolvere debet, qui poſſeſſiones tenet, & fructus percipit. *l.* 2. *Cod. de Annon. & tribut.*

De tributis tamen temporis ante reſtitutam hereditatem elapſi, heres fiſco tenetur. Verùm hoc caſu Qui non habitâ ratione tributorum, ex causâ fideicommiſſi prædia reſtituunt ; actionem ex Divi Pii-Antonini Litteris habent : quam legato quoque ſoluto (*c*) locum habere voluit. *l.* 5. § 1. PAPIN. LIB. 19. RESPONS.

XII.

In ſpecie quâ ex uno prædio plures agri privatâ diviſione facti ſunt ; cum ſint uni tributo in ſolidum obnoxii : Quum poſſeſſor unus expediendi negotii causâ, tributorum jure conveniretur ; adversùs cæteros, quorum æquè prædia (*d*) tenentur, ei qui conventus eſt actiones à fiſco præſtantur : ſcilicet ut omnes pro modo prædiorum pecuniam tributi conferant. Nec inutiliter actiones præſtantur, tametſi fiſcus pecuniam ſuam recuperavit : quia nominum venditorum pretium acceptum videtur. *d. l.* 5. *pr.*

XIII.

Vidimus tributa prædiorum non aliàs quàm ab eorum poſſeſſoribus exigi potuiſſe. Qualeſcumque autem fuerint illi poſſeſſores, cujuſcumque dignitatis & ordinis, item Eccleſiæ ipſæ, aut etiam divinæ domus (id eſt, ad patrimonium Principis & Auguſtæ pertinentes) his tributis erant obnoxii : l. 8. *Cod.* de Exact. tribut. *Nec ſub prætextu Reſcripti aut privilegii cujuſlibet, quiſquam ab his pendendis excuſari poteſt. l.* 36. *Cod.* (*Theod.*) de Annon. & trib. *Vide & ſuprà Tit.* de Jure immun. *N.* 7.

§ II.

Quâ ratione tributum exigatur.

XIV.

Tributa intrà annum tribus quadrimeſtribus penſionibus ſolvi debebant. l. 15. *& l.* 16. *Cod.* (*Theod.*) de Annon. & trib.

Fiebat eorum exactio per Exactores & SUSCEPTORES *Decreto Curiarum electos : l.* 8. *Cod.* de Suſceptor. *Exactioni autem præerant Ducenarii, Centenarii, Sexagenarii : l.* 1. *Cod.* de Exact. tribut. *quos Cujacius ad h. l. cenſet fuiſſe ex ſcholâ Agentium in rebus* (les Agents d'affaires de l'Empereur,) *& ita dictos à numero pecuniarum eis commiſſarum. A nemine autem quidquam exigere poterant, niſi accepto priùs à Tabulario civitatis Brevi debitorum* (un Extrait du Rôle de l'Impoſition).

Diſtrictè verò prohibetur ne huic exactioni ſe immiſcerent OPINATORES ; *id eſt, milites qui ad ſuſcipienda tributa illa quæ ad annonam militarem deſtinata erant, in provincias mittebantur.*

Prohibet etiam Conſtantinus ne debitores ad tributorum ſolutionem urgeantur carcere, aut tormentis plumbatarum vel ponderum : ſed duntaxat permittitur contumaces liberâ & apertâ cuſtodiâ militari (*apud nos*, Garniſon) *coercere ; aut etiam captis pignoribus ad ſolutionem cogere* (par Saiſie de leurs meubles). *l.* 2. *Cod.* de Exact. tribut. *l.* 1. *& 2. Cod.* de Cap. & diſtrah. pign. tribut. causâ.

Sed & ipſa prædia tributis obnoxia, ſi in ſolutione ceſſatum fuerit, diſtrahi poterant. Quocircà obſervandum quòd Pro pecuniâ tributi quod ſuâ die non eſt redditum, quo minùs prædium jure pignoris diſtrahatur, oblati moratoria cautio non admittitur. Nec audietur legatarius ; contradicens ob tributa præteriti temporis ; quòd heres ſolvendo ſit, & is qui tributis recipiendis præpoſitus fuerat. *l.* 5. § 2. PAPIN. LIB. 19. RESPONS.

XV.

Obſervandum ſupereſt, ex trium noviſſimorum apochis etiam præcedentium annorum tributi ſolutionem præſumi ; & contra apochas tributorum, exceptionem Pecuniæ non numeratæ *non admitti. l. penult. & fin. Cod.* de Apoch.

☞ *Quæ pertinent ad rerum tributariarum tranſlationem ad loca quò mittendæ erant, earum in horreis publicis aſſervationem, variaſque cauſas in quas tributa erogabantur, brevitatis causâ omittimus. Qui plura ſcire cupiet, conſulat Codicem Theodoſianum cum Commentariis Jac. Gothofredi, in Titulos legeſque ſuprà laud.*

(*a*) Duntaxat.

(*b*) Adversùs venditorem, qui de præterito vectigali debito non monuit.

(*c*) Poteſt fiſcus ratione horum tributorum convenire poſſeſſorem ; vel etiam heredem qui reſtituit, quia poſſidebat quo tempore ea tributa ceſſerunt. Si conventus fuerit heres, & ea ſolverit ; retentionem duntaxat habebat, quum ab eo petebatur legatum ſeu fideicommiſſum. Divus autem Pius, etiam *ſoluto legato*, ei actionem ad ea repetenda adversùs legatarium ſeu fideicommiſſarium conceſſit.

(*d*) Quia ſcilicet diviſio prædiorum formam Cenſûs mutare, & Tribuni perceptionem inter plures dividere non potuit reſpectu fiſci.

Source : BIU Cujas

AD TITULOS XVI ET XVII.

DE VERBORUM SIGNIFICATIONE,

ET

DE DIVERSIS REGULIS JURIS.

TAndem explicita ſunt ea omnia quæcumque, de Jure ſive publico ſive privato, Tribonianus, eo qui ſibi propoſitus fuerat fine, in ſeptem Pandectarum Partibus tractanda ſuſceperat. Sequuntur, quaſi pro totius Operis coronide, Tituli duo; præcedentium omnium Partium, Librorumque, ac Titulorum communes: quorum prior eſt DE VERBORUM *quæ paſſim in Jure occurrunt* SIGNIFICATIONE, *alter* DE DIVERSIS *& undequàque collectis* REGULIS JURIS.

Horum uterque ſeparatim, ampliſſimam, & quæ ad totum Jus pertineat, materiam exhibet. Inter quos etiam, ea connexio eſt; ut pleraque ad Verborum Significationem *ſpectantia, non ſolùm pleniorem faciant eorum quæ ſub Titulo* de Regulis Juris *complectenda occurrent intelligentiam; ſed & ipſa paſſim pro certiſſimis Juris principiis haberi debeant, ex quibus aut generales aut unicuique materiæ ſpeciales exurgunt Regulæ.* Verbis *ſcilicet* Res *ſignificantur; & in Verborum plurimorum definitione, Rei ipſius natura & ſubſtantia ita demonſtratur ut exindè fluere debeant axiomata Juris ad rem pertinentia: niſi ſi fortè quædam definitiones verborum ſint, ex arbitrariis V. G. etymologiis petitæ, quæ nil ad Jus rei conducere videantur.*

Hinc porrò in ſecernendâ utriuſque hujus Tituli materiâ, non alia ferè adhiberi poteſt diſtinctio quàm quæ in his ipſis conficiendis à Triboniano adhibita eſt; nimirùm ut in priori, quæcumque ad Verborum notiones, ſignificationes, Grammaticam, Etymologiam, ſenſum in variis Juris articulis diverſum ac multiplicem, Rerumque indè ipſarum definitiones & diviſiones attinent, referantur: alter verò, tam ſententias Juris generales, quàm breves Regulas quæ rei cujuſlibet aut materiæ Jus proprium exhibeant, complectatur.

Verùm, cùm circa utrumque objectum Tribonianus multa neglexerit aut omiſerit, vel per incuriam vel cauſâ brevitatis; nos, ut ſtudioſo lectori meliùs conſulatur, ex utroque Titulo duplicem quaſi totius Juris appendicem (ſuppletis aliundè Notionibus Reguliſque quàm plurimis) conficere tentabimus: cujus lectione, velut facili & ſimplici viâ, nihil in Jure noſtro ignotum eſſe poſſit; ſive quoad Verba, *ea ſaltem quæ frequentiùs occurrunt; ſive quoad* Res *ipſas, quæcumque brevi aliquâ ſententiâ poſſunt comprehendi.*

TITULUS XVI.

DE VERBORUM SIGNIFICATIONE.

IN Vulgatâ hic Titulus inſcribitur Verborum ET RERUM (*quemadmodum in Titulo Codicis* 38. *lib. VI*); *nimirùm Commendationis causâ, inquit Cujacius, eo quòd* Verba ſint Rerum notæ. *Verùm adjectio hæc* Et RERUM, *quamvis pleniùs omnem hujus Tituli materiam indicare videatur, hîc tamen abeſt à Florentinis pariter & à Baſilicis.*

I.

Verba omnia quæ hîc definienda veniunt, ad JUS *pertinent. Itaque ſtatim videndum, Quid ſit Jus, & quàm variè accipiatur.*

Et 1°. Noſſe oportet undè nomen JURIS deſcendat. Eſt autem à Juſtitiâ appellatum. Nam... JUS eſt ars æqui & boni. *l.* 1. *ff. de Juſt. & jure.*

2°. *Jam verò* JUS pluribus modis dicitur. Uno modo, quum id quod ſemper æquum ac bonum eſt, Jus dicitur; ut JUS NATURALE. Altero modo, quod omnibus aut pluribus in quâque civitate utile eſt; ut eſt JUS CIVILE: nec minùs JUS rectè appellatur in civitate noſtrâ, JUS HONORARIUM. Prætor quoque JUS reddere dicitur, etiam quum iniquè decernit; relatione ſcilicet factâ, non ad id quod ita Prætor fecit, ſed ad illud quod Prætorem facere convenit.

Aliâ ſignificatione JUS dicitur, locus in quo Jus redditur: appellatione collatâ ab eo quod fit, in eo ubi fit. Quem locum determinare hoc modo poſſumus: Ubicumque Prætor ſalvâ Majeſtate imperii ſui, ſalvoque more Majorum, Jus dicere conſtituit; is locus rectè JUS appellatur. *l.* 11. *ff. d. tit.*

Nonnunquam JUS, etiam pro neceſſitudine dicimus: veluti, eſt mihi jus cognationis, vel adfinitatis. *l.* 12. *ff. d. tit.*

Præmiſſis breviter in hujus Tituli tractatione, generalibus quibuſdam interpretationis regulis circa Verborum Significationem; ſtatim ordine alphabetico proſequemur ſignificationem verborum omnium ad ſingula Juris objecta pertinentium; ſimul & varias locutiones quæ paſſim in Jure occurrunt, ſive ex Legibus Edictis-ve aut Senatuſconſultis, ſive ex teſtamentis aut ſtipulationibus, ſive ex ſtylo Juriſconſultorum & formâ loquendi apud eos uſitatâ, cum earumdem locutionum interpretatione.

Source : BIU Cujas

PRIMA PARS.

Præmittuntur generales quædam interpretationis regulæ, ad Verborum Significationem pertinentes.

I I.

Oratio quæ neque conjunctionem, neque disjunctionem habet, ex mente pronuntiantis vel disjuncta vel conjuncta (*a*) accipitur. *l.* 28. § 1. PAUL. LIB. 21. AD ED.

Conjunctionem enim nonnunquam pro disjunctione accipi Labeo ait: ut in illâ ſtipulatione; Mihi herediQUE meo, Te heredemQUE tuum. *l.* 29. IBID. LIB. 66.

Et Sæpè ita comparatum eſt ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, & disjuncta pro conjunctis; interdum ſoluta pro ſeparatis.

Nam quum dicitur apud Veteres, ADGNATORUM GENTILIUMQUE (*b*), pro ſeparatione accipitur. At quum dicitur SUPER PECUNIÆ (*c*) TUTELÆ-VE SUÆ, tutor ſeparatim ſine pecuniâ dari non (*d*) poteſt.

Et quum dicimus, QUOD DEDI AUT DONAVI (*e*), utraque continemus: quum verò dicimus QUOD EUM DARE FACERE OPORTET (*f*), quodvis eorum ſufficit probare (*g*). *l.* 53. PAUL. LIB. 59. AD ED.

Quum verò dicit Prætor, SI DONUM, MUNUS, OPERAS (*h*) REDEMERIT: ſi omnia impoſita ſunt, certum eſt omnia redimenda eſſe; ex re ergo pro conjunctis habentur: ſi quædam impoſita ſunt, cætera non deſiderabuntur. *d. l.* 53. § 1.

Item dubitatum; illa verba, OPE (*i*) CONSILIO, quemadmodum accipienda ſunt: ſententiæ (*k*) conjungentium aut ſeparantium? Sed verius eſt, quod & Labeo ait, ſeparatim accipienda; quia aliud factum eſt ejus qui OPE, aliud ejus qui CONSILIO furtum facit: ſic enim alii Condici poteſt: alii non poteſt (*l*). Et ſanè poſt Veterùm auctoritatem eò perventum eſt, ut nemo ope videatur feciſſe, niſi & conſilium malignum habuerit; nec conſilium habuiſſe noceat, niſi & factum ſecutum fuerit. *d. l.* 53. § 2.

Pariter verba hæc, Illi CUM illo (*putà*, Stichus CUM contubernali ſuâ liber eſto... Illi CUM illo do... Ancilla CUM filiis libera eſſe juſſa... Ventrem CUM liberis in poſſeſſionem eſſe jubebo, *&c. aut ſimilia paſſim*) *licèt cum Conjunctione ſcribantur, diſtributivè tamen & ſeparatim accipienda ſunt: ita ut altero* [*ex his V. G. quibus legatum eſt*] *deficiente, alter nihilominùs ad legatum admittatur;* Perindè ac ſi ita ſcriptum eſſet, ILLI ET ILLI. *l.* 31. § 1. *ff.* de Statulib. & *l.* 13. § 3. *ff.* de Manum. teſt.

Contrà verò Particula AUT, *quamvis regulariter disjunctiva ſit, interdum tamen ad ſenſum copulativum trahitur. Quocirca generaliter conſtituit Juſtinianus; ut pluribus perſonis adpoſita, V. G.* Ille AUT ille liber *vel* heres eſto; *omnibus conjunctim proficeret; Rebus verò adpoſita, putà* Rem illam AUT illam Titio do lego, *in ſenſu alternativo ſumeretur. l.* 4. *Cod.* de Verb. & rer. ſignif.

Denique circa Particulam illam nota quod eleganter obſervat Proculus. Hæc verba ILLE AUT ILLE, non ſolùm disjunctivæ, ſed etiam ſubdisjunctivæ orationis ſunt.

Disjunctivum eſt; veluti quum dicimus, AUT DIES AUT NOX EST: quorum poſito altero, neceſſe eſt tolli alterum; item ſublato altero, poni alterum. Ita ſimili figuratione verbum poteſt eſſe ſubdisjunctivum. Subdisjunctivi autem genera ſunt duo. Unum; quum ex propoſitis finibus ita non poteſt uterque eſſe, ut poſſit neuter eſſe; veluti quum dicimus, AUT SEDET AUT AMBULAT. Nam ut nemo poteſt utrumque ſimul facere; ita aliquis poteſt neutrum, veluti is qui accumbit. Alterius generis eſt; quum ex propoſitis finibus ita non poteſt neuter eſſe, ut poſſit utrumque eſſe: veluti quum dicimus, OMNE ANIMAL AUT FACIT AUT PATITUR. Nullum eſt enim, quod nec faciat nec patiatur: at poteſt ſimul & facere & pati. *l.* 124. PROC. LIB. 2. EPISTOL.

I I I.

Duobus negativis verbis quaſi permittit Lex, magis quàm prohibuit (*m*). Idque etiam Servius animadvertit. *l.* 237. GAIUS LIB. 5. AD LEG. XII. TAB.

I V.

ORATIO *pluralis ſæpè diſtribuitur in plures. Vide exempla Tit.* de Legatis *N.* 186.

INDEFINITUM *univerſali æquipollet. Exempla d. Tit. N.* 187. *& ſeq.*

CLAUSULA *in fine poſita, non ſolùm ad noviſſimè præcedentia, ſed ad omnia quæ uno orationis contextu præcedunt, referri ſolet. Exempla item d. Tit. N.* 189.

NOMEN *adjectivum poſt plura ſubſtantiva, cum quorum noviſſimo duntaxat concordat in numero & caſu, referri ſolet ad illud noviſſimum duntaxat. Exemplum in d. Tit. N.* 190. *ex l.* 8. *ff.* de Aur. arg. leg.

V.

Adjectiva comparationis, etiam de unicâ perſonâ aut re accipi poſſunt.

Ium. Exemplum. V. G. PROXIMI (*n*) appellatione, etiam ille continetur qui ſolus eſt. *l.* 155. LICINIUS-RUFIN. LIB. 7. REGULAR.

Enimvero PROXIMUS eſt cui nemo antecedit, SUPREMUS eſt quem nemo ſequitur. *l.* 92. PAUL. LIB. 7. QUÆSTION.

(*a*) Talis orationis pro *Conjunctâ* acceptæ exemplum habes in l. 142. ff. h. tit. infrà Part. 2ª. Verb. *Conjuncti*. Eamdem autem orationem ex mente pronuntiantis, etiam pro *Disjunctâ* accipi; probat lex 29. quæ hic mox ſtatim ſubjicitur, de Particulâ conjunctivâ QUE. Nam ſi hæc ipſa Particula pro disjunctivâ interdum accipitur ex mente pronuntiantis, multò magis ea oratio quæ neque conjunctionem habet neque disjunctionem.

(*b*) In Lege XII. Tabularum quæ de furioſo eſt, AGNATORUM GENTILIUMQUE *in eo poteſtas eſto*, Particula conjunctiva QUE pro disjunctivâ accipitur. Neque enim Gentiles unà cum Agnatis ad curationem furioſi vocantur: ſed primùm Agnatis; aut, ſi Agnati deficiunt, Gentilibus illa defertur.

(*c*) In XII. Tabulis, *Tab. V.* Cap. 1. *Paterfamilias uti legaſſit* SUPER PECUNIÆ TUTELÆ-VE SUÆ REI: *ita Jus eſto.*

(*d*) Tutor enim non poteſt dari à patre niſi teſtamento ubi *de Pecuniâ*, id eſt de hereditate ſuâ, diſponit. Hinc liquet Particulam VE in hoc textu pro conjunctione accipi, quamvis disjunctiva eſſe ſoleat.

(*e*) Putà; *Si quid cuique liberorum* DEDI AUT DONAVI *aut in uſum conceſſi, &c. id ſibi præcipiat*: l. penult. ff. *de Legatis* 2°.

(*f*) Quæ ſunt verba formulæ actionis in perſonam.

(*g*) Unde ſequitur ſolutam hanc orationem, in hâc ſpecie, pro disjunctâ accipi.

(*h*) In Edicto Prætoris DE OPERIS LIBERTORUM, hæc ſoluta oratio pro conjunctâ accipitur; ſiquidem, ut libertus ex hâc Edicti parte conſequatur liberam teſtamenti factionem, non ſufficit aliquid ex his quæ ipſi libertatis causâ impoſita ſunt eum redemiſſe, ſed oportet ut omnia redemerit.

(*i*) In Edicto Prætoris: *Adversùs eum cujus* OPE CONSILIO *furtum factum ſit, actionem dabo.* Hæc verba OPE CONSILIO, quaſi disjuncta accipienda ſunt: tam enim in eum cujus *Ope* furtum factum eſt, quàm in eum cujus *Conſilio* duntaxat, datur actio *Furti* in duplum.

(*k*) Græco locutio; id eſt, juxta ſententiam.

(*l*) Diverſa ſunt hæc duo, *Ope* alicujus furtum factum eſſe, & *Conſilio* alicujus factum eſſe: quæ diverſitas apparet ex eo quòd is cujus *Ope* factum eſt, perindè ac ſi ipſe fur eſſet tenetur Condictione furtivâ; is cujus *Conſilio* duntaxat factum eſt, non tenetur. Atque hinc ſeparatim quidem hæc verba accipiuntur: indè tamen ne concludas opem ſine conſilio furandi ſufficere, ut quis Furti teneatur: *Et ſanè poſt, &c.*

(*m*) Putà, ſi dicat Lex; *Illud nefas eſto; hoc* NEFAS NE ESTO: his duobus ultimis verbis *Nefas Ne*, magis permittere videtur.

(*n*) Putà in Edicto quo *Proximis* cognatis defertur Bonorum poſſeſſio. Idem in l. 9. ff. *de Reb. dub.* & in l. 1. § 5. ff. *Unde cogn.*

Source : BIU Cujas

Hinc In vulgari ſubſtitutione ; quâ ei qui SUPREMUS morietur , heres ſuſtituitur ; rectè ſubſtitutus etiam unico intelligitur : exemplo Duodecim Tabularum, ex quibus PROXIMUS AGNATUS & ſolus habetur. *l.* 162. POMPON. LIB. 2. AD SABIN.

Alterum exemplum. Illa verba OPTIMUS MAXIMUSQUE (*a*), vel in eum cadere poſſunt qui ſolus eſt. Sic & circa Edictum Prætoris, SUPREMÆ tabulæ (*b*) habentur & ſolæ. *l.* 163. PAUL. LIB. 2. AD SABIN.

V I.

Adjectiva quæ de parte vulgò accipiuntur , interdum pro ſubjectâ materiâ etiam univerſum ſignificant.

Putà VIRILIS appellatione , interdum etiam totam hereditatem contineri (*c*) dicendum eſt. *l.* 145. ULP. LIB. 10. AD LEG. JUL. ET PAP.

Similiter Poteſt RELIQUORUM appellatio & univerſos ſignificare. *l.* 95. MARCELL. LIB. 14. DIGEST.

Et hanc Marcelli ſententiam ita illuſtrat Ulpianus. CÆTERORUM & RELIQUORUM appellatione etiam omnes continentur; ut Marcellus dixit circa eum cui optio ſervi legata eſt, CÆTERI Sempronio: nam tentat, ſi non optet, omnes ad Sempronium pertinere. *l.* 160. ULP. LIB. 2. AD SABIN.

Idem dicendum de iſtis adverbiis, AMPLIUS, & MINUS.

Enimverò quum in ſtipulatione Falcidiæ V. G. ſtipulor, QUOD *tibi ſolvero* AMPLIUS *quàm quod tibi debetur, mihi reddi ; vel quum in creditum eundo , ab interceſſore ſtipulor* Quanto MINUS *à debitore meo exegero : in his & ſimilibus ſtipulationibus* , Verbum AMPLIUS ad eum quoque pertinet cui nihil debetur ; ſicuti ex contrario MINÙS ſolutum videtur , etiamſi nihil eſſet exactum. *l.* 82. PAUL. LIB. 14. AD PLAUT.

Item Gaius. Si ita à te ſtipulatus fuero , QUANTO MINÙS à Titio conſecutus fuero , tantum dare ſpondes ? Non ſolet dubitari quin , ſi nihil à Titio fuero conſecutus, totum debeas quod Titius debuerit. *l.* 150. GAIUS LIB. 9. AD LEG. JUL. ET PAP.

V I I.

Pronuntiatio ſermonis in ſexu maſculino, ad utrumque ſexum plerumque porrigitur. *l.* 195. ULP. LIB. 46. AD ED.

Hinc Verbum hoc SI QUIS (*d*), tam maſculos quàm fœminas complectitur. *l.* 1. PAUL. LIB. 1. AD ED.

Et HOMINIS appellatione tam fœminam quàm maſculum contineri, non dubitatur. *l.* 152. GAIUS LIB. 10. AD LEG. JUL. ET PAP.

Putà SERVI appellatio ad ancillam refertur. *l.* 40. § 1. ULP. LIB. 56.

Rectè igitur Servis legatis etiam ancillas deberi, quidam putant : quaſi commune nomen utrumque ſexum contineat. *l.* 101. § 3. MODESTIN. LIB. 6. DIFFERENT.

Pariter PUERI appellatione etiam puella ſignificatur. Nam & fœminas PUERPERAS (*e*) appellant, recentes ex patu ; & Græcè ΠΑΙΔΙΟΝ communiter appellatur. *l.* 163. § 1. PAUL. LIB. 1. AD SABIN.

Item LIBERTI appellatione etiam libertam contineri placuit. *l.* 172. ULP. LIB. 38. AD SABIN.

Vice versâ PATRONI appellatione & patrona continetur. *l.* 52. ULP. LIB. 61. AD ED.

In illâ autem ſpecie conſultus Javolenus ; « QUISQUIS » MIHI ALIUS , FILII (*f*) FILIUS-VE HERES SIT ; » Labeo non videri filiam contineri : Proculus contrà. » Mihi Labeo videtur verborum figuram ſequi , Pro» culus mentem teſtantis. » Reſpondit : Non dubito, quin Labeonis ſententia vera non ſit. *l.* 116. JAVOLEN. LIB. 7. EPISTOL.

Pariter Servius ait : (*ad id quod fortaſsè Mucius dixerat*) Si ita ſcriptum ſit , FILIO FILIISQUE meis hoſce tutores do ; maſculis duntaxat tutores datos : quoniam ſingulari caſu hoc FILIO ad pluralem videtur tranſiſſe, continentem eumdem ſexum quem ſingularis prior poſitus habuiſſet. Sed hoc (*g*) facti , non Juris habet quæſtionem. Poteſt enim fieri ut ſingulari caſu de filio ſenſerit, deindè plenius omnibus liberis proſpexiſſe in tutore dando voluerit. Quod magis rationabile eſſe videtur. *l.* 122. POMPON. LIB. 8. AD Q. MUCIUM.

Vide alia hujus regulæ exempla ad Titulos de Legatis, *N.* 191.

Nota porrò. Non eſt ex conttario accipiendum , ut FILIARUM nomine etiam maſculi contineantur. Exemplo enim peſſimum eſt , fœminino vocabulo etiam maſculos contineri. *l.* 45. *ff. de Legatis* 2°. IBID.

V I I I.

In uſu Juris frequenter uti nos Caſcellius ait ſingnlari appellatione , quum plura generis ejuſdem ſignificare vellemus. Nam & multum HOMINEM veniſſe Romam, & PISCEM vilem eſſe dicimus. Item in ſtipulando ſatis habemus de HEREDE cavere : Si ea res ſecundùm me HEREDEM-VE MEUM judicata erit ; & rursùs : Quod ob eam rem te HEREDEM-VE tuum. Nempe æquè ſi plures heredes ſint , continentur ſtipulatione. *l.* 258. CESLSUS LIB. 25. DIGEST.

I X.

Tempus futurum ad præteritum , & tempus præſens etiam ad futurum interdum porriguntur.

Hinc Javolenus. Verbum ERIT , interdum etiam præteritum , nec ſolùm futurum tempus demonſtrat. Quod eſt nobis neceſſarium ſcire. Et quum codicilli ita confirmati teſtamento fuerint , QUOD IN CODICILLIS SCRIPTUM ERIT ; utrùm-ne futuri temporis demonſtratio fiat , an etiam præteriti , ſi antè ſcriptos codicillos quis relinquat ? Quod quidem ex voluntate ſcribentis interpretandum eſt.

Quemadmodum autem hoc verbum EST , non ſolùm præſens , ſed & præteritum tempus ſignificat ; & ita hoc verbum ERIT , non ſolum futurum , ſed interdum præteritum tempus demonſtrat. Nam quum dicimus , Lucius-Titius ſolutus EST ab obligatione ; & præteritum & præſens ſignificamus : ſicut hoc , Lucius-Titius alligatus EST. Et idem fit quum ita loquimur , TROJA CAPTA EST : non enim ad præſentis facti demonſtrationem refertur is ſermo , ſed ad præteritum. *l.* 123. POMPON. LIB. 26. AD Q. MUCIUM.

Item Verbum OPORTEBIT (*h*) tam præſens quàm futurum tempus ſignificat. *l.* 8. PAUL. LIB. 3. AD ED.

X.

Regulis ad interpretationem pertinentibus ; rectè ſubjicietur definitio Cavillationis ; ut ab his qui leges cavillantur , Juris ſtudioſus caveat.

Natura Cavillationis quam Græci ΣΩΡΕΙΤΗΝ [*id eſt , acervalem ſyllogiſmum*] appellaverunt, hæc eſt; ut ab evidenter veris , per breviſſimas mutationes , diſputatio ad ea quæ evidenter falſa ſunt , perducatur. *l.* 177. ULP. LIB. 47. AD SABIN. & *l.* 65. *ff. de Reg. Jur.* JULIAN. LIB. 54. DIGEST.

(*a*) Pone exemplum in legatis : ut ſi is qui unicum equum aut unicam domum habeat , legaverit *Optimum* ſuum equum , *Maximam* ſuam domum.

(*b*) Ut quum dicitur Bonorum poſſeſſio alicujus deferri ſecundùm *Supremas* ejus tabulas. Nam &, ſi unicæ fuerint , ſecundùm eas deferetur.

(*c*) Ex lege Papiâ [ad quam hoc ſcriptum eſt] patronus cum liberis liberti centenarii vocatur ad hereditatem ejus , *In* VIRILEM. His porrò deficientibus aut repudiantibus , *Virilis* erit tota hereditas.

(*d*) In Legibus , in Edictis Prætorum. Putà in Edicto de damno infecto [ad quod hanc legem ſcriptam eſſe , inſcriptio junctо Indice Labitti argumento eſt] *Si* QUIS *poſtulaverit ſibi caveri , &c.*

(*e*) *Cùm qualiſcumque partus* [inquit Suetonius in Caio n. 8.] *ſine ullo ſexûs diſcrimine* PUERPERIUM *vocetur ; quòd antiqui etiam puellas* PUERAS , *ſicut & pueros* PUELLOS *dictitarent.*

(*f*) *Filii* , ſupple ex verbo ſequenti, *heres.*

(*g*) Inquit Servius Mucium reprehendens.

(*h*) Multis probat Cujacius ad h. l. legendum OPORTET ; & hanc legem pertinere ad formulam actionem in perſonam QUIDQUID DARE FACERE OPORTET , in quâ verbum OPORTET etiam ad futurum tempus porrigitur : quâ in re judicia à ſtipulationibus differunt , ut dicitur in l. 76. §. 1. ff. *de Verb. oblig.*

Source : BIU Cujas

PARS ALTERA.

De' Significatione Verborum omnium ad tria Juris objecta pertinentium; item variarum locutionum quæ tum in Legibus Edictis-ve, tum in ſtipulationibus aut teſtamentis, vel etiam in textu Juriſconſultorum, occurrunt:

Methodo ad ordinem Alphabeticum, in modum Lexici *ſimul &* Indicis, *redactâ.*

A

XI.

ABESSE, *vel ad res vel ad perſonas refertur.*

Ad res quod attinet; Verbum Abeſſe *aut* Amittere *frequens in variis Edictis, quibus de eo quod alicui Abeſt actio proponitur.*

Res Ob hoc quòd furto pridem ſubtracta eſt, Abeſt: & ea res, quæ in rebus humanis non eſt. *l.* 13. § 3. ULP. LIB. 7. AD ED. (*a*).

Deſinere autem ABESSE res tunc videtur, quum ſic redit in poteſtatem ne amittere ejus poſſeſſionem poſſimus. *d. l.* 13. § 2.

Sed etſi redierint in poteſtatem; Res ABESSE videntur (ut Sabinus ait, & Pedius probat), etiam hæ quarum corpus manet, forma mutata eſt. Et ideò, ſi corruptæ redditæ ſint vel transfiguratæ, videri Abeſſe; quoniam plerùmque plus eſt in manûs pretio (*b*) quàm in re. *d. l.* 13. § 1.

Hinc Labeo & Sabinus exiſtimant (*c*), ſi veſtimentum ſciſſum reddatur; vel res corrupta reddita ſit, veluti ſcyphi colliſi, aut tabula rasâ picturâ; videri rem ABESSE: quoniam earum rerum pretium non in ſubſtantiâ (*d*), ſed in arte ſit poſitum. Item ſi dominus rem quæ furto ſibi aberat, ignorans emerit; rectè dicitur res ABESSE, etiamſi poſtea id eſſe ſcierit: quia VIDETUR RES EI ABESSE CUI PRETIUM ABEST. *l.* 14. PAUL. LIB. 7. AD ED.

Maximè autem quis Rem AMISISSE videtur, qui adversùs nullum (*e*) ejus perſequendæ actionem habet. *d. l.* 14. § 1.

ABESSE, *quum ad perſonas refertur pro* Abſentem eſſe; *id variis Edictis variè accipitur.*

Putà quum in Edicto de tutelis dicitur Abſentem tutorem dari poſſe; ABSENTEM accipere debemus, eum qui non eſt eo loci in quo loco petitur: non enim trans mare ABSENTEM deſideramus. Et, ſi fortè extra continentia Urbis ſit, Abeſt; cæterùm uſque ad continentia, non Abeſſe videbitur ſi non latitat. *l.* 199. ULP. LIB. 8. DE OMNIB. TRIBUNAL.

Item ABESSE non videtur qui ab hoſtibus (*f*) captus eſt, ſed qui à latronibus detinetur. *d. l.* 199. § 1.

Aliàs quandoque, etiam ABESSE intelligitur (*g*) qui à Tribunali abeſt. *l.* 51. § 5. *ff. de Fideicom. libert.*

Alio ſenſu accipitur, putà in longi temporis poſſeſſione. Ibi enim ABSENTES *intelligimus, eos qui in diverſis provinciis domicilium habent. l.* 12. *Cod.* de Præſcript. long. temp.

XII.

ABIGEI propriè hi habentur, qui pecora ex paſcuis vel ex armentis ſubtrahunt, & quodammodo deprædantur, & ABIGENDI ſtudium quaſi artem (*h*) exercent.

Cæterùm ſi quis bovem aberrantem, vel equos in ſolitudine relictos abduxerit; non eſt ABIGEUS, ſed Fur potiùs. *l.* 1. § 1. *ff. de Abigeis.*

ABOLITIO eſt deletio, oblivio, vel extinctio criminis (*i*). PAUL. SENTENT. LIB. 4. *Tit.* 7.

Triplex illa diſtinguitur.

Publica; *quæ ob diem inſignem, rem-ve proſperè geſtam conceditur. Hæc crimen quidem extinguit; ſed ita ut poſt triginta dies ex quo feriæ finitæ ſunt, accuſatori liceat illud repetere.*

Privata; *quæ accuſatore poſtulante, causâ cognitâ, à judice impetratur; & ita crimen extinguit ut eidem accuſatori illud repetere nunquam liceat.*

Legitima; *quâ, mortuo accuſatore aut legitimè impedito, rei poſtulantis nomen* Aboletur *ſeu eximitur ex Actis in quibus inter reos relatum erat; ita tamen ut ab altero poſſit reus idem ille repeti.*

ABOLITIONEM impetrare *dicitur, propriè de accuſatore; ut impunè ipſi liceat deſiſtere ab accuſatione quam per juſtum errorem aut excuſabilem calorem inſtituerat.*

Vide lib. 48. *Tit.* ad SC. Turpill. *Sect.* 3. *Art.* 2.

XIII.

ABROGARE, Derogare Legi; *in clauſulâ priſcis Legibus inferri ſolitâ:* Si quis huic Legi Derogavit, Abrogavit, *pœna tot eſto.*

DEROGATUR Legi, aut ABROGATUR. Derogatur Legi, quum pars detrahitur; Abrogatur Legi, quum prorsùs tollitur. *l.* 102. MODESTIN. LIB. 7. REGUL.

* ABSTINERE *hereditate. Vide infrà in Verb.* Hereditas.

¶ *ABUSUS, abuti, dicitur pro* Malè uti; *item pro,* Utendo conſumere.

XIV.

¶ *ACCEPTILATIO appellatur, civilis illa & imaginaria ſolutio quæ per ſolemnem verborum conceptionem, his verbis quibus quis obligatus fuerat contrariam, fiebat. Nimirùm debitor per ſtipulationem obligatus, interrogabat creditorem an Acceptum ſibi ferret quod promiſiſſet: reſpondebatque creditor, ſe ferre Acceptum. lib.* 46. *Tit.* 4.

(*a*) Cùm in toto hoc LIB. 7. AD EDICTUM, Ulpianus [ut ex Labitti Indice conſtat] de infamiæ cauſis egerit; inter quas hæc erat, *Si* mulier ventris nomine per calumniam in poſſeſſionem bonorum miſſa eſſet; cenſet Cujacius totam hanc legem ad hoc Edictum pertinuiſſe, cujus verba talia fuiſſe conjicit, *Si mulier ventris nomine in poſſeſſionem calumniæ causâ miſſa eſſe dicatur; Ei cui* RES ABEST, *&c.* Unde ad hujus Edicti interpretationem Juriſconſultus exponit quæ poſſint dici ABESSE heredi, dum mulier in poſſeſſione erat; nimirùm res quæ interim omninò interierunt; aut etiam quæ furto ſubreptæ ſunt, donec ad eum redierint, eaſque heres tanquam ſuas receperit, & quidem ita ut ipſi avelli non poſſint: ſed & illæ res quæ redditæ quidem fuerunt, ſed deteriores, videntur ABESSE.

(*b*) Vernaculè, *la Façon vaut plus que la Matiere.*

(*c*) Hanc legem eodem pertinere ac præcedentem cenſet Cujacius. Cæterùm ad actiones omnes quibus quis perſequitur *Quod ſibi* ABEST; poſſunt hæ leges aptari.

(*d*) Id eſt, in materiâ.

(*e*) Putà ſi ſcriptus heres deceptus à muliere quæ ſe prægnantem dicit, mortuus fuerit antequàm adire poſſet; REM [totam ſcilicet hereditatem] AMISISSE videtur: cùm ejus heredis heres eam ipſe adire non poſſit, & nullam ad hanc recuperandam actionem habeat. Itaque totius hereditatis pretium in hanc actionem IN *Factum*, quæ ex ſuprà dicto Prætoris Edicto competit, adversùs mulierem veniet. Cujac. ad h. l.

(*f*) In eâdem tractatione de tutore dando, etiamſi ABSENS ſit; is quidem qui *à latronibus detinetur*, contineri poteſt: is autem qui *ab hoſtibus captus eſt*, contineri non poteſt; nec enim tutor dari poteſt captivus, utpotè qui factus ſit hoſtium ſervus. Aliàs ABSENTIS appellatione captivus continetur.

(*g*) Ut quum in Daſumiano Senatuſconſulto dicitur: *Si ex juſtâ causâ* ABSIT, *qui fideicommiſſam libertatem debet, &c.* d. l. 51. § 4.

(*h*) Ars ergo & numerus pecorum abductorum, diſtinguunt *Abigeum* à *Fure.*

(*i*) Id eſt, accuſationis.

Source : BIU Cujas

ACCEPTO rogare *dicitur, debitor qui ita interrogat; creditor*, Acceptum ferre; *debitum autem ipsum, dicitur* Accepto latum.

Acceptilatio AQUILIANA *ea est quæ fit prævia novatione: quum nempè id quod ex aliâ (quæcumque illa sit) causâ debetur, in Verborum obligationem deducitur ope stipulationis novandi animo interpositæ; ut postea id ipsum Accepto feratur.*

¶ *ACCESSIO, est omnis appendix & sequela rei. Complectitur* Usuras *pecuniarum*, Fructus *rerum in judicio petitarum & omnem* Causam *seu utilitatem quæ circa rem emergere potest. De quibus vide lib.* 22. *Tit.* 1.

XV.

ACCIDERE. Hoc verbo generaliter significantur variæ totius vitæ calamitates (les accidents de la vie); *præcipuè verò mors.*

Hinc Si quis ita in testamento scripserit; Si quid filio meo ACCIDERIT, Damas servus meus liber esto: mortuo filio, Damas liber erit. Licèt enim ACCIDANT & vivis, sed vulgi sermone etiam mors significatur. *l.* 162. § 1. POMPON. LIB. 2. AD SABIN.

ACCIPERE, Capere; *in variis Legibus: putà in Lege Juliâ & Papiâ, quâ parte agitur de iis qui ex testamento* Capere *non possunt; in Edictis Prætoris* DE *Inofficioso testamento, &* DE *Bonorum possessio ne contra tabulas, quâ parte denegantur Querela aut Bonorum possessio his qui quid ex testamento* Acceperint; *in Edicto* DE *his qui calumniæ causâ quid* Accepisse *dicentur, &c.*

CEPISSE (*a*) quis intelligitur, quamvis alii adquisiit. *l.* 140. PAUL. LIB. 6. AD LEG. JUL. ET PAP.

Nec solùm is cui quid traditum est; sed & Si quis obligatione liberatus sit, potest videri CEPISSE (*b*). *l.* 115. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 10. AD ED.

At Non potest videri ACCEPISSE, qui stipulatus (*c*) potest exceptione summoveri. *d. l.* 115. § 1.

Et rursùs: Non videtur CEPISSE, qui per exceptionem à petitione removetur. *l.* 13. *ff. d. tit.* ULPIAN. LIB. 19. AD SABIN.

Nam generaliter; Nihil interest, ipso Jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. *l.* 112. *ff. d. tit.* PAUL. LIB. 8. AD ED.

Nota. Promiscuè igitur in allatis modò textibus, quemadmodum & alibi, sumuntur hæc verba Capere & Accipere. *In strictâ tamen & propriâ suâ significatione;* Aliud est CAPERE, aliud ACCIPERE. Capere, cùm effectu accipitur; ACCIPERE, & si quis non accepit ut habeat. Ideòque non videtur quis CAPERE, quod erit restituturus; sicut PERVENISSE propriè illud dicitur, quod est remansurum. *l.* 71. ULP. LIB. 70. (*d*) AD ED.

Pariter Gaius. Non videtur quisquam id CAPERE, quod ei necesse est alii restituere. *l.* 51. *ff. de Reg. Jur.* GAIUS LIB. 15. AD ED. PROVINC. (*e*)

* ACCIPERE *judicium. Vide infrà*, Judicium.

XVI.

ACTIO, PETITIO, PERSECUTIO.

ACTIONIS verbum, & speciale est & generale. Nam omnis ACTIO dicitur, sive in personam, sive in rem si petitio. Sed plerùmque ACTIONES, Personales solemus dicere: PETITIONIS autem verbo, In rem actiones significari videntur.

PERSECUTIONIS verbo, extraordinarias persecutiones puto contineri, ut putà, fideicommissorum, & si quæ aliæ sunt quæ non habent Juris ordinarii exsecutionem. *l.* 178. § 2. ULP. LIB. 49. AD SABIN. (*f*)

De latiori igitur vocis hujus Actio *significatione, accipiendum quod ait Paulus:* ACTIONIS verbo, etiam Persecutio continetur. *l.* 34. PAUL. LIB. 24. AD ED. (*g*).

Quinimò, latissimâ significatione AGERE etiam is videtur qui exceptione utitur (*h*). Nam reus in exceptione Actor est. *l.* 1. *ff. de Exceptionib.*

Aliàs autem (putà in Edicto de Edendo, *lib.* 2. *tit.* 13. *N.* 2.) ACTIONIS verbo non continetur exceptio. *l.* 8. § 1. PAUL. LIB. 3. AD ED.

Quod attinet ad hæc vocabula, Persecutio & Persequi, *licèt propriè de Extraordinariis cognitionibus accipiantur, trahuntur tamen ad Actiones omnes (undè illæ generaliter definiuntur* Jus PERSEQUENDI &c.); *imò etiam ad stipulationes quæ vice Actionum obtinent, quales sunt cautionales omnes, putà* Legatorum, Damni infecti, &c. *Hæ etenim ipsæ veniunt latâ* ACTIONIS *aut* PERSECUTIONIS *significatione.*

Hinc PERSEQUI videtur, & qui satis accepit. *l.* 57. § 1. PAUL. LIB. 59. AD ED.

* *Actio* Noxalis Popularis, *cæteræque nominibus propriis designatæ Actionum species. Vide infrà singulas suis locis.*

¶ *Hic porrò generales quædam Actionum notiones & divisiones enumerandæ sunt.*

Et quidem ad ipsum Actionis *verbum quod attinet* ACTIO *generaliter sumitur; vel pro ipso jure quod quis habet, persequendi in judicio quod suum est sibi-ve debetur; vel pro hâc ipsâ persecutione, seu juris exercitio.*

DIVISIONES ACTIONUM.

Prima & generalissima Divisio. Actionum genera sunt duo; In rem, quæ dicitur VINDICATIO; & In personam, quæ CONDICTIO appellatur.

IN REM actio est, per quam rem nostram quæ ab alio possidetur petimus; & semper adversùs eum est qui rem possidet (*i*).

IN PERSONAM actio est, quâ cum eo agimus qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid vel dandum; & semper adversùs eumdem (*k*) locum habet. *l.* 25. *ff. de Oblig. & act.*

Quædam actiones MIXTAM causam obtinere videntur, tam In rem quàm In personam; qualis est Familiæ Erciscundæ actio . . . item Communi dividundo . . . item Finium regundorum. *Instit. Tit.* de Act. § 20.

(*a*) Sensus est; filiumfamilias qui capax est, rectè legatum *Cepisse* videri, quamvis patri incapaci illud jure potestatis acquisierit. Ita Cujacius ad h. l. Et in hoc [inquit] filius distat à servo. Ratio disparitatis est, quòd filius personam civilem habeat; ex quâ, quum ipse capax est, possit valere legatum: nec quidquam fit contra Leges, quòd patri incapaci acquiratur; quia pater incapax, illud non tam ex testamento [quod Leges vetuerunt] quàm jure suæ potestatis acquirit; Legesque illas quæ odiosæ habeantur, magis restringendas esse quàm interpretatione adjuvandas.

Diversum sensum huic legi affingit Goeddæus: scilicet ut filius incapax, contra Leges capere videatur legatum; quamvis patrem capacem habeat, cui illud acquiratur. Et in hoc [inquit] differt à legatario incapaci, qui capaci restituere rogatus est. Ratio disparitatis est, quòd postremo illo casu res ex facto & voluntate testatoris ad capacem perveniat; magisque videatur capere ex testamento fideicommissarius capax, quàm incapax ipsi restituere rogatus. In casu autem quem legi nostræ affingit; cùm non ex testamento, sed ex causâ potestatis extrinsecâ legata filio relicta patri quærantur; sola remanet filii incapacis persona quæ ex testamento capere videri possit: adeòque locus est fisco.

Uterque legis intellectus probabiliter admitti potest.

(*b*) Hæc lex repetita est ex l. 2. ff. *de Calumniat.* adeòque ad Edictum DE calumniatoribus pertinet, ita [ut videtur] conceptum: *In eum qui ut calumniæ causâ negotium faceret, pecuniam* ACCEPISSE *dicetur, &c.* Quod verbum *Accepisse* interpretans Paulus ait, etiam eum videri ACCEPISSE, cui nihil quidem traditum est; sed qui aliquâ obligatione quâ tenebatur, per acceptilationem liberatus est.

(*c*) Qui nempè sibi quid dari stipulatus est calumniæ causâ, ne alicui negotium faceret. Verbum enim ACCEPISSE in hoc Edicto DE calumniatoribus, sumitur cum effectu. Porrò, quamvis ex hâc stipulatione actionem consecutus sit; cùm hæc actio inanis sit, & per exceptionem *Doli* excludatur; nihil reverà & cum effectu *Accepisse* videtur, adeòque non tenetur hoc Edicto.

(*d*) Labittus cui ad stipulatur Cujacius, legit LIBRO 79; & cùm in hoc libro Ulpianus egerit de stipulationibus Prætoriis, putat eum hoc scripsisse circa stipulationem *Ampliùs quam per Legem Falcidiam liceat* CEPERIT, *reddi*; circa quam, etsi in illâ hoc verbum *Ceperit* sumatur pro *Acceperit*, diversam tamen in se utriusque significationem notat.

(*e*) Cujacius hanc legem putat pertinere ad querelam inofficiosi testamenti, & conjungendam cum l. 10. § 1. ff. *de Inoff. testam.* Petrus Faber magis censet mendum esse in inscriptione; & legem pertinere ad Leges Juliam & Papiam, quibus locus non est quum incapax id quod sibi relictum est, restituere capaci jussus est.

(*f*) In hoc libro egit Ulpianus de stipulatione Emptæ hereditatis, ut constat ex l. 2. ff. *de Hered. vel. act. vend.* Undè colligere est definitiones illas scriptas fuisse circa hanc stipulationem in quâ venditor promittit se præstaturum emptori ACTIONES, PETITIONES, PERSECUTIONES, *quæcumque hereditatis nomine competierint.*

(*g*) Et ex illâ inscriptione scriptum hoc censet Cujacius ad stipulationem DE RATO; de quâ, sicut & de cæteris stipulationibus Prætoriis egit Paulus in hoc libro 24.

(*h*) Sic in Edicto DE DOLO, quo Prætor actionem *de Dolo* promittit *Si aliæ* ACTIO *non erit*; hæc *de Dolo* actio non dabitur ei qui saltem exceptione jus suum servare potest. Tit. *de Dolo* N. 11.

(*i*) Vel dolo desiit possidere: tunc autem non *Directa* sed *Utilis* dicitur; infrà.

(*k*) Id est, eum ipsum qui obligatus est; vel ejus successorem.

2ª. *Divisio.*

Source : BIU Cujas

2ª. *Diviſio.* Quædam actiones REI perſequendæ gratiâ comparatæ ſunt, quædam PŒNÆ perſequendæ, quædam MIXTÆ ſunt. *Inſtit. d. tit.* § 16.

Actiones Illæ Rei perſecutionem continent, quibus perſequimur quod ex patrimonio nobis abeſt. *l.* 35. *ff. de Oblig. & act.*

Quæ pœnam tantùm perſequuntur, PŒNALES *dicuntur*; MIXTÆ, *quæ rem ſimul & pœnam.*

3ª. *Diviſio.* Actionum quædam BONÆ FIDEI ſunt, quædam STRICTI JURIS. *Inſtit. Tit.* de Action. § 28.

Actio STRICTI JURIS *illa dicitur, in quâ judex erat formulæ adſtrictus. Contra* In BONÆ FIDEI judiciis. *tit. ſeq. part.* 4ª.

Præterea quaſdam actiones ARBITRARIAS, id eſt, ex arbitrio judicis pendentes appellamus. *d. tit.* § 31.

Actio autem Arbitraria *illa eſt, in quâ judex antequàm definitivam Sententiam proferret, arbitrabatur ſeu interloquebatur ut reus aliquid daret reſtitueret-ve; cui interlocutioni niſi reus paruiſſet, eum ſuâ Sententiâ definitivâ graviùs condemnabat.*

4ª. *Diviſio.* Omnes Actiones aut CIVILES dicuntur, aut HONORARIÆ. *l.* 25. § 2. *ff. de Oblig. & act.*

CIVILES *quæ ex Jure civili, Legibus ſcilicet aut moribus aut interpretatione Prudentûm deſcendunt.*

HONORARIÆ *ſeu* Prætoriæ *quæ ex ſolâ Prætoris juriſdictione aut ejus Edictis deſcendunt, cùm nulla ex his cauſis actio Jure Civili prodita eſſet; ſic dictæ ab honore Magiſtratûs.*

5ª. *Diviſio. Alio ſenſu* CIVILES *actiones dicuntur, quatenùs* CRIMINALIBUS *judiciis opponuntur.*

6ª. *Diviſio. Adhuc alio ſenſu* Civiles *dicuntur, quæ propriam in Jure Civili ſpeciem habent, ut quæ ex nominatis contractibus aut quaſi-contractibus, & ordinariis delictis deſcendunt. Quas etiam proprio nomine* DIRECTAS *vocari placuit.*

DIRECTIS *actionibus opponuntur* UTILES; *ſcilicet quæ cùm ex ſtrictâ Juris ratione non competant, tamen utilitate & æquitate ita ſuadente, ad inſtar alicujus Actionis Civilis accommodantur. Alio nomine vocantur actiones* IN FACTUM.

Eædem vocantur etiam actiones PRÆSCRIPTIS VERBIS; *quum ex contractu innominato qui cum aliquo ex nominatis affinitatem habeat, deſcendunt.*

Eſt & actio IN FACTUM PRÆTORIA; *quæ datur ex his cauſis quæ nullam affinitatem habent cum illis ex quibus aliqua Actio prodita ſit.*

7ª. *Diviſio. Actiones* DIRECTÆ *alio ſenſu & quatenùs opponuntur* Contrariis, *vocantur; illæ quæ ex obligatione directâ, id eſt eâ quæ in contractu principalis fuit, deſcendunt :* CONTRARIÆ *verò, quæ ex illâ obligatione quæ in contractu ſecundaria tantùm fuit, proficiſcuntur. Exempla ſunt in actionibus* Commodati, Depoſiti, *&c.*

8ª. *Diviſio Actiones, aliæ* PERPETUÆ *appellantur; quæ Jure Digeſtorum nullâ, ex Conſtitutione verò Theodoſii-Junioris ſolâ triginta annorum præſcriptione finiuntur. Aliæ* TEMPORALES, *quæ certo tempore finiuntur; putà anno, ut pleræque Prætoriæ.*

9ª. *& ultima Diviſio. Actiones* ORDINARIÆ *dicuntur, quæ ſervato ſolemni judiciorum ordine peraguntur;* EXTRAORDINARIÆ, *quæ citra hunc ſolemnem ordinem exercentur.*

ACTIONES Mandare, Cedere; *eſt concedere alicui ut Actionibus quæ in noſtrâ perſonâ competunt, noſtro nomine experiatur ſuo periculo & commodo; ita ut, quod ex his conſecutus fuerit, retineat & ſibi habeat. Undè is cui ita ceſſæ ſunt Actiones*, Procurator In rem *ſuam dicitur.*

¶ *ACTOR duplicem in genere habet ſignificationem.*

1°. ACTOR *eſt, qui in judicio aliquid petit :* le Demandeur. *Cui opponitur* REUS, le Défenſeur.

2°. Actor *quoque dicitur qui negotia aliena procurat, ſervus V. G. negotia domini.*

Eſt & Actor municipum; *qui negotiis Reipublicæ agendis præpoſitus eſt Lib.* 3. *Tit.* Quod cujuſc. univerſ.

Eſt & Actor tutelæ, *quem tutor negotiis tutelæ adminiſtrandis ſuo periculo præficit. Lib.* 26. *Tit.* de Tut. & Curat. dat.

XVII.

ACTUM, FACTUM, GESTUM, CONTRACTUM; *in Edictis de reſtitutione in integrum, Quod metûs causâ* Geſtum *erit, Quod dolo malo* Factum *ſive* Actum *ſit, Quod cum minore* 25*e. annis* Geſtum *ſit, Quod cum his Actum* Contractum*que ſit qui poſtea capite minuti ſunt; item in Edicto, Quod falſo tutore auctore* Geſtum, *&c.*

Labeo libro primo Prætoris Urbani definit; quòd quædam Agantur, quædam Gerantur, quædam Contrahantur. Et ACTUM quidem generale verbum eſſe, ſive verbis ſive re quid agatur; ut in ſtipulatione vel numeratione. CONTRACTUM autem, ultrò citròque obligationem; quod Græci ΣΥΝΑΛΛΑΓΜΑ vocant, veluti Emptionem-venditionem, Locationem-conductionem, Societatem. GESTUM, rem ſignificare ſine verbis factam (*a*). *l.* 19. ULP. LIB. 11. AD ED.

Cæterùm Licèt inter GESTA & FACTA, videtur eſſe quædam ſubtilis differentia; attamen ΚΑΤΑΧΡΗΣΤΙΚΩΣ [*id eſt abuſivè*] nihil inter Factum & Geſtum intereſt. *l.* 58. GAIUS LIB. 24. AD ED. (*b*) PROVINC.

Illud conſtat quòd Verba CONTRAXERUNT, GESSERUNT, non pertinent ad teſtandi jus. *l.* 20. ULPIAN. LIB. 12. AD EDICT. (*c*).

ACTUS LEGITIMI generaliter à Gothofredo ſic rectè definiuntur : « Solemnia *quæcumque hominum negotia,* » *quæ publicè aut privatim certo ritu modoque à Lege introducto celebrantur.* »

Hos quidam æquè generali nomine vocari volunt LEGIS ACTIONES. *Verùm probabiliùs dicendum*, Legis Actiones *minùs patere; & eos ſolos Actus legitimos continere qui in Jure fiunt, ut Actiones, Adoptio, &c. Generali autem* Actuum legitimorum *appellatione venire, præter ſuprà dictos, etiam ſi qui extra Jus fiunt modo aliquo ſolemni ex præſcripto Legis : ut* Mancipatio, Acceptilatio, Stipulatio *quælibet, &c.*

XVIII.

¶ *ADDICERE*, Addictio, *idem ſonat ac Adjudicare, Adjudicatio. Dicitur tamen etiam pro Vendere, Venditio.*

ADDICTIO in diem, *ſeu pactum Addictionis in diem, eſt pactum quo in contrahendâ emptione-venditione convenit, ut ſi intrà certum tempus meliorem conditionem venditor invenerit, res ſit inempta. Lib.* 18. *Tit.* de In diem addict.

XIX.

ADFINITAS eſt neceſſitudo inter unum è conjugibus & alterius cognatos. Adfines *vocantur perſonæ hâc neceſſitudine conjunctæ. Undè ita Modeſtinus.*

ADFINES, ſunt viri & uxoris cognati : dicti ab eo quòd duæ cognationes quæ diverſæ inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. Namque conjungendæ Adfinitatis cauſa fit ex nuptiis. *l.* 4. § 3. *ff. de Grad. & adfin.*

(*a*) Ut *Negotiorum* vel *Tutelæ* GESTIONEM. Cæterùm quamvis hæ ſint propriæ horum verborum ſignificationes, quarum Labeo fuit indagator curioſiſſimus, tamen in Edictis ſæpè latiùs hæc verba accipiuntur. Hinc V. G. in Edicto *Quod metûs causâ* GESTUM erit; dicitur GESTUM, non ſolùm de re *Sine verbis* factâ, qualis eſſet numeratio pecuniæ; ſed de quocumque actu, de quocumque contractu. Pariter, quamvis CONTRACTUM in ſuâ propriâ ſignificatione eas duntaxat conventiones ſignificet ex quibus mutua obligatio naſcitur [ut in Edicto de Capite minutis, in quo verba hæc opponuntur *Quod cum his* ACTUM, CONTRACTUM, *ſit*; ACTUMque ad ea refertur ex quibus obligatio ex unâ tantùm parte, CONTRACTUM ad ea ex quibus utrinque naſcitur] : tamen alibi hæc vox CONTRACTUM accipitur pro omni actu ex quo naſcitur obligatio; ut in l. 20. ff. *de Judiciis.*

(*b*) Probabiliter hoc ſcriptum fuit ad eam partem Edicti quæ eſt de Magiſtro faciendo bonis debitoris : in quo ita habebatur; *Qua à magiſtro* FACTA, ACTA, GESTA *erunt, rata habento*; l. 2. § 1. ff. *de Curat. bon. dand.* de quâ re Gaius egit in hoc libro 24. AD EDICT. ut conſtat ex l. 16. ff. *de Reb. auct. jud. poſſid.* Porrò, quamvis Prætor hæc verba cumulaverit, ut quamlibet *Facti* ſpeciem comprehenderet; vix eſt ut aliqua in his differentia ſtatui poſſit.

(*c*) Edictum DE capite minutis expoſuit Ulpianus in hoc LIBRO 12. ut conſtat ex l. 2. ff. *de Cap. min.* Quo Edicto reſtituit Prætor ſi quid ACTUM CONTRACTUMQUE ſit cum eo qui poſtea capite minutus ſit. Unde quæri poterat an etiam teſtamenta quæ capitis minutione infirmata erat, hoc Edictum reſtituat? Et negat Ulpianus; quia, inquit, hæc verba, *Contraxerunt, Geſſerunt*, non pertinent ad teſtandi jus. Cæterùm ſi is cujus adrogatione teſtamentum infirmatum eſt, tempore mortis ſuæ paterfamilias inveniatur, vires recipit teſtamentum aliâ ratione; ſcilicet quia rurſus factus eſt paterfamilias, circa teſtamenti factionem medium tempus non inſpicitur. Poteſt hæc lex ad alias ſpecies aptari. Vide Gouddæum ad h. l.

Source : BIU Cujas

Horum nomina, Gener, Levir, Socer, Vitricus *&c. infrà.*

ADFINES *alio ſenſu dicuntur* [*ut in Lege XII. Tab.*] *vel* CONFINES, *vicinorum prædiorum domini.*

¶ *ADGNASCI* Suus heres *dicitur, qui poſt teſtamentum in primum familiæ teſtatoris gradum pervenit; ſive naſcendo, ſive ſuccedendo in locum demortui aut emancipati qui ipſum præcedebat; ſive per adoptionem, quum nempè à teſtatore adoptatur.*

* ADGNATI, *Cognatis opponuntur. Vide infrà* Cognati.

¶ *ADJECTUS* Solutionis gratiâ *is dicitur, cui ex lege contractûs vice creditoris ſolvi poteſt. De quo latè lib.* 46. *Tit.* de Solut. *Part.* 2ª. *Sect.* 1. *Art.* 4.

* ADIRE hereditatem. *Vide infrà*, Hereditas.

¶ *ADNOTARI reus dicitur, qui abſens inter reos refertur. Vide lib.* 48. *Tit.* de Requir. reis.

ADNOTATIO *eſt Decretum Magiſtratûs, quo eum qui alicujus criminis poſtulatur, jubet requiri & inter reos referri.*

Alio ſenſu Adnotatio *dicitur; quum Præſes refert ad Principem de aliquo homine deportando; vel de eo condemnando, quem inconſulto Principe condemnare non poteſt.*

ADNOTATIO Principis, *eſt ſcriptura manu Principis ſubſcripta; ſive ea Conſultatio ſit, ſive libellus ſupplex* (un Placet).

X X.

ADOPTIO, ADROGATIO; *eſt actus legitimus quo quis aliquem in ſuam familiam adſciſcit. lib.* 1. *Tit. VII.*

Si filiusfamilias in adoptionem detur, ſimpliciter Adoptio *dicitur.*

Si ſui juris erat qui adſciſcitur, Dicitur ADROGATIO: quia & is qui adoptat, rogatur id eſt interrogatur an velit eum quem adoptaturus ſit, juſtum ſibi filium eſſe; & is qui adoptatur, rogatur an id fieri patiatur. *l.* 2. *ff. de Adopt.*

¶ *ADSCRIPTITII*, *agricolæ colendo prædio addicti.*

* ADSECTARI. *Vide infrà*, Appellare.

¶ ADSERTOR, *qui vindicat aliquem in libertatem.*

¶ *ADSESSORES; Juriſconſulti qui navabant operam Magiſtratibus: lib.* 1. *Tit. fin.* de Off. Adſeſſor.

ADSIGNARE, , ADSIGNATIO; *in Senatuſconſulto* DE *Libertis adſignandis. lib.* 38. *Tit. IV.*

ADSIGNARE libertum, hoc eſt teſtificari cujus ex liberis libertum eum eſſe voluit. *l.* 107. MODEST. LIB. 3. PANDECT.

ADSIGNARE Opus, *faire recevoir un ouvrage.*

X X I.

* ADVENA. *ADVERSUS. Putà* Adversùs *Edictum, Sententiam Pactum, &c. propriè facere videtur, qui facit quod facere vetitus eſt. Hinc* Qui vetante Prætore fecit, hic adversùs Edictum (*a*) feciſſe propriè dicitur. *l.* 102. *ff. de Reg. jur.* ULP. LIB. 1. AD ED. *Tamen latiori ſignificatione & is quoque qui non facit quod facere juſſus eſt*, ADVERSUS *facere videtnr, vide l.* 121. *tit. ſeq. N.* 10. 29. *Vide infrà, in Verb.* INCOLA.

ADVOCATI dicuntur cauſarum patroni. Et generaliter ADVOCATOS accipere debemus, omnes omninò qui cauſis agendis quoquo ſtudio operantur. Non tamen qui pro tractatu (non adfuturi cauſis) accipere quid ſolent, Advocatorum numero erunt. *l.* 1. § 11. *ff. de Extraord. cognit.*

ADVOCATIO, *modò pro ipsâ actione Advocati, ideſt poſtulatione & patrocinio ſumitur; modò pro ipſo Ordine Advocatorum. Sic* Advocatio Cæſarienſis *dicitur, Ordo Advocatorum urbis Cæſareæ.*

ADULTERIUM, *STUPRUM. lib.* 48. *Tit. V.*

Inter Stuprum & Adulterium, hoc intereſſe quidam putant; quòd Adulterium in nuptam, Stuprum in viduam (*b*) committatur. Sed Lex Julia DE Adulteriis hoc verbo indifferenter utitur. *l.* 101. MODEST. LIB. 9. DIFF.

(*a*) Exempla in Edictis; putà in eo quo PARENTEM & patronum in Jus vocari abſque veniâ Prætor vetat, quo NE eximatur qui in Jus vocatus eſt [de quibus Ulpianus egit in LIB. 1. AD EDICT.] & in aliis paſſim.

(*b*) Id eſt, In nuptam.

Conſonat quod alibi dicitur. Lex Stuprum & Adulterium promiſcuè & ΚΑΤΑΧΡΗΣΤΙΚΩ'ΤΕΡΟΝ [*id eſt, abuſivè*] appellat. Sed propriè Adulterium in nuptâ committitur, propter partum ex altero conceptum compoſito nomine. Stuprum verò in virginem viduam-ve committitur; quod Græci ΦΘΟΡΑ'Ν [*id eſt, corruptionem*] appellant. *l.* 6. § 1. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.*

STUPRUM *quoque dicitur, quod in puerum ingenuum nefariè committitur.*

Etymologiæ Adulterii mox allatæ, conſonat & Feſtus: ADULTER & ADULTERA dicuntur, quia & ille ad alteram, & hœc ad alterum ſe conferunt. *In Verb. ADULTER.*

X X I I.

ÆDIFICII vel ÆDIUM PARS.

Labeo generaliter ſcribit; Ea quæ perpetui usûs causâ in ædificiis ſunt, Ædificii eſſe; quæ verò ad præſens, non eſſe ædificii. *l.* 17. § 7. *ff. de Act. empti.*

Hinc Straturam loci alicujus ex tabulis factis, quæ æſtate tollerentur & hieme ponerentur, Ædium eſſe ait Labeo: quoniam perpetui usûs paratæ eſſent. Neque ad rem pertinere, quòd interim tollerentur. *l.* 242. § *fin.* JAVOL. LIB. 2. EX POSTERIOR. LABEON.

Idem Labeo ait: Protyrum (*c*) quod in ædibus interim [qui] fieri ſolet, Ædium eſt. *l.* 245. § 1. POMPON. LIB. 10. EPIST.

Quod ait Labeo, ea quæ perpetui usûs causâ in ædificiis ſunt, Ædificii eſſe; accipe, non ſolùm ea quæ adfixa ſunt; ſed & nonnulla etiam non adfixa, ut ſeræ, claves, clauſtra, &c. de quibus lib. 19. *Tit.* de Act. empt. *Part.* Iª. *Sect.* 2. *Cap.* 1. *Art.* 2.

Item accipe de his quæ uſui ædificii, non de his quæ uſui duntaxat patrisfamilias inſerviunt. Etenim Ea eſſe Ædium ſolemus dicere; quæ quaſi pars ædium; vel propter ædes, habentur. *l.* 13. § *fin. ff. de Act. empti.*

Hinc Plumbum quod regulis poneretur, Ædificii eſſe ait Labeo. Sed id quod hypætri (*d*) tegendi causâ poneretur, contrà eſſe. *ſup. d. l.* 242. § 2.

Hinc Statuæ adfixæ baſibus ſtructilibus, aut tabulæ religatæ catenis aut erga parietem adfixæ; aut ſi ſimiliter cohærent lychni, non ſunt Ædium. Ornatûs enim ædium causâ parantur, non quo ædes perficiantur. *ſup. d. l.* 245. *pr.*

Vide & infrà, Inſtrumentum.

ÆDIFICARE: *in Interdicto* DE *Sepulchro ædificando; lib. XI. Tit. fin.*

ÆDIFICARE non ſolùm qui novum opus molitur intelligendus eſt, verùm is quoque qui vult reficere. *l.* 1. § 9. *ff. de Mort. infer.*

ÆDILES.

Olim Ut eſſent qui ædibus præeſſent in quibus omnia ſcita ſua plebs deferebat, duos ex plebe conſtituerunt; qui etiam ÆDILES appellati ſunt. *l.* 2. § 21. *ff. de Orig. jur.*

Poſtea ÆDILES-CURULES, *deindè* CEREALES, *creari cœpti; de quibus lib.* 1. *d. tit.* de Orig. jur. *N.* 19. *&* 22. *ſicque in plures* ÆDILIUM *nomine Magiſtratus diſtributa eſt ea Urbis cura quam nos dicimus* la Police. *Et huc pertinet definitio ſequens*:

ÆDILIS initio dictus eſt Magiſtratus qui ædium non tantùm ſacrarum ſed etiam privatarum curam gerebat. Poſteà hoc nomen & ad Magiſtratus tranſlatum eſt. Dictus eſt autem Ædilis, quòd facilis ad eum plebi aditus eſſet. *Feſtus in Verb. ÆDILIS.*

¶ *ÆDITUUS, cuſtos templi in quo depoſita fieri ſolebant; paſſim.*

¶ *ÆLIA SENTIA Lex. Frequens mentio duorum.* (*inter alia multa*) *hujus Legis Capitum: ejus ſcilicet quo minores viginti annis ſervos ſuos prohibebantur, præterquàm ex juſtâ causâ apud Conſilium probatâ manumittere; &*

(*c*) *Un Contre-huis, une Contre-porte.*

(*d*) *Hypætrum*, Solarium in quo apricatur paterfamiliàs; ſubdialis ambulatio. Quæ hujus tegendæ cauſâ ponuntur, putà vela Cilicia, non ſunt Ædium, utpotè quæ patrisfamiliàs magis quàm ædium uſibus inſerviant.

Source : BIU Cujas

alterius item Capitis quo libertates in fraudem creditorum relictæ infirmabantur. De quibus vide lib. 40. *Tit.* Qui & à quib. manum.

ÆQUE, in teſtamentis ; putà Primus & fratris mei filii ÆQUE heredes ſunto ... Hæc adjectio declarat omnes ex virilibus (*a*) partibus inſtitutos. *l.* 13. *ff. de Hered. inſt.*

ÆS, pro Pecuniâ : paſſim.

Etiam aureos nummos, ÆS (*b*) dicimus. *l.* 159. ULP. LIB. I. AD SABIN.

ÆS ALIENUM eſt, quod nos aliis debemus ; ÆS Suum eſt, quod alii nobis debent. *l.* 213. § 1. ULP. LIB. I. REGUL.

¶ *ÆSTIMATIO. Vide infrà*, Pluris, & Quanti.

ÆSTIMATORIA *actio appellatur, quæ competit ei qui rem circumferendam ac vendendam alteri dedit ; eâ lege ut ſibi ea res (ſi inempta eſſet) ejus-ve de quâ inter ipſos convenit Æſtimatio redderetur. De quâ vide lib.* 19. *Tit. III.*

Æſtimatoria actio *alio ſenſu vocatur, & alio nomine* QUANTI-MINORIS, *ea quæ emptori datur contra venditorem ut ex pretio remittat id quantò minoris emiſſet ſi vitium rei venditæ cognoviſſet. De quâ lib.* 21. *Tit.* de Ædil. Ed.

ÆSTIMATUS in dotem datus, *propriè vocatur fundus qui ita in dotem datur, ut maritus non ipſum ſed ſummam quâ æſtimatus eſt ſoluto matrimonio reddere teneatur. Opponitur Inæſtimato ſeu* DOTALI, *de quo infrà in Verb. DOS.*

XXIII.

* *AFF. AG. Vide ſuprà, ADF, ADG.*

AGER. *Vide infrà*, Fundus.

AGNI, OVES, *&c.*

AGNI videntur ... qui minores anniculis eſſent. *l.* 60. *ff. de Legatis* 3°.

In quibuſdam locis OVIUM numero eſſe videntur, quum ad tonſuram venerint. *l.* 65. § *fin. ff. d. tit.*

Aliàs tamen OVIBUS nec Agnos nec arietes contineri quidam rectè exiſtimant. *l.* 81. § 4. *ff. d. tit.*

¶ *ALBUM* PRÆTORIS, *ſeu* EDICTORUM, *erat tabula quam Prætor publicè in Foro proponi curabat : quâ edicebat quid toto ſui magiſtratûs tempore in Jure dicendo eſſet obſervaturus. Vide lib.* 2. *Tit.* de Juriſd. *Art. fin.*

Ab eo differt, licèt eòdem pertinens, ALBUM FORMULARUM, *quo variæ actionum formulæ erant propoſitæ. d. lib.* 2. *Tit.* de Edend. *N.* 3. *cum Notis.*

Erat & ALBUM DECURIONUM, *matricula quâ Decuriones ordine quiſque ſuo inſcripti eſſent. Tit.* de Albo ſcribendo. *lib.* 50.

XXIV.

ALIENARE, ALIENATIO.

Eſt ALIENATIO, omnis actus per quem dominium transfertur. *l.* 1. *Cod. de Fund. dot.*

Interdum tamen [*ut in Edicto* De *Alienatione judicii mutandi causâ, lib. IV. Tit.* 7.] ALIENARE intelligitur, etiam qui alienam rem vendidit. *l.* 8. § 2. *ff. de Alien. jud. mut.*

Cæterùm ALIENATUM non propriè dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet (*c*). VENDITUM tamen rectè dicetur. *l.* 67. ULPIAN. LIB. 76. AD ED.

ALIENATIONIS verbum, etiam uſucapionem continet. Vix eſt enim ut non videatur Alienare, qui patitur uſucapi (*d*).

Eum quoque ALIENARE dicitur, qui non utendo amiſit ſervitutes.

Qui occaſione adquirendi non utitur, non intelligitur ALIENARE ; veluti qui hereditatem omittit (*e*), aut optionem intrà certum datam (*f*) non amplectitur. *l.* 28. PAUL. LIB. 21. (*g*) AD ED.

Item non ALIENAT, qui duntaxat omittit poſſeſſionem (*h*). *l.* 119. [*Aliàs* 161.] *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 13. AD ED.

ALIMENTA, quid contineant in ſe & generaliter ; ita definiri poteſt.

Legatis *V. G.* Alimentis, cibaria & veſtitus & habitatio debebitur ; quia ſine his ali corpus non poteſt. Cætera quæ ad diſciplinam pertinent ... non continentur. *l.* 6. *ff. de Alim. leg.*

Strictiùs hæc vox accipitur in tranſactione de alimentis, de quâ lib. 2. *Tit.* de Tranſact. *Sect.* 2. *nec ad habitationem veſtiariumque porrigitur. Vide rationem diſparitatis in Notis ad d. l.* 6. *lib.* 34. *Tit.* 1. de Alim. leg. *N.* 2.

¶ *ALLUVIO, incrementum latens quod agro flumen adjicit. Inſtit. lib.* 2. *Tit.* 1. § 20.

¶ *ALTERNATIVUM legatum*, Alternativa *obligatio ſeu ſtipulatio vocantur, ex quibus duæ plures-ve res debentur non cumulatè, ſed alternatò ; id eſt, ita ut electione unius à cæteris liberatio contingat.*

¶ Edictum *DE ALTERUTRO, quo cavetur ut ſi quid maritus uxori, hereditatis legati-ve aut fideicommiſſi titulo reliquerit ;* Alterutro *contenta ſit mulier, nimirùm vel relicto vel dote. Vide lib.* 24. *Tit.* 3. Solut. matrim. *N.* 81. *& Cujacium Obſerv. III.* 16.

XXV.

¶ *AMBITIOSA* DECRETA, &c. *quæ per gratiam & favorem elicita ſunt.*

* AMICA. *Vide infrà*, Pellex.

AMICUS, AMICI, *de quibus paſſim frequens mentio ; ut quum dicitur tutorem abſentem poſſe ut ſuſpectum removeri, evocatis pupilli adfinibus &* Amicis *; item decernenda pupillo alimenta, convocatis* Amicis *parentis ejus ; &c.*

AMICOS appellare debemus, non levi notitiâ conjunctos ; ſed quibus fuerint jura cum patrefamilias, honeſtis familiaritatis quæſita rationibus. *l.* 223. § 1. PAUL. LIB. 2. SENT.

* AMITA. *Vide infrà*, Patruus.

AMITINUS. *Vide*, Conſanguineus.

AMOVERE ; putà, quum quæritur an Suo heredi propter res ab eo ex hereditate Amotas denegandum ſit abſtinendi beneficium : item in actione RERUM AMOTARUM, *&c.*

AMOVISSE eum accipimus, qui quid celaverit (*i*), interverterit, aut conſumpſerit. *l.* 71. § 6. *ff. de Adq. hered.*

Actio Rerum Amotarum *dicitur, Condictio rerum quas conjux conjugi ſubripuit contemplatione divortii futuri quod reverâ ſecutum eſt. De hâc vide lib.* 25. *Tit.* 2.

¶ *AMPLISSIMUS ORDO, Senatus.*

AMPLIUS, putà in Legatis ; HOC AMPLIUS, *fundum lego.* Verius eſt, eo verbo AMPLIUS (*k*) ſuperiora repeti. *l.* 54. *ff. de legatis* 3°.

(*a*) Alioquin [demptâ hâc adjectione] in ſemiſes inter Primum & fratris filios divideretur hereditas.

(*b*) Sic in antiquâ Mancipationis formulâ, *Hoc ÆRE mihi emptus eſto* ; nil refert cujus materiæ nummus detur.

(*c*) Cenſet Cujacius hoc ſcriptum de Exceptione *Rei litigioſæ* ; quâ repellitur is qui rem litigioſam emit, nec traditam acceperit, ſi eam perſequatur. Etenim hujuſmodi res, etiàm *Vendi* prohibetur.

(*d*) Hinc, cùm maritus fundum dotalem ALIENARE prohibeatur ; colligitur nec poſſe hunc fundum conſtante matrimonio *Uſucapi*. Vide lib. 23. Tit. *de Fund. dot.* N. 6. cum Notis ad l. 16.

(*e*) Ut ſi ſocius *Univerſorum bonorum* poſt litem COMMUNI DIVIDUNDO conteſtatam, omittat delatam ſibi hereditatem. Poteſt item referri ad Edicta quibus in fraudem *Creditorum*, aut *Patroni* alienationes prohibentur.

(*f*) Si cui legaverim unum ex ſervis meis, *Quem ille intra menſem optaverit* ; ille non optando, magis videtur non adquiſiviſſe quàm *Alienaſſe*. Nullum enim jus habuiſſe videri poteſt, antequàm optaret.

(*g*) Cujacius legit LIB. 23. AD EDICT. [ut lex inſcripta eſt in aliis ſive Mss. ſivé Editionibus] ; eamque referri putat ad judicia *Familiæ Erciſcundæ* & *Communi dividundo*, de quibus egit Paulus in hoc lib. 23. Res quæ his judiciis dividundæ veniunt, non poſſunt poſt litem conteſtatam alienari : l. 13. ff. *Fam. erciſc.* & l. 1. Cod. *Comm. divid.* Hinc quærendum fuit quando quis ALIENARE videretur. Cæterùm poteſt & ad plures alias ſpecies lex accommodari, ut in Notis præced. & alibi paſſim in Jure.

(*h*) Id refert Cujacius ad Edictum DE ALIENATIONE *judicii mutandi causâ* : ut ſenſus ſit, in illud Edictum non incidiſſe eum qui rem de quâ litem timet, non in alium difficiliorem adverſarium transfert ; ſed poſſeſſionem duntaxat abjicit. Aut etiam is qui adquirere omittit, putà hereditatem aut legatum repudiando ; dum vult magis re carere quàm litigare. Metum ejus qui timet lites, Prætor non improbat.

(*i*) Dolo malo, per ſe vel per alium : d. Tit. *de Acq. hered.* N. 22, & ſeqq.

(*k*) Varia exempla Tit. *de Legat.* N. 230.

Source : BIU Cujas

¶ *ANFRACTUS*, *Flexus viæ.*

* ANGIPORTUS. *Vide infrà*, Portus.

XXVI.

¶ *ANNONA*, *propriè frumentum*; *largè accipitur pro omnibus quæ ad victum parantur.*

ANNONAM Attentare, Flagellare, Vexare *dicuntur*; *qui monopoliis* (par des Arrhemens) *aliis-ve malis artibus efficiunt ut carioris væneat*; *aut quaslibet alias fraudes circa Annonam committunt.*

* ANNOT. *Vide suprà*, Adnot.

ANNULI. *Vide infrà*, Aureus.

ANNUS, *ANNICULUS.*

Lege Papiâ præmia proposita erant his qui ANNICULUM *eduxissent. Putà ex hâc causâ Latinus civitatem adipiscebatur*; *vir & mulier jus capiendi invicem ex testamento*, *&c.*

Porrò ANNICULUS, non statim ut natus est, sed trecentesimo-quinto die dicitur: incipiente planè, non exacto die; quia ANNUM civiliter, non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus. *l.* 134. PAUL. LIB. 2. AD LEG. JUL. ET PAP.

Igitur Anniculus amittitur, qui extremo anni die moritur. Et consuetudo loquendi id ita esse declarat; ANTE diem decimum Kalendarum, POST diem decimum Kalendarum: neque utro enim sermone undecim (*a*) dies significantur. *l.* 132. IBID. LIB. 3.

Pariter in plerisque aliis Juris articulis, *ANNUS tunc demùm computatur quum impletus est. Putà*, *in testamentis*; Si cui legetur, QUUM QUATUORDECIM ANNORUM ERIT; certo Jure utimur ut tunc sit QUATUORDECIM ANNORUM, quum impleverit. *l.* 49. *ff. de Legatis* 1°.

Contrà tamen, *quandoque Annus incœptus pro completo habetur*; *scilicet in valdè favorabilibus. l.* 74. § 1. *ff.* Ad SC. Trebell. *&* *l.* 8. *ff.* de Muner. & hon.

XXVII.

¶ *APOCHA*, Quittance.

* APOSTOLI. *Vide infrà*, Dimissoriæ litteræ.

APPELLARE mulierem vel puerum ingenuum item ADSECTARI: *in Lege Cornelià* DE INJURIIS. *lib.* 47. *Tit. X.*

Aliud est Appellare, aliud Adsectari. APPELLAT, qui sermone pudicitiam attentat: ADSECTATUR, qui tacitus frequenter sequitur. *l.* 15. § 22. *ff. de Injur.*

¶ *APUD. Vide infrà*, Penès.

APUD Julianum Marcellus notat *vel* scribit, *frequens in Nostris locutio*: *cujus sensus est Marcellus in suis Notis ad scripta Juliani.*

Alio sensu dicitur: APUD Alfenum (*V. G.*) Servius scribit; *id est*, *in libris Alfeni hæc sententia Servii refertur.*

APUD ALIQUEM OBLIGARI; *frequenter*, *pro* Alicui *obligari.*

XXVIII.

AQUA, Cottidiana, Æstiva; AQUÆ-DUCTUS, Aquæ haustus, *&c. in Interdictis de Aquâ lib.* 43. *Tit.* 20. *& seqq.*

COTTIDIANA Aqua, non illa est quæ cottidie ducitur, sed ea quâ quis quotidie possit uti si vellet: quanquàm cottidianam interdum hieme ducere non expediat, etsi possit duci. *l.* 1. § 2. *ff. de Aq. quot.*

ÆSTIVA autem ea est, quâ æstate solâ uti expedit. *d. l.* 1. § 3.

AQUÆ DUCTUS, AQUÆ HAUSTUS (*servitutes prædiales*), *id est*, *jus ducendi Aquam per fundum alienum*, *jus hauriendi ex fonte vel puteo vicini.*

AQUÆDUCTUS *sumitur etiam pro canalibus quibus Aquam ducit qui hoc jus habet.*

COERCERE AQUAM; *in Interdicto quod dat Prætor ei qui in quasi-possessione est juris Aquæductûs*, *quominùs prohibeatur reficere & purgare fontem ut Aquam* coerceat. *De quo*, *Tit.* de Fonte, *d. lib.* 43.

COERCERE AQUAM, est continere sic ne diffluat, ne dilabatur; dummodò non permittatur vias novas quærere vel aperire. *l. un.* § 9. *ff. de Fonte.*

¶ *AQUA ET IGNI* interdictio, *est pœna capitalis*; *quâ is cui Sententiâ judicis Aquâ & igne interdicebatur cum civibus*, *vertere solum cogebatur*, *& extra ditionem Populi Romani se recipere. Undè fiebat ut alterius civitatis civis factus*, *jura civitatis Romanæ amitteret.*

¶ *AQUILIA* Lex, *de damno per injuriam dato*; *qualecumque illud sit. Lib. X. Tit.* 2.

* AQUILIANA stipulatio. *Vide suprà*, Acceptilatio.

XXIX.

ARBITER appellatur, *qui in actionibus bonæ fidei & arbitrariis judex litigatoribus à Prætore datur. Atque hinc passim* ARBITRIUM *pro ipsâ actione*: *ut* Arbitrium tutelæ, *id est*, *Tutelæ actio.*

ARBITER *item is dicitur qui ad aliquid æstimandum à Prætore datur*; *putà ad æstimandum modum alimentorum quæ pupillo decerni debeant*, *ad probandos fidejussores*, *ad probandum opus*, *ad dispungendas rationes.*

ARBITER *alio sensu appellatur*; *is in quem aliqui compromiserunt*, *ut de suis controversiis ipsius sententiæ starent.*

ARBITRIUM frequentiùs, *& eodem sensu sumitur*; *pro factâ potestate arbitro sententiæ ferendæ*, *vel pro ipsâ sententiâ Arbitri*, *vel pro officio Arbitri.*

Est Arbitrium STRICTUM, *ut in Compromissis*; *quum partes conveniunt stare Arbitri sententiæ*, *sive æqua sive iniqua fuerit.*

Est & Arbitrium *tanquam* BONI VIRI, *quum in contractibus convenit aliquid arbitrio alicujus fieri*, *æstimari*: *ita tamen ut ejus arbitrio stare non teneamur nisi arbitratus fuerit quod* Vir bonus (*id est*, *æquus ac peritus*) *æstimaturus fuisset. Utriusque Arbitrii mentio*, *Tit.* Pro socio. *N.* 8. *in l.* 75. *ff. d. tit. lib.* 17.

Pariter in testamentis, *qui ita loquitur*: SI FUERIS ARBITRATUS, si putaveris, si æstimaveris, si utile tibi fuerit visum vel videbitur; non plenum Arbitrium voluntatis... dedit, sed quasi viri boni. *l.* 11. § 7. *ff. de Legatis* 3°.

ARBITRATU; *passim in stipulationibus*, *in testamentis*, *putà*, ARBITRATU L. TITII *satisdari &c.*

Illa verba, ARBITRATU LUCIS-TITII fieri, jus significant (*b*) & in servum non cadunt. *l.* 68. ULP. LIB. 77. AD ED.

* ARBITRIUM RECIPERE. *Vide infrà*, Compromissum.

ARBITRARIA *actio. Suprà*, *in Verb.* Actio.

XXX.

ARBOR: *Arbores* Cædere, Cingere, *&c. in actione* Arborum furtim cæsarum *lib.* 47. *Tit.* 7. *item in Interdicto* DE *Arboribus cædendis*, *lib.* 43. *Tit.* 27.

ARBORIS appellatione, etiam vites continentur. *l.* 1. § 3. *ff. de Arb. cæd.*

Hederæ quoque & arundines.... Idem de salicteto dicendum. *l.* 3. §§ 1. *&* 2. *ff. Arb. furt. cæs.*

CÆDERE est, non solùm succidere, sed etiam ferire cædendi causâ.

CINGERE, est deglabrare (*c*).

SUBSECARE est, subsecuisse (*d*): non enim poterat cæcidisse intelligi, qui ferrâ secuisset. *l.* 5. *ff. d. tit.*

¶ *ARCIFINIUS ager*, *qui nullâ certâ mensurâ terminatur*; *sed putà*, *flumine aut viâ publicâ.*

XXXI.

¶ *ARGENTARII*, *qui mensas in Foro positas habebant*;

(*a*) Sensus est: si quis ipso Kalendarum die ita loquatur, *Ante diem decimum* hoc factum est; vel, *Post dium decimum* id fiet; *neutro sermone undecim dies significantur*, sed decem tantùm; scilicet computatis in hoc dierum numero Kalendis ipsis, quamvis dies ille Kalendarum quo quis loquitur jam cœptus sit. Ergo pariter, rectè quis dicitur *Anniculus* fuisse seu 365*e.* diebus vixisse, qui die ipso trecentesimo-sexagesimo-quinto vixit; quamvis eo die nondum exacto sit mortuus. Neque enim de momento ad momentum computamus; & dies mortis, totus vitæ imputatur.

(*b*) Id est, non nudum denotant factum, sed *jus* facultatemque statuendi. Hinc si ille cujus ARBITRATU fieri quid promissum est, servus esse deprehendatur; hæc stipulatio non valet: quia, cùm servus pro nullo habeatur quoad ea quæ sunt *Juris*, in servum cadere non potest Jus definiendi & statuendi quod eâ stipulatione comprehensum est.

(*c*) Decorticare.

(*d*) Quolibet modo, putà ferrâ, &c. Ideòque hoc verbum hìc additum, quia CÆDERE propriè est securi ferire; nec proindè *poterat*, *&c.*

Source : BIU Cujas

ubi qui pecunias fœnori collocandas volebant, eas deponerent, & undè acciperent illi quibus pecuniâ mutuâ opus esset. Argentarii illi pro aliis solvebant, constituebant, vendebant, emebant; & de his omnibus rationes conficiebant.

ARGENTUM, Factum, Infectum, &c. *non in testamentis solùm & Legatis, sed & in contractibus & sermone vulgari.*

Argentum FACTUM rectè quis ita definierit, quod neque in massâ neque in lamnâ, neque in signato, neque in supellectili, neque in mundo (*a*), neque in ornamentis insit. *l.* 27. § *fin. ff. de Aur. arg. leg.*

Q. Mucius... ita definit; Argentum FACTUM, vas argenteum (*b*) videri esse. *d. l.* 27. *pr.*

INFECTI autem Argenti appellatio nudàm materiam continet, id est, non factam. *l.* 19. § 11. *ff. d. tit.*

Aurum vel argentum SIGNATUM est.... quod aliquâ formâ est expressum; veluti quæ Philippi (*c*) sunt, itemque numismata (*d*), & similia. *sup. d. l.* 27. § 4.

Argenti Facti varias species. CŒLATUM, ESCARIUM, POTORIUM, *&c. vide lib.* 34. *Tit.* de Aur. arg. leg.

Auri autem Argenti appellatione, Pecuniam signatam... placet non contineri. *sup. d. l.* 19. *pr.*

Non facilè enim quisquam ARGENTI numero nummos computat. *sup. d. l.* 27. § 2.

¶ *ARRHA appellatur, quod datur in argumentum proximè cotrahendæ, aut etiam (ut sæpiùs) jam contractæ emptionis. V. G. aut sponsaliorum, aut cujusvis alterius contractûs.*

ARMA; in Interdicto de Vi armatâ, *lib.* 43. *Tit.* 16. *in Lege Juliâ* de Vi publicâ, *lib.* 48. *Tit.* 6. *&c.*

ARMORUM appellatio, non utique (*e*) secuta & gladios significat; sed & fustes & lapides. *l.* 42. GAIUS LIB. 21. AD ED. PROVINC.

Adde l. 3. § 2. *ff.* de Vi & vi am. *Item vide infrà in Verb. TELUM.*

* ARMENTUM. *Vide infrà*; Pecus.

XXXII.

¶ *AS pro solido seu toto accipitur. Heres* EX ASSE *est heres ex totâ hereditate.*

* *ASS. Vide suprà*, ADS.

¶ *ATQUE, sumitur pro* Sed, Statim.

¶ *ATTILIANUS* Tutor; *qui ex Lege à Prætore dabatur. Vide lib.* 26. *Tit.* de Tutor. & Cur. dat. *N.* 2.

¶ *AUCTOR sumitur pro venditore, aliis-ve à quibus rem aliquam quovis titulo comparavimus.*

AUCTOR *alio sensu dicitur tutor; quum pupillo* Auctoritatem *præstat; id est, actum aliquem pupilli, solemnibus verbis præsens comprobat.*

AUCTORITAS *sumitur; modò pro solemni approbatione negotii pupilli, à tutore interpositâ; modò pro actione quæ pro re evictâ contra Auctorem competit; modò pro dominio & jure rei vindicandæ, ut quum dicitur* Rei Furtivæ (*aut* Adversùs hostem) ÆTERNAM AUCTORITATEM *esse.*

¶ *AVERSIO Putà, vendere, locare* PER AVERSIONEM, *opponitur huic locutioni* AD MENSURAM; *& est quod dicimus*, En bloc, A forfait, *quasi averso capite* (sans y regarder).

AVERSUM ONUS (*ab Avertendo, id est auferendo*) *est quod è nave per furtum subtractum est. Undè actio* Oneris Aversi; *de quâ lib.* 19. *Tit.* Locati *N.* 10.

AVES.

AVIBUS legatis, anseres, phasiani & gallinæ, & aviaria debebuntur.... Pastores anserum (*V. G.*) non continentur. *l.* 66. *ff. de Legatis* 3°.

¶ *AUREUS valebat centum sestercios nummos. Vide lib.* 38. *Tit.* de Bonis libert. *N.* 12. *Not.*

AUREI ANNULI, *quibus uti solis ingenuis licitum erat. Undè* Aureorum annulorum jus, *quod homo libertinæ conditionis impetrat à Principe; ut, quoad vivat, pro ingenuo habeatur, aureisque annulis utatur. De quo jure, vide lib.* 40. *Tit. X.*

* AVUNCULUS. *Vide infrà*, Patruus.

(*a*) Muliebri; de quo infrà in Verb. *Mundus.*
(*b*) *La Vaisselle d'Argent, l'Argenterie.*
(*c*) *Monoies antiques*; par exemple *marquées au coin des* PHILIPPE *Rois de Macédoine.*
(*d*) *Médailles, Cachets.*
(*e*) Solùm.

B

XXXIII.

¶ BES, *duæ tertiæ partes*, les deux tiers. *Heres ex* BESSE *scriptus*, institué pour les deux tiers. BESSES *usuræ*, l'intérêt à deux tiers d'un pour cent par mois; (*ou*) Huit pour cent par an.

BESTIÆ, sunt quadrupedes feræ naturæ; ut leo, ursus, canis, etsi mansuefacta hæc animalia essent.

Strictiùs pro his qui in suâ feritate permanserunt, hæc vox interdum accipitur; ut in Edicto quo arcentur à postulando (lib. 3. *Tit.* 1.) *ii qui operas suas locaverunt ut cum Bestiis pugnarent. Ibi enim* BESTIAS accipere debemus, ex feritate magis quàm ex animalis genere. *l.* 1. § 6. *ff. de Postul.*

BIBLIOTHECA.

Nerva ait.... & locum significare BIBLIOTHECAM, & aliàs armarium.... aliàs libros. *l.* 52. § 7. *ff. de Legatis* 3°.

XXXIV.

BONA, passim, ubique.

BONORUM appellatio, aut naturalis aut civilis est.

Naturaliter BONA ex eo dicuntur quòd beant, hoc est beatos faciunt. BEARE est prodesse. *l.* 49. ULP. LIB. 52. AD ED.

Hoc sensu Propriè Bona dici non possunt, quæ plùs incommodi quàm commodi habent. *l.* 83. JAVOLEN. LIB. 5. EX PLAUTIO.

Item Bona intelliguntur cujusque, quæ deducto ære alieno supersunt (*f*). *l.* 39. § 1. PAUL. LIB. 53. AD ED.

Id enim Bonorum cujusque intelligitur, quod æri alieno superest. *l.* 11. *ff. de Jur. fisc.* JAVOLEN. LIB. 9. EPISTOL.

Civilis autem BONORUM appellatio (sicuti Hereditatis) universitatem quamdam, ac jus successionis, & non singulares res demonstrat. *l.* 208. AFRICAN. LIB. 3. QUÆST.

Ita accipiuntur BONA, *in Bonorum possessionibus. Nam* Bona hìc (ut plerùmque solemus dicére) ita accipienda sunt, universitatis cujusque successionem; quâ succeditur in jus demortui, suscipiturque ejus rei commodum & incommodum. Nam sive solvendo sunt Bona, sive non sunt, sive damnum habent sive lucrum, sive in corporibus sunt sive in actionibus; in hoc locò propriè BONA appellabuntur. *l.* 3. *ff. de Bon. possess.*

Civiliter etiam Bona *accipiuntur, quum Princeps exsuli civitatem & Bona restituit.*

Hinc Paulus. Princeps Bona concedendo, videtur etiam obligationes (*g*) concedere. *l.* 21. PAUL. LIB. 11. AD ED.

IN BONIS. Hæc locutio passim usurpatur, quocumque modo sive civiliter sive naturaliter accipiantur Bona.

IN BONIS autem nostris computari sciendum est, non solùm quæ dominii nostri sunt, sed & si bonâ fide à nobis possideantur, vel superficiaria sint. Æquè Bonis adnumerabitur, etiam si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus (*h*). Nam hæc omnia IN BONIS esse videntur. *sup. d. l.* 49.

BONIS CEDERE *dicitur debitor, qui sive in Jure sive extra Jus universa Bona sua creditoribus suis derelinquit.*

(*f*) Hoc sensu accipiuntur V. G. in Edicto DE collation bonorum.
(*g*) Tam activè quàm passivè accipe. Scilicet ei & in eum actiones quæ capitis diminutione interierant, restituit; & hæ obligationes contineri videntur appellatione civili *Bonorum* quæ exsuli restituendo condit.
(*h*) Scilicet IN BONIS omnia jura computantur; adeòque, etiam *Actiones, Petitiones, Persecutiones*: de quarum differentiâ suprà in Verb. *ACTIO.*

Source : BIU Cujas

¶ *Circa* BONORUM *appellationem obſerva, propriam illam eſſe ejus qui ſui juris eſt. Vide infrà*, Peculium.

Excipienda tamen in filiofamilias cauſa Peculii Caſtrenſis; cujus BONA *rectè dici poſſunt quandiù vivit.*

Item BONA adventitia, *etiam filiifamilias rectè dicuntur Jure Juſtinianeo; ea ſcilicet quæ filiusfamilias aliundè quàm ex re patris acquiſivit: cùm horum habeat proprietatem, ſolo uſufructu patri ſervato.*

XXXV.

BONORUM POSSESIO, ſucceſſio Prætoria.

Ex ſupràdictis autem N. præced. BONORUM POSSESSIONEM ita rectè definiemus, jus perſequendi retinendique patrimonii (*a*) ſive rei (*b*) quæ cujuſque quum moritur fuit. *ſup. d. l.* 3. § 2. *ff. de Bon. poſſeſſ.*

¶ *Hujus variæ ſunt ſpecies. Et* 1°. *vel ex Edicto datur, vel ex Decreto.*

Bonorum poſſeſſio EDICTALIS *dicitur, quæ ex ipſis verbis Edicti defertur; adeòque à Prætore de plano & citra cauſæ cognitionem datur.*

Contrà, DECRETALIS Bonorum poſſeſſio *vocatur; quæ, cùm ex ipſis Edicti verbis non competat, Decreto Prætoris, prævià cauſæ cognitione, pro tribunali datur. Exemplum in ſequenti.*

CARBONIANA Bonorum poſſeſſio: *quæ ex Edicto Carboniano, impuberi cui controverſia ſit de ipſius ſtatu ac hereditate, interim datur* (par proviſion)*; rejectâ in tempus pubertatis, controverſiæ ſtatûs deciſione.*

2°. *Bonorum poſſeſſio datur, vel* Contra tabulas, *vel* Secundùm tabulas.

Bonorum poſſeſſio CONTRA TABULAS, *eſt illa quam Prætor Edicto ſuo defert liberis, ſive Sui heredes ſint ſive hi quos Pro Suis heredibus ipſe habet; quum teſtamento patris præteriti, aut non ut oportet exhereditati ſunt. Tit.* de Bon. poſſ. contra tab. *lib.* 37.

Bonorum poſſeſſio SECUNDUM TABULAS *eſt illa quam Prætor defert heredibus teſtamento ſcriptis, ſeptem teſtibus ſignato; quum nemo eſt qui* contra Tabulas *poſſeſſionem agnoſcere poſſit aut velit.*

3°. *Bonorum poſſeſſiones ab inteſtato, quatuor nominantur.*

UNDE LIBERI: *id eſt, Bonorum poſſeſſio inteſtati defuncti quam Prætor liberis ejus Suis heredibus aut quos pro Suis habet, defert; ita dicta, quòd ab his verbis* UNDE LIBERI *caput Edicti incipiebat. Eadem ratio eſt de tribus aliis quæ ſequuntur.*

UNDE LEGITIMI; *quæ deficientibus liberis, cæteris qui ad hereditatem defuncti vocantur defertur.*

UNDE COGNATI, *quæ legitimis deficientibus defertur cognatis.*

Et UNDE VIR ET UXOR, *quæ his omnibus deficientibus conjugi defuncti, defertur.*

Ad ſupràdictas omnes ſpecies, pertinent voces illæ; Bonorum poſſeſſio DELATA, ADQUISITA.

Bonorum poſſeſſio DEFERRI *alicui dicitur, quum quis agnoſcendo eam poteſt conſequi.*

AGNOVISSE *Bonorum poſſeſſionem dicitur, qui eam à Prætore petiit; vocaturque* BONORUM POSSESSOR, *& ſolo nomine tenùs ab herede differt.*

* Mittere IN POSSESSIONEM BONORUM. *Vide infrà*, Poſſeſſio.

XXXVI.

BONA FIDES ſumitur, modò pro æquitate; ut in actionibus BONÆ FIDEI, *ſuprà in Verb.* Actio.

Modò ſumitur pro juſtâ opinione dominii in re, ut quum quis dicitur Bonâ fide poſſidere. V. G. BONÆ FIDEI emptor eſſe videtur, qui ignoravit eam rem alienam eſſe; aut putavit eum qui vendidit, jus vendendi habere, putà procuratorem aut tutorem eſſe. *l.* 109. MODESTIN. LIB. 5. PANDECT.

BONAM FIDEM PRÆSTARE, *eſt ſine dolo verſari; ut quum dicitur, Bonam fidem in contractu* (*putà*) *Depoſiti præſtari debere; id eſt, depoſitarium circa rem depoſitam nullum dolum committere debere.*

* BOVES. *Vide infrà*, Pecus.

BREVI MANU. *Vide*, Manus.

C

XXXVII.

C *ADUCUM.*

Quod quis ſibi teſtamento relictum, ita ut Jure Civili capere poſſit, aliquâ ex (*c*) causâ non ceperit, CADUCUM appellatur; veluti cecidit ab eo. ULP. FRAGM. *Tit.* 17.

CADUCUM *propriè dicebatur, quod poſt mortem teſtatoris tale fiebat. Quòd ſi hereditas aut legatum per mortem heredis ſcripti legatarii-ve, vivo adhuc teſtatore, deficeret; ſpeciali nomine dicebatur* IN CAUSA CADUCI, *& nomine tenùs à* Caduco *differebat.*

* CÆDERE. *Vide ſuprà*, Arbor.

CÆDUA ſylva, CÆDUÆ arbores. *Vide infrà* Sylva.

CÆSA. *Vide* Ruta.

¶ *CÆTERUM ſæpè ſumitur pro* Alioquin.

XXXVIII.

CALVITUR, vetus vocabulum in XII. Tabulis; ubi de eo qui in Jus vocatur, Lex ait: SI CALVITUR . . . MANUM ENDO JACITO. *Quod verbum ita explicat Gaius:* SI CALVITUR [id eſt *Ita H. Grotius. Vulgò &*] moretur & (*d*) fruſtretur. Indè & CALUMNIATORES appellati ſunt, quia per fraudem & fruſtrationem alios vexarent litibus (*e*). Indè & CAVILLATIO (*f*) dicta eſt. *l.* 233. GAIUS LIB. I. AD LEG. XII. TABUL.

CALUMNIA, lato ſenſu pro quâvis malitiâ & animo vexandi accipitur.

Hinc Jusjurandum CALUMNIÆ, *infrà. Hinc & mulier* PER CALUMNIAM *bonorum poſſeſſionem ventris nomine petere dicitur; quum ſciens ſe non eſſe prægnantem, eam petit.*

Hoc etiam ſenſu CALUMNIATORES *dicuntur, qui quid accipiunt ut negotium alicui faceſſant vel ne faceſſant. De quibus eſt Titulus* de Calumniat. *lib.* 3°.

Strictiori ſenſu ſumitur in SCto Turpilliano: ut mox ſequitur.

CALUMNIARI, PRÆVARICARI, TERGIVERSARI; in judiciis criminalibus, ſive publicis ſive extraordinariis: lib. 47. *tit. dePrævar. & lib.* 48. *Tit.* Ad SC. Turpill. CALUMNIARI, eſt falſa crimina intendere; PRÆVARICARI, vera crimina abſcondere; TERGIVERSARI, in univerſum ab accuſatione (*g*) deſiſtere. *l.* 1. § 1. *ff. Ad SC. Turpill.*

Et propriè PRÆVARICATORES eos appellamus, qui cauſam adverſariis ſuis donant (*h*), & ex parte actoris

(*a*) Bonorum poſſeſſio, licèt dominum non faciat, ſicut *Hereditas*; eſt tamen ipſa inſtar Hereditatis, & poſſeſſorem facit loco domini. Adeòque ille, perindè ac dominus, poteſt *Retinere* aut *Perſequi* quidquid defuncti fuit; non quidem civilibus actionibus, ſed Prætoriis ad inſtar civilium.

(*b*) Additur *ſive* REI; quia non ſolùm quæ PROPRIA defuncti fuerunt, retinere & perſequi poteſt; ſed etiam res omnes quas ſive IN BONIS ſive EXTRA BONA aliquo titulo defunctus habuit; putà bonâ fide ab ipſo poſſeſſas. Etſi enim hæ aliquo ſenſu IN BONIS dici poſſint [ut mox ſuprà, l. 49. ¶ *in bonis*], ſcilicet ratione poſſeſſionis ad nos pertinentis: tamen jure proprietatis inſpecto, EXTRA BONA ſunt. Unde non *Patrimonii*, ſed *Rei* ad nos pertinentis nomine venire debent: REI enim appellatio latior eſt quàm *Pecuniæ* aut *Patrimonii*: infrà in Verb. *Res.*

(*c*) Putà; ſi ante apertas tabulas, is qui ex parte heres ſcriptus eſſet aut cui legatum relictum, vel moreretur vel capitis diminutionem majorem patetur, aut ſi quum cœlebs eſſet, intra annum Legi de maritandis ordinibus non pareret, aut quum Latinus eſſet, civitatem non adipiſceretur. Vide Tit. *de Legat.* Part. 5*â.* Sect. 1*â.* Art. 1°.

(*d*) Scilicet moras adhibeat fruſtrandi causâ ejus qui vocat.

(*e*) Et quaſi retardarent importunè.

(*f*) *Jocoſa calumniatio*: Feſtus. Eâdem autem analogiâ [à verbo *Calvitur*] dicta & illa CAVILLATIO de quâ ſuprà N. 10. cùm & ipſa ad fruſtrandum fiat.

(*g*) Quod accuſatori impunè non eſt, niſi abolitionem impetraverit.

(*h*) Accuſatori nempè qui in causâ publici judicii, abſolutioni magis quàm damnationi rei incumbit. Hic certè, cùm publicæ cauſæ fraudem faciat, puniendus eſt. Quòd ſi in crimine quod ad privatam tantummodò cauſam pertineat, hanc adverſario ſuo condonet; ſibi ſoli fraudem facit, & extra pœnam eſt.

Source : BIU Cujas

in partem rei concedunt. A VARICANDO enim, PRÆVARICATORES dicti sunt. *l.* 212. ULP. LIB. 1. DE ADULT.

Vide & infrà prævaricari.

* CALVISIANA actio. *Vide infrà*, Faviana.

¶ *CANCELLARE testamentum, chirographum, &c. passim; est transversis veluti cancellis, seu lineis cancellatim & obliquè ductis, expungere:* Rayer, Barrer.

¶ *CANON accipitur pro pensitatione ordinariâ. Sic pensio annua, quæ à superficiario aut emphyteutâ debetur,* CANON *dicitur. Hoc nomine etiam significantur, tributa ordinaria quæ à possessoribus agrorum penduntur.*

XXXIX.

* CAPERE. *Vide suprà*, Accipere.

CAPITALIS, vel lato vel strictori sensu sumitur. Nam Licèt CAPITALIS Latinè loquentibus omnis causa existimationis videatur; tamen appellatio CAPITALIS, mortis vel amissionis civitatis intelligenda est. *l.* 103. MODESTIN. LIB. 8. REGUL.

Hinc strictè loquendo, CAPITALIA judicia *ea sola dicuntur in quibus pœna mors naturalis aut civilis: quamvis latâ significatione, judicium quodlibet famosum, etiam Civile (quale est Directum* Tutelæ, Depositi, Pro socio) *dici possit* CAPITALE.

CAPITALES INIMICITIAS (*quarum frequens in Jure mentio*) *Calvinus putat eas esse; quas, ut mos veteribus erat, alter alteri testatò denuntiabat: quæ quia sanguinem & vindictam spirarent,* CAPITALES *appellatæ sunt.*

CAPITIS MINUTIO, est statûs permutatio. *l.* 1. *ff. de Cap. minut.*

Capitis deminutionis tria genera sunt; MAXIMA, MEDIA, MINIMA. Tria enim sunt quæ habemus, Libertatem, Civitatem, Familiam.

Igitur quum omnia hæc amittimus (*a*)... MAXIMAM... Quum verò amittimus civitatem (*b*), libertatem retinemus, MEDIAM... Quum... familia tantùm mutatur (*c*), MINIMAM esse capitis deminutionem constat. *l.* 11. *ff. d. tit.*

Vide lib. 4. *Tit.* 5. De capite minutis.

¶ *CAPTATORIÆ* institutiones, CAPTATORIA legata *dicuntur; quæ hoc animo fiunt ut is cui relinquimus, vicissim ipse nobis aliquid relinquat. De his vide lib.* 28. *Tit.* de Her. instit. *N.* 43. *& lib.* 30. *Tit.* de Legatis *Part.* 1ª. *Sect.* 3ª.

¶ *CAPUT vel pro personâ ipsâ & individuo, vel pro statu & conditione personæ accipitur.*

CARBONES. *Vide infrà*, Lignum.

CASTRENSE Peculium. *Vide*, Peculium.

CATONIANA Regula. *Hanc vide Tit. seq. Part.* 3ª.

XL.

CAVERE, CAUTUM, CAUTIO.

CAVERE, *propriè est prospicere sibi aut alteri. Sumitur autem, modò pro* Promittere *per stipulationem; modò pro promittere simpliciter, ut quum* Dos CAUTA *dicitur, id est promissa; imò etiam pro* Paciscì; *modò pro* Ordinare *aliquid, ut quum dicitur testatorem testamento suo* CAVISSE; *modò pro* Præcipere, *ut quum dicitur Lege vel Edicto aliquid* CAUTUM.

Frequentiùs autem significat, Dare fidejussores aut pignora. Quò pertinet illa sententia: CAUTUM intelligitur, sive personis sive rebus cautum sit. *l.* 188. § 1. PAUL. LIB. 33. AD ED.

A CAVERE *dicitur* CAUTIO; *quæ pro quâvis securitate accipitur, pro chirographo pecuniæ creditæ* (Billet), *pro Apochâ pecuniæ solutæ* (Quittance), *pro satisdatione, pro nudâ Repromissione per stipulationem, pro quâvis clausulâ alicujus stipulationis, ut Cautio* DE DEFENDENDO *in stipulatione* Judicatum solvi.

CAVILLATIO. *Vide suprà, N.* 10. *&* 38.

XLI.

¶ *CAUSA quàm plurimas habet apud Jurisconsultos significationes. Sumitur pro* Negotio, *pro* Lite, *pro titulo debiti, actionis, dominii, possessionis; pro ratione impulsivâ, ut* CAUSA legandi; *pro jure & conditione alicujus rei, ut* CAUSA rei furtivæ; *pro formâ & qualitate accidentali rei, ut quum dicitur quatuor esse* CAUSAS obligationum, *Diem, Conditionem, Modum, Accessionem; frequenter quoque* CAUSA rei *dicitur pro omni emolumento quod ex re & circa rem percipitur. Denique* CAUSA *in contractibus, diverso adhuc sensu accipitur. Vide infrà* Contractus.

AD CAUSAM *alicujus rei pertinere dicitur, quidquid est hujus rei velut appendix & sequela. Sic in l.* 1. § 2. *ff.* de Tab. exhib. *referuntur Codicilli inter ea quæ* ad CAUSAM testamenti *pertinent.*

CAUSA perpetua *in tractatione de servitutibus, est causa naturalis.*

CAUSÆ cognitio, *est solemnis disceptatio causæ. Hinc* CAUSA cognitâ *fieri dicitur, quod prævià hâc disceptatione pronuntiatur.*

SINE CAUSA *rem apud aliquem esse. Vide infrà*, Conditio sine causâ.

XLII.

¶ *CEDERE pro* Accedere *sæpè dicitur; ut,* ÆDIFICIUM SOLO CEDIT.

CEDERE actiones; *est quum alicui concedo ut actionibus quæ mihi competunt, tanquam meus procurator experiatur; & quod ex his consequi potuissem, ipse consequatur. Is autem cui ita ceduntur actiones, dicitur* PROCURATOR IN REM SUAM. *Et quidem* Procurator, *quia nonnisi procuratorio nomine his actionibus experiri potest:* In rem suam *autem, quia eis ad suum commodum & periculum experitur;* à ses risques & fortune.

CEDERE bonis: *vide suprà*, Bona. CEDERE diem: *vide infrà*, Dies.

CEDERE in Jure, & in Jure CESSIO; *solemnis ritus transferendi dominii qui fit ante Magistratum.*

* CENOTAPHIUM. *Vide infrà*, Monumentum.

CENSERE, CENSOR.

CENSERE (*Florent.* Censeri.) est constituere & præcipere: undè etiam dicere solemus CENSEO hoc facias, & semet aliquid Censuisse. Indè CENSORIS nomen videtur esse tractum. *l.* 111. JAVOLEN. LIB. 6. EX CASSIO.

¶ *CENTENARIUS* libertus, *qui Jure Pandectarum centum millia sestertiûm, Jure verò Justinianæo centum aureos, in bonis habet.*

* CENTESIMA usura. *Vide infrà*, Usura.

¶ *CENTESIMUS* lapis; *id est, centesimum ab Urbe milliarium.*

¶ *CERA pro tabulis ceratis, pro ipso testamento in his tabulis scripto: undè* In imâ cerâ, *pro imâ testamenti parte.*

* CERNERE hereditatem. *Vide infrà*, Hereditas.

CERTUM, INCERTUM; in ipsâ obligationum substantiâ seu materiâ.

CERTUM est, quod ex ipsâ pronunciatione apparet, quid, quale, quantumque sit: ut ecce, Aurei decem, Fundus Tusculanus, homo Stichus, tritici Africi optimi modii centum, vini Campani optimi amphoræ centum. *l.* 74. *ff. de Verb. oblig.*

INCERTUM, *contrà, scilicet* Ubi non apparet, quid, quale, quantumque est. *l.* 75. *ff. d. tit.*

De DIE *Certo vel Incerto in obligationibus, vide infrà* Dies.

CERTUM corpus; *ut Stichus, Dama: ad differentiam rei in genere & indeterminatè sumptæ; ut si legetur* Homo, Equus.

XLIII.

* CHARTÆ. *Vide infrà*, Libri.

CHIROGRAPHUM, non solùm pro ipso instrumento seu scripturâ sumitur; sed & Appellatione CHIROGRAPHI uti nos pro ipsis actionibus (*a*), palàm est. *l.* 59. *ff. de Legatis* 3°.

(*a*) Per servitutem.

(*b*) Ut contingit deportatis.

(*c*) Per adoptionem aut emancipationem.

(*d*) Adeòque si quis mihi legaverit *Chirographum* Seii, videtur legasse quod Seius debet.

Source : BIU Cujas

Atque hinc, CHIROGRAPHUM *reddere; putà in Teſtamento*, SI TABULAS CHIROGRAPHI REDDIDERIT; hujuſmodi conditio hanc vim habet, ſi debito liberaverit. *l.* 84. § 7. *ff. de Legatis* 1°.

¶ *CIRCUMDUCERE ſumitur pro* Abolere. *Putà* CIRCUMDUCERE *cauſam vel cognitionem*, ôter la cauſe du Rôle.

¶ *CITRA accipitur ſæpè pro* SINE; *ut* Citra *mandatum*, Citra *cauſæ cognitionem.*

¶ *CIVES pro ipsâ Republicâ ſeu civitate accipiuntur; ut quum legatur civibus alicujus civitatis. l.* 2. *ff.* de Reb. dub.

* CIVILIS *actio, obligatio, poſſeſſio, officium* CIVILE. *Vide ſuprà*, Actio; *& infrà*, Obligatio, Poſſeſſio, Officium.

* CLAM. *Vide infrà* Poſſidere, *&* Vi.

¶ *CLAUSULA, eſt particula Edicti, Reſcripti teſtamenti, ſtipulationis, &c.*

CLAUSULA codicillaris; *quâ teſtator jubet, ut ſi teſtamentum ſuum non valeat aut irritum fiat, ea quæ in ipſo continentur, ab heredibus Suis aut legitimis præſtentur.*

CLOACA eſt locus cavus, per quem colluvies quædam fluat. *l.* 1. § 4. *ff. de Cloac.*

De Cloacis propoſita Interdicta, vide lib. 43. *Tit.* 23.

XLIV.

¶ *CODICILLI vocantur, ultima teſtati vel inteſtati voluntas minùs ſolemnis. De his lib.* 29. *Tit. fin.*

* COERCERE *aquam. Vide ſuprà*, Aqua.

COGNATI, AGNATI; paſſim.

Nomen Cognationis à Græcâ voce dictum videtur. ΣΥΓΓΕΝΕΙΣ enim illi vocant, quos nos COGNATOS appellamus. *l.* 10. § 1. *ff. de Grad. & adfin.*

Et COGNATI ab eo dici putantur, quòd quaſi unà communiter-ve nati, vel ab eodem orti progeniti-ve ſunt. *l.* 4. § 1. *ff. d. tit.*

Hoc generale Cognationis nomen trifariàm dividitur, in Naturalem, Civilem, & Mixtam.

NATURALIS Cognatio per ſe, ſine civili intelligitur, quæ per fœminam deſcendit quæ vulgò liberos peperit.

CIVILIS autem, per ſe (quæ etiam LEGITIMA dicitur) ſine Jure naturali Cognatio, conſtitit per adoptionem.

Utroque Jure conſiſtit Cognatio, quum juſtis nuptiis contractis copulatur. *l.* 4. § 2, *ff. de Grad. & adfin.*

Rursùs alio ſenſu Cognatio, NATURALIS *aut* CIVILIS *dicitur.*

Civilis cognatio... propriè, ADGNATIO vocatur; videlicèt quæ per mâres contingit. *d. l.* § 2. ¶ *fin.*

Qui autem per fœminas conjunguntur, COGNATI tantùm nominantur. *l.* 10. § 2. *ff. d. tit.*

Inter ADGNATOS igitur & COGNATOS hoc intereſt, quod inter genus & ſpeciem. Nam qui eſt Adgnatus, & Cognatus eſt; non utique autem qui Cognatus, & adgnatus eſt. Alterum enim civile, alterum naturale nomen eſt. *d. l.* 10. § 4.

* COLLATIO *Bonorum, Dotis, &c. Vide infrà*, Conferre.

COLLEGÆ.

COLLEGARUM appellatione, hi continentur qui ſunt ejuſdem (*a*) poteſtatis. *l.* 173. ULPIAN. LIB. 39. AD SABIN. (*b*)

COLLEGIUM, SODALES.

Neratius-Priſcus, Tres facere exiſtimat COLLEGIUM. Et hoc magis ſequendum eſt. *l.* 85. MARCELL. LIB. 1. DIGESTOR.

SODALES, ſunt qui ejuſdem collegii ſunt. *l.* 4. *ff. de Colleg. & corp.*

XLV.

¶ *COMMEATUS, eſt abeundi licentia :* un Congé. *Sumitur etiam pro tempore quo quis ire aliquò & redire poſſit.*

COMMEATUS *quoque appellatur, ſpatium ad eumdem & agendum in viâ publicâ.*

COMMENDARE; in contractibus, ad propriam Depoſiti ſpeciem pertinet. Nam COMMENDARE, nihil aliud eſt quàm deponere. *l.* 186. ULP. LIB. 30. AD ED.

XLVI.

¶ *COMMISSORIA* Lex *dicitur; in contractu emptionis-venditionis; pactum quo convenit ut, niſi intrà certum diem pretium ſolutum fuerit, res ſit inempta. De quo vide lib.* 18. *Tit. III.*

In pignoribus COMMISSORIA Lex *dicitur, pactum quo convenit, ut niſi intrà certum diem debitum ſolutum fuerit, pignus tranſeat in dominium creditoris. Quod pactum reprobatum eſt. Tit.* de Pignorib. *lib.* 20.

¶ *COMMISSUM, COMMITTERE.*

COMMITTERE *Edictum, Bonorum poſſeſſionem, Legatum, Stipulationem, Obligationem, Actionem; eſt dare locum ſeu effectum Edicto, Bonorum poſſeſſioni, &c. Sic quum dicitur, Præteritio filii* COMMITTIT *Edictum* Contra tabulas; *idem eſt ac ſi diceretur, dat locum Edicto Bonorum poſſeſſionis* Contra tabulas, *conditio exiſtens* Committit *legatum ſub quâ relictum eſt; id eſt, dat locum legato, efficit ut adquiratur, ut debeatur legatum.*

Igitur COMMITTI *Edictum, legatum, ſtipulationem; eſt ſortiri ſeu aſſequi effectum; ut quum dicitur, conditione exiſtente* Committi *ſtipulationem, legatum, &c.*

COMMITTERE, *ſumitur etiam pro* Confiſcare : *ut quum dicitur eum qui non profeſſus eſt merces vectigali obnoxias, eas Committere;* il les confiſque, *c. à d.* il en ſouffre la confiſcation. *Hinc* COMMISSUM *pro confiſcatione.*

COMMITTERE IN, *eſt facere adversùs : ut* Committere IN *Legem, in Edictum, in teſtamentum; eſt facere adversùs Legem, Edictum, adversùs voluntatem teſtatoris.*

XLVII.

¶ *COMMODATUM : contractus quo res alicui gratis ad certum uſum conceditur, ut finito uſu ipſa reſtituatur. De quâ Tit.* Commod. *lib.* 14.

¶ *COMMUNI DIVIDUNDO* actio, *eſt ea quæ datur de unâ re aut pluribus quæ inter aliquos communes ſunt dividendis. De quâ extat Titulus* Comm. divid. *quem transfudimus in Tit.* Fam. erciſc. *lib.* 10.

XLVIII.

COMPENSATIO. Lib. 16. *Tit.* 2.

COMPENSATIO eſt debiti & crediti inter ſe contributi. *l.* 1. *ff. de Compenſat.*

* COMPETENTIÆ *exceptio Vide infrà*, Exceptio.

¶ *COMPROMISSUM eſt mutua ſtipulatio, quâ hi qui de re aliquâ contendunt, arbitri de quo conveniunt ſententiæ ſtare promittunt; & niſi ſteterint, in certam Summam aut rem pœnæ nomine præſtandam invicem ſe obligant. lib. IV. Tit.* 8. de Receptis.

Dicitur etiam abuſivè COMPROMISSUM, *etſi citra mutuam ſtipulationem hæc conventio fiat; ſed putà mutuâ depoſitione pecuniæ, alio-ve quovis modo ex quo uterque civiliter ad pœnam conventam obligari poſſit.*

Hæc pœna dicitur Pecunia compromiſſa.

COMPROMISSUM, *aliud* PLENUM *dicitur, aliud* MINÙS PLENUM. *Rursùſque duplici ſenſu* PLENUM *dici poteſt.*

Primo ſenſu Compromiſſum plenum eſt, quod DOLI clauſulæ habet (*c*) mentionem. *l.* 31. *ff. de Recept. qui arb.*

Altero, & quidem vulgatiori ſenſu; PLENUM compromiſſum appellatur, quod DE REBUS CONTROVERSIISQUE (*d*) compoſitum eſt: nam ad omnes controverſias (*e*) pertinet. *l.* 21. § 6. *ff. d. tit.*

MINÙS PLENUM *dicitur, quod de certâ tantùm & ſingulari controverſiâ factum eſt.*

(*a*) Ut Conſules, Duumviri.

(*b*) Ulpianus in libris AD SABIN. 38 & 39. tractavit *de Tutelis*: interpretaturque quid ſit COLLEGA, ad id quod ſcripſerat Sabinus *Collegam* à Magiſtratu tutorem dari poſſe.

(*c*) Id eſt; in cujus ſtipulatione inſeritur clauſula, DOLUM MALUM *Abeſſe* ABFUTURUMQUE ESSE. Quæ clauſula non ineſt ſtricti Juris contractibus, quale eſt *Compromiſſum.*

(*d*) Indefinitè.

(*e*) Quæ inter compromittentes erant.

Huc

Source : BIU Cujas

Huc (ad Compromiſſa nempè) pertinet & vox illa, RECIPERE ARBITRIUM (ſe charger d'un arbitrage.)

RECEPISSE autem ARBITRIUM videtur... qui judicis partes ſuſcepit, finemque ſe ſuâ ſententiâ controverſiis impoſiturum pollicetur. Quòd ſi hactenùs intervenit, ut experiretur an conſilio ſuo vel auctoritate diſcuti litem paterentur; non videtur ARBITRIUM recepiſſe. *l.* 13. § 2. *ff. d. tit.*

XLIX.

¶ *CONCEDERE, variè accipitur; pro* Dare, Permittere, Remittere.

¶ *CONCEPTIO, pro formulâ; ut* Conceptio *Actionis, Stipulationis, Jurisjurandi, Libelli, Precum, &c. Hinc* CONCIPERE actionem, Jusjurandum, &c. *eſt ad certam formulam exprimere.*

* CONCUBINA. *Vide infrà*, Pellex.

¶ *CONCUSSIO*, CONCUTERE; *eſt quum quis terrore poteſtatis aliquid ab aliquo extorquet.*

L.

¶ *CONDEMNARE aliquem, interdum dicitur pro obtinere ut nobis condemnetur*, le faire condamner.

CONDICERE, CONDICTIO; *in actionibus.*

CONDICERE *propriè eſt, diem communi conſenſu conſtituere. Undè* Condictus dies; *id eſt, ſtatus, conventus.*

Generaliùs; CONDICERE eſt denuntiare, priſcâ linguâ. Nunc verò abuſivè dicimus CONDICTIONEM, actionem In perſonam eſſe; quâ actor intendit dari ſibi oportere. *Inſtit.* Tit. *de Action.* § 15.

Hinc CONDICTIO Certi, Incerti; *actio In perſonam quâ Certum quid vel Incertum petitur. Vide ſuprà* Certum.

Condictio EX LEGE (*lib.* 13. *Tit.* 2.) *eſt actio In perſonam adversùs eum qui nobis ex aliquâ Lege aut Senatuſconſulto obligatus eſt. Exemplum in ſequenti.*

Condictio EX LEGE JULIA ET PAPIA, *quæ competit mulieri ad reſtitutionem eorum quæ vir conſecutus eſt ex jure patronatûs in ſervos dotales ab ipſo manumiſſos. Vide lib.* 24. *Tit. ſolut. matum. Part.* 4*a*.

(*Exorbitat à cæteris Condictionum ſpeciebus* Condictio FURTIVA; *ſcilicet actio quâ dominus rem furto ſurreptam à fure ejus-ve heredibus repoſcit. Vide lib.* 13. *Tit.* 1.)

Condictio INDEBITI, *ea eſt quâ quis repetit quod per errorem indebitè ſolvit. Lib.* 12. *Tit.* 4.

Condictio OB REM DATI, RE NON SECUTA (*quæ etiam vocatur*, CAUSA datâ, causâ non ſecutâ); *ea eſt quâ repoſcimus id quod eâ lege dedimus ut aliquid ſequeretur; putà ut aliquid daretur fieret-ve, vel ne fieret; & hoc quod convenit, ſecutum non eſt. Lib.* 12. *Tit.* 4.

Condictio OB TURPEM CAUSAM; *eſt illa quâ repoſcimus id quod aliquis à nobis turpi de causâ, accepit quum turpitudo ex ſolâ ejus parte verſatur; putà, ſi ei dedimus ne homicidium faceret. Lib.* 12. *Tit.* 5.

Condictio SINE CAUSA; *eſt illa quâ reſpoſcimus rem quam alicui dedimus, quum illam* Sine causâ *habet.*

SINE CAUSA habere *autem dicitur; tam is qui ab initio ex falsâ & erroneâ causâ accepit, putà quum falsò crederetur rem ei eſſe legatam; quàm is qui rem accepit ob aliquam cauſam futuram, quæ ſecuta non eſt vel quæ finita ſit. V. G. ſi recepi à commodatario pretium rei commodatæ quam culpâ amiſerat, & poſtea rem commodatam receperim;* SINE CAUSA *jam habere videor pecuniam quam ab eo accepi; quia re meâ receptâ,* Cauſa *propter quam hanc pecuniam accepi, finita eſt, eſſe deſiit. Lib.* 12. *Tit. fin.*

Condictio TRITICARIA *appellatur, generalis actio In perſonam; quâ res quaſlibet, præter pecuniam numeratam, nobis ex quâcunque causâ debitas ſive certas ſive incertas petimus. Lib.* 13. *Tit.* 3.

LI.

¶ *CONDITIO appellatur, eventus à cujus futurâ & incertâ exiſtentiâ pendere obligationem aut ultimam voluntatem, contrahentibus teſtatori-ve placuit. Hinc* CONDITIONALIS obligatio, CONDITIONALE legatum, *&c.*

Quòd ſi is eventus ſit; à quo, non ex ſpeciali placito contrahentium teſtatoris-ve, ſed ex ipsâ ultimæ voluntatis aut rei promiſſæ relictæ-ve naturâ, contractus aut ultima voluntas pendeat; impropriè CONDITIO *appellatur, & obligationes aut ultimæ voluntates quæ ex tali eventu pendent, non ſunt* Conditionales. *V. G. legatum non dicitur* Conditionale, *quòd ab eventu additionis hereditatis pendeat: nec ſtipulatio rei quæ futura ſperatur, Conditionalis eſt. lib.* 35. *Tit. I.*

Alio ſenſu CONDITIO *accipitur, pro lege adjectâ conventioni, interdum pro conventione ipsâ. Sumitur etiam pro jure & qualitate rerum aut perſonarum.*

* CONDUCERE, Conductio. *Vide infrà*, Locatio.

LII.

CONFESTIM: putà, in Oratione Severi contra matrem quæ tutores filiis CONFESTIM *non petierit: lib.* 26. *Tit. VI: art.* 2.

CONFESTIM ſic erit accipiendum, ubi primùm potuit. *l.* 2. § 43. *ff. ad SC. Trebell.*

¶ *CONFERRE, eſt in medium afferre*; Rapporter à partage: *ut in Edicto quo emancipati liberi jubentur propria bona* CONFERRE *cum his qui in poteſtate defuncti manſerunt; quibuſcum ad poſſeſſionem* Contra tabulas *vel* UNDE *liberi admittuntur. Item in Edicto quo filia quæ ad has Bonorum poſſeſſiones admittitur, ſive* Sua *heres ſive emancipata, dotem ſuam* CONFERRE *teretur. De quibus Collationibus extant Tituli* de Collat. bon. & de Dotis collat. *Lib.* 37.

¶ *CONFESSORIA* actio *dicitur ea quâ quis jus ſervitutis ſibi aut prædio ſuo debitum perſequitur. De quâ vide Titulos* Si uſusfructus petat. *lib.* 7. & Si ſervitus petatur, *lib.* 8.

¶ *CONFINIUM, eſt ſpatium quinque pedum, quod vacuum inter duos vicinos agros ex Lege XII. Tab. relinqui debebat; quo terminarentur agri. Indè* CONFINES *pro vicinis appellantur, in ruſticis prædiis.*

¶ *CONFUNDERE, eſt* Miſcere; *& indè* CONFUSIO. *Confuſio in genere-ve, Tit. de ſolution. Part. fin.*

CONFUNDI OBLIGATIO *dicitur, quum jus creditoris & debitoris ita eâdem perſonâ concurrere incipiunt; ut quum alter alteri heres extitit. Item obligatio acceſſoria* Confundi *dicitur; quum concurrere incipit in eâdem perſonâ cum principali; ſcilicet ſi fidejuſſor reo principali heres fiat, aut vice versâ. De his vide lib.* 46. *Tit.* de Solutionib. *Part.* 4*a*.

CONFUNDI uſusfructus *aut quævis alia ſervitus dicitur, ſi concurrere incipiat in eâdem perſonâ cum dominio rei quæ ſervitutem debebat: ut quum fructuarius, rei fructuariæ dominium adipiſcitur. Vide lib.* 7. *Tit.* Quibus mod. uſusfr. amitt. *N.* 25. *& ſeqq. & lib.* 8. *Tit.* Quemadm. ſerv. amitt. §°. 1°.

LIII.

CONJUNCTI, CONJUNCTIO; *frequenter in Jure, præſertim in heredum inſtitutionibus, & legatis: ut quum dicitur, locum eſſe juri accreſcendi inter* Conjunctos; *item quum quæritur, quomodo inter* Conjunctos *dividatur hereditas, aut legatum; quinam cæteris præferantur, &c. De cujus vocis ſignificatione ſciendum eſt quod Paulus ad Leges Juliam & Papiam ſcribens, circa varias* Conjunctorum *ſpecies exponit* (*a*).

Triplici modo CONJUNCTIO intelligitur. Aut enim RE per ſe Conjunctio contingit, aut RE ET VERBIS, aut VERBIS tantùm.

Nec dubium eſt quin Conjuncti ſint, quos & nominum & rei complexus jungit; veluti, TITIUS ET MÆVIUS ex parte dimidiâ heredes ſunto; vel ita, TITIUS MÆVIUSQUE heredes ſunto; vel, TITIUS

(*a*) Cùm Leges illæ Caducariæ, liberis ac parentibus teſtatoris *Jus antiquum* ſervaſſent; quo partes eorum cum quibus CONJUNCTI erant, ipſis accreſcebant; nec in omni *Conjunctionis* genere huic juri locus eſſe poſſet: pertinebat ad has Leges quærere, quàm variæ eſſent Conjunctionis ſpecies. Hodie ſublatis Legibus Caducariis, id etiamnum in multis intereſſe patet ex his quæ diximus ad Tit. *de Legatis* Part. 5*a*.

Source : BIU Cujas

CUM MÆVIO (*a*) ex parte dimidiâ heredes ſunto.

Videamus autem; ne, etiamſi hos articulos detrahas, ET, QUE, CUM, interdum tamen Conjunctos accipi oporteat. Veluti, LUCIUS-TITIUS, PUBLIUS-MÆVIUS, ex parte dimidiâ heredes ſunto; (vel ita, PUBLIUS-MÆVIUS; LUCIUS-TITIUS, heredes ſunto); Sempronius ex parte dimidiâ heres eſto (*b*): ut Titius & Mævius veniant in partem dimidiam; & RE ET VERBIS conjuncti (*c*) videantur.

LUCIUS-TITIUS (*d*) ex parte dimidiâ heres eſto: SEIUS ex parte quâ Lucium-Titium heredem inſtitui, heres eſto: SEMPRONIUS ex parte dimidiâ heres eſto. Julianus, dubitari poſſe tres ſemiſſes facti ſint (*e*); an Titius in eumdem ſemiſſem cum Gaio-Seio inſtitutus ſit. Sed eo quòd Sempronius quoque ex parte dimidiâ ſcriptus eſt; veriſimilius eſſe in eumdem ſemiſſem duos coactos, & Conjunctim heredes ſcriptos eſſe. *l.* 142. PAUL. LIB. 6. AD LEG. JUL. ET PAP.

Igitur RE Conjuncti videntur, non etiam VERBIS, quum duobus ſeparatim eadem res legatur.

Item VERBIS, non etiam RE; Titio & Seio fundum ÆQUIS PARTIBUS (*f*) do lego; quoniam ſemper partes habent (*g*) legatarii. *l.* 89. *ff. de Legatis.* 3°. IBID.

L I V.

¶ *CONNUBIUM eſt jus legitimi matrimonii; quod invicem habere dicuntur eæ perſonæ quæ juſtas inter ſe nuptias contrahere poſſunt.*

L V.

CONSANGUINEI ſunt eodem patre nati, licèt diverſis matribus; qui in poteſtate fuerunt mortis tempore. PAUL. SENTENT. *lib.* 4. *Tit.* 8. § 17.

CONSOBRINI, FRATRES (*vel* Sorores) PATRUELES, AMITINI, *&c. in gradibus cognationum.*

Quidam ita diſtinxerunt; ut eos quidem qui ex fratribus nati ſunt, FRATRES-PATRUELES; item eas quæ ex fratribus natæ ſunt, SORORES-PATRUELES; ex fratre autem & ſorore, AMITINOS, Amitinas; eos verò & eas qui quæ-ve ex ſororibus nati natæ-ve ſunt, CONSOBRINOS Conſobrinas, quaſi CONSORORINOS. Sed plerique, hos omnes CONSOBRINOS vocant. *l.* 15. § 15. *ff. de Grad. & adfin.*

Sunt & SOBRINI, Sobrinæ; id eſt, qui quæ-ve ex fratribus vel ſororibus patruelibus, vel conſobrinis vel amitinis, progenerantur. *Inſtit.* Tit. *de Grad. cognat.* § 7.

Quid PROPIOR SOBRINO?

Quem quis appellat Propiorem ſobrino, (*is*) eſt patris matris-ve conſobrinus. *ſup. d. l.* 10. § 16. *ff. de Grad. & adfin.*

¶ *CONSOLIDATIO*, (Réunion) *eodem ſenſu accipitur quo* Confuſio *ſuprà; quum nempè jus uſusfructûs aut cujuſvis ſervitutis, cum, dominio rei ſervientis in eâdem perſonâ concurrere incipit.*

L V I.

¶ *CONSTITUERE dicitur, qui promittit ſe ſoluturum aliquid quod ipſe aut aliter debet. Et hoc pactum* Prætorium *dicitur, vocaturque* CONSTITUTÆ PECUNIÆ *vel etiam CONSTITUTUM ſimpliciter; ex quo actio* De Pecuniâ conſtitutâ. *lib.* 13. *Tit.* 5.

Variæ aliæ ſunt hujus verbi ſignificationes, ſatis notæ.

JURE CONSTITUTO, *id eſt, Jure ſingulari; quod non ex ſimplici ratione proficiſcitur ſed Lege aliquâ aut moribus introductum eſt ſpecialiter.*

CONSTITUTIONES, DECRETA, EDICTA, RESCRIPTA, *Principum.*

Quodcumque Imperator per Epiſtolam & ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt, vel Edicto præcepit... hæc ſunt, quas vulgò CONSTITUTIONES appellamus. *l.* 1. § 1. *ff. de Conſt. Princ.*

Sic autem à Theophilo definiuntur in Inſtit. *Tit.* 2.

EPISTOLA *eſt Reſcriptum Principis ad relationem alicujus Magiſtratûs, de re quâpiam dubiâ emiſſum.*

DECRETUM *eſt Sententia Principis inter partes, de quarum ipſe causâ cognoſcit, pronuntiata.*

EDICTUM *eſt quod proprio motu Princeps ſtatuit ad honeſtatem & utilitatem ſubditorum.*

CONSUETUDO, eſt Jus uſu inveteratum ſine ſcripto; ſeu, ut ait Juſtinianus, Diuturni mores conſenſu utentium comprobati. *Inſtit. lib.* 1. *Tit.* 2. § 9.

CONSULES . . . dicti ſunt ab eo quòd plurimùm Reipublicæ conſulerent. *l.* 2. § 16. *ff. de Orig. jur.*

Item Varro de Ling. Lat. *IV.* 14. « CONSUL *nominatus quòd conſulere Populum & Senatum debet; niſi illinc potiùs* . . . Qui rectè conſulat. »

Aliter Quintilianus l. 6. *Derivat enim à judicando. Nam* « CONSULAS *Antiqui ponebant, non tantùm pro conſilium petas & perconteris, ſed etiam pro judices & ſtatuas.* » *Feſtus in Verb. CONSULAS.*

L V I I I.

¶ *CONTESTARI, eſt teſtibus adhibitis declarare.*

* Litem CONTESTARI. *Vide infrà*, Lis.

UNO CONTEXTU ACTUS: *ut quum dicitur; teſtamenta, ſtipulationes, &c. fieri debere* UNO CONTEXTU. Eſt autem UNO CONTEXTU, nullum actum alienum (*h*)... intermiſcere. *l.* 21. § *fin. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.*

* CONTINENTES PROVINCIÆ. *Vide infrà*, Italia.

L I X.

¶ *CONTRACTUS appellatur, non quævis conventio; ſed illa quæ* NOMEN *habet à Jure Civili, vel* CAUSAM.

Hinc Contractus Nominati; *ſcilicet conventiones illæ quæ inter innumeras conventionum ſpecies à Juris Civilis auctoribus ſelectæ ſunt, ut actionem certam parerent ſub certo ac ſpeciali nomine, ut Emptio-venditio, Locatio-conductio, Mandatum, &c.*

Contractus INNOMINATI, *ſunt conventiones quæ nomen quidem non habent à Jure Civili, ſed habent cauſam.*

CAUSA *autem dicitur, datio aliqua aut factum quod in his conventionibus intervenerit; ex quo conventio ab unà parte cœperit impleri, & alter ex contrahentibus ad eam viciſſim ex parte ſuâ implendam obligetur. Atque indè diſtinguuntur Contractus* Innominati, *à* Nudis pactis *quæ intrà nudos conventionis fines ſteterunt, & ex quibus Jure Romano nulla civilis naſcebatur obligatio.*

* CONTRARIA *Obligatio, actio;* CONTRARIUM *Judicium. Vide ſuprà*, Actio.

¶ *CONTRECTARE, eſt loco movere. Undè* CONTRECTATIO *in definitione furti; quia non fit furtum, niſi res de loco moveatur.*

L X.

¶ *CONTUBERNALIS, propriè ſignificat eum qui ſub eodem tabernaculo degit. Sed plerùmque in Jure,* CONTUBERNALES *accipiuntur pro ſervi alicujus conjuge & natis*

(*a*) Hæc enim particula CUM, perindè conjungit ac copulativæ illæ, ET, QUE, ATQUE.

(*b*) Hæc ultima verba, *Sempronius ex parte, &c.* pertinent ad eamdem inſtitutionis clauſulam, quâ *L. Titius & P. Mævius* heredes ſcripti ſunt. Aliàs enim, dempto Sempronio, *Mævius & Titius* non Conjuncti eſſent; ſed ſinguli ex dimidiâ inſtituti. Cùm autem ipſis Sempronius ex parte hereditatis dimidiâ adjectus ſit coheres; jam neceſſe eſt ut in alterâ dimidiâ quæ Titio & Mævio data eſt, ambo Conjuncti videantur.

(*c*) Non RE ſolùm, ſed RE ET VERBIS ſeu *Oratione*: quamvis hæc nullam Particulam copulativam contineat, & ſoluta videatur: *L. Titius, P. Mævius.* Sæpè enim ſoluta pro conjunctis accipiuntur: ſupra N. 2.

(*d*) Hic jam non de Conjunctis *Re & verbis* agitur, ut malè putavit Cujacius ad h. l. ſed novum exemplum affertur, Conjunctionis RE tantùm: & ita rectè Goeddæus. In hâc enim ſpecie *Titius & Seius*, non eâdem oratione, ſed diverſis duabus orationis partibus heredes ſcribuntur.

(*e*) Dubium movent hæc verba, *Ex parte quâ Titium heredem inſtitui*; ſcilicet, an de eâdem parte, an de alterâ ſimili, accipienda ſint. Si primum, Titius & Seius erunt Conjuncti *Re* & ex eâdem hereditatis parte: ſi alterum, nulla inter ipſos erit Conjunctio.

(*f*) Si ſimpliciter quis ita legaſſet, FUNDUM [talem] TITIO ET SEIO do lego; hi non ſolùm *Verbis* ſed & *Re* conjuncti eſſent: ſingulis enim eadem res legata foret, id eſt totus fundus. Ex eo autem quod teſtator adjicit ÆQUIS PARTIBUS, videntur oratione tantùm non *Re* conjuncti: cùm jam non eadem res quæ Titio legatur, legetur & Seio, ſed ſingulis ſua pars.

(*g*) *Semper*, & ex quo his duobus legatum eſt, ſeparatæ *partes* ipſis aſſignatæ ſunt, adeòque in eâdem re nunquam concurrerunt, non fuerunt Conjuncti.

(*h*) Niſi quem naturæ neceſſitatis exigeret; ut cibum ſumere, exonerare ventrem, &c.

Source : BIU Cujas

CONTUBERNIUM, *eſt ſervorum matrimonium.*

CONTUMAX eſt qui tribus Edictis propoſitis (*a*), vel uno pro tribus quod vulgò PEREMPTORIUM appellatur, litteris (*b*) evocatus, præſentiam ſui facere contemnet. *l.* 53. § 1. *ff. de Re judic.*

Latiùs porrigitur CONTUMAX, *ad quemvis qui Decreto Magiſtratûs aut præpoſitis ſuis obtemperare recuſat.*

* CONTUMELIA. *Vide infrà*, Injuria.

L X I.

CONVENIRE, CONVENTIO.

CONVENTIONIS verbum generale eſt; ad omnia pertinens de quibus negotii contrahendi tranſigendique causâ conſentiunt qui inter ſe agunt. Nam ſicuti Convenire dicuntur, qui ex diverſis locis in unum locum colliguntur & veniunt; ita & qui ex diverſis animi motibus in unum conſentiunt, id eſt in unam ſententiam decurrunt. Adeò autem CONVENTIONIS nomen generale eſt; ut eleganter dicat Pedius, nullum eſſe contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in ſe Conventionem; ſive re ſive verbis fiat. Nam & ſtipulatio quæ Verbis fit, niſi habeat conſenſum, nulla eſt. *l.* 1. § 3. *ff. de Pactis.*

Alio ſenſu; CONVENIRE *aliquem, eſt vocart in Jus:* Donner une demande contre quelqu'un.

CONVENIRE IN MANUM, *mulier dicitur; quæ tranſit in poteſtatem mariti, quum per Confarreationem aut Coemptionem matrimonium contrahebatur, aut à marito uſucapiebatur uxor: de quâ re vide Tit.* de His qui ſui vel alien. jur. *Art.* 2°. *& Prætermiſſa ad d. Tit. ad Calcem Tomi primi.*

L X I I.

CONVICIUM; in Edicto de Injuriis, Qui CONVICIUM cui feciſſe, *&c.*

CONVICIUM, injuriam eſſe Labeo ait. Convicium autem dicitur, vel à concitatione; vel à conventu, hoc eſt à collatione vocum. Quum enim in unum complures voces conferuntur, Convicium appellatur; quaſi CONVOCIUM. *l.* 15. § 4. *ff. de Injur.*

Sumitur etiam pro quovis maledicto quo nos vel unica perſona adpetit.

CORAM; in conventionibus & teſtamentis.

CORAM Titio aliquid facere juſſus (*c*), non videtur præſente eo feciſſe niſi is intelligat. Itaque ſi furioſus aut infans ſit, aut dormiat; non videtur CORAM eo feciſſe. *l.* 209. FLORENT. LIB. 10. INSTITUT.

Scire autem, non etiam velle is debet; nam & invito eo rectè fit quod juſſum eſt. *d. l.* 209. ¶ *fin.*

* CORREI. *Vide infrà*, Reus.

COTTIDIANA *vel* QUOTIDIANA *aqua. Suprà* Aqua.

L X I I I.

CREDERE, CREDITOR, CREDITUM; *generale verbum in obligationibus omnibus. Vide lib.* 12. *Tit. I.*

CREDENDI generalis appellatio eſt . . . nam Cuicumque rei adſentiamur alienam fidem ſecuti, mox recepturi quid ex hoc contractu; CREDERE dicimur. *l.* 1. *ff. de Reb. cred.*

Pariterque, quod attinet ad vocabulum illud CREDITOR; CREDITORES accipiendos eſſe conſtat, eos quibus debetur ex quâcumque actione vel perſecutione; vel Jure Civili, ſine ullâ exceptionis perpetuæ remotione (*d*), vel Honorario vel extraordinario; ſive purè, ſive in diem, vel ſub conditione.

(Quòd ſi naturâ debeatur, non ſunt (*e*) loco Creditorum.)

Sed (*f*) ſi non ſit mutua pecunia, ſed contractus (*g*); CREDITORES accipiuntur. *l.* 10. ULP. LIB. 6. AD ED.

Enimverò Creditorum appellatione, non hi tantùm accipiuntur qui pecuniam crediderunt, ſed omnes quibus ex quâlibet causâ debetur. *l.* 11. GAIUS LIB. 1. AD ED. PROVINC.

Ut ſi cui ex empto vel ex locato vel ex alio ullo debeatur.

Sed & ſi ex delicto debeatur; mihi videtur poſſe creditoris loco accipi.

Quòd ſi ex Populari causâ; ante litis conteſtationem, rectè dicetur Creditoris loco non eſſe (*h*); poſtea, eſſe. *l.* 12. ULP. LIB. 6. AD ED.

Creditor autem is eſt, qui exceptione perpetuâ ſummoveri non poteſt. Qui autem temporalem exceptionem timet, ſimilis eſt conditionali Creditori. *l.* 55. PAUL. LIB. 16. BREVIS EDICTI.

Generaliter autem CONDITIONALES creditores dicuntur, & hi quibus nondum competit actio, eſt autem competitura; vel qui ſpem habent ut competat. *l.* 54. ULP. LIB. 62. AD ED.

CREDERE, *interdum ſtrictiori ſignificatione ſumitur pro* Mutuo dare: *quemadmodum &* IN CREDITUM IRE *ſeu* ABIRE.

Quandoque tamen IN CREDITUM, IRE *dicitur; pro, fidem emptoris ſequi de pretio:* Donner à crédit.

* CRETIO *hereditatis. Vide infrà*, Hereditas.

L X I V.

¶ *CRIMEN accipitur tam pro delicto ex quo criminaliter agi poteſt, quàm pro ipsâ criminali actione ſeu accuſatione.*

Crimina PUBLICA *vel* LEGITIMA *appellantur, quæ certâ aliquâ Lege, certoque ac publico eâ de re à Lege inſtituto judicio, certâque & à Lege præſcriptâ pœnâ vindicantur.*

Cætera vocantur EXTRAORDINARIA; *id eſt, quæ præter ordinem ſeu non ſervato publicorum judiciorum ordine peraguntur.*

L X V.

CULPA, lata, levis; in conventionibus & contractibus, in quibus frequens mentio Latæ culpæ: *ut quum dicitur in Depoſito & Precario non præſtari niſi Dolum &* Latam culpam; *&c.*

Lata CULPA eſt, nimia negligentia; id eſt, non intelligere quod omnes intelligunt. *l.* 213. § 2. ULP. LIB. 1. REGUL.

Et alibi. Latæ culpæ finis eſt, non intelligere id quod omnes intelligunt. *l.* 223. PAUL. LIB. 2. SENT.

Magna negligentia, CULPA eſt; magna culpa, dolus (*i*) eſt. *l.* 226. IDEM LIB. 1. MANUAL.

CULPA autem, non ad exactiſſimam (*k*) diligentiam dirigenda (*Aliàs* redigenda) eſt. *l.* 72. *ff. Pro ſocio.*

In quibuſdam tamen contractibus Culpa, etiam LENISSIMA, *id eſt ea quæ exactiſſimæ diligentiæ opponitur, debet præſtari. De quibus in Tit. ſeq.* de Reg. jur.

¶ *CURIALES, homines Decurionalis conditionis, Curiæ muneribus addicti; Decuriones ipſi de quibus infrà.*

D

L X V I.

DACTYLIOTHECA. un Baguier.

Pomponius . . . Dactyliothecâ (*puta* legatâ) ait

(*a*) *Trois Affiches.* Vide lib. 5. Tit. *de Judic.* Sect. 7.

(*b*) *Sommations.*

(*c*) Putà, ſi filiusfamilias heres ab aliquo inſtitutus; & pater cujus in poteſtate eſt, jùbeat eum adire CORAM TITIO: ne ſcilicet redeat.

(*d*) Vide mox infrà, *l.* 55.

(*e*) *Naturales* tantùm CREDITORES, propriè dici non poſſunt; ſicut nec DEBITORES, infrà ſuo loco. Et maximè quando agitur de miſſione *Creditorum* in bona *Debitoris* latitantis: de quâ materiâ Ulpianum in libris 5 & 6. AD EDICT. [undè hæc lex deſumpta eſt] egiſſe conſtat ex inſcriptione legis 2. ff. *Quibus ex cauſ. in poſſ.* Cæteri autem creditores quilibet, etiam *Conditionales*, mitti poſſunt: ut vid. lib. 42. *d. tit.* N. 3. Ita tamen ut miſſio fiat inefficax, ſi conditio defecerit.

Certè in aliis cauſis, *Naturalis* CREDITOR habetur; putà ut conſtitui ei poſſit, ut dari fidejuſſor, ut ſolvi.

(*f*) *Sed & ſi.*

(*g*) Alius quilibet.

(*h*) Popularis enim actio, putà illa quæ in decem aureos datur adversùs eum qui *Album* corrupit, demùm ex litis conteſtatione fit in bonis ejus qui eum primus conteſtatus eſt; cùm cuilibet è populo competat.

(*i*) Hinc in quibus negotiis dicitur *Dolus* duntaxat præſtari, etiam LATA CULPA præſtatur.

(*k*) Id eſt, culpâ vacare dicitur, qui communem diligentiam adhibuit quamvis non *Exactiſſimam.*

Source : BIU Cujas

annulos quoque contineri, non solùm thecam quæ annulorum causâ parata sit. *l.* 52. § 8. *ff. de Legatis* 3°.

Contrà ANNULIS, Dactyliothecæ non cedunt. *l.* 53. § 1. *ff. d. tit.*

LXVII.

¶ *DAMNAS ESTO; formula quâ testatores, circa suam hereditatem Legislatoris personam agentes, heredi suo imperabant ut quid alicui daret aut faceret. Hinc dicitur heres* DAMNATUS dare *: hinc legata* Per DAMNATIONEM, *quæ per hanc formulam relicta erant.*

DAMNUM, in genere; Damnum INFECTUM.

DAMNUM, & Damnatio, ab ademptione & quasi deminutione patrimonii dicta sunt. *l.* 3. *ff. de Damn. inf.*

Indè DAMNUM *pro læsione vulgò accipitur; interdum quoque pro pœnâ, & maximè pro mulcta seu pœnâ pecuniariâ.*

Damnum INFECTUM, est Damnum nondum factum; quod futurum veremur. *l.* 2. *ff. d. tit.*

CAUTIO *seu* Stipulatio DAMNI INFECTI; *illa est, quam dominus ædium ex quarum ruinâ damnum timetur, vicinarum domino exhibere debet de sarciendo Damno quandoque contingat. De quâ est Titulus* 2. de Damn. inf. *lib.* 39.

Mittere in possessionem *ex causâ* DAMNI INFECTI, *id est;* Faute d'avoir donné la Caution ci-dessus, permettre au Voisin de saisir la maison.

Jubere possidere EX CAUSA DAMNI INFECTI; *est quum Prætor, vicinum qui jam in possessionem ædium ex quibus Damnum timetur missus est, domino earum in morâ cautionis exhibendæ perseverante, secundo Decreto interposito jubet eas sibi habere, ac jure dominii possidere.*

LXVIII.

DARDANARII dicuntur, qui quid contra annonam publicam committunt. Vide suprà, Annona.

DARE, propriè est dominium transferre. Hinc Paulus : Non videntur DATA (*a*), quæ eo tempore quo dantur accipientis non fiunt. *l.* 167. *ff. de Reg. jur.* PAUL. LIB. 49. AD ED.

Hinc etiam Ulpianus. Hæc stipulatio Fundum Tusculanum DARI, ostendit se Certi (*b*) esse ; continetque ut dominium omnimodo efficiatur stipulatoris, quoquo modo. *l.* 75. § *fin. ff. de Verb. oblig.*

Nec tamen fructuum præstatio eâ stipulatione continetur. *l.* 3. § 1. *ff. de Act. empt.*

Hæc ita de propriâ significatione verbi DARE. *Sensu tamen minùs proprio, etiam accipitur non rarò pro* Tradere *simpliciter : quod ex subjectâ materiâ facile deprehenditur.*

Causa DANDI *ita distinguitur in conventionibus ; quòd* DAMUS ob causam, aut ob rem. OB CAUSAM, præteritam ; veluti, quum ideò do quòd aliquid à te consecutus sum, vel quia aliquid à te factum est : ut, etiamsi falsa causa sit, repetitio ejus pecuniæ non sit. OB REM verò datur, ut aliquid sequatur ; quo non sequente, repetitio competit. *l.* 52. *ff. de Cond. indeb.*

Et ita quidem strictè & propriè loquendo. Latiori autem significatione, OB CAUSAM *refertur etiam ad futurum ; & idem sonat ac* OB REM, *ut in Tit.* de Condict. CAUSA NON SECUTA.

Occurrit etiam verbum illud DARE, *in variis Edictis ; putà in Edicto Prætoris adversùs liberum hominem qui se dolo vænire passus est, quo competit emptori actio in duplum pretii quod* DEDIT : *in Edicto, Ædilium ; quâ parte jubent emptorem qui redhibet, recipere quod* DEDIT ; *& aliis similibus.*

DEDISSE etiam intelligendus est, is qui permutavit vel compensavit. *l.* 76. PAUL. LIB. 31. AD ED.

LXIX.

DEBITOR intelligitur, is à quo invito exigi pecunia potest. *l.* 108. MODESTIN. LIB. 4. PANDECT.

Propriè igitur Debitor non est, qui duntaxat naturâ debet. Tamen Licèt minùs propriè dicantur naturales DEBITORES (*c*), per abusionem intelligi possunt Debitores; & qui ab his recipiunt, Debitum sibi recepisse. *l.* 16. § 4. *ff. de Fidejussorib.*

Enimverò naturalem debitorem ita rectè definit Paulus : Is naturâ Debet, quem Jure Gentium dare oportet; cujus fidem secuti sumus. *l.* 84. § 1. *ff. de Reg. jur.* PAUL. LIB. 3. QUÆST.

DEBUIT ; in stipulationibus cautionalibus : ut quum venditor hereditatis stipulatur sibi reddi, si quid solverit quod defunctus DEBUIT.

Hoc verbum DEBUIT, omnem omninò actionem comprehendere intelligitur ; sive Civilis', sive Honoraria, sive fideicommissi fuit persecutio. *l.* 178. § 3. ULP. LIB. 49. (*d*) AD SABIN.

¶ *DECIDERE sumitur pro transigere. Sic* Decidere *damnum, furtum, litem ; est transigere de lite, furto, damno.*

LXX.

DECURIONES ; id est Municipiorum Senatores. Lib. 50. *Tit.* 2.

DECURIONES quidam dictos aiunt ex eo quòd initio, quum Coloniæ deducerentur ; decima pars eorum qui ducerentur, consilii publici gratiâ conscribit (*e*) solita sit. *l.* 239. § 5. POMPON. LIB. SING. ENCHIRID.

¶ *DEDUCERE* rem *in stipulationem, in condemnationem &c. est rem stipulatione vel condemnatione complecti.*

Deducere rem IN JUDICIUM, *est rem seu potiùs controversiam de aliquâ re, judicio definiendam committere. Hoc sensu dicitur, solum dominum (id est, eum quem hæc controversia spectat) ejus-verum procuratorem, rem in judicium* DEDUCERE *posse. Vide lib.* 5. *Tit.* de Judiciis. *Sect.* 2. *Art.* 2°.

LXXI.

DEFENDERE, DEFENSIO, DEFENSOR ; *passim, præsertimque in stipulationibus Prætorii.*

Generaliter autem ; RECTE DEFENDI, hoc est, judicium accipere ; vel per se ; vel per alium, sed cum satisdatione. *l.* 63. *ff. de Judiciis.*

Item quum dicitur, Procuratorem actoris teneri Defendere in reconventionibus : DEFENDERE est id facere quod dominus in litem faceret, & cavere idoneè. *l.* 35. § 3. *ff. de Procurat.*

In Edicto, quoque quo restituimur, contra absentem ; qui, dum non defenderetur, rem nostram usucepit, aut actione liberatus est, pariterque in Edicto DE *mittendis creditoribus in possessionem bonorum debitoris qui non defenditur :* DEFENDI non is videtur, cujus se Defensor ingerit ; sed qui requisitus ab actore, non est Defensioni defuturus. PLENAQUE DEFENSIO accipietur, si & judicium non detrectetur, & Judicatum solvi satisdetur. *l.* 21. § 3. *ff. Ex quib. caus. maj.*

Denique : DEFENDI videtur, qui per absentiam suam in nullo deteriorem causam adversarii faciat. *l.* 2. § 3. *Quib. ex caus. in poss.*

Contrà ; NON DEFENDERE videtur, non tantùm qui latitat, sed & is qui præsens negat se defendere, aut

(*a*) Cujacius Obsorv. XXIV. 4. argumento ducto à similitudine inscriptionum hujus legis & l. 2. ff. *de Aq. & aq. pluv.* putat hanc legem pertinere ad actionem *Aquæ pluviæ arcendæ* ; & ex hâc regulâ probavisse Paulum actionem *Aquæ pluviæ arcendæ*, quæ nonnisi domino competit, non competere ei qui fundi cui aqua pluvia nocebat nondum erat traditionis tempore dominus, quamvis postea eum usuceperit.

(*b*) Id est, rei certæ. Est enim res certa ac determinata, *Fundus Tusculanus.*

(*c*) Vide suprà, N. 63. *l.* 10. Not.

(*d*) Quo in libro Ulpianus egit de stipulatione EMPTÆ & *venditæ hereditatis.* Confer inscriptionem legis 2. ff. *de Hered. vel. act. vend.*

(*e*) Falsa omninò etymologia. Quantus enim, quæso, fuisset numerus Decurionum in municipio quolibet ? Simplicius est à verbo CURIA deducere, quasi homines *de Curiâ.* Cùm enim Senatus Municipiorum adumbraret Senatum Urbis Romæ ; appellatio *Curiæ*, id est loci in quo conveniebant Senatores Urbis, ad Municipia quoque producta est.

Source : BIU Cujas

non vult ſuſcipere actionem. *l.* 52. *ff. de Reg. jur.* ULP. LIB. 44. AD ED. (*a*)

DEFENSIO *ſumitur interdum pro excuſatione, ſæpiùs pro exceptionibus quibus reus ſe defendit* (ſes moyens de Défenſe).

DEFENSOR, *etſi lato ſenſu accipiatur pro quocumque qui nomine & titulo quopiam perſonam aut negotia alicujus tuetur; ſpecialiter, & in frequentiori loquendi uſu, accipitur pro eo qui ſine mandato* (*præſtitâ cautione* Judicatum ſolvi) *reum in judicio Defendit.*

DEFENSORES CIVITATUM, *erant in Municipiis idem ferè quod Romæ Tribuni plebis.*

LXXII.

¶ *DEFERRE, eſt denuntiare.* Deferuntur *fiſco bona, res quæ in cauſam commiſſi ſeu confiſcationis ceciderunt; id eſt, denuntiantur.*

Inde DELATOR: *quæ vox in malam partem accipitur; adeòque non pro quovis qui rem ad fiſcum pertinentem nunciat; ſed pro his duntaxat, qui nullâ neceſſitate officii aut rei ſuæ tuendæ coacti, ſed ſolâ ſpe præmii quod delatoribus propoſitum erat allecti, id faciunt. Lib.* 49. *Tit.* de Jur. fiſc. *Sect.* 1ª. *Art.* 1°.

DEFERRE ALIQUEM, *eſt eum reum facere; ſeu impetrare, ut nomen ejus in Actis inter reos referatur.* ACCUSARE *autem dicor, quum reum quem detuli adduco in judicium:* Pourſuivre l'accuſation. *Vide lib.* 48. *Tit.* de Accuſat. *Art.* 5°.

* DEFERRI *hereditas, bonorum poſſeſſio, jusjurandum. Vide*, Bonorum poſſeſſio, Hereditas, Jusjurandum; *ſuis locis.*

¶ *DEFINITIO, præter notam ſignificationem, etiam pro Juris Regulâ & axiomate accipitur. Et ita Tit. ſeq. N.* 1.

DEJECTUS, A, UM.

Edictum DE DEJECTIS ET EFFUSIS; *illud eſt ex quo actiones dantur in habitatorem domûs undè quid dejectum effuſum-ve eſt in viam publicam: Tit.* de His cui effud. *lib.* 9.

DEJICERE poſſeſſione; *putà, in Interdicto* De VI: *lib.* 43. *Tit.* 16.

DEJICITUR, is qui poſſidet; ſive civiliter ſive naturaliter poſſideat. *l.* 1. § 9. *ff. de Vi & vi arm.*

Verùm is ſolus DEJICITUR qui amittit poſſeſſionem; non qui non accipitur. *d. l.* 1. § 26.

* DELATOR. *Vide mox ſuprà*, Deferre.

LXXIII.

DELEGARE, DELEGATIO; in contractibus (*de quâ vide lib.* 46. *Tit.* de Novat. & Deleg.) *item in judiciis.*

DELEGARE eſt, vice ſuâ alium reum (*b*) dare creditori, vel cui jufſerit. *l.* 11. *ff. de Novat.*

DELEGARE *actiones, nomen, &c. eſt cedere actiones, &c.*

DELEGATA *juriſdictio dicitur, quæ alteri mandata eſt.*

DELEGATUS *judex, cui negotium diſceptandæ cauſæ & ferendæ de eâ Sententiæ mandatur.*

DEMINUTUM DEPERDITUM; in SCto de Petitione hereditatis, *quo ſcilicet cavetur ut poſſeſſor hereditatis reddat pretium rerum hereditarium quæ conſecutus eſt, quamvis ante petitam hereditatem* deperditæ diminutæ-ve *eſſent.*

DEPERDITUM intelligitur, quod in rerum naturâ eſſe deſiit.

DEMINUTUM verò, quod uſucaptum eſſet, & ob id de hereditate exiit. *l.* 21. *ff. de Hered. pet.*

Ampliùs Marcellus apud Julianum notat; Verbo PERIISSE, & ſciſſum & fractum contineri, & vi raptum (*c*). *l.* 9. ULP. LIB. 5. AD ED. (*d*).

¶ *DEMONSTRATIO eſt quidquid ad certam perſonam vel rem deſignandam dicitur aut ſcribitur; ut quum dicitur falſam* Demonſtrationem *legato non obeſſe, ſi aliundè conſtat de re vel perſonâ: lib.* 35. *tit.* 1. de Cond. & dem. *Part.* 4ª.

¶ *DENARIUS; ſpecies nummi qui decem aſſes ſeu quatuor ſeſtertios valet.*

DEPECTUS. *Vide infrà.* PACTUS.

LXXIV.

¶ *DE PLANO fieri dicitur, quod fit ſine ſtrepitu judiciario & cauſæ cognitione.* DE PLANO, & PRO TRIBUNALI; *invicem opponuntur.*

¶ *DEPORTATIO eſt ſpecies pœnæ capitalis, quæ in eo conſiſtit ut quis bonis ipſius publicatis, & jure omni civitatis adempto, in certam inſulam ei aſſignatam vinctus deportetur. Hâc pœnâ mulctati, vocantur* DEPORTATI.

DEPOSITUM eſt quod cuſtodiendum alicui datum eſt; dictum ex eo quod ponitur. Præpoſitio enim DE auget Depoſitum, ut oſtendat totum fidei ejus commiſſum quod ad cuſtodiam rei pertinet. *l.* 1. *ff. Depoſiti.*

Depoſitum, vel ex voluntate proficiſcitur; vel ex neceſſitate, ut in caſu tumultûs, incendii, ruinæ, naufragii &c.

Sed Eum DEPONERE tumultûs vel incendii...., gratiâ intelligendum eſt, qui nullam aliam cauſam Deponendi habet, quàm imminens ex cauſis ſuprà ſcriptis periculum. *d. l.* 1. § 3.

Et hoc eſt, quod quandoque dicitur Depoſitum MISERABILE.

LXXV.

DESERTOR, EMANSOR; *in delictis militaribus: lib.* 49. *Tit.* 16. *art.* 5.

DESERTOR eſt, qui per prolixum tempus vagatus reducitur. *l.* 3. §. 3. *ff. de Re milit.*

EMANSOR eſt, qui diù vagatus ad caſtra regreditur (*e*). *d. l.* 3. § 2.

DETESTARI, DETESTATUM, SUBSIGNATUM; in antiquis Legibus ſacris & Jure Pontificio (*f*).

DETESTARI, eſt abſenti denuntiare. *l.* 39. § 2. PAUL. LIB. 33. AD ED.

DETESTATIO, eſt denuntiatio facta cum teſtatione. *l.* 40. ULP. LIB. 56. *

DETESTATUM, eſt teſtatione denuntiatum. *l.* 238. § 1. GAIUS LIB. 6. AD LEG. XII. TAB.

SUBSIGNATUM dicitur, quod ab aliquo ſubſcriptum eſt. Nam Veteres SUBSIGNATIONIS verbo pro adſcriptione uti ſolebant. *ſup. d. l.* 39. *pr.*

¶ *DEUNX; eſt ſolidum demptâ unciâ*, les onze Douziemes. *Putà; heres ſcriptus ex* DEUNCE, inſtitué pour les onze Douziemes.

DEUNCES *uſuræ*; les onze Douziemes d'un pour cent par mois d'intérêt; *c. à d.* Onze pour cent par an.

¶ *DEXTANS, eſt decem unciæ*; les dix Douziemes. *Undè* DEXTANTES *uſuræ*, Dix pour Cent par an.

LXXVI.

¶ *DIÆTA*, Salle, Sallon, Chambre.

DICTUM, PROMISSUM; in Edicto Ædilium circa res venales.

DICTUM à promiſſo ſic diſcernitur. Dictum accipimus quod verbo tenus pronuntiatum eſt, nudoque ſermone (*g*) finitur: PROMISSUM autem poteſt referri,

(*a*) Ex hâc inſcriptione colligit Cujacius hanc legem pertinere ad libertum qui in fraudem patroni, dum judicio conventus non vult ſe defendere, aliquid de bonis ſuis deminuit: Ulpianum ſi quidem in hoc libro 44. AD EDICTUM, de Faviânâ actione egiſſe conſtat, ex eâdem inſcriptione legis 1. ff. *Si quid. in fraud. patr.* Cæterùm poteſt ad alia multa lex aptari.

(*b*) Qui ſcilicet quod ego debeo, ſtipulanti creditori, animo novandi & me liberandi ipſe promittat.

(*c*) *Vi raptum* non deſiit eſſe in rerum naturâ. Unde Verbo PERIISSE id non contineri cenſebat Julianus. In quo à Marcello notatur; ut idipſum venire debeat appellatione *Deperditi.*

(*d*) Rectiùs Haloander legit, LIB. 15. Ibi enim de Petitione hereditatis egit Ulpianus.

(*e*) Sponte; adeòque non videtur abjeciſſe animum redeundi: in quo differt à *Defertore.*

(*f*) Nempè verba hæc rectè referri putat Cujacius ad antiquas illas *De Sacris deteſtandis* Leges; ex quibus privata defuncti ſacra, ſucceſſoribus ejus *Deteſtari*, id eſt ſolemniter denuntiari oportebat, & ea his *Subſignare* ſeu adſcribere, ut iis alligarentur. Vide Commentarium noſtrum ad XII. Tab. *Tab. XI.* cap. 3.

(*g*) Citra ſtipulationem.

Source : BIU Cujas

& ad nudam promiſſionem ſive pollicitationem, vel ad (*a*) ſponſum. *l.* 19. § 2. *ff. de Ædil. Edict.*

LXXVII.

DIES, paſſim ubique. Pro ſubjectâ materiâ variè accipitur.

Interdum pro civili die, de quo ita Paulus : More Romano DIES à mediâ nocte incipit, & ſequentis noctis mediâ parte finitur. Itaque quidquid in his viginti-quatuor horis, id eſt duabus dimidiatis noctibus & luce mediâ, actum eſt ; perindè eſt, quaſi quâvis horâ lucis actum eſſet. *l.* 8. *ff. de Feriis.*

Contrà, interdum pro Die naturali ſumitur ; qui eſt horarum duodecim, à Primâ lucis ſeu ſextâ ante meridiem, uſque ad Duodecimam ſeu ſextam poſt meridiem : (*vernaculè*, depuis ſix heures du matin juſqu'à ſix heures du ſoir.)

De Die hoc ſenſu accepto ait idem Paulus : Cujuſque diei major pars, eſt horarum ſeptem primarum diei (*b*), non ſupremarum. *l.* 2. § 1. PAUL. LIB. I. AD ED.

Dies CEDIT, *dies* VENIT ; *in obligationibus quibuſlibet.* CEDERE diem, ſignificat incipere deberi pecuniam ; VENIRE diem, ſignificat eum diem veniſſe quo pecunia peti poſſit. Ubi purè quis ſtipulatus fuerit ; & CESSIT & VENIT dies : ubi in diem ; CESSIT dies, ſed nondum VENIT (*c*) : ubi ſub conditione, neque CESSIT neque VENIT dies pendente adhuc conditione. *l.* 213. ULP. LIB. I. REGUL.

Conſonat Paulus : DEBERI dicimus & quod die certâ præſtari oportet, licèt Dies nondum venerit. *l.* 9. *ff. Ut leg. ſeu fid. cauſ. caveat.*

DIES CONTINUI *dicuntur ; quum in aſſignato ad agendum aliquid certo dierum numero omnes dies computantur ; etiam illi quibus fieri res non potuit.*

Contrà, DIES Utiles *hi ſoli computantur quibus res fieri potuit : ut quum dicitur* Centum dies UTILES *dari ad petendam Bonorum poſſeſſionem ; nec enim hi computantur, quibus quis nondum ſciebat poſſeſſionem ſibi delatam, aut Prætoris copiam non habuit. Vide lib.* 37. *Tit.* de Succeſſ. Edict. *N.* 13.

Dies CERTUS *dicitur in contractibus & communi uſu loquendi ; de quo certum eſt, & eum extiturum, & quando extiturus ſit.*

Dies INCERTUS (*qui pro conditione habetur*), *eſt dies de quo incertum eſt an extiturus ſit.*

In ultimis voluntatibus ; Dies INCERTUS *dicitur de quo certum quidem eſt eum extiturum, ſed incertum eſt quando extiturus ſit. Si tamen certum ſit eum vivo legatario extiturum, ut quum alicui in diem mortis ejus legatum eſt ; adhuc pro die* CERTO *habendus eſt. Vid. lib.* 35. *tit.* de Cond. & dem. *Part.* 1ª.

EX DIE & *hæc duo valdè differunt. Enimverò* EX DIE *legari aut promitti ; eſt eâ lege promittere aut legare, ut demùm certo die adveniente, incipiat creditor aut legatarius exigere poſſe. Contrà,* IN DIEM ; *eſt legare aut promittere eâ lege ut certo die adveniente, creditor aut legatarius deſinat jam petere poſſe. Lib.* 44. *tit.* de Oblig. & act. *N.* 32. & *ſeq.*

AD DIEM, *idem eſt ac* In diem.

LXXVIII.

DIMISSORIÆ LITTERÆ, APOSTOLI ; *in Appellationibus. Lib.* 49. *Tit. VI.*

DIMISSSORIÆ LITTERÆ dicuntur, quæ vulgò APOSTOLI dicuntur. Dimiſſoriæ autem dictæ, quòd cauſa ad eum qui appellatus eſt dimittitur (*d*). *l.* 106. MODEST. LIB. SINGUL. DE PRÆSCRIPT. (*e*).

¶ *DIVIDUUM, & INDIVIDUUM duplici ſenſu dicuntur.*

Primò ſenſu DIVIDUUM *dicitur, quod naturâ ſuâ dividi poteſt, ut ager ;* INDIVIDUUM, *quod ſine ſuâ deſtructione dividi non poteſt, ut putà quodvis animal.*

Alio ſenſu DIVIDUUM *dicitur ; quod etſi naturâ dividi non poſſit, jure tamen & intellectu partes admittit, & pro partibus indiviſis vel acquiri vel amitti poteſt : ut Stichus Contrà, hoc eodem ſenſu,* INDIVIDUA *dicuntur jura prædiorum ; quæ nec acquiri nec amitti pro parte poſſunt, adeòque nec naturâ nec jure partes admittunt.*

¶ *DIVINI JURIS res dicuntur, quæ apud Etnicos diis ſuperis aut inferis aut medioxumis conſecratæ erant ; quales erant res ſacræ, ſanctæ, & religioſæ, de quibus lib.* 1. *Tit.* de Diviſ. rer.

DIVORTIUM, REPUDIUM.

Divortium eſt legitima conjugum ſeparatio, eo animo facta ut nunquam redintegretur matrimonium.

Inter DIVORTIUM & REPUDIUM, hoc intereſt ; quòd REPUDIARI etiam futurum matrimonium poteſt, non rectè autem ſponſa DIVORTISSE dicitur. Quod Divortium ex eo dictum eſt, quòd in diverſas partes eunt qui diſcedunt. *l.* 191. PAUL. LIB. 35. AD ED.

Alibi additur, Vel à diverſitate mentium. *l.* 2. *ff. de Divort.*

Igitur DIVORTIUM inter virum & uxorem fieri dicitur. REPUDIUM verò ſponſæ remitti videtur : quod & in uxoris perſonam non abſurdè cadit. *l.* 101. § 1. MODEST. LIB. 9. DIFFERENT.

Divortium BONA GRATIA *dicitur, quod fit ex utriuſque voluntate, & citra ullius offenſam.*

¶ *DIVUS, vox paſſim in Jure præponi ſolita nominibus Imperatorum defunctorum ; indè ducta, quòd poſt mortem ſuam in Deorum numerum à Senatu relati erant.*

DIVI FRATRES, *Marcus-Aurelius, & Lucius-Verus.*

LXXIX.

¶ *DODRANS*, les trois quarts. DODRANTES *uſuræ*, les trois quarts d'un pour cent par mois, Neuf pour cent par an.

DOLUS, Dolus MALUS : *actio* DE DOLO, *Exceptio* DOLI.

Veteres DOLUM etiam BONUM dicebant ; & pro ſolertiâ hoc nomen accipiebant, maximè ſi adversùs hoſtem latronem-ve quis machinetur. *l.* 1. § 3. *ff. de Dol. mal.*

DOLUM MALUM Servius quidem definit ; Machinationem quamdam, alterius decipiendi causâ, quum aliud ſimulatur & aliud agitur. Labeo autem, Poſſe & ſine ſimulatione id agi ut quis circumveniatur : poſſe & ſine Dolo malo aliud agi, aliud ſimulari ; ſicuti faciunt qui per ejuſmodi diſſimulationem deſerviant, & tuentur vel ſua vel aliena. Itaque ipſe ſic definiit : DOLUM MALUM eſſe, omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Labeonis ſententia vera eſt. *d. l.* 1. § 2.

DOLI CLAUSULA *eſt illa quæ ſtipulationibus inſeri ſolet,* DOLUM MALUM *abeſſe abfuturumque eſſe : ut putà ; in* Judicatum ſolvi *cæteriſque ſtipulationibus Prætoriis in ſtipulatione fructuariâ, in Empti & venditi, &c.*

Porrò Hæc verba, CUI REI DOLUS MALUS ABERIT, ABFUERIT, generaliter comprehendunt omnem Dolum (*f*) ; quicumque in hanc rem admiſſus eſt, de quâ ſtipulatio eſt interpoſita. *l.* 69. ULP. LIB. 78. AD ED.

ACTIO DE DOLO, *eſt ea quæ datur adverſùs eum qui decepit, ad perſequendum id quod nobis ex Dolo abeſt ; quum aliundè nobis proſpicere non poſſumus. Lib.* 4. *Tit.* 3.

Exceptio DOLI, *eſt generalis exceptio quæ opponitur quoties quid contra bonam fidem & æquitatem petitur. De quâ lib.* 44. *Tit.* 4.

(*a*) Id eſt, complectitur tam id quod *Sponſu* ſeu per ſtipulationem promiſſum eſt, quàm id quod citra ſtipulationem.

(*b*) Quia *Manè* homines integriores ſunt ad omnia negotia.

(*c*) Exigi igitur non poteſt. Sed ſi ultrò ſoluta fuerit pecunia non repetetur. Debebatur enim, cùm *Dies* CESSERIT.

(*d*) Ab eo judice à quo appellatur, & qui debet dare litteras.

(*e*) De his litteris egit Modeſtinus in libro *de Præſcriptionibus* ; quia preſcriptione repellitur is qui appellavit, ſi non intra quintum ab appellatione diem poſtulaverit APOSTOLOS [*ſon Renvoi devant le Juge d'appel*].

(*f*) Doli ſpeciem omnem, non ſolùm præſentis, ſed futuri. Et generaliter, hâc clauſulâ promiſſor ſe obligat ad omnia quæcumque ab ipſo circa hoc negotium præſtari bona fides jubet.

Source : BIU Cujas

LXXX.

DOMINUS: in SCto Silaniano, in Quæſtionum materiâ in quâ ſervi adversùs Dominos torqueri vetantur; item in aliis Legibus,

DOMINI appellatione, etiam pro parte dominum contineri dicendum eſt. *l.* 1. § 6. *ff. de SC. Silan.*

Domini appellatione continetur, qui habet proprietatem; etſi uſusfructus alienus ſit. *d. l.* 1. § 1.

Domini appellatione, & filiusfamilias, cæterique liberi qui in poteſtate ſunt, continentur. *d. l.* 1. § 7.

Imò & emancipati, non tamen qui per adoptionem in alienam familiam tranſierunt. d. l. 1. § 8. & 9.

Specialiter in dicto SC. Silaniano: Qui ſervum bonâ fide poſſedit, DOMINI appellatione non continebitur; nec qui uſumfructum ſolum habuit. *d. l.* 1. § 2.

Secùs in ſupràdictâ materiâ Quæſtionum: l. 1. § 8. *ff.* de Quæſtion. *& in aliis Juris articulis.*

DOMUS & pro domicilio accipienda eſt. *l.* 22. § 2. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.*

Interdum ſumitur pro familiâ. Hinc DOMESTICI TESTES, *qui ſunt ex familiâ alterutrius partis.*

LXXXI.

DONATIO &c. MORTIS CAUSA CAPIO.

DONATIO dicta eſt à Dono, quaſi Dono-datum; rapta à Græco: nam hi dicunt ΔΩΡΟΝ ΚΑΙ' ΔΩΡΕΙΣΘΑΙ [*i. e. donum & donare*]. *l.* 35. § 1. *de Mort. cauſ. donat.*

DONATIONIS verbum, ſimpliciter loquendo, omnem Donationem complectitur: ſive mortis causâ, ſive non mortis cauſâ fuerit. *l.* 67. § 1. ULP. LIB. 76. AD ED. (*a*).

Et quidem ita, lato ſenſu.

Donatio autem propriè ſumpta, ſtrictiorem habet ſignificationem. Scilicet Donationes complures ſunt. Dat aliquis eâ mente ut ſtatim velit accipientis fieri, nec ullo caſu ad ſe reverti; & propter nullam aliam cauſam facit quàm ut liberalitatem & munificentiam exerceat: hæc propriè DONATIO appellatur.

Dat aliquis ut tunc demùm accipientis fiat, quum aliquid ſecutum fuerit. Non propriè DONATIO appellabitur; ſed totum hoc, DONATIO SUB CONDITIONE eſt.

Item quum quis eâ mente dat ut ſtatim quidem faciat accipientis; ſi tamen aliquid factum fuerit, aut non fuerit, velit ad ſe reverti: non propriè DONATIO dicitur; ſed totum hoc donatio eſt quæ ſub conditione ſolvatur, qualis eſt MORTIS CAUSA donatio. *l.* 1. *ff. de Donation.*

Eſt & Donatio PROPTER NUPTIAS; *ſcilicet quod vir in Compenſationem dotis acceptæ donat mulieri, ſub iiſdem legibus ſub quibus ipſe dotem accepit. De quâ vide lib.* 23. *Tit.* de Sponſal. *Art.* 2°. §°. 2°.

MORTIS CAUSA CAPITUR; quum propter mortem alicujus, capiendi occaſio obvenit: exceptis his capiendi figuris quæ proprio nomine (*b*) appellantur. *l.* 31. *ff. de Mort. cauſ. donat.*

LXXXII.

DOS, Adventitia, Profectitia; DOTALE *inſtrumentum, prædium; Dotis dictio.*

DOS *eſt quod mulier alius-ve pro eâ dat aut promittit viro, vel ſocero in cujus poteſtate eſt vir, ad ſuſtinenda onera matrimonii; reddendum his caſibus qui lege aut conventione præſcripti ſunt.*

PROFECTITIA dos eſt quæ à patre vel parente (*c*) profecta eſt, de bonis vel facto (*d*) ejus. *l.* 5. *ff. de Jure dot.*

ADVENTITIA *eſt, omnis quæ non eſt* PROFECTITIA. *Vide lib.* 23. *Tit.* 3. de Jure dot.

DOTEM dicere, *Dictio dotis, eſt quum mulier parens-ve ejus virilis ſexûs, dotem ſolemnibus verbis promittit. In hâc Dictionis dotis formulâ nulla erat interrogatio: quâ in re à ſtipulatione differebat.*

DOTALE inſtrumentum, Contrat de mariage.

DOTALE *prædium, Dotalis fundus* (*de quo eſt Lex Julia* De fundo dotali, *lib.* 23. *Tit. fin.*) *dicitur fundus qui inæſtimatus in dotem ſic datus eſt, ut ipſe in ſpecie reſtitui debeat mulieri ſoluto quandoque matrimonio. Opponiturque fundo* ÆSTIMATO, *de quo ſuprà in Verbo ÆSTIMATUS.*

DOTALE PRÆDIUM accipere debemus, tam urbanum quàm ruſticum. *l.* 13. *ff. de Fund. dot.*

LXXXIII.

¶ *DUCI dicuntur ſervi, qui à domino non defenſi aut noxæ dediti, ab eo cui furtum damnum-ve fecerunt abducuntur jubente Prætore; tranſituri in dominium abducentis.*

DUNTAXAT in teſtamentis, conventionibus, &c. Quum in teſtamento ſcriptum eſſet, ut heres in funere aut in monumento DUNTAXAT aureos centum conſumeret; non licet minùs conſumere: ſi ampliùs vellet, licet; neque ob eam rem, contra teſtamentum facere videtur. *l.* 202. ALFENUS-VARUS LIB. 2. DIGEST.

Idem obſervandum in Contractibus.

¶ *DUPLEX, Actio, Judicium, Interdictum; in quibus litigatores ſinguli utramque & actoris & rei perſonam ſuſtinent: qualia ſunt, judicia* Finium regundorum & Familiæ erciſcundæ, *Interdictum* Uti poſſidetis, *&c.*

Alio ſenſu DUPLEX teſtamentum *dicitur, quod quis ſibi & filio fecit.*

¶ *DUPONDIUS As, eſt as in viginti-quatuor uncias ſeu partes diſtributus; quum regulariter in duodecim duntaxat diſtribui ſoleat. Eâdem ratione &* TRIPONDIUS *dicitur, in triginta ſex uncias diſtributus.*

¶ *DUUMVIRI; duo primi municipiorum Magiſtratus, quaſi ad inſtar Conſulum in Urbe.*

E

LXXXIV.

EDERE, actionem, rationes, inſtrumenta, &c.

Actionem EDERE eſt, etiam copiam deſcribendi facere; vel in libello complecti, & dare vel dictare. Eum quoque EDERE Labeo ait, qui producat adverſarium ſuum ad Album (*e*), & demonſtret quod dictaturus eſt; vel id dicendo quo uti velit. *l.* 1. § 1. *ff. de Edendo.*

In inſtrumentis & rationibus, EDI eſt vel dictare vel tradere libellum (*f*), vel codicem (*g*) proferre. *l.* 6. § 7.

Edi ratio ita intelligitur, ſi à capite edatur. *l.* 10. § 2. *ff. d. tit.*

Edere non videtur, qui ſtipulationem totam non edit. *ſup. d. l.* 1. § 4.

Vide lib. 2. *Tit.* 13. de Edendo.

EDERE & REDDERE *rationes.*

Inter EDERE & REDDI rationes, multùm intereſt. Nec is qui EDERE juſſus (*h*) ſit, reliquum reddere debet (*i*). Nam & Argentarius Edere rationem videtur, etiamſi quod reliquum ſit apud eum non ſolvat. *l.* 89. § 2. POMPON. LIB. 6. AD SABIN.

Contrà verò; Is qui REDDERE RATIONES juſſus ſit,

(*a*) Cujacius cenſet hoc ſcriptum AD EDICTUM *de Rei litigioſæ* exceptione; quæ nempè competit, ſi res litigioſa vendita aut *Donata* fuerit. Cæterùm poteſt lex ad alias quaſvis ſpecies aptari: cum certis tamen exceptionibus. Nam putà, quum dicitur prohibitas *Donationes* inter virum & uxorem, illæ ſolæ quæ *inter viros* fiunt, non quæ *Mortis causâ*, continentur.

(*b*) Quod hereditatis aut legati aut fideicommiſſi titulo capitur, reverâ *Mortis causâ capitur*: hæc enim omnia morte teſtatoris vices accipiunt. Verùm propriè *Mortis causâ capi* dicitur, quod mortis causâ ita obvenit ut nullo ex his titulis capiatur: V. G. quum alicui hereditas aut legatum relictum eſt ſub conditione dandi quid alteri; is qui ab herede aut legatario conditionis implendæ causâ accipit, propriè dicitur *Mortis causâ* id capere; nec enim hereditatis, nec legati, nec fideicommiſſi titulo hoc accipit.

(*c*) Per virilem ſexum aſcendente; ſive in poteſtate habuerit filiam, ſive non [lib. 23. Tit. *de Jure dot.* N. 1.] imò & ſi adoptivus ſit.

(*d*) Etiamſi ab extraneo data ſit, modò patris nomine, ipſo jubente aut ratum habente. *d. tit.* N. 3.

(*e*) Formularum; in quo edat quâ actione acturus ſit.

(*f*) *Copie du Compte.*

(*g*) *Le Livre journal.*

(*h*) Putà, teſtamento.

(*i*) Ut ſatisfaciat conditioni.

Source : BIU Cujas

non videtur satisfacere si reliquum reddat non EDITIS rationibus. *l.* 8. § 5. *ff. de Liberat. leg.* IBID.

LXXXV.

¶ *EDICTUM Principis*, Prætoris, *Proconsulis*; *pro Jure quod Princeps, Prætor, Proconsul constituit.*

* Edictum CARBONIANUM. *Vide suprà*, Bon. possessio Carboniana.

Edictum DE CONJUNGENDIS CUM EMANCIPATO LIBERIS EJUS; *illud est quo nepotes ex filio emancipato qui remanserunt in potestate ac familiâ avi sui, ad cujus Bonorum possessionem pater ipsorum admittitur ab intestato aut contra tabulas, dimidiam ferunt portionis quam ex hâc Bonorum possessione ipsorum consequitur. De quo lib.* 37. *Tit. IX.*

EDICTUM *dicitur etiam, citatio quâ Prætor aliquem in Jus adesse jubet.*

EDICTUM PEREMPTORUM, *est postrema citatio; cui reus adesse jussus, non obtemperans sit contumax. Undè* EDICTUM *circumducere*, Mettre à néant la Procédure de Contumace.

¶ *ELOGIUM sumitur apud Jurisconsultos tam in malam, quàm in bonam partem; ut quum quis exheredari dicitur* Cum ELOGIO.

ELOGIA SUPREMA *dicuntur, pro testamento, ultimâ voluntate.*

LXXXVI.

¶ *EMANCIPATIO est actus solemnis quo pater filium alium-ve ex liberis dimittit è potestate suâ. Lib.* 1. *Tit. VII. Sect.* 2.

EMANCIPATI *liberi dicuntur, qui per emancipationem è familiâ exierunt.*

* EMANSOR. *Vide suprà*, Desertor.

¶ *EMBLEMATA appellantur, quicquid ornatûs gratiâ alicui rei adjicitur.*

¶ *EMPHYTEUSIS est contractus quo ager pro certâ annuâ pensione fruendus datur; eâ lege ut quandiù pensio solvatur, ad dominum non redeat. Lib.* 19. *Append. ad Tit.* 2. *Cap.* 2.

Pensio illa generaliter dicitur CANON: *si verò ager ad civitatem pertineat, pensio proprio nomine dicitur* VECTIGAL. *Lib.* 6. *Tit. fin.* Si ager. vectig.

EMPHYTEUTA *appellatur possessor agri, qui eum hâc lege conduxit, aut in jus conductoris successit.*

EMPTIO-VENDITIO [*lib.* 18. *Tit.* 1.] *est contractus quo alter alteri rem certo pretio, pro domino habere licere præstaturum se promittit, alter pretium dare, vicissim obligantur. Hinc* VENDITOR, EMPTOR.

EMPTIO-*venditio &* LOCATIO-*conductio quandoque confunduntur. Nam* Veteres in EMPTIONE venditioneque, appellationibus promiscuè utebantur. *l.* 19. *ff. de Act. empti.*

Idem est & in LOCATIONE (*a*) & conductione. *l.* 20. *ff. d. tit.*

LXXXVII.

ENIXA. Leges Julia & Papia præmia proponebant mulieribus quæ TER ENIXÆ *essent; putà ut Latina hoc trino partu Civitatem Romanam consequeretur. Circa hujus autem locutionis significationem ita Paulus:*

TER ENIXA videtur, etiam quæ trigeminos (*b*) peperit. *l.* 137. PAUL. LIB. 2. AD LEG. JUL. ET PAP.

Hoc ita, si per intervalla eos pepererit. Sic enim alibi: Quæ semel uno partu tres filios edidit, jus liberorum non consequitur. Nec enim TER PEPERISSE, sed semel partum fudisse videtur; nisi fortè per intervalla (*c*) pariat. PAUL. SENT. *lib.* 4. *Tit.* 9.

Item Falsum est eam peperisse, cui mortuæ filius (*d*) exsectus est. *l.* 132. § 1. PAUL. LIB. 13. AD LEG. JUL. ET PAP.

Cæterùm mulier reputatur hunc filium mortis tempore habuisse, ut non sine liberis decessisse dici possit. Aliud est enim Peperisse, *aliud* Filium habere. *Et hoc sufficit ad pœnas Legum in* Orbos *vitandas.*

Pariterque, si non ad præmia consequenda, saltem ad pœnas vitandas accipe quod ait Ulpianus: Quæret aliquis; Si portentosum vel monstrosum vel debilem mulier ediderit, vel qualem visu vel vagitu novum; non humanæ figuræ, sed alterius magis animalis quàm hominis partum; an quia Enixa est, prodesse ei debeat? Et magis est ut hæc quoque parentibus prosint: nec enim est quod eis imputetur quæ qualiter potuerunt, statutis obtemperaverunt. Neque id quod fataliter accessit, matri damnum injungere debet. *l.* 135. ULP. LIB. 4. AD LEG. JUL. ET PAP.

Vide & infrà, Liberi; *aut etiam suprà, ad Titulos* de Legatis *N.* 384.

LXXXVIII.

¶ *EREMODICIUM est, desertum judicium. Sententia* EX EREMODICIO *dicta, est Sententia prolata in reum qui post litem contestatam judicium deseruit; & citatus contumaxque factus, condemnatus est.*

¶ *ERGASTERIUM*, Une Manufacture.

* ERRO. *Vide infrà*, Fugitivus.

¶ *EVICTIO, EVINCERE. Lib.* 21. *Tit* 2.

EVINCERE, *propriè est aliquid vincendo ab aliquo auferre.* EVICTIO, *rei per Sententiam judicis ablatio.*

Cavere DE EVICTIONIS, *seu* EVICTIONIS NOMINE, *est cavere de aliquâ summâ præstandâ in eum casum quo res evinceretur.*

EVICTIONEM PRÆSTARE, *est præstare alicui id quanti ejus interfit rem ei esse evictam.*

LXXXIX.

EXACTA vel REDACTA *pecunia; in SCto de petitione hereditatis; quâ parte dicitur*, Redactæ *ex pretio rerum venditarum pecuniæ usuras non esse exigendas: lib.* 5. *Tit.* 3. *N.* 40.

Verbum EXACTÆ PECUNIÆ; non solùm ad solutionem referendum est; verùm etiam ad delegationem (*e*). *l.* 187. ULP. LIB. 32. AD ED.

¶ *EXAUCTORARE est aliquem ignominiosè mittere militiâ, detractis ipsi militiæ insignibus* (Dégrader).

EXCEPTIO, REPLICATIO, TRIPLICATIO, &c. in judiciis. Lib. 43. *Tit. I.*

EXCEPTIO dicta est, quasi quædam exclusio; quæ interopponi actioni cujusque rei solet, ad cludendum (*Pro* excludendum. *Et ita sæpè in Florent.*) id quod in intentionem condemnationem-ve (*f*) deductum est *l.* 2. *ff. de Excep.*

REPLICATIO est contraria exceptio (*g*), quasi exceptionis exceptio. *l.* 22. § 1. *ff. d. tit.*

Sed & contra Replicationem solet dari TRIPLICATIO, & contra Triplicationem rursùs; & deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus aut actor objicit. *sup. d. l.* 2. § 3. *ff. d. tit.*

Exceptiones, aut perpetuæ & PEREMPTORIÆ sunt, aut temporales & DILATORIÆ.

Perpetuæ atque PEREMPTORIÆ sunt, quæ semper locum habent, nec evitari possunt; qualis est, Doli mali, & Rei judicatæ. *l.* 3. *ff. d. tit.*

Hæ omninò excludunt actionem.

DILATORIA est exceptio quæ differt (*h*) actionem; veluti Procuratoria exceptio. *sup. d. l.* 2. § 2.

(*a*) Hunc sensum putat esse Cujacius utriusque legis, ut *Venditio* pro locatione, *Conductio* pro emptione, olim acciperetur. Vide ad N. 9. Tit. *Locati.* Suprà lib. 19.

(*b*) Quos simul utero gestabat.

(*c*) Nam cùm hoc casu ter sustinuerit dolorem partûs, ter peperisse adeòque Legis præmio digna videri debet.

(*d*) Non videtur *peperisse*, ut præmium Legis consequatur. Putà si Latina sit quæ antè bis peperisset, is filius ei non proficit ut trino partu videatur moriens jus civitatis adepta.

(*e*) Id est, *Exacta* videtur pecunia non solùm quæ mihi soluta est naturaliter; sed etiam, quæ civiliter; putà si debitorem delegavi creditori meo, & hîc illum expromissorem acceperit. Vel etiam [in casu Petitionis hereditatis de quo hîc agitur] si debitor hereditarius expromissorem mihi dederit: quo accepto, pristinum debitum evanescit, solutumque hereditati videtur.

(*f*) Quædam enim exceptiones & post Sententiam opponuntur; ut exceptio *Competentiæ*, mox infrà.

(*g*) Quam *Actor* opponit exceptioni *Rei.*

(*h*) Tantùm, non perimit.

Exceptio

Source : BIU Cujas

Exceptio PROCURATORIA *dicitur quâ quis excipit non licere alicui pròcuratorio nomine agere; putà, quòd de mandato ejus non conſtet, &c.*

Rursùs exceptiones, aliæ In rem *ſunt, aliæ* In perſonam.

Exceptio IN REM *dicitur, quæ rei ſeu cauſæ tribuitur; adeòque non ſolùm ab ipsâ rei principalis perſonâ, ſed & ab heredibus & fidejuſſoribus ejus opponi poteſt; ut exceptio* Doli (*ſuprà in Verb. DOLUS*); *Exceptio* Non numeratæ pecuniæ, *infrà; &c.*

Exceptio IN PERSONAM, *quæ perſonæ tribuitur; adeòque nec ab heredibus nec à fidejuſſoribus ejus opponi poteſt: ut exceptio quam vocant* COMPETENTIÆ *; ſcilicet quâ maritus, parens, ſocius, tueri ſe poſſunt ut non ultrà quàm facere poſſunt ab eis exigatur. Vide infrà in Verb. FACERE.*

Exceptio PACTI, *vel* JURISJURANDI *illa eſt, quâ reus opponit peti aliquid contra fidem pacti quo convenit ne peteretur; contra auctoritatem jurisjurandi, quo deciſa eſt quæſtio an deberetur necne.*

Exceptio NON NUMERATÆ PECUNIÆ; *ea eſt quam opponit is qui velut accepturus pecuniam quam non accepit, eam deceptus ſtipulanti promiſit. De quâ vide lib.* 44. *Tit.* 3. de Diverſ. temp. except. *Art.* 2°.

X C.

¶ *EXECUTOR* litis; *qui à Prætore, judicati exequendi causâ datur.*

EXEQUI crimen, *eſt accuſationem peragere.*

EXECUTIONEM publicam *habere crimina dicuntur, quæ publicè coerceri ſolent; quorum accuſatio omnibus patet.*

¶ *EXEMPLAR, eſt principalis ſcriptura:* l'Original. EXEMPLUM, la Copie.

EXERCITOR, INSTITOR. Lib. 14. *Tit.* 1. & 3.

INSTITOR eſt, qui tabernæ loco-ve ad emendum vendendum-ve præponitur (*a*); qui-que; ſine loco (*b*) ad eumdem actum præponitur. *l.* 18. *ff. de Inſtit. act.*

INSTITOR appellatus eſt, ex eo quòd negotio gerendo inſtet. *l.* 3. *ff. d. tit.*

EXERCITOREM autem eum dicimus, ad quem obventiones & reditus omnes (*c*) perveniunt: ſive is dominus (*d*) ſit, ſive à domino (*e*) per averſionem conduxit vel ad tempus vel in perpetuum. *l.* 1. § 15. *ff. de Exercit. act.*

EXERCITORIA *actio ea dicitur, quæ in exercitorem navis datur ex contractu Magiſtri quem navi præpoſuit* (de ſon Facteur).

EXERCITUS, in communi loquendi uſu.

EXERCITUM, non unam cohortem neque unam alam dicimus, ſed numeros multos militum. Nam EXERCITUI præeſſe dicimus, eum qui legionem vel legiones cum ſuis auxiliis ab Imperatore commiſſas adminiſtrat. *l.* 2. § 1. *ff. de His qui not. infam.* ULP. LIB. 6. AD ED.

Specialiter autem in miſſione à militiâ; Etiam eum qui ab aliquo numero militum miſſus eſt, quaſi ab EXERCITU miſſum ſic accipimus. *d.* § 1.

EXRCITUS autem, nomen ab Exercitatione traxit. *l.* 1. § 1. *ff. de Teſtam. mil.*

Unde Vegetius II. 1. « EXERCITUS *ex re ipsâ atque opere* » *Exercitii, nomen accepit; ut ei nunquam liceret obliviſci* » *quod vocabatur.* »

¶ *EXHEREDARE, eſt aliquem excludere ab hereditate:* NOMINATIM *; id eſt, ſuo nomine vel certâ aliâ demonſtratione deſignatum :* INTER CÆTEROS, *quum abſque nomine ita ſcribitur,* CÆTERI (*liberi mei*) exheredes ſunto.

Vide lib. 28. *Tit.* 2. *Art.* 3.

EXHIBERE vario ſenſu ſumitur.

Propriè autem, EXHIBERE eſt extra ſecretum habere. *l.* 3. § 8. *ff. de Hom. lib. exhib.*

Hinc in Interdictis DE *homine libero exhibendo,* DE *liberis exhibendis* [*lib.* 43. *Tit.* 29. & 30.] EXHIBERE eſt in publicum producere, & videndi tangendique hominis facultatem præbere. *d.* § 8.

Item in eâ actione quæ AD EXHIBENDUM *dicitur;* EXHIBERE eſt facere in publico poteſtatem, ut ei qui agat experiundi ſit copia. *l.* 2. *ff. Ad exhib.*

Eſt autem AD EXHIBENDUM *actio, quæ datur ut res de quâ quis litigaturus eſt ipſi exhibeatur. De quâ eſt Titulus* ad Exhibend. *lib.* 10.

Porrò EXHIBERE *quid diſtet à Verbo* RESTITUERE, *vide infrà* Reſtituere.

Alio ſenſu; EXHIBERE *familiam, uxorem, liberos, libertos; eſt alimenta eis præſtare.*

X C I.

EXILIUM [*rectiùs* EXSILIUM, *quaſi* Extra ſolum] *etſi propriè & ſtrictè accipiatur pro eâ proſcriptione quæ bona & civitatem adimebat* [*unde Ovidius in Faſt.* Relegatus, non EXSUL dicor]; *tamen frequentiſſimè apud Noſtros, pro pœnâ relegationis quæ ſalvis bonis ac civitate contingit, ſumitur.*

Strictæ Exilii ſignificationi, conſonat hæc Iſidori definitio. Origin. *V.* 27. EXUL dicitur, qui extra ſolum eſt; *ſcilicet, quaſi è ſolo Romano exturbatus.*

EXISTIMATIO eſt dignitatis illæſæ ſtatus, legibus ac moribus comprobatus; qui ex delicto noſtro, auctoritate legum, aut minuitur, aut conſumitur. *l.* 5. § 1. *ff. de Extraordin. cognit.*

Minuitur Exiſtimatio: quotiens manente libertate, circa ſtatum dignitatis pœnâ plectimur: [*ea nempè quæ infamiam irrogat*). *d. l.* 5. § 12.

Conſumitur verò: quotiens magna capitis minutio intervenit; id eſt, quum libertas adimitur. *d. l.* 5. § 3.

EXISTIMATIO *plerùmque apud Noſtros ſumitur pro famâ; & opponitur* Infamiæ.

*EX LEGIBUS. *Vide infrà*, Lege.

X C II.

¶ *EXPERIRI eſt litigare; & tam ex parte rei quàm ex parte actoris dicitur.*

EXPERIUNDI POTESTATEM HABERE; *in præſcriptionibus certorum dierum utilium. Vide l.* 1. *ff.* de Diverſ. temp. præſcr. *lib.* 44. *Tit.* 3.

¶ *EXPROMISSOR dicitur, qui quod alter debet, creditori ſtipulanti animo novandi ipſe promittit. Undè* EXPROMITTERE, *pro, alienam obligationem in ſe transferre.*

¶ *EXTRANEUS variè accipitur, pro ſubjectis materiis.*

Extraneus CREDITOR *ſervi, eſt quilibet præter ejus dominum.*

EXTRANEUS *in materia dotis dicitur; quum quilibet præter parentem virilis ſexûs, dotem pro muliere dedit.*

Extraneus HERES, *eſt quilibet qui in poteſtate defuncti non fuerit.*

¶ *EXTRAORDINARIÆ actiones, cognitiones, judicia; quæ citrà ſolemnem judiciorum ordinem exercentur. Hinc,* Extra ordinem *cognoſcere.*

EXTRAORDINARIA pœna *opponitur ei quæ Lege præſcripta eſt.*

Extraordinaria MUNERA, Tributa; *quæ nec certam nec ordinatam formam præſtationis habent.*

(*a*) A Domino.
(*b*) Nulli loco ſpeciali addictus.
(*c*) *Qui fait valoir pour ſon compte.*
(*d*) *Navis.* Ita in textu: quia pertinet ea lex ad Edictum de actione *Exercitoriâ* quæ ex contractu magiſtri datur in exercitorem navis. Verùm ad cauponas quoque & tabernas & ſtabula pertinet hæc definitio: ut patet ex Titulis ff. *Nautæ, caupon.* item *Furti adv. naut.* in quibus actio adversùs exercitorem datur ex delictis eorum quorum operâ utitur, in nave, cauponâ, vel ſtabulo.
(*e*) *Navem*, tabernam, &c.

Source : BIU Cujas

F

XCIII.

FABRILES OPERE. *Vide infrà*, Opere.

FACERE OPORTERE, & hanc significationem habet; ut abstineat quis ab eo facto quod contra conventionem fieret, & curaret ne fiat. *l.* 189. PAUL. LIB. 34. AD ED. (*a*).

FACIENDI verbo, Reddendi etiam causa (*b*) continetur. *l.* 175. POMPON. LIB. 22. AD SABIN.

Quinetiam, generali loquendi usu; Verbum FACERE, omnem omninò faciendi causam complectitur; dandi, solvendi, numerandi, judicandi, ambulandi. *l.* 218. PAPIN. LIB. 27. QUÆSTION.

FACERE POSSE *dicitur debitor, quatenùs deducto eo quod ipsi ad victum necesse est, supereſt ei undè solvere possit. Hinc exceptio, ut ne quis ultra id quod* Facere potest *exigatur; id est, ultra id quod ipsi supereſſet deducto eo* NE EGEAT.

XCIV.

¶ *FALCIDIA. Lex quæ jubet. Quartam hereditatis, seu portionis ex quâ quis heres scriptus est, ei à legatis & fideicommissis illibatam servari. Sumitur etiam pro ipsâ* QUARTA, *quæ ex hâc Lege debetur heredi. Hinc dicitur* Detrahi FALCIDIAM *ex legato; id est Quartam, seu id quod ad Quartam perficiendam heredi deest. Lib.* 35. *Tit.* 2.

FALCIDIA *sumitur quoque pro Quartâ* Trebellianicâ; *id est, eâ quam ex Senatusconsulto Pegasiano (quod à Justiniano in Trebellianum transfusum est) heres ex fideicommissis universalibus detrahit: eo quòd ad instar Falcidiæ sit. Vide lib.* 36. *Tit.* 1. ad SC. Trebell.

In FALCIDIAM *seu* IN QUARTAM imputari *dicitur, duplici sensu. Primò & frequentissimè, de his quæ heredi relicta, ad explendam Quartam ipsi debitam computantur. Altero sensu (ut in l.* 1. § 8. *ff.* ad Leg. Falc.) *de his quæ aliis relicta, detractioni Quartæ heredi debitæ obnoxia sunt.*

FALSUM sumitur 1°. *pro crimine* Falsi. *Lib.* 48. *Tit.* 10.

Hoc sensu; Quid sit FALSUM, quæritur? Et videtur id esse, si quis alienum chirographum imitetur, aut libellum vel rationes intercidat vel describat; non qui aliàs in computatione vel in ratione mentiuntur. *l.* 23. *ff. de Leg. Corn. de Falſ.*

2°. FALSUM, *pro Non verum: ut est* FALSUS tutor, *in Edicto* Quod *falso tutore auctore*, FALSUM testamentum, *&c.*

Paulus respondit; FALSUM tutorem eum verè dici, qui tutor non est: sive habenti tutor datus est, sive non (*c*). Sicut FALSUM testamentum, quod testamentum non est; & modius iniquus, qui modius non est. *l.* 221. PAUL. LIB. 10. RESPONS.

XCV.

FAMILIA: ubique passim.

FAMILIÆ appellatio qualiter accipiatur, videamus. Et quidem variè accepta est.

Nam [1°.] & in res & in personas deducitur.

In res; ut putà in Lege Duodecim Tabularum, his verbis: Adgnatus proximus FAMILIAM habeto. *l.* 195. § 1. ULP. LIB. 46. AD ED.

Item quum dicitur, FAMILIÆ ERCISCUNDÆ *actio; id est ab individuo tollendæ hereditatis.*

Utrobique enim, FAMILIA *pro hereditate & patrimonio sumitur.*

Ad personas autem refertur Familiæ significatio. Ita quum de patrono & liberto loquitur ex (*d*); EX EA FAMILIA, inquit, IN EAM FAMILIAM.

Et hìc de singularibus personis Legem loqui (*e*) constat. *d.* § 1.

At verò 2°. FAMILIÆ appellatio refertur & ad corporis (*f*) cujusdam significationem; quod aut jure proprio ipsorum, aut communi universæ cognationis continetur.

Jure proprio FAMILIAM dicimus, plures personas quæ sunt sub unius potestate aut naturâ aut jure subjectæ; ut putà patremFAMILIAS, matremFAMILIAS, filiumFAMILIAS, filiamFAMILIAS; qui-que deinceps vicem eorum sequuntur, ut putà nepotes, & neptes, & deinceps. Pater autem FAMILIAS appellatur, qui in domo dominium habet; rectèque hoc nomine appellatur, quamvis filium non habeat: non enim solam personam ejus, sed & jus demonstramus. Denique & pupillum, PATREMFAMILIAS appellamus. Et quum paterfamilias moritur; quotquot capita ei subjecta fuerint, singulas FAMILIAS incipiunt habere: singuli enim PATRUMFAMILIARUM nomen subeunt. Idemque eveniet & in eo qui emancipatus est: nam & hic sui juris effectus, propriam FAMILIAM habet. *d. l.* 195. § 2.

(*Hoc sensu dicitur*: Mulier autem, FAMILIÆ suæ & caput & finis est. *d. l.* 195. § *fin.*)

Communi Jure FAMILIAM dicimus, omnium adgnatorum. Nam etsi patrefamilias mortuo, singuli singulas familias habent; tamen omnes qui sub unius potestate fuerunt, rectè ejusdem FAMILIA appellabuntur, qui ex eâdem domo & gente proditi sunt. *d. l.* 195. *sup. d.* § 2.

Item appellatur FAMILIA plurium personarum, quæ ab ejusdem ultimi genitoris sanguine proficiscuntur: sicuti dicimus FAMILIAM JULIAM, quasi à fonte quodam memoriæ. *d. l.* 195. § 4.

Sive autem latiori sive arctiori sensu FAMILIAM *accipias*; FAMILIÆ appellatione & ipse princeps familiæ continetur. *l.* 196. GAIUS LIB. 16. AD. ED. PROVINC.

Item Fœminarum liberos in familiâ earum non esse, palàm est: quia QUI NASCUNTUR, PATRIS NON MATRISFAMILIAM SEQUUNTUR. *d. l.* 296. § 1.

3°. Servitutium (*g*) quoque solemus appellare FAMILIAS; ut in Edicto Prætoris ostendimus, sub Titulo DE FURTIS, ubi Prætor loquitur de FAMILIA Publicanorum. Sed ibi non omnes servi, sed corpus quoddam servorum demonstratur hujus rei causâ paratum, hoc est vectigalis causâ. Aliâ autem parte Edicti, omnes servi continentur; ut DE hominibus coactis & VI bonorum raptorum: item [in] Redhibitoriâ, si deterior res reddatur emptoris operâ aut FAMILIÆ ejus; & Interdicto UNDE VI, FAMILIÆ appellatio omnes servos comprehendit: sed & filii continentur. *sup. d. l.* 195. § 3.

Hâc igitur FAMILIÆ appellatione, liberi quoque continentur. *l.* 40. § 2. ULP. LIB. 56. *

Unicus servus, FAMILIÆ appellatione non

(*a*) In hoc libro Paulus agit de actione CONDUCTI; ut liquet ex inscriptione variarum legum ff. *Locati.* In formula ergo actionis CONDUCTI [inquit Paulus] verba hæc, *A o te* FACERE OPORTERE *Ut mihi frui liceat*, non solùm continent ut locator abstineat ab omni facto quo conductor *Frui* prohiberetur; ut ipse non faciat quominùs Conductor fruatur: sed etiam ut *Curet ne fiat* ab aliis, quominùs prohibeatur frui. Hoc porrò trahi potest ad plures alias formulas & stipulationes, in quibus hoc verbum FACERE usurpatur.

(*b*) Pertinet hæc lex ad formulas actionum *In personam.* Porrò in his etiam actionibus in quibus venit ut res REDDATUR, putà *Commodati, Depositi, &c.* rectè intenditur hâc generali formulâ, *Si paret* FACERE *oportere*: quia hoc FACIENDI verbo, etiam *Reddendi* causa continetur.

(*c*) Quasi diceret: *Falso* tutore auctore gestum videtur, quod cum eo gestum est qui tutor non erat. Nec refert, pupillus alium verum tutorem habuerit, an nullum.

(*d*) Scilicet XII. Tabularum, Tab. V. Cap. 3.

(*e*) Hoc enim sibi vult Lex, ut bona transeant *ex Familiâ* [id est, personâ] liberti; *in Familiam*, id est in personam patroni aut ejus liberorum.

(*f*) Id est, cœtûs personarum.

(*g*) Id est, Personarum alicui ministerio addictarum, seu servorum. *Abstractum* pro *Concreto.*

Source : BIU Cujas

continetur (*a*). Ne duo quidem, Familiam faciunt. *d. l.* 40. § 3.

FAMILIA *hoc ſenſu accepta, dividi ſolet in* Urbanam & Ruſticam.

URBANA familia & RUSTICA, non loco, ſed genere diſtinguitur. Poteſt enim aliquis diſpenſator, non eſſe ſervorum urbanorum numero: veluti is qui ruſticarum rerum rationes diſpenſet, ibique habitet, non multùm abeſt à Villico (*b*). Inſularius (*c*) autem, Urbanorum numero eſt. Videndum tamen eſt, ipſe dominus quorum loco quemque habuerit: quod ex numero familiæ & vicariis (*d*) apparebit. *l.* 166. POMPON. LIB. 6. AD SABIN. (*e*)

Is qui natus eſt ex mancipiis urbanis, & miſſus eſt in villam nutriendus; in URBANIS ſervis conſtituetur. *l.* 210. MARCIAN. LIB. 7. INSTITUT.

¶ *FAMOSÆ actiones;* Famoſum *judicium, crimen; ex quibus qui condemnatus eſt, fit infamis.*

FAMOSI LIBELLI, Libelles diffamatoires. *Lib.* 47. *Tit.* 10.

¶ *FAVIANA, ſeu* Fabiana ACTIO; *quâ patronus repetit quod libertus in fraudem portionis bonorum ipſi debita alienavit. Hæc competit petitâ à patrono contra tabulas liberti Bonorum poſſeſſione.*

Quòd ſi inteſtatus deceſſerit libertus, CALVISIANA *actio datur patrono hereditatem ejus adeunti.*

Vide lib. 38. *Tit. V.* Si quid in fraud. patr.

XCVI.

¶ *FERIÆ*, Feriati dies, *ſunt dies qui præſtant vacationem à forenſibus negotiis:* les jours qu'on ne Plaide pas.

FERIÆ repentinæ; *id eſt extraordinariæ, quæ propter res proſperè geſtas aut luctum publicum indicuntur. Vide Tit.* 12. de Feriis *lib.* 2°.

FERRE, Portare, Agere.

FERRI propriè dicimus, quæ quis ſuo corpore bajulat; PORTARI ea quæ quis jumento ſecum ducit; AGI, ea quæ animalia ſunt. *l.* 235. GAIUS LIB. 3. AD LEG. XI. TABUL. (*f*).

¶ *FERRUMINATIO dicitur, quum duæ materiæ ſine ullius alterius interpoſitione conjunguntur. In quo differt à* Plumbaturâ *vel Adplumbaturâ* (de la Soudure) *quâ materia aliqua plumbi ope alteri jungitur. lib.* 6. *tit.* 1. *N.* 6.

XCVII.

¶ *FICTIO* Legis, FICTIO Juris *dicitur: quum Lex ex juſtâ aliquâ causâ fingit aliquid eſſe aut fuiſſe, quod nec eſt nec fuit, ſed eſſe aut fuiſſe poſſet. Sic per* FICTIONEM Legis Corneliæ; *captivus qui apud hoſtes deceſſit, fingitur jam mortuus fuiſſe ultimo momento quo civis fuit: lib.* 49. *Tit. XV. Sect.* 3ª. *Sic in adoptionibus; is qui filius alicujus non eſt, fingitur ejus filius eſſe.*

* FIDES. *Vide ſuprà*, Bona fides.

¶ *FIDEJUSSOR*, Fidejubere. *Lib.* 46. *Tit.* 1.

FIDEJUBERE (*quaſi* Fide ſuâ jubere *aliquid eſſe*) *eſt ſtipulatione interpoſitâ promittere alicui quod ei ab alio debetur, animo accedendi obligationi debitoris principalis. Qui ita promittit,* FIDEJUSSOR *appellatur.*

¶ *FIDEICOMMISSUM, eſt quod precativis verbis relinquitur; ſive res certa, lib.* 30. *Part.* 1ª. *ſive hereditas, Lib.* 36. *Tit.* 1.

¶ *FIDUCIA eſt contractus, quo rem alicui* Mancipamus; *id eſt, hujus dominium in eum ſolemni Mancipationis ritu transferimus, eâ lege ut illam ipſe nobis remancipet. interveniebat in emancipationibus liberorum, Tit.* de Adopt. *N.* 39. *in teſtamentis, Tit.* Qui teſtam. fac. *N.* 21. *in pignoribus, lib.* 13. *Append. ad Tit.* de Pignerat. act.

Hoc pactum plerùmque dicitur; non Fiducia *ſimpliciter, ſed* CONTRACTA FIDUCIA.

FIDUCIARIUS heres *propriè, is cui teſtator ſuam hereditatem mancipavit eâ lege ut illam alteri perſonæ remanciparet. Sumitur autem pro herede qui hereditatem rogatus eſt alteri reſtituere.*

FIDUCIARIUS tutor *propriè dicitur; pater, impuberis filii ſui quem contractâ fiduciâ emancipavit, tutor. Sed & hujus patris filii, qui uſque ad ipſius mortem in familiâ ejus manſerunt; fratris ſui impuberis emancipati,* FIDUCIARII tutores *dicuntur. Lib.* 26. *Tit. IV. N.* 9.

XCVIII.

FILII, Filiæ, NEPOTES.

Aliter FILII, aliter NEPOTES (*g*) appellantur. *Inſtit. Tit.* de Teſtam. tut. § *fin.*

Sæpè tamen FILII appellatione, omnes liberos (*h*) intelligimus. *l.* 84. PAUL. LIB. 2. AD VITELL.

Sed & Papyrius-Fronto libro tertio Reſponſorum ait, Prædio cum villico & contubernali ejus & FILIIS legato, NEPOTES quoque ex filiis contineri; niſi voluntas teſtatoris aliter habeat. FILII enim appellatione ſæpè & nepotes accipi, multifariàm placere. *l.* 220. § 1. CALLISTRAT. LIB. 2. QUÆST.

Præter hæc omnia, natura nos quoque docet (parentes pios (*i*) qui liberorum procreandorum animo & voto uxores ducunt), FILIORUM appellatione, omnes qui ex nobis deſcendunt contineti. Nec enim dulciore nomine poſſumus nepotes noſtros, quàm FILII, appellare. Etenim idcircò filios filias-ve concipimus atque edimus; fit ex prole eorum earum-ve, diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus. *d. l.* 220. § 3.

A fortiori, POSTHUMI *quoque continentur. Quinimò* Nomen FILIARUM & in poſthumam eadere, quæſtionis non eſt (*k*): quamvis POSTHUMÆ non cadere in eam quæ jam in rebus humanis ſit, certum ſit. *l.* 164. ULP. LIB. 15. AD SABIN.

Vide & infrà, Liberi.

¶ *FINALIS quæſtio*, FINIUM REGUNDORUM *actio; id eſt, de regendis ſeu determinandis agrorum finibus inter vicinos. Gallicè*, Action de Bornage.

Vide lib. 10. *Tit. I. & Commentarium noſtrum ad XII. Tabulas*, Tab. VIII. *Cap.* 3.

¶ *FISCUS erat ærarium Principis; quod olim ab* Ærario *Populi Romani diverſum fuit.*

Hinc JUS FISCI; *id eſt jus quod obſervatur in cauſis & negotiis ad fiſcum pertinentibus. Lib.* 49. *XIV.*

¶ FISTULA, *canalis per quem aqua ducitur.*

XCIX.

FLUMEN, RIVUS, *Lacus*, FOSSA, *Stagnum: lib.* 43. *Tit. XII. & XIV.*

(*a*) Ita quidem in Edicto *Vi bonorum raptorum*; quâ parte Prætor dat actionem in dominum cujus *Familia* quid vi rapuit, damnum-ve dedit: de quo Edicto Ulpianum egiſſe in h. l. 40. § 3. apparet ex inſcriptionibus legum 2 & 4. ff. *Vi bon. rapt.* At verò in aliis quibuſdam Juris partibus, etſi propria *Familiæ* appellatio cœtum aliquem & quaſi collegium deſignet, unicus tamen ſervus continetur: putà in Interdicto *Unde vi*, in *Redhibitoriâ*, & aliis ſimilibus; in quibus Prætor non ad numerum reſpicit, ſed id tantùm an aliquis ex *Familiâ* fecerit.

(*b*) *Villicus* eſt qui univerſo operi ruſtico præpoſitus eſt. Ab eo non multum differt *Diſpenſator rationum ruſticarum*: ei. tamen *Diſpenſator* ſupra *Villicum.*

(*c*) *Le Concierge.*

(*d*) Nullus horum verſorum ſenſus. Qui enim *ex Vicariis* dignoſcetur an ſervus ſit Urbanorum numero; cùm tam urbanis quàm ruſticis commune ſit ut poſſint habere vicarios? Rectè igitur cenſet Cujacius legendum *ex Cibariis*: alia enim cibaria ruſticæ, alia urbanæ familiæ aſſignari ſolebant. Hinc Horatius ad villicum ſuum *Epiſt.* lib. I. Ep. 14.

Rodere cum ſervis URBANA DIARIA *mavis;*
Horum tu in numerum voto ruis.

(*e*) Hæc lex & ſequens referuntur ad interpretationem legati, quo quis *Urbanam* ſuam aut *Ruſticam* familiam legaſſet. Pomponius ſiquidem & Marcianus in libris undè leges illæ deſumptæ ſunt, de *Legatis* egiſſe apparet ex Labitti Indice.

(*f*) Cenſet Goeddeus Gaium hoc ſcripſiſſe ad illud Legis XII. Tabularum Caput quod eſt de *Tigno furtivo*; Tab. VI. Legiſque indè eam eſſe ſententiam, ut *Furtum* & *Furtivum* non ad ea ſola concludatur quæ corpore ſuo quis auferret, etſi *Furtum* propriè à *Ferendo* dictum ſit. Verùm prohibitionem Legis ea quoque complecti quæ *Portantur*, id eſt quæ ablata quis jumento ſecum ducit; imò & quæ *Aguntur*, putà ſi animalia furandi causâ *Agat* ſeu *Abigat*: hæc omnia æquè *Furtiva* ſunt. Et hæc interpretatio comprobatur ex §§*is.* hujus legis, in quibus definitur quid ſit TIGNUM; infrà ſuo loco.

(*g*) Hinc putà, tutor datus *Filiis* non cenſetur datus *Nepotibus.*

(*h*) Scilicet quum aliqua ratio favoris & humanitatis hoc expoſtulat: ut in exemplo ſequenti, ne tam conjuncta mancipia ſeparentur.

(*i*) *Nos*, Inquam, *parentes pios*; quicumque *liberorum*, &c.

(*k*) Pone exemplum in teſtamento, quo pater FILIABUS tutorem dedit,

Source : BIU Cujas

FLUMEN à Rivo, magnitudine discernendum est, aut existimatione circumcolentium. *l.* 1. § 1. *ff. de Fluminib.*

Fluminum quædam sunt perennia, quædam torrentia. PERENNE EST, quod semper fluat... TORRENS, hieme fluens. *d. l.* 1. § 2.

LACUS est, quod perpetuam habet aquam. *l.* 1. § 3. *ff. Ut in flum. publ.*

STAGNUM est, quod temporalem contineat aquam ibidem stagnantem; quæ quidem aqua plerùmque hieme cogitur. *d. l.* 1. § 4.

FOSSA est receptaculum aquæ, manu facta. *d. l.* 1. § 5.

Alio sensu FLUMEN *accipitur pro aquâ quæ ex tecto* FLUMINIS *instar cadit, per canalem in quem ex omni tecti parte aqua confluit. Hinc servitus* FLUMINIS AVERTENDI, *quâ vicinus flumen ex tecto vicini in suam aream cadere pati tenetur. De quâ vide lib.* 8. *Tit.* de Serv. urb. præd. *N.* 10. *&* 12.

¶ *FORMULA pro actione sumitur* (*ut in quarumdam legum inscriptionibus*, AD FORMULAM hypothecariam, *id est actionem hypothecariam*); *scilicet quia olim actiones certis verborum formulis conceptæ essent.*

C.

FRAUS, CAPITALIS *fraus*, MULCTA, PŒNA; *in judiciis criminalibus.*

CAPITALEM FRAUDEM admittere, est tale quid delinquere propter quod capite puniendus sit. Veteres enim FRAUDEM pro pœnâ (*a*) ponere solebant. *l.* 23. § 2. *ff. de Ædil. Ed.*

FRAUS *apud medii ævi Jurisconsultos, non jam pœnam ipsam, sed delictum quod pœnam meretur, significat; ut in Ædilitio Edicto, mox suprà.*

Hinc Ulpianus, Fraudem simul & Multam à Pœna separans, ait; Aliud FRAUS est, aliud PŒNA: fraus enim sine pœnâ esse potest (*b*) pœna sine fraude esse non potest. PŒNA, est noxæ vindicta: FRAUS & ipsa noxa dicitur, & quasi pœnæ quædam præparatio. *l.* 131. ULP. LIB. 2. AD LEG. JUL. ET PAP.

Inter MULTAM autem & PŒNAM multùm interest; cùm PŒNA generale sit nomen, omnium delictorum coercitio; MULTA specialis peccati, cujus animadversio hodiè (*c*) pecuniaria est. PŒNA autem non tantùm pecuniaria, verùm capitis & existimationis irrogari solet.

Et (*d*) MULTA quidem ex arbitrio ejus venit qui Multam dicit; PŒNA non irrogatur, nisi quæ quâque Lege vel quo alio Jure specialiter huic delicto imposita (*e*) est. Quinimò MULTA ibidicitur, ubi specialis PŒNA non est imposita.

Item MULTAM is dicere potest, cui (*f*) judicatio data est. Magistratus solos & Præsides provinciarum posse MULTAM dicere, Mandatis permissum (*g*) est; PŒNAM autem unusquisque irrogare potest, cui hujus criminis sive delicti exsecutio (*h*) competit. *d. l.* 131. § 1.

Hinc rectè Paulus arguit Labeonem qui dixerat; Si qua pœna est, MULTA est; si qua Mulcta est, PŒNA est. Paulus: Utrumque eorum falsum est. Namque harum rerum dissimilitudo ex hoc quoque apparet, quòd de Pœnâ provocatio non est (*i*): simul atque enim victus quis est, ejus maleficii cujus pœna est statuta; statim ea debetur. At multæ provocatio est; nec ante debetur, quàm aut non est provocatum aut provocator victus est, nec aliter quàm si is dicit, cui dicere licet. Ex hoc quoque earum rerum dissimilitudo apparere poterit; quia PŒNÆ certæ singulorum peccatorum sunt, MULTÆ contrà: quia ejus judicis potestas est, quantam dicat; nisi quum Lege est constitutum, quantam dicat. *l.* 194. LABEO LIB. 4 PITHANON A PAULO EPITOMAT.

¶ *FRIBUSCULUM; leve jurgium inter conjuges* (*l.* 32. § 12. *ff.* de Donat. inter vir. & ux.) *quum nempè separantur ad tempus, non animo dissolvendi matrimonii: in quo differt à Divortio.*

C I.

FRUCTUS, Fruges, Frumentum &c. passim.

FRUCTUS *propriè est, quidquid ex re seu fundo nascitur & renasci solet.*

Fructus PERCEPTI *dicuntur, quum à solo separati sunt; aliàs dicuntur* PENDENTES, *seu terræ inhærentes à radicibus.*

Ad varias autem in hoc duplici statu fructuum species, pertinent hæc vocabula; FRUGES, FRUMENTUM, GLANS, POMUM, STIPULA.

Et quidem propriâ FRUGUM *appellatione, continentur frumenta solùm & legumina.* Paul. Sent. *lib.* 3. *Tit.* 6. § 78.

Latiori autem significatione, FRUGEM pro reditu appellari (*k*); non solùm quod frumentis aut leguminibus, verùm & quod ex vino, sylvis cæduis, creti-fodinis, lapidicinis, capitur; Julianus scribit. Fruges omnes esse quibus homo vescatur, falsum esse; non enim carnem aut aves feras-ve, aut poma, FRUGES dici.

FRUMENTUM autem id esse quod aristâ se teneat, rectè Gallum definisse. Lupinum verò & fabam, FRUGES potiùs dici; quia non aristâ, sed siliquâ continentur: quæ Servius ad Alfenum in Frumento contineri putat. *l.* 77. PAUL. LIB. 49. AD ED.

At verò GLANDIS appellatione omnis fructus continetur, ut Javolenus ait: exemplo Græci sermonis; apud quos, omnes fructuum (*Malè vulgò* arborum) species Ἄκρα [id est, *extremitates arborum*] appellantur. *l.* 236. § 1. GAIUS LIB. 4. AD LEG. XII. TAB. (*l*).

POMI *appellatione veniunt ii tantùm, sed cujuslibet generis arborum fructus, quos comedendi causâ habemus. Ita enim de significatione hujus vocabuli* POMUM, *Alfenus respondit:* Qui fundum vendidit, POMUM recepit. Nuces & ficos (*m*); & uvas duntaxat duracinas & purpureas, & quæ ejus generis essent quas non vini causâ haberemus (quas Græci τροζιμοτ'ς, i. e. *Comestibiles* appellant), recepta videri. *l.* 205. PAUL. LIB. 4. EPITOM. ALFENI.

Generaliter autem in Edictis circa fructuum restitutionem, suprà dicti omnes FRUCTUS intelliguntur deductis impensis; quæ quærendorum, cogendorum, conservandorumque eorum gratiâ fiunt. *l.* 36. § 5. *ff. de Hered. pet.*

Interest etiam in fructibus, an ab aliquo percepti sint, an sponte deciderint. Et huc pertinent voces illæ STIPULA ILLECTA, GLANS CADUCA.

(*a*) Ut passim in Legibus XII. Tab. SE FRAUDE *esto*; id est, sine pœnâ.

(*b*) Quod contingit, vel quia tale delictum est de quo nullam pœnam Lex statuit [ut illud de quo in l. 14. § 14. ff. *de Religios.*] vel quia nocens pœnam evasit.

(*c*) Olim in pecoribus consistebat. *Mulctæ* enim dicebantur, tot boum, tot ovium. Vide eâ de re lib. 38. Tit. *de Pœnis* N. 32 & ibi Notas.

(*d*) Secundum discrimen inter *Mulctam* & *Pœnam.*

(*e*) Criminibus ordinariis, quæ publicis judiciis vindicabantur, certæ à Lege statutæ erant pœnæ; nec arbitrio judicantium relinquebantur. Vide Tit. *de Publ. Jud.* lib. 48. tit. 1.

(*f*) Tertium discrimen. Id est, Magistratus cui publicè judicium est; qui publicè jurisdictionem suam exercet

(*g*) Olim soli Consules jus *Mulctæ* dicendæ habebant. Lege Aterià, omnibus Magistratibus Populi Romani idem jus datum: ut refert Dionysius-Halicarn. lib. 10. Neque solùm Præsidibus provinciarium, sed & Magistratibus municipalibus, nimirùm Duumviris, id competiisse; argumento est quod Defensoribus civitatum adimatur in l. 5. Cod. *de Defens. Civit.* Item Procurator Cæsaris hoc jus non habet.

(*h*) *Criminis exsecutio* est merum imperium, quod dabatur etiam privato; quem nempè Populus huic negotio præficiebat: lib. 48. Tit. *de Accusat.* N. 17.

(*i*) Nam qui à pœnâ provocaret, videretur à Lege provocare; cùm sit Lege constituta. Hinc confessis provocare non licet.

(*k*) Putà in Edicto de *Aquæ pluviæ arcendæ* actione, cui dicitur locum non dare ea opera quæ fiunt FRUGUM fructuumque percipiendorum causâ: *Fruges* accipiuntur pro omni cujusvis generis reditu. Hanc legem ad Edictum illud pertinere colligitur ex similitudine inscriptionis cum pluribus Tituli *de Aq. & aq. pl.* legibus.

(*l*) Quod Lex XII. Tab. sanxerat de *Glande*, Prætor in Edictum suum transtulit; datque Interdictum *de Glande legendâ*, ad quod hæc lex referenda est.

(*m*) Id est, etiam *nuces*, & *fiscus*, & *uvas comestibiles*; de quibus nempè omnibus, major dubitatio esse poterat.

Source : BIU Cujas

STIPULA ILLECTA est, spicæ in messe dejectæ, necdum lectæ; quas rustici, quum vacaverint, colligunt. *l.* 30. § 1. GAIUS LIB. 7. AD ED. PROVINC.

GLANS CADUCA est, quæ ex arbore cecidit. *d. l.* 30. § 4. (*a*).

Observandum superest quòd, cùm Fructus propriè dicti ex re ipsâ nascantur; rectè Minicius Venationem, Fructus fundi negavit esse: nisi fructus fundi ex venatione constet. *l.* 26. *ff. de Usur. & fruct.*

A fortiori, strictè & propriè loquendo Usura pecuniæ quam percipimus, in FRUCTU non est; quia non ex ipso corpore, sed ex aliâ causâ est, id est novâ (*b*) obligatione. *l.* 121. POMPON. LIB. 6. AD Q. MUCIUM.

Civiliter tamen, hæc quoque FRUCTIBUS *annumeratur: quia abusivè fructus sumitur pro omni utilitate quæ ex re quâlibet provenit. Quo sensu, etiam mercedes ex locatione navis, &* Prædiorum urbanorum pensiones, pro FRUCTIBUS accipiuntur. *l.* 36. *ff. de Usur. & fruct.*

* Fructus *pro* Ususfructus, & FRUI pro Uti-frui. *Vide infrà*, Ususfructus.

C II.

FUGITIVUS, ERRO, FUR; *in vitiis mancipiorum: putà quum dicitur*, FUGITIVUM NON ESSE *&c. Lib.* 21. *Tit. I. Sect.* 2. *Art.* 2. *&* 3.

Cœlius FUGITIVUM esse ait eum qui eâ mente discedat ne ad dominum redeat, tametsi mutato consilio revertatur. *l.* 17. § 1. *ff. de Ædil. Ed.*

Propriè ERRONEM sic definimus, qui non quidem fugit, sed frequenter sine causâ vagatur. *d. l.* 17. § 14.

FUGITIVUS est, non is qui solùm consilium fugiendi à domino suscepit, licèt id se facturum jactaverit; sed qui ipso facto fugæ initium mente deduxerit. Nam & furem, adulterum, aleatorem, quanquàm aliquâ significatione ex animi propositione cujusque sola quis dicere posset; ut etiam is qui nunquam alienam rem invito domino subtraxerit, nunquam alienam matremfamilias corruperit, si modò ejus mentis sit ut occasione datâ id commissurus sit: tamen oportere eadem hæc crimina assumpto actu intelligi. Et ideò FUGITIVUM quoque & ERRONEM, non secundùm propositionem solam, sed cum aliquo actu intelligi constat. *l.* 225. TRYPHONIN. LIB. 1. DISPUTAT.

Stipulationi FUREM NON ESSE, *affinis est illa* FURTIS NOXAQUE SOLUTUM *esse. Cæterùm* Aliud est promittere FUREM NON ESSE, aliud FURTO NOXAQUE SOLUTUM. Qui enim dicit furem non esse; de hominis proposito loquitur (*c*): qui Furtis noxâque solutum, nemini esse Furti obligatum promittit. *l.* 174. ULPIAN. LIB. 42. AD SABIN.

Nota porrò. Hæc stipulatio NOXIS SOLUTUM PRÆSTARI, non existimatur ad eas noxas pertinere quæ publicam exercitionem & coërcitionem capitalem (*d*) habent. *l.* 200. JULIAN. LIB. 2. DIGEST.

C III.

FUNDUS, *Ager*, *Possessio*, *Prædium*, *Locus.*

Quæstio, est FUNDUS à Possessione, vel Agro, vel Prædio quid distet.

FUNDUS est, omne quidquid solo tenetur.

AGER est, si species fundi ad usum hominis comparatur (*e*).

POSSESSIO ab agro, juris proprietate distat. Quid-quid enim apprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec potest pertinere (*f*); hoc POSSESSIONEM appellamus. POSSESSIO ergo usûs, AGER proprietas loci est.

PRÆDIUM, utriusque suprà scriptæ generale nomen est: nam & AGER & POSSESSIO, hujus appellationis species sunt. *l.* 115. JAVOLEN. LIB. 4. EPIST.

Tamen Interdum proprietatem quoque verbum POSSESSIONIS significat; sicut in eo, qui POSSESSIONES SUAS legasset, responsum est. *l.* 78. PAUL. LIB. 3. AD PLAUT.

De significatione horum verborum FUNDUS & AGER, *ita etiam Florentinus.*

FUNDI appellatione omne ædificium & omnis ager continetur. Sed in usu; urbana ædificia, ÆDES; rustica, VILLÆ dicuntur. Locus verò sine ædificio in Urbe, AREA; rure autem, AGER appellatur. Idemque ager cum ædificio, FUNDUS dicitur. *l.* 211. FLORENT. LIB. 8. INSTIT.

Consonat Ulpianus. AGER est locus qui sine villâ est. *l.* 27. ULP. LIB. 17. AD ED.

Differt fundus à Loco. Nam LOCUS (*g*) est, non fundus, sed portio aliqua fundi: FUNDUS autem integrum aliquid est; & plerùmque sine villâ LOCUM accidimus. Cæterùm adeò opinio nostra & constitutio (*h*) LOCUM à FUNDO separat; ut & modicus locus possit FUNDUS dici, si fundi animo eum habuimus: non enim magnitudo LOCUM à Fundo separat, sed nostra affectio; & quælibet portio fundi, poterit FUNDUS dici, si jam hoc constituerimus. Necnon & fundus, LOCUS constitui potest: nam, si eum alii adjunxerimus fundo, LOCUS fundi efficietur. *l.* 60. ULP. LIB. 69. AD ED.

LOCI appellationem non solùm ad rustica, verùm ad urbana quoque prædia pertinere, Labeo scribit. *d. l.* 60. § 1.

Sed FUNDUS quidem suos habet fines: LOCUS verò latere potest, quatenùs determinetur & definiatur. *d. l.* 60. § 2.

* *Fundi* INSTRUMENTUM, *fundus* INSTRUCTUS, Ea quæ in fundo sunt. *Vide infrà*, Instrumentum.

¶ *FUNERARIA actio; quæ datur ad sumptus quos quis in funus defuncti erogavit repetendos, ab heredibus aliis-ve ad quos ea res pertinet. Lib. XI. Tit.* de Relig. & sumpt. fun. *Part.* 2ª. *Sect.* 2.

¶ *FUNGIBILES res dicuntur, quæ* In genere suo functionem recipiunt (*l.* 2. § 1. *ff.* de Reb. cred.) *id est; quæ tales sunt ut una ejusdem generis, alterius vice fungatur, & videatur idem esse: qualia sunt, vinum, oleum, & cætera quæ usu consumuntur.*

C IV.

¶ *FURIOSUS passim accipitur pro quolibet qui mentis non est compos,* un Fou; *pariterque* FUROR *pro insania,* Folie.

FURTUM, Actio FURTI, *&c. Lib.* 47. *Tit. II.*

FURTUM à furvo, id est nigro, dictum Labeo ait; quòd clàm & obscuro fiat, & plerùmque nocte: vel à fraude, ut Sabinus ait; vel à ferendo & auferendo; vel à Græco sermone, qui ΦΩΡΑΣ appellant fures; imò & Græci ΑΠΟ ΤΟΥ ΦΕΡΕΙΝ [*id est, à ferendo*] ΦΩΡΑΣ dixerunt. *l.* 1. *ff. de Furtis.*

FURTUM est contrectatio rei fraudulosa; lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam usûs ejus

(*a*) Pertinet id ad tractationem de usufructu. *Glans caduca*, est bonæ fidei possessoris: at nondum fructuarii est, priusquàm lecta sit ejus nomine; quia fructus ad fructuarium non pertinent, nisi quum ejus nomine percepti sunt. Contrà *Stipula illecta*, fructuarii est; quia sufficit ejus nomine fuisse à solo separatam.

(*b*) Vide Notam ad h. l. lib. 22. Tit. *de Usur.* N. 1.

(*c*) Adeòque tenetur venditor qui hoc promisit, ex eo solo quòd servus *Fur* sit: quamvis ex causâ furti, nulli sit obligatus ille servus; putà, quia domino soli furtum fecit; aut, si extraneis quid subripuit, eo nomine satisfactum est.

(*d*) Sed ex alio Edicti Capite tenetur venditor ex hâc causâ. Tit. *de Ædil. Ed.* N. 1.

(*e*) In quo minùs patet *Fundo*, cujus appellatio etiam ad loca defecta & jejuna refertur [*Les terres vaines & vagues*].

(*f*) Qualia erant vectigalia prædia; quorum proprietas quæ apud Populum erat, ad privatos pertinere non poterat.

(*g*) Ex similitudine inscriptionis legum 1 & 3. ff. *de Vi & vi arm.* colligitur hanc legem pertinere ad Interdictum UNDE VI; quo redintegratur possessio, vel *Fundi*, vel duntaxat *Loci* si non ex toto fundo sed ex certo fundi loco quis dejectus est.

(*h*) Id est, *Constitutus* à nobis [à privato quolibet in re suâ] usus loquendi.

Source : BIU Cujas

possessionis-ve: quod lege naturali prohibitum est admittere. *d. l.* 1. § 3.

FURTUM *sumitur etiam pro ipsa re quæ surrepta est: ut in l.* 3. *mox infrà, & alibi.*

Fur MANIFESTUS (*unde* FURTUM MANIFESTUM), *qui deprehenditur cum* FURTO; *antequàm pertulerit quò destinaverit eo die cum furto manere. l.* 3. *pr. &* § 2. *& l.* 4. *ff.* d. tit. NEC MANIFESTUS, *contrà.*

FURTI actio *propriè & in frequentiori usu, ea est quæ ad pœnam quadrupli aut dupli, prout furtum manifestum fuit aut non manifestum, competit.*

Interdum ACTIO FURTI *significat* Condictionem furtivam.

OPE-CONSILIO *alicujus, furtum fieri. Vide suprà N.* 2.

G

CV.

GEMMA, *lapillus, margarita.*

GEMMÆ sunt pellucidæ materiæ, veluti smaragdi, chrysolyti, amethysti: LAPILLI autem, contrariæ superioribus naturæ. *l.* 19. § 17. *ff. de Aur. arg. leg.*

MARGARITAS autem, nec gemmis nec lapillis contineri... Sabinus ait. *d. l.* 19. § 18.

* GENER. *Vide infrà*, Socer.

¶ *GENTILES sunt adgnati remotiores, ejusdem nominis & gentis seu stirpis, sed diversarum familiarum.*

* GESTUM. *Vide suprà*, Actum.

GLANS. *Vide*, Fructus.

GLOS. *Vide infrà*, Levir.

GRADUS cognationis. Hos latè descriptos vide lib. 38. *Tit. X.*

GRADUS dicti sunt à similitudine scalarum, locorumve proclivium; quos ita ingredimur ut à proximo in proximum, id est in eum qui quasi ex eo nascitur, transeamus. *l.* 10. § 10. *ff. de Grad. & adfin.*

¶ *GRATIA sæpè sumitur pro eo quod nos dicimus* Crédit, faveur. *Per gratiam judicare*, Juger par faveur.

H

CVI.

HABERE, Pervenire; *in variis stipulationibus.*

HABERE, duobus modis dicitur: altero, jure dominii; altero, obtinere sine interpellatione id quod quis emerit. *l.* 188. PAUL. LIB. 33. AD ED.

Utroque sensu accipitur, in stipulatione quæ inter venditorem & emptorem interponitur REM HABERE LICERE. *Nam quod ad hanc stipulationem attinet;* HABERE LICERE videbitur, si nemo controversiam faciat. *l.* 38. § 2. *ff. de Verb. oblig.*

Contrà; HABERE non licet, ei cui (*a*) aliquid minuitur ex jure quod habuit. *d. l.* 38. § 3.

HABERE, sicut PERVENIRE, cum effectu accipiendum (*b*) est. *l.* 164. § 1. ULP. LIB. 15. AD SAB.

Igitur VENISSE ad heredem nihil intelligitur, nisi deducto ære alieno. *l.* 165. POMPON. LIB. 5. AD SABIN.

Cæterùm Id apud se quis HABERE videtur, de quo habet actionem. Habetur enim, quod peti potest. *l.* 43. ULP. LIB. 9. AD. LEG. JUL. ET PAP. (*c*)

Item PERVENISSE (*d*) ad te rectè dicetur, quod per te ad alium pervenerit; ut in hereditate à liberto per patronum filiumfamilias patri ejus adoptivo adquisitâ, responsum est. *l.* 171. POMPON. LIB. 16. AD SABIN.

HABITARE, HABITATOR; *ut in Edicto* DE *his qui effuderunt; & alibi* HABITARE dicimus, vel in suo, vel in conducto, vel gratuitò. *l.* 1. § 9. *ff. de His qui effud.*

Scilicet, si quis ibi domicilium habeat. Et in eo HABITARE & HABITATOR, *differunt ab* HOSPITARI & HOSPES.

CVII.

HEREDITAS, Damnosa, &c. DELATA, Jacens *&c. hereditatem* CERNERE, REPUDIARE, *&c.*

Nihil est aliud HEREDITAS, quàm successio in universum jus quod defunctus (*e*) habuit. *l.* 24. GAIUS LIB. 6. AD ED. PROV.

DAMNOSA *dicitur, quæ exhausta est ære alieno; & opponitur* LUCROSÆ.

Porrò HEREDITATIS appellatio sine dubio continet etiam damnosam hereditatem (*f*). Juris enim nomen est, sicuti Bonorum possessio. *l.* 119. POMPON. LIB. 3. AD Q. MUCIUM.

Quinimò latiori HEREDITATIS appellatione, Bonorum quoque possessio continetur (*g*). *l.* 138. PAUL. LIB. 4. AD LEG. JUL. ET PAP.

DELATA hereditas intelligitur, quam quis possit adeundo consequi (*h*). *l.* 151. TERENTIUS-CLEMENS. LIB. 5. AD LEG. JUL. ET PAP.

JACENS *dicitur, defuncti hereditas quæ à nemine nondum adita est.*

ADIRE *hereditatem; generalis locutio, quæ significat hereditatem quoquo modo adquirere.*

CRETIO *est aditio solemnibus verbis prolatis facta. Indè* HEREDITATEM CERNERE, est verba Cretionis dicere ad hunc modum: Cùm me Mævius heredem instituerit, eam hereditatem adeo cernoque. ULP. FRAGM. *Tit.* 22. § 1.

PRO HERede GERERE; *est facto aliquo, quod citrà jus & nomen heredis quis non faceret, voluntatem adeundæ hereditatis declarare.*

IMMISCERE SE hereditati, *vel* Bonis, *verbum est proprium* Suis *heredibus; qui, cùm ipso Jure & inviti sint heredes, non possunt dici eam adire.*

ABSTINERE hereditate, *verbum etiam proprium est* Suis *heredibus, qui, cùm ipso Jure heredes sint, consequuntur ex Jure Prætorio ut abstinentes bonis hujus hereditatis, creditoribus hereditariis non teneantur. Et hoc vocatur* Beneficium ABSTINENDI.

RECUSARE, REPUDIARE *hereditatem.*

RECUSARE *latiùs patet; & omnem actum quo quis se nolle heredem esse significat, complectitur.*

REPUDIARE *autem propriè dicitur, qui id in Jure testatur.*

(*a*) Id est; non solùm si res ipsa evincatur, sed & si de usufructu aut alio jure ei controversia fiat.

(*b*) Pertinet hæc lex & sequens ad stipulationes quæ inter heredem & legatarium partis bonorum, aut fideicommissarium emptorem-ve hereditatis, interponuntur. In his, hæc verba *Quantam pecuniam ex hereditate* HABUERIS; *Quanta pecunia ad te* PERVENERIT, VENERIT, cum effectu accipiuntur; ut ex his stipulationibus heres non teneatur restituere, nisi ea quæ ita *Habuit*, quæ ita ad ipsum *Pervenerunt*, ut ea retinere potuerit; non si quæ necesse habuerit creditoribus solvere. Potest & ad alios casus hæc interpretatio aptari; ut quum dicitur in tantum quem gravari posse, in quantum ex judicio testatoris HABUERIT.

(*c*) Ex inscriptione colligere est, pertinere hoc ad stipulationem quâ ex Lege Papiâ uxor à viro qui dotales servos manumisit, stipulatur quidquid ex hâc causâ HABUERIT. Hoc porrò stipulationis verbo *Habuerit*, si quas actiones ex hâc causâ vir consecutus sit, putà si pactus sit pecuniam ut manumitteret & expromissorem accepit; contineri videtur.

(*d*) Eadem species ac in præcedenti. Vir dotalem servum manumisit, deindè se adrogandum dedit: & sic hujus manumissi hereditatem patri suo adoptivo quæsivit. Tenetur vir eo nomine uxori, ex stipulatione quâ promisit quicquid ex causâ patronatûs ad ipsum *Perveniret*; quamvis hanc hereditatem non sibi, sed patri adoptivo quæsierit.

(*e*) Exceptis videlicet his quæ morte ipsius interierunt, quia personæ cohærebant; ut Usufructus, &c.

(*f*) Fluit hoc ex definitione.

(*g*) Effectu enim non differt *Bonorum possessio* ab *Hereditate*. Hujus significationis exemplum in Lege Papiâ & Juliâ; quæ cœlibes quidquam ex *Hereditatibus* capere vetat, nisi intra annum Legi paruerint.

(*h*) Igitur quandiù jus testamenti, aut conditio sub quâ quis scriptus est, pendet; nondum est DELATA. Simili ratione; non est *Delata* ei qui ex substitutione aut ab intestato vocatur, quandiù pendet an ex institutione adibitur. Vide lib. 29. Tit. *de Adquir. hered.* Art. 3°.

Source : BIU Cujas

Hæc duo tamen confundi ſolent.

QUIDQUID EX HEREDITATE PERVENERIT (*in fideicommiſſis*) *ſignificat, Quidquid ad heredem, quoquo titulo etiam præceptionis aut fideicommiſſi jure pervenit : lib.* 36. *Tit.* ad SC. Trebell. *N.* 20. *& ſeqq. Et in hoc fideicommiſſum illud plenius eſt fideicommiſſo* Hereditatis, *& ejus* QUOD EX HEREDITATE SUPERERIT.

C V I I I.

HERES, Suus, Neceſſarius, Extraneus, &c.

1°. HEREDIS appellatione omnes (*a*) ſignificari ſucceſſores credendum eſt, etſi verbis (*b*) non ſint expreſſi. *l.* 170. ULP. LIB. 33. AD SABIN.

Enimverò Hi qui in univerſum jus ſuccedunt, heredis loco habentur. *l.* 128. § 1. *ff. de Reg. jur.* PAUL. LIB. 19. AD ED.

Et Qui per ſucceſſionem quamvis longiſſimam, defuncto heredes conſtiterunt ; non minùs HEREDES intelliguntur, quàm qui principaliter heredes exiſtunt (*c*). *l.* 194. (*Aliàs* 154.) *ff. de Reg. jur.* MODESTIN. LIB. 6. DIFFERENT.

Ampliùs : HEREDIS appellatio non ſolùm ad proximum heredem, ſed & ad ulteriores refertur. Nam & heredis heres, & deinceps, HEREDIS appellatione continetur. *l.* 65. ULP. LIB. 72. AD ED.

Enimverò Sciendum eſt, HEREDEM etiam per multas ſucceſſiones accipi. Nam paucis ſpeciebus, HEREDIS appellatio proximum continet : veluti in ſtipulatione impuberis ; QUISQUIS MIHI HERES ERIT, IDEM FILIO HERES ESTO ; ubi heredis heres non continetur, quia incertus eſt. *l.* 70. PAUL. LIB. 73. AD ED.

Et alibi. Item in ſubſtitutione ; his verbis, QUISQUIS MIHI HERES ERIT, proximus heres tantùm ſignificatur. Imò non tantùm proximus heres, ſed etiam ſcriptus (*d*). *l.* 227. § 1. IDEM LIB. 2. MANUAL.

Item in Lege Ælia-Sentiâ, filius HERES PROXIMUS poteſt libertum paternum ut ingratum accuſare ; non etiam, ſi heredi heres extiterit. Idem dicitur in operarum exactione ; ut filius HERES exigere poſſit, non ex ſucceſſione effectus. *ſup. d. l.* 70. § 1.

Pariter Ex illâ parte Edicti TUM QUEM EI HEREDEM ESSE OPORTET, heredis heredibus Bonorum poſſeſſio non defertur. *ſup. d. l.* 227. *pr.*

2°. Heredes aut NECESSARII dicuntur, aut SUI ET NECESSARII, aut EXTRANEI. *Inſtit. lib.* 2. *Tit.* 19. *pr.*

NECESSARIUS heres, eſt ſervus (*e*) Inſtitutus. Ideòque ſic appellatur ; quia, ſive velit ſive nolit, omninò poſt mortem teſtatoris protinùs liber & neceſſarius heres fit. *d. tit.* § 1.

SUI ET NECESSARII heredes ſunt ; veluti filius... & deinceps cæteri liberi, qui in poteſtate morientis fuerint (*f*).... SUI quidem heredes ideò appellantur, quia domeſtici heredes ſunt ; & vivo quoque patre, quodammodo domini exiſtimantur : NECESSARII verò ideò dicuntur, quia omninò ſive velint ſive nolint tam ab inteſtato quàm ex teſtamento.... heredes fiunt (*g*). *d. tit.* § 2.

Cæteri qui teſtatoris juri ſubjecti non ſunt, EXTRANEI heredes appellantur. *d. tit.* § 3.

* FIDUCIARIUS *heres. Vide infrà*, Fiducia.

HERUS ; undè HERES.

HERO, hoc eſt domino. *l.* 11. § 6. *ff. ad L. Aquil.*

C I X.

HIS REBUS RECTE PRÆSTARI ; frequens clauſula in variis ſtipulationibus : putà, quum in judicio rehibitorio emptor ſtipulatur à venditore, ſi quid emptor pro eo homine quem redhibet dederit alicui aut condemnatus fuerit ; Tit. de Ædil. Ed. *N.* 77. *Item poſſeſſor à petitore cui rem reſtituit, Tit.* de Rei vind. *N.* 31. *Item heres qui ſibi evinci hereditatem timet, à legatariis quibus ſolvit legata ; Tit.* Si cui pluſq. per L. Falcid. *N.* 18. *& aliàs.*

Hæc verba HIS REBUS RECTE PRÆSTARI hoc ſignificant, ne quid periculum vel damnum ex eâ re ſtipulator ſentiret. *l.* 71. § 1. ULP. LIB. 79. AD ED.

HODIE, in ſtipulationibus ; V. G. Decem HODIE dari ſpondes ? Diem non differendæ actionis inſertum videri, ſed quo præſens (*h*) oſtendatur. *l.* 118. § 1. *ff. de Verb. obtig.*

HONORARIUM vocatur, quod à Prætoris juriſdictione deſcendit. Hoc ſenſu dicimus Honorarium *Jus*, Honorarias *actiones*, Honorariam *pœnam*, Honorarios *ſucceſſores*, Honorarios *tutores.*

Alio ſenſu HONORARII TUTORES *dicuntur ; quum ſcilicet uni ex pluribus tutoribus adminiſtratio committitur ; cæteri qui ipſi non adminiſtrant, ſed geſtionem tutoris cui adminiſtratio credita eſt obſervare debent,* HONORARII *ſunt.*

HONORARIUM *ſumitur etiam pro mercede quæ datur Advocatis, Profeſſoribus liberalium artium, Menſoribus, & cæteris qui operam ſuam non locant, ſed beneficii loco præſtant. Scilicet ubi* Non crediderunt Veteres... locationem & conditionem eſſe, ſed magis operam beneficii loco præberi ; & id quod datur, ad remunerandum (*i*) dari..... indè (*placuit*) HONORARIUM appellari. *l.* 1. *ff. Si menſor falſ.*

¶ *HOSPES, qui ad tempus alicubi diverſatur.*

HOSTES, Hoſticum.

HOSTIUM *appellatio apud Antiquos ſignificabat omnes Peregrinos. Undè* HOSTICUM, HOSTICULUM, *eſt terra peregrina.*

Hodie verò HOSTES hi ſunt, qui nobis aut quibus nos publicè bellum decrevimus. Cæteri, latrones aut prædones (*k*) ſunt. *l.* 118. POMPON. LIB. 2. AD Q. MUCIUM.

Hi autem Quos nos HOSTES appellamus, eos Veteres PERDUELLES appellabant ; per eam adjectionem indicantes cum quibus bellum eſſet. *l.* 234. GAIUS LIB. 2. AD LEG. XII. TAB.

* HYPOTHECA. *Vide infrà*, Pignus.

I

C X.

ID EST. Verba hæc, præter notam ſignificationem, aliquando ponuntur pro, Putà, Verbi gratiâ : ut quum dicitur, Paciſcor... ne à perſonâ petam, ID EST, ne à Lucio-Titio petam. *l.* 7. §. 8. *ff. de Pactis.*

IGNORARE, in variis Edictis (putà, ut detur actio ei qui contraxit cum falſo tutore quem ignorabat) ; non ſumitur pro NESCIRE. *Sedenim* Ignoravit, etſi dictum ſit ei, & bonâ fide non crediderit. *l.* 2. *ff. Quod falſo tut.*

¶ *IMAGINARIA vocantur paſſim in Jure, quæ ſimulatò & dicis causâ fiunt ; ut* Imaginaria *emptio, quæ fit uno nummo* ; Imaginaria *ſolutio, quæ fit per acceptilationem ; &c.*

* IMMISSUM. *Vide infrà*, Projectum.

IMMO ; adverbium emendationis, per quod vitiantur

(*a*) Id eſt, tam heredes civili nomine dictos, quàm Prætorios ſucceſſores ; tam ulteriores quàm proximiores.

(*b*) *Verbis* Legis ſcilicet ; quæ quid cavet circa *Heredes*, nec exprimit *Et quoſvis ſucceſſores.* Cujacius putat hoc ſcriptum eſſe ad Orationem Antonini quæ vetat *Heredem* eripere conjugi quæ conjux ei donavit, ſi non mutatâ voluntate deceſſit. Et hoc probatur ex ſimilitudine inſcriptionis legis 32. ff. *De donat. int. vir. & ux.*

(*c*) Pone exemplum in eo quod dicitur *Heredem* ſuccedere in poſſeſſionis defuncti vitia : Tit. *de Uſucap.* N. 39. Hoc non de immediato ſolùm herede, ſed de heredis herede intelligendum eſt. Aliud exemplum afferri poteſt in ſtipulatione quâ quis *Sibi* HEREDI*que ſuo* ſtipulatur, aut de ſe *Hered*eque ſuo promittit. Alia item exempla fingi poſſunt. Habet tamen hæc regula exceptiones, ut modò infrà dicetur.

(*d*) Non ille cui per heredem ſcriptum quem in ſuâ poteſtate habebat, adquiſita eſt hereditas.

(*e*) Teſtatoris ; qui utroque tempore & teſtamenti & mortis, ſervus ejus fuit. Vide lib. 28. *Append. ad Tit. V & VI.* N. 4.

(*f*) Et primum in familiâ gradum obtinent : *ibid.* N. 13.

(*g*) Sed à Prætore impetrare poſſunt beneficium *Abſtinendi*, mox ſuprà.

(*h*) Ipſo ergo die peti poteſt.

(*i*) *Beneficium* illud, magis quàm ad pretium operæ.

(*k*) Vide lib. 49. Tit. *de Crptiv. & poſtl.*

Source : BIU Cujas

ea quæ præcedunt. Undè Africanus in hâc ſpecie, Stichus, IMÒ Pamphilus, liber eſto; Pamphilum (*a*) liberum futurum reſpondit. Quodammodo enim emendaſſe errorem ſuum teſtatorem. Idemque Juris fore, etiamſi ita ſcriptum fuerit; Stichus liber eſto, IMMÒ Pamphilus liber eſto. *l.* 21. *ff. de Manumiſſ. teſt.*

CXI.

IMPENSÆ, *Neceſſariæ*, *Utiles*, *Voluptariæ*; *in Edicto præſertim* DE Impenſis in res dotales factis, *lib.* 25. *Tit.* 1. *necnon in aliis quoque multis ſpeciebus.*

Impenſæ NECESSARIÆ ſunt; quæ ſi factæ non ſint, res aut peritura aut deterior futura ſit. *l.* 79. PAUL. LIB. 6. AD PLAUT.

UTILES impenſas eſſe Fulcinius ait, quæ meliorem dotem faciant, non (*b*) deteriorem eſſe non ſinant; ex quibus reditus mulieri adquiratur, ſicuti arbuſti paſtinatione (*c*) ultrà quàm neceſſe fuerat; item doctrinam puerorum. Quorum nomine onerari mulierem ignorantem vel invitam non oportet, ne cogatur fundo aut mancipiis carere. In his impenſis & piſtrinum & horreum inſulæ dotali adjectum, plerùmque (*d*) dicemus. *d. l.* 79. § 1.

VOLUPTUARIÆ ſunt, quæ ſpeciem duntaxat ornant, non etiam fructum augent; ut ſunt viridia (*Aliàs* viridaria), & aquæ ſalientes, incruſtationes, loricationes, picturæ. *d. l.* 79. § 2.

In contractibus aut teſtamentis, interdum conditio ita ſcribitur; Si IMPENSAM *quam in fundum feci, dederit.*

Ofilius IMPENSÆ verbo negat pretium (*fundi*) ſignificari, ſed eos duntaxat ſumptus quos in eum poſteaquàm emptus eſſet, fecit. *l.* 40 *ff. de Cond. & dem.*

¶ *IMPERATOR NOSTER CUM PATRE; frequens locutio in ſcriptis Ulpiani aliorumque ejuſdem ævi Juriſconſultorum: id eſt, Antoninus-Caracalla cum patre ejus Severo.*

IMPERIUM in coercitione conſiſtit. MERUM *dicitur, quum Magiſtratui non vi magiſtratûs ſed Lege aliquâ conceſſum eſt*: MIXTUM, *quod juriſdictioni cohæret. Hinc ita definit Ulpianus*: MERUM eſt IMPERIUM, habere gladii poteſtatem ad animadvertendum in facinoroſos homines; quod etiam POTESTAS appellatur.

MIXTUM eſt Imperium, cui etiam juriſdictio (*e*) ineſt. *l.* 3. *ff. de Juriſdict.*

¶ *IMPLERE* Intentionem, petitionem, exceptionem; *eſt probare quod intendimus, petimus, vel excipimus.*

¶ *IMPOSSIBILE*, IMPOSSIBILIS CONDITIO; *cui natura vel Lex, vel boni mores impedimento ſunt quominùs fiat. Lib.* 35. *Tit.* 1. *N.* 21. *& ſeqq.*

Cæterùm IMPOSSIBILE *non dicitur; quod in ſe poſſibile eſt, quamvis perſonæ promiſſoris ſit impoſſibile. Lib.* 45. *T. I. N.* 39.

CXII.

* INATERES. *Vide infrà*, Levir.

IN BONIS *eſſe. Vide ſuprà*, Bona.

¶ *INCAPAX dicitur, cui utiliter relinqui non poteſt; cùm Lege capere prohibeatur.*

INCERTUM. Vide ſuprà, Certum.

INCERTÆ perſonæ *vocantur, quas teſtator incertâ opinione animo ſubjicit: ut*, QUI *filio meo filiam ſuam conlocaverit. Tit.* de Legatis *N.* 56. 59. *& ſeqq.*

INCERTUS *ſumitur etiam pro* Indeterminatus. *V. G. ſi legetur promittatur-ve homo, equus, in genere, dicimus* Incertum *hominem*, Incertum *equum, legatum aut promiſſum.*

INCERTUS contractus; *eſt innominatus. Vide ſuprà*, Contractus.

INCERTUS poſſeſſor eſt, quem ignoramus. *l.* 39. § 3. PAUL. LIB. 53. AD ED.

INCESTUM, *in nuptiis. Lib.* 23. *Tit.* 2. *N.* 70.

Si quis ex his quas moribus (*f*) prohibemur ducere, duxerit; inceſtum dicitur committere. *l.* 39. § 1. *ff. de Ritu nupt.*

Latiùs in Lege Juliâ de Adulteriis; *conjunctio quælibet contra jura ſacra ſanguinis aut religionis*, INCESTUM *dicitur. Lib.* 48. *Tit. V. Sect.* 2. *Art.* 2.

¶ *INCIDERE* IN EDICTUM, LEGEM, &c. *eſt peccare in Edictum Legem-ve, & pœnæ à Lege Edicto-ve ſtatutæ obnoxium eſſe.*

INCILE, SEPTUM *in Interdicto* DE Rivis. *Lib.* 43. *Tit.* 21.

INCILE eſt locus depreſſus ad latus fluminis; ex eo dictus quòd incidatur (*g*): inciditur enim vel lapis vel terra, undè primùm aqua ex flumine agi poſſit. *l.* 1. § 5. *ff. de Rivis.*

SEPTA ſunt quæ ad incide opponuntur, aquæ derivandæ compellendæ-ve ex flumine causâ (*h*); ſive ea lignea ſunt ſive lapidea, ſive quâlibet aliâ materiâ ſint, ad continendam tranſmittendamque aquam excogitata. *d. l.* 1. § 4.

INCOLA, ADVENA, *in jure Municipali*: *lib.* 50. *Tit.* 1.

INCOLA eſt, qui aliquâ regione domicilium ſuum contulit; quem Græci ΠΑΡΟΙΚΟΝ [id eſt, *juxtà habitantem*] appellant. Nec tantùm hi qui in oppido morantur, incolæ ſunt; ſed etiam qui alicujus oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum ſe quaſi in aliquam ſedem recipiant. *l.* 239. § 2. POMPON. LIB. SING. ENCHIR.

ADVENA eſt (*i*), quem Græci ΑΠΟΙΚΟΝ [i. e. *domo profugum, & colonum advenientem*] appellant. *d. l.* 239. § 4.

CXIII.

¶ *INDEX*, *præter notam ſignificationem, interdum ſumitur pro eo quod nos dicimus* un Extrait de pieces.

INDICARE; in Lege Corneliâ, & SC. Silaniano, eo Capite quo præmium promittitur iis ſervis qui necis domini auctorem indicaverunt: lib. 29. *Tit. V. Sect.* 2.

INDICASSE eſt, detuliſſe, arguiſſe, accuſaſſe, & conviciſſe. *l.* 197. ULP. LIB. 50. AD ED.

¶ *INDICTIO operarum*: Commandement de ſervices (*ou* Corvées) à certain jour nommé.

INDICTIONES; *veſtigalia ſeu tributa, tam ordinaria quàm extraordinaria, quæ poſſeſſoribus prædiorum indicuntur. Alio nomine*, INTRIBUTIONES.

IN DIEBUS, *Poſt* DIES, *Poſt* ANNOS. *Clauſulæ hæc, ſi fortè ita ſcripta reperiatur in teſtamentis, in ſtipulationibus; quæritur quot dies, quot annos contineat?*

Poſt ANNOS indiſtinctè liber eſſe juſſus, poſt biennium liber erit. Idque & favor libertatis exigit, & verba patiuntur: niſi ſi aliud ſenſiſſe patremfamilias, manifeſtiſſimis rationibus is à quo libertas relicta eſt probaverit. *l.* 17. § 3. *ff. de Manum. teſt.*

Item ita datâ conditione, Illud facito IN DIEBUS; ſi nihil præterea fuiſſet adjectum, in biduo conditionem impleri oportet. *l.* 217. § 1. JAVOL. LIB. 1. EX POSTER. LABEON.

¶ *INDIGNI vocantur hi quibus utiliter quidem relictum eſt, cùm teſtamenti factionem habeant; ſed quibus propter aliquam indignitatis cauſam fiſcus aufert quod eis ipſo Jure fuerat adquiſitum. Vide lib.* 34. *Tit. fin.*

CXIV.

* IN FACTUM actio. *Vide ſuprà*, actio.

¶ *INFANS*, *quaſi fandi impos; ſeptennio minor.*

¶ *INFECTUM*, *id eſt nondum factum. Vide ſuprà*, Damnum.

INJURIA; paſſim in Legibus & uſu vulgari.

INJURIÆ *appellatio; vel generalis eſt vel ſpecialis.*

(*a*) Solum.
(*b*) *Non* tantùm quæ *deteriorem*, *&c.*
(*c*) Vide Tit. *de Impenſ. in res dot.* N. 9. ad Not.
(*d*) Vide *ibid.* Not.
(*e*) Vide lib. 2. Tit. *de Juriſd.* N. 2. cum Notis.

(*f*) Id eſt, Jure Gentium; quamvis quandoque etiam dicuntur *Inceſtum* committere, qui contra Juris Civilis præcepta ducunt uxores.
(*g*) *Coupure*, *Saignée*, *Canal.*
(*h*) Vulgò, *l'Emparage d'un Canal.*
(*i*) Qui ad tempus in civitate moratur, non ibi ſedem ſuam habet. In quo differt ab *Incolâ.*

Source : BIU Cujas

INJURIA ex eo dicta est quòd non jure fiat. Omne enim quod non jure fit, injuriâ fieri dicitur. Hoc generaliter.

Specialiter autem injuria dicitur, CONTUMELIA.

Interdum INJURIÆ appellatione, damnum culpâ datum significatur; ut in Lege Aquiliâ dicere solemus.

Interdum INIQUITATEM, injuriam dicemus. Nam quum quis iniquè vel injustè (*a*) Sententiam dixit; INJURIAM ex eo dictam quòd jure & justitiâ caret, quasi NON JURIAM.

CONTUMELIAM autem, à contemnendo. *l.* 1. *ff. de Injur.*

ATROCEM injuriam, quasi contumeliosiorem & majorem accipimus. *l.* 7. § 7. *ff. d. tit.*

* INJUSTUM, *& ab* INIQUO *quid differat; vide infrà*, Justum.

¶ *INOFFICIOSUM; quod contra pietatis officium fit.*

Hinc INOFFICIOSUM testamentum, *quo liberi aut parentes immerentes exheredati aut præteriti sunt, aut frater turpibus personis postpositus est: lib.* 5. *Tit.* 2. INOFFICIOSA DOS, *vel* Donatio; *quæ ita immodica est, ut non supersit liberis legitima portio quæ in bonis donatoris eis naturali jure debetur: ibid. Art. fin.*

¶ *INQUILNIUS, qui in alieno habitat, vel conducto vel gratis.*

INQUILINI *alio sensu dicuntur, qui culturæ prædiorum adscripti sunt; ut inquilini prædiorum Cæsaris.*

C X V.

INSPICERE; in Edicto Testamenta *quemadmodum aperiantur, inspiciantur &c. Lib.* 29. *Tit.* 3.

INSPECTIO tabularum, etiam lectionem earum indicat. *l.* 2. § 5. *ff. Testam. quemadm. ap.*

INSTITOR. Vide suprà, in Verb. Exercitor.

INSTITORIA actio; *quæ ex contractibus institoris, ad negotiationem cui præpositus est pertinentibus, contra negotiatorem qui eum præposuit datur. Lib. XIV. Tit.* 3.

INSTRUMENTA, passim in judiciis.

INSTRUMENTORUM nomine, ea omnia accipienda sunt quibus causa instrui potest; & ideò tam testimonia quàm personæ, instrumentorum loco habentur. *l.* 1. *ff. de Fid. instrum.*

Hinc Ulpianus. INSTRUMENTORUM appellatione quæ comprehendantur, perquàm difficile erit separare. Quæ enim propriè sint instrumenta propter quæ (*V. G.*) dilatio danda sit, indè dignoscemus; si in præsentiam (*b*) personæ quæ instruere possit, dilatio petatur (putà qui actum gessit, licèt in servitute; vel (*c*) qui actor fuit constitutus): putem videri instrumentorum causâ peti dilationem. *l.* 99. § 2. ULPIAN. LIB. 1. DE OFF. CONSUL.

Strictiori significatione, INSTRUMENTUM *accipitur pro scripturâ tantùm; quæcumque ad alicujus rei probationem inservire possit: lib.* 22. *Tit.* 4. de Fide instrum. *Quo sensu dicitur*, INSTRUMENTUM *Venditionis, Appellationis, &c.* Acte *ou* Contrat de vente, Acte d'appel, *&c.*

INSTRUMENTA *cognoscere, dispungere: in Edicto* DE *Rebus auctoritate judicis possidendis; lib.* 42. *Tit. V. qua parte Prætor ait, facturum se copiam cognoscendi & dispungendi instrumenta debitorum.*

COGNOSCERE instrumenta, est relegere & recognoscere (*d*). DISPUNGERE, est conferre accepta & data. *l.* 56. ULP. LIB. 62. AD ED.

C X V I.

INSTRUMENTUM domûs, fundi, &c.

Pegasus ait INSTRUMENTUM DOMUS id esse, quod tempestatis arcendæ aut incendii causâ paratur; non quod voluptatis gratiâ; itaque neque specularia, neque vela quæ frigoris causâ vel umbræ in domo sunt... Quæ sententia Cassii fuit, qui dicebat; Inter Instrumentum & ornamentum, multùm interesse. INSTRUMENTI enim ea esse, quæ ad tutelam domûs pertinent; Ornamenti, quæ ad voluptatem, sicuti tabulas pictas. *l.* 12. § 16. *ff. de Instrum. leg.*

Sabinus ait; In INSTRUMENTO FUNDI ea esse, quæ fructus querendi, cogendi, conservandi gratiâ parata sunt. *l.* 8. *ff. d. tit.*

Hinc illa differentia inter id quod PARS *fundi aut ædium est, & utriusque* INSTRUMENTUM. *Enimverò* Fundi nihil est, nisi quod terrâ se tenet (*e*). Ædium autem multa esse quæ ædibus adfixa non sunt, ignorari non oportet; ut putà, seras, claves, claustra. Multa etiam defossa esse; neque tamen fundi, aut villæ, haberi; ut putà, vasa vinaria (*f*), torcularia: quoniam hæc INSTRUMENTI magis sunt, etiamsi ædificio cohærent. *l.* 17. *ff. de Act. empti.*

Innumeras alias hujusmodi instrumenti species, sive in fundo sive in domo, vide lib. 33. *Tit.* de Instruct. vel instrum. leg. *Vide & suprà*, Ædificii pars.

INSTRUCTUM: *putà*, INSTRUCTUS *fundus; instructa villa, domus, taberna, &c.*

INSTRUCTI *appellatio plenior est quàm instrumenti. Enimverò* Omnia quæ eò collata sunt ut instructior esset paterfamilias, INSTRUCTO continebuntur... Hoc ergo (*V. G.*) legato, non (*g*) agri instrumentum, sed proprium suum instrumentum (*h*) reliquisse videtur. *l.* 12. § 27. *ff. de instr. leg.*

INSTRUCTAM autem tabernam sic accipiemus, quæ & rebus & hominibus ad negotiationem paratis constat. *l.* 185. ULP. LIB. 28. AD ED.

INSTRUCTI *appellationi finitima est illa, Eorum* QUÆ IN FUNDO SUNT.

Rebus-QUÆ IN FUNDO SUNT... accedunt etiam ea quæ tunc non sunt, si esse solent; non quæ casu ibi (*i*) fuerunt. *l.* 78. § 7. *ff. de Legatis* 3°.

¶ *INSULA pro domo frequenter accipitur; quòd olim Romæ ex Lege XII. Tabularum, spatium duorum pedum cum semisse vacuum inter duas domos relinqui deberet* AMBIENDI *seu circumeundi causâ. Vide Commentarium nostrum ad Tab. VIII. Cap.* 1.

INSULARIUS; *insulæ custos*, Concierge.

C X V I I.

* IN INTEGRUM *vel* INTEGRI restitutio. *Vide infrà in Verb.* Restituere *in fine.*

¶ *INTENTIO*; l'objet de la demande, les conclusions du demandeur.

* INTERCALARIS, *dies, mensis. Vide infrà, in Verb.* Minor.

¶ *INTERCEDERE, frequenter pro vetare. In Senatusconsulto autem Velleiano, quo interdicitur mulieribus ne pro aliis intercedant*; INTERCEDERE, *est in rem alterius se aut res suas obligare.*

INTERDICTA, qualia proponuntur toto lib. ff. XLIII.

Erant INTERDICTA, formæ atque conceptiones verborum (*k*); quibus Prætor aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat. Quod tunc maximè fiebat, quum de possessione aut quasi-possessione inter aliquos contendebatur. *Instit.* Tit. *de Interdict.* pr.

(*a*) INJUSTA Sententia, *Nulle en la forme*: INIQUA, *Injuste au fonds.*

(*b*) Id est; ad exibendam præsentiam personæ quæ litem instruere potest; & quasi testis producenda est.

(*c*) *Qui actum gessit* distinguitur ab eo *qui Actor fuit.* Nam sicut interdum negotia gerit, qui non est procurator, V. G. qui sine mandato gerit; ita interdum potest Actum gessisse, qui non erat Actor. Cæterùm uterque de negotiis quæ gessit, instruere potest; & ideò de utroque ut exhibeatur peti potest dilatio.

(*d*) Sigilla, subscriptiones, ut veritas probetur.

(*e*) Sterculinum tamen, & stramenta, *Fundi* sunt. Lib. 19. Tit. *de Act. empti* N. 19.

(*f*) De quibus vide infrà suo loco.

(*g*) *Non* solùm ... *sed & proprium* &c.

(*h*) Putà, penum, supellectilem, vestem, vina, &c.

(*i*) Adeòque nec pecunia nec merces venales; multò minùs *Nomina*; utpotè res incorporales quæ nullo loco continentur. Vide sup. d. Tit. *de Instr. leg.* Sect. 7ª.

(*k*) Id est, formulæ.

Source : BIU Cujas

PROHIBITORIA *dicuntur, quibus vetat;* Restitutoria, *quibus jubet id quod factum est destrui, & locum in pristinum statum* Restitui; EXHIBITORIA, *quibus rem aliquam aut hominem exhiberi jubet.*

Sunt qui putent propriè INTERDICTA vocari quæ prohibitoria sunt, quia Interdicere sit denuntiare & prohibere; restitutoria autem & exhibitoria, propriè DECRETA vocari. Sed tamen obtinuit omnia INTERDICTA appellari, quia inter duos (*a*) dicuntur. *d. tit.* § 1.

* Interdictum DUPLEX. *Vide suprà*, Duplex.

Interdicere AQUA ET IGNE. *Vide suprà*, Aquâ.

INTERDICTUS *pro* Relegatus *accipitur*; (Relegué, Banni). Interdicere BONIS, *id est bonorum administratione;* FORO, *id est, à forensibus negotiis.*

¶ *INTEREST*, Id quod (*vel* Quanti), *continet tam damni quod quis passus est quàm lucri quo caruit æstimationem.*

Porrò Quatenùs cujus interfit, in facto non in jure consistit. *l.* 24. *ff. de Reg. jur.* PAUL. LIB. 5. AD SABIN.

¶ *INTERIM*, *quandoque pro* Ad tempus.

INTERROGARI, *interrogatus &c. Lib. XI. Tit.* 1.

In jure INTERROGATUM, non solùm à Prætore accipere debemus, sed & adversario. *l.* 9. § 1. *ff. de Interrogat.*

Imò & Si sine interrogatione quis responderit ... pro INTERROGATO habetur. *d. l.* 9. *pr.*

¶ *INTERVENIRE pro aliquo, est pro eo obligationem contrahere, putà vel fidejubendo, vel eum in judicio defendendo &c.*

CXVIII.

INTESTABILIS dicitur à TESTANDO, *id est testimonio perhibendo. Igitur* Quum Lege quis Intestabilis jubetur esse; eò pertinet, ne testimonium ejus recipiatur, & eo ampliùs [ut quidam putant] ne-ve ipsi dicatur testimonium. *l.* 26. *ff. Qui testam. fac.*

INTESTATUS, passim in Jure.

INTESTATUS est, non tantùm qui testamentum non fecit, sed etiam cujus ex testamento hereditas adita (*b*) non est. *l.* 64. PAUL. LIB. 67. AD ED.

Cæterùm INTESTATI propriè appellantur, qui quum possent testamentum facere, testati non sunt ... Planè qui testari non potuit, propriè non est INTESTATUS; putà, impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est. Sed hos quoque pro INTESTATIS accipere (*c*) debemus. *l.* 1. *ff. de Suis & leg. her.*

Singulari appellatione, quum de tutelâ agitur; Intestatus videtur, non tantùm is qui testamentum non fecit, sed is qui testamento liberis suis tutores non dedit: quantùm enim ad tutelam pertinet, intestatus est. *l.* 6. *ff. de Legit. tutor.*

AB INTESTATO *adire hereditatem; est adire hereditatem alicujus tanquam intestati; non ex ejus testamento.*

INTRA; putà, Intra *diem*, Intra *dies tot*, *&c. in Legibus, in testamentis, in stipulationibus &c.*

Si quis sic dixerit, ut INTRA diem mortis ejus aliquid fiat; ipse quoque dies quo quis mortuus est, numeratur. *l.* 133. ULP. LIB. 4. AD LEG. JUL. ET PAP. (*d*).

CXIX.

INVECTA, ILLATA, *&c. quum quæritur de jure pignoris, sive expressi in fundo, sive taciti in ædibus. Lib.* 20. *Tit. II. N.* 5.

Hoc nomine intelliguntur, Non omnia illata vel inducta; sed ea sola quæ ut ibi sint, illata fuerint. *l.* 7. § 1. *ff. In quib. caus. pign.*

Adde, A domino ... ut ibi perpetuò essent; non temporis causâ. *l.* 32. *ff. de Pignor.*

INVITUS, in Jure frequens verbum: ut quum dicitur V. G. in tractatione de servitutibus, jus non esse Vicino INVITO *altiùs ædificandi: &c.*

INVITUM ... accipere debemus, non (*solùm*) eum qui contradicit, sed eum qui (*simpliciter*) non consentit. Ideò ... & infantem & furiosum, INVITOS rectè dici. *l.* 5. *ff. de Servit. urb. præd.*

* IPSO JURE. *Vide infrà*, Jus.

¶ *IRRITUM, quod ratum non est: quod effectu destituitur.* IRRITUM *testamentum, vide infrà* Testamentum.

CXX.

ITALIA, CONTINENTES PROVINCIÆ; *putà in Edicto de excusationibus tutorum, quum dicitur quatuor liberos* in Italiâ *prodesse ad excusationem: item in Edicto D. Marci, circa tempus & dilationes quæ instrumentorum producendorum causâ dantur; l.* 7. *ff.* de Fer. & dilat. *Item quum quis V. G. arcetur* Italiâ & continentibus, *&c.*

Insulæ Italiæ, pars ITALIÆ sunt; & (*e*) cujusque provinciæ. *l.* 9. *ff. de Judic.*

CONTINENTES provincias accipere debemus, eas quæ Italiæ junctæ sunt; ut putà Galliam (*f*). Sed & provinciam Siciliam magis inter CONTINENTES accipere nos oportet, quæ modico freto Italiâ dividitur. *l.* 99. § 1. ULP. LIB. 1. DE OFFIC. CONS.

ITA UT. Hæc adjectio sumitur pro Modo, *non pro Conditione.*

Putà Pamphilus liber esto, ITA UT filiis meis rationem reddat ... Respondi; purè quidem datam libertatem, & illam adjectionem ITA UT ... conditionem libertati non injicere. Tamen ... cogendum eum ad rationes reddendas. *l.* 17. § 2. *ff. de Manum. test.*

ITER, ACTUS.

ITER est, quà quis pedes vel eques commeare potest. ACTUS, ubi & armenta trajicere & vehiculum ducere liceat. *l.* 12. *ff. de Serv. præd. rust.*

Vide & infrà, Via.

ITINERE FACIENDO; *in variis Edictis, putà quum spatium absentibus conceditur ad proponendas excusationes à tutelâ aut alio munere; aut quum Prætor diem statuit, quo sisti oportet in judicio, scilicet si de eo die non convenit. Accommodantur autem ferè*, VIGINTI MILLIA PASSUUM *in dies singulos. Circa quod notat Ulpianus*: ITINERE FACIENDO viginti millia passuum in dies singulos peragenda, sic sunt accipienda; ut, si post hanc dinumerationem minùs quàm viginti millia supersint, integrum diem occupent. Veluti: viginti-unum millia sunt passus; biduum eis attribuetur. Quæ dinumeratio ita demùm facienda erit (*g*), si de die non conveniat. *l.* 3. ULP. LIB. 2. AD ED.

Observandum quòd Mille passus, non à milliario (*h*) Urbis, sed à continentibus ædificiis numerandi sunt. *l.* 154. MACER, LIB. 1. AD LEGEM VICESIMAM (*i*).

CXXI.

¶ *JACTUS*, JACTURA *mercium dicitur; earum quæ tempestate nrgente in mare projiciuntur levandæ navis gratiâ.*

(*a*) Aliam & meliorem Etymologiam vide in Notis ad Tit. *de Interdict.* N. 1.

(*b*) Putà quia heres scriptus, aut repudiavit aut morte præventus est.

(*c*) Hinc deferuntur eorum hereditates ex Legibus intestatorum.

(*d*) Videtur hoc scriptum ad illud Caput Legi, quæ cœlibi relicta jubebant caduca esse, nisi *Intra centum dies* Legi paruisset.

(*e*) Id est, quemadmodum in aliâ quâlibet provinciâ insulæ hujus provinciæ, pars provinciæ sunt.

(*f*) Eam quæ *Cisalpinæ* Romanis dicebatur.

(*g*) Hoc ab Ulpiano [qui in hoc LIBRO 2. AD EDICT. egit de judiciis] additum videtur; quia in Edicto *Si quis cautionib. jud. sist.* non aliter Prætor diem statuit quàm si de eo die non convenerit.

(*h*) Id est; non ab ea columnâ quæ erat in foro Urbis, in quam omnes Italiæ vici competebant; sed à continentibus ædificiis computantur: ut exindè ubi ea finiunt, incipiant millia computari usque eò ubi quis moratur.

(*i*) VICESIMA Lex sub Augusto lata, vigesimam partem cujusque hereditatis extraneo delato, fisco assignabat; simulque jubebat aperiri testamentum à præsentibus intra triduum aut quinque dies, ab absentibus intra toridem dies ex quo reversi essent: *Paul. Sent.* 6. IV. Ad reditum autem singuli dies in vicena MILLIA passuùm dabantur. Undenam porrò computanda sint milliaria, docet ad hanc Legem Macer. Cœterùm quod in hâc specie docet, accommodari potest ad cæteras species, in quibus ad iter Leges aut Edicta hoc spatium temporis concedunt.

Source : BIU Cujas

Ex quo jactu nascitur actio adversùs dominos tam navis, quàm mercium cæterarum quæ per jactum salvæ factæ sunt; ut damnum jactûs contribuant. Lib. 14. *Tit.* de Lege Rhodiâ.

¶ *JUDEX*, JUDICIUM, JUDICARE.

JUDICIS *generalis appellatio; interdum sumitur pro Magistratu qui Jus dicit, Prætore scilicet aut Præside: interdum pro* JUDICE PEDANEO, *id est homine privato cui Magistratus negotium disceptandæ causæ & Sententiæ dicendæ potestatem dedit. Judex ille pedaneus, in judiciis bonæ fidei & arbitrariis vocatur etiam* Arbiter (*suprà*); *in judiciis stricti Juris,* JUDEX *simpliciter vocatur.*

Officio JUDICIS venire *ea dicuntur; quæ judex, licèt expressè in petitionem deducta non sint, tamen præstari jubet. Sic fructus rei petitæ, sic usuræ quantitatis petitæ, ex morâ præstari dicuntur* OFFICIO JUDICIS *in bonæ fidei judiciis.*

JUDICARE *est Sententiam ferre; differt*que à JUS DICERE, *infrà.*

JUDICARE *alio sensu sumitur, pro censere, æstimare;* être d'avis.

JUDICIUM; idem quandoque quod & Actio *suprà; pariterque sumitur, vel pro ipsâ actione quæ alicui competit, vel pro actionis exercitio: atque hinc* Judicium DIRECTUM *dicitur, vel* CONTRARIUM.

Propriè autem sumitur pro legitimâ causæ disceptatione quæ fit apud judicem à Magistratu datum. Undè voces sequentes.

JUDICIUM DARE *dicitur Prætor, quum causâ apud ipsum peroratâ dat litigatoribus judices apud quos causa discepteturr, & qui juxta præscriptam à Prætore formulam de eâ Sententiam ferant.*

JUDICIUM ACCIPERE *dicuntur litigatores, qui à Prætore eos judices accipiunt apud quos ad disceptationem causa adesse invicem promittunt. Vide lib.* 5. *Tit.* de Judic. *N.* 1. *&* 2.

Atque hinc Cautio JUDICIO SISTI, *id est cautio quâ litigatores promittunt certâ die conditâ seu statutâ se apud judicem adfuturos.*

IN JUDICIUM DEDUCI *dicuntur, causa, actio, adversùs actionem exceptiones; cùm his apud Prætorem propositis, ad eorum disceptationem judices à Prætore dantur. Vide suprà* Deducere.

JUDICIA PUBLICA. RES JUDICATA dicitur quæ finem controversiarum pronuntiatione (*a*) judicis accipit: quod vel condemnatione vel absolutione contingit. *l.* 1. *ff. de Re judic.*

JUDICATUS *dicitur, qui Sententiâ judicis condemnatus est ad aliquid dandum aut faciendum.*

JUDICATUM FACERE, *est parere judicato*: Exécuter la Sentence.

Actio JUDICATI *vocatur, quæ ex judicato competit in eum qui condemnatus est.*

Cautio *seu stipulatio* JUDICATUM SOLVI; *quâ reus vel procurator ejus promittit se soluturum seu præstaturum quicquid dare aut facere judicis Sententiâ condemnabitur. De quâ stipulatione latè in lib.* 46. *Tit.* Judicatum solvi.

CXXII.

¶ Leges *JULIA & PAPIA, contra cœlibes & orbos, & de Caducis. Harum frequens in Jure mentio, & passim in inscriptionibus legum laudantur. De his vide Tit.* de Legatis *Part.* 5ª. *Leges publicorum judiciorum.*

* JUMENTA. *Vide suprà*, Pecus.

JURAMENTUM. *Vide*, Jusjurandum.

¶ *JURISDICTIO*, JURIDICUS, JUS DICERE.

JURISDICTIO *propriè est notio jure Magistratûs competens, quæ consistit in decernendo & dandis judicibus: Cujac. in Parat. ad Tit.* de Jurisdict. *Latè sumitur pro omni Prætoris officio.*

Jurisdictio MANDATA *dicitur; quàm quis non jure suo sed alterius qui jurisdictionem suam ipsi mandavit, exercet. De quâ vide lib.* 2. *Tit.* de Jurisdict. *Art.* 3°.

Jurisdictio PROROGATA *dicitur; quam Magistratus in personas jurisdictioni suæ non subjectas, aut causas quæ suam jurisdictionem excedunt, acquirit; vel ex Legis præscripto, ut in reconventionibus, vel ex consensu partium qui sponte se ejus jurisdictioni submittunt. d. Tit.* de Jurisdict. *Art.* 4°.

Jurisdictio VOLUNTARIA, *quæ in volentes exercetur; ad quam adoptio V. G. & manumissio, &c. pertinent. Opponitur* CONTENTIOSÆ, *quæ exercetur inter eos qui de aliquâ re invicem contendunt.*

JURISDICTIO *diverso sensu sumitur pro Juris ratione; ut quum dicitur (in l.* 20. *ff.* Fam. ercisc.) *coheredes* JURISDICTIONIS FORMAM *mutare non potuisse; id est formam ratione Juris præscriptam, rectam Sententiæ dicendæ rationem.*

JURIDICI erant Magistratus certo terræ tractui præpositi Juri dicundo; qualis fuit Juridicus *Alexandrinæ civitatis. Vide lib.* 1. *Tit.* 20.

JUS DICERE, de solis Magistratibus dicitur quum aliquid decernunt. Judex à Magistratu datus ut ferat Sententiam, Judicat, *non verò* JUS DICIT.

CXXIII.

¶ *JUS. Hoc verbum quotuplici sensu accipiatur, vide suprà N.* 1.

In Jus vocare, est juris experiundi causâ vocare. *l.* 1. *ff. de In jus voc.*

Vide lib. 2. *Tit. IV.*

JUS ADCRESCENDI, *est jus quo portio hereditatis deficiens per mortem aut repudiationem heredis ex illâ portione scripti, reliquis portionibus quæ aditæ sunt accrescit. De quâ re vide lib.* 28. *Tit.* de Hered. instit. *Part. fin. Art. fin.*

Dicitur etiam JUS ACCRESCENDI *inter collegatarios, quibus singulis solida res relicta est; quod tamen magis est jus* NON decrescendi. *Cùm enim singulis solidum relictum sit, pars quam collegatarius qui præmortuus est aut repudiavit, tulisset; legatario qui legatum agnovit, magis non* Decrescit *quàm* Adcrescit.

* Jus AUREORUM ANNULORUM. *Vide suprà*, Aureus.

Jus PATRONATÛS. *Vide infrà*, Patronus.

Jus TRIUM LIBERORUM; *sumitur vel pro præmiis quæ Lex Julia & Papia his qui tres liberos superstites haberent concesserat; vel pro beneficio quod Princeps ei qui liberos non habet, concedit, ut iisdem præmiis fruatur.*

JURA PRÆDIORUM; *id est, qualitates, dotes. Enimverò* Quid aliud sunt JURA PRÆDIORUM, quàm prædia qualiter se habentia; ut bonitas, salubritas, amplitudo? *l.* 86. CELSUS LIB. 5. DIGEST.

¶ *IPSO JURE; id est, solâ Legis potestate, absque ullâ judicis operâ. Sic V. G.* Ipso Jure NULLUM *dicitur, quod absque auxilio restitutionis in integrum à Prætore impetrandæ nullum est.*

IPSO JURE, & PER EXCEPTIONEM, *opponuntur. Putà, obligatio extinguitur* Ipso Jure *per Acceptilationem: contrà, Pactum de non petendo, obligationem ipso jure non extinguit; sed debitor potest opponere* Exceptionem PACTI.

IPSO JURE *quandoque diverso sensu sumitur, pro* Ex stricto Jure, *ex Juris subtilitate.*

CXXIV.

JUSJURANDUM, DEFERRE, REFERRE, REMITTERE.

Jusjurandum DEFERRE *litigator dicitur; qui adversario hanc conditionem defert, ut ex ejus jurejurando causa decidatur; aut, si jurare nolit, jusjurandum deferenti referatur, ex quo decidatur causa.*

Jusjurandum REFERRI *dicitur; quum eo cui jusjurandum delatum est jurare nolente, potestas fit ei qui detulit jurare; ut ex ipsius jurejurando causa decidatur.*

(*a*) Eâ scilicet quæ provocatione suspensa non est: nimirùm si, vel appellatum non sit, vel elapsum fuerit appellandi tempus.

Source : BIU Cujas

REMITTI jusjurandum *dicitur ; quum is qui detulit, ei cui delatum eſt jurare parato remittit jurisjurandi interponendi neceſſitatem ; illudque pro interpoſito habet.*

Jusjurandum *quod defertur à litigatore , Interpretes* VOLUNTARIUM *vocant , quia facultatem habet ejus referendi, is cui delatum eſt. Illud autem quod refertur, dicitur* NECESSARIUM *; quia niſi juret is cui relatum eſt, causa cadit. Eſt &* Jusjurandum JUDICIALE, *quod a judice defertur ; probationum inopiâ , his ſcilicet invicem confligentibus.*

Jusjurandum IN LITEM , *eſt illud quod judex actori defert ; rei quæ in judicium deducta eſt, æſtimandæ causâ.*

Jusjurandum CALUMNIÆ : *quo quis jurat ſe bonâ fide & non vexandi animo aliquid deſiderare : ſuprà , in Verb.* CALUMNIA. *Huic opponitur* Jusjurandum PROPTER REM , *quod nempè de re ipsâ de quâ lis eſt , interponitur, & ad ipſam rem refertur. Undè , cùm jusjurandum* Calumniæ *ad perſonam magis referatur , an malo propoſito litem inferat ; his quibus honor debetur , deferri non poteſt, utpotè quòd nefas ſit eorum fidem bonam in dubium revocare. Jusjurandum autem* Propter rem *rectè his defertur.*

De his omnibus vide Tit. de Jurejur. & de In litem jur. *lib.* 12.

CXXV.

JUSSUM in Edicto Quod juſſu; *Lib.* 15. *Tit. IV.*

JUSSUM accipiendum eſt , ſive teſtatò quis ſive per epiſtolam , ſive verbis aut per nuncium , ſive ſpecialiter juſſerit , ſive generaliter (*a*). *l.* 1. § 1. *ff. Quod juſſu.*

Vide d. tit. N. 6. 7. & 8.

Actio QUOD JUSSU *eſt actio Prætoria , quæ ex contractu aut quaſi-contractu ſervi filii-ve familias datur* In ſolidum *adversùs patrem ipſius aut dominum cujus* Juſſu *contraxit aut quaſi-contraxit.*

¶ *JUSTUS , A , UM ; accipitur pro legitimo , quod ſcilicet juri & legi conſentaneum eſt. Hinc* JUSTUM teſtamentum , JUSTÆ nuptiæ , *pro teſtamento aut nuptiis ſecundùm Juris Civilis regulas celebratis ;* JUSTA uxor , *id eſt ducta ſecundùm præcepta legum ;* JUSTI liberi , *legitimis modis quæſiti ; ex nuptiis nimirùm aut adoptione ;* JUSTA perſona *in litibus , quæ per leges in Jure experiri poteſt ;* JUSTA Sententiâ , *quæ ſervato juris ordine lata eſt ;* JUSTI dies , *qui Lege ſtatuti ſunt ;* JUSTA ætas , *id eſt quæ ad rem aliquam Lege definita eſt.*

Vice versâ INJUSTUM *vocatur , quod prætermiſſo Juris ordine , factum eſt. Atque hinc patet , quid differat ab* INIQUO. *Sic* Injuſtum *teſtamentum ,* Injuſta *Sententia ; ſcilicet quum prætermiſſa ſunt , quæ in conficiendis teſtamentis , quæ in judiciis exercendis obſervari Jura deſiderant :* Nuls en la forme ; *putà , ſi Sententia contra abſentem non contumacem lata ſit , ſi in teſtamento defuerit legitimus teſtium numerus.* INIQUA *verò Sententia dicitur , quâ judex ſervato quidem judicario ordine , ſed contra jus litigantium malè judicavit ;* INIQUUM *teſtamentum , quod ſolemniter quidem , ſed contra pietatem & officium debitum factum eſt :* Injuſtes au fond. *Et juxta hanc diſtinctionem ;* INJUSTUM, *ipſo Jure nullum eſt :* INIQUUM , *non niſi aliquo remedio reſcinditur ; putà , Sententia per appellationem , Teſtamentum per querelam* Inofficioſi *ſuprà.*

Alio ſenſu Juſta cauſa , Juſtus titulus , *ſumitur pro causâ ſeu titulo ad transferenda rerum dominia idoneo ; qualis eſt titulus empti , donati , &c.*

KALENDIS *Primis , vel Secundis vel* CENTISIMIS : dans un mois , dans deux mois , dans cent mois.

L

CXXVII.

** LACUS. Vide ſuprà ,* Foſſa.

LANA.

Lana Sive facta (*b*) eſt ſive infecta , LANÆ appellatione continetur. *l.* 70. § 1. *ff. de Legatis.* 3°.

Succidam (*c*) quoque contineri , & lotam ; ſi modò tincta (*d*) non ſit. *d. l.* 70. § 4.

Et Lanæ appellationem eatenùs extendi placet , quoad ad telam (*e* perveniſſet. *d. l.* 70. § 3.

Cæterùm Lanæ appellatione , tomentum (*f*) non continebitur. *d. l.* 70. § 5.

¶ *LAPILLUS ,* LAPILLI JACTUS *; ritus ſolemnis vetandi opus quod ab adverſario non jure fieri contendo. Cæterùm & citra hunc ritum , nudâ denuntiatione vetari poterat. Vide lib.* 43. *Tit.* Quod vi aut clàm *N.* 3.

¶ *LATA* FUGA *; ſpecies relegationis , quâ quis damnatur ne certo loco excedat : lib.* 48. *Tit.* de Pœnis *N.* 19. & 21.

LATITARE : in Edicto DE *Rebus auctoritate judicis poſſidendis.*

LATITARE eſt cum tractu aliquo latere ; quemadmodum FACTITARE , frequenter facere. *l.* 7. § 8. *Quib. ex cauſ. in poſſ.*

Nec intereſt , quod attinet ad latitandum , utrùm quis profugerit , an verò Romæ agens copiam ſui non facit. *l.* 36. *ff. de Reb. auct. jud. poſſid.*

¶ *LAUDARE* , Citer , appeller. *Hoc ſenſu dicitur quis* LAUDARE *teſtes , vel auctorem ;* Appeller ſes Témoins , ſon Garant.

LEGASSIT : in XII. Tabulis , Tab. V. Cap. I.

Verbis Legis Duodecim Tabularum his , UTI LEGASSIT SUÆ REI ITA JUS ESTO , latiſſima poteſtas tributa videtur , & heredis inſtituendi , & legata & libertates dandi , tutelas quoque conſtituendi (*g*). Sed id interpretatione coangustatum eſt vel Legum (*h*), vel auctoritate Jura conſtituentium. (*i*). *l.* 120. POMPON. LIB. 5. AD Q. MUCIUM.

Cùm igitur hoc verbum LEGARE , *ad libertatis quoque dationem referatur ; hinc* In generali repetitione legatorum (*k*), etiam datæ libertates continentur, ex mente Legis Duodecim Tabularum. *l.* 80. PAUL. LIB. 9. AD PLAUT.

Latiori quin etiam ſenſu ; Et fideicommiſſum & mortis cauſâ donatio, appellatione LEGATI (*l*) continentur. *l.* 87. *ff. de Legatis* 3°.

Strictè autem & propriè quatenùs à fideicommiſſo differt ; LEGATUM eſt quod Legis modo , id eſt imperativè , teſtamento relinquitur. Nam ea quæ precativo modo relinquuntur , FIDEICOMMISSA vocantur. ULP. FRAGM. *Tit. de Legatis* § 1.

Legatum PŒNÆ CAUSA *dicitur , quod magis relinquitur animo coercendi ejus à quo legatum eſt, quàm beneficiendi ei cui dandum eſt. Lib.* 34. *Tit.* de His quæ pœnæ causâ.

K

CXXVI.

¶ *KALENDARIUM* , Livre journal.

(*a*) Secùs ſi agatur de *Juſſu* ad eundam hereditatem. Hic enim debet eſſe ſpecialis. Tit. *de Acq. hered.* N. 44.

(*b*) *Filée.*

(*c*) *Laine crue.*

(*d*) Tunc enim , cùm colorem verterit , *Verſicoloribus* adnumeratur.

(*e*) *Juſqu'à ce qu'elle ſoit miſe en œuvre.*

(*f*) *De la Bourre.*

(*g*) Verbum LEGASSIT , omnia complectitur quæcumque teſtator verbis directis ac legitimis teſtamento ſuo adſcribit ; heredum inſtitutiones , ſubſtitutiones , legata, libertates , tutelas. Idem enim eſt ac *Legem tulerit.*

(*h*) Ut Furiæ , Voconiæ , Falcidiæ , quæ facultatem quam teſtator habebat hereditatem ſuam legatis exhauriendi reſtrinxerunt ; Legis Caniniæ , quæ libertatibus modum dedit ; Juliæ & Papiæ , quæ certis perſonis relinquere prohibuerunt.

(*i*) Id eſt , Juriſconſultorum ; qui ut teſtamentum valeret , voluerunt ab heredis inſtitutione incipiendum , noluerunt ut poſſet poſt mortem heredis relinqui , & alia ſollicitæ diligentiæ invenerunt.

(*k*) Putà , quum quis ita ſcribit : *Quod à Primo legavi , & Secundo lego.*

(*l*) Et ita Lege Papiâ : Tit. *de Legatis* N. 388.

Source : BIU Cujas

¶ *LEGATUS eſt is qui à Republicâ ſuâ, alicujus negotii publici cauſâ, mittitur; vel ad Principem, ut vulgò fit; vel ad aliam perſonam, putà Magiſtratum aliquem, ut Præſidem, Proconſulem, &c.*

Indè dicitur LEGATIVUM; *certa pecunia quæ Legatis viatici nomine dari è publico ſolebat.*

LEGATIO LIBERA, *quæ Clariſſimis viris ad proprias res ſuas in provinciâ gerendas concedebatur; ita dicta quòd nullo tempore finiebatur:* Congé indéfini.

De his omnibus vide lib. 50. *Tit.* de Legationib.

LEGERE, LEGI, *valdè differt ab Intelligi. Enimverò* LEGI ſic accipiendum; non intelligi, ſed oculis perſpici quæ ſunt ſcripta. Cæterùm ſi extrinſecùs intelliguntur, non [*ideò*] videbuntur legi poſſe. *l.* 1. *ff. de His quæ in teſt. del.*

CXXIX.

LEX, LEGE, EX LEGIBUS.

Generali appellatione; LEX eſt commune præceptum, virorum prudentium conſultum, delictorum quæ ſponte vel ignorantiâ contrahuntur coercitio, communis Reipublicæ ſponſio. *l.* 1. *ff. de Leg.*

Strictiori ſignificatione; Lex eſt quam Populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante conſtituebat. *Inſtit. lib.* 1. *Tit.* 2. § 4.

LEGE, EX LEGIBUS; *paſſim in Edictis, ut quum dicitur* Ex Legibus *Bonorum poſſeſſio deferri*, LEGE *obvenire hereditatem &c.*

Verbum EX LEGIBUS ſic accipiendum eſt, tam ex Legum ſententiâ quàm ex (*a*) verbis. *l.* 6. § 1. ULP. LIB. 3. AD ED.

A fortiori: LEGE OBVENIRE hereditatem non impropriè quis dixerit, & eam quæ ex teſtamento defertur; quia Lege Duodecim Tabularum teſtamentariæ hereditates confirmantur. *l.* 130. IDEM LIB. 2. AD L. JUL. ET PAP. (*b*)

LEGE AGERE, *eſt agere in Jure; ex ritu & formulâ Legis.*

¶ *LEGITIMUS, A, UM.*

LEGITIMA PARS *liberorum, aſcendentium, patronorum; eſt portio quam quis ex ſuis bonis debet liberis ſuis, parentibus, patrono.*

LEGITIMA hereditas, tutela; *quæ lege defertur:* LEGITIMI heredes, tutores; *quibus à Lege delata eſt hereditas vel tutela.* LEGITIMA *latitudo viæ;* Legitima *pœna*, legitimæ *uſuræ; quæ à Lege definitæ ſunt.* LEGITIMA crimina, *quæ certo à Lege inſtituto judicio vindicantur*, LEGITIMA verba; *id eſt, ſolemnia.*

LEGITIMATIO vocatur modus quo liberi ex concubinatu ſuſcepti, jura legitimorum liberorum conſequuntur. Vide Appendicem ad Tit. 6. *&* 7. *Lib.* 1.

CXXX.

LENO; Lena, lenocinium facere.

LENAS eas dicimus, quæ mulieres quæſtuarias proſtituunt. *l.* 43. § 7. *ff. de Ritu nupt.*

Lenam accipiemus & eam quæ alterius nomine hoc vitæ genus exercet. *d. l.* 43. § 8.

LENOCINIUM facit, qui quæſtuaria mancipia habuerit. *l.* 4. § 2. *ff. de His qui not. inf.*

Multò magis, ſi liberas perſonas. Item, ſi maritus uxorem in adulterio deprehenſam retinuerit.

LEVIR, GLOS, INATERES; in nominibus adfinitatis.

Viri frater, LEVIR... Viri ſoror, GLOS dicitur... Duorum fratrum uxores, INATERES (*Malè vulgò* janitrices.) dicuntur. *l.* 4 § 6. *ff. de Grad. & adf.*

LIBERALIS CAUSA, in quâ quæritur de ſtatu alicujus hominis; an liber ſit necne. Lib. 40. *Tit. XII.*

LIBERATIO; ab obligatione. Lib. 46. *Tit. III.*

LIBERATIONIS verbum, eamdem vim habet quàm Solutionis (*c*). *l.* 47. PAUL. LIB. 56. AD ED.

CXXXI.

LIBERI, vel NATI. LIBEROS *habere*; SINE LIBERIS eſſe *vel* decedere.

De earum locutionum ſignificatione quæri ſolet: tum circa Leges Juliam & Papiam, quæ & his qui Liberos habent *præmia decernunt, & his qui* SINE LIBERIS *ſunt pœnas irrogant: tum circa conditiones quæ teſtamentis adſcribi ſolent*, Si SINE LIBERIS deceſſerit, *&c.* Quandoque LIBEROS HABUERIT, *&c.*

I. Prima quæſtio eſt, quinam LIBERI *intelligendi ſint.*

LIBERORUM appellatione continentur, non tantùm qui ſunt in poteſtate; ſed omnes qui ſui juris ſunt; ſive virilis ſive fœminini ſexûs ſunt, ex-ve fœminini ſexûs (*d*) deſcendentes. *l.* 56. § 1. ULP. LIB. 62. AD ED.

Item LIBERORUM appellatione nepotes & pronepotes, cæterique qui ex his deſcendunt, continentur. Hos enim omnes SUORUM appellatione Lex Duodecim Tabularum comprehendit. Toties enim Leges neceſſarium ducunt cognationum ſingularum nominibus uti, veluti FILII, NEPOTES, PRONEPOTES; quoties non omnibus qui poſt eos ſunt præſtitum voluerint, ſed ſolis his ſuccurrent quos nominatim enumerent. At ubi non perſonis certis, non quibuſdam gradibus præſtatur, ſed omnibus; qui ex eodem genere orti ſunt (*e*), LIBERORUM appellatione comprehenduntur. *l.* 220. CALLISTRAT. LIB. 2. QUÆST.

Hinc Divus quoque Marcus reſcripſit; Non videri SINE LIBERIS defunctum (*f*), qui nepotem Suum heredem (*g*) reliquit. *d. l.* 220. § 20.

Et quemadmodum LIBERORUM, *ita pariter* Η' ΤΩΝ *&c.* [*id eſt*] NATORUM appellatio & ad nepotes extenditur. *l.* 104. MODEST. LIB. 2. EXCUS.

Non continentur autem adoptivi. Hinc Papinianus: Fideicommiſſum à filiis relictum, Si quis ex his SINE LIBERIS diem ſuum obierit; adoptionis commento non excluditur. *l.* 76. *ff. de Cond. & dem.*

Sed nec merè naturales continentur; ſive de interpretatione conditionum teſtamento adſcriptarum agatur [*niſi & de his ſenſiſſe teſtatorem appareat, Tit.* de Cond. & dem. *N.* 197. & 198.) *ſive de interpretatione Legum Juliæ & Papiæ, quarum ſcopus fuit ut ad ſtudium legitimæ ſobolis procreandæ cives invitarentur.*

Ad interpretationem hujus conditionis quâ uxori relinquitur QUANDOQUE LIBEROS HABUERIT, *ſpecialiter pertinet quod ait Julianus.* Quum vir uxori QUANDOQUE LIBEROS HABEBIT, fundum legat... veriſimile non eſt de his liberis ſenſiſſe, qui ſe vivo ex alio (*h*) ſuſcepti fuiſſent. *l.* 25. *ff. de Cond. & dem.*

Item Solemus dicere eum qui IN TEMPUS LIBERORUM uxori legat, de his non ſenſiſſe quos jam tunc uxor habuit quum teſtaretur maritus. *l.* 9. *ff. de tit.*

II. Altera quæſtio eſt circa harum locutionem SINE LIBERIS eſſe, SINE LIBERIS decedere, *ſignificationum; an vel unicus proſit, & qualis eſſe debeat, ne quis* SINE

(*a*) *Ex legibus* eſſe intelligitur, non ſolùm quod verbis expreſſum, ſed & quod ſententiâ legis continetur.

(*b*) Lex Papia vetat ne Cœlibes capiant ex hereditatibus civium, niſi proximi eſſent ad quos LEGITIMA hereditas pertinuiſſet. Ad illud Caput videtur Ulpianus hoc ſcripſiſſe. Scilicet poſtquàm dixit LEGITIMAM hereditatem propriè eam eſſe quam lex ut prima cauſa defert, & in hoc opponi teſtamentariæ quæ ex voluntate, teſtatoris defertur; ait, non impropriè tamen dici LEGE OBNENIRE eam quoque quæ ex teſtamento obvenit; ſi non abſolutè, ſaltem in vim ipſius Legis quæ eam confirmat, & quia à *Lege* eſt ut voluntas teſtatoris poſſit hereditatem deferre.

(*c*) Scilicet latè ſumptæ. Vide infrà in Verb. *Solutio.*

(*d*) Hanc interpretationem recipiunt conditiones ſuprà dictæ, *Si ſine liberis deceſſerit*, Si *liberos habuerit.* Fortè etiam prodeſſe potuit nepos ex filiâ, ut pœnæ orbitatis vitarentur Verùm ad præmia quæ numero liberorum tribuebantur, putà immunitates à munieribus, nepos ex filiâ non computabatur: lib. 27, Tit. *de Excuſt tut.* N. 27.

(*e*) Putà, quum quis teſtamento *Liberis* ſuis tutorem dat.

(*f*) Pone exemplum in eo quis rogatus eſſet aliquid reſtituere, *Si* SINE LIBERIS *decederet.*

(*g*) Non neceſſe eſt tamen ut *heredes* extiterint liberi: l. 114. § 13. ff. *de Legatis* 1°. ſuprà lib. 35. Tit. *de Cond. & dem.* N. 195. in fine.

(*h*) Matrimonio.

Source : BIU Cujas

LIBERIS *esse videatur. Quâ de re ita Gaius:* Non est SINE LIBERIS, cui vel unus filius una-ve filia est. Hæc enim enuntiatio, habet LIBEROS, non habet LIBEROS, semper plurativo numero profertur; sicut & Pugillares, & Codicilli. *l.* 148. GAIUS LIB. 8. AD L. JUL. ET PAP.

Nam quem SINE LIBERIS esse dicere non possumus, hunc necesse est dicamus liberos habere. *l.* 149. IBID. LIB. 10.

Si quis autem susceperit quidem filium, verùm vivus amiserit; videbitur SINE LIBERIS (*a*) decessisse. *l.* 17. § 7. *ff. ad SC. Trebell.*

At contrà; Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur SINE liberis decessisse. *l.* 187. [*Aliàs* 147.] *ff. de Reg. Jur.* CELS. LIB. 16. DIGEST.

Enimverò Intelligendus est mortis tempore fuisse, qui in utero relictus est. *l.* 153. TERENTIUS-CLEM. LIB. 11. AD L. JUL. ET PAP.

Imò Etiam ea mulier quum moreretur, creditur filium habere, quæ exciso utero edere possit. Necnon etiam alio casu mulier potest habere filium, quem mortis tempore non habuit; ut putà, eum qui ab hostibus remeavit. *l.* 141. ULP. LIB. 8. AD ED. JUL. ET PAP.

Ita tamen is qui in utero est, parenti proficere potest ut LIBEROS *habuisse videatur in præmiis Legum consequendis, si non portentosus nascatur.*

Nam Non sunt LIBERI (*b*), qui contra formam humani generis converso more procreantur; veluti si mulier monstrosum aliquid aut prodigiosum enixa sit. Partus autem qui membrorum humanorum officia ampliavit, aliquatenùs videtur effectus; & ideò inter LIBEROS connumerabitur. *l.* 14. *ff. de Stat. hom.*

Portentosus tamen & ipse proderit ad vitandas Legum pœnas adversùs eos qui Liberos *non habent: ut vid. suprà in Verb.* Enixa.

At verò, indistinctè, sive de pœnis vitandis agatur sive de præmiis consequendis, & in omnibus casibus in quibus prodest LIBEROS *habere, aut nocet non habere; omninò necesse est ut partus vivus nascatur. Enimverò* Qui mortui nascuntur, neque nati neque procreati videntur; quia nunquàm LIBERI appellari potuerunt. *l.* 129. PAUL. LIB. 1. AD L. JUL. ET PAP.

CXXXII.

LIBERTAS est naturalis facultas ejus quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur. *l.* 4. *ff. de Statu hom.*

Libertas DIRECTA, *quæ directis verbis alicui relicta est; & quam proindè is ab ipso testatore defuncto consequitur rectâ viâ, absque ullo heredis ministerio.*

Directæ opponitur FIDEICOMMISSARIA; *quam heres vel etiam legatarius præstare rogatus est, servo sive testatoris sive sibi proprio sive etiam alieno.*

Libertas JUSTA *vel* CIVILIS, *quæ jus civitatis adjunctum habet; & opponitur* NATURALI, *cui jus illud adjunctum non est.*

LIBERTI appellatio ad patronum refertur. Putà, liberti MEI, *liberti* NOSTRI; *in testamentis.*

Scævola respondit: Semper acceptum est, ut LIBERTORUM appellatione etiam hi contineri intelligantur, qui eodem testamento vel posteriore loco manumitterentur (*c*): nisi manifestè is à quo peterentur, contra defuncti voluntatem doceret peti. *l.* 243. SCÆVOLA LIB. 18. DIGEST.

Cæterùm Modestinus respondit; His verbis, LIBERTIS LIBERTABUSQUE MEIS, libertum libertæ testatoris (*d*) non contineri. *l.* 105. MODESTIN. LIB. 11. RESPONS.

Item Paternos libertos, rectè videmur dicere NOSTROS libertos, Liberorum libertos, non rectè Nostros libertos dicimus. *l.* 58. § 1. GAIUS LIB. 24. AD ED. PROVINC.

LIBERTINUS. Hæc appellatio ad statum hominis respicit. Et LIBERTINI sunt, qui ex justâ servitute manumissi sunt. *l.* 6. *ff. de Statu homin.*

CXXXIII.

LIBRI, CHARTÆ.

LIBRIS bibliothecas (*e*) non contineri Sabinus scripsit: idem & Cassius. Membranas quæ scriptæ sint, contineri. *l.* 52. § 3. *ff. de Legatis* 3°.

Item Perscripti libri, nondum malleati vel ornati, continebuntur. Proindè & nondum conglutinati vel emendati continebuntur. Sed & membranæ nondum consutæ continebuntur. *d. l.* 52. § 5.

Nec chartæ puræ debentur libris legatis, nec chartis legatis libri debebuntur: nisi fortè & hîc nos urserit voluntas..... nam & in usu plerique libros CHARTAS appellant. *d. l.* 52. § 4.

Certè CHARTIS neque papyrum ad chartas paratum, neque chartæ nondum perfectæ continebuntur. *d. l.* 52. § 6.

LIGNUM, CARBONES, MATERIA.

LIGNI appellatio, nomen generale est: sed sic separatur, ut sit aliquid Materia, aliquid Lignum. MATERIA est quæ ad ædificandum, fulciendum, necessaria est; LIGNUM, quidquid comburendi causâ paratum est. Sed utrùm ita demùm, si concisum sit, an & si non sit? Et Q. Mucius libro 2. refert, si cui LIGNA legata essent quæ in fundo erant, arbores quidem materiæ causâ succisas non deberi. Nec adjecit, Si non comburendi gratiâ succisæ sunt, ad eum pertinere. Sed sic intelligi consequens est. *l.* 55. *ff. de Legatis* 3°.

Hinc liquet quòd Pali & perticæ in numerum MATERIÆ redigendi sunt: & ideò LIGNORUM appellatione non continentur. *l.* 168. PAUL. LIB. 4. AD SABIN.

CARBONUM appellatione MATERIAM non contineri. Sed an Lignorum? Et fortassis quis dicet, nec Lignorum, non enim lignorum gratiâ habuit.

Sed & titiones, & alia ligna cocta ne fumum faciant, utrùm Ligno, an Carboni, an suo generi adnumerabimus? Et magis est, ut proprium genus habeatur. Sulphurata quoque de ligno, æquè eamdem habebunt definitionem.

Ad faces quoque parata, non erunt LIGNORUM appellatione comprehensa; nisi hæc fuit voluntas.

Idem & de nucleis olivarum, sed & de balanis est, vel si qui alii nuclei (*f*).

De pinu autem integri strobyli, LIGNI appellatione continebuntur. *l.* 167. ULP. LIB. 25. AD SABIN.

CXXXIV.

LIS, Lis CONTESTATA, *Litis æstimatio, &c.*

LIS *idem ac* Actio. *Nam* LITIS nomen omnem actionem significat, sive in rem sive in personam sit. *l.* 36. ULP. LIB. 23. AD ED.

Strictiùs tamen, & in communi loquendi usu; Actio *pro jure persequendi accipitur,* LIS *propriè de ipsâ persecutione.*

CONTESTARI LITEM dicuntur duo aut plures adversarii; quòd ordinato judicio utraque pars dicere soleret, TESTES ESTOTE. *Festus in Verb. CONTESTARI.*

Tunc autem LIS CONTESTATA videtur; quum judex per narrationem negotii, causam audire cœperit. *l. un. Cod. de Litis contest.*

(*a*) Nisi nepotem ex eo habeat.

(*b*) Ut prosint ad præmia legis, putà SCti Tertylliani; Tit. *ad SC. Tertyll.* N. 3 & 4. quamvis prosint ad pœnas vitandas, Tit. *de Legatis.* N. 384.

(*c*) Sunt quidem adhuc servi, quum testator hoc scribit. Sed relatione ad tempus aditæ suæ hereditatis factâ, quo tempore libertatem consecuturi sunt, eos appellat *Suos* libertos.

(*d*) Exemplum in l. 16. § 1. ff. *de Alim. leg.* ubi dicitur libertum liberti paterni non contineri legato quo quis omnibus libertis SUIS alimenta relinqueret: Nisi aliundè voluntas testatoris appareret.

(*e*) *Les Tablettes.*

(*f*) Vide Notas ad h. l. Tit. *de Legatis* N. 486.

Source : BIU Cujas

LITIS ÆSTIMATIO, *eſt æſtimatio rei in judicium deductæ; putà rei quam quis condemnatus eſt reſtituere, nec reſtituit. Hinc* Litis æſtimationem ſolvere.

LITEM SUAM FACERE *dicitur judex qui dolo vel culpâ iniquè judicat: hoc ſenſu, quòd litis æſtimationem vice rei quem iniquè condemnavit, aut iniquè abſolvit, ipſe inferre teneatur. Vide lib.* 50. *Tit.* de Extraord. cognat. *Part.* 2ª.

¶ *LITTERÆ, LITTERARUM OBLIGATIO.*

LITTERAS *neſcire dicuntur, qui legere neſciunt.* LITTERATI, *id eſt, periti legendi & ſcribendi.*

LITTERATUM *obligatio malè à Juſtiniano definitur* Inſtit. 3. *Tit.* 22. *Vide hanc rectiùs deſcriptam à Theophilo & Gaio lib.* 44. *Tit.* de Oblig. & act. *N.* 11.

LITTUS, littora maris.

LITTUS eſt, quòuſque maximus fluctus à mari pervenit (*a*). Idque Marcum-Tullium aiunt, quum arbiter eſſet, primum conſtituiſſe. *l.* 96. CELSUS LIB. 25. DIGEST.

CXXXV.

¶ *LOCATIO-CONDUCTIO, eſt contractus, quo res fruenda vel facienda pro certâ mercede datur.*

LOCARE *dicitur, &* LOCATOR *vocatur, qui rem fruendam aut faciendam dat;* CONDUCERE, & CONDUCTOR, *qui accipit.*

Interdum tamen opifex non dicitur Conducere *opus, ſed operas ſuas ad hoc opus* Locare: *tuncque* LOCATOR OPERARUM *vocatur. De quâ re vide lib.* 19. *Tit.* Locati *N.* 15.

LOCUPLES debitor, reus, fidejuſſor &c.

LOCUPLES eſt, qui ſatis idoneè habet pro magnitudine rei quam actor reſtituendam eſſe petit. *l.* 234. § 1. GAIUS LIB. 2. AD L. XII. TAB.

LOCUPLETIOR factus *ex aliquâ pecuniâ quis dicetur, non ſolùm ſi quid habet quod ex eâ comparaverit; ſed & quatenùs ex illâ propriæ pepercit, quam alioquin fuiſſet impenſurus. Et ita hæc locutio accipitur in Tit.* de Hered. petit. *N.* 42. *in Condictione indebiti, in his quæ pupilli ſine tutorum auctoritate contrahunt, &c.*

Strictiùs autem accipitur, in donationibus inter virum & uxorem; quum dicitur eas valere ex quibus conjux donatarius non fit Locupletior. *Sufficit enim quòd donata res aut pecunia non ſuperſit; & conjux non habeat aliquid quod ex eâ comparatum ſit: nec attenditur an propriæ pecuniæ pepercerit: lib.* 24. *Tit.* de Don. int. vir. & ux. *N.* 27. *ubi vide Notas ad l.* 5. § 8.

Cæterùm LOCUPLETIOR non eſt factus, qui libertum adquiſierit. *l.* 126. § 1. *ff. de Reg. Jur.* ULP. LIB. 15. AD ED.

* LOCUS. *Vide ſuprà, in Verb.* Fundus.

¶ *LUCRATIVA CAUSA, eſt titulus acquirendi ex quo nihil abeſt acquirenti: ut legatum, donatio, &c.* Titre gratuit.

¶ *LUCTUS conjugis, parentum, liberorum, æquè dicitur. Vide lib.* 3. *Tit.* de His qui not. infam. §°. 6°.

LUMEN ET PROSPECTUS, quid differant.

LUMEN id eſt, ut cœlum videretur. Et intereſt inter LUMEN, & PROSPECTUM (*b*): nam Proſpectus etiam ex inferioribus locis eſt (*c*); Lumen ex inferiore loco eſſe non poteſt. *l.* 16. *ff. de Serv. urb. præd.*

M

CXXXVI.

¶ MACEDONIANUM SCtum, *quo denegatur actio his qui mutuam pecuniam dant filiis familias injuſſu parentis. Lib. XIV. Tit.* de SC. Maced.

¶ *MAGIS EST, ſæpiſſimè pro* Verius *eſt.*

MAGISTER, MAGISTRATUS.

Cui præcipua cura rerum incumbit, & qui MAGIS quàm cæteri diligentiam & ſollicitudinem rebus quibus præſunt, debent; hi MAGISTRI appellantur (*d*). Quinetiam ipſi MAGISTRATUS per derivationem à Magiſtris cognominantur. Undè etiam cujuſlibet diſciplinæ præceptores, MAGISTROS appellari; à Monendo vel Monſtrando. *l.* 57. PAUL. LIB. 59. AD ED.

MAGISTRUM NAVIS accipere debemus, cui totius navis cura mandata eſt. *l.* 1. § 1. *ff. de Exercit. act.*

MAGISTER SOCIETATIS, *qui adminiſtrandis ſocietatis negotiis præpoſitus eſt.*

MAJORES, POSTERIORES; in Aſcendentibus & deſcendentibus in ordine cognationis.

PARENTES uſque ad Tritavum, apud Romanos proprio vocabulo nominantur; ulteriores, qui non habent ſpeciale nomen, MAJORES appellantur. Item LIBERI uſque ad trinepotem; ultra hos, POSTERIORES vocantur. *l.* 10. § 7. *ff. de Gradib. & affin.*

MAJOR PARS anni; in Edictis, putà de Interdicto UTRUBI *lib.* 33. *Tit.* 31.

MAJORE PARTE ANNI poſſediſſe quis intelligitur, etiamſi duobus menſibus poſſederit: ſi modò adverſarius ejus aut paucioribus diebus aut nullis poſſederit. *l.* 156. LICINIUS-RUFIN. LIB. 10. REGUL.

MAJOR PARS *creditorum.* MAJOREM eſſe PARTEM pro modo debiti, non pro numero perſonarum (*e*) placuit. *l.* 8. *ff. de Pactis.*

* MAJOR PARS DIEI. *Vide ſuprà, in Verb.* Dies.

CXXXVII.

¶ *MANCIPATIO, quaſi* Manu capio, *ſolemnis ritus transferendi dominii. Quem deſcriptum vide lib.* 1. *Tit.* de Statu hom. *N.* 21. *in Notis.*

* MANCIPIA. *Vide ſuprà,* Servi.

MANDARE, *id eſt cedere actiones. Vide ſuprà,* Cedere.

¶ *MANDATUM; contractus quo quis alteri negotium gerendum committit, alter gerendum gratis ſuſcipit.* MANDATOR *vocatur qui committit,* MANDATARIUS *qui ſuſcipit. Hinc* ACTIONES MANDATI; DIRECTA, *quæ competit mandatori ut ratio geſtûs reddatur;* CONTRARIA *quæ mandatario datur, ad recipiendas impenſas. Lib.* 17. *Tit.* 1.

MANDATORES *ſpecialiter dicuntur, qui mandaverunt ut alicui crederetur. De quibus Tit.* de Fidejuſſ. & mandat. *lib.* 46.

MANDATA *Principum,* IN MANDATIS. *Ita appellantur præcepta Principis quæ Præſidibus in provincias proficiſcentibus dantur; quibus eorum poteſtas ac munus continebatur:* Lettres de Commiſſions des Gouverneurs de province.

* MANIFESTUS *fur. Vide infrà,* Furtum.

MANUS, MANUMISSIO, &c.

MANUS *ſumitur pro poteſtate. Hinc* In manum *convenire mulier dicitur, quæ tranſit in poteſtatem mariti.* Manumittere, *de manu id eſt poteſtate dimittere.*

MANUMITTI *propriè dicuntur ſervi.* Eſt autem MANUMISSIO, de manu miſſio; id eſt, datio libertatis: *l.* 4. *ff. de Juſt. & jure.*

Sed & interdum filii qui emancipantur, MANUMITTI *dicuntur. Unde* Parens MANUMISSOR.

MANUS INJECTIO; *eſt jus prehendendi abducendique; quale habet venditor ancillæ ſi adversùs legem in venditione dictam emptor eam proſtituerit. De quâ re vide Tit.* de Serv. exportand. *lib.* 18.

BREVI MANU, *id eſt compendiosè & vitatâ circuitione; quum celeritate conjungendarum actionum una occultatur.*

(*a*) Hoc refer ad Interdictum NE *quid in mari aut littore, &c.* lib. 44. Tit. XII. N. 4.

(*b*) Hinc ſtatuitur diſcrimen inter ſervitutes, *Ne luminibus officiatur,* & *Ne proſpectui.* Vide lib. 8. Tit. *de Serv. urb. præd.* N. 8.

(*c*) Liberior nempè & gratior.

(*d*) Rectè cenſet Cujacius ex inſcriptionibus legum 10. 12. 14. ff. *de Reb. auct. jud. poſſ.* & l. 2. ff. *Ne vis fiat ei qui in poſſ.* ſcriptam h. l. ad Edictum DE Curatore bonis dando. Qui *Curator* olim dicebatur MAGISTER.

(*e*) Vid. Tit. *de Pactis* N. 38. & ſeq.

Source : BIU Cujas

Vide lib. 41. *Tit. I.* de Adq. rer. dom. *N.* 47.

CXXXVIII.

MATERFAMILIAS, *passim.*

MATREMFAMILIAS accipere debemus, eam quæ non inhonestè vixit. Matrem enim familias à cæteris fœminis mores discernunt atque separant. Proindè nihil intererit nupta sit an vidua, ingenua sit an libertina. Nam neque nuptiæ neque natales faciunt matremfamilias, sed boni mores. *l.* 46. § 1. ULP. LIB. 59. AD ED. (*a*).

Et Quum audis Matremfamilias, accipe notæ auctoritatis fœminam. *l.* 3. § 6. *ff. de Liberis exhib.* (*b*).

MATER autem familias significatur, non tantùm nupta sed etiam vidua (*c*). *l.* 10. *ff. ad L. Jul. de adulter.*

Alio sensu MATERFAMILIAS *accipitur, pro eâ muliere quæ est sui juris. Alio sensu apud Veteres pro eâ quæ in manum viri convenit.*

* MATERTERA, *Vide infrà*, Patruus.

MATRIMONIUM. *Vide* Nuptiæ.

¶ *MAXIME, præter notas significationes, interdum sumitur pro* Utique, Demùm : *ut quum in l.* 9. *ff.* de Usucap. *ait Ulpianus ;* Usucapiuntur res MAXIME corporales, *id est, demùm corporales. Certum enim est eas solas usucapionem recipere.*

CXXXIX.

MEA, TUA, in testamentis ; MEUS, TUUS, SUUS.

MEORUM & TUORUM appellatione (*d*), actiones quoque contineri dicendum est. *l.* 91. PAUL. LIB. 2. FIDEICOMMISSOR.

Quum alicui rei adjicitur Verbum SUUM ; ambiguum est, utrùm de toto an de parte significet. Et ideò qui jurat SUUM non esse, adjicere debet (*e*). Neque sibi communem (*f*) esse. *l.* 239. § *fin.* POMPON. LIB. SINGUL. ENCHIRIDII.

Quid de conditione, QUI MEUS ERIT ?

Conditio talis accipi debet, quatenùs Meus erit ; ut si totum alienaverit, legatum extinguatur ; si partem, pro eâ parte debeatur quæ testatoris mortis tempore fuerit. *l.* 6. *ff. de Legatis* 1°.

Vide & suprà, in Verb. Liberti, *&* *Tit.* de Legatis *N.* 56. *& seqq.*

MEMORIA NON EXTAT ; aut similis alia cautio.

MEMORIAM non extare dicitur.... quum omnium hæc est opinio, nec audisse nec vidisse quum opus (*V. G.*) fieret, nec ex eis audisse qui vidissent aut audissent. *l.* 28. *ff. de Probation.*

¶ *MERCES sumitur pro pretio quo res fruenda aut facienda locata est. Sumitur etiam pro eo quod in remunerationem alicujus officii datur ; ut* Mercedes *præceptorum.*

MERERI, MERITUM, in testamentis : putà, SI TE MERUERIT *&c.*

Si ita sit fideicommissum relictum : Illi, SI TE MERUERIT ; omnimodo fideicommissum debebitur, si modò Meritum quasi apud virum bonum collocare fideicommissarius potuit.

Et si ita sit, SI TE NON OFFENDERIT ; æquè debebitur. Nec poterit heres causari non esse MERITUM ; si alius vir bonus & non infestus, Meritum potuit admittere. *l.* 11. § 8. *ff. de Legatis* 3°.

¶ *MERITORIA, stabula* (Logis, Hôteleries) ; *fullonica* (Fouleries), *& similia.*

¶ *MERUM JUS, id est strictum.*

MERX, res PROMERCALES, *seu quæ in mercium numero sunt.*

MERCIS appellatio ad res mobiles tantùm pertinet. *l.* 66. ULP. LIB. 74. AD ED.

Imò MERCIS appellatione homines non contineri Mela ait. Et ob eam rem Mangones, non mercatores sed Venaliciarios appellari ait. Et rectè. *l.* 207. AFRICAN. LIB. 3. QUÆST.

METUS in Edicto Quod metûs causâ : *lib.* 4. *Tit.* 2.

METUM accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, sed majoris malitatis. *l.* 5. *ff. Quod metûs caus.*

Metum autem non vani hominis, sed qui meritò & in hominem constantissimum cadat ; ad hoc Edictum pertinere dicemus. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Talis est metus mortis, cruciatuum corporis, servitutis, violandæ pudicitiæ ; non autem metus solius infamiæ : d. tit. N. 5. *&* 6.

MILES, milites.

MILITES sunt, qui in numeros (*g*) relati sunt. *l.* 42. *ff. de Testam. mil.*

In Classibus omnes remiges & nautæ, MILITES sunt ; item Vigiles (*h*). *l. un. ff. de Bon. poss. ex test. mil.*

MILES appellatur vel à militiâ, id est duritiâ quam pro nobis sustinent, aut à multitudine, aut à malo quod arcere milites solent ; aut à numero MILLE hominum, ducitum à Græco verbo, tractum à tagmate. Nam Græci mille hominum multitudinem ΤΑΓΜΑ appellant, quasi millesimum quemque dictum. Undè ipsum ducem ΧΙΛΙΑΡΧΟΝ appellant. *l.* 1. § 1. *ff. de Testam. mil.*

¶ *MILITIA*, un Office vénal. INTROITUS MILITIÆ, la Réception.

* MILLIARIA. *Vide suprà*, Itinere.

MINOR viginti-quinque annis : ubi de BISSEXTO, *&* Die *aut* Mense INTERCALARI. *Lib.* 4. *Tit. IV.*

MINOREM viginti-quinque annis natu ; videndum an etiam diem natalis sui adhuc dicimus, ante horam quâ natus est : ut, si captus sit, restituatur ? Et cùm nondum compleverit, ita erit dicendum ; ut à momento in momentum tempus spectetur. Proindè & si bissexto (*i*) natus est, sive priore sive posteriore die, Celsus scripsit nihil referre. Nam id biduum pro uno die habetur, & posterior dies Kalendarum intercalatur. *l.* 3. § 3. *ff. de Minorib.*

Igitur Quum bissextum Kalendis est, nihil refert utrùm priore an posteriore die quis natus sit : & deinceps SEXTUM KALENDAS, ejus natalis dies est ; nam id biduum pro uno die habetur. Sed posterior dies intercalatur, non prior. Ideò quo anno intercalatum non est, sexto Kalendas natus ; quum bissextum Kalendis est, priorem diem natalem habet. *l.* 98. CELSUS LIB. 39. DIGEST.

Quemadmodum autem dies intercalatus, cum eo cui additur, pro uno computatur ; ita pariter, eo anno quo mensis unus intercalatur, Cato putat mensem intercalarem addititium esse (*k*). Omnesque ejus dies pro momento temporis observat, extremoque diei mensis Februarii adtribuit Quintus-Mucius. *d. l.* 98. § 1.

(*a*) Ex hujus legis principio in quo definitur quid sit PRONUNTIATUM, rectè colligitur eam pertinere ad Edictum DE RE JUDICATA ; de quo etiam constat Ulpianum egisse in hoc libro 59. AD EDICT. ut patet ex Indice Labitti. Hæc igitur definitio ad eam pertinet hujus Edicti partem ubi agebatur de addicendis creditori his qui judicato non satisfaciebant, à quâ manûs injectione immunes erant *Matresfamilias* : ut testatur Valerius-Max. lib. 2.

(*b*) Putà, quum dicitur ; eum de quo exhibendo agitur, pendente judicio deponi debere apud MATREMFAMILIAS : lib. 43. d. tit. *de Liber exhib.* N. 6.

(*c*) Id est, innupta. Et id refertur ad Legem Juliam DE ADULTERIIS adversùs stupra, quæ in *Matremfamilias* [id est, honestam mulierem] committi dicuntur, non in turpes mulieres.

(*d*) Si ita testamento scriptum sit, *Rogo ut* MEA *restituas Titio* ; perindè est ac si dixisset testator *Mea bona*, adeòque tenetur heres restituere, non solùm corpora hereditaria, sed etiam quod ex actionibus hereditariis ad ipsum pervenerit. Item si ita scriptum sit, *Rogo ut* TUA *restituas* ; perindè est ac si dixisset, rogo ut restituas *Tua bona.*

(*e*) Putà ; in Jure interrogatus ab eo qui Noxali actione acturus sit, an ejus sit servus qui noxiam admisit.

(*f*) Alias videri potest ambiguè loqui ; adeòque obnoxius esse pœnæ eorum qui in Jure interrogati, ambiguè respondent : quæ pœna eadem est atque eorum qui tacent, nimirùm ut in solidum teneantur. Lib. XI. Tit. *de Interrog. in Jur.* N. 21 & 22.

(*g*) Ergo etiam lecti Tyrones, quamvis publicis expensis iter faciant, nondum in numeros relati, MILITES non sunt.

(*h*) Nocturni Romæ custodes.

(*i*) Vide ad h. l. & seq. Notas nostras ad Tit. *de Minorib.* N. 2. & 3.

(*k*) Vide quæ diximus in Appendice ad XII. Tab. Cap. I. N. 2.

Mensis

Source : BIU Cujas

Menſis autem intercalaris conſtat ex diebus viginti-octo. *d. l.* 98. § 2.

* MINUS. *Vide ſuprà*, *N.* 6. Quanto minùs, *& infrà in Verb.* Solvere.

CXLII.

MOBILIA, *MOVENTIA ; quæ rebus immobilibus opponuntur.*

MOVENTIUM, item MOBILIUM appellatione idem ſignificamus. Si [*Aliàs* niſi] tamen apparet defunctum animalia duntaxat, quia ſeipſa moverent, MOVENTIA vocaſſe : quod verum eſt. *l.* 93. CELSUS LIB. 19. DIGEST.

¶ *MODUS eſt lex dandi aliquid aut faciendi. Differt à Conditione, in eo quòd vim non habet ſuſpendendi ; debeaturque id quod ſub Modo relictum aut promiſſum eſt, antequàm Modus impletus ſit, petique poſſit oblatâ cautione de implendo Modo. Vide lib.* 35. *Tit.* 1. *Part.* 3ª.

MONUMENTUM, CENOTAPHIUM, SEPULCHRUM.

MONUMENTUM generaliter, res eſt memoriæ cauſâ in poſterum prodita : in quâ ſi corpus vel reliquiæ inferantur, fiet SEPULCHRUM : ſi verò nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriæ cauſâ factum ; quod Græci KENOTA'ΦION, id eſt inane ſepulchrum appellant. *l.* 42. *ff. de Relig. & ſumpt. fun.*

¶ *MORA debitoris dicitur ; quum interpellatus à creditore qui exigere poteſt, non ſolvit.*

MORA *creditoris, quum oblatum accipere abſque ullâ probabili causâ recuſat.*

MORA PURGARI *dicitur ; quum debitor qui in morâ ſolvendi erat, offert creditori qui recuſat accipere ; vel quum creditor qui in morâ accipiendi fuerat, jam paratus eſt accipere.*

Mora RE fieri *dicitur ; quum debitor ex ſolâ ſuâ ceſſatione ſolvendi, abſque ullâ interpellatione, in morâ eſſe intelligitur : quod accidit putà, in his quæ Minoribus debentur.*

Vide lib. 22. *Tit.* de Uſur. *Part.* 3ª.

MORBUS, VITIUM ; *in ſtipulationibus Ædilitiis, lib.* 21. *Tit. I.*

Verum eſt, MORBUM eſſe corporis temporalem imbecillitatem ; VITIUM verò perpetuum corporis impedimentum, veluti ſi talum (*a*) excuſſit : nam & luſcus (*b*) utique vitioſus eſt. *l.* 101. § 2. MODESTIN. LIB. 6. DIFFERENT.

Sciendum eſt MORBUM apud Sabinum ſic definitum eſſe, habitum cujuſque corporis contra naturam ; qui uſum ejus ad id facit deteriorem, cujus causâ natura nobis ejus corporis ſanitatem dedit. Id autem aliàs in toto corpore, aliàs in parte accidere. Namque totius corporis MORBUS eſt, putà ΦΘΙΣΙΣ [id eſt, *tabes*], febris ; partis, veluti cæcitas, licèt homo ita (*Florent.* itaque) quoque natus ſit. Vitiumque à Morbo multùm differre : ut putà ſi quis balbus ſit ; nam hunc Vitioſum magis eſſe quàm Morboſum. *l.* 1. § 7. *ff. de Ædilit. Edict.*

MORBUS SONTICUS ; *in Lege XII. Tabularum Tab. II. Cap.* 2. *item in Edicto* DE *excuſationibus tutorum &c.*

MORBUS SONTICUS eſt, qui cuique rei nocet. *l.* 113. JAVOLEN. LIB. 14. EX CASSIO.

¶ *MORES variè ſumuntur ; pro eo Jure quod conſuetudo invexit, pro antiquis Populi Romani inſtitutis, interdum pro Jure gentium.*

* MORTIS CAUSA *capio. Vide ſuprà*, Donatio.

CXLIII.

¶ *MUCIANA* cautio, *ita dicta ab auctore Mucio-Scævolâ ; ea eſt quâ is cui ſub conditione aliquid relictum eſt, relictum ſibi conſequitur cavendo ſe his quorum intereſt reſtituturum ſi fecerit quod prohibitus eſt facere. Hæc cautio legatarii gratiâ inventa eſt ; quia alioquin, demùm poſt ejus mortem certum eſſe poſſet conditioni eum paruiſſe. De eâ vide lib.* 35. *Tit.* de Cond. & dem. *Part.* 2. *Sect.* 4. *Art.* 2.

* MULCTA. *Vide ſuprà*, Fraus.

MULIER, paſſim in Edictis.

MULIERIS appellatione, etiam virgo viri-potens continetur. *l.* 13. ULP. LIB. 8. AD ED. (*c*).

Similiter in legatis : Tit. de Legatis *N.* 477.

Interdum tamen MULIER *opponitur virgini ; ut in l.* 11. § 1. *ff.* de Contrah. empt.

MUNDUS muliebris eſt (*d*), quo mulier mundior fit. *l.* 25. § 10. *ff. de Aur. arg. leg.*

CXLIV.

MUNUS, *MUNICIPES*, *Munera patrimonialia*, HONOR, *&c.*

Propriè quidem MUNICIPES appellantur, Muneris participes (*e*) recepti in civitate ut munera nobiſcum facerent. Sed nunc abuſivè Municipes dicimus, ſuæ cujuſque civitatis (*f*) cives ; ut putà Campanos, Puteolanos. *l.* 1. § 1. *ff. Ad municipal.*

Hinc Paulus : MUNICIPES intelligendi ſunt, & qui (*g*) in eodem municipio nati ſunt. *l.* 228. PAUL. LIB. SING. DE COGNITIONIB.

Adde ; aut etiam qui aliis modis cives hujus civitatis ſunt effecti. De his variis modis, vide lib. 50. *Tit. I.*

MUNICIPIA *autem à* COLONIIS *in quo differrent, vide ſuprà, Tit.* de Cenſibus *N.* 2.

MUNUS *alio ſenſu in Legibus Municipalibus, alio in Lege Cinciâ, in Lege Juliâ* Repetundarum, *in Edicto de jure patronatûs.*

MUNUS tribus modis dicitur : uno Donum, & indè MUNERA dici DARI MITTI-VE : altero Onus ; quod quum remittatur, vacationem militiæ muneriſque præſtat ; indè IMMUNITATEM appellari. Tertiò Officium : undè MUNERA MILITARIA, & quoſdam milites MUNIFICOS vocari.

(Igitur MUNICIPES dici, quòd munera civilia capiant. *l.* 18. PAUL. LIB. 9. AD ED.)

Quum primo ſenſu munus accipitur ; Inter DONUM & MUNUS hoc intereſt, quod inter genus & ſpeciem. Nam genus eſſe DONUM Labeo, à donando dictum ; MUNUS ſpeciem : nam munus eſſe donum cum causâ, ut putà Natalicium, Nuptalicium. *l.* 194. ULP. LIB. 43. AD ED.

Rectiùs tamen loquendo, MUNUS *opponitur Dono. Etenim* MUNUS propriè eſt quod neceſſariè obimus, Lege, more, imperio-ve ejus qui jubendi habet poteſtatem. DONA autem propriè ſunt, quæ nullâ neceſſitate juris, officii, ſed ſponte præſtantur ; quæ ſi non præſtentur, nulla reprehenſio eſt ; &, ſi præſtentur, plerumque laus ineſt. Sed in ſummâ, in hoc ventum eſt ; ut non quodcumque Munus, id & Donum accipiatur ; ac quod Donum fuerit, id Munus rectè dicatur. *l.* 214. MARCIAN. LIB. 1. PUBLICOR. JUDICIOR.

MUNUS *duplici altero ſenſu acceptum, ſcilicet pro* Onere *aut* Officio, *dividitur in* Publicum & Privatum ; Patrimoniale, & Perſonale : *& huc quoque refertur verbum illud* HONOS.

MUNUS PUBLICUM, eſt officium privati hominis (*h*) ; ex quo commodum ad ſingulos univerſoſque cives, remque eorum, imperio Magiſtratûs extraordinarium

(*a*) *Talus* eſt os in cruris infimâ parte, quod intra malleolos latet. Vitium eſt, quum prominet.

(*b*) Aliàs *luxus*, & ad id quod præcedit refertur, id eſt, luxatio tali.

(*c*) Patet ex Indice Labitti, Ulpianum in libris 6. 7. 8. AD EDICT. egiſſe de infamiæ cauſis. Et indè colligit Cujacius, ſcriptam legem hanc ad Edicti partem illam SI MULIER *ventris nomine in poſſeſſionem calumniæ causâ miſſa eſſe dicatur.* In hoc Edicto, vox MULIER etiam ad virginem porrigitur ; putà quæ abſenti nupſit, & mortuo eo ſe fingit ex eo prægnantem.

(*d*) *La Toilette.* Vide lib. 34. Tit. *de Aur. & arg.* N. 2.

(*e*) Id eſt, cives municipiorum qui in civitatem Romanam recepti erant & munerum Reip. Romanæ cum ipſis Romanis civibus participes, cæterùm propiis legibus ſui municipii vivebant, proprioſque habebant Magiſtratus. Vide ſuprà Tit. *ad Municip.* cum Notis : item Tit. *de Cenſib.*

(*f*) Sive jura municipii habeat, ſive non.

(*g*) Id eſt, non ſolùm qui proprie *Municipes* ſunt, & Romæ fungi poſſunt Reipublicæ Romanæ muneribus ; ſed *Municipes* inter ſe dicuntur, quicumque in eâdem civitate, quæcumque illa ſit, nati ſunt.

(*h*) Sine dignitate.

Source : BIU Cujas

pervenit. *l.* 239. § 3. POMPON. LIB. SING. ENCHIRIDII.

Strictori quoque sensu, & quatenùs Honori opponitur; PUBLICUM munus dicitur, quod in administrandâ Republicâ cum sumptu sine titulo dignitatis subimus. *l.* 14. § 1. *ff. de Muner. & hon.*

HONOR municipalis est administratio Reipublicæ cum dignitatis gradu, sive cum sumptu sive sine errogatione contingens. *d. l.* 14. *pr.*

Munera PERSONALIA sunt, quæ animi provisione & corporalis laboris intentione sine aliquo gerentis detrimento (*a*) perpetrantur. *l.* 18. § 1. *ff. d. tit.*

Contrà; est munus PATRIMONII, in quo sumptus maximè postulatur. *l.* 1. § 3. *ff. d. tit.*

Vide lib. 50. *Tit.* de Munerib. & honor.

Patrimoniorum etiam Munera alio sensu accipiuntur pro Tributis &c. de quibus vide lib. 50. *Tit.* de Censib. *Ex his, alia* ORDINARIA *sunt; alia* EXTRAORDINARIA, *quæ ex improviso injunguntur, nec certam & ordinatam formam præstationis habent.*

CXLV.

MUTUUM est creditum quantitatis eâ lege datæut ipsa quantitas reddatur, genere non specie eadem. Cujac.

Appellata est autem MUTUI datio, ab eo quòd de MEO TUUM fit. *l.* 2. § 2. *ff. de Reb. cred.*

De hoc contractu vide lib. 12. *Tit.* de Reb. cred. *Sect.* 2.

N

CXLVI.

¶ *NAM, frequentissimè in Jurisconsultorum nostrorum textibus sumitur pro* Sed. *Vide exemplum in l.* 9. *ff.* de Pactis: *lib.* 2. d. tit. *N.* 88. *& ibi Notan* (*a*).

¶ *NATALIUM RESTITUTIO est beneficium quod liberti impetrant à Principe, ut plenissimè pro ingenuis habeantur. Lib.* 40. *Tit. XI.*

¶ *NATURALES* LIBERI *duplici sensu sumuntur. Et primò* NATURALES *dici solent, quaterùs adoptivis opponuntur, hi qui ex justis nuptiis quæsiti sunt. Alio sensu* NATURALES *appellantur, qui non ex civili, sed ex naturali duntaxat conjunctione procreati sunt: ut qui ex concubinâ sunt susceptι.*

NATURALITER, *variè accipitur. Modò enim significat* Naturali ratione; *modò*, Per rerum naturam; *modò* Ex causâ naturali *& non manufacto opere, ut in Tit.* de Aquâ & aq. pluv. *modò pro* Realiter *seu* Corporaliter, *ut quum dicitur* NATURALITER possidere, NATURALITER interrumpere *usucapionem*, NATURALIS solutio.

NAVIS. Quæritur quænam complectatur hæc appellatio, seu quæ videantur esse pars navis.

MALUM, navis esse partem; ARTEMONEM (*b*) autem non esse, Labeo ait: quia pleræque naves sine Malo inutiles essent, ideòque pars navis habetur; Artemo autem, magis adjectamento quàm pars navis est. *l.* 242. JAVOLEN. LIB. 2. EX POSTER. LABEON.

¶ *NAUTA. Sumitur interdum pro exercitore navis; interdum pro his quorum operâ exercitor in nave utitur.* Mesonauta, *vector qui operam pro naulo præstat.*

CXLVII.

* NECESSARIUS HERES. *Vide suprà*, Heres.

¶ *NEGATORIA ACTIO est illa quâ quis libertatem fundi sui vindicat*, Negat*que servitutem deberi quam quis in eo sibi arrogat. De quâ vide lib.* 7. *Tit.* Si servit. vind. *Art.* 2°.

¶ *NEGOTIUM varièaccipitur; modò pro* Lite, *modò pro* Negotiatione; *modò pro* Contractu, *aut quovis etiam actu qui non sit contractus; modò pro curâ, labore, sollicitudine, ut quum dicitur* NEGOTIUM *alicui facessere.*

NEGOTIORUM GESTOR *propriè is intelligitur, qui sine mandato negotia alicujus administrat: undè* NEGOTIORUM GESTIO. *Obligationes actionesque* Negotiorum gestorum; *id est, quæ ex hâc Negotiorum gestione contrahuntur seu proficiscuntur. Lib.* 3. *Tit. V.*

¶ *NIHILOMAGIS; nonnunquam sumitur pro nihilominùs.*

CXLVIII.

NOMEN in obligationibus: une Créance.

NOMINIS & Rei appellatio ad omnem contractum & obligationem (*c*) pertinet. *l.* 6. ULP. LIB. 3. AD ED.

Et quamvis NOMEN *regulariter ipsum jus obligationis designet; interdum tamen* NOMINIS (*Vulg.* Pecuniæ) appellatione Rem significari (*d*), Proculus ait. *l.* 4. PAUL. LIB. 1. AD ED.

Nomen BONUM, IDONEUM; *id est debitoris qui solvendo sit.*

¶ *NOMINATIM; id est, expressè, specialiter; non generali designatione* Inter cæteros.

¶ *NOMINATUS, in criminibus, dicitur; non is cujus nomen inter reos delatum est; sed is quem alius reus quum interrogaretur, tanquam criminis participem nominavit.*

¶ *NON, interdùm pro* Non solùm, non tam; *suppressis & subauditis*, solùm, tàm.

¶ *NOTA, pro infamiâ.* NOTARE *pro infamiam inurere.*

NOTIO. Putà, Is cujus eâ de re Notio *est; in variis passim Legibus, V. G. in Constitutione D. Marci* DE *Dilationibus dandis &c.*

NOTIONEM accipere possumus, & cognitionem, & jurisdictionem (*e*). *l.* 99. ULP. LIB. 1. DE OFF. PROCONS.

¶ *NOTORIA dicuntur relationes Officialium quibus citrà solemnitates accusationis, crimina ad Magistratum deferuntur. Vide lib.* 48. *Tit.* de Accusat. *Sect.* 2ª.

CXLIX.

¶ *NOVÆ LEGES, opponuntur Legibus XII. Tabularum: nimirùm illæ sunt quæ post Leges Decemvirales latæ sunt. Hinc* NOVÆ HEREDITATES *quæ ex novis Legibus deferuntur, ut ex Senatusconsulto Orphitiano.*

NOVALIS, terra, opponitur integræ.

NOVALIS (*f*) est terra præcisa, quæ anno cessavit (*g*), quam Græci NEA'KIN vocant. *l.* 30. § 2. GAIUS LIB. 7. AD. ED. PROVINC.

INTEGRA autem est, in quam nondum dominus pascendi gratiâ pecus immisit. *d. l.* 30. § 3.

NOVATIO, Lib. 46. *Tit.* 2.

NOVATIO est prioris debiti, in aliam obligationem vel civilem vel naturalem transfusio atque translatio...

(*a*) Id est, sumptu.

(*b*) Isidorus *Artemonem* ait esse velum dirigendæ potiùs navis quàm celeritatis causâ paratum: quod probat Cujacius. Hoc velum non est pars navis. Nec obstat quòd velum dicitur pars navis in l. 44. ff. *de Evict.* Hoc enim accipiendum de velo majori sine quo nullum est navigium: ARTEMO autem est velum minus velum minus quod majori annecti solet, sine quo navis usui esse potest, & integra intelligitur. Vitruvius putat *Artemonem* esse instrumentum cum orbiculis ad sublevanda & dimittenda onera in navi: quod vulgò Trochleam vocant [*Machines à Poulies*]. Quæ Vitruvii sententia magis arridet Goeddæo ad h. l.

(*c*) Putà, si quis legaverit *Nomina* sua; non solùm quod ex causâ pecuniæ mutuo datæ, sed & quodcumque ex quovis contractu & quâvis obligatione ipsi debetur, videbitur reliquisse. A fortiori, si reliquerit *Res* suas aut certam partem *Rerum*. Nam adhuc latior *Rei* appellatio quàm *Nominis*, cùm res omnes tam corporales quàm incorporales complectatur: infrà in verb. *Res*.

Ampliùs Goeddæus. Cùm enim hæc lex desumpta sit ex LIBRO 3°. AD EDICT. ubi Ulpianum de actione DE *Albo corrupto* egisse constat ex inscriptione legum 7 & 20. ff. *de Jurisdict.* ita ipsi interpretanda lex videtur, ut Ulpianus hic definierit, jus actori ex hâc actione *De albo corrupto* & quâvis aliâ popularι quæsitum per litis contestationem; rectè NOMINIS appellatione contineri; & eum quem convenit, rectè ab illo actore inter suos *Reos* seu debitores connumerari posse. De quo sanè debitori potuisset, quia REI propriè dicuntur à *Re* quæ ipsis credita est; NOMEN quoque propriè sumitur pro obligatione creditæ pecuniæ, eo quòd debitorum nomina in Kalendario seu codice fœneratoris referrentur. Verùm latori significatione docet Ulpianus has *Rei* & *Nominis* appellationes ad quascumque obligationes porrigi; adeòque etiam ad illas quæ ex lite super popularibus actionibus contestatâ nascuntur.

(*d*) Ipsam *Rem* quæ in Nomen seu obligationem deducta est. Vide alium sensum aliamque lectionem hujus legis infrà, in Verb. *Pecunia*.

(*e*) Id est; NOTIO potest utrumque significare, & simplicem cognitionem, & jurisdictionem. Undè verba hæc *In cujus de eâ re* NOTIO *est* referri possunt, tam ad judicem pedaneum qui de causâ cognoscit, quàm ad ipsum Magistratum quî jurisdictioni præest.

(*f*) Totam hanc legem ad tractationem de usufructu pertinere docet Cujacius. Fructuarius enim qui ut bonus paterfamilias ut debet, aliter debet uti terrâ *Novali* in quam pecus immittere potest, aliter *integrâ*.

(*g*) *Qui se reposé.*

Source : BIU Cujas

ita..... ut prior perimatur. NOVATIO enim à Novo nomen accepit, & à novâ obligatione. *l.* 1. *ff. de Novationib.*

NOVARE *dicitur creditor, qui quod ſibi debetur in aliam obligationem transfundi conſentit; dum animo Novandi illud ſtipulatur, vel alium ſtipulari patitur.*

Quot modis Novatio fiat, vide Tit. ſeq. Part. 3ª.

NOVERCA, VITRICUS, PRIVIGNI.

Uxor liberis ex aliâ uxore natis; dicitur NOVERCA: matris vir ex alio viro natis, VITRICUS appellatur. Eorum uterque natos aliundè, PRIVIGNOS privignaſque vocant. *l.* 4. § 6. *ff. de Grad. & affin.*

* NOVITIUS. *Vide infrà, in Verb.* Veterator.

NOXA, NOXIA, NOXÆ DEDERE, NOXALES *actiones.*

Generaliter, NOXIÆ appellatione omne delictum continetur. *l.* 238. § 3. GAIUS LIB. 6. AD L. XII. TAB.

NOXA *eſt corpus quod nocuit; inquit Juſtinianus* Inſtit. *Tit.* de Noxal. act. *vel potiùs Verbum* Noxa *ſignificat irrogandam* Pro peccato pœnam, *ut ait Feſtus in Verb.* NOXIA.

NOXALES actiones appellantur, quæ non ex contractu, ſed ex Noxâ atque maleficio ſervorum adversùs nos inſtituuntur. Quarum actionum vis & poteſtas hæc eſt, ut, ſi damnati fuerimus, liceat nobis deditione ipſius corporis quod deliquerit evitare litis æſtimationem. *l.* 1. *ff. de Noxal. act.*

Eadem obtinent in quaſi-delictis animalium. Lib. 9. *Tit. I. & fin.*

NOXÆ DEDERE; eſt animal tradere vivum. *l.* 1. § 14. *ff. Si quadrup.*

C L.

¶ *NUDUS, A, UM.*

NUDA conventio; *quæ intrà fines conventionis ſtetit, nondum executioni mandata eſt, nondum per traditionem conſummata.*

NUDUM pactum *eſt conventio ſeu pactum quod nec in contractum tranſivit, nec alicui contractui ineſt; ſed nihil eſt aliud quàm* Pactum *ſimpliciter.*

NUDA cautio; *quæ per ſolam repromiſſionem exhibetur, ſine fidejuſſore.*

NUDA proprietas, *cui uſusfructus deeſt.*

NUDA voluntas, *quæ deſtituta eſt ſolemni formulâ; ut quum dicitur* Nudâ voluntate *adimi poſſe fideicommiſſa.*

NUDUM præceptum; *ex quò nullum colligi poteſt fideicommiſſum alicui relictum: ut ſi quis heredem ſuum prohibeat alienari prædium, nec innuerit in cujus gratiam id prohibuerit.*

NUDO conſenſu; *id eſt ſolo conſenſu, abſque ullius rei interventione, abſque ullâ verborum ſolemnitate.*

¶ *NUMERUS militum pro matriculâ. Referri in numeros,* être enrégiſtré.

¶ *NUNDINÆ, conventus mercatorum*: Foire, Marché. *Undè* TRINUNDINO *die*, à trois jours de Marché.

NUPTIÆ, MATRIMONIUM.

NUPTIÆ ſive MATRIMONIUM, eſt viri & mulieris conjunctio individuam vitæ conſuetudinem continens. *Inſtit. lib.* 1. *Tit.* 9. § 1.

Generaliter INCESTÆ *dicuntur, quæ contra præcepta Legum contractæ ſunt.*

* QUUM NUPTA ERIT. *Vide infrà*, , Quum.

NURUS. *Vide*, Socer.

O

C L I.

* OB CAUSAM *vel* OB REM DATUM. *Vide infrà*, Dare.

¶ *OBLIGATIO, eſt juris vel naturæ vinculum, quo neceſſitate erga aliquem adſtringimur ad aliquid dandum aut faciendum. Lib.* 44. *Tit. fin. Part.* 1ª.

CIVILIS *dicitur, ſi juris vinculo ſubnixa ſit;* NATURALIS, *ſi naturali duntaxat æquitate, ſi ſolo pudore quis obligetur; nec ulla ſit actio quâ cogi poſſit ad præſtandum quod promiſit.*

Alio ſenſu Obligatio CIVILIS *propriè dicitur, quæ Civilem actionem parit: & huic opponitur* PRÆTORIA, *quæ Prætoriam. Vide ſuprà*, Actio.

* Obligationem COMMITTI, CEDERE, CONFUNDI. *Vide ſuprà*, Committi, Diem cedere, Confuſio.

OBLIGATIO, *refertur etiam ad res; dicturque* Rerum OBLIGATIO, *pro* Pignus; Obligare, *id eſt, pignori dare.*

¶ *OBSIGNARE pecuniam, pro* Deponere: *eo quòd in ſacco ſignato ſoleret deponi.*

OBSIGNARE *bona, domum*, Mettre le Scellé.

¶ *OBTINERE apud judicem*, Gagner ſon Procès.

OBTINUISSE *Jus aliquod dicitur, quod communi Juriſconſultorum calculo receptum eſt.*

OCCIDERE, in Lege Aquiliâ.

OCCIDISSE dicitur vulgò quidem, qui mortis cauſam quolibet modo præbuit: ſed Lege Aquiliâ is demùm teneri viſus eſt, qui adhibitâ vi & quaſi manu cauſam mortis præbuiſſet (*a*); tractâ videlicet interpretatione vocis à Cædendo, & à cæde. Rursùs Aquiliâ Lege teneri exiſtimati ſunt, non ſolùm qui ita vulneraſſent ut confeſtim vitâ privarent; ſed etiam hi, quorum ex vulnere certum eſt aliquem vitâ exceſſurum. *l.* 51. *ff. ad L. Aquil.*

¶ *OCCUPARE ſumitur, modò pro* Adprehendere, *modò pro* Prævenire.

C L II.

¶ *OFFERRE* ſe liti *quis dicitur, duplici modò.* 1°. *Qui alium ultrò defenſurus, judicium pro eo accepit.* 2°. *Qui proprio nomine per errorem, tanquam poſſeſſor eſſet, conventus; ſe poſſeſſorem ſimulans quum non ſit, judicium accipit.*

¶ *OFFICERE. Putà ſervitus* Non officiendi luminibus, *eadem ac* Altiùs non tollendi; *quâ quis ædibus ſuis hanc ſervitutem imponit ne poſſit eas altiùs tollere invito vicino, cujus intereſt ædes ſuas non obſcurari.*

¶ *OFFICIALES, OFFICIUM, dicuntur Magiſtratuum miniſtri; ut Scribæ, Præcones, Accenſi* (Greffiers, Huiſſiers, Sergens) *&c.*

Alibi frequentiùs OFFICIUM *ſumitur; modò pro operâ quæ loco beneficii præſtatur, quale eſt officium Defenſoris, Advocati &c. quo ſenſu dicitur*, OFFICIUM nemini debere eſſe damnoſum. *Aliàs pro miniſterio ſumitur: ſervus V. G. ab Artificio ad* OFFICIUM *transferri dicitur; ſi ex fullone aut textore eum dominus in Cubicularium miniſtratorem aut pediſſequum* (Valet de Chambre *ou* de Pied) *aſſumat. Sumitur etiam* OFFICIUM *pro loco in quo aſſervantur acta cauſarum apud Magiſtratum*, le Greffe.

OFFICIUM Prætoris *ſumitur pro omnibus Prætoris partibus.* OFFICIO judicis, *vide ſuprà*, Judex.

Officium CIVILE. *Hoc nomine appellantur quæ in judiciorum aut civitatis conſpectu, aut ſaltem in aliquo virorum conventu peraguntur. Ita Gothofredus ad l.* 2. *ff.* de Reg. Jur. *ubi dicitur, Fœminas ab omnibus* CIVILIBUS OFFICIIS *remotas. Exempla horum officiorum; Poſtulare, Judicare, Mancipationibus intereſſe, &c.*

Officium PUBLICUM, *quod publicâ auctoritate geritur; ut Judicare, Tutelam gerere &c.*

C L III.

¶ *OMITTERE. Propriè omiſiſſe dicitur, qui per lapſum temporis excluditur à petendo. Hoc tamen verbum complectitur eum quoque qui repudiat; in Edicto* SI QUIS OMISSA causâ teſt. *lib. XXIX. Tit.* 2.

(*a*) Igitur V. G. is qui hominem incluſum fame necavit, quo ad Legem Aquiliam non dicitur *Occidiſſe*; quia non corpore fecit. In cæteris autem cauſis, rectè dicitur *Occidiſſe*, putà ut Lege Cornelià teneatur, vel etiam ut detur adversùs ipſum actio IN FACTUM ad inſtar Legis Aquiliæ.

Source : BIU Cujas

¶ *OMNIS, OMNE. Hoc pronomen legato rei communis adjectum, porrigit illud & ad partem quæ teſtatoris non fuit : Tit.* de Legatis *N.* 262. *Perſonis adjectum, interdum diſtributivè accipitur, ſumiturque pro* SINGULI : *d. tit. N.* 263.

¶ *ONUS dicitur, quod alicui rei vel perſonæ injunctum eſt. Quandoque etiam ſumitur pro mercibus quæ vehendæ locatæ ſunt : ut in actione* Oneris averſi ; *id eſt, de mercibus quas nauta vehendas conduxerat, averſis ſeu ſubtractis.*

ONERNADÆ LIBERTATIS causâ *impoſita, de quibus patrono actio non datur. Lib.* 44. *Tit. V.*

Impoſita ONERANDÆ LIBERTATIS CAUSA belliſſimè ita definiuntur ; quæ ita imponuntur ut, ſi patronum libertus offenderit, petantur ab eo : ſemperque ſit metu exactionis ei ſubjectus, propter quem metum quodvis ſuſtineat patrono præcipiente. *l.* 1. § 5. *ff. Quar. rer. act.*

CLIV.

* OPE CONSILIO. *Vide ſuprà, Part.* 1ª. *N.* 3.

OPERA ſervi, liberti, &c.

OPERÆ, ſunt diurnum officium. *l.* 1. *ff. de Oper. lib.*

OPERÆ OFFICIALES *vocantur, quas contemplatione libertatis acceptæ & verecundiâ juris patronatûs, libertus patrono ſuo promiſit, & quæ patrono tanquam patrono debentur.*

OPERÆ FABRILES *ſunt illæ quæ in aliquo artificio poſitæ, non contemplatione juris patronatûs debentur. Nec ſolùm à libertis noſtris, ſed & à quocumque deberi poſſunt.*

De utriuſque ſpeciei diſcrimine vide lib. 38. *Tit.* de Oper. libert. *N.* 11. & 21.

OPERÆ cedere *dicuntur, quum indictæ ſunt ;* Præteriiſſe, *quum dies his præſtandis indictus, his non præſtitis præteritus eſt.*

OPERARUM *ſervi* legatum, *quid contineat, & quantùm differat ab uſufructu ſervi ; vide Tit.* de Oper. ſervor. *lib.* 7°.

* OPORTERE. *Vide infrà*, QUANTI *actor &c.*

OPPIDUM ab OPE dicitur, quòd ejus rei causâ mœnia ſint conſtituta. *l.* 239. § 7. POMPON. LIB. SING. ENCHIRID.

Pariter Varro de Ling. Lat. *lib.* 4. *cap.* 32.

OPPIDUM ab OPE dicitur, quòd munitur opis causâ ; ubi ſint, & (quod opus eſt ad vitam gerendam) ubi habitent tutò. Vel... quòd opere munibant mœnia (*a*), quo munitiùs eſſent.

Et ferè idem apud Feſtum in Verb. OPPIDUM : « *Dictum* » *eſt, inquit, quòd opem præbeat... quod ibi homines opes* » *ſuas conferunt.* »

CLV.

* OPTIMUS. *Vide infrà*, Uti optimus.

¶ *OPTIO ſpeciali nomine dicitur, Adjutor Centurionis* (ſon Sergent) ; *aut etiam Adjutor cujuſlibet alterius muneris.*

OPTIO *certarum rerum* LEGATA ; *Jure Pandectarum ſumitur, non pro ipſis rebus, ſed pro facultate optandi & ſibi habendi aliquas ex ipſis. Undè ſi legatarius mortuus eſſet antequàm eâ facultate ſibi legatâ uteretur, nihil tranſmittebat ad ſuum heredem. Quod tamen immutavit Juſtinianus. Vide lib.* 33. *Tit.* de Opt. leg. *Sect.* 1ª.

OPUS.

OPERE LOCATO-conducto : his verbis Labeo ſignificari ait id opus quod Græci Α'ΠΟΤΕ'ΛΕΣΜΑ vocant, non ΕΡΓΟΝ, id eſt (*b*), ex opere facto corpus aliquod perfectum. *l.* 5. § 1. PAUL. LIB. 2. AD ED.

OPUS NOVUM ; *in Edicto* DE *Novi operis nuntiatione, lib.* 39. *Tit.* 1.

OPUS NOVUM facere videtur ; qui aut ædificando, aut detrahendo aliquid, priſtinam faciem operis mutat. *l.* 1. § 11. *ff. de Op. nov. nunc.*

OPERIS NOVI NUNCIATIO, *eſt denuntiatio quâ quis prohibet ne continuetur illud opus quod non jure fieri contendit.*

CLVI.

¶ *ORATIONES* Imperatorum *in Jure noſtro vocantur, quas Imperator aut per ſe aut per ſuum Quæſtorem ſeu Candidatum habebat apud Senatum, de aliquâ Lege ferendâ, & interdum pro ipsâ Lege ſeu SCto ſumuntur.*

¶ *ORBI, qui non habent liberos. De quorum pœnis vide Titulos* de Legatis *Part.* 5ª.

¶ *ORCINUS LIBERTUS ; eſt libertus ipſiuſmet defuncti ; id eſt, qui directam libertatem ex teſtamento ejus accepit, rectâ viâ, non per interpoſitionem heredis.*

¶ *ORDINARIA* judicia, *quæ ſervato ab Antiquis ordine exercentur.*

ORDINARIÆ actiones, *quæ ſub certo nomine à Jure Civili inſtitutæ ſunt. Undè &* ORDINARII contractus, *pro* NOMINATIS ; *ex quibus ordinaria ſeu nominata actio naſcitur.* ORDINARIA delicta, *eodem ſenſu, ex quibus nominata actio competit, ut* Furti *actio, &c.*

ORDINARIA bonorum poſſeſſio ; *quæ ex ipſis verbis Edicti defertur ac datur. Opponitur* DECRETALI, *quæ causâ cognitâ ex ſpeciali Decreto datur.*

ORDINARIA juriſdictio, *quam quis jure primævo ſui Magiſtratûs habet. Opponitur* Extraordinariæ, *quæ verſatur tantùm circa ea quorum cognitio Lege aliquâ aut SCto ipſi attributa eſt.*

ORDINARIUS ſervus ; *quatenùs opponitur* VICARIO *quem ipſe in peculio ſuo habet.*

¶ *ORDO pro Senatu Romano, & pro cujuſque municipii aut civitatis Curiâ ſeu Senatu, ſumitur.*

¶ *ORIGO ; patria undè quis oriundus eſt. De quâ lib.* 50. *Tit. I.* ad Municip.

ORNAMENTA, lib. 34. *Tit.* de Aur. arg. leg. *Art.* 3.

ORNAMENTA (*putà* muliebria) ſunt.... omnia quæ ad aliam rem nullam parantur, niſi corporis ornandi (*c*) causâ. *l.* 25. § 10. *ff. de Aur. leg.*

Hinc V. G. Signatorius annulus, ORNAMENTI appellatione non continetur. *l.* 74. PAUL. LIB. 2. AD ED. ÆDIL. CUR.

¶ *ORPHITIANUM* SCtum ; *quo liberi ad matris hereditatem vocantur. Lib.* 38. *Tit.* ad SC. Tertyll. & Orphit.

CLVII.

OSTENTUM. quod verbum Cujacius pertinuiſſe putat ad antiquas Leges Juris Pontificii, circa ritus ac ſacrificia ad Oſtenta *purganda expiandaque ; Goeddæus verò ad res religioſas.*

OSTENTUM Labeo definit, Omne contra naturam cujuſque rei genitum factumque. Duo genera autem ſunt oſtentorum : unum quoties quid contra naturam naſcitur, tribus manibus fortè aut pedibus, aut quâ aliâ partes corporis quæ naturæ contraria eſt. Alterum, quum quid prodigioſum videtur (*d*) ; quæ Græci ΦΑΝΤΑ'ΣΜΑΤΑ [*id eſt, viſiones*] vocant. *l.* 38. ULP. LIB. 26. AD ED.

* OVES. *Vide ſuprà*, Agni ; *& infrà*, Pecus.

(*a*) Et ab hâc murorum *Oppoſitione* derivatum alii volunt, ut Servius, vel quòd locus eſſet hominibus *Oppletus*.

(*b*) Paulus agens de formulis, quærit quodnam opus hâc formulâ contineatur ; *Si paret ex locato-conducto* OPUS *factum, condemna.* Reſpondet ; Non quamvis operam, ſed *Opus* partibus ſuis omnibus abſolutum, intelligi. Qui ergo conduxit opus, non poteſt ex hâc formulâ agere *Ex conducto* ad recipiendam mercedem : niſi illud perfectum exhibuerit. Differentiam ducit à duobus verbis Græcis, Ε'ΡΓΑΣΟΜΑΙ, & Α'ΠΟΤΕΛΕΩ ; quorum alterum *Operari* ſimpliciter, alterum *Perficere* ſignificat.

(*c*) Vide varia exempla, d. tit. N. 21.

(*d*) Ut ſi ſpectra viſa ſunt, aut aliqua ſigna in cœlo. Hæc ultima ſpecies, inquit Goeddæus, non poteſt petinere ad Edictum DE *Religioſis* [de quo Ulpianum hic egiſſe conſtat ex ſimilitudine inſcriptionis cum l. 2. l. 4. l. 6. aliiſque Tit. *de Religioſ.*] circa quod nempè quæri poterat an OSTENTUM habendum eſſet pro *Homine*, cujus ſepulturâ locus fieret religioſus. De primâ autem *Oſtenti* ſpecie, inquit, id rectè poteſt affirmari.

Source : BIU Cujas

P

CLVIII.

PACTIO, *Pactum*; Pactus, *depectus*.

PACTUM à pactione dicitur (*a*). Indè etiam PACIS nomen appellatum est. *l.* 1. § 1. *ff. de Pactis.*

Et est PACTIO, duorum plurium-ve in idem placitum consensus. *d. l.* 1. § 2.

Idem ergo sonat ac verbum generale, CONVENTIO; *de quo suprà.*

Speciali autem nomine PACTUM *sumitur pro eâ conventione quæ intrà fines simplicis conventionis stetit, nec in contractûs alicujus formam transivit. Quo sensu*, PACTUM & CONTRACTUS *opponuntur.*

Eodem sensu Pactum dividitur, in NUDUM *ex quo nulla actio datur*, & LEGITIMUM *vel* PRÆTORIUM *ex quo Lex vel Prætor dant actionem. Legitimi pacti species*, Donatio; *Prætorii*, Hypotheca.

Pactum IN REM *dicitur, quod nullam limitationem continet personæ cui prodesse debeat; ut quum debitor paciscitur indeterminatè, ne id quod debet, petatur.*

Pactum IN PERSONAM *illud est, quo hoc agitur ut soli personæ paciscenti prosit, nec ad heredes alios-ve utilitas pacti transeat, ut si quis paciscatur* Ne à se petatur.

Pacta INESSE CONTRACTUI *dicuntur, quæ alicui contractui, putà Emptioni-venditioni accedunt veluti pars quædam & appendix ad augendam minuendam-ve obligationem ex contractu descendentem. De quibus vide lib.* 2. *Tit.* de Pactis *N.* 34. *& seq.*

PACTA dotalia, *quæ circa dotem fiunt.*

PACTUS *in variis Edictis aut Legibus ex quibus notatur is qui de aliquo crimine pactus est: putà in Edicto* De *his qui notantur infamiâ, in Edicto de Calumniatoribus, in Lege Juliâ de Adulteriis; aliisque passim similibus. Quocircà* PACTUS... accipimus, si cum pretio quantocumque pactus est. *l.* 6. § 3. *ff. de His qui not. inf.*

Simili sensu DEPECTUS dicitur, turpiter pactus. *l.* 3. § 2. *ff. de Calumniat.*

CLIX.

¶ *PAGANUS; quisquis non est miles. Undè* PAGANICUM testamentum *opponitur militari;* Peculium PAGANICUM, *Castrensi.*

PALAM in variis Legibus & Edictis; putà in Edicto de Interrogationibus in Jure, quo non tenetur quis ex suâ responsione nisi Palàm & Coràm pluribus *responderit; in Edicto de Institoriâ actione, quâ parte jubetur* Palàm *proscribi leges præpositionis institoris, id est, ita ut à pluribus legi possint; & in aliis similiter.*

Igitur PALAM est, coràm pluribus. *l.* 33. ULP. LIB. 21. (*b*) AD ED.

Haud absimilis significatio est hujus verbi in Legibus putà Juliâ & Papiâ, quæ Senatoribus interdicunt nuptias earum mulierum quæ PALAM *corpore quæstum fecerunt.* PALAM sic accipimus, passim (*c*); hoc est, sine delectu. *l.* 43. *ff. de Rit. nupt.*

Aliàs tamen quandoque verbum hoc PALAM, *non coràm pluribus significat, sed* Apertè *tantùm & manifestè. Putà in Edicto Ædilium; Qui jumenta vendunt,* PALAM *dicunto quid morbi vitii-ve sit: ita clarè ut ignorare non possit emptor.*

¶ *PANNICULARIA sunt ea quæ in custodiam seu carcerem receptus secum attulit; non tamen si quid majoris pretii fuit:* la dépouille du condamné. *De quâ re vide lib.* 48. *Tit.* 20. de Bonis damnat. *N.* 8.

CLX.

¶ *PARAPHERNA.* Bona PARAPHERNALIA *vocantur, quæcumque præter dotem mulier habet.*

PARATA; V. G. uxoris causâ parata, EMPTA, *&c.*

PARATIS continentur, quæ ipsius usibus fuerunt destinata. *l.* 49. § 3. *ff. de Legatis* 3°.

Quocircà Responsum est; in EMPTO paratum inesse, in PARATO non continuò emptum contineri. *l.* 47. *ff. d. tit.*

EJUS CAUSA parata, hanc interpretationem obtinuit; Quòd magis uxoris causâ, quàm communis promiscuique usûs causâ paratum foret. *l.* 45. *ff. d. tit.*

Vide Tit. de Legatis, *N.* 469. *& seqq.*

PARENS, generali appellatione; passim, putà in Edictis DE *In Jus vocando, de Postulando, de Bonorum possessionibus, &c.*

Appellatione PARENTIS non tantùm pater, sed etiam avus & proavus, & deinceps omnes superiores continentur; sed & mater & avia, & proavia. *l.* 51. GAIUS LIB. 23. AD ED. PROVINC.

PARIA FACERE; *putà Damas & Stichus liberi sunto, si uterque* PARIA FECERIT *reddendo rationes.*

Hæc verba PARIA FECERIT... hoc significant, si omnem pecuniam ab omnibus exegerint, & heredi solverint, vel eo nomine satisfecerint. *l.* 40. § 8. *ff. de Statulib.*

PARIES, in urbanis ædificiis; putà in Interdicto Uti possidetis, *quod datur etiam de* Pariete *communi.*

PARIES est, sive murus, sive maceria (*d*) est. *l.* 157. ÆLIUS-GALL. LIB. 1. DE VERB. QUÆ AD JUS PERTIN. SIGN.

¶ *PARITER, vulgò pro* Æqualiter; *interdum pro* Simul.

CLXI.

PARS; & an PARTUS *sit pars rei, item servitutes.*

Quintus-Mucius ait, Partis appellatione rem pro indiviso significari (*e*). Nam quod pro diviso nostrum sit; id non partem, sed TOTUM esse Servius non inelegenter, PARTIS appellatione utrumque significari. *l.* 25. § 1. PAUL. LIB. 21. AD ED.

Cæterùm PARTUM non esse partem rei furtivæ (*f*), Scævola libro undecimo Quæstionum scribit. *l.* 26. ULP. LIB. 16. AD ED.

Non veniunt etiam PARTIS *appellatione, servitutes.*

Hinc Rectè dicimus eum fundum TOTUM nostrum esse, etiam quum ususfructus alienus est: quia ususfructus, non dominii pars, sed servitutis sit; ut via, & iter. Nec falsò dici totum meum esse, cujus non potest ulla pars dici alterius esse (*g*). Hoc & Julianus. Et est verius. *sup. d. l.* 25. *pr.*

PARTIRI, Partitio; in testamentis, & usu vulgari. PARTITIONIS nomen, non semper dimidium significat, sed prout est adjectum. Potest enim juberi aliquis & maximam PARTIRI; posse & vicesimam, & tertiam, & prout libuerit. Sed si non fuerit portio adjecta, dimidia pars debetur. *l.* 164. § 15. ULP. LIB. 1. AD SABIN.

CLXII.

PATER, FILIUS; *speciale nomen eorum qui primo gradu sunt.*

Tamen respectu patriæ potestatis, quales considerantur

(*a*) Vel potiùs *Pactum* & *Pactio* æqualiter derivantur à PACO seu *Pago*, veteri vocabulo idem quod *Paciscor*: in XII. Tabulis.

(*b*) Cujacius & Duarenus legendum censent LIB. 22. quia in hoc libro egit Ulpianus de *Interrogationibus in Jure*: ut patet ex pluribus legibus *d. tit.*

(*c*) Promiscuè, *pluribus*, imò & cuivis obvio, libidinis explendæ causâ. Non item quæ uni aut alteri cujus amore inflammata fuerit, copiam sui fecisset.

(*d*) MURUS propriè, qui constat cæmentis cum calce & arenato; MACERIA contrà, cæmentis solis [*Mur à pierres seches*].

(*e*) Et quidem interdum ea sola quæ indivisa est, PARS vocari potest: ut quum dicitur de eo qui *Pro parte* dominus est, nec servitutem constituere eum posse, neque ei constitui. Cæterùm Paulum hîc ei egisse de *Rei vindicatione* constat ex similitudine inscriptionum l. 2. l. 4. l. 16. l. 21. & l. 35. ff. *d. Rei vind.* quâ actione non solùm res aliqua, sed etiam pars sive divisa sive indivisa peti potest: d. l. 35. § 1. ff. *d. tit.*

(*f*) Hinc apud bonæ fidei possessorem editus, non subjacet legi Atiniæ; quæ vetat rerum furtivarum usucapionem. Ulpianum hoc quæsisse circa Publicianam actionem, à quâ arcentur illæ res quæ usucapionem non recipiunt [quales sunt furtivæ, l. 9. § 5. ff. *de Publician.*] constat ex inscriptionibus legum 3. 5. 7. 9. 11. *d. tit.* quem vide N. 13.

(*g*) Hinc ergo, non plus petit qui *Fundum* petit; quamvis ususfructus ejus alienus sit.

Source : BIU Cujas

passim in Jure ; puta in SCto Macedoniano quo prohibetur filiis-familias mutuum dari nisi ex consensu PATRIS *in cujus potestate sunt ;* Justâ interpretatione recipiendum est; ut appellatione FILII, sicuti filiamfamilias contineri sæpè respondimus, ita & nepos videatur comprehendi : & PATRIS nomine, avus quoque demonstrari intelligatur. *l.* 201. JUL. LIB. 81. DIGEST.

PATER-(*Mater-*, *filius*)-FAMILIAS ; *passim in Jure.*

PATRESFAMILIARUM sunt, qui sunt suæ potestatis ; sive puberes, sive impuberes : simili modo, MATRESfamiliarum (*a*). FILIFAMILIARUM & filiæ, quæ sunt in alienâ potestate. *l.* 4. *ff. de His qui sui vel al.*

¶ *PATRIA POTESTAS dicitur, quam parentes in liberos habent. De quâ lib.* 1. *Tit.* de His qui sui vel alien.

¶ *PATRIMONUIM etsi propriè dicatur quod à parentibus obvenit; tamen vulgò sumitur pro universitate bonorum cujusque patrisfamilias.*

¶ *PATRONUS, frequentiori significatione, is est qui aliquem ex servitute manumisit.*

Hinc PATRONATUS, *seu* Jus Patronatûs ; *id est jus quod patronus circa personam ac bona libertorum suorum habet. Lib.* 37. *Tit.* de Jur. patron.

PATRUUS, AVUNCULUS ; *Amita, Matertera.*

PATRUUS ; id est, patris frater ... AVUNCULUS, est matris frater ... AMITA, est patris soror ... MATERTERA, est matris soror. *l.* 10. § 14. *ff. de Grad. & adfin.*

* PATRUELES. *Vide suprà*, Consanguinei.

¶ *PAULIANA* ACTIO, *quæ creditoribus ad revocanda ea quæ debitor in fraudem ipsorum alienavit, datur. Lib.* 42. *Tit.* de His quæ in fraud. cred.

PAUPERIES, in Lege XII. Tab. de Quadrupedum noxiâ.

PAUPERIES est damnum sine injuriâ facientis datum. *l.* 1. § 3. *ff. Si quadrup.*

CLXIII.

PECULATUS ; *in Legibus publicorum judiciorum : lib.* 48. *Tit.* 13.

Labeo PECULATUM definit, Pecuniæ publicæ aut sacræ furtum ; non ab eo factum cujus periculo fuit. *l.* 9. § 2. *ff. ad L. Jul. Pecul.*

PECULIUM, servorum & filiorumfamilias : lib. 15. *Tit.* 1.

Peculium dictum est, quasi pusilla pecunia sive patrimonium pusillum. *l.* 5. § 3. *ff. de Pecul.*

Enimverò (inquit Festus) « PECULIUM *servorum à* » Pecore *item dictum est, ut* PECUNIA *patrumfamiliæ* » ; *quia nempè utrumque olim in pecoribus maximè consistebat.*

Definitur autem PECULIUM ... quod servus domini permissu separatum à rationibus dominicis habet ; deducto indè si quid domino debetur. *l.* 5. § 4. *ff. de Pecul.*

Idem in filiofamilias dictum puta, respectu patris.

At verò Paterfamiliàs [liber (*b*)] non potest habere PECULIUM, quemadmodum nec servus (*c*) BONA. *l.* 182. ULP. LIB. 27. AD ED.

PECULIARE *vocatur, quod ad peculium pertinet ; ut* Peculiaris *debitor vel creditor* : Peculiaris *merx, &c.*

De PECULIO actio ; *quæ ex contractibus aut quasicontractibus filiifamilias aut servi adversùs patrem vel dominum ita datur, ut eâ intrà fines peculii teneantur.*

Peculium CASTRENSE, *quod filiusfamilias occasione militiæ quæsivit.* QUASI-CASTRENSE *vocatur, quod quis ex forensi professione, vel quod Clericus filiusfamiliàs ex stipendiis Ecclesiasticis, comparavit.*

PAGANICUM *opponitur Castrensi & Quasi-Castrensi.*

PROFECTITIUM, *est ea species peculii paganici, quod ex re patris proficiscitur.*

ADVENTITIUM, *quod aliundè quàm ex re patris ; putà hereditate, legato, donatione.*

CLXIV.

PECUNIA, passim in Jure.

Verbum hoc latissimâ significatione accipitur. Nam PECUNIÆ verbum non solùm numeratam pecuniam complectitur, verùm omnem omninò pecuniam, hoc est omnia corpora. Nam corpora quoque (*d*), PECUNIÆ appellatione contineri, nemo est qui ambiget. *l.* 178. ULP. LIB. 49. AD SABIN.

Putà in stipulationibus quæ inter heredem & legatarium partiarium, inter venditorem & emptorem hereditatis interponuntur : Quum stipulamur, QUANTA PECUNIA ex hereditate Titii ad te pervenerit ; res ipsas quæ pervenerunt, non pretia earum spectare videmur. *l.* 97. CELSUS LIB. 32. DIGEST.

Et alibi pariter ; Pecuniæ (*e*) appellatione, Rem significari Proculus ait. *l.* 4. PAUL. LIB. 1. AD ED.

Rursùsque ; PECUNIÆ nomine non solùm numerata pecunia, sed omnes res tam soli quàm mobiles, & tam corpora quàm JURA (*f*) continentur. *l* 222. HERMOG. LIB. 2. JURIS EPITOM.

Hinc Celsus. Tantùm quisque PECUNIÆ relinquit, quantùm ex bonis ejus refici potest. Sic dicimus Centies aureorum habere, qui tantùm in prædiis cæterisque similibus rebus habeat. *l.* 88. CELSUS LIB. 18. DIGEST.

Nota. Non idem est in fundo alieno legato (*g*) ; quanquàm is hereditariâ pecuniâ parari potest. Neque quisquam eum qui pecuniam numeratam habet, habere dicit quidquid ex eâ parari potest. *d. l.* 88. ¶ *non idem.*

Latâ etiam significatione accipitur Pecuniæ verbum in contractu nautico. Vide infrà, Trajectitia.

Interdum tamen Pecuniæ significatio ad numeratam restringitur ; ut in SCto Macedoniano.

PECUS, Pecudes, Armentum, Jumenta : &c.

Pecorum seu pecudum generale nomen. Nam PECORIBUS Cassius scripsit quadrupedes ... contineri, quæ gregatim pascuntur. *l.* 65. § 4. *ff. de Legatis* 3°.

Subalternæ Pecudum species sunt, Armenta, & jumenta, & minores greges.

ARMENTO boves contineri convenit, non etiam greges ovium & caprarum. *l.* 81. § 3. *ff. de Legatis* 3°.

JUMENTIS boves non continentur. *l.* 65. § 5. *ff. d. tit.*

Enimverò, cùm Armenta aut jumenta sint quæ collo dorso-ve domantur, jumenta scilicet quæ dorso, armenta quæ collo ; Boves magis armentorum quàm jumentorum generis appellantur. *l.* 89. POMPON. LIB. 6. AD SABIN.

* PEDANEUS. *Vide suprà* Judex.

¶ *PEGASIANUM SCtum, quo Quartam ex fideicommisso universali detrahere permittitur heredi. Lib.* 36. *Tit.* ad SC. Trebell. *Part.* 3ª.

CLXV.

PELLEX, amica, concubina.

Libro Memorialium (*h*) Massurius scribit ; PELLICEM apud Antiquos eam habitam quæ quum uxor

(*a*) Contrario quandoque sensu acciptur *Materfamiliàs*, pro eâ quæ est in potestate mariti. Aliàs, pro quâlibet honestâ fœminâ, suprà in Verb. *Materfam.*

(*b*) Hæc vox videtur abundare.

(*c*) Idem dic de filiofamilias ; exceptâ causâ peculii *Castrensis.* Vide suprà, in verb. BONA, in fine.

(*d*) In stipulationibus emptæ & venditæ hereditatis, de quibus Ulpianum hîc egisse arguit inscriptio collata cum l. 2. ff. *de Hered. vel act. vend.* hoc verbo *Pecunia*, non solùm *numerata*, sed omnia *Corpora* hereditaria, aut ex corporibus hereditariis profecta, quæ ad ipsum pervenerint, continentur.

(*e*) Florent. *Nominis ;* & ita hæc lex jam à nobis scripta est, & in obvium sensum intellecta [suprà N. 148.] ex Cujacio & Fornerio qui lectionem Florentinam secuti sunt. Verùm Goeddæo magis placet Vulgata lectio *Pecuniæ*, quam etiam probat Aciatus. Scilicet in LIBRO 1. AD EDICT. undè lex desumpta est, egit Paulus *De jurisdictione ;* ut constat ex inscriptione legum quàm plurimarum in Indice Labitti. Quo posito, sic interpretatur Goeddæus : Prætor ita edixerat ; *Ex quâcumque causâ vocatus in Jus venito ; ut hoc ipsum sciatur an de eâ* PECUNIA *ejus sit jurisdictio* : Paulus autem post Proculum ait, verbo PECUNIÆ non solùm quantitatem, sed quamlibet *Rem* significari ; adeòque eum qui de quàvis re conveniretur, venire debere ; ut hoc ipsum sciatur an res pertineat ad jurisdictionem judicis.

(*f*) V. G. in Lege XII. Tab. *Uti legassit super* PECUNIÆ *tutelæ-ve suæ rei.* Item ; *Super eo* PECUNIA-*ve ejus, Agnatorum Gentiliumque potestas esto.*

(*g*) Vide Notas ad h. l. Tit. *de Legatis* N. 127.

(*h*) Quo scilicet continentur variæ commemorationes Antiquitatum ; quales sunt illæ quas ex eo Sabini libro referunt Gellius IV. 20. & Macrobius, *Saturn.* III. 6.

Source : BIU Cujas

non esset, cum aliquo tamen vivebat: quam nunc vero nomine AMICAM, paulò honestiore CONCUBINAM appellari (*a*). Granius-Flaccus in libro de Jure Papyriano (*b*) scribit; PELLICEM nunc vulgò vocari, quæ cum eo cui uxor sit (*c*) corpus misceat: quosdam eam quæ uxoris loco sine nuptiis in domo sit (*d*), quam ΠΑΛΛΑΚΗ'Ν Græci vocant. *l.* 144. PAUL. LIB. 10. AD LEG. JUL. ET PAP.

PENES; in variis Edictis, Penès te, Apud te; *putà in Edicto* DE *Tabulis exhibendis*, DE *Liberis exhib.*

PENES TE, amplius est quàm APUD TE. Nam APUD te est, quod qualiter qualiter à te teneatur (*e*); PENES te est, quod quodammodo possidetur (*f*). *l.* 63. ULP. LIB. 71. AD ED.

¶ *PENSIO, id quod pro conductione prædiorum præstatur. Interdum sumitur pro solutione particulari, ut quum dicitur pecuniam tribus pensionibus solvendam*, en trois païements.

PENUS, esculenta, poculenta.

Nomen Penûs... omnibus generibus dictum. *l.* 4. § 3. *ff. de Penu leg.*

Q. Mucius scribit... PENU contineri, quæ esui potuique sunt. *l.* 3. *ff. d. tit.*

Scilicet ad usum patrisfamilias in domo parata; cum suis condimentis, vasisque penuariis, lignis & carbonibus: imò & cereis (la Chandelle) *ad domesticorum ministerium destinatis.*

Varias penûs species (*quas nos dicimus*, Provisions de bouche) *vide lib.* 33. *Tit. IX.*

CLXVI.

* PERDUELLES. *Vide suprà*, Hostes.

PEREMPTORIA *exceptio*, *Peremptorium Edictum. Vide suprà*, Edictum, Exceptio.

PERFICERE; in Legibus, & in usu vulgari.

PERFECISSE (*V. G.*) ædificium, is videtur qui ita consummavit ut jam in usu esse possit. *l.* 139. § 1. ULP. LIB. 7. AD LEG. JUL. ET PAP. (*g*)

PERFECTUS *partus.* Septimo mense nasci PERFECTUM partum, jam receptum est.... Et ideò credendum est eum qui ex justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse. *l.* 12. *ff. de Statu hon.*

* PERIRE, *perisse. Vide suprà*, Deperisse.

PERNOCTARE; putà in antiquis Legibus quæ Magistratus urbanos extra Urbem Pernoctare *vetabant.*

PERNOCTARE extra Urbem intelligendus est, qui nullâ parte noctis in Urbe est. PER enim totam noctem significat. *l.* 166. § 1. POMPON. LIB. 6. AD SABIN.

* PERSECUTIO, *Persequi. Vide suprà*, actio.

PERSONA incerta: *suprà in Verb.* Certum.

PERSUADERE; putà in Tit. DE *servo corrupto, si quis V. G. servo persuasit ut à domino fugeret.*

PERSUADERE est plus quàm compelli atque cogi sibi parere (*h*). Sed persuadere ΤΩ'Ν ΜΕ'ΣΩΝ ΕΣΤΙ'Ν [id est, *ex mediis verbis est*]. Nam & bonum consilium quis dando potest suadere, & malum. *l.* 1. § 3. *ff. de Servo corr.*

CLXVII.

PERTINERE. Putà, Is ad quem ea res pertinet, &c.

Verbum illud PERTINERE latissimè patet. Nam & eis rebus petendis apta est quæ dominii nostri sint; & eis quas jure aliquo possideamus, quamvis non sint nostri dominii. PERTINERE ad nos etiam ea dicimus quæ in nullâ eorum causâ sint, sed esse (*i*) possint. *l.* 181. POMPON. LIB. 35. AD SABIN. (*k*)

Quinimò interdum hoc verbo successor universalis designatur. Ita enim Paulus. Verba hæc, IS AD QUEM EA RES pertinet, sic intelliguntur; ut qui in universum dominium vel jure Civili vel jure Prætorio succedit (*l*), contineatur. *l.* 70. § 1. PAUL. LIB. 73. AD ED.

PERVENIRE. Vide suprà, in Verb. Habere.

PERVENIRE propriè dicitur, quod deductis oneribus ad aliquem pervenit. *l.* 16. § 1. *ff. ad SC. Trebell.*

FACIAS PERVENIRE, *variè in fideicommissis accipitur. Quum his verbis relinquitur ei qui in aliena potestate est, hunc sensum habent. Quum fideicommissarius sui juris erit:* l. 19. ff. d. tit. *Aliàs significant, Quum is qui rogatus est morietur:* l. 75. § 1. ff. d. tit.

Vide Tit. de Cond. & dem. *N.* 84. & 85.

PETERE, Petitio. Vide suprà, Actio.

Ampliùs NON PETI; *ut in stipulationibus* DE *Rato; quum procurator spondet dominum Ratam rem habiturum & Ampliùs non petiturum.*

AMPLIUS NON PETI verbum, Labeo ita accipiebat; si judicio petitum (*m*) esset.

Si autem in Jus eum vocaverit.... judicium tamen cœptum non fuerit; ego puto non committi stipulationem Ampliùs non peti; hic enim non PETIT, sed petere vult. *l.* 15. *ff. Rat. rem hab.*

CLXVIII.

PIGNUS, Hypotheca: Lib. 20. *Tit.* 1. & *seq.*

PIGNUS appellatum à Pugno; quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. Undè etiam videri potest verum esse quod quidam putant, Pignus propriè rei mobilis constitui. *l.* 238. § 2. GAIUS LIB. 6. AD LEG. XII. TAB.

Et in hoc quidem pignus strictè sumptum differt ab HYPOTHECA, *quæ citra traditionem tam in re soli quàm mobili constituitur.*

At juxta latiorem verbi Pignoris significationem; Inter pignus & hypothecam, tantùm nominis sonus differt. *l.* 5. § 1. *ff. de Pign. & hyp.* MARCIAN. LIB. 1. AD FORMUL. HYPOTHECARIAM (*n*).

PIGNUS *modò sumitur, pro ipsâ re quæ creditori in securitatem debiti obligata est; modò pro contractu quo res creditori hâc lege traditur, ut soluto debito ipsa res (si eam non distraxerit) restituatur; aut, si eam distraxerit, id quod deducto debito supererit ex pretio rei.*

Ex Pignoris contractu, PIGNERATITIÆ *actiones*; Directa *quæ ad restitutionem pignoris*, Contraria *quæ ex variis causis creditori datur: lib.* 14. *Tit.* de Pignerat. act.

Ab Hypothecâ autem, HYPOTHECARIA *actio* In rem; *quæ creditori datur adversùs quoscumque rei pigneratæ possessores, ut hanc sibi possidere liceat. Hæc etiam vocatur interdum* PIGNERATITIA; *sed minùs propriè, nec cum* Pigneratitiis *de quibus modò diximus confundenda.*

Pignus *triplex distinguitur:* CONVENTIONALE, *quod ex conventione expressâ tacitâ-ve nascitur;* PRÆTORIUM, *quod missio in bonorum possessionem constituit: in Verb.* Possessio, *infrà;* JUDICIALE, *quod executor rei judicatæ constituit in rebus condemnati quum eas pignori capit* (en les saisissant). *De hâc ultimâ specie Vide lib.* 42. *Tit.* de Re judic. *Part. fin.*

CLXIX.

¶ *PLAGIUM; suppressio hominis liberi vel servi. Unde*

(*a*) *Amicæ* appellatio minùs honesta, cùm ad rem veneream unicè referatur; & eo nomine vocetur quæcumque pudicitiam alteri substerni assiduò [*une Maitresse*], etiam ullâ de cætero vitæ societate. Contrà, *Concubinæ* appellatione honesta nomen assumpsit, l. 3. ff. *de Concubin.*

(*b*) Sextus-Papyrius Leges Regias collegerat: l. 2. § 26. ff. *de Orig. jur.* Inter quas illa Numæ, à Festo relata: PELLEX *aram Junonis ne tangito.*

(*c*) Id est; qui uxorem habet, cui Pellex superindicitur.

(*d*) Hæc est quam suprà diximus *Concubinam*

(*e*) Licèt id sit quod possideri non possit; ut liber homo, *Si is ea-ve* APUD *te est*, in Interdicto DE *Liberis exhibendis* [de quo hìc quæstionem esse apparet ex inscriptione legum 1 & 3. ff. *d. tit.*], id est, si eum recipis, si in domo tuâ latitat, &c.

(*f*) Sive tibi, sive alii possideas; ut in Interdicto DE Tabulis exhibendis; sive bonâ; malâ fide.

(*g*) Ex inscriptione patet, scriptum hoc ad Caput illud Legum Juliæ & Papiæ quo civitas donabatur Latinis qui *Romæ ædificium perfecissent.* De quo lib. 1. Tit. *de Stat. hom.* N. 33.

(*h*) Qui enim paret *Compulsus* & *Coactus*, invitus paret & animo reluctante. Quia autem *Persuadetur*, sponte & ex animo facit.

(*i*) Ergo eâ locutione designatur jus omne quod quis in re habet aut habere sperat.

(*k*) Quo in libro Pomponius egit de Pignoribus: ut constat ex l. 4. ff. *Qui potior in pign.*

(*l*) Putà in stipulatione DE RATO [circa quam, Paulum hoc scripsisse probat Cujacius]; quâ ita cavebatur: SI *is cujus eâ de re actio, heres-ve ejus, vel* IS AD QUEM EA RES PERTINEBIT, *ratum non habuerit.* Item in aliis causis, ad successores singulares plerumque hæc locutio trahitur. Goeddæus.

(*m*) Id est; committitur hæc stipulatio, demùm ex litis contestatione.

(*n*) Scilicet in Formulâ Hypothecariâ; hæ appellationes confundebantur.

Source : BIU Cujas

PLAGIARIUS *qui hominem ſupprimit, id eſt invitum eum in aliquo loco clàm detinet.*

¶ *DE PLANO cognoſcere, judicare, &c. opponitur cognitionibus quæ* Pro tribunali *fiunt.*

¶ *PLANCIANUM* SCtum *de agnoſcendis liberis: vide lib.* 25. *Tit. III.*

PLEBS, Plebeii; Plebiſcita.

PLEBS eſt, cæteri cives (*a*) ſine Senatoribus (*b*). *l.* 238. GAIUS LIB. 6. AD LEG. TAB. (*c*)

Pariterque in Municipiis; PLEBEII *ſunt cæteri cives exceptis Decurionibus, qui nempè idem erant quod Romæ Senatores.*

PLEBISCITA, *Leges à Plebeio Magiſtratu (qualis erat Tribunus plebis) latæ, & à plebe ſcitæ; quibus ex Lege Hortenſiâ omnes cives, Senatores æquè ac Plebeii tenebantur.*

¶ *PLENUM, pro* Integrum, *perfectum; ut* PLENA pubertas, *quæ non ſolùm inchoata, ſed & perfecta eſt;* PLENA proprietas, *quæ non ſeparata eſt ab uſufructu;* PLENA Defenſio, *quum quis & judicium accipere & ſatiſdare paratus eſt;* PLENA cuſtodia, *quæ diligentiam in cuſtode requirit, &c.*

PLENUM *compromiſſum. Vide ſuprà,* Compromiſſum.

PLURIS; in ſtipulationibus quæ fiunt rerum æſtimandarum gratiâ; item in conceptione jurisjurandi in litem, ad æſtimationem rei quæ per contumaciam non reſtituitur, &c. Putà; Viginti aureorum PLURIS-VE; *Quæ ſunt* PLURIS *tot, &c.*

Hæc adjectio PLURIS-VE, non infinitam pecuniam continet, ſed modicam: ut taxatio hæc, Solidos decem PLURIS-VE, ad minutulam ſummam referatur. *l.* 192. ULP. LIB. 37. AD ED.

At verò in æſtimandâ re ipsâ cui verbum hoc PLURIS *adjicitur, non verùm duntaxat rei pretium, ſed & omne quod intereſt, venit. Ita accipe quod dicitur:* Hæc enunciatio, QUÆ SUNT PLURIS AUREORUM TRIGINTA, ſimul & quantitatis & æſtimationis (*d*) ſignificativa eſt. *l.* 232. GAIUS LIB. 1. DE VERB. OBLIG.

CLXX.

* PŒNA. *Vide ſuprà,* Fraus.

PŒNÆ causâ *relictum. Vide,* Legatum.

Servitus PŒNÆ. *Vide infrà,* Servitus.

¶ POLLICITATIO, *eſt ſolius offerentis promiſſio, abſque acceptatione: in quo differt à Pacto. Vide lib.* 50. *Tit. XII.* de Pollicitat.

* POMUM. *Vide ſuprà,* Fructus.

POPULARIS actio *opponitur privatæ, quæ de re tantùm privatâ datur ei cujus intereſt.* Popularis *autem unicuique è populo qui primus agere occupaverit, competit.*

Etenim Eam POPULAREM actionem dicimus, quæ jus ſuum Populi tuetur. *l.* 1. *ff. de Popul. act.*

Eodem ſenſu dicitur Populare Interdictum, *&c.*

PORTUS, Statio.

PORTUS appellatus eſt, concluſus locus quò importantur merces & indè exportantur: (eaque nihilominùs STATIO eſt (*e*), concluſa atque munita). Indè ANGIPORTUM (*f*) dictum eſt. *l.* 59. ULP. LIB. 68. AD ED.

STATIONEM dicimus à Statuendo. Is igitur locus demonſtratur (*g*), ubicumque naves tutò ſtare poſſunt. *l.* 1. § 13. *ff. de Fluminib.* IBID.

CLXXI.

POSSESSIO, Poſſidere.

POSSESSIO *interdum pro fundo quem poſſidemus dicitur: De quâ ſignificatione. Vide ſuprà,* Fundus.

Sæpiùs, pro habitu poſſidendi. Quo ſenſu Poſſeſſio appellata eſt (ut & Labeo ait) à ſedibus, quaſi POSITIO; quia naturaliter tenetur ab eo qui ei inſiſtit. Quam Græci ΚΑΤΟΧΗ'Ν dicunt *l.* 1. *ff. de Adquir. poſſeſſ.*

POSSIDERE *eſt rem tenere vel ei corporaliter inſiſtere. Et* POSSIDERE videtur quiſque, non ſolùm ſi ipſe poſſideat, ſed & ſi ejus nomine aliquis in poſſeſſione ſit; licèt is ejus juri ſubjectus non ſit, qualis eſt colonus & inquilinus. *Inſtit. lib.* 4. *Tit.* 15. § 5.

Poſſeſſio CIVILIS *eſt rei detentio quæ adjunctam habet opinionem affectumque juſti dominii hujus rei.*

NATURALIS poſſeſſio, *eſt nuda rei detentio.*

POSSIDERE *pro* EMPTORE, *pro* DOTE, *pro* LEGATO, *&c. eſt poſſidere rem quæ ex causâ emptionis, dotis, legati-ve, nobis tradita eſt.*

POSSIDERE *pro* SUO, *eſt poſſidere animo & affectu domini.*

POSSIDERE *pro* POSSESSORE *dicitur, qui ſine causâ poſſidet; nec aliud dicere poteſt, quàm quòd de facto poſſideat.*

ANIMO ſolo poſſidere *dicitur; qui rem ſemel à ſe adprehenſam, tantiſper vacantem relinquit, animo ad eam revertendi.*

IN POSSESSIONE eſſe, *non eſt* Poſſidere; *ſed rem alteri, non ſibi, detinere.*

QUASI-POSSIDERE *refertur ad jura; quæ propriè non poſſidemus, ſed quodammodo poſſidere intelligimur quum his utimur.*

¶ POSSIDERE *VI*, Clàm, Precariò, Bonâ *vel malâ* fide; *& alia quæ ſpectant ad varias poſſeſſionis qualitates, rectè definiri poſſunt per ea quæ hìc ſubjiciuntur.*

Generaliter quis aut BONA *aut* MALA FIDE *poſſidet. Et id frequenter in Jure attenditur; putà in* Petitione hereditatis (*lib.* 5. *Tit.* 2.) *& in* Rei vindicatione (*lib.* 6. *Tit.* 1.) *circa quas notavimus diſcrimina inter Bonæ & malæ fidei poſſeſſorem; item in* Publicianâ (*d. lib.* 6. *Tit.* 2.) *quæ bonæ fidei poſſeſſori competit, non etiam prædoni; in* Uſucapione, *ad quam bonæ fidei poſſeſſio requiretur* (*lib.* 41. *Tit. III. Sect.* 3. *art.* 4.); *& aliàs, paſſim.*

Porrò BONÆ FIDEI POSSESSIO *eſt, quum quis ex juſtâ causâ rem ſuam credit.*

Contrà, MALÆ FIDEI POSSESSIO *dicitur; quum quis rem tanquam ſuam poſſidet, quam ſcit aut ſcire debet non eſſe ſuam. Poſſidet autem, vel ſimpliciter* Malâ fide; *vel* Clàm, *aut* Vi, *aut* Precario (*h*).

CLAM poſſidere eum dicimus, qui furtivè ingreſſus eſt poſſeſſionem; ignorante eo quem ſibi controverſiam facturum ſuſpicabatur, & ne faceret, timebat. Is autem qui, quum poſſideret non clàm, ſe celavit; in eâ causâ eſt, ut non videatur Clàm poſſidere. NON ENIM RATIO OBTINENDÆ POSSESSIONIS, SED ORIGO NANCISCENDÆ EXQUIRENDÆ EST. Nec quemquam clàm poſſidere incipere, qui ſciente aut volente eo quem ea res pertinet, aut aliquâ ratione, bonæ fidei poſſeſſionem nanciſcitur. Itaque (inquit Pomponius) CLAM nanciſcitur poſſeſſionem, qui futuram controverſiam metuens, ignorante eo quem metuit, furtivè in poſſeſſionem ingreditur. *l.* 6. *ff. de Adquir. poſſeſſ.*

VI poſſidere eum definiendum; qui expulſo vetere poſſeſſore, acquiſitam poſſeſſionem per vim obtinet; aut qui in hoc ipſum aptatus & præparatus venit, ut

(*a*) Et quidem, etiam *Equites* Romani.

(*b*) Hìc intellige, non eos ſolùm qui in Senatum lecti erant; ſed omnes *Patricios*, id eſt, Senatorii generis perſonas.

(*c*) Videtur Gaius hoc ſcripſiſſe ad illud Juris Decemviralis Caput, *Patribus cum* PLEBE *jus connubii nec eſto*: quod brevi abrogatum rogatione Canuleii Trib. plebis, de quâ ſuprà lib. 23. Tit. *de Ritu nupt.* N. 56. Huic tamen diſtinctioni adhuc locus eſt in quibuſdam Juris partibus, in quibus vario Jure utuntur Plebii & Patricii; putà circa connubium ipſum, quod cum certis perſonis interdicitur *Patriciò*; item circa immunitates quaſdam Patriciis proprias, &c.

(*d*) In *Quantitate* verum rei pretium, in *Æſtimatione* id quod intereſt, continetur. Utroque autem ſimul computato, ita ut ad *Aureos* uſque *triginta* V. G. aut circiter procedat; tunc id quod excedit eam ſummam, & deſignatur verbo PLURIS, ad minutulam ſummam poteſt redigi; puta, *Triginta aureos*, & obolum. Ita hæc lex ex ſuperiori interpretanda eſt, & viciſſim. Unde patet; verbum PLURIS, in taxandâ quæcumque judicio petitur quantitate, eſſe ſuperfluum.

(*e*) Quamvis PORTUS propriè dicatur; *nihilominùs* etiam *ſtatio* eſt, juxta etymologiam mox infra. PORTUS igitur & STATIO, idem ſunt.

(*f*) *Inde*, à Portu; quaſi aditus ad Portum.

(*g*) *Stationis* nomine.

(*h*) Pertinent quæ ſequuntur, ad Interdicta. Tenetur Interdicto *De clandeſtinâ poſſeſſione*, qui CLAM; Interdicto *Unde-vi*, qui VI; Interdicto *De precario*, qui PRECARIO poſſidet. Interdictum denique UTI POSSIDETIS, ita datur poſſeſſori; ſi non VI, *Clàm*, *Precario* ab eo adversùs quem experitur poſſidet.

contra

Source : BIU Cujas

contra bonos mores, auxilio ne prohiberi possit ingrediens in possessionem facit. Sed qui per vim possessionem suam retinuerit, Labeo ait non VI possidere. *l.* 1. § 28. *ff. de Vi & vi arm.*

Possidere seu Habere PRECARIO videtur, qui possessionem vel corporis vel juris adeptus est, ex hâc solummodo causâ quòd preces adhibuit, & impetravit ut sibi possidere aut uti liceat. *l.* 2. § 3. *ff. de Precar.*

Quinetiam, ut Paulus definit Sententiarum *lib.* 5. *Tit.* 6. PRECARIÒ possidere videtur, non tantùm qui per epistolam vel quâcumque aliâ ratione hoc sibi concedi postulavit: sed & is qui nullo voluntatis indicio, patiente tamen domino, possedit. *d. tit.* § 16.

* BONORUM POSSESSIO. *Vide suprà*, Bona.

Mittere in POSSESSIONEM *bonorum aut alicujus rei, Prætor dicitur; quum permittit alicui, ut bona aliam-ve quampiam rem detineat, donec sibi satisfiat.*

Mitti in POSSESSIONEM *bonorum debitoris, Rei servandæ causâ; id est, crediti servandi causâ:* Permettre au Créancier de saisir les biens de son débiteur.

Mitti in POSSESSIONEM *legatorum servandorum causâ;* Permettre au légataire de saisir & arrêter les biens de la succession.

Mitti in POSSESSIONEM *ex causâ damni infecti, vide suprà* Damnum.

POSSIDERE jubere, & IN POSSESSIONEM MITTERE, *valdè differunt.* In possessionem mittit *me Prætor, quum permittit ut detineam rem; ut sim in possessione duntaxat, non ut eam possideam.* JUBET POSSIDERE, *quum jubet ut rem possideam, eamque jure dominii habeam.*

CLXXII.

POSTERIORES, Posteri: *omnes descendentes. Quæritur autem, an hæc appellatio extendatur etiam ad libertos; qui nomen familiæ aut gentis manumissorum assumebant? Verùm* POSTERORUM appellatione liberos tantummodò, non etiam libertos eorum.... contineri, nequaquàm incertum est. *l.* 83. § 1. *ff. de Legatis* 3°.

POSTHUMUS.

Propriè POSTHUMOS dicimus eos duntaxat qui post mortem parentis nascuntur. *l.* 3. § 1. *ff. de Injur. rupt. testam.*

Improprièe POSTHUMI *vocantur, aut potiùs* Posthumorum loco *esse dicuntur; qui post testamentum patris nascuntur.*

Posthumi SUI *vocantur; qui si vivo testatore nati essent proximum in ejus familiâ obtinuissent locum. Cæteri vocantur* Posthumi ALIENI.

De his, & variis Posthumorum speciebus vide lib. 18. *Tit.* de Lib. & posth. *Sect.* 2ª.

POSTLIMINIUM, Postliminio reversus.

Dictum est POSTLIMINIUM à LIMINE & POST. Undè eum qui ab hostibus captus est, & in fines nostros postea pervenit, POSTLMIINIO REVERSUM rectè dicimus. Nam limina sicut in domo finem quemdam faciunt, sic & Imperii finem esse LIMEN Veteres voluerunt. Hinc & LIMEN dictum est, quasi finis quidam & terminus. Ab eo POSTLIMINIUM dictum est; quia ad idem Limen revertebatur quod amiserat. *Instit. lib.* 1. *Tit.* 12. § 5.

* POSTQUAM *in quo differat à* Quum; *vide infrà*, Quum.

POSTULARE, Postulatio: lib. 3. *Tit.* 1.

POSTULARE est desiderium suum vel amici sui, in Jure apud eum qui jurisdictioni præest, exponere; vel alterius desiderio contradicere. *l.* 1. § 2. *ff. de Postuland.*

Aliàs, Postulare *sumitur pro* Accusare.

POTESTAS: passim ubique.

POTESTATIS verbo plura significantur; in personâ Magistratuum, imperium; in personâ liberorum, patria potestas; in personâ servi, dominium. At quum agimus de noxæ deditione cum eo qui servum non defendit, præsentis corporis copiam facultatemque (*a*) significamus. In Lege Atiniâ; in POTESTATEM domini rem furtivam venisse videri, & si ejus vindicandæ (*b*) potestatem habuerit, Sabinus & Cassius aiunt. *l.* 215. PAUL. LIB. SING. AD L. FUSIAM-CANIN.

CLXXIII.

¶ *PRÆCEPTIO*, Prélévement; *ut quum dicimus, Legatum* Præceptionis. PRÆCEPTIONES *in judicio Familiæ erciscundæ. Indè* PRÆCIPUUM, *quod præcipitur nec in divisionem venit;* Préciput.

¶ *PRÆDES, sponsores:* des Cautions.

PRÆDIUM. Vide suprà, Fundus.

PRÆDIA ALIQUORUM; *putà, quum dicitur, alveum exsiccatum, insulam-ve in flumine natam, eorum fieri* QUORUM SUNT PRÆDIA *ripæ vicina; &c.*

PRÆDIA dicimus ALIQUORUM esse, non utique communiter habentium ea, sed vel alio aliud habente (*c*). *l.* 96. § 1. CELSUS LIB. 25. DIGEST.

PRÆDIA *Rustica, Urbana; qualia accipiuntur in sermone vulgari, & Oratione Severi de Rebus Minorum, &c.*

Prædia RUSTICA *sunt, quæ ad fructus parandos destinata sunt;* URBANA, *quæ habitationi aut voluptati inserviunt. Undè ita Ulpianus* (*d*):

Urbana prædia, omnia ædificia accipimus; non solùm ea quæ sunt in oppidis, sed & si fortè stabula sunt (*e*), vel alia meritoria (*f*), in villis & in vicis; vel si prætoria (*g*) voluptati tantùm deservientia: quia URBANUM prædium, non locus facit, sed materia (*h*). Proindè hortos quoque, si qui sunt in ædificiis constituti, dicendum sit URBANORUM appellatione contineri. Planè si plurimùm horti in reditu sunt, vinearii fortè, vel etiam olitorii; magis hæc non sunt URBANA. *l.* 198. ULP. LIB. 2. DE OMNIB. TRIBUNAL.

Diverso aliquatenùs sensu, in tractatione de servitutibus prædiorum: Ædificia omnia, URBANA prædia appellamus; etsi in villâ ædificata sint. *Instit.* Tit. *de Servit. præd.* § 1.

RUSTICA *verò, quæ in nudo solo consistunt.*

¶ *PRÆDO est possessor malæ fidei.*

¶ *PRÆFECTUS* Prætorio, Urbi; *majores Magistratus, de quibus vide suis Titulis lib.* 1.

¶ *PRÆJUDICIA dicuntur, quæ antè exerceri debent: Hoc sensu* PRÆJUDICIALES, sunt *actiones de statu alicujus personæ; putà, an sit liber, an filius.* PRÆJUDICIALIS Exceptio *illa dicitur, quâ actio tantisper excluditur; ne per eam* Præjudicium *fiat alteri majori cognitioni quæ simul concurrit, ideòque antè judicanda est.*

PRÆJUDICIUM *alio sensu sumitur, pro præsumptione; item pro læsione quæ alicui irrogatur.*

¶ *PRÆLEGATUM, quod uni ex heredibus præter partem hereditariam relinquitur. Vide & infrà*, Relegata dos.

¶ *PRÆPOSTERÆ*, stipulationes, conditiones, *&c. quæ obligationem constituunt ante eventum ex quo eam pendere volunt. Et ideò tanquam absurdæ non valent; V. G.* SI navis CRAS venerit, HODIE dabis. *De quibus lib.* 45. *Tit.* de Verb. oblig. *N.* 103. *& seq.*

CLXXIV.

¶ *PRÆSCRIBERE præter vulgarem & grammaticam significationem, sæpiùs in Jure sumitur pro* Exceptionem opponere. *Imò*, PRÆSCRIPTIO *idem est ac exceptio.*

(*a*) Vide lib. 9. Tit. *de Noxal. act.* N. 14.
(*b*) Id est, tunc quum dominus apprehendere potuerit rem sibi surreptam; aut vindicare cœperit, licèt non adprehenderit.
(*c*) Ita ut cuique acquiratur, pro regione sui prædii.
(*d*) Ad Orationem Severi pertinere quod sequitur rectè observat Cujacius, quâ nempè prædia Minorum RUSTICA & suburbana distrahi prohibebantur, quum contrà URBANA distrahi necesse esset Jure Pandectarum.
(*e*) *Logis, Hôtelleries.*
(*f*) Diversoria, fullonica V. G. vel quælibet alia quæ mercede locantur; ita dicta à *Mercendo.*
(*g*) *Maisons de Plaisance.*
(*h*) Et destinatio.

Source : BIU Cujas

PRÆSCRIPTIO longi temporis, *eſt exceptio quâ is qui decem annis inter præſentes aut viginti inter abſentes fundum bonâ fide poſſedit, vindicationem hujus fundi excludit.* Longiſſimi *verò* temporis *ea dicitur, quâ actiones perſonales quæ olim perpetuæ erant, poſt ſpatium triginta annorum ex quo competere cœperunt, excluduntur; ex Theodoſii Conſtitutione.*

Vide lib. 41. *Tit.* de Uſurpat. & uſucap. *N.* 1. & *Appendicem ad finem ejuſdem libri.*

¶ *PRÆSENS* obligatio, *idem ac pura; quæ nec diem habet nec conditionem.*

PRÆSENS *pecunia*, Argent comptant.

PRÆSES, PROCONSUL; *paſſim.*

PRÆSIDIS nomen generale eſt. Eoque & Proconſules, & Legati Cæſaris & omnes provincias regentes (*a*) licèt Senatores ſint (*b*), Præſides appellantur. *l.* 1. *ff. de Offic. Præſid.*

At PROCONSULIS appellatio, ſpecialis (*c*) eſt. *d. l.* 1.

¶ *PRÆSTARE* caſum, culpam, factum *alicujus*; *eſt damnum quod ex culpâ, aut caſu, facto-ve alicujus contingeret, in ſe recipere.*

PRÆSTATIONES *vocantur, quæcumque alter contrahentium alteri invicem præſtare debet.*

¶ *PRÆSUMPTIO eſt argumentum, quo ex eo quod plerùmque fit, colligitur rem ita ſe habere donec contrarium probetur. Vide exempla lib.* 22. *Tit.* de Prob. & præſumpt. *Sect.* 2. *Quædam tamen ſunt Præſumptiones, quæ probationem in contrarium non admittunt; qua Interpretes vocant* JURIS ET DE JURE.

CLXXV.

¶ *PRÆTERITI liberi dicuntur, qui neque heredes nec exheredes ſcripti ſunt. Hinc* PRÆTERITIO.

¶ *PRÆTOR ſæpè ſumitur, non ſolùm pro* PRÆTORE *qui Romæ Jus dicit; ſed pro quovis Magiſtratu qui juriſdictioni alicui præeſt, ſive Romæ, ſive in provinciis.*

PRÆTORUM Jus, *idem quod* Honorarium; *quod ex Prætorum Edictis deſcendit.*

PRÆTORIÆ actiones *vel* ſtipulationes; Pignus PRÆTORIUM. *Vide* Actio, Stipulatio, Pignus, *ſuis locis.*

PRÆTORIUS *Tutor, id eſt à Magiſtratus datus.*

¶ *PRÆTORIUM, domus in villis habitationi patrisfamilias deſtinata:* le Château.

PRÆVARICARI, PRÆVARICATOR.

PRÆVARICATOR eſt, quaſi varicator, qui diverſam partem adjuvat proditâ cauſâ ſuâ. Quod nomen Labeo à variâ certatione tractum ait. Nam qui prævaricatur, ex utràque parte conſtitit, quinimò ex alterâ. *l.* 1. *ff. de Prævaric.*

Is autem PRÆVARICATOR propriè dicitur, qui publico judicio accuſaverit. *d. l.* 1. § 1.

Per abuſionem tamen, PRÆVARICATORIS *appellatio trahitur interdum & ad Advocatos: qui, ſive in publico ſive in privato judicio clientis ſui cauſam prodant, extra ordinem puniuntur ut* Prævaricatores. *Vide lib.* 47. *Tit.* de Prævaricat. *N.* 2. & 3.

CLXXVI.

¶ *PRAGMATICI vocabantur, qui Juris reſponſa actionumque formulas indoctis cauſarum oratoribus ſubminiſtrabant. A Juriſconſultis eos diſtinguit Kalvinus; quòd illi de jure certo, hi de jure dubio & de conjecturâ voluntatis reſponderent.*

PRAGMATICÆ SANCTIONES; *Principum Reſcripta de negotiis alicujus Univerſitatis, ex conſilio pragmaticorum virorum, id eſt, Juris peritorum emiſſa.*

PRATUM, in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat opus eſt; ex eo dictum quòd paratum ſit (*d*) ad fructum capiendum. *l.* 31. ULP. LIB. 18. AD ED.

PRECARIUM eſt quod precibus petenti utendum (*poſſidendum-ve*) conceditur, tamdiù quamdiù is qui conceſſit, patitur. *l.* 1. *ff. de Precar.*

Hinc ROGARE PRECARIO; *Dare ſeu concedere* Precario, HABERE PRECARIO. *Vide ſuprà*, Poſſeſſio.

CLXXVII.

¶ *PRECES frequenter pro ſupplici libello :* une Requête.

¶ *PRIMIPILI* Centurio (*cujus frequenter in Jure mentio*) *videtur fuiſſe primus Centurio, ad quem negotiorum legionis & æris militaris cura pertineret; ut apud nos* le Major. *Indè* PRIMIPILATUS, *adminiſtratio primipili.*

¶ *PRINCIPALE opponitur acceſſionibus quibuſlibet.*

PRINCIPALES, *primores ordinis Decurionum.*

¶ *PRIVATUS homo, opponitur ei qui in aliquo Magiſtratu eſt. Interdum opponitur militi.*

PRIVATUS *locus, opponitur publico aut Divini juris.*

* PRIVIGNUS. *Vide ſuprà*, Noverca.

¶ *PRIVILEGIUM* propriè *eſt lex quæ non univerſos ſpectat, ſed de privato aliquo homine lata eſt. De quâ re vide quæ diximus ad XII. Tabulas*, Tab. VII.

PRIVILEGIUM *etiam ſumitur pro Jure ſingulari, quod in favorem alicujus conſtitutum eſt, ut privilegia fiſci. Sumitur quoque pro prælatione, ut privilegium actionis* Tutelæ, Dotis, *&c. Hoc ſenſu enim* PRIVILEGIUM *habere dicuntur hæ actiones, quòd mulier aut pupillus qui ex his creditores ſunt, cæteris creditoribus præferantur.*

Privilegia *quædam* PERSONÆ *dicuntur quæ conditioni perſonæ tribuuntur; quædam;* CAUSÆ, *in quibus non perſonæ, ſed cauſa ex quâ debetur, conſideratur. Hoc ſenſu, privilegium ejus qui ob reſtitutionem ædium creditor eſt, habet in his ædibus* Privilegium CAUSÆ. *De his vide lib.* 42. *Tit.* de Reb. auctor. jud. poſſ. *Sect.* 2ª. *art.* 2°.

CLXXVIII.

PROBRUM, opprobrium.

PROBRUM & OPPROBRIUM, idem (*Florent.* id eſt) eſt. Probra quædam naturâ turpia ſunt, quædam civiliter & quaſi more civitatis. Ut putà, furtum, adulterium, naturâ turpe eſt. Enimverò Tutelæ damnari, hoc non naturâ probrum eſt, ſed more civitatis. Nec enim naturâ probrum eſt, quod poteſt etiam in hominem idoneum (*e*) incidere. *l.* 42. ULP. LIB. 57. AD ED.

¶ *PROCONSUL, qui Conſulari poteſtate in provinciâ præerat. Vide ſuprà*, Præſes.

PROCURATOR in negotiis civilibus & criminalibus.

PROCURATOR eſt, qui aliena negotia mandatu domini adminiſtrat. *l.* 1. *ff. de Procurat.*

Sumitur interdum & pro eo qui ſine mandato ea adminiſtrat, id eſt, pro Negotiorum geſtore.

PROCURATOR *quoque dicitur, qui alterius nomine in judicio agit aut defendit.*

PROCURATOR in rem ſuam *dicitur, qui actione aliquâ in alterius perſonâ competenti, ſed ſibi ceſsâ, agit.*

PROCURATOR Cæſaris; *erat Magiſtratus, qui cognoſcebat inter fiſcum & privatos. De cujus officio vide lib.* 1. *Tit.* 19.

PRODIGUS dicitur (*lib.* 27. *Tit. fin.*) Qui neque tempus neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilapidando & diſſipando profundit. *l.* 1. *ff. de Curat. furioſ.*

(*a*) Putà, Præfectus Anguſtalis, &c.

(*b*) *Præſides* enim propriè dicti, ex Equeſtri tantùm Ordine mittebantur. Vide lib. 1. Tit. *de Offic. Præſid.* N. 1.

(*c*) Rectoribus provinciarum quæ Proconſulares ſunt.

(*d*) Unde etiam *Prata antiqui* PARATA *dixêre*: Plin. Hiſt. Nat. XVIII. 5. Eadem etymologia apud Varronem de Ling. Lat. IV. 4. PRATA *dicta ab eo quòd ſine opere Parata.* Idem *de Re ruſt.* I. 7. Et apud Columell. II. 17. Porrò ex inſcriptione legum 1. 3. 5. 9. 27. & aliarum ff. *ad L. Aquil.* evidens eſt hoc referri ad tractatum de Lege Aquiliâ, quâ tenetur qui ſegetem immaturum *Pratum*-ve immaturum ſecuerit.

(*e*) *Idoneus* hîc pro honeſto accipitur. Fieri enim poteſt ut vir honeſtus *Tutelæ* damnetur ob culpam, quo caſu non laborabit infamiâ quæ ei duntaxat irrogatur qui ob dolum damnatur. Vadè igitur intereſt an quis objiciat innocenti probrum quod naturâ probum eſt, ut eum eſſe furem. Hoc caſu eſt injuria, quia furtum quod objicitur eſt ſemper probrum; at ſi cui objiciatur eum *Tutelæ* eſſe damnatum; non ſemper eſt injuria; nec enim ſemper probrum eſt, *Tutelæ* damnari. Conferendo inſcriptionem legum 7. 9. 11. 13. 15. 17. ff. *de Injuriis*, apparet Ulpianum hîc egiſſe de Injuria verbali.

Source : BIU Cujas

* PROFECTITIA *dos*, PROFECTITIUM *peculium. Vide suprà*, Dos Peculium.

¶ *PROFERRE*; *interdum pro* Edere, *palàm facere*: *interdum pro* Prorogare, *differre*: *ut quum dicitur*, PROFERRE diem.

¶ *PROFITERI*, *frequenter pro* Declarare; *ut* PROFITERI natales *pueri*, PROFITERI merces *apud publicanos*, Profiteri *pupilli pecuniam & facultates apud Prætorem*; PROFITERI Censum. *Hinc* PROFESSIONES, Déclarations.

CLXXIX.

PROJECTUM, IMMISSUM; in servitutibus prædiorum urbanorum.

Inter PROJECTUM & IMMISSUM, hoc intereſſe ait Labeo; quòd PROJECTUM eſſet id quod ita proveheretur ut nuſquàm requieſceret, qualia mæniana (*a*) & ſuggrunda (*b*) eſſent. IMMISSUM autem, quod ita fieret ut aliquo loco requieſceret; veluti, tigna, trabes, quæ immitterentur. *l.* 242. § 1. JAVOL. LIB. 2. EX POST. LABEON.

¶ *PROMERCIUM*, *idem ac Commercium.*

PROMERCII CAUSA *res habere, id eſt habere venales.*

¶ *PROMISCUÆ conditiones, quæ facilè impleri poſſunt.*

PRONUNTIARE, ſtatuere; in Edicto de Re judicatâ.

PRONUNTIATUM & STATUTUM idem poteſt (*c*). Promiſcuè enim & pronuntiaſſe & ſtatuiſſe ſolemus dicere eos qui jus habent cognoſcendi. *l.* 46. ULP. LIB. 59. AD ED.

¶ *PROPE vel* PROPIUS EST. *Modeſta affirmatio.*

* PROPRIOR SOBRINO. *Vide ſuprà*, Conſobrini.

¶ *PROPRIETAS pro* Dominio *accipitur.* PLENA *vocatur, quum jus fruendi adjunctum habet;* NUDA, *quum ab eâ ſeparatum eſt.*

¶ *PROROGARE, modò pro* Producere, *differre; modò contrario ſenſu pro* Ante *diem erogare, repræſentare*, Avancer.

PROROGATA *Juriſdictio Vide ſuprà*, Juriſdictio.

¶ *PROSCRIBERE, eſt palàm in loco publico propoſito libello ſignificare. Hinc* Proſcribi bona *debitoris dicuntur, quum eorum auctio publicè proſcribitur*: Afficher les Biens en vente.

Hinc PROSCRIPUI *dicuntur, aquâ & igne interdicti; quòd eorum nomina propoſita eſſent in Foro, ne quis eos reciperet.*

PROSPECTUS. Vide ſuprà, Lumen; *in quo hoc ab illo differat. Et hîc conſequenter nota*:

Inter ſervitutes NE LUMINIBUS OFFICIATUR, & NE PROSPECTUI OFFICIATUR, aliud & aliud obſervatur: quòd in Proſpectu plus quis habet, ne quid ei officiatur ad gratiorem proſpectum & liberum. In LUMINIBUS autem NON OFFICERE, ne lumina cujuſquam obſcuriora fiant. *l.* 15. *ff. de Servit. præd. urb.*

Latiùs patet ſervitute Altiùs non tollendi, *de quâ vide lib.* 8. *Tit. II. N.* 3.

CLXXX.

¶ *PROTECTUM*; *idem ferè quod* Projectum.

Hinc ſervitutes Projiciendi & Protegendi; *jus ſcilicet habere domûs ſuæ partem propendentem in aream vicini. Quæ pars, ſi ſit* tecti; *propriè eſt* Protectum, *ſeu ſervitus* Protegendi, *id eſt jus producendi tectum.*

PROTUTOR vocatur falſus tutor. Scilicet Pro tutore negotia gerit, qui munere tutoris fungitur in re imputeris; ſive ſe putet tutorem, ſive ſcit non eſſe, fingit tamen eſſe. *l.* 1. § 1. *ff. de Eo qui pro tut.*

PROTUTELÆ *actiones; quæ in protutorem vel protutori, ad inſtar actionum* Tutelæ *dantur. De quibus vide lib.* 27. *Tit. V.*

PROVINCIALES; putà, in Conſtitutionibus quæ prohibent ne Provincialis *nubat ei qui in provinciâ officium adminiſtrat, &c.*

PROVINCIALES eos accipere debemus qui in provinciâ domicilium habent, non eos qui ex provinciâ oriundi (*d*) ſunt. *l.* 190. ULP. LIB. 34. AD ED.

PROVINCIALIA prædia *opponuntur* Italicis: *ea nempè quæ dominio ipſorum penès Populum Romanum remanente, à privatis ſub lege certi ſtipendii aut tributi poſſidebantur.*

¶ *PROVOCARE, appellare.*

¶ *PROUT pro* Sicut: *V. G.* Prout juris eſt.

¶ *PRUDENS pro ſciente accipitur.*

PRUDENTES *vocantur Juriſconſulti.* RESPONSA *Prudentum, id eſt Juriſconſultorum placita.*

CLXXXI.

¶ *PUBERES vocantur, maſculi anno decimo-quarto, fœminæ anno duodecimo: & hæc ætas,* PUBERTAS *ſimpliciter appellatur.* PLENA *verò* pubertas *dicitur in maſculis anno decimo-octavo, in fœminis quarto-decimo.*

PROXIMI PUBERTATI, *qui ſint, non videtur in Jure definitum. Probabile eſt eos dici qui magis ab ætate infantiæ quæ ſeptennio terminatur, remoti ſunt; quàm ab ætate pubertatis: adeòque undecimo anno* Proximum pubertati *quem dici poſſe.*

¶ *PUBLICA res, Publicanus, Publicum, &c.*

PUBLICÆ *res duplici ſenſu accipiuntur. Et priori quidem, pro illis rebus quæ publicis uſibus inſerviunt; qualia ſunt flumina, & eorum ripæ (e); portus: ſtationes; quædam etiam ſtagna, lacus, & foſſæ. l. un.* § 6. *ff.* Ut in flum. publ. navig.

Altero ſenſu; Inter PUBLICA habemus, non ſacra nec religioſa, nec quæ publicis uſibus deſtinata ſunt; ſed ſi qua ſunt civitatum velut bona. Sed (*f*) peculia ſervorum civitatum, procul dubio PUBLICA habentur. *l.* 17. ULP. LIB. 10. AD ED.

Quanquam Bona civitatis abuſivè PUBLICA dicta ſunt. Sola enim ea Publica ſunt, quæ Populi Romani ſunt. *l.* 15. IBID.

Igitur V. G. ea ſola propriè PUBLICA vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiſcus capit; quale eſt vectigal Portûs (*g*), vel venalium rerum (*h*), item ſalinarum (*i*) & metallorum, & picariarum (*k*). *ſup. d. l.* 17. § 1.

Pariterque Eum qui vectigal Populi Romani conductum habet, PUBLICANUM appellamus: nam PUBLICA appellatio in compluribus cauſis ad Populum Romanum reſpicit. Civitates enim, privatorum loco habentur. *l.* 16. GAIUS LIB. 3. AD ED. PROVINC.

Igitur PUBLICANI dicuntur, qui publica vectigalia habent conducta. *l.* 12. § *fin. ff. de Publican.*

Et generaliter Omnes qui quid à fiſco conducunt, rectè appellantur PUBLICANI. *l.* 1. § 1. *ff. d. tit.*

Nam Publicani ſunt, qui Publico fruuntur; & indè nomen habent. *d.* § 1.

Abuſivè tamen PUBLICANUS *dici poteſt* Præterea, & ſi quis vectigal conductum à Republicâ cujuſdam municipii (*l*) habet. *l.* 13. § 1. *ff. d. tit.*

Alio prorsùs ſenſu vox illa PUBLICUM *accipitur, alibi*

(*a*) *Balcons.*
(*b*) *Auvents* ou *Gouttieres.*
(*c*) Probabile eſt, in Edicto DE *Re judicatâ* [de quâ Ulpianum hîc egiſſe colligitur ex ſimilitudine inſcriptionis cum l. 5. ff. *de Re judic.*] has formulas fuiſſe promiſcuè uſurpatas; *Quâ de re* PRONUNTIAVERIT, *Quâ de re* STATUERIT.
(*d*) Duntaxat, nec ibi domicilium habent.
(*e*) Ripæ, licèt quoad proprietatem ſint privatorum qui adjacentia prædia habent, quoad uſum *Publicæ* ſunt. Unde etiam de his datur Interdictum *Ne quid in flumine Ripâ-ve ejus, &c.* lib. 43.
(*f*) *Sed* pro *Verbi gratiâ.*
(*g*) Octava mercium advehendarum & evehendarum. Vide lib. 39. Tit. *de Publican.* N. 13.
(*h*) Id eſt, ob publicè proponendum rerum venditionem. Quod vectigal Cujacius ait fuiſſe, Ducenteſimam mancipiorum venalium; cæterarum rerum, modò Centeſimam, modò Ducenteſimam.
(*i*) Quod ſcilicet penditur ex conductione publicarum ſalinarum & fodinarum.
(*k*) In quibus *Pix* foſſilis coquitur, Cujac. ad h. l.
(*l*) V. G. *les Octrois d'une ville.*

Source : BIU Cujas

passim; *putà in Edicto* DE *fugitivis*, *quo jubentur qui eos adprehendunt*, *illos* IN PUBLICUM *deducere.*

IN PUBLICUM deduci intelliguntur, qui Magistratibus municipalibus traditi sunt, vel publicis ministeriis. *l.* 1. § 6. *ff. de Fugitiv.*

* PUBLICA *Judicia*, *officia. Vide suprà*, Judicium, Officium.

PUBLICÆ PERSONÆ appellantur, non solùm Magistratus & eorum officiales; sed etiam servi publici, ut quum dicitur tutorem cavere debere Personæ publicæ, *id est servo publico qui pro pupillo stipuletur.*

¶ *PUBLICIANA actio; est utilis Vindicatio quæ datur ei qui rem bonâ fide possidere cœperat; ad eam, quum ejus possessione excidit, vindicandam: sic dicta ab auctore suo* Publicio *Prætore. De quâ, Lib.* 6. *Tit. II.*

CLXXXII.

PUERI appellatio tres significationes habet; unam, quum omnes servos PUEROS appellaremus; alteram, quum PUERUM contrario nomine PUELLÆ diceremus; tertiam, quum ætatem Puerilem demonstraremus. *l.* 204. PAUL. LIB. 2. EPITOM. ALFENI.

¶ *PULSARE. Vide infrà*, Verberare. *Quandoque etiam* PULSARE *dicitur pro convenire in judicio*, Affigner quelqu'un. *Hinc* PULSATUS; *in judicio conventus.*

PUPILLUS, *pupilla*; *passim.*

Propriè Pupillus est; qui, quum impubes est, desiit in patris potestate esse, aut morte (*a*), aut emancipatione. *l.* 239. POMPON. LIB. SING. ENCHIRID.

Latè tamen quandoque, pro quovis impubere accipitur: ut in l. 141. § 2. *ff.* de Verb. oblig.

Cæterùm Non est PUPILLUS, qui in utero (*b*) est. *l.* 161. ULP. LIB. 7. AD SABIN.

* PUPILLARIS *substitutio*, PUPILLARES *usuræ. Vide infrà*, Substitutio, Usuræ.

PURE, *id est sine die & conditione. Hinc* PURA *libertas*, *obligatio*, *stipulatio*; *legatum* PURUM: *id est*, *præsens*, *quod nec diem nec conditionem habet.*

PURUS locus, *plerùmque opponitur sacro aut religioso. Nam* PURUS locus dicitur, qui neque sacer, neque sanctus est, neque religiosus; sed ab omnibus hujusmodi nominibus vacare videtur. *l.* 2. § 4. *ff. de Relig. & sumpt.*

Aliàs tamen interdum opponitur ædificato.

Q

CLXXXIII.

¶ *QUADRANS*, *quarta pars assis. Hinc heres* EX QUADRANTE *scriptus*, *id est ex quartâ parte hereditatis.* QUADRANTES *usuræ*; le quart d'un pour cent par mois, Trois pour cent par an.

Sumitur etiam QUADRANS *pro Quartâ quæ ex Lege Falcidiâ aut ex Senatusconsulto Trebelliano heredi debetur. Vide suprà*, Falcidia.

* QUÆ IN FUNDO SUNT. *Vide suprà*, Fundus.

¶ *QUÆSITOR*, *qui publicæ quæstioni seu publico judicio præest.*

QUÆSTIONES PUBLICÆ, *pro judiciis criminalibus.*

QUÆSTIO *interdum sumitur pro interrogatione quæ fit cum tormentis*, *ad eruendam à reo vel à testibus veritatem: lib.* 48. *Tit. XVIII.*

¶ *QUÆSTOR*; *Magistratus*, *de cujus officio & de variis Quæstorum speciebus*, *vide lib.* 1. *Tit. XIII.*

QUÆSTORES Ærarii.

Quum Ærarium Populi auctius esse cœpisset.... constituti sunt QUÆSTORES qui pecuniæ præessent; dicti ab eo quòd inquirendæ & conservandæ pecuniæ causâ creati erant. *l.* 2. § 22. *ff. de Orig. jur.*

Undè Et hos à genere quærendi QUÆSTORES initio dictos, & Junius & Trebatius... scribunt. *l. un.* § 1. *ff. de Offic. quæst.*

QUÆ VIVUS PRÆSTABAM; *putà*, *si quis ita legaverit libertis suis &c.*

His verbis QUÆ VIVA PRÆSTABAM, ea videntur relicta quæ certam formam erogationis annuæ, non incertam liberalitatis voluntatem habuerunt. *l.* 10. § 1. *ff. de Annuis leg.*

Vide lib. 34. *Tit.* de Alim. leg. *Art.* 4.

CLXXXIV.

¶ *QUAM*, *interdum comparativè sumitur sub audiendo* Magis; *vel etiam pro* Priusquàm.

¶ *QUAMVIS*, *interdum pro* Quia.

¶ *QUANDIU*, *pro* Quoad.

¶ *QUANDOQUE*; *in legatis. V. G.* Rogo QUANDOQUE heres meus Titio decem det. Utique decem heres debebit. Sed Quando, dubitari potest?... Quum primùm potuerit. *l.* 29. *ff. Quando dies leg. ced.*

* QUANTA PECUNIA. *Vide suprà*, Pecunia.

QUANTI-(*vel*) QUANTOMINORIS *actio. Vide suprà*, Æstimatoria.

¶ *QUANTITATIS* Legatum *vel* Obligatio *dicitur; quum certa mensura frumenti aut vini, certum pondus argenti &c. aut similium rerum, legatum promissum-ve est. Opponiturque legato vel obligationi certæ* Speciei *aut corporis.*

QUANTI res EST, QUANTI rem PARET esse; *passim in Edictis Prætorum & actionum formulis.*

Inter hæc verba QUANTI EA RES ERIT, vel QUANTI EAM REM ESSE PARET, nihil interest. In utrâque enim clausulâ placet veram rei æstimationem fieri. *l.* 179. ULP. LIB. 51. AD SABIN.

Enimverò Hæc verba, QUANTI EAM REM PARET ESSE, non ad quod interest (*c*), sed ad rei æstimationem referuntur. *l.* 193. ULP. LIB. 38. AD ED.

Ampliùs est in hâc locutione, QUANTI *actor juraverit dari sibi oportere.*

Nam Verbum (*d*) OPORTERE, non ad facultatem judicis pertinet, qui potest vel pluris vel minoris condemnare; sed ad veritatem refertur. *l.* 37. PAUL. LIB. 26. AD ED.

¶ *QUARTA* Divi Pii, *id est*, *Quarta pars bonorum adrogatoris; quæ adrogato debetur si ipsum emancipaverit aut exheredaverit. Lib.* 1. *Tit.* de Adoption. *N.* 30. *& seq.*

¶ *QUASI-CONTRACTUS vocantur*, *facta licita nullam conventionem continentia; ex quibus perindè atque ex contractu obligatio nascitur. Talis est gestio negotiorum absentis*, *solutio indebiti per errorem facta*, *tutela*, *&c.*

* QUASI-POSSESSIO. *Vide suprà*, Possessio.

QUASI-USUSFRUCTUS dicitur, *rerum quæ ipso usu consumuntur; quum alicui hâc lege certa quantitas earum datur*, *ut quum mortuus fuerit aut capite minutus*, *eamdem quantitatem reddat.*

CLXXXV.

¶ *QUERELA* INOFFICIOSI *testamenti*, *est actio quâ quis adversùs heredem scriptum petit hereditatem*; *sub eo prætextu quòd testamentum in quo immerenter exheredatur præteritus-ve est*, *contra officium pietatis factum*, *adeòque infirmandum contendit. Lib.* 5. *Tit.* 2.

Hæc Querela PRÆPARATA *dicitur; quum is cui competebat*, *voluntatem suam hujus querelæ instituendæ*, *aliquo facto significavit.* d. tit. *N.* 52.

(*a*) Patris.

(*b*) Hinc V. G. posthumo tutor datus, non incipit esse tutor nisi quum nascitur infans. Interim *Ventri* curator datur.

(*c*) Æstimatio fit non ex affectione actoris, sed ex rei veritate. En in hoc differunt hæ clausulæ, ab illâ QUANTI *actor juraverit*. Vide Notam seq.

(*d*) Sensus est: Quum dicitur judicium dari QUANTI actor juraverit dari sibi *Oportere*, verbum illud *Oportere* non refertur ad judicem, seu ad judicis facultatem; hoc sensu ut absolutè oporteat judicem stare jurijurando: nam judex potest non sequi jusjurandum, & pluris vel minoris condemnare ut vidimus lib. XI. Tit. *de In lit. jur.* N. *fin.* Sed hoc verbum *Oportere*, refertur ad veritatem causæ & affectionis actoris. Ita Goeddæus ad h. l.

Source : BIU Cujas

¶ *QUINCUNX*, *quinque duodecimæ partes assis. Heres ex* QUINCUNCE *scriptus* ; *id est*, *ex* $\frac{5}{12}$. QUINCUNCES *usuræ*, les $\frac{5}{12}$ d'un pour cent par mois, Cinq pour cent par an.

¶ *QUIRITIUM Jus*; JURE QUIRITIUM *liber*, *dominus*, *id est*, *qui* Civilem *& cum jure civitatis conjunctam libertatem*, *qui* Civile *dominium habet*, *&c.*

QUISQUE. In testamentis : *putà*, *Quantâ* QUISQUE *ex parte heres.*

Hoc articulo QUISQUE, omnes significantur. *l.* 29. *ff. de Hered. instit.*

Vide exemplum in d. l. ad Titulos de Legatis *N.* 264.

* QUOD JUSSU actio. *Vide suprà*, Jussum.

¶ *QUORUM BONORUM Interdictum vocatur*, *quo is qui Bonorum possessionem sibi delatam agnovit*, *bona persequitur adversùs quemcumque qui ea* Pro herede *aut* Pro possessore *possideret. Lib.* 43 *Tit. II.*

QUORUM (*aliàs QUOD*) *LEGATORUM Interdictum*; *quo heredi rem*, *quam legatarius propriâ auctoritate occupavit*, *restitui Prætor jubet. Lib.* 43. *Tit. III.*

QUOTANNIS, *Quot-diebus*, *Quot-mensibus*, *in legatis & fideicommissis.*

Pomponius scribit ; Nihil interesse utrùm In annos singulos vel Quotannis, an In singulos menses vel Quot-mensibus, an In singulos dies vel Quot-diebus legetur. *l.* 12. § 6. *ff. Quando dies leg. ced.*

CLXXXVI.

QUUM, *valdè differt à* POSTQUAM. *De diversâ autem horum verborum significatione*, *ita Javolenus.*

Inter illam conditionem QUUM FARI POTUERIT, & ... POSTQUAM FARI POTUERIT multùm interest; nam posteriorem scripturam uberiorem esse constat. At QUUM fari potueri arctiorem, & id tantummodò tempus significare quo primùm (*a*) fari possit. *l.* 217. JAVOLEN. LIB. 1. EX POSTER. LABEON.

QUUM *Commodum erit*, QUUM *potuero*, *&c. in stipulationibus.*

Nepos Proculo suo salutem. « Ab eo qui ita dotem » promisit, QUUM COMMODUM ERIT, dotis filiæ meæ » tibi erunt aurei centum ; putas-ne protinùs nuptiis » factis dotem peti posse ? Quid si ita promisisset ; » QUUM POTUERO doti erunt ? Quòd si aliquam vim » habeat posterior obligatio ; POSSIT verbum, quo- » modo interpretaris ; Utrùm ære alieno deducto, an » extante ? » Proculus : Quum dotem quis ita promisit, QUUM POTUERO, doti tibi erunt centum : existimo ad id quod actum est interpretationem redigendam esse. Nam qui ambiguè loquitur, id loquitur quod ex his quæ significantur, sensit. Propius est tamen ut hoc eum sensisse existimem, DEDUCTO ÆRE ALIENO POTERO. Potest etiam accipi illa significatio, QUUM salvâ dignitate meâ potero : quæ interpretatio eo magis accipienda est, si ita promissum est QUUM COMMODUM ERIT, hoc est quum sine incommodo meo potero. *l.* 125. PROCUL. LIB. 5. EPIST.

QUUM IN TUTELAM SUAM PERVENERIT, Quum SUI JURIS factus erit, Quum SUÆ ÆTATIS *&c. in legatis & ultimis voluntatibus. Hæ scripturæ pro circumstantiis vario sensu accipiuntur.*

Et 1°. *Si impuberi*, *sive patrifamilias*, *sive* Filiofamilias ita legatur QUUM IS IN TUTELAM SUAM PERVENERIT ; pubertatis tempus significatur. *l.* 50. *ff. de Legatis* 3°.

Si jam puberi, minori tamen viginti-quinque annis legavit ; procul dubio, anni viginti-quinque erunt præstituti. *d. l.* 50. § 1.

Interdum idem significat Ac si dixisset, In suam tutelam & in suam POTESTATEM. *d. l.* 50. *pr.*

Vide lib. 35. *Tit.* de Cond. & dem. *N.* 184.

2°. Si quis ita scripserit, QUUM SUI JURIS FUERIT FACTUS... aliter aliàs accipiatur. Et plerùmque potestatis liberationem continet, plerùmque pubertatem, vel vicesimum-quintum annum. *d. l.* 50. § 4.

3°. Idem & si quis, Quum SUÆ ÆTATIS fuerit factus vel LEGITIMÆ ÆTATIS. Utrùm de pubertate an de viginti-quinque annis sensit ; disputari de voluntate potest. *d. l.* 50. § 6.

Vide d. tit. N. 185.

QUUM NUPTA ERIT ; *putà*, *si decem legentur mulieri sub hâc conditione.*

Hoc sermone QUUM (*Florent.* Dum) NUPTA ERIT, primæ nuptiæ (*b*) significantur. *l.* 89. § 1. POMPON. LIB. 6. AD SABIN.

Et quidem justæ demùm nuptiæ hanc conditionem implent ; perfectæ scilicet, *quamvis nondum consummatæ. Tit.* de Cond. & dem. *N.* 188. *& seq.*

Cæterùm PRIMÆ *hîc intelliguntur post conditionem appositam. Nam* Si ita legatum esset, QUUM NUPSERIT ; si nupta fuerit, & hoc testator sciisset, alterum matrimonium erit expectandum. *l.* 68. *ff. de Cond. & dem.*

QUUM PETIERO, QUUM petieris, *&c. in stipulationibus & legatis.*

Ex his verbis QUUM PETIERO..... admonitionem magis.... quàm conditionem habet stipulatio. *l.* 48. *ff. de Verb. oblig.*

Idem circa legata : l. 85. *ff.* de Cond. & dem.

QUUM VOLUERO, Quum volueris : *verba hæc diversum in stipulationibus ac in legatis sensum & effectum habent.*

Hæc adjectio in ultimis voluntatibus QUUM VOLUERIT, tractum habet quamdiù vivat is à quo relictum est. *l.* 11. §. 6. *ff. de Legatis* 3°.

Contrà Si ita stipulatus fuero, QUUM VOLUERIS... inutilem esse stipulationem... ita... si antequàm constituas (*c*) morieris... verum est. *l.* 36. § 2. *ff. de Verb. oblig.*

Illam autem stipulationem, SI VOLUERIS dari, inutilem esse (*d*) constat. *d. l.* 46. § 3.

R

CLXXXVII.

¶ *RAPINA*, *Raptus.*

RAPINA *est furtum vi adhibitâ factum. Undè* Actio *quæ dicitur* VI BONORUM RAPTORUM. *Lib.* 47. *Tit.* VIII.

RAPTUS *verò in personas cadit*, *quæ per vim abducuntur*, *aut quibus per vim stuprum infertur.*

RATIO, *quam Argentarii cuique exhibere debent.*

RATIONEM esse Labeo ait ; Ultrò citrò dandi, accipiendi, credendi, obligandi, solvendi, suî causâ, negotiationem. *l.* 6. § 3. *ff. de Edend.*

¶ *RATIONIBUS* DISTRAHENDIS actio *vocatur ; quæ contra tutorem*, *qui pupillum fraudavit*, *in duplum competit. De quâ vide Tit.* de Tut. & rat. distr. *lib.* 27.

RATUM (Valable) *opponitur* IRRITO.

RATUM HABERE *seu* Rem haberi ratam, hoc est comprobare adgnoscereque quod actum est à falso procuratore. *l.* 12. § 1. *ff. Ratam rem hab.*

Et hæc approbatio, RATIHABITIO *vocatur.*

Stipulatio REM RATAM HABERI, *seu* DE RATO, *est stipulatio Prætoria ; quam is qui sine mandato agit alieno nomine*, *exhibere debet ; & quâ promittit eum cujus nomine agit*, Ratum *habiturum quod judicatum erit. Vide lib.* 46. *Tit. VIII.*

(*a*) Putà, si ita scripta sit conditio ; SI POSTQUAM FARI CŒPERIT, *Capitolium ascenderit Titius* ; conditio impletur quoquo tempore ascenderit, postquàm fari cœperit. Quòd si ita scriptum sit, SI QUUM FARI POTERIT, *ascenderit* ; conditio non impletur, nisi ascendat eo præcisè tempore quo fari cœperit ; non si jam grandior natu factus ascendat. Cujac.

(*b*) Id est ; non hanc habet significationem, *Quotiescumque nubet* ; sed, *Quum primùm nubet.*

(*c*) Dare.

(*d*) Absolutè : superiorem verò, ita demùm si mortuus fuerit promissor antequàm dare constituerit.

Source : BIU Cujas

CLXXXVIII.

RECIPERE, *vario sensu accipitur.*

Sæpè significat promittere, *suscipere in se: ut*, Recipere periculum, *est in se suscipere & de periculo cavere.*

RECIPERE *sumitur etiam pro excipere ; ut quum in venditione fundi V. G. res vel pars aliqua* Recipitur, *id est excipitur & non comprehenditur.*

In Edicto DE servo correpto, *adversùs eum qui servum recepit*: Est propriè RECIPERE, refugium abscondendi causâ servo præstare, vel in suo agro, vel in alieno loco ædificio-ve. *l.* 1. § 2. *ff. de Servo corr.*

* RECIPERE *arbitrium. Vide suprà*, Compromissum.

¶ *RECEPTUM vocatur conventio quâ Argentarius civilibus verbis constituebat alieno nomine aliquid solvere. Undè* RECEPTITIA *actio, quam abrogavit Justinianus & in actionem* Constitutæ pecuniæ *confudit. Lib. XIII. Tit.* de Pecun. constit.

¶ *RECONVENTIO est mutua petitio ; quum reus à quo petitur, vicissim ab actore petit.* Demande incidente de l'ajourné.

CLXXXIX.

REDIDERE, *in testamentis & conventionibus.*

Verbum REDDENDI quanquàm significatum habet retrò dandi, recipit tamen & per se dandi (*a*) significationem. *l.* 94. CELSUS LIB. 20. DIGEST.

* REDDERE *rationes. Vide suprà*, Edere.

¶ *REDEMPTOR*, *id est*, *conductor*: *ut Redemptor operis*, *vectigalium*, *&c.*

REDHIBERE, *in Edicto Ædilium.*

REDHIBERE est facere ut rursùs habeat venditor quod habuerit. Et quia reddendo id fiebat, idcircò REDHIBITIO est appellata quasi REDDITIO. *l.* 21. *ff. de Ædil. Ed.*

Atque hinc REDHIBITORIA actio *quæ emptori datur contra venditorem, ut rem venditam recipere teneatur propter aliquod vitium quod emptor ignoraverat, & pretium reddere.*

Indè etiam REDHIBITIO.

¶ *REDIMERE* litem, *est pacisci de futuro emolumento litis* : Acheter l'événement d'un Procès.

REDIMERE Sententiam, *est pecuniâ judices corrumpere.*

¶ *REDITUS* fundi *est*, *non ususfructus*, *sed quantitas quæ quotannis ex fructibus fundi redigi solet. Undè liberum est heredi V. G. à quo Reditus fundi legatus est*, *si nolit eo fundo legatarium frui*, *offerre ei quantitatem annuam quam ex fructibus redigere paterfamilias consueverat.*

CXC.

REFICERE : in Interdictis.

REFICERE est, quod corruptum est in pristinum statum restaurare. Verbo REFICIENDI, tegere, substruere, sarcire, ædificare, item advehere adportareque ea quæ ad eamdem rem opus essent, continentur. *l.* 1. § 6. *ff. de Rivis.*

* REFICERE VIAM. *Vide infrà in Verb.* Via.

¶ *REGIONES* fundi, *id est*, *partes fundi certis finibus circumscriptæ.*

* REGULA Juris. *Vide Tit. seq. N.* 1.

¶ *RELEGATIO est pœna quâ quis certo loco, certâ provinciâ interdicitur.*

RELEGATIO in insulam, *quum quis salvo jure civitatis & familiæ in certam insulam amandatur à quâ ei egredi non liceat. De variis Relegationis speciebus, vide lib.* 48. *Tit.* de Pœnis.

Alio sensu dicitur RELEGARE & Relegatio. *Putà* RELEGATIO dotis, *est legatum quo vir dotem quam accepit uxori suæ relinquit. Hujus legati ea utilitas est ; ut dos quæ annuâ bimâ trimâ die reddi debuisset, statim reddi debeat. Hoc idem dicitur quoque PRÆLEGARE* dotem, dos PRÆLEGATA.

¶ *RELIGIOSUS* locus *vocatur, in quo corpus humatum est voluntate domini loci, eorumque quorum interierit. Lib. XI. Tit.* de Religios.

¶ *RELINQUI dicitur, quidquid testamento datur.*

RELIQUA *vocantur, quæ subductis rationibus debita supersunt* : Le reliquat d'un compte. *Is qui ita debitor remanet*, RELIQUATOR & RELIQUARI *dicitur.*

RELIQUIÆ, *cineres defuncti.*

¶ *REMANCIPARE est, retrò seu rursùs mancipare. Vide suprà*, Fiducia.

¶ *REMISSIO dicitur, quum ei cui nunciatum est ne opus faceret, Prætor pergere permittit :* Main-levée de la défense.

¶ *REPETERE* Reum, *est aliquem iterùm accusare & reum facere.*

REPETITA die, *id est prælatâ ; seu die quæ præterierat, falsò revocatâ* : Antidaté.

¶ *REPETUNDARUM crimen, quum quis in Magistratu pecunias illicitè accepit. Lib.* 48. *Tit.* ad Leg. Jul. Repetund.

¶ *REPIGNERARE*, *liberare pignus.*

* REPLICATIO. *Vide suprà*, Exceptio.

¶ *REPRÆSENTARE*, *ante diem solvere.* REPRÆSENTATIONIS *commodum*, *id est*, *solutionis ante diem factæ.* Avancer le paiement.

¶ *REPROMITTERE*, *est stipulatione sine fidejussoribus interpositâ promittere.*

¶ *REPUDIUM*, *propriè est sponsæ : interdum tamen & pro divortio sumitur. Vide suprà*, Divortium.

CXCI.

RES, *passim in Jure & Edictis.*

Appellatione REI, pars etiam (*b*) continetur. *l.* 72. PAUL. LIB. 76. AD ED.

REI appellatione, & causæ & jura continentur (*c*). *l.* 23. ULP. LIB. 14. AD ED.

REI appellatio latior est quàm Pecuniæ (*d*) : quæ etiam ea quæ extra computationem patrimonii nostri sunt (*e*) continet ; cùm pecuniæ significatio ad ea referatur quæ in patrimonio sunt. *l.* 5. PAUL. LIB. 2. AD ED.

¶ *RE* contrahi *obligatio dicitur, quæ datione aut facto aliquo interveniente contrahitur ; ut Mutuum, Depositum, Commodatum, Pignus, & omnes contractus innominati.*

* In Rem SUAM *Procurator, Fidejussor. Vide suprà*, Cedere, Fidejussor.

REI VINDICATIO *est actio quâ intendimus rem quæ ab alio possidetur nostram esse, adeòque nobis reddi oportere. De eâ est specialis Titulus* 1. *libri* 6.

REI PERSECUTORIA actio, *quâ quis persequitur quod sibi abest ; sive* In rem, *sive* In personam *sit.*

* RES JUDICATA. *Vide suprà*, Judicare.

RES Mancipi & Nec mancipi. *Vide lib.* 1. *Tit. VIII. N.* 13.

RESPUBLICA *vocatur quodvis municipium, quævis civitas.*

¶ *RESCRIPTA* PRINCIPUM *vocantur, quibus ad*

(*a*) Ut si, qui ab uxore nihil accepit, ita leget: *Herus meus* REDDITO *uxori meæ centum.* Vide Tit. *de Legatis* N. 265.

(*b*) Putà in stipulatione *Rem pupilli*, *&c.* quam interponit tutor vel curator certæ duntaxat bonorum *Parti* datur. Item in causâ damni infecti, quum Prætor jubet mitti in possessionem REI undè damnum timetur ; & *Pars* duntaxat ruinosa est. Item stipulatio *Rem ratam habiturum*, uno ex heredibus ratum habente, altero ratum non habente, committitur pro parte pro quâ ratum non habentur; l. 18. ff. *R.m rat. hab.* quia in stipulatione, appellatio REI etiam PARTEM continet. Paulus in hoc libro egit de stipulationibus Prætoriis ; ut constat ex inscriptionibus tùm l. 13. ff. *d. tit.* tùm cæterarum quas videre est in Indice Labitti.

(*c*) Cujacius censet h. l. pertinere ad Edictum de his qui judicii mutandi causâ REM alienaverint : ut hisce sint obnoxii non solùm qui ipsam *Rem*, sed & qui jus aliquod in re alienaverunt. Unde emendandam putat inscriptionis legis, legendumque LIB. 13. [non LIB. 14.] AD EDICT. quo in libro constat Ulpianum de hoc Edicto egisse, ex inscriptione l. 2. ff. *de Alienat. jud. mut.* Goeddæus contrà tuetur vulgatam inscriptionem ; & confortà nimis interpretatione legem ipsam aptare nititur ad Edictum *Nautæ*, *caupones*, *&c.*

(*d*) Hoc refert Cujacius ad interpretationem formuli *Quanti eas* RES *erit* ; de quâ suprà N. 184. De formulis in libro Pauli undè lex desumpta est Paulum egisse satis constat ex multis passim legum inscriptionibus ex eodem libro desumptarum.

(*e*) Scilicet ad res nobis commodatas, pigneratas, vel à nobis bonâ fide possessas ; quæ propriè non sunt patrimonii nostri, sunt tamen ad *Rem* nostram pertinentes. Hinc in definiendâ Bonorum possessione, non solùm dicitur jus persequendi *Patrimonii*, sed augendæ significationis gratiâ additur *Sive* REI : suprà N. 35.

Source : BIU Cujas

preces privatorum aut consultationem Magistratûs respondent. De quibus vide lib. 1. *Tit. IV.*

¶ *RESIDUA.*

DE RESIDUIS *crimine tenetur, qui pecuniam publicam ex administratione retinet aut in suos usus convertit. Lib.* 48. *Tit.* ad L. Jul. de Resid.

CXCII.

RESTITUERE vario sensu sumitur. Et 1°. *generaliter, plùs continet quàm* EXHIBERE.

Nam Quum Verbum RESTITUAS Lege invenitur, etsi non specialiter de fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi (*a*) *l.* 173. (*Aliàs* 313.) § 1. *ff. de Reg. Jur.* PAUL. LIB. 6. AD PLAUT.

Et RESTITUERE (*b*) is videtur, qui id restituit quod habiturus esset actor, si controversia ei facta non esset. *l.* 75. PAUL. LIB. 50. AD ED. (*c*)

RESTITUERE autem is intelligitur qui simul & causam (*d*) actori reddit, quam is habiturus esset si statim judicii accepti tempore res ei reddita fuisset; id est, & usucapionis causam (*e*) & fructuum. *l.* 35. PAUL. LIB. 17. (*f*) AD ED.

Multò magis Hæc verba in stipulatione posita, Eam rem RECTE RESTITUI, fructus continent. RECTE enim verbum, pro viri boni arbitrio est. *l.* 73. ULPIAN. LIB. 80. AD ED. (*g*)

Ex dictis patet quòd Plus est (*h*) in Restitutione quàm in Exhibitione. Nam EXHIBERE est præsentiam corporis præbere; RESTITUERE est, etiam possessorem facere, fructusque reddere. Pleraque (*i*) præterea RESTITUTIONIS verbo continentur. *l.* 22. GAIUS LIB. 4. AD ED. PROVINC.

2°. *Interdum tamen verbum* EXHIBERE *vim quamdam Restitutionis habet; ut in judicio* AD *Exhibendum. Nam* Quantùm ad hanc actionem attinet, EXHIBERE est in eâdem causâ præstare, in quâ fuit quum judicium acciperetur (*k*): ut quis copiam rei habens possit exsequi; actione quam destinavit, in nullo casu (quam intendit) læsâ: quamvis non de restituendo, sed de exhibendo agatur. *l.* 9. § 5. *ff. Ad exhib.*

Hinc Pomponius ita arguit Labeonem. Malè Apud Labeonem ΠΕΙΘΑΝΩ̃Ν (*Pithanon*) ita scriptum est: EXHIBET, qui præstat ejus de quo agitur præsentiam. Nam (*l*) etiam qui sistit, præstat ejus de quo agitur præsentiam; nec tamen eum exhibet (*m*): & qui (*n*) mutum aut furiosum aut infantem exhibet, non potest videri ejus præstare præsentiam; nemo enim ex eo genere PRÆSENS satis aptè appellari potest. *l. fin.* POMPON. LIB. 17. EPIST.

Igitur exhibet, seu RESTITUIT (*o*) non tantùm qui solum corpus, sed etiam qui omnem rem conditionemque reddità causâ præstet. Et tota restitutio, Juris est interpretatio (*p*). *d. l. fin.* § 1.

3°. *Simili sensu dicitur* RESTITUERE *opus; passim item in Interdictis. Etenim* Cùm Prætor dicat ut opus factum RESTITUATUR, etiam damnum datum actor consequi debet. Nam verbo RESTITUTIONIS, omnis utilitas actoris continetur. *l.* 81. PAUL. LIB. 10. AD PLAUT.

4°. RESTITUERE *in integrum*, INTEGRI RESTITUTIO; *cujus variæ species exponuntur toto libro IV.*

INTEGRI RESTITUTIO, est redintegrandæ rei vel causæ actio. PAUL. SENT. *lib.* 1. *Tit.* 7. § 1.

Neque actio solùm, sed & ipsa redintegratio rei vel actionis amissæ, quam quis per hanc actionem à Prætore consequitur, RESTITUTIO in integrum *vocatur; & Prætor quum eam concedit,* Restituere *dicitur.*

Alio sensu RESTITUTIO IN INTEGRUM *vocatur: indulgentia Principis quâ damnato jura restituit quæ per capitalem Sententiam amiserat; & qui hanc gratiam impetraverunt,* RESTITUTI *in integrum dicuntur. Lib.* 48. *Tit.* 23.

RESTITUTORIA actio *dicitur, quæ amissa in veterem debitorem à Prætore restituitur.*

CXCIII.

REUS, passim in obligationibus & judiciis. Communi appellatione, idem quod apud nos Partie; *quasi is cujus de* Re *agitur. Sic in judiis* REUM *ita definit Ælius-Gallus:* REUS est qui cum altero litem contestatam habet, sive is egit, sive cum eo actum est. *Apud Festum in Verb. REUS.*

Pariter in obligationibus uterque REUS *dicitur;* REUS credendi, *cui ex quâcumque causâ debetur;* REUS debendi, *qui ex quâcumque debitor est. Hinc etiam in Verborum contractu;* Qui stipulatur, REUS STIPULANDI dicitur; qui promittit, REUS PROMITTENDI habetur. *l.* 1. *ff. de Duob. reis.*

Hinc & CORREI Credendi *vel* Stipulandi; *qui eamdem rem singuli in solidum stipulati sunt, quibusque singulis in solidum debetur; ita ut solutio uni facta debitorem à cæteris liberet.* CORREI promittendi *vel* Debendi, *qui singuli unam rem aut quantitatem in solidum promiserunt, singulique eam in solidum debent; ita ut solutio ab uno facta cæteros liberet. Lib.* 45. *Tit. II.*

Postea tamen distinguendarum appellationum causâ & ne nomina confunderentur; REUS *dictus est, in judiciis is qui convenitur,* le Défendeur; *in obligationibus,* l'Obligé. REUS nunc dicitur, qui causam dicit; & item qui quid promisit, spopondit-ve ac debet. *Festus suprà.*

Atque hinc REUM dare *dicor, quum aliquem exhibeo*

(*a*) Ut in omnibus Interdictis, in actione Faviană & in omnibus actionibus in quibus Prætor jubet rem restitui. Vide lib. 22. Tit. *de Usuris* N. 10 & 12.

(*b*) Cujacius [ex eo quòd Paulus in libro quem præfert inscriptio hujus legis egit de Emptione-venditione, ut constat ex eâdem inscriptione l. 56. ff. *de Contrah. empt.* & l. 3. ff. *de Serv. export.*] colligit hoc scriptum circa *Redhibitoriam* actionem; sensumque hunc esse: Emptorem qui actione *Redhibitoriâ* egit ut pretium recipiat, debere redhibere & RESTITUERE venditori rem emptam; nec videri eam perfectè restituere, nisi restituat fructus & id omne quod habuisset venditor si controversia ipsi [super *Redhibitoriâ* scilicet actione] facta non esset. Ait autem Cujacius venditorem hic appellari *Actorem*; quia, etsi emptor sit qui ad judicium provocet, venditor tamen circa ea quæ ipsi in hoc judicio præstari debent, actoris partibus fungi videatur. Fornerius qui censet etiam hanc legem illuc pertinere, pro *Actor* legit *Auctor*; quæ emendatio supervacanea est, & contra fidem omnium exemplarium. Goeddæus ad h. l. mavult eam pertinere ad actionem *In factum* quæ datur emptori adversùs liberum hominem qui dolo passus est se ei ut servum vendi: in quâ actione venit duplum totius quod ejus interest; adeòque ejus quod habuisset, si controversia ei super libertate hujus hominis facta non esset. Nititur eo quòd in LIB. 51. AD EDICT. undè hæc lex desumpta est, Paulus egerit de liberali causâ; ut constat ex l. 33. ff. *de Liber. caus.*

(*c*) Ita in Florent. Aliàs inscribitur LIB. 2. AD ED. ÆDIL. CURUL.

(*d*) Non *Rem* solùm, sed *& causam.*

(*e*) Id est; qui restituit rem quæ inter moras judicii usucapta est, perindè ac si usucapta non esset; & præterea omnem rei causam, fructuum fructus, partum ancillæ, fœtum animalium, &c.

(*f*) Cujacius censet inscriptionem vitiatam, & legendum LIB. 26°. tum quia lex 34. quæ præcedit in textu, est inscripta EX LIB. 24. & non solet Tribonianus ordinem librorum intervertere; tum quia [ut censet] manifestè refertur ad actiones *Ad exhibendum*, & *Rei vindicationem* de quibus in hoc libro Paulus egit. Goeddeus censet inscriptionem retinendam, qualis est in Florent. & potuisse ex illo libro depromi hunc textum; cùm in hoc LIBRO 17. egerit Paulus de officio judicis, ad quod refertur hæc lex circa condemnationem.

(*g*) Ulpianum in hoc libro egisse de Nuntiatione novi operis, patet ex l. 21. ff. *de Oper. nov. nunc.* Undè Cujacius censet pertinere hanc regulam RECTE *restitui*, ad stipulationem de opere restituendo; quam interponit is cui opus novum nuntiatum est: quâ veniunt fructus, id est, omne emolumentum quod nuntiator habuisset si opus factum non esset.

(*h*) Ex legis inscriptione, GAIUS hoc scripsit ad tractationem DE Restitutionibus in integrum: ut patet ex innumeris legibus passim, Tit. *Quod metûs causâ, de Dolo, de Minoribus*, &c.

(*i*) Scilicet ut non solùm fructus sed omnis causa reddatur, item ut res in eâdem causâ reddatur. Non videretur autem reddi, si post judicium usucapta aut nexa pignori esset; aut aliqua servitus, quæ ei debebatur, amissa.

(*k*) Non videbitur igitur res *Exhiberi*; si, postquàm judicium acceptum est, res usucapta fuerit: item, nisi omnis causa, quam habuisset actor si tunc quum judicium acciperetur, exhibita res fuisset, ei restituatur; ut constat ex hujus legis §§*is.*

(*l*) Pomponius hic incipit ostendere definitionem Labeonis falsam esse. *Nam &c.*

(*m*) Ut enim exhibeatur, non sufficit præstare præsentiam; oportet ut eadem causa præstetur: ergo quicumque sistit, non etiam semper exhibet. Malè igitur definivit Labeo, *Exhibere* nihil esse aliud quàm *Præstare ejus de quo agitur præsentiam.*

(*n*) Rursùs probat falsam Labeonis definitionem: quia non solùm potest *Præstari præsentia*, nec tamen res *Exhiberi*; sed & quicumque exhibet, non etiam præstat præsentiam. Quod probat exemplo ejus qui exhiberet furiosum aut infantem aut mutum: furiosus enim & infans qui non intelligunt quod agitur, pro *Præsentibus* haberi non possunt etsi exhibeantur, item mutus, in multis casibus, nimirùm ubi voce opus est. Sunt qui pro *Mutum* legunt *Mente captum*, nixi auctoritate Basilicon.

(*o*) Postquàm Jurisconsultus vitium definitionis Labeonis ostendit, jam exponit qualis sit *Exhibitio* seu *Restitutio* [nam hæc verba hic confunduntur] quæ in judicio AD EXHIBENDUM facienda est. Et hæc Pomponii definitio consonat ei quæ mox suprà ex Ulpiano allata est; l. 9. § 5. ff. AD *Exhib.* ad quam vide Notam (*k*) mox suprà.

(*p*) Id est; totum id quod in restitutionem venit, à juris interpretatione proficiscitur.

Source : BIU Cujas

qui vice meâ, ſuo nomine promittat quod ego deberem aut promiſſurus eſſem.

Similique appellatione REUS *in criminibus dicitur, qui accuſatur.*

¶ *RHEMMIA* Lex, *quæ pœnam calumniatoribus irrogat. Lib.* 48. *Tit.* ad SC. Turp. *N.* 7.

CXCIV.

RIPÆ fluminum; in Interdictis & uſu quotidiano.

RIPA ea putatur eſſe, quæ pleniſſimum flumen continet. *l.* 3. § 1. *ff. de Fluminib.*

RIPA autem ita rectè definietur, id quod flumen continet naturalem rigorem curſûs ſui tenens. Cæterùm ſi quando..... ad tempus excrevit, ripas non mutat. *l.* 1. § 5. *ff. d. tit.*

RITE, *à* Ritu; *id eſt, obſervatis ſolemnibus.*

RIVUS eſt locus per longitudinem depreſſus, quo aqua decurrat; cui nomen eſt ΑΠΟ ΤΟΥ ΡΕΙΝ [*id eſt, à fluendo*]. *l.* 1. *ff. de Rivis.*

RIVALES, id eſt, qui per eumdem rivum aquam ducunt. *l.* 1. § 26. *ff. de Aquâ quotid.*

* RIXA. *Vide infrà*, Turba.

¶ *ROGARI Lex dicitur, quum de eâ ferendâ Populus vel plebs conſulitur.*

ROMA, URBS; paſſim in variis Legibus, in Edictis, in teſtamentis, in conventionibus, in ſermone vulgari.

URBIS appellatio, muris; ROMÆ autem, continentibus ædificiis finitur (*a*): quod latiùs patet. *l.* 2. PAUL. LIB. 1. AD ED.

Et, Ut Alfenus ait; URBS eſt, Roma quæ muro cingeretur. ROMA eſt, etiam quà continenti (*Haloand.* in continenti) ædificia eſſent. Nam Romam non muro tenùs exiſtimari, ex conſuetudine cottidianâ poſſe intelligi; cùm diceremus ROMAM nos ire, etiamſi extra Urbem (*b*) habitaremus. *l.* 87. MARCELL. LIB. 12. DIGEST.

Hinc Qui in continentibus Urbis nati ſunt, ROMÆ nati intelliguntur. *l.* 147. TERENT. CLEMENS LIB. 3. AD LEG. JUL. ET PAP. (*c*)

Hinc quoque Ædificia ROMÆ fieri etiam ea videntur, quæ in continentibus Romæ ædificiis fiant. *l.* 139. ULP. LIB. 7. AD LEG. JUL. ET PAP.

Hinc denique, ut ſuprà, vid. N. 11. Qui extra continentia Urbis eſt, abeſt: cæterùm uſque ad continentia, non abeſſe videbitur. *l.* 173. § 1. ULP. LIB. 39. AD SABIN. (*d*)

CXCV.

¶ *RUBRIANUM* SCtum; *quo ſervus, cujus fideicommiſſariæ libertatis heres latitando moram fecit, liber fit perindè ac ſi directam libertatem teſtamento accepiſſet. Lib.* 40. *Tit. IV. Sect.* 4. *Art.* 2. §°. 1°.

RUERE; *in ſtipulatione Damni infecti.*

Alfenus.... reſpondit.... Non videri ſibi RUERE, quod aut vento aut omninò aliquâ vi extrinſecùs admotâ caderet, ſed quod ipſum per ſe concideret. *l.* 43. *ff. de Damn. inf.*

RUPISSE; *in Lege Aquiliâ, & alibi, generali ſignificatione accipitur.*

Nam RUPISSE verbum, ferè omnes Veteres ſic intellexerunt CORRUPERIT (*e*). *l.* 27. § 13. *ff. ad L. Aquil.*

RUTA-CÆSA; *his quæ fundi aut ædium pars ſunt, opponuntur.*

In RUTIS-CÆSIS ea ſunt quæ terrâ non tenentur, quæ-que opere ſtructili tectorio-ve non continentur. *l.* 241. Q. MUCIUS-SCÆVOLA LIB. SING. ΟΡΩΝ.

Ea placuit eſſe RUTA quæ eruta ſunt; ut arena, creta, & ſimilia; CÆSA ea eſſe, ut arbores cæſas, & carbones, & his ſimilia. *l.* 17. § 6. *ff. de Act. empti.*

Tegulæ quæ nondum ædificiis impoſitæ ſunt, quamvis tegendi gratiâ allatæ ſunt, in RUTIS & CÆSIS habentur. Aliud Juris eſt in his quæ detractæ ſunt ut reponerentur: ædibus enim accedunt. *l.* 18. § 1. *ff. d. tit.*

S

CXCVI.

¶ *SABINIANI, ſecta Juriſconſultorum; ſic dicta ab auctore Maſſurio-Sabino*, Proculeianis *oppoſita. De quibus vide Præfationem noſtram Part.* 2. *cap.* 2.

SACRA res, locus, ſacrarium; Sacrilegi.

SACRÆ RES ſunt quæ publicè (*f*) conſecratæ ſunt, non privatè. *l.* 6. § 3. *ff. de Diviſ. rer.*

SACRA LOCA ea ſunt, quæ publicè ſunt dedicata; ſive in civitate ſint, ſive in agro. *l.* 9. *ff. d. tit.*

Illud notandum eſt; aliud eſſe ſacrum locum, aliud SACRARIUM. Sacer locus, eſt locus conſecratus. Sacrarium eſt locus (*g*) in quo ſacra reponuntur, quod etiam in ædificio privato (*h*) eſſe poteſt: & ſolent qui liberare eum locum religione volunt, SACRA indè evocare (*i*). *ſup. d. l.* 9. § 2.

Sunt SACRILEGI, qui publica ſacra compilaverunt. *l.* 5. *ff. ad L. Jul. Pecul.*

Erant & PRIVATA SACRA *cujuſque familiæ & gentis, quæ alio & peculiari jure cenſebantur.*

SACRA certamina, *quæ in honorem Deorum celebrabantur.*

¶ *SALARIUM, annua merces quæ ob liberalem artem præſtatur: ſic dicta, quòd indè* Se alat *qui ſalarium accipit. Si non ſit annuatim definita, dicitur* HONORARIUM; *de quo vide ſuprà.*

¶ *SALVIANUM Interdictum* (*lib.* 43. *Tit. fin.*) *eſt quod datur locatori ædium ad adipiſcendam poſſeſſionem rerum quæ pignoris nomine in ipſius fundum inductæ ſunt à conductore.*

SANCTIO, SANCTUM, *res Sancta.*

Legum eas partes quibus pœnas conſtituimus adversùs eos qui contra Leges fecerint, SANCTIONES vocamus. *Inſtit. lib.* 2. *Tit.* 1. § 10.

SANCTUM eſt quod ab injuriâ hominum defenſum atque munitum eſt. *l.* 8. *ff. de Diviſ. rer.*

SANCTUM autem dictum eſt, à ſagminibus. Sunt autem SAGMINA, quædam herbæ quas Legati Populi Romani ferre ſolent ne quis eos violaret; ſicuti Legati Græcorum ferunt ea quæ vocantur CERYCIA. *d. l.* 8. § 1.

Propriè dicimus SANCTA, quæ neque ſacra neque profana ſunt, ſed ſanctione quâdam ſunt confirmata: ut Leges ſanctæ ſunt; ſanctione enim quâdam ſunt ſubnixæ. Quod enim ſanctione quâdam ſubnixum eſt, id ſanctum eſt, etſi deo non ſit conſecratum. Et interdum in ſanctionibus adjicitur, ut qui ibi aliquid commiſit, capite puniatur. *l.* 9. § 3. *ff. d. tit.*

CXCVII.

SATIS accipere, SATIS *dare*, SATIS *exigere*, SATIS *facere*; *in ſtipulationibus.*

SATIS ACCEPTIO eſt ſtipulatio quæ ita obligat promiſſorem, ut adpromiſſores quoque ab eo accipiantur;

(*a*) Hinc V. G. quum Prætor dicit ſe hoc anno in URBE Jus dicturum, non dicit ROMÆ. Prætor enim, ut & Præfectus Urbi, extra muros ſeu terminos Urbis non poteſt Jus dicere. Contrà, quum Lex Papia dat civitatem Latinis qui ROMÆ ædificium perfeciſſent, dat præmia his qui tres liberos ROMÆ ſuſcepiſſent; beneficium Legis locum habet, etiam extra muros: ROMA enim demùm continentibus ædificiis finitur.

(*b*) Similis diſtinctio circa ſignificationem ROMÆ & URBIS in l. 4. ff. *de Penu leg.* ubi quis legaverat Penum *quæ* ROMÆ eſt.

(*c*) Ad h. l. & ſeq. Vide ſuprà Not. (*a*).

(*d*) In hoc libro Ulpianus egit de Tutelis. Hoc ergo videtur ſcriptum ad id quod dicitur, Tutorem & abſentem & abſenti dari poſſe: lib. 26. Tit. *de Tut. & Cur. dat.* N. 19. Ita Cujacius & Goeddæus.

(*e*) Sive frangendo, ſive diruendo, comburendo, inquinando, perforando, effundendo, &c.

(*f*) Per Pontifices.

(*g*) Non ipſe ſacer, ſed *in quo &c.*

(*h*) V. G. ad ea aſſervanda.

(*i*) Id eſt, auferre.

id

Source : BIU Cujas

id est, qui idem promittunt. *l.* 5. § 2. *ff. de Verb. oblig.*

SATIS autem ACCIPERE dictum est eodem modo, quo SATIS FACERE. Nam quia id quo quis contentus erat, ei præstabatur; SATIS FIERI dictum est: & similiter quia tales quibus contentus quis futurus esset, ita dabantur ut verbis obligarentur, SATIS ACCIPI dictum est. *d. l.* 5. § 3.

SATISDATIONIS appellatione interdum etiam repromissio continebitur, quâ contentus fuit is (*a*) cui satisdatio debebatur. *l.* 61. PAUL. LIB. 65. AD ED.

¶ *SCHOLA in libris Codicis, est corpus seu ordo officialium.*

CXCVIII.

¶ *SECUNDUS, A, UM.*

SECUNDÆ Tabulæ *sunt ea pars testamenti, quâ filio impuberi quis heredem scribit.*

SECUNDUS *heres, qui secundo gradu scriptus est; scilicet si primus heres non erit.*

¶ *SEMEL pro* Simul *interdum ponitur.*

¶ *SEMIS, dimidia pars: undè* SEMISSES *usuræ* (à six pour cent) *heres* Ex SEMISSE (héritier pour moitié).

¶ *SEMESTRIA putà* DIVI MARCI; Conseils semestres de l'Empereur; *scilicet ex Augusti instituto, de quo refert Dio-Cassius* (*lib.* 45.) *Augustum sibi ex Magistratibus singulos; & Senatores quindecim sorte legisse, qui* Per senos menses *sibi in consilio essent. Indè* SEMESTRES *libri; in quibus ea quæ in semestri consilio acta judicata erant, referebantur.*

SENATORES, liberi Senatorum.

SENATORES *antiquitùs erant qui à Censoribus in Senatum lecti erant consilii publici causâ.*

Jure Justinianæo: SENATORES accipiendum est eos qui à Patriciis & Consulibus usque ad omnes Illustres viros descendunt. *l.* 12. § 1. *ff. de Senat.*

LIBEROS SENATORUM accipere debemus, non tantùm Senatorum filios, verùm omnes qui geniti ex ipsis ex-ve liberis eorum (*b*) dicantur; sive naturales (*c*) sive adoptivi sint. *l.* 10. *ff. d. tit.*

SENATUSCONSULTUM est, quod Senatus jubet atque constituit. *Instit. lib.* 1. *Tit.* 2. § 5.

Vide lib. 1. *Tit.* de Orig. jur. *N.* 7. *cum Notis.*

¶ *SEPARATIO* BONORUM *vocatur, bonorum hereditariorum, à bonis heredis facta Prætoris vel judicis auctoritate separatio; quò creditoribus defuncti satisfiat ex bonis defuncti, ante ipsius heredis creditores: lib.* 42. *Tit.* de Separat.

Est alia SEPARATIO *bonorum; quam impetrat servus defuncti, heres ab ipso institutus; ut ab hereditariis bonis separentur ea quæ post mortem defuncti ipse acquisivit, nec ea creditoribus defuncti teneantur.*

* SEPULCRUM. *Vide suprà,* Monumentum.

FAMILIARIA sepulcra dicuntur, quæ quis sibi familiæque suæ constituit, vel quod paterfamilias jure hereditario constituit. *l.* 5. *ff. de Religios.*

SEQUESTER dicitur, apud quem plures eamdem rem de quâ controversia est, deposuerunt; dictus ab eo quòd occurrenti, aut quasi sequenti eos qui contendunt committitur. *l.* 110. MODEST. LIB. 6. PANDECT.

Indè SEQUESTRARIA actio, *quæ adversùs sequestrem datur ut rem ex lege sequestrationis reddat.*

¶ *SEQUI Nomen alicujus dicitur, qui approbat nomen quod tutor V. G. vel procurator aut decessor fecit; ejusque debitorem agnoscit quasi proprium, cujus fidem sequitur.*

CXCIX.

¶ *SERVIANA* ACTIO; *quâ locator ædium, jus pignoris quod in invectis & illatis tacitè ipsi constitutum est, persequitur. Differt ab Interdicto* SALVIANO *suprà, quòd in* Serviana *actione de ipso pignoris jure; in Interdicto, de possessione disceptetur.*

Utilis SERVIANA; *idem ac* HYPOTHECARIA. *Vide suprà,* Pignus.

SERVITUS est constitutio Juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur. *Instit. lib.* 1. *Tit.* 3. § 2.

Hinc SERVUS *dicitur; qui dominicæ potestati subjectus est.*

SERVORUM appellatio ex eo fluxit quòd Imperatores nostri captivos vendere, ac per hoc SERVARE, nec occidere solent. *l.* 239. § 1. POMPON. LIB. SING. ENCHIR.

MANCIPIA verò dicta, quod ab hostibus manu capiantur. *l.* 4. § 3. *ff. de Statu hom.*

Servus HEREDITARIUS, *id est alicujus hereditatis jacentis.*

SERVI PŒNÆ *dicuntur, qui Sententiâ capitali damnati maximam capitis diminutionem passi sunt; quales sunt ad ultimum supplicium aut ad metallum damnati: eo quòd in servilem conditionem detrusi, non alium tamen dominum habere videri possint quàm pœnam ipsam. Vide lib.* 48. *Tit.* de Pœnis *N.* 9. *& seqq.*

Servus VICARIUS *dicitur, qui est in peculio alterius servi. Is autem qui eum in peculio suo habet, vocatur* ORDINARIUS.

Servi PUBLICI *dicuntur, servi civitatum. Vide suprà,* Publicum.

SERVITUS *alio sensu; est jus faciendi aut prohibendi aliquid in alieno.* PERSONALIS *dicitur, quæ personæ & solâ personæ ratione debetur;* PRÆDIALIS, *quæ debetur prædio seu ratione prædii.*

Servitutes prædiorum, aliæ vocantur RUSTICÆ, *quæ in* Solo (*ut jus eundi*); *aliæ* URBANÆ, *quæ in* Superficie *consistunt, ut* Protegendi, Altiùs non tollendi, &c. *Vide totum librum VIII.*

CC.

¶ *SESSIONUM* dies, *quibus Prætor pro Tribunali cognoscit. Opponuntur* Feriatis.

SEU, SIVE; interdum ampliandi & augendi Particula est: ut in l. 37. *§ fin. ff.* de Legatis 3°. *item l.* 30. *ff.* de Aur. leg.

Aliàs SEU *sumitur pro* Exempli gratiâ; *scilicet quum generi subjicitur. Tit.* de Legatis *N.* 266.

¶ *SEXTANS, sexta pars assis. Undè Usuræ* SEXTANTES, à deux pour cent, *Heres ex* SEXTANTE, héritier pour un sixieme.

SICARII appellantur à SICA quod significat ferreum cultrum. *Instit. lib.* 4. *Tit. fin.* § 5.

¶ *SIMPLA,* DUPLA; *pro* Simplum, Duplum.

SIMPLARIA Venditio, *ex quâ actio simpli duntaxat propter evictionem datur.*

Jus SINGULARE est quod contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem, auctoritate constituentium introductum est. *l.* 16. *ff. de Legib.*

¶ *Verbum NE SINITO facere, utramque habet significationem; sive ut facientem prohibeas, sive ut etiam cures ne fiat. Ex circumstantiis igitur quærendum, an alterutrum tantùm; an utrumque voluerint contrahentes. l.* 29. *ff.* Locati.

* SOBRINUS, *Propior sobrino. Vide suprà,* Consobrini.

CCI.

SOCER, socrus; GENER, *nurus; in gradibus adfinitatis.*

(*a*) Infinita exempla adduci possunt: putà, quum dicitur legatarium in possessionem missum discedere debere quum heres de præstandis legatis *Satisfecerit.* Si enim repromissione heredis contentus fuit, discedere debet; perindè ac si heres fidejussores adhibuisset. Aliud exemplum est; quum dicitur eum cui legatus est ususfructus, non priùs habere actionem quàm si *Satisfecerit* se boni viri arbitratu fruiturum: l. 13. ff. *de Usufr.* habebit enim, si heres repromissione contentus fuit. Et alia similia.

(*b*) Per virilem sexum.

(*c*) Etiam emancipati. Non tamen si in extraneam (non Senatoriam) familiam se dederint adrogandos.

Source : BIU Cujas

Viri pater uxorisque, SOCER; mater autem eorum, SOCRUS appellatur... Filii autem uxor NURUS, filiæ verò vir GENER appellatur. *l.* 4. § 6. *ff. de Grad. & adfin.*

GENERI appellatione, & neptis & proneptis, tam ex filio quàm ex filiâ editarum, cæterarumque maritos contineri manifestum est. *l.* 136. ULP. LIB. 6. AD L. JUL. ET PAP. (*a*).

Similiter SOCERI, socrûs, appellatione, avum quoque & aviam uxoris vel mariti contineri, respondetur. *l.* 146. TERENTIUS-CLEMENS LIB. 2. AD L. JUL. ET PAP.

Consonat Item Pomponius; NURUS & generi appellatione & soceri & socrûs, & ulteriores quibus PRO præpositio solet accedere contineri ait. *l.* 3. § 2. *ff. de Postulando* (*b*).

Putà Nurûs appellatio etiam ad PRONURUM & ultrà porrigenda est. *l.* 50. ULP. LIB. 61. AD ED. (*c*).

¶ *SOCIETAS est contractus quo duo plures-ve, res aut operas lucri in commune quærendi causâ conferunt.*

SOCII *propriè, qui societatem contraxerunt. Interdum tamen sociorum appellatio porrigitur, & ad eos inter quos res aliqua citra societatem communis est.*

PRO SOCIO actio, *quæ ex contractu societatis descendit. Vide lib.* 17. *Tit. II.*

CCII.

SOLARIUM dicitur annua merces quam superficiarius vel emphyteuta præstant. Vectigal enim hoc sic appellatur SOLARIUM, ex eo quòd pro solo pendatur. *lib.* 2. § 17. *ff. Ne quid in loc. publ.*

¶ *SOLEMNE, juxta vim nominis, est quod statis temporibus putà quotannis recurrit; us* Solemnes *Feriæ*, Solemnia *onera; ab Oscæ linguæ vocabulo* Sole, *Omnis vel totus, & verbo Latino* Annus: *Festus in Verb. SOLE.*

Sæpiùs autem sumitur pro eo quod à Jure præscriptum est. Hinc solemnia verba, solemnis numerus testium, solemnia testamenti, Solemnia *tempora, &c. Indè etiam* SOLEMNITAS; *id est, observatio certorum verborum aut rituum Jure præscriptorum.*

SOLVERE, Solutio, SOLVENDO *esse.*

Latiori significatione, SOLUTIONIS verbum pertinet ad omnem liberationem quoquo modo (*d*) factam. *l.* 54. *ff. de Solution.*

Et Solutionis verbo, satisfactionem quoque omnem (*e*) accipiendam placet. *l.* 176. ULP. LIB. 45. AD SABIN.

Strictiori significatione; SOLVERE dicimus eum qui fecit quod facere (*f*) promisit. *d. l.* 176. ¶ *fin.*

SOLVENDO *esse vel* NON SOLVENDO *dicuntur, debitor, reus, fidejussor, &c.*

SOLVENDO esse nemo intelligitur, nisi qui solidum (*g*) potest solvere. *l.* 114. JAVOLEN. LIB. 15. EX CASSIO.

MINUS SOLVERE, *pluribus modis dici potest.*

MINUS solutum intelligitur, etiamsi nihil esset solutum (*h*). *l.* 32. PAUL. LIB. 24. AD ED.

MINUS solvit, qui tardiùs solvit. Nam & tempore MINUS (*i*) solvitur *l.* 12. § 1. ULP. LIB. 6. AD ED.

Cæterùm Non potest videri MINUS solvisse, is in quem amplioris summæ actio non (*k*) competit. *l.* 117. JAVOL. LIB. 9. EPISTOL.

SOLUTUS; in Legibus, & Edicto Prætoris. Ad quod Edictum, Tit. QUI NEQUE SEQUANTUR NEQUE DUCANTUR (*l*), *ita Gaius:*

SOLUTUM non intelligimus eum, qui licèt vinculis levatus sit (*m*), manibus tamen tenetur. Ac ne eum quidem intelligimus solutum, qui in publico (*n*) sine vinculis servatur. *l.* 48. GAIUS LIB. AD ED. PRÆTOR. URB.

SOLUTO MATRIMONIO; in stipulatione de dote reddendâ.

Quum quærebatur an verbum SOLUTO MATRIMONIO dotem reddi, non tantùm divortium, sed & mortem contineret; hoc est, an de hoc quoque casu contrahentes sentiant; & multi putabant hoc sensisse, & quibusdam aliis contrà videbatur: secundùm hoc motus Imperator pronuntiavit; id actum eo pacto, ut nullo casu remaneret dos apud maritum. *l.* 240. PAUL. (ex libris sex) LIB. 1. IMPERIAL. SENT. IN COGNIT. PROLAT.

CCIII.

¶ *SORDES; delictum judicis, patroni, tutoris, &c. qui se pretio corrumpi patitur.*

SORDIDA munera, *quædam municipiorum functiones à quibus viri honesti immunes sunt. Plures hujusmodi munerum species distingui possunt in* (*lib.* 50.) *Tit.* de Vacat. & exc. mun. *N.* 30.

¶ *SORS, summa principaliter debita*: le Principal. *Opponitur Usuris*, les Intérêts.

CCIV.

SPADONUM generalis appellatio est. Quo nomine tam hi qui naturâ spadones sunt, item thlibiæ (*o*), thlasiæ (*p*), sed & si quod aliud genus (*q*) spadonum est, continentur. *l.* 128. ULP. LIB. 1. AD L. JUL. ET PAP. (*r*)

¶ *SPECIALITER, quandoque sumitur pro* Expressè.

SPECIES apud Jurisconsultos vocari solent, quæ apud Philosophos Individua; *id est, certa corpora: ut homo Stichus, fundus Sempronianus, &c. Opponunturque* Quantitatibus, *suprà.*

Aliàs, etiam apud Nostros, quemadmodum & in sermone vulgari, SPECIES *generi opponitur: atque hinc* SPECIALIS actio, *quâ res certas;* Universalis, *quâ universitatem persequimur.*

Denique alio sensu SPECIES *appellantur, fruges quæ Tributi nomine penduntur; quatenùs opponuntur Tributis quæ in pecuniâ debentur.*

Apud Doctores verò, communiter Species *sumitur etiam pro expositione alicujus facti.*

(*a*) Censet Heineccius *Commentar. ad Leg. Jul. & Pap.* definitionem hanc & sequentem scriptas esse ad illud caput Legis Papiæ [ne impedimentum nuptiarum ex adfinitate longiùs diffunderetur] quod sic effingit: ADFINITAS *præterquàm inter novercam & privignum, vitricum & privignam, necnon* SOCERUM *socrum-ve &* GENERUM *nurum-ve, morte divortioque solvitur.*

(*b*) Edicto DE *Postulando*, quædam personæ postulare prohibentur; præterquàm pro *Genero, Socero, Socru, Nuru.*

(*c*) Ex inscriptione hujus libri, in quo Ulpianus egit de Rebus auctoritate judicis possidendis, probabile est scriptum hoc ad id quod dicitur; Evocandos pupilli qui non defenditur cognatos vel *Adfines*, priusquàm bona ejus possideantur. Lib. 42. Tit. *Quib. ex caus. in possess.* N. 8.

(*d*) Putà, acceptilationem, novationem, compensationem.

(*e*) Hinc V. G. Si ita concepta sit formula in Pigneratitiâ actione; *Si pares eam pecuniam pro quâ pignus datum est* SOLUTAM *esse, judex condemna*: etsi solutio realis non intervenerit, sed quoquo modo creditori satisfactum sit, judex condemnare debebit ad restitutionem pignoris.

(*f*) Contrà; SATISFACERE est aliud facere, quo tamen contentus sit creditor.

(*g*) Ergo, si fulloni V. G. subrepta res est, non videtur SOLVENDO ut ipsi potiùs quàm domino actio *Furti* competat, nisi *In solidum* satisfacere possit domino. Confer legem 71. ff. *de Furtis*, ex eodem libro Javoleni depromptam.

(*h*) Pone exemplum in stipulatione quâ quis ita promittit, *Quanto minus à reo fuerit solutum.* Nam, etsi reus *Nihil* solverit, promissor tenebitur. Suprà N. 6.

(*i*) Hinc in stipulatione eâdem QUANTO MINUS *à reo fuerit solutum*, licèt reus sortem integram solverit, fidejussor tamen tenetur de usuris in stipulatum deductis quæ cucurrerunt ex eo quòd reus *tardiùs* solverit.

(*k*) Putà, si solverit integram sortem; usuras autem nudo pacto conventas, adeòque naturaliter duntaxat debitas non solverit.

(*l*) Vocati in Jus sequi debent; & nisi sequantur, possunt vi duci. Quidam vocati in Jus SEQUI possunt, sed si non sequantur vi *Duci* non possunt; quales sunt qui de domo suâ vocantur: Tit. *de In jus voc.* N. 6. quidam neque SEQUUNTUR, neque vi DUCUNTUR. Talem esse Prætor dixerat qui in vincula publica aut privata injectus esset, donec *Solutus* esset. Explicat autem Gaius quando *Solutus* videri debeat.

(*m*) Prisco Jure condemnatus qui solvendo non erat, creditori condemnatus in nervum ac compedem tradebatur. Quamvis autem creditor posteà misericordiâ ductus compedem ademisset, quandiù tamen adhuc sub manu & custodiâ creditoris est, ita ut ei fas non sit abire; in eâ causâ est ut vocari in jus non possit; &, si perperàm vocetur, *Neque sequi neque duci* debeat.

(*n*) Id est, in publico carcere servatur: quamvis *In vinculis* non sit.

(*o*) Qui collisione sint spadones.

(*p*) Qui per contusionem & compressionem.

(*q*) Putà, excisione.

(*r*) Ad Legem Papiam Ulpianus hoc ideò scripsisse videtur, quia pœnis Legis probabiliter obnoxii non erant quicumque vi generandi privantur, seu vitio naturæ seu casus Vide ad h. l. Tit. *de Legatis* N. 282.

Source : BIU Cujas

SPECIOSÆ perſonæ ; paſſim in privilegiis, &c.

SPECIOSAS perſonas accipere debemus, Clariſſimas (*a*) perſonas utriuſque ſexûs ; item eorum (*b*) quæ ornamentis Senatoriis utuntur. *l.* 100. ULP. LIB. 2. DE OFFIC. CONSUL.

SPECUS eſt locus ex quo deſpicitur (*c*). Indè SPECTACULA ſunt dicta. *l.* 1. § 3. *ff. de Rivis.*

Et ita quidem quoad vim nominis. Re autem, & prout accipitur in Interdicto DE *Rivis, Specus eſt occultus ſubter terram opere manu facto commeatus aquæ* (un conduit ſouterrain) ; *quo ſenſu opponitur* Foſſæ, *quæ eſt rivus ſuper terram manufactus* (un Foſſé) : *apud Feſtum in Verb. RIVUS. Cùm autem vulgò per* Specûs *longitudinem interjectis ſpatiis promineant* Speculæ *quædam* (des Regards), *ad commodiorem ſive ſpecûs ipſius purgationem aut refectionem, ſive aquarum diſtributionem diſpoſitæ ; indè nomen* SPECUS *à diſpiciendo, toti commeatui datum.*

C C V.

SPONSALIA ſunt mentio & repromiſſio nuptiarum futurarum. *l.* 1. *ff. de Sponſal.*

Sponſalia autem dicta ſunt à SPONDENDO. Nam moris fuit Veteribus ſtipulari & ſpondere ſibi uxores futuras. l. 2. *ff. d. tit.*

Undè & SPONSI ſponſæque appellatio nata eſt. *l.* 3. *ff. d. tit.*

SPONSIO appellatur, non ſolùm quæ per ſponſûs interrogationem fit (*d*) ; ſed omnis ſtipulatio promiſſioque. *l.* 7. PAUL. LIB. 2. AD ED.

¶ *SPORTULA ſumitur pro ſalariis annuis.*

¶ *SPURIUS dicitur qui patre incerto natus eſt :* Inſtit. *Tit.* de Nupt. *Porrigitur & ad omnes qui non ex juſto patre nati ſunt :* Bâtards.

C C V I.

¶ *STABULA vocantur, diverſoria* (Hôtelleries), *item tabernæ* (Boutiques, Magaſins). *Indè* STABULARIUS *qui ſtabulum exercet.*

* STAGNUM. *Vide ſuprà*, Foſſa.

STATIO. *Vide*, Portus.

STATIONES *fiſcales*, différens Bureaux. *Vide lib.* 16. *Tit.* de Compenſat. *N.* 10.

¶ *STATUS, perſonarum conditionem ſignificat. Hinc ſtatus libertatis, ingenuitatis*, &c.

Controverſia STATUS *fieri dicitur, quum controvertitur an quis ſit liber, ingenuus, filius.*

STATULIBER eſt qui ſtatutam, & deſtinatam in tempus vel conditionem, libertatem habet. *l.* 1. *ff. de Statulib.*

Hinc STATUTA libertas. *Vide lib.* 40. *Tit. VII.*

STELLIONATUS dicitur (*lib.* 47. *Tit.* 20.) *omnis atrox dolus qui proprio nomine caret.* Ubicumque igitur titulus criminis deficit, illic ſtellionatus objiciemus. *l.* 3. § 1. *ff. Stellion.*

¶ *STILLICIDIUM, aqua è tecto ſtillatim cadens. Undè* Servitus STILLICIDII *quâ vicinus ſtillicidium meum in aream ſuam cadere patitur.*

STIPENDIUM à TRIBUTO *differre ait Theophilus, Inſt. lib.* 2. *Tit. I. quòd hoc Fiſco Principis, illud Ærario Populi ſolveretur.*

STIPENDIUM à ſtipe appellatum eſt ; quòd per ſtipes, id eſt modica æra, colligatur. Idem hoc, etiam TRIBUTUM appellari Pomponius ait. Et ſanè appellatur ab intributione, Tributum ; vel ex eo quòd militibus tribuatur. *l.* 27. § 1. ULP. LIB. 17. AD ED.

STIPENDIARIA *prædia, quæ cenſum Populo debent ;* TRIBUTARIA, *quæ Cæſari.*

* STIPULA ILLECTA. *Vide ſuprà, in Verb.* Glans.

STIPULATIO hoc nomine indè utitur, quòd STIPULUM apud Veteres firmum appellabatur ; fortè à ſtipite deſcendens. *Inſt. lib.* 3. *Tit.* 16. *pr.*

STIPULATIO autem eſt verborum conceptio, quibus is qui interrogatur daturum facturum-ve ſe quod interrogatus eſt reſponderit. *l.* 5. § 1. *ff. de Verb. oblig.*

Stipulatio CERTA *vel* INCERTA *dicitur*, DIVIDUA *vel* INDIVIDUA, *prout id quod promittitur, eſt quid certum vel incertum* [*vide ſuprà*, Certum], *dividuum vel individuum.*

Stipulatio PŒNALIS *vocatur, quâ quid non principaliter & propter ſe ſtipulamur, ſed propter aliud ; id eſt ſi quid datum non fuerit, aut factum vel non factum fuerit.*

Stipulationes PRÆTORIÆ ; *quæ ex mero Prætoris officio proficiſcuntur & ejus juſſu interponuntur : ut ſtipulatio* Damni infecti.

JUDICIALES, *quæ officio judicis dati ;* COMMUNES, *quæ modò Magiſtratûs, modò etiam officio judicis dati interponuntur.*

CONVENTIONALES, *quæ ex ſolâ contrahentium voluntate interponuntur.*

De his omnibus vide lib. 45. *Tit.* 1.

* Stipulatio AQUILIANA. *Vide ſuprà*, Acceptilatio.

¶ *STRICTUM* Jus *vocatur, quatenùs abſque temperamento quod pro circumſtantiis æquitas ſuadet, ſpectatur.*

* STUPRUM. *Vide ſuprà*, Adulterium.

C C V I I.

¶ *SUBSTANTIA pro bonis ſumitur.*

SUBSTITUTIO eſt heredis in ſecundo vel ulteriori gradu facta inſtitutio. Enimverò Heredes INSTITUTI dicuntur.... primo gradu ; SUBSTITUTI, ſecundo vel tertio. *l.* 1. *ff. de Vulg. & pup. ſubſt.*

Subſtitutio VULGARIS *dicitur, quum ſecundus in eum caſum inſtituitur quo primus heres non erit.*

Subſtitutio PUPILLARIS [*quæ etiam* TESTAMENTUM PUPILLARE] *vocatur, quum pater liberis impuberibus quos in ſuâ poteſtate habet, ſive heredibus inſtitutis ſive exheredatis, aliquem ſcribit heredem in eum caſum quo ante pubertatem deceſſerint.*

Subſtitutio EXEMPLARIS, *quâ parens furioſo filio herede inſtituto heredem ſcribit, in eum caſum quo ante remiſſum furorem deceſſerit.*

¶ *SUCCESSORES ; generale verbum quod &* Heredes & Bonorum poſſeſſores, & *fideicommiſſarios hereditatis continet. Imò interdum porrigitur & ad eos qui ſingulari titulo in rem aliquam ſucceſſerunt, ideòque* Succeſſores SINGULARES *dicuntur.*

¶ *SUGGRUNDA vel* Suggrundæ, *ſunt projecta ex ædibus ita ut nuſquàm reſquieſcant :* Balcons, Auvents.

* SUI HEREDES. *Vide ſuprà*, Heres.

C C V I I I.

¶ *SUMERE dicitur ; is cui rem non tradis, ſed pateris eum ſumere & ſibi habere.*

SUO USU in locationibus vectigalium, & paſſim.

In Lege Cenſoriâ (*e*) portûs Siciliæ ita ſcriptum erat : « SERVOS quos domo quis ducet SUO USU, » pro his portorium ne dato. » Quærebatur ſi quis à Siciliâ ſervos Romam mitteret fundi inſtruendi cauſâ, utrùm pro his hominibus portorium dare deberet, necne ? Reſpondit ; Duas eſſe in hâc ſcripturâ quæſtiones : primam quid eſſet DOMUM ducere, alteram quid eſſet SUO USU ducere. Igitur quæri ſoleret,

(*a*) Scilicet Senatores.

(*b*) *Item* perſonas *eorum* qui licèt non ſint Senatorii ordinis, ex ſpeciali tamen privilegio jus habent utendi ornamentis Senatoriis, putà *Lato-clavo*, id eſt, tunicâ latis ac purpureis clavis ornatâ. Tales erant Tribuni militum LATI-CLAVII : l. 4. Cod. *de Milit. teſtam.* Tales etiam illi quos Auguſtus ſalvâ exiſtimatione ſervatiſque Senatoriis ornamentis Senatu movit, cùm nimiùm affluerent. Sueton. in AUG.

(*c*) Scilicet ab antiquo verbo *Specio*, idem quod *Video*, *Specto*. Cujus ſignificatio etiam nunc ſervatur in iis quæ cum Præverbiis conjuncta ſunt, ut *Aſpicio*, *Conſpicio*, *Deſpicio*, &c. Varro *de Ling. lat.* V. 8.

(*d*) *Sponſio* erat propria ſtipulationis ſpecies per has voces *Spondes? Spondeo.* Latiori autem ſignificatione ad quaſvis ſtipulationes porrigitur.

(*e*) Ad officium Cenſorum ſpectabat locare publica vectigalia. Et *Lex Cenſoria* hîc dicitur, lex à Cenſoribus dicta locationi vectigalium.

Source : BIU Cujas

utrùm ubi quiſque habitaret, ſive in provinciâ ſive in Italiâ, an duntaxat in ſuâ cujuſque patriâ, DOMUS eſſe rectè dicetur? Sed de eâ re conſtitutum eſſe, eam domum unicuique noſtrûm debere exiſtimari, ubi quiſque ſedes & tabulas haberet, ſuarumque rerum conſtitutionem feciſſet. Quid autem eſſet USU SUO, magnam habuiſſe dubitationem. Et magis placet, quod victûs ſui cauſâ paratum eſt, tantùm contineri. Itemque de ſervis eâdem ratione quæri, qui eorum USUS SUI cauſâ parati eſſent; utrùm diſpenſatores (*a*), inſulari (*b*), villici (*c*), atrienſes (*d*), textores (*e*), operarii quoque ruſtici qui agrorum colendorum cauſâ haberentur, ex quibus agris paterfamilias fructus caperet quibus ſe tolerat; omnes denique ſervos, quos quiſque emiſſet ut ipſe haberet atque eis ad aliquam rem uteretur, neque ideò emiſſet ut venderet. Et ſibi videri eos demùm USUS SUI cauſâ patremfamilias habere, qui ad ejus corpus tuendum atque ipſius cultum præpoſiti deſtinatique eſſent: quo in genere junctores (*f*), cubicularii, coci, miniſtratores, atque alii qui ad hujuſmodi uſum parati eſſent, numerarentur. *l.* 203. ALFENUS-VARUS LIB. 7. DIGEST.

CCIX.

SUPELLEX: lib. 33. *Tit. fin.*

SUPELLECTILIS eas eſſe res puto, quæ ad uſum communem patrisfamilias paratæ eſſent, quæ nomen ſui generis ſeparatim non haberent. Quare quæ ad artificii genus aliquod pertinerent, neque ad communem uſum patrisfamilias accommodatæ eſſent, ſupellectilis non eſſe. *l.* 6. *ff. de Supell. leg.*

SUPELLEX eſt domeſticum patrisfamiliæ inſtrumentum, quod neque argento auro-ve facto, vel veſti adnumeretur; *l.* 1. *ff. d. tit.*

Id eſt, res moventes, non animales. *l.* 2. *ff. d. tit.*

Labeo ait; Originem fuiſſe ſupellectilis, quòd olim his qui in Legationem proficiſcerentur, locari ſolerent quæ ſub pellibus (*g*) uſui forent. *l.* 7. *ff. d. tit.*

Tubero hoc modo demonſtrare SUPELLECTILEM tentat; inſtrumentum quoddam patrisfamiliæ, rerum ad quotidianum uſum paratarum; quod in aliam ſpeciem non caderet, ut [verbi gratiâ] penum, argentum, veſtem, ornamenta, inſtrumenta agri aut domûs. *d. l.* 7. § 1.

¶ *SUPERFICIARIUS vocatur is qui ædificium conſtruxit & poſſidet, in ſolo ſub certâ mercede in perpetuum conducto. Ædes illæ*, SUPERFICIARIÆ *dicuntur; & cùm non* Soli *in quo ædificatæ ſunt, ſed ædium tantùm dominus ſit; jus quod habet, dicitur* Superficies *aut* Jus ſuperficiei.

SUSPECTUS [*tutor*] eſt, qui non ex fide tutelam gerit; licèt ſolvendo ſit. *Inſtitut. lib.* 1. *Tit. fin.* § 5.

Vide lib. 26. *Tit. fin.*

SYLVA CÆDUA eſt [ut quidam putant] quæ in hoc habetur, ut cæderetur (*h*). Servius eam eſſe quæ ſucciſa rursùs ex ſtirpibus aut radicibus renaſcitur. *l.* 30. GAIUS LIB. 7. AD ED. PROVINC.

PASCUA SYLVA eſt, quæ paſtui pecudum (*i*) deſtinata eſt. *d. l.* 30. § *fin.*

T

CCX.

TABERNA.

Quia ex tabulis Taberna fit, Tabernæ appellatio declarat omne utile ad habitandum ædificium; non (*k*) ex eo quòd tabulis cluditur. *l.* 183. ULP. LIB. 28. AD ED.

Indè Tabernacula (*l*) & contubernales (*m*) dicti ſunt. *l.* 184. PAUL. LIB. 30. AD ED.

Taberna INSTRUCTA, *ſuprà in Verb.* Inſtructum.

¶ *TABULÆ, idem paſſim ac* Teſtamentum.

¶ *TACITUS, A, UM.*

TACITA fideicommiſſa *dicuntur, quæ quis clàm & tacitè rogatus eſt reſtituere ei cui per Leges non licet capere.*

TACITA *fides vocatur, quam quis defuncto de talibus fideicommiſſis clàm dedit; putà, chirographo, domeſticâ cautione.*

TACITUM; *quod ex ipſâ rei naturâ aut ex Legis præſumptione ſubaudiendum eſt, licèt non ſit expreſſum. Sic in ſtipulatione quâ* Decem Carthagini *dare promiſi*, TACITUM tempus *ineſt quo Carthaginem pervenire poſſim; ex ipſâ ſcilicet promiſſi naturâ. Sic in invectis & illatis* TACITUM pignus *eſt; ex præſumptione Legis quæ hanc pignoris conventionem ſupponit, &c.*

¶ *TALIO, pœnæ genus quo damnum illatum ſimili damno penſatur.*

CCXI.

TELUM, paſſim in Legibus; putâ in XII. Tab. Si ſe TELO *defendat, &c.*

TELUM vulgò quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur. Sed nunc omne ſignificatur quod mittitur manu. Ita ſequitur ut & lapis & lignum & ferrum hoc nomine contineatur. Dictumque ab eo quòd in longinquum mittitur, Græcâ voce figuratum ΑΠΟ ΤΟΥ ΤΗΛΟΥ [i. e. *à longè*] Et hanc ſignificationem invenire poſſumus & in Græco nomine: nam quod nos TELUM appellamus, illi ΒΕΛΟΣ appellant; eoque nomine, vulgò quidem (*n*) id ſignificatur quod ab arcu mittitur; ſed non minùs omne ſignificatur quod mittitur manu, ΑΠΟ ΤΟΥ ΒΑΛΛΕΣΘΑΙ [i. e. *à jaciendo*]. Admonet nos Xenophon: nam ita ſcribit, ΚΑΙ ΤΑ ΒΕΛΗ &c. [id eſt, *Et tela ſimul ferebantur, haſtæ, ſagittæ, fundæ, plurimi item lapides*]. Et id quod ab arcu mittitur, apud Græcos quidem proprio nomine ΤΟΞΕΥΜΑ [i. e. *ſagitta*] vocatur: apud nos autem, communi nomine TELUM appellatur. *l.* 233. § 2. GAIUS LIB. 1. AD LEG. XII. TAB.

Et generaliter; TELORUM appellatione, omnia ex quibus ſinguli homines nocere poſſunt accipiuntur. *l.* 11. § 1. *ff. ad Leg. Jul. de Vi publ.*

Igitur, in ſummâ: Teli appellatione, & ferrum, & fuſtis, & lapis, & denique omne quod nocendi cauſâ habetur, ſignificatur. *l.* 54. § 2. *ff. de Furtis.*

* TERGIVERSARI. *Vide ſuprà*, Calumniari.

TERRITORIUM, in judiciis; putà quum dicitur Magiſtratui Extra territoritum *Jus dicenti, impunè non pareri: in Legibus Municipalibus, &c.*

TERRITORIUM eſt, univerſitas agrorum intrà fines cujuſque civitatis. Quod ab eo dictum quidam aïunt, quòd Magiſtratus ejus loci intrà eos fines TERRENDI, id eſt, ſummovendi jus (*o*) habet. *l.* 239. § 8. POMPON. LIB. SING. ENCHIRID.

¶ *TERTYLLIANUM* SCtum, *quo matres ad hereditatem liberorum vocantur.*

(*a*) *Intendants, Maîtres d'Hôtels,*
(*b*) Cuſtodes inſulæ, *Concierges.*
(*c*) Villæ præpoſiti.
(*d*) Qui ſupellectilem emundant & diſponunt in atrio; inſtrumenta ædium detergunt. *Columell.* lib. 2. cap. 3.
(*e*) Qui ad uſum patrisfamilias & familiæ texunt veſtimenta.
(*f*) Cujacius cenſet legendum *unctores*: Ii ſunt qui dominum ungunt in balneo.
(*g*) Paululùm invertenda videtur lectio, ita: *locari* [id eſt, ad viam conficiendam collocari] *ſolerent ſub pellibus* [Chariots couverts] ea *qua uſui forent.*

(*h*) *Un Taillis.* Hinc in fructu eſt, eâque uti poteſt fructuarius. Secàs de non cæduâ, niſi fortè ut pedamenta ſumat ad uſum vineæ. lib. 7. Tit. *de Uſufr. & quemadm.* N. 7.
(*i*) *Un Pâtis.*
(*k*) H. Grotius emendat, *nam ex eo.* In Noricâ Editione, *nempè ex eo.* Verùm Forentinam lectionem tuentur omninò Ant. Auguſtinus & Cujacius, expreſſo illo Feſti textu: Tabernæ, inquit, *quòd ex tabulis olim fiebant dicta ſunt; non, ut quidam putant, quòd tabulis claudantur.* Et alibi: CONTUBERNALES *dicuntur à tabernis, quæ fiebant ex tabulis.* Feſt. in Verb. TABERN. & CONTUBERNAL.
(*l*) TABERNACULA *dicuntur à ſimilitudine tabernarum* [quia nempè tegebantur olim tabulatis] *licèt ex tentoriis & pellibus* [hodie] *fiant.* Feſtus mox ſuprà.
(*m*) In eâdem tabernâ cohabitantes.
(*n*) Apud illos.
(*o*) Imò potiùs TERRITORIUM dictum ab his duabus vocibus, *Terra*, & TORES, antiquitùs pro *Limes*, id eſt, terra certo limite circumſcripta, ut optimè Salmaſius. Hujus vocis *Tores* veſtigium in *Extorris.*

Source : BIU Cujas

CCXII.

TESTARI, TESTAMENTUM *&c.* RUPTUM, *&c.*

TESTARI, *eſt teſtibus adhibitis voluntatem ſuam de re quâpiam declarare, undè* TESTATÒ, *coràm teſtibus; &* TESTATIO, *pro quâlibet ſcripturâ teſtibus communitâ.*

Sæpiùs tamen TESTARI *ſumitur pro* Teſtamentum facere.

Juxta vim nominis; TESTAMENTUM ex eo appellatur, quòd teſtatio mentis (*a*) ſit. *Inſtit. lib.* 2. *Tit.* 10. *pr.*

Sic autem definitur: TESTAMENTUM eſt voluntatis noſtræ juſta (*b*) ſententia, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. *l.* 1. *ff. Qui teſtam. fac.*

TESTAMENTARIUS *eſt, qui dictante teſtatore teſtamentum ſcribit.*

TESTAMENTI FACTIONEM, non ſolùm is habere videtur qui teſtamentum facere poteſt; ſed etiam qui ex alieno teſtamento vel ipſe capere poteſt, vel alii adquirere, licèt non poſſit facere teſtamentum. *Inſtit. lib.* 2. *Tit.* 19. § 4. ¶ *teſtamenti.*

RUMPITUR teſtamentum; quum in eodem ſtatu manente teſtatore, ipſius teſtamenti jus vitiatur. *d. lib.* 2. *Tit.* 17. § 1.

Id eſt, ſi poſtea aliud teſtamentum jure factum ſit (*c*); item agnatione, id eſt, ſi ſuus heres agnaſcatur qui neque heres inſtitutus neque ut oportet exheredatus ſit. ULP. FRAGM. *Tit.* 23. § 2.

IRRITUM ſit teſtamentum, ſi teſtator capite deminutus fuerit; aut ſi jure facto teſtamento nemo extiterit heres. *d. tit.* § 4.

Sed hoc ultimo caſu, Teſtamentum plerùmque dicitur DESTITUTUM.

IMPERFECTUM *vocatur, quod fieri cœptum nondum numeris omnibus abſolutum eſt.*

INJUSTUM, INOFFICIOSUM, *vide ſuprà ſuis locis.*

PUPILLARE, *ſuprà in Verb.* Subſtitutio.

MILITARE, *quod miles ex privilegio militiæ citra Juris civilis regulas ac ſolemnia confecit; opponiturque teſtamento jure communi facto.*

THESAURUS eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. *l.* 31. § 1. *ff. de Adq. rer. dom.*

Vide d. tit. N. 9. & 10.

CCXIII.

TIGNUM, in Legibus paſſim; *putà, quum Lex XII. Tab.* TIGNUM *alienum ædibus aut vineis junctum vetat ſolvi.*

TIGNI appellatione in Lege Duodecim Tabularum, omne genus materiæ ex quâ ædificia conſtant ſignificatur. *l.* 62. GAIUS LIB. 26. AD ED. PROVINC.

Pleniùs & rectè Quidam aiunt, tegulam quoque & lapidem & teſtam, cæteraque ſi quæ ædificiis ſunt utilia (TIGNA enim à tegendo dicta ſunt); hoc ampliùs, & calcem, & arenam, Tignorum appellatione contineri.

Sed & in vineis Tigni appellatione omnia vineis neceſſaria continentur; ut putà, perticæ, pedamenta. *l.* 1. § 1. *ff. de Tigno junct.*

Conſequenter FABROS TIGNARIOS (*Ita Cujac. Vulgò* lignarios.) dicimus (*d*), non eos duntaxat qui tigna dolarent; ſed omnes qui ædificarent. *l.* 235. § 1. IDEM LIB. 3. AD LEG. XII. TAB.

¶ *TITULUS frequenter ſumitur, pro causâ ex quâ quid poſſidemus.* JUSTUS *ſeu* IDONEUS *vocatur, ex quo dominia rerum ſecutâ traditione transferri ſolent; ut emptionis, legati, &c.*

¶ *TRADERE, eſt poſſeſſionem transferre: unde* Traditio. *Ad factum referuntur verba hæc;* DARE, *ad jus.*

* TOTUM, *totus. Vide ſuprà*, Pars.

CCXIV.

TRAJECTITIA pecunia, in contractu nautico. De quo lib. 22. *Tit. II.*

TRAJECTITIA ea pecunia eſt, quæ trans mare vehitur. Cæterùm ſi eodem loci conſumatur, non erit trajectitia.

Sed videndum an merces ex eâ pecuniâ comparatæ, in eâ causâ habeantur? Et intereſt utrùm etiam ipſæ periculo creditoris navigent: tunc enim TRAJECTITIA PECUNIA fit. *l.* 1. *ff. de Nautico fœn.*

TRAJECTITIÆ uſuræ; *quas quis ſtipulatur ex eâ pecuniâ quæ eâ lege mutuo data eſt, ut non aliter redderetur quàm ſi ea ipſa aut merces ex eâ comparatæ periculum navigationis evaſiſſent.*

TRANSIGERE, Tranſactio. Tranſactionis definitionem his verbis exhibet Ulpianus: Qui TRANSIGIT, quaſi de re dubiâ & lite incertâ neque finitâ tranſigit. *l.* 1. *ff. de Tranſact.*

TRANSACTA FINITAQUE RATA SUNTO. *Hæc clauſula in omnibus novis Legibus inſeri ſolita erat; ut in SCto Orphitiano, Tit.* ad SC. Tertyll. *N. fin.*

TRANSACTA FINITA-ve intelligere debemus, non ſolùm [de] quibus controverſia fuit, ſed etiam quæ ſine controverſiâ ſint poſſeſſa: *l.* 229. PAUL. LIB. SING. DE TACITIS FIDEICOMM.

Ut ſunt judicio terminata, tranſactione compoſita, longioris temporis ſilentio (*e*) finita. *l.* 230. IDEM LIB. SING. AD SC. ORPHIT.

¶ *TRANSLATIO legati dicitur, quum ab eo cui relictum erat in alterum transfertur; aut quum loco ejus qui dare damnatus erat, alter illud dare damnatur; aut ſi id quod purè legatum erat, ſub conditione relinquatur, alia-ve res vice ejus quæ relicta erat. De quibus variis ſpeciebus vide lib.* 34. *Tit.* de Adim. vel transfer. leg.

¶ *TRANSLATITIE, negligenter.*

Alio ſenſu dicitur TRANSLATITIUM *vel* TRALATITIUM Edictum, *quod ex Edictis Prætorum præcedentibus deſumptum eſt.*

CCXV.

¶ *TREBELLIANUM* SCtum; *quo hereditariæ actiones ei cui reſtituta eſt ex fideicommiſſo hereditas & in eum tranſeunt. Lib.* 36. *Tit. I.*

¶ *TRIBUNAL, locus ſublimis & editus, undè Magiſtratus quibus ſellæ Curulis jus erat, Jus dicebant. Hinc illæ locutiones, qui* TRIBUNALI *præeſt,* PRO TRIBUNALI *cognoſcere.*

TRIBUNI plebis.

Quum plebs à Patribus ſeceſſiſſet... Tribunos ſibi in monte ſacro creavit, qui eſſent Plebeii Magiſtratus. Dicti TRIBUNI, quòd olim in tres partes populus diviſus erat, & ex ſingulis ſinguli creabantur; vel quia Tribuum ſuffragio creabantur. *l.* 2. § 20. *ff. de Orig. jur.*

¶ *TRIBUS, certus numerus claſſium in quas Populus Romanus diviſus erat. Undè* Tribus EMI *dicitur, quum quis (putà, manumiſſus) in aliquam Tribum aliquo dato cooptabatur.*

Tres duntaxat ab initio Tribus fuerant, quarum numerus crevit ad triginta-quinque.

¶ *TRIBUTORIA* actio, *vocatur; quæ creditoribus ſervi qui ſciente domino in merce peculiari negotiatus eſt, datur adversùs dominum, qui iniquam hujus mercis diſtributionem fecit, ut quantominùs eis tribuerit quàm oportuit, præſtet. Vide Tit.* de Tribus act. *lib.* 14.

¶ *TRIBUTUM, prædiorum aut capitum. Vide ſuprà, Tit.* de Cenſib. *N.* 1.

¶ *TRIENS, tertia pars. Unde heres ex* TRIENTE,

(*a*) Hanc quæ Servii-Sulpitii eſt, etymologiam irridet Gellius VI. 12. Quid enim, inquit, *Calcea*MENTUM, *Pavi*MENTUM, *Veſti*MENTUM: *Palu*daMENTUM, &c. etiam-ne iſta omnia compoſita dicemus?

(*b*) Id eſt ſecundùm leges & ritè prolata.

(*c*) Ex quo nempè heres exiſtere poſſit. Nil refert autem, extiterit necne. Sup. d. tit. *Inſtit.* § 2.

(*d*) Putà quum dicitur, Fundo inſtructo fabros *Tignarios* contineri.

(*e*) Igitur FINITA intelliguntur, non ſolùm quæ pactione aliquâ etiam citra controverſiam terminata ſunt; ſed ex ſolâ longâ poſſeſſione. Hinc putà; ſi ante Senatuſconſultum Orphitianum longo tempore agnati matris meæ hereditatem ejus poſſederunt, non poſſum ex Senatuſconſulto eam ab illis petere.

Source : BIU Cujas

Héritier pour un tiers ; TRIENTES *usuræ*, Quatre pour cent.

* TRIPLICATIO. *Vide suprà*, Exceptio.

TRIUMVIRI nocturni.

Apud vetustiores incendiis arcendis TRIUMVIRI præerant ; qui ab eo quòd excubias agebant, NOCTURNI dicti sunt. *l.* 1. *ff. de Offic. Præf. Vig.*

CCXVI.

TUGURIUM.

TUGURII appellatione, omne ædificium quod rusticæ magis custodiæ conveniat quàm urbanis ædibus, significatur. *l.* 180. POMPON. LIB. 30. AD SABIN.

Ofilius ait TUGURIUM à tecto, tanquam tegularium (*a*) esse dictum : ut TOGA, quòd eâ tegamur. *d. l.* 180. § 1.

¶ *TUM. Articulus ille in ultimis voluntatibus & in stipulationibus, hanc vim habet ut dies qui conditioni insertus est, etiam præstationi rei legatæ aut in stipulationem deductæ adjectus videatur. V. G. Si in quinquennio Titio filius natus erit, vel non erit ;* TUM *heres dato. l.* 4. § 1. *ff.* de Cond. & dem.

TURBA, Rixâ ; putà in Edicto de furto damno-ve in TURBA *facto.*

TURBAM appellatam Labeo ait ex genere tumultûs. Idque verbum ex Græco tractum ΑΠΟ ΤΟΥ ΘΟΡΥΒΕΙΝ, id est, à tumultuando. *l.* 4. § 2. *ff. Vi bon. rapt.*

Turbam autem ex quo numero admittimus ?... Enimverò si plures fuerunt, decem aut quindecim homines ; TURBA dicitur. Quid ergo, si tres aut quatuor ? Turba utique non erit.

Et rectissimè Labeo, inter TURBAM & RIXAM multùm interesse ait : namque TURBAM, multitudinis hominum esse turbationem & cœtum ; RIXAM, etiam duorum. *d. l.* 4. § 3.

TUTELA ; tutor.

TUTELA est vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum qui propter ætatem suam sponte se defendere nequit ; Jure civili data ac permissa. *l.* 1. *ff. de Tutel.*

TUTORES sunt qui eam vim ac potestatem habent, exque re ipsâ nomen ceperunt. Itaque appellantur Tutores, quasi TUITORES atque defensores ; sicuti Æditui dicuntur, qui ædes tuentur. *d. l.* 1. § 1.

Tutela TESTAMENTARIA *vocatur ; quæ ex testamento, his quos testator liberis suis impuberibus in potestate suâ constitutis tutores dedit, defertur.*

LEGITIMA, *quæ cessante testamentariâ à lege defertur :* DATIVA *seu* HONORARIA, *quæ à Magistratu datur.*

* Tutela FIDUCIARIA. *Vide suprà*, Fiducia.

Tutor FALSUS. *Vide suprà*, Protutor.

Tutor HONORARIUS. *Vide suprà*, Honorarium.

Tutoris AUTORITAS. *Vide suprà*, Auctoritas.

¶ *TYRONES ; qui in militari disciplinâ instituebantur, nondum in numeros relati* : les Cadets.

V

CCXVII.

¶ *VACATIO* MUNERUM, *pro immunitate aut legitimâ excusatione sumitur. Vide lib.* 50. *Tit.* de Vac. & excus. mun. *& Tit.* de Jure immun.

¶ *VACUUS fundus, qui à nemine possidetur nec detinetur. Undè* In vacuam possessionem *mittere seu inducere*, Vacuam possessionem tradere, *est introducere in fundum quem nemo detinet.*

¶ *VADIMONIUM est cautio standi in judicio. Hinc* Vades, *qui eâ de re fidejussores adhibentur.*

Sumitur etiam VADIMONIUM, *pro die constituto quo quis se sistere in judicio debet.*

(*a*) Atque indè Grotius vult legi, *Tegurium.*

(*b*) Quibuscumque utimur ad ministrandum.

VAS, vasa vinaria, &c.

VASIS (*putà*, legatis) ea omnia continentur, quæ capacitati alicui parata sunt ; & ideò tam potoria quàm escaria, item ministeria (*b*) omnia. PAUL. SENT. LIB. 3. *Tit.* 6. § 90.

Et Non solùm ea continentur quæ aliquid in se recipiunt, edendi bibendique causâ paratum ; sed & quæ aliquid sustineant.... nam VASORUM appellatio generalis est. *l.* 19. § 10. *ff. de Aur. arg. leg.*

At verò VINARIA VASA propriè vasa torcularia esse placet : dolia autem & serias tamdiù in eâ causâ esse, quandiù vinum haberent ; quum sine vino esse desinerent, in eo numero non esse : quoniam ad alium usum transferri possent, veluti si frumentum in his addatur (*Aliàs* abdatur). Eamdem causam amphorarum esse ; ut, quum vinum habeant, tum in vasis vinariis ; quum inanes sint, tum extra numerum vinariorum sint : quia aliud in his addi (*Aliàs* abdi) possit. *l.* 206. JULIAN. LIB. 6. EX MINICIO.

CCXVIII.

VECTIGAL, VECTIGALIS AGER.

VECTIGAL, *quidquid ex quâcumque re ad publicum usum exigitur :* toute espece d'impôt.

Sumitur etiam pro censu annuo Jub quo prædia populi aut civitatum fruenda locantur in perpetuum. Undè illa prædiorum distinctio ; nempè quòd Agri civitatum, alii Vectigales vocantur, alii non.

VECTIGALES vocantur, qui in perpetuum locantur ; id est, hâc lege ut quamdiù pro illis vectigal pendatur, tamdiù neque ipsis qui conduxerint neque his qui in locum eorum successerunt auferri eos liceat.

NON VECTIGALES sunt, qui ita colendi dantur ut privatim agros nostros (*c*) colendos dare solemus. *l.* 1. *ff. Si ager vectig.*

¶ *VELLEIA vel* VELLEA LEX, *spectat institutionem Quasi-posthumorum. De quâ vide lib.* 28. *Tit.* de Liber. & posth. *Sect.* 2. *Art.* 2.

¶ *VELLEIANUM* SCtum, *quo prohibentur mulieres ne se vel res suas in rem alterius obligent. Vide lib.* 16. *Tit.* ad SC. Velleian.

CCXIX.

VENENUM.

VENENI nomen medium est, & tam id quod ad sanandum, quàm id quod ad occidendum paratum est, continet, sed & id quod amatorium appellatur. *l.* 3. § 2. *ff. ad L. Corn. de sicar.*

Igitur Qui VENENUM dicit, adjicere debet, utrùm malum an bonum. Nam & medicamenta, venena sunt ; quia eo nomine omne continetur quod adhibitum naturam ejus cui adhibitum effet mutat. Quum id quod nos VENENUM appellamus, Græci ΦΑΡΜΑΚΟΝ dicunt ; apud illos quoque tam medicamenta, quàm quæ nocent, hoc nomine continentur. Undè adjectione alterius nominis distinctio fit. Admonet nos summus apud eos Poetarum Homerus : nam sic ait, ΦΑΡΜΑΚΑ ΠΟΛΛΑ [&c. [id est, *venena multa quidem bona mixta, multa autem mala*]. *l.* 236. GAIUS LIB. 4. AD. L. XII. TAB.

¶ *VENIA* ÆTATIS *vocatur quæ à Principe tribuitur Minori viginti-quinque annis, ut res suas administrare possit.*

¶ *VENTER sumitur pro muliere prægnante, vel pro eo qui in ventre est & nasci speratur ; ut quum dicitur Curator* VENTRI *dari ; id est ei qui in ventre est ;* VENTREM *in possessionem mitti, id est, mulierem prægnantem.*

CCXX.

VERBERARE, PULSARE ; *in his injuriarum speciebus quas Lex Cornelia vindicat.*

VERBERARE, est cum dolore cædere ; pulsare, sine dolore. *l.* 5. § 1. *ff. de Injur.*

Id est, in quinquennium.

Source : BIU Cujas

Hæc duo tamen non rarò confunduntur.

¶ *VERBORUM* obligatio *dicitur ; quæ ex ſolemni verborum conceptione contrahitur ; ut ſtipulatio , dotis dictio , jusjurandum liberti quo ſe ad operas exhibendas abſtringit. Hinc* VERBIS *obligari. Lib.* 45. *Tit. I.*

¶ *VEREDI vel* VERHEDI , *equi ad publicum curſum inſervientes.*

¶ *VERNA , ſervus domi noſtræ natus. Interdum hæc appellatio , & ad libertos porrigitur : ut in l.* 15. *ff.* de Aur. arg. leg.

¶ *VERSICOLORIUM numero eſt , quicquid nativum colorem vertit ; adeòque omnis lana tincta.*

¶ *IN REM VERSUM dicitur , quod in patrimonium redactum eſt.*

Diverſo ſenſu in Edicto De Peculio *ſumitur* IN REM DOMINI VERSUM ; *ſcilicet quatenùs ſervus ex pecuniâ ipſi mutuo datâ dominum ſibi naturaliter debitorem effecit : & hoc eodem ſenſu dicitur dari actio in dominum* DE IN REM VERSO. *Igitur , ſi ſervus hanc pecuniam dedit domino in ſolutum ejus quod ipſe domino debebat , non eſt* In rem *domini* Verſum : *ſed ſi ex eâ pecuniâ , quum nihil ipſe domino deberet , res domino neceſſarias comparavit , creditoribus domini ſolvit ;* In rem DOMINI VERSUM DICETUR , *quia dominum ſibi naturaliter ex negotiis ipſius geſtis debitorem effecit. Vide Tit.* de In rem verſo. *Lib.* 15.

CCXXI.

VESTIS , veſtimentum.

VESTIMENTUM id eſt , quod detextum eſt (*a*) etſi deſectum non ſit ; id eſt , ſi ſit conſummatum. Quod in telâ eſt nondum pertextum vel detextum , CONTEXTUM appellatur. *l.* 22. *ff. de Aur. arg. leg.*

VESTIS , an VESTIMENTA... nil refert. *l.* 23. *ff. d. tit.*

VESTIS appellatione , tam virilis quàm muliebris , & ſcenica (etiamſi tragica aut citharœdica ſit) continetur. *l.* 127. CALLISTR. LIB. 4. DE COGNITION.

Varias quæ hâc VESTIMENTORUM *aut* VESTIS *appellatione continentur ſpecies vide lib.* 34. *Tit.* de Aur. arg. leg. *Art.* 5.

VETERATOR opponitur Novitio *; in qualitatibus ſervorum vendendorum.*

Servus tam VETERATOR quàm NOVITIUS dici poteſt. Sed VETERATOREM non (*b*) ſpatio ſerviendi , ſed genere & causâ æſtimandum Cœlius ait. Nam quicumque ex venalicio novitiorum emptus , alicui miniſterio præpoſitus ſit ; ſtatim eum veteratorum numero eſſe.

NOVITIUM autem , non tyrocinio animi (*c*) , ſed conditione ſervitutis intelligi. Nec ad rem pertinere , Latinè ſciat necne : nam nec ob id veteratorem eſſe , ſi liberalibus ſtudiis eruditus ſit. *l.* 65. § *fin. ff. de Ædil. Ed.*

VETERANA , NOVITIA , *alio ſenſu accipiuntur in Edicto de Publicanis , & ratione vectigalis quod pro variâ mancipiorum differentiâ ſolvitur.* Sunt autem VETERANA, quæ anno continuo in urbe ſervierint : NOVITIA autem mancipia intelliguntur , quæ annum nondum ſervierint. *l. fin.* § 3. *ff. de Publican.*

¶ VETERANI ; *qui honeſtè poſt emerita ſtipendia , militiâ dimiſſi ſunt.*

CCXXII.

VIA privata , publica.

Privata VIA *eſt locus fundi , per quem iri ſolet. Et quidem etiam* VIA eſt , ſive ſemita (*d*) ſive iter eſt. *l.* 157. § 1. ÆLIUS-GALL. LIB. 1. DE VERB. (quæ ad Jus pertinent) SIGNIF.

Viæ publicæ dividuntur in MILITARES *ſeu Regias , &* VICINALES.

Viæ MILITARES exitum ad mare aut in urbes aut in flumina publica , aut ad aliam viam militarem habent... VICINALIUM pars in militares vias exitum habent , pars ſine ullo exitu intermoriuntur. *l.* 3. § 1. *ff. de Locis & itin. publ.*

REFICERE VIAM , *aperire , purgare ; in Interdictis* DE *viâ publicâ.*

Viam APERIRE eſt , ad veterem altitudinem latitudinemque reſtituere. Sed & purgare , Refectionis portio eſt. PURGARE autem propriè dicitur , ad libramentum proprium redigere , ſublato eo quod ſuper eam eſſet. Reficit enim & qui aperit , & qui purgat , & omnes omninò qui in priſtinum ſtatum reducunt. *l.* 1. § 1. *ff. de Viâ publ. & itin. publ. ref.*

¶ *VIATORES* , Sergens.

* VICARIUS. *Vide ſuprà* , Servus.

¶ *VICINI in urbanis prædiis dicuntur*, CONFINES *in ruſticis l.* 4. § 10. *ff.* Finium reg.

CCXXIII.

VICTUM, STRATUM ; *ut in Edicto de judicatis , quâ parte Prætor proponit actionem* In factum *contra eos qui judicatis victum ſtatum-ve inferri prohiberent.*

Verbo VICTUS continentur quæ eſui potuique corporis , quæ-que ad vivendum homini neceſſaria ſunt. Veſtem quoque (*e*) , VICTÛS habere vicem Labeo ait ; *l.* 43. ULP. LIB. 58. AD ED.

Et cætera quibus tuendi , curandi-ve corporis noſtri gratiâ utimur , eâ appellatione ſignificantur. *l.* 44. GAIUS LIB. 22. AD ED. PROVINC.

Verbum VIVERE quidam putant ad cibum pertinere: Sed Ofilius ad Atticum ait , his verbis & veſtimenta & ſtramenta contineri ; ſine his enim vivere neminem poſſe. *l.* 234. § 1. GAIUS LIB. 2. AD L. XII. TAB.

IN STRATUM omne veſtimentum contineri , quod injiciatur Labeo ait : neque enim dubium eſt quin ſtragula veſtis ſit omne pallium (*f*) ΠΕΡΙ'ΣΤΡΩΜΑ. In victum ergo veſtem accipiemus , non ſtragula ; in ſtratum , omnem ſtragulam veſtem (*g*). *l.* 45. ULPIAN. LIB. 58. AD ED.

¶ *VICUS modò pro urbis parte , modò pro pago ſumitur.*

¶ *VIDETUR , in Noſtris , verbum eſt modeſtè affirmantis. Aut etiam eſt verbum improprietatis : putà ,* VIDETUR habere ; *pro eo eſt ac ſi haberet ; non quidem reverâ , ſed æquipollenter habet.*

¶ *VIDUA ; cujus appellatio frequens in Legibus , præſertim Juliâ & Papiâ.*

VIDUAM , non ſolùm eam quæ aliquando nupta fuiſſet , ſed eam quoque mulierem quæ virum non habuiſſet , appellari ait Labeo : quia VIDUA ſic dicta eſt , quaſi VECORS, VESANUS , qui ſine corde aut ſanitate eſſet ; ſimiliter Viduam eſſe dictam ſine (*h*) duitate. *l.* 242. § 3. JAVOLEN. LIB. 2. EX POSTERIORIB. LABEON.

CCXXIV.

¶ *VILLA , eſt ædificium fundi.*

VILLICUS , *qui præpoſitus eſt rationibus ruſticis & univerſo operi ruſtico.*

VINCULA in Edicto de reſtitutionibus in integrum ,

(*a*) *L'Etoffe ôtée de deſſus le métier , quand elle ſeroit même en piece.*

(*b*) *Non* tam.

(*c*) Id eſt ; pariter non tam ex eo quòd ejus animi ſit ut tyro potiùs quàm magiſter eſſe deberet , ſed ex eo præcisè quòd nondum ulli arti miniſterio-ve admotus eſt.

(*d*) *Sentier* , quaſi SEMIS-VIA. Tam autem ſemita quàm *Iter* ſeu integra via , *Viæ* appellatione veniunt : de utràque Interdictum datur ; & ſicut *Viæ* ita & *Semitæ* poteſt ſervitus conſtitui.

(*e*) Eam ſcilicet quæ tuendi tegendique corporis gratiâ paratur , ut quæ intuendi , præcingendi , amiciendive causâ habemus. Vide l. 45. mox ſeq. cum Notis.

(*f*) PALLIUM generale nomen , quod continet tam ea quæ *intuendi* quàm ea quæ *injiciendi* causâ habentur. De priori pallii ſpecie hîc non agit ; hæc enim ad *Victum* pertinet. Altera autem ſpecies , quæ *Periſtromata* dicuntur , & habentur injiciendi causâ ; rectè *Strato* , ſeu ſtragulæ veſti adſcribuntur.

(*g*) Senſus eſt ; *Victûs* appellatione intelligenda eſt veſtis : non quælibet tamen ; nec enim ſtragula veſtis , id eſt quæ inſternendi injiciendi-ve causâ habetur [putà , *Matelas , couvertures*] , venit appellatione *Victûs*. In *Strati* autem appellatione omnis veſtis ſtragula venit.

(*h*) Id eſt , quæ ſola eſt ; & cum quâ nemo DUOS facit.

Source : BIU Cujas

quâ parte conceditur Reſtitutio ei qui in vinculis eſſet.

Prætores VINCULORUM (*a*) appellatione vel privata vel publica vincula ſignificant ; CUSTODIÆ verò, tantùm publicam cuſtodiam. *l.* 224. VENUL. LIB. 7. STIPULAT.

Hinc de verbo hoc Edicti, IN VINCULIS, *ita Calliſtratus* : Non ſolùm ad eum pertinet qui publicâ cuſtodiâ coercetur, ſed ad eum quoque qui à latronibus aut prædonibus, vel potentiore vi oppreſſus, vinculis coercebatur. Vinculorum autem appellatio latiùs accipitur : nam etiam incluſos, veluti lautumiis, vinctorum numero haberi placet : quia nihil interſit, parietibus, an compedibus teneatur. Cuſtodiam autem, ſolam publicam accipi Labeo putat. *l.* 9. § 1. *ff. Ex quib. cauſ. maj.*

Alibi hæc appellatio ſtrictiùs accipitur. Ita enim Ulpianus : Verum (*b*) eſt eum qui in carcere clauſus eſt, non videri neque VINCTUM neque IN VINCULIS eſſe ; niſi corpori ejus vincula ſint adhibita. *l.* 216. ULPIAN. LIB. I. AD L. ÆLIAM-SENT.

¶ *VINDICARE ſignificat petere quod noſtrum eſt. Undè* VINDICARE *rem, hereditatem, pignus, ſervitutem, libertatem, dicimur.*

Hinc REI VINDICATIO *pro actione* In rem.

Alio ſenſu VINDICARE *crimen, injuriam, dicitur ; pro accuſare.*

¶ *VINDICTA, ſolemnis manumittendorum coràm Magiſtratu ſervorum ritus : lib.* 40. *Tit. II.*

VINUM ; vetus, novum.

Si quis VINUM legaverit ; omne continetur quod ex vineâ natum, vinum permanſit. *l.* 9. *ff. de Trit. vin. leg.*

Vinum VETUS accipietur, quod non eſt NOVUM ; id eſt, & anni prioris vinum appellatione Veteris continebitur *l.* 11. *ff. d. tit.*

Nam aliter obſervantibus, quis finis aut quod initium (*c*) veteris vini ſumeretur ? *l.* 12. *ff. d. tit.*

Plura circa vini appellationem vide lib. 33. *d. Tit.* de Trit. vin. leg. *N.* 4.

CCXXV.

VIR, MULIER.

Dicendum eſt, contineri MULIERIBUS.... etiam virgines..... ſicuti VIRIS, etiam pueros. *l.* 81 § 1. *ff. de Legatis* 3°.

VIR BONUS, *id eſt æquus rerum æſtimator. Hinc* Arbitrium boni viri, *ſuprà.*

¶ *VIRILIS pars refertur ad diſtributionem pro numero perſonarum factam.* In viriles *dividere, id eſt in tot partes quot ſunt perſonæ.*

VIRITIM, *eamdem habet ſignificationem.*

VIS, VI, *aut* CLAM *facere.*

VIS eſt majoris (*Aliàs* major) rei impetus, qui repelli non poteſt. *l.* 2. *ff. Quod met. causâ.*

VIS DIVINA, VIS MAJOR, *quæ fato accidit, & omnem hominum providentiam ſuperat : ut ſi fulmine conflagraverit domus.*

Vis ARMATA *vel* PUBLICA, *quæ armis infertur ;* VIS PRIVATA, *quæ ſine armis. Lib.* 48. *Tit. VI. & VII.*

VI, CLAM, *factum ; in Interdicto* DE *vi.*

VI FACTUM id videtur eſſe, quâ de re quum quis prohibetur fecit : CLAM, quod quiſque quum controverſiam haberet habiturum-ve ſe putaret, fecit. *l.* 73. § 2. *ff. de Reg. jur.* Q. MUC. LIB. SING.

VIS *alio ſenſu, pro virtute ſeu efficaciâ accipitur ; ut in definitione tutelæ*, Vis ac poteſtas.

¶ *VITIUM. Vide ſuprà*, Morbus.

VITIA poſſeſſionis *ſunt ſi quis vi, clàm, precariò, aut generaliter malâ fide rem poſſideat. Vide ſuprà* Poſſeſſio.

(*a*) Cujacius cenſet pertinere h. l. ad Edictum *de Reſtitut. in integr.* quod adhuc apertiùs dicendum de l. ſeq.

(*b*) Pertinet ad illud Caput legis *Ælia-Sentiæ*, quo ſervi qui pœnæ causâ vincti fuiſſent, non poterant niſi dedititiam libertatem accipere : lib. 1. Tit. *de Statu hom.* N. 34.

(*c*) Putà in fideicommiſſo.

(*d*) Cujus muri à Romulo, aretro circumlineati fuerant.

* VITRICUS. *Vide ſuprà*, Noverca.

¶ *VIX EST ; modeſta negatio.*

CCXXVI.

¶ *VOTUM, diis facta pollicitatio : lib.* 50. *Tit. XII. Aliàs ſumitur pro deſiderio, propoſito.*

VULGO CONCEPTI dicuntur, qui patrem demonſtrare non poſſunt ; vel qui poſſunt quidem, ſed eum habent quem habere non licet. Qui & SPURII appellantur ΠΑΡΑ' ΤΗ'Ν ΣΠΟΡΑ'Ν [*id eſt, à ſatione*]. *l.* 23. *ff. de Statu hom.*

Solent appellari.... & Α'ΠΑΤΟΡΕΣ, quaſi ſine patre filii. *Inſtit. lib.* 1. *Tit.* 10. § 12.

U

CCXXVII.

¶ *UNCIA, pars duodecima.* Unciaria *uſura, id eſt, duodecima centeſimæ*, le douzieme d'un pour cent par mois ; Un pour cent par an.

UNGUENTUM : lib. 34. *Tit. II. Art. fin.*

Continentur UNGUENTIS... non tantùm ea... quibus ungimur voluptatis causâ, ſed & valetudinis. *l.* 21. § 1. *ff. de Aur. arg. leg.*

¶ *UNIVERSITAS, corpus, collegium perſonarum. Dicitur & rerum* UNIVERSITAS.

* UNO *contextu. Vide ſuprà*, Contextu.

URBANA, *ruſtica, familia. Vide ſuprà*, Familia.

URBANA, *ruſtica, prædia. Vide*, Prædium.

URBS ab Urbo appellata eſt. URBARE eſt aratro definire : & Varus ait, URBUM appellari curvaturam aratri quod in urbe condendâ adhiberi ſolet. *l.* 239. § 6. POMPON. LIB. SING. ENCHIRID.

Varro pariter de Ling. Lat. *lib. IV. Cap.* 32.

Oppidà quæ priùs erant circumducta aratro, ab Orbe & Urbe (dictæ) URBES ; ideò... quòd conditæ ut Roma (*d*).

* URBS ROMA. *Vide ſuprà*, Roma.

USUCAPIO, USURPATIO.

USUM *pro Poſſeſſione dicebant Veteres. Hinc* USUCAPIO eſt adjectio dominii, per continuationem poſſeſſionis temporis Lege definiti. *l.* 3. *ff. de Uſucap.*

USURPATIO eſt uſucapionis interruptio. *l.* 2. *ff. d. tit.*

¶ *USUS, USUSFRUCTUS.*

USUS *eſt jus Utendi, non etiam fruendi.*

USUSFRUCTUS eſt jus alienis rebus Utendi-fruendi, ſalvâ rerum ſubſtantiâ. *l.* 1. *ff. de Uſufruct. & quemadm.*

FRUI *autem eſt omnes fructus ad fruentis quæſtum & compendium percipere :* UTI *eſt ad perſonalem duntaxat utentis indigentiam.*

USUFRUCTUARIUS, *vel* FRUCTUARIUS *vocatur qui jus uſusfructûs habet*, USUARIUS *qui jus usûs tantùm.*

Quaſi-USUSFRUCTUS *vocatur, rerum quæ uſu conſumuntur ; qui in eo conſiſtit, ut quantitas cujus uſusfructus legatus eſt, legatario eâ lege detur, ut quum mortuus aut capite minutus fuerit, parem quantitatem reſtituat. De quo lib.* 7. *Tit.* de Uſufr. ear. rer. quæ uſu.

¶ *USURA ſeu* FŒNUS *eſt quælibet acceſſio debitæ quantitatis, quæ pro uſu ejus, aut morâ ejus ſolvendæ, præſtanda eſt.*

Uſura CENTESIMA *vel* LEGITIMA *ſeu* MAXIMA *eſt unius in centum per ſingulos menſes* : Douze pour cent par an.

Uſuræ PUPILLARES *dicuntur quos tutor pro more regionis debet. Opponuntur* Legitimis *ſeu maximis uſuris.*

USURARIA *pecunia, quæ ſub uſuris debetur.*

Source : BIU Cujas

CCXXVIII.

* UTILES, *actiones, dies. Vide ſuprà*, Actio, Dies.

¶ *UTILITAS. Hoc verbo id quod intereſt continetur.*

UTI OPTIMUS MAXIMUS *V. G. fundus eſt; in teſtamentis, in contractibus.*

Non tantùm in traditionibus, ſed & in emptionibus & ſtipulationibus & teſtamentis; adjectio hæc UTI OPTIMUS MAXIMUSQUE EST, boc ſignificat, ut liberum præſtetur prædium, non ut etiam ſervitutes ei debeantur. *l.* 169. PAUL. LIB. 5. AD SABIN.

Pariter Qui UTI OPTIMÆ maximæque ſunt ædes tradit, non hoc dicit ſervitutem illis deberi: ſed illud ſolum, ipſas ædes liberas eſſe, hoc eſt nulli ſervire. *l.* 90. ULP. LIB. 27. AD SABIN.

Interdum per ea quæ adjiciuntur, reſtringitur hæc ſignificatio: ut in ſpecie ſequenti. Si, quum fundum tibi darem, legem ita dixi UT OPTIMUS MAXIMUSQUE ESSET; & adjeci « JUS FUNDI deterius factum non eſſe » per dominum (*a*) præſtabitur, AMPLIUS EO PRÆS- » TABITUR NIHIL:» etiamſi prior pars quâ ſcriptum eſt UTI OPTIMUS MAXIMUSQUE SIT, liberum eſſe ſignificat; eoque (*Pro* Ideòque,) ſi poſterior pars adjecta non eſſet, liberum præſtare deberem: tamen inferiore parte ſatis me liberatum puto, quod ad jura attinet, ne quid aliud præſtare debeam, quàm jus fundi per dominum (*b*) deterius factum non eſſe. *l.* 126. PROCUL. LIB. 6. EPISTOL.

¶ *UTI POSSIDETIS Interdictum, quod de retinendâ poſſeſſione rei immobilis datur. Lib.* 43. *Tit. XVII.*

UTRUBI INTERDICTUM, *quod de retinendâ poſſeſſione rei mobilis datur. Lib.* 43. *Tit. XXXI.*

¶ *UXOR dicitur, quæ legitimè ducta eſt.*

REI UXORIÆ *actio, quæ mulieri & patri olim ſoluto matrimonio ad reſtitutionem dotis competebat; diverſa ab actione* Ex ſtipulatu *in quam hodie à Juſtiniano transfuſa eſt. Lib.* 24. *Tit.* 3. *Part.* 2ª.

(*a*) Per me ſcilicet.

(*b*) *Per* me *dominum*: nec tenebor ſi quæ ſervitutes ab auctoribus meis impoſitæ ſint.

Source : BIU Cujas

TITULUS XVII,

ET ULTIMUS.

DE DIVERSIS REGULIS JURIS ANTIQUI.

AD hujus Tituli Rubricam hîc ſtatim quærendum venit, quid REGULÆ *nomine, & quid* JURIS ANTIQUI *appellatione Tribonianus intellexerit.*

I.

Regula prima, ſeu potiùs definitio Regulæ.

Ex Plautii definitione; REGULA eſt, quæ rem quæ eſt (*a*) breviter enarrat: non (*b*) ut ex regulâ Jus ſumatur; ſed ex Jure quod eſt, regula fiat. *l.* 1. PAUL. LIB. 16. AD PLAUTIUM.

Quam definitionem Paulus ita ſtatim illuſtrat: Per Regulam igitur brevis rerum narratio (*c*) traditur. Et, ut Sabinus ait, quaſi cauſæ conjectio (*d*) eſt; quæ ſimul quum in aliquo vitiata (*e*) eſt, perdit officium ſuum (*f*). *d. l.* 1. ¶ *per reg.*

(*a*) In quâlibet diſciplinâ REGULA appellatur quæ *rem quæ eſt* [vel, ut Gothofredus legit *rem quæque eſt*] id eſt propoſitam materiam, qualiſcumque illa ſit, breviter enarrat. Adeòque regula Juris eſt, quæ REM ſeu Jus quod de aliquâ re obſervatur, brevi verborum compendio exponit.

(*b*) Propoſitâ Regulæ definitione, Plautius circa modum utendi hujuſcemodi Regulis Juris ſapienter monet, ex regula Jus non naſci, ſed potiùs ex Jure quod circa aliquam rem obſervatur tanquam ex materia præexiſtente regulam confici. Unde colligendum relinquit non temerè ad quoſvis caſus Regulam applicandam, ſed attendendum ad Jus ex quo confecta eſt.

(*c*) Id eſt; brevis expoſitio ejus Juris quod de quibuſlibet ſingulis rebus obſervatur.

(*d*) Apud Oratores, *Cauſæ conjectio* dicitur breve cauſæ argumentum; quo orator eam omnem, antequàm penitùs diſceptet, in breve verborum compendium confectam & coactam exponit judici. Pariter Regula Juris, in re de quâ agitur, Jus brevi argumento conjectum ac coactum proponit.

(*e*) Regula *vitiari* dicitur, quum malè applicatur, id eſt ad aliquem caſum quo res in modicâ circumſtantiâ aberret à vero regulæ ſubjecto.

(*f*) Id eſt, vim & auctoritatem ſuam. [*La regle pour peu qu'elle ſoit mal appliquée en quelque choſe, devient inutile & ne décide rien*].

II.

Cùm facilè Regula vitietur; hinc Plerùmque ſub auctoritate Juris ſcientiæ, perniciosè (*a*) erratur. *l.* 91. § 3. *ff. de Verb. oblig.*

Hinc etiam Omnis definitio (*b*) in Jure Civili periculoſa (*c*) eſt; parùm (*d*) eſt enim, ut non ſubverti poſſit. *l.* 202. JAVOLEN. LIB. 11. EPIST.

(*a*) Scilicet quum Jus de aliquâ re conſtitutum, ad aliquem caſum in ſpecie ſimilem, modicâ tamen aliquâ circumſtantiâ diſcrepantem, malè applicatur.

(*b*) Videtur hîc accipi DEFINITIO pro *Regulâ*, ut frequenter apud Juriſconſultos. Ita appellantur libri DEFINITIONUM Papiniani, pro libris REGULARUM.

(*c*) *Periculoſa eſt*, tum in ejus confectione, tum in applicatione. Difficillimum enim eſt & ſæpè impoſſibile, Regulam Juris ita accuratè confici ut omnes & ſolos caſus quibus aptanda eſt complectatur. Confecta autem facilè fallit, & perperàm applicatur ad aliquem caſum qui primâ ſpecie ſub regulâ contineri videtur, in modico tamen ab eâ aberrat.

(*d*) Quidam ſic interpretantur: *Parùm eſt*, id eſt rarum, ut Regula non patiatur quaſdam exceptiones. Alii ita: *Parùm eſt*, id eſt nihil tam modicum eſt quod in conficienda Regulâ aut in eâ applicandâ prætermittatur, ex quo non poſſit illa ſubverti.

III.

Jam verò ANTIQUUM JUS *hîc intellige, non Jus XII. Tabularum, non Jus poſteriùs abrogatum; ſed antiquam Juris Auctorum prudentiam quâ jamdiù Populus Romanus utebatur, & conſonas definitiones Juriſconſultorum illorum ex quorum ſcriptis Pandectæ compoſitæ ſunt: quod Jus,* ANTIQUUM *appellatur præ illo Jure quod à recentioribus Imperatoribus à Conſtantino uſque ad ipſum Juſtinianum conſtitutum fuerat de variis noviter articulis. At quantum abeſt ut ſub hoc Titulo omnes hujus Juris Antiqui Regulas complexus fuerit Tribonianus! Imò neque hoc fuit ejus inſtitutum; ſed nonnullas duntaxat &* DIVERSAS *ex eo, ad aliquem quaſi guſtum ſtudioſorum, referre.*

Nos longè plura hîc congeſſimus, alio prorsùs ordine ac propoſito: promiſſam ad caput Tituli præcedentis fidem, quemadmodum in tractatione ejuſdem Tituli præſtare conati ſumus, & in hoc quoque pariter exſoluturi. Igitur in exhibendis REGULIS JURIS, *non ſolùm referemus Regulas quæ veterum Juriſconſultorum placita continent, & quas ſolas propriè ad hunc Titulum pertinere, juxta Rubricam ab ipſo Triboniano præfixam, Cujacius rectè cenſet; verùm ex omnibus paſſim ſive Digeſtorum Titulis ſive Imperatorum Conſtitutionibus, aliis-ve Juris fontibus, breves ſententias excerpſimus quæ univerſum Jus Pandectarum Juſtinianearum veluti per indicem ob oculos ponant.*

Et quidem præmiſſis generalibus præceptis, ad ſingulas univerſi Juris materias deſcendimus; eaſque in certum brevium ſententiarum numerum ordine coactas, memoriâ facilè retinendas ſtudioſis tradimus.

OPERIS DIVISIO.

OPUS in quinque Partes diſtribuetur.

In Primâ præmittentur REGULÆ *Juris ſive naturalis ſive civilis* GENERALES, *id eſt quæ nulli certæ tractationi peculiares propriè dici poſſunt; necnon ea quæ ad prævias quaſdam legum notiones earumque interpretationem pertinent.*

Secunda pars verſabitur circa PERSONAS,

Tertia circa RES,

Quarta circa ACTIONES *ſeu judicia, eorum ordinem, &c.*

Scilicet hæc tria ſunt univerſi Juris privati objecta. Nam Omne Jus quo utimur, vel ad Perſonas pertinet, vel ad Res, vel ad Actiones. *Inſtit. lib.* 1. *Tit.* 2. § *fin.*

Quintam partem JURI PUBLICO *deputabimus.*

Source : BIU Cujas

PRIMA PARS.

DE REGULIS JURIS GENERALIBUS, AUT QUÆ AD PRÆVIAS QUASDAM LEGUM NOTIONES PERTINENT.

SECTIO I.

Exponuntur Regulæ generales, ſive naturalis Juris ſive Civilis, quæ nulli certæ tractationi peculiares ſunt.

ARTICULUS I.

Regulæ ex ipſa rerum naturâ petitæ.

IV.

Naturalia jura, divinâ quâdam Providentiâ conſtituta (*a*), ſemper firma atque immutabilia permanent. *Inſtit. lib.* 1. *Tit.* 2. § 11.

Civilis ratio naturalia jura corrumpere non poteſt. *l.* 8. *ff. de Cap. minut.*

(*a*) Ex ipſa igitur Juris naturalis origine & naturâ hæc regula proficiſcitur. Cùm enim jus naturale nihil aliud ſit quàm recta ratio, mentibus hominum ab illa ſumma æterna ac incommutabili ratione, quæ Deus eſt, inſita: ſequitur hujus Juris naturam æternam ac incommutabilem eſſe, ſicut & ipſius fontis ex quo derivatur. Et ex hac prima & abſolutiſſima regula, fluit altera quæ mox ſtatim proponitur; & ipſa generaliſſima quoque.

V.

Jura ſanguinis (*a*) nullo Jure Civili dirimi poſſunt. *l.* 8. POMPON. LIB. 4. AD SABIN.

(*a*) Hîc accipe jura quæ ex *Sanguine*, id eſt cognatione naturali deſcendunt. Hæc cùm ab ipſa natura proficiſcantur, *nullo Jure Civili*, id eſt, nullâ civili ratione *dirimi* ſeu aboleri poſſunt. Hinc V. G. emancipatio ab hereditate aut bonorum poſſeſſione quæ jure naturalis cognationis defertur, non excludit. Nam circa hanc ipſam ſpeciem Pomponius regulam hîc propoſitam tradidiſſe videtur; cùm in libro undè illa deſumpta eſt, de hereditatibus ac bonorum poſſeſſionibus egerit: ut conſtat ex Labitti Indice, quem ſæpiſſimè in his Notis ad detegendum cujuſque regulæ genuinum ſenſum & finem adhibebimus; quemadmodum frequenter in Tit. præced. ad inveſtigandam *Verborum ſignificationem.*

Neque huic regulæ adverſatur, quòd ex capitali Sententia amittuntur hereditates quæ jure cognationis deferuntur. Hoc enim ideò fit, non quòd deportatio *jura ſanguinis dirimat*; ſed quòd jus civitatis adimat, quod ad has hereditates & bonorum poſſeſſiones obtinendas peræquè neceſſarium eſt ac ipſum jus naturalis cognationis: Leges enim & Edicta ex quibus illæ deferuntur, non aliis quàm civibus proſpicere voluerunt. Cæterùm nec deportatione, nec maximâ capitis diminutione jura ſanguinis dirimi palàm eſt; ex eo quòd etiam in deportatis & ſervis hæc jura attendantur circa matrimonia, & circa contubernia ſervorum. Ad has enimverò ſpecies hæc regula non minùs rectè trahitur; ſicut & ad officia parentûm erga liberos, & viciſſim.

VI.

1. Quæ rerum naturâ prohibentur, nullâ Lege confirmata ſunt. *l.* 188. [*Aliàs* 148.] § 1. CELSUS LIB. 17. DIGEST.

Hinc V. G. neminem adoptare poterit is qui generare non poteſt, nec minor natu majorem: quia natura prohibetur ut qui generare non poteſt, habeat filium, vel ut pater ſit minor natu quàm filius. Hæc igitur & talia *nullâ lege*, nullâ legis fictione confirmari poſſunt, cùm legis fictio naturam imitari, non ei adverſari debeat. Cæterùm ad hanc ſpeciem aptata à Cujacio hæc regula, cùm generalis ſit, & ad alia ritè applicabitur. Ut putà Gothofredus cenſet illam circa legata traditam fuiſſe à Celſo; qui in ejuſdem legis principio agit de teſtamentis: hoc ſenſu; ſi quis legaverit quod rerum naturâ prohibetur exiſtere, nullâ lege tale legatum confirmari poteſt.

2. Facti cauſæ infactæ nullâ conſtitutione fieri poſſunt. *l.* 2. § 2. *ff. de Captiv. & poſtl.*

Vide exempla in d. l.

VII.

Neque imperare ſibi neque ſe prohibere quiſquam poteſt. *l.* 51. *ff. de Recept.*

Hinc in propria cauſa judex aut arbiter eſſe nemo poteſt: ut in d. l. colligit Marcianus. Hinc quoque ex ſolo aliquid faciendi propoſito aut non faciendi etiamſi alterius interſit id fieri vel non fieri, nec naturalis quidem obligatio naſcitur; niſi per acceptationem ejus cujus intereſt vel expreſſam vel tacitam, hoc propoſitum in conventionem tranſierit.

VIII.

1. Nulla voluntas errantis eſt. *l.* 20. *ff. de Aq. & aq. pluv.*

2. Nil facit error nominis, quum de corpore conſtat. *l.* 9. *ff. de Contrah. empt.*

3. Velle non creditur, qui obſequitur imperio patris (*a*) vel domini. *l.* 4. ULP. LIB. 6. AD SABIN.

4. In totum (*b*) omnia quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi verâ & certâ ſcientiâ perfici poſſunt. *l.* 76. PAPIN. LIB. 24. QUÆST.

5. Qui tacet non utique fatetur (*c*), ſed tamen verum eſt eum non negare. *l.* 142. PAUL. LIB. 56. AD ED.

(*a*) Hæc regula cautè accipienda eſt. Hinc V. G. qui juſſu ejus in cujus ſe poteſtate eſſe falsò exiſtimat, hereditatem adit, eam inutiliter adit. Adeundo enim, *Obſequitur* duntaxat *imperio patris aut domini* putativi; cui credit ſe acquirere, non ſibi ipſi: undè cùm non credat *ſibi* acquirere, nec *Velle creditur* adire hanc hereditatem; quam non aliter niſi ſciens & volens acquirere poteſt.

Hùc potiſſimùm pertinere hanc regulam indicat inſcriptio, LIB. 6. AD SABINUM; Ulpianum enim in hoc libro egiſſe de hereditatibus, ſatis liquet ex Indice Labitti. Aliis tamen quibuſdam ſpeciebus aptari quoque poteſt; putà, ut in levioribus deliquiſſe non videatur is qui quid juſſu patris vel domini fecit, l. 157. ff. *de Reg. Jur.* Magis enim obſequi, quàm voluiſſe nocere videtur; & proindè pater potiùs aut dominus per eum feciſſe credendus eſt.

Cæterùm in multis paſſim fallit regula: cùm etiam in nuptiis *Velle* & liberè conſentire videatur filius, qui obſequitur imperio patris: l. 22. ff. *de Ritu nupt.*

(*b*) Id eſt, *in toto Jure*, in omni materia Juris. Hæc ſiquidem regula generaliſſima eſt; cujus exempla in promptu ſunt. Putà, aditio hereditatis, item agnitio bonorum poſſeſſionis, cùm animi deſtinatione fieri debeant, nonniſi ex *Verâ & certâ ſcientiâ* perfici poſſunt; adeòque nonniſi ab eo qui ſcit delatam ſibi eſſe hereditatem aut bonorum poſſeſſionem. Hinc quoque non poterat incertis perſonis relinqui; ex vera enim ac *Certâ ſcientiâ* teſtatoris vocatæ videri non poterant.

(*c*) Petitur hæc regula ex ipſa taciturnitatis aut ſilentii natura. Aptatur autem tractationi DE *Confeſſis in Jure*, de qua in eodem libro ex quo deſumpta eſt, Paulus egit: & hujus ope probatur, eum qui tanquam confeſſum in Jure actione *Confeſſoriâ* eum qui conventus tacuit duntaxat: nam *Qui tacet, non utique fatetur* quod actor intendit. Sed & in tractationibus de actione *Legis Aquiliæ*, de actione *Depoſiti*, & aliis quæ ex inficiatione in duplum creſcunt; ex poſteriori ejuſdem Regulæ parte probatur, eum qui duntaxat tacuit, non debere puniri tanquam ſi negaſſet: quia *Verum eſt eum non negare.* Quibuſdam tamen caſibus punitur is qui per contumaciam tacuit, ad inſtar ejus qui negaſſet; ut olim in *Interrogationibus in Jure.*

IX.

1. Cujus rei ſpecies eadem conſiſteret, rem quoque eamdem eſſe (*a*) exiſtimari. *l.* 76. ¶ *fin. ff. de Judic.*

2. Mutata forma (*b*) propè interimit ſubſtantiam rei. *l.* 9. § 3. *ff. Ad exhib.*

(*a*) Indè colligit Alfenus, idem judicium manere quamvis mutatis judicibus. Hinc etiam colligas legatum gregis V. G. durare, quamvis mutata ſint capita.

(*b*) Non videtur ergo exhibere rem, ſed dolo feciſſe quominùs eam exhiberet, qui eam in aliam ſpeciem tranſtulit; putà ex ſcypho maſſam fecit; ut ibid. dicitur. Hinc quoque quaſi rei interitu extinguitur legatum, ſi res legata in aliam ſpeciem tranſierit: Tit. *de Legatis* N. 358. Hæc regula ex principiis Stoicæ philoſophiæ [cui Juriſconſultos imprimis addictos fuiſſe vidimus in Præfatione noſtrâ part. 2a. cap. 2.] fluxiſſe videtur; cujus ſectatores in formis ſubſtantialibus eſſentias rerum conſtituebant.

X.

Quod pendet, non eſt pro eo quaſi ſit. *l.* 169. [*Aliàs* 129.] § 1. PAUL. LIB. 2. AD PLAUT.

Hinc ſtatuliber ſervus, noxæ dedi poteſt, & de eo tanquam ſervo Quæſtio haberi, &c. quia licèt libertas ejus ſperetur, tamen *non pro eo eſt quaſi ſit.* Hinc etiam in Tit. *de Senatuſconſulto Maced.* N. 12. qui mutuam pecuniam dedit filio cujus pater captivus eſt, interim excluditur per exceptionem SENATUSCONSULTI; licèt *Pendeas* an is qui mutuam pecuniam accepit, ſit paterfamilias. Multis aliis ſpeciebus aptatur hæc regula.

Source : BIU Cujas

XI.

1. Rerum vocabula immutabilia ſunt, hominum mutabilia. *l.* 4. *ff. de Legatis* 1°.

Hinc colligitur errorem circa nomen *Rei* appellativum, vitiare legatum; non verò errorem circa nomina propria. Poteſt pariter trahi regula ad ſtipulationes, &c.

2. In ambiguo ſermone non utrumque dicimus, ſed id duntaxat quod volumus. Itaque qui aliud dicit quàm vult; neque id dicit quod vox ſignificat, quia non vult; neque id quod vult, quia id non loquitur. *l.* 3. *ff. de Reb. dub.*

Putà ſi is qui vult legare aut ſtipulari *Equum*, leget ſtipuletur-ve *Aſinum*: nec aſinum legat aut ſtipulatur, quia non vult; nec equum, quia id non loquitur. Fluit ex Regulâ præced. & ſic hæc ſpecies differt ab ambiguitate diſpoſitionis. Vide Tit. *de Legatis* N. 5. cum 148.

3. Pretia rerum, non ex affectu nec utilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur. *l.* 63. *ff. ad L. Falcid.*

Fallit hæc Regula quum propter dolum & contumaciam rei, defertur actori juſjurandum in litem: ei enim permittitur, affectûs ratione verum rei pretium excedere.

XII.

Nemo plus juris ad alium transferre poteſt quàm ipſe haberet. *l.* 54. ULP. LIB. 46. AD ED.

Nullus videtur dolo facere, qui ſuo jure (*a*) utitur. *l.* 55. GAIUS LIB. 2. DE TESTAM. AD EDICTUM URBICUM.

Item Qui juſſu judicis aliquid facit, non videtur dolo facere (*b*); qui parere neceſſe habet. *l.* 167. § 1. PAUL. LIB. 49. AD ED.

(*a*) Hoc ſcilicet ſtatuit ipſa juſti & æqui ſimplex notio; *Non* videri *Dolo facere*, id eſt peccare aut delinquere, *qui ſuo jure utitur* ſeu id facit quod facere jus habet. Exemplum in eo ipſo ad quod Gaius ex inſcriptione videtur hanc regulam aptaſſe: nimirùm heres ſcriptus, idemque ab inteſtato heres, qui omiſsâ ex teſtamento hereditate eam ab inteſtato adit, quum teſtator ei hoc permiſiſſet: certè non videtur *Dolo facere*, & peccare adversùs Edictum *Si quis omiſsâ causâ* &c. cùm ſuo jure, nimirùm jure ſibi à teſtatore conceſſo utatur.

Alia exempla in eo qui aquam pluviam in ſuo fundo retinet: quamvis illa vicino utilis eſſet, non tamen videtur dolo quidquam facere adversùs vicinum; l. 1. § 11. ff. *de Aq. & aq. pluv.* Item ſi pater hominem liberum retineat, quem in ſuâ patriâ habet poteſtate; non videtur dolo facere, nec tenetur interdicto DE *Homine libero exhibendo*: quomodo enim poſſet videri dolo facere, cùm ſuæ poteſtatis duntaxat jure utatur?

Exindè eſt quoque, quòd non videatur quicquam in fraudem cæterorum creditorum facere creditor; dum id quod ſibi debetur, exigit à debitore qui ſolvendo non eſt. Vide alia exempla apud P. Fabrum ad h. l.

(*b*) Et hoc quoque ſuadet ipſa juſti natura; ut juſtè agere adeòque nec *Dolo facere* aut peccare videatur; qui obtemperat ei qui jubendi jus habet, qualis eſt Magiſtratus, in his nempè quæ fines poteſtatis ejus non egrediuntur. Hinc qui ſepulcrum ædificavit, ex quo aqua pluvia nocet vicino, illudque ob eam cauſam juſſu judicis deſtruit, non tenetur SEPULCRI VIOLATI actione; l. 4. ff. *de Aq. & aq. pluv.* quia judicis imperio obtemperavit. Debitor item nihil dolo & in fraudem cæterorum creditorum facere videtur, ſi uni ſolvat condemnatus à judice, quamvis erga cæteros non ſit ſolvendo: quia juſſu judicis fecit, & parere neceſſe habuit. Alia item exempla apud P. Fabrum ad h. l.

Generaliſſima hæc regula, circa hereditates, legata, traditiones ex contractibus, &c. ſcilicet quoad quemvis ſive univerſalem ſive ſingularem ſucceſſorem. Cùm autem Ulpianus in LIBRO 46. AD EDICT. undè deſumpta eſt, egerit de Bonorum poſſeſſionibus [ut videre eſt apud Indicem Labitti]: ibi fortè ex hàc regulâ collegit, eum qui ante agnitam Bonorum poſſeſſionem moritur, nullum jus in eâ ad heredes ſuos tranſmittere potuiſſe: cùm ipsè nondum ullum jus habuerit, antequàm illam agnoſceret.

XIII.

Non videntur rem amittere, quibus propria (*a*) non fuit. *l.* 83. PAPIN. LIB. 2. DEFINIT.

Non poteſt videri deſiiſſe habere, qui nunquam habuit. *l.* 208. PAUL. LIB. 3. AD L. JUL. ET PAP. (*b*).

(*a*) Exemplum afferri ſolet in uſufructu legato. Si legatarius ante diem legati cedentem, adeòque antequàm conſtitutus ſit uſusfructus, capitis deminutionem patiatur; *non poteſt videri* per capitis deminutionem uſumfructum *amittere* is *cui* nondum uſusfructus *proprius fuit.*

Gothofredus aliter accipit; ſcilicet de rebus quæ ſpecie duntaxat alicujus propriæ eſſe videntur, non tamen reverâ ipſi propriæ ſunt: quales V. G. res peculiares. Hæ etſi aliquatenùs conſtituant filiifamilias quoddam patrimonium, tamen non ſunt res ejus propriæ. Non videbitur ergo has res *amittere*, propriè loquendo. Unde non poterit V. G. agere Interdicto DE *recuperandâ poſſeſſione*: item ſi voluntate patris ſervum peculiarem manumittat, non tenebitur [quamvis minor ſit] cauſam probare.

(*b*) Inſcriptio legis indicat præmia Legis Papiæ conceſſa matribus quæ ter aut quater peperiſſent liberos. Durant hæc quidem, quamvis eos habere deſierint. At non poſſunt pertinere ad eam quæ aut mortuum ſuſcepit; aut cujus filius ſuſceptus apud hoſtes, ibi mortuus ſit. Nec enim in utroque caſu poteſt illa videri habere deſiiſſe *liberos*, quæ nunquam habuit.

Semper qui dolo facit quominùs haberet, pro eo habendus eſt (*a*) ac ſi haberet. *l.* 157. § 1. ULP. LIB. 71. AD ED.

Et Parem eſſe conditionem oportet ejus qui quid poſſideat vel habeat, atque ejus cujus dolo malo factum ſit quominùs poſſideret vel haberet. *l.* 150. IDEM LIB. 68. AD ED.

Quod quis ex culpâ ſuâ damnum ſentit, non intelligitur (*b*) damnum ſentire. *l.* 203. POMPON. LIB. 8. AD Q. MUCIUM.

(*a*) Hæc regula generaliſſima eſt. Hinc in actionibus in quibus heres ex dolo defuncti in id quod ad ipſum pervenit tenetur, computatur & quod dolo heredis ad ipſum non pervenit. Hinc ii qui intrà id demùm quod facere poſſunt conveniuntur, tenentur quoque & in id quod quominùs facere poſſent, fecerunt: infra N°. 1643. Hinc actiones quæ in poſſeſſores dantur, & in eos pariter competunt qui dolo fecerunt quominùs poſſiderent.

(*b*) Generaliſſima quoque hæc regula, & variis ſpeciebus aptabilis. Hinc quamvis ſocius de eo quod in adminiſtrandâ ſocietate, item procurator de eo quod in gerendo negotio ſibi mandato, damnum ſenſerunt, indemnes præſtari debeant: non tamen eo nomine agere poterunt ſi damnum culpâ ſuâ ſenſerint: l. 52. § 4. ff. *Pro ſocio*, Tit. *Mandati* N. 63. & ſeqq. Hinc quoque, ſi res emptori ipſius culpâ evicta eſt, de evictione non tenebitur venditor: Tit. *de Eviction.* N. 23. & ſeqq. Hinc & qui Prætorem quum adire poſſet, non adivit ut vicinus ipſi de damno infecto caveret, non poterit agere de damno quod ex ruinâ ædium vicini paſſus eſt; quia culpâ ſuâ, dum negligit adire, damnum ſenſit: l. 44. ff. *de Damn. infect.*

XIV.

1. In toto & pars (*a*) continetur. *l.* 113. GAIUS LIB. 3. AD ED. PROVINC.

Semper (*b*) ſpecialia generalibus inſunt. *l.* 147. [*Aliàs* 198.] GAIUS LIB. 24. AD ED.

In eo quod plus ſit, ſemper ineſt & minus. *l.* 110. PAUL. LIB. 6. AD ED. (*c*).

Non debet cui plus licet, quod minus eſt (*d*) non licere. *l.* 21. ULP. LIB. 27. AD SABIN.

2. *Contrà:* In toto Jure, generi per ſpeciem derogatur (*e*); & illud potiſſimùm habetur quod ad ſpeciem directum eſt. *l.* 80. PAPIN. LIB. 33. QUÆST.

(*a*) Pone de fundo rem judicatam. Obſtabit exceptio *Rei judicatæ*, ſi inter eaſdem perſonas de aliquâ hujus fundi parte quæratur. Pone aliquem interrogatum de *Fundo*, reſpondiſſe daturum ſe dimidiam partem hujus fundi; valet quod dimidiam ſtipulatio, quaſi in interrogatione totius fundi contenta.

Verbis legis vim facere videtur Gothofredus; dum vult eam pertinere ad Titulum *Quod cujuſque univerſitas.* ut ſpecies legis ſit, Actorem à majori parte ordinis datum, rectè datum videri quaſi à toto ordine: quia *In toto pars continetur*, id eſt [inquit] totum per majorem partem repræſentatur.

(*b*) Conſonat præcedenti; ſpecies ſi quidem in genere continentur, tanquam pars in toto. Deſumpta eſt autem hæc regula ex illo Gaii AD ED. libro ubi egit ille de venditione bonorum debitoris & privilegiis creditorum: ut apparet ex inſcriptionibus l. 16. & l. 21. ff. *de Reb. auct. jud. poſſid.* & l. 58. ff. *de Verb. ſignif.* Undè probabile eſt hanc ab ipſo allegatam fuiſſe, ut probaret hypothecam generalem quæ tempore anterior eſt, potiorem eſſe hypothecâ ſpeciali quæ tempore poſterior ſit: quia, cùm *Specialia generalibus inſint*, etiam ſpecies huic ſecundo creditori pignerata, jam priùs ſub generali omnium rerum hypothecâ contenta fuiſſe videtur. Cæterùm infinitis aliis ſpeciebus aptari poteſt, quemadmodum & præcedens regula: undè Gaius dicit, *Semper.*

(*c*) Paulum in hoc libro egiſſe de ſtipulationibus *Judicio ſiſti*, conſtat ex Labitti Indice. Videtur ergo hujus legis ſpecies propriè pertinere ad illas ſtipulationes; ut, etſi major quantitas in interrogatione, minor in reſponſione contineantur, aut vice versâ, nihilominùs valeat ſtipulatio intrà concurrentem quantitatem. Cæterùm uſus regulæ latiſſimè diffunditur: putà, in Mandato, Tit. *Mandati* N. 46. & 48. in Conducto, Tit. *Locati* N. 7. in Conſtituto, Tit. *de Conſtit. pecun.* N. 7. in Fidejuſſione, Tit. *de Fidejuſſor.* N. 29. in Ademptione legatorum, Tit. *de Adim. & Transf. leg. &c.*

(*d*) Exempla in duabus regulis infrà [*Part.* 3*a.*] de tranſlatione dominii, quæ ſunt hujus corrollaria.

Cùm autem in libro undè lex deſumpta eſt Ulpianus egerit de manumiſſionibus, Gothofredus hanc regulam aptat ad ſpeciem legis 3. § 15. ff. *de Statulib.* in quâ, ſerv. ſub hâc conditione manumiſſo SI *heredi per quinquennium ſervierit*, heres qui per aliquod tempus noluit hunc ſibi ſervire, exigere tamen poteſt ut per reſiduum tempus ſerviat: quia [inquit Gothofredus] is cui plus licet, & qui potuit quinquennii ſervitutem exigere, multo magis poteſt exigere *quod minus eſt*, reſidui ſcilicet temporis ſervitutem.

(*e*) Exempla in Tit. *de Legatis* N. 179. item in l. 41. ff. *de Pœnis.* Vide & infrà N. 77.

XV.

Invito (*a*) beneficium non datur. *l.* 69. PAUL. LIB. SING. DE ADSIG. LIBERT.

(*a*) Fluit hoc ex ipsâ beneficii naturâ: nec enim beneficium eſt, ſi non illud aſpernari licet, ut optimè diſputat Seneca lib. 2. *de Benef.* cap. 18. & 19. Ex legis autem inſcriptione liquet pertinere eam ad Adſignationem libertorum; quod beneficium reſpuere poteſt ille ex liberis cui libertus aſſignatus eſt: l. 1. § 7. ff. *de Aſſign. libert.* Porrò ad quæcumque alia pariter beneficia lex pertinet; putà, donationes, heredum inſtitutiones, legata, fideicommiſſa. Sed & beneficium emancipationis invito non tribuetur: l. 15. ¶ fin. Cod. *de Emancip. liber.* Paul. *Sentent.* lib. 2. Tit. 25. § fin. item beneficium manumiſſionis, l. ult. § 2. Cod. *de Teſtam. Manum.* Quinetiam ad beneficia legalia hæc regula pertinet, quibus unicuique renuntiare licet: undè fluit regula 65. infrà.

Nec obſtat quòd per ſervos noſtros *Invitis* nobis acquiritur. Nam ita id acquiritur, ut acquiſitum reſpuere poſſimus, adeòque etiam hoc caſu *Beneficium invito non datur*, ſaltem cum effectu. Sic & quum quis te ingnorante agrum tuum

Source : BIU Cujas

ſerit aut ædes tuas fulcit, invito tibi beneficium non datur cum effectu: quia potes aut fulcra detrahendo agrum-ve exarando, aut ei reſtituendo ſumptus, non uti beneficio.

Fallit verò Regula 1°. In his quæ non ſolam ejus cui beneficium defertur utilitatem continent, ſed alterius. Sic ſolutio beneficium liberationis debitori invito tribuit: quia non ſolam debitoris utilitatem continet ſolutio, ſed etiam creditoris cujus intereſt pecuniam ſibi debitam accipere. Sic neceſſario heredi invito beneficium libertatis & hereditatis datur; quia non ad ejus ſolius utilitatem datur, ſed ad utilitatem & honorem defuncti cujus intereſt heredem habere.

2°. Altera exceptio eſt; ut furentibus quædam beneficia, id eſt pietatis officia, *Invitis* præſtentur.

Quod cuique pro (*a*) eo præſtatur, invito non tribuitur. *l.* 156. [*Aliàs* 198.] § *fin.* ULP. LIB. 70. AD ED.

Unicuique licet contemnere hæc quæ pro ſe introducta ſunt. *l.* 41. *ff. de Minorib.*

(*a*) *Pro eo* duntaxat: ſecus, ſi hoc alterius utilitatem contineret, ut notavimus ad l. præced. cui hæc omninò conſonat. Legis ſpeciem ponit Gothofredus in jure aquæ ducendæ; ut is cui hoc jus datum eſt, aquam non cogatur ducere.

XVI.

Ejus eſt [non] nolle, qui poteſt velle. *l.* 3. ULP. LIB. 3. AD SABIN.

Quod quis ſi velit habere non poteſt, id repudiare non poteſt. *l.* 174. [*Aliàs* 134.] § 1. PAUL. LIB. 8. AD PLAUT.

Hæ duæ Regulæ, manifeſtè pertinent ad hereditates & bonorum poſſeſſiones; quas quis repudiare non poteſt, niſi cui delatæ ſunt, & tunc demùm quum ipſi delatæ ſunt.

XVII.

In omnibus cauſis id obſervatur; ut, ubi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ, beneficium quoque deficiat: ubi verò genus actionis id deſiderat; ibi, ad quemvis perſecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilii. *l.* 68. PAUL. LIB. SINGUL. DE DOTIS REPETIT.

Etſi hæc Regula propriè pertineat ad privilegia creditorum; quæ, quum *Perſonæ* ſunt, perſonam cui dantur non egrediuntur; quum verò ſunt privilegia *Cauſæ*, ad quemvis tranſeunt; tamen hanc inter Regulas generales rectè collocari viſum eſt, cùm poſſit etiam ad alias materias aptari; ſaltem quoad primam ipſius partem; putà ad reſtitutiones in integrum quæ minoribus conceduntur; ad exceptionem ne Parentes, Patroni, Socii, &c. ultrà quod facere poſſint conveniantur, &c.

Plus cautionis in re eſt (*a*) quàm in perſonâ. *l.* 25. POMPON. LIB. 11. AD SABIN.

Conſonat hæc: Minùs eſt habere actionem quàm rem. *l.* 204. IDEM LIB. 28. AD Q. MUC.

Contrà tamen; Is qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere (*b*) videtur. *l.* 15. PAUL. LIB. 4. AD SABIN.

(*a*) Vernaculè, *Il vaut mieux tenir que de courir.* Hæc nempè eſt ipſa natura ſecuritatis; unde generalis hæc regula variis aptatur ſpeciebus. Putà, ex hâc probatur creditori dandam de pignore ſurrepto *Furti* actionem; quantumvis habeat debitorem qui ſolvendo ſit: intereſt enim pignori incumbere magis quàm *In perſonam* agere. Hinc quoque debitor qui fidejuſſores pro ſe exhibere debet, audiendus eſt ſi pro fidejuſſoribus pignora offerat. l. 7. ff. *de Prætor ſtipul.*

(*b*) Hinc V. G. res furtiva, in poteſtatem domini reverſa intelligitur, ſtatim atque habet poteſtatem ejus vindicandæ ſeu *Actionem* ad eam recuperandam: l. 215. ff. *de Verb. ſignif.* Hinc quoque fluit Regula pertinens ad Reſtitutiones in integrum, infrà N. 1740.

Non ſolent repeti pœnæ quum depenſæ ſunt. *l.* 42. *ff. de Cond. indeb.*

Et Quod à quoquo pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur. *l.* 46. GAIUS LIB. 10. AD ED. PROVINC.

Harum duarum regularum eadem ſententia eſt; varia exempla in Jure. Putà in l. 1. § 2. ff. *de L. Juliâ Ambit.* damnatus crimine Ambitûs qui in integrum reſtituitur, non tamen pecuniam recipit [ſcilicet centum aureos quos pœnæ nomine ſolvit]; quia *Non ſolent repeti pœnæ.* Hinc etiam is qui Interdicto DE *Tabulis exhibendis* conventus ab eo cui certa quantitas ſub conditione legata erat; cùm per contumaciam non exhiberet, in quantitatem legatam quaſi tanti legatarii intereſſet condemnatus eam ſolvit, conditione poſtea deficiente eam à legatario non repetet, quamvis ex defectu conditionis appareat nihil legatarii interfuiſſe: l. 3. § 13. ff. *de Tab. exhib.* quia eam quantitatem in pœnam contumaciæ ſuæ ſolvit. Hinc etſi debitor exſoluto debito repetat actione *Pigneratitiâ* non ſolùm rem pigneratam, ſed quidquid utilitatis ob eam rem creditor percepit, adeòque id quod actione *Furti* ob rem pignoratam ſibi ſubreptam pœnæ nomine accepiſſet; non tamen hoc debitor repetet, ſi ipſe furtum admiſerat, & ab eo creditor pœnam actione *Furti* conſecutus eſſet; quia *Quod à quoquo*, &c.

Quidquid in calore iracundiæ vel fit vel dicitur, non priùs ratum eſt quàm ſi perſeverantiâ appareat animi judicium fuiſſe. Ideòque brevi reverſa uxor, nec divertiſſe videtur (*a*). *l.* 48. PAUL. LIB. 35. AD ED.

(*a*) Cùm regula generalis ſit; præter exemplum illud uxoris quæ in calore iracundiæ diſcedit à viro, alia ſubſunt non pauca. Hinc V. G. lubricum linguæ, crimini Majeſtatis non deputatur: l. 7. § 3. ff. *ad L. Jul. Maj.* Neque etiam huic crimini deputatur ſi per Principis venerationem *quodam calore* fuerit pejeratum; l. 2. Cod. *de Reb. cred. & jurejur.* Hinc etiam calumniatorum pœnæ non eſt obnoxius vir qui in calore iracundiæ, adulterii crimen perperàm intulit: *Apud Pariat.* Tit. 4. § 1. EX PAULO.

Ubi Lex duorum menſium fecit mentionem, & qui ſexageſimo-primo die venerit audiendus eſt. Ita enim & Imperator noſter Antoninus cum Divo Patre ſuo reſcripſit (*a*). *l.* 101. PAUL. LIB. SINGUL. DE COGNITIONIB.

(*a*) De quâ Lege Antoninus hoc reſcripſerit, incertum eſt. Ex hoc autem Reſcripto confecta generalis regula, ad varias Leges quæ duorum menſium terminum præfiniunt, accommodatur. Putà Lex jubet dubitorem qui fiſco compenſationem opponit, intra duos menſes docere teneri ſibi debitum eſſe; l. 46. § 4. ff. *de Jur. fiſc.* audietur debitor etſi ſexageſimo-primo demùm die ad hoc docendum venerit. Item Lex (teſte Plutarcho, in *Catone-Utic.*) duorum menſium tempus Præfectis legionum quo à caſtris abeſſe liceret, præfiniebat: ſi ſexageſimo-primo die redeant, inculpabiles erunt. Item Lex Divi Pii ita pignora judicialia diſtrahi permittit, ſi intra duos menſes debitores condemnati non ſolverint; l. 31. ¶ fin. ff. *de Re judic.* non videbitur debitor ceſſaſſe, ſi ſexageſimo-primo die debitum obtulerit; adeoque non priùs diſtrahenda erant pignora. Vide alia exempla apud P. Fabrum ad h. l. Ratio autem hujus regulæ hæc afferri poteſt: quòd, quamvis vulgò *Menſis* pro triginta dierum ſpatio accipiatur, tamen cùm menſium alii 30. alii 31. dies habeant, viſum eſt terminum duorum menſium favorabiliter ad dies ſexaginta & unum produci poſſe.

ARTICULUS II.

Regulæ ex primis Juris & æquitatis naturalis præceptis deductæ.

XVIII.

Juris præcepta (*a*) ſunt hæc; honeſtè vivere (*b*), alterum non lædere (*c*), ſuum cuique tribuere. *l.* 10. § 1. *ff. de Juſtit. & jur.*

(*a*) Intellige rationis, intùs; nobis quod æquum ac bonum eſt præcipientis, dictamina. Jus enim hìc generaliter ſumitur; id eſt, ſive pro Jure naturali; ſive pro Jure illo poſitivo quod ex naturali fluens, legibus expreſsè conſtitutum eſt.

(*b*) Quo præcepto prohibetur, quidquid non ſolùm expreſſis legibus; ſed & quidquid bonis moribus adverſatur; quicquid pietatem ac verecundiam quoquo modo offendit.

(*c*) Hoc præceptum, ad perſonas potiſſimum refert Vinnius; ut nullius vitam, incolumitatem, libertatem, exiſtimationem quis lædere debeat: ſequens verò; *Suum cuique tribuere*, ad bona & res externas; nimirùm ut res alienas non attrectemus; ut unicuique res quæ ejus ſunt, aut quas ei debemus præſtemus.

XIX.

Non omne quod licet (*a*), honeſtum eſt. *l.* 144. (*Aliàs* 186.) PAUL. LIB. 62. AD ED.

(*a*) Scilicet quod nullâ ſpeciali lege prohibetur. Et optimè aptatur hæc regula matrimoniis; quæ inter perſonas quaſdam contrahi honeſtas non ſinit, etſi nullâ ſpeciali Lege prohibeantur: ut videb. infrà Part. 2ª. Verùm, cùm in libro undè regula illa deſumpta eſt, Paulus non de matrimoniis egerit, ſed de juribus creditorum & executionibus in bonis debitorum; rectè alias quoque ſpecies affingit J. Gothofredus, quibus eam aptaſſe Juriſconſultus credendus eſt; putà quòd, etſi liceat creditori totum quod ſibi debetur exigere, tamen honeſtas non ſinat à certis perſonis exigere ultra id quod facere poſſunt: item, etſi liceat creditori poſſeſſionem fundi ſibi pignerati occupare, tamen honeſtas id fieri non permittat abſque auctoritate Magiſtratûs, &c.

XX.

1. Cùm inter nos cognationem quamdam natura conſtituit, conſequens eſt homini inſidiari nefas eſſe. *l.* 3. *ff. de Juſt. & jur.* ¶ *& cùm.*

2. *At verò* Adversùs periculum (*a*) naturalis ratio permittit ſe defendere. *l.* 4. *ff. ad L. Aquil.*

Licet Vim (*b*) vi repellere. *l.* 12. § 1. *ff. Quod met. causâ.*

Jure, hoc evenit; ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur. *ſup. d. l.* 3. *ff. de Juſt. & jur.*

(*a*) Quod quis vel in ſuâ perſonâ vel in ſuis rebus juſtè metuit. Exemplum, in l. 2. § 9. ff. *de Aq. & aq. pluv.* Cæterùm generalis eſt hæc regula, & ex eâ fluunt duæ ſequentes.

(*b*) Exempla in h. l. item in l. 1. § 28. & l. 9. ff. *de Vi & vi arm.* in l. 2. Cod. *ad L. Cornel. de Sicar.*

Source : BIU Cujas

XXI.

Unuſquiſque ſuis fruatur, & non inhiet alienis. *l.* 1. ¶ *fin. Cod. de Theſaur.*

Per hanc regulam Leo Imperator theſauros in ſuo fundo quærere permittit, in alieno vetat. Cæterùm infinitè patet; in quibuſcumque caſibus quis aut alienam rem invadit, aut eâ non jure utitur, dominum-ve liberè uti prohibet. Hinc actiones ſervitutum *Negatoriæ*, hinc *Interdicta*, &c.

XXII.

Prodeſſe unuſquiſque ſibi, dum alii non nocet, non prohibetur. *l.* 1. § 11. *ff. de Aq. & aq. pluv.*

XXIII.

Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. *l.* 74. PAPIN. LIB. 1. QUÆST.

Speciem hanc ponit Gothofredus; ut conſors litis, citra ſocii ſui conſenſum, juriſdictioni Magiſtratûs non competentis litem ſubjicere nequeat, ne ſocius quoque invitus huic juriſdictioni ſubjiciatur. Idque ex eo colligit, quòd Papinianus in libro primo QUÆST. unde lex deſumpta eſt, potiſſimùm de juriſdictione egerit, ut videre eſt apud Indicem Labitti. Cæterùm generaliſſima eſt Regula, infinitiſque ſpeciebus aptari poteſt, & ex eâ ſequentes regulæ fluunt.

Corollaria.

1. Naturalis ſimul & civilis ratio ſuaſit, alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis & inviti nos facere (*a*) poſſe, deteriorem non (*b*) poſſe. *l.* 39. *ff. de Neg. geſt.*

2. Factum (*c*) cuique ſuum, non adverſario nocere debet. *l.* 155. (*Aliàs* 197.) PAUL. LIB. 65. AD ED.

3. Neque debet nocere factum alterius, ei qui nihil fecit. *l.* 5. § 5. ¶ *fin. de Oper. nov. nunt.* (*d*)

4. Non deberet alii nocere (*e*) quod inter alios actum eſſet. *l.* 10. *ff. de Jurejur.*

(*a*) Dum pro eo ſolvendo eum liberamus, vel dum donationis causâ ejus agrum ſerimus aut colimus &c.

(*b*) Hinc V. G. non poteſt quis invitus aut ignorans obligari, nec res ejus alienari.

(*c*) Hinc factum proprietarii, qui prohibendo fructuarium effecit ut ex ſubtilitate Juris interiret uſusfructus, non debet nocere fructuario ut jus ſuum amittat: l. 9. § fin. ff. *de Vi & vi arm.* hucque hanc regulam pertinuiſſe appareret, ex eo quòd in § 1. hujus legis Paulus egerit de vi. Infinitæ porrò aliæ ſpecies afferri poſſunt. Hinc V. G. factum ſtipulatoris qui promiſſorem *Judicio ſiſti* prohibuit ne ſiſteret, non debet nocere promiſſori; ut committatur adversùs eum pœna &c.

(*d*) Hoc dixit Ulpianus in ſpecie nuntiationis novi operis; ut, ſi plures domini ſint fundi in quo adversùs nuntiationem ædificatum eſt, is ſolus teneatur Interdicto reſtitutorio qui ædificavit; non cæteri. Ad alias autem ſpecies aptari poteſt regula.

(*e*) Exempla Regulæ, in jurejurando, re judicatâ, pactis, &c.

XXIV.

Injuriam quæ tibi facta eſt, penès te manere, quàm ad alium transferri, æquius eſt. *l.* 67. *ff. de Fide juſſ.* (*a*)

(*a*) Hic agitur de injuriâ judicis qui fidejuſſorem condemnavit creditori cui jam deſierat: hæc non debet in reum principalem qui nihil debet, redundare; adeòque non dandus eſt fidejuſſori regreſſus. Idem dic de injuriâ quâ emptori res evicta eſſet: nec enim debet ei parere actionem de evictione.

XXV.

Nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius injuriam. *l.* 75. PAPIN. LIB. 3. QUÆST. (*a*)

(*a*) Papinianus in hoc libro agens de reſtitutionibus; fortè per hanc regulam probaverat, eum cui contra tabulas poſſeſſio competebat, agnito legato his tabulis ipſi relicto, *Non poſſe mutare conſilium in injuriam* heredis ſcripti; ut reſtituatur ad petendum contra tabulas. Adde & alias ſpecies. Hinc venditor qui ex lege commiſſoriâ egit ut reciperet fundum, non poteſt in emptoris injuriam mutare conſilium ut pretium petat. Interdum tamen fallit regula: ut in l. 1. § 10. ff. *de Collation.*

XXVI.

Jure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento & injuriâ (*a*) fieri locupletiorem. *l.* 206. POMPON. LIB. 9. EX VARIIS LECT.

Bono & æquo non conveniat, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum ſentire per alterius lucrum. *l.* 6. *ff. de Jure dot.* POMPON. LIB. 14. AD ED.

Heres aut alius quilibet Non debet lucrari ex alieno damno. *l.* 28. *ff. de Dol. mal.*

(*a*) Exemplum in pupillo; qui, licèt ſine tutoris auctoritate, adeòque inutiliter contraxerit, tamen obligatur in quantum locupletior factus eſt: item in prædone, cui permittitur tollere impenſas: & in aliis multis.

XXVII.

Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur. *l.* 57. GAIUS LIB. 18. AD ED. PROVINC. (*a*)

(*a*) Quæcumque ex hoc libro 18°. Gaii AD EDICTUM ſuperſunt, circa legata verſantur. Rectè igitur Gothofredus ſpeciem legis repetit ex l. 3. § 15. ff. *de Tab. exhib.* in quâ legatarius dicitur non poſſe actione ex teſtamento petere legatum ab eo herede, à quo jam hujus æſtimationem accepit *Interdicto* DE *tabulis exhibendis.* Cæterùm non ad legata tantùm, ſed ad omnia negotia, pertinens hæc regula, fundamentum eſt eorum ferè omnium quæ tradidimus de actionum concurſu ſuprà lib. 44. Tit. *de Oblig. & act.* Sect. fin. Vide etiam de uſu hujus regulæ, d. lib. Tit. *de Dol. & met. except.*

XXVIII.

Probo hanc eſſe juſtitiam, quæ ſuum cuique ita tribuit ut non diſtrahatur ab ullius perſonæ juſtiore repetitione. *l.* 31. § 1. *ff. Depoſiti* (*a*).

(*a*) In hujus regulæ ſpecie is qui depoſitum acceperat à fure, tenetur etiam furi rem depoſitam reddere; niſi occurrat *juſtior repetitio*, putà domini. Generaliùs hæc regula & ad alias ſpecies trahi poteſt, putà commodatarii, conductoris, mandatarii, &c.

XXIX.

Non eſt ex fide bonâ; rem ſuam dominum prædoni reſtituere compelli. *d. l.* 31. ¶ *quia.*

Ut ſi quis rem ſuam ignorans à prædone quaſi depoſitam aut commodatam aut conductam acceperit.

XXX.

1. Secundùm naturam eſt, commoda cujuſque rei eum ſequi quem ſequuntur incommoda. *l.* 10. PAUL. LIB. 3. AD SABIN. (*a*)

2. Ubi periculum, ibi & lucrum collocetur. *l. fin.* § 3. *Cod. de Furt.*

3. Ex quâ perſonâ quis lucrum capit, ejus factum (*b*) præſtare debet. *l.* 149. (*Aliàs* 191.) ULPIAN. LIB. 67. AD ED.

4. Æquum (*c*) eſt, ut cujus participavit lucrum, participet & damnum. *l.* 55. ¶ *fin. ff. Pro ſocio.*

(*a*) Cùm in hoc libro Paulus egerit de legato uſusfructûs, Gothofredus ſpeciem ponit in legatario uſusfructûs fundi; ad quem debet ſpectare commodum alluvionis ut eo fruatur, quia & per alluvionis incommodum amittit uſumfructum in partibus fundi quas flumen auferret.

Aptatur regula, & ad contractum *Emptionis*; ut emptor cujus periculo eſt res poſt perfectam venditionem, habeat etiam commoda ſi quæ ex re naſcantur. Item ex hâc Juris regulâ profectum eſt Edictum de *Inſtitoriâ* actione: ideò enim ex inſtitoris obligationibus mercator tenetur, quia per eum commoda negotiationis ſentit. Denique, illi quorum periculo res ſurripitur (putà commodatarius, conductor), habere debent commodum actionis *Furti* ſi res ipſis ſurripiatur: quæ ſpecies eſt legis mox ſequentis.

(*b*) Gothofredus ita intelligit, ut heres aut Bonorum poſſeſſor, vel pater qui in peculium filii ſuccedit, cæterique ſimiles ſucceſſores, debeant præſtare factum ejus cui ſuccedunt, & ex cujus perſonâ lucrum capiunt. Hinc ſi quis rem meam obligaverit; & ei poſteà heres extiterim; debeo hanc obligationem ratam habere: lib. 20. Tit. *de Pign. & hypoth.* N. 20. cum Notis. Hinc etiam in EDICTO *Si quis omiſſâ causâ teſtam.* coheres ab inteſtato ejus qui ſcriptus omiſit cauſam teſtamenti & ab inteſtato adivit hereditatem; tenetur legatariis, pro parte ex quâ heres eſt. Cùm enim ex perſonâ ejus qui cauſam teſtamenti omiſit, ad hereditatem veniat; debet ipſe pro parte ex quâ heres eſt, factum ejus præſtare legatariis.

(*c*) Id traditur in ſpecie duorum ſociorum quorum alter rem ex furto alterius paratam ſciens partitus eſt. Ex hâc regulâ tenetur pati ut è medio ſocietatis tollatur, id in quod fur ſocius ex causâ hujus furti damnaretur: Tit. *Pro ſoc.* N. 19. Aliæ ſpecies excogitari poſſunt.

XXXI.

Cujus effectus omnibus prodeſt (*a*), ejus & partes ad omnes pertinent. *l.* 148. (*Aliàs* 190.) PAUL. LIB. 16. BREVIS EDICTI.

(*a*) Exemplum ponit Cujacius in creditore, qui in poſſeſſionem bonorum debitoris miſſus eſt. Cùm effectus hujus miſſionis omnibus profit, miſſuſque tam pro ſe quàm pro cæteris creditoribus in poſſeſſione eſſe videatur; hinc partes ejus miſſionis; id eſt quicquid ad hanc miſſionem pertinet, putà ſumptus quos circa id negotium fecit, debent ad omnes creditores pertinere; ab unoquoque pro parte ſuâ refundendi: lib. 42. Tit. *de Reb. auct. poſſid.* N. 19.

Paulò aliter Gothofredus: Cùm bonorum poſſeſſionis ab uno creditore petitæ *effectus omnibus* creditoribus *profit*; quibus ille, non ſibi duntaxat, poſſidere intelligitur: ita bonis poſteà venditis *partes* non ad ipſum ſolum, ſed ad omnes creditores pertinere debent; pretiumque inter omnes debet diſtribui.

XXXII.

Eſt Iniquum, damnoſum cuique eſſe officium ſuum. *l.* 7. *ff. Teſtam. quemadm. aper.*

Traditur hæc regula in ſpecie ſignatoris teſtamenti; ad quem (ſi poſtea abſit) mitti potiùs debet teſtamentum, quàm accerſendus eſt ille ad ſignum ſuum recognoſcendum. Ab eâdem autem quæ latiſſimè patet regulâ, profectæ ſunt *Contrariæ* actiones *Depoſiti*, *Tutelæ*, *Negotiorum geſtorum*, *Mandati*. Allegatur & in l. 61. § 5. ff. *de Furtis.*

Source : BIU Cujas

XXXIII.

Adjuvari nos, non decipi beneficio oportet. *l.* 17. § 3. *ff. Commodati.*

Hujus regulæ ſpecies eſt adversùs commodatorem, qui rem commodatam intempeſtivè repoſceret. Poteſt etiam trahi ad mandatarium; qui, quum ſemel res deſiit eſſe integra, mandatum quod ſuſcepit non impleret: item ad eum qui, poſtquàm mihi permiſit lapidem aut arenam in ipſius agro fodere, non pateretur tolli: & ad alias ſimiles ſpecies quàm plurimas.

XXXIV.

Nemo ex ſuo delicto (*a*) meliorem ſuam conditionem facere poteſt. *l.* 134. (*Aliàs* 176.) § 1. ULP. LIB. 21. AD ED.

Nec æquum eſt, dolum ſuum quemquam relevare. *l.* 63. § 7. *ff. Pro ſocio.*

Corollarium. Nemo de improbitate ſuâ conſequitur actionem. *l.* 12. § 1. *ff. de Furtis* (*b*).

(*a*) Hinc vir qui dotem adventitiam mortuâ in matrimonio muliere lucratur, non debet eam lucrifacere ſi ipſe uxorem occiderit. Hinc qui fraudulenter bonis ceſſit, non debet gaudere exceptione *Competentiæ*; nec is qui dolo deſiit facere poſſe.

(*b*) Species in malæ fidei poſſeſſore, cui res ſurrepta eſt. Non datur ei actio *Furti*, quamvis interſit ejus non ſurripi rem quæ periculo ejus eſt. Ideò autem non datur, ne *Ex improbitate ſuâ* (ex malâ ſuâ poſſeſſione) conſequatur actionem. Infinitis aliis ſpeciebus aptari poteſt.

XXXV.

Alterius circumventio, alii non præbet actionem. *l.* 49. ULP. LIB. 35. AD ED. (*a*)

(*a*) Ulpianus qui hanc regulam tradidit, in toto hoc libro & ſequenti egit de Tutelis. Finge ergo: Tutor pupilli nomine contrahendo, eum cum quo contrahebat decepit, nulla *Utilis* ex tali contractu naſcitur actio, & elidetur per exceptionem *Doli* tutoris. Ut enim proprius dolus alicujus ipſi non parit actionem (N. præced.) ita tutoris, procuratoris, aut cujuſvis *alterius* qui alicujus nomine contrahit, dolus ſeu *circumventio*, *alii* cujus nomine contrahit *non præbet actionem*. Ita Faber & Gothofredus; aliter Cujacius.

XXXVI.

Fides bona contraria eſt fraudi & dolo. *l.* 3. § *fin. ff. Pro ſocio.*

Hinc ſequitur contractus in quibus maximè requiritur bona fides [quales ſunt emptio-venditio, locatio, ſocietas], vitiari aut ipſo Jure, aut per reſtitutionem in integrum; non ſolùm ſi in his *Dolus* intervenerit; ſed etiamſi *Fraus*, id eſt magna captio, quamvis citra dolum contingens.

XXXVII.

Domus, tutiſſimum cuique refugium atque receptaculum. *l.* 18. *ff. de In jus voc.*

Præter naturalem hujus Regulæ rationem, huic adhuc ex religione Romanorum accedebat auctoritas; quòd unicuique domui Dii lares præerant, quorum numen violari videbatur ſi cui in propriâ domo vis inferretur. Indè fluxit, ut nemo ex domo ſuâ in Jus extrahi deberet; item ut, ſi cujus domus vi introita ſit, atrocior injuriæ ſpecies videatur quæ ſpeciali Lege Cornelià vindicetur.

XXXVIII.

In omnibus (*a*) quidem, maximè tamen in Jure æquitas ſpectanda ſit. *l.* 90. PAUL. LIB. 15. QUÆST.

Placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ æquitatiſque (*b*) quàm ſtricti Juris rationem. *l.* 8. *Cod. de Judiciis.*

Bonæ fidei Non congruit de apicibus Juris diſputare. *l.* 29. § 4. *ff. Mandati* (*c*).

Multa Jure civili contra rationem diſputandi pro utilitate communi recepta eſſe, innumerabilibus exemplis probari poteſt. *l.* 51. § *fin. ff. Ad Leg. Aquil.*

(*a*) *In omnibus* quæcumque gerimus aut contrahimus æquitas ſpectanda, ut in nullo ab eâ deflectamus; *maximè tamen in Jure*, ſive de eo reſpondeamus aut pronuntiemus, ut Jus ad æquitatem referatur ſemper, & in nulla re ſententia aut reſponſum noſtrum æquitatem offendat. Hæc fuit laus Servii-Sulpicii, qui *Non magis* JURIS *quàm* JUSTITIÆ *conſultus eſſet*, & JUS CIVILE *ad* ÆQUITATEM *referret*: Cicer. Philipp. IX.

(*b*) Indè ortum Jus omne Prætorium, quo nimia Juris Civilis aſperitas temperata eſt. Hinc exceptiones *Doli*, actiones *Utiles*, &c.

(*c*) Duabus præcedentibus conſona hæc regula, refertur circa *exceptiones procuratorias*; quas fidejuſſor, ad ſolutionem conventus à creditoris procuratore, omittere poteſt & debet: quia *De apicibus Juris* ſunt. Paſſim ad innumeras alias ſpecies aptatur, vernaculo hoc adagio: *Il eſt de la bonne foi de s'attâcher plus au fond qu'à la forme.*

XXXIX.

Neque magnum damnum eſt, in morâ modici temporis. *l.* 21. *ff. de Judic.*

Ex hâc regulâ colligitur, debitorem non debere cum ſacco convenire ad creditorem, ſed indulgendum ei modicum tempus ad ſolutionem. Aliæ ſpecies in promptu ſunt.

XL.

In ambiguis rebus humaniorem ſententiam ſequi oportet. *l.* 10. § 1. *ff. de Reb. dub.* (*a*)

SEMPER (*b*) in dubiis benigniora præferenda ſunt. *l.* 56. GAIUS LIB. 3. DE LEGATIS AD ED. URB.

In re dubiâ benigniorem interpretationemi ſequi, non minùs juſtius eſt (*c*) quàm tutius. *l.* 192. (*Aliàs* 152.) § 1. MARCELL. LIB. 29. DIGEST.

(*a*) Per hanc regulam definitur, ancillam ſub eâ conditione manumiſſam *Si maſculum peperiſſet*, & quæ filium & filiam uno partu peperit, præſumi in dubio edidiſſe primum filium; adeòque filiam, ex matre jam libera natam videri & ingenuam: cùm hæc *ſententia* ſeu præſumptio *humanior* ſit; id eſt favorabilior.

(*b*) Quamvis ex inſcriptione cognoſcatur, hanc Regulam circa legata traditam eſſe; non ſolùm in argumento legatorum ſed in cæteris quoque Juris articulis idem obtinet: quod indicat hoc adverbium, SEMPER.

(*c*) In l. 3. ff. *de His quæ in teſtam. delent.* hâc regula utitur Marcellus, ut probet præſumi oportere teſtatorem qui nomen heredis in teſtamento delevit, ſolam heredis inſtitutionem irritam eſſe voluiſſe, non etiam legata. Hæc ſententia *tutior*, cùm teſtamentum quoad cætera tueatur ac conſervet; & *juſtior*, id eſt humanior & magis conſentanea æquitati, quæ ultimas voluntates ſervari potiùs expoſcit quàm ſubverti.

XLI.

BENEFICIO adfici hominem, intereſt hominis. *l.* 7. *ff. de Serv. export.*

Ex ex hac pulcherrimâ regulâ, quæ omnium pectoribus à Deo inſita, cupiditate non excæcatis intimè affulget, conſtitutum eſt valere hæc pacta in venditionibus mancipiorum NE *exportetur* Ut *manumittatur*, & ſimilia, quamvis nihil pecuniariter venditoris interſit: imò & *affectionis* ſolius *ratione* quandoque poſſe agi.

XLII.

Quod communiter omnibus prodeſt, hoc privatæ utilitati præferendum. *l. un. Cod. de Caduc. toll.*

ARTICULUS III.

Regulæ generales ex Jure Civili petitæ.

XLIII.

Quod (*a*) initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere. *l.* 29. PAUL. LIB. 8. AD SABIN.

(*a*) Pertinet id ad ultimas voluntates, & indè profecta eſt Regula *Catoniano* lib. 34. Tit. 7. Pertinet etiam ad contractus; hinc eſt enim quòd ſtipulatio V. G. aut emptio rei ſuæ aut ſacræ non convaleſcant, etſi poſteà res deſierit eſſe ſtipulatoris emptoris-ve, aut prophana facta fuerit. Pertinet denique ad actiones: l. 2. § fin. *Quod juſſu.* Propria autem hujus legis ſpecies (cùm in toto LIBRO 8. AD SABIN. Paulus egerit de Tutelis) ſpectat auctoritatem tutorum; quæ ſi non in ipſo negotio interpoſita fuit, obligatio pupilli ab initio vitioſa non convaleſcet; quantumvis ex poſtfacto interponatur hæc auctoritas.

XLIV.

Plerique Etiam ea quæ rectè conſtiterunt reſolvi putant, quum in eum caſum reciderunt (*a*) à quo non potuiſſent conſiſtere. *l.* 98. *ff. de Verb. oblig.*

Attamen Non eſt novum (*b*) ut quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent, licèt ille caſus extiterit à quo initium capere non potuerunt. *l.* 85. § 1. PAUL. LIB. 6. QUÆSTION.

(*a*) Putà, ſi res quam purè ſtipulatus ſum, aut purè mihi legata, antequàm ex hâc causâ mihi ſolveretur, mea facta fuerit ex aliâ lucrativâ causâ. Hinc & illa Regula quæ eſt in l. 140. § 2. ff. *de Verb. oblig.*

(*b*) His verbis magis indicatur exceptio quàm Regula. Quando autem Regulæ (præcedenti ſcilicet), quandonam exceptioni locus eſt? Gothofredus ad h. l. ita diſtinguit; Quum actus ſemel quidem *utiliter conſtitit*, id eſt, ſine vitio tranſactus eſt; nondum tamen perfectionem ſuam aut conſummationem accepit, nondum dies ejus ceſſit; hoc caſu locus eſt Regulæ; exemplum in l. 3. § fin. ff. *de His quæ pro non ſcr.* & in l. 98. ff. *de Verb. oblig.*

Quòd ſi actus non ſolùm rectè *conſtitit*, ſed *utiliter conſtitutus* eſt, id eſt perfectionem ſuam & conſummationem accepit; hoc caſu locus eſt exceptioni. Exemplum in ſervitute quæ conſtituta eſt utiliter prædio meo, à domino vicini prædii; & per partes retinetur, ſi dominus prædii ſervientis partem prædii mei acquiſierit; licèt ab initio pro parte conſtitui non potuiſſet: Tit. *de Servitut.* N. 18. & 19. Alterum exemplum ex l. 34. § 13. ff. *de Legatis* 1°. in legato duobus relicto, quorum alter poſteà heredi à quo relictum eſt, heres extitit, legatum in ejus perſonâ valere pergit, & in eo partem facit legatarius, quamvis ab initio non potuiſſet legari ipſi à quo legatum debetur.

Hæc ipſa tamen exceptio replicationem patitur; ut licèt actus ab initio utiliter conſtitutus fuerit, ſi poſteà in eum caſum à quo incipere non poterat reciderit per mutationem in ſtatu eſſentiali perſonæ aut rei, quæ non ſinat actum circa eam perſonam aut circa eam rem conſiſtere; eo caſu redeundum ſit ad regulam quæ actum reſolvi jubet. Exemplum pone in judicio utiliter conſtituto inter duas perſonas; quod reſolvetur, ſi poſteà alter ab altero fuerit adrogatus. Hæc enim mutatio circa ſtatum perſonæ efficit ut circa has perſonas quarum altera alteri ſubjecta eſt, judicium nequeat conſiſtere; l. 11.

Source : BIU Cujas

ff. *de Judiciis.* Alterum exemplum; si in stipulationem ritè perfectam res deducta, fuerit posteà consecrata: hæc enim mutatio circa rei statum, efficit quominùs rei hujus stipulatio consistere possit.

Plura de his vide apud Gothofr.

XLV.

Quum (*a*) principalis causa non consistit; ne ea quidem quæ sequuntur, locum habent. *l.* 129. (*Aliàs* 171.) § 1. PAUL. LIB. 21. AD ED.

Rectiùs alibi : Cùm principalis causa non consistat, PLERUMQUE (*b*) ne ea quidem quæ sequuntur locum habent. *l.* 178. (*Aliàs* 138.) PAUL. LIB. 15. AD PLAUT.

Corollarium. Quæ accessionum locum obtinent (*c*) extinguuntur, quum principales res peremptæ fuerint. *l.* 2. *ff. de Pecul. leg.*

(*a*) Valdè generalis hæc Regula, aptatur obligationibus; ut, si principalis obligatio non consistat, valere non possint fidejussorum ac pignorum obligationes. Aptatur nuptiis; ut si non consistant, nec dos possit consistere. Aptatur testamentis; ut si testamentum patris non valeat, nec valeat pupillare. Multis quoque aliis speciebus faci è aptabitur.

(*b*) Hæc præcedenti in eo accuratior, quòd addito vocabulo PLERUMQUE doceat Regulam habere suas exceptiones. Exemplum hujusmodi exceptionis habes in pignore quod fidejussor pro obligatione suâ dedit. Nam licèt obligatio pignoris sit accessoria fidejussoriæ; tamen extinctâ & confusâ fidejussoris obligatione, quum fidejussor reo principali heres extiterit, hoc pignus durat. Aliud est quum actioni temporali accedunt pignus & fidejussores, &c. Multa alia exempla congerit ad h. l. Gothofredus, quem ibi vide.

(*c*) Putà (quæ species legis est) si servus cum peculio legatus fuerit; mortuo servo, & legatum peculii extinguitur. Hinc quoque rupto testamento paterno, ruit & pupillare. Hinc regulariter solutâ obligatione rei principalis, putà per acceptilationem aut novationem; extinguntur pignora & fidejussorum obligationes, &c. Quemadmodum nec prorsùs consisterent, si ab initio non constitissent ipsa obligatio principalis: ex Regulâ præced.

XLVI.

Expressa nocent (*a*) : non expressa non nocent. *l.* 195. (*Aliàs* 155.) MODEST. LIB. 7. DIFFERENT.

Latiùs & rectiùs : Nonnunquam (*b*) contingit ut quædam nominatim expressa officiant, quamvis omissa tacitè intelligi potuissent, nec essent obfutura. *l.* 52. *ff. de Cond. & dem.* IBID.

(*a*) Speciem ponit Modestinus in legato quod expressè in voluntatem alterius conferri non potest, tacitè autem potest: nimirùm si conferatur in aliquod factum quod à mero alicujus arbitrio pendeat; l. 53. ff. *de Cond. & dem.* Cæterùm in multis quoque aliis speciebus idem obtinet. Putà in omnibus actibus legitimis qui diem & conditionem non recipiunt, dies expressa eos actus vitiaret; & tamen nonnunquam his actibus dies & conditio inest, ut quum accepto fertur quod sub conditione debetur. Item in contractu depositi, valet pactum *Ne* DEPOSITI *agatur*, quamvis hoc pactum æquipolleat illi NE DOLO *agatur*, quod quum expressum est non valet.

(*b*) Rectè; *nonnunquam.* Quamvis enim latè pateat hæc Regula, tamen non semper locum habet. Imò non tam Regula dicenda est, quàm limitatio vulgatæ sententiæ quæ prorsùs contraria est; EXPRESSI TACITIQUE *vim eamdem ac potestatem esse.*

Brevius adhuc : Diversa causa est voluntatis expressæ, & ejus quæ inest. *l.* 138. § 1. *ff. de Verb. oblig.*

XLVII.

Non solent quæ abundant, vitiare scripturas. *l.* 94. ULP. LIB. 2. FIDEICOMM. (*a*)

Utile (*b*) per inutile non vitiatur. *l.* 1. § 5. *ff. de Verb. oblig.*

(*a*) Ex inscriptione liquet speciem legis pertinere ad fideicommissa. Aptatur autem & legatis & heredum institutionibus : in his siquidem, non secùs ac in fideicommissis, ea quæ abundant putà (falsa demonstratio, falsa causa &c.) non vitiant scripturas. Aptatur quoque stipulationibus, ut in specie l. 65. ff. *de Verb. oblig.* &c.

(*b*) Ut si quis per unam interrogationem & responsionem, rem unam utiliter, alteram inutiliter stipulatus sit; si heredis institutioni dies aut conditio impossibilis adjecta sit &c. Fallit Regula in his quorum unum ab altero pendent.

XLVIII.

Ea quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum naturâ non sunt, pro non adjectis habentur. *l.* 135. (*Alias* 177.) ULP. LIB. 23. AD ED.

De actionibus noxalibus Ulpianus egit in libro undè lex desumpta est, ut constat ex Indice Labitti. Hinc Gothofredus ex hâc Regulâ probari censet, judicium *Noxale* quod quis per errorem accepit propter aliquem servum qui mortuus erat, inutiliter acceptum esse; quia cùm *in rerum naturâ* esse desierit, & impossibile sit eum noxæ dari, pro non adjecto insuper habetur Aptari potest & ultimis voluntatibus; in quibus conditiones rei impossibilis, puta dandi rem quæ existere desiit, adjicerentur : item stipulationibus, in quibus stipulatio rei quæ non existit (putà dandi hippocentaurum) adjecta stipulationi utili alterius rei, non vitiat; sed pro non scriptâ & non adjectâ habetur.

XLIX.

Nec corrumpi aut mutari quod rectè transactum est; superveniente delicto potest. *l.* 2. *ff. de Itin. actuq. priv.*

Hinc clandestinitas superveniens non mutat naturam possessionis usûs-ve qui sine hoc vitio cœpit; nec nocet quominùs quis experiri possit. Interdictis putà DE *Itinere*, DE *Aquâ*, *&c.* Hinc mala fides superveniens non impedit usucapionem. Hinc dolus superveniens post contractum, non infirmat contractum, &c.

L.

Ordo scripturæ (*a*) non impedit causam juris ac voluntatis. *l.* 77. § 12 *ff. de Legatis* 2°.

Nec enim ordo scripturæ spectatur, sed potiùs ex jure sumitur id quod agi videtur. *l.* 6. *ff. de Solut.*

Contra quandoque Fortassis (*b*) quis rectè dixerit, ordinem scripturæ sequendum. *l.* 24. § 17. *ff. de Fideic. libert.*

(*a*) Hinc solutio priùs in usuras quàm in sortem accipitur, licèt dixerit creditor se in *Sortem & usuras* accipere. Hinc rogatus quis restituere quod ad ipsum pervenerit, intelligitur rogatus etiam de eo quod posteriori scripturâ ei relictum fuerit : quæ species est hujus legis 77. § 12. Hinc quamvis libertas relicta servo, ordine scripturæ posterior sit legato quod huic servo relictum est, quod tamen sine libertate ipsi inutiliter relinquitur; tamen neglecto hoc ordine, & legatum & libertas valent, quasi simul relicta. Possunt aliæ etiam fingi species.

(*b*) Superiores Regulæ obtinent, quum independenter ab ordine scripturæ constat de jure aut de voluntate. Ubi verò voluntas incerta est; & ex duabus dispositionibus quæ simul valere non possunt, non constat utram potiùs testator valere voluerit; tunc contraria hæc Regula obtinet, ut ordo scripturæ servari debeat : ut quum testator qui solvendo non est, plures servos heredes instituit, vel alicui summam relinquit ut plures servos redimat ac manumittat; nec summa sufficit ad redemptionem omnium. Hinc etiam dicitur quòd *In legatis noviſſimæ ſcripturæ valent*, infrà Part 3â. Hinc &c.

LI.

In omnibus causis pro facto accipitur, id in quo per alium moræ (*Aliàs* Mora) fit quominùs fiat. *l.* 39. POMPON. LIB. 32. AD SABIN.

Gothofredus speciem legis refert ad Interdictum possessorium; de quo Pomponium in libro undè desumpta est egisse constat ex similibus inscriptionibus plurimarum legum in Indice Labitti. Scilicet ex hâc regulâ probari putat, emptorem qui regulariter non potest fundum sibi venditum occupare, donec à venditore in possessionem ejus inducatur, hoc tamen posse si venditor in morâ fuerit. Latè autem patet hæc Regula; & ex hâc tanquam corollaria fluunt Regulæ illæ notissimæ circa conditiones; ut Pro impletis habeantur, quotiescumque per creditorem aut per eum in cujus personam collatæ sunt stat quominùs impleantur.

LII.

In re pari (*a*), potiorem causam esse prohibentis constat. *l.* 28. *ff. Communi divid.*

(*a*) Traditur id in specie socii qui invito socio nihil in re communi facere potest. Rectè etiam aptatur aliis speciebus : putà, si debitor à pluribus creditoribus in carcere detineatur, unus invitis cæteris eum dimittere non potest.

LIII.

Quod quis suo nomine exercere prohibetur, id nec per subjectam personam (*a*) agere debet. *l.* 2. § 1. *ff. de Admin. rer. ad civ.*

Contrà : Sæpè (*b*) quod quis ex suâ personâ non habet, hoc per extraneum petere potest. *l.* 23. ¶ *fin. ff. Quæ res pign.*

(*a*) Species legis in Decurione qui per subjectam personam prædia publica conduceret. Ad multos quoque alios casus referri potest; putà, ad præsidem qui prædia in suâ provinciâ, aut ad tutorem qui res pupilli sui, per subjectas personas compararent.

(*b*) Species legis in pignore; quod posterior creditor, licèt non pactus de vendendo, distrahere tamen potest si succedat in jus prioris qui pactus fuerat. Sic etiam filius heres scriptus, qui ex suâ personâ possessionem *Contra tabulas* petere non potest, hanc ex personâ alterius filii præteriti petere potest. Hinc quoque ex personâ pupilli cum quo indivisibile habeo jus servitutis, consequor ut illud non utendo non amittam : l. 10. ff. *Quemadm. ſervit. amitt.* Alia exempla in l. 55. ff. *de Acquir. hered.* & in l. 74. ff. *de Condit. & demonſtr.* In multis tamen aliis casibus contraria Regula observatur; ut quod per nosmetipsos non possumus, nec per alium possimus : ut in specie Notæ ad Reg. præced. item quotiescumque alius, quasi à nobis suppositus, aut nostro duntaxat nomine aliquid ageret.

LIV.

Jus civile vigilantibus scriptum est. *l.* 24. *ff. Quæ in fraud. cred.*

Hinc cæteris creditoribus non tenetur creditor qui suum recepit. Hinc in actione *de Peculio* occupantis melior conditio est.

L. V.

Source : BIU Cujas

L V.

Ea quæ rarò (*a*) accidunt, non temerè (*b*) in agendis negotiis computantur. *l.* 64. JULIAN. LIB. 29. DIGEST.

(*a*) Gothofredus refert hujus legis ſpeciem ad tractationem de injuſto teſtamento; ex ſimili aliarum legum inſcriptione, l. 13. ff. *de Lib. & poſth.* l. 37. ff. *de Hered. inſtit.* &c. Et ex hâc Regulâ probari putat non imputandum teſtatori qui uxorem prægnantem relinquens & non cogitans plures enixuram, *Poſt unum* in ſingulari numero inſtituit; nec teſtamentum ejus quaſi præteritione poſthumi ruptum dici debere, ſed magis videri ſub hoc ſingulari numero omnes qui naſcituri erant, inſtituiſſe: *d.* l. 13. ff. *de Lib. & poſth.*

Sed & hinc quoque, ut ad alias ſpecies accommodetur regula; is qui in virilem eſt coheres *Ventris*, rectè (donec mulier pariat) quartam partem hereditatis petit; nec ei imputabitur quòd plus petat, ſi fortè plures quàm tres mulier pepererit: l. 3. ff. *Si pars hered. pet.* Hinc in contractibus non imputatur quòd quis ſibi paciſcendo, heredis quoque ſuî mentionem non fecerit; quia rarum eſt ut contrahentes, ſibi duntaxat, non etiam heredi ſuo paciſci velint: l. 9. ff. *de Probat.*

(*b*) Id eſt, *non facilè*: ut in l. 27. ff. *de Petit. hered.* l. 28 ff *de Ann. leg.* item in præc arâ illâ Livii ſententiâ lib. 30. NON TEMERE *incerta caſuum reputat, quem fortuna non decepit.* Igitur ea quæ rarò accidunt, *non temerè* id eſt non facilè *computantur* ſeu animo occurrunt: undè excuſandus eſt, qui ad ea non attenderit. Ita Gothofr.

L V I.

Plus valet quod in veritate eſt, quàm quod in opinione. *Inſtit. de Legatis* § 11.

Plus enim in re eſt quàm in exiſtimatione. *l.* 4. *ff. de Manum. vind.*

Hæ duæ Regulæ tunc demùm obtinent, quum id quod geritur non pendet ab opinione ſeu exiſtimatione gerentis; putà, ſi quis manumittat ſervum ſuum quem putabat alienum. Sanè manumiſſio quæ nihil aliud continet quàm ſolemnem voluntatis domini conteſtationem ut ſervus ipſi ampliùs non pendet ab exiſtimatione quam habebat circa dominium hujus ſervi: quicquid enim crediderit, verum eſt (& hoc ſufficit) voluiſſe eum ut ampliùs ipſi non ſerviret. Pariter quum quis legat rem ſuam quam credit alienam; voluntas eam rem legandi, quæ ſola ad legatum ſufficit, non pendet ab exiſtimatione quam habuit; verè enim voluit eam legare, quamvis alienam eam falsò exiſtimaret; imò magis legaturus, ſi ſciviſſet ſuam.

L V I I.

Contrà aliquando, Plus eſt (*a*) in opinione quàm in veritate. *l.* 15. *ff. de Acquir. hered.*

Item Error (*b*) Jus facit. *l.* 3. *ff. de Supell. leg.*

(*a*) Contraria ſuperioribus hæc Regula, in his obtinet quæ pendent ab opinione gerentis; ut quum extraneus heres qui ſe neceſſarium putabat, adit hereditatem. Non valet hæc aditio; & plus valet ad eam infirmandam opinio adeuntis, quàm veritas ad eam confirmandam. Ratio eſt quia, cùm *Adire* hereditatem nihil aliud ſit quàm liberè decernere de illâ ampleſtendâ, non poteſt intelligi liberè decreviſſe is qui hoc ſuo non credebat permiſſum arbitrio.

(*b*) Id eſt, communis opinio hominum circa verborum ſignificationem; putà ſi adſcribat ſupelleſtili, ea quæ propriè non ſunt ſupelleſtilis; *Error* ille *jus facit*, ſcilicet ut in legato aut in emptione Supelleſtilis ea contineri judicare & reſpondere debeamus.

SECTIO II.

Regulæ circa Leges ipſas, earum vim & interpretationem: ubi de Conſuetudine & Reſcriptis.

ARTICULUS I.

De Legibus propriè dictis.

§ I.

De Legibus conſtituendis.

L V I I I.

Jura conſtitui oportet in his quæ ut plurimum accidunt, non quæ ex inopinato. *l.* 3. *ff. de Legib.*

L I X.

Leges & Conſtitutiones futuris certum eſt dare formam negotiis, non ad facta præterita revocari; niſi nominatim & de præterito tempore & adhuc pendentibus negotiis cautum ſit. *l.* 7. *Cod. de Legib.*

L X.

In rebus novis conſtituendis evidens eſſe debet utilitas, ut recedatur ab eo Jure quod diù æquum viſum eſt. *l.* 2. *ff. de Conſtit. princip.*

L X I.

Jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter (*a*) conſtituuntur. *l.* 8. *ff. de Legib.*

(*a*) Vide quæ ſcripſimus ad Legem XII. Tabularum, *Tab. IX.* cap. 1. Quidam tamen privati, ob grande aliquod meritum interdum impetrabant ut certis Legibus ſolverentur; putà, Lege quæ vetabat facultatem capeſſendi magiſtratus ante certam ætatem, Lege quæ vetabat in Urbe ſepeliri. Vide & infrà Part. fin. *de Principe.*

§ I.

De virtute Legis.

L X I I.

1. Legis virtus (*a*) hæc eſt, imperare, vetare, permittere, punire. *l.* 7. *ff. de Legib.*

(*a*) Id eſt, vis propria (*la Proprieté*).

Imperat autem & vetat, non ſolùm quod verbis ſed & quod ipſius ſententia continetur. Undè ſequens Regula:

2. Non dubium eſt in Legem committere, eum qui verba Legis amplexus contra Legis nititur voluntatem. *l.* 5. *Cod. de Legib.*

L X I I I.

Præſcriptio temporis, Juri publico (*a*) non debet obſiſtere, ſed nec Reſcripta quidem. *l.* 6. *Cod. de Oper. publ.*

(*a*) Etſi in ſpecie hujus legis *Jus publicum* accipiatur pro publicâ utilitate; ut quicquid contra publicum civitatum commodum aut decorem ædificatum eſt, dirui debeat: tamen poteſt Regula Legibus etiam aptari; ut quidquid contra Legem aliquam factum eſt, nullâ diuturnitate temporis defendi poſſit.

L X I V.

Privatorum (*a*) conventio Juri publico non derogat. *l.* 45. § 1. ULP. LIB. 30. AD ED.

Conſtat Privatorum cautionem, Legum auctoritate non cenſeri. *l.* 16. *ff. de Suis & legit.*

Et Nemo (*b*) Jus publicum remittere poteſt cautionibus, nec mutare formam antiquitùs conſtitutam. *l.* 5. § 7. *ff. de Admin. tut.*

(*a*) Ex principio legis apparet eam pertinere ad tractationem de variis contractibus. Rectè ergo ejus ſpecies ponitur in contractu pignoris; ut non valeat hæc conventio quâ, non ſolutâ ad certam diem pecuniâ, creditori liceret rem pignoratam jure dominii habere pro eo quod ſibi debetur; nec reddere id quod plus ſit in ejus pretio. Item in contractu depoſiti; ut reprobetur conventio quâ conveniret ut dolus non præſtaretur à depoſitario. Hæ enim conventiones privatorum, non poſſunt derogare *Juri publico*; id eſt Legi naturali quæ dolum à contractibus, maximè verò *Depoſiti*, abeſſe vult, & creditorem ex pignore ultrà quàm quod ipſi debetur conſequi vetat. Poteſt etiam pluribus aliis ſpeciebus aptari.

(*b*) Species in teſtatore qui juſſerat tutores quos dabat *Anæclogiſtos* eſſe, id eſt non obnoxios reddendis rationibus. Hæc diſpoſitio adverſatur Juri publico, imò & naturali, ut quis de *Dolo* non teneatur. Itaque ad id redigenda eſt, ne teneantur *Culpæ* nomine: Tit. *de Liber. leg.* N. 25. Cæterùm generalis Regula eſt, & iiſdem ſpeciebus aptari poteſt quibus & duæ præcedentes omninò conſonæ.

L X V.

Eſt Regula (*a*) Juris antiqui; Omnes licentiam habere his quæ pro ſe introducta ſunt renuntiare. *l.* 29. *Cod. de Pact.*

Unicuique licet (*b*) Sui juris perſecutionem aut ſpem futuræ perceptionis deteriorem facere. *l.* 46. *ff. de Pact.*

(*a*) Hæc Regula eas quæ modò præceſſerunt de Privatorum circa *Jus publicum* cautionibus, limitat. Hinc V. G. fidejuſſores Edicto Divi Marci quo fidejuſſoribus beneficium *Diviſionis* conceditur renuntiare poſſunt. Item emptor his quæ Edicto Ædilium ipſi tribuuntur. &c.

(*b*) Conſonat præcedenti quaſi Corollarium. Hinc legatarii poſſunt remittere heredi ſatisdationem *Legatorum*, emptor venditori Ædilitias ſtipulationes, &c.

§ I I I.

Regulæ ad perſpiciendum Legis ſenſum.

L X V I.

Incivile eſt niſi totâ Lege perſpectâ, unâ aliquâ partieulâ ejus propoſitâ, judicare vel reſpondere. *l.* 24. *ff. de Legib.*

Source : BIU Cujas

LXVII.

Optima est Legum interpres, consuetudo (*a*). *l.* 37. *ff. d. tit.*

(*a*) Quæ maximè probatur ex auctoritate rerum ita perpetuò judicatarum.

LXVIII.

Minimè sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt. *l.* 23. *ff. d. tit.*

LXIX.

In re dubiâ melius est verbis Edicti servire. *l.* 1. § 20. *ff. de Exercit. act.*

In ambiguâ voce Legis, ea potiùs accipienda est significatio quæ vitio caret; præsertim cùm etiam voluntas Legis ex hoc casu colligi possit. *l.* 19. *ff. de Legib.*

Benigniùs Leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conservetur. *l.* 18. *ff. d. tit.*

LXX.

Paulus respondit: Non oportere Jus Civile calumniari, neque verba captari; sed quâ mente quid dicitur, animadvertere convenire. *l.* 19. *ff. ad Exhibend.*

LXXI.

Quum Lex in præteritum quid indulget (*a*) in futurum vetat. *l.* 22. *ff. de Legib.*

(*a*) *Dans le langage des Loix; Faire grace ou pardonner pour le passé, c'est défendre pour l'avenir.*

§ IV.

Regulæ circa investigationem mentis Legis.

Primum Theorema.

LXXII.

Scire Leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim & potestatem. *l.* 17. *ff. de Legib.*

Regulæ Practicæ.

LXXIII.

Semper (*a*) quasi hoc Legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas & ad eas res pertinerent quæ quandoque similes erunt. *l.* 27. *ff. de Legib.*

Quotiens (*b*) Lege aliquid unum vel alterum introductum est, bona occasio est, cætera quæ tendunt ad eamdem utilitatem, vel interpretatione (*c*) vel certè jurisdictione (*d*) suppleri. *l.* 13. *ff. d. tit.*

(*a*) Hæc & sequens regula, omninò consonæ, non obtinent circa Jus singulare de quo mox infrà.

(*b*) Exemplum hujus Regulæ, sicut & præcedentis, in *l.* 32. ff. *Ad L. Aquil.* in quâ definitur, hoc quod Proconsul Edicto statuit circa *Furtum* factum ab universâ familiâ; scilicet ut dominus non in plus teneatur, quàm si ab uno libero factum esset; trahendum esset ad *Damnum* quod familia dedit.

(*c*) Id est, officio Jurisconsulti; qui Legem ita interpretabitur, ut ad ea quoque sententiam ejus pertinere respondeat.

(*d*) Id est: officio *Jus dicentis*; qui de his æquè ac de casu à Lege expresso, idem Jus dicet.

LXXIV.

Quod contra rationem Juris receptum est, non est producendum ad consequentia (*a*). *l.* 141. (*Aliàs* 183.) PAUL. LIB. 54. AD ED.

Quæ propter necessitatem (*b*) recepta sunt, non debent in argumentum trahi. *l.* 162. (*Aliàs* 122.) PAUL. LIB. 70. AD. ED.

Quod non ratione introductum, sed errore primùm, deinde consuetudine obtentum est; in aliis similibus non obtinet. *l.* 39. *ff. de Legib.*

(*a*) Vulgat. *Consequentias*. Exemplum in eo Jure quo receptum est ut ex causâ peculii, per eos quos in potestate habemus, ignorantes usucapere possimus. Hoc suadente quâdam necessitate, ne domini per singula momenta species & causas peculiorum inquirere cogerentur, receptum est: *Contra rationem Juris* quæ opinionem justi dominii in re quæ usucapitur, adeòque scientiam possessionis requirit. Non debet igitur, ex eo Jure singulari colligi, in aliis casibus per servos aut per procuratores dominum ignorantem posse usucapere. Hanc esse legis speciem probatur ex eo quòd Paulus in libro undè desumpta est, de possessione egerit; ut videre est in Indice Labitti. Multis autem aliis speciebus Regula aptari potest, putà, in conditionibus quæ favore libertatis aut alimentorum pro potestativis habentur, quum aliàs sint mixtæ, &c.

(*b*) Id est, publicam utilitatem. Præcedenti consonat hæc Regula; nisi quòd illa generalior sit de omni Jure singulari, sive necessitas sive favor personæ sive error aut quæcumque alia causa huic locum dederit: hæc verò specialiter est de Jure singulari *propter necessitatem* recepto, eam scilicet quam publica aliqua utilitas injungit, ut à jure communi eâ in re recedatur. Legis speciem ponit Gothofredus in eo jure quod propter assiduam servorum comparationem receptum est; ut per servos putativos ex re nostrâ acquiramus: hoc contra rationem Juris, quæ per extraneam personam nobis acquiri non patitur, receptum, *non debet in argumentum trahi*, putà ut idem obtineat in filio putativo.

LXXV.

Nulla Juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem. *l.* 25. *ff. de Legib.*

Luculentum exemplum in l. 3. § 5. ff. *de Carbon. Edict.* ubi hoc quod Carboniano Edicto statuitur, ut controversia quam impubes circa statum suum & hereditatem patietur in tempus ejus pubertatis differri debeat; dicitur non esse observandum iis casibus in quibus utile est pupillo ut non differatur controversia.

Secundum Theorema.

LXXVI.

Non omnium quæ à Majoribus instituta sunt, ratio reddi potest. *l.* 20. *ff. de Legib.*

Et ideò rationes eorum quæ constituuntur, inquiri non oportet. Alioquin multa ex his quæ certa sunt, subverterentur. *l.* 21. *ff. d. tit.*

Schultingius ita intelligit: Non sicut eorum quæ ab æquitate naturali effluxerunt, ita eorum quæ ex ratione Juris Civilis Majores nostri (id est, Jurisconsulti) constituerunt, ac veluti per manus nobis tradita sunt, rationes semper perspicuæ sunt. Ideò, etsi nos ratio fugiat aut minùs idonea afferatur, non idcircò ab his regulis discedere debemus. Exemplum affert Cujacius *Observ.* XVII. 15. in eâ Regulâ quæ vetat socio in socium ex delicto communis servi actionem noxalem dari: cujus Regulæ, etsi vera ratio (quam Julianus in l. 41. ff. *de Noxal. act.* detexit) quosdam magni nominis Jurisconsultos effugerit (Urseium putà, qui aliam & pessimam hujus rationem affert in l. 27. § 1. ff. *ad L. Aquil.*) tamen ab eâ Regulâ discedere non oportuit.

§ V.

De Officio Jurisconsulti circa species de quibus diversæ Leges sunt, aut de quibus nulla Lex scripta est.

LXXVII.

In his quæ contra rationem Juris constituta sunt, non possumus sequi regulam Juris. *l.* 15. JULIAN. LIB. 27. DIGEST.

Lex enim quæ specialiter disponit in casu de quo agitur, Prævalet Legi quæ generalem Regulam continet; suprà N. 14. Reg. 2.

LXXVIII.

1. Constitutiones tempore posteriores, potiores sunt (*a*) his quæ ipsas præcesserunt. *l. fin. ff. de Constit. princip.*

(*a*) Scilicet quum contrariæ sunt. Si diversum quid magis quàm contrarium contineant, tunc locus est Regulis seqq.

2. Non est novum ut priores Leges ad posteriores trahantur. *l.* 26. *ff. de Legib.*

3. Sed & posteriores Leges ad priores pertinent (*b*), nisi contrariæ sint. *l.* 28. *ff. d. tit.*

(*b*) Utriusque Regulæ idem sensus. Quandoque posteriores leges prioribus, priores posterioribus non obrogant: sed ipsis miscentur. Exemplum in l. 2. ff. *de Noxal. act.* de quâ vide Notam in PRÆTERMISSIS ad Tit. *ad L. Aquil.* ad Calcem Tomi primi.

LXXIX.

De quibus causis, scriptis Legibus non utimur; id custodiri oportet quod moribus & consuetudine inductum est. Et si quâ in re hoc deficeret; tunc quod proximum & consequens ei est: si nec id quidem appareat tunc Jus quo urbs Roma utitur, servari oportet. *l.* 32. *ff. de Legib.*

Source : BIU Cujas

ARTICULUS II.

De Consuetudine *seu Jure non scripto.*

LXXX.

Inveterata consuetudo pro Lege non immeritò custoditur. Et hoc est Jus quod dicitur MORIBUS constitutum. *l.* 32. § 1. *ff. de Legib.*

Mos namque retinendus est fidelissimæ vetustatis. *l.* 18. *Cod. de Testam.*

LXXXI.

Rectissimè etiam illud receptum est ; ut Leges non solo suffragio legislatoris , sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur. *sup. d. l.* 32. § 1. ¶ *quare.*

Scholium.

Consuetudinis usûsque longævi non vilis auctoritas est ; verùm non usque adeò suî valitura momento , ut aut rationem vincat , aut Legem (*a*). *l.* 2. *Cod. Quæ sit longa consuet.*

(*a*) Nisi Lex sit arbitraria ; quæ præsumi possit tacito legislatoris consensu, qui contrariam consuetudinem probaverit , abrogata. Et ita conciliatur cum præcedenti.

LXXXII.

Quum de consuetudine civitatis vel provinciæ confidere quis videtur ; primùm illud explorandum arbitror , an etiam contradicto aliquando judicio , consuetudo firmata sit. *l.* 34. *ff. de Legib.*

ARTICULUS III.

De Privilegiis & Rescriptis.

§ I.

Regula communis omnibus beneficiis ; sive certæ personæ , sive certo personarum generi concessa sint.

LXXXIII.

Privilegium ad alienam injuriam porrigi non oportet. *l.* 40. *ff. de Admin. tut.*

Hinc V. G. (quæ species legis est) privilegium Ordinis militum, non eò porrigitur ; ut curator à milite datus administrare teneatur , donec confirmatus fuerit. Non eò porrigitur ut possit miles patronum Quartâ ipsi debitâ testamento suo privare : Tit. *de Testam. milit.* N. 32. Hinc quoque (ut regulam privilegiis personalibus aptemus) privilegium quo debitor dilationem ad solvenda quæ debet, à Principe impetravit ; non aliter vale quàm si idoneum fidejussorem creditoribus præstiterit : l. 4. Cod. *de Precib Princip. offer.*

§ II.

Regulæ circa beneficia personalia.

LXXXIV.

Rescripta contra Jus elicita , ab omnibus judicibus refutari præcipimus ; nisi fortè sit aliquid quod non lædat alium , & prosit petenti , vel crimen supplicantibus indulgeat. *l.* 7. *Cod. de Prec. imper. offer.*

LXXXV.

Mendax precator (*a*) careat penitùs impetratis ; & si nimia mentientis inveniatur improbitas , etiam severitati subjaceat judicantis. *l.* 5. *Cod. Si contra jus &c.*

(*a*) Hanc Regulam trahe & ad illum qui nihil quidem præcibus expresè mentitus est , sed dolosè aliquid tacuit : l. 2. Cod. *d. tit.* Per reticentiam impetratum Rescriptum , *Obreptitium* dicitur ; Mendacio , *Subreptitium.* Hæc duo tamen sæpè confunduntur ; saltem , cùm valdè affinia sint , cumulantur.

LXXXVI.

Si qua beneficia personalia sine die & Consule fuerint deprehensa , auctoritate careant. *l.* 4. *Cod. de diverss. rescript.*

LXXXVII.

Beneficium Imperatoris , quod à divinâ scilicet ejus indulgentiâ proficiscitur , quàm plenissimè (*a*) interpretari debemus. *l.* 3. *ff. de Constitut. princip.*

(*a*) Quatenùs tamen Juris ratio non refragatur. Tunc enim consulendus Princeps , ut mox infrà Reg. 89.

LXXXIII.

Rescripta (*a*) quibus usi non fuerint qui in fata concesserunt , heredes possunt allegare. *l.* 2. *Cod.* (*Theod.*) *de Diverss. rescript.*

(*a*) Pone speciem in orbo qui impetravit jus liberorum à Principe , deindè ei legatum est ; & post diem legati cedentem , antequàm illud peteret , mortuus est. Possunt heredes ejus uti Rescripto quod defuncto concessum est , ut totum legatum ex personâ ejus capiant.

LXXXIX.

Neratius consultus an quod beneficium (*a*) dare se quasi viventi Cæsar (*b*) rescripserat , jam defuncto dedisse existimaretur ? respondit : Non videri sibi Principem , quod ei quem vivere existimabat concessisset , defuncto concessisse. Quem tamen modum esse beneficii sui vellet , ipsius æstimationem esse. *l.* 191. (*Aliàs* 151.) CELSUS LIB. 33. DIGEST.

(*a*) Pone pariter speciem in orbo qui supplicaverat Principi ad impetrandum jus liberorum ; &, antequàm illud impetraret , mortuus est.
(*b*) Trajanus aut Hadrianus , sub his enim Neratius floruit.

Source : BIU Cujas

SECUNDA PARS.

DE PERSONIS.

PErsonæ in Jure conſiderantur, vel quoad ſtatum & conditionem, vel quoad varias qualitates, jura, aut neceſſitudines; ex quibus diverſi Juris effectus oriuntur.

CAPUT PRIMUM.

De variis perſonarum diviſionibus, ad ſtatum earum & conditionem pertinentibus.

SECTIO I.

De liberis & ſervis, ingenuis & libertis.

ARTICULUS I.

Regulæ circa libertatem & homines liberos.

X C.

1. Libertas pecuniâ lui non poteſt, nec reparari (*a*) poteſt. *l.* 9. § 2. *ff. de Statuliber.* (*b*).

2. Libertas (*c*) inæſtimabilis res eſt. *l.* 106. PAUL. LIB. 2. AD ED.

3. Infinita (*d*) æſtimatio eſt libertatis & neceſſitudinis. *l.* 176. (*Aliàs* 136.) § 1. PAUL. LIB. 13. AD PLAUT.

(*a*) Id eſt, emi. Ita apud Poetam, REPARARE *merces.*

(*b*) Ex hâc regulâ probat Ulpianus, ſolutionem quæ fit ſtatuliberum tradendo ſive ex causâ noxali vel ex ſtipulatu, non ideò minùs valere quòd creditori die libertatis adveniente homo evincatur; quia hujus hominis debitor non potuit, per ipſius rei debitæ naturam, ullo pretio hanc libertatem *Luere*, adeòque nec hominem ipſum perfectiùs facere accipientis. Poteſt etiam Regula aliis ſpeciebus aptari.

(*c*) Duplici ſenſu hæc & ſequens Regula accipiuntur.

Ius. eſt (qui præcedenti regulæ conſonat) ut libertas nulla pecuniâ æſtimari ac lui poſſit. Et juxta hunc intellectum, ſpecies hujus legis 106. poni ſolet in cautionibus judicialibus; de quibus in libro undè illa deſumpta eſt Paulum egiſſe conſtat ex inſcriptionibus legis 68. ff. *de Verb. oblig.* & legis 7. ff. *de Verb. ſignif.* Nimirùm ex hâc regulâ probatur, in ſtipulatione DE RATO quæ exigitur ab eo qui alieno nomine controverſiam ſtatûs facit alicui, comprehendendam eſſe certam ſummam; ne alioquin ſtipulatio ſit rei incertæ & infinitæ, cùm NULLA SIT ÆSTIMATIO LIBERTATIS.

Alter ſenſus eſt (qui Gothofredo magis placet) ut libertas ſit præ cæteris rebus inæſtimabilis, id eſt pretioſiſſima & favorabiliſſima. Undè ex hâc Regulâ probari putat, in judicio *Vindiciarum* (de quo etiam Paulus in hoc libro egit, ut conſtat ex l. 5. ff. *de Verb. ſignif.* vindicias quæ in cæteris cauſis ſecundùm poſſeſſorem dantur; in causâ liberali ſecundùm libertatem dandas eſſe.

(*d*) Cenſet Gothofredus ſpeciem legis pertinere ad Interdictum DE *homine libero exhibendo*; quod nempè omnibus patere debet propter infinitum pretium favoremque LIBERTATIS: l. 3 § 9. ff. *de hom. lib. exhib.* ſed & mulieribus quæ aliquâ *Neceſſitudine* hominem illum qui detinetur contingunt, debere concedi; propter infinitum favorem NECESSITUDINIS.

X C I.

Libertas omnibus rebus favorabilior (*a*) eſt. *l.* 122. (*Aliàs* 164.) GAIUS LIB. 5. AD ED. PROVINC.

(*a*) Generaliſſima eſt hæc regula, præcedentibus poſteriore ſenſu acceptis conſonans, & ex quæ fluunt omnes regulæ quæ ſequuntur.

Corollarium generale.

Multa (*b*) contra Juris rigorem pro libertate ſunt conſtituta. *l.* 24. § 10. *ff. de Fideic. lib.*

(*b*) Hinc (quæ ſpecies legis eſt,) libertas directis verbis ſervo pignerato data, quamvis ex rigore juris non valeat, tamen ſuſtinetur verbis ad ſenſum precarium productis. Hinc Juſtinianus conſtituit ut libertas ab uno ex dominis citra alterius conſenſum data valeret. *Inſtit.* Tit. *de Donat.* §°. fin.

X C II.

Corollaria circa interpretationem voluntatis.

1. Favor (*a*) libertatis ſæpè benigniores ſententias exprimit. *l.* 32. § *fin. ff. ad L. Falcid.*

(*a*) Hinc (quæ ſpecies hujus legis eſt) legatarius ſervum ſuum aut alienum manumittere rogatus, libertatem præſtare debet, nec Palcidiam quam ipſe in ſuo legato paſſus eſt, & quam ex aliis fideicommiſſis detraheret opponere poteſt. Vide & alia exempla in regulis ſequentibus.

2. Quotiens dubia interpretatio libertatis eſt, ſecundùm libertatem reſpondendum erit. *l.* 20. POMPON. LIB. 7. AD. SABIN.

3. *Et* In obſcurâ voluntate manumittentis, favendum eſt libertati. *l.* 179. (*Aliàs* 139.) PAUL. LIB. 16. AD PLAUT.

Exempla paſſim; putà, in l. 14. ff. *de Legatis* 2°. l. 10. § 1. ff. *de Reb. dub.* l. 24. ff. *de Manumiſſion.* l. 10. § 1. ff. *de Manum. teſtam.* l. 29. § 10. & l. 48. ff. *de Fideicom. libert.* l. 19. *ff. de Statulib.*

Hinc etiam, conditiones quæ MIXTÆ videri poſſent, favore libertatis pro POTESTATIVIS habentur: lib. 35. Tit. *de Condit. & demonſtr.* N. 123.

4. In libertatibus leviſſima ſcriptura (*b*) ſpectanda eſt: *l.* 5. *ff. de Manum. teſtam.*

(*b*) In cæteris cauſis, ex duabus contrariis ſcripturis prævalet ea quæ noviſſima eſt: in libertatibus, non noviſſima prævalet, ſed *Leviſſima*; id eſt, illa quæ faciliùs perducit ad libertatem, & per quam manumiſſio facilior fit.

X C III.

Corollaria circa judicia.

Lege (*a*) Juniâ-Petroniâ, ſi diſſonantes pares judicum exiſtant ſententiæ, pro libertate pronuntiari juſſum. *l.* 24. *ff. de Manumiſſionib.*

Sed & ſi teſtes non diſpari numero tam pro libertate quàm contra libertatem dixerint, pro libertate pronuntiandum eſſe, ſæpè conſtitutum eſt. *d. l.* 24. § 1.

Semel pro libertate dictam Sententiam retractari non oportet (*b*). *l.* 24. *ff. de Dol. mal.*

Favor libertatis eſt, ut majores (*c*) judices habere debeat. *l.* 32. § 7. *ff. de Recept.*

(*a*) Hæc & ſequens Regula corollaria ſunt regularum priorum, & ſingulari Jure ob favorem libertatis recepta; cùm in cæteris cauſis pro reo pronuntietur.

(*b*) Ne ex causâ doli quidem; nec ex cæteris cauſis ex quibus reſtitutio in integrum adversùs Sententias impetratur.

(*c*) Non arbitros.

X C IV.

Liberum corpus æſtimationem non recipit. *l.* 3. *ff. Si quadrup.*

Hinc putà vulnerato homine libero, in æſtimatione damni, ratio non habetur deformitatis & cicatricum.

Source : BIU Cujas

XCV.

Casum adversamque fortunam spectare hominis liberi, neque civile neque naturale est. *l.* 83. § 5. *ff. de Verb. oblig.*

Hinc nec in stipulationem alium-ve contractum deduci nec legari liber homo sub eâ conditione potest, *Quum servus erit.*

ARTICULUS II.

De Servis & statuliberis.

§ I.

De servis & servitute in genere.

XCVI.

Quod attinet ad Jus civile, servi pro nullis habentur (*a*): non tamen & Jure naturali (*b*); quia, quod ad Jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt. *l.* 32. ULP. LIB. 43. AD SABIN.

Servitutem (*c*) mortalitati ferè (*d*) comparamus. *l.* 209. ULP. LIB. 4. AD L. JUL. ET PAP.

(*a*) Id est; habentur duntaxat ut res, non ut personæ. Vide corollaria in Regulis sequentibus.

(*b*) In his igitur quæ Jure naturali reguntur, servi pro personâ habentur. Hinc obligationis naturalis capax est servus, infrà N. 98. Hinc cum jure naturali homicidia prohibita sint; non minùs homicidium est, nec minùs punitur qui servum, quàm qui liberum occidit. lib. 48. Tit. *ad L. Cornel. de Sicariis.* N. 5.

(*c*) Ex inscriptione legis Gothofredus colligit speciem ad præmia Legis Papiæ pertinere; & ex hâc Regulâ probari filium qui in servitutem deductus est, non magis ad hæc præmia prodesse parentibus quàm eum qui mortuus est.

Potest Regula ad plures alias species aptari. Hinc V. G. intercidit legatum, si ante diem legati cedentem legatarius fiat servus pœnæ: Tit. *de Legatis* N. 352. Item quum legatum in conditionem mortis alicujus collatum est; impletur conditio per servitutem ejus æquè ac per mortem &c.

(*d*) Rectè *Ferè*. Interdum enim Regula fallit: putà, si vivo testatore heres aut legatarius fiat servus pœnæ, hereditas aut legatum non sunt in causâ *Caduci*, ut in casu mortis; sed pro non scriptis habentur; l. 3. § 1. ff. *de His quæ non script.* Item si quis in servitutem, non pœnæ, sed privati incidat; legatum ei relictum non intercidit, sed ejus domino acquiritur.

XCVII.

Corollaria circa actus publicos.

In his quæ officium (*a*) per liberas fieri personas Leges desiderant; servus intervenire non potest. *l.* 175. (*Aliàs* 135.) PAUL. LIB. II. AD PLAUT.

Servus (*b*) Reipublicæ causâ abesse non potest. *l. fin.* PAUL. LIB. 69. AD ED.

(*a*) J. Gothofredus legit *per Officium*. Quod verbum hîc accipitur pro celebritate quorumdam negotiorum, ad quam peragendam advocabantur & conveniebant plures personæ. Sic apud Juvenalem Satyr. 2. celebritas nuptiarum cui adhibebantur amici, appellatur *Officium*: pariterque apud Horatium . . . . . OFFICIUM *cras*

Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ causa officii? Quid quæris? nubit amicus,
Nec multos adhibet.

Hoc pariter sensu Plinius Epist. VI. 15. de Javoleno nostro scribit, eum OFFICIIS *interesse*.

In hoc genere fuerunt officia actuum legitimorum, ut Mancipationes, testamentorum subsignationes, testimonia quælibet civilia & solemnia, &c. In his autem omnibus officiorum generibus quæ Leges per liberas personas peragi desiderabant; servi, utpotè qui personam habere non viderentur, non poterant interesse. Non tamen indistinctè ab omnibus officiis hæc Regula servos removet: quædam enim erant quibus adhibebantur, ut officium exequiarum; Tacit. *Annal.* XVI. 7. & l. un. § 5. Cod. *de Lat. lib. toll.*

(*b*) Hæc lex repetita est ex *l.* 7. ff. *Si quis caut. in jud. sist.* ubi ex hâc regulâ probatur eum qui servum in judicio sisti promiserit, etsi cæteris exceptionibus uti possit, quibus uti potest is qui de libero homine sistendo cavit, non tamen habere illam exceptionem quæ petitur *ex absentiâ Reipublica causâ*. Quomodo enim Reipublicæ causâ abesse & pro Republicâ occupatus esse intelligi potest, is cujus nullæ in Republicâ (in quâ pro nullo habetur) partes esse possunt? Etsi igitur absentis Reipublicæ causâ comites & ipsi plerumque pro absentibus Reipublicæ causâ habeantur; hoc in servum qui in ministerium absentis Reipublicæ causâ esset, cadere non potest.

CXVIII.

Corrollaria circa obligationes.

Nec servus (*a*) quicquam debere potest; nec servo potest deberi. Sed quum eo verbo abutimur; factum magis demonstramus, quàm ad Jus civile referimus obligationem. *l.* 41. *ff. de Pecul.*

In personam servilem nulla cadit obligatio. *l.* 22. ULP. LIB. 28. AD SABIN.

Naturaliter (*b*), etiam servus obligatur. *l.* 13. *ff. de Cond. indeb.*

Quod (*c*) quis dum servus est egit, proficere libero facto non potest. *l.* 146. PAUL. LIB. 62. AD ED.

Nemo ex servitutis actu post libertatem tenetur. *l.* 28. § 7. *ff. de Liberat. leg.*

Servi ex delictis quidem obligantur (*d*), &, si manumittantur, obligati remanent: ex contractibus autem civiliter quidem non obligantur, sed naturaliter & obligantur & obligant (*e*). *l.* 14. *ff. de Oblig. & act.*

Ubi facinus abesset; non convenit Prætorem ex eo quod servus jussu domini fecisset, de eâ re in liberum judicium dare. *l.* 20. *ff.*

(*b*) Corollarium est alterius partis Regulæ suprà dictæ.

(*c*) Fluit item, cum Regulâ sequenti, ex primâ parte Regulæ 96. Cùm enim ex eo quod in servitute egit, jus quodcumque acquirat domino; nec potuerit sibi, utpotè qui pro nullo esset Jure Civili, quicquam adquirere; consequens est ut ei quamvis libero posteà facto proficere non possit. Nec potest ei hâc in re quidquam prodesse libertas quæ postea supervenit; cùm actus inter vivos, ex præsenti tempore quo aguntur vires accipiant.

(*d*) Etiam civiliter. Quædam exceptio est Regulæ suprà dictæ.

(*e*) Et quidem si cum domino contrahant, eum naturaliter sibi obligant; si cum aliis, eos etiam civiliter, non quidem sibi sed domino suo obligant: infrà Cap. 3. Sect. 1^a. Art. 1.

XCIX.

Corollaria circa actiones.

Cum (*a*) servo nulla actio est. *l.* 107. GAIUS LIB. 1. AD ED. PROVINC.

Nullo modo servi cum dominis (*b*) suis consistere possunt; cùm ne quidem omninò Jure Civili, neque Jure Prætorio, neque extra ordinem, computantur. *l.* 7. *ff. de L. Corn. de falsis.*

(*a*) Regulæ præcedentes erant de obligationibus; hæc & sequens de actionibus. Fluit pariter ex Regulâ quâ servus in Jure pro nullo habetur. Ex hoc enim, nullam habet personam standi in jure & judicio idoneam; adeòque cum eo non potest esse ulla actio, non solùm personalis descendens ex aliquâ obligatione civili quæ in ipsum non cadit, sed nec quævis alia actio.

(*b*) Multò minùs cum extraneis; cùm, si qua ex eo quod egerunt, actio nascatur, eam non sibi sed dominis suis adquirant: infra Reg. 211. & seqq. Exceptio tamen Regulæ in hâc ipsâ lege continetur; ut libertatem sibi à dominis debitam petere possint.

§ II.

De statuliberis.

C.

Statuliberi causam non priùs servus nanciscitur, nisi aditâ vel ab uno ex institutis hereditate (*a*). *l.* 2. *ff. de Statulib.*

(*a*) Sive testamento sive pupillaribus tabulis ei sit relicta libertas. Hinc si dum jacet hereditas, usucapiatur, si strictum Jus spectes, spes statutæ libertatis intercidit: verùm aditâ postea hereditate, favorabiliter recintegratur libertas. lib 40. Tit. *de Statulib.*

CI.

Statuliberorum jura per heredem fieri non possunt duriora. *l.* 33. *ff. d. tit.*

Igitur sive alienentur sive usucapiantur, sive manumittantur, nihilominùs existente die aut conditione liberi & defuncti liberti existunt. d. tit. § 2.

CII.

Statuliberi à cæteris servis nostris nihilo pene (*a*) differunt. *l.* 29. *ff. d. tit.*

(*a*) Hoc tamen habent, ut interim non possint nisi æquis conditionibus distrahi: cæterùm in publicis judiciis similiter puniebantur ut cæteri servi, quod Constitutione Antonini-Caracallæ immutatum. Vide Tit. *de Pœnis*, N. 92.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS III.

De ingenuis & libertis.

§ I.

Qui ſint ingenui, qui liberti.

CIII.

Ingenui naſcuntur, libertini manumiſſione conſtituuntur. *l.* 8. *Cod. de Ingen. man.*

Ingenui ſunt qui ex matre liberâ nati (*a*) ſunt. Sufficit enim liberam fuiſſe eo tempore quo naſcitur, licèt ancilla concepit; & è contrario, ſi libera conceperit, deindè ancilla pariat; placuit eum qui naſcitur, liberum naſci... quia non debet calamitas matris (*b*) nocere ei qui in ventre eſt. *l.* 5. § 2. *ff. de Statu homin.*

2°. Ingenuum accipere debemus etiam eum de quo Sententia lata eſt, quamvis fuerit libertinus (*c*): quia res judicata pro veritate accipitur. *l.* 25. *ff. d. tit.*

(*a*) Adde; nec unquam juſtam ſervitutem ſervierunt: infrà Reg.
(*b*) Imò non obeſt quòd mater demum poſt conceptum libera facta, rursùs ancilla tempore partûs deprehendatur.
(*c*) Aut etiam ſervus: ob auctoritatem rei judicatæ.

CIV.

Imperator Titus-Antoninus reſcripſit; Non lædi ſtatu liberorum, ob tenorem inſtrumenti malè concepti. *l.* 8. *ff. d. tit.*

Ingenuam natam, neque nutrimentorum ſumptus neque ſervitutis (*a*) obſequium faciunt ancillam, neque manumiſſio (*b*) libertinam. *l.* 2. *Cod. de Ingen. manum.*

(*a*) Injuſtæ & erroneæ.
(*b*) Ex injuſtâ ſervitute.

CV.

Eum qui ſe libertinum eſſe fatetur, nec adoptando patronus ingenuum facere potuit. *l.* 27. *ff. d. tit.*

CVI.

Homo liber qui ſe vendidit (*a*), manumiſſus non ad ſuum ſtatum revertitur quo ſe abdicavit; ſed efficitur libertinæ conditionis. *l.* 21. *ff. de Statu hom.*

(*a*) Ut pretium participaret, quum eſſet major viginti annis. Vide lib. 40. Tit. *Quib. ad libert.* Art. 1. §°. 1°.

§ II.

De modis quibus libertini ingenuorum jura conſequuntur.

CVII.

1°. *Jus aureorum annullorum.*

Is qui jus (*a*) annulorum impetravit, ut ingenuus habetur; quamvis ab hereditate ejus patronus non excludatur. *l.* 5. *ff. de Jur. aur. ann.*

(*a*) Aureus annulus, inſigne ingenuitatis. Hoc jus libertini impetrabant à Principe.

CVIII.

Liberti qui jus aureorum annullorum impetraverunt; Quoad vivunt, imaginem, non ſtatum ingenuitatis obtinent; & ſine periculo, ingenuorum etiam officia peragunt publica. *l. un. Cod. ad Leg. Viſell.*

CIX.

Divus Commodus & jus annulorum datum ademit illis, qui invitis aut ignorantibus patronis acceperant. *l.* 3. *ff. de Jur. aur. ann.*

CX.

2°. *Natalium reſtitutio.*

Natalibus ſuis reſtitutus..... quantùm ad totum Jus pertinet, perindè habetur atque ſi ingenuus natus eſſet; nec patronus ejus poteſt ad ejus ſucceſſionem venire.

Ideòque Imperatores non facilè ſolent quemquam natalibus reſtituere, niſi conſentiente patrono. *l.* 2. *ff. de Natal. reſtit.*

SECTIO II.

De filiisfamilias.

§ I.

Regulæ generales circa filiosfamilias.

CXI.

Filiusfamilias ex omnibus (*a*) cauſis tanquam paterfamilias obligatur (*b*): & ob id agi cum eo tanquam cum patrefamilias (*c*) poteſt. *l.* 39. *ff. de Oblig. & act.*

(*a*) Exceptâ tamen causâ mutui, ut mox §° ſeq.
(*b*) Nam reſpectu ejus duntaxat in cujus poteſtate eſt, habetur quaſi res ejus, non ut perſona ab eo diſtincta: at reſpectu cæterorum omnium, perſona eſt, Juris Civilis communionem habens; & in hoc differt à ſervo.
(*c*) Ipſe autem regulariter agere non poteſt; infrà N. 193. Ex certis tamen cauſis ei agere conceditur: lib. 5. Tit. *de Judiciis* Sect. 2. §°. 2°.

CXII.

Qui in poteſtate parentis eſt, teſtamenti faciendi jus non habet; adeò ut, quamvis pater ei permittat, nihilomagis tamen jure teſtari poſſit. *l.* 6. *ff. Qui. teſtamen. fac.*

CXIII.

Tamen mortis causâ donare patre permittente poteſt (*a*). *l.* 25. § 1. *ff. de Mort. cauſ. donat.*

(*a*) Vide rationem diſparitatis, lib. 28. Tit. *Qui teſtam. fac.* N. 2. & 10. cum Notis. Poteſt item manumittere.

CXIV.

Filiusfamilias in publicis cauſis loco patrisfamilias habetur (*a*). *l.* 9. *ff. de His qui ſui vel al.*

(*a*) Poteſt igitur eſſe judex, arbiter, Magiſtratus, &c.

§ II.

De Senatuſconſulto Macedoniano.

Hoc Senatuſconſultum prohibet filiisfamilias mutuam pecuniam dari. Circa quod has regulas habet.

CXV.

Quando locus ſit SCto.

1. In filiofamilias nihil dignitas (*a*) facit, quominùs Senatuſconſultum Macedonianum locum habeat.... niſi fortè caſtrenſe peculium (*b*) habeat. *l.* 1. § *fin. ff. de SC. Maced.*

2. Si pendeat an in poteſtate ſit filius (ut putà quoniam patrem (*c*) apud hoſtes habet) in pendenti eſt an in Senatuſconſultum ſit commiſſum. *d. l.* 1. § 1.

3. Quod vulgò dicitur filiofamilias credi non licere,

(*a*) Etiamſi eſſet Conſul.
(*b*) Eatenùs duntaxat poteſt ipſe ex mutuo obligari. Nam quoad hoc peculium, habetur pro patrefamilias.
(*c*) Cujus reditus ſperatur.

Source : BIU Cujas

non ad verba referendum eſt, ſed ad numerationem (a). *l.* 4. *ff. d. tit.*

4. Is ſolus Senatuſconſultum offendit, qui mutuam pecuniam filiofamilias dedit; non qui aliàs contraxit; putà vendidit, locavit.... ſi non fraus (b) Senatuſconſulto ſit cogitata. *l.* 3. § 3. *ff. d. tit.*

(d) *Numerationis* ergo tempore inſpicitur an filiusfamilias fuerit necne. Igitur licèt filiusfamilias eſſet quum ab eo ſtipulatus ſum: *Mutuam pecuniam reddi* (id vulgò ſtipulabatur creditor numeratus); ſi eo tempore quo numeravi, jam factus erat paterfamilias, non erit Senatuſconſulto locus: & vice versâ.

(e) Ut ſi mercium ſimulatâ venditione, quas præſenti pecuniâ filiusfamilias revendat, occultetur mutuum; vel mutuo dentur merces, ut ex earum diſtractione pecuniam comparet.

CXVI.

Quibus cauſis ceſſet Senatuſconſultum.

1. Julianus ſcribit; Exceptionem Senatuſconſulti Macedoniani nulli obſtare, niſi qui ſciret aut ſcire potuiſſet (a) filiumfamilias eſſe eum cui credebat. *l.* 19. *ff. d. tit.*

2. Si Minor annis cum filiofamilias majore contraxerit... magis ætatis ratio quàm Senatuſconſulti habeatur. *l.* 11. § 7. *ff. de Minorib.*

3. Si ſciente (b) patre (c) creditum ſit filio, dicendum eſt ceſſare Senatuſconſultum. *l.* 12. ff. *de SC. Maced.*

4. *Filiusfamilias* Si acceperit pecuniam, & in rem patris vertit (d); ceſſat Senatuſconſultum, patri enim, non ſibi accipit. *l.* 7. § 12. *ff. d. tit.*

6. Si filius accepit mutuam pecuniam, ut eum liberaret qui (ſi peteret) exceptione non ſummoveretur; Senatuſconſulti ceſſabit exceptio. *d. l.* 7. § 14.

6. Macedoniani Senatuſconſulti auctoritas petitionem ejus pecuniæ non impedit, quæ filiofamilias ſtudiorum causâ vel legationis alibi degenti ad neceſſarios ſumptus, quos patris pietas non recuſaret, credita eſt. *l.* 5. *Cod. d. tit.*

(a) Non ergo obſtabit; ſi ei quem patremfamilias exiſtimabam, quia publicè talis haberetur, credidi.

(b) Et patiente. Idem: ſi pater ratum habuerit: l. 16. l. 7. §. 15. ff. *d. tit.* l. fin. Cod. *d. tit.*

(c) Dic potiùs, *eo in cujus poteſtate eſt*, ſive avus ſit ſive pater. l. 14. ff. *d. tit.*

(d) Non verò ex eo ſolo ceſſat, quòd indè locupletius ſit peculium. *d. tit.* N. 8.

CXVII.

De effectu Senatuſconſulti.

1. Non ſolùm filiofamilias & patri ejus ſuccurritur (a); verùm fidejuſſori quoque & mandatori ejus; qui & ipſi Mandati habent regreſſum (b): niſi fortè donandi animo interceſſerunt. *l.* 9. § 3. *ff. d. tit.*

2. Si alius mutuam dedit, alius ſtipulatus eſt; dabitur adversùs eum exceptio, licèt hic non dederit. *ſup. d. l.* 7. § 7. *ff. d. tit.*

3. Per errorem ſoluti contra Senatuſconſultum crediti, magis eſt ceſſare (c) repetitionem. *l.* 14. *ff. de Reb. cred.*

(a) Per exceptionem *SCti*; quæ etiam poſt Sententiam opponi poteſt, ſi prætermiſſa fuiſſet: l. 11. ff. *d. tit.*

(b) Alioquin indirectè filiusfamilias & pater ejus ex illo mutuo obligarentur: quod Senatus noluit. Secùs erit, ſi regreſſum non habebant; putà, *Si donandi &c.*

(c) Naturaliter enim ex hâc causâ debetur, & denegatur duntaxat actio in odium creditoris. Vide lib. XII. Tit. *de Cond. indeb.* N. 18.

SECTIO III.

De reliquis perſonarum diviſionibus.

§ I.

De diviſione in Cives Romanos & Peregrinos.

CXVIII.

Olim inter ingenuos diſtinguebantur CIVES *à Latinis, Italicis, & Provincialibus: lib.* 1. *Tit.* de Statu hom. *N.* 20. *& ſeqq.*

Hodie ingenui In orbe Romano qui ſunt (a), ex Conſtitutione Imperatoris Antonini (b), cives Romani effecti ſunt. *l.* 17. *ff. de Statu hom.*

(a) Scilicet ſubditi Romano Imperio.

(b) Caracallæ.

CXIX.

Similiter olim inter libertinos hæc adhibebatur diſtinctio: Libertinorum genera ſunt tria, Cives Romani, Latini-Juniani (a), Dedititiorum numero. ULPIAN. FRAGM. *Tit.* 1. § 5.

Verùm donatâ libertinis omnibus civitate, hæc quoque differentia à Juſtiniano ſublata eſt.

(a) De his & de Dedititiis, vide d. Tit. *de Stat. hom.* N. 32. & ſeq.

§ II.

De Civibus Senatoriis.

CXX.

Quæſita dignitas (a) liberis, propter caſum patris (b) auferenda non eſt. *l.* 9. *ff. de Senatorib.*

(a) Senatoria.

(b) Qui Senatu motus aut deportatus eſt, poſtquàm nati ſunt aut ſaltem concepti.

CXXI.

Magis eſt... ut avi potiùs dignitas proſit, quàm obſit caſus patris. *l.* 7. § 2. *ff. d. tit.*

Hinc Senatorii ordinis eſt qui poſt caſum quidem patris conceptus eſt, ſed habuit avum Senatorem.

CXXII.

Tandiù Clariſſima fœmina erit, quamdiù Senatori nupta eſt; aut ſeparata ab eo, alii inferioris dignitatis non nupſit. *l.* 8. *ff. d. tit.*

CXXIII.

Senatores in ſacratiſſimâ Urbe domicilium dignitatis habere videntur. *l.* 8. *Cod. de Incol.*

§ III.

De diviſione civium alicujus municipii, in Municipes, Incolas, *&* Advenas: *ubi de* Domicilio.

CXXIV.

1. MUNICIPES *ſeu* Cives quidem origo (a), manumiſſio (b), allectio (c), vel adoptio (d); INCOLAS verò domicilium facit. *l.* 7. *Cod. de Incol.*

2. *Regula eſt*; Solam nominis ſimilitudinem ad confirmandam cujuſque originem ſatis non eſſe. *l. fin.* § 5. *ff. Ad Municip.*

3. Qui ex vico ortus eſt, eam patriam intelligitur habere cui Reipublicæ vicus ille reſpondet. *l.* 30. *ff. ad Municip.*

(a) Et quidem in legitimis liberis, ſola patris origo ſpectatur; ex privilegio quarumdam civitatum, etiam matris.

(b) Ita ut ſi quis à pluribus civitatum diverſarum civibus dominis ſuis manumiſſus ſit, omnium fiat civis.

(c) Quum quis Decreto civitatis in civem allectus eſt; *par lettres de Bourgeoiſie.*

(d) Adoptatus enim, ut familiam, ita civitatem ſequetur adoptantis: quam ſolutâ per emancipationem adoptione amittit; lib. 50. Tit. *ad munic.* N. 8. & 14.

CXXV.

1. Origine propriâ neminem poſſe voluntate ſuâ eximi (a), manifeſtum eſt. *l.* 4. *Cod. de Municipib.*

(a) Adeòque nec ſolâ domicilii tranſlatione, infrà N. 128.

Source : BIU Cujas

2. Errore veritas originis non amittitur ; nec mendacio dicentis se esse undè non sit, deponitur. *l.* 6. *ff. Ad Municip.*

3. Jus originis in honoribus obeundis ac muneribus susciplendis adoptione non mutatur , sed novis quoque (*b*) muneribus filius per adoptivum patrem adstringitur. *l.* 15. § 3. *ff. d. tit.*

4. *Quælibet , etiam Senatoria* Dignitas, domicilii (*c*) adjectionem potiùs dedisse quàm (*originem*) permutasse videtur. *l.* 11. *ff. de Senat.*

Indè illa distinctio. Municeps esse desinit Senatoriam adeptus dignitatem , quantùm ad munera ; quantùm verò ad honorem (*d*), retinere creditur originem. *l.* 23. *ff. ad Munic.*

(*b*) Novæ scilicet civitatis quæ ipsi additur per adoptionem.
(*c*) Putà , in urbe Româ ; ubi omnes Senatores , quamvis alibi degant , domicilium habere censentur.
(*d*) Honoribus enim municipalibus, Romanus Senator , in municipio suæ originis fungi potest ; Tit. *Ad Municip.* N. 12.

C X X V I.

Ubi quis domicilium habeat aut sibi constituere possit , & quomodo.

1. In eodem loco singulos habere domicilium non ambigitur , ubi quis larem , rerumque ac fortunarum suarum summam constituit ; undè rursùs non sit discessurus, si nihil avocet ; undè quum profectus est , peregrinari videtur. *sup. d. l.* 7. *Cod. de Incol.*

2. Nec ipsi qui studiorum causâ aliquo loco morantur , domicilium ibi habere creduntur ; nisi decem annis transactis (*a*) eo loco sedes sibi constituerint. *l.* 2. *Cod. de Incol.*

3. Viris prudentibus placuit , duobus locis posse aliquem habere domicilium ; si utrobique ita se instruxit , ut non ideò minùs apud alteros se collocasse videatur. *l.* 6. § 2. *ff. ad Municip.*

4. Si quis domicilio relicto naviget vel iter faciat quærens quò se conferat.... hunc puto sine domicilio esse. *l.* 27. *ff. Ad Municip.*

5. Nihil est impedimento quominùs quis ubi velit, habeat domicilium ; quod ei interdictum non sit. *l.* 31. *ff. d. tit.*

6. Domicilium re & facto transfertur , non nudâ contestatione. *l.* 20. *ff. d. tit.*

(*a*) Scilicet , ex commoratione decennali facilè præsumitur animus constituendi domicilii ; sed & ex aliis circumstantiis colligi potest.

C X X V I I.

De Domicilio filiorumfam. mulierum , &c.

1. Placet etiam filiosfamilias domicilium habere posse. *l.* 3. *ff. d. tit.*

Non utique ibi ubi pater habuit , sed ubicumque ipse domicilium constituit. *l.* 4. *ff. d. tit.*

2. *Antoninus & Verus* Rescripserunt ; Mulierem quandiù nupta (*a*) est , incolam ejusdem civitatis videri cujus maritus (*b*) ejus est ; & ibi undè originem trahit , non cogi muneribus fungi. *l.* 38. § 3. *ff. d. tit.*

3. Miles ibi domicilium habere videtur , ubi meret ; si nihil in patriâ possideat. *l.* 23. § 1. *ff. d. tit.*

4. Domicilium (*c*) habere potest & relegatus eo loci undè arcetur. *l.* 27. § 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Si legitimæ sint nuptiæ , & jam perfectæ.
(*b*) Aut illud vidua non permutavit.
(*c*) Scilicet quandiù non videtur spem revertendi deposuisse. Sed & novum domicilii necessarii genus eò loci in quem relegatus est, consequitur.

C X X V I I I.

De obligationibus ex domicilio.

Incola & his Magistratibus parere debet apud quos incola est , & illis apud quos civis est. . . In utroque municipio etiam , omnibus publicis muneribus fungi debet. *l.* 29. *ff. d. tit.*

Incola jam muneribus publicis destinatus , nisi perfecto munere , incolatui renuntiare non potest. *l.* 34. *ff. d. tit.*

C X X I X.

Hactenùs de civibus & incolis. Nunc de Advenis.

Ad tempus Qui in agro permanet (*a*) , incola esse non existimatur. *l.* 35. *ff. ad Municip.*

Item Sola domûs possessio quæ in alienâ civitate comparatur , domicilium non (*b*) facit. *l.* 17. § 13. *ff. d. tit.*

(*a*) Non tamen ibi sedem suam habens. Ita Cujacius hanc legem conciliat cum l. 239. § 2. ff. *de Verb. sign.* Vide Tit. præced. N. 112.
(*b*) Is ergo donec sedem fixerit , cùm differat ab incolâ , non obnoxius est muneribus.

§ IV.

De Decurionibus eorumque liberis.

Quale Romæ discrimen fuit inter Senatorias personas & Plebeios , tale in municipiis inter Decuriones Curialisque generis personas & cæteros cives. His igitur aptari possunt regulæ quæ circa Senatores jam traditæ sunt.

Hæ præterea traduntur.

C X X X.

In filiis Decurionum quæstio est ; utrùm is solus Decurionis filius esse videatur qui conceptus & natus est ex Decurione , an verò & is qui antè natus est quàm pater Decurio fieret ? Et quidem , quantum pertinet ne fustibus castigetur , & ne in metallum detur (*a*) , non nocet Plebeio patre esse natum , si postea honor Decurionis patri eorum accesserit. *l.* 2. § 2. *ff. de Decurion.*

(*a*) Quoad hæc duntaxat , filius Decurionis habetur ; non ut muneribus Curiæ illigetur , quibus nascendo non fuit obstrictus.

C X X X I.

Neque minores viginti-quinque annis , Decuriones allegi nisi ex causâ possunt , neque hi qui annum quinquagesimum-quintum excesserunt. *l.* 11. *ff. d. tit.*

C X X X I I.

1. Spurios (*a*) posse in Ordinem allegi , nulla dubitatio est. *l.* 3. § 2. *ff. d. tit.*

2. Eos qui utensilia negotiantur & vendunt , licèt ab Ædilibus cæduntur , non oportet quasi viles personas negligi. *l.* 12. *ff. d. tit.*

3. Expertes litterarum , Decurionis munera peragere non prohibent Jura. *l.* 6. *Cod. de Decurion.*

(*a*) Limita hanc regulam & sequentem , ad eum casum quo honestiorum esset penuria. Arcentur autem prorsùs infames , item & liberti ; necnon pauperes, Tit. *de Decurion.* N. 9. 11. 12.

C X X X I I I.

Qui ad tempus Ordine removetur (*a*) ... impleto tempore Decurio est : sed &... arbitror (*post restitutionem*) eumdem ordinem tenere quem pridem habuit. *l.* 2. *pr.* & § 1. *ff. de Decurionib.*

Non idem erit in eo qui relegatus ad tempus est. Nam hic velut novus in Ordinem venit. *d.* § 1. ¶ *fin.*

(*a*) Modò non ex causâ famosi judicii : Tit. *de Decurion.* N. 33.

SECTIO IV.

De his qui in utero sunt : & cujus parentis conditionem sequantur ii qui nascuntur.

C X X X I V.

1. Qui in (*a*) utero sunt, in toto penè (*b*) Jure

(*a*) Declaratur per Regulam sequentem.
(*b*) Dicit *Penè*. Habet enim Regula exceptiones ; putà quum alienum commodum vertitur , ut explicat *Limitatio* mox subjecta. Item hoc minus habent jam nati ; ut ipsis non fiat collatio nisi postquàm nati fuerint : Tit. *de Collation.* N. 10. ut præteriti non statim infirment testamentum , sed demùm quum nascuntur : lib. 28. Tit. *de Liber & Posth.* Afferri possent & alia quædam.

Civili

Source : BIU Cujas

civili intelliguntur in rerum naturâ esse. *l.* 26. *ff. de Stat. hom.*

2. *Limitatio.* Quod dicimus eum qui nasci speratur pro superstite esse, tunc verum est quum de ipsius jure quæritur; aliis autem non prodest nisi natus (*c*). *l.* 231. *ff. de Verb. signif.* PAUL. LIB. SINGUL. AD SC. TERTYLL.

3. Antiqui libero ventri ita prospexerunt, ut in tempus nascendi omnia ei jura integra (*d*) reservarent. *l.* 3. *ff. Si pars hered. pet.*

(*c*) Putà (quæ species hujus legis est) ut mater jus Liberorum habeat.
(*d*) Putà, Jura hereditatum legitimarum vel Prætoriarum, &c.

CXXXV.

Partus antequàm edatur, mulieris portio est vel viscerum. *l.* 1. § 1. *ff. de Inspic. ventr.*

Hinc hujus nomine vir non potest habere Interdictum *de Homine libero exhibendo*, adversùs mulierem quam dicit esse prægnantem.

CXXXVI.

Cùm legitimæ nuptiæ factæ sint, patrem liberi (*a*) sequuntur. *l.* 19. *ff. de Stat. hom.*

At contrà: Lex naturæ hæc est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem (*b*) sequatur; nisi Lex specialis (*c*) aliud inducit. *l.* 24. *ff. d. tit.*

(*a*) Circa familiam, gentem, originem, dignitatem, Curialis conditionem.
(*b*) Quoad conditionem liberi aut servi, civis aut peregrini; item quoad originem; at non quoad familiam & gentem; hæc enim jura nonnisi ex legitimis conjunctionibus nascuntur.
(*c*) Ut lex *Mensia*, quæ ex alterutro peregrino natum, deterioris parentis conditionem sequi jubebat: l. 1. Tit. *de Stat. hom.* N. 39.

SECTIO V.

De Capitis diminutionibus.

CXXXVII.

Servile caput (*a*) nullum jus habet, ideò nec minui potest. *l.* 3. § 1. *ff. de Cap. min.*

(*a*) Suprà Reg. 96.

CXXXVIII.

Minima Capitis minutio, privata hominis (*a*) & familiæ ejus jura, non civitatis (*b*) amittit (*c*). *l.* 6. *ff. d. tit.*

(*a*) Putà usumfructum, civiles obligationes, &c.
(*b*) Non publicæ Jura. Manet igitur Magistratus, judex, Senator: manent etiam tutelæ, præter legitimas.
(*c*) Amittere facit.

CXXXIX.

1. Hi qui capite minuuntur, ex his causis quæ capitis deminutionem præcesserunt, manent obligati naturaliter (*a*). *l.* 2. § 2. *ff. d. tit.*

2. Eas obligationes quæ naturalem præstationem habere (*b*) intelliguntur, palàm est capitis diminutione non perire. *l.* 8. *ff. d. tit.*

3. Nemo (*c*) delictis exuitur, quamvis capite minutus sit. *l.* 2. § 3. *ff. d. tit.*

4. Capitis diminutione interveniente perseverat, *quidquid* in facto (*d*) potiùs quàm in jure consistit. *l.* 10. *ff. d. tit.*

(*a*) Per restitutionem autem in integrum (de quâ lib. 4. Tit. *de Cap. minut.*) etiam civile vinculum restituitur.
(*b*) An hoc de his duntaxat intelligendum quæ specialiter concepta sunt in id *Quod æquum & bonum est*: an, ut vult Noodt, de omnibus *Bonæ fidei* actionibus; Vide ipsum Noodt, ad Tit. *de Cap. minut.* & Cujacium Observ. VII. 11.
(*c*) Adeòque actiones ex delictis, adversùs emancipatum V. G. aut adoptatum, pergunt ipso Jure competere.
(*d*) Puta, habitatio, legatum in annos singulos, &c.

SECTIO VI.

De Postliminio, & fictione Legis Corneliæ.

§ I.

De Postliminio, & hujus effectu.

CXL.

Qui à latronibus captus est, servus latronum non est; nec postliminium illi necessarium est.

Ab hostibus autem captus (*a*)... & servus est hostium, & postliminio statum pristinum recuperat. *l.* 24. *ff. de Captiv. & postl.*

(*a*) Hic statum amittit.

CXLI.

Eos qui ab hostibus capiuntur, vel hostibus deduntur, jure postliminii reverti (*a*) antiquitùs placuit. *l.* 4. *ff. d. tit.*

(*a*) Et quidem *Captivos*, hoc ipso quòd in fines ditionis Romanæ pervenerunt; *Deditos* verò (id est quos Populus Romanus dedi hostibus jussit) ita demùm si recusantibus hostibus Populus eos recipiat: lib. 49. Tit. *de Jur. postlim.* N. 18.

CXLII.

Apud hostes susceptus filius si postliminio redierit, filii jura habet. Habere enim eum POSTLIMINIUM, nulla dubitatio est. *l.* 9. *ff. d. tit.*

CXLIII.

1. Transfugæ (*a*) nullum postliminium est. *l.* 19. § 4. *ff. de Captiv. & postl.*

2. Postliminio carent qui armis victi, hostibus se (*b*) dederunt. *l.* 17. *ff. d. tit.*

3. Nec satis est corpore domum quem rediisse, si mente (*c*) alienus est. *l.* 26. *ff. d. tit.*

(*a*) Talis est non solùm qui in bello, sed & qui per inducias ad hostes transfugit; quinetiam & is qui ad eos transfugit quibuscum nulla amicitia est.
(*b*) Sponte.
(*c*) Id est, si animum revertendi ad hostes habeat.

CXLIV.

Spem revertendi civibus, in virtute bellicâ magis quàm in pace (*a*) Romani esse voluerunt. *l.* 12. *ff. d. tit.*

(*a*) Igitur in bello capti qui tempore pacis redeunt, si non de his in pactis comprehensum est ut redirent, postliminium non habent. Hinc nec per inducias est postliminium.

CXLV.

Postliminii juris is effectus est; quòd Retrò creditur in civitate fuisse, qui ab hostibus advenit. *l.* 16. *ff. d. tit.*

Postliminium non restituit ea quæ sunt facti; putà, possessionem, & usucapionem. sup. d. l. 12. § 2.

Cætera quæ in jure sunt, posteaquàm postliminio redit, pro eo habentur (*a*) ac si nunquam iste hostium potitus fuisset. *sup. d. l.* 12. § 6.

(*a*) Ergo videtur jura civitatis aut familiæ semper retinuisse, adeòque & hereditatis legitimæ, &c. quæ etiam tempore captivitatis jure ipsi delata videtur.

Tamen Non ut pater filium, ita uxorem maritus jure postliminii recipit; sed consensu redintegratur matrimonium. *l.* 14. § 1. *ff. d. tit.*

Source : BIU Cujas

§ II.

De fictione Legis Corneliæ.

CXLVI.

In omnibus partibus Juris ; is qui reverſus non eſt ab hoſtibus, quaſi tunc deceſſiſſe creditur (*a*) quum captus eſt. *l.* 18. *ff. d. tit.*

(*a*) Id eſt, ultimo momento quo adhuc civis fuit ; nullam proindè capitis diminutionem paſſus. Hinc ejus eſſe hereditas intelligitur, ejus teſtamentum valet ; quod ſervi ejus ſtipulantur, hereditati ejus adquirunt, &c.

CAPUT SECUNDUM.

De variis qualitatibus quæ in Jure circa perſonas attenduntur.

In Jure hæ qualitates perſonarum in multis ſpectantur : ætas, quædam vitia mentis aut corporis, ſexus, nobilitas, dignitas, ignominia, profeſſio, viduitas, orbitas, numerus liberorum, &c.

ARTICULUS I.

De ætate.

§ I.

De impuberibus, infantibus, & pupillis.

CXLVII.

1. IMPUBES *eſt, quiſquis ſive puer, ſive puella, nondum pubertatem attigit. Hæc autem ex Proculeianorum ſententiâ quam Juſtinianus confirmavit, ex numero annorum æſtimatur ; ut pubes ſit maſculus qui quatuordecimum annum complevit, fœmina quæ duodecimum.*

2. Pupillus (*a*).... ſi in parentis poteſtate eſt, ne auctore quidem patre obligatur. *l.* 141. § 2. *ff. de Verb. oblig.*

3. Item impubes omnibus officiis civilibus (*b*) debet abſtinere. *l.* 2. § 1. ULP. LIB. I. AD SABIN.

(*a*) Id eſt, impubes. Sic enim quandoque latè accipitur. In ſequentibus autem regulis *Pupillus* propriè accipitur pro impubere ſui juris.

(*b*) Putà, non poteſt poſtulare, procurator in lite exiſtere ; officio libripendis aut anteſtati vel teſtis in mancipationibus fungi, &c.

CXLVIII.

1. Pupillus nec velle (*a*) nec nolle (*b*) in eâ ætate, niſi adpoſitâ tutoris auctoritate, creditur. Nam quod animi judicio fit, in eo tutoris auctoritas neceſſaria eſt. *l.* 189. (*Aliàs* 149.) CELSUS LIB. 13. DIGEST.

Igitur Pupillus pati poſſe (*c*) non intelligitur. *l.* 110. § 2. PAUL. LIB. 6. AD ED.

2. *At verò* Meliorem conditionem ſuam facere, ei etiam ſine tutoris auctoritate conceſſum eſt. *l.* 28. *ff. de Pact.*

Ex his fluit ſequens Regula.

(*a*) Hinc nec adire hereditatem, nec agnoſcere bonorum poſſeſſionem poteſt. Infrà N. 153.

(*b*) Hinc nec repudiare hereditatem, aut bonorum poſſeſſionem, aut legatum, poteſt.

(*c*) In his in quibus patiendo ſibi noceret ; ut in ſpecie legis 19. ff. *de Aq. & aq. pluv. arc.* in quâ vicinus qui paſſus eſt fieri opus ex quo aqua ipſi nocet, excluditur ab actione *Pluviæ arcendæ*. Talis patientia non poteſt objici pupillo. Eſt hæc regula corollarium præcedentis, nam *Patientia voluntatem includit.*

CXLIX.

Regula generalis.

Pupillus, quantum ad adquirendum, non indiget tutoris auctoritate.

Alienare verò nullam rem poteſt, niſi præſente tutore (*a*) auctore ; & ne quidem poſſeſſionem, quæ eſt naturalis. *l.* 11. ff. *de Adq. rer. dom.*

(*a*) Fluit etiam ex Reg. 148.

CL.

Corollarium Ium. Pupillus ex omnibus cauſis ſolvendo ſine tutotis auctoritate nihil (*a*) agit... Si tamen creditor bonâ (*b*) fide pecuniam pupilli conſumpſerit, liberabitur (*c*) pupillus. *ſup. d. l.* 9. § 2. *ff. de Auct. tut.*

Si debitor (*d*) pupillo ſolvat, neceſſaria eſt debitori tutoris auctoritas : alioquin non liberabitur. *Inſtit. Quib. alien. lic.* § 2.

(*a*) Corollarium eſt præcedentis. Cùm enim nihil alienare poſſit ; pecuniam ſuam quam in ſolutum dat, non facit accipientis ; adeòque ſolutio non valet.

(*b*) Dum ex probabili causâ putavit, aut pupillum puberem eſſe ; aut falſum aliquem tutorem, qui auctor fuit, eſſe verum tutorem.

(*c*) Conſumptio bonæ fidei reconciliat ſolutionem.

(*d*) Neque enim aliter poteſt pupillus alienare jus quo debitorem ſibi obligatum habet. Fluit pariter ex Reg. 148. Si tamen pupillus poſtquàm utiliter impendiſſet pecuniam ſibi ſolutam, rursùs eam peteret, exceptione *Doli* excluderetur per Reg. 26. ſuprà.

CLI.

Corollarium IIum. Obligari ex omni contractu pupillus ſine tutoris auctoritate non poteſt. *ſup. d. l.* 9. *pr. ff. de Auct. tut.*

V. G. Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, ne quidem Jure naturali obligatur. *l.* 59. *ff. de Oblig. & act.*

Naturaliter tamen obligabitur, in quantum locupletior (*a*) factus eſt. *l.* 5. *ff. de Auct. tut.*

(*a*) Et ex hâc naturali obligatione quæ fluit ex Reg. 26. ſuprà, Divus Pius in pupillos actionem dedit.

CLII.

Corollarium IIIum. In his cauſis ex quibus obligationes mutuæ naſcuntur..... ſi tutoris auctoritas non interveniat ; ipſi quidem qui cum his contrahunt, obligantur ; at invicem pupilli non obligantur. *Inſtit. de Auct. tut. in pr.*

CLIII.

Corollarium IVum. Hereditatem (*a*) adire pupillus ſine tutoris auctoritate non poteſt ; quamvis lucroſa ſit, nec ullum habeat damnum. *l.* 9. § 3. *ff. de Auct. tut.*

(*a*) Eſt exceptio primæ partis regulæ 149. Hujus exceptionis ratio fluit ex Regulâ 151. aditione enim hereditatis obligamur creditoribus hereditariis.

CLIV.

Malitia (*a*) ſupplet ætatem. *l.* 3. *Cod. Si min. ſe maj. Hinc dicendum eſt* Pupillum (*b*) qui proximus (*c*)

(*a*) Et hîc quoque exceptio eſt Reg. 148. ſuprà, ut ex dolo ſuo pupillus obligetur civiliter.

(*b*) Conſonat præcedenti, & ex eà fluit.

(*c*) Quis autem proximus pubertati ? An, ut putat Accurſius, qui decimum annum & dimidiam partem undecimi exceſſit ? Is quidem propiùs ad pubertatem accedit, quàm ad infantiam quæ anno 7°. concluditur : ſed non ideò *Proximus pubertati* dicendus eſt. An, ut quidam putant, is cui pauci dies ; an, ut alii, is cui ſemeſtre tempus ad pubertatem deeſt ? An maſculus qui duodecimum annum attigit, auctore Servio ; qui ad illum Virgilii verſum, *Eclog.* VIII. *Alter ab undecimo jam tum me teperat annus* notat deſcribi ex aliquo Juriſconſulto *Vicinum pubertati* ? An denique totum hoc arbitrio judicis committitur, qui ex circumſtantiis æſtimet an malitia ætatem anteceſſerit ?

Source : BIU Cujas

pubertati sit, capacem esse & furandi, & injuriæ faciendæ. *l.* 111. GAIUS LIB. 2. AD ED. PROVINC.

CLV.

Infans possidere rectè potest, si tutore auctore cœpit: nam judicium infantis suppletur auctoritate tutoris (*a*).

Pupillus (*b*), etiam sine tutoris auctoritate possessionem nanciscì potest. *l.* 32. §. 2. *ff. de Acquir. possess.*

Furiosus & pupillus (*c*) sine tutoris auctoritate non potest incipere possidere; quia affectionem tenendi non habent, licèt maximè corpore suo rem contingant. *l.* 1. § 3. *ff. d. tit.*

Sunt & alia jura impuberibus propria, de quibus in decursu; putà ut ipsis re ipsâ mora fiat; ut res eorum non usucapiantur, item circa eorum arrogationes, &c.

(*a*) Et hâc in re plus conceditur *Infanti* quàm furioso.
(*b*) Si tamen ejus ætatis est, ut intelligat quid agat.
(*c*) Intellige de infante, qui nondum ejus ætatis est ut intelligat quid agat.

§ II.

De puberibus minoribus viginti-quinque annis.

CLVI.

Puberes (*a*) sine curatoribus suis possunt ex stipulatu obligari. *l.* 102. *ff. de Verb. oblig.*

Minoribus viginti-quinque annis hæc peculiaria jura sunt; ut, si velint, curatores accipiant; ut, quum in captionem inciderunt, Prætor auxilium restitutionis eis tribuat; ut in multis eis ignoscatur, de quibus passim in decursu; ut quorumdam munerum capaces non sint.

(*a*) Vide Notas ad hanc legem, lib. 45. Tit. *de Verb. oblig.* N. 18.

§ III.

De Ætate senili.

CLVII.

Semper in civitate nostrâ senectus venerabilis fuit. *l.* 5. *ff. de Jur. immun.*

Hinc immunitates quas ætas major septuaginta annis à tutelis & muneribus publicis, ætas quinquaginta-quinque annis à Decurionatu tribuit.

ARTICULUS II.

De quibusdam vitiis mentis & corporis, quæ in Jure circa personas attenduntur.

§ I.

De Furiosis.

CLVIII.

Furiosi voluntas nulla est. *l.* 47. *ff. de Acquir. hered.*

Furiosus igitur capax non est omnium in quibus voluntate opus est; contractuum, testamentorum, delictorum, &c.

CLIX.

In negotiis contrahendis alia causa habita est furiosorum; alia eorum qui fari possunt, quamvis actum non intelligerent. Nam furiosus nullum negotium contrahere (*a*) potest; pupillus omnia tutore auctore agere (*b*) potest. *l.* 5. PAUL. LIB. 2. AD SABIN.

(*a*) Non potest igitur adire hereditatem, aut petere bonorum possessionem, imò nec stipulari, aut per traditionem acquirere.
(*b*) Benignè receptum est favore pupillorum; ut quod eorum judicio deest, suppleat tutoris auctoritas.

CLX.

Ex quibus causis ignorantibus nobis actiones adquiruntur, ex iisdem etiam furiosi nomine incipit agi posse. *l.* 24. *ff. de Obl. & act.*

CLXI.

Impunè puto admittendum quod per furorem alicujus accidit; quomodo si casu aliquo, sine facto personæ, id accidisset. *l. fin.* ¶ *fin. ff. de Admin. tut.*

Nam sufficere furore ipso eum puniri. *l.* 3. *ff. de L. Pomp. de Parricid.*

Furiosis hæc peculiaria; ut curatores eis tribuantur; ut Decretalis bonorum possessio eis detur donec resipiscant, vice ejus quam non possunt agnoscere, &c.

§ III.

De Prodigis.

CLXII.

Lege Duodecim Tabularum, prodigo interdicitur bonorum suorum administratio. *l.* 1. *ff. de Curat. fur.*

CLXIII.

Furiosi, vel ejus cui bonis interdictum sit, nulla (*a*) voluntas est. *l.* 40. PAUL. LIB. 34. AD SABIN.

(*a*) Ita tamen de prodigo hoc verum est, si suam conditionem faciat deteriorem; non si meliorem. Et in hoc prodigus à furioso differt. Vide Reg. seq.

CLXIV.

Is cui bonis interdictum est, stipulando sibi acquirit; tradere verò non potest vel promittendo obligari. *l.* 6. *ff. de Verb. oblig.*

§ IV.

De surdis, mutis, & aliis quibusdam corporis vitiis.

CLXV.

Ubi (*a*) non voce, sed præsentiâ opus est; mutus si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo: hic quidem & respondere potest. Furiosus absentis loco (*b*) est, & ita Pomponius libro primo Epistolarum scribit. *l.* 124. (*Aliàs* 166.) PAUL. LIB. 16. AD ED.

(*a*) Differentia hìc affertur inter mutum, surdum & furiosum. In his quidem actibus in quibus *Voce opus est*, scilicet in quibus verborum solemnitas est ex substantiâ actûs; patet mutum surdum-ve intervenire non posse; putà in stipulationibus. Hinc arbiter esse non potest, l. 9. § 1. ff. *de Recept.* nec judex, l. 12. § 2. ff. *de Judic.* nec tutor. l. 3. ff. *de Auct. tut.* non potest Hereditatem cernere, testamentum facere & in testamento testis esse: lib. 28. Tit. *Qui testam fac.* Verùm in his actibus in quibus non verbis, sed solâ *Præsentiâ opus est*, non quidem corporis duntaxat, sed etiam animi & intellectûs; mutus surdus ve intervenire possunt; putà, Pro herede gerendo, paciscendo, contrahendo: quinetiam & mutus in judicio consistere potest, ut constat ex l. 29. § fin. ff. *Comm. divid.* licèt enim litigatores ad certas interrogationes quæ in Jure fiebant, respondere tenerentur; tamen cùm in hâc responsione nulla versetur verborum solemnitas, mutus qui audit & intelligit id de quo interrogatur, potest responsionem suam aut nutu aut scripto significare, & sic *videri respondere*: & pariter surdus, licèt id de quo interrogatur, audire non possit, tamen cùm hoc sive nutu sive scripto ei significari possit, & hìc etiam potest *respondere*. Hanc propriè esse hujus legis speciem (quamvis cæteris quibuscumque negotiis aptetur) apparet, tum ex hoc verbo *respondere*, tum quòd Paulus in libro undè desumpta est, videatur incepisse agere de judiciis, ut ex serie librorum ejus AD EDICTUM in Labitti Indice colligi potest.
(*b*) Etsi enim præsentiam corporis, at præsentiam animi & intellectûs quæ in negotiis agendis requiritur, furiosus habere non potest. Et hoc sensu *absentis loco est*, eâque in re differt à mutis & surdis qui intellectum habent. Hinc V. G. sententia arbitri non videtur dicta coram litigatoribus, si alteruter erat furiosus: lib. 9. Tit. *de Receptis* N. 44. hinc quibus casibus permittitur filio agere cùm pater abest, permitti ei debet & quum furiosus est: lib. 5. Tit. *de Judiciis* N. 18. & 19. lib. 24. Tit. *de solut. matrim.* N. 10. Possunt fingi multa alia exempla. Vide Cujacium ad *h. l.* & Tit. præced. in Verb. *CORAM.*

CXLVI.

Celsus ... utilitatis gratiâ motus, surdum ita natum manumittere posse ait. *l.* 1. *ff. Qui & à quib. manum.*

Hìc continetur exceptio ejus quod modò dictum est, mutos non posse intervenire his actibus in quibus verba solemnia desiderantur. Surdo enim *ita nato*, qui proindè mutus quoque est, remittitur verborum solemnitas; ut VINDICTA (de eâ enim specie manumissionis hæc lex intelligenda est) manumittere possit: *utilitatis gratiâ* scilicet, id est favore libertatis: suprà Reg. 91.

Source : BIU Cujas

CLXVII.

Mutus & ſurdus per eum modum qui procedere poteſt, procuratorem dare non prohibetur. Fortaſsè & ipſi dantur; non quidem ad agendum, ſed ad adminiſtrandum. *l.* 43. *ff. de Procurat.*

Quædam etiam alia corporis vitia in Jure circa perſonas attenduntur. V. G. Eunuchus nec nuptias contrahere, nec adoptare poteſt. Cæcus poſtulare niſi pro ſe non poteſt, & peculiaris forma circa ejus teſtamentum præſcripta eſt; &c.

ARTICULUS III.

De ſexu.

§ I.

De Jure mulieribus proprio, & SCto Velleiano.

CLXVIII.

In multis Juris noſtri articulis, deterior eſt conditio fœminarum quàm maſculorum. *l.* 9. *ff. de Stat. hom.*

Hæc regula declaratur per ſequentes.

Et 1°. Nulla fœmina aut habet ſuos heredes (*a*), aut deſinere habere poteſt. *l.* 13. *ff. de Suis & leg. her.*

2°. Fœminæ ab omnibus officiis civilibus (*b*) vel publicis remotæ ſunt; & ideò, nec judices eſſe poſſunt nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire (*c*), nec procuratores (*d*) exſiſtere. *l.* 2. ULP. LIB. 1. AD SABIN.

Enimverò Moribus civilia officia adempta ſunt fœminis. *l.* 1. § 1. *ff. ad SCtum Velleian.*

(*a*) Cùm liberi ſint in poteſtate patris, non matris.

(*b*) CIVILIA *officia* Gothofredus hìc appellari cenſet: quæcumque, ſive publica ſunt, id eſt publicâ auctoritate geruntur, quorum duo exempla refert. *Judicare*, & *magiſtratum gerere*; ſive etiam città publicam auctoritatem in civitatis judiciorum conſpectu, aut ſaltem in aliquo virorum conventu peraguntur, ut poſtulare, ſponſorem & procuratorem in judiciis exiſtere. Cujus Regulæ ratio petenda ex verecundiâ ſexûs matronalis, quæ non permittit eas ſe virorum immiſcere cœtibus: l. 21. Cod. *de Procurat.* Indè eſt etiam quòd fœminæ in teſtamentis & mancipationibus nec teſtes nec libripendes eſſe poſſunt: quæ propriè eſt hujuſce legis ſpecies, ut jam ſuprà notavimus ad §*um.* 1*um.* h. l. circa impuberes, ſuprà N. 147.

(*c*) In judiciis ſcilicet. Aliâ ratione, pro aliis obligari non poſſunt: infrà N. ſeq.

(*d*) In judiciis; *Ad negotium* enim fœminam procurare poſſe conſtat ex l. 10. § 6. ff. *Mandati*, & paſſim.

CLXIX.

Peculiare etiam fœminis eſt, quòd Velleiano SCto pleniſſimè comprehenſum eſt, ne pro ullo fœminæ intercederent. *l.* 1. *ff. d. tit. ad SC. Velleian.*

Senatuſconſultum locum habet; ſive eam obligationem quæ in alterius perſonâ conſtitit, mulier in ſe tranſtulit (*a*), vel participavit (*b*); ſive quum alius pecuniam acciperet, ipſa ſe ab initio ream conſtituit.

Quod & in rerum earum habitis pro aliis obligationibus (*c*) admiſſum eſt. *l.* 4. *Cod. ad SC. Vell.*

(*a*) Expromittendo quod alter debebat.

(*b*) Fidejubendo; item defendendo, in Jure reſpondendo: Tit. *ad SC. Vell.* N. 5.

(*c*) Id eſt, ut non poſſint pro aliis obligare res ſuas.

CLXX.

1. Intercedere mulierem intelligendum eſt, etiam pro eo qui obligari non poſſit. *l.* 32. § 5. *ff. d. tit.*

2. Neque maritum, neque filium, neque patrem, permittitur mulieri defendere. *l.* 2. § *fin. ff. d. tit.*

3. Si apud Minorem mulier pro alio interceſſerit, non eſt ei actio in mulierem (*a*) danda. *l.* 12. *ff. de Minorib.*

(*a*) Hoc ita, ſi prior debitor ſolvendo ſit: d. l.

CLXXI.

Ea quæ in fraudem Senatuſconſulti, quod de intercеſſione fœminarum factum eſt, excogitata (*a*) probari poſſunt, rata haberi non oportere. *l.* 29. § 1. *ff. ad SC. Vell.*

(*a*) Duplex talis fraudis ſpecies. 1*a*. Quum mulier, ne ipſa intercederet, alii mandavit ut intercederet: quo caſu denegatur actio creditori ſi ſcivit, adversùs hunc interceſſorem: ſi ignoravit, non denegatur; ſed huic interceſſori non datur actio *Mandati* adversùs mulierem. 2*a*. Fraudis ſpecies, quum mulier perſonam ſuam interponit; ut vice ejus pro quo vult intercedere, contrahere videatur cum creditore fraudis conſcio. Non autem eſt fraus ex eo ſolo quòd mulier contrahat ut donet alteri qui ipſe non erat contracturus: infrà, Reg. 173.

CLXXII.

Senatus obligatæ mulieri ſuccurrere voluit, non donanti (*a*). *l.* 4. § 1. *ff. d. tit.*

Mulieribus tunc ſuccurrendum eſt quum defenduntur (*Aliàs* defraudantur) non ut faciliùs calumnientur (*b*). *l.* 110. § *fin.* PAUL. LIB. 6. AD ED.

Et Decipientibus mulieribus SCtum auxilio non eſt. Infirmitas enim fœminarum, non calliditas, auxilium meruit. *l.* 2. § 3. *ff. ad SC. Velleian.*

(*a*) Quia difficiliùs donant quàm ſe obligant.

(*b*) Ut ſi res mulieris, ipſius voluntate, ſuas illas eſſe dolosè diſſimulantis quis obligaverit velut proprias.

CLXXIII.

Si mulier tanquam in uſus ſuos pecuniam acceperit, alii creditura; non eſt locus SCto. Alioquin nemo cum fœminis contrahet, quia ignorari poteſt quid acturæ ſint. *l.* 11. *ff. d. tit.*

Si pro aliquo mulier interceſſerit, ſed in rem ejus quod acceptum eſt, verſaretur (*a*); exceptio Senatuſconſulti locum non habet; quia non fit pauperior (*b*). *l.* 21. *ff. d. tit.*

Mulier non adjuvatur hoc Senatuſconſulto ... quum primâ facie quidem alienam, reverâ autem ſuam obligationem ſuſcipiat. *l.* 13. *ff. d. tit.*

Ceſſabat etiam Velleianum, ſi mulier in judicio expreſsè caviſſet ſe non uſuram. Plures alios caſus addidit Juſtinianus: l. 22. l. 23. l. pen. & l. fin. Cod. h. tit.

(a) Putà ſi defendit eum qui adversùs eam habet regreſſum, vel ſi expromiſit pro creditore ſuo ut ab ipſo liberetur. Imò ex Sententiâ Marcelli, ut Velleianum ceſſet, ſufficit mulierem probabiliter exiſtimaſſe, ſe negotium ſuum gerere intercedendo, quamvis non gereret; putà ſe debitricem eſſe ejus pro quo expromittebat, quum non eſſet. Item ſufficit eam feciſſe officii pietatis implendi causâ. *d. tit.* N. 28.

(*b*) Eâdem ratione ceſſat; ſi mulier ex poſtfacto indemnis facta eſt ab eo pro quo fidejuſſit.

CLXXIV.

1. Heredes quoque mulieris.... eâdem exceptione quæ ex Senatuſconſulto introducta eſt uti poſſe, dubium non eſt. *l.* 20. *Cod. d. tit.*

2. Eâdemque exceptione fidejuſſorem (*a*) ejus uti poſſe, Juris auctoritas probat. *l.* 14. *Cod. d. tit.*

3. Interdum (*b*) intercedenti mulieri & Condictio competit. *l.* 8. § 3. *ff. d. tit.*

(*a*) An etiam eum qui donandi causâ fidejuſſiſſet, lis fuit inter Juriſconſultos; l. 16. § ff. 1. *d. tit.*

(*b*) Scilicet quum per errorem Juris ſolvit. Secùs in Macedoniano, ſuprà N. 117. Reg. 3. Diſparitas eſt quòd Velleianum favore mulierum factum ſit; Macedonianum, non tam favore filiorumfamilias, quàm odio creditoris.

CLXXV.

Æquum viſum eſt ita mulieri ſuccurri, ut in veterem debitorem (*a*), aut in eum qui pro ſe conſtituiſſet mulierem ream, actio (*b*) daretur. Magis enim ille quàm creditor, mulierem decepit. *l.* 1. § 2. ff. *d. tit.*

Igitur Cùm mulieris perſona ſubtrahatur creditori propter Senatuſconſultum, integra cauſa priſtina reſtituenda eſt. *l.* 14. ff. *d. tit.*

(*a*) Et ejus fidejuſſores, correos, &c.

(*b*) Qualis erat, aut futura fuiſſet.

Source : BIU Cujas

§ II.

Discrimen inter fœminas ac Minores.

CLXXVI.

1°. Juris error nec fœminis in compendiis (*a*) prodest. *l.* 8. ff. *de Jur. & fact.*

2°. Nec loco minoris viginti-quinque annis circumscripti, per omnia (*b*) habenda est mulier. *l.* 32. ff. *ad SC. Velleian.*

(*a*) Et hâc in re à Minoribus differunt, qui etiam in lucris restituuntur. Cæterùm hoc cum Minoribus commune habent; ut in delictis, facilè is error præsumatur in mulieribus quemadmodum in Minoribus, & ex hâc causâ eis parcatur.
(*b*) Minor enim ex eo solo quòd in aliquo quocumque negotio captus sit, restituitur. Mulier, non item.

§ III.

De Hermaphroditis.

CLXXVII.

Hermaphroditum .... magis puto ejus sexûs æstimandum qui in eo prævalet. *l.* 10. *ff. de Statu hom.*

ARTICULUS IV.

De Dignitate, Honestate, Infamiâ, Turpitudine, Professione, Cœlibatu, &c.

§ I.

De Dignitate & honestate.

CLXXVIII.

Attenditur in personis dignitas, putà Senatoria, Curialis, de quibus suprà. Ad dignitatem pertinent tituli, putà titulus SPECIOSÆ, Clarissimæ, Illustris *personæ.*

Hi etiam mulieribus communes sunt, sive ex origine, sive ex justis nuptiis quæsiti. Nam Mulieres honore maritorum erigimus (*a*) & genere nobilitamus. *l. un. Cod. de Incolis.*

Cæterùm in pari dignitatis causâ, Major dignitas est in sexu virili (*b*). *l.* 1. *ff. de Senat.*

(*a*) Quandiù nuptæ sunt, aut alteri non nubunt.
(*b*) Hinc vir Præfectorius anteit fœminam Præfectoriam, imò & Consularem. d. l.

CLXXIX.

Valde etiam circa personas spectatur in Jure honestas, putà in testimoniis, in muneribus, in connubiis, in injuriarum æstimatione, &c.

§ II.

De Infamiâ Juris.

CLXXX.

1. Factum (*a*) Lex, non Sententiam notat. *l.* 43. § 12. *ff. de Rit. nupt.*

2. Non est ignoscendum ei quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam egit. *l.* 43. § 5. *ff. de Rit. nupt.*

3. Non aboletur turpitudo quæ postea intermissa est. *d. l.* 43. § 4.

(*a*) Hinc mulier in adulterio deprehensa, quamvis non damnata, jam infamis est. Sic & ex Edicto Prætoris, solo facto infames sunt, leno, is qui in scenam prodiit, bigamus, mulier quæ intrà annum luctûs nupsit, vir qui sciens eam duxit, pater qui eam nuptui tradidit.

CLXXXI.

1. Infamem non ex omni crimine Sententia facit; sed ex eo quod publici judicii causam habuit; aut si crimen ex hâc causâ descendat, quæ etiam ex privato judicio infamiam condemnato importet. *l.* 7. *ff. de Publ. jud.*

2. Cessat ignominia in Condictionibus, quamvis ex famosis causis (*a*) pendeant. *l.* 36. *ff. de Oblig. & act.*

3. *Ex his pariter*; Contrario judicio damnatus, non erit infamis. *l.* 6. § *fin. ff. d. tit.*

Item Si quis alieno (*b*) nomine condemnatus fuerit, non laborat infamiâ (*c*). *d. l.* 6. § 2.

4. Ex compromisso arbiter, infamiam non facit. *l.* 13. §. 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Putà, in Condictione furtivâ.
(*b*) Putà hereditario, item procuratorio.
(*c*) Nec is cujus nomine damnatur, cùm ipse non fit damnatus.

CLXXXII.

1. Intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur (*a*). *l.* 5. *ff. de His qui not. infam.*

2. In actionibus quæ ex contractu proficiscuntur, licèt famosæ (*b*) sint, & damnati notentur; attamen pactus non notatur. *l.* 7. *ff. de His qui not. infam.*

(*a*) Scilicet qui pretio dato, de pœnâ alicujus delicti famosi, putà *Furti* transigit; perinde infamis est ac si ex hâc causâ damnatus esset.
(*b*) Quales sunt actiones directæ *Mandati, Depositi, Pro socio*, & *Tutelæ*; quum quis his actionibus ex dolo damnatur.

CLXXXIII.

1. Pœna gravior (*a*) ultra Legem imposita, existimationem conservat. *l.* 13. ff. *d. tit.*

2. Ictus fustium (*b*) infamiam non irrogat, sed causa propter quam id pati meruit. *l.* 22. *ff. d. tit.*

3. Mulcta (*c*) damnum famæ non irrogat. *l.* 1. *Cod. de Mod. mulct.*

(*a*) Non pecuniaria.
(*b*) Idem dic de quâvis aliâ pœnâ.
(*c*) Idem sensus ac præcedentis.

§ III.

De infamiâ Facti.

CLXXXIV.

1°. *Qui actione aliquâ famosâ per procuratorem damnati sunt*; Licèt verbis Edicti non habeantur infames, ita condemnati (*a*); re tamen ipsâ & opinione hominum non effugiunt infamiæ notam. *l.* 2. *ff. de Obs. par. & patr.*

2°. *Tali etiam facti infamiâ laborant, mulieres quæ palàm corpore suo quæstum faciunt.*

Palàm quæstum facere dicemus, non tantùm eam quæ in lupanario se prostituit; verùm etiam si qua (ut adsolet) in tabernâ cauponiâ, vel qua alia pudori suo non parcit. *l.* 43. *ff. de Ritu nupt.*

3°. *Delatores. At* Delationes suscipientium fama non læditur.... eorum qui non præmii consequendi, item eorum qui ulciscendi gratiâ (*b*) adversarium suum deferunt. *l.* 2. *ff. de Jur. fisc.*

Item Neminem sequitur infamia, ob defensa (*c*) publica negotia patriæ suæ. *l.* 9. *Cod. Ex quib. caus. infam.*

(*a*) Quia proprièe non sunt condemnati, hi quorum procuratores soli condemnati sunt.
(*b*) Protegendæ causæ suæ gratiâ.
(*c*) Ut quum quis ex officio muneris sui aliquem defert.

CLXXXV.

Crimen vel pœna paterna, nullam maculam filio infligere potest. *l.* 26. *ff. de Pœnis.*

§ IV.

De Professione, & maximè de Militiâ.

Valdè etiam in personis professionem Jura considerant. Sic

Source : BIU Cujas

professio liberalium artium, medicinæ, certarum negotiationum, consideratur circa vacationem à tutelis & muneribus publicis. Maximè autem consideratur professio militiæ: multa enim propria sunt militibus jura; putà circa judicia, ut proprios judices habeant & præscriptione FORI *gaudeant, ut non ultrà quod facere possunt exigantur; in criminalibus causis, ut tormentis & plebeiorum pœnis non subjiciantur; circa commercia, ut in eis ignorantia Juris excusetur; circa ultimas eorum voluntates, ut Juris Civilis subtilitatibus non sint obnoxiæ.*

CLXXXVI.

Veteranis & liberis veteranorum idem honor habetur qui & Decurionibus. *l.* 3. *ff. de Veteran.*

Hoc honore & cæteris veteranorum privilegiis privantur, qui latrociniis se dederunt. l. 3. Cod. d. tit.

§ V.

De Cœlibatu, orbitate, numero liberorum.

Considerabatur etiam in personis, Lege Juliâ & Papiâ, Cœlibatus & orbitas quibus certæ pœnæ, item numerus liberorum cui præmia decreta erant. De quibus vide lib. 1. *Tit.* de Statu hom. *& ad Titulos* de Legatis *Part.* 4ª.

CAPUT TERTIUM.

De variis juribus in personas.

Hæc præcipua distingui possunt; Potestas, sive dominica sive patria; jus Patronatûs, Tutela & Cura.

SECTIO I.

De Dominicâ & patriâ potestate, & aliis juribus dominicæ potestati affinibus.

ARTICULUS I.

In quas personas obtineant Dominica aut patria potestas, & in quo consistant.

§ I.

De dominicâ potestate.

CLXXXVII.

1. Apud omnes peræquè gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ necique potestatem fuisse. *l.* 1. § 1. *ff. de His qui sui vel al.*

2. Sed hoc tempore nullis hominibus qui sub Imperio Romano sunt, licet supra modum & sine causâ Legibus cognitâ in servos suos sævire. *d. l.* 1. § 2.

§ II.

De patriâ potestate.

CLXXXVIII.

1. Qui ex me & uxore (*a*) meâ nascitur (*b*), in meâ potestate (*c*) est. Item qui ex filio (*d*) meo & uxore ejus nascitur, id est nepos (*e*) meus & neptis, æquè in meâ sunt potestate; & pronepos & proneptis, & deinceps cæteri. *l.* 4. ¶ *nam qui. ff. d. tit.*

2. Nepotes ex filio, mortuo avo, recidere solent in filii (*f*) potestatem, hoc est, patris sui. *l.* 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Justâ.
(*b*) Aut per adoptionem fingitur natus.
(*c*) Nisi ipse sim in patriâ potestate: hoc enim casu, non in mea, sed in cujus & ipse sum potestate nascitur. Reg. seq.
(*d*) Secùs si ex filiâ.
(*e*) Idem de pronepote, & deinceps.
(*f*) Nisi filius per capitis diminutionem saltem minimam, exierit è familiâ.

CLXXXIX.

Potestas patria inæstimabilis est. *l.* 114. § 8. *ff. de Legatis.* 1°.

Id est, pecuniâ lui & æstimari non potest. Ex quo in h. l. colligitur, non posse quem gravari fideicommisso emancipandi liberos suos.

CXC.

Patria potestas in pietate debet, non atrocitate consistere. *l.* 5. *ff. de L. Pomp. de Parric.*

CXCI.

Libertati à Majoribus tantum impensum est, ut patribus quibus jus vitæ in liberos necisque potestas olim erat permissa, libertatem (*a*) eripere non liceret. *l.* 10. *Cod. de Patr. potest.*

Corollarium. Liberos à parentibus neque venditionis (*b*) neque donationis titulo, neque pignoris jure, aut alio quolibet modo, nec sub prætextu ignorantiæ accipientis, in alium transferri posse, manifestimi Juris est. *l.* 1. *Cod. de Patrib. qui fil. suos distr.*

(*a*) Poterant tamen olim vendi, sed emptori serviebant salvo libertatis & ingenuitatis statu. Vide lib. 1. Tit. *de His qui sui &c.* N. 16.
(*b*) Hoc tamen uno casu permittitur; scilicet ut in extremâ necessitate positus pater possit recens natum vendere.

§ III.

Regula communis patriæ & Dominicæ potestati.

CXCII.

Melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest. *l.* 133. [*Aliàs* 175.] GAIUS LIB. 8. AD ED. PROVINC.

Quod porrò de servis dicitur, idem de filiisfamiliàs dictum puta; cùm sit eadem ratio (*a*).

(*a*) *Melior* sive per servos sive per filios *conditio nostra fieri potest*; si quidem per illos adquirimus, infrà §°. seq. *Deterior non potest*; nec enim nos illi obligare, aut res nostras alienare valent: exceptio tamen, quòd *Noxaliter* ex delicto servorum teneamur; item quòd jure Prætorio, ex contractu aut quasi-contractu tam filiorum quàm servorum nostrorum, *De peculio* obligamur.

§ IV.

De effectu præcipuo tam patriæ quàm Dominicæ potestatis; ut quidquid per eum qui in alienâ potestate est adquiritur, non ipsi, sed ei in cujus potestate est adquiratur.

CXCIII.

Qui (*a*) in potestate alterius est, nihil suum habere potest. *l.* 10. § 1. *ff. de Acq. rer. dom.*

Corollarium.

Servus licèt in libertate moretur, nihil possidet (*b*). *l.* 31. § 2. *ff. de Usucap.*

(*a*) Unicam hæc regula exceptionem patiebatur; scilicet circa peculium castrense filiorumfamilias, de quo infrà Art. fin. hujus Sect.
(*b*) Naturaliter quidem tenet, sed possessio quatenùs juris est, penès ipsum non est.

Source : BIU Cujas

Pariter Filiusfamilias neque retinere neque recuperare neque adipiſci poſſeſſionem rei peculiaris (*b*) videtur. *l.* 93. MÆCIAN. LIB. I. FIDEIC.

Placet, quoties adquiritur per aliquem hereditas vel quid aliud, ei cujus quis in poteſtate eſt confeſtim adquiri ... nec momento aliquo ſubſiſtere in perſonâ ejus per quem adquiritur. *l.* 79. *ff. de Acq. hered.*

Quod ſervus ſtipulatus eſt quem dominus pro derelicto habebat, nullius eſt momenti (*c*). *l.* 36. *ff. de Stip. ſerv.*

Si ſervus 6ereditarius (*d*) ſtipulatus (*e*) ſit; nullam vim habitura eſt ſtipulatio, niſi adita hereditas ſit, quaſi conditionem (*f*) habeat. Idem eſt (*g*) & in ſervo ejus qui apud hoſtes eſt. *l.* 73. § 1. *ff. de Verb. oblig.*

(*a*) Rem quidem naturaliter tenere poſſunt filiusfamilias aut ſervus: ſed rei quam tenent, poſſeſſionem (quatenùs aliquid juris ea poſſeſſio habet) non ſibi, cùm nil ſuum habere poſſint, ſed patri aut domino retinent, recuperant, aut adipiſcuntur.

(*c*) Nec enim ipſi, cùm pro nullo habeatur, jus quæri poteſt; nec domino, cùm dominum ſervus ille non habeat.

(*d*) Id eſt, hereditatis alterius jacentis.

(*e*) Idem de quovis alio contractu dictum puta.

(*f*) Hanc ſcilicet, *ſi adita fuerit hereditas*. Niſi enim fuerit adita, nulla erit domini perſona cui ſervus adquirere jus ex hoc contractu potuerit, adeòque irritus fiet contractus. Patet hanc regulam fluere ex præcedentibus.

(*g*) Ut pariter pendeat contractus; ut, ſi redierit dominus ejus, ipſi; ſi apud hoſtes deceſſerit, & adita ex Lege Corneliâ fuerit ejus hereditas, ejus heredi adquiſierit ſervus; ſin adita non fuerit, irritus ſit contractus. Sed & aditâ etiam hereditate, irritus erit, niſi ſibi aut imperſonaliter (non ſi *Domino*) ſtipulatus fuerit.

CXCIV.

Sive mihi ſive ſibi (*a*) ſive conſervo ſuo ſive imperſonaliter dari ſervus meus ſtipuletur, mihi adquiret. *l.* 15. *ff. de Stipul. ſerv.*

(*a*) Si tamen ea eſſent quæ nonniſi ex perſonâ domini poſſent conſiſtere, ut ſi operas à liberto domini ſtipularetur; hæc ſtipulatio valere non poteſt niſi aut Domino aut imperſonaliter ſtipuletur.

CXCV.

Etiam invitis (*a*) nobis per ſervos vel filios adquiritur, penè (*b*) ex omnibus cauſis. *l.* 32. *ff. d. tit.*

(*a*) Id eſt, citra noſtram voluntatem.

(*b*) Dicit *pene*: Nam hereditatem nonniſi ex juſſu noſtro nobis adquirunt.

CXCVI.

Quæ facti ſunt, non tranſeunt ad dominum. *l.* 44. *ff. de Condit. & demonſtr.*

Hinc (quæ ſpecies hujus legis eſt) conditio dandi ſervo, in perſona ipſiuſmet ſervi, non domini implenda eſt. Hinc ſi ſervus ſtipulatus eſt *Sibi* ire licere, actio quidem domino adquiritur; ſed ut ſuo ſervo, non ut ſibi ire liceat. Idem dic de facto *Electionis*.

CXCVII.

Non ſolùm proprietas per eos quos in poteſtate habemus adquiritur nobis, ſed etiam poſſeſſio (*a*). *l.* 10. § 2. *ff. de Adquir. rer. dom.*

Adquirimus poſſeſſionem per ſervum, aut filium qui in poteſtate eſt; & quidem earum rerum quas peculiariter tenent, etiam ignorantes (*b*). *l.* 1. § 5. *ff. de Adquir. poſſ.*

Is qui in tuâ poteſtate eſt, ignoranti tibi, non corporalem poſſeſſionem, ſed juſtam (*c*) poteſt adquirere. *l.* 24. *ff. d. tit.*

(*a*) De quâ magis dubium, propter Regulam præced. At ratio decidendi, quòd poſſeſſio multùm juris habet.

(*b*) Vide rationem, d. tit. *de Acq. poſſ.* N. 25. cum Notis.

(*c*) Nam quod injuſtè tenet, non eſt in peculio. Qui enim ipſi permittit habere peculium, non permittit ei ut quid injuſtè occupet.

CXCVIII.

1. Quicquid filius peculiari nomine apprehenderit, id ſtatim pater ejus poſſidet, quamvis ignoret in ſuâ poteſtate filium: ampliùs, etiamſi filius ab alio tanquam ſervus poſſideatur. *l.* 4. *ff. d. tit.*

2. *Poſſeſſionem* Nec vero domino (*a*) aut ſibi (*b*) acquiret, qui ab alio poſſidetur. *l.* 1. § 6. *ff. d. tit.*

At Per ſervum in fugâ agentem, ſi neque ab alio poſſideatur, neque ſe liberum eſſe credat; Poſſeſſio (*c*) nobis adquiritur. *l.* 50. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Si ſervus ſit: & hâc in re differt dominus à patre. Vide rationem diſparitatis, d. tit. N. 26. in Notis.

(*b*) Si liber eſt.

(*c*) Nam extra eos caſus, eum poſſidere adhuc intelligimur.

CXCIX.

1. Veteres putaverunt, Non poſſe nos per ſervum hereditarium (*a*) adquirere quod ſit ejuſdem herediratis. *l.* 1. § 16. *ff. d. tit.*

2. Si plures ſervi legati ſint.... empti vel donati... verius eſt poſſe me per unum, reliquorum adquirere poſſeſſionem. *d.* § 16.

(*a*) Qui duntaxat ex causâ hereditariâ noſter ſit; ſecùs, ſi pro aliquâ parte noſter ſit ex aliâ causâ.

§ IV.

De Jure adquirendi per ſervos communes.

CC.

Si ſervus plurium ſit, pro dominii portione.... adquiret. *l.* 50. ff. *de Legatis* 1°.

CCI.

Communis ſervus ſi ex re alterius dominorum adquiſierit, nihilominùs commune id erit. *l.* 45. *ff. de Adq. rer. dom.*

Limitatio. Fideibonæ convenit, ut unuſquiſque præcipuum habeat; quod ex re ejus ſervus communis (*a*) adquiſierit. *d. l.* 45.

(*a*) Fit quidem commune; ſed is cujus ex re quæſitum eſt, hoc præcipuum habere judicio *Communi dividundo* rectè petit.

CCII.

1. Receptum eſt; quoties communis ſervus omnibus adquirere non poteſt (*a*), ei ſoli eum adquirere cui poteſt. *l.* 23. § *fin. ff. de Adq. rer. dom.*

2. Sicut ſervus communis ſtipulando nominatim alteri ex dominis, ita per traditionem accipiendo (*b*), ſoli ei adquirit (*c*). *l.* 37. § 3. *ff. d. tit.*

3. Apud Antiquos dicebatur, juſſionem domini non eſſe abſimilem (*d*) nominationi. *l. fin. Cod. Per quas perſ.*

4. *Servus* Etſi omnium juſſu ſtipulatus ſit, vel omnibus nominatim; non dubitaremus omnibus, pro dominicis eum portionibus, non pro virilibus adquirere. *l.* 7. *ff. de Stip. ſerv.*

(*a*) Putà, quia ſtipulatur rem quæ ſit unius ex dominis propria.

(*b*) Ei nominatim.

(*c*) Cùm enim cæteris quibus non poteſt videri ſtipulatus eſſe, adquirere non poſſit; ſequitur ut ei cui ſtipulatus eſt, totam adquirat, ut potè cui ſoli poteſt adquirere. Corollarium eſt præcedentis Regulæ.

(*d*) Id eſt, ſervum qui juſſu unius ex dominis ſtipulatur, perindè ei ſoli adquirere ac ſi nominatim ei ſtipularetur.

CCIII.

Si, quum duos dominos ſervus haberet, ſtipulatus fuerit ILLI AUT ILLI ... Caſſius inutilem eſſe ſtipulationem ſcripſit... eoque Jure utimur. *l.* 9. § 1. *ff. de Stip. ſerv.*

CCIV.

Servus (*a*) communis ipſe SE ſibi ſtipulari non poteſt, quamvis conſtaret eum ſe ſtipulari domino poſſe. *l.* 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Putà ſervus Titii & Mævii, non poteſt ita ſtipulari *Me mihi dare ſpondes*. At poteſt ita, *me Titio domino meo dari*: & valet pro parte quæ Titii non eſt.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS II.

De juribus poteſtati dominicæ affinibus.

§ I.

De jure bonæ fidei poſſeſſoris in homines liberos ſervos-ve alienos quos poſſidet.

CCV.

Qui bonâ fide alicui ſerviat, ſive ſervus alienus eſt, ſive homo liber; quicquid ex re ejus cui ſervit adquirit... & ... ex operis ſuis... ei adquirit. *l.* 23. *ff. de Adq. rer. dom.*

Operæ quodammodo ex re ejus cui ſervit, habentur; quia jure OPERAS ei exhibere debet cui bonâ fide ſervit. *d. l.* 23.

CCVI.

Per eum quem bonâ fide poſſidemus... poſſeſſionem adquiremus (*a*). *l.* 1. § 6. *ff. de Adq. poſſ.*

(*a*) Scilicet ex re noſtrâ & operis ejus.

CCVII.

Quidquid liber homo vel alienus, qui-ve bonâ fide nobis ſervit, non adquirit (*a*) nobis; id vel ſibi liber, vel alienus ſervus domino ſuo adquiret. *l.* 54. § 4. *ff. d. tit.*

Generaliter dicendum eſt; Quod ex re .... ejus cui bonâ fide quis ſervit ei adquirere non poteſt (*b*), ſibi (*c*) eum acquiſiturum; quod autem (*d*) ex re ejus ſibi adquirere non poteſt, ei adquiſiturum cui bonâ fide ſervit. *l.* 23. § 2. *ff. de Adq. rer. dom.*

Hæc regula & ad fructuarios aut uſuarios rectè trahitur, de quibus infrà.

(*a*) Sive quia adquirit ex aliâ causâ quàm ex re poſſeſſoris aut ex operis ſuis, ſive quia id adquirit quod ei poſſeſſori adquiri non poteſt.
(*b*) Putà, quia ſtipulatus eſt rem hujuſce poſſeſſoris.
(*c*) Si liber eſt; aut domino ſuo, ſi alienus ſervus eſt.
(*d*) Vulgò *non ex re*: ſed negationem evidenter dolendam, rectè monet Cujacius. Senſus eſt: Homo liber ex re bonæ fidei poſſeſſoris ſtipulando adquirit ei, etiamſi id eſt quod is homo ipſe ſibi non potuiſſet adquirere; putà, ſi rem ſuam ſtipulatus fuerit.

CCVIII.

Liber homo qui bonâ fide ſervit mihi, quod ſtipulanti mihi promittit, propè eſt ut omnimodo ſit utile, quamvis ex re meâ promittat (*a*) .... Nec tamen ideò ſi ſtipulanti eidem ex eâdem causâ (*b*) ſpondeam, tenebor (*c*). *l.* 118. *ff. de Oblig. & act.*

(*a*) Putà, reſtitutionem pecuniæ quam ei credidi.
(*b*) Putà vice versâ, ſi ſpondeam ipſi reſtitutionem pecuniæ, quam ex peculio quod ipſi conceſſi, mihi credidit.
(*c*) Quâ enim ratione, non ſibi ſed mihi hoc adquireret, ſi ab alio ſtipularetur; eâdem ratione non debeo ei teneri quum à me ſtipulatur.

CCIX.

Si alienus ſervus duobus bonæ fidei ſerviens, ex unius eorum (*a*) re adquirat; ratio facit, ut ei ex cujus re adquiſiit, id totum ei adquirat. *l.* 19. *ff. de Stipul. ſerv.*

(*a*) Hæc eſt poſterior ſententia Scævolæ, quæ prævaluit, & obtinet item circa duos fructuarios. Antea autem Scævola putaverat, pro parte duntaxat pro quâ poſſidebat ei adquiri; pro reliquâ parte, vero domino: l. 25. § 6. ff. de *Uſufr.*

CCX.

1. Quo caſu (*a*) fructus prædiorum conſumptos ſuos faciat bonâ fide poſſeſſor; eodem per ſervum ex operâ & ex re ipſius ei adquiratur. *l.* 40. *ff. de Adq. rer. dom.*

(*a*) Scilicet quandiù non ſupervenit ſcientia rei alienæ.

2. Etiam furtivus ſervus (*b*), bonæ fidei emptor adquirit. *l.* 39. *ff. d. tit.*

(*b*) Nec obſtat quòd non poteſt uſucapi. Nam nihil commune habet jus uſucapionis, cum jure percipiendi fructus rei bonâ fide poſſeſſæ.

§ II.

De eo qui uſumfructum ſervi habet.

CCXI.

De his ſervis in quibus tantùm uſumfructum habemus, ita placuit, ut quicquid (*a*) ex re noſtrâ vel ex operis ſuis adquirant, id nobis acquiratur. *l.* 10. § 3. *ff. de Adq. rer. dom.*

Si contemplatione (*b*) fructuarii aliquid ſervo relictum vel donatum eſt, ipſi adquiret. *l.* 22. *ff. de Uſufr.*

In operis ſervi, hereditas (*c*) non eſt. *l.* 47. *ff. de Adq. rer. dom.*

(*a*) Etiam poſſeſſionem: l. 49. ff. *de Adq. poſſeſſ.*
(*b*) Nam quodammodo ex re ejus videtur profectum, quod ejus contemplatione relictum eſt. Hæc regula & ad uſuarium, & ad bonæ fidei poſſeſſorem trahenda eſt.
(*c*) Id eſt, aditio hereditâtis: adeòque fructuario, cujus juſſu adita fuerat, hereditas non adquiritur; niſi contemplatione ejus relicta ſit. Trahe hanc regulam & ad bonæ fidei poſſeſſorem.

CCXII.

Regula eſt; Servum fructuarium ex re domini inutiliter fructuario ſtipulari, domino ex re fructuarii utiliter ſtipulari. *l.* 22. *ff. de Stipul. ſerv.*

Et, ſi duorum uſusfructus ſit; quod ex operis ſuis alteri eorum ſtipulatus ſit; pro eâ duntaxat parte, ex quâ uſusfructus ejus ſit (*a*), adquiri. *l.* 24. *ff. d. tit.*

(*a*) Nam ex re quæ pro parte duntaxat ejus eſt, non poteſt niſi pro eâ parte adquirere; pro reliquâ ergo parte non valet ſtipulatio.

CCXIII.

In ſervum Modicam caſtigationem fructuario competere Sabinus reſpondit..... ut neque torqueat neque flagellis cædat. *l.* 23. § 1. *ff. de Uſufr. & quemadm.*

§ III.

De eo qui habet uſum ſervi.

CCXIV.

Ex re meâ (*a*) dicimus ſervum uſuarium ſtipulantem vel per traditionem accipientem mihi adquirere. *l.* 14. *ff. de Uſu & habit.*

(*a*) At non adquiro ex operis ejus.

§ IV.

De creditore, malæ fidei poſſeſſore, & patre putativo.

CCXV.

Per ſervum qui pignori datus eſt, creditori nec poſſeſſio adquiritur; quia nec ſtipulatione, nec mandatione, nec ullo alio modo per eum ſervum quicquam ei adquiritur. *l.* 37. *ff. de Adq. rer. dom.*

CCXVI.

Mancipium alienum, malâ fide poſſidenti nihil poteſt adquirere. *l.* 1. § 1. *Cod. de Rei vindic.*

CCXVII.

Per eum quem juſto ductus errore filium meum & in meâ poteſtate exiſtimo, nec poſſeſſio, nec dominium, nec quicquam aliud ex re meâ mihi quæritur. *l.* 50. *ff. de Adq. poſſeſſ.*

§ V.

Source : BIU Cujas

§ V.

De jure redemptoris in homines liberos aut alienos quos redemit ab hoſtibus.

CCXVIII.

Liberi homines Ab hoſtibus redempti, quoad exſolvatur pretium, magis in cauſam pignoris conſtituti, quàm in ſervilem cauſam detruſi (*a*) videntur. *l.* 2. *Cod. de Poſtlim.*

(*a*) Ingenuitatis igitur jura conſervant, ſed operas exhibere tenentur. Hinc, præterquàm ex re redemptoris aut ex ſuis operis, adquirunt ſibi. Porrò extinguitur hæc cauſa pignoris, reddito aut condonato pretio quod pro Redemptione datum eſt hoſtibus, item morte ipſius Redempti: ex Conſtitutione autem Honorii & Theodoſii, quinquennali operarum obſequio: l. 20. Cod. *de Poſtlim.*

Ex redemptâ autem muliere Eos qui poſt redemptionem naſcuntur, ne pignoris quidem vinculo ob pretium quod pro his datum non eſt teneri, nullis Auctoribus viſum eſt. *l.* 8. *Cod. de Poſtlimin.*

CCXIX.

Si quis ſervum captum ab hoſtibus redemerit, protinùs eſt redimentis (*a*); quamvis ſcientis alienum fuiſſe. Sed oblato ei pretio quod dedit, poſtliminio rediiſſe aut receptus eſſe ſervus credetur. *l.* 12. § 7. *ff. de Captiv. & poſtlimin.*

(*a*) Adeò ut poſſit illum manumittere; nec ullum jus hoc caſu, priſtino domino ſuperſit. Cæterùm cum omni causâ quam habebat quum captus eſt, ſit ejus; & præterea cum hâc causâ, ut à priſtino domino redimi poſſit.

ARTICULUS III.

De peculio, tam filiorumfamilias quàm ſervorum, & eorum qui pro ſervis poſſidentur.

§ I.

Quæ ſit natura peculii.

CCXX.

Peculium naſcitur, creſcit, decreſcit, moritur. *l.* 40. *ff. de Pecul.*

CCXXI.

Quomodo naſcatur ſeu conſtituatur, & quomodo creſcat.

1. Peculii eſt, non id cujus ſervus ſeorsùm à domino rationem habuerit; ſed quod dominus ipſe ſeparaverit, ſuum à ſervi ratione diſcernens. *l.* 4. *ff. de Pecul.*

2. Peculium & ex eo conſiſtit quod parſimoniâ ſuâ quis paravit, vel officio meruerit à quolibet ſibi donari; idque velut proprium patrimonium, ſervum ſuum habere dominus voluerit. *l.* 39. *ff. d. tit.*

3. Apparet, non quod ſervus ignorante domino habuerit peculii eſſe; ſed quod volente (*a*). *d. l.* 4. § 2.

4. *Dominus* Scire non utique ſingulas res debet, ſed ΠΑΧΥΜΕΡΕΣΤΕΡΟΝ [*i. e. pinguiùs*]. *l.* 7. § 1. *ff. d. tit.*

5. Ita Veteres diſtinguunt; Si id adquiſiit ſervus quod dominus neceſſe non habet præſtare, id eſſe peculium; ſi verò tunicas aut aliquid ſimile quod ei dominus neceſſe habet præſtare, non eſſe (*b*) peculium. *l.* 40. § 1. *ff. de Peculio.*

(*a*) Non utique ex formali, ſed ſaltem ex præſumptâ voluntate.
(*b*) Sed pertinere ad rationem dominicam. Hoc tamen ita verum eſt, quum ſervus jam aliundè peculium non haberet: aliàs veſtimenta quæ ſibi comparat, ad peculiarem rationem pertinent; niſi ea ſint quæ magis domini quàm ſuâ gratiâ haberet, putà ut eum ſequeretur; ut miniſtraret, &c. Tit. *de Pecul.* N. 11.

6. Re, non verbis, peculium augendum (*c*) eſt. *l.* 4. § 1. *ff. d. tit.*

(*c*) Aut etiam conſtituendum: ita ut non ſufficiat, ſi diceret dominus velle ſe ut res quam apud ſe habet, ſit in peculio; ſed traditione opus eſt, niſi jam apud ſervum res eſſet.

CCXXII.

Quæ res in peculio eſſe poſſint.

1. In peculio res eſſe poſſunt omnes, & mobiles & ſoli..... hoc amplius, & nomina debitorum. *l.* 7. § 4. *ff. d. tit.*

2. Servus, & id quod dominus ſibi debet, in peculium habebit; ſi dominus ei debitor manere voluit. *d. l.* 7. § 6.

3. Ut debitor vel ſervus domino, vel dominus ſervo intelligatur; ex causâ civili (*a*) computandum eſt. *l.* 49. § 2. *ff. d. tit.*

4. Si damnum ſervo dominus dederit; in peculium, hoc non imputabitur... Si conſervus dedit... in peculium videtur haberi. *l.* 9. *pr.* & § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Id eſt, ex eâ causâ ex quâ inter alios obligatio conſiſteret; non ſi dominus nudâ voluntate conſtituat ſe ſuo ſervo debere.

CCXXIII.

Quomodo moriatur necne peculium.

1. Dominus.... ſimul atque noluit; peculium ſervi definit peculium eſſe. *l.* 8. ff. *d. tit.*

2. *Conſtat* Pupillum vel furioſum, conſtituere quidem peculium ſervo non (*a*) poſſe; verùm ante conſtitutum, id eſt ante furorem, vel à patre pupilli, non adimetur ex his cauſis. *l.* 7. § 1. & § 2. *ff. d. tit.*

3. Etſi furere cœperit ſervus vel filius, retinebunt peculium. *d. l.* 7. § 3.

4. Si ære alieno dominico exhauriatur peculium ſervi, res tamen in causâ peculiariâ (*b*) manent. *l.* 4. § 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Et quidem etiam ex auctoritate tutoris. l. 3. & l. 13. ff. *d. tit.*
(*b*) Adeòque reviviſcet peculium, nec novâ conſtitutione opus erit, ſi poſteà hoc æs alienum exſolvatur aut condonetur. Et in hoc differt hæc ſpecies interitûs peculii, ab illâ quæ per ademptionem contingit.

§ II.

De liberâ peculii adminiſtratione.

CCXXIV.

Puto non eſſe opus concedi peculium..... ſed non adimi, ut habeat. Alia cauſa eſt, peculii liberæ adminiſtrationis: nam hæc ſpecialiter concedenda eſt. *l.* 7. § 1. *ff. de Pecul.*

CCXXV.

Curator furioſi, adminiſtrationem peculii & dare & denegare poteſt; tam ſervo furioſi, quàm filio. *l.* 24. *ff. d. tit.*

CCXXVI.

Qui peculii adminiſtrationem concedit, videtur permittere generaliter quod & ſpecialiter permiſſurus (*a*) eſt. *l.* 46. *ff. d. tit.*

(*a*) Quod probabile eſt eum ſpecialiter permiſſurum ſi ſciſſet, ſcilicet omnes alienationes quæ non donandi causâ fiunt.

CCXXVII.

Libera peculii adminiſtratio non permanet, neque in fugitivo, neque in ſubrepto; neque in eo de quo neſciat quis, vivat an mortuus ſit. *l.* 48. *ff. d. tit.*

Source : BIU Cujas

§ III.

De peculio caſtrenſi filiorumfamilias.

CCXXVIII.

Caſtrenſe peculium eſt, quod à parentibus, vel cognatis in militia agenti donatum eſt; vel quod ipſe filiusfamilias in militiâ adquiſiit (*a*), quod (*b*) niſi militaret adquiſiturus non fuiſſet. *l.* 11. *ff. de Caſtr. pecul.*

(*a*) Ex ſuis ſtipendiis: ex prædâ bellicâ, ex Imperatoris aut commilitonum liberalitatibus. Quo in numero computantur & hereditates quæ ei, ab his quos occaſione militiæ noverat, relictæ ſunt.

(*b*) Non igitur quodcumque à parentibus aut cognatis ei donatum eſt, in peculio *Caſtrenſi* eſt; ſed quod propter cauſam militiæ ei donaverunt aliter non donaturi: ut pecunia & res mobiles quæ in caſtra proficiſcenti donantur.

CCXXIX.

Veritatem ſpectamus, an verò (*Id eſt*, verè) Caſtrenſis notitia vel affectio fuit, non quod quis (*a*) finxit. *l.* 8. *ff. d. tit.*

(*a*) Ergo licèt cognatus legaverit militi *Ut in peculio Caſtrenſi eſſet*, non ideò in peculio caſtrenſi erit; niſi commilito fuerit cognatus ille, & præſumatur commilitium caritatem auxiſſe.

CCXXX.

1. Milites in poteſtate parentum, peculium caſtrenſe proprium habent; nec in eo ullum jus patris eſt. *l.* 3. *Cod. de Pecul. caſtr.*

Filiifamilias (*a*) in caſtrenſi peculio vice patrumfamilias funguntur. *l.* 2. ff. *ad SC. Macedon.*

2. *Regula eſt:* Caſtrenſe peculium filiifamilias, ſi quidem teſtatus deceſſit, quaſi hereditatem deferri heredi ſcripto (*b*) ... Sed quum nihil de peculio decernit filius, non nunc obveniſſe patri, ſed non eſſe ab eo profectum creditur. *l.* 9. *ff. de Pecul. caſtr.*

3. Hi actus patris qui ad præſens alienationem alicujus juris de caſtrenſi peculio præſtant, impediuntur. Hi verò qui non ſtatim quidem ſed poſtea efficere (*c*) ſolent, eo tempore animadverterentur quo habere effectum conſuêrunt; ut ſi ſit filius cui auferatur, nihil agatur; ſi antè deceſſerit, actus patris non impediatur. *l.* 18. § 1. *ff. d. tit.*

¶ *Hæ omnes regulæ pariter aptantur ad peculium Quaſi-Caſtrenſe; de quo vide Tit. præced.*

Quæ ſpectant actiones de Peculio, *infrà rejicimus ad finem Partis* 3*a*.

(*a*) Conſonat præcedenti. Hinc de eo teſtamentum facere poteſt: ſervos hujus peculii rectè manumittit; per eos, non pater, ſed filius adquirit; ex hâc causâ actionem invito patre habet, caſtrenſem hereditatem ſuo arbitrio adit; item (quæ hujus legis ſpecies eſt) uſque ad quantitatem hujus peculii, exceptione Senatuſconſulti Macedoniani non juvatur.

(*b*) Sive pater ipſe, ſive extraneus, heres ſcriptus ſit.

(*c*) Ut ſi pater rem peculii caſtrenſis filii ſui legaverit.

ARTICULUS IV.

Quibus modis adquiratur dominica poteſtas, aut amittatur.

§ I.

De modis quibus adquiritur.

CCXXXI.

1. Jure Gentium ſervi noſtri ſunt, qui ab hoſtibus capiuntur, aut qui ex ancillis noſtris naſcuntur. *l.* 5. § 1. *ff. de Stat. hom.*

2. Servi in dominium noſtrum rediguntur.... Jure Civili; ſi quis ſe major (*a*) viginti annis ad pretium (*b*) participandum vænire paſſus (*c*) eſt. *d.* § 1.

Eſt alius modus, quum patronus ingratum libertum in ſervitutem revocat: de quo in Sect. ſeq. Art. 4.

Fuit & alius ex Senatuſconſulto Claudiano; quo mulier quæ contra denuntiationem domini contubernium ſervi ſequeretur, fiebat ejus domini ancilla: quod Juſtinianus abrogavit, ut vid. in Inſtit.

(*a*) Quæ ætas ſufficit eo tempore quo pretium participavit, licèt minor eſſet quum ſe vendi paſſus eſt.

(*b*) Niſi participaverit, dolus ejus non obeſt quominùs ad libertatem proclamet: ſed ob dolum tenetur emptori decepto, actione *In factum* in duplum pretii.

(*c*) Ignoranti emptori.

§ II.

De manumiſſione, per quam dominica poteſtas amittitur.

Manumiſſionis olim diſtinguebantur modi, Civiles, & naturales.

Civilibus modis datâ libertate, quales erant Vindicta, Cenſus (*cui ſucceſſit manumiſſio in Eccleſiâ*), & Teſtamentum, *manumiſſus etiam civitatem Romanam conſequebatur. Sin modis naturalibus* (*de quibus Tit.* de Manumiſſion. *N.* 3.); *libertatem duntaxat Latinorum conſequebatur.*

Juſtinianus hoc diſcrimen ſuſtulit, datâ omnibus civitate.

Hodie tamen adhuc diſtinguendæ ſunt, ſi non quoad libertatis diverſam naturam, ſaltem quoad formam actûs & ſolemnitatem, Regulaſque in iis adhibendas ut effectum ſuum ſortiri poſſint, duæ manumiſſionis ſpecies præcipuæ, Vindicta, & Teſtamentum.

Manumiſſioni per Vindictam, *ut & cæteris actibus voluntariæ juriſdictionis, accommodantur regulæ quæ tradentur infrà Part.* 4*a*.

De Teſtamentariâ *manumiſſione: quâ directæ libertates teſtamento relinquuntur, agimus infrà Part.* 3*a*. *ubi etiam de fideicommiſſariis libertatibus.*

CCXXXII.

Regulæ circa eum qui manumittere poteſt.

Regula generalis.

Is ſolus manumittere poteſt, qui in (*a*) *ſolidum & pleno* (*b*) *jure dominus eſt.*

(*a*) Jure verò Juſtinianeo; quum is qui pro parte dominus eſt, vu't manumittere; tenetur ſocius partem ſuam ipſi vendere certo pretio Lege definito. l. 2. Cod. *de Serv. com. man.*

(*b*) Niſi accedat conſenſus eorum qui aliquod jus in eo ſervo habent.

Corollaria.

1. Servum pignori datum (*a*) manumittere non (*b*) poſſumus. *l.* 4. *ff. Qui & à quib.*

Limitatio. Generaliter (*c*) pignori datus ſervus, ſine dubio pleno jure debitoris eſt, & juſtam libertatem ab eo conſequi poteſt. *l.* 29. *ff. d. tit.*

2. Servum qui ſub conditione legatus eſt, interim heres manumittendo liberum (*d*) non facit. *l.* 11. *ff. de Manumiſſionib.*

3. Si heres ſervum legatum manumittat, mox repudiet legatarius; retrò (*e*) competit libertas. *l.* 3. *ff. de Manum. vind.*

4. Eum qui vænierit (*f*) venditor, & promiſſor quem prbmiſerit, manumittere poſſunt (*g*). *l.* 18. *ff. de Manumiſſionib.*

(*a*) Cujus proindè poſſeſſio non noſtra eſt, ſed creditoris. Idem dic de eo in quo alterius uſusfructus eſt.

(*b*) Niſi accedat conſenſus creditoris. Sed etſi non conſenſerit, ſoluto pignori convaleſcet libertas: lib. 40. Tit. *Qui & à quib.* N. 12.

(*c*) Idem dic de tacito pignore. Favor tamen pupillorum admiſit, ut qui vel tacitè pupillo obligatus eſſet, manumitti non poſſet: l. 6. Cod. *Serv. pign. dat. manum.*

(*d*) Nec enim perfectè dominus eſt, à quo dominium conditione exiſtente abiturum eſt.

(*e*) Quia retrò nullum fit legatum.

(*f*) Nec traditus ſit.

(*g*) Sunt enim domini, & pleno jure. Nam perſonali duntaxat actione tenentur emptori aut ſtipulatori; qui jus quidem ad rem, nullum autem jus in re habent ut exquiri eorum conſenſus debeat.

Source : BIU Cujas

5. Dotale mancipium vir qui ſolvendo eſt, poteſt (*h*) manumittere. *l.* 1. *Cod. de Serv. pign. dat. man.*

(*b*) Similis ratio.

CCXXXIII.

An per alium quis manumittere poſſit.

1. Nec mulierem per maritum, nec alium per procuratorem manumittere potuiſſet, non eſt ambigui Juris. *l.* 3. *Cod. de Vind. libert.*

2. Nec (*a*) fideicommiſſariam libertatem à pupillâ ſuâ ſervis debitam, tutorem (*b*) poſſe præſtare certi Juris eſt. *l.* 6. *Cod. Qui man. non poſſ.*

3. Filius (*c*) voluntate patris (*d*) poteſt manumittere; ſed manumiſſus, patris (*e*) ... libertus eſt. *l.* 22. ff. *de Manumiſſionib.*

(*a*) Conſonat præcedenti.
(*b*) Idem dic de curatore furioſi: l. 22. ff. *Qui & à quib. man.*
(*c*) Hoc ſpeciale in filio, quia quodammodo & ipſe cum patre ſuo dominus videtur.
(*d*) Quæ durare debet quum manumittitur.
(*e*) Quòd ſi fuiſſet ſervus peculii caſtrenſis; libertus fieret filii, nec opus eſſet voluntate patris.

CCXXXIV.

An & quâ ratione pupillus aut minor viginti annis poſſint manumittere.

1. Pupillus qui infans (*a*) non eſt, apud Conſilium rectè manumittit tutore auctore. *l.* 4. *ff. de Man. vind.*

Lex eum dominum qui minor viginti annorum eſt, prohibet ſervum manumittere (*b*); præterquàm ſi cauſam (*c*) apud conſilium probaverit. ULP. FRAGM. *Tit.* 1. § 10.

2. Minor non eſt, qui diem ſupremum agit anni viceſimi. *l.* 1. *ff. de Manumiſſion.*

3. Qui potuerint apud Conſilium manumittendo ad libertatem perducere, poſſunt etiam neceſſarium heredem (*d*) facere. *l.* 27. *ff. de Manum. teſtam.*

4. Servus communis quin à minoribus viginti annis dominis poſſit manumitti ... quamvis unus (*e*) exſociis cauſam adprobaverit, dubium non eſt. *l.* 6. *ff. de Manum. vind.*

5. Poſt cauſam à judicibus probatam, & manumiſſionem ſecutam, non ſolet (*f*) ſtatus in dubium revocari; ſi dicantur falsâ demonſtratione liberati. *l.* 1. *Cod. de Vind. man.*

6. Si minor ſit annis viginti fructuarius (*g*), puto conſentiendo poſſe ad libertatem (*h*) perducere. *l.* 2. ff. *de Man. vind.*

(*a*) *Infans* non poteſt, quia velle non poteſt.
(*b*) Non ſolùm directè, ſed etiam indirectè. Undè nec per fideicommiſſum libertatem relinquere poteſt, nec vendere ſub lege manumittendi.
(*c*) Putà, procuratoris habendi causâ, matrimonii causâ, ob ſanguinis neceſſitudinem, ob ingens meritum, ſi ſit debita libertas. Enumerantur hæ cauſæ lib. 40. Tit. *Qui & à quib. manum.* N. 25. & ſeqq.
(*d*) Juſtiſſima enim hæc eſt libertatis relinquendæ cauſa.
(*e*) *Unus* dutaxat.
(*f*) Et Divus Pius vetuit, l. 9. § 1. ff. *de Manum. vind.*
(*g*) Aut creditor pignoratitius.
(*h*) Lex enim vetat id tantùm, ne proprios manumittant; non verò, ne libertati alienorum in quibus jus aliquod habent, conſentiant.

CCXXXV.

Qui ſervi poſſint manumitti necne.

1. Qui hâc lege vænierint ne manumittantur, vel qui... prohibiti (*a*) ſint manumitti; licèt manumittantur ... ad libertatem (*b*) non perveniunt. *l.* 9. § 2. ff. *Qui & à quib. man.*

2. Quod conſtitutum eſt, vetitum (*c*) in teſtamento ad libertatem Perduci, non poſſe manumitti; hoc ad eos pertinere puto qui teſtatoris fuerunt (*d*) vel heredis. *l.* 9. § 1. *ff. de Manum. teſtam.*

3. Servo competere libertas non poteſt, ſi relegatus (*e*) moratus ſit in urbe. *l.* 2. *ff. Qui & à quib.*

4. In his quos intrà certa tempora non licet manumittere (*f*), non teſtamenti facti, ſed libertatis competentis tempus inſpicitur. *l.* 17. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Vel à teſtatore, vel à Magiſtratu ob aliquod delictum.
(*b*) Niſi ceſſaverit cauſa, aut teſtator voluntatem mutaverit.
(*c*) Servum.
(*d*) Non ad prorsùs alienos.
(*e*) Id eſt, exportari juſſus.
(*f*) Quales ſunt ſervi plagiarii, qui intrà decem annos à Sententiâ condemnationis, & ad temporaria vincula damnati, qui durante pœnâ non poſſunt manumitti: l. 12. ff. *de Manumiſſion.* l. 33. ff. *de Pœnis.* Porrò ſufficit ut quum dies relictæ libertatis cedit, præterierit illud tempus; quamvis nondum præteriiſſet tempore teſtamenti.

§ III.

De Legibus quæ manumiſſiones infirmant.

CCXXXVI.

Ælia-Sentia Lex, in fraudem creditoris (*a*) & patroni manumittere prohibet. ULP. FRAGM. *Tit.* 1.

Ex hâc Lege Certum Jus eſt, non aliàs directas libertates revocari, niſi & conſilium fraudis & eventus damni ſequatur. *l.* 1. *Cod. Qui man. non poſſ.*

At In fideicommiſſariis libertatibus eventum tantùm inſpici obtinuit. *l.* 7. *Cod. d. tit.*

(*a*) Etiam conditionalis, ſi poſtea conditio extiterit. Non habetur autem pro creditore conditionali, is cui ſub conditione legatum debetur: Tit. *Qui & à quib. manum.* N. 40.

CCXXXVII.

Semper in fraudem creditorum libertas datur ab eo qui ſciret ſe ſolvendo (*a*) non eſſe, quamvis benè dediſſet merenti hoc. *l.* 23. *ff. Qui & à quib. manum.*

(*a*) Aut deſiturum ſolvendo eſſe, manumittendo.

CCXXXVIII.

Quum hereditas ſolvendo non eſt: quamvis heres locuples exiſtat, libertas ex teſtamento non competit. *l.* 5. *ff. d. tit.*

An autem ſolvendo non ſit, non mortis tempore, ſed quo aditur, inſpicitur. Nam Sicut aucta hereditas prodeſt libertatibus, ita nocet deminuta. *l.* 18. *ff. d. tit.*

CCXXXIX.

In fraudem creditorum teſtamento datæ libertates, prioribus creditoribus dimiſſis, propter novos (*a*) creditores irritæ ſunt. *l.* 25. *ff. Qui & à quib.*

(*a*) Scilicet ſi ipſorum pecuniâ dimiſſi ſunt hi in quorum fraudem libertates relictæ ſunt. Aliàs, non: Tit. *Qui & à quib. manum.* N. 41. ex l. 15. & l. 16. ff. *Quæ in fraud. credit.*

CCXL.

Ariſto reſpondit; A debitore.... qui ſolvendo non erat, manumiſſum, ita revocari in ſervitutem debere, ſi non diù in libertate fuiſſet, id eſt.... decennio. *l.* 16. *ff. d. tit.*

CCXLI.

Imperator Antoninus reſcripſit; Ex eo tempore quo quis propter facinorum ſuorum cogitationem jam de pœnâ ſuâ certus eſſe poterat, jus dandæ (*Aliàs* datæ) libertatis eum amiſiſſe. *l.* 15. *ff. d. tit.*

¶ *Huc quoque pertinent*, *Lex* Fuſia Caninia *de quâ lib.* 40. *Tit.* Qui & à quib. manum. *N.* 45. *& ſeqq. Item Lex* Julia, *quâ mulier ſua mancipia, & pater materque mulieris propria quidem mancipia, ſed quæ in miniſterio mulieris erant, manumittere intrà ſexageſimum divortii diem prohibentur; ne, ſi mulier adulterii poſtuletur, quæſtioni ſubducantur. De hâc vide* d. tit. *N.* 49. *& ſeqq.*

Source : BIU Cujas

§ IV.

Quando ſine manumiſſione ſervus ad libertatem perveniat.

CCXLII.

Species 1ª. de his qui hâc lege alienati ſunt ut manumitterentur.

Eum qui ita (*a*) væniit UT intrà tempus (*b*) manumitteretur; quum dies præſtandæ libertatis (*c*) venerit, vivente venditore & perſeverante in eâdem voluntate, perindè haberi ac ſi ab eo à quo debuit manumitti, manumiſſus (*d*) eſſet; mortuo autem venditore, non eſſe heredum ejus voluntatem explorandam, Divus Marcus .... reſcripſit. *l.* 3. *ff. Qui ſine manum.*

(*a*) Lege alienationi incontinenti appoſitâ : ſecùs ſi ex intervallo, Tit. *Qui ſine manum.* N. 8. Conſtitutio porrecta eſt ad donationes; d. tit. N. 15.

(*b*) Et quidem ſi nullum certum tempus expreſſum eſt ; intelligitur eſſe, aut trimeſtre ſi ſervus præſens eſt, aut quadrimeſtre ſi abſens : d. tit. N. 9.

(*c*) Hoc ipſo ; quamvis nulla mora facta fuerit libertari, d. tit. N. 12. & in cujuſcumque manus pervenerit. N. 14.

(*d*) Et ideò pœna huic legi inutiliter adjicitur, cùm lex ſemper effectum habeat; modò alienatio conſtiterit, & is ſervus fuerit cujus manumiſſioni nulla Lex obſtet : d. tit. N. 10. & 11.

CCXLIII.

Species 2ª. Eorum nempè de quibus dominus pactus eſt ut eos manumitteret.

Si quis ab alio nummos acceperit ut ſervum ſuum manumittat ; etiam ab invito libertas extorqueri (*a*) poteſt, licèt plerùmque pecunia ejus (*b*) numerata ſit. *l.* 19. *ff. de Manumiſſion.*

Poſt certi temporis miniſterium ancillæ, liberam eam eſſe cum eâ paciſcendo (*c*), conventionis obtemperandi legi domina nullam habet neceſſitatem. *l.* 36. *Cod. de Liber. cauſ.*

(*a*) Et quidem ipſo Jure, elapſo tempore intra quod ex pacto manumittendus fuit, ad libertatem pervenit : ad inſtar ejus qui hâc lege væniit : l. 38. § 1. *ff. de Liber. cauſ.* & Tit. *Qui ſine man.* N. 16.

(*b*) Putà ſi ex peculio ad dominum pertinente, domino data ſit.

(*c*) Nullâ re acceptâ.

CCXLIV.

Species 3ª. De his quibus ex fideicommiſſo libertas non præſtatur, ſeu per moram ſeu citrà moram ejus qui rogatus eſt.

Libertas non privata, ſed publica res eſt ; ut ultrò is qui eam debet, offerre debeat. *l.* 53. *ff. de Fideicom. libert.*

Divus Marcus reſcripſit (*a*) ; Fideicommiſſas libertates, neque ætate neque conditione, neque morâ non præſtantium tardiùs-ve reddentium corrumpi, aut in deteriorem ſtatum perduci. *l.* 30. § 16. *ff. d. tit.*

Circa partus ancillæ cui fideicommiſſa libertas relicta eſt, Ita determinandum eſt ; ut ingenui quidem exindè naſcantur, ex quo mora libertati facta eſt ; manumitti autem (*b*) partum dici debeat, ex quo peti (*c*) libertas potuit, quamvis non ſit petita. *l.* 26. § 1. *ff. d. tit.*

Si nondum debitâ libertate fideicommiſsâ, ancilla peperit ; ſtudio (*d*) tamen heredis fuerit effectum ut nondum libertas deberetur... qui nati ſint... placet... tradi matri oportere ut ab eâ manumittantur. *l.* 53. § 1. *ff. d. tit.*

Alieno ſervo per fideicommiſſum datâ libertate, ſi dominus eum juſto pretio non vendat, extinguitur libertas. ULP. FRAGM. *Tit.* 2. § 11.

(*a*) Hoc Reſcriptum breviter ea complectitur, quæ pluribus Senatuſconſultis cauta ſunt. Hæc autem numerantur :

1°. RUBRIANUM quo ſervus teſtatoris, cujus libertati mora fit per dolum ejus qui rogatus eſt aut in ſe ſuſcepit eum manumittere, pervenit ad libertatem perindè ac ſi libertatem directam accepiſſet.

2°. DASUMIANUM quo hi ſervi qui propter juſtam abſentiam ejus qui rogatus eſt ipſos manumittere, non poſſunt manumitti, ad libertatem citra manumiſſionem perducuntur ; ſed ſalvo jure patronatûs, ei qui rogatus fuit. Quod Senatuſconſultum porrectum eſt ad eos caſus quibus is qui rogatus eſt, infans eſſet aut furioſus aut captivus, aut ſine ſucceſſore deceſſiſſet.

3°. VITRASIANUM quod eo caſu quo coheres quidem non rogatus eſt ſervum manumittere, ſed is eſt qui (his qui rogati ſunt) partem ſuam in ſervo vendere non poteſt, permittit manumittere perindè ac ſi pars væniſſet.

4°. JUNCIANUM quo ſervi heredis quorum libertati mora fit, ſeu dolo ſeu citra dolum heredis ; ad libertatem perducuntur ; ſed ſalvo heredi jure patronatûs in utroque caſu : quâ in re *Juncianum* differt à *Rubriano.*

His omnibus caſibus Decretum Prætoris ſupplet manumiſſionem ; ſed ita ut magis declaret eam competiſſe ex quo præſtari debuit, quàm ut eam conferat.

(*b*) Scilicet hoc caſu heres debet matri dare partum ut ab eâ manumittatur.

(*c*) Ex quo dies fideicommiſſæ libertatis ceſſit ; puta, adita eſt hereditas, vel conditio extitit.

(*d*) Idem dicendum & ſi non datâ operâ effecit ut tardiùs dies cederet.

CCXLV.

Species 4ª. Eorum ſcilicet qui ſuis nummis redempti ſunt.

Qui ſe dicit ſuis nummis (*a*) redemptum (*b*), ſi hoc probaverit (*c*), exindè liber erit ex quo redemptus eſt. *l.* 67. *ff. de Judic.*

Sive non hoc ab initio eſſet actum ut ſuis nummis redimeretur ; ſive hoc acto, nummos (*d*) ſervus non dedit ; ceſſabit libertas. *l.* 4. § 3. *ff. de Manumiſſion.*

Cæterùm Credendum eſt SUIS NUMMIS eum redemptum, quum non nummis ejus qui eum redemit comparatur. *l.* 4. § 1. *ff. Qui ſine manum.*

(*a*) Scilicet quos emptori ſubminiſtravit ipſe, putà ex peculio ſuo, vel alius pro eo.

(*b*) Et quidem ſe totum. Vide lib. 40. Tit. *Qui ſine manum.* N. 4.

(*c*) Judici ; apud quem hoc caſu conſiſtere poteſt, contra dominum qui fidem ei fallit.

(*d*) Poteſt tamen quod deeſt pretio, ex operis ipſius ſuppleri.

CCXLVI.

Quædam aliæ cauſæ ex quibus ſervi ſine manumiſſione fiunt liberi.

1. Imperator.... conſtituit, in eo qui quum poſſit abducere proſtitutam (*a*) ancillam, pecuniâ acceptâ manûs injectionem vendidit (*b*) ; UT libera eſſet. *l.* 7. *ff. Qui ſine manum.*

2. Qui ob necem detectam domini, præmium libertatis conſequitur, fit orcinus (*c*) libertus. *l.* 5. *ff. d. tit.*

Servo quem pro derelicto dominus ob gravem infirmitatem habuit, ex Edicto Divi Claudii competit libertas. *l.* 2. *ff. d. tit.*

Vide alias cauſas ex Jure Codicis & Novellarum. d. tit. *Art.* 4.

(*a*) Quam ſcilicet ſub hâc lege *Ne proſtitueretur* vendidit emptori, qui eam proſtituit.

(*b*) Pecuniam accepit ab emptore, ut non injiceret manum in ancillam.

(*c*) Defuncti libertus, ex Decreto judicis.

(*d*) Hoc non trahe ad eum qui ſervum in capitali cauſâ non defendit.

ARTICULUS V.

De modis quibus acquiritur patria poteſtas, aut amittitur.

CCXLVII.

Filiosfamilias non ſolùm natura (*a*), verùm & adoptiones faciunt. *l.* 1. *ff. de Adoption.*

(*a*) Ex juſtis nuptiis procreatos, ſuprà Reg. 188.

¶ *De* Nuptiis, *& omnibus quæcumque ad eas pertinent, vide Cap. ſeq.*

Source : BIU Cujas

Adoptionem quod ſpectat, duplex eſt hujus ſpecies; filiorumfamilias nempè, quæ Jure Digeſtorum fiebat per ritum Mancipationis, *Jure novo coràm Magiſtratu; & ex Conſtitutione Juſtiniani in his ſolis remanſit qui ab aliquo ex Aſcendentibus, putà avo materno, adoptarentur. Altera patrumfamilias, quæ ſpeciali nomine* ARROGATIO *dicitur, olim in Comitiis Populi fiebat, poſtea fieri cœpit ex Reſcripto Principis.*

§ I.

Regulæ communes adoptioni cuilibet.

CCXLVIII.

De naturâ adoptionis.

1. Adoptio in his perſonis locum habet, in quibus etiam natura (*a*) poteſt habere. *l.* 16. *ff. de Adopt.*

2. Nec moribus (*b*) noſtris convenit, filium temporalem habere. *l.* 34. *ff. d. tit.*

3. Eum quem quis adoptavit, emancipatum vel in adoptionem datum, iterùm (*c*) non poteſt adoptare. *l.* 37. § 1. *ff. d. tit.*

4. In omni ferè Jure ſic obſervari convenit, ut veri patris ADOPTIVUS filius (*d*) nunquam intelligatur; ne imagine, naturæ veritas adumbretur. *l.* 23. *ff. de Lib. & poſth.*

5. Adoptio non jus ſanguinis, ſed jus agnationis affert. *l.* 23. *ff. de Adopt.*

Corollarium. Eæ (*e*) demùm cognationes contrahuntur in adoptionibus, quæ legitimæ eſſent, id eſt, quæ agnatorum jus haberent. *l.* 12. § *fin. ff. de Ritu nupt.*

6. Per adoptionem dignitas non minuitur (*f*), ſed augetur. *l.* 35. *ff. de Adopt.*

(*a*) Vide ſuprà, Reg. 6. Hinc Caſtratus adoptare non poteſt; item is qui adoptatum non ſuperaret plenâ pubertate, id eſt decem & octo annis. At Cœlebs adoptare poteſt, quia natura non obſtat quominùs fingi poſſit uxorem habuiſſe. Fœminis autem & filiisfamilias Jus obſtat quominùs adoptare poſſint; cùm non poſſint habere quemquam in ſuâ poteſtate.

(*b*) Hinc non valet adoptio hâc lege facta, ut poſt certum tempus remancipetur.

(*c*) Secùs de naturali: *l.* 12. ff. d. tit.

(*d*) Senſus eſt; Filium naturalem emancipatum, & per adoptionem (quod fieri poteſt ex d. l. 12.) in poteſtatem reverſum, magis haberi pro naturali qui patriæ poteſtati redditus eſt, quàm pro adoptivo. Hinc (quæ ſpecies eſt hujus legis 37. § 1.) exheredatio ejus ante adoptionem facta ei nocet, quamvis merè adoptivo non noceret. Hinc iterùm emancipatus conſervat plurima jura, quæ filii adoptivi poſt emancipationem non ſervant.

(*e*) Igitur adoptatus, patris adoptivi agnatis fit agnatus; ejus cognatis, ne quidem cognatus fit.

(*f*) Undè Senatoris filius, à plebeio adoptatus, conſervat ſuam dignitatem. Contrà vice versâ, plebeius à Senatore adoptatus fit Senatorii ordinis. Vide tamen notas ad h. l. d. tit. N. 27.

CCXLIX.

Quorum voluntas requiratur in adoptionibus.

1. In adoptionibus, eorum duntaxat (*a*) qui ſuæ poteſtatis ſunt voluntas exploratur. Sin autem à patre dantur in adoptionem; in his utriuſque (*b*) arbitrium ſpectandum eſt, vel conſentiendo vel non (*c*) contradicendo. *l.* 5. *ff. de Adopt.*

2. Quum nepos adoptatur, quaſi ex filio natus; conſenſus filii exigitur. *l.* 6. *ff. d. tit.*

(*a*) Si tamen Minores ſint, etiam tutoris & curatoris eorum auctoritas deſideratur.

(*b*) Tam patris qui dat in adoptionem, quàm filii qui datur.

(*c*) Non tam enim requiritur ut conſentiat, quàm ut non diſſentiat. Hinc infans rectè datur in adoptionem: l. 42. ff. d. tit.

§ II.

Regulæ circa adrogationem.

CCL.

1. In arrogationibus cognitio (*a*) vertitur. *l.* 15. § 2. *ff. de Adopt.*

(*a*) Et quidem duplex. Et 1°. Circa perſonam arrogantis; an non magis debeat ſtudere procreationi liberorum; num nimis diminuat ſpem liberorum quos jam habet, ſive naturalium ſive adoptivorum. 2°. Circa perſonam arrogari. Maximè autem non debet permitti, ut libertus ſe in arrogationem det citra conſenſum patroni; aut quis Minorem cujus tutelam adminiſtravit, adoptet, niſi ſit ejus vitricus. Tit. *de Adopt.* N. 13. 14. 19. & 24.

2. Pupillorum adrogatio permittenda eſt, his (*b*) qui vel naturali cognatione, vel ſanctiſſimâ affectione ducti adoptarent. *l.* 17. § 1.

3. Si paterfamilias (*c*) adoptatus ſit, omnia quæ ejus fuerunt, & adquiri poſſunt, tacito jure ad eum tranſeunt qui adoptavit. *l.* 15. *ff. d. tit.*

Corollarium. Adrogato patrefamilias, liberi qui in ejus erant poteſtate, nepotes apud adrogatorem efficiuntur. *l.* 40. *ff. d. tit.*

(*b*) *His* duntaxat. Ita obtinet ad vitandas fraudes tutorum. d. l. 17.

(*c*) Fluit ex Regulâ 193. ſuprà.

CCLI.

Duæ ſunt ſpeciales in impuberum adrogatione conditiones.

1°. Ut caveat adrogator perſonæ publicæ, ſi intrà pubertatem pupillus deceſſerit, reſtituturum ſe bona illis, qui ſi adoptio facta non eſſet ad ſucceſſionem (*a*) ejus venturi eſſent. *Inſtit. de Adopt.* § 3.

2°. Si decedens pater eum exheredaverit, vel vivus ſine juſtâ causâ emancipaverit; jubetur quartam partem ei bonorum ſuorum relinquere, præter bona quæ ad patrem adoptivum tranſtulit. *d.* § 3.

(*a*) Scilicet ſubſtituto & legatariis, qui ſecundis tabulis defuncti patris naturalis vocati ſunt; aut his deficientibus, proximis ab inteſtato: d. tit. N. 30.

§ III.

De emancipatione, & aliis modis quibus patria poteſtas ſolvitur.

CCLII.

1. Non nudo conſenſu patriâ liberi poteſtate, ſed actu ſolemni (*a*) vel caſu (*b*) liberantur. *l.* 3. *Cod. de Emancip.*

2. Morte (*c*) avi nepotes ita demùm ſui juris fiunt, ſi poſt mortem avi in poteſtate patris futuri non (*d*) ſunt. ULP. FRAGM. *Tit.* X. § 1.

3. Patre furioſo, liberi nihilominùs in patris ſui poteſtate ſunt. *l.* 8. *ff. de His qui ſui vel al.*

(*a*) Emancipationis, aut ſi alteri in adoptionem dentur.

(*b*) Scilicet morte naturali aut civili, vel ipſorum vel patris.

(*c*) Sive naturali ſive civili.

(*d*) Quia pater aut præmortuus eſt, aut è familiâ exiit.

CCLIII.

1. Non (*a*) poteſt filius qui eſt in patris poteſtate, ullo modo compellere eum ne ſit in poteſtate; ſive naturalis, ſive adoptivus. *l.* 31. *ff. de Adopt.*

2. Liberum arbitrium eſt ei qui filium & ex eo nepotem in poteſtate habebit, filium quidem poteſtate dimittere, nepotem verò in poteſtate retinere; vel ex diverſo. *l.* 28. *ff. d. tit.*

3. Nec cauſæ quibus motus pater emancipavit filium (*b*), ſed actûs ſolemnitas quæritur. *ſup. d. l.* 3. *Cod. de Emancip.*

4. In omni ferè (*c*) Jure, finitâ patris adoptivi (*d*) poteſtate nullum ex priſtino veſtigium retinetur. *l.* 13. *ff. d. tit.*

(*a*) Regula fallit quum impubes arrogatus eſt, qui ex causâ reſtituitur adversùs arrogationem; item ex magnâ causâ etiam in naturali filio, ſi pater cum malè tractaverit, filiam invitam proſtituat: lib. 1. Tit. *de Adopt. & emanc.* N. 38.

(*b*) Etenim poteſt ſine causâ.

(*c*) Vide hujus regulæ exceptionem, in matrimoniis infrà.

(*d*) Regula eſt de adoptivis. Nam filii naturales, licèt patris poteſtate ſoluti, multa jura retinent, putà Bonorum poſſeſſionis, & alia de quibus paſſim.

Source : BIU Cujas

SECTIO II.

De Jure patronatûs.

ARTICULUS I.

Quid ſit jus patronatûs, quomodo & quibus adquiratur.

Jus patronatus eſt jus quod quis hàbet in ſuos libertos.

CCLIV.

1. Libertum accipere debemus, eum quem quis ex ſervitute ad civitatem Romanam perduxit; ſive ſponte, ſive neceſſitate quoniam rogatus fuit eum manumittere. *l.* 3. § 1. *ff. de Suis & legit.*

2. Is planè quem hâc lege emi ut manumittam, etſi ex Conſtitutione Divi Marci pervenit (*a*) ad libertatem, tamen... meus (*b*) libertus eſt. *d. l.* 3. § 3.

3. Si dotalem quis ſervum manumiſit, ipſe patronus habetur. *d. l.* 3. § 2.

4. Miles manumittendo ſervum peculiarem (*c*), ſuum faciet libertum. *d. l.* 3. § 7.

(*a*) Citra manumiſſionem, ſolo lapſu temporis intra quod manumittere debui.
(*b*) Habetur enim pro eo ac ſi à me manumiſſus eſſet. Idem dic de his qui ex Daſumiano aut Junciano SCto perveniunt ad libertatem: de quibus vide l. 40. *de Manum. teſtam.* 43. 54. & ſeqq.
(*c*) Peculii Caſtrenſis.

CCLV.

1. Qui ſuis nummis (*a*) eſt emptus, liber fit; & ſolutus omni jure patronatûs, etiam Jure veteri. *l. fin.* § 3. *Cod. de Bon. lib.*

2. Filiusfamilias ſervum peculiarem.... juſſu patris manumittere poteſt; qui manumiſſus, libertus fit patris. *l.* 13. *ff. de Jur. patron.*

3. Qui manumittitur à corpore aliquo.... vel civitate.... non eſt *ſingulorum* libertus, ſed Reipublicæ honorem habere debet. *l.* 10. § 4. *ff. de In jus voc.*

Jus patronatûs conſiſtit 1°. *In jure ſuccedendi liberto; de quo Part. ſeq. Capp.* De Hered. & De Bonor. poſſeſſ.

2°. *In obſequiis quæ liberti patronis debent:* 3°. *In jure imponendi eis donum, munus, operas officiales; non tamen ea quæ ad quæſtum pertineant & libertatis onerandæ causâ imponerentur:* 4°. *Denique, in jure accuſandi ingratos libertos. Hos tres poſtremos juris patronatûs effectus, ſequentibus tribus Articulis exponemus. Deinde videbimus quomodo jus illud amittatur; & de liberis patronorum, ubi de Adſignatione.*

(*a*) Secùs de eo qui pecuniam dedit domino ſuo, ut manumitteretur. Vide quoſdam alios caſus quibus ſervi ad libertatem perveniunt, ſoluti jure patronatûs; lib. 37. Tit. *de Jur. patron.* N. 4.

ARTICULUS II.

De obſequiis quæ liberti patronis debent.

CCLVI.

Liberto & filio ſemper honeſta & ſancta perſona patris ac patroni videri debet. *l.* 9. ff. *de Obſeq. par. & patr.*

Obſequium non ſolùm patronis, verùm etiam liberis eorum debet præſtari. *l.* 5. § 20. ff. *de Agnoſc. liber.*

§ I.

In quo conſiſtant hæc obſequia.

CCLVII.

1°. Veniâ Edicti non petitâ patronum ſeu patronam eorumque parentes & liberos, heredes inſuper etſi extranei ſint, à libertis ſeu liberis eorum non debere in Jus vocari, Jus certiſſimum eſt. *l.* 2. *Cod. de In jus voc.*

Etiam Communis libertus... debet à Prætore petere ut ei liceat vel quemdam ex patronis in Jus vocare. *l.* 23. *ff. de In jus voc.*

Porrò intellige vocationem in Jus propriè dictam. Neque enim qui libellum Principi vel Præſidi dat, in Jus vocare videtur patronum. *l.* 15. *ff. d. tit.*

2°. *Parens & patronus* Nec deferentes jusjurandum, de calumniâ jurant. *l.* 7. § 3. *ff. de Obſeq. par.*

3°. Nec (*a*) famoſæ actiones adversùs eos dantur, nec hæ quidem quæ doli vel fraudis habent mentionem... licèt famoſæ non ſint... nec exceptiones Doli. *l.* 5. § 1. *l.* 7. *pr.* & § 2. *ff. d. tit.*

4°. Et in quantùm facere poſſunt, damnantur. *ſup. d. l.* 7. § 1.

5°. Alimenta pro modo facultatum erunt præſtanda, egentibus ſcilicet patronis (*b*). *l.* 5. § 19. *ff. de Agnoſc. lib.*

(*a*) Licèt per procuratores judicium accipiant parens aut patronus.
(*b*) Pariter & liberis parentibuſque patroni: d. tit. N. 26.

CCLVIII.

Honor autem his perſonis habebitur ipſis (*a*), non etiam interventoribus eorum. Et (*b*) ſi fortè ipſi pro aliis interveniant, honor habebitur. *d. l.* 7. § 5.

(*a*) Parentibus & patronis perſonaliter.
(*b*) Pro *At.*

§ II.

Ad quæ non porrigatur hoc jus Obſequii.

CCLIX.

1. Liberta ingrata non eſt, quòd arte ſuâ contra patronæ voluntatem utitur. *l.* 11. ff. *de Obſeq. par.*

2. Neque cum patrono habitare libertos jura compellunt. *l.* 12. *Cod. de Oper. libert.*

ARTICULUS III.

De Operis libertorum, ac præcipuè de libertatis cauſâ impoſitis.

Speciale eſt, & pars juris patronatûs, ut liberti ex ſolo jurejurando civiliter obligentur patronis ad donum, munus, operas-ve quas contemplatione beneficii libertatis ipſis promiſerunt.

§ I.

Quotuplicis generis ſint Operæ, & de differentiâ inter Officiales *&* Fabriles.

CCLX.

Operæ Officiales... nec cuiquam alii deberi poſſunt, quàm patrono.

Fabriles autem aliæ-ve, ejus generis ſunt ut à quocumque cuicumque ſolvi poſſint. *l.* 9. § 1. *ff. de Oper. libert.*

Fabriles operæ cæteræque quæ quaſi in pecuniæ

Source : BIU Cujas

præstatione consistunt, ad heredem transeunt; officiales verò non (*a*) transeunt. *l.* 6. *ff. d. tit.*

(*a*) Nisi heres sit ex liberis patroni.

§ II.

A quo, & erga quem ex jurejurando contrahatur obligatio Officialium *operarum.*

CCLXI.

Ut jurisjurandi obligatio contrahatur; libertum (*a*) esse oportet qui juret, & libertatis causâ jurare. *l.* 7. *ff. de Oper. libert.*

Qui autem ex necessitate, *putà* Qui ex causâ fideicommissi manumititur (*b*), est quidem libertus manumissoris... sed operas ei imponere non potest (*c*), nec impositas (*d*) ab eo petere. *l.* 29. *ff. de Bon. lib.*

(*a*) Ergo demùm post manumissionem.
(*b*) Fallit regula in filio testatoris rogato manumittere : Tit. *de Oper. libert.* N. 9.
(*c*) Idem de eo qui ultrò quidem, sed non gratuitò manumisit; l. 3. Cod. *de Jure patron.*
(*d*) Nisi ultrò promiserit, quum sciret se posse recusare : l. 47. ff. *d. Tit.*

CCLXII.

Etiam In eum qui impubes juraverit.... danda est utilis actio, operarum nomine. *l.* 44. § 2. *de Liber. caus.*

CCLXIII.

1. Quum libertus promiserit patrono operas se daturum, neque adjecerit LIBERISQUE ejus; constat liberis ejus ita demùm deberi, si patri heredes extiterint. *l.* 22. § 1. *ff. de Oper. libert.*

2. Liberti... operas neque extraneis heredibus patronorum, neque maritis (*a*) patronarum debent. *l.* 10. *Cod. de Oper. libert.*

3. Licet autem circa donum, munus, operas, etiam uxorum personas (*b*) inferere. *l.* 44. § 1. *ff. de Lib. caus.*

(*a*) Jussu tamen & gratiâ uxoris, marito & amicis sunt exhibendæ; videnturque ipsi patronæ exhiberi : d. tit. N. 21. adde Regulam seq. Imò interdum has operas locare patronus potest, scilicet quum his aliter uti non potest : Tit. *de Jure patron.* N. 26.
(*b*) Quia, quæ uxori vivo viro exhibentur, ipsi viro videntur exhiberi.

§ III.

Quales & quot operæ edendæ sint, ubi, & quomodo.

CCLXIV.

1. Tales patrono operæ dantur; quales ex ætate, dignitate, valetudine, necessitate, proposito, cæterisque ejus generis in utrâque personâ æstimari debent. *l.* 16. § 1. *ff. de Oper. libert.*

2. Hæ demùm impositæ operæ intelliguntur, quæ sine turpitudine præstari possunt, & sine periculo vitæ. *l.* 38. *ff. d. tit.*

3. *Etiam* Ejus artificii quod post manumissionem didicerit libertus, operas debebit præstare. *l.* 16. ff. *d. tit.*

CCLXV.

Si libertus ita juraverit, Dare se quot operas patronus arbitratus sit; non aliter ratum fore arbitrium patroni, quàm si æquum arbitratus sit. *l.* 30. *ff. d. tit.*

CCLXVI.

1. Operæ loco edi debent ubi patronus moratur (*a*), sumptu scilicet & vecturâ (*b*) patroni. *l.* 20. § 1. *ff. d. tit.*

2. Suo victu vestituque operas præstare debere libertum... Sabinus scribit. *l.* 18. *ff. d. tit.*

3. Imponi (*c*) operæ ita ut ipse libertus se alat, non possunt. *l.* 33. *ff. d. tit.*

4. In omnibus operis præcipuè observandum, ut temporis spatia quæ ad curam corporis necessaria sunt, liberto relinquantur. *l.* 22. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Et ita ut intervalla diei, itineris, in numerum operarum computentur.
(*b*) Intellige de sumptu ad ipsas operas necessario.
(*c*) Exceptio est regulæ præcedentis. Et hæc exceptio tunc locum habet quum libertus inops est, nec ei satis temporis ad victum sibi parandum relinquitur.

§ IV.

De ipsâ obligatione operarum, quando & quomodo cedat aut extinguatur.

CCLXVII.

1. Judicium de operis tunc locum habet, quum operæ præterierint. Præterire autem non possunt, antequàm incipiant cedere; & incipiunt, postquàm (*a*) fuerint indictæ. *l.* 13. § 2. *ff. d. tit.*

Enimverò Operæ in rerum (*b*) naturâ non sunt. *l.* 9. *ff. d. tit.*

2. Neque promitti neque solvi nec deberi nec peti pro parte, poterit opera. *l.* 15. § 1. *ff. d. tit.*

Tamen Labeoni placet, & deberi & peti posse partem operæ; cùm semper præterita opera quæ jam dari non possit, petatur (*c*). *l.* 8. *ff. d. tit.*

(*a*) Hoc ultimum est speciale officialibus, diversum in fabrilibus. Tit. *de Oper libert.* N. 30. ubi vide rationem disparitatis.
(*b*) Sequitur ex præcedenti. Sensus est : Nullo rempore ipsa propriè opera debetur; non antequam dies ejus exhibendæ præterierit, cùm nihil adhuc debeatur; non postquàm præteriit, cùm jam non ipsa debeatur, sed ejus æstimatio.
(*c*) Quia quum opera præterita est, petitio resolvitur in pecuniam; quæ, cùm dividua sit, pro parte peti potest.

CCLXVIII.

Libertus qui post indictionem operarum, valetudine impeditur quominùs præstet operas; non tenetur. *l.* 15. *ff. d. tit.*

At verò Etiamsi uxorem habeat libertus, non prohibetur patronus operas exigere. *l.* 13. § 3. *ff. d. tit.*

Non item in libertâ. Nam Libertæ quæ voluntate patroni & jure nuptæ sunt, non coguntur officium patronis (*a*) suis præstare. *l.* 2. *Cod. de Obseq. patron.*

Planè quum desierit nupta esse, operas peti posse omnes ferè consentiunt. *l.* 14. *ff. de Oper. libert.*

Nota. Patronæ, item filiæ & nepti patroni, quæ libertæ nuptiis consensit, operarum exactio non denegatur; quia his nec ab eâ quæ nupta est indecorè præstantur. *l.* 48. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Masculini sexûs. Vide Reg. seq.

CCLXIX.

Liberta major quinquaginta annis, operas præstare patrono non cogitur. *l.* 35. *ff. d. tit.*

Si (*a*) liberta... ad eam dignitatem (*b*) perveniat, ut inconveniens sit præstare patrono operas; ipso Jure hæ intercident. *l.* 34. *ff. d. tit.*

Qui duos filios in potestate vel diversis temporibus habuit, Lege Juliâ (*c*)... obligatione operarum (*d*) liberatur. *l.* 6. § 1. *Cod. de Oper. libert.*

Nota. Posthumus liberti, heredes patris sui non liberat (*e*). *l.* 37. § 7. *ff. d. tit.*

(*a*) Idem de liberto.
(*b*) Erant dignitates fœminarum propriæ, veluti sacerdotia quædam.
(*c*) *De maritandis ordinibus.*
(*d*) Tam futurarum quàm præteritarum : nisi delegatus eas alteri promisisset. d. tit. N. 41.
(*e*) Ab operis præteritis indictis patri suo. Nec enim quis post mortem suam liberari potest.

Source : BIU Cujas

§ V.

De impositis onerandæ libertatis causâ.

CCLXX.

1. Qui onerandæ libertatis causâ pecuniam patrono repromiserit, non tenetur (*a*). *l.* 32. *ff. de Oper. libert.*

2. Toties onerandæ libertatis causâ pecunia videtur promitti, quoties suâ sponte dominus manumisit; & propterea velit libertum pecuniam promittere ut non (*b*) exigat eam, sed ut libertus eum timeat & obtemperet ei. *l.* 2. § 2. *ff. Quar. rer. act. non dat.*

3. Libertatis causâ societatem inter libertum & patronum factam, ipso jure nihil valere palàm est. *l.* 36. *ff. de Oper. libert.*

(*a*) Nec heres, nec interceſſores ejus.
(*b*) Sic transponendum videtur, NON *ut exigat.*

ARTICULUS IV.

De accusatione ingrati liberti.

CCLXXI.

Libertinæ conditionis homines vel eorum filii, etiamsi militantes docebuntur ingrati, ad servitutis nexum (*a*) procul dubio reducentur. *l.* 4. *Cod. de libert. & eor.*

(*a*) Quando huic pœnæ locus esse cœperit, vide Tit. *de Obseq. par.* N. 16. & 17. Antea, variis aliis pœnis plectebantur ingrati liberti.

CCLXXII.

1. Ingratus libertus est, qui patrono obsequium non præstat; vel res ejus, filiorum ve tutelam administrare detrectat. *l.* 19. *ff. de Jur. patron.*

Tamen Solo obsequii non præstiti velamento, data libertas rescindi non potest. *l.* 30. *Cod. de Lib. caus.*

2. *De liberto pluribus patronis communi.* Est verius; si saltem in unum (*a*) ... commiserit, eum ut ingratum accusari: sed omnium consensum necessarium, si sint ejusdem gradûs. *l.* 30. § 4. *ff. Qui & à quib. manum.*

3. *Qui ex necessitate, putà* Ex causâ fideicommissi manumisit, ut ingratum libertum accusare (*b*) non potest. *l.* 1. *Cod. de Libert. & eor. lib.*

(*a*) Ex patronis, aut patroni filiis. Si tamen uni fuisset adsignatus, ab eo solo posset accusari.
(*b*) At potest is qui indebitam, licèt non gratuitam, libertatem dedit. l. 3. ff. h. tit.

ARTICULUS V.

Quomodo amittatur jus patronatûs.

CCLXXIII.

1°. Qui, quum major natu esset quàm 25^e^. annis, libertum capitis accusaverit (*a*), aut in servitutem petierit; removetur à ... bonorum possessione. *l.* 14. *ff. de Bonis lib.*

2°. Si patronus libertum suum non aluerit, jus patroni perdat. *l.* 5. § 1. *ff. de Jure patron.*

3°. Qui contra Legem Æliam-Sentiam ad jurandum (*ne nubat*) libertum adegit, nihil juris habet. *l.* 15. *ff. de Jure patron.*

At Non (*b*) videri contra Legem.... feciſſe, qui non perpetuam viduitatem (*c*) libertæ injunxisset. *l.* 31. *ff. Qui & à quib. manum.*

(*a*) Fallit regula; si justa causa fuit, putà merentem accusavit; aut immerentem quidem, sed dum studet ulcisci cædem patris; vel ideò in servitutem petit ut causam evictionis sibi conservet. Item fallit, si litem ad finem non perduxit.
(*b*) Limitatio est præcedentis Regulæ.
(*c*) Sed, putà, donec liberi ejus puberes essent.
(*d*) Dum libertus exceptionem opponere omittit.

4°. *Promissam* Onerandæ libertatis causâ ... patronus si pecuniam exegerit (*d*); Bonorum possessionem .... non potest petere. *l.* 32 *ff. de Oper. libert.*

Pariter excidit jure patronatûs, qui pecuniam pro futuris operis exigit. Cæterùm Non prohibentur Lege Æliâ-Sentiâ patroni à libertis mercedes capere (*e*), sed obligare (*f*) eos. *l.* 32. § 1. *ff. Qui & à quib. man.*

(*e*) Pro operis quæ ipsis indictæ sunt; quum liberti mercedes illas sponte offerunt.
(*f*) Ad pretium pro earum redemptione. Ex hâc enim causâ, patronus jus patronatûs circa bona liberti amittit.

CCLXXIV.

Filii hereditate paternâ se abstinentes (*a*), jus quod in libertis habent paternis non amittunt. *l.* 9. *ff. de Jur. patr.*

Regula est Eum qui ab avo suo exheredatus est, à bonis libertorum ejus summoveri; à patris verò sui libertorum bonis non excludi. Quòd si à patre sit exheredatus.... ab avi quoque excludi debere; quia per patrem, avitos libertos consequitur. *l.* 10. § 1. *ff. de Bonis libert.*

Jura libertorum paternorum, liberis (quum pater eorum erat perduellionis (*b*) damnatus) salva esse Divus Severus & Antoninus benignissimè rescripserunt. *l.* 4. *ff. de Jur. patron.*

(*a*) Idem dic de emancipatis qui repudiant. Exheredati verò amittunt, modò exheredatio fuerit ab omnibus gradibus, & non fuerit officiosa.
(*b*) Aut alterius criminis.

CCLXXV.

Julianus ait; Si patronus libertatis causâ imposita, libertæ (*a*) revendiderit; filium ejus à bonorum possessione summoveri. *l.* 37. *ff. de Bon. libert.*

Si patroni filius, sit vel exheredatus, vel si in servitutem libertum paternum petiit ... non nocet hoc liberis ejus qui in potestate ejus non sunt. *l.* 16. § 4. *ff. d. tit.*

(*a*) Vel liberto. Idem dic de cæteris factis quibus patronus jus suum amittit, salvo tamen statu.

ARTICULUS VI.

De liberis patronorum in jus patronatûs succedentibus; & de libertorum Adsignatione.

CCLXXVI.

Liberi patroni.... in plerisque causis manumissoris jure censentur. *l.* 8. *ff. de Adsign. lib.*

Mortuo patrono liberi patroni, observatâ tamen inter ipsos gradûs prærogativâ, in hæc jura succedunt; ut ad bona liberti tam ab intestato quàm contra tabulas admittantur, operarumque exactionem habeant.

At ex Senatusconsulto Claudii temporibus facto; is qui duos plures-ve liberos in potestate habet, potest uni pluribusve ex liberis suis libertum unum plures-ve ADSIGNARE; *hoc effectu, ut adsignatarius in jure patronatûs cæteris adsignatoris liberis potior sit.* l. 1. ff. d. tit.

§ I.

Qui adsignare libertum possint, & quibus.

CCLXXVII.

1. *Parens* Si filium habeat & ex eo nepotem, potest quasi duos habeat in potestate, Jus Senatusconsulti inducere. *l.* 3. § 2. *ff. de Adsign. lib.*

2. Liberi patroni... paternum libertum liberis suis adsignare non potuerunt, etiamsi eis... fuerit adsignatus. *l.* 8. *ff. d. tit.*

CCLXXVIII.

Source : BIU Cujas

CCLXXVIII.

1. Placet, etiam ei qui in potestate recasurus est, adsignari. *sup. d. l.* 3. § 2.

2. Etsi exheredato filio libertum quis adsignaverit, valet adsignatio. *l.* 1. § 5. *ff. d. tit.*

3. Etiam emancipato filio adsignare libertum patronus potest, si modò ... duos (*a*) præterea in potestate habeat. *l.* 9. *ff. d. tit.*

(*a*) De duobus enim SCto expressè cautum est; cùm nemo possit adsignare uni, nisi duos habeat: de his autem duntaxat qui in potestate sunt, locutum est.

§ II.

De naturâ & formâ adsignationis.

CCLXXIX.

1. Adsignatio liberti, neque quasi legatum, neque quasi fideicommissum percipitur... nec fideicommisso onerari (*a*) potest. *l.* 7. *ff. d. tit.*

2. Adsignare quis potest quibuscumque verbis, vel nutu (*b*); vel testamento.... vel vivus. *l.* 1. § 3. *ff. d. tit.*

3. Adimere adsignationem, etiam nudâ voluntate (*c*) poterit. *d. l.* 1. § 4.

4. Alimentorum causâ libertos filiis adtributos (*d*), filiis adsignatos non videri respondi. *l.* 11. *ff. d. tit.*

5. Adsignare & purè & sub conditione... possumus. *l.* 7. *ff. d. tit.*

6. Ex die quoque (*e*) certâ adsignari potest: sed usque in diem certum vix potest. *l.* 13. § 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Nec enim emolumentum pecuniarium continet, cùm principaliter in honore consistat.

(*b*) Etiam interdum tacitè, ut in l. 6. ff. *d. tit.*

(*c*) Exheredatio autem non est semper præsumptio voluntatis adimendi.

(*d*) Ut onus alimentorum libertis relictorum inter filios distribueretur.

(*e*) Donec autem venerit dies, cæteri liberi perindè jure patronatûs potientur ac si nulla facta essent assignatio.

§ III.

De adsignationis effectu.

CCLXXX.

Per adsignationem, adsignatarius ejusque liberi præferuntur cæteris adsignatoris liberis in jure patronatûs.

Emancipatos quoque filios ejus cui adsignatus est libertus, habere commodum Senatusconsulti puto; non ut ad legitimam hereditatem admittantur, sed ad ea quæ (*a*) possint. *l.* 3. § 4. *ff. d. tit.*

(*a*) Scilicet ad bonorum possessionem; per quam cæteris liberis assignatoris, licèt non capite minutis, præferuntur.

CCLXXXI.

Quum plures patroni sunt; Nihil prodesset adsignatio ad deminuendum jus alterius. *l.* 3. *ff. d. tit.*

Assignatarius ejus-ve liberi, qui ex personâ suâ ab alterius patroni liberis (utpotè in remotiori gradu ipsi constituti) excluderentur, succedunt ex personâ cæterorum adsignatoris liberorum qui vivunt, in propiori gradu constitutorum; habentque quod illi habituri essent, si adsignatio facta non esset. Lib. 38. *Tit.* de Adsign. lib. *N.* 12.

Libertus qui alteri ex filiis adsignatur, non definit alterius filii libertus (*a*) esse. *l.* 3. § 9. *ff. de Bon. lib.*

Si quis duobus adsignaverit libertum; *uno deficiente* portio ejus *alteri adcrescit;* & adsignationem in hujus solius personâ locum habere... est verum. *l.* 3. § 7. & *l.* 5. *ff. d. tit.*

Si ex duobus *adsignatariis*, alter filios, alter nepotes reliquerit ... puto ordinem inter eos (*b*) faciendum. *d. l.* 5. § 2.

(*a*) Adeòque si assignatarius aut jus suum repudiârit aut indignus fuerit aut sine liberis decesserit; alter admittetur ad bona liberti æquè ac si assignatio facta non esset.

(*b*) Scilicet ut nepotes excludantur.

SECTIO III.

De jure Tutelæ & Curæ.

ARTICULUS I.

De Tutelâ & Curâ in genere, quale sit munus, & in quos cadere possit.

§ I.

De naturâ Tutelæ vel Curæ.

CCLXXXII.

TUTELA est vis (*a*) ac potestas in capite libero (*b*), ad tuendum eum qui propter ætatem se defendere nequit, Jure Civili data ac permissa. *l.* 25. *ff. de Tutel.*

CURATIO *est potestas publicâ auctoritate concessa, administrandi bona alicujus qui ea per se administrare non potest.*

(*a*) Quæ in eo potissimùm consistit, ut interponendo auctoritatem suam efficaces faciat pupilli actus; qui alioqui nullius essent effectûs in Jure.

(*b*) Id est sui juris. Hi enim duntaxat qui sui juris sunt, in tutelâ esse possunt; ne quidem hi quorum status in suspenso est propter captivitatem Patris. At controversia statûs quam quis injustè patitur, non obstat quominùs ei rectè tutor detur. Lib. 26. Tit. *de Tutelis* N. 4.

CCLXXXIII.

1. Tutela non est Reipublicæ (*a*) munus, nec quod ad impensam (*b*) pertinet; sed civile (*c*). *l.* 6. § 15. *ff. de Excus. tut.*

2. Tutela plerumque (*d*) virile officium est. *l.* 16. *ff. de Tutel.*

3. Tutor non rebus duntaxat, sed etiam moribus pupilli præponitur. *l.* 12. *ff. de Admin. tut.*

4. *Et* Personæ (*e*), non rei (*f*) vel causæ datur. *l.* 14. *ff. de Testam. tut.*

(*a*) Spectat enim principaliter utilitatem pupillorum, qui sunt privatæ personæ. Cùm tamen publicè interfit defendi pupillos, qui sunt spes Reipublicæ; hoc munus dicitur interdum *Publicum*, tum etiam quia ex Jure publico defertur invitis.

(*b*) Quædam sunt munera quæ sumptu nostro gerimus, ut Ædilitas. Tutor autem quidquid impendit, *Contrario* judicio à pupillo consequitur.

(*c*) Non cadit nisi in cives & masculos.

(*d*) Nam etiam Jure Pandectarum tutelam aliquando gerebant fœminæ; scilicet quum mater à Principe tutelam filiorum suorum impetrabat. Jure novissimo, mater & avia hoc habent ipso Jure.

(*e*) Fluit ex definitione, *Ad* TUENDUM *eum.*

(*f*) Obtinuit tamen ut *Rei*, Africanæ putà vel Syriacæ, dari possit tutor; l. 15. ff. *de Testam. tut.*

CCLXXXIV.

1. Simul plures tutores dari possunt. *l.* 23. *ff. de Tutor. & cur. dat.*

2. Tutorem (*a*) habenti tutor dari non potest. *l.* 27. *ff. de Testam. tut.*

3. Curatorem habenti, quominùs alius curator detur, regula Juris non est impedimento. *l.* 20. § 1. *ff. de Tutor. & cur. dat.*

(*a*) Ratio hujus regulæ est, quod una fit tutela; cùm personæ individuæ detur. Fallit tamen quandoque regula, ut infrà videb.

Source : BIU Cujas

§ II.

Qui Tutores vel Curatores esse possunt.

CCLXXXV.

1. Non tantùm loqui, sed & audire tutor (*a*) debet. *l.* 1. § 3. *ff. de Tutel.*

2. Militiæ armatæ muneribus occupatus, neque si... voluerit, tutor vel curator fieri potest. *l.* 4. *Cod. Qui dare tut.*

3. Non (*b*) potest curator esse sponsæ sponsus (*c*). *l.* 1. § *fin. de Excusat.*

4. *Cæterùm* Nec dubitabit *Proconsul* Filium quoque patri curatorem dare. *l.* 12. § 1. *ff. de Tutor. & curat.*

(*a*) Loqui debet, ut possit auctoritatem interponere quæ solemnibus verbis interponitur; item audire, ut intelligat quod agatur. Debet etiam esse sanæ mentis; & Jure Justinianeo, major viginti-quinque annis.
(*b*) Nec socer nurûs: l. 17. Cod. *de Excus. tut.* Ratio est, quia vetitæ sunt nuptiæ inter curatorem liberos-ve ejus, & adultam.
(*c*) Id est, *uxoris maritus.* Cujac.

ARTICULUS II.

De variis Tutelarum & Curationum speciebus.

§ I.

De Testamentariâ *tutelâ.*

CCLXXXVI.

1. Nemo potest tutorem dare cuiquam, nisi ei quem in suis heredibus quum moritur habuit, habiturus-ve (*a*) esset si vixisset. *l.* 73. § 1. Q. M. SCÆVOLA LIB. SINGUL. O'PΩ'N.

2. Pater heredi instituto filio vel exheredato tutorem dare potest. *l.* 4. *ff. de Testam. tut.*

(*a*) Scilicet posthumis suis.

CCLXXXVII.

1. Testamento tutores hi dari possunt, cum quibus testamenti factio (*a*) est. *l.* 21. *ff. d. tit.*

2. Ex sententiâ Senatusconsulti Liboniani (*b*), tutor non erit (*c*) qui se testamento.... tutorem scripsit. *l.* 29. *d. tit.*

3. Testamento quemlibet possumus tutorem dare, sive is Prætor (*d*) sive Consul sit. *l.* 20. § 1. *ff. d. tit.*

4. *Etiam* Non ejusdem civitatis cives, testamento (*e*) quis dare potest. *l.* 32. *ff. d. tit.*

(*a*) Excipe Latinos; qui tutores esse non poterant; licèt cum his esset testamenti factio.
(*b*) Quo infirmantur ea quæ scriptor testamenti sibi adscripsit.
(*c*) Sed propter voluntatem patris, confirmabitur à Prætore, si solus datus sit: aut adjungetur tanquàm curator, si alii dati sint: *d.* tit. N. 2.
(*d*) Dari à Magistratu tutor non potest, qui par imperium habet; quia *Par in parem non habet imperium.* Testamento rectè datur quilibet Magistratus, quia datur ex auctoritate Legis cui etiam Magistratus subditi sunt. Cæterùm poterunt se excusare.
(*e*) In quo plus potest testator quàm Magistratus. Eadem ratio ac in Notâ præcod.

CLXXXVIII.

1. Servus proprius testamento cum libertate rectè tutor dari potest. *Instit.* Tit. *Qui testam. tut.* § 1.

2. Placet eum qui à domino tutor datus est, libertatem quoque (*a*) meruisse videri. *l.* 32. § 2. *ff. de Testam. tut.*

3. Verbis fideicommissi manumissus, non jure tutor testamento datur (*b*). *l.* 28. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Tacitè præsumitur ei libertatem reliquisse: quæ præsumptio locum habere non potest, si credidit liberum; *d. tit.* N. 10.
(*b*) Purè: nam cedit datio tutelæ, aditâ hereditate eo tempore quo adhuc servus adeòque incapax est. Cæterùm manumissus confirmabitur tutor à Prætore.

4. Servus alienus ita dari tutor potest, SI liber (*c*) erit. *l.* 10. § 4. *ff. d. tit.*

5. Furiosus si tutor datus fuerit; potest intelligi ita dari QUUM (*d*) suæ mentis esse cœperit. *l.* 11. *ff. de Tutel.*

(*c*) Quinetiam tacitè hæc conditio subauditur.
(*d*) Datio igitur valet, subauditurque hæc conditio.

CCLXXXIX.

1. Tutor incertus dari non potest. *l.* 20. *ff. de Testam. tut.*

2. Tutor ita rectè non datur, ILLI aut illi filiis meis utri eorum volet. *l.* 23. *ff. d. tit.*

CCXC.

Tutorem & à certo tempore dare & usque ad certum tempus licet (*a*); & sub conditione, & usque ad conditionem. *l.* 8. § 2. *ff. d. tit.*

Tutor datus vetari tutor esse potest (*b*), vel testamento vel codicillis. *d. l.* 8. *pr.*

Tutores non ab herede sed à testatore protinùs proficiscuntur, simul atque aliquis (*c*) heres extitisset. *l.* 7. *ff. d. tit.*

Eos demùm testamento datos accipere nos oportet, qui (*d*) jure dati sunt. *l.* 3. § 1. *ff. de Testam. tut.*

Si quis.... filiis tutores dederit.... *non* videtur ei dedisse quem obisse credebat. *l.* 16. § 3. & 4. *ff. d. tit.*

(*a*) In hoc differt à *Dativâ.*
(*b*) Ex eo solo autem non videtur vetatus, quòd alter codicillis detur: sed uterque erit tutor.
(*c*) Vel unus ex pluribus scriptus.
(*d*) Qui autem non jure dati confirmantur, pertinent ad *Dativam* tutelam.

§ II.

De Legitimâ *tutelâ.*

CCXCI.

Ligitimos tutores nemo dat, sed Lex XII. Tabularum fecit (*a*) tutores. *l.* 5. *ff. de Legit. tut.*

Quò tutela redit, eò hereditas pervenit (*b*); nisi quum fœminæ heredes intercedunt. *l.* 73. Q. M. SCÆVOLA LIB. SING. O'TΩ'N.

(*a*) Citra ullum factum Magistratûs, quemadmodum & testamentarios.
(*b*) Sensus est: Ad tutelam impuberis vocantur, qui ad ejus hereditatem vocandi sunt si decederet, aut vocandi essent nisi aliquæ fœminæ in propiore gradu essent. Propior autem agnatus qui in captivitate est, obstat gradui sequenti; *d. tit.* N. 3. in fine; quia speratur reversus fieri tutor; interim igitur tutelæ *Dativæ* locus erit.

CCXCII.

1. Legitimæ tutelæ, Lege XII. Tabularum agnatis delatæ sunt. *l.* 1. *ff. de Legit. tut.*

2. Tutela legitima... patronis (*a*).... non quidem specialiter vel nominatim delata est, sed per consequentias hereditatium quæ ex ipsâ (*b*) Lege patronis datæ sunt. *l.* 3. *ff. d. tit.*

3. Si parens... impuberes quos in potestate habeat, emancipet; vicem legitimi tutoris sustinet (*c*). Quo defuncto, si liberi perfectæ ætatis existant, fiduciarii tutores fratris vel sororis efficiuntur. *l.* 3. § *fin.* & *l.* 4. *ff. d. tit.*

¶ *De tutelâ quæ matri & aviæ jure Codicis defertur, vide d. Tit.* de Legit. tut. *N.* 12.

(*a*) Eorumque liberis, si nullus patronus masculini sexûs supersit.
(*b*) Scilicet ex eo quòd Lex eos ad hereditatem vocatet, collegerunt Prudentes tacitè quoque vocasse ad tutelam.
(*c*) Quia pro patrono habetur.

CCXCIII.

1. Semper legitima tutela testamentariæ cedit. *l.* 9. § 1. ff. *de Tut. & rat. distr.*

Source : BIU Cujas

2. Sciendum eſt, quandiù teſtamentaria tutela ſperatur, legitimam (*a*) ceſſare. *l.* 11. *ff. de Teſtam. tut.*

3. Si .... excuſatus ſit tutor teſtamentarius; adhuc dicimus in locum excuſati dandum, non ad legitimum tutorem redire tutelam. Idem... & ſi fuerit remotus (*b*). *d. l.* 11. § 2.

(*a*) Et interim datur à Magiſtratu.
(*b*) Secùs, ſi mortuus aut deportatus.

CCXCIV.

Non tantùm morte, verùm etiam capitis diminutione (*a*) ſucceſſio debet (*b*) in legitimâ tutelâ admitti. *l.* 3. § 9. ff. *de Legit. tut.*

(*a*) Tutoris legitimi.
(*b*) Ità ut ad agnatum inſequentis gradûs devolvatur.

§ III.

De Dativâ *tutelâ.*

CCXCV.

1. Tutoris datio neque imperii (*a*) eſt, neque juriſdictionis (*b*); ſed ei ſoli competit, cui nominatim hoc dedit vel Lex (*c*), vel Senatuſconſultum, vel Princeps. *l.* 6. § 2. *ff. de Tutel.*

2. Jus dandi tutores datum eſt omnibus Magiſtratibus municipalibus (*d*). *l.* 3. ff. *de Tut. dat.*

3. Ubi abſunt hi qui tutores dare poſſunt, Decuriones jubentur dare tutores; dummodò major pars conveniat. *l.* 19. ff. *d. tit.*

4. Pupillo qui tam Romæ quàm in provinciâ facultates habet; rerum quæ ſunt Romæ, Prætor; Provincialium, Præſes tutorem darè poteſt. *l.* 27. ff. *d. tit.*

(*a*) Nec enim in hâc præcisè datione, ulla coercitio vertitur. Quòd ſi datus nolit agnoſcere munus; tunc demùm per alterum Decretum coercitio ſe exercet.
(*b*) Ideò non poteſt delegare jus dandi tutores. Vide infrà Part. 4a.
(*c*) Vide Notas noſtras ad Tit. *de Tut. & cur. dat.* N. 2.
(*d*) Expectato juſſu Præſidum. Jure Juſtinianeo, etiam non expectato hoc juſſu; ſi facultates pupillorum ſint intra 500. ſolidos. Inſtitut. Tit. *de Attil. tut.*

CCXCVI.

1. Neque ... tutorem ... jure dari poſſe ab eo cujus juriſdictioni ſubjectus non eſt, certiſſimi Juris eſt. *l.* 5. *Cod. Qui dare tutor.*

2. Etiam municeps (*a*) tutor dari poteſt, modò municipi detur. *l.* 10. ff. *de Tutel.*

3. Prætor ipſe ſe tutorem dare non poteſt. *l.* 4. ff. *de Tutor. & cur. dat.*

4. Magiſtratus municipalis collegam ſuum quin dare tutorem poſſit, non eſt dubium (*b*). *l.* 19. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Id eſt Curialis. Malè vulgo, *Non municeps.*
(*b*) Verùm poterit ſe excuſare. Si autem à collegâ, ergo & ab Ordine rectè dabitur. l. 3. ff. *Qui petant tut.*

CCXCVII.

1. Oportet Magiſtratum, & mores creandorum inveſtigare. Neque facultates enim, neque dignitas ita ſufficiens eſt ad fidem, ut bona electio vel voluntas, & benigni mores. *l.* 21. § 5. ff. *d. tit.*

2. Maximè hoc obſervent Magiſtratus, ne creent eos qui ſeipſos volunt ingerere ut creentur. *d. l.* 21. § 6.

3. Si quis à parentibus prohibitus (*a*) fuerit tutor eſſe; hunc neque creari oportet; &, ſi creatus ſit... prohiberi. *d. l.* 21. § 2.

(*a*) Vel tacitè: *d. tit.* N. 6.

CCXCVIII.

1. Semper conſtitit Præſidem poſſe tutorem dare, tam abſentem quàm præſentem; & tam præſenti quàm abſenti, necnon ignoranti & invito. *l.* 5. *l.* 6. ff. *d. tit.*

2. Si peregrè agant qui tutores vel curatores dati ſunt; ut, intrà diem trigeſimum, notum his à Magiſtratibus fiat Divus Marcus reſcripſit. *l.* 29. ff. *d. tit.*

3. Dari tutor omni (*a*) die poterit. *l.* 8. § 2. ff. *d. tit.*

4. Sub conditione (*b*) ... non poſſe dari tutorem placet. *l.* 6. § 1. ff. *de Tutel.*

(*a*) Etiam feriato. Hoc commune actibus voluntariæ juriſdictionis.
(*b*) Hoc commune eſt pleriſque actibus legitimis.

CCXCIX.

Quoquomodo in petitione tutoris, ſi erratum fuerit; in facti causâ.... non valet tutoris datio. *l.* 10. ff. *de Tutor. & cur. dat.*

§ IV.

De eâ ſpecie tutelæ Dativæ, *quâ tutores teſtamento inutiliter dati, à Prætore aut Præſide confirmantur.*

CCC.

1. Neque per epiſtolam, neque ex imperfecto teſtamento tutorem rectè dari, indubitati Juris eſt. Sed voluntas patris... in hujuſmodi caſibus, à judice... ſervari ſolet. *l.* 2. *Cod. de Confirm. tut.*

2. Mater teſtamento filiis tutores dare non poteſt, niſi eos heredes inſtituerit. Quando autem eos heredes inſtituerit. (*a*), ſolet ex voluntate defunctæ datus tutor à Præſidibus confirmari. *l.* 4. *Cod. de Teſtam. tut.*

3. Naturali filio cui nihil relictum eſt, tutor fruſtrà datur; nec ſine inquiſitione confirmatur. *l.* 7. ff. *de Confirm. tut.*

4. Si patronus vel quivis extraneus, impuberi quem heredem inſtituerit, tutorem dederit, & extra ea nihil in bonis habeat pupillus; non malè dicetur, judicium ejus ſequendum eſſe. *l.* 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Malè vulgò *Non inſtituerit.*

CCCI.

1. Si pater... dederit tutorem, ampliùs nihil (ut plurimùm) inquirit qui præeſt, ſed ſimpliciter eum confirmat. Si autem alius quis dederit, tunc inquirit perſonam ſi apta ſit. *l.* 1. § 2. ff. *d.*

2. In confirmando tutore, hoc Prætor inquirere debet an duraverit patris (*a*) voluntas. *l.* 8. *ff. d. tit.*

3. In dando tutore ex inquiſitione, & in eum inquiritur qui Senator eſt. *l.* 18. ff. *de Tut. & cur. dat.*

(*a*) Quæ duraſſe non videbitur, ſi poſtea inimicitiæ exarſerint; vel aliqua nova cauſa emerſerit, quam ſi reſciviſſet teſtator, eum non dediſſet tutorem.

CCCII.

Confirmandus eſt tutor datus teſtamento de cujus viribus lis eſt; & Eventus judicatæ rei declarabit utrùm ex teſtamento patris, an ex Decreto Prætoris auctoritatem acceperit. *l.* 26. § 2. ff. *de Teſtam. tut.*

§ V.

De eâ ſpecie tutelæ Dativæ, *quæ ad certas cauſas datur.*

CCCIII.

1. Impuberi ad hereditatem adeundam ut tutor detur, ex causâ (*a*) permiſſum eſt. *l.* 9. ff. *de Tutor. & cur. dat.*

2. Moribus tutor datur mulieri, pupillo-ve qui cum tutore (*b*) ſuo Lege aut legitimo judicio

(*a*) Putà, ſi tutor ejus (fortè per abſentiam) non poſſit ei auctoritatem interponere.
(*b*) Unico. Si enim contutor ſit, non opus eſt: d. tit N. 24.

Source : BIU Cujas

agere (c) vult, ut auctore eo agat. ULP. FRAGM. *Tit.* XI. § 24.

Cæterùm posterior hæc regula Jure Justinianeo locum non habet, quo omnia judicia extraordinaria facta sunt; in quibus curator sufficit ad defendendum pupillum.

(c) Sive pupillus adversùs tutorem actionem habeat, seu vice versâ. Et quidem petente pupillo ipso dandus est.

§ VI.

De Curatoribus impuberum ad omnem rem, & de Adjutoribus *tutelæ; & curatoribus puberum Minorum.*

CCCIV.

1. In omnem rem curator dandus est; in ejus tutoris locum qui Reipublicæ causâ abfuit. *l.* 15. *ff. de Tut. dat.*

2. Solet etiam curator dari aliquando, tutorem habenti; propter adversam tutoris valetudinem vel senium ætatis: qui magis administrator rerum, quàm curator esse intelligitur. *l.* 13. *ff. de Tutelis.*

CCCV.

1. Est etiam adjutor tutelæ; quem solet Prætor permittere tutoribus (a) constituere, qui non possunt sufficere administrationi tutelæ: ita tamen ut suo periculo eum constituant. *d. l.* 13. § 1.

2. Si nondum fari pupillus potest, ut procuratorem facere possit, aut absens (b) sit; tunc actor (c) necessariò constituendus est. *l.* 24. *ff. de Admin. tut.*

(a) Non alii autem *Actorem* constituere possunt quàm tutores, non mater quæ ex voluntate patris negotia pupillaria gereret.
(b) Ita ut tutor non possit ei esse auctor in faciendo procuratore; cùm nonnisi præsenti pupillo auctor esse possit: infrà.
(c) Actor non procurator: hic enim nonnisi ab ipso domino adeòque nonnisi ab ipso pupillo constitui potest.

CCCVI.

Inviti adolescentes curatorem non accipiunt (a), præterquàm in litem. *Instit. de Curat. N.* 2.

(a) Vide lib. 26. Tit. *de Tut. & Cur. dat.* Art. 3.

§ VII.

De Curatoribus furiosorum, prodigorum, aliorumque majorum viginti-quinque annis, qui rebus suis superesse non possunt.

CCCVII.

1. Curatores impletâ legitimâ ætate prodigis (a) vel furiosis solent tribui. *l.* 1. *Cod. de Curat. furios.*

2. Et aliis dabit Proconsul curatores, qui rebus suis (b) supereſse non possunt. *l.* 2. *ff. de Curat. furios.*

3. Ei quem ætas curæ vel tutelæ subjicit, non *est* necesse quasi dementi quæri curatorem. *l.* 3. § 1. *ff. de Tutel.*

4. Consilio & operâ curatoris tueri (c) debet, non solum patrimonium, sed & corpus ac salus furiosi. *l.* 7. *ff. de Curat. fur.*

(a) Etiam mulieribus: lib. 27. Tit. *de Curat. fur.* N. 1. ubi vide notas.
(b) Non cæco: potest enim ipse sibi procuratorem constituere. His autem duntaxat dantur, qui sunt sui juris.
(c) Passivè accipe.

CCCVIII.

1. Furiosorum &c. Curatores aut legitimi (a) sunt aut honorarii. (b) ULP. FRAGM. *Tit.* 6.

2. Si prodigo curatorem dederit pater, voluntatem ejus sequi debet Prætor:... ne quem pater vero con-

(a) Agnati ex Lege XII. Tab.
(b) Qui à Prætore dantur, deficientibus legitimis; nulli verò *Testamentarii.*

filio prodigum credidit, eum Magistratus propter aliquod suum vitium idoneum putaverit. *l.* 16. § 1. & 3. *ff. de Curat. furios.*

3. Observare Prætorem oportet ne cui temerè curatorem det, quoniam multi dementiam fingunt quo magis onera civilia detrectent. *l.* 6. *ff. d. tit.*

ARTICULUS III.

Qui petant tutores pupillis.

CCCIX.

Alii voluntate petunt (a) tutores; sunt autem quidam quibus est necesse petere tutores, putà mater & liberti (b). *l.* 2. § 1. *ff. Qui pet. tut.*

Qui dimissi sunt per excusationem à tutelâ, necesse non habent petere pupillis tutorem. *d. l.* 2. § 6.

(a) Ut cognati, affines, amici parentûm pupilli, educatores ejus, &c. Creditores autem ita demùm possunt, si necessariæ personæ priùs eâ de re rogatæ neglexerint.
(b) Hi si non petierint, extra ordinem puniuntur. De pœnâ matris vide N. seq.

CCCX.

Si (a) mater vel non petierit (b) tutores (c) idoneos filiis (d) suis, vel prioribus (e) excusatis rejectis-ve (f), non confestim (g) aliorum nomina (h) dederit; jus non habeat vindicandorum sibi bonorum intestatorum filiorum (i). *l.* 2. § 23. *ff. Ad SC. Tertyll.*

Mater si non petierit, sive idoneos (k) non petierit, punietur; etiamsi dati fuerint minùs idonei Prætore errante. *d. l.* 2. § 36.

Mater si penitùs (l) egenis filiis non petit *Tutores*, ignoscendum est ei. *l.* 2. § 26. *ff. d. tit.*

Rescriptum *est*; Matre remotâ (m) eos admitti qui venirent si mater non fuisset. *l.* 2. § 47. *ff. ad SC. Tertyll.*

Omnes suprà dictæ regulæ trahendæ sunt ad curatores furiosorum & similium personarum.

(a) Major 25. annis.
(b) Aut petiit quidem, sed compulsa. Secùs si duntaxat admonita, quum non cunctaretur: d. tit. N. 11.
(c) Quum aut eis dari aut inutiliter datos confirmari oporteret d. tit. N. 9. sed & si curatorem furioso, aut ventri mater non petiit, in sententiam Senatusconsulti incidit; d. tit. N. 7.
(d) Cujuscumque sexûs, etiam naturalibus d. tit. N. 6.
(e) Uno-ve ex illis, si tamen reliqui non sufficiunt.
(f) Aut mortuis d. N. 7.
(g) Ubi primùm Magistratûs copiam habuit; ita tamen ut nunquam ejus cessatio annale tempus excedat: d. tit. N. 10.
(h) Idem & si non curaverit ut cessantes compellerentur ad administrandum. Cæterùm non tenetur quòd suspectos non fecerit.
(i) Si impuberes decesserint; item si non ei deberentur ex fideicommisso patris.
(k) Intellige inopes. Idem, si petierit eum quem sciret se ex privilegio excusaturum.
(l) Quòd si eis sub conditione *Si ad pubertatem pervenirent* deberetur aliqua hereditas aut legatum, punietur quòd non petierit tutorem cui eo nomine satisdaretur; secùs, si remissa esset satisdatio.
(m) Ab hereditate.

CCCXI.

Curatores, Minores sibi ipsis petent. *l.* 2. § 4. *ff. de Tutor. & cur. dat.*

An alius petere Curatorem possit Minori?... Ulpianus scribit, Non licere (a). *d. l.* 2. § 5.

(a) Petetur tamen ei à creditore curator *In litem*, postquàm ipse interpellatus petere cessaverit.

ARTICULUS IV.

De excusationibus Tutorum & Curatorum.

CCCXII.

1. Libertino, tutores liberti (a) dandi sunt. *l.* 27. § 1. *ff. de Tut. & cur. dat.*

(a) Id est, ejusdem conditionis. Quippè ingenui habent excusationem à tutelâ libertinorum.

Source : BIU Cujas

2. Scire oportet, nulli dignitatem (*b*) tribuere excusationem. *l.* 15. § 2. *ff. de Excus. tut.*

Vice versâ Qui inferioris ordinis est, non excusabitur à tutelâ vel curâ majorum. *d. l.* 15. § 4. (*c*)

3. Et Judæi, non judæorum tutores erunt. *d. l.* 15. § 6.

(*b*) Senatores tamen excusantur à tutelâ Plebeiorum: *d. tit.* N. 41.
(*c*) Putà *Illustris* non excusabitur à tutelâ liberorum *Clarissimi* & vice versâ.

CCCXIII.

1. Dat remissionem tutelæ, capitalis inimicitia. *l.* 6. § 17. *ff. d. tit.*

2. Absolvitur à tutelâ, quum quæstionem quis pupillo de statu movet, quum videtur hoc non calumniâ facere. *d. l.* 6. § 18.

3. Propter litem quam quis cum pupillo habet, excusare se à tutelâ non potest; nisi fortè de omnibus (*a*) bonis aut plurimâ parte controversia sit. *l.* 21. *ff. de Excus. tut.*

(*a*) Lis hujusmodi, non solùm excusationis sed & remotionis causa est: nec solùm quum ipse tutor, sed & quum necessariæ ejus personæ (putà, soror) hanc litem cum pupillo habent. *d. tit.* N. 8. Jure Justinianeo, debitor creditor-ve pupilli vetantur esse tutores.

CCCXIV.

1. Qui habet tres tutelas (*a*) aut tres curatorias... hi excusantur ad *quartam* vocati. *l.* 2. § 9. *ff. d. tit.*

Quocircà; Tria onera in domo (*b*) unâ esse sufficit. *l.* 5. *ff. d. tit.*

2. Genus excusationis est, si quis se dicit ibi domicilium non habere ubi ad tutelam datus est. *l.* 46. § 2. *ff. de Excusat.*

3. Si in exilium datus sit tutor, potest se excusare; si in perpetuum (*c*) datus est. *l.* 29. *ff. d. tit.*

4. Ejus qui se neget Litteras scire, excusatio accipi non debet; si modò non sit expers negotiorum. *l.* 6. § 19. *ff. d. tit.*

5. Excusantur à tutelâ & curatoriâ, qui septuaginta annos compleverunt (*d*). *l.* 2. *ff. d. tit.*

6. Adversa valetudo excusat, sed ea quæ impedimento est quominùs quis suis rebus superesse possit. *l.* 10. § *fin. ff. d. tit.*

7. *Etiam* Post susceptam tutelam cæcus.... aut valetudinarius, deponere tutelam potest. *l.* 40. *ff. d. tit.*

8. Paupertas quæ operi & oneri tutelæ impar est, solet tribuere vacationem. *d. l.* 40. § 1.

(*a*) Trium pupillorum indivisa patrimonia habentium. Non numerantur honorariæ tutelæ, nec quæ defunctoriè susceptæ sunt. Interdum vel una, quum valdè diffusa & negotiosa est, excusare potest: d. tit. N. 11. ad N. 16.
(*b*) Scilicet filio prodest tutela quam gerit pater ejus aut frater in eâdem potestate; & vice versâ.
(*c*) Nam si ad tempus duntaxat, curator interim loco ejus dabitur: d. l. 29.
(*d*) Excessisse oportet ipso tempore quo delata est.

CCCXV.

1. Remittit à tutelâ vel curatoriâ, liberorum (*a*) multitudo. *l.* 2. § 2. *ff. d. tit.*

Nota: Quotcumque nepotes fuerint ex uno filio (*b*), pro uno numerantur. *l.* 2. § 7. ff. *d. tit.*

Et Bello (*c*) amissi, ad tutelæ excusationem prosunt. *l.* 18. *ff. d. tit.*

2. Qui honestè compleverunt militiæ (*d*) tempus (*e*), remissionem habent tutelarum adversùs omnes hodie (*f*) privatos. *l.* 8. *ff. d. tit.*

3. Grammatici (*g*), sophistæ, rhetores, medici..., quemadmodum à reliquis muneribus, ita & à tutelâ & curâ requiem habent. *l.* 1. § 1. ff. *d. tit.*

4. Qui corporis item collegii (*h*) jure excusantur, à collegarum filiorumque eorum tutelâ non excusantur; exceptis his quibus hoc specialiter tributum est. *l.* 41. § 3. *ff. de Excusat.*

(*a*) Trium Romæ, quatuor in Italiâ, quinque in Provinciis; ex justis nuptiis quæsitorum, & superstitum delatæ tutelæ tempore.
(*b*) Ex filiâ autem non prosunt.
(*c*) Qui in acie ceciderunt.
(*d*) Legionariæ; nam qui inter *Vigiles* militaverunt, anni duntaxat vacationem à die missionis habent: d. tit. N. 28.
(*e*) Quod erat ab anno 17. usque ad 46. Sed & eodem jure gaudent, qui post vicennium causariam missionem meruerunt. Cæteris (si Prætorianos excipias) non perpetua, sed intra certum tempus à die missionis vacatio tribuitur, d. tit. N. 25.
(*f*) Nam à tutelâ filiorum conveteranorum non excusantur, nisi intra annum vacationis. Vide tamen quasdam exceptiones: d. tit. à N. 30. ad N. 34.
(*g*) Si in patriâ profiteantur; aut Romæ quæ est communis patria; item si probati ab Ordine Decurionum sint, & intra numerorum. Eodem privilegio gaudent Philosophi: & quidem eorum non est statutus numerus. Item Jurisconsulti circa latus Principis occupati, aut Romæ docentes; Athletæ.
(*h*) Ut fabrorum, pistorum, mensorum. Idem dic de his qui ex privilegio civitatis suæ excusantur.

CCCXVI.

1. Tutor petitus, ante Decreti diem si aliquod privilegium (*a*) quærit, rectè petitionem institutam excludere non potest. *l.* 28. *ff. d. tit.*

2. Voluntariæ tutelæ privilegiis non derogant. *l.* 12. *Cod. d. tit.*

3. Qui patri promisit se fore tutorem liberorum, excusari... non potest. *l.* 15. § 1. ff. *d. tit.*

4. Libertos (*b*) à tutelâ vel curâ liberorum patroni vel patronæ nullam excusationem impetrare posse, Amplissimus Ordo decrevit. *l.* 5. *Cod. d. tit.*

5. Qui se tutorem adscripsit: excusatio (*c*) non admittetur. *l.* 18. ff. *de Corn. de falsf.*

(*a*) Nisi talo sit quod à jam susceptis tutelis excuset; quale est eorum qui circa latus Principis occupati sunt.
(*b*) Si non debita libertas alicui data est.
(*c*) Ratione privilegii, non ex causâ justi impedimenti: sicut definitur circa libertum, qui pariter non potest se excusare à tutelâ liberorum patroni.

CCCXVII.

Unus Senatoris libertus qui patroni negotia (*a*) gerit, à tutelâ vel curâ vacationem habet *l.* 13. *Cod. h. tit.*

Curator adultis nominatus, quorum antea tutor fueras, invitus in administratione teneri non potes. *l.* 20. *Cod. h. tit.*

(*v*) Hoc non trahe ad eum qui tutelam filiorum ejus gereret; nec ad libertum Senatoriæ fœminæ.

CCCXVIII.

Qui... habet immunitatem civilium vel publicorum munerum, hic à tutelâ vel curâ non excusabitur. *l.* 15. § 12. ff. *de Excusat.*

Imperfectæ diversæ species vacationis, licèt permixtæ, ad excusationem non proficiunt. *l.* 1. *Cod. Qui num. tut.*

Furor non in totum excusat, sed efficit ut curator interim detur. *l.* 12. ff. *de Excusat.*

Certum est eos qui Reipublicæ causâ abesse desierunt, ab (*a*) omni novâ tutelâ anno (*b*) vacare debere. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

Gerentibus honorem (*c*), vacationem tutelarum (*d*) concedi placuit. *l.* 17. § 5. ff. *de Excusat.*

Datus tutor... excusare se potest, ne ultra centesimum lapidem tutelam gerat (*e*). *l.* 21. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Ante susceptas enim, reversi confestim suscipiunt.
(*b*) Ex quo reversus est per directam viam.
(*c*) Hoc non trahe ad Ædilitatem.
(*d*) Novarum, non jam susceptarum.
(*e*) Curatores igitur huic patrimonio dandi erunt.

CCCXIX.

Neque dati tutores, neque testamentarii,

Source : BIU Cujas

provocare neceſſe (*a*) habent. *l.* 13. *ff. de Excuſat.*

Qui... plures habet excuſationes, & de quibuſdam non probaverit; aliis uti intrà tempora non prohibetur. *l.* 21. § 1. ff. *de Excuſat.*

Excuſare ſe tutor per libellos non (*b*) poterit. *l.* 25. *ff. d. tit.*

Tutor Si ambitione potiùs quàm juris ratione ſe excuſavit; periculo injuncti muneris minimè liberatur. *l.* 3. *Cod. Si tutor. falſ. alleg.*

(*a*) Sufficit quippe excuſationem proponi : quod intrà quinquaginta dies ex quo ipſis innotuit, facere debent. Et ſi longiùs abſint; habent, præter triginta dies, ſingulos dies in ſingula viginti millia paſſuum; ſic tamen ut nunquam minùs quinquaginta diebus habeant : & intrà quatuor menſes negotium peragere debent. Hæc tempora non currunt, juſtè impeditis : *d. tit.* N. 69. ad 83.

(*b*) Sed causâ cognitâ, ante tribunal.

ARTICULUS V.

De adminiſtratione tutorum & curatorum, & de his quæ huic adminiſtrationi ſunt prævia.

§ I.

De ſatiſdatione quæ à Tutoribus & Curatoribus deſideratur.

CCCXX.

1. Teſtamento datos (*a*) tutores, non eſſe cogendos ſatiſdare... certo certius eſt. *l.* 17. *ff. de Teſtam. tut.*

2. Ex inquiſitione (*b*) tutores vel curatores dati, ſatiſdatione non onerantur. *Inſtit.* Tit. *de Satiſd. tut.*

3. A patrono, REM ſalvam pupillo fore, non facilè (*c*) cautio exigitur. *l.* 13. § 1. *ff. de Tutor. & cur. dat.*

(*a*) Hoc porrectum & ad eos qui à patre non jure dati confirmantur.

(*b*) Scilicet à majoribus Magiſtratibus.

(*c*) Hoc ex perſonâ patroni, & ſubſtantiâ liberti æſtimatur. l. 5. § 1. ff. *de Legit. tut.*

CCCXXI.

In dubium non venit, tutores qui teſtamento dati non ſunt, adminiſtrandi poteſtatem (niſi ſatiſdatione emiſsâ SALVAM TUTELAM FORE) non (*a*) habere. *l.* 3. *Cod. de Tut. qui ſatiſd.*

Tutorem qui ſatis non dat, removeri à tutelâ (ſi inopiâ hoc faciat, ſine infamiâ; ſi fraude, etiam cum notâ) Rector provinciæ jubebit. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

(*a*) Excipe ea quæ moram non patiuntur : l. 5. Cod. *de Admin. tut.*

CCCXXII.

Si quis creabitur tutor, exiſtens in patris poteſtate; deinde pater noluerit pro eo cavere; jufſerunt leges, & ipſum patrem creari tutorem. *l.* 15. § 17. *ff. de Excuſat. tut.*

Dativus (*a*) vel teſtamentarius tutor ſive curator, non petet ſatis à collegâ (*b*) ſuo; ſed offerre ei poterit, utrùm ſatis accipere velit (*c*), an dare. *l.* 7. *ff. Rem pup. ſalv.*

Puto in patronis non oportere admitti provocationem, niſi ex magnâ causâ. *l.* 5. § 4. *ff. de Legit tut.*

De actione quæ ex hâc cautione deſcendit, vide infrà Art. 8°.

(*a*) Ex inquiſitione à majori Magiſtratu datus.

(*b*) Quia non tenentur : ſuprà N. 320.

(*c*) Ab ipſo, & ei adminiſtrationem relinquere. Prætor tamen æſtimabit tum ex perſonâ deferentis, conditionem ſatiſdationis; tum ex perſonâ ejus cui defertur, an hæc provocatio admitti debeat.

CCCXXIII.

Tutorem Nihil gerere ante inventarium factum oportet, niſi id quod dilationem nec modicam expectare poſſet. *l.* 7. *ff. de Admin. tut.*

§ II.

De decernendâ uni tutelæ vel curæ adminiſtratione; & de officio cæterorum qui non adminiſtrant, ſeu Honorariorum.

CCCXXIV.

1. Si parens declaravit quem velit tutelam adminiſtrare, ille (*a*) ſolus adminiſtret. *l.* 3. § 1. *ff. de Admin. tut.*

2. Si non erit à teſtatore electus tutor; aut gerere nolet; is gerat cui major pars tutorum tutelam decreverit. Prætor... ſi non coibunt, aut coacti non decernent, causâ cognitâ ipſe ſtatuet [*b*] quis tutelam geret. *d. l.* 3. § 7.

3. Si non conſentiant tutores Prætori, ſed omnes velint gerere, quia fidem non habeant electo, nec patiuntur ſuccedanei eſſe alieni periculi; dicendum eſt, Prætorem permittere eis omnibus gerere. *d. l.* 3. § 8.

(*a*) Niſi ex causâ exiſtimaverit Prætor, non eſſe ſequendum judicium patris.

(*b*) Huic regulæ & ſequenti non eſt locus, quum quis detulit conditionem ſatiſdationis cæteris qui noluerunt eam accipere.

CCCXXV.

Tutores... hi quos vulgò Honorarios appellamus... dati ſunt quaſi obſervatores actûs ejus *qui gerit* & cuſtodes.... Aſſiduè igitur & rationem ab eo exigere eos oportet, & ſollicitè curare qualiter converſetur. *d. l.* 3. § 2.

§ III.

De dividendâ tutelæ adminiſtratione.

CCCXXVI.

Conſtat eum qui ad augmentum datur... adminiſtrare bona priſtina non ſolere... Per contrarium, qui datus eſt ſimpliciter tutor.... ſi quid poſtea augmenti acceſſerit, periculo [*a*] tenetur. *l.* 9. § 8. & 9. ff. *de Admin. tut.*

(*a*) Licèt fuerit alter curator augmento creatus à tutore aut Prætore : d. tit. N. 18.

CCCXXVII.

Si dividi inter ſe tutelam velint tutores, audiendi ſunt ut diſtribuatur inter eos adminiſtratio; vel in partes, vel in regiones. *l.* 3. § *fin. & l.* 4. ff. *d. tit.*

Si fuerit diviſa, unuſquiſque exceptione ſummovebitur [*a*] pro eâ parte vel regione quam non adminiſtrat. *d. l.* 4.

Diviſio tutelæ quæ non juris ſed juriſdictionis [*b*] eſt, modum adminiſtrationi facit, & inter ipſos locum habet; nec [*c*] experiri cum pupillo volentibus obſtare debet. *l.* 36. ff. *d. tit.*

Ad eos qui in aliâ provinciâ tutelam adminiſtrant, periculum adminiſtrationis ex perſonâ tutorum qui in

(*a*) Si conveniat debitores pupillares qui ad aliam partem aut regionem tutelæ pertinent. Ad eam autem regionem pertinere videntur debitores ubi domicilium habent, non in eâ in quâ eſt inſtrumentum : ejus verò quod pupillus debet ſolutio, item pecuniæ pupillaris collocatio, ad eam regionem ubi res debita, aut pecunia quæ collocanda eſt invenitur, pertinet. Tit. *de Admin. tut.* N. 23. & 24.

(*b*) Id eſt; quæ non ipſo jure, ſed nonniſi officio Magiſtratûs fieri poteſt.

(*c*) Non obſtat quominùs quis reconvenire poſſit tutorem, & compenſationem ei objicere ex contractu pertinente ad alterius provinciæ rationem quam non adminiſtrat.

Source : BIU Cujas

aliâ provinciâ res pupilli gerunt, non porrigitur (*d*). *l.* 2. *Cod. de Peric. tut.*

(*d*) Nisi suspectum eum petere debuerint. l. 14. ff. h. tit.

§ IV.

De compellendis Tutoribus & Curatoribus ad administrandum; qui, & quando, periculo suo cessent.

CCCXXVIII.

Administrare tutelam, extra ordinem tutor cogi (*a*) solet. *l.* 1. ff. *de Admin. tut.*

Ex quo innotuit tutori, se tutorem [*b*] esse; scire debet periculum ad eum pertinere [*c*]. *l.* 5. § 10. ff. *d. tit.*

Tutor licèt absens Decreto datus; si sciens, solemniter se non [*d*] excusaverit, administrationi constituitur obnoxius. *l.* 19. *Cod. d. tit.*

Qui non justè dati sunt tutores... *non* habent excusationis necessitatem. *l.* 13. § 12. ff. *de Excusat. tut.*

Tutor ... cujus excusatio recepta non sit, ex quo accedere ad administrationem debuit, erit obligatus. *l.* 20. ff. *de Admin. tut.*

(*a*) Scilicet si non incipiat gerere. Quòd si postquàm gerere cœpit, cesset; magis locus est postulationi suspecti tutoris: d. tit. N. 26.
(*b*) Videtur autem ei *innotuisse*, si aut jussus fuit à Prætore; aut aliundè ei innotuisse pupillus probare possit: d. tit. N. 27. & 28.
(*c*) Si nullus gessit; aut is qui gessit, solvendo non sit.
(*d*) Quamvis justas excusationis causas haberet.

§ V.

Quæ complectatur necne tutelæ vel curæ administratio.

CCCXXIX.

1. Si tutor cessaverit, in distractione earum rerum quæ tempore depereunt (*a*), suum periculum facit. *l.* 7. § 1. *ff. de Admin. tut.*

2. Si tutor... debitores non convenerit.... vel intrà sex (*b*) proximos menses, pupillares pecunias non collocaverit; ipse in debitam pecuniam & in usuras.... convenitur. *l.* 15. *ff. d. tit.*

3. Depositioni (*c*) pecuniarum locus est, si ea summa... colligi possit ut comparari ager possit. *l.* 5. *ff. d. tit.*

4. Tutoris præcipuum est officium, ne indefensum (*d*) pupillum relinquat. *l.* 30. *ff. d. tit.*

(*a*) Imò Jure Pandectarum, omnes res mobiles & urbana prædia tenebitur vendere; etiamsi pater testamento vetasset. Excipe tamen servos ad ministerium necessarios: d. tit. N. 32. & 33.
(*b*) Quod tempus datur ingredientibus tutelam; deinceps autem duo menses: lib. 27. Tit. *de Tutel. & rat. distr.*
(*c*) In Ædc sacrâ; ut indè collocetur, interim autem in tutiori loco sit quàm apud tutorem.
(*d*) Et hoc continet, non solùm ut eum defendat in principali judicio; sed etiam ut provocet, si injustè contra eum judicatum sit: N. 39. d. tit.

CCCXXX.

1. Sicut solvere tutor quod debet, ita & exigere quod sibi debetur potest (*a*), si creditor fuit patris pupilli. *l.* 9. § 5. *ff. d. tit.*

2. Nec prohibentur tutores bonam fidem agnoscere (*b*). *l.* 9. § 6. *ff. d. tit.*

(*a*) Imò & debet, si fuit undè sibi solveret.
(*b*) Si justum sit quod quis à pupillo petit.

§ VI.

Quam vim habeant gesta à Tutoribus & Curatoribus, & quæ administrationis eorum fines excedant.

CCCXXXI.

Tutor qui tutelam gerit, quantùm ad providentiam pupillarem, domini loco haberi debet. *l.* 27. *ff. de Admin. tut.*

Corollarium I^um. Quæ bonâ fide à tutore gesta sunt, rata habentur. *l.* 12. § 1. *ff. d. tit.*

Hinc Pupillus remà tutore legitimè distractam vindicare non potest ... nec interest tutor solvendo fuerit necne. *d.* § 1.

Et Si ... tutori debitores solvissent, liberatos eos (*a*) ipso Jure. *l.* 46. § 5. *ff. d. tit.*

Corollarium II^um. Tutor ad utilitatem pupilli, & novare, & rem in judicium deducere potest. *l.* 22. *ff. d. tit.*

(*a*) Sed si tutor non fuerit solvendo; pupillus poterit restitui adversùs solutionem, si non ex Decreto Prætoris facta est. Quod tamen Decretum non est necessarium in solutione usurarum quæ biennales metas non excedunt. *Instit.* Tit. *Quib. alien. lic.*

CCCXXXII.

Tutoribus concessum est à debitoribus pupilli pecuniam exigere .... non etiam donare, vel deminuendi causâ cum iis transigere. *l.* 46. § 7. *ff. d. tit.*

Nimium est licere tutori, respectu existimationis pupilli, erogare ex bonis ejus, quod ex suis non honestissimè fuisset erogaturus. *l.* 12. § 2. *ff. d. tit.*

Tutor ... mercedes præceptoribus, non quas minimas poterit, sed pro facultate patrimonii, pro dignitate natalium, constituet: alimenta servis, libertisque.... præstabit, solemnia (*a*) munera parentibus cognatisque mittet. *d. l.* 12. § 3.

Si matrem aluit pupilli tutor... est verius, nonnisi si perquàm egenti dedit, imputare eum oportere de largis facultatibus pupilli. *l.* 1. § 4. *ff. de Tutel. & rat. distr.*

(*a*) At non nuptialia, ne quidem matri aut sorori.

CCCXXXIII.

Neque in Interdicto, neque in cæteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris; sive solvendo est, sive non est. *l.* 198. JAVOLEN. LIB. 13. EX CASSIO.

Dolus tutorum, puero neque nocere neque prodesse debet. *l.* 3. *ff. Quando ex fact. tut.*

Quod vulgò dicitur, tutoris dolum pupillo non nocere; tunc verum est quum ex illius fraude locupletior pupillus factus non est. *d. l.* 3.

CCCXXXIV.

Curator (*a*)... nullo modo libertatem præstare potest. *l.* 17. *ff. de Curat. fur.*

A Curatore... rem furiosi dedicari non posse constat. *l.* 12. ff. *d. tit.*

Si plures curatores dati sunt ... ratum haberi debet, etiam quod per unum (*b*) gestum est. *l.* 3. ff. *de Admin. tut.*

(*a*) Idem dic de tutore.
(*b*) Hoc ita, nisi eâ lege datus sit ut nihil absque alterius consensu geret.

§ VII.

De auctoritate Tutorum.

CCCXXXV.

Ad ea quæ solemnitatem juris desiderant (*a*) explicanda, tutore auctore opus est. *l.* 19. *ff. Auct. tut.*

Si tutor auctoretur, cui administratio tutelæ concessa non est, id ratum à Prætore haberi non debet. *l.* 4. *ff. de Auctor. tut.*

Pupillum etiam eo tutore auctore qui tutelam non gerat, hereditatem adeundo (*b*) obligari. *l.* 49. *ff. de Acquir. hered.*

(*a*) Ut est V. G. aditio hereditatis. Hæc ab ipso pupillo, tutore auctore peragi debent; cætera ipse tutor per se, aut curator, actor-ve tutelæ, peragere possunt.
(*b*) Cujacius putat hoc speciale esse in aditione hereditatis. Wissembachius contrà censet idem obtinere in cæteris actibus, ut honorarii tutores auctores esse possint; & regulam præcedentem accipiendam, non de honorario, sed de eo cui administratio sit interdicta.

Source : BIU Cujas

Etiamsi tutor cæcus factus sit, auctor fieri potest. *l.* 16. *ff. de Auct. tut.*

Si duo rei sint stipulandi; & alter me auctore à pupillo stipuletur, alter altero tutore auctore; dicendum est stipulationem valere, sic tamen si auctoritas tutoris unius (*c*) sufficiat. *l.* 7. § 1. *ff. d. tit.*

Accipientis & edentis judicium, idem tutor, auctor utrique (*d*) fit. *l.* 15. *ff. d. tit.*

(*c*) Jure Pandectarum unius auctoritas sufficiebat, quum aut testamentarii aut ex inquisitione dati erant; secùs, si legitimi.
(*d*) Et quidem uno eodemque actu.

CCCXXXVI.

Est Regula Juris Civilis, In rem (*a*) suam auctorem tutorem fieri non posse. *l.* 1. *ff. d. tit.*

Tutori Negotium geri per consequentias (*b*) ... nihil prohibet auctoritas. *l.* 7. *ff. d. tit.*

In rem patris auctor esse filius non potest. *d. l.* 7. § 2.

Si plures sint tutores quorum unius auctoritas sufficit; dicendum est, altero auctore pupillum ei posse obligari. *l.* 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Id est; quoties principaliter agitur ut pupillus ei obligetur, aut à pupillo aliquid acquirat, ab eo-ve liberetur; sive per se, sive per subjectas personas cum pupillo contrahat.
(*b*) Ut quum pupillus adit hereditatem auctore tutore qui ipse creditor est defuncti.

CCCXXXVII.

Rata non habetur auctoritas dolo malo facta. *l.* 61. *ff. de Jur. dot.*

Nulla differentia est, non interveniat auctoritas tutoris, an perperàm adhibeatur. *l.* 2. *ff. de Auct. tut*

Tutor si invitus retentus sit ... non valet quod agitur. *l.* 1. § 1. *ff. de Auctor. tut.*

Si tutor pupillo nolit auctor fieri, non debet eum Prætor cogere (*a*). *l.* 17. *ff. d. tit.*

Tutor statim in ipso negotio præsens (*b*) debet auctor fieri. *l.* 9. § 5. *ff. d. tit.*

Etiamsi non exaudiat tutoris auctoritatem is qui cum pupillo contrahit, rectè negotium geritur. *d. l.* 9. § 6.

Etiamsi conditionalis contractus cum pupillo fiat, tutor debet purè (*c*) auctor fieri. *l.* 8. *ff. d. tit.*

Etiamsi non interrogatus (*d*) tutor auctor fiat, valet auctoritas ejus; quum se probare dicit id quod agitur. *l.* 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Sed tutor tenebitur eo nomine, judicio *Tutelæ*; si interfuit pupilli.
(*b*) Præsens pupillo. Non opus est autem ut præsens sit ei cum quo pupillus contrahit: Reg. seq.
(*c*) Hoc commune actibus legitimis.
(*d*) Pariter non est necesse ut subscribat instrumento.

§ VIII.

De educatione & modo alimentorum pupilli.

CCCXXXVIII.

Ubi morari vel ibi educari pupillum oporteat, causâ cognitâ id Præsidem statuere (*a*) oportebit. *l.* 5. *ff. Ubi morari pup.*

Educatio pupillorum nulli magis quàm matri eorum, si non vitricum eis induxerit, committenda est. *l.* 2. *Cod. Ubi pup. educ.*

Id agere Prætorem oportet, ut sine ullâ malignâ suspicione (*b*) alatur partus & educetur. *l.* 1. § 1. *ff. Ubi mor. pup.*

Prætor Modum patrimonii spectare debet, quum alimenta (*c*) decernit... sic ut aliquid ex reditu supersit. *l.* 3. § 1. *ff. d. tit.*

In amplis patrimoniis, non cumulus patrimonii, sed quod exhibitioni frugaliter sufficit, modum alimentis dabit. *d. l.* 3. § 3.

Si egeni sunt pupilli, de suo eos alere tutor non compellitur. *d. l.* 3. § 6.

(*a*) Interdum compellit: d. tit. N. 3.
(*b*) Hinc plerùmque vitandum ne apud substitutum heredem alatur.
(*c*) In his computantur mercedes præceptorum.

ARTICULUS VI.

Quando finiantur tutela & cura; An & in quibus ultrà excurrat officium tutorum aut curatorum; & de removendis, antequàm finitæ sint, suspectis Tutoribus & Curatoribus.

§ I.

Quando finiantur Tutelæ & Curationes.

CCCXXXIX.

Pupilli quum puberes esse cœperint, à tutelâ liberantur. *Instit.* Tit. *Quib. mod. tut. fin.*

Pariter certum est, Curatorem impuberi datum quâcumque ex causâ, perseverare in diem pubertatis. *l.* 25. *ff. de Tutor. & curat. dat.*

CCCXL.

Annis viginti-quinque ... compleri virilem vigorem constat. *l.* 1. § 2. *ff. de Minorib.*

Et ideò hodie in hanc usque ætatem adolescentes curatorum (*a*) auxilio reguntur; nec ante rei suæ administratio eis committi debebit, quamvis benè rem suam gerentibus. *d. l.* 1. § 3.

Furiosus & prodigus Tandiù erunt in curatione, quandiù vel furiosus sanitatem, vel ille sanos mores receperit. Quod si evenerit; ipso Jure desinunt esse in potestate curatorum. *l.* 1. *ff. de Curat. furios.*

(*a*) Quum eos petiverint; ita Vinnius. Vide tamen lib. 26. Tit. *de Tut. & cur. dat.* N. 3. cum Notis.

CCCXLI.

Tutela ... finitur, non solùm pubertate, sed etiam morte (*a*) tutoris vel pupilli. *l.* 4. *ff. de Tut. & rat. distr.*

Si adrogati sunt impuberes ... tutores (*b*) habere desinunt. *l.* 14. *ff. de Tutel.*

Minimâ capitis diminutione tutoris, legitima tantùm tutela perit; cæteræ non pereunt. *Instit. quib. mod. tut. fin.*

Si ad tempus fuerit quis datus, tempore (*c*) finito tutor esse desinit. *l.* 14. § 3. *ff. de Tutelis.*

Qui in locum absentis (*d*) .... tutores dati sunt, mortuo illo tutores perseverant. *l.* 12. *ff. d. tit.*

(*a*) Tam civili quàm naturali: ita tamen ut alterutro ab hostibus capto; si redierit; videatur jure postliminii duravisse tutela.
(*b*) Fluit ex his definitionis tutelæ verbis, *in capite libero.*
(*c*) Idem dic de conditione existente, si usque ad certam conditionem datus sit. d. l. 14. § 5.
(*d*) Donec reverteretur.

§ II.

An & in quibus, etiam ultra finitam tutelam & curam, officium Tutorum & Curatorum excurrat.

CCCXLII.

Admonere Pupillum suum puberem factum .... ut sibi curatores peteret, sacris Constitutionibus ... jubetur, qui tutelam administravit. *l.* 5. § 5. *ff. de Admin. tut.*

Tutores qui necdum administrationem ad curatores transtulerunt, defensioni causarum pupillarium adsistere oportere (*a*) sæpè rescriptum est. *l. un. Cod. Ut cauf. post pubert.*

(*a*) *Judicatum* autem *exequi*, ad eos non pertinet.

Officium

Source : BIU Cujas

Officium tutorum curatoribus constitutis finem accipit. Ideòque omnia negotia quæ inita sunt, ad fidem curatorum pertinent. *l.* 33. § 1. *ff. de Admin. tutor.*

Post completum vigesimum quintum annum ætatis, si nondum rationes redditæ sunt, nec ad causam instrumenta pertinentia; fidei ac verecundiæ curatorum convenit, ut consilio suo cœptam (*a*) litem perficiant. *l.* 5. § 6. *ff. d. tit.*

(*a*) Secùs, si nondum esset acceptum judicium: l. 28. ff. d. tit.

§ III.

De removendis suspectis tutoribus & curatoribus.

CCCXLIII.

Ob dolum (*a*) in tutelâ (*b*) admissum, suspectum licet postulare (*c*). *l.* 3. § 5. *ff. de Susp. tut.*

Si quid admisit ante... quàm tutor esset, quamvis in bonis pupilli, vel in tutelâ (*d*); non potest suspectus tutor (*e*) postulari. *d.* § 5.

Qui nihil gesserunt (*f*), non possunt suspecti postulari. Verùm ob ignaviam vel negligentiam, vel dolum, si dolo fecerunt (*g*), possunt removeri. *l.* 4. § 4. *ff. d. tit.*

(*a*) Vel culpam, infrà.
(*b*) Vel curâ.
(*c*) Apud Prætorem aut Præsidem, eum-ve cui mandata est jurisdictio.
(*d*) Quæ finita est, cùm novam, licèt ejusdem personæ gerat.
(*e*) Scilicet quum habet contutorem à quo ex priori gestu possit conveniri. tit. *de Susp. tut.* N. 15.
(*f*) Ex eo solo quòd non gesserunt.
(*g*) Si dolo affectaverunt non gerere. d. Tit. *de Susp. tut.* N. 16.

CCCXLIV.

1. Si tutor datus non compareat [*a*], solet Edictis evocari; novissimèque... ut suspectus removeri, ob hoc ipsum quòd copiam sui non fecit. *l.* 7. §. 3. *ff. d. tit.*

2. Si tutor inimicus pupillo parentibus-ve ejus sit; & generaliter si qua [*b*] justa causa Prætorem moverit... rejicere [*c*] eum debebit. *l.* 3. § 12. ff. *d. tit.*

3. Suspectum tutorem eum putamus, qui moribus talis est. *l.* 8. ff. *d. tit.*

3. Tutor quamvis pauper est, fidelis tamen & diligens, removendus non est quasi [*d*] suspectus. *d. l.* 8.

(*a*) Vel ad capessendam tutelam, vel ut alimenta liberto decernantur: *d. tit.* N. 16. & 17.
(*b*) Putà quòd contra voluntatem parentis datus appareat.
(*c*) Sine infamiâ.
(*d*) Sed ex causâ poterit curator adjungi: *d. tit.* N. 19.

CCCXLV.

Satisdatio propositum tutoris malevolum non [*a*] mutat. *l.* 6. ff. *d. tit.*

Expedit pupillo rem suam salvam... quàm tabulas REM SALVAM FORE cautionis habere. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Si tutor aliquo vinculo necessitudinis.... pupillo conjunctus sit..... optimum factum est, curatorem ei potiùs adjungi quàm eumdem eum notatâ fide removeri. *l.* 9. ff. *d. tit.*

(*a*) Adeòque non obstat quominùs tutor removeatur. Idem sensus regulæ sequentis.

CCCXLVI.

Sciendum est quasi publicam esse hanc actionem, hoc est omnibus (*a*) patere. *l.* 1. § 6. ff. *d. tit.*

Impuberibus quidem non permittitur suspectos facere; adolescentibus planè volentibus suspectos facere curatores suos permittitur, dummodò ex consilio necessariorum id faciant. *l.* 7. ff. *d. tit.*

Tutor Et sine accusatione.... magis est ut repelli debeat, si Prætori liqueat ex apertissimis rerum argumentis suspectum eum esse. *l.* 3 § 4. ff. *d. tit.*

Quem ut suspectum tutorem vel curatorem accusas... abstinere ab administratione..... donec causa finiatur Præses jubebit. *l.* 7. *Cod. h. tit.*

CCCXLVII.

Suspectos tutores, ex dolo, non etiam eos qui ob negligentiam remoti sunt, infames fieri manifestum est. *l.* 9. *Cod. de Susp. tut.*

Decreto debebit causa removendi significari, ut appareat de existimatione [*a*]. *l.* 4 § 1. ff. *d. tit.*

Si quis de Plebeiis ob facta atrociora in tutelâ admissa fuerit apud Prætorem accusatus (*b*), remittitur ad Præfectum Urbis graviter puniendus. *l.* 1. § 8. *ff. d. tit.*

(*a*) Alioquin erit illæsa.
(*b*) Putà ob tutelam pecuniâ redemptam, ob fraudulentas alienationes, ob cessationem pervicacem in deponendâ pupillari pecuniâ; si mentitus fuerit Prætori ne alimenta decernantur; item ob non confectum inventarium: d. tit. N. 18. Item ex qualitate personæ; ut si libertus in tutelâ liberorum patroni, fraudem admiserit.

CCCXLVIII.

Decreto Prætoris ut suspectus remotus, periculum futuri temporis non timet. *l.* 17. ff. *d. tit.*

Post finitam tutelam, cognitio suspecti tutoris quamvis pridem recepta solvitur. *l.* 24. ff. *d. tit.*

ARTICULUS VII.

De directâ actione Tutelæ; *& de Utili actione* Negotiorum gestorum, *adversùs curatores.*

§ I.

Quando his judiciis agi possit.

CCCXLIX.

Nisi finita tutela sit, TUTELÆ agi non potest. *l.* 4. ff. *de Tut. & rat. distr.*

Quod traditum est, pupillum cum tutore suo agere TUTELÆ non posse; hactenùs verum est, si eadem (*a*) tutela sit. *l.* 9. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Nam contra tutorem suum poterit auctore contutore agere, ex causâ tutelæ alterius personæ cui pupillus heres extitit; vel ex tutelâ ipsiusmet pupilli quæ finita est; putà si tutor ejus pupilli ad diem datus fuerat, & finitâ tempore elapso tutelâ, iterùm tutor creatus est. Vide lib. 27. Tit. *de Tut. & rat. distr.* N°. 19. ad N. 24.

CCCL.

1. Rationes curæ administratæ, ante impletum vigesimum-quintum annum, durante officio, posci jure non posse manifestum est. *l.* 14. *Cod. de Adm. tut.*

2. Cum furiosi curatore, non TUTELÆ, sed NEGOTIORUM GESTORUM actio est; quæ competit, etiam dum negotia gerit: quia non idem in hâc actione quod in Tutelæ... constitutum est. *l.* 4. § 3. *ff. de Tut. & rat. distr.*

§ II.

Quatenùs teneantur plures Tutores aut Curatores, non divisâ inter ipsos tutelâ.

CCCLI.

Si divisio administrationis inter tutores vel curatores facta non fuerit (*a*); licentiam habet adolescens, unum eligere, & totum (*b*) debitum exigere. *l.* 2. *Cod. de Divid. tut.*

(*a*) Ex voluntate testatoris, aut ex auctoritate Prætoris. Nil refert quòd privatâ conventione eam diviserint: d. l. 2.
(*b*) Ita stricto Jure: secùs ex Prætoriâ æquitate. Vide Reg. seq.

Source : BIU Cujas

Si omnes simul (*c*) gesserunt tutelam ; exemplo fidejussorum ... inter eos qui solvendo sunt, dividitur (*d*) actio. *l.* 1. § 11. & 12. ff. *de Tut. & rat. distr.*

Tutoribus idoneis diem functis, vice mutuâ periculum ad heredes eorum non redundat. *l.* 39. § 10. ff. *de Admin. tut.*

Licèt tutorum conventione, mutuum periculum minimè finiatur ; tamen eum qui administravit (si solvendo sit) primo loco, ejusque successores conveniendos (*e*) non ambigitur. *l.* 3. *Cod. de Divid. tut.*

Videtur gessisse, qui per alium gessit. *l.* 5. § 3. ff. *de Admin. tut.*

In eo quod nemo gessit, non utique ejus periculum est qui quædam gessit ... nisi si qua talia sunt, quæ vel consummationem cœptorum ab eo desiderabant, vel ita conjuncta ut separari non debuerint. *l.* 55. § 3. *ff. de Admin. tut.*

(*c*) Idem & quum nullus gessit.
(*d*) Oppositâ exceptione *Divisionis.*
(*e*) Oppositâ à cæteris exceptione *Ordinis.*

CCCLII.

Non tantùm ante .... sed etiam post condemnationem (*a*), desiderare tutor potest mandari sibi actiones adversùs contutorem pro quo condemnatus est. *l.* 1. § 18. ff. *de Tut. & rat. distr.*

Si pupillus alterum ex tutoribus post pubertatem liberasset ; improbè alterum illius nomine conabitur (*b*) interpellare. *l.* 45. ff. *de Admin. tut.*

Et, si fortè quis ex facto alterius tutoris condemnatus præstiterit, vel ex communi gestu, nec ei mandatæ sunt actiones (*c*) ; constitutum est... Utilem (*d*) actionem tutori adversùs contutorem dandam. *l.* 1. § 13. ff. *de Tut. & rat. distr.*

Si ex dolo communi (*e*) conventus præstiterit ; neque mandandæ sunt actiones, neque Utilis competit ; quia proprii delicti pœnam subit. *d. l.* 1. § 14.

Forma quâ singuli tutores (prout quisque gessit tutelam) nonnunquam in solidum tenentur, duntaxat intrà pubertatis tempora locum habet ; non etiam, si post pubertatem administraverint. *l.* 31. ff. *de Admin. tut.*

(*a*) At non post solutionem.
(*b*) Quia facto suo desiit posse cedere actiones adversùs illum.
(*c*) Quia omisit hoc desiderare.
(*d*) *Utilem* Negotiorum gestorum, non *Directam.* Nam suum negotium gerens, & non contemplatione tutoris solidum solvit.
(*e*) Multò magis quum ex proprio dolo, aut ex propriâ culpâ.

§ III.

Quid veniat in his actionibus præstandum.

CCCLIII.

Quum TUTELÆ ratio peti cœperit ; neque veritati neque justis probationibus officit, quòd testator modum patrimonii sui verbis testamenti ampliavit vel minuit. *l.* 1. *Cod. Arbitr. tut.*

Non sic homo simplex, imò magis stultus invenitur, ut in publico inventario scribi contra se aliquid patiatur. *l.* 13. *Cod. Arbitr. tut.*

CCCLIV.

Officio tutoris incumbit, rationes actûs sui conficere & pupillo reddere... Si non fecit, aut... non exhibet, hoc nomine judicio Tutelæ tenebitur (*a*). *l.* 1. § 3. *ff. de Tut. & rat. distr.*

In omnibus quæ fecit tutor quum facere non deberet, item in his quæ non fecit, rationem reddet hoc judicio. *l.* 1. ff. *de Tut. & rat.*

Modestinus respondit ; Tutorem eorum redituum nomine rationem .... debere, qui bonâ fide percipi potuerunt. *l.* 32. § 2. ff. *de Admin. tut.*

Tutor qui tutoris idoneum (*b*) heredem convenire pupilli nomine noluit, damni vicarius (*c*) substituitur. *l.* 39. § 16. ff. *d. tit.*

Debitor patris, qui tutelam administravit filii, Tutelæ judicio tenebitur etiam ob id quod patri debuit (*d*). *l.* 5. § 4. ff. *d. tit.*

Et generaliter ; Quod adversùs alium præstare debuit pupillo suo, id adversùs se quoque præstare debet : fortassis & plus; adversùs alios enim experiri sine actione non potuit, adversùs se (*e*) potuit. *l.* 9. § 3. ff. *d. tit.*

Lucrum facere ex tutelâ (*f*) non debet. *l.* 58. ff. *d. tit.*

Si tamen tutor ex pupillari pecuniâ Negotium (*g*) suo nomine exercuit ; ... respondi ... pupillo usuram, non compendium, præstandam. *l.* 47. § 6. ff. *de Adm. tut.*

(*a*) Quanti pupillus in litem juraverit, habitâ de servis quæstione : *d. tit.* N. 27. & 28.

(*b*) Idem de quovis alio debitore.
(*c*) Nec liberatur tutor, quòd posteà adolescens hunc debitorem suum ipse convenerit, aut procuratorem suum fecerit : *d. tit.* N. 33.
(*d*) Quasi debuerit à se exigere.
(*e*) Hinc colligit Bartolus ; etiam id quod naturaliter debet, tutorem à se exigere teneri.
(*f*) Hinc quum rem aliquam tutor sibi ex pecuniâ pupillari comparavit ; electionem habet pupillus, an malit negotium emptionis sibi gestum, an pecuniam cum usuris legitimis sibi reddi : Tit. *de Tut. & rat. distr.* N. 35.
(*g*) Secùs, si intelligi posset nomine pupilli negotiatum esse : d. l. 58. *d. tit.* N. 36. in fine.

CCCLV.

Quidquid tutoris dolo vel latâ culpâ aut levi (*a*), seu curatoris, Minores amiserint ; aut, quum possent, non adquisierint ; hoc in Tutelæ seu Negotiorum gestorum Utile judicium venire, non est incerti Juris. *l.* 7. *Cod. Arbitr. tut.*

Est Verius ; Posse tutorem eam conditionem adolescenti deferre, ut id quod gessisset tutor in contrahendis nominibus (*b*), aut in totum agnosceret, aut à toto recederet ; ita ut perindè esset ac si tutor sibi negotium gessisset. *l.* 16. ff. *de Admin. tut.*

Si probatum est nomen debitoris à novissimo curatore, frustrà tutorem de eo conveniri. *l.* 19. ff. *de Tut. & rat.*

Qui nominibus à curatoribus susceptis, sive tutoribus, nomina agnoverunt (*c*) ; periculum in se transferunt. *l.* 44. ff. *de Admin. tut.*

Quum post mortem (*d*) pupilli, desinit esse nomen idoneum ; tutor periculo eximitur. *l.* 43. ff. *d. tit.*

(*a*) Uno casu, de latâ duntaxat tenentur ; scilicet circa comparationem prædiorum ex pecuniâ pupillari : N. 40. *d. tit.*
(*b*) In fœnerandâ pupillari pecuniâ, diversis debitoribus, nomine pupilli.
(*c*) Nec ex eo solo agnovisse videntur, quòd debitores convenerint.
(*d*) Aut finitâ alio modo tutelâ.

CCCLVI.

1. *Adversùs tutorem* Apparet hanc esse formam usurarum : ut ejus quidem pecuniæ quam quis in usus suos convertit, legitimam usuram præstet ; sed & si negavit apud se esse pecuniam, & Prætor pronuntiavit contra eum ... vel si moram depositioni fecit, & Prætor ei irrogavit legitimas. Sed & (*a*) si dum negat aliquam quantitatem penès se esse, pupillis ... imposuit necessitatem mutuam pecuniam legitimis usuris accipiendi ... item si à debitoribus legitimas exegit. Ex cæteris causis (*b*), secundùm morem provinciæ præstabit usuras. *l.* 7. § 10. ff. *de Admin. tut.*

2. Parvi refert utrùm sortem pupillarem an usuras, *tutores* in usus suos converterint. *d. l.* 7. § 12.

Non utique qui non fœneravit ... in suos usus vertit... Doceri igitur debet in usus suos pecuniam vertisse. *d. l.* 7. § 4.

(*a*) Citra Decretum Prætoris.
(*b*) Scilicet quoties tutor culpâ suâ otiosam reliquit pupilli pecuniam tam eam quæ penès ipsum erat, quàm eam quam à debitoribus aut etiam à se ipso exigere debuit ; & quidem etiam eam quæ ipsa usurarum nomine erat debita : *d. tit.* N. 50. & 51.

Source : BIU Cujas

Non existimo maximis usuris subjiciendum, eum qui à contutoribus suis mutuam pecuniam pupilli accepit. *l.* 54. *ff. d. tit.*

Et Quamvis suo nomine fœneravit, non videri (*c*)... pecuniam pupillarem in suos usus convertere. *l.* 46. § 2. *ff. de Admin. tut.*

Longè magis, Vertisse in suos usus non accipimus, eum qui debitor... ipse sibi non solvit. *l.* 7. § 5. *ff. d. tit.*

3. Si post depositionem pecuniæ, comparare prædia tutores neglexerunt (*d*); incipient in usuras (*e*) conveniri. *l.* 7. § 3. *d. tit.*

4. Si tutor pecuniam pupillarem credere non potuit, quòd non erat cui crederet (*f*); pupillo vacabit. *l.* 12. § 4. *ff. d. tit.*

5. Sciendum est, tutorem & post officium finitum usuras debere; in diem quo tutelam restituit (*g*). *l.* 7. § 15. *ff. d. tit.*

(*c*) Cùm liberum sit pupillo hoc nomen sibi vindicare: *d.* tit. N. 46.
(*d*) Quum possent, & comparanda invenirentur.
(*e*) Non quidem maximas, sed pro more regionis.
(*f*) Non audietur autem hoc allegans, si propriam collocavit: l. 13. § 1. ff. *d. tit.*
(*g*) Scilicet solvit reliquum, aut oblatum deponit.

CCCLVII.

Si tutor post pubertatem pupilli negotia administraverit; in judicium Tutelæ veniet id tantùm sine quo administratio tutelæ expediri non potest. *l.* 13. *ff. de Tut. & rat.*

§ IV.

Quatenùs teneantur Tutores curatores-ve, in subsidium ejus cui administratio à testatore aut Prætore decreta fuit.

CCCLVIII.

Blandiuntur sibi, qui putant honorarios tutores omninò non teneri. *l.* 3. § 2. *ff. de Admin. tut.*

Constat hos quoque, excussis priùs facultatibus ejus qui gesserit (*a*), conveniri oportere... Imputaturque eis quandoque (*b*) cur..... suspectum eum non fecerunt. *d.* § 2.

(*a*) Et fidejussorum ejus, Magistratuum-ve qui eum nominaverunt. l. 1. § 1. ff. *de Tut. & rat.*
(*b*) Si culpa eorum argui possit.

CCCLIX.

Eum quoque qui propter rerum notitiam tutor datus est .. & administrationis & accessionis jure conveniri posse. *l.* 32. § 1. *ff. de Testam. tut.*

§ V.

Quatenùs teneantur heredes Tutorum, judicio directo Tutelæ.

CCCLX.

1. Alio jure est tutor, alio (*a*) est heres ejus. *l.* 4. *Cod. de In lit. jur.*

2. Heredes tutorum, ob negligentiam (*b*) quæ non latæ culpæ comparari possit, condemnari non oportet; si non contra tutorem lis inchoata est. *l.* 1. *Cod. de Hered. tut.*

3. Quamvis heres tutoris, tutor non est; tamen ea quæ per defunctum inchoata sunt, per heredem (*c*)...

(*a*) Ex dolo enim tutoris, adversùs ipsum juratur in litem; non adversùs heredem ejus, nisi fuerit cum tutore contestata. Vide aliud discrimen in Reg. seq.
(*b*) Tutorum.
(*c*) *Si legitimæ ætatis sit; & masculus.*

explicari debent: in quibus, dolus ejus admitti potest. *l.* 1. *ff. de Fidej. tutor.*

Negligentia planè propria heredi non imputabitur. *l.* 4. § 1. *ff. d. tit.*

§ VI.

De privilegio actionis Tutelæ, *& Utilis* Negotiorum gestorum *ex Curâ.*

CCCLXI.

Si pupillus post pubertatem rationibus à tutore acceptis reliquationem ejus secutus, usuras acceptaverit; privilegium suum non amittit in bonis tutoris. *l.* 44. § 1. *ff. de Amin: tut.*

In rem suam judicatus (*a*) procurator datus, privilegium pupilli non habebit; quod nec heredi pupilli datur. *l.* 42. *ff. d. tit.*

(*a*) Contutor aut fidejussor tutoris.

CCCLXII.

In bonis curatoris, privilegium furiosi (*a*)... servatur. *l.* 15. § 1. *ff. de Curat. fur.*

(*a*) Idem dic de prodigo, item de Minore, & cæteris qui in curatione sunt.

ARTICULUS VIII.

De aliis actionibus quæ adversùs Tutores aut Curatores dantur.

§ I.

De actione ex stipulatione REM pupilli *vel adolescentis* salvam fore.

CCCLXIII.

Sciendum est, hâc stipulatione teneri, tam eum qui tutor (*a*) est, quàm eum qui pro tutore negotia gessit. *l.* 4. § 2. *ff. Rem pup. vel adol.*

Hanc stipulationem placet finitâ demùm tutelâ committi... In eo qui pro tutore negotia gessit.... statim atque quæque res salva non esse cœpisset, committi stipulationem. *d. l.* 4. § 4.

Quod in Tutelæ judicium venit, hoc & eâ stipulatione continetur. *l.* 9. *ff. d. tit.*

Ex quibus causis diximus Tutelæ agi non posse, ex iisdem causis, nec ex stipulatu (*b*) REM SALVAM FORE agi posse dicendum est. *sup. d. l.* 4. § 6.

(*a*) Aut curator Minoris, furiosi, &c. à quibus exigitur hæc stipulatio: *d. tit.* N. 2.
(*b*) Hinc non tenetur hâc actione tutor qui omninò non gessit: cùm eo nomine *Utili* non etiam *Directâ* actione agatur. Hinc, nec tenetur ex eo quòd post finitam tutelam non necessariò gessit. lib. 46. Tit. *Rem pup. vel. Adol.* N. 10.

§ II.

De actione de Rationibus distrahendis.

CCCLXIV.

Actione DE Rationibus distrahendis nemo tenetur, nisi qui in tutelâ gerendâ rem ex bonis pupilli abstulerit. *l.* 2. *ff. de Tutel. & rat.*

Tutores, propter admissam administrationem, non tam invito domino contrectare *rem* videntur, quàm perfidè agere. *l.* 55. § 1. *ff. de Admin. tut.*

Hæc actio, licèt in duplum sit, in simplo rei persecutionem continet. *l.* 2. § 2. *ff. de Tut. & rat.*

Hanc actionem sciendum est perpetuam esse... Sed

Source : BIU Cujas

in heredem... non dabitur, quia pœnalis eſt. *l.* 1. § 23. *ff. d. tit.*

Hæc actio tunc competit quum & TUTELÆ actio eſt, hoc eſt, finitâ demùm tutelâ. *d. l.* 1. § 24.

ARTICULUS IX.

De actionibus acceſſoriis judicii Directi Tutelæ, *& judicii Utilis* Negotiorum geſtorum.

§ I.

De fidejuſſoribus & nominatoribus Tutorum.

CCCLXV.

1. Fidejuſſores à tutoribus nominati, ſi præſentes... nomina ſua in acta publica referri paſſi ſunt; æquum eſt perindè teneri, atque ſi... ſtipulatio interpoſita fuiſſet. *l.* 4. § 3. *ff. de Fidej. tut.*

Qui... idoneos eſſe tutores affirmaverint, fidejuſſorum vicem ſuſtinent. *d.* § 3. ¶ *fin.*

Fidejuſſores civiliter in ſolidum obligati, cæteris quidem agentibus, ut dividatur actio impetrare poſſunt. Pupillo verò agente, qui non ipſe contraxit, ſed in tutorem incidit... beneficium dividendæ actionis injuriam habere viſum eſt. *l.* 12. §. *Rem pup. vel ad.*

2. *Eadem eſt cauſa Nominatorum, ſcilicet poſt diſcuſſos fidejuſſores & in ſubſidium.*

§ II.

De patre qui tutelam filii ſui familias agnovit.

CCCLXVI.

Si filiusfamilias tutor à Prætore datus ſit; ſi quidem pater tutelam agnovit, in ſolidum debet teneri. *l.* 7. *ff. de Tutelis.*

AGNOVISSE videtur, ſive geſſit, ſive gerenti filio conſenſit (*a*), ſive omninò attigit tutelam... Planè ſi ſolùm monuit filium, non videtur agnita. *d. l.* 7. ¶ *fin.*

Si filiusfamilias tutelam adminiſtraverit..... æquum eſt ut eum duntaxat dolum pater præſtet, qui commiſſus eſt ante emancipationem filii. *l.* 6. *ff. de Tut. & rat.*

(*a*) Vel tacitè; putà ſi Decurionatui filii conſenſit, videtur conſenſiſſe tutelis quæ ipſi tanquam Decurioni injungentur: Tit. *de Tut. & rat.* N. 3.

§ III.

De Magiſtratibus qui Tutores nominaverunt.

CCCLXVII.

In Magiſtratus municipales (*a*) tutorum nominatores, ſi adminiſtrationis finito tempore non fuerint ſolvendo, nec ex cautione fidejuſſionis ſolidum exigi poſſit; pupillis quondam, in ſubſidium, indemnitatis nomine actionem Utilem competere.... conſtitit. *l.* 5. *Cod. de Magiſtr. conven.*

Magiſtratibus imputatur, ſi omninò tutor vel curator datus non ſit. Sed ita.... ſi moniti non dederint. *l.* 1. § 6. ff. *de Magiſtr. conven.*

Si Magiſtratus ab initio tutorem idoneum dedit, & ſatis non exegit; non ſufficit. *d. l.* 1. § 11.

Si curatores fuerunt minùs idonei dati; dicendum eſt teneri Magiſtratus... ſi ex ſuggeſtu eorum, vel nominibus ab eis acceptis (*b*), Præſes dederit. *d. l.* 1. § 5.

(*a*) In majores autem Magiſtratus hæc actio non datur.
(*b*) *Sur la Liſte par eux formée.*

Hadrianus reſcripſit; Etiam in eum qui electus eſt ad æſtimandas tutorem ſatiſdationes, actionem dandam. *d. l.* 1. § 8.

Non debent Magiſtratus futuros caſus & fortunam (*c*) pupillo præſtare. *d. l.* 1. § 11.

Magiſtratus Si ſatis non exegit, idoneus tamen tutor eo tempore fuit quo TUTELÆ agi (*d*) poteſt; ſufficit. *d. l.* 1. § 12.

Reſcriptum eſt, quandiù vel unus ex tutoribus (*e*) idoneus eſt, non poſſe ad Magiſtratus qui dederunt veniri. *l.* 1. § 15. *ff. de Tut. & rat.*

(*c*) Si fidejuſſores quos acceperant, tunc idonei, poſtea lapſi ſint facultatibus. Probatio autem incumbit Magiſtratibus: *d. tit.* N. 2.
(*d*) Nec refert quòd poſteà deſierit eſſe ſolvendo.
(*e*) Hoc non intellige de honorariis, qui in ſubſidium tenentur de eo quòd ſuſpectum contutorem non fecerunt.

CCCLXVIII.

1. Si dolo fecerunt Magiſtratus ut minùs pupillo caveretur; in quem vult, actio ei danda in ſolidum eſt. Sin culpâ duntaxat... æquius... pro portione in quemque eorum actionem dari, dum pupillo (*a*) ſalva res ſit. *l.* 7. *ff. d. tit.*

2. *Unus ex Duumviris, tutorem* Si ſolus dediſſet; diceremus, priùs eum, deinde collegam adgrediendum. *l.* 1. §. 9. *ff. de Magiſtr. conven.*

3. In Ordinem ſubſidiaria actio non datur, ſed in Magiſtratus; nec in fidejuſſores (*b*) eorum. *l.* 1. *ff. d. tit.*

4. Non ſimiliter tenentur heredes Magiſtratuum, ut ipſi tenentur... Magiſtratus quidem in omne periculum ſuccedit; heres ipſius, dolo proximæ culpæ ſuccedàneus eſt. *l.* 4. *ff. d. tit.*

(*a*) Id eſt, uterque ſit ſolvendo.
(*b*) Promittunt enim *Rempublicam ſalvam fore*, non verò *Rem adoleſcentis*. Pari ratione pater pro filio Magiſtratu non teneretur, niſi *de Peculio*.

CCCLXIX.

Eadem in Magiſtratibus actio datur, quæ competit in tutores. *l.* 9. *ff. d. tit.*

Privilegium in bonis Magiſtratûs pupillus non habet. *l.* 1. § 14. *ff. d. tit.*

ARTICULUS X.

De Contrariâ *actione* TUTELÆ, *&* Contrariâ *Utili actione* NEGOTIORUM GESTORUM *quæ Curatoribus datur.*

CCCLXX.

Receptum eſt ut tutori ſuo pupillus, ſine tutoris auctoritate, civiliter obligetur ex adminiſtratione. *l.* 1. *ff. d. Contrar. tut.*

Ex hâc obligatione, Tutori in pupillum Actionem dandam placet; etſi Tutelæ judicio non agatur. *d. l.* 1. § 8.

Etiam A tutelâ remotus... Contrario judicio, ſi quid ei aberit, perſequi debebit. *l.* 4. *ff. d. tit.*

Demùm Finito officio, hanc actionem competere dicemus. *ſup. d. l.* 1. § 3.

CCCLXXI.

1. Officio judicis... congruit, reputationes tutoris non improbas admittere. *l.* 2. *ff. Ubi pup. educ.*

2. Sumptus... ex juſtis honeſtiſque cauſis... ſi probabuntur facti (*a*), accepto feruntur; etiamſi

(*a*) Putà, ſumptus litis, viatica, &c.

Source : BIU Cujas

Prætoris Decretum de dandis eis non ſit interpoſitum. *l.* 3. *Cod. de Admin. tut.*

3. Nec permittendum eſt tutori tantùm reputare quantum dedit, ſi plus æquo dedit. *l.* 2. § 1. *ff. Ubi pupill. ed.*

4. Neque in hoc adminiſtrantur tutelæ, ut mergantur pupilli. *l.* 3. *ff. de Contrar. tut.*

5. Etſi Prætor modum alimentis ſtatuit, verumtamen ultra vires facultatum ... nec ſuggeſſit Prætori *tutor* de ſtatu facultatum; non debet ratio haberi alimentorum omnium. *l.* 2. § 2. *ff. Ubi educ. pup.*

6. Sufficit tutori benè & diligenter negotia geſſiſſe, etſi eventum adverſum habuit quod geſtum eſt. *d. l.* 3. § 7.

7. Sumptuum qui bonâ fide in tutelam, non qui in ipſos tutores fiunt, ratio haberi ſolet; niſi ab eo qui eum dat, certum ſolatium ei conſtitutum eſt. *l.* 33. § 3. *ff. de Admin. tut.*

8. Judicio Contrario Tutelæ præſtatur, & id quod in rem pupilli verſum ante tutelam vel poſt... ſi negotiis tutelæ tempore geſtis nexum probatur. *l.* 3. § 8. *ff. de Contrar. tut.*

9. *Tutor* Conſequitur pecuniam ſi quam de ſuo conſumpſit, etiam cum (*b*) uſuris. *d.* § 1.

(*b*) Donec ipſi reddatur pecunia. Quales ſint illæ uſuræ, vide *d. tit.* N. 14.

CCCLXXII.

1. Quod debebatur aliàs tutori; magis puto, cùm (*a*) ſit actio tutori, non eſſe in Contrarium judicium deducendum. *l.* 1. § 5. *ff. de Contr. tut.*

2. Nemo dixit in hoc agere quem Contrario poſſe, ut Tutelæ judicio liberetur; ſed tantùm de his quæ ei propter tutelam abſunt. *l.* 3. § 1. *ff. de Contr. tut.*

(*a*) Ergo ſi non ſit, putà ſi durante tutelâ actio finita ſit, deducetur in *Contrarium* judicium.

Scholium.

Omnes Regulæ mox ſuprà relatæ, etiam ad Contrariam Utilem NEGOTIORUM GESTORUM *actionem quæ Curatoribus competit, rectè trahuntur.*

ARTICULUS XI.

De Protutelâ.

CCCLXXIII.

1. Ut pro tutore quis gerat; eam eſſe perſonam oportet cujus ætas (*a*) recipiat tutelam, id eſt impuberem. *l.* 1. § 6. *ff. de Eo qui pro tut.*

2. Qui pro tutore negotia gerit, eamdem diligentiam præſtat quam tutor. *l.* 4. *ff. d. tit.*

3. Magis eſt ut quamvis compulſus geſſerit, teneri tamen debeat qui animo tutoris geſſit (*b*) quum tutor non eſſet. *ſup. d. l.* 1. § 7.

4. Si quædam geſſit... etiam eorum quæ (*c*) non geſſit... tenebitur, ſi alius geſturus fuit. *d. l.* 1. § 9.

(*a*) Adde, aut conditio. Contrà, vice versâ, in ejus perſonâ qui gerit non requiritur ut fuerit capax muneris tutelæ. Tit. *de eo qui pro tut.* N. 3.

(*b*) Item ſive nunquam fuerit tutor, ſive fuerit, ſed deſierit eſſe; ſive incertum ſit an eſſet tutor; ſive quum reverâ eſſet tutor, ſe tutorem eſſe ignoraret, & tamen pro tutore gereret. d. tit. N. 3. & 4.

(*c*) Etiam ei imputatur, quòd alium protutorem minùs idoneum qui cum ipſo adminiſtrabat rejici non curaverit. *d. tit.* N. 5.

CCCLXXIV.

Cum eo qui pro tutore negotia geſſit, etiam ante pubertatem agi (*a*) poſſe nulla dubitatio eſt. *d. l.* 1. § 3.

Privilegium datur in bonis... etiam ejus qui pro tutelâ negotium geſſit. *l. fin. ff. de Tut. & rat. diſtr.*

Si pro tutore negotia *quis* geſſit, locus erit *Contrario* (*b*) judicio etiam ſtatim. *l.* 1. § 3. *ff. de Contr. tut.*

(*a*) Actione *Protutetæ*, quæ datur ad inſtar actionis *Tutelæ*.

(*b*) Ad inſtar Contrarii judicii *Tutelæ*.

CAPUT QUARTUM.

De Variis perſonarum neceſſitudinibus.

SECTIO I.

De neceſſitudine inter conjuges; ubi de Nuptiis, *& omnibus quæ ad nuptias pertinent.*

ARTICULUS I.

De ſponſalibus quæ nuptias præcedunt.

CCCLXXV.

1. Sufficit nudus (*a*) conſenſus ad conſtituenda ſponſalia. *l.* 4. *ff. de Sponſalib.*

2. In ſponſalibus conſenſus eorum exigendus eſt, quorum in nuptiis deſideratur. *l.* 7. § 1. *ff. d. tit.*

3. Tunc ſolùm diſſentiendi à patre licentia filiæ conceditur, ſi indignum moribus vel turpem ſponſum ei pater eligat (*b*). *l.* 12. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Et quidem vel tacitus tam in contrahentibus quàm in patre ſufficit: *d. tit.* N. 5. & 6. Cæterùm oportet, in hoc conſentire contrahentes, ut ſponſalia contrahant. Hinc nuptiæ perperàm inter impuberes (qui ſponſalia poſſent contrahere) initæ, ne quidem ut ſponſalia valent.

(*b*) Quòd ſi honeſtus ſit, peccat filia ſi patri non obtemperet.

CCCLXXVI.

Cum quâ nuptiæ contrahi non poſſunt, hæc plerumque (*a*) ne quidem deſponderi poteſt. *l.* 60. § 5. *ff. de Rit. nupt.*

In ſponſalibus contrahendis ætas contrahentium (*b*) definita non eſt, ut in matrimoniis. *l.* 14. *ff. de Sponſal.*

(*a*) Dicit *Plerumque*, quia regula fallit in Præſide, qui provincialem mulierem ducere uxorem prohibetur, non verò eam deſpondere: infrà N. 383. Reg. 2.

(*a*) Sufficit enim ut ſint ejus ætatis quæ poſſint videri conſentire, id eſt ſeptennio majores. d. l. 14.

CCCLXXVII.

In ſponſalibus diſcutiendis, placuit renuntiationem (*a*) intervenire oportere. *l.* 2. § 2. *ff. de Divort.*

In poteſtate manente filiâ, pater ſponſo nuntium

(*a*) Per hæc verba autem renuntiatur ſponſalibus, *Conditione tuâ non utor:* l. 2. § 2. ff. *de Divort.* Sed & citra renuntiationem lapſu biennii regularites ſolvuntur. *d. tit.* N. 12. aut triennii, ſi peregrinetur ſponſus.

Source : BIU Cujas

remittere poteſt ... ſi emancipata eſt, non poteſt. *l.* 10. *ff. de Sponſal.*

ARTICULUS II.

De ipſis Nuptiis.

CCCLXXVIII.

Juſtas nuptias inter ſe cives (*a*) Romani contrahunt, qui ſecundùm præcepta legum coeunt, maſculi quidem puberes (*b*), fœminæ autem viri potentes. *Inſtit.* Tit. *de Nupt.* pr.

Nuptiæ conſiſtere non poſſunt, niſi conſentiant (*c*) omnes; id eſt qui coeunt, quorum-que in poteſtate ſunt. *l.* 2. *ff. de Ritu nupt.*

Nuptiæ inter eaſdem perſonas niſi volentibus parentibus renovatæ (*d*), juſtæ non habentur. *l.* 18. *ff. d. tit.*

Generali mandato quærendi mariti filiæfamilias, non fieri nuptias rationis eſt. *l.* 34. *ff. de Ritu nupt.*

Is cujus pater ab hoſtibus captus eſt, ſi non intrà triennium revertatur, uxorem ducere poteſt (*e*). *l.* 9. § 1. *ff. d. tit.*

Nepote (*f*) uxorem ducente, & filius conſentire debet (*g*). *l.* 16. § 1. *ff. d. tit.*

Filius emancipatus, etiam ſine conſenſu patris (*h*) uxorem ducere poteſt. *l.* 25. *ff. d. tit.*

Sciendum eſt ad officium curatoris non pertinere, nubat pupilla an non. *l.* 20. *ff. d. tit.*

(*a*) Peregrini autem ita demùm, ſi ex privilegio connubium cum civibus eis conceſſum ſit. Ulp. fragm.

(*b*) Quæ pubertas æſtimatur in maſculis anno quarto-decimo, in fœminis anno duodecimo.

(*c*) Saltem tacitè.

(*d*) Poſtquàm divortium interceſſit.

(*e*) Idem dic de caſu quo ignoratur ubi ſit pater.

(*f*) Qui eſt in poteſtate avi.

(*g*) Ne quandoque nepote in poteſtatem patris ſui recidente, liberi ex eo ſuſcepti invito agnaſcerentur. Secùs ergo in nepte obtinet, cum hæc ratio ceſſet.

(*h*) Ex Conſtitutione autem Conſtantinopolitanorum imperatorum, adulta minor viginti-quinque annis, patris; ſi patrem non habeat, matris & propinquorum arbitrio nubere debet: l. 18. Cod. *de Nupt.* Vide lib. 23. Tit. *de Ritu nupt.* N. 13.

CCCLXXIX.

Non cogitur filiusfamilias (*a*) uxorem ducere. *l.* 21. *ff. de Rit. nupt.*

Invitam libertam uxorem ducere patronus non poteſt ... niſi patronus ideò eam manumiſit (*b*). *l.* 28. & *l.* 29. *ff. d. tit.*

(*a*) At filiafamilias peccat ſi diſſentiat. Suprà N. 375. Reg. 3.

(*b*) Hoc enim caſu peccaret ſi diſſentiret; & fortè poſſet in ſervitutem reduci ut ingrata.

CCCLXXX.

Nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit. *l.* 30. ULP. LIB. 36. AD SABIN.

Neque tabulas facere matrimonium. *l.* 31. *ff. de Donat.*

CCCLXXXI.

1. Uxores eorum qui in hoſtium poteſtate pervenerunt, poſſunt videri nuptarum locum retinere; eo ſolo quòd alii temerè (*a*) nubere non poſſunt. *l.* 6. *ff. de Divort.*

2. Reas adulterii factas, nec ante damnationem (*b*) vivente marito uxores duci poſſe. *l.* 26. *ff. de Ritu nupt.*

3. Matrimonii cauſâ ancilla manumiſſa, à nullo alio uxor duci poteſt quàm à quo manumiſſa eſt; niſi patronus matrimonio ejus renuntiaverit. *l.* 51. *ff. d. tit.*

4. Liberta (*c*) eademque uxor (*d*) tua, ſi à te invito diſceſſit, connubium cum alio non habeat; ſi modò uxorem eam habere velis (*e*). *l.* 1. *Cod. de Inceſt. nupt.*

(*a*) Scilicet non poſſunt, quandiù certum eſt eum vivere; aut ſi incertum eſt, donec quinquennium à captivitatis tempore exceſſerit. Idem vice versâ de marito, quum mulier captiva eſt. Et *Ex eo ſolo quòd* non poſſunt alteri nubere, propter ſpem poſtliminii; *Nuptarum locum* retinent: neque enim propriè *Nuptia* eſſe poſſunt cum captivo. Undè infrà (Reg. 393.) dicitur *Captivitate ſolvi matrimonium.*

(*b*) Multò magis non poterunt poſt damnationem. At poſt abſolutionem aut abolitionem, poterunt duci; vel ab ipſo marito qui eas accuſavit, vel ab alio: *d. tit.* N. 23.

(*c*) *Liberta* hìc non intelligitur, quæ ſuis nummis redempta eſt, aut ex causâ fideicommiſſi. At intelligitur etiam illa quæ hâc lege empta erat ut manumitteretur, item etiam liberta communis: & hoc jus indultum eſt, non ſolùm patrono, ſed & patroni liberis; ſi tamen uni aſſignata fuit, is ſolus hoc jus habebit: *d. tit.* N. 26. & 27.

(*d*) Idem dic de concubinâ. Secùs obtinet circa illam quæ contra Leges patrono nupſit. Non idem etiam obtinet in ſponſâ, quæ poteſt impunè renuntiare ſponſalibus. *d. tit.* N. 29. in fin.

(*e*) Quòd ſi aut velle, aut patronus eſſe deſieris; ceſſat impedimentum: *d. tit.* N. 28.

CCCLXXXII.

Semper in conjunctionibus non ſolùm quid liceat conſiderandum eſt, ſed & quid honeſtum ſit. *l.* 197. MODESTIN. LIB. SING. DE RITU NUPT.

In (*a*) contrahendis matrimoniis naturale jus & pudor inſpiciendus eſt. *l.* 14. § 2. *ff. de Ritu nupt.*

Nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas quæ in numero parentum liberorum-ve ſunt (*b*), ſive proximi ſive ulterioris gradûs ſint, uſque ad infinitum. *l.* 53. *ff. d. tit.*

Hos *qui* affinitatis cauſâ (*c*) parentium liberorum-ve loco habentur, matrimonio copulari nefas eſt. *l.* 4. § 7. *ff. de Grad. & affin.*

Mulier liberto (*ſuo aut*) viri, ac patroni ſui, malâ ratione (*d*) conjungitur. *l.* 62. § 1. *ff. de Ritu nupt.*

In re dubiâ certius & modeſtius eſt ... nuptiis abſtinere. *l.* 14. § 3. *ff. d. tit.*

Ex Conſtitutione Theodoſii, etiam cum fratris uxore aut uxoris ſorore nuptiæ vetantur.

(*a*) Ex hâc regulâ prohibentur nuptiæ inter cognatos & affines, de quibus vide duas regulas ſeqq. item inter eas perſonas, quæ licèt (exactâ Juris definitione) cognati & affines non ſint, tamen ipſas pro cognatis aut affinibus haberi pudor naturalis jubet; quales ſunt V. G. mater aut matertera patris adoptivi; item quæ deſponſa duntaxat patri meo aut filio fuit, non nupta; item filia quondam uxoris poſt divortium ſuſcepta; & ſimiles: de quibus in Tit. *de Ritu nupt.* N. 38. & 39.

(*b*) In lineâ tranſversâ prohibentur in 2°. & 3°. gradu, permittuntur in 4°. præterquàm inter eas perſonas quæ invicem parentum & liberorum loco ſunt; ſic V. G. proneptem ſororis meæ non poſſum ducere. Nil refert autem cognatio ſit legitima, an merè naturalis: nam etiam ſervilis cognatio attenditur: item etiam illa quæ merè civilis eſt, & quidem poſtquàm diſſoluta eſt, ſi in lineâ rectâ fuerit; in tranſversâ autem non obſtat niſi quandiù durat. Tit. *de Ritu nupt.* N. 31, 32. & 33.

(*c*) Quæ affinitas non ſolùm ex juſtis nuptiis, ſed & ex concubinatu, imò & ex ſervili contubernio attenditur. *d. tit.* N. 36.

(*d*) Scilicet pudor naturalis vetat ut mulier tanquam marito ſubſit, illi qui contrà tanquam ipſius mariti-ve ſui libertus ipſi ſubeſſe debet. Ex causâ tamen hæc prohibitio remittitur, ſi mulier ſit viliſſima perſona.

CCCLXXXIII.

1. Non eſt matrimonium, ſi tutor (*a*) vel curator (*b*) pupillam ſuam intrà vigeſimum-ſextum annum (*c*), non deſponſam à patre nec teſtamento deſtinatam (*d*), ducat uxorem, vel eam filio (*e*) ſuo jungat. *l.* 66. *ff. de Ritu nupt.*

2. Si quis officium in aliquâ provinciâ adminiſtrat (*f*) ...

(*a*) Etiam Honorarius; etiam is qui non geſſit, ad quem tamen tutelæ periculum pertinet principaliter, ut qui falſis allegationibus excuſationem meruit: *d. tit.* N. 43. Excipitur ab hâc regulâ avus tutor; qui neptem pupillam ſuam poteſt nepoti ſuo ex altero filio in matrimonium dare: *d. tit.* N. 51. Ad eum autem qui pro tutore negotia, aut pro curatore geſſit, regula non porrigitur: *ibid.* N. 44. Etiam autem illa pupilla continetur regulâ, quæ nulla bona haberet, & hereditate patris abſtinuiſſet: *d. tit.* N. 51.

(*b*) Etiam curator ventri: *d. tit.* ſup. d. N. 43.

(*c*) Debet enim effluxiſſe annus utilis; intra quem, adversùs rationes ſibi à tutore redditas, reſtitui poteſt.

(*d*) Providentia patris his caſibus amovet ſuſpicionem fraudis. Eſt & altera exceptio in l. 67. § 1. ff. *d. tit.*

(*e*) Idem de liberis cujuſcumque gradûs, tam naturalibus quàm adoptivis quandiù adoptio durat. Sed & mortuo tutore filius tutoris ducere non poterit, licèt ſe abſtineat patris hereditate. Sententia Edicti etiam ad libertum tutoris, item ad heredem hujus tutoris extraneum, & ad patrem filiifamiliàs tutoris porrecta eſt: *d. tit.* N. 45. & ſeq.

(*f*) Excipiuntur illi qui in patriâ ſuâ militant: d. tit. N. 53.

Source : BIU Cujas

ibi domicilium habentem uxorem ducere non (*g*) poteſt, quamvis ſponſare non prohibeatur (*h*). *l.* 38. *ff. d. tit.*

3. Lege Papiâ cavetur omnibus ingenuis, præter Senatores eorumque liberos (*i*), libertinam uxorem habere licere (*k*) *l.* 23. *ff. d. tit.*

4. Inceſtæ (*l*) nuptiæ neque dotem habent: & ideò omne quod perceptum eſt, licèt fructuum nomine, auferetur (*m*). *l.* 52. *ff. d. tit.*

(*g*) Nec filio ſuo uxorem dare: d. tit. N. 52. Niſi ante officium fuiſſet deſponſa, *ibid.* N. 54.

(*h*) Sed poterit impunè mulier ſponſalibus renuntiare, poſt depoſitum officium.

(*i*) Cujuſcumque gradûs. Et pariter Senatoriæ mulieres liberto nubere non poſſunt: ceſſat prohibitio, ſi dignitatem ſuam amiſerint.

(*k*) At ingenui etiam Plebeii non poſſunt ducere eam quæ corpore palàm quæſtum fecit, nec lenam, nec damnatam publico judicio, aut in adulterio deprehenſam, aut quæ artem ludicram fecerit: *d. tit.* N. 56. & ſeqq. Senatoriæ autem perſonæ, ſcenicis aut ſcenicorum filiis conjungi matrimonio prohibentur: *d. tit.* N. 63. & ſeqq. Quid circa ſcenicas mulieres innovaverit lex 23*a*. Cod. *de Nupt.* vide d. tit. N. 69.

(*l*) *Inceſta* propriè dicuntur, quæ Jure gentium prohibitæ ſunt. Latè etiam hîc ſumuntur, pro illis quæ Lege civili prohibente contractæ ſunt.

(*m*) A fiſco. Subvenitur tamen juſto errori; ætati, &c. *d. tit.* N. 72. & ſeq.

ARTICULUS III.

De effectu neceſſitudinis inter conjuges, & prohibitis inter eos donationibus.

CCCLXXXIV.

1. Conjugum commixta familia eſt, & una (*a*) domus. *l.* 1. § 15. *ff. de SC. Silan.*

2. In honorem... matrimonii, turpis actio adversùs uxorem (*b*) negatur. *l.* 2. *ff. de Act. rer. amot.*

3. Non tantùm Dotis nomine maritus in quantum facere poſſit convenitur, ſed ex aliis quoque contractibus... Quod & in perſonâ mulieris æquâ lance ſervari convenit. *l.* 20. *ff. de Re judic.*

4. *Ex hâc quoque neceſſitudine;* Moribus apud nos receptum eſt ne inter virum & uxorem (*c*) donationes valeant. *l.* 1. *ff. de Donat. int. vir. & ux.*

Nec inter eas quidem perſonas quarum juri ſubjecti ſunt vir & uxor, qui quæ-ve in eorum (*d*) poteſtate ſunt, donationes Jure Civili fieri poſſunt. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

(*a*) Hinc (quæ ſpecies legis eſt) uno conjuge occiſo, etiam de alterius conjugis ſervis quæſtio habetur. Hinc uxor dignitatem domicilium que mariti ſequitur: ſuprà Reg. 127. & 178.

(*b*) Et vice versâ adversùs virum. Hinc actio, non *Furti*, ſed *Rerum amotarum*. Hinc generaliter, *De dolo* adversùs conjuges non agitur, ſed actione *In factum*.

(*c*) Tales ſunt, non quæ ſub ipſo tempore contrahendarum nuptiarum, ſed quæ jam contractis nuptiis fiunt. Tales ſunt etiam illæ quæ ante nuptias inchoatæ, contractis nuptiis demùm perficiuntur, aut quæ in tempus nuptiarum conferuntur. Tales ſunt quæ poſt divortium non legitimum aut ſimulatum fiunt. Nec ſolùm inter juſtas conjuges prohibentur, ſed etiam inter eas perſonas quæ Lege prohibente nuptias invicem contraxerunt. Vide lib. 24. Tit. *de Donat. int. vir. & uxor.* à N°. 1. ad VII.

(*d*) Hoc ita, ſi conjux liberis alterius conjugis donet ex eâ causâ quâ conjugi adquiratur; aut ſi liberi conjugis, ex eo peculio quod ad conjugem pertineat, alteri conjugi donent: *d. tit.* N. 8. 9. & 10.

§ I.

Quæ donationes prohibitione contineantur necne.

CCCLXXXV.

Inter virum & uxorem nec poſſeſſionis ulla donatio eſt. *l.* 46. *ff. d. tit.*

Quod annui (*a*) nomine datur, ſpecies eſt donationis. *l.* 32. *ff. de Pact. dotal.*

Non tantùm per ſe (*b*), maritus cæteræque perſonæ dare non poſſunt. *l.* 3. § 9. *ff. de Donat. int. vir. & ux.*

(*a*) Excipe, ſi vir uxori hoc *Annuum* dederit in vicem alimentorum quæ ipſi tenebatur exhibere: *d. tit.* à N. 40. ad 44.

(*b*) Sed nec per interpoſitam perſonam; item nec indirectè. Vide exempla *d. tit.* N. 16. ad 19.

CCCLXXXVI.

Inter virum & uxorem, donationes mortis (*a*) causâ receptæ (*b*) ſunt. *l.* 9. § 3. *ff. d. tit.*

Divortii (*c*) causâ donationes inter virum & uxorem conceſſæ ſunt. *l.* 90. § 1. *ff. d. tit.*

Inter virum & uxorem exilii causâ (*d*) donatio fieri poteſt. *l.* 43. ff. *d. tit.*

(*a*) Nec enim ſunt propriè inter virum & uxorem; cùm in tempus ſoluti matrimonii, quo vir & uxor eſſe deſinunt, conferantur. Adde quòd eâ donatione non ſpolietur conjux, cui ſemper liberum eſt pœnitere.

(*b*) Ita tamen ut ex hâc causâ dominium ad donatarium conjugem non tranſeat, niſi mortè donatoris ſecutâ; ei autem ſecutâ, omnia perindè donatarium ſequantur, ac ſi ſtatim à donatione ad ipſum tranſiviſſet: *d. tit.* N. 21.

(*c*) Scilicet quæ ſub ipſo divortii tempore fiunt; non quæ ex cogitatione divortii quandoque futuri: l. 12. ff. *d. tit.*

(*d*) Nempè ſi hoc animo ſint conjuges, ut propter hunc mariti caſum ſolvatur matrimonium. Favore matrimoniorum obtinet, ut hæc donatio non videatur in fraudem publicationis bonorum: vide Notas ad h. l. *d. tit.* N. 23.

CCCLXXXVII.

Regulæ generales.

Prima regula Non (*a*) amarè, nec tanquam inter infeſtos, jus prohibitæ donationis tractandum eſt, ſed inter conjunctos maximo affectu, & ſolam inopiam timentes. *l.* 28. § 2. *ff. d. tit.*

2^a. *Regula. A fortiori*; Ubicumque non deminuit de facultatibus (*b*) ſuis qui donavit, valet donatio; vel etiam ſi deminuat, locupletior tamen non fit qui accepit. *l.* 5. § 16. *ff. d. tit.*

Hinc 1°. Quod adipiſcendæ dignitatis gratiâ ab uxore in maritum collatum eſt, eatenus ratum eſt (*c*) quatenùs dignitati ſupplendæ opus eſt. *l.* 40. *ff. d. tit.*

2°. Conceſſa eſt donatio ſepulturæ (*d*) causâ. *l.* 5. § 8. *ff. d. tit.*

3°. Manumiſſionis (*e*) causâ donatio facta valet. *l.* 7. § 9. *ff. d. tit.*

3^a. *Regula. In donationibus inter virum & uxorem* Generaliter tenendum eſt.... ſi aliarum extrinſecùs rerum perſonarum-ve cauſa commixta ſit; ſi ſeparari (*f*) non poteſt, nec donationem impediri. *l.* 5. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Hinc inter conjuges, munera ſolemnibus diebus facta non prohibentur *d. tit.* N. 37. nec illa donatio quæ in ſolo commodo repræſentationis (N. 36), aut in momentaneo uſu conſiſteret, N. 35. aut quæ magis ſarciendi damni quod conjux paſſus eſſet, quàm lucri ei quærendi causâ fieret, N. 34.

(*b*) Ut ſi conjux repudiet opulentam hereditatem; animo donandi conjugi, qui ipſi in eâ heres ſubſtitutus erat. Vide alia exempla *d. tit.* N. 26.

(*c*) Vide *d. tit.* N. 29.

(*d*) Si conjux donet conjugi locum, ut mortuum aliquem ibi ſepeliat: cæterùm non priùs ſit donatarii, quàm quum mortuum infert, ita ut eodem momento, ejus eſſe incipiat & deſinat. Idem dic, ſi locus donetur ut conſecretur. Vide *d. tit.* N. 27. & 28.

(*e*) Id eſt, donatio ſervi ut manumittatur: ut, quemadmodum in Notâ præced. ſtatim ejus fiat & eſſe deſinat. *d. tit.* N. 30. 31. & 32.

(*f*) Ut ſi vir uxori & extraneo, prædium commune habentibus, jus ſervitutis donaverit.

§ I.

Quatenùs irritæ ſint donationes inter virum & uxorem.

CCCLXXXVIII.

Sciendum eſt ita interdictam inter virum & uxorem donationem, ut ipſo Jure nihil valeat (*a*) quod actum eſt. *l.* 3 § 10. *ff. d. tit.*

In donationibus Jure Civili impeditis, hactenùs tevocatur donum... ut ſi quidem extet res, vindicetur; ſi conſumpta ſit, condicatur... quatenùs locupletior (*b*) *donatarius* factus eſt. *l.* 5. 18. § *ff. d. tit.*

(*a*) Hinc res ex hâc causâ tradita, non fit donatarii. Secùs de novâ ſpecie in quam tranſiviſſet, & de re quæ ex pecuniâ donatâ comparata eſſet: *d. tit.* N. 53. Hinc quoque nec ex promiſſione aut ſtipulatione ex hâc causâ facta obligatio, nec ex acceptilatione liberatio naſcitur: N. 54. & 55.

(*b*) Videtur autem locupletior; quum tempore litis conteſtatæ extat aliquid, quod ex re pecuniâ-ve donatâ comparavit ſive immediatè aut mediatà; vel quum ei liberatio ex donatione contigit. Nil refert autem ſolvendo ſit necne. Vide *d. tit.* Part. 2*d*. toto Art. 3°.

Source : BIU Cujas

Si vir & uxor invicem ſibi donaverint, & maritus ſervaverit, uxor conſumpſerit; rectè placuit, compenſationem (*a*) fieri donationum. *l.* 7. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Id eſt; mulier non poterit repetere quod ipſa donavit viro, licèt locupletiori facto; ſed compenſare tenebitur, cum his quæ ipſa illicitè à viro accepit, quamvis ipſa non ſit locupletior. Nota non teneri eam compenſare quod licitè à viro accepiſſet: *d. tit.* N. 65.

CCCLXXXIX.

Fructus percipiendo uxor vel vir ex re donatâ, ſuos facit; illos tamen quos ſuis operis (*a*) adquiſierit, veluti ſerendo. *l.* 45. ff. *de Uſur.*

(*a*) Fructus autem merè naturales, & cauſa rei (putà, quæ per ſervum donatum adquiſita ſunt) ad donatorem pertinent. Contrà, uſuræ quas ex pecuniâ donatâ donatarius percepit, ipſum ſequuntur. Vide *lib.* 22. Tit. *de Uſuris* Part. 2*á*. Art fin. & Notas ad d. l. 45.

§ III.

De convaleſcentiâ donationum inter virum & uxorem.

CCCXC.

Ait Oratio *Severi & Antonini*; Fas eſſe eum quidem qui donavit, pœnitere; heredem verò eripere, forſitan adverſùs voluntatem ſupremam ejus qui donavit, durum (*a*) & iniquum eſſe. *l.* 32. § 2. ff. *de Don. int. vir.*

Papinianus rectè putabat, Orationem Divi Severi ad RERUM (*b*) donationem pertinere. Denique ſi ſtipulanti ſpopondiſſet uxori ſuæ; non putabat conveniri poſſe heredem (*c*) mariti, licèt durante voluntate maritus deceſſerit. *l.* 23. ff. *d. tit.*

(*a*) Cùm ergo heredi donatoris qui non mutatâ voluntate deceſſit: Condictio denegetur, ipſo Jure morte donatoris confirmantur; nec opus eſt (ut antea) eas teſtamento confirmari. Valent autem ad inſtar donationum mortis causâ.

(*b*) Id eſt, quæ rei traditione conſummatæ eſſent.

(*c*) Contrà ex Novellâ CLXII. Vide *d. tit.* N. 73. & ibi Notas.

CCCXCI.

Antonini Oratio non ſolùm virum & uxorem complectitur, ſed etiam cæteros (*a*) qui propter matrimonium donare prohibentur. *l.* 32. § 16. ff. *d. tit.*

(*a*) Putà ſocerum, qui genero nurui-ve donaſſet. Confirmabitur donatio, ſi non mutatâ voluntate deceſſit; modò jam ſoluto generi matrimonio: *d. tit.* N. 90. item modò alteruter ex conjugibus jura familiæ non amiſerit: *d. tit.* N. fin.

CCCXCII.

A marito in uxorem donatione collatâ, nec initio dominium transferri poteſt. Nec poſt, ſi divortium (*a*) interceſſerit, vel prior perſona quæ liberalitatem accepit rebus humanis fuerit exempta (*b*), vel ab eo qui donavit, fuerit revocata (*c*), poteſt (*d*) convaleſcere. *l.* 18. *Cod. d. tit.*

Non videtur prior deceſſiſſe qui donatum accepit, cùm ſimul deceſſerint. *l.* 32. § 14. ff. *de Donat. int. vir. & ux.*

(*a*) Ex divortio enim præſumitur revocandi voluntas. Si tamen reſtauratum fuerit matrimonium, poterit morte donatoris donatio confirmari: *d. tit.* N. 79.

(*b*) Sive morte naturali, ſive ſervitute: captivitate autem, ita demùm ſi non redeat: *d. tit.* N. 83.

(c) Quocumque pœnitentiæ indicio; putà, ſi donator res donatas alienavit, obligavit; *d. tit.* à N. 84. ad 87. *Pœnitentiam autem intelligere debemus ſupremam*, d. N. 87.

(*d*) Vide alias cauſas ex quibus donatio non poteſt morte donatoris convaleſcere; putà ſi tempore mortis ſuæ donator jus diſponendi de rebus ſuis jam non haberet, ut ille qui ob conſcientiam ſceleris ſibi mortem intulit; &c. N. 88.

ARTICULUS IV.

Quibus modis diſſolvatur matrimonium necne.

CCCXCIII.

Dirimitur matrimonium divortio, morte (*a*), captivitate (*b*), vel aliâ contingente ſervitute utrius eorum. *l.* 1. *ff. de Divort.*

(*a*) Alterutrius.

(*b*) Hoc tamen modo non perfectè diſſolvitur; propter ſpem poſtliminii: ſuprà Reg. 145.

CCCXCIV.

Matrimonium deportatione, vel aquæ & ignis interdictione, non ſolvitur; ſi caſus in quem maritus incidit, non mutet uxoris affectionem. *l.* 1. *Cod. de Repud.*

Quid (*a*) tam humanum eſt, quàm fortuitis caſibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem eſſe? *l.* 22. § 7. *ff. de Sol. matrim.*

(*a*) Indè probatur, furore alterutrius conjugis vel alio ſimili caſu matrimonium non ſolvi: d. l. 22.

CCCXCV.

Conſenſu licita matrimonia poſſe contrahi; contracta nonniſi miſſo repudio diſſolvi præcipimus. *l.* 8. *Cod. de Repud.*

Lex Julia DE adulteriis, niſi certo (*a*) modo divortium factum ſit, pro infecto habet. *l. un.* § *fin. ff. Undè vir & ux.*

Divortium non eſt niſi verum, quod animo perpetuam conſtituendi diſſentionem fit. *l.* 3. ff. *de Divort.*

Licèt libellus repudii non fuerit traditus vel cognitus marito (*b*), diſſolvitur matrimonium. *l.* 6. *Cod. de Repud.*

(*a*) Lex requirebat ſeptem teſtes, præter libertum qui libellum repudii ferebat: Tit. *de Divort.* N. 4.

(*b*) Sed alicui qui in ejus poteſtate ſit, aut in cujus ipſe ſit poteſtate: *d. tit.* N. 7.

CCCXCVI.

Julianus ... ſcribit; Furioſam repudiari poſſe, quia ignorantis (*a*) loco habetur; repudiare autem non poſſe, neque ipſam propter dementiam, neque curatorem ejus: patrem tamen ejus nuntium mittere poſſe. *l.* 4. ff. *de Divort.*

Emancipatæ filiæ pater divortium in arbitrio ſuo non habet. *l.* 5. *Cod. de Repud.*

Benè concordans matrimonium ſeparari à patre, Divus Pius prohibuit. PAUL. SENT. *lib.* 5.

(*a*) Ejus enim duntaxat perſonæ quæ repudiat, non ejus quæ repudiatur, ſcientia & voluntas requiritur.

ARTICULUS V.

De jure Dotium.

§ I.

Regulæ circa diſtinctionem Dotis profectitiæ & adventitiæ.

CCCXCVII.

Non jus poteſtatis, ſed parentis nomen (*a*), dotem profectitiam facit: ſed ita demùm, ſi ut parens (*b*) dederit. *l.* 5. § 11. *ff. de Jure dot.*

(*a*) Sive patris, ſive alterius ex Aſcendentibus per virilem ſexum.

(*b*) Ipſe, vel alius nomine ejus.

Indè

Source : BIU Cujas

Indè regulæ ſequentes.

1. Si pater alienum fundum bonâ fide emptum, in dotem dedit; ab ipſo profectus (*c*) intelligitur. *l.* 6. § 1. ff. *de Jure dot.*

2. Si pater repudiaverit hereditatem (*d*), dotis conſtituendæ causâ, fortè quòd maritus erat ſubſtitutus... dotem profectitiam non eſſe Julianus ait. *l.* 5. § 5. ff. *d. tit.*

3. Si pater, non quaſi pater, ſed alio dotem promittente fidejuſſit; & quaſi fidejuſſor ſolverit.... non eſſe profectitium dotem, quamvis pater ſervare à reo id quod ſolvit non poſſit. *d. l.* 5. § 6.

4. Si promiſſori pater heres extiterit.... poſt nuptias (*e*); non eſſe profectitiam. *d. l.* 5. § 14.

5. pater... quum deberet filiæ (*f*), voluntate ejus dedit; adventitia dos eſt. *d. l.* 5. § 11.

6. Si quis... patri donaverit ita ut... pro filiâ (*g*) daret, non eſſe dotem profectitiam. *d. l.* 5. § 9.

7. Quum pater curator filiæ juris ſui effectæ, dotem pro eâ conſtituiſſet; magis eum quaſi patrem id, quàm quaſi curatorem, feciſſe videri. *d. l.* 5. § 12.

(*c*) Eſt enim in bonis ejus, propter actionem quam habet ſi evincatur. Quòd ſi alienam pecuniam in dotem dedit; demùm eâ conſumptâ dos erit profectitia: l. 81. ff. *d. tit.* §. 2.
(*d*) Vel legatum.
(*e*) Secùs, ſi antè; quia nuntium ſponſalibus remittendo, potuiſſet eam non dare. d. § 14.
(*f*) Emancipatæ.
(*g*) Scilicet magis filiæ quàm patri donare volens. Secùs, ſi quis ipſi patri donaturus, pro eo dotem dederit. d. l. 5. § 2.

§ II.

De Dotandi officio.

CCCXCVIII.

Qui liberos... in poteſtate... prohibuerint... nubere, vel qui dotem dare non volunt;... per Proconſules.... coguntur in matrimonium collocare & dotare. *l.* 19. ff. *de Rit. nupt.*

Prohibere videtur, & qui conditionem non quærit. *d. l.* 19.

Neque (*a*) mater pro filiâ dotem dare cogitur, niſi ex magnâ & probabili causâ. *l.* 14. *Cod. de Jur. dot.*

(*a*) Fallit regula in ſpecie legis 19. § 1. Cod. *de Hæret. & Man.*

§ III.

Quid in dotem conſtitui poſſit.

CCCXCIX.

1. Nullâ Lege prohibitum eſt, univerſa bona in dotem marito fœminam (*a*) dare. *l.* 4. *Cod. de Jure dot.*

2. Sive generalis curator, ſive dotis dandæ causâ conſtitutus ſit; & ampliùs doti promiſſum eſt, quàm facultates mulieris valent, ipſo Jure promiſſio non valet (*b*). *l.* 61. ff. *de Jur. dot.*

3. Gener à ſocero dotem... non demonſtratâ re vel quantitate ſtipulatus fuerat.... Stipulationem valere placuit (*c*). *l.* 69. § 4. ff. *d. tit.*

Nuptura filiofamilias, ſi ſocero dotem ita promiſerit, QUOD FILIUS TUUS MIHI DEBET... ſi non evidenter apparuit de cujus (*d*) mulier obligatione ſenſit; præſumptionem ad filii debitum (*e*) ſpectare, veriſimile eſt. *l.* 57. ff. *d. tit.*

(*a*) Quum eſt major viginti-quinque annis.
(*b*) *Non valet*, quatenùs excedit id quod pro modo facultatum adultæ conſtituendum doti fuit; intrà autem, valet: *d. tit.* N. 15.
(*c*) Scilicet pro modo facultatum ſoceri, & dignitate mariti. Quòd ſi extraneus ita promiſiſſet, non valeret; niſi adjeciſſet *Arbitratu ſoceri*: d. tit. N. 16.
(*d*) An ipſius filiifamilias, an patris.
(*e*) Adeòque in dote erit totum quod filius debet: non id duntaxat in quod pater ex hâc causâ tempore promiſſionis de peculio eſſet obligatus. Quòd ſi non filio, ſed patri hujus filiifamilias nuptura eſſet, quæ ita dotem promiſit; in dote non eſt, niſi quatenùs in peculio erat.

§ IV.

Quomodo dos conſtituatur.

CD.

Dos aut datur, aut dicitur (*a*), aut promittitur (*b*). ULP. FRAGM. *Tit.* 6. § 1.

Si pater (*c*) mulieris mortis ſuæ causâ dotem promiſerit, valet promiſſio. *l.* 76. ff. *de Jure dot.*

Accepti quoque latione dos conſtituitur, quum debitori marito accepto feratur dotis conſtituendæ causâ. *l.* 41. § 2. *ff. d. tit.*

Dotem quæ in prius matrimonium data eſt, non aliter converti in poſterius matrimonium (*d*) dicendum eſt quàm quum hoc agitur; dum hoc agi ſemper interpretemur, niſi probetur aliud conveniſſe. *l.* 30. ff. *d. tit.*

Stipulatio de dote reddendâ ab extraneo interpoſita, facto divortio ſtatim committitur; nec redintegrato matrimonio, actio ſtipulatori (*e*) quæſita intercidit. *l.* 63. ff. *d. tit.*

(*a*) Solemnibus verbis, abſque interrogatione, hæc Dictio dotis fiebat; ſolaque mulier debitor-ve ejus ex juſſu ejus, & pater parens-ve per virilem ſexum, ita dotem dicere poterant. Tit. *de Jur. dot.* N. 20.
(*b*) Per ſtipulationem; novo Jure, nudo pacto: *d tit.* N 21. Nec ſolùm purè, ſed & ex certo die, à nuptiis computando; item ſub conditione, modò non illâ quæ in tempus ſoluti matrimonii conferatur: *d. tit.* N. 22. & 23.
(*c*) Idem de extraneo: ſecùs de ipsâ muliere.
(*d*) Cum eodem viro.
(*e*) Si etiam ab ipſo profecta eſt. Nam ſi à muliere quæ paſſa eſt eum ſtipulari; conſenſus extranei non requiritur, ut redintegrato matrimonio dos redintegretur: d. l. 63.

§ V.

De pactis dotalibus.

CDI.

Regula generalis.

Reipublicæ intereſt mulieres dotes ſalvas habere, propter quas nubere poſſint. *l.* 2. ff. *de Jure dot.*

Corollaria.

1. Ut longiore die ſolvatur dos, convenire non [*a*] poteſt; non magis quàm ne omninò reddatur. *l.* 16. ff. *de Pact. dotal.*

2. Maritum non poſſe paciſci ut dolum ſolummodò [*b*] in dotem præſtet. *l.* 6. ff. *d. tit.*

3. Ita conſtante matrimonio permutari dotem poſſe dicimus, ſi hoc mulieri utile ſit. *l.* 26. ff. *de Jur. dot.*

Quod eſt admiſſum, poſſe deteriorem conditionem dotis fieri intervenientibus liberis; toties locum habet, quoties *mulier* in matrimonio decedit, vel divortium intervenit (*c*). *l.* 1. § 1. ff. *de Dot. præleg.*

Deteriorem cauſam dotis, in quem caſum ſoli patri repetitio competit (*d*), pacto poſſe fieri. *l.* 6. *Cod. de Pact. convent.*

(*a*) At ſi poſt nuptias ſolutas interponatur; valebit pactum.
(*b*) Non etiam culpam.
(*c*) Culpâ mulieris ſcilicet.
(*d*) Adde; aut mulieri competit, verùm non proprio nomine, ſed tanquam heredi patris: l. 19. ff. *de Pact. dot.*

CDII.

Si convenerit (*a*) ne ob impenſas neceſſarias ageretur, pactum non eſt ſervandum. *l.* 5. § 2. ff. *de Pact. dot.*

Si convenerit ut fructus in dotem converterentur... conventionem non (*b*) valere. *l.* 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Hoc pactum naturam dotis ſubvertit; quæ talis eſt ut ex impenſis neceſſariis minuatur.
(*b*) Scilicet quum ipſe fundus in dotem datus eſt. Hoc enim pactum ſubverteret dotis naturam; quæ talis eſt, ut ex ejus fructibus vir onera matrimonii ſuſtineat. At poteſt convenire ut non fundus, ſed fructus ex eo percipiendi doti ſint; ut ex uſuris pretii ex his fructibus redacti, onera matrimonii ſuſtineantur: d. l. 4.

Source : BIU Cujas

Illud convenire non potest, ne DE MORIBUS agatur... Ne illa quidem pacta servanda sunt, NE ob res donatas vel amotas ageretur. *l.* 5. *pr.* & § 1. ff. *d. tit.*

Paciscì post nuptias, etiamsi nihil ante convenerit, licet. *l.* 1. ff. *d. tit.*

C D I I I.

Pacta quæ de reddendâ dote fiunt, inter omnes fieri oportet qui repetere dotem possunt, & à quibus repeti potest; ne ei qui non interfuit.... pactum non prosit. *d. l.* 1. § 1.

Si extraneus de suo daturus sit dotem; quicquid vult paciscì & ignorante muliere... potest: legem enim suæ rei dicit. Postquàm verò dederit, paciscì consentiente muliere debet. *l.* 20. § 1. ff. *d. tit.*

Post nuptias pater non potest deteriorem causam filiæ facere. *l.* 28. ff. *de Jur. dot.*

Quoties pater dotem dat.... si interposito (*a*) tempore stipulari velit, nonnisi consentiente filiâ (*b*) poterit; quamvis in potestate sit. *l.* 29. ff. *Solut. matrim.*

Dicendum est, paciscendo, filiam, patris conditionem deteriorem facere non posse. *l.* 7. § *fin. ff. de Pact. dot.*

Matris (*c*) pactum, actionem Præscriptis verbis constituit; patris (*d*), Dotis actionem (profectitiæ nomine competentem) minimè creditur innovare. *l.* 6. *Cod. de Jur. dot.*

Si mulier de suo dotem dedit, & adhibuit (*e*) matrem quæ stipularetur; potuit postea instrumentum dotale (*f*) mutare. *l.* 72. § *fin.* ff. *de Jur. dot.*

(*a*) Adde; & nuptiis jam contractis. Ante nuptias enim non opus habet consensu filiæ.

(*b*) Valere tamen potest, quatenùs filiæ non interesset; putà, jam defunctæ. *d. tit.* N. 15.

(*c*) Aut cujusvis extranei, incontinenti quum dos datur, interpositum.

(*d*) Pactum. Scilicet nonnisi stipulatione interpositâ, pater circa dotem stipulari quicquam potest, quamvis incontinenti; quia ex necessitate dotat.

(*e*) Vel quasi ex causâ mandati, vel quasi ei donatura mortis causâ.

(*f*) Remittendo viro hanc obligationem restituendæ dotis. Potest enim mulier revocare mandatum, aut donationem mortis causâ: ex eo autem solo non videtur voluntatem mutasse, quòd quasdam res legaverit: *d. tit.* N. 22.

C D I V.

Pacta conventa quæ in divortii tempus collata sunt, non facto divortio (*a*) locum non habent. *l.* 3. *ff. de Pact. dot.*

(*a*) Sed morte mulieris soluto matrimonio. Idem dic, versâ vice.

C D V.

In ambiguis, pro dotibus respondere melius est. *l.* 85. PAUL. LIB. 6. QUÆSTION.

Vulgatissimæ pactorum circa dotem species sunt; pactum DE *lucrandâ dote, quo vir profectitiam dotem quam alioquin reddere patri teneretur, paciscitur sibi mortuâ in matrimonio muliere retinere licere; item pactum, quo mulier alius-ve qui dotem dedit, dotem adventitiam quæ alioqui mortuâ in matrimonio muliere jure Digestorum apud virum remanebat, Reddi sibi paciscuntur. De quibus vide lib.* 23. *Tit.* de Pact. dot. *Art.* 5. *ubi & aliæ pactorum species referuntur.*

§ V I.

De conditione doti inhærente, UT *nuptiæ sequantur; & quidem justæ.*

C D V I.

DOTIS appellatio non refertur ad ea matrimonia quæ consistere non possunt. Neque enim dos sine matrimonio esse potest. *l.* 3. ff. *de Jur. dot.*

Stipulationem quæ propter causam dotis fiat, constat habere in se conditionem hanc SI nuptiæ fuerint secutæ. *l.* 21. ff. *d. tit.*

Corollarium I*um*. Si nuntius remittatur; defecisse conditio stipulationis videtur; &, licèt postea eidem nupserit, non convalescit stipulatio. *d. l.* 21. & *l.* 22. *ff. d. tit.*

Corollarium II*um*. Matrimonii causâ acceptilationem interpositam, non secutis nuptiis, nullam esse. *l.* 43. *ff. d. tit.*

Corollarium III*um*. Si ante matrimonium æstimatæ res dotales sunt..... secutis nuptiis (*a*) æstimatio rerum perficitur, & fit vera venditio. *l.* 10. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Antè igitur periculum spectabit mulierem, quasi nondum perfectâ venditione.

C D V I I.

Quum dos datur, Credendum est hoc agi ut statim res sponsi fiant; &, nisi nuptiæ secutæ fuerint, reddantur. *l.* 8. *ff. de Jure dot.*

Si res alicui tradidero ut nuptiis (*a*) secutis, dotis efficiantur; & ante nuptias decessero.... secutis nuptiis... benignius est... necessitatem imponi heredi..., aut nolente vel absente eo, dominium ad maritum ipso Jure transferri. *l.* 9. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Demùm nuptiis secutis.

C D V I I I.

Dote infrà certum tempus (putà, intrà annum) promissâ; Responsum est, ex die nuptiarum annum esse numerandum. *l.* 48. *ff. de Jure dot.*

§ V I I.

De Jure mariti in res dotales.

C D I X.

Si res in dote dentur, puto in bonis mariti (*a*) fieri. *l.* 7. § 3. *ff. de Jur. dot.*

Corollarium. Servus dotalis, heres ab aliquo institutus, mariti jussu vel adire vel repudiare debet (*b*) hereditatem. *l.* 58. *ff. Solut. matrim.*

Aliud corollarium circa potestatem manumittendi: suprà N. 237. *Reg.* 5.

(*a*) Hinc si casu amissa sit possessio, non uxori sed viro *Vindicatio* competit. *d. tit.* N. 40.

(*b*) Si vir repudiare, mulier verò adire velit; vir servum mulieri reddere debebit, ita ut postquàm jussu mulieris adierit, restituatur viro: d. l. 58.

C D X.

Quamvis in bonis mariti dos sit, mulieris tamen (*a*) est. *l.* 75. ff. *de Jure dot.*

(*a*) Dos ejus est; quæ, etsi ejus nunc domina non sit, tamen ad ipsam soluto matrimonio reversura speratur; & ex cujus fructibus interim ipsa à marito ali liberique ejus debent.

C D X I.

Evictâ re quæ fuerat in dotem data...; si quidem res æstimata fuerit, Ex empto competit actio: sin.... si quidem bonâ (*a*) fide eadem res in dotem data est, nulla marito competit (*b*) actio. *l.* 1. *Cod. de Jure dot.*

(*a*) Nam si quis sciens alienam rem in dotem dedit, tenebitur viro actione *De dolo.*

(*b*) Scilicet si datio tantùm intervenerit. Nam si stipulatio præcesserat: promissor re evictâ, actione EX stipulatu tenebitur; quasi non solverit rem, qui eam non fecit accipientis.

§ V I I I.

An & quæ dos, mortuâ in matrimonio muliere, reddenda sit.

C D X I I.

Jure succursum est patri; ut filiâ amissâ, solatii loco

Source : BIU Cujas

cederet si redderetur ei dos ab ipso profecta (*a*) : ne & filiæ amissæ & pecuniæ damnum sentiret. *l.* 6. *ff. de Jur. dot.*

Occurrit æquitas... ut quod pater meus propter me filiæ meæ nomine dedit, proindè (*b*) sit atque ipse dedissem. *l.* 6. ff. *de Collat.*

(*a*) Adventitia autem lucro mariti cedit. Idem dic de Profectitiâ ; si pater, cui reddi debet, præmortuus aut deportatus sit. Jure novo, tacitè intelligitur mulier dotem stipulata esse ; adeòque heredes ejus habent repetitionem.
(*b*) Ita ut eâ post avum mortuâ in matrimonio, mihi reddi debeat.

§ IX.

Cui restituenda sit dos, quum morte viri aut divortio solutum est matrimonium.

CDXIII.

1. Soluto matrimonio, solvi mulieri (*a*) dos debet... si sui juris mulier est. *l.* 2. ff. *Solut. matrim.*

2. Si in patris potestate est; ipsius, & filiæ dos est... Non solùm autem in exigendâ, sed etiam in solvendâ dote, quæ communis est patris & filiæ, utriusque (*b*) voluntas exquiritur. *d. l.* 2. § 1. & *l.* 3.

Quum pater agit de Dote... est rescriptum; Filiam (*c*), nisi evidenter contradicat, videri eam consentire patri. *l.* 2. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Soli, non ejus patri. Vide exceptionem in Tit. *Sol. matr.* N. 8.
(*b*) Regula fallit: 1°. Ut si pater captivus sit, vel ei esse non liceat in loco ubi dos petitur, vel furiosus sit, & non sit copia curatoris ejus qui pro eo consensum interponat, possit mulier sola exigere dotem cavendo *De rato.* 2°. Ut si mulier dotem dederit ex suo peculio quod in eàdem causâ manserit, ei soli rectè solvatur. Tit. *Sol. matr.* N. 10.
(*c*) Præsentem, non si absit: nam pater tenetur cavere eam RATAM REM habituram. Si autem latitat ne consentiat, Prætor ex moribus patris æstimabit, an debeat actionem dare.

CDXIV.

Si pater filiâ absente DE dote egerit (*a*).... filiæ denegari debet actio, sive patri heres extiterit, sive in legato tantum acceperit quantum (*b*) dotis satis esset. *l.* 22. § 3. *ff. d. tit.*

Respondit Ulpianus ; Dotem voluntate filiæ videri patrem recepisse, quum causas contradicendi ei filia non haberet ; maximè cùm ab eo postea... dotata sit. *l.* 37. *ff. Sol. matr.*

Si voluntate filiæ procurator à patre datus litem de dote contestatus fuerit, & re secundùm eum judicatâ pater decesserit; Judicati actionem filiæ potiùs quàm heredibus patris dare oportebit. *l.* 31. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Eique soluta fuerit.
(*b*) Multò magis si pater hanc dotem pro eâ secundo ejus marito dedit: l. 4. ff. *d. tit.*

§ X.

Quis teneatur actione De dote.

CDXV.

1. *Dotis actionem* Adversùs ipsum maritum competere palàm est, sive ipsi dos data sit, sive alii ex voluntate mariti. *l.* 22. § 12. *ff. Sol. matrim.*

2. Sin socero *mulier* dotem dederit ; cum marito non poterit experiri, nisi patri heres extiterit. *d.* § 12. ¶ *fin.*

3. Si filiofamilias dos data est ; ipse quidem Dotis actione tenetur, pater autem ejus De peculio (*a*). *l.* 53. *ff. d. tit.*

(*a*) Si ex jussu patris accepit, pater tenebitur *Quod jussu* in solidum : l. 22. § 12. ff. *d. tit.*

§ XI.

Quid veniat in restitutione dotis, quum species inæstimatæ datæ sunt.

CDXVI.

1. *Res ipsa quod-ve ex eâ supersit ; aut si jure vœniit, pretium quo distracta est, restitui oportet. Vide Tit.* Sol. matr. *N.* 26. 31.

2. Si prædiis inæstimatis aliquid accessit, hoc ad compendium mulieris pertinet ; si aliquid decessit, mulieris damnum est. *l.* 10. § 1. *ff. de Jur. dot.*

Excipe ; Modò non culpa viri decesserit. Nam In rebus dotalibus (*a*) virum præstare oportet, tam dolum quàm culpam. *l.* 17. *ff. d. tit.*

Ad accessionem quod pertinet ; Si legato aut hereditate aliquid servo dotali obvenit, quod testator noluit (*b*) ad maritum pertinere ; id soluto matrimonio reddendum est mulieri (*c*). *l.* 65. *ff. d. tit.*

Partum dotalium ancillarum, dotis esse portionem convenit. *l.* 69. § 9. *ff. d. tit.*

(*a*) Et in accessione earum.
(*b*) Id est nisi testator specialiter declaraverit velle se ut ad maritum pertineret.
(*c*) Idem dic de quâlibet causâ rei dotalis : Tit. *Sol. matr.* N. 32.

CDXVII.

Dotis fructum ad maritum pertinere debere æquitas suggerit, cùm... ipse onera matrimonii subeat. *l.* 7. *ff. d. tit.*

Fructus... si ante nuptias percepti fuerint, in dotem convertentur (*a*). *d. l.* 7. § 1.

Extremi anni quo matrimonium stetit, fructus sive ante sive post solutum matrimonium percepti, inter virum & uxorem dividuntur ; ut in his vir partem habeat pro ratâ temporis quo hoc extremo anno stetit matrimonium præceptis priùs impensis, sive à viro sive à muliere factis : l. 5. *l.* 6. *& l.* 7. *ff.* Sol. matr.

Quod in sementem erogatur, si non responderint messes, ex vindemiâ deducetur : quia totius anni unus fructus est. *l.* 8. § 1. *ff. Sol. matrim.*

(*a*) Adeòque soluto matrimonio restituendi sunt, nec cedunt lucro mariti.

§ XII.

Quid veniat in restitutione dotis, quum res fungibiles, aut quum res æstimatæ in dotem datæ sunt.

CDXVIII.

Res in dotem datæ, quæ pondere, numero, mensurâ constant, mariti periculo sunt ; quia in hoc dantur, ut... soluto matrimonio ejusdem generis & qualitatis alias restituat. *l.* 42. *ff. de Jure dot.*

CDXIX.

1. Quoties (*a*) res æstimatæ in dotem dantur ; maritus dominium consecutus, summæ veluti pretii debitor efficitur. *l.* 5. *Cod. de Jure dot.*

Corollarium. Æstimatæ res, usu etiam mulieris, periculo mariti deteriores efficiuntur. *l.* 51. ff. *Sol. matrim.*

2. Quoties res æstimata in dotem dátur, evictâ eâ virum Ex empto contra uxorem agere, & quidquid eo nomine fuerit consecutus (*b*), Dotis actione soluto matrimonio ei præstare oportet.... quia non simplex venditio sit, sed dotis causâ. *l.* 16. ff. *de Jure dot.*

(*a*) Regula fallit, si ita æstimatæ sunt ut tamen vir soluto matrimonio eas in specie reddere teneretur; quo casu observantur quæ in §°. præced. de rebus inæstimatis.
(*b*) Putà, duplum.

Source : BIU Cujas

§ XIII.

An & quando vir judicio Dotis *teneatur, quum non accepit quod ipsi dotis causâ promissum est; & quando illud accepisse videatur.*

CDXX.

Quod pater vel (*a*) ipsa mulier promisit, viri periculo non esse; quod debitor, id viri esse (*b*); quod alius, scilicet donatarius, ejus periculo... cui adquiritur; adquiri autem mulieri accipiemus. *l.* 33. ff. *de Jure dot.*

Quod dicitur viri periculo esse, limitationem patitur. Scilicet Quum vir uxori donare vellet; debitor mulieris qui solvendo non erat, dotem ei promisit. Ad id duntaxat ad quod solvendo fuit, viri periculo (*c*) ea res est. *l.* 53. *ff. de Jur. dot.*

Circa autem quod dicitur mulieris periculo esse, excipe 1°. Dotem à patre vel quovis alio promissam, si vir novandi (*d*) causâ stipuletur, cœpit viri esse periculum; quum antè mulieris fuisset. *l.* 35. ff. *d. tit.*

2°. Si vir socero injussu uxoris manente matrimonio dotem acceptam fecisset, etiamsi id propter egestatem soceri factum esse, viri tamen (*e*) periculum futurum. *l.* 66. § 6. ff. *Sol. matrim.*

3°. Quum dotem mulieris nomine extraneus promisit (*f*); mulieris periculum est. Sed si maritus nomen secutus, usuras exegerit (*g*); periculum ejus futurum respondetur. *l.* 71. ff. *de Jur. dot.*

Maritus qui uxoris quæ dotem debebat adiit hereditatem licèt damnosam, intelligitur dotem accepisse; adeòque tenetur his quos mulier adhibuerat ut eam sibi reddi stipularentur: ex l. 33. *ff.* Sol. matrim.

(*a*) Ut non teneatur reddere, si non accepit; nec enim potest queri mulier, si vir patrem non urserit ad solutionem.
(*b*) Si culpâ suâ cessaverit in exigendo.
(*c*) Hoc ita, quum constante matrimonio factum est. Quod si ante nuptias, ab aliquo, sciens jam eum esse non solvendo, stipulatus est; nomen secutus videtur.
(*d*) Videtur enim accepisse.
(*e*) Non enim debuit ideò acceptum ferre; cùm fieri posset ut augerentur postea soceri facultates.
(*f*) Ei donaturus.
(*h*) Quinetiam ex eo solo quòd sciens eum solvendo non esse, ab eo stipuatus sit; nomen secutus videtur, & periculum in se suscepisse.

§ XIV.

An dos quam maritus confessus est se accepisse, quum non acceperit, in hoc judicio restituenda veniat.

CDXXI.

Dotem (*a*) numeratio, non scriptura dotalis instrumenti facit. Et ideò non ignoras ita demùm ad petitionem dotis te (*mulierem*) admitti, si dotem reipsâ datam (*b*) probatura es. *l.* 1. *Cod. de Dot. caut. non numer.*

Quod de suo maritus donandi animo in dotem adscripsit, peti (*c*) potest. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

(*a*) Hæc regula locum habet; quum spe futuræ numerationis, apocham dedit. Secùs, si donandi animo: Reg. seq.
(*b*) Ex Novellâ C. si matrimonium decennio duravit, mulieri non incumbit probatio numerationis, nec ulla admittitur Non numeratæ dotis exceptio.
(*c*) Scilicet si donatio valet; vel quòd ante nuptias vir hoc adscripserit, vel constante quidem matrimonio, sed præmortuus est non mutatâ voluntate.

§ XV.

De Privilegio mulieris ob restitutionem dotis.

CDXXII.

1. Dotium (*a*) causâ semper & ubique præcipua (*b*) est. *l.* 1. *ff. Sol. matrim.*

(*a*) Hæc regula & sequens obtinent, etiam pro dotibus impropriè dictis, quas condicit mulier, quum jure non stetit matrimonium, aut non secutum est.
(*b*) Id est, privilegium dat mulieri præ cæteris viri creditoribus, in bonis viri aut sponsi: l. 17. § 1. ff. *de Reb. auct. jud. poss.* Justinianus addidit hypothecam privilegiatam.

2. Res quæ ex dotali pecuniâ comparatæ sunt, dotales videntur (*c*). *l.* 54. ff. *de Jure dot.*

Cæterùm Dabimus ex his causis, ipsi [*d*] mulieri privilegium. *l.* 19. ff. *de Reb. auct. jud.*

(*c*) Non sunt reverâ dotales; l. 14. Cod. *de Jur. dot.* Sed *videntur esse*, hoc sensu ut in subsidium, mulier *Utilem* earum vindicationem habeat, nec possit socer *De peculio* conventus, deducere quod ipsi à filio debetur.
(*d*) Non etiam heredi aut patri.

§ XVI.

Intra quod tempus à die soluti matrimonii restituenda sit dos; & an etiam interdum, constante matrimonio, mulier eam exigere possit.

CDXXIII.

Dos si pondere numero mensurâ contineatur, annuâ, bimâ, trimâ die [*a*] reddatur; reliquæ dotes statim reddentur. ULP. FRAGM. *Tit.* 20.

Si constante matrimonio ... mulier agere volet... constat exindè dotis exactionem competere, ex quo evidentissimè apparuerit mariti facultates ad dotis exactionem non sufficere. *l.* 24. ff. *Sol. matrim.*

De exceptione quæ viro & socero competit, ut non ultra quod facere possunt teneantur; vide Tit. Sol. matrim. *Part.* 2ª. *Sect.* 3. *Art.* 2.

(*a*) Ex Constitutione Justiniani; omnes res mobiles intrà annum, res soli statim reddendæ: l. un. § 7. Cod. *de Rei ux. act.*

ARTICULUS V.

De impensis in res dotales factis.

§ I.

Quæ impensæ in dotem dicantur Necessariæ; *& quod jus circa eas obtineat.*

CDXXIV.

Impensæ necessariæ sunt, quibus non factis dos imminuitur [*a*]. *l.* 14. ff. *de Imp. in res dot.*

In necessariis impensis hoc sciendum est; eas demùm.... dotem minuere quæ in dotem factæ sunt. Cæterùm si in dotem factæ non [*b*] sint, non habent in se reputationem. *l.* 1. § 2. ff. *d. tit.*

Circà id quod impenditur, Generaliter definiemus; Multùm intereſſe, ad perpetuam utilitatem agri pertineat, an verò ad præsentis anni fructum. Si in præsentis, cum fructibus compensandum; si verò non fuit ad præsens tantùm apta erogatio, necessariis impensis computandum. *l.* 3. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Id est, deterior sit.
(*b*) Putà, si magis propter fructus dotis quàm propter ipsas res dotales; *d. tit.* N. 4.

CDXXV.

Tueri res dotales (*a*) vir suo sumptu debet. *l.* 15. *ff. d. tit.*

Illud servatur, quod nutrici datum est ad educandum (*servum*); quia pro capite (*b*)... dedisset. *l.* 28. § 1. *ff. de Don. int. vir. & ux.*

Quæ impendia... ex dote deduci debeant; non tam facilè in universum definiri, quàm per singula ex genere & magnitudine impendiorum æstimari possunt. *l.* 15. § *fin. ff. de Impens. in res dot.*

Neque stipendium, neque tributum, ob dotalem fundum præstita, exigere vir à muliere potest. Onus enim fructuum, hæc impendia sunt. *l.* 13. ff. *d. tit.*

(*a*) Hoc continet modicas ædificiorum refectiones, cibaria, modicas impensas in doctrinam: d. l. 15. & toto N. 5. *d. tit.*
(*b*) Magis pro capite servi quàm pro ejus ministerio.

Source : BIU Cujas

CDXXVI.

Quod dicitur neceſſarias impenſas ipſo Jure dotem minuere, non eò pertinet ut .... fundus .... deſinat aliquâ ex parte dotalis eſſe; ſed niſi impenſa redeatur, aut pars fundi aut totus (*a*) retineatur. *l.* 3. § 56. *ff. de Jure dot.*

Neceſſariarum impenſarum Factarum ratio habetur etſi res malè geſta (*b*) eſt; non factarum, ita ſi ob id res malè geſta eſt. *l.* 4. *ff. de Impenſ. in res dot.*

(*a*) Adde; &, ſi non ſervatis impenſis reſtitutus fuerit, agatur *Condictione incerti*, quaſi plus ſolutum ſit: *d. tit.* N. 7.
(*b*) Quia res in quam impenſum eſt, poſteà fortuito caſu periit.

§ II.

De Utilibus *impenſis*, *item de* Voluptariis.

CDXXVII.

Utiles impenſæ ſunt, quas maritus utiliter fecit. *l.* 5. § *fin. ff. de Impenſ. in res dot.*

Utiles non quidem minuunt ipſo Jure dotem, verùm habent exactionem (*a*). *l.* 7. § 1. ff. *d. tit.*

Utilium nomine ita faciendam deductionem quidam dicunt, ſi voluntate mulieris (*b*) factæ ſint. *l.* 8. *ff. d. tit.*

(*a*) Ita Tribonianus ſubſtituit pro *Retentionem*. Vide limitationem infrà Reg. ſeq. cum Notis.
(*b*) Alioqui viro permittitur, duntaxat eas tollere; nec conceditur fundum propter eas impenſas retinere, ſi non habeat aliundè mulier undè eas ſolvat. Tit. *de Impenſ.* N. 19.

CDXXVIII.

1. Voluptariæ impenſæ ſunt, quas maritus ad voluntatem fecit; & quæ ſpecies exornant. *l.* 7. *ff. d. tit.*

Limitatio. Si hæ res in quibus impenſæ factæ ſunt, promercales fuerint; tales impenſæ non voluptariæ, ſed utiles ſunt. *l.* 10. *ff. d. tit.*

2. In voluptariis Ariſto ſcribit; Nec ſi voluntate mulieris factæ ſunt, exactionem parere. *l.* 11. ff. *d. tit.*

3. Pro voluptariis impenſis, niſi parata ſit mulier pati maritum tollentem, exactionem patitur. *l.* 9. *ff. d. tit.*

§ III.

De impenſis extra cauſam dotis factis.

CDXXIX.

Si... maritus ex dote expendit, ut à latronibus redimeret neceſſarias mulieri perſonas..... reputatur ei. *l.* 21. ff. *Sol. matrim.*

ARTICULUS VI.

De Senatuſconſultis circa agnoſcendos liberos.

CDXXX.

PLANCIANUM Senatuſconſultum ad eos partus pertinet qui poſt divortium eduntur. *l.* 3. § 1. *ff. de Agnoſc. lib.*

Si mulier divortio facto gravidam ſe ſciat; intrà triceſimum diem (*a*) viro denuntiare debet (*b*) vel patri ejus, ut ad ventrem inſpiciendum obſervandumque cuſtodes (*c*) mittant. PAUL. SENT. LIB. 2. *Tit.* 25. § 5.

Niſi aut cuſtodes præmiſerit, aut contrà denuntiaverit non eſſe ex ſe prægnantem; cogitur maritus partum agnoſcere. *l.* 1. § 4. ff. *de Agnoſc. lib.*

(*a*) Continuum à die divortii.
(*b*) Ipſa, vel pater in cujus poteſtate eſt.
(*c*) Non tamen neceſſe eſt denuntiare eam viro ut mittat cuſtodes, ſed tantùm ſe eſſe prægnantem.

Si non denuntiaverit mulier, aut.... cuſtodes.... non admiſerit; liberum eſt marito.... partum non agnoſcere. *d. l.* 1. § 6.

Sive (*d*) uxor omiſerit quæ eam ex Senatuſconſulto obſervare oportuit; nihil præjudicat filio, ſi filius eſt... ſive maritus neglexerit facere quæ ex Senatuſconſulto debet, natum cogitur omnimodo alere; cæterùm recuſare poterit filium. *d. l.* 1. § 15.

Neque enim alimentorum cauſa, veritati facit præjudicium. *l.* 10. *ff. de His qui ſui vel al.*

(*d*) Declaratur hæc regula per ſequentem.

CDXXXI.

Aliud Senatuſconſultum temporibus Divi Hadriani factum eſt; ut, etiamſi conſtante matrimonio partus ſit editus, de agnoſcendo eo agatur. *l.* 3. § 1. *ff. de Agn. lib.*

Quocircà: 1. Non ferendum eum qui cum uxore ſuâ aſſiduè moratus, nolit filium agnoſcere. *l.* 6. *ff. de His qui ſui vel al.*

2. Si conſtet maritum aliquandiù cum uxore non concubuiſſe, infirmitate interveniente... vel ſi eâ valetudine fuit ut generare non poſſit; hunc qui in domo natus eſt, licèt vicinis ſcientibus, filium non eſſe. *d. l.* 6.

3. Si fingamus abfuiſſe maritum V. G. per decennium; reverſum, anniculum inveniſſe in domo ſuâ; placet... hunc non eſſe mariti alium. *d. l.* 6.

CDXXXII.

Illud tenendum; hæc Senatuſconſulta poſt mortem parentis ceſſare, ſi is (*a*) ſuperſit in cujus poteſtate recaſuri non ſunt. *l.* 3. § 5. *ff. de Agnoſc. lib.*

(*a*) Id eſt; niſi is ſuperſit in cujus poteſtatem recaſuri ſunt. Nam hæc judicia noniſi inter duas perſonas eſſe poſſunt, quarum altera alterius ſe in poteſtate dicit. Cæterùm locus erit Carboniano Edicto, de quo infrà Part. ſeq.

SECTIO II.

De aliis perſonarum neceſſitudinibus.

§ I.

De Concubinis.

CDXXXIII.

Eſt etiam neceſſitudo inter virum & ipſius concubinam. Quinimò, cùm perpetuæ (non ſecùs ac uxor) conſuetudinis causâ haberetur, eo ſolo differt ab uxore, quòd quis eam non loco uxoris habere velit. Undè Paulus: Concubinam ex ſolâ animi deſtinatione, æſtimari oportet. *l.* 4. *ff. de Concub.*

Quia concubinatus per Leges (*a*) nomen aſſumpſit, extra Legis (*b*) pœnam eſt. *l.* 3. § 1. *ff. d. tit.*

Eo tempore quo quis uxorem habet, concubinam habere non poteſt. PAUL. SENT. LIB. 2. *Tit.* 10. § 1.

Puto ſolas eas in concubinatu haberi poſſe ſine metu criminis, in quas ſtuprum non committitur (*c*). *l.* 1. *l.* 1. § 1. ff. *de Concub.*

(*a*) Quæ concubinatum expreſsè permittunt.
(*b*) Juliæ *De Adulteriis.*
(*c*) Quales ſunt libertinæ, aut mulieres ingenuæ quidem ſed turpis converſationis; cum cæteris non conceditur, niſi prævià teſtatione hoc manifeſtum faciente; l. 3. ff. *d. tit.*

§ II.

De neceſſitudine Cognationis & Adfinitatis.

Spectatur neceſſitudo Cognationis *potiſſimùm circa nuptias;*

Source : BIU Cujas

hereditates, bonorum poſſeſſiones, tutelas & curas legitimas: Adfinitatis, *item in nuptiis, & judiciis.*

CDXXXIV.

Et primùm in cognatione obſervanda paſſim differentia inter COGNATOS & ADGNATOS. *Nam cognationis generale nomen. Scilicet* COGNATI appellati ſunt, quaſi ex uno nati, aut . . . quaſi commune naſcendi initium habuerint (*a*). *l.* 1. § 1. *ff. Undè cogn.*

Sunt autem ADGNATI, qui per virilis ſexûs perſonas cognatione (*b*) juncti ſunt, quaſi à patre cognati. *l.* 7. *ff. de Legit. tut.*

2. Servilis cognatio nulla (*c*) eſt. *l.* 4. ff. *h. tit.*

Tamen Non parcimus . . . nominibus . . . cognatorum, etiam in ſervis. Itaque parentes & filios fratreſque etiam ſervorum dicimus. *l.* 10. § 5. ff. *de Grad. & adfin.*

3. Quod in conſuetudine nepotes Cognati appellantur, etiam eorum poſt quorum mortem concepti ſunt; non propriè ſed per abuſionem, vel potiùs Α'ΝΑΦΟΡΙΚΩ'Σ [id eſt, *per relationem*] accidit. *l.* 8. *ff. de Suis & legit.*

(*a*) Supple, aut habuiſſe fingantur; ut cognatio merè civilis contineatur, quæ adoptione contingit.
(*b*) Sive juſtis nuptiis, ſive per adoptionem quæſitâ; modò nullâ capitis minutione ſoluta ſit.
(*c*) Fluit ex Reg. 96. ſuprà.

CDXXXV.

1. Una (*a*) eſt omnibus parentibus ſervanda reverentia. *l.* 6. *ff. de In jus voc.*

2. Puto, etiamſi non ſint liberi in poteſtate, alendos à parentibus; & vice mutuâ alere parentes debere. *l.* 5. § 1. ff. *de Agnoſc. liber.*

3. *Parens, quamvis ali à filio ratione naturali debeat; tamen* Æs alienum ejus non eſſe cogendum exſolvere filium, reſcriptum eſt. *d. l.* 5. § 16.

(*a*) Hinc parens cujuſvis ſexûs aut gradûs, ſine veniâ Prætoris in Jus vocari non poteſt; & ab eo locuples fidejuſſor non eſt exigendus, nec ipſe ultra quod facere poteſt; nec jusjurandum calumniæ à parente exigitur, actiones & exceptiones adversùs parentes quæ pudorem eorum onerarent, denegantur; liberi denique & parentes adversùs ſe invicem teſtimonium non dicunt.

4. Id quod filia parit, non avo *materno*, ſed patri ſuo *eſt* oneri; niſi pater aut non ſit ſuperſtes, aut egens eſt. *l.* 8. *ff. d. tit.*

CDXXXVI.

1. Ex tranſverſo ſive à latere, nullus eſt primus gradus. *l.* 1. § 1. *ff. de Grad. & adfin.*

2. Non facilè . . . quum de naturali cognatione quæritur, ſeptimum gradum quis excedit; quatenùs ultra eum ferè gradum, rerum natura cognatorum vitam conſiſtere non patitur. *l.* 4. *ff. d. tit.*

CDXXXVII.

In adfinitate, Parentis locum ſocer obtinet. *l.* 16. *ff. Solut. matrim.*

In Legibus (*a*) quibus excipitur NE gener aut ſocer invitus teſtimonium dicere cogeretur, GENERI appellatione ſponſum quoque filiæ contineri placet; item SOCERI, ſponſæ patrem. *l.* 5. *ff. de Teſtib.*

(*a*) Intellige Leges Julias *Publicorum judiciorum.*

§ III.

De neceſſitudinibus aliarum perſonarum.

CDXXXVIII.

Majores noſtri, inquit Juvenalis (quibus ob idipſum illa proſpera quæque poſt mortem adprecatur, Satyr. VII.)

. . . Præceptorem ſancti voluêre parentis
Eſſe loco.

Magiſtris levis caſtigatio *eſt* conceſſa. *l.* 13. § 4. ff. *Locati.*

Verùm Præceptoris nimia ſævitia culpæ adſignatur. *l.* 6. *ff. Ad L. Aquil.*

¶ *Attenditur etiam in Jure neceſſitudo quæ eſt inter* Amicos, Collegas, Sodales *&c. quorum definitiones vide Tit. præced.*

TERTIA PARS.

DE REBUS.

RES *aut* DIVINI, *aut* PUBLICI, *aut* PRIVATI JURIS *ſunt; & hæ rursùs, vel* Corporales *vel* Incorporales. *Hanc igitur Partem in ſeptem Capita diſtribuemus. Primo Capite de Rebus divini aut publici juris. Secundo de Rebus corporalibus privati juris agemus; id eſt, de earum dominio ac poſſeſſione. Quinque ſequentibus Capitibus, quinque rerum incorporalium ſpecies, ſcilicet jura Servitutum, jus Pignoris & Hypothecæ, jus Hereditatis, jus Bonorum poſſeſſionis, jus Crediti ſeu Obligationis, abſolvemus.*

CAPUT PRIMUM.

De Rebus divini aut publici juris.

ARTICULUS I.

De Rebus divini juris.

CDXXXIX.

1. Quod divini juris eſt, id nullius in bonis (*a*) eſt. *l.* 1. ff. *de Diviſ. rer.*

2. Divini juris ſunt, veluti res SACRÆ, & RELIGIOSÆ . . . . SANCTÆ quoque res, veluti muri, & portæ, quodammodo (*b*) divini juris ſunt. *d. l.* 1. ¶ *divini.*

3. Quum loca capta ſunt ab hoſtibus, omnia deſinunt (*c*) religioſa vel ſacra eſſe. . . . . Quòd ſi ab hâc calamitate fuerint liberata; quaſi quodam poſtliminio reverſa, priſtino ſtatui reſtituuntur. *l.* 36. ff. *de Religioſ.*

(*a*) Suâ naturâ, ita ut nec eſſe poſſit.

(*b*) *Muri* apud paganos erant propriè divini Juris, utpotè geniis civitatum (ſolemni ritu in eorum ædificatione adhibito) conſecrati. *Portæ* non ſunt propriè divini Juris, ſed quodam modo; quia ſanctione perindè munitæ ſunt, ne violentur.
(*c*) Credebantur enim hoc caſu Genii ab his locis recedere.

Source : BIU Cujas

§ I.

De Rebus ſacris.

C D X L.

Etiam in loco proprio Si quis auctoritate ſuâ (*a*) quaſi ſacrum ſibi conſtituerit, ſacrum non eſt, ſed profanum. *Inſtit. lib.* 2. *Tit.* 1. § 8.

Et Sciendum eſt, locum publicum tunc SACRUM fieri poſſe, quum Princeps (*b*) eum dedicavit vel dedicandi dedit poteſtatem. *l.* 9. § 1. ff. *de Diviſ. rer.*

Semel autem æde ſacrâ factâ, etiam diruto ædificio locus ſacer manet. *l.* 6. § 3. *ff. d. tit.*

In loco ſacro, non ſolùm facere vetamur, ſed & factum reſtituere jubemur. *l.* 2. § 29. *ff. Ne quid in loc. publ.*

Cæterùm Quod ait Prætor, NE QUID in loco ſacro fiat, non ad hoc pertinet quod ornamenti causâ fit. *l.* 1. § 2. ff. *Ne quid in loc. ſacr.*

(*a*) Aliàs quàm per Pontifices.
(*a*) Qui erat ſummus Pontifex.

§ II.

De Rebus ſanctis.

C D X L I.

SANCTÆ .... res .... muri & portæ civitatis (*a*). *Inſtit. lib.* 2. *Tit.* 1. § 10.

Neque muri neque portæ habitari ſine permiſſu Principis ... poſſunt. *l.* 3. *ff. Ne quid in loc. ſacr.*

Si quis violaverit muros, capite punitur; ſicuti, ſi quis tranſcenderit ſcalis ... Nam cives Romanos aliàs quàm per portas egredi non licet; cùm illud hoſtile & abominandum ſit. *l.* 11. ff. *de Diviſ. rer.*

In municipiis quoque muros eſſe ſanctos ... prohiberique oportere ne quid in his immitteretur. *l.* 8. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Romæ.

§ III.

De Rebus religioſis.

C D X L I I.

1. Religioſum locum unuſquiſque ſuâ voluntate (*a*) facit, dum mortuum (*b*) infert in locum ſuum (*c*). *l.* 6. § 4. ff. *de Diviſ. rer.*

Ampliùs: Scriptus heres, priuſquàm hereditatem (*d*) adeat, patremfamilias mortuum inferendo, locum (*e*) facit religioſum. *l.* 14. ff. *de Religioſ.*

Jus inferendi in ſepulcrum unicuique *ex ſociis* in ſolidum competit; locum autem purum (*f*) alter non poteſt (*g*) facere religioſum. *l.* 6. § 6. ff. *Commun. divid.*

2. Locum qui ſervit, nemo religioſum (*h*) facit; niſi conſentiat cui ſervitus (*i*) debetur. *l.* 2. § 8. ff. *de Religioſ.*

Qui pignori dedit agrum, ſi in eum ſuum mortuum intulerit, religioſum facit; cæterùm alii concedere non poteſt. *d. l.* 2. § 9.

Si locus ſub conditione legatus ſit, interim heres (*k*) mortuum inferendo, religioſum non facit. *l.* 34. ff. *d. tit.*

3. Mortuorum Reliquias, intrà civitatem condi ..., vetitum (*l*) eſt. *l.* 12. *Cod. de Religioſ.*

(*a*) Secùs de ſacris rebus: ſuprà N. 440.
(*b*) Nec refert liberum an ſervum.
(*c*) Aut alienum quidem, ſed ex voluntate domini.
(*d*) Quamvis nondum ſit dominus loci.
(*e*) Hereditarium; & quidem etiamſi legatus eſſet, ſi non potuit æquè opportunè alio loco humari.
(*f*) Prophanum.
(*g*) Ipſe tamen ſocius poteſt inferri: l. 41. ff. *d. tit.* ſalvâ indemnitate alterius ſocii.
(*h*) Quemvis mortuum inferendo. Ipſe tamen dominus inferri poteſt, ſi non poſſit alibi opportunè ſepeliri; ſalvâ indemnitate ejus cui ſervitus debetur.
(*i*) Hoc ita, ſi impediatur ſervitus.

(*k*) Quamvis dominus ſit, quia non irrevocabiliter dominus eſt. Hæc & duæ præcedentes regulæ fluunt ex generali regulâ, 23. ſuprà.
(*l*) Vide ſcripta ad XII. Tabulas, *Tab.* X. Cap. 2.

C D X L I I I.

1. Si quis eo animo corpus intulerit, quòd cogitaret aliò transferre; manebit locus prophanus. *l.* 40. *ff. de Religioſ.*

2. Una (*a*) ſepultura, plura ſepulcra efficere non poteſt: mihi autem videtur illum eſſe religioſum, ubi quod eſt principale conditum eſt, id eſt caput. *l.* 44. ff. *d. tit.*

3. Non totus qui ſepulturæ deſtinatus eſt locus religioſus ſit, ſed quatenùs corpus humatum eſt. *l.* 2. § 5. ff. *d. tit.*

4. Quæ religioſis adhærent, religioſa ſunt. *l.* 43. *ff. d. tit.*

5. Quod (*b*) ſepelire quis prohibetur, id religioſum facere non poteſt. *l.* 4. § 5. ff. *Ad L. Jul. pecul.*

6. Cenotaphium (*c*) non eſſe religioſum, Divi Fratres reſcripſerunt. *l.* 6. § 2. *ff. de Diviſ. rer.*

7. Quum impetratur ut reliquiæ transferantur, deſinit locus religioſus eſſe. *l.* 44. § 1. ff. *de Religioſ.*

(*a*) Id eſt, unius corporis diverſarum partium in diverſis locis facta ſepultura.
(*b*) Hinc religioſa non fit pecunia, quamvis in ſepulcro condita; cùm eam ſepelire ſit vetitum, Lege XII. Tabularum *Tab.* X. Cap. 3. N. 10.
(*c*) Id eſt, inane ſepulcrum; ut ille Hectoreus tumulus, de quo Æneid. III.

§ IV.

De jure ſepulcrorum.

C D X L I V.

1. Jus ſepulcri tam familiaris quàm hereditarii, ad extraneos etiam heredes (*a*); FAMILIARIS ad familiam, etiamſi nullus ex eâ heres ſit, pertinere poteſt. *l.* 13. *Cod. de Relig.*

2. Exheredatis, niſi ſpecialiter teſtator... vetuerit, ... ſepeliri; non etiam alios præter ſuam poſteritatem, inferre licet. *l.* 6. ff. *de Relig.*

3. Jus familiarium ſepulcrorum ad affines, ſeu proximos cognatos (*b*), non heredes, minimè pertinet. *l.* 8. *Cod. de Relig.*

4. Si cui hereditas ablata ſit quaſi indigno, magis eſt ut penès eum jura ſepulcrorum remaneant. *l.* 33. ff. *de Religioſ.*

5. Reſtitutâ hereditate, jura ſepulcrorum apud heredem remanent. *l.* 41. § 1. *ff. Ad SC. Trebell.*

(*a*) Cæteroſque ſucceſſores, licèt vel ex minimâ parte.
(*b*) Nec ad libertos.

C D X L V.

1. Longâ poſſeſſione jus ſepulcri non tribui, ei cui jure non competit. *l.* 4. *ff. de Mort. infer.*

2. Utimur eo jure; ut dominis fundorum in quibus ſepulcra fecerint, etiam poſt venditos fundos adeundorum ſepulcrorum ſit jus *l.* 15. *ff. de Sepulcr. viol.*

Ad loca religioſa pertinent, Edicta Prætoris, NE *quis mortuum inferat quò jus ei non eſt*; NE *quis prohibeatur inferre quò jus eſt*; NE *locus religioſus pro puro væneat*; NE *corpus juſtæ ſepulturæ traditum transferatur, niſi ex neceſſariâ causâ, & accedente juſſu Præſidis aut Principis*, NE *quis ædificare ſepulcrum quò ei jus eſt, aut reficere prohibeatur. De his vide Tit.* de Religioſis, *lib. XI.*

Source : BIU Cujas

ARTICULUS II.

De Rebus communibus, publicis, & universitatum.

§ I.

De Rebus naturali jure communibus.

CDXLVI.

Naturali jure omnium communia sunt, aqua profluens, mare, & per hoc littora maris. *l.* 2. § 1. *ff. de Divis. rer.*

Littus, publicum est (*a*) eatenùs quà maximè fluctus exæstuat. Idemque juris est in lacu (*b*), nisi is totus privatus est. *l.* 112. ff. *de Verb. signif.* JAVOLEN. LIB. 11. EX CASSIO.

(*a*) *Publicum* Jure Gentium, id est commune, sicut, & ipsum mare.
(*b*) Ut si *publicus* sit (putà, Lucrinus, Arvernus, Tiberiadis, & alii quidam qui sunt maris instar), ejus quoque littora publica sint.

Corollaria.

1. Nemo ad littus maris accedere prohibetur. *l.* 4. *ff. de Divis. rer.*

2. Si nemo damnum sentit; tuendus est qui in littore ædificat (*a*), aut molem in mare jacit. *l.* 2. § 8. *ff. Ne quid in loc. publ.*

3. Sicut id quod in mari ædificatum est, fit privatum; ita quod mari occupatum sit, fit publicum. *l.* 10. ff. *de Divis. rer.*

(*a*) Quòd si eo opere aut usus communis impediatur, aut privatus damnum sentiat; Utili Interdicto prohiberi potest.

§ II.

De publicis rebus.

CDXLVII.

1. Flumina penè omnia, & portus, publica sunt. *l.* 4. § 1. *ff. de Divis. rer.*

PENÈ, *inquam. Etenim* Fluminum quædam publica sunt, quædam non. PUBLICUM flumen esse Cassius definit, quod perenne sit. *l.* 1. § 3. *ff. de Fluminib.*

Secùs de fluminibus quæ TORRENTIA *dicuntur.* d. l. 1. § 2.

2. Riparum usus publicus est Jure Gentium, sicut fluminis: sed (*a*) proprietas illorum est quorum prædiis hærent. *l.* 5. ff. *de Divis. rer.*

Nota. Si flumen aliquam terram inundaverit, non alveum sibi fecerit . . . non fit publicum quod aquâ opertum est. *l.* 1. § 9. ff. *de Fluminib.*

3. *Sunt etiam publici juris quidam lacus, necnon quædam stagna & foss. l. un.* § 6. ff. Ut in flum. publ. navig.

4. *Publici etiam juris sunt viæ publicæ, putà* MILITARES *& Regiæ.*

Imò etiam Viæ VICINALES quæ ex agris privatorum collatis factæ sunt, quarum memoria non extat, Publicarum viarum numero sunt. *l.* 3. ff. *de Loc. & itin. publ.*

(*a*) Et in hâc re differunt *Ripæ*, ab ipso flumine; cujus proprietas est Populi Romani, scilicet quandiù alveus flumine occupetur: exsiccatus enim, fit ejusdem juris cujus & ripæ.

CDXLVIII.

1. Cuilibet (*a*) in publicum petere permittendum est, id quod ad usum omnium pertineat. *l.* 1. ff. *d. tit.*

2. Si quod fortè opus in publico fiet, quod ad privati damnum redundet; prohibitorio (*b*) Interdicto potest conveniri. *l.* 2. § 2. *ff. d. tit.*

3. Damnum pati videtur, qui commodum amittit (*c*) quod ex publico consequebatur; quale quale sit. *d. l.* 2. § 11.

4. Is qui ripam vult munire, de damno futuro debet vel cavere vel satisdare, secundùm qualitatem (*d*) personæ... in annos decem. *l.* 1. § 3. ff. *de Rip. mun.*

(*a*) Hinc varia Interdicta popularia de publicis rebus; putà illud quo Prætor vetat, NE quid fiat in flumine publico ripâ-ve ejus quo statio iter-ve navigii deterius fiat; & illud, NE quid fiat quo aliter fluat aqua (cum incommodo accolarum) quàm priore æstate fluxit, & alia quibus factum restitui jubet. Hinc similia Interdicta de viis publicis rusticis; ut, NE quid in his fiat quo deterior via fiat, & UT si factum fuerit, restituatur.
(*b*) Datur tale Interdictum de eo opere quod fit in viis cæterisque locis publicis. Datur aliud Interdictum, de eo opere quod fit in flumine aut ripâ.
(*c*) Putà, si lumen intercipiatur.
(*d*) Scilicet si quis suo nomine ob damnum quod in suo prædio timet caveri desideret, ei *Satisdari* debet; si alieno nomine, *Repromissio* sufficit.

CDXLIX.

1. Loca publica privatorum usibus deserviunt, non quasi propria cujusque; & tantum juris habemus ad obtinendum (*a*), quantum quilibet ex populo ad prohibendum (*b*) habet. *l.* 2. § 2. ff. *d. tit.*

2. Si quis nemine prohibente in publico ædificaverit, non esse eum cogendum tollere (*c*). *d. l.* 2. § 17.

(*a*) *Ad obtinendum* ut his locîs sine alterius damno utamur, & ut servemus quod in his nemine prohibente ædificavimus.
(*b*) *Ad prohibendum*; si cum damno ejus ædificare incipiamus.
(*c*) Scilicet Interdicto quod ex causâ damni privati datur, de quo est regula præcedens; est enim duntaxat prohibitorium.

§ III.

De Rebus universitatis.

CDL.

Res quæ corporis alicujus sunt, ita intelliguntur esse communes, ut privatim nemo earum dominus sit. Et certè Res universitatis, putà servus communis, singulorum pro parte non intelligitur. *l.* 6. § 1. ff. *de Divis. rer.*

CAPUT SECUNDUM.

De Rebus privati juris corporalibus, scilicet de earum possessione ac dominio.

PRIVATI JURIS *sunt, quæcumque divini aut publici juris numero non habentur, sive corporales sint, sive incorporales. Res illas proindè recensere & nimis longum foret & superfluum. De variis earum omnium notionibus & definitionibus, satis superque Tit. præcedenti. Notare sufficiat, in hoc Capite nos de rebus tantùm corporalibus agere, ratione possessionis aut dominii quod in eas competere potest.*

Quæcumque ad res incorporales pertinent, sequentibus Capitibus prosequemur.

SECTIO I.

De Possessione.

§ I.

De Possessionis naturâ & variis qualitatibus.

CDLI.

1. Nil (*a*) commune habet proprietas cum possessione. *l.* 12. § 1. ff. *de Acquir. poss.*

(*a*) Interdum enim apud alium est proprietas; apud alium, aut apud neminem, possessio.

2. Plures

2. Plures eamdem (*b*) rem in ſolidum poſſidere non poſſunt. *l.* 3. § 5. *ff. d. tit.*

Neque juſtæ neque injuſtæ poſſeſſiones duæ concurrere poſſunt. *l.* 19. *ff. de Precar.*

3. Ex pluribus cauſis poſſidere eamdem rem poſſumus. *l.* 3. § 4. *ff. de Acq. poſſ.*

4. Poſſidet, (*c*) cujus nomine poſſidetur. *l.* 18. ff. *d. tit.*

5. Illud à Veteribus præceptum eſt, Neminem ſibi cauſam poſſeſſionis mutare (*d*) poſſe. *l.* 3. § 19. ff. *d. tit.*

Adde l. 2. § 1. *ff.* Pro herede.

(*b*) Hæc regula quæ Proculianorum eſt, obtinuit. Contrà Sabiniani, duos poſſe diverſis modis poſſidere, alterum juſtè, alterum injuſtè, exiſtimabant.

(*c*) Ut ſi heres ſim ei qui *Pro emptore* poſſidebat; *Pro herede* & *Pro emptore* poſſideo. Et hàc in re *Poſſeſſio* differt à *Dominio*.

(*d*) Hinc quod alieno nomine poſſidebam, ſemper eodem nomine poſſidere pergo; ſciiicet niſi nova cauſa poſſeſſionis extrinſecùs ſuperveniat.

CDLII.

1. Juſtè (*a*) poſſidet, qui auctore Prætore poſſidet. *l.* 11. *ff. de Acq. poſſ.*

Corollarium. Qui auctore judice comparavit, bonæ fidei poſſeſſor eſt. *l.* 137. ULP. LIB. 25. AD ED. (*b*)

2. Non (*c*) puto eum eſſe prædonem qui dolo caret, quamvis in jure erret. *l.* 25. § 6. ff. *de Petit. hered.*

3. Nemo prædo eſt, qui pretium (*d*) numeravit. *l.* 13. § 8. *ff. d. tit. & lib.* 126. ULP. LIB. 15. AD ED.

(*a*) V. G. qui ex causâ damni infecti poſſidere juſſus eſt ex ſecundo Decreto. Nam & adversùs dominum, eum tuetur Prætor; & ut bonæ fidei poſſeſſor uſucapere poteſt.

(*b*) Ulpianus in hoc libro ſcribebat AD EDICTUM DE Religioſis; adeòque hoc dixit de eo qui rem legatam emit, quam Prætor diſtrahi juſſerat ut haberet heres undè funeraret teſtatorem. Poteſt trahi ad alias ſpecies; ut ad eum qui capta ab executore rei judicatæ pignora emit, &c.

(*c*) Non eſt is quidem, quantùm ad omnia, bonæ fidei poſſeſſor; putà, quantùm ad uſucapionem; ſed tamen non eſt prædo. Hinc in judicio *Petitionis hereditatis*; adversùs talem hereditatis poſſeſſorem, non tanquam contra prædonem agitur.

(*d*) Quamvis ſciens alienam hereditatem emerit.

CDLIII.

Pro poſſeſſore poſſidet prædo; qui interrogatus cur poſſideat, reſponſurus ſit QUIA POSSIDEO (*a*); nec ullam cauſam poſſeſſionis poſſit dicere. *l.* 11. § 1. *l.* 12. & *l.* 13. ff. *d. tit.*

Si tibi debeam & non tradam, tu autem nanctus fueris poſſeſſionem, prædo es. *l.* 5. ff. *de Acquir. poſſeſſ.*

Cætera vitia poſſeſſionis, VI, CLÀM, Precariò, *definita vide Tit. præced. in Verb.* POSSESSIO.

Hîc tantùm nota: 1°. Non videor vi poſſidere, qui ab eo quem ſcirem vi in poſſeſſione eſſe, fundum accipiam. *l.* 5. § 10. ff. *Uti poſſid.*

2°. A me videtur vi vel clàm vel precariò poſſidere, qui ab auctore meo vitiosè (*b*) poſſidet. *l.* 3. § 2. *ff. de Itin. actuq. priv.*

3°. *Ad dignoſcendum an poſſeſſio vitio clandeſtinitatis aut violentiæ laboret;* Non ratio obtinendæ poſſeſſionis, ſed origo nanciſcendæ exquirenda eſt. *l.* 6. ff. *de Acq. poſſ.*

Plura infrà, Part. 4^a. *Cap.* 5. *ubi de* Interdictis.

(*a*) Ita jure Digeſtorum. Poſtea introductâ Triginta annorum præſcriptione; hic titulus *Quia poſſideo*, per eam fit legitimus.

(*b*) *Vi*, vel *Clàm*, vel *Precariò*.

§ II.

Quæ res poſſideri poſſint.

CDLIV.

1. Poſſideri (*a*) poſſunt, quæ ſunt corporalia. *l.* 3. ff. *de Acquir. poſſeſſ.*

2. Incertam partem rei poſſidere nemo poteſt. *l.* 32. § 2. *ff. de Uſucap.*

3. Qui univerſas ædes poſſidet, res quæ in ædificiis ſunt non videtur poſſediſſe (*b*). *l.* 30. *ff. d. tit.*

4. Et ea natura *gregis* eſt, ut adjectionibus corporum *idem* maneat; non item tamen (*c*) univerſi gregis ulla eſt uſucapio. Sed ſingulorum animalium ſicuti poſſeſſio, ita & uſucapio. *d. l.* 30. § 2.

(*a*) Jura autem propriè non poſſidentur; ſed quaſi-poſſidentur; quum his utimur.

(*b*) Regula fallit eo caſu quo tignum cœpiſſent poſſidere, antequàm illud ædibus quas poſſideo jungerem: hoc enim caſu illud cum ædibus poſſidere & uſucapere pergo.

(*c*) Et in hoc differunt corpora quæ ex pluribus rebus diſtantibus, ab his quæ ex pluribus rebus cohærentibus *conſtant*.

§ III.

De adipiſcendâ poſſeſſione, & de his per quos poſſidemus.

CDLV.

Adipiſcimur poſſeſſionem corpore & animo (*a*); neque per ſe animo, aut per ſe corpore. *l.* 3. § 1. ff. *de Acq. poſſeſſ.*

Corollarium. Non puto errantem (*b*) acquirere poſſeſſionem. *l.* 34. ff. *d. tit.*

Non corpore & actu neceſſe eſt poſſeſſionem apprehendere, ſed (*c*) etiam oculis & affectu. *l.* 1. § 21. ff. *d. tit.*

Non (*d*) videtur poſſeſſionem adeptus, qui ita nanctus eſt ut eam retinere non poſſit. *l.* 23. ff. *d. tit.*

(*a*) Hinc furioſi, infantes, poſſeſſionem adipiſci non poſſunt per ſe. Receptum tamen, ut municipes poſſidere videantur; quamvis civitas per ſe non velit, proindèque non habeat voluntatem poſſidendi, ſufficit enim ut per ſuum Syndicum velle poſſidere intelligatur.

(*b*) Neque enim in eo eſſe poteſt animus ſeu voluntas poſſidendi rem, circa quam errat. Fallit regula, quum quis non per ſe, ſed per procuratorem acquirit: infrà N. ſeq.

(*c*) Fallit regula in iis qui poſſeſſionem vi invadunt: nec enim poſſident niſi eam fundi partem in quam intraverint: l. 18 § 4 ff. *d. tit.*

(*d*) Hoc dicitur de his qui, vi, *Clàm*, aut *Precariò*, poſſeſſionem adepti ſunt: non poteſt prodeſſe his hæc poſſeſſio, quæ per Interdicta eis auferenda eſt.

CDLVI.

Animo (*a*) noſtro, corpore etiam alieno poſſidemus. *l.* 3. § 12. *ff. d. tit.*

Per procuratorem, utilitatis causâ poſſeſſionem; &, ſi proprietas ab (*b*) hâc ſeparari non poſſit, dominium etiam quæri placuit. *l.* 8. *Cod. d. tit.*

Per liberam (*c*) perſonam ignoranti (*d*) quòque acquiri poſſeſſionem; &, poſtquàm ſcientia intervenerit, uſucapionis conditionem inchoari; tam ratione utilitatis quàm Juriſprudentiæ receptum eſt. *l.* 1. *Cod. de Acq. poſſ.*

Si non mihi ſed procuratori meo poſſeſſionem tradas; cùm placeat ignoranti acquiri, poterit & erranti. *l.* 34. § 1. *ff. de Acq. poſſ.*

Si procurator meus (*e*) erret, ego non errem; magis eſt ut acquiram poſſeſſionem. *d.* § 1.

Procurator ſi mandante domino rem emerit, protinùs illi acquirit poſſeſſionem (*f*), ſi ſuâ ſponte, nonniſi ratam habuerit emptionem. *l.* 42. § 1. *ff. d. tit.*

Ille per quem volumus poſſidere, talis eſſe debet ut habeat intellectum poſſidendi. *l.* 1. § 9. *ff. d. tit.*

(*a*) Ex causâ tamen peculiari, etiam ignorantibus nobis, per eos quos in poteſtate habemus, acquiritur poſſeſſio.

(*b*) Scilicet ſi ab eo qui jus alienandi habet, acquiratur.

(*c*) Tutoris, procuratoris.

(*d*) Ex eo enim quòd mandaverim procuratori meo ut eam rem acquireret, mihi ſatis videor habere animum ſeu voluntatem ejus poſſidendæ, quamvis adhuc ignorem eam acquiſitam.

(*e*) Ut ſi is cui mandavi mihi accipere Stichum, eum Stichum mihi accipiat exiſtimans accipere Damam.

(*f*) Etiam ignoranti, imò & erranti; ut putà ſi is cui mandavi ut mihi emeret indeterminatè ſervum; mihi emerit acceperitque Stichum, quem credo eſſe Damam.

§ IV.

De retinendâ poſſeſſione.

CDLVII.

1. Quiſquis omninò noſtro nomine ſit in poſſeſſione,

Source : BIU Cujas

veluti procurator, hoſpes, amicus; nos poſſidere videmur. *l.* 9. *ff. de Acquir. poſſeſſ.*

2. Licèt poſſeſſio nudo animo acquiri non poſſit, tamen ſolo animo retineri poteſt. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

3. Si animo ſolo poſſideas; licèt alius in fundo ſit, adhuc tamen (*b*) poſſides. *l.* 3 § 7. *ff. d. tit.*

4. Si ſervus vel colonus per quos corpore poſſidebam, deceſſerint, diſceſſerint-ve (*c*); animo retinebo poſſeſſionem. *l.* 3. § 8. *ff. de Acq. poſſ.*

5. Si conductor rem vendidit & eam ab emptore conduxit, & utrique mercedem præſtiterit; prior locator poſſeſſionem per conductorem retinebit. *l.* 32. §. 1. *ff. d. tit.*

6. Conſtat poſſidere nos, donec aut noſtrâ voluntate diſceſſerimus, aut vi dejecti fuerimus. *l.* 3. § 9. *ff. de Acq. poſſ.*

7. Si quis nolit in fundum reverti, quòd vim majorem (*d*) vereatur; amiſiſſe poſſeſſionem videbitur. *l.* 7. ff. *d. tit.*

8. Qui pignori dedit, ad uſucapionem tantùm poſſidet; quod ad reliquas cauſas, qui accepit poſſidet. *l.* 16. *ff. de Uſufr. & quemadm.*

9. Quod mari aut flumine occupatum (*e*) ſit, poſſidere nos deſinimus. *l.* 38. § 4. ff. *de Acq. poſſ.*

(*a*) Exemplum in ſaltibus hybernis & æſtivis, quos certis temporibus relinquimus.
(*b*) Donec te revertentem dejecerit; aut tu conterritus, animum revertendi, adeòque poſſidendi, abjeceris. Interim autem ille, licèt in fundo ſit, nondum poſſidet.
(*c*) Imò & ſi eam alii prodiderint; modò non vi compulſi, l. fin. Cod. *de Acq. poſſ.* ex Proculeianorum ſententiâ quam confirmavit Juſtinianus.
(*d*) Latronum qui eam occupaverunt.
(*e*) Excipe caſum momentaneæ inundationis.

§ V.

De amittendâ poſſeſſione.

CDLVIII.

Ferè quibuſcumque modis obligamur, iiſdem in contrarium actis liberamur; cùm, quibus modis acquirimus, iiſdem in contrarium actis amittimus. Ut igitur nulla poſſeſſio acquiri niſi animo & corpore poteſt (*a*); ita nulla amittitur, niſi id quâ utrumque in contrarium actum. *l.* 153. PAUL. LIB. 63. AD ED.

Poſſeſſio amitti & animo ſolo poteſt, quamvis acquiri non poteſt. *l.* 3. § 6. ff. *de Acq. poſſ.*

Differentia inter dominium & poſſeſſionem, hæc eſt; quòd dominium nihilominùs ejus manet qui dominus eſſe non vult (*b*): poſſeſſio autem recedit, ut quiſque conſtituit (*c*) nolle poſſidere. *l.* 17. § 1. *ff. d. tit.*

Sufficit dimittere poſſeſſionem, etiamſi non (*d*) transferas. *l.* 18. § 1. ff. *d. tit.*

Regula eſt; Ejus quidem quod corpore noſtro teneremus, poſſeſſionem amitti, vel animo (*e*) vel etiam corpore (*f*); ſi modò eo animo indè digreſſi fuiſſemus, ne poſſideremus; ejus verò quod ſervi vel etiam coloni corpore poſſidetur, non aliter amitti poſſeſſionem quàm eam alius (*g*) ingreſſus fuiſſet; eamque amitti, nobis quoque ignorantibus. *l.* 44. § 2 *ff. d. tit.*

(*a*) Id eſt; ut corporalis apprehenſio non ſufficit ad poſſeſſionem adipiſcendam, niſi concurrat animus poſſidendi; ita nec corporalis diſceſſio ſufficit ad eam abjiciendam, niſi concurrat animus eam abjiciendi.
(*b*) Donec rem abjiciat.
(*c*) Licèt in fundo ſit. Hæc & ſequens regula fallunt in pupillo.
(*d*) Ut ſi tradas furioſo, quem ſanum putas.
(*e*) Solo.
(*f*) Id eſt, corpore & animo.
(*g*) *Alius* qui ipſos dejecit.

CDLIX.

Nerva filius ait; Res mobiles, excepto (*a*) homine, quatenùs ſub cuſtodiâ noſtrâ ſunt, hactenùs poſſideri (*b*). *l.* 3. § 13. ff. *de Adq. poſſ.*

(*a*) Ratio exceptionis eſt, ne in ipſius poteſtate ſit ut ſe à noſtrâ poſſeſſione diſtrahat. Exceptio ceſſat, ſi ſe pro libero gefferit: Tit. *de Acq. poſſ.* N. 44.
(*b*) Et quidem definunt ita poſſideri: quamvis eas nullus invaſerit.

Si rem apud te depoſitam furti faciendi cauſâ contrectaveris (*c*), deſino poſſidere. *l.* 3. § 18. *ff. d. tit.*

Servus dominum poſſeſſione non ſubvertit (*d*). *l.* 33. § 6. *ff. de Uſufr. & quemadm.*

(*a*) Secùs, ſi loco non moveris; quamvis inficieris depoſitum.
(*b*) Nihil enim à me in ſe transferre poteſt is qui, quidquid adquirit, mihi acquirit.

SECTIO ALTERA.

De Dominio.

ARTICULUS I.

De Dominii naturâ.

CDLX.

Non ut ex pluribus cauſis idem nobis deberi poteſt; ita ex pluribus cauſis idem poſſit noſtrum (*a*) eſſe. *l.* 159. PAUL. LIB. 7. AD ED.

Dominium non poteſt, niſi ex unâ cauſâ contingere. *l.* 3. § 4. *ff. de Acquir. poſſeſſ.*

Celſus ait; Duorum in ſolidum dominium eſſe non poſſe (*b*): nec quemquam partis corporis dominum eſſe, ſed totius corporis pro indiviſo dominum eſſe. *l.* 5. § 1. *ff. Commodati.*

Plures in uno fundo dominium, juris (*b*) intellectu, non diviſione corporis obtinent. *l.* 66. § 2. *ff. de Legatis* 2°.

(*a*) Nihil enim repugnat ut quod mihi jam ex unâ cauſâ debetur, putà ex cauſâ ſtipulationis, mihi ex aliâ cauſâ deberi incipiat, putà ſi ab eodem aut ab alio mihi ea res fuerit legata. Undè, ſi contra aliquem ex unâ cauſâ egi *In perſonam*, & ſuccubui; non prohibeor agere ex aliâ cauſâ. At quod ſemel ex unâ cauſâ meum factum fuit, ex ullâ cauſâ meum fieri amplius non poteſt: nec enim poſſum acquirere quod jam meum eſt. Ex hâc differentiâ fluit quod *Rei vindicatio*, quum ſemel ſuccubui, non iteratur; ut actio *In perſonam*.
(*b*) Et hæc eſt alia differentia, inter *Obligationem* & *Dominium*: nam duos in ſolidum debere, & duobus deberi, nil vetat. Ex hâc autem regulâ fluit V. G. quòd legatum inter duos quibus legatum *Per vindicationem* relictum eſt, ſcinditur; & concurſu partes inter ipſos fiunt in re legatâ: quum contrà in legato *Damnationis*, quod obligationem duntaxat parit, ſingulis legatariis ſolidum debetur; ita ut unus rem, alter æſtimationem ferat: Tit. *de Legatis* N. 414.
(*c*) Fingentis, & adſcribentis unicuique dominorum partes; quæ ſolo intellectu concipiuntur, reverâ non exiſtunt.

CDLXI.

Neque (*a*) pignus, neque depoſitum, neque emptio neque locatio rei (*b*) ſuæ, conſiſtere poteſt. *l.* 45. ULP. LIB. 30. AD ED.

Suæ quiſque rei moderator & arbiter. *l.* 21. *Cod. Mandati.*

(*a*) Hinc ſi rem quam uſucapiebam, domino pignori dederim, locaverim, aut apud eum depoſuerim, ei-ve commodaverim, interpellatur uſucapio: neque enim per eum, tanquam colonum, depoſitarium, commodatarium, poſſidere poſſum intelligi; cùm nullus *Rei ſuæ* colonus, depoſitarius: commodatarius, eſſe poſſit. Hinc etiam eſt quòd, ſi quis rem ſuam ignorans emerit, non teneatur; &, ſi ſolverit pretium, condicat ut indebitum, &c.
(*b*) Ipſam quidem *Rem* meam emere, conducere, &c. non poſſum. Cæterùm rei meæ uſumfructum, qui meus non eſt, emere, locare aut pignori accipere nil vetat. Item rei meæ poſſeſſio quæ mea non eſt, precariò rectè mihi datur.

CDLXII.

1. Meum eſt, quod ex re meâ ſupereſt (*a*). *l.* 49. § 1. *ff. de Rei vindic.*

2. Quod evincitur, in bonis (*b*) non eſt. *l.* 190. CELSUS LIB. 24. DIGEST.

Non (*c*) videtur perfectè cujuſque id eſſe, quod ex caſu auferri poteſt. *l.* 139. § 1. GAIUS LIB. AD ED. PRÆT. URBANI.

(*a*) Hinc mortuo bove meo, carnis & corii vindicatio mihi competit.
(*b*) Hinc ſolutio non valet, ejus rei quæ in eâ cauſâ erat ut ille cui eam ſolvi, evinceretur: lib. 46. Tit. *de Solution.* Hinc in computatione Falcidiæ, id in hereditate computandum non eſt.
(*c*) Eadem eſt ac præcedens.

Source : BIU Cujas

3. Plerùmque fit ut etiam ea quæ à nobis abire possint, proindè in eo statu sint, atque si non essent ejus conditionis ut abire possint. Et ideò quod fisco obligamus, & vindicare interdum & alienare, & servitutem in prædio imponere possumus (*d*). *l.* 205. POMPON. LIB. 39. AD Q. MUCIUM.

(*d*) Cum suâ causâ; ita ut existente conditione sub quâ res à nobis abire debebat, hæc alienatio, hæc servitutis impositio &c. infirmentur.

ARTICULUS II.

De modis acquirendi dominii Jure Gentium, per Occupationem & Accessionem.

§ I.

De Occupatione.

CDLXIII.

1. Quod nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. *l.* 3. *ff. de Acquir. rer. dom.*

Corollarium I^um. Omnia animalia quæ terrâ, mari, cœloque capiuntur (*a*); id est, feræ, volucres, pisces, capientium fiunt. *l.* 1. § 1. *ff. d. tit.*

Nec interest... in suo fundo quisque capiat, an in alieno. *l.* 3. § 1. *ff. d. tit.*

Corollarium II^um. Lapilli, cæteraque quæ in littore invenimus, jure naturali nostra statim fiunt. *d. l.* 3.

Corollarium III^um. Insula quæ in mari nascitur (*b*), occupantis fit. *d. l.* 3. § 3.

Corollarium IV^um. Quod in littore (*c*) quis ædificaverit, ejus (*d*) erit. *l.* 14. *ff. d. tit.*

2. *Thesauri* Dimidium (*e*), inventori semper placet relinqui. *l.* 63. § 4. *ff. d. tit.*

3. Quæ (*f*) ex hostibus capiuntur, Jure gentium statim capientium fiunt (*g*). *l.* 5. § 7. *ff. d. tit.*

(*a*) Vulnerasse non sufficit, nisi in tuam potestatem pervenerit.
(*b*) Secùs de natâ in flumine. d. tit. N. 31. & seq.
(*c*) Nam patrem littoris quæ nullius est, ædificio meo *Occupo*. Idem si in mari.
(*d*) Tamen potest prohiberi ne ædificet; aut ut deponat, si usum publicum impediat.
(*e*) Quodammodo etiam occupationis jure; altera autem dimidia, quasi accessionis jure cedit domino loci.
(*f*) Quodam etiam occupationis jure.
(*g*) Et quidem res mobiles fiunt cujusque militis: at res soli publicantur. Reipublicæ enim nomine occupari videntur.

§ II.

De accessione.

CDLXIV.

Nostra fiunt, quæ ex animalibus (*a*) dominio nostro subjectis nata (*b*) sunt. *l.* 6. *ff. de Acq. rer. dom.*

Omnis (*c*) fructus, non jure seminis, sed jure soli percipitur. *l.* 25. *ff. de Usuris.*

In quibus (*d*) propria qualitas spectaretur, si quid additum erit toto cedit. *l.* 26. § 1. *ff. de Acq. rer. dom.*

(*a*) Jure accessionis. Est enim rei meæ accessio quod ex eâ nascitur.
(*b*) Aut ancillis.
(*c*) Eadem ratio.
(*d*) Id est; in his quæ sub specie unicæ ac individuæ rei spectantur, ut est statua cui pes accedit.

CDLXV.

Omne (*a*) quod inædificatur, solo cedit. *l.* 7. § 10. *ff. d. tit.*

Ratio non permittit ut alterius arbor intelligatur, quàm cujus fundo radices (*b*) egisset. *d. l.* 7. § 13.

Etsi radicibus vicini arbor aletur, tamen ejus est in cujus fundo origo ejus fuerit. *l.* 6. *ff. Arb. furt. cæs.*

Non uti litteræ chartis membranis-ve cedunt, ita solent picturæ tabulis (*c*) cedere. *l.* 9. § 2. *ff. de Acq. rer. dom.*

(*a*) Sive quis ex suâ materiâ in alieno solo, sive in suo ex alienâ materiâ ædificet.
(*b*) Omnes; aut si est in confinio, est communis.

Cùm partes duorum dominorum ferrumine cohæreant; quum quæreretur utri cedant, pro portione rei æstimandum vel pro pretio cujusque Partis. *l.* 27. § 2. ff. *d. tit.*

Quod in solo tuo ædificatum est; quoad in eâdem causâ manet, jure ad te pertinet; si verò fuerit dissolutum ædificium, materia ad pristinum dominum redit. *l.* 2. *Cod. de Rei vindic.*

(*c*) Hoc propter artis excellentiam, contra rationem Juris invectum.

CDLXVI.

Quod per alluvionem agro nostro flumen adjicit, id Jure gentium nobis (*a*) acquiritur. *l.* 7. § 1. ff. *de Acq. rer. dom.*

Per alluvionem id videtur adjici; quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non possimus quantùm quoquo momento temporis adjiciatur. *d.* § 1.

Si vis fluminis partem ex tuo prædio detraxit, & meo attulerit: palàm est tuam (*b*) permanere. *d. l.* 7. § 2.

Si alveo relicto flumen aliàs fluere cœperit; prior alveus eorum est qui propè ripam prædia possident, pro modo latitudinis cujusque prædii quæ propè ripam sit. *d. l.* 7. § 5.

(*a*) Locum tamen hæc regula non habet in agris limitatis.
(*b*) Nisi longiore tempore hæserit; ut si arbores quas secum tulerit, in tuo radices egerint.

CDLXVII.

Si qua (*a*) insula in flumine publico proximo tuo fundo nata est, tua est. *l.* 64. § 2. ff. *d. tit.*

Flumina Censitorum (*b*) vice funguntur; ut ex privato in publicum (*c*) addicant, & ex publico in privatum. *l.* 30. § 3. ff. *d. tit.*

Inundatio speciem fundi non (*d*) mutat. *l.* 7. § 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Intellige de eâ insulâ quæ est pars alvei exsiccati. Secùs de eâ quæ sustinetur in flumine, ut solum non tangat: hæc enim publica est, sicut ipsum flumen.
(*b*) Id est, agri mensorum; qui regendis finibus adhibiti, alteri spatia detrahunt, alteri addunt.
(*c*) Locus enim privatus quem flumen occupat, fit publicus; & is publicus locus, quum à flumine relinquitur, fit privatorum qui propè ripam prædia possident.
(*d*) Adeòque, quum flumen recessit, locus redit ad suum dominum. Secùs de loco ubi flumen alveum sibi diu excavasset.

CDLXVIII.

In omnibus quæ ad eamdem speciem reverti possunt (*a*); dicendum est, si materiâ manente species duntaxat fortè mutata sit, me eorum dominum manere. *l.* 24. ff. *d. tit.*

Voluntas duorum dominorum miscentium materias, commune totum corpus efficit; sed & si casu confusæ (*b*) sint, idem Juris est. *l.* 7. § 8. & 9. ff. *d. tit.*

(*a*) Malè vulgò, NON *possunt*: in his etiim quæ ad suam speciem reverti non possunt, ut quum ex uvis alienis vinum factum est; dominium amittitur; & nova species sit ejus qui eam bonâ fide fecit.
(*b*) Hoc ita, quum sic confunduntur ut intereant, nec ad suam speciem reverti possint. Aliàs materiæ singulæ quæ citra voluntatem dominorum commixtæ sunt, singulorum suorum dominorum manent.

ARTICULUS III.

De translatione dominii, & traditione.

§ I.

De translatione dominii in genere.

CDLXIX.

1. In quod nostrum est, sine facto nostro (*a*) ad

(*a*) Hæc regula videtur exceptiones pati in usucapione, distractione pignoris Prætorii aut judicialis, &c. Quanquam & his casibus regulam sustineri posse censet Gothofredus; accipiendo hæc verba *Sine facto nostro* quasi diceret *Sine culpâ nostrâ*: nam & ea culpa quæ consistit in omittendo quod facere debebamus, *Factum nostrum* dicitur. Item quum per adjudicationem arbitri *Familiæ erciscundæ* aut *Communi dividundo* res nobis aufertur; factum etiam aliquod nostrum intercessisse videtur, illud scilicet quo judicium accipimus. Regula veram exceptionem patitur favorem fisci; infrà Part. 5^a.

Source : BIU Cujas

alium transferri non potest. *l.* 11. POMPON. LIB. 5. AD SABIN.

2. Traditionibus & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis (*b*) transferuntur. *l.* 20. *Cod. de Pact.*

Corollarium. Quoties duobus in solidum prædium jure distrahitur ; manifesti Juris est eum cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem (*c*). *l.* 15. *Cod. de Rei vind.*

(*b*) *Pacta* hîc accipe, etiam contractus nondum per traditionem consummatos.

(*c*) Eo cui priori res vendita est.

CDLXX.

Qui (*a*) potest invitis alienare, multò magis & ignorantibus & absentibus potest. *l.* 26. ULPIAN. LIB. 30. AD SABIN.

Cujus (*b*) est donandi, eidem & vendendi & concedendi (*c*) jus est. *l.* 163. ULP. LIB. 55. AD ED.

Cùm quis possit alienare, poterit & consentire alienationi. Cui autem donare non conceditur ; probandum erit, nec si donationis causâ consenserit, ratam voluntatem ejus habendam. *l.* 165. Idem LIB. 63. AD ED. (*d*).

(*a*) Hæc & sequentes regulæ, sunt Corollaria regulæ ff. *h. tit.* suprà N. 14. Ulpianum in libro undè desumpta est, de societate egisse constat ex Indice Labitti. Species ergo legis rectè ponitur in socio ; qui, cùm partem rei communis *Invitis* sociis alienare possit, multò magis potest & his *Ignorantibus*. Potest & aliis speciebus aptari Regula. Fallit in creditore : qui, licèt *Invito* debitore pignus distrahat, non tamen potest eo *Ignorante* ; cùm ei debeat denunciare.

(*b*) Pone exemplum in servo aut filio, cui dominus aut pater permiserit donare res peculiares. Fallit regula in Decurione qui Jure Codicis prædia sua vendere sine Decreto non potest, at donare potest : l. ult. Cod. *de Præd. Decur.*

(*c*) Ad usum,

(*d*) Ulpianus in hoc libro egit de servitute *Aquæ ducendæ*. Species ergo legis rectè ponitur in eo qui consortem pupillum habet : frustrà is concedet ; donationis causâ, jus aquæ ducendæ ; nec enim hoc potest, nisi ex consensu pupilli consortis sui ; pupillus autem qui donare non potest, nec consentire donationi potest. Aliis quoque speciebus potest aptari regula.

§ II.

De Rebus quarum dominii translatio, id est alienatio, Lege interdicta est ; ac præcipuè de fundo dotali, & prædiis Minorum.

CDLXXI.

1. Dotale prædium maritus invitâ muliere per Legem Juliam prohibetur alienare [*a*]. *Inst.* Tit. *Quib. alien. lic.*

2. Si mulieris nomine quis fundum in dotem dederit [*b*], dotalis fundus erit. *l.* 14. § 1. ff. *de Fund. dot.*

Et Dotale prædium sic accipimus, quum dominium marito quæsitum est, ut tunc demùm alienatio prohibeatur [*c*]. *l.* 13. § 2. ff. *d. tit.*

3. Lex Julia quæ de dotali prospexit, pleniùs interpretanda est ; ut etiam de sponso idem juris sit quod de marito. *l.* 4. ff. *d. tit.*

4. Etiam dirempto matrimonio dotale prædium esse intelligitur [*d*]. *l.* 12. ff. *d. tit.*

5. Si fundus in dotem æstimatus datus sit, ut electio esset mulieris ... alienari fundum *non* posse. Quòd si arbitrio mariti sit, contrà [*e*] esse. *l.* 11. ff. *d. tit.*

6. Toties non potest alienari fundus, quoties mulieri actio DE DOTE competit, aut omnimodo competitura [*f*] est. *l.* 3. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Ita ut nec dominium nec quodvis jus in fundo dotali transferre possit. Hoc tamen non trahe ad alienationes necessarias, & eas quæ potestate juris fiunt : *d. tit.* N. 8. 9. & 10.

(*b*) Sed & quum mulier aut quivis ejus nomine, acceptum fert dotis causâ fundum quem maritus debebat ; vel substituto viro omittit legatum, vel fundus dotali servo legatus est : lib. 23. Tit. *de Fund. dot.* N. 4. & 5.

Si igitur mulier det in dotem viro fundum suum, ab alio bonâ fide possessum, antequam eum vir cessâ sibi mulieris actione eum vindicet & possessionem adipiscatur ; potest possessor eum usucapere, nec videtur sic adversùs Legem alienari.

(*d*) Donec restitutum fuerit mulieri.

(*e*) Hoc enim casu, non fundi, sed pretii quo æstimatus est, maritus est debitor, & hoc pretium duntaxat est in dote.

(*f*) Si igitur mulier in matrimonio moriatur, convalescit alienatio. Idem est, & si mulier hereditatem mariti, aut legatum ab ipso vice fundi dotalis relictum agnovit. d. tit. N. 12. & 13.

CDLXXII.

1. Prædium [*a*] rusticum vel suburbanum [*b*], à minore [*c*] viginti-quinque annis alienari [*d*] sine Decreto Præsidis [*e*] ; nisi parentis voluntas, vel testatoris ex cujus bonis ad minorem pervenit, super alienando eo quidquam mandasse deprehendantur [*f*] ; nullâ ratione potest. *l.* 3. *Cod. Quand. decr. opus non est.*

2. Ubi dominium quæsitum est Minori, cœpit *res* non posse [*g*] obligari. *l.* 1. § 4. ff. *de Reb. eor. qui &c.*

3. Nec ususfructus [*h*] alienari potest, etsi solus fuit ususfructus pupilli. *l.* 3. § 5. ff. *de Donat. int. vir.*

4. Fundum legatum pupillus sine Prætoris auctoritate repudiare non potest. *l.* 5. § 8. *ff. d. tit.*

5. Ad divisionis causam provocante tantummodò Majore socio, alienationem sine Decreto fieri (*i*), jam pridem obtinuit. *l.* 17. *Cod. de Præd. minor.*

Sed Si pupillorum sint communia prædia, neuter poterit provocare. *l.* 7. ff. *d. tit.*

6. Ob æs alienum tantùm (*k*), causâ cognitâ (*l*), Præsidali Decreto, prædium rusticum Minoris distrahi permittitur. *l.* 12. *Cod. d. tit.*

7. Mea fert opinio ; Eum qui aliud (*m*) fecit quàm quod à Prætore decretum est, nil egisse. *l.* 7. § 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Hoc cautum constitutione Severi : l. 1. ff. *d. tit.*

(*b*) Constantinus hoc porrexit ad urbana, & etiam res mobiles pretiosas : l. 13. Cod. h. tit.

(*c*) Ejus-ve tutore aut curatore ; etiamsi sit pater Minoris, d. tit. N. 15. Hoc trahe ad curatores furiosorum, prodigorum, &c.

(*d*) Hoc accipe de omni actu quo non tolùm dominium, sed vel quodlibet aliud jus in re transfertur, ut hypothecæ, servitutis ; N. 6. & 12. Nec refert quo titulo, venditionis, transactionis, &c. N. 5. Excipe alienationes necessarias, & obligationes quæ potestate Legis fiunt : vide exempla *d. tit. N. 9. 10. 11. 12. & 13.*

(*e*) Qui sit competens, & causæ cognitionem adhibuerit ; & cui non fuerit obreptum.

(*f*) Etiam eo testamento quod irritum sit. Non sufficit autem quòd testator rem venalem ipse habuerit.

(*g*) Adeò ut ne quidem venditori, pro pretio, ex conventione in continenti interpositâ, res à Minore empta obligari sine beneficio Principali possit. d. l. 1. § 4.

(*h*) Nec quodvis aliud jus, putà emphyteusis, &c.

(*i*) Nam ex parte Minoris qui provocatur, est species necessariæ alienationis ; & ad necessarias alienationes Lex non pertinet.

(*k*) Non ergo ex hâc causâ quòd prædium esset sterile.

(*l*) An aliundè exsolvi non possit, an creditor urgeat, vel modus usurarum hoc suadeat.

(*m*) Ut si is cui permissum est obligare, vendiderit ; aut contrà.

CDLXXIII.

Sine Decreto Si tutor vendiderit, & pretium creditoribus paternis (*a*) solverit ; quandoque domino prædium cum fructibus vindicanti, DOLI non inutiliter opponitur exceptio (*b*), pretium ac medii temporis usuras non offerenti. *l.* 13. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Aut aliàs in rem pupilli verterit.

(*b*) Opponitur quoque hæc exceptio, *Si major factus ratum habuerit*, vel tacitè ; putà, si pretium rationibus tutelæ inferri passus est. Ex Constitutione Justiniani præsumitur ratihabitio, ex silentio quinquennii postquàm Major factus est : d. tit. N. 38.

§ IV.

Quomodo fiat traditio, aut facta intelligatur.

CDLXXIV.

Traditio est de manu in manum datio. *Instit.* Tit. *de Rer. divis.*

Sed & citrà hanc realem de manu in manum dationem potest intelligi facta traditio : ut constabit ex regulis sequentibus.

1. Quasi-traditio facta videtur, quum eximitur (*a*) domini voluntate. *l.* 6. *ff. de Donat.*

(*a*) Putà, lapis.

Source : BIU Cujas

2. Non est corpore & actu necesse apprehendere possessionem, sed etiam oculis. *l.* 1. § 21. ff. *de Acq. poss.*

3. Clavibus traditis, ita mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur, si claves apud horrea traditæ sint. *l.* 74. ff. *de Contrah. empt.*

4. *Rei cujuslibet* Emptionum, (*putà*) mancipiorum, instrumentis traditis, & ipsorum mancipiorum traditionem factam intelligis. *l.* 1. *Cod. de Donat.*

5. Quisquis rem donando .... vel vendendo, usumfructum ejus retinuerit; eam continuò tradidisse credatur. *l.* 28. *Cod. d. tit.*

6. Si rem meam possideas (*a*), & velim eam tuam esse; fiet tua. (*b*). *l.* 21. § 1. ff. *de Acq. rer. dom.*

(*b*) Vel naturaliter detineas.
(*c*) Nudo consensu perfecta hoc casu traditio videtur; & ideò dicitur *Brevis manûs.*

§ V.

Quæ requirantur necne, ut ex traditione transferatur dominium.

CDLXXV.

Nihil interest, utrùm dominus per se tradat alicui rem, an voluntate (*a*) ejus aliquis. *l.* 9. § 4. ff. *d. tit.*

Nota: Si rem tibi dederim ut Titio meo nomine donares, tu tuo nomine ei dederis; quantùm ad Juris subtilitatem, accipientis facta (*b*) non est... Sed benignius est, si agam contra eum qui accepit, exceptione DOLI me summoveri. *l.* 25. *ff. de Donat.*

(*a*) Saltem generali, ut in eo qui concessit liberam suarum rerum administrationem alicui; quæ voluntas intervenire debet tempore traditionis; *d. tit.* N. 49. & 50.
(*b*) Nec enim propriè dici potest voluntate meâ res tradita; cùm meo, non tuo nomine, tradi eam voluerim.

CDLXXVI.

1. Nunquam nuda traditio transfert dominium; sed ita, si venditio aut aliqua justa causa præcesserit (*a*) propter quam traditio sequeretur. *l.* 31. ff. *de Acq. rer. dom.*

2. Nemo errans (*b*) rem suam amittit. *l.* 35. *ff. d. tit.*

Corollarium. Si procurator meus, vel tutor pupilli, rem suam quasi meam vel pupilli tradiderint; non recessit ab eis (*c*) dominium. *l.* 35. ff. *d. tit.*

3. Interdum & in incertam personam collata voluntas domini, transfert rei (*d*) proprietatem. *l.* 9. § 7. *ff. d. tit.*

4. Tametsi existimet *quis* se non à domino emere; tamen, si à domino ei tradatur, dominus efficitur. *l.* 9. § 4. *ff. de Jur. & fact. ignor.*

5. Cùm in corpus quod traditur consentiamus, in causis verò dissentiamus; non animadverto cur inefficax sit traditio. *l.* 36. *ff. de Acq. rer. dom.*

(*a*) Aut præcessisse existimetur.
(*b*) Sive circa rem quam tradit, quam nescit esse suam, sive circa personam quæ rem accipit; cùm in aliam personam transferre dominium velit; sive circa ipsam domini translationem.
(*c*) Errant enim; existimantes transferre dominium meum aut pupilli, non suum.
(*d*) Ut quum missilia jactantur in vulgus.

CDLXXVII.

1. Non alienantur nummi, qui sic dantur ut recipiantur. *l.* 55. *ff. de Solut.*

2. Quod vendidi (*a*), non aliter fit accipientis quàm si aut pretium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum, vel etiam fidem habuerimus emptori sine ullâ satisfactione. *l.* 19. *ff. de Contrah. empt.*

(*a*) Hæc regula specialis est traditioni quæ sit ex causâ venditionis.

§ VI.

De traditionis effectu.

CDLXXVIII.

Traditio nihil ampliùs transferre debet vel potest ad eum qui accipit, quàm est apud eum qui tradit. *l.* 20. *ff. de Acq. rer. dom.*

Quoties dominium transfertur; ad eum qui accipit tale transfertur, quale fuit apud eum qui tradit. *d. l.* 20. § 1.

Alienatio quum fit; cum eâ causâ (*a*) dominium transferimus, quæ esset futura si apud nos ea res mansisset. *l.* 67. *ff. de Contr. empt.*

(*a*) Putà, cum causâ hypothecæ, servitutum, statutæ libertatis, fideicommissi, &c.

ARTICULUS IV.

De Usucapione.

Tractationi de Possessione & dominio, inserimus Usucapionem, per quam Dominium possessione quæritur.

§ I.

Generalia quædam circa usucapionis naturam.

CDLXXIX.

1. Sine possessione usucapio (*a*) contingere non potest. *l.* 25. *ff. de Usurpat.*

Separata est (*b*) causa possessionis, & usucapionis. *l.* 2. § 1. *ff. Pro empt.*

2. Possessio per procuratorem ignoranti quæritur; usucapio verò scienti (*c*) competit. *l.* 49. § 2. *ff. de Acq. possess.*

3. Ut ignorantes usuceperimus, in peculiaribus tantùm rebus receptum est. *l.* 74. *ff. de Usurp. & usucap.*

(*a*) Cùm ipsa sit dominium *Usu* seu possessione quæsitum.
(*b*) Hoc sensu quòd non quisquis possidet, ideò & usucapit; sed is demùm qui ex justo titulo & bonâ fide rem in quam usucapio cadat, possidet.
(*c*) Quia ad usucapionem requiritur bona fides, id est opinio quæsiti dominii in re: quæ opinio intelligi non potest in eo qui ne quidem scit se rem possidere. Fallit tamen regula in rebus quæ per eos quos in potestate habemus, ex causâ peculiari nobis acquiruntur.

§ II.

De personis quæ usucapere possunt necne.

CDLXXX.

1. Qui in servitute est, usucapere non (*a*) potest. Nam cùm possideatur, possidere non videtur. *l.* 118. ULP. LIB. 12. AD ED.

2. Furiosus quod ante furorem (*b*) possidere cœpit, usucapit. *l.* 4. § 3. *ff. de Usurpat.*

3. Pupillus (*c*) si tutore auctore cœperit possidere, usucapit; si non tutore auctore, & animum possidendi habeat; dicemus eum posse (*d*) usucapere. *d. l.* 4. § 2.

4. Qui suo nomine nihil usucapere (*e*) potest, nec per servum (*f*) suum potest. *l.* 8. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Excipe ut ex peculiari causâ per servos suos usucapiat.
(*b*) Non potest autem, quum furiosus est, inchoare possessionem; quæ non acquiritur sine voluntate possidendi. Benignè receptum, ut eam retinere intelligatur.
(*c*) Et quidem infans. Supplet in eo tutoris auctoritas, quod in ejus personâ deest ad voluntatem possidendi; & eâ in re melior ejus conditio quàm furiosi.
(*d*) Nam tutoris auctoritas non requiritur, quum meliorem suam conditionem facit.
(*e*) Quales sunt captivus & furiosus.
(*f*) Excipe, si ex causâ peculiari servus acquirat.

CDLXXXI.

Nondum aditæ hereditatis tempus usucapioni datum

Source : BIU Cujas

est, sive servus hereditarius aliquid comparat, sive defunctus usucapere cœperat: sed hæc singulari jure (*a*) recepta. *l.* 44. § 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Nam in rei veritate quum hereditas est jacens, nemo est qui possideat.

§ III.

Quæ res usucapionem recipiant necne.

CDLXXXII.

1. Incorporales res traditionem & usucapionem non recipere, manifestum est. *l.* 43. § 1. *ff. de Acquir. rer. dom.*

2. Hoc Jure utimur, ut servitutes per se nusquam longo tempore capi possint; cum ædificiis (*a*) possint. *l.* 10. § 1. *ff. de Usurp. & usucap.*

At contrà; Libertatem servitutum usucapi posse, verius est. *l.* 4. § 9. *ff. d. tit.*

3. Præscriptio longæ possessionis ad obtinenda loca Juris gentium publica concedi non solet. *l.* 45. *ff. d. tit.*

4. Adversùs fiscum usucapio non procedit (*b*). *l.* 18. ff. *d. tit.*

5. *Res pupilli usucapi non potest. l.* 48. *ff.* de Acquir. rer. dom.

6. Nunquam superficies sine solo capi (*c*) longo tempore potest. *l.* 26. *ff. d. Usurp. & usucap.*

(*a*) Scilicet quum per usum acquiro ædes; simul & earum jura, adeóque servitutes eis debitas, acquiro.

(*b*) At quæ fisco nondum nuntiata sunt, licèt ipsi jam delata seu in eâ causâ sint ut ad ipsum pertineant: usucapiuntur. d. l. 18.

(*c*) Ratio est, quia per se non possidetur: suprà Reg. 454. cum Notis.

CDLXXXIII.

Si quid est subreptum, id usucapi non potest antequàm in domini (*a*) potestatem (*b*) pervenerit. *l. fin. ff. de Usurp.*

Si ex lanâ furtivâ vestimentum feceris.... vestis furtiva erit. *l.* 4. § 20. *ff. de Usurp.*

Quod ex re furtivâ redigitur (*c*), furtivum non esse nemini dubium est. *l.* 48. §. *fin. ff. de Furt.*

Ancillæ subtractæ partus apud furem editi (*d*), priusquàm à domino possideantur, usucapi nequeunt (*e*). *l.* 12. *Cod. de Furt.*

Ancilla fugitiva, quemadmodum suî furtum facere intelligitur, ita partum quoque contrectando furtum facit. *l.* 60. *ff. de Furt.*

(*a*) Aut qui ejus loco est, putà tutoris. Non sufficit autem rediisse in potestatem ejus cui res surrepta est, putà creditoris pigneratitii &c. nisi ipse dominus furtum creditori fecerit: *d. tit.* N. 18.

(*b*) Aut pro eâ ei satisfactum fuerit.

(*c*) Pecunia ex ejus venditione.

(*d*) Aliud si apud bonæ fidei possessorem. Non sunt enim pars rei furtivæ: l. 26. ff. *de Verb. signif.*

(*e*) Nam in vitium furti incipit, quum à fure apud quem editus est contrectatur. Quòd si apud heredem furis qui furtum ignoret conceptus ac editus sit, furtivus non erit, & usucapi poterit; non tamen ab ipso herede, Tit. *de Usucap.* N. 15. 16. & 17.

CDLXXXIV.

Quod vi possessum raptum-ve (*a*) sit, antequàm in potestatem domini heredis-ve ejus pervenit, usucapi Lex vetat. *l. fin. ff. Vi bon. rapt.*

Lex Plautia & Julia ea demùm vetuit longâ possessione capi, quæ vi possessa (*b*) fuissent; non etiam ex quibus vi quis dejectus fuisset. *l.* 33. § 2. *ff. de Usurp. & usucap.*

(*a*) Etiam non domino.

(*b*) Non est autem res *vi possessa*, si quis vacuam possessionem ingressus est, & dominum revertentem prohibuerit: item si quis expulit quidem dominum, verùm non ipse sed alius possessionem ingressus est.

CDLXXXV.

Tunc in potestatem domini rediisse dicendum est, quum possessionem ejus nanctus sit justè; ut avelli non possit, sed & tanquam suæ rei. *l.* 4. § 12. *ff. d. tit.*

Si ad dominum ignorantem pervenerit res furtiva vel vi possessa, non videtur in potestatem (*a*) domini reversa. *l.* 86. ff. *de Furt.*

(*a*) Ergo si reversa sit ad procuratorem; vitium non purgabitur, donec dominus sciverit. Quod autem tutor, aut furiosi curator scit, ipse dominus scire videtur: *d. tit.* N. 20. Interdum tamen scientia domini non est necessaria: scilicet, si servus meus me ignorante rem meam surripuerit, & eam me adhuc ignorante reponat: item si res peculiaris aliqua servi mei surrepta sit; & peculio non adempto, ad eum res redierit. *d. tit.* N. 21.

CDLXXXVI.

Quod contra Legem REPETUNDARUM Proconsuli vel Prætori donatum est, non poterit usucapi. *l.* 8. *ff. Ad Leg. Jul. repetund.*

CDLXXXVII.

Ubi Lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest. *l.* 24. *ff. de Usurp.*

§ IV.

De tempore usucapionis.

Tempus illud, olim anni in mobilibus, biennii in immobilibus; Jure Justinianæo, triennii in mobilibus; in immobilibus idem quod in longâ possessione, quam cum usucapione Justinianus confudit.

CDXXXVIII.

In usucapionibus, non à momento ad momentum, sed totum postremum (*a*) diem computamus. *l.* 6. *ff. de Usurp.*

In usucapionibus continuum tempus numeratur. *l.* 31. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Hunc sufficit attigisse, ad complendam usucapionem.

CDLXXXIX.

Præscriptione bonâ fide possidentes, adversùs præsentes annorum decem, absentes viginti (*a*) muniuntur. *l.* 2. *Cod. Quib. non objic. long. temp.*

Non est incognitum, id (*b*) temporis quod in minori ætate transmissum est, longi temporis præscriptioni non imputari. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

Tempus expeditionis (*c*), præscriptionem non parit. *l.* 1. *Cod. Quib. non objic. long. temp. possess.*

(*a*) Aut tanti temporis duplicati, quanto tempore abfuerunt ex decennio.

(*b*) Hæc & sequens regula non habebat locum in usucapione; sed ex his causis restitutio adversùs usucapionem impetranda erat.

(*c*) Idem dic de tempore quo quis Reipublicæ causâ abfuit, aut circa Principem occupatus fuit, aut fuit captivus: *d. tit.* N. 36.

§ V.

De possessionis interruptione, quæ usucapionem interpellat.

CDXC.

1. Eorum quæ usucapiebat per semetipsum possidens, qui postea captus est, interrumpetur (*a*) usucapio. *l.* 12. § 2. *ff. de Captiv. & postl.*

2. Naturaliter interrumpitur possessio, quum quis de possessione vi dejicitur, vel alicui res (*b*) eripitur. *l.* 5. *ff. de Usurp.*

Et Non adversùs eum tantùm qui eripuit, interrumpitur possessio; sed apud omnes. *d. l.* 5.

(*a*) Reverso enim postliminium non potest restituere possessionem, quæ est *Facti.* Quòd si ibi mortuus fuerit; cùm ex quo captus est, mortuus censeatur, usucapio heredibus ejus procedit, durante ejus captivitate; ut procedit dum jacet hereditas.

(*b*) Ab alio quàm qui ipsius juri subjectus est.

CDXCI.

Qui pignoris causâ fundum creditori tradit,

Source : BIU Cujas

intelligitur possidere (a). *l.* 36. *ff. de Acquir. possess.*

Qui pignori rem dat, usucapit quandiù res apud (b) creditorem est. Si creditor possessionem alii tradiderit, interpellabitur usucapio. *l.* 33. § 4. *ff. de Usurp.*

Misso (c) legatario in possessionem, res usucapiuntur (d); salvâ Prætorii pignoris causâ. *l.* 12. *ff. Pro empt.*

(a) Reverâ definit possidere: sed favorabiliter, quoad usucapionis causam, hoc singulari casu receptum est.
(b) Et quandiù pignoris causa durat. Impediet enim, si creditor heres fiat domino rei; quia nullum est pignus rei suæ.
(c) Idem si ex aliâ causâ; putà *Damni infecti*, aut *Rei servandæ* causâ quis mittitur. Et ratio est, quia per eos qui missi sunt, adhuc pergit possidere dominus.
(d) Ab herede.

CDXCII.

Regula est; Non interpellari usucapionem (a) litis contestatione. *l.* 2. § 21. *ff. Pro empt.*

Contrà: Nec bonâ fide possessionem adeptis, longi temporis præscriptio post moram (b) litis contestatæ completa proficit. *l.* 20. *Cod. de Præscript. long. temp.*

(a) Subtili Jure. Cæterùm petitori qui dominium probasset, possessor rem quamvis inter moras judicii usucaptam restituere condemnabatur.
(b) Hoc non trahe ad simplicem denuntiationem: *d. tit.* N. 62.

§ VI.

De justo titulo & bonâ fide ad usucapionem & longi temporis possessionem necessariis.

CDXCIII.

Usucapio non præcedente vero titulo, procedere non potest. *l.* 4. *Cod. de Usucap. pro herede.*

JUSTUM *titulum accipimus, eum ex quo quis rem possidet tanquam suam* (a); *ut est titulus Emptionis, & similes* (b). *Nec refert an onerosus an lucrativus sit: ex l.* 11. *Cod. de Præscript. long. temp.*

Probabilis error (c) possidentis, usucapioni non obstat. *l.* 5. § 1. ff. *Pro suo.*

Pendente conditione, emptor (d) usu non capit. *l.* 2. § 2. *ff. Pro empt.*

(a) Non ergo pignus.
(b) Modò sint jure contracti.
(c) Quo quis justi tituli opinionem habet.
(d) Hæc regula ad cæteros titulos porrigenda, qui conditione suspenduntur sive expressâ sive eâ quæ vi insit. *Conditionem* autem intellige eam quæ suspendit contractum, non eam sub quâ resolvendus est.

CDXCIV.

BONA FIDES *hic dicitur, justa* (a) *opinio quæsiti dominii in re quam quis possidet.*

1. Nunquam in usucapionibus, juris error (b) possessori prodest. *l.* 31. *ff. de Usucap.*

Si quis id quod possidet, non putat sibi per Leges licere usucapere; dicendum est, etiamsi erret, non procedere tamen ejus usucapionem (c). *l.* 32. § 1. *ff. d. tit.*

Qui patremfamilias se factum ignoret..... cur non capiat usu, cùm bona fides adsit? quamvis se per errorem esse arbitretur, qui rem nec (d) possidere possit. *l.* 44. § 4. *ff. d. tit.*

Si ex decem [*putà*] servis quos emerim, aliquos putem alienos; & qui sint, sciam; reliquos usucapiam. Si ignorem qui sint, neminem usucapere possum (e). *l.* 6. § 1. *ff. Pro empt.*

Si quis quum sciret venditorem pecuniam consumpturum (f), emisset; plerique responderunt, eum nihilominùs bonâ fide emptorem esse. *l.* 8. *ff. Pro empt.*

2. Possessionis, non contractûs initium, quod ad usucapionem pertinet, inspici (g) placet. *l.* 44. § 2. ff. *d. tit.*

At in emptione (h), & illud tempus inspicitur quo contrahitur. *l.* 2. *ff. Pro empt.*

3. Patrem (i) usu non capturum propter suam vel filii scientiam certum est. *l.* 43. § 1. ff. *de Usurp.*

4. Etsi servus malâ fide possideat, remque dominus nanctus sit ut suo nomine possideat, dicendum est ut eadem sit causa possessionis; ideòque usucapio non magis procedat. *l.* 2. § 12. *ff. Pro empt.*

(a) Hinc definitio emptoris bonæ fidei, suprà Tit. *de Verb. sign.* N. 36. Hinc requiritur ut quis comparet ab eo quem credit jus alienandi habere, & rem cujus sibi commercium esse sciat.
(b) Nec enim *justa* opinio, quæ errore nititur.
(c) Nec enim habet opinionem dominii.
(d) Ex eo enim quod putat, rem non quidem sibi sed patri quæsitam; habet quamdam opinionem dominii, cùm filii rerum paternarum quodammodo domini censeantur.
(e) Nullus enim est quem determinatè existimet suum esse. Idem est, quum quis emit fundum cujus partem indeterminatam sciat alienum.
(f) Non tamen si in turpes causas erogaturum sciat: fit enim ita ipse particeps turpis facti.
(g) Observa in his quæ ex re à nobis possessâ nascuntur, initium possessionis, non partûs fructuum-ve, sed ipsius rei ex quâ nati sunt inspici: Tit. *de Usucap.* N. 85. cum Notis.
(h) Exceptio est præcedentis regulæ: & ratio exceptionis est, quia repugnare videtur bonæ fidei, ut quis emat rem ab eo quem scit non esse dominum.
(i) Idem dic de domino.

§ VII.

De accessione possessionis defuncti quæ datur heredibus.

CDXCV.

Heredibus & his qui successorum loco habentur, datur accessio testatoris. *l.* 14. § 1. ff. *de Diverss. & temp.*

Possessio testatoris ita heredi procedit, si medio tempore *res* à nullo possessa est. *l.* 20. ff. *de Usucap.*

Non ea tantùm possessio testatoris heredi procedit, quæ morti fuit injuncta; verùm ea quoque quæ unquam (a) testatoris fuerit. *l.* 13. § 5. ff. *de Acq. possess.*

Et vacuum tempus quod ante aditam hereditatem vel post aditam intercessit, ad usucapionem heredi procedit. *l.* 31. § 5. ff. *de Usurpat.*

(a) Id est, quæ aliquando testatoris fuit; licèt ante mortem, putà dum captivus est, possidere desierit: modò nulla fuerit media alterius possessio.

CDXCVI.

1. Etiam heredi ulteriori, defuncti possessio proderit; quamvis medius heres possessionem nanctus non sit. *l.* 2. § 1. ff. *Pro empt.*

2. Si defunctus bonâ fide rem emerit (a), usucapietur res; quamvis heres scit (b) alienam esse. *l.* 2. § 19. *ff. Pro empt.*

Heres (c) ignoratione suâ, defuncti vitia non excludit. *l.* 11. ff. *de Diverss. & temp.*

Vitia possessionum à majoribus contracta, perdurant. *l.* 10. *Cod. de Acquir. possess.*

(a) Et ipsi tradita est. Secùs, si heredi scienti alienam esse; quia bona fides tempore traditionis requiritur, suprà N. 494. Reg. 2.
(b) Ratio est, quòd cùm defunctus & heres una persona censeantur, una etiam videtur amborum possessio, cujus initium solùm quòd in personâ defuncti cœpit spectatur.
(c) Eadem est ratio.

§ VIII.

De accessione possessionis auctoris, quæ successori singulari datur.

CDXCVII.

Emptori (a) tempus venditoris ad usucapionem procedit. *l.* 2. § 20. *ff. Pro empt.*

(a) Idem dic de quovis successore singulari, ut prosit ei possessio auctoris, id est ejus à quo rem tenet. Cæterùm non ex eo solo mihi proderit alicujus possessio, quòd meam immediatè præcesserit; si non ab eo rem teneam: *d. tit.* N. 45.

Source : BIU Cujas

Non dubito tempus ejus qui redhibuerit, venditori acceſſurum. *l.* 19. ff. *de Uſurpat.*

Si ſervus (*b*) vel filiusfamilias vendiderit (*c*), dabitur acceſſio ejus quod penès me fuit. *l.* 14. *ff. de Acq. poſſeſſ.*

Acceſſiones in eorum perſonâ locum habent, qui habent propriam poſſeſſionem : cæterùm acceſſio nemini proficit, niſi ei qui ipſe poſſedit. *l.* 13. § 12. *ff. d. tit.*

(*b*) Idem dic de tutore, procuratore, negotiorum geſtore.
(*c*) Ex meâ voluntate, aut quum liberam peculii adminiſtrationem haberent.

CDXCVIII.

Ne (*a*) vitioſæ quidem poſſeſſioni ulla poteſt accedere, ſed nec (*b*) vitioſa ei quæ vitioſa non eſt. *l.* 13. § 13. *ff. de Acq. poſſeſſ.*

Quum quis utitur adminiculo perſonæ auctoris, uti debet cum ſuâ causâ ſuiſque vitiis. *d. l.* 13. § 1.

(*a*) Ut ſi à malæ fidei poſſeſſore emero bonâ fide, non utar poſſeſſione auctoris.
(*b*) Putà, ſi ſciens rem alienam emero à bonæ fidei poſſeſſore : & hâc in re differt ſingularis ſucceſſor ab univerſali.

CDXCIX.

Uſucapere (*a*) poſſum, quod auctor meus uſucapere non potuit. *l.* 5. ff. *de Div. & temp.*

Prædone poſſidente (*b*); ſi juſſu judicis res mihi reſtituta ſit, acceſſionem (*c*) eſſe mihi dandam placuit. *l.* 13. § 8. & 9. *ff. de Acq. poſſeſſ.*

Id tempus venditoris (*d*), prodeſt emptori quo antequàm venderet (*e*) poſſedit : nam ſi poſtea (*f*) nactus eſt poſſeſſionem (*g*) ; venditoris hæc poſſeſſio, emptori non proficiet. *l.* 14. ff. *de Uſurpat.*

Ei cui heres rem hereditariam vendidit ; & heredis tempus, & defuncti debet accedere. *l.* 15. § 6. ff. *de Diverſ. & temp.*

(*a*) Inchoando à meâ poſſeſſione. Secùs, de herede : ſuprà N. 496.
(*b*) Rem ex cujus juſtâ poſſeſſione excideram.
(*c*) Cenſet Cujàcius hoc tribuendum juſſui judicis, & efficaciæ verbi *Reſtituendi* quo uſus eſt : ut poſſeſſio prædonis quam mihi reſtitui jubet, meæ poſſeſſioni adjiciatur, tanquam ſi non apud prædonem ; ſed apud me ſemper fuiſſet.
(*d*) Ita rectè Haloander. Malè vulgò *venditionis.*
(*e*) Et traderet.
(*f*) Poſteaquàm vendidit & tradidit.
(*g*) Ex quâ fortè emptor excidit.

D.

Acceſſio poſſeſſionis fit, non ſolùm temporis quod apud eum fuit undè is emit, ſed & qui ei vendidit undè tu emiſti. *d. l.* 15. § 1.

Si medius aliquis ex actoribus non poſſederit, præcedentium auctorum poſſeſſio non proderit. *d. l.* 15. § 1.

ARTICULUS V.

De cauſis idoneis ad transferendum dominium aut ad uſucapionem.

D I. *Pro ſoluto.*

1. Pro ſoluto uſucapit, qui rem debiti causâ recipit. *l.* 46. ff. *de Uſurp. Aliàs l.* 1. *ff.* Pro ſolut.

2. Non tantùm quod debetur, ſed & quodlibet pro debito (*a*) ſolutum, hoc titulo uſucapi poteſt. *d. l.* 46.

3. Si (*b*) *falsò* exiſtimans debere tibi, tradam ; uſucapio ſequitur, ſi & tu putes debitum eſſe. *l.* 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Quod volenti creditori, vice ejus quod debebatur, datum eſt.
(*b*) Fallit regula, quum ſolutio fit ex causâ emptionis : ex hâc causâ uſucapio non ſequitur, niſi reverâ ſubſit emptio. Diſparitas eſt, quòd ex cæteris cauſis bona fides ſufficit tempore traditionis ; ex hâc causâ requiritur tempore contractûs ; oportet ergo ut ſubſit contractus.

D II. *Pro emptore.*

1. Pro emptore poſſidet, qui reverâ emit (*a*). *l.* 2. *ff. Pro empt.*

2. Quod vulgò traditum eſt, eum qui exiſtimat ſe quid emiſſe nec emerit, non poſſe uſucapere ; hactenùs verum, ſi nullam cauſam ejus erroris emptor habeat. *l.* 11. ff. *d. tit.*

Putò Si à furioſo quem putem ſanæ mentis emero, conſtitit uſucapere me poſſe. *l.* 1. ff. *d. tit.*

3. Litis æſtimatio (*b*), ſimilis eſt emptioni. *l.* 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Et ex hâc causâ rem traditam accepit.
(*b*) Adeòque poſſeſſor qui eam ſolvit, adipiſcitur dominium (quaſi ex causâ traditionis ei tradita eſſet), aut uſucapionis cauſam.

D III. *Pro herede.*

1. Pro herede (*a*) uſucapio locum non habet. *l.* 1. *Cod. Pro hered.*

2. Plerique putaverunt, ſi heres ſim, & putem rem aliquam ex hereditate eſſe quæ non ſit ; poſſe me uſucapere (*b*). *l.* 3. ff. *Pro hered.*

3. Conſtat eum *demùm* qui teſtamenti factionem habet, Pro herede uſucapere poſſe. *l.* 4. ff. *d. tit.*

4. Pro herede ex vivi bonis nihil uſucapi poteſt. *l.* 1. *ff. d. tit.*

5. Nihil pro herede poſſe uſucapi, ſuis heredibus exiſtentibus (*c*), magis obtinuit. *l.* 2. *Cod. de Uſuc. pro herede.*

(*a*) Scilicet niſi hic titulus junctus ſit alteri juſto titulo ex quo defunctus rem poſſederit : Art. præced.
(*b*) *Pro herede.* Fingendum in ſpecie hujus regulæ, rem fuiſſe apud defunctum ignorantem, adeòque ab ipſo non poſſeſſam : nam ſi eam defunctus poſſidere malâ fide cœpiſſet, nec heres poſſet uſucapere.
(*c*) Nam ſuus heres quandiù exiſtit, excludit ſubſtitutos & agnatos. Sed *Pro bonorum poſſeſſore* poteſt hoc caſu uſucapi.

D IV. *Pro donato.*

Pro donato uſucapit, cui donationis (*a*) causâ res tradita eſt. *l.* 1. ff. *Pro don.*

(*a*) Inter eas perſonas inter quas poteſt conſiſtere.

D V. *Pro derelicto.*

1. Id quod quis pro derelicto habet, continuò meum fit. *l.* 5. § 1. ff. *Pro derel.*

2. Id quod pro derelicto habitum eſt, & haberi putamus, uſucapere (*a*) poſſumus, etiamſi ignoramus à quo derelictum ſit. *l.* 4. ff. *d. tit.*

3. Nemo poteſt pro derelicto uſucapere, qui falsò exiſtimaverit rem pro derelicto habitam eſſe. *l.* 6. *ff. d. tit.*

4. Non poteſt videri id pro derelicto habitum, quod ſalutis (*b*) causâ interim dimiſſum eſt. *l.* 21. § 2. *ff. de Acquir. poſſeſſ.*

(*a*) Dominium acquirimus, ſi dominus erat qui rem pro derelicto habuit, uſucapimus, ſi poſſeſſor qui pro derelicto habuit & quem dominum putamus non erat dominus.
(*b*) Ut quæ jaciantur levandæ navis causâ.

D VI. *Pro legato.*

1. Legatorum nomine is videtur poſſidere, cui legatum (*a*) eſt. *l.* 1. ff. *Pro leg.*

2. Pro legato poteſt uſucapi, ſi res aliena legata ſit ; aut teſtatoris quidem ſit, ſed adempta (*b*) codicillis ignoratur. *l.* 4. *ff. d. tit.*

4. Nemo poteſt legatorum nomine uſucapere, niſi cum quo teſtamenti factio eſt. *l.* 7. ff. *d. tit.*

(*a*) Etiam vivo teſtatore, cùm poſſint legata prærogari.
(*b*) Aut ex quâ aliâ probabili causâ exiſtimatur legatum conſiſtere, quod non conſiſtit.

DVII.

Source : BIU Cujas

DVII. *Pro dote.*

1. Titulus eſt uſucapionis juſtiſſimus, Pro dote. *l.* 1. *ff. Pro dot.*

2. Conſtante matrimonio; Pro dote uſucapio inter eos locum habet, inter quos (*a*) eſt matrimonium. *d. l.* 1. § 3.

3. Sponſus ante nuptias non Pro dote uſucapit, ſed Pro (*b*) ſuo. *d. l.* 1. § 2.

(*a*) Quum matrimonium non valet, uſucapi non poteſt *Pro dote*; cùm dos ſine juſto matrimonio intelligi non poſſit.
(*b*) Niſi hoc cautum eſſet, ut ſecutis demùm nuptiis res ejus fieret: quo caſu nec *Pro ſuo* uſucaperet.

DVIII.

De generali uſucapionis causâ, Pro ſuo.

Uſucapio rerum, etiam ex aliis cauſis (*a*) conceſſa, propter (*b*) ea quæ noſtra exiſtimantes poſſideremus, conſtituta eſt. *l. fin. ff. Pro ſuo.*

(*a*) Quàm quæ ſuprà recenſitæ ſunt; putà ex cauſis Noxæ deditionis, tranſactionis, &c.
(*b*) *Propter* id eſt, circa *ea* quæcumque probabili ratione *exiſtimantes noſtra eſſe* poſſidemus.

ARTICULUS VI.

De amiſſione dominii.

DIX.

Dominium rei amittimus, quum eam alteri ex juſtâ [*a*] causâ tradimus, aut etiam quum eo animo abjicimus [*b*] ut noſtra non ſit. *l.* 2. § 1. ff. *Pro derelicto.*

(*a*) Id eſt idoneâ ad transferendum dominium.
(*b*) Non eo animo eſſe videntur, qui urgente periculo merces abjiciunt. Totius rei dominus efficere non poteſt, ut partem retineat, partem pro derelicto habeat. *l.* 3. ff. *Pro derel.*

DX.

Magis eſt ut non deſinat noſtrum eſſe quod à lupo eripitur, quandiù ab eo fuerit conſumptum. *l.* 8. § 2. *ff. Famil. erciſc.*

Ferum animal Quum evaſerit cuſtodiam noſtram, & in naturalem libertatem ſe receperit; noſtrum eſſe deſinit. *l.* 3. § *ff. de Acquir. rer. domin.*

In his animalibus quæ conſuetudine abire & redire ſolent (*a*), hæc regula comprobata eſt; ut eò uſque noſtra eſſe intelligantur, donec revertendi animum habeant. *l.* 5. § 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Quales columbæ.

DXI.

In omnibus quæ ad eamdem ſpeciem reverti poſſunt, dicendum eſt; ſi materiâ manente ſpecies duntaxat mutata ſit, me eorum dominum manere. *l.* 24. *ff. d. tit.*

ARTICULUS VII.

De jure Emphyteutarum, & Superficiariorum.

Quinam illi ſint, vide Tit. præced. in Verb. Emphyteuſis & Superficies.

Horum jus affine dominio eſt cùm ipſis Utilis REI VINDICATIO Utile *Interdictum* UTI POSSIDETIS, Utile *judicium* COMMUNI DIVIDUNDO *detur; & prædiis emphyteuticariis ædibus-ve ſuperficiariis ſervitutes & acquirere & imponere ſaltem Jure Prætorio poſſit. De illis hæc pauca notaſſe ſufficiat.*

CAPUT TERTIUM.

De primâ rerum incorporalium ſpecie, ſeu de jure Servitutum.

DXII. *Axiomata generalia.*

1. SERVITUS *quoad illum cui debetur, eſt jus aliquid faciendi aut prohibendi in alieno.*

Quoad illum autem qui ſervitutem debet; Servitutum non ea natura eſt ut aliquid faciat (*a*) quis, ſed ut aliquid patiatur aut non faciat. *l.* 15. § 1. *ff. de Servitutib.*

2. Quoties nec hominum, nec prædiorum ſervitutes ſunt, quia nihil vicinorum intereſt; non valet. *d. l.* 15. *pr.*

Tamen Fundo ... ſervitutem imponi, etſi non utilis (*b*) ſit, poſſe exiſtimo. *l.* 19. *ff. d. tit.*

3. Servitus ſervitutis eſſe non poteſt. *l.* 1. *ff. de Uſufr. leg.*

4. Nulli res ſuâ ſervit. *l.* 26. *ff. de Serv. urb. præd.*

5. Servitutes ... etiamſi corporibus accedunt, incorporales tamen ſunt. *l.* 14. *ff. de Servitut.*

Jam verò ſervitutes, vel perſonarum ſunt vel prædiorum.

(*a*) Hinc V. G. dominus proprietatis non tenetur reficere ædes vetuſtate collapſas quarum uſusfructus debetur: Tit. *de Uſufr.* N. 38. Fallit tamen regula in ſervitute *Oneris ferendi*; dominus enim ædium à quibus debetur tenetur reficere columnam ſuam quæ debet ſuſtinere onus vicini, niſi malit totis ſuis ædibus cedere.
(*b*) Prædio; putà, aquam ducere quâ prædium non indigeat: intereſt enim ſemper habere, quamvis quis non indigeat.

SECTIO I.

De ſervitutibus perſonalibus.

Triplex hujuſmodi ſpecies diſtinguitur, Uſusfructus; Uſus, & Habitatio.

ARTICULUS I.

De Uſufructu.

§ I.

De naturâ uſusfructûs, & quomodo conſtituatur.

DXIII.

1. Uſusfructus non dominii pars, ſed ſervitutis (*a*) eſt. *l.* 25. *ff. de Verb. ſignif.* PAUL. LIB. 21. AD ED.

Et tamen Uſusfructus in multis caſibus pars dominii (*b*) eſt. *l.* 4. *ff. de Uſufr.*

(*a*) Et hoc fluit ex ipsâ definitione. Eſt enim jus faciendi in *alieno*, fruendi nimirùm re *alienâ* & ex ipsâ fructus percipiendi.
(*b*) Eo ſenſu quòd, quum à proprietate ſeparatur, mancam eam quodammodo efficit; fructum omnem, omne emolumentum auferendo.

Source : BIU Cujas

2. Usufructus sine personâ esse (c) non potest. *l.* 26. *ff. de Stipul. serv.*

(c) Quæ fruatur. Hinc V. G. inutiliter usumfructum stipulatur servus hereditarius, &c.

D X I V.

Usufructus ex fruendo consistit... & tunc constituitur, quum quis jam frui potest. *l. un. pr. & § 2. ff. Quand. dies usufr.*

Usufructus & ab initio pro parte indivisâ vel divisâ (a) constitui, & legitimo tempore similiter amitti potest. *l.* 5, *ff. de Usufr. & quemadm.*

Usufructus constituitur si legatus fuerit; sed & proprietas deducto usufructu legari potest, ut apud heredem (b) maneat usufructus. *l.* 6, *ff. d. tit.*

Et sine testamento si quis velit usumfructum constituere, pactionibus (c) & stipulationibus id efficere (d) potest. *l.* 3. *ff. d. tit.*

Constituitur adhuc usufructus in judicio Familiæ erciscundæ, & Communi dividundo; si judex alii proprietatem adjudicaverit, alii usumfructum. *l.* 6. § 1. *ff. d. tit.*

(a) Est enim jus dividuum: in quo differt à cæteris servitutibus.
(b) Immediatam, non etiam heredem heredis; etiamsi decessisset heres priusquàm inciperet exceptus ipsi usufructus: nisi diversa probetur testatoris voluntas; *d. tit.* N. 49. Quòd si ejusdem rei quæ deducto usufructu alicui legata est, alteri ejusdem rei usufructus legatus esset, sive purè sive etiam sub conditione; is solus qui legatus est, exceptus; nec ullus heredi servatus usufructus videbitur: *d. tit.* N. 50.
(c) Quæ adjiciuntur, putà, venditioni rei.
(d) Sic tamen ut stipulatori non acquiratur, donec inductus fuerit in possessionem rei.

D X V.

Usufructus vel præsens, vel ex die dari potest. *l.* 4. § 1. *d. tit.*

§ II.

Qui fructus ad fructuarium pertineant, & quomodo ei acquirantur.

D X V I.

Omnis (a) fructus ad fructuarium pertinet. *l.* 7. *ff. de Usufr. & quemadm.*

Absurdum, hominem (b) in fructu esse; cùm omnes fructus rerum natura hominum gratiâ comparaverit. *l.* 18. § 1. *ff. de Usur.*

Stantes (c) fructus ad fructuarium pertinent (d). *l.* 27, *ff. de Usufr. & quemadm.*

Placuit alluvionis (e) quoque usumfructum ad fructuarium pertinere. *l.* 9. § 4. *ff. d. tit.*

Fructuarius, Instrumenti fructum habere debet. *d. l.* 9. § 7.

(a) Id est; tam fructus propriè dicti qui ex ipsâ re nascuntur, quàm fructus civiles, qui omnem utilitatem quæ ex re percipitur, continent.
(b) Partum ancillæ.
(c) Qui jam stantes erant quum constitutus est usufructus.
(d) Scilicet quum ab ipso percipientur.
(e) Ratio est; quia incrementum quod per alluvionem accessit, vix distingui potest ab agro cui accessit. Secùs ergo de insulâ in flumine natâ: *d. tit.* N. 10.

D X V I I.

Fructus non fiunt fructuarii nisi ab eo percipiantur (a); licèt ab alio separantur. *l.* 12. § 5. *ff. d. tit.*

(a) Aut ejus nomine.

§ III.

Ad quæ porrigatur ususfructus, & quæ fructuario permittantur.

D X V I I I.

Usufructus legatus adminiculis (a) eget, sine quibus uti-frui quis non potest. *l.* 1. § 1. *ff. Si usufr. pet.*

Arboribus evulsis vel vi ventorum dejectis, usque ad usum suum & villæ posse usumfructuarium ferre Labeo ait. *l.* 12. *ff. de Usufr. & quemadm.*

Fructuarius materiam succidere, quantùm ad villæ refectionem, potest. *d. l.* 12.

Potest fructuarius conductorem expellere. *l.* 59. § 1. *ff. de Usufr.*

Cui usufructus legatus est, etiam invito herede eum extraneo vendere potest. *l.* 67. *ff. de Usufr.*

(a) Putà, præstandus est ei aditus ad fundum fructuarium.

§ IV.

Quæ sint obligationes fructuarii.

D X I X.

Æquissimum visum est, legatarium *ususfructûs* (a) cavere (b); & usurum se boni viri (c) arbitratu; & quum usufructus ad eum pertinere (d) desierit, restituturum se quod (e) extabit. *l.* 1. *ff. de Usufr. & quemadm. cav.*

(a) Idem dic de iis quibus usus, habitatio, aliave jura similia, legata aut aliter constituta sunt.
(b) Datis fidejussoribus, tam domino proprietatis, quàm confructuariis. Si dominus rem alienaverit, novo domino fructuarius cavere debebit: & prior cautio extinguitur.
(c) Quæ cautio committitur statim atque fructuarius aliter uti cœperit quàm debet; & sæpiùs committi potest.
(d) Nisi repetitus sit usufructus, aut proprietatem fuerit assecutus.
(e) Aut culpâ ipsius extare desierit.

D X X.

Dicendum est ita uti *fructuarium* debere, ne abutatur (a). *l.* 15. § 4. *ff. d. tit.*

Fructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet; meliorem facere (b) potest. *l.* 13. § 4. *ff. d. tit.*

Fructuarius neque ampliare nec utile detrahere potest, quamvis melius repositurus sit. *l.* 7. § *fin. & l.* 8. *ff. d. tit.*

Fructuarius debet omne quod diligens paterfamilias in domo suâ facit, & ipse facere. *l.* 65. *ff. d. tit.*

(a) *Abuti* est, res ad alios usus transferre quàm ad quos destinata est.
(b) Colendo, ornando; non tamen formam mutando: Reg. seq.

D X X I.

Agri usufructu legato, in locum demortuarum (a) arborum aliæ substituendæ sunt; & priores (b) ad fructuarium pertinent. *l.* 18. *ff. d. tit.*

Modica refectio ad *fructuarium* pertinet. *l.* 7. § 2. *ff. de tit.*

Fructuarius mancipiorum, ea Sufficienter alere & vestire debet; secundùm ordinem & dignitatem mancipiorum. *l.* 15. § 2. *ff. d. tit.*

Rei Onera (c) ad fructuarium pertinebunt. *l.* 27. § 3. *ff. d. tit.*

Fructuarius custodiam præstare debet. *l.* 2. *ff. de Usufr. quemadm. cav.*

(a) Secùs de his quæ vi tempestatis everse sunt; idem dic de fructuario gregis.
(b) Demortuæ scilicet.
(c) Ut tributa, &c.

§ V.

Quæ domino proprietatis permittantur necne, in re cujus ususfructus alienus est.

D X X I I.

Proprietatis dominus, ne quidem consentiente fructuario servitutem imponere potest (a); nisi quà

(a) Nec quoquomodo jus usufructûs minuere aut deterius facere. *Nec consentiente fructuario*; quia (inquit Cujacius) civiles sunt modi amittendi usufructûs; nudo autem pacto, nec pro ullâ parte minui potest.

Source : BIU Cujas

deterior fructuarii conditio non fiat. *l.* 15. § *fin.* & *l.* 16. *ff. de Usufr. & quemadm.*

Dominus proprietatis, etiam invito fructuario, fundum vel ædes per saltuarium vel insularium custodire potest. *l.* 16. § 1. *ff. de Usu & habit.*

§ VI.

De modis quibus extinguitur ususfructus.

DXXIII.

Morte amitti usumfructum, non recipit dubitationem. *l.* 3. § *fin. ff. Quib. mod. usufr. amitt.*

Si legatum (*a*) usumfructum legatarius alii restituere rogatus est; id agere Prætor debet, ut ex fideicommissarii personâ magis quàm ex legatarii pereat ususfructus. *l.* 4. *ff. d. tit.*

Si ususfructus civitati legetur, & in eâ aratrum inducatur; quasi morte desinit habere usumfructum. *l.* 21. *ff. d. tit.*

Si ususfructus municipibus legatus erit, centum annos observandos esse constat: qui finis vitæ longissimus esset. *l.* 8. *ff. de Usu & usufr. leg.*

(*a*) Hæc regula porrigenda non est ad casum quo usufructuarius ultrò alii vendidisset aut donasset usumfructum.

DXXIV.

Amittitur capitis diminutione (*a*) ususfructus, si jam constitutus est. *l.* 1. § 1. *ff. Quib. mod. usufr. amitt.*

Corollarium. Ususfructus si in singulos annos vel menses vel dies legatus sit, is demùm amittitur qui jam processit. (*b*) d. *l.* 1. § 3.

(*a*) Jure Digestorum, quâlibet; Jure Justinianeo, maximâ & mediâ tantùm, non minimâ.
(*b*) Non sequentium annorum aut mensium. Plures enim sunt ususfructus qui initio cujusque anni aut mensis constituuntur.

DXXV.

Finitur ususfructus tempore, quoties ad certum tempus legatur. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 6. § 37.

DXXVI.

Finitur ususfructus non utendo per modum (*a*) & tempus (*b*). *Instit.* Tit. *de Usufr.*

Non utitur usufructuarius; si nec ipse utatur, nec nomine ejus alius; putà, qui emit, vel conduxit, vel cui donatus est. *l.* 38. *ff. de Usufr. & quemadm.*

Si vendidero usumfructum; etiamsi emptor (*c*) non utatur, videor usumfructum (*d*) retinere ... si donavero, non aliàs retineo nisi ille utatur. *d. l.* 38. ¶ *fin.* & *l.* 40. *ff. de Usufr.*

Quâ ratione retinetur à proprietario possessio, si in fugâ sit servus; pari ratione, etiam ususfructus retinetur. *l.* 12. § 2. *ff. d. tit.*

Dicendum ne quidem si possideatur ab alio *fugitivus*, amitti usumfructum; si modò mihi aliquid (*e*) stipuletur. *d. l.* 12. § 4.

Puto amittere usumfructum, qui non ex eo (*f*) quod habet, utitur. *l.* 20. *ff. Quib. mod. uf. amitt.*

(*a*) In constituendo præscriptum.
(*b*) Erat olim anni in mobilibus: biennii in rebus soli; Jure Justinianæo productum est. Perdit autem fructuarius usumfructum, etiamsi per vim prohibitus sit per hoc tempus uti: l. 10. ff. *de Vi.*
(*c*) Modò non alius utatur suo nomine: l. 29. ff. *de Usufr.* N. 16.
(*d*) Quatenàs scilicet pretio fruor.
(*e*) Scilicet ex re meâ; per hoc enim quod mihi acquirit, frui videor.
(*f*) Species in fructuario; qui falsò putat se habere duntaxat usum.

DXXVII.

Finitur ususfructus ... si fructuarius proprietatem rei acquisierit (*a*). *Instit.* Tit. *de Usufr.*

(*a*) Modò non ex titulo qui retrò infirmetur. Cæterùm, nec si proprietas evicta fuerit, convalescet: *d. tit.* N. 25.

Est ususfructus jus in corpore, quo sublato & ipsum tolli necesse est. *l.* 2. ff. *de Usufr. & quemadm.*

Rei mutatione (*b*) interire usumfructum placet. *l.* 5. § 2. ff. *Quib. mod. uf. am.*

(*b*) Quæ circa totam rem, & formam ejus substantialem contingit. Vide exempla *d. tit.* N. 29. 30. 31. & 32.

DXXVIII.

Exceptâ capitis minutione vel morte, reliquæ causæ vel pro parte interitum ususfructûs recipiunt. *l.* 14. ff. *Quib. mod. usufr. amitt.*

§ VII.

De Quasi-usufructu rerum fungibilium.

DXXIX.

Senatusconsulto inductum, ut earum rerum quæ usu tolluntur vel minuuntur possit ususfructus legari. *l.* 1. *ff. de Usufr. ear. rer.*

Tali usufructu legato, Proprietas ad legatarium transferri debet; & ab eo cautio (*a*) desideranda est, ut quandoque is mortuus aut capite diminutus sit, ejusdem qualitatis res restituatur. *l.* 7. ff. *d. tit.*

(*a*) Hæc cautio, tam constructuariis quàm domino proprietatis exhibetur, datis fidejussoribus.

ARTICULUS II.

De usu & habitatione.

§ I.

Generalia quædam circa usum; & in quo ab usufructu differat.

DXXX.

Cui usus relictus est, uti (*a*) potest, frui non potest. *l.* 2. ff. *de Usu & hab.*

Fructui usus inest, usui fructus deest; & fructus sine usu esse non potest, usus sine fructu potest. *l.* 14. § 1. ff. *d. tit.*

Frui pro parte possumus, uti pro parte (*b*) non possumus. *l.* 19. ff. *d. tit.*

Corollarium. Usûs pars legari non potest. *d. l.* 19.

Limitatio. Mulieri quarumvis rerum usu legato, Dicendum est uxorem cum viro in promiscuo usu res habere posse. *l.* 9. ff. *d. tit.*

Usuarius jus quod habet alii aut vendere, aut locare aut gratis concedere non (*c*) potest. *l.* 11. ff. *d. tit.*

(*a*) Id est; ad suæ personæ duntaxat indigentiam, non ad compendium, ex fructibus sumere.
(*b*) Objectum enim usûs est personæ indigentia; quæ res dividi non potest.
(*c*) Et in eâ re adhuc differt usus ab usufructu.

DXXXI.

Communis refectio est in sartis tectis, tam heredis (*a*) quàm usuarii. *l.* 18. ff. *d. tit.*

Quibus modis ususfructus constituitur & finitur, iisdem modis etiam nudus usus solet & constitui & finiri. *l.* 3. § 3. ff. *de Usufr. & quemadm.*

Usuariæ rei speciem, is cujus proprietas est nullomodo commutare (*b*) potest. *l.* 23. ff. *de Usu & hab.*

(*a*) Scilicet quatenùs usus omnem rei fructum non absumeret; & pro ratâ ejus quod ex fructu apud heredem romaneret: d. l. 18.
(*b*) In hoc quoque convenit usus cum fructu.

§ II.

Specialia de usu Fundi, Domûs, Servorum, &c.

DXXXII.

Fundi usu legato, licebit usuario & ex penu quod in

Source : BIU Cujas

annum duntaxat ſufficiat capere. *l.* 15. ff. *de Uſu & hab.*

Uſuarius utetur duntaxat in (*a*) villâ. *l.* 12. § 1. ff. *d. tit.*

Sicut is cui uſus fundi relictus eſt, quominùs dominus agri colendi causâ ibi verſetur, prohibere non poteſt; ita nec heres quidquam facere debet, quominùs is cui uſus legatus eſt, utatur. *l.* 15. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Exceptionem recipit regula in fructibus naturalibus qui abundant in fundo, qualia ſunt poma, ligna, &c. ex quibus ei permittitur & in oppidum deferre.

D X X X I I I.

Licèt tam anguſtus eſt legatarius cui Domûs uſus legatus eſt, ut non poſſit occupare totius domûs uſum; tamen eis quæ vacabunt, proprietarius non utetur. *l.* 22. § 1. *ff. d. tit.*

Receptum eſt uſuarium qui ipſe habitat, inquilinum poſſe recipere. *l.* 2. § ff. *d. tit.*

D X X X I V.

Si uſus miniſterii fuerit relictus, ad ſuum miniſterium utetur & ad liberorum conjugiſque. Operas autem non locabit, nec alii concedet. *l.* 12. § 5 *& fin.* ff. *d. tit.*

Ancillæ uſu dato; SIBI FACERE videtur *uſuarius*, qui non operas ejus locavit, ſed opus quod conduxit expediit (*a*). *d. l.* 12. § *fin.*

De uſu pecoris, armenti bovum, equitii; vide d. Tit. de Uſu. *N.* 15.

Idem continet uſus pecuniæ & uſusfructus. *l.* 5. § 2. ff. *de Uſufr. ear. rer.*

(*a*) Per ancillam uſuariam, putà lanificium aliquod.

§ III.

De habitatione.

D X X X V.

Effectu idem penè *eſt* legatum usûs & habitationis ... nec (*a*) non utendo amittitur, nec capitis diminutione. *l.* 10. ff. *de Uſu & hab.*

(*a*) Et in his differt ab uſu.

SECTIO II.

De ſervitutibus prædialibus.

ARTICULUS I.

De earum ſervitutum naturâ, conſtitutione, uſu, & variis amittendi modis.

§ I.

De naturâ ſervitutum prædialium.

D X X X V I.

Cùm ſervitus ſit ipſius prædii qualitas, hinc, 1°. Servitutes prædiorum ſine prædiis (*a*) conſtitui non poſſunt. *l.* 1, § 1. ff. *Comm. præd.*

Nota. Futuro quoque ædificio vel imponi vel acquiri (*b*) ſervitus poteſt. *l.* 13. (*aliàs* 22.) § 1. ff. *de Serv. urb. præd.*

Hinc 2°. Quum fundus fundo ſervit, vendito (*c*) quoque fundo (*d*) ſervitutes ſequuntur. *l.* 12. ff. *Comm. præd.*

(*a*) Saltem duobus, quorum unum alteri ſerviat.

(*b*) Ita tamen ut tunc exiſtere incipiat, quum ædificium conſtructum erit.

(*c*) Vel quovis alio modo alienato aut etiam publicato; Tit. *Quemadm. ſerv. amitt.* N. 6.

(*d*) Sive dominanti ſive ſervienti.

D X X X V I I.

1. Nemo propriis ædificiis ſervitutem imponere poteſt; niſi & is qui cedit & is cui ceditur, in conſpectu habeant ædificia; ita ut officere alterum alteri poſſit. *l.* 36. ff. *de Serv. urb. præd.*

2. In ruſticis prædiis impedit ſervitutem, medium (*a*) prædium quod non ſervit. *l.* 7. § *fin.* ff. *d. tit.*

3. Omnes ſervitutes prædiorum, perpetuas (*a*) cauſas habere debent. *l.* 28. ff. *d. tit.*

(*a*) Sed ſi intra tempus quo ſervitutes pereunt, huic quoque fuerit impoſita; ſervitus convaleſcit: *d. tit.* N. 12.

(*b*) Id eſt, naturales. Vide Tit. *de Servit.* N. 16.

§ II.

De conſtitutione ſervitutum.

D X X X V I I I.

1. Per partes ſervitus imponi non poteſt nec acquiri. *l.* 6. § 1. ff. *Comm. præd.*

Nota. Per partes (*a*) ſervitus retinetur, licèt ab initio per partes acquiri non poterat. *l.* 8. § 1. ff. *de Servitutib.*

(*a*) Ut ſi dominus prædii ſervientis, acquirat pro parte prædium dominans; vel vice versâ: *d. tit.* N. 19.

D X X X I X.

Servitutes ipſo Jure, neque ex tempore nec ad tempus, neque ſub conditione, nec ad certam conditionem conſtitui poſſunt: ſed tamen ſi hæc adjiciantur, per Pacti vel Doli exceptionem occurretur contra placita ſervitutem vindicanti. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Modum adjici ſervitutibus poſſe conſtat. *d. l.* 4. § 1.

Intervalla dierum & horarum (*a*) non ad temporis cauſam, ſed ad modum pertinent jure conſtitutæ ſervitutis. *d. l.* 4. § 2.

(*a*) Putà, ſi convenit ut nonniſi alternis diebus aqua duceretur, nonniſi certis horis iretur, &c.

D X L.

Servitutes prædiales, putà Via, iter, actus, ductus aquæ, iiſdem ferè modis conſtituuntur, quibus & uſumfructum diximus conſtitui. *l.* 5. ff. *de Servit.*

Quidquid venditor ſervitutis nomine ſibi recipere vult, nominatim (*a*) recipi oportet. *l.* 10. *Comm. præd.*

Traditio & patientia ſervitutum, inducet officium (*b*) Prætoris. *l.* 1. § 2. ff. *de Serv. præd. urb.*

Is qui judex erit, longi temporis conſuetudinem (*c*) vicem ſervitutis obtinere ſciat. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

(*a*) Id eſt; exprimendum quæ ſpecies ſervitutis retineatur. Et quidem in ipſo traditionis actu, venditor ſervitutem fundo alienato imponere debet, quam fundo retento recipere voluit; ſi hoc omiſerit, quamvis de eâ ſervitute excipiendâ conveniſſet, cùm venderet, ſervitus non eſt impoſita; ſed habet tantùm actionem *Ex vendito*, ut emptor eam imponat.

(*b*) Ut Prætor perindè tueatur eam cui ita conſtituta fuerit, ac ſi ei in Jure ceſſa eſſet.

(*c*) Modo nec vi, nec clàm, nec precariò quis poſſederit.

§ III.

Quibus conſtitui, & à quibus imponi ſervitus poſſit; & an eâdem ſpecie ſervitus pluribus prædiis conſtitui poſſit.

D X L I.

Alter Neque acquirere alienis ædibus ſervitutem; neque imponere poteſt. *l.* 6. ff. *Comm. præd.*

Source : BIU Cujas

Unus (*a*) ex dominis communium ædium, ſervitutem imponere non poteſt. *l.* 2. ff. *de Servit.*

Per unum ſocium communi ſolo ſervitus acquiri non poteſt. *l.* 5. *Comm. præd.*

Receptum eſt ut plures domini & non pariter (*b*) cedentes, ſervitutes imponant vel acquirant; ut tamen ex noviſſimo actu, etiam ſuperiores (*c*) confirmentur, perindèque ſit atque ſi eodem tempore omnes ceſſiſſent. *l.* 18. ff. *Comm. præd.*

Tamen Benigniùs dicetur, & antequàm noviſſimus ceſſerit, eos qui antea ceſſerunt, vetare uti ceſſo jure non poſſe. *l.* 11. ff. *de Serv. præd. ruſt.*

(*a*) Hæc & ſequens regula fluunt ex eo quòd per partes non poſſit acquiri ſervitus.
(*b*) Id eſt, non eodem tempore.
(*c*) Modò ſint ſuperſtites, quia in eâ voluntate adhuc perſeverare intelliguntur.

DXLII.

1. Fructuarius acquirere ſervitutem non poteſt, retinere poteſt. *l.* 15. § 7. ff. *de Uſufr. & quemadm.*

2. Si quis ſuas ædes vicino ſervas feciſſet; nihilominùs (*a*) aliis quot vellet multis, eas ædes ſervas facere poteſt. *l.* 15. ff. *Comm. præd.*

(*a*) Ita tamen, modò non indè minuatur jus eorum quibus priùs conſtituta eſt.

§ IV.

Quibus rebus ſervitutes prædiales imponi poſſint.

DXLIII.

Et in provinciali (*a*) prædio, conſtitui ſervitutes poſſunt. *l.* 3. *Cod. de Servit.*

Id quod humani juris eſſe deſiit, ſervitutem non recipit. *l.* 4. ff. *Comm. præd.*

Servitus itineris ad ſepulcrum, privati juris manet; & acquiri etiam poſt religionem ſepulcri hæc ſervitus poteſt. *l.* 14. § 1. ff. *de Servit.*

Mari, quod naturâ omnibus patet, ſervitus imponi privatâ (*b*) lege non poteſt. *l.* 13. ff. *Comm. præd.*

(*a*) Non quidem Jure Civili propter Reg. 1. §°. præced. ſed jure Prætorio quo poſſeſſores eorum prædiorum, dominorum vice habentur.
(*b*) Putà, ne contra tuum fundum piſcari vicino liceat. Sed hoc valebit jure obligationis.

§ V.

De uſu ſervitutum.

DXLIV.

Verius eſt Ut ne in meam partem fundi, aliam quàm ad quam ſervitus acquiſita ſit, uti (*a*) ea poſſit. *l.* 24. ff. *de Serv. præd. ruſt.*

In omnibus ſervitutibus refectio ad eum pertinet qui ſibi ſervitutem aſſerit, non ad eum cujus (*b*) res ſervit. *l.* 6. § 2. ff. *Si ſervit. vind.*

Refectionis gratiâ accedendi ad ea loca quæ non ſerviant, facultas tributa eſt his quibus ſervitus debetur. *l.* 11. ff. *Comm. præd.*

Servitus naturaliter, non manufacto, lædere poteſt fundum ſervientem. *l.* 20. § 1. ff. *de Serv. præd. ruſt.*

(*a*) Id eſt, prodeſſe.
(*b*) Fallit regula in ſervitute ONERIS ferendi. Tit. *de Serv. urb. pr.* N. 17.

§ VI.

De modis quibus ſervitutes prædiales amittuntur necne.

DXLV.

1. Nec acquiri libertas, nec remitti ſervitus per (*a*) partem poterit. *l.* 34. ff. *de Serv. præd. ruſt.*

2. Servitutes prædiorum confunduntur, ſi idem utriuſque prædii dominus eſſe cœperit. *l.* 1. ff. *Quib. modo ſerv. amitt.*

Nota. Toties ſervitus confunditur, quoties uti eâ is ad quem pertineret non (*b*) poteſt. *l.* 15. 15. ff. *d. tit.*

(*a*) Igitur qui pro parte dominus eſt fundi dominantis, eam remittere non poteſt; etiamſi alter dominus idem eſſet qui & fundi ſervientis dominus eſt: d. l. 34. Tit. *Quemadm. ſerv. am.* N. 8.
(*b*) Etſi igitur acquiſierit aliquid ex prædiis ſervientibus; quandiù remanet aliquis locus ſerviens quem non acquiſiit, & in quo poteſt ſervitute uti, hæc non confunditur.

DXLVI.

Urbanorum prædiorum jura, ſimiliter ut ruſticorum quoque prædiorum, certo tempore (*a*) non utendo pereunt; niſi quòd hæc diſſimilitudo eſt, quòd non omnimodo pereunt non utendo, ſed ita (*b*) ſi vicinus ſimul libertatem uſucapiet. *l.* 6. ff. *de Serv. urb. præd.*

Libertas ſervitutis uſucapitur, ſi ædes poſſideantur(*c*). *l.* 32. § 1. ff. *d. tit.*

Si communem fundum ego & pupillus (*d*) haberemus licèt uterque non uteretur, tamen propter pupillum & ego retineo (*e*). *l.* 10 ff. *Quemadm. ſerv. amitt.*

Iter ſepulcro debitum, non utendo nunquam amittitur. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Si alternis annis vel menſibus quis aquam (*f*) habeat, duplicato conſtituto tempore amittitur; ſi alternis diebus, ſtatuto legitimo tempore amittitur. *l.* 7. ff. *d. tit.*

Tempus quo non eſt uſus præcedens dominus, imputatur ei qui in ejus loco ſucceſſit. *l.* 18. § 1. ff. *d. tit.*

Quicumque quaſi debitâ viâ (*g*) uſus fuerit, licèt malæ fidei poſſeſſor; retinebitur ſervitus. *l.* 22. & *l.* 24. ff. *d. tit.*

Uſu retinetur ſervitus, quum ipſe cui debetur, utitur; qui-ve in poſſeſſione ejus eſt, aut (*h*) hoſpes, aut mercenarius. l. 20. ff. *d. tit.*

Fortiùs: & ſi aqua per rivum ſuâ ſponte perfluxit, jus aquæ ducendæ retinetur. l. 12. ff. *d. tit.*

Servitute uſus non videtur, niſi is qui ſuo jure uti ſe credidit. *l.* 25. ff. *d. tit.*

Si is qui (*i*) nocturnam aquam habet, interdiù per conſtitutum ad amiſſionem tempus uſus fuerit; amiſit nocturnam ſervitutem quâ uſus non eſt. *l.* 10. § 1. ff. *d. tit.*

Is (*k*) qui per partem itineris it, totum (*l*) jus uſurpare videtur. l. 8. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Jure Digeſtorum, biennio; Jure Juſtinianeo, decennio inter præſentes; & vicennio inter abſentes.
(*b*) Putà, ſi debeatur *Tigni immittendi* ſervitus, non ſufficit tignum non fuiſſe immiſſum; niſi per ſtatutum tempus dominus fundi ſervientis habuerit obturatum foramen per quod erat immittendum. Id autem per quod uſucapitur libertas, debet eſſe quid continuum: hinc per arborem non uſucapio libertatem ſervitutis *Non officiendi luminibus*; propter arboris motum. Item debet eſſe non precariò conceſſum: *d. tit.* N. 10.
(*c*) Interpellabitur igitur, ſi dominus ædium ſervientium eas poſſidere deſierit ante tempus completum.
(*d*) Qui, cùm non poſſit alienare, nec poteſt ſervitutem *Non utendo* amittere.
(*e*) Nec enim pro parte amitti poteſt: ſuprà § 545. Reg. 1.
(*f*) Idem in *Itinere* & aliis ruſticis ſervitutibus.
(*g*) Idem dic de cæteris ſervitutibus.
(*h*) Modò nomine hujus fundi utantur.
(*i*) Idem de quâvis aliâ ſervitute; quum quis aliud quàm quod faciendi jus habet, facit.
(*k*) Idem dic de quâvis aliâ ſervitute, quum quis vel pro parte utitur.
(*l*) Secùs ſi plura jura haberet, & uno duntaxat uteretur.

DXLVII.

Si locus per quem *ſervitus* debebatur, impetu fluminis occupatus eſſet; & intrà tempus quod ad amittendam ſervitutem ſufficit, reſtitutus eſt; ſervitus in priſtinum ſtatum reſtituitur (*a*). *l.* 14. ff. *d. tit.*

Si ſublatum ſit ædificium ex quo ſtillicidium cadit, ut (*b*) eâdem ſpecie & qualitate reponatur; utilitas

(*a*) Ipſo Jure. Quòd ſi demùm poſt illud tempus; renovari ſervitutem Prætor jubet.
(*b*) Supple; & aliud ædificatum ſit, ita *ut &c.*

Source : BIU Cujas

exigit ut idem intelligatur (*a*). *l.* 20. § 2. ff. *de Serv. urb. præd.*

(*c*) Adeòque non amittatur ſervitus ſtillicidii. Idem dic de aliâ quâlibet. Ratio dubitandi, quia aliud eſt ædificium quàm cui ſervitus conſtituta eſt.

ARTICULUS II.

De quibuſdam ſervitutum ſpeciebus, ſive urbanorum prædiorum, ſive ruſticorum.

§ I.

De ſervitutibus urbanis.

DXLVIII.

Etſi in villâ ædificia ſint, æquè ſervitutes urbanorum prædiorum conſtitui poſſunt. *l.* 1. ff. *Comm. præd.*

DXLIX.

1. Ædificia quæ ſervitutem patiuntur NE quid altiùs tollatur, viridaria ſupra eam altitudinem habere poſſunt, at ſi de PROSPECTU eſt, eaque obſtatura ſunt, non poſſunt. *l.* 12. ff. *de Serv. urb. præd.*

2. LUMINUM ſervitute conſtitutâ, id acquiſitum videtur ut vicinus lumina noſtra (*a*) excipiat. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Antoninus & Verus reſcripſerunt; In eâ areâ quæ LUMINUM ſervitutem debet, poſſe dominum ædificare intermiſſo legitimo (*b*) ſpatio. *l.* 14. ff. *de Serv. urb. præd.*

3. Si ſervitus STILLICIDII impoſita ſit, non licet ædificare (*b*) ubi caſſitare cœpiſſet ſtillicidium. *l.* 20. § 3. ff. *de Serv. urb. pr.*

(*a*) Id eſt, ut liceat nobis aperire feneſtram in pariete communi.
(*b*) Duorum pedum & ſemipedis.
(*c*) Niſi ædificium tale ſit quod non impediat ſtillicidium.

§ II.

De ſervitutibus ruſticis.

DL.

Qui iter habet, actum non habet; qui actum habet, & iter habet etiam ſine jumento. *l.* 1. ff. *de Serv. præd. ruſt.*

Qui actum habet, & plauſtrum (*a*) ducere, & jumenta agere poteſt; qui viam habent; eundi agendique jus habent; plerique & trahendi (*b*) quoque, & haſtam ferendi, ſi modò non lædat. *l.* 7. ff. *d. tit.*

Latitudo actûs itineriſque, ea eſt quæ demonſtrata eſt; quòd ſi nihil dictum eſt, hoc ab arbitro ſtatuendum eſt. *l.* 13. § 2. ff. *d. tit.*

In viâ, ſi dicta latitudo non eſt, legitima (*c*) debetur. *d. l.* 13. § 2.

(*a*) Curum geſtatorium intellige, non plauſtrum ad trahenda onera.
(*b*) Plauſtra onuſta: quod non poteſt qui *Actum* habet.
(*c*) Octo pedum in porrectum, ſedecim in anfractum.

DLI.

Nulla alia aqua duci poteſt, niſi quæ perennis eſt. *l.* 1. § 5. ff. *de Aquâ.*

Non conſuetudinis eſt, ut qui aquam (*a*) habeat, per lapidem ſtratum (*b*) ducat. *l.* 17. § 1. ff. *de Aq. & aq. pluv.*

Non modus (*c*) prædiorum, ſed ſervitus aquæ ducendæ terminum facit. *l.* 10. *Cod. de Servit.*

(*a*) Servitutem *Aquæ ducendæ.*
(*b*) Sed per fiſtulas.
(*c*) Id eſt, non tam indigentia prædii dominantis, quàm lex ſervituti dicta aut conſuetudo.

DLII.

Si cui ſimpliciter via per fundum, cujuſpiam cedatur (*a*), vel relinquatur (*b*); in infinito, videlicèt per quamlibet partem, ire licebit (*c*); civiliter modò... Verùm conſtitit ut quâ primùm viam direxiſſet, eâ demùm ire agere deberet. *l.* 9. ff. *de Servit.*

Si via, iter, &c. legetur ſimpliciter per fundum; facultas eſt heredi per quam partem fundi velit (*d*), conſtituere ſervitutem. *l.* 62. ff. *de Serv. præd. ruſt.*

Itinere ad prædium commune duorum legato (*e*) niſi uterque de loco itineris conſentiat, ſervitus neque acquiritur, neque deperit. *l.* 28. ff. *d. tit.*

Una eſt via, etſi per plures fundos imponatur (*f*). *l.* 18. ff. *de tit.*

(*a*) Inter vivos.
(*b*) Per legatum *Vindicationis.*
(*c*) Scilicet non per medias vineas.
(*d*) Hæc regula præcedenti contraria pertinet ad Legata *Damnationis.*
(*e*) Per *Vindicationem.*
(*f*) Scilicet ſi ab uno per alterum per eamdem longitudinis lineam eatur.

CAPUT QUARTUM.

De ſecundâ rerum incorporalium ſpecie, ſeu de Jure Pignorum & Hypothecarum.

PIGNUS *conſideratur, vel prout contractus, vel prout eſt jus in re. De contractu, infrà in hujus Partis Cap. fin. Hîc verò expenduntur ea quæcumque pertinent ad ipſum* JUS *poſſidendi rem in ſecuritatem debiti.*

SECTIO I.

De pignore conventionali.

§ I.

Quomodo contrahatur; & in quibus cauſis vel tacitè contractum intelligatur.

DLIII.

Pignus contrahitur non ſolâ traditione, ſed etiam nudâ conventione. *l.* 1. *ff. de Pign. act.*

Et hoc ultimum propriè dicitur HYPOTHECA, *cui Prætor actionem dedit.*

DLIV.

1. In prædiis ruſticis fructus qui ibi naſcuntur, tacitè intelliguntur pignori eſſe domino fundi locati. *l.* 7. *ff. In quib. cauſ. pign. tac.*

2. Eo jure utimur ut quæ in prædia urbana, inducta illata ſunt, pignori eſſe credantur: in ruſticis prædiis, contrà obſervatur. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Stabula (*a*) quæ non ſunt in continentibus ædificiis, quod ad cauſam taciti pignoris pertinet, non multùm ab urbanis prædiis differunt. *d. l.* 4. § 1.

Non ſolùm pro penſionibus, ſed & ſi deteriorem habitationem culpâ ſuâ fecerit inquilinus (*b*), invecta & illata pignori erunt obligata. *l.* 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Idem dic de horreis.
(*b*) Hoc non trahe ad invecta ejus qui gratis habitat.

Source : BIU Cujas

In eam duntaxat ſummam invecta mea & illata tenebuntur, in quam (*a*) cœnaculum conduxi. *l.* 11. § 5. *ff. de Pign. act.*

3. Pignus inſulæ, creditori datum eſt; qui pecuniam ob reſtitutionem ædificii extruendi (*b*) mutuam dedit. *l.* 1. *ff. In qu. cauſ. pign.*

4. Pro officio adminiſtrationis, tutoris vel curatoris bona, tanquam pignoris titulo obligata, Minores ſibimet vindicare minimè prohibentur. *l.* 20. *Cod. de Adm. tut.*

De pluribus aliis taciti pignoris ſpeciebus, ut Fiſci, Dotis, Legatorum, &c. vide plura, lib. 20. *Tit.* In quib. cauſ. pign. tac. contr.

(*c*) Non verò in reliquæ domûs penſiones.
(*d*) Aut mandante domino, redemptori miniſtravit. Hoc non trahe ad eum qui pecuniam ſubminiſtravit ut res emeretur.

§ II.

Pro quâ obligatione pignus contrahi poſſit.

D L V.

Res hypothecæ dari poſſunt pro quâcumque obligatione, & ſive pura eſt obligatio vel in diem vel ſub conditione: ſed non aliàs obligantur, niſi conditio extiterit. *l.* 5. ff. *de Pign. & hyp.*

Pignora vel hypothecæ, Et futuræ obligationis nomine dari poſſunt. *d. l.* 5.

Ex quibus caſibus naturalis obligatio conſiſtit, pignus perſeverare conſtat. *l.* 15. § 1. ff. *d. tit.*

Dare quis hypothecam poteſt, ſive pro ſuâ obligatione ſive pro alienâ. *ſup. d. l.* 5. § 2.

§ III.

A quo pignus conſtitui poſſit.

D L V I.

Nexum non facit prædiorum, niſi perſona quæ jure potuit (*a*) obligare. *l. fin. Cod. Si alien. res.*

Regula eſt; Creditorem probare debere, quum (*b*) conveniebat, rem in bonis debitoris fuiſſe. *l.* 15. § 1. *ff. de Pign. & hyp.*

In fructibus *futuris* ſi convenit ut ſint pignori; quæritur an fundus, vel jus utendi-fruendi, conventionis tempore fuerit debitoris. *l.* 11. § 3. *ff. Qui pot. in pign.*

Aliena res pignori dari voluntate domini (*c*) poteſt. *l.* 24. *ff. de Pigner. act.*

(*a*) Qualis eſt dominus; aut is qui vice domini jus adminiſtrationis habet, in his obligationibus quæ adminiſtrationis fines non excedunt. Non poteſt autem qui rerum ſuarum adminiſtrationem non habet; ut pupillus, prodigus, item Minor circa prædia ruſtica, mulier quum pro alio intercedit, &c.
(*b*) Si tamen pro futuro debito *conveniebat* de pignore; cùm non priùs poſſit intelligi contractum pignus, quàm contracta fuerit obligatio principalis; non ſufficiet rem fuiſſe in bonis *quum conveniebat* de pignore, ſed eo tempore eſſe in bonis oportet quo contrahitur obligatio principalis.
(*c*) Et quidem ejus qui ipſe obligare poſſet. Vide Not. (*a*) mox ſuprà. Cæterùm vel tacita voluntas ſufficit: quinetiam huic æquipollet fraudulenta diſſimulatio: Tit. *de Pignor. & hyp.* N. 17.

D L V I I.

Aliena (*a*) res utiliter poteſt obligari, ſub conditione SI debitoris facta fuerit. *l.* 16. § 7. *ff. de Pign. & hyp.*

Si ab eo qui Publicianâ uti potuit, pignori accepi; ſic tuetur me Prætor per Servianam, quemadmodum debitorem per Publicianam (*b*). *l.* 18. *ff. d. tit.*

Rem alienam pignori dediſti, deinde dominus ejus rei eſſe cœpiſti: datur utilis actio pignoratitia (*c*) creditori (*d*). *l.* 41. *ff. de Pignorat. act.*

In ſpeciem alienæ rei collatâ conventione, poſtea debitori domino quæſito; difficiliùs creditori qui non ignoravit alienum, Utilis actio dabitur: ſed facilior erit poſſidenti retentio. *l.* 1. *ff. de Pign. & hypoth.*

Si Titio qui rem meam ignorante me creditori ſuo pignus obligaverit, heres extitero; ex poſt facto pignus directò quidem non convaleſcit, ſed Utilis (*e*) pignoratitia dabitur creditori. *l.* 22. *ff. d. tit.*

(*a*) Hæc & ſequentes Regulæ ſunt limitationes 2æ. regulæ N. præced.
(*b*) Scilicet hanc rem, licèt non jure utpotè à non domino obligatam, tamen poſſum perſequi adversùs eos contra quos debitor eam *Publicianâ* actione perſequi poſſet.
(*c*) *Hypothecaria.*
(*d*) Decepto ſcilicet: aliàs ſecùs, ut patet ex Reg. ſeq.

(*e*) Contrà ſenſerat Paulus, l. 41. ff. *de Pign. act.* Vide Tit. *de Pign. & hyp.* N. 20. cum Notis.

§ IV.

Quæ res pignori dari poſſint necne.

D L V I I I.

Quod emptionem venditionemque (*a*) recipit, etiam pignerationem recipere poteſt. *l.* 9. § 1. *ff. de Pign. & hypoth.*

Nomen quoque debitoris pignorari (*b*) & generaliter & ſpecialiter poſſe, jam pridem placuit. *l.* 4. *Cod. quæ res pign.*

Etiam id quod pignori obligatum eſt, à creditore pignori obſtringi poſſe (*c*) jam dudùm placuit. *l.* 1. *Cod. Si pign. hypoth.*

Et quæ nondum ſunt, futura tamen ſunt, hypothecæ dari poſſunt. *l.* 15. *ff. de Pign. & hypoth.*

(*a*) Adeòque etiam ſtatuliber, vectigale prædium, jus ſuperficiei, uſusfructus, &c.
(*b*) Quum autem nomen debitoris tui mihi pignori dediſti; is effectus erit ut poſſim exigere, ſi non tibi (priuſquàm certior factus eſſet) ſolvit.
(*c*) Sed ſoluto priori, ſolvetur & ſecundum.

D L I X.

1. Eam rem quam quis emere non poteſt, quia commercium ejus (*a*) non eſt; jure pignoris accipere non poteſt. *l.* 1. § 2. *ff. Quæ res pign.*

Excipe. In quorum finibus emere quis (*b*) prohibetur; pignus obligare non prohibetur. *l.* 24. *ff. de Pign. & hyp.*

2. Spem præmiorum quæ pro coronis Athletis præſtanda ſunt, privatâ pactione pignorari minimè admittendum eſt. *l.* 5. *Cod. quæ res pign.*

3. Jura prædiorum urbanorum pignori dari non (*c*) poſſunt. l. 11. § *fin. ff. de Pign. & hyp.*

(*a*) Ut liberum hominem, rem litigioſam. Vide Tit. *Quæ res pign.* N. 9.
(*b*) Pone exemplum in Rectore provinciæ.
(*c*) Vide Tit. *Quæ res pign.* N. 3. & ibi Notas.

§ V.

De hypothecâ generali, & quænam ex illâ excepta præſumantur.

D L X.

1. Conventio generalis, in pignore dando, bonorum vel poſtea quæſitorum recepta eſt. *l.* 1. *ff. de Pign. & hyp.*

2. Obligatione generali rerum quas quis habuit habiturus-ve ſit, ea non continebuntur quæ veriſimile eſt quemquam ſpecialiter obligaturum non (*a*) fuiſſe. *l.* 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Ut veſtis, ſupellex, miniſteria neceſſaria, &c. Tit. *Quæ res pign.* N. 12.

§ VI.

Quæ res pignori alicujus rei accedant ſubſtituantur-ve, necne.

D L X I.

Partus (*a*) pigneratæ ancillæ, in pari causâ eſſe (*b*)

(*a*) Idem dic de fœtu animalium & fructibus prædiorum.
(*b*) Si apud eum qui obligavit vel heredem ejus peperit. l. 29. § 1. & quidem ita, ſi poſt contractum matris pignus.

Source : BIU Cujas

quâ mater eſt, olim placuit. *l.* 1. *Cod. Part. pign.*

Si nuda proprietas pignori data ſit ; uſusfructus qui poſtea accreverit, pignori erit. Eadem cauſa eſt alluvionis. *l.* 18. § 1. *ff. de Pigner. act.*

Domo pignori datâ, & area tenebitur. Et contrà, jus ſoli ſequetur ædificium (*c*). *l.* 21. ff. *d. tit.*

Cùm (*d*) tabernam debitor pignori dederit; ea quæ mortis tempore in tabernâ inventa ſunt, pignori obligata eſſe videntur. *l.* 34. *ff. de Pign. & hypoth.*

(*c*) Ita tamen ut ſumptum bonæ fidei poſſeſſor retinere poſſit.
(*d*) Idem dic de grege qui renovari ſolet.

DLXII.

Servo pignori dato, peculium ejus creditor fruſtra diſtrahit. *l.* 1. § 1. ff. *d. tit.*

Res ex nummis pigneratis empta, non eſt pignerata. *l.* 7. § 1. *ff. Qui potior. in pign.*

§ VII.

Quis potior ſit in pignore, quum res pluribus pignerata eſt.

DLXIII.

Si pluribus res ſimul (*a*) pignori detur, æqualis omnium (*b*) cauſa eſt. *l.* 20. §. 1. *ff. de Pign. act.*

Quum de pignore utraque pars contendit, prævalet jure qui prævenit tempore. *l.* 2. *Cod. qui potior. in pign.*

Qui generaliter bona debitoris accepit, eo potior eſt cui poſtea prædium ex his bonis datur; quamvis ex cæteris (*c*) pecuniam ſuam redigere poſſit. *l.* 2. *ff. Qui potior in pign.*

In pignore placet; ſi prior convenerit de pignore, licèt poſteriori res tradatur, adhuc potiorem eſſe priorem. *l.* 12. § 19. *ff. d. tit.*

Si in diem de hypothecâ convenit; dubium non eſt quin potior ſit, licèt ante diem cum alio creditore purè de eâdem re convenit. *l.* 12. § 2. ff. *d. tit.*

Regula eſt : Sub conditione creditorem, tuendum adversùs eum cui poſtea quicquam deberi cœperit; ſi modò non ea conditio ſit, quæ invito debitore impleri non (*d*) poſſit. *l.* 9. § 1. ff. *d. tit.*

Potior eſt in pignore, qui priùs credidit pecuniam & accepit hypothecam ; quamvis cum alio antè convenerat, ut ſi ab eo pecuniam acceperit, ſit res (*e*) obligata. *l.* 11. ff. *d. tit.*

(*a*) Eodem momento.
(*b*) Ita ut poſſidentis melior cauſa ſit ; ſi hoc actum eſt ut ſingulis in ſolidum res eſſet obligata : ſin, pro ratâ debiti pignus inter ipſos dividetur. Fallit regula circa creditorem qui vendit partem ſui nominis ſub pignore contracti, item circa fiſcum : *d. tit.* N. 32.
(*c*) Generaliter ſibi obligatis. Cæterùm ſi præter generalem hypothecam habeat pignora ſpecialiter obligata, hæc priùs excutere debet.
(*d*) Nondum enim obligata res eſt ; quandiù pendet à debitore, non implendo conditionem quæ in ipſius poteſtate eſt, ut non ſit obligata.
(*e*) Cùm enim in ejus poteſtate maneat non accipiendo pecuniam, ut non contrahatur pignus; res nondum eſt obligata.

DLXIV.

Si non dominus duobus eamdem rem diverſis temporibus pigneraverit, prior potior eſt; quamvis ſi à diverſis non dominis pignus accipiamus, poſſeſſor melior ſit. *l.* 14. ff. *d. tit.*

Si idem ante ſecundum, & poſt eum crediderit ; in priore pecuniâ (*a*) potior eſt ſecundo, in poſteriore tertius eſt. *l.* 12. § 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Et quidem etiam pro uſuris quæ cucurrerunt poſt conſtitutam hypothecam ſecundi creditoris.

DLXV.

Interdum poſterior potior eſt priore ; ut putà, ſi in rem ipſam conſervandam impenſum eſt quod ſequens credidit..... Hujus enim pecunia ſalvam fecit totius pignoris cauſam. *l.* 5. & *l.* 6. ff. *d. tit.*

Eum cujus pecuniâ prædium comparatum probatur, quod ei pignori eſſe ſpecialiter obligatum ſtatim convenit ; omnibus ante ferri [*a*], Juris auctoritate declaratur. *l.* 7. *Cod. d. tit.*

Creditor qui ob reſtitutionem ædificiorum crediderit, in pecuniam quam crediderit, privilegium exigendi habebit. *l.* 25. ff. *de Reb. cred.*

Eos qui acceperunt pignora, privilegiis omnibus quæ perſonalibus actionibus competunt, præferri conſtat. *l.* 9. *Cod. Qui pot. in pign.*

(*a*) Si non in totum res nummis ejus comparata eſt ; pro ratâ duntaxat privilegium habebit. *l.* 7. *SC. Qui potior. in pign.*

§ VIII.

De ſucceſſione poſterioris creditoris in pignus prioris.

DLXVI.

Non omnimodo ſuccedunt in locum hypothecarii creditoris, hi quorum pecunia ad creditorem tranſit. Hoc enim tunc obſervatur, quum is qui pecuniam poſtea dat, ſub hoc pacto [*a*] credat ut idem pignus ei obligetur, & in locum ejus ſuccedat. *l.* 1. *Cod. de His qui in prior. cred.*

Etiamſi ita contractum ſit ut antecedens dimitteretur ; non aliter in jus pignoris ſuccedet, niſi convenerit ut eadem res eſſet obligata. *l.* 3. *ff. Quæ res pign.*

(*a*) Debitori adhuc rei domino : *d. tit.* N. 8.

DLXVII.

Secundus creditor offerendo priori debitum, confirmat ſibi pignus ; & à debitore ſortem ejuſque tantùm uſuras quæ fuiſſent præſtandæ, non etiam uſurarum [*a*] uſuras accipere poteſt. *l.* 22. *Cod. de Pign. & hypoth.*

(*a*) Suum enim negotium geſſit, non debitoris.

DXLVIII.

Papinianus reſpondit : Si prior creditor poſtea novatione factâ eadem pignora cùm aliis accepit, in ſuum (*a*) locum eum ſuccedere. *l.* 12. § 15. ff. *Qui pot. in pign.*

(*a*) Ita ut mediis creditoribus præferatur.

§ IX.

De effectu pignoris, & de rei pigneratæ diſtractione.

DLXIX.

Pignus manente proprietate debitoris, ſolam poſſeſſionem transfert ad creditorem. *l.* 35. § 1. *ff. de Pign. act.*

Quidquid [*a*] pignori commodi ſive incommodi fortuitò acceſſit, id ad debitorem pertinet. *l.* 21. § 2. *ff. de Pign. & hyp.*

De actione Serviana *quam pignus parit, vide infrà Part. ſeq.*

(*a*) Regula fallit in eâ ſpecie pignoris quæ *Antichreſis* dicitur, in quâ convenit ut fructus creditori pro uſuris cedant.

DLXX.

Quis creditor diſtrahere poſſit jure pignoris.

Manifeſti juris eſt, non aliàs ſecundum creditorem diſtrahendi poteſtatem pignoris conſequi ; niſi priori creditori debita fuerit ſoluta (*a*) quantitas. *l.* 8. *Cod. Qui potior.*

Cùm debitor ipſi priori creditori pignora in ſolutum

(*a*) Aut ei oblata, & eo non accipiente depoſita.

dederit

dederit vel vendiderit ; non magis tibi (*ſecundo creditori*) perſecutio adempta (*a*) eſt, quàm ſi aliis eas res debitor (*b*) vendidiſſet. *l.* 1. *Cod. Si antiq. cred.*

(*c*) Modò ei offeras debitum.
(*d*) Diſtractio quæ ſit à debitore, non fit jure pignoris ; adeòque cætera pignora non perimit.

DLXXI.

Quando prior creditor diſtrahere poſſit.

Etſi non convenerit de diſtrahendo pignore, hoc tamen jure utimur ut liceat diſtrahere ; ſi modò non convenit (*a*) ne liceat. *l.* 4. ff. *de Pign. act.*

Quum ſolvendæ pecuniæ dies pacto profertur, conveniſſe videtur ne priùs vendendi pignoris poteſtas exerceatur. *l.* 4. ff. *de Diſtr. pign.*

Si vel modicum de ſorte vel uſuris in debito perſeveret, diſtractio rei obligatæ non poteſt impediri. *l.* 2. *Cod. Debit. vend. pign.*

(*a*) Et quidem ſi convenit ne liceat intra certum tempus, intra illud tempus non licebit ; ſi indeterminatè convenit, licebit poſtquàm debitori ter fuerit denuntiatum ut ſolvat.

DLXXII.

An cogi poſſit creditor vendere pignus.

Invitum creditorem cogi vendere, ſatis inhumanum eſt. *l.* 6. ff. *de Pign. act.*

DLXXIII.

A quibus pignoribus incipienda venditio.

Creditoris arbitrio permittitur ex pignoribus ſibi obligatis quibus velit diſtractis, ad ſuum commodum pervenire. *l.* 8. ff. *de diſtract. pign.*

Quæ ſpecialiter vobis obligata ſunt, debetis ſolemniter vendere.... Quòd ſi quid deerit, non prohibemini cætera etiam bona jure conventionis conſequi. *l.* 9. *Cod. h. tit.*

DLXXIV.

Quid prævium venditioni.

Creditor pignus quum proſcribit, notum debitori facere, & ſibi bonâ fide rem gerere, & quando licet teſtatò (*a*) dicere debet. *l.* 4. *Cod. de Diſtract. pign.*

(*a*) Non tenetur autem adire Prætorem, ſi rem teneat.

DLXXV.

De effectu venditionis jure pignoris factæ.

Obligata, pignoris jure creditore rectè diſtrahente, debitor (*a*) emptori pretium offerens, vel creditori quod debuit, evincere non poteſt. *l.* 2. *Cod. Si antiq. cred.*

Quum prior creditor pignus jure conventionis vendidit, ſecundo creditori non ſupereſſe jus offerendæ pecuniæ convenit. *l.* 3. ff. *de Diſtr. pign.*

(*a*) Niſi ſit Minor, aut in aliquâ causâ ut reſtitui in integrum debeat.

DLXXVI.

Quæ & cui facta pignoris venditio, illud non extinguat.

Obligatum prædium, neque ſi per ſubjectam perſonam creditor comparavit, neque ſi ſibi addixerit, debitori affert præjudicium ; ſed in eâdem causâ permanet (*a*). *l.* 10. *Cod. de Diſtract. dign.*

(*a*) Ita ut debitor poſſit illud luere. Secùs, ſi debitor illud creditori in ſolutum dediſſet.

Si ſecundus creditor vel fidejuſſor, ſolutâ pecuniâ, pignora ſuſceperint ; rectè eis offertur, quamvis emptionis titulo ea tenuerunt. *l.* 5. § 1. ff. *de Diſtract. pign.*

Debitor à creditore pignus fruſtrà emit (*b*). *l.* 40. ff. *de Pign. act.*

Creditor ſi pignus diſtraxit, & ex venditione (*c*) receſſum fuerit, in priſtinam cauſam res (*d*) redit. *l.* 10. § 1. *ff. Quib. mod. pign. ſolv.*

(*b*) Nec enim eſt emptio rei ſuæ.
(*c*) Putà, ſit res redhibita.
(*d*) Debitor dominium, creditor jus ſuum pignoris recipit.

DLXXVII.

Quod jus ex venditione emptor conſequatur.

Creditor qui jure ſuo pignus diſtrahit, jus (*a*) ſuum cedere debet ; &, ſi pignus poſſidet, tradere utique debet poſſeſſionem. *l.* 13. ff. *de Diſtract. pign.*

Is qui lege pignoris emit, ob evictionem rei redire ad venditorem non (*b*) poteſt. *l.* 10. ff. *d. tit.*

Si pignus diſtrahatur, poſt evincatur ; EX EMPTO, contra eum qui pretio liberatus eſt, de pretio duntaxat ejuſque uſuris habitâ ratione fructuum dabitur. *l.* 74. § 1. ff. *de Evict.*

(*a*) Scilicet actionem *Servianam*.
(*b*) Ne quidem ad reſtitutionem pretii, ſed ſaltem tenetur ut cedat emptori Contrariam *Pignoratitiam*, quam habet adversùs debitorem qui alienam rem obligavit.

DLXXVIII.

Quatenùs ex diſtractione pignoris liberetur debitor, & de imputatione ejus quod ex pretio redigitur.

Ex neceſſitate facta venditio non liberat debitorem, niſi perceptâ (*a*) pecuniâ. *l.* 9. ff. *de Diſtract. pign.*

Quidquid ex venditione pignorum recipitur, primùm uſuris.... deinde ſi quid ſupereſt, ſorti accepto ferendum eſt. *l.* 35. ff. *de Pign. act.*

Quum creditor (*b*) pignus diſtrahit, licet ei (*c*) pretium acceptum referre, etiam in eam quantitatem quæ naturâ tantùm debetur. *l.* 101. § 1. ff. *de Solut.*

Quum eodem tempore pignora duobus contractibus obligantur ; pretium eorum, pro modo pecuniæ cujuſque contractûs, creditor accepto facere debet : nec in arbitrio ejus electio erit. *l.* 96. § 3. *ff. d. tit.*

Si temporibus diſcretis ſuperfluum pignorum obligari placuit, prius debitum pretio pignorum ſolvitur, ſecundum ſuperfluo (*d*) compenſabitur. *d.* § 3.

(*a*) Et quidem pro perceptâ habetur, quum fecit ne perciperet.
(*b*) Intellige eum qui ex pluribus cauſis creditor eſt.
(*c*) Ejus enim quod ex pretio pignoris redigitur, imputatio fit nonniſi in eam cauſam pro quâ pignus contractum eſt ; contrà, ejus quod à debitore ſolvitur, imputatio debitori conceditur : lib. 46. Tit. *de Solut.* Part. 2ª. Sect. 3ª.
(*d*) Quòd ſi conveniſſet ut pignus, æquè in poſteriorem ac in priorem cauſam eſſet obligatum ; pretium in utramque cedet, ſed æqualiter : Tit. *de Solution.* N. 102.

§ X.

De jure dominii quod à Principe creditor impetrat, quum proſcripti pignoris nullus emptor invenitur.

DLXXIX.

Si creditor pignus jure dominii poſſidere petiit, & poſt formam Reſcripti alio anno uſuras à vobis accepit ; à beneficio impetrato receſſiſſe (*a*) videtur. *l.* 2. *Cod. de Jur. dom. imp.*

Si impetraſſet creditor à Cæſare ut pignus poſſideret, idque evictum eſſet ; Utilis EX EMPTO accommodata eſt, quemadmodum ſi Pro ſoluto ei res data fuerit. *l.* 24. ff. *de Pign. act.*

(*a*) Excidit etiam hoc beneficio, ſi legem ſub quâ impetravit non impleat ; item ſi debitor intra annum, hodie intra biennium, obtulerit debitum. Tit. *de Diſtr. pign.* N. 35.

Source : BIU Cujas

§ XI.

De luitione pignoris.

DLXXX.

Qui pignori plures res accepit, non cogitur unam liberare, nisi accepto universo quantùm debetur. *l.* 19. ff. *de Pign. & hypoth.*

Propter usuras quoque si obligata sit hypotheca, usuræ solvi debent. *l.* 13. § 6. ff. *d. tit.*

Qui pro parte heres extitit, nisi totum debitum exsolvat, suam portionem ex pignoribus recipere (*a*) non potest. *l.* 1. *Cod. de Luit. pign.*

(*a*) Et vice versâ si uni ex creditoris heredibus solvatur, pignus in nullâ parte liberatur: Tit. *Quib. mod. pign. solv.* N. 2.

§ XII.

Quibus modis pignus solvitur.

DLXXXI.

Regula generalis.

Liberatur pignus, sive solutum est debitum, sive eo nomine satisfactum est. *l.* 6. ff. *Quib. mod. pign. solv.*

Hinc 1°. Si creditor ex fructibus debitum consecutus est, ipso Jure pignus ab obligatione liberatum. *l.* 1. *Cod. de Distract. pign.*

2°. Novata debiti obligatio pignus peremit, nisi convenit ut pignus repetatur. *l.* 11. § 1. *de Pign. act.*

3°. Si à judice quamvis per injuriam absolutus sit debitor, tamen pignus liberatur. *l.* 13. *ff. Quib. mod. pign. solv.*

4°. Si deferente creditore juravit debitor se dare non oportere, pignus liberatur. *d. l.* 13.

DLXXXII.

Si convenerit ut pro hypothecâ fidejussor daretur, & datus sit; satisfactum (*a*) videbitur ut hypotheca liberetur. *l.* 5. § 2. ff. *Quib. mod. pign. solv.*

Non per hoc videtur satisfactum creditori, quòd habet judicati actionem. *l.* 13. § 4. ff. *de Pign. & hypoth.*

Qui paratus est solvere, pignus videtur liberasse; qui satisfacere paratus est, in diversâ causâ (*b*) est. *l.* 6. § 1. ff. *Quib. mod. pign.*

(*a*) Cæterùm creditor non tenetur invitus hanc satisfactionem accipere: & in hoc differt *Satisfactio* à *Solutione.*
(*b*) Non enim aliter liberat, quàm si creditor admittat satisfactionem.

DLXXXIII.

De interitu rei pigneratæ.

Re extinctâ pignus perit. *l.* 8. ff. *Quib. mod. pign. solv.*

Si res hypothecæ data mutata (*a*) fuerit, æquè hypothecaria actio competit. *l.* 16. § 2. ff. *de Pign. & hypoth.*

(*a*) Non sic tamen, ut in aliam substantiam transierit.

DLXXXIV.

De Remissione.

Creditorem jubentem cautionem (*pignoris*) reddi, pignoris jus remisisse videri (*a*) manifestum est. *l.* 7. *Cod. de Remiss. pign.*

Paulus respondit; Antiquiorem creditorem consentientem quum debitor eamdem rem tertio creditori obligaret, jus suum remisisse videri; non tertium in locum ejus successisse. *l.* 12. ff. *Quib. mod. pign. solv.*

Creditor (*b*) qui permittit rem vænire (*c*), pignus dimittit. *l.* 18. GAIUS LIB. 26. AD ED. PROVINC.

Non videtur consensisse creditor, si sciente (*d*) eo debitor rem vendiderit. Sed si subscripserit fortè (*e*) in tabulis emptionis, consensisse videtur; nisi manifestè appareat deceptum esse. *l.* 8. § 15. ff. *Quib. mod. pign. solv.*

(*a*) Idem est, & si ipsas res obligatas reddiderit debitori non ut precariò eas haberet. Colligitur quoque remissio pignoris ex aliis voluntatis indiciis, putà ex inutili remissione debiti; ut si creditor donationis causâ ei cui donare prohibetur, remiserit debitum. Aliaj exempla vide in Reg. seqq.

(*b*) Is qui jus alienandi habet.
(*c*) Aut ratam habet venditionem; idem dic de quovis alio alienationis titulo.
(*d*) Prior pars regulæ fallit, quum pignus distrahitur à fisco: item quum præsentes creditores fuerunt programmatè admoniti.
(*e*) Vide alia exempla. *d. tit.* N. 26.

DLXXXV.

Pignus si non vænierit (*a*), non est satis ad repellendum creditorem quòd voluit vænire. *d. l.* 8. § 6.

Voluntate creditoris pignus debitor vendidit: non omnimodo creditor pignus remittit, sed ita demùm si emptor rem (*b*) retineat. *l.* 10. *ff. d. tit.*

Supervacuum est quærere, agrum permissu creditoris vænisse; si ipse debitor rem (*c*) possideat. *l.* 8. § 7. ff. *Quib. mod. pign. solv.*

Non erit quærendum quin rectè vendiderit, si pluris vendiderit (*d*) quàm concessit creditor. *d. l.* 8. § 14.

Si debitori concessum sit, & heres (*e*) ejus vendiderit; rectè vænisse dicendum est. *d. l.* § 16.

(*a*) Aut venditio non valeat, vel simulata, fuisse videatur.
(*b*) Salvum igitur jus pignoris erit, si rescindatur venditio, aut etiam mutuo consensu ab eâ discesserint.
(*c*) Ex hoc enim præsumitur simulata venditio; nisi res per successionem ad debitorem redierit, aut bona fides probetur.
(*d*) Secùs si minoris; aut si donaverit, aut si alteri vendiderit quàm ei cui vendi creditor permiserat.
(*e*) Secùs si alius possessor: *d. tit.* N. 32.

DLXXXVI.

De præscriptione pignoris.

Diuturnum silentium longi temporis præscriptione corroboratum, creditoribus pignus persequentibus inefficacem actionem constituit; præterquàm si debitores vel qui in eorum jura successerunt, obligatæ rei possessioni incumbant. *l.* 1. *Cod. Si adv. cred. poss.*

DLXXXVII.

Quibus modis non solvitur pignus.

Usucapio, pignoris conventionem non extinguit. *l.* 7. *Cod. de Pign. & hypoth.*

Si fundus pigneratus vænierit (*a*), manet causa pignoris. *l.* 18. § 2. *ff. de Pign. act.*

Si quis communis rei partem pro indiviso dederit hypothecæ; factâ divisione cum socio, utriusque pars pro indiviso manebit obligata. *l.* 7. § 4. ff. *Quib. mod. pign. solv.*

(*a*) Secùs si dominium abierit à debitore, ex causâ necessariâ & existente quum pignus constitueretur: *d. tit.* N. 9.

SECTIO II.

De Prætorio pignore.

DLXXXVIII.

Non est mirum si, ex quâcumque causâ Prætor aliquem in possessionem miserit, pignus constituit. *l.* 23. *ff. de Pignor. act.*

Ex quadruplici autem causâ fit hæc missio: 1°. *Ventris nomine*: *Cap.* 6. *infrà.* 2°. *Ex causâ legatorum*: *de quâ*

Source : BIU Cujas

in Cap. seq. 3°. *Ex causâ damni infecti, de quâ post* Actiones, *Part. seq.* 4°. *Ex causâ rei servandæ, de quâ solâ hîc agetur; per quam scilicet crediti servandi causâ Prætor mittit creditores in bona debitoris.*

ARTICULUS I.

Qui creditores, & in cujus debitoris bonorum possessionem mittantur, & ex quibus causis.

DLXXXIX.

1. In possessionem mitti solet creditor, etsi sub conditione ei pecunia promissa sit. *l.* 6. ff. *Quib. ex caus. in poss.*

Alibi contrà: Creditor conditionalis in possessionem non mittitur. *l.* 4. *ff. d. tit.*

Scilicet existente demùm conditione fit efficax missio; interim autem est sine effectu.

2. *Prætor mittit creditores in possessionem bonorum debitoris*, Si non defendatur. *ex l.* 2. ff. *d. tit.*

NON DEFENDERE videtur, non tantùm qui latitat, sed & is qui præsens negat se defendere, aut non vult suscipere actionem. *l.* 52. ULP. LIB. 44. AD ED.

Non sufficit unquam defendisse, si non duret defensio; neque obest, si nunc offeratur. *l.* 2. §4. ff. *Quib. ex caus. in poss.*

At Nemo dubitat solvendo videri eum (*a*) qui defenditur. *l.* 95. ULP. LIB. 6. FIDEIC.

(*a*) Adeòque non debere bona ejus possideri, fideicommissi aut crediti causâ. Ita Cujacius ad h. l.

DXC.

Etsi ab hostibus quis captus sit, creditores ejus in possessionem mittendi sunt; ut tamen non statim bonorum venditio permittatur. *l.* 6. § 2. ff. *d. tit.*

Magis est, etiam pupilli posse bona possideri. *l.* 3. § 3. ff. *d. tit.*

Non defendi pupillum constare (*b*) debet Prætori, ut sic permittat bonorum possessionem *l.* 5. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Ideò debet priùs evocare tutores; &, si nullus est tutor, necessarios pupilli cognatos & affines; & interrogare, an defendere velint.

DXCI.

Regula est, Eum qui rerum ejus qui sine dolo malo Reipub. causâ abfuit in possessionem missus sit, pignus non contrahere & discedere oportere de possessione. *l.* 35. *ff. de Reb. auct. jud. possid.*

Hoc illis præstatur ne necesse habeant se defendere, qui Reipublicæ causâ (*a*) absunt. *l.* 2. ff. *Eum qui appell. in provinc.*

(a) Non cæteris; ex quâcumque probabili aut necessariâ causâ absint.

ARTICULUS II.

Ad quæ bona porrigatur missio; & quomodo Prætor eos quos misit tueatur, ne possessionem ingredi prohibeantur.

DXCII.

Is qui possidere jubetur, eo loco jussus videtur cujus cura ad jubentem pertinet. *l.* 12. § 1. ff. *de Reb. auct. jud.*

DXCIII.

Si quis (*a*) creditorem (*b*) prohibuerit (*c*) bona debitoris ingredi (*d*) datur in eum actio (*e*) Quanti ea res sit. *l.* 14. *Quib. ex caus. in poss.*

Hæc actio non tantùm eum tenet, qui prohibuit quem venire in possessionem; sed etiam eum à quo quis pulsus est quum veniisset? nec exigitur ut vi fecerit qui prohibuerit. *l.* 1. § 3. ff. *Ne vis fiat ei &c.*

Tam is tenetur qui suo nomine, quàm qui alieno (*f*) nomine prohibuit. *l.* 2. § 1. ff. *d. tit.*

Nil debet prodesse Edictum, ei qui propter nullam (*g*) causam in possessionem missus est. *Jup. d. l.* 1. § 5. ff. *d. tit.*

Hanc actionem, exceptâ legatorum (*h*) missione, intrà annum competere (*i*) & non postea, sciendum est. *d. l.* 1. § 8.

(*a*) Sive ipse debitor, sive alter.
(*b*) Ipsum, eum-ve qui nomine creditoris velit ingredi: l. 2. ff. *Ne vis fiat ei &c.*
(*c*) Dolo: l. 1. § 4. ff. *Ne vis fiat ei &c.*
(*d*) Postquàm missus est. Datur quoque & si prohibitus sit adire Prætorem; ut mitteretur.
(*e*) Actio *In factum* aut etiam *Interdictum*. Utrumque autem judicium, idem continet.
(*f*) Et tam is qui fecit, quàm is cujus voluntate factum est: l. 1. § 7. ff. *Ne vis fiat ei, &c.*
(*g*) Putà, ob falsum creditum. Fluit hoc ex naturâ actionis, quæ est in id *Quanti res sit.*
(*h*) Ex quâ causâ perpetua actio est.
(*i*) Cessat etiam si creditori fuerit satisfactum.

ARTICULUS III.

Quomodo contrahatur Prætorium pignus in bonis in quæ creditores missi sunt, & de hujus effectu.

DXCIV.

1. Sciendum est; ubi jussu Magistratûs pignus constituitur, non aliàs constitui, nisi ventum fuerit in possessionem. *l.* 26. § 1. ff. *de Pignor. act.*

2. Nil sibi quicquam acquirit, cui Prætor permittit *in possessionem ire;* sed aliquid ordine (*a*) facit, & ideò cæteris quoque *creditoribus* prodest. *l.* 12. *ff. de Reb. auct. jud.*

3. Si is postulaverit qui creditor non est; minimè dicendum est, vel eum qui creditor est, possidere posse... Aliter atque si creditor cui permissum est, postea receperit debitum. *d. l.* 12.

(*a*) Solemnem Juris ordinem exsequitur.

DXCV.

Creditor in possessionem missus, ex his rebus ali non debet. *l.* 7. *ff. Quib. ex caus. in possess.*

Si pupillus non defendatur, ideòque bona ejus creditores possidere cœperunt; diminutio ex his fieri debet, vescendi pupilli causâ. *l.* 38. ff. *de Reb. auct. jud.*

DXCVI.

Si quis fructus ex prædio (*a*) debitoris capi potest; hunc creditor (*b*) qui in possessionem missus est vendere vel locare (*c*) debet. *l.* 8. § 1. ff. *d. tit.*

Fructus Si jam à debitore locatus erat, vel vænierat: servabit Prætor venditionem & locationem, etsi minoris distractum est; nisi si fraudem creditorum hoc fiat. *d. l.* 8. § 2.

(*a*) Idem dic de cæteris rebus.
(*b*) Cui hoc negotium datum erit à majori parte creditorum; aut, si non convenerint à Prætore: d. l. 8. § 4. & l. 15. ff. *d. tit.*
(*c*) Tempus in quod locent, eorum arbitrio relinquitur: l. 8. § 2. ff. *d. tit.*

DXCVII.

Instrumentorum debitoris Cognitio & dispunctio (*a*); creditoribus ampliùs quàm semel non est concedenda. Si quis tamen juraverit, non calumniæ causâ postulare, iterùm facienda potestas; nec ampliùs quàm bis. *l.* 15. § 1. *ff. de Reb. auct. jud.*

(*a*) Permittitur etiam eis ea describere, *par Extrait*: d. tit. N. 10.

Source : BIU Cujas

Creditore in poſſeſſionem miſſo ; curator conſtitui debet, ſi quæ actiones tempore perituræ ſint, ut eas conteſtetur. *l.* 14. *ff. d. tit.*

ARTICULUS IV.

De diſtractione bonorum debitoris.

§ I.

Ex quibus cauſis permittatur necne creditoribus, etiam diſtrahere bona debitoris.

DXCVIII.

Prætor permittit diſtrahi bona debitoris qui Fraudationis causâ *latitat : ex l.* 7. § 1. *Quib. ex cauſ. in poſſ.*

Hoc jure utimur, ut ſive quis eodem loci agat, ſive alio, ſi tamen occurſum creditoris evitet, latitare videatur. *d. l.* 7. § 13.

Non fraudationis causâ latitat, qui ſi judicium acciperet, abſolvi deberet. *l.* 50. *ff. de Pecul.*

Si in diem debitor, latitat ; antequàm dies vel conditio veniat, non (*a*) poſſunt bona vænire. *l.* 7. § 14. *ff. Quib. ex cauſ. in poſſ.*

Qui fraudationis causâ latitat, non tamen (*b*) propter creditores ; etſi hæc latitatio creditores fraudet, in eâ tamen erit causâ, ne hinc poſſideri bona ejus poſſint. *d. l.* 7. § 5.

Si adversùs quoſdam *creditores* occultare ſe conſilium non eſt, adversùs quoſdam eſt ; eum ſolum poſſe hanc venditionem impetrare (*c*), adversùs quem latitetur. *d. l.* 7. § 7.

(*a*) Neque enim hæc latitatio fraudat creditorem, à quo nondum poteſt utiliter conveniri.
(*b*) Cæterùm ſufficit ut cauſa fraudandorum creditorum ſit una ex his propter quas latitet.
(*c*) Ita tamen ut cæteris profit.

DXCIX.

1. *Etiam non latitantis* (*putà, furioſi*) Interdum bona causâ cognitâ vendenda erunt ; ſi urgeat æs alienum, & dilatio damnum ſit allatura creditoribus. *d. l.* 7. § 11.

Eadem cauſa eſt prodigi (*a*), *Minoris* (*b*), *abſentis* (*c*) *etiam ex juſtâ causâ, & generaliter cujuſlibet debitoris ;* præterquam pupilli (*d*), & ejus qui Reipublicæ causâ ſine dolo malo abſit. *l.* 6. § 1. *ff. Quib. ex cauſ. in poſſ.*

Limitatio. Periniquum eſt eum qui nihil cum pupillo (*e*) contraxit, expectare ejus pubertatem (*f*). *l.* 3. ff. *d. tit.*

2. Ejus qui ab hoſtibus captus eſt, bona vænire non poſſunt quandiù revertatur. *l.* 39. § 1. *ff. de Reb. auct. jud.*

(*a*) *Ibid.* d. l. 7. § 11.
(*b*) L. 5. ff. *de Reb. auct. jud. poſſ.*
(*c*) L. 13. ff. *Quib. ex cauſ. in poſſ.*
(*d*) Scilicet quum ex ſuo contractu convenitur. Secùs, ſi hereditario nomine : Reg. ſeq.
(*e*) Sed eſt creditor defuncti cui pupillus ſucceſſit.
(*f*) Ut diſtrahat bona.

§ II.

De ipſâ diſtractione bonorum debitoris.

DC.

Diſtrahebant bona ipſi creditores, per unum ex ipſis qui MAGISTER *appellabatur ; vel ea diſtrahebat curator bonis à Prætore datus.*

Tunc Curator conſtituitur, quum Clara perſona (veluti Senatoris) in ea causâ ſit (*a*) ut ejus bona vænire debeant. *l.* 5. *ff. de Curat. fur.*

(*a*) Ut famæ debitoris parceretur : ignominioſa enim erat venditio quæ fiebat per *Magiſtrum*. Idem obſervabatur & circa qualemcumque debitoris perſonam, ſi creditores hoc maluiſſent ; nec poterant, curatore ſemel conſtituto, conſilium mutare : l. 9. ff. *de Curat. bon.* Ad hujus autem curatoris officium pertinet, non ſolùm ut bona diſtrahat ; ſed ut interim faciat quod ad ea conſervanda neceſſe eſt, putà exigat à debitoribus : & eam ob cauſam actiones quæ debitori & in debitorem competebant, bonis debitoris poſſeſſis *Utiles* curatori & in curatorem competunt ; &, quum plures ſunt curatores, unicuique eorum & in unumquemque eorum in ſolidum ; niſi per regiones fuiſſent conſtituti, aut unus ex his invitus datus non adminiſtraſſet : l. 1. & l. 2. ff. *de Curat. bon.*

Caſſius ſcribit ; Neminem invitum cogendum fieri bonorum curatorem, niſi ex magnâ neceſſitate. *l.* 2. § 3. *ff. de Cur. bon. dand.*

DCI.

1. Vænire ibi bona oportet, ubi quiſque defendi (*a*) debet. *l.* 1. *ff. de Reb. auct. jud.*

2. Quum bona væneunt debitoris .... potior habetur creditor (*b*), cognatus-ve, & magis creditor, quàm cognatus ; & inter creditores, is cui major pecunia debetur. *l.* 16. *ff. d. tit.*

(*a*) Id eſt, ubi domicilium habet, vel ubi contraxit.
(*b*) *Potior* extraneo quolibet, in addictione.

DCII.

In venditione bonorum, etiam uſuſfructus (*a*) venit. *l.* 8. ff. *d. tit.*

Bonis venditis, excipiuntur concubina & liberi naturales. *l.* 38. ff. *d. tit.*

Fufidius refert ; Statuas in publico poſitas, bonis diſtractis ejus cujus in honorem poſitæ ſunt, non eſſe emptoris. *l.* 29. ff. *d. tit.*

Antoninus & Verus reſcripſerunt ; Bonis diſtractis, nullam actionem ex antè geſto fraudatori (*b*) competere. *l.* 4. *ff. de Curat. bon.*

(*a*) Jus *Uſusfructûs* quod habebit is cujus bona vænierunt. Etſi enim ipſum jus non poſſit perſonam egredi, tamen emolumentum quod continet cedi & vendi poteſt.
(*b*) Decoctori cujus bona vænierunt, nulla adversùs debitores quondam ſuos ſupereſt actio ; cùm omnia ipſius bona ad emptorem bonorum transferantur.

ARTICULUS V.

De ſeparatione bonorum.

§ I.

Qui poſſint petere bonorum ſeparationem.

DCIII.

1. Quoties heredis bona ſolvendo non ſunt ; non ſolùm creditores, ſed etiam eos quibus legatum fuerit, impetrare bonorum ſeparationem (*a*), æquum eſt. *l.* 6. *ff. de Separ.*

Creditoribus quibus ex die vel ſub conditione debetur, æquè ſeparatio dabitur. *l.* 4. *ff. d. tit.*

2. Ex contrario, creditores *heredis* non impetrabunt ſeparationem (*b*). Nam licet alteri, adjiciendo ſibi creditorem, creditoris ſui facere deteriorem conditionem. *l.* 1. § 2. *ff. d. tit.*

Corollarium. Si primus ſecundum heredem ſcripſit, ſecundus tertium, & terti bona væneant ; primi creditores, adversùs omnes impetrare poſſunt ſeparationem ; ſecundi adversùs primi non poſſunt, adversùs tertii poſſunt. *d. l.* 1. § 8.

(*a*) Separationem ſcilicet bonorum teſtatoris, à bonis heredis ; ut in bonis teſtatoris, creditores teſtatoris, deindè legatarii, potiores ſint creditoribus heredis.
(*b*) Bonorum heredis, à bonis damnoſæ hereditatis quam adiit. Nec in his bonis heredis potiores erunt creditoribus hujus hereditatis ; qui & ipſi per additionem heredis facti ſunt ejus creditores. *Nam licet &c.* Fallit tamen regula in neceſſario herede ; cui ſeparatio bonorum quæ poſteà acquiſivit, indulgetur ; item in eo qui coactus adivit : l. 1. § 18. & l. 6. ff. *d. tit.*

§ II.

Quandiù hæc ſeparatio peti poſſit.

DCIV.

Creditores quum ſecuti ſunt nomen (*a*) heredis,

(*a*) Accipiendo ab eo fidejuſſorem, licèt minùs idoneum, vel pignus vel uſuras, vel ab eo ſtipulando : d. § 10. & ſeq.

Source : BIU Cujas

non poſſunt jam ſe ab eo (*b*) ſeparare. *l.* 1. § 10. ff. *de Separat.*

Qui judicium dictaverunt heredi, poſſunt ſeparationem impetrare; quia ex neceſſitate hoc fecerunt. *l.* 7. ff. *d. tit.*

(*b*) Etiam aliis ſeparationem impetrantibus.

DCV.

1. Ab herede venditâ (*a*) hereditate, ſeparatio fruſtrà deſiderabitur. *l.* 2. *ff d. tit.*

2. Confuſis bonis (*b*) & unitis, ſeparatio impetrari non poterit. *l.* 1. § 12. *ff. d. tit.*

3. Ultra quinquennium poſt aditionem numerandum ſeparatio non poſtulatur. *d. l.* 1. § 23.

(*a*) Diſtractis rebus hereditariis.
(*b*) Non ſunt autem unita, quandiù extant apud heredem corpora hereditaria.

§ III.

De effectu ſeparationis impetratæ.

DCVI.

Sciendum eſt; Etiamſi obligata res eſſe proponatur ab herede jure pignoris, attamen ſi hereditaria fuit, jure ſeparationis hypothecario creditori potiorem eſſe eum qui ſeparationem impetravit. *l.* 1. § 3. *ff. de Separat.*

Si creditores hereditarii ſeparationem bonorum impetraverunt; & inveniatur non idonea hereditas, heres autem idoneus; non poterunt (*a*) reverti ad heredem. *Contrà*, ſi illis ſatisfactum fuerit; quod ſupereſt, tribuetur propriis heredis creditoribus. *l.* 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Ne quidem poſtquàm exſolutum eſſet heredis creditoribus; niſi tamen ex juſtâ ignorantiæ causâ veniam impetraverint poſtulatæ temerè ſeparationis: d. l. 5. 1. § 17. l. 3. § 2. ff. *de Separ.* Vide *d. tit.* N. fin.

ARTICULUS VI.

De diſtributione pretii, ex diſtractione bonorum debitoris redacti.

DCVII.

Regulæ generales circa diſtributionem pretii.

1. Si creditores pignori res acceperunt; potiores eos quàm chirographarium creditorem haberi, non ambigitur. *l.* 6. *Cod. de Privileg. cred.*

2. Res ſi ſpecialiter vel generaliter nemini probentur obligatæ; æquali portione, pro ratâ debiti quantitate; creditoribus conſuli poteſt. *d. l.* 6.

DCVIII.

Regula generalis circa privilegia.

Privilegia non ex tempore æſtimantur, ſed ex causâ. Et, ſi ejuſdem tituli fuerunt, concurrunt; licèt diverſitates temporis in his fuerint. *l.* 32. ff. *de Reb. auct. jud.*

DCIX.

Diſcrimen inter privilegia cauſæ & privilegia perſonæ.

Privilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ. Et ideò quædam ad heredem tranſmittuntur, quæ CAUSÆ ſunt: quæ PERSONÆ ſunt, ad heredem non tranſeunt. *l.* 196. MODESTIN. LIB. 8. REGULAR.

DCX.

Exemplum privilegii perſonæ.

Reſpublica creditrix omnibus chirographariis creditoribus præfertur. *l.* 38. § 1. *ff. de Reb. auct. jud.*

DCXI.

Exempla privilegiorum perſonæ ſimul & cauſæ.

1°. Tutelæ privilegium datur in bonis tutoris, ſed etiam ejus qui pro tutelâ (*a*) negotium geſſit. *l. fin. ff. de Tut. & rat.*

Nota. Ipſe pupillus habet privilegium, ejus ſucceſſores non habent. *l.* 19. § 1. ff. *de Reb. auct. jud. poſſ.*

2°. Æquiſſimum eſt cæteris quibus curatores quaſi debilibus vel prodigis dantur, vel ſurdo, muto, idem privilegium competere. *d. l.* 19. § 1. & *l.* 20. *l.* 21. *l.* 22. *ff. d. tit.*

Si ventri curator datus ſit, nec partus editus; privilegium ceſſat. *l.* 24. *ff. d. tit.*

Si bonis (*b*) curator datus ſit, non oportebit privilegium dari *l.* 22. § 1.

3°. *De privilegio mulieris ob dotem, vide ſuprà N.* 422.

(*a*) Quinetiam & ejus qui ex ſolo amicitiæ officio negotium pupilli geſſit: l. 23. ff. *de Reb. auct. jud.*
(*b*) Sive abſentis, ſive jacentis hereditatis, &c.

DCXII.

De privilegiis ſolius cauſæ.

1°. Impenſa funeris, omne creditum ſolet præcedere (*a*); quum bona (*b*) ſolvendo non ſint. *l.* 45. *ff. de Religioſ. &c.*

2°. Creditori qui ob reſtitutionem ædificiorum crediderit, privilegium exigendi datur. *l.* 1. *ff. de Ceſſ. bon.*

3°. Qui in navem extruendam, vel inſtruendam credidit, vel etiam emendam; privilegium habet. *l.* 26. *ff. de Reb. auct. jud.*

4°. In bonis menſularii vendundis; poſt privilegia, potiorem eorum cauſam eſſe placuit qui pecunias apud menſam, fidem publicam ſecuti, depoſuerunt (*c*)... Si tamen nummi extent, futurum eum qui vindicat ante privilegia. *l.* 24. § 2. *ff. d. tit.*

5°. Eorum ratio prior creditorum, quorum pecunia ad creditores privilegiarios (*d*) pervenit. *d. l.* 24. § 3.

(*a*) Nec refert quâ actione petatur: *tit. de Reb. auct. jud.* N. 22.
(*b*) Sive ipſius qui funeratus eſt, ſive alterius qui hujus impenſæ debitor ſit: Tit. *de Reb. auct. jud.* N. 32.
(*c*) Qui autem in creditum abierunt, putà uſuras accipiendo, nullum habent privilegium; d. l. 24.
(*d*) Quum hâc lege crediderunt. Nec refert quòd per manus debitoris ad eos pervenerit, modò poſt modicum intervallum: l. 2. ff. *de Ceſſ. bon.*

ARTICULUS II.

De actionibus quæ ex miſſione in poſſeſſionem, inter creditores & curatorem aut debitorem, ultrò citròque naſcuntur.

§ I.

De actione quæ curatori bonorum quum diſtracta ſunt, aut debitori ſi non vænierunt, datur adversùs creditores in poſſeſſionem miſſos.

DCXIII.

Omne quod in actionem Negotiorum geſtorum veniret (*a*) ſi poſſet (*b*) agi, reſtituendum à creditore. *l.* 14. § 1. *ff. Quib. ex cauſ. in poſſ.*

Creditor qui neque locavit fructum neque vendidit, condemnabitur quantominùs propter hoc perceptum eſt. *l.* 9. § 6. *ff. d. tit.*

(*a*) Quicquid ſcilicet ex bonis in quæ miſſus eſt percepit, aut dolo latâ-ve culpâ non percepit: de levi autem non tenetur: l. 9. § 5. ff. *Quib. ex cauſ. in poſſ.* Et quidem perpetuò & in heredem datur de his quæ retinet in bonis, intra annum, nec in heredem de his quæ dolo ejus perierunt.
(*b*) Non poteſt autem, quia creditor ſuum negotium gerebat.

Source : BIU Cujas

Præstat, per id tantùm temporis quo in possessione fuit; nec hoc imputatur (c) creditori cur in possessionem non venerit, nec cur de possessione decesserit. *d. l.* 9. § 6.

(c) Nam suum negotium gerit.

§ II.

De actione quæ creditori datur adversùs personas supradictas.

DCXIV.

Generaliter dicendum est; quicquid impendit in rem creditor, si modò sine dolo, repetere eum posse. *d. l.* 9. § 4.

SECTIO III.

De pignore Judiciali.

Pignora JUDICIALIA *appellantur; res quas Sententiæ executor aufert condemnato ut eas distrahat; pretiumque in causam condemnationis & judicati convertat.*

§ I.

Quæ res pignori capi possint necne.

DCXV.

Et pecunia (a)... solet pignoris jure capi, & converti in causam judicati. *l.* 15. § 11. *ff. de Re judicat.*

Etiam nomen (b) debitoris in causâ judicati capi posse, ignotum non est. *l.* 5 *Cod. de Execut. rei jud.*

(a) Sive sit apud debitorem, sive apud alium eique destinata; etiam illa quæ est apud argentarios; etiam pupillaris pecunia, ad prædiorum comparationem deposita; item, si aliæ res non suppetant, etiam illa quæ propter coronas sacrorum certaminum præstatur: Tit. *de Re jud.* N. 52. & 53.
(b) Confessum: secùs de controverso.

Si res sit pignerata quæ pignori capta est... sic distrahi potest ut dimisso creditore superfluum in causam judicati convertatur. *l.* 15. § 5. *ff. de Re jud.*

DCXVI.

Pignorum gratiâ aliquid quod ad culturam agri pertinet, auferri non convenit. *l.* 8. *Cod. Quæ res pign.*

Propter æs alienum pupilli, res tutoris pignori capi non oportet. *l.* 1. *Cod. Quand. fisc. vel priv.*

§ II.

Quo ordine capiantur.

DCXVII.

Primò res mobiles, animales, pignori capi jubent; à pignoribus soli, initium faciendum non est. *l.* 15. § 2. *ff. de Re jud.*

Si non, quæ soli sunt, sufficiant; pervenitur ad jura (a). *d.* § 2.

Ubi controversia est de pignore (b), dimitti debet, & capi aliud quod est sine (c) controversiâ. *d.* l. 15. § 4.

Militis Stipendia retineri... non patietur Præses, quum rem judicatam possit aliis rationibus exequi. *l.* 4. *Cod. de Execut. rei jud.*

(a) Ad nomina scilicet: d. l. 15. § 2.
(b) An sit debitoris.
(c) Si non sit alia res; etiam ea res de cujus proprietate controversia est capietur; habitâ præviâ summariâ cognitione de ejus proprietate.

DCXVIII.

Si pignora quæ capta sunt, emptorem non inveniant; rescriptum est ut addicantur ipsi (a) cui quis condemnatus est. *l.* 15. § 3. *ff. de Re jud.*

Si pignora væneant per apparitores, nemo unquam dixit dandam in eos actionem re evictâ. *l.* 50. *de Evict.*

(a) Qui hoc casu non poterit ampliùs petere superfluum ejus quod sibi debetur: *d. l.* 15.

CAPUT QUINTUM.

De tertiâ rerum incorporalium specie, seu de jure Hereditatum.

Hoc Caput in octo Sectiones distribuetur. Prima definitiones quasdam ac regulas continebit, circa hereditatem in genere, & varias heredum species. Cùm autem duplex sit hereditatis species; Testamentaria, *quæ ex testamento, &* Legitima *quæ ex Lege defertur; agemus statim* 2ª. *Sectione, de testamentis & codicillis; &* 3ª. *de Legibus ex quibus intestatorum hereditates deferuntur. Sectione* 4ª. *tradentur regulæ circa adquisitionem aut repudiationem hereditatis, necnon beneficium abstinendi. Sectio* 5ª. *complectetur jura legatorum & fideicommissorum tum universalium tum singularium, utpotè quæ hereditatis delibationes sint.* 6ª. *Sectione agetur, de naturâ ultimarum voluntatum & earum interpretatione.* 7ª. *De conditionibus & demonstrationibus, &c.* 8ª. *De variis casibus quibus ultimæ voluntates stante licèt testamento, exitum non habent.*

SECTIO I.

Regulæ quædam de hereditatis naturâ; & de variis heredum speciebus.

DCXIX.

Hereditas nihil aliud est quàm successio (a) in universum jus quod defunctus habuit. *l.* 62. JULIAN. LIB. 6. DIGEST.

Heredem ejusdem potestatis jurisque esse cujus fuit defunctus, constat. *l.* 59. ULP. LIB. 3. DISPUT.

At Uni duo pro solido heredes esse non possunt. *l.* 141. § 1. PAUL. LIB. 54. AD ED.

Hereditas (b), etiam sine ullo corpore, juris intellectum habet. *l.* 50. *ff. de Petit. hered.*

Hereditas juris nomen est, quod & accessionem (c) decessionem (d) in se recipit. Hereditas autem vel maximè fructibus augetur. *l.* 178. § 1. *ff. de Verb. signif.* ULPIAN. LIB. 49. AD SABIN.

Ejus qui apud hostes decessit, dici hereditas (e) non potest; qui servus decessit. *l.* 3. § 1. *ff. d. tit.* IDEM LIB. 2. AD ED.

(a) Est autem hæc successio quædam persona juris fictitia, quæ in universum jus defuncti succedit; in quam omne jus transit quod defuncti personæ inerat, si ea excipias quæ naturaliter morte intereunt.

(b) Res hereditariæ sunt in hereditate, ipsæ verò non sunt *Hereditas*: &, etiamsi nulla essent corpora hereditaria, HEREDITAS intelligeretur. Est igitur hereditas, non eus corporale; sed ens rationis, ens *Juris*, quod solo intellectu percipitur; complectens scilicet jura omnia defuncti, dominium rerum, obligationes tam activas quàm passivas.
(c) Ex incremento rerum hereditariarum, putà alluvione; ex his quæ ex rebus hereditariis nascuntur; aut per eas acquiruntur, putà, si quid servi hereditarii stipulentur aut eis relinquatur.
(d) Ex interitu aut deterioratione rerum hereditariarum.
(e) Mero jure. At ex fictione Legis Corneliæ quæ captivum fingit mortuum ultimo ante captivitatem momento, ejus est hereditas.

DCXX.

De triplici heredum differentiâ vide Tit. præced. in Verb. HERES. *Hîc circa* SUOS *hanc unicam habe regulam:*

Source : BIU Cujas

SUI *heredes* Quasi olim domini essent ... etiam vivo patre... post mortem patris, non hereditatem percipere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur. *l.* 11. *ff. de Lib. & posth.*

De Necessariis *autem aliquid paulò latiùs.*

DCXXI.

Quis servus & à quo fieri heres necessarius possit.

Si servum communem cum libertate (*a*) dominus heredem instituerit, & eum redemerit (*b*); necessarius efficietur. *l.* 6. § 3. *ff. de Her. inst.*

Pignori obligatum servum, necessarium domino posse fieri Severus rescripsit; ita (*c*), si paratus sit priùs creditori satisfacere. *l.* 30. *ff. d. tit.*

Si servum quis alienum ab hostibus redemerit, & heredem cum libertate instituerit; magis puto eum fore liberum, & necessarium heredem. *l.* 71. ff. *de Acquir. hered.*

Si non Lex Ælia-Sentia, sed alia Lex servi libertatem impediat; necessarius fieri non potest. *l.* 83. ff. *de Her. inst.*

Is qui solvendo (*d*) est, heredem (*e*) necessarium etiam in fraudem creditorum relinquere potest. *l.* 1. *Cod. de Necess. hered.*

Humanius est non fieri necessarium (*f*) qui invito defuncto poterat libertatem extorquere. *l.* 84. ff. *de Hered. instit.*

Si servum meum purè heredem scripsero, sub conditione liberum; differtur institutio in tempus quo libertas data est. *l.* 3. § *ff. d. tit.*

Servo libertatem purè, hereditatem sub conditione dari posse verissimum puto; ut tamen utrumque ex conditione (*g*) pendeat. *l.* 21. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Ex Constitutione Justiniani, hoc ipso tacitè præsumetur relicta servo libertas, quòd heres instituitur.

(*b*) Enimverò necesse est ut servus utroque, tempore, & testamenti, & mortis, sit proprius testatoris: alioquin, si tempore testamenti non esset testatoris, prorsùs inutilis esset ejus institutio; si tempore mortis (aut *Conditionis existentis*) alienus vel liber inveniretur, utilis quidem esset institutio, sed *Extraneus*, non verò *Necessarius* heres efficeretur. At verò, in hoc differunt tempus testamenti & tempus mortis; quòd tempore testamenti sufficiat vel pro parte servum esse testatoris: tempore autem mortis, in solidum ejus servus esse debet; nisi fortè ab omnibus dominis quorum simul delata esset hereditas, ut putà eâdem ruinâ oppressis, scriptus esset.

(*c*) Et differetur interim jus institutionis & libertas. Pariter si ususfructus sit alienus, differetur donec extinctus fuerit ususfructus: Tit. *de Her. inst.* N. 17. in fine.

(*d*) Nec alium heredem habere potest, etiam ex ulteriori gradu: Tit. *de Hered. inst.* N. 14. Hoc favorabiliter admissum est, ut bona defuncti sub hujus heredis potiùs quàm sub ipsius defuncti nomine proscribantur; quod ignominiosum Romanis videbatur.

(*e*) Unum duntaxat. Si ergo plures scripsit, is solus heres erit qui ordine scripturæ prior invenietur; sin, mutuò obstabunt.

(*f*) Is ergo scriptus heres, erit voluntarius. Quòd si nondum à testatore debita esset ei libertas, interim erit necessarius.

(*g*) Id est; ita ut differatur libertas, donec extiterit defecerit-ve conditio hereditatis. Quod item favorabiliter receptum, ut necessarius heres esset; cùm non aliter possit, nisi simul tam hereditas quàm libertas cedat.

DCXXII.

Regula communis tam suis quàm necessariis heredibus.

Aperturæ tabularum dilatio (*a*), necessarii heredis jus non mutat. *l.* 3. § 4. ff. *de Hered. instit.*

(*a*) Lex Papia quæ scriptis ex parte heredibus hereditatem nonnisi ex die apertarum tabularum deferri jubebat, non habebat locum in *Necessariis* heredibus.

SECTIO II.

De testamentis.

ARTICULUS I.

De individuitate causæ testamentariæ.

DCXXIII.

Jus nostrum non patitur, eumdem in paganis & testatò & intestatò decessisse (*a*); earumque rerum naturaliter inter se pugna est, Testatus, & Intestatus. *l.* 7. POMP. LIB. AD SABIN.

Corollarium Ium. Hereditas ex die (*b*) vel ad diem non rectè datur; sed vitio temporis sublato, manet institutio (*c*). *l.* 34. ff. *de Hered. instit.*

Corollarium IIum. Qui certæ rei heres instituitur, coherede non dato, bonorum omnium hereditatem (*d*) obtinet. *l.* 41. § 8 ff. *de Vulg. substit.*

Qui semel aliquâ ex parte heres extiterit, deficientium (*e*) partes etiam invitus excipit. *l.* 53. § 1. ff. *de Acq. hered.*

(*a*) Sed ex post facto & ex accidenti hoc fieri potest; veluti si quæstione testamenti in diversis judiciis motâ, adversùs diversos scriptos heredes, alter ex scriptis vicerit, alter victus sit.

(*b*) Certo scilicet. Ex incerto autem, qui retrotrahi possit ad tempus mortis, rectè potest; quia, si existat, statim ex die mortis testatus decessisse; sin, semper intestatus fuisse videbitur.

(*c*) Id est; insuper habito.

(*d*) Quòd si coheredem habeat; partem quidem in hereditate habebit; sed eam velut ex causâ fideicommissi restituere coheredi tenebitur, præceptâ re ex quâ scriptus est.

(*b*) Idem dic de partibus de quibus omninò non esset quis testatus.

ARTICULUS II.

Qui testamenta facere possint.

DCXXIV.

Testamenti factio, non privati sed publici (*a*) juris est. *l.* ff. 3. *Qui testam. fac. poss.*

Ait autem Lex XII. Tabularum; *Uti* PATERFAMILIAS *legassit, ita jus esto.*

Hinc 1°. Qui in parentis potestate est testamenti faciendi jus [*b*] non habet; quamvis ei pater permittat. *l.* 6. ff. *d. tit.*

2°. Obsides (*c*) testari non possunt, nisi eis permittatur (*d*). *l.* 11. *ff. d. tit.*

3. Ejus qui apud hostes est, testamentum quod ibi fecit, non valet; quamvis redierit. *l.* 8. ff. *d. tit.*

(*a*) Adeòque iis solis competit quibus Lex hoc jus dedit, scilicet solis civilibus Romanis sui juris; qui soli hoc Legis verbo *Paterfamilias* continentur.

(*b*) Excipe, nisi habeat Castrense peculium. Nam quoad hanc causam, pro patrefamilias habetur.

(*c*) Romanis dati. Sunt enim peregrini.

(*d*) Publicâ auctoritate; vel expressè, vel tacitè, dato eis usu Togæ quæ erat Romanæ civitatis insigne.

DCXXV.

De statu suo dubitantes, vel errantes testamentum facere non possunt. *l.* 15. ff. *d. tit.*

In eo qui testatur; ejus temporis quo testamentum facit, integritas (*a*) mentis, non corporis sanitas exigenda est. *l.* 2. ff. *d. tit.*

Is cui Lege bonis interdictum est, testamentum facere non potest. Quod tamen interdictione vetustius habuerit valebit. *l.* 18. ff. *d. tit.*

Surdus, mutus, testamentum facere non possunt. *l.* 6. § 1. ff. *d. tit.*

Intestabilis (*b*), nec testamentum facere potest nec ad testamentum adhiberi. *l.* 18. ff. *d. tit.*

(*a*) Igitur impubes, furiosus, mente captus, testari non possunt.

(*b*) Putà, ob carmen famosum damnatus: *d.* l. 18.

ARTICULUS III.

De formâ extrinsecâ testamentorum.

DCXXVI.

Licebit testanti, vel nuncupare heredes, vel scribere (*a*); sed si nuncupat, palàm (*b*) debet. *l.* 21. ff. *Qui test. fac. poss.*

(*a*) Propriâ manu.

(*b*) Ita ut exaudiatur à testium numero solemni.

Source : BIU Cujas

Uno contextu (*a*) actûs, teſtari oportet. *d. l.* 12. § 3.

(*c*) Id eſt; nullo alio actu, niſi quem naturalis neceſſitas expoſtulet, intermiſſo. Poteſt autem ex intervallo explicare quod obſcurum eſſet.

DCXXVII.

Veteres putaverunt; Eos qui propter ſolemnia teſtamenti adhibentur (*a*), durare debere (*b*) donec ſuprema conteſtatio peragantur. *l.* 20. § 8. *ff. d. tit.*

Singulos teſtes proprio chirographo annotare convenit quis & cujus teſtamentum ſignaverit. *l.* 30. ff. *d. tit.*

Teſtes adhiberi poſſunt, cum quibus teſtamenti factio eſt: ſed neque mulier, neque impubes, neque ſervus, neque furioſus, neque mutus, neque ſurdus, neque ii quos Leges improbos inteſtabileſque eſſe jubent. *Inſtit.* Tit. *de Teſtam.* § 7.

Conditionem teſtium tunc inſpicere debemus, quum ſignarent; non mortis tempore. *l.* 22. § 1. ff. *d. tit.*

Qui in teſtamento heres inſtituitur, in eodem teſtamento teſtis eſſe non (*c*) poteſt. *l.* 20. ff. *d. tit.*

Ad teſtium numerum ſimul adhiberi poſſumus ego & pater. *ſup. d. l.* 22. *pr.*

(*a*) Et quidem rogati eſſe debent.
(*b*) Ita tamen ut ſponte.
(*c*) Nec ipſe, nec is qui in ejus poteſtate eſt; nec is in cujus ipſe eſt poteſtate, aut qui eſt in ejuſdem poteſtate. Regula ttahenda non eſt ad legatarios.

DCXXVIII.

Poſſe & nocte ſignari teſtamentum, nulla dubitatio eſt. *d. l.* 22. § 6.

Quum in teſtamento dies & Conſules adjecti non eſſent, non nocet. MODEST. FRAGM. *apud Sculting.*

Unum teſtamentum pluribus exemplis obſignare quis poteſt. *l.* 24. ff. *d. tit.*

ARTICULUS IV.

De heredum inſtitutione.

§ I.

De perſonis quæ ſcribi poſſunt heredes.

DCXXIX.

In extraneis heredibus obſervatus, ut ſit cum eis teſtamenti (*a*) factio; & id duobus (*b*) temporibus inſpicitur, teſtamenti facti, & mortis teſtatoris; hoc (*c*) ampliùs, & quum adibit hereditatem. *l.* 49. § 1. ff. *de Hered. inſtit.*

Solemus dicere, media (*a*) tempora non nocere. *l.* 6. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Quam non habebant peregrini; quales erant deportati. Latinis conceſſa erat, ſi intrà centum dies à morte teſtatoris civitatem Romanam adipiſcerentur.
(*b*) Interdum & tertium tempus ſpectatur; ſcilicet conditionis exiſtentis, quum inſtitutio facta eſt ſub conditione.
(*c*) Id eſt; debet perſeverare teſtamenti factio à die mortis, aut conditionis exiſtentis, donec heres adeat hereditatem.
(*d*) Scilicet inter diem teſtamenti & diem mortis; & inter diem mortis, & diem conditionis exiſtentis.

DCXXX.

Qui apud hoſtes eſt, rectè heres (*a*) inſtituitur. *l.* 32. § 1. ff. *d. tit.*

Teſtamenti factio cum ſervis ex perſonâ dominorum (*b*) introducta eſt. *l.* 31. ff. *d. tit.*

Servus hereditarius (*c*) heres inſtitui poteſt, ſi teſtamenti factio fuit cum defuncto (*d*); licèt cum herede inſtituto non ſit *l.* 52. ff. *d. tit.*

Etiam penitùs ignotum, heredem inſtituere quis poteſt. *l.* 11. *Cod. de Teſtam.*

(*a*) Modò revertatur. Nam fictionis juris *Poſtliminii*, ſemper in civitate fuiſſe videtur; adeòque ſemper fuiſſe cum eo, teſtamenti factio.
(*b*) Scilicet ut rectè ſcribatur heres, ſervus ejus domini qui ipſe ſcribi potuiſſet; non ergo ſervus deportati, aut dedititii; nec ſervus pœnæ, cùm nullum habeat dominum.
(*c*) Id eſt, alicujus hereditatis jacentis.
(*d*) Cujus adhuc videtur eſſe ſervus; cùm hereditas jacens, defuncti perſonam ſuſtineat.

§ II.

De ipſâ heredum inſtitutione.

DCXXXI.

Qui teſtatur, ab heredis inſtitutione plerùmque (*a*) debet initium facere teſtamenti. *l.* 1. ff. *Qui teſtam. fac.*

(*a*) Dixit *plerùmque*: quædam enim ante heredis inſtitutionem adſcribi poſſunt, ut ſubſtitutio vulgaris, fideicommiſſa. Jure Juſtinianæo, jam huic regulæ locus non eſt; cùm etiam legata ante heredis inſtitutionem adſcribi poſſint.

DCXXXII.

Heres inſtitui, niſi certò demonſtretur, nemo poteſt. *l.* 9. § 9. ff. *d. tit.*

Quoties volens alium heredem ſcribere, alium ſcripſerit; placet neque heredem eum eſſe qui ſcriptus eſt, quoniam voluntate deficitur; neque eum quem voluit, quoniam ſcriptus non eſt. *d. l.* 9.

In eo qui conditionem deſtinans inſerere non addidit; hunc pro non inſtituto (*b*), *Marcellus* putat. *d. l.* 9. § 5.

Errore ſcribentis teſtamentum, juris ſolemnitas mutilari nequaquàm poteſt; quando minùs ſcriptum (*c*), plùs nuncupatum videatur. *l.* 7. *Cod. de Teſtam.*

Rectè Heres inſtituitur, cum (*d*) maledicto. *l.* 48. § 1. ff. *de Hered. inſtit.*

(*a*) Nil refert autem an ſuo nomine, an quâvis aliâ certâ deſignatione demonſtretur.
(*b*) Cùm enim ignoretur conditio, non poteſt ſciri an extiterit; adeòque an huic delata ſit hereditas, quam nonniſi ſub eâ conditione ei deferri teſtator voluit. Contrà vice versâ, ſi conditio adſcripta ſit quum teſtator adjicere nollet; eâ inſuper habitâ, inſtitutio valebit: *d. tit.* N. 30.
(*c*) Ut ſi omiſſa ſint hæc verba, ESTO, HERES; *d. tit.* N. 32.
(*d*) Putà, *Impiiſſimus filius heres eſto.* Si tamen appareret, aliquem eo animo ſcriptum heredem ut denotaretur, inſtitutio non valeret. Confert N. 28. & N. 41. Tit. *de Hered. inſtit.*

DCXXXIII.

Captatorias inſtitutiones, non eas Senatus improbavit quæ mutuis affectionibus judicia (*a*) provocaverunt; ſed quarum conditio confertur in ſecretum alienæ voluntatis. *l.* 70. ff. *d. tit.*

(*a*) *Captatoria* igitur non eſt inſtitutio, quum quis ita ſcripſit; *Quâ ex parte Titius me heredem ſcripſit, eâ ex parte heres eſto.* Sed erit captatoria ſi ſic ſcribat, *Quâ ex parte me inſtituet.*

§ III.

De diſtributione hereditatis inter plures heredes.

DCXXXIV.

Paterfamilias diſtribuere hereditatem in tot partes poteſt, quot voluerit. *l.* 13. § 1. ff. *d. tit.*

Hereditas plerùmque (*b*) dividitur in duodecim uncias. *l.* 50. ff. *d. tit.*

Scriptus Sine parte (*b*), quod aſſi deeſt, feret (*c*). *l.* 17. ff. *d. tit.*

Teſtator ſi aſſe expleto alium ſine parte ſcripſerit, in alium aſſem (*d*) veniet. *d. l.* 17. § 3.

Si quis dupondium diſtribuit, & tertium ſine parte inſtituit; in trientem veniet. *d. l.* 17. § *fin.*

(*a*) Ad commodiorem computationem.
(*b*) Expreſsâ; & quidem etſi promiſiſſet adſcribere partem, quam non adſcripſit. Secùs de his qui ſcripti ſunt ex parte quæ non exiſtit; hi enim prorsùs inutiliter ſcripti ſunt.
(*c*) Sive unus, ſive plures ita ſunt ſcripti.
(*d*) Eâdem ratione; ſi partes expreſſæ aſſem excedunt, hi qui ſine partibus ſcripti ſunt, obtinebunt quod alteri aſſi deeſt.

ARTICULUS V.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS V.

De Heredum substitutionibus.

§ I.

De substitutione vulgari.

DCXXXV.

Potest quis in testamento plures (*a*) gradus heredum facere ... Et vel plures in unius locum possunt substitui, vel unus in plurium, vel singulis singuli, vel invicem ipsi qui heredes instituti sunt. *l.* 36. *pr.* & § 1. ff. *de Vulg. subst.*

Nemo institutus, & sibi substitutus, sine (*b*) causæ mutatione quicquam proficit. *l.* 10. § *fin. ff. d. tit.*

(*a*) Quot voluerit in infinitum.
(*b*) Id est, nisi melior sit causa substitutionis quàm institutionis: est autem melior, putà si ex causâ substitutionis minùs gravetur.

DCXXXVI.

Regulæ circa personas quæ videri debent substitutæ.

1. *Substitutus, substituto, tacitè intelligitur* (*a*) *substitutus instituto: ex l.* 27. & *l.* 41. *h. tit.*

2. Ubi quis heredes instituit, & ita scribit EOSQUE INVICEM SUBSTITUO; hi substitui videbuntur, qui (*b*) heredes extiterunt. *l.* 23. *ff. de Vulg. subst.*

3. *In generali heredum reciprocâ substitutione, non continentur illi ex heredibus quos specialiter testator invicem substituit: l.* 41. § 5. *ff. d. tit.*

4. Qui (*c*) scripsit, QUOS heredes meos invicem substituo, conjunctos primo loco substituere videtur. *d. l.* 41. § 4.

(*a*) Regula obtinet in vulgari duntaxat substitutione, non in pupillari: *d. tit.* N. 29.
(*b*) Ipsi; non ergo heredis heres, nec is cui jure potestatis quam in heredem habebat acquisita est hereditas. Idem observatur in substitutione Breviloquâ, quum quis ita substituit; *Quisquis heres mihi erit.* Idem in substitutione pupillari, tam reciprocâ quàm breviloquâ.
(*c*) Finge: *Titius & Caius heredes sunto, Seius heres esto*, EOSQUE INVICEM SUBSTITUO. Deficiente Caio, Titius utpotè conjunctus præfertur Seio in substitutione.

DCXXXVII.

De his quæ ex institutione repetita intelligi debent.

1. Quum heredes ex disparibus partibus instituti, invicem substituti sunt; verum est non alias partes testatorem substitutioni inseruisse, quàm quæ in institutione (*a*) expressa sunt. *l.* 1. *Cod. de Impub. subst.*

2. Sub conditione herede instituto, si substituamus; nisi eamdem conditionem repetemus, purè (*b*) substituere intelligimur. *l.* 73. ff. *de Hered. instit.*

(*a*) Si extranei mixti sunt, viriles habebunt.
(*b*) Secùs de onere legatorum & fideicommissorum, quod in substitutione repetitum intelligitur.

DCXXXVIII.

De effectu substitutionis.

Substitutio potior est (*a*) *jure accrescendi: ex l.* 2. § 8. & *fin. ff.* de Bon. post. sec. Tab.

(*a*) Finge duos conjunctim heredes scriptos, quorum uni tertius est substitutus. Eo præmortuo aut repudiante hereditatem in ejus partem non coheres ex jure accrescendi; sed substitutus vi substitutionis admittetur. Hæc ita, nisi contraria appareat voluntas testatoris: *d. tit.* N. 16.

DCXXXIX.

Quando deficiat substitutio necne.

1. Post aditam hereditatem (*a*) directæ substitutiones non impuberibus filiis factæ expirare solent. *l.* 5. *Cod. de Impub. subst.*

2. Non quis definit heres esse (*b*) licèt res quæ relictæ sunt auferuntur (*c*). *l.* 43. § 3. *ff. de Vulg. subst.*

(*b*) Adeòque, non erit substituto locus.
(*c*) A fisco. Species in eo qui tacitam fidem restituendi incapaci dedit. Porrige regulam ad omnes indignos.

§ II.

De pupillari substitutione.

DCXL.

Qui & quibus substitui pupillariter possint.

Moribus introductum est ut quis impuberibus (*a*) testamentum facere possit. *l.* 2. ff. *de Vulg. subst.*

Substituere liberis tam heredibus institutis quàm exheredatis (*b*) possumus; tam eum quem nobis heredem instituimus, quàm alterum. *l.* 1. § 2. ff. *d. tit.*

Et Quos possum heredes mihi facere necessarios, possum & filio. *l.* 10. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) In potestate testatoris existentibus, nec in alterius potestatem mortuo eo recasuris.
(*c*) Jure enim potestatis fit substitutio.

DCXLI.

De naturâ hujus substitutionis.

Quisquis impuberi testamentum facit, sibi quoque debet facere. *l.* 2. § 1. ff. *d. tit.*

Patris & filii testamentum pro uno (*a*) habetur. *l.* 20. ff. *d. tit.*

Pupillares tabulæ, pars sunt prioris testamenti. *l.* 38. § 3. ff. *d. tit.*

Si patris (*b*) testamentum non valet, nec filii valebit. *Instit.* Tit. *de Pupill. subst.*

Si principale ruptum sit testamentum, & pupillare evanescit. *l.* 2. *ff. d. tit.*

Nisi adita patris hereditas sit, pupillare testamentum evanescit. *d. l.* 2. § 1.

At Etiam si contra patris tabulas possessio petita sit, substitutio pupillaris (*c*) valet. *l.* 34. § 2. ff. *d. tit.*

Priùs (*d*) sibi quis debet heredem scribere, deindè filio, & non convertere ordinem scripturæ. *d. l.* 2. § 4.

(*a*) Diversis tamen intervallis fieri possunt.
(*b*) Hæc & sequens regula fluunt ex præcedentibus.
(*c*) Sufficit enim quòd valeat testamentum ex Jure Civili. Vice versâ, etsi testamentum corruerit Jure Civili per repudiationem heredis scripti; sufficit quod sustineatur Jure Prætorio, putà per Edictum SI *quis omissâ causâ &c.* de quo infrà; vel ex eo quòd Minor qui repudiavit, restitutus fuerit à Prætore ut adiret.
(*d*) Tunc demùm hæc regula necessariò observanda est, quum exheredate substituitur.

DCXLII.

De interpretatione substitutionum; quando substitutio pupillaris facta intelligatur; quæ personæ substitutæ videantur, & ex quibus partibus.

1. Jam (*a*) hoc jure utimur; ut, quum pater impuberi filio in alterum casum substituisset, in utrumque substituisse intelligatur. *l.* 4. ff. *d. tit.*

2. Si alter pubes, alter impubes invicem sibi fuerint substituti; in vulgarem tantummodò casum factam videri substitutionem. *d. l.* 4. § 2.

3. Cùm impuberi pater substituerit QUISQUIS MIHI HERES ERIT; placuit ad hanc substitutionem, scriptos (*b*) tantummodò admitti. *l.* 3. ff. *d. tit.*

4. In substitutione QUISQUIS MIHI HERES ERIT, filio heres esto; placuit Prudentibus, si quandoque

(*a*) Hæc præsumptio locum non habet contra uxorem testatoris, quæ ad legitimam filii impuberis hereditatem venit: *d. tit.* N. 27. Vide alteram exceptionem in Reg. seq.
(*b*) Non verò eorum heredes, nec eos quibus per ipsos acquisita est hereditas.

Source : BIU Cujas

quis heres fuiſſet, quamvis heres eſſe (*c*) deſiſſet, futurum heredem ex ſubſtitutione. *l.* 31. ff. *d. tit.*

5. Quum quis ſubſtituit pupillo, QUISQUIS HERES ERIT; partes eædem ad ſubſtitutos pertinent, quas in patriſfamiliæ habuerunt (*d*). *l.* 8. § *ff. d. tit.*

(*c*) Putà; ſi pro parte contra eum querela inofficioſi mota eſt, vel ſi reſtituit ex Trebelliano. Sufficit enim nudum nomen heredis.
(*d*) Sufficit autem ut ex his partibus adierint; nec refert an reſtituerint, an eis ablatæ ſint.

DCXLIII.

De effectu ſubſtitutionis pupillaris.

Ad ſubſtitutos pertinent, & ſi quæ poſteà pupillis obvenerunt. Neque enim ſuis bonis teſtator ſubſtituit, ſed (*a*) impuberis. *l.* 10. § 5. *ff. d. tit.*

Pupillo heredi ſubſtitutus (*b*), aut utriuſque debet hereditatem habere, aut neutrius; juncta enim hereditas eſſe cœpit. *d. l.* 10. § 2.

(*a*) Regula limitationem patitur in ſubſtitutione factâ ab Adrogatore: ex quâ detrahi oportet *Quartam* D. Pii, & cætera quæ reſtitui debent his ad quos bona impuberis perventura fuiſſent, ſi non fuiſſet arrogatus.
(*b*) Ex ſententiâ Marcelli quæ prævaluit. Fallit regula, quum pupillus ſe abſtinuit hereditate patris.

DCXLIV.

Quando expirat.

Omne ſpatium quod eſt intra pubertatem, liberum eſt patri ad ſubſtituendum filio. Sed finis hujus, pubertas eſt. *l.* 43. § 1. ff. *d. tit.*

ARTICULUS VI.

De neceſſariâ in teſtamentis inſtitutione aut exheredatione ſuorum heredum.

DCXLV.

Inter cætera quæ ad ordinanda teſtamenta neceſſariò deſiderantur, principale jus eſt de liberis inſtituendis vel exheredandis. *l.* 30. *ff. de Lib. & poſth.*

§ I.

De inſtitutione vel exheredatione jam natorum.

DCXLVI.

1. Filio (*a*) qui in poteſtate eſt præterito, inutile (*b*) eſt teſtamentum. *l.* 30. *ff. d. tit.*

2. *Ne videatur præteritus* Filiusfamilias, nominatim aut heres ſcribi aut exheredari (*c*) debet. *l.* 26. *ff. d. tit.*

3. Filius non ſub omni conditione inſtitui poteſt, ſub eâ quæ eſt in ipſius poteſtate, poteſt. *l.* 4. *ff. de Hered. inſtit.*

4. Filius qui fuit in poteſtate, ſub conditione ſcriptus quam Senatus aut Princeps improbant, teſtamentum (*d*) infirmat patris. *l.* 15. *ff. de Condit. inſt.*

(*a*) Idem obtinet Jure Juſtinianeo circa cæteros *Suos* heredes. Jure verò Pandectarum, præteritio ſiliarum & nepotum non infirmabat teſtamentum; ſed præteriti admittebantur cum ſcriptis, auferebantque *Suis* virilem, *Extraneis* ſemiſſem. Tit. *d. Lib. & poſth.* N. 3. & 4.
(*b*) Et licèt præmoriatur filius aut abſtineat ſe bonis: non convaleſcit Jure Civili; ſed Jure Prætorio ſuſtinetur: *d. tit.* N. 4.
(*c*) Jure Pandectarum, reliquos ſuos heredes præter filium ſufficiebat exheredari *Inter cæteros*. Juſtinianeo, pariter debent *Nominatim* exheredari: *d. tit.* N. 10.
(*d*) Quod enim pro herede ſcripto favorabiliter receptum eſt, ut hæ conditiones pro non ſcriptis habeantur (infrà *Sect.* 7*â*,), non debet contra filium heredem ſcriptum retorqueri; quoties magis ipſius intereſt inſtitutionem non valere, ut admitti ab inteſtato poſſit.

DCXLVII.

Purè (*a*) filium exheredari Julianus putat; eoque Jure utimur. *l.* 3. § 1. *ff. de Lib. & poſth.*

(*a*) Ne, ſi pendente conditione teſtator decederet, inveniretur filius nec heres nec exheres; utpotè adhuc conditione pendente.

Fruſtrà exheredabitur quis poſt mortem ſuam. *l.* 29. § 10. *ff. d. tit.*

DCXLVIII.

Pluribus heredibus ſcriptis, ſi ab unius perſonâ teſtator exheredaverit *filium*; vitioſa erit exheredatio. *l.* 3. § 2. ff. *d. tit.*

Filius inter medias quoque heredum inſtitutiones rectè exheredatur, & erit à toto gradu ſummotus. *d.* § 2.

Vulgò (*a*) dicitur, eum gradum à quo filius præteritus eſt non valere. *l.* 14. § 1. *ff. d. tit.*

Ante heredis inſtitutionem exheredatus, ab omnibus gradibus (*b*) ſummotus eſt. *l.* 3. § 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Fallit regula. Nam filii inſtitutio in primo gradu, ſequentes à quibus præteritus eſt, confirmat; ſecùs de ejus exheredatione.
(*b*) Videtur ſcilicet ab omnibus gradibus exheredatus. Idem obtinebit, & ſi inter plures gradus aut poſt omnes gradus exheredatus eſt; ſi appareat voluntas teſtatoris ut ab omnibus gradibus ſummoveretur.

DCXLIX.

Multi non notæ causâ exheredant filios, ſed ut eis conſulatur. *l.* 18. ff. *d. tit.*

§ II.

De inſtitutione aut exheredatione poſthumorum.

DCL.

1. Placet omnem (*a*) maſculum, poſſe poſthumum ſcribere; ſive jam maritus ſit, ſive nondum (*b*) uxorem duxerit. *l.* 4. *ff. d. tit.*

Quilibet Poſthumum ex quâlibet viduâ (*c*) natum, ſibi filium heredem inſtituere poteſt. *l.* 27. ff. *d. tit.*

2. Poſthumi per virilem ſexum deſcendentes (*d*), ad ſimilitudinem filiorum nominatim (*e*) exheredandi ſunt. *l.* 3. ff. *de Injuſt rupt.*

3. Si proponas à primo gradu poſthumum exheredatum, à ſecundo præteritum; primus gradus (*f*) valet, ſecundus ruptus eſt. *l.* 3. § 6. ff. *d. tit.*

Contrà, à primo gradu præteritus, à ſequentibus exheredatus; Rumpendo teſtamentum (*g*), ſibi locum facere poſthumus ſolet: quamvis filius (*h*), ſequentem gradum à quo exheredatus eſt, patiatur valere (*i*). *l.* 5. ff. *de Inj. rupt.*

(*a*) Fœmina non poterat. Nam Jure Pandectarum non valebat ſaltem Jure Civili inſtitutio poſthumi, niſi is poſthumus eſſet inter *Suos* heredes; fœmina autem non habet *Suos* heredes.
(*b*) Modò poſſit habere.
(*c*) Non ex eâ quæ alteri nupta eſſet, ex quâ nefas eſt liberos ſperare. Ex eâ autem quam tunc quidem ducere non poſſit (putà, quia nondum nubilis, aut per adoptionem ſoror), ſed cujus nuptias remoto quandoque impedimento honeſtè ſperare poteſt; poſthumum inſtituere poteſt. Sed & indeterminatè *Poſthumus* poteſt inſtitui.
(*d*) Maſculi, Jure Digeſtorum. Jure Juſtinianeo, cujuſque ſexûs & gradûs.
(*e*) Adde, & *Purè*. Si tamen conditio ſub quâ ſcripti eſſent, antequàm naſcerentur extiterit, non nocet.
(*f*) Modò non aliquis ex heredibus primi gradûs fecerit locum alicui ſubſtituto. Tunc enim propter hujus ſubſtituti perſonam, à quâ poſthumus exheredatus non eſt, rumpitur teſtamentum: l. 19. ff. *de Injuſt. rupt.*
(*g*) Id eſt; primum gradum à quo præteritus eſt rumpendo, non finit valere ſequentes à quibus exheredatus eſt. Contrà, vice versâ.
(*h*) Jam natus, à primo gradu præteritus.
(*i*) Vide diſparitatem in Notâ (*b*) ad d. l. 7. *de Lib. & poſthum.* N. 40. *d. tit.*

DCLI.

De Aquilianis poſthumis.

Gallus ſic poſſe inſtitui nepotes poſthumos induxit (*a*); Si filius meus vivo me morietur, tunc qui ex eo nepos, neptis, poſt mortem meam natus natâ erit, heredes ſunto. *l.* 29. *ff. d. tit.*

(*a*) Porrecta eſt Galli ſententia, ad pronepotes & deinceps, item ad caſum quo alio modo quàm morte filii nepotes poſthumi naſcerentur *Sui*.

Source : BIU Cujas

DCLII.

De Velleianis, ſeu Quaſi-poſthumis.

Qui poſt teſtamentum in vitâ naſcuntur (*a*), per Legem Velleiam rumpere teſtamentum prohibentur; ſi nominatim ſint *inſtituti vel* exheredati. *l.* 3. *ff.* 1. *ff. de Inj. rupt.*

Ex altero Capite Legis Velleia, ſuccedendo (*b*) ſui non rumpunt; ſive fuerint inſtituti, vel exheredati ab eo gradu ad quem hereditas defertur. *l.* 6. § 3. *ff. d. tit.*

Lex Velleia poſteriore Capite non permittit (*c*) inſtitui, ſed vetat rumpi. *l.* 29. § 15. *ff. de Lib. & poſth.*

(*a*) Et quidem *Sui* heredes. Differunt ab Aquilianis, quòd *Aquiliani* poſt mortem teſtatoris, hi vivo quidem teſtatore ſed poſt ejus teſtamentum naſcuntur.

(*b*) Primum Caput Legis Velleiæ eſt de his qui poſt teſtamentum naſcuntur. Hoc Caput eſt de his qui tempore teſtamenti jam nati erant, ſed nondum ſui heredes; poſt teſtamentum autem ſuccedunt in locum patris ipſorum, qui ipſos in familiâ teſtatoris præcedebat.

(*c*) Nec enim ullâ Lege opus, ut poſſit inſtitui is qui tempore teſtamenti vivit.

DCLIII.

De Julianis.

Si filium habeas, & nepotem nondum natum inſtituas, iſque naſcatur vivo patre ſuo, mox pater decedat: Juliano videtur, duobus quaſi Capitibus Legis (*a*) commixtis, in hoc quoque inducere Legem; ne rumpantur teſtamenta. *d. l.* 29. § 15.

(*a*) Hæc ſpecies accedit ad Primum Caput, quòd poſthumus naſcatur poſt teſtamentum; ad Secundum autem, quòd non naſcatur *Suus* heres, ſed in hunc *Sui* heredis gradum poſtea ſuccedat. Dicuntur hi poſthumi, *Juliani.*

ARTICULUS VII.

Quomodo teſtamenta infirmentur ipſo Jure.

§ II.

De modo quo rumpitur teſtamentum agnatione ſui heredis.

DCLIV.

Sui heredis agnatione (*a*), ſolet rumpi teſtamentum. *l.* 8. *ff. de Inj. rupt.*

Putà Qui uxorem prægnantem reliquit, in hoſtium poteſtatem pervenit; non puto dubium eſſe, quin per Legem Corneliam, nato (*b*) filio continuò teſtamentum ejus rumpatur. *l.* 15. *ff. de Inj. rupt.*

Item Verum eſt; adoptione (*c*) filii, teſtamentum rumpi. *l.* 8. ff. *de Inj. rupt.*

Filius (*d*) poſtliminio rediens, non rumpit patris teſtamentum. *l.* 10. ff. *d. tit.*

Uxoris abortu teſtamentum mariti non ſolvi; poſthumo verò præterito, quamvis natus illicò deceſſerit, non reſtitui ruptum; evidentiſſimi (*e*) juris eſt. *l.* 2. *Cod. de Poſth. her. inſt.*

(*a*) De hoc verbo vide Tit. præced.

(*b*) Is poſthumus qui *Cornelianus* dicitur, perindè patri ſuo agnaſci videtur, ac poſthumus ſuus propriè dictus; cùm per fictionem Legis Corneliæ pater ipſius ultimo momento priuſquàm captivus fieret, in civitate mortuus eſſe intelligatur.

(*c*) Nam is quem adoptamus, nobis adgnaſcitur, nobis fit ſuus heres. Cœterùm inſtitutio ejus antè facta, prodeſt ne rumpatur teſtamentum: exheredatio non item, niſi fuerit filius naturalis; perperàm enim exheredamus extraneum. Vide alias ſpecies quibus agnaſcuntur ſui heredes: Tit. *de Inj. rupt.* N. 2.

(*d*) Sed ab initio inutile eſt, ſi fuit præteritus.

(*e*) Nam ſimul atque naſcendo rupit teſtamentum, extitit ipſe ab inteſtato heres; & paternam hereditatem ſibi quæſitam, in ſuâ hereditate relinquit.

§ II.

Quomodo rumpitur prius teſtamentum per poſterius.

DCLV.

1. Tunc prius teſtamentum rumpitur, quum poſterius jure perfectum eſt; niſi poſterius, vel jure militari factum ſit, vel in eo ſcriptus eſt qui ab inteſtato venire poteſt. *l.* 2. *ff. de Injuſt. rupt.*

2. Ut ſuperius teſtamentum rumpatur; ſufficit ita poſterius factum eſſe, ut aliquo caſu potuerit heres (*a*) ex eo exiſtere. *l.* 54. ff. *de Hered. inſtit.*

Putà Quum in ſecundo teſtamento heredem ... inſtituimus ſub conditione ....; licèt non (*b*) extiterit, ſuperius erit ruptum. *l.* 16. ff. *de Inj. rupt.*

Item Si quis poſthumos quos per ætatem aut valetudinem habere (*c*) non poteſt, heredes inſtituerit; ſuperius teſtamentum rumpitur. *l.* 9. *ff. de Lib. & poſth.*

(*a*) Nec convaleſcit prius, licèt poſterius ex poſt facto fuerit infirmatum.

(*b*) Si in futurum fuit collata. Secùs, ſi in præſens aut præteritum: nam cùm ſecundùm nunquam potuerit valere, prius non rumpitur.

(*c*) Magis enim difficile, quàm ipſâ naturâ impoſſibile eſt, ut talis poſthumus naſcatur, & ex poſteriori teſtamento heres exiſtat; adeòque aliquatenùs potuit ſperari ex eo teſtamento heres. Secùs, ſi caſtratus eſſet, aut inſtituiſſet poſthumum ex eâ cum quâ nefas eſſet nuptias ſperare.

§ III.

De modo quo irritum fit teſtamentum, per capitis diminutionem teſtatoris, aut infirmatur per deſtitutionem.

DCLVI.

Irritum fit teſtamentum, quoties ipſi teſtatori aliquid contingit; putà, ſi civitatem (*a*) amittat. *l.* 6. § 5. *ff. de Inj. rupt.*

Eorum teſtamenta irrita fiunt quorum memoria poſt mortem damnata eſt; putà ex causâ majeſtatis. *d. l.* 6. § 11.

Eorum qui mori magis quàm damnari maluerint ob conſcientiam (*b*) criminis, teſtamenta irrita Conſtitutiones faciunt. *d. l.* 6. § 7.

Nec emancipatione irritum fieri militis vel veterani teſtamentum, verum eſt. *d. l.* 6. § 13.

(*a*) Idem & ſi ſe dederit in adrogationem, quia deſinit eſſe paterfamilias. Non fit autem irritum captivitate; quia aut jure poſtliminii convaleſcit, aut per Legem Corneliam confirmatur: ſuprà Reg. 145. & 146.

(*b*) Secùs, ſi tædio vitæ.

DCLVII.

Si nemo ſubiit hereditatem, omnis vis teſtamenti ſolvitur. *l.* 181. PAUL. LIB. I. AD VITELLIUM.

ARTICULUS VIII.

De querelâ inofficioſi, per quam teſtamentum infirmatur.

§ I.

Quid ſit, & adversùs quæ teſtamenta admittatur.

DCLVIII.

Inofficioſum teſtamentum dicere, hoc eſt; allegare quare exheredari vel præteriri non debuerit. *l.* 3. ff. *de Inoffic. teſt.*

Hoc colore de inofficioſo agitur (*a*), quaſi non ſanæ mentis fuerint (*b*) ut teſtamentum ordinarent. *l.* 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Teſtamentumque reſcindi petitur.

(*b*) Quaſi furor ſit iraſci contra ſanguinem ſuum, eumque immerentem hereditate ſuâ excludere.

Source : BIU Cujas

Ante aditam hereditatem non naſcitur (*a*) querela. *l.* 8. § 10. *ff. d. tit.*

(*a*) Competit enim contra heredem ſcriptum, adeòque oportet ut aditione factus fuerit heres.

DCLIX.

1. De inofficioſo teſtamento militis dicere, nec miles poteſt. *l.* 27. § 2. ff. *d. tit.*

At Contra veterani patrisfamilias teſtamentum, eſſe inofficioſi querelam, etſi ea ſola bona habuit quæ in caſtris quæſierat. *l.* 8. § 3. ff. *d. tit.*

2. Nec impuberis filii mater inofficioſum teſtamentum dicit, quia pater ei hoc fecit. *d. l.* 8. § 5.

§ II.

Quibus competat & adversùs quos.

DCLX.

Omnibus tam parentibus quàm liberis (*a*) de inofficioſo licet diſputare. *l.* 1. ff. *d. tit.*

De inofficioſo teſtamento matris, ſpurii quoque filii agere poſſunt. *l.* 29. § 1. *ff. d. tit.*

Poſthumus inofficioſum teſtamentum poteſt dicere, eorum quibus ſuus heres vel legitimus potuiſſet fieri... ſed & cognatorum (*b*). *l.* 6. ff. *d. tit.*

Per querelam inofficioſi ſoror & frater, turpibus perſonis ſcriptis heredibus, ex Sacris Conſtitutionibus prælati ſunt. *Inſtit.* Tit. *de Inoffic. teſtam.*

(*a*) Etiam per fœminas deſcendentibus, etiam adoptivis.
(*b*) Putà, avi materni. Licèt enim poſthumus alienus non poſſit Jure Civili inſtitui; tamen, cùm Jure Prætorio inſtitui potuerit, rectè imputatur parenti quòd eum non inſtituerit.

DCLXI.

In querelâ Fit ſucceſſioni (*a*) locus. *l.* 31. *ff. d. tit.*

Inofficioſi querelam, patrem filii nomine inſtituere non poſſe invito eo; ipſius enim injuria eſt. *l.* 8. ff. *d. tit.*

Quantùm ad inofficioſi querelam pertinet, nihil intereſt quis ſit heres ſcriptus (*b*); an ex liberis, an extraneis, vel municipibus (*c*). *ſup. d. l.* 31. § 1.

(*a*) Scilicet ut, ſi hi qui gradu præcedunt, excluſi ſint à querelâ, vel eam repudiaverint; ſequentes admittantur. Vide Notas ad h. l. Tit. *de Inoffic. teſt.* N. 10.
(*b*) Contra quem datur. Sed & contra fideicommiſſarium cui reſtituta eſt hereditas, aut fiſcum qui heredi ſcripto hereditatem abſtulit, datur: Tit. *de Inoffi. teſt.* N. 13.
(*c*) Etiamſi ſit Imperator: *d. tit.* N. 12.

§ III.

De effectu querelæ.

DCLXII.

Quum contra teſtamentum, ut inofficioſum, judicatur; teſtamenti factionem habuiſſe defunctus non creditur. *l.* 17. § 1. *ff. d. tit.*

Corollarium Ium. Quum inofficioſum teſtamentum arguitur, nihil ex eo teſtamento valet. *l.* 28. ff. *d. tit.*

Ampliùs Nec fideicommiſſa ab inteſtato (*a*) data debentur, ab eo cujus de inofficioſo teſtamento conſtitiſſet. *l.* 36. ff. *de Legatis* 3°.

Corollarium IIum. Evictâ hereditate per inofficioſi querelam, ab eo qui heres inſtitutus eſſet; perindè omnia obſervari oportet, ac ſi hereditas adita non fuiſſet. *l.* 21. § 2. *ff. de Inoffic. teſt.*

Limitatio. Quoties herede non reſpondente; ſecundùm adverſarium Sententia datur; nihil nocere (*b*) neque legatis neque libertatibus. *l.* 14. § 1. *ff. de Appell.*

(*a*) Id eſt, ex clauſulâ codicillari teſtamento inſertâ.
(*b*) Suſtinentur etiam libertates & legata, eo caſu quo filius qui querelam movit, præteritus eſt per errorem; cùm ignoraretur vivere, *d. tit.* N. 36. Item ſuſtinentur libertates ſi quis adversùs quoſdam duntaxat ex heredibus ſcriptis obtinuit, à reliquis victus eſt. Legata autem pro eâ parte teſtamenti quod infirmatur, extinguuntur.

DCLXIII.

Si quis ex perſonis quæ ad ſucceſſionem ab inteſtato non admittuntur, de inofficioſo egerit, & caſu (*a*) obtinuerit (*b*); non ei profit victoria, ſed his qui habent ab (*c*) inteſtato ſucceſſionem. *l.* 6. § 1. *ff. de Inoffic. teſt.*

Qui repudiantis (*d*) animo non venit ad accuſationem inofficioſi teſtamenti, partem non facit his qui eamdem querelam movere volunt. *l.* 17. *ff. d. tit.*

(*a*) Per errorem, dum proximus eſſe creditur.
(*b*) Adversùs omnes ſcriptos. Regula enim locum non habet; ſi adversùs unum ex his duntaxat, obtinuerit.
(*c*) Niſi ipſi repudiaverint.
(*d*) Hunc repudiantis animum habere non videtur filius; qui, cùm ex aliquâ parte ſcriptus eſſet, adiit ex teſtamento: *d. tit.* N. 34. in fine.

§ IV.

De Quartâ per quam querela excluditur.

DCLXIV.

Quarta (*a*) debitæ portionis, ad excludendam querelam (*b*) ſufficit. *d. l.* 8. § 8.

An exheredatus partem faciet, qui non queritur? Utique faciet. *d.* § 8.

Quarta accipietur, ſcilicet deducto ære alieno & funeris impensâ. *l.* 8. § 9.

Placet Quartam minui per libertates. *d.* § 9.

(*a*) Si mortis causâ relictum ſit. Cæterùm donatum *Inter vivos* non imputatur in Quartam, niſi hâc contemplatione donatum fuerit.
(*b*) Modò ſine conditione & onere Quarta relicta ſit; niſi ea conditio ſit per quam ipſi proſpicitur, aut illud onus quod compenſetur cum eo quod ampliùs Quartâ relictum eſt: *d. tit.* N. 19. & 20. Quid novi ſtatuerit Juſtinianus, vide *d. tit.* N. 22.

§ V.

De agnitione judicii defuncti, quæ querelam excludit.

DCLXV.

Accuſare *quis* inofficioſam voluntatem... quam probavit (*a*), non poteſt. *l.* 8. § 1. *Cod. de Inoffic. teſtam.*

Poſt legatum acceptum (*b*), non tantùm licebit falſum arguere teſtamentum, ſed & non jure factum contendere; inofficioſum autem dicere non permittitur. *l.* 5. ff. *de His quæ ut ind. aufer.*

Nihil intereſt, ſibi relictum legatum filius exheredatus agnoverit, an filio ſervo-ve relictum conſecutus ſit. *l.* 12. ff. *de Inoffic. teſtam.*

Si exheredatus petenti legatum ex teſtamento Advocationem præbuit, procurationem-ve (*c*) ſuſceperit; removetur ab accuſatione. *l.* 32. ff. *d. tit.*

(*a*) Putà, conducendo ab herede ſcripto res hereditarias; ei ſolvendo, &c. aut aliàs poſt mortem teſtatoris teſtamentum ipſius approbando: *d. tit.* N. 46. & ſeq.
(*b*) Niſi acceperit ut alteri reſtitueret, cujus fortè tutelam adminiſtrabat.
(*c*) Modò non ex neceſſitate officii.

DCLXVI.

Si pater legatum ex teſtamento matris accipiet, vel adiſſet hereditatem; non prohiberi.... jure filii accuſare: nam indignatio filii eſt. *l.* 22. *ff. d. tit.*

Si quis poſt rem inofficioſi ordinatam, litem dereliquerit (*a*); poſtea non audietur. *l.* 8. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Quòd ſi tranſegerit, & tranſactioni non ſtetur; litem ex integro inſtaurabit: *d. tit.* N. 12. Excluditur etiam quis à querelâ, lapſu quinquennii; quod non currit, dum aliâ ratione teſtamentum impugnat.

§ VI.

An & quando querela ad heredem tranſeat.

DCLXVII.

Eſt ſucceſſio accuſationis; etſi non ſit petita bono-

Source : BIU Cujas

rum poſſeſſio ; jam tamen cœpta controverſia, vel præparata (*a*). *l.* 6. § 2 *ff. d. tit.*

(*a*) Et in eâ voluntate defunctus deceſſerit.

ARTICULUS IX.

De Jure Codicillorum.

§ I.

Quis Codicillos facere poſſit : de voluntate Codicillos faciendi, in Codicillis neceſſariâ ; & de eorum formâ.

DCLXVIII.

Codicillos is demùm facere poteſt, qui & teſtamentum facere poteſt. *l.* 6. § 3. ff. *de Jur. eod.*

Eum qui teſtamentum facere opinatus eſt, nec voluit quaſi codicillos id valere ; videri nec codicillos feciſſe. *l.* 1. ff. *d. tit.*

Litteræ quibus hereditas promittitur, vel affectus exprimitur, vim codicillorum non obtinent. *l.* 17. *ff. d. tit.*

DCLXIX.

Codicillos & plures quis facere poteſt ; & ipſius manu neque ſcribi neque ſignari neceſſe eſt. *l.* 6. § 1. *ff. d. tit.*

Jure novo, In omni ultimâ voluntate . . . . quinque teſtes ... debent adhiberi. *l.* 8. § *fin. Cod. de Codic.*

§ II.

In quo potiſſimùm Codicilli à teſtamento differant.

DCLXX.

Codicillis hereditas neque dari neque adimi (*a*) poteſt. *l.* 76. ff. *ad SC. Trebell.*

Corollarium I^um. Hereditas teſtamento inutiliter data non poteſt codicillis quaſi hereditas (*b*) confirmari. *l.* 2. § *fin. ff. de Jur. codic.*

Corollarium II^um. Neque conditionem heredi (*c*) inſtituto codicillis adjicere, neque ſubſtituere directò *quis* poteſt. *l.* 6. *ff. d. tit.*

(*a*) *Dari* aut *Adimi* directò : in hoc enim codicilli differunt à teſtamento, ex cujus ſubſtantiâ eſt ut heredis inſtitutionem contineat. Cæterùm per fideicommiſſum relinqui poteſt codicillis.

(*b*) At jure fideicommiſſi poteſt.

(*c*) Qui purè teſtamento inſtitutus eſſet. Cæterùm poteſt quis ipſo teſtamento heres inſtitui, ſub conditione quam teſtator dicat ſe codicillis ſignificaturum. Quâ ratione autem nec adjici, eâdem nec detrahi conditio poteſt. Hinc pariter ſervo proprio cum libertate heredi inſtituto, non poteſt poſtea codicillis adimi libertas, quia indirectò adimeretur hereditas.

§ III.

Quatenùs codicilli ejus qui teſtamentum fecit, à teſtamento pendeant.

DCLXXI.

Ante tabulas teſtamenti, codicilli facti, non aliter valent quàm ſi teſtamento quod poſtea factum eſt vel codicillis confirmentur (*a*). *l.* 5. *ff. de Jure Codicill.*

Inteſtato patrefamilias mortuo, nihil deſiderant codicilli, ſed vicem teſtamenti exhibent ; teſtamento autem facto, jus ſequuntur (*b*) ejus. *l.* 16. *ff. d. tit.*

Codicilli (*c*) pro parte teſtamenti habentur, obſervationemque & legem juris indè traditam ſervant. *l.* 14. *ff. d. tit.*

(*a*) Et quidem Papinianus expreſſam confirmationem deſiderabat ; Juſtinianus, qualecumque indicium voluntatis. Hâc in re codicillorum ſpecies differt à codicillis inteſtati, qui nullâ egent confirmatione.

(*b*) Et ideò, rupto per agnationem ſui heredis præteriti teſtamento, aut eo deſtituto, corruunt ; niſi expreſſerit teſtator velle ſe ut, etiamſi inteſtatus decederet, valerent.

(*c*) Scilicet ejus qui teſtamentum fecit. Hæc regula conſonat præcedenti, & ſequenti.

DCLXXII.

Codicillorum (*a*) jus ſingulare eſt ; ut quæcumque in his ſcriberentur, perindè haberentur ac ſi in teſtamento ſcripta eſſent. *l.* 2. § 2. *ff. d. tit.*

Limitatio. In illis quæ non juris ſed facti (*b*) ſunt, non eſt perindè habendum quod codicillis ſcribitur, atque ſi ubi confirmatur (*c*) ſcriptum fuiſſet. *l.* 7. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Ex hâc regulâ ſequitur non inſpici tempus codicillorum, ſed teſtamenti ; an teſtator habuerit teſtamenti factionem ; an ſervus, cui directâm libertatem codicillis relinquebat, fuerit ſervus ejus proprius, &c.

(*b*) Putà ; an extiterit in rebus humanis, is cui aut à quo relinquebatur ; an tunc habuerit conſilium fraudandi creditores, qui codicillis manumittebat ; an fuerit miles necne, quum codicillos ſcriberet : *d. tit.* N. 22. ad finem.

(*c*) Id eſt, tempore teſtamenti per quod confirmantur. Florent. *confirmatio.*

ARTICULUS X.

De jure quod militibus proprium eſt circa teſtamenta.

§ I.

Ex quo & quando quis privilegiis militum circa teſtamenta gaudeat.

DCLXXIII.

Ex eo tempore quis jure militari incipit poſſe teſtari, ex quo in numeros (*a*) relatus eſt. *l.* 42. *ff. de Teſt. mil.*

Sancimus his ſolis qui in expeditionibus occupati ſunt, indulgeri circa ultimas voluntates conficiendas beneficium. *l.* 17. *Cod. d. tit.*

(*a*) Non ergo lecti tyrones : verùm hoc jus habet tranſlatus ex numero in alterum numerum, licèt nondum pervenerit : *d. tit.* N. 2. Cæterùm non ſolùm legionarii hoc privilegio gaudent ; ſed & Vigiles ; item in Claſſibus, remiges, nautæ, item omnes qui in hoſtico deprehenduntur : *d. tit.* N. 4.

§ II.

De privilegio militum, ut teſtari poſſint etiam qui jure communi non poſſint ; & iis relinquere quibus jure communi non licet.

DCLXXIV.

Si miles incertus an ſui juris ſit, teſtamentum fecerit, in eâ conditione eſt teſtamentum ejus ut valeat. *l.* 11. § 1. ff. *de Teſt. mil.*

Jure militari ſurdum & mutum teſtamentum facere poſſe, ante cauſariam miſſionem, placet. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Ex militari delicto capite damnatis, teſtamentum facere licet ; ſuper bonis duntaxat caſtrenſibus. *l.* 11. ff. *d. tit.*

DCLXXV.

Et deportati, & ferè omnes qui teſtamenti factionem non habent, à milite heredes (*a*) inſtitui poſſunt. *l.* 13. § 2. ff. *d. tit.*

In omnibus quos miles ſcribit heredes, inſtitutio incipit vires habere ; ſi mortis (*b*) tempore talis inveniatur ut à milite inſtitui poterit. *d.* § 2.

(*a*) Aut legata accipere.

(*b*) Licèt tempore teſtamenti non talis eſſet ; putà, erat ſervus pœnæ, quum contrà in paganorum teſtamento, utroque tempore & teſtamenti & mortis teſtamenti factio in herede requiratur.

§ III.

De privilegio militum, ut eorum teſtamenta neque ſolemnitatibus neque regulis Juris Civilis ſubſint ; plenioremque interpretationem recipiant.

DCLXXVI.

1. Militibus quomodo velint, & quomodo poſſunt,

Source : BIU Cujas

teſtamentum facere conceſſum eſt ; ut tamen hoc ita ſubſecutum eſſe , legitimis probationibus oſtendatur. *l.* 40. ff. *d. tit.*

2. Sicut & hereditatem miles nudâ voluntate dare poteſt , ita & adimere poteſt. *l.* 15. § 1. *ff. d. tit.*

3. Militem feciſſe teſtamentum , eum interpretandum eſt ; qui ſe velle teſtamentum quod antè (*a*) fecerat valere , aliquo modo declaravit. *l.* 25. ff. *d. tit.*

4. Miles ſi teſtamentum imperfectum relinquat ; ſcriptura quæ profertur , perfecti teſtamenti poteſtatem obtinet. *l.* 35. ff. *d. tit.*

Nec qui voluit jure communi teſtari , ſtatim beneficio (*b*) militari renuntiavit. *l.* 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Ante militiam ſcilicet ; & fortè, aut injuſtum aut ruptum erat.
(*b*) Adeòque , etiamſi ſibi propoſuiſſet jure communi conficere teſtamentum quod non perficit , valebit.

DCLXXVII.

Certi juris eſt militem qui ſcit ſe filium habere , alioſque ſcripſit heredes , tacitè eum exheredare intelligi: *l.* 9. *Cod. d. tit.*

Miles ſi hoc animo fuit ut vellet , quiſquis ſibi naſcitur , exheredem eſſe ; teſtamentum ejus non rumpitur. *l.* 7. *ff. de Teſt. mil.*

Si eodem teſtamento miles eumdem heredem , deindè exheredem ſcripſerit ; adempta (*a*) videtur hereditas. *l.* 17. § 2. *ff. d. tit.*

Miles teſtamentum facere poteſt , & ſoli filio ; tametſi ſibi non fecerit. *l.* 15. § 5. ff. *d. tit.*

Miles & pro parte (*b*) teſtari poteſt. *l.* 37. ff. *d. tit.*

Miles & ad tempus heredem facere poteſt , & poſt (*c*) tempus. *d. l.* 15. § 4.

(*a*) Secùs in teſtamento paganico : d. l. 17.
(*b*) Hinc inter plures heredes teſtamento militari ſcriptos , non erit locus juri accreſcendi ; niſi ſuffragetur militis voluntas.
(*c*) Hinc filiis ultra pubertatem , imò & extraneis , ſubſtituere directè poteſt ; in his tamen duntaxat quæ ipſis reliquit.

DCLXXVIII.

Militis codicillis ad teſtamentum factis , etiam hereditas jure videtur (*a*) dari. *l.* 36. ff. *d. tit.*

Ex teſtamento militari ſervus qui legatum meruit , etiam libertatem (*b*) poteſt ſibi vindicare. *l.* 40. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Sunt enim & hi codicilli , teſtamentum ; & poteſt cum pluribus teſtamentis miles decedere : nec poſterius rumpit prius , niſi in his in quibus mutavit voluntatem.
(*b*) Quamvis non ſit expreſſa ; modò tamen miles eum ſciverit ſervum. Vide aliud exemplum largioris interpretationis : *d. tit.* N. 30.

§ IV.

De Regulis Juris Civilis quæ etiam circa ultimas militum voluntates , cùm ad eas conſervandas inſerviant , obſervantur.

DCLXXIX.

Lex Cornelia (*a*) etiam ad *militis* teſtamentum pertinet. *l.* 39. *ff. de Teſt. mil.*

Si à milite ſcriptus heres , rogatus hereditatem reſtituerit ; ex Trebelliano tranſeunt actiones. *l.* 29. *ff. d. tit.*

Si ſecundùm voluntatem militis hereditas ejus non adeatur ; nec res (*b*) caſtrenſes heredibus competunt. *l.* 32. *ff. d. tit.*

(*a*) Quæ teſtatorem in captivitate hoſtium mortuum , fingit mortuum jam ultimo momento quo civis fuit.
(*b*) Nec enim militis heredi conceditur pro parte agnoſcere , pro parte repudiare.

§ V.

Ad quæ non porrigantur privilegia militum.

DCLXXX.

Miles alienum jus minuere non (*a*) poteſt. *l.* 28. *ff. d. tit.*

Edictum (*b*) Prætoris quo jusjurandum heredibus legatariiſque remittitur , locum habet etiam in militum teſtamento. *l.* 29. § 2. *ff. d. tit.*

Bonorum poſſeſſionem , ultra tempora , nec militis poſſe agnoſci. *l.* 15 § *fin. ff. d. tit.*

(*a*) Hinc non poteſt dare tutorem liberis quos in poteſtate non habeat , aut qui poſt mortem ejus in alterius poteſtatem recaſuri ſint ; patronum debitâ parte fraudare , in fraudem creditorum manumittere , &c.
(*b*) Et ſimiliter inutile eſt quidquid miles contra bonos mores aut præcepta Legum ordinaverit , ut ſi minor viginti annis manumittat abſque causâ , fundum dotalem leget , &c.

§ VI.

Quandiù teſtamentum militare valeat.

DCLXXXI.

Teſtamentum militiæ tempore factum , etiam intrà annum poſt miſſionem (*a*) valet. *l.* 21. ff. *d. tit.*

Valere teſtamentum quod quis jure militari fecerat , verum eſt ; etiamſi poſt annum conditio inſtitutionis extiterit , mortuo eo intrà annum. *l.* 38. ff. *d. tit.*

Teſtamentum militare utpotè nudâ voluntate factum , nudâ pariter teſtatoris voluntate etiam poſt militiam reſcindi poteſt : l. 34. § 1. *ff.* d. tit. *N. fin.*

(*a*) Modò non ſit ignominioſa. Poſt annum autem ex quo miſſus eſt , non valet ; niſi intrà hunc annum rursùs factus fuiſſet miles : *d. tit.* N. 35.

ARTICULUS XI.

De exhibitione & aperturâ teſtamentorum , & Interdicto De Tabulis exhibendis.

§ I.

De exhibitione & aperturâ teſtamenti.

DCLXXXII. *Quibus exhibendum ſit.*

Teſtamenti inſtrumentum non eſt unius hominis , hoc eſt heredis ; ſed univerſorum quibus quid illic adſcriptum eſt ; quin potiùs publicum eſt inſtrumentum. *l.* 2. ff. *de Teſtam. quemadm. aper.*

Omnibus quicumque deſiderant tabulas (*a*) teſtamenti inſpicere vel deſcribere , diſpiciendi deſcribendique poteſtatem facturum ſe Prætor (*b*) pollicetur. *l.* 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Aut quod ad cauſam teſtamenti pertinet , putà codicillos. Nec refert , juſtum ſit an injuſtum , perfectum an imperfectum , verum an falſum , ſupremum an prius.
(*b*) Dato interdicto DE *tabulis exhibendis* , de quo mox infrà.

DCLXXXIII.

Quando & quomodo exhibendum.

1. Si liquerit *Teſtatorem* vivere , non permittit Prætor inſpici tabulas. *l.* 2. § 4. ff. *d. tit.*

2. Exhibere apud Prætorem oportet : ut ex auctoritate ejus ſignatores admoniti , veniant ad recognoſcenda ſigna ; & , ſi non obtemperent (*a*) coerceri à Prætore debent. *l.* 3. § 9. *ff. de Tab. exhib.*

Si major pars ſignatorum fuerit inventa (*b*) , poterit

(*a*) Præſentes ; nec enim coguntur venire abſentes , ſed ad eos mittitur ut ſigna recognoſcant.
(*b*) Imò & his omnibus abſentibus , ſi cauſa urgeat ; adhibitis optimæ opinionis viris.

Source : BIU Cujas

ipsis intervenientibus resignari testamentum & recitari. *l.* 6. ff. *Test. quemadm. aper.*

DCLXXXIV.

Quæ partes non sint exhibendæ.

Pupillares (*a*) tabulas, si seorsùm signatas testator reliquerit, Prætor aperiri nisi causâ cognitâ non patietur. *l.* 8. ff. *d. tit*

Diem & Consulem tabularum non patitur Prætor describi vel inspici; ne quid falsi fiat. *l.* 2. § 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Ne qui se substitutos scirent, vitæ pupilli insidientur. Sed nec quamvis testamenti partem, quam specialiter testator vetuerit aperiri.

§ II.

De Interdicto DE Tabulis exhibendis.

DCLXXXV.

Si tabulæ testamenti apud aliquem depositæ sunt; hoc Interdicto agendum est, & cum eo qui detinet, & cum eo qui deposuit. *l.* 3. § 2. ff. *de Tab. exhib.*

Si quis dolo fecit quominùs penès eum tabulæ essent, nihilominùs Interdicto tenebitur. *d. l.* 3. § 6.

DCLXXXVI.

Condemnatio hujus judicii, QUANTI interfuit æstimari debet. *d. l.* 3. § 11.

Si heres experiatur, ad hereditatem referenda est æstimatio; si legatum sit, tantum venit in æstimationem quantum sit in (*a*) legato. *d. l.* 3. §§ 12 & 13.

Si hinc consecutus legatarius æstimationem legati, postea legatum petat . . . si heres præstitit, exceptione repellendum; sin alius, repelli non oportere. *d. l.* 3. § 15.

Si ipse testator dum vivit, exhiberi desideret; Interdictum hoc (*b*) locum non habebit. *d. l.* 3. § 5.

De tabulis proferendis Interdictum competere non oportet, si hereditatis controversia (*c*) ex his pendet, aut ad publicam quæstionem (*d*) pertinet. *l.* 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Licèt conditione suspendatur; nec reddet, quamvis posteà defecerit.
(*b*) Non enim est de vivi tabulis: agendum igitur ei erit actione *Ad exhibendum* civili, & *Rei vindicatione.*
(*c*) Jam mota.
(*d*) *Falsi* scilicet. Interim deponendæ sunt.

ARTICULUS XII.

De Edicto quo prohibetur aperi testamentum, donec ex Senatusconsulto Silaniano quæstio habita sit de familiâ testatoris qui necatus est.

DCLXXXVII.

Quod (*a*) ad causam testamenti pertinens relictum erit, ab eo qui occisus esse dicetur; id ne quis sciens dolo aperiendum, recitandum, describendum-ve curet . . . priusquàm de eâ familiâ quæstio ex Senatusconsulto habita, suppliciumque de noxiis sumptum fuerit. *l.* 3. § 18. ff. *de SC. Silan.*

(*a*) Ratio Edicti, ne propter compendium suum heres familiæ facinus negligat & occultet: l. 3. § 29. ff. *d. tit.*

§ I.

Quando quæstio ex Senatusconsulto de familiâ haberi, suppliciumque sumi debeat; & de quibus servis.

DCLXXXVIII.

Periculo capitis sui, custodiam dominis tam à domesticis quàm ab extraneis præstare servi coguntur. *l.* 1. ff. *de SC. Silan.*

Ubicumque vis adhibita (*a*) est, quæ interimere solet; dicendum est, locum SCto fore. *d. l.* 1. § 20.

Si quis veneno vel quo alio quod clàm necare solet, interemptus sit; ad SCtum non pertinebit (*b*). *d. l.* 1. § 18.

Si sibi manus quis intulit, SCto locus non (*c*) est. *d. l.* 1. § 22.

Si maritus uxorem noctu secum cubantem necavit, vel uxor maritum; servi pœnâ liberabuntur (*d*). *l.* 3. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Et constat de nece.
(*b*) Nec enim potuit hoc casu familia auxilium ferre.
(*c*) Eadem ratio. Puniuntur tamen si prohibere potuerint.
(*d*) Vix enim est ut exaudire potuerint. Puniuntur tamen si constat eos potuisse ferre auxilium; extrà quàm eo casu quo vir justum dolorem in mulierem in adulterio deprehensam exequebatur.

DCLXXXIX.

Quum dominus occiditur, auxilium ei familia ferre debet, armis, manu, clamoribus, & objectu corporis: Sin, de eâ supplicium sumitur. *l.* 19. *ff. d. tit.*

De appellatione Domini, *vide Tit. præced. Specialiter autem in hoc SCto, is* Qui servum bonâ fide possedit, Domini appellatione non continetur; nec qui usumfructum (*a*) duntaxat habuit. *l.* 1. § 2. ff. *d. tit.*

Si pater necatus sit; magis est de servis filii suppliciùm sumendum (*b*), licèt non sit in potestate filius. *d. l.* 1. § 14.

Si vir aut uxor occisi proponantur; de servis (*c*) quæstio habetur. *d. l.* 1. § 15.

Constitutum est de libertis quos *quis* vivus manumiserat (*d*), quæstionem haberi. *l.* 10. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Nec is qui præsentem libertatem debebat; quamvis, etiam ille contineatur à quo dominium esset abiturum.
(*b*) *Vice versâ* de filiorum nece, familia patris fit obnoxia SCto. Hoc non trahe ad filiam matris: d. l. 1. § 11.
(*c*) Utriusque; non autem de servis soceri: d. l. 1. § 16.
(*d*) Et quidem licèt jus annulorum habeant: multò magis idem, de manumissis testamento.

DCXC.

SCtum eos qui SUB EODEM TECTO fuerunt, omnimodo (*a*) punit; cæteros non aliter, nisi conscii fuissent. *l.* 1. § 26. ff. *d. tit.*

Quicumque eò loci fuerint ut vocem exaudire potuerunt, puniuntur quasi sub eodem (*b*) tecto fuerint. *d. l.* 1. § 26.

Trajani constitutio Ei qui timuit mori non ignoscit. *d. l.* 1. § 29.

Excusantur servi qui auxilium tulerunt sine (*c*) dolo malo. *d. l.* 1. § 34.

Impuberes non torquentur (*d*); terreri tantùm solent, & habenâ vel ferulâ cædi. *d. l.* 1. § 33.

(*a*) Quia præsumuntur potuisse auxilium ferre.
(*b*) Et vice versâ qui sub eodem tecto fuerunt, sed audire non potuerunt, putà ob surditatem; aut opem ferre non potuerunt, ob morbum putà, vel quòd essent clausi; non puniuntur.
(*c*) Non dicis causâ, sed fecerunt quidquid potuerunt.
(*d*) Nisi cædis conscii fuerint.

DCXCI.

Si dominus mortiferè vulneratus supervixerit, nec de quoquam servorum conquestus sit; parcendum illis erit. *d.* 1. § *fin.*

Si quis moriens dixisset, à servo vim mortis allatam esse sibi; non credendum domino, nisi potuerit & probari. *l.* 3. § 1. *ff. d. tit.*

§ II.

Quod factum locum det Edicto, & de hujus pœnâ.

DCXCII.

Omnis apertura (*a*) prohibita est *l.* 3. § 10. *ff. d. tit.*

(*a*) Sive demptis signis fiat, sive non.

Source : BIU Cujas

Si quis ignorans occiſum, aperuerit; etſi ſciens, non tamen dolo, fortè per ruſticitatem ignarus Edicti, non tenebitur. *d. l.* 3. §§ 21 & 22.

Si alius aperuit, alius recitavit, alius deſcripſerit; omnes in Edictum incident. *d. l.* 3. § 28.

Parvi refert utrùm totum, an pars aperiatur. *d. l.* 3. §. 24.

DCXCIII.

Ex hoc Edicto actio*nem* ... palàm eſt popularem eſſe, cujus pœna in centum aureos extenditur. *l.* 25. § 2. ff. *d. tit.*

In cognitione aperti adversùs SCtum teſtamenti, quinquennii (*a*) tempus conſtitutum eſt. *l.* 13. *ff. d. tit.*

(*a*) Hæc præſcriptio nonniſi extraneis datur; cognatis defuncti uſque ad ſobrinorum gradum non datur.

SECTIO III.

De Legibus ex quibus inteſtatorum hereditates deferuntur.

§ I.

De hereditate quæ ex Lege XII. Tabularum defertur Suis *heredibus.*

DCXCIV.

Inter filios & filias, bona inteſtatorum parentum, pro virilibus portionibus æquo jure dividi oportere, explorari Juris eſt *l.* 11. *Cod. Fam. erciſc.*

Si filius ſuus heres eſſe deſiit (*a*); in ejuſdem partem ſuccedunt, omnes nepotes nepteſque ex eo nati qui in poteſtate ſunt. *l.* 1. § 4. ff. *de Suis & legit.*

Et Si quis non deſiit eſſe in poteſtate, ſed nunquam cœpit (*b*); nepotes in ejus locum ſuccedent. *d. l.* 1. §. 5.

(*a*) Morte; aut majori minimâ-ve capitis minutione; non tamen captivitate, propter ſpem poſtliminii: d. § 4.
(*b*) Putà, ſi filius meus, vivo avo ſuo, priuſquàm in poteſtatem meam reciderit, mortuus eſt.

DCXCV.

Succeſſio in Suis heredibus non (*a*) eſt. *d. l.* 1. § 8.

Sciendum eſt nepotes & deinceps, interdum, etiamſi parentes eos mortis tempore præceſſerunt, tamen poſſe Suos (*b*) heredes exiſtere. *d.* § 8.

(*a*) Nec enim plures ſunt *Suorum* heredum gradus, ſed unicus; eorum ſcilicet qui tempore delatæ à Lege hereditatis proximum in familiâ locum obtinent.
(*b*) Scilicet ſi parentes qui eos tunc præcedebant, exheredati, deceſſerint antequàm deferretur à Lege hereditas; putà, dum heres ſcriptus deliberaret.

§ II.

De hereditate quæ ex Lege XII. Tabularum defertur agnatis.

DCXCVI.

Non exiſtentibus ſuis Hereditas proximo agnato, id eſt quem nemo antecedit, defertur; & ſi plures ſunt ejuſdem gradûs, omnibus; in capita ſcilicet. *l.* 2. § 2. ff. *d. tit.*

Legitima hereditas tantùm primo defertur ... PROXIMUM non eum quærimus, qui tunc fuit quum moreretur paterfamilias (*a*); ſed qui tunc fuit, quum inteſtatum deceſſiſſe (*b*) certum (*c*) eſt. *l.* 2. § 4. & § 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Modò tamen eo tempore ſaltem conceptus fuerit.
(*b*) Id eſt, quum omnes ſcripti repudiaverunt, aut mortui ſunt antequàm adirent. Ex eo enim demùm tempore defertur à Lege hereditas.
(*c*) Adde, nec *Suum* heredum naſciturum. Nam ſi uxor inteſtati prægnans fuerit; ex eo enim demùm tempore quo abortum fecit, agnatis defertur.

DCXCVII.

In hereditate legitimâ, ſucceſſioni (*a*) locus non eſt. PAUL. SENT. *lib.* 4. *Tit.* 8. § 25.

(*a*) Id eſt, ſi omnes agnati primi gradûs omiſerunt; ſequenti gradui non defertur.

§ III.

Quæ communia ſint Suis *& cæteris* Legitimis *heredibus.*

DCXCVIII.

Lex Duodecim Tabularum vocat ad hereditatem, qui moriente eo de cujus bonis quæritur, in rerum naturâ fuerit, vel ſi vivo eo conceptus eſt. *l.* 6. & *l.* 7. ff. *d. tit.*

Qui in utero fuit, admittitur; ſi fuerit editus (*a*). *l.* 3. § 9. ff. *d. tit.*

Qui in utero eſt ... ſolet remorari inſequentes (*b*) ſibi agnatos, & partem facit his qui pari gradu ſunt. *d.* § 9.

Obtinuit ... alienos quoque poſthumos, legitimos nobis heredes fieri. *l.* 177. ff. *de Legatis* 1°.

(*a*) Et quidem perfecto partu.
(*b*) Quum nullus in pari gradu eſt: ita ut ex eo demùm tempore quo de nativitate ejus aut abortu certum fuerit, deferatur hereditas; aut ipſi, ſi natus fuerit; aut, ſi abortum fecerit, inſequentibus agnatis: qui primo gradu eſſe videntur cùm eos nemo unquam anteceſſerit.

DCXCIX.

Capitis deminutione (*a*) pereunt legitimæ hereditates, quæ ex Lege XII. Tabularum veniunt; quæ autem ex Legibus novi (*b*), non utique. *l.* 11. ff. *d. tit.*

Privatam Scripturam (*c*) jus ſucceſſionis mutaſſe non conſtitit. *l. fin. ff. de Suis & legit. hered.*

(*a*) Minimâ.
(*b*) Ut ex Senatuſconſultis Tertylliano & Orphitiano, de quibus mox ſtatim.
(*c*) Putà; quâ dos ſub eâ lege datur mulieri ut ad futuram ſucceſſionem non veniat: d. l. fin. Adde l. 3. Cod. *de Collation.*

§ IV.

De Senatuſconſultis Tertilliano *&* Orphitiano.

DCC.

Mater Si jus liberorum habeat, ingenua trium (*a*), libertina quatuor; legitima heres fit (*filio filiæ-ve*) ex SCto Tertylliano: ſi tamen neque heres ſuus ſit, quive inter ſuos à Prætore vocatur; neque pater, neque frater conſanguineus (*b*). Quòd ſi foror conſanguinea ſit, ad utraſque pertinere jubetur hereditas. ULP. FRAGM. *Tit.* 16.

Mater, etiamſi in alienâ poteſtate ſit, ex SCto ad hereditatem admittitur. *l.* 6. ff. *ad SC. Tertyll.*

Licèt vulgò quæſitus ſit filius, ad bona ejus mater ex Tertylliano admittitur. *Inſtit.* § *fin.* Tit. *de SCto Tertyll.*

(*a*) Scilicet quæ tres trino & perfecto partu liberos peperit, aut quæ hoc jus à Principe impetravit perindè ac ſi peperiſſet. Jure Juſtinianæo, omnes mulieres tam libertinæ quàm ingenuæ jure liberorum gaudent.
(*b*) Emancipatus nempè: hi enim excludunt matrem. Sed etſi filius ſit in extraneâ familiâ per adoptionem, ceſſabit SCtum; & unâ cum matre, in tertio qui *Cognatorum* eſt ordine, veniet ad Bonorum poſſeſſionem.

Nudum

Source : BIU Cujas

Nudum nomen ſui (*a*) heredis non nocet matri *l.* 2. §. 8. ff. *d. tit.*

In ſuſpenſo eſt jus matris, ſi filius (*b*) defuncti emancipatus deliberet de bonorum poſſeſſione petendâ. *l.* 8. ff. *d. tit.*

Si ſit agnatus defuncti, & pater ſit in adoptivâ familiâ; admittimus matrem, quoniam patrem cognatus (*c*) excludit. *l.* 2. § 17. ff. *d. tit.*

Nec avus, nec proavus in Tertylliano matri nocent, quamvis fiduciam (*d*) contraxerint. *d. l.* 2. §. 15.

Si mater hereditatem filii filiæ-ve non adierit ex SCto Tertylliano, in bonis eorum antiquum Jus (*e*) ſervandum eſt. *d. l.* 2. § 20.

(*a*) Putà, ſi ſe abſtineat filius defuncti, mater poterit ex SCto adire.
(*b*) Idem dic de cæteris qui matri præferuntur, putà patre aut fratre conſanguineo. Si enim aut repudiaverint, aut deceſſerint priuſquàm adierint bonorum-ve poſſeſſionem & quidem definitivam acceperint, mater admittetur.
(*c*) Id eſt, agnatus. Pater autem non poteſt excludere matrem, niſi quum ipſe ad bona filii venit.
(*d*) Id eſt, ſint manumiſſores nepotis ſui de cujus bonis agitur. Uno tamen caſu excludent matrem, ſcilicet ſi exiſtat pater defuncti.
(*e*) Nimirùm ut deferatur eorum agnatis; qui in proximo gradu inveniuntur, quum mater repudiat, aut moritur antequàm adierit.

DCCI.

Liberi ad bona matrum inteſtatarum admittuntur ex SCto Orphitiano (*a*); & præferuntur conſanguineis & agnatis defunctæ matris. *Inſtit.* Tit. *de SCto Orphit.*

Et vulgò quæſiti admittuntur ad matris legitimam hereditatem. *l.* 1. § 2. ff. *d. tit.*

Ex Orphitiani clauſulâ; Si nemo filiorum . . . volet ad ſe hereditatem (*b*) pertinere; jus (*c*) antiquum eſto. *d. l.* 1. § 9.

(*a*) Antè non admittebantur niſi ex Edicto Prætoris, in ordine cognatorum, poſt omnes agnatos matris.
(*b*) Aut poſtquàm voluerit, reſtitutus ſit: d. l. 1. §. 10.
(*c*) Id eſt, admittuntur agnati qui eo tempore proximi inveniuntur.

§ V.

De hereditatibus libertorum inteſtatorum.

DCCII.

Jus Legis XII. Tabularum.

Inteſtato liberto mortuo, primùm ſuis deferri hereditatem verum eſt; ſi hi non fuerint, tunc patrono (*a*). *l.* 3. *ff. de Suis & legit.*

In bonis liberti prior eſt patronus quàm filius alterius patroni; itemque prior filius patroni, quàm nepos alterius (*b*) patroni. PAUL. SENT. *lib.* 3. *Tit.* 3.

Inter diverſorum patronorum filios; Hereditas in capita, non in ſtirpes dividitur. *Ibid.*

(*a*) Aut patronæ. Licèt autem Lex XII. Tab. poſt ſuos patronum vocet; nota tamen ex Edicto Prætoris, etiam à filiis emancipatis liberti patronum excludi. Jure Juſtinianeo, etiam aſcendentes liberti, & fratres, excludunt patronum.
(*b*) Non alii autem admittuntur, quàm liberi patroni. Jure autem Juſtinianeo, etiam qui ex tranſverſo latere ſunt uſque ad quintum gradum.

DCCIII.

Jus Legis Papiæ-Poppææ.

Lege Papiâ cautum eſt ut ex bonis ejus qui ſeſtertium centum (*a*) milliûm in bonis reliquerat, & pauciores quàm tres liberos habebat; ſive teſtamento facto, ſive inteſtatus mortuus erat; virilis pars patrono deberetur. *Inſtit.* Tit. *de Bon. lib.*

Si libertus minorem ſe Centenario in fraudem Legis fecerit (*b*), quaſi in Centenarii liberti bonis locum habebit patronus. *l.* 16. *ff. de Jur. patr.*

(*a*) Jure Juſtinianeo ſufficit ut centum aureos in bonis habuerit.
(*b*) Dum alienat: ſecùs, ſi duntaxat omittat acquirere.

SECTIO IV.

De acquirendâ aut repudiandâ hereditate; de Beneficio abſtinendi, & de jure accreſcendi.

ARTICULUS I.

De aditione ſeu acquiſitione hereditatis.

§ I.

Quomodo adeatur hereditas.

Jure Pandectarum, hereditatis aditio fiebat vel Cretione *quæ exolevit, vel* Pro herede *geritione.*

DCCIV.

Pro herede gerere videtur, qui aliquid facit quaſi heres. *l.* 20. *ff. de Acquir. hered.*

Pro herede gerit, qui rebus hereditariis tanquam (*a*) dominus utitur. ULP. FRAG. *Tit.* 22.

Cùm debitum paternum te exſolviſſe alleges agnoviſſe te hereditatem non ambigitur. *l.* 2. *Cod. de Jur. deliber.*

Pro herede gerere non eſt facti, quàm animi. *l.* 20. *ff. de Acq. her.*

Gerit pro herede, qui animo agnoſcit ſucceſſionem; licèt nihil attingat hereditarium (*b*). *l.* 88 *ff. d. tit.*

Heres Si quid pietatis causâ fecit, ſi quid cuſtodiæ causâ fecit, ſi quid quaſi non heres, ſed quaſi alio jure dominus; apparet non videri pro herede geſſiſſe. *l.* 20. *ff. d. tit.*

Si extraneus *heres* rem hereditariam quaſi furripiens vel expilans tenet, non Pro herede gerit. *l.* 21. ff. *d. tit.*

(*a*) Alienando, manumittendo, &c.
(*b*) Ut ſi diſponat de re quæ non eſt hereditaria, ſed quam putat hereditariam.

DCCV.

Qui bonâ fide ſervit, ſi quaſi juſſu domini adierit, non obligabitur (*a*). *l.* 74. § 2. *ff. d. tit.*

Qui ſe putat neceſſarium (*b*), voluntarius exiſtere non poteſt. *l.* 16. ff. *d. tit.*

Qui timore coactus, fallens (*c*) adierit hereditatem; heredem non fieri placet. *l.* 6. § 7. *ff. d. tit.*

(*a*) Nec enim voluit ſibi acquirere hereditatem, cùm ſe alieni juris eſſe putaret.
(*b*) Secùs ſi dubiter duntaxat: l. 9. § 4. ff. *d. tit.*
(*c*) Secùs ſi non *fallens*, quamvis *coactus*: ſed hoc caſu reſtituetur.

DCCVI.

Obtinuit pro herede non gerere, qui *quid* accepit (*a*) ne heres ſit. *l.* 24. ff. *d. tit.*

Conſonat regula illa notiſſima. Non vult heres eſſe, qui ad alium transferre voluit hereditatem. *l.* 6. ULP. LIB. 7. AD SABN.

Ei qui hereditatem vel legatum accepit *ſub conditione quam implevit;* neque hereditas neque legatum aliter acquiri poteſt, quàm ſi poſt impletam conditionem id egerit per quod (*b*) hereditas aut legatum acquiri ſolet. *l.* 13. *ff. de Cond. inſtit.*

Non poteſt videri pro herede geſſiſſe, qui ut heredi-

(*a*) Putà, à ſubſtituto. Secùs de eo qui vendit hereditatem.
(*b*) Non ex eo ſolo igitur videtur adiviſſe quòd conditionem impleverit. Fallit tamen regula, ſi ea conditio fuit quam nonniſi ut heres implere poterat; ut illa, *Si juraverit ſe manumiſſurum ſervum hereditarium.*

Source : BIU Cujas

tatem omitteret, ex aliâ parte Edicti (*ex quâ non eſt ipſi delata*) bonorum poſſeſſionem petit. *l.* 60. *ff. de Acq. her.*

Reſpondi, Nihil actum eſſe; quum ex ſemiſſe ſcriptus heres, ex quadrante per errorem (*c*) adiit. *l.* 75. *ff. d. tit.*

(*c*) Scilicet *ex* alio *quadrante*, ex quo ſcriptus heres non eſt. Quòd ſi ex quadrante, qui in *Semiſſe* ex quo ſcriptus eſt continetur, adiret; rectè adiret, & totum ſemiſſem adquireret. Infrà §°. 5°.

§ II.

Quis adire hereditatem poſſit.

DCCVII.

In ſuis heredibus aditio non eſt neceſſaria. *l.* 14. *ff. de Suis & leg.*

Jure Digeſtorum adire non poteſt niſi ipſe qui inſtitutus eſt, aut Lege vocatus; non verò (*a*) *ejus heres, nec qui eum* (*b*) *in ſuâ poteſtate habet: l.* 3. *Cod.* de Jur. delib.

(*a*) Jure Juſtinianeo id ei permiſſum, intra annum quod ad deliberandum heredi defuncto datum erat. Jure Digeſtorum id permiſſum non fuit, niſi quibuſdam caſibus valdè ſingularibus. Tit. *de Acq. hered.* N. 28.
(*b*) Permittitur tamen quibuſdam caſibus item ſingularibus. *d. tit.* N. 29.

DCCVIII.

Per curatorem acquiri hereditas non poteſt. *l.* 90. *ff. de Acq. hered.*

Furioſus (*a*) acquirere ſibi commodum hereditatis non poteſt, niſi ſi neceſſarius patri aut domino heres exiſtat. *l.* 63. *ff. d. tit.*

Pupillus ſi fari poſſit, licèt hujus ætatis ſit ut non intelligat, cum tutoris auctoritate hereditatem (*b*) acquirere poteſt. *l.* 9. ff. *d. tit.*

Mutum necnon ſurdum, pro herede gerere (*c*) poſſe conſtat. *l.* 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Quum ipſe heres inſtitutus eſt. Sed qui in ejus poteſtate eſt ſcriptus heres, poteſt ipſi (curatoris ipſius juſſu) adeundo acquirere.
(*b*) Supplet tutoris auctoritas ejus judicium. Hoc favorabiliter receptum. Multò magis poterit prodigus bonis interdictus, cum aſſenſu curatoris: *d. tit.* N. 32.
(*c*) Nam *Geſtio* ſolam voluntatem requirit: at non poſſent *Cernere.*

§ III.

De juſſu quem expectare debet heres qui in alienâ poteſtate eſt, ut adeat hereditatem.

DCCIX.

Qui in alienâ eſt poteſtate, non poteſt invitum hereditati (*a*) obligare eum in cujus eſt poteſtate. *l.* 6. ff. *d. tit.*

Servus communis ab extero inſtitutus, ſi juſſu unius adierit hereditatem; non pro majore parte interim heredem eum facit, quàm pro dominicâ: deindè cæteris non jubentibus (*b*), partes ei accreſcunt. *l.* 67. ff. *d. tit.*

Si ſervus poſt juſſum, antequàm adiret, alienatus eſſet; novum (*c*) juſſum poſterioris domini exigitur. *l.* 62. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Hinc ſequitur nihil agere, adeundo citra ejus juſſum. Nec enim ſibi, cùm ſit alieni juris, nec ei in cujus poteſtate eſt, cùm non conſentiat, acquirere poteſt.
(*b*) Et repudiantibus.
(*c*) Nec enim ei qui juſſit, ampliùs acquirere poteſt, cujus ſervus eſſe deſiit; nec novo domino, citra ejus juſſum.

DCCX.

Quando interponendum juſſum, quale, & quomodo.

1. Non puto recipiendum, ut de vivi hereditate mandetur. *l.* 25. *ff. d. tit.*

Juſſum præcedere (*a*) debet. *d. l.* 25. § 4.

2. Magis eſt ut nutu quis jubere poſſit adire hereditatem. *l.* 93. § 1. *ff. d. tit.*

3. Magis placet ſpecialiter (*b*) debere mandare. *l.* 25. § 5. ff. *d. tit.*

Pater dominus-ve Si mandavit quaſi ex aſſe inſtituto, & inveniatur ex parte; non puto ex juſſu adiſſe. *d. l.* 25. § 11.

Si mandavit quaſi ab inteſtato, ex teſtamento adit; non puto quicquam egiſſe. At ſi ex teſtamento mandavit, poterit ab (*c*) inteſtato. *d.* § 11.

(*a*) Adde, & perſeverare donec filius ſervus-ve adeat. Si igitur interim aut mutaverit voluntatem aut mortuus ſit aut in furorem inciderit pater dominus-ve qui juſſit; perperàm adibit ſervus aut filius.
(*b*) Non generaliter, quæcumque hereditas fuerit delata. Hinc etiam ſequitur, juſſum non eſſe tacitè colligendum, putà ex eo quod pater coheres filio datus ipſe adierit ex ſuâ parte; aut quòd duobus filiis inſtitutis jam unum juſſerit adire.
(*c*) Melior fit enim jubentis conditio.

§ IV.

Quando hereditas adiri poſſit.

DCCXI.

Ita demùm *quis* pro herede gerendo acquiret hereditatem, ſi jam ſit ei delata. *l.* 21. § 2. *ff. d. tit.*

Quandiù inſtitutus adire poteſt, ſubſtitutus non (*a*) poteſt. *l.* 3. ff. *d. tit.*

Quandiù poſſit valere teſtamentum, tandiù legitimus (*b*) non admittitur. *l.* 89. PAUL. LIB. 10. QUÆST.

(*a*) Nec enim ei antè delata eſt.
(*b*) Eadem ratio.

DCCXII.

Qui adit (*a*) *ſcire debet ſibi delatam eſſe hereditatem. Indè corollaria ſequentia.*

1°. Heres ſi putet teſtatorem vivere quamvis defunctus ſit, adire non poteſt. *l.* 32. ff. *d. tit.*

2°. Si de conditione teſtatoris incertus ſit, non poterit adire hereditatem. *d. l.* 32. § 2.

3°. Non poteſt adire, qui dubitat verum eſſe teſtamentum. *l.* 46. ff. *d. tit.*

At Si certus ſum non eſſe, falſum teſtamentum aut ruptum, licèt dicatur eſſe, poſſum adire hereditatem. *l.* 30. § *fin.* ff. *d. tit.*

Contrà Qui duobus teſtamentis ejuſdem teſtatoris heres ſcribitur; cùm dubiter num poſterius falſum ſit, ex neutro (*b*) poſſe adire placet. *l.* 51. *ff. de Acq. hered.*

4°. Ut quis pro herede gerendo obſtringat ſe hereditati, ſcire debet quâ ex causâ hereditas ad eum pertineat. *l.* 22. ff. *d. tit.*

5°. Proximus à filio heres dum mulier prægnans eſt aut putatur eſſe, adire hereditatem non poteſt. Sed ſi ſcit non eſſe prægnantem, poteſt. *ſup. d. l.* 30. § 1.

6°. Si *quis* ſcit ſe heredem inſtitutum, ſed utrùm purè an ſub conditione ignoret; non poterit adire hereditatem, licèt purè heres inſtitutus ſit. *l.* 32. § 1. *ff. d. tit.*

Nota. Facti . . . conditiones . . . quamvis impletæ eſſent, impedient heredem circà adeundam hereditatem, quandiù ignoraret eas impletas eſſe. Quæ verò ex jure venient, in his nihil ampliùs exigendum quàm ut impletæ ſunt. *l.* 21. *de Cond. & dem.*

(*a*) Sive ſuo arbitrio, ſive juſſu ejus cujus juri ſubjectus ſit adeat; & quidem ſola ipſius ſcientia, non patris aut domini attenditur: *d. tit.* N. 56.
(*b*) Non ex poſteriori de cujus veritate dubitat, nec ex priori de cujus viribus incertus eſt, quandiù non conſtat poſterius eſſe falſum.

DCCXIII.

Si quis partem ex inſtitutus eſt, ignoravit; nihil

Source : BIU Cujas

nihil ei nocet quominùs pro herede gereret. *l.* 21. *§ fin. ff. de Acq. hered.*

Si de suâ conditione quis dubitat, posse acquirere hereditatem jam dictum est. *l.* 34. ff. *d. tit.*

§ V.

Pro quâ parte quisque adeundo acquirat hereditatem.

DCCXIV.

Qui totam hereditatem adquirere potest, pro parte eam scindendo, adire non potest. *l.* 1. ff. *de Acq. hered.*

Si ex asse heres destinaverit partem habere, videtur in assem pro herede gessisse. *l.* 10. ff. *d. tit.*

Qui ex parte institutus est purè, ex parte sub conditione solus (*a*); etiam pendente conditione si adierit hereditatem; ex asse heres erit. *l.* 52. § 1. *ff. d. tit.*

Etiamsi aliis mixtis heredibus ex pluribus partibus heres institutus sum; adeundo unam portionem, omnes (*b*) acquiro; si tamen delatæ (*c*) sunt. *l.* 80. § 1. *ff. d. tit.*

Qui patri heres extitit, si idem filio impuberi substitutus est, hereditatem (*d*) ejus non potest prætermittere. *l.* 59. ff. *d. tit.*

(*a*) Quòd si substitutum in eâ parte habeat, non priùs ipsi acquiritur quàm conditio extiterit. Si substitutum non habet, sed coheredes habet; interim ex eâ parte ipsi acquiritur, quod ex ea parte ipsi deficiente conditione accresceret, reliquum non nisi conditione existente.
(*b*) Etiamsi in his portionibus substitutum haberem: d. l. 80. § 1.
(*c*) Licèt ignorem esse delatas. Sufficit ut sciam delatam esse eam ex quâ adivi.
(*d*) Hereditas enim impuberis accrescet hereditati patris quam adivit, etsi mortuus fuerit ante impuberem. d. l. 59.

DCCXV.

Quod (*a*) dicimus SEMEL adeundum, in ejusdem personâ locum habet, non quum per alium acquirenda est hereditas. *l.* 80. § 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Finge: Institutus sum ex triente purè, ex altero triente sub conditione, coheres ex reliquo triente. Adeundo ex triente ex quo purè scriptus sum, acquiro & dimidiam partem alterius trientis quæ mihi etiam deficiente conditione accrescit; reliquam autem partem hujus trientis quum conditio extiterit, sine novâ aditione: & hoc est quod dicitur, *Semel adeundum.* Quòd si non ego, sed servus meus institutus fuisset; existente conditione jubendus esset servus meus adire. Disparitas est; quòd pars ex quâ ipse institutus sim existente conditione non potest alteri quàm mihi aquiri: pars autem ex quâ servus meus scriptus est, potest acquiri novo domino vel ipsi manumisso.

§ VI.

Quis sit acquisitæ hereditatis effectus.

DCCXVI.

1. Heres in omne (*a*) jus mortui, non tantùm in singularum rerum dominium (*b*) succedit. *l.* 37. ff. *d. tit.*

Aditâ hereditate, omnia quidem jura ad nos transeunt; possessio tamen, nisi naturaliter adprehensa, ad nos non pertinet. *l.* 23. ff. *de Acq. poss.*

2. Omnis hereditas quamvis posteà adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. *l.* 138. PAUL. LIB. 27. AD EDICT.

Omnia ferè jura heredum perindè habentur, ac si continuò sub tempus mortis heredes extitissent. *l.* 193. CELSUS LIB. 38. DIGEST.

3. Qui ei heres extitit qui Titio heres fuit, Titio quoque videtur heres esse; nec potest Titii omittere hereditatem. *l.* 7. § 2. ff. *de Acq. hered.*

Nemo plus commodi heredi suo relinquit quàm ipse habuit. *l.* 120. PAUL. LIB. 12. AD ED.

(*a*) Tam activè quàm passivè; pro parte ex quâ heres est.
(*b*) Etiam ante apprehensam possessionem.

ARTICULUS II.

De repudiatione hereditatis; & abstensione.

§ I.

Quomodo & quando hereditas & à quo repudiari possit.

DCXVII.

1. Recusari hereditas non tantùm verbis, sed etiam re potest, & alio quovis indicio voluntatis. *l.* 95. ff. *de Acq. hered.*

2. Heres institutus idemque legitimus, si quasi institutus repudiaverit, quasi legitimus non amittit hereditatem; sed si quasi legitimus repudiavit, si quidem scit se institutum, credendum est utrumque (*a*) repudiasse. *l.* 17. § 1. *ff de de Acq. hered.*

3. Nolle adire hereditatem non videtur, qui non (*b*) potest adire. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Corollarium Ium. Qui putat se necessarium, quum sit voluntarius, non potest repudiare (*c*). *l.* 16. *ff. d. tit.*

Corollarium IIum. Nec filiusfamilias repudiando sine patre, nec pater sine filio alteri nocet. *l.* 13. § *fin. ff. d. tit.*

(*a*) Tacitè enim repudiat testamentariam, qui de legimâ hereditate decernit. Simili ratione, qui scriptus est duobus testamentis, repudiando ex posteriori testamento; ex utroque repudiat. Quinetiam adeundo ex posteriori quod falsò putat valere, ex priori repudiasse intelligitur, ut ex Papiniani sententiâ judicatum est.
(*b*) Ut suus heres, ut pupillus sine tutore, &c.
(*c*) Nam non potest adire: supra N. 705.

DCCXVIII.

Quod quis si velit habere non potest, id repudiare non potest. *l.* 174. (*Aliàs* 134.) § 1. PAUL. LIB. 8. AD PLAUT.

Corollarium Ium. Qui superstitis bona repudiat, post mortem ejus adire hereditatem non prohibetur *l.* 94. ff. *de Acq. hered.*

Corollarium IIum. Heres si ante conditionem repudiavit, nihil egit. *l.* 13. *ff. d. tit.*

Hoc ita, si conditio non fuit in ejus potestate. At Qui potest facere ut possit conditioni parere, jam posse videtur (*a*). *sup. d. l.* 174. *ff. de Reg. jur.*

Corollarium IIIum. Substitutus si antè repudiet quàm institutus decernat de hereditate; nihil videtur repudiare. *d. l.* 13. § 2.

Corollarium IVum. In repudiandâ hereditate certus esse debet de suo (*b*) jure qui repudiat. *l.* 23. ff. *d. tit.*

(*a*) Ideòque videtur jam posse repudiare; quia, si velit, potest conditioni parendo habere.
(*b*) Adeòque debet scire delatam sibi esse hereditatem.

DCCXIX.

Sicut delatam repudians hereditatem, post quærere non potest; ita quæsitam repudiando nihil agit. *l.* 4. *Cod. de Repudiand. hered.*

§ II.

De beneficio abstinendi.

DCCXX.

Necessariis (*a*) heredibus, abstnendi se ab hereditate Proconsul potestatem dedit; ut, quamvis creditoribus hereditariis teneantur, tamen in eos actio non detur, si velint derelinquere hereditatem. *l.* 57. ff. *de Acq. hered.*

(*a*) *Suis* duntaxat. Servi enim, necessarii heredes, hoc beneficium non habent.

Source : BIU Cujas

Impuberibus liberis omnimodo abſtinendi facultas ſit ; puberibus autem, ita ſi ſe non immiſcuerint. *l.* 11. ff. *d. tit.*

Eum (*a*) bonis ſe miſcere convenit, qui remoto familiæ vinculo pro herede gerere videretur. *l.* 87. *ff. d. tit.*

Si ſuus aliquid ex hereditate amoverit (*b*), abſtinendi beneficium non habebit. *l.* 71. § 4. *ff. d. tit.*

Si antè ſe abſtinuit, deindè amovit ; magis eſt ut Furti potiùs teneatur. *d. l.* 71. § 9.

Si quis ſe abſtinuit, per ſuppoſitam perſonam bona (*c*) patris mercatus probetur ; perindè conveniri oportet, ac ſi ſe immiſcuiſſet. *l.* 2. *Cod. de Repud. hered.*

(*a*) Senſus eſt ; pro immixtione habentur in ſuo herede, quæ pro heredis geſtione haberentur ſi extraneus heres eſſet.
(*b*) Dolo. Cæterùm nil refert, per ſe an per alium.
(*c*) Secùs, ſi res ſingulares.

DCCXXI.

Prætor, Si non expedierit pupillo hereditatem parentis retinere, bona vænire permittit ; ut quod ſupererit, pupillo (*a*) reſtituatur. *l.* 6. *ff. de Reb. auct. jud. poſſid.*

Si pupillus antequàm abſtineret aliquid geſſerit, ſervandum eſt ſi bonâ fide geſſit. *d. l.* 6. § 1.

Quum hereditate patris neceſſarius ſe abſtinet ; conditio coheredi (*b*) ſive ſuo ſive extraneo defertur (*c*), ut aut totam agnoſcat, aut à totâ recedat. *l.* 55. *ff. de Acq. hered.*

Si (*d*) alter, poſtquàm prior abſtinuit, immiſcuit ſe ; dicendum, hunc non poſſe recuſare quominùs tota onera hereditaria ſubeat. *l.* 38. *ff. d. tit.*

(*a*) Nam qui ſe abſtinet, manet heres.
(*b*) Qui antè ſe immiſcuit aut adivit.
(*c*) A creditoribus, in quorum arbitrio eſt ut hanc conditionem deferant.
(*d*) Regulam hanc cum precedenti trahe ad caſum quo alter ex extraneis heredibus reſtitueretur adversùs aditionem.

ARTICULUS III.

De jure quo pars heredis deficiens coheredibus adcreſcit.

DCCXXII.

Quum quis ex inſtitutis (*a*), qui non cum aliquo conjunctim (*b*) inſtitutus ſit, heres non eſt ; pars ejus omnibus pro portionibus hereditariis accreſcit. *l.* 59. § 3. *ff. de Hered. inſt.*

Quantum ad jus accreſcendi, non ſunt conjuncti qui ſine parte inſtituuntur. *l.* 17. § 1. *ff. de Hered. inſtit.*

Deficientium partes etiam invito (*c*) accreſcunt. *l.* 53. § 1. *ff. de Acq. hered.*

(*a*) Aut legitimis : nam & inter eos eſt jus accreſcendi ; Tit. *de Suis & leg.* N. 22.
(*b*) Nam ſi *Conjunctim*, id eſt ex eadem portione, plures ſcripti ſunt ; in jure accreſcendi præferuntur *Conjuncti*, cæteris coheredibus qui ex diverſis partibus ſcripti ſunt.
(*c*) Portioni enim accreſcit, non perſonæ ; unde & heredis heredi & cuilibet ad quem pervenit hereditas. In quo jus accreſcendi differt à jure ſubſtitutionis quod nonniſi ſubſtitutæ perſonæ defertur. Tit. *de Suis & leg.* N. 22.

SECTIO V.

De Legatis & fideicommiſſis, tam Univerſalibus *quàm* Singularibus.

ARTICULUS I.

De legatis ac fideicommiſſis Singularibus, *in genere.*

§ I.

Quid ſit legatum, & quotuplex olim ejus ſpecies, quid fideicommiſſum.

DCCXXIII.

Jure Digeſtorum quo legata nonniſi teſtamento aut Codicillis teſtamento confirmatis relinqui poterant (quâ in re differebant à fideicommiſſis) ita definit Modeſtinus : LEGATUM, eſt donatio TESTAMENTO relicta. *t.* 36. *ff. de Legatis* 2°.

Jure autem Juſtinianeo quo jam ab inteſtato legata relinqui poſſunt, Juſtinianus ipſe ita definit : Legatum eſt donatio quædam A DEFUNCTO relicta. *Inſtit. lib.* 2.

Porrò, ex quo Lex Falcidia (de quâ infrà Art. 3.) *hereditatem univerſam legatis exhauriri vetuerat ; legatum ita deſcribi cœpit :* Legatum eſt delibatio hereditatis, quâ teſtator ex eo quod heredis univerſum foret, alicui quid collatum velit. *l.* 116. *ff. de Legatis* 1°.

DCCXXIV.

Legamus quatuor modis, per Vindicationem, per Damnationem, Sinendi modo, & per Præceptionem. ULP. FRAGM. *Tit.* 24. § 2.

Quæ quatuor olim legandi ſpecies in quibus differrent, vide Inſtit. Tit. de Legatis. *Hîc notare ſufficiat, quòd in legato* Vindicationis *teſtator hoc agit potiſſimùm ut rem directò poſt mortem ſuam in legatarium transferat ; per legatum* Damnationis, *hoc agit ut damnet & obliget heredem ad eam rem præſtandam.*

Hodie, à Juſtiniano ſublatis his & aliis differentiis, Per omnia exæquata ſunt legata fideicommiſſis. *l.* 1. ff. *de Legatis* 1°.

Id unum diſcrimen remanſit ; quòd ſicut jure antiquo ita etiam jure novo legatum dicitur, quod verbis directis : at verò Ea quæ precario modo relinquuntur, fideicommiſſa vocantur. ULP. FRAGM. *ſup. d. tit.*

§ II.

De voluntate relinquendi quæ tam in legatis quàm in fideicommiſſis adeſſe debet, tum circa rem, tum circa perſonam cui relinquitur.

DCCXXV.

Si in re quis erraverit ; ut putà, dum vult lancem relinquere, veſtem leget ; neutrum debebitur *l.* 9. § 1. *ff. de Hered. inſtit.*

Error nominum (*a*), ſi modò de rebus non ambigitur, jus legati non minuit. *l.* 7. § 1. *Cod. de Leg.*

Si de certo fundo ſenſit teſtator, nec appareat de quo, electio heredis erit quem velit dare. *l.* 37. § 1. ff. *de Legatis* 1°.

Si duobus Titiis ſeparatim legaverit, & uni ademerit, nec appareat cui ademptum ſit ; neutri debetur : quemadmodum & in dando, ſi non appareat (*b*) cui datum ſit, neutri debetur. *l.* 3. § 7. ff. *de Adim. leg.*

Enimverò Legatum perfectum non videtur, non exiſtente cui datum intelligi poſſit. *l.* 18. *ff. de Uſufr. leg.*

(*a*) Intellige de nominibus propriis. Secùs de appellativis : *d. tit.* N. 6.
(*b*) Aliquo ſaltem argumento.

§ III.

Quomodo fideicommiſſa relinqui poſſint.

DCCXXVI.

Fideicommiſſa quocumque ſermone relinqui poſſunt. *l.* 11. *ff. de Legatis* 3°.

Nutu etiam relinquitur fideicommiſſum. *l.* 21. *ff. d. tit.*

Non quæri oportet cum quo de ſupremis quis loquatur ; ſed in quem voluntatis intentio dirigatur. *l.* 77. § 26. *ff. de Legatis* 2°.

Placet conſiſtere fideicommiſſum, etſi cum eo loquitur quem precariò remuneratur. *l.* 75. *ff. d. tit.*

Etiam à pupillorum tutoribus (*a*), velut ab ipſis relicta, fideicommiſſa debentur. *l.* 20. *Cod. de Fideic.*

(*a*) Veris aut falſis.

Source : BIU Cujas

Verba... licèt non ſatis exprimunt fideicommiſſum, ſed magis conſilium quàm neceſſitatem relinquendi; tamen vim fideicommiſſi videntur continere. *l.* 11. § 9. *ff. de Legatis* 3°.

Etiam (*a*) hoc modo, CUPIO des, CREDO te daturum, fideicommiſſum eſt. *l.* 115. *ff. de Legatis* 1°.

Quum quis rogatur acceptâ certâ quantitate portionem reſtituere, duplex (*b*) eſt fideicommiſſum. *l.* 11. § 4. *ff. de Legatis* 3°.

(*a*) Quum hæc verba ſpem exprimentia ad heredem diriguntur. Secùs, ſi ad eum cui datum iri ſperare ſe dicat teſtator. *d. tit.* N. 27.
(*b*) Unum portionis quam tibi reſtituere rogatus ſum, alterum hujus quantitatis quam mihi dare viciſſim rogatus intelligi debes.

DCCXXVII.

Ex his verbis Heres ſciat debere me... reſpondi; Si non deberentur, nullam quaſi ex debito actionem eſſe, ſed ex (*a*) fideicommiſſo. *l.* 88. § 10. *ff. de Legatis* 1°.

Interdum verba, quum jure directo valere non poſſunt, ad fideicommiſſum trahuntur: d. tit. N. 31.

In causâ fideicommiſſi, utcumque precaria voluntas quæreretur, conjectura (*b*) poteſt admitti. *l.* 64. *ff. de Legatis* 2°.

(*a*) Similis eſt caſus, quo teſtator animo donandi alicui, confiteretur rem ſuam, ejus eſſe: Tit. *de Legatis* N. 29.
(*b*) Hinc ex eo quòd quis rogatus eſt filium emancipare, colligitur fideicommiſſum hereditatis ipſi reſtituendæ. Ex eo quòd ex duobus collegatariis rogatus eſt is qui noviſſimus morietur, totam rem reſtituere; inducitur fideicommiſſum quo gravetur is qui præmoritur erga ſuperſtitem &c. Vide alia exempla Tit. *de Legatis* N. 34. & ſeq.

DCCXXVIII.

1. Falſam legati demonſtrationem non facere legatum (*a*), Sabinus reſpondit. *l.* 72. § *fin. ff. de Cond. & dem.*

2. Aliud eſt perſonam commendare, aliud voluntatem ſuam fideicommittentis heredibus inſinuare. *l.* 11. § 2. ff. *de Legatis* 3°.

(*a*) Regula locum habet, quum obiter & aliud agens teſtator falsò enuntiat ſe legaſſe aliquid quod non legavit. Tit. *de Legatis* N. 38. & 39.

§ IV.

Quis legare aut fideicommittere poſſit, & quibus.

DCCXXIX.

Sciendum eſt eos poſſe fideicommiſſum relinquere, qui teſtandi jus habent. *l.* 12. *ff. de Legatis* 1°.

Relinqui poteſt nonniſi his qui ex ſuâ alterius-ve cui ſubſunt perſona, Juris Civilis (*a*) *communionem habent.* Incertis (*b*) perſonis nec legata nec fideicommiſſa olim relinqui conceſſum erat. *Inſtit.* Tit. *de Legat.*

Hodie Civitatibus (*c*) legari poteſt. *l.* 122. ff. *de Legatis* 1°.

Nulla dubitatio eſt quòd, ſi corpori cui licet coire legatum ſit, debeatur. *l.* 10. ff. *de Reb. dub.*

(*a*) Non igitur deportato; non captivo, ſi apud hoſtes deceſſerit.
(*b*) At ex pluribus certis uni incertæ rectè legabatur. Jure Juſtinianeo, etiam prorsùs incertis; & alieno poſthumo rectè legatur.
(*c*) Sed & parti civitatis. Olim non poterat.

DCCXXX.

Quibus ipſis legare poſſumus, eorum quoque ſervis legare poſſumus. *l.* 11. § 2. ff. *de Legatis* 1°.

Servo hereditario (*a*) rectè legatur, licèt ea adita non ſit. *l.* 116. § 5. *ff. d. tit.*

Quum ſervo alieno aliquid in teſtamento damus; domini perſona ad hoc tantùm inſpicitur, ut ſit cum eo teſtamenti factio; cæterùm ex perſonâ ſervi conſtitit legatum. *l.* 82. § 2. ff. *de Legatis* 2°.

(*a*) Modo defunctus hujus ſervi dominus, is fuerit qui haberet teſtamenti factionem; & cui ipſi teſtator relinquere potuiſſet.

Ea quæ ſervis relinquuntur, ita valent ſi liberis (*a*) relicta poſſent valere. *l.* 5. ff. *de Servit. leg.*

(*a*) Id eſt, ipſis liberis factis. Hinc ſervo malè legatur *Via* ad fundum domini. Vide Tit. *de Legatis.* N. 136.

DCCXXXI.

Servis (*a*) teſtamento dominorum, non datâ (*b*) libertate, legatum ſeu fideicommiſſum relictum non valet. *l.* 4. *Cod. de Legatis.*

Tamen Servo legato legari poſſe receptum eſt. *l.* 69. ff. *de Legatis* 1°.

Ab uno è ſociis Servo communi quum legatum ſit, totum pertinere ad ſocium; quia in eam perſonam legatum conſiſtere poſſit. *l.* 49. ff. *ad L. Falc.*

(*a*) Etiam ſtatuliberis.
(*b*) Et quidem oportet, ut non tardiùs ceſſerit libertas quàm dies legati.

DCCXXXII.

Heredi à ſemetipſo legatum dari non (*a*) poteſt; à coherede poteſt. *l.* 116. § 1. *ff. de Legatis* 1°.

Si uni ex heredibus fuerit legatum, & abſtinuerit ſe hereditate; conſequi eum legatum poſſe conſtat; & quidem (*b*) totum. *l.* 18. ff. *de Legatis* 1°.

Si legatarius, heres extiterit heredi à quo legatum erat relictum; retinet (*c*) legatum. *l.* 34. § 13. ff. *d. tit.*

Servo (*d*) heredis utiliter non relinquitur. *l.* 8. § 1. ff. *de Legatis* 3°.

Contrà A filio herede, etiam purè patri legari (*e*) poteſt. *l.* 25. ff. *d. tit.*

(*a*) Igitur legatum alicujus rei, heredi ex parte ſcripto relictum; pro eâdem parte ex quâ ſcriptus eſt heres non valebit, pro reliquâ parte valebit.
(*b*) Contrà, licèt præmortuus ſit, priuſquàm adiret, legatum inutile eſt pro parte ex quâ ſcriptus heres erat. Vide rationem diſparitatis in Notis ad h. l. Tit. *de Legatis.* N. 65.
(*c*) Vide Regulam. *Non eſt novum &c.* ſuprà N. 44.
(*d*) Filio-ve. Scilicet ſi purè relictum fuerit; propter Regulam Catonianam de quâ infrà. Quòd ſi ſub conditione his relictum fuerit, poterit legatum valere ſi tempore quo dies legati cedet ſoluti ſint heredis poteſtate.
(*e*) Vide rationem diſparitatis in Notis ad *tit. de Legatis.* N. 69.

§ V.

A quibus relinqui poſſit.

DCCXXXIII.

1. Sciendum eſt; eorum fidei commitrere quem poſſe, ad quos aliquid perventurum eſt morte ejus, vel dum eis datur (*a*), vel dum eis non (*b*) adimitur. *l.* 5. § 6. *ff. de Legatis* 3°.

Et ejus qui nondum natus eſt, fidei commiſſum relinqui poteſt; ſi modò natus nobis ſucceſſurus ſit. *l.* 1. § 8. ff. *de Legatis* 1°.

3. Ab omni debitore (*c*) fideicommiſſum relinqui poteſt. *l.* 77. *ff. de Legatis* 1°.

4. Quum filiofamilias vel ſervo alieno legatum vel hereditas datur, fidei committi patris (*d*) vel domini poteſt. *l.* 11. *ff. d. tit.*

Nota A patre vel domino fideicommiſſum relictum, ſi hereditas ei non quæratur, ab emancipato filio vel ſervo manumiſſo (*e*) Utilibus actionibus poſtulatur. *l.* 4. *ff. de Legatis* 31.

Si quis ab heredis vel legatarii herede (*f*) fideicom-

(*a*) Seu titulo inſtitutionis, ſeu legati, fideicommiſſi, donationis mortis causâ, vel ſi conditionis implendæ causâ accipiant.
(*b*) Quales ſunt hi qui vel nobis, vel filio noſtro impuberi ab inteſtato ſuccedunt: his enim adimere potuiſſemus bona quibus ſuccedunt, ſi teſtamentum feciſſemus. In eâdem causâ ſunt, pater peculii caſtrenſis ſucceſſor, item fiſcus qui bona vacantia occupat.
(*c*) Videtur enim ei relinqui liberatio pecuniæ debitæ, ſub lege hujus fideicommiſſi.
(*d*) Non ſolùm erga extraneos, ſed & erga ipſum ſervum filium-ve in eum caſum quo manumittentur. Et differt utrumque fideicommiſſum; quòd hoc pater dominus-ve ex perſonâ ſuâ debet, illud ex perſonâ ſervi aut filii.
(*e*) Quum ipſi adierunt. Quòd ſi dominus qui rogatus eſt, ſervum heredem inſtitutum vendidit; ſi ob hereditatem, pluris ſervum vendidit; ipſe tenetur quaſi pretium hereditatis habeat, non emptor cujus juſſu ſervus adiit.
(*f*) Modò ab *Herede* indeterminatè, non à certâ perſonâ relinquat.

Source : BIU Cujas

missum reliquerit, hoc valere benignum est. *l.* 5. § 1. ff. *d. tit.*

DCCXXXIV.

Qui fortuitò, non judicio testatoris, consequitur hereditatem vel legatum (*a*); non debet onerari. Nec recipiendum est, ut cui nihil dederis, eum rogatum obliges. *l.* 6. § 1. ff. *de Legatis* 3°.

Ab exheredati (*b*) substituto, inutiliter legatum datur; nec à legitimo herede exheredati, fideicommissum. *l.* 126. *ff. de Legatis* 1°.

(*a*) Putà, si quis fiat heres heredis aut legatarii. Multò minus tenebitur, is qui contra voluntatem defuncti consequeretur ejus hereditatem; ut filius præteritus.

(*b*) Licèt exheredatus ille legatum accepisset, & ab eo tanquam à legatario fidei committi potuisset. l. 24. Cod. *de Legatis*, ad quam vide Notas Tit. *de Legatis* N. 96.

§ VI.

Quatenùs quis gravari possit legatis aut fideicommissis.

DCCXXXV.

Neminem oportet plus legati nomine præstare, quàm ad eum ex hereditate pervenerit; quamvis Falcidia cesset. *l.* 1. § 17. *ff. ad SC. Trebell.*

Is demùm pecuniam ex causâ fideicommissi præstare cogendus est, qui aliquid ejusdem generis vel similis (*a*) ex testamento consequitur. *l.* 94. § *fin. ff. de Legatis* 1°.

Fideicommissùm quod à legatario relinquitur, ita demùm ab eo debetur si ad legatarium legatum pervenerit (*b*). *l.* 78. *ff. de Legatis* 2°.

Nihil ex testamento videtur capere, qui tantum erogat quantum (*c*) accipit. *l.* 122. § 2. ff. *de Legatis* 1°.

Si quis creditori suo legaverit ei quod debet, fideicommitti ejus non poterit, nisi commodum (*d*) aliquod ex legato consequatur. *l.* 7. § *fin. ff. de Legatis* 1°.

(*a*) Id est, quod similiter pecuniâ æstimari possit. Non igitur qui libertatem aut jus patronatûs ex testamento consequitur, propterea potest fideicommisso gravari.

(*b*) Aut dolo fecerit quominus perveniret. Sin; tenetur duntaxat actiones suas, si quas habet, cedere.

(*c*) Computatis etiam rei legatæ fructibus, & interusurio pecuniæ.

(*d*) Putà, repræsentationis. Cæterum non computatur commodum pinguioris actionis.

§ VII.

Quæ legari possint.

DCCXXXVI.

Corpora legari omnia & jura & servitutes possunt. *l.* 41. *ff. de Legatis* 1°.

Etiam quæ futura sunt, legari possunt. *l.* 17. *ff. de Legatis* 3°.

Si talis sit res cujus commercium (*a*) non est, nec æstimatio ejus debetur. *Instit.* Tit. *de Legat.* § 4.

Senatus ea quæ sunt (*b*) ædium, legari non permisit. *l.* 43. ff. *de Legatis* 1°.

Qui ab hostibus redemptus est, legari (*c*) sibi poterit. *l.* 43. § *fin. ff. de Legatis* 1°.

Quod apud hostes est, legari potest; & postliminii jure constitit. *l.* 9. ff. *d. tit.*

Si res aliena cujus commercium legatarius non habet, ei cui jus possidendi (non (*d*) est, per fideicommissum relinquatur; puto æstimationem deberi. *l.* 114. § 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Ut Campus Martius, Ædes sacra, liber homo &c. Exemplum etiam habes in Reg. seq.

(*b*) Ea exemit commercio; ne, si temerè detraherentur, deformaretur ruinis civitatum aspectus. Hinc patet Regulam non pertinere ad ea quæ his ædibus juncta sunt, quas dirui necesse sit. Vide alias limitationes Senatusconsulti: Tit. *de Legatis* N. 118. & seqq.

(*c*) Jus enim pignoris quo redemptori tenetur, in commercio est; adeòque ipsi legati potest: legatumque intelligitur, quum ipse sibi legatur.

(*d*) Negationem hanc detrahendam vide in Notis ad h. l. Tit. *de Legatis* N. 113.

Si quid alicui licitè fuerit relictum, vel jus quod ipse propter corporis sui vitium aut aliam (*e*) causam habere non potuit; alius tamen hoc habere potuit; æstimationem accipiet. *l.* 14. § 5. ff. *d. tit.*

(*e*) Secùs, si ea res esset cujus commercium ipsi interdictum sit. l. 49. § 2. ff. *de Legatis* 1°.

DCCXXXVII.

Constat res alienas legari posse. *l.* 39. § 7. ff. *d. tit.*

Quum alienam rem quis reliquerit... si suam esse putavit non aliter valet (*a*) nisi proximæ personæ datum ut *l.* 10. *Cod. de Legatis.*

Si *quis* fundum vectigalem legaverit; non videri proprietatem relictam, sed jus quod in vectigalibus fundis habemus. *l.* 71. § *fin.* ff. *de Legatis* 1°.

Heredum etiam res proprias (*b*) per fideicommissum relinqui posse non ambigitur. *l.* 25. *Cod. de Fideicom.*

(*a*) Nec enim facilè quis creditur voluisse onerare heredem redemptione: l. 67. § 8. ff. *de Legatis* 2°.

(*b*) Et quidem indistinctè, etiamsi testator putaverit esse suas: l. 67. § 8. ff. *de Legatis* 2°.

DCCXXXVIII.

Fideicommissum relictum, & apud eum cui relictum est ex causâ lucrativâ (*a*) inventum, extingui placuit. Nisi defunctus æstimationem præstari voluit. *l.* 21. § 1. *ff. de Legatis* 3°.

Non possum videri partum ex causâ lucrativâ habere, qui matrem mercatus sum. *l.* 82. § 4. *ff. de Legatis* 1°.

Omnibus debitoribus ea quæ debent rectè legantur, licèt domini eorum sint. *l.* 1. *ff. de liberat. leg.*

Non quocumque modo legatarii res facta fuerit, legatum extinguitur, sed ita si eo modo fuerit ejus quo avelli non possit. *l.* 82. ff. *de Legatis* 1°.

(*a*) Nam legatum rei suæ ita demùm non valet, si nihil in eâ re legatario desit quod ex legato possit consequi. Deesse autem videtur aliquid ei, cui pretium rei suæ desit.

DCCXXXIX.

Alienus servus heres institutus, legari ipse à se nec pro parte potest. *l.* 116. § 2. *ff. de Legatis* 1°.

Si quis scripserit testamento fieri quod contra jus est & bonos mores, non valet. *l.* 112. § 7. *ff. de Legatis* 1°.

Fideicommissum quo quis rogatur ut adoptet (*a*), ratum non est. *l.* 41. § 8. *ff. de Legatis* 3°.

(*a*) Quia factum adoptandi non recipit æstimationem. Eâdem ratione, non valet stricto Jure fideicommissum emancipandi liberos; sustinetur tamen extrà ordinem: *d. tit.* N. 145.

§ VIII.

An eadem res sæpiùs legari possit.

DCCXL.

Eadem res sæpiùs præstari non potest: eadem summa volente (*a*) testatore multiplicari potest. *l.* 34. § 3. *ff. de Legatis* 1°.

Sæpiùs idem legando non ampliat testator legatum; re autem legatâ, etiam æstimationem ejus legando, ampliare legatum possumus. *l.* 42. § 1. *ff. de Usufr. leg.*

Si eadem res sæpiùs legetur in ejusdem testamento (*b*), ampliùs quàm semel peti non potest. *l.* 34. § 1. *ff. de Legatis* 1°.

(*a*) Tenetur autem legatarius probare hanc fuisse defuncti voluntatem; nisi aut diversis scripturis aut à diversis heredibus relicta sit: quibus casibus præsumetur multiplicandi voluntas. Quòd si diversis scripturis diversas quantitates quis legaverit; magis præsumetur voluisse augere vel minuere legatum quam legata multiplicare: Tit. *de Legatis* N. 115. ad 118.

(*b*) Si tamen à diversis heredibus *per Damnationem* relicta sit, bis petere potero; æquè ac si duorum testamentis relicta esset. Secùs, si *per Vindicationem.*

Source : BIU Cujas

Si duorum teſtamentis mihi eadem res legata ſit, bis petere potero; ut ex altero teſtamento rem (*b*) conſequar, ex altero æſtimationem. *d. l.* 34. § 2.

(*b*) Scilicet ſi priùs conſecutus fuero æſtimationem.

§ IX.

De ceſſione diei legatorum & fideicommiſſorum.

DCCXLI.

Si purum legatum eſt; ex die (*a*) mortis, dies ejus cedit. *l.* 5. § 1. *ff. Quando dies legat.*

Si poſt diem ſunt legata relicta; ſimili modo atque in puris dies cedit, niſi id fuit quod ad heredem non (*b*) tranſit. *d.* § 1.

Si ſub conditione ſit legatum relictum; non priùs dies legati cedit, quàm conditio fuerit impleta. *d. l.* 5. § 2.

Si ea conditio fuit quam Prætor remittit, ſtatim dies cedit. *d. l.* 5. § 3.

Mortuo patre licèt vivo (*c*) pupillo, dies legatorum à ſubſtituto datorum cedit. *l.* 1. *ff. d. tit.*

Dies uſusfructûs, item usûs, non priùs cedet quàm hereditas adeatur. *l. un. ff. Quand. dies uſusfr. leg. ced.*

Si ſervo hereditario (*d*) uſusfructus legetur; Julianus ſcribit, Quamvis cætera legata hereditati acquirantur, in uſufructu tamen perſonam domini expectari (*e*) qui frui (*f*) poſſit. *d. l. un.*

Dies legati quod ſervo (*g*) datur, non mortis tempore ſed aditæ hereditatis cedit. *l.* 17. *ff. Quando dies legat.*

(*a*) Jure autem Legis Caducariæ quam abrogavit Juſtinianus, cedebat demùm ex die aperturæ tabularum.
(*b*) Hujus enim non cedit, niſi quum dies venerit. Inutile enim eſt ut priùs cedat.
(*c*) Conditio enim mortis pupilli, cùm his legatis ex ipſorum natura inſit, non ea facit conditionalia; infrà Sect. 72.
(*d*) Alicujus hereditatis jacentis.
(*e*) Adeòque non priùs cedet dies, quàm utraque hereditas teſtatoris, & ea ad quam is ſervus pertinet, adita fuerit.
(*f*) Neque enim uſusfructus, ſine perſonâ quæ fruatur eſſe poteſt.
(*g*) Proprio, qui ipſe legatus aut manumiſſus eſt.

DCCXLII.

Hereditas extraneo non niſi volenti, legatum etiam ignoranti, die cedente ſtatim acquiritur (*a*).

Hinc Corollaria ſequentia.

Si poſt diem legati cedentem legatarius deceſſerit, ad heredem ſuum transfert legatum. *l.* 5. *ff. Quando dies legat.*

Si, quum dies legati cedere inciperet, alieni quis juris eſt; debetur his quorum juri fuit (*b*) ſubjectus. *d. l.* 5. § *fin.*

(*a*) Diſparitas quòd *Legatum adquiſitum nunquam damno eſſe potuit, hereditas interdum damnoſa eſt.* l. 32. ff. *Mandati.*
(*b*) Tunc quum dies cedit. Nec refert quod antè fuerit alterius, *aut ſui juris.*

§ X.

De dominii rerum legatarum tranſlatione.

DCCXLIII.

Legatum (*a*) ita dominum rei legatarii facit, ut hereditas heredis res ſingulas. *l.* 80. *ff. de Legatis* 2°.

Hæc regula declaratur per ſequentem.

Si purè res relicta ſit, & legatarius non repudiaverit, rectâ via dominium quod hereditatis fuit, ad legatarium (*b*) tranſit; nunquam factum (*c*) heredis. *d. l.* 80.

(*a*) Senſus eſt: Titulus legati ipſo Jure citra ullam apprehenſionem, transfert dominium rei legatæ à teſtatore in legatarium: quemadmodum titulus hereditatis transfert in heredem dominium ſingularum rerum quæ in hereditate ſunt nec legatæ ſunt.
(*b*) Qui intelligitur retro à morte teſtatoris illud habuiſſe; & quidem etiam ignorans.
(*c*) Hinc 1°. infirmantur alienationes ab herede factæ. 2°. Ea quæ ſervus legatus acquiſit, legatario ſequuntur. 3°. Nulla fit confuſio ſervitutum quas heres haberes in fundo legato, aut ei fundo deberet; nec actionis *Noxalis* propter furtum quod ſervus legatus heredi feciſſet.

Abſurdum eſt, plus juris habere eum cui legatus ſit fundus, quàm heredem aut ipſum teſtatorem ſi viveret. *l.* 160. § 2. ULP. LIB. 76. AD EDICT.

§ XI.

De actionibus quæ ad legatorum & fideicommiſſorum perſecutionem competunt, adversùs quos, & pro quâ parte.

DCCXLIV.

Legatariis, ſi certa ſpecies per Vindicationem (*a*) *relicta ſit*, REI VINDICATIO; *quodcumque autem & quocumque modo relictum ſit, actio* EX TESTAMENTO *competit.*

His Variis actionibus legatorum ſimul legatarius uti non (*b*) debet. *l.* 76. § 8 ff. *de Legatis* 2°.

Jure Juſtinianeo tertia actio competit, nimirùm HYPOTHECARIA; *quâ voluit* In tantum, unumquemque heredem conveniri, in quantum perſonalis actio adversùs eum (*c*) competit. *l.* 1. *Cod. Comm. de legatis.*

(*a*) Jure Juſtinianeo idem obtinet, & ſi *Per Damnationem*, aut etiam per fideicommiſſum.
(*b*) Et pariter plures legatarii heredes in unam conſentire tenentur.
(*c*) Adeoque hâc hypothecariâ actione heredes, non in ſolidum, ſed pro parte hereditariâ tenentur.

DCCXLV.

Legatorum petitio adversùs heredes pro partibus (*a*) hereditariis competit, nec pro his qui ſolvendo non ſunt onerari coheredes oportet. *l.* 32. *ff. de Legatis* 2°.

Heres, adjecto ei nomine cujuſdam qui heres (*b*) non ſit, dare damnatus, totum legatum debet. *l.* 16. § 1. *ff. de Legatis* 1°.

Quum *legatum* partem non (*c*) recipit, ſinguli heredes in ſolidum conveniuntur. *l. fin.* ff. *de Servit. leg.*

(*a*) Etſi fundus legatus, proprius unius ex heredibus eſſet: l. 86. § 5. ff. *de Legatis* 1°. Item hoc obtinet, etiamſi propriis nominibus rogati ſint: quod ex Sabini ſententiâ contra Proculeianos obtinuit: Tit. *de Legatis* N. 308. cum Notis. Quod ſi quidam ex heredibus damnati eſſent, hi ſoli tenerentur.
(*b*) Vel quia repudiavit aut præmortuus eſt, aut omnino non eſt ſcriptus.
(*c*) Ut ſervitus, opus faciendum, &c.

DCCXLVI.

Quamvis heres hereditatem vendiderit, tamen legata & fideicommiſſa ab eo peti poſſunt. *l.* 2. *Cod. de Legat.*

Si à pluribus heredibus legata ſint, eaque unus præcipere jubeatur & præſtare; in poteſtate eorum quibus ſit legatum eſſe debet, utrùm à ſingulis heredibus petere velint, an ab eo qui præcipere ſit juſſus. *l.* 107. *ff. de Legatis* 1°.

DCCXLVII.

Poſt reſcriptum Severi; Fideicommiſſa ab inſtituto relicta, à ſubſtituto (*a*) debentur. *l.* 61. § 1. *ff. de Legatis* 2°.

Quoties inſtitutus ſuccedit, legata à ſubſtituto data poſci non poſunt. *l.* 13. *Cod. de Fideic.*

(*a*) Idem dic de coherede tam ſcripto quàm legitimo cui accreſcit pars ejus qui damnatus eſt. Vide Tit. *de Legatis* N. 134. & 135. & Notas. Hæc ita niſi contraria teſtatoris voluntas aliundè colligi poſſit: *d. tit.* N. 134.

§ XII.

De cautione quæ legatariis exhibenda eſt, & de bonorum poſſeſſione in quam mittuntur legatarii.

DCCXLVIII.

Legatorum nomine ſatiſdari (*a*) oportere (*b*) Prætor

(*a*) Legatariis vel fidecommiſſariis vel procuratoribus ſucceſſoribus-ve eorum; ab herede & quovis univerſali ſucceſſore teſtamentario aut ab inteſtato, & cujuſcumque dignitatis ſit niſi teſtator ſatiſdationem ei remiſerit. Vide lib. 36. Tit. *Ut legat. cauſ. cav.* Art. 1. §°. 2.
(*b*) Et quidem alterutro loco peti poteſt, vel ubi heres domicilium habet, vel ubi eſt hereditas.

Source : BIU Cujas

putavit; aut si satis non datur, in possessionem venire voluit. *l.* 1. *pr.* & § 2. *ff. Ut leg. caus. cav.*

Legatorum Stipulatio locum habet, sive purè sit relictum, sive ex die certo vel sub conditione; sive res aliqua, sive hereditas, sive jus aliquod relictum est. *l.* 14. *ff. d. tit.*

Quum (*c*) sub contrariis conditionibus legatum sit, utrique cavetur. *l.* 8. § 1. *ff. de Stipul. Prætor.*

Si is à quo satis petitur, offerat cognitionem; dicendum cessare stipulationem. *l.* 3. *ff. Ut in poss. leg.*

(*c*) Regula est de legato duobus relicto. Porrigitur & ad casum, quo duo de eodem legato contendunt: item ad casum, quo filiofamilias sub conditione legatur; cùm incertum sit, an patri, an ipsi (si fortassè interim potestate exeat) acquiratur legatum: *d. tit.* N, 8. Hoc porr ge & ad missionem in bona de quâ infrà.

DCCXLIX.

Huic (*a*) stipulationi easdem causas & conditiones inesse (*quæ ipsi legato*) sciendum est *l.* 1. § 14. *ff. Ut legat. caus. cav.*

Collorarium Ium. Quum legatorum nomine satisdatum est; statim atque dies legatorum cessit, protinùs ex stipulatione debentur, non tamen ut (*b*) statim peti possint. *l.* 8. & *l.* 9. *ff. d. tit.*

Corollarium IIum. Non ex majore parte quis ex stipulatu tenetur, quàm ex quâ heres (*c*) est. *l.* 1. § 19. *ff. d. tit.*

(*a*) Eadem ergo veniunt quæ in actione *Ex testamento*; etiam fructus, & usuræ ex morâ.

(*b*) Nam si diem certum habent, non antè peti poterit. Item si heres qui debet, captivus est; non potest à fidejussoribus exigi donec revertatur; cùm nullus sit debitor, cujus obligationi accedere videantur; secùs, si jaceat ejus hereditas.

(*c*) Et quidem cum effectu. Hinc desinit teneri, si hereditatem restituerit, si ei evicta sit, &c.

DCCL.

Quocumque indicio voluntatis cautio legatorum vel fideicommissorum remitti potest. *l.* 77. § 3. ff. *de Cond. & demonstr.*

DCCLI.

Quando locus sit missioni, & quibus proficiat.

Ut in possessionem bonorum defuncti legatarios mittat, Non exigit Prætor ut per heredem (*a*) stet quominùs caveat; sed contentus fuit per legatarium non stare quominus (*b*) ei caveatur. *l.* 1. § 1. *ff. Ut in possess.*

Si ex duobus heredibus alter satisdare sit paratus, alter non; missi legatarii impedient etiam eum qui satisdedit (*c*) administratione. *l.* 5. § 11. *ff. d. tit.*

Si plures legatarii mitti desideraverint, omnes venire debent. Is enim qui ex causâ legatorum possidet, sibi, non (*d*) alii possidet. *l.* 5. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Aut quemvis alium successorem universalem.
(*b*) Putà, si nemo sit qui interpellari possit.
(*c*) Nisi in assem satisdederit.
(*d*) In quo hæc possessio differt à possessione *Rei servandæ causâ.*

DCCLII.

An & quis potior sit in missione.

Qui prior missus est legatarius in possessionem, non præfertur ei qui posteà missus est; inter legatarios enim nullum ordinem servamus. *d. l.* 5. §. 3.

Dum venter in possessione est, nullus legatorum servandorum causâ in possessionem (*b*) esse potest. *l.* 7. ff. *d. tit.*

(*a*) Potior tamen erit cæteris quis, in possidendâ ipsâ re quæ ipsi legata est: *l.* 11. ff. *d. tit.*

(*b*) Pariter postponuntur legatarii creditoribus *Rei servandæ causâ* in possessionem missis: item ei qui ex causâ *Damni infecti* missus est, nisi velint legatarii ei cavere.

DCCLIII.

De missionis effectu, & quando illa cesset.

Legatorum causâ Missus in possessionem, nunquam pro domino esse incipit; nec tam possessio rerum quàm custodia datur, nec expellendi heredem jus habet. *d. l.* 5.

Qui fideicommissi servandi causâ in possessionem missus est, non priùs decedere debet, quàm fideicommissum solutum (*a*) aut satisdatum. *l.* 6. § 1. ff. *d. tit.*

De cautione quam legatarius fideicommissario, erga quem gravatus est, exhibere debet; & de translatione rei legatæ juris-ve quod ad eam legatarius habet, in fideicommissarium faciendâ si non caveatur; vide d. tit. Art. 3. *De cautione quam ex Constitutione Divi Marci heres qui provocavit legatario exhibere debet, & missione in possessionem rei quæ legata dicitur faciendâ ni caveatur vide ibid. Art.* 2°. *De missione quæ fit in propria bona heredis, si per sex menses post aditum judicem in solutione cessaverit, Art.* 4. *Denique de missione quæ fiebat adversùs tertios possessores qui scientes rem legatam comparassent, d. Art.* § *fin.*

(*a*) Ne quidem si heres judicium accipiat: d. l. 5. § 16. quamvis eo casu, & nondum missus esset, mitti non posset; suprà Reg. fin. N. 748.

§ XIII.

De Interdicto Quod legatorum, *quod heredi qui cavit aut cavere paratus est, datur adversùs legatarios.*

DCCLIV.

Æquissimum visum est, unumquemque non sibi ipsum jus dicere occupatis legatis, sed ab herede petere. *l.* 1. § 2. *ff. Quod legator.*

Interdictum QUOD LEGATORUM continet hanc causam, ut quod quis legatorum nomine, non ex voluntate heredis occupavit (*a*) restituat (*b*) heredi. *d.* § 2.

Hoc interdicto Earum rerum nomine agi poterit, de quibus satisdatum (*c*) est; cæterarum non. *d. l.* 1 § 18.

Etiam legatarius ex causâ præceptionis, tenetur Interdicto pro eâ parte quam jure legati habet. *d. l.* 1. § 6.

(*a*) Et adhuc possidet, dolo-ve fecerit quominùs possideret.
(*b*) Salvis legatario suis actionibus.
(*c*) Aut paratus sit heres satisdare.

§ XIV.

De præstatione rei legatæ.

DCCLV.

Qualis præstari debet res legata.

Si res obligata, per fideicommissum fuerit relicta; si scit (*a*) eam testator obligatam, ab herede luenda est. *l.* 37. *ff. de Legatis* 1°.

Fundo legato si ususfructus alienus sit, nihilominùs petendus est ab herede. *l.* 66. § 6. *ff. de Legatis* 2°.

Fundus legatus, qualis (*b*) *est dari debet. Quòd si ita legatus sit*, UTI optimus maximus, *liber præstandus: ex l.* 116. § *fin. ff. de Legatis* 1°. & *l.* 59. § 3. *ff. de Legatis* 3°.

In omnibus servitutibus (*c*) quæ aditione (*d*) confusæ sunt, Doli exceptionem nocituram legatario, si non patiatur eas iterùm imponi. *l.* 18. *ff. de Servit.*

(*a*) Si nesciat, locus erit conjecturæ voluntatis; an non æquè hoc, aut aliud non minus, legaturus esset, si sciisset.

(*b*) Nec tenebitur heres, servitutes fundi, si usumfructum excipias, redimere. Hinc etiam non tenetur heres de evictione rei legatæ, nec de fugâ servi legati, nec præstare tenetur eum noxis solutum. Tit. *de Legatis* N. 315.

(*c*) Excepto usufructu.

(*d*) In legatis *per Damnationem.*

Quum

Source : BIU Cujas

Quum fundus nominatim legatus sit; si quid ei post testamentum factum adjectum (*e*) est, id quoque (*f*) legato cedit. *l.* 10. *ff. de Legatis* 2°.

Peculium legatum (*g*) augeri & minui potest, si res peculii posteà esse incipiant aut desinant. *l.* 65. *ff. de Legatis* 2°.

(*e*) Vel naturaliter, veluti alluvione, ædificatione; vel civiliter ex destinatione testatoris.
(*f*) Et vicissim si quid ademptum vel naturaliter vel civiliter, citrà factum culpam aut moram heredis, legatum minuitur: Tit. *de Legatis* N. 317.
(*g*) Idem dic de grege.

DCCLVI.

Cui, ubi, & quando præstanda.

1. Si & legatarius & substituti legatarii peterent..: eligere debet heres cui solvat, ut ab eo defendatur; & si neutrius manifesta calumnia videatur, ei potiùs solvendum cui primùm legatum est. *l.* 8. § 4. *ff. de Legatis* 2°.

2. Si res alibi sit quàm ubi petitur, constat ibi esse præstandum ubi relicta est; nisi alibi testator voluit. *l.* 47. *ff. de Legatis* 1°.

Si quis servum legaverit, & fugisset; si vivo testatore fugerit, expensis legatarii reducitur; si post mortem, sumptibus heredis. *l.* 8. *ff. de Legatis* 2°.

Quod pondere aut numero aut mensurâ (*a*) constat, ibi dari debet ubi petitur. *l.* 38. *ff. de Judiciis.*

3. Omnia quæ testamentis sine die vel conditione adscribuntur, ex die aditæ hereditatis præstantur (*b*). *l.* 32. *ff. de Legatis* 2°.

In pecuniâ legatâ, confitenti heredi modicum tempus ad solutionem dandum est. *l.* 71. § 2. *ff. de Legatis* 1°.

(*a*) Scilicet quum non relictum est certum corpus, sed quantitas.
(*b*) Nisi aliqua justa causa sit differendæ præstationis: putà, ut servus actor legatus rationes explicet, &c *d. tit.* N. 324. item si legatarius paratus non sit implere modum sub quo ipsi res relicta est: aut refundere sumptus quos circa eam heres fecit. Cæterùm accusatio falsi mota contrà testamentum, non differt legatorum præstationem; modo caveant legatarii, evictâ hereditate restituiri: *d. tit.* N. 134. ad 138.

DCCLVII.

Quæ appendices rei præstationem ejus sequantur.

Onera omnia & introitus militiæ *legatæ* ab herede sunt danda. *l.* 102. § 3. *ff. de Legatis* 3°.

Instrumenta prædiorum per fideicommissum relictorum, quæ ad probationem originis eorum pertinent, heredes præstare necesse non habent; cautionem tamen præstare debent, quòd (si opus fuerit) legatario proferant. *l.* 24. *Cod. de Fideicom.*

Usufructu loci legato, etiam accessus dandus est. *l.* 10. *ff. de Serv. præd.*

Fundo legato, instrumentum non aliter legato cedit nisi id expressum sit. *l. fin. ff. de Supell. leg.*

Is qui fideicommissum debet, post moram non tantùm fructus, sed etiam omne damnum quo affectus (*a*) est fideicommissarius, præstare cogitur. *l.* 26. *ff. de Legatis* 3°.

Etiam Respublica fideicommissi post moram (*b*) usuras præstare (*c*) cogitur. *l.* 78. § 2. ff. *de Legatis* 2°.

Tunc explorari moram oportet, quum de usuris fideicommissi quæritur, non de ipsis (*d*) fideicommissis. *l.* 10. § 1. *ff. de Alim. leg.*

Fructus hi deducuntur in petitionem, non (*e*) quos percepit, sed quos legatarius percipere potuit. *l.* 39. § 1. ff. *de Legatis* 1°.

(*a*) Idest, quidquid habuisset si mora ei facta non fuisset: Tit. *de Legatis* N. 333.
(*b*) Et hâc in re actio *Ex testamento* assimilatur actionibus *Bona fidei.*
(*c*) Ex more regionis.
(*d*) Id est, de ipsis quæ principaliter per fideicommissum relicta sunt. Hinc annua (*des arrérages de Pension*) non demùm ex die moræ, sed ex die quo legatum cessit, debentur: Tit. *de Alim. leg.* N. 8.
(*e*) *Non* solùm *quos.*

DCCLVIII.

Quando saltem æstimatio vice rei præstanda.

Apparet, quum per fideicommissum aliquid relinquitur, ipsum præstandum quod (*a*) relictum est; quum ipsum præstari non (*b*) potest, æstimationem esse præstandam. *l.* 11. § 17. *ff. de Legatis* 3°.

Species legatæ si non reperiantur (*c*), nec dolo (*d*) heredis deesse probentur, peti ex eodem testamento (*e*) non possunt. *l.* 32. § 5. *ff. de Legatis* 2°.

(*a*) Quòd si res quæ legata est, debita testatori erat, necdum ei tradita sufficiet heredi præstare legatario actionem: Tit *de Legatis* N. 342.
(*b*) Putà, si res aliena sit; quam dominus nolit, aut omninò, aut nonnisi immodico pretio vendere; aut mancipium proprium quidem, sed naturali cognatione sibi conjunctum.
(*c*) Aut desierunt esse in commercio. Secùs, si extent apud alium à quo redimi possint.
(*d*) Aut culpâ, aut post moram. Legatarius autem fideicommisso gravatus qui nihil ex eo retinet, dolum tantùm præstat: Tit. *de Legatis* N. 137.
(*e*) Nisi fortè ut caveatur de his, si inventæ fuerint, præstandis.

DCCLIX.

De præstatione Facti *legati.*

Si quis opus facere jussus, paratus sit pecuniam dare; cùm testator per ipsum id fieri voluerit. non audietur. *l.* 11. § *fin. ff. de Legatis* 3°.

In annos singulos heres damnatus finere me frui fundo; si initio anni moram fecerit, licèt posteà patiatur, tamen totius anni nomine mihi tenebitur. *l.* 2. *ff. de Ann. legat.*

§ XV.

Quatenùs à jure testamenti legata ac fideicommissa in eo contenta pendeant, eoque corruente corruant.

DCCLX.

1. Ex testamento quod jure non valet, nec fideicommissum quidem, si non ab intestato quoque succedentes rogati probentur (*a*), peti (*b*) potest. *l.* 19. *Cod. de Fideic.*

Nota. Enixæ (*c*) voluntatis preces, ad omnem successionis speciem porrectæ videntur. *l.* 77. § 23. ff. *de Lega is* 2°.

2. Si hereditatis judex contra heredem pronuntiavit, non agentem causam, vel lusoriè agentem, nihil hoc nocebit legatariis. *l.* 50. § 1. ff. *de Legatis* 1°.

(*a*) Quæ defuncti voluntas interdum præsumitur ex circumstantiis, putà ex arctissimâ necessitudine personæ cui relictum est: l. 38. ff. *de Fideic. libert.* ex enixis precibus, mox infrà.
(*b*) Etiamsi iidem qui testamento rogati sunt, ab intestato heredes essent: l. 81. ff. *de Legatis* 3°.
(*c*) Ut quum in rogando jusjurandum adhibuit: d. l. 77.

§ XVI.

Quomodo, corruentibus per destitutionem testamenti legatis ac fideicommissis, Prætor subveniat legatariis & fideicommissariis per Edictum; Si quis omissâ causâ testamenti, *&c.*

DCCLXI.

Liberum cuique esse debet, etiam lucrosam hereditatem omittere; licèt eo modo legata libertatesque intercidant. *l.* 17. ff. *Si quis om. caus. test.*

Modò sine dolo. Nam Prætor hoc Edicto Utiles actiones pollicetur eis (*a*) *quibus quid testamento relictum* (*b*)

(*a*) Legatariis & fideicommissariis tam hereditatis quàm rerum singularum; non ei qui duntaxat in conditione dandi positus est: Tit. *Si quis om. caus.* N. 15. Igitur etiam ei legatario cui liberum fuit ex substitutione totam hereditatem habere; non tamen ei qui ipse in Edictum peccasset, nec his quibus expresè relictum est in casum quo heres esset is qui omisit hereditatem: *d. tit.* N. 10, 22. 13.
(*b*) Putà, libertas, legatum, fideicommissum. Secùs de eo quod conditioni implendæ causâ daturus fuisset is qui omisit: *d. tit.* N. 15.

Source : BIU Cujas

est; adversùs heredes qui dolo prætermiserunt causam testamenti, ut sine onere ipsi vel alius hereditatem ab intestato possiderent.

DCCLXII.

Prætermittere est causam testamenti, si quis repudiaverit hereditatem (*a*). *l.* 1. § 6. *ff. Si quis omiss.*

Qui sunt in potestate... si abstinuerint se ex testamento, verum ab intestato petierint bonorum possessionem; hi incident in Edictum. *d. l.* 1. § 7.

Prætermittere causam testamenti videtur, qui quum posset jubere (*b*) noluit id (*c*) facere *d. l.* 1. § 2.

(*a*) Vel bonorum possessionem. Nec refert an ex primis, an ex secundis tabulis: *d. tit.* N. 2. oportet autem ut animo fraudandi legatarios fecerit.
(*b*) Ei quem in potestate habebat heredi scripto, ut adiret hereditatem.
(*c*) Sed maluit ex suâ personâ, cùm fortè ab intestato ipse vocaretur, adire.

DCCLXIII.

Prætor si invenerit testatorem ipsum permisisse ab intestato succedere; aut si qua alia (*a*) justa causa omittendi intervenerit, non dabit actionem. *l.* 6. § 3. ff. *d. tit.*

Si idem & institutus & substitutus prætermiserit institutionem; non puto incidere, quasi testator hanc ei dederit facultatem. *sup. d. l.* 1. § 5.

Nemo filio patrem contra votum parentum substituere videtur, sed ut arbitrium eligendi (*b*) relinquat. *l.* 26. § 1. ff. *d. tit.*

Non caret dolo pater, qui honore proprio omisso, propter compendium, alienam institutionem maluit. *d. l.* 26. *pr.*

(*a*) Putà; si quum patronus esset testatoris, scriptus esset ex minori parte quàm quæ ei debetur: Tit. *Si quis omiss.* N. 6.
(*b*) Contrà; quum testator substituit filium patri; non videtur hoc animo fecisse, ut patri relinqueret arbitrium; sed quòd cogitaret patrem posse præmori. Vide Regulam seq.

DCCLXIV.

Qui prætermissâ causâ testamenti, ab intestato possident; quoquo jure (*a*) possideant hereditatem vel partem (*b*) ejus, conveniri ex Edicto poterunt. *l.* 1. § 9. *ff. d. tit.*

Etsi non possideat quis hereditatem, dolo autem malo fecerit quominùs possideat, eveniet ut perindè teneatur ac si adiisset. *d. l.* 1. § 10.

Si quis vendiderit hereditatem, possidere videtur, non dolo feciisse quominùs possideat. *l.* 4. § *fin. ff. d. tit.*

Non minùs delinquit (*c*) qui non incipit possidere, quàm qui desinit. *d. l.* 1. § 12.

Et rectè dicetur; Ubicumque quis dum vult præstitutum ei qui se repudiante venturus est, non repudiaturus nisi præstitum vellet... adversùs possessorem competere actionem. Sic tamen ut, ubi quidem pecuniâ acceptâ repudiavit, ibi dicamus eum qui omisit conveniendum; ubi verò gratis, in fraudem tamen eorum quibus relictum est, possessorem debere conveniri Utili actione. *l.* 4. § 1. *ff. d. tit.*

Tales & eatenùs dantur ex hoc Edicto actiones legatariis, in eum qui omisit, quales & quatenùs (*d*) *competiissent si adiisset. Vide lib.* 29. *Tit.* Si quis omiss. caus. test. *toto Art.* 3°.

(*a*) Vel hereditatis vel bonorum possessionis, vel ut successor peculii castrensis, vel ut prædo non tamen si singulari titulo Empti, donati, &c.
(*b*) Et quidem vel minimam rem, si titulo hereditario.
(*c*) Declaratur per sequentem Regulam.
(*d*) Hinc & Falcidiam, & Quartam quæ jure patronatûs debetur, retinebit. Hinc pro eâdem parte tenentur. Vide tamen unam limitationem. *d. tit.* N. 27.

§ XVII.

De ademptione legatorum & fideicommissorum.

DCCLXV.

Quomodo admitantur.

1. Fideicommissa adimi possunt nudâ (*a*) voluntate. *l.* 3. § 11. *ff. de Adim. leg.*

(*a*) Legatorum autem ademptio, non ex verbis solemnibus sed ex nudâ voluntate facta; non quidem ipso Jure, sed per oppositam *Doli* exceptionem valebat Jure Justinianeo, etiam ipso Jure.

2. Nihil interest, inducatur quod scriptum est, an *expressè* adimatur. l. 16. ff. *d. tit.*

3. Inimicitiis interpositis, ... si quidem capitales vel gravissimæ intercesserint, ademptum videtur quod relictum est; sin levis offensa, manet fideicommissum. *d. l.* 3. § 11.

4. *Colligitur quoque adimendi legati aut fideicommissi voluntas, ex maledictis quibus in posteriori scripturâ defunctus legatarium impetiit; ex alienatione rei relictæ citra ullam rei familiaris necessitatem factâ, quamvis invalidâ, quamvis rem posteà redemerit; non etiam præsumitur ex solâ ejus oppigneratione. Denique ex mutatione voluntatis testatoris circa causam propter quam legasse videtur: d. Tit.* de Adim. leg. *Sect. 1ª. Art.* 1. §° 2°.

Nota. Ita demùm (*a*) à priore testamento velim recedit, si posterius valiturum sit. *l.* 18. *ff. de Legatis* 3°.

Item Non perdit legatum (*b*), vana (*c*) ademptio libertatis. *l.* 26. § 1. *ff. de Adim. leg.*

(*a*) Hinc sequitur non videri testatorem ademisse ea quæ priore testamento mihi reliquit, ex eo quòd nihil aut aliud quid in posteriore imperfecto mihi reliquerit.
(*b*) Servo proprio relictum.
(*c*) Putà, quia jam vivus eum manumiserat.

DCCLXVI.

Cui quid adimi possit.

Legatum nulli alii adimi potest, quàm cui datum est. *l.* 21. *ff. de Adim. leg.*

Si filio aut servo alieno legatum fuerit, domino aut patri adimi non potest. *d. l.* 21.

Utiliter non adimitur, nisi ipsa res quæ relicta est.

Qui hominem legat & Stichum adimit, non perimit legatum, sed extenuat. *l.* 11. *ff. de Adim. leg.*

Si plus quàm dedit ademerit; ademptio (*a*) valet. *l.* 3. § 5. *ff. d. tit.*

Pars (*b*) adimi potest. *l.* 2. § 2. ff. *d. tit.*

Quibus ex causis datio legati inutilis est, ex iisdem ademptio inefficax (*c*) habetur. *l.* 14. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Nam in eo quod *Plus* est; inest & quod dedit.
(*b*) Modò res legata ea sit quæ pro parte haberi possit saltem indivisâ.
(*c*) Putà servitus legata, inutiliter adimitur pro Parte; quemadmodum inutiliter legaretur pro parte.

DCCLXVII.

De Ademptionis effectu.

Legatum quum sub conditione adimitur, perindè est ac si sub contrariâ conditione datum fuisset. *l.* 10. ff. *d. tit.*

Non tamen illud confirmat, quod purè inutiliter relictum, potuisset utiliter sub conditione relinqui. Nam Ademptio, quominùs, non quo magis legatum debeatur, intervenit. *l.* 14. *ff. d. tit.*

§ XVIII.

De translatione legatorum.

DCCLXVIII.

De translatione à personâ in personam.

1. Sicut adimi legatum potest, ita & ad alium transferri. *l.* 5. ff. *d. tit.*

2. Etsi jam mortuo (*a*) eo cui legatum relictum erat, transtulerit, debetur. *l.* 3. *ff. d. tit.*

3. Legatum sub conditione relictum, & ad alium translatum, si non conditio personæ cohæreat, sub eâdem conditione (*b*) translatum videtur. *l.* 95. ff. *de Cond. & demonstr.*

(*a*) Idem est, quomodocumque acciderit ut in prioris legatarii personâ non consisteret legatum.
(*b*) Idem de die & onere; nisi diversam diem aut conditionem, diversum-ve onus, in translatione adscripsisset.

Source : BIU Cujas

4. Ubi transferre voluit legatum in noviſſimum, priori non debetur; tametſi noviſſimus talis ſit, in cujus perſonâ non (*c*) conſtitit. *l.* 34. *ff. de Legatis* 1°.

5. Si alii legetur (*d*) ſub conditione, quod purè alii datum eſt; non plenè receſſum videtur à primo, ſed ita demùm (*e*) ſi conditio ſequentis extiterit. *l.* 7. *ff. de Adim. leg.*

(*c*) Putà ſervus proprius cui ſine libertate relictum eſt. Idem & ſi defecerit.
(*d*) Animo transferendi: quod ex circumſtantiis colligitur, cujuſmodi plures vide Tit. *de Adim. leg.* Sect. 2ª. Art. I. §°. 3°.
(*e*) Niſi manifeſta ſit voluntas diſcedendi purè.

DCCLXIX.

De tribus aliis tranſlationum ſpeciebus.

1ª. *Species.* Si quod à Titio dedi, à Mævio dem; quamvis ſoleant eſſe duo ejuſdem rei debitores, tamen verius eſt hoc caſu ademptum (*a*) eſſe legatum. *l.* 6. § 1. *ff. de Alim. leg.*

2ª. *Species.* Si pro (*b*) fundo decem legentur, verius eſt ademptum (*c*) eſſe. *d. l.* 6. § 2.

3ª. *eſt quoque tranſlationis ſpecies; ſi, quòd purè alicui legatum eſt ſine onere, ei poſteà ſub conditione aut cum onere legetur.*

(*a*) A Titio, ut in Mævium onus transferatur. Talis tranſlatio non intelligitur in ſpeciebus legis 104. ff. *de Legatis* 1o. & legis 33. § 1. ff. *de Legatis* 2°.
(*b*) Licèt non expreſſerit, *pro fundo*: ſed circumſtantiæ hoc ſuadeant.
(*c*) *Fundi* legatum, & in legatum *Decem* tranſlatum.

§ XIX.

De extinctione legatorum morte legatarii, interita rei legatæ, aut quum in eum ſtatum illa devenit ut legari non potuiſſet.

DCCLXX.

Intercidit legatum, ſi perſona deceſſerit (*a*) cui legatum eſt. *l.* 54. *ff. de Cond. & demonſtr.*

Si quis in civitate eſſe deſierit, non interim extinguitur legatum; quia reſtitui in civitate poteſt. Non (*b*) idem dicendum, ſi ea pœna ſtatuta fuerit quæ ſervitutem irrogat. *d. l.* 54.

(*a*) Antequàm dies legati ceſſerit Regula fallit, ſi legatum alicui non ut tali perſonæ ſed ut tali dignitate prædito relictum ſit; ut *Principi*, *Prætori*, *&c.* Tit. *de Legatis* N. 352.
(*b*) Vide rationem diſparitatis in Notis ad Titulos *de Legatis* N. 352.

DCCLXXI.

Si certum corpus heres dare damnatus ſit, ſi id poſteà ſine dolo & culpâ (*a*) heredis perierit, deterior fit legatarii conditio (*b*). *l.* 26. § 1. ff. *de Legatis* 1°.

Mortuo bove qui legatus eſt, neque corium neque caro debetur. *l.* 49. *ff. de Legatis* 2°.

Quî fieri poteſt ut legatum vel fideicommiſſum durare exiſtimetur; cùm id quod teſtamento dabatur (*c*), in ſuâ ſpecie non permanſerit? *l.* 6. § 1. *ff. de Aur. arg. leg.*

(*a*) Et ante moram.
(*b*) Nec ipſum debetur; nec acceſſoria, etiamſi quædam ſuperſint: *d. tit.* N. 364.
(*c*) Hinc lanâ legatâ, veſtis ex eâ facta non debetur. Quòd ſi eadem ſpecies duret, ſed aliquid ei addatur (putà ædificium areæ legatæ) vel aliquid detrahatur; durat legatum.

DCCLXXII.

Si heres alienum hominem dare damnatus ſit, & à domino manumiſſus (*a*) ſit, nihil debetur. *l.* 35. *ff. de Legatis* 1°.

Si quis ea quæ legavit, ædibus junxit; extinctum eſt legatum. Sed ſi heres junxit (*b*), puto non extingui. *l.* 41. §§ 15 & 16. *ff. de Legatis* 1°.

(*a*) Quia in eum caſum devenit quo legari non potuiſſet, & quidem citra factum heredis.
(*b*) Licèt ignorans: d. l. 41.

DCCLXXIII.

Quæ acceſſionum (*a*) locum obtinent, extinguuntur quum principales res peremptæ fuerunt. *l.* 2. *ff. de Pecul. leg.*

(*a*) Exemplum hujus regulæ in legato ſervi *Cum peculio*: non durat legatum peculii mortuo, manumiſſo, vel alienato ſervo. Secùs, ſi ſervus *Cum vicariis* legatus ſit, aut ancilla *Cum natis*; quia homo hominis acceſſio non eſt.

§ XX.

De extinctione legatorum per repudiationem.

DCCLXXIV.

Si legatum nobis relictum conſtituerimus nolle ad nos pertinere, pro eo erit quaſi nec (*a*) legatum quidem ſit. *l.* 38. § 1. *ff. de Legatis* 1°.

(*a*) Adeòque nulla fiet confuſio ſervitutum.

DCCLXXV.

Quis, quando, & quomodo repudiare poſſit.

1. Legatum (*a*) ſervo delatum, dominus poteſt repudiare (*b*). *l.* 7. *ff. de Legatis* 1°.

2. Si ſub conditione, vel ex die certâ legatum ſit; ante conditionem vel diem certam (*c*) repudiare non poſſumus. *l.* 45. § 2. *ff. de Legatis* 2°.

3. Legatarius pro parte acquirere, pro parte repudiare legatum non poteſt; heredes (*d*) ejus poſſunt. *l.* 38. *ff. de Legatis* 1°.

Hinc Si cui res legata fuerit, & omninò aliquâ ex parte voluerit ſuam eſſe; totam acquirit. *l.* 58. *ff. de Legatis* 2°.

At Duobus legatis relictis, unum repudiare, alterum amplecti poſſe reſpondetur. Sed ſi unum ex legatis onus habet, & hoc repellatur; non idem dicendum. *l.* 5. *ff. d. tit.*

Quoties nominatim plures res in legato exprimuntur, plura (*e*) legata ſunt. *l.* 2. *ff. de Legatis* 2°.

Si illud aut illud legatum ſit, unum legatum eſt. *l.* 27. ff. *d. tit.*

(*a*) Nam & citra ſervi conſenſum ei acquiritur.
(*b*) Quod ſi filio relictum ſit; repudiatione patris non extinguitur, ſed filio conceditur. Et pariter manumiſſo ſervo conceditur, ſi poſt manumiſſionem dominus repudiaverit: l. 10. ff. *de Opt. leg.* l. 26. Cod. *de Fideic.*
(*c*) Vide Notas ad hanc l. Tit. *de Legatis* N. 367.
(*d*) Idem dic de duobus dominis legatarii ſervi.
(*e*) Adeoque unam agnoſcere, alteram repudiare poſſunt.

DCCLXXVI.

Regula eſt; Omnibus quibus fideicommiſſum relictum eſt, ad diſtractionem conſentientibus, nullam fideicommiſſi petitionem (*a*) ſuperfuturam. *l.* 120. § 1. ff. *de Legatis* 1°.

(*a*) Tacitè enim colligitur ex hoc conſenſu repudiatio fideicommiſſi: hoc ita, niſi circumſtantiæ aliud ſuadeant. Non colligitur autem ex eo ſolo quod legatarius alienationi ut teſtis adfuerit: *d. tit.* N. 371 & 372.

§ XXI.

De Conjunctis, & jure accreſcendi.

DCCXXVII.

Conjunctim heredes inſtitui, aut conjunctim legari; hoc eſt, totam hereditatem & tota legata ſingulis data eſſe; partes autem concurſu fieri. *l.* 80. ff *de Legatis* 3°.

Si eadem res duobus (*a*) legata ſit, ſive conjunctim, ſive (*b*) disjunctim; ſi ambo perveniant ad lega-

(*a*) Vel pluribus.
(*b*) Qui *Conjuncti*, qui *Disjuncti* ſeu *Re* duntaxat conjuncti dicantur, vide Tit. præced. in verb. CONJUNCTI.

Source : BIU Cujas

tum, ſcinditur inter eos legatum. *Inſtit.* Tit. *de Legat.* § 8.

In legato pluribus legato ſi partes adjectæ non ſint, æque ſervantur (*c*). l. 19. § 2. ff. *de Legatis* 1°.

Si conjuncti disjunctis commixti ſint, conjuncti unius perſonæ vice (*d*) funguntur. *l.* 34. ff. *d. tit.*

(*c*) Etiamſi ſcriptis ex diſparibus partibus heredibus legatum ſit : Tit. *de Legatis* N. 423.

(*d*) Et inter conjunctos, ſi quis propriâ, quidam autem collectivâ appellatione comprehenſi ſint; hi unius perſonæ vice fungentur; niſi ex circumſtantiis alia mens teſtatoris fuiſſe videatur; item niſi ita comprehenſi ſint quia propriam appellationem non habebant, ut quum *Titio & poſthumo* legatur, & plures naſcuntur poſthumi.

DCCLXXVIII.

Si eadem res duobus legata ſit, ſive conjunctim ſive disjunctim ... ſi alter deficiat ... totum (*a*) ad collegatarium pertinet. *Inſtit.* Tit. *de Legat.*

Si mihi purè, ſervo meo vel purè vel ſub conditione eadem res legata eſt; egoque legatum quod mihi datum eſt repudiem; deindè conditione exiſtente, id quod ſervo meo legatum eſt, velim ad me pertinere... omnimodo legatum (*b*) meum fiet. *l.* 59. ff. *de Legatis* 2°.

Uno ex collegatariis deficiente, Pars legati ... accreſcit etiam heredi ejus cui legatum eſt. *l.* 26. § 1. ff. *de Condit. & dem.*

(*a*) Nec jam diſtinguitur, quo genere legati relictum ſit, nec an perſona collegatarii ſit ex his quibus jus antiquum ſervabatur. De quibus diſtinctionibus vide Tit. *de Legatis* Part. 5*a*. Sect. 2*a*. Art. 2°.

(*b*) Id eſt, totum; etiam pro parte quam repudiavi; utpotè quæ accreſcit ei parti quam poſteà agnovi.

(*c*) Si parte ſuâ jam acquiſitâ deceſſit.

DCCLXXIX.

In jure accreſcendi Præfertur cæteris (*a*), qui re & verbis conjunctus eſt. *l.* 89. ff. *de Legatis* 3°.

Inter plures collegatarios, quibus pars deficientis accreſcit; Pro portione (*b*) legati, cuique eorum accreſcit. *l.* 41. ff. *de Legatis* 2°.

(*a*) Qui re tantùm conjuncti ſunt.

(*b*) Putà; ſi totus fundus *Caio*, dimidia fundi *Seio*, eadem dimidia *Titio* legata ſit; in parte Titii deficientis quæ *Caio* & *Seio* accreſcet, duplam partem *Caius* cui totus fundus legatus eſt feret.

DCCLXXX.

In uſufructu legato Toties jus accreſcendi eſt, quoties in duobus qui in ſolidum habuerunt (*a*), concurſu diviſus eſt. *l.* 3. ff. *de Uſufr. accreſc.*

Uſusfructus Conſtitutus & poſteà amiſſus, nihilominùs jus accreſcendi admittit ... *quia* uſusfructus quotidie conſtituitur & legatur, non ut proprietas eo ſolo tempore quo vindicatur. *l.* 1. § 3. ff. *d. tit.*

Portio fundi, portioni; perſonæ fructus accreſcit. *l.* 33. § 1. ff. *de Uſufr.*

Pars uſusfructûs, etiam non habenti partem ſuam, ſed amittenti accreſcit. *l.* 10. ff. *de Uſufr. accreſc.*

(*a*) Secùs ſi ſinguli ab initio ſingulas partes in legato habuerunt. Et in hoc convenit uſusfructus cum proprietate. Differentiæ verò traduntur in Regulis ſequentibus.

ARTICULUS II.

De diverſis ſingularibus ſpeciebus legatorum & fideicommiſſorum.

De Legato Partis *bonorum aut hereditatis, quod Jure Juſtinianeo exolevit exæquatis Legatis & fideicommiſſis, vide Tit.* de Legatis *N.* 451 *& ſeq.*

§ I.

De eo quod relinquitur ei Quem heres elegerit.

DCCLXXXI.

Si ita ſit fideicommiſſum relictum, CUI EORUM VOLES reſtituas; ſi nullum elegiſſet (*a*) cui reſtitueret, omnibus (*b*) deberi Antoninus reſcripſit. *l.* 21. § 1. ff. *de Statulib.*

Facultas (*c*) neceſſariæ electionis, propriæ liberalitatis beneficium non eſt. *l.* 67. § 1. ff. *de Legatis* 2°.

(*a*) Intra diem conditionem-ve fideicommiſſo adjectam: aut, ſi nulla adjecta eſt, ſi nullum elegit antequàm petatur. Si rogatus ſis reſtituere *Ei quem elegeris quum morieris:* electæ perſonæ dies fideicommiſſi non cedet priùs quàm moriaris. Item hoc ipſo videberis aliquem elegiſſe, quod eum heredem ſcripſeris: Tit. *de Legatis* N. 433. & 434.

(*b*) Qui tunc ſupererunt.

(*c*) Senſus eſt; in ſpecie fideicommiſſi de quo hîc agitur, eum quem heres elegit ut ipſi reſtitueret, nihil videri accipere ex liberalitate hujus heredis, adeoque non patietur Falcidiam ab hujus heredis herede, nec fideicommiſſo gravari poterit, &c.

§ II.

De eâ ſpecie fideicommiſſi quæ inducitur ex prohibitione alienandi.

DCCLXXXII.

Qui teſtamento vetant quid alienari, niſi invenitur perſona (*a*) cujus reſpectu hoc à teſtatore diſpoſitum eſt, nullius eſt (*b*) momenti. *l.* 114. § 14. ff. *de Legatis* 1°.

Teſtator qui plures vetuit extra familiam alienare, Eos ad fideicommiſſum videtur invitaſſe qui judicio (*c*) paruerunt. *l.* 77. § 27. ff. *de Legatis* 2°.

(*a*) Aut certa; aut generaliter, *Poſteri*, *Familia*.

(*b*) Quum autem apparet eum hoc vetuiſſe ut familiæ conſuleret; inducitur ex hâc prohibitione fideicommiſſum rei reſtituendæ Et quidem ſi prohibitus ſit heres alienari *quoad vixerit*; ſolæ alienationes inter vivos fideicommiſſum committunt; ſi ſimpliciter prohibitus ſit, committetur fideicommiſſum ſive teſtamento ſive inter vivos res alienetur. Utroque caſu non committitur, ex eo quòd heredem ab inteſtato extraneum reliquerit, nec committitur etiam ex alienationibus neceſſariis quæ non ex facto heredis proficiſcuntur.

(*c*) Putâ, ſi quatuor ſint; *is* qui primus partem ſuam alienaverit, non admittetur ad fideicommiſſum partis quam ſecundus alienabit.

§ III.

De legatis Annuis.

DCCLXXXIII.

Quum in annos ſingulos legatur, plura legata eſſe placet. *l.* 11. ff. *Quand. dies legat. ced.*

Si in ſingulos annos alicui legatum ſit ... primi anni purum, ſequentium conditionale eſt. *l.* 4. ff. *de Ann. leg.*

In omnibus quæ in annos ſingulos relinquuntur, hoc probaverunt; ut initio cujuſque anni, hujus legati dies cederet. *l.* 12. § 1. *Quand. dies leg.*

Quum in annos ſingulos legatur, per ſingula legata jus capiendi inſpicitur. *l.* 11. ff. *de Ann. leg.*

DCCLXXXIV.

Si cum præfinitione (*a*) annorum legatum fuerit ... ſi quidem alimentorum nomine, plura eſſe legata; ſi verò non pro alimentis legavit, ſed in plures penſiones diviſit, omnium annorum unum (*b*) legatum eſſe. *l.* 20. ff. *Quand. dies leg.*

Legatum eſt Attiæ donec nubat, nec adjectum IN ſingulos annos. Rectiùs dicetur, in ſingulos annos (*c*) deberi. *l.* 17. ff. *de Ann. leg.*

(*a*) Ut ſi *Dena* legata ſint uſque ad decem annos.

(*b*) Contrà, ſi ſine præfinitione annorum *Dena* in ſingulos annos legata eſſent; plura eſſent legata.

(*c*) Quod colligitur ex hoc adverbio *Donec*. Similis præſumptio colligetur ex eo quòd quantitas relinquitur eo die præſtanda qui naturâ ſuâ recurrere ſolet. Tit. *de Ann. leg.* N. 10.

Source : BIU Cujas

§ IV.

De legatis alimentorum.

DCCLXXXV.

Quid contineant, vide Tit. præced.

Quum alimenta relicta sunt, non adjectâ quantitate; ante omnia inspiciendum quid defunctus solitus fuerit ei præstare, deindè quid cæteris ejusdem ordinis reliquerit. Si neutrum appareat, tum ex facultatibus defuncti & caritate ejus cui relictum est, modus statui debebit. *l.* 22. ff. *de Alim. leg.*

Alimenta legata, Si non paret quid sentiat *testator*, per totum tempus (*a*) vitæ relinquuntur. *l.* 14. *ff. d. tit.*

Si alimenta QUÆ VIVUS PRÆSTABAT, reliquerit; ea demùm præstabuntur quæ mortis tempore præstare (*b*) solitus erat... Si fortè variè præstiterit... dicendum eam præstationem sequendam quæ novissima fuit. *d. l.* 14. § 2.

Solent judices ex causâ alimentorum libertos dividere, quoties plures sunt heredes; ne à singulis heredibus minutatim alimenta petentes distringantur. *l.* 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Non duntaxat usque ad pubertatem, ut quidam putabant: nisi hoc adjectum: quo casu, usque ad plenam pubertatem debentur.

(*b*) Et quidem, etiam habitatio, si eam præstabat: *d. tit.* N. 12. Si testator cum aliquo in commune præstabat, non continetur nisi quod pro parte suâ præstabat testator: *Ibid.* N. 15. Si propter aliquam causam accidentalem, testator per aliquam anni tempestatem non præstiterit, aut ab aliquot annis quæ superioribus annis præstari consueverat præstare desierit; non ideò minùs tenebitur heres præstare. N. 16. & 17.

DCCLXXXVI.

Divus Marcus Oratione in Senatu recitatâ effecit, ne aliter alimentorum (*a*) transactio (*b*) rata esset, quàm si auctore Prætore facta. *l.* 8. ff. *de Transact.*

De alimentis quæ non mortis causâ donata sunt, licebit & sine Prætore transigi. *d. l.* 8. § 2.

De alimentis præteritis (*c*) transigi potest. *l.* 8. *Cod. de Transact.*

Eam transactionem Oratio improbat; quæ idcircò fit ut quis repræsentatam pecuniam consumat (*d*). *l.* 8. § 6. ff. *de Transact.*

Vult Oratio apud Prætorem de istis quæri, imprimis de causâ transactionis (*e*), deindè de modo (*f*), tertiò de personâ transigentium (*g*). *d. l.* 8. § 8.

Si quis de alimentis transegerit sine Prætoris auctoritate; id quod datum est, in præterita (*h*) alimenta cedet. *d. l.* 8. § 22.

Qui transigit de alimentis, non videbitur (*i*) nec de habitatione nec de vestiario transegisse. *d. l.* 8. § 12.

(*a*) Mortis causâ relictorum. Nec refert an in singulos annos, menses, dies-ve, relicta sit; an relicta sit una summa ex cujus usuris se alet. Cæterùm hoc non trahe ad legata annua, quæ non alimentorum nomine relicta sunt.

(*b*) *Transactio* hìc largè ponitur pro quâlibet conventione. Non magis autem de lite super legato alimentorum, quàm de ipsis alimentis transigi potest: Tit. *de Transact.* N. 27.

(*c*) *Des arrérages qui en sont échus.*

(*d*) Non ergo illam quâ melior fieret causa alimentarii; putà, si paciscereturut quid in singulos annos relictum, in singulos menses præstetur.

(*e*) An aliqua justa causa fuerit transigendi; qualis est, si justa causa urgeat præsentis pecuniæ, vel longinquitas domicilii heredis, &c.

(*f*) *De modo* pecuniæ scilicet quæ pro alimentis datur, pro ætate & valetudine legatarii.

(*g*) Tam legatarii, quàm ejus à quo relicta sunt; putà an legatarius sit qui sibi sufficere possit, an is qui ab alimentis pendeat.

(*h*) Futuris autem non poterit compensari.

(*i*) Nec obstat quod dictum est Tit. præced. in Verb. ALIMENTA. Idem enim favor qui ibi suadet alimenta largè accipi; hìc ea strictè accipi suadet.

DCCLXXXVII.

Pecuniæ sortem alimentis libertorum destinatam, unum ex heredibus secundùm voluntatem defuncti præcipientem, cavere non esse cogendum DEFICIENTIUM PARTES COHEREDIBUS REDDI, placuit (*a*). *l.* 8. ff. *de Alim. leg.*

(*a*) Magis enim legatarius hujus summæ sub onere fideicommissi alimentorum, quàm nudus executor ac minister videtur.

§ V.

De legatis ususfructûs, habitationis, reditûs.

DCCLXXXVIII.

Quanquam ususfructus in fruendo consistat, tamen semel cedit dies. *l. un.* ff. *Quand. dies ususfr.*

Si ususfructus cui per dies singulos legetur; puto non cedere simul, sed per tempora adjecta, ut plura legata sint. *d. l. un.*

Quum ususfructus alternis annis legatur, plura legata sunt. *l.* 13. ff. *de Usufr. leg.*

DCCLXXXIX.

Post Senatusconsultum, nulla res est quæ non cadit in ususfructûs legatum. *l.* 69. ff. *ad L. Falcid.*

Fructu bonorum legato usuras nominum in hereditate relictorum ante cautionem interpositam debitas, velut sortes in cautionem deduci necesse est. *l.* 24. ff. *de Usufr. leg.*

Usufructu bonorum legato: Heredis esse electionem utrùm rerum an æstimationis usumfructum præstare vellet. *l.* 32. § 8. *ff. d. tit.*

Rerum an æstimationis ususfructus legetur (*a*), interest. *l.* 42. § 1. ff. *de Usufr.*

(*a*) Primo casu deducitur si quid tibi præterea legatum est; 2°. casu non deducitur. Vide rationem disparitatis in d. l. 42.

DCCXC.

Si relictus sit domûs ususfructus HABITANDI CAUSA... solam habitationem videri relictam. *l.* 10. § 2. ff. *de Usufr. leg.*

Reditûs legatum continet annuam quantitatem (*a*) quam quis ex locatione fundi redigere consueverat. *l.* 38. ff. *de Usufr. leg.*

(*a*) Non ergo ex hoc legatarius consequitur jus aliquod in re; quam heres distrahere potest, & quâ uti prohibere potest legatarium cui duntaxat annua quantitas debetur.

§ VI.

De legato Dotis.

DCCXCI.

Quum dos relegatur, verum est dotis legato inesse quod actioni (*a*) DE DOTE inerat. *l.* 1. ff. *de Dot. præleg.*

Verum est, commodum in dote relegatâ esse (*b*) repræsentationis. *d. l.* 1. § 2.

Dote relegatâ; non est heres audiendus, si velit solutionem differre ob impensas alias quàm quæ ipso (*c*) Jure dotem minuunt. *l.* 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Hinc re dotales inæstimatæ, erunt mulieris periculo; tenebitur stare colono. Hinc nihil erit in legato, si vir aut dotem non acceperit, aut eam jam vivus restituerit, aut alteri quàm uxori restituenda sit. Cæterùm valebit legatum, quamvis non ab ipso testatore, sed à parte ejus qui eam accepit, dos debeatur. Tit. *de Dot. præleg.* N. 2. & 3.

(*b*) Scilicet quod statim ex legato dos peti possit; quæ actione De dote peti non posset nisi *Annuâ, bimâ, trimâ* die.

(*c*) Quales sunt necessariæ. Utiles non reputabit uxori legatariæ dotis; & in hoc plenior est actio ex illâ relegatione, quàm actio *De dote*. Nota, aliud obtinere quum ab extraneo dos legatur: *d. tit.* N. 4.

§ VII.

De legato Peculii.

DCCXCII.

Quando legatum peculium videatur.

His qui à superstitibus manumittuntur, tacitè concessum (*a*) peculium si non adimatur. *Testamento manumissis* nisi specialiter (*b*) fuerit datum, penès successores remanet. *l. un. Cod. de Pecul. ejus qui libert.*

(*a*) Exceptis rebus quas professioni peculii subtraxisset.

(*b*) Aut saltem hoc ex evidentissimis consequentiis colligatur, putà quod jussus sit ex peculio aliquid heredibus inferre: l. 8. § 1. ff. *h. tit.*

Source : BIU Cujas

Si legatus fuerit ſervus, peculium non (c) ſequitur niſi legetur. *l.* 2. ff. *de Pecul. leg.*

(c) Fallit regula, quum ſervo munumiſſo vicarius ipſius legatur; vicarii enim peculium continetur: *d. tit.* N. 3.

DCCXCIII.

Quid contineat.

Quum peculium ſervo legatur, non etiam id conceditur ut petitionem habeat pecuniæ quam ſe in rationem domini impendiſſe (a) dicit. *l.* 6. § 4. ff. *d. tit.*

Peculio legato; conſtat heredem, ſi quid debeat (b) ſervo, reddere legatario debere. *l.* 5. *ff. d. tit.*

Legatarius peculii, peculiares debitores convenire niſi mandatis ſibi actionibus (c) non poteſt. *l.* 53. ff. *de Pecul.*

In *legatarium peculii*, Creditoribus peculiariis actiones non (d) competunt. *l.* 18. ff. *de Pecul. leg.*

Non ſolùm quod domino (e) debetur, peculio legato deducitur; ſed & ſi quid heredi debitum fuit. *l.* 6. § *fin.* ff. *d. tit.*

Legatum peculii ſi ipſi ſervo legetur, id tempus ſpectandum quo dies legati cedit; ſi verò extraneo, mortis tempus; ſic tamen ut incrementa ex rebus peculiaribus ad eum pervenirent. *l.* 8. § *fin.* ff. *de Pecul. leg.*

(a) Quamvis hoc augeat peculium, & in eo computetur quum creditor de peculio agit.
(b) Proprio nomine.
(c) Tenetur autem heres eas ipſi mandare.
(d) Sed in heredem; quem legatarius adversùs eos debet defendere.
(e) Et conſervis ſuis, non tamen vicariis ſuis.

§ VIII.

De legato Liberationis *; & de contrariâ legati ſpecie, quo quis ſuo creditori relinquit quod ei debetur; necnon de legato, ut* Rationes *non reddantur.*

DCCXCIV.

Liberationem (a) debitori poſſe legari, jam certum eſt. *l.* 3. ff. *de Liber. leg.*

Non ſolùm noſtrum debitorem (b), ſed & heredis, & cujuſlibet alterius, ut liberetur legare poſſumus. *l.* 8. *ff. d. tit.*

Si mihi liberatio ſit relicta, quum ſolus ſim debitor; ſive à me petatur, exceptione uti poſſum; ſive non petatur, poſſum (c) agere ut liberer per acceptilationem. *l.* 3. § 3. ff. *d. tit.*

Julianus ſcripſit; Si quidem ſocii non ſimus, pacto me debere (d) liberari; ſi ſocii, per acceptilationem (e). *d. l.* 3. § 3.

Heredem damnatum à fidejuſſore non petere, à reo (f) petere poſſe; ſed à reo vetitum, ſi à fidejuſſore petat, reo (g) ex teſtamento teneri. *l.* 2. ff. *de Lib. leg.*

Si damnatus ſit heres filium alicujus liberare, videtur... quaſi acceptilatione debeat liberari: quæ res quoque (h) patri prodeſt. *l.* 5. § 3. *ff. d. tit.*

(a) Sive totius debiti ſive partis, item ſive expreſsè legando liberationem, ſive legando rem debitam, ſive damnando heredem ne petat, ſive reddendo mortis causâ chirographum.
(b) Et quidem ex quâcumque causâ, item etſi ſub conditione debitor ſit.
(c) Fallit regula, ſi heres damnatus ſit non petere intra certum tempus, aut non petere à ſolâ legatarii perſonâ. Quòd ſi ex duabus rebus quas debebam una mihi legata ſit; mihi per acceptilationem ab utràque liberatio præſtabitur. Tit. *de Liberat. leg.* N. 9.
(d) *Me* legatarium, *pacto* liberationis: non per acceptilationem ne liberetur correus meus cui teſtator conſultum noluit, & quem liberari meâ non interſit.
(e) Niſi enim & ille liberaretur, ego non liberarer propter regreſſum actionis *Pro ſocio.*
(f) Legatarii enim non intereſt à reo peti.
(g) Ejus enim intereſt, propter regreſſum fidejuſſoris adversùs ipſum.
(h) Intereſt enim filii liberari patrem; ne ſuum peculium minuatur, ex quo deduceret pater quod pro ipſo ſolviſſet. Contrà obtinet in caſu converſo, quum legata eſt liberatio patri qui de peculio tenetur.

DCCXCV.

Debitor non ſemper QUOD DEBET, jure legat; ſed ita, ſi plus ſit in (a) ſpecie legati. *l.* 66. ff. *de Legatis* 2°.

(a) Putà, ſi determinatè legetur quod alternativè duntaxat debeatur: ſeu ſub leviori conditione, aut citeriori die, opportuniori-ve loco præſtandum relinquatur.

DCCXCVI.

Vetitus RATIONES REDDERE, non hoc conſequitur ut ne quod apud eum ſit reddat, ſed... ut negligentiæ ratio non habeatur. *l.* 119. ff. *de Legatis* 1°.

§ IX.

De Legato Optionis, *legato* Generis, *& Alternativo.*

DCCXCVII.

1. Optionis legatum, habebat olim in ſe conditionem (a); & niſi ipſe legatarius optaſſet, ad heredem non tranſmittebat legatum. *Inſtit.* Tit. *de Legat.*

2. Nec à (b) filiofamilias ſine juſſu patris optari poteſt. *l.* 10. ff. *de Legatis* 1°.

3. Placet non poſſe ante aditam (c) hereditatem optari. *l.* 16. ff. *de Opt. leg.*

4. Legatarius optabit quem (d) velit. *l.* 2. ff. *d. tit.* *Hinc* Si, quum optio ſervi legata eſſet, heres aliquem priuſquàm optaretur manumiſit; ad libertatem eum interim non perducit (e). *l.* 14. ff. *d. tit.*

5. Divus Pius reſcripſit; Eum cui ſervorum legata ſit electio, tres poſſe eligere. *l.* 1. ff. *d. tit.*

6. Semel duntaxat optare poſſumus. *l.* 5. ff. *de Legatis* 1°.

Si non omnibus... exhibitis legatarius elegiſſet, integram ei optionem manere (f) placet. *l.* 4. ff. *de Opt. leg.*

Si quis optaverit alienum, optionem puto non conſumi. *l.* 2. § 2. ff. *d. tit.*

(a) Videbatur hoc legato, factum optandi relinqui; non res, niſi ſub eâ conditione SI fuiſſent electæ; adeòque dies hujus legati non cedebat, niſi aut electio facta eſſet, aut genus recidiſſet ad eum numerum cujus optio relicta eſſet. Poterat tamen interim legatarius agere *Ad exhibendum* ut optare poſſet: Tit. *de Opt. Leg.* N. 1. 2. 4. Jure Juſtinianeo, hoc legatum purum eſt; tranſitque ad heredem legatarii, optandi facultas: ut in legato *Generis* de quo N. ſeq.
(b) Cùm optio ſit facti, ipſe quidem filiusfamilias cui legatum relictum eſt optare debet, non pater cui jus legati quæritur: ſed patris juſſus debet expectari.
(c) Teſtamento autem per aditionem vel unius ex heredibus confirmato, poterit legatarius quandocumque volet optare; ſic tamen ut petentibus his quorum intereſt, judex præfiniat tempus ad optandum: quo elapſo, ſi de rebus quarum electio relicta eſt diſponere cæperit heres; nec in his quas adhuc retineret, ſuperſit legatario electio: *d. tit.* N. fin.
(d) Sic ut nec eum ſervum cujus aditæ hereditatis die pendebat libertas, nec eum de quo quæſtio habenda ſit, optare poſſit.
(e) Sed retro confirmabitur ejus libertas, ſi legatarius eum non optaverit.
(f) Niſi ſciviſſet legatarius alios eſſe qui non exhibebantur.

DCCXCVIII.

Hominis (a) legatum, orationis compendio ſingulos (b) homines continet. *l.* 66. § 3. ff. *de Legatis* 2°.

Homine generaliter legato, arbitrium eligendi quem acciperet ad legatarium (c) pertinet. *l.* 2. § 1. ff. *de Opt. leg.*

Legato generaliter relicto, veluti hominis, id obſervandum ne optimus vel peſſimus accipiatur. *l.* 37. ff. *de Legatis* 1°.

Heres generaliter dare damnatus, ita dare debet ut habere liceat... Si verò certus homo legatus eſt, talis debet dari qualis eſt. *l.* 45. § 1. *ff. d. tit.*

(a) Idem dic de quovis alio genere legato.
(b) Ita tamen ut non omnes teſtatoris ſervos, ſed unum ex illis vindicare poſſit; &, ſtatim atque elegerit, cæteri deſinant legato contineri.
(c) Jure Pandectarum hoc ita obtinebat, ſi legatum eſſet per *Vindicationem* Jure Juſtinianeo, ſublato diſcrimine legatorum: obtinet indiſtinctè.

Source : BIU Cujas

DCCXCIX.

Cùm ILLUD AUT ILLUD legetur, enumeratio plurium rerum disjunctivo modo comprehensa, plura legata non facit. *l.* 25. *Quand. dies leg. ced.*

Corollarium. Si purè fundum alterum VEL alterum sub conditione legaverit, pendente conditione non erit (*a*) electio; nec, si moriatur, ad heredem transisse legatum videbitur. *d. l.* 25.

Illud AUT illud, utrum elegerit legatarius; nullo à legatario electo, ad heredem transmitti (*b*) placuit. *l.* 19. ff. *de Opt. leg.*

In legato alternativo Quum semel dixerit heres (*c*) utrum dare velit, mutare sententiam non poterit. *l.* 11. § *fin.* ff. *de Legatis* 2°.

Ex duobus putà servis alternativè relictis; Placuit, & si alter decesserit, alterum omnimodo (*d*) præstandum. *l.* 47. § 3. ff. *de Legatis* 1°.

(*a*) Conditio enim vel alteri fundo apposita; legatum quod unicum est, suspendit.
(*b*) In eo differt *Alternativum* legatum, à legato *Optionis.*
(*c*) Cui electio data est. Idem dic de legatario, quum ipsi data est: *d. tit.* N. fin Quum autem non expressit testator quis eligeret, dic ut in legato generis suprà N. præced. cum Notis.
(*d*) Quod si ex duabus rebus altera non interiit, sed amissa sit; debet heres præstare, aut eam quam habet, aut absentis æstimationem.

§ X.

De legato Quantitatis.

DCCC.

Quum certum pondus (*putà*) olei, non adjectâ quantitate legatur; liberum est heredi, cujus velit generis solvere. *l.* 4. ff. *de Trit. vin. leg.*

ARTICULUS III.

De Lege Falcidiâ, quæ demùm usque ad dodrantem bonorum legari permittit, Quartamque eorum illibatam heredi servari.

§ I.

Quibus Quarta bonorum ex Lege Falcidiâ servetur.

DCCCI.

Quæ solis heredibus testamentariis prospexerat Lex Falcidia, inducta est à Divo Pio etiam in intestatorum successionibus propter fideicommissa. *l.* 18. ff. *ad L. Falc.*

Patri peculii castrensis successori, Debet id quoque indulgeri Legis beneficium. *d. l.* 18.

Nunquam legatarius vel fideicommissarius, licèt ex Trebelliano Senatusconsulto restituatur ei hereditas, utitur Lege (*a*) Falcidiâ. *l.* 47. § 1. ff. *d. tit.*

Non quia ex suâ personâ legatarius inducere Legem Falcidiam non possit, idcircò quod passus esset non (*b*) imputabit; nisi fortè testator ita fideicommisit, ut (*c*) totum QUIDQUID CEPISSET restitueret. *l.* 32. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) In his scilicet, quæ ab ipso relicta sunt. In his autem quæ ab herede relicta sunt; & quæ ex personâ heredis, qui ipsi restituit hereditatem, debet, utitur jure heredis.
(*b*) Igitur legatarius pro ratâ ejus quod ex legato ipsi relicto Falcidia detraxit, pariter detrahet ex fideicommissis quibus ipse gravatus est.
(*c*) Hæc voluntas præsumitur 1. In fideicommissis nomine alimentorum relictis: 2°. Favore libertatis: 3°. Quum fideicommisso legatarius erga ipsum heredem est gravatus.

§ II.

Quæ legata, & quæ donationes sint obnoxiæ Legi Falcidiæ.

DCCCII.

Cuilibet relicta.

Pater quoque in legatis quæ filius ei dedit, Falcidiæ rationem patitur. *l.* 28. ff. *ad L. Falcid.*

Ad municipum quoque legata vel ea quæ Deo relinquuntur, Lex Falcidia pertinet. *l.* 1. § 5. ff. *d. tit.*

Et in legatis Principi datis Falcidiam locum habere Divo Hadriano placuit. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

DCCCIII.

Quælibet & ex quâlibet causâ relicta.

Non solùm ad res proprias testatoris, sed & alienas Lex Falcidia pertinet. *l.* 1. § 6. ff. *d. tit.*

Legata quamvis in operibus conficiendis data sint; ad contributionem dodrantis revocantur. *l.* 6. § 1. *Cod. d. tit.*

Si quis creditori suo quod debet legaverit; si propter repræsentationis commodum utile erit, Lex quoque Falcidia in eo quoque commodo locum habebit. *l.* 1. § 10. ff. *d. tit.*

Excipe. Dos relegata (*a*), extra rationem Legis Falcidiæ est. *l.* 81. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Quum relegatio solum pinguioris actionis commodum tribuit, putà in rebus soli consistit. Idem statuendum est in omnibus cuilibet creditori relictis, quæ nihil præter solum pinguioris actionis commodum continent; sive directè creditori, sive per interpositam personam relicta sint.

DCCCIV.

Quælibet species donationis mortis causâ.

In donationibus inter virum & uxorem factis, Legem Falcidiam locum habere, quando fideicommissi partibus funguntur (*a*), justis placitis comprehensum. *l.* 12. § 1. *Cod. d. tit.*

Si miles testamentum in militiâ fecerit; placet in legatis quæ testamento data sunt, Falcidiæ locum non (*b*) esse. *l.* 17. § *fin.* ff. *de Testam. mil.*

Si servus tibi legatus sit, eumque rogatus sis manumittere (*c*) nec prætereà capias *aliquid* (*d*); Senatus censuit cessare Falcidiam. *l.* 33. ff. *ad L. Falc.*

Si pecuniam *testator* cui legaverit ut alienum servum vel legatarii manumitteret; *Falcidiæ* locus (*e*) erit. *l.* 34. ff. *d. tit.*

(*a*) Utpotè quæ morte confirmantur.
(*b*) Si intra annum à missione mortuus fuerit.
(*c*) Statim.
(*d*) Si aliud tibi relictum est; ex eo detrahetur Falcidia utriusque legati.
(*e*) Et quidem legatarius servum redimere ita tenebitur; si quod ei detractâ Falcidiâ supereset, suppetat ad eum redimendum. Suum vero indistincte tenebitur manumittere, quia non pluris æstimasse videtur quàm quod ex legato capit.

§ III.

Quomodo & cujus temporis ratione æstimetur patrimonium defuncti in ponendâ ratione Falcidiæ, & quæ ex eâ æstimatione detrahuntur.

DCCCV.

In Falcidiâ æstimatio pretii rerum ex veritate (*a*) facienda est. *l.* 42. ff. *ad L. Falcid.*

(*a*) Non ex pretio quo testator eas æstimavit; non ex affectu peculiari heredis aut legatarii erga illas; non ex eo quod extrinsecùs pretium augeret, putà ex delatâ servo hereditate: *d. tit.* N. 28.

DCCCVI.

Si debitor creditori heres existat; computatur quod debet, quamvis aditione confusum sit. *l.* 1. § 17. ff. *d. tit.*

Source : BIU Cujas

De his quorum conditio mortis tempore pendet, hoc jure utimur; ut quanti ea ſpes obligationis vænire poſſit, tantum ſtipulatoris bonis accedere videatur, promiſſoris verò decedere. *l.* 73. § 1. *ff. d. tit.*

Quum duo ſunt rei credendi aut debendi; In (*a*) pendenti eſt in utrius bonis compurari oporteat id quod debetur, vel ex utrius bonis detrahi. *l.* 62. ff. *d. tit.*

Id quod naturâ hereditati debetur, Julianus ex eventu (*b*) augere patrimonium aut non augere exiſtimat. *l.* 1. § 17. *ff. d. tit.*

Cujus debitor ſolvendo non eſt, tantum habet in bonis quantum exigere poteſt. *l.* 63. § 1. ff. *d. tit.*

Quum debitori liberatio relinquitur, ipſe ſibi ſolvendo videtur. *l.* 82. ff. *d. tit.*

Statuliber (*c*) non auget familiam. *l.* 38. ff. *d. tit.*

(*a*) Scilicet computabitur in bonis ejus duntaxat cui ſolutum fuerit, & ex ejus duntaxat bonis qui ſolverit detrahetur. Regula fallit ſi correi ſocii fuerint: hoc enim caſu pars nominis in ſingulorum bonis computatur aut detrahitur.

(*b*) Futuræ ſolutionis; ut ſi ſolutum fuerit, videatur auxiſſe patrimonium aliàs non.

(*c*) Scilicet ſi conditio ſtatutæ libertatis extiterit. Idem dic de cæteris quæ in eâ causâ ſunt ut evinci debeant; non computantur in quantitate bonorum ex quibus detrahenda eſt Quarta.

DCCCVII.

In quantitate patrimonii exquirendâ, viſum eſt mortis tempus (*a*) ſpectari. *l.* 73. ff. *ad L. Falcid.*

Etiam In duplicibus teſtamentis, ea ſola ſubſtantia ſpectatur, quam pater quum moreretur habuit. *l.* 79. ff. *d. tit.*

In Falcidiâ placuit ut fructus poſteà percepti, qui maturi mortis tempore fuerunt, augeant (*b*) hereditatis æſtimationem. *l.* 9. ff. *d. tit.*

Servi qui apud hoſtes ſunt, poſt mortem teſtatoris reverſi (quod ad Falcidiam) locupletiorem (*c*) faciunt hereditatem. *l.* 43. ff. *d. tit.*

Si debitoris *hereditarii* qui non erat ſolvendo, ampliatæ facultates fuerunt... *placuit* ex poſt facto uberiorem videri fuiſſe (*d*) hereditatem, ſicuti quum conditio crediti extitit poſt mortem. *l.* 56. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Non augebitur igitur Falcidia ex his quæ poſteà hereditati accedent, putà ex alluvionibus, ex his quæ per ſervos hereditarios; acquirentur, aut ex ancillis hereditariis naſcentur, &c. Et pariter non minuetur Falcidia propter damna poſt mortem teſtatoris in hereditate contingentia; putà, incendia, mortem ſervorum hereditariorum, deteriora facta nomina, &c.

(*b*) Nam ipſo mortis tempore quod in Falcidiæ ratione ſpectatur fundus propter illos fructus pendentes eſt pretioſior. Contrà Juriſconſultis non videbatur pretioſior ancilla ob factum quo prægnans erat; nec ſervus hereditarius, ob delatam ipſi hereditatem. Vide *d. tit.* N. 28. & 29. & ibi Notas.

(*c*) Nam propter fictionem *Poſtliminii*, ipſo mortis tempore in hereditate fuiſſe cenſentur.

(*d*) Nam jam tempore mortis, id quod debitor debebat, erat in hereditate; propriè ergo nihil novi accedit hereditati ex auctis debitoris facultatibus.

DCCCVIII.

Quum ratio Legis Falcidiæ ponitur, antè deducitur æs (*a*) alienum, item funeris (*b*) impenſa, & pretia ſervorum manumiſſorum (*c*). *Inſtit.* Tit. *ad L. Falcid.*

Quantitas patrimonii, deducto etiam quidquid explicandarum venditionum causâ impenditur, æſtimatur. *l.* 72. ff. *ad L. Falcid.*

(*a*) Etiam quod ipſi heredi debetur, quamvis per aditionem confundatur quamvis ipſe ſolvendo non eſſet; ſic tamen ut ſimplum duntaxat deducatur, quamvis actio in duplum dari potuiſſet. N. 38. & ſeq.

(*b*) Neceſſaria duntaxat. Item ſi mulier ſit, ea pars impenſæ funerariæ non quæ virum cujus lucro dos cedit ſequitur, ſed ea ſola pars quam heres ferre debet.

(*c*) Alienorum.

§ IV.

Quæ in Quartam imputentur.

DCCCIX.

Quod dicitur, ſi ex judicio defuncti Quartam habeat heres, ſolida præſtanda eſſe legata; ita accipere debemus, ſi hereditario jure habeat. *l.* 74. ff. *ad L. Falcid.*

Corollarium Ium. Quod quis legatorum nomine à coherede accepit (*a*), in quadrantem non (*b*) imputatur. *d. l.* 74.

Excipe. Quum is qui legatum præſtaturus eſt *coheredi*, ab eodem aliquid ex teſtamento petit; non eſt audiendus, deſiderans uti adversùs eum Falcidiæ beneficio; ſi id quod percepturus eſt ex voluntate teſtatoris, ſuppleat quod deducere deſiderat. *l.* 22. *ff. d. tit.*

Corollarium IIum. Quod conditionis implendæ causâ vel à coherede, vel à legatario, vel à ſtatulibero datur, in Falcidiâ non imputatur. *l.* 76. ff. *d. tit.*

1ª. *Limitatio.* Quod ſtatuliber uni ex heredibus de peculio dedit; ei qui accepit, in Falcidiæ rationem (*c*) imputatur. *l.* 41. ff. *de Mort. cauſ. donat.*

2ª. *Limitatio.* Id quod non figurâ conditionis accipere heres juſſus eſt, ab eo cui reſtituere rogatus eſt; placuit computari *in Quartam*, ut ſi eâ ſummâ heres vendere juſſus eſſet. *l.* 30. § 7. ff. *ad L. Falcid.*

(*a*) Pro eâ parte ſcilicet quam à coherede accepit: pro eâ verò parte rei prælegatæ quam jure hereditario habet, imputatur.

(*b*) Fallit regula, ſi expreſsè relictum ſit ut imputaretur. Item fallit in ſpecie regulæ ſequentis.

(*c*) Peculium enim, utpotè rem hereditariam, heres jure hereditario habet.

DCCCX.

Quâcumque ex causâ legata non præſtantur (*a*), imputantur heredi in Quartam. *l.* 52. § 1. ff. *d. tit.*

In Lege Falcidiâ non habetur (*b*) pro puro, quod in diem (*c*) relictum eſt: medii enim temporis commodum (*d*) computatur (*e*). *l.* 45. *ff. d. tit.*

In ratione Legis Falcidiæ, retentiones (*f*) omnis temporis heredi in quadrantem imputantur. *l.* 11. *ff. d. tit.*

(*a*) Adeòque apud heredem remanent.

(*b*) Id eſt, valdè differt à puro.

(*c*) Sive certum ſive incertum.

(*d*) Putà, fructus.

(*e*) In Quartam & Quartæ fructus. Secùs de fructibus rei purè legatæ; quos, dum ceſſat legatarius petere, heres percipit: hos enim, propter ceſſationem, non ex judicio defuncti capit.

(*f*) Id eſt, quod heres ex his quæ naturâ hereditati debebantur, ſibi ſervavit jure alicujus retentionis aut compenſationis.

§ V.

Quomodo legata decreſcant, quum excedunt dodrantis quantitatem; quæ legata in hanc contributionem veniant, & quomodo æſtimentur.

DCCCXI.

Legata, Si exceſſerit quis dodrantem, pro ratâ portione (*a*) per Legem ipſo Jure (*b*) minuuntur. *l.* 73. § 5. ff. *d. tit.*

Vulgò dicitur, in tabulis patris & filii unam Falcidiam (*c*) ſervari. *l.* 11. § 5. ff. *d. tit.*

Tam ea quæ in primis, quàm ea quæ in ſecundis tabulis relicta ſunt, in unum contribuuntur; tanquam ſi ea quæ à filii herede reliquiſſet teſtator, à ſuo herede ſub aliâ (*d*) conditione legaſſet. *l.* 79. ff. *d. tit.*

Quum Lex Falcidia intervenit, non veniunt in contributionem... quæ heredi à ſemet ipſo vel ſervo ejus legata ſunt. *l.* 30. § 8. ff. *d. tit.*

Idem dic de aliis quibuſlibet, inutiliter relictis.

(*a*) Nempè ſingulis decreſcit; pro ratâ æſtimationis ejus quod ipſi relictum eſt.

(*b*) Vide tres limitationes infrà N. ſeq.

(*c*) Explicatur per Reg. ſeq.

(*d*) Nimirùm ſub conditione *Si ante pubertatem moreretur.*

DCCCXII.

In contributionem non veniunt, ſed ita admittuntur ſi quid ceteris exſolutis ex dodrante deſit, quæ ſub hâc lege relicta ſunt Si Falcidiæ locus non erit: *ex l.* 88. ff. *d. tit.*

Servo

Source : BIU Cujas

Servo herede inſtituto, ſi à domino fideicommiſſa, à ſervo legata data ſunt; priùs legatorum ratio (*a*) habenda eſt. *l.* 22. § 1. ff. *d. tit.*

Si dominus omiſsâ aditione ſervum ſibi ſubſtitutum adire juſſit, priùs erogantur quæ ab ipſo domino data (*b*) ſunt. *d. l.* 22. § 2.

(*a*) Fideicommitti enim à domino non potuit, niſi quatenùs ad eum per ſervum ſuum pervenit: ad eum autem non pervenit, niſi quod deductis quæ à ſervo relicta ſunt legatis ſupereſt.

(*b*) Nam ex Conſtitutione Severi, hereditas non tranſit ad ſubſtitutum, niſi cum onere legatorum ab inſtituto relictorum.

DCCCXIII.

In his legatis quæ ſub conditione relicta ſunt, quum quæritur de Falcidiâ *antequàm conditio extiterit*, cautionibus (*a*) res temperabitur. *l.* 45. § 1. ff. *d. tit.*

In diem relicta legata ... tantominùs *æſtimantur*, quantùm intereà donec dies obtingit, heres lucraturus eſt ex fructibus *rei legatæ* vel uſuris. *l.* 73. § 4. ff. *d. tit.*

Si cui SI DECEM DEDISSET, fundus fuiſſet legatus; is in toto fundo (*b*) legatarius habebitur. *l.* 40. §. 1. ff. *d. tit.*

Si Reipublicæ in annos ſingulos legatum ſit ... tantum videtur legatum, quantum ſufficiat ſorti ad uſuras trientes ſummæ quæ legata eſt (*c*) colligendas. *l.* 3. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Scilicet cæteri legatarii ſolida legata interim conſequuntur, ſi his dodrans ſufficiat; & cavent ſe reſtituturos, ſi conditio extiterit, quantum ex ipſorum legatis decreviſſet ſi hoc legatum cujus conditio extitit fuiſſet computatum.

(*b*) Id eſt; contribuet Falcidiæ pro ratâ totius fundi, non deducto onere.

(*c*) *On eſtime cette Rente ſur le pied du denier* 25. De æſtimatione redituum ad vitam, & uſusfructûs pro variis legatariorum ætatibus, vide *d. tit.* N. 61. & ibi Notas.

§ VI.

De Falcidiæ ratione ſeparatim in pluribus heréditatis portionibus ineundâ.

DCCCXIV.

In ſingulis heredibus rationem Legis Falcidiæ ponendam eſſe non dubitatur. *l.* 77. ff. *d. tit.*

In ratione Falcidiæ; Plures ſubſtituti *pupillo* revocandi ſunt ad intellectum (*a*) inſtitutionis. *l.* 11. § 6. ff. *d. tit.*

Quum unus ex pluribus partibus heres ſcriptus eſt ſive iiſdem tabulis, ſive ex unâ parte in primis ex alterâ in ſecundis tabulis; in ponendâ ratione Falcidiæ, partes miſcentur; & una ipſi ſervatur Falcidia: ex l. 87. §. 3. *ff.* ad L. Falcid. *l.* 41. § 6. *ff.* de Vulg. & pup. ſuber.

Quum coheres in partem coheredis ſuccedit; ſive ex jure accreſcendi, ſive jure ſubſtitutionis, ſive jure poteſtatis quam in coheredem habet: ſi pars legatis non onerata parti legatis exhauſtæ accedat, miſcentur partes; ita ut detractioni Falcidiæ locus non ſit. Quòd ſi vice versâ pars legatis exhauſta accedit non oneratæ; ſi quidem ex jure accreſcendi ſuccedat, non miſcentur partes; ſi ex jure ſubſtitutionis, miſcentur: ex l. 78. *& l.* 87. §. 4. *Vide* d. tit. *N.* 71. *& ſeq.*

(*a*) Id eſt, habendi æquè ac ſi ipſi teſtatori heredes inſtituti fuiſſent, ut in ſingulis ponatur ratio Falcidiæ.

§ VII.

Quomodo proſpiciatur heredi, ne plus quàm per Falcidiam debetur ſolvat; & quando illa ceſſet.

DCCCXV.

Si dubitari juſtè poſſit (*a*) utrùm Lex Falcidia locum habitura eſt necne; ſubvenit Prætor heredi ut ei legatarius ſatiſdet (*b*). *l.* 1. ff. *Si cui pluſq. per Falc.*

Quamvis Falcidiæ locus ſit; Legata quæ dividuitatem non recipiunt, tota ad legatarium pertinent. Sed poteſt heredi hoc remedio ſuccurri ut *heres*, *niſi legatarius* partem æſtimationis inferat, utatur adversùs eum exceptione Doli mali. *l.* 80. § 1. ff. *ad L. Falcid.*

Si ex pluribus rebus *uni* legatis heres quaſdam (*c*) ſolverit; ex reliquis Falcidiam per Doli exceptionem retinere poteſt, etiam pro his quæ jam data ſunt. *l.* 16. *ff. d. tit.*

(*a*) Propter incertum æris alieni; propter conditiones ſub quibus alia legata vel libertates relictæ ſunt.

(*b*) Scilicet *Reddi* eam partem rei aut pecuniæ legatario ſolutæ, quæ ex Lege Falcidiâ detrahenda erit. De hâc cautione vide lib. 35. toto Tit. *Si cui pluſq. per Falcid.*

(*c*) Idem dic; quum quædam individuæ ſunt.

DCCCXVI.

Error facti, Quartæ non retentæ repetitionem non impedit, quòd ſi jus ignoraverit, ceſſat repetitio. *l.* 9. *Cod. h. tit.*

Qui quod per Falcidiam retinere poterat, voluntatem teſtatoris ſecutus ſpopondit (*a*) ſe daturum; cogendus eſt ſolvere. *l.* 46. *ff. d. tit.*

(*a*) Modò poſt mortem teſtatoris, & non per errorem facti. Ceſſat pariter Falcidia, quum teſtator præcipit compenſari hereditatem ſuam cum eo quod heredi debebat; & ita indirectè teſtator prohibet Falcidiam: expreſsè autem eam prohibere Jure Digeſtorum non poterat. Pluribus caſibus ceſſat Falcidia, Jure Novellarum; quos vide *d. tit.* N. fin.

ARTICULUS IV.

De fideicommiſſis univerſalibus ſeu Hereditatis.

§ I.

Quæ veniant necne in fideicommiſſo univerſali, quo heres Hereditatem *ejus-ve portionem reſtituere rogatus eſt.*

DCCCXVII.

Quoties quis rogatur hereditatem reſtituere, id videtur rogatus reſtituere quod ſit hereditatis. *l.* 18. § 2. *ff. ad SC. Trebell.*

Si heredi ejus cui naturâ debuerit quis, ſolverit; ei cui fideicommiſſa hereditas relicta ſit, id reddendum. *l.* 47. *ff. d. tit.*

Id quod *heres* debuiſſet hereditati, in rationem *fideicommiſſi* venire debet. *l.* 95. ff. *ad L. Falcid.*

In fideicommiſſariâ hereditatis reſtitutione conſtat non venire fructus (*a*), niſi aut mora facta eſt, aut quum quis ſpecialiter fuerit rogatus & fructus relinquere (*b*). *l.* 18. ff. *ad SC. Trebell.*

(*a*) Idem dic de causâ rei, & de partu ancillarum; ex ſententiâ Gaii, Papiniani, & Ulpiani: à quibus tamen videtur Paulus diſſentire.

(*b*) Præſumitur autem rogatus *& fructus reſtituere*, ſi ex circumſtantiis appareat diem fideicommiſſarii gratia adjectum.

DCCCXVIII.

Si quid ante aditam hereditatem ſervus ſtipulatus fuiſſet, aut per traditionem accepiſſet, id reſtitui debebit; ſicut fructus ante aditam hereditatem, in reſtitutionem venient. *l.* 27. § 1. ff. *d. tit.*

Qui poſt tempus hereditatem reſtituere rogatur, uſuras à debitoribus hereditariis perceptas quarum dies poſt mortem creditoris ceſſit, reſtituere non cogitur; quibus non exactis, uſurarum actio (*a*) ex Trebelliano transferetur. *l.* 58. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Eſt enim actio hereditaria cùm ex ſtipulatione quam defunctus interpoſuit, debeantur. Idem dic de mercedibus fundi ex contractu defuncti debitis.

Source : BIU Cujas

Si quis rogetur restituere hereditatem, & res perierint (*b*); placet non cogi eum reddere (*c*) quod non habet. *l.* 22. § 3. ff. *d. tit.*

In rebus quas *fideicommissarius* subtraxit, denegari ei petitionem oportet. *l.* 48. ff. *d. tit.*

Hereditatis appellatione, neque legata neque fideicommissa continentur (*d*). *l.* 96. ff. *de Legatis* 3°.

(*b*) Modò non dolo ejus aut latâ culpâ : d. l. 22.
(*c*) Sed saltem tenebitur damnum supplere usque ad quantitatem fructuum quos percepit : l. 33. *ad SC. Trebell.*
(*d*) Pro parte quam heres rogatus accepit à coheredibus suis. Pars verò quam in rebus hereditariis jure hereditario habet, continetur fideicommisso : l. 18. § fin. nisi specialiter testator fideicommissa exceperit ; l. 78. § 8. ff. *d. tit.*

DCCCXIX.

Heres Si quem sumptum fecit in res hereditarias (*a*), detrahet. *l.* 22. § 3. ff. *ad SC. Trebell.*

(*a*) Aut ad parendum voluntati defuncti : sup. d. l. 18. § fin. item si quid ipsi à defuncto debitum fuit : l. 104. & fin. ff. *de Legatis*, 1°.

§ II.

De fideicommisso quo heres Portionem *suam simpliciter restituere rogatur*; *item de illo*, Quicquid ad se pervenerit ; *& de illo*, Quidquid ex hereditate supererit.

DCCCXX.

1. *Quum in fideicommisso* Non PORTIONEM HEREDITARIAM testator commemoravit, sed simpliciter PORTIONEM; in portionem & præceptiones videntur cecidisse. *l.* 3. § 4. ff. *d. tit.*

2. Etiam (*a*) legata fideicommisso continentur, ubi heres rogatus fuerit QUICQUID ex hereditate ad eum pervenerit post mortem restituere. *l.* 16. *Cod. de Fideic.*

At Quod his verbis relictum est, QUICQUID ex hereditate bonis-ve meis ad se pervenerit (*b*) ... fructus, item quæ fructuum vice sunt, non venire placuit. *l.* 83. ff. *de Legatis* 3°.

(*a*) Non tamen ea quibus suum recepit, ut relegata dos ; l. 78. § 14. ff. *ad SC. Trebell.* nec ea quæ testator uxori aut filiis vivus donavit, quamvis hæ donationes morte confirmentur ; l. 62. ff. *d. tit.* & l. 68. ff. *de Legatis* 2°.
(*b*) At de fructibus tamen rogatus videbitur, si jussus sit cavere : l. 32. ff. *ad SC. Trebell.*

DCCCXXI.

Quum quis rogatus est QUOD EX HEREDITATE SUPERFUERIT restituere ; quod medio tempore alienatum vel diminutum est, ita quandoque peti non poterit, si non intervertendi fideicommissi gratiâ factum (*a*) probetur. *l.* 54. *ff. ad SC. Trebell.*

Divus Marcus judicavit erogationes quæ ex hereditate factæ dicebantur, non ad solam fideicommissi diminutionem pertinere ; sed pro ratâ patrimonii quod heres proprium habuit, distribui oportere. *d. l.* 54.

Non absumitur ; quod in corpore patrimonii (*b*) retinetur. *l.* 72. ff. *de Legatis* 2°.

Si quis rogetur QUICQUID EX BONIS SUPERERIT restituere ... quod ex fructibus supererit ... restitui oportebit. *l.* 3. § 2. ff. *de Usufr.*

(*a*) Scilicet si nulla justa suberat causa erogationis. Quum autem ex justâ causâ deminuit, restituere quidem non tenetur ; at saltem debet compensare, si quid ipsi defunctus debuit ; l. 80. ff. *ad SC. Trebell.*
(*b*) Putà ; si ex pretio rerum hereditariarum quas vendidit alias res sibi comparavit.

ARTICULUS V.

De Senatusconsultis Trebelliano & Pegasiano.

Trebellianum Senatusconsultum, ei & in eum qui hereditatem restituit, actiones hereditarias denegat ; easque ad eum cui restituta est transfert, sive in solidum quum tota restituta est sive pro parte pro quâ restituta est.

Senatusconsulti Pegasiani Capite primo, heredi restituenti hereditatem retentio quartæ partis conceditur.

Altero Capite ; heres restituere jussus, qui recusat adire hereditatem, eam periculo fideicommissarii adire cogitur ; nullâ hoc casu retentâ Quartâ.

Justinianus utrumque Senatusconsultum coadunavit ; quum antè, nonnisi alterutro uti liceret.

§ I.

Quando Trebelliano locus sit, & quando restituta videatur hereditas.

DCCCXXII.

Trebellianum Senatusconsultum locum habet, quoties quis suam (*a*) hereditatem vel totam vel pro parte fidei heredis (*b*) commisit. *l.* 27. §. 8. ff. *ad SC. Trebell.*

Ut Trebelliano locus esset, non sufficit de hereditate rogatum esse ; sed quasi heredem rogari (*c*) oportet. *l.* 22. *§ fin.* ff. *d. tit.*

Quilibet Successores (*d*), ex Trebelliano restituere potuerunt hereditatem. *l.* 1. § 7. ff. *d. tit.*

Hoc jure utimur ut & successor heredis rectè ex Trebelliano restituat, vel pater dominus-ve quibus acquisita est (*e*) hereditas. *l.* 40. §. 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Secùs ergo, si alterius hereditatem quæ ipsi obtigit. Est enim ut res singularis, respectu hereditatis ejus qui fideicommisit.
(*b*) Ita tamen, si utiliter.
(*c*) Cessabit igitur, si legatarius portionis hereditatis rogatus sit.
(*d*) Universales, tam legitimi quàm testamentarii ; etiam Prætorii ; etiam ipse fideicommissarius, qui secundo fideicommissario restituere rogatus est : l. 1. §§. 5. 6. 7. ff. *ad SC. Trebell.*
(*e*) Sive heres institutus, sive ipse pater dominus-ve suo nomine rogatus sit.

DCCCXXIII.

Restituta hereditas videtur ; aut re ipsâ, si passus est heres possideri (*a*) res hereditarias vel aliquas, hâc mente ut vellet restituere & ille suscipere ; sed & si verbo dixit se restituere, vel per epistolam restituat. *l.* 37. ff. *d. tit.*

Si alius jussu meo restituerit, vel ratam habuit restitutionem ; transisse actiones videntur. *d. l.* 37.

Si ante diem vel conditionem (*b*) restituta sit hereditas, non transferuntur actiones (*c*). *l.* 10. ff. *d. tit.*

Potestas (*d*) evictionis tollit intellectum restitutionis, indebito fideicommisso constituto. *l.* 55. § *fin.* ff. *d. tit.*

(*a*) A fideicommissario, vel ab alio ex voluntate fideicommissarii quum sui juris est ; sin ei in cujus potestate est, restituendum est.
(*b*) Sive ante eam sub quâ relictum est fideicommissum, sive ante eam sub quâ scriptus est heres.
(*c*) Adveniente autem conditione, citra novum factum transibunt : d. l. 10.
(*d*) Sensus est, evanescere omnem effectum restitutionis ; si contra heredem scriptum, qui pendente lite de viribus testamenti hereditatem restituit, judicatum fuerit non valere testamentum.

§ II.

De effectu restitutæ ex SCto Trebelliano hereditatis.

DCCCXXIV.

Non (*a*) solutio est, hereditatis restitutio, sed (*b*) successio. *l.* 38. ff. *de tit.*

Qui ex Trebelliano SCto hereditatem restituit, sive petat à debitoribus hereditariis, sive ab eo petatur ; exceptione restitutæ hereditatis adjuvari vel summoveri potest. *l.* 27. §. 7. ff. *d. tit.*

Generatim respondendum est ; non summoveri heredem neque liberari ex his causis quæ non pertinent (*c*) ad restitutionem. *l.* 55. ff. *d. tit.*

(*a*) *Non* tantùm.
(*b*) Fideicommissarius enim cui restituta est hereditas, videtur jure Prætorio *succedere* in jus defuncti ; cùm ipsi & in ipsum actiones dentur.
(*c*) Id est, ex his causis ex quibus actiones restitutâ hereditate non transeunt in fideicommissarium. Quæ autem transeant necne, declarant regulæ sequentes.

Source : BIU Cujas

DCCCXXV.

Quamvis Senatus de his actionibus transferendis loquitur quæ Jure Civili heredi & in heredem competunt, tamen & Honorariæ transeunt, imò & causa (*a*) naturalium obligationum. *l.* 40. *ff. d. tit.*

At demùm Hæ actiones transeunt, quæ ex bonis (*b*) defuncti pendent. *l.* 66. § 2. ff. *d. tit.*

Actiones fideicommissario competunt, quas habuit heres (*c*) eo tempore quo fideicommissum restituebat. *l.* 27. § 7. *ff. d. tit.*

Fideicommissarius non poterit consequi, quod ad institutum pervenire (*d*) non poterit. *l.* 52. *ff. d. tit.*

(*a*) Quod enim naturaliter debebat defunctus ei-ve debebatur, id fideicommissarius restitutâ hereditate naturaliter debet ei-ve debetur.

(*b*) Non igitur illæ quæ nascuntur ex contractibus heredis, quamvis circa res hereditarias; sed eas oportet heredem ei cedere.

(*c*) Aut retrò fingi potest habuisse; conditione earum posteà existente: non illæ quas amisit, putà temporis lapsu, vel per confusionem quæ fortè in ejus personâ contigit; sed si quid indè lucri sensit, tenetur restituere.

(*d*) Igitur actiones hereditariæ quæ in personâ heredis competere non potuerunt, aut confusæ sunt, in fideicommissarium non transeunt. Sed item lucri quod ex confusione actionis heres sensit, rationem fideicommissario facere debet; ut vice versâ ei fit damni ratio.

DCCCXXVI.

1. *Lite ante restitutionem contestatâ*, Judicii executio nihilominùs adversùs heredem, & post restitutam hereditatem manet. *l.* 78. § 15. *ff. d. tit.*

2. Si quis majorem partem restituerit quàm rogatus est, in eam partem quæ excedit non transferuntur actiones. *l.* 63. § 3. *ff. d. tit.*

3. Ad eum cui ex Trebelliano SCto pars hereditatis restituitur; successionis onera, seu legatorum præstationem, pro competenti portione (*a*) spectare indubitati juris est. *l.* 2. *Cod. ad SC. Trebell.*

(*a*) Quum portio duntaxat restituta est: in solidum autem, quum tota; quamvis certis rebus magni pretii ab herede retentis, sed hoc casu si legatorum onus excedat emolumentum fideicommissi, pro eo quod excedit apud heredem remanebit.

DCCCXXVII.

1. Factâ in fideicommissarium restitutione, statim omnes res in bonis fiunt ejus cui restituta est (*a*) hereditas; etsi nondum earum nactus fuerit possessionem. *l.* 63. ff. *d. tit.*

2. Quum ex Trebelliano restituitur hereditas, servitutes quas mutuò prædia heredis & testatoris habent, nihilominus (*b*) valent. *l.* 73. § 1. ff. *d. tit.*

3. *Quod ante restitutam hereditatem, heres ex rebus hereditariis alienavit, restitutâ hereditate revocatur; & quod fideicommissarius alienasset confirmatur. Excipe* (*c*) Ante restitutam hereditatem solutiones & liberationes factæ ab herede, ratæ habebuntur. *l.* 104. ff. *de Solut.*

(*a*) Ita ut, si post restitutam hereditatem, damnum in his rebus heres dederit, de damno tanquam in re alienâ dato Lege Aquiliâ fideicommissario teneatur.

(*b*) Scilicet eas per aditionem hereditatis confusas, restitutio hereditatis ipso Jure restituit.

(*c*) Præter hanc Regulæ præcedentis exceptionem, tres aliæ occurrunt. 1*a*. Est, ut filia rogata paternam hereditatem restituere *Si sine liberis decesserit*, possit ex eâ dotem sibi constituere, si aliundè (putà, ex fructibus) non supperat. 2*a*. Ut propter justam tam heredis quàm emptoris ignorantiam heres pretium duntaxat dare fideicommissario teneatur: l. fin. § fin. ff. *de Legatis* 2°. Tertia est circa libertates, quæ non retractantur; sed heres, etsi bonâ fide fecit: pretium præstare tenetur: l. 25. § 2. & 3. ff. *ad SC. Trebell.*

DCCCXXVIII.

Quum hereditas ex Trebelliano restituta est, dandum est heredi ut impleatur conditio (*a*). *l.* 44. § 4. *ff. de Cond. & dem.*

(*a*) Quæ alicùi ita adscripta est, *Si heredi dederit.*

§ III.

De restitutione Quartæ *in restitutione hereditatis, ex Senatusconsulto Pegasiano.*

DCCCXXIX.

Hereditatis quam heres (*a*) *restituere rogatus est heredi, alii-ve qui in jus ejus successit* (*b*) *restituenti, retentio Quartæ conceditur ex SCto Pegasiano.*

Fideicommissarius cui quarta detracta non est, Non debet detrahere fideicommissario secundo quartam. *l.* 1. § 19. *ff. ad SC. Trebell.*

Ante diem fideicommissi cedentem, fructus (*c*)... portioni quadrantis (*d*) imputabuntur. *l.* 58. § 5. ff. *d. tit*

Heres acceptâ certâ pecuniâ restituere hereditatem rogatus; si quidem ex hereditate eam retineat, imputat eam in Quartam; *& quidem totam summam, licèt ex parte sit heres: sin aliundè accipiat, non imputat: ex l.* 91. *ff.* ad L. Falcid. *& l.* 58. § 3. *ff.* ad SC. Trebell.

Heres præcepto certo corpore hereditario restituere hereditatem rogatus; pro parte quam in eo à coherede accepit, non imputat in Quartam; *pro eâ verò parte quam jure hereditario habet, imputat: & quidem totam hanc partem imputabit, si* Quartam *ex beneficio legis habeat; sin ex expresso testatoris judicio, imputat duntaxat quartam hujus partis: ex dictis legibus, & l.* 86. *ff.* ad L. Falc. *Vide Tit.* ad SC. Trebell. *N.* 70, 71 *&* 72.

(*a*) Tam legitimus quàm testamentarius, etiam bonorum possessor.
(*b*) Putà, heredis heredi, fisco.
(*c*) Tam civiles quàm naturales. Secùs de his quos post diem fideicommissi percepit: hoc enim ex negligentiâ petentis, non ex judicio defuncti percipit.
(*d*) In Quartam & Quartæ fructus. Vide Tit. *ad L. Falc.*

DCCCXXX.

Si deductis (*a*) legatis restituere quis hereditatem rogetur, detrahenda *Quarta* ex legatis & fideicommisso. *l.* 3. § 2. ff. *ad SC. Trebell.*

Si... sine deductione quartæ partis restitueris, difficilè quidem crederis per ignorantiam magis, non explendi fideicommissi causâ, hoc feciisse: sed si probaveris per errorem Quartam non retinuisse, recuperare eam poteris. *l.* 68. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Quum hæc clausula non est adjecta, heres ex solo fideicommisso retinet *Quartam*, transfert autem onus legatorum in fideicommissarium pro parte restitutâ.

§ IV.

De altero Capite Pegasiani, quo permittitur fideicommissario cogere heredem ut adeat & restituat.

DCCCXXXI.

Propter quod relictum cogi possit.

Qui hereditatem (*a*) rogatur restituere, is demùm compellitur restituere. *l.* 14. § 7. ff. *d. tit.*

Etiam pupillaris testamenti causâ compellendum heredem adire; ut ex secundis tabulis fideicommissum convalescat, si jam (*b*) pupillus decessit. *l.* 2. § 2. *ff. de Vulg. & pup. subst.*

Nemo se cogitur adstringere hereditariis actionibus, propter legatum. *l.* 53. *ff. d. tit.*

Neque propter solam libertatem compellitur quis adire. *l.* 52. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Nil refert autem, verbo *Hereditatis* usus sit testator; modò fideicommissum sit universale, non rei singularis: nec refert etiam, solvendo sit necne hereditas, cùm non suo periculo adeat, *d. tit.* N. 78. & 79. Ubi observa fideicommissum quod à pagano relictum pro singulari haberetur, à milite relictum haberi pro universali; ut quum rogat restituere *res Italicas*, res cujusdam provinciæ: *d. tit.* N. 79.
(*b*) Si adhuc viveret, improbè sollicitus esset de ejus hereditate fideicommissarius, nec debent audiri.

Source : BIU Cujas

DCCCXXXII.

Quis possit cogere.

Non est dubitatum cogi posse heredem adire & restituere hereditatem servis, sive directa sive fideicommissaria libertas (*a*) data eis fuisset. *l.* 22. § 1. *ff. d. tit.*

Si servo suo rogatus sit cum libertate quis hereditatem restituere; dici poterit, eum à servo suo non posse cogi adire: quamvis, si sponte adisset, cogeretur præstare libertatem & hereditatem. *l.* 16. § 13. *ff. d. tit.*

Non est dubium, patrem à filio per Prætorem cogi posse (*b*) adire. *d. l.* 16. § 11.

Placuit ut rectâ viâ secundus *fideicommissarius* possit postulare ut heres adeat. *l.* 55. § 2. *ff. d. tit.*

Etiam is fideicommissarius qui aliâ viâ (*c*) *ad hereditatem venire posset, potest cogere heredem adire.* d. tit. *N.* 89.

(*a*) Modò libertas servo ad eodem herede debeatur, qui restituere ei hereditatem rogatus est; & præsens debeatur; N, 82. 83. 84. *d. tit.*

(*b*) Et erit casus singularis quo filius, licèt in potestate, sibi acquirit.

(*c*) Putà, ex substitutione, aut per *Contrà tabulas.*

DCCCXXXIII.

Qui cogi possint, quando & in quibus circumstantiis.

Est verius, eoque jure utimur, ut Senatusconsultum ad intestatos quoque pertineat, sive legitimi, sive honorarii sint successores (*a*). *l.* 6. § 1. *ff. d. tit.*

Quælibet heredis persona (*b*) *cogi potest adire & restituere. ff. d. tit. N.* 90.

Si sub conditione heres institutus sit, qui suspectam sibi hereditatem esse dicit; si neque (*c*) difficultatem neque turpitudinem (*d*) ullam habet conditio nec impendium (*e*) jubendus est parere (*f*) conditioni & adire, & ita restituere. *l.* 63. § 7. ff. *d. tit.*

Si fideicommissum hereditatis fuerit sub conditione relictum, heres (*g*) *ex asse scriptus potest ex Rescripto D. Pii pendente ea cogi adire; ita ut, si extiterit, eam restituat; sin defecerit, videatur non adiisse: ex l.* 11. § 2. *ff. d. tit.*

Heres potest cogi adire, quamvis testamentum dicatur in eâ causâ esse ut infirmari debeat; non tamen si jam contra testamentum pronuntiatum est: l. 27. § 6. *& l.* 13. § 2.

Qui de hereditate deliberant... coguntur adire, sed non statim (*h*) restituere. *l.* 71. ff. *d. tit.*

Et qui repudiavit (*i*) hereditatem, cogitur adire & restituere. *l.* 14. § 1. ff. *d. tit.*

Etiam adversùs absentes postulatur Decretum; sive certior sit eorum voluntas recusantium adire & restituere hereditatem, sive incerta. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Dicendum ut heres non sit compellendus adire si incertum sit an mandaverit *fideicommissarius*; quamvis ei caveatur; propter fragilitatem cautionis. *l.* 66. § 1. *ff. d. tit.*

Heres compelli per tutorem *fideicommissarii* potest, adire. *l.* 65. § 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Etiam fiscus vacantium bonorum successor: d. l. 6. § 3.

(*b*) Etiam municipes; etiam dignitate fulgens, ab arenario institutus; etiam & patronus ex debitâ parte scriptus, quamvis (si sponte adiisset) non teneretur restituere.

(*c*) Nam si sit difficilis, non cogetur eam implere; nec remittetur; obstabitque fideicommissario hæc conditio non impleta, quemadmodum & casualis.

(*d*) Nam si turpis sit, eâ insuper habitâ cogetur adire & restituere. Idemque observabitur & in conditione *Nominis ferendi* quam heres nollet implere, licèt non sit turpis: (*à condition de porter le nom du Testateur*).

(*e*) Nam si habet, non cogetur heres eam implere; nisi fideicommissarius offerat quod impendendum est.

(*f*) Ni faciat, permittetur fideicommissario eam vice ipsius implere: quo facto, cogetur heres adire, aut si nolit, decernentur actiones fideicommissario quasi heres adisset & restituisset.

(*g*) Hoc speciali Jure permisit D. Pius circa heredem ex asse scriptum; ne intercidat fideicommissum. Adeòque ad heredem ex parte non est trahendum: l. 12. ff. *d. tit.*

(*h*) Reliquum enim tempus eis indulgetur an malint se subjicere oneribus hereditariis & Quartâ retentâ restituere.

(*i*) Idem dic de eo qui lapsu temporis excidit à bonorum possessione; modò non jam à creditore hereditatis destitutæ bona vænierint.

DCCCXXXIV.

De effectu coactæ aditionis.

Heres Sicut explendæ fidei gratiâ cogendus est adire hereditatem, ita ob id ipsum damno (*a*) affici non debet. *l.* 27. § 15. *ff. d. tit.*

In fideicommissarium qui heredem coegit adire, fideicommissarii-ve heredem, etsi postea nolit sibi hereditatem restitui, decernuntur hereditariæ actiones; & quidem in solidum; si solus est qui coegit, licèt pars duntaxat hereditatis ei relicta sit; perinde ac si tota restituta fuisset: ex l. 16. § 5. *& l.* 67. *ff.* d. tit. *Transit pariter onus legatorum.*

Si quis compulsus adierit, nemo dubitat quæcumque sint in testamento, perindè valere ac si suâ sponte adisset. *l.* 14. § 3. *ff. d. tit.*

Iniquissimum est plus ferre legatarium, ideò quia suspecta est hereditas; quàm laturus esset, si sponte (*b*) adita fuisset. *l.* 3. *ff. d. tit.*

Fideicommissarii universales, qui ipsi potuissent cogere heredem adire; ab eo cui restituta est hereditas consequentur, non id duntaxat quod (si sponte adisset heres) consecuturi fuissent, sed quicquid habuissent (*c*) *si & ipsi coegissent heredem adire:* d. tit. *N.* 110.

Qui suspectam sibi hereditatem dicit, nullum commodum (*d*) ex testamento consequetur; quod habiturus non esset si institutus non fuisset, aut non adiisset. *l.* 27. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Debet igitur ei fideicommissarius indemnitatem offerre, si quid heres propter aditionem amittat; putà, si ei legatum sit *Si heres non est.*

(*b*) Adeòque is cui restituta est hereditas; detrahet legatariis quicquid heres Falcidiæ nomine eis detraxisset si sponte adisset.

(*c*) Adeòque *Quartæ* detractionem non patientur, & jus accrescendi habebunt; perindè ac si ipsi coegissent heredem adire. Fallit regula in his quæ contra defuncti voluntatem habuissent; quales sunt fructus ante fideicommissi conditionem percepti.

(*d*) Adeòque nec commodum substitutionis pupillaris, nec beneficium *Quartæ*, nec præceptionis ipsi relictæ; non tamen amittit ea quæ conditionis implendæ causâ ab alio quàm eo cui restituta est accepit. Non privatur etiam fructibus quos percepit, dum is qui coegit eum adire cessat petere ut sibi restituatur hereditas.

SECTIO VI.

De naturâ ultimarum voluntatum, & earum interpretatione.

ARTICULUS I.

De ultimarum voluntatum naturâ, fine & qualitatibus legitimis, ubi de Regulâ Catonianâ.

DCCCXXXV.

Ambulatoria est defuncti voluntas usque ad extremum vitæ spiritum. *l.* 4. *ff. de Adim. leg.*

Nemo potest sibi hanc legem dicere, ut à priore voluntate ei recedere non liceat. *l.* 22. ff. *de Legatis* 3°.

Suprema voluntas potior habetur. *d. l.* 22.

Novissima voluntas spectatur. *l.* 6. ff. *de Adim. leg.*

DCCCXXXVI.

Veteres decreverunt; Testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ab alieno pendere arbitrio. *l.* 32. ff. *de Hered. instit.*

Corollarium. Illa institutio, QUOS TITIUS VOLUERIT, vitiosa est; quòd alieno arbitrio permissa est. *d. l.* 32.

At In arbitrium alterius conferri legatum; veluti conditio (*a*), potest. *l.* 1. *ff. de Legatis* 2°.

Legatum in alienâ voluntate poni potest (*b*), in heredis non (*c*) potest. *l.* 43. § 2. ff. *de Legatis* 1°.

(*a*) Id est, non sic ut quis, quasi incertus an & cui legaturus sit, hoc conferat in arbitrium alterius: quod naturæ ultimarum voluntatum repugnat, ex Regulâ præced. sed sic, ut quum ipse velit Titio puta legare, voluntatem tamen & assensum alterius tanquam conditionem voluntati suæ adscribat.

(*b*) Ut sit tanquam conditio, non ut omninò alienæ voluntati committatur.

(*c*) Propter regulam præced. Inutiliter enim legatur ab herede, si ab ejus voluntate legatum omninò pendeat. At vide Regulam sequentem.

Source : BIU Cujas

Ita ſcilicet ut In heredis arbitrium conferri an debeatur non poſſit. Quando tamen debeatur, conferri poteſt. *l.* 46. § 4. ff. *de Fideic. libert.*

Cæterùm ſi arbitrium illi quaſi viro bono dedit, non dubitabimus quin debeatur.... *V. G.* SI TIBI VIDEBITUR, peto manumittas. Ita enim hoc accipiendum, ſi tibi quaſi viro bono videbitur. *d. l.* 46. § 3.

Sic fideicommiſſum relictum NISI HERES MEUS NOLUERIT, conditionale fideicommiſſum eſt, & (*d*) primam voluntatem exigit. *l.* 1. § 15. *ff. de Legatis* 3°.

(*d*) A quâ poſteà heredi non liceat recedere. Adeòque, cùm hæc conditio non efficiat ut ſemper ab herede pendeat an debiturus ſit (quod repugnaret); valet.

DCCCXXXVII.

1. Nemo (*a*) poteſt in teſtamento ſuo cavere, ne leges (*b*) in ſuo teſtamento locum habeant. *l.* 55. *ff. de Legatis* 1°.

2. Captatoriæ ſcripturæ (*c*) neque in hereditatibus neque in legatis valent. *l.* 64. *ff. d. tit.*

3. Turpia legata quæ denotandi magis legatarii gratiâ ſcribuntur (*d*), pro non ſcriptis habentur. *l.* 54. ff. *d. tit.*

4. Nullius momenti eſt ſcriptura, quæ nudum *continet* (*e*) præceptum. *l.* 11. § 14. *ff. de Legatis* 2°.

(*a*) Putà, ſic legare ut ad certum duntaxat tempus debeatur, ſic heredem inſtituere ut ex certo die heres ſit, &c.
(*b*) Principia juris.
(*c*) Id eſt, quibus adderetur hæc conditio; *Si me heredem inſtituerit, Si mihi legavarit.* Ac ſic poteſt legari; *Quantum mihi legavit, lego*: nam hoc caſu, non captat, ſed remunerat teſtator.
(*d*) Idem dic de inſtitutionibus: l. 6. § 8. ff. *de Hered. inſtit.* Niſi tales ſint, putà in filio, ut non principaliter denotandi ejus causâ; ſed demonſtrandi potiùs paternum amorem, qui tantus eſt ut malis filii meritis non ſuperetur.
(*e*) Ut ſi quis ſimpliciter prohibeat heredem alienare. Secus: ſi prohibeat alienare *extra familiam.*

DCCCXXXVIII.

In his quæ extra teſtamentum (*a*) incurrerent, poſſunt res ex bono & æquo interpretationem capere: ea verò quæ ex ipſo teſtamento (*b*) orirentur, neceſſe eſt ſecundùm ſcripti juris rationem expediri. *l.* 16. ff. *de Condit. & demonſtr.*

Interdum licèt ſubtilitas juris refragari videatur, attamen voluntas teſtatoris ex bono & æquo tuebitur (*c*). *l.* 17. ff. *de Injuſt. rupt.*

(*a*) *Teſtamentum* hic accipitur pro ſolemnitate actûs. *Extra teſtamentum* ſunt, quæ non ad ſolemnitatem actûs pertinent, ſed ad voluntatem teſtatoris.
(*b*) Hoc accipe de ſolemnitatibus. *Les diſpoſitions teſtamentaires, de rigueur quand à la forme, ſont ſuſceptibles de benigne interpretation quant au fond.*
(*c*) Ut quod Jure Civili non valet, Jure Prætorio data bonorum poſſeſſione feſtineatur. Exemplum in ipsâ lege.

DCCCXXXIX.

Omnia (*a*) quæ ex teſtamento proficiſcuntur, ita ſtatum eventûs capiunt, ſi initium quoque ſine vitio ceperint. *l.* 201. JAVOLEN. LIB. 10 EPISTOL.

Quæ ab initio inutilis (*b*) fuit inſtitutio, ex poſt facto convaleſcere non poteſt. *l.* 210. LICINNIUS-RUFIN. LIB. 2. REGULAR.

Hinc Catoniana regula ſic definit: QUOD, ſi teſtamenti facti tempore deceſſiſſet teſtator, inutile (*c*) foret; id legatum, quandocumque deceſſerit, non valere. Quæ definitio in quibuſdam (*d*) falſa eſt. *l.* 1. *ff. de Reg. Caton.*

Catoniana regula non pertinet ad ea quorum dies, non mortis tempore, ſed poſt (*e*) aditam cedit hereditatem. *l.* 3. *ff. d. tit.*

Regula Catoniana, ad novas Leges (*f*) non pertinet. *l. fin. ff. d. tit.*

(*a*) Fluit ex Regulâ generali ſuprà N. 43. & ex eâ fluunt ſequentes.
(*b*) Ut ſi inſtituam deportatum, qui poſteà reſtituatur, vel ſervum proprium ſine libertate, quem poſteà manumittam.
(*c*) Putà, ſi res quæ tunc erat ædibus juncta, aut legatarii, relicta fuerit.
(*d*) Ut ſi relinquam ita, *Si poſt Kalendas moriar.*

(*e*) In his enim non poteſt dici non valitura fuiſſe., ſi ſtatim tempore teſtamenti mortuus fuiſſet teſtator. Nam etſi mortuus fuiſſet, potuiſſet adhuc medio ad aditam uſque hereditatem tempore in eam cauſam res devenire ut valere poſſet.
(*f*) *Juliam & Papiam*, cùm ex his Legibus dies cedat demùm ex apertâ tabularum.

DCCCXL.

Quædam in teſtamentis ſi exprimantur, effectum nullum habent; quando, ſi verbis tegantur, & eamdem ſignificationem habeant quam haberent expreſſa, & (*a*) momentum aliquod habebunt. *l.* 68. *ff. de Hered. inſtit.*

Sæpenumerò mutatur rei effectus; quamquam id expreſſerit teſtator, quod etſi non feciſſet, ineſſet tamen. *l.* 47. ff. *de Cond. & dem.*

(*a*) Exemplum in conditione, *Si in Capitolium aſcenderit*; quæ quamvis hanc *Si voluerit* (quæ expreſſa inutilis eſſet) verbis tegat tamen ipſa utilis eſt.

DCCCXLI.

Nihil in teſtamento (*a*) valet, quoties ipſum teſtamentum non valet. *l.* 1. § 1. *ff. de Legatis* 3°.

Quum ſemel adita eſt hereditas, omnis defuncti voluntas rata conſtituitur. *l.* 55. § 2. ff. *ad SC. Trebell.*

(*a*) Niſi inſerta ſit clauſula codicillaris, de quâ ſuprà.

ARTICULUS II.

De interpretatione ultimarum voluntatum.

DCCCXLII.

Voluntatis defuncti quæſtio, in æſtimatione judicis eſt. *l.* 7. *Cod. de Fideic.*

Quum in verbis nulla eſt ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæſtio. *l.* 25. § 1. ff. *de Legatis* 3°.

Non aliter à ſignificatione verborum recedi oportet, quàm quum manifeſtum eſt aliud ſenſiſſe (*a*) teſtatorem. *l.* 69. ff. *de Legatis* 3°.

(*a*) Quo caſu ab eâ receditur. Exempla in l. 15. ff. *de Aur. leg.* & l. 61. ff. *ad SC. Trebell.*

DCCCXLIII.

In causâ teſtamentorum, non ad definitionem utique deſcendendum eſt; cùm plerumque abuſivè loquantur; nec propriis nominibus ac vocabulis ſemper utantur. *l.* 69. ff. *de Legatis* 3°.

In teſtamentis pleniùs (*a*) voluntates teſtantium interpretamur. *l.* 12. PAUL. LIB. 3. AD SABIN.

Non ſtrictè interpretandæ ſunt voluntates defunctorum. *l.* 12. § 2. ff. *de Uſu.*

In ambiguis orationibus maximè ſententia ſpectanda eſt ejus qui eas protuliſſet. *l.* 96. MÆRCIAN. LIB. 12. FIDEIC.

In fideicommiſſis præcipuè ſpectanda ſervandaque teſtatoris voluntas. *l.* 11. § 19. ff. *de Legatis* 3°.

Quum (*b*) in teſtamento ambiguè, aut etiam perperàm ſcriptum eſt; benignè interpretari, & ſecundùm id quod credibile eſt cogitatum, credendum eſt. *l.* 24. ff. *de Reb. dub.*

Quum ambigua eſt ſcriptura; magis interpretanda eſt ut aliquid, quàm ut nihil operetur: ex l. 109. ff. *de Legatis* 1°.

(*a*) Quàm ſtricta & grammaticalis ratio ferat. Cujac.
(*b*) Vide exempla plura in Titulis *de Legatis* N. 150 & 151.

Source : BIU Cujas

Quod (*c*) factum eſt, quum in obſcuro ſit, ex affectione cujuſque capit interpretationem. *l.* 168. § 1. PAUL. LIB. I. AD PLAUT.

(*c*) Exemplum in legato rei quam teſtator ignorabat alienam. Ex affectione quam habuit erga legatarium, æſtimatur an voluerit (etiamſi alienam eſſe ſciret) legare.

DCCCXLIV.

Non quæri oportet, cum quo de ſupremis quis loquatur, ſed in quem voluntatis intentio dirigatur. *l.* 77. § 26. ff. *de Legatis* 3°.

Non mirandum, ſi, quum alius rogatus ſit, alius fideicommiſſo (*a*) obſtringatur. *l.* 108. § 14. ff. *de Legatis* 1°.

Interdum alterius nomen ſcribitur in teſtamento, alteri verò fideicommiſſi petitio vel legati competit. *l.* 11. § 2. *ff. de Legatis* 3°.

Plerumque evenit, multorum intereſſe id quod relinquitur; verùm teſtatorem voluiſſe uni honorem habitum. *l.* 11. § 20. ff. *de Legatis* 2°.

(*a*) Non tam enim ad quem ſermo directus ſit, quàm quem teſtator voluerit gravare, inſpici debet. Exempla in Tit. *de Legatis*. N. 155.

DCCCXLV.

1. Semper (*a*) in obſcuris, quod minimum eſt ſequimur. *l.* 9. ULP. LIB. 15. AD SABIN.

2. Quum ſpecies ex abundanti per imperitiam enumerantur (*b*), generali legato non derogatur (*c*). Si tamen ſpecies (*d*) certi numeri demonſtratæ fuerunt, modus generi datus in his ſpeciebus intelligitur. *l.* 9. ff. *de Supell. leg.*

3. *Genere legato, ſi enumeratæ fuerint res quædam ſub unâ ſpecie contentæ, non continebuntur legato cæteræ res ſub eâ ſpecie contentæ. Exempla in Tit.* de Legatis *N.* 176.

4. *In legato generali rerum alicujus materiæ, item illæ continentur quæ aliquid alterius materiæ admixtum habent: ex l.* 100. § *fin.* ff. de Legatis 3°.

5. *Genere legato non continentur, niſi res hujus generis quarum teſtator dominus fuit: ex l.* 24. *ff. de Inſtr. leg.*

6. *Quum relinquitur generi perſonarum, etiam illæ continentur quæ ſpecialiter commendatæ ſunt; non illæ quibus ſpecialiter teſtator providit, multò minùs illæ quibus inimicus fuit: exempla in Tit.* de Legatis *N.* 181. *& ſeq.*

(*a*) Fallit regula, quum favor religionis, aut filii qui de fideicommiſſo paterno contra fiſcum contendit favorabiliorem ſuadet interpretationem.
(*b*) Quum genere legato, enumeravit poſteà ſpecies quas per errorem crèdebat fortè legato non contineri; aut de quibus dubitari poterat an continerentur. Vi exempla Tit. *de Legatis* N. 173.
(*c*) Non ideò reſtringitur legatum ad has ſolas ſpecies.
(*d*) Si certo & accurato numero ſpecies quas legare vellet, enuntiavit. Exempla in Tit. *de Legatis*. N. 174.

DCCCXLVI.

Regulariter in legatis oratio per futurum tempus concepta, refertur ad res quas mortis ſuæ tempore teſtator habebit; per præſens aut præteritum tempus concepta: aut quum nullum eſt tempus, ad eas duntaxat quas habebat tempore teſtamenti: exempla cum exceptionibus in Tit. de Legatis *à N.* 192. *ad N.* 200.

ARTICULUS III.

Regulæ interpretationis circa ambiguitatis ſpeciem quæ ex duabus diſpoſitionibus ſimul ſpectatis oritur.

DCCCXLVII.

De ambiguitate, ex duabus ſcripturis contrariis.

1. In legatis noviſſimæ ſcripturæ valent. *l.* 12. § 3. ff. *de Legatis* 1°.

In tutelis teſtamentariis, id ſequimur quod noviſſimum eſt. *l.* 10. § 1. ff. *de Teſtam. tut.*

2. Traditum eſt in legatis noviſſimam, in libertatibus leviſſimam conditionem (*a*) ſpectandam. *l.* 87. ff. *de Cond. & dem.*

Leviſſima libertatis conditio intelligenda eſt, quæ ad libertatem perducit; quamvis naturâ gravior. *l.* 35. ff. *d. tit.*

Sed in fideicommiſſariis libertatibus, noviſſima ſcriptura ſpectatur. *l.* 5. ff. *de Manum. teſtam.*

3. *Quum ſervus legatus eſt, & alterâ ſcripturâ manumiſſus*; Toties efficacior eſt libertas legato, quoties utiliter data eſt. *l.* 37. ff. *de Legatis* 1°.

Si purè legatus ſervus, ſub conditione liber eſſe juſſus fuerit, ſub contrariâ conditione valet legatum. *l.* 68. § 2. ff. *d. tit.*

Si idem purè legatus ſit, & ex die liber eſſe juſſus erit; omnimodo inutile eſt (*b*) legatum. *d. l.* 68. § 3.

4. *In heredum inſtitutionibus non noviſſima, ſed plenior ſcriptura præfertur: ex l.* 27. § 1. *ff.* de Her. inſt.

Si plures inſtitutiones (*c*) ex eâdem parte ſub diverſis conditionibus fuerint; conditio quæ prior extiterit, occupabit inſtitutionem. *l.* 17 ff. *de Cond. inſtit.*

(*a*) *In disjunctis* conditionibus; id eſt, ſeparatis diſpoſitionibus.
(*b*) Ita ſtricto jure; quia deberi ad tempus nec legatum nec quodvis aliud poteſt: ex æquitate tamen ſuſtinetur uſque ad illud tempus.
(*c*) Ejuſdem perſonæ.

DCCCXLVIII.

De aliis ambiguitatum ſpeciebus.

1. Si non corpus ſit legatum, ſed quantitas eadem in eodem teſtamento ſæpiùs; D. Pius reſcripſit tunc ſæpius præſtandam ſummam, ſi evidentiſſimis probationibus oſtendatur (*a*) teſtatorem multiplicare legatum voluiſſe. *l.* 34. § 3. ff. *de Legatis* 1°.

2. *Quum diverſas quantitates eidem (b) quis reliquit diverſis ſcripturis; non multiplicaſſe legato, ſed prius per poſterius auxiſſe vel minuiſſe creditur, niſi contrarium probetur: ex l.* 18. ff. de Alim. leg.

(*a*) Hæc probandi neceſſitas legatario non incumbet, ſi à diverſis heredibus aut in diverſis ſcripturis relictæ ſint illæ quantitates; putà, una teſtamento, altera codicillis.
(*b*) Secùs, ſi diverſis perſonis; putà, una mihi, altera quantitas ſervo meo relicta ſit.

ARTICULUS IV.

De interpretatione quarumdam clauſularum quæ legatis ac fideicommiſſis adjiciuntur.

DCCCLIX.

De clauſulâ Exceptionis.

Clauſula EXCEPTIONIS, *quâ res quædam ex legato univerſitatis excipiuntur, ita valet; ſi exiſtat & conſtet quid exceptum fuerit. Et quidem valet, etſi ea quæ excipiuntur, exhauriant legatum. Tit.* de Legatis *N.* 221.

DCCCL.

De clauſulâ Prorogationis.

Talis ſcriptura: QUAS pecunias legavi, eas heres meus annuâ, bimâ, trimâ die (*a*) dato; ad corpora legata non pertinet, ſed ad ea quæ pondere, numero, menſurâ continentur; & ad ea tantùm quibus dies (*b*) non eſt appoſitus. *l.* 30. *pr. &* § 1. ff. *de Legatis* 1°.

Quum vulgari modo dies legatorum profertur, nihil

(*a*) Subauditur ſemper *ægtis penſionibus.*
(*b*) Aut conditio. Videntur autem diem habere, & quæ ſic relicta ſunt *Præſenti die.*

Source : BIU Cujas

ad dotis relegationem (*c*) pertinet. *l.* 4. *ff. de Dot. præleg.*

Prorogationis Scripturam non ſolùm ad præcedentia legata.... extendi... ſed etiam ad ea quæ codicillis poſteà legata fuerint. *l.* 30. § *fin.* & *l.* 31. *ff. de Legatis* 1°.

Videtur in clauſulâ prorogationis Non hoc egiſſe teſtatorem ut confirmet quæ inutilia ſunt, ſed ut diem utilibus prorogaret. *l.* 19. *ff. d. tit.*

(*c*) Evidens eſt enim voluiſſe teſtatoram præſenti die præſtari; cùm in eo ſolo commodo repræſentationis, conſiſtat legatum.

DCCCLI.

De clauſulâ Repetitionis.

In poſteriori legato, Verius eſt eo verbo AMPLIUS ſuperiora (*a*) repeti. *l.* 54. *ff. de Legatis* 1°.

Legata inutiliter (*b*) data Papinianus putat confirmari per repetitionem. *l.* 19. ff. *de Legatis* 2°.

In generali repetitione legatorum, etiam libertates datæ continentur; ex mente Legis XII. (*c*) Tabularum. *l.* 80. *ff. de Verb. ſign.* PAUL. LIB. 9. AD PLAUT.

Quum pupillus priore loco gravatus, ſemel heres extitit; REPETITIO *à ſubſtituto facta deficit, niſi quid plus fuerit in Repetitione, aut adjecta fuerit alia legatarii perſona: ex Tit.* de Legatis *N.* 235. & 236.

(*a*) Nec ſolùm quæ eidem, ſed quæ alii perſonæ relicta ſunt. Quod quando obtineat, vide Tit. *de Legatis*, N. 230. & ibi Notas. Repetita autem ſub eâdem die & conditione videri ſolent *d. tit.* N. 234.

(*b*) Imò & quod omninò legatum non fuit, per verbum *ampliùs* legato includitur; ut ſi quis quum dotem antè non legaſſet, *Ampliùs quàm dotem, ventum.*

(*c*) Quæ verbo *Legaſſit*, omnes ultimas voluntates complexa eſſe videtur.

DCCCLII.

De clauſulâ Multiplicationis.

Clauſula quâ quis eis quibus jam legavit, præcipit ALTERUM TANTUM *dari; non porrigetur ad ea quibus reddi magis quàm dari videtur, putà ad relegationem dotis: ex l.* 88. § 7. ff. de Legatis 2°.

Multiplicatio fit ex hâc clauſulâ, non deducto onere prioris legati: ex l. 18. § 4. *ff.* de Alim. leg.

SECTIO VII.

De die, conditione, modo, demonſtratione, & cauſâ, quæ ultimis voluntatibus adjiciuntur.

ARTICULUS I.

De die.

DCCCLIII.

1. Dies INCERTUS (*a*) conditionem in teſtamento facit. *l.* 75. *ff. de Cond. & dem.*

Dies CERTUS *non ſuſpendit legatum, ſed præſtationem duntaxat moratur.*

2. Quum tempus in teſtamento adjicitur, credendum eſt pro herede (*b*) adjectum; niſi alia mens fuerit teſtatoris: ſicuti in ſtipulationibus, promiſſoris gratiâ tempus adjicitur. *l.* 17. ULP. LIB. 23. AD SABIN.

3. *Quum terminus ex quo dies curret, expreſſus non eſt; an ex die teſtamenti, an ex die mortis currere debeat, ex circumſtantiis æſtimandum: ex l.* 41. § 15. *ff.* de Fideic. libert.

(*a*) Incertus eſt, de quo incertum eſt an extiturus ſit; aut etiam de quo incertum quando, & an vivo eo cui relictum eſt extiturus ſit.

Quum terminus expreſſus eſt, & tempore teſtamenti jam erat completus; ſi completum ignoravit teſtator, præſens legatum debebitur; ſi ſcivit completum, videtur tantum temporis ex die teſtamenti indulſiſſe: ex l. 49. § 1. *ff.* de Legatis 1°.

Dies (*c*) *conditioni ſub quâ legatum eſt inſertus, non videtur etiam ipſi præſtationi legati additus; niſi hoc aliundè appareat, puta ex particulâ* TUM. *Tit.* de Condit. & demonſtr. *N.* 10. & 11.

(*b*) Hinc poteſt heres, ſi velit ſuo jure non uti, & ante diem ſolvere; niſi manifeſtè doceatur diem pro legatario adjectum.

(*c*) V. G. *Si Titio in quinquennio nupſerit*, heres decem dato: ſtatim atque nupſerit, ante completum quinquennium debebitur. Si ita ſcriptum eſſet, *Tum heres dato*; nonniſi completo quinquennio exigi poſſet; etſi antè nupſerit.

DCCCLIV.

DUODECIMO ANNO, & POST DUODECIM ANNOS, multum intereſt. Duodecimus annus eſt, quum quantumlibet ex duodecimo (*a*) anno veniſſet. *l.* 41. *ff. de Manum. teſtam.*

(*a*) Igitur ita liber eſſe juſſus *anno* 12°. *poſt mortem meam*, initio anni 12°. liber erit. Quòd ſi INTRA *annum* 12*um.* præſens erit libertas.

ARTICULUS II.

De conditionibus in genere.

§ I.

Quæ conditiones ultimas voluntates conditionales faciant.

DCCCLV.

Nulla (*a*) eſt conditio, quæ in præteritum confertur, vel quæ in præſens. *l.* 10. § 1. ff. *de Cond. inſtit.*

Si jam facta ſint quæ conditionis loco ponuntur, & ſciat teſtator; quæ iterùm fieri poſſunt, expectentur ut fiant: ſi verò neſciat, præſenti debeatur. *l.* 11. ff. *de Cond. & dem.*

(*a*) Nec enim ſuſpendit, ſed ſtatim aut confirmat aut perimit ultimam voluntatem.

DCCCLVI.

Obtinuit impoſſibiles conditiones teſtamento adſcriptas, pro nullis (*a*) habendas. *l.* 3. *ff. d. tit.*

Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & contra bonos mores ſunt; ea nec facere nos poſſe credendum eſt. *l.* 15. *ff. de Cond. inſt.*

Falſam (*b*) conditionem, Caſſius & Sabinus impoſſibilem eſſe dixerunt. *l.* 72. § 7. *ff. d. tit.*

Conditiones quæ contra leges aut quæ vicem legis obtinent ſcriptæ, vel quæ contra bonos mores, vel deriſoriæ ſunt, aut hujuſmodi quas Prætores improbaverunt, pro non ſcriptis hebentur. *l.* 14. ff. *de Cond. inſt.*

Prætor (*c*) voluit; eum cui ſub jurisjurandi conditione relictum eſt; ita capere, ut capiunt hi quibus nulla talis jurisjurandi (*d*) conditio inſeritur. *l.* 8. ff. *d. tit.*

Heres ſcriptus ſub conditione SI JURAVERIT ſe daturum quid aut facturum, compellitur facere id quod juſſus eſt; ſolo (*e*) jurejurando remiſſo. *l.* 26. ff. *de Cond. & dem.*

(*a*) Pro non adjectis.

(*b*) Putà hæc, SI *quod Titio debeo ſolverit*; quum nil debeam.

(*c*) Prætor hanc conditionem remittit, ne detur occaſio perjuriis; non remittit tamen, ſi adſcripta fuerit libertati.

(*d*) Adeò hæc conditio remiſſa, pro impletâ habetur; ut, ſi disjunctim cum alterâ licitâ conditione adſcripta ſit, nec alteram impleri opus ſit: l. 8. § 1. ff. *d. tit* N. 30.

(*e*) De cætero conditio utilis eſt, non quidem tanquam *Conditio*, ſed tanquam *Modus.*

Source : BIU Cujas

Quod (*f*) in fraudem Legis ad impediendas nuptias ſcriptum eſt, nullam vim habet. *l.* 79. § 4. ff. *d. tit.*

(*f*) Adeòque hæc conditio *Si non nupſerit*, mihi eis-ve per quos mihi adquiritur adſcripta, inſuper habetur tanquam contra leges. Secùs de illâ conditione quâ quis prohibetur nubere certis perſonis aut in certo loco, quum allis commodè poſſet. Cæterùm & illa reprobatur, *Si arbitratu* certæ perſonæ nupſerit, vel *Si nupſerit* indigno.

DCCCLVII.

Conditiones extrinſecùs, non ex teſtamento (*a*) venientes, id eſt quæ tacitè ineſſe videntur; non faciunt legata conditionalia. *l.* 99. ff. *d. tit.*

Corollarium : Heredis aditio moram legati petitioni facit, ceſſioni diei non facit. *l.* 7. ff. *Quand. dies leg.*

Hæc verba, SI HERES ERIT, vel ſi hereditatem adierit (*b*), ſubjectum legatum non faciunt conditionale. *l.* 3. *ff. de Legatis* 1°.

Verba hæc, Mævius SI VOLET heres eſto, in neceſſario conditionem faciunt, in voluntario fruſtrà adduntur. *l.* 12. ff. *de Condit inſtit.*

Illi, Si (*c*) volet, do; conditionale eſt legatum. *l.* 65. § 1. *ff. de Legatis* 1°.

(*a*) Conditio dicitur *venire ex teſtamento*; quæ ex ſpeciali voluntate teſtatoris in aliquem eventum, legatum ſuſpendere volentis, proficiſcitur. Quicquid a'iundè moratur præſtationem, dicitur *extrinſecùs* venire; nec ſuſpendit legatum. Vide varia exempla & corollaria, *d. tit.* N. 43. 44. 45. &c.

(*b*) Is ſcilicet à quo relictum eſt; hæc enim conditio ineſt naturæ legati, quod deberi non poteſt ab eo à quo relictum eſt, niſi heres ſit. At ſi in perſonam coheredis collata ſit conditio, valet.

(*c*) Non enim ineſt legato, ut legatarius velit; cùm ignoranti acquiratur.

§ II.

Quæ verba conditionem demonſtrent, necne.

DCCCLVIII.

Non intereſt ita ſcribatur, SI (*putà*) annorum quatuordecim factus erit, an ita QUUM : utrobique eadem conditio eſt. *l.* 22. ff. *Quando dies leg. ced.*

Si ancilla CUM FILIIS libera eſſe juſſa ſit, adjectio CUM FILIIS non facit conditionem. *l.* 73. § 3. ff. *de Manum. teſtam.*

Licèt ut non petatur cautio, conditio teſtamento ſcripta fuerit; non videtur (*a*) conditio. *l.* 12. ff. *Ut leg. nom. cav.*

His verbis QUUM A TE PETIERINT (*b*), conditio fideicommiſſo adſcripta non videtur. *l.* 85. *ff. de Cond. & dem.*

(*a*) Hoc ipſo enim quòd præſcribitur, impletur; cùm non poſſit petere cautionem is legatarius, qui eam petere prohibitus eſt.

(*b*) Quia executionem magis ſpectant quàm diſpoſitionem.

§ III.

Quando & quæ conditiones tacitè adjectæ intelligantur.

DCCCLIX.

Si filio à patre fideicommiſſum ſic relictum eſt, Ut relinquat (*a*) filio, vel VOLO EUM HABERE; defendetur in id tempus fideicommiſſum relictum, quo ſui (*b*) juris filius efficietur. *l.* 11. § 10. *ff. de Legatis* 3°.

Si quis aliquem ex liberis ſuis qui liberos non habebat roget, reſtituere poſt mortem ſuam extraneo; ſubauditur conditio SI SINE LIBERIS DECESSERIT. *l.* 102. ff. *de Cond. & dem. l.* 6. § 1. *Cod. de Inſtit. & ſubſtit.*

Si ab impubere legatum fuerit ſub conditione, & à ſubſtituto repetitum legatum, non videtur repetita (*c*) conditio quæ inutile legatum facit. *l.* 118. § 4. ff. *de Legatis* 1°.

(*a*) Vel ut reſervetur filio.

(*b*) Si alius quàm qui fideicommiſſarium in ſuâ poteſtate habet, ſimilibus verbis gravaretur; videretur relictum in tempus mortis gravati.

(*c*) Qualis eſt illa, *Si ad pubertatem pervenerit.* Cæteræ conditiones tacitè repetitæ intelligentur à ſubſtituto.

Quum bis eidem relictum eſt, conditio priori diſpoſitioni inſerta non cenſetur repetita in poſteriori; niſi aut poſterior diſpoſitio contineat repetitionem prioris, aut utraque diſpoſitio ad eumdem quidem rei relinquendæ finem collimet, aut poſterior diſpoſitio abſque hujus conditionis repetitione foret inutilis. Tit. de Condit. & dem. *N.* 87. *ad N.* 90.

Quæ conditio ad genus perſonarum, non ad certas & notas perſonas pertineat; eas exiſtimamus totius eſſe teſtamenti, & ad omnes heredes inſtitutos pertinere. At quæ conditio ad certas perſonas accommodata fuerit, eam referre debemus ad eum duntaxat gradum quo hæ perſonæ inſtitutæ fuerunt. *l.* 39. ff. *de Cond. & dem.*

§ IV.

An conditio adimi poſſit.

DCCCLX.

Melius eſt, conditiones ſicut adſcribi, ita & adimi (*a*) poſſe. *l.* 3. § 9. ff. *de Adim. leg.*

(*a*) Ratio dubitandi erat quòd conditio non *datur*, ſed adſcribitur : quod autem non *datur*, non poteſt adimi.

§ V.

Quando conditio impleri aut deficere videatur.

DCCCLXI.

Conditionem implet qui facit quod in conditione poſitum eſt, utcumque facere poteſt licèt inefficaciter. Exempla Tit. de Cond. & dem. *N.* 96.

Conditionibus pupillus & ſine tutoris auctoritate parere (*a*) poteſt, item ſervus vel filiusfamilias ſine juſſu patris vel domini. *l.* 5. *pr.* § 1. ff. *de Cond. & dem.*

(*a*) Parendo enim non fit heres, ſed hoc conſequitur ut jam poſſit cum auctoritate tutoris adire.

DCCCLXII.

Verius (*a*) eſt, ut quis conditionem ſcindere non poſſit. *l.* 23. ff. *d. tit.*

Quum duobus eadem res ſub conditione legata eſt; ſinguli pro ſuâ parte (*b*) & conditioni parere, & legatum capere poſſunt. In eo verò quod uni ſub conditione legatum eſt, ſcindi ex accidenti conditio non debet; & omnis numerus eorum qui in locum ejus ſubſtituuntur (*c*), pro ſingulari perſonâ eſt habendus. *l.* 56. ff. *d. tit.*

(*a*) Regula fallit; ut (quum à duobus relictum eſt ſub conditione *Dandi*, & uni dari non potuit) poſſit legatarius pro parte alteri dando; legatum conſequi; item quum non poteſt nonniſi parte legati conſequi.

(*b*) Scilicet niſi quid individuum fuerit in conditione poſitum.

(*c*) Scilicet ſi ita relictum fuerit; *Titio, aut* (*ſi præmortuus fuerit*) *filiis ejus.*

DCCCLXIII.

Quum tempus intra quod conditio poteſtativa impleretur, adjectum eſt; Quibus diebus ... nec per te ſtaret ... hi dies conditioni non imputabuntur. *l.* 40. ff. *d. tit.*

Si quis ſic dixerit, ut intra diem mortis ejus aliquid fiat; ipſe quoque dies quo quis mortuus eſt, numeratur (*a*). *l.* 133. *ff. de Verb. ſign.* ULP. LIB. 4. AD L. JUL. ET PAPIAM.

Sciendum eſt promiſcuas conditiones poſt mortem impleri oportere, non promiſcuas etiam vivo teſtatore exiſtere poſſe. *l.* 11. § 1. *ff. de Cond. & dem.*

Ut paruiſſe quis conditioni promiſcuæ videatur, ſcire debet hanc conditionem inſertam. Nam ſi fato fecerit, non videtur obtemperaſſe voluntati. *l.* 2. ff. *d. tit.*

Conditio (*promiſcua, veluti*) SI in Capitolium aſcenderit, ſic recipienda eſt SI quum primùm potuerit. *l.* 29. ff. *d. tit.*

(*a*) Ut ſi hoc die factum fuerit, conditio *Si intra id tempus factum eſſet*, videatur impleta.

§ VI.

Source : BIU Cujas

§ VI.

Quando conditio quæ non impleta eſt, pro impletâ habeatur.

DCCCLXIV.

In Jure Civili receptum eſt; Quoties per eum cujus intereſt conditionem non impleri, fiat quominùs impleatur; perindè haberi ac ſi impleta conditio fuiſſet (*a*): quod ad libertatem & legata perducitur. Quibus exemplis ſtipulationes quoque committuntur, quum per promiſſores factum eſſet quominùs ſtipulator conditioni pareret. *l.* 161. ULP. LIB. 71. AD ED.

Non omne ab heredis perſonâ interveniens impedimentum ſtatulibero, pro expletâ conditione cedit; ſed id duntaxat, quod impediendæ libertatis factum eſt. *l.* 38. *ff. de Statulib.*

(*a*) Fluit ex regulâ generali quæ eſt ſuprà N. 51. Vide exempla Tit. *de Condic. & dem.* N. 112. ad N. 116.

DCCCLXV.

Conditiones POTESTATIVÆ (*a*), *ex eo ſolo pro impletis habentur quòd non ſtet per eum cui injunctæ ſunt* (*b*). *Secùs de* Mixtis (*c*); *niſi libertati aut legato alimentorum adſcriptæ ſint: quo caſu favorabiliter pro poteſtativis habentur. Tit.* de Cond. & dem. *N.* 121. *& ſeq.*

Conditiones MIXTÆ *pro impletis habentur, quum ſtat per eum in cujus perſonam* (*d*) *collatæ ſunt.* d. tit. *N.* 119.

Abſurdum (*e*) eſt maturiùs *quem* liberum fieri quum conditionem non implet, quàm futurus foret ſi eam impleret. *l.* 4. § 2. ff. *de Statulib.*

Non libertati ſufficit heredem in morâ fuiſſe; ſi non id fiat per ſtatuliberum, quod remotâ morâ libertati aditum daret. *l.* 34. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Poteſtativæ dicuntur, quæ in ſolo ejus cui relinquitur facto conſiſtunt; veluti, *Titio* (*Si Capitolium aſcenderit*) *lego.*

(*b*) Non tamen pro impletâ habebitur, ſi ſaltem per æquipollens eam implere poſſit; niſi eam utcumque poteſt impleat. Non neceſſe autem habebit per æquipollens implere, ſi per ipſum à quo relictum eſt ſteterit quominùs impleatur. *d. tit.* N. 127. & 128.

(*c*) Quæ non ejus ſolius cui relinquitur, ſed in ejus & alterius facto conſiſtunt: ut, *Titio lego*, SI *Mævio decem dederit.*

(*d*) Putà illa, SI *Titio nupſerit*, pro impletâ habebitur, ſi Titius nolit uxorem ducere. Secùs, ſi mortuus eſſet.

(*e*) Ex hâc regulâ concludendum relinquitur, conditionem quæ tractum temporis habet, putà illam SI *anno Titio ſervierit*, ſi ſtat per heredem eum-ve in cujus perſonam collata eſt quominùs impleatur, tunc demùm tamen pro impletâ haberi, quum tempus præteriit intra quod impleri potuit. Vide plura de hàc & ſeq. Reg. Tit. *de Cond. & dem.* N. 125. & ſeq.

§ VII.

Quum plures conditiones adſcriptæ ſunt, an omnibus parendum.

DCCCLXVI.

Si plures conditiones conjunctim datæ ſunt, omnibus parendum; ſi disjunctim ſunt, cuilibet. *l.* 5. ff. *de Condit. inſtit.*

Ubi verba conjuncta non ſunt, ſufficit alterutrum eſſe factum. *l.* 110. § 3. PAUL. LIB. 6. AD ED.

§ VIII.

De Mucianâ *cautione.*

DCCCLXVII.

Obtinuit ut is cui ſub conditione quæ in Non faciendo *conſiſtit relictum eſt*, (*putà*, SI non aſcenderit *Capitolium*), *poſſet ante hanc conditionem quæ nonniſi morte ipſius exiſtere poteſt, legatum conſequi; oblatâ cautione de reſtituendo in eum caſum quo conditioni non paruiſſet. Quæ cautio ab ipſius auctore*, MUCIANA *dicta eſt. Circa quam hæ traduntur regulæ.*

1. Muciana cautio locum non habet; ſi per aliam conditionem, legati actio differri poſſit. *l.* 77. § 1. ff. *de Condit. & dem.*

2. Mucianæ cautionis exemplum locum habere non potuit, quum (*a*) vivo eo cui relictum eſt impleri conditio potuit. *l.* 72. § 2. ff. *d. tit.*

3. Is cui ſub conditione NON FACIENDI relictum eſt, ei cavere debet Mucianâ cautione; ad quem deficiente conditione legatum hereditas-ve pertinere poteſt. *l.* 18. *ff. d. tit.*

4. Qui Mucianam cautionem alicujus non faciendi causâ interpoſuit; ſi poſtea fecerit, fructus quoque reſtituere debet. *l.* 76. § *de Legatis* 2°.

(*a*) Putà ſi relictum ſit mulieri, SI *Titio* NON *nubat.* Hæc enim conditio quamvis in NON *faciendo*, poteſt vivâ eâ impleri; putà, morte Titii, aut ſi alii nupſerit. Fallit regula, ſi caſus quo vivo legatario conditio impleri poſſet, adeò luctuoſus ſit ut teſtator ad eum non reſpexerit: V. G. *Si à filiis meis non diſceſſerit.*

§ IX.

Regula generalis circa conditionum interpretationem.

DCCCLXVIII.

In conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditiones. *l.* 19. ff. *de Cond. & dem.*

ARTICULUS III.

De variis ſingularibus conditionum ſpeciebus.

§ I.

De conditione Dandi.

DCCCLXIX.

Qui dare juſſus eſt, niſi adjectum ſit cui det, heredibus dare debet pro partibus hereditariis. *l.* 22. ff. *de Statulib.*

In conditione dandi Si heredibus nominatis extraneus junctus eſt; extraneo virilis, cæteris hereditariæ dari debent. *d. l.* 22. § 2.

Quum hereditas ex Trebelliano reſtituta eſt; heredi dandum eſt ut impleatur conditio, nec hoc reſtituendum. *l.* 44. § 4. *ff. de Cond. & dem.*

DCCCLXX.

Heredi dare juſſus & liber eſſe, & heredis heredi dando perveniet ad libertatem. Quod non ſimiliter in legatarii perſonâ cuſtodiri. *l.* 51. § 1. *ff. de Cond. & dem.*

Heredi dare juſſus, Si nullus heredi ſucceſſerit jure (*a*) conſtituto, nulli dando ad libertatem perveniet. *l.* 94. *ff. d. tit.*

Liber eſſe juſſus SI HEREDI DEDERIT, ſi ab herede abalienatus ſit, emptori (*b*) dando ad libertatem perveniet. ULP. FRAGM. *Tit.* 2.

Qui heredi (*c*) dare juſſus eſt; ſervo alieno inſtituto, non domino dare debet. Statuliber quin domino dare debeat (*d*), non eſt dubium. *l.* 44. *pr.* & § 2. *ff. de Condit. & dem.*

Si pupillo vel furioſo dediſſet, videtur expleſſe conditionem curatori vel tutori dando (*e*). *l.* 13. *ff. d. tit.*

(*a*) Id eſt, ſingulari; favore libertatum, ita conſtituto.

(*b*) Enimverò hæc conditio libertati adſcripta non concludetur intrà perſonam heredis. Secùs in perſonâ legatarii obtineret.

(*c*) Sive ſub appellatione heredis, ſive ſub propriâ.

(*d*) Ratio diſparitatis quòd in libertatibus, conditio non concluditur intra perſonam heredis.

(*e*) Non ſi ipſi pupillo abſque tutoris auctoritate daret.

DCCCLXXI.

Servus liber eſſe juſſus SI DEDERIT; ex peculio dare

Source : BIU Cujas

potest (*a*), quod quocumque modo acquisitum habuerit. *l.* 13. §. 5. ff. *de Statulib.*

Quod statulibero ex peculio suo implendæ conditionis causâ dare concessum est; ita interpretari debemus, ut non etiam ex eo dare possit quod extra (*b*) peculium est. *l.* 17. *ff. d. tit.*

Jussus dare, numerare (*c*) debet, non fidejussorum dare. *l.* 5. § 1. ff. *Statulib.*

(*a*) Non transfert quidem in accipientem si invito eo ad quem peculium pertinet det: sed tamen implet conditionem.
(*b*) Id est, quod excedit eam quantitatem peculii quæ deducto quod domino debet, supereſt.
(*c*) Compensatio aut acceptilatio idem præstant.

§ II.

De conditione reddendarum rationum, & aliis.

DCCCLXXII.

Rationum reddendarum conditioni continetur, omne quod quoquo genere servi (*cui injuncta est*) actum fidemque (*a*) respiceret. *l.* 41. § 11. ff. *Fideic. lib.*

Conditionem SI RATIONES REDDIDERIT, neque conditionem meram putamus esse quæ in datione (*b*) consistit, neque meram conditionem quæ in facto (*c*) sit; sed eam quæ ex mixturâ (*d*) quâdam consistit. *l.* 82. ff. *de Cond. & dem.*

In RELIQUIS accipere debemus, ut ipsa volumina rationum reddantur. *l.* 13. § 2. ff. *de Manum. test.*

Servo sub conditione reddendarum rationum manumisso; Puto & ad emptorem *servi*, reliquorum solutionem transmitti. Sic fiet ut dividatur (*e*) conditio. *l.* 6. §7. ff. *de Statulib.*

(*a*) Non solùm igitur eorum quorum administratio ipsi commissa est, sed & eorum quæ fortè aliundè subripuisset domino.
(*b*) Solutione *Reliquorum.*
(*c*) Exhibitionis & dispunctionis rationum.
(*d*) Utrumque scilicet, & exhibitionem & reliquorum solutionem.
(*e*) Heredi enim rationes excutiendas tradere debebit, reliqua emptori solvere.

DCCCLXXIII.

Si quis ita legaverit DUM UXOR MEA CUM FILIO ERIT... non omne momentum exigendum ut cum liberis sit; sed si eam mentem & id propositum habeat ne filium à semet dimittat, ne-ve per eam stet quominùs cum eâ filius educetur. *l.* 8. ff. *de Cond. & dem.*

De interpretatione plurium aliarum locutionum in Conditionibus, vide Tit. præced. passim.

ARTICULUS IV.

De Modo *ultimis voluntatibus adjecto.*

DCCCLXXIV.

Si cui in hoc legatum sit ut aliquid faceret (*a*), sub MODO legatum videtur. *l.* 17. §. *fin. ff. de Cond. & dem.*

Si tibi relictum est uti quid facias, etiamsi non interest heredis id fieri, negandam tibi actionem; si non caveas heredi, futurum id quod defunctus voluit. *l.* 19. ff. *de Legatis* 3°.

Is cui sub modo relictum est, toties secundùm voluntatem testatoris facere compellitur, quoties contra (*b*) legem nihil sit futurum. *l.* 37. ff. *de Cond. & dem.*

(*a*) Vel daret.
(*b*) Aut nisi id sit quod nimis sit invidiosum libertati, putà *Ut à monumento non recedat.*

DCCCLXXV.

Eas causas quæ protinùs agentem repellunt, in fideicommissis pro conditionalibus servari oportet; eas verò causas quæ habent moram (*a*) cum sumptu, admittemus cautione oblatâ. *l.* 80. ff. *de Cond. & dem.*

Modus pro conditione (*b*) observatur. Sed si per te non stat quominùs voluntati testatoris pareas; quominùs id quod tibi relictum est obtineas, non oberit. *l.* 1. *Cod. de His quæ sub mod.*

Ex Constitutione Gordiani admissum est; ut ex his verbis, Titio relinquo Ut Mævio det, *fideicommissi actio Mævio nascatur. l.* 2. *Cod. d. tit.*

(*a*) Intelligit legem aliquid faciendi.
(*b*) Nam hoc sensu ut suspendat legatum quemadmodum conditio: sed hoc sensu ut legatarius per exceptionem excludatur à petitione legati, nisi paratus sit implere, aut saltem cavere de implendo; imò etsi ei res legata præstita sit, ab eo repetatur, nisi impleat *Modum*, & quidem in solidum. Tit. *de Cond. & dem.* N. 221. 222. 223.

ARTICULUS V.

De Demonstrationibus & Causis, *quæ in ultimis voluntatibus exprimuntur.*

DCCCLXXVI.

Inter demonstrationem & conditionem hoc interest; quòd demonstratio plerùmque factam rem ostendit, conditio futuram. *l.* 34. § 1. *ff. de Cond. & dem.*

Quidquid demonstrandæ rei additur, satis demonstratæ, frustrà est. *l.* 3. § 8. ff. *de Dot. præleg.*

Falsa demonstratio neque legatario neque fideicommissario nocet, neque heredi instituto. *l.* 33. ff. *de Cond. & dem.*

Demonstratio plerùmque vice nominis fungitur. Nec interest falsa an vera sit, si certum sit quem testator demonstraverit. *l.* 34. ff. *de Cond. & dem.*

DCCCLXXVII.

Causa in præteritum, pœna in futurum confertur. *l.* 12. ff. *de Cond. & dem.*

Falsam causam legato non obesse verius est, quia ratio legandi legato non cohæret. Sed Doli excepto locum habebit, si probetur aliàs legaturus non fuisse. *l.* 72. §. 6. ff. *de Condit. & dem.*

SECTIO VIII.

De variis casibus quibus ultimæ voluntates stante licèt testamento exitum non habent.

ARTICULUS I.

De his quæ pro non scriptis habentur.

DCCCLXXVIII.

1. Quæ in testamento ita sunt scripta ut intelligi non possint, perindè sunt ac si scripta non essent. *l.* 73 §. 3. Q. M. SCÆVOLA LIB. SING.

2. Ubi pugnantia inter se testamento juberentur, neutrum ratum est. *l.* 188. CELSUS LIB. 17. DIGEST.

3. Quod quis sibi abscripserit, pro non scripto est. *l.* 5. ff. *de His quæ pro non script.*

4. *Jure veteri* (*a*); Pœnæ causâ ne quidem fideicommissa dari possunt. ULP. FRAGM. *Tit.* 12.

Pœnam à conditione voluntas testatoris separat. *l.* 2. ff. *de His quæ pœnæ caus.*

(*a*) *Pœnæ causâ* relinqui dicitur, quod testator in eum casum relinquit quo heres quid faceret, vel non faceret, hoc animo ut heredem ita ad faciendum adstringeret, vel à non faciendo deterreret. Jure Justinianeo valent, si honestum sit quod testator jussit.

Source : BIU Cujas

5. Si eo tempore quo alicui legatum adscribebatur, in rebus humanis (*b*) non erat, pro non scripto hoc habebitur. *l.* 4. ff. *de His quæ pro non scrip.*

Si in metallum (*c*) damnato quid extra causam alimentorum relictum fuerit, pro non scripto est. *l.* 3. ff. *d. tit.*

6. Quæ in eam causam pervenerunt, à quâ incipere non poterant (*d*); pro non scriptis habentur. *l.* 3. §*fin.* ff. *de His quæ pro non script.*

(*b*) Idem si fuit in captivitate, undè posteà non redeat.
(*c*) Idem dic de deportato, & de his quibus legari non potest.
(*d*) Exceptis casibus quibus leges pronuntiaverunt eas caducas aut in causâ caduci esse.

DCCCLXXIX.

Quæ pro non scriptis habentur, remanent penès eum à quo relicta sunt; & quidem regulariter (a) absque onere quod injunctum fuerat ei cui relictum est. l. un. Cod. de Caduc. toll.

(*a*) Excipe duos casus. 1*us.* est quum quis sibi quid adscribit. 2*us.* quum legatum servi inutiliter relictum habebat legem ejus manumittendi.

ARTICULUS II.

De caducis & causâ caduci, quæ ex Lege Juliâ & Papiâ fisco vindicabantur.

DCCCLXXX.

1. CADUCUM appellatur... si ex parte heres scriptus legatarius-ve ante apertas (*a*) tabulas decesserit, vel pereger factus sit. ULP. FRAGM. *Tit.* 7.

Si post testamentum factum heres vel legatarius in metallum damnatus (*b*) sit, ad fiscum non pertinet. *l.* 3. § 1. ff. *de His quæ pro non script.*

2. CADUCUM appellatur, si cœlibi vel Latino legatum fuerit; nec intrà dies centum, vel cœlebs Legi paruerit, vel Latinus Jus Quiritum consecutus sit. ULP. FRAGM. *Tit.* 7.

Qui liberos non habebant, nonnisi dimidiam ejus quod sibi relictum erat à cujusvis testamento; vir & uxor qui procreationi liberorum non studerent ultra certam bonorum partem, alter ex alterius testamento capere non poterant. *d. tit.*

(*a*) Scilicet post mortem testatoris, ante apertas tabulas. Nam si vivo testatore decessisset, propriè non *Caducum*, sed *In causâ caduci* vocabatur: utriusque tamen idem jus. Ex legibus caducariis dies legatorum non ex die mortis testatoris, sed demùm ex aperturâ tabularum cedebat; & ex eo die pariter deferebatur hereditas heredi ex parte scripto; at ex asse scripto deferebatur, ut ex Jure antiquo, ex die mortis.
(*b*) De solo enim casu peregrinitatis seu deportationis Lex locuta est.

DCCCLXXXI.

Non oportet priùs de conditione cujusquam quæri, quàm hereditas legatum-ve ad eum pertineat (*a*). *l.* 52. ff. *de Legatis* 2°.

Quum ei qui partem capiebat, legatum esset ut alii restitueret; placuit solidum capere posse. *l.* 42. ff. *de Legatis* 2°.

Non capit quis quod erogat (*b*). *l.* 62. § 1. ff. *de Condit. & demonstr.*

Quod conditionis implendæ causâ datur, licèt non ex bonis mortui proficiscatur, capere tamen supra modum non potest is cui certum modum ad capiendum Lex concessit. *l.* 36. *ff. de Mort. caus. donat.*

(*a*) Id est, dies cesserit.
(*b*) Sive ex causâ fideicommissi; sive ex causâ conditionis implendæ, ut in specie hujus legis.

DCCCLXXXII.

Imperator rescripsit fiscum habere IN REM actiones (*a*) ex tacito fideicommisso *l.* 43. *ff. de Jur. fisc.*

Ferè eò jam decursum ut fraus Legi fieri videatur (*b*), quoties quis neque testamento neque codicillis rogaretur, sed domesticâ cautione & chirographo (*c*) obligaret se ad præstandum ei qui capere non potest. *l.* 3. *ff. de Jur. fisc.*

Non intelligitur fraudem legi feciisse, qui rogatus est palàm restituere. *d. l.* 3.

Si pater (*d*) filii quem in potestate habebat, tacitam fidem interposuerit; non debere id filio nocere: quia parendi necessitatem habuerit. *l.* 10. § 2. *ff. de His quæ ut indign.*

Patronus si recipiat ut ex portione suâ præstet, cessare fraudem dicitur; quia ex suo largitur. *l.* 40. §. 1. *ff. de Jur. fisc.*

Si quilibet heres tacitè rogatus fuerit ut quadrantem quem Legis Falcidiæ (*e*) beneficio retinuit, non capienti restituat; æquè locus erit Senatusconsulto. *l.* 23. *ff. de His quæ ut indign.*

Omnia caduca fisco vindicantur, servato jure (*f*) antiquo liberis & parentibus. ULP. FRAGM. *Tit.* 17.

Caduca cum suo onere (*g*) fiunt. *Ibid.*

Caduca Jure Justinianæo abrogata.

(*a*) Id est, posse persequi non solùm adversùs incapacem, sed & adversùs eum qui tacitè ei restituere rogatus est, antequàm restitueret.
(*b*) Adeòque ei qui rogatus est, fiscus auferat.
(*c*) Vel etiam absque scripturâ.
(*d*) Idem dic de domino.
(*e*) Differt hæc species à præcedenti. Non ex mero Legis beneficio Falcidiam heres habet; qui poterat non institui heres.
(*f*) Scilicet ut, quibus casibus pars hereditatis legatum-ve quod fiscus ex legibus caducariis vindicat, ante has Leges aut accrevisset coheredi collegatario-ve, aut apud eum à quo relicta erant remansisset; & nunc accrescat remaneat-ve his qui sunt in numero parentum aut liberorum testatoris.
(*g*) Putà, fideicommissi: in quo differunt ab his quæ *Pro non scriptis* habentur.

ARTICULUS III.

De his quæ ut indignis auferuntur.

§ I.

De indignis ob delictum adversùs leges.

DCCCLXXXIII.

Si quis contra *Leges* duxerit uxorem (*a*); quod ei ex testamento uxoris acquisitum est, quasi indigno ei aufertur. *l.* 2. § 1. *ff. de His quæ ut indign.*

Quæ stupro cognita in contubernio militis fuit, non admitti ad testamentum *etiam* jure militiæ factum; & quod relictum est, ad fiscum pertinere respondi. *l.* 14. *ff. d. tit.*

(*a*) Vel Præses provincialem, vel tutor pupillam, vel quivis adulterio damnatam. Item focaria militis, ab ejus testamento excluditur.

§ II.

De indignis ob delictum adversùs personam defuncti.

DCCCLXXXIV.

Heredibus (*a*) qui in ulciscendâ morte defuncti cessaverant, tam testamento quàm ab intestato auferuntur bona; fortè etsi quasi patronus venit. *l.* 62. § 1. ff. *de SC. Silan.*

Si cædis auctores reperiri non potuerint; obesse heredibus, ex quo nulla eorum culpa detegitur, non oportet. *l.* 7. *Cod. de His quib. ut indign.*

Præsidis iniquitate reis absolutis, heredibus qui non defunctoriè officium impleverunt, quamvis non provocassent (*b*), hereditatem auferri non oportere visum est. *l.* 21. § *fin. ff. de SC. Silan.*

(*a*) Et omnibus qui loco heredis sunt: l. 21. ff. *de his quæ ut ind.*
(*b*) At contrà, si reus provocet, prosequi causam appellationis tenentur,

Source : BIU Cujas

DCCCLXXXV.

Si quis vivi ignorantis bona cognati donaverit (*a*), quasi indigno aufertur. *l.* 2. § *fin. ff. de His quæ ut indign.*

Vide alias causas ; ut si statûs controversiam movit testatori, si eum detulit : Tit. de His quæ ut ind. *Art.* 1°.

(*a*) Vel alio modo de hereditate futurâ disposuerit.

§ III.

De indignis ob impugnationem voluntatis defuncti.

DCCCLXXXVI.

1. Eos qui ne testamentum ordinaretur (*a*), impedimento (*b*) fuisse monstrantur (*c*); velut indignas personas à successionis removeri compendio, celeberrimi juris est. *l.* 2. *Cod. Si quis aliq. test. proh.*

2. Judicium postremum in se provocare maritali sermone non est criminosum. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

(*a*) Aut mutaretur.
(*b*) Putà dum vi aut dolo facit quis quominùs testamentarius testes-ve accedant.
(*c*) Idem dic de his qui coegissent testari.

DCCCLXXXVII.

Aufertur hereditas, & ad fiscum pertinet ; si emancipatus contra tabulas patris petierit, & ex substitutione impuberis adierit. *l.* 2 ff. *de His quæ ut indign.*

Qui falsas tabulas dixerit, nec obtinuerit ; ad defuncti judicium adspirare (*a*) non potest. *l.* 16. *Cod. ad L. Corn. de Falsf.*

Qui principale testamentum arguit, & à secundis tabulis repellendus est & à codicillis. Non idem ; si secundas tabulas (*b*) vel codicillos (*c*) arguit. *l.* 5. § 14. *ff. de His quæ ut indign.*

Meminisse oportebit ; Eum qui testamentum inofficiosum improbè dixit & non obtinuit, id quod in testamento accepit perdere & fisco vindicari. *l.* 8. § 14. *ff. de Inoffic. testam.*

His qui testimonio (*d*) suo intentionem accusatoris adjuverunt, deneganda est actio . . . & ei qui accusatori adfuit, vel fidejussor pro eo extiterit. *l.* 5. § 10, & *l.* 11. *ff. de His quæ ut indign.*

Quidam & Præsidem indignum putant, qui falsum testamentum pronuntiavit, si appellatione intercedente heres scriptus obtinuerit. *d. l.* 5. § 12.

(*a*) Cum effectu ; quia fiscus ei aufert.
(*b*) Nota, indirectè secundas tabulas arguisse videri, qui impuberis matrem subjecti partûs ream postulavit.
(*c*) Ab eo enim duntaxat quod secundis tabulis Codicillis-ve continetur, removetur. Disparitas est, quòd qui testamentum impugnat, indirectè & *Secundas tabulas*, cùm à testamento pendeant, impugnare videatur : contrà, qui secundas tabulas aut *Codicillos* impugnat, nullatenus impugnat testamentum quod ab his non pendet.
(*d*) Ultrò. Secùs si evocati.

DCCCLXXXVIII.

1. Ei demùm aufertur quod testamento datum est, qui ad Sententiam in lite improbâ perseveraverit. *l.* 8. § 14. *ff. de inoffic. testam.*

2. Ætati ejus qui accusavit, ignoscitur. *l.* 5. § 9. *ff. de His quæ ut indign.*

3. Officii necessitas (*a*) excusat. *d. l.* 5. § 13.

4. Non sum indignus . . . quum non proprio nomine, sed cujusdam successionis egi. *l.* 22. § 3. ff. *de Inoffic. testam.*

5. Qui non jure factum contendit nec obtinuit, non repellitur ab eo quod (*b*) meruit. *l.* 5. § 1. *ff. de His quæ ut ind.*

(*a*) Putà ; Advocatum fisci, qui intentionem delatoris exequitur ; Tutorem qui pupilli nomine falsum vel inofficiosum dicit testamentum. Idem dic de patre, qui nomine filii egit. l. 22. § 1. ff. *de Inoff. test.*
(*b*) Nam jus testamenti, non judicium defuncti impugnavit : l. 24. ff. *d. tit.*

§ IV.

De indignis ob neglectam defuncti voluntatem.

DCCCLXXXIX.

Omnibus (*a*) qui contra voluntatem (*b*) defuncti faciunt, ut indignis aufertur hereditas. PAUL. SENT. *lib.* 3. *Tit.* 5. § 13.

(*a*) Hæc regula videtur abrogata : l. 33. Cod. *de Inoff. test.* & quodammodo à Justiniano restituta in casu Novellæ 1. cap. 1.
(*b*) Modò non prorsùs ineptam.

DCCCXC.

Quum in testamento scriptum esset, ut heres in funere aut in monumento DUNTAXAT aureos centum consumeret ; non licet minùs consumere. Si amplius vellet, licet : neque ob eam rem contra testamentum facere videtur. *l.* 202. *ff. de Verb. sign.* ALFENUS VAR. LIB. 2. DIGEST.

Non (*a*) oportet ut indignis successiones auferri, prætextu quòd in sepulturâ supremis judiciis defunctorum obtemperatum non fuisset. *l.* 5. *Cod. de His quæ. ut indign.*

(*a*) Hâc Constitutione derogat Alexander, quantum ad sepulturas, juri antiquo ex *Pauli Sententiis* mox suprà N. præced.

DCCCXCI.

Non impugnatur (*a*) judicium ab eo qui noluit negotiis hereditariis implicari. *l.* 87. *ff. de Legatis* 1°.

(*a*) Adeòque heredi scripto qui repudiavit, non aufertur legatum ; nisi contraria probetur testatoris voluntas : *d. tit.* N. 21.

§ V.

De indignis ex judicio defuncti.

DCCCXCII.

Heredibus ut indignis, qui non habuerunt supremam (*a*) voluntatem, abstulit jam pridem Senatus hereditatem. *l.* 12. *ff. de His quæ ut indign.*

Aufertur quasi indigno successio, qui quum institutus esset ut filius . . . suppositus declaratus est. *l.* 46. *ff. de Jure fisc.*

Amittere id quod testamento meruit, & eum placuit qui tutor datus excusavit se à tutelâ. Sed hoc legatum non ad fiscum transfertur, sed filio relinquitur. *l.* 5. § 2. *ff. de His quæ ut indign.*

(*a*) Vel quòd nomina eorum consultò induxerit, vel quòd eis non jure ademerit hereditatem, putà alium heredem scribendo in Codicillis (vel in posteriori testamento) eum quem non poterat.

§ VI.

Regulæ generales circa indignos.

DCCCXCIII.

Non solùm ipsi indigno ; sed & Si diem suum obierit, hereditas heredi ejus eripietur. *l.* 26. *ff. ad L. Corn. de Falsf.*

DCCCXCIV.

Indignis Denegatur actio etiam ejus quod (*a*) filio vel servo *ipsorum* legatum est, si ad ipsos emolumentum perventurum est. *l.* 5. § 3. *ff. de His quæ ut indign.*

Cæterùm Eo solo carere quis debet, cujus (*b*) emolumentum ad eum pertinet. *l.* 8. § 14. *ff. de Inoffic. test.*

Et usurarum (*c*) emolumentum aufertur. *l.* 17. § 2. *ff. de Usur.*

(*a*) An idem observetur, quum relictum est filio incapacis : vide Tit. præced. in verb. ACCIPERE & ibi Notas.
(*b*) Fiscus igitur non auferet, quod indignus alteri restituere rogatus est.
(*c*) Et fructuum ante litem perceptorum.

Source : BIU Cujas

Et Falcidiæ beneficium heredi *indigno* auferri debere, Pius & Marcus putaverunt. *l.* 5. § 19. *ff. de His quæ ut indign.*

Omnes qui ut indigni repelluntur, ſummovendi ſunt à præmio quod ſecundùm Edictum D. Trajani datur his qui ſe deferunt. *l.* 5. § *fin. ff. d. tit.*

Indignus hereditate teſtatoris, Heredi ejus heres exiſtere prohibendus non eſt. *l.* 7. ff. *d. tit.*

DCCCXCV.

Regula eſt; Cum onere fiſcum ſuccedere. *l.* 16. § 2. *ff. d. tit.*

Ex quibuſlibet cauſis fiſco vindicatis hereditatibus, & libertates & legata manent. *l.* 14. ff. *de Jur. fiſc.*

Bonis fiſco reſtitutis, heredem onus æris alieni ſpectare non convenit. *l.* 18. § 1. *ff. de His quæ ut ind.*

Indigno herede pronuntiato ademptâ hereditate, confuſas (*a*) actiones reſtitui non oportet. *l.* 8. ff. *d. tit.*

(*a*) Quas heres indignus habuit contra defunctum.

ARTICULUS IV.

De his quæ in teſtamento delentur.

DCCCXCVI.

Quæ in teſtamento legi poſſunt, ea inconſultò deleta & inducta nihilominùs valent; conſultò, non valent (*a*). *l.* 1. § 1. *ff. de His quæ in teſtam. del.*

Si legi non poſſunt quæ inconſultò deleta ſunt, dicendum eſt non deberi; ſed hoc ita demùm, ſi ante conſummationem (*b*) teſtamenti factum eſt. *d. l.* 1: § 2.

(*a*) Sed aut fiſco vindicantur; aut heredibus ab inteſtato, ſi probaverint teſtatorem hâc mente id feciſſe ut inteſtatus moreretur. Confer l. 3. & l. 4. ff. *d. tit.*

(*b*) Nam ſi pòſt, valent; cùm, etſi omninò extare deſiiſſent tabulæ,, valerent ſi aliundè ſciri poſſit quid ſcriptum fuerit. Quòd ſi antè; de his teſtatus videri non poteſt: formula enim teſtandi erat, *Uti his ceris* SCRIPTA *ſunt, ita do, ita teſtor.* Scripta autem dici non poſſunt, quæ legi non poſſunt.

CAPUT SEXTUM.

De quartâ rerum incorporalium ſpecie, ſeu de jure Bonorum poſſeſſionis.

ARTICULUS I.

De Bonorum poſſeſſionibus in genere.

DCCCXCVII.

Bonorum poſſeſſio duplex. EDICTALIS *quæ ex ipſis Edicti verbis delata, olim ſolemnibus verbis à majori Magiſtratu dabatur, hodie Jure Juſtinianeo quocumque voluntatis indicio ab eo cui delata eſt agnoſci poteſt.*

DECRETALIS; *quæ, quum* Edictalis *deficit, ex juſtâ cauſâ Decreto pro tribunali interpoſito datur à Prætore.*

Bonorum poſſeſſio eſt juris magis quàm corporis; &, ſi nihil corporale eſt in hereditate, rectè bonorum poſſeſſionem agnitam Labeo ait. *l.* 3. § 1. ff. *de Bon. poſſ.*

Prætor bonorum poſſeſſorem, heredis loco in omni cauſâ habet. *l.* 117. PAUL. LIB. 1. AD ED.

Bonorum poſſeſſio admiſſa, commoda & incommoda hereditaria, itemque dominium rerum quæ in his bonis ſunt, tribuit. *l.* 1. *ff. de Bon. poſſ.*

DCCCXCVIII.

Ubicumque Lex capere hereditatem prohibet, & bonorum poſſeſſio ceſſat. *l.* 11. § 1. *ff. de Bon. poſſ.*

Bonorum poſſeſſio peti non poteſt, niſi quum delata eſt, & ſcit quis eam ſibi delatam eſſe.

DCCCXCIX.

Invito nemini bonorum (*a*) poſſeſſio adquiritur. *l.* 3. § 3. ff. *d. tit.*

Corollarium I^um. Mutus, ſurdus, cæcus, bonorum poſſeſſionem admittere poſſunt; ſi quod agatur intelligant (*b*). *l.* 2. *ff. de Bon. poſſeſſ. fur. inf.*

Infantis (*c*) nomine agnitam bonorum poſſeſſionem, & antequàm loqueretur diem functi, rectè competere nulla dubitatio eſt. *l.* 3. *Cod. Qui admitt. ad bon.*

Acquirere quis bonorum poſſeſſionem poteſt, vel per ſemetipſum, vel per (*d*) alium. *l.* 3. § 7. ff. *de Bon. poſſ.*

Corollarium II^um. Si me non mandante bonorum poſſeſſio mihi petita ſit; tunc *demùm* competit, quum ratum habuero: nec heres meus (*e*) ratum habere poteſt. *d.* § 7.

Bonorum poſſeſſionem ab alio agnitam, ratam haberi oportet eo tempore quo adhuc in cauſâ (*f*) ſit ut peti poſſit. *l.* 24. ff. *Rem. rat. hab.*

Quoties is cui bonorum poſſeſſio ab altero poſtulata eſt, furere cœpit; magis (*g*) probatum, ratum videri eum habuiſſe. *l.* 16. ff. *de Bon. poſſ.*

Ante ratihabitionem Si mortuus fuiſſet, qui petiſſet *pro alio*, vel furere cœperit... rectiùs dicetur, neutram eorum cauſam impedire ratihabitionem. *l.* 24. § 1. ff. *Rat. rem hab.*

(*a*) Secùs de hereditate quæ quibuſdam heredibus invitis acquiritur.

(*b*) Non igitur furioſus poteſt, nec quiſquam ejus nomine: & hoc fluit ex præced. Regulâ. Decretalis tamen bonorum poſſeſſio curatori ejus datur, quæ extinguitur ſi in furore decedat.

(*c*) Speciale in infante, ut judicium ejus ſuppleat tutor qui ejus nomine agnoſcit bonorum poſſeſſionem. Tantam auctoritatem non habet curator furioſi.

(*d*) In quo differt à *Cretione* hereditatis.

(*e*) Nec enim tranſit ad heredem, jus bonorum poſſeſſionis nondum acquiſitum.

(*f*) Non poterit ergo ratum haberi, poſt elapſum tempus ejus petendæ.

(*g*) Præſumitur ratihabitio interveniſſe ante furorem, non præſumitur interveniſſe ante mortem. Nimirùm magis conſulitur ipſi cui delata eſt, quàm heredi ejus.

CM.

In bonorum poſſeſſione, ſciendum eſt jus eſſe accreſcendi. *l.* 3. § *fin.* ff. *d. tit.*

ARTICULUS II.

De Bonorum poſſeſſione Contra tabulas.

Bonorum poſſeſſio Contra tabulas *eſt ea quæ datur* Suis *heredibus tam naturalibus quàm adoptivis, aut his liberis naturalibus quos inſuper habitâ ipſorum parentis-ve emancipatione, ſuorum heredum numero habet Prætor,* CONTRA TABULAS *parentis à quo aut præteriti aut non ut oportet exheredati ſunt.*

§ I.

Quando huic locus ſit, & quinam ad eam admittantur.

CMI.

Vulgò dicitur liberis datam bonorum poſſeſſionem,

Source : BIU Cujas

CONTRA LIGNUM (*a*) esse. *l.* 19. ff. *de Bon. poss. contr. tab.*

Scilicet ad eam petendam Sufficit extitisse tabulas mortis tempore patris, ex quibus vel adiri hereditas vel secundùm eas possessio peti potuit; quamvis postèà (*b*) neutrum secutum sit. *d. l.* 19.

(*a*) Id est, contra ipsum testamentum. Secùs de eâ quæ] patrono datur, de quâ infrà.
(*b*) Non tam enim contra heredem scriptum, quàm contra ipsum testamentum datur.

C M I I.

Ad hanc possessionem admittuntur liberi præteriti, non existentes in aliena familiâ.

Hinc 1°. Si quis ex liberis heres scriptus (*a*) sit, ad Contra tabulas vocari non debet . . . Planè si alius committat Edictum, & ipse admittetur. *l.* 3. § 11. *ff. d. tit.*

2°. *Quominùs quis admittatur*, Adoptio (*b*) tantùm nocet quandiù in familiâ alienâ (*c*) sit. *l.* 6. § 4. *ff. d. tit.*

Imò In adoptionem datos non summoveri Prætor voluit, modò heredes (*d*) instituti sint . . . Sed ipsi soli non committent Edictum, nisi fuerit alius præteritus ex his qui solent committere. *l.* 8. § 11. ff. *d. tit.*

Datur ei qui in adoptivâ familiâ est, Contra tabulas bonorum (*e*) possessio; si eo gradu heres scriptus sit contra quem peti potest bonorum possessio. Sed si ipse scriptus non sit, sed alius qui ei acquirere hereditatem potest; non est in eâ causâ ut eum admittamus. *d. l.* 8. §§ 13. & 14.

Hi qui propter (*f*) alios Contra tabulas petunt, non expectant ut præteriti bonorum possessionem accipiant (*g*). *l.* 10. § 6. *ff. d. tit.*

(*a*) Modò non sub conditione quæ, cùm in ejus potestate non esset, deficeret: perindè est enim ac si scriptus non esset.
(*b*) Jure Justinianeo, huic & sequentibus regulis locus non est, quum filiisfamilias alicui præterquàm uni ex ascendentibus in adoptionem dantur; cùm jam non mutent familam.
(*c*) Non videor in alienâ familiâ, si pater meus filio suo (fratri meo) emancipato in adoptionem me dedit; cùm fratris mei familia, propter insuper habitam à Prætore ipsius emancipationem videatur esse eadem ac patris: *d. tit.* N. 24. Contrà, quum pater meus postquàm me emancipavit ipse se in adoptionem dedit, & post mortem patris sui adoptivi moritur; ad ejus bonorum possessionem ex Edicto non venio, cùm in diversis familiis simus; sed Decreto mihi datur, quia debeo aliquem patrem habere: *d. tit.* N. 23.
(*d*) Jure, nec sub eâ conditione quæ defecerit.
(*e*) Commisso per alium Edicto.
(*f*) Id est; commisso per alios Edicto, quod ipsi committere non possunt.
(*g*) Sufficit enim eos commisisse Edictum, eisque delatam esse bonorum possessionem, quamvis eam omittant.

C M I I I.

Exheredati (*a*) liberi, quemadmodum Edictum non committunt, ita nec commisso per alios Edicto cum illis (*b*) venient. *d. l.* 10. § 5.

Liberi qui institui heredes jure non possunt (*c*), nec contra tabulas petere possunt. *l.* 3. § 10. ff. *d. tit.*

Liberi qui præteriti sunt ut ipsis (*d*) *consulatur, non admittuntur ad Contra tabulas: ex l.* 16. *ff. d. tit.*

Si quis legatum, si quis portionem *hereditatis* sibi datam agnoverit (*e*), à contra tabulas bonorum possessione repellendus (*f*) est. *sup. d. l.* 10. § 3.

(*a*) Jure exheredati scilicet.
(*b*) Scilicet si scriptus heres adierit. Alioqui destituto testamento corruet exheredatio.
(*c*) Putà deportati. Tempus autem spectatur mortis: d. l. 3.
(*d*) Ut si prærerito filio meo, institui extraneum; quem rogavi restituere hereditatem huic filio meo; quum ex avi qui suspectus erat potestate exiret. Cùm hâc præteritione ei consulatur, non petit *Contra Tabulas*. Quid si alius committat Edictum? Nec hoc casu admittetur, sed intra virilem sustinebitur institutio ejus qui ei restituere rogatus est; infrà Reg. 2. N. 906.
(*e*) Ultrò. Secùs, si jussu ejus in cujus potestate sit.
(*f*) Idem, si quocumque alio modo judicium defuncti probavit.

C M I V.

Vocantur ad contra tabulas liberi, eo jure eoque ordine quo vocantur ad successionem ex Jure Civili. *l.* 1. § 1. ff. *d. tit.*

Liberi qui contra tabulas habere non possunt, nec partem faciunt si per alios committatur Edictum. *sup. d. l.* 10. § 4.

Quandiù posthumus speratur (*a*), in eâ causâ est ut partem faciat. *d. l.* 1. § 5.

(*a*) Aut captivi reditus.

§ II.

Quæ & quatenùs serventur relicta liberis & parentibus, datâ Contra tabulas *possessione.*

C M V.

Liberi contrà tabulas parentum bonorum possessione admissâ, solis parentibus & liberis *testatoris* (*a*) legata (*b*) præstare debent. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Si portio hereditatis fuerit adscripta (*c*) ei qui ex liberis parentibus-ve est, idem (*d*) quod in legato probandum. *l.* 5. § 6. ff. *de Leg. præst. contr.*

Si quid uxori nuruique fuerit legatum præter dotem, non præstabitur. *Secùs*, si pro dote aliquid fuerit relictum. *l.* 8. § 3. *& fin. ff. d. tit.*

(*a*) Etiamsi sint in alienâ familiâ, etiam si per fœmininum sexum conjuncti; non tamen his qui ipsi contrà tabulas accepissent.
(*b*) Idem dic de fideicommissis, & mortis causâ donationibus: *d. tit.* N. 3.
(*c*) Titulo institutionis.
(*d*) Scilicet ut hujus personæ institutio conservari debeat.

C M V I.

Hoc ipsum debetur, quod ipsis parentibus relictum est & liberis (*a*): nec enim quærimus cui acquiratur, sed cui honor habitus sit. *l.* 3. § 2. *ff. d. tit.*

Si quis ex his (*b*) rogatus sit restituere extero quod sibi relictum est; dicendum, non esse præstandum legatum. Sed si proponas extero legatum, rogatumque eum hoc præstare alicui ex liberis parentibusque, dicemus præstari debere. *d. l.* 3. §§ 4 & 5.

(*a*) Non quod servis putà eorum relictum esset, quamvis per ipsos eis acquireretur: *Nec enim &c.*
(*b*) *Liberis aut parentibus.*

C M V I I.

Ea legata sola præstant qui contra tabulas accipiunt, quæ utiliter data sunt, verùm idcircò non debentur quòd filius contrà tabulas accepit. *d. l.* 3. § *fin.*

Corollarium Ium. Is qui in potestate est præteritus, legata non debebit præstare, etsi contra (*a*) tabulas petierit. *l.* 15. *ff. d. tit.*

Corollarium IIum. Præstare eum oportet qui contra tabulas petit, quæ in eo gradu (*b*) data sunt contrà quem bonorum possessionem accepit. *l.* 10. § *fin. ff. d. tit.*

Qui accepit contra tabulas, etiamsi non fuerit adita hereditas à scripto, præstat (*c*) legata. *l.* 20. § 2. ff. *de Bon. poss. contr. tab.*

(*a*) Nam independenter ab acceptâ bonorum possessione, hæc legata inutiliter data sunt respectu hujus filii, qui injusto propter ipsius præteritionem testamento existente, potuisset jure intestati, adeòque absque onere legatorum, hereditatem obtinere. An autem & emancipatus qui cum Suo præterito ad *Contra tabulas* veniet, hæc legata non debebit? Quidam Jurisconsulti putabant non debere. Sed verius est eum pro parte suâ illa debere. Nec enim potest ille objicere legata inutiliter data, utpotè testamento injusto; cum in favorem duntaxat *Sui* heredis, non ipsius, injustum sit; & acceptâ à suo *Contrà tabulas* possessione, non potuerit ipse alio jure ad bona venire. Vide Tit. *de Legatis præst.* N. 2. & 3.
(*b*) Hæc enim sola exitum habuissent possessione non acceptâ: *d. tit.* N. 10. & 11.
(*c*) Nec obstat regula; nam scriptus heres ideò videtur omisisse, quòd filio competeret contra tabulas possessio.

C M V I I I.

Ad eum modum *parentibus & liberis* succurrendum est, ut ampliore quàm virili portione hereditatis *eis* datâ, usque (*a*) ad virilem tueantur. *l.* 5. § 7. ff. *de Leg. præst. contr.*

(*a*) Sensus est; ut hi quibus servatur quod ipsis relictum est testamento contra quod possessio accepta est, non possint omnes simul plus habere quàm *Virilem*; id est, quàm quantum unusquisque ex his qui *Contra tabulas* acceperunt, ex bonis habiturus sit. *Tous ensemble, une part d'un*: d. tit. N. 16.

Source : BIU Cujas

Quum dotis (*b*) nomine legatur; non puto, ad virilem, uxorem nurum-ve (*c*) redigendam. *l.* 8. § 5. ff. *d. tit.*

(*b*) Quum dos relegatur.
(*c*) Ratio est, quia legatur quod ipsi debetur: d. l. 8.

§ III.

Quando acceptâ Contra tabulas *possessione, relicta etiam aliis quàm parentibus & liberis valeant.*

CMIX.

Qui plenâ (*a*) fruitur voluntate, plenum (*b*) obsequium præstare testatoris judicio pro suâ parte debet. *l.* 16. ff. *d. tit.*

Si adierit hereditatem is cui virilis conservatur, libertates competent ex necessitate per (*c*) aditionem. *l.* 8. § 2. *ff. d. tit.*

Eriamsi contra tabulas bonorum possessio petita sit, institutio tamen pupillaris (*d*) valet; & legata omnibus (*e*) præstanda (*f*) sunt, quæ à substitutione (*g*) data sunt. *l.* 34. § 2. ff. *de Vulg. & pupill. subst.*

(*a*) Sive heres institutus, commisso per alium Edicto acceperit *Contra tabulas*, & ex eâ non minorem quàm ex quâ scriptus fuerat hereditatis portionem assecutus sit; sive ipse non acceperit, sed (cùm esset ex liberis aut parentibus) in portione in quâ scriptus fuit conservatus sit, & quidem sine ullâ hujus portionis diminutione. Utroque autem casu, si minorem eâ ex quâ scriptus est portionem haberet, solis exceptis personis legata deberet.
(*b*) Id est, non solis parentibus & liberis, sed omnibus relicta pro suâ portione præstare debet.
(*c*) Cùm autem hoc facto, damno affecerit hereditatem; tenebitur *De dolo* erga filium qui accepit *Contra tabulas* & ei obtulit virilem denuntiavitque ne adiret: d. l. 8.
(*d*) Scilicet si scriptus heres adiit. Sufficit enim ad confirmandam pupillarem substitutionem, Jure Civili valuisse testamentum.
(*e*) Non tantùm liberis & parentibus.
(*f*) Intra dodrantem portionis hereditatis testatoris quæ ad pupillum pervenit, sive major sive minor fuerit eâ ex quâ pupillus scriptus est: Tit. *de Leg. præst.* N. 26. 27.
(*g*) Ea verò quæ ab ipso pupillo relicta sunt, substitutus nonnisi exceptis personis debebit; si pupillus minorem eâ ex quâ scriptus fuit portionem habuerat.

ARTICULUS III.

De altero bonorum possessionis gradu, Secundùm tabulas.

§ I.

Quæ ad hanc obtinendam requirantur.

CMX.

Si septem testium signis signatum sit testamentum, licèt Jure civili ruptum (*a*) vel irritum (*b*) factum sit; Prætor scriptis heredibus JUXTA TABULAS bonorum possessionem dat: quæ cum re habetur, si nemo alius (*c*) jure heres sit. ULP. FRAGM. *Tit.* 23.

Exigit Prætor ut is cujus bonorum possessio datur, utroque tempore jus testamenti faciendi habuerit; & quum facit testamentum, & quum moritur. *l.* 1. § 8. *ff. de Bon. poss. sec. tab.*

Notis scriptæ tabulæ, non continentur Edicto. *l.* 6. §. 2. *ff. de Bon. possessionib.*

Non omnes tabulas Prætor sequitur, sed supremas. *l.* 1. § 1. *ff. de Bon. poss. sec. tab.*

Si linum incisum sit; si quidem contra voluntatem testatoris, bonorum possessio peti potest; si ipse testator id fecerit, peti non potest. *l.* 1. § 10. *ff. d. tit.*

Sufficit extare tabulas, etsi non proferantur. *d. l.* 1. § 2.

Semel extitisse tabulas mortuo testatore desideratur, tametsi extare desierint. *d. l.* 1. § 3.

(*a*) Agnatione posthumi.
(*b*) Capitis deminutione testatoris, qui V. G. se adrogandum dedit; modo posteà sui juris factus sit: *d. tit.* N. 8.
(*c*) Putà filius præteritus.

CMXI.

Ut bonorum possessio secundùm pupillares tabulas admitti possit, requiritur an patris testamentum signatum sit; licèt secundæ tabulæ resignatæ proferantur. *l.* 9. ff. *d. tit.*

§ II.

Quibus possessio Secundùm tabulas *detur.*

CMXII.

Nec ad bonorum possessionem, inutilis (*a*) institutio proficit. *l.* 6. ff. *d. tit.*

Verum est, omnem (*b*) posthumum bonorum possessionem petere posse. *l.* 3. ff. *d. tit.*

Ut scriptus heres agnoscere possit bonorum possessionem; exigendum puto ut & demonstratus sit, & portio adscripta ei inveniri possit (*c*). *l.* 12. ff. *d. tit.*

In hâc possessione, pro non scripto est quem *testator* scribi noluit (*d*). *l.* 2. § 7. ff. *d. tit.*

(*a*) Ejus qui institui non potest, putà deportati. Fallit regula in casu Regulæ seq.
(*b*) Etiam alienum posthumum, quamvis Jure Civili institui non possit.
(*c*) Potest autem inveniri, quamvis sine parte scriptus sit; cùm ex eo quod assi aut dupondio deest, videatur scriptus: suprà N. 634.
(*d*) Putà, nomen ejus consulto induxit. Item is qui prohibuerit testatorem mutare testamentum.

CMXIII.

Si servus heres scriptus sit, ambulat cum dominio (*a*) bonorum possessio. *l.* 2. § 9. ff. *d. tit.*

(*a*) Id est, datur ei qui eo tempore quo petitur servi dominus est.

§ III.

An pendente conditione hæc possessio peti possit, & sub quâ lege; & quomodo, etiam deficiente conditione, sit efficax.

CMXIV.

Bonorum possessionem secundùm tabulas, etiam pendente conditione petere possunt qui utiliter sunt instituti. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Qui sub conditione institutus est, agnitâ bonorum possessione cogitur substituto (*a*) in diem cavere longiorem (*b*). *l.* 8. ff. *de Stipul. præt.*

(*a*) Vel legitimo ad quem hereditas reditura est.
(*b*) Non indeterminatè, quia facilè non inveniret fidejussores; sed *in diem longiorem*, id est saltem decennii; & si eo tempore elapso conditio adhuc pendeat, iterùm cavebit.

CMXV.

Quamvis deficeret conditio; Prætor filium qui admiserit secundùm tabulas, tuebitur ac si contra tabulas (*a*) acceperit. *l.* 2. § 1. *ff. de Bon. poss. sec. tab.*

Si acceptâ bonorum possessione secundùm tabulas, conditio defecerit... si is fuerit qui ab intestato bonorum possessor futurus esset, tuendum (*b*) esse. *l.* 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Tenebitur igitur præstare legata exceptis personis.
(*b*) Nec tenebitur præstare legata, etiam exceptis personis.

§ IV.

Quo ordine & pro quâ parte deferatur.

CMXVI.

Defertur bonorum possessio secundùm tabulas; primo gradu scriptis heredibus; mox illis non petentibus, sequentibus. *l.* 2. § 4. ff. *d. tit.*

Pro quâ quisque parte heres scriptus est, pro eâ accipiet bonorum possessionem; sic ut, si non sit qui ei concurrat, habeat solus. *d. l.* 2. § 2.

Source : BIU Cujas

Heredi ſcripto ſicut portio hereditatis, ita & bonorum poſſeſſio (*a*) accreſcit. *d. l.* 2. § 8.

(*a*) Ita tamen ut ſi ſubſtitutus ſit; præferatur.

§ V.

De Utili *bonorum poſſeſſione ad inſtar* Secundùm tabulas.

CMXVII.

Septem teſtium Si numerum adfuiſſe ſine ſcriptis conditio teſtamento doceri poteſt; ſecundùm nuncupationem, bonorum poſſeſſionem (*a*) deferri explorati Juris eſt. *l.* 2. *Cod. h. tit.*

(*a*) *Utilem*, ut rectè obſervat Cujacius.

ARTICULUS IV.

De Bonorum poſſeſſionibus inteſtatorum.

CMXVIII.

Sive tabulæ teſtamenti non extent; ſive extent, ſi ſecundùm eas vel contra eas bonorum poſſeſſionem nemo (*a*) accepit; inteſtati datur bonorum poſſeſſio. *l.* 1. § 1. ff. *Quis ord. in bon. poſſ.*

Inteſtati hi gradus vocantur, primùm SUI heredes (*b*), ſecundò LEGITIMI, tertiò proximi COGNATI, deindè VIR & uxor. *d. l.* 1.

(*a*) Nec Jure Civili adiit.
(*b*) Aut quos Prætor *Suorum* loco habet, inſuper habitâ ipſorum aut parentum emancipatione.

CMXIX.

In bonorum poſſeſſione quæ defertur liberis, Capitis (*a*) deminutio per Edictum nulli obſtat. *l.* 5. § 1. ff. *Undè liberi.*

(*a*) Id eſt, emancipatio: admittuntur enim liberi, æquè ac ſi non eſſent emancipati. Secùs de his qui ſunt in extraneâ familiâ per adoptionem.

CMXX.

Sciendum eſt quotieſcumque Lex vel Senatus defert hereditatem, non etiam bonorum poſſeſſionem; ex parte *Undè legitimi* peti oportere. *l.* 3. ff. *Undè legit.*

Legitimis (*a*) capite (*b*) deminutis non datur bonorum poſſeſſio jure heredis legitimi... ſed gradu cognatorum vocantur. *l.* 5. ff. *Undè cogn.*

Sui repudiando quaſi liberi bonorum poſſeſſionem, hanc *Unde legitimi* incipiunt habere. *l.* 2. ff. *Unde leg.*

(*a*) Id eſt, agnatis qui poſt *Suos* Lege XII. Tabularum vocantur. His autem qui novis Legibus vocantur, non obſtat capitis diminutio.
(*b*) Sive ante ſive poſt delatam poſſeſſionem capitis minutio contigerit. l. 5. ff. *Undè legit.*

CMXXI.

Cognatis quæ defertur Bonorum poſſeſſio, nudam habet Prætoris (*a*) indulgentiam. *l.* 1. ff. *Undè cogn.*

Poſſeſſio quæ ex hâc parte Edicti datur, cognatorum gradus ſex (*b*) complectitur, & ex ſeptimo duas perſonas, ſobrino & ſobrinâ natum natam-ve. *d. l.* 1. § 3.

Etiam vulgò quæſiti liberi, matris; & mater talium liberorum; & fratres inter ſe bonorum poſſeſſionem petere poſſunt. *l.* 2. *ff. d. tit.*

Non facilè ulla ſervilis videtur eſſe cognatio. *ſup. d. l.* 1. § 2.

(*a*) Nec enim vocantur Jure Civili.
(*b*) In quo differt à ſuperiori; quæ *Agnatis* in quantumcumque remoto gradu, modò nullus eos antecedat, defertur.

Qui aliquâ ratione ſervus factus eſt, manumiſſus (*c*) nullâ ratione recipit cognationem. *l.* 7. ff. *d. tit.*

Non fuit quis proximus cognatus, ei quo vivo nondum animax fuerit. *l.* 1. § 8. ff. *Undè cogn.*

Cognatis non obeſt ad ſucceſſionem, ſi accuſaverunt cognatos ſuos. *l.* 6. ff. *d. tit.*

(*c*) Jure Digeſtorum, in ſervitute nati, poſteà manumiſſi, jura cognationum non habent, nec ex hoc Edicto admittuntur. Jure Juſtinianeo, matri & invicem ſibi ſuccedunt.

CMXXII.

Ut bonorum poſſeſſio UNDE VIR ET UXOR peti poſſit, juſtum eſſe matrimonium oportet. *l. un. ff. Undè vir & ux.*

Si divortium ſecutum ſit, verumtamen jure durat matrimonium (*a*); hæc poſſeſſio locum non (*b*) habet. *d. l. un.* § 1.

(*a*) Quia liberta fuit, quæ non potuit ab invito patrono divortium facere; vel ſi defectu ſolemnitatis divortium non valuit.
(*b*) Quia uxor fecit quantum in ſe fuit, ut non eſſet uxor.

ARTICULUS V.

Regulæ circa Edictum De conjungendis cum emancipato liberis; *cui locus eſt, tam in poſſeſſione* Contra tabulas *quàm in poſſeſſione* Unde liberi.

Hoc Edicto Prætor nepotes ex filio emancipato in familiâ avi retentos, nec exheredatos, conjungit in partem quam ex bonorum poſſeſſione avi defert ipſorum patri; ita ut pater dimidiam hujuſce partis, nepotes alteram dimidiam habeant.

CMXXIII.

Toties nepoti conſulendum eſt, quoties in poteſtate retentus (*a*) eſt, patre emancipato. *l.* 1. § 6. *ff. de Conjung. cum emanc.*

Si ſunt ex emancipato nepos, & ex nepote alio pronepos (*b*); dicendum erit utrumque ei jungi. *d. l.* 1. § 7.

In adoptionem dato *patri* non aliàs jungitur *nepos in poteſtate retentus*, niſi (*c*) inſtituto, & alio committente Edictum; emancipato autem, ſive ſit inſtitutus emancipatus, ſive præteritus. *d. l.* 1. § 2.

Abſurdum, cùm patri præterito nepotes jungantur, inſtituto eo vel exheredato non (*d*) admitti. *d. l.* 1. § 4.

Si (*e*) pater in poteſtate manens exheredatus vel inſtitutus ſit, nepotem ex eo ad bona avi non (*f*) vocari. *d. l.* 1. § 6.

(*a*) Nec exheredatus.
(*b*) Ita ut, ſi ſint plures ex eo pronepotes, omnes unius hujus præmortui nepotis locum obtineant.
(*c*) Quod ſi pater in adoptionem datus præteritus fuit; cùm ipſe hoc caſu non admittatur (ſuprà N. 902. cum Notis ad N. 919.) nepos ex eo ſolus portionem integram obtinebit.
(*d*) Admittentur igitur; & quum pater exheredatus eſt, portionem integram obtinebunt; quam cum ipſo, ſi exheredatus non fuiſſet, partiti eſſent.
(*e*) Fluit ex Regulâ 1*á. Toties &c.* mox ſuprà.
(*f*) Non Jure Civili; nec enim ſunt ſui heredes, quos pater ipſorum licèt exheredatus præcedit in familiâ: nec Jure Prætorio, propter Regulam ſuprà dictam in Notâ præced.

ARTICULUS VI.

De collatione bonorum propriorum, ad quam tenentur emancipati erga ſuos heredes quibuſcum admittuntur ad bonorum poſſeſſiones Contra Tabulas & Unde liberi.

§ I.

Quando huic locus ſit.

CMXXIV.

Toties *demùm* collationi locus eſt, quoties aliquo incommodo

incommodo affectus (*a*) est qui in potestate est, interventu emancipati. *l.* 1. § 5. *ff. de Collat.*

Potest dici emancipatum ita demùm conferre fratri suo, si aliquid ei ex causâ hereditariâ abstulerit. *d. l.* 1. § 4.

Si minore (*b*) ex parte quàm dimidiâ is qui in potestate erat, heres scriptus fuerit; iniquè videbitur collationem postulare ab eo, propter quem ampliùs ex hereditate paternâ habiturus est. *d. l.* 1. § 4.

Emancipatos liberos testamento heredes scriptos, & ex eo successionem obtinentes, conferre (*c*) non oportere; si pater, ut hoc fiat, non cavit; manifesti Juris est. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

(*a*) Prætor enim tribuit suis beneficium collationis in repensationem damni quod eis adfert admittendo emancipatos.
(*b*) Aut saltem non majore.
(*c*) Nec enim hoc casu Jus Prætorium quidquam *Suis* detrahit; cùm portionem ex quâ scripti sunt emancipati, jure testamenti adeoque Jure Civili obtineant.

§ II.

Qui & quibus & quatenùs conferre teneantur.

CMXXV.

Non solùm emancipati; Is quoque qui in adoptivâ familiâ est, conferre cogitur; non ipse, sed is qui eum in potestate habet. *d. l.* 8. § 14.

Emancipati conferunt, his solis qui sunt in potestate; & pro ratâ duntaxat ejus partis (*a*) *quam ipsis ex hereditate paternâ auferunt: passim*, d. tit.

(*a*) Putà, si filius *Suus* heres institutus fuit ex dodrante, emancipatus ex quadrante: cùm emancipatus per *Contrà tabulas* semissem ferat, adeoque suo quadrantem duntaxat auferat, pro quadrante ei conferet.

CMXXVI.

Filius emancipatus, nepotibus ex se natis solis (*a*) conferre cogitur. *d. l.* 1. § 3.

Si nepotes in locum filii successerunt *in familiâ*; una portio eis conferri debet; & ipsi *emancipati* ita conferre debent, quasi omnes essent. *l.* 7. *ff. d. tit.*

Si ante acceptam possessionem decesserit suus, heredem ejus Prætor ... ad collationem non (*b*) admittit. *d. l.* 1. § 8.

(*a*) Fluit ex Regulâ *Toties*, suprà N. 924. his enim solis aufert dimidiam virilis partis in quam cum ipsis conjungitur (suprà Art. præced.) & quam si non interveniret, hi nepotes integram haberent. Adeoque nihil ejus interventus aufert cæteris liberis qui in potestate manserunt.
(*b*) Collatio enim inhæret juri possessionis in quam nondum acceptam non succedit heres sui heredis: quamvis succedat in portionem ex quâ suus ipso Jure extitit heres. Personale autem est suo heredi ut ipse ad collationem admittatur, licèt non accipiat bonorum possessionem, sed retineat hereditatem Jure Civili.

§ III.

Quæ conferri debeant.

CMXXVII.

Ea demùm emancipatus conferre debet, quæ patri quæsiviſſet si in potestate mansiſſet.

Ea demùm ab emancipatis fratribus conferri consueverunt, quæ in bonis eorum (*a*) fuerunt eo tempore quo pater fati munus implevit. *l.* 6. *Cod. de Collat.*

Pariter Confertur quod ejus esse desiit dolo malo. Cœterùm si id egit ne acquireret; non venit in collationem. *l.* 1. § 23. *ff. d. tit.*

Nec (*b*) emancipati, post mortem patris (*c*) quæsita conferre coguntur. *l.* 15. *Cod. d. tit.*

(*a*) Vel dolo ejus esse desierunt. Nota non videri in bonis ejus esse dotem quam filiæ suæ dedit, adeòque non conferre eam: Tit. *de Dot. coll.* N. 8.
(*b*) Fluit ex 1â. regulâ suprà, *Ea demùm*, &c.
(*c*) Verùm ea quæ ita quæruntur ut magis retineri quàm acquiri videantur, collationi obnoxia sunt, ut ea quæ filius emancipatus post mortem patris jure postliminii recipit, item quum post mortem patris in peculium castrense sui filii succedit.

Quod sub conditione ex stipulatu (*d*) debetur emancipato, conferri debet. Diversum est in legato conditionali (*f*). *l.* 2. § 3 *ff. d. tit.*

Si emancipato legatum fuerit, QUUM pater morietur, etiam hoc conferre (*g*) debet. *l.* 1. § 18. ff. *d. tit.*

Ea quæ post mortem patris filio reddi debuerunt (*h*), emancipatus quamvis priùs consecutus (*i*) sit, patri conferre non debet. *l.* 11. *ff. d. tit.*

Nec castrense nec quasi-castrense peculium fratribus confertur. *l.* 1. § 15. *ff. d. tit.*

(*d*) Aut ex quâvis aliâ causâ inter vivos.
(*e*) Nam cùm in contractibus ad tempus contractûs retrotrahantur conditiones; id quæsitum fuisset patri, si in potestate mansisset.
(*f*) Nam etsi in potestate mansisset, non quæsivisset patri; cùm filio relicta non quærantur patri, nisi vivo patre conditio extiterit.
(*g*) Nam hæc conditio intelligitur existere vivo patre; cùm momentum mortis adhuc vitæ deputetur. Fallit regula, si ab ipso patre ita filio relictum sit.
(*h*) Sic relicta ut post mortem patris demùm, ipsi præstarentur.
(*i*) *Qu'il ait été payé d'avance.*

CMXXVIII.

Sicut is qui in potestate est, dotem uxoris præcipit (*a*); ita quoque emancipatus retinere debet. *l.* 3. § 4. ff. *d. tit.*

Quod dignitatis nomine à patre datum est vel debetur, conferre quis non cogitur. Hoc enim propter onera dignitatis præcipuum habere oportet. *l.* 1. § 16. *ff. d. tit.*

Emancipatus si Injuriarum (*b*) habet actionem, non conferre debet. *l.* 2. § 4. *ff. d. tit.*

(*a*) Tit. *Fam. erciſc.* N. 58. & seqq.
(*b*) Magis enim vindictæ quàm pecuniæ habet persecutionem. d. l. 2. Secùs de actionibus *Furti*, *Aquiliæ*. Tit. *de Collat.* N. 17.

CMXXIX.

Impuberem arrogatum, ad possessionem bonorum patris naturalis venientem De quartâ conferendâ cavere oportebit, si jam (*a*) nata est quartæ petitio. *d. l.* 1. § 21.

Justiniani regula est; ut Omnia quæ in legitimam computantur, conferenda (*b*) sunt, at non vice versâ. *l.* 20. *Cod. h. tit.*

(*a*) Secùs, si adhuc viveret arrogator.
(*b*) Fallit Regula in mortis causâ relictis; quæ in legitimam imputantur, & non conferuntur, sed præcipua habentur: Tit. *Fam. erciſc.* N. 54.

§ IV.

Quomodo ad collationem cogantur liberi, & quomodo illa fiat.

CMXXX.

Intelligendum est bonorum possessionem accipere *aliquem*, & antequàm *de collatione* caveat. Sed si non caverit (*a*), observabitur ut tota hereditas apud eum qui in potestate fuerit remaneat. *l.* 3. *ff. d. tit.*

Non videtur caviſſe, qui non omnibus (*b*) cavit. *l.* 1. § 13 ff. *d. tit.*

Si per inopiam emancipatus cavere non possit, non statim ab eo transferenda est possessio; sed sustinendum donec possit invenire fidejussores. *l.* 2. § 9. *ff. d. tit.*

Si frater cavere non possit *per inopiam*, curator portionis ejus constituitur. *l.* 1. § 10. *ff. d. tit.*

Si per contumaciam actiones denegatæ sunt, oblatâ posteà (*c*) cautione recipit pristinum jus. *d.* § 10.

Post annum quàm delata esset possessio, voluntariam moram cautionis admittere (*d*) difficilius est. *l.* 8. *ff. d. tit.*

(*a*) Per contumaciam, secùs si per inopiam: mox infrà.
(*b*) Per Contumaciam scilicet; transferturque ab eo tota possessio. Quòd si per inopiam alicui non cavit, transfertur duntaxat pro portione pro quâ non cavit.
(*c*) Vide Regulam seq.
(*d*) Id est, non admittitur ad purgandam moram cautionis; cùm anni lapsu, jure bonorum possessionis excludatur,

Source : BIU Cujas

CMXXXI.

Aut re (*a*) aut cautione (*b*) facienda collatio eſt. *l.* 2. § 11. *ff. d. tit.*

Non ſatis confert qui non cavit, quamvis (*c*) dividat. *d.* § 11.

Si tantum in bonis paternis emancipatus remittat, quantum ex collatione ſuus habere debet; dicendum, ſatis contuliſſe videri. *d. l.* 1. § 12.

Et reis & pignoribus rectè caveri de collatione puto. *d. l.* 1. § 9.

(*a*) Reipsâ dividendo bona ſua cum fratribus.
(*b*) Cavendo de conferendo.
(*c*) Quia poſſunt eſſe quædam in occulto.

CMXXXII.

Stipulatio collationis tunc committitur; quum interpellatus cum aliquo ſpatio quo conferre potuit, non facit. *l.* 5. § 1. *ff. d. tit.*

CMXXXIII.

Quicumque confert, etiam ſuam (*a*) perſonam numerat in partibus faciendis. *l.* 1. § 24. *ff. d. tit.*

(*a*) Cum perſonis ſuorum quibus confert: non computantur autem cæteri emancipati.

ARTICULUS VII.

De collatione dotis.

CMXXXIV.

Quæ filia cui & quam dotem conferre teneatur.

Filiæ, licèt maneat (*a*) in ſacris, ſi dotem non conferat, actiones hereditarias denegari non ambigitur. *l.* 12. *Cod. de Collat. dot.*

Non dubium eſt, profectitiam ſeu adventitiam dotem fratribus qui in poteſtate fuerint conferendam eſſe. His etenim qui in familiâ defuncti non ſunt, profectitiam tantummodò (*b*) dotem conferri placuit. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

Et ſi tantùm promiſſa ſit dos, collatio ejus fiet. *l.* 1. § 1. *ff. de Dot. collat.*

Si duæ neptes ſint ex diverſis filiis, conferent dotem & invicem & patruo; ſi ex eodem patre, tantùm invicem conferent. *d. l.* 1. § 4.

(*a*) Quod ſpeciale eſt collationi dotis.
(*b*) Speciale eſt etiam in hâc collatione ut fiat emancipatis, ideò autem fit, quia dos filiæ profectitia, eſt quodammodo patrimonium patris.

CMXXXV.

Quando locus ſit collationi dotis.

Filiæ dotem ita demùm conferunt, ſi vel ab inteſtato ſuccedant, vel contra tabulas petant. *l.* 4. *Cod. de Collat.*

Filia etſi non petat bonorum (*a*) poſſeſſionem, conferre debebit; ſi modò ſe bonis paternis miſceat. *l.* 1. ff. *de Dot. collat.*

Si filia fuerit heres inſtituta, collatione dotis non fungetur. Planè ſi ex minore parte fuit inſtituta, & quædam in eam contulit contra tabulas poſſeſſio; auctâ portione ejus, dicendum erit collationis munere eam fungi. *l.* 3. ff. *d. tit.*

Divus Marcus reſcripſit; Non compelli conferre dotem abſtinentem ſe ab hereditate (*b*) patris. *l.* 9. ff. *d. tit.*

(*a*) Sed ab inteſtato ex Jure Civili heres ſit.
(*b*) Licèt legatum acceperit.

CMXXXVI.

Quatenùs conferatur dos.

Eatenùs fit collatio dotis, quatenùs ad mulierem reverſura eſt. d. tit. *N.* 23.

Corollarium Ium. Quum dos confertur, impenſarum neceſſariarum fit detractio, cæterarum non. *d. l.* 1. § 5. *ff. d. tit.*

Corollarium IIum. In collatione Si jam factum divortium & maritus non ſit ſolvendo; non debet integra dos computari, ſed quod facere maritus poteſt. *d. l.* 1. § 6.

Corollarium IIIum. Si alii quæſita eſt *dotis* ſtipulatio, dicendum eſt ceſſare collationem. *d. l.* 1. § 1.

CMXXXVII.

Quomodo conferatur.

Dotis quæ data eſt conferendæ, obligatio in eo conſiſtit; ut, ſi mulier ſoluto matrimonio eam penès ſe habeat, eam conferre, aut de eâ conferendâ cavere teneatur; ſi duret matrimonium, tantò minùs ex bonis paternis capiat: d. tit. *N.* 15.

Dotis à patre promiſſæ collatio in eo conſiſtit, ut mulier fratres eâ obligatione liberet: d. tit. *N.* 16.

Si ſub conditione pater, vel extraneus dotem promiſerit; cautione opus erit, ut tum conferat mulier quum dotata eſſe cœperit. *d. l.* 1. § 7.

Quæ jure Codicis & Novellarum ſtatuta ſint circa Dotis & Donationis Propter nuptias *collationem, vide Tit.* de Collat. dot. *N. fin.*

ARTICULUS VIII.

De bonorum poſſeſſionibus quæ Ventri *dantur.*

CMXXXVIII.

Ventrem (*a*) Prætor ex omnibus Edicti partibus mittit in poſſeſſionem bonorum; non miſſurus, ſi ei nato daturus non eſſet bonorum poſſeſſionem. *l.* 10. *ff. de Ventr. in poſſeſſ.*

Corollarium. Toties mittitur in poſſeſſionem venter, ſi non eſt exheredatus; & id quod in utero erit, inter (*b*) ſuos heredes futurum erit. *l.* 1. § 2. *ff. d. tit.*

Limitatio. Etſi incertum (*c*) ſit, aliquo tamen caſu poſſit exiſtere quo qui editur ſuus futurus ſit; ventrem mittemus. *d.* § 2.

(*a*) Id eſt mulierem, quæ non negatur eſſe uxor nurus-ve defuncti, & ex eo prægnans. Si de his controverſia fiat; recurrendum erit ad *Decretalem* poſſeſſionem ad inſtar *Carbonianæ*, de quâ Art. ſeq.
(*b*) Aut proximum gradum in ordine ſuccedendi obtinere debeat.
(*c*) Ut ſi exheredatio ita facta eſt, *Si mihi unus filius naſcatur*, vel pendet exheredationis conditio.

CMXXXIX.

Quum venter in poſſeſſionem mittitur, ſolet mulier curatorem ventri petere; ſolet & bonis. *d. l.* 1. § 17.

Hoc jure utimur ut idem curator & bonis & ventri detur. *d. l.* 1. § 18.

Mulier in poſſeſſionem miſſa, ea ſola ſine quibus fœtus ſuſtineri & ad partum uſque perduci non (*a*) poſſit, ſumere ex bonis debet. *d. l.* 1. § 19.

Nec ad rem pertinet an dotem habeat. *l.* 5. *ff. d. tit.*

Ratum eſſe debet quod *in alimenta* deminutum eſt, quamvis naſcatur qui repellitur (*b*). *d. l.* 1. § 3.

(*a*) Quibus continentur tum habitatio, tum cibaria ſervorum ad ejus miniſterium neceſſariorum.
(*b*) Modò calumnia mulieris non arguatur.

CMXL.

Tandiù venter in poſſeſſione eſſe debet, quandiù aut

Source : BIU Cujas

pariat, aut abortum faciat, aut certum sit eam non esse prægnantem. *l.* 1. § 17. ff. *d. tit.*

ARTICULUS IX.

De Carbonianâ bonorum possessione.

CMXLI.

Si cui controversia fiet (*a*) an inter liberos sit; causâ cognitâ perindè possessio datur, ac si nulla de eâ re controversia esset: & judicium (*b*) in tempus pubertatis differtur. *l.* 1. *ff. de Carb. Ed.*

(*a*) Putà; si dicatur suppositus, vel injustus. Trahitur quoque sententia Edicti ad eum qui negaretur jure adoptatus; item ad casum quo ventri controversia sit.

(*b*) Nisi tamen invenerit Prætor interesse ipsius pupilli ne differatur. Differtur autem non solùm principalis controversia; sed & quæcumque ab eâ pendent: d. *tit.* N. 18.

§ I.

Quando sit locus Carboniano.

CMXLII.

Regula 1ª. Ita demùm Edicto locus est, si statûs & (*a*) hereditatis controversia sit. *l.* 6. § 3. *ff. d. tit.*

Corollarium Iᵘᵐ. Quum sine beneficio (*b*) Prætoris, qui patitur controversiam filius, heres esse potest; Carboniano locus non est. Ac similiter quum certum est, quamvis filius sit, eum tamen heredem non fore. *l.* 11. *ff. d. tit.*

Putà Quum filius heres vel exheres scriptus est, Carbonianum (*c*) cessat, quamvis filius esse negatur. *l.* 1. § 8. *ff. d. tit.*

Corollarium IIᵘᵐ. Non est necessarium controversiam in tempus pubertatis differri, quum non de ipsius filii, sed de testamenti jure quæritur. *l.* 7. § 2. ff. *d. tit.*

Regula 2ª. Generaliter dicimus; His demùm Carbonianum competere, quibus contra (*d*) tabulas bonorum possessio competit; his verò non competere, qui repellentur à Contra tabulas. *l.* 1. § 3. *ff. d. tit.*

Corollarium. IIIᵘᵐ. Qui de inofficioso vult dicere... Carbonianum (*e*) cessat, quàmvis filius esse negetur. *l.* 20. *ff. de Inoffic. test.*

Regula 3ª. Non differtur controversia, *quum* non patitur impubes statûs controversiam, sed facit (*f*). *l.* 3. § 10. ff. *de Carbon. ed.*

(*a*) Non si alterutrius duntaxat. Cæterùm si de statu duntaxat sit controversia, rejicitur in tempus pubertatis; non quidem ex Carboniano cui hoc casu locus non est, sed ex Constitutionibus Principum: l. 3. § 2. ff. *de Carbon. Ed.*

(*b*) Id est, sine hâc Carbonianâ possessione.

(*c*) Nam utroque casu nulla de hereditate potest esse controversia; cùm, etsi filius non sit, ex institutione heres erit; aut ab hereditate per exheredationem exclusus est, etsi revera filius esset. Fallit regula si institutus sit, non simpliciter, sed ut *filius*; aut exheredatus est non simpliciter, sed adjectâ causâ quòd non sit filius.

(*d*) Aut alia species bonorum possessionis: nam & venientibus ab intestato liberis Carboniana possessio datur; uno casu, etiam *Secundùm tabulas*; quum filius cui fit controversia de statu, scriptus est heres non simpliciter, sed ut filius.

(*e*) Nulla enim bonorum possessio competit, ei qui ad querelam inofficiosi confugit.

(*f*) Putà, fratri puberi.

CMXLIII.

Quum filium esse constat, sed hactenùs de statu quæritur quòd in potestate patris fuerit (*a*) necne; sententia Edicti ex Carboniano admittitur. *l.* 8. § 1. *ff. d. tit.*

Et, si quis non tantùm ex liberis negetur, verùm etiam servus dicatur; Carboniano locus est. Nam vel magis consulendum est, his quibus majus periculum intenditur. *l.* 1. § 5. *ff. de Carb. Ed.*

Parvi refert quis (*b*) controversiam faciat; cùm etsi testator eum negaverit ex liberis, non tamen exheredem fecerit, Carboniano possit esse locus. *l.* 1. § 4. *ff. d. tit.*

Parvi refert petitor sit impubes, an possessor, qui statûs controversiam patitur. *l.* 3. § 9. *ff. d. tit.*

Prætor si ambiguam causam, vel modicum pro vero facientem, ut non videatur evidenter filius non esse *invenerit*; dabit ei Carbonianum. *d. l.* 3. § 4.

(*a*) Putà, quòd dicatur in extraneam familiam per adoptionem transisse.

(*b*) Etsi pater ipse impuberis, mater, fiscus, debitores hereditarii.

§ II.

De effectu Carbonianæ possessionis.

CMXLIV.

Impuberem Carbonianâ possessione possessorem (*a*) Prætor tantisper (*b*) constituit. *l.* 3. § 13. ff. *d. tit.*

Hæc Possessio si satisdatum sit *à pupillo*, non tantùm ad possessionem adipiscendam, sed ad res exigendas, & collationem bonorum prodest. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Quoties impubes satis non dat, mittitur *cum eo* in possessionem adversarius ejus. Et, si velit administrationem (*c*) sibi committi, satisdare debet pupillo; si satis non det, debet curator constitui per quem bona administrentur. *d. l.* 5. § 2.

(*a*) Non heredem, non definitivè bonorum possessorem. Undè, non ideò *Petitione hereditatis* agere potest.

(*b*) Scilicet ad tempus pubertatis.

(*c*) Sic tamen ut instrumenta in potestatem suam non redigat. d. l. 5. § 4.

CMXLV.

Impubes etsi non satisdet, ex bonis educari debet. Majorque cura debet adhiberi ne fame pereat filius; quàm ne minor hereditas ad petitorem perveniat, si apparuit filium non esse. *d. l.* 5. § 3.

Non solùm alimenta præstari debent, sed & in studia & in cæteras impensas necessarias impendi. *l.* 6. § 5. *ff. d. tit.*

Qui pupillo controversiam facit, simul cum eo missus, ali non debebit. *d. l.* 6. § 4.

CMXLVI.

Oportebit, qui se filium dicit, non solùm Carbonianam, verùm ordinariam quoque agnoscere. *l.* 3. § 15. ff. *d. tit.*

ARTICULUS X.

De bonorum possessione quæ patrono ejus-ve liberis datur, contra tabulas liberti.

§ I.

Quandò huic locus sit, & quando cesset.

CMXLVII.

Tòties ad bonorum possessionem invitatur patronus; quoties non est heres ex debitâ (*a*) parte institutus. *l.* 3. § 10. *ff. de Bon. libert.*

Si debita patrono portio legata (*b*) sit, etsi scriptus heres non fuerit, satis ei factum est. *d. l.* 3. § 15.

Conditionis implendæ causâ datum, in portionem debitam imputari debet; si tamen sit de bonis liberti profectum. *d. l.* 3. § 19.

Excluditur patronus, etsi ex unciâ heres instituatur; & id quod deest ad debitam portionem, per servum ei quæri potest. *l.* 21. § 1. ff. *de Jur. patr.*

(*a*) Jure Digestorum dimidiâ, Jure Justinianeo tertiâ, quæ mortis tempore computatur. Quum plures sunt patroni, unicuique debetur virilis hujus-ce portionis.

(*b*) Aut mortis causâ donata; aut etiam inter vivos, si tamen hoc casu hâc mente donatum sit ut in hanc portionem cederet.

Source : BIU Cujas

Si patronus ſub conditione ſit inſtitutus ; contra tabulas bonorum poſſeſſionem accipere non poteſt , ſi *conditio* extitit ante aditam (*c*) hereditatem. *l.* 3. § 12. *ff. de Bon. libert.*

Si patronus ex debitâ portione ſcriptus rogatuſque eſt hereditatem reſtituere , non poterit accipere contra (*d*) tabulas. *l.* 50. § 4. *ff. d. tit.*

(*c*) Ab aliquo ex heredibus liberti ; aut ea ſit conditio quam Prætor remittit ; *d. tit.* N. 39.
(*d*) Sed non tenetur hoc fideicommiſſo.

CMXLVIII.

Etſi ex modicâ parte inſtituti ſint liberi liberti , contra tabulas patronus petere non poteſt. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Liberi liberti exheredati , ſi per ſervum (*a*) parenti ſucceſſerint (*b*), objiciuntur patrono. *l.* 21. § 3. *ff. de Jur. patron.*

Si filius liberti heres inſtitutus abſtinuerit (*c*), quamvis nomine ſit heres , patronus admittitur. *l.* 6. § 2. *ff. de Bon. libert.*

(*a*) Ipſorum heredem inſtitutum.
(*b*) Vel per fideicommiſſum reſtituta ſit eis hereditas , vel ad eam filius pervenit per *Contra tabulas*.
(*c*) Vel reſtitutus ſit adversùs aditionem.

CMXLIX.

Si ſervo vel filio ſuo aliquid relictum (*a*) patronus agnoverit ; perindè à Contra tabulas repelletur , atque ſi agnoviſſet ſibi relictum. *l.* 8. § 2. *ff. d. tit.*

Patronus qui deceptus falſum judicium teſtatoris ſecutus (*b*) eſt ; Contra tabulas petere non prohibetur. *l.* 46. ff. *d. tit.*

Si patronus falſum teſtamentum dixiſſet , nec obtinuiſſet ; non eſt ambiguum , Contra tabulas ei non deferri poſſeſſionem. *l.* 19. ff. *d. tit.*

Has regulas trahe & ad liberos patroni, de quibus modò infrà.

(*a*) Quocumque titulo ; etiamſi conditionis implendæ causâ quid acceperit , multò magis , ſi quod ſibimetipſi relictum eſt agnoverit ; ita tamen ſi ſponte.
(*b*) Vel ſi evictum fuit quod ipſi relictum eſt , niſi ipſe rem liberto vendidiſſet.

§ II.

Quibus hæc poſſeſſio detur, & quæ bona excipiantur.

CML.

Non ſolùm ipſis patronis , ſed & patronorum liberis datur deficiente patrono.

Eò decurſum eſt , ut mortis tempus ſpectari debeat an patronus non ſit ; ut , ſi ſit (*a*) , liberi ejus (*b*) bonorum poſſeſſionem petere non poſſint. *l.* 2. § 1. *ff. de Bon. lib.*

Si patronus præteritus petere potuerit , & antequàm peteret deceſſerit , vel dies ei præterierit ; liberi ejus vel alterius patroni petere poterunt. *d. l.* 2.

Has regulas trahe ad liberos patroni ulterioris gradûs , reſpectu eorum qui proximioris gradûs ſunt.

(*a*) Et quidem ex debitâ parte ſcriptus. Quòd ſi ſit præteritus ; ita demùm liberi patroni excluduntur , ſi ipſe petierit.
(*b*) Vel alterius patroni præmortui.

CMLI.

Patronus contra ea bona liberti non admittitur , quæ in caſtris ſunt quæſita. *l.* 3. § 3. *ff. d. tit.*

§ III.

Quando hæc poſſeſſio peti poſſit , quomodo eâ petitâ portio debita patrono ſuppleatur ; & quid ipſe amittat acceptâ Contra tabulas *poſſeſſione.*

CMLII.

Ut patronus Contra tabulas accipere poſſit , oportet hereditatem aditam (*a*) eſſe , aut bonorum poſſeſſionem (*b*) petitam. *l.* 3. § 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Nam contra heredem datur : in quo differt ab illâ quæ *Contra tabulas* patris datur , quæ *Contra lignum* ſeu ipſum teſtamentum datur.
(*b*) Vel ab uno ex ſcriptis ; non tamen ſi ab herede caſtrenſium.

CMLIII.

Debita patrono portio conficitur , primùm ex eâ parte quæ ipſi relicta eſt & quam repudiavit ; excluſo penitùs ſubſtituto : ex l. 16. *Tit.* de Bon. libert.

Ad id quod deeſt conferunt , ex bonis quæ mortis tempore fuerunt , pro ratâ ; non ſolùm conjunctus quem in eâ parte habuit , ſed & cæteri omnes coheredes ; & quidem etiam alter patronus , pro eo tamen duntaxat quod ipſe ſupra partem ſibi debitam habet : ex l. 20. §§ 2. & 3. *& l.* 10. *ff. d. tit.*

Si non ipſe patronus , ſed eo præmortuo filius ejus accipiat Contra tabulas , *non excluditur ſubſtitutus , ſed confert duntaxat cum cæteris heredibus ad conficiendam patroni portionem , ex l.* 16. § 11. de Bon. libert. *d. tit. N.* 37. & 38.

Pars præteriti patroni , qui ad hanc poſſeſſionem non venit , ſive quòd indignus ſit , ſive quòd eam omiſerit , accreſcit cæteris patronis qui & ipſi præteriti ad hanc poſſeſſionem veniunt ; non his qui , cùm ipſis ſua virilis in legitimâ portione relicta ſit , ad hanc poſſeſſionem non vocantur : ex l. 21. *& l.* 24. *ff.* de Bon. libert. *& l.* 21. § 2. *ff.* de Jur. patron.

CMLIV.

Si quis bonorum poſſeſſionem contra tabulas liberti acceperit , ab omni liberti judicio (*a*) repellitur. *l.* 16. § 5. ff. *de Bon. libert.*

(*a*) Tam ab eo quod his per quos requirit , quàm ab eo quod ipſimet relictum eſt ; non tamen ſi id ſit relictum ex quo nullum emolumentum apud ipſum remanſurum ſit.

§ IV.

Quæ ſint alia jura patronorum circa portionem ſibi debitam.

CMLV.

Si patronus ex debitâ parte heres inſtituatur (*a*) , & libertus fidei ejus commiſit ut quid daret ; etſi hoc promiſerit , non erit cogendus (*b*) ſolvere. *l.* 20. *ff. de Donat.*

Si in libertinum animadverſum erit ; patronis jus quod in bonis ejus habituri eſſent , eripiendum non eſt. *l.* 28. ff. *de Bon. libert.*

Liberto per obreptionem arrogato , jus ſuum patronus non amittit. *l.* 49. ff. *d. tit.*

Patronis dantur actiones revocatoriæ ejus quod liberti in fraudem portionis ipſis debitæ alienaverunt. De quibus infrà Part. 4ª.

(*a*) Ipſe , aut ii per quos acquirit.
(*b*) Hoc non trahe ad eos qui præmortuo aut repudiante patrono in portionem ejus ſuccederent , putà , ſubſtitutum , coheredem , fiſcum.

ARTICULUS XI.

Quomodo extinguatur unuſquiſque poſſeſſionis gradus fiatque ſucceſſio ſequenti.

In Bonorum poſſeſſione fit ſucceſſio , quum perſonæ in gradu præcedenti poſitæ , aut ante eam petitam deceſſerint , aut eam repudiaverint , aut intrà tempus præſtitutum petere omiſerint.

Source : BIU Cujas

§ I.

De Repudiatione Bonorum poſſeſſionis.

CMLVI.

Unuſquiſque ſuam (*a*) bonorum poſſeſſionem repudiare poteſt, alienam (*b*) non poteſt. *l.* 1. § 1. ff. *de Succeſſ. Edict.*

Procurator meus ſine meâ voluntate, meam bonorum poſſeſſionem repudiare non poteſt. *d. l.* 1. § 2.

Bonorum poſſeſſionem Tutor petere poteſt, non etiam repudiare (*c*). *l.* 8. ff. *de Bon. poſſeſſ.*

Per ſervum delatam bonorum poſſeſſionem dominus repudiare poteſt. *l.* 1. § 3. *ff. de Succeſſ. Ed.*

Filio delatam bonorum poſſeſſionem, patri ad fraudem filii (*d*) repudiare non licet. *l.* 2. *Cod. de Repud. bon. poſſ.*

Decretalis bonorum poſſeſſio diebus finiri poteſt; ſed repudiari eam non poſſe verius eſt, quia nondum delata eſt niſi fuerit decreta. *l.* 1. § 7. ff. *de Succeſſ. Ed.*

Qui ſemel noluit bonorum poſſeſſionem petere, perdidit jus ejus; etſi tempora largiantur. *d. l.* 1. § 6.

Quoties duplici jure defertur alicui ſucceſſio; repudiato novo (*e*) jure quod antè defertur, ſupererit vetus. *l.* 91. PAUL. LIB. 17. QUÆSTION.

(*a*) Id eſt, ſibi delatam.
(*b*) Alteri delatam.
(*c*) Sed pupillo repudianti auctor eſſe poteſt.
(*d*) Quia ſi eam nolit ſibi acquiri, non debet impedire quominùs filius quandoque ſui juris factus eam acquirere poſſit. Ita Cujacius: alii aliter.
(*e*) Pone exemplum in filio qui bonorum poſſeſſionem matris *Undè legitimi* ex novo Jure Senatuſconſulti Orphitiani ſibi delatam repudiavit. Supereſt ipſi *Jus vetus*, ſcilicet inſequentis gradûs poſſeſſionis *Undè cognati.*

§ II.

De tempore petendæ bonorum poſſeſſionis.

CMLVII.

Intrà dies centum bonorum poſſeſſio peti poteſt, & *quidem* ipſo die centeſimo. *l.* 1. § 9. ff. *de Succeſſ. Ed.*

Regula eſt; Ex omnibus (*a*) cauſis, liberis parentibuſque intrà annum bonorum poſſeſſionem competere. *d. l.* 1. § 16.

Si quis à patre ſuo impuberi ſit ſubſtitutus; non intrà annum, ſed intrà diem centeſimum (*b*) poſſeſſionem petere poterit. *d. l.* 1. § 13.

(*a*) Ex omnibus Edicti partibus; & ſive his per quos ipſis acquiritur poſſeſſio delata ſit.
(*b*) Nam ad poſſeſſionem bonorum fratris venit, quamvis ex teſtamento patris.

CMLVIII.

Utile tempus eſt bonorum poſſeſſionum admittendarum... ut per ſingulos dies & ſcierit & potuerit admittere. *l.* 2. ff. *Quis ordo in poſſ.*

Si plures gradus ſint poſſeſſionis admittendæ; quandiù incertum ſit an petierit necne *prior*, poſteriori diem non procedere conſtat. *l.* 9. ff. *de Bon. poſſ.*

Veriſimile non videtur, conjunctum ſanguini defuncti valetudinem (*a*) ignoraſſe. *l.* 9. § 1. ff. *Undè cogn.*

In bonorum poſſeſſionibus, juris ignorantia non prodeſt quominùs dies cedat. *l.* 10. ff. *de Bon. poſſeſſ.*

Circa tempora bonorum poſſeſſionis, patris ſcientia ignoranti filio non (*b*) nocet. *l.* 3. ff. *Quis ordo in poſſ.*

Dies quibus tutor aut pater ſcit, cedere (*c*) placet. *l.* 7. § 2. ff. *de Bon. poſſeſſ.*

Quum filiofamilias bonorum poſſeſſio delata eſt; dies quibus certiorare patrem non poteſt ut jubeat agnoſci bonorum poſſeſſionem, vel agnitam ratam habeat, non cedunt. *l.* 5. ff. *Quis ordo in poſſeſſ.*

Si Præſes fuerit in proximâ civitate: accedere debet ad utilitatem temporis, ratio itineris; numeratione viginti millium factâ. *l.* 2. § 3. *ff. d. tit.*

Dies... non ſeſſionum numerabuntur, ſi ea ſit bonorum poſſeſſio quæ de plano (*d*) peti poſſit. Quò ſi ea quæ Decretum expoſcit, ſeſſiones (*e*) *duntaxat* erunt computandæ. *l.* 2. § 1. *ff. d. tit.*

Furioſo bonorum poſſeſſionis tempus, quandiù furioſus eſt, nec ſubſtituto ejus cedit. *l.* 1. ff. *de Bon. poſſeſſ. fur.*

(*a*) Per quam teſtamentum facere non poterat: adeòque ſciviſſe præſumitur delatam ab inteſtato poſſeſſionem ſtatim atque ſcivit mortem.
(*b*) Et vice versâ; patris ignorantia non prodeſt, nec obſtat quominùs ſcienti filiofamilias deferatur. l. 1. Cod. *Qui admitti ad bon.*
(*c*) Cedit quominùs pater poſſit eam tanquam per filium ſuum ſibi quæſitam poſſeſſionem petere; at non cedit quominùs ipſe filius qui ignoravit, poſſit eam petere; quandoque ſui juris factus.
(*d*) Qualis eſt *Edictalis.*
(*e*) Et quidem hæ ſolæ quibus vacavit poſtulationibus.

CMLIX.

Si ſervus heres inſtitutus væniſſet; poſteriori domino placet, quantum priori domino ſuperfuerit, imputari. *l.* 5. § 2. ff. *Quis ordo in poſſ.*

§ III.

Quando extinguatur ſpes ſucceſſionis.

CMLX.

Inferioris gradûs cognatus beneficium Edicti ſucceſſorii non habet, quum prior ex propriâ parte bonorum poſſeſſionem accepiſſet; nec ad rem pertinet quòd contra agnitionem reſtitutus ſit. *l.* 2. *ff. de Succeſſ. Edict.*

CAPUT SEPTIMUM.

De ultimâ rerum incorporalium ſpecie; ſcilicet de jure Crediti, *ſeu de Obligationibus.*

Hoc Capite in totidem Sectiones diſtributo agemus 1°. *De generali Obligationum naturâ, de modis quibus contrahuntur & ex quibus cauſis deſcendant; item de conventionibus & contractibus in genere.* 2°. *De variis contractuum ſpeciebus, ſive* Nominatorum *ſive* Innominatorum; *necnon de pactis ex quibus actio naſcitur, item de Pollicitatione & voto.* 3°. *De Quaſi-contractibus.* 4°. *De Obligationibus quæ ex alieno contractu deſcendunt.* 5°. *De Delictis & quaſi delictis.* 6°. *De pluribus ejuſdem obligationis principalibus reis tam credendi quàm debendi; de his qui alienæ obligationi accedunt; necnon de heredibus tam creditorum quàm debitorum.* 7°. *De modis quibus ſolvuntur obligationes.*

Source : BIU Cujas

SECTIO I.

De Obligationibus in genere, & generaliter de contractibus.

ARTICULUS I.

De generali Obligationum naturâ, & quibus modis contrahantur.

CMLXI.

Obligatio est juris vinculum quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ, secundùm nostræ civitatis jura. *Instit.* Tit. *de Oblig.*

Obligationum substantia non in eo consistit ut aliquod corpus nostrum faciat, sed ut alium obstringat ad dandum aliquid vel præstandum. *l.* 3. ff. *de Oblig. act.*

CMLXII.

1. Impossibilium nulla obligatio est. *l.* 185. CELSUS LIB. 8. DIGEST.

2. Naturales obligationes non eo solo æstimantur si actio aliqua competit; verùm etiam (*a*), si soluta pecunia repeti non possit. *l.* 10. *ff. de Oblig. & act.*

3. Ampliùs quàm semel res nostra esse non potest, sæpiùs (*b*) autem deberi potest. *l.* 3. § *penult. ff. de Except. rei judic.*

(*a*) Sensus est: Naturalis obligatio est etiam illa cui civile vinculum, & jus actionis deest; & vel ex hoc solo æstimatur, quòd, si ex hâc causâ solutum fuerit, non repetitur.
(*b*) Variis ex causis.

CMLXIII.

Obligationes aut ex contractu nascuntur, aut ex maleficio, aut proprio quodam jure ex variis causarum (*a*) figuris. *l.* 1. ff. *de Oblig. & act.*

Obligamur aut re aut verbis aut simul utroque, aut consensu (*b*), aut lege aut jure honorario, aut necessitate (*c*) aut peccato. *l.* 52. ff. *d. tit.*

Plerùmque (*d*) accidit, ut extrà id quod ageretur obligatio nascatur. *l.* 13. § *fin. ff. Commod.*

(*a*) Ut sunt *Quasi-contractus* & *Quasi-delicta*.
(*b*) Solo.
(*c*) Ut contigit necessariis heredibus.
(*d*) Ut in indebito soluto; item si libero homini qui meus servus habebatur commodavero, &c.

CMLXIV.

Nemo (*a*) ideò obligatur, quia recepturus est ab alio quod præstiterit. *l.* 171. PAUL. LIB. 4. AD PLAUT.

Nuda (*b*) ratio non facit aliquem debitorem. *l.* 26. ff. *de Donat.*

Circa personas quæ obligari non possunt, vide suprà Part. 1ª. *de pupillis, furiosis, surdis, mutis, servis.*

(*a*) Sensus est: Ad obligandum aliquem cui proprium ex quo ipse teneatur factum objici non potest, non est sufficiens causa quòd is *Recepturus est*, &c. Exemplum affert Cujacius in specie duorum sociorum fundi, quorum alter fecit opus ex quo aqua vicino noceret: non potest agi adversùs eum qui non fecit, ut proprio sumptu tollat; sub eo pretextu, quòd à socio qui fecit possit sumptum actione *Pro socio* repetere; ut dicitur in l. 11. ff. *de Aq. & aq. pluv.*
(*b*) Putà si quis donandi animo referat in rationes se mihi debere aliquid, obligationem non contrahit.

ARTICULUS II.

De Conventionibus & contractibus in genere.

Quid sit Conventio, Pactum seu Pactio, & Contractus; vide Tit. præced.

§ I.

De consensu, qui est ex substantiâ omnium conventionum & contractuum.

CMLXV.

Non videor (*a*) consentire, qui sentire non possum. *l.* 8. § 2. ff. *de Opt. leg.*

(*a*) Hinc consentire non possunt furiosi, infantes, dormientes.

CMLXVI.

Nihil (*a*) consensui tam contrarium est qui & bonæ fidei judicia sustinet, quàm vis atque metus; quem comprobare contra bonos mores est. *l.* 116. ULPIAN. LIB. 11. AD ED.

At in contractibus stricti Juris, Volui (*b*) qui coactus volui. *l.* 21. § 5. ff. *Quod met. caus.*

(*a*) Prior hæc regula pertinet ad contractus bonæ fidei: in his cùm bonâ fide magis quàm subtili juris ratione regantur, non videntur voluisse qui coacti voluerunt; adeòque non valent ipso Jure hi contractus quibus vis causam dedit: idem dic de his quibus dolus causam dedit; Tit. *de Pactis* N. 10., & seqq.
(*b*) Igitur contractus stricti Juris quamvis per vim extortus ipso Jure valet, sed per restitutionem in integrum rescinditur: Tit. *de Pactis* N. 13.

CMLXVII.

Non videntur qui errant (*a*) consentire. *sup. d. l.* 116. § 2.

Cæterùm Nil refert proprio nomine res appelletur; an digito ostendatur, an vocabulis quibusdam demonstretur, quatenùs vice mutuâ fungantur, quæ tantumdem præstent. *l.* 6. *ff. de Reb. cred.*

Hinc Nil facit error nominis, quum de corpore constat. *l.* 9. § 1. *ff. de Contrah. empt.*

(*a*) Hinc si error intervenerit circa id quod in conventionem deductum est, ipso Jure non valet conventio aut contractus; Tit. *de Pactis* N. 9. si circa alia versetur, prodest ut restitutio detur.

§ II.

Cui quis paciscí possit, & de quâ personâ promittere; item ex quarum personarum pactis acquiri.

CMLXVIII.

Quæcumque gerimus quum ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostrâ personâ obligationis initium sumant, inanem nostrum actum efficiunt. *l.* 22. *ff. de Oblig. act.*

Hinc Nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere (*a*) potest. *l.* 73. § *fin.* Q. M. SCÆVOLA LIB. SING.

Si mihi & *extraneo* stipuler... quod extraneo stipulatus sum, non (*b*) auget meam partem. *l.* 220. ff. *de Verb. oblig.*

Si stipuler (*c*) alii, quum meâ intereset, stipulationem valere. *l.* 38. § 20. ff. *d. tit.*

(*a*) Nec convalescit, etiamsi is nobis extiterit heres.
(*b*) Secùs obtinet in contractibus bonæ fidei; putà si mihi & Titio emam, personâ Titii insuper habitâ, tota emptio ad me pertinet. Tit *de Pactis*. N. 23.
(*c*) Ut si tutor stipulatur pupilli sui negotia geri, &c.

CMLXIX.

Heredi nostro cavere concessum est. *l.* 10. ff. *de Pact. dotal.*

Source : BIU Cujas

Sciendum eſt; Quod dari ſtipulemur, non poſſe per nos uni ex heredibus acquiri (*a*): ſed neceſſe eſt omnibus acquiri. At quum quid fieri ſtipulamur, etiam unius (*b*) perſonam rectè comprehendi. *l.* 137. § 8. *de Verb. oblig.*

Quamvis (*c*) conveniſſe videatur ne ab alio herede quàm à Titio peteretur, tamen inutile pactum coheredibus (*d*) ejus erit. *l.* 56. § 1. *ff. de Verb. oblig.*

Nec (*e*) quicquam obſtat uni tantùm ex heredibus provideri, ſi heres factus ſit; cæteris autem non conſuli. *l.* 33. *ff. de Pact.*

(*a*) Cùm enim obligationes *Dandi* dividuæ ſint, & pro eâ duntaxat parte ex quâ heres eſt, in heredem creditoris ex Lege XII. Tab. tranſeant; ſtipulator non magis efficere poteſt ut ad eum, pro cæteris partibus ex quibus heres non eſt, jus ſtipulationis tranſeat, quàm ut ad extraneum tranſeat.
(*b*) Nam cùm *Faciendi* ſtipulationes individuæ ſint, & ipſo jure ad ſingulos ex heredibus in ſolidum tranſeant; poteſt pacto quis efficere ut ad eum ſolum, non ad cæteros jus tranſeat.
(*c*) Pertinet hæc regula ad obligationes dividuas. Secùs in individuis.
(*d*) Fruſtrà enim paciſcor ut à Titio, pro partibus ex quibus heres non eſt, petatur; & perindè eſt ac ſi de extraneo promitterem; quod fieri non poteſt, infrà Reg. 972.
(*e*) Hæc regula pertinet ad pactum *De non petendo*. Poſſum ita vel uni ex heredibus paciſci: proderit enim, ut ab illo pro parte ejus non petatur.

CMLXX.

Per quos acquiri nobis poteſt, per eoſdem etiam pactis conventis meliorem conditionem noſtram fieri poſſe placet. *l.* 59. *ff. d. tit.*

De ſtipulationibus ſervorum aut liberorum hominum quos in poteſtate habemus, vide ſuprà N. 193 *& ſeqq.*

Eſt verum; Bonâ fide poſſeſſum ſervum, ex re (*a*) ejus cui ſervit ſtipulantem (*b*), poſſeſſori acquirere. *l.* 20. § 1. *ff. de Stipul. ſerv.*

(*a*) Aut ex operis ſuis.
(*b*) Aut ex alio contractu paciſcentem.

CMLXXI.

Dominus ſervo ſtipulando ſibi acquirit (*a*), ſed & pater filio, ſecundùm (*b*) quod Leges permittunt. *l.* 39. *ff. de Verb. oblig.*

Quod dicitur patrem filio utiliter ſtipulari; hoc in his verum eſt quæ juris ſunt, quæ-que acquiri (*c*) patri poſſunt. *l.* 130. *ff. de Verb. oblig.*

Aliàs Nos his qui in noſtrâ poteſtate ſunt paciſcendo, prodeſſe non poſſumus. *l.* 21. § 2. *ff. de Pact.*

Ita tamen ſtrictò Jure. Nam Si quis ita ſtipulatus ſit, POST MORTEM MEAM FILIÆ MEÆ DARI; filiæ Utilis (*d*) actio competit, licèt heres ei non exiſtat. *l.* 45. § 2. *ff. de Verb. oblig.*

(*a*) Cùm enim per ſervum ipſi acquiratur; *Stipulatur* quod ſuâ intereſt, quum *Servo ſuo dari* ſtipulatur.
(*b*) Id eſt, ex his cauſis ex quibus patri per filium acquiritur.
(*c*) Fruſtrà igitur ſtipulabor ut filio meo ire liceat; cum ea quæ ſunt facti, per filium patri non acquirantur.
(*d*) *Utilis* duntaxat, quod benignè hoc caſu admiſſum eſt. Non *Directa*; nam pater *Liberis ſuis dari* paciſci & ſtipulari non poteſt, niſi quatenùs per eos acquirit.

CMLXXII.

De ſe quemquem promittere oportet. *l.* 83. *ff. de Verb. oblig.*

Nemo alienum factum promittendo obligatur. *d. l.* 83.

§ III.

Quid in conventionem deduci poſſit necne.

CMLXXIII.

Impoſſibilium nulla obligatio eſt. *l.* 185. CELSUS LIB. 8. DIGEST.

Verum eſt, neque pacta neque ſtipulationes factum (*a*) poſſe tollere. Quod enim impoſſibile eſt, neque pacto neque ſtipulatione poteſt comprehendi, ut utilem (*b*) actionem aut factum efficere poſſit. *l.* 31. ULP. LIB. 42. AD SABIN.

Quod nullius eſſe poteſt; id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet (*c*) efficere. *l.* 182. PAUL. LIB. 3. AD VITELLIUM.

Si ſtipulor ut id fiat quod natura fieri non concedit; non magis obligatio conſiſtit, quàm quum ſtipulor ut detur quod dari non poteſt. *l.* 35. *ff. de Verb. oblig.*

Si ab eo ſtipulatus ſim qui efficere non poſſit, quum alii poſſibile ſit, jure factam obligationem Sabinus ſcribit. *l.* 137. § 5. *ff. de Verb. oblig.*

Si ſtipuler rem cujus commercium non habeo, inutilem eſſe ſtipulationem placet. Si quis promittat cujus commercium non habet; ipſi nocet, non mihi. *l.* 34. *ff. d. tit.*

(*a*) Id eſt, non poteſt deduci in pactum aut conventionem, ut factum non ſit quod factum eſt: eſt enim impoſſibile ut infectum ſit. Nec obſtat, valere ſtipulationes Ædilitas *Furem non eſſe, &c.* Hanc enim interpretationem benignè recipiunt; ut non tam videatur promitti *Furem non eſſe*, quàm id quod intereſt emptoris eum non eſſe furem.

(*b*) Senſus eſt ſtipulationem rei impoſſibilis non parere *Utilem*, id eſt efficacem actionem; nec ex pacto rei impoſſibilis ullum factum naſci, id eſt pactum eſſe inutile. Fluit hæc Regula ex generali ſuprà N. 48.
(*c*) Inutilis ergo conventio; quâ liber homo, aut res divini publici-ve juris promitteretur.

CMLXXIV.

Pacta (*a*) quæ turpem cauſam continent, non ſunt obſervanda. *l.* 27. § 4. *ff. de Pactis.*

Illud nullâ pactione effici poteſt, ne dolus (*b*) præſtetur. *d. l.* 27. § 3.

Si ob maleficium NE FIAT promiſſum (*c*) ſit, nulla eſt obligatio. *l.* 7. § 3. ff. *d. tit.*

Dolo (*d*) malo, ait Prætor, pactum ſe non ſervaturum. *l.* 7. § 9. *ff. de Pactis.*

Pacta quæ contra Leges Conſtitutioneſque vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati Juris eſt. *l.* 6. *Cod. de Pact.*

Contra Juris (*e*) Civilis regulas, pacta conventa rata non habentur. *l.* 28. *ff. de Pact.*

Nec ex prætorio nec ex ſolemni (*f*) Jure, privatorum conventione quicquam immutandum eſt; quamvis obligationum cauſæ (*g*) pactione poſſint immutari, & ipſo Jure, & per Pacti conventi exceptionem: quia actionum modus (*h*) vel Lege vel per Prætorem introductus privatorum pactionibus non infirmatur; niſi (*i*) tunc quum inchoatur actio, inter eos convenit. *l.* 27. POMPON. LIB. 16. AD SABIN.

Paciſci contra Edictum Ædilium omnimodo licet. *l.* 31. *ff. de Pact.*

In cæteris omnibus ad Edictum Prætoris pertinentibus quæ non ad publicam læſionem, ſed ad rem familiarem reſpiciunt; paciſci licet. *l.* 7. § 14. *ff. d. tit.*

Vide & ſuprà Cap. 5. *de Tranſactione ſuper alimentis factâ.*

(*a*) Fluit ex ſuprà dictis. Hæc enim jure pro impoſſibilibus habentur.
(*b*) Admittendus: nam admiſſus remitti poteſt. Ratio hujus regulæ eſt; quia, cùm hoc pacto quis ad delinquendum videatur invitari, turpem cauſam continet.
(*c*) At rectè promittitur, *Si fiat.*
(*d*) Sive ab initio ſive poſt pactum dolo fiat.
(*e*) Putà, ſi pupillus ſine tutoris auctoritate, aut mulier in rem alienam quid promittat.
(*f*) Id eſt, civili.
(*g*) D. Noodt *Obligationum cauſas* hîc vocari cenſet eas quæ non pertinent ad ſubſtantiam contractuum, ſed ex more eis inſunt, quum aliud non convenit.
(*h*) Id eſt, ut explicat idem Noodt, ipſa actionum & contractuum ſubſtantia.
(*i*) D. Noodt legit *nec ſi tunc*, & ita explicat; nec ſi tunc conveniat in ipſo ingreſſu contractûs, quo tempore *inchoatur* (id eſt, naſcitur) obligatio & actio.

CMLXXV.

Improbus eſt, qui ſollicitus eſt de vivi hereditate (*a*): *l.* 2. § 2. *de Vulg. & pupill. ſubſtit.*

(*a*) Hinc omnes conventiones de vivi hereditate non valent. Speciali tamen jure pactum de mutuâ ſucceſſione, inter milites jure ultimæ voluntatis ſuſtinetur.

Source : BIU Cujas

CMLXXVI.

Nemo rem ſuam (*a*) utiliter ſtipulatur. *l.* 82. *ff. de Verb. oblig.*

Si rem meam ſub conditione ſtipuler; utilis eſt ſtipulatio, ſi conditionis exiſtentis tempore mea non fuit. *l.* 31. *ff. de Verb. oblig.*

Qui bis idem promittit, is eo jure ampliùs quàm ſemel non tenetur. *l.* 18. *ff. d. tit.*

(*a*) At ejus poſſeſſionem aut aliquod jus quod in eâ mihi adeſt, item pretium ejus, rectè ſtipulor.

§ IV.

De diverſorum diverſarum conventionum effectu.

CMLXXVII.

Conventiones quæ pariunt actiones, in ſuo nomine non ſtant, ſed tranſeunt (*a*) in proprium nomen CONTRACTUS. *l.* 7. § 1. *ff. de Pact.*

Etſi in contractum res non tranſeat, ſubſit tamen cauſa (*b*); Ariſto reſpondit eſſe obligationem (*c*). *d. l.* 7. § 2.

Quum nulla ſubeſt cauſa (*d*); propter conventionem hîc conſtat non poſſe conſtitui obligationem. *d. l.* 7. §. 4.

Nuda pactio obligationem non parit, ſed parit exceptionem. *d. l.* 7. § 4.

In ſtipulationibus (*e*) jus continetur, in pactis factum (*f*) verſatur. *l.* 27. § 2. *ff. de Pact.*

(*a*) Et hæ conventiones dicuntur *Contractus nominati*; quia ſunt certæ conventionum ſpecies, quibus Jus civile nomen & propriam actionem dedit: quales ſunt *Emptio-venditio*, *Societas*, &c.

(*b*) Id eſt, intervenerit datio aut factum; ut quum dedi vel feci ut dares faceres-ve.

(*c*) Quæ actionem pariat. Dicuntur hæ conventiones *Contractus innominati*.

(*d*) Et conventio non eſt ex nominatis contractibus; adde, aut ex his conventionibus quibus lex actionem dedit.

(*e*) Et cæteris contractibus.

(*f*) Ex nudis pactis propriè nullum jus naſcitur, nulla obligatio civilis, nulla actio: adeòque qui pactionem pro ſe allegat, non tam jus quàm factum allegat. Nec enim juris normam ſed ſolam æquitatem ſequitur Prætor, quum huic pacto dat exceptionem.

CCMLXXVIII.

Contractus legem ex conventione accipiunt. *l.* 1. §6. *ff. Depoſit.*

Solemus dicere, pacta conventa ineſſe bonæ fidei judiciis; ut, ſi quidem ex continenti pacta ſubſecuta ſunt, etiam ex parte actoris inſint. Ex intervallo non inerunt (*a*), nec valebunt ſi agat; ſed ex parte rei locum habebit pactum. *l.* 7. § 5. ff. *d. tit.*

Pacta conventa quæ poſtea facta detrahunt (*b*) aliquid (*putà*) emptioni, contineri contractu videntur; quæ verò adjiciunt (*c*), credimus hoc non ineſſe. *l.* 72. *ff. de Contrah. empt.*

Redhibitionem (*d*) quoque contineri EMPTI judicio. *l.* 11. § 3. *ff. de Act. empt.*

Pacta in continenti facta, ſtipulationi (*e*) ineſſe creduntur. *l.* 40. *ff. de Reb. cred.*

(*a*) Si circa adminicula contractûs verſentur. Secùs, ſi circa ſubſtantialia. Vide Regulam ſeq.

(*b*) Id eſt, derogant in aliquo ſubſtantialibus contractûs; putà augendo vel minuendo pretium, adeòque verſantur circa ſubſtantialia.

(*c*) Putà; circa diem aut locum ſolutionis *Adjiciunt* contractui aliquod adminiculum; ſalvâ ejus ſubſtantiâ.

(*d*) Conventionem ut à contractu diſcedatur, & res redhibeatur.

(*e*) Scilicet ex parte *Rei*, ut obligationem ipſo jure minuant: at non inſunt ex parte ſtipulatoris. Idem dic de cæteris contractibus ſtricti Juris. Vide *d. tit.* N. 48. & ſeq.

§ V.

Quæ ſint diſcrimina inter obligationes ex contractibus, & ex ultimis voluntatibus.

CMLXXIX.

Quæ (*a*) legata mortuis nobis ad heredem noſtrum

(*a*) Senſus eſt: Quæcumque legata ſunt ejus rei quæ ad heredem tranſit, ea quoque per nos his in quorum poteſtate ſumus acquiruntur. Aliter autem obtinet in ſtipulationibus: nam quum quis ſtipulatus eſt duas res alternativè utram ipſe velit, hæc electio transfertur in heredem; tamen ſi ſervus ita ſtipulatus fuerit, ipſi ſoli, non domino facultas eligendi competet. Contrà ſi ita legatæ ſint ſervo aut filio alicujus duæ res, utram ille vellet; electio patri vel domino competet. Et hæc eſt 1a. differentia.

tranſeunt, eorum commodum per nos his quorum in poteſtate ſumus eodem caſu acquirimus; aliter atque quod ſtipulati ſumus. Nam (*b*) & ſub conditione ſtipulantes omnimodo eis acquirimus; etiamſi libertatis nobis poteſtate dominii, conditio exiſtat. *l.* 18. POMPON. LIB. 6. AD SABIN.

Hinc Si filiusfamilias ſub conditione ſtipulatus, emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio, patri actio competit; quia in ſtipulationibus id tempus ſpectatur quo contrahitur. *d. l.* 18.

Conſonat alia Regula juris: In ſtipulationibus id tempus ſpectamus quo contrahimus. *l.* 144. § 1. PAUL. LIB. 62. AD ED.

(*b*) Secunda differentia. In ſtipulatione conditionali ſpectatur dies contractûs: adeòque ſi ſervus aut filius ita ſtipuletur, acquiritur patri vel domino: licèt filius aut ſervus quum conditio extiterit, jam ſui juris factus ſit. Contra in legatis ſpectatur dies quo conditio exiſtit.

CMLXXX.

Qui (*a*) cum alio contrahit, vel eſt vel eſſe debet non ignarus conditionis ejus. Heredi autem hoc imputari non poteſt, qui non ſponte cum legatariis contrahit. *l.* 19. ULP. LIB. 24. AD SABIN.

(*a*) Tertia differentia contractus inter & legata. Qui cum ſervo aut filiofamilias contraxit, debet ſolvere patri aut domino; nec facilè excuſatur ex eo quòd ignoraverit eum alieni juris eſſe: debuit enim hoc inquirere quum contraxit cum eo. Heres autem faciliùs excuſatur ſi filiofam. quem patremfamilias exiſtimat, ſolvat legatum ipſi relictum; cùm non ſponte in hanc obligationem inciderit. Ita Cujacius ad h. tit.

§ VI.

De variâ pro variis contractibus ac negotiis culpæ præſtatione.

CMLXXXI.

In contractibus fidei bonæ ſervatur, ut ſi quidem utriuſque contrahentis commodum verſetur, etiam culpa; ſin unius ſolius, dolus malus tantummodò præſtetur. *l.* 108. § 12. ff. *de Legatis* 1°.

In contractibus in quibus utriuſque utilitas vertitur... & dolus & culpa præſtatur. *l.* 5. § 2. ff. *Commod.*

Contractus quidam, dolum malum duntaxat recipiunt; quidam & dolum, & culpam. Dolum tantùm (*a*), Depoſitum (*b*), & Precarium (*c*); dolum & culpam (*d*), Mandatum (*e*), Commodatum (*f*), Venditum, Pignori acceptum, Locatum, item Dotis datio (*g*), Tutelæ (*h*), Negotia geſta (in his (*i*) quidem & diligentia); Societas & rerum Communio, & dolum & culpam recipit. Sed

(*a*) Et latam culpam, quæ in contractibus æquiparatur dolo.

(*b*) Hoc conſonat regulæ præcedenti. In *Depoſito*, nulla depoſitarii utilitas vertitur, ſed ſolius deponentis.

(*c*) Ibi vertitur quidem utilitas ejus qui *Precario* accepit, undè videretur de culpâ eum teneri debere, verùm aliâ ratione dolum duntaxat præſtat: ſcilicet quia in precario nullus contractus intervenit, ex quo rei reſtituendæ obligationem contrahat is qui precario accepit; ſolo æquitatis vinculo tenetur, quod tamen Prætor tuetur Interdicto. Unde, ſatis viſum eſt ſi dolum præſtaret.

(*d*) Quæ tamen pro diversâ negotiorum naturâ, aut *Levis* duntaxat, aut etiam *Leviſſima* præſtatur.

(*e*) Atqui nulla mandatarii utilitas in hoc propriè dicto contractu vertitur: videtur ergo dolum tantùm præſtare eum debere, ut in *Depoſito*. Verùm diſparitas eſt; quòd ad rem ſervandam nulla induſtria requiratur; ut ad negotia gerenda. Hinc qui negotium gerendum recipit, induſtriam & diligentiam huic negotio gerendo parem recipere & promittere videtur; undè pro negotii naturâ culpam aut *Levem* aut *Leviſſimam*, quæ huic diligentiæ reſpondeat, præſtare debet.

(*f*) Et quidem *Leviſſimam* culpam præſtat commodatarius; cùm ſola ejus utilitas in hoc contractu verſetur.

(*g*) In his quatuor contractibus, Venditione, Locatione, Pignore, Dote, utriuſque utilitas verſatur. Hinc meritò culpa præſtatur.

(*h*) Cùm adminiſtratio pupillarium negotiorum diligentiàm deſideret: conſequens eſt ut tutor, quamvis nulla ejus utilitas verſetur, culpam huic diligentiæ contrariam præſtet. Verùm levem duntaxat præſtat: nec enim exactiſſima diligentia ab eo exigenda eſt, qui non ſponte ſed neceſſitate injuncti muneris hanc adminiſtrationem ſuſcepit: ſufficitque ut eam adhibeat diligentiam quam rebus ſuis adhibet.

(*i*) Negotiis geſtis. Et maximè in his diligentiam exactiſſimam præſtare debet geſtor, ſi gerendis ſe immiſcuit ipſe; quum alius diligentior ea eſſet geſturus.

hæc

Source : BIU Cujas

hæc ita, nisi si quid nominatim convenit, vel plus vel minus, in singulis contractibus. Nam hoc servabitur, quod initio convenit. Legem enim contractus dedit: excepto eo quod Celsus putat non valere, si convenerit ne dolus præstetur; hoc enim bonæ fidei judicio contrarium est, & ita utimur. Animalium verò casus, mortes, quæ-que sine culpâ accidunt, fugæ servorum qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, à nullo præstantur (*a*). *l.* 23. ULP. LIB. 29. AD SABIN.

(*k*) Nisi contrà convenerit.

CMLXXXII.

Culpa (*a*) est, immiscere se rei ad se non pertinenti. *l.* 36. POMPON. LIB. 27. AD SABIN.

Imperitia (*b*), culpæ adnumeratur. *l.* 132. GAIUS LIB. 7. AD ED. PROVINC.

Dissoluta negligentia (*c*) propè dolum est. *l.* 29. ff. *Mand.*

Lata culpa dolo comparabitur. *l.* 1. § 1. ff. *Si mensor. falsf.*

Culpa abest, si omnia facta sunt quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset. *l.* 23. § *penult. ff. Locat.*

Bona fides quæ in contractibus requiritur, æquitatem summam desiderat. *l.* 31. *ff. Deposit.*

(*a*) Cujacius affert exempla hujus regulæ in eo qui se liti ad se non pertinenti offert. Vide aliud exemplum Tit. *de Negot. gest.* N. 52. ex l. 11. ¶ *sed Proculus* ff. *d. tit.*

(*b*) Pone exemplum in imperitiâ artificis qui opus faciendum conduxit. Hæc regula trahitur ad damnum quod Lege Aquiliâ vindicatur.

(*c*) Adeòque in contractibus & quasi-contractibus, qui dolum præstat, etiam hanc dissolutam negligentiam præstare debet.

§ VII.

In quâ re & inter quas personas, conventiones prosint aut noceant.

CMLXXXIII.

Ante omnia animadvertendum est, ne conventio in aliâ re facta, aut cum aliâ personâ, in aliâ re aliâ-ve personâ (*a*) noceat. *l.* 27. § 4. ff. *de Pactis.*

In rem pacta omnibus prosunt; quorum obligationem dissolutam esse, ejus qui paciscebatur (*b*) interfuit. *l.* 21. § 5. *ff. d. tit.*

Videtur, sicuti pactum procuratoris mihi nocet, ita & prodesse (*c*). *l.* 10. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Fallit; ut pactum tutoris, curatoris, procuratoris (modò non donandi causâ interpositum) noceat domino negotii; & vice versâ profit. Item fallit in pacto magistri societatis, in pacto majoris partis creditorum cum debitoribus.

(*b*) Hinc V. G. pactum debitoris proderit fidejussori, aut correo socio: item pactum auctoris, emptori prodest.

(*c*) Per exceptionem non *Pacti*, sed *Doli.*

§ VIII.

De conventionum interpretatione.

CMLXXXIV.

In contrahendo quod agitur, pro cauto habendum (*a*) est. *l.* 3. *ff. de Reb. cred.*

Ubi est verborum ambiguitas, valet quod acti est (*b*). *l.* 21. ff. *de Rebus dubiis.*

In conventionibus, contrahentium voluntatem potiùs quàm verba spectari placuit. Quum igitur eâ lege fundum vectigalem municipes locaverunt ut ad heredem ejus qui susceptit pertineret; jus heredum ad legatarium (*c*) quoque transferri placuit. *l.* 219. *ff. de Verb. signif.* PAPIN. LIB. 2. RESPONS.

In emptis venditis potiùs id quod actum, quàm id quod dictum sit, sequendum est. *l.* 6. § 1. *ff. de Contrah. empt.*

Quoties (*d*) in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi quo res de quâ agitur in tuto sit. *l.* 80. *ff. de Verb. signif.*

Semper in dubiis id agendum est, ut quàm tutissimo loco res sit bonâ fide contracta, nisi quum apertè contra Leges scriptum est. *l.* 21. *ff. de Reb. dub.*

Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimùm accipitur quæ rei gerendæ aptior (*e*) est. *l.* 67. JULIAN. LIB. 87. DIGEST.

Et Rapienda occasio est, quæ præbet benignius responsum. *l.* 168. PAUL. LIB. 1. AD PLAUT.

(*a*) Cujus est regulæ in eo qui se liti ad se non pertinenti offert. Vide aliud exemplum Tit. *de Negot. gest.* N. 52. ex l. 11. ¶ *sed Proculus* ff. *d. tit.*

(*b*) Pone exemplum in imperitiâ artificis qui opus faciendum conduxit. Hæc regula trahitur ad damnum quod Lege Aquiliâ vindicatur.

(*c*) Adeòque in contractibus & quasi-contractibus, qui dolum præstat, etiam hanc dissolutam negligentiam præstare debet.

(*d*) Hæ & sequentes consonant præcedentibus.

(*e*) Nam plusquàm probabile est contrahentes aliquid quod ad effectum perduci posset, non verò vanum aliquid voluisse. Exempla Tit. *de Pactis* N. 68.

CMLXXXV.

In obscuris inspici solere quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet. *l.* 114. PAUL. LIB. 9. AD ED.

Semper in stipulationibus & in cæteris contractibus id sequimur quod actum est. Si hoc non appareat, erit consequens quòd sequamur quod in regione in quâ actum est frequentatur (*a*). Quòd si neque mos regionis apparuit, quia varius fuit, ad id quod minimum est (*b*) redigenda summa est. *l.* 34. ULP. LIB. 45. AD SABIN.

(*a*) Hoc præcedentis regulæ consectarium est.

(*b*) Hæc ultima pars consonat Regulæ primæ suprà. N. 845.

CMLXXXVI.

Quum (*a*) quæritur in stipulatione quid acti sit, ambiguitas contra stipulatorem est. *l.* 26. *ff. de Reb. dub.*

In contrahendâ (*b*) venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est, ambigua (*c*) autem intentio ita accipienda est ut res salva actori sit. *l.* 172. PAUL. LIB. 5. AD PLAUT.

Consonant tres sequentes.

Veteribus placet pactionem obscuram vel ambiguam, venditori & qui locavit nocere; in quorum fuit potestate legem apertiùs conscribere. *l.* 39. *ff. de Pactis.*

Quidquid adstringendæ obligationis est; id nisi palàm verbis exprimitur, omissum intelligendum est; ac ferè secundùm promissorem interpretamur: quia stipulatori liberum fuit verba latè concipere, nec rursùm (*d*) ferendus promissor, si ejus intererit de certis potiùs vasis aut hominibus actum. *l.* 99. *ff. de Verb. oblig.*

Ubi de obligando quæritur; propensiores esse debemus si occasionem habeamus ad negandum: ubi de liberando, ex diverso ut facilior sis ad liberationem. *l.* 47. *ff. de Oblig. & act.*

(*a*) Hæc regula in cæteris contractibus observatur, ut semper interpretatio fiat contra eum qui quid sibi paciscitur; cùm sibi imputare debeat quòd non apertiùs legem dixerit.

(*b*) Consonat præcedenti. Exempla Tit. *de Pactis* N. 71.

(*c*) In judiciis ambigua interpretatio pro actore accipienda, ut non videatur petiisse quod petendi jus non habebat.

(*d*) Id est; ubi verba apertè favent stipulatori, non licet promissori temerè ea restringere. Exempla Tit. *de Pactis* N. 72.

CMLXXXVII.

Quæ dubitationis tollendæ causâ contractibus inseruntur, jus commune non (*a*) lædunt. *l.* 81. PAPIN. LIB. RESPONS.

(*a*) Scilicet si quis *Dubitationis tollendæ causâ* pactus est aliquid, quod sibi citra hoc pactum jure communi competebat; non ideò videtur renuntiasse cæteris de quibus tacuit, quæ ipsi circa hoc negotium jure communi competunt.

CMLXXXVIII.

Generaliter probandum est; Ubicumque in bonæ fidei judiciis confertur in arbitrium domini vel procuratoris

(*a*) Licèt expressum non sit.

(*b*) Id est; ea interpretatio sumenda est, quæ quod actum gestumque est; aut actum gestumque fuisse verisimile sit, conservet.

(*c*) Licèt legatarius verbis non contineatur.

Source : BIU Cujas

ejus conditio, pro viri boni arbitrio hoc habendum esse. *l.* 22. § 1. ULP. LIB. 28. AD SABIN.

Plerumque in stipulationibus, verba ex quibus obligatio oritur inspicienda sunt. Rarò inesse tempus vel conditionem ex eo quod agi apparebit, intelligendum est; nunquam personam, nisi expressa sit. *l.* 126. § 2. *ff. de Verb. oblig.*

CMLXXXIX.

Regula generalis ad dignoscendam cujusque contractûs naturam.

Uniuscujusque contractûs initium spectandum est & causa. *l.* 8. *ff. Mandati.*

SECTIO II.

De Variis contractuum speciebus.

PRIMA PARS.

De Contractibus nominatis.

CLASSIS PRIMA.

De contractibus qui RE *contrahuntur.*

ARTICULUS I.

De contractu Mutui.

CMXC.

MUTUUM damus, recepturi non eamdem speciem quam dedimus, sed idem genus. *l.* 2. *ff. de Reb. cred.*

In mutuo id agi intelligitur, ut ejusdem generis & eâdem bonitate solvatur quod datum sit. *l.* 3. ff. *d. tit.*

Mutui datio consistit in his rebus quæ pondere, numero, mensurâ, consistunt. *sup. d. l.* 2. §. 1.

Mutuum non potest esse, nisi proficiscatur pecunia. *d. l.* 2. § 3.

CMXCI.

In mutui datione oportet dominum (*a*) esse dantem. *d. l.* 2. § 4.

Si tibi debitorem meum jussero dare pecuniam; obligaris mihi, quamvis meos nummos non acceperis (*b*). *l.* 15. *ff. d. tit.*

Quum ex causâ (*putà*) mandati pecuniam mihi debeas, & convenerit ut crediti nomine eam retineas; videtur mihi data (*c*) pecunia, & à me ad te profecta. *d. l.* 15.

(*a*) Et quidem jus alienandi habere.
(*b*) Reverà non accepisti meos nummos; sed fictione brevis manûs, creditur debitorem meum eos mihi solvisse, & tu illos nummos meos factos à me accepisse videris. Quod enim alius meo nomine dat me jubente aut ratum habere, ego dare videor.
(*c*) Mihi a te soluta, & retrò à me tibi credita.

CMXCII.

Si ego quasi deponens tibi dedero, tu quasi mutuam accipias; nec depositum (*a*), nec mutuum (*b*) est; sed consumptis nummis, Condictioni (*c*) locus erit. *l.* 18. § 1. *ff. de tit.*

(*a*) Quia non custodiæ causâ accepisti.
(*b*) Quia non habui voluntatem transferendi dominii pecuniæ; adeòque pecunia non est tua facta.
(*c*) Antè; non: nec enim consistit mutuum, nisi pecunia facta fuerit accipientis; hujus verò pecuniæ consumptione reconciliatur.

Omninò qui alienam pecuniam credendi causâ dat; consumptâ (*d*) eâ habet obligatum eum qui acceperit. *l.* 19. § 1. *ff. d. tit.*

(*d*) Vide Notam præced.

CMXCIII.

Omnia quæ inseri stipulationibus possunt, eadem possunt & numerationi pecuniæ; ideò & conditiones conventiones. *l.* 7. *ff. de Reb. cred.*

APPENDIX

De contractu Nautico, seu pecuniâ Trajectitiâ.

CMXCIV.

Quum trajectitia pecunia (*a*) ita datur, ut non aliàs petitio ejus competat quàm si salva navis intrà statuta tempora pervenerit; ipsius crediti obligatio non existente conditione defecisse videtur. Et ideò pignorum quoque persecutio perempta est, etiam eorum quæ non sunt amissa. *l.* 6. *ff. de Nautico fœn.*

In Nauticâ pecuniâ, ex eâ die periculum spectat creditorem, ex quo navem navigare (*b*) conveniat. *l.* 3. *ff. d. tit.*

Amissarum mercium detrimentum, quod non ex marinæ tempestatis discrimine accidisse adseveratur, adscribi *creditori*, Juris ratio non permittit. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

Trajectitia pecunia, propter periculum creditoris quandiù navigat (*c*) navis, infinitas (*d*) usuras recipere potest. PAUL. SENT. *lib.* 1. *Tit.* 14.

(*a*) Id est, quæ alicui creditur trans mare vehenda, aut ipsa, aut merces ex eâ comparatæ.
(*b*) Id est, ex quo debitor navigare cœperit, congruo tamen tempore.
(*c*) Ex quo autem portum advenit, non ultra legitimum modum exigi possunt.
(*d*) Quantascumque de quibus convenerit. Quod immutatum. l. 26. Cod. *de Usur.* quâ Justinianus prohibuit ultra centesimam exigi.

CMXCV.

Aliæ quoque excogitari possunt species mutui (*a*) *in quibus periculum est creditoris.* In his autem omnibus, pactum sine stipulatione ad augendam obligationem (*b*) prodest. *l.* 5. § 1. ff. *de Not. fœn.*

(*a*) Putâ, si credidero piscatori ut non reddat pecuniam si nihil ceperit.
(*b*) Scilicet ad pariendas usuras.

ARTICULUS II.

De Commodato.

§ I.

De hujus contractûs naturâ, & rebus quæ in eum deducuntur.

CMXCVI.

Nemo commodando rem facit ejus cui commodat. *l.* 9. *ff. Commod.*

Gratuitum debet esse commodatum. *Instit.* Tit. *de Oblig. quæ re contrah.*

CMXCVII.

Commodare possumus alienam rem; ita ut & si fur commodaverit, habeat Commodati actionem. *l.* 15 & *l.* 16. *ff. Commod.*

Commodata res dicitur, & quæ soli est. *l.* 1. § 1. ff. *d. tit.*

Source : BIU Cujas

Non poteſt commodari id quod uſu conſumitur, niſi fortè ad oſtentationem quis accipiat. *l.* 3. § *fin.* ff. *d. tit.*

§ II.

De obligatione commodatarii, & judicio Directo *adversùs eum ut rem reddat.*

CMXCVIII.

Cibariorum (*a*) impenſæ, naturali ratione ad eum pertinent qui utendum accepiſſet. *l.* 18. § 2. ff. *d. tit.*

Commodatarius. Cuſtodiam rei commodatæ diligentem (*b*) debet præſtare. *l.* 5. § 5. *ff. d. tit.*

Commodatario non ſufficit eamdem diligentiam adhibere quam ſuis rebus adhibet, ſi alius diligentior cuſtodire poterit. *l.* 1. § 4. ff. *de Oblig. & act.*

Is qui utendum accepit, ſi majore caſu cui humana infirmitas reſiſtere non poteſt rem quam accepit amiſerit, ſecurus (*c*) eſt; ſed & in majoribus caſibus, ſi culpa ejus interveniat (*d*), tenetur. *d.* § 4.

Si commodatam rem miſſus qui repeteret, quum recepiſſet aufugit; ſi dominus ei dari juſſerat, domino perit; ſi commonendi causâ miſerat, ei cui commodata (*e*) eſt. *l.* 12. § 1. *ff. Commod.*

(*a*) Idem dic de aliis modicis impenſis.
(*b*) Ita ut regulariter de culpâ leviſſimâ teneatur. Si tamen commodatum non ſolam ejus utilitatem ſpectabat, ſed utriuſque contrahentis, de levi; ſi ſolam commodatoris utilitatem, de dolo tantùm tenetur.
(*c*) Niſi ſpeciali pacto in ſe ſuſceperit eos caſus.
(*d*) Putà ſi equum quem acceperat ut in villam iret, duxit ad bellum.
(*e*) In culpâ eſt quòd per hunc hominem non probatæ fidei eam remiſerit.

CMCXIX.

Res commodata non videbitur reddita, quæ deterior (*a*) facta redditur; niſi quod intereſt præſtetur. *l.* 3. § 1. ff. *d. tit.*

Etiam in eâ *re* quæ ſequitur rem (*b*) commodatam, diligentia præſtari debet. *l.* 5. § 9. ff. *d. tit.*

(*a*) Culpâ commodatarii. Secùs ſi citra ejus culpam, putà ex ipſo uſu ad quem commodata eſt.
(*b*) Putà, in pullo equæ commodatæ.

§ III.

De obligatione commodatoris, & Contrario *judicio.*

M.

Poſtquàm commodavit; tunc finem præſcribere & retrò agere atque intempeſtivè uſum commodatæ rei auferre, non officium tantùm impedit; ſed & ſuſcepta eſt obligatio inter dandum accipiendumque. *l.* 17. § 3. ff. *d. tit.*

M I.

Poſſunt juſtæ cauſæ intervenire ex quibus cum eo qui commodaſſet agi deberet; veluti de impenſis in valetudinem ſervi factis, quæ-ve poſt fugam requirendi reducendique ejus causâ factæ (*a*) eſſent. *l.* 2. § 18. *ff. d. tit.*

Qui ſciens (*b*) vaſa vitioſa commodavit (*c*), ſi ibi infuſum vinum vel oleum corruptum effuſum-ve eſt, condemnandus (*d*) eo nomine eſt. *d. l.* 18. § 3.

(*a*) Si majores ſint.
(*b*) Secùs ſi ignorans.
(*c*) Ignoranti.
(*d*) *Contrario* judicio. Idem dic de quovis damno quod commodatarius ex commodato dolo commodatoris ſenſit; & commune eſt hoc omnibus contractibus bonæ fidei.

ARTICULUS III.

De Contractu pignoris.

Quum res in ſecuritatem debiti eâ lege creditori poſſidenda tradita eſt, ut ſoluto debito ipſa in ſpecie redderetur; ex hoc contractu duæ actiones naſcuntur, Directa & Contraria, *de quibus hîc agendum. Nam de ipſo jure in rem quod ex pignore naſcitur, ſuprà Cap.* 2.

§ I.

Quando poſſit agi Directâ actione ex hoc contractu, ad rei pigneratæ reſtitutionem.

M II.

Omnis pecunia (*a*) exſoluta eſſe debet, aut eo nomine ſatisfactum, ut naſcatur pigneratitia actio. *l.* 9. § 3. *ff. de Pign. act.*

Si in poſſeſſione fueris conſtitutus; niſi ea quoque (*a*) pecunia tibi à debitore reddatur vel offeratur, quæ ſine pignore debetur; eam reſtituere, propter exceptionem Doli mali, non cogeris. *l. un. Cod. Etiam ob chirogr.*

(*a*) Etiam uſuræ, ſi & in uſuras res pignori data eſt.
(*b*) Cujacius cenſet hoc intelligendum, non ſolùm de uſuris, ſed & de aliâ ſorte.

M III.

Quando ſolutum videatur.

Creditor fructus quos percepit vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti computare neceſſe habet. *l.* 3. *Cod. de Pign. act.*

Si pignore ſubrepto, Furti egerit creditor; totum quidquid percepit, debito eum imputare Papinianus confitetur, etiamſi culpâ creditoris furtum (*a*) factum ſit. *l.* 22. *ff. de Pign. act.*

Id quod pœnæ nomine à debitore (*b*) exactum eſt, lucro debet cedere creditoris. *l.* 74. *ff. de Solut.*

(*a*) Adeòque maximè ipſi *Furti* actio competierit; cùm maximè hoc caſu ejus intereſſit, qui hujus culpæ erga debitorem teneretur. Hæc regula obtinet, quum non ipſe debitor, ſed extraneus furatus eſt pignus.
(*b*) Putà, quum debitor ipſe rem ſurripuit creditori.

M IV.

Quando ſatisfactum videatur.

Generaliter dicendum; Quoties recedere creditor à pignore, videri ei ſatisfactum ſi ut ipſe voluit ſibi cavit, licèt in hoc deceptus ſit. *l.* 9. § 3. *ff. de Pign. act.*

M V.

An & ante ſolutionem agi poſſit.

Si per creditorem ſteterit quominùs ei ſolvatur, rectè agitur Pignoratitiâ. *l.* 20. § 2. ff. *d. tit.*

Si quaſi daturus tibi pecuniam pignus accepero, nec dedero; Pignoratitiâ actione tenebor (*a*), & nullâ ſolutione factâ. *l.* 11. § 2. ff. *d. tit.*

Qui ante ſolutionem egit Pignoratitiâ, licèt non rectè egit, tamen ſi offerat in judicio pecuniam, debet rem pigneratam & quod ſuâ intereſt conſequi. *l.* 9. § *fin.* ff. *d. tit.*

(*a*) Non conſiſtit quidem jus pignoris, donec pecunia numerata ſit & debitum ſolverit; ſed conſiſtit contractus, hoc ipſo quòd res tradita ſit.

§ II.

Quæ præter rei reſtitutionem peti poſſint Pignoratitiâ *actione.*

M VI.

Creditor quum pignus reddit, de dolo debet (*a*) debitori repromittere. *l.* 15. ff. *d. tit.*

(*a*) Putà, ſi non utendo ſervitutes amitti paſſus eſt.

Source : BIU Cujas

In pignoratitio judicio venit, si res pignori datas malè tractavit creditor. *l.* 24. § 3. ff. *d. tit.*

Etsi prædo rem pignori dederit, competit ei & de fructibus (*b*) Pignoratitia actio. *l.* 22. § 2. ff. *d. tit.*

(*b*) Idem dic de omni utilitate quam ex re percipit creditor.

§ III.

Quid veniat in Pignoratitiâ actione, quum creditor rem jure pignoris distraxit.

M VII.

Creditor judicio quod de pignore dato proponitur, ut superfluum pretii (*a*) cum usuris (*b*) restituat jure cogitur; nec audiendus (*c*) erit, si velit emptorem delegare. *l.* 42. ff. *d. tit.*

Agi potest cum creditore; ut, si quas actiones habeat (*d*), eas cedat debitori. *l.* 4. ff. *de Distr. pign.*

(*a*) Quo pignus distraxit.
(*b*) Si pretio usus fuerit, aut moram fecerit.
(*c*) Audietur tamen, si debitor nolit modicum expectare donec creditor exegerit ab emptore: *l.* 24. § 2. *ff. h. tit.*
(*d*) Ex distractione pignoris; putà si hoc pacto vendidit, ut redditâ pecuniâ intrà certum tempus liceret rem redimere.

§ IV.

Ex quibus causis Contraria *Pignoratitia competat.*

M VIII.

Si necessarias impensas (*a*) fecerim in servum (*putà*) aut in fundum quem pignori acceperim; non tantùm retentionem, sed contrariam Pignoratitiam habeo. *l.* 8. ff. *de Pign. act.*

Non debet creditor talem efficere rem pigneratam, ut gravis sit debitori ad recuperandum. *l.* 25. *ff. d. tit.*

(*a*) Vel ob eam rem sine culpâ meâ fuero condemnatus, Tit. *de Pign. act.* N. 26.

M IX.

Si post distractum pignus debitor qui precario rogavit, vel conduxit pignus, possessionem non restituat; contrario judicio tenebitur. *l.* 22. § 3. *ff. d. tit.*

Si rem alienam (*a*) mihi debitor pignori dedit, aut malitiosè in pignore (*b*) versatus sit; dicendum est, locum habere contrarium (*c*) judicium. *l.* 9. *ff. d. tit.*

(*a*) Aut alteri jam obligatam; nisi superfluum abundè meo credito sufficeret.
(*b*) Putà, æs subjecit pro auro; vel non monuit servum quem pignori dabat, esse furem.
(*c*) Sed & *Stellionatûs* crimine agi poterit.

ARTICULUS IV.

De contractu Depositi.

DEPOSITUM *est contractus quo quis ab altero rem gratis custodiendam recipit, eâ lege ut eamdem reposcenti statim reddat.*

§ I.

De depositi naturâ.

M X.

Rei depositæ proprietas apud deponentem manet; sed & possessio, nisi apud sequestrem deposita est. *l.* 17. § 1. *ff. Depositi.*

M XI.

Depositum eo loco restitui debet, in quo sine dolo malo ejus est apud quem depositum est. *l.* 12. §. 1. *ff. d. tit.*

Si deposuero apud te ut post mortem (*a*) tuam reddas; possum, & ante mortem tuam depositum repetere. *l.* 1. § 46. ff. *d. tit.*

Si (*b*) plures heredes extiterint ei qui deposuerit; dicitur, si major (*c*) pars adierit, restituendam rem præsentibus, cautelâ idoneâ reddendâ. *l.* 14. ff. *d. tit.*

Si depositor decesserit, & existant qui inter se *de hereditate* contendant; ei tradenda res qui paratus est adversus alterum defendere eum qui depositum suscepit. Si neuter hoc onus suscipiat; oportet rem deponi in æde, donec de hereditate judicetur. *l.* 1. §. 37. ff. *d. tit.*

(*a*) Idem dic de quâvis aliâ adjectâ die.
(*b*) Regula locum habet in rebus individuis. Quòd si pecunia deposita sit, licèt in sacco signata, redditur cuique pro hereditariâ.
(*c*) Quæ ex magnitudine portionum hereditariarum æstimatur.

§ II.

De variis doli speciebus, ex quibus directâ Depositi *actione depositarius ejus-ve heres tenetur.*

M XII.

Est scriptum; Eum qui rem deposuit, statim (*a*) posse DEPOSITI actione agere: hoc enim ipso dolo facere eum qui suscepit, quòd reposcenti rem non reddat. *l.* 1. § 22. *ff. d. tit.*

Aliud est reddere, aliud quasi de suo (*b*). dare. *d. l.* 1. §. 33.

Potes agere Depositi cum eo qui tibi non aliter, quàm nummis à te acceptis, depositum reddere voluerit. *l. fin. ff. d. tit.*

(*a*) Ita tamen, si depositarius rei reddendæ copiam habeat.
(*b*) Tenetur ergo *Depositi*, qui quasi de suo dedit mihi pecuniam quam servus meus ei deposuerat.

M XIII.

Si rem depositam vendidisti, eamque postea redemisti in causam depositi; etiamsi sine dolo malo postea perierit, Depositi (*a*) teneris. *l.* 1. § 25. ff. *d. tit.*

Si heres rem distraxerit ignorans depositam, hoc ipso dolo facit, quòd id quod ad se pervenit (*b*) non reddit. *d. l.* 1. § *fin.*

Si quis tabulas testamenti apud se depositas pluribus præsentibus legit; ait Labeo, Depositi agi posse. *d. l.* 1. § 38.

(*a*) Quia semel dolo fecisti quum venderes: d. l. 1. Ex quo dolo commissa est actio *Depositi*.
(*b*) Pretium, aut actionem ad illud consequendum.

M XIV.

Depositarius Non salvâ fide minorem quàm suis rebus diligentiam præstabit. *l.* 32. ff. *de tit.* Reddatur. *d. l.* 1. § 16.

Hinc Si res deposita deterior reddetur (*a*), agi Depositi potest. *d. l.* 1. § 16.

(*a*) Non solùm si dolo, se & si latâ culpâ.

§ III.

An citra dolum depositarii agi ex causâ depositi possit.

M XV.

Agi ex causâ depositi potest, Non tantùm si dolo fecit is qui depositum suscepit; sed & si non (*a*) fecit, est tamen res apud (*b*) eum. *d. l.* 1. § 14.

Si quis se deposito obtulit, non solùm dolum, sed

(*a*) Putà, quia doli capax non est, furiosus aut pupillus est, aut hereditas ejus jacet.
(*b*) Aut locupletior factus ex eâ est. *d. l.* 1. § 15.

Source : BIU Cujas

etiam culpam & cuſtodiam præſtat (*c*), non tamen caſus (*d*) fortuitos. *d. l.* 1. § 35.

(*c*) Idem eſt, & ſi hæc fuerit lex contractûs ; item quum gratiâ depoſitarii fit, ut in l. 4. ff. *de Reb. ered.*
(*d*) Niſi ex morâ res facta ſit depoſitarii periculo.

§ IV.

Quid veniat in actione depoſiti tam Directâ quàm Contrariâ.

MXVI.

1. *Actio* Depoſiti *eſt in ſimplum. Si tamen ex cauſis tumultûs, incendii, ruinæ, naufragii, factum ſit ; eſt in duplum.*

2. Contrarium judicium Depoſiti datur, de indemnitate ejus qui depoſitum ſuſcepit. *l.* 5. ff. *d. tit.*

§ V.

De Sequeſtratione.

MXVII.

In ſequeſtro eſt Depoſitum, quod à pluribus in ſolidum (*a*) certâ conditione cuſtodiendum reddendumque traditur. *l.* 6. ff. *d. tit.*

Licèt deponere tam plures quàm unus poſſint; attamen apud ſequeſtrum nonniſi plures deponere poſſunt. *l.* 17. *ff. d. tit.*

Plerumque non eſt permittendum à *ſequeſtro* officium quod ſemel ſuſcepit, contra legem depoſitionis deponere; niſi (*b*) juſtiſſimâ cauſâ interveniente. *l.* 5. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Non ergo eſt ſequeſtratio, quum ſinguli pro ſuâ parte deponunt.
(*b*) Quo caſu res in æde deponi jubetur.

CLASSIS SECUNDA.

De Contractibus qui Verbis *contrahuntur.*

De Stipulatione *hîc duntaxat agemus ; cùm de duabus aliis ſpeciebus nihil ampliùs quàm quod alibi ſuprà, ſcilicet de Dictione dotis, & juratâ patrono operarum promiſſione.*

§ I.

De formâ ſtipulationis.

MXVIII.

Stipulatio non poteſt confici, niſi utroque loquente. *l.* 1. *ff. de Verb. oblig.*

Adde, & invicem exaudiente : d. l. 1.

Ad interrogationem quis Si ſine verbis annuiſſet; non tantùm civiliter, ſed nec naturaliter (*a*) obligatur. *d. l.* 1. §. 2.

Cominùs reſponderi ſtipulanti oportet. *l.* 137. *ff. d. tit.*

(*a*) Ergo inutilis ſtipulatio ne vim quidem nudi pacti habet.

MXIX.

Continuus actus ſtipulantis & promittentis eſſe debet; ut tamen aliquod momentum naturæ intervenire poſſit. *d. l.* 137.

Intervallum medium non vitiat obligationem. *l.* 1. § 1. *ff. d. tit.*

Si poſt interrogationem aliud agere cœperit, nihil proderit; quamvis eâdem die ſpopondiſſet. *ſup. d. l.* 137.

MXX.

Interrogatus ... quum adjicit (*a*) aliquid vel detrahit obligationi, ſemper probandum eſt vitiatam eſſe obligationem. *ſup. d. l.* 1. § 3.

Si ſtipulanti mihi decem, tu viginti reſpondeas; non eſſe contractam obligationem niſi in (*b*) decem, conſtat. *d. l.* 1. § 4.

Si in rei quæ promittitur aut perſonæ appellatione varietur, non obeſſe placet. *l.* 65. § 1. ff. *d. tit.*

Eâdem an aliâ linguâ reſpondeatur, nihil intereſt; ita tamen ut uterque alterius linguam intelligat, ſive per ſe ſive per interpretem. *d. l.* 1. § 6.

Quæ extrinſecùs & nihil ad præſentem actum pertinentia adjeceris ſtipulationi; pro ſupervacuis habebuntur, nec vitiabunt obligationem. *d. l.* 65.

(*a*) Putà, diem aut conditionem adjicit detrahit-ve ; aut interrogatus alternativè de duabus rebus, reſpondet determinatê de unâ, & vice versâ.
(*b*) Cùm in *Viginti* de quibus reſponſum eſt, inſint *Decem* ; congruit reſponſio interrogationi in *Decem.*

§ II.

An & quando una interrogatio cum una reſponſione plures ſtipulationes contineat.

MXXI.

Scire debemus in ſtipulationibus tot eſſe ſtipulationes quot ſummæ ſunt; totque eſſe ſtipulationes quot ſpecies (*a*) ſunt. *l.* 29. ff. *d. tit.*

Quod dicitur, tot ſtipulationes eſſe quot res, ibi locum habet, ubi res exprimuntur ſtipulatione. Cæterùm ſi non fuerint expreſſæ (*b*), una eſt ſtipulatio. *l.* 86. ff. *d. tit.*

Stipulatio IN ANNOS SINGULOS, una eſt (*c*) & perpetua. *l.* 16. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Si per conjunctivam, non ſi per disjunctivam expreſſæ ſint. Ex hâc regulâ ſequitur quòd, ſi quis de duabus rebus interrogatus ſpoponderit de unâ, valeat ejus rei ſtipulatio, nec vitietur per ſtipulationem alterius rei ad quam non reſponderit.
(*b*) Sed ſub uno aliquo genere in ſtipulationem deducto contentæ.
(*c*) Nam cùm in infinitos annos promittatur; dici non poteſt tot continere ſtipulationes in quot annos promiſſum eſt, alioquin ſequeretur infinitum ſtipulationum numerum contineri; quod abſurdum eſſet. Secùs de legato *In ſingulos annos :* cùm enim annis vitæ legatarii finiatur, nihil repugnat ut ſit multiplex.

§ III.

De præſumptione obſervatæ verborum ſolemnitatis in ſtipulationibus.

MXXII.

Sciendum eſt generaliter; Si quis ſe ſcripſerit fidejuſſiſſe (*a*), videri omnia ſolemniter acta. *l.* 30. *ff. de Verb. oblig.*

Si librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet, nihil nocere quominùs & reus & fidejuſſor teneatur. *l.* 92. SCÆVOLA LIB. 5. RESPONS.

(*a*) Idem dic de cæteris ſtipulationum ſpeciebus.

§ IV.

Quæ perſonæ hujus contractûs capaces ſint necne.

MXXIII.

Mutum nil pertinere ad verborum obligationem; naturâ manifeſtum eſt. De ſurdo (*a*) idem dicitur, quia verba ſtipulantis exaudire debet. *l.* 1. §§ 4 & 5. *ff. de Verb. oblig.*

An pupilli, furioſi, prodigi, ſervi, ſtipulari aut promittere poſſint ; vide d. tit. *Part.* 1^a.

(*a*) Qui omninò non exaudit, nom ſurdaſter, ut balbus, hujus contractûs capaces ſunt.

Source : BIU Cujas

§ V.

De diviſione ſtipulationum, & Prætoriarum præcipuè naturâ.

M X X I V.

Stipulationes conventionales ſunt, quæ ex conventione reorum (*a*) fiunt. *l.* 5. *ff. de Verb. oblig.*

His opponuntur Prætoriæ *lato ſenſu acceptæ, ſive ex officio Prætoris* (*b*) *ſive judicis à Prætore dati* (*c*) *deſcendant, aut ab utroque* (*d*) *juberi poſſint.*

Prætoriæ autem ita acceptæ adhuc dividuntur in Judiciales, Cautionales, & Communes *quæ ex utriuſque naturâ participant.*

Stipulationes JUDICIALES (*e*) dicimus, quæ propter judicium interponuntur. *l.* 1. § 1. ff. *de Stipul. præt.*

CAUTIONALES ſunt quæ inſtar actionis (*f*) habent, & ut ſit nova (*g*) actio intercedunt. *d. l.* 1. § 2.

(*a*) *Les Contractans.*
(*b*) Ut cautio *Damni infecti*, & innumeræ aliæ.
(*c*) Ut cautio *De dolo*, quam judex jubet interponi ab eo quem jubet rem reſtituere; ſcilicet *Nihil* ipſum circa hanc rem dolo feciſſe, quo deterior ejus cauſa fieret.
(*d*) Id eſt, non ſolùm Prætoris officio, ſed etiam judicis quum ante Prætorem omiſſæ ſunt.
(*e*) Hoc ſenſu, etiam illæ quæ à mero Prætoris officio interponuntur, ut DE *rato*, *Judicatum ſolvi*, &c. dicuntur JUDICIALES.
(*f*) Quia ad inſtar actionum, impetrandæ ſunt à Prætore; quum contrà, *Judiciales* ſolo Prætoris aut judicis officio interponantur. Cautionalium exemplum habes in ſtipulatione *Legatorum*, &c.
(*g*) Ita legendum cenſet Cujacius. Vide Notas ad Tit. *de Stipulation. Prætor.*

M X X V.

In conventionalibus ſtipulationibus, contractui formam contrahentes dant; Prætoriæ legem accipiunt de mente Prætoris qui eas propoſuit. *l.* 52. ff. *de Verb. oblig.*

Corollarium Ium. Prætoriis ſtipulationibus nihil immutare licet, nec addere nec detrahere. *d. l.* 52.

Corollarium IIum. In Prætoriis ſtipulationibus ſi ambiguus ſermo acciderit, Prætoris erit interpretatio: ejus enim mens æſtimanda. *l.* 9. *ff. d. tit. & l.* 9. *ff. de ſtipul. Prætoriis.*

M X X V I.

Pleræque (*a*) Prætoriæ ſtipulationes, perſonas deſiderant pro ſe intervenientium; & neque pignoribus quis neque pecuniæ depoſitione in vicem ſatisdationis fungitur. *l.* 7. ff. *de Præt. ſtipul.*

Et quidem neceſſariæ (*b*) *perſonæ qualemcumque, cæteræ locupletem fidejuſſorem dare debent.*

Fidejuſſor locuples videtur dari, non tantùm ex facultatibus, ſed ex conveniendi (*c*) facilitate. *l.* 2. *ff. Qui ſatiſd.*

Si ab arbitro probati fuerint (*d*) fidejuſſores, pro locupletibus habendi ſunt. *l.* 10. ff. *d. tit.*

Sciendum eſt, poſſeſſores rerum (*e*) immobilium ſatisdare non compelli. *l.* 7. ff. *d. tit. & l.* 15. *ff. d. tit.*

Poſſeſſor quis necne fuerit, tempus cautionis ſpectandum. *d. l.* 7. § *fin.*

(*a*) Paucæ ſolam repromiſſionem deſiderant, qualis eſt ſtipulatio *De evictione.*
(*b*) Quæ ſint, vide lib. 2. Tit. *Qui ſatiſd. cog.* N. 3. & ſeq.
(*c*) Idoneus igitur non erit fidejuſſor, qui præſcriptionem fori habet (*qui a un droit de* COMMITTIMUS); niſi huic renuntiaverit.
(*d*) Nec queſtus eſt ſtipulator. Minoribus tamen & mulieribus ſubvenitur ſi queri omiſerint.
(*e*) Talis intelligitur qui proprietatem vel nudam habet; non is qui uſusfructûs aut pignoris jure poſſidet, nec is qui jus ad rem habet. At *Poſſeſſor* intelligitur, etiam is qui fundum quem poſſidet reſtituere damnatus eſt per Sententiam quam provocatio ſuſpendit: vir & uxor reſpectu fundi dotalis, *Poſſeſſores* intelliguntur.

M X X V I I.

Quoties vitiosè (*a*) cautum, non videtur cautum. *l.* 6. ff. *Qui ſatiſd. cog.*

(*a*) Ut ſi per errorem datus ſit qui obligari non poteſt, putà ſervus qui pro libero habebatur.

Ideò iteranda cautio. Quinetiam Prætoriæ ſtipulationes ſæpiùs interponuntur, quum ſine culpâ ſtipulatoris cautum eſſe deſiit (*b*). *l.* 4. ff. *de Præt. ſtipul.*

(*b*) Ut ſi fidejuſſor ex repentinâ calamitate deſiit eſſe ſolvendo; vel per confuſionem extincta eſt ejus obligatio.

M X X V I I I.

Si neceſſaria ſatisdatio fuerit, & non facilè poſſit reus eam præſtare ubi convenitur; poteſt audiri ſi in aliâ civitate eam præſtare paratus ſit. Si autem voluntaria eſt, non in alium locum remittitur. *l.* 7. § 1. ff. *d. tit.*

§ VI.

De ſtipulationibus pœnalibus.

M X X I X.

1. *Pœna promiſſa in eum caſum quo quid non detur aut non fiat, nullo adjecto termino intra quem dari fieri-ve oporteat; ante litis conteſtationem non committitur: ex l.* 122. § 2. ff. de Verb. oblig. & *l.* 5. *Cod.* d. tit.

2. *Pœna promiſſa in eum caſum quo quid intra certum diem non detur; ſi intra hunc diem datum non fuerit, nec ſteterit per ſtipulatorem quominùs daretur; ſolo lapſu temporis committitur: nec deberi deſinit, etſi poſteà offeratur quod dandum erat: ex l.* 23. ff. de Oblig. & act.

3. *Pœna promiſſa in eum caſum quo quid intra certum tempus non fieret; ſtatim atque certam eſſe cœperit intra hoc tempus id non fieri, licèt nondum elapſo termino, committitur; nec ex prorogatione termini poſteà factâ, deſinit deberi: ex l.* 113. ff. d. tit.

Pœna rei impoſſibilis non committitur. *l.* 69. ff. *de Verb. oblig.*

Qui non facit quod facere debet, videtur facere ADVERSÙS EA (*a*), quia non facit; & qui facit quod facere non (*b*) debet, non videtur facere id quod facere juſſus eſt. *l.* 121. PAUL. LIB. 13. AD ED.

(*a*) Putà, ſi convenerit Sententiæ arbitri ſtari; & pœna promiſſa ſit, SI *adversùs ea factum erit*; committitur pœna, ſi ab arbitro condemnatus non ſolvat.
(*b*) Eâdem conventione factâ, Arbitri Sententiæ ſtari, pœna promiſſa eſt his verbis; SI *ita factum* NON *erit*: pœna committetur, ſi petat qui ab arbitro vetitus eſt petere.

M X X X.

Si ſortem promiſeris, &, ſi ea ſoluta non eſſet, pœnam; etiamſi unus ex heredibus portionem ſolverit, nihilominùs pœnam committit donec portio coheredis ſolvatur. *l.* 5. § 4. ff. *de Verb. oblig.*

Pœnâ, ſi quid contrà quam cautum eſſet non fieret, promiſsâ: ſi quidem factum individuum fuerit, uno ex heredibus adversùs faciente, pœna adversùs omnes committitur; ſi verò factum (*a*) *dividuum ſit, adversùs eum duntaxat qui adversùs facit committitur pro ipſius portione: ex l.* 4 § 1. ff. d. tit.

Stipulatio pœnalis non novat obligationem cui adjicitur, ſed id quod ſtipulator ex alterutrâ obligatione conſecutus eſt, in alteram imputatur: ex l. 41. *& l.* 42. ff. Pro ſocio, *l.* 28. *& l.* 47. ff. de Act. empt. *l.* 4. § 3. ff. de Dol. & met. except.

(*a*) Ut quum quis promiſit *Ratum habere.*

M X X X I.

Illi debet permitti pœnam petere, qui in eam non incidit. *l.* 154. ULP. LIB. 70. AD ED.

§ VII.

Quæ actiones ex ſtipulatione naſcantur.

M X X X I I.

Ex verborum obligatione duæ naſcuntur actiones,

Source : BIU Cujas

tam Condictio (a) CERTI, quàm actio Ex ſtipulatu. *Inſtit.* Tit. *de Verb. oblig.*

(a) Quum res certa eſt quæ in ſtipulationem deducta eſt. De quâ, Part. ſeq.

CLASSIS TERTIA.

De contractibus qui nudo Conſenſu *contrahuntur.*

ARTICULUS I.

De Mandato.

§ I.

Quæ requirantur ad mandati ſubſtantiam.

MXXXIII.

1. *Mandatum non eſt, ſi quis mandet id fieri quod ab ipſo fieri* (a) *repugnet* : *Tit.* Mandati, *N.* 5. *& ſeq.* (*lib.* 17.)

Tamen Si hi quorum res væneuut quas pignori dederunt, ſuppoſuerunt emptores; mandatum (b) intelligitur: licèt, quantum ad meram rationem, non conſiſtit. *l.* 22. § 3. ff. *Mandat.*

2. Rei turpis nullum mandatum eſt (c). *l.* 6. § 3. ff. *d. tit.*

3. Mandatum niſi gratuitum, nullum eſt. *l.* 1. § 4. *ff. d. tit.*

Si remunerandi gratiâ honor (d) intervenerit, erit Mandati actio. *l.* 6. ff. *d. tit.*

(a) Ut ſi mandem à ſervo meo mutuam pecuniam accipi. Cùm enim repugnet me ſervo meo obligari, repugnat ut alter hoc vice meâ facere intelligi poſſit. Hinc quòque non valet mandatum quo ſervus emi ſe extero mandat; de quo vide latè Tit. *Mandati* N. 7. & ſeqq.

(b) Quòd benignè in hâc ſpecie receptum.

(c) Propter regulam præcedentem.

(d) Hoc ſalarium non actione *Mandati*, ſed extra ordinem petitur ſi fuerit certum. Nec ideòminùs videtur gratuitum mandatum; quia non tanquam pretium operæ, ſed tanquam remuneratio, conſtituitur.

MXXXIV.

Mandatum inter nos contrahitur, ſive meâ tantùm gratiâ tibi mandem, ſive alienâ (a) tantùm, ſive meâ & alienâ, ſive meâ & tuâ, ſive tuâ & alienâ. *l.* 2. ff. *d. tit.*

Si tibi mandavero quod tuâ interfuit; nulla erit mandati actio: niſi meâ quoque interfuit. *l.* 6. § 5. ff. *d. tit.*

Conſilii non fraudenti nulla obligatio eſt. Cæterùm ſi dolus & calliditas interceſſit, DE dolo actio competit. *l.* 47. ULP. LIB. 30. AD ED.

(a) Nam & hoc caſu meâ intereſt mandatum impleri, quatenùs ego ipſe teneor *Negotiorum geſtorum* actione, ei cujus negotium geri tibi mandavi.

§ II.

Quomodo contrahatur mandatum.

MXXXV.

Obligatio mandati, conſenſu (a) contrahentium conſiſtit; ideò per nuntium quoque vel per epiſtolam. *l.* 1. *pr.* & § 1. *ff. Mand.*

Semper qui non prohibet pro ſe intervenire, mandare creditur. Sed & ſi quis ratum habuerit quod geſtum eſt, obſtringitur mandati actione. *l.* 60. ULP. LIB. 10. DISPUT.

(a) Scio, & quidem tacitè Vide Reg. ſeq.

MXXXVI.

Mandatum & in diem differri, & ſub conditione contrahi poteſt. *l.* 1. § 3. *ff. Mandati.*

§ III.

Ad quid obligetur mandatarius erga mandatorem actione Mandati *Directâ.*

MXXXVII.

Voluntatis eſt ſuſcipere mandatum, neceſſitatis conſummare (a). *l.* 17. § 3. *ff. Commod.*

Mandati actio tunc competit, quum cœpit intereſſe ejus qui mandavit; & eatenùs competit quatenùs intereſt. *l.* 8. § 6. *ff. d. tit.*

(a) Ita ut ſi mandatarius non conſummaverit, teneatur actione directâ mandati in id quod mandatoris interſit. Si tamen res ſit integra, poteſt renunciare mandato; infrà N. 10. 6.

MXXXVIII.

Aliena negotia exacto officio geruntur; nec quicquam in eorum adminiſtratione neglectum ac declinatum, culpâ (a) vacuum eſt. *l.* 21. *Cod. Mandati.*

Qui alterius negotia adminiſtranda ſuſcepit, id præſtare debet in ſuâ perſonâ (b) quod in aliorum. *l.* 31. *ff. Mand.*

Ex mandato, apud eum qui mandatum ſuſcepit, nihil remanere oportet. *l.* 20. *ff. d. tit.*

(a) Culpa eſt ſi, quum perficere mandatum non poſſet, ſaltem non renuntiavit; ſi nec potuit renuntiare, culpâ vacat & non tenetur; Item culpa eſt, ſi gerendum quid ſuſcepit & non geſſit.

(b) Putà, à ſe exigere debet, ſi debitor erat; vel ſi ex juſto titulo poſſidebat rem mandatoris, quam ejus eſſe ſciverit antequàm uſucaperet. Trahe hanc regulam ad negotiorum geſtores.

§ IV.

Quomodo quis mandatum impleſſe videatur, ut Contrario *judicio uti poſſit, vel exceſſiſſe ut uti non poſſit.*

MXXXIX.

Diligenter fines mandati cuſtodiendi ſunt. Nam qui exceſſit, aliud quid facere videtur. *l.* 5. ff. *Mand.*

Commodiſſimè illa forma in mandatis ſervanda eſt; ut quoties certum (a) mandatum ſit, recedi à formâ non debeat. At quoties incertum. vel plurium (b) cauſarum; tunc, licèt aliis præſtationibus exſoluta ſit cauſa mandati quàm quæ ipſo mandato inerant, ſi tamen hoc mandatori expedierit; Mandati erit actio. *l.* 46. *ff. d. tit.*

(a) Determinatum ad aliquod factum, ut quum mando *Domum Seianam emi.*

(b) Id eſt, quod pluribus modis impleri poteſt: ut quum mando ut quod debeo ſolvas. Nam, etſi non ſolvas creditori, ſed expromittas; videris impleſſe mandatum.

MXL.

In cauſâ mandati illud vertitur, ut interdum nec melior cauſa mandantis (a) fieri poſſit, interdum (b) melior, deterior verò nunquam (c). *l.* 3. ff. *d. tit.*

Si is qui mandatum ſuſcepit, egreſſus fuerit mandatum; ipſi Mandati judicium non competit. At ei qui mandaverit, adversùs eum competit. *l.* 41. ff. *d. tit.*

(a) Quum ſit aliud quàm quod mandatum eſt; ut ſi mandem emi domum *Seianam* certo pretio, tu eodem pretio aliam domum licèt meliorem emas.

(b) Ut ſi mandem emi Stichum *Decem* nummis, & emas *novem.*

(c) Benignè tamen receptum eſt ut quum id ipſum feci quod mandatum eſt, licèt deteriori conditione, habeam *Mandati* actionem; ſi paratus ſim indemnem præſtare mandatorem ab eo in quo deteriorem mandati conditionem feci.

§ V.

Quando mandatarius impendiſſe aliquid ex cauſâ mandati videtur, & quidem inculpabiliter; ut hoc ipſi contrario judicio refundi debeat.

MXLI.

Impendia mandati exequendi gratiâ facta, ſi bonâ

Source : BIU Cujas

fide facta ſunt, reſtitui omninò debent. Nec ad rem pertinet quòd is qui mandaſſet, potuiſſet minùs impendere. *l.* 27. § 4. *ff. d. tit.*

Sumptus bonâ fide neceſſariò factos, etſi negotio finem adhibere procurator non potuit (*a*); judicio Mandati reſtitui neceſſe eſt. *l.* 56. § 4. *ff. d. tit.*

Etiamſi contrariam Sententiam reportaverunt qui te procuratorem conſtituerunt, ſumptus petere potes. *l.* 4. *Cod. Mand.*

Sciendum eſt non plus fidejuſſorem conſequi debere mandati judicio, quàm quod ſolverit. *l.* 26. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Vel etſi res malè ſine culpâ ejus ceſſerit.

M X L I I.

Abeſſe intelligitur pecunia fidejuſſori, ſi debitor ab eo (*a*) delegatus ſit creditori (*b*); licèt is ſolvendo non fuerit: quia bonum nomen facit creditor, qui admittit debitorem delegatum. *d. l.* 26. § 2.

Si quis donaturus fidejuſſori, pro eo ſolverit creditori; habere fidejuſſorem Mandati (*c*) actionem. *l.* 12. § 1. ff. *d. tit.*

Contrà, ſi filiusfamilias vel ſervus fuit fidejuſſo, & pro his ſolvero donaturus eis; MANDATI patrem vel dominum non acturos, quia (*d*) non patri donatum voluit qui ſolvit. *d. l.* 12. § 2.

Si fidejuſſori donationis causâ acceptum factum ſit à creditore; puto, ſi fidejuſſorem remunerare voluit creditor, habere eum mandati actionem; multò magis ſi mortis causâ accepto tuliſſet. Si verò non remunerandi causâ, ſed principaliter donando fidejuſſori, remiſit actionem; MANDATI eum non (*c*) acturum. *l.* 10. § *fin.* & *l.* 12. *ff. d. tit.*

Si fidejuſſor multiplicaverit ſummam in quam fidejuſſit, ſumptibus ex juſtâ ratione factis; totam eam præſtabit is pro quo fidejuſſit. *l.* 45. § 6. *ff. d. tit.*

Si dum negotia mea geris, alicui de creditoribus meis promiſeris; & antequàm ſolvas, dicendum eſt (*f*) te agere poſſe ut obligationem ſuſcipiam. *d. l.* 45. § 2.

Etiamſi ignoraverit is qui certum hominem emi mandaverit, furem eſſe; nihilominùs tamen damnum (*g*) decidere cogetur. *l.* 61. § 5. *ff. de Furtis.*

(*a*) Fidejuſſore.
(*b*) Erga quem pro mandatore fidejuſſit.
(*c*) Videtur enim ipſe in cauſam mandati impendiſſe; quod alius vice ipſius & ipſius nomine impendit.
(*d*) Adeòque non poteſt videri abeſſe patri; cùm nec ipſe nec alius pro eo impenderit. Vide Notas ad d. ff. Tit: *Mandati* N. 57.
(*e*) Diſparitas eſt quòd in ſuperioribus ſpeciebus intelligi poteſt tantum dediſſe, in quantum obligatus eſt in eum caſum in quo donatio mortis causâ revocaretur: vel in quantum creditorem à naturali obligatione liberavit. In hâc verò ſpecie nihil ipſe dedit, nec vice ejus alius; unde nihil conſequi poteſt juxta Regulam *Sciendum* fin. ſuprà, N. præced.
(*f*) Regula locum habet, quum impletum eſt mandatum; fidejuſſor autem non videtur impleſſe mandatum donec ſolverit, adeòque priùs non poteſt agere ut liberetur, niſi reus aut bona diſſipet, aut diù in ſolutione ceſſet.
(*g*) Si quid is ſurripuerit mandatario.

M X L I I I.

Mandatarius Non omnia quæ impenſurus non fuit, mandatori imputabit; veluti quòd ſpoliatus ſit à latronibus. . . . Nam hæc magis caſibus quàm mandato imputari oportet. *l.* 26. § 6. ff. *Mand.*

Fidejuſſorem injuriâ judicis damnatum, & appellatione contra bonam (*a*) fidem minimè uſum, non poſſe MANDATI agere manifeſtum eſt. *l.* 10. *Cod. Mandati.*

Non (*b*) oportet noxiæ eſſe fidejuſſori, ſi peperciſſet pudori ſuo. *l.* 48. ff. *Mandati.*

Si fidejuſſor ex ſuâ perſonâ omiſerit exceptionem quâ reus uti non potuit; ſi quidem minùs honeſtam, habet Mandati actionem: quòd ſi eam quâ reus uti potuit; non habiturum Mandati actionem; ſi modò habuit facultatem rei conveniendi, deſiderandique ut ſuſciperet judicium. *l.* 10. § 12. *ff. d. tit.*

(*a*) Secùs ergo ſi per inopiam non potuit appellare, aut denuntiavit mandatori ut ipſe appellaret.
(*b*) Declaratur per Reg. ſeq.

§ V I.

An actiones Mandati *in ſolidum competant, quum plures ſunt mandatarii aut mandatores.*

M X L I V.

Paulus reſpondit; Unum ex mandatoribus in ſolidum eligi poſſe. Poſt condemnationem autem in duorum perſonam collatam, ſingulos pro parte dimidiâ conveniri debere. *l.* 59. § 3. ff. *d. tit.*

Mandatariorum Unumquemque pro ſolido conveniri debere. *l.* 60. § 2. ff. *d. tit.*

§ V I I.

De modis quibus ſolvitur mandatum.

M X L V.

Morte ejus cui mandatum eſt, ſi is integro adhuc mandato deceſſerit, ſolvitur mandatum. *l.* 27. § 3. *ff. d. tit.*

Mandatum ſolvitur morte *mandatoris*. Si tamen per ignorantiam impletum eſt, competere actionem utilitatis causâ dicitur. *l.* 26. *ff. d. tit.*

Mandatum morte . . . non etiam Mandati actio ſolvitur. *l.* 58. ff. *d. tit.*

M X L V I.

Extinctum eſt mandatum, finitâ (*a*) voluntate. *l.* 12. § 16. ff. *d. tit.*

Mandato Renuntiari ita poteſt, ut integrum jus mandatori reſervetur (*b*) vel per ſe vel per alium eamdem rem commodè explicandi. *l.* 22. § 11. ff. *d. tit.*

(*a*) Scilicet ſi mutationem voluntatis mandator notam fecerit mandatario.
(*b*) Regula locum non habet, ſi ex juſtâ causâ mandatarius impeditus fuerit.

ARTICULUS II.

De Societate.

§ I.

De generali ſocietatis naturâ.

M X L V I I.

1. Societas ſi dolo malo coita ſit, ipſo Jure nullius eſt momenti. *l.* 3. § 3. ff. *Pro ſoc.*

2. Donationis causâ ſocietas rectè non contrahitur. *l.* 5. § 2. ff. *d. tit.*

3. Societatem uno pecuniam conferente, alio operam, poſſe contrahi, magis obtinuit. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

4. Socius mihi eſſe non poteſt, quem ego ſocium eſſe nolui. *l.* 19. ff. *Pro ſoc.*

Corollarium. Nec ab initio paciſci poſſumus, ut heres (*a*) etiam ſuccedat ſocietati. *l.* 59. ff. *d. tit.*

5. Iniquiſſimum genus ſocietatis eſt, ex quâ quis damnum, non etiam lucrum ſpectet. *l.* 29. § 2. ff. *d. tit.*

Ita coiri ſocietas poteſt ut nullius partem damni alter ſentiat, lucrum verò commune (*b*) ſit; tanti ſit opera quanti damnum eſt. *d. l.* 29. § 1.

Lucrum (*c*) non intelligitur, niſi omni damno deducto, nec damnum niſi omni lucro deducto. *l.* 30. ff. *d. tit.*

(*a*) Fallit in ſocietate vectigalium quâ permittitur hæc conventio.
(*b*) A fortiori ut quis minorem in damno quàm in lucro partem ſentiat.
(*c*) Explicatio præcedentis.

6. Generaliter

Source : BIU Cujas

6. Generaliter traditur, Rerum inhoneſtarum nullam eſſe ſocietatem. *l.* 57. *ff. d. tit.*

Nulla ſocietas maleficiorum, vel communicatio juſta damni ex maleficio eſt. *l.* 1. § 14. ff. *de Tut. & rat. diſtr.*

M X L V I I I.

Si non fuerint partes ſocietati adjectæ, æquas eas eſſe conſtat. *l.* 29. *ff. Pro ſoc.*

Si ſocietatem coieris eâ conditione ut partes conſtitueres, ad boni viri arbitrium ea res redigenda eſt. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Societas coiri poteſt, vel in perpetuum, id eſt dum vivunt; vel ad tempus, vel ex tempore, vel ſub conditione. *l.* 1. *ff. d. tit.*

Nulla ſocietatis in æternum (*a*) coitio eſt. *l.* 70. *ff. d. tit.*

(*a*) Id eſt, ultra vitam.

§ II.

De ſocietate univerſorum bonorum.

X X L I X.

1. *Univerſorum bonorum* Societas coiri poteſt, & inter eos qui non ſunt æquis (*a*) facultatibus. *l.* 5. *ff. d. tit.*

2. In (*b*) ſocietate omnium bonorum; omnes res quæ coeuntium ſunt (*c*), continuò (*d*) communicantur. *l.* 1. § 1. ff, *d. tit.*

Quæ in nominibus erunt, manent in ſuo ſtatu; ſed actionem invicem *ſocii* præſtare debent. *l.* 3. ff. *d. tit.*

Si quis ſocietatem (*licèt omnium bonorum*) contraxerit; quod emit, ipſius fit, non commune: ſed Societatis judicio cogitur communicare. *l.* 74. *ff. d. tit.*

3. Quum ſpecialiter (*e*) omnium bonorum ſocietas coita eſt; & hereditas, & legatum, & quod donatum eſt, & quod quaquâ ratione acquiſitum, communioni acquiretur. *l.* 3. § 1. ff. *d. tit.*

4. Si unus ex ſociis maritus ſit, & diſtrahatur ſocietas manente (*f*) matrimonio; dotem maritus præcipere (*g*) debet. *l.* 65. § 16. ff. *d. tit.*

(*a*) Nam pauperior, operâ ſupplet quod minus patrimonii habet.
(*b*) Hoc ſingulare eſt in hâc ſocietatis ſpecie.
(*c*) Secùs de his quæ poſteà acquirunt; Reg. ſeq.
(*d*) Intelliguntur enim, quum de ſocietate convenerunt, conſtituiſſe ſe poſſidere communi nomine. Quod conſtitutum, ficta traditio eſt.
(*e*) Id eſt, expreſsè.
(*f*) Secùs ſi jam ſoluto.
(*g*) Quia onera matrimonii eum ſequuntur.

M L.

Regula eſt; Socium omnium donorum non cogi conferre quæ ex prohibitis cauſis acquiſierit. *l.* 52. § 17. ff. *d. tit.*

Quod ex maleficio contulerit ſocius, non aliter recipere debet quàm ſi damnatus (*a*) ſit. *l.* 54. ff. *d. tit.*

In ſocietate omnium bonorum; ea quoque quæ in honorem alterius (*b*) liberorum erogata ſunt, utrinque imputanda. *l.* 73. § 1. ff. *d. tit.*

Quod in aleâ aut adulterio (*c*) perdiderit ſocius, ex medio non eſt laturus. *l.* 59. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Et quidem ſi inſciente ſocio hoc contulit, ſolum hoc recipiet: ſi eo ſciente, etiam pœnam in quam damnatus eſt, ex medio feret.
(*b*) Idem dic de dote quam alter filiæ ſuæ conſtituit.
(*c*) Aut ex quovis maleficio. Si tamen quod ex illo maleficio quæſitum eſt: fuerit ſciente ſocio collatum; & damnum communicari debebit.

§ III.

De ſocietate univerſorum quæ ex quæſtu veniunt; item, unius rei aut negotiationis.

M L I.

Coiri ſocietatem & ſimpliciter licet; &, ſi non fuerit diſtinctum, videtur coita eſſe univerſorum quæ ex quæſtu veniunt. *l.* 7. ff. *d. tit.*

Quum quæſtûs & compendii ſocietas initur; quidquid ex operis (*a*) ſuis ſocius adquiſierit, in medium confert; ſibi autem quiſque hereditatem (*b*) acquirit. *l.* 45. § 2. *ff. de Acquir. hered.*

Nec æs alienum niſi quod ex quæſtu pendebit, veniet in rationem ſocietatis. *l.* 12. *ff. Pro ſoc.*

(*a*) Etiam ſtipendia, ſalaria.
(*b*) Idem dic de eo quod legatum aut donatum eſt.

M L I I.

In ſocietate unius negotiationis, aut unius rei; id demùm communicatur quod ex eâ negotiatione aut ex eâ re quæritur, non quod aliundè.

Et quidem Non oportet id communicari, quod quis non propter ſocietatem, ſed propter (*a*) ſuam partem adquiſierit *l.* 63. § 9. ff. *d. tit.*

Res aut pecunia, ſi ante collationem poſtquàm eam deſtinaſſet perierit, non ſocietati periit. *l.* 58. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Ut ſi legatum ſervo communi relictum eſt, quod ex perſonâ duntaxat unius ſocii valeret, ex perſonâ alterius ſocii inutile eſſet,

§ IV.

De jure ſociorum circa ſocietatem & res ſocietatis, aut etiam circa res communes citra ſocietatem.

M L I I I.

1. Nemo ex ſociis plus parte ſuâ poteſt alienare, etſi totorum bonorum ſocii ſint. *l.* 68. ff. *d. tit.*

2. Conſtat in re communi neminem dominorum, jure facere quicquam invito altero poſſe. *l.* 28. ff. *Comm. divid.*

De communi ſervo unus ex ſociis quæſtionem habere, niſi communis negotii causâ, jure non poteſt. *l.* 27. ff. *d. tit.*

3. Etſi in communi prohiberi ſocius à ſocio ne quid faciat poteſt; ut tamen factum opus tollat cogi non (*a*) poteſt, ſi quum prohibere poterat hoc prætermiſit. *l.* 28. ff. *d. tit.*

4. *Vide etiam infrà Sect.* 3^a. *Art.* 3. DE Vicinià *&c.*

(*a*) Sed conſequitur quanti ſuâ intereſt, judicio *Communi dividundo.*

M L I V.

Qui (*a*) admittitur ſocius, ei tantùm ſocius eſt qui admiſit. *l.* 19. ff. *Pro ſocio.*

Socii (*b*) mei ſocius, meus ſocius non eſt. *l.* 47. *§ fin.* ULP. LIB. 30. AD ED.

Socii noſtri ſocius Quidquid fuerit de ſocietate noſtrâ conſecutus, cum illo qui eum abſumpſit communicabit; nos cum eo non communicabimus; ſed factum (*c*) ejus præſtabitur (*d*) ſocietati. Ex contrario, factum quoque ſociorum debet ei præſtare. *l.* 21. & *l.* 22. ff. *Pro ſocio.*

(*a*) Fluit ex Reg. 4. ſuprà N. 1047.
(*b*) Conſonat præcedenti.
(*c*) Si quod damnum noſtræ ſocietati dedit, non deducto lucro quod propter eum ſocietas ſenſit.
(*d*) A ſocio noſtro qui eum aſſumpſit.

§ V.

De actione Pro ſocio.

M L V.

Ut ſit PRO SOCIO actio, non ſufficit rem eſſe communem (*a*), niſi ſocietas (*b*) intercedit. *l.* 31. ff. *d. tit.*

(*a*) Sunt enim res communes citra ſocietatem, ut inter coheredes, collegatarios &c.
(*b*) Contractus de ſocietate coeundâ.

Source : BIU Cujas

Venit in actione Pro socio 1°. *Ut socius cæteris sociis conferat, quicquid ex societate lucratus aut consecutus est. Si ex pretio rei communis aut à debitore societatis, non plus parte suâ consecutus est; regulariter nihil est quod ex hâc causâ conferre debeat.*

Tamen si cum debitore societatis Egerit socius & partem suam integram sit consecutus, deindè alius socius cum eodem agat, & partem consequi integram non poterit; magis est ut Pro socio actione consequi possit, ut utriusque portio exæquetur. *l.* 63. §. 5. ff. *Pro socio.*

Venit 2°. *ut socius quicquid damni culpâ suâ societati dedit, cæteris pro parte cujusque resarciat.*

Et quidem Si socius quædam negligenter in societate egisset, in plerisque autem societatem auxisset, non compensatur compendium cum negligentiâ. *l.* 26. ff. *d. tit.*

Venit 3°. *ut socio cæteri socii pro parte quisque suâ refundant, quicquid ille in societatem durante ea impendit, vel se obligavit, aut etiam in rebus suis damnum sensit propter societatem dum negotiis societatis operam dat. Tit.* Pro soc. *N.* 37. 38. & 39.

Si non omnes socii solvendo sint; Proculus putat ad cæterorum onus pertinere, quod ab aliquibus servari non potest. *l.* 67. ff. *d. tit.*

§ VI.

Quomodo solvitur societas.

MLVI.

Dissociamur renuntiatione, morte, capitis deminutione (*a*), & egestate. *l.* 4. § 1. ff. *d. tit.*

Societas solvitur ex personis (*b*), ex rebus (*c*), ex voluntate (*d*), ex actione (*e*). *l.* 63. § 10. ff. *d. tit.*

(*a*) Majori scilicet. Minimâ autem non solvitur putà emancipatione; at solvitur, si se det in adrogationem.
(*b*) Morte aut capitis deminutione, ut diximus.
(*c*) Putà, si sit societas unius rei, & ea res interierit; vel unius negotiationis, & finis negotio impositus.
(*d*) Renuntiatione.
(*e*) Scilicet hoc ipso quòd judicium dictatum est ut societas distrahatur. l. 65. § 1. ff. *d. tit.*

MLVII.

Qui societatem in tempus (*a*) coit; ei ante tempus renuntiando, socium à se, non se à socio liberat. *l.* 65. § 6. ff. *d. tit.*

Renuntiare societati etiam per alios possumus. *d. l.* 65. § 7.

Is cujus procuratori renuntiatum est, liberatus esse videbitur; an autem ipse quoque qui renuntiavit liberetur, in potestate ejus erit. *d. l.* 65. § 8.

Quum separatim socii agere cœperunt, sine dubio jus societatis (*b*) dissolvitur. *l.* 64. ff. *d. tit.*

(*a*) Quòd si nullum tempus societati statutum; renuntiatio solvit societatem, nisi dolo malo facta sit, aut eo tempore quo intererat societatis eam tunc non dirimi.
(*b*) Quasi ex tacito consensu.

MLVIII.

Morte unius (*a*) socii societas dissolvitur, etsi consensu omnium coita sit, plures verò supersint; nisi in coeundâ societate aliter convenit (*b*). *d. l.* 65. § 9.

Heres socii quamvis socius non est; tamen ea quæ per defunctum inchoata sunt, per heredem explicari debent. *l.* 40. ff. *d. tit.*

Societas quemadmodum ad heredes socii non transit, ita nec ad (*c*) arrogatorem. *d. l.* 65. § 11.

(*a*) Quòd si dum ignoratur mors, res cujus societas coita est, secuta sit: perindè erit ac si vivo eo secuta esset. l. 65. § 10. ff. *d. tit.*
(*b*) Scilicet ut inter superstites duraret; quæ conventio speciali jure inest in societate *Vectigalium.*
(*c*) Fluit ex Reg. 4â. suprà N. 1047.

MLIX.

Bonis à creditoribus venditis unius socii, distrahi societatem Labeo ait. *d. l.* 65. § 1.

ARTICULUS III.

De Emptione-venditione.

§ I.

De re quæ væneat.

MLX.

Nec emptio-venditio sine re quæ (*a*) væneat, potest intelligi. *l.* 8. ff. *de Contr. empt.*

Et fructus & partus futuri rectè ementur; ut, quum editus esset partus, jam tunc quum contractum esset negotium, venditio facta intelligatur. *d. l.* 8.

Et spei (*b*) emptio est. *d. l.* 8. § 1.

(*a*) Si igitur interierat quum contractum est, nullus est contractus.
(*b*) Ut jactus retis.

MLXI.

Omnium rerum quas quis habere vel possidere vel persequi (*a*) potest, venditio rectè fit; quas verò natura vel Gentium Jus vel mores civitatis commercio exemerunt, earum nulla venditio est. *l.* 34. § 1. ff. *d. tit.*

Et liberi hominis, & loci sacri & religiosi qui haberi non potest, emptio intelligitur (*b*); si ab ignorante emitur. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Si emptor & venditor scit furtivum (*c*) esse quod vænit; à neutrâ parte obligatio contrahitur. *l.* 34. § 3. ff. *d. tit.*

Senatus censuit ne quis domum villam-ve dirueret quo plus sibi acquireretur, ne-ve quis negotiandi causâ eorum quid emeret venderet-ve. *l.* 52. ff. *d. tit.*

(*a*) Refert ad nomina & cæteras res incorporales.
(*b*) Hoc solo sensu ut venditor qui scivit, obligetur emptori velut *Ex empto*, in id quanti ejus interest deceptum non esse. Observa etiam quòd, licèt sacra aut religiosa loca per se vænire non possent, tamen cum universitate fundi in quo continentur væneunt; *d. tit.* N. 11.
(*c*) Eâdem ratione servi fugitivi emptio interdicta est, cùm sui furtum facere videatur: *d. tit.* N. 16.

MLXII.

Rem alienam distrahere quem posse, nulla dubitatio est. *l.* 28. ff. *d. tit.*

Suæ rei emptio non valet, sive sciens sive ignorans emi. *l.* 16. ff. *d. tit.*

Si communis res emptori cum alio sit; dici debet sciisso pretio pro portione, pro parte emptionem valere, pro parte ~~non~~ valere. *l.* 18. ff *d. tit.*

Emere cum totâ re etiam nostram partem possumus. *l.* 13. § 1. ff. *de In diem add.*

Emptioni non obstat, si in re usufructus duntaxat mentis sit. Officio tamen judicis pretium minuetur. *l.* 16. § *fin.* & *l.* 17. *ff. de Contr. empt.*

Rei suæ emptio tunc valet, quum ab initio agatur ut possessionem emat quam fortè venditor habuit. *l.* 34. § 4. *ff. d. tit.*

Existimo posse me id quod meum est sub conditione emere, quia fortè speratur meum esse definere. *l.* 61. ff. *d. tit.*

MLXIII.

Non (*a*) licet ex officio quod administrat quis emere quid, vel per se vel per aliam personam. *l.* 46. *ff. d. tit.*

(*a*) Regula fallit in auctione publicâ; de quâ accipienda lex 5. Cod. *de Contr. empt.*

§ II.

De pretio.

MLXIV.

Imaginaria venditio non est pretio accedente. *l.* 16. ULP. LIB. 21. AD SABIN.

Source : BIU Cujas

Sine pretio nulla venditio eſt. *l.* 2. § 1. ff. *de Contr. empt.*

Quum in venditione quis pretium rei ponit, donationis causâ non exacturus; non videtur (*a*) vendere. *l.* 36. ff. *d. tit.*

Si quis donationis causâ minoris vendat; venditio (*b*) valet. *l.* 38. ff. *d. tit.*

In pretio emptionis-venditionis naturaliter licet contrahentibus ſe circumvenire (*c*). *l.* 16. § 4. *ff. de Minorib.*

Demùm Valet venditio, ſi habet certum pretium (*d*). *l.* 7. § 2. ff. *de Contr. empt.*

Conſtat imperfectum eſſe negotium. . . . . QUANTI velis. . . . QUANTI æſtimaveris (*e*), habebis emptum. *l.* 35. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) At ſi quum quis venderet habuit animum exigendi pretium, non ideò minùs valebit venditio quòd poſteà illud remiſerit.
(*b*) Regula fallit, ſi perſonæ ſint inter quos donatio prohibetur.
(*c*) Id eſt, non requiritur ut pretium ſit exactè juſtum. Reſcinditur tamen venditio, ſi ſit infra dimidium juſti pretii: infrà N. 1095.
(*d*) Certum eſt autem pretium quod in ſe certum eſt, quamvis adhuc ignoretur; ut QUANTI *eum emiſti*. Nota etiam adjici poſſe pretio aliquid incertum; ut centum nummis & *Quantò plus revendideris*.
(*e*) In arbitrium autem tertii collato pretio, valebit emptio ſub illâ conditione, ſi is definierit pretium: l. 15. Cod. d. tit.

M L X V.

Emptionem rebus (*a*) fieri non poſſe, pridem placuit. *l.* 7. *Cod. de Rer. permut.*

Pretii causâ, non pecuniâ (*b*) numeratâ, ſed pro eâ pecoribus in ſolutum conſentienti datis, contractus non conſtituitur irritus. *l.* 9. *Cod. de Reſc. vend.*

(*a*) *Res* hîc opponuntur pecuniæ numeratæ. Cæterùm in pecuniâ ſemel conſtituto quidvis aliud poteſt accedere.
(*b*) Fingendum, pretium conſtitutum quidem in pecuniâ; ſed vice pecuniæ pecora ſoluta.

§ III.

De conſenſu.

M L X V I.

Eſt emptio Juris gentium; & ideò conſenſu (*a*) peragitur. *l.* 1. § 2. *ff. de Contrah. empt.*

Non pretii numeratio, ſed conventio perficit ſine (*b*) ſcriptis habitam emptionem. *l.* 2 § 1. ff. *d. tit.*

Nemo poteſt videri rem vendidiſſe, de cujus dominio id agitur ne ad emptorem tranſeat. *l.* 80. § 3. ff. *d. tit.*

Sive in ipsâ emptione diſſentiam, ſive in pretio, ſive in quo (*c*) alio, emptio imperfecta eſt. *l.* 9. ff. *d. tit.*

(*a*) Solo.
(*b*) Nam quum convenit ut in ſcripturâ redigeretur; ex Conſtitutione Juſtiniani non perfectum eſt niſi ſcriptura perfecta ſit.
(*c*) Ex ſubſtantialibus.

M L X V I I.

Cùm in corpore diſſentiatur, apparet nullam eſſe emptionem. *d. l.* 9.

Nullam eſſe venditionem puto, quoties in materiâ erratur. *d. l.* 9. § 2.

Si inauratum (*a*) aliquid ſit, licèt aurum (*b*) putem, valet (*c*) venditio. Si autem æs pro auro væneat, non valet. *l.* 14. ff. *d. tit.*

Quia in ſexu error eſt, nulla emptio, nulla venditio eſt. *l.* 11. § 1. ff. *d. tit.*

In hujuſmodi quæſtionibus (*an circa rem erratum fuerit*) perſonæ ementium & (*d*) vendentium ſpectari debent, non eorum quibus acquiritur ex contractu emptio. *l.* 12. ff. *d. tit.*

(*a*) Id eſt, ex auro alienæ materiæ mixto.
(*b*) Merum.
(*c*) Quia error non eſt circa ipſam materiam, ſed circa materiæ qualitatem. Cæterùm agitur *Ex empto* in id quod emptoris interſit.
(*d*) Quum ſuo nomine contrahunt.

§ IV.

De pacto Addictionis in diem, quo convenit ut venditio reſolvatur, ſi intra certum tempus melior conditio offeratur.

M L X V I I I.

Non videtur melior conditio allata eſſe; non exiſtente vero (*a*) emptore. *l.* 4. § 5. ff. *de In diem add.*

Verum eſt, vel unum ex venditoribus (*b*) poſſe meliorem adferre conditionem. *l.* 13. § 1. ff. *d. tit.*

Etſi exiſtat alius emptor, meliorem tamen conditionem non offerat; dicendum erit perindè haberi, ac ſi non exiſteret. *d. l.* 4. § 5.

Quidquid ad utilitatem venditoris (*c*) pertinet, pro meliore conditione haberi debet. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Melior conditio afferri videtur, ſi pretio ſit additum. Sed etſi nihil pretio addatur, ſolutio tamen offeratur facilior pretii vel maturior, melior conditio offerri videtur. *l.* 4. § *fin.* ff. *d. tit.*

Conditio Ea (*d*) melior intelligitur quam venditor comprobavit, cui licuit non addicere. *l.* 14. § 2. ff. *d. tit.*

Alterius rei quàm ejus quæ diſtracta (*e*) eſt, non ſolet adjectio admitti. *l.* 4. § 1. *ff. d. tit.*

Melior conditio allata quæ domino placeat, intelligi non poteſt; quum is qui vendat, non (*f*) exiſtat. *l.* 15. *ff. d. tit.*

Licet venditori meliorem conditionem (*g*) abjicere, ſequi-que primam. *l.* 9. ff. *d. tit.*

(*a*) Ut ſi falſum emptorem venditor ſubjiciat. Cæterùm modò ſit verus, nil refert quòd non ſit ſolvendo, imò quid ſit pupillus.
(*b*) Vel unum ex emptoribus.
(*c*) Directè ex ipſo contractu. Lucrum autem quod venditor ſentiret re poſteriori emptori addictâ, ex eo quòd prior emptor fructus ei reddere tenetur, non computatur; cùm non ab ipsâ ſecundâ venditione veniat. l. 14. § 5. ff. *d. tit.*
(*d*) Licèt à minùs idoneo emptore allata eſt, modò in ſe melior ſit.
(*e*) Principaliter.
(*f*) Nimirùm ſi, dum venditoris jacet hereditas, melior conditio offeratur; dieſque labatur, antequàm adita ſit.
(*g*) Si plures ſint venditores; ſi quidem pro ſua parte quiſque vendiderit, venditio prior reſolvitur in parte ejus qui conditionem poſteriorem admiſerit; ſin vendiderint, in ſolidum, non reſolvetur niſi omnes admiſerint.

M L X I X.

Licet venditori meliore conditione allatâ edicere (*a*) poſteriori, niſi (*b*) prior paratus ſit plus (*c*) adjicere. *l.* 7. ff. *d. tit.*

Quamvis non id tantùm quod in diem addictum erat, ſed aliud quoque cum eo vænierit; tamen ſi venditor dolo caret (*d*), prioris emptoris cauſa abſoluta eſt. *l.* 19. ff. *d. tit.*

Emptorem qui meliorem conditionem attulerit, præter corpus nihil ſequitur quod vænierit. *l.* 14. § 4. ff. *d. tit.*

Si exiſtit emptor poſterior, fructus refundere priorem (*e*) debere conſtat; ſed venditori. *l.* 6. ff. *d. tit.*

Fructus venditoris ſunt; licèt eadem ſit perſona (*f*), quæ meliorem conditionem attulit. *d. l.* 6. § 1.

(*a*) Vel purè vel ſub ſimili lege: *d. tit.* N. 14.
(*b*) Et ideò tenetur venditor eum certiorem facere.
(*c*) Plus quàm ipſe emit, & tantumdem quantum poſterior obtulit. l. 8. ff. *d. tit.*
(*d*) Dolus eſſet, ſi nova res adjiceretur; ut ſimularetur melior conditio offerri, quæ non offerretur niſi nova res adjecta eſſet.
(*e*) Deducto quodcumque erogavit: item deductis uſuris pretii quod ſolvit.
(*f*) Hoc enim caſu prior emptor, quia id quod poſterior offerebat, ipſe attulit; rem non ex priore venditione habet, ſed ex novâ.

§ V.

De Lege commiſſoriâ quâ convenit ut niſi pretium intra certum diem exſolutum fuerit, res ſit inempta.

M L X X.

Si fundus commiſſoriâ lege vænierit; magis eſt ut

Source : BIU Cujas

ſub conditione reſolvi emptio, quàm ſub conditione contrahi videatur. *l.* 1. ff. *de Leg. comm.*

M L X X I.

Magis arbitror offerre *emptorem* debere (*a*) ſi vult ſe legis commiſſoriæ poteſtate ſolvere. *l.* 4. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Nec expectare interpellationem venditoris, quæ non eſſet neceſſaria ad committendam legem commiſſoriam; modò extiterit venditor qui acciperet, & per eum non ſteterit.

M L X X I I.

Legem commiſſoriam quæ in venditionibus adjicitur, ſi volet venditor exercebit, non etiam invitus. *l.* 3. *ff. d. tit.*

Venditorem non poſſe, ſi commiſſoriam elegit, poſteà variare. *l.* 4. § 2. ff. *d. tit.*

Poſt diem commiſſoriæ legi præſtitutum ſi venditor pretium petat; legi commiſſoriæ renuntiatum videtur. *l.* 7. ff. *d. tit.*

M L X X I I I.

Si per emptorem factum ſit quominùs *huic* legi pareretur, & eâ lege uti venditor velit; fundos inemptos fore, & quod arrhæ (*a*) vel alio nomine (*b*) datum eſſet apud venditorem remanſurum. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Nihil penès *emptorem* remanere oportet ex (*c*) re in quâ fidem fefelliſſet. *l.* 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Ex naturâ enim arrharum eſt, ut qui contractum non implet, eas perdat.
(*b*) Putà, *pour Epingles* ou *Pot de vin* : l. 17. ff. *de Ædil. Ed.*
(*c*) Adeòque debet rem cum fructibus reſtituere. Uno tamen caſu fructus non reſtituet; ſcilicet ſi amiſit partem pretii, quam arrhæ nomine dederat.

§ V I.

De pacto Ut ſi res diſplicuerit, ſit inempta.

M L X X I V.

Si res ita diſtracta ſit, ut ſi diſplicuiſſet inempta (*a*) eſſet; conſtat non eſſe ſub conditione diſtractam, ſed reſolvi emptionem ſub conditione. *l.* 3. ff. *de Contr. empt.*

(*a*) Huic redhibitioni, ſi nulla dies pacto inſerta ſit, ſexaginta dies dantur: lib. 21. Tit. *de Ædil. Ed.* N. 91.

§ V I I.

De periculo & commodo rei venditæ.

M L X X V.

Poſt perfectam venditionem, omne commodum (*a*) & incommodum quod rei venditæ (*b*) contingit, ad emptorem pertinet. *l.* 1. *Cod. de Peric. & comm. rei vend.*

Si id quod vænierit appareat quid quale quantum-ve ſit, & pretium, & purè vænit; perfecta eſt emptio. *l.* 8. ff. *de Peric. & com.*

In his quæ pondere, numero, menſurâ conſtant... tunc perfici (*c*) emptionem exiſtimant, quum adnumerata, admenſa, appenſa eſſent. *l.* 35. § 5. *ff. de Contrah. empt.*

Res (*d*) averſione empta ad periculum emptoris pertinebit, etiamſi res adſignata non ſit. *l.* 62. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Ut quod per alluvionem acceſſit.
(*b*) Citra culpam & moram venditoris. Et quidem levem culpam præſtat donec emptor in morâ accipiendi fuerit; poſt, de ſolo dolo tenetur.
(*c*) Anteà igitur periculum interim non ſpectat emptorem.
(*d*) Licèt pondere numero-ve aut menſurâ conſtans.

M L X X V I.

Si dies deguſtationi adjectus non erit, quandoque deguſtare emptor poterit; & quoad deguſtaverit, periculum acoris & mucoris ad venditorem pertinebit. *l.* 4. § 1. ff. *de Peric. & com.*

Conditione ſub quâ emptio facta eſt exiſtente; ſi extet res, licèt deterior effecta, poteſt dici eſſe damnum (*a*) emptoris. *l.* 8. *ff. d. tit.*

De cuſtodiâ autem quam debet præſtare venditor : Finis cuſtodiæ, avehendi tempus. *l.* 4. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Secùs ſi res penitùs interiiſſet, conditio enim poſteà exiſtens, non poſſet confirmare emptionem rei quæ jam nulla eſſet.

§ V I I I.

De obligationibus venditoris, & actione Empti.

M L X X V I I.

De obligatione rei tradendæ.

Imprimis ipſam rem præſtare venditorem oportet, id eſt tradere. Quæ res, ſi quidem dominus fuit venditor, facit emptorem dominum; ſi non fuit, tantùm evictionis nomine venditorem obligat. *l.* 11. § 1. ff. *de Act. empt.*

Quocircà nota : Aliud eſt vendere, aliud venditioni (*a*) conſentire. *l.* 160. ULP. LIB. 76. AD ED.

(*a*) Qui vendit, de evictione ſe obligat per quemcumque fiat quominùs liceat emptori rem habere: Qui conſentit, promittit duntaxat PER SE non fieri.

M L X X V I I I.

Qui vendidit, neceſſe non habet fundum emptoris (*a*) facere; ut cogitur qui fundum ſtipulanti promiſit. *l.* 25. § 1. ff. *de Contrah. empt.*

At Venditorem in re tradendâ debere præſtare emptori, ut in lite de poſſeſſione (*b*) potior ſit. *l.* 11. § 13. *ff. de Act. empt.*

Debet venditor & inſtrumenta fundi & fines oſtendere. *l.* 48. *ff. d. tit.*

Actione EX EMPTO... venditor cogi (*c*) poteſt ut tradat aut mancipet. PAUL. SENT. LIB. 1. *Tit.* 13. § 4.

Si res vendita non tradatur, *in id quod intereſt* agitur. *l.* 1. ff. *de Act. empt.*

Cùm per venditorem ſteterit quominùs rem tradat; omnis utilitas emptoris in æſtimationem venit, quæ modò circa ipſam (*e*) rem conſiſtit. *l.* 21. § 3. ff. *d. tit.*

Si per venditorem, *V. G.* vini, mora fieret quominùs traderet (*f*); condemnari eum oportet; utro tempore pluris vinum fuit, vel quo vænit, vel quo lis in æſtimationem deducitur; item quo loco pluris fuit, vel ubi vænit vel ubi agatur. *l.* 3. § 3. ff. *d. tit.*

Si per emptorem mora fuiſſet, æſtimari oportet pretium quod ſit quum agatur, & quo loco minoris ſit. *d. l.* 3. § 4.

Hæc ita, quum nullus locus traditioni dictus eſt. Sin Non oportet ejus loci pretia ſpectari quo agatur, ſed ejus ubi tradi oportet. *d. l.* 3. § 4.

(*a*) Sufficit enim ut ſe evictionis nomine obliget.
(*b*) Vacuam enim poſſeſſionem præſtare debet. Vacua autem non eſt, ſi quis legatorum nomine aut ex aliâ causâ, aut jure pignoris vel uſûsfructus rem teneat.
(*c*) Quomodo; an manu militari; an tantùm per condemnationem ejus quod interſit? Vide Tit. *de Act. empt.* N. 30. & ibi Notas.
(*d*) Vide Reg. ſeq.
(*e*) Ut ſi pretium rei crevit; vel ſi quid ſervus venditus acquiſiviſſet emptori ſi ei traditus fuiſſet, quod ſibi (quia à venditore manumiſſus eſt) acquiſivit. Non venit autem utilitas quæ extrinſecùs contingere potuiſſet, putà quod potuiſſet ex merce negotiari.
(*f*) Trahe hanc Regulam ad omnes contractus bonæ fidei.

M L X X I X.

Datio poſſeſſionis quæ à venditore fieri debeat, talis eſt; ut, ſi quis eam poſſeſſionem jure avocaverit (*a*), tradita poſſeſſio non intelligatur. *d. l.* 3. *pr.*

Si fundum mihi alienum vendideris, & hic ex causâ

(*a*) Et quidem ex causâ antiquâ & tempore contractûs exiſtente; ſecùs, ſi ex novâ.

Source : BIU Cujas

lucrativâ meus factus sit ; nihilominùs (*b*) Ex empto mihi adversùs te actio competit. *l.* 15. § 15. ff. *d. tit.*

Evictâ (*c*) re, Ex empto actio non ad pretium duntaxar recipiendum, sed ad id quod (*d*) interest competit. *l.* 70. *ff. de Eviction.*

Emptori post evictionem venditor post tempus *rem* offerendo, quominùs præstet quod interest non defenditur. *l.* 67. *ff. d. tit.*

Dicendum, etsi apertè in venditione comprehendatur nihil evictionis nomine præstatum iri, pretium quidem deberi re evictâ, utilitatem non deberi. *l.* 11. § 18. ff. *de Act. empt.*

(*b*) Ipse enim rem mihi evincere videor, qui ex aliâ causâ licèt lucrativâ, eam habere incipio.
(*c*) Idem & si non tradatur res.
(*d*) In quo computatur omnis utilitas emptoris quæ circa rem est ; non si quid extrinsecùs potuisset lucrari occasione rei.

MLXXX.

De obligatione præstandi abesse ea vitia per quæ rem utiliter habere non liceat.

Etiamsi alienum servum vendideris ; furtis (*a*) noxisque solutum præstare te debere, ab omnibus receptum est. *d. l.* 11. § 8.

Qui pecus morbosum aut tignum vitiosum vendidit, si quidem ignorans fecit, id tantùm præstaturum quanto minoris essem empturus ; si verò sciens reticuit, omnia detrimenta quæ ex eâ emptione emptor traxerit, præstaturum. *l.* 13. ff. *d. tit.*

(*a*) Idem dic de cæteris cujuslibet rei vitiis, quæ talia sunt ut rem vix habere liceat.

MLXXXI.

De obligatione cavendi de evictione.

Quia assidua est DUPLÆ stipulatio, placuit Ex empto agi posse si duplam venditor non caveat. *l.* 31. § 20. *ff. de Ædil. Ed.*

Non tradentem, QUANTI interfit condemnari ; satis autem non dantem, quanti plurimùm (*a*) auctorem periclitari oportet. *l.* 11. § 9. *ff. de Act. empt.*

(*a*) Id est, in duplum : id enim quod interest, non potest excedere duplum.

MLXXXII.

De præstandâ bonâ fide.

Dolum malum à se abesse præstare venditor debet ; qui non tantùm in eo est qui fallendi causâ obscurè loquitur, sed etiam qui insidiosè obscurè dissimulat. *l.* 43. § 2. ff. *de Contr. empt.*

Qui alienum (*a*) sciens vendidit, dolo non caret ; & ideò Empti judicio tenebitur (*b*). *l.* 11. § 15. ff. *de Act. empt.*

Si servum mihi ignoranti (*c*) sciens furem vendideris, teneris mihi Ex empto. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Venditor, si quum sciret deberi servitutem (*d*) celavit, non evadet Ex empto actionem ; si modò emptor ignoravit. *l.* 1. § 1. ff. *d. tit.*

Non videtur esse celatus qui scit ; nec certiorari debuit qui non ignoravit. *l.* 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Aut obligatum.
(*b*) Et quidem, etiam antequàm res evincatur, tenebitur hujus doli nomine QUANTI emptoris quem decepit interest rem suam esse factam.
(*c*) Ob dolum in dissimulando vitio, quod tale non est ut alioquin præstetur. Idem dic de cæteris vitiis.
(*d*) Idem de cæteris oneribus rei, & cæteris quæ intererat emptoris scire. Et quidem hoc locum habet, etiamsi prædixisset servitutes deberi *Si quæ sunt.*

MLXXXIII.

De præstandis in re venditâ ; quantitate & qualitate quas venditor affirmavit.

Si in emptione modus dictus est, & non præstatur ; Ex empto est (*a*) actio. *l.* 2. ff. *d. tit.*

Quod (*b*) venditur, in modum agri cedere debet, nisi id actum est (*c*) ne cederet ; ad quod non vænit (*d*), in modum cedendum, si id ipsum actum est ut cederet. *l.* 7. § 1. ff. *de Peric. & com. res vend.*

Qui fundum tradiderat *quem dixit* jugerum centum, fines multo ampliùs demonstraverat. Si quid ex finibus evinceretur, emptori præstandum ; quamvis (*e*) id quod relinqueretur, centum jugera haberet. *l.* 45. ff. *de Evict.*

Antoninus & Verus rescripserunt ; Quibus mensuris aut pretiis negotiatores vina compararent, in potestate contrahentium esse. *l.* 71. ff. *de Contrah. empt.*

(*a*) Etiamsi existimasset venditor eum modum esse. Cæterùm qui existimavit, hoc plus habet eo qui mentitus est, quòd possit supplere id quod ex modo prædicto deest ; sive cum eo quod posteà accessit, putà per alluvionem ; sive cum eo quod plus est in modo alterius fundi simul venditi.
(*b*) Id est, quod est pars rei venditæ.
(*c*) Ut si dictum est agrum esse centum jugerum præter fossas.
(*d*) Ut viæ publicæ, luci, &c.
(*e*) Ita tamen quod plus in modo est : cedit emptoris lucro ; nisi in singula jugera pretium fit constitutum : l. 40. § 2. ff. *de Contrah. empt.*

MLXXXIV.

Si in qualitate fundi venditor mentitus (*a*) sit, non in modo ejus ; tamen tenetur emptori. *l.* 22. ff. *de Act. empt.*

Venditor Non debuit facilè quæ ignorabat (*b*) asseverare. *l.* 13. § 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Imò etsi non per mendacium, falsò tamen aliquid renuntiavit emptori.
(*b*) Et ideò tenetur, si res talis non sit qualem eam esse asseveravit.

MLXXXV.

Quædam pollicitationes venditorem non obligant ; si ita in promptu res sit, ut eam emptor non ignoraverit. *l.* 43. § 1. *ff. de Contr. empt.*

Ea quæ commendandi causâ in venditionibus dicuntur, si palàm appareant, venditorem non obligant. *d. l.* 43.

MLXXXVI.

De præstandis quæ accessura venditioni convenit.

Si quis rem vendiderit & ei accessurum quid dixerit ; omnia quæ diximus in re distractâ, in hoc quoque sequenda sunt : ut tamen evictionis nomine non in duplum teneatur. *l.* 11. § 17. ff. *d. tit. de Act. empt.*

Quicquid venditor accessurum dixerit, id integrum ac sanum tradi oportet. *l.* 27. ff. *d. tit.*

MLXXXVII.

Fructus (*a*), post perfectum jure contractum (*b*), emptoris spectare personam convenit. *l.* 13. *Cod. de Act. empt.*

(*a*) Etiam qui maturi erant tempore contractûs.
(*b*) Et solutum pretium.

§ IX.

De obligationibus emptoris, & actione Venditi.

MLXXXVIII.

Veniunt in judicium *Venditi*, infrà scripta ; imprimis pretium quanti res vænit (*a*), item usuræ pretii post

(*a*) Et quidquid pretio accedere convenit.

Source : BIU Cujas

diem traditionis (*b*). *l.* 13. § 20. ff. *de Act. empt.*

Emptor nummos venditoris facere cogitur. *l.* 11. § 2. *ff. d. tit.*

Ex vendito agi potest ut *emptor rem* tollat. *l.* 9. *ff. d. tit.*

Venditor Ex vendito agendo consequetur etiam sumptus qui facti sunt in re distractâ .... & si quid in funus mortui servi impensum sit. *l.* 13. § 22. *ff. d. tit.*

(*b*) Etiamsi precaria possessio fuerit. Sufficit enim emptorem habere facultatem fructus percipiendi.

§ X.

Quæ requirantur ut emptor ad rei traditionem, & vicissim venditor ad pretii solutionem agere possint.

M L X X X I X.

Venditor pignoris loco quod vendidit retinet, quoad emptor satisfaciat. *l.* 31. § 8. ff. *de Ædil. Ed.*

Offerri pretium (*a*) venditori ab emptore debet, quum Ex empto agitur. *l.* 13. § 8. *ff. de Act. empt.*

Ante (*b*) pretium solutum, dominii quæstione motâ; pretium emptor solvere non cogetur, nisi fidejussores idonei à venditore ejus evictionis offerantur. *l.* 18. § 1. ff. *de Per. & comm. rei vend.*

Quum in eâ causâ est venditum mancipium ut redhiberi debeat (*c*), iniquum est venditorem pretium redhibendæ rei consequi. *l.* 59. ff. *de Ædil. Ed.*

(*a*) Et quidem totum, etsi pars rei duntaxat peteretur. Fluit ex Reg. præced.

(*b*) Quòd si jam solutum esset; emptor interim non posset petere ut sibi restitueretur, sed tantùm ut defenderetur.

(*c*) Multò magis, si jam redhibitum sit.

§ XI.

De exceptione quæ ex contractu venditionis competit emptori possessionem rei emptæ adepto, adversùs venditorem ejusque successores rem jure dominii vindicantes.

M X C.

Si quis rem emerit, non autem fuerit tradita, sed possessionem sine vitio (*a*) fuerit nanctus; habet exceptionem contra venditorem (*b*). *l.* 1. § 5. ff. *de Except. rei vend.*

Si (*c*) alienum fundum vendideris, tuum posteà factum petas; te exceptione repellendum. *l.* 1. ff. *d. tit.*

Mandatu meo Titius *quid* vendidit, quum ignoraret suum esse. Puto Titium obstrictum emptori; neque si rem tradidisset, vindicationem ei (*d*) concedendam. *l.* 47. *ff. Mandati.*

Si quis rem meam mandatu meo vendiderit (*e*), vindicanti mihi nocebit exceptio. *l.* 1. § 2. ff. *de Except. rei vend.*

(*a*) Non *Vi*, non *Clàm*, non *Precariò*. Nam Interdictis teneretur restituere.

(*b*) Rem jure vindicantem, cùm non tradiderit, nec absque ejus voluntate potuerit dominium transferri.

(*c*) Hæc & præcedens fluunt ex l. 156. § 1. ff. *de Reg. jur.*

(*d*) Quæ tamen ei competit jure, cùm dominium non transtulerit, suprà N. 476. Reg. 2*d*. Sed per hanc exceptionem repellitur.

(*e*) Nec sit egressus fines mandati.

M X C I.

Exceptio REI venditæ & traditæ, venditoris etiam successoribus nocebit; sive in universum (*a*) jus, sive in eam duntaxat rem successerunt (*b*). *l.* 3. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Ut quum dominus rei venditæ, sit heres venditoris.

(*b*) Ut si quis antequàm esset dominus rem tibi vendiderit, & tradiderit, cujus possessione excidisti; is posteà, qui emit à venditore tuo aut venditoris tui herede domino effecto, non poterit adversùs te vindicare: infrà, Part. 4*a*. Cap. 1. Art. 4.

Exceptione rectè eum summovebis, quem ab auctore tuo fidejussorem accepisti. *l.* 11. *Cod. de Except. rei vend.*

§ XII.

Ex quibus causis rescindantur venditiones.

M X C I I.

Emptio nudâ conventione dissolvitur, si res secuta non fuerit. *l.* 5. § 1. *ff. de Resc. vend.*

Pro (*a*) unâ parte contrahentium, abiri pacto ab emptione non potest. *l.* 1. § 1. *ff. d. tit.*

Post traditionem interpositam, nuda voluntas non resolvit emptionem. *l.* 1. *Cod. Quand lic. ab empt.*

Mortuo homine *vendito*; perindè habenda est venditio, atque si traditus (*b*) fuisset. *l.* 5. § 2. ff. *de Resc. vend.*

Post pretium (*c*) solutum, infectam emptionem facere non possumus. *l.* 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Hinc si unus ex pacisentibus inutiliter pacisatur; si pupillus qui tutore auctore contraxit, sine tutore pacisatur ut à contractu abeatur; ex neutrâ parte dissolvetur.

(*b*) Adeòque nuda conventio non sufficit ut à pretio emptor liberetur ipso jure; sed habebit exceptionem *Pacti*.

(*c*) Aut etiam partem pretii. Secùs, si arrhæ duntaxat datæ sunt.

M X C I I I.

Si rem quam à te emi, eamdem rursùs à te pluris minoris-ve emero (*a*); discessimus à priore emptione. *d. l.* 2.

Si id quod purè emi, sub conditione rursùs emam (*b*); nihil agitur posteriore (*c*) emptione. *l.* 7. *ff. d. tit.*

(*a*) Re integrâ scilicet.

(*b*) Eodem pretio.

(*c*) Secùs vice versâ.

M X C I V.

De contractu emptionis & venditionis jure perfecto, alterutro invito, nullo recedi tempore bona fides patitur; nec ex Rescripto nostro. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

Non ex eo quòd emptor non satis conventioni fecit, contractus irritus (*a*) constituitur. *l.* 14. *Cod. d. tit.*

Res bonâ fide vendita, propter minimam (*b*) causam inempta fieri non debet. *l.* 54. *ff. de Contrah. empt.*

Quamvis duplum offeras pretium emptori, tamen invitus ad rescindendam venditionem urgeri non debet. *l.* 6. *Cod d. tit.*

(*a*) Agetur in id quod venditoris interest emptorem non satisfeciisse, non verò ad rem reposcendam.

(*b*) Id est, minimam læsionem: suprà N. 1064. Reg. 5*d*.

M X C V.

Rem majoris pretii si tu vel pater tuus minoris distraxerit; humanum est ut, vel pretium te restituente emptoribus, fundum venundatum recipias auctoritate judicis; vel si emptor elegerit, quod deest justo pretio recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimicia pars veri pretii soluta sit. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

Ad rescindendam venditionem, hoc solum non sufficit; quòd magno pretio fundum comparatum, minoris distractum esse commemores. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

Vide Appendicem ad Tit. de Ædil. Ed. *lib.* 21.

§ XIII.

De Hereditatis venditione.

M X C V I.

Quum hereditatem aliquis vendidit; esse debet hereditas, ut sit emptio. *l.* 7. *ff. de Hered. vend.*

Si non ita convenit, ut quicquid juris haberet venditor, emptor haberet; tunc heredem se esse præstare

Source : BIU Cujas

debet. Illo verò adjecto, liberatur venditor; si ad eum hereditas non (*a*) pertineat. *l.* 13. *ff. d. tit.*

Si est quidem hereditas, sed ad venditorem non pertinet, ipsa æstimatur. Si nulla est; pretium duntaxat (*b*), & si quid (*c*) in eam rem impensum est, emptor à venditore consequatur; & si quid emptoris interest. *l.* 8. & *l.* 9. *ff. d. tit.*

(*a*) At si sciens non ad se pertinere, ita vendidit; tenetur.
(*b*) *Conditione sine causâ.*
(*c*) Actione *In factum.*

M X C V I I.

Emptor hereditatis Quamvis eâ lege emerit (*a*) ut creditoribus hereditariis satisfaciat, excipere tamen actiones hereditarias invitus cogi non (*b*) potest. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

Rescriptum est à Divo Pio, Utiles actiones emptori hereditatis (*c*) dandas. *l.* 16. *ff. de Pactis.*

Sicuti lucrum (*d*) omne ad emptorem hereditatis respicit, ita damnum quoque debet ad eumdem respicere. *l.* 2. § 9. ff. *de Hered. vend.*

Regula est; Quod non debitum exegerit, retinere heredem, & quod non debitum solverit non reputare (*e*). *d. l.* 2. § 7.

(*a*) Et quidem hæc lex inest.
(*b*) Manent enim actiones tam activè quàm passivè in personâ heredis. Fallit regula, quum fiscus vendidit.
(*c*) Ad quas confugere necesse est, quum venditor non vult actiones hereditarias emptori mandare & solvendo non est.
(*d*) Et quidem etsi lucrum vel damnum profectum est ex re hereditariâ in venditione hereditatis exceptâ; adhuc spectabit emptorem, si ante venditionem profectum sit; aut ex causâ quæ venditionem præcesserit. Secùs si posteà ex causâ novâ. *d. tit.* N. 20.
(*e*) Ultrò. Secùs, si condemnatus sine dolo suo.

M X C V I I I.

Quæ à venditore emptori præstanda.

Venditâ hereditate Plerumque hoc agi videtur, ut quod ex hereditate pervenit (*a*) in id tempus quo venditio fit, videatur væniisse.... Et non solùm quod jam pervenit, sed & quod quandoque pervenerit (*b*), restituendum est. *d. l.* 2. § 1. & 4.

Puto, antequàm corpora rerum hereditariarum nactus venditor fuerit, hactenùs videri ad eum pervenisse, quatenùs mandare potest earum rerum persecutionem. *d. l.* 2. § 3.

Quum (*c*) hereditas venit; tacitè hoc agi videtur, ut si quid tanquam heres feci, id præstem emptori, quasi illius negotium agam. *l.* 21. ff. *d. tit.*

Non solùm hereditarias actiones, sed etiam eas obligationes quas ipse heres constituit, dicendum erit præstari emptori debere; putà, si fidejussorem acceperit ab hereditario debitore. *sup. d. l.* 2. § 8.

Venditor hereditatis satisdare de evictione (*d*) non debet. Planè de facto suo satisdare cogendus est. *d. l.* 2.

(*a*) In quo computatur & id quod venditor hereditati debebat; quo per additionem hereditatis liberatus est.
(*b*) Aut dolo heredis factum erit quominùs perveniat.
(*c*) Ex hâc regulâ colligit Paulus, venditorem hereditatis, qui post venditionem hereditatis, res hereditarias vendidit, quamvis ipsarum in specie debitor sit; tamen si malit emptor, teneri etiam ei de pretio quo eas vendidit; adeòque earum rerum quas vendidit interitu non liberari.
(*d*) Rerum hereditariarum.

M X C I X.

Quæ ab emptore venditori præstanda.

Sive ipse venditor dederit aliquid pro hereditate, sive alius quis pro eo; locus erit Ex vendito actioni, dummodò aliquid absit venditori hereditatis. *d. l.* 2. § 11.

Etsi quid nondum venditor præstiterit, sed quoquo nomine obligatus sit propter hereditatem; nihilominùs agere potest cum emptore. *d. l.* 2. § 20.

Æquissimum videtur, emptorem hereditatis vicem heredis obtinere; & idcircò teneri venditori heredi-

tis, si quum moritur, testator debuit (*a*): ita tamen si ejus debiti adversùs heredem actio esse poterat. *d. l.* 2. § 18.

Si rem (*b*) hereditariam heres vendiderit, ac per hoc fuerit condemnatus (*c*); non habet contra *hereditatis* emptorem actionem: quia non ideò condemnatur quòd heres esset, sed quòd vendiderit. *d. l.* 2. § 10.

(*a*) Testator debuit heredi venditori hereditatis, quod aditâ à creditore hereditate extinctum est. Simili ratione debent restitui servitutes confusæ.
(*b*) Regula fallit; si emptor hereditatis, pretium ex hâc venditione accepit; d. l. 2.
(*c*) Putà, quòd evicta sit emptori.

M C.

De substitutione pupillari, in hereditate venditâ.

Si etiam impuberi sit substitutus is qui vendidit hereditatem testatoris; *ita demùm* si hoc actum sit, dicendum erit etiam impuberis hereditatem in venditionem venire. *d. l.* 2. § 2.

§ X I V.

De venditione actionis.

M C I.

Nominis venditio, etiam ignorante vel invito eo adversùs quem actiones mandantur, contrahi solet. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

Nomina eorum qui sub conditione vel in diem debent, emere & vendere (*a*) solemus. *l.* 17. *ff. de Hered. vend.*

(*a*) Et quidem etiam pendente nominis conditione valet venditio; & statim *Ex empto* agere possumus, ut venditor accepto faciat debitori.

M C I I.

Venditor actionis, omne jus quod ex eâ causâ ei competit, tam adversùs ipsum reum quàm adversùs intercessores hujus (*a*) debiti cedere debet. *l.* 23. ff. *d. tit.*

Emptori nominis, etiam pignoris persecutio præstari debet; ejus quoque quod posteà venditor accepit. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Nominis venditor, quidquid vel compensatione vel exactione fuerit consecutus, integrum emptori restituere compellitur. *sup. d. l.* 23. § 1.

Si nomen sit distractum; Celsus scribit locupletem esse debitorem non debere præstare; debitorem autem eum esse præstare, & quidem sine exceptione. *l.* 4 & *l.* 5. ff. *d. tit.*

Visum est, post nominis venditionem, Utiles emptori, velut ipsi creditori, postulanti (*b*) dandas actiones. *l.* 7. *Cod. d. h. tit.*

(*a*) Pariterque actionem *De peculio*, &c.
(*b*) Putà, si venditor abest; aut renuit suas mandare actiones.

APPENDIX PRIMA.

Ad contractum Emptionis venditionis.

De actionibus ex Edicto Ædilium, Redhibitoriâ & Quanti-minoris *seu Æstimatoriâ.*

§ I.

Propter quas contractuum species & propter quas res competant hæ actiones.

M C I I I.

Sciendum est, ad venditiones solas (*a*) hoc Edictum

(*a*) *Venditiones* tamen hîc accipe, lato sensu; ut & permutationes contineantur, & similes contractus: Tit. *de Ædil. Ed.* N. 5.

Source : BIU Cujas

pertinere; non tantùm mancipiorum, verùm cæterarum (*b*) quoque rerum. *l.* 63. *ff. de Ædil. Edict.*

Simplariarum (*c*) venditionum causâ ne sit redhibitio, in usu est. *l.* 48. § 8. ff. *d. tit.*

(*b*) Nec solùm si proprietas, sed & si earum rerum ususfructus vænierit: nec solùm si principaliter vænierint, sed & si venditioni alterius rei accesserint.

(*c*) Id est, minutarum rerum seu exigui pretii. Vide Tit. *de Ædilit. Ed.* N. 9. & ibi Notas. Non potest autem homo ut redhibitioni subducatur, accedere earum rerum venditioni.

§ II.

Ex quibus causis locus sit redhibitioni mancipiorum.

M C IV.

Si quid tale fuerit vitii sive morbi quod usum ministeriumque hominis impediat, id dabit redhibitioni locum; dummodò meminerimus non utique quodlibet quàm leviſſimum efficere ut morbosus vitiosus-ve habeatur. *l.* 1. § 8. *ff. d. tit.*

Non tantùm ad perpetuos morbos, verùm ad temporarios quoque Edictum pertinet. *l.* 6. *ff. de Ædil. Ed.*

Si corporis solius vitium est, aut & corporis & animi mixtum vitium, redhibitio locum habebit. *l.* 4. § 4. *ff. d. tit.*

Animi vitium (*a*) ita demùm præstabit venditor, si promisit; si minùs, non *d. l.* 4. § 3.

Si venditor exceperit de aliquo morbo, & de cætero sanum esse dixerit; standum est eo quod convenit. *l.* 14. § 9. *ff. d. tit.*

Ad eos morbos vitiaque pertinere Edictum Ædilium probandum est, quæ quis ignoravit (*b*) vel ignorare potuit. *l.* 14. ff. *d. tit.*

(*a*) Præter illa de quibus expressè cavetur Edicto; scilicet, si fuerit fugitivus aut erro, aut mortis conscisendæ causâ quid fecerit, capitale crimen admiserit, aut noxæ sit obligatus.

(*b*) Ea quæ scivit emptor, non dant redhibitioni locum: nec enim videtur deceptus qui scivit. Tam autem domini, quàm procuratoris scientia dominum redhibitoriâ excludit; Tit. *de Edil. Ed.* N. 38.

M C V.

Redhibitoriæ non est locus, si mancipium bonis conditionibus emptum fugerit, quod antè non (*a*) fugerat. *l.* 54. *ff. d. tit.*

(*a*) Nec enim vitia quæ post contractum superveniunt, præstat venditor.

M C V I.

Si quid venditor affirmaverit (*a*), idque non ita esse emptor queratur; aut Redhibitorio aut Æstimatorio judicio agere potest. *l.* 18. *ff. d. tit.*

Ne id quod affirmaverit venditor, amarè ab eo exigatur, sed cum quodam temperamento. *d. l.* 18.

Qui OPTIMUM COCUM (*b*) dixerit, optimum in eo artificio præstare debet; qui simpliciter COCUM dixerit, satisfacere videtur si mediocrem præstet. *d. l.* 18. § 1.

Quod venditor ut commendet dicit, sic habendum quasi neque dictum neque promissum est *l.* 37. *ff. de Dol. mal.*

Enimverò Ea sola dicta sive promissa admittenda sunt, quæcumque sic dicuntur ut præstentur, non ut jactentur. *l.* 19. § 3. *ff. de Ædil. Ed.*

(*a*) Scilicet aliquid adesse quod non adsit, vel aliquid abesse quod adsit.

(*b*) Idem de cæteris artificiis: d. l. 18.

M C V I I.

Præcipiunt Ædiles ne veterator (*a*) pro novitio væneat. *l.* 37. *ff de Ædil. Ed.*

Qui mancipia vendunt, nationem cujusque in venditione pronuntiare (*b*) debent *l.* 31. § 21. ff. *d. tit.*

(*a*) De hoc verbo vide Tit. præced.

(*b*) Ni fecerint, redhibitioni locus est.

§ III.

Ex quibus causis redhibeantur animalia, & cæteræ res.

M C V I I I.

Ferè eadem sunt in *jumentis*, quæ in mancipiis; quod ad morbum (*a*) vitium-ve attinet. *l.* 38. ff. *de Ædil. Ed.*

Bovem qui cornu petit, vitiosum esse plerique dicunt; item mulas, quæ cessum dant. *l.* 43. *ff. d. tit.*

Ea jumenta quæ sine causâ turbantur & semetipsa eripiunt, vitiosa esse dicuntur. *d. l.* 43.

(*a*) Quædam tamen in hominibus morbum aut vitium faciunt, non in jumentis; putà, non est vitium quòd mulus sit castratus; item in animalibus nulla animi vitia, ut fugæ, &c.

M C I X.

In fundo vendito redhibitionem procedere nequaquàm incertum est, si pestilens (*a*) fundus distractus sit. *l.* 49. ff. *d. tit.*

(*a*) Id est, herbas pestibiles seu lethiferas habens.

§ IV.

Adversùs quos Redhibitoria competat, & an individua sit redhibitionis causa.

M C X.

Proponitur actio ex hoc Edicto, in eum cujus maxima (*a*) pars in venditione fuerit. *l.* 44. § 1. *ff. d. tit.*

Sciendum est, Edictum non pertinet ad venditiones fiscales (*b*). *l.* 1. 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Vel saltem nullâ aliâ parte minor. Regula locum habet; quum plures venalitiarii socii vendiderunt: & in hoc differt ab actione *Empti*, quæ in singulos venditores nonnisi pro parte cujusque datur.

(*b*) Eodem jure non gaudent civitates, nec pupilli.

M C X I.

Si in universam causam fidejussor sit acceptus; putat Marcellus, posse fidejussori redhiberi. *l.* 56. *ff. d. tit.*

Si venditori plures heredes extiterint, singulis pro parte hereditariâ poterit servus redhiberi. *l.* 31. § 10. ff. *d. tit.*

Si plures heredes sint emptoris, omnes consentire debent ad redhibendum (*a*). *d. l.* 31. § 5.

(*a*) Redhibito autem aut mortuo qui redhibendus erat homine, possunt pro suis portionibus agere.

§ V.

Regula generalis, ex quâ fluunt præstationes quæ in hoc judicio veniunt.

M C X I I.

Factâ redhibitione, omnia in integrum restituuntur perindè ac si neque emptio nec venditio interceſſit. *l.* 60. *ff. d. tit.*

§ VI.

Quæ præstare debeat emptor, qui Redhibitoriâ agit.

M C X I I I.

Si plura jumenta vænierint, non omnia erunt redhibenda. *l.* 38. § 12. *ff. d. tit.*

Plerumque propter morbosa mancipia, etiam non morbosa (*a*) redhibentur; si separari non possunt sine

(*a*) Hoc Edicto expressum circa paria mularum. Sed & quotiescumque manifestum est quem, aut non venditurum aut non empturum fuisse nisi omnia; una venditio videri debet, licèt in singulas res sint pretia separatim constituta: *l.* 35. § 1. *ff. d. tit.*

magno

magno incommodo, vel ad pietatis (*b*) rationem offensam. *l.* 35. ff. *d. tit.*

Jubent Ædiles testitui, & quod venditioni (*c*) accessit. *l.* 23. § 1. *ff. d. tit.*

(*b*) V. G. si parentes unà cum liberis vænierint.
(*c*) Licèt in eâ re nullum vitium sit.

MCXIV.

Non rectè redhibetur, nisi pignore (*a*) liberatum redhibeatur. *l.* 43. § 8. ff. *d. tit.*

Ædiles hoc præstare emptorem volunt, si in aliquo (*b*) deterior factus (*c*) sit servus. *l.* 25. ff. *d. tit.*

Quum redhibetur mancipium, si quid ad emptorem (*d*) pervenit, vel culpâ ejus non pervenit, restitui oportet. *l.* 23. § 9. ff. *d. tit.*

(*a*) Quod emptor in eo alicui constituit.
(*b*) Seu in corpore, seu in animo.
(*c*) Culpâ emptoris, familiæ, procuratoris-ve ejus; multò magis si mortuus.
(*d*) Scilicet fructus & omnis causa; extra id quod ex re ipsius emptoris servus ille quæsivisset.

§ VII.

Quæ venditor emptori vicissim præstare teneatur judicio redhibitorio.

MCXV.

Re redhibitâ, *emptor* Debet recipere pecuniam quam dedit; vel si quid accessionis nomine. DARI autem non solùm accipiemus pretium & usuras ejus, sed & si quid emptionis causâ erogatum (*a*) est. *l.* 27. ff. *d. tit.*

Emptori præstandum est, ut pecuniæ cujus nomine obligatus erit liberetur, sive ipsi venditori sive alii. *l.* 29. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Ex voluntate venditoris; aut ex causâ necessitatis, putà necessarias impensas.

MCXVI.

Sive emptori servus *redhibendus* furtum (*a*) fecerit, sive alii ob quod emptor aliquid præstiterit; non aliter hominem venditori restituere jubetur, quàm si indemnem eum præstiterit. *l.* 23. § 8. ff. *d. tit.*

(*a*) Aut damnum dederit.

§ VIII.

De cautionibus in judicio redhibitorio invicem præstandis.

MCXVII.

Si servi redhibendi nomine emptor judicium accepit, vel ipse dictavit; cavendum ex utrâque parte, ut si quid sine dolo malo condemnatus sit, recipiat; vel si quid ex eo de quo egerit, ad eum pervenerit, aut dolo factum sit quominùs perveniret, id reddat. *l.* 30. ff. *d. tit.*

Si in fugâ est homo sine culpâ emptoris; cavere oportet ut hominem persequatur, & in suam potestatem redactum venditori reddat. *l.* 21. § *fin.* ff. *d. tit.*

MCXVIII.

Quum redditur ab emptore mancipium venditori; de dolo (*a*) malo promitti oportere ei. *d. l.* 21. § 1.

(*a*) Quòd illud non obligaverit; nec jussu ejus noxam admiserit.

§ IX.

Uter alteri prior in hoc judicio præstare debeat, & de differentiis inter emptorem & venditorem circa eas præstationes.

MCXIX.

Ordine fecerunt Ædiles; ut antè venditori emptor quæ suprà scripta sunt præstet (*a*), sic deindè pretium consequatur. *l.* 25. § *fin.* ff. *d. tit.*

Si emptor venditori non præstat quæ desiderantur in actione *redhibitoriâ*, non posse ei venditorem condemnari (*b*); si autem emptori venditor ista non præstat, condemnabitur (*c*) ei. *l.* 29. ff. *d. tit.*

Si nolit venditor hominem recipere, non in majorem summam quàm in pretium (*d*) condemnandum. *l.* 31. ff. *d. tit.*

(*a*) Aut saltem caveat de his præstandis; quum periculum est ab inopiâ venditoris: si reipsâ prior emptor præstaret.
(*b*) Sed tantùm à Redhibitoriâ actione summovebitur.
(*c*) Et quidem in duplum, si non paruerit interlocutioni judicis pretium reddi jubentis.
(*d*) Et pretii accessionibus & usuris. De damno autem quod servus venditus emptori dedisset, non tenebitur.

MCXX.

Si servus mancipium emit, & dominus Redhibitoriâ agat; non aliter ei venditor daturus est quàm si præstiterit quæ huic actioni continentur; & quidem solida, non peculio tenùs. *Contrà*, si servus vel filius vendiderit, Redhibitoria in peculium competit. *l.* 57. *pr.* & § 1. ff. *d. tit.*

In peculio, & causa redhibitionis (*a*) continebitur. *d.* § 1.

(*a*) Id est, ipsum mancipium quod à filio vel servo meo venditum mihi redhibetur.

§ X.

Ex quibus causis detur actio Æstimatoria *seu* Quanti-minoris; *& quid in eâ veniat.*

MCXXI.

Quoties de servitute (*a*) agitur; victus tantum (*b*) debet præstare, Quanti minoris emisset emptor si sciisset impositam. *l.* 61. ff. *d. tit.*

Audiendus est is qui de vitio vel morbo servi querens, retinere eum (*c*) velit. *l.* 48. § 1. ff. *d. tit.*

Si jugum mularum sit, quarum altera vitiosa est; non ex pretio tantùm vitiosæ, sed ex utriusque erit componendum QUANTI-minoris sit. *l.* 38. § 13. ff. *d. tit.*

(*a*) Idem dic de aliis rei oneribus.
(*b*) *Redhibitoriâ* non tenetur, sed tantùm &c.
(*c*) Adeòque relictâ *Redhibitoriâ* quæ sibi competebat, agit *Quanti-minoris*.

MCXXII.

Sæpiùs (*a*) agi posse Quanti-minoris, dubium non est. Sed id agendum, ne lucrum emptor faciat; & bis ejusdem rei æstimationem consequatur. *l.* 31. § 16. ff. *d. tit.*

(*a*) Ex diversis causis, putà ex diversis vitiis.

MCXXIII.

Aliquando redhiberi mancipium debebit, licèt QUANTO-minoris agamus; si nullius sit pretii. *l.* 43. § 6. ff. *d. tit.*

§ XI.

De tempore harum actionum; ex quo, & quandiù dentur.

MCXXIV.

Nondum (*a*) perfecta emptio, arbitrio judicis imperfecta fieri non potest. *l.* 43. § 9. ff. *d. tit.*

Tempus Redhibitionis, sex menses utiles (*b*) habet;

(*a*) Adeòque quandiù conditione suspenditur, locus esse *Redhibitoria* non potest.
(*b*) Non currunt igitur, nisi ex quo Emptor agnovit vitium.

Source : BIU Cujas

si autem QUANTO-MINORIS agitur, annus utilis est. *l.* 19. §. *fin.* ff. *d. tit.*

Post mortem hominis (*c*), Ædilitiæ actiones manent. *l.* 47. §. 1. ff. *d. tit.*

(*c*) Vel jumenti. Secus de manumissione.

APPENDIX SECUNDA.

De stipulatione de Evictione, & actione quam parit.

§ I.

Quando & quomodo interponi debeat stipulatio de evictione.

M C X X V.

Emptori Duplam promitti à venditore oportet, nisi aliud convenit; non tamen ut satisdetur (*a*), sed ut repromittatur. *l.* 37. ff. *de Evict.*

Quod diximus duplam promitti oportere, sic erit accipiendum; ut non ex omni re id accipiamus, sed de his rebus quæ pretiosiores essent. *d. l.* 37. §. 1.

Ex consuetudine ejus regionis in quâ negotium gestum est, pro evictione caveri oporret. *l.* 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Nisi de hoc convenit : d. l. 37.

§ II.

Quando committatur stipulatio de evictione.

M C X X V I.

Duplæ stipulatio committi dicitur, tunc quum res restituta est (*a*) petitori, vel damnatus (*b*) est litis æstimatione, vel possessor ab emptore (*c*) conventus, absolutus est. *l.* 16. §. 1. ff. *d. tit.*

Non interest quo genere (*d*) judicii evincatur. *l.* 34. § 1. ff. *d. tit.*

Non committitur autem stipulatio, prius quàm res ablata sit emptori, & quidem per judicem.

Hinc 1°. Qui rem emit, quandiù evicta non est, auctorem suum, propterea quòd aliena vel obligata res dicatur, convenire (*e*) non potest. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

Hinc 2°. Si domino heres extiterit emptor, non committitur (*f*) Duplæ stipulatio. *l.* 41. § 1. ff. *de Evict.*

Hinc 3°. Si compromisero, & contra me data fuerit Sententia (*g*); nulla mihi actio de evictione danda est. *l.* 56. § 1. ff. *d. tit.*

Hinc 4°. Duplæ stipulatio tunc committitur, quoties... emptori habere non liceat propter ipsam (*h*) evictionem. *l.* 21. §. 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Quòd si emptor condemnatus est restituere, nondum committitur stipulatio; nec committetur, si quo casu Sententia exitum non habeat. Tit. *de Evict.* N. 12.

(*b*) Si tamen venditor quem emptor dedit procuratorem, victus litis æstimationem solvit; stipulatio non committetur, cùm emptori nec res nec pretium absit: l. 21. § 2. ff. *de Evict.* d. tit. N. 11.

(*c*) Qui citra suam culpam rem non possidebat.

(*d*) Rei vindicatione, Hypothecariâ actione, Noxali actione, Proclamatione in libertatem, &c.

(*e*) Secùs de actione *Empti*, quæ ex hâc causâ datur contra venditorem qui sciens emptorem decepit; suprà N. 1082.

(*f*) Nec enim res evincitur per judicem; quamvis emptor quodammodo ipse sibi eam evincat, & ideò detur actio *Empti* suprà.

(*g*) Propriè enim judex non est, arbiter ex compromisso sumptus : sed datur actio *Empti*, ut suprà.

(*h*) Id est, propter ipsam Sententiam. Hinc si servus quem condemnatus sum restituere, fugerit, stipulatio non committetur; quia propter fugam, non propter Sententiam mihi abest.

M C X X V I I.

Oportet etiam ut res evincatur ex causâ existente tempore contractûs.

Hinc 1°. Si (*a*) judicio emptor non adfuit, vel præsens per injuriam judicis victus est absente auctore; regressum adversùs eum non habet. *l.* 8. § 1. *Cod. h. tit.*

Hinc 2°. Nec ex empto, nec ex stipulatione Duplæ, actio competit emptori; si exceptio ei ex facto ipsius opposita obstiterit. *l.* 27. ff. *d. tit.*

(*a*) Et generaliter, quotiescumque culpâ ejus contigit ut ei evinceretur; ut, si culpâ suâ possessione excidit, & victus est in petitione rei quam retinere potuisset, si possessor fuisset; si omisit culpâ suâ exceptionem quâ potuisset summovere petitorem. Hæc tamen culpa objici non potest, quum agit is qui ipse de evictione tenebatur. Tit. *de Eviction.* N. 27.

M C X X V I I I.

Emptor fundi nisi auctori aut heredi ejus denuntiaverit (*a*); evicto prædio, nec Ex stipulatu nec Ex empto actionem habet. *l.* 8. *Cod. h. tit.*

Quolibet tempore venditori renuntiari potest; dùm tamen ne propè ipsam condemnationem. *l.* 29. § 2. ff. *d. tit.*

Quum servus vendidit; Denuntiare de evictione emptor servo, non domino (*b*), debet. *l.* 39. § 1. ff. *d. tit.*

Auctore laudato, si evicta res est; fidejussorem, etiamsi agi causam ignoraverit, conveniri evictionis nomine posse non ambigitur. *d. l.* 29. § 2.

(*a*) Non obstat tamen omissa denuntiatio, si aut pacto remissa est, aut emptor non potuit denuntiare, putà, per venditoris absentiam.

(*b*) Nisi servus decesserit.

M C X X I X.

Cujus rei evictio committat stipulationem.

Evictionum tot actiones sunt, quot & species rerum quæ emptione comprehensæ sunt. *l.* 72. ff. *d. tit.*

In stipulatione DUPLÆ, quum homo venditur, partis adjectio est necessaria; quia non potest videri homo victus, quum pars ejus evicta est. *l.* 56. § 2. *ff. d. tit.*

Nave aut domo emptâ, singula cæmenta vel tabulæ emptæ non intelliguntur; ideòque nec evictionis nomine obligatur (*a*) venditor. *l.* 36. ff. *de Evict.*

Evicto partu, venditor non potest de evictione conveniri (*b*). *l.* 42. ff. *d. tit.*

(*a*) Scilicet ex hâc actione, at tenetur *Ex empto.*

(*b*) At *Ex empto.* potest.

M C X X X.

Cui oporteat rem esse evictam.

Committitur stipulatio evictionis, non solùm quum ipsi emptori, sed & quum successori ejus res evincitur; quam ei non evinci interfit emptoris : ex l. 22. *l.* 23. *l.* 24. *ff. h. tit.*

Evicto fundo : Sive is qui de evictione satis acceperat, emptori (*a*) cui ipse vendiderat; sive emptor (*b*) venditori suo heres extiterit; fidejussores (*c*) tenebuntur. *l.* 41. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Secundo.

(*b*) Secundus.

(*c*) Primi venditoris.

§ III.

Quibus & adversùs quos competat actio de evictione.

C M X X X I.

Non potest legatarius *rei emptæ*, denuntiare venditori; nisi cessæ ei fuerint actiones. *l.* 59. *ff. d. tit.*

Si ei qui mihi vendidit, plures heredes extiterunt; una de evictione obligatio est, omnibusque denuntiari & omnes defendere debent. Si de industriâ non venerint, unus tamen liti substitit; omnibus vincit aut vincitur. *l.* 62. § 1. ff. *d. tit.*

§ IV.

Quid veniat in hâc actione.

M C X X X I I.

Si fundus quem flumen *putà* deminuerat, evictus sit;

Source : BIU Cujas

non deminuetur evictionis (*a*) obligatio. Nam & è contrario non augetur, si res melior fuerit effecta. *l.* 64. ff. *d. tit.*

Quum pro diviso pars aliqua fundi evincitur, tametsi certus numerus jugerum traditus sit; non pro modo, sed pro bonitate regionis præstatur evictio. *d. l.* 64. § 3.

Bonitatis (*b*) æstimatio facienda, quum pars evincitur; quæ fuisset venditionis tempore, non quum evinceretur. *l.* 13. ff. *d. tit.*

(*a*) Semper enim est duplum pretii. Secùs in actione *Empti.*
(*b*) Secùs in actione *Empti.*

ARTICULUS IV.

De Locatione-conductione.

§ I.

De hujus contractûs affinitate aut differentiis cum contractu Emptionis-venditionis.

MCXXXIII.

Locatio-conductio proxima est emptioni-venditioni, iisdemque Juris regulis consistit (*a*). *l.* 2. ff. *Locati.*

(*a*) Perficitur enim solo consensu, simul atque de pretio seu mercede convenerit; & illud pretium debet pariter esse serium, certum, & in pecuniâ numeratâ consistere aut saltem in fructibus quos fundus locatus ferat; licetque pariter contrahentibus in eo pretio se circumvenire.

MCXXXIV.

In his autem locatio ab emptione differt.

Non (*a*) solet locatio dominium mutare. *l.* 39. ff. *Locat.*

Toties conductio alicujus rei est, quoties materia in quo aliquid præstatur, in eodem statu ejusdem (*b*) manet; quoties verò & immutatur & alienatur (*c*), emptio magis quàm locatio intelligi debet. *l.* 65. *ff. de Contrah. empt.*

Hinc Non potest locatio esse, ubi corpus ipsum (*d*) non detur ab eo cui id (*e*) fieret. *l.* 20. ff. *d. tit.*

(*a*) Dicit, *non solet*; quia in locationibus irregularibus, aliquando dominium transit in conductorem; ut in specie legis 31. ff. *Locati*, in conductorem frumenti vehendi: sed hoc fit præter naturam hujus contractûs.
(*b*) Ut quum do aurifici aurum meum, ut ex illo mihi faciat annulos.
(*c*) Ut quum convenit cum aurifice, ut is ex suo auro mihi faciat annulos.
(*d*) Putà, aurum.
(*e*) Opus, V. G. annulus.

§ II.

Quid possit conductor circa rem conductam, & ad quid teneatur.

MCXXXV.

Nemo prohibetur rem quam conduxit fruendam, alii locare; si nihil aliud convenit. *l.* 6. *Cod. h. tit.*

Conductor omnia secundùm legem conductionis facere debet. *l.* 25. § 3. ff. *Locati.*

Ante omnia colonus curare debet ut opera rustica suo quoque tempore faciat. Prætereà villarum curam agere debet, ut eas incorruptas habeat. *d.* § 3.

MCXXXVI.

Prospicere debet conductor, ne aliquo vel jus (*a*) rei vel corpus deterius faciat, vel fieri patiatur. *l.* 11. § 2. ff. *d. tit.*

Conductor Culpam etiam eorum quos induxit, præstet suo nomine; etsi nihil convenit: si tamen culpam in inducendis admisit, quòd tales habuerit vel suos vel hospites. *d. l.* 11.

Culpæ *coloni* adnumeratur, si propter inimicitias ejus vicinus arbores excîderit. *l.* 25. § 4. ff. *d. tit.*

Si in locatione convenit, IGNEM ne habeto; & habuit *conductor*, tenebitur: etiamsi casus fortuitos admisit incendium. *d. l.* 11. § 1.

Si quis conductionis titulo quamcunque rem accepit; possessionem primò restituere debet, & tunc de proprietate litigare. *l.* 25. *Cod. Locat.*

(*a*) Ut si culpâ suâ servitutes fundo conducto debitas patiatur *Non utendo* amitti

§ III.

Ad quos successores jus obligatio-ve ex hoc contractu transeat.

MCXXXVII.

Viam veritatis ignoras, in conductionibus non succedere heredes conductoris existimans. *l.* 10. *Cod. Locat.*

Emptorem (*a*) fundi necesse non est stare colono cui prior dominus locavit (*b*), nisi eâ lege emit. *l.* 9. *Cod. d. tit.*

Qui fundum in plures annos locaverat, decessit, & eum legavit: Cassius negavit posse cogi colonum (*c*) ut fundum coleret. *l.* 32. ff. *Locat.*

(*a*) Idem dic de quovis alio successore singulari, putà legatario: l. 120. ff. *de Legatis* 1°. Obligationes enim ex contractibus, in heredes universique juris successores, non in singulares rei successores transeunt.
(*b*) Sed locatorem ejus-ve heredes conductor, in id quod suâ interest prohibitum esse frui, habet obligatos.
(*c*) Non à legatario, cùm sit successor singularis: nisi simul ei legatæ sint actiones: nec ab herede, cùm jam ejus non interfit: d. l. 32.

§ IV.

De actione Locati *ad solutionem mercedis.*

MCXXXVIII.

Qui contra legem conductionis fundum ante tempus sine justâ causâ deseruerit; ad solvendas totius temporis pensiones (*a*) conveniri potest. *l.* 55. § 2. *ff. d. tit.*

Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet; si per eum non stetit quominùs (*b*) operas præstet. *l.* 38. ff. *d. tit.*

(*a*) Et generaliter in id omne in quod se conductor obligavit; sed deducere potest impensas quas fecit: Tit. *Locati.* N. 20.
(*b*) Nec locavit eas alteri.

§ V.

De actione Conducti, *quibus ex causis, & ad quid detur.*

MCXXXIX.

PRIMA CAUSA: *Quòd conductori frui non liceat.*

Si dominus frui non patiatur, vel quum ipse locasset, vel quum alius; quod interest præstabitur (*a*). *l.* 15. § 8. ff. *Locati.*

Sera (*b*) est patientia fruendi, quæ offertur eo tempore quo frui colonus aliis rebus illigatus non potest. *l.* 24. § 4. *ff. d. tit.*

Conductor si ab eo interpellabitur, quem tu prohibere propter vim majorem (*c*) aut potentiam non poteris; nihil ampliùs ei quàm mercedem remittere debebis. *l.* 33. ff. *d. tit.*

(*a*) A locatore. Quomodo autem æstimetur hoc quod interest, vide Tit. *Locati.* N. 47.
(*b*) Ex hâc regulâ colligitur locatorem qui frui prohibuit conductorem, teneri ei in id quod ejus interest non frui per totum tempus conductionis; licèt posteà ei offerat ut fruatur.
(*c*) Secùs si is qui interpellavit conductorem, jus habuit ex causâ quæ tempus contractûs antecesserit; vel novâ quidem, sed quæ ex facto locatoris profecta sit: *d. tit.* N. 44. 45. & 46.

Source : BIU Cujas

Si fructuarius locaverit fundum in quinquennium, & decesserit; heredem ejus non teneri ut frui (*d*) præstet. *l.* 9. § 1. *ff. d. tit.*

Si insulam locatam dominus reficiendo, ne eâ conductor frui possit effecerit; animadvertitur, necessariò (*e*) necne demolitus est. *l.* 35. *ff. d. tit.*

Inquilinus Si timoris causâ emigrasset... si causa fuisset cur periculum timeret, quamvis periculum verè non fuisset; tamen non debere mercedem (*f*). *l.* 27. § *fin.* ff. *d. tit.*

(*d*) Sed tantùm ut mercedes futuri temporis remittat. Hoc ita, si quasi fructuarius, non si quasi dominus locavit.
(*e*) Si necessariò, tenetur duntaxat ut remittat mercedem quatenùs frui non licebit; si non necessariò, tenetur etiam in id quod interest.
(*f*) Et quidem per reliquum tempus conductionis; nisi paratus fuisset locator domum commodam ei præstare, donec conducta reficeretur.

M C X L.

Servius omnem vim cui resisti non potest, dominum colono præstare debere ait; ut putà, fluminum, graculorum, &c. ne supra damnum seminis amissi (*a*), mercedes agri præstare cogatur. *l.* 15. § 2. ff. *d. tit.*

Modicum damnum (*b*) æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur. *l.* 25. § 6. ff. *d. tit.*

Si uno anno remissionem quis colono dederit ob sterilitatem, deindè sequentibus annis contingit ubertas (*c*); nihil obesse domino remissionem: sed integram pensionem, etiam ejus anni quo remisit (*d*), exigendam. *l.* 15. § 4 ff. *d. tit.*

Si quia vitia ex ipsâ re oriantur, hæc damno (*e*) coloni esse; veluti, si vinum coacuerit. *d. l.* 15. § 2.

(*a*) Quod colonum spectare debet.
(*b*) Limitatio est præcedentis, quæ locum non habet nisi damnum immodicum fuerit.
(*c*) Insolita.
(*d*) Licèt verbo *Donationis* usus fuisset. Quippè sterilitas ubertate aliorum annorum pensatur.
(*e*) Cùm enim perceptione fiat dominus fructuum, sunt ejus periculo.

M C X L I.

SECUNDA CAUSA: *Quòd conductori frui quidem liceat, sed non jure conductionis.*

Si colono tuo usumfructum fundi legaveris; cum herede tuo aget Ex conducto, ut neque mercedes præstet, (*a*) & impensas quas in culturam fecerat, recipiat. *l.* 34. § 1. ff. *de Usufr.*

(*a*) Nec enim jam jure conductionis, sed jure sui ususfructûs fruitur.

M C X L I I.

TERTIA CAUSA: *Si deterior facta sit causa conductionis.*

Si vicino ædificante obscurentur lumina cœnaculi; quin liceat inquilino relinquere conductionem (*a*), nulla dubitatio est. Eadem intelligemus, si ostia fenestras-ve nimiùm corruptas locator non restituat. *l.* 25. § 2. ff. *Loc.*

Habitatores non si paulò minùs commodè aliquâ parte cœnaculi uterentur, statim deductionem ex mercede fieri oportet. *l.* 27. ff. *d. tit.*

(*a*) Et agere *Ex conducto*, ut mercedes deinceps sibi remittantur.

M C X L I I I.

QUARTA CAUSA: *Ob instrumenta colono non præstita.*

Regula est, Dolia colono esse præstanda, & prælum, & trapetum (*a*) instructa funibus; fiscos autem quibus ad premendam oleam utimur, colonum sibi parare (*b*) debere. *l.* 19. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Mola olearia.
(*b*) Item ad onus coloni est, picare dolia.

M C X L I V.

QUINTA CAUSA: *Scilicet damni quod conductor sensit ex vitio rei conductæ, utendo ad usum ad quem eam conduxerat.*

Si quis dolia vitiosa ignarus locaverit; deindè vinum effluxerit; tenebitur in id quod interest, nec ignorantia ejus erit (*a*) excusata. *d. l.* 19. § 1.

Si saltum pascuum locasti in quo herba mala nascebatur, & pecora demortua sunt; quod interest præstabitur, si sciisti; si ignorasti, pensionem (*b*) non petes. *d.* § 1.

Si hominem tibi locavero, & is furtum *tibi* fecerit; dicendum, extra causam (*c*) conductionis esse furti crimen. *l.* 45. § 1. *d. tit.*

(*a*) Scire enim debuit.
(*b*) Non in id quod interest, teneberis; insuperabilis enim, adeòque excusabilis, hæc ignorantia.
(*c*) Non igitur actioni *Conducti*, sed *Noxali* actioni Furti locus erit.

M C X L V.

SEXTA CAUSA: *Ut conductori tollere liceat quæ intulit aut ædificavit.*

Si inquilinus quædam ædificio adjecerit; est verius competere ex conducto actionem, ut ei tollere (*a*) liceat. *l.* 19. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Sic tamen ut *Damni infecti*, quod in eis tollendis fieri posset, caveat.

§ V I.

Quando possit stante conductione inquilinus expelli.

M C X L V I.

Ædes quam conductam habere dicis, si pensionem solvisti, expelli te non oportet; nisi propriis usibus dominus eam necessariam probaverit, aut corrigere domum maluerit, aut malè in re locatâ versata es. *l.* 3. *Cod. Locati.*

Quum domini horreorum insularumque desiderant, diù (*a*) non apparentibus, nec pensiones exsolventibus, aperire, & ea quæ ibi sunt describere; audiendi sunt. *l.* 56. ff. *Locat.*

(*a*) Id est, per biennium. d. l. 56.

§ V I I.

De Reconductione, & pignoribus conductionum.

M C X L V I I.

Intelligitur dominus, quum patitur colonum in fundo esse, ex integro (*a*) locare. *l.* 14. ff. *Locat.*

(*a*) Et quidem in annum, si sit prædium rusticum; in urbanis autem prædiis, demùm prout quisque habitaverit, obligatur.

M C X L V I I I.

Si colonus locaverit fundum, res posterioris conductoris domino non obligantur; sed fructus in causâ pignoris manent. *l.* 24. § 1. ff. *d. tit.*

Qui impleto tempore conductionis remansit in conductione, non solùm reconduxisse videbitur, sed etiam pignora (*a*) videntur durare obligata. *l.* 13. § 11. *ff. d. tit.*

(*a*) Scilicet quæ ipse dedit, & quorum est dominus. Nam si alius pro eo dedit requiritur movus domini consensus.

§ V I I I.

De locatione operis faciendi.

M C L X I X.

Qualiscumque dies operi faciendo præfinita sit; Id actum

Source : BIU Cujas

apparet esse, ut eo spatio absolveretur sine quo fieri non possit. *l.* 58. § 1. *ff. d. tit.*

Non interest utrùm uno pretio opus, an in singulas operas collocatur; si modò universitas consummationis ad conductorem pertinuit. *l.* 51. § 1. ff. *d. tit.*

M C L.

Opus quod aversione locatum est, donec approbetur (*a*), conductoris periculum est. Quod verò ita conductum sit ut in pedes mensuras-ve præstetur; eatenùs conductoris periculo est, quatenùs admensum (*b*) non est. *l.* 36. *ff. d. tit.*

Si vi majore opus priùs interciderit quàm approbaretur, locatoris periculo (*c*) est. *d. l.* 36.

(*a*) Aut in morâ approbandi fuerit locator.
(*b*) Aut in morâ locator fuerit.
(*c*) Nisi probet tale fuisse ut probari non deberet: l. 37. ff. *d. tit.*

§ IX.

De singulari specie actionis Ex locato *; quæ dominis mercium jactu amissarum competit, adversùs magistrum navis, ad contributionem faciendam ex Lege Rhodiâ.*

M C L I.

Lege Rhodiâ cavetur; ut, si levandæ navis gratiâ jactus mercium factus est, omnium contributione sarciatur quod pro omnibus datum est. *l.* 1. ff. *de L. Rhod.*

Legis æquitatem tunc admitti placuit; quum jactûs remedio, cæteris in communi periculo salvâ navi consultum est. *l.* 5. *ff. d. tit.*

Placuit omnes (*a*) quorum interfuisset jacturam fieri, conferre oportere. *l.* 2. § 2. ff. *d. tit.*

Jacturæ summam, pro rerum pretio distribui oportet (*b*). *d.* § 2.

(*a*) Tam dominum navis quàm dominos mercium quæ per jactum salvæ factæ sunt. Sed & pro vestimentis suis conferunt vectores, non tamen pro cibariis; nec etiam sit ulla corporum liberorum æstimatio.
(*b*) Inter eos qui res suas amiserunt; & eos quorum res illarum jacturâ servatæ sunt.

M C L I I.

In contributione Legis Rhodiæ; Detrimenti, non lucri fit (*a*) præstatio. *d. l.* 2. § 4.

Sicut & ei qui perdiderit, subvenitur; ita & ei subveniri oportet, qui deteriores propter jactum res habere cœperit. *l.* 4. § 2. ff. *d. tit.*

Amissæ navis damnum, collationis consortio non sarcitur, per eos qui merces suas naufragio (*b*) liberaverunt. *l.* 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Adeòque res amissæ æstimantur duntaxat quanti essent, non quanti posteà venire potuissent.
(*b*) Ratio est, quia damnum navis merces non liberavit.

CLASSIS QUARTA.

De Obligatione litterarum.

Vide lib. 44. *Tit.* de Oblig. & act. *N.* 11.

SECTIONIS II.

PARS SECUNDA.

De contractibus innominatis, & de actionibus Præscriptis verbis & In factum *quæ ex his contractibus dantur.*

M C L I I I.

Naturâ rerum conditum est, ut plura sint negotia quàm vocabula. *l.* 4. *ff. de Præscr. verb.*

Quum deficiunt vulgaria atque usitata actionum nomina (*a*), PRÆSCRIPTIS VERBIS (*b*) agendum est. *l.* 2. *ff. d. tit.*

Quoties deficit actio vel exceptio; Utilis actio (*c*) vel exceptio est. *l.* 21. ff. *d. tit.*

Quoties de nomine contractûs alicujus ambigeretur, conveniret tamen aliquam actionem dari; dandam Præscriptis verbis actionem. *l.* 1. ff. *de Æstim.*

(*a*) Aut etiam quum dubitatur de naturâ contractûs, & an civilis & nominata actio competat.
(*b*) Cur ita dictæ hæ actiones, vide lib. 19. Tit. *de Præscr. verb.* N. 1. in Notis.
(*c*) Scilicet quum negotium aliquam affinitatem habet cum aliquo contractu civili; actio *Utilis* ad instar actionis quæ ex hoc contractu descendit, datur: sin, locus est actioni DE *dolo*, vel actioni *In factum.*

PRIMA CLASSIS.

Contractuum innominatorum : Do ut des.

§ I.

De Permutatione.

M C L I V.

Aliud dando ut aliud reddatur, obligari Jure Gentium possumus. *l.* 25. ff. *de Præscrip. verb.*

Non placet permutationem rerum, emptionem esse. *l.* 5. § 1. ff. *de Præscrip. verb.*

Permutatio ex re (*a*) traditâ initium obligationi præbet. *l.* 1. § 2. ff. *de Permut.*

Pedius ait; Alienam rem dantem, nullam contrahere permutationem (*b*). *d. l.* 1. § 3.

Permutatio vicina est emptioni (*c*). *l.* 2. ff. *de Permut.*

(*a*) Pactum permutationis nullam obligationem parit, nisi quum ab unâ parte traditio secuta est; & hâc in re differt ab emptione.
(*b*) Adeòque, etsi tradidero rem si dominium ejus non transtulero; non possum agere ut vicissim mihi res de quâ convenit detur, sed tantùm ut ea quam tradidi mihi reddatur.
(*c*) Adeoque is cui res data est ut alteram daret, tenetur non solùm eam dare, sed omnia circa eam præstare quæ venditor circa rem emptam; putà, mancipium sanum esse, &c.

M C L V.

In actione *quæ ex permutatione datur* id veniet, non ut reddas quod acceperis, sed ut damneris quanti interest meâ illud de quo convenit accipere; vel si meum recipere velim, repetatur quasi OB REM datum, re non secutâ. *l.* 5. § 1. ff. *de Præscript. verb.*

§ II.

De aliis contractûs Do ut des *innominati speciebus.*

M C L V I.

Dedi tibi pecuniam ut mihi Stichum dares: nulla (*a*) alia hîc obligatio est, quàm OB rem dati re non secutâ. *l.* 16. ff. *de Condict. caus. dat.*

Si æstimata tibi dedero, ut eadem mihi afferres aut pretium (*b*) eorum; deindè hæc perierint ante venditionem; ait Labeo, si quidem ego te venditor rogavi, meum esse periculum; si tu me, tuum. *l.* 17. § 1. ff. *de Præscript. verb.*

(*a*) Non est contractus *Emptionis*, quia non dedi ut obligareris ad præstandum mihi habere licere rem; sed dedi præcisè ut dares ac dominium transferres, quæ res exorbitat à contractu emptionis; & ideo in hâc specie, licèt citra culpam tuam mortuo Sticho eum non dederis, condicam pecuniam.
(*b*) De quo inter ipsos convenit.

SECUNDA CLASSIS.

Do ut facias.

M C L V I I.

Quum do UT FACIAS; si tale sit factum quod locari

Source : BIU Cujas

ſoleat, pecuniâ datâ locatio erit : ſi res, non erit locatio; ſed naſcetur vel civilis (*a*) actio in hoc quod meâ intereſt, vel ad repetendum Conditio. *l.* 5. § 2. ff. *de Præſcr. verb.*

Quum do ut facias; ſi tale eſt factum quod locari non poſſit, putà ut ſervum manumittas; ſive certum tempus adjectum eſt, idque tranſierit, ſive finitum non fuit, & tantum temporis conſumptum ſit ut potuerit manumitti; Condici poteſt, vel Præſcriptis verbis agi. *d.* § 2.

(*a*) Id eſt, actio *Præſcriptis verbis* ad inſtar civilis actionis *Locati-conducti.*

TERTIA CLASSIS.

FACIO ut des.

MCLVIII.

Si faciam UT DES, & poſteaquàm feci ceſſas dare, nulla erit civilis actio (*a*); & ideò DE DOLO dabitur. *d. l.* 5. § 3.

(*a*) Is enim contractus ad nullum ex nominatis contractibus accedit; non ad locationem operis faciendi, is enim contractus incipit à locatore qui dat pecuniam ut opus fiat; adeoque eſt *Do ut facias*, non verò, *Facio ut des.*

QUARTA CLASSIS.

FACIO ut facias.

MCLIX.

Si facio UT FACIAS... Præſcriptis verbis datur actio; quæ ſimilis erit Mandati actioni. *d. l.* 5. § 4.

SECTIONIS II.

PARS TERTIA.

De Pactis legitimis, necnon de Pollicitatione & Voto.

Pactum Legitimum *hîc generaliter vocamus, ex quo actio naſcitur; ſive illa ex juriſdictione Prætoris, ſive ex Lege aliquâ competat.*

Hujuſmodi pactorum plures ſunt ſpecies, Hypotheca *de quâ ſuprà Cap.* 5. Conſtitutum, Donatio, *&c.*

ARTICULUS I.

De pacto Conſtitutæ pecuniæ.

§ I.

Quid & pro quo debito poſſit conſtitui, & an ut alio loco aut die debeatur.

MCLX.

Hactenùs conſtitutum valebit, ſi quod conſtituitur debitum ſit. *l.* 11. ff. *de Conſt. pec.*

Etiamſi nullus appareat qui interim debeat (*a*), valet conſtitutum. *d. l.* 11.

Debitum ex quâcumque (*b*) causâ conſtitui poteſt. *l.* 1. § 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Putà, quia debitor captivus eſt, aut jacet ejus hereditas.
(*b*) Sive ex contractu certo vel incerto, ſive ex delicto debeatur: *d. tit.* N. 2.

Debitum vel naturâ ſufficit. *d. l.* 1. § 7.

Si quis conſtituerit quod Jure (*c*) Civili debet, Jure Prætorio (*d*) non debebat, id eſt per exceptionem; eſt verum, eum non teneri. *l.* 3. § 1. ff. *d. tit.*

Si maritus plus conſtituerit (*e*) ex dote quàm facere poterat; quia debitum conſtituerit, in ſolidum tenetur. *d. l.* 3.

(*c*) Ex merâ ſubtilitate Juris Civilis.
(*d*) Quo Prætor æquitatem tuetur per exceptiones.
(*e*) Extraneo; ſecùs, ſi mulieri: d. l. 3.

MCLXI.

Ex die obligatus, conſtituendo ſe eâdem die ſoluturum, tenetur. *d. l.* 3. § 2.

Si *quis* conſtituat alio loco ſe ſoluturum, teneri conſtat. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Et ſi *quis* citeriore die conſtituat ſe ſoluturum, tenetur. *l.* 4. ff. *d. tit.*

In quod ſub conditione debetur, ſive purè ſive certo die conſtituatur, eâdem conditione ſuſpenditur. *l.* 19. ff. *d. tit.*

Promiſſor hominis, homine mortuo quum per eum ſtaret quominùs traderetur, ſi hominem daturum ſe conſtituerit, tenebitur. *l.* 23. ff. *d. tit.*

Si quid debitum tunc fuit quum conſtitueretur, nunc non ſit; nihil ominùs tenet conſtitutum. *l.* 18. § 1. ff. *d. tit.*

MCLXII.

Cùm jam placet rem pro re ſolvi poſſe, nihil prohibet & aliud pro debito conſtitui. *l.* 1. § 5. *ff. d. tit.*

Si quis centum debens, ducentos conſtituat; in centum tantummodò tenetur. *l.* 11. § 1. *ff. d. tit.*

Si quis conſtituerit ſe pignus (*a*) daturum, debet hoc conſtitutum admitti. *l.* 14. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Vel ſe daturum fidejuſſores.

§ II.

Quis cui conſtituere poſſit, quomodo conſtitutum contrahatur, & de hujus effectu.

MCLXIII.

Et quod ego debeo, tu conſtituendo teneberis (*a*); & quod tibi debetur, ſi mihi conſtituatur (*b*), debetur. *l.* 5. § 2. ff. *d. tit.*

Servo quoque conſtitui poſſe conſtat. *d. l.* 5. § *fin.*

Præſente debitore an abſente conſtituat quis, parvi refert; hoc ampliùs, etiam invito (*c*). *l.* 27. *ff. d. tit.*

Conſtituere & præſentes & abſentes (*d*) poſſumus. *l.* 14. § 3. *ff. d. tit.*

Qui conſtituit ſe ſoluturum, tenetur; ſive adjicit certam quantitatem ſive (*e*) non. *d. l.* 14.

Qui inutiliter ſtipulatus eſt; cùm ſtipulari voluerit, non conſtitui ſibi, dicendum eſt De conſtitutâ experiri non poſſe. *l.* 1. § 4. *ff. d. tit.*

(*a*) Conſtituendo te ſoluturum, tanquam à me debitum; ſecùs, ſi tanquam à te.
(*b*) Tanquam tibi debitum ex tuâ voluntate.
(*c*) Nam pro invito ſolvi poteſt.
(*d*) Putà, per epiſtolam, per nuntium; ſolus enim conſenſus ſufficit.
(*e*) Id eſt, promittat *ſe ſoluturum* ſimpliciter; intelligitur enim promittere eam quantitatem quæ debetur.

MCLXIV.

Ubi quis pro alio conſtituit ſe ſoluturum; adhuc is pro quo conſtituit, obligatus manet. *l.* 28. *ff. d. tit.*

Si ſine die conſtituas... modicum tempus ſtatuendum eſt, non minùs decem dierum, ut exactio celebretur. *l.* 21. § 1. *ff. d. tit.*

Ex conſtituto, ſolutio (*a*) ad utramque obligationem proficit. *l.* 18. § 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Non litis conteſtatio.

Source : BIU Cujas

Si posteaquàm soli mihi te soluturum constituisti, solveris Titio (*b*); nihilominùs mihi teneberis. *l.* 8. ff. *d. tit.*

(*b*) Adjecto in priori contractu, vel etiam correo; nam per constitutum occupo creditum, ut jam soli mihi debeatur: l. 9. ff. *d. tit.* Similiter si, quum duæ res alternativè deberentur, constituisti te soluturum unam; non poteris solvere alteram: *d. tit.* N. 23.

ARTICULUS II.

De Donationibus.

Donatio quæ solâ traditione olim perficiebatur, ex Constitutione Justiniani facta est pactum Legitimum *; ex quo nascitur* Condictio ex Lege.

§ I.

De donationibus inter vivos.

MCLXV.

De earum naturâ.

Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur. *l.* 29. ff. *de Donat.* & *l.* 82. PAPIN. LIB. 9. RESPONS.

Et Cujus per errorem dati Condictio est, ejus consultò dati Donatio est. *l.* 53. PAUL. LIB. 42. AD EDICT.

Labeo scribit; Extra causam donationum esse officiorum (*a*) mercedes, putà si tibi adfuero. *l.* 19. ff. *de Donat.*

Stipulationes quæ ob causam fiunt, non habent donationem. *d. l.* 19. § 5.

Quum mixtum sit negotium (*b*) cum donatione; obligationem non contrahi, eo casu quo donatio est. *l.* 18. ff. *d. tit.*

Plura vide Tit. præced. in verb. Donatio.

(*a*) Et generaliter quotiescumque naturale debitum exsolvitur.

(*b*) NEGOTIUM est, quum datur ut aliquid vicissim detur aut fiat: DONATIO est, quum datur accipientis gratia duntaxat. Mixti cum donatione negotii exemplum est in d. l. 18. § 1. si servum tibi dedero ut eum post quinquennium manumittas, quatenùs do ut manumittas *Negotium* est; quatenùs ut tibi per quinquennium serviat, *Donatio est*: adeoque nullam intra hoc quinquennium manumittendi contrahis obligationem, sed manumittendi demùm elapso quinquennio.

MCLXVI.

De mutuo consensu in donationibus.

Nec ignorans nec invitus quisquam donat. *l.* 10. *Cod. h. tit.*

Non potest liberalitas nolenti (*a*) acquiri. *l.* 19. § 2. ff. *de Donat.*

Nec ignoranti (*b*): *ex l.* 10. & *l.* 26. ff. d. tit.

(*a*) Fallit in liberatione quæ nolenti acquiritur, si quis pro eo quod debet solverit: item quum quis in rem alicujus *Donationis causâ* aliquid impendit, putà fulcit domum, excolit agrum.

(*b*) Fallit in Pollicitationibus: item si quis his qui meo juri subjecti sunt, donet.

MCLXVII.

De Donationum consummatione.

Etiam per interpositam (*a*) personam donatio consummari potest. *l.* 4. ff. *de Donat.*

Idem *est* in his casibus usumfructum retinere, quod tradere. *l.* 28. *Cod. de Donat.*

Idem de aliis traditionis fictæ speciebus, suprà N. 474.

V. G. Quum ego Titio donaturus, te qui mihi tantumdem donare volebas jussero Titio promittere (*b*);

(*a*) Et quidem si interpositæ à donatario personæ res tradatur, statim consummata est donatio; si interpositæ à donatore personæ, non priùs consummatur quàm hæc persona rem donatario interpositæ-ve ab ipso personæ tradiderit. Vide Tit. *de Donat.* N. 48. & 15.

(*b*) Et promiseris.

inter omnes (*c*) personas donatio perfecta est. *l.* 2. § 2. ff. *de Donat.*

Item Delegationes nominum, perfectam donationem efficiunt. *l.* 11. § 1. *Cod. de Donat.*

Ex Constitutione Justiniani donationes perficiuntur, quum donator suam voluntatem scriptis aut sine scriptis manifestaverit (*d*). *Et* AD exemplum venditionis, *etiam in se habent necessitatem traditionis :* Instit. *Tit.* de Donat. § 2. *Modò tamen Actis insinuatæ fuerint : si quasdam excipias, in quibus hæc solemnitas remittitur ; Tit.* de Donat. *N.* 23.

(*c*) Inter me & Titium cui te delego, & inter te & me cujus jussu promittis Titio.

(*d*) Donatario acceptanti scilicet; ut liquet ex his quæ sequuntur, *Ad exemplum venditionis.*

MCLXVIII.

Qui donare possint necne.

Senectus ad donationem faciendam sola non est impedimento. *l.* 16. *Cod. de Donat.*

Mutus & surdus donare non prohibentur. *l.* 33. § 2. *ff. de Donat.*

Filiusfamilias donare non (*a*) potest, nec si liberam peculii administrationem (*b*) habeat. *l.* 7. ff. *de Donat.*

Post contractum capitale crimen, donationes factæ non valent . . . . si condemnatio secuta sit. *l.* 15. ff. *d. tit.*

(*a*) In peculio paganico. At ex castrensi potest, cùm in eo sit ad instar patrisfamilias.

(*b*) Nisi aut specialiter etiam donandi facultas concessa sit; aut ex dignitate filii, putà Senatoriâ, colligatur concessa.

MCLXIX.

Quibus donari possit necne.

In extraneos, & sæpè ignotos, donationem collatam valere receptum est. *l.* 29. *Cod. de Donat.*

Affectionis gratiâ neque honestæ neque inhonestæ (*a*) donationes sunt prohibitæ. *l.* 5. ff. *de Donat.*

Non est incerti Juris; in eum qui in sacris familiæ tuæ remanet, destinationem magis patriæ voluntatis factam, quàm perfectam donationem perveniisse. *l.* 11. *Cod. de Donat.*

(*a*) Putà, erga meretrices : nam & his donare non est prohibitum.

MCLXXI.

Quæ donari possint necne.

Portionem propriam rebus nondum divisis, nemò prohibetur titulo donationis in alium transferre. *l.* 12. *Cod. de Donat.*

Potest & citra (*a*) corporis donationem valere donatio. *l.* 9. ff. *de Donat.*

Spem futuræ actionis plenâ intercedente donatoris voluntate posse transferri, non immeritò placuit. *l.* 3. *Cod. de Donat.*

Donari (*b*) non potest, nisi quod ejus fit cui donatur. *l.* 9. § 3. ff. *de Donat.*

Quæ spectant Caput Legis Cinciæ, quo nonnisi intra certam quantitatem donare licebat, omittimus ; cùm abrogatum sit. De quo vide Tit. de Donat. *Art.* 4°. §°. 2°.

(*a*) Ut si donem debitori *Ne ab eo petam*, donem alicui *Ut gratis habitet.* d. l. 9.

(*b*) Cùm enim donator rei alienæ, nec dominium transferat nec de evictione obligetur; nihil videtur agere.

MCLXXII.

Quomodo conveniatur debitor ex causâ donationis.

Eum qui donationis causâ pecuniam vel quid aliud

Source : BIU Cujas

promiſit, de morâ ſolutionis pecuniæ uſuras non debere ſummæ æquitatis eſt. *l.* 22. ff. *de Donat.*

Qui ex donatione ſe obligavit, ex Reſcripto D. Pii in quantum facere poteſt convenitur (*a*). Sed enim id quod creditoribus debetur, erit (*b*) detrahendum. *l.* 12. *ff. d. tit.*

(*a*) Quum ipſi cui donare volebat, promiſit; & ab ipſo convenitur. Cæterùm nil refert an principali actione, an actione *Conſtitutæ pecuniæ* an actione *Judicati* conveniatur.
(*b*) Hoc ergo cæteris qui in id quod facere poſſunt conveniuntur, plus habet; ut non ſolùm quod ipſi neceſſe eſt ad victum, ſed quod & ipſi neceſſe eſt ad ſatisfaciendum cæteris ſuis creditoribus (qui tamen non ex ſimili donationis causâ creditores ſint) retinere poſſit.

M C L X X I I.

An & quando donationes inter vivos poſſint revocari.

Si donationem ritè feciſti, hanc auctoritate (*a*) Reſcripti Noſtri reſcindi non oportet. *l.* 5. *Cod. de Revoc. don.*

Sancimus donationes ... firmas manere ... niſi donationis acceptor ingratus (*b*) circa donatorem inveniatur. *l. fin. Cod. d. tit.*

Si unquam libertis patronus (*c*) filios non habens, bona omnia vel partem fuerit donatione largitus; & poſteà ſuſceperit liberos; quidquid largitus fuerit, revertetur in donatoris arbitrio & ditione manſurum. *l.* 8. *Cod. de Donat. revocar.*

(*a*) Multo minùs licebit ex ſolâ pœnitentiâ, ſed nec ſub quovis prætextu: *d. tit.* N. fin.
(*b*) Cauſas ingratitudinis vide in d. l. fin. *d. tit.* N. 47.
(*c*) Hæc lex moribus noſtris porrecta eſt, ad quaſvis donatorum perſonas qui liberos non habent.

M C L X X I I I.

De conditionibus & pactis quæ donationibus adjiciuntur.

Generaliter in donationibus definiendum eſt; multum intereſſe, cauſa (*a*) donandi fuit, an conditio (*b*). Si cauſa fuit, ceſſare repetitionem (*c*); ſi conditio, repetitioni locum fore. *l.* 3. ff. *de Donat.*

Legem quam donando dixiſti; ſive ſtipulatione proſpexiſti, Ex ſtipulatu; ſive non, PRÆSCRIPTIS VERBIS debes agere. *l.* 9. *Cod. de Donat.*

Quoties donatio ita conficitur, ut poſt tempus, id quod donatum eſt, alii reſtituatur... benignâ Juris interpretatione Divi Principes, ei qui (*d*) ſtipulatus non ſit, Utilem actionem juxta donatoris voluntatem competere admiſerunt. *l.* 3. *Cod. de Donat. quæ ſub mod.*

Perfecta Donatio conditiones poſteà (*e*) non capit. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

(*a*) Putà ſi donando pecuniam dixerim me tibi donare ut Stichum ex eâ emeres, non tamen eo animo ut te obligarem.
(*b*) Id eſt, lex ſub quâ tibi donavi, aliter non donaturus.
(*c*) Quamvis non ſecuta fuerit.
(*d*) Fideicommiſſario.
(*e*) Non aliàs quàm in ipsâ donatione poſſunt apponi, non ex intervallo.

§ II.

De donationibus Mortis cauſâ.

M C L X X I V.

De earum naturâ.

1. *Inter vivos* Qui donat *alicui*, illum potiùs quàm ſe habere mavult. At is qui mortis causâ donat... ſe potiùs habere vult quàm eum cui donat, illum deindè potiùs quàm heredem ſuum. *l.* 35. § 2. ff. *de Mort. cauſ. donat.*

Qui mortis causâ donat, quâ parte ſe cogitat, negotium (*a*) gerit. *d. l.* 35. § 3.

(*a*) *Negotium* hîc opponitur *Donationi*. Quum quid ſimpliciter alicui do, donatio eſt; quum do alicui ut ad aliquid mihi obligetur, negotium eſt. Undè, quatenùs is qui mortis causâ donat, hâc lege donat ut rem in caſum convaleſcentiæ aut pœnitentiæ donatarius reddere teneatur, magis negotium gerit quàm donat.

2. Non videtur perfecta donatio mortis causâ, antequàm mors inſequatur. *l.* 32. ff. *d. tit.*

Quodcumque in legatis Juris eſt, id in mortis causâ donationibus (*b*) erit accipiendum. *l.* 37.

Corrollarium Ium. Mortis causâ donationes .... infirmantur per æs (*c*) alienum. *l.* 66. § 1. ff. *ad L. Falcid.*

Corollarium IIum. Si quis mortis causâ donaverit, & pœnâ fuerit capitis affectus; removetur donatio ut imperfecta, quamvis cæteræ donationes ſine ſuſpicione pœnæ factæ valeant. *l.* 7. ff. *Mort. cauſ. donat.*

3. Ei cui mortis causâ donatum eſt, poſſe ſubſtitui conſtat; in hunc modum ut promittat alicui, ſi ipſe capere non poſſit, vel ſub aliâ conditione. *l.* 10. ff. *d. tit.*

4. *Regula eſt;* Eum *qui in extremis conſtitutus* abſolutè donaret, non tam mortis causâ quàm morientem donare. *l.* 42. § 1. ff. *d. tit.*

Ubi ita donatur mortis causâ ut nullo caſu revocetur; cauſa donandi magis eſt, quàm mortis causâ donatio; & perindè haberi debet, atque alia quævis inter vivos donatio. *l.* 27. ff. *d. tit.*

(*b*) Ergo Falcidiæ obnoxiæ ſunt. Vide etiam Reg. ſeq.
(*c*) Etſi donator non habuerit animum fraudandi creditores.

M C L X X V.

Quotuplex ſit Mortis causâ donatio.

Tres ſpecies mortis causâ donationum.... Una, quum quis ... ſolâ cogitatione mortalitatis donat... Alia, quum quis imminente periculo commotus ita donat ut ſtatim fiat (*a*) accipientis. Tertium genus, ſi quis periculo motus non ſic det ut ſtatim fiat accipientis, ſed tunc demùm quum mors fuerit inſecuta. *l.* 2. ff. *d. tit.*

Mortis causâ capimus, non tunc ſolùm quum quis ſuæ mortis causâ nobis donat, ſed & ſi propter (*b*) alterius mortem id faciat. *l.* 18. ff. *d. tit.*

(*a*) Hâc mente tamen; ut, ſi periculum evaſerit, res ſibi reddatur.
(*b*) Putà, propter mortem filii donatoris; hâc lege ut, ſi filius convaluerit, reddatur res donatori.

M C L X X V I.

Qui, quibus & quid, donare Mortis causâ poſſint.

1. Tam is qui teſtamentum facit, quàm qui non facit, mortis causâ donare poteſt. *l.* 25. ff. *d. tit.*

Filiusfamilias qui non poteſt facere teſtamentum nec voluntate patris; mortis causâ donare patre permittente (*a*) poteſt. *l.* 25. § 1. *ff. de Mort. cauſ. donat.*

2. Omnibus mortis causâ capere permittitur, qui ſcilicet & legata accipere poſſunt. *l.* 9. ff. *d. tit.*

In mortis causâ donationibus, non tempus donationis ſed mortis intuendum eſt, an quis capere poſſit. *l.* 22. *ff. d. tit.*

3. Mortis causâ ſervum manumitti (*b*) poſſe, non eſt dubitandum. *l.* 15. ff. *de Manumiſſ.*

(*a*) *Specialiter.* Nec enim ſatis eſſet, ſi generaliter *Donare* pater permiſiſſet: l. 7. § 5. ff. *de Donat.*
(*b*) Ita ut tunc demùm libertas competat, quum manumiſſor morietur.

M C L X X V I I.

De revocatione donationum Mortis causâ.

Mortis causâ donatio; etiam dum pendet an convaleſcere poſſit donator, revocari (*a*) poteſt. *l.* 16. ff. *de Mort. cauſ. don.*

Si filiofamilias mortis causâ donatum, ſit morte (*b*) filii Condictionem competere; ſi modò potiùs filio

(*a*) Ex ſolâ donatoris pœnitentiâ.
(*b*) Idem, quum donatum eſt ſervo: l. 44. ff. *d. tit.*

quàm

quàm patri donaturus dedit. Alioquin ſi quaſi miniſterio ejus pater uſus ſit, patris mortem ſpectandam. *l.* 23. *ff. d. tit.*

Si quis invicem ſibi mortis causâ donaverunt, pariter deceſſerint; neutrius heres repetet, quia neuter ſupervixit. *l.* 26. *ff. d. tit.*

MCLXXVIII.

De actionibus quibus revocantur Mortis causâ donata.

Qui mortis causâ donavit (*a*), ipſe ex pœnitentiâ Condictionem (*b*) vel Utilem actionem habet. *l.* 30. *ff. d. tit.*

Si alienam rem mortis causâ donavero, eaque uſucapta fuerit; verus dominus eam condicere non poteſt, ſed ego ſi convaluero (*c*). *l.* 13. *ff. d. tit.*

Quod debitori acceptum factum eſt mortis causâ, etiam tempore liberato ei poteſt condici. *l.* 24. *ff. d. tit.*

Si duobus debitoribus mortis causâ donaturus creditor uni acceptum tulit, eligere poteſt utri condicat. *l.* 35. § 6. *ff. d. tit.*

(*a*) Sic ut rem ſtatim faceret accipientis: alioquin *Directam* actionem *In rem* haberet.
(*b*) Vel ipſius rei; vel pretii, ſi alienata aut facto donatarii culpâ-ve extare res deſiit.
(*c*) Aut pœnituero.

ARTICULUS III.

De Pollicitatione, & Voto.

MCLXXIX.

Non ſemper obligari eum qui pollicitus eſt, ſciendum eſt. Si ob honorem promiſerit decretum ſibi vel decernendum, vel ob aliam juſtam (*a*) cauſam, tenebitur ex pollicitatione; ſin verò ſine causâ promiſerit, non erit obligatus. *l.* 1. § 1. *ff. de Pollic.*

Si ſine causâ promiſerit, cœperit tamen (*b*) facere; obligatus eſt qui cœpit. *d. l.* 1. § 2.

Locum habet diminutio pollicitationis in perſonâ (*c*) heredis; quoties non eſt... ob honorem facta... Si ob honorem facta ſit, ... in heredum perſonâ non minuitur. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Si quis ob honorem.... promiſerit, & antequàm honorem ineat, decedet; non oportet heredes ejus conveniri... niſi vivo eo opus fuerit inchoatum. *l.* 11. *ff. d. tit.*

(*a*) Putà ob caſum quem civitas paſſa ſit, incendium, ruinam &c.
(*b*) Sive ipſe cæpit opus, ſive Reſpublica cœpit facere contemplatione pecuniæ quam pollicitus eſt.
(*c*) Liberi heredes intra decimam duntaxat, extranei heredes intra quintam duntaxat bonorum defuncti partem opus adimplere tenentur; ipſe donator ſi pauper ſit, intra quintam patrimonii ſui partem tenebitur.

MCLXXX.

Voto patresfamiliarum obligantur, puberes ſui juris: filiusfamilias vel ſervus ſine patris domini-ve auctoritate, voto non obligantur. *l.* 2. § 1. *ff. d. tit.*

Voti obligationem ad heredem tranſire conſtat. *d. l.* 2. § 2.

Votum, Perſonam voventis, non rem (*a*) quæ vovetur obligat. *d. l.* 2. *pr.*

Poſt Kalendas Januarias die tertio, pro ſalute Principis (*b*) vota ſuſcipiuntur. *l.* 233. § 1. *ff. de Verb. ſignif.* GAIUS LIB. I. AD L. XII. TAB.

(*a*) Nec enim efficitur ſacra, donec ritè conſecrata ſit.
(*b*) Mos ille & ſub Principibus chriſtianis perſeveravit, & libra auri offerebatur: l. 1. Cod. *de Oblat. vot.* lib. 12.

SECTIO III.

De Quaſi-contractibus.

Plures ſunt Quaſi-contractuum ſpecies; putà, Tutela & Cura *de quibus ſuprà Part.* 1^a. *Cauſa* Judicati, *de quâ infrà Part. ſeq. Cæteræ quæ hîc recenſendæ veniunt, quatuor numerantur:* Indebiti *ſolutio*, Negotiorum *geſtio*, Vicinia, & Communio *ſive hereditatis ſive rei cujuſlibet ſingularis.*

ARTICULUS I.

De indebito ſoluto, & Condictione Indebiti.

§ I.

Quid videatur debitum, ut repeti non poſſit; quid indebitum, ut repeti poſſit.

MCLXXXI.

Ex his omnibus cauſis quæ jure non valuerunt, vel non habuerunt effectum; ſecutâ per errorem ſolutione, Condictioni locus erit. *l.* 54. *ff. de Condict. ind.*

Hinc Si quod pupillus ſine tutoris auctoritate promiſerit, ſolverit; ejus repetitio eſt, quia nec naturâ debet. *l.* 41. *ff. d. tit.*

At Ex quibus cauſis retentionem (*a*) quidem habemus, petitionem autem non habemus; ea ſi ſolverimus, repetere non poſſumus. *l.* 51. ff. *d. tit.*

V. G. Si quod dominus (*b*) ſervo debuit, manumiſſo ſolvit; quamvis exiſtimans ei teneri aliquâ actione, repetere non poterit. *l.* 64. ff. *d. tit.*

(*a*) Id eſt quod per exceptionem, per compenſationem retinere poſſumus; ſcilicet quodcumque, non quidem civiliter, ſed naturaliter debetur.
(*b*) Idem dic vice versâ; idem de eo quod pater filio aut filius patri ante emancipationem debebat. Inter eos quippe quorum alter alterius juri ſubjectus eſt, non quidem civilis, ſed naturalis obligatio poteſt conſiſtere.

MCLXXXII.

Indebitum ſolutum accipimus, non ſolùm ſi omninò non debeatur, ſed & ſi per aliquam (*a*) exceptionem perpetuam, peti non poterat. *l.* 26. § 3. ff. *d. tit.*

Nam Deſinit debitor eſſe qui nactus eſt exceptionem juſtam, nec ab æquitate naturali abhorrentem. *l.* 66. JULIAN. LIB. 60. DIGEST.

Si ejus causâ exceptio datur cum quo (*b*) agitur, ſolutum repetere poteſt; ubi verò in odium ejus (*c*) cui debetur... non repetitur. *l.* 40. ff. *de Cond. ind.*

Sufficit ad cauſam indebiti, incertum (*d*) eſſe an temporaria an perpetua ſit exceptionis defenſio. *l.* 56. *ff. d. tit.*

(*a*) Fallit regula, ſi ea ſit exceptio quæ relinquat obligationem naturalem; qualis eſt obligatio *Rei judicatæ*, *Macedoniani.*
(*b*) Qualis eſt exceptio *Velleiani.*
(*c*) Qualis eſt exceptio *Macedoniani.*
(*d*) Ut quum debitor pactus eſt, ne peteretur *Donec Titius Conſul eſſet.*

MCLXXXIII.

Sub conditione debitum per errorem ſolutum, pendente conditione (*a*) repetitur. *l.* 16. ff. *d. tit.*

At In diem (*b*) debitor, adeò debitor eſt ut ante diem ſolutum repetere non poſſit. *l.* 10. *ff. d. tit.*

(*a*) Nam nondum debetur, ſed tantùm ſpes eſt debitum iri.
(*b*) Certum; nam incertus conditionem facit.

MCLXXXIV.

Indebitum eſt, non tantùm quod omninò non debetur; ſed & quod alii debetur, ſi alii ſolvatur; aut ſi id

Source : BIU Cujas

quod alius debebat, alius quasi ipse (*a*) debeat, solvat. *l.* 65. § *fin. ff. d. tit.*

Repetitio nulla est ab eo qui suum recipit, tametsi ab alio quàm à vero debitore solutum (*b*) est. *l.* 44. *ff. d. tit.*

(*a*) Secùs si nomine veri debitoris solverit. Vide Reg. seq.
(*b*) Scilicet veri debitoris nomine.

M C L X X X V.

Plus (*a*) debito solutum, per Condictionem rectè recipietur. *l.* 45. *ff. d. tit.*

Si duo rei qui decem debebant, viginti pariter (*b*) solverint... singulos quina repetituros. Planè si duos reos, non ejusdem pecuniæ, sed alterius obligationis constitueris; electio erit creditoris, cui velit solvere (*d*), ut alterius repetitio impediatur. *l.* 19. § 4. & *l.* 21. *ff. d. tit.*

Si decem AUT Stichum stipulatus, solvam quinque; posterior solutio (*e*) comprobabit, quinque utrùm debita an indebita solverentur. *l.* 26. § 13. *ff. d. tit.*

(*a*) Et quidem vel ex eo solo plus debito solviſſe videtur, quòd omiserit retentiones & deductiones; quinetiam vel ex eo solo quòd omiserit exhiberi sibi cautionem quæ erat exhibenda.
(*b*) Id est, simul eodem tempore; nam si diversis temporibus, indebitum erit quod à posteriore solutum erit.
(*c*) Ut si ita stipulatus sum; *Tu Tui decem* VEL *tu Cai Stichum dabis.*
(*d*) Id est, solutum imputare.
(*e*) Nam debita fuisse videbuntur, si residua quinque solvantur; indebita verò, si Stichus solvatur.

§ II.

Quando non repetatur quod indebitè solutum est.

M C L X X X V I.

Quum suberat causa propter quam, licèt indebitè, solutum est; non repetitur.

Hinc 1°. Propter auctoritatem rei judicatæ, repetitio cessat. *l.* 29. § 5. *ff. Mandati.*

Quamvis non sit judicium; tamen sufficit ad impediendam repetitionem, quòd quis se putat (*a*) condemnatum. *l.* 36. *ff. Fam. erciſc.*

Hinc 2°. Quod transactionis nomine datur, licèt res nulla media (*b*) fuerit, non repetitur (*c*). *l.* 65. § 1. *ff. de Condict. indeb.*

Si transactio imperfecta (*d*) est, repetitio dabitur. *d. l.* 65.

Si quis.... quasi ex transactione dederit quæ facta non est, repeti potest; &, si resoluta sit transactio, idem erit dicendum. *l.* 23. *ff. d. tit.*

Hinc 3°. Ea quæ per inficiationem (*e*) in lite crescunt, ab ignorante etiam indebita soluta repeti non (*f*) posse, certissimi Juris est. *l.* 4. *Cod. h. tit.*

Hinc 4°. Per errorem dati Condictio cessat; quum sublatâ falsâ opinione relinquitur pietatis causa, ex quâ solutum repeti non potest. *l.* 32. § 2. ff. *d. tit.*

Hinc 5°. Indebitum solutum sciens (*g*) non rectè repetit. *l.* 9. *Cod. h. tit.*

(*a*) Modò tamen aliqua condemnatio, licèt inefficax, intervenerit.
(*b*) Nullum verum debitum.
(*c*) Nam transactio *Causa* est, propter quam solutum est.
(*d*) Putà, post rem judicatam, vel de re de quâ non licet transigere.
(*e*) Secùs, si actio ab initio sit *Dupli* aut *Quadrupli.*
(*f*) Ex hâc enim causâ videtur dedisse, ut evitet pœnam quæ ex inficiatione crescere posset.
(*g*) Videtur enim voluisse donare, & ob hanc causam solviſſe: suprà N. 1165.

§ III.

Cui & adversùs quem Condictio indebiti competat.

M C L X X X V I I.

Si per ignorantiam facti, non debitam quantitatem pro alio solvisti; hanc ei cujus nomine soluta erit restitui, eo agente *Præses* providebit. *l.* 6. *Cod. de Cond. ind.*

Julianus ait; Neque tutorem neque procuratorem (*a*) solventes repetere posse; nec interesse, suam pecuniam an pupilli vel domini solvant. *l.* 6. § *fin. ff. de Cond. ind.*

Si procurator tuus indebitum solverit, & tu rarum non habeas; posse repeti (*b*) Labeo scripsit. *d. l.* 6.

Non novum, ut quod alius solverit (*c*), alius repetat. Nam quum Minor inconsultò aditâ hereditate, solutis legatis in integrum restituitur; non ipsi repetitionem competere, sed ei ad quem bona pertinent, rescriptum est. *l.* 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Non in rem suam.
(*b*) *Utilis* hoc casu Condictio procuratori datur, contra Regulam præced. ne in damno versetur.
(*c*) Etiam suo nomine.

M C L X X X V I I I.

His solis pecunia condicitur, quibus quoquomodo soluta est, non quibus proficit. *l.* 49. ff. *d. tit.*

Si *quis* nominatim ut major pecunia solveretur, delegavit; Indebiti cum eo qui delegavit (*a*), erit actio. *l.* 57. § 1. ff. *d. tit.*

Si procuratori falso indebitum solutum sit; ita demùm à procuratore repeti non potest, si dominus ratum habuerit (*b*): sed ipse dominus tenetur. *l.* 14. ff. *de Cond. cauſ. dat.*

(*a*) Hoc ipso enim quòd ejus jussu hæc major pecunia alteri numerata est, ipsi qui jussit soluta videtur.
(*b*) Quòd si dominus ratum non habuerit; ipse procurator, non autem dominus tenebitur.

§ IV.

Quid veniat in Condictione indebiti.

M C L X X X I X.

Quod indebitum per errorem solutum est, aut ipsum aut tantumdem (*a*) repetitur. *l.* 7. ff. *de Cond. ind.*

Actione Condictionis, ea sola (*b*) quantitas repetitur quæ indebita soluta est. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

Quum ampliùs solutum est quàm debebatur, cujus pars non invenitur quæ repeti (*c*) possit; totum indebitum intelligitur (*d*), manente pristinâ obligatione. *l.* 84. PAUL. LIB. 3. QUÆSTION.

Si rem indebitè solutam, Sine fraude, modico distraxisti; hoc solum refundere debes, quod ex pretio (*e*) habes. *d. l.* 26. § 12.

Qui loco certo debere existimans indebitum solvit, quolibet repetit. *l.* 27. *ff. d. tit.*

(*a*) Quum pecunia aut res fungibiles solutæ sunt.
(*b*) Non ergo usuræ peti possunt. At quum species indebitè soluta est, cum fructibus & omni causâ reddenda est: *d. tit.* N. 45.
(*c*) Hæc regula fallit in rebus fungibilibus.
(*d*) Vide hujus regulæ exemplum in l. 16. § 4. ff. *de Condict. indeb.*
(*e*) Generaliter enim hæc Condictio non datur, nisi quatenùs locupletior est qui bonâ fide accepit indebitum.

ARTICULUS II.

De negotiorum gestione citra mandatum, & actionibus Negotiorum gestorum.

§ I.

Ex cujus negotii gestione, inter duas personas, Negotiorum gestorum *obligatio contrahatur.*

M C X C.

1. Si & suum & meum *negotium quis* quasi meum gesserit, in meum tenebitur. *l.* 6. § 4. *ff. de Negot. gest.*

2. Si cui mandavero ut meum negotium gerat, quod mihi tecum commune erat; dicendum, si &

Source : BIU Cujas

tuum gessit sciens, Negotiorum gestorum eum tibi teneri. *d.* § 4.

3. Si pupilli tui negotia gessero, non mandatu tuo, ne TUTELÆ tenearis; Negotiorum (*a*) gestorum te habebo obligatum. *d. l.* 6.

Si procuratori tuo mutuam pecuniam dedero, tuî contemplatione; adversùs te, Negotiorum gestorum habebo actionem; adversùs eum cum quo contraxi, nullam. *d. l.* 6. § 1.

4. Ratihabitio (*b*) constituit tuum negotium, quod ab initio non erat; sed tuâ contemplatione gestum. *d. l.* 6. § 9.

At Non potest quod alii acquisitum est ipso gestu, tuum negotium videri. *d. l.* 6. § 11.

5. Negotiorum gestorum actio competit; etiamsi eo tempore quo gerebantur, dominum (*c*) non habuerunt. *l.* 19. § *fin. ff. d. tit.*

(*a*) Tuum enim negotium est, negotium alterius quod tuâ interest geri.
(*b*) Ut si ratum habuisti quod falso tuo creditori solvi.
(*c*) Ut si negotium captivi gestum est.

§ II.

Requiri in personâ ejus cujus negotium gestum est, ut nec mandaverit nec prohibuerit.

MCXCI.

Si cui fuerit mandatum ut negotia administraret, non rectè Negotiorum gestorum cum eo agetur. *l.* 6. § 1. *ff. Mandati.*

At Si, quum putavi (*a*) à te mihi mandatum, negotia gessi; nascitur Negotiorum gestorum (*b*) actio, cessante Mandati actione. *l.* 5. *ff. de Negot. gest.*

Si quis quasi servus (*c*) meus negotium meum gesserit, quum esset liber, dabitur Negotiorum gestorum actio. *l.* 6. § 5. *ff. d. tit.*

Si quum proposuissem negotia Titii gerere, tu mihi mandaveris ut geram; puto utramque (*d*) *actionem* locum habere. *l.* 3. § *fin.* ff. *d. tit.*

Si proponatur te Titio mandasse, ut pro te *V. G.* fidejuberet, me-que liberandæ fidei ejus causâ fidejussisse; Negotiorum gestorum mihi competit actio (*d*). *l.* 46. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Falso.
(*b*) Mandatum ejus cujus negotium gestum est, non sola opinio mandati, has actiones excludit.
(*c*) Licèt ex meo jussu: nec enim pro mandato est, tale jussum.
(*d*) Et *Mandati* adversùs mandatorem, & *Negotiorum gestorum* adversùs Titium cujus negotium gessi citra ipsius mandatum, & ejus contemplatione.
(*e*) Citrà enim mandatum tuum feci; cùm mandaveris quidem, sed non mihi.

MCXCII.

Si pro te præsente & vetante fidejusserim, nec Mandati actio nec Negotiorum gestorum est. *l.* 40. *ff. Mand.*

Si ex duobus sociis alter me prohibuerit administrare, alter non; puto debere dici, supersse contra eum qui non prohibuit Negotiorum gestorum actionem: ita tamen ut is qui prohibuit, ex nullâ parte... aliquid damni sentiat. *l.* 8. § 3. ff. *de Negot. gest.*

§ III.

Quam voluntatem habere debuerit gestor, & maximè de voluntate obligandi eum cujus negotium gerebat.

MCXCIII.

Si quis negotia mea gessit, non meî contemplatione, sed sui lucri causâ... nihilominùs, imò magis tenebitur Negotiorum gestorum actione. Ipse tamen si quid impenderit, non in id quod ei abest, quia improbè accessit, sed in quod ego locupletior factus sum, habet contra me actionem. *l.* 6. § 3. ff. *d. tit.*

MCXCIV.

Pietatis Causa non admittit Negotiorum gestorum actionem. *l.* 1. *Cod. Negot. gest.*

Si quis pro affectione domesticâ (*a*) aliquos sumptus fecerit, nullâ ratione eos repetere potest. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

Si quidem contemplatione tuî negotia gessi peculiaria, tu mihi teneris (*b*); si amicitiâ filii tui, De peculio (*c*) duntaxat. *l.* 6. § 6. *ff. d. tit.*

Si quum putavi Titii negotia esse, quum essent Sempronii, ea gessi; solus Sempronius mihi actione Negotiorum (*d*) gestorum tenetur. *l.* 5. § 1. *ff. d. tit.*

Utilis Tibi Negotiorum gestorum actio dari debet, si negotium quod tuum esse existimares, quum esset meum, gessisses; sicut ex contrario, in me tibi. *l. fin.* ff. *d. tit.*

(*a*) An autem quis hoc animo, & non animo repetendi fecerit, ex circumstantiis & necessitudine personarum æstimatur. De quâ re vide Tit. *de Negot. gest.* à N. 14. ad N. 17.
(*b*) Tuo nomine.
(*c*) Ita stricto Jure: ex æquitate tamen, etiam hoc casu saltem *Utili* actione tenebitur pater aut dominus, quatenùs locupletius peculium habet.
(*d*) *Utili*, non *Directâ*; cum non contemplatione ejus gesserim.

§ IV.

De actionibus quæ ex negotiorum gestione nascuntur, tam Directâ quàm Contrariâ.

MCXCV.

Sicut æquum est, *gestorum* actûs sui rationem reddere; & eo nomine condemnari, quidquid vel non ut oportuit gessit, vel ex his negotiis retinet: ita ex diverso justum est, si utiliter gessit, præstari ei quidquid eo nomine vel abest vel abfuturum est. *l.* 2. *ff. d. tit.*

§ V.

De actione Directâ *quæ domino negotii datur adversùs gestorem.*

MCXCVI.

Si quis aliena negotia gerens, *etiam* indebitum exegerit; restituere (*a*) cogitur. *l.* 23. *ff. de Negot. gest.*

Si mandatu tuo negotia mea *quis* gessit; quod is non rectè gessit, tu mihi actione Negotiorum gestorum teneris; non in hoc tantùm ut actiones tuas præstes, sed ut quicquid detrimenti negligentia ejus fecit præstes. *l.* 21. § *fin.* ff. *d. tit.*

De his autem quæ gestor nec per se nec per alium gessit, regulariter non tenetur. Nam Satis abundèque sufficit, si cui vel in paucis amici labore consulatur. *l.* 20. *Cod. d. tit.*

Tamen Qui negotia administrat, si quædam gessit, quædam non; contemplatione tamen ejus, alius ad hæc non accessit; Negotiorum gestorum eum teneri & propter ea quæ non (*a*) gessit, puto verius. *l.* 6. § 12. *ff. de Neg. gest.*

Si vivo Titio negotia administrare cœpi, intermittere mortuo eo non debeo. Nova tamen inchoare necesse mihi non est, vetera explicare ac conservare necessarium est. *l.* 21. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Ei cujus nomine accepit.
(*b*) Quæ vir diligens gesturus fuisset. Maximè autem tenetur, quòd creditoribus & sibi non solverit; cùm ex gestu haberet undè solveret. Non tenetur quidem quòd à debitoribus non exegerit, cùm eos sine mandato convenire non posset: sed tenetur quòd à se debitore non exegerit, si interfuit exigi; debitum putà, quod non pareret usuras.

MCXCVII.

Si negotia absentis & ignorantis geras, & culpam & dolum præstare debes. *l.* 11. *ff. de Negot. gest.*

Hinc Si negotium quod non sit solitus absens facere, nomine ejus geras.... si quid damnum (*a*) ex eâ re

(*a*) Etiam fortuitum. Hoc ipso enim in culpâ es, quòd huic negotio ad te non pertinenti citra necessitatem te immiscueris: supra N. 982.

Source : BIU Cujas

ſecutum fuerit, te ſequitur; lucrum verò (*b*) abſentem. *l.* 11. *ff. d. tit.*

Si affectione coactus, ne bona mea diſtrahantur, negotiis meis te obtuleris; æquiſſimum, dolum (*c*) duntaxat te præſtare. *l.* 3. § 9. ff. *d. tit.*

(*b*) Si quod deducto damno ſupereſt.
(*c*) Dolus autem eſſet; ſi, quum in tuis cautus, in his deſidioſus fuiſſes.

§ VI.

De Contrariâ *actione Negotiorum geſtorum.*

M C X C V I I I.

Ut geſtor habeat hanc actionem, Sufficit ſi utiliter geſſit, etſi effectum non habuit negotium (*a*). *l.* 10. § 1. *ff. de Negot. geſt.*

Litis (*b*) conteſtatæ tempore quæri ſolet; an pupillus cujus ſine tutoris auctoritate negotia geſta ſunt, locupletior ſit ex eâ re factus cujus patitur actionem. *l.* 37. *ff. d. tit.*

Qui negotia hereditaria gerit, ſibi hereditatem ſeque ei obligat; adeòque nihil refert; an etiam pupillus heres exiſtat. *l.* 21. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Scilicet citra geſtoris culpam; ut ſi domus quam fulſit, citra ejus culpam arſerit poſteà.
(*b*) Ita ſpeciali Jure obtinet, quum pupilli negotium geſtum eſt; quia ſine tutoris auctoritate non obligatur niſi quatenùs locupletior eſt. An autem quis pupillus an pubes fuerit, ſpectatur tunc quum unumquodque ejus negotium gerere cœpi.

M C X C I X.

Non utiliter negotia gerit; qui rem non neceſſariam, vel quæ oneratura eſt patremfamilias, aggreditur. *l.* 10. § 1. *ff. d. tit.*

Si quis negotia aliena gerens, plus quàm oportet impenderit; recuperaturum id *duntaxat* quod præſtari debuerit. *l.* 25. *ff. d. tit.*

M C C I I.

Funeraria Datur actio adversùs eos ad quos funus pertinet; ut putà heredem, cæteroſque ſucceſſores. *d. l.* 14. § *fin.*

Funus filii, æs alienum (*a*) patris eſt. *l.* 19. *ff. de In rem verſ.*

Quoties mulier decedit; ex dote quæ penès virum (*b*) remanet, & cæteris mulieris bonis pro portione (*c*), funeranda eſt. *l.* 22. ff. *de Religioſ.*

Si nulla dos eſſet, neque heredes habeat *mulier*, nec pater ſolvendo ſit; maritum in quantum facere poteſt, *Funerariâ* conveniri. *l.* 28. *ff. d. tit.*

Qui ſervum ſepelivit, habet adversùs dominum Funerariam actionem. *l.* 42. ff. *d. tit.*

(*a*) Niſi habuerit ſucceſſores caſtrenſis peculii; hi enim magis tenentur quàm pater: item niſi filiafamilias habeat dotem.
(*b*) Idem eſt quum ad patrem revertitur; imo & quum ad extraneum, qui hanc ſibi reddi pactus eſt.
(*c*) Uno caſu ex ſolâ dote, quum ſolvendo non eſt ejus hereditas; item quum filiafamilias eſt, cujus nulla eſt hereditas.

M C C I I I.

Actio Funeraria continet funeris causâ tantùm impenſam, non etiam cæterorum (*a*) ſumptuum. *l.* 14. § 6. *ff. d. tit.*

Funeris causâ ſumptus factus videtur is demùm qui ideò fuit ut funus ducatur, ſine (*b*) quo duci non poſſit. *d. l.* 14. § 3.

Etſi ex voluntate teſtatoris impenſum eſt; ſciendum eſt nec voluntatem ſequendam, ſi res egrediatur juſtam ſumptûs rationem. *d. l.* 14. § 6.

Judex interdum ſumptum non debet admittere modicum factum ſi in contumeliam defuncti hominis locupletis modicus factus ſit. *d. l.* 14. § 10.

(*a*) Putà, monumenti.
(*b*) Scilicet ſumptus in elationem corporis, in unguenta, veſtem, ſarcophagum, item pretium loci in quo ſepelitur.

§ VII.

APPENDIX

De actione Funerariâ.

Contrariæ Negotiorum geſtorum *actioni affinis eſt* Funeraria *actio; quam Prætor dat ei qui in funus alicujus aliquid impendit, adversùs eos ad quos cura funeris pertinet. De quâ has regulas tene.*

M C C.

Qui propter funus aliquid impendit, contrahere cum defuncto creditur, non (*a*) cum herede. *l.* 1. *ff. de Relig.*

Labeo ait: Quoties quis aliam (*b*) actionem habet de funeris impensâ conſequendâ, Funerariâ eum agere non (*c*) poſſe. *l.* 14. § 12. *ff. d. tit.*

Qui mandatu alterius funeravit, non habet Funerariam actionem, ſed is qui mandavit. *d. l.* 14. § 15.

(*a*) Hinc ſequitur, heredem (etiamſi vetaſſet) hâc actione teneri: Tit. *de Relig.* N. 59.
(*b*) Putà, *Familiæ erciſcundæ*, ſi eſt unus ex heredibus; vel *Mandati*, ſi ei mandatum eſt.
(*c*) Poterit tamen, ſi aliam actionem quam habebat, deſierit habere; ut ſi jam egit *Familiæ erciſcundæ*, nec reputavit.

M C C I.

Interdum is qui ſumptum in funus fecit, ſumptum non recipit; ſi pietatis gratiâ fecit, non hoc animo (*a*) quaſi recepturus. *l.* 14. § 7.

(*a*) Quamvis autem is qui ſe heredem putabat, non habuerit hunc animum, tamen evictâ hereditate, ſi deducere ſumptum omiſerit, ex causâ ei hæc actio datur: *d. tit.* N. 36.

ARTICULUS III.

De Viciniâ, & actione Finium regundorum.

§ I.

De Viciniâ.

M C C I V.

Melior vicini conditio fieri poteſt; deterior (*a*) non poteſt. *l.* 20. § 5. *ff. de Serv. urb. præd.*

(*a*) Putà ſi quis aliquo opere imminuat jus ſervitutis vicino debitæ, aut graviorem faciat ſervitutem quam vicinus debet.

M C C V.

In ſuo alii hactenùs facere (*a*) licet, quatenùs nihil (*b*) in alienum immittat. *l.* 8. § 5. ff. *Si ſerv. vind.*

Domum (*c*) ſuam reficere unicuique licet, dum non officiat (*d*) invito alteri in quo jus non habet. *l.* 61. ULP. LIB. 3. OPINION.

Cum eo qui tollendo obſcurat vicini ædes quibus non ſerviat, nulli (*e*) competit actio. *l.* 9. *ff. de Serv. urb. præd.*

Non poteſt quis facere, quominùs agrum vicinus

(*a*) Jure communi; niſi quid facere ſpeciali ſervitutis impoſitæ jure prohibeatur.
(*b*) Non projectum, non protectum; non aquam, niſi eam quæ naturaliter non ex opere aliquo manufacto fluat; ne fumum quidem ſi ſit plus æquo gravior. Hæc regula exceptionem patitur ex variis ſervitutum ſpeciebus.
(*c*) Conſonat præcedenti; niſi quòd præcedens generalior eſt, cùm ad fundos quoque pertineat.
(*d*) Aliquid inimittendo.
(*e*) Fluit ex præcedentibus.

Source : BIU Cujas

quemadmodum vellet (*f*) araret. *l.* 24. ff. *de Aq. & aq. pluv.*

Si quidem arbor ædibus impendeat, succidi eam præcipitur; si verò agro impendeat, tantùm usque ad quindecim pedes à terrâ coerceri. *l.* 1. § 9. ff. *de Arbor. cæd.*

Oleam aut ficum ab alieno ad novem pedes plantato (*g*), cæteras arbores ad pedes quinque. *l.* 13. ff. *Fin. regund.*

Per agrum alienum qui servitutem non debet, ire vel agere vicino minimè licet. *l.* 11. *Cod. de Servit.*

Quum (*h*) via publica fluminis impetu vel ruinâ amissa est, vicinus proximus viam præstare debet. *l.* 14. § 1. *ff. Quemadm. serv. amittit.*

(*f*) Hinc aqua per sulcos arandi causâ factos, immitti in vicinum agrum potest.

(*g*) De distantiâ maceriæ, domûs, scrobis aut sepulchri, putei; vide *d. tit.* N. 15.

(*h*) Exceptio est Regulæ præcedentis. Alia exceptio est; ut si quis ad sepulchrum familiæ suæ, aut ad prædium suum aliundè aditum non habeat, quàm per agrum vicini, vicinus ipsi iter justo pretio vendere teneatur: l. 12. ff. *de Relig.*

M C C V I.

Quum minuitur jus alicujus, consequens (*a*) est exquiri ut consentiat. *l.* 8. ff. *de Aq. & aq. pluv.*

¶ *Ex viciniâ nascitur inter vicinos obligatio regendi fines, si quando opus sit; ex quâ est actio* Finium regundorum, *de quâ in* §§^is. *seqq.*

(*a*) Putà, si concessero alicui jus aquæ ducendæ; cæterorum quibus priùs concessum est consensus necessarius est, si jus eorum imminuatur.

§ II.

De naturâ actionis Finium regundorum; *propter quæ prædia, & inter quas personas locum habeat.*

M C C V I I.

Actio Finium regundorum In personam (*a*) est, licèt pro vindicatione (*b*) rei est. *l.* 1. *ff. Fin. regund.*

(*a*) Id est, habet præstationes personales; quæ ex obligatione quam inter confines confinium parit, descendunt.

(*b*) Id est, vindicationem contineat: in hoc enim judicio vicinus confinium quod alter invasit vindicat.

M C C V I I I.

Etsi in agris ædificia juncta sint, *huic* actioni locus non erit; & in Urbe, hortorum latitudo contingere potest, ut Finium regundorum agi possit. *l.* 4. § 10. ff. *d. tit.*

Si flumen vel via publica intervenit, Finium regundorum agi (*a*) non potest. *d. l.* 4. § *fin.*

(*a*) Nam sunt hoc casu *Confines* viæ publicæ aut flumini, non verò agro vicini. Secùs, si rivus privatus aut ædificium aut arbor vicini interveniat.

M C C I X.

Finium regundorum actio, & inter eos qui usumfructum habent, & eos qui jure pignoris possident, competere (*a*) potest. *d. l.* 4. § 9.

Ego & socius (*b*) meus, in hâc actione adversarii esse non possumus. *d. l.* 4. § 7.

(*a*) Non potest autem inter alios competere, quàm fundorum vicinorum possessores. Alienatis autem prædiis, novos possessores hæc actio tam activè quàm passivè sequitur: l. 9. ff. *d. tit.*

(*b*) Licèt alteruter nostrûm, fundum proprium haberet confinem communi. Vide rationem in d. l. 4. & Notis *d. tit.* N. 8.

§ III.

De officio judicis circa fines regendos; & de controversiis circa modum agrorum inter confines.

M C C X.

Ad officium de finibus cognoscentis pertinet mensores mittere, & per eos dirimere ipsam finium quæstionem ut æquum est; si ita res exigit, oculisque suis subjectis locis. *l.* 8. § 1. ff. *d. tit.*

In finalibus quæstionibus vetera monumenta, censûs auctoritas ante litem inchoatam ordinati sequenda est; modò si non varietate successionum & arbitrio possessorum, fines additis vel detractis agris posteà permutatos probetur. *l.* 11. ff. *d. tit.*

Judici Finium regundorum permittitur, ut ubi non possit dirimere (*a*) fines, adjudicatione (*b*) controversiam dirimat. *l.* 2. § 1. ff. *d. tit.*

Magis fundo quàm personis adjudicari fines intelliguntur. *l.* 4. § 5. ff. *d. tit.*

In judicio finium regundorum, etiam ejus ratio fit quod interest. *l.* 4. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Vel si ratio amovendæ veteris obscuritatis hoc desideret. d. § 1.

(*b*) Id est, potest aliquid ex prædio unius adjudicare alteri vicino, quem invicem in pretium condemnabit.

M C C X I.

De modo agrorum arbitri dantur; & is qui majorem locum in territorio habere dicitur, cæteris qui minorem locum possident, integrum locum adsignare compellitur. *l.* 7. ff. *d. tit.*

§ IV.

APPENDIX

De Pariete communi.

M C C X I I.

Finium regundorum Judicium locum habet in confinio prædiorum rusticorum (*a*): urbanorum, displicuit; neque enim confines hi, sed magis vicini dicuntur; & ea communibus parietibus plerumque disterminantur. *l.* 4. § 10. *ff. Fin. regund.*

Circa parietem autem communem, has regulas habe.

1. Parietem communem incrustare licet... scalas ad parietem communem habere. *l.* 13. § 1. & *l.* 19. § 2. ff. *de Serv. urb. præd.*

2. Eos qui jus luminis immittendi non habuerunt; aperto pariete communi, nullo jure fenestras immisisse respondi. *l.* 40. ff. *d. tit.*

3. Si ædes communes sint, aut paries communis sit, & eum reficere vel demolire, vel in eum immittere quid, opus sit; Communi dividundo judicio erit agendum. *l.* 12. ff. *Comm. divid.*

4. In reficiendo communi pariete, ei potiùs facultas ædificandi præstatur qui magis idoneè reficere parietem velit. *l.* 41. ff. *de Damn. inf.*

(*a*) Duorum vel plurium.

ARTICULUS IV.

De communione hereditatis, & cujusvis alterius rei.

Ex communione hereditatis, aut cujusvis alterius rei, nascitur etiam obligatio, tum inter coheredes, tum inter cæteros quibus quæque res communis est. Atque hinc actio Familiæ erciscundæ, *quæ de dividendâ hereditate inter coheredes datur; & actio* Communi dividundo, *quæ de cæterarum rerum communium divisione competit.*

§ I.

Inter quas personas locum habeat Familiæ erciscundæ *judicium.*

M C C X I I I.

Familiæ erciscundæ judicium (*a*) & inter bonorum

(*a*) Id est, non solùm inter heredes, sed *& inter &c*; modò ejusdem patrimonii successores sint.

Source : BIU Cujas

poſſeſſores, & inter eum cui reſtituta eſt hereditas ex Trebelliano, locum habet. *l.* 24. § 1. ff. *Famil. erciſc.*

Quantùm ad accipiendum Familiæ erciſcundæ judicium, nihil intereſt poſſideat quis hereditatem necne. *l.* 25. § 2. ff. *d. tit.*

Dubitandum (*b*) non eſt quin Familiæ erciſcundæ judicium, & inter pauciores (*c*) heredes ex pluribus, accipi poſſit. *l.* 2. § 4. ff. *d. tit.*

Arbitrum Familiæ erciſcundæ vel unus petere poteſt. *l.* 43. ff. *d. tit.*

(*b*) Hæc Regula & ad judicium *Communi dividundo* trahitur. Idem dic de ſequenti: d. tit. N. 9.
(*c*) Plures autem unius heredis, heredes, non poſſunt niſi omnes hoc judicium cum aliis defuncti coheredibus accipere: l. 48. ff. *d. tit.* N. 12.

§ II.

Inter quas perſonas detur actio Communi dividundo.

MCCXIV.

Nihil intereſt, cum ſocietate an ſine ſocietate res inter aliquos communis ſit. Nam utroque caſu locus eſt COMMUNI DIVIDUNDO judicio. *l.* 2. ff. *Comm. divid.*

Inter eos quoque quibus hereditario jure communis res eſt, poteſt & Communi dividundo (*a*) agi. *l.* 34. *ff. Pro ſoc.*

Ex quibus cauſis vindicatio ceſſat; ſi tamen juſta cauſa eſt poſſidendi (*b*) UTILE (*c*) Communi dividundo competit. *l.* 7. § 3. ff. *Comm. divid.*

Neque colonis, neque his qui depoſitum ſuſceperunt, hoc judicium competit. *d. l.* 7. § 11.

Inter prædones hoc judicium locum non habet. *d. l.* 7. § 4.

(*a*) Non quidem de ipsâ universâ hereditate, ſed de re hereditariâ ſingulari, agitur hoc judicio.
(*b*) Nec ſolùm inter eos qui poſſident civiliter, ſed & inter eos qui jure uſusfructûs aut pignoris poſſident. Item nil refert, eodem an diverſo jure poſſideant.
(*c*) *Directum* enim non datur niſi inter dominos.

MCCXV.

Communi dividundo judicio rectè agit, ſive neuter poſſideat, ſive alter non poſſideat. *l.* 30. *ff. d. tit.*

§ III.

Quibus exceptionibus hæc judicia excludi poſſint, quoties & quandiù his agi poſſit, & quid contineant.

MCCXVI.

Si conveniat ne omninò diviſio fiat, hujuſmodi pactum nullas vires habere manifeſtiſſimum eſt; ſi autem ne intra certum tempus, valet (*a*). *l.* 14. § 2. ff. *Comm. divid.*

Si is cum quo (*rem aliquam, putà*) ſervum communem habebat, partem ſuam mihi pignori dederit; & Communi dividundo agere cœperit; pignoratitiâ exceptione ſummoveri debet. *l.* 6. § 9. *ff. d. tit.*

(*a*) Hujus pacti exceptione tam ipſe qui pactus eſt, quàm ſucceſſores ejus etiam ſingulares excluduntur; ſi intra hoc tempus *Communi dividundo* agant: *d. tit.* N. 15. Excluditur etiam hoc judicium, per exceptionem præjudicialem de quâ *d. tit.* N. 15.

MCCXVII.

Familiæ (*a*) erciſcundæ judicium, ampliùs quàm ſemel agi non poteſt (*b*); niſi causâ (*c*) cognitâ. *l.* 20. § 4. *ff. Fam. erciſ.*

(*a*) Hæc regula propria eſt judicio *Familiæ erciſcundæ*: ſecùs de judicio *Communi dividundo*.
(*b*) Quòd ſi quædam relictæ ſint indiviſæ; ad eas dividendas *Communi dividundo* agetur.
(*c*) Si prius judicium, quo priùs actum eſt, reſcindatur.

MCCXVIII.

Familiæ erciſcundæ vel Communi dividundo judicio (*a*), ita demùm ſi corpora maneant communia (*b*), agi poteſt. *l.* 9. *Cod. Comm. utr. judic.*

(*a*) *Directis* ſcilicet: nam ob præſtationes perſonales, etiam poſt interitum rerum communium, his judiciis *Utilibus* agetur.
(*b*) Si ergo unus ex heredibus alienavit partem ſuam, de eâ re *Familiæ erciſcundæ* agi non poteſt; ſed cum emptore, *Communi dividundo*: d. tit. N. 27. & 28.

MCCXIX.

Familiæ erciſcundæ judicium conſtat rebus, atque præſtationibus. *l.* 22. § 4. ff. *Fam. erciſc.*

§ IV.

Quæ res veniant dividendæ in Familiæ erciſcundæ *judicio.*

MCCXX.

Generaliter eorum duntaxat dividi hereditas poteſt, quorum peti poteſt hereditas. *l.* 2. ff. *Fam. erciſc.*

De pluribus hereditatibus quæ inter eoſdem ex diverſis cauſis communes ſunt, unum Familiæ erciſcundæ judicium ſumi poteſt. *l.* 25. § 3. *ff. d. tit.*

MCCXXI.

Cæteræ (*a*) res, præter nomina (*b*), veniunt in hoc judicium. *l.* 4. *ff. d. tit.*

Hæ quoque res quas alienas defunctus bonâ (*c*) fide poſſedit. *l.* 10. ff. *d. tit.*

Res quæ ſub conditione legata eſt, interim heredum eſt; & ideò venit in Familiæ erciſcundæ judicium. *l.* 12. § 2. ff. *Fam. erciſc.*

Veniunt in hoc judicium hæ quoque res quæ heredibus traditæ ſunt, cùm defunctus emiſſet. *l.* 9. *ff. d. tit.*

Partum (*d*) editum, & poſt aditam hereditatem, & poſt litem conteſtatam... in Familiæ erciſcundæ judicium venire. *l.* 11. ff. *d. tit.*

(*a*) Non ſolùm corpora, ſed & uſusfructus, jus pignoris.
(*b*) Nam ea ipſo Jure diviſa ſunt.
(*c*) Non ergo quod malâ; l. 4. § 2. ff. *d. tit.*
(*d*) Idem dic de cæterâ causâ, & de fructibus rerum hereditariarum.

MCCXXII.

In hoc judicium etſi nomina non veniant, tamen ſi ſtipulationes interpoſitæ fuerint de diviſione eorum, ut alter alteri mandet actiones; ſtabitur diviſioni. *l.* 2. § 5. ff. *d. tit.*

Placuit nullam eſſe libertorum (*a*) diviſionem. *l.* 41. ff. *Famil. erciſc.*

In judicium Familiæ erciſcundæ res illa non venit, cujus aliqua portio alienata ab aliquo ex heredibus (*b*), hereditaria eſſe deſiit. *l.* 54. ff. *Famil. erciſc.*

Si quid contendis ex hereditate mihi tecum commune eſſe, quod ego ex aliâ causâ meum proprium eſſe dico; id in Familiæ erciſcundæ judicium non veniet. *l.* 45. ff. *Famil. erciſc.*

(*a*) Idem dic de aliis juribus quæ ſingulis heredibus in ſolidum competunt; *d. tit.* N. 30.
(*b*) Inter quos acceptum eſt judicium.

§ V.

Quæ veniant dividenda in Communi dividundo *judicio.*

MCCXXIII.

Per (*a*) hoc judicium, corporalium rerum fit diviſio

(*a*) Hæc regula eſt de *Directo* judicio. *Utili* autem agere poſſumus, etiam de his quarum non dominium, ſed putà jus uſusfructûs aut pignoris habemus; ſuprà N. 1214. Not (*b*). Vide Reg. ſeq.

Source : BIU Cujas

quarum rerum dominium habemus; non etiam hereditatis. *l.* 4. ff. *Comm. divid.*

Etiam in Communi dividundo judicio veniunt jura (*b*), ut aut mensurâ aut temporibus dividantur. *l.* 19. § 4. ff. *d. tit.*

Arbor in confinio nata, *demùm* quum eruta (*c*) est, veniet in Communi dividundo. *d. l.* 19.

(*b*) Putà, aquæ aut itineris.
(*c*) Anteà enim, non est pro indiviso communis; sed est cujusque vicini pro regione soli cujusque quod occupat, & cujus est pars quandiù solo cohæret.

§ VI.

De divisionis ratione.

M C C X X I V.

Quum Familiæ erciscundæ vel Communi dividundo agitur, universæ res æstimari debent; non singularum partes. *l.* 52. § 3. ff. *Fam. erciſc.*

Quum regionibus dividi commodè aliquis ager inter socios non potest; vel ex pluribus singuli, æstimatione justâ factâ, unicuique sociorum adjudicantur; compensatione pretii invicem factâ; eoque cui res majoris pretii obvenit, cæteris condemnato: ad licitationem non-nunquam etiam extraneo emptore admisso, maximè si se non sufficere ad justa pretia alter ex sociis suâ pecuniâ vincere viliùs licitantem profiteatur. *l.* 3. *Cod. Comm. divid.*

Potest judex in unius personam, totam condemnationem conferre, & adjudicare omnes res. *l.* 55. ff. *Fam. erciſc.*

Officio judicis etiam talis adjudicatio fieri potest, ut alteri fundum, alteri usumfructum adjudicet. *l.* 6. § 10. ff. *Comm. divid.*

Si regionibus fundum non (*a*) vectigalem divisum duobus adjudicaverit, posse quasi in duobus fundis servitutem imponere. *l.* 7. § 1. *ff. d. tit.*

Ut fundus hereditarius fundo non hereditario serviat, arbiter disponere non (*b*) potest. *l.* 18. *ff. d. tit.*

(*a*) Nam *Vectigales*, ne vectigalia turbentur, dividi prohibentur.
(*b*) Nam fundus non hereditarius non venit in *Familiæ erciſcundæ* judicium.

M C X X V.

Quum de usufructu COMMUNI DIVIDUNDO agitur; judex officium suum ita diriget, ut vel (1°.) regionibus eis uti-frui permittat, vel (2°.) locet usumfructum uni ex illis, vel tertiæ personæ, ut hi pensiones percipiant; vel (3°.) ut apud singulos vice mutuâ certo tempore sit ususfructus (*a*) *l.* 7. § 10. ff. *Comm. divid.*

(*a*) Potest etiam totum uni adjudicare. Idem & in usu: l. 10. § 1. ff. *d. tit.*

M C C X X V I.

Judicem in prædiis dividundis, quod omnibus utilissimum est, vel quod malint litigatores, sequi convenit. *l.* 21. ff. *d. tit.*

Judex curare debet ut de evictione caveatur, his quibus adjudicat. *l.* 25. § 21. ff. *Fam. erciſc.*

Judex Familiæ erciscundæ, nihil debet indivisum relinquere. *l.* 25. § 20. *ff. d. tit.*

§ VII.

De divisionis effectu.

M C C X X V I I.

Divisionem prædiorum, vicem emptionis (*a*) obtinere placuit. *l.* 1. *Cod. Comm. utr. jud.*

Adjudicationes Prætor tuetur; exceptiones, aut actiones (*b*) dando. *l.* 44. § 1. *ff. Famil. erciſcund.*

(*a*) Hinc tenentur invicem de evictione.

Coheredibus divisionem inter se facientibus, juri absentis & ignorantis minimè derogari; ac pro indiviso portionem eam quæ initio ipsius fuit, in omnibus rebus eum retinere certissimum est. *l.* 17. *Cod. d. tit.*

Si fundus communis nobis sit, sed pignori datus à me; venit quidem in COMMUNI DIVIDUNDO judicio; sed jus pignoris creditori (*c*) manebit, etiamsi adjudicatus *tibi* fuerit. *l.* 6. § 8. ff. *Comm. divid.*

(*b*) Quascumque, quæ de jure rei adjudicatæ competunt; veluti actio *Finium regundorum*, actio confessoria vel negatoria alicujus servitutis, Interdicta ex operis novi nuntiatione &c. Si tamen ante adjudicationem jam motæ erant ab omnibus heredibus, delegationibus opus est ut adjudicatarium sequantur: *d. tit.* N. 48.
(*c*) Divisio igitur à debitore facta non nocet ejus creditori. Atqui contrà, divisio à creditore facta nocet debitori qui partem ei obligavit. Respondeo: Debitor obligando, ut distrahendi, ita & dividendi facultatem creditori dedisse videtur: *d. tit.* N. 50. & 51.

§ VIII.

De præceptionibus quæ veniunt in his judiciis; & maximè in Familiæ erciscundæ *judicio.*

M C C X X V I I I.

Præcipit unusquisque heres, hoc judicio, legata sibi relicta, vel aliis relicta quorum executio sibi demandata est.

Si pecunia quæ domi relicta non est, per præceptionem relicta sit; id præstandum quod præstaretur, si pecunia esset (*a*) inventa. *l.* 25. § *fin. ff. Famil. erciſc.*

Filio (*b*) cujus nomine pater res comparavit, si non posteà contrarium ejus judicium probatur; per arbitrum dividendæ hereditatis præcipuas adjudicari, sæpè rescriptum est. *l.* 18. *Cod. Fam. erciſc.*

Fidei bonæ convenit, ut unusquisque præcipuum habeat, quod ex re ejus servus acquisierit. *l.* 24. ff. *Comm. divid.*

(*a*) Scilicet ut non universa à coheredibus, sed pro parte hereditariâ præstari debeat.
(*b*) Contrarium rescribitur in l. 13. Cod. *de Collation.* Solvit Cujacius, legem 18. ff. *Fam. erciſc.* pertinere ad hereditatem testamentariam; oppositam autem legem 13. Cod. *de Collation.* ad legitimam. Cùm autem Jure Novellarum, collatio in utrâque hereditate locum habeat; cessat hæc regula.

M C C X X I X.

Dotem præcipere debet, qui onus matrimonii post mortem patris sustinuit. *l.* 46. ff. *Fam. erciſc.*

Nam Ibi dos esse debet, ubi onera matrimonii sunt. *l.* 56. § 1. ff. *de Jur. dot.*

Si quid pater filio naturâ debeat; putà Si filius, quum patrem defenderet, condemnatus solverit; potest æquiùs dici, habere (*a*) petitionem à coherede in Familiæ erciscundæ judicio. *l.* 25. § 13. ff. *Fam. erciſc.*

Præcipiet quoque filius eam summam quâ hereditatem liberavit; quamvis in eâ exsolvendâ, utpotè cujus ipse debitor esset, suum negotium gessisse videatur.

Hinc Si filius familias jussu patris obligatus sit, debebit hoc debitum præcipere; sed & si in rem patris vertit, idem placet; & si de peculio, peculium præcipiet. *l.* 20. § 1. ff. *Fam. erciſc.*

Si filius in muneribus publicis quibus pater ei consensit reliquatus est, hoc quoque debet præcipere; quia patris æs alienum fuit. *d. l.* 20. § 6.

(*a*) Nulla quidem civilis obligatio esse potest patris erga filium, sed est naturalis, ex quâ non actio, sed hæc præceptio nascitur.

§ IX.

Quæ res in hæc judicia veniant, aliâ ex causâ quàm divisionis aut præceptionis.

M C C X X X.

Si quæ sunt cautiones hereditariæ, eas judex curare debet ut apud eum maneant qui majore ex parte heres sit; cæteri descriptum & recognitum faciant, cautione

Source : BIU Cujas

interpositâ (*a*), ut quum res exegerit, ipsæ exhibeantur. *l.* 51 ff. *Fam. ercisc.*

Si de tabulis (*b*) testamenti deponendis agatur, & dubitetur cui eas deponi (*c*) oporteat; semper seniorem juniori, & amplioris honoris inferiori, & marem fœminæ, & ingenuum libertino præferimus (*d*). *l. fin. de Fide instrum.*

(*a*) Ab eo apud quem deponuntur.
(*b*) Aut aliis.
(*c*) Putà, quia heredes ex similibus partibus omnes scripti sunt.
(*d*) Interdum forte res dirimitur; aut depositio fit in æde vel apud extraneam personam.

MCCXXXI.

Mala medicamenta & venena veniunt in judicium. Sed judex interponere se in his non debet: hæc enim omnia protinùs corrumpenda sunt. *l.* 4. § 1. *ff. Fam. ercisc.*

§ X.

De præstationibus personalibus; circa lucri aut damni, quod quis ex re communi sensit, communicationem.

MCCXXXII.

Prospicere (*a*) judex debet, ut quod unus ex heredibus ex re hereditariâ percepit, stipulatus-ve (*b*) est, non ad ejus solius lucrum pertineat. *l.* 19. *ff. Fam. ercisc.*

Si non ampliùs ex reditu prædiorum communium *quis* accepit, quàm pro hereditariâ portione ei competeret; nullam adversùs eum competere actionem. *l.* 38. *ff. Fam. ercisc.*

(*a*) Idem dic de his qui rem communem habent.
(*b*) Vel si actione hereditariâ expertus in solidum, dum conditio coheredis penderet, actionem *Judicati* consecutus est.

MCCXXXIII.

De lucro & sumptu communicando.

Quemadmodum contra unum ex heredibus sociis-ve hæc actio datur, ut lucrum quod ex hereditate aut communione sensit, conferat; ita & ipsi datur, ut si quid pro hereditate aut communione impendit (a) vel se obligavit, indemnis à coheredibus sociis-ve pro cujusque parte præstetur.

PRIMA CONDITIO.

Ut Familiæ erciscundæ judicio agere quis possit; non tantùm heredem esse oportet, verùm ex eâ causâ agere vel conveniri quam gessit, quodque admisit posteaquàm heres effectus sit. *l.* 49. ff. *Fam. ercisc.*

Hinc Fructus quos ante aditam hereditatem ex fundo hereditario heres capit, non aliter Familiæ erciscundæ judicio præstat; quàm si, quum sciret hereditarium (*b*) fundum esse, ceperit. *l.* 44. § 3. ff. *d. tit.*

Et quidem oportet ut hereditatis communionis-ve nomine gestum sit.

Hinc si COMMUNI DIVIDUNDO *agatur;* In judicium venit quod communi nomine actum est, aut agi debuit; ab eo qui scit se socium habere. *l.* 14. ff. *Comm. divid.*

Hinc V. G. Qui putat se in rem propriam impendere, quum sit communis; huic nec Communi dividundo judicium competit, nec Utile dandum est. *l.* 29. *ff. Comm. divid.*

Igitur Quum quasi in rem meam impendo, quæ sit aliena aut communis; tantùm retentionem (*c*) habeo, quia neminem mihi obligare volui. *d. l.* 14. § 1.

Quòd Si quis putans sibi cum Titio fundum communem esse, fructus perceperit, vel sumptum fecerit, quum esset cum alio communis; agi poterit Utili (*d*) Communi dividundo judicio. *l.* 6. ff. *Comm. divid.*

(*a*) Et quidem sufficit si initio utiliter impendit, licèt res posteà perierit: *d. tit.* N. 71. 72. & 73.
(*b*) Hoc ipso enim quo sciens fundum hereditarium esse, hujus fructus capit, *Pro herede* gerit; adeòque non videtur ante aditam hereditatem percepisse.
(*c*) Jure pensationis & retentionis, si mecum agatur.

ALTERA CONDITIO.

Non aliàs Communi dividundo judicio locus erit; nisi id demùm gessit, sine quo partem suam rectè administrare (*d*) non potuit. *l.* 6. § 2. *ff. Comm. divid.*

Demùm Quæ pro parte expediri non possunt, si unus cogente necessitate fecerit, Familiæ erciscundæ judicio locus est. *l.* 25. § 5. ff. *Fam. ercisc.*

(*d*) Non *Directo*; quia non determinatè hunc voluit obligare: sed saltem *Utili*; quia, cùm sciret fundum communem, licèt circa personam socii erraret, egit communionis nomine; & indeterminatè saltem, eum quicumque socius esset, voluit obligare.
(*e*) Ut si socius solvit quod sub pœnâ debebatur, rem communem obligatam luit, servum communem *Noxali* judicio defendit, rem communem vendidit quam emptor nonnisi totam emisset &c. Quòd si socius coheres-ve, quum pro parte suâ duntaxat gerere posset, in solidum gessit; ut si creditori solidum solvit; nec *Communi dividundo* nec *Familiæ erciscundæ*, sed *Negotiorum gestorum* actioni locus erit.

MCCXXXIV.

De damno quod quis ex re communi sensit communicando.

Si servus communis uni ex dominis furtum (*a*) fecerit, Communi dividundo agi debere placet; ut alter, aut damnum præstet, aut parte cedat. *l.* 61. ff. *de Furt.*

(*a*) Idem, & si damnum dederit.

§ XI.

De aliis præstationibus personalibus quæ in his judiciis veniunt.

MCCXXXV.

1. Incerti (*a*) Juris non est, in Familiæ erciscundæ judicio earum rerum quas ex coheredibus quidam de communibus absumpserunt, vel deteriores fecerunt (*b*), rationem esse habendam. *l.* 19. *Cod. Fam. ercisc.*

Damno commisso ab uno heredè conveniens est dicere simpli habendam æstimationem in Familiæ erciscundæ judicio. *l.* 17. ff. *Fam. ercisc.*

2. Si quid ipsi sine dolo malo inter se pepigerunt (*c*), id imprimis & Familiæ erciscundæ & Communi dividundo judex servare debet. *l.* 3. § 1. ff. *Comm. divid.*

3. Officio Familiæ erciscundæ judicis continetur, ut voluntas defuncti non intercidat (*d*). *l.* 18. ff. *Fam. ercisc.*

(*a*) Regula pertinet etiam ad *Communi dividundo* judicium.
(*b*) Culpâ suâ scilicet, & ex quo heres est.
(*c*) Circa communionem.
(*d*) Putà; circa monumentum faciendum, circa servos exportandos. Inepta voluntas non servatur, ut infrà.

§ XII.

De officio judicis circa præstationes personales.

MCCXXXVI.

In *his* judiciis, condemnationes & absolutiones in omnium (*a*) personâ faciendæ sunt; & si in alicujus personâ omissa sit damnatio, in cæterorum quoque personâ quod fecit judex, non valebit. *l.* 27. ff. *Fam. ercisc.*

(*a*) Inter quos acceptum est judicium.

SECTIO IV.

De obligationibus quæ ex alieno Contractu aut Quasi-contractu descendunt.

MCCXXXVII.

Certissimum est, ex alieno contractu neminem (*a*) obligari. *l.* 3. *Cod. Ne uxor pro marito.*

(*a*) Nec maritum pro uxore: nec filium, servum, aut libertum, pro debito patris aut domini vel patroni; etiamsi jam aliquid ultro solvere cœpissent. Vide *Append.* ad lib. 15.

Exceptiones

Source : BIU Cujas

Exceptiones hæc regula patitur Jure Prætorio; in patribus & dominis ſimilibuſque perſonis qui actionibus DE peculio *aut* de In rem verſo *aut etiam* Quod juſſu *tenentur, ex Contractibus aut Quaſi-contractibus filiorum ſervorum-ve aut eorum in quos affine dominicæ poteſtati jus habent; item in Exercitoribus navium qui ex contractibus Magiſtri tenentur* Exercitoriâ, *& in mercatoribus qui* Inſtitoriâ *ex inſtitorum facto conveniri poſſunt.*

ARTICULUS I.

De actione DE Peculio.

§ I.

Ex quibus cauſis hæc actio detur in patrem aut dominum.

MCCXXXVIII.

Etiamſi prohibuerit contrahi cum ſervo dominus (*a*), erit in eum actio DE peculio. *l.* 29. § 1. ff. *de Pecul.*

Si cum impubere filiofamilias vel ſervo contractum ſit; ita dabitur DE peculio actio, ſi locupletius eorum peculium factum eſt. *l.* 1. § 4. ff. *d. tit.*

Ex pœnalibus (*b*) cauſis, non ſolet in patrem DE peculio actio dari. *l.* 58. ULPIAN. LIB. II. DISPUTAT.

Limitatio. Eſt verius, in quantum locupletior dominus factus eſſet ex furto, actionem DE peculio dandam. *l.* 3. § 12. ff. *de Pecul.*

In dandâ actione DE peculio, verius & utilius videtur Prætorem de hujuſmodi contractibus ſervorum non cogitaſſe, quibus ſe ipſi malâ ratione dominis (*c*) auferunt. *l.* 54. ff. *Mandati.*

(*a*) Videtur enim dominus prohibere hâc mente, ne ipſe de ſuo patrimonio teneatur, non verò ne intra fines peculii.
(*b*) Ut ex furto, damno injuriæ &c. Qui enim peculium concedit ſervo aut filio, videtur ei concedere ut contrahat, non ut delinquat.
(*c*) Putà, ex illo mandato quo ſervus mandavit extraneo ut ipſum emeret.

MCCXXXIX.

Differentiæ inter filium & ſervum.

I^a. Si quaſi interceſſor ſervus intervenerit, non rem peculiarem agens; non obligabitur dominus De peculio. *l.* 3. § 5. ff. *de Pecul.*

Si filius quaſi interventor acceptus ſit ... eſt vera ſententia exiſtimantium, ſemper obligari patrem DE peculio, & diſtare in hoc à ſervo. *d. l.* 3. § 9.

II^a. Et ex compromiſſo pater tenebitur; nec intereſt, ex quâ causâ (*a*) compromiſerit. *d. l.* 3. § 10.

At Videtur verius, ex compromiſſo ſervi non dandam DE peculio actionem, quia nec ſi in judicio condemnetur, datur in eum actio. *d. l.* 3. § 8.

III^a. Conſtat Judicati patrem DE peculio teneri, etiam ejus actionis nomine ex quâ non potuit pater DE PECULIO (*b*) actionem pati. *d. l.* 3. § 11.

IV^a. Si filiusfamilias jusjurandum detulerit, & juratum ſit; DE peculio danda eſt actio. In ſervo (*c*) diverſum. *l.* 5. § 2. *ff. d. tit.*

V^a. Dicendum eſt; Ei qui ſervo (*d*) dat pecuniam mutuam, DE peculio in dominum competere actionem. *l.* 7. *Cod. quod cum eo.*

(*a*) Etiamſi ex causâ delicti, ex quâ non potuit *De peculio* agi. d. § 10.
(*b*) Nam actio *Judicati* deſcendit ex quaſi-contractu. Hâc in re quoque diſtat filius à ſervo; in quem, cùm ſtandi in judicio perſonam non habeat, cadere non poteſt obligatio judicati.
(*c*) Vide Notas ad h. l. Tit. *de Pecul.* N. 27.
(*d*) Secùs de filio; propter Macedonianum, de quo ſuprà Part. 2*d*.

§ II.

Qui DE Peculio *obligentur, & quandiù actio* DE Peculio *duret.*

MCCXL.

De peculio & mulier (*a*) convenietur. *l.* 3. § 2. *ff. de Pecul.*

Regula eſt; Etiam impuberes dominos (*b*) DE peculio obligari. *d. l.* 3. § 3.

(*a*) Non obſtante Velleiano. Vide Notas d. h. l. Tit. *de Pecul.* N. 33.
(*b*) Quod enim dicitur: eos ſine tutoris auctoritate non obligari; obtinet, quoties ex contractu proprio obligarentur; non in his cauſis ex quibus citrà factum noſtrum obligamur. Pari ratione & furioſus ex hâc causâ obligatur: *d. tit.* N. 33.

MCCXLI.

1. Qui cum ſervo contrahit, univerſum peculium, quod ubicumque (*a*) eſt, intuetur. *l.* 32. ff. *d. tit.*

2. Ex eâ causâ ex quâ ſoleret ſervus fructuarius vel uſurarius acquirere, in eum cujus uſusfructus vel uſus ſit, actio DE peculio cæteræque Honorariæ dantur; ex reliquis, in dominum proprietatis. *l.* 2. *ff. d. tit.*

3. Admittendum (*b*) ut, priore convento ad quem res reſpicit; in ſuperfluum is cui quæſietum non eſt, conveniatur. *l.* 19. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Adeòque non ſolùm dominus, ſed & bonæ fidei poſſeſſo ſervi, fructuarius uſuarius-vè; *De peculio* quod apud ipſos eſt ſinguli tenentur. Ordo tamen inter ipſos ſervandus, de quo vide Reg. ſeq.
(*b*) Fluit ex Reg. 1*â* mox ſuprà; & eſt ampliatio & interpretatio præcedentis. Putà, ſi ſervus ex re fructuarii negotiatus eſt, creditor ex hâc causâ primùm fructuarium deindè, ſi peculium fructuarii non ſufficiat, etiam dominum proprietatis *De peculio* quod apud ipſum eſt convenit & vice versâ.

MCCXLII.

Inter ſe agere ſocii DE peculio (*a*) non poſſunt. *l.* 20. ff. *d. tit.*

De eo quod ſervus fructuario debet, Dari debebit actio adversùs dominum proprietatis (*b*); deducto eo quod ſervus peculii nomine apud fructuarium habet. *l.* 37. § *fin. ff. d. tit.*

(*a*) Sed quod ſibi à ſervo debetur, conſequuntur actione *Communi dividundo*.
(*b*) Idem de caſu converſo: *l.* 19. § *fin.* ff. *de Pecul.*

MCCXLIII.

Quandiù ſervus vel filius in poteſtate eſt, DE peculio actio perpetua eſt. Poſt mortem autem ejus; vel poſtquàm emancipatus (*a*), manumiſſus, alienatus-ve fuerit; temporaria eſſe (*b*) incipit, id eſt annalis (*c*). *l.* 1. § 1. *Quand. de pec. act.*

Si ſervus apud hoſtes ſit, DE peculio actio non anno finienda eſt, quandiù poſtliminio reverti poteſt. *l.* 2. § 1. *ff. d. tit.*

Onus ejus peculii quod apud *venditorem* remanſerit, ad poſterioris temporis contractus pertinere non debet. *l.* 38. § 3. ff. *de Pecul.*

(*a*) Alio-ve modo ſui juris factus, putà morte patris.
(*b*) Adversùs eum qui deſiit habere in poteſtate, ejus-ve heredes.
(*c*) Niſi naturâ ſuâ eſſet brevioris temporis. Annus autem non currit quandiù peti non poteſt, putà dum pendet conditio obligationis.

MCCXLIV.

Quamvis in eum qui alienaverit, Prætor DE peculio actionem polliceatur; nihilominùs & in novum (*a*) dominum actio datur. *l.* 27. § 2. *ff. d. tit.*

Ipſi qui vendiderit ſervum, non putat Julianus de eo quod ante venditionem (*b*) crediderit; cum emptore, DE peculio agere permittendum. *l.* 27. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Non tamen ut utrumque ſimul convenire poſſit; ſed tantùm (quod benignè receptum) ut quantominùs ab eo quem elegerit conſequi potuerit, de eo alterum conveniat: l. 47. § 3. ff. *d. tit.* N. 43. & 44.
(b) Dum ejus dominus eſſet. Ex contractu enim inter dominum & ſervum nulla actio naſci poteſt.

Source : BIU Cujas

Contrà; Non tantùm quivis creditor cum venditore ex antegesto agere potest, sed & ipse emptor (*c*); dum tamen id quod apud se habet, computet. *l.* 47. § 4. *ff. d. tit.*

(*c*) Ex eo quod antequàm dominus esset, contraxit.

MCCXLV.

Penès eum videtur esse peculium, ad quem pretium (*a*) peculii pervenit; non penès quem res peculiaris sit. *l.* 33. § 34. ff. *d. tit.*

Peculium penès eum est, qui tradendo id legatario se liberavit. *l.* 1. § 7. *ff. Quando de pecul. act. am.*

(*a*) Scilicet quum pretium pro peculio constitutum est. Quòd si servus cum peculio venditus est, peculium videtur esse penès emptorem.

(*b*) Species est in herede à quo servus cum peculio legatus est. Subtilitate Juris eatenùs videtur peculium adhuc habere, quatenùs tradendo illud, obligatione ex testamento se liberavit; adeòque actione *De peculio* conveniri potest: sed indemnis debet præstari à legatario, si hoc æs alienum servi non deduxit.

§ III.

Quid contineat actio De Peculio.

MCCXLVI.

Si quis cum servo duorum contraxerit; permittendum est ei, cum quo velit dominorum experiri: nec hujus duntaxat peculii ratio haberi debet, quod apud eum cum quo agitur is servus haberet, sed & ejus (*a*) quod apud alterum. *l.* 27. § 8. *ff. de Pecul.*

Dominus, ejus nomine Quod debetur servo ab extraneis (*b*), si paratus sit actionem mandare; absolvetur. *l.* 51. *ff. d. tit.*

Etiam hoc peculio Prætor imputabit, quod dolo (*c*) malo domini factum (*d*) est quominùs in peculio esset. *l.* 21. *ff. d. tit.*

Tenet actio De peculio, etiamsi nihil sit in peculio quum ageretur; si modò sit rei judicatæ tempore. *l.* 30. *ff. d. tit.*

(*a*) Ita tamen ut hoc locum non habeat, nisi quo casu is qui convenitur habet regressum adversùs alterum dominum. Et quidem ei sufficit hanc actionem mandare: *d. tit.* N. 51. 52. & 53.

(*b*) Quod autem ipse naturaliter debet servo suo, omnimodò debet computari.

(*c*) Ut si tunc ademit, quum suspicaretur aliquem secum acturum.

(*d*) Adversùs quem agitur. Heres autem ejus & quivis successor eo nomine non tenetur, nisi quatenùs ad ipsos ex dolo defuncti pervenit. Idem dic de pupillo, ut ex dolo tutoris qui solvendo non est teneatur quatenùs ad ipsum pupillum pervenit.

§ IV.

Quæ deductiones ex peculio fiant in hâc actione.

MCCXLVII.

Regula est, Peculium deducto quod domino (*a*) debetur computandum esse; quia præveniisse dominus, & cum servo suo egisse creditur. *l.* 9. § 2. *ff. d. tit.*

Debet autem domino servus & quod conservis debet. Tamen quod vicariis debet ordinarius servus, non deducetur de peculio ordinarii servi; quia peculium eorum in peculio ipsius est. *l.* 17. § *fin. ff. d. tit.*

Eâdem ratione; quum ex contractu vicariorum De *peculio agitur;* Quod ordinarius debet *domino*, ex peculio vicariorum (*b*) detrahetur: id verò quod ipsi vicarii debent, duntaxat ex ipsorum peculio. *d. l.* 17.

Quâ ratione in solidum alteruter *sociorum* convenitur, pari ratione deducere eum oportet quod alteri debetur. *l.* 11. § *fin. ff. d. tit.*

Id etiam deducetur quod his personis debetur, quæ sunt in tutelâ vel curâ domini vel patris, vel quorum negotia administrant. *l.* 9. § 4. *ff. d. tit.*

(*a*) Aut cuivis qui *De peculio* convenitur; & quidem sivè ipsi, sive his quos in potestate habet, debeatur.

(*b*) Quum enim peculium vicarii, sit pars peculii ordinarii; indè potest deducere dominus quod sibi ab ordinario debetur.

Si post venditionem *servi* cœperit aliquid venditori servus debere; non minuit ejus peculium (*c*), quia non domino debet. *l.* 47. § 5. *ff. d. tit.*

(*c*) Quod apud venditorem remansit, & de quo intra annum convenitur. Debet enim ei qui jam desiit esse dominus, & ex causâ quæ non spectat onus hujus peculii. Vide supra N. 1243. Reg. *Onus &c.*

MCCXLVIII.

Variæ species in quibus servus filius-ve domino patri-ve debent.

Deducetur de peculio, si quid dominus servi nomine (*a*) obligatus est, vel præstitit obligatus. *l.* 9. § 8. *ff. d. tit.*

Si ignorante me servus meus negotia mea administraverit; tantidem debitor mihi intelligetur, quanti teneretur si liber administrasset. *l.* 49. § 1. *ff. d. tit.*

Quod servus meus pro debitore meo mihi expromisit, ex peculio deduci debet (*b*); & à debitore nihilominùs debetur (*c*). *l.* 56. *ff. d. tit.*

Si à debitore dominico servus exegerit; Julianus non aliter dominum deducturum ait, quàm si ratum habuisset quod exactum est. *l.* 11. § 2. *ff. d. tit.*

Servus domino Si ex delicto debeat, ut putà ob furtum... ipsa furti æstimatio sola (*d*) deducitur. *l.* 9. § 6. *ff. d. tit.*

Si ipse servus sese vulneraverit, non debet hoc damnum deducere (*e*). *d. l.* 9. § 7.

(*a*) Pro rebus peculiaribus; vel si hunc servum *Noxali* judicio defendit & pro eo litis æstimationem præstitit: ex his causis servum sibi, quasi ex naturali negotiorum ejus gestorum obligatione debitorem habet.

(*b*) Tanquam à servo meo mihi debitum.

(*c*) Non ex pristinâ causâ quam novatio extinxit; sed obligatione *Mandati* quæ per servum mihi acquisita est.

(*d*) Pœna enim non ex naturali obligatione debetur; sed ex civili quæ inter dominum & servum non consistit.

(*e*) Ex his enim demùm causis debitor intelligitur, ex quibus debitor fieret si liber esset.

MCCLXIX.

Adversùs quos creditores deducatur quod patri domino-ve debetur; & an etiam deducatur quod aliis debetur creditoribus.

Nullum privilegium præponi patri vel domino potest, quum De peculio conveniuntur: in cæteris creditoribus habenda est ratio privilegiorum. *l.* 52. *ff. d. tit.*

Inter creditores cæteros In actione de peculio, occupantis (*a*) melior est conditio. *l.* 10. *ff. d. tit.*

(*a*) Videtur autem occupasse, qui prior ad Sententiam pervenit. Ideòque quum privilegiatus agit, differtur cæterorum actio donec privilegiatus ad Sententiam pervenerit.

MCCL.

Quatenùs deducatur, & an pluries deduci possit.

Quod deduci debere diximus id quod debetur ei qui De peculio convenitur; ita accipiendum est, si non (*a*) hoc aliundè consequi potuit. *l.* 11. § 6. *ff. d. tit.*

Quod dominus ipse deduxit, rursùs si conveniatur; si quidem dominus abstulit hoc de peculio, non debet deduci; si verò eamdem peculii positionem reliquit, debet deducere. *l.* 11. § 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Speciem pone in venditore convento, qui peculii venditi cum servo pretium possidet: non deducet, quia potest ipse deducere emptori; aut, si non deducto eo præstitit, condicere.

§ V.

An pluries De Peculio *agi possit.*

MCCLI.

Qui semel De peculio egit; rursùs aucto peculio, de residuo debiti agere potest. *l.* 30. § 4. *ff. d. tit.*

PPPPS

Source : BIU Cujas

ARTICULUS II.

De actione DE in rem verso.

§ I.

Quando huic sit locus.

MCCLII.

Regulariter dicimus; Toties DE in rem verso esse actionem, quibus casibus procurator MANDATI, vel qui negotia gessit NEGOTIORUM GESTORUM haberet actionem; quotiesque aliquid consumpsit (*a*), ut aut meliorem rem dominus habuerit, aut non deteriorem. *l.* 3. § 2. *ff. de in rem verso.*

Sive ratum habeat servi contractum dominus, sive non (*b*), DE in rem verso est actio. *l.* 5. § 1. *ff. d. tit.*

Placet non solùm eam pecuniam IN rem verti, quæ statim à creditore ad dominum pervenerit, sed & quæ priùs fuerit in peculio (*c*). *d. l.* 5. § *fin.*

Hoc (*d*) Jure utimur; ut, etiamsi priùs in peculium vertit pecuniam, mox in rem domini, esse DE in rem verso actio possit. *l.* 3. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Scilicet quum pecuniam quam servo ex causâ *Mutui* vel *Venditionis* alio-ve ex contractu dedi, servus ita impendit in negotia domini, ut ipsum sibi naturaliter obligatum habeat; videtur *In rem versum* ex meo contractu, & habeo in dominum DE *in rem verso* actionem.

(*b*) Sufficit enim servum utiliter in rem ipsius contraxisse.

(*c*) Putà, quum mutuatus pecuniam in rationes peculiares, mutato consilio eam in rationes domini vertit.

(*d*) Consonat præcedenti.

MCCLIII.

Servus Si sic accepit quasi in rem domini verteret, nec vertit, & decepit creditorem; non videtur versum, nec tenetur dominus. *l.* 3. § 9. *ff. d. tit.*

Quod servus in hoc mutuatus fuerit, ut creditori suo solveret; non erit in rem versum quamvis actione (*a*) DE peculio liberatus sit dominus. *l.* 11. *ff. d. tit.*

Si domini debitor sit servus, & ab alio mutuatus ei solverit; hactenùs non vertit, quatenùs (*b*) domino debet; quod excedit, vertit (*c*). *l.* 10. § 7. *ff. d. tit.*

Si (*d*) donaverit servus domino rem peculiarem, actio DE in rem verso cessabit. *l.* 7. *ff. d. tit.*

(*a*) Fluit hoc (cum duabus Regulis seqq.) ex Reg. 1ā. suprà N. præced. Nec enim ut sit nobis DE *in rem verso* actio, sufficit ut ex pecuniâ quæ ex nostro contractu profecta est, dominus factus sit locupletior. Sed oportet ut servus dominum sibi debitorem fecerit: non facit autem, solvendo creditori peculiari; cùm magis suum negotium gerat quàm domini.

(*b*) Toties enim est DE *in rem verso* actio, quoties dominum sibi obligat, non quum se ab ipso liberat.

(*c*) Nam dominum sibi naturaliter obligat, ad restitutionem ejus quod excedit.

(*d*) Nisi sic mutuatus esset eam rem, ut ex hâc dominum sibi obligaret. Nec enim eam donando mutare potest consilium suum in creditoris injuriam.

MCCLIV.

Species in quibus servus filius-ve dominum patrem-ve sibi obligare, adeòque In rem *eorum vertere videntur.*

Si servus sumpsit pecuniam ut se aleret & (*a*) vestiret, ad eum modum quem dominus præstare consueverat, in rem domini videtur vertisse. *l.* 3. § 3. *ff. d. tit.*

Si filius familias pecuniam mutuatus, pro filiâ suâ dotem dederit (*b*); in rem versum patris videtur, quatenùs avus pro nepte daturus fuit. *l.* 7. § *fin.* ff. *d. tit.*

(*a*) Quasi eâ in re negotium domini gerens; quum non ex peculiari, sed ex dominicâ ratione soleret ali & vestiri.

(*b*) Quasi patris eâ in re negotium gerens, qui dotare neptem suam volebat.

MCCLV.

Quatenùs in rem versum videtur.

Non spectamus an bono domini cesserit, quod consumptum est; sed an in negotium domini. *l.* 3. § 6. ff. *d. tit.*

Corollarium Ium. Servus (*a*) in rem domini pecuniam mutuatus, sine culpâ eam perdidit... Potest agi DE in rem verso. *l.* 17. *ff. d. tit.*

Corollarium IIum. Illud quoque in rem domini versum, quod mutuatus servus domino emit volenti (*b*) ad luxuriæ materiam. *l.* 3. § 6. *ff. d. tit.*

Si res domino non necessarias emerit servus; hactenùs videtur in rem versum quatenùs verum pretium fuit; cùm, si necessarias emisset, in solidum quanto væniissent (*c*) teneretur. *l.* 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Necessariam.

(*b*) Quum autem domini voluntas non accedit; ex voluptariâ impensâ non est DE *in rem verso* actio creditori, nisi hactenùs ut permittatur ei tollere si quid extat.

(*c*) Modò non potuerit eas minoris emere. Nunquam autem tenetur dominus in plusquàm veniissent, etsi pluris dignæ sunt.

§ II.

Qualis sit actio DE In rem verso, *quandiù duret, & quid contineat.*

MCCLVI.

De in rem verso actio perpetua est; & locum habet; sive ademit (*dominus peculium*) sine dolo malo, sive actio DE Peculio anno finita est. *l.* 1. § 1. *ff. d. tit.*

VERSUM sic accipimus, ut duret versum; & ita demùm DE in rem verso competit actio, si non sit à domino servo solutum (*a*) vel filio. *l.* 10. § 6. *ff. d. tit.*

Regula est; Sive debitor fuit domino *servus* quum in rem verteret, nihil videri versum; sive postea debitor esse domino cœperit, desinere versum. *d. l.* 10. § 7.

In rem versum videtur, prout aliquid versum est. Proindè si pars versa est, de parte erit actio. *d. l.* 10. § 4.

Quum ex contractu vicarii agitur, venit in actione DE in rem verso, *non solùm quod in rem domini vertit; sed id quod in peculium ordinarii servi vertit, sed hoc demùm intra fines ejus peculii, & demùm intra tempus quo* DE peculio *ordinarii servi agi posset: ex l.* 17. § 1. *ff.* d. tit. *N.* 20 *&* 21.

(*a*) Vel ipsi, vel pro eo alicui ex ejus creditoribus peculiaribus. Non sufficit autem dominum fuisse conventum ab aliquo creditore peculiari, nisi ei solverit.

§ III.

Quibus & adversùs quos actio De in rem verso *competat.*

MCCLVII.

Unius duntaxat in quoquo contractu DE in rem verso est actio, qui idipsum (*a*) credidit quod in rem domini versum est. *l.* 18. *ff. d. tit.*

Quum duo servo in rem domini æquè (*b*) *principaliter crediderunt;* Dicendum est, occupantis meliorem conditionem esse debere. *l.* 4. *ff. d. tit.*

(*a*) Solus ergo qui pecuniam crediderit; aut rem vendiderit, quas servus in rem domini verteret, hâc actione aget; non hi qui in hoc contractu pro servo intervenerunt.

(*b*) Ut si unus pecuniam servi mutuam dedit ad emendum frumentum domino necessarium, alter vendidit; & pecunia, antequàm venditori solveretur, periit, aut etiam, tam pecunia quàm frumentum perierunt.

MCCLVIII.

Julianus scribit; Eum solum conveniri, in cujus rem versum est. *l.* 13. *ff. d. tit.*

Interdum & propter hoc quod in rem alterius socii versum est, DE in rem verso cum altero agi potest; si conventus, à socio petere potest id in quo damnatus fuerit. *l.* 14. *ff. d. tit.*

Source : BIU Cujas

ARTICULUS III.

De actione Tributoriâ.

MCCLIX.

Dominus qui alioqui in ſervi contractibus privilegium habet, ſi ſcierit ſervum in peculiari merce negotiari, velut extraneus (*a*) creditor ex hoc Edicto in tributum vocatur. *l.* 1. *ff. de Trib. act.*

(*a*) Id eſt, non deducit totum quod ſibi debetur, ut in actione De *peculio*; ſed pro eo venit in tributum cum creditore ſervi.

§ I.

Quando locus ſit contributioni ex hoc Edicto.

MCCLX.

Non ſolùm ad ſervos (*a*) pertinebit Tributoria actio; verùm ad eos quoque qui nobis bonâ fide ſerviunt, vel in quibus uſumfructum habemus, ut tamen merx quâ peculiariter negotiantur, ad nos pertineat (*b*). *l.* 1. § *fin. & l.* 2. *ff. d. tit.*

Ad omnes negotiationes porrigendum Edictum. *l.* 1. § 1. *ff. d. tit.*

Non velle debet dominus, ſed non nolle. Si igitur ſcit & non contradicit, tenebitur Tributoriâ. *d. l.* 1. § 3.

Si vicarius ſervi mei negotietur; ſi quidem me ſciente, Tributoriâ tenebor; ſi me ignorante, ordinario ſciente, De peculio; nec deducendum ex vicarii peculio, quod ordinario (*c*) debetur. *l.* 5. § 1. ff. *d. tit.*

Ex duobus dominis ſi alter ſcivit, alter ignoraverit; in eum qui ſcivit, dabitur actio: deducetur tamen ſolidum quod ei qui ignoravit, debetur. *l.* 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Et filiosfamiliàs.
(*b*) Sit ex eo peculio quod nos ſequatur.
(*c*) Quum alioqui deducendum eſſet, ſi ordinarius ignoraſſet. Tit. *de Pecul.* N 62.

§ II.

Quid contribuendum ſit, inter quos, & quomodo contributio fiat.

MCCLXI.

Non totum peculium venit in tributum, ſed id duntaxat quod ex eâ (*a*) merce eſt. *l.* 5. § 11. *ff. d. tit.*

Dominus partietur ex merce, ex quâcumque causâ ei debeatur; parvi-que refert, ante mercem an poſteà ei debere ſervus cœperit. *d. l.* 5. § 7.

Non hæc actio, ſicut De peculio, occupantis meliorem cauſam facit; ſed æqualem (*b*) conditionem quandoque agentium. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Licèt *merces* quæ extant, ex unius creditoris pecuniâ ſint comparatæ; dicendum erit, omnes in tributum venire: niſi fuerint creditori (*c*) pignoratæ. *d. l.* 5. § 17.

Si dedi mercem meam vendendam, & extat; ſi quidem in creditum (*d*) abii, Tributio locum habebit. *d. l.* 5. § 18.

Si ſervus duas negotiationes (*e*) exercebat, & ſeparatos habuit creditores; puto ſeparatim eos in tributum vocandos: unuſquiſque enim merci magis quàm ipſi credidit. *d. l.* 6. § 15.

(*a*) In quâ etiam continentur inſtrumenta quibus in tabernâ utitur; & quæcumque ſervo, ratione hujus negotiationis, debentur.
(*b*) Hinc creditor cui ſolvitur, cavere debet ſe refuſurum pro ratâ; ſi emerſerint alii creditores, quorum credito merx exhauriatur.
(*c*) Quo caſu vel domino præferuntur.
(*d*) *Si j'ai vendu à crédit, & non à la charge de payer comptant.*
(*e*) Aut duas tabernas in diverſis locis, licèt ejuſdem negotiationis.

§ III.

De ipſâ Tributoriâ *actione.*

MCCLXII.

Actio Tributoria dolum (*a*) coërcet domini. *l.* 7. § 2. *ff. d. tit.*

Si cujus dolo malo factum eſt quominùs tribueretur; in eum Tributoria datur: ut, quanto minùs tributum ſit quàm debuerit, præſtet. *d. l.* 7. § 2.

Minùs tribuere videtur, etiamſi nihil tributum ſit. *d. l.* 7. § 2.

Dominus ſi ignorans minùs tribuit, re compertâ ſi non tribuit, dolo nunc (*b*) non caret. *d. l.* 7. § 2.

(*a*) Id eſt, datur ex dolo domini circa contributiones admiſſo; vel iniquè diſtribuendo, vel mercem avertendo, aut dolo perdendo, vel inficiando eum qui agit eſſe creditorem: *d. tit.* N. 17.
(*b*) Ex quo dolo tenebitur tributoria:

MCCLXIII.

Si pupilli (*a*) dolo factum ſit, tenetur; quamvis ſcientia ejus non ſufficiat ad negotiationem (*b*). *l.* 3. § 2. *ff. d. tit.*

Pupillus (*c*) Hactenùs ex dolo tutoris Tributoriâ tenetur, ſi quid ad eum pervenerit. *De cætero* Hactenùs tenebitur, ut actionem quam contra tutorem habeat præſtet. *l.* 3. § 1. *ff. d. tit.*

Procuratoris ſcientiam & dolum nocere deberet domino, non dubitamus. *l.* 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Qui ejus ætatis eſt ut doli capax ſit.
(*b*) Fingendum, ſciente tutore ſervum negotiatum.
(*c*) Idem dic de furioſo, & cæteris qui in Curâ ſunt.

MCCLXIV.

Etiam mortuo ſervo, dominus, item heres (*a*) ejus, perpetuò teneri debebit. *l.* 8. *ff. d. tit.*

De peculio actione, etiam cum emptore ſervi agi poteſt; Tributoriâ non poteſt. *l.* 10. ff. *d. tit.*

(*a*) In id tamen duntaxat quod ad ipſum pervenit ex dolo defuncti; ex proprio, in ſolidum.

MCCLXV.

Eligere quis debet quâ actione experiatur, De peculio, an Tributoriâ; cùm ſciat ſibi regreſſum ad aliam non futurum. *l.* 9. § 1. *ff. d. tit.*

ARTICULUS IV.

De actione Quod juſſu.

MCCLXVI.

Ex juſſu domini (*a*), in ſolidum adversùs eum judicium datur. Nam quodammodò cum eo contrahitur qui jubet. *l.* 1. *ff. d. tit.*

Si juſſu fructuarii erit cum ſervo contractum, item ejus cui bonâ fide ſervit, Quod Jussu danda in eos actio *d. l.* 1. § 8.

Si tutoris (*b*) juſſu, ſervo pupilli creditum ſit; ex utilitate pupilli, puto in pupillum dandam actionem Quod juſſu tutoris *l.* 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Vel dominæ, vel patris; ita tamen ſi dominus fuerit capax ſe obligandi.
(*b*) Idem dic de curatore, procuratore, Reipublicæ adminiſtratore.

MCCLXVII.

Domini Juſſum accipiendum eſt, ſive ſpecialiter in uno contractu juſſerit, ſive generaliter. *ſup. d. l.* 1. § 1.

Dominus Revocare juſſum, antequàm credatur, poteſt. *d. l.* 1. § 2.

Source : BIU Cujas

Dominus si fidejusserit pro servo, non tenetur QUOD jussu (*a*); quasi extraneus enim intervenit. *d. l.* 1. § 5.

(*a*) Sed tenetur ex fidejussione suâ *Ex stipulatu.*

M C C L X V I I I.

Si unus ex dominis jussit, is solus tenebitur: si duo, cum quovis in solidum agi potest. *l.* 5. § 1. *ff. d. tit.*

Qui DE peculio egit, quum posset QUOD jussu; in eâ causâ est ne possit (*a*) QUOD jussu posset agere. *l.* 4. § *fin. ff. Quod cum eo, &c.*

(*a*) Nisi sit causa ex quâ possit restitui in integrum.

ARTICULUS V.

De Exercitoriâ *actione.*

M C C L X I X.

Cùm interdum ignari cujus sint conditionis vel quales, cum magistris propter navigandi necessitatem contrahamus; æquum fuit, eum qui magistrum navi imposuit, teneri. *l.* 1. *ff. de Exerc. act.*

M C C L X X.

Ex cujus contractu detur hæc actio.

Cujus conditionis sit magister, nil interest; liber an servus, sed nec cujus ætatis sit. *d. l.* 1. § 4.

MAGISTRUM accipiemus, & eum quem magister præposuit (*a*): omnia enim facta magistri debet præstare, qui eum præposuit. *d. l.* 1. § 5.

Si plures sint magistri, non divisis officiis; quodcumque cum uno (*b*) gestum erit, obligabit exercitorem; si divisis, pro cujusque officio obligabitur exercitor. *d. l.* 1. § 13.

Si cum quolibet nautarum sit contractum; non datur actio in exercitorem, quanquam ex delicto eorum detur. *d. l.* 1. § 2.

(*a*) Licèt dominus prohibuisset eum supræponere.
(*b*) Nisi ita præpositi fuerint, ut nonnisi cum omnibus contrahi posset.

M C C L X X I.

Ex quâ causâ detur.

Non ex omni causâ Prætor dat in exercitorem actionem, sed ejus rei nomine cujus ibi præpositus fuerit. *d. l.* 1. § 7.

Præpositio certam legem dat contrahentibus. *d. l.* 1. § 12.

Magister Si hâc lege accepit *mutuum* quasi in navem impensurus, mox mutavit voluntatem; teneri exercitorem. Quòd si ab initio consilium cepit fraudandi creditorem, & specialiter non (*a*) expresserit quod ad navis causam accipit; contrà esse. *d. l.* 1. § 9.

Etiam Si unus ex exercitoribus cum magistro navis contraxerit; agere cum aliis exercitoribus poterit. *l.* 5. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Si igitur expresserit, quamvis per mendacium, tenebitur exercitor; sed demùm quatenùs probabile esse potuit ad hanc causam eum mutuari: *d. tit.* N. 8.

M C C L X X I I.

Adversùs quos detur.

Si plures navem exerceant, cum quolibet eorum in solidum (*a*) agi potest. *l.* 1. § *fin. ff. d. tit.*

(*a*) Ex contractu magistri. Quòd si cum ipsis per se exercentibus contractum esset, pro portione exercitionis quisque teneretur.

Ex voluntate (*b*) in solidum tenentur (*c*), qui habent in potestate Exercitorem. *d. l.* 1. § 20.

Est nobis electio, utrùm exercitorem, an magistrum convenire velimus. *d. l.* 1. § 17.

(*b*) Aon ex merâ scientiâ, ut in *Tributoriâ.*
(*c*) Tam ex contractibus magistri, quàm ex contractibus ipsiusmet exercitoris. Speciale hoc circa exercitores.

ARTICULUS VI.

De Institoriâ *actione.*

M C C L X X I I I.

Æquum Prætori visum est, sicut commoda sentimus ex actu institorum, ita etiam obligari nos ex contractibus ipsorum & conveniri. *l.* 1. *ff. de Instit. act.*

Qui præposuit, tenebitur ipsâ præpositione. *l.* 11. § 2. ff. *d. tit.*

De quo palàm (*a*) proscriptum fuerit NE cum eo contrahatur, is præpositi loco non habetur. *d.* § 2.

Si per id temporis quo propositum (*b*) non erat, vel obscuratâ proscriptione contractum sit; Institoria locum habebit. *d. l.* 11. § 4.

(*a*) Claris litteris, undè de plano legi possint; & eo sermone qui à vulgo eò loci intelligatur, *d. l.* 11. § 3.
(*b*) Nec refert quis substituisset, etiamsi ipse institor decipiendi causâ.

M C C L X X I V.

Parvi refert quis sit institor, liber an servus, proprius vel alienus. *Sed &* pupillus institor obligat eum qui eum præposuit, Institoriâ actione. *l.* 7. §§ 1. *& fin ff. d. tit.*

Varietate (*a*) statûs *institoris*, non mutabitur periculi causa. *l.* 19. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Ut si servus institor, fuerit manumissus.

M C C L X X V.

Quisquis (*a*) præposuit, competit Institoria. *l.* 7. § 1. *ff. d. tit.*

Etsi procurator (*b*) meus, tutor, curator, institorem præposuerit; dicendum erit, veluti à me præpositio, dandam Institoriam actionem. *l.* 5. § *fin. ff. d. tit.*

Non imputandum est ei qui sciens dominum decessisse, cum institore exercente mercem contrahat (*c*). *l.* 17. § 3. ff. *d. tit.*

Si impubes patri habenti institores heres extiterit, deindè cum iis contractum fuerit; dicendum est in pupillum dari actionem (*d*), propter utilitatem promiscui usûs. *d. l.* 17. § 2.

(*a*) Modò sit obligationis capax. Unde pupillus non aliter tenebitur, quàm si tutore auctore præposuerit.
(*b*) Vel omnium bonorum, vel cui specialiter mandavi, vel si ratum habui.
(*c*) Tandiù enim manet institor, donec heredes eum removerint.
(*d*) Sive ante, sive post aditam hereditatem; donec heres factus eum removerit.

M C C L X X V I.

Non omne quod cum institore geritur, obligat eum qui præposuit; sed ita, si ejus rei (*a*) gratiâ cui præpositus fuerit, contractum est. *l.* 5. § 11. ff. *de Instit. act.*

Conditio (*b*) præpositionis servanda est. *l.* 11. § 5. ff. *d. tit.*

Creditor *qui institori fœneratur*, scire debet necessariam esse mercium comparationem; & sufficit si in hoc crediderit: non etiam illud exigendum, ut ipse curam

(*a*) Qui V. G. ad emendas merces præpositus est; ejus rei gratiâ contrahere videtur, non solùm quum emit merces, sed & quum accipit mutuam pecuniam ut emat: secùs si vendat: *d. tit.* N. 12. 13. & 14.
(*b*) Putà, ut nonnisi accepto pignore aut fidejussoribus in creditum abeat; ut cum certo genere hominum non contrahat, ut interventu certæ personæ. &c.

Source : BIU Cujas

ſuſcipiat an in hanc rem pecunia eroganda eſt. *l.* 7. § *fin.* ff. *de Exercit. act.*

MCCLXXVII.

Si plures tabernam exerceant; verius eſt, exemplo exercitorum (*a*), in ſolidum unumquemque *Inſtitoriâ* conveniri poſſe. *l.* 13. § 2. *ff. de Inſtit. act.*

Ubicumque actio Societatis vel Communi dividundo ceſſat (*b*), quemque pro parte ſuâ condemnari *Inſtitoriâ* oportere conſtat. *l.* 14. *ff. d. tit.*

(*a*) Navis.
(*b*) Exemplum pone eo caſu quo defunctus ſervum ſuum inſtitorem manumiſiſſet, & plures heredes reliquiſſet. d. l. 14.

ARTICULUS VII.

De aliis cauſis in quibus quæritur, an ex alieno contractu actio detur.

MCCLXXVIII.

Prætor Exercenti navem, adversùs eos qui cum magiſtro contraxerunt, actionem non pollicetur... Solent planè Præfecti propter miniſterium annonæ, extra ordinem juvare eos ex contractu magiſtrorum. *l.* 1. § 18. *ff. de Exercit. act.*

Marcellus ait; Debere dari actionem ei qui inſtitorem præpoſuit, in eos qui cum eo contraxerunt; ſi modò aliter rem ſuam ſervare non poteſt. *l.* 1. § *fin.* & *l.* 2. *ff. de Inſtit. act.*

MCCLXXIX.

Si cum villico (*a*) alicujus contractum ſit, non datur in dominum actio. *l.* 16. ff. *d. tit.*

In eum qui mutuis accipiendis pecuniis procuratorem præpoſuit, Utilis ad exemplum Inſtitoriæ dabitur actio. *l.* 19. ff. *d. tit.*

Si pecuniam militis, procurator ejus mutuam dedit, fidejuſſoremque accepit; actionem dari militi cujus pecunia fuerit, placuit. *l.* 26. *ff. de Reb. cred.*

Ex causâ judicati, pro procuratore, vel contra procuratorem (niſi ſit in rem ſuam) actio domino & in dominum datur. Tit. Judic. ſolv.

Item In omnibus Prætoriis ſtipulationibus... ſi procurator meus ſtipuletur, mihi causâ cognitâ ex eâ ſtipulatione actio competit. *l.* 5. ff. *de Præt. ſtipul.*

Item ei cui donatio reſtituenda eſt, adversùs eum cui donatum eſt, actionem dari ſuprà vidimus. N. 1173.

(*a*) Niſi fuerit præpoſitus diſtrahendis frugibus.

MCCLXXX.

Per tutorem pupillo actio, niſi certis ex cauſis, quæri non poteſt. *l.* 5. *Cod. Quand. ex fact. tut.*

Si tutores tua prædia locaverunt, ex eorum contractu Utilis tibi quæri poteſt actio. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

Si tutor vel curator pecuniâ ejus cujus negotia adminiſtrat mutuâ datâ, ipſe ſtipulatus fuerit; Utilis actio ei cujus pecunia fuit, datur ad mutuam pecuniam exigendam. *l.* 2. ff. *Quand. ex fact. tut.*

Si impuberis nomine tutor vendiderit; evictione ſecutâ; Papinianus ait dari in eum cujus tutela geſta ſit, Utilem actionem. *l.* 4. § 1. ff. *de Evict.*

Si in rem Minoris pecunia profecta ſit, quæ curatori vel tutori ejus, nomine Minoris, mutuo data eſt; actio in Minorem danda eſt. *l.* 3. *Cod. Quando ex fact. tut.*

Tutor qui & coheres pupillo erat, fideicommiſſi nomine in ſolidum ipſe cavit... In adultum pupillum pro parte danda Utilis, actio. *l.* 8. ff. *Quando ex fact. tut.*

SECTIO V.

De Obligationibus quæ ex Delictis & Quaſi-delictis naſcuntur.

REGULÆ GENERALES circa illas obligationes, & Delictorum æſtimationem.

MCCLXXXI.

Qui mandat, ipſe feciſſe videtur. *l.* 10. ff. *Mand.*

Hinc V. G. Si mandatu meo facta ſit injuria; plerique aiunt tam me qui mandavi quam eum qui ſuſcepit, Injuriarum teneri. *l.* 11. § 3. *ff. de Injur.*

In maleficio (*a*), ratihabitio mandato comparatur. *l.* 152. § 2. ULP. LIB. 60. AD ED.

(*a*) Exemplum eſt: ſi quis me fundo, tuo nomine, vi dejecerit, & factum ratum habueris, æque teneris *De Vi* ac ſi mandaſſes; adeòque æquè atque ſi ipſe me dejeciſſes.

MCCLXXXII.

Interdum ſolus qui juſſit, tenetur; ſcilicet ſi is qui fecit, erat ſubditus ei qui juſſit. Hinc regulæ ſequentes.

Is damnum dat, qui jubet dare; ejus verò (*a*) nulla culpa eſt cui parere neceſſe ſit. *l.* 169. PAUL. LIB. 2. AD PLAUT.

Ad ea quæ non habent atrocitatem facinoris vel ſceleris, ignoſcitur ſervis; ſi vel dominis vel his qui vice dominorum ſunt, veluti tutoribus aut curatoribus obtemperaverint. *l.* 157. ULP. LIB. 71. AD ED.

(*a*) Trahe regulam ad cætera levia delicta. In atrocioribus autem falli regula, nec excuſatur qui paruit; quantumvis ſubditus juri ejus qui juſſit. Vide Reg. ſeq.

MCCLXXXIII.

Qui ſcit *eum quem in poteſtate habet, delinquere; ſuo nomine* in ſolidum tenetur. *l.* 5. § 1. ff. *de Noxal. act.*

Scilicet ſi prohibere potuit. Nam Nullum crimen patitur is qui non prohibet, quum prohibere non poteſt. *l.* 109. PAUL. LIB. 5. AD ED.

Et Culpâ caret qui ſcit, ſed prohibere non poteſt. *l.* 50. IDEM LIB. 39. AD ED.

MCCLXXXIV.

De æſtimatione delictorum.

Nunquam creſcit ex poſt (*a*) facto, præteriti delicti æſtimatio. *l.* 138. § 1. PAUL. LIB. 27. AD ED.

(*a*) Hinc furtum quod, quum fieret, fuit *Non manifeſtum*, non æſtimabitur *Manifeſtum* ex eo quòd ex poſt facto, interpoſito intervallo fur cum re ſurreptâ fuerit deprehenſus. Hinc qui ſervum non mortiferè vulneravit, non tenebitur tanquam de occiſo homine, licèt ex poſt facto imperitiâ medici ſervus mortuus fuerit &c.

ARTICULUS I.

De Furto.

§ I.

De contrectatione ad ſubſtantiam Furti neceſſariâ.

MCCLXXXV.

Hoc Jure utimur; ut furtum ſine contrectatione non fiat. *l.* 52. § 19. *ff. d. tit.*

Corollarium Imum. Sola cogitatio furti faciendi, non facit furem. *l.* 1. § 1. *ff. d. tit.*

Source : BIU Cujas

Corollarium II^um. Qui furti faciendi causâ conclave intravit, nondum fur eſt. *l.* 21. § 7. *ff. d. tit.*

Corollarium III^um. Qui depoſitum abnegat, non ſtatim Furti tenetur, ſed ita ſi intervertendi causâ occultaverit. *l.* 1. § 2. *ff. d. tit.*

Si is qui indebitum accipiebat (*a*), delegaverit ſolvendum; non erit Furti actio, ſi eo abſente ſolutum ſit; ſi præſente, furtum (*b*) facit. *l.* 43. § 2. ff. *de Furt.*

(*a*) Alium ſe ſimulans.
(*b*) Videtur enim contrectare; non quidem per ſe, ſed per eum cui præſens rem tradi jubet.

M C C L X X X V I.

Qui lancem raſit, totius fur eſt. *l.* 22. § 2. ff. *d. tit.*

Qui in acervo frumenti modicum ſuſtulit ... & qui dolium aperuit & indè parum vini abſtulit ... verum eſt in tantùm eos Furti actione teneri, quantum abſtulerunt (*a*). *l.* 21. *ff. d. tit.*

Si duo plures-ve unum tignum furati ſunt, quod ſinguli tollere non potuerint; dicendum eſt, omnes eos Furti in ſolidum teneri. *d. l.* 21. § 9.

(*a*) Quod obtinuit contra Oſilii & Trebatii ſententiam: qui eos totius acervi & totius dolii fures cenſebant. Et ita hæ res dividuæ differunt ab individuis, qualis eſt lanx (*un plat*).

M C C L X X X V I I.

Ei qui Furti actionem habet, aſſiduâ contrectatione furis non (*a*) magis actio naſci poteſt. *l.* 9. ff. *d. tit.*

(*a*) Hæc enim aſſidua contrectatio pro unâ habetur. Si tamen res dominium mutaſſet, vel ad dominum poſſeſſio rediiſſet; nova contrectatio novum furtum videretur, novamque actionem pareret.

§ II.

De affectu furandi & lucri faciendi.

M C C L X X X V I I I.

Furtum ſine affectu furandi non committitur. *Inſtitut. l.* 4. *Tit.* 1. § 7.

Is ſolus fur eſt, qui adtrectavit quod invito domino ſe facere ſcivit. *l.* 46. § 7. *ff. de Furtis.*

Verum eſt, ſi meretricem ancillam rapuit quis vel celavit, furtum (*a*) non eſſe. *l.* 39. ff. *d. tit.*

Si quis non animo furti faciendi, ſed tantùm damni (*b*) dandi, tabulas delevit; Furti non tenebitur. *l.* 41. § 1. ff. *Ad Leg. Aquil.*

Eum qui quid utendum accepit, ſi ipſe alii commodaverit (*c*), Furti obligari reſponſum eſt.... Species enim lucri eſt, ex alieno largiri & debitorem ſibi acquirere. *l.* 54. § 1. ff. *de Furt.*

(*a*) Quia non animo furandi & lucri faciendi, ſed libidinis implendæ causâ fecit. Secùs, ſi meretrix non eſſet.
(*b*) Si quis alius quàm debitor chirographum delevit, animo damni dandi.
(*c*) Quum ſciret ſe invito domino facere.

M C C L X X X I X.

Si quid fur fregerit aut ruperit, quod non etiam furandi causâ contrectaverit; ejus nomine cum eo Furti agere non poteſt. *l.* 22. ff. *d. tit.*

Fur ſi majoris ponderis quid aperuit vel refregit quod tollere non poſſit, non eſt omnium (*a*) rerum cum eo Furti actio, ſed earum tantùm quas tulit... Quòd ſi totum vas tollere potuit, dicimus eum totius eſſe furem; licèt ſolverit ut quaſdam tolleret (*b*). *l.* 21. § 8. ff. *d. tit.*

Qui ſaccum habentem pecuniam ſurripit; Furti, etiam ſacci nomine, tenetur: quamvis non ſit ei animus ſacci furandi (*c*). *l.* 77. ff. *d. tit.*

(*a*) Nam hoc caſu non poteſt præſumi habuiſſe voluntatem furandi omnes res, nec enim voluit, quod ſciebat fieri non poſſe.
(*b*) Præſumitur enim voluiſſe totum quod contrectavit, furari; licèt aliquo caſu impeditus poſteà ſolverit, ut quaſdam duntaxat tolleret.
(*c*) Propter ſe. At habuit voluntatem etiam ſaccum ſurripiendi propter pecuniam, quod ſufficit.

M C C X C.

Si quis æs ſurripuit dùm aurum ſubripere putat, aut contrà; furtum (*a*) committit. *l.* 21. § 2. ff. *d. tit.*

Nihil ad furtum minuendum facit, quòd cujus ſit ignoret. *l.* 43. § 4. *ff. d. tit.*

(*a*) Habuit enim voluntatem furandi hoc quod contrectabat, licèt in materiâ erraret; quod ſufficit.

§ III.

De eo quod ad ſubſtantiam furti requiritur, ut citra conſenſum domini fiat.

M C C X C I.

Quis voluntatem domini habens, fur dici (*a*) poteſt? *l.* 48. *ff. de Furt.*

Qui vim intulit; cùm poſſeſſionem à me ſit conſecutus, fur (*b*) non eſt. *l.* 14. § 12. ff. *Quod met. cauſ.*

(*a*) Nec erit fur; etiamſi falsò credat ſe invito domino facere. *Inſtitut.* lib. 4. Tit. 1. § 8.
(*b*) Volui enim ei tradere, quamvis coactus.

M C C X C I I.

Si quis nihil in perſonâ (*a*) ſuâ mentitus eſt, ſed verbis fraudem (*b*) adhibuit; fallax eſt magis, quàm furtum (*c*) facit. *l.* 43. § 3. ff. *de Furt.*

Falſus procurator, ita demùm furtum pecuniæ faciet; ſi nomine veri procuratoris adſumpto (*d*), debitorem alienum circumvenit. *l.* 80. § 6. ff. *d. tit.*

Falſus (*c*) procurator furtum quidem facere videtur, ſi hâc mente dederit ei nummos debitor ut eos creditori perferret, procurator autem eos intercipiat... Quòd ſi ita det debitor (*f*) ut nummi procuratoris fiant, nullomodo eum furtum facere. *l.* 43. § 1. *ff. d. tit.*

Si rem meam quaſi tuam tibi tradidero, ſcienti meam eſſe; magis eſt furtum te facere (*g*), ſi lucrandi animo feceris. *l.* 44. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Id eſt, qui non ſe alium eſſe mentitur; quamvis de conditione ſuâ mentiatur.
(*b*) Putà, ut ipſi numeraretur pecunia.
(*c*) Voluntate enim domini, quamvis decepti, accipit.
(*d*) Hoc caſu pecuniam accipit à domino; qui ei quem ille ſe eſſe ſimulabat, non ipſi, pecuniam dare voluit. Quòd ſi non ſimulavit ſe eſſe alium quàm reverâ erat, ſed mentitus eſt ſe eſſe procuratorem quum non eſſet; tamen dominus voluit ipſi dare, quamvis deceptus voluit.
(*e*) Qui non ſe alium quàm eſt ſimulat.
(*f*) Quamvis deceptus, & eum credens verum procuratorem eſſe.
(*g*) Neque enim volui rei dominium transferre, quam neſciebam meam.

M C C X C I I I.

Quum emeres ad pondus; non ex voluntate venditoris accipis, cùm erret (*a*) in pondere. *l.* 52. § 22. ff. *d. tit.*

(*a*) Adeoque furtum facis ejus quod plus eſt quàm pondus de quo convenit, ſi ſciens accipias.

§ IV.

Cujus rei furtum fiat; & quomodo, etiam Uſûs *aut* Poſſeſſionis, *ab ipſo rei domino.*

M C C X C I V.

Verum eſt quod plerique probant, fundi Furti agi non (*a*) poſſe. *l.* 25. ff. *d. tit.*

Non (*b*) furtum fit, niſi ſit cui fiat. *l.* 43. § 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Fluit ex definitione: *Contrectatio* Enim in ſolas res mobiles cadit.
(*b*) Fluit pariter ex definitione: *Contrectatio* enim ſeu poſſeſſionis interverſio intelligi non poteſt, ſi perſonæ non fuit cui poſſeſſio interverteretur.

Source : BIU Cujas

Hinc Rei hereditariæ (*c*) furtum non fit, ſicut nec ejus quæ ſine domino eſt. *l.* 6. ff. *Expil. hered.*

Rei noſtræ furtum facere non (*d*) poſſumus. PAUL. SENTENT. LIB. 2. *Tit.* 32. § 20.

Socius... poteſt (*e*) rei communis furtum facere. *l.* 45. *ff. de Furt.*

Si filiusfamilias ſurreptus ſit, patrem habere Furti actionem palàm (*f*) eſt. *l.* 14. § 13. ff. *d. tit.*

(*c*) Si tamen res hereditaria ab aliquo detineatur, putà commodatario, creditore; poteſt ejus furtum fieri. Hæc trahe ad rem captivi.
(*d*) At poſſumus furtum facere poſſeſſionis rei noſtræ; ſi hæc poſſeſſio aliena ſit: infrà N. ſeq.
(*e*) Sed non facilè in ſocio furtum præſumitur: l. 51, ff. *Pro ſocio.*
(*f*) Videtur enim ob patriam poteſtatem poſſideri.

M C C X C V.

Si pignore (*a*) creditor utatur, Furti tenetur (*b*). *l.* 54. ff. *d. tit.*

Qui jumenta ſibi commodata (*c*) longiùs eduxerit (*d*), furtum facit. *l.* 40. ff. *d. tit.*

Dominus qui rem ſurripuit in quâ uſusfructus alienus eſt, Furti uſufructuario tenetur. *l.* 15. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Idem dic de depoſitario, de fullone qui polienda mea veſtimenta accepit.
(*b*) Scilicet ſi ſe invito domino uti intelligat.
(*c*) Aut locata.
(*d*) Aut quâvis aliâ re ad alium uſum utitur, quàm ad quem commodata aut conducta eſt.

M C C X C V I.

Si bonâ fide rem meam emeris, eamque ego ſubripuero; tenebor tibi (*a*) FURTI, etſi dominus rei ſum. *l.* 20. § 1. ff. *d. tit.*

Qui rem pignori dat, eamque ſurripit; Furti actione tenetur. *l.* 19. § 5. ff. *d. tit.*

Furtum rei pigneratæ dominus, non tantùm tunc facere videtur quum poſſidenti ſive tenenti creditori aufert; verùm ſi eo tempore abſtulerit quo non poſſidebat, ut putà ſi rem pignoratam vendidit (*b*). *d. l.* 19. § 6.

Si is qui rem commodaſſet, eam clàm abſtuliſſet; Furti cum eo agi non poteſt.... ſi nullas retinendi (*c*) cauſas, is cui commodata res erat, habuit. *l.* 59. ff. *d. tit.*

(*a*) Scilicet ita demùm ſi tuâ interſit rem retinere; putà, propter aliquas impenſas propter quas jus rem retinendi habeas: l. 53. § 4.
(*b*) Aut ſpecialiter alii obligaverit: *l.* 66. ff. *d. tit.*
(*c*) Putà, ob impenſas quas in eam fecit.

§ V.

De Furtorum diviſione, in Manifeſtum *&* Non manifeſtum.

M C C X C V I I.

Fur eſt manifeſtus, qui deprehenditur cum furto. *l.* 3. ff. *d. tit.*

Magis eſt, etſi non ibi deprehendatur ubi furtum fecit, attamen eſſe furem manifeſtum; ſi cum re furtivâ fuerit apprehenſus, priuſquàm eò loci rem pertulerit quò deſtinaverat (*a*). *d. l.* 3. § 2.

Parvi refert à quo deprehendatur; ab eo cujus res fuit, an ab alio. *d. l.* 3. § 1.

Si, quum vidiſſes ſubripientem, & ad comprehendendum eum accurriſſes, abjecto furto effugit; fur manifeſtus eſt. *l.* 7. § 2. *ff. d. tit.*

Si abſcondiſti te; etiamſi vidiſti furtum fieri, attamen non eſt manifeſtum. *d. l.* 7. § 1.

(*a*) Eo die quo furtum factum eſt. Non eſt autem manifeſtus, etſi poſteà cùm re deprehendatur.

§ VI.

De Condictione furtivâ.

Ex furto fur ad reſtituendam domino rem quam ſubripuit, obligatur. Ex quâ obligatione domino actio naſcitur, quæ appellatur Condictio furtiva.

M C C X C V I I I.

Quibus & in quos competat.

In furtivâ re, ſoli domino Condictio (*a*) competit. *l.* 1. ff. *de Cond. furt.*

Ei competit Condictio cui (*b*) res ſurrepta eſt, aut heredi (*c*) ejus. *l.* 11. ff. *d. tit.*

Nunquam Condictione *hâc* alius quàm qui fecit (*d*) tenetur, aut heres (*e*) ejus. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Qui furtum admittit re commodatâ vel depoſitâ utendo, Condictione quoque ex furtivâ cauſâ obſtringitur. *l.* 16. ff. *d. tit.*

Quod ab alio ſervus ſurripuit, Condici (*f*) ei non poteſt; niſi liber contrectaverit. *l.* 15. ff. *d. tit.*

(*a*) In quo differt ab actionibus *Furti* pœnalibus; quæ quibuſlibet, etiam non dominis quibus ſurrepta eſt, competit: infrà §°. ſeq. Ei autem qui dominus non eſt, putà creditori pigneratitio ſi ſurrepta ſit; hæc quidem Condictio non competit, ſed ad hujus inſtar *Condictio incerti* datur: l. 12. § 2. ff. *de Cond. furt.*
(*b*) Non aliter igitur domino datur, niſi ipſi ſit ſurrepta.
(*c*) Non igitur legatario: d. l. 11.
(*d*) Aut ipſe furtum fecit, aut per aliquod factum externum opem tulit. Secùs ſi conſilio duntaxat inſtruxit furem, quamvis hic *Furti* teneatur.
(*e*) Etiamſi nil ad ipſum pervenerit: in quo hæc actio adhuc differt ab actione *Furti.*
(*f*) Et in hoc quoque differt ab actione *Furti*, quæ noxalis eſt & cum capite ambulat. Hæc autem non eſt *Noxalis*, & datur in dominum ſervi de eo quod pervenit.

M C C X C I X.

Quarum rerum nomine competat.

Bove ſurrepto & occiſo, Condictio & bovis & corii & carnis domino competit; ſi & corium (*a*) & caro contrectata fuerint. *l.* 14. § 2. ff. *d. tit.*

Quamvis earum rerum quas quis non (*b*) abſtulit, Furti teneatur; attamen condici ei non (*c*) poteſt. *l.* 21. § *fin.* ff. *de Furt.*

Liberarum perſonarum nomine, licèt Furti actio ſit, Condictio tamen nuſquam eſt. *l.* 38. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Hæc enim contrectatio, novum furtum utpotè diverſæ rei videtur. Cæterùm qui ex unâ pretium bovis conſecutus fuerit, ſummovebitur ab alterâ; & qui pretium carnis & corii conſecutus eſt, deducto eo pretium bovis conſequetur.
(*b*) Sed tamen contrectavit animo auferendi eas.
(*c*) Hâc enim actione intendit quis ut poſſeſſio ſibi reſtituatur: quod intendere non poteſt, qui eam non amiſit.

M C C C.

Quid veniat in Condictione furtivâ.

Deciſio hujus quæſtionis pendet ex hâc regulâ: Semper moram fur facere videtur. *l.* 8. § 1. ff. *de Condict. furt.*

Hinc 1°. Si ex causâ furtivâ res condicatur, placet id tempus ſpectandum quo res unquam (*a*) plurimi fuit. *d.* § 1.

Imò In Condictione poculorum, etiam cælaturæ æſtimatio fiet quæ impensâ furis facta eſt. *l.* 13. ff. *d. tit.*

Hinc 2°. Id venire in Condictionem certum eſt, quod interſit (*b*) agentis. *l.* 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Nam poſt moram res eſt periculo debitoris.
(*b*) Id eſt, omne lucrum quod ex te percipere potuiſſet

M C C C I.

Quandiù competat.

1. Tandiù Condictioni locus eſt, donec domini facto dominium ejus rei ab eo (*a*) recedat. *l.* 10. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Cùm enim ſoli domino competat (ſuprà N. 1298. Reg. 1*â.*) debet deſinere actio ei competere, quum ſuo facto dominus eſſe deſiit: ut ſi rem legavit, ſi ipſo provocante res in judicio *Communi dividundo* ſocio adjudicata eſt: ſecùs ſi provocatus fuiſſet; nam actione quæ ſemel ei competit, quæ *Res jua* eſt, non facilè citra factum ſuum privandus eſt.

2. Perſecutionem

Source : BIU Cujas

2. Perſecutionem (*b*) eorum quæ vi vel furto ablata ſunt, etiamſi poſteà intercideren̄t, integram eſſe; jure reſponſum eſt. *l.* 1. *Cod. de His quæ vi met.*

3. Deciſione, Furti quidem actio; non autem Condictio tollitur. *l.* 7. ff. *de Cond. furt.*

4. Nemo furum Condictione tenetur, poſteaquàm dominus poſſeſſionem (*c*) apprehendit. *d. l.* 10. *pr.*

5. Parvi refert ad tollendam Condictionem, offeratur ſervus furtivus; an in aliud nomen aliumque ſtatum obligationis transferatur. *l.* 17. ff. *d. tit.*

§ VII.

De actione Furti *pœnali.*

Obligatur etiam ex furto fur ad pœnam, aut quadrupli ſi furtum manifeſtum, aut dupli ſi non manifeſtum fiat.

(*b*) Fluit ex Reg. 1*a*. N. præced. Et ita obtinet niſi oblatione rei furtivæ purgata fuerit mora.

(*c*) Condictio enim devenit in eum caſum à quo incipere non potuit: ſuprà Reg. *Quamvis* N. 1299.

MCCCII.

Quibus competat.

Furti agere poteſt, is cui intereſt rem non ſurripi. Intereſſe autem ejus videtur qui damnum paſſurus eſt, non ejus qui lucrum (*a*) facturus eſſet. *l.* 71. § 1. ff. *de Furtis.*

Tunc is cujus intereſt, Furti habet actionem; ſi ex honeſtâ causâ (*b*) interſit. *l.* 11. ff. *d. tit.*

Et ita demùm Is cujus intereſt non ſurripi, Furti actionem habet; ſi rem tenuit (*c*) domini voluntate. *l.* 85. ff. *d. tit.*

Non is cujuſcumque intererit rem non perire, habet Furti (*d*) actionem; ſed qui ob eam rem tenetur quòd ea res culpâ ejus perierit. *l.* 14. § 10. ff. *d. tit.*

Harum regularum exempla in regulis ſequentibus.

Si vendidero nec tradidero ſervum, & is ſine culpâ meâ ſurripiatur; magis (*e*) eſt ut mihi Furti competat actio. *l.* 80. ff. *d. tit.*

Creditori quoque damus Furti actionem, quamvis res in bonis ejus non ſit; non ſolùm adversùs extraneum, verùm & contra ipſum dominum (*f*). *l.* 12. ff. *d. tit.*

Si ſervus fructuarius (*g*) ſurreptus eſt; uterque, & qui fruebatur, & dominus, Furti actionem (*h*) habet. *l.* 46. § 1. ff. *d. tit.*

Frugibus ex fundo ſubreptis (*i*), tam colonus quàm dominus FURTI agere poteſt; quia utriuſque (*d*) intereſt. *l.* 82. § 1. ff. *d. tit.*

Fullo (*l*) qui polienda veſtimenta accepit, ſemper agit *Furti*; ſi autem ſolvendo non eſt, ad dominum actio redit (*m*). *l.* 12. ff. *d. tit.*

(*a*) Hinc qui rem alienam quamvis bonâ fide poſſidebat; vel *Pro herede* vel *Pro donato*, non habet *Furti* actionem; quia ejus non intereſt, niſi proprer lucrum uſucapionis. Secùs de bonæ fidei emptore; ejus enim intereſt propter damnum pretii quod actione DE *evictione* recepiſſet.

(*b*) Hinc hæc actio non datur malæ fidei poſſeſſori.

(*c*) Hinc tutor, negotiorum geſtor, &c. non habent hanc actionem: d. l. 85. § 1. Hinc emptor ante traditionem, non habet hanc actionem: ſed venditor debet ei cedere; & niſi cedat, *Utilis* emptori datur.

(*d*) Ut cui debita eſt.

(*e*) Ratio dubitandi, quia videtur meâ non intereſſe; cùm, etſi ſurreptus non eſſet, eum non poſſem retinere; ſed tenerer emptori tradere, cui hoc furtum non præſto cùm ſine culpâ meâ acciderit. Imò (inquit Papinianus) *meâ intereſt; quia dominium apud me fuit, vel quoniam ad præſtandas actiones teneor.* d. l. 80.

(*f*) Quamvis ſolvendo ſit, & quamvis aliis pignoribus creditori ſit aliundè cautum. Intereſt enim majorem cautionem habere.

(*g*) Idem dic de uſuario.

(*h*) Nam utriuſque intereſt; & utrique ſurreptus videtur, cùm fructuarius nudam rei detentionem, dominus qui per fructuarium poſſidebat poſſeſſionem rei haberet.

(*i*) Dum penderent. Alioquin ſolius coloni erit actio *Furti.*

(*k*) Domini, quia dominus eſt frugum ſurreptarum; & coloni, quia, ſi non ſurrepti fuiſſent, colonus eorum dominium adeptus fuiſſet eos percipiendo.

(*l*) Idem dic de commodatario, & cæteris qui rei ſurreptæ cuſtodiam præſtant, ob quam videtur eorum intereſſe.

(*m*) Nec enim hoc caſu fullonis periculo res fuiſſe videtur, qui non habebat quod perderet: d. l. 12.

MCCCIII.

Qui actionibus Furti *teneantur, & de quibus rebus.*

Non tantùm qui furtum fecerit; ſed etiam is cujus ope aut conſilio furtum factum fuerit, Furti actione tenetur. PAUL. SENT. LIB. 2. *Tit.* 10.

Sanè poſt Veterum auctoritatem eò perventum eſt; ut nemo ope videatur feciſſe, niſi & conſilium (*a*) malignum habuerit; nec conſilium habuiſſe noceat, niſi & factum ſecutum fuerit. *l.* 53. § 1. ¶ *ſanè ff. de Verb. ſignif.*

Conſilium dare videtur qui perſuadet, impellit, atque inſtruit conſilio ad furtum faciendum; Opem fert, qui miniſterium atque adjutorium ad ſurripiendas res præbet. *l.* 50. § 3. ff. *de Furt.*

Multum intereſt, furem quis celet an non indicet: qui novit, FURTI non tenetur; qui celat, hoc ipſo tenetur. *l.* 48. § 1. ff. *d. tit.*

Qui ferramenta ſciens commodaverit ad affringendum oſtium, licèt nullum ejus conſilium principaliter fuerit ad furtum faciendum, tamen (*b*) FURTI tenetur. *l.* 54. § 4. ff. *d. tit.*

A tranſeunte & ignoro emiſſe te dicere non convenit, volenti evitare alienum bono viro ſuſpicionem. *l.* 5. *Cod. d. tit.*

Placuit eum qui filio vel ſervo vel uxori opem fert furtum facientibus, Furti teneri; quamvis ipſi (*c*) Furti non conveniautur. *l.* 36. § 1. *d. tit.*

(*a*) Et quidem hoc conſilium, ut furtum fieret; nam ſi quis injuriæ faciendæ conſilio fores effregit, non tenetur *Furti* quamvis fures introierint.

(*b*) Voluit enim ſaltem hypotheticè, quum voluit obſequi ei quem ſciebat furaturum.

(*c*) Scilicet filius & ſervus, cùm nulla cum his quos in poteſtate habemus actio nobis eſſe poſſit; & uxor, contra quam ob honorem matrimonii actio *Furti* denegatur.

MCCCIV.

De quibus rebus Furti actio competat.

Si libertus patrono, cliens vel mercenarius, in re vili (*a*) furtum fecerit; Furti actio non naſcitur. *l.* 89. ff. *d. tit.*

(*a*) Nota, ex rei vilitate, non præcisè ex perſonarum qualitate, hîc non competere actionem.

MCCCV.

De duplo in actione furti Non manifeſti, *& quadruplo in* Manifeſti.

In actionem *Furti* pœnalem non venit ipſa res quæ ſurrepta (*a*) eſt. *l.* 48. ff. *d. tit.*

Generaliter dicendum, id quod intereſt duplari. *l.* 27. ff. *d. tit.*

Quum dominus agit, In Furti actione, non (*b*) quod intereſt quadruplabitur vel duplabitur, ſed rei verum pretium. *l.* 50. ff. *d. tit.*

Quum jure dominii defertur Furti actio; quamvis non aliàs niſi noſtrâ interſit competat; tamen ad æſtimationem (*c*) corporis, ſi nihil ampliùs (*d*) interſit, utilitas in eâ referenda eſt. l. 80. § 1. ff. *d. tit.*

Tunc ſola utilitas æſtimationem facit, quum ceſſante dominio (*e*) Furti actio competit. *d.* § 1.

Fur Dupli tenetur, quanti unquam apud eum *res* plurimi fuit. *l.* 67. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Sed mera pœna.

(*b*) *Non* tantùm. Vide Reg. ſeq.

(*c*) Etſi is dominus agat *Furti*, cui in eventum alicujus conditionis res evincenda erat; tamen non id quanti eſt jus quod habet, quod fortè minoris æſtimaretur, ſed quanti res eſt duplatur aut quadruplatur.

(*d*) Nam & ſi ultrà aliquid ejus interſit, V. G. quia ſurreptus ſervus heres inſtitutus fuit, hoc quoque duplabitur.

(*e*) Id eſt quum alius quàm dominus agit, putà creditor, fructuarius, commodatarius, &c.

Source : BIU Cujas

MCCCVI.

Quando extinguatur necne Furti *actio.*

Poſt (*a*) deciſionem, FURTI Leges agi prohibent. *l.* 13. *Cod. de Furtis.*

Apparet, receptâ re, nihilominùs ſalvam eſſe Furti actionem. *l.* 54. § 3. ff. *de Furt.*

Inter omnes conſtat, etiamſi extincta ſit res furtiva, tamen Furti remanere actionem. *l.* 46. ff. *d. tit.*

(*a*) Sive dominus dederit, ſive tutor, curator; item ſervus qui habet ſiberam adminiſtrationem peculii ex quo res ſurrepta eſt. Non diſſimili ratione, pluribus rebus ſimul ſurreptis; ſi unius rei nomine actum eſt, cæterarum nomine non poterit idem conveniri niſi diverſo nomine conveniatur. Tit. *de Furtis* N. 83.

ARTICULUS II.

De actione VI *bonorum raptorum.*

In eos qui vi, aut etiam ſine vi ſed coactis ad hoc hominibus, rem alienam rapiunt, aut damnum in re alienâ dant; præter actiones Furti *aut* Legis Aquiliæ *quibus ſunt obnoxii, Prætor propriam actionem dat; quæ intra annum eſt in quadruplum, in quo ineſt & rei perſecutio; poſt annum in ſimplum; & appellari ſolet: actio* VI bonorum raptorum.

MCCCVII.

In *hâc* actione, non utique ſpectamus rem in bonis actoris eſſe... Et generaliter dicendum eſt; Ex quibus cauſis (*a*) Furti mihi actio competit in re clàm factâ, ex iiſdem cauſis habere actionem. *l.* 2. §§ 22. & 23. ff. *Vi bon. rapt.*

Si quis ſuam rem rapuit, VI bonorum raptorum non tenebitur (*b*), ſed aliter mulctabitur. *d. l.* 2. § 18.

VI bonorum raptorum actionem, potiùs ad mobilia moventiaque quàm ad (*c*) fundos per injuriam occupatos ſpectare, explorati Juris eſt. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

Homines COACTOS accipere debemus, ad hoc coactos ut damnum daretur. *ſup. d. l.* 2. § 4.

Et ſi unus homo coactus ſit, dicemus homines coactos. *d. l.* 2. § 6.

Si quis non homines ipſe coegerit, ſed inter coactos ipſe fuerit, & rapuerit; hâc actione tenetur. *d. l.* 12. § 12.

In actione *Vi bonorum raptorum*, intra annum utilem, verum pretium rei quadruplatur; non etiam quod intereſt. *d. l.* 2. § 13.

(*a*) Non ſolùm quòd res mea fuerit, ſed & quòd in eâ jus uſusfructûs aut pignoris habuerim, aut mihi commodata eſſet, &c. d. l. 2.
(*b*) Nam nec hoc caſu *Furti* quis tenetur. Vide tamen exceptiones Art. præced. §°. 4°.
(*c*) Nam nec *Furti* agitur fundi nomine.

ARTICULUS III.

De Damno injuriâ dato, quod per Legem Aquiliam vindicatur.

Lex Aquilia *primo Capite, in eum qui ſervum alienum pecudem-ve injuriâ occiderit, actionem dat* QUANTI *in anno proximo res plurimi fuerit; tertio autem Capite, ob cætera damna in quâvis re data actionem dat,* QUANTI *res intra dies triginta proximos plurimi fuerit.*

§ I.

Quod facti genus Lex Aquilia utroque Capite vindicet.

MCCCVIII.

Factum quo damnum detur.

Aquilia eas *demùm* ruptiones quæ damna (*a*) dant, perſequitur. *l.* 27. § 17. ff. *ad Aq.*

(*a*) Igitur ſi quis ſervum ceciderit, & tumorem ei fecerit; ſi non ſit deterior, non huic actioni, ſed actioni *Injuriarum* locus eſt. Idem, ſi caſtraverit, &c.

MCCCIX.

Damnum in ipſum corpus.

Alia ſpecies damni eſt, ipſum quid corrumpere & (*a*) mutare, ut Lex Aquilia locum habeat: alia, nullâ ipſius mutatione, applicare aliquid cujus (*b*) moleſta ſeparatio ſit. *d. l.* 27. § 14.

Si quis alienum vinum aut frumentum conſumpſerit, non videtur damnum (*c*) injuriâ dare; ideòque Utilis danda eſt actio. *l.* 30. § 2. ff. *d. tit*

(*a*) Scilicet ut Aquiliæ locus ſit; ea ſpecies damni eſſe debet quæ in ipſum corpus detur, illudque interimat aut deterius faciat.
(*b*) Non igitur *Aquiliæ*, ſed actioni *In factum* locus eſt, ſi lolium in ſegetem injiciatur.
(*c*) Scilicet damni genus quod Aquilia vindicat, illud eſt quod in corpus datur ipſumque corrupit. Nec enim res videtur corrumpi, quum ad eum uſum ad quem illa parata eſt utimur, corrumpi autem videretur, ſi effunderetur vel vinum ſpurcaretur, &c.

MCCCX.

Damnum quod corpore ſuo quis dederit.

Damni injuriæ actio ob ea ipſa eſt, per quæ non extrinſecus aliâ cauſâ oblatâ damno quis adfectus eſt. *l.* 57. ff. *Locati.*

Multùm intereſt, occiderit quis (*quod-ve alium damnum immediatè corpore ſuo dederit*) an mortis *cujuſlibet-ve alterius damni* cauſam præſtiterit; ut qui *duntaxat* cauſam (*a*) præſtitit, non Aquiliâ, ſed IN factum actione teneatur. *l.* 7. § 6 ff. *ad L. Aquil.*

(*a*) Qualis eſt qui venenum porrexit, animal incluſum fame necavit, concitaverit canem ut morderet, aut equum ut equitem præcipitaret, funem quo navis religata eſſet præciderit, &c.

MCCCXI.

Damnum injuriâ datum.

Injuriam accipiemus, damnum culpâ datum. *l.* 5. § 1. ff. *ad L. Aquil.*

In Lege Aquiliâ & leviſſima culpa venit. *l.* 44. ff. *d. tit.*

Culpa eſt quod, quum à diligente provideri poterit, non eſſet (*a*) proviſum. *l.* 31. ff. *d. tit.*

Luſus noxius (*b*) in culpâ eſt. *l.* 10. ff. *d. tit.*

Non videtur iniquum, ſi infirmitas (*c*) culpæ annumeretur; cùm affectare quiſque non debeat, in quo intelligit infirmitatem ſuam alii periculoſam futuram. *l.* 8. § 1. ff. *ad L. Aquil.*

Præceptoris nimia ſævitia culpæ aſſignatur. *l.* 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Hinc Aquiliâ tenetur, qui die ventoſo ignem immiſit in ſtipulam ſuam; qui longiùs progreſſus ædes alienas incendit: item putator qui ſecùs viam ramum dejiciens, non proclamavit, & hominem occidit: ſi quis ſervos noxios habuit, &c.
(*b*) Ut ſi quis occidit prætereuntem, dum jaculatur alibi quàm in campo ad hunc luſum deſtinato.
(*c*) Idem de imperitiâ, ut medicus qui malè ſecuit.

Source : BIU Cujas

MCCCXII.

Quid culpâ vacet necne.

Si furiosus (*a*) damnum dederit, cessabit Aquiliæ actio. *l.* 5. § 2. *ff. d. tit.*

Nemo damnum facit, nisi qui id fecit quod facere jus non habet. *l.* 151. PAUL. LIB. 64. AD ED.

Qui, quum aliter tueri (*b*) se non possunt, damni culpam dederint; innoxii sunt. *l.* 45. § 4. ff. *ad L. Aquil.*

Si metu quis mortis furem occiderit, non dubitabitur quin Lege Aquiliâ non teneatur. Sin quum posset apprehendere maluit occidere, magis est ut injuriâ feciisse videatur. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Illum solum qui vim infert, ferire conceditur; & hoc, si tuendi, non etiam ulciscendi causâ factum sit. *l.* 45. § 4. *ff. d. tit.*

Qui occidit adulterum deprehensum servum alienum, hâc Lege non tenebitur. *l.* 30. ff. *d. tit.*

Si in publico certamine alius alium occiderit, cessat Aquilia; planè si cedentem vulneraverit, erit Aquiliæ locus. *l.* 7. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Idem dic de infante. In has enim personas culpa non cadit.
(*b*) Nec solùm ad suam, sed interdum ad rerum suarum tutelam, magnâ vi cogente, damnum aliquod in rebus alienis dare conceditur; ut si quis alienas ædes interciderit, depellendi incendii causâ: Tit. *Ad L. Aquil.* N. 28.

§ II.

Quam cædem specialiter primum Caput Legis Aquiliæ vindicet.

MCCCXIII.

Lege Aquiliâ is demùm teneri visus est, qui adhibitâ vi & quasi manu causam mortis præbuisset. *l.* 51. ff. *d. tit.*

Aquiliâ Lege teneri existimati sunt, non solùm qui ita vulnerassent ut confestim vitâ privarent; sed etiam hi quorum ex vulnere certum esset (*a*) aliquem vitâ excessurum. *d. l.* 51.

Quum à pluribus idem servus ita vulneratus esset, ut non appareret cujus ictu periisset; omnes Lege Aquiliâ teneri. *d. l.* 51. § 1.

Si alius mortifero vulnere percusserit, alius postea exanimaverit; priorem non teneri quasi occiderit (*b*), sed quasi vulneraverit, quia ex alio vulnere periit; posteriorem teneri, quia occidit. *l.* 11. § 3. *ff. d. tit.*

Si vulneratus servus non mortiferè (*c*), negligentiâ perierit; de vulnerato actio erit, non de occiso. *l.* 30. § *fin.* ff. *d. tit.*

(*a*) Ita tamen, si reverâ ex eo vulnere periit: infrà mox.
(*b*) Et hæc sententia, contra Juliani sententiam obtinuit: *d. tit.* N. 4.
(*c*) Cæterùm etiam leve vulnus ægroto infligtum, lethale rectè videbitur; quamvis sano inflictum, non esset lethale: l. 7. § 5. ff. *d. tit.*

§ III.

Cui actio Legis Aquiliæ detur.

MCCCXIV.

Legis Aquiliæ actio hero competit, hoc est domino (*a*). *l.* 11. § 6. *ff. ad L. Aquil.*

Dominum Lex Aquilia appellat, non utique eum (*b*) qui tunc fuerit quum damnum daretur. *l.* 43. ff. *d. tit.*

Liber homo (*c*) suo nomine Utilem Aquiliæ habet actionem; Directam non (*d*), quoniam dominus membrorum suorum nemo videtur. *l.* 13. ff. *d. tit.*

(*a*) Creditori, fructuario, & cæteris, *Utilis* tantùm datur.
(*b*) Sufficit enim ut retrò fuisse videatur; qualis est captivus; heres qui adiit hereditatem ex quâ servus hereditarius, dum hereditas jaceret, occisus est, &c. Si ille servus ante aditam hereditatem occisus; erat legatus: remanet actio apud heredem si vulneratus duntaxat fuisset, cedere eam deberet legatario: *d. tit.* N. 32.
(*c*) Si mutilatus sit.
(*d*) Hinc si servus cujus nomine dominus ob ipsum vulneratum hanc Legis Aquiliæ actionem habebat, domino heres existat ex asse; extinguitur actio, cùm deveniat in eum casum à quo non potuit incipere: *d. tit.* N. 36.

§ IV.

Adversùs quos detur.

MCCCXV.

Actio Legis Aquiliæ cum eo est qui jussit, si modò jus imperandi habuit (*a*); si non habuit, cum eo agendum est qui fecit. *l.* 37. ff. *ad L. Aquil.*

Etiam Magistratus municipales, si damnum injuriâ (*b*) dederint, possunt Aquiliâ teneri. Si quid tamen adversùs resistentem fecerit, non tenebitur. *l.* 29. § 7. ff. *d. tit.*

Si dominus proprietatis vulneraverit servum vel occiderit, in quo ususfructus meus est (*c*); danda est mihi ad exemplum Aquiliæ actio in eum, pro portione ususfructûs. *l.* 12. ff. *d. tit.*

(*a*) Vide suprà N. 1283. Reg. 1â.
(*b*) Putà, in pignoribus quæ capiunt.
(*c*) Idem dic de creditore, bonæ fidei emptore, &c. Socius autem, etiam *Directam* habet.

§ V.

Quid veniat in hoc judicio.

MCCCXVI.

Æstimatio hominis occisi ad id tempus refertur, quo plurimi (*a*) in eo anno (*b*) fuit. *l.* 23. § 3. ff. *d. tit.*

Annus retrorsùs computatur, ex quo quis occisus est: quòd si mortiferè fuerit vulneratus, ex quo vulneratus est. *l.* 21. § 1. ff. *d. tit.*

Omnia commoda (*c*) quæ intra annum (*d*) quo interfectus est pretiosiorem servum facerent, hæc accedere ad æstimationem ejus dicendum est. *l.* 23. § 6. ff. *d. tit.*

Non affectiones æstimandas esse puto. *l.* 33. ff. *d. tit.*

(*a*) Igitur V. G. si peritus pictor fuit, tanti æstimatur; licèt antequàm occideretur, pollicem amisisset.
(*b*) Et pariter in cæteris rebus, *Quanti plurimi* fuerunt intra triginta dies.
(*c*) Non tamen incerta.
(*d*) Aut triginta dies, si de tertio Capite agatur.

MCCCXVII.

Hæc actio adversùs confitentem competit in simplum, adversùs negantem in duplum. *l.* 23. § 10. ff. *d. tit.*

ARTICULUS IV.

De aliis Damni speciebus, ac præcipuè de servo corrupto.

MCCCXVIII.

Prætor actionem dat in duplum, adversùs eos qui dolo servum alienum receperint aut corruperint.

Ad omnes corruptelas actio DE servo corrupto pertinet. *l.* 9. § 1. ff. *de Serv. corr.*

Sive bonum servum fecerit malum, sive malum fecerit deteriorem; corrupisse (*a*) videtur. *l.* 1. § 4 ff. *d. tit.*

In *hâc* actione, non extra rem duplum est: id enim quod damni datum (*b*) est, duplatur. *l.* 14. § 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Nec refert quod eum crediderit liberum; imò magis hoc casu delinquit.
(*b*) Scilicet, tum quod servus vilior factus est; tum furta & damna quæ persuasus est facere, non solùm domino, sed & extraneis quatenùs dominus de his tenetur, non tamen ea furta & damna quæ posteà fecerit.

Source : BIU Cujas

Servus corruptus Etsi decesserit vel alienatus sit vel manumissus, nihilominùs locum habebit actio. *l.* 5. § 4. ff. *d. tit.*

Qui bonâ fide servum emit, hoc Edicto non tenebitur (*c*), nec poterit Servi corrupti agere; quia nihil ejus interest. *l.* 1. § 1. ff. *d. tit.*

De servo corrupto Utilis actio fructuario competit. *l.* 9. § 1. ff. *d. tit.*

De filio filiâ-ve familiàs corrupto; Utilis competit actio. *l.* 14. § 1. ff. *d. tit.*

(*c*) Nec enim dolo fecit corrumpendo servum quem credebat suum, cùm liceat abuti re suâ.

M C C C X I X.

Alias damni dati species vindicant; actio quæ datur adversùs Agri mensorem *qui dolo aut latâ culpâ falsum modum renuntiando fefellit aliquem, de quâ Lib. XI. Tit.* 4; *item actio* Arborum furtim cæsarum, *& actio* De tigno juncto, *de quibus lib.* 47.

ARTICULUS V.

De Injuriis seu contumeliis.

§ I.

Quando injuria facta videatur.

M C C C X X.

1. Injuria ex affectu facientis consistit. *l.* 3. § 1. ff. *de Injur.*

2. Pati quis injuriam, si non sentiat, potest; facere nemo, nisi qui scit se injuriam facere, etiamsi nesciat cui faciat. *d. l.* 3. § 2.

Declaratur exemplis prima pars Regulæ.

Si quis per jocum percutiat, aut dum certat, Injuriarum (*a*) non tenetur. *d. l.* 3. § 3.

Si quis hominem liberum ceciderit, dum putat servum suum; in eâ causâ est ne Injuriarum teneatur. *d. l.* 3. § 4.

Declaratur secunda pars Regulæ.

Si injuria mihi fiat. . . . licèt ille *qui facit* putat me alium esse quàm sum, INJURIARUM habeo. *l.* 18. § 3. ff. *d. tit.*

Sive sciat quis filium meum esse, vel uxorem meam, sive ignoraverit (*b*), habeo meo nomine actionem. *l.* 1. § 8. ff. *d. tit.*

At Quum aliquis filiumfamilias, patremfamilias putat; non potest videri injuriam patri (*c*) facere: non magis quàm viro, si mulierem viduam esse credat. *l.* 18. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Idem dic de magistro qui castigat discipulum; quamvis plus æquo sæviat; l. 5. § 3. ff. *ad L. Aquil.* De astrologo qui consultus affirmat aliquem auctorem esse furti qui non sit auctor.

(*b*) Voluit enim alicui patrifamilias aut alicui marito injuriam facere: quod sufficit.

(*c*) Non enim potest videri voluisse injuriam facere alii quàm ipsi filio meo; adeóque non meo, sed filii mei duntaxat nomine habeo actionem.

M C C C X X I.

Is qui jure publico (*a*) utitur, non videtur injuriæ faciendæ causâ facere. *l.* 13. § 1. ff. *d. tit.*

Quæ jure potestatis à Magistratu fiunt, ad Injuriarum actionem non pertinent. *d. l.* 13. § 6.

Eum qui nocentem infamavit, non est bonum æquum ob eam rem condemnari: peccata enim nocentium nota esse, & oportere & expedire. *l.* 18. ff. *d. tit.*

(*a*) Ut si resistentem trahat in Jus, postquàm fuerit contestatus.

Aliud (*b*) laborem injungere, aliud injuriam facere. *sup. d. l.* 13. § 5.

Multùm interest contumeliæ causâ quid fiat, an fieri quid in honorem alicujus quis non patiatur. *d. l.* 13. § 4.

Nulla est injuria, quæ in volentem fiat. *l.* 1. § 5. ff. *d. tit.*

(*b*) Ut si vexandi causâ, munus aut honor tibi decernatur.

§ II.

De variis modis quibus fit injuria.

M C C C X X I I.

De injuriâ quæ In corpus *fit:*

Injuria in corpus fit, quum quis pulsatur. *l.* 1. § 2. ff. *d. tit.*

Si quis pulsatus quidem non est, verùm manus adversùs eum levatæ; Utili Injuriarum actione tenetur. *l.* 15. § 1. ff. *d. tit.*

Si quis mentem alicujus medicamento alienaverit, Injuriarum adversùs eum agi potest (*a*). *d. l.* 15. *pr.*

(*a*) Fit hæc injuria *In corpus*, cùm nonnisi vitiato *Corporis* organo hoc fiat.

M C C C X X I I I.

De injuriâ quæ ad Dignitatem *pertinet.*

Injuria pertinet ad dignitatem, quum comes matronæ abducitur (*a*). *l.* 1. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Nec refert per vim abduxeris, an persuaseris ei ut desereret.

M C C C X X I V.

De injuriâ quæ ad infamiam pertinet.

1°. *Pertinet* Ad infamiam; *putà* quum pudicitia attentatur (*a*). *l.* 1. § 2. *ff. d. tit.*

2°. Qui liberos infamandi gratiâ dixerit servos, Injuriarum actione conveniri posse non ambigitur. *l.* 9. *Cod. h. tit.*

3°. Si quis non debitorem quasi debitorem appellaverit, injuriæ faciendæ causâ, Injuriarum (*b*) tenetur. *l.* 15. § 33. *ff. d. tit.*

Qui evidentissimè locupletem fidejussorem JUDICIO SISTENDI causâ non acceperit; Injuriarum actio adversùs eum esse (*c*) potest. *l.* 5. § 1. *ff. Qui satisd. cog.*

Si injuriæ faciendæ gratiâ *quis* domum absentis debitoris signasset, sine auctoritate ejus qui concedendi jus habuit; Injuriarum actio intendi potest. *l.* 20. *ff. de Injur.*

4°. Qui eventum Sententiæ, velut daturus pecuniam, vendidit; apparet hunc injuriam fecisse *ei* cujus sententiam venditavit. *l.* 15. § 30. *ff. d. tit.*

5°. Ad statuas confugere, vel imagines Principum præferre in injuriam alterius (*d*), prohibitum est. *l.* 28. § 7. *ff. de Pœnis.*

6°. Vestem sordidam rei nomine in publico habere, capillum-ve summittere nulli licet, nisi conjunctus est affinitate. *l.* 39. *ff. d. tit.*

(*a*) Ut quum honestam fœminam quis appellat, aut affectatur.

(*b*) Idem si pignus proscripserit quasi à me acceperit, quum non accepisset; vel fidejussorem interpellaverit, quum paratus essem ei solvere.

(*c*) Tam ei qui, quum hunc fidejussorem offerret, in Jus ductus est; quàm huic fidejussori reprobato.

(*d*) Ad conflandam ipsi invidiam; velùt hominis terribilis.

M C C C X X V.

De injuriâ quæ ad Rem familiarem *pertinet.*

Si quis domum alienam invito domino introïret quamvis in Jus vocati, actionem Injuriarum in eum competere. *l.* 23. *ff. d. tit.*

Source : BIU Cujas

Si quis bona alicujus vel rem unam per injuriam occupaverit (*a*), Injuriarum tenetur. *l.* 15. § 31. *ff. d. tit.*

Injuria eſt; ſi inferiorum dominus ædium, ſuperioris vicini fumigandi causâ, fumum faceret, aut ſuperior in inferiores projecerit: ſi tamen injuriæ faciendæ causâ immittitur. *l.* 44. ff. *d. tit.*

(*a*) Vel etiam in fundum alicujus eo prohibente ingreſſus fuerit; putà ad venandum, aucupium faciendum, &c.

MCCCXXVI.

De injuriâ quæ pertinet ad Libertatem *quâ quiſque gaudere debet.*

Si quis re (*a*) meâ uti me non permittat, Injuriarum tenetur. *l.* 13. § 7. *ff. de Injur.*

(*a*) Aut eâ re cujus uſus omnibus patet; ut ſi quis me prohibeat in mari ante prætorium ſuum piſcari.

§ III.

In quibus perſonis quis injuriam pati videatur; ubi de ſingulari illâ ſpecie Injuriæ, quam per ſervum noſtrum patimur.

MCCCXXVII.

Spectat ad nos injuria quæ in his fit qui vel poteſtati noſtræ (*a*) vel affectui (*b*) ſubjecti ſint. *l.* 1. § 3. *ff. d. tit.*

Spectat ad contumeliam ejus injuria, quæcumque ſponſæ ejus fit. *l.* 15. § 24. *ff. d. tit.*

Defendi uxores à viris, non viros ab uxore (*c*) æquum eſt. *l.* 2. *ff. d. tit.*

Si quis ſervum meum vel filium ludibrio habeat, licèt conſentientem (*d*); tamen injuriam videor accipere. *l.* 26. *ff. d. tit.*

(*a*) Liberis vel ſervis.
(*b*) Ut uxori, ſponſæ, marui. Vide Reg. ſeq.
(*c*) Non habet igitur uxor *Injuriarum* actionem, ob injuriam factam viro.
(*d*) Conſenſus ejus facit ne ipſi injuria facta videatur: at fit mihi.

MCCCXXVIII.

Pater cujus filio facta eſt injuria, non eſt impediendus quominùs duobus judiciis & ſuam injuriam perſequatur & filii. *l.* 41. *ff. d. tit.*

Ex unâ injuriâ, interdum tribus Injuriarum oritur actio. *l.* 1. § 9. *ff. d. tit.*

Putà Si nupta filiafamilias injuriam accepit, & vir & pater agant; ... ſua cujuſque injuria propriam (*a*) habet æſtimationem. *l.* 18. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Pro cujuſque perſonæ dignitate.

MCCCXXIX.

Quoties funeri teſtatoris vel cadaveri (*a*) fit injuria; ſi quidem poſt aditam hereditatem, dicendum eſt heredi quodammodo factam; quoties autem ante aditam hereditatem, magis hereditati & per hereditatem heredi acquirì. *l.* 1. § 6. *ff. d. tit.*

(*a*) Vel ejus ſtatuæ.

MCCCXXX.

Si verberatus ſit ſervus, vel tormentis de eo habita quæſtio; ſine cauſæ cognitione judicium competit. Si aliam injuriam paſſus ſit, non aliter quàm causâ cognitâ. *l.* 15. § 43. *ff. d. tit.*

Servus ſi leviter percuſſus ſit, vel malè dictum ei leviter; *Prætor* non dabit actionem. At ſi infamatus ſit, vel facto aliquo, vel carmine ſcripto; puto cauſæ cognitionem Prætoris porrigendam & ad ſervi qualitatem (*a*). *d. l.* 15. § 44.

Si communem ſervum quis verberaverit (*b*), hâc actione non tenebitur; jure enim domini fecit. *d. l.* 15. § 36.

Si pro libero ſe gerentem, aut quum eum alterius exiſtimat, non cæſurus ſi meum ſciſſet, *verberavit;* non poſſe eum quaſi mihi injuriam fecerit conveniri, Mela ſcribit. *d. l.* 15. § 45.

Si ſervum complurium cecidero, competere Injuriarum actionem omnibus, manifeſtum eſt; ſed non eſſe æquum pro majore parte quâ dominus eſt, damnationem fieri. *d. l.* 15. § *fin. & l.* 16. *ff. d. tit.*

Si unius permiſſu id fecero; ſi quidem ſolius ejus eſſe putavi, nulli competit actio Injuriarum; ſi ſcivi plurium; ei qui permiſerit non competit, cæteris competit. *l.* 17. *ff. d. tit.*

(*a*) Dabit enim, ſi diſpenſator fuit, ſi bonæ frugi ſervus: non ſi fuit ſervus notæ extremæ.
(*b*) Idem dic de fructuario.

MCCCXXXI.

Si uſumfructum (*a*) in ſervo habeam, iſque verberatus ſit; Injuriarum actio magis proprietario quàm mihi (*b*) competit. *d. l.* 15. § 47.

Si ſervum cujus nomine Injuriarum actio tibi competit, manumiſeris aut alienaveris; ſupereſt (*c*) tibi Injuriarum actio. *l.* 29. *ff. d. tit.*

(*a*) Idem dic de bonæ fidei poſſeſſore.
(*b*) Nec enim ſervi nomine mihi datur. Sed ſi in meam contumeliam, animo injuriæ mihi faciendæ hoc factum ſit, habeo meo nomine actionem.
(*c*) Ipſi autem manumiſſo, de ſe non competit.

§ IV.

Quæ ad atrocitatem injuriæ conducant.

MCCCXXXII.

Creſcit contumelia, ex perſonâ (*a*) ejus qui contumeliam fecit. *l.* 17. § 3. *ff. d. tit.*

Ex perſonâ atrocior injuria fit; quum Magiſtratui (*b*), quum parenti, patrono. *l.* 7. § *ff. d. tit.*

Prætoris (*c*) in conſpectu, an in ſolitudine injuria facta ſit, multùm intereſt. *d. l.* 7. § 8.

Vulneris magnitudo atrocitatem facit, & nonnunquam locus vulneris. *d.* § 8.

(*a*) Ut ſi ſervus aut vilis perſona injuriam faciat.
(*b*) Item ſi ſacerdoti dignitatis habitum præferenti: l. 4. Cod. h. tit.
(*c*) Cujacius legit, *Populi.*

§ V.

Quibus & adversùs quos detur actio Injuriarum; quomodo inſtituenda, quid in illâ veniat, & quando extinguatur.

MCCCXXXIII.

Nec Magiſtratibus licet aliquid injuriosè facere. *l.* 32. *ff. d. tit.*

Liberto (*a*) adversùs patronum, non quidem ſemper, verùm interdum Injuriarum datur judicium; ſi atrox ſit injuria, ſi ſua (*b*), ſi ſervilis (*c*). *l.* 7. § 2. *ff. d tit.*

Quanquam adversùs patronum liberto actio non detur, verùm marito (*d*) libertæ nomine (*e*) cum patrono actio competit. *l.* 11. § 7. ff. *d. tit.*

(*a*) Trahe hoc ad parentes qui filiis emancipatis injuriam fecerunt.
(*b*) Libertus in *Suâ* perſonâ eam paſſus ſit.
(*c*) Si patronus libertum tractavit ut ſervum, verberando eum flagris.
(*d*) Niſi ipſe ſit conlibertus.
(*e*) Non tamen ob aliquod convicium non impudicum dari debet.

MCCCXXXIV.

Qui famoſam actionem intendit, non debet vagari

Source : BIU Cujas

cum discrimine alienæ existimationis; sed designare & specialiter dicere quam se injuriam passum contendat. *l.* 7. ff. *d. tit.*

Cogendus quis injurias quas simul passus est, conjungere. *d. l.* 7. § 5.

MCCCXXXV.

Injuriarum actio ex bono & æquo (*a*) est. *l.* 11. § 1. ff. *d. tit.*

Injuriarum æstimatio, non ad tempus quo judicatur, sed ad id quo facta est, referri debet. *l.* 21. ff. *d. tit.*

(*a*) Id est, ex bono & æquo æstimatur à judice.

MCCCXXXVI.

Injuriarum actio nec heredi nec in heredem (*a*) datur. *l.* 13. ff. *d. tit.*

Injuria dissimulatione aboletur. *l.* 11. § 1. ff. *d. tit.*

Qui accipit satisfactionem, injuriam remisit. *l.* 17. § 6. ff. *d. tit.*

Injuriarum actio annuo tempore præscripta est. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

(*a*) Nisi fuerit contestata.

§ VI.

De singularibus quibusdam speciebus injuriæ.

MCCCXXXVII.

De Convicio.

CONVICIUM *seu illa species maledicti quod in cœtu aut cum vociferatione dicitur, speciali Prætoris Edicto vindicatur.*

Convicium non tantùm præsenti, verùm absenti (*a*) quoque fieri posse. *l.* 15. § 7. ff. *d. tit.*

Fecisse convicium non tantùm is videtur qui vociferatus est, verùm is quoque qui concitavit alios ad vociferationem. *d. l.* 15. § 8.

Si curaverit quis convicium alicui fieri, non tamen factum sit, non tenebitur. *d. l.* 15. § 10.

(*a*) Ut quum ante ædes vel tabernam alicujus eo absente convicium fit.

MCCCXXXVIII.

De injuriis quas Lex Cornelia vindicat.

Lex Cornelia ex tribus causis dedit actionem; quòd quis pulsatus (*a*), verberatus-ve, domus-ve ejus vi introita sit. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Puto ad omnem habitationem in quâ paterfamilias habitat, pertinere hanc Legem; licèt ibi domicilium non habeat. *d. l.* 5. § 5.

Apparet omnem injuriam quæ manu fiat, Lege Corneliâ contineri. *d. l.* 5.

Filiofamilias injuriam passo; patri Prætoria Injuriarum actio (*c*) competit, filio Legis (*d*) Corneliæ. *d. l.* 5. § 6.

(*a*) Pulsatio differt à verberatione, quòd sine dolore fiat.
(*b*) Puta ibi ubi rusticatur vel studiorum causâ agit. Ad diversoria autem non pertinet.
(*c*) Non actio *Legis Corneliæ*, quæ ipsi duntaxat qui in suâ personâ passus est datur.
(*d*) Quam, ut cætera, adquirit patri.

MCCCXXXIX.

De famosis libellis.

Si quis librum ad alicujus infamiam pertinentem scripserit, ediderit; etiamsi alterius nomine ediderit vel sine nomine, si condemnatus sit, intestabilis esse (*a*) jubetur. *d. l.* 5. § 9.

(*a*) Solebat quoque hoc crimen relegatione puniri.

ARTICULUS VI.

De Quasi-maleficiis.

MCCCXL.

Si quis Peccasse aliquid intelligitur licèt per imprudentiam (*a*), videtur quasi (*b*) ex maleficio teneri. *l.* 5. § 4. ff. *de Oblig. & act.*

(*a*) Ut quum judex per imprudentiam iniquè judicavit: lib. 50. ff. Tit. *de Extr. cognit.* Item is qui in suggrundâ protecto-ve quid positum habuerit cujus casus nocere possit; adversùs quem popularis actio in decem solidos datur: lib 9. Tit *de His qui effud.* Art. 2.
(*b*) Propriè enim *Maleficium* non est, nisi quod per malitiam peccatur, propositumque nocendi continet. Nec obstat quod actio *Legis aquiliæ* inter eas refertur quæ ex delicto seu maleficio nascuntur, quamvis ex simplici culpâ competat: ideò enim inter illas refertur, quòd non quidem semper, sed sæpiùs ex delicto nascatur; quum scilicet dolo damnum datum est.

MCCCXLI.

Non propriè ex maleficio obligatus intelligitur, *quibus casibus* (*a*) *quis* ob alterius culpam tenetur. *d. l.* 5. § 5.

(*a*) Ut is ex cujus cœnaculo quid effusum aut dejectum est; de quâ re est actio DE DEJECTIS sup. d. Tit. *de His qui effud.* Item exercitor qui ex delictis eorum quorum operâ utitur, tenetur.

ARTICULUS VII.

De actionibus quæ in aliquem ex alieno delicto dantur.

§ I.

De actionibus Noxalibus *quæ ex servi delicto, in ejus dominum dantur servi nomine.*

MCCCXLII.

Adversùs quos detur Noxalis *actio.*

Caput noxa sequitur. *l.* 4. *Cod. An. serv. pro suo fact.*

Noxalis non aliàs datur, nisi apud me (*a*) sit servus. Et, si apud me sit, licèt eo tempore non fuit quo delinquebat, teneor. *l.* 7. ff. *de Noxal. act.*

Domini, Quamvis auferri eis dominum possit, interim tamen conveniendi sunt. *l.* 36. ff. *d. tit.*

Etiam adversùs eos qui malâ fide possident, Noxalis actio datur. *l.* 13. ff. *d. tit.*

Qui pignori (*b*) accepit, vel qui precariò rogavit, non tenetur Noxali actione. *l.* 22. § 1. ff. *d. tit.*

Adversùs eum qui dolo desiit possidere, Hæc actio in locum Directæ actionis (*c*) succedit. *l.* 26. § 4. ff. *d. tit.*

Electio est actoris, utrùm Directo *judicio* agere velit cum eo qui possidet, an Prætoriâ actione cum eo qui desiit possidere. *d. l.* 26. § 2.

(*a*) Aut sciam apud quem sit, facultatemque habeam eum repetendi.
(*b*) Idem dic de fructuario: ratio est quia non possunt videri servum habere in suâ potestate, cùm eum tanquam alienum possideant. Cæterùm denegatur ipsis persecutio sui ususfructûs aut pignoris; si, quum servus nemine ipsum defendente ducitur, eum defendere nolint; aut si quum dominus qui eum defendit condemnatus est, nolint conferre ad litis æstimationem: l. 27. § 1. & l. 17. § 1. ff. *de Noxa act.*
(*c*) Hinc si *Directa* extinguatur morte servi, & hæc quoque extinguitur. Hinc cessat si novus possessor, aut manumissus, parati sint suscipere *Directam.*

MCCCXLIII.

Cui detur.

Hujus hominis gratiâ, pro quo noxalem Furti (*a*)

(*a*) Exempli gratiâ dicitur. Idem dic de quovis alio delicto.

Source : BIU Cujas

actionem ſuſcipere quis compellitur; adversùs (*b*) alium Furti actionem non habet. *l.* 21. *Cod. de Furt.*

Etiamſi partis dominum nanciſcar in ſervo qui mihi antè furtum fecerat, magis eſt ut extinguatur (*c*) actio; quia etſi ab initio quis partem in ſervo habebat, Furti agere non poterat. *l.* 43. § 22. ff. *de Furt.*

At Si ſervus in quo uſusfructus meus eſt, injuriam (*d*) mihi fecerit; adversùs dominum Noxali judicio experiri (*e*) potero. *l.* 17. § 9. ff. *de Injur.*

(*b*) Hinc qui vel pro parte dominus eſt, non poteſt *Noxaliter* agere, ne quidem poſteaquàm deſierit eſſe dominus. Quòd ſi dum ſervus meus in fugâ eſſet, furtum mihi fecerit; & priuſquàm eum receperim, meus eſſe deſierit; *Noxaliter* agere potero: quia, cùm in fugâ eſſet, non is erat pro quo potuiſſem cogi ſuſcipere judicium.

(*c*) Et quidem non reſſuſcitatur, ſi alienavero. Cæterùm ita extinguitur, ſi nondum erat conteſtata lis: *d. tit.* N. 5.

(*d*) Idem dic de quovis alio delicto.

(*e*) Nam ipſe *Noxali* judicio non teneor: ſuprà N. præced. cum Notâ (*b*).

MCCCXLIV.

Quæ ſit poteſtas noxalis judicii.

Noxali judicio invitus nemo cogitur alium defendere; ſed carere debet eo quem non defendit, ſi ſervus eſt. *l.* 33. ff. *de Noxal. act.*

Si ſervus præſens eſt, dominus abeſt, nec quiſquam ſervum defendit; ducendus (*a*) erit juſſu Prætoris. Sed causâ cognitâ, domino poſtea dabitur defenſio. *l.* 2. § 1. ff. *Si ex noxal. cauſ. ag.*

In Noxalibus actionibus; eorum (*b*) qui bonâ fide abſunt, jus non corrumpitur; ſed reverſis defendendi poteſtas datur. *l.* 30. ff. *de Noxal. act.*

Eos quorum Noxali judicio agitur, etiam (*c*) abſentes defendi poſſe placuit. *l.* 21. § 1. ff. *de Noxal. act.*

Servi ibi defendendi ſunt, ubi deliquiſſe arguentur. *l.* 43. ff. *d. tit.*

Noxæ deditio in ſolutione (*d*) eſt. *l.* 27. § 1. ff. *de Re judic.*

Servus dedetur ei non qui prior egit, ſed qui prior ad Sententiam pervenit; & ideò ei qui poſtea vicerit, actio denegatur judicati. *l.* 14. ff. *de Noxal. act.*

Si ſervus communis furtum (*e*) fecerit, quivis ex dominis in ſolidum Noxali judicio tenetur; ſed non aliàs poterit is qui conventus eſt evadere litis æſtimationem, niſi in ſolidum noxæ dederit (*f*) ſervum... Ante noxàle ſanè judicium acceptum, poterit ſuâ parte cedendo ſecuritatem conſequi. *l.* 8. ff. *d. tit.*

Si *quis* falsò neget (*g*) in poteſtate ſuâ eſſe; ſuſcepturum judicium ſine noxæ deditione, Julianus ſcribit. *l.* 2. § 1. ff. *Si ex noxal. cauſ.*

(*a*) Id eſt, abducendus. *On permet au demandeur de s'emparer de l'Eſclave dont il ſe plaint, & de l'emmener.* Quandocumque autem damnum reſarcierit actor, cogetur extra ordinem eum manumittere: *Inſtit.* Tit. *de Noxal. act.*

(*b*) Sive domini, quo abſente ſervus ductus eſt; ſive eorum qui quodvis jus (putà, uſusfructûs aut pignoris) habebant in ſervo, quem dominus dum illi abeſſent noxæ dedidit: ipſis enim reverſis permittitur ſervum defendere, ut jus ſuum recipiant.

(*c*) Sed hoc ſoli domino aut bonæ fidei poſſeſſori permittitur, ut abſentem ſervum defendat.

(*d*) Non in obligatione.

(*e*) Aliud-ve delictum.

(*f*) Et quidem liberum ab omni jure pignoris & uſusfructûs; & de evictione quæ ob ſuum factum contingeret, cavere debet. Cæterùm etiam ſtatuliberum dedendo liberatur: *d. tit.* N. 27. & 28.

(*g*) Et in mendacio uſque ad litis conteſtationem perſeveret.

§ II.

De actionibus quæ ex delicto familiæ dantur.

MCCCXLV.

Quum plures *ſervi ejuſdem domini*, furtum admittunt (*aliud-ve delictum*); datur arbitrium *domino*, ut poſſit quidem omnes dedere: enimverò, ſi maluerit æſtimationem offerre, tantum offerat quantum ſi unus liber feciſſet. *l.* 1. ff. *Si famil. furt.*

Hæc facultas domino tribuitur, quoties ignorante (*a*) eo furtum factum eſt. *d. l.* 1. § 1.

Quoties præſtat dominus quantum præſtaretur ſi unus liber feciſſet, cæterorum nomine ceſſat actio; non tantùm adversùs ipſum (*b*). *l.* 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Aut quum ſaltem non potuit prohibere. Item ita demùm ſi unum delictum factum ſit plurium ſervorum, putà unum furtum: ſecùs ſi plura facta, ut quum plures injuriam fecerunt, Album-ve Prætoris corruperunt: vide Tit. *de Juriſd.* §. fin. & ibi Notas.

(*b*) Sed putà, ſi unus ex his ſervis alienatus manumiſſus-ve ſit; ceſſat adversùs novum ejus dominum ipſum-ve manumiſſum. Contrà, vice versâ, ſi adversùs unum ex his manumiſſum ejus-ve legatarium actum ſit; cæterorum nomine cum domino agi poteſt: ſecùs, ſi adversus emptorem; quia venditor propter regreſſum ipſe videtur præſtitiſſe.

§ III.

De actione quæ De Pauperie *dicitur.*

Ut ex damno quod injuriâ ſervi noſtri dederunt, Noxalis *actio in nos datur; ita ad hujus inſtar, actio datur ex illo damno quod animalia noſtra dederunt: quòd, etſi propriè* INJURIA *dici non poſſit, tamen ſpeciem quamdam habeat injuriæ. Ex hâc notione fluunt regulæ ſequentes.*

MCCCXLVI.

1. Generaliter actio (DE *pauperie*) locum habet, quoties contra naturam (*a*) fera (*b*) mota pauperiem (*c*) dedit. *l.* 1. §7. ff. *Si quadr. paup.*

In (*d*) beſtiis, propter naturalem feritatem, actio *hæc* locum non habet. *d. l.* 1. § 10.

2. Etiam in quadrupedibus, Noxa caput (*e*) ſequitur. *d. l.* 1. § 12.

3. Hæc actio non ſolùm domino, ſed etiam ei cujus intereſt (*f*) competit. *l.* 2. ff. *d. tit.*

4. Ex hâc Lege jam non dubitatur, etiam liberarum (*g*) perſonarum nomine agi poſſe. *l.* 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Nàm quemadmodum *Injuria* eſt quod homo contra præcepta rationis quâ regi debet, agit; ita quod bellua facit contra inſtinctum ſuæ manſuetæ naturæ, injuriæ ſpeciem habet: ſecùs, ſi commota ab aliquo damnum dederit.

(*b*) Lex locuta eſt de *Quadrupedibus*; ex ſententiâ autem Legis, etſi non quadrupes, ſed aliud animal manſuetæ naturæ pauperiem facit, actio *Utilis* datur.

(*c*) Ita vocatur damnum ab animalibus datum. Nec refert corpore ſuo dederit, an per aliam rem. N. 6. *d. tit.*

(*d*) Sequitur hæc regula ex eodem principio. Umbram delicti non habet, niſi quod contra inſtinctum ſuum agit bellua; damnum autem quod dant illæ belluæ quæ ſunt nocivæ naturæ, non contra ſed ſecundùm inſtinctum ipſarum datur.

(*e*) Scilicet ut detur actio in eum qui, tempore quo agitur, eſt poſſeſſor animalis.

(*f*) Putà, commodatario; cujus argui poteſt culpa, quòd rem in quâ damnum datum eſt non cuſtodierit. Hâc in re hæc actio differt ab actione Legis Aquiliæ.

(*g*) Quæ à belluâ vulneratæ fuerint.

§ IV.

De aliis actionibus quibus quis ex alieno delicto tenetur, & quidem ſuo nomine.

MCCCXLVII.

SPECIES PRIMA: *Quum delictum ſervi, domino ſciente factum eſt.*

1. Qui ſcit, in ſolidum (*a*) tenetur. *l.* 5. § 1. ff. *de Noxal. act.*

In omnibus noxalibus actionibus, ubicumque ſcientia exigitur domini, ſic accipienda eſt, ſi quum prohibere poſſet non prohibuit. *l.* 3. ff. *d. tit.*

2. Is qui non prohibuit; ſive dominus manet, ſive deſiit eſſe dominus (*b*), tenetur. *l.* 2. § 1. ff. *d. tit.*

3. Si cum eo qui ſcit, cum noxæ deditione actum ſit (*c*); ampliùs detractâ noxæ deditione danda actio non

(*a*) Id eſt, non uſque ad pretium ſervi qui nocuit; cujus deditione non poteſt vitare condemnationem.

(*b*) Et quidem etiam ſervo mortuo, alienato, vel manumiſſo.

(*c*) Et lis finita.

Source : BIU Cujas

est (*d*). In ipso autem judicio, scientiam domini arguere non est prohibendus. *l.* 4. § 3. ff. *d. tit.*

Pariter dicendum, Si emptor servi Noxali conventus sit; venditorem quo sciente factum est, conveniri jam (*e*) non posse. *l.* 7. § 1. ff. *d. tit.*

4. Si plurium servus deliquerit . . . omnibus scientibus; quivis eorum tenebitur, detractâ noxæ deditione: nec altero convento alter liberabitur. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Si ex duobus dominis uno sciente, altero ignorante servus deliquit; si antè cum altero qui nesciebat actum sit, iniquum est vilissimi hominis deditione alterum (*f*) quoque liberari. *l.* 17. ff. *d. tit.*

(*d*) Et vice versâ, si dominus quasi conscius proprio nomine conventus sit; poterit quidem dum lis pendet, actor ad *Noxalem* causam transire: finito autem judicio non poterit: d. l. 4. Hæc autem electio locum habet in his delictis, quum servus sciente domino fecit: Quòd si eo jubente, *Noxalis* actio cessat; cùm solus dominus deliquisse videatur, non servus qui parendi necessitatem habuit.

(*e*) Nam propter regressum quem emptor adversùs ipsum habet, perindè est ac si ipse conventus esset.

(*f*) Convenietur igitur, deducto eo quod priore judicio consecutus est actor; & pretio hominis noxæ dediti computato.

MCCCXLVIII.

SPECIES 2ª. *Scilicet de actione* In duplum *quæ in exercitores navis cauponæ aut stabuli datur, ex delictis eorum quorum operâ utuntur in nave cauponâ vel stabulo.*

Debet exercitor omnium nautarum (*a*) suorum, sive liberi sive servi sint, factum præstare (*b*) . . . si in ipsâ nave damnum datum sit. *l.* 7. ff. *Naut. caup.*

Suo nomine exercitor tenetur . . . & ideò si decesserint, non relevabitur. *d. l.* 7. § 4.

Hæc actio, etiam servi mei nomine (*cujus operâ in nave tuâ aut cauponâ utebaris, mihi vectori aut viatori*) adversùs te competit. *l.* 6. § 1. ff. *d. tit.*

In servo suo ignoscendum (*c*) *exercitori*, si noxæ dedere paratus sit. *l.* 1. § 5. ff. *Furt. adv. naut.*

Si servus nautæ, *non ipse nauta*, damnum dederit; æquissimum erit, actionem Utilem dare. *l.* 7. § 3. ff. *Nautæ, caupon.*

In navi, vectorum (*d*) factum non præstatur. *l.* 1. § *fin.* ff. *Furt. adv. naut.*

Si quid nautæ inter se damni dederint, hoc ad exercitorem non (*e*) pertinet. *l.* 7. § 2. ff. *Naut. caup.*

Si prædixerit *exercitor* ut unusquisque res suas servet, & consenserint vectores prædictioni; non convenitur. *d. l.* 7.

Si plures navem exerceant, unusquisque pro parte suâ convenitur. *d. l.* 7. § 5.

(*a*) Hoc trahe ad eos quorum operâ exercitor cauponæ aut stabuli utitur in stabulo.

(*b*) Vectoribus & viatoribus, quibus datur eâ de re actio IN *duplum*.

(*c*) Quia hunc non elegit.

(*d*) Nec in cauponâ viatorum.

(*e*) Tenetur enim hâc actione solis vectoribus, ut caupo solis viatoribus. Si quis tamen nauta sit simul & vector, remum pro naulo pendens, hanc actionem habet.

MCCCXLIX.

SPECIES 3ª. *De actione* In duplum *quâ tenentur Publicani ex delictis familiæ suæ.*

Non solùm in vectigalibus Populi Romani; sed Et si quis vectigal conductum à Republicâ cujusdam municipii habet, hoc Edictum locum habet. *l.* 13. § 1. ff. *de Publican.*

Sive liberi sint, sive alieni qui Publicanis in vectigali ministrant, Edicto continebuntur. *l.* 1. § 5. ff. *d. tit.*

Si servus Publicani rapuit, non tamen in eâ familiâ constitutus quæ vectigali ministrat; Edictum cessabit. *d.* § 5.

Proprium est hujus Edicti; quòd, si non exhibeantur servi *noxii*, competit judicium sine noxæ (*a*) deditione: sive habeant in potestate, sive non; sive possint exhibere, sive non (*b*) possint; quum, si exhibuissent, Noxali judicio convenirentur. *l.* 1. § 6. & *l.* 3. ff. *d. tit.*

Si servus decesserit, puto *Publicanum* debere (*c*) liberari. *l.* 13. § 3. ff. *d. tit.*

Absolvendus est etiam, qui post acceptum judicium restituere paratus est; si non (*d*) restituat, in duplum erit condemnatio. *l.* 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Adeòque jam suo nomine tenentur Publicani.

(*b*) Quod speciale est contra Publicanos: regulariter enim dominus qui servum in suâ potestate non habet, nec eum potest exhibere; ejus nomine non tenetur: Tit. *de Noxalib. act.* N. 10.

(*c*) Quia jam per rerum naturam impossibilis est ejus exhibitio.

(*d*) Speciale in hoc Edicto, ut dupli pœna demum locum habeat si res restituta non fuerit.

MCCCL.

SPECIES 4ª. *De dejectis & effusis.*

Undè (*a*) in eum locum quò (*b*) vulgò iter fit, vel in quo consistetur, dejectum vel effusum (*c*) erit; in quantum ex eâ re damnum datum erit, in eum qui ibi inhabitaverit (*d*), judicium dabo. *l.* 1. ff. *de His qui effud.*

Et si quid pendens effusum sit, quamvis nemo effuderit, Edictum habere locum dicemus. *d. l.* 1. § 3.

Hoc Edicto Hospes (*e*) non tenebitur. *d. l.* 1. § 9.

Si plures in eodem cœnaculo *non divisim* habitent, undè dejectum est; in quemvis (*f*) actio dabitur in solidum . . . (*g*) Si verò plures diviso inter se cœnaculo habitent, actio in eum solum dabitur qui inhabitabat in eam partem undè effusum est. *d. l.* 1. § *fin. l.* 3. *ff.* & *l.* 5. *d. tit.*

Quum liberi hominis corpus ex eo quod dejectum erit, læsum erit; impen*diorum* quæ in curatione facta sunt, operarum quibus caruit aut cariturus est, (cicatricum autem & deformitatis nulla) fit æstimatio. *l.* 7. ff. *d. tit.*

(*a*) Sive ex domo, sive ex horreo.

(*b*) Sive in publico, sive in privato.

(*c*) Etiamsi nocte, si eò nocte iter esse solet.

(*d*) Licèt alius effuderit, dejecerit; adeòque ex alieno delicto tenetur.

(*e*) Nec enim is dicitur *Inhabitare*, sed is qui domicilium habet.

(*f*) Si tamen unus maximam partem habitabat, modica loca cæteris locabat; is solus tenebitur.

(*g*) Ita ut si unus solverit, cæteri liberentur.

SECTIO VI.

De Reis principalibus, de his qui alienæ obligationi accedunt, & de heredibus creditorum aut debitorum.

ARTICULUS I.

De pluribus ejusdem obligationis Reis principalibus seu Correis, *tam credendi quàm debendi.*

§ I.

Quomodo & in quibus contractibus fiant Correi.

MCCCLI.

Non sunt Correi, nisi quum hoc actum est. Hinc Quum tabulis esset comprehensum ILLUM ET ILLUM centum stipulatos, nec adjectum ut duo rei stipulandi essent; virilem partem singuli stipulati videntur: & è contrario viriles deberi, cùm non fuerat adjectum singulos spopondisse. *l.* 11. § 1. ff. *de Duob. reis.*

Cæterùm Parvi refert, simul spondeant an separatim (*a*) promittant; quum hoc actum sit ut duo rei constituantur: neque ulla novatio fiet. *l.* 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Id est, per unam, an per separatas stipulationes.

(*b*) Non transfundetur obligatio ejus qui prior promisit, in obligationem ejus qui posterior promisit; sed ambo eamdem contrahent obligationem.

MCCCLII.

Fiunt duo rei promittendi, non tantùm verbis stipulationis,

Source : BIU Cujas

ſtipulationis, ſed & cæteris contractibus (*a*); item teſtamento (*b*). *l.* 9. ff. *d. tit.*

(*a*) Ut ſi duo in ſolidum vendant, emant, locent, conducant, &c.
(*b*) Ut quum duo heredes in ſolidum damnantur dare.

§ II.

De naturâ correorum.

MCCCLIII.

1^a. *Regula.* Quum duo eamdem pecuniam aut promiſerunt aut ſtipulati ſunt; ipſo Jure, & ſingulis in ſolidum debetur, & ſinguli debent. *l.* 2. ff. *d. tit.*

Corollarium 1^um. Ideo petitione (*a*), acceptilatione unius, tota ſolvitur obligatio. *d. l.* 2.

At Quum perſona liberatur (*b*) manente obligatione, alter durat obligatus. *l.* 19. *ff. d. tit.*

Corollarium II^um. Ubi duo rei *debendi* facti ſunt, poteſt vel ab uno ſolidum peti. *l.* 3. § 1. ff. *d. tit.*

Et vice versâ vel alterutri ex correis credendi poteſt ſolidum ſolvi; ſcilicet priuſquàm neuter prævenerit.

At Ex duobus reis ſtipulandi ſi ſemel unus egerit, alteri promiſſor offerendo nihil (*c*) agit. *l.* 16. ff. *d. tit.*

Corollarium III^um. Interpellatio facta ab uno ex correis credendi, & agnitio debiti facta ab uno ex reis debendi, cæteris prodeſt & nocet ad interpellandam præſcriptionem. *l. fin. Cod. d. tit.*

2°. *Regula. Correorum debendi* Una obligatio (*d*), una & ſumma eſt. *l.* 3. § 1. ff. *d. tit.*

Corollarium. Verius eſt non eſſe duos reos à quibus impar (*e*) ſuſcepta eſt obligatio. *l.* 9. § 1. ff. *d. tit.*

Verùm Poſterior (*f*) conventio quæ in alterius perſonâ interceſſit, ſtatum & naturam obligationis, quæ duos initio reos fecit, mutare non poteſt. *d.* § 1.

3^a. *Regula. Rei debendi* Etſi maximè parem cauſam ſuſcipiunt, nihilominus in cujuſque perſonâ propria (*g*) conſiſtit obligatio. *d. l.* 9. §. 2.

Corollarium. Ex duobus reis promittendi, alter in diem vel ſub conditione obligari poteſt; nec impedimento erit dies aut conditio quominùs ab eo qui purè obligatus eſt petatur. *l.* 7. ff. *d. tit.*

(*a*) Eâ quam ſolutio ſequitur. Senſus eſt; ſi vel unus ex correis debendi ſolverit, ei-ve acceptolatum ſit; vel ſi unus ex correis credendi exegerit, aut acceptum habuerit.
(*b*) Putà, capitis diminutione, confuſione.
(*c*) Is enim qui egit, occupavit quod antè alterutri debebatur.
(*d*) Quoad ſubjectum, id eſt quoad hoc quod debetur: at quoad perſonas debitorum, *multiplex*; cùm unuſquiſque propriâ ſuâ obligatione teneatur: infrà Reg. 3^a.
(*e*) *Impar* re aut causâ ſcilicet. Hinc V. G. duo depoſitarii non erunt correi, ſi alter bonam fidem duntaxat, alter etiam diligentiam præſtiterit. Nam diverſa debent, quod eſt contra eſſentiam obligationis correorum; quæ in eo conſiſtit ut idem debeant. Verùm impar die aut loco eſſe poteſt eorum obligatio (infrà); nam modò idem debeant, poſſunt diverſimodè illud debere.
(*f*) Ut ſi ex duobus correis qui ambo de culpâ repromiſerint, alteri culpa remittatur. Hæc poſterior pactio, cùm ſit nuda pactio, non poteſt tollere obligationem; adeòque nihilominùs manent ambo *Correi debendi*: ſed hæc pactio pariet exceptionem ei qui pactus eſt, ſi de culpâ conveniatur; & quidem ei ſoli, ſi non ſocii ſint; ſi ſocii ſint, utrique.
(*g*) Eſt eadem obligatio quoad ſubjectum, ut diximus. At nihilominùs propria cujuſque perſonæ eſt obligatio; undè diverſimodè poſſunt eâ teneri.

MCCCLIV.

Reos promittendi, vice mutuâ fidejuſſores non (*a*) inutiliter accipi convenit. *l.* 11. ff. *d. tit.*

(*a*) Ut is qui ſolvit, etiam non ceſſis actionibus, habeat actionem adversùs alium licèt non ſocium; item ut quod alteri detur, alter compenſet. Habent etiam tales correi ex Novellâ XCIX. beneficium *Divisionis*.

ARTICULUS II.

De his qui alienæ obligationi accedunt.

Obligationi accedunt, Mandatores *qui mandant ut alteri credatur*; & Fidejuſſores *qui creditori ſtipulanti, quod debitor ipſi debet debiturus-ve eſt, promittunt.*

§ I.

Cui obligationi poſſint Mandatores & Fidejuſſores *accedere.*

MCCCLV.

Omni (*a*) obligationi fidejuſſor accedere poteſt. *l.* 1. ff. *de Fidejuſſor.*

Adhiberi fidejuſſor tam futuræ quàm præcedenti obligationi poteſt; dummodò ſit aliqua vel naturalis (*b*) futura (*c*) obligatio. *l.* 6. § 2. ff. *d. tit.*

Etſi ex delicto oriatur actio, magis putamus teneri fidejuſſorem. *l.* 8. § 5. ff. *d. tit.*

Etiam pro fidejuſſore fidejuſſorem accipi, nequaquàm dubium eſt. *d. l.* 8. § 12.

Etiam Pro liberto jurante (*d*), fidejubere quemvis poſſe placet. *l.* 8. § 1. ff. *de Oper. libert.*

(*a*) Regula unam exceptionem patitur in muliere, quæ fidejuſſorem pro reſtitutione dotis à viro accipere prohibetur.
(*b*) Non ſolùm ſi ex Civili aut Prætorio Jure, ſed & ſi ſolo Jure naturali teneat obligatio; fidejuſſor rectè accipitur: non tamen ſi ſolâ ſubtilitate Juris Civilis teneat, & exceptione excludatur.
(*c*) Non ſolùm contractæ, ſed etiam contrahendæ obligationi fidejuſſor accipitur: ita tamen ut non antè debeat fidejuſſor, quàm quum principalis obligatio erit contracta.
(*d*) Id eſt, qui per jusjurandum ſe obligavit ad exhibendas operas patrono. Quamvis enim quod in obligationem deductum eſt, id factum ſit quod perſonæ principalis rei cohæreat; tamen fidejuſſor accipi poteſt, quia, ſi non fiat, reſolvitur obligatio in id quanti intereſt, quod à quovis exigi poteſt.

MCCCLVI.

Erroris fidejuſſio (*a*) nulla eſt. *l.* 37 ff. *de Fidejuſſ.*

Conſtat Maleficiorum (*b*) fidejuſſores accipi non poſſe. *l.* 70. § 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Qualis eſt ejus qui pro eo qui non fuit aut deſiit eſſe obligatus, fidejuberet.
(*b*) Id eſt, ejus quod inter ſe ſocii maleficiorum paciſcuntur; quia ex tali pacto, nulla nec naturalis obligatio naſcitur.

§ II.

Pro quo obligatio contrahi poſſit.

MCCCLVII.

Non intelligi poteſt, ut quis pro ſe fidejubendo obligetur. *l.* 21. § 2. ff. *de Fidejuſſ.*

MCCCLVIII.

Pater pro filio, & Filiusfamilias pro patre poterit fidejubere. *l.* 10. § 2. *ff. d. tit.*

Pro (*a*) ſervo & ipſe quoque dominus, in id quod ſibi debetur, fidejuſſorem rectè accipit. *l.* 70. § 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Obligatur enim naturaliter, & quidem etiam domino.

MCCLIX.

Mortuo reo promittendi, & ante aditam (*a*) hereditatem, fidejuſſor accipi poterit. *l.* 22. ff. *d. tit.*

Creditor filiifamiliàs, mortuo eo (*b*) fidejuſſorem accipere non poteſt. *l.* 18. ff. *ad SC. Maced.*

Si debitori (*c*) deportatio irrogata eſt, non poteſt pro eo fidejuſſor accipi. *l.* 47. ff. *de Fidejuſſ.*

(*a*) Hereditas enim nondum adita, perſonæ vicem ſuſtinet; pro quâ fidejuſſor poteſt intervenire.
(*b*) Quia cùm filiusfamilias, ſicut & ſervus, hereditatem non relinquat; nullus ſupereſt debitor, pro quo obligari poſſit fidejuſſor. Cæterùm accipi poterit fidejuſſor ejus obligationis quâ pater *De Peculio* intra annum tenetur.
(*c*) Eadem ratio; nullus ſupereſt debitor, cùm deportatus pro mortuo habeatur, nec ulla ſit ejus hereditas.

§ III.

Cui fidejuſſor aut mandator obligari poſſit necne.

MCCCLX.

Regula 1^a. Fidejuſſor (*a*) obligari non poteſt, ei apud

(*a*) Hinc fruſtrà accipit fidejuſſorem, qui adjectus eſt duntaxat ſolutionis gratiâ.

Source : BIU Cujas

quem reus promittendi obligatus non est. *l.* 16. ff. *de Fidejuss.*

Regula 2ª. Non (*b*) potest quis pro eodem eidem esse obligatus. *l.* 56. § 1. *ff. d. tit.*

(*b*) Hinc filius vel servus non possunt accipere fidejussorem, pro eo quod pater dominus-ve ipsis debent.

§ IV.

Quomodo Mandatoriæ aut Fidejussoriæ obligationes contrahantur, & cujus rei.

MCCCLXI.

Mandatum credendæ pecuniæ solâ voluntate, fidejussio demùm per stipulationem contrahitur.

Fidejubere pro alio potest quisque, etiamsi promissor ignoret. *l.* 30. ff. *d. tit.*

Parvi refert utrùm purè fidejussorem obligem, an ex die an sub conditione. *l.* 6. § 1. ff. *d. tit.*

MCCCLXII.

In aliam rem quàm quæ credita est, fidejussor obligari non potest. *l.* 42. *ff. d. tit.*

Hinc 1°. Pro eo qui decem promisit, non potest fidejussor accipi ut decem AUT Stichum promittat... quia in aliam obligationem (*a*) acceptus est. *l.* 8. § 8. ff. *d. tit.*

Hinc 2°. Stichum aut Pamphilum stipulatus, utrum promissor voluisset; non possum (*b*) fidejussorem ita accipere, Stichum aut Pamphilum utrum fidejussor vellet. *l.* 38. ff. *d. tit.*

Fidejussores & in partem pecuniæ & rei rectè accipi possunt. *l.* 9. ff. *d. tit.*

Si reo in fundum obligato, fidejussor in usumfructum accipiatur... cùm ususfructus fundi jus (*c*) est, incivile est fidejussorem ex suâ promissione non teneri. *l.* 70. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) In aliam rem; si enim (quod potest) eligat debere *Stichum*, aliud deberet quàm reus qui decem debet: quod fieri non potest.
(*b*) Eadem ratio.
(*c*) Adeòque quodammodo pars rei.

§ V.

Qualis esse debeat fidejussorum ac mandatorum obligatio, & ad quæ porrigi intelligatur.

MCCCLXIII.

Qui pro aliis obligantur, si fuerint in duriorem causam adhibiti; placuit eos omninò non obligari. In leviorem planè causam accipi possunt. *l.* 8. § 7. ff. *d. tit.*

Hinc 1°. Si reus sub conditione sit acceptus, fidejussor purè non (*a*) obligabitur. *d. l.* 7.

Hinc 2°. Sub diversis conditionibus si fuerint interrogati *reus & fidejussor;* si fidejussoris conditio prior extiterit, non tenetur. *l.* 70. § 1. *ff. d. tit.*

Hinc 3°. Si reum purè interrogavero, & fidejussorem cum adjectione loci accepero; non obligabitur (*b*) fidejussor. *l.* 16. § 1. *ff. d. tit.*

Si à reo mihi AUT Titio stipulatus, à fidejussore MIHI tantùm interrogem; in deteriorem causam acceptum fidejussorem Julianus ait. *l.* 34. ff. *d tit.*

At Si à reo Stichum aut Pamphilum, à fidejussore Stichum interrogem;... in meliorem *causam acceptus videtur*, quia mortuo eo liberari (*d*) potest. *d. l.* 34.

Obligatio ejus qui generaliter fidejubet pro eo qui ex aliquo contractu obligatus est; ad omnem (*a*) *obligationem quæ ex illo contractu descendit, non verò ad ea de quibus reus aliundè* (*b*) *tenetur, porrigitur: exl.* 52. § 2. & *l.* 54. ff. *d. tit.*

Hinc Qui fidejûsserint pro conductore in universam conductionem, in usuras quoque jure conveniuntur. *l.* 2 § 12. ff. *de Adm. rer. ad civit. pertin.*

At verò Fidejussores qui *determinatè* in centum annua se obligaverunt (*quæ fuerat pacta conductionis merces*), non in omnem conductionem; decrevit *Imperator*, in usuras non teneri. *l.* 68. § 1. ff. *de Fidejuss.*

Multò magis Non debet imputari fidejussoribus, quod *reus* propter suam pœnam (*c*) præstitit. *l.* 73. ff. *de Fidejuss.*

(*a*) Exemplum in fidejussore coloni. Is non solùm pro pensionibus, sed & pro restitutione instrumentorum fundi, & generaliter pro omni conductionis causâ fidejussisse videtur.
(*b*) Putà, de dolo quem reus admisit circa pignora quæ dedit.
(*c*) Ut si propter ejus contumaciam aucta est condemnatio; putà condemnatus est, *Quanti* actor in litem juraverit.

§ VI.

Quando conveniri possint fidejussores & mandatores.

MCCCLXV.

Fidejussor, antequàm reus debeat (*a*), conveniri non potest. *l.* 57. ff. *de Fidejuss.*

Placet fidejussoriam obligationem, conditionem taciti temporis ex utriusque personâ recipere; tam rei, quàm ipsius fidejussoris. *l.* 49. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Id est, ab eo exigi possit.

MCCCLXVI.

Debito autem existente; Jure nostro est potestas creditori, relicto reo eligendi fidejussores. *l.* 5. *Cod. de Fidejuss.*

Omissis quoque pignoribus, fidejussorem à creditoribus utiliter conveniri; explorati Juris est. *l.* 17. *Cod. d. tit.*

Qui mutuam pecuniam dari mandavit, omisso reo promittendi, & pignoribus non distractis, eligi potest. *l.* 56. *ff. Mandati.*

Jure Novellarum datur fidejussoribus & mandatoribus Beneficium Ordinis. *Novell. IV. cap.* 1.

§ VII.

De beneficio Divisionis *quod habent plures confidejussores, ex Constitutione Hadriani.*

MCCCLXVII.

Inter fidejussores, non ipso Jure dividitur (*a*) obligatio. *l.* 26. ff. *d. tit.*

Verùm ex Hadriani Constitutione; Ut dividatur actio inter eos qui solvendo sunt, ante condemnationem postulari solet. *l.* 10. § 1. *Cod. de Fidejuss.*

Si quæratur solvendo sit principalis fidejussor, etiam vires sequentis (*b*) fidejussoris adgregrandæ sunt. *l.* 27. § 2. ff. *de Fidejuss.*

Si plures sint fidejussores, unus purè, alius in diem vel sub conditione acceptus; succurri oportet ei qui purè acceptus est, dum existere conditio potest: ut interim (*c*) in virilem conveniatur. *d. l.* 27.

Sicut ipsi fidejussori, ita heredibus quoque (*d*) succurrendum. *d. l.* 27. § 3.

(*d*) Contrà, vice versâ.
(*b*) Durior enim obligatio, ejus qui non potest nisi certo loco solvere.
(*c*) Utpotè ademptâ ei facultate quam reus habet, solvendi adjecto.
(*d*) Quum contrà reus maneat superstitis debitor, mortuo Sticho. Hæc utilitas præponderat utilitati electionis quam habet reus; si servi sint ferè æqualis pretii.

(*a*) Adeòque, si solidum solvit, non indebitum solvit.
(*b*) Qui pro eo fidejussore fidejussit.
(*c*) Deficiente autem conditione, aut confidejussore antequàm existat facultatibus lapso, tenebitur in solidum.
(*d*) Item & fidejussoribus fidejussoris; ut inter se, & confidejussores ejus pro quo fidejusserunt, actio dividatur.

Source : BIU Cujas

MCCCLXVIII.

Non potest reus desiderare, ut inter se & fidejussorem dividatur (*a*) obligatio. *d. l.* 27. § 4.

Duo rei promittendi separatim fidejussores dederunt; creditor actiones dividere cogitur, inter eos duntaxat qui pro singulis intervenerunt. *l.* 51. § 2. ff. *d. tit.*

Inficiantibus (*b*), auxilium divisionis non est indulgendum. *l.* 10. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Nec vice versâ fidejussor inter se & reum, nec fidejussor inter se & secundum fidejussorem qui pro ipso fidejussit.
(*b*) Qui se fidejussisse inficiantur.

MCCCLXIX.

Quum inter fidejussores actione divisâ, quidam post litem contestatam solvendo esse desierunt; ea res ad onus ejus qui solvendo est, non pertinet. *l.* 51. § 4. ff. *d. tit.*

Humanius est, si alter solvendo sit litis contestationis tempore, per exceptionem ei qui *partem suam* solvit (*a*) succurri. *d. l.* 51. § 1.

(*a*) Ut residuum ab altero exigatur; non verò duntaxat inter ipsos divisio residui fiat.

§ VIII.

De beneficio Cedendarum actionum.

MCCCLXX.

Fidejussoribus succurri solet; ut stipulator compellatur ei qui solidum solvere paratus est, vendere cæterorum (*a*) nomina. *l.* 17. ff. *d. tit.*

Intercessorem postulantem cedi sibi hypothecæ sive pignoris obligata jure, non priùs ad solutionem (nisi mandata super hâc re fuerit persecutio) convenit urgeri. *l.* 21. *Cod. de Fidejuss.*

(*a*) Id est, cedere suas actiones adversùs cæteros ejus obligationis debitores; reum scilicet principalem, & confidejussores.

MCCCLXXI.

Quatenus cedere teneatur creditor.

Si creditor à debitore culpâ (*a*) suâ ceciderit, propè est ut nihil à mandatore consequi debeat; cùm ipsius vitio acciderit ne mandatori possit actionibus cedere. *l.* 95. ff. *de Solution.* (§ 11).

(*a*) Putà, si plus petendo creditum amisit. At, quamvis paciscendo cum uno ex fidejussoribus ne ab ipso peteret, effecerit ut non possit adversùs eum alteri fidejussori actiones suas cedere; tamen nullâ exceptione summovebitur ab illo altero fidejussore. l. 5. § 1. ff. *de Fidejuss.*

MCCCLXXII.

Sub quâ lege teneatur creditor actiones cedere.

Quum in aliâ quoque causâ *creditor* hypothecas habet obligatas; non priùs compellendus est transferre pignora, quàm omne debitum exsolvatur. *l.* 2. *Cod. de Fidejuss.*

MCCCLXXIII.

Quando hæc cessio peti & fieri possit:

Etiamsi *jam* condemnatus (*a*) est unus ex mandatoribus; quum Judicati conveniri cœperit, potest desiderare ut actiones sibi mandentur. *l.* 41. § 1. *ff. d. tit.*

Si post solutum sine ullo pacto omne quod debetur, actiones post aliquod intervallum cessæ sint; nihil eâ cessione actum, cùm nulla actio superfuerit. *l.* 76. ff. *de Solut.*

(*a*) Singulare est exceptioni *Cedendarum actionum*, ut etiam post condemnationem opponatur.

MCCCLXXIV.

De effectu hujus cessionis.

Creditor qui solventi actiones suas cedit, non in solutum accipit, sed quodammodo nomen debitoris vendidit. *l.* 36. ff. *d. tit.*

Paulus respondit: Fidejussorem in quem pignora translata sunt, non emptoris (*a*) loco substitutum videri, sed ejus qui pignora (*b*) accepit. *l.* 59. ff. *de Fidejuss.*

(*a*) Cui ex lege pignoris distracta essent.
(*b*) Adeòque lui ab ipso possunt.

§ IX.

De actione Mandati *quam fidejussor mandator-ve qui solvit, habet contra reum principalem; & an habeat actionem contra confidejussores.*

MCCCLXXV.

Fidejussores & mandatores, etsi sine judicio (*a*) solverint, habent actionem Mandati. *l.* 10. § 11. ff. *Mand.*

Si quum debitor solvisset, ignarus fidejussor solverit; puto eum habere Mandati (*b*) actionem. *l.* 29. § 2. ff. *d. tit.*

Si quum solvisset, non certioravit reum; sic deindè reus solvit; oportet MANDATI agentem fidejussorem repelli. *l.* 29. § 3. ff. *d. tit.*

Fidejussor qui solvit, non cum sacco (*c*) adire debet. *l.* 105. ff. *de Solut.*

Si fidejussor ante diem creditori solverit, expectare debebit diem quo eum solvere oportuit. *l.* 31. ff. *de fidej.*

Si fidejussor *pro aliquo* intercessisti; & neque condemnatus es, neque eum dilapidare comprobare possis, neque ita te obligationem suscepisse ut eum possis ante solutionem convenire; nullâ ratione, antequàm satis pro eo creditori feceris, eum ad solutionem urgeri certum est. *l.* 10. *Cod. Mandati.*

(*a*) Idem, si legitimè adsignaverint pecuniam si debitorem suum delegaverint. Item nec refert suo nomine, an nomine rei principalis.
(*b*) Propter bonam fidem, quamvis non fuerit vera solutio.
(*c*) Sed modicum tempus dare debet reo ut quærat pecuniam.

MCCCLXXVI.

Ut fidejussor *qui solvit*, adversùs confidejussorem suum agat, danda actio non est. *l.* 39. ff. *de Fidejuss.*

§ X.

De duabus singularibus fidejussionis speciebus.

MCCCLXXVII.

1. Si fidejussores in id accepti sunt QUOD à *reo* SERVARI NON POSSIT; & cessante creditore, solvendo esse desiit; non temerè (*a*) danda in fidessores actio. *l.* 41. ff. *de Fidej.*

2. Quum fidejussor hoc modo acceptus esset, SI REUS NON SOLVERIT; verisimile est in actum ut, quum appellatus reus non solvisset, teneretur; item si, antequàm appellaretur, decessisset. *l.* 16. § 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Nonnisi causâ cognitâ, an culpa in cessatione creditori imputari possit.

ARTICULUS III.

De Heredibus creditorum & debitorum.

MCCCLXXVIII.

In executione obligationis, sciendum est quatuor

Source : BIU Cujas

cauſas eſſe. Nam interdum eſt aliquid, quod à ſingulis heredibus diviſum conſequi poſſumus ; aliud quod totum peti neceſſe eſt, nec diviſum præſtari poteſt; aliud quod pro parte petitur, ſed ſolvi niſi totum non poteſt; aliud quod ſolidum petendum eſt, licèt in ſolutione admittat ſectionem. *l.* 85. ff. *de Verb. oblig.*

MCCCLXXIX.

PRIMA CLASSIS: *Obligationum quæ ſunt dividuæ, tam quoad ipſam obligationem quàm quoad ſolutionem.*

Quum ſpecies ſtipulamur ; neceſſe eſt inter heredes ita dividi ſtipulationem, ut partes corporum (*a*) cuique debeantur. Quoties autem genera (*b*) ſtipulamur, numero (*c*) fit inter eos diviſio. *l.* 54. ff. *d. tit.*

Diviſio ſtipulationis operarum, non in partes, ſed in numerum cedit. *d. l.* 54. § 1.

(*a*) Putà, ſi Dama & Stichus in obligationem deducti ſunt, & creditor duos heredes reliquit; ſingulis dimidia pars tam Stichi quàm Damæ debentur: idem dic de debitoris heredibus.
(*b*) Putà duos homines in genere.
(*c*) Scilicet ſingulis, non dimidia duorum hominum, ſed ſingulus homo debebitur.

MCCCLXXX.

SECUNDA CLASSIS : *De obligationibus individuis quoad obligationem & quoad ſolutionem.*

Ea quæ in partes dividi non (*a*) poſſunt, ſolida à ſingulis heredibus debentur (*b*). *l.* 192. MARCELL. LIB. 29. DIGESTOR.

Operis (*c*) effectus, in partes ſcindi non poteſt. *l.* 85. § 2. ff. *de Verb. oblig.*

(*a*) Ne quidem intellectu, ut iter, via, opus. At res quæ licèt naturâ partes non recipiant, intellectu tamen recipiunt, & pro partibus indiviſis poſſidentur, ut Stichus, &c. ad hanc regulam non pertinent.
(*b*) Hoc ſenſu ; ut & ſolidum à ſingulis heredibus peti poſſit, nec liberetur unuſquiſque niſi ſolidum præſtetur. Cæterùm re non præſtitâ, reſolvetur condemnatio in pecuniam *Quanti intereſt* à ſingulis pro parte præſtandam.
(*c*) Ut putà, ædificatio domûs. A ſingulis enim promiſſoris heredibus petitur ut tota domus ædificetur ; nec niſi abſolutâ totius domûs ædificatione, unuſquiſque heredum ſolviſſe quod debet, intelligi poteſt.

MCCCLXXXI.

TERTIA CLASSIS: *Obligationum quæ dividuæ quoad obligationem, individuæ ſunt quoad ſolutionem.*

Quum ſtipulatus ſum *rem incertam*, *putà* hominem incertum, petitio ejus ſcinditur (*a*) ; ſolvi verò niſi ſolidus non (*b*) poteſt. *l.* 85. § 4. ff. *d. tit.*

Ex ſtipulationibus *rei incertæ*, nec heredes quidem pro parte ſolvendo liberari (*c*) poſſunt ; quandiù non eamdem rem omnes (*d*) dederint. *l.* 2. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Nec enim petere poſſum à ſingulis heredibus hominem, ſed partem hominis, & ſic *Dividua* eſt obligatio.
(*b*) Vide Reg. ſeq.
(*c*) Nam ſi alter partem alterius rei ſolvat, neuter liberatus erit; quia una res ſolvi debet.
(*d*) Adde, aut reliquam partem debere deſierint; putà, acceptilatione, pacto, alio-ve modo.

MCCCLXXXII.

QUARTA CLASSIS : *Obligationum individuarum quoad obligationem, dividuarum quoad ſolutionem.*

Adversùs ſingulos debitoris heredes, ex quibuſdam cauſis in ſolidum agi oportet, & partis ſolutio affert liberationem (*a*); ut quum ex causâ evictionis intendimus (*b*). *l.* 85. § 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Adeòque hæ obligationes ſunt dividuæ quoad ſolutionem.
(*b*) Agit enim emptor adverſùs ſingulos venditoris heredes, ut defendatur in ſolidum.

SECTIO VII.

De Morâ, per quam perpetuantur obligationes; & de modis quibus extinguuntur.

ARTICULUS I.

Quando exigi poſſit quod ex quâvis obligatione debetur; & de Morâ.

MCCCLXXXIII.

In omnibus obligationibus in quibus dies non (*a*) punitur, præſenti die debetur. *l.* 14. POMPON. LIB. 5. AD SABIN.

Nihil peti poteſt ante id tempus quo per rerum naturam perſolvi poſſit. Et quum ſolvendi tempus obligationi additur, niſi eo præterito peti non poteſt. *l.* 186. CELSUS LIB. 12. DIGEST.

(*a*) Vel expreſsè, vel qui tacitè inſit ; ut V. G. Quum certo loco res danda eſt, tacitè ineſt tempus intra quod eò loci perferri queat.

§ I.

Quando Mora alicui fieri videatur.

MCCCLXXXIV.

An mora facta intelligatur, neque Conſtitutione ullâ neque Juris auctorum quæſtione decidi poteſt; cùm ſit magis facti quàm juris. *l.* 32. ff. *de Uſur.*

Mora fieri intelligitur non ex (*a*) re, ſed ex perſonâ ; id eſt, ſi interpellatus opportuno loco non ſolverit. *d. l.* 32.

Mora videtur creditori fieri ; ſive ipſi, ſive ei qui negotia ejus gerebat mora facta ſit. *l.* 24. § 3. ff. *d. tit.*

Non videbitur per *pupillum* mora fieri .. niſi tutore autore, aut ſolus tutor interpelletur. *l.* 24. ff. *de Verb. oblig.*

Si denuntiatum eſt, cæterùm poſteà omiſſa eſſet repetendi debiti inſtantia ; non (*b*) protinùs per debitorem mora facta intelligitur. *ſup. d. l.* 32. § 1.

Sciendum ; Non omne quod differendi causâ optimâ ratione (*c*) fiat, moræ adnumerandum. *l.* 23. ff. *de Uſur.*

Qui ſine (*d*) dolo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere. *l.* 73. JULIAN. LIB. 17. DIGEST.

Nam Non poteſt improbus videri, qui ignorat quantum ſolvere debeat. *l.* 99. VENULEIUS LIB. 12. STIPULAT.

Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla (*e*) petitio eſt. *l.* 88. SCÆVOLA LIB. 5. QUÆSTION.

(*a*) Id eſt, non ex eo ſolo quòd non ſolutum ſit.
(*b*) Scilicet ſi aliquo argumento appareat, creditorem deſtitiſſe ab inſtantiâ petendi debiti.
(*c*) Ut ſi debitor non fraudandi causâ amicos adhibendos requirat, abeſſe Reipublicæ causâ ſubitò coactus ſit, &c. d. l. & ſeqq.
(*d*) Scilicet ignarus an & quantum debeat, cum hoc ex computatione faciendâ pendeat. Secus, ſi liquidæ pecuniæ debitor ad judicium provocet.
(*e*) Ubi dies exigendi non venit.

MCCCLXXXV.

Aliquando etiam in re moram eſſe decerni ſolet, ſi fortè non ſit (*a*) qui conveniatur. *l.* 23. § 1. ff. *de Uſur.*

In Minorum (*b*) perſonâ, re ipsâ (*c*) & ex ſolo

(*a*) Et hoc teſtatione complexus ſit creditor : argumento legis 2. ff. *de Naut. fœn.*
(*b*) Id eſt, quando Minores creditores ſunt.
(*c*) Id eſt, citra interpellationem ; quia contra interpellationis omiſſionem reſtituuntur. Oportet tamen ut per debitorem non ſteterit.

Source : BIU Cujas

tempore tardæ pretii ſolutionis, recepto jure moram (*d*) fieri creditum eſt; in his videlicet quæ moram deſiderant, id eſt in bonæ fidei contractibus, & fideicommiſſis & legatis. *l.* 5. *Cod. In quib. cauſ. in int. reſt.*

(*d*) Differt autem hæc mora à morâ propriè dictâ, quæ ex interpellatione contrahitur; quòd illa mora valeat duntaxat ad pariendas uſuras ex his cauſis ex quibus uſuræ ex morâ debentur, & quòd ceſſet ſtatim atque Minores annum 25*um.* compleverunt. Hoc Minorum privilegium porrexit Juſtinianus ad ea quæ Eccleſiis piè relicta ſunt.

§ II.

De effectibus Moræ ex parte debitoris, & quando illa purgetur.

Duo ſunt moræ effectus. 1^us^. *Ut pariat uſuras pecuniæ quæ ex contractu bonæ fidei debetur, de quo infrà Part. ſeq.* 2^us^. *Ut periculum circà rem debitam transferat in debitorem, de quo mox infrà.*

MCCCLXXXVI.

Verum eſt eum qui interpellatus dare noluit, offerentem poſteà, periculo liberari. *l.* 72. § 1. *ff. de Solut.*

Si .... quum in morâ promiſſor eſſet .... rursùs *eamdem rem* ſtipulatus (*a*) fuero; definit periculum ad promiſſorem pertinere, quaſi morâ purgatâ. *l.* 8. ff. *de Novat.*

(*a*) Sive ab ipſo promiſſore, ſive ab alio; & quidem etiam ſi ſub conditione ſtipulatus fuero quæ poſteà defecerit; hoc ipſo enim quòd res præſens mihi ſtipulanti promittitur, perindè eſt ac ſi offerretur; & mora purgatur. Secus eſſet, ſi res abſens foret. Tit. *de Uſur.* N. 65.

§ III.

De morâ creditoris.

MCCCLXXXVII.

Pro ſoluto, id in quo creditor accipiendo moram fecit, oportet (*a*) eſſe. *l.* 72. *ff. de Solut.*

(*a*) Quandiu ſcilicet moram creditor non purgat, priuſquàm res ei oblata extare deſierit.

ARTICULUS II.

Regulæ generales circa diſtrahendas obligationes, ſive ipſo jure, ſive per exceptionem.

MCCCLXXXVIII.

Nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quidque diſſolvere quo colligatum eſt: ideò verborum obligatio verbis (*a*) tollitur; nudi conſenſûs obligatio, contrario conſenſu diſſolvitur. *l.* 35. ULP. LIB. 48. AD SABIN.

Prout quidque contractum eſt, ita & ſolvi debet; ut quum RE contraxerimus, re (*b*) ſolvi debet. *l.* 80. *ff. de Solut.*

Omnia quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt. *l.* 100. GAIUS LIB. 1. REGULAR.

Naturalis obligatio, ut pecuniæ numeratione, ita juſto (*c*) pacto, vel jurejurando, ipſo Jure tollitur: quòd vinculum æquitatis, quo ſolo ſuſtinebatur, conventionis æquitate diſſolvitur. *l.* 95. § 4. ff. *de Solut.*

In omnibus ſpeciebus liberationum, etiam acceſſiones liberantur; putà, adpromiſſores, hypothecæ, pignora: præterquàm quòd, inter creditorem & adpromiſſores confuſione factâ, reus non (*d*) liberatur. *l.* 43. *ff. d. tit.*

(*a*) Contrariâ ſtipulatione, quæ *Acceptilatio* dicitur: de quâ infrà.
(*b*) Non verò ſolvi poteſt per acceptilationem; ſed poteſt hæc obligatio in obligationem *Verborum* novari, & hâc novatione factâ jam poteſt per acceptilationem tolli.
(*c*) Id eſt, quod non ſit contrà Leges aut bonos mores.
(*d*) Ratio eſt quia confuſio per ſe magis perſonam eximit ab obligatione, quàm tollit obligationem; & poteſt reus obligari, quamvis adpromiſſor obligatus eſſe deſierit: contrà vice versâ.

Et hæc quidem de modis quibus ipſo Jure liberatio contingit.

MCCCLXXXIX.

Sed & (*inquit* Marcellus) definit debitor eſſe, qui nactus eſt exceptionem juſtam (*a*) nec ab æquitate naturali (*b*) abhorrentem. *l.* 66. JULIAN. LIB. 60. DIGEST.

Quocircà nota. Sicut initio libera poteſtas unicuique eſt, habendi vel non habendi contractus; ita renuntiare ſemel conſtitutæ obligationi, adversùs non conſentientes nemo poteſt. *l.* 5. *Cod. de Obl. & act.*

(*a*) Et perpetuam, qualis eſt exceptio *Pacti.*
(*b*) Ut ſi quis iniquâ judicis ſententiâ abſolutus eſt. Hic nactus eſt exceptionem *Rei judicatæ*: ſed cùm ab æquitate abhorreat, natutâ debitor maner.

ARTICULUS III.

De Solutione, ſeu præſtatione naturali ejus quod debetur; necnon de obſignatione.

§ I.

Quis ſolvere poſſit, & cujus nomine ſolutio fieri debeat.

MCCCXC.

Pupillum (*a*) ſine tutoris auctoritate nec ſolvere poſſe palàm eſt. *l.* 14. § *fin. ff. de Solut.*

(*a*) Idem dic de cæteris qui alienare non poſſunt.

MCCCXCI.

Cuique ſolvere, pro ignorante & invito licet. *l.* 53. ff. *d. tit.*

Etenim Solutione, vel judicium accipiendo, & inviti & ignorantes liberari poſſumus. *l.* 23. ff. *d. tit.*

Excipe. Si navem (*a*) à ſe fabricandam quis promiſerit, vel inſulam ædificandam; fidejuſſor ipſe ædificans non conſentiente ſtipulatore, non liberabit reum. *l.* 31. ff. *d. tit.*

Creditor (*b*) *interdum ipſe ſibi ſolviſſe intelligitur.*

(*a*) Huic præcedentis regulæ exceptioni locus eſt, quoties id debetur in quo ſpectata ſit perſonalis induſtria promittentis.
(*b*) Exempla in creditore pigneratitio, qui quantum ſibi debebatur ex fructibus rei ſibi obligatæ percepit, in creditore debitoris ſui negotia adminiſtrante.

MCCCXCII.

Caſſius ait; Si cui pecuniam dedi ut eam creditori meo ſolveret, ſi ſuo nomine dederit, neutrum liberari; me, quia non meo nomine data ſit; illum, quia alienam (*b*) dederit. *l.* 17. *ff. d. tit.*

(*a*) Pecuniâ tamen bonâ fide conſumptâ à creditore, convaleſcit ſolutio; & liberabitur qui eam alienam ſuo nomine dedit.

§ II.

Cui ſolvi poſſit.

MCCCXCIII.

Ei ſolvi poteſt, qui ſuæ eſt tutelæ & curæ. Hinc Pupillo ſolvi ſine tutoris auctoritate non poteſt. Si tamen ſolverit ei debitor, & nummi (*a*) ſalvi ſint; petentem pupillum Doli mali exceptione (*b*) ſummovebit. *l.* 15. ff. *de Solution.*

Reo criminis poſtulato, interim nihil (*c*) prohibet rectè à debitoribus pecuniam ſolvi. *l.* 41. ff. *d. tit.*

(*a*) Aut ex his factus ſit locupletior: quod inſpicitur tempore quo petitur: l. 4. ff. *de Except.*
(*b*) Quæ fluit ex generali Regulâ ſuprà N. 26.
(*c*) Non enim ei ſimpliciter prohibetur alienare, ſed duntaxat prohibetur in fraudem fiſci alienare.

Source : BIU Cujas

MCCCXCIV.

Quod alicui debetur, alius ſine voluntate (*a*) ejus non poteſt jure (*b*) exigere. *l.* 39. ff. *de Negot. geſt.*

Quod juſſu alterius ſolvitur, pro eo eſt quaſi ipſi (*c*) ſolutum eſſet. *l.* 180. PAUL. LIB. 17. AD PLAUT.

Hinc Vero (*d*) procuratori rectè ſolvitur. *l.* 12. ff. *de Solution.*

Nam Is qui omnibus ſuis negotiis aliquem præponit, intelligitur etiam debitoribus mandare ut procuratori ſolvant. *l.* 34. § 3. ff. *d. tit.*

Hoc Jure utimur, ut procuratori litis (*e*) non rectè ſolvatur. *l.* 86. ff. *d. tit.*

Diſpenſatori qui ignorante debitore remotus eſt ab actu (*f*) rectè ſolvitur. *l.* 51. ff. *d. tit.*

Dico; Cuicunque ex tutoribus fuit ſolutum, etſi honorariis (*g*) rectè ſolvi; niſi interdicta eis fuerit à Prætore (*h*) adminiſtratio. *l.* 14. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Vel prævià; vel quæ ſubſecuta ſit, licèt ex intervallo.
(*b*) Si tamen pecunia ſoluta ceſſit in rem creditoris, aut creditor ei cui ſolutum eſt heres poſteà extitit; tutus erit debitor per exceptionem.
(*c*) Etiamſi creditor ei juſſerit ſolvi, cui illicitè donabat: l. 26. ff. *de Don. int. vir. & ux.*
(*d*) Id eſt, ei qui ſpeciale aut ſaltem generale mandatum habet. Secùs de eo qui ſe ultrò negotiis gerendis obtulit, etiamſi debitor crediderit eum habere mandatum.
(*e*) Neque enim hoc ei mandatur ut accipiat à debitore.
(*f*) Idem dic de procuratore cujus ignoratur revocatum eſſe mandatum. Nihil enim ei imputari poteſt, qui ſemel certior factus de mandato divinare non potuit illud eſſe revocatum.
(*g*) Aut notitiæ causâ datis.
(*h*) Aut ſuſpecti fuerint poſtulati; aut quum adminiſtratio fuiſſet diviſa, acceperit ex his cauſis quæ ad partem adminiſtrationis quæ ei obtigit non pertineant. *d. tit.* N. 24.

MCCCXCV.

Filiusfamilias (*a*) patre invito debitorem ejus liberare non poteſt. *l.* 22. ff. *d. tit.*

Servus meus quod peculiari nomine crediderit, exigendo liberabit (*b*) debitorem. *l.* 19. ff. *d. tit.*

Si quis ſervo pecuniis exigendis præpoſito poſt manumiſſionem ſolviſſet; ſi quidem ex contractu domini, ſufficiet quòd ignoraverit manumiſſum: quòd ſi ex causâ peculiari; quamvis ſcierit manumiſſum, tamen ignoraverit ademptum ei peculium; liberatus erit. *l.* 18. ff. *d. tit.*

(*a*) Idem dic de ſervo. Vide exceptiones in Reg. ſeqq. Pariter debitorem uxoris maritus citra uxoris conſenſum non liberat.
(*b*) Niſi ademptum ei peculium debitor ſciret, aut mortuum dominum.

§ III.

De adjectis ſolutionis gratiâ.

MCCCXCVI.

Niſi quod ad me vim acceperit obligatio, adjectio nil poteſt (*a*) valere. *l.* 141. § 7. ff. *de Verb. oblig.*

Apparet, licèt alterius perſona non recte adjiciatur (*b*), non ideò minùs in noſtrâ perſonâ utiliter procedere ſtipulationem. *d. l.* 141. § 9.

Filio ſtipulante, patris tunc adjicitur perſona quum ſtipulatio ei acquiri non (*c*) poſſit. *l.* 95. § 5. ff *d. tit.*

Nihil prohibet, patre ſtipulante filii perſonam adjici; cùm toties quod pater filio ſtipulatur ſibi ſtipulatus intelligitur, quum ipſe ſibi ſtipulatus non eſt. *d.* § 5.

(*a*) Hinc ſi mihi aut Titio ſub diverſis conditionibus ſim ſtipulatus; ſi illa ſub quâ mihi ſtipulatus ſum defecerit, fruſtrà exiſtet illa ſub quà Titio dari ſtipulatus eram.
(*b*) Putà, vel quia jam mortuus erat; vel conditio ſub quâ ei dari poſſe convenit, defecit.
(*c*) Scilicet quum filius ex causâ peculii caſtrenſis ſtipulatur.

MCCCXCVII.

Quum mihi aut Titio ſtipulor; dicitur aliam quidem rem in perſonam meam, aliam in Titii deſignari non poſſe. Sed ſi Titio ea res ſoluta ſit, quæ in ejus perſonâ deſignata fuerit, licèt ipſo Jure non liberetur promiſſor; per exceptionem tamen defendi poſſit. *l.* 141. § 5. ff. *de Verb. oblig.*

In creditoris & adjecti perſonis receptum eſt, Tempora (*a*) diverſa deſignari poſſe. *d. l.* 141. § 6.

Adjectus Nec petere, nec novare, nec acceptum facere poteſt; tantùmque ei ſolvi poteſt. *l.* 10. ff. *de Solution.*

Dum ajecto ſolvitur, mihi ſolvi videtur. *l.* 59. ff. *d. tit.*

Si ſtipulatus fuero mihi aut pupillo dari: promiſſor ſine tutoris auctoritate ſolvendo pupillo, liberatur à me. *l.* 95. § 6. ff. *d. tit.*

Quum quis ſibi aut Titio dari ſtipulatus eſt; ſoli Titio, non etiam ſucceſſoribus (*b*) ejus rectè ſolvitur. *l.* 55. ff. *de Verb. oblig.*

Magis eſt ut ita demùm rectè *adjecto* ſolvi dicendum ſit, ſi in eodem ſtatu maneat quo fuit quum ſtipulatio interponeretur. *l.* 38. ff. *de Solut.*

(*a*) Item diverſa loca, diverſas conditiones: ſic tamen ut illa ſub quâ mihi ſtipulatus ſum, exiſtere debeat.
(*b*) Nec domino adjecti, niſi ex adjecti voluntate. l. 95. §§. 7. & 9. ff. *de Solution.*

MCCCXCVIII.

Cui jure ſtipulationis ſolvitur, ei etiam prohibente me rectè ſolvi poteſt. Cui verò aliàs permiſero ſolvi; ei non rectè ſolvitur, ſi denuntiaverim promiſſori ne ſolveretur. *l.* 106. ff. *d. tit.*

Etſi debitor conſtituerit ſe mihi ſoluturum; poteſt adhuc (*a*) adjecto ſolvere. *l.* 59. ff. *d. tit.*

Si petam, ampliùs *adjecto* ſolvi non poteſt; quamvis ante litem conteſtatam poſſet. *l.* 57. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Obſtat lex 2. ff. *de Conſtit. pec.* Vide ſolutionem N. 52. in Notis. *d. tit.*

§ IV.

Quid, ubi, & quando ſolvi debeat.

MCCCXCIX.

ALIUD *pro alio, invito creditore ſolvi non poteſt.*

Manifeſti Juris eſt rebus pro numeratâ pecuniâ conſentiente creditore datis, tolli obligationem (*a*). *l.* 17. *Cod. de Solution.*

Creditor non eſt cogendus in aliam formam nummos accipere; ſi ex eâ re damnum paſſurus ſit. *l.* 99. ff. *de Solution.*

Reproba pecunia non liberat ſolventem. *l.* 24. § 1. *ff. de Pignor. act.*

(*a*) Reſtituetur tamen Minor, ſi hâc in re captus; & Major, ſi hâc in re dolo debitoris circumſcriptus eſt.

MCD.

Solutio & exactio partium, non minima (*a*) incommoda habet. *l.* 3. *ff. Fam. erciſc.*

Qui decem debet, partem ſolvendo (*b*), in parte obligationis liberatur. *l.* 9. § 1. ff. *de Solut.*

(*a*) Hinc invito creditori pars ejus quod debetur, ſolvi non poteſt; niſi lis ſit de reſiduâ parte.
(*b*) Volenti creditori. Regula fallit in obligationibus generis, & alternativis.

MCDI.

Quod certâ die promiſſum eſt, vel ſtatim dari poteſt. *l.* 70. ff. *d. tit.*

Corpus Quod legatur *aliâ-ve ex causâ debetur*, ibi dari debet ubi eſt: quod pondere numero aut menſurâ continetur, ibi dari debet ubi petitur. *l.* 38. ff. *de Judic.*

Is qui certo loco dare promittit, nullo alio loco quàm in quo promittit, ſolvere invito ſtipulatore poteſt. *l.* 9. ff. *de Eo quod cert. loc.*

Quum illo AUT *illo loco dari promiſſum eſt*; Definit

Source : BIU Cujas

Scævola petitorem electionem habere ubi petat, reum ubi solvat; scilicet ante petitionem. *l.* 2. § 3. ff. *d. tit.*

Mixta (*a*) rerum alternatio locorum alternationi, ex necessitate facit actoris electionem & in rem propter locum. *d.* § 3.

Si quis stipulatur Ephesi & Capuæ, hoc ait ut Ephesi partem petat. *l.* 2. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Ut quum stipulatus sum cadum vini *Romæ*, VET. cadum olei *Capuæ* mihi dari; electionem habebo utram rem petam, propter locorum alternationem: quum alioquin electio sit promissoris.

§ V.

Quomodo solvi debeat.

M C D I I.

Unusquisque quod spopondit; suo impendio dare debet; quandiù id quod debet, in rerum naturâ est. *l.* 20. ff. *de Oper. libert.*

M C D I I I.

Non videntur data, quæ eo tempore quo dantur accipientis non fiunt. *l.* 167. PAUL. LIB. 49. AD EDICT.

Quoties suos nummos accipit creditor, non contingit liberatio debitori. *l.* 22. § 8. ff. *Mandati.*

In perpetuum; Quoties id quod tibi debebam ad te pervenit ut tibi nihil (*a*) absit, nec quod solutum est repeti possit (*b*), competit liberatio. *l.* 60. ff. *de Solut.*

Is qui alienum in solutum dedit, usucapto (*c*) liberatur. *l.* 60. ff. *d. tit.*

Si res tradita fuerit quæ debebatur, quandiù aliquid juri (*d*) rei deest, adhuc tamen ipsa res petenda est. *l.* 27. ff. *d. tit.*

Propriè dicitur res non reddita, quæ deterior redditur. *l.* 3. § 1. ff. *Comm. divid.*

Etsi inutiliter res soluta sit; creditor debitum petens, si eam retineat, exceptione repelletur: ex l. 94. ff. de Solut.

(*a*) Nihil ex jure hujus rei tibi desit.
(*b*) Adeòque solutio non valet; si res, quum soluta est, in eâ causâ erat ut evinci posset ei cui soluta est. Secùs, si ex novâ causâ evictio contingat: *d. tit.* N. 75. 76. 77. 78. Fallit regula in statu libero debito. *d. tit.* N. 79.
(*c*) Idem operatur consumptio bonâ fide facta; fluit ex Reg. præc. Valet enim solutio; quum id quod solutum alicui est, non potest ei auferri.
(*d*) Puta, jus cautionis creditori de eâ re exhibendæ.

§ VI.

De Solutionis effectu, & regulæ circa imputationem solutionum.

M C D I V.

Aliquando evenit ut unâ numeratione duæ obligationes tollantur uno (*a*) momento. *l.* 44. ff. *de Solution.*

(*a*) Ut si jussu meo debitor meus solvat creditori meo.

M C D V.

1. Quoties quis debitor ex pluribus causis unum debitum solvit; est in arbitrio solventis, dicere quod potiùs debitum voluerit solutum; & quod dixerit (*a*), id erit solutum. *l.* 1. ff. *d. tit.*

2. Quoties non dicimus in quod solutum sit; in arbitrio est accipientis, cui potiùs debito acceptum ferat; dummodò in re præsenti: cæterùm posteà non permittitur. *d. l.* 1. § 1. & *l.* 3. ff. *d. tit.*

Permittitur (*b*) creditori constituere in quod velit solutum; dummodò sic constituat, ut in re suâ constitueret. *d. l.* 1. § 1.

3. Si à neutro dictum sit; in his quæ diem vel conditionem habuerunt, id videtur solutum cujus dies venit. *l.* 3. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Si plus solverit quàm quod ex hâc causâ debebat, superfluum in reliquas cedet: *d. tit.* N. 98.
(*b*) Limitatio est præcedentis Regulæ.

4. In his quæ præsenti die debentur; constat, quoties indistinctè quid solvitur, in graviorem causam videri solutum: si autem nulla prægravet, in antiquiorem (*a*). *l.* 5. ff. *d. tit.*

Hinc Quum ex pluribus causis debitor pecuniam solvit; utriusque demonstratione cessante, potior habebitur causa ejus pecuniæ quæ sub infamiâ debetur; mox ejus quæ pœnam continet, terriò quæ sub hypothecâ vel pignore contracta est; post hunc ordinem, potior habebitur propria quàm aliena causa. *l.* 97. ff. *d. tit.*

Gravior causa videtur quæ sub satisdatione, quàm quæ pura est. *l.* 5. ff. *d. tit.*

5. Non ineleganter scriptum; Si par & dierum & contractuum causa sit, ex omnibus summis pro portione videri solutum. *l.* 8. ff. *d. tit.*

6. Priùs in usuras (*b*) id quod solvitur, deindè in sortem accepto feretur. *l.* 1. *Cod. de Solution.*

7. Quoties unus ex fidejussoribus suam partem solvisset tanquam negotium reo gessisset, perindè habendum ac si reus ipse unius fidejussoris partem solvisset: sed tamen ut non ex sorte decedat, sed is fidejussor solus liberatur. *l.* 37. ff. *de Solution.*

(*a*) Si concurrant duo contractus; antiquius debitum est cujus dies prius venit: *id. tit.* N. 95.
(*b*) Si civiliter debebantur, aut sub pignore.

§ VII.

De obsignatione.

M C D V I.

Obsignatione totius debitæ pecuniæ solemniter (*a*) factâ, liberationem contingere manifestum est. *l.* 9. *Cod. de Solut.*

(*a*) Præviâ oblatione debiti, loco congruo factâ.

ARTICULUS III.

De liberatione quæ contingit ex interitu rei debitæ, aut ex eo quòd in eum casum devenerit quo non posset in obligationem deduci.

M C D V I I.

Si hominem certum (*a*) mihi debeas; non aliter post mortem ejus teneris mihi, quàm si per te steterit vivo eo ut eum mihi dares. *l.* 23. ff. *de Solut.*

Placet (*b*) extingui obligationem, si in eum casum inciderit à quo incipere non potest; non tamen in omnibus verum est. *l.* 140. § 2. ff. *de Verb. oblig.*

(*a*) Idem dic de cujusvis alterius rei interitu.
(*a*) Vide de hâc regulâ & ejus exceptionibus, suprà Part. 1^a. Cap. 1. Sect. 3^a

M C D V I I I.

Veteres constitnerunt; Quoties culpa intervenit debitoris, perpetuari obligationem. *l.* 91. § 3. ff. *d. tit.*

Quum facto suo reus principalis obligationem perpetuat, etiam fidejussoris durat obligatio. *l.* 58. § 1. ff. *de Fidejuss.*

Mora rei, fidejussori quoque nocet. *l.* 88. ff. *de Verb. oblig.*

At Si fidejussor solus moram fecerit, reus non tenetur. *l.* 32. § 5. ff. *de Usur.*

Pariter Si fidejussor hominem (*b*) occiderit; reus liberabitur, fidejussor autem conveniri potest. *l.* 88. *ff. de Verb. oblig.*

(*a*) Vel mora, *d. tit.* N. 110 & 111. vel factum, etiamsi nondum sciret se debere *d. tit.* N. 108.
(*b*) Debitum.

Source : BIU Cujas

Ex duobus reis promittendi, alterius factum alteri quoque nocet. *l.* 18. *ff. de Duobus reis.*

Scilicet quum de perpetuandâ duntaxat obligatione agitur. Quum verò de eâ augendâ ac pariendis usuris, hæc contraria regula tenenda est: Unicuique sua mora nocet. Quod & in duobus reis promittendi observatur. *l.* 173. § 2. PAUL. LIB. 6. AD PLAUTIUM.

M C D I X.

Omnes debitores qui speciem ex causâ lucrativâ debent, liberantur; quum ea species ex causâ lucrativâ ad creditores (*a*) perveniisset. *l.* 17. ff. *de Oblig. & act.*

Si Stichum aut Pamphilum mihi debeas, & alter ex eis meus (*b*) factus sit; reliquus mihi debetur à te. *l.* 10. ff. *d. tit.*

(*a*) Ita ut eis auferri non possit, & perfectè ipsorum sit.
(*b*) Aut mortuus, aut manumissus.

ARTICULUS IV.

De Novationibus.

§ I.

Quæ obligatio novari, & in quam obligationem prior transmitti possit.

M C D X.

Qualiscumque obligatio (*a*) sit quæ præcessit, novari verbis potest; dummodò sequens civiliter teneat aut naturaliter. *l.* 1. § 1. ff. *de Novat.*

Sive verbis contractum est, sive non verbis; novari potest, & transire in verborum obligationem. *l.* 2. ff. *d. tit.*

In diem obligatio novari potest, & priusquàm adve-nerit. *l.* 5. *ff. d. tit.*

Si quod sub conditione debetur, purè quis novandi causâ stipuletur; ne tunc quidem novat, sed tunc novabit quum extiterit conditio. *l.* 14. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Naturalis, civilis, Honoraria; nil refert: d. l. 1.
(*b*) Putà, si quis novandi animo à pupillo sine tutoris auctoritate stipuletur: d. l. 1.

M C D X I.

Novatio non potest contingere, eâ stipulatione quæ non (*a*) committitur. *l.* 24. ff. *d. tit.*

Qui in diem stipulatur, statim (*b*) novat. At qui sub conditione stipulatur, non statim novat; nisi conditio extiterit. *l.* 8. § 1. *ff. d. tit.*

Si rem (*c*) dari stipulatus sum, deindè eamdem sub conditione novandi animo, manere oportet rem in rebus humanis, ut novationi locus sit. *l.* 31. ff. *d. tit.*

(*a*) Hæc & sequentes fluunt ex posteriori parte Regulæ primæ N. præced.
(*b*) Dies enim exactionem, non obligationem differt.
(*c*) Regula fallit, si in morâ erat debitor, quæ per *eam* stipulationem purgata non fuerit; putà quia procul erat. Aliàs enim stipulatio novandi causâ facta purgat moram.

§ II.

Quis novare possit.

M C D X I I.

Cui rectè solvitur, is etiam (*a*) novare potest. *l.* 10. *ff. d. tit.*

Non ideò novare veterem obligationem quisquam rectè potest, quòd interdum (*b*) rectè ei solvitur. *l.* 25. *ff. d. tit.*

(*a*) Ergo nec pupillus, nec is cui bonis interdictum est, &c.
(*b*) Exemplum habes in adjecto; item in filio & servo, quibus rectè solvitur quod ipsi crediderunt: item exigendis pecuniis præpositus.

Servus (*c*) nec peculiarem obligationem, citra voluntatem domini novare potest. *l.* 16. ff. *d. tit.*

Dubitari non debet quin filius servus-ve cui administratio peculii permissa est (*d*), novandi peculiaria debita jus habeat. *l.* 34. *ff. d. tit.*

Novare (*e*) tutor potest, si pupillo expediat. *l.* 20. § 1. *ff. d. tit.*

Si duo rei stipulandi sint... si reus ab aliquo stipuletur, novatione quoque liberare eum (*f*) poterit. *l.* 31. § 1. *ff. d. tit.*

(*c*) Idem de filio.
(*d*) Non tamen donationis causâ delegare potest.
(*e*) Idem dic de curatore, & procuratore omnium bonorum.
(*f*) Obstat lex 27. ff. *de Pact.* ad quam vide Notas d. tit. *de Pactis.* N. 45.

§ III.

De formâ novationis, & animo novandi; item, an & quando per novam debitoris creditoris-ve personam novatio fieri possit.

M C D X I I I.

Ad Novationem hoc maximè requiritur, ut hoc ipsum quod priori obligatione continebatur, deducatur in posteriorem: ex Tit. de Novat. *N.* 19.

Novatio autem fit vel interventu novæ personæ debitoris aut creditoris; vel absque interventu novæ personæ, si quid immutetur circa accidentalia prioris obligationis.

Quod ego debeo si alius promittat, liberare (*a*) me potest; si novationis causâ hoc fiat. Non (*b*) tamen si quis stipuletur quod mihi debetur, aufert mihi actionem; nisi ex voluntate meâ stipuletur. *l.* 8. § 5. ff. *de Novat.*

Regula est Novationem ita demùm fieri, si hoc agatur ut novetur obligatio. *l.* 2. ff. *d. tit.*

Nihil vetat unâ stipulatione plures obligationes novari. *l.* 3. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Et quidem invitum d. l. 8.
(*b*) Pete rationem discriminis ex regulâ generali suprà N. 23. *Coroll.* 2.

§ IV.

De Delegatione.

M C D X I V.

Delegare est vice suâ alium reum dare creditori, vel cui jusserit. *l.* 11. ff. *d. tit.*

Delegare vel nutu debitorem suum quis potest. *l.* 17. ff. *d. tit.*

Delegatio debiti nisi consentiente, & stipulanti promittente debitore, jure perfici non potest. Nominis autem venditio, & ignorante vel invito eo adversùs quem actiones mandantur, contrahi solet. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

M C D X V.

Delegatio tres parit effectus. 1°. *Delegans à creditore suo liberatur:* 2°. *Is qui delegatus est, si fuit debitor delegantis, ab eo quoque liberatur:* 3°. *Is qui delegatus est, creditori obligatur.*

Si non debitorem quasi debitorem delegavero creditori meo, exceptio locum non (*a*) habebit; sed Condictio (*b*) adversùs eum qui delegavit, competit. *l.* 13. ff. *d. tit.*

(*a*) Adversùs creditorem meum, qui ab ipso stipulatus est. Secùs, si delegassem ei cui donare volebam.
(*b*) *Conditio indebiti* ei competit, adversùs me qui eum delegavi.

ARTICULUS V.

De Acceptilatione.

Circa formam Acceptilationis, repete regulas suprà circa formam Stipulationis.

§ I.

Source : BIU Cujas

§ I.

De naturâ Acceptilationis.

M C D X V I.

Velut ſolviſſe videtur, is qui acceptilatione ſolutus eſt. *l.* 16. ff. *de Acceptil.*

In diem (*a*) acceptilatio facta, nullius eſt momenti. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Acceptilatio ſub conditione fieri non poteſt. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Inter Acceptilationem & Apocham hoc intereſt, quòd acceptilatione omnimodò liberatio contingit, licèt pecunia ſoluta non ſit; Apocha non aliàs quàm ſi pecunia ſoluta ſit. *l.* 19. § 1. ff. *d. tit.*

M C D X V I I.

In contractibus ſynallagmaticis; Si ego tibi acceptum feci, nihilomagis ego à te liberatus ſum. *l.* 23. *ff. d. tit.*

Ita Labeo ex ſtrictâ Juris ratione. Contrà Paulus, ex æquitatis normâ & præſumptâ contrahentium voluntate: Quum nondum res interceſſit; utrinque, per acceptilationem, tametſi ab alterutrâ parte duntaxat interceſſit, liberantur obligatione. *d. l.* 23.

(*a*) Fluit ex præcedenni, quemadmodum & omnes ſequentes.

§ II.

Quæ obligationes per Simplicem *acceptilationem tolli poſſint, & quæ per* Aquilianam.

M C D X V I I I.

Acceptum fieri non poteſt, niſi quod verbis (*a*) colligatum eſt. *l.* 8. § 3. ff. *d. tit.*

Hoc Jure utimur; ut licèt reus non ſit verbis obligatus, tamen acceptilatione per fidejuſſorem (*b*) liberetur. *l.* 13. § 7. ff. *d. tit.*

(*a*) Ut ſtipulatio, obligatio operarum liberti, dos dicta.

(*b*) Fidejuſſor cùm ipſe ſit verbis obligatus, per acceptilationem liberatur; & cùm illa vice ſolutionis ſit (ſup. N. 1416. Reg. 1*â*.) liberat reum; ſicut eum liberaret ſi ſolviſſet.

M C D X I X.

Aquiliana ſtipulatio omnes omninò obligationes præcedentes novat & perimit (*a*), ipſaque perimitur per acceptilationem. *l.* 4. ff. *de Tranſact.*

Quod in diem vel ſub conditione debetur, acceptilatione tolli poteſt. Sed ita id factum tolli poteſt, ſi conditio ſtipulationis extiterit. *l.* 12. ff. *de Acceptil.*

Sub conditione debitori ſi acceptum feratur; poſteà conditione exiſtente, intelligitur jam olim liberatus. *l.* 16. ff. *de Solution.*

(*a*) Et in *Verborum* obligationem transfundi.

§ III.

Quid accepto fieri poſſit.

M C D X X.

Niſi conſentiat acceptilatio cum obligatione, imperfecta eſt liberatio. *l.* 14. ff. *de Acceptil.*

Hinc Qui accepto facit; vel totum, vel (*a*) partem ejus quod ſtipulatus eſt, debet accepto ferre. *l.* 13. § 2. ff. *d. tit.*

Si id quod in ſtipulationem deductum eſt, diviſionem (*b*) non recipiat; acceptilatio in partem, nullius erit momenti. *d. l.* 13. § 1.

(*a*) Fruſtrà ergo qui ſtipulatus eſt domum, accepto feret ejus uſumfructum aut ejus parietem.

(*b*) Id eſt tale ſit quod pro parte deberi non poſſit; ut ſervitus.

Quod (*c*) invito ſtipulatori promiſſor ſolvere poteſt, id & acceptum latum liberationem parit. *d. l.* 13. § 4.

(*c*) Limitatio eſt Regulæ 2æ. mox ſuprà. Hinc ſpecies in genere debito, rectè accepto fertur; quia & ſolvi poſſet Hinc unum ex his quæ alternativè debentur, determinatè accepto ferri poteſt; quia & ſolvi poſſet: contrà, vice versâ

§ IV.

Quis accepto ferre, & quis accepto rogare poſſit.

M C D X X I.

Accepto rogare nonniſi ipſe debitor; & accepto ferre nonniſi ipſe creditor (*a*), *& quidem is qui alienandi jus habeat, poteſt.*

Hi per quos jure nobis acquiritur (*b*), *accepto nobis rogare; at non accepto ferre poſſunt.*

Imò, quod promiſit filius, Pater acceptum rogando, nihil agit; cùm non ſit ipſe obligatus, ſed filius. *l.* 8. § 4. ff. *d. tit.*

Tutor, curator, nec procurator quidem, poteſt facere acceptum (*c*): ſed hi omnes debent novare (*d*); poſſunt enim ſic accepto ferre. Ne his quidem accepto fieri poteſt, ſed novatione (*e*) factâ poterunt liberari. *l.* 13. § 10. ff. *d. tit.*

(*a*) Ratio hujus regulæ eſt, quòd acceptilatio ſit contraria ſtipulatio. Igitur quemadmodum nemo alteri ſtipulari aut de altero promittere poteſt; ita nec pro aliquo accepto rogare, aut alteri accepto ferre poteſt.

(*b*) Scilicet filii noſtri; aut ſervi qui vel pro parte noſtri ſunt, aut quos bonâ fide poſſidemus, aut in quibus uſumfructum aut uſum habemus: hi enim ut nobis ſtipulari, ita & pro nobis accepto rogare poſſunt. At non poſſunt accepto ferre: ratio diſparitatis, ſuprà N. 23. *Coroll.* 1°.

(*c*) Fluit ex Regulâ 1*â*. h. N.

(*d*) Stipulando ſibi à debitore, quod pupillo debetur.

(*e*) Ex promittendo quod pupillus debet.

M C D X X I I.

Ex pluribus reis ſtipulandi, ſi unus acceptum fecerit; liberatio contingit in ſolidum. *d. l.* 13. § 12.

Si ex pluribus obligatio uni accepto feratur; non ipſe ſolus liberatur, ſed & hi qui ſecum obligantur. *l.* 16. ff. *d. tit.*

ARTICULUS VII.

De confuſione obligationum, per hereditatis adquiſitionem.

M C D X X I I I.

Aditio hereditatis . . . jure confundit obligationem; veluti ſi creditor, debitoris; vel contrà, debitor creditoris adierit hereditatem. *l.* 95. § 2. *ff. de Solut.*

Quaſi generale quid retinendum eſt; ut ubi ei obligationi quæ ſequelæ locum obtinet, principalis accedit (*a*), confuſa ſit obligatio *acceſſoria;* quoties duæ ſint principales (*b*), altera alteri potiùs adjiciatur. *l.* 93. § 2. ff. *d. tit.*

Ubi aliqua differentia eſt obligationum (*c*); poteſt conſtitui, alteram per alteram perimi: quum verò duæ ſint ejuſdem (*d*) poteſtatis, non poteſt reperiri cur altera potiùs quàm altera conſumeretur. *l.* 5. § 1. ff. *de Fidejuſſ.*

(*a*) Ut quum fidejuſſor exiſtit heres ei pro quo intervenerat, vel vice versâ.

(*b*) Ut quum correus correo ſuo, ſive credendi, ſive debendi heres extitit.

(*c*) Ut quum altera principalis, altera acceſſoria.

(*d*) Ut duæ principales; vel duæ æquè acceſſoriæ.

M C D X X I V.

Quod vulgò jactatur, fidejuſſorem qui debitori heres extitit, ex causâ fidejuſſionis liberari; toties verum eſt, quoties plenior rei (*a*) promittendi obligatio invenitur. *l.* 95. § 3. ff. *de Solution.*

(*a*) Non ergo habebit locum regula, ſi reus naturaliter duntaxat obligatus erat.

Source : BIU Cujas

Non potest dici non tolli fidejussoris obligationem, si debitor propriam (*b*) & personalem habuit defensionem. *d. l.* 95. § 3.

Quum creditor debitori heres extitit pro parte, aut vice versâ; ultra portionem quâ successit, petitio non confunditur. *l.* 6. *Cod. de Solution.*

(*b*) Putâ, si Minor sit, cui paratum sit restitutionis auxilium. Hæc enim defensio, est extrinseca civili obligationi; nec facit quominùs civilis illa obligatio sit plena. Vide Notas ad h. li *d. tit.* N. 122.

M C D X X V.

Puto aditione hereditatis, confusione obligationis eximi personam (*a*); sed & accessiones (*b*) ex ejus personâ liberari: alterum reum ejusdem pecuniæ non liberari. *l.* 71. ff. *de Fidejuss.*

Si creditor fidejussori heres fuerit, vel fidejussor creditori; puto, confusione obligationis non liberari reum. *d. l.* 71.

(*a*) Magis quàm solvi universum obligationis causam.
(*b*) Id est, fidejussores; nec enim possunt pro eodem apud eumdem obligati esse, suprà N. 1360. Reg. 2*d*. Pignora autem non liberantur: l. 38 § fin. *de Solut.* & l. 59. ff. *ad SC. Trebell.*

ARTICULUS VIII.

De Capitis deminutione debitoris.

M C D X X V I.

Solvuntur obligationes, quoad civile duntaxat vinculum, capitis deminutione debitoris etiam minimâ. Sed adversùs hujusmodi debitores, actiones creditoribus restituuntur ex Edicto DE CAPITE MINUTIS; *passim Tit.* de Cap. min. lib. 4°.

Quocircà nota. 1°. Ei qui debitorem suum arrogavit, non restituitur actio in eum, postquàm sui juris fiat. *l.* 2. § 4. ff. *de Cap. min.*

2°. Sive civitatis sive libertatis amissione contingat capitis diminutio, cessabit Edictum. Dabitur planè actio in eos ad quos bona pervenerunt eorum. *d. l.* 2.

Quæ species obligationum per capitis diminutionem & quatenùs intereant, vide suprà N. 139.

ARTICULUS IX.

De Compensatione.

§ I.

Quando compensationi locus sit, & quæ debita excludat.

M C D X X V I I.

Placuit inter omnes, id quod invicem debetur, ipso Jure (*a*) compensari. *l.* 21. ff. *de Compensat.*

Corollarium I^um. Ejus quantitatis cujus petitionem ratio compensationis excludit, usuras non posse repeti manifestum est. *l.* 7. *Cod. de Solut.*

Corollarium II^um. Si quis compensare (*a*) potens solverit, condicere poterit quasi indebito soluto. *l.* 10. § 1. ff. *de Compensat.*

(*a*) In *Bonæ fidei* judiciis, ipso jure; ex Constitutione D. Marci, etiam in *Stricti juris* judiciis, sed per oppositam *Doli* exceptionem. Jure Justinianeo, in omnibus judiciis ipso jure.
(*b*) Putà, si compensare omisi quod mihi debebas naturaliter.

M C D X X V I I I.

Etiam Quoties ex maleficio oritur (*a*) actio, compensatio locum habet. *l.* 10. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Ut si agatur *Furti*, vel pecunia surrepta *Conditione furtivâ* petatur.

Jussit Imperator audiri approbantem sibi à fisco (*b*) deberi, in quod ipse convenitur. *l.* 24. ff. *d. tit.*

In causa Depositi; compensationi locus non est. PAUL. SENT. *lib.* 2. *tit.* 22.

(*b*) Modò ipsi debeatur ab eâdem statione fisci (*au même Bureau*). Præterea quædam sunt causæ fiscalium debitorum, quæ non admittunt compensationem: idem dic circa civitates, *d. tit.* N. 9. & 10.

§ II.

Quæ debita in compensationem adduci possint necne.

M C D X X I X.

Etiam quod naturâ debetur, venit in compensationem. *l.* 6. ff. *d. tit.*

In compensationem etiam id deducitur, quo nomine cum actore lis contestata (*a*) est. *l.* 8. ff. *d. tit.*

Compensatio debiti ex pari (*b*) specie, & causâ dispari admittitur. PAUL. SENT. *lib.* 2. *Tit.* 12. § 5.

Ea quoque pecunia quam certo loco quis promisit, in compensationem adduci potest; sed cum (*c*) suâ causâ. *l.* 15. *ff. d. tit.*

Si cum filiofamilias aut servo contracta sit societas, & agat dominus vel (*d*) pater; solidum (*e*) per compensationem servamus: quamvis, si ageremus, duntaxat DE peculio præstaretur. *l.* 9. *ff. d. tit.*

(*a*) Ita tamen ut tale sit, quod summariè probari possit esse debitum.
(*b*) Ut si utrinque pecunia, utrinque frumentum.
(*c*) Id est, ita ut ratio habeatur quanti interfuit eo loci solvi.
(*d*) Petat quod ex personâ servi sui aut filii sibi debetur.
(*e*) Quod contrà servus filius-ve reo debet.

M C D X X X.

Cæterùm in compensationem debitum adduci non potest, nisi quod præsens est, determinatum, liquidum aut facilè liquidandum, nec solâ subtilitate Juris debitum; & ipsimet qui compensationem opponit, necnon ab eo ipso cui opponitur, debitum. Hinc Regulæ sequentes.

1. Quæcumque per exceptionem perimi possunt, in compensationem non veniunt. *l.* 14. ff. *d. tit.*

2. Quod debetur in diem (*a*), non compensabitur antequàm dies veniat. *l.* 7. *ff. d. tit.*

3. Creditor compensare non cogitur quod alii quàm debitori suo debet; quamvis creditor ejus, pro eo qui convenitur, ob debitum proprium velit compensare: *l.* 18. § *de duobus reis.*

At In rem suam procurator datus, post litis contestationem, si vice mutuâ conveniatur; æquitate compensationis (*b*) utetur. *l.* 18. ff. *d. tit.*

Item Verum est, ipso Jure eo minùs fidejussorem ex omni contractu debere, quod ex compensatione reus retinere potest. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Quòd Si duo rei promittendi socii non sint, non proderit alteri quod stipulator alteri reo pecuniam debet. *l.* 10. ff. *de duobus reis.*

4. Id quod pupillorum nomine debetur, si tutor petat; non potest compensatio objici ejus pecuniæ quam ipse tutor suo nomine adversario debet. *l.* 23. ff. *d. tit.*

(*a*) Intellige de die ex lege contractûs appositio, non de die ex indulgentiâ Legis concessio.
(*b*) Verè enim ipsimet deberi videtur.

ARTICULUS X.

De Pactis DE non petendo.

§ I.

Quæ generaliter pertineant ad tale pactum.

M C D X X X I.

Pacta hæc, quemadmodum & alia quælibet, vel IN REM *sunt vel* IN PERSONAM.

Source : BIU Cujas

IN REM ſunt, quoties generaliter paciſcor ne petam; IN PERSONAM, quoties ne à perſonâ petam. Utrùm autem IN REM an IN PERSONAM pactum factum eſt, non minùs ex verbis quàm ex mente convenientium æſtimandum eſt. *l.* 7. § 8. ff. *de Pactis.*

Si filius aut ſervus pactus ſit ne ipſe peteret, inutile (*a*) eſt pactum; ſi verò IN REM pacti ſunt, ita pactio eorum rata habenda erit... ſi liberam (*b*) peculii adminiſtrationem habeant. *l.* 28. § 2. ff. *d. tit.*

Si inutilis (*c*) acceptilatio fuit, tacitâ pactione id actum (*d*) videtur ne peteretur. *l.* 27. § 9. ff. *d. tit.*

Licèt In cautione pecuniæ creditæ non adjecit, PRÆTER eam pecuniam debitam ſibi (*putà*) ex causâ judicati; integræ ſunt utræque petitiones. *l.* 29. ff. *de Oblig. & act.*

(*a*) Niſi filius ita pactus ſit de debito, quod QUUM *ſui juris erit* ei debebitur.

(*b*) Abde, nec ex causâ donationis pacti ſint.

(*c*) Putà, quia accepto latum ei qui non *Verbis* ſed *Re* obligatus erat.

(*d*) Secùs in novatione inutili.

MCDXXXII.

Pactus (*a*) ne peteret, poſtea convenit ut peteret. Prius pactum per poſterius tollitur; non quidem ipſo Jure, ſed replicatione exceptio elidetur. *l.* 27. § 2. ff. *de Pactis.*

Verius eſt; Semel acquiſitam fidejuſſori exceptionem (*b*) *Pacti*, ulteriùs ei invito extorqueri non poſſe. *l. fin.* ff. *d. tit.*

(*a*) Regula fallit quum prius pactum tale eſt ut actionem ipſo jure tollat, putà *Injuriarum.*

(*b*) Tunc autem ei acquiſita eſt, quum pacto interfuit, illud-ve ratum habuit.

§ II.

De ſingulari ſpecie pacti, DE parte debiti non petendâ, *quod cum creditoribus ſuſpectæ hereditatis interponitur.*

MCDXXXIII.

Si ante aditam hereditatem paciſcatur quis cum creditoribus ut minùs ſolvatur, pactum valiturum eſt. *l.* 7. ff. *de Pactis.*

Creditores Si diſſentiant; *Prætor* Decreto ſuo ſequetur majoris partis voluntatem. *d. l.* 7. § 19.

Majorem eſſe partem, pro modo debiti, non pro numero creditorum, placuit. Quòd ſi æquales ſint in cumulo debiti, tunc plurium numerus creditorum præferendus eſt. *l.* 8. ff. *d. tit.*

Si plures ſint qui eamdem actionem habent, unius loco habentur. *l.* 9. ff. *d. tit.*

Nec is qui plures actiones habet, adversùs eum qui unam actionem habet, plurium perſonarum loco accipitur. *d. l.* 9.

In numero pari creditorum; auctoritatem ejus ſequetur Prætor qui dignitate præcellit; ſin omnia in unam æqualitatem concurrant, humanior ſententia à Prætore eligenda eſt. *ſupl. d. l.* 8.

MCDXXXIV.

Ex hoc Pacto Iniquum eſt auferri *abſenti* pignus aut privilegium, qui potuit præſens (*a*) idipſum proclamare. *l.* 58. ff. *Mandati.*

Scævola reſpondit; Tutorem (*b*) qui cæteros ad portionem vocaret, eâdem parte contentum eſſe debere. *l.* 44. ff. *de Pact.* & *l.* 59. ff. *de Admin. tut.*

(*a*) Hæc regula obtinet ex Conſtitutione D. Marci. Anteà, ex Reſcripto D. Pii, pactum nocebat abſentibus creditoribus etiam privilegiariis, non tamen hypothecariis.

(*b*) Creditorem hereditatis patris pupilli.

QUARTA PARS.

DE LEGIS ACTIONIBUS, AC PRÆSERTIM DE JUDICIIS.

MCDXXXV.

LEGIS ACTIONES, *præcipuæ ſunt inter eos actus qui* LEGITIMI (*a*) *dicuntur.*

In his quidam ſunt, pauci numero, quibus poteſt dies aut conditio adjici: ut Stipulatio. Cæteris autem pleriſque actibus legitimis id repugnat: de quibus ita Papinianus. Actus legitimi qui recipiunt (*b*) diem vel conditionem, veluti mancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio ſervi optio, datio tutoris (*c*), in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem (*d*): nonnunquam tamen ſuprà ſcripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehenſa (*e*) vitium afferunt. Nam ſi acceptum feratur ei qui ſub conditione promiſit, ita demùm egiſſe aliquid acceptilatio intelligitur, ſi obligationis conditio extiterit (*f*); quæ ſi verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciat actum. *l.* 77. PAPIN. LIB. 28. QUEST.

Item actibus legitimis hoc commune eſt, ut per procuratores, tutores, alias-ve ſimiles perſonas non poſſint peragi. Nam

(*a*) Imò plerique Doctores idem omninò eſſe volunt, *Actus legitimos*, & *Legis actiones.* Probabiliùs tamen dicendum, ex aliorum ſententiâ, LEGITIMOS ACTUS magis patere quàm ACTIONES LEGIS. Hæ reſtringuntur ad formulas & conceptiones verborum, quibus vel inter ſe homines diſceptarent, vel actus voluntariæ juriſdictionis coram Magiſtratu eſſent explicandi. ACTUS autem LEGITIMI complectuntur, non ſolùm has *Legis actiones*, verùm etiam cæteros actus quoſlibet qui *Solemniter*, id eſt certis & ſolemnibus verbis, etiam extra præſentiam Magiſtratûs fiebant; ut Mancipatio, Acceptilatio, &c.

(*b*) Ita in Florent.. Aliàs *rejiciunt.* Cujacius lectionem Florentinam tuetur: hoc ſenſu; in quibus, licèt de jure non recipiant, de facto tamen inſerta eſt dies aut conditio.

(*c*) Hos exempli gratiâ recenſet. Sunt enim multi alii, ut Manumiſſio, Adoptio, In Jure ceſſio, In manum conventio, Divortium; qui etiam, neque diem admittunt neque conditionem.

(*d*) Expreſſam. Nam *Mancipatio* putà, cùm ſit ex naturâ ſua præſens ac realis traditio & tranſlatio dominii rei quæ manu capitur & ideò *Res mancipi* dicitur; apertè repugnat diem in illo actu conditionem-ve inſeri. Item in *Acceptilatione* quæ imaginaria & commentitia ſolutio eſt: ex ſubſtantiâ autem *Solutionis* eſt, ut obligationem ſtatim perimat & in perpetuum liberet. In *Hereditatis aditione* ſimiliter, præſens, pura, & certa voluntas adeundi requiritur. *Optio* quoque, V. G. *Servi*, purè etiam fieri debet; quia intereſt univerſæ familiæ non eſſe diutiùs Optioni obnoxiam, ne interim ad libertatem pervenire non poſſint: & idem pari ratione, in cæteris rebus per optionem legatis. Denique *Datio tutoris* à Magiſtratu; quia ex officio Magiſtratuum eſt ut pupillis tutore carentibus hunc creent defenſorem qui eos illicò tueri poſſit: quamvis ſanè aliud in Teſtamentariâ tutelâ obtineat: quæ ſicut purè, ita etiam ex die aut ſub conditione deferri poteſt; ſcilicet per conſequentias liberæ & ampliſſimæ facultatis teſtatoribus à Lege conceſſæ.

(*e*) Fluit hoc ex Reg. 46*á.* ſuprà: *Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent.*

(*f*) Ergo tacita huic acceptilationi conditio ineſt. Cæterùm exempli causâ hîc acceptilatio ponitur. Simile prorsùs in Agnitione Bonorum poſſeſſionis à filiofamiliàs abſente patre factâ, quæ tacitam habet conditionem ratihabitionis patris: l. fin. ff. *Quis ordo in bon.* Item in Manumiſſione per Vindictam mortis causâ factâ, quæ tacitam habet conditionem mortis manumittentis: l. 15. ff. *de Manumiſſion.* & in aliis actibus legitimis.

Source : BIU Cujas

Nemo alieno nomine (*g*) Lege agere poteſt. *l.* 123. ULP. LIB. 14. AD ED.

Denique his actibus commune eſt, ut non iterentur, ut in his tntor pupillo per ſe agendi auctor eſſe debeat, &c. De quibus alibi paſſim.

Ad actus etiam Legitimos quoſcumque, referri poteſt hæc Hermogeniani regula: Solemnia verba licèt (*h*) non dicantur, pro dictis accipiuntur. *l.* 23. ff. *de Manum-vind.*

(*g*) Hæc regula quodammodo fallit in judiciis; in quibus neceſſitate ſuadente receptum eſt ut per procuratorem agere & defendere poſſemus. Ne tamen omninò vitiaretur regula, dominium litis in hos procuratores tranſire fictione Legis intelligitur, ut non omninò *Alieno nomine* agere videantur. Vide Tit. *de Procurat.*

Alium ſenſum huic legi affingit Gothofredus, ſcilicet ut nemo ſibi ipſi actionem exercere poſſit ex jure alteri competente. Quod quamvis verum ſit, non placet hæc legis interpretatio.

(*h*) Quamvis hæc regula novo potiùs Juri deputanda videatur, quo per Conſtantinum aut ejus liberos ſublatæ ſunt verborum ſolemnitates (unde etiam colligitur Hermogenianum non eſſe his temporibus antiquiorem); tamen, etiam Jure antiquo, ubi iſta verborum ſolemnitas deſiderabatur in actibus legitimis, præſumptio erat eam interveniſſe.

MCDXXXVI.

Non eſt ſingulis concedendum, quod publicè per Magiſtratum publicè poſſit fieri; ne occaſio ſit majoris tumultûs faciendi. *l.* 176. PAUL. LIB. 13. AD PLAUT.

Ex hâc regulâ profectæ Actiones *& judicia.*

Nihil aliud eſt actio, quàm jus quod ſibi debetur (*a*) judicio perſequendi. *l.* 51. ff. *de Oblig. act.*

Quocircà, tradendæ ſunt primùm Regulæ generales circa varia Actionum genera, earum concurſum, Exceptiones quibus excluduntur aut differuntur, & Replicationes; item circa jus ſucceſſorum tam in agendo quàm in excipiendo. Deindè agemus. 2°. *De actionum exercitio.* 3°. *De fine actionum ſeu Rejudicatâ, & de ſpeciebus rei judicatæ affinibus.* 4°. *Sigillatim exponentur præcipuæ actionum ſpecies.* 5°. *Sequentur Interdicta.* 6°. *Remedia Prætorum, quæ inſtar actionum obtinent.* 7°. *Denique publica judicia & criminalia.*

(*a*) Latè ſumpto verbo *Debendi*, pro eo etiam quod reſtitui debet. Aliàs hæc definitio non competeret actionibus *In rem*, ſed *In perſonam* tantùm.

CAPUT PRIMUM.

De præcipuis Actionum diviſionibus, & earum concurſu; item de Exceptionibus quæ adversùs eas opponuntur, & de jure ſucceſſorum tam in agendo quàm defendendo.

ARTICULUS I.

Regulæ generales circa præcipuas actionum diviſiones aut ſpecies.

MCDXXXVII.

REGULÆ *circa actiones quæ* In rem *competunt, & adversùs rei poſſeſſorem dantur.*

1. Qui (*a*) dolo deſierit poſſidere, pro poſſidente damnatur; quia pro poſſeſſione dolus eſt. *l.* 131. PAUL. LIB. 22. AD EDICT.

2. *Item* Generaliter Marcellus probat; Omnem qui ſe offert petitioni (*b*), quaſi poſſidentem teneri. *l.* 13. § 13. ff. *de Petit. hered.*

At Non videtur ſe liti obtuliſſe, qui diſceſſit (*c*). *l.* 25. ff. *de Rei vindic.*

Cæterùm, & Si is qui obtulit ſe, damnatus eſt; nihilominùs à poſſeſſore rectè petitur. *l.* 7. ff. *d. tit.*

(*a*) Fluit ex regulis generalibus infrà.
(*b*) Modò creditor ignoret eum non poſſidere: alioqui non decipitur.
(*c*) Ante litem conteſtatam. Uno caſu, etſi litem conteſtatus non ſit, tenetur de quo vide l. 27. ff. *de Rei vindic.*

MCDXXXVIII.

Regulæ circa actiones IN PERSONAM.

Actiones In perſonam *competunt contra ipſum qui obligationem contraxit, eoſque qui in univerſum jus ejus ſucceſſere.*

Verùm Creditores hereditarios adversùs legatarios (*a*) non habere perſonalem actionem. *l. fin. Cod. de Hered. act.*

Item Perſonalem actionem contra debitores (*b*) hereditarios decerni fruſtrà poſtulas. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

(*a*) Legatarii enim non ſunt juris ſucceſſores, non ſuccedunt in jus defuncti; adeòque nec in ejus obligationes.
(*b*) Nam debitor debitoris mei, non eſt meus debitor.

MCDXXXIX.

Regula circa actiones BONÆ FIDEI.

In bonæ fidei judiciis; libera poteſtas permitti videtur judici, ex bona (*a*) & æquo æſtimandi quantum reſtitui debeat. *Inſtit.* Tit. *de Actionib.*

(*a*) Hinc in his judiciis ſemper permiſſum fuit judici compenſationem inducere ejus quod viciſſim actor reo debebat. Hinc in his judex debitorem condemnat in uſuras ex morâ; & generaliter, quicquid æquum eſt, licèt in formulam deductum non ſit, decernere poteſt. Quâ in re differebant actiones *Bonæ fidei* ab actionibus *Stricti juris*; in quibus, nihil ultra quod formulâ continebatur, judex pronuntiare poterat.

MCDXL.

Regula circa actiones ARBITRARIAS.

In actionibus arbitrariis; Qui reſtituere juſſus judici non paret... ſi quidem habeat rem, manu militari ab eo poſſeſſio transfertur... Si non poteſt reſtituere, ſi quidem dolo fecit quominùs poſſit, in quantum adverſarius in litem in infinitum juraverit damnandus eſt... ſi non dolo fecit, non pluris quàm quanti res eſt. *l.* 68. ff. *de Rei vind.*

MCDXLI.

In quid competant actiones.

Omnes actiones vel in ſimplum competunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum (*a*): ulteriùs nulla extenditur. *Inſtit.* Tit. *de Action.* § 21.

(*a*) In hoc autem duplo aut quadruplo, interdum res ineſt; interdum mera pœna eſt. Item interdum ab initio tales ſunt; interdum nonniſi in inficiantem creſcunt in duplum.

MCDXLII.

Quæ actiones PERPETUÆ, *quæ* TEMPORARIÆ.

Admonendi ſumus; eas actiones quæ ex Lege, SCto, ſive ex ſacris Conſtitutionibus proficiſcuntur, perpetuò ſolere antiquitùs (*a*) competere. *Inſtit.* Tit. *de Perpet. & tempor.*

(*a*) Jure novo; hæ perpetuæ actiones, triginta annorum ſpatio concluduntur.

Source : BIU Cujas

In Honorariis actionibus, sic est definiendum; ut quæ rei persecutionem habeant, hæ etiam post annum darentur, cæteræ intra annum. *l.* 35. ff. *de Oblig. & act.*

MCDXLIII.

Regulæ circa TEMPORARIAS *actiones.*

In omnibus temporalibus actionibus, nisi novissimus totus dies (*a*) compleatur, non finit obligationem. *l.* 6. ff. *d. tit.*

Omnes actiones quæ morte aut tempore pereunt, semel inclusæ (*b*) judicio salvæ permanent. *l.* 139. GAÏUS LIB. AD ED PRÆTORIS URB.

(*a*) Secùs in tempore usucaplonis.
(*b*) Id est, lite contestatâ.

MCDXLIV.

Quæ actiones IN HEREDEM *dantur, & quæ non dentur.*

In contractibus successores (*a*), ex dolo eorum quibus successerunt, non tantùm in id quod pervenit, verùm etiam in solidum tenentur, hoc est unusquisque pro eâ parte quâ heres est. *l.* 157. § 3. ULP. LIB. 71. AD EDICT.

In contractibus quibus doli præstatio vel bona fides inest, heres in solidum tenetur. *l.* 152. § 3. IDEM LIB. 69. AD EDICT.

In heredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio; veluti, Furti, Damni-injuriæ, Vi bonorum raptorum, Injuriarum. *l.* 111. § 1. GAÏUS LIB. 2. AD ED. PROVINC.

Honorariæ quæ post annum non dantur, nec in heredem dandæ sunt: ut tamen ei lucrum extorqueatur. *l.* 35. ff. *de Oblig. & act.*

(*a*) Universales; purà, Bonorum possessores, hi quibus restituta est hereditas.

MCDXLV.

Regulæ circa actiones quæ in heredem non transeunt.

Sicuti pœnâ ex delicto defuncti heres teneri non debet; ita nec lucrum facere, si quid ex eâ re ad eum perveniset. *l.* 38. POMPON. LIB. 29. AD SABIN.

Quantum ad heredem pervenerit, litis contestatæ tempore (*a*) spectabitur. *l.* 20. ff. *Quod met. caus.*

Quum Prætor in heredem dat actionem quatenùs ad eum pervenit, sufficit (*b*) si vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti. *l.* 127. PAUL. LIB. 20. AD EDICT.

Totiens in heredem damus de eo quod ad eum pervenit; quotiens ex dolo defuncti convenitur, non quoties ex suo. *l.* 44. ULP. LIB. 29. AD EDICT.

Pœnalia judicia semel accepta, in heredes transmitti possunt. *l.* 164. PAUL. LIB. 51. AD ED.

(*a*) Scilicet ut de eo quod ante litem contestatam interiit, non teneatur. De eo autem quod consumpsit, tenetur. Vide Reg. seq.
(*b*) Ut, quamvis id posteà consumpserit, tamen in id & heres & hujus heredis heredes in perpetuum teneantur.

MCDXLVI.

Regulæ circa actiones quæ heredi & in heredem dantur.

Regulariter talis heredi & in heredem datur actio, qualis defuncto & in defunctum competit.

Tamen Quibusdam (*a*) casibus plenior adversùs heredem vel heredi competit actio, quàm competierat defuncto. *l.* 51. § 3. ff. *de Eviction.*

(*a*) Vide exempla in d. l. 51.

MCDXLVII.

Regula circa POPULARES *actiones.*

1. Reipublicæ (*a*) interest, quàm plurimos ad defendendam suam causam admittere. *l.* 4. ff. *de Oper. nov. nuntiat.*

Cuilibet in publicum petere permittendum est, quod ad usum omnium pertineat. *l.* 1. ff. *de Loc. & itin. publ.*

2. Popularis actio integræ (*b*) personæ permittitur. *l.* 4. ff. *de Pop. act.*

Mulieri & pupillo populares actiones non dantur, nisi quum ad eos (*c*) res pertineat. *l.* 6. ff. *d. tit.*

In popularibus actionibus, is cujus (*d*) interest præfertur. *l.* 3. § 1. *ff. d. tit.*

3. Qui habet actiones populares, non intelligitur esse (*e*) locupletior. *l.* 7. § 1. *ff. d. tit.*

4. Omnes populares actiones nec in heredes dantur, nec suprà annum extenduntur. *l. fin. ff. de Pop. act.*

(*a*) Ex hâc & seq. Regulâ proditæ actiones populares, & *Interdicta* popluria.
(*b*) Ei demùm quæ sit *Integræ* famæ.
(*c*) Exemplum pone in popularl actione *de Dejectis & effusis*; si damnum aliquod in re suâ senserunt ex eo quod dejectum aut effusum est.
(*d*) Si nullìùs privatim interfit præfertur idoneior.
(*e*) Nisi quod suâ privatim interest, persequatur; aut lis fuerit contestata. Vide Tit. præced. in Verb. *CREDITOR.*

ARTICULUS II.

De Concursu actionum.

§ I.

Regulæ generales circa concursum actionum.

MCDXLVII.

Species Ia. Quum actiones omnes sunt REI *persecutoriæ.*

Quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, unâ quis experiri debet. *l.* 43. § 1. ULPIAN. LIB. 28. AD ED.

Plura delicta in unâ re plures admittunt actiones: sed non posse omnibus uti, probatum est. *l.* 53. *ff. de Oblig. & act.*

MCDXLIX.

Species IIa. Quum actiones concurrentes diversa. persequuntur.

Quum ex delicto eodem duæ adversùs eamdem personam concurrunt actiones, quarum altera rei qersecutoria est, alteta merè pœnalis; altera alteram non consumit: ex l. 7. § 1. *ff.* de Condict. furt. *l.* 34. § 2. *ff.* de Oblig. & act.

Quum ex eodem delicto duæ adversùs diversas personas concurrunt actiones, quarum una res persecutoria competit adversùs eum cujus periculo res mea fuit, altera pœnalis adversùs eum qui furtum fecit damnum-ve dedit; unâ electâ altera consumitur: ex Tit. Naut. caupon. *N. fin.*

Quum ex eodem delicto duæ concurrunt actiones, quarum una rei persecutoria est, altera mixta; consumit quidem mixta persecutoriam, at persecutoria non consumit mixtam, sed remanet mixta pro eo quod in eâ plus est. Tit. de Oblig. & act. *N.* 64.

MCDL.

Species IIIa. Quum actiones omnes PŒNALES *sunt.*

Quum ex uno delicto plures nascuntur actiones

Source : BIU Cujas

pœnales ; omnibus (*a*) experiri, poſt magnas varietates obtinuit. *l.* 32. *ff. de Oblig. & act.*

Si ex eodem facto duæ competant actiones ; judicis partes ſunt, ut quo plus ſit in reliquâ actione id actor ferat ; ſi tantumdem aut minùs, nihil (*b*) conſequatur. *l.* 41. § 1. ff. *d. tit.*

Cæterùm, Nunquam plura delicta concurrentia faciunt ut ullius impunitas detur. *l.* 2. *ff. de Priv. delict.*

Hinc Nunquam actiones, præſertim pœnales, de eâdem (*c*) re concurrentes, alia aliam conſumit. *l.* 130. ULP. LIB. 18. AD ED.

(*a*) Vide limitationem in Reg. ſeq.
(*a*) Ita legendum cenſet Cujacius, pro *Id.*
(*c*) Ex diverſis factis: V. G. ſi quis hominem furripuit & occidit. Vide exempla aliâ Tit *de Oblig. & act.* N. 68. & 69.

§ II.

De concurſu judicii civilis cum criminali, ex eodem delicto.

MCDLI.

Solemus dicere ; Ex quibus cauſis publica ſunt judicia, ex his cauſis non eſſe nos prohibendos quominùs & privato agamus. *l.* 7. § 1. *ff. de Injur.*

Qui civiliter agere cœpit, nonniſi finitâ per Sententiam actione civili, ad accuſationem *publici judicii* proſilire (*a*) poteſt. *l.* 23. *ff. de Oblig. & act.*

Quum judicium privatum, non rem ſed vindictam (*b*) perſequitur ; ſi actum ſit publico judicio, denegandum eſt privatum : ſimiliter ex diverſo. *l.* 6. *ff. de Injur.*

Quum civilis actio quælibet concurrit cum criminali extraordinariâ, alia aliam conſumit : ex l. 3. ff. Expil. hered. *& l.* 56. § 1. *ff.* de Furt.

(*a*) V. G. Is cui per vim res rapta eſt, & egit *Condictione furtivâ*, aut actione civili *Vi bonorum raptorum* ; finito demùm civili judicio, poterit proſilire ad accuſationem publici judicii *De vi.*
(*b*) Ut actio *Injuriarum.*

ARTICULUS III.

De Exceptionibus & replicationibus.

§ I.

Undè deſcendant, & ad quas perſonas porrigantur ; item an poſſit quis pluribus exceptionibus uti.

MCDLII.

Cui damus actiones, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit. *l.* 156. § 1. ULP. LIB. 70. AD ED.

MCDLIII.

Omnes (*a*) exceptiones quæ reo competunt, fidejuſſori quoque etiam invito reo competunt. *l.* 19. *ff. de Except.*

Exceptiones quæ perſonæ cujuſque cohærent (*b*), non tranſeunt ad alios. *l.* 7. *ff. d. tit.*

(*a*) Fallit regula in exceptionibus quæ perſonæ debitoris cohærent. Vide Reg. ſeq.
(*b*) Ut ſi quis pactus eſſet, ne ipſe peteret.

MCDLIV.

Nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diverſæ ſint. *l.* 8. *ff. d. tit.*

Nemo ex his qui negant ſe debere, prohibetur etiam aliâ defenſione uti ; niſi (*a*) Lex impedit. *l.* 43. ULP. LIB. 28. AD ED.

(*a*) Cujacius putat hæc verba eſſe Gloſſema. P. Faber ſic ea intelligit, niſi ea ſit exceptio quam *Lex* impediat eum opponere ; putà præſcriptio *Fori*, quæ lite jam conteſtatâ ampliùs opponi non poteſt.

§ II.

Quando opponi debeant exceptiones.

MCDLV.

Præſcriptiones fori (*a*) in principio litis à litigatoribus opponendas eſſe, Legum decrevit auctoritas. *l.* 12. *Cod. de Except.*

Exceptionem dilatoriam opponi initio oportet. *l.* 19. *Cod. de Probat.*

Præſcriptionem peremptoriam omiſſam ; priuſquàm (*b*) Sententia feratur, objicere quandoque licet. *l.* 8. *Cod. de Except.*

(*a*) Ut ſi quis dicat ſe jus habere revocandi domum.
(*b*) Imò quædam etiam poſt Sententiam rectè opponuntur ; ut *Senatuſconſulti Macedoniani competentia* ; &c.

§ III.

De vi ac effectu exceptionum.

MCDLVI.

Reus in exceptione actor (*a*) eſt. *l.* 1. *ff. de Except.*

Non utique exiſtimatur confiteri de intentione adverſarius, quia exceptione utitur. *l.* 9. *ff. de Except.*

Exceptionem dilatoriam opponi quidem initio ; probari verò, poſtquàm (*b*) actor monſtraverit quod aſſeverat, oportet. *l.* 19. *Cod. de Probat.*

Exceptio actorem excludit, replicatio reum. *l.* 2. § 2. *ff. Except.*

Exceptio... modò eximit reum damnatione, modò (*c*) minuit damnationem. *l.* 22. *ff. d. tit.*

(*a*) Eo ſenſu quòd exceptio ei non proſit ; niſi probet quod exceptione continetur, quemadmodum actori incumbit probandum quod in intentione ſuâ
(*b*) Demùm *Poſtquàm*, &c. Fluit ex præcedenti.
(*c*) Ut exceptio *Competentiæ*, &c.

ARTICULUS IV.

De jure ſucceſſorum in agendo aut excipiendo.

MCDLVII.

Non debeo melioris conditionis eſſe quàm auctor meus (*a*), à quo jus in me tranſiit. *l.* 175. § 1. PAUL. LIB. II. AD PLAUT.

Conſonat ſequens Regula. Qui in jus dominium-ve alterius ſuccedit, jure ejus uti debet. *l.* 177. IDEM LIB. 14. AD PLAUT.

Hinc Plerumque emptoris eadem cauſa eſſe debet, circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris. *l.* 156. § 3. ULP. LIB. 70. AD ED.

Hinc Quum quis in alii locum ſucceſſerit ; non eſt æquum ei nocere hoc, quod adversùs eum [non] nocuit in cujus locum ſucceſſit. *d. l.* 156. § 2.

Et vice versâ : Quod ipſis qui contraxerunt obſtat, & ſucceſſoribus eorum obſtabit. *l.* 143. IDEM LIB. 62. AD ED.

(*a*) In his ſcilicet quæ ab ipſo ad me profecta ſunt. In his verò quæ non ab auctore meo, ſed à Legibus habeo, poſſum eſſe melioris conditionis : hinc ego bonæ fidei poſſeſſor, poſſum uſucapere quod auctor meus malæ fidei poſſeſſor non potuiſſet ; nam jus uſucapiendi à Legibus habeo.

Source : BIU Cujas

CAPUT SECUNDUM.

De Exercitio judiciorum.

Circa exercitium judiciorum conſideranda veniunt : 1°. *Juriſdictio & competentia Magiſtratuum apud quos judicia exercentur.* 2°. *Perſonæ litigatorum inter quas judicium conſiſtere poteſt.* 3°. *In jus vocatio, & editio actionis ; ubi de Feriis per quas judicia non exercentur.* 4°. *Cautiones quæ à litigatoribus eorumque procuratoribus deſiderantur.* 5°. *Poſtulatio, & ea quæ ſpectant cauſarum patronos.* 6°. *Litis conteſtatio judiciique conſtitutio ; & ea quæ ſpectant judices datos, ordinemque cognitionum.* 7°. *Diſceptatio cauſæ, probationes, inſtrumenta.* 8°. *Sententiæ & eremodicia.* 9°. *Appellatio.* 10°. *Jus quod in judiciis pro variâ eorum naturâ obſervatur, circa fructus rerum & uſuras quantitatum in judicio deductarum.*

Pauca ſubjicienda erunt de Edicto QUOD QUISQUE JURIS, *& de judicibus litem ſuam facientibus.*

SECTIO I.

De Juriſdictione, & competentiâ Magiſtratuum.

ARTICULUS I.

De Juriſdictione.

§ I.

Quid pertineat ad juriſdictionem in genere, & de diſcrimine inter contentioſam & voluntariam.

MCDLVIII.

Cui juriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur ſine quibus juriſdictio explicari (*a*) non potuit. *l.* 2. *ff. de Juriſdict.*

Juriſdictio ſine modicâ coercitione nulla eſt. *l.* 5. § 1. *ff. d. tit.*

Extra territorium Jus dicenti, impunè non paretur. Idem, & ſi ſupra ſuam juriſdictionem velit Jus dicere. *l.* 20. *ff. d. tit.*

(*a*) Scilicet jus aliquod modicæ coercitionis quo rebelles coerceat.

MCDLIX.

In contentioſâ juriſdictione ; Qui juriſdictioni præeſt, neque ſibi Jus dicere debet, neque uxori vel liberis ſuis, neque libertis vel cæteris quos ſecum habet. *l.* 10. *ff. de Juriſdict.*

Filius quoque voluntate patris apud patrem (*a*) manumittere (*b*) poterit. *l.* 18. § 2. *ff. de Manum. vind.*

Præſes apud ſe adoptare poteſt, quemadmodum & emancipare & manumittere. *l.* 2. *ff. de Offic. Præſ.*

Si Conſul vel Præſes filiusfamilias ſit ; poſſe eum apud ſemeptiſum emancipari, vel in adoptionem dari, conſtat. *l.* 3. *ff. de Adopt.*

(*a*) Prætorem.
(*b*) Idem dic de cæteris actibus voluntariæ juriſdictionis.

§ II.

De differentiâ eorum quæ de plano & per libellum, & eorum quæ pro tribunali expediuntur.

MCDLX.

Omnia (*a*) quæcunque cauſæ cognitionem deſiderant, non poſſunt de plano & per ſuſcriptionem ad libellum expediri (*ſur placet*) ; ſed a Prætore pro Tribunali ſedente, adhibitâ cauſæ cognitione peraguntur. Quæ autem nullam cognitionem deſiderant, ut bonorum poſſeſſio Edictalis, manumiſſiones, emancipationes, &c. de plano expediuntur.

(*a*) Ut alienatio prædiorum Minoris, Bonorum poſſeſſiones Decretales, Reſtitutiones in integrum ; hæc omnia, & cætera in quibus cauſæ cognitio deſideratut, non poſſunt de plano & per ſuſcriptionem ad libellum expediri (*ſur placet*) ; ſed a Prætore pro Tribunali ſedente, adhibitâ cauſæ cognitione peraguntur. Quæ autem nullam cognitionem deſiderant, ut bonorum poſſeſſio Edictalis, manumiſſiones, emancipationes, &c. de plano expediuntur.

rant, per libellum expediri non poſſunt. *l.* 71. PAUL. LIB. 2. DE OFFICIO PROCONS.

Ubicunque (*b*) cauſæ cognitio eſt, ibi Prætor deſideratur. *l.* 105. IDEM LIB. 1. AD ED.

(*b*) Eadem ſententia ac præcedentis. Ubi Decreto prævià cauſæ cognitione interponendo opus eſt ; ibi deſideratur Magiſtratus qui tribunal habeat, & pro tribunali cognoſcat. Hæc apud Magiſtratus municipales qui tribunal non habent, peragi non poſſunt.

§ III.

Ex quo incipiat, quando finiatur, & in quas perſonas ſe exerat imperium & juriſdictio Magiſtratuum.

MCDLXI.

Proconſules, ſtatim atque Urbem egreſſi fuerunt, habent juriſdictionem ; non contentioſam, ſed voluntariam. *l.* 2. *ff. de Offic. Proconſ.*

Proconſul ad adventum ſucceſſoris debet Jus dicere. *l.* 10. *ff. d. tit.*

Corrector provinciæ, abdicando ſe non amittit imperium. *l.* 20. *ff. d. tit.*

Proconſul *demùm* portam Romæ ingreſſus, deponit imperium. *l. fin. ff. d. tit.*

Contrà ; Præſes, ſi provinciâ exceſſerit, privatus (*a*) eſt. *l.* 3. *ff. de Offic. Præſ.*

Præſes in ſuæ provinciæ homines tantùm imperium habet ; interdum & adversùs extraneos, ſi quid manu commiſerint. *d. l.* 3.

(*a*) Quâ in re longè minùs habet quàm Proconſul.

MCDLXII.

Non poteſt dolo carere, qui imperio Magiſtratûs non paruit. *l.* 199. JAVOLEN. LIB. 6. EPISTOL.

§ IV.

De Juriſdictione minus plenâ, qualis eſt Magiſtratuum municipalium.

MCDLXIII.

Quæ magis imperii (*a*) ſunt quàm juriſdictionis, Magiſtratus municipalis facere non poteſt. *l.* 26. ff. *Ad municip.*

Jubere caveri Prætoriâ ſtipulatione, & in poſſeſſionem mittere, magis eſt imperii quàm juriſdictionis. *l.* 4. *ff. de Juriſdict.*

Magiſtratibus municipalibus non permittitur in integrum reſtituere. *l.* 26. § 1. *ff. Ad municip.*

(*a*) *Imperium* hic & in Reg. ſeq. non accipitur pro coercitione, ut in ſuo proprio ſenſu ; ſed pro his quæ majoris potcſtatis ſunt.

MCDLXIV.

Quoties de quantitate ad juriſdictionem pertinente quæritur ; ſemper quantum petatur quærendum eſt, non quantum debeatur. *l.* 19. § 1. *ff. d. tit.*

Si idem cum eodem pluribus actionibus agat, quarum ſingularum quantitas intra juriſdictionem judicantis ſit, coacervatio verò omnium excedat modum juriſdictionis ejus, apud eum agi poſſe placuit. *l.* 11. *ff. d. tit.*

Source : BIU Cujas

Si una actio communis sit plurium personarum, veluti Familiæ erciscundæ; utrùm singulæ partes spectandæ sunt circa jurisdictionem ejus qui cognoscit; an potiùs tota res, quia & tota res in judicium venit & vel uni adjudicari potest? Quod placet. *d. l.* 11. § 2.

§ V.

De Jurisdictione mandatâ.

M C D L X V.

Prætor sicut universam jurisdictionem mandare alii potest, ita & in personas certas, vel de unâ specie potest. *l.* 17. ff. *de Jurisd.*

M C D L X V I.

1. More Majorum ita comparatum est; ut is demùm jurisdictionem mandare possit, qui eam suo (*a*) jure, non alieno beneficio haberet. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Corollarium Ium. Mandatam sibi jurisdictionem mandare alteri neminem posse, manifestum est. *l.* 5. ff. *de Offic. ejus cui mand.*

Corollarium IIum. Quæcumque specialiter Lege (*b*) vel Senatusconsulto vel Constitutione Principum tribuuntur; mandatâ jurisdictione non transferuntur. *l.* 1. *ff. d. tit.*

Hinc V. G. Nemo potest gladii potestatem sibi datam vel cujus alterius coercitionis, ad alium transferre. *l.* 70. ULPIAN. LIB. I. DE OFFIC. PROCONS.

At Imperium quod jurisdictioni cohæret, mandatâ jurisdictione transire verius est. *l.* 1. § 1. ff. *de Offic. ejus cui mand.*

2. Est perquàm absurdum, antequàm *Proconsul* in provinciam venerit, alii mandare jurisdictionem quam non habet. *l.* 4. § 6. ff. *de Offic. Proconsl.*

Aliquando (*c*) mandare jurisdictionem Proconsul potest, etsi nondum in provinciam pervenerit. *l.* 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Vi sui magistratûs.
(*b*) Tt tutoris datio, merum imperium &c
(*c*) Si necessariam moram in itinere patiatur.

M C D L X V I I.

Is cui mandata jurisdictio est, fungetur vice ejus qui mandavit, non (*a*) suâ. *l.* 16. *ff. de Jurisd.*

(*a*) Etsi propriam mandatarius haberet.

M C D L X V I I I.

Si is qui mandavit jurisdictionem, decesserit antequam res ab eo cui mandata est jurisdictio geri cœperit; solvitur mandatum. *l.* 6. ff. *de Jurisd.*

Adimere mandatam jurisdictionem licet quidem Proconsuli; non debet autèm inconsulto Principe facere. *l.* 6. § 1. *ff. de Offic. Proconsl.*

§ VI.

De Jurisdictione prorogatâ.

M C D L X I X.

1°. *Ex præscripto legis.*

Qui non cogitur in aliquo loco judicium pati; si ipse ibi agat, cogitur excipere actiones. *l.* 22. *ff. de Judic.*

Si mutuæ sunt actiones, & alter minorem quantitatem, alter majorem petat; apud eumdem judicem agendum est, ei qui quantitatem minorem (*a*) petit. *l.* 11. § 1. *ff. de Jurisd.*

(*a*) Quidam legunt *majorem*; id est, licèt reconveniat in quantitatem quæ sit suprà jurisdictionem ejus judicis.

M C D L X X.

2°. *Ex consensu partium.*

Inter consentientes, cujusvis judicis qui tribunali præest, vel aliam jurisdictionem habet, est jurisdictio. *l.* 1. ff. *de Judic.*

Privatorum consensus judicem non facit eum qui uulli præest (*a*) judicio; nec quod is statuit, rei judicatæ continet auctoritatem. *l.* 3. *Cod. de Jurisd. omn. jud.*

(*a*) Aut disparis generis; sic non potest de re pecuniariâ jurisdictio prorogari latrunculatori.

M C D L X X I.

Qui possint alicui prorogare jurisdictionem & de quâ re.

1. Est receptum, eoque Jure utimur; ut si quis major vel æqualis subjiciat se jurisdictioni alterius, possit ei & adversùs eum Jus dici. *l.* 14. *ff. de Jurisdict.*

Apud eum cui par imperium est, manumittere (*a*) non possumus. *l.* 14. *ff. de Manumission.*

2. Inter convenientes, & de re majori apud Magistratus municipales agetur. *l.* 28. ff. *Ad municip.*

Consensisse videntur qui sciunt se non esse subjectos jurisdictioni ejus, & in eum consentiunt (*b*). *l.* 2. ff. *de Judic.*

Non videtur in judicem consensisse, qui edi sibi genus apud eum desiderat actionis. *l.* 33. *ff. d. tit.*

3. Si convenerit ut alius Prætor quàm cujus jurisdictio esset, Jus diceret; & priusquam adiretur, mutata voluntas fuerit; nemo compelletur conventioni stare. *l.* 18. *ff. de Jurisdict.*

4. Si privati consentiant, Prætor autem ignoret consentire, & putet suam jurisdictionem; puto posse defendi ejus esse (*c*) jurisdictionem. *l.* 2. § 1. *ff. de Judiciis.*

(*a*) Nec enim progatur extraordinaria & voluntaria jurisdictio.
(*b*) Sponte, non si compulsi Præturæ viribus. Tit. *de Jurisd.* N. 22. Tuncque ita valet consensus in hunc judicem; ut post acceptum judicium, pœnitentiæ locus non sit.
(*c*) Ut enim ipsi prorogetur jurisdictio; partium, non verò ipsius consensus requiritur.

ARTICULUS II.

De competentiâ Magistratuum.

§ I.

De foro competente ratione Domicilii, *& de jure revocandi domum.*

M C D L X X I I.

Actor rei forum, sive in rem sive in personam sit actio, sequitur. *l.* 3. *Cod. Ubi in rem &c.*

Ubi domicilium reus habet, vel tempore contractûs habuit, licèt hoc posteà transtulerit, ibi tantùm eum conveniri oportet. *l.* 2. *Cod. de Jurisd. omn. judic.*

M C D L X X I I I.

Roma, communis nostra patria (*a*) est. *l.* 33. *ff. Ad munic.*

(*a*) Unde qui Romæ inventus ibi convenitur non potest declinare forum Romani Prætoris; nisi ex privilegio jus habeat revocandi domum.

M C D L X X I V.

Legatis; item his qui testimonii causâ evocati sunt, vel si qui judicandi causâ accersiti (*a*) sunt, revocandi domum suam jus datur. *l.* 2. § 3. *ff. de Judic.*

(*a*) Aut cujusvis negotii causâ, Romæ retinentur.

Domum

Source : BIU Cujas

Domum revocant, si non ibi contraxerunt (*b*) ubi conveniuntur: exceptis Legatis, qui licèt ibi contraxerunt, dummodò ante Legationem contraxerunt, non compelluntur se Romæ defendere; quandiù Legationis causâ hîc demorantur. *d. l.* 2. § 4.

Constat, si quis in Legatione constituerit quod ante Legationem debuerit, non cogi ibi judicium pati ubi constituerit. *l.* 8. ff. *d. tit.*

Legatus quamvis Romæ adierit (*c*) hereditatem, non competit in eum (*d*) actio. *l.* 26. ff. *d. tit.*

Si Legationis tempore quis *rem* possidere cœperit, non iniquè cogitur ejus nomine judicium accipere. *l.* 24. § 2. ff. *de Judic.*

Legati ex delictis in Legatione commissis (*e*) coguntur Romæ judicium pati. *l.* 24. § 1. ff. *d. tit.*

Ex quibus causis non cogitur Legatus judicium accipere, nec jurare cogendus est. *l.* 28. § 2. ff. *d. tit.*

(*b*) Sed etsi extra suam provinciam, licèt non Romæ; domum non revocant. Item si ipsi egerint Romæ, præterquàm actione *Injuriarum*, coguntur ibi ex omnibus causis defendere; si reconveniantur.
(*c*) Aut ei ex Trebelliano restituta sit.
(*d*) Sed nisi satisdet, tum creditores tum legatarii mittuntur in possessionem.
(*e*) Sive ipsi, sive servi eorum commiserunt.

MCDLXXV.

In omnibus in quibus protelatur admonitio (*a*), hoc procedere sine temporali damno (*b*) creditorum oportet. *l.* 2. § 7. *ff. de Judic.*

Si dubitetur utrùm quis domum revocare possit necne, ipse Prætor debet statuere. *d. l.* 2. § 6.

(*a*) Lis per revocationem domum.
(*b*) Adeoque si dies actionis exitura sit, tenetur Legatus Romæ litem altem contestari; ut contestatâ in provinciam revocetur.

§ II.

De foro competenti ratione Contractûs, *seu loci ubi contractum est.*

MCDLXXVI.

Durissimum est, quot locis quis navigans vel iter faciens delatus est, tot locis se defendi. At si quò constitit (non dico jure domicilii)... ibique distraxit (*a*), egit; defendere se eo loci debebit. *l.* 19. § 2. ff. *de Judiciis.*

(*a*) Merces.

MCDLXXVII.

Omnem (*a*) obligationem pro contractu habendam existimandum est; ut ubicumque aliquis obligetur, & contrahi videatur; quamvis non ex crediti causâ debeatur. *l.* 20. ff. *d. tit.*

Corollarium. Ubi *quis* gessit, rationem oportet reddere. *l.* 1. *Cod. Ubi de ratioc.*

Contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo ut solveret se obligavit. *l.* 21. ff. *de Oblig. & act.*

(*a*) Regula fallit in dote; quæ, ubi vir domicilium habet, non ubi instrumentum dotale conscriptum est, petenda est. *d. tit.* N. 38.

§ III.

De foro competente ratione Rei, *seu loci ubi res sita est.*

MCDLXXVIII.

Et in locis in quibus res propter quas contenditur constitutæ sunt, jubemus IN REM actionem moveri. *l.* 3. *Cod. Ubi in rem act.*

Ubi domicilium habet qui convenitur, vel si ibi ubi res hereditariæ sunt, degit; hereditatis controversia erit terminanda. *l. un. Cod. Ubi de hered.*

Multis Constitutionibus cavetur, ut ibi petatur fidei-

commissum, ubi major pars (*a*) hereditatis est. *l.* 50. *ff. de Judic.*

Si ea res quæ per fideicommissum relicta est, eo loci sit; dicendum est non debere præscribi, quasi major pars hereditatis alibi sit. *l.* 52. § 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Nec attenditur ubi sit ejus æs alienum; cùm totum patrimonium minuat, non certi loci facultates; nisi certis oneribus destinatum sit quoddam patrimonium.

§ IV.

De foro competente ratione Maleficii.

MCDLXXIX.

Quæstiones criminum quæ Legibus aut extra ordinem coercentur, ubi commissa vel inchoata sunt, vel ubi (*a*) reperiuntur qui rei esse perhibentur criminis, perfici debere satis notum est. *l.* 1. *Cod. Ubi de crim.*

(*a*) Ex Novellâ CXXXIV. cap. 5. judex hujus loci debet remittere ad judicem delicti.

§ V.

Quis sit judex competens ejus qui tanquam auctor convenitur, vel hereditario nomine.

MCDLXXX.

Paulus respondit; Venditorem, emptoris (*a*) judicem sequi solere. *l.* 49. *ff. de Judiciis.*

Heres ibi defendendus est, ubi defunctus debuit: nulloque suo proprio privilegio excusatur. *l.* 19. *ff. d. tit.*

(*a*) A quo tanquam auctor convenitur.

§ VI.

Quo tempore æstimetur an forum ad quod quis vocatus est, sit competens.

MCDLXXXI.

Si quis, posteaquàm in Jus vocatus est, miles vel alterius fori esse cœperit; in eâ causâ jus revocandi domum non habebit, quasi præventus. *l.* 7. *ff. d. tit.*

SECTIO II.

De personis litigatorum inter quas judicium consistere possit, & de eorum procuratoribus.

ARTICULUS I.

De Litigatoribus.

§ I.

Quæ personæ agere aut conveniri possint.

MCDLXXXII.

Vix certis ex causis (*a*) adversùs dominos servis consistere permissum est. *l.* 53. ff. *de Judic.*

Plura vide suprà, N. 99.

(*a*) Vide Tit. *de Judic.* N. 16, ubi illæ enumerantur.

MCDLXXXIII.

Tam ex contractibus quàm ex delictis in filiumfamilias competit actio. *l.* 57. *ff. d. tit.*

Source : BIU Cujas

Filiusfamilias ſuo nomine nullam (*a*) actionem habet. *l.* 9. *ff. de Oblig. & act.*

In (*b*) factum actiones, etiam filiifamiliarum poſſunt exercere (*c*). *l.* 13. *ff. de Oblig. & act.*

Si filiusfamilias ex aliquâ noxâ ex quâ patri actio competit velit experiri; ita demùm ei permittimus agere, ſi non ſit qui patris nomine agat. *l.* 18. § 1. *ff. de Judic.*

Lis nulla nobis eſſe poteſt eum eo quem in poteſtate habemus, niſi ex caſtrenſi peculio. *l.* 4. *ff. d. tit.*

(*a*) Niſi ex causâ caſtrenſi. Ratio eſt quòd, quidquid habet quærit patri.
(*b*) Id eſt, *Utiles*: ſtricto enim Jure, non ei competunt, ſed patri.
(*c*) Putâ, ſi furtum factum ei ſit aut damnum datum; aut quid depoſuit, commodavit, mutuum dedit, mandavit; & pater ejus per abſentiam agere non poſſit.

M C D L X X X I V.

Magiſtratus quo anno cum imperio (*a*) ſunt, neque propriam, neque eorum quorum tutelam vel curam gerunt, cauſam in judicio vel agendo vel defendendo ſuſtinento. *l.* 48. *ff. d. tit.*

(*a*) Secùs de his qui ſine imperio ſunt: ut Municipales.

M C D L X X X V.

Sicut pupillus tutore auctore & agere & conveniri poteſt, ita adultus curatore (*a*) conſentiente litem intendere & excipere debet. *l.* 2. *Cod. Qui legitim.* *l.* 11. *Cod. Qui dare tutores, &c.*

(*a*) Niſi veniam ætatis impetraverit. L. 11. Cod. *Qui dare tutores*, &c.

§ II.

De actore & reo.

M C D L X X X V I.

Favorabiliores rei potiùs quàm actores habentur. *l.* 125. GAIUS LIB. 5. AD ED. PROVINC.

Corollarium. Non (*a*) debet actori licere, quod reo non permittitur. *l.* 41. ULP. LIB. 26. AD ED.

Vide alia corrollaria infrà de officio judicis, item infrà de jurejurando.

(*a*) Hinc V. G. cùm non liceat reo mutare procuratorem poſt litem, nec hoc debdt licere actori. l. 25. ff. *de Procur.*

M C D L X X X V I I.

In judiciis duplicibus Placuit eum videri actorem, qui ad judicium provocaſſet. *l.* 13. ff. *de Judic.*

ARTICULUS II.

De procuratoribus per quos judicium ſuſcipitur.

§ I.

In quibus litibus dari poſſit procurator necne.

M C D L X X X V I I I.

Qui Populari actione convenietur, ad defendendum procuratorem dare poteſt; is autem qui eam (*a*) movet, procuratorem dare non poteſt. *l.* 5. *ff. de Popul. act.*

Qui ita de publico agunt, ut & privatum commodum defendant; causâ cognitâ permittuntur procuratorem dare. *l.* 45. § 1. *ff. de Procurat.*

(*a*) Sunt & aliæ actiones in quibus procurator non datur, quale eſt Interdictum *de liberis ducendis.*

§ II.

Qui poſſint dare procuratores.

M C D L X X X I X.

Filiusfamilias & ad agendum dare procuratorem poteſt, ſi qua ſit actio (*a*) quâ ipſe experiri poteſt. *l.* 8. *ff. de Procur.*

Mutus & ſurdus, per eum modum qui procedere poteſt, procuratorem dare non prohibentur. *l.* 43. *ff. d. tit.*

Pupillus & pupilla, tam ad agendum quàm ad defendendum turote interveniente, procuratorem dare poſſunt. *l.* 11. *Cod. de Procurat.*

(*a*) De quâ re. Vide Art. præced.

M C D X C.

Conſtat procuratorem, alium procuratorem facere non poſſe. *l.* 4. § 5. *ff. de Appell.*

Nec tutores nec curatores (*a*), in rem pupilli vel adoleſcentis procuratorem facere poſſunt. *l.* 11. *Cod. de Procurat.*

Ipſi etiam tutores & curatores, poſt litis conteſtationem à ſe factam, ad exemplum procuratorum qui litem conteſtati ſunt, dare procuratores non (*b*) prohibentur. *d. l.* 11. *Cod.*

(*a*) Licèt domini loco eſſe dicantur, ſuprà N. 331.
(*b*) Per litis enim conteſtationem: fiunt quodammodo domini litis.

§ III.

Qui & quot procuratores dari poſſint necne, & quomodo dentur.

M C D X C I.

Neque fœmina (*a*), neque miles (*b*), neque qui Reipublicæ causâ abfuturus eſt, aut morbo perpetuo tenetur, aut magiſtratum initurus eſt, aut invitus judicium (*c*) pati non poteſt; idoneus defenſor intelligitur. *l.* 54. ff. *de Procurat.*

Repugnat dominum litis dari procuratorem in lite ſuâ.

Is cui hereditas ex Trebelliano reſtituta eſt, heredem (*d*) jure dabit procuratorem. *l.* 42. § 3. ff. *d. tit.*

Ex duobus reis promittendi, alter alterum ad defendendum procuratorem dabit. *d. l.* 42. § 5.

(*a*) Niſi *In rem ſuam*; item niſi pro parentibus, quum nullus alius eſt.
(*b*) Nec pro parentibus; at *In rem ſuam* eſſe poteſt, aut pro causâ communi numeri ſui.
(*c*) His adde infames, & reos criminis conſtitutos.
(*d*) Licèt heres ſubtilitate Juris videatur dominus actionum hereditatis; ſed effectu, poſt reſtitutam hereditatem; non ipſe, ſed fideicommiſſarius eſt dominus.

M C D X I I.

Ad unam litem quis unicum duntaxat procuratorem habere poteſt.

Hinc Qui dedit diverſis temporibus procuratores duos; poſteriorem dando, priorem prohibuiſſe videtur. *l.* 31. § *fin.* ff. *d. tit.*

Pluribus procuratoribus ſimul datis, occupantis melior erit conditio. *l.* 13. ff. *d. tit.*

Unius litis plurium perſonarum, plures dari procuratores non eſt prohibitum. *l.* 31. § 1. ff. *d. tit.*

His qui ad invicem agunt, putà Si Familiæ erciſcundæ agatur, non eſt permittendum eumdem procuratorem dare. *l.* 42. § 6. ff. *d. tit.*

M C D X C I I I.

Invitus procurator non ſolet dari. *l.* 8. § 1. ff. *d. tit.*

Invitus nemo rem cogitur defendere. *l.* 156. (*Aliàs* 198.) ULP. LIB. 70. AD ED.

Dari procurator & abſens poteſt. *l.* 1. § *fin.* ff. *de Procurat.*

Et ad litem futuram, & in diem, & ſub conditione, & uſque ad diem dari poteſt, & in perpetuum. *l.* 3. & *l.* 4. ff. *d. tit.*

Source : BIU Cujas

§ IV.

Quæ requirantur ut quis admittatur ad agendum pro alio.

MCDXCIV.

Ut conjunctæ (*a*) perſonæ admittantur ad agendum pro aliquo, non exigimus ut habeant voluntatem vel mandatum; ſed ne contraria voluntas probetur: quamvis offerant DE RATO cautionem. *l.* 40. § 4. *ff. de Procur.*

(*a*) Quales ſunt maritus, parentes, liberi, frater, affines, patroni, liberti: l. 35. ff. *de Procur.* à cæteris mandatum exigitur. Mandatum autem actionis perſequendæ, porrigitur & ad omnia per quæ ad hanc actionem pervenitur: *d. tit.* N. 28.

MCDXCV.

Qui procuratorem dat ut confeſtim agat; intelligendus eſt permittere procuratori & poſteà litem peragere. *l.* 57. ff. *d. tit.*

Actoris procurator Omnium actionum nomine debet defendere (*a*), etiam earum quæ in heredem non dantur. *l.* 37. ff. *d. tit.*

Actionem ei qui abſentis nomine agere vult, ſi non eum defendat (*b*), denegari oportere; Edicto Perpetuo expreſſum eſt. *l.* 6. *Cod. de Procurat.*

Et hæ perſonæ debebunt defendere, quibus ſine mandato agere licet. *l.* 35. *ff. d. tit.*

Si quis in rem ſuam procurator interveniat, adhuc erit dicendum debere eum defendere; niſi fortè ex neceſſitate (*c*) fuerit factus. *l.* 33. § *fin.* ff. *d. tit.*

(*a*) In reconventione.
(*b*) Non aliàs tamen quàm in eâdem provinciâ, & in foro competenti.
(*c*) Cujacius intelligit *Ex neceſſitate* rei familiaris; id eſt, ex causâ onerosâ. Aliter Noodt.

§ V.

Quæ requirantur à procuratore rei.

MCDXCVI.

Nemo (*a*) alienæ rei expromiſſor (*b*) idoneus videtur, niſi ſit cum ſatiſdatione (*c*). *l.* 110. § 1. PAUL. LIB. 6. AD ED.

Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur. *l.* 166. IDEM LIB. 48. AD ED.

Minor viginti-quinque annis defenſor idoneus non (*d*) eſt. *l.* 51. ff. *de Procurat.*

(*a*) Licèt locupletiſſimus, vir Conſularis, &c.
(*b*) Hic accipitur pro eo qui alienam litem in ſe transfert.
(*c*) *Judicatum ſolvi.*
(*d*) Quia poſſet reſtitui adversùs ſatiſdationem *Judicatum ſolvi.*

MCDXCVII.

Ei qui defendit eum cujus nomine ipſe non agat, liberum eſt vel in unam (*a*) rem defendere. *l.* 46. § 1. *ff. d. tit.*

Sabinus (*b*) ait; Nullas Prætoris partes eſſe ad compellendum *procuratorem rei*, defendere; ſed ex ſtipulatu OB rem non defenſam agi poſſe; & ſi juſtas cauſas habeat cur judicium accipere nolit, fidejuſſores non teneri. *l.* 45. *ff. d. tit.*

Procuratorem pro quo conſentiente dominus Judicatum ſolvi expoſuit; Prætor ait, Judicium accipere cogam (*c*). *l.* 8. § 3. ff. *d. tit.*

Si habeat (*d*) præſentem dominum, non debet cogi procurator *judicium accipere*; ſi tamen dominus cogi poſſit. *l.* 10. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Cujus defenſionem ſuſcepit: & in cæteras tamen actiones quæ ejus ſequela eſſent, defendere tenebitur: *d. tit.* N. 42.
(*b*) Cujus ſententia prævaluit ſententiæ Proculeianorum, qui putabant eum poſſe cogi, niſi ex juſtâ causâ recuſaret.
(*c*) Procurator qui ipſe ſatiſdedit *Judicatum ſolvi*, non cogitur judicium accipere; quia ſatis eſt eum, ſi non accipiat judicium, teneri actione *Ex ſtipulatu*. At is qui non ipſe ſatiſderit, ne impunè fidem fallat, cogitur.
(*d*) Exceptio eſt præcedentis regulæ. Alias exceptiones vide Tit. *de Procur.* toto N. 44.

§ VI.

De effectu judicii per procuratorem accepti.

MCDXCVIII.

Procurator lite conteſtatâ dominus (*a*) litis efficitur. *l.* 4. § 5. ff. *de Appell.*

Corollarium. Ante litem conteſtatam libera poteſtas eſt vel mutandi procuratorem, vel ipſi domino judicium accipiendi. Poſt litem autem conteſtatam; qui procuratorem dedit, mutare quidem eum, vel in ſe litem transferre vivo procuratore, vel in civitate manente poteſt; causâ tamen priùs (*b*) cognitâ. *l.* 16. & *l.* 17. *ff. de Procurat.*

(*a*) Hinc & Sententia fertur in ipſum procuratorem.
(*b*) Ante litem verò conteſtatam nulla cauſa requiritur. Hæ cauſæ recenſentur. *d. tit.* N. 48.

MCDXCIX.

Non ferendus eſt procurator, qui ſibi adſerit procurationem; cæterùm ferendus erit, pudorem (*a*) ſuum purgans. *l.* 25. § 1. ff. *d. tit.*

Si retentione aliquâ procurator uti velit, non facilè ab eo lis erit transferenda. *d. l.* 25. § *fin.*

Procuratore in rem ſuam dato, præferendus non eſt dominus procuratori. *l.* 55. ff. *d. tit.*

Dominus Si velit quædam transferre, quædam relinquere; juſtè procurator hanc inconſtantiam recuſabit. *l.* 27. ff. *d. tit.*

Paulus reſpondit; Etiam eum qui ad litem ſuſcipiendam procuratorem dedit, cauſæ ſuæ adeſſe non prohiberi. *l.* 69. *ff. d. tit.*

(*a*) Ut ſi dominus ad eum removendum cauſam alleget, quæ pudorem ejus oneret.

SECTIO III.

De vocatione in Jus, & editione actionis: ubi de Feriis, per quas in Jus vocatus ſe ſiſtere non tenetur.

§ I.

Quæ perſonæ vocari in Jus omninò non poſſint, quænam demùm cum veniâ Prætoris.

MD.

In Jus vocari non oportet Magiſtratus qui imperium habent. *l.* 2. *ff. de In jus voc.*

Nec impuberes puellas quæ alieno juri ſubjectæ eſſent, in Jus vocare permiſſum eſt. *l.* 22. *ff. d. tit.*

Nec furioſos, vel infantes. *l.* 4. *ff. d. tit.*

MDI.

Generaliter eas perſonas (*a*) quibus reverentia præſtanda eſt, ſine juſſu Prætoris in Jus vocare non poſſumus *l.* 13. ff. *d. tit.*

Regula eſt, Honorem patrono habendum, etſi quaſi tutor vel curator vel defenſor vel actor interveniat (*b*). *l.* 10. § *fin.* ff. *d. tit.*

Si patroni tutor interveniat, impunè in Jus vocari verius eſt. *d.* § *fin.*

(*a*) Scilicet parentes cujuſlibet ſexûs & gradûs, etiam merè naturales, etiam adoptivos; patronum, etiam eum qui ex neceſſitate manumiſit, modò jure patronatûs non exciderit; liberos conjugem parenteſque patroni, heredeſque etiam extraneos, *d. tit.* Art. 2°. §°. 1°.
(*b*) Contrà vice versâ, libertus nomine pupilli ſui patronum impunè in Jus vocat.

Source : BIU Cujas

Prætor permiſſurus eſt, ſi famoſa actio non ſit vel pudorem non ſuggillet, quâ (*c*) patronus convenitur vel parentes. *d. l.* 10. § 12.

Si ſine veniâ libertus patronum in Jus vocaverit; ex querelâ patroni, vel pœnam (*d*) dat, vel à Præfecto Urbis caſtigatur ſi inopiâ dignoſcitur laborare. *l.* 2. § *ff. d. tit.*

(*c*) Ex graviſſimâ tamen causâ permittit & his actionibus agere: d. l. 10.
(*d*) Quinquaginta aureorum.

§ II.

In quibus circumſtantiis quis vocari in Jus non debeat; & de Feriis.

M D II.

In Jus vocari non debet qui uxorem ducit, aut eam quæ nubit, nec judicem dum de re cognoſcit, nec quem dum apud Prætorem cauſam agit, nec juſta mortuo (*a*) facientem. *l.* 2. *ff. In jus voc.*

(*a*) Vide alias cauſas. Tit. *de In jus voc.* N. 5.

M D III.

Occupati circa rem ruſticam, in forum compellendi non ſunt. *l.* 1. ff. *de Fer.*

Corollarium. Præſides provinciarum, ex conſuetudine cujuſque loci, ſolent meſſis vindemiarumque causâ (*a*) tempus ſtatuere. *l.* 4. *ff. d. tit.*

A nullo judice præſumi debet, ut auctoritato ſuâ ferias (*b*) aliquas condat. *l.* 4. *Cod. de Feriis.*

Si feriatis diebus fuerit judicatum; Lege cautum eſt ne his diebus judicium ſit, niſi ex voluntate partium. *l.* 6. ff. *d. tit.*

Quoties res urget, cogendi ſumus ad Prætorem venire; verùm ad hoc tantùm, ut lis conteſtetur. *l.* 1. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Erant & aliæ ſtatæ feriæ; ut *Pridie* Kalendas Januarii, die 3°. poſt dictas Kalendas, quo vota pro Principe ſuſcipiuntur, &c.
(*b*) Præcedens regula eſt de feriis *Statis*; hæc de *Repentinis* quæ ob res proſperè geſtas aut luctum publicum indicuntur.

M D IV.

Liberalia (*a*) judicia omni tempore finiuntur. *l.* 3. § 1. ff. *d. tit.*

Etiam die Paſchæ quæſtiones de latronibus habentur; cùm facillimè in hoc Summi Numinis ſperetur venia, per quod multorum ſalus & incolumitas procuratur. *l.* 10. *Cod. d. tit.*

(*a*) Idem dic de fiſcalibus cauſis; cognoſcitur etiam, etſi judicium ferri nequeat, de pluribus cauſis quæ recenſentur. Tit. *de Feriis* N. 4. & 4.

§ III.

Ex quo loco vocari aut trahi quis in Jus poſſit necne.

M D V.

A vineâ (*a*), balneo, & theatro, nemo dubitat in Jus vocari licere. *l.* 20. *ff. de In jus voc.*

Is qui domi eſt, interdum (*b*) vocari in Jus poteſt. *l.* 21. *ff. d. tit.*

Nemo de domo ſuâ extrahi debet. *l.* 103. PAUL. LIB. I. AD ED.

(*a*) Cujacius legit, *à januâ.*
(*b*) Scilicet quum aditum ad ſe præſtat, aut ex publico conſpicitur: d. l. 21.

§ IV.

De effectu in Jus vocationis.

M D V I.

Etiam Si quis ex alienâ (*a*) juriſdictione ad Prætorem vocetur, debet venire. Prætoris enim eſt æſtimare, an ſua ſit juriſdictio. *l.* 5. *ff. de Judic.*

Si quis in Jus vocatus non ierit, (*b*); à competenti judice, mulctâ (*c*) damnabitur. *l.* 2. § 1. *ff. Si quis in jus voc.*

(*a*) Modò tamen ſit in territorio judicis ad quem vocatur: aliàs non tenetur parere. Suprà N. 1458. Reg. 3*a*.
(*b*) Cùm eum per vim trahere actor, aut non potuerit, aut noluerit.
(*c*) Remittitur tamen ex causâ ruſticitatis; aut ſi non interſit actoris eum veniſſe.

M D V I I.

Qui in Jus vocatus eſt, duobus caſibus dimittendus eſt; ſi quis perſonam ejus defendet (*a*); & ſi, dum in Jus venitur, de re tranſactum fuerit. *l.* 22. § 1. *ff. de In jus vocand.*

In eum qui *vocatum* vi exemit, IN factum judicium datur: quo non id continetur quod in veritate eſt, ſed quanti ea res eſt ab actore (*b*) æſtimata. *l.* 5. § 1. ff. *Ne quis eum qui in Jus voc.*

Is qui debitorem vi exemit, ſi ſolverit, reum non liberat; quia pœnam ſuam ſolvit. *l.* 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Id eſt, pro eo ſpondeat *Judicio ſiſti.*
(*b*) Scilicet, non quantum debitor fuit; ſed quantum actor ab eo qui vi exemptus eſt petebat, licèt perperàm peteret.

§ V.

De editione actionis.

M D V I I I.

Quâ quiſque actione agere volet, eam edere debet. *l.* 1. *ff. de Edendo.*

Edita actio ſpeciem futuræ litis demonſtrat, quam emendari vel mutari (*a*) licet. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

(*a*) Ante litem conteſtatam, quia nondum eſt in judicium deducta.

SECTIO IV.

De Cautionibus quæ à litigatoribus, procuratoribus-ve eorum, ante judicium præſtandæ ſunt.

ARTICULUS I.

De Cautione Judicio ſiſti.

In Jus vocatus cavere ſolebat ſe certâ die, de quâ inter litigatores conveniebat, judicio ſe ſtiturum. Circa quam hæ traduntur regulæ.

M D I X.

Edicto cavetur, ut fidejuſſor judicio ſiſtendi causâ locuples detur: exceptis neceſſariis (*a*) perſonis; ibi enim, qualemcunque (*b*) accipi jubet. *l.* 1. ff. *In jus vocati ut eant.*

Si quis quemdam in judicio ſiſti promiſerit, in eâdem causâ debet ſiſtere; hoc eſt, ita ut actori perſecutio loco deteriori (*c*) non ſit, quamvis exactio poſſit eſſe (*d*) difficilior. *l.* 11. ff. *Si quis caut.*

Qui novo privilegio (*e*) utitur, non videtur in eâdem causâ ſiſti. *l.* 12. ff. *d. tit.*

(*a*) Quales ſunt patronus, liberi ac parentes patroni; liberi noſtri, parentes, uxor, nurus.
(*b*) Id eſt, non locupletem.
(*c*) Vide Reg. ſeq.
(*d*) Ut ſi reus interim novum æs alienum contraxit, non ideò minùs videtur *Siſti* in eâdem causâ.
(*e*) Declinandi fori.

M D X.

Qui exhibiturum ſe aliquem judicio, caverit; mortuo

Source : BIU Cujas

eo (*ante moram*), periculo cautionis liberatur. PAUL. SENT. LIB. I. *Tit.* 13. § 1.

Non exigimus reum judicio sisti; si negotium propter quod judicio sisti promisit, fuerit (*a*) transactum. *l.* 2. *ff. Si quis caut. in jud.*

Si quis judicio se sisti promiserit, & valetudine vel tempestate (*b*) prohibitus (*c*) se sistere non possit; exceptione adjuvatur. *d. l.* 2. § 3.

Si post tres aut quinque plures-ve dies quàm sisti se reus promiserit, secum agendi potestatem fecerit, nec actoris jus ex morâ deterius factum sit; consequens est, defendi eum debere per exceptionem. *l.* 8. ff. *d. tit.*

Puto conventionem valere, si specialiter (*d*) causæ exceptionum expressæ sunt quibus à promissore sponte renuntiatum est. *l.* 4. § 4. *ff. d. tit.*

(*a*) Et quidem ipso jure excluditur stipulatio, si antè transactum sit quàm sisti eum oportebat. Quòd si posteà transactum est, excluditur duntaxat per exceptionem; d. l. 2.

(*b*) Si impedimento fuit itineri; nec præcaveri potuit: *d. tit.* N. 6.

(*c*) Aliæ sunt causæ quæ pariter exceptionem pariunt: ut funus domesticum; si quis municipalis muneris causâ sine dolo retentus est à Magistratu (secùs, si à privato); condemnatio capitalis, captivitas, vincula publica aut custodia militaris: *d. tit.* N. 5.

(*d*) Non valeret autem indeterminata renuntiatio exceptionum causis: d. l. 4.

M D X I.

Melius est ut in veram (*a*) quantitatem fidejussor (*Judicio sisti*) teneatur. *l.* 2. § 5. *ff. Qui satisd. cog.*

Si procurator sisti aliquem stipulatus sit; potest defendi, non suam, sed ejus cujus negotium gessit, utilitatem in eâ re deduxisse. *l.* 81. § 1. ff. *de Verb. oblig.*

(*a*) Id est, in id quod reverâ actori debetur. Hinc si probetur actorem jus agendi non habuisse non committetur hæc stipulatio: hinc etiam pœnam ex hâc stipulatione petere amplius non potest, si à correo quod sibi debetur consecutus est.

ARTICULUS II.

De cautione Rem ratam haberi.

§ I.

A quibus hæc cautio exigatur.

M D X I I.

Qui alieno nomine agit quâcumque actione; id ratum habiturum eum ad quem ea res pertinebit, cavere debet. *l.* 39. § 1. *ff. de Procurat.*

Interdum (*a*), licèt suo nomine procurator experiatur, tamen DE rato cavere debet. *d. l.* 39. § 1.

Si DE dote agat pater (*b*), cavere debet filiam REM ratam habituram. *d. l.* 39. § 3.

Qui quasi defensor IN REM (*c*) actione convenitur, etiam DE rato debet cavere. *l.* 40. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Exemplum in actione *Constitutæ* ipsi *pecuniæ*; in actione ex ipsius jurejurando; nimirùm quoties, licèt suo nomine, in rem tamen alterius experitur.

(*b*) Quamvis suo nomine agat, cùm actio ipsi & filiæ communis sit.

(*c*) Item in judiciis duplicibus, in controversiis de statu, restitutionibus in integrum, cognitione suspecti tutoris; & in aliis quibusdam de quibus vide Tit. *Rem rat. hab.* N. 3.

M D X I I I.

Cautio ratihabitionis tunc *demùm* exigitur à procuratore, quoties incertum est an ei negotium mandatum sit. *l.* 1. *Cod. de Procurat.*

Actor à tutore datus, omnimodo cavet; actor civitatis nec ipse cavet, nec magister universitatis, nec curator bonis. *l.* 9. *ff. d. tit.*

Si pater filii nomine Injuriarum agat, cessat DE rato cautio. *l.* 39. § 4. *ff. d. tit.*

§ II.

De cujus ratihabitione cavendum, & quando hæc cautio exigi possit.

M D X I V.

1. *De ratihabitione, non solùm domini litis, sed & cæterarum personarum ad quas lis redire potest, cautio debet interponi: ex l.* 22. §§ 9. & 10. *ff.* Rat. rem hab.

2. Ratihabitionis satisdatio, ante litem contestatam à procuratore exigitur; semel lite contestatâ, non compellitur ad cautionem. *l.* 40. § 3. *ff. de Procurat.*

§ III.

Quando stipulatio DE Rato *committatur.*

M D X V.

Qualiter quis eumdem actum retractet qui à procuratore actus est, committi stipulationem oportet. *l.* 12. § 3. ff. *Rat. rem hab.*

Quamvis non idem sed alius (*a*) à domino conveniretur, qui conveniri non posset si ratum habuisset; committi stipulationem placuit. *l.* 1. ff. *Rem rat. hab.*

Dicendum; stipulationem committi; si ab eo petatur qui ejusdem obligationis socius est. *l.* 14. ff. *d. tit.*

(*a*) Quem stipulatoris interfit non conveniri; putà ejus fidejussor, socius, is cui de evictione tenetur, &c.

M D X V I.

Quamvis pars duntaxat rei, quamvis non eodem sed alio genere judicii petatur; quamvis non ipse dominus, sed ejus successor etiam singularis petat; generaliter, quoties obstatura esset Rei judicatæ *exceptio si res cum ipso domino esset judicata, committitur stipulatio: ex l.* 16. § 1. *l.* 22. § 8. *ff. d. tit.*

Dominus Si in Jus vocaverit, judicium tamen cœptum non fuerit; puto non committi stipulationem: hic enim non petit, sed petere vult. *l.* 15. *ff. d. tit.*

Si soluta esset pecunia, licèt sine judicio, committitur stipulatio. *d. l.* 15.

Sive quis petat, sive compensatione utatur; committitur statim stipulatio. *l.* 12. § 3. *ff. d. tit.*

Si dominus à Sententiâ judicis procuratore victo provocavit, stipulationis defeciisse conditionem apparuit; cùm ad auxilium commune confugisset. *l.* 3. § 1. *ff. d. tit.*

§ IV.

An pro parte, an pluries hæc stipulatio committi possit, & in quid committatur.

M D X V I I.

Si dominus pro parte ratum habuerit, pro parte non habuerit; non ultrà quàm in partem committetur stipulatio. *l.* 18. *ff. d. tit.*

M D X V I I I.

Sæpiùs ex eâ stipulatione agi potest, prout interfit agentis. *d. l.* 18.

M D X I X.

In id committitur, quod stipulatoris interfit. *d. l.* 18.

Scilicet hæc Stipulatio in tantum competit quantum mihi abest, quantumque lucrari potui. *l.* 13. *ff. d. tit.*

Et In stipulatione DE rato, non est cogitandum rei promittendi vel stipulandi compendium (*a*); sed quod interfuerit Ratum haberi. *l.* 2. *ff. d. tit.*

Si dominus ratam rem non habuerit, sed lite motâ

(*a*) Quod extra rem versaretur.

Source : BIU Cujas

rem amiserit, nil præter impendia in stipulatione deducitur. *l.* 22. § 5. *ff. d. tit.*

§ V.

Quando committatur & quid veniat in singulari specie stipulationis De rato, *quæ propter solutam procuratori pecuniam interponitur.*

M D X X.

Quoties procuratori pecunia *indebita* solvitur, & dominus solutionem ratam non habet; existimo id agi ut Condictio (*indebiti*) perimatur. Et sola actio ei qui indebitum solvit, adversùs procuratorem, Ex stipulatu (*De rato*) competit (*a*). *l.* 22. *ff. d. tit.*

Si falsus procurator pecuniam (*debitam*) exegerit, & satisfecerit; mox dominus egit & litem amiserit; (*nihilominùs*) committi (*b*) stipulationem. *l.* 8. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Quatenùs ejus interfit *Conditionem indebiti* adversùs dominum negotii non habere, quam haberet si ratum habuisset.
(*b*) Quatenùs interest suâ, se naturâ domino (qui ratum non habuit) manere obligatum: cùm res judicata civilem duntaxat obligationem peremerit.

M D X X I.

Si demùm Post tempus, liberato jam debitore, dominus ratam rem (*a*) habet; posse debitorem agere (*b*) cum procuratore. *l.* 25. § 1. ff. *d. tit.*

Solutionem procuratori factam quum Minor ratam habuit; Restitutione posteà in integrum datâ, nec Indebiti Condictionem, nec stipulationem (*c*) committi constat. *l.* 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Id est, solutionem procuratori factam.
(*b*) Ex stipulatione *De rato*. Procurator enim cavit de ratihabitione quæ foret efficax; adeòque quæ interveniret, antequàm debitor tempore liberatus esset.
(*c*) *De rato*. Ideò in stipulatione comprehendendus erit casus restitutionis in integrum.

Si præsens sit absentis servus; servo cavendum; non (*d*) procuratori. *l.* 43. § 5. ff. *de Procurat.*

(*d*) Procurator enim *Utilem* duntaxat, servus *Directam* actionem adquirit jure potestatis.

§ II.

Quæ requirantur ut committatur stipulatio Judicatum solvi.

M D X X I V.

Si fuero stipulatus JUDICATUM SOLVI, aliâ actione acturus, aliam autem dictavero; non committitur stipulatio. *l.* 13. § 1. ff. *de Judic. solv.*

Ut committatur, non sufficit cum eâ personâ acceptum esse judicium quæ stipulationi comprehensa est; sed oportet causam (*a*) personæ eamdem esse. *l.* 7. ff. *d. tit.*

At Etsi ex parte actoris, litis translatio (*b*) fiat; dicimus committi Judicatum solvi. *l.* 27. § 1. ff. *de Procurat.*

Si quis apud aliquem judicem iturus, stipulatus est Judicatum solvi, & agit apud alterum (*c*); non committitur stipulatio. *l.* 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Non igitur committetur; si procurator rei pro quo reus promisit *Judicatum solvi*, fuerit revocatus: modò tamen non ignoraverim.
(*b*) A domino in procuratorem, aut vice versâ.
(*c*) Ideò in hâc stipulatione solet adjici; *Qui-ve* in ejus locum substitutus erit.

§ III.

Quando committatur hæc stipulatio.

M D X X V.

Judicatum solvi stipulatio tres clausulas in unum collatas habet; De re judicatâ, De re defendendâ, De dolo malo. *l.* 6. ff. *d. tit.*

M D X X V I.

Quando committatur prima clausula De re judicatâ.

In stipulatione Judicatum solvi, post rem judicatam statim dies cedit; sed exactio in tempus (*a*) reo principali indultum differtur. *l.* 1. ff. *d. tit.*

(*a*) De quo infrà.

M D X X V I I.

Quando committatur clausula, De re non defensâ.

Rectè defendi, hoc est judicium accipere; vel per se, vel per alium, sed cum satisdatione. *l.* 63. ff. *de Judic.*

Plures heredes rei, necesse habebunt unum dare procuratorem; ne defensio per plures scissa, incommodo afficiat actorem. *l.* 5. § 7. ff. *Judic. solv.*

Non videbitur defensa res boni viri arbitratu, quæ non in solidum defensa sit. *l.* 17. ff. *d. tit.*

Sciendum est ibi rem esse defendendam, ubi debet agi. *d. l.* 5. § 8.

Ob rem non defensam stipulatio non committitur, quandiù potest existere qui (*a*) defendat. *l.* 3. § 9. *de Judic. solv.*

Stipulatio Ob rem non defensam, non priùs creditur commissa, nisi (*b*) ex stipulatione lis fuerit contestata. *l.* 13. ff. *d. tit.*

Etsi reus, post Judicatum solvi *satisdationem*, invirus in Jus vocari (*c*) non possit; tamen nî res defendatur, tenentur fidejussores. *l.* 12. ff. *d. tit.*

(*a*) Nec refert quis; putà vel unus ex heredibus promissoris, vel fidejussor, vel prorsùs extraneus: l. 5. §§. 1. & 3. ff. *d. tit.*
(*b*) Antè enim quilibet ad defensionem accedere potest, & sic obstare quominùs committatur.
(*c*) Putà, sit magistratum adeptus.

ARTICULUS III.

De Cautione Judicatum solvi.

§ I.

Quis eam cautionem præstare teneatur, & cui exhiberi possit.

M D X X I I.

Hæc satisdatio, Si ad defendendum procurator datus fuerit, à domino litis interponitur. Si procurator aliquem *ultrò* defendat, ipse cogitur satisdare. *l.* 10. ff. *Judic. solv.*

Etiamsi filius vel pater sit, satisdare debet. *l.* 14. ff. *Qui satisd. cog.*

A reo qui se ipse defendit, hæc cautio non exigitur (*a*).

Qui pro servo *suo* convenitur, satisdatione (*b*) onerandus non est. *l.* 39. § 1. ff. *de Noxal. act.*

(*a*) Regula obtinet in actionibus *In personam*; Jure autem Justinianeo etiam in actionibus *In rem*.
(*b*) Ne quidem pro parte socii; si servus communis est. Sua enim lis est, cùm in solidum teneatur defendere, aut parte suâ carere.

M D X X I I I.

Judicatum solvi, & procurator (*a*), & tutor (*b*), & curator stipulari (*c*) possunt. *l.* 3. § 1. ff. *Judic. solv.*

(*a*) Non aliter tamen quàm si ei mandatum sit, aut dominus ratum habuerit; quamvis esset ex his qui sine mandato admittuntur.
(*b*) Qui administrationem habet.
(*c*) Et acquirere domino litis *Utilem* ex hâc stipulatione actionem. Et est exceptio regulæ, *Nemo alteri stipulari potest.*

Source : BIU Cujas

Vir bonus non arbitratur indefensam esse rem, de quâ Prætor judicium accipere non cogat. *l.* 18. ff. *d. tit.*

M D X X V I I I.

Quando committatur clausula DE dolo.

In clausulâ DOLUM malum abesse absuturumque esse, verbum ABFUTURUMQUE ESSE plenissimum est; ut, si aliquo tempore non abfuerit (*a*) dolus, committatur stipulatio. *l.* 19. ff. *d. tit.*

Doli mali clausula, sicut reliquæ stipulationes in quibus tempus non est, ad principium (*a*) stipulationis refertur. *d. l.* 19. § 2.

Et ob extranei dolum, promissor tenetur. *d. l.* 19. § 1.

(*a*) Post stipulationem.
(*b*) Adeòque non refertur ad dolum qui præcessisset stipulationem.

§ IV.

An pluries committi possit stipulatio Judicatum solvi, *cui & in quem detur actio eâ commissâ, quid veniat in hâc actione, & quando ipsa stipulatio extinguatur.*

M D X X I X.

Si committeretur stipulatio ex uno casu, ampliùs ex alio committi (*a*) non potest. *l.* 2. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Adversùs eamdem personàm scilicet.

M D X X X.

Si procurator meus Judicatum solvi satis acceperit, mihi ex stipulatu actio utilis est; & procurator meus Ex stipulatu agendo debet repelli. *l.* 28. ff. *de Procurat.*

Si defensor (*a*) meus Judicatum solvi satisdederit, in me ex stipulatu actio non datur. *d. l.* 28.

(*a*) Sine mandato: secus, si ex mandato.

M D X X X I.

Judicatum solvi stipulatio in tantum committitur, in quantum judex (*a*) pronuntiaverit. *l.* 9. ff. *Judic. solv.*

Quoties Ob rem non defensam agitur cum fidejussoribus; non est iniquum caveri, dominum priore judicio absolvi. *l.* 14. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Quòd si *Ob rem non defensam*, committitur in quantum judex condemnaret.

M D X X X I I.

Hæc stipulatio, simul atque *reus* defendi cœperit aut defendi debere desierit, resolvitur. *l.* 15. ff. *d. tit.*

Postquàm cum uno *fidejussore* lis (*a*) contestata est ob rem non defensam; ipse reus potest suscipere defensionem; is autem cum quo actum fuit, absolvi debet. *l.* 3. § 10. ff. *d. tit.*

Si lis finita fuerit, vel solutione, vel transactione, vel acceptilatione, vel quo alio modo; placuit evanescere OB rem non defensam clausulam. *l.* 13. ff. *d. tit.*

(*a*) Secùs, si jam damnatus esset fidejussor, aut si jam solvisset.

SECTIO V.

De Postulatione, & Advocatis.

§ I.

Qui postulare possint necne.

M D X X X I I I.

Prætor quosdam (*a*) in totum prohibuit postulare, quibusdam (*b*) vel pro se permisit, quibusdam (*c*) & pro certis duntaxat (*d*) personis. *l.* 1. § 1. ff. *de Postuland.*

Quos prohibet Prætor APUD SE postulare, omnimodò prohibet; etiamsi adversarius partiatur. *l.* 7. *ff. d. tit.*

Puto omnes qui non sponte sed necessario officio funguntur, posse sine offensâ Edicti postulare; etiamsi hi sint qui nonnisi pro se postulare possunt. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Ex eâ causâ prohibitus postulare pro alio, quæ infamiam non irrogat; in eâ tantùm provinciâ non rectè postulat, in quâ Præses fuit qui Sententiam dixit. *l.* 9. *ff. d. tit.*

Si quis advocationem præstare fuerit prohibitus APUD SE, ut solent; puto apud successorem adesse posse. *l.* 6. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Minorem 17. annis, & surdum.
(*b*) Mulieres, cæcos, capitali crimine aut calumniæ publici judicii damnatos, corpore suo muliebria passos, & qui locaverunt operas ut cum bestiis pugnarent.
(*c*) Cæteros infames.
(*d*) Necessitudine conjunctis. Quæ sint illæ, vide *d. tit.* N. 40.

M D X X X I V.

Qui fisci causas agunt, suam *duntaxat* vel filiorum vel parentum, vel pupillorum quorum tutelam gerunt causas, & adversùs fiscum agere non prohibentur. *l.* 10. *ff. d. tit.*

Rescriptum est; Non prohiberi tutorem adesse pupillo, in negotio in quo Advocatus contra patrem ejus fuisset. *l.* 11. *ff. d. tit.*

§ II.

De honore Advocatorum, & eorum officio.

M D X X X V.

Non solos nostro Imperio militare credimus illos qui gladiis clypeis & thoracibus nituntur, sed etiam Advocatos. Militant namque causarum patroni; qui gloriosæ vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam & posteros defendunt. *l.* 14. *Cod. de Advoc. diverf. jud.*

M D X X X V I.

Advocatus Ne ex industriâ protrahat jurgium. *l.* 6. § 4. *Cod. de Postul.*

Advocati non ultrà quàm litium poscit utilitas, in licentiam conviciandi & maledicendi temeritatem prorumpant. *d. l.* 6. § 1.

Nemo ex his quos licebit (*a*) accipere vel decebit, aspernanter habeat quod sibi obtulerit litigator. *d. l.* 6.

Nullum cum litigatore, quem in propriam recepit fidem, contractum ineat Advocatus, nullam conferat pactionem. *d. l.* 6.

Advocati, si per eos non steterit quominùs causam agant, honoraria reddere non debent. *l.* 38. § 1. *ff. Locati.*

(*a*) Quidam enim erant quibus non licebat accipere honorarium; nimirùm hi qui magnis decorati erant dignitatibus, l. 6. § 5. Cod. *de Postul.*

Source : BIU Cujas

SECTIO VI.

De Litis conteſtatione, judicio conſtituendo, & ordine cognitionum.

§ I.

Quæ res in judicium deduci poſſit, & quæ deducta intelligi debeat; item quando deduci videatur ſeu Litis conteſtatio *fieri, & quis ſit hujus effectus.*

M D X X X V I I.

Non quemadmodum fidejuſſoris obligatio in pendenti poteſt eſſe, ita judicium in pendenti poteſt eſſe; vel de his rebus quæ poſteà in obligationem adventuræ ſunt. *l.* 35. *ff. de Judic.*

M D X X X V I I I.

Non poteſt videri in judicium veniſſe, id quod poſt judicium acceptum accidiſſet; ideòque aliâ interpellatione opus eſt. *l.* 23. *ff. d. tit.*

M D X X X I X.

Res in judicium deducta, ſeu Lis tunc conteſtata videtur; quum judex (*a*) per narrationem negotii, cauſam audire cœperit. *l. un. Cod. de Litis conteſt.*

(*a*) Intellige Magiſtratum.

M D X L.

Non ſolet deterior (*a*) conditio fieri eorum qui litem conteſtati ſunt quàm ſi non; ſed plerumque (*b*) melior. *l.* 86. PAUL. LIB. 7. QUÆSTION.

Nemo enim in perſequendo, deteriorem cauſam ſed meliorem facit. Denique poſt litem conteſtatam heredi quoque (*c*) proſpiceretur, & heres tenetur ex omnibus cauſis. *l.* 87. IDEM LIB. 13. QUÆSTION.

Hinc & Lite conteſtatâ, uſuræ currunt (*d*). *l.* 35. *ff. de Uſur.*

(*a*) Hinc non ſiſtit uſuras, privilegia non tollit, in quo differt à voluntariâ novatione.
(*b*) In hoc quòd perpetuat actionem.
(*c*) Ut actio quæ heredi non datur, qualis eſt actio *Injuriarum*, poſt litem conteſtatam heredi detur.
(*d*) In eſt, non ſiſtuntur.

M D X L I.

Ubi acceptum eſt ſemel judicium, ibi & finem accipere debet. *l.* 30. *ff. de Judic.*

§ II.

Quis poſſit judicium dare aut denegare, & de judicibus datis.

M D X L I I.

Eum qui judicare jubet, Magiſtratum eſſe oportet. *l.* 13. *ff. de Juriſd.*

Ejus eſt actionem denegare, qui poſſit & dare. *l.* 102. § 1. ULP. LIB. 1. AD ED.

M D X L I I I.

Quidam Lege (*a*) impediuntur ne judices ſint, quidam naturâ (*b*), quidam moribus (*c*). *l.* 12. § 2. ff. *de Judic.*

Cæcus judicandi officio fungitur. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Iniquum eſt aliquem ſuæ rei judicem fieri. *l.* 17. *ff. d. tit.*

(*a*) Ut Senatu moti.
(*b*) Ut furioſi, minores decem & octo annis, ſurdi, muti.
(*c*) Fœminæ, ſervi.

In privatis negotiis, pater filium vel filius patrem judicem habere (*d*) poteſt. *l.* 77. *ff. de Re judic.*

Obſervandum ne is judex detur, quem altera pars nominatim petat. *l.* 47. *ff. de Judic.*

(*d*) Sed audietur adverſarius, ſi eum recuſet.

M D X L I V.

Judicare, munus publicum eſt. *l.* 78. *ff. d. tit.*

Hinc Qui non habet excuſationem, etiam invitus judicare cogitur. *l.* 13. § 2. *ff. de Vacat. mun.*

Judex, ſemel agnoſcendo judicium, renuntiat excuſationi. *d. l.* 13. § 3.

M D X L V.

Judices à Præſide dati, ſolent in tempus ſucceſſorum ejus durare. *l.* 49. § 1. *ff. de Judic.*

Si longius ſpatium interceſſurum erit quominus judex datus operam poſſit dare; mutare eum jubet Prætor. *l.* 18. *ff. d. tit.*

Judicium (*a*) ſolvitur, vetante eo qui judicare juſſerat; vel etiam, ſi ipſe judex ejuſdem imperii eſſe cœperit cujus erat qui judicare juſſit. *l.* 58. *ff. d. tit.*

Reſpondi; Non modò ſi unus aut alter, ſed etſi omnes judices mutati eſſent, tamen & rem eamdem & judicium idem quod anteà fuiſſet, permanere. *l.* 76. *ff. d. tit.*

(*a*) Quoad hunc judicem; non omninò. Vide Reg. ſeq.

§ III.

De ordine cognitionum.

M D X L V I.

Per minorem cauſam majori cognitioni præjudicium fieri (*a*) non oportet; major enim quæſtio, minorem cauſam ad ſe trahit. *l.* 54. *ff. de Judic.*

Rei majoris pecuniæ præjudicium fieri videtur; quum ea quæſtio in judicium deducitur, quæ vel tota, vel ex aliquâ parte communis eſt quæſtioni de re majori. *l.* 21. *ff. de Except. rei judic.*

Si in duabus actionibus, alibi ſumma major, alibi infamia eſt; præponenda eſt cauſa exiſtimationis. Ubi autem acquiparant famoſa judicia, etſi ſummam imparem habent, pro paribus accipienda ſunt. *l.* 104. ULP. LIB. 2. AD ED.

(*a*) *Præjudicium fieri* ſeu præjudicari eſt, antè judicari. Senſus igitur eſt, non debere judicari minorem cauſam, nec de eâ judicium dari, antequàm priùs judicata fuerit major ex quâ pendet.

M D X L V I I.

Priùs judicandum de poſſeſſione quàm de proprietate: ſi quidem Non aliter lis expediri poteſt, quàm ſi alter petitor alter poſſeſſor ſit. *l.* 62. *ff. de Judic.*

Cauſa de totâ re, aut de re principali, major eſt quàm illa quæ eſt de parte aut de aliquo rei acceſſorio: ex l. 16. *& l.* 18. *ff.* de Except.

Hinc Judiciorum (*a*) quæ de hereditatis petitione fiunt, ea auctoritas eſt ut nihil in præjudicium fieri debeat. *l.* 5. § 2. *ff. de Her. petit.*

Cauſæ circa perſonæ ſtatum, & cauſa criminalis, majores ſunt cauſis pecuniariis; eaſque præcedere debent: ex l. 2. *l.* 4. *Cod.* de Ord. judic. *l.* 5. *l.* 6. *Cod.* de Ord. cogn.

Cauſam pecuniariam cauſa criminalis ſtatûs-ve, quum utraque principaliter mota eſt, differre debet. Verùm Quum civili diſceptationi principaliter motæ quæſtio (*b*) criminis incidit, vel crimini priùs inſtituto civilis cauſa adjungitur; poteſt judex eodem tempore utramque

(*a*) Fluit ex præcedenti. Nam cauſa de universâ hereditate, major eſt illis quæ ſunt de aliquâ re ſingulari ejus hereditatis.
(*b*) Idem dic de quæſtione incidenti de ſtatu perſonæ; etiamſi is eſſet judex qui competens non eſſet, ſi principaliter moveretur. l. 1. Cod. *d. tit.*

diſceptationem

Source : BIU Cujas

disceptationem suâ Sententiâ dirimere. *l.* 3. *Cod. de Ord. jud.*

Priùs cognoscendum de vi, quàm de proprietate rei. *l.* 37. *ff. de Judic.*

M D X L V I I I.

Futuri judicii, non facti (*a*) nomine, hujusmodi exceptiones *præjudiciales* comparatæ sunt. *l.* 13. *ff. de Except.*

(*a*) Id est, finiti. Vide Cujacium *Observ.* IX. 20. & Notas ad h. l. *d. tit.* N. 19.

SECTIO VII.

De Disceptatione causæ, probationibus, & instrumentis.

ARTICULUS I.

De Dilationibus, seu prolationibus diei quo quis ad disceptandam causam judicio sisti debet.

M D X L I X.

In pecuniariis (*a*) causis, omnis (*b*) dilatio plus semel tribui non potest; in capitalibus, reo tres dilationes, accusatori duæ dari possunt, sed utrumque causâ cognitâ. *l.* 10. *ff. de Fer. & dilat.*

Causâ cognitâ, & iterùm dilatio impertiri solet; & maximè si aliquid inopinatum emergat. *l.* 7. *ff. d. tit.*

A procedente judice, dilationem non convenit, postulari (*c*). *l.* 4. *Cod. de Dilation.*

(*a*) Etiam adversùs fiscum. At in Consistorio Principis nulla conceditur.
(*b*) Quæ est trium mensium, quum ex eâdem provinciâ; sex, quum ex continentibus; novem, quum ex transmarinâ regione afferenda instrumenta petuntur.
(*c*) Cognitionem enim desiderat.

ARTICULUS II.

De Probationibus.

§ I.

Cui in disceptatione causæ incumbat onus probandi.

M D L.

Ei incumbit probatio qui dicit, non qui negat. *l.* 2. *ff. de Probat.*

Per rerum naturam, factum negantis probatio nulla est. *l.* 23. *Cod. h. tit.*

Semper necessitas probandi (*a*) incumbit illi qui agit. *l.* 21. *ff. d. tit.*

Qui excipit, probare debet quod excipitur. *l.* 9. *ff. de Probat.*

In exceptionibus dicendum est; reum partibus actoris fungi oportere, ipsumque exceptionem implere (*b*). *l.* 19. *ff. d. tit.*

Et Eum (*c*) qui voluntatem mutatam dicit, probare hoc debere. *l.* 22. *ff. d. tit.*

(*a*) Quod dicit scilicet. Hinc in *Negatoriis* actionibus serviturum, nulla requiritur ab actore probatio; sed à reo.
(*b*) Id est; probare debere, ita tamen, si priùs actor probaverit quod intendit N. seq.
(*c*) Fluit ex Reg. 1*a*. hujus Numeri.

M D L I.

Actore non probante; qui convenitur, etsi nihil ipse præstat, obtinebit. *l.* 4. *Cod. de Edend.*

§ II.

Ex quibus rebus eruantur probationes.

M D L I I.

In exercendis litibus, eamdem (*a*) vim obtinent, tam fides instrumentorum quàm depositiones testium. *l.* 15. *Cod. de Fid. instrum.*

Fiunt scripturæ; ut quod actum est, per eas faciliùs probari possit. Et sine his autem valet quod actum est, si habeat probationem. *l.* 4. *ff. de Fid. instrum.*

Apud eos qui rem gestam ignoraverunt, amissorum instrumentorum habita testatio nihil ad probationem veritatis prodesse potest. *l.* 13. *Cod. de Fid. instrum.*

At verò instrumentis Amissis, non (*b*) tolli substantiam veritatis placuit. *l.* 10. *Cod. d. tit.*

(*a*) Hoc sensu; ut, quum deest scriptura, testes plenam fidem faciant æquè ac faceret scriptura.
(*b*) Scilicet si res aliundè probari possit.

M D L I I I.

Soli testes ad ingenuitatis probationem (*a*) non sufficiunt. *l.* 2. *Cod. de Test.*

Contra scriptum testimonium, non scriptum testimonium (*b*) non fertur. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

Census & monumenta publica, potiora testibus esse Senatus censuit. *l.* 10. *ff. de Probat.*

(*a*) Regula fallit, si instrumenta amissa esse probetur.
(*b*) Vulgò sic intelligitur, ut probatio quæ ex scripturâ eruitur præponderet testibus. Dissentit Schultingius qui sic intelligit, ut testes non audiantur; si, postquàm instrumento subscripserunt, diversum testari velint.

M D L I V.

De actis simulatis.

In contractibus, rei veritas quàm scriptura perspici debet. *l.* 1. *Cod. Plus val. quod agitur, &c.*

Acta simulata, veritatis substantiam mutare non possunt. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

M D L V.

Quid obtineat, quum hinc indè contrariæ testium professiones eduntur.

Durum & iniquum est, quum diversæ professiones proferuntur, ei potissimùm stare quæ nocet. *l.* 13. *ff. de Probat.*

Non ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem. *l.* 21. § 3. *ff. de Testib.*

ARTICULUS III.

De scripturis quæ ad probationem producuntur.

§ I.

Quæ instrumenta edenda sint, & à quibus; ubi, & quomodo.

M D L V I.

Edenda sunt omnia quæ quis apud judicem editurus est; non tamen ut & instrumenta quibus quis usurus non sit, compellatur edere. *l.* 1. § 3. *ff. de Edendo.*

Nimis grave est, urgeri partem diversam ad exhibitionem eorum per quæ sibi negotium fiat. *l.* 7. *Cod. de Testib.*

Non (*a*) oportet originem petitionis, ex instrumentis ejus qui convenitur, fundari. *l.* 8. *Cod. de Edend.*

(*a*) Fluit ex præcedenti. Cæterùm fallit Regula interdum ex causâ: item fallit, quum fiscus agit. Observandum quòd ipse quidem reus, & ii qui testimonium contrà ipsum dicere non coguntur (de quibus infrà, Art. seq.) mihi instrumenta sua edere non coguntur; at extranei cogi possunt exhibere, aut jurare se non habere, vel eorum exhibitionem sibi damnosam esse. Vide Tit. *de Fide instrum.* N. 2.

Source : BIU Cujas

Argentarius (*b*) rationes edere jubetur; nec intereſt (*c*), cum ipſo controverſia ſit an cum alio. *l.* 10. *ff. de Edend.*

Non (*d*) eſt novum, eum à quo petitur pecunia, implorare rationes creditoris. *l.* 5. *Cod. d. tit.*

(*b*) Idem dic de nummulario, idem de tutore meo, procuratore aut ſocio: idem dic de ſucceſſoribus eorum, ſi rationum librum penès ſe habeant.
(*c*) Exceptio eſt ſuperioris regulæ. Hæc autem exceptio fallit, niſi actor ipſe ſit argentarius argentarii-ve heres qui propriis rationibus inſtrui poſſit.
(*d*) Et in hâc re differt reus ab actore.

M D L V I I.

Ibi quis compellitur edere, ubi argentariam exercet. *l.* 5. *ff. d. tit.*

M D L V I I I.

Ab argentario edenda Ea ſola pars rationum, quæ ad inſtruendum aliquem pertinet. *l.* 10. § 2. *ff. de Edendo.*

At in contractibus Edere non videtur, qui ſtipulationem totam non edit. *l.* 1. § 4. *ff. d. tit.*

Editiones (*a*) ſine die & Conſule fieri debent. *d. l.* 1. § 2.

(*a*) *Crainte des antidates.* Fallit regula in rationum editione.

§ II.

Quæ inſtrumenta fidem faciunt.

M D L I X.

Exemplo perniciosum eſt ut ei ſcripturæ credatur, quâ unuſquiſque ſibi adnotatione propriâ debitorem conſtituit. *l.* 7. *Cod. de Probat.*

M D L X.

Sive à privato, ſive etiam Quicumque à fiſco convenitur; non ex indice (*a*) & exemplo alicujus ſcripturæ, ſed ex authentico conveniendus eſt. *l.* 2. *ff. de Fid. inſtrum.*

Scripturæ diverſæ fidem ſibi invicem derogantes, ab unâ eâdemque parte prolatæ, nihil firmitatis habere potuerunt. *l.* 14. *Cod. de Fid. inſtrum.*

Si, quum fides inſtrumenti in dubium revocaretur, non uſurum ſe conteſtatus eſt quis; uti non poteſt. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

(*a*) *Extrait.*

M D L X I.

Incumbit probatio fidei inſtrumenti, ei primitùs qui ſcripturam obtulerit; deindè ei qui ſtrictâ inſtantiâ falſum arguere paratus ſit. *l.* 24. *Cod. ad L. Corn. de falſ.*

Quum morandæ ſolutionis gratiâ à debitore Falſi crimen objicitur; nihilominùs ſalvâ executione criminis, debitorem ad ſolutionem compelli oportet. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

ARTICULUS IV.

De Teſtibus.

§ I.

Qui teſtes idonei ſint necne.

M D L X I I.

Mulieres teſtimonii in judicio dicendi jus habent. *l.* 18. *ff. de Teſtib.*

Quidam propter reverentiam perſonarum, quidam propter lubricum (*a*) conſilii ſui, alii verò propter notam (*b*) & infamiam vitæ ſuæ, admittendi non ſunt ad teſtimonii fidem. *l.* 3. § 5. *ff. d. tit.*

Servi reſponſo tunc credendum eſt, quum alia probatio ad eruendam veritatem non eſt. *l.* 7. *ff. d. tit.*

Nullus idoneus teſtis in re ſuâ intelligitur. *l.* 10. *ff. d. tit.*

Idonei non videntur teſtes, quibus imperari poteſt ut teſtes fiant. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Domeſtici teſtimonii fides improbatur. *l.* 3. *Cod. h. tit.*

Teſtis idoneus pater filio (*c*), aut filius patri non eſt *l.* 9. *ff. de Teſt.*

Parentes & liberi, invicem adversùs ſe, nec volentes ad teſtimonium admittendi ſunt. *l.* 6. *Cod. d. tit.*

At Nihil nocet, ex unâ domo plures teſtes alieno negotio adhiberi. *l.* 17. *ff. de Teſtib.*

Servos pro domino, quemadmodum adversùs eum, interrogari non poſſe; pro (*d*) facto autem ſuo interrogari poſſe, non ambigitur. *l.* 8. *Cod. d. tit.*

Ne patroni in causâ cui patrocinium præſtiterunt, teſtimonium dicant. *l.* 25. *ff. de Teſtib.*

(*b*) Ut Senatu moti, Repetundarum vel ob crimen famoſum damnati, & cæteri infames: in crimine tamen *Majeſtatis*, omnes amittuntur.
(*c*) De ætate tamen liberorum, profeſſio parentum recipitur.
(*d*) Putà, de vitio fugitivi.

M D L X I I I.

Produci (*a*) teſtis is non poteſt, qui antè in eum reum teſtimonium dixit (*b*). *l.* 23. *ff. de Teſt.*

(*a*) Pertinet hæc regula ad ſola criminalia judicia; præcedentes regulæ ad omnes lites.
(*b*) Suſpectus enim inimicitiæ eſt, qui ſæpiùs in eumdem teſtis inſurgit.

M D L X I V.

De recuſatione teſtium.

Si quis teſtibus uſus fuerit, iidemque teſtes adversùs eum in aliâ lite producantur; non licebit ei, perſonas eorum (*a*) excipere. *l.* 7. *Cod. d. tit.*

(*a*) Fallit regula; ſi doceat inimicitias poſteà emerſiſſe, aut eos pecuniâ eſſe corruptos.

§ II.

Quot teſtes ad probationem requirantur.

M D L X V.

Sancimus ut unius (*a*) teſtimonium nemo judicum *facilè* patiatur admitti. *l.* 9. § 1. *Cod. de Teſtib.*

Ubi numerus teſtium non (*b*) adjicitur, duo ſufficiunt. *l.* 12. *ff. d. tit.*

At verò Requiruntur ad generis æſtimationem teſtes quinque, ſi deſint inſtrumenta; vel tres, ſi inſtrumenta ſuffragentur. *l.* 15. § 1. *Cod. h. tit.*

(*a*) Etiamſi Senator ſit. d. l. 9.
(*b*) In quibuſdam enim cauſis major numerus admittitur: Reg. ſeq. Vide & alia exempla, *d. tit.* N. 18.

§ III.

Qui cogantur necne ad teſtimonium ferendum; & de officio judicis in evocandis teſtibus, recipiendiſque teſtimoniis.

M D L X V I.

1. Incunctabile eſt ut, ſi res exigat, non tantùm privati, ſed etiam Magiſtratus ſi in præſenti ſint, teſtimonium dicant. *l.* 21. § 1. *ff. d. tit.*

2. Lege Juliâ Publicorum judiciorum cavetur; NE invito denuntietur ut teſtimonium litis dicat, adversùs ſocerum (*a*), generum, vitricum, privignum, ſobrinum, ſobrinam, ſobrino natum, eos-ve qui priore gradu ſint. *l.* 4. *ff. d. tit.*

(*a*) Ut impuberes minores 20 annis in criminalibus cauſis.

(*a*) Item proſocerum, progenerum, &c.

Source : BIU Cujas

3. Inviti teſtimonium dicere non coguntur ... quibus venire non licet (*b*). *l.* 8. *ff. d. tit.*

(*b*) Ob juſtam cauſam, putà valetudinis, ſenectutis, negotii, &c.

M D L X V I I.

1. Judices ... eum ſolum numerum teſtium, quem neceſſarium eſſe putaverint, evocari patiantur. *l.* 1. § 2. *ff. d. tit.*

2. Divus Hadrianus reſcripſit; Teſtibus, non teſtimoniis (*a*) credendum. *l.* 3. § 3. *ff. d. tit.*

3. Jurisjurandi religione teſtes, priuſquàm perhibeant teſtimonium, arctari præcipimus (*b*). *l.* 9. *Cod. d. tit.*

Fides teſtium diligenter examinanda eſt. *l.* 3. *ff. d. tit.*

Teſtes qui adversùs fidem teſtationis vacillant, audiendi non ſunt. *l.* 2. *ff. de Teſt.*

Circa teſtes fide minùs dignos, Quod Legibus omiſſum eſt; non omittetur religione judicantium. *l.* 13. *ff. d. tit.*

4. Ad fidem rei geſtæ faciendam, etiam non rogans teſtis intelligitur. *l.* 11. *ff. d. tit.*

(*a*) Igitur judex eos ipſe audire debet; inſuper & auctoritatem fidemque perſonarum per ſe ponderare.

(*b*) Sed & Jure veteri ita obtinebat.

ARTICULUS V.

De his quæ probationum vice ſunt; ubi de præſumptionibus, & de jurejurando ſuppletorio ſeu judiciali.

M D L X V I I I.

Confeſſio adverſarii vice probationis eſt, niſi errorem probaverit. l. 15. *ff.* de Probat. & *toto N.* 18. d. tit.

Ea quæ Advocati præſentibus his quorum cauſæ aguntur, allegant; perindè habenda ſunt, ac ſi ab ipſis dominis litium proferantur. *l.* 1. *Cod. de Error. Adv.*

Item præſumptiones juris, vice probationum ſunt; & his ſtandum, niſi contrarium (*a*) *probetur.*

(*a*) In quo differunt ab his quas Interpretes *Juris & de jure* appellant, quæ omnem contrariam probationem excludunt; quales ſunt illæ quæ ex re judicatâ aut jurejurando naſcuntur.

M D L X I X.

Præſumptiones inducuntur, ex eo quod plerumque contingit. Putà

Plerumque, tam heredibus noſtris quàm nobiſmetipſis cavemus (*a*). *l.* 9. *ff. de Probat.*

Si quis negat emancipationem ritè factam, probationem præſtare (*b*) debet. *l.* 5. § 1. *ff. d. tit.*

Ab eâ parte quæ dicit adverſarium ſuum aliquo Jure prohibitum ſpecialiter Lege vel Conſtitutione, id probari oportet (*c*). *d. l.* 5.

Si chirographum cancellatum fuerit, præſumptione debitor liberatus videtur. *l.* 24. *ff. d. tit.*

Præſumptionem *debiti* pro eo eſſe qui accepit (*d*), nemo dubitat. *l.* 25. *ff. de Probat.*

Abſurdum (*e*) eſt eum qui ab initio negavit pecuniam ſuſcepiſſe, poſtquàm fuerit convictus eam accepiſſe, probationem ab adverſario exigere. *d. l.* 25.

Vide alia præſumptionum exempla, Tit. de Probation. *Sect.* 3^a.

(*a*) Præſumetur igitur quis heredi ſuo caviſſe; niſi adverſarius probet hoc actum ut ſibi duntaxat caveret.

(*b*) Præſumuntur enim omnes actus ritè fuiſſe confecti.

(*c*) Præſumitur enim licere cuique quod jure communi licet.

(*d*) Fluit ex Reg. 12^a. N. præced. Nam qui ſolvit, tacitè confeſſus eſt ſe debere.

(*e*) Exceptio eſt præcedentis regulæ. Alia exceptio petitur ex imbecillitate ætatis ſexûs-ve, aut ex ruſticitate ejus qui ſolvit.

M D L X X.

In bonæ fidei contractibus, necnon etiam in cæteris cauſis; Inopiâ probationum, per judicem jurejurando (*a*) cauſâ cognitâ res decidi oportet. *l.* 3. *Cod. de Reb. cred. & jur.*

Interdum (*b*) poſt jusjurandum exactum permittitur, ex Conſtitutionibus Principum, ex integro cauſam agere; ſi quis nova inſtrumenta ſe inveniſſe dicat, quibus nunc uſurus ſit. *l.* 31. *ff. de Jurejur.*

(*a*) Judex autem illud defert plerumque Reo; interdum actori, quum pro ipſo valdè probabilia, non tamen penè probatoria argumenta militant; ita ut ſolum ipſius jusjurandum deeſſe videatur ad plenam probationem.

(*b*) Regula locum habet, in eo jurejurando quod à judice defertur: ſecùs in eo quod à parte delatum eſt, aut relatum; de quo infrà Cap. 3°. Sect. 2ª Art. 3.

SECTIO VIII.

De Sententiis, & eremodiciis.

§ I.

De officio judicis in Sententiâ ferendâ.

M D L X X I.

1. Judicibus de jure dubitantibus, Præſides reſpondere ſolent; de facto conſulentibus non debent Præſides conſilium impertire, verùm jubere eos prout religio ſuggerit Sententiam proferre. *l.* 79. § 1. *ff. de Judic.*

32. Si convenerit inter litigatores quid pronuntietur; non abs re erit judicem, hujuſmodi Sententiam proferre. *l.* 26. *ff. de Re judic.*

2. Eum quem temerè adverſarium ſuum in judicium vocaſſe conſtitit, viatica litiſque ſumptum adverſario ſuo reddere oportebit. *l.* 79. *ff. d. tit.*

M D L X X I I.

Judices, Legibus, non exemplis judicare debent. *l.* 13. *Cod. de Sent. & interl.*

Subtilitatis Legum judex curam gerat, nihil his quæ contra Leges dicta fuerint à principe attendens. *l.* 11. *Cod. d. tit.*

In (*a*) pœnalibus cauſis benigniùs interpretandum eſt. *l.* 155. (*Aliàs* 197.) § 2. PAUL. LIB. 65. AD ED.

Quoties (*b*) æquitatem deſiderii, naturalis ratio aut dubitatio Juris moratur, juſtis Decretis res temperanda eſt. *l.* 85. § 2. PAPIN. LIB. 6. QUÆSTION.

Quoties (*c*) nihil ſine captione inveſtigari poteſt. eligendum eſt quod minimum habeat iniquitatis. *l.* 200. JAVOLEN. LIB. 7. EPISTOL.

In re obſcurâ (*d*) melius eſt favere repetitioni quàm adventitio lucro. *l.* 41. § 1. ULP. LIB. 26. AD ED.

(*a*) Hinc V. G. ſi ſocius actione *Furti* conventus ſit quòd rem communem amoverit; in dubio magis interpretandum erit, eum hanc rem amoviſſe quòd pro parte ſua eſſet, quàm animo furti faciendi: l. 51. ff. *Pro ſoc.*

(*b*) Inter alia hoc regulæ exemplum affert P. Faber ad h. l. ſi heres non caveat pro legato quod municipibus relictum eſt. Eo caſu *Æquitatem deſiderii* municipum, ut ſibi ſubveniatur per miſſionem in bona teſtatoris; illa *naturalis ratio moratur*, quòd repugnet univerſitatem eſſe in poſſeſſione. Igitur *juſto decreto rem* ita *temperabit* Prætor; ut mittat in poſſeſſionem, non quidem ipſos municipes, quod repugnaret, ſed actorem municipum: l. 12. ff. *Ut in poſſ. leg.*

Hoc quoque alterum exemplum afferri poteſt. Habeo actionem adversùs te, cujus dies brevi exitura eſt; te convenio Romæ apud Prætorem. *Æquitatem deſiderii* hæc dubitatio *Juris* moratur, quòd alleges te ex privilegio habere jus revocandi domum: Prætor *juſto decreto rem* ita *temperabit*, ut jubeat te ſaltem conteſtari litem, ne dies exeat.

(*c*) Hoc exemplum Cujacius, & P. Faber afferunt. Servus hereditarius fidejuſſorem accepit de aliquâ re; qui ſe ita obligavit, ut intra certum tempus duntaxat teneretur. Quæritur an ex die ſtipulationis; an ex die demùm aditæ hereditatis, tempus currat? Si dicamus currere ex die ſtipulationis; videtur captio eſſe actoris, id eſt heredis, cui per ſervum hereditarium actio quæſita eſt: tempus enim curreret priuſquàm potuiſſet agi. At ſi dicamus tempus currere ex die demùm aditæ hereditatis; longè major erit captio rei, id eſt hujus fidejuſſoris; qui obligaretur ultrà tempus ultrà quod obligari voluit. *Eligendum* ergo *quod minimum habeat iniquitatis*; & judicandum, tempus currere ex die ſtipulationis; quamvis heres ante aditam hereditatem non potuerit agere. l. 4. ff. *de Diverſ. temp. præſcr.*

(*d*) Hinc quum obſcurum eſt, an quis ſciens an ignorans indebitum ſolverit; magis favendum eſt *Repetitioni*, dando ei (ut ignoranti) Condictionem pecuniæ indebitè ſolutæ, *quàm adventitio lucro* ejus qui eam indebitè accepit. Hinc quamvis non appareat eum qui rem titulo lucrativo ab aliquo in fraudem creditorum eam alienante accepit, fuiſſe fraudis conſcium, tamen danda in eum eſt actio revocatoria; cùm melius ſit favere *Repetitioni* creditorum, in quorum fraudem res alienata eſt, quàm ejus *Adventitio lucro*.

Source : BIU Cujas

In pari causâ possessor (*e*) potior haberi debet. *l.* 128. (*aliàs* 170.) PAUL. LIB. 19. AD ED.

In eo quod vel is qui petit, vel is à quo petitur, lucri facturus est; durior (*f*) causa est petitoris. *l.* 33. POMPON. LIB. 22. AD SABIN.

Item Quum de lucro duorum quæritur, melior est causa possidentis. *l.* 126. (*aliàs* 166.) § 2. ULP. LIB. 15. AD ED.

Interdum tamen hæc contraria regula obtinet: Quoties (*g*) utriusque causâ lucri ratio vertitur, is præferendus est cujus in lucrum causa tempore præcedit. *l.* 98. HERMOG. LIB. 4. JURIS EPITOM.

Quum par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa. Sicut fit quum de dolo excipitur petitoris: neque enim datur talis replicatio petitori, AUT SI rei quoque in eâ re dolo actum sit. *l.* 154. (*aliàs* 196.) ULP. LIB. 70. AD ED.

(*e*) Fluit hæc regula ex l. *Favorabiliores* suprà N. 1486. Hinc neutro probante rem suam esse, possessor præferendus est. Hinc si duobus res singulis in solidum obligata sit eodem tempore; possessor in pignore potior est, &c.

(*f*) Hinc V. G. in causâ usucapionis in quâ lucrum vertitur si bonæ fidei emptor qui possessione rei excidit, petat eam *Publicianâ* actione, ab alio bonæ fidei emptore qui eam ab alio domino comparavit; in hâc causâ in quâ uterque certat de lucro usucapionis hujusce rei, *Durior* erit *causa petitoris*; cui adversùs parem bonæ fidei emptorem deneganda erit Publiciana.

(*g*) Hæc locum habet, quum uterque ab eodem non domino rem comparavit. Hoc casu hic præferendus, non qui possidet, sed cui priori res vendita ac tradita est: Tit. *de Publ. act.* N. 23. Etenim si possessor contra Publicianam ita excipiat, *Si non ego pariter bonâ fide comparavi*; hanc replicationem patietur, *Si non ab eo emisti qui priùs rem mihi vendiderat ac tradiderat*: quæ replicatio tuum auctorem, si ipse rem possideret, etiamsi in hujus rei dominium successisset, repelleret; adeòque & te qui ei successisti repellere debet, juxtà regulas suprà N. 1457.

M D L X X I I I.

Non dubitandum est judicem, à litigatoribus (vel his qui negotiis adsistunt) si minùs fuerit dictum, id supplere; & proferre quod sciat Legibus & Juri publico convenire. *l. un. Cod. Ut quæ desunt adv. jud. supp.*

§ II.

Quæ sententia vincat, quum judices dissentiunt.

M D L X X I V.

Inter (*a*) pares numero judices, si dissonæ sententiæ inveniantur; in liberalibus quidem causis pro libertate statutum obtinet, in aliis pro reo. *l.* 38. *ff. de Re judic.*

(*a*) Hæc regula spectat Centumviralia judicia, in quibus Prætor aut Decemvir *Litibus judicandis* cum Centumviris judicat; vel ea in quibus Præses cum suis Recuperatoribus judicabat.

M D L X X V.

Duo judices dati diversas sententias dederunt. Modestinus respondit; Utramque in pendenti esse, donec competens (*a*) judex unam confirmaverit. *l.* 28. *ff. d. tit.*

Duo ex tribus judicibus, uno absente judicare non possunt: sed si adsit, & contrà sentiat (*b*), statur duorum sententiæ. *l.* 39. *ff. de Re jud.*

(*a*) Magistratus qui eos dedit.
(*b*) Idem & si jure sibi non liquere.

§ III.

Quæ vitia Sententiam faciant injustam, aut generaliter ita nullam ut nec appellare necesse sit.

M D L X X V I.

Præses non ignorat definitivam Sententiam quæ condemnationem vel absolutionem non continet, pro justâ non haberi. *l.* 3. *Cod. de Sentent. & interloc.*

Ita demùm sine certâ quantitate facta condemnatio, auctoritate rei judicatæ censetur; si parte aliquâ (*a*) Actorum, certa sit quantitas comprehensa. *l.* 3. *Cod. de Sent. quæ sine cert. quantit.*

(*a*) Ad quam habeat condemnatio relationem.

Impossibile præceptum judicis, nullius est momenti. *l.* 3. *ff. Quæ Sentent. sine appell.*

M D L X X V I I.

Non jure profertur Sententia, si specialiter contra Leges vel Senatusconsultum vel Constitutionem fuerit prolata. *l.* 19. ff. *de Appell.*

Contra Constitutiones judicatur; quum de jure (*a*) Constitutionis, non de jure litigatoris pronuntiatur. *l.* 1. § 2. *ff. Quæ Sentent. sine appell.*

Quum prolatis Constitutionibus, contra eas pronuntiat judex, eo quòd non existimat causam de quâ judicat per eas juvari; non videtur contra Constitutiones Sententiam dedisse. *l.* 32. *ff de Re judic.*

(*a*) Id est, quum judex ipsam Constitutionem impugnare directè videtur: secùs, quum jus litigatoris duntaxat infringit.

M D L X X V I I I.

Prolatam à Præside Sententiam contra solitum judiciorum ordinem, auctoritatem rei judicatæ non obtinere certum est. *l.* 4. *Cod. de Sent. & interloc.*

Hinc 1°. Subscriptionem ad libellum datam, vicem rei judicatæ non obtinere non ambigitur. *l.* 5. *Cod. Commin. epist.*

Hinc 2°. Arbitri (*a*) nulla Sententia est, quam scriptam edidit litigatoribus; si non ipse recitavit. *l.* 1. *Cod. de Sent. & interloc.*

Hinc 3°. *Die feriato contra absentem Sententia dicta, nulla est: ex l.* 4. *Cod.* Quæ & quorum.

4°. *Rectè* Sententiam Præsidis irritam dicis, quòd non publicè sed in secreto loco sententiam dixit. *l.* 6. *Cod. de Sent. & interloc.*

5°. Quum non eo die quo judex præcepit, judex ab eo datus pronuntiaverit; Præses appellatione submotâ, ex integro cognoscet. *l.* 6. *Cod. Quand. provoc.*

Item Si Præses, quum certum locum causæ cognoscendæ dedisset, alibi Sententiam adversùs absentem protulit; quod ita gestum est, ad effectum Juris spectare minimè oportet. *l.* 5. *Cod. Quom. & qu. jud.*

(*a*) *Arbitrum* accipe, non compromissarium, sed judicem. Tit. præced. verb. *ARBITER.*

M D L X X I X.

Factum à judice quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est. *l.* 170. (*Aliàs* 130.) PAUL. LIB. 3. AD PLAUTIUM.

Hinc Judex ad certam rem datus, si de aliis pronuntiavit, nihil egit. *l.* 1. *Cod. Si à non comp. jud.*

At Nemo qui condemnare potest, absolvere non (*a*) potest. *l.* 37. ULP. LIB. 51. AD SABIN.

(*a*) Quamvis formula quâ judex datus est, condemnatiodis duntaxat faciat mentionem: *Si paret, &c.* CONDEMNA.

M D L X X X.

Judicatum, tantùm inter præsentes (*a*) tenet. *l.* 47. *ff. de Re jud.*

Paulus respondit; Eum qui in rebus humanis non fuit Sententiæ dictæ tempore, inefficaciter condemnatum (*b*) videri. *l.* 2. *ff. Quæ Sent. sine appell.*

Contra indefensos (*c*) Minores nulla Sententia proferenda est. *l.* 45. § 2. *ff. de Re judic.*

Si quid adversùs Rempublicam indefensam statutum est, actionibus ejus nihil est præjudicatum. *l.* 1. *Cod. de Jur. Reipubl.*

Furioso Sententia dici non potest. *l.* 9. ff. *de Re jud.*

Non videtur rationem habere Sententia *judicis*, qui

(*a*) Declarationem & exceptiones hujus regulæ, vide mox infrà §° 5°.
(*b*) At procurator qui litem contestatus est, potest condemnari; licèt mortuus fuerit dominus litis: Tit. *de Procurat.* N. 46.
(*c*) Quibus tutor aut curator creatus non est, aut si ab eo non defendantur quanquam sanè remediis Prætoriis cogendus est defendere.

Source : BIU Cujas

quum cognoviſſet inter petitorem & procuratorem.... ipſam (*d*) dominam litis condemnavit. *l.* 1. *Cod. de Sent. & interloc.*

Venales Sententias (*e*) quæ in mercedem à corruptis judicibus proferuntur, etiam citra provocationis auxilium jampridem â Divis Principibus infirmas eſſe decretum eſt. *l.* 7. *Cod. Quando provoc. non eſt nec.*

(*d*) Nec enim ipſius perſona, ſed procuratoris, fuit in judicium deducta.
(*e*) Secùs de ambitioſis: l. 65. ff. *de Re judic.*

§ IV.

De Eremodiciis, & contumaciâ.

MDLXXXI.

Contumacia eorum qui Jus dicenti non obtemperant, litis damno coercetur. *l.* 53. ff. *de Re judic.*

Et Sciendum eſt; Peremptorio (*a*) abſentem condemnatum, ſi appellet, non eſſe audiendum. *l.* 73. § 3. ff. *de Judiciis.*

(*a*) Tria Edicta adversùs deſertorem litis regulariter proponuntur, quibus ille evocatur; aliquando tamen unicum pro tribus, quod *Perenptorium* dicitur.

MDLXXXII.

Contumaces non videntur, niſi qui ad juriſdictionem ejus cui negant obſequi pertinent. *l.* 53. § 3. ff. *de Re jud.*

Contra pupillum indefenſum, eumque qui Reipublicæ causâ abeſt, vel Minorem, propoſitum peremptorium nihil momenti habet. *l.* 54. ff. *d. tit.*

Pœnam contumacis non patitur, quem adverſa valetudo, vel majoris (*a*) cauſæ occupatio defendit. *l.* 53. § 2. ff. *d. tit.*

Quod reſcriptum eſt, Etiam contra abſentes Sententiam dari ſolere; id eò pertinet ut etiam abſentem damnare poſſis, non ut neceſſe (*b*) habeas. *l.* 1. *Cod. Quomod. & quand.*

Interdum vel abſens (*c*), ſi bonam cauſam habuit, vincet. *l.* 73. ff. *de Judic.*

Si qui peremptorium impetravit, abſit die cognitionis; is verò adversùs quem impetratum eſt, adſit; circumducendum erit Edictum (*d*), nec cauſa cognoſcetur (*e*). *d. l.* 73. § 2.

(*a*) Putà, ſi ad majus auditorium vocatus erat.
(*b*) Nam ſi bona cauſa abſentis videbitur, etiam pro eo Sententiam ferre poterit: vide Reg. ſeq. Vel etiam poterit Præſes non cognoſcere, ſed alio modo contumaciam coercere.
(*c*) Et quidem contumax: de eo enim agitur in d. l. 73.
(*d*) *On rabat le défaut.*
(*e*) Tunc ſcilicet. Cæterùm ex integro poſteà litigare permittetur: ſola inſtantia Edicti perit. d. l. 73.

§ V.

An & quatenùs valeat Sententia contra abſentem non contumacem, vel pro abſente.

MDLXXXIII.

Non ſolet quis abſenti (*a*) condemnari. *l.* 6. § 3. ff. *de Confeſſ.*

Ea quæ ſtatuuntur adversùs abſentes non per contumaciam, firmitatem rei judicatæ (*b*) non obtinere certum eſt. *l.* 7. *Cod. Quomod. & quand.*

Si poſteaquàm contra te licèt abſentem (*c*) pronuntiatum eſt, intra diem præfinitum (*d*) non appellaſti; Sententiam reſcindi poſtulanti Conſtitutiones refragantur. *l.* 11. *Cod. d. tit.*

(*a*) Qui litem conteſtatus non eſt, cùm perſona ejus in judicium non ſit deducta: & ſic non pugnat cum Regulâ *Interdum* N. præced. Eâdem ratione, nec abſens qui in Jus vocatus eſt, nec litem conteſtatus eſt, poteſt condemnari; ſed coercetur permiſſionem in poſſeſſionem.
(*b*) Ab eâ enim ſententiâ appellari poteſt, & in eo differt ab eâ quæ contra contumacem lata eſt ſuprà N. 1581. Reg. 2. Cæterùm valet. Vide tamen exceptiones infrà in tribus poſtremis Reg.
(*c*) Non contumacem; alioqui non eſſet locus appellationi.
(*d*) Ex quo ſententia ad tuam notitiam pervenit. Vide Reg. ſeq.

Ad eo judicato recedi non poteſt, quod vobis abſentibus dicitis eſſe prolatum; ſi, ubi primùm cognoviſtis, non illicò (*e*) querelam detuliſtis. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

Quum ex Edicto peremptorio, quod neque propoſitum eſt nec in notitiam pervenit, abſentis condemnatio fit; nullius (*f*) momenti eſt Sententia. *l.* 3. § 3. *ff. Quæ Sent. ſine app.*

(*e*) *Illicò* accipe biduum aut triduum quod ad appellandum datur: infrà Sect. ſeq.
(*f*) Verùm valeret, ſi non tanquam ex Edicto condemnatus eſſet: ut mox in ſuperioribus Regulis.

MDLXXXIV.

Quicquid contra te abſentem ſtatutum fuerit, quando abſentiæ cauſa neceſſaria fuerit; officeret tibi, Juris ratio non permittit. *l.* 10. *Cod. Quom. & quand.*

Morbus ſonticus, etiam invitis litigatoribus, ac judice diem differt. *l.* 60. ff. *de Re jud.*

SECTIO IX.

De Appellationibus.

§ I.

De Appellationibus in genere.

MDLXXXV.

Appellandi uſus neceſſarius, cùm iniquitatem judicantium vel imperitiam corrigat; licèt nonnunquam benè latas ſententias in pejus reformet. *l.* 1. ff. *de Appell.*

Non utique meliùs pronuntiat, qui noviſſimus ſententiam laturus eſt. *d. l.* 1.

Judicem non oportet injuriam ſibi fieri exiſtimare, eo quòd litigator ad provocationis auxilium convolavit. *l.* 20. *Cod. de Appell.*

§ II.

A quibus judicibus, & qui judices appellentur.

MDLXXXVI.

Sciendum eſt, à Senatu appellari non poſſe Principes. *l.* 1. § 2. ff. *A quib. appell.*

A Præfectis Prætorio provocare (*a*) non ſinimus. *l.* 19. *Cod. de Appell.*

(*a*) Sed ipſi adversùs eius ſententiam ſupplicatur: & ſi quidem intra decem dies ſupplicatum fuerit, victor exequi ſententiam non poterit niſi ſatiſdet; poſt decem dies ſupplicatio interpoſita, executionem ſententiæ non moratur. Non plus autem quàm ſemel admittitur: Novellâ CXIX. & l. 5. Cod. *de Precib. Imp. offer.*

MDLXXXVII.

Ab utroque Prætore Urbano, Præfectus Urbi appellatur. *l.* 17. *Cod. d. tit.*

Si quis, quum unâ actione ageretur quæ plures ſpecies in ſe habeat, pluribus ſummis ſit condemnatus; quarum ſingulæ notionem Principis non faciunt, omnes autem conjunctæ faciunt; poterit ad Principem appellare. *l.* 10. § 1. ff. *de Appell.*

A judice quem Princeps delegavit, Princeps (*a*) appellatur. *l.* 32. *Cod. d. tit.*

Dato judice à Magiſtratibus Populi Romani, etiamſi ex auctoritate Principis, ipſi tamen Magiſtratus (*b*) appellabuntur. *l.* 3. ff. *Quis à quo appell.*

Is erit provocandus ab eo cui mandata eſt juriſdictio,

(*a*) Niſi Princeps ita eum dederit ut non appellaretur: & quidem ſolus Princeps tam judicem dare poteſt.
(*b*) Vel ejus ſucceſſor: l. 1. ff. *d. tit.*

Source : BIU Cujas

qui provocaretur ab eo qui mandavit jurisdictionem. *l.* 1. § 1. ff. *Quis à quo appell.*

Appellari (*c*) à Legatis Proconsul potest. *l.* 2. ff. *d. tit.*

Si quis, quum majorem judicem appellare deberet, minorem appellet ; error ei nocebit : si verò (*d*) majorem judicem provocavit, error ei nihil (*e*) oberit. *l.* 1. § 3. ff. *de Appell.*

(*c*) Exceptio Regulæ præcedentis.
(*d*) Vel parem. d. § 3.
(*e*) Sed causa remittetur ad eum qui appellari debuit: l. 21. ff. *de Appell.*

§ III.

A quibus Sententiis vel Decretis appelletur necne.

MDLXXXVIII.

Et in majoribus & in minoribus negotiis, appellandi facultas est. *l.* 20. *Cod. de Appell.*

Si res (*a*) dilationem non recipiat, non permittitur appellare. *l.* 7. *ff. de Appell. recip.*

Si ex Perpetuo Edicto aliquid decernitur, id quominùs fiat non permittitur appellare. *l.* 7. § 1. ff. *d. tit.*

Quominùs pignus vendere liceat, appellari non potest. *d. l.* 7. § 2.

A Sententiâ quam Magistratus adversùs aliquem ex suis Officialibus tulit, in his quæ officium ejus spectant, appellatio Officialis non admittitur. *l.* 3. *Cod. Quorum appell.*

Ab executore Sententiæ appellare non (*b*) licet. *l.* 4. *ff. de Appell.*

Ab eo qui sententiam malè interpretari dicitur, appellare licet. *l.* 4. § 1. ff. *de Appell.*

(*a*) Putà, ne testamentum recitetur, ne scriptus heres in possessionem inducatur ; item à coercitione militaris delicti, vel alicujus admissi contra publicam disciplinam, à coercitione contumaciæ, &c.
(*b*) Nisi modum Sententiæ fuerit egressus. Ab interlocutoriis Sententiis ita licet appellare, si per provocationem quæ post definitivam Sententiam interponetur, gravamen reparari non possit.

§ IV.

Quæ personæ ad appellandum admittantur.

MDLXXXIX.

Non solent audiri appellantes, nisi hi quorum interest, vel quibus mandatum est, vel qui negotium alienum gerunt quod mox ratum habetur. *l.* 1. *ff. de Appell. recip.*

Alio condemnato, is cujus (*a*) interest appellare potest. *l.* 4. § 2. ff. *de Appell.*

Si emptor de proprietate victus est, auctor ejus appellare poterit ; aut si auctor egit, & victus sit, non est deneganda emptori appellandi facultas. *d. l.* 4. § 3.

Ad appellandum admittuntur fidejussores, pro eo pro quo intervenerunt. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Si heres victus fuerit ab eo qui de inofficioso testamento agebat, legatariis & his qui libertatem acceperunt permittendum est appellare. *d. l.* 5. § 1.

Non tantùm ei qui ad supplicium ducitur, provocare permittitur . . . verùm . . . credo humanitatis ratione omnem *pro eo* provocantem audiri debere, etsi ipse acquiescit Sententiæ. *l.* 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Exemplum est, si procurator meus victus sit ; item in Regulis seq.

MDXC.

Servi (*a*) appellare non possunt. *l.* 15. *ff. d. tit.*

(*a*) Pro aliis ; pro se autem, si tristem Sententiam passi sunt, nec dominus pro eis appellet, poterunt appellare. l. 15. ff. *d. tit.*

§ V.

Ex quibus causis quis excludatur à provocatione.

MDXCI.

Si quis ante (*a*) sententiam professus fuerit se à judice non provocaturum, indubitatè provocandi auxilium perdidit. *l.* 1. § 3. *ff. Qui & à quib. appell.*

Ad solutionem dilationem petentem, acquievisse Sententiæ manifestum est. *l.* 5. *Cod. de Re jud.*

Ne quis convictus, testibus superatus, voce etiam propriâ vitium sceluspue confessus (*b*), audiatur appellans. *l.* 2. *Cod. Quor. appell. recip.*

Vide alias causas Tit. de Appellat. *N.* 14.

(*a*) Multò magis si post. Non videntur autem partes renuntiasse appellationi, quòd citra compromissum in judicem à Præside datum consenserint: l. 23. ff. de *Appellat.*
(*b*) Nisi per formidinem tormentorum confessus fuerit.

MDXCII.

Quæsitum est an post jusjurandum (*a*) *quis* appellationem interponere possit ? Respondit ; Nihil proponi cur denegandum esset. *l.* 28. § 1. ff. *de Appell.*

(*a*) In litem à judice delatum ; item & post Rescriptum Principis.

§ VI.

De formâ appellationis interponendæ.

MDXCIII.

Si apud Acta quis appellaverit, satis erit si dicat (*a*) APPELLO. *l.* 2. ff. *de Appell.*

Aliàs Libelli appellatorii ita sunt concipiendi ut habeant scriptum, qui appellet, adversùs quem (*b*), & à quâ Sententiâ. *l.* 1. § 4. ff. *d. tit.*

Nihil obest quòd in libellis, à quâ parte Sententiæ appellaret, non significavit. *l.* 13. *ff. d. tit.*

In libello Si causam appellandi certam dixerit ; puto esse ei facultatem in agendo, etiam aliam causam provocationis reddere. *l.* 3. § 3. ff. *de Appell.*

(*a*) Vivâ voce : nec hoc casu desideratur libellus..
(*b*) Quanquam & si hoc omiserit ; cùm una causa sit, appellatio valebit.

MDXCIV.

Quum in unâ causâ separatim duplex Sententia datur ; duplex appellatio necessaria est, ne alteram agnovisse intelligatur. *l.* 17. ff. *de Appell.*

MDXCV.

Qui provocavit, non debet conviciari ei à quo appellat ; cæterùm oportebit eum plecti. *l.* 8. ff. *d. tit.*

§ VII.

De tempore appellationis interponendæ.

MDXCVI.

Si quis ipso die inter acta voce appellavit, hoc ei sufficit ; sin, ad libellos appellatorios dandos biduum vel triduum computandum est. *l.* 5. § *fin.* ff. *de Appell.*

In propriâ causâ biduum accipimus. . . . Et palàm est eam esse PROPRIAM causam, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. *l.* 1. § 1. *ff. Quand. appell.*

Hinc Si alius quàm qui judicio expertus est, appellet ; dicendum est, secundâ die (*b*) eum appellare debere. *l.* 2. § 1. ff. *Quand. appell.*

(*a*) A die latæ Sententiæ.
(*b*) Nam ideò appellare potest, quia suâ interest ; adeòque *propriam causam* persequitur.

Source : BIU Cujas

Procurator (c) nisi in suam rem datus est, tertium diem habebit. *l.* 1. § 12. *ff. d. tit.*

(c) Idem de tutoribus, curatoribus, &c. item de his qui de suspecto tutore aguet, &c. Hi alienò nomine appellant.

M D X C V I I.

Biduum vel triduum appellationis, ex die Sententiæ latæ computandum est. *l.* 1. § 5. ff. *Quand. appell.*

Si fortè ejus à quo provocavit copia non fuerit, ut ei libelli dentur; is dies servabitur quo primo adeundi facultas erit. *d. l.* 1. § 7.

Hoc Jure utimur, ut si alterutrius *judicis* (a) adeundi copia fuit, præscripto locum habeat. *d. l.* 1. § 10.

Si adversùs absentem (b) fuerit pronuntiatum; biduum vel triduum ex quo qui scit computandum est, non ex quo pronuntiatum. *d. l.* 1. § 15.

(a) Vel à quo, vel ad quem.
(b) Non contumacem, & indefensum; vix enim est ut, si procurator ejus condemnatus est, dominus post tempus ad appellandum admittatur.

M D X C V I I I.

Militibus appellandi tempora non remittuntur. *l.* 20. § 2. ff. *de Appell.*

§ V I I I.

De formâ & tempore recipiendæ appellationis.

M D X C I X.

Ab eo à quo appellatur, ad eum qui de appellatione cogniturus est, litteræ dimissoriæ diriguntur; quæ APOSTOLI vocantur; quorum postulatio & acceptio intra quintum diem (a) facienda est. PAUL. SENT. LIB. 5. *Tit.* 33.

Apostolos post interpositam provocationem, etiam non petente appellatore, sine aliquâ dilatione judicem dare oportet; cautione de exercendâ provocatione, in posterum minimè præbendâ. *l.* 6. § *fin. Cod. de Appell.*

Eum qui appellationem non receperit, opinionem suam confestim per relationem manifestare; & causam pro quâ non recepit appellationem; ejusque exemplum litigatori edere debere, Mandatis cavetur. *d. l.* 6.

Plura vide Tit. de Appell. *N.* 48.

(a) Aliequin excidit appellatione: si tamen aliquo casu non potuit intra hoc tempus petere: restituetur. Quòd si petiit & quidem sæpiùs; judex autem à quo, noluerit *Apostolos* dare; & hoc quâque ratione doceat: nihil ei nocebit. Tit. *de Appell.* N. 43. & 44.

§ I X.

De effectu appellationis interpositæ.

M D C.

Appellatione interpositâ, sive recepta sit sive non, medio tempore (a) nihil innovari (b) oportet. *l.* 1. *ff. Nihil innov.*

Condemnati Integer status esse videtur, provocatione interpositâ. *d. l.* 1. § 3.

(a) Donec superior judex receptâ appellatione, de causâ judicaverit; aut pronuntiaverit judicem inferiorem potuisse eam non recipere.
(b) Fallit regula in quibusdam casibus, ut in pœnâ de insignibus latronibus sumendâ.

M D C I.

Quum de possessione & ejus momento causa dicitur, etsi appellatio fuerit interposita, tamen lata Sententia fortitur effectum. *d. l.* 1. § 5.

Hoc Jure utimur ut, tametsi appellatio interposita tamen apud eumdem judicem à quo quis provocavit compellatur alias causas si quas habet agere. *l. un. ff. Apud eum à quo &c.*

§ X.

Per quem causa appellationis agi possit.

M D C I I.

Generaliter quæ causa per alium agi non (a) potest, ejus nec appellationem per alium agi oportet. *l.* 1. ff. *An per alium &c.*

(a) Ut causæ criminales.

M D C I I I.

Tutoris heres, antequàm reddat rationes, appellationis (a) causam persequi debet; post redditas rationes, nec ipse tutor cogitur. *l.* 27. ff. *de Appell.*

Si procurator absentis appellaverit, deindè rationes reddiderit; nihilominùs ipse respondere (b) debet. *l.* 2. ff. *An per alium &c.*

Dominus litis, causam appellationis quam procurator suus litigando interposuit, etiam absente procuratore exequi potest. *l.* 9. *Cod. de Appell.*

(a) A tutore, pupilli nomine interpositæ.
(b) Nec obstat præcedens regula. Disparitas est quòd in præcedenti specie tutela pubertate finita est; negotium verò persequendæ litis non finitur, donec judex appellationis judicaverit.

§ X I.

De Officio judicis qui de appellatione cognoscit.

M D C I V.

Super omni causâ interpositam provocationem, vel injustam tantùm liceat pronuntiare vel justam. *l.* 6. *Cod. de Appell.*

§ X I I.

Quibus appellatio prodesse possit.

M D C V.

Si in unâ eâdemque causâ unus appellaverit, ejusque appellatio justa pronuntiata est; ei quoque prodest qui non (a) appellaverit. *l.* 2. *Cod. de Appell.*

(a) Modò uterque easdem defensionis causas habuerit.

§ X I I I.

Quando solvatur appellatio.

M D C V I.

Appellatore defuncto sine herede, cujuscunque generis appellatio fuit, evanescit. *l. un.* ff. *Si pend. app.*

Solvitur etiam pœnitentiâ appellatoris; item lapsu temporis intra quod peragi debuerit, de quo vide Tit. de Appellat. *N.* 50. *& seqq.*

De his quæ in disceptandâ & judicandâ causâ appellationis observentur, vide d. tit. *N.* 53. *&* 54. *& de pœnâ temerarii appellatoris N.* 58.

SECTIO X.

De vario Jure quod in judiciis pro variâ eorum naturâ obtinet, circa fructus & usuras aliasque accessiones rerum summarum-ve in judicium deductarum.

ARTICULUS I.

De Fructibus.

§ I.

Regulæ generales circa fructus, item de jure bonæ fidei possessoris circa illos.

M D C V I I.

Omnis fructus, non jure seminis, sed jure soli percipitur (a). *l.* 15. ff. *de Usur.*

(a) Id est, non pertinet ad eum qui sevit, sed ad eum cujus est solum.

Source : BIU Cujas

Fructus rei est, vel pignori dare (*b*) licere. *l.* 72. JAVOLEN. LIB. 3. EX POSTERIORIB. LABEONIS.

(*b*) Scilicet quum res *Cum fructibus* restituenda est, in fructibus etiam computantur utilitas illa quâ caruit petitor, quòd sub hujus rei pignore potuisset mutuam pecuniam quâ opus habebat accipere.

M D C V I I I.

Bonæ fidei possessor, Quod ad fructus attinet, loco domini penè est. *l.* 48. ff. *de Adq. rer. dom.*

Corollarium. Bonæ fidei emptor non dubiè, percipiendo fructus ex alienâ re, suos interim (*a*) facit; non tantùm eos qui diligentiâ & operâ ejus pervenerunt, sed omnes. *d. l.* 48.

Fructuari quidem non fiunt, antequàm ab eo percipiantur (*b*); ad bonæ autem fidei possessorem pertinent, quoquomodo (*c*) à solo separati fuerint. *l.* 25. § 1. *ff. de Usur.*

(*a*) Quia *interim* donec verus dominus appareat, loco domini est.
(*b*) Quia ususfructus nihil est aliud quàm jus eos percipiendi.
(*c*) Quia videtur esse dominus soli cui fructus ex solo nati accedunt.

§ I.

De Fructuum restitutione, in judiciis IN rem.

M D C I X.

Certum est malæ fidei possessores, omnes (*a*) fructus solere cum ipsâ re præstare; bonæ fidei verò (*b*), extantes; post litem autem contestatam (*c*), universos. *l.* 22. *Cod. de Rei vind.*

Quum de fructibus quæritur; constat animadverti debere, non an malæ fidei possessor fruitus sit, sed an petitor frui (*d*) potuerit. *l.* 62. § 1. ff. *de Rei vind.*

Fructus non modò percepti, sed & qui percipi honestè potuerunt, æstimandi sunt. *l.* 33. *ff. d. tit.*

Quum In rem agitur; eorum quoque nomine quæ usui non (*e*) fructui sunt, restitui fructus certum est. *l.* 64. *ff. d. tit.*

Et Non solùm fructus, sed omnem causam præstandam; & ideò partum venire in restitutionem, & partuum fructus. *l.* 17. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Id est, non solùm extantes, sed & consumptos. Cùm enim malæ fidei esse supponantur, dolo consumpserunt, dolo desierunt possidere fructus quos sciebant se restituere debere, adeòque perindè est ac si adhuc eos possiderent: suprà N. 1437.
(*b*) Quorum domini videbantur *Interim* duntaxat, donec verus dominus appareret. De consumptis autem non tenentur, cùm eos nec possideant, nec dolo desierint possidere.
(*c*) Nam lite contestatâ desinunt quodammodo esse bonæ fidei possessores: præterea contrahunt obligationem quasi ex contractu, restituendi rem cum omni causâ si contra ipsos fuerit judicatum.
(*d*) Vide Reg. seq. Debet enim resarcire omne damnum quod petitori dedit, non restituendo ei ex quo rem scivit alienam.
(*e*) Id est, commodum ex his rebus quæ naturaliter fructus non gignunt, sed præstant commodum ex suo usu; ut domus, navis, equus, &c.

M D C X.

Si dolo aut culpâ (*a*) possessoris res perierit; eò usque fructuum ratio habenda, quousque haberetur si non periisset, id est usque ad rei judicatæ tempus. *l.* 33. *ff. de Rei vind.*

(*a*) Quid si citra culpam, sed post moram? Idem obtinebit, si rem distracturus fuisset petitor: Secùs, si æquè apud ipsum fuisset peritura.

M D C X I.

Improbè desiderabit petitor fructus æstimari, qui ex artificio percipi potuerunt quod *servus petitus* sumptibus possessoris didicit. *l.* 34. *ff. d. tit.*

§ III.

De restitutione fructuum in actionibus Personalibus.

M D C X I I.

De actionibus ut restituatur sive proprietas sive possessio quæ nostra fuit.

Quum verbum RESTITUAS in Lege (*a*) invenitur; etsi non specialiter de fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi. *l.* 173. (*Aliàs* 133.) § 1. PAUL. LIB. 6. AD PLAUTIUM.

Fructus restituendi sunt, utique hi qui percepti sunt; sed & posteriores, si mora fuit, omnimodo (*b*) restituendi sunt. *l.* 38. § *fin. ff. de Usur.*

(*a*) Aut Edicto Prætoris.

(*b*) Id est, post moram; tam fructus à reo percepti, quàm hi quos actor percipere potuisset, restituendi sunt.

M D C X I I I.

De actionibus quibus qui rem sibi debitam petit quæ non ipsius fuit.

Stricti Juris Si actionem habeam ad id consequendum quod meum non fuit, veluti Ex stipulatu; fructus non consequar, etiamsi mora facta sit. Quòd si acceptum est judicium; ex æquitate fructus post acceptum judicium præstandos, ut causa (*a*) restituatur. *d. l.* 38. § 7.

At In bonæ fidei (*b*) judiciis, fructus omnimodo (*c*) præstantur. *d. l.* 38. § 15.

Cæterùm Post rem judicatam, tempus (*d*) à fructibus dependendis immune est. *l.* 3. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Nam per litis contestationem quasi ex contractu obligatur reus ad præstandam rem cum suâ causâ, si ita judicatum fuerit. Non videtur autem *Cum suâ causâ* præstari, nisi præstetur cum fructibus omnique utilitate quam habuisset actor si statim præstita fuisset.
(*b*) Quibus hâc in re comparatur actio *Ex testamento.*
(*c*) Ex morâ; in quibusdam etiam ante moram: Tit. *de Usur.* N. 15.
(*d*) Per inducias enim quæ judicatis dantur, de quibus infrà, reus non potest videri in morâ.

ARTICULUS II.

De Usuris.

§ I.

Quibus rebus usuræ possint accedere.

M D C X I V.

Usuras recipiunt pecunia numerata, & fruges.

Si materiam (*putà, vasorum*) quis ideò reliquit, ut eâ distractâ pecuniâque refectâ fideicommissa solverentnr; non oportet frustrationem impunitam (*a*) esse. Quòd si ut his vasis uteretur, non sine rubore desiderabuntur usuræ. *l.* 3. § 4. *ff. de Usuris.*

(*a*) Et cùm obligatio alicujus facti resolvatur in pecuniam si non fiat, admittet etiam usuras: l. 17. § 8. ff. *de Usuris.*

M D C X V.

Usurarum (*a*) usuræ nec in stipulatum deduci nec exigi possunt, & solutæ repetuntur (*b*). *l.* 26. *ff. de Condict. indeb.*

Id quod ab alio debitore nomine usurarum datum; ei (*c*) qui accipit, totum sortis (*d*) vice fungitur. *l.* 58. § 11. *ff. de Usur.*

Ad diem minori fœnore non soluto, legitimæ majores usuræ stipulanti promitti (*e*) rectè potuerunt. *l.* 1. § 3. *ff. de Pign. & hypoth.*

Sic temperanda res est, ut in futurum duntaxat (*f*) ex die cessationis crescat usura. *l.* 17. ff. *de Usur.*

(*a*) Fluit ex definitione. Usuræ sunt *accessio*; non est autem accessio accessionis.
(*b*) Aut potiùs in sortem, si qua adhuc debetur, imputantur.
(*c*) Putà, negotiorum gestori qui id à debitore meo accipit.
(*d*) Adeòque ejus summæ usuras debere potest.
(*e*) Non sunt enim minorum usurarum non solutarum usuræ; sed ipsius sortis usuræ, in eum casum quo minores non solverentur, promissæ.
(*f*) Non valet autem conventio ut retrò currat.

M D C X V I.

Neque eorum fructuum qui post litem contestatam officio judicis restituendi sunt; usuras præstari oportet; nec

Source : BIU Cujas

nec eorum qui priùs percepti quasi malæ fidei possessori condicuntur. *l.* 15. *ff. de Usur.*

(*a*) Nam hi fructus nobis debentur, non principaliter, sed tanquam accessio rei nostræ quam petimus: accessionum autem usuræ non debentur.

§ II.

De modo usurarum.

M D C X V I I.

Pœnam pro usuris stipulari nemo, supramodum (*a*) usurarum licitum (*b*) potest. *l.* 44. *ff. d. tit.*

Si eâ lege possessionem *quis* apud creditorem suum obligavit, ut fructus in vicem usurarum consequeretur; obtentu majoris percepti emolumenti, rescindi placita non possunt. *l.* 17. *Cod. d. tit.*

Oleo (*c*) vel quibuscumque fructibus mutuo datis; incerti pretii ratio, additamenta (*d*) usurarum suasit admitti. *l.* 23. *Cod. d. tit.*

Aliam exceptionem Regulæ habes in pecuniâ Trajectitiâ, de quâ *Juprà. N.* 995.

(*a*) Is modus erat jure Digestorum *Centesima* usura (*Douze pour cent*). Jure Justinianeo, Illustribus trientes (*Quatre pour cent*), negotiatoribus besses (*Huit pour cent*), cæteris semisses (*Six pour cent*) permittuntur.

(*b*) Ne quidem sub hoc prætextu quòd creditor species coactus esset vendere, ut pecuniam redigeret quam mutuam daret.

(*c*) Hæc regula obtinet, quum fruges mutuo datæ sunt; non quum pecunia mutuo data est, ut summa in frugibus redderetur.

(*d*) Id est, usuras ultra modum legitimum. De hâc mutui specie posteà Constantinus & Justinianus edixerunt. Vide N. 32. *d. tit.*

M D C X V I I I.

Placuit, sive supra statutum modum quis usuras stipulatus esset, sive usurarum usuras; quod illicitè adjectum est, pro non adjecto haberi, & licitas peti posse. *l.* 29. *ff. de Usur.*

§ III.

Ex quâ demùm conventione, & quando etiam citra conventionem, usuræ debeantur.

M D X I X.

Usuræ pecuniæ fœnebris, citra vinculum stipulationis, peti non (*a*) possunt. *l.* 3. *Cod. de Usuris.*

Per retentionem pignoris, usuras servari posse de quibus præstandis convenit, licèt stipulatio interposita non sit, meritò constitutum (*b*) est. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

Frumenti vel hordei mutuo dati accessio, etiam ex nudo pacto (*c*) præstanda est. *l.* 12. *Cod. d. tit.*

Etiam ex nudo pacto debentur civitatibus (*d*) usuræ. *l.* 30. *ff. de Usur.*

(*a*) In contractibus enim *stricti Juris*, quale est *Mutuum*, nuda pacta non prosunt ad actionem. At ex pacto saltem naturaliter debetur; Reg. seq. nota etiam ex diuturnâ præstatione, stipulationem interveniisse præsumi: N. 27. *d. tit.*

(*b*) Nam sufficit naturâ debitum esse, ut pignus retineatur.

(*c*) Quod receptum singulari Jure in hâc specie mutui, propter incertum valorem fructuum qui forte erunt vilioris pretii quum reddentur.

(*d*) Ex causa crediti, item ex causâ pollicitationis; non ex causâ cæterarum liberalitatum erga civitates.

M D C X X.

In bonæ fidei contractibus (*a*), ex morâ usuræ (*b*) debentur. *l.* 32. § 2. ff. *d. tit.*

In actionibus Venditi & Pro socio, *necnon in actionibus contrariis* Mandati & Negotiorum gestorum, *etiam citra moram debentur usuræ; scilicet venditori, ex die traditæ possessionis; gestori, socio-ve qui propriam pecuniam non otiosam in negotia quæ gerebat impendit, ex die quo eam impendit: Tit.* de Act. empt. *N.* 93. *Tit.* Pro soc. *N.* 45. *Tit.* Mand. *N.* 73. *& Tit.* de Negot. gest. *N.* 59.

In actione Pro socio, *& in actionibus directis* Mandati & Negotiorum gestorum, *qui pecuniam quam ex gestu habebat, in suos usus convertit, condemnatur in usuras; & quidem maximas, id est centensimas; ex die quo eam convertit:* *l.* 10. § 3. *ff.* Mandati, *& l.* 1. § 1. *ff.* de Usur.

(*a*) Idem observatur in actione *Ex testamento*.

(*b*) Et quidem citra conventionem.

M D C X X I.

Fiscus ex suis contractibus usuras non dat; sed ipse (*a*) accipit. Quum autem in locum privati successit, etiam dare solet. *l.* 17. § 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Semisses; nec solùm quum ipse contraxit, sed & quum in locum privati successit, & ex quo tempore successit. Contrà, privatus qui in locum fisci successit, non exigit.

M D C X X I I.

Quum bonæ fidei judicio disceptatur; arbitrio judicis usurarum modus, ex more regionis ubi contractum est, constituitur. *l.* 1. *ff. d. tit.*

Quæ citra conventionem debentur usuræ, Non sunt in obligatione (*a*); sed officio judicis præstantur. *l.* 49. § 1. *ff. de Act. empt.*

(*a*) Unde sequitur, forte solutâ peti non posse.

§ IV.

Quando sistantur usuræ necne.

M D C X X I I I.

Supra duplum usuræ, nec exigi possunt (*a*), & solutæ repetuntur. *l.* 26. § 1. *ff. de Condict. indeb.*

Usuræ (*b*) per tempora solutæ non proficiunt reo ad dupli computationem *l.* 10. *Cod. de Usur.*

Ut sistantur usuræ, non sufficit obtulisse *pecuniam*; nisi & deposuit obsignatam tuto in loco. *l.* 28 § 1. *ff. de Adm. tut.*

Si debitor non obtulerit, quamvis pecuniam obsignatam in depositi causam habuerit, usuras præstare cogitur. *l.* 2. *Cod. de Usur.*

Non retardatur totius debiti usurarum præstatio; si debitor solam (*c*) partem deposuit. *l.* 41. § 1. *ff. de Usur.*

Debitor qui deposuit, Si postea conventus ut solveret moram fecerit; nummi steriles ex eo tempore non erunt. *l.* 7. *ff. d. tit.*

(*a*) Sistuntur enim quum sortem æquare cœperint.

(*b*) Hoc immutavit Justinianus: l. 29. Cod. *de Usuris.*

(*c*) Nisi hâc lege creditum sit; ut particulatim solvere liceret.

M D C X X I V.

Novatione legitimè factâ; usuræ non currunt (*a*). *l.* 18. *ff. de Novat.*

Ejus temporis quod post rem judicatam fluxit, usuræ (*b*) nullo jure postulantur; nisi ex causâ judicati (*c*). *l.* 13. *Cod.*

Qui de appellatione cognoscit; potest, si frustratoriam morandi causâ appellationem interpositam animadverterit, etiam de usuris medii temporis (*d*) condemnare. *l.* 41. ff. *d. tit.*

(*a*) Id est, anteà debitæ sistuntur. Aliud in litis contestatione: suprà N. 1540.

(*b*) Hîc non agitur de conventionalibus.

(*c*) Ex quâ causâ legitimæ currere incipiunt, post elapsas inducias judicatis concessas.

(*d*) Et, si omiserit, datur ad eas usuras *Utilis* actio ex Sententiâ quæ confirmata est.

§ V.

De tacitæ remissionis usurarum conventionalium præsumptione.

M D C X X V.

Parùm justè præteritas usuras petis, quas omisisse te longi temporis intervallum indicat. *l.* 17. § 1. ff. *de Usuris.*

Source : BIU Cujas

SECTIO XI.

De Edicto QUOD QUISQUE JURIS, *& de judicibus litem ſuam facientibus.*

M D C X X V I.

Quis aſpernabitur idem Jus ſibi dici, quod ipſe aliis dixit vel dici effecit? *l.* 1. ff. *Quod quiſq. jur.*

Hinc illud Edictum: QUOD QUISQUE JURIS IN ALTERUM STATUERIT, *dolo* (*a*) *& cum effectu* (*b*), *vel pro ſe ſtatui impetraverit* (*c*); UT IPSE (*d*) EODEM JURE (*e*) UTATUR. *Rubric. ad d. tit.*

(*a*) Non ergo incidet Magiſtratus in Edictum: ſi Aſſeſſoris imprudentiâ iniquè ſtatuit; non, ſi Jus in ſe quidem iniquum, ſed adversùs perſonam quæ in hoc Edictum inciderat, adeòque relativè ad eam perſonam æquum, decrevit. *d. tit.* N. 2. & 4.

(*b*) Non ergo incidet, ſi adversùs perſonam juriſdictioni ſuæ non ſuppoſitam, iniquè ſtatuit. *d.* N. 2.

(*c*) Licèt ipſe uſus non ſit; modò ipſe *impetraverit*, aut mandaverit, vel à procuratore impetratum ratum habuerit. Tutor autem qui pro pupillo impetravit, ipſe tenetur.

(*d*) Magiſtratus, vel litigator.

(*e*) Non ſolùm erga eos adversùs quos iniquum Jus ſtatuit, aut reportavit; ſed & erga quoſlibet; quandocumque ſimilis quæſtio occurret. Putà ſi quis iniquè alterum ab actione aut exceptione quæ ipſi competebat excluſit; ſi quandoque ipſe ſimilem actionem aut exceptionem proponat, ei denegari debet; ſed & heredi ejus, & fidejuſſori: *d. tit.* N. 6. & 7.

M D C X X V I I.

Judex quum dolo Sententiam dixerit, ſi evidens arguatur ejus vel gratia vel inimicitia, vel etiam ſordes; veram æſtimationem (*a*) litis præſtare cogatur. *l.* 15. § 1. ff. *de Judic.*

(*a*) Hinc *Litem ſuam facere* dicitur; quia ſummam in litem deductam, in quam reum iniquè condemnavit aut ex quâ reum iniquè abſolvit, pro eo ſolvere tenetur.

CAPUT TERTIUM.

De termino judiciorum, ſeu Re Judicatâ; *ubi & de ſpeciebus quibuſdam Rei judicatæ affinibus.*

SECTIO I.

De Re judicatâ.

ARTICULUS I.

De immutabilitate Rei judicatæ.

M D C X X V I I I.

Res judicata pro veritate accipitur. *l.* 207. ULPIAN. LIB. I. AD L. JUL. ET PAP.

Quod juſſit vetuit-ve (*a*) Prætor contrario imperio tollere & repetere licet; de Sententiis contrà. *l.* 14. ff. *de Re judic.*

Hoc Jure utimur; ut judex qui ſemel vel pluris vel minoris condemnavit, ampliùs corrigere Sententiam ſuam non poſſit. *l.* 55. ff. *d. tit.*

Neque ſuam, neque deceſſoris ſui Sententiam quemquam poſſe retractare (*b*), in dubium non venit. *l.* 1. *Cod. de Sent.*

Actorum verba emendare, tenore Sententiæ perſeverante, non eſt prohibitum. *l.* 46. ff. *de Re jud.*

(*a*) Interloquendo.

(*b*) Ne quidem eodem die.

M D C X X I X.

1. Impetrata Reſcripta non placet admitti; ſi deciſæ ſemel cauſæ fuerint, Sententiâ quam provocatio nulla ſuſpendit. *l.* 3. *Cod. Sent. reſc.*

2. Judicatum contra majores annis viginti-quinque, non oppoſitæ præſcriptionis velamento, citra remedium appellationis reſcindi non poteſt. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

3. Res judicatæ ſi ſub prætextu computationis inſtaurentur, nullus erit litium finis. *l.* 2. *Cod. de Re judic.*

At Si calculi error in Sententiâ (*a*) eſſe dicatur, appellare neceſſe non eſt. *l.* 1. § 1. ff. *de Re judic.*

4. Sub ſpecie (*b*) novorum inſtrumentorum poſtea repertorum, res judicatas reſtaurari exemplo grave eſt. *l.* 4. *Cod. de Re judic.*

Principalibus Conſtitutionibus cavetur, etſi res judicata eſſet ex falſis inſtrumentis (*c*), ſi poſteà falſa inveniantur, nec Rei judicatæ præſcriptionem opponi. *l.* 11. ff. *de Except.*

Cauſa judicati in irritum non devocatur; niſi probare poteris eum qui judicaverat, ſecutum ejus inſtrumenti fidem quod falſum eſſe conſtiterit. *l.* 3. *Cod. Si ex falſ. inſtrum.*

(*a*) Ita ut ex ipsâ ſententiâ error manifeſtetur.

(*b*) Hæc regula patitur exceptiones. 1*a*. eſt in negotio publico, ex cauſâ: 2*a*. Quum cauſa ex jurejurando ſuppletorio à judice delato deciſa eſt: 3*a*. quum dolo adverſarii ſubtracta ſunt, Tit. *de Re jud.* N. 30.

(*c*) Idem dic de falſis teſtibus: l. 33. ff. *de Except.*

ARTICULUS II.

In quibus rebus, & inter quas perſonas efficax ſit res judicata.

§ I.

In quibus rebus.

M D C X X X.

Quum quæritur, exceptio *rei judicatæ* noceat necne; inſpiciendum eſt an idem corpus ſit, quantitas eadem, eadem cauſa petendi, & eadem conditio perſonarum: quæ niſi omnia concurrant, alia res eſt. *l.* 12. *l.* 13. *l.* 14. ff. *de Except. rei judic.*

M D C X X X I.

Quando idem videatur peti.

IDEM corpus in hâc exceptione, pinguiùs (*a*) accipitur. *l.* 14. ff. *d. tit.*

Si (*b*) quis quum totum petiiſſet, partem petat; exceptio rei judicatæ nocet. *l.* 7. ff. *d. tit.*

Qui inſulam petit; ſi cæmenta petat vel quid aliud ſuum petat, in ea conditione eſt ut videatur (*c*) aliud petere. *d. l.* 7. § 2.

(*a*) Id eſt; licèt immutata ſit quantitas aut qualitas.

(*b*) Fluit ex Regulâ generali ſuprà N. 14.

(*c*) Modò illa non tanquàm partem domûs petat. Et verò is cujus eſt domus, non utique ſemper dominus eſt ſingulorum cæmentorum.

Source : BIU Cujas

MDCXXXII.

Quando eadem cauſa petendi necne.

Acquiſitum (*a*) poſtea dominium, aliam cauſam facit: mutata opinio petitoris non facit; nam qualecumque & undècumque dominium acquiſitum habuit, vindicatione primâ in judicium deduxit. *l.* 11. § 5. ff. *d. tit.*

Actiones IN PERSONAM ab actionibus IN REM hoc differunt; quòd, quum eadem res ab eodem mihi *ex pluribus cauſis* debetur, ſingulas obligationes ſingulæ cauſæ ſequuntur, nec ulla earum alterius petitione vitiatur: at quum IN REM ago, non expreſsâ causâ ex quâ rem meam eſſe dico, omnes cauſæ apprehenduntur. *l.* 14. § 2. ff. *d. tit.*

Exceptio Rei judicatæ obſtat; quoties inter eaſdem perſonas eadem quæſtio revocatur, vel alio genere judicii. *l.* 7. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Idem dic de acquiſitâ poſteà poſſeſſione ab adverſario, qui ideò abſolutus eſt quòd tunc non poſſideret.

§ II.

Inter quas perſonas.

MDCXXXIII.

Sæpè conſtitutum eſt, res inter alios judicatas aliis non præjudicare. *l.* 63. ff. *de Re judic.*

Si is contra quem res judicata eſt, heres extiterit ei contra quem nihil pronuntiatum eſt; hereditariam ei litem inferenti præſcribi non poteſt, ex Sententiâ quam ſuo nomine excepit. *l.* 10. ff. *de Except.*

Hoc jure utimur ut ex parte actoris (*a*) in exceptione rei judicatæ, hæ perſonæ continerentur quæ rem in judicium deducunt; procurator cui mandatum eſt, tutor, curator, actor municipum: ex perſonâ rei, etiam defenſor. *l.* 11. § 7. ff. *de Except. rei jud.*

Res judicata cum aliquo, prodeſt ei qui eodem (*b*) *jure utitur: ex l.* 11. § 8. *& l.* 20. § 4. ff. *de Except. rei jud.*

(*a*) Senſus regulæ eſt; actori opponitur exceptio non ſolùm de eo quod contrà ipſum, ſed & de eo quod contrà ejus tutorem vel procuratorem (ſi tamen mandatum habuit) judicatum eſt: reus verò excipit de eo quod pro defenſore, etiam qui ipſum ſine mandato defendit, judicatum eſt.
(*b*) Putà, ſi abſolutus ſit reus; proderit fidejuſſori, patri, &c.

MDCXXXIV.

Sententia inter alios dicta, aliis quibuſdam etiam ſcientibus non obeſt; quibuſdam verò, etiamſi contra ipſos judicatum ſit nihil (*a*), nocet. *l.* 63. ff. *de Re jud.*

Si ex duobus heredibus debitoris alter condemnatur; alteri integra defenſio eſt, etiamſi cum coherede ſuo agi ſcierit. *d. l.* 63.

Scientibus ſententia quæ inter alios data eſt, obeſt; quum quis (*b*) de eâ re cujus actio vel defenſio primùm ſibi competit, ſequenti agere patiatur. *d. l.* 63.

Julianus ſcribit; Exceptionem rei judicatæ à perſonâ auctoris, ad emptorem (*c*) tranſire ſolere; retrò autem ab emptore ad auctorem reverti non debere. *l.* 9. § 2. ff. *de Except. rei jud.*

(*a*) Ita interpungendum rectè monet Cujacius *Obſerv.* XII. 25. Vide exempla utriuſque partis Reg. in duabus Reg. ſeqq.
(*b*) Exemplum pone in poſſeſſore, putà emptore qui cum auctore ſuo agi patitur.
(*c*) Scilicet prodeſt aut nocet ſucceſſori id quod cum ejus auctore judicatum eſt; ita tamen nocet, ſi aut, antequàm emeret judicatum ſit; aut ſi poſteà quidem quàm emit, ſed permiſit auctorem ſuum defendere.

ARTICULUS III.

De actione quam res judicata parit, & de Rei judicatæ executione.

§ I.

De actione Judicati.

MDCXXXV.

Hæc actio datur domino litis; non autem procuratori, niſi ſit in rem ſuam: paſſim Tit. de Re jud.

Actoris procurator non in rem ſuam datus, poteſt deſiderare ut ſibi ex judicatione ſatisfiat; ſi dominus litis ſolvendo non ſit. *l.* 30. ff. *de Procur.*

Paulus reſpondit; Eos qui unâ Sententiâ in unam quantitatem condemnati ſunt, pro portione virili (*a*) ex causâ judicati conveniri. *l.* 43. ff *de Re judic.*

Si ſe non obtulit procurator; judicati actio in eum denegabitur, & in dominum dabitur. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Procuratorem damnatum non debere conveniri, niſi aut in rem ſuam datus eſſet, aut (*b*) obtuliſſet quum ſciret cautum non eſſe; omnibus placuit. *l.* 61. ff. *de Procur.*

Si actor malit dominum potiùs convenire, quàm eum qui in rem ſuam procurator eſt; dicendum eſt, ei licere. *l.* 29. ff. *de Procur.*

Si quis quum procuratorio nomine condemnatus eſſet, heres (*c*) extiterit domino litis; actionem judicati non rectè recuſabit (*d*). *l.* 31. ff. *de Procur.*

Ex Sententiâ latâ adverſùs heredem qui poſtea ſe abſtinuit, datur actio in ſubſtitutum: l. 44. *ff.* de Re judic.

(*a*) Etiamſi hi fuiſſent qui debuiſſent condemnati in ſolidum, ſi judex omiſit exprimere ſe *In ſolidum* eos condemnare.
(*b*) Scilicet quum nec ex mandato domini litis, nec ex muneris ſui officio defendit.
(*c*) Dummodò ex aſſe.
(*d*) Perperàm enim recuſat proprio nomine *Directam*, qui eâdem actione *Utili* teneretur hereditario nomine.

MDCXXXVI.

Judicati actio perpetua eſt, & rei perſecutionem continet. *l.* 6. § 3. ff. *de Re judic.*

Qui poſt legitimum (*a*) tempus placitis non obtemperaverit, uſuram centeſimam temporis quod (*b*) poſtea fluxerit ſolvat. *l.* 1. *Cod. de Uſur. rei judic.*

(*a*) De quo infrà.
(*b*) Debentur & uſuræ alterius temporis; ſcilicet ejus temporis quo tardiùs judicatum eſt, fruſtratoriâ provocatione interpoſitâ.

§ II.

De executione rei judicatæ.

MDCXXXVII.

Judicum à ſe datorum vel abitrorum ſententiam exequuntur, hi qui eos dederunt. *l.* 15. ff. *de Re judic.*

Sententiam Romæ dictam, etiam in provinciâ poſſunt Præſides (ſi hoc juſſi fuerint) ad finem perſequi. *d. l.* 15. § 1.

MDCXXXVIII.

Qui judicati bona auctoritate ſuâ diſtraxit, Furti actione & VI bonorum ei tenetur. *l.* 6. § 2. ff. *d. tit.*

Executor ſententiæ, ſi judicatus non ſolviſſet, res ejus pignori capiebat, & præſenti pecuniâ diſtrahebat. De cujus pignoris quod Judiciale *vocatur ſpecie, vide ſuprà Cap.* 4. *Sect.* 3^a.

Source : BIU Cujas

ARTICULUS IV.

De Beneficiis quæ judicatis indulgentur.

§ I.

De induciis quæ judicatis dantur.

M D C X X X I X.

Conſtitutorum dierum ſpatium (*a*), pro judicato, non contra (*b*) judicatum, per Legem conſtitutum eſt. *l.* 7. ff. *de Re judic.*

Tempus quod datur, judicati etiam heredibus cæteriſque qui in locum ejus ſuccedunt tribuitur; videlicèt quod ex tempore deeſt. *l.* 29. ff. *d. tit.*

(*a*) Erat ex Lege XII. Tabul. 30. dierum; poſt, duorum menſium; jure Juſtinianeo, quatuor.
(*b*) Ideò poteſt ante hoc tempus ſolvere, licèt exigi non poſſet.

M D C X L.

Qui pro tribunali cognoſcit, non ſemper tempus judicati ſervat; ſed nonnunquam arctat (*a*), nonnunquam prorogat, pro cauſæ qualitate & quantitate, & perſonarum obſequio & contumaciâ. *l.* 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Perrarò hoc tamen.

§ II.

De exceptione Competentiæ; *ſeu beneficio quod ex perſonæ aut cauſæ qualitate conceditur, ut quis non ultrà quàm facere poteſt conveniatur.*

M D C X L I.

Sunt qui in id quod facere poſſunt conveniuntur, non deducto ære alieno. *l.* 16. ff. *de Re judic.*

Et 1°. Qui PRO SOCIO conveniuntur: ſocium autem omnium bonorum accipiendum (*a*) eſt. *d. l.* 16.

Non aliàs ſocius in id quod facere poteſt condemnatur, quàm ſi confitetur (*b*) ſe ſocium fuiſſe. *l.* 67. § 3. ff. *Pro ſocio.*

2°. Item parens; patronus, patrona, liberique eorum & parentes. *l.* 16. *&* *l.* 17. ff. *de Re judic.*

3°. Non tantùm dotis nomine maritus, ſed ex aliis quoque (*c*) contractibus in quantum facere poteſt condemnandus eſt: quod & in perſonâ mulieris æquâ lance ſervari, ſuggerit ratio. *l.* 20. ff. *d. tit.*

Sicut cum marito agitur, ita & cum ſocero (*d*); ut non ultra facultates damnetur. *l.* 21. ff. *d. tit.*

4°. Miles qui ſub armatâ militiâ ſtipendia meruit, condemnatus, quatenùs facere poteſt cogitur ſolvere. *l.* 18. ff. *d. tit.*

5°. Et exheredatum (*e*), vel eum qui ſe paternâ hereditate abſtinuit (*f*), nec ex ipſius contractu (*g*) niſi in quod facere poteſt condemnandum (*h*). *l.* 49. ff. *d. tit.*

(*a*) Imò cæteri ſocii. Vide Tit. *Pro ſoc.* N. 46. cum Notis.
(*b*) Qui negavit, hoc beneficio privatur.
(*c*) Secùs in delictis; ut quum alteruter conjux *Rerum amotarum* convenitur.
(*d*) Si maritus manente matrimonio ex promiſſione dotis agat. Nam ſi ſoluto matrimonio, non habebit ſocer beneficium. d. l. 21.
(*e*) Effectu. Nam ſi ipſi reſtituta ſit ex fideicommiſſo hereditas, non videbitur quoad hanc rem exheredatus: contrà, videbitur ſi ex permodicâ parte ſcriptus ſit. Tit. *Quod cum eo &c.* N. 5. & 6.
(*f*) Idem dic de eo qui coactus adivit ut reſtitueret: *d. tit.* ibid.
(*g*) Secùs, ſi ex delicto conveniatur, aut ſe patremfamilias finxerit: *d. tit.* N. 7.
(*h*) Causâ tamen cognitâ: poteſt enim hoc beneficium ei denegari; ſi poſt multos annos conveniatur. *d. tit* N. 8. Hæc regula & in emancipatis locum habet: *d. tit.* N. 4. & 6.

M D C X L I I.

Divus Pius reſcripſit; Eos qui ex liberalitate conveniuntur, in id quod facere poſſunt condemnandos. *l.* 28. ULP. LIB. 36. AD SABIN.

Qui ex causâ donationis convenitur (*a*), in quantum facere poteſt condemnatur; & quidem is ſolus deducto ære (*b*) alieno. *l.* 19. § 2. ff. *de Re judic.*

Inter eos quibus ex eâdem causâ debetur, occupantis melior conditio eſt. *d. l.* 19.

Fundum quis donavit; ſi non reſtituat, ut quivis poſſeſſor damnandus (*c*) eſt. *l.* 41. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Ab ipſo donatario. Secùs ſi conveniatur à creditore donatarii, cui donatarius eum delegavit: l. 33. § 3. ff. *de Donat.*
(*b*) Non tamen illo quod ex ſimili donationis causâ deberet. Vide Reg. ſeq.
(*c*) Hoc enim beneficium quod in actionibus *In perſonam* locum habet, non obtinet quum rem ſuam actor vindicat. Fingendum autem in ſpecie hujus legis, donatarium poſſeſſione fundi donati excidiſſe; quem contra donatorem ipſum, ad quem fundi poſſeſſio pervenerit, vindicat.

M D C X L I I I.

In condemnatione perſonarum quæ in id quod facere poſſunt damnantur, non totum quod habent extorquendum eſt, ſed & ipſatum ratio habenda eſt ne egeant. *l.* 173. (*Aliàs* 1733.) PAUL. LIB. 6. AD PLAUT.

Tempus ſpectamus quantum quis facere poſſit, rei judicandæ. *l.* 63. § 6. ff. *Pro ſocio.*

Hoc quoque quis facere poſſe videtur, quod dolo (*a*) fecit quominùs poſſit. *d. l.* 63. § 7.

Is demùm facere videtur quominùs facere poſſit, qui erogat bona (*b*) ſua in fraudem futuræ actionis. *l.* 68. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Secùs ſi culpâ tantùm.
(*b*) Secùs ſi duntaxat non utatur occaſione acquirendi.

M D C X L I V.

Etſi fidejuſſor acceptus ſit rei vel actionis, non proderit ei; ſi perſona pro quâ fidejuſſit, in quantum facere poteſt condemnanda eſt. *l.* 24. ff. *de Re judic.*

Sciendum eſt heredes earum perſonarum, non in id quod facere poſſunt, ſed in integrum teneri. *l.* 25. ff. *d. tit.*

Julianus ſcripſit, defenſorem ſocii in id quod ſocius facere poteſt condemnari oportere: at utique idem erit in univerſis qui in id quod facere poſſunt conveniuntur. *l.* 63. § 1. ff. *Pro ſocio.*

§ III.

De Beneficio ceſſionis bonorum.

Inter beneficia quibus judicati gaudent, rectè etiam recenſetur beneficium ceſſionis bonorum quod debitoribus Lex Julia conceſſit ut pœnam carceris evitarent. De quo hæ traduntur regulæ.

M D C X L V.

Quando poſſit bonis cedi; & quomodo.

Qui cedit bonis antequàm debitum agnoſcat, condemnetur, vel in Jus confiteatur; audiri non debet. *l.* 8. ff. *de Ceſſ. bonor.*

Bonis cedi, non tantùm in Jure, ſed etiam extra Jus poteſt. *l.* 9. ff. *d. tit.*

In omni ceſſione, ſufficit voluntatis ſola profeſſio. *l.* 6. *Cod. d. tit.*

M D C X L V I.

Qui ceſſionis effectus.

Is qui bonis ceſſit, ante rerum venditionem utique bonis ſuis non caret. Quare ſi paratus fuerit ſe defendere, bona ejus non væneunt. *l.* 3. ff. *de Ceſſ. bon.*

Qui bonis ceſſerint, niſi ſolidum creditor receperit, non ſunt liberati: in eo enim tantummodò hoc beneficium prodeſt, ne judicati diſtrahantur in carcerem. *l.* 1. *Cod. qui bon. ced.*

Source : BIU Cujas

Is qui bonis ceſſit, ſi quid poſteà acquiſierit, in quantum facere poteſt convenitur (a). *l.* 4. ff. *de Ceſſ. bon.*

(a) Non ſolùm ab eis erga quos bonis ceſſit, ſed & ab aliis : l. 4. § 1. ff. *d. tit.* quem vide N. fin.

SECTIO II.

De quibuſdam ſpeciebus, rei judicatæ affinibus.

ARTICULUS I.

De Confeſſis in Jure.

MDCXLVII.

Confeſſus (a) pro judicato eſt, qui quodammodo ſententiâ ſuâ damnatur. *l.* 1. ff. *de Confeſſ.*

Certum confeſſus, pro judicato erit; incertum, non erit. *l.* 6. ff. *d. tit.*

Non fatetur qui errat, niſi Jus ignoravit. *l.* 2. ff. *d. tit.*

Ad confeſſionem In pupillo tutoris auctoritatem exigimus. Minorem à confeſſione ſuâ reſtituemus. *l.* 6. § 5. ff. *d. tit.*

(a) Intellige de confeſſo in Jure, præſente adverſario aut ejus procuratore.

MDXLVIII.

Confeſſi, poſt confeſſionem, tempora quaſi ex causâ judicati habebunt. *d. l.* 6. § 6.

ARTICULUS II.

De Tranſactionibus.

MDCXLIX.

De quâ re fiant.

Qui tranſigit, de re dubiâ & lite (a) incertâ neque finitâ tranſigit. *l.* 1. ff. *de Tranſact.*

Poſt rem judicatam, pactum niſi donationis causâ interponatur, ſervari non oportet. PAUL. SENTENT. *lib.* 1. *Tit.* 1.

Poſt rem judicatam tranſactio valet, ſi vel appellatio interceſſerit vel appellare potueris. *l.* 7. ff. *de Tranſact.*

Poſt rem judicatam, ſi negetur judicatum eſſe, tranſactio fieri poteſt. *l.* 11. ff. *d. tit.*

(a) Motâ vel movendâ.

MDCL.

Quomodo fiat Tranſactio.

Tranſactio nullo dato vel retento vel promiſſo, minimè producit. *l.* 38. *Cod. h. tit.*

Tranſactum accipere quis poteſt, non ſolùm ſi Aquiliana (a) ſtipulatio fuerit ſubjecta, ſed & ſi pactum (b) conventum fuerit factum. *l.* 2. ff. *de Tranſact.*

(a) Per quam novatur obligatio quæ ex causâ tranſactionis remittitur.
(b) Quo caſu parit duntaxat exceptionem. Si tamen tranſactio non intra fines nudi pacti ſtetit, ſed res aliqua intervenit; parit actionem *Præſcriptis verbis.*

MDCLI.

Quis hujus effectus, & ad quæ porrigatur.

Promiſſis tranſactionis causâ non impletis, pœnam (a) in ſtipulatum deductam, ſi contrà factum fuerit, exigi (b) poſſe conſtat. *l.* 37. *Cod. h. tit.*

His tantùm tranſactio obeſt, de quibus actum probatur. *l.* 9. § *fin.* ff. *de Tranſact.*

Iniquum eſt perimi pacto, id de quo cogitatum non docetur. *d.* § *fin.*

(b) Sed hoc caſu is qui eligit pœnam petere, non poteſt excipere de tranſactione; niſi ſpecialiter additum ſit ut rato manente pacto pœna præſtaretur.

MDCLII.

Auctoritas tranſactionis, an & quando reſcindi poſſit.

Non minorem auctoritatem tranſactionum quàm rerum judicatarum eſſe, rectâ ratione (a) placuit. *l.* 20. *Cod. de Tranſact.*

Sub prætextu inſtrumenti pòſt reperti (b), tranſactionem bonâ fide factam reſcindi jura non (c) patiuntur. *l.* 19. *Cod. d. tit.*

Sub prætextu ſpecierum (d) pòſt repertarum, generali tranſactione finitâ, reſcindi prohibent jura. *l.* 29. *Cod. h. tit.*

Interpoſitas metûs (e) causâ tranſactiones ratas non haberi, Edicto Perpetuo continetur. *l.* 13. *Cod. h. tit.*

Qui per fallaciam (f) coheredis, ignorans univerſa quæ in vero erant, inſtrumentum tranſactionis interpoſuit; non tam paciſcitur quàm decipitur. *l.* 9. § 2. ff. *de Tranſact.*

(a) Unde qui tranſegit, non poteſt pœnitere, nec ſtatim, nec ex Imperiali Reſcripto. N. 17. *d. tit.*
(b) Modò ab altero ex tranſigentibus non fuerit celatum.
(c) At reſcinditur illa quæ facta eſt ex falſis inſtrumentis.
(d) Quum de hereditate litigiosâ tranſactum eſt, ſpecies ſeu res hereditariæ poſt tranſactionem repertæ, non poſſunt tranſactionem infirmare. Nota; niſi tamen apud tertiam perſonam ignorantibus contrahentibus fuiſſent conſtitutæ.
(e) Gravis.
(f) Hunc autem adverſæ partis dolum probare debet, qui vult à tranſactione recedere.

ARTICULUS III.

De Jurejurando ſive voluntario ſive neceſſario.

§ I.

Quis deferre, & cui deferri jusjurandum poſſit, & ex quibus cauſis.

MDCLIII.

Sive pro pacto convento, ſive pro ſolutione, ſive pro judicio jusjurandum (a) cedit; non ab aliis delatum probari debet, quàm qui ad hæc (b) habiles ſunt. *l.* 35. § 1. ff. *de Jurejur.*

Procurator quod detulit *Jusjurandum*, ratum habendum eſt; ſcilicet ſi aut univerſorum bonorum adminiſtrationem ſuſtinet, aut ſi idipſum nominatim mandatum ſit, aut ſi in rem ſuam procurator ſit. *l.* 17. § 3. ff. *d. tit.*

Tutor pupilli, omnibus probationibus aliis deficientibus, jusjurandum deferens audiendus (c) eſt. *l.* 35. ff. *d. tit.*

Si filiusfamilias jusjurandum detulerit (d) & juratum ſit, De peculio danda eſt actio: ſed in ſervo diverſum (e) eſt. *l.* 5. § 2. ff. *de Pecul.*

(a) Et quidem horum omnium vice eſt.
(b) Id eſt, qui capaces ſunt paciſcendi, ſolvendi; & ſi judicio deferatur; capaces ſunt ſtandi in judicio.
(c) Ipſe autem pupillus non auditur niſi tutore auctore deferat. Defenſores municipum aut corporis ita auditur ſi mandatum ſuper hoc habeat.
(d) De re peculiari; nam de re patris non poteſt.
(e) Niſi libera peculii adminiſtratio ei conceſſa ſit: l. 20. ff. *d. tit.*

MDCLIV.

Quoties propter (a) rem juratur, nec parenti nec patrono remittitur jusjurandum. *l.* 14. ff. *d. tit.*

(a) Id eſt, de re; an debeatur necne.

Source : BIU Cujas

Pupillo non defertur jusjurandum. *l.* 34. § 2. ff. *d. tit.*

Heredi ejus cum quo contractum est, jusjurandum deferri non potest. PAUL. SENT. *lib.* 2. *Tit.* 14.

Scilicet quum convenitur. Secùs si ipse agat: hinc sequens regula.

Qui in alterius locum succedunt, justam habent causam ignorantiæ; an id quod peteretur, deberetur. Fidejussores quoque, non minùs quàm heredes, justam ignorantiam possunt allegare. Hæc ita de herede dicta sunt, si cum eo agetur, non etiam si agat: nam planè qui agit, certus esse debet; cùm sit in potestate ejus quando velit experiri, & antè debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere. *l.* 42. GAIUS LIB. 9. AD ED. PROVINC.

Procurator (*a*) non compellitur jurare: nec defensor. *l.* 34. § 3. ff. *de Jurejur.*

Qui non compelluntur Romæ judicium accipere, nec jurare compellendi sunt. *l.* 35. § 2. ff. *d. tit.*

Jusjurandum, & ad pecunias & ad omnes res locum habet. *l.* 34. *pr.* ff. *d. tit.*

(*a*) Eadem ratio.

§ II.

Quomodo deferatur jusjurandum, & de effectu delati jurisjurandi & relati.

M D C L V.

Qui jusjurandum defert, prior de calumniâ (*a*) debet jurare; si hoc exigatur. *l.* 34. § 4. ff. *d. tit.*

Manifestæ (*b*) turpitudinis & confessionis est, nolle nec jurare nec jusjurandum referre. *l.* 38. ff. *d. tit.*

Quum res in jusjurandum demissa sit judex jurantem absolvit, referentem audiet; & si actor juret, condemnet reum: nolentem jurare reum, si solvat, absolvit; non solventem condemnat. Ex relatione non jurante actore, absolvit reum. *l.* 34. § *fin.* ff. *d. tit.*

(*a*) Id est, se non calumniæ see vexandi animo, sed bonâ fide & veritatis inquirendæ studio, jusjurandum deferre. Hoc jusjurandum parentibus & patronis remittitur; item non exigitur ab eo qui refert jusjurandum.

(*b*) Hinc sequitur eum condemnandum, nisi statim juret aut referat. Ex causâ tamen spatium ei conceditur ut certioretur.

M D C L V I.

Jusjurandum quod ex conventione extra judicium defertur, referri non potest. *l.* 17. ff. *d. tit.*

§ III.

Quod jusjurandum tueatur Prætor.

M D C L V I I.

Si reus juraverit nemine ei jusjurandum deferente (*a*), Prætor id jusjurandum non tuebitur. *l.* 3. ff. *d. tit.*

Jurari oportet, ut delatum est jusjurandum. *d. l.* 3. § *fin.*

(*a*) Aut non tunc quum delatum fuit: l. 5. § 4. *d. tit.* N. 29.

M D C L V I I I.

Omne omninò licitum per quod voluit quis sibi jurari, idoneum est. *l.* 5. ff. *d. tit.*

D. Pius jurejurando quod propriâ superstitione juratum est, standum rescripsit. *d. l.* 5. § 1.

Si quis illicitum jusjurandum detulerit, scilicet improbatæ publicè religionis; pro eo habetur atque si juratum non esset. *d. l.* 5. § 3.

M D C L I X.

1. Qui jurasse dicitur, nil refert cujus sexûs ætatisve (*a*) sit. *l.* 26. ff. *d. tit.*

(*a*) Sibi enim imputet qui ei detulit, putà pupillo.

2. Est justa conventio, si quælibet causa in conditione jurisjurandi deducta fuerit. *l.* 39. ff. *d. tit.*

(*b*) In quâcunque actione sive *In rem*, sive *In personam*, sive pœnali; etiam in causis statûs. Hoc autem quod per rerum naturam impossibile est, frustra juratur; ut si quis juret sibi dari oportere hominem qui mortuus sit.

§ IV.

De Jurejurando remisso.

M D C L X.

Remittit jusjurandum; qui deferente se, quum paratus esset adversarius jurare, gratiam ei facit contentus voluntate suscepti jurisjurandi. *l.* 6. ff. *d. tit.*

Demùm illud Jusjurandum quod susceptum est, remitti debet. *d. l.* 6.

Jurisjurandi gratiam facere pupillus non potest. *l.* 32. ff. *d. tit.*

§ V.

De auctoritate & effectu Jurisjurandi præstiti aut remissi.

M D C L X I.

Jusjurandum vicem rei judicatæ obtinet. *l.* 1. ff. *Quar. rer. act. non. dat.*

Jusjurandum speciem transactionis continet; majoremque (*a*) habet auctoritatem quàm res judicata. *l.* 2. ff. *de Jurejur.*

Jusjurandum loco solutionis cedit. *l.* 27. ff. *d. tit.*

Et Est acceptilationi (*b*) simile. *l.* 40. ff. *d. tit.*

(*a*) Quia non potest per provocationem infirmari.

(*b*) Non omninò, nec enim extinguit ipso Jure debitum; sed quoad effectum ob perpetuam exceptionem quam parit.

M D C L X I I.

Causa (*a*) jurejurando delato, & præstito vel remisso decisa, nec perjurii prætextu retractari potest. *l.* 1. *Cod. de Reb. cred.*

Dato jurejurando, non aliud quæritur quàm an juratum sit; remissâ quæstione, an debeatur. *l.* 5. § 2. ff. *de Jurejur.*

(*a*) Regula fallit, quum Minor detulit jusjurandum, aut debitor in fraudem creditorum.

M D C L X I I I.

Jurejurando dato vel remisso; reus quidem acquirit exceptionem sibi aliisque (*a*), actor actionem (*b*) acquirit. *l.* 9. § 1. ff. *d. tit.*

Exceptio jurisjurandi, non tantùm si eâ actione quis utatur cujus nomine exegit jusjurandum, opponi debet; sed etiam si aliâ, si modò eadem quæstio in hoc judicium deducatur. *l.* 28. § 4. ff. *de Jurejur.*

Eum qui juravit, ex eâ actione quæ inficiando crescit; simpli, non dupli persecutionem sibi (*c*) acquirere. *l.* 30. ff. *d. tit.*

Quantùm ad successionem, Jusjurandum (*d*) patronum non facit. *l.* 14. ff. *de Jur. patr.*

(*a*) Vide infrà §°. 6°. Interdum jusjurandum reo etiam actionem parit, ut si possessor juravit, non simpliciter rem petitoris non esse, sed suam esse; & posteà petitor qui detulit jusjurandum, possessionem aliquo casu nanctus sit: l. ult. § 1. ff. *d. tit.*

(*b*) *In factum*, ad instar *Judicati*: l. 8. Cod. h. tit Et in hâc actione ea veniunt, quæ venirent in actione ex quâ juravit sibi deberi: *d. tit.* N. 36. & 37. Uno casu minùs venit: infrà Reg. fin. hoc §°.

(*c*) Per actionem *In factum* quæ ex jurejurando nascitur; in quâ actione, commodum exonerationis necessitatis probandi, compensare debet pœnam dupli quæ in veteri actione veniret. Liberum autem ei est, neglectâ actione quæ ex jurejurando nascitur, veteri actione experiri in duplum; sed suscepto in se probandi onere.

(*d*) Ratio est, quia hereditatum jura, privatorum cautionibus infringi non possunt: Tit. *de Suis & legit*: N. 26. Et eâ in re jusjurandum minorem vim habet quàm res judicata: *d. l.* 14.

Source : BIU Cujas

§ VI.

Quibus perſonis Jusjurandum proſit vel noceat.

MDCLXIV.

Jusjurandum alteri neque prodeſt neque nocet. *l.* 3. § 3. ff. *de Jurejur.*

MDCLXV.

Ex duobus reis promittendi, alter juravit: alteri quoque prodeſſe (*a*) debebit. *l.* 28. § 3. ff. *d. tit.*

Quod reus juravit, etiam fidejuſſori proficit. *d. l.* 28. § 1.

A fidejuſſore (*b*) exactum jusjurandum, prodeſſe etiam reo Caſſius & Julianus aïunt. *d.* § 1.

Jusjurandum defenſoris vel procuratoris (*c*), ei ab adverſario delatum prodeſſe exceptionemque domino parere. *l.* 9. § 6. ff. *d. tit.*

In duobus reis ſtipulandis, ab altero delatum jusjurandum etiam alteri nocebit. *l.* 28. ff. *d. tit.*

(*a*) Vice enim ſolutionis eſt, ſuprà N. 1661. Porrò ſolutio ab uno facta, alteri prodeſt.
(*b*) Scilicet ſi juravit nihil deberi, ſolutum eſſe. Secùs ſi de perſonâ duntaxat ſuâ juravit; putà, ſe non ſidejuſſiſſe, vel pactum eſſe ne à ſe peteretur: *d. tit.* N. 32.
(*c*) Item filiifamilias; imò ſervi, quum ei extra Jus delatum eſt.

ARTICULUS IV.

De Compromiſſis.

MDCLXVI.

Compromiſſum ad ſimilitudinem judiciorum redigitur. *l.* 1. ff. *de Recept. qui arb.*

§ I.

Quæ negotia in compromiſſum deducta intelligantur, & quæ in compromiſſum deduci non poſſint.

MDCXVII.

Id venit in compromiſſum, de quo actum eſt (*a*) ut veniret. *l.* 21. § 6. ff. *de Recept.*

De his rebus & rationibus & controverſiis judicare arbiter (*b*) poteſt, quæ ab initio fuiſſent inter eos qui compromiſerunt, non quæ poſteà (*c*) ſupervenerunt. *l.* 46. ff. *de Recept. qui arb.*

(*a*) Eſt enim ſpecialis conventio.
(*b*) Etiam ex *Pleno* compromiſſo ſumptus, id eſt quod generaliter de omnibus controverſiis factum eſſet.
(*c*) Fluit ex Reg. præced.

MDCXVIII.

Si de famoſo (*a*) delicto ad arbitrum itum eſt, vetare debet Prætor ſententiam dicere, nec dare dictæ executionem. *l.* 32. § 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Multo magis de crimine publici judicii. Idem dic etiam de cauſis ſtatûs: Tit. *de Recept. qui arb.* N. 4.

§ II.

Qui compromittere poſſint, necne, & in quem.

MDCLXIX.

Si pupillus (*a*) ſine tutoris auctoritate compromiſerit, non eſt arbiter cogendus pronuntiare; præterquàm ſi fidejuſſorem dederit, à quo pœna peti poſſit. *l.* 35. ff. *d. tit.*

Verius, ex compromiſſo ſervi (*b*) non dandam DE peculio actionem. *l.* 3. § 8. ff. *de Pecul.*

(*a*) Idem dic de Minore qui reſtitui poſſet, de muliere quæ alieno nomine compromiſiſſet.
(*b*) Secum de filiofamiliàs. Nam ex ejus compromiſſo tenetur pater *De peculio*; etiamſi ex eâ cauſâ de quâ pater *De peculio* non teneretur, compromiſſum eſſet.

MDCLXX.

Nemini licet minorem (*a*) viginti annis compromiſſarium judicem eligere. *l.* 41. ff. *de Recept.*

Si quis judex ſit; arbitrium recipere ejus rei de quâ judex eſt, prohibetur (*b*) Lege Juliâ. *l.* 9. § 2. ff. *d. tit.*

De re ſuâ (*c*), arbiter factus, ſententiam dicere non poteſt. *l.* 51. ff. *d. tit.*

Etiam de re patris (*d*) dicitur filiumfamilias arbitrum eſſe. *l.* 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Nec ſurdum, aut mutum, aut ſervum, aut mulierem.
(*b*) Cujus hæc ratio afferri poteſt, quod ex neceſſitate incumbat judicandi munus: porrò illud declinaret judex datus, arbitrium de re eâdem accipiendo; ſi enim partes ſententiæ ex compromiſſo latæ ſtare nollent, jam non poſſet judicis eâ in re officio fungi.
(*c*) Fluit ex Regulâ generali ſuprà N. 15.
(*d*) Non de re ſuâ: Reg. præced.

§ III.

De liberâ poteſtate judicandi, & rem ad exitum perducendi, arbitris relinquendâ; & de pœnâ utrimque cavendâ.

MDCLXXI.

Puto tale arbitrium non valere, in quo libera facultas arbitri ſententiæ non eſt futura (*a*). *l.* 17. § 3. ff. *d. tit.*

Si in duos fuerit ſic compromiſſum, ut ſi diſſentirent, tertium aſſumant; puto tale compromiſſum non (*b*) valere. *d. l.* 17. § 5.

Uſitatum eſt, etiam in duos (*c*) compromitti. *d. l.* 17. § 6.

(*a*) Putà, ſi ſic fuerit compromiſſum ut certam ſententiam diceret.
(*b*) Id ex ſubtilitate Juris; ſcilicet quia fieri poteſt ut compromiſſum ad exitum non perducatur, ſi diſſentiant in eo quem aſſumpturi ſunt.
(*c*) Quia, etſi diſſentiant, Prætor coget eos tertium aſſumere. Et, ſi in eo aſſumendo diſſentiant, Prætor ipſe aſſumet: quod in ſpecie præcedenti facere non potuiſſet; quia lex compromiſſi erat, ut ab ipſis arbitris aſſumeretur.

MDCLXXII.

Ut compromiſſum valeat; requiritur utrinque cautum (a) eſſe de pœnâ aliquâ, ſi ſententiæ non ſtetur, aut fiat quominùs judicetur.

Etſi alter rem, alter pecuniam ſtipulanti compromiſerit; plenum compromiſſum eſt. *l.* 11. § 2. ff. *d. tit.*

Non intereſt certa an incerta ſumma compromiſſa ſit, putà QUANTI ea res erit. *l.* 28. ff. *d. tit.*

Non diſtinguemus in compromiſſis, minor an major ſit pœna quàm res de quâ agitur. *l.* 32. ff. *d. tit.*

Non ſufficit exceptionem (*b*) habere, ut arbiter ſententiam dicere cogatur. *l.* 13. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Vel per ſtipulationem, vel per pecuniæ depoſitionem; vel ſi quis ex aliâ cauſâ creditor, paciſcatur non petiturum ſe quod ſibi debetur, ſi compromiſſo non ſteterit.
(*b*) De ipſâ re de quâ arbiter electus eſt; ut ſi, quum inter nos ambigeretur an tibi Stichum deberem, promiſiſti te non petiturum ſi arbiter judicaret me non debere. At ſi ego promiſi decem niſi ſententiæ ſtaretur, tu viciſſim capiſti, ni ſententiæ ſtares, non petiturum decem quæ ex aliâ cauſâ tibi debebam; valet compromiſſum: nam utrinque pœna promiſſa.

§ IV.

Quis recepiſſe arbitrium videatur, & de cogendo arbitro ad ſententiam dicendam.

MDCLXXIII.

Recepiſſe arbitrium videtur, qui judicis partes ſuſcepit... Quòd ſi hactenùs intervenit ut experiretur an conſilio ſuo diſcuti litem paterentur, non videtur arbitrium recepiſſe. *l.* 13. § 2. ff. *d. tit.*

MDCLXXIV.

Licèt Prætor diſtrictè edicat, Sententiam ſe arbitrum dicere coacturum (*a*); attamen interdum rationem ejus

(*a*) Mulctæ dictione: *d. tit.* N. 32.

Source : BIU Cujas

habere debet, & excusationem (*b*) recipere causâ cognitâ. *l.* 15. ff. *d. tit.*

Arbiter Si urgeatur à Prætore ad sententiam; æquissimum erit, si juret de causâ nondum liquere, spatium ei ad pronuntiandum dari. *l.* 13. § 4. ff. *d. tit.*

Si plures sunt qui arbitrium (*c*) receperunt, nemo unus cogendus est sententiam dicere; sed aut omnes, aut nullus. *l.* 17. § 2. ff. *d. tit.*

Prætor se non interponit, sive initio nullum sit compromissum; sive sit, sed pendeat an ex eo pœna exigi potest; sive posteà deficiat pœna, compromisso soluto die (*d*), morte (*e*), acceptilatione (*f*), judicio (*g*), pacto (*h*). *l.* 32. § 3. ff. *d. tit.*

Non cogitur arbiter sententiam dicere, si pœna commissa sit. *d. l.* 31. § 1.

(*b*) Putà ex causâ valetudinis, occupationis propriorum negotiorum quæ supervenerit; si eum litigatores infamaverint, spreverint, &c.
(*c*) Modò non eâ compromissi lege, ut vel unius sententiam diceret.
(*d*) Nisi clausula fuerit ut liceret diem proferri.
(*e*) Nisi & de heredibus compromissum sit, & quidem utrinque.
(*f*) Putà, si vel uni alter pœnam accepto tulerit: adde: si alter bonis cesserit.
(*g*) Si res in judicium deducta fuerit.
(*h*) Si de re transactum fuerit.

§ V.

Quando videatur per alterum ex litigatoribus stetisse quominùs judicaretur, ut pœna adversùs eum committatur.

M D C L X X V.

Si quis litigatorum defuerit (*a*); quia per eum factum est quominùs arbitretur, pœna (*b*) committetur. *l.* 27. § 4. ff. *d. tit.*

Est verius eum locum compromisso inesse, de quo actum sit ut promitteretur. Impunè igitur non parebitur, si alio loci adesse jusserit. *l.* 21. § 10. ff. *d. tit.*

Si non appareat de quo loco actum sit, melius dicetur eum locum contineri ubi compromissum (*c*) est. *d.* § 10.

Arbiter si in aliquem locum inhonestum (*d*) adesse jusserit, impunè ei non parebitur. *d. l.* 21. § 11.

(*a*) Eò loci quo ad cognoscendum & judicandum arbiter ei adesse jusserat vel per nuntium vel per epistolam: l. 49. § 1. ff. *d. tit.*
(*b*) Nisi justè fuerit impeditus: quo casu absolvitur, si per eum non stet quominùs denuò sit paratus compromittere.
(*c*) Scilicet in eâ civitate ubi compromissum est; aut etiam circa urbem, si arbiter sit ejus auctoritatis ut in secessibus agere soleat: l. 21.
(*d*) Sufficit ut vel unus ex compromittentibus eò venire honestè non potuerit.

M D C L X X V I.

Etsi quis præsens arbitrum sententiam dicere prohibuit, pœna committetur. *l.* 27. § 6. ff. *d. tit.*

Si quis rem de quâ compromissum sit, in judicium deducat ... adversùs eum pœna committenda est, lite apud judicem suo ordine peragendâ. *l.* 30. ff. *d. tit.*

M D C L X X V I I.

Quum arbiter diem proferre jussit, quum hoc ei permissum (*a*) est, alterius mora (*b*) ad pœnam committendam prodest. *l.* 39. § 1. ff. *d. tit.*

Arbiter ita sumptus, diem proferre . . . potest, referre (*c*) autem contradicentibus litigatoribus non potest. *l.* 33. ff. *d. tit.*

(*a*) Ex speciali compromissi clausulâ; aliàs non potest.
(*b*) In proferendo compromisso, iisdem conditionibus; & sub iisdem aut æquè idoneis fidejussoribus, quam in primo accepti sunt.
(*c*) Antevertere.

§ VI.

Quando videatur quis non paruisse sententiæ arbitri, ut ex hâc causâ pœna adversùs eum committatur; & cui sententiæ stari debeat.

M D C L X X V I I I.

Si qui jussus est ab arbitro, ex compromisso, solvere pecuniam, moram fecerit; pœnam ex compromisso debet, sed solvendo (*a*) pœnâ liberatur (*b*). *l.* 52. *ff. d. tit.*

Si arbiter intrà Kalendas dari jusserit, nec datum (*c*) erit; licèt posteà offeratur (*d*), attamen semel commissam pœnam compromissi non evanescere. *l.* 23. *ff. d. tit.*

Adversùs abitri sententiam fit, si petatur (*e*) ab eo à quo arbiter vetuit. *l.* 29. *ff. d. tit.*

(*a*) Ante litem ex causâ compromissi contestatam.
(*b*) Hoc ita, quum nulla dies solutioni ab arbitro statuta est, aliàs secùs, Reg. seq.
(*c*) Nec steterit per eum cui dare jussus eras.
(*d*) Modo tamen oblatum non acceperit is qui vicit.
(*e*) Et quidem, sive ego petam sive heres meus; sive à te petam sive à tuo herede; aut tuo fidejussore.

M D C L X X I X.

Stari debet sententiæ arbitri quam de re dixerit, sive æquâ sive iniquâ (*a*). *l.* 27. § 2. ff. *d. tit*

Non ex omnibus causis ex quibus arbitri paritum sententiæ non est, pœna ex compromisso committitur; sed ex his duntaxat quæ ad solutionem pecuniæ (*b*) aut operam (*c*) præbendam pertinent. *l.* 39. ff. *d. tit.*

Sententia esse debet de re compromissâ. *l.* 32. § 17. *ff. d. tit.*

Arbiter nihil extra compromissum (*d*) facere potest. *l.* 32. § 21. ff. *d. tit.*

Regula est; Inutiliter arbitrum incertam (*e*) sententiam dicere *l.* 21. § 3. ff. *d. tit.*

Non debent obtemperare litigatores, si arbiter aliquid non honestum jusserit. *d. l.* 21. §. 7.

(*a*) Si tamen per sordes aut gratiam dixisse sententiam probabitur; victus non obtemperans tuebitur se per exceptionem *Doli* si pœna petatur. Item si quum arbiter inimicus apparuisset & testatione conventus ne sententiam diceret, tamen sententiam dixit: *d. tit.* N. 48.
(*b*) De quâ, an deberetur, compromissum est.
(*c*) Intellige sententias interlocutorias; quibus jubentur litigatores adesse, aut aliquod instrumentum edere.
(*d*) Quando videatur necne, *extra compromissum* quid jubere, vide *d. tit.* N. 40 & 41. Nihil extra compromissum facit, quum diem solutioni præstituit; aut si statuat quemadmodum satisdetur, quemadmodum detur vacua possessio, &c.
(*e*) Putà, *Solve quod debes.*

M D C L X X X.

Sententia dicta non coràm litigatoribus, non valebit; nisi in compromisso specialiter expressum sit, ut vel uno vel utroque absente sententia promatur. *l.* 27. § 4. *ff. d. tit.*

CORAM dicere sententiam videtur, qui sapientibus (*a*) dicit. *d. l.* 27. § 5.

(*a*) Non valet igitur, si dicatur presente furioso; aut præsente pupillo, nisi tutor adsit.

M D C L X X X I.

Celsus scribit; Si in tres fuerit compromissum, sufficere quidem duorum consensum, si præsens fuerit tertius; alioquin si absente eo duo consentiant, arbitrium non valere. *l.* 17. § 7. ff. *d. tit.*

§ VII.

De immutabilitate Sententiæ arbitri, & ejus effectu.

M D C L X X X I I.

Arbiter etsi erraverit in sententiâ (*a*) dicendâ, corrigere eam non potest. *l.* 20. ff. *d. tit.*

Ex sententiâ arbitri ex compromisso aditi appellari non posse, sæpè rescriptum est; quia nec Judicati actio indè præstari potest. *l.* 1. *Cod. h. tit.*

(*a*) Definitivâ; quia desiit esse arbiter: secùs de interlocutoriâ. Regula obtinet, quamvis de pluribus controversiis sumptus, sic ut de singulis separatim sententiam dicere posset, de unâ dixit: nam quantum ad hanc arbiter esse desiit.

M D C L X X X I I I.

Ex compromisso placet exceptionem (*a*) non nasci; sed pœnæ petitionem. *l.* 2. ff. *d. tit.*

(*a*) *Rei judicata*; multominùs actionem *Judicati.*

CAPUT QUARTUM.

Source : BIU Cujas

CAPUT QUARTUM.

De singulis præcipuarum Actionum speciebus.

SECTIO I.

De Actionibus IN REM.

Aliæ universales à quibus ordiemur, aliæ singulares. Actionibus IN REM, *etiam annumerandæ sunt illæ quæ de variis juribus in re competunt.*

ARTICULUS I.

De Hereditatis petitione.

PETITIO HEREDITATIS, *est actio quâ quis hereditatem vindicat quæ ad ipsum jure pertinet.*

§ I.

Adversùs quem competat.

MDCLXXXIV.

Regulariter definiendum est; Eum demùm teneri Petitione hereditatis, qui vel jus (*a*) Pro herede vel Pro possessore (*b*) possidet, vel rem hereditariam licèt minimam. *l.* 9. & *l.* 10. *ff. de Hered. petit.*

Qui pretia rerum hereditariarum possidet, item qui à debitore hereditario exegit, Petitione hereditatis tenetur. *l.* 19. § 1. *ff. d. tit.*

A debitore hereditario (*c*), quasi à juris possessore (*d*), hereditatem peti constat. *l.* 13. § *fin. ff. d. tit.*

Si servus vel filiusfamilias res hereditarias teneat, à patre domino-ve peti hereditas (*e*) potest. *l.* 34. § 1. ff. *d. tit.*

Non videtur Pro herede vel Pro possessore possidere, qui contemplatione alterius (*f*) possidet. *l.* 13. § 12. *ff. d. tit.*

(*a*) Pone exemplum in eo qui, quum vendiderit rem hereditariam, habet actionem *Venditi*; hæc actio est jus ex hereditate.
(*b*) Vide suprà Cap. 2. Art. 2. de possessione.
(*c*) Sive defuncti, sive hereditatis jacentis; & non à debitore heredis.
(*d*) Si ideò nolit solvere, quòd ipsum se esse heredem contendat.
(*e*) Nec refert enim quis per se an per eos quos in potestate habet, aliquid hereditarium *Pro herede* aut *Pro possessore* possideat.
(*f*) Putà, tanquam alterius procurator. Si tamen, quum is cujus nomine possidet ratum habere nollet possidere pergat; jam videtur *Pro possessore* possidere, adeòque tenetur: *d. tit.* N. 11.

MDCLXXXV.

Emptor (*a*) universitatis, Utili (*b*) tenetur. *l.* 13. § 8. ff. *d. tit.*

(*a*) Idem dic de eo qui in dotem accepit, & cæteris qui quovis singulari titulo hereditatem possident: *d. tit.* N. 13.
(*b*) Non *Directâ* Hereditatis petitione: nec enim se herede contendit, adeòque propriè non possidet *Pro herede*; nec *Pro possessore*, cùm habeat titulum, quamvis malâ fide emerit: *d. tit.* N. 13.

§ II.

Quæ res veniant in Petitione hereditatis *restituendæ.*

MDCLXXXVI.

Qui ex asse vel ex parte heres est, intendit quidem hereditatem suam esse totam, vel pro parte. Sed hoc ei ex officio judicis restituitur, quod adversarius (*a*) possidet; aut totum, si ex asse sit heres; aut pro parte ex quâ heres est. *l.* 10. § 1. *ff. d. tit.*

Placuit... in hoc judicium venire, sive jura sive corpora; non tantùm hereditaria corpora, sed quæ non sunt hereditaria, quorum (*b*) tamen periculum ad heredem pertinet. *l.* 18. § 2. & *l.* 19. *ff. d. tit.*

Veniunt & hæ res in hereditatis petitionem, in quibus possessor (*c*) retentionem (*d*) habuit. *d. l.* 19. § 2.

(*a*) Non solùm quod jam tempore litis contestatæ, sed & quod posteà possidere cœpit: l. 4. l. 18. § 1. l. 41. ff. h. tit.
(*b*) Ut res commodatæ defuncto.
(*c*) Defunctus.
(*d*) Scilicet quarum rerum dominus non erat, sed quas retinere poterat per aliquam exceptionem; item res à defuncto bonâ fide possessæ.

MDCLXXXVII.

Quæ post aditam hereditatem accedunt; si quidem ex ipsâ hereditate, puto hereditari accedere; si extrinsecùs, non. *l.* 20. § 3. ff. *d. tit.*

Fructus (*a*) omnes augent hereditatem, sive ante aditam hereditatem sive post aditam hereditatem accesserint. *d. l.* 20. § 3.

Veniunt in hereditatem, etiam ea quæ hereditatis causâ comparata (*b*) sunt. *d. l.* 20.

Actiones (*c*) si quas possessor nactus est, evictâ hereditate restituere debet. *l.* 40. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Et fructuum fructus, & omnis causa rei.
(*b*) Maximè si ex pecuniâ hereditariâ. Aliàs non, nisi res valdè necessariæ hereditati fuerint.
(*c*) Putà Interdictum *Unde vi*, quatenùs ad recuperationem possessionis rei hereditariæ competit: *d. tit.* N. 26.

MDCLXXXVIII.

Bonæ fidei possessor hereditatis de rebus quas possidet tenetur; prædo etiam de his quas culpâ suâ non possidet: passim d. tit. *N.* 32.

Si quis sciens ad se hereditatem non pertinere, distraxit; sine dubio non pretia rerum, sed ipsæ (*a*) res veniunt in petitionem hereditatis, & fructus earum. *l.* 20. § 12. ff. *d. tit.*

Si pluris vænierit res, electio debebit esse actoris ut pretium consequatur. *l.* 36. § 3. *ff. d. tit.*

Restituere pretia debebit possessor, etsi deperditæ sunt res vel diminutæ. *l.* 20. § *fin. ff. d. tit.*

(*a*) Regula fallit 1°. nisi ex causâ necessitatis possessor rem distraxerit: N. 34. *d. tit.* 2°. nisi petitor pretium malit, infrà Reg. seq.

§ III.

De præstationibus personalibus quæ veniunt in Petitione hereditatis.

MDCLXXXIX.

Petitio hereditatis, etsi IN REM actio sit, habet tamen præstationes personales. *l.* 25. § 18. ff. *d. tit.*

Omne (*a*) lucrum auferendum esse, tam bonæ fidei possessori *hereditatis* quàm prædoni, dicendum est. *l.* 28. *ff. d. tit.*

(*a*) Adeòque etiam id quod ab his qui res hereditarias surripuissent, aut in hi damnum dedissent, pœnæ nomine exegit, debet restituere: & etiam fructus. Sed bonæ fidei possessor eos duntaxat quos exegit, & ex quibus locupletior factus est; prædo etiam eos qui percipi potuerunt, licèt non perceperit. Denique etiam inhonestos quæstus possessor restituere debet: l. 52. ff. *d. tit.*

Source : BIU Cujas

Quum hi qui se heredes esse existimant, hereditatem distraxerunt; placet, redactæ ex pretio rerum venditarum pecuniæ usuras non esse exigendas. *l.* 20. § 6. *ff. d. tit.*

Senatui placuit, Eos qui justas causas habuissent quare bona ad se pertinere existimassent; usque eo duntaxat quòd locupletiores ex eâ re facti essent (*b*), condemnandos. *d. l.* 20. § 6.

Bonæ fidei possessor qui quasi suam rem neglexit, nulli querelæ subjectus est ante petitam hereditatem. *l.* 31. § 3. ff. *de Petit. her.*

(*b*) Quod spectatur tempore rei judicatæ. Vel ex eo solo autem locupletiores videri possunt, quòd propriæ pecuniæ pepercerunt impendendo hereditariam.

M D C X C.

Contrà prædo de omnibus quæ ex hereditate percepit & percipere potuit, non duntaxat quatenùs locupletior est, sed simpliciter tenetur; & usuras debet, & culpæ reddit rationem.

Enimverò à prædone, Fructuum post hereditatem petitam perceptorum, usuræ (*a*) non præstantur: diversa ratio est eorum qui antè percepti, hereditatem (*b*) auxerunt. *l.* 51. § 1. ff. *d. tit.*

Quòd Si pecuniam inventam in hereditate non attingat; negat *Papinianus* eum in usuras conveniendum. *l.* 20. § 14. ff. *d. tit.*

Item Prædoni imputari non potest, cur passus est debitores liberari; cùm actionem non habuerit. *l.* 31. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Ratio est, quòd in judicium deducti hi fructus non fuerint, qui tum non existebant; adeoque officio judicis duntaxat, tanquam ejus quod in judicium deductum fuit accessio, præstantur: undè, cùm accessio accessionis non fit, eorum usuræ deberi non possunt.
(*b*) Adeoque in judicium deducti sunt principaliter: & ideo eorum usuræ deberi possunt.

§ IV.

De actionibus quæ in judicium Petitionis hereditatis deducuntur, necne.

M D C X C I.

Regula est; Omnes (*a*) hereditarias actiones, in hereditatis petitionem (*b*) venire. *l.* 20. § 4. ff. *d. tit.*

At Non possumus consequi per hereditatis petitionem, ut à communione discedamus. *l.* 7. ff. *Si pars her. pet.*

(*a*) Quæ defuncto adversùs possessorem hereditatis competebant.
(*b*) Non tamen cùm suo incrementò, sed in simplum. At liberum est petitori, eas in judicium petitionis deducere vel non: *d. tit.* N. 51. 52.

§ V.

De deductionibus quæ possessori fiunt in judicio Petitionis hereditatis.

M D C X C II.

Si quid possessor (*a*) solvit creditoribus, reputabit. *l.* 31. *ff. d. tit.*

Si ipsi aliquid prædoni debebitur, hoc deducere (*b*) non debebit; maximè si id fuit debitum quod naturâ debebatur..... Justus autem possessor, dubio procul debebit deducere quod sibi debetur. *d. l.* 31. §§ 1. & 2.

Potest in eo differentia esse; ut bonæ fidei possessor omnimodò impensas deducat, licèt res non extat in quam fecit; prædo autem, non aliter quàm si res melior sit. *l.* 38. ff. *d. tit.*

Prædoni probè dicetur, non debuisse in alienam rem supervacuas impensas facere; ut tamen potestas ei fieret tollendorum eorum quæ sine detrimento ipsius rei tolli possunt. *l.* 39. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Etiam prædo. Sed prædo cavere debet defensum iri heredem adversùs hunc creditorem; bonæ fidei possessor, huic cautioni non est obnoxius.
(*b*) Nisi expediebat petitori hoc solvi; d. l. 31.

M D C X C III.

Si possessor hereditatis, ob id quòd ex testamento heredem se esse putaret, legatorum nomine de suo solvit; secundùm Senatusconsulti sententiam, subveniendum est ei: ut ipse quidem ex retentione rerum hereditariarum, sibi satisfaciat; cedat autem actionibus (*a*) petitori, ut suo periculo exerceat. *l.* 17. ff. *d. tit.*

Si quis re suâ lautiùs usus sit, contemplatione delatæ sibi hereditatis; nihil eum ex hereditate deducturum, si eam non attingit. *l.* 25. § 12. ff. *d. tit.*

(*a*) *Condictione indebiti.*

§ VI.

Quandiù in hoc judicio quis bonæ fidei possessor fuisse intelligatur.

M D C X C IV.

Hic obtinet regula generalis; scilicet quòd Post litem contestatam, omnes incipiunt malæ fidei possessores esse; quinimò post controversiam motam. *d. l.* 25. § 7.

In uno tamen differunt; quòd prædo tenetur etiam de his quæ citra culpam post petitam hereditatem perierunt, quia potuisset petitor ea distrahere si tunc restituta fuissent: bonæ fidei possessor eo nomine non tenetur: d. tit. *N.* 49.

§ VII.

De Petitione partis hereditatis.

M D C X C V.

Qui hereditatem vel partem hereditatis petit, is non ex eo metitur quod possessor occupavit, sed ex suo jure. *l.* 1. § 1. *ff. Si pars hered.*

Si duo possideant hereditatem, & duo sint qui ad se partes hereditatis pertinere dicant; non singuli à singulis petere contenti esse debent, putà primus à primo & secundus à secundo; sed ambo à primo, & ambo à secundo. *d. l.* 1. § 2.

Interdum Prætor incertæ partis hereditatis petitionem indulget, idoneis (*a*) causis intervenientibus. *d. l.* 1. § 5.

¶ *Suprà dictæ omnes in hoc Articulo regulæ, non solùm de* Directâ, *sed de* Utili, & Possessoriâ, & Fideicommissoriâ *hereditatis petitione, quæ bonorum possessoribus & his quibus ex Trebelliano restituta est hereditas dantur, intelligendæ sunt.*

(*a*) Putà, quum incertum est quot ex ventre mihi coheredes nasciturі sunt.

ARTICULUS II.

De Directâ *& civili rei vindicatione.*

§ I.

Quæ res vindicari possint necne.

M D C X C VI.

Specialis IN REM actio locum habet, in omnibus mobilibus, tam animalibus, quàm quæ animâ carent, & in his quæ solo continentur. *l.* 1. § 1. ff. *de Rei vind.*

Source : BIU Cujas

Vindicatio, non ut gregis, ita & peculii (*a*) recepta est. *l.* 56. ff. *d. tit.*

Eorum quoque quæ sine interitu dividi non possunt, partem petere posse constat. *l.* 35. § 3. ff. *d. tit.*

Pater filium adjectâ causâ EX LEGE QUIRITUM, vindicare potest. *l.* 1. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Disparitas, quod grex est corpus ex distantibus partibus; peculium non corpus, sed nomen juris est: hâc autem actione vindicantur corpora. Igitur singula Peculii corpora vindicanda sunt.

MDCXCVII.

Quæcumque (*a*) aliis juncta sive adjecta accessionis loco cedunt, ea quandiù cohærent dominus vindicare non potest. Sed Ad (*b*) exhibendum agere potest ut separentur, & tunc vindicentur. *l.* 23. § 5. ff. *d. tit.*

Constat posse me gregem vindicare, quamvis aries tuus sit immixtus; sed & te arietem vindicare posse. *d. l.* 23. § 5.

(*a*) Regula fallit circa res quæ ex distantibus partibus constant. Vide Reg. seq.

(*b*) Hæc posterior pars regulæ, fallit in tigno alienis ædibus juncto, quod Lex XII. Tab. separari vetat; item in his quæ per ferruminationem juncta sunt; quæ etiam postquàm separata fuerint, non revertuntur ad prius dominium.

§ II.

Cui competat Vindicatio; *& adversùs quem.*

MDCXCVIII.

In rem actio competit ei, qui aut Jure Gentium aut Jure Civili dominium acquisiit. *d. l.* 23.

Non ideò minùs rectè quid nostrum vindicabimus, quòd abire à nobis dominium speratur. *l.* 76. ff. *d. tit.*

MDCXCIX.

Puto, ab omnibus qui tenent & habent restituendi facultatem, peti posse. *l.* 9. ff. *d. tit.*

In rem actio, non contra venditorem (*a*), sed contra possidentem competit. *l.* 1. *Cod. Ubi in rem actio.*

Si *quis* litis contestatæ tempore non possedit, quo autem judicatur possidet; probanda est Proculi sententia, ut omnimodo condemnetur. *l.* 27. § 1. *ff. de Rei vind.*

Si fundum mihi tecum communem tu & L. Titius possideatis; non ab utrisque quadrantes petere debeo, sed à Titio qui non sit dominus totum semissem: aliter atque si certis (*b*) regionibus possideatis. *l.* 8. ff. *d. tit.*

(*a*) Qui possessori vendidit.

(*b*) Unaquæque enim regio pro parte mea est, non ea sola quam possidet Titius.

§ III.

De Præparatoriis hujus judicii.

MDCC.

Qui destinavit rem petere, animadvertere debet an aliquo Interdicto possit nanciscì possessionem; quia commodius est possidere, quàm alio possidente petere. *l.* 24. ff. *d. tit.*

Si IN rem aliquis agat, debet designare rem; & utrùm totam, an partem, & quotam petat. *l.* 6. ff. *d. tit.*

Infectæ materiæ pondus, signatæ numerum, factæ autem speciem, dici oportet. *l.* 6.

Incertæ partis vindicatio datur, si justa (*b*) causa interveniat. *l.* 76. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Putà incertum ejus quod Falcidia detrahet.

MDCCI.

In rem actionem pati (*a*) non compellimur. *l.* 80. ff. *d. tit.*

(*a*) Sed hoc casu, si possessio apud nos deprehendatur, transferetur ad petitorem; licèt non probaverit rem suam esse.

In speciali actione, non cogitur possessor dicere pro quâ parte ejus sit. *l.* 73. ff. *d. tit.*

Et Cogi (*b*) possessorem ab eo qui expetit, titulum suæ possessionis dicere, incivile est. *l.* 11. *Cod. de Petit. hered.*

(*b*) Secùs in petitione hereditatis. d. l. 11.

§ IV.

Quæ veniant in hoc judicio.

MDCCII.

Non malum est, aut ibi restitui ubi res sit; aut ubi agitur, sed sumptibus petitoris (*a*). *l.* 10. ff. *d. tit.*

Qui in rem convenitur, etiam culpæ nomine condemnatur. *l.* 36. § 1. ff. *d. tit.*

Qui citra culpam rem amisit, Etsi non cogitur cavere de persequendâ re; tamen cavere debet possessor (*b*), si rem nanctus fuerit, ut eam restituat. *l.* 21. ff. *d. tit.*

Si (*c*) servus petitus vel animal demortuum sit sine dolo & culpâ possessoris... verius est, si fortè distracturus erat petitor si accepisset, moram passo debere præstari. *l.* 15. § 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Quod si prædo sit, qui ex loco ubi res petitur eam ipse alio transtulit; sumptibus ejus reduci debet.

(*b*) Conventus, qui posteà sine culpâ possessionem amisit.

(*c*) Pertinet hæc regula ad malæ fidei possessores.

MDCCIII.

Quum res restituitur A bonæ fidei possessore, puto cavendum esse de dolo (*a*) solo debere; cæteros etiam de culpâ suâ, inter quos erit & bonæ fidei possessor post litem contestatam. *l.* 45. ff. *d. tit.*

Ipsi quoque reo cavendum, HIS rebus (*b*) rectè præstari. *l.* 19. ff. *d. tit.*

Non solùm rem restitui; verùm & si deterior res sit facta, rationem judex habebit. *l.* 13. ff. *d. tit.*

(*a*) Scilicet quòd, ex quo ipsi scientia rei alienæ supervenit, nihil dolo fecerit quo conditio petitoris circa rem deterior foret.

(*b*) Id est, indemnem eum præstari; si quam pro re obligationem contraxit, putà *Damni infecti* cavit.

§ V.

De Sumptibus possessori refundendis quos circa rem fecit.

MDCCIV.

Sumptus in prædium quod alienum esse apparuit, à bonæ fidei possessore facti, non peti possunt, verùm exceptione Doli positâ, per officium judicis, æquitatis ratione servantur (*a*); scilicet si fructuum ante litem contestatam perceptorum summam excedunt. *l.* 48. ff. *d. tit.*

Malæ fidei possessores, ejus quod in rem alienam impendunt nullam habent repetitionem; nisi necessarios sumptus fecerint; sin autem utiles, licentia eis permittatur sine læsione prioris statûs rei eos auferre. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

De fructibus vide Cap. præced.

(*b*) Hoc indistinctè verum circa necessarios sumptus; circa utiles variè pro variis circumstantiis statuitur: *d. tit.* N. 44.

ARTICULUS III.

De Publicianâ *In rem actione.*

MDCCV.

Quæcumque sunt justæ causæ acquirendarum rerum, si ex his (*a*) causis nancti res amiserimus, dabitur

(*a*) Aut saltem ex probabili opinione justæ causæ: N. 4. *d. tit.*

Source : BIU Cujas

nobis earum rerum persequendarum gratiâ hæc actio. *l.* 13. ff. *de Publ. in rem act.*

Per Publicianam Bona fides tantumdem possidenti præstat, quantum veritas (*b*); quoties Lex (*c*) impedimento non est. *l.* 136. (*Aliàs* 178.) PAUL. LIB. 18. AD EDICT.

Ut Publiciana competat, hæc debent concurrere; ut & bonâ fide quis emerit (*d*), & ei (*e*) res empta eo nomine sit tradita. *l.* 7. § 16. ff. *de Publician.*

Publiciana in his quæ usucapi (*f*) non possunt, locum non habet. *l.* 9. § 5. *ff. d. tit.*

In vectigalibus & aliis prædiis quæ usucapi non possunt, Publiciana (*g*) competit. *l.* 12. § 2. ff. *d. tit.*

(*b*) Dat enim bonæ fidei possessori, si quando possessione suâ excidat, actionem, in quâ eadem veniunt quæ veniunt in *Directâ* rei vindicatione quam dat verum dominium.

(*c*) Lex aliqua, quæ rei usucapionem vetaret, impedimento est quominùs hæc res possit fingi jam usucapta; adeòque quominùs possit Publiciana competere.

(*d*) Alio-ve justo titulo acquisierit.

(*e*) Vel ejus servo, quamvis in fugâ esset. Hæc regula fluit ex præced. Bona fides non plus præstat quàm veritas; adeoque ut possit quis fingi dominus & *Publicianâ* agere, oportet ea omnia intervenisse, quæ ad verum dominium transferendum intervenire oportuisset si à vero domino comparasset.

(*f*) Nec longo tempore præscribi: Fluit ex Reg. suprà *Bona fides.*

(*g*) Saltem enim possunt longo tempore præscribi: quod sufficit.

MDCCVI.

Publiciana (*a*) actio non ideò comparata est, ut res domino auferatur. *l.* 17. *ff. d. tit.*

Inter duos bonæ fidei emptores, Si ab eodem non domino emerint, potior cui priori res tradita est; quòd si à diversis non dominis, melior causa possidentis. *l.* 9. § 4. *ff. d. tit.*

In Publicianâ omnia eadem erunt, quæ in Rei vindicatione. *l.* 7. § 8. ff. *d. tit.*

(*a*) Hæc regula fallit quibusdam casibus: *d. tit.* N. 20. 21. & 22.

§ II.

De Superficiariâ In rem *actione.*

MDCCVII.

Ei qui non ad modicum tempus conduxit, IN rem actio competit. *l.* 1. § 3. ff. *de Superfic.*

ARTICULUS IV.

De Hypothecariâ actione.

MDCCVIII.

Pignoris persecutio, In rem parit actionem creditori. *l.* 17. *ff. de Pign. & hypoth.*

Si convenisset secundus creditor de hypothecâ, ab omni possessore eam auferre poterit; præter priorem creditorem, & qui ab eo emit. *l.* 12. § 7. *ff. Qui pot. in pign.*

MDCCIX.

Etsi nondum dies pensionis venit ... puto dandam pignoris persecutionem. *l.* 14. *ff. de Pign. & hypoth.*

Si sub conditione debiti nomine, sit obligata hypotheca; dicendum est ante conditionem non rectè agi. *l.* 13. § 5. ff. *d. tit.*

Persecutione pignoris omissâ, debitores actione personali convenire creditor urgeri non potest. *l.* 24. *Cod. h. tit.*

At saltem antequàm hypothecariâ agatur, Debitores præsentes priùs denuntiationibus conveniendi sunt. *l.* 10. *Cod. h. tit.*

Qui pignoris jure rem persequuntur, removeri solent si qualiscumque possessor offerre vellet. *l.* 12. § 1. ff. *Quib. mod. pign. solv.*

MDCCX.

In actione hypothecariâ, si res non restituatur, condemnatio fit Adversùs debitorem, non pluris quàm quanti debet, quia non pluris interest; adversùs cæteros possessores, etiam pluris (*a*). *l.* 21. § 3. ff. *de Pign. & hypothec.*

¶ *De actionibus servitutum* Confessoriis *aut* Negatoriis *vide Tit. præced.*

(*a*) Eatenùs enim interest creditoris, ab his quanti pluris est accipere; quatenùs ipse hoc quod plus est, debitori *Contrariâ pignoratitiâ* actione præstare tenetur.

SECTIO II.

De actionibus In personam *seu Condictionibus.*

§ I.

De Condictione Certi.

MDCCXI.

Certi condictio competit ex omni causâ (*a*), & ex omni obligatione ex quâ certum petitur. *l.* 9. *ff. de Reb. cred.*

CERTUM est cujus species vel quantitas quæ in obligatione versatur, aut nomine suo, aut eâ demonstratione quæ nominis vice fungitur, qualis quantaque sit ostenditur. *l.* 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Sive ex contractu; sive ex delicto, sive ex quacumque causâ.

MDCCXII.

Sive suo nomine quis obligatus, sive alieno; per condictionem Certi rectè convenitur. *sup. d. l.* 9. § 2.

§ II.

De Condictione Triticariâ.

MDCCXIII.

Generaliter dicendum est; eas res per hanc actionem peti, si quæ sint præter pecuniam numeratam (*a*). *l.* 1. ff. *de Condict. tritic.*

In hâc actione si quæratur, res quæ petita est cujus temporis æstimationem recipiat; verius est, condemnationis tempus spectandum: si verò desierit esse in rebus humanis, mortis tempus; in utroque autem, si post moram deterior res facta sit, habendam æstimationem quanti deterior res facta sit. *l.* 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Nam datur hæc actio potissimùm, æstimandæ rei gratiâ quæ debetur, si à debitore non præstetur; pecunia autem non æstimatur, cùm ipsa sit cæterarum rerum æstimatio.

MDCCXIV.

Si merx aliqua quæ certo die dari debebat, petita sit; tanti æstimanda, quanti fuisset eo die quo dari debuit: si de die nihil convenit, quanti tunc quum judicium acciperetur. Idemque juris in loco. *l.* 4. *ff. d. tit.*

§ III.

De Condictione ejus Quod certo loco *dari oportet.*

MDCCXV.

Qui certo loco se soluturum pecuniam obligat (*a*), si solutioni satis non fecerit, arbitrariâ actione & in alio loco conveniri potest; in quâ venit æstimatio

(*a*) Ex causâ *Stricti juris.* In actionibus enim *Bonæ fidei* hæc æstimatio inest, adeoque non recurritur ad hanc actionem.

Source : BIU Cujas

quod alterutrius interfuit, ſuo loco potiùs quàm in eo quo petitur (*b*) ſolvi. *l. un. Cod. Ubi conv. qui cert. loc.*

(*b*) Ita ut ſi rei interfuerit alio loco ſolvi, eo minoris; ſi actoris, eo majoris condemnatio fiat.

§ IV.

De Condictione Sine cauſâ.

M D C C X V I.

Sive ab initio ſine causâ promiſſum (*a*) eſt, ſive fuit cauſa promittendi quæ finita (*b*) eſt, vel ſecuta (*c*) non eſt; dicendum eſt Condictioni locum fore. *l.* 1. § 2. ff. *de Cond. ſine cauſ.*

Qui promiſit, ſine causâ condicere quantitatem non poteſt quam non dedit, ſed ipſam obligationem. *d. l.* 1.

(*a*) Vel datum; ut quum indebitum per errorem ſolutum aut promiſſum eſt.
(*b*) Ut quum pecunia propter quam dedi tibi chirographum, ſoluta eſt.
(*c*) Quo caſu concurrit & alia Condictio, de quâ §°. ſeq.

§ V.

De Condictione Cauſâ *datâ*, *cauſâ* non ſecutâ; & *de Condictione* Ex pœnitentiâ.

M D C C X V I I.

Quod OB REM (*a*) datur, ex bono & æquo habet repetitionem; veluti ſi dem ut facias, nec feceris. *l.* 65. § 4. ff. *de Condict. indeb.*

Contrà; Quod OB CAUSAM (*b*) datur, licèt non ſit factum; quia donare volui, quamvis falsò mihi perſuaſerim, repeti non poteſt. *d. l.* 65. § 2.

Item Conſtat eum qui dedit eâ ſpe quòd ſe ab eo qui accepit remunerari exiſtimaret; repetere non (*a*) poſſe, opinione falsâ deceptum. *d. l.* 3. § 7.

(*a*) Ut res aliqua ſequatur.
(*b*) Præteritam.
(*c*) In hâc ſpecie enim purè datur, non *Ob rem*; nulla lex dationi adſcribitur.

M D C C X V I I I.

De dato ut quid fiat.

Dictam legem donationi, ſi non impoſſibilem (*a*) contineat cauſam, ab eo qui hanc ſuſcipit non impletam; Condictioni facere locum, Juris dictat diſciplina. *l.* 8. *Cod. de Condict. ob cauſ. datorum.*

Si cauſa pro quâ data eſt *pecunia*, non culpâ accipientis ſed fortuito caſu non eſt ſecuta; minimè repeti poſſe certum eſt. *l.* 10. *Cod. d. tit.*

Quum OB REM *datur*, *putà* Quum ſic datur tanquam in dotem perventurum; quandiù pervenire poteſt, repetitio ejus non (*b*) eſt. *l.* 8. *ff. de Condict. cauſ. dat.*

Si ita dedi ut intra certum tempus *V. G.* manumittas; ſi nondum tempus præterierit, inhibenda erit repetitio niſi pœniteat (*c*); ſi præteriit, Condici poterit. *l.* 3. § 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Nam ſi impoſſibilis fuit, repetitioni non eſt locus; niſi per errorem facti, donator crediderit eſſe poſſibilem, aliàs non donaturus ſi ſciviſſet rem ſequi non poſſe.
(*b*) Ex causâ *Ob rem dati*.
(*c*) Quo caſu non quidem Condictioni *Causâ datâ*, ſed *Condictioni ex pœnitentiâ* locus erit.

M D C C X I X.

Si tibi dedero ut (*quid facias*, *putà*) Stichum manumittas; ſi non facis, poſſum Condicere (*a*); aut ſi me pœniteat (*b*), Condicere (*c*) poſſum. *d. l.* 3. § 2.

(*a*) *Condictione causâ datâ causâ non ſecutâ*, eùm in morâ fueris.
(*b*) Quamvis in morâ non fueris.
(*c*) *Condictione ex pœnitentiâ*.

Inter utramque Condictionem hoc intereſt, quòd in Condictione ex pœnitentiâ *indemnis fieri debeat is à quo condicitur, ſi quos ſumptus fecit propter rem quæ non ſecuta eſt; in* Condictione causâ datâ non ſecutâ, *ſecùs obtinet d. tit. N.* 8. & 9.

M D C C X X.

De dato ne quid fiat.

Eſt verum, multùm intereſſe utrùm ob hoc ſolum dedi ne eatur, an ut & mihi repromittatur NON IRI. Si ob hoc ut & repromittatur, condici poterit ſi non repromittatur; ſi ut ne eatur, Condictio ceſſat quandiù non itur. *d. l.* 3.

M D C C X X I.

De caſu quo res ſecuta eſt.

Si ob rem non inhoneſtam data ſit pecunia; causâ ſecutâ repetitio (*a*) ceſſat. *l.* 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Tam *Condictio ex pœnitentiâ*, quàm *Condictio causâ datâ*.

§ VI.

De Condictionibus Ob turpem cauſam *dati*, & Ex injuſtâ cauſâ.

M D C C X X I I.

Ob rem honeſtam datum ita repeti poteſt, ſi res propter quam datum eſt ſecuta non eſt. Quòd ſi turpis cauſa (*a*) accipientis (*b*) fuerit, etiamſi res ſecuta ſit, repeti poteſt. *l.* 1. § 2. *ff. de Cod. ob turp. cauſ.*

Nota tamen, Si & dantis & accipientis turpis cauſa ſit, poſſeſſorem potiorem eſſe; & ideò repetitionem ceſſare, tametſi ex ſtipulatione ſolutum ſit. *l.* 8. ff. *d. tit.*

Quamvis utriuſque turpitudo verſatur, ac ſolutæ quantitatis ceſſat repetitio; tamen (*c*) ex ſtipulatione denegandas actiones, Juris auctoritate demonſtratur. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

Quod meretrici datur, repeti non poteſt: illam enim turpiter facere quòd ſit meretrix; non turpiter accipere, cùm ſit meretrix. *l.* 4. § 3. ff. *d. tit.*

(*a*) Putà, ne occidas aliquem: vel ut reddas quod debebas, aut quod meum erat.
(*b*) Solius. Vide Reg. ſeq.
(*c*) Quum nondum ſolutum eſt: quia promiſſor qui nondum ſolvit, poſſeſſor eſt; adeoque potior, Reg. præced.

M D C C X X I I I.

Jure Gentium condici puto (*a*) res, ab his qui non juſtâ causâ poſſident. *l.* 25. ff. *Rer. amot.*

(*a*) Vel *Condictione furtivâ*, aut *Rerum amotarum*; vel quum hæ ceſſant ut quum nupta non conſilio divortii viro furtum fecit, ex generali Condictione *Ex injuſta causa*.

§ VII.

De Condictione dati Ob conditionem *implendam*.

M D C C X X I V.

Si quis *V. G.* quaſi ſtaliber decem *dare juſſus* dederit, quum juſſus (*a*) non eſſet; Condicere eum Celſus ſcribit. *l.* 3. § 6. *ff. de Condict. cauſ. dat.*

¶ *De ſingularibus actionum* In perſonam *ſpeciebus actum eſt Part. præced. quum de ſingulis obligationum cauſis ex quibus deſcendunt, ageretur.*

(*a*) Idem & ſi conditio adſcripta quidem fuit, ſed poſteà adempta; vel diſpoſitio cui adſcripta eſt, exitum quoquomodo non habuit.

Source : BIU Cujas

SECTIO III.

De Actionibus revocatoriis eorum quæ in fraudem alicujus gesta sunt.

Tales sunt, Pauliana *quæ creditoribus*, Faviana, & Calvisiana *quæ patrono dantur. Talis ea quæ harum instar datur adrogato, ad revocationem eorum quæ in fraudem Quartæ ab adrogatore ipsi debitæ sunt alienata. Talis etiam illa quâ fiscus revocat in ipsis fraudem gesta; puta à reo criminis, in fraudem publicationis bonorum.*

MDCCXXV.

REGULÆ *generales, circa fraudem quæ his actionibus locum dat.*

Nemo videtur fraudare eos qui sciunt (*a*) & consentiunt. *l.* 145. (*Aliàs* 187.) ULP. LIB. 66. AD ED.

Fraudis interpretatio, semper in Jure Civili, non ex eventu duntaxat, sed ex consilio (*b*) quoque desideratur. *l.* 79. PAPIN. LIB. 32. QUÆST.

Generaliter, quum de fraude disputatur, non quid [non] habeat (*c*) sed quid per adversarium habere non potuerit, considerandum est. *l.* 78. IDEM LIB. 31. QUÆST.

(*a*) Ergo si consentiente creditore aut patrono, debitor libertus-ve quid alienavit, quo solvendo esse desiit, aut quo portio patrono debita sit imminuta; non habebit creditor patronus-ve revocatoriam actionem.

(*b*) Id est, non sufficit ut ex eo quod alienaverit quis, desierit esse solvendo; oportet ut sciverit se ex eâ alienatione desiturum esse solvendo: quæ scientia absuisse credetur, si probabilis causa appareat cur se ditiorem existimare potuerit quàm revera erat; putà si naves mercibus onustas habuerat, quas ignorabat tunc quum alienabat tempestate periisse.

(*c*) Hâc negatione additâ, quæ in Basilicis invenitur, eadem erit sententia; scilicet ut revocatoria locum habeat, non inspiciendum quid actor non habeat, id est an revera creditor patronus-ve non inveniat in bonis debitoris liberti-ve undè sibi satisfaciat. sed an per adversarium, id est per fraudem adversarii factum sit ut non haberet. P. Faber Florentinam lectionem sine negatione tuetur, & hunc sensum affingit; ut in his actionibus non sufficiat actorem habere rem quæ in fraudem ipsius alienata est, nisi habeat etiam omne emolumentum rei quod per adversarium non potuit habere, dum res non restituitur.

ARTICULUS I.

De Actione Paulianâ *seu revocatoriâ ejus quod in fraudem creditorum gestum est.*

§ I.

Quod & quale gestum revocetur.

MDCCXXVI.

Sive quis rem alienavit, sive acceptilatione vel pacto aliquem liberavit, . . . si pignora liberet, vel quem alium in fraudem creditorum (*a*) præponat, sive se obligavit; palàm est Edictum locum habere. *l.* 1. *l.* 2. & *l.* 3. ff. *Quæ in fraud. cred.*

Prætor fraudem etiam in (*b*) tempore fieri intelligit. *l.* 10. § 12. *ff. d. tit.*

In fraudem facere, etiam eum qui non facit (*c*) quod debet facere intelligendum est. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Nec dos (*d*) in fraudem creditorum constituenda est. *l.* 10. § 14. *ff. d. tit.*

Non fraudantur creditores, quum quid non acquiritur à debitore, sed quum quid de bonis diminuitur. *l.* 134. (*Aliàs* 176.) ULP. LIB. 21. AD ED.

(*a*) Quum alii æquè instarent.

(*b*) Si ante diem solvatur creditori.

(*c*) Ut qui in fraudem amittit servitutem *Non utendo*, aut temporalem actionem *Non agendo*.

(*d*) Si tamen maritus fraudis conscius non fuerit; hâc actione non tenebitur, cùm eam videatur ex causâ onerosâ accipere: N. 20. *d. tit.*

V. G. Si quis conditioni (*e*) non paret ne committatur stipulatio, non facit Edicto locum. *l.* 6. § 1. *Quæ in fraud. cred.*

Debitorem qui ex Trebelliano totam hereditatem restituit, *placet* non videri in fraudem creditorum alienasse portionem quam retinere potuisset, sed magis fideliter facere. *l.* 20. ff. *d. tit.*

Papinianus respondit; Patrem qui non expectatâ morte suâ fideicommissum hereditatis maternæ filio soluto potestate restituit, plenam fidem ac debitam pietatem secutus, non videri creditores fraudasse. *l.* 19. ff. *d. tit.*

(*e*) Præter id exemplum Regulæ præcedentis, alia exempla in repudiatione hereditatis, legati, &c.

MDCCXXVII.

Nihil dolo creditor facit, qui suum recepit. *l.* 129. (*Aliàs* 171.) PAUL. LIB. 21. AD ED.

Sciendum (*a*) eum qui debitam pecuniam recipit, antequàm bona debitoris possideantur, quamvis sciens prudensque solvendo non esse recipiat, non timere Edictum; qui verò post bona possessa debitum suum recipit, hunc in portionem vocandum exæquandumque cæteris. *l.* 6. § 7. ff. *Quæ in fraud. cred.*

(*a*) Regula recipit exceptiones; 1°. in casu legis fin. Cod. *de Jur. delib.* 2°. quum per gratificationem uni solutum, aliis creditoribus æquè instantibus: l. 6. § 2. ff. *de Reb. auct. jud. poss.* item in Reg. seq.

§ II.

De Fraudis eventu ad hanc actionem necessario.

MDCCXXVIII.

Ita demùm revocatur quod fraudandorum creditorum causâ factum est, si eventum fraus habuit; scilicet si hi creditores quorum fraudandorum causâ fecit, bona ipsius (*a*) vendiderunt. *l.* 10. § 1. *ff. Quæ in fraud. cred.*

Et quidem huic actioni, Etsi unus creditor sit ex illis qui fraudati sunt, probandum est fore locum. *d. l.* 10. § 6.

Si dimisit *creditores* quorum fraudandorum causâ fecit, & alios sortitus est; si quidem simpliciter, cessat revocatio; si horum pecuniâ priores dimisit, revocationi locus erit. *d. l.* 10. § 1.

Si fraudator heredem habuit, & heredis bona vænierint; non est in bonis quibus de agitur factum, & ideò cessat actio. *d. l.* 10. § 9.

Si passi sunt necessarium *heredem* creditores, & quasi in creditum habuerunt nomen ejus; dicendum, nihil revocari ex his quæ testator alienavit. *d. l.* 10. § 10.

(*a*) Nec pretium suffecit creditoribus.

§ III.

Qui hâc actione teneantur.

MDCCXXIX.

Hoc Edictum eum coercet qui sciens fraudem, suscepit quod in fraudem creditorum fiebat. *l.* 6. § 8. ff. *d. tit.*

Qui scit aliquem creditores habere, si cum eo contrahat sine fraudis conscientiâ, non videtur hâc actione teneri. *d. l.* 10. § 4. ff. *d. tit.*

Sufficit etsi unum scit creditorem (*a*) fraudari, cæteros ignoravit. *d. l.* 10. § 7.

Non caret fraude qui testatò conventus (*ne emat*), perseverat. *d. l.* 10. § 3.

Si cui donatum est; non quærendum an sciente eo,

(*a*) Modò is perseveraverit esse creditor. Cæterùm is qui contraxit non audietur, si ei satisfacere offerat ut à cæteris absolvatur; d. l. 10. § 8.

Source : BIU Cujas

ſed hoc tantùm an fraudentur creditores. *l.* 6. § 11. ff. *d. tit.*

MDCCXXX.

Pupilli ignorantia quæ per ætatem contingit, non debet eſſe captioſa creditoribus & ipſi lucroſa. *d. l.* 6. § 10.

In hos qui ignorantes *fraudem*, liberalitatem acceperunt, hactenùs actio erit danda quatenùs locupletiores facti ſunt, ultrà non. *d. l.* 6. § 11.

Paulianâ tenetur, tam is qui conſcius fraudis contraxit, licèt res ad eum non pervenerit; quàm is ad quem res pervenit, licèt ipſe non contraxerit, ſi modò & ipſe fraudis conſcius fuit, aut ex lucrativâ causâ res ad eum pervenit. Paſſim d. tit. *Art.* 3°.

MDCCXXXI.

Hæc actio, etiam in ipſum fraudatorem (*a*) datur; & Prætor non tam emolumentum actionis intueri videtur in eo qui exutus eſt bonis, quàm pœnam. *l.* 25. § 7. ff. *d. tit.*

(*a*) Ita tamen ut, ſi res aliâ ratione recuperari poſſit, non niſi quatenùs facere poteſt teneatur: l. 6. ff. Cod. *de Revoc. his quæ &c.*

§ IV.

Quæ in hanc actionem veniant.

MDCCXXXII.

Paulianam Per actionem res reſtitui debet, cum ſuâ (*a*) ſcilicet causâ *l.* 10. § 19. ff. *d. tit.*

Hâc actione non ſolùm dominia revocantur, verùm etiam actiones (*b*) reſtaurantur. *l.* 14. ff. *d. tit.*

Sciendum eſt ex hâc actione reſtitutionem fieri oportere in priſtinum ſtatum, ſive res fuerunt, ſive obligationes; ut perindè omnia revocentur, ac ſi liberatio facta non eſſet. *ſup. d. l.* 10. § 22.

(*a*) Id eſt, cum fructibus qui tempore alienationis cohærebant rei, ſive maturi ſive immaturi eſſent; item his qui poſt inchoatum judicium percepti ſunt: medii autem temporis fructus non reſtituentur: eadem diſtinctio circa partum. Non reſtituitur autem emptori fraudis conſcio pretium quod ſolvit; niſi adhuc extent nummi quos ſolvit.

(*b*) Ut ſi actionis temporalis diem exire paſſus eſt quis in fraudem ſuorum creditorum, aut debitores ſuos per acceptilationem liberavit.

MDCCXXXIII.

Ejus cui per fraudem acceptolatum eſt Si conditionalis fuit obligatio, cum ſuâ conditione; ſi in diem, cum ſuâ die reſtauranda eſt. Si ea erat cujus dies finitur; poteſt dici reſtitutionem intra id tempus poſtulari quod ſupererat obligationi, non utique intra annum. *d. l.* 10. § 23.

§ V.

Quandiù hæc actio duret.

MDCCXXXIV.

Hujus actionis annum computamus utilem, quo experiundi poteſtas fuit, ex die factæ venditionis (*a*). *l.* 6. § 14. ff. *d. tit.*

Poſt annum, de eo quod pervenit, dolo-ve factum eſt quominùs perveniret, competit. *l.* 10. § 24. ff. *d. tit.*

(*a*) Bonorum venditoris.

ARTICULUS II.

De Actionibus Calviſianâ & Faviană.

§ I.

Quando locum habeant.

MDCCXXXV.

Si in fraudem patroni libertus aliquid alienavit; quatenùs legitima pars deminuta eſt, revocandi tributam convenit eſſe poteſtatem. *l.* 1. *Cod. Si in fraud. patr.*

Scilicet per Calviſianam, *quum patronus heres eſt inteſtati liberti; aut per* Favianam, *quum accepit poſſeſſionem contra tabulas liberti.*

Cæterùm Iniquum excludi à Favianâ qui non ſponte adiit hereditatem, ſed quia bonorum poſſeſſionem contra tabulas petere (*a*) non potuit. *l.* 3. § 2. ff. *Si quid in fraud. patr.*

(*a*) Scilicet quum ipſe eſſet ex aſſe per fraudulenta geſta ultra debitam partem deminuto inſtitutus, adeòque nullus eſſet alius heres contra quem petere poſſet *Contra tabulas.* Secùs ſi ex ſemiſſe inſtitutus, licèt ignorans fraudulenta geſta, adivit.

§ II.

Quæ geſta à liberto, revocentur.

MDCCXXXVI.

Ad ea ſola revocanda Faviana pertinet, quæ quis libertus de bonis deminuit. *l.* 1. § 6. ff. *d. tit.*

Si noluit obtinere quum peteret, puto hunc (*a*) deminuiſſe. *d. l.* 1. § 7.

FRAUS in damno (*b*) accipitur pecuniario. *d. l.* 1. § 15.

(*a*) Nam bonis deminuit actionem. Secùs ſi omiſit actionem *Inofficioſi*, & ſimiles quæ propriè non ſunt *In bonis* niſi quum eas conteſtamur.

(*b*) Adeòque rem à liberto venditam juſto pretio, non poteſt ſub prætextu affectionis patronus revocare.

MDCCXXXVII.

Si rem bonâ fide vendiderit libertus, pretium autem acceptum alii donavit; Pomponius ſcripſit, Emptorem non inquietandum: eum qui pretium accepit, Faviana conveniendum. Si & res viliùs diſtracta ſit, & pretium donatum; uterque (*a*) Favianâ convenietur. *l.* 1. §§ 14. & 16. ff. *Si quid in fraud. patr.*

Si libertus filiusfamilias contra SCtum pecuniam crediderit, non eſt inhibenda actio (*b*) Faviana. *l.* 6. ff. *d. tit.*

Si mutuam pecuniam libertus in fraudem patroni accepit, & prodegit; non debet perdere qui mutuam dedit, nec ei imputari cur dedit. *l.* 1. § 17. ff. *d. tit.*

Si fidejuſſit libertus, vel rem pro alio dedit pignori, in necem patroni; creditor non (*c*) poterit Favianâ conveniri. *d. l.* 1. § 19.

Si libertus filiam dotavit, non videtur (*d*) fraudare patronum. *d. l.* 1. § 10.

Vivus libertus donare benè merentibus amicis poteſt (*e*); legare verò (*f*) nec benè merentibus poteſt, quo patroni partemt minuat. *l.* 9. ff. *d. tit.*

(*a*) Emptor in id quanto minoris emit, niſi malit rem reddere recepto pretio quod dedit; donatarius in pretium quod ipſi donatum eſt.

(*b*) Cùm enim ex tali mutuo non naſcatur actio; libertus ei credendo, deminuit ex bonis.

(*c*) Faviana enim lucrum extorquet, ei qui in fraudem patroni aliquid ab eo accepit; non eum qui bonâ fide contraxit, damno afficit.

(*d*) Non enim fraudis animo, ſed ex juſtâ affectione paternâ hoc feciſſe videtur.

(*e*) Etſi portio patroni minuatur Similis ratio ac in præcedenti.

(*f*) Nam in legatis, non jam de conſilio quæritur; ſed tantùm an ſalva ſit portio debita, quæ à legatis illibata eſſe debet.

§ III.

Quibus & adversùs quos hæ actiones competant, & in quid.

MDCCXXXVIII.

Omnibus patronis, &, ſi omnes præmortui ſint, patronorum liberis, hæ actiones competunt; nec utique ei ſoli quem libertus fraudare voluit: Sufficit enim quòd in fraudem patronatûs factum ſit. Magis enim fraudem rei, non perſonæ accipimus. *l.* 1. § 27. ff. *Si quid in fraud. patron.*

Tenetur Favianâ, tam is qui accepit ipſe, quàm qui

Source : BIU Cujas

jussit (*a*) alii dari quod ipsi donabatur. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Non potest videri dolo feciſſe, qui fidem ſuam amico commodavit, quâ alii quàm alii quàm ſibi ex liberti fraude acciperet. *l.* 12. ff. *d. tit.*

(*a*) Scilicet ſi ex hoc juſſu aliquid ad ipſum pervenit; putà ſi, aut eo nomine actionem *Mandati* habet adversùs eum qui accepit, aut in ſolutum ejus quod ei debebat juſſit ei dari. Vide Reg. ſeq.

MDCCXXXIX.

In partem Faviana competit; in his quæ dividi non poſſunt (*a*), in ſolidum. *l.* 1. § 21. ff. *d. tit.*

(*a*) Ut putà, ſi ſervitutem prædio ſuo libertus impoſuerit in fraudem patroni: Faviana competet ad revocationem integram ſervitutis; quæ cùm ſit quid individuum, nec pro parte conſtitui poteſt nec pro parte revocari.

SECTIO IV.

De Actionibus quæ ex variis reſtitutionis in integrum cauſis competunt.

ARTICULUS I.

De Reſtitutionibus in integrum in genere.

MDCCXL.

Nemo videtur re excluſvs (*a*), quem Prætor in integrum ſe reſtituturum pollicetur. *l.* 5. ff. *de In integr. reſt.*

(*a*) Fluit ex Regulâ; *Qui actionem habèt, rem habere videtur.*

MDCCXLI.

Tam Præfectus Urbi, quàm alii Magiſtratus, reſtituere in integrum poſſunt; tam in aliis cauſis, quàm contra Sententiam ſuam. *l.* 16. § 5. ff. *de Minor.*

Minor Magiſtratus contra Sententiam majorum non reſtituet. *l.* 18. *ff. d. tit.*

Adversùs ejus Sententiam qui vice Principis cognovit, ſolus Princeps reſtituet. *l.* 3. *Cod. Si adv. rem judic.*

Magiſtratibus municipalibus non permittitur in integrum reſtituere. *l.* 26. § 1. ff. *ad Municip.*

MDCCXLII.

Patri pro filio præſtanda reſtitutio eſt, licèt filius (*a*) reſtitui nolit. *l.* 27. *ff. de Minor.*

Omnium qui ipſi potuerunt reſtitui in integrum, ſucceſſores in integrum reſtitui poſſunt. *l.* 6. ff. *de In integr. reſt.*

Si defunctus ad in integrum reſtitutionem modicum tempus ex anno utili habuit; heredi Minori, poſt annum vigeſimum-quintum completum, non totum tempus dabimus, ſed id duntaxat quod habuit is cui heres extitit. *l.* 19. ff. *de Minor.*

Sancimus, nec adversùs parentes nec adversùs patronum dari reſtitutionem. *l.* 2. *Cod. Qui & adv. quos reſt.*

(*a*) Ratio eſt, quia periculum patris agitur, qui ex obligatione filii ipſa *De peculio* tenetur.

MDCCXLIII.

Omnes in integrum reſtitutiones causâ cognitâ promittuntur. *l.* 3. ff. *de In integr. reſt.*

A quibuſdam obſervatum, ne propter ſatis minimam rem, vel ſummam, ſi majori rei vel ſummæ præjudicetur, audiatur qui reſtitui poſtulat. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Integri reſtitutio pluſquàm ſemel non (*a*) eſt decernenda. PAUL. SENTENT. LIB. I. *Tit.* 7.

Poſtulatâ in integrum reſtitutione, omnia in ſuo ſtatu eſſe debent donec res finiatur. *l. un. Cod. In integr. reſtit.*

(*b*) Fallit Regula; ſi Minor novas defenſiones in priori judicio omiſſas alleget. Vide Tit. *de Minorib.* N. 23.

ARTICULUS II.

De Vi ac metu.

§ I.

Quæ vis quis-ve metus reſtitutioni locum det, & per quas actiones ſuccurratur metum paſſo.

MDCCXLIV.

Vim accipimus atrocem, & quæ adversùs bonos (*a*) mores fiat; non eam (*putà*) quam rectè Magiſtratus intulit jure honoris quem ſuſtinet. *l.* 3. § 1. ff. *Quod. met. cauſ.*

Metum accipiendum, majoris (*b*) malitatis. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Viris bonis *ſtupri*, metus major quàm mortis. *l.* 8. § 2. ff. *d. tit.*

Nihil intereſt, quis in ſe veritus ſit, an in liberis ſuis. *d. l.* 8. § 3.

Prætor non reſpicit an adulter ſit qui dedit (*c*), ſed hoc ſolum quod hic accipit metu mortis illato. *d. l.* 8.

(*a*) Qualis non eſt illa quæ fit ad vim repellendam.
(*b*) Ut mortis, cruciatûs corporis, carceris ſervitutis.
(*c*) Pecuniam putà, ne occideretur deprehenſus.

MDCCXLV.

Vani timoris juſta excuſatio non eſt. *l.* 184. (*Aliàs* 144.) CELSUS LIB. 7. DIGEST.

Nec timor infamiæ (*a*) nec alicujus vexationis, per hoc Edictum (*b*) reſtituitur. *l.* 7. ff. *Quod met. cauſ.*

Metum præſentem accipere debemus, non ſuſpicionem inferendi ejus. *l.* 9. ff. *d. tit.*

Ceſſat Edictum . . . quia ſibi metum ipſe infert. *l.* 21. ff. *d. tit.*

Accuſationis inſtitutæ vel futuræ metu, alienationem ſeu promiſſionem factam reſcindi poſtulantis improbum eſt deſiderium. *l.* 10. *Cod. h. tit.*

(*a*) Facti, (*d'un affront*).
(*b*) Sed ex causâ, Utilis actio *In factum* datur.

MDCCXLVI.

Metum paſſo Duplici viâ Prætor ſuccurrit, aut Utiles (*a*) actiones dando, aut actionem Metus causâ præſtando. *l.* 21. § *fin.* ff. *d. tit.*

(*a*) Putà actionem *Utilem* IN REM, ſi quid per metum alienavit; *Utilem* actionem IN PERSONAM, quam per acceptilationem dolo extortam amiſit; *Utiles* actiones hereditarias, quum per metum hereditatem repudiavit.

§ II.

De quâ re, adversùs quos detur actio Quod metûs cauſâ, *& quid contineat.*

MDCCXLVII.

Natura Metûs actionis, damnum (*a*) exigit. *l.* 12. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Ergo ſi quis per vim extorſit quod ſibi debebatur, huic actioni locus non eſt, cùm nihil abſit metum paſſo; ſed alio modo punitur, aut publico judicio DE *vi*, aut Conſtitutionibus quæ jubent creditorem hoc caſu excidere jure crediti.

Sive

Source : BIU Cujas

Sive perfecta ſive imperfecta (*b*) res ſit, & actio & exceptio datur. *l.* 9. § 3. ff. *d. tit.*

Hæc actio in rem eſt ſcripta; nec *ſolam* perſonam vim facientis coercet, ſed adversùs omnes reſtitui vult quod metûs causâ factum eſt. *d. l.* 9. § 8.

Hujus actionis arbitrium tale eſt; ut eum qui vim admiſit jubeat reſtituere, etiamſi ad alium res pervenerit; eum autem ad quem res pervenit (*c*), etiamſi alius metum fecit. *l.* 14. § 5. ff. *d. tit.*

Hæc actio cùm arbitraria ſit, habet reus licentiam (uſque ad Sententiam) reſtitutionem (*d*) rei facere. Quod ſi non fecerit, quadrupli (*e*) condemnationem patietur. *d. l.* 14. § 4.

Quadruplatur id quanti ea res erit, cum fructibus & omni causâ. *d. l.* 14. § 7.

Metum paſſo Prætor, Poſt annum, in ſimplum actionem pollicetur, ſi alia actio non ſit. *d. l.* 14. §§ 1. & 2.

(*b*) *Imperfecta* res eſt, quum promiſi tantùm; *Perfecta*, quum etiam numeravi. Etiamſi imperfecta res ſit, habeo actionem *Quod metûs causâ* ut promiſſione meâ liberer.

(*c*) Si eam habet aut dolo deſiit habere. Hinc ſi reo per vim acceptum feci, & fidejuſſores tenentur; & vice versâ.

(*d*) Quæ in eo conſiſtit, ut ſi res alienata ſit, rem retradat cum fructibus & causâ; & de dolo promittat: ſi accepto latum ſit, ſe reponat in obligatione, & eadem pignora eoſdemque aut æquè idoneos ſtdejuſſores det; ſi per vim promiſſum ſit, accepto ferat.

(*e*) In quo ineſt ipſa rei quæ per metum abeſt reſtitutio.

ARTICULUS III.

De Dolo malo.

§ I.

Quando detur actio De dolo.

MDCCXLVIII.

Niſi ex magnâ & evidenti calliditate, non debet De dolo actio dari. *l.* 7. § 10. ff. *de Dol. mal.*

Dolum ex indiciis perſpicuis probari convenit. *l.* 6. *Cod. d. tit.*

Hæc actio, ſi modica ſumma ſit, id eſt uſque ad duos aureos, non debet dari. *l.* 9. § *fin. l.* 10. *l.* 11. *ff. d. tit.*

MDCCXLIX.

De dolo actio, quum alia nulla (*a*) competit, causâ cognitâ permittitur. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

Eleganter Pomponius verba (*Edicti*) SI ALIA ACTIO NON SIT, ſic excipit; quaſi res alio modo ei ad quem pertinet ſalva eſſe non poterit. *l.* 7. ff. *d. tit.*

Non ſolùm ſi adversùs eum ſit alia actio adversùs quem de dolo quæritur, non habet hoc Edictum locum; verùm etiam ſi adversùs alium ſit actio, vel ab alio ſervari poteſt. *l.* 2. *l.* 3. & *l.* 4. ff. *d. tit.*

Etiamſi ſit vel exceptio quâ ſe tueri poſſit, ceſſat Edictum. *l.* 1. § 4. ff. *d. tit.*

Etſi alia actio tempore finita ſit, hæc competere non debet; niſi in hoc quoque dolus admiſſus, ut tempus exiret. *d. l.* 1. § 6.

Non ſolùm ſi alia actio non ſit, ſed & ſi dubitetur an alia ſit, putat Labeo De dolo dandam actionem. *l.* 7. § 3. ff. *d. tit.*

Si duo dolo fecerint, invicem De dolo non agent. *l.* 36. ff. *d. tit.*

(*a*) Civilis ſcilicet. Criminalis autem actio quæ competit, non excludit actionem *De dolo*; item nec actio *Quod metûs causâ*.

§ II.

Quæ obſerventur in actione De dolo, *& contra quos detur necne.*

MDCCL.

In *hâc* actione deſignari oportet cujus dolo factum ſit, quamvis in Metu non ſit neceſſe. *l.* 15. § *fin.* ff. *d. tit.*

Exigit Prætor ut comprehendatur quid dolo factum ſit: nec enim debet actor in tanto crimine vagari. *l.* 16. ff. *d. tit.*

Arbitrio judicis in hâc actione reſtitutio comprehenditur; & niſi fiat reſtitutio, ſequitur condemnatio quanti actor in litem juraverit. *l.* 18. ff. *d. tit.*

MDCCLI.

Hæc actio in heredem & cæteros ſucceſſores datur, duntaxat de eo quod ad eos pervenit . . . ſed utique perpetuò (*a*) dabitur. Cui conveniens eſt ut & in ipſum qui dolo commiſerit, in id quod locupletior eſſet, perpetuò danda ſit In factum (*b*) actio. *l.* 17. § 1. & *l.* 28. § 1. ff. *d. tit.*

Ex dolo tutoris, *in pupillum* ſi factus eſt locupletior; in municipes, ſi quid ad eos pervenit ex dolo eorum qui adminiſtrant; ex dolo procuratoris, ſi quid ad dominum pervenit, in dominum datur. *l.* 15. ff. *d. tit.*

Labeo ſcribit; De dolo actionem ſervi nomine, interdum De peculio (*c*), interdum Noxalem dari. *l.* 9. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Jam enim magis calculi quàm maleficii ratione datur, nec famoſa eſt.

(*b*) Magis *In factum* actio, quàm ipſa famoſa *De dolo* actio quæ anno utili finitur.

(*c*) Si dolum in contrahendo admiſit.

MDCCLII.

De dolo actio Quibuſdam perſonis non datur; putà liberis vel libertis adversùs parentes & patronos, humili adversùs eum qui dignitate excellet. Sed in horum perſonâ dicendum eſt, In factum verbis temperandam actionem (*a*) dandam. *l.* 11. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Idem dic de exceptione *Doli*.

§ III.

De exceptione Doli.

MDCCLIII.

Qui æquitate defenſionis infringere (*a*) actionem poteſt, Doli exceptione tutus eſt. *l.* 12. ff. *de Dol. & met. except.*

Si operâ creditoris acciderit, ut creditor pecuniam quam ſoluturus erat perderet; exceptione Doli mali creditor ſummovebitur. *l.* 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Scilicet oſtendendo actionem æquitati ſeu bonæ fidei repugnare; putà, quòd actor id petat quo bis idem conſequeretur, aut quo cum damno Rei locupletaretur; vel quòd actor non offerat quod ipſe viciſſim præſtare tenetur.

MDCCLIV.

Dolo facit, qui petit quod redditurus (*a*) eſt. *l.* 173. (*Aliàs* 133.) § 3. PAUL. LIB. 6. AD PLAUTIUM.

Si (*b*) quis ſine causâ fuerit ſtipulatus, deindè ex eâ ſtipulatione experiatur; exceptio Doli mali ei nocebit. *l.* 2. § 3. ff. *de Dol. & met. exc.*

Dolo facere eum qui contra pactum (*c*) petit, negari non poteſt. *d. l.* 2. § 4.

Sciendum eſt, ſi quis quid ex teſtamento contra voluntatem petat, exceptione eum Doli mali repelli ſolere. *l.* 4. § 10. ff. *d. tit.*

Contrà; Non (*d*) ſolet exceptio doli nocere, his quibus voluntas teſtatoris non refragatur. *l.* 19. § 1. ULP. LIB. 24. AD SABIN.

(*a*) Scilicet ſi ad hoc reddendum ſit purè obligatus.

(*b*) Fluit ex præcedenti; puta, ſi mutuam pecuniam accepturus ſpopondi, nec accepi. Idem & ſi cauſa, aut non ſecuta aut finita ſit, aut injuſta.

(*c*) Aut contra mentem contractûs; *d. tit.* N. 13.

(*d*) Exemplum hujus & præcedentis Regulæ: in l. 14. § 1. ff. *de Aur. arg. leg.* Si quis quinque pondo auri habens, quinque pondo auri leget, & poſteà libram unam alienaverit; ſi quidem animo minuendi legati fecit, nocebit exceptio *Doli* legatario ſi quinque pondo petat; ſin, non nocebit ei; cùm voluntas teſtatoris legatario non refragetur. Adde l. 15. ff. *de Adim. leg.*

Source : BIU Cujas

Dolo facit, quicumque id quod quaquâ exceptione elidi potest petit. Nam etsi inter initia nihil dolo facit, nunc petendo facit; nisi si talis sit ignorantia ex eo, ut dolo careat. *l.* 2. § 5. ff. *de Dol. & met. except.*

Nemo videtur dolo exequi (*e*), qui ignorat causam cur non debeat (*f*) petere. *l.* 177. (*Aliàs* 137.) § 1. PAUL. LIB. 14. AD PLAUT.

(*e*) Id est, petere.
(*f*) Ut heres qui petit, ignorans defunctum pactum esse ne peteret. Non repelletur igitur exceptione *Doli*, sed repelletur exceptione *Pacti*.

M D C C L V.

In universum hæc regula sequenda est, ut dolus omnimodo puniatur; & si (*a*) non alicui, sed ipsi qui eum admisit, damnosus futurus erit. *l.* 11. § 1. ff. *de Dol. & met. except.*

Docere (*b*) debet qui objicit exceptionem, dolo malo actoris factum, nec sufficit ei ostendere, in re esse dolum. *l.* 2. § 1. *ff. d. tit.*

Non est æquum (*c*), servi dolum ampliùs domino nocere, quàm in quo opera ejus esset usus. *l.* 4. § 17. ff. *d. tit.*

Placet de procuratoris dolo excipiendum (*d*) esse. Idem de tutore qui pupilli nomine aget. *l.* 11. ff. *d. tit.*

Dicendum, si quid dolo tutor fecerit, & ex eo pupillus locupletior (*d*) factus est; pupillo nocere debere. *l.* 4. § 23. ff. *d. tit.*

(*a*) Ita tamen *si*.
(*b*) Consonat præcedenti: & hâc in re differt *Dolus* à *Metu*.
(*c*) Adeòque non potest domino excipi; nisi de eo dolo servi, quem in ipso negotio quod per ministerium servi sui contrahebat, servus admisit. Si tamen ex peculiari contractu ageret dominus, de quovis servi dolo excipi potest.
(*d*) Post litem contestatam admisso; quia fit quodammodo, per litis contestationem, dominus litis. De eo autem qui antè admissus est, excipi non potest, nisi procurator sit in rem suam, aut omnium bonorum.
(*e*) Aliàs non: suprà, N. 333.

M D C C L V I.

De dolo auctoris, exceptio emptori (*a*) non objicitur. *d. l.* 4. § 27.

Excipe 1°. Si *quis* accessione auctoris utitur; æquissimum visum est, eum qui ex personâ auctoris utitur exceptione pati dolum auctoris. *d.* § 27.

Excipe 2°. Ex quâcumque causâ quæ propè lucrativam habeat acquisitionem quæsisse quis videatur, patietur exceptionem Doli (*b*) ex personâ ejus in cujus locum successit. *d. l.* 4. § 31.

(*a*) Secùs de eo qui ex causâ lucrativâ succedit: mox infrà.
(*b*) Similis distinctio inter onerosam & lucrativam causam observatur in delegationibus; ut si dolo meo circumventus, falsò existimans te mihi debere, jussu meo alicui stipulanti promiseris; si quidem ei cui donare volebam, possis de dolo meo excipere, quia is cui promisisti, ex lucrativâ causâ stipulatus est; non possis autem, si meus erat creditor.

M D C C L V I I.

Non quæritur adversùs quem commissus sit dolus, sed an in eâ re dolo factum. *l.* 2. § 2. ff. *d. tit.*

§ IV.

De Replicatione Doli.

Pleræque exceptiones, ut Pacti, Rei judicatæ, *&c. possunt elidi per replicationem* DOLI; *si in his de quibus excipitur, dolum ab excipiente admissum probetur.*

ARTICULUS IV.

De ignorantiâ Juris aut facti.

Subvenitur etiam ex causâ ignorantiæ, maximè si non circa Jus sed circa factum versetur. De utràque hæ regulæ traduntur.

M D C C L V I I I.

Regula est; Nec stultis (*a*) solere succurri, sed errantibus. *l.* 9. § 5. ff. *de Jur. & fact. ign.*

Et Juris quidem ignorantiam cuique nocere, facti verò ignorantiam non nocere. *d. l.* 9.

Error facti, ne màribus quidem in damnis vel compendiis obest; Juris autem error nec fœminis in compendiis prodest. Cæterùm omnibus Juris error in damno amittendæ rei suæ non nocet. *l.* 8. ff. *d. tit.*

(*a*) *Stulti* hìc dicuntur, qui ignorant quod scire debuerunt.

M D C C L I X.

Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum verò petentibus non nocet. *l.* 7. ff. *d. tit.*

Minoribus viginti-quinque annis, Jus ignorare permissum est quod & in fœminis in quibusdam causis propter sexûs infirmitatem dicitur. *l.* 9. ff. *d. tit.*

Et Miles Jus ignorare potest. *d. l.* 9. § 1.

Juris ignorantiam non prodesse, ita accipiendum; si Jurisconsulti copiam haberet, vel suâ prudentiâ instructus sit. *d. l.* 9. § 3.

M D C C L X.

Facti ignorantia ita demùm cuique non nocet, si non ei summa negligentia objiciatur. Quid enim si omnes in civitate sciant quod ille solus ignorat? *d. l.* 9. § 2.

Erro facti necdum finito negotio nemini nocet; nam causa decisa velamento tali non instauratur. *l.* 7. *Cod. h. tit.*

M D C C L X I.

Iniquissimum, cuiquam scientiam alterius quàm suam nocere; vel ignorantiam alterius alii profuturam. *l.* 5. ff. *d. tit.*

ARTICULUS V.

De restitutione quæ Minoribus viginti-quinque annis, in his in quibus capti sunt, indulgetur.

§ I.

Quibus hæc restitutio indulgeatur.

M D C C L X I I.

Eos qui à Principali clementiâ veniam ætatis impetraverunt, in integrum restitutionis auxilium impetrare non posse manifestissimum est. *l.* 1. *Cod. de His qui ven.*

Verissimam arbitror sententiam existimantium, Filiumfamiliàs minorem annis in integrum restitui posse; ex his solis causis quæ ipsius intersint, putà si sit obligatus. *l.* 3. § 4 ff. *de Minor.*

Servus Minor nullo modo restitui poterit. *d. l.* 3. § 11.

M D C C L X I I I.

Non solùm Minoribus, verùm successoribus quoque Minorum datur in integrum restitutio; etsi sint ipsi Majores. *l.* 8. § *fin.* ff. *d. tit.*

Ex his causis in quibus, in re peculiari, filiifamiliàs restituuntur; posse & patrem quasi heredem, nomine filii, post obitum ejus, impetrare cognitionem. *l.* 3. § 9. ff. *d. tit.*

§ II.

Adversùs quos restitutio in integrum Minoribus detur.

M D C C L X I V.

Adversùs (*a*) eos quoque restitutio præstanda est,

(*a*) Justinianus excepit parentes & patronos. Cæterùm etiam adversùs fiscum competit.

Source : BIU Cujas

quorum de dolo agere non permittitur. *l.* 27. § *fin.* ff. *d. tit.*

Si Minor adversùs Minorem restitui desiderat, ... puto inspiciendum quis captus sit; ... si ambo capti sint ... melior sit causa ejus qui accepit. *l.* 11. § 6. ff. *d. tit.*

MDCCLXV.

Restitutio (*a*) & in rem datur Minori, id est adversùs rei possessorem; licèt cum eo contractum non sit. *l.* 13. § 1. ff. *d. tit.*

Corollarium. Si servus vel filiusfamiliàs Minorem circumscripserit; pater dominus-ve, quod ad eum pervenerit, restituere jubendus est; quod non pervenerit, ex peculio præstare. *l.* 24. § 9. ff. *d. tit.*

(*a*) Regula adversùs possessorem ex causâ onerosâ ita demùm obtinet, si aut possessor sciverit rem esse Minoris, aut qui contraxit cum Minore non sit solvendo.

§ III.

Ex quibus causis hæc restitutio detur aut denegetur.

MDCCLXVI.

Minoribus annis viginti-quinque, etiam in his quæ præsentibus (*a*) tutoribus vel curatoribus, in judicio vel extra judicium, gesta fuerint; in integrum restitutionis auxilium superesse, si circumventi sunt, placuit. *l.* 2. *Cod. Si tutor, &c.*

In his quæ Minorum tutores vel curatores malè gessisse probari possunt, licèt personali actione à tutore vel curatore jus suum consequi possint; in integrum tamen restitutionis auxilium Minoribus dari, jam pridem (*b*) placuit. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

Non idcircò (si justum sit restitui) denegandum auxilium, quòd tutor delicto vacaret. *l.* 47. ff. *de Minorib.*

(*a*) Et auctoribus, etiamsi tutor sit pater pupilli.
(*b*) Fallit regula; si is adversùs quem restitutionem Minor petit, grande indè damnum sit passurus. l. 39. § 1. ff. *d. tit.*

MDCCLXVII.

Minoribus, in his quæ prætermiserunt (*a*) vel ignoraverunt, innumeris auctoritatibus constat esse consultum. *l.* 8. *Cod. In integr. restit. min.*

Hodiè certo Jure utimur, ut & in lucro Minoribus succurratur. *l.* 7. § 6. ff. *de Minor.*

Minoribus viginti-quinque annis subvenietur per in integrum restitutionem, non solùm quum de bonis eorum aliquid minuitur, sed etiam quum interfit ipsorum litibus & sumptibus non vexari. *l.* 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Putà, si non agnovit bonorum possessionem, si non provocavit; si judicio non adfuit, & ideò ut contumax condemnatus est; si allegationem omisit, in licitatione se vinci passus est.

MDCCLXVIII.

Sciendum est non passim Minoribus subveniri; sed causâ cognitâ, si capti esse proponantur. *l.* 11. § 3. ff. *d. tit.*

Non omnia quæ Minores gerunt, irrita sunt; sed si ab aliis circumventi vel suâ facilitate decepti, aut quod habuerunt amiserunt, aut quod acquirere emolumentum potuerunt omiserunt, aut se oneri quod non suscipere licuit obligaverunt. *l.* 44. ff. *d. tit.*

Non eventus damni, restitutionem indulget; sed inconsulta facilitas. *l.* 11. § 4. ff. *d. tit.*

Non (*a*) videtur circumscriptus esse Minor, qui jure sit usus communi. *l.* 9. *Cod. In integr. restit.*

Consonat regula: Non capitur qui jus publicum sequitur. *l.* 11. § 1. ULP. LIB. 11. AD ED.

(*a*) Exemplum in l. 51. § penult. ff. *de Fidejuss.*

MDCCLXIX.

Minor si communi auxilio & mero jure munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium. *l.* 16. ff. *de Minor.*

Corollarium. Generaliter probandum est, ubi contractus non valet, Prætorem se non debere interponere. *d. l.* 16. § 3.

Errantibus, non etiam fallentibus (*a*) Minoribus, publica Jura subveniunt. *l.* 2. *Cod. Si min. se maj.*

Placet in delictis (*b*) Minoribus non subveniri. *l.* 9. § 2. ff. *de Minor.*

Ferè in omnibus pœnalibus judiciis, & ætati & imprudentiæ succurritur. *l.* 108. PAUL. LIB. 4. AD ED.

(*a*) Ut si se majorem esse per mendacium persuasit ei quocum contrahebat; item si quid dolo in Commodato aut Depositio alio-ve contractu fecit.
(*b*) Propriè dictis: secùs de his in quibus per imprudentiam Minor peccavit; putà si in commissum vectigalis incidit, restituitur; Vide Reg. seq.

MDCCLXX.

Si Princeps Sententiam dixit, perrarò (*a*) solet permittere restitutionem. *l.* 18. § 1. ff. *de Minorib.*

Firmata jurejurando Minoris corporaliter præstito, non subsunt restitutioni. *l.* 1. *Cod. Si adv. vend.*

Adversùs (*b*) libertatem Minori à Prætore subveniri impossibile est. *l.* 9. § *fin.* ff. *de Minorib.*

In judicio de liberali causâ Sententiam pro libertate latam, ne quidem prærogativâ minoris ætatis, sine appellatione rescindi posse, ambigi non potest. *l. fin. Cod. Si adv. libert.*

Auxilium in integrum restitutionis, executionibus (*c*) pœnarum paratum non est. *l.* 37. ff. *de Minor.*

Rem quam à patre vestro (*d*) quondam creditor ejus obligatam sibi distraxit, per ætatem vestram postulantium revocari, desiderium (*e*) non habet rationem. *l.* 2. *Cod. Si adv. vend. pign.*

(*a*) Tunc permittit, quum Minor se proditum aut allegationes omissas queritur.
(*b*) Sive ipse deceptus manumiserit, sive qui ab eo servum emit: sed consuletur ei per actionem in id quod interest.
(*c*) Id est, non restituitur adversùs omissam actionem merè pœnalem quæ tempore interiit, putà *Injuriarum.*
(*d*) Alio-ve cui successistis.
(*e*) Subvenitur tamen & in hâc causâ Minori, si enorme damnum passus sit: l. 1. Cod. *d. tit.*

MDCCLXXI.

Si procuratorio nomine Minor circumscriptus sit, imputari debet hoc domino qui tali commisit sua (*a*) negotia; si sponte negotiis Majoris intervenerit, restituendus erit. *l.* 23. & *l.* 24 ff. *d. tit.*

Si dominus Minor sit, procurator majoris ætatis; non potest facilè audiri, nisi si mandatu ejus gestum erit; nec à procuratore servari res possit. *d. l.* 23.

(*a*) Non ergo restituetur; nisi à domino negotii rem servare non possit.

§ IV.

De formâ & effectu hujus restitutionis.

MDCCLXXII.

Ex Edicto (DE *Minoribus*) nulla propria actio proficiscitur, totumque pendet ex (*a*) Prætoris cognitione. *l.* 24. § 5. ff. *de Minorib.*

(*a*) Id est, Prætor ex hâc causâ non dat ordinariam actionem, sed ipse extra judiciorum ordinem cognoscit.

MDCCLXXIII.

Restitutio ita facienda est, ut unusquisque integrum jus suum recipiat. *d. l.* 24. § 4.

Qui restituitur in integrum, sicut in damno morari non debet, ita nec in lucro. *l.* 1. *Cod. de Reputation.*

Si minore pretio quàm oportet vendiderit adolescens, emptor juberi debebit prædia cum fructibus restituere;

Source : BIU Cujas

juvenis autem eatenùs (*a*) ex pretio reddere, quatenùs locupletior eſt. *l.* 27. § 1. ff. *de Minorib.*

Modeſtinus reſpondit; Sumptibus voluptatis causâ ab emptore factis, adoleſcentem onerari non debere. *l.* 32. § 5. ff. *de Adm. & per. tut.*

Si majore pretio rem Minor emerit; reſtitutio ita fit ut venditor, qui pretium reddidit, etiam uſuras quas percepit aut percipere potuit reddat; & fructus quibus locupletior factus eſt juvenis, recipiat. *l.* 27. § 1. ff. *de Minorib.*

(*a*) Maximè ſi non ipſe, ſed tutor ejus vendidit : tutor autem in reliquum conveniètur. Si ipſe tutore auctore vendidit, non tam facilè ei remittitur pretii reſtitutio : Tit. *de Minor.* N. 55.

MDCCLXXIV.

In integrum reſtitutione poſtulatâ adversùs aditionem à Minore factam; ſi quid legatis expenſum eſt, vel pretia eorum qui ad libertatem aditione ejus pervenerunt, à Minore refundenda non ſunt. *l.* 22. ff. *d. tit.*

Quum Minor reſtituitur ad adeundam hereditatem; quæ anteà geſta erunt per curatorem bonorum, rata eſſe habenda Severus & Antoninus reſcripſerunt. *d. l.* 22.

Modeſtinus reſpondit; Si ſpecies in quâ pupilla in integrum reſtitui deſiderat, cæteris ſpeciebus cohæret; nihil proponi cur à totâ Sententiâ recedi actor poſtulans audiendus ſit. *l.* 29. § 1. ff. *de Minor.*

Reſtitutio à Minore impetrata, non prodeſt Majoribus quibus res cum Minore communis fuit, ſi ea res ſit in quâ reſtitutio pro parte fieri poſſit; nec etiam prodeſt fidejuſſoribus cæteriſque qui obligationi Minoris acceſſerunt, niſi aut ex causâ doli reſtitutio fiat, aut pro Minore non ſimpliciter ſed tanquam certam perſonam aſſumente (putà heredis aut defenſoris) fidejuſſerunt, quam Minor depoſuerit per reſtitutionem adversùs aditionem hereditatis aut judicium : ex l. 13. *& l.* 47. § 1. ff. de Minorib. *l. un. Cod.* Si in comm. eâd. cauſ. *l.* 1. *& l.* 2. *Cod.* de Fidej. min. *l.* 89. ff. de Acquir. hered. *& l.* 51. ff. de Procurat. *Vide Tit.* de Minorib. *N.* 66, 67, 68.

§ V.

Quando ceſſet reſtitutio in integrum.

MDCCLXXV.

Placet ſi quis Major factus comprobaverit (*a*) quod Minor geſſerat, reſtitutionem ceſſare. *l.* 3. § 1. ff. *d. tit.*

Si Minor miſcuerat ſe paternæ hereditati, Majorque factus exegerat (*b*) à debitoribus paternis; putavimus tamen reſtituendum, initio inſpecto. *d. l.* 3. § 2.

Ceſſat etiam temporis lapſu; quod olim fuit anni utilis, Jure Juſtinianeo eſt quadriennium continuum ex quo Major factus eſt.

(*a*) Vel tacitè aliquo facto.
(*b*) Eſt enim ſequela neceſſaria magis quàm approbatio aditionis.

ARTICULUS VI.

De Reſtitutione majorum viginti-quinque annis, ex cauſâ abſentiæ aut alterius cujuſlibet impedimenti.

MDCCLXXVI.

REGULA *generalis circa duas priores Edicti partes.*

Abſentia ejus qui Reipublicæ causâ abeſt, neque (*a*) ei, neque alii (*b*) damnoſa eſſe debet. *l.* 140. (*Alias* 182.) ULPIAN. LIB. 56. AD ED.

(*a*) Hinc 1a. pars Edicti.
(*b*) Hinc 2a. pars Edicti de quâ infrà.

PRIMA PARS EDICTI, *quâ abſentes reſtituuntur.*

§ I.

Quibus ſubveniatur ex hâc Edicti parte.

MDCCLXXVII.

Reipublicæ causâ abeſſe eos ſolos intelligimus, qui non ſui commodi causâ ſed coacti abſunt. *l.* 36. ff. *Ex quib. cauſ. maj.*

Milites (*a*) qui diſcedere ſignis non poſſunt, Reipublicæ causâ abeſſe intelliguntur. *l.* 45. ff. *d. tit.*

Militem qui commeatu (*b*) abſit, dum domum vadit aut redit, Reipublicæ causâ abeſſe; dum domi ſit, non abeſſe. *l.* 35. § 9. ff. *d. tit.*

Milites qui Romæ militant (*c*), pro abſentibus Reipublicæ causâ habentur. *l.* 7. ff. *d. tit.*

Qui provinciæ præeſt, ut Præfectus Ægypti, Reipublicæ causâ abeſt; qui-ve aliam (*d*) ob cauſam Reipublicæ causâ extra Urbem aberit. *l.* 35. § 3. ff. *d. tit.*

Abeſſe Reipublicæ causâ intelligitur & is qui ab Urbe profectus eſt, licèt nondum ad provinciam acceſſerit; & is qui exceſſit, donec in Urbem revertatur (*e*). *l.* 32. ff. *d. tit.*

(*a*) Hoc porrectum & ad eorum medicos : eoſque qui ad legendos, ducendos aut reducendos milites, aut ad compeſcendos malos homines miſſi ſunt.
(*b*) *Par congé à temps.*
(*c*) Secùs de cæteris qui Romæ operam dant Reipublicæ causâ : *d. tit.* N. 8.
(*d*) Putà, ad gratulandum Principi, ad res ejus alicubi procurandas, ad aſſidendum alicui Magiſtratui : l. 35. §§ 1. & 2. l. 38. ff. *d. tit.* Secùs de Notariis Præſidum.
(*e*) Non tamen ultra illud tempus quod ad reditum ſufficit.

MDCCLXXVIII.

Adjuvantur qui metûs causâ abfuiſſent, ſi non ſupervacuo timore (*a*) deterriti. *l.* 2. § 1. ff. *d. tit.*

Succurritur etiam ei qui in vinculis (*b*) fuiſſet. *l.* 9. ff. *d. tit.*

Nihil intereſt parietibus aut compedibus teneatur. *d. l.* 9.

In eâdem causâ ſunt, qui à militibus vel municipalibus miniſteriis aſſervantur; ſi probentur rei ſuæ ſupereſſe non potuiſſe. *l.* 10. ff. *d. tit.*

(*a*) Sed mortis aut cruciatûs corporis : l. 3. ff. *d. tit.*
(*b*) Sive publicis ſive privatis, putà vi detentus à prædonibus aut potentiore.

MDCCLXXIX.

Ei quoque ſuccurritur qui in ſervitute fuerit; ſive bonâ fide ſerviat, ſive detentus ſit. *l.* 11. ff. *d. tit.*

Qui de ſtatu ſuo litigat; ex quo lis inchoata eſt, Edicto non (*a*) continetur. *l.* 12. ff. *d. tit.*

Ab hoſtibus (*b*) captis, poſtliminio reverſis ſuccurritur, aut ibi mortuis; etiamſi curator fuerit bonis eorum conſtitutus. *l.* 15. ff. *d. tit.*

Transfugis nullum credendum eſt beneficium tribui, quibus negatum eſt poſtliminium. *l.* 14. ff. *d. tit.*

(*a*) Quia vindiciæ dantur ſecundùm libertatem, pendente lite: Tit. *de Liberal. cauſ.* N. 21.
(*b*) Aut apud eos natis.

§ II.

Adversùs quos detur hæc reſtitutio.

MDCCLXXX.

Qui Reipublicæ causâ abfuit, etiam adversùs eum qui pariter Reipublicæ causâ abfuit, reſtituendus eſt. *l. fin.* ff, *d. tit.*

Source : BIU Cujas

§ III.

In quibus & intra quod tempus reſtituantur perſonæ ſuprà dictæ, & quomodo.

MDCCLXXXI.

Sive quid amiſerit *quis*, vel lucratus non (*a*) ſit, reſtitutio facienda eſt; etiamſi non ex bonis quid amiſſum ſit. *l.* 27. ff. *d. tit.*

Reſtitutionis auxilium Majoribus damus, non quum lucri faciendi ex alterius pœnâ (*b*) vel damno (*c*) auxilium ſibi impertiri deſiderant. *l.* 18. ff. *d. tit.*

Qui Reipublicæ causâ abeſt, in aliquâ re læſus non reſtituitur; in quâ, etiamſi non abfuiſſet, damnum erat paſſurus. *l.* 44. ff. *d. tit.*

Inter Minores, & eos qui Reipublicæ causâ abſunt, hoc intereſt; quòd Minores qui per tutores ſuos defenſi ſunt, nihilominùs reſtituantur; ei verò qui Reipublicæ causâ abſit, & cæteris, ſi per procuratores ſuos defenſi ſunt, hactenùs reſtitutione ſubveniri ſolet ut appellare eis permittatur (*d*). *l.* 8. ff. *de In integr. reſtit.*

(*a*) Putà, dum conditioni legati parere non potuit: l. 17. § 1. & l. 43. ff. *d. tit.* N. 20.
(*b*) Hinc non reſtituuntur adversùs omiſſam actionem pœnalem quæ ipſis competebat.
(*c*) Hinc non reſtituuntur adversùs interpellatam poſſeſſionem rei quam nondum uſuceperant: l. 19. & 70. ff. *d. tit.*
(*d*) Quum procuratores eorum omiſerunt provocare.

MDCCLXXXII.

Intra annum utilem Prætor reſtitutionem concedebat. Juſtinianus quadriennium ſubſtituit; & hoc tempus, ſi quis ſæpiùs abfuerit, currit demùm ex noviſſimo reditu. l. fin. Cod. de Reſtitut.

Reſtitutio autem fit datâ ipſis actione reſciſſoriâ, quâ res aut jura amiſſa vindicent, in quâ veniunt fructus; datiſque Utilibus *actionibus in vicem earum quas amiſerunt.*

MDCCLXXXIII.

SECUNDA PARS EDICTI: *Quâ Reſtitutio datur contrà abſentes, qui conveniri non potuerunt.*

Sciendum eſt non aliter hoc Edictum locum habere; quàm ſi amici *abſentis* interrogati fuerint an defendant, aut ſi nemo ſit qui interrogari poteſt. *l.* 22. ff. *Ex quib. cauſ. maj.*

MDCCLXXXIV.

TERTIA PARS EDICTI: *Quâ reſtitutio datur quum per Magiſtratûs factum, actio exempta eſt.*

PER Magiſtratûs factum accipiendum eſt, ſi Jus non dixit. Si causâ cognitâ denegavit actionem, reſtitutio ceſſat. *l.* 26. § 4. ff. *d. tit.*

Quum feriæ *repentinæ* tempus eximunt; reſtitutio duntaxat ipſorum dierum facienda eſt, non totius temporis. *l.* 26. § 7. ff. *d. tit.*

MDCCLXXXV.

ULTIMA PARS EDICTI: Si qua alia mihi juſta cauſa videbitur.

Quoties æquitas reſtitutionem (*a*) ſuggerit, ad hanc clauſulam erit deſcendendum. *l.* 26. § 9. ff. *d. tit.*

Hinc regula: Etſi (*b*) nihil facilè mutandum eſt ex ſolemnibus; tamen ubi æquitas evidens poſcit, ſubveniendum eſt. *l.* 183. (*Aliàs* 143.) MARCELL. LIB. 3. DIGEST.

(*a*) In exemplum hujus Regulæ affertur ſpecies legis 7. ff. *de In integr. reſtit.* mox infrà.
(*b*) Exempla habes in Regulis ſeqq. item in l. 20. ff. *de Tut. & rat. diſtr.*

Sæpiſſimè conſtitutum eſt, Legatum alicujus civitatis, licèt Reipublicæ causâ non abſit, adjuvari (*c*) debere; ſive habuit procuratorem (*d*) ſive non. *l.* 26. § 9. ff. *Ex quib. cauſ. maj.*

Et Generaliter quotieſcumque quis ex (*e*) neceſſitate non ex voluntate abfuit; dici oportet ei ſubveniendum. *d.* § 9.

Etſi quis ex causâ probabili (*f*) abfuerit, deliberare debet Prætor an ei ſubvenire debeat; fortè procuratore ſuo (*g*) defuncto. *l.* 28. ff. *d. tit.*

Ei qui priuſquàm naſceretur, uſucaptum amiſit, reſtituendam actionem Labeo ſcribit. *l.* 45. ff. *de Minor.*

Si citatus non reſpondit, & pronuntiatum eſt, confeſtim autem adiit; exiſtimari poteſt parùm exauditâ voce præconis defuiſſe, ideòque reſtitui poteſt. *l.* 7. ff. *de In integr. reſtit.*

(*c*) Ex hâc generali clauſulâ.
(*d*) In quâ re plus habet cæteris abſentibus. Vide Notas ad h. l. *h. tit.* N. 41.
(*e*) Ex causâ litis aut appellationis proſequendæ, aut teſtimonii, aut relegationis: d. l. 26. § 1. & § 9.
(*f*) Probabili duntaxat, ut ſtudiorum, &c.
(*g*) Secùs ſi nullum reliquiſſet: eſſet enim quod ei imputaretur.

ARTICULUS VII.

De Alienatione Judicii mutandi causâ *factâ.*

MDCCLXXXVI.

Hoc Edicto Proconſul id agit; ut ſi quis alienando rem (*a*) alium nobis adverſarium ſuo loco ſubſtituerit, idque datâ operâ in fraudem noſtram; tanti nobis (*b*) actione IN factum teneatur, quanti noſtrâ interſit alium adverſarium habuiſſe. *l.* 1. ff. *de Alien. jud.*

Si alterius provinciæ hominem aut potentiorem nobis oppoſuerit, tenebitur. *d. l.* 1. § 1.

Si res fuerint uſucaptæ ab eo cui alienatæ (*c*) ſunt, locum habet Edictum. *l.* 3. § 4. ff. *d. tit.*

Si hominem quem petebamus *quis* manumiſerit, durior fit (*d*) noſtra conditio. *ſup. d. l.* 1.

Non ejus factum improbat Prætor, qui tanti habuit re carere ne propter eam litigaret: hæc enim verecunda cogitatio ejus qui execratur lites, non eſt vituperanda. *l.* 4. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) *Alienationis* verbum hìc, etiam ad ſolius poſſeſſionis tranſlationem porrigitur.
(*b*) Hoc ita, quum quis alienavit ne ſecum ageretur; quòd ſi alienavit ut potentior ageret, potentiori actio denegabitur; & is qui alienavit, aget: l. 11. ff. *d. tit.*
(*c*) Scilicet, ſi is qui eas alienavit, non æquè potuiſſet eas uſucapere, utpotè malæ fidei poſſeſſor; & eo conſilio eas alienavit, ut ab alio uſucaperetur, noſque ſic dominio privaret.
(*d*) Noſtrâ enim intereſt agere potiùs *Rei vindicatione* adversùs eum qui ſervum manumiſit, quàm *Liberali causâ* adversùs hunc manumiſſum; in quo judicio Prætor ſolet favere libertatibus. Vide alia exempla importunioris adverſarii ſubſtituti in d. l. 1. §§ 2. & 3.

MDCCLXXXVII.

Si res (*a*) non fuit petitoris; aut qui alienatus eſt, ſine culpâ deceſſit; ceſſat judicium, niſi quid præterea (*b*) actoris interfuit. *d. l.* 4. § 5.

Si is adversùs quem actio *ex hoc Edicto* competit, paratus ſit Utile judicium pati perindè ac ſi poſſideret (*c*); rectè dicitur, denegandam ex hoc Edicto actionem. *l.* 3. § 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Hæc & ſequens regula fluunt ex eo quod dictum eſt Reg. 1á. N. præced. actionem ex hoc Edicto dari in id quod interfuit.
(*b*) Putà, ratione fructuum.
(*c*) Non ſufficit autem exhibere rem, ſi non ſit eadem cauſa.

¶ *Eſt & alia reſtitutionis ſpecies, quâ actiones propter minimam debitoris capitis diminutionem extinctæ reſtituuntur; quam hìc indicaſſe ſufficit.*

Source : BIU Cujas

SECTIO V.

De Actionibus aliarum actionum præparatoriis.

ARTICULUS I.

De Actione Ad exhibendum.

MDCCLXXXVIII.

Hæc actio ei creditur competere ; cujus pecuniariter (*a*) intereſt (*b*). *l.* 13. ff. *Ad exhib.*

Eleganter definit Neratius : judicem AD exhibendum hactenùs cognoſcere , an juſtam & probabilem cauſam habeat (*c*) actionis, propter quam exhiberi ſibi deſideret. *l.* 3. § 11. *ff. d. tit.*

Ejus qui AD exhibendum agit , utroque tempore interfuiſſe oportet ; & quo lis conteſtatur , & quo fit condemnatio. *l.* 7. ff. § *fin.* ff. *d. tit.*

(*a*) Non ergo competit de libero homine exhibendo, ſed ad Interdictum recurrendum.
(*b*) Adde, & quidem propter aliquam actionem: Reg. ſeq.
(*c*) Aut ſaltem habiturus ſit poſtquàm exhibitum fuerit, ut quum legatarius *Optionis* exhiberi ſibi deſiderat.

MDCCLXXXIX.

Regula eſt ; Eos qui facultatem (*a*) exhibendi habent , ad exhibendum teneri. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Si quis facultatem reſtituendi non habeat , licèt poſſideat (*b*) , tamen Ad exhibendum non tenebitur. *d. l.* 5. § 6.

Ad exhibendum actione non tantùm eum qui poſſidet, ſed etiam eum teneri qui dolo fecit quominùs exhiberet, meritò tibi reſponſum eſt. *l.* 5. *Cod. h. tit.*

Si quis non poſſideat (*c*) litis conteſtatæ tempore , ſed poſteà ante Sententiam poſſidere cœperit ; dici putamus debere condemnari, niſi reſtituat. *l.* 7. § 4. ff. *d. tit.*

Si quis , quum judicii accepti tempore poſſideret , poſteà ſine dolo poſſidere deſierit ; abſolvi (*d*) eum oportet. *d. l.* 7. § 5.

Quum ſervus (*e*) tenet, dominus ſuo nomine tenetur. *l.* 16. ff. *d. tit.*

Heres, non quaſi heres , ſed ſuo nomine hâc actione uti poteſt ; item heres poſſeſſoris ſuo nomine (*f*) tenetur. *l.* 12. § 6. ff. *d. tit.*

(*a*) Sive rem poſſideant, ſive eam duntaxat alterius nomine detineant; & quidem ſive rem per ſe, ſive eam cui hæc cohæret teneant.
(*b*) Putà, poſſideat ſervum qui in fugâ ſit.
(*c*) Nec dolo deſiit poſſidere. l. 8. ff. *d. tit.*
(*d*) Niſi interſit actoris non fuiſſe ſtatim exhibitum.
(*e*) Quòd ſi dolo deſierit tenere, non *ad Exhibendum* ſed *De dolo* Noxalis datur.
(*f*) Quatenùs ipſe poſſidet.

MDCCXC.

In hâc actione actor omnia noſſe debet , & dicere argumenta rei de quâ agitur. *l.* 3. ff. *d. tit.*

MDCCXCI.

Quantum ad hanc actionem attinet ; EXHIBERE eſt, in eâdem cauſâ præſtare in quâ fuit quum judicium acciperetur , ut quis copiam rei habens poſſit exſequi ; actione (*a*) quam deſtinavit , in nullo caſu læsâ. *l.* 9. § 5. ff. *d. tit.*

Ibi exhibendum ubi fuerit quum lis conteſtaretur ; periculo & impendiis actoris (*b*) perferendum , eò loci ubi actum ſit. *l.* 11. § 1. ff. *d. tit.*

Cauſa (*c*) petitori in hâc actione reſtituitur. *l.* 9. § 7. ff. *d. tit.*

(*a*) Hoc eſt enim *In eâdem causâ* exhibere : non exhibetur ergo in eâdem causâ ; ſi uſucapta res exhibeatur. In eâdem verò causâ exhibetur , licèt deterior facta : ſed actioni *In factum* locus eſt.
(*b*) Niſi dolo rei, eò loci ubi eſt, tranſlata eſſet.
(*c*) Adeòque omnes utilitates quas actor amiſit ; dum fit ipſi mora exhibendi.

ARTICULUS II.

De Interrogatoriis *actionibus.*

§ I.

Quibus caſibus , & de quâ re his locus ſit.

MDCCXCII.

Ubicumque judicem æquitas moverit , æquè oportere fieri interrogationem dubium non eſt. *l.* 21. ff. *de Interrog.*

Putà 1°. Toties heres (*a*) in Jure interrogandus eſt , quâ ex parte heres ſit ; quoties adversùs eum actio inſtituitur , & dubitat actor quâ (*b*) ex parte is cum quo agere velit heres ſit. *l.* 1. ff. *d. tit.*

2°. Poſſeſſor (*c*) fundi cogi debet reſpondere , quotâ ex parte fundum poſſideat. *l.* 20. § 1. ff. *d. tit.*

3°. De ætate interdum interrogatus reſpondere debebit. *l.* 11. ff. *d. tit.*

(*a*) Aut alterius generis ſucceſſor, putà Bonorum poſſeſſor , Fideicommiſſarius.
(*b*) Ne actor, ſi ex majori parte peteret, incideret in pœnam *Plus petitionis* : ſed & rectè interrogabit an heres ſit, item an ſuo nomine ; an per alium, an ex teſtamento, &c. l. 9. § 1. ff. d. tit.
(*c*) Si quis aut actione *In rem* acturus ſit : aut *Damni infecti.*

MDCCXCIII.

Demùm De (*a*) ſe debet quis in judicio interrogari , hoc eſt quum ipſe convenitur. *l.* 9. § 3. ff. *d. tit.*

Interdum Qui interrogatur (*b*) , tempus ad deliberandum impetrare debet. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Si ſine interrogatione quis reſponderit (*c*) , pro interrogato habetur. *l.* 9. ff. *d. tit.*

(*a*) Non punitur igitur procurator; ſi interrogatus de re quæ ſpectet eum cujus nomine experitur , nollit reſpondere. Sed hoc caſu non videtur plenè defendere; adeòque non admittetur ad agendum. Tit. *de Interrog.* N. 4.
(*b*) Putà, an heres ſit.
(*c*) Modò in Jure, id eſt apud Magiſtratum.

§ II.

De effectu interrogationis in Jure.

MDCCXCIV.

Voluit Prætor adſtringere eum qui convenitur , ex ſuâ in judicio reſponſione ; ut vel confitendo , vel mentiendo ſe oneret. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Qui in Jure confeſſus eſt , ſuam confeſſionem infirmare (*a*) non poteſt. *l.* 29. § 1. ff. *de Donat.*

Quæ cum alio actio eſſet, in noſmet confeſſione (*b*) noſtrâ conferemus. *l.* 13. ff. *de Interrog.*

Non (*c*) debet impunitum eſſe delictum ejus qui fecit, propter eum qui reſpondit. *l.* 20. ff. *d. tit.*

Qui ſervum alienum reſponderit ſuum eſſe, ſi Noxali judicio conventus (*d*) ſit, dominum liberat : aliter atque ſi quis confeſſus ſit ſe occidiſſe ſervum , quem alius

(*a*) Etiamſi Minor eſſet. Unde, ſi Minor interrogatus , reſponderit per mendacium nihil ſibi à tutore deberi, excidit credito. d. l. 29.
(*b*) Putà ; ſi quis in Jure confeſſus eſt ſe heredem eſſe , quum alius eſſet ; vel ſervum qui noxiam commiſſit , in ſuâ poteſtate eſſe ; quum in alterius eſſet, transfert in ſe actionem creditoris hereditarii quâ verus heres tenetur, aut actionem *Noxalem* , quâ verus dominus ſervi tenetur. Tales autem in eum transferentur actiones, quales ſunt; & iiſdem exceptionibus uti poteſt quibus verus reus: N. 8. *d. tit.*
(*c*) Vide Reg. ſeq.
(*d*) Et ſolvendo ſit : N. 9. *d. tit.*

Source : BIU Cujas

occidit ; vel ſi quis reſponderit ſe (e) heredem. *d. l.* 20.

(e) Supple, quum alius heres eſſet. Diſparitas eſt quòd in 1*â*. ſpecie dominus ſervi, non ſuo nomine, ſed pro ſervo debet ; adeòque ſolutio quæ ab alio pro ſervo facta eſt, eum liberat: qui autem ſervum occidit, aut qui heres eſt, debent ſuo nomine ; nec liberari poſſunt ſolutione quam is qui confeſſus eſt, non ipſorum, ſed ſuo nomine fecit. Adde Regulam præced. Si tamen qui confeſſus eſt, ex ipſorum mandato aut quaſi ipſorum defenſor confeſſus fuiſſet ; ejus ſolutione liberarentur.

M D C C X C V.

Qui negat quod eſt, Mendacii Pœnam fert quòd in ſolidum convenitur (*a*). *l.* 11. § 4. ff. *d. tit.*

Qui omninò non reſpondet . . . contumaciæ pœnam hanc ferre debet ut in ſolidum conveniatur ; quemadmodum ſi negaſſet. *d.* § 4.

Omninò non reſpondiſſe videtur, qui ad interrogatum non reſpondit ΠΡΟΣ Ε'ΠΟΣ *i. e.* ad verbum. *d. l.* 11. § 5.

Nihil intereſt, neget quis an taceat interrogatus, an obſcurè reſpondeat ut incertum dimittat interrogatorem. *d. l.* 11. § 7.

(*a*) Putà ; ſi quis mentitus ſit ſe heredem non eſſe, quum heres eſſet ex quadrante, hanc pœnam feret ut non ex quadrante ſolùm, ſed in ſolidum creditori teneatur.

§ III.

Quæ requirantur ut ex falſâ in Jure reſponſione obligetur quis, & erga quem.

M D C C X C V I.

1. In totum, confeſſiones ita ratæ ſunt ; ſi id quod in confeſſionem venit, & jus & natura (*a*) recipere poteſt. *l.* 14. § 1. ff. *d. tit.*

Item Confeſſionibus reſpondentes, ita obligantur ; ſi ejus nomine de quo quis interrogatus ſit, cum aliquo (*b*) ſit actio. *l.* 13. ff. *d. tit.*

2. Si quis ſine dolo, culpâ tamen reſponderit ; dicendum erit abſolvi eum debere, niſi culpa dolo proxima ſit. *l.* 11. § 11. ff. *d. tit.*

3. Licet reſponſi pœnitere, ſi nulla captio ex ejus pœnitentiâ ſit actoris. *d. l.* 11. § 12.

(*a*) Putà, inutilis erit confeſſio ; ſi quis reſpondeat in ſuâ poteſtate eſſe eum, quem æras non patitur ut filius ejus ſit, vel qui ſit paterfamilias.
(*b*) Fluit ex Reg. 3*â*. §°. præced. Inutilis igitur confeſſio, ſi quis confiteatur V. G. occidiſſe hominem qui vivit, aut actione *Noxali* conventus, reſpondeat in ſuâ poteſtate eſſe eum qui ſit liber aut mortuus.

M D C C X C V I I.

Si procurator aut tutor, aut quivis alius, confitetur abſentem (*putà*) vulneraſſe ; Confeſſoria in eos (*a*) Utilis (*b*) actio danda eſt. *l.* 25. § 1. ff. *ad L. Aquil.*

Dicendum eſt ab alio interrogatum Ab his qui in Jure non interrogaſſent, ex reſponſo ſuo conveniri non poſſe. *l. fin.* ff. *de Interrog.*

Si ſervus interrogetur, nulla erit (*c*) interrogatio ; non magis quàm ſi ſervus interroget. *l.* 5. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Non in abſentem, quem confeſſione ſuâ obligare non potuerunt.
(*b*) Non *Directa:* quia non de ſe reſponderunt.
(*c*) Nam in Jure ſtare non poteſt.

CAPUT QUINTUM.

De Interdictis.

SECTIO I.

De Interdictis in genere.

§ I.

Diviſiones & regulæ generales circa Interdicta.

M D C C X C V I I I.

Interdicta competunt, vel hominum causâ, vel divini (*a*) Juris, aut de religione (*b*). *l.* 2. § 1. ff. *de Interd.*

Hominum causâ competunt, vel ad publicam utilitatem (*c*), vel ſui (*d*) juris tuendi, vel officii (*e*), vel rei familiaris. *d. l.* 2. § 1.

Interdicta quæ rem familiarem ſpectant, ſunt aut adipiſcendæ (*f*) poſſeſſionis, aut recuperandæ, aut retinendæ. *d. l.* 2. § 3.

Interdictorum tres ſpecies ; exhibitoria, prohibitoria, reſtitutoria (*g*). *l.* 1. § 1. ff. *d. tit.*

Interdictorum quædam duplicia (*h*) ſunt, quædam ſimplicia. *ſup. d. l.* 2.

Interdictorum quædam annalia ſunt, quædam perpetua. *ſup. d. l.* 1. § 4.

(*a*) Ut illud, *Ne quid in loco ſacro*, &c.
(*b*) Ut illud, *De mortuo in ferendo.*
(*c*) Ut *De fluminibus*, *De viis publicis*, &c.
(*d*) Ut *De liberis exhibendis.*
(*e*) Ut *De homine libero exhibendo.*
(*f*) Ut *Quorum bonorum.*
(*g*) Prohibitoria vetant fieri, hæc etiam jubent quod factum eſt tolli.
(*h*) In quibus uterque litigator partes tam actoris quàm rei ſuſtinet ; quale eſt Interdictum *Uti poſſidetis.*

M D C C X C I X.

Interdicta omnia, licèt in rem videantur concepta, vi tamen ipsâ perſonalia ſunt. *d. l.* 1. § 3.

Omnia Interdicta (*a*) *cauſam poſſeſſionis aut quaſi poſſeſſionis continent.*

Nullum Interdictum famoſum eſt. *l.* 13. ff. *de Vi.*

In Interdictis, exindè ratio habetur fructuum ex quo edita ſunt, non (*b*) retrò. *l.* 3. ff. *de Interd.*

(*a*) Fallit regula in quibuſdam quæ quaſi proprietatis cauſam continent, ut *De religioſis*, &c.
(*b*) Fallit regula in Interdictis *De vi* : Sect. ſeq. Art. 1.

§ II.

Speciales regulæ circa Interdicta reſtitutoria, item annalia.

M D C C C.

Verbo RESTITUTIONIS, omnis utilitas actoris continetur. *l.* 81. ff. *de Verb. ſignif.*

Si noxale ſit Interdictum reſtitutorium ; Officio judicis continetur, ut dominum ſuâ impensâ reſtituentem abſolvat, patientiam præſtantem noxæ dedere jubeat ; ſi non dedat, quantum in tollendo opere erogatum ſit condemnet ; ſi nec patientiam præſtet, in tantum condemnet in quantum judex æſtimaverit. *l.* 5. ff. *de Interd.*

M D C C C I.

Ex quibus cauſis annua Interdicta eſſent ; ex his, de eo quod ad eum cum quo agitur pervenit, poſt annum judicium dandum. *l.* 4. ff. *d. tit.*

Source : BIU Cujas

SECTIO II.

De præcipuis ſingularibus Interdictorum ſpeciebus.

ARTICULUS I.

De Interdictis de Vi.

Circa Vim *plures proditæ ſunt actiones. Vim coactivam coercet actio* Quod metûs causâ ; *de vi ejus qui aliquod opus prohibitus facit , eſt infrà Interdictum* Quod vi aut clàm ; *de vi per quam res mobiles rapiuntur , eſt actio* Vi bonorum raptorum *de quâ ſuprà Part.* 3ª. *Cap.* 5. *Sect.* 7. *Art.* 2.

Hîc agitur de vi quâ quis de poſſeſſione rei ſoli dejicitur.

MDCCCII.

REGULA GENERALIS *circa vim.*

Non (*a*) videtur vim facere qui jure ſuo utitur , & ordinariâ actione experitur. *l.* 155. (*Aliàs* 197.) § 1. PAUL. LIB. 65. AD ED.

(*a*) Hinc ſi quis manu militari ex Magiſtratûs imperio rem alicui, qui condemnatus eſt ipſi eam reſtituere , auferat ; non videbitur vim facere , nec tenebitur aut Interdicto *De vi* ſi res ſoli ſit, aut actione *Vi bonorum raptorum* ſi ſit res mobilis. Hinc , qui de poſſeſſione rei contendens , in ſolemni manûs conſertione vim imaginariam adhibet , non videtur vim facere. Hinc ſi quis opus fecit prohibitus quidem , ſed paratus judicium accipere de jure faciendi quod contendit habere , & ſatisdare , jam non vi facit : infrà de Interdicto *Quod vi aut clàm.*

§ I.

Quando locus ſit Interdicto Unde vi.

MDCCCIII.

Hoc Interdictum non ad omnem vim pertinet , ſed ad eos qui de poſſeſſione dejiciuntur. *l.* 1. § 3. ff. *de Vi & vi arm.*

Non eſt vi dejectus , qui compulſus (*a*) eſt in poſſeſſionem inducere. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Non alius dejici viſus eſt , quàm qui poſſidet. *d. l.* 5. § 23.

Quod ſervus vel procurator vel colonus tenet , dominus videtur poſſidere. Et ideò his dejectis , ipſe dejici videtur ; etiamſi ignoret eos dejectos. *d. l.* 1. § 22.

Sive corpore ſive animo poſſidens dejectus (*b*) eſt , palàm eſt eum vi dejectum. *d. l.* 1. § 24.

Verius puto , eum quoque *fundo* dejectum videri , qui illic vinctus (*c*) eſt. *d. l.* 1. § 47.

Obtinuit Etiam eum qui fugatus (*d*) eſt ſupervenientibus quibuſdam , ſi illi vi occupaverunt (*e*) poſſeſſionem , videri dejectum. *d. l.* 1. § 29.

(*a*) Nam, quamvis compulſus , voluit : non dejicitur autem , niſi qui invitus expellitur.
(*b*) Dum ad fundum quem animo ſolo poſſidebat , vi prohibetur reverti.
(*c*) Item ſi ſervi per quos poſſidebat , illic ab alio poſſideantur.
(*d*) Nec expectavit ut expelleretur. Labeo contrà putabat.
(*e*) Secùs ſi aliò tendebant.

MDCCCIV.

Qui uſusfructûs nomine qualiter qualiter fuit in poſſeſſione , utetur hoc (*a*) Interdicto. *l.* 3. § 17. ff. *d. tit.*

Qui à me vi poſſidebat , ſi ab alio (*b*) dejicitur , habet Interdictum. *l.* 1. § 33. ff. *d. tit.*

(*a*) Competit enim , etſi naturaliter duntaxat quis poſſideat.
(*b*) Non ſi à me. Speciale autem fuit Interdicto *De vi armatâ*, ut ſi à me dejectus eſſet , non tamen in ipſo congreſſu , ſed ex intervallo , haberet Interdictum.

§ II.

Quando locus ſit Interdicto De vi armatâ.

MDCCCV.

Etſi unus vel alter fuſtem vel gladium tenuit , armis dejectus poſſeſſor videtur. *l.* 3. § 2. ff. *de Vi.*

Etſi inermes venerant , ſi in ipsâ certatione eò proceſſerunt ut fuſtes aut lapides ſumerent ; vis erit armata. *d. l.* 3. § 4.

Qui armati venerunt , etſi armis non ſunt uſi ad dejiciendum , ſed dejecerunt ; armata vis videtur. *d. l.* 3. § 5.

§ III.

Circa quas res his Interdictis locus ſit, & adversùs quem.

MDCCCVI.

Qualis qualis fuerit locus undè quis vi dejectus eſt , Interdicto locus erit. *l.* 1. § 4. ff. *d. tit.*

In dubium non venit , Interdictum hoc ad res (*a*) mobiles non pertinere. . . Planè ſi quæ ſint in fundo vel ædibus undè quis dejectus eſt , earum (*b*) nomine Interdictum competere non eſt ambigendum. *d.* § 4.

(*a*) Putà , ſi quis de nave ſit dejectus.
(*b*) Ut cum his rebus fundus reſtituatur.

MDCCCVII.

Dejicit & qui mandat (*a*). *l.* 152. (*Aliàs* 193.) § 1. ULP. LIB. 60. AD ED.

Quoties verus (*b*) procurator dejecerit ; cum utrolibet eorum , ſive domino ſive procuratore (*c*) , agi poteſt. *l.* 1. § 13. ff. *de Vi.*

Dominus . . . ſervorum ſuorum factum præſtat , etſi non juſſu ejus dejecerunt. *d. l.* 1. § 15.

In me, Si filiusfamilias vel mercenarius (*d*) *meus* dejecerit , Utile Interdictum competit (*e*). *d. l.* 1. § 20.

Si vi me dejecerit quis nomine municipum , in municipes mihi Interdictum reddendum ſi quid ad eos pervenit. *l.* 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Vel ratum habet factum.
(*b*) Si falſus eſſet , ſolus teneretur ; non dominus , niſi quatenùs ad ipſum perveniſſet.
(*c*) Ita ut ſolutio ab uno facta alterum liberet.
(*d*) Liber homo.
(*e*) Quatenùs duntaxat ad me pervenit. l. 16.

MDCCCVIII.

Quum à te (*a*) vi dejectus ſim ; ſi alius eamdem rem poſteà poſſidere cœperit , non poſſum cum alio quàm tecum Interdicto experiri. *l.* 7. ff. *d. tit.*

(*a*) Et quidem tuo nomine, non ejus qui poſteà poſſidere cœpit , alioquin cum utroque agerem.

§ IV.

Quid veniat in his Interdictis.

MDCCCIX.

Ubi dejecit , per (*a*) eum ſtetiſſe videtur quominùs reſtitueret. *d. l.* 1. § 35.

Corollarium. Ex Interdicto UNDE VI , etiam qui non poſſidet (*b*) reſtituere cogetur. *d. l.* 1. § 4.

Ex die quo quis dejectus eſt , fructuum (*c*) ratio habetur. *d. l.* 1. § 40.

(*a*) Id eſt, ipſo facto videtur eſſe in morâ reſtituendi.
(*b*) Quamvis ſine culpâ deſierit poſſidere : eſſe enim in morâ reſtituendi videtur.
(*c*) Tam fundi quàm rerum quæ ibi erant ; & quidem etiam eorum quos percipere potui , licèt prædo non perceperit.

In

Source : BIU Cujas

In hoc Interdicto omnia quæcumque habiturus vel assecuturus erat is qui dejectus est, si vi dejectus non esset, restitui, aut eorum lis æstimari debet. *d. l.* 1. § 41.

ARTICULUS II.

De Interdicto Uti possidetis.

§ I.

Quale sit, quando huic locus sit, & de quâ re.

MDCCCX.

Est prohibitorium, ad retinendam possessionem. *l.* 1. § 1. ff. *Uti poss.*

Ab Interdicto UNDE VI *in eo differt, quòd* Illud restituit vi amissam possessionem, hoc tuetur. *d. l.* 1. § 4.

MDCCCXI.

Si inter litigatores contendatur uter possideat; si res soli sit, ad hoc Interdictum remittentur. *d. l.* 1. § 3.

Videris mihi possessionis controversiam facere, qui prohibes me (*a*) uti meâ possessione. *l.* 3. § 2. ff. *d. tit.*

V. G. Quum inquilinus dominum ædes reficere volentem prohiberet, competere interdictum UTI possidetis placuit. *d. l* 3. § 3.

(*a*) Ut si me prohibeas in meo ædificare, reficere; vel tu in meo aliquid me invito facias, habeas.

MDCCCXII.

Hoc Interdictum in omnibus possessionibus quæ sunt soli, locum habebit. *d. l.* 1. § 8.

Item Sive quis totum fundum possidere se dicat, sive pro certâ parte, sive pro indiviso possideat. *d. l.* 1. § 7.

§ II.

Cui detur necne.

MDCCCXIII.

Et inter fructuarios hoc Interdictum reddendum est. *l.* 4. ff. *d. tit.*

MDCCCXIV.

Qualiscumque (*a*) possessor, hoc ipso quòd possessor est, plus juris habet quàm ille qui non possidet. *l.* 2. ff. *d. tit.*

Corollarium. Adversùs extraneos vitiosa possessio prodesse (*b*) solet. *l.* 53. ff. *de Acquir. possess.*

Si quis possidet vi, clàm aut precariò; si quidem ab alio, prodest ei possessio; si verò ab adversario suo, non debet eum propter hoc quod ab eo possidet vincere (*c*). *l.* 1. § 9. ff. *Uti poss.*

(*a*) Quantumvis injustè quis possideat.
(*b*) Ut hoc Interdicto jure agatur.
(*c*) Hujus enim respectu non videtur possidere, cui tenetur restituere.

MDCCCXV.

Non denegatur ei Interdictum UTI possidetis, qui cœpit rem vindicare; nec videtur possessioni renuntiare qui rem vindicat. *l.* 12. § 1. ff. *de Acquir. possess.*

Creditores missi in possessionem rei servandæ causâ, Interdicto UTI POSSIDETIS uti non possunt, quia non possident. *l.* 3. § 8. ff. *Uti possid.*

§ III.

Quid veniat in hoc Interdicto.

MDCCCXVI.

Exitus controversiæ possessionis hic est, ut pronuntiet judex uter possideat . . . ut is qui victus est, petitoris partibus fungatur. *l.* 35. ff. *de Acq. possess.*

MDCCCXVII.

In hoc Interdicto, condemnationis summa refertur ad id quanti interest possessionem retinere. *l.* 3. § 11. *ff. Uti possid.*

§ IV.

De Interdicto De superficie.

MDCCCXVIII.

Omnia quæ in Interdicto UTI POSSIDETIS servantur; hîc (*a*) quoque servabuntur. *l.* 1. § 2. *ff. de Superf.*

(*a*) Vide suprà Part. 3a. *Cap.* 2. *Sect.* 2a. *Art.* 7. ubi de superficie diximus.

ARTICULUS III.

De Interdictis de usu servitutum.

Ei qui intra annum retrorsùs à die editi Interdicti computatum, aliquâ servitute usus est, putà itinere, actu, aquæductu, aquæ haustu, &c. non vi, non clàm, non precariò; dantur Interdicta prohibitoria ut ei liceat uti, donec de jure servitutis judicatum sit.

MDCCCXIX.

REGULÆ GENERALES.

1. Per fructuarium quidem servitus retinetur; per fructuarium autem Interdictum hoc domino non (*a*) competit. *l.* 3. § 4. *de Itin. actuq. priv.*

2. Aristo putat eum demùm Interdictum habere, qui se putat suo jure uti; non eum qui scit se nullum jus habere, & utitur. *l.* 1. § 19. *ff. de Aq. quotid.*

Hinc Qui propterea quia via publica interrupta est, per proximi vicini agrum iter fecerit; non videtur usus. *l.* 1. § 6. *ff. de Itin. actuq.*

3. Si quis usus non sit hoc anno, quum superiore usus sit . . . Interdictum repetitâ die competit; ex quibus causis (*b*) in integrum quis restitutionem impetrare solet. *d. l.* 1. § 9.

4. Si quis ab auctore meo, vi, aut clàm, aut precariò usus est; rectè à me uti prohibetur, & Interdictum ei inutile est. *l.* 3. § 2. *ff. d. tit.*

At Sicut non nocet ei qui sine vitio usus est, quòd eodem anno vitiosè usus est (*c*); ita emptori heredique non nocebit quòd ipsi vitiosè usi sunt, si testator venditor-ve rectè usi sunt. *l.* 6. *ff. d. tit.*

5. Sciendum, non tantùm eum clàm uti qui ipse prohibitus utitur; verùm eum quoque pro quo (*d*) quis id jus retinebat; si eo prohibito per quem retinebat, utatur. Planè si ignoro vi prohibitum, & persevero uti; nihil mihi nocet. *l.* 3. § 1. *ff. d. tit.*

Quum colonus meus, vel is cui precariò concessi fundum cui servitus debetur, rogavit vicinum ut uteretur; ipse quidem precariò utitur: at ego per eum utor non precariò; adeòque

(*a*) Quia non domini nomine, sed suo usus est; ipsi ergo competet; *d. tit.* N. 12. Secùs de colono.
(*b*) Putà, si ob inundationem non potuit uti.
(*c*) Ab initio enim possessionis, qualitas ejus æstimanda est.
(*d*) Ita legendum, pro *per quem.*

Source : BIU Cujas

mihi competit Interdictum, quod ei denegatur : ex. l. 1. § 11. *ff.* de Itin. act. priv.

6. Prætor non inquirit utrùm habeat *actor* jure servitutem impositam, sed hoc tantùm (*e*), an ... hoc anno usus sit (*f*) non vi, non clàm, non precariò. *l.* 1. § 1. *ff. d. tit.*

(*e*) Regula fallit in quibusdam Interdictis, in quibus actori non sufficit docere se usum; nisi & summariè doceat sibi servitutem competere, saltem ex diuturniore usu. Tale est Interdictum *De itinere reficiendo.*

(*f*) Et quidem in Interdicto *De itinere actuque privato*, oportet ut doceat se iisse saltem triginta diebus: in Interdicto *De Aqua*, sufficit vel uno die aquam duxisse.

ARTICULUS IV.

De Interdicto Quod vi aut clàm.

§ I.

Quando videatur Vi *aut* Clàm *factum.*

MDCCCXX.

Vi facit, tam is qui probibitus fecit, quàm is qui quominùs prohibeatur consecutus (*a*) est. *l.* 20. *ff. Quod vi aut clàm.*

Prohibitus intelligitur, quolibet prohibentis actu; vel prohibere se dicentis, vel manum opponentis, vel lapillum jactantis. *d. l.* 20. § 1.

Sive jus habuit, sive non, tenetur Interdicto. *l.* 1. § 2. *ff. d. tit.*

Vis Semel inter initia facta, perseverat. *l.* 3. § 1. *ff. d. tit.*

Tandiù vi facit prohibitus, quandiù res in eodem statu (*b*) permanebit. *l.* 20. § 2. ff. *d. tit.*

Si quis paratus sit judicio se defendere ... magis est ut desinat *vi facere*, si modò satis offerat. *l.* 3. § 5. *ff. d. tit.*

Si prohibiti heres vel qui ab eo emit, ignorans causam præcedentem fecerit; dicendum, non incidere eum in Interdictum. *l.* 20. § 3 *ff. d. tit.*

(*a*) Dolo faciendo quominùs dominus loci ad prohibendum accederet.

(*b*) Desinit esse *In eodem statu*; putà si qui prohibuit, postea permiserit: item in casu Regulæ seq.

MDCCCXXI.

Clam facere videri Cassius scribit, eum qui celavit adversarium, nec ei denuntiavit; si modò timuit controversiam aut debuit timere. *l.* 3. § 7. *ff. d. tit.*

Si quis denuntiaverit, non semper (*a*) non videtur clàm feciisse. *l.* 5. § 1. *ff. d. tit.*

Si non sit cui denuntietur; amicis, aut procuratori, aut ad domum (*b*) denuntiandum est. *d. l.* 5. § 2.

Aristo scribit; Non utique possessori (*c*) esse denuntiandum. *l.* 11. § 11. *ff. d. tit.*

(*a*) Ut si dolosè denuntiaverit; putà si aliter fecit quàm denuntiavit, vel obscurè denuntiavit, vel eo tempore quo non possit dominus ad prohibendum venire.

(*b*) Ad amovendam suspicionem voluntatis celandi.

(*c*) Putà, si emptori fundi in quo quid facio, denuntiem antequàm fuerit ei traditus; non videor *Clàm* fecisse.

MDCCCXXII.

Si servi mei vel procuratoris (*a*) celandi causâ factum sit mihi Interdictum competit. *l.* 5. § 6. *ff. d. tit.*

Quantùm ad consilium clandestinatis : Si jussero servum meum opus facere ... mea (*b*) persona intuenda. *l.* 21. § 1. *d. tit.*

(*a*) Adde, aut ejus quem putabat dominum fundi mei: N. 29. *d. tit.* Et pariter quicumque meo nomine prohibuerit, quasi ipse prohibuissem, Interdictum mihi competet : undè dicitur hoc Interdictum *Per quemvis* acquiri.

(*b*) Adeòque non videbitur *Clam* factum, si celandi animum non habuerim; licèt servus habuerit.

MDCCCXXIII.

Hoc Jure utimur ut, etsi Vi ET Clàm (*a*) factum sit, Interdictum hoc sufficiat. *l.* 11. § 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Nam interdum vis & clandestinitas concurrunt; ut si *Clàm* cœpi opus, deindè prohibitus perexi.

§ II.

Ad quæ opera hoc Interdictum pertineat.

MDCCCXXIV.

Hoc Interdictum ad ea sola opera pertinet, quæcumque in solo (*a*) Vi aut Clàm fiunt. *l.* 1. § 4. *ff. d. tit.*

Si quis aliquid ædibus affixum evellerit, Quod vi aut clam Interdicto tenebitur. *l.* 9. § 2. *ff. d. tit.*

In solo fieri accipimus, & si quid circa arbores fiat; non si quid circa fructum arborum. *l.* 7. § 5. *ff. d. tit.*

Sive in privato sive in publico opus fiat, sive in loco sacro, sive in religioso; Interdictum competit. *l.* 20. § *fin. ff. d. tit.*

Non ex qualitate (*b*) operis, huic Interdicto locus est; sed ex opere facto quod cohæret solo. *l.* 22. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Aut in re solo cohærente : Reg. seq. Item si aqua corrumpatur: est enim aqua, portio soli. Videtur etiam *In solo* opus fieri; quod, etsi solum ipsum non contingat, tamen cœlum quod suprà solum est, aufert: l. 9. & l. 22. § 4. ff. *d. tit.* Secùs si fiat in re quæ etsi portio fundi intelligatur, tamen solo non cohæret : N. 19. *d. tit.*

(*b*) Qualecumque enim opus, sive formatum sive informe, dat locum Interdicto; ut si quis araverit prohibitus, quod meâ intererat non arari.

MDCCCXXV.

Interdictum Quod vi aut clam locum non habet, si melior causa facta sit agri; quamvis prohibitus quis vel Vi vel Clàm fecerit. *l.* 7. § 7. *ff. d. tit.*

§ III.

Quibus hoc Interdictum competat.

MDCCCXXVI.

Interdictum hoc non solùm domino prædii, sed etiam his quorum (*a*) interest opus factum non esse, competit. *l.* 11. § 14. *ff. d. tit.*

Colonum posse Interdicto experiri, in dubium non venit. *d. l.* 11. § 12.

Quamvis Statim post venditionem periculum ad emptorem spectat; tamen, antequàm ulla traditio (*b*) fiat, nemo dixit Interdictum ei competere. *d.* § 12.

(*a*) Putà colono, emptori cædendarum arborum, &c.

(*b*) Saltem precaria.

MDCCCXXVII.

Interdictum Quod vi aut clàm, competere filiofamilias (*a*) ... Sabinus ait. *l.* 19. *ff. d. tit.*

Nota tamen : Adversùs filiumfamilias in re peculiari, nemo videri potest Clàm feciisse. *l.* 13. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Si quid in re ipsius peculiari, ipso prohibente factum sit. Et odio violentiæ hoc singulare est, ut ipse agere possit; sed & pater ejus potest: d. l. 13. § 1. Secùs ergo de clandestinate : vide Reg. seq.

§ IV.

Qui hoc Interdicto teneantur, & quatenùs.

MDCCCXXVIII.

Qui Vi aut Clàm fecit (*a*), si possidet, patientiam & impensam tollendi operis; qui fecit nec possidet, impensam; qui possidet nec fecit, patientiam tantùm debet. *l.* 16. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Feciisse autem videor; si aut facere mandavi, aut meo nomine factum ratum habui : adeòque & ego & ille qui fecit, uterque tenemur quasi fecerimus.

Source : BIU Cujas

Officio judicis ita oportere fieri reſtitutionem judicandum eſt; ut in omni causâ eadem conditio ſit actoris, quæ futura eſſet ſi id opus nec Vi nec Clàm factum eſſet. *l.* 15. § 7. *ff. d. tit.*

§ V.

Quandiù duret; & an, & quibus exceptionibus excludatur.

M D C C C X X I X.

Hoc Interdictum poſt annum non (*a*) competit. Annus autem cedere incipit, ex quo opus perfectum eſt, vel fieri deſiit licèt perfectum non ſit. *d. l.* 15. §§. 3. & 4.

Si ſub terrâ fieret opus, etiam poſt annum causâ cognitâ competit Interdictum. *d. l.* 15. § 5.

(*a*) Niſi Minoribus, item abſentibus Reipublicæ causâ.

M D C C C X X X.

Adversùs vim vel quod clàm factum eſt, nullâ juſtâ exceptione ſe tueri poteſt. *l.* 1. § 3. *ff. d. tit.*

Si incendii arcendi causâ vicini ædes intercidi; ſi Magiſtratus feciſſet, danda exceptio; privato non concedenda (*a*). *l.* 7. § 4. *ff. d. tit.*

Eſt alia exceptio; SI *nempè* Vi aut clàm *demolitus ſim, quod tu ipſe* VI AUT CLAM *ædificares: ex l.* 22. § 2. *ff.* d. tit.

Eſt etiam illa; SI *ego aut qui jus habet res meas adminiſtrandi, permiſerimus pergere quod* Vi *aut* clàm *cœperas facere.* l. 3. § 3. ff d. tit.

(*a*) Ita tamen Interdicto tenebitur, ſi ignis uſque eò non pervenit.

ARTICULUS V.

De Precario.

§ I.

De naturâ Precarii.

M D C C C X X X I.

Magis ad donationes & beneficii cauſam, quàm ad negotii (*a*) contracti ſpectat Precarii conditio. *l.* 14. *ff. de Precar.*

Quum precariò quid datur; ſi convenit ut IN KALENDAS poſſideat, nulla vis eſt hujus conventionis ut rem alienam domino invito poſſidere liceat. *l.* 12. *ff. d. tit.*

(*a*) Adeòque nulla civilis actio indè naſcitur; datur tamen *Præſcriptis verbis.*

M D C C C X X X I I.

Quis & quas res precariò habere videri poſſit, quis concedere.

1. Precariò habere, etiam ea quæ in jure (*a*) conſiſtunt poſſumus. *l.* 15. § 2. *ff. d. tit.*

2. Si, id quod poſſideas, alicui precario rogaveris; videris deſinere ex primâ causâ poſſidere, & incipere ex precario habere. *l.* 22. *ff. d. tit.*

3. Unuſquiſque poteſt rem ſuam (*b*) quamvis non poſſideat, precario dare ei qui (*c*) poſſideat. *l.* 18. *ff. d. tit.*

(*a*) Ut immiſſum habere, ut ire, liceat, &c.
(*b*) Aut alienam.
(*c*) Nec obſtat Regula, *Nemo dat quod non habet.* Preces enim rogantis efficiunt, ut poſſeſſio quam ille habet, reverti videatur ad eum qui rogatus eſt; à quo nova poſſeſſio in rogantem tranſeat. Cæterùm oportet ut qui rogavit, non fuerit dominus.

M D C C C X X X I I I.

Quomodo conſtituatur precarium.

Precaria poſſeſſio conſtitui poteſt, vel inter præſentes vel inter (*a*) abſentes. *l.* 9. *ff. d. tit.*

Imò & ſolâ patientiâ.

(*a*) Vide exempla, *d. tit.* N. 10.

Non ſolùm ſi ego, ſed & Si procurator meus me mandante vel ratum habente precariò rogaverit, ego precariò habere propriè dicor. *l.* 6. § 1. *ff. d. tit.*

Vice versâ; Qui ſervum meum precario rogat, videtur à me precario habere ſi ratum (*b*) habuero. *l.* 19. § 1. *ff. d. tit.*

(*b*) Imò & citra ratihabitionem, ſi ſervus peculiare negotium gerebat.

M D C C C X X X I V.

De effectu Precarii.

Eum qui precariò rogaverit ut ſibi poſſidere liceat; nanciſci poſſeſſionem non eſt dubium. *l.* 15. § 4. *ff. d. tit.*

Placet (*a*) penès utrumque eſſe eum hominem qui precario datus eſſet; penès eum qui rogaſſet, quia poſſederat corpore; penès dominum, quia non deceſſerit poſſeſſione. *d.* § 4.

Qui rogavit ut in fundo moretur, non (*a*) poſſidet. *l.* 6. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Hæc regula ex doctrinâ Sabini refertur, qui admittebat duos in ſolidum diverſo reſpectu poſſidere intelligi poſſe. Ex doctrinâ autem Proculeianorum ſuprà N. 451. qui precario dedit, reverà deſiit poſſidere; quamvis, quantùm ad jus repetendi & reſpectu ejus qui ab eo precariò poſſidet, quodammodo poſſidere intelligi poſſit.
(*b*) Aliud enim precarium *Uſûs*, aliud *Poſſeſſionis.*

M D C C C X X X V.

Quando finiatur necne.

Precarii rogatio & ad heredem ejus qui conceſſit, tranſit; ad heredem autem ejus qui precario rogavit (*a*), non tranſit. *l.* 12. § 1. *ff. d. tit.*

Heres ejus qui precariam poſſeſſionem tenebat, ſi in eâ manſerit, magis dicendum eſt Clàm videri poſſidere. PAUL. SENTENT. *lib.* 5. *Tit.* 6.

Solvitur etiam precarium adveniente die aut conditione ad quam conſtitutum eſt; aut mutatione cauſæ poſſeſſionis ejus qui precario rogavit. Tit. de Precar. *N.* 13. 14 & 15.

(*a*) Quia ſoli perſonæ rogantis conceſſum eſt. Non ſuo igitur nomine heres Interdicto tenebitur, ſed tenebitur hereditario: infrà.

§ II.

De Interdicto DE precario.

M D C C C X X X V I.

Habet ſummam æquitatem, ut eatenùs quiſque noſtro utatur, quatenùs ei tribuere velimus. *l.* 15. *ff. d. tit.*

Si quis de re ſibi reſtituendâ cautum (*a*) habet, precarium Interdictum ei non competit. *d. l.* 15. § 3.

(*a*) Per civilem actionem, putà *Ex ſtipulatu*, cæterum concurrit cum Interdicto actio *Præſcriptis verbis.*

M D C C C X X X V I I.

Cui & contra quem detur.

Ei demùm competit Interdictum, à quo quis precariò rogavit, non cujus res eſt. *l.* 8. *ff. d. tit.*

Tenetur hoc Interdicto, non utique ille qui precariò rogavit, ſed qui precariò (*a*) habet. *l.* 4. § 2. *ff. d. tit.*

Si pupillus ſine tutoris auctoritate precario rogaverit; Labeo ait habere eum precariam poſſeſſionem, & hoc Interdicto teneri. *l.* 22. § 1. *ff. d. tit.*

Eum quoque precario teneri voluit Prætor, qui dolo fecit ut habere deſineret. *l.* 8. § 3. *ff. d. tit.*

Hoc Interdicto heres ejus qui precario rogavit tenetur (*b*); ut ſive habeat, ſive dolo fecit quominùs

(*a*) Puta ſi filius meus rogavit, me volente.
(*b*) Hereditario nomine; non proprio, cùm in ipſum precarium non tranſeat: ſi tamen patiente domino & ipſe poſſedit, novum in ejus perſonâ precarium tacitè conſtitutum intelligitur.

Source : BIU Cujas

haberet, teneatur; ex dolo defuncti, quatenùs ad eum pervenit. *d. l.* 8. § 8.

MDCCCXXXVIII.

De Interdicti hujus effectu.

Ex hoc Interdicto restitui res in pristinam causam debet: quod si non fuerit factum, condemnatio in tantùm fiet, quanti interfuit actoris. *d. l.* 8. § 4.

ARTICULUS VI.

De Interdictis De liberis exhibendis, & Ducendis.

Interdicto DE liberis exhibendis *consequitur pater, ut si quis ex liberis suis apud aliquem sit, ipsi exhibeatur; Interdicto verò* DE liberis ducendis, *ut exhibitum eum sibi liceat ducere.*

MDCCCXXXIX.

1. Si filius suâ sponte apud aliquem est, inutile hoc Interdictum erit; quia filius magis (*a*) apud se quàm apud eum est, in quem interdicitur. *l.* 5. *ff. de Liberis exhib.*

2. Certo Jure utimur ne benè concordantia matrimonia, jure patriæ (*b*) potestatis turbentur. *l.* 1. § 5. *ff. d. tit.*

3. Etiamsi maximè probet filium pater in suâ potestate esse; tamen, causâ (*c*) cognitâ, mater in retinendo eo potior (*d*) erit. *l.* 3. § 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Si igitur nemo detineat filium, non locus erit Interdicto, sed cognitioni extraordinariæ adversùs ipsum filium; permitteturque patri eum abducere, si probaverit esse in suâ potestate.
(*b*) Adeòque non permittetur patri his Interdictis abducere filiam à genero.
(*c*) Si probetur nequitia patris.
(*d*) Sine diminutione tamen patriæ potestatis: d. l. 3.

CAPUT SEXTUM.

De quibusdam Remediis Prætoriis, quæ vice Actionum sunt.

ARTICULUS I.

De Operis novi nuntiatione.

MDCCCXL.

Prætoris Edicto permittitur, ut sive jure sive injuriâ opus fieret, per nuntiationem inhiberetur; deindè remitteretur prohibitio, quatenùs prohibendi jus is qui nuntiasset, non haberet. *l.* 1. *ff. de Oper. novi nunt.*

§ I.

Ad quæ opera hoc Edictum pertineat.

MDCCCXLI.

Hoc Edictum non omnia (*a*) opera complectitur, sed ea sola quæ solo conjuncta sunt; quorum ædificatio vel demolitio videtur opus novum continere. *d. l.* 1. § 12.

Opus accipimus, non si unum vel alterum cæmentum fuit impositum; sed si proponatur quasi species quædam facti operis. *l.* 21. § 3. *ff. d. tit.*

Hoc Edictum inductum est adversùs ea quæ nondum facta (*b*) sunt: si quid operis fuerit factum (*c*), cessat (*d*) Edictum. *l.* 1. § 1. *ff. d. tit.*

Sive intra oppida sive in villis vel agris (*e*) opus novum fiat, nuntiatio locum habet. *d. l.* 1. § 14.

Opus novum facere videtur; qui aut ædificando aut detrahendo aliquid, pristinam faciem operis mutat. *d. l.* 1. § 11.

Prætor opera excepit quorum mora (*f*) periculum aliquod allatura est: nam in his contemnendam putavit operis novi nuntiationem. *l.* 5. § 12. *ff. d. tit.*

(*a*) Non ergo si quis arborem succidat, messem faciat, &c.
(*b*) Sed cœpta duntaxat.
(*c*) Consummatum.
(*d*) Sed locus est Interdicto *Quod vi aut clàm.*
(*e*) Sive in loco vacuo, sive in loco jam ædificato: l. 20. § 2. ff. *d. tit.* sive in suo, sive in nostro faciat: l. 5. §§ 8. & 10. ff. *d. tit.*
(*f*) Qualis est purgatio cloacæ; refectio rivi, &c.

§ II.

Ex quibus causis fiat nuntiatio novi operis.

MDCCCXLII.

Pedius definit triplicem esse causam operis novi nuntiationis, naturalem (*a*), publicam (*b*), impositiam (*c*). *l.* 5. § 9. *ff. d. tit.*

Item Nuntiatio fit, aut juris nostri conservandi gratiâ, aut damni depellendi, aut publici juris tuendi gratiâ. *l.* 1. § 16. *ff. d. tit.*

Nuntiamus, quia jus aliquod prohibendi habemus, vel ut Damni infecti caveatur nobis. *d. l.* 1. § 17.

(*a*) Quum in nostro ædificatur, aut quid immittitur; *ibid.*
(*b*) Quum publicam utilitatem tuemur, putà ne quid in viâ fiat.
(*c*) Quum id fit quod ne fieret jus servitutis habemus: vide *d. tit.* N. 8. & ibi Notas.

§ III.

Cui competat Operis novi nuntiatio, & adversùs quem.

MDCCCXLIII.

Si in publico fiat, omnes (*a*) cives opus novum nuntiare possunt. *l.* 3. § *fin. ff. d. tit.*

Juris nostri conservandi, aut damni depellendi causâ, opus novum nuntiare potest is ad quem res pertinet. *l.* 1. § 19. *ff. d. tit.*

Jus habet opus novum nuntiandi, qui dominium (*b*) aut servitutem habet. *l.* 1. § 3. *ff. de Remiss.*

Creditori cui prædium tenetur, permittendum est de jure (*c*) opus novum nuntiare. *l.* 9. *ff. de Oper. nov. nunt.*

Usufructuarius opus novum nuntiare suo nomine non potest, procuratorio (*d*) nomine poterit. *l.* 1. § 20. *ff. d. tit.*

(*a*) Vide limitationes suprà Cap. 1. Art. 1. §°. 4°.
(*b*) Aut jus affine, quale habet superficiarius.
(*c*) Id est, si quid fiat contra jus servitutis prædio sibi obligato debitum.
(*d*) Tanquam legitimus proprietatis procurator. An autem ipsi domino? vide *d. tit.* Notas ad h. l.

MDCCCXLIV.

Non solùm proximo vicino, sed etiam superiori opus facienti nuntiare opus novum potero. *l.* 8. *ff. d. tit.*

Si socius meus in communi insulâ faciat, & propriam habeam cui noceatur; putat Labeo non posse *me* (*a*) nuntiare. *l.* 3. § 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Sed *Communi dividuudo* judicio eum prohibebo: d. l. 3.

Source : BIU Cujas

§ IV.

Ubi, quando, cui, à quibus, & per quem, & quomodo, nuntiatio fieri debeat.

MDCCCXLV.

1. In re præsenti, & penè dixerim ipso (*a*) opere, nuntiatio facienda est. *l.* 5. § 4. *ff. d. tit.*

2. Nuntiatio omnibus diebus fieri potest. *l.* 1. § 4. *ff. d. tit.*

3. Operis novi nuntiatio in rem fit, non in personam. *l.* 10. *ff. d. tit.*

Hinc Generaliter ei nuntiari opus novum potest qui in re præsenti fuit, domini operis-ve (*b*) nomine. *l.* 5. § 3. *ff. d. tit.*

4. Si plurium dominorum rei opus noceat; est verius unius nuntiationem non sufficere, sed esse singulis nuntiare necesse. *d. l.* 5. § 6.

5. Nuntiationem nostro & alieno (*c*) nomine facere possumus. *l.* 1. § 3. *ff. d. tit.*

6. Nuntiatio non habet necessariam Prætoris aditionem. *d. l.* 1. § 2.

(*a*) Adeoque plures, si in pluribus locis opus fiat: d. l. 5. § 16.
(*b*) Putà, fabris: d. l. 5. § 2.
(*c*) Ita tamen ut procurator qui nuntiat, teneatur cavere De rato: l. 17. ff. *h. tit.*

§ V.

De effectu Nuntiationis novi operis.

MDCCCXLVI.

Edicto expressum est ne post operis novi nuntiationem quicquam operis fiat, antequàm vel nuntiatio missa (*a*) fiat, vel vice nuntiationis missæ, satisdatio de opere restituendo fuerit interposita. *l.* 10. § 1. *ff. d. tit.*

Is cui nuntiatum est; Antequàm (*b*) caveat, quidquid ædificaverit (*c*), Interdicto restitutorio destruere compellitur. *l.* 21. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Id est, Prætor remiserit nuntiationem, permittendo opus peragi.
(*b*) Vel remissa sit nuntiatio.
(*c*) Post nuntiationem; sive jus habuerit, necne.

MDCCCXLVII.

Ex nuntiatione Is demùm obligatus est, qui locum possidet (*a*) in quem opus novum nuntiatum est. *l.* 23. *ff. d. tit.*

Si unus ædificaverit post operis novi nuntiationem; alii qui non ædificaverunt, non tenebuntur (*d*). *l.* 5. § 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Sive ipse sit cui nuntiatum est, sive ab eo emit: nuntiatio enim non sit personæ, sed in rem.
(*b*) Nisi ut patientiam præstent in restituendo opere.

MDCCCLVIII.

Operis novi nuntiatione, possessorem (*a*) facimus cui nuntiaverimus. *d. l.* 5. § 10.

(*a*) Eo sensu quòd in cognitione Prætoriâ, an remittenda sit nuntiatio, rejicimus in nos onus probandi an jus habuerimus prohibendi.

§ VI.

Quibus modis extinguatur nuntiatio.

MDCCCXLIX.

De remissione.

Remissio facta, hoc tantùm remittit (*a*) in quo non tenuit nuntiatio. *l.* 1. § 2. *ff. de Remiss.*

(*a*) Id est, Prætor remittit nuntiationem; quum summatim cognoverit, nuntiatori jus non esse prohibendi.

Sciendum est, denegatâ exsecutione operis novi, nihilominùs integras legitimas actiones (*b*) manere. *l.* 19. *ff. de Oper. nov. nuntiat.*

(*b*) *Le droit au fonds, réservé*; per actiones servitutum negatorias aut confessorias.

MDCCCL.

De cautione nuntiatori dandâ, ut pergere opus liceat.

Si is cui nuntiatum erit, ex operis novi nuntiatione satisfecerit, repromiserit-ve, aut per eum non fiet; perindè est ac si operis novi nuntiatio remissa (*a*) esset. *l.* 5. § 17. *ff. d. tit.*

Alieni juris petitor (*b*) repromissione contentus esse debet. *l.* 8. § 3. *ff. d. tit.*

Si plures ædificent; ait Labeo unumquemque (*c*) cavere debere, quia restitutio operis fieri pro parte non possit. *l.* 21. § 5. *ff. d. tit.*

Si plures nuntient; curandum ut uni caveatur, si inter eos conveniat; si non conveniat, singulis erit cavendum. *d. l.* 21. § 6.

Sive res judicetur (*d*), sive res non defendatur (*e*); stipulatio in id committitur ut res viri boni arbitratu restituatur (*f*). *d. l.* 21. § 4.

(*a*) Adeòque consequitur ut, donec res petitorio judicio judicetur, opus pergere sibi liceat; sive jus habeat sive non: & eâ de re interim habet Interdictum prohibitorium, de quo vid. Tit. *de nov. Oper. nunt.* N. 38. & seq.
(*b*) Scilicet qui non proprii, sed publici juris conservandi gratiâ nuntiavit.
(*c*) Ita legendum. Vide Notas ad h. l. *d. tit.* N. 35.
(*d*) Judicio petitorio, in quo vicerit nuntiator & probaverit adversario jus non fuisse ædificandi.
(*e*) Non defenderit ædificator, quum adversùs eum nuntiator petitorio judicio egisset.
(*f*) Scilicet destruatur opus, restituaturque omnis utilitas quæ per hoc opus intercepta est actori.

MDCCCLI.

De morte nuntiatoris.

Morte (*a*) ejus qui nuntiavit extinguitur nuntiatio. *l.* 8. § 6. *ff. d. tit.*

(*a*) Non vice versâ, morte ejus cui nuntiatum est.

ARTICULUS II.

De stipulatione Damni infecti.

§ I.

Ad quas damni futuri species pertineat.

MDCCCLII.

Sive ædium vitio, sive operis quod vel in loco urbano aut rustico privato publico-ve (*a*) fiat, damni aliquid futurum sit; curat Prætor ut timenti damnum caveatur. *l.* 19. § 1. *ff. de Damn. infect.*

Stipulatio hoc continet; quod vitio ædium, loci, operis, damnum sit. *l.* 24. § 12. *ff. d. tit.*

Vitium ædium & loci esse Labeo ait, quod accidens extrinsecùs (*b*), infirmiores eas facit. *d. l.* 24. § 2.

Si in privato fiat, & de loci & de operis vitio cavetur; sed quum locus publicus sit, non est necesse de altero vitio quàm operis satisdare. *l.* 15. § 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Putà, dum quis viam munit: l. 15. § 8. ff. *d. tit.*
(*b*) Id est, quod inest accidentaliter, non ex naturâ ipsiusmet loci.

MDCCCLIII.

Ad ea opera stipulatio pertinet, quæcumque privatim (*a*) fiant. *l.* 24. *ff. d. tit.*

(*a*) Licèt in publico loco. Secùs, si publicâ auctoritate fiat.

Source : BIU Cujas

In opere neceſſario, putà ſi minùs idoneum parietem Demolire oportuit; non debet, ſi quid damni ex hâc causâ attigit, is qui demolitus eſt teneri. *l.* 17. *ff. d. tit.*

Si opus factum eſt ab eo quem promiſſor prohibere non potuit, ſtipulatio non committitur. *l.* 24. § 6. *ff. d. tit.*

Multum intereſt utrùm damnum quis faciat, an lucro (*b*) uti prohibeatur. *l.* 26. *ff. d. tit.*

Quod aliâ (*c*) actione quæri poteſt, id in ſtipulationem Damni infecti omninò non deducitur. *l.* 18. § 9. *ff. d. tit.*

(*b*) Ut ſi dum altiùs tollo, vicinus proſpectu quem ex cœlo meo excipiebat prohibeatur.

(*c*) Ex hâc regulâ ſequitur, emptori vicinarum ædium non cavendum; quandiù venditor ei diligentiam præſtare debet, adeòque ei tenetur ſi ipſe non petierit caveri: nec ſocio, vicinas proprias ædes habenti, quia poteſt ipſe reficere & impenſam conſequi judicio *Communi dividundo*. Sequitur quoque, nec fructuarium domino proprietatis vicinas ædes habenti, cavere debere; quia habet dominus actionem ex ſtipulatione uſusfructûs, ſi non refecerit: nec vice versâ fructuario cavendum à domino, cùm ad ipſum fructuarium pertineat refectio: ſed nec dominum inquilinis ſuis ratione rerum quas in ædibus conductis habent, cavere debere; cùm habeant actionem *Ex conducto*, & migrare poſſint. Cæterùm & ſuperficiarium domino, & dominum ſuperficiario cavere debere; quamvis invicem habeant actiones *ex Locato* & *Conducto*: quia per has actiones in quas culpa duntaxat venit, non æquè proſpicitur ac per hanc ſtipulationem, in quâ quodvis ſoli operis-ve vitium venit: vide Tit. *de Damn. inf.* N. 14. 17. 19. 20. & 21.

§ II.

Quibus hæc cautio & à quibus debeatur, & quatenùs.

M D C C C L I V.

Vicinis, inquilinisque eorum... cavendum eſt... item his qui cum his (*a*) morentur. *l.* 13. § 5. *ff. de Damn. inf.*

Damni infecti ſtipulatio competit, non tantùm ei cujus in bonis res (*b*) eſt, ſed etiam cujus periculo res (*c*) eſt. *l.* 18. *ff. d. tit.*

Inter quos (*d*) paries communis eſt; ædificiorum quæ quiſque propria habet, ſtipulari Damni infecti ſolet. *l.* 39. *ff. d. tit.*

Cavendum (*e*) eſt ei ad quem jus monumenti pertinet. *l.* 13. § 7. *ff. d. tit.*

Parum (*f*) probè poſtulat *quis* caveri ſibi ædium nomine, quarum ipſe cavere ſuperſedit. *d. l.* 13. § 11.

(*a*) Non ei qui duntaxat diverteret in tabernâ.

(*b*) Sive jure dominii, ſive ſuperficiei, ſive uſusfructûs: N. 12. *d. tit.*

(*c*) Hoc ſenſu, ut ex rei interitu aliquod damnum metuat, qualis eſt creditor pigneratitius hujus rei. Poſſeſſori autem, licèt bonæ fidei, ædium quibus damnum timetur, inutilis eſt ſtipulatio; cùm nullum in his jus habeat quod ex eorum ruinâ poſſit amittere.

(*d*) Aliâ actione proſpicere ſibi non poſſunt: cùm de pariete communi, ut potè re individuâ, non ſit judicium *Communi dividundo*. Ita demùm autem huic ſtipulationi locus eſt, [ſi quidem ex onere parietis damnum timeatur] ſi ab alterâ duntaxat parte oneratus eſt; quòd ſi ab ipſius parietis vitio timeatur; ita locus erit ſi alter pretioſiora habuit ædificia, non ſi utrinque ſint æqualis pretii.

(*e*) Niſi propiùs quàm jus eſt, monumentum extruxerit.

(*f*) Species regulæ eſt in eo qui, quum ædes [ideò quòd earum nomine cavere nollet] amiſiſſet, poſteà peteret ſibi earumdem ædium nomine caveri ab eo qui illas poſſidere juſſus eſſet.

M D C C C L V.

Quum inter ædes meas & tuas *vitioſas* ſint aliæ ædes non vitioſæ; magis eſt ut ambo (*a*) cavere debeant. *d. l.* 13. § 2.

Iniquum (*b*), ſtipulatorem compelli, relicto prædio ex quo damnum timetur, dominum quærere. *l.* 39. § 1. *ff. d. tit.*

Plures earumdem ædium domini, ſinguli ſtipulari debent ſine adjectione partis; quia de ſuo quiſque damno ſtipulatur. Contrà ſi plures domini ſint vitioſarum, pro ſuâ quiſque parte promittere debet. *l.* 27. *ff. d. tit.*

(*a*) Scilicet, & tu vitioſarum dominus, & dominus mediarum non vitioſarum qui ipſe à te debuit petere ut ei caveres.

(*b*) Hinc ſequitur, non utique ſemper dominum; ſed poſſeſſorem hanc cautionem exhibere debere. Si uſusfructus alienus ſit, poteſt vel à domino, vel à fructuario exhiberi; & ſi fructuarius de ſoli vitio caverit, jus domini [niſi caveat] in ipſum transferetur; & vice versâ ſi dominus de vitio ædificii caverit, cujus refectio ad fructuarium pertinet, prohibebit fructuarium frui.

§ III.

Qualis debeat eſſe ſtipulatio, quando committatur, & ad quæ porrigatur.

M D C C C L V I.

1. Qui de alieno (*a*) cavet, ſatiſdare debet; qui de ſuo (*b*), repromittere. *l.* 30. § 1. ff. *d. tit.*

Qui habet ſervitutem, puto eum repromittere (*c*) debere; quia ſuo nomine facit. *l.* 13. § 1. *ff. d. tit.*

2. Stipulationi debet dies eſſe (*d*) inſertus; intra quem ſi quid damni contigerit, locum habet. *d. l.* 13. § 15.

Si intra diem ſtipulationi comprehenſum, ſupra parietem meum domus deciderit; licèt poſt diem ſtipulationis paries decidet, poſſum agere. *l.* 18. § 11. *ff. d. tit.*

3. *Ædium* Earum duntaxat nomine quis cautum habet, de quibus (*e*) actum fuerit. *d. l.* 18. § 5.

(*a*) Quales ſunt ſuperficiarius, fructuarius, item omnes qui in publico loco opus faciunt.

(*b*) Quòd ſi ambigatur an poſſeſſor à quo petitur cautio, ſit dominus; debebit ſatiſdare: ſed ſub hâc exceptione ut, ſi conſtiterit eum eſſe dominum qui duntaxat repromittere debet, ſidejuſſores quos dederit non teneantur.

(*c*) De opere quod jure ſervitutis facit in loco ſibi ſerviente.

(*d*) Stipulationis de opere quod fit in flumine publico ripâ-ve ejus, dies eſt decem annorum: cæterorum diem ipſe Prætor arbitratur; &, quum finitus eſt, ex causâ protelat: ſi per errorem omiſſus fuerit, is dies ſubauditur qui frequentiùs ſolet inferi: ſi conſultò omiſſus, quandocumque committetur ſtipulatio. l. 15. pr. & §§ 1. 2. l. 14. l. 4. ff. d. tit.

(*e*) Non ergo etiam earum quas poſt ſtipulationem acquiſiviſſet. At etiam ad res mobiles ſtipulatio porrigitur, quæ tunc in domo non erant.

§ IV.

De actione quæ ex ſtipulatione Damni infecti *deſcendit.*

M D C C C L V I I.

Quoties ex Damni infecti plures agunt; non debet unuſquiſque in ſolidum, ſed in partem experiri. *l.* 40. § 2. *ff. d. tit.*

Si plurium ſint ædes quæ damnosè imminent, pro dominicis partibus conveniri eos oportet. *d. l.* 40. § 3.

Ex Damni infecti ſtipulatione, non oportet immoderatam æſtimationem (*a*) fieri, putà ob tectoria & ob picturas; ſed honeſtus modus ſervandus eſt, non immoderata cujuſque luxuria ſub ſequenda. *d. l.* 40.

(*a*) Cæterùm æſtimatio fit, non ſolùm damni ædibus meis dati, ſed & rebus mobilibus quæ ibi erant; item ejus quod ex emigratione inquilinorum contigit.

§ V.

Ad quos Magiſtratus pertineat cognitio de interponendâ ſtipulatione Damni infecti, *& Decreto de eâ re.*

M D C C C L V I I I.

Prætoris eſt hæc cognitio. Quum autem eam Magiſtratibus municipalibus delegat, hanc regulam ſequitur.

Duas res Magiſtratibus Prætor injunxit, cautionem, & poſſeſſionem (*a*); cætera (*b*) ſuæ juriſdictioni reſervavit. *l.* 4. § 3. *ff. d. tit.*

(*a*) Id eſt, ut jubeat caveri; & niſi caveatur in poſſeſſionem mittat. Niſi autem Magiſtratus municipales, quum ab eis poſtulatum fuerit, hoc curaverint; datur ei qui non facilè potuit Præſidem adire, actio in Magiſtratus in id quod intereſt.

(*b*) Ut ex ſecundo Decreto jubeat poſſidere, vel ut jubeat poſſeſſione decedere.

§ VI.

De primo Decreto, quo imperatur miſſio in poſſeſſionem ædium ejus qui non cavet.

M D C C C L I X.

Si intra diem à Prætore conſtituendum non caveatur,

Source : BIU Cujas

in possessionem ejus rei mittendus (*a*) est. *l.* 4. § 1. *ff. d. tit.*

Nisi in solidum fuerit (*b*) cautum, mittetur in possessionem. *l.* 23. *ff. d. tit.*

Priusquàm mittat in possessionem, Prætor exigit denuntiationem (*c*); si sit cui (*d*) denuntietur. *l.* 4. § 6. *ff. d. tit.*

(*a*) Is qui caveri sibi petiit; sive suo nomine sive alieno petierit, offerendo cautionem DE Rato. *d. tit.* N. 50.
(*b*) Ab eo qui est dominus ædium in solidum: cæterùm ei qui pro parte dominus est, pro suâ parte cavere sufficit; infrà.
(*c*) Domino ruinosarum ædium, ut cavere teneatur: quæ denuntiatio fit ipsi, aut ad domum ejus.
(*d*) Quòd si non sit, putà domus pertineat ad aliquam hereditatem jacentem; citra denuntiationem Prætor in possessionem mittit. Tutius tamen, libellum ad ipsas ædes proponere.

M D C C C L X.

Si tam ampla domus sit, ut spatia inter vitiosam partem intercedant, & eam quæ vitium non facit; dicendum, in eam solam partem mitti: si unita sit uno contextu ædificiorum, in totam. *l.* 15. § 13. *ff. d. tit.*

Si agri nomine non caveatur; in eam *duntaxat* partem agri mittendum est, ex quâ periculum timeatur. *l.* 38. § 1. *ff. d. tit.*

Quum plures mittuntur in possessionem; æqualiter mittuntur, non pro ratâ damni (*a*) quod unumquemque contingeret. *l.* 15, § 18. *ff. d. tit.*

(*a*) Adeòque nec pro ratâ dominii quod habent in ædibus communibus, quibus dari damnum timent; nec refert quis prior missus sit.

M D C C C L X I.

Qui missus in possessionem, non acceperit; beneficium Prætoris amittit. Hoc ita, si venire neglexit; non si, dum (*a*) venit, ruerint. *d. l.* 15. § 35.

Si quis à Prætore in possessionem missus, non est admissus; IN factum actione uti (*b*) poterit, ut præstetur ei quantum ei præstari oporteret si de eâ re cautum fuisset. *d. l.* 15. § 36.

Antequàm damnum detur, impunitum est factum ejus qui neque promisit, neque admisit in possessionem; si ante damnum datum, vel cavit, vel possessione cessit. *l.* 16. *ff. d. tit.*

Qui Damni infecti in possessionem missus sit, *fulcire* eum & insulam reficere, sunt qui putent; sed alio Jure (*c*) utimur. *sup. d. l.* 15. § 30.

(*a*) Nec etiam, si metu ruinæ recessit.
(*b*) Adversùs eum qui prohibuit; aut prohibere jussit.
(*c*) Nam vice cautionis duntaxat in possessione est; & dominus ruinosarum ædium qui cum eo missus est, remanet in possessione: l. 15. N 20. ff. *d. tit.* De se queri debet, si ipse hoc non fecerit.

M D C C C L X I I.

Si cautio offertatur posteaquàm *quis missus est*; non priùs decedere debet, quàm si ei caveatur etiam de eo damno quod contigit posteaquàm missus est, de impensis quoque si quas fecerit. *d. l.* 15. § 31.

§ V I I.

De secundo Decreto quo missus in possessionem ædes possidere & sibi habere jubetur.

M D C C C L X I I I.

Non statim ubi misit Prætor in possessionem, etiam possidere jubet; sed tunc demùm quum justa causa (*a*) videbitur. *l.* 2. § 15. ff. *d. tit.*

Ubi quis possidere jussus est, dominus dejiciendus est de possessione. *d. l.* 15. § 23.

Prætoris officium est, ut missus in possessionem etiam eam per longi temporis (*b*) spatium in suum dominium (*c*) capere possit. *l.* 5. *ff. d. tit.*

Si de vectigalibus ædibus non caveatur; decernendum ut *qui missus est*, eodem (*d*) jure esset quo foret is qui non caverat. *l.* 15. § 26. *ff. d. tit.*

(*a*) Scilicet quum per certum tempus, per contumaciam cavere cessaverit dominus.
(*b*) Quod tempus ad usucapionem, currit ex die secundi Decreti quo possidere jussus est.
(*c*) *Civile* & ex Jure Quiritum. Ex die autem secundi Decreti jam adipiscitur dominium naturale & *Bonitarium*.
(*d*) Scilicet habeat *Utile* dominium: nec enim usucapio cadere potest in fundos vectigales.

M D C C C L X I V.

Posteaquàm quis possidere jure dominii à Prætore jussus est, nequaquàm (*a*) locus erit cautionis oblationi. *d. l.* 15. § 33.

Si quæ sint jura (*b*) debita his qui potuerunt de damno infecto satisdare; deneganda erit eorum persecutio, adversùs eum qui in possessionem missus (*c*) est. *d. l.* 15. § 24.

Eorum (*d*) qui bonâ fide absunt, in cautione damni infecti jus non corrumpitur. *l.* 19. ff. *d. tit.*

(*a*) Nisi ex his causis ex quibus solet Prætor restituere in integrum, putà si dominus fuerit minor viginti-quinque annis.
(*b*) Putà, hypothecæ, usufructus, &c.
(*c*) Ex secundo Decreto. Hoc ita, si ab eis petitum est ut caverent: si non petitum est, possunt offerendo impensas quas in rem fecit qui possidere jussus est, jus suum persequi.
(*d*) Limitatio est superiorum regularum.

M D C C C L X V.

Fructuarium etiam, mitti in possessionem vicinarum ædium Damni infecti causâ placuit; & jure dominii possessurum, nec quicquam finito usufructu amittere (*a*). *l.* 7. § 1. *ff. de Usufr. & quemadm.*

(*a*) Est enim hæc acquisitio, species obventionis ex re fructuariâ; ad fructuarium autem omnes obventiones pertinent.

§ V I I I.

De damno dato, antequàm peteretur stipulatio Damni infecti.

M D C C C L X V I.

Quum priusquàm Prætor adiretur, ædes tuæ corruerunt, & damnum mihi dederunt; potiùs est ut nihil novi Prætor constituere debeat, & meâ culpâ damnum sim passus qui tardiùs experiri cœperim. *l.* 44. *ff. d. tit.*

Plerisque placuit, ne cogi quidem *vicinum* posse ut rudera tollat; si modò omnia quæ jaceant, pro derelicto habeat. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Si dominus ædium quæ ruerunt, vellet tollere; non aliter permittendum quàm ut omnia, id est & quæ inutilia essent, auferret: nec solùm de futuro sed & de præterito damno cavere eum debere. *l.* 7. § *fin. ff. d. tit.*

Si quis propter angustias temporis, aut quia Reipublicæ causâ (*a*) aberat, non potuerit Damni infecti stipulari; non iniquè Prætor curabit ut dominus ruinosarum ædium, aut damnum sarciat, aut ædibus careat. *l.* 9. *ff. d. tit.*

(*a*) Et generaliter, quum non per negligentiam cessavit adire Prætorem.

ARTICULUS III.

De actione Aquæ pluviæ arcendæ.

Stipulationi Damni infecti, subjungi solet actio Aquæ pluviæ arcendæ; *cùm pariter per hanc damno nondum facto prospiciatur. De quâ has regulas habe.*

M D C C C L X V I I.

Hæc actio locum habet, in damno nondum facto,

Source : BIU Cujas

opere tamen jam facto . . . .ex quo damnum timetur. *l.* 1. § 1. *ff. de Aq. & aq. pluv.*

Puto ita demùm Aquæ pluviæ arcendæ actionem locum habere; si aqua pluvia (*a*), vel quæ pluviâ crescit, noceat (*b*), non naturaliter (*c*), sed opere (*d*) facto; nisi si agri colendi (*e*) causâ id factum sit. *d. l.* 1. § 15.

Placet Hanc actionem locum habere, si aqua pluvia noceat, non si (*f*) non profit. *d. l.* 1. § 21.

(*a*) Aliæ aquæ ex quibus damnum inferretur, ad hoc Edictum non pertinent.
(*b*) Agro. Quòd si ædificio noceat; huic Edicto non est locus, sed ad actiones negatorias *Fluminis* aut *Stillicidii* recurrendum est. Modò autem agro noceat, nil refert an ex agro, an ex ædificio immittatur.
(*c*) Neque enim queri potest vicinus inferior, si ex meo agro in ipsius agrum aqua naturaliter decurrat. Sed hanc actionem habebit, si opere manufacto effecero ut citatior & vehementior fluat: & pariter vicino superiori competet, si manufacto opere effecero ut in ipsius agrum repellatur.
(*d*) Modò non illud opus sit cujus memoria non extet; vel quod vicinus ex consensu vicini aut jure servitutis prædio suo constitutæ ædificaverit, vel necessariæ agri sui tutelæ causâ adversùs impetum fluminis: *d. tit.* N. 14. 15. 20. & 21. Cæterùm hâc actione quis tenetur; non solùm si ob opus quod ædificaverit, aqua noceat; sed & si ob opus quod destruxerit, aut quod non ut debebat purgaverit: quocircà nota, fossam factitiam quæ in suo agro sit, sive hujus memoria extet sive non, quemque purgare teneri; sin naturalis est, ad hoc tantùm teneri ut permittat eam purgari ab his quorum interest: *d. tit.* N. 16. 17. & 18.
(*e*) Id est, frugum quærendarum causâ, quales sunt sulci sine quibus arare & serere non posset: d. l. 1. § 5.
(*f*) Jure enim possum in meo agro, opere manufacto, retinere aquam; quæ, si in agrum vicini decurreret, ei prodesset. Nec refert an in meo agro nascatur necne.

MDCCLXVIII.

Julianus scribit; Aquæ pluviæ arcendæ actionem nonnisi cum domino (*a*) esse. *l.* 4. § 2. *ff. de Aq. & aq. pluv.*

Si ex plurium fundo decurrens aqua noceat, vel si plurium fundo noceatur; placuit . . . ut singuli in partem experiantur, & condemnatio (*b*) in partem fiat. *l.* 6. § 1. *ff. d. tit.*

Si quid ipse feci quo tibi aqua pluvia noceat; meâ impensâ tollere me cogendum: si quid alius qui ad me non (*c*) pertinet, sufficere ut patiar (*d*) te tollere. *d. l.* 6. § 7.

(*a*) Id est, adversùs dominum loci ubi est opus ex quo aqua nocet; & utique eum qui dominus est tempore litis contestatæ. Pariter competit soli domino agri cui aqua nocet. Hæc ita de *Directâ* actione; *Utilis* autem, etiam fructuariis & in fructuarios datur.
(*b*) Si non restituatur opus.
(*c*) Nam si servus meus fecit; teneor, aut impensam præstare, aut eum noxæ dedere.
(*d*) Salvo tibi Interdicto *Quod vi aut clàm* adversùs eum qui fecit, ut impensam recipias.

CAPUT SEPTIMUM.

De Criminalibus judiciis, sive Publicis, sive extraordinariis.

MDCCCLXIX.

Non omnia judicia in quibus crimen vertitur, & PUBLICA sunt; sed ea tantùm quæ ex Legibus judiciorum Publicorum veniunt. *l.* 1. *ff. de Publ. jud.*

Cætera omnia Extraordinaria *dicuntur.*

Horum autem omnium, sive extraordinariorum, sive Publicorum judiciorum, quædam capitalia, quædam non capitalia. *l.* 2. *ff. d. tit.*

MDCCCLXX.

REGULA GENERALIS *circa judicia criminalia.*

HUMANÆ rationis est, favere miserioribus; & propè innocentes dicere, quos absolutè nocentes probare non possumus. PAUL. SENT. LIB. 4. *Tit.* 12. § 5.

ARTICULUS I.

De Accusationibus.

§ I.

Qui accusare possint necne, & qui accusari.

MDCCCLXXI.

Prohibentur accusare, alii propter sexum (*a*) vel ætatem (*b*) . . . alii propter sacramentum (*c*) . . . alii propter magistratum (*d*) . . . alii propter delictum proprium (*e*) . . . alii propter turpem quæstum (*f*) . . . . alii propter conditionem (*g*) suam . . . . alii propter suspicionem calumniæ . . . . nonnulli propter paupertatem (*h*). . . . Hi tamen omnes (*i*), si suam injuriam exsequantur, mortem-ve propinquorum defendant, ab accusatione non excluduntur. *l.* 8. *l.* 9. *l.* 10. & *l.* 11. *ff. de Accusat.*

Rationibus Juris congruit . . . accusationem tertiam ei qui duos reos delatos habet, non permitti . . . nisi suas suorumque injurias persequatur. *l.* 16. *Cod. de His qui accus. non poss.*

Capitis reus, suspenso crimine, causam fisco (*k*) deferre non prohibetur. *l.* 21. *ff. de Accusat.*

Constitutionibus observatur, ut non relatione criminum, sed innocentiâ, reus purgetur. *l.* 5. *ff. de Publ. jud.*

(*a*) Mulieres.
(*b*) Pupilli. Quâ ætate autem adulti admittantur ad accusandum, vide *d. tit.* N. 1. in Notis.
(*c*) Milites.
(*d*) Majorem, qui & POTESTAS dicitur.
(*e*) Infames.
(*f*) Species in Reg. seq. item in eo qui pecuniam ad accusandum vel non accusandum accepisset. d. l. 8.
(*g*) Sic libertus patronum patroni-ve liberos aut heredes accusare non potest, præterquàm si jure mariti *Adulterii* agat; nec liberi parentes, alumnus educatorem. Sed nec frater fratrem gravis criminis postulare, levis autem potest.
(*h*) Qui minùs habent quinquaginta aureis.
(*i*) Excipe libertos ac liberos.
(*k*) Non tamen adversùs accusatorem suum. Vide Reg. seq.

MDCCCLXXII.

Accusare non (*a*) licet Legatum Imperatoris, item Magistratum Populi Romani. *l.* 12. *ff. de Accusat.*

Ne quis inter reos referat eum, qui tùm sine detractione (*b*) Reipublicæ causâ aberit. *l.* 15. § 1. *ff. ad L. Jul. de Adult.*

Omnibus Legibus (*d*) servi rei fiunt. *l.* 12. § 4. *ff. de Accusat.*

(*a*) Magistratu durante.
(*b*) Affectatione.
(*c*) In aliâ provinciâ: secùs si in eâ Reipublicæ operam dent, in quâ accusantur.
(*d*) Excipe eas ex quibus pœna pecuniaria irrogatur, ut Julia *De vi privatâ*: d. l. 12.

§ II.

Apud quem Magistratum accusatio instituenda, & de eligendo inter plures accusatore, item de libello accusationis.

MDCCCLXXIII.

Alterius provinciæ reus apud eos accusatur & damnatur,

Source : BIU Cujas

damnatur, apud quos crimen contractum (*a*) oſtenditur. *l. fin. ff. de Accuſat.*

(*a*) Nec prærogativa militiæ, jus revocandi tribuit; ſi non de militari delicto agatur: ex causâ tamen poteſt judex loci delicti remittere ad judicem loci domicilii.

MDCCCLXXIV.

Si plures exiſtant qui accuſare volunt, judex eligere debet eum qui accuſet; æſtimatis accuſatorum perſonis, vel de dignitate, vel de eo quod intereſt, vel ætate, vel moribus, vel aliâ juſtâ de causâ. *l. 16. ff. de Accuſat.*

MDCCCLXXV.

Si cui crimen objiciatur, præcedere debet in crimen ſubſcriptio (*a*). *l. 7. ff. d. tit.*

In libello Locus deſignandus eſt in quo (*crimen, V. G.*) adulterium commiſſum eſt, & perſona cum quâ admiſſum eſt, & menſis... Neque autem diem neque horam invitus comprehendit. *l. 3. ff. d. tit.*

Cætera quæ formam & ordinem proſequendæ accuſationis ſpectant, fusè expoſita vide Tit. de Accuſat. *Art.* 5.

(*a*) Per libellum quo accuſator crimen proponat; & ſe, ſi calumniatus fuerit, ad pœnam talionis obſtringat. Accedere debet cautio per fidejuſſores, de accuſatione ad finem peragendâ.

§ III.

An per procuratorem quis ſtare in publico judicio poſſit.

MDCCCLXXVI.

Ad crimen judicii publici perſequendum fruſtrà procurator (*a*) intervenit, multoque magis ad defendendum. *l. 13. § 1. ff. de Publ. jud.*

Ubicumque abſens damnari poteſt, ibi quemvis verba pro eo facientem audiri æquum eſt. *l. 32. § 2. ff. de Proc.*

Reos capitalium criminum abſentes, etiam per procuratorem defendi, Leges publicorum permittunt. *l. 3. Cod. de Accuſat.*

Abſens reus cauſas abſentiæ per procuratorem reddere poteſt. *l. 71. ff. de Procur.*

Servus & per procuratorem domini, æquè ac per dominum, defendi poteſt. *l. 11. ff. de Publ. jud.*

Patronus libertum, & per procuratorem, ut ingratum accuſare poteſt; & libertus per procuratorem reſpondere. *l. 35. § 1. ff. de Procurat.*

(*a*) Cujuſcumque dignitatis ſit accuſator aut reus.

§ IV.

De Accuſationis abolitione.

MDCCCLXXVII.

De Abolitione publicâ.

Abolitio publicè fit, ob diem inſignem .... vel ob rem proſperè (*a*) geſtam. *l. 8. & l. 9. ff. ad SC. Turpill.*

Quum abolitio publica intervenit, *dantur* triginta dies repetendi utiles (*b*) ex quo feriæ finitæ ſunt. *l. 10. § 2. ff. d. tit.*

Abolitione interveniente, eo jure *quis* repetit quo accuſabat; nec poſſunt ei præſcriptiones objici, quæ ante abolitionem non ſunt objectæ. *l. 7. ff. d. tit.*

(*a*) Ex his cauſis, ex generali Principis Edicto, abolebantur omnes accuſationes liberorum hominum jam in judicium deductæ.
(*b*) Non currunt ergo, quandiù accuſator impeditus fuit.

MDCCCLXXVIII.

De Abolitione privatâ.

Abolitio fit Privatim, actore poſtulante (*a*). *l. 10. ff. d. tit.*

Divi Fratres reſcripſerunt; Niſi probetur evidenter conſentire adverſarium (*b*), abolitionem non dari. *l. 18. § 1. ff. d. tit.*

Fallaciter incuſantibus abolitio non dabitur. *l. 3. Cod. d. tit.*

Hujus abolitionis effectus eſt: 1°. *ut accuſator impunè ab accuſatione diſcedat.*

2°. Poſt abolitionem, idem crimen ab eodem in eundem inſtaurari non poteſt. *l. 4. § 1. ff. ad SC. Turpill.*

(*a*) Ex Decreto Magiſtratûs pro tribunali cognoſcentis.
(*b*) Citra tamen ejus conſenſum dari poterit, ſi ante triginta dies accuſator eam petierit, nec reus carcerem aut tormenta paſſus eſt. l. fin. ff. *d. tit.*

MDCCCLXXIX.

De Abolitione quæ fit ex Lege.

Fit ex Lege abolitio, accuſatore mortuo vel juſtâ causâ impedito. *l. 10. ff. ad SC. Turpill.*

Si accuſator deceſſerit, nomen rei aboletur poſtulante reo; ita ut liceat alii ex integro repetere (*a*) reum. *l. 3. § 4. ff. de Accuſat.*

Divi Fratres reſcripſerunt; Non debere cogi heredes accuſatorum, exſequi crimina. *l. 19. ff. d. tit.*

(*a*) Intra triginta dies utiles: *d. l. 3.*

§ V.

De Senatuſconſulto Turpilliano contra tergiverſatores accuſatores.

MDCCCLXXX.

Is demùm in Senatuſconſultum (*a*) incidiſſe videtur, qui crimen (*b*) publici judicii detulit; & causâ criminis ordinatâ (*c*), non impetratâ (*d*) abolitione deſtitit (*e*). *l. 1. Cod. ad SC. Turpill.*

In Senatuſconſultum Turpillianum incidunt qui ſubjeciſſent (*f*) accuſatores, aut ſubjecti poſtulaſſent, nec peregiſſent reos. *l. 15. ff. ad SC. Turpill.*

Si poſteaquàm accuſator deſtitit, reus deceſſerit; non ideò magis delictum accuſatoris relevatur. *d. l. 15. § 4.*

(*a*) Cujus pœna erat mulcta cum infamiâ.
(*b*) In cæteris criminalibus cauſis qui deſtitit, ad Senatuſconſultum non pertinet, ſed officio judicis punitur.
(*c*) Id eſt, inſcriptionibus depoſitis, fidejuſſore de perſequendâ lite præſtito, reo ſub cuſtodiâ Officii facto. d. l. 1.
(*d*) Abolitioni æquipollet venia Principis.
(*e*) Sive ante, ſive poſt litem conteſtatam; ſive in causâ principali, ſive in causâ appellationis: *d. tit.* N. 16. & 17.
(*f*) Non hi qui duntaxat accuſatori fidejuſſores extiterunt.

MDCCCLXXXI.

Deſtitiſſe accipiemus qui in totum animum depoſuit, non qui diſtulit accuſationem. *l. 13. ff. d. tit.*

Deſtitiſſe videtur, qui intra tempus reum ſuum non peregit (*a*). *l. 6. § 2. ff. d. tit.*

Non videtur deſiſtere, qui exemptum (*b*) reum non defert. *l. 12. ff. d. tit.*

Eos de quorum calumniâ agere non (*c*) permittitur, non incidere in pœnam SCti cavetur. *l. 15. § 2. ff. d. tit.*

(*a*) Ita, ſi animo deſiſtendi ceſſavit; ſecùs, ſi ideò quod fuit impeditus aut per ſimplicitatem: *d. tit.* N. 12.
(*b*) Abolitione publicâ interveniente.
(*c*) In quibus non facilè præſumitur calumnia, qualis eſt maritus quum uxorem accuſat jure viri (ſecùs ſi ut extraneus); item is qui neceſſitate officii accuſavit; item mulieres: Minores quoque; hi tamen tenentur, ſi non ſimpliciter, ſed initâ pactione deſtiterint.

Source : BIU Cujas

§ VI.

De Accuſatore calumniatore, item de prævaricatore.

MDCCCLXXXII.

Non utique qui non probat quod intendit, protinùs calumniari videtur. *l.* 1. § 3. *ad. SC. Turpill.*

Jure mariti vel patris qui accuſat, poteſt ſine calumniæ causâ vinci. PAUL. *apud Parint.*

Calumniæ pœna in paternæ (*a*) mortis accuſatione ceſſat. *l.* 4. *Cod. ad SC. Turpill.*

(*a*) Aut liberorum.

MDCCCLXXXIII.

Calumnia eo tempore coërceri ſolet, quo de causâ præſente accuſatore judicatur. *l.* 2. *Cod. de Calumn.*

Adversùs accuſatorem judex Si quidem ita pronuntiaverit Non (*a*) PROBASTI, pepercit ei: ſin autem pronuntiaverit CALUMNIATUS ES, condemnavit eum. *l.* 1. § 4. *ff. ad SC. Turpill.*

Calumniantes ad vindictam poſcit ſimilitudo (*b*) ſupplicii. *l.* 10. *Cod. de Calumn.*

Qui calumniatores pronuntiantur, in publicorum duntaxat judiciorum quæſtionibus, periclitari (*c*) ſolent. *l.* 5. *Cod. d. tit.*

(*a*) Idem & ſi dixit, *Temerè accuſaſti.*
(*b*) Ex lege Remmiâ pœna erat ut fronti inureretur littera K, & infamia.
(*c*) In cæteris cauſis, qui pronuntiatus eſt calumniator, non fit ipſo jure infamis; ſed pro qualitate admiſſi, extra ordinem puniri ſolet: N. 9. *d. tit.*

MDCCCLXXXIV.

Reſcriptum eſt ut in criminibus quæ extra ordinem objiciuntur, prævaricatores eâdem pœnâ afficiantur; quâ tenerentur, ſi ipſi in Legem commiſiſſent quâ reus per prævaricationem (*a*) abſolutus eſt. *l.* 6. *ff. de Prævar.*

(*a*) Hodie pœna eſt arbitraria.

§ VII.

De reo qui accuſatorem corrupit.

MDCCCLXXXV.

In omnibus cauſis, præterquàm in ſanguine, qui delatorem corrupit, ex SCto pro victo habetur. *l.* 7. *ff. de Prævaric.*

Ignoſcendum ei qui ſanguinem ſuum qualiter qualiter redemptum voluit. *l.* 1. *ff. ad SC. Turpill.*

§ VIII.

Quando extinguatur accuſatio, & an bis moveri poſſit.

MDCCCLXXXVI.

Morte rei judicium ſolvitur, niſi tale fuit crimen (*a*) cujus actio & adversùs heredes duret. *l.* 15. § 3. *ff. ad SC. Turpill.*

Ex judiciorum publicorum (*b*) admiſſis; non aliàs tranſeunt adversùs heredes pœnæ bonorum ademptionis, quàm ſi lis conteſtata & condemnatio fuerit ſecuta (*c*). Ex cæteris verò delictis pœna (*d*) incipere ab herede poteſt, ſi vivo reo accuſatio mota eſt, licèt non fuit condemnatio ſecuta. *l.* 20. *ff. de Accuſ.*

(*a*) Non tamen indiſtinctè. Vide Reg. ſeq.
(*b*) Excipe crimina *Majeſtatis*, *Repetundarum*, *Peculatûs*, *De reſiduis*, *Hæreſis*; quæ etiam poſt mortem nocentis inchoari poſſunt.
(*c*) Imò & ſi ſecuta fuit, ſi provocatione ſuſpenſa erat, pœna bonorum ademptionis quæ non ſpecialiter arrogata eſt, ſed ſequela eſt capitalis condemnationis, extinguitur. Tit. *de Appellat.* N. 60.
(*d*) Pecuniaria ſcilicet.

MDCCCLXXXVII.

Ab alio delatum alius deferre non poteſt. *l.* 11. § 2. *ff. de Accuſat.*

Crimen in quo alius deſtitit, vel victus receſſit, alius objicere nemo (*a*) prohibetur. PAUL. SENT. *lib.* 1. *Tit.* 14.

Qui abſolutus eſt, non priùs accuſetur quàm de prioris accuſationis prævaricatione conſtiterit, & pronuntiatum fuerit. *l.* 3. § 1. *ff. de Prævaricat.*

(*a*) Vide Tit. de *Accuſat.* N. 41.

ARTICULUS II.

De cuſtodiâ reorum.

MDCCCLXXXVIII.

Proconſul æſtimare (*a*) ſolet, utrùm in carcere recipienda ſit perſona, an militi rtadenda, vel fidejuſſoribus committenda, vel ſibi. *l.* 1. *ff. de Cuſtod.*

Divus Pius reſcripſit non eſſe in vincula conjiciendum, qui fidejuſſores dare paratus eſt. *l.* 3. *ff. d. tit.*

Servus ſi non defendatur, in vincula publica conjici jubetur, ut ex vinculis cauſam dicat. *l.* 2. *ff. d. tit.*

Si confeſſus fuerit reus; donec de eo pronuntietur, in vincula publica conjiciendus eſt. *l.* 5. *ff. d. tit.*

De his qui carcere effracto evaſerunt, ſumendum ſupplicium (*b*) Divi Fratres reſcripſerunt; ſi per negligentiam cuſtodum evaſerunt, leviùs puniendos. *l.* 1. *ff. de Effract.*

Si quis reum criminis pro quo ſatiſdedit, non exhibuerit; pœnâ pecuniariâ (*c*) plectitur. Puto & ſi dolo non exhibeat, etiam extra ordinem damnandum. *l.* 4. *ff. de Cuſtod. reor.*

(*a*) Tum ex criminis qualitate, tum ex rei dignitate & facultatibus.
(*b*) Quamvis innocentes criminis propter quod incarcerati ſunt.
(*c*) Ejus ſummæ quæ in cautione comprehenſa eſt; ſin, quam ſtatuet Prætor.

ARTICULUS III.

De quæſtionibus tam teſtium quàm reorum.

§ I.

In quibus cauſis, & de quibus reorum aut teſtium perſonis quæſtio habenda ſit necne.

MDCCCLXXXIX.

Quæſtiones (*a*) neque ſemper in omni causâ & perſonâ deſiderari debere arbitror; & quum capitalia & atrociora crimina non aliter inveſtigari poſſunt quàm per ſervorum quæſtiones, efficaciſſimas eas eſſe, & habendas cenſeo. *l.* 8. *ff. de Quæſt.*

Divus Pius reſcripſit, poſſe de ſervis haberi quæſtionem *etiam* in pecuniariâ causâ; ſed hoc ita, ſi aliter veritas inveniri non poſſit. *l.* 9. *ff. tit.*

Milites (*b*) neque tormentis, neque plebeiorum pœnis in cauſis criminum ſubjungi præcipimus. *l.* 8. *Cod. de Quæſtion.*

Etiamſi quis deſierit Decurio eſſe, deindè damnetur; non eſſe torquendum (*c*), in memoriam prioris dignitatis, placet. *l.* 14. *ff. de Decur.*

Divo Marco placuit, Eminentiſſimorum & Perfectiſſimorum uſque ad pronepotes liberos, plebeiorum pœnis vel quæſtionibus non ſubjici; ſi prioris gradûs liberos, per quos ad ulteriorem privilegium tranſgreditur, nulla macula aſpergat. *l.* 11. *Cod. d. tit.*

(*a*) Verba ſunt Edicti Divi Auguſti.
(*b*) Hoc privilegium & ad eos qui militiâ miſſi ſunt, modò non ignominiæ causâ, & ad militum veteranorumque filios porrigitur.
(*c*) Tormentis Plebeiorum: ſed plumbatarum ictibus obnoxii erant.

Source : BIU Cujas

MDCCCXC.

Ex libero (*a*) homine, pro teſtimonio non vacillante, quæſtionem haberi non oportet. *l.* 15. *ff. de Quæſt.*

Si quis ne de eo quæſtio agatur liberum ſe dicat, Divus Hadrianus reſcripſit; Non eſſe eum antè torquendum quàm liberale judicium experiatur. *l.* 12. *ff. d. tit.*

Nec de ſtatulibero in pecuniariis cauſis (*b*) quæſtio habenda eſt. *l.* 9. § 3. *ff. d. tit.*

De minore quatuordecim annis, quæſtio habenda non eſt. *l.* 10. *ff. d. tit.*

(*a*) Obtinet regula, etiam in deportato. Fallit, quum manumiſſus eſt quis ut quæſtioni ſubduceretur; item in arenario & ſimilibus perſonis, in quibus cauſis eorum teſtimonium recipitur; denique in crimine *Majeſtatis.*

(*b*) At in criminalibus cauſis, cum tormentis teſtimonium ejus recipitur; putà in adulterio: l. 8. § 1. ff. *d. tit.*

§ II.

Pro quo & adversùs quem quis quæſtioni ſubjici aut in teſtimonium admitti poſſit.

MDCCCXCI.

Non oportet ſalutem dominorum, ſervorum arbitrio committi. *l.* 18. § 5. *ff. d. tit.*

Non (*a*) debet initium probationum de domo rei accuſator ſumere; dum aut libertos ejus quem acuſat aut ſervos, in teſtimonium vocat. *l.* 10. § 4. *ff. d. tit.*

Servo qui ultrò aliquid de domino (*b*) confitetur, fides non accommodatur. *d. l.* 18. § 5.

(*a*) Vide hujus Regulæ exceptiones *d. tit.* N. 18 19. & 20. Prima eſt ut in criminibus Majeſtatis, Falſæ monetæ, Arctioris annonæ, fraudati Cenſûs, Adulterii, ſi conjux conjugis vitæ inſidiatus ſit, ſervi in dominos torqueantur. Altera exceptio eſt, ſi ſervus ideò ſit comparatus ut teſtimonio ſubduceretur. Regula porrigitur & ad eos quorum vel pro parte domini ſumus, & ad liberos homines qui bonâ fide nobis ſerviunt; & ad eos quos diſtraximus, ob memoriam priſtini dominii.

(*b*) Putà, dum in ſe torquetur.

MDCCCXCII.

Servos Patris, non debere torqueri in filium conſtitutum eſt; nec filii ſervos, in caput patris. *l.* 10. § 2. *ff. d. tit.*

Inſolitum eſt & grave exemplo, audiri ſervos adversùs tutores vel matrem dominorum ſuorum; niſi TUTELÆ agatur. *l.* 2. *Cod. de Quæſtion.*

Servum mariti in caput uxoris torqueri poſſe, Trajanus reſcripſit. *l.* 1. § 11. *ff. Quæſt.*

Servum municipum poſſe in caput civium torqueri reſcriptum eſt, quia non ſit illorum ſervus. *d. l.* 1. § 7.

Quoties de dominio mancipiorum tractatur; de ſe ipſa eſſe interroganda, Juris auctores probant. *l.* 11. *Cod.* 2. *d. tit.*

MDCCCXCIII.

In quem (*a*) quis invitus teſtimonium dicere non cogitur, in eum nec torqueri debet. *d. l.* 1. § 10.

Is qui de ſe confeſſus eſt (*b*), in caput aliorum non torquebitur. *l.* 16. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Ut in fratrem, &c.

(*b*) Ultrò. NEC (inquit Paulus *Sent.* 1. 20. 7.) *alienam ſalutem in dubium deducat, qui de ſuâ deſperavit.*

§ III.

Quando ad quæſtionem deveniendum.

MDCCCXCIV.

Non eſt à tormentis incipiendum. *l.* 1. *ff. d. tit.*

Ad tormenta ſervorum ita demùm veniri oportet quum ſuſpectus eſt reus; & alliis (*a*) argumentis ita probationi admovetur, ut ſola confeſſio ſervorum deeſſe videatur. *d. l.* 1. § 1.

Reus, Si præſtita fuerint ex ſcelere argumenta, ut videantur accedere ad veriſimilia cauſæ crimina.... torquebitur. *l.* 3. *Cod. de Quæſt.*

Etiam Qui ſine accuſatore in cuſtodiam recepti ſunt, quæſtio de his habenda non eſt; niſi ſi aliquibus ſuſpicionibus urgeantur. *l.* 22. *ff. d. tit.*

(*a*) Unus teſtis ad hoc non ſufficit: N. 26. *d. tit.* ex l. 20.

§ IV.

Quæ in quæſtione obſerventur, & quæ ſit ejus fides.

MDCCCXCV.

Qui quæſtionem habiturus (*a*) eſt, non debet ſpecialiter interrogare an Titius fecerit, ſed generaliter quis fecerit. *l.* 1. § 21. *ff. d. tit.*

In quæſtionibus, A ſuſpectiſſimo incipiendum eſt, & à quo facillimè poſſe (*b*) verum ſcire judex crediderit. *d. l.* 1. § 2.

Ita quæſtionem haberi oportet, ut ſervus ſalvus ſit innocentiæ vel ſupplicio. *l.* 7. *ff. d. tit.*

Reus evidentioribus argumentis oppreſſus, repeti in quæſtione poteſt ſi, in tormenta animum corpuſque duraverit. *l.* 18. § 1. *ff. d. tit.*

Servi reorum, & accuſatoris, in quibus criminibus quæſtio de his habetur, ne metuant verum dicere, poſt quæſtionem habitam fiſco addicuntur. Servi extraneorum, dominis ſuis redduntur: Tit. de Quæſt. *Art.* 5.

(*a*) Habetur autem præſentibus accuſatore, reo, & patronis eorum.

(*b*) Putà, à timidiore, juniore.

MDCCCXCVI.

Quæſtioni fidem non ſemper, non tamen nunquam habendam.... Etenim res eſt fragilis & periculoſa, & quæ veritatem fallat. *l.* 1. § 23 *ff. d. tit.*

Et ex ſermone, & ex eo quâ quis conſtantiâ, quâ trepidatione quid dicitur, vel cujus exiſtimationis in civitate ſuâ eſt, quædam ad illuminandam veritatem emergunt. *l.* 10. § 5. *ff. d. tit.*

Convictis confeſſiſque ad ſocietatem ſcelerum vocantibus eos à quibus apprehenſi ſunt, facilè credi (*a*) non oportet. *l.* 4. *Cod. de Quæſt.*

(*a*) Credetur tamen; ſi is qui eos prodidit, detegatur id feciſſe ne adversùs ipſum teſtimonium dicentes audirentur.

ARTICULUS IV.

De Pœnis.

§ I.

De Pœnis capitalibus.

MDCCCXCVII.

Capitalium pœnarum iſti gradus ſunt; ſummum (*a*) ſupplicium; proxima mortis pœna, metalli coërcitio; deindè in inſulam deportatio. *l.* 28. *ff. de Pœn.*

Cæteræ pœnæ non capitales ſunt.

(*a*) Quod erat crux, vivi comburium, aut ad beſtias damnatio in humiliores; decollatio in honeſtiores. Cæteræ ſupplicii ſpecies reprobantur.

MDCCCXCVIII.

Qui ultimo ſupplicio damnantur, ſtatim (*a*) & civitatem & libertatem perdunt. *l.* 29. *ff. d. tit.*

In metallum, ſed & in miniſterium metallicorum damnati (*b*), ſervi fiunt; ſed pœnæ (*c*). *l.* 17. *ff. d. tit.*

Inter eos qui IN METALLUM, & eos qui IN OPUS

(*a*) In ſervilem conditionem deducuntur. Et hæc ſervitus *Pœnæ*; ideò inventa, ne contra priſcas Romanorum leges in caput civis animadverti videatur.

(*b*) Modò in perpetuum damnati ſint; idem dic de his qui ad ludum gladiatorium damnabantur.

(*c*) Non ſunt Cæſaris ſervi, nec dominum habent niſi pœnam.

Source : BIU Cujas

METALLI damnantur, differentia in vinculis tantùm eſt. *l.* 8. § 6. *ff. de tit.*

M D C C C X C I X.

Deportatio ad tempus non eſt. *l.* 18. § 1. *ff. de Interd. & releg.*

Deportatus civitatem amittit, non libertatem. *l.* 15. ff. *d. tit.*

In opus publicum perpetuò dati, & in inſulam deportati, ea quæ Juris Civilis (*a*) ſunt non habent, quæ Juris Gentium ſunt habent. *l.* 17. § 1. ff. *de Pœn.*

Deportati liberis Ea ſola deportationis Sententia aufert, quæ ad fiſcum (*b*) perveniunt. *l.* 97. HERMOGEN. LIB. 3. JURIS EPITOM.

Præſidem deportare non poſſe nulla dubitatio eſt, ſed Præfectus Urbi jus deportandi habet. *l.* 2. § 1. ff. *de Pœn.*

(*a*) Ut jura hereditatum, teſtamentorum, tam activa quàm paſſiva: *Directis* actionibus agere & conveniri non poſſunt, *Utilibus* tamen poſſunt.

(*b*) Scilicet bona paterna quæ publicantur; non jura nobilitatis, non jura familiæ, &c.

§ II.

De Relegatione.

M C M.

Relegatio ſeu Exilium triplex eſt; aut certorum (*a*) locorum interdictio; aut lata fuga, ut omnium locorum interdicatur præter certum (*b*) locum; aut relegatio in (*c*) inſulam. *l.* 5. ff. *de Interd. & releg.*

Interdicere quis eâ provinciâ poteſt quam regit, aliâ non (*b*) poteſt. *l.* 7. § 10. ff. *d. tit.*

Relegatus non poteſt Romæ morari, licèt Sententiâ non ſit comprehenſum; nec in civitate in quâ verſatur Princeps, vel per quam tranſit. *l.* 19. ff. *d. tit.*

(*a*) Ut ſi quis à patriæ ſuæ territorio arceatur.

(*b*) Ut ſi damnetur quis ut domo ſuâ vel ut civitate ſuâ non egrediatur.

(*c*) Quæ ſit in provinciâ Præſidis qui condemnavit; ſin, debet relinquere Principi ut eam aſſignet. Eſt & relegatio in *Oaſim*, regionem Ægypti culicibus infeſtam.

(*d*) Niſi ea ſit, ex quâ reus oriundus eſt.

M C M I.

Magna differentia eſt inter deportationem & relegationem; deportatio civitatem & bona adimit, relegatio neutrum tollit. *l.* 14. § 1. ff. *d. tit.*

Relegatus integrum ſtatum ſuum retinet, & patriam poteſtatem. *l.* 18. ff. *d. tit.*

Quinimò Relegatus ſtatuis & imaginibus honorari non prohibetur. *l.* 17. ff. *d. tit.*

M C M I I.

In inſulam relegari & ad tempus & in perpetuum quis poteſt. *l.* 7. § 2. ff. *d. tit.*

Tempus quo quis in cuſtodiâ fuit donec ad locum exilii proficiſceretur, computandum eſt in tempus exillii. l. 23. *Cod.* de Pœnis.

§ III.

De Pœnis quæ coërcitionem corporis continent, item de pecuniariis.

M C M I I I.

Coërcitionem corporis continent, fuſtium admonitio, flagellorum caſtigatio, vinculorum (*a*) verberatio. *l.* 6. § *fin. & l.* 7. ff. *de Pœn.*

(*a*) Gothofredus cenſet *Vincula* hic accipi pro habenâ aut loris.

M C M I V.

Vel certæ quantitatis mulctâ quis condemnetur, vel ademptione partis bonorum. Univerſa autem bona, citra pœnam exilii perpetui, *fiſco* adjudicari Sententiâ non oportet. *l.* 39. ff. *de Jur. fiſc.*

Generaliter placet, Legibus publicorum judiciorum & privatorum; ut qui extra ordinem cognoſcunt, eis qui pœnam pecuniariam egentes eludent, coërcitionem extraordinariam indicant. *l.* 1. § 3. ff. *de Pœn.*

§ IV.

De Pœnis quæ in dignitatis depoſitione aut interdictione conſiſtunt.

M C M V.

Ut Senatoribus, ita ſolet Decurionibus Ordine interdici; vel ad tempus, vel in perpetuum. *l.* 7. § 20. ff. *de interdict. & releg.*

Motum Senatu, Romæ morari (*a*) Severus & Antoninus permiſerunt. *l.* 3. ff. *de Senat.*

Poteſt alicui & unus honor interdici. *d. l.* 7. § 22.

Perquàm ridiculum, eum qui minoribus honoribus pœnæ causâ prohibitus ſit, ad majores aſpirare; majoribus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur. *d.* § 22.

Honoribus pœnæ causâ prohibitum, Honore quidem arceri puto, ſed impendia debere præſtare. *l.* 8. ff. *d. tit.*

At Muneribus ſi quis pœnæ causâ prohibeatur; nihil valebit Sententia. *d. l.* 8. §. 22.

(*a*) Cæterùm nec judex eſſe poteſt, nec teſtis: l. 22. ff. *de Senator.*

M C M V I.

Poteſt ita interdici cui, ne apud tribunal Præſidis poſtulet; & tamen apud Legatum non prohibetur (*b*) agere. *l.* 9. § 2. ff. *de Pœn.*

Plus eſt Foro quàm Advocationibus interdicere; ſi quidem huic omninò forenſibus negotiis immiſcere ſe non permittatur. *d. l.* 9. § 4.

Præſes, ultra adminiſtrationis ſuæ tempus, interdicere alicui arte ſuâ uti non poteſt. *l.* 43. ff. *d. tit.*

(*a*) At non vice versâ.

§ V.

Quæ aliæ pœnæ reprobentur.

M C M V I I.

Carcer ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet. *l.* 8. § 9. ff. *d. tit.*

Quæſtionis habendæ causâ, neminem damnandum. *l.* 21. ff. *de Quæſt.*

Ne quis pro coërcitione delicti, cuicumque corpori, quum alterius ſit corporis, addicatur. *l.* 19. *Cod. de Pœn.*

§ VI.

Quomodo æſtimetur natura aut atrocitas criminis, in irrogandâ pœnâ.

M C M V I I I.

1. In maleficiis voluntas (*a*) ſpectatur, non exitus. *l.* 4. ff. *ad L. Corn. de ſic.*

At Cogitationis pœnam nemo patitur. *l.* 18. ff. *de Pœn.*

2. Aut facta puniuntur, aut dicta, aut ſcripta, aut conſilia. Hæc *autem* quatuor conſideranda ſunt, ſeptem modis; causâ, perſonâ, (*b*), loco (*c*), tempore (*d*), qualitate (*e*), quantitate (*f*), eventu (*g*). *l.* 16. ff. *d. tit.*

(*a*) Non tamen mera. Vide Reg. ſeq.

(*b*) Ejus qui fecit; cujus quis conditionis, ætatis; an is ſit qui primâ vice, an is qui jam peccaverit; item inſpicitur perſona ejus in quem admiſſum eſt: mox infrà.

(*c*) Locus diſtinguit *Sacrilegium* à *Furto*.

(*d*) Aliter fur diurnus, aliter nocturnus.

(*e*) Sic *Rixa* diſcernitur à *Graſſaturâ*.

(*f*) Diſtinguit *Furtum* ab *Abigeatu*; levius ab atrociori, mox infrà Reg. fin.

(*g*) In percuſſione, prout mors ſecuta eſt necne.

Source : BIU Cujas

Ad CAUSAM *pertinet quòd* Delinquitur, aut propoſito, aut impetu, aut caſu. *l.* 11. § 2. ff. *d. tit.*

3. *Punitur.* Aliter qui in dominum parentem-ve auſus eſt, quàm qui in extraneum; in Magiſtratum, quàm qui in privatum. *l.* 16. § 3. ff. *d. tit.*

Furta domeſtica, ſi leviora ſunt, non admittenda eſt accuſatio. *l.* 11. § 1. ff. *d. tit.*

§ VII.

De æſtimando probationum modo.

MCMIX.

Satius eſt impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare. *l.* 5. ff. *de Pœn.*

Non de ſuſpicionibus debet quis damnari. *d. l.* 5.

MCMX.

Severus reſcripſit; Confeſſiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, ſi nulla probatio religionem cognoſcentis inſtruat. *l.* 1. § 17. ff. *de Quæſt.*

Si quis ultrò de maleficio fateatur, non ſemper ei fides habenda. *d. l.* 1. § 27.

Vanæ voces populi non ſunt audiendæ. *l.* 12. § 1. *Cod. de Pœnis.*

§ VIII.

An pœna relinquatur arbitrio judicis, & quomodo æſtimetur.

MCMXI.

In publicis judiciis, Facti quæſtio in arbitrio eſt judicantis; pœnæ verò perſecutio, non ejus voluntati, ſed Legis auctoritati reſervatur. *l.* 1. § 4. ff. *ad SC. Turp.*

Quamvis de pœnâ *judex* nihil ſubjecerit, tamen Legis pœna exercebitur. *d. l.* 1.

Hodie licet ei qui extra ordinem de crimine cognoſcit, quam vult Sententiam ferre, ita tamen ut rationem non excedat. *l.* 13. ff. *de Pœn.*

MCMXII.

Interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt, potiùs quàm exaſperandæ. *l.* 42. ff. *d. tit.*

Nec vel ſeveritatis aut clementiæ gloria affectanda eſt. *l.* 11. ff. *d. tit.*

In levioribus proniores ad lenitatem judices eſſe debent, in gravioribus ſeveritatem Legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi. *d. l.* 11.

Evenit ut maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quoties multis perſonis graſſantibus exemplo opus ſit. *l.* 16. § 10. ff. *d. tit.*

Palàm (*a*) delinquentes, ut errantes, majore pœnâ excuſantur; clàm committentes, ut contumaces plectuntur. *l.* 68. ff. *de Rit. nupt.*

Si diutino tempore quis in reatu fuerit, aliquatenùs pœna ſublevanda erit. *l.* 25. ff. *de Pœn.*

(*a*) Species Regulæ eſt in inceſtis nuptiis.

§ IX.

De inſpiciendâ conditione perſonæ circa pœnam.

MCMXIII.

Majores noſtri ſeverius ſervos, quàm liberos; famoſos, quàm integræ famæ homines punierunt. *l.* 28. § 16. ff. *d. tit.*

Non omnes fuſtibus cædi ſolent, ſed hi duntaxat qui liberi ſunt, & quidem tenuiores; honeſtiores fuſtibus non ſubjiciuntur. *d. l.* 28. § 2.

Ex quibus cauſis liber fuſtibus cæditur, ex his ſervus flagellis cædi & domino reddi jubetur; & ex quibus liber fuſtibus cæſus in opus publicum (*a*) damnatur, ex his ſervus ſub pœnâ vinculorum (*b*) flagellis cæſus domino reddi jubetur. *l.* 10. ff. *d. tit.*

Statuliberum quaſi liberum jam puniendum Divus (*c*) Pius reſcripſit *l.* 9. § 16. ff. *d. tit.*

Decuriones propter capitalia crimina deportandos (*d*) vel relegandos, Divi Fratres reſcripſerunt. *l.* 6. § 2. *ff. de Interd. & releg.*

Parentes & liberi Decurionum in eâdem causâ ſunt. *l.* 9 § 12. *ff. de Pœn.*

Honor veteranis in eo habitus eſt, ut liberi eorum uſque ad primum gradum pœnâ metalli vel operis publici non afficiantur. *l.* 5. *Cod. de Pœnis.*

(*a*) Quæ pœna *Operis publici* in ſolos liberos cadit: at *Metalli* ſervis & liberis communis eſt.

(*b*) Pœna *Vinculorum* ſicut *Flagellorum*, in ſolos ſervos cadit. Eſt autem *Pœna vinculorum*, ea quâ ſervus damnatur ut vinctus opus faciat domino.

(*c*) Vide Notas ad Tit. *de Pœn.* N. 62.

(*d*) Non ſummo ſupplicio afficiendos, multòminùs pœnâ metalli aut operis publici. Regula fallit in crimine Majeſtatis & Parricidii.

MCMXIV.

Placuit (*a*) non eam pœnam ſubire quem debere, quam conditio ejus admittit eo tempore quo Sententia fertur; ſed quam ſuſtinuerat, ſi eo tempore erat Sententiam paſſurus quum deliquiſſet. *l.* 1. *ff. de Pœnis.*

(*a*) Hoc ita in publicis judiciis. Aliter in extraordinariis: l. 5. ff. *Si ex nox. cauſ.*

§ X.

De executione pœnæ.

MCMXV.

Prægnantis mulieris pœna differtur, donec pariat. *l.* 5. *ff. d. tit.*

Famoſos latrones, in his locis ubi graſſati ſunt, furcâ figendos compluribus placuit. *l.* 28. § 15. *ff. d. tit.*

In metallum damnati, ſi valetudine aut ætatis infirmitate, inutiles operi deprehendantur, à Præſide dimitti poterunt; ſi vel cognatos vel affines habeant (*a*), & non minùs decem annis pœnæ ſuæ functi fuerint. *l.* 22. *ff. d. tit.*

(*a*) Vide Not. ad h. l. Tit. *de Pœnis.* N. 68.

§ XI.

De Pœnâ non obtemperantium augendâ.

MCMXVI.

Qui ad tempus relegatus eſt, ſi redeat, in inſulam relegetur. Qui relegatus in inſulam, exceſſerit; deportetur. Qui deportatus evaſerit, capite puniatur. *l.* 28. § 13. *ff. d. tit.*

Quiſquis in opus damnatus, refugit; duplicato tempore damnari ſolet. *l.* 8. § 7. *ff. d. tit.*

Generaliter dicitur; Quoties decennium exceſſura eſt duplicatio, non eſſe tempore pœnam arctandam. *d.* § 7.

MCMXVII.

Nemo poteſt commeatum remeatum-ve dare exuli, niſi Imperator. *l.* 4. *ff. d. tit.*

ARTICULUS V.

De bonis damnatorum, & eorum qui ſibi mortem conſciverunt; & de cadaveribus eorum.

§ I.

Quando, ex quo tempore, & quæ bona damnatorum publicentur.

MCMXVIII.

Damnatione bona publicantur, quum aut vita adimitur aut civitas. *l.* 1. *ff. de Bon. damn.*

Source : BIU Cujas

Non ut quis in carcerem ductus est, spoliari eum oportet; sed post condemnationem. *l.* 2. *ff. d. tit.*

Reus, præterquàm Majestatis, bona sua administrare potest. *l.* 11. § 1. *ff. d. tit.*

Pendente appellatione, bona non publicantur. *d. l.* 11.

In fraudem res alienatæ revocantur. Idem Juris est & si non quæratur (*a*). *l.* 45. *ff. de Jur. fisc.*

Publicatis bonis; quicquid posteà acquiritur, non sequitur (*b*) fiscum. *l.* 22. § 5. *ff. Mandati.*

Deportati, nec earum quidem rerum quas post pœnam irrogatam habuerint, heredem habere possunt; sed & hæ publicantur. *l.* 26. *ff. de Jur. fisc.*

(*a*) Id est, adquirere omittatur.
(*b*) Nisi post mortem damnati. Vide Reg. seq.

M C M X I X.

Quinque Legibus (*a*) damnatæ mulieris dos publicatur; Majestatis, Vis publicæ, Patricidii, De veneficis, De sicariis. *l.* 3. *ff. de Bon. damn.*

Si soluto filiæ matrimonio pater damnatus sit, posteaquàm (*b*) filia ei consensit ut dotem repeteret; fiscus eam repetet. *l.* 10. § 1. *ff. d. tit.*

(*a*) Et cæteris causis remanet apud virum.
(*b*) Secùs si antè.

M C M X X.

Ob maritorum culpam uxores inquietari, Leges vetant. *l.* 2. *Cod. Ne ux. pro mar.*

Servorum capitis damnatorum peculia, dominis non auferri notum est. *l.* 11. *Cod. de Bon. damn.*

Si filius deportari meruit, peculium ejus nec quod in castris acquisiit, auferri (*a*) debet. *l.* 3. *Cod. ff. d. tit.*

(*a*) Patri.

§ II.

De his quæ à publicatione excipiuntur.

M C M X X I.

Filii Etiam hi qui antè concepti, & post domnationem nati sunt, portiones (*a*) ex bonis patrum damnatorum accipiunt. *l.* 1. § 1. *ff. de Bon. damn.*

Liberis ejus cui pars dimidia duntaxat bonorum ablata est, partes non dantur. *d. l.* 1. § 3.

In his quæ per flagitium damnatus acquisiit, portiones liberorum non augentur. *l.* 7. § 4. *ff. d. tit.*

De bonis matris deportatæ, filiis nihil deberi exploratissimi Juris est. *l.* 6. *Cod. de Bon. proscr.*

(*a*) Interdum totum Imperatores, quum plures essent liberi, concesserunt: Theodosius definivit ut portio quæ liberis damnati servatur, esset dimidia. Ad hanc veniunt & adoptivi; veniunt etiam emancipati, sed ita ut suis propria bona conferre teneantur.

M C M X X I I.

Patronis, Liberis etiam (*a*) patronorum, integrum jus patronatûs servatur in bonis liberti cujus bona publicata sunt. *l.* 8. *ff. de Bon. damnat.*

Excipiuntur etiam à publicatione, Pannicularia; de quibus vide Tit. de Bon. damnat. *N.* 8.

(*a*) Etiamsi existat filius liberti, à quo excludantur.

§ III.

De bonis eorum qui sibi mortem consciverunt.

M C M X X I I I.

In his qui mortem sibi inferunt, Non facti sceleritatem esse obnoxiam, sed conscientiæ metum in reo veluti confesso teneri placuit. *l.* 3. *ff. de Bon. eor. qui mort.*

Ita demùm dicendum est bona ejus qui sibi manus intulit, fisco vindicari; si eo crimine nexus fuit, ut, si convinceretur, bonis careat. *d. l.* 3. § 3.

Qui rei criminis non postulati, mortem sibi intulerunt; bona eorum fisco non vindicantur. *d. l.* 3.

Si quis conscitâ morte in reatu decesserit; D. Pius rescripsit, si parati sint heredes defensiones suscipere, non esse bona publicanda; nisi de crimine fuerit probatum. *d. l.* 3. § 8.

§ IV.

De Cadaveribus damnatorum.

M C M X X V I.

Corpora animadversorum, quibuslibet petentibus (*a*) ad sepulturam danda sunt. *l.* 3. *ff. de Cadav. punit.*

Si quis in insulam deportatus vel relegatus fuerit; non licet eum aliobi spelire, inconsulto Principe. *l.* 2. *ff. d. tit.*

(*a*) Scilicet si id petitum fuerit. Interdum tamen denegantur, maximè in crimine *Majestatis.*

ARTICULUS VI.

De Reis absentibus & contumacibus.

M C M X X V.

Hoc Jure utimur, ne absentes damnentur. *l.* 1. *ff. de Requir. reis.*

Meliùs statuetur; in absentes, pecuniarias quidem pœnas, vel eas quæ existimationem contingunt, si sæpiùs admoniti per contumaciam desint, statui posse; verùm si quid graviùs, putà metalli vel capitis pœnam, non esse absentibus irrogandam. *l.* 5. *ff. de Pœn.*

M C M X X V I.

Absentem capitali crimine accusari non posse; sed requirendum tantummodò adnotari solere, si desit, vetus est Jus. *l.* 6. *Cod. de Accusation.*

Mandatis cavetur, intra annum requirendorum bona obsignari; ut, si redierint & se purgaverint, integram rem suam habeant. Si nec responderint, nec qui se defendant habuerint; post annum bona in fiscum coguntur. *l.* 5. *ff. de Requir. reis.*

Requirendus adnotatus, Si intra annum mortuus, sit, criminis causa expirat; & bona ejus ad successores transmittuntur. *l.* 1. § 4. *ff. d. tit.*

Qui intra annum noluerit redire, res ejus fisco vindicentur (*a*); etsi probatione dilucidâ innocentiam suam purgaverit, nihilominùs facultates ejus penès fiscum remaneant. *l.* 2. *Cod. de Requir. reis.*

Sciendum est, nullâ temporis præscriptione, causæ defensione (*b*) summoveri eum qui requirendus adnotatus est. *l.* 4. § 2. *ff. de Requir.*

Criminalis programmatis tenor, non tantùm patrimonium debet transferre, sed & existimationem lædere. *l.* 3. *Cod. de Requir. reis.*

(*a*) Nisi obstet fisco præsciptio viginti annorum; si intra hoc tempus, ex die quo reus requirendus annotatus est, bona ejus occupare cessavit.
(*b*) Scilicet ut purget crimen, non ut recuperet bona.

ARTICULUS VII.

De restitutione in integrum, capitalem Sententiam passis concessâ.

M C M X X V I I.

Si in metallum damnatus restituatur, magis est ut non extinguat servitus jus patronatûs. *l.* 1. § 1. *ff. de Sent. pass. & rest.*

Source : BIU Cujas

In insulam deportato *patre aut* filio, *& restituto*, potestas tamen patria repetita non videtur. *l.* 6 *& l.* 9. *Cod. de Sentent. pass. & restit.*

Generalis indulgentia Nostra reditum deportatis tribuit, non etiam loca militiæ pridem adempta concessit, nec illibatam existimationem reservavit. *l.* 7. *Cod.*

Non ideò quòd ex indulgentiâ Principis pœnâ quis liberatus esset, etiam bonorum restitutionem impetravit; nisi speciale beneficium super hoc fuerit impetratum. *l.* 2. *Cod.*

MCMXXVIII.

Princeps bona concedendo (*a*), videtur etiam obligationes (*b*) concedere. *l.* 21. *ff. de Verb. signif.* PAUL. LIB. II. AD EDIT.

(*a*) Ei quem pœnam capitalem passum restituit.
(*b*) Id est, restituit ei & adversùs eum actiones quæ antè Sententiam ei & in eum competerent. Secùs, si Princeps ei non universa bona, sed aliquid duntaxat ex ipsius bonis restituit.

ARTICULUS VIII.

De variis singularibus judiciorum publicorum speciebus.

§ I.

De Crimine Majestatis.

MCMXXIX.

Majestatis (*a*) crimen, illud est quod adversùs populum Romanum, vel adversùs securitatem committitur. *l.* 1. § 1 *ff. ad L. Jul. Maj.*

Lubricum linguæ, non facilè ad pœnam trahendum est. *l.* 7. § 3. *ff. ad L. Jul. Maj.*

Si quis petulanti maledicto Numina Nostra crediderit lacessenda . . . si id ex levitate processerit, contemnendum est; si ex insaniâ, miseratione dignissimum; si ab injuriâ, remittendum. THEODOSIUS. *l. un. Cod. Si quis Imp. maled.*

In causâ Majestatis, omnium æqua conditio est. *l.* 4. *Cod. d. tit.*

Post Divi Marci Constitutionem, hoc Jure uti cœpimus; ut, etiam post mortem nocentium, crimen Majestatis inchoari possit (*b*); ut convicto mortuo memoria ejus damnetur, & bona eripiantur. *l.* 7. *Cod. d. tit.*

(*a*) Hujus duplex species, *Perduellio* quæ admittitur ab eo qui hostili animo quid adversùs populum Romanum, aut Imperatorem qui in jus ejus succesſit molitur: & crimen *Læsæ Majestatis* simpliciter, quod admittitur ab eo qui, licèt non habens hunc hostilem animum, tamen audaci aliquo facto potestatem publicam turbat, vel debitam Principi & Magistratibus venerationem atrociter offendit.
(*b*) Regula non de quibusvis *Majestatis* capitibus, sed de perduellione accipienda.

§ II.

De Lege Juliâ DE *Adulteriis.*

MCMXXX.

Regula communis adulterio & stupro.

Ab his *demùm* fœminis pudicitiæ ratio requiritur, quæ matrisfamiliæ (*a*) nomen retinent. *l.* 29. *Cod. ad L. Jul. de Adult.*

(*a*) Non cadit igitur accusatio adulterii aut stupri, in ancillas, scenicas, lenas, cauponarias, aliasque turpes fœminas. Ea tamen quæ palàm corpore suo quæstum facit, non potest quidem quum vidua est, utpotè turpis mulier, accusari stupri: at si nupta sit, potest à marito adulterii accusari; ne ideò vir repellatur, quòd gravius offenditur.

I. De Adulteriis.

MCMXXXI.

Nec matrimonium qualecumque (*a*), nec spem (*b*) matrimonii violare permittitur (*c*). *l.* 13. § 3. *ff. ad L. Jul. de Adult.*

Adulterium sine dolo (*d*) malo non committitur. *l.* 43. *ff. d. tit.*

(*a*) Ergo & ea quæ uxoris loco retinetur, licèt uxor esse jure non possit, & concubina quæ *Matronæ* nomen non amisit (putà, patroni sui concubina), potest adulterii accusari.
(*b*) Nam & in sponsâ adulterium vindicatur.
(*c*) Mulieri: viro autem impunè est.
(*d*) Dolus abest, in muliere quæ vim passa est: item in eo qui eam duxit quam existimabat solutam viro.

MCMXXXII.

Crimen Adulterii maritum, retentâ in matrimonio uxore inferre non posse, nemini dubium est. *l.* 11. *Cod. d. tit.*

Marito (*a*) primùm, vel patri (*b*) filiam intra dies sexaginta (*c*) divortii, accusare permittitur; nec ulli alii in id tempus. *l.* 14. § 2. ff. *ad L. Jul. de Adult.*

Derelictam à marito accusationem, etiam ab alio excitari (*d*) utile est. *l.* 26. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Hoc ita, si justæ fuerint nuptiæ: & vir non fuerit infamis; alioquin potest duntaxat jure extranei accusare.
(*b*) Ita tamen ut maritus ipsi præferatur.
(*c*) Utiles. His elapsis, poterit adhuc accusare, sed jure extranei.
(*d*) Ad hoc dantur quatuor menses, ex quo tempus viro concessum elapsum est, qui & ipsi utiles sunt; ita tamen ut quinquennium continuum, à die admissi criminis, non excedant.

MCMXXXIII.

Probatam à marito uxorem & quiescens matrimonium, non debet alius turbare (*a*) & inquietare; nisi lenocinii maritum accusaverit. *l.* 26. ff. *d. tit.*

Nuptâ quoque muliere; tametsi Vir lenocinii prior non postuletur, adulterii crimen contra adulterum ab extrario poterit (*b*) inferri. *l.* 39. § 1. ff. *ad L. Jul. de Adult.*

Nuptam, adulterii ream postulari posse in priore matrimonio commissi, dubium non (*c*) est. *l.* 5. ff. *d. tit.*

Serò *quis* accusat mores (*d*), quos uxorem ducendo probavit. *l.* 13. § 10. ff. *d. tit.*

Lenocinium mariti, ipsum onerat, non mulierem (*e*) excusat. *l.* 2. § 5. ff. *d. tit.*

Periniquum ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat. *l.* 13. § 5. ff. *ad L. Jul. de Adult.*

Cur improbat maritus mores, quos ipse aut antè corrupit aut posteà probavit? *l.* 47. ff. *Solut. matrim.*

Adulterii, Etiam adversùs proprium servum, accusationem instituere dominus potest. *l.* 5. ff. *de Accus.*

Reos Adulterii duos simul marem & fœminam fieri Lex Julia vetat. *l.* 8. *Cod. de L. Jul. de Adult.*

Pœna (*f*) Adulterii, relegatio & publicatio tertiæ partis bonorum. PAUL. SENT. *lib.* 2. *Tit.* 27. § 13.

(*a*) Accusando eam adulterii in hoc matrimonio commissi; at licèt extraneo adulterum ejus mulieris accusare.
(*b*) Ab extraneo, non ab ipso marito; & quidem contra adulterum, non contra mulierem.
(*c*) Ita tamen ut adulter ejus priùs peragi debeat; &, si absolutus fuerit, non possit amplius mulier à quoquam accusari. Quòd si mulier sit innupta, vel si vir eam accusaturus denuntiaverit ei ne nuberet; liberum est, an mulierem, an adulterum, prius quis accusare malit.
(*d*) Putà, stuprum, aut adulterium commissum antequàm eam duceret.
(*e*) Adeòque exceptio *Lenocinii* viri, videlicèt quod mulierem deprehensam in adulterio, non statim ejecerit, repellit quidem maritum ab accusatione adulteri, non ab accusatione mulieris. Verùm ex hac causâ repellitur ab actione civili *De moribus*, ad quam duæ regulæ sequentes referendæ sunt.
(*f*) Lege Constantini pœna mortis, quam Justinianus servavit in adultero, contentus ut mulier in monasterium detruderetur.

Source : BIU Cujas

II. De aliis criminibus quæ Lege Juliâ De Pudicitiâ *vindicantur.*

M C M X X X I V.

Stuprum committit, qui liberam (*a*) mulierem consuetudinis causâ, non matrimonii, retinet; exceptâ concubinâ. *l.* 34. ff. *ad L. Jul. de Adult.*

Qui masculum invitum stupraverit, capite punitur; qui voluntate suâ patitur, dimidiâ parte bonorum mulctatur. PAUL. SENT. *lib.* 2. *Tit.* 26. §§ 12 & 13.

(*a*) Et honestam.

M C M X X X V.

Incestum quod per illicitam (*a*) matrimonii conjunctionem admittitur, excusari solet sexu vel ætate, vel correctione quæ bonâ fide intervenit. *l.* 38. § 7. *ff. ad. L. Jul. de Adult.*

Incesti commune crimen, adversùs duos simul (*b*) intentari potest. *l.* 7. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Solo Jure Civili; incesta enim Juris Gentium non excusantur.
(*b*) Secùs in accusatione adulterii: suprà N. 1933. Reg. penult.

M C M X X X V I.

Neminem qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse vulgò patet. *l.* 2. *Cod. de Incest. nupt.*

M C M X X X V I I.

Lenocinii crimen Lege Juliâ præscriptum est, in eum qui de adulterio uxoris suæ quid ceperit (*a*), item in eum qui in adulterio deprehensam retinuerit (*b*). *l.* 2. § 2. ff. *ad L. Jul. de Adult.*

Tunc puniendus est maritus, quum excusare ignorantiam suam non potest, vel adumbrare patientiam prætextu incredibilitatis. *l.* 29. ff. *d. tit.*

Qui patitur uxorem suam delinquere (*c*) matrimoniumque suum contemnit; pœnâ adulterûm non infringitur. *l.* 2. § 3. ff. *d. tit.*

Si uxor ex adulterio viri pretium acceperit, Lege Juliâ tenetur. *l.* 33. § 2. ff. *d. tit.*

Qui adulterii damnatam sciens duxerit; ex causâ Lenocinii punietur. *l.* 9. *Cod. L. Jul. de Adult.*

(*a*) Vel pactus est.
(*b*) Aut dimissam reduxerit.
(*c*) Per negligentiam aut nimiam credulitatem.

M C M X X X V I I I.

Qui domum suam ut stuprum adulterium-ve cum alienâ matrefamilias vel cum masculo fieret, sciens præbuerit, quasi adulter punitur. *l.* 8. ff. *d. tit.*

Plectitur, qui (*a*) pretium pro comperto stupro acceperit: si gratis quis remisit, ad Legem non pertinet. *l.* 29. § 2. ff. *d. tit.*

(*a*) Sive maritus, sive alius.

§ III.

De Publicis judiciis Legis Juliæ De Vi.

M C M X X X I X.

Hoc Jure utimur ut, quidquid omninò per vim fiat, aut in Vis Publicæ aut in Vis Privatæ crimen incidat. *l.* 152. (*Aliàs* 194.) ULP. LIB. 69. AD ED.

1. *Propriè* VIS PUBLICA *est, quam publica persona, putà, Magistratus infert* (*a*)*; vel quæ contra statum publicum* (*b*)*, etiam à privato infertur.*

(*a*) Putà, dum per vim spretâ provocatione Sententiam exequitur, vel impedit quominùs reus eam persequatur.
(*b*) V. G. dum quis privatâ auctoritate vectigalia instituit, seditiosas conciones habet, judicantibus metum incutit, &c.

Obtinuit quoque ut VIS publica *haberetur, quæ à privatis in privatos infertur, sed cum armis aut hominibus coactis.*

Armatos non utique intelligere debemus qui tela habuerunt, sed etiam quid aliud quod nocere potest. *l.* 9. ff. *ad L. Jul. de Vi publ.*

2. *Vis privata, est quælibet vis, à privatis in privatos sinè armis* (*c*) *illata.*

Etiam Si creditor sine auctoritate judicis res debitoris occupet, hâc Lege tenetur. *l.* 8. ff. *ad L. Jul. de Vi priv.*

(*c*) Etiam illa quæ fit coactis hominibus; & eo casu, utriusque judicii DE *vi publicâ* & DE *privatâ* accusatori electio est. Hujus pœna, publicatio tertiæ partis bonorum.

§ IV.

De Lege Corneliâ De Sicariis, *veneficiis, incendiariis, &c.*

M C M X L.

Lege Corneliâ de Sicariis tenetur, qui hominem (*a*) occiderit. *l.* 1. ff. *ad L. Corn. de Sic.*

Nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat. *l.* 15. ff. *d. tit.*

Hadrianus rescripsit; Eum qui hominem occiderit, si non occidendi animo hoc admisit, absolvi (*b*) posse; & qui hominem vulneravit (*c*) ut occidat, pro homicidâ damnamdum. *l.* 1. § 3. ff. *d. tit.*

Qui hominem libidinis vel promercii (*d*) causâ castraverit (*e*); ex Senatusconsulto, pœnâ Legis Corneliæ coërcetur. *l.* 3. § 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Nec refert cujus conditionis; servum, an liberum. Non videbatur autem propriè hominem occidere mulier quæ abortum sibi procurat; sed extra ordinem puniebatur.
(*b*) Pœnâ legis scilicet; at extra ordinem puniebatur qui per lasciviam imprudens aliquem occidisset.
(*c*) Quinetiam vel ex eo solo quis pœnâ legis tenetur, quòd cum telo hominis occidendi furti-ve faciendi causâ ambulaverit; licèt neminem percusserit.
(*d*) Secùs, si curandi causâ.
(*e*) Idem, & si thlibiam fecerit, aut alium quàm Judæum circumciderit.

M C M X L I.

Quæ cædes impunis sit.

Qui aggressorem in dubio vitæ (*a*) discrimine constitutus occiderit, nullam ob id calumniam metuere debet. *l.* 2. *Cod. de L. Corn. de Sic.*

Transfugas licet quasi hostes occidere. *l.* 3. § 6. ff. *ad L.* 2. *Corn. de Sic.*

Patri (*b*) datur jus occidendi (*c*) adulterum (*d*), cum filiâ (*e*) quam in potestate habet. *l.* 20. ff. *ad L. Jul. de Adult.*

Maritus in adulterio deprehensos (*f*), non (*g*) alios quàm infames (*h*) ... servos (*i*) etiam, (exceptâ uxore quam prohibetur) occidere potest. PAUL. SENT. *lib.* 2. *Tit.* 27.

Rectiùs (*k*) dicetur; Eos *duntaxat* jus occidendi habere, qui jure patris mariti-ve accusare possunt. *l.* 24. § 3. ff. *ad L. Jul. de Adult.*

(*a*) Aut pudicitiæ tuendæ causâ. Furem autem, etiam nocturnum, occidere ita licèt si parcere ei quis sine periculo suo non potuerit. Hinc est quòd furem diurnum Lex XII. Tab. non aliter occidere permittit, quàm si se telo defendat.
(*b*) Non avo, quamvis mulierem in potestate suâ habeat.
(*c*) Modò statim atque, domi suæ vel mariti, in ipsis rebus Veneris deprehensus est, eum occidat.
(*d*) Cujuscumque dignitatis sit.
(*e*) Nam si parcat filiæ; non jure occidit adulterum. Non videtur autem ei pepercisse, licèt filia supervixerit; si ita graviter eam vulneravit, ut casu magis quàm voluntate patris supervixisse videatur.
(*f*) Domi suæ, non etiam soceri.
(*g*) Minùs ei conceditur quàm patri. Vide disparitatem Tit. *ad L. Jul. & adult.* N. 63. ex l. 22. § 4.
(*h*) Non tamen eum cui (licèt infami) reverentiam deberet; qualis est patronus.
(*i*) Servos quoslibet; adde libertos proprios, aut uxoris aut parentis.
(*k*) Ergo jus occidendi cessat, si adulter sit in magistratu positus; quia tandiù accusari non potest: item si non sint justæ nuptiæ, aut ignominiosa uxor, aut infamis maritus.

Source : BIU Cujas

MCMXLII.

De Veneficis, incendiariis & maleficis.

Plus est hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio. *l.* 1. *Cod. de Malef.*

Qui venenum necandi hominis causâ fecerit, vel vendiderit, vel habuerit; plectitur. *l.* 3. ff. *ad L. Corn. de Sicar.*

Ex Senatusconsulto, Legis *Corneliæ* pœnâ damnari jubetur qui mala sacrificia fecerit. *l.* 13. ff. *d. tit.*

Lege Corneliâ tenetur, cujus dolo malo incendium factum est. *l.* 1. ff. *d. tit.*

Ars mathematica (*a*) damnabilis est & interdicta. *l.* 2. *Cod. de Malef.*

(*a*) Astrologia.

§ V.

De Lege Pompeiâ De Parricidiis.

MCMXLIII.

Lex Pompeïa De *Parricidiis, necem parentûm, liberorum* (*a*), *conjugis, affinium lineæ rectæ, cognatorum usque ad gradum consobrinorum inclusivè, & patroni, capitali pœnâ vindicat: ex l.* 1. ff. *ad L. Pomp. de Parric.*

Pœna Parricidii more majorum hæc instituta est; ut Parricida (*b*) virgis sanguineis verberatus, culeo insuatur cum cane (*c*), gallo-gallinaceo, viperâ, & simiâ; deindè in profundum culeus jactatur. *l.* 9. ff. *d. tit.*

(*a*) A patre aut avo interemptorum.
(*b*) Strictè accipe, pro his solis qui parentes occiderunt.
(*c*) Quod hic de animalibus cum parricidâ includendis refertur, ad exasperandam antiquam pœnam adjectum est.

§ VI.

De Lege Corneliâ De Falsis, *& Senatusconsulto Liboniano; & variis* Falsi *speciebus.*

MCMXLIV.

Qui testamentum celaverit, deleverit, interleverit, resignaverit; qui-ve testamentum falsum scripserit, signaverit; cujus-ve dolo id factum erit; Legis Corneliæ pœnâ damnatur. *l.* 2. ff. *ad L. Corn. de Falsi.*

Per Senatusconsultum Libonianum pœnâ Legis productâ; Capite 1°. Si quis (*a*), quum alterius testamentum (*b*) vel codicillos scriberet, legatum (*c*) sibi (*d*) suâ (*e*) manu scripserit (*f*); perindè tenetur (*g*) ac si commisisset in Legem Corneliam. *l.* 15. ff. *d. tit.*

Altero Liboniani Capite; Legis Corneliæ pœnâ omnes teneri, qui etiam extra testamenta, falsa signassent. *l.* 16. § 1. ff. *ad L. Corn. de Falsi.*

(*a*) Militibus & Minoribus remittitur pœna Legis; ita tamen ut pro non scripto habeatur, quod sibi adscripserunt. Cæterùm in pœnam incidunt, & liberi, & patronus; licèt præteriti potuissent petere Bonorum possessionem *Contra Tabulas.* Is autem non incidit qui, quum ipse intestato sit heres testatoris, hereditatem ejus sibi nullo adjecto coherede nec substituto adscripsit.
(*b*) Nec refert jure factum fuerit necne, modò tamen fuerit absolutum.
(*c*) Aut quid aliud. Idem & si scripserit ademptionem alicujus legati; quod ab ipso relictum erat.
(*d*) Ei-ve quem tempore testamenti in suâ potestate habebat. His autem qui non erant in suâ potestate, quamvis esse crederet; item conjunctis personis, putà uxori suæ, impunè quis legatum adscribit.
(*e*) Ejus-ve quem in potestate habet.
(*f*) Non videtur autem *Sibi adscripsisse*, si nomen ipsius aliâ manu scriptum sit: licèt cætera suâ manu scripserit.
(*g*) Cessat, si testator specialiter ita subscripserit *Quod illi dictavi & recognovi*; imò si testamentarius erat in potestate testatoris, generalis subscriptio sufficit. Professio autem testatoris in aliâ scripturâ facta, se hoc reliquisse, prodest ad vitandam pœnam, non ad capiendum.

MCMXLV.

Innumeræ aliæ species Falsi *sunt, ad quas pœna Legis porrecta est.*

1°. *Circa* Instrumenta: *si quis aliquid amoverit quo verum non appareret, subjecerit, resignaverit; deposita apud se instrumenta prodiderit; in cautione pignoris, diem in fraudem priorum creditorum prætulerit* (antidatè).

2°. *Circa* Judicia: *si qui coïerunt ad opprimendos innocentes; si judex corrumpi se passus sit, & si quis eum corruperit; si qui diversa inter se testimonia præbuerunt; si ad dicendum aut non dicendum testimonium quis pecuniam acceperit aut pactus sit; si Prætoris Edicta corruperit quis, vel falsis Prætoris Edictis aut falsis Principis Constitutionibus utatur; si denique contra veras Constitutiones judicet.*

3°. *In* Contrahendo: *si quis sciens duobus eamdem rem diversis contractibus vendiderit, aut obligaverit; tutelæ alicujus rationibus obnoxius, per obreptionem cum fisco contraxerit; mensuras publicè probatas corruperit.*

Sunt quoque falsi species; Suppositio partûs, *item si quis alienæ dignitatis conditionis-ve insignibus utatur, vel si falsum nomen alicujus decipiendi causâ assumat.*

Cæterum Nominis mutatio, innocentibus periculosa non est. *l. un. Cod. de Mutat. nomin.*

MCMXLVI.

De Lege Corneliâ Nummariâ.

Qui nummos aureos, argenteos, laverit (*a*), conflaverit, raserit, corruperit, vultu-ve signatam monetam præter adulterinam reprobaverit (*b*); honestiores deportantur, humiliores in metallum damnantur aut in crucem tolluntur. PAUL. SENTENT. *lib.* 5. *Tit.* 25.

(*a*) Id est, ope liquoris quo metalla corraduntur, imminuerit.
(*b*) Hoc enim contra reverentiam Principi cujus vultu signata erat debitam factum videbatur: *d. tit.* N. 43.

§ VII.

De Variis aliis publicis judiciis.

MCMXLVII.

De Lege Juliâ Repetundarum.

Lex Julia REPETUNDARUM pertinet ad pecunias quas quis in magistratu, munere, ministerio-ve publico accepit; quo magis aut minùs quid ex officio suo faceret. *l.* 1. § 4. ff. *ad L. Jul. Repetund.*

Omnes cognitores & judices, ne alienum jurgium putent suam prædam. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

Plura alia hâc Lege Juliâ continentur; putà, ne Urbani Magistratus plus doni muneris-ve in anno accipiant, quàm quod sit aureorum centum, præterquàm à cognatis suis: ex l. 16. § 2. *l.* 1. § 1. *l.* 7. § 1. ff. *d. tit.*

MCMXLVIII.

De Lege Juliâ De Annonâ.

Lege Juliâ De Annonâ, pœna viginti aureorum statuitur, adversùs eum qui fecerit quid (*a*) quo annona carior fiat. *l.* 2. *pr. &* § 2. ff. *ad L. Jul. de Annon.*

(*a*) Putà, naves retinendo, monopolia exercendo, &c.

MCMXLIX.

De Lege Juliâ Peculatûs, De sacrilegis, & De residuis.

Lege Juliâ Peculatûs cavetur; Ne quis ex pecuniâ sacrâ, religiosâ, publicâ-ve, auferat, intercipiat... ne-ve quis in aurum, argentum, æs publicum, quid indat quo pejus fiat. *l.* 1. ff. *ad L. Jul. Pecul.*

Porrecta est & ad eos qui in publicis tabulis quid deleverint, induxerint, eas produxerint, in his minorem pecuniam quàm quid vænierit scripserint: ex l. 8. § 1. *l.* 9. § 5. & *l.* 10. ff. d. tit.

Hujus Legis pœna, quadruplum; cui pœna deportationis successit.

Source : BIU Cujas

Sunt ſacrilegi qui publica ſacra (*a*) compilaverunt. *l.* 9. § ff. *ad L. Jul. Pecul.*

Lege Juliâ (*b*) De RESIDUIS tenetur, qui publicam pecuniam delegatam in uſum aliquem retinuit, neque in eum conſumpſit. *l.* 4. § 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Capite puniuntur.
(*b*) Cujus pœna pecuniaria eſt; ſcilicet ut ampliùs tertiâ parte pecuniæ quam debet, plectatur.

M C M L.

De lege Juliâ Ambitûs.

Hæc Lex hodie in Urbe ceſſat; quia ad curam Principis, Magiſtratuum creatio pertinet. Quòd ſi in municipio contra hanc Legem, magiſtratum aut ſacerdotium quis petierit; per SCtum centum aureis cum infamiâ punitur. *l. un. pr. &* § ff. *ad L. Jul. Amb.*

Si quis reus vel accuſator domum judicis ingrediatur, in Legem ambitûs committit. *d. l. un.* § *fin.*

Ambitûs Lege damnatus ſi alium convicerit, in integrum reſtituitur; non tamen pecuniam recipit. *d. l.* § 2.

M C M L I.

De Lege Fabiâ DE Plagiariis.

Plagium committunt, qui hominem ſupprimunt. Hâc Lege tenentur, & qui liberum hominem ſciens vendit emit-ve, & qui ſervos fugitivos abſcondunt.

Ex Senatuſconſulto; ſub hujus Legis pœnâ, ſervum fugitivum vendere ne domino quidem licet, nec eum emere (*a*)*: niſi venditio conferatur in id tempus quo deprehenſus erit.*

(*a*) Ratio eſt ut deterreantur ſervi à fugâ, cùm ſciant ſe à nemine recipi poſſe.

Source : BIU Cujas

QUINTA PARS.

DE NONNULLIS CAPITIBUS AD JUS PUBLICUM PERTINENTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Romano Principe, Magiſtratibus, eorum Legatis & Adſeſſoribus.

ARTICULUS I.

De Romano Principe.

MCMLII.

Quod Principi placuit, Legis habet vigorem; utpotè cùm Lege Regiâ (*a*) quæ de Imperio ejus lata eſt, Populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat. *l.* 1. ff. *de Conſtit. princip.*

Auguſtus-Cæſar ſalutem Reipublicæ tueri nulli magis credidit convenire, nec alium ſufficere ei rei quàm Cæſarem. *l.* 3. ff. *de Offic. Præf. vigil.*

Eſt Princeps, pater patriæ. *l.* 19. ff. *de Interd. & releg.*

(*a*) Vide Notas ad h. l. lib. 1. Tit. *de Conſtit. Princ.* N. 1.

MCMLIII.

Princeps (*a*) Legibus ſolutus eſt. *l.* 31. ff. *de Legib.*

Etſi Lex Imperii, ſolemnibus Juris Imperatorem ſolverit; nihil tamen tam proprium Imperii eſt, quàm Legibus (*b*) vivere. *l.* 3. *Cod. de Teſtam.*

Digna vox eſt majeſtate regnantis, LEGIBUS ALLIGATUM PRINCIPEM profiteri: adeò de auctoritate Juris, noſtra pendet auctoritas. *l.* 4. *Cod. de Legib.*

Majus Imperio eſt, Legibus ſummittere Principatum. *l.* 4. *Cod. de Legib.*

(*a*) Vide Notam ad h. l. Tit. *de Legib.* N. 10. Vide & ſuprà Reg. 61.
(*b*) Hinc ex imperfectis, eis-ve quibus ſolemnia Juris deſunt, teſtamentis, relictas ſibi hereditates ac legata Romani Imperatores recuſant.

MCDXLIV.

Inter æquitatem Juſque interpoſitam interpretationem, Nobis ſolis (*a*) & oportet & licet inſpicere. *l.* 1. *Cod. de Legib.*

(*a*) Intellige de eâ interpretatione quæ legem alioquin claram, prætextu æquitatis vim ſuam in aliquibus caſibus obtinere non patitur: Hæc ſoli Principi reſervatur. Illa verò quæ in detegendis mente & conſequentiis legis verſatur, judici & Juriſconſulto permittitur: ſuprà Part. 1*a*. Sect. 2.

MCMLV.

Calumniandi (*a*) facultatem ex Principali Majeſtate capi non oportet. PAUL. SENT. *lib.* 5. *Tit.* 2. § 24.

(*a*) Hinc *Lites donatas ſe non ſuſcipere Divus Pius reſcripſit*: l. 22. § 2. ff. *de Conſt. Princ.*

ARTICULUS II.

De Provinciarum diſtinctione, & de officio Magiſtratuum præſertim provincialium.

MCMLVI.

Provinciarum aliæ PROCONSULARES *dicuntur, ſcilicet provinciæ Populi Romani, quæ per Proconſules lectos ex Senatorio Ordine regebantur: aliæ* PRÆSIDIALES *ſeu provinciæ Cæſaris, quas per Legatos ſuos regebat; hi enim propriè dicebantur* Præſides, *& erant minoris in ſpecie dignitatis quàm Proconſules, ſed majoris auctoritatis cùm & exercitibus præeſſent.*

Circa eam autem provinciarum diſtinctionem hæc regula traditur: Temporaria (*a*) permutatio jus provinciæ non innovat. *l.* 123. § 1. ULP. LIB. 14. AD ED.

(*a*) Id eſt; licèt ad tempus, fortè belli neceſſitate, ad regendam provinciam Proconſularem miſſus ſit *Legatus*, non ideò deſinit illa eſſe *Proconſularis*; & vice versâ. Hæc Cujacii interpretatio, prævaluit interpretationi Veterum qui *Jus provinciæ* in hâc regulâ intelligebant, de conſuetudine provinciæ cui unus aut alter actus contrarius derogare non debeat. J. Gothofredus aliam interpretationem attulit; ſcilicet ut, ſi provinciæ alicujus adminiſtratio ad tempus unita ſit adminiſtrationi alicujus provinciæ, putà quum Palæſtina Rectori Syriæ ſubjecta eſt; hæc *Temporaria permutatio* non efficiat quominùs hæc provincia unita *Jus* ſuum *Provinciæ* conſervet, & videatur alia provinciaquàm ea cui quoad temporariam adminiſtrationem unita eſt. An autem provincia eadem, an diverſa videatur, frequens uſus in Jure; putà, in præſcriptionibus, dilationibus, temporibus appellationum, &c.

MCMLVII.

REGULA GENERALIS *circa officium Magiſtratuum provincialium.*

Non ſpectandum eſt quid Romæ factum eſt, quàm quid fieri debeat. *l.* 12. ff. *de Offic. Præſ.*

MCMLVIII.

De Magiſtratûs adventu in provinciam.

Proficiſci Proconſulem melius eſt ſine uxore. *l.* 4. § 2. ff. *de Offic. Proconſ.*

Atequàm fines provinciæ Proconſul ingreſſus ſit; Edictum debet de adventu ſuo mittere, continens commendationem aliquam ſuî, & maximè excuſantis ne publicè vel privatim occurant ei. *d. l.* 4. § 3.

Significet quâ die fines ſit ingreſſurus. *d. l.* 4. § 4.

Præſidem obſervare oportet ut per eam partem Provinciæ ingrediatur, per quam ingredi mos eſt. *d. l.* 4. § 5.

Si in celebrem civitatem advenerit; pati debet commendari ſibi civitatem, laudeſque ſuas non gravatè audire. *l.* 7. ff. *d. tit.*

MCMLXIX.

De ejus reſidentiâ.

Ne qui provinciam regit, fines ejus excedat; niſi voti ſolvendi causâ, dùm tamen ei abnoctare non liceat. *l.* 15. ff. *de Offic. Præſ.*

Source : BIU Cujas

MCMLX.

De ejus converſatione in Provinciâ.

1. *Proconſul* Ne in hoſpitiis (*a*) præbendis oneret provinciam. *l.* 2. ff. *de Offic. Proconſ.*

2. Obſervandum Jus reddenti, ut in adeundo facilem ſe præbeat; ſed contemni non patiatur. *l.* 19. ff. *de Offic. Præſ.*

Ne Præſides in ulteriorum familiaritatem provinciales admittant. *d. l.* 19.

3. Plebiſcito continetur; ne quis Præſidum munus donum-ve caperet, niſi eſculentum proculentum-ve quod intra dies proximos prodigatur. *l.* 18. ff. *d. tit.*

Quantum ad xenia, vetus proverbium eſt; NEQUE omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus. *l.* 6. § 3. ff. *de Offic. Proconſ.*

Inhumanum, à nemine accipere; paſſim, viliſſimum; omnia, avariſſimum. *d.* §. 3.

4. Qui officii causâ in provinciâ agit, prædia comparare in eâdem provinciâ non poteſt; præterquàm ſi paterna ejus à fiſco diſtrahantur. *l.* 62. ff. *de Contr. empt.*

Ne qui provinciam regunt, negotientur, fœnus-ve exerceant. *l.* 33. ff. *de Reb. cred.*

Præſes mutuam pecuniam fœnebrem ſumere non prohibetur. *l.* 34. § 1. ff. *d. tit.*

(*a*) Dum non eſt contentus domo quæ ſibi ſufficere poſſit.

MCMLXI.

De ejus miniſteris.

Nemo Proconſulum ſtratores, ſuos (*a*) habere poteſt; ſed vice eorum, milites. *l.* 4. § 1. ff. *de Offic. Proc.*

Ne tenuis vitæ homines, ſub prætextu adventûs officiorum vel militum, lumine unico vel brevi ſupellectili ad aliorum uſus tranſlato, vexentur. *d. l.* 6. § 5.

(*a*) Domeſticos. *Il ne doit point ſe ſervir de ſes domeſtiques pour Officiers.* Vide Tit *de Offic. Proconſ.* N. 28. cum Notis.

MCMLXII.

De officio circa Cognitiones.

Magiſtratum Obſervare oportet, ut ſit ordo (*a*) aliquis poſtulationum; ne, dum honori poſtulantium datur vel improbitati ceditur, mediocres deſideria ſua non proferant. *l.* 9. § 4. ff. *de Offic. Proconſ.*

Advocatos petentibus (*b*) debibit indulgere. *d. l.* 9. §. 5.

Circa Advocatos patientem eſſe Proconſulem oportet; ſed cum ingenio, ne contemptibilis videatur. *d. l.* 9. § 2.

In cognoſcendo, neque excandeſcere adversùs eos quos malos putat, neque precibus calamitoſorum in lacrimari oportet. *l.* 19. § 1. ff. *de Offic. Præſ.*

Præſes, ſi mulctam quam irrogavit, ex facultatibus eorum quibus condixit redigi non poſſe deprehenderit; neceſſitatem ſolutionis moderetur. *l.* 6. § 9. ff. *de Offic. Præſ.*

Præſides non per Adſeſſores, ſed per ſe ſubſcribant libellis. *l.* 2. *Cod. de Adſeſſor.*

(*a*) *Un Rôle des cauſes.*
(*b*) Maximè his qui propter potentiam adverſarii non invenirent.

MCMLXIII.

De Politiâ.

Congruit bono & gravi Præſidi, curare ut pacata atque quieta provincia ſit quam regit. *l.* 13. ff. *de Offic. Præſ.*

Sacrilegos, latrones, plagiarios, fures, conquirere debet. *d. l.* 13.

Furioſis, ſi non poſſint per neceſſarios contineri, eo remedio per Præſidem obviàm eundum eſt ut carcere contineantur. *d. l.* 13. § 1.

Ne potentiores viri, humiliores injuriis afficiant... ad religionem Præſidis pertinet. *l.* 6. § 2. ff. *d. tit.*

Sub prætextu tributorum, illicitas exactiones fieri prohibeat. *d. l.* 6. § 3.

Nec licitâ negotiatione aliquos prohiberi, nec prohibitas exerceri... ad ſollicitudinem ſuam revocet. *d. l.* 6 § 4.

Ædes ſacras & opera publica circumire, inſpiciendi gratiâ an refectione indigeant; & ſi qua cœpta ſint, ut conſummentur, prout vires ejus Reipublicæ permittunt, curare debet. *l.* 7. § 1. ff. *Offic. Proconſ.*

Privatorum ædificiorum Dominos causâ cognitâ reficere compellat. *l.* 7. ff. *de Offic. Præſ.*

ARTICULUS III.

De Legatis, & Adſeſſoribus.

§ I.

De Legato Proconſulis.

MCMLXIV.

Legati Proconſulis nihil proprium habent, niſi à Proconſule eis mandata (*a*) fuerit juriſdictio. *l.* 13. ff. *de Offic. Proconſ.*

Legatos non oportet Principem conſulere, ſed Proconſulem (*b*) ſuum. *l.* 6. § 2. ff. *d. tit.*

Legato Adimere mandatam juriſdictionem, licet quidem Proconſuli; non debet autem inconſulto Principe. *d. l.* 6. § 1.

(*a*) Sed quum ipſis mandata fuerit, etiam quædam habent propria; ut dationem tutoris: Tit. *de Offic. Proconſ.* N. 39.
(*b*) Et ab his ipſe Proconſul appellari: in quo differunt à cæteris juriſdictionis mandatariis, à quibus is appellatur qui appellaretur ab eo qui mandavit.

§ II.

De Adſeſſoribus, ſeu Juriſconſultis qui Magiſtratibus adſidebant.

MCMLXV.

Officium Adſeſſoris in his ferè conſiſtit; in cognitionibus (*a*), poſtulationibus (*b*), libellis (*c*), Edictis (*d*), Decretis, epiſtolis. *l.* 1. ff. *de Offic. Adſeſſor.*

(*a*) Magiſtratui cognoſcenti Jus ſuggerebant.
(*b*) Poſtulationum ordinem inſtituebant.
(*c*) Suggerebant Magiſtratui, quid reſponderent libellis ſibi oblatis.
(*d*) Edicta, Decreta, epiſtolas Magiſtratuum quibus Principem conſulebant, concinnabant.

Source : BIU Cujas

CAPUT SECUNDUM.

De Re militari.

§ I.

Qui possint nomen dare militiæ.

MCMLXVI.

Qui statûs controversiam patiuntur, non debent per id tempus nomen militiæ dare; nec qui ab hostibus redempti sunt, priusquàm se luant. *l.* 8. ff. *de Re milit.*

Libertus operis obligatus, militiæ nomen non sine injuriâ patroni dabit. *l.* 43. ff. *de Oper. libert.*

Judicio publico damnati (*a*), inter milites non sunt recipiendi. *l.* 3. § 7. ff. *de Re milit.*

Qui metu criminis in quo jam reus postulatus est nomen militiæ dedit, statim sacramento solvendus est. *l.* 16. ff. *d. tit.*

In fraudem civilium munerum nomina armatæ militiæ dantibus, fraudem prodesse displicuit. *l.* 2. *Cod. Qui milit. poss.*

Non ignoratis eos qui litis causâ militiam (*b*) adpetierunt, postulantibus adversariis solvi sacramento. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

(*a*) Et cæteri infames: Tit. *de Re milit.* N. 8.
(*b*) Si ex circumstantiis liquidum sit, eum animum habuisse ut adversarium vexarent.

MCMLXVII.

Dare se militem cui non licet, grave crimen (*a*) habetur. *l.* 2. § 1. ff. *de Re milit.*

Gravius delictum est (*b*) detrectare munus militiæ, quàm adpetere. *l.* 4. § 10. ff. *d. tit.*

(*a*) Hoc capitale in servo; l. 4. § 1. & l. 11. ff. *h. tit.* item in deportato, d. l. 4 § 2. in cæteris, variè punitur.
(*b*) Olim capitale. Nunc mitiùs punitur, nec tantùm in eo ipso qui ad delectum non respondet, sed & in patre qui filium suum subtrahit.

§ II.

Quæ militibus interdicantur, & de delictis militaribus.

MCMLXVIII.

Milites ... armis, non privatis negotiis occupentur (*a*). *l.* 31. *Cod. Locati.*

Milites prohibentur prædia comparare (*b*) in his provinciis in quibus militant (*c*); præterquàm si paterna eorum fiscus distrahat. *l.* 9. ff. *de Re milit.*

(*a*) Hinc civiles curæ, agrorum cultura, animalium custodiæ, mercimonia, ipsis interdicuntur: l. 15. & l. 16. *de Re milit.*
(*b*) Sub pœnâ publicationis fundi. Sed postquàm honestè missi sunt, ampliùs non possunt ex hâc causâ deferri
(*c*) Rustica scilicet; ne studio culturæ à militiæ muniis avocentur. Secùs de domo, & quolibet prædio urbano.

MCMLXIX.

Militare est delictum, quod quis uti miles admittit. *l.* 2. ff. *d. tit.*

Omne delictum est militis, quod aliter quàm disciplina communis exigit committitur; veluti segnitiæ (*a*) crimen, contumaciæ (*b*), desidiæ (*c*). *l.* 6. ff. *d. tit.*

Aliæ species delictorum militarium: seditiones, rixæ, d. tit. N. 21; *furtum N.* 22; *si quis sibi manus intulit, N.* 23; *si quis desertor fuerit aut emansor, N.* 24. *& seq.*

De variis militum pœnis, d. tit. *N.* 30.

(*a*) Ut ejus qui prior fugit, qui præpositum suum non protexit, qui languorem simulavit ne pugnaret. N. 17.
(*b*) Adversùs duces & præpositos: N. 19. & 20.
(*c*) Ut ejus qui arma amisit, abjecit, alienavit quolibet modo: N. 18.

§ III.

De Officio regentis exercitum.

MCMLXX.

Officium regentis exercitum, non tantùm in dandâ sed etiam observandâ disciplinâ constitit. *l.* 12. ff. *d. tit.*

Debet qui se meminerit armato præesse, parcissimè commeatum dare; equum militarem extra provinciam duci non permittere; ad opus privatum, piscatum, venatum, militem non mittere. *d. l.* 12. § 1.

§ IV.

De variis missionibus ex militiâ.

MCMLXXI.

Missio honesta est, quæ tempore militiæ expleto (*a*) datur. *l.* 13. § 3. ff. *d. tit.*

Missio causaria est; quum quis vitio animi (*b*) vel corporis, minùs idoneus militiæ renuntiatur. *d. l.* 13. § 3.

Ignominiosa missio est; quoties is qui mittit, addit nominatim ignominiæ causâ se mittere. Sed & si eum exauctoraverit (*c*), inter infames efficit. *l.* 2. § 2. ff. *de His qui not. infam.*

Ignominiâ missis, nec in Urbe nec alibi ubi imperator est, morari licet. *d. l.* 2. § 4.

(*a*) In quo computatur & illud tempus quo citra culpam suam in captivitate hostium fuit; non illud quo in desertione fuit, quamvis ex hâc causâ restitutus fuerit.
(*b*) Putà, amentiâ.
(*c*) Solemnis exauctoratio fit detrahendo insignia militiæ, zonam scilicet aut balteum.



Source : BIU Cujas

CAPUT TERTIUM.

De Fiſco, Civitatibus & Collegiis.

SECTIO I.

De Fiſco.

ARTICULUS I.

De privilegiis fiſci; & contrà, in quibus cauſis deteriori jure utatur; item quas dilationes det debitoribus.

MCMLXXII.

1. Fiſcus ex ſuis contractibus uſuras non (*a*) dat, ſed ipſe accipit (*b*). *l.* 17. § 5. ff. *de Uſur.*

2. In ſortis (*c*) quantitatem, fiſci perſecutio potior (*d*) eſt. *l. un. Cod. de Pœn. fiſcal.*

Fiſcum quum in privati jus ſuccedit... puto exindè privilegio eſſe locum, ex quo inter nomina debitorum relatum nomen eſt (*e*)... Privati jure, pro anterioribus ſuæ poſſeſſionis temporis, utitur. *l.* 6. ff. *de Jur. fiſc.*

3. Fiſcus ſemper habet jus pignoris (*f*). *l.* 46. § 3. ff. *d. tit.*

4. Si qui mihi obligaverat quæ habet habiturus-ve eſſet, cum fiſco contraxerit, ſciendum, in re poſteà acquiſitâ fiſcum potiorem (*g*). *l.* 28. ff. *d. tit.*

5. *Creditori ſi quis publicam pecuniam in ſolutum ſui debiti dedit;* Placet omnimodo ei pecuniam auferendam eſſe, etiamſi ignoravit (*h*) quum conſumeret. *l.* 18. § 10. ff. *d. tit.*

6 Qui quid ſciens in fraudem fiſci ſuſcepit; non ſolùm rem, ſed alterum tantum reſtituere cogitur. *l.* 46. § 1. ff. *d. tit.*

7. Sæpè reſcriptum eſt, compenſationi in causâ fiſcali ita demùm locum eſſe, ſi eadem ſtatio (*i*) quid debeat quæ petit. *l.* 1. *Cod. de Compenſ.*

8. Suſtinendæ (*k*) actiones cæterorum, ne publicæ cauſæ præjudicetur. *l.* 35. ff. *de Jur. fiſc.*

9. Neque (*l*) inſtrumenta, neque acta à quoquam adversùs fiſcum edi oportet. *l.* 45. § 5. ff. *d. tit.*

10. *In cauſis pecuniariis fiſcus cogit adverſarium edere contra ſe: ex l.* 1. § 1. ff. *d. tit.*

11. Si ſine fiſci Advocato pronuntiatum ſit, Divus Marcus reſcripſit nihil eſſe actum. *l.* 7. *ff. d. tit.*

12. *Hoc etiam privilegium eſt;* Cauſas in quibus contra fiſcum pronuntiatum eſt, retractari poſſe. *l.* 1. *Cod. de Sentent. ad. fiſc.*

Cætera fiſci privilegia, vide Tit. de Jure fiſc. *Sect.* 2ª.

MCMLXXIII.

Non puto delinquere eum (*a*), qui in dubiis quæſtionibus contra fiſcum facilè reſponderit. *l.* 10. ff. *de Jure fiſc.*

Æquum (*b*) putavit Imperator priùs (*debitorem fiſcalem ejus-ve*) heredes conveniri debere; in reliquum, *pignorum* poſſeſſorem. *l.* 47. *ff. d. tit.*

(*a*) Sive judicem, ſive Juriſconſultum.
(*b*) Contrà, privatus creditor à pignoribus incipere poteſt: Tit. *de Pign. & hyp.* N. 31.

MCMLXXIV.

Fiſcalibus debitoribus petentibus, ad comparandam pecuniam, dilationem negari non placuit... *ita* ut in majoribus ſummis non pluſquàm tres menſes, in minoribus non pluſquàm duo prorogentur. *l.* 45. § 10. ff. *d. tit.*

(*a*) Privilegium id fiſci eſt; quum cæteri debitores ex morâ in contractibus bonæ fidei uſuras debeant. Quo jure (cæterorum ſcilicet debitorum) etiam ipſe fiſcus utitur quum in privati jus ſuccedit. Tit. *de Uſur.* N. 48. & 50.
(*b*) Etiam in contractibus ſtricti Juris, citra ſtipulationem; in quo eſt alterum fiſci privilegium: d. Tit. *de Uſur.* N. 50.
(*c*) *Sors* hìc opponitur, his quæ ex pœnali causâ debentur. Pro pœnis enim, nedum fiſcus privilegium habeat, imò poſtponitur creditoribus antiquioribus: d. Tit. *de Jur. fiſc.* N. 37.
(*d*) Cæteris creditoribus.
(*e*) Vide Tit. *de Jure fiſc.* N. 38.
(*f*) In univerſis bonis ejus qui cum fiſco contrahit aliquid, aut etiam quaſi-contrahit, putà adit hereditatem debitoris fiſci. Speciale in causâ primipili, ut fiſcus jus pignoris habeat, in ſubſidium, etiam in his rebus quas debitor in dotem ab uxore accepit: *d. tit.* N. 40. 41. 42. Hæc autem Regula obtinet, quum fiſcus ipſe contraxit, non quum in alterius nomen ſucceſſit. *d. tit.* N. 43.
(*g*) Scilicet hoc privilegium fiſci eſt, ut in concurſu temporis potior ſit: Tit. *Qui portior. in pign.* N. fin.
(*h*) Hoc privilegium receptum eſt contra jus commune: quo ſolutionem alienæ pecuniæ reconciliat, conſumptio ejus bonâ fide facta. Vide *d. tit.* N. 44.
(*i*) *Le même Bureau.* Sed & ſi eadem ſtatio debeat; quædam cauſæ ſunt ex quibus fiſco compenſatio non opponitur, ut tributorum, &c. Tit. *de Compenſ.* N. 10.
(*k*) Putà, ſi fiſcus petat hereditatem; ſuſtinendæ erunt actiones creditorum hereditariorum, donec de jure fiſci judicatum ſit.
(*l*) Si cum privato agam; poſſum à quovis deſiderare ut inſtrumenta quæ habet, mihi (ſine illius diſpendio) contra adverſarium meum futura, edat: hoc non poſſum deſiderare, ſi contra fiſcum agam. Contrà, vice versâ: fiſcus deſiderare poteſt ut is contra quem agit, edat contra ſe: Tit. *de Fid. inſtr.* N. 2. & 3. Tit. *de Edend.* N. 10. &Tit. *de Jur. fiſc.* N. 46. & 47.

ARTICULUS II.

De Nuntiationibus ad fiſcum.

§ I.

Qui ſint, & qui poſſint eſſe delatores.

MCMLXXV.

Delator dicitur, qui rem ad fiſcum pertinentem (a) ultrò præmii causâ denuntiat.

Delator non eſt, qui protegendæ cauſæ (*b*) ſuæ gratiâ aliquid ad fiſcum nuntiat. *l.* 44. ff. *de Jur. fiſc.*

(*a*) Varias cauſas ex quibus pertinere ac deferri poſſit, vide Tit. *de Jur. fiſc.* N. 7.
(*b*) Exempla in d. tit. N. 2. Idem & ſi, dum quis cauſam Reipublicæ ſuæ defendit: *d. tit.* N. 3. Omnibus notiſſimum, execrabiles nuntiatores eſſe qui fiſco deferunt: l. 4. Cod. *de Delat.*

MCMLXXVI.

Deferre non poſſunt mulieres. *l.* 18. ff. *de Jur. fiſc.*

Milites (*a*), propter honorem ſtipendiorum, deferre prohibentur. *d. l.* 18. § 6.

Damnati (*b*) deferre non poſſunt: ſed eas cauſas quas ante damnationem cœperunt deferre, poſſe eos poſt damnationem exſequi, reſcriptum eſt. *d. l.* 18. § 2. & 4.

Severus conſtituit ne ſervi delatores dominorum audiantur (*c*): libertos quoque cauſæ mandatores (*d*), plectendos. *l.* 2. § 6. ff. *d. tit.*

Qui tutores vel curatores fuerunt, non oportere deferre cauſas pupillorum, vel adoleſcentium ſuorum...

(*a*) Hoc productum ad Veteranos. A fortiori, Clariſſimi deferre non poſſunt: Tit. *de Jur. fiſc.* N. 5.
(*b*) Putà ad opus publicum d. § 2. ad metallum § 3.
(*c*) Excipitur cauſa Majeſtatis.
(*d*) Non ſolùm ſi ipſi delatores ſint, ſed & ſi alteri mandaverint ut deferret

Source : BIU Cujas

Quod consequens est & observari in eo qui quasi procurator negotia gessit. *sup. d. l.* 18. § 8.

Qui aliquam vendidit rem, eam deferre non debet. *d. l.* 18. § 9.

§ II.

Intra quod tempus delationes admittantur.

MCMLXXVII.

In omnibus fisci quæstionibus, exceptis causis in quibus minora (*a*) tempora servari specialiter constitutum est, viginti annorum præscriptio (*b*) custoditur. *l.* 13. ff. *de Div. temp. præsc.*

Præscriptio viginti annorum solet ex eo numerari, ex quo quid ad fiscum pertinere potuit. *l.* 1. § 3. ff. *de Jur. fisc.*

Causæ quæ à priore nuntiatore proditæ dicuntur, etiam post *præscriptionis* annos, nuntiari possunt. *d. l.* 1. § 5.

Vide Tit. de Jure fisci *N.* 9 & 10.

(*a*) Ut causa vacantium bonorum; cujus nuntiationi quadriennium statutum est, ex quo certum esse cœpit neminem alicui existere successorem.
(*b*) Ita ut intra hoc tempus delatio fieri debeat. Cæterùm intra hoc tempus facta, etiam post hoc tempus peragi potest.

§ III.

De Delatoris obligatione, & ejus pœnâ si delationem non impleverit.

MCMLXXVIII.

Sicut renuntiare causam nemo cogitur; ita liberum arbitrium desistendi, ei non datur qui detulit. *l.* 22. § 3. ff. *d. tit.*

Severus & Antoninus rescripserunt; Delatorem audiendum volentem à lite desistere, si mandatorem (*a*) subtractum queratur. *d.* § 3.

Si delator abolitionem petat; judex si errasse (*b*) videbitur, det imprudentiæ veniam. *l.* 15. ff. *d. tit.*

A delatore qui adesse jussus, respondente possessore, non adfuerit; tantum exigendum, quantum apud Ærarium remaneret si professionem implesset. *d. l.* 15. § 4.

(*a*) Sed hoc casu ita punitur mandator, ut tantum fisco inferat, quantum præmii nomine habuisset delator si vicisset. Tit. *de Jur. fisc.* N. 11.
(*b*) Id est, non calumniæ causâ, sed aliquâ probabili ratione deceptus videatur ad delationem prosiluisse.

MCMLXXIX.

Non tantùm delator punitur si non probaverit, sed & mandator quem exhibere debet delator. *l.* 24. ff. *d. tit.*

Vide Tit. de Jur. fisc. *N.* 11. 12. 13.

§ IV.

De Officio judicis qui de delatione cognoscit, & de pœnâ ejus qui delatorem corrupit.

MCMLXXX.

Quum quis res aut bona detulit; donec controversia pendet, possessor super his inquietandus non est, nec ea interim describi (*a*) fas est. *l.* 7. *Cod. de Jur. fisc.*

Nullo modo exigendum quem probare undè habeat, circa delationes fiscales. *l.* 25. ff. *de Jur. fisc.*

In fisci causis, pacti cum (*b*) delatoribus pro confessis habentur (*c*), si modò pretium vel modicum dederint. *l.* 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Excipiuntur hâc lege Officiales Procuratoris Cæsaris, propter consuetudinem fraudum.
(*b*) Aut judice.
(*c*) Hæc tamen pœna ut pro confessis habeantur, adeòque rem denuntiatam cum fructibus ex die delationis restituere cogantur; nisi fuerit pronuntiata, non transit in heredes; sed adversùs eos instauratur causa. Tit. *de Jur. fisc.* N. 14. 15. 16. 17.

§ V.

De distractione rerum publicatarum.

MCMLXXXI.

Hæc forma est, quoties ad fiscum vel minima portio rei pertinet, ut universa distrahatur, pretium partis in fiscum redigatur. *l. un. Cod. de Vend. rer. fisc. comm.*

Res quæ sunt in controversiâ, non debent à Procuratore Cæsaris distrahi. *l.* 22. ff. *de Jur. fisc.*

Bonorum fisco vindicatorum actores, venumdari (*a*) non possunt. *l.* 8. ff. *d. tit.*

Fisci Procurator, quamvim duplum pro evictione promiserit, tamen fiscus simplum (*b*) præstabit. *l.* 5. ff. *d. tit.*

(*a*) Nec manumitti.
(*b*) Inutilis est, in id quod excedit, ipso jure stipulatio: *d. tit.* N. 24.

§ VI.

De his qui se deferunt.

MCMLXXXII.

Edicto Trajani significatur; ut, si quis antequàm causa ejus ad Ærarium deferatur, professus esset eam rem quam possidebat capere sibi non licere, ex eâ partem fisco inferret, partem (*a*) ipse retineret. *l.* 13. ff. *d. tit.*

Ad eos beneficium Trajani pertinet; qui relictum sibi (*b*) capere (*c*) non possunt. *d. l.* 13. § 8.

Ad præmium obtinendum; id deferre quis Debet quod latet, non id quod fisci est. *d. l.* 13. § 3.

Vide d. tit. N. 29 & 30.

Ei qui per errorem (*d*) se detulit, quum capere solidum posset, non nocet. *d. l.* 13. § 10.

(*a*) Dimidiam scilicet ejus quod habuisset, si non fuisset delatus.
(*b*) Cessat igitur, si relictum fuerit his qui in ipsorum potestate sunt; aut ei cui heredes extiterunt, nisi defunctus habuisset ipse voluntatem se deferendi & morte præventus non fecerit: multomagis, si defunctus se detulit, & nondum peractâ delatione mortuus est: præmium heredi servabitur.
(*c*) Ex aliquâ incapacitatis causâ. Secùs de causis indignitatis: *d. tit.* N. 28.
(*d*) Qui ob rusticitatem aut sexum sit veniâ dignus. d. l. 13. § 7. *d. tit.* N. 34.

ARTICULUS III.

De Vectigalibus.

VECTIGAL *hîc dicitur Octava pretii certarum mercium, quod pro eis advehendis aut evehendis fisco aut civitatibus, prout ferebat consuetudo, inferenda erat.*

§ I.

Pro quibus, mercibus, à quibus & quale Vectigal pendendum sit.

MCMXXXIII.

Vectigalia sine Imperatorum præcepto, nec Præsidi nec Curiæ, constituere, nec præcedentia reformare, & his vel addere vel diminuere, licet. *l.* 10. ff. *Public.*

Universi provinciales, pro his rebus quas ad usum proprium vel ad fiscum inferunt, vel exercendi ruris gratiâ advehunt, nullum vectigal exigantur. *l. Cod. de Vect. & comm.*

Fiscus (*a*) à vectigalium præstationibus immunis est. *l.* 9. § 8. ff. *de Public.*

(*a*) Non mercatores qui de fundis fiscalibus merces advehunt. Nemo, ne miles quidem, nec sub prætextu Rescripti immunis est à vectigalibus. Excipiuntur tamen navicularii, quum sibi negociantur: *d. tit.* N. 21. 23. 24. sed & Barbari fœderati, vectigal pro mercibus quas advehunt debent, non pro his quas ex Romanâ ditione evehunt.

Source : BIU Cujas

MCMLXXXIV.

In omnibus vectigalibus consuetudo spectari solet. *l.* 4. § 2. ff. *d. tit.*

§ II.

De pœnâ Commissi, seu confiscationis, ob non professas merces vectigali obnoxias, alias-ve causas; & de effectu Commissi.

MCMLXXXV.

Licèt quis se ignorasse dicat; nihilominùs in pœnam vectigalis *defraudati* incidere, Hadrianus constituit. *l.* 16. § 5. ff. *de Publican.*

Non imputatur publicano quòd non instruxerit transgredientem; se illud custodiendum, ne decipiat profiteri volentes, *d. l.* 16. § 6.

Antoninus & Verus rescripserunt; Pupillo remittere se pœnam commissi, si intra trigesimum diem vectigal intulisset. *l.* 7. § 1. ff. *d. tit.*

Militibus (*a*) prospeximus; ne ob omissas professiones, pœnâ commissi tenerentur. *l.* 3. *Cod. d. tit.*

Quum professiones (*b*) recitantur, commissum cessat. *l.* 16. § 12. ff. *de Publican.*

(*a*) In his enim præsumitur & excusatur ignorantia Juris. Sed quamvis in paganis non excusetur, tamen si errore non dolo peccasse videntur, jubet Imperator ut publicanus duplo vectigali contentus pœnam commissi remittat: *d. tit.* N. 32. in fine.

(*b*) Licèt vectigal non solutum fuerit.

MCMLXXXVI.

Aliæ Commissi causæ.

Dominus navis si illicitè aliquid in nave, vel ipse vel vectores imposuerunt (*a*), navis quoque fisco vindicatur. *l.* 11. ff. *de Publican.*

In eo loco quò certas merces advehi prohibitum est, si propter necessitatem adversæ tempestatis onus expositum est; non debet commisso vindicari. *d. l.* 16. § 8. *Vide alias commissi causas, Tit.* de Publican. *N.* 35 & 36.

(*a*) Ipso sciente. Nam si ignoravit, solæ merces cadunt in commissum.

MCMLXXXVII.

De effectu commissi.

Quod commissum (*a*) est, statim definit ejus esse qui crimen contraxit. *l.* 14. ff. *d. tit.*

Mancipiis commissis, res peculiares non sunt in eâdem causâ. *l.* 16. § 2. ff. *d. tit.*

Illicitarum mercium persecutio, heredem (*b*) quoque adstringit. *l.* 11. § 3. ff. *d. tit.*

Rem quæ commisso vindicata est, dominus (*c*) emere non prohibetur. *l.* 11. § 4. ff. *d. tit.*

Nec commissum quod ante quinquennium factum dicitur, vindicari potest. *l.* 2. *Cod. de Vectig. & comm.*

Nec pro re quæ in commissi causam cecidit; si non existat nec dolo supprimatur, pretium peti potest. *d. l.* 2. *Cod. d. tit.*

(*a*) Hoc ipso quòd in causam commissi cecidit; putà, hoc ipso quòd quis non est professus. Benignè tamen, si servus qui in causam commissi cecidit, manumissus fuerit; non revocatur libertas. Tit. *d. Public.* N. fin.

(*b*) Quatenùs scilicet eas possideret: alioquin non tenetur commisso. l. 16. § 13. ff *d. tit.*

(*c*) Imò interdum hastæ non subjicitur; & domino permittitur inferre æstimationem, loco rei quam maximè interest ipsum habere. Vide exempla *d. tit.* N. 38.

§ III.

De conductione vectigalium.

MCMLXXXVIII.

Prohibiti sunt à fisco conducere, qui tutelam curamve (*a*) gerunt. *l.* 49. § 1. ff. *Locat.*

(*a*) Aut gestæ rationes nondum reddiderunt.

Minoribus vectigalia locanda non sunt. *l.* 45. § *fin.* ff. *de Jur. fisc.*

Debitores fisci, itemque Reipublicæ, vectigalia conducere prohibentur. *l.* 9. § 3. ff. *de Publican.*

MCMLXXXIX.

Penès illum vectigalia manere oportet, qui superior in licitatione (*a*) extiterit; ita ut non minùs quàm triennii fine locatio concludatur. *l.* 4. *Cod. de Vect. & com.*

Ad conducendum vectigal nemo (*b*) compellitur. *l.* 9. § 1. ff. *de Publican.*

Socii vectigalium, si separatim administrent, alter ab altero minùs idoneè in se portionem tranferre jure desiderat. *d. l.* 9. § 4.

(*a*) Modò, det idoneos fidejussores.

(*b*) Excipiuntur illi qui maximos fructus ex redemptione perceperunt: compelluntur enim iterùm conducere, si tanti locari non possunt.

SECTIO II.

De jure Universitatum, civitatum scilicet & collegiorum.

ARTICULUS I.

De earum naturâ & privilegiis; & quatenùs cuique liceat coïre in collegium.

§ I.

De naturâ Universitatum.

MCMXC.

Quibus permissum est habere corpus collegii societatis-ve; proprium est, ad exemplum Reipublicæ, habere res communes, arcam communem, & syndicum. *l.* 1. § 1. ff. *Quod cujusc. universi.*

His qui ejusdem collegii sunt potestatem facit Lex, pactionem quam velint sibi ferre; dùm ne quid ex publicâ lege corrumpant. *l.* 4. ff. *de Colleg. & corp.*

Si quid universitati debetur, singulis non debetur; nec quod debet universitas, singuli debent. *l.* 7. § 1. ff. *Quod cujusc. universi.*

MCMXCI.

In universitatibus nihil refert utrùm omnes iidem maneant, an pars maneat, an omnes immutati sint. *d. l.* 7. § 2.

Si universitas ad unum redit, stat nomen universitatis. *d.* § 2.

Municipes intelliguntur scire (*a*), quod sciant hi quibus summa Reipublicæ commissa est. *l.* 14. ff. *ad Municip.*

(*a*) Hinc V. G. si scripti fuerint heredes, ; currit eis tempus bonorum possessionis petendæ ex quo scivit Syndicus.

§ II.

De Privilegiis universitatum, & maximè civitatum, & ad quæ non porrigantur.

MCMXCII.

Respublica, jure Minorum uti solet, ideòque auxilium restitutionis implorare (*a*) potest. *l.* 4. *Cod. Ex quib. caus. maj.*

(*a*) Quum in aliquo contractu capta est.

Si

Source : BIU Cujas

Si quid adversùs Rempublicam indefensam statutum est, actionibus ejus nihil est præjudicatum. *l.* 1. *Cod. de Jur. Reipubl.*

Etiam ex nudo pacto, debentur civitatibus usuræ pecuniarum ab eis creditarum. *l.* 30. ff. *de Usur.*

M C M X C I I I.

Reipublicæ causa (*a*) non separatur à cæteris creditoribus, qui habent personalem actionem. *l.* 2. *Cod. de Jur. Reipubl.*

Si civitas nullam propriam legem habet de adjectionibus admittendis, non potest recedi à locatione vel venditione prædiorum publicorum jam perfectâ. *l.* 21. § 7. ff. *ad Municip.*

(*a*) Quædam tamen civitates, ex peculiari ipsarum privilegio, jus taciti pignoris in bonis suorum debitorum habent.

§ III.

Quatenùs cuique liceat coire in collegium.

M C M X C I V.

Neque societas neque collegium neque corpus (*a*) passim omnibus habere conceditur. *l.* 1. ff. *Quod cujusc. universi.*

Non licet ampliùs quàm unum collegium licitum habere; &, si quis in duobus fuerit, eligere eum oportet in quo magis esse velit. *l.* 1. § *fin.* ff. *de Colleg.*

Permittitur tenuioribus stipem menstruam in unum conferre, dùm tamen semel in mense coëant. *d. l.* 1.

(*a*) Sed duntaxat ex auctoritate Senatûs aut Principis; qualia sunt quædam Romæ, veluti Pistorum, Naviculariorum.

ARTICULUS II.

De officio & obligatione curatorum Reipublicæ.

§ I.

De Officio curatoris.

M C M X C V.

Non acerbum se exactorem, nec contumeliosum præbeat; sed moderatum, & cum efficaciâ benignum, & cum instantiâ humanum. *l.* 33. ff. *de Usur.*

Curator imprimis prospicere debet, ne pecuniæ publicæ credantur sine pignoribus idoneis, vel hypothecis. *d. l.* 33. § 1.

Si benè collocatæ (*a*) sunt pecuniæ publicæ, in sortem inquietari debitores non debent. *d. l.* 33.

(*a*) Scilicet sub usurâ consuetâ, & sub pignoribus idoneis, nec ad certos usus sit sors destinata: *d. tit.* N. 7.

M C M X C V I.

Quod de frumentariâ (*V. G.*) ratione, in alium usum conversum est, suæ causæ cum incremento (*a*) debito restituatur (*b*). *l.* 2. § 2. ff. *de Admin. rer. ad civit.*

Nisi opus novum specialiter pecunia legata sit, vetera ex hâc reficienda sunt. *l.* 5. § 1. ff. *d. tit.*

Legatam municipio pecuniam, in aliam rem quàm defunctus voluit, convertere citra Principis auctoritatem non (*c*) licet. *l.* 4. ff. *d. tit.*

(*a*) Usuris.
(*b*) Non admissâ compensatione; salvâ tamen ipsi actione adversùs Rempublicam, pro eo quod utiliter impendit in alios usus.
(*c*) Permittitur autem 1°. si non sufficiat ad novum opus; 2°. si non sit undè reficiantur vetera; 3°. si in eas causas relictum sit in quas Senatus vetuit erogari, putà in venatus, spectacula.

M C M X C V I I.

Ad curatoris Reipublicæ officium spectat, ut dirutæ domus à dominis extruantur (*a*). *l.* 46. ff. *de Damn. infect.*

(*a*) Si cessent, extruetur domus impensâ publicâ; &, nisi eam cum usuris intra certum tempus restituant, distrahetur domus.

§ II.

Quatenùs ex facto curatoris Respublica obligetur.

M C M X C V I I I.

Civitas mutui datione obligari potest, si ad utilitatem ejus, pecuniæ versæ sunt. Alioquin soli qui contraxerunt, non civitas, tenebuntur. *l.* 27. ff. *de Reb. cred.*

§ III.

De obligatione administratoris Reipublicæ.

M C M X C I X.

Magistratus Reipublicæ... etiam diligentiam debent. *l.* 6. ff. *de Admin. rer. ad civit.*

Curatores si negligenter in distrahendis bonis se gesserunt, in simplum tenentur; si per fraudem, in duplum. *l.* 9. § 4. ff. *d. tit.*

Periculum nominum ad eum cujus culpâ deterius factum probari potest (*a*) pertinet. *l.* 35. ff. *de Reb. cred.*

Æquum est pro defectis nominibus, compensationem majorum (*b*) usurarum fieri. *l.* 11. § 1. ff. *de Usur.*

Pecuniæ quæ ex (*c*) detrimento solvitur, usuræ non præstantur. *l.* 24. ff. *ad Municip.*

(*a*) Si tamen successor idoneus ea probaverit, transfert in se periculum.
(*b*) Id est, compensare potest quod plus consuetis usuris ab aliis debitoribus paravit Reipublicæ.
(*c*) Curator, pecuniæ quidem quam percepit, usuras debet; ejus verò pecuniæ quæ debetur ob detrimentum ipsius culpâ Reipublicæ datum, putà dum debitor à quo cessat exire labitur facultatibus, usuras non debet.

M M.

Reipublicæ rationes subscriptæ & expunctæ, adversùs eum qui administravit ultra viginti, adversùs heredem ultra decem annos retractari non (*a*) oportet. *l.* 13. § 1. ff. *de Div. tempor. præscript.*

(*a*) Excipe errorem calculi.

ARTICULUS III.

De his qui accedunt obligationi curatoris.

§ I.

De Fidejussoribus & nominatoribus administratorum Reipublicæ.

M M I.

Non minùs qui compulsi magistratu funguntur, cavere debent; quam qui sponte (*a*) officium agnoverunt. *l.* 38. § 6. ff. *ad Municip.*

Patris qui consultò filium emancipavit, ne pro magistratu ejus caveret, perindè bona tenentur atque si pro eo fidejussor extitisset. *d. l.* 36. § 4.

Filium pro patre curatore Reipublicæ creato cavere, cogi non oportet. *l.* 3. § 3. ff. *de Admin. rer.*

In eum qui successorem suo periculo nominavit, si finito magistratu successor idoneus (*b*) fuit, actionem dari non oportet. *l.* 15. ff. *ad Municip.*

(*a*) Non tenentur autem qui ex inquisitione creati sunt. *d. tit.* Art. 2, in fin.
(*b*) Si antè lapsus est facultatibus tenetur: nisi hoc ex casu fortuito acciderit, quum eo tempore quo nominatus est idoneus esset.

Source : BIU Cujas

M M I I.

Fidejuſſores qui Rempublicam ſalvam fore ſpoponderunt, & qui Magiſtratus ſuo periculo nominant, pœnalibus (*a*) actionibus non tenentur. *l.* 17. § 15. ff. *ad Municip.*

Nominati ſucceſſoris periculum, fidejuſſorem nominantis non (*b*) tenet. *d. l.* 17. § 14.

(*a*) In id enim duntaxat quod Reipublicæ abeſt, obligantur.
(*b*) Acceſſit enim obligationi quæ ex ipſius adminiſtratione naſceretur, non ei quam hâc nominatione contraxit.

§ II.

De collegâ adminiſtratoris.

M M I I I.

Magiſtratuum officium individuum, ac periculum commune. *l.* 11. ff. *ad Municip.*

Jus Reipublicæ pacto mutari non poteſt, quominùs Magiſtratus collegæ quoque nomine conveniantur. *l.* 2. § 8. ff. *de Adminiſtr. rer. ad civit.*

Heredes unius ex curatoribus, ſi quid damnum poſt mortem ejus dolo vel culpâ collegarum acceſſit, onerari non eſt rationis. *l.* 1. *Cod. Quo quiſq. ord.*

§ III.

Quo ordine conveniantur qui obligationi adminiſtratoris accedunt.

M M I V.

Talis (*a*) ordo dabitur ut in primis qui Reipublicæ negotia geſſit, & qui pro eo caverunt, in ſolidum conveniantur; tùm peractis omnibus, periculum agnoſcat qui non idoneum nominavit; poſtremò alter ex Magiſtratibus qui ſe non immiſcuit. *l.* 13. ff. *ad Municip.*

Quoties duobus non ſeparatim, ſed pro indiviſo munus injungitur; manus ad nominatorem, priuſquàm utrique fuerint excuſſi, nullâ ratione porrigi poſſunt. Si verò ſeparatis portionibus ad munus nominati ſunt, priùs pro portione conveniatur qui adminiſtraverit; item fidejuſſores, ſi nec ab his indemnitas fuerit ſervata; tunc demùm creatorem; ac ſi nec is quidem ſufficiat, noviſſimè participem (*b*) muneris conveniri debere, Præſes non ignorabit. *l.* 2. *Cod. Quo quis ord.*

(*a*) Pertinet hæc regula ad Magiſtratus civitatum: ſequens ad eos quibus aliqua adminiſtratio ſine honore committitur.
(*b*) Et quidem ita demùm, ſi intervenire & prohibere eum potuit. l. 9. § 8. ff. *d. tit.*

ARTICULUS IV.

De Muneribus & honoribus civitatum.

§ I.

Quibus deferri poſſint honores & munera.

M M V.

Honores & munera uniuſcujuſque civitatis non ſolùm civibus (*a*), *ſed pariter etiam incolis deferuntur.*

Et quidem Patrimoniorum (*b*) munera, mulieres etiam ſuſtinere debent. *l.* 9. *Cod. de Munerib. patrim.*

Etiam minores ætate, patrimoniorum muneribus ſubjugari ſolent. *l.* 7. *Cod. d. tit.*

(*a*) Id eſt, qui ab eâ civitate originem ducunt, ſive ibi domicilium habeant ſive non.
(*b*) Talia dicuntur, quæ nullam adminiſtrationem, nullum honoris gradum, ſed ſumptum dutaxat continent. Tit. præced. in verb. *MUNUS.*

M M V I.

1. Infames licèt nullis honoribus uti poſſint, tamen civilium munerum vacationem non habent. *l. un. Cod. de Infam.*

2. Corporalia munera fœminis ipſe ſexus denegat, quominùs honores aut munera injungantur *l.* 3. § 3. ff. *de Mun. & hon.*

3. Ad Rempublicam adminiſtrandam ante vigeſimum quintum annum, vel ad munera quæ non patrimonii ſunt, vel honores, admitti Minores non oportet. *l.* 8. ff. *d. tit.*

In honoribus favoris cauſâ conſtitutum eſt, ut pro plenis inchoatos *annos* accipiamus. *d. l.* 8.

4. Reus delatus, etiam ante Sententiam, honores petere prohibetur. *l.* 7. ff. *d. tit.*

Non debet honoribus prohiberi . . . is cujus accuſator deſtitit. *l.* 6. § 2. ff. *d. tit.*

5. Ad tempus exulare Decurio juſſus, impleto tempore regreſſus, priſtinam (*a*) quidem recipit dignitatem; ad novos verò honores non admittitur, niſi tanto tempore abſtinuerit quanto abfuit. *l.* 2. *Cod. de His qui in exil.*

6. His qui vix de ſuo victum ſuſtinere poſſunt, nequaquàm honeſtum eſt mandare Magiſtratum. *l.* 6. *ff. de Muner. & hon.*

7. Debitores rerumpublicarum (*b*) ad honores invitari non poſſe certum eſt, niſi priùs ſatisfecerunt. *d. l.* 6. § 1.

8. Decurionum honoribus (*c*) plebeii fungi prohibentur. *l.* 7. § 2. *ff. de Decur.*

(*a*) Modò non ex causâ famosâ damnatus ſit, aut duriori pœnâ exiſtimationem conſervaverit.
(*b*) Ex ſuâ adminiſtratione, aut pollicitatione. Secùs ſi ex aliis cauſis.
(*c*) Putà, Duumviratu.

M M V I I.

Ne (*a*) quis opponat fortunam & caſus triſtiores ſuos, ad hoc ſolum ne patriæ idoneus civis eſſe videatur. *l.* 3. § 2. *ff. de Mun. & honor.*

(*a*) Hinc capite damnato, poſtquàm reſtitutus eſt, rectè honores deferri colligitur.

§ II.

Quæ obſervari debeant circa nominationem ad honores & munera.

M M V I I I.

Munera non ordinationi, ſed potioribus quibuſque injungenda ſunt. *l.* 7. *ff. de Decur.*

Præſes provideat munera & honores in civitatibus æqualiter per (*a*) vices injungi. *l.* 3. § 15. *ff. de Mun. & hon.*

Gradatim honores deferuntur. *l.* 11. *ff. d. tit.*

Non continuare quiſque honores poteſt. *l.* 14. § 5. *ff. d. tit.*

(*a*) Scilicet quando virorum idoneorum eſt copia; alioquin ſervanda eſt præcedens regula.

M M I X.

Honores & munera in eâdem domo continuari non oportet. *l.* 1. *Cod. de Mun. & hon.*

Eodem tempore non ſunt honores in duabus civitatibus ab eodem gerendi; & quum utrobique deferuntur, potior eſt originis cauſa. *l.* 17. § 4. *ff. ad Municip.*

§ III.

De neceſſitate obeundi muneris, & ex quo quis fungi poſſit.

M M X.

Æſtimationem honoris aut muneris in pecuniâ pro

Source : BIU Cujas

administratione offerentes, audiendi (a) non sunt. *l.* 16. *ff. de Muner. & hon.*

(a) Sed compelluntur per Præsidem, quemadmodum tutores.

M M X I.

Statim (a) ex quo quis ab Ordine nominatus est, fungi munere potest; nec expectare tenetur confirmationem Præsidis. *l.* 59. *Cod. de Decur.*

(a) Regula locum ita habet, nisi fuerit provocatum.

§ I V.

De causis quæ excusationem à muneribus tribuunt.

M M X I I.

Majores septuagenta annis à muneribus personalibus vacant (a). *l.* 3. *ff. de Jur. immun.*

Corporis debilitas eorum munerum excusationem præstat que corpore implenda sunt; quæ consilio vel patrimonio obiri possunt, nisi certis & receptis probabilibus causis non remittuntur. *l.* 2. § 7. *ff. de Vac. mun.*

Surdus & mutus (b) ab honoribus civilibus, non etiam à muneribus (c) excusantur. *l.* 7. § 1. *ff. de Decur.*

Inopes onera patrimonii non sustinent, corpori autem indicta obsequia solvunt. *l.* 4. §. 2. *ff. de Mun. & hon.*

Ex causâ justæ absentiæ, putà Qui principes appellavit & causam propriam acturus Romam profectus est... ab honoribus & civilibus muneribus (d) excusatur. *l.* 8. § 5. *ff. de Vacat. mun.*

Quinque Incolumes (e) liberi, etiamsi in potestate desierint esse, excusationem à muneribus (f) præstant. *l.* 1. § 5. *ff. d. tit.*

A muneribus quæ non patrimoniis indicuntur, veterani excusantur. *l.* 7. *ff. d. tit.*

Nec eos qui augent facultates, & munera civitatum sustinere possunt, privilegiis quæ tenuioribus per collegia distributis concessa sunt, uti posse; plurifariàm constitutum est. *l.* 5. § 12. *ff. de Jur. immun.*

Ad vacationem munerum negotiatio (g) pro incremento facultatum exercenda est. *d. l.* 5. § 8.

Non alios fisci vectigalium redemptores muneribus excusari placuit, quàm quæ præsentes negotium exercent *l.* 8. § 1. *ff. de Vac. mun.*

Medicos, Grammaticos, & Professores alios (h) litterarum, & Doctores (i) legum, unà cum uxoribus & filiis, necnon & rebus quas in civitatibus suis possident; ab omni functione, & ab omnibus muneribus vel civilibus vel publicis immunes esse præcipimus. *l.* 6. *Cod. de Prof. & med.*

Philosophis munera sordida corporalia remitti placuit, non ea quæ sumptibus expediuntur. Etenim verè philosophantes pecuniam contemnunt. *l.* 8. § 4. *de Vac. mun.*

Turpe est ut patriæ functiones ferre non possit, qui fortunæ vim se ferre profitetur. *l.* 8. *Cod. d. tit.*

Poëtæ nullâ immunitatis prærogativâ juvantur. *l.* 2. *Cod. d. tit.*

(a) Vide quasdam limitationes. Tit. *de Vac. & excu. mun.* N. 3.
(b) Idem de cæco. Secùs de surdastro.
(c) Patrimonii.
(d) Constantinus videtur etiam personalia munera eis remisisse. l. un. Cod. *Qui num. lib. exc.* Multò magis excusantur absentes Reipublicæ causâ: imò hi reversi habent anni vacationem, ex die quo redierunt aut redire potuerunt.
(e) Non ergo mortui, nec captivi; nisi ex eo nepotes vicem ejus præstent: at pro superstite est, in bello amissus. Adoptivi non pro sunt.
(f) Non tamen patrimonialibus: l. 5. 2. ff. *de Jur. immun.*
(g) De negotiatione quæ annonæ Urbis infervit, hoc dicitur; quæ dat vacationem munerum ei qui illam ex majore parte suarum facultatum exercet.
(h) Rhetores scilicet. Hi omnes, si intra numerum ab Ordine probati in patriâ suâ aut Romæ profiteantur.
(i) Qui in utrâque Româ, aut Beryti ubi erant publicæ Juris Scholæ, docebant. Sed & qui Beryti Juri studebant, erant immunes à muneribus personalibus usque ad annum ætatis suæ vigesimum-quintum. l. 1. & 2. Cod. *Qui ætat. vel prof.*

Qui pueros primas litteras docent, immunitatem à civilibus muneribus non habent. *l.* 2. § 8. *ff. de Vac. mun.*

Comites Præsidum à muneribus vel honoribus & tutelis vacent. *l.* 12. § 1. *ff. de Vac. & excus. muner.*

Ab Illustribus personis, sordida munera, & extraordinariæ necessitatis damna removemus. *l.* 16. *Cod. de Excus. min.*

M M X I I I.

Eodem tempore idem duas (a) curas operis non administrabit. *l.* 14. § 1. *ff. de Vac. mun.*

Si duo filii in patris potestate sint; eodem tempore munera eorum pater sustinere non cogitur. *l.* 3. §. 16. *ff. de Mun. & hon.*

(a) Idem dic de cæteris muneribus publicis. Hoc non trahe ad privata, qualia sunt tutelæ, &c.

M M X I V.

Honorem sustinenti, munus imponi non potest; munus sustinenti, honor deferri potest. *l.* 10. *ff. de Mun. & hon.*

Ab honoribus ad honores eosdem, quinquennii datur vacatio; triennii verò, ad alios. *l.* 2. *Cod. de Mun. & hon.*

§ V.

Immunitas à muneribus concessa, ad quas munerum species regulariter pertineat; & intra quas personas concludatur jus immunitatis.

M M X V.

Cui muneris publici vacatio (a) datur, non remittitur ei ne Magistratus fiat. *l.* 12. *ff. de Mun. & hon.*

Ab his oneribus (b) quæ possessionibus vel patrimoniis indicuntur, nulla privilegia (c) præstant vacationem. *l.* 10. *ff. de Vac. mun.*

Qui muneris publici vacationem habent, ad ea quæ extra modum imperantur compelli non solent. *l.* 6. *ff. d. tit.*

Jus immunitatis superveniens, à deferendis in posterum, non à delatis jam muneribus excusat: ex l. 5. § 7. *ff.* de Jur. immun.

(a) Putà, ex causâ ætatis, numeri liberorum, &c. Quædam tamen sunt pleniorés immunitates, quæ etiam ad honores porriguntur.
(b) Ordinariis. Vide Reg. seq.
(c) Quædam tamen patrimoniorum munera, ex speciali privilegio quibusdam personis remittuntur, maximè militibus & veteranis. Professoribus liberalium artium remittitur munus recipiendi hospitis.

M M X V I.

A muneribus excusatus, filii tamen sui nomine competentia munera agnoscere debet. *l.* 3. § 6. *ff. de Mun. & hon.*

Personis datæ immunitates, heredibus non relinquuntur. *l.* 1. § 1. *ff. de Jur. immun.*

Immunitates generi posterisque datæ custoditæque, ad eos qui ex fœminis nati sunt non pertinent. *d. l.* 1. § 2.

§ V I.

De immunitatis effectu.

M M X V I I.

Quoties penuria est eorum qui magistratum gerunt; immunitas ad aliquid infringitur. *l.* 11. § 2. *ff. de Mun. & hon.*

Si qui certâ conditione muneribus vel honoribus se adstrinxerunt, quum aliàs compelli non possent suscipere; fides eis servanda est. *l.* 2. *ff. de Jur. immun.*

Source : BIU Cujas

§ VII.

De munere legationis.

MMXVIII.

Præcipitur Edicto Veſpaſiani omnibus civitatibus, ne plures quàm tres legatos mittant. *l.* 4. § 6. *ff. de Legation.*

Ordine (*a*) unuſquiſque, munere legationis fungi cogitur. *d. l.* 4. § 5.

Eumdem plures legationes ſuſcipere, prohibitum non eſt. *l.* 16. *ff. d. tit.*

Quibus jus poſtulandi non eſt, legatione fungi non poſſunt. *l.* 4. § 1. ff. *d. tit.*

Sciendum eſt, debitorem Reipublicæ, legatione fungi non (*b*) poſſe. Debitores autem fiſci, non prohibentur. *d. l.* 4. *pr.* & § 2.

Pater trium incolumium liberorum, legationibus publicis liberatur. *l.* 1. *Cod. d. tit.*

Legatione functis (*c*) biennii vacatio conceditur. *l.* 8. § 1. *ff. de Legation.*

(*a*) Ordo tamen non ſervatur, ſi ea ſit legatatio quæ primores civitatis deſideret.
(*b*) Ratio eſt, ne debiti exactio differatur.
(*c*) Hoc non trahe ad eos qui ſponte, vice alterius, legationis munus impleverunt.

MMXIX.

Legati (*a*) vicarios dare non poſſunt, niſi filios ſuos. *l.* 4. § 4. *ff. d. tit.*

Qui legatione fungitur, neque alienis neque propriis negotiis ſe interponere (*b*) debet. *l.* 8. § 2. *ff. d. tit.*

Legatus antequàm officio legationis functus ſit in rem ſuam nihil agere poteſt; exceptis his quæ ad injuriam ejus vel damnum (*c*) parata ſunt. *l.* 10. *ff. d. tit.*

Ante legationem ſuſceptam ſi cui negotium moveatur, etiam abſens defendi debet; ſuſceptâ legatione, non. *l.* 16. §. 1. *ff. d. tit.*

Pertinet etiam ad privilegia legatorum, jus revocandi domum, quum Romæ conveniuntur: de quo ſuprà, Part. 4ª.

(*a*) Fallit regula in legatione gratuitâ quæ alicui abſenti injuncta eſt: hâc enim per alium poteſt fungi.
(*b*) Per ſe; at poteſt per procuratorem.
(*c*) Permittitur etiam ipſi, domum in patriâ ſuâ emere, pupillam ſuam defendere; durante legatione.

ARTICULUS V.

De Curiis municipiorum.

§ I.

Quo quiſque ordine in Albo Curiæ ſcribatur, aut ſententiam dicat; & quibus non competat jus ſuffragii.

MMXX.

In Albo Decurionum, nomina antè ſcribi oportet eorum qui dignates Principis judicio conſecuti ſunt; poſteà eorum qui tantùm municipalibus honoribus functi ſunt. *l.* 2. *ff. de Alb. ſcrib.*

Decuriones ſcribuntur eo ordine, quo quiſque eorum maximo honore in municipio functus eſt. *l.* 1. *ff. d. tit.*

Scribuntur qui nullo honore functi ſunt, prout quiſque eorum in Ordinem venit. *d. l.* 1.

In Albo Decurionum; patrem, non habenti liberos, anteferri conſtat. *l.* 9. *Cod. de Decur.*

MMXXI.

Privilegiis ceſſantibus; potior habetur in ſententiis ferendis, qui pluribus eodem tempore ſuffragiis jure Decurionis (*a*) decoratus eſt. *l.* 6. § 5. *ff. de Decur.*

(*a*) Aut qui plures habet liberos.

MMXXII.

Minores viginti-quinque annorum, Decuriones facti, ſportulas accipiunt; ſed interim ſuffragium ferre non poſſunt. *l.* 6. § 1. *ff. de Decurion.*

§ II.

De Decretis curiarum.

MMXXIII.

Refertur ad univeſos, quod publicè fit per majorem (*a*) partem. *l.* 160. § 1. ULP. LIB. 76. AD EDICT.

Lege municipali cavetur, ut Ordo non aliter habeatur quàm duabus partibus adhibitis. *l.* 19. *ff. ad Municip.*

Ambitioſa (*b*) Decreta reſcindi debent. *l.* 4. *ff. de Decret. ab Ord.*

(*a*) Non igitur neceſſe eſt omnes adfuiſſe. Vide Reg. ſeq. Adde l. 19. ff. *ad Municip.*
(*b*) Id eſt, quæ magis ad captandam & ambiendam gratiam quàm ad utilitatem publicam fiunt; ut illa quæ largitiones continent, quæ immunitates tribuunt, aut ſalarium conſtituunt aliis quàm Profeſſoribus liberalium artium & Medicis.

ARTICULUS VI.

De Operibus publicis civitatum.

MMXXIV.

Opus novum privato ſumptu, etiam ſine Principis auctoritate facere licet; præterquàm ſi ad æmulationem alterius civitatis pertineat, vel materiam ſeditionis præbeat. *l.* 3. *ff. de Operib. publ.*

Publico ſumptu opus novum ſine Principis auctoritate fieri non licere, Conſtitutionibus declaratur. *d. l.* 3. § 1.

MMXXV.

Si ſtatua Præſidi vel cuivis de Republicâ benè merito erigatur; privato ſumptu ejus in cujus honorem erigitur, debet erigi, nec niſi ex Principis auctoritate. *l.* 1. *Cod. de Statuis.*

Inſcribi nomen operi publico, alterius quàm principis & ejus cujus (*a*) pecuniâ opus factum ſit, non licet. *ſup. d. l.* 3. § 2.

(*a*) Sed & ſi quis aliquam ſummam duntaxat contulit, licet inſcribere operi quantam ſummam ille contulerit. Si alterius pecuniâ factum opus quis ornaverit, ejus quoque nomen inſcribi poteſt; ſic tamen ut non eradatur nomen ejus cujus pecunia factum eſt.

FINIS DIGESTORUM.

TABULA

Source : BIU Cujas

TABULA

Quâ nominatim Leges omnes cum ſuis Paragraphis [§] & Verſiculis (¶) ordini Digeſtorum reſtituuntur.

In quâlibet Columnâ, pars prior indicat ſeriem ordinis Legum & Paragraphorum in Digeſtis; Poſterior indicat Numerum quem ſub unoquoque Titulo dictæ Leges occupant in hoc Opere.

LIBER TRIGESIMUS-NONUS.

TITULUS I.

DE OPERIS NOVI NUNCIATIONE.

LEX Hoc Edicto. 1... *hoc. tit. Num.* 1
§ 1. Hoc autem Edictum. 4
§ 2. Nuntiatio ex hoc. 20
§ 3. Item nuntiationem. 17
§ 4. Item nuntiatio. 15
§ 5. Et adversùs abſentes. 16
§ 6. In operis autem. 29
§ 7. Sed ſi is cui. 22
§ 8. Poteſt autem quis. 2
§ 9. Et poſt operis. 20
§ 10. Indè quæritur. 44
§ 11. Opus novum facere. 5
§ 12. Hoc aut Edict. non omnia. 3
§ 13. Si quis ædificium. 5
§ 14. Sive autem intra. 7
§ 15. Nunc videamus. 1
§ 16. Nuntiatio fit. 9
§ 17. Nuntiamus autem. *ibid.*
§ 18. Quòd ſi quis in mare. *ibid.*
§ 19. Juris noſtri. 11
§ 20. Uſufructuarius autem. 12
L. Si autem domino. 2. *ibid.*
L. In provinciali. 3. 7
§ 1. Si in loco communi. 13
§ 2. Quòd ſi ſocius. *ibid.*
§ 3. Si ego ſuperficiarius. 11
§ 4. Si in publico. 10
L. Nam Reipublicæ. 4. *ibid.*
L. De pupillo. 5. *ibid.*
§ 1 Servo autem opus. *ibid.*
§ 2. Nuntiationem autem. 14
§ 3. Nuntiari autem. 16
§ 4. Si quis fortè. 14
§ 5. Si plurium res. 16
¶ ſed ſi unus. 26
§ 6. Si plurium dominorum. 18
§ 7. Si quis ipſi Prætori. 21
§ 8. Sed & ſi in ædes noſtras 7
§ 9. Et bellè Sextus-Pedius. 8
§ 10. Meminiſſe autem. 7
§ 11. Si quis rivos vel. 6
§ 12. Prætereà generaliter. *ibid.*
§ 13. Proindè ſi quis, cùm opus. *ibid.*
§ 14. Qui opus novum. 30
§ 15. Qui nuntiat, neceſſe habet. 19

Series Tituli I. DE OPERIS NOVI.
L 5. § 16. Si in pluribus... *h. t. N.* 14
§ 17. Si is cui renuntiatum. 34
§ 18. Qui procuratorio nomine. 17
§ 19. Qui remiſſionem abſentis. 29
§ 20. Si procurator autem. 41
L. Et ideò neque. 6. *ibid.*
L. Et, ſi ſatiſdationem. 7. *ibid.*
§ 1. Et tutor & curator. 17
L. Non ſolùm proximo. 8. 13
§ 1. Qui opus novum nuntiat. 19
§ 2. Si quum poſſem te. 33
§ 3. Quòd ſi nuntiavero. *ibid.*
§ 4. Sciendum eſt factâ. 34
§ 5. Sed ut probari. 19
§ 6. Morte ejus qui. 43
§ 7. Quòd ſi is cui opus. *ibid.*
L. Creditori cui. 9. 11
L. Operis novi nuntiatio. 10. 16
L. Cuilibet enim. 11. 16
L. Ex operis novi. 12. 37
L. Quum procurator. 13. 34
§ 1. Si dominus opus. *ibid.*
§ 2. Si in remiſſione. 29
L. Qui viam habet. 14. 8
L. Si priuſquàm. 15... *N.* 21. *Tit.* QUIB. EX CAUS. IN POSS. EAT.] 28
L. Si opus novum. 16. 28
L. Si procurator. 17. 17
L. Ædibus communibus. 18. 26
§ 1. Nec ad rem pertinet. *ibid.*
L. Sciendum eſt denegatâ. 19. 32
L. Prætor. ait: Quem. 20. 22
§ 1. Interdictum hoc. 23
§ 2. Sive autem vacuus. 7
§ 3. Ait Prætor: QUOD factum. 23
§ 4. Quidquid autem ante. *ibid.*
§ 5. Si quis paratus fuerit. 34
§ 6. Hoc Interdictum perpetuò. 25
§ 7. Adversùs ipſum. 26
§ 8. Planè ſi quæratur. 27
§ 9. Deindè ait Prætor; QUEM. 38
§ 10. Hoc Interdictum prohitor. 39
§ 11. Nec quicquam intereſt. *ibid.*
§ 12. Hoc autem Interdictum. 40
§ 13. Adjicitur & illud. *ibid.*
§ 14. Et ſi ſatiſdatum ſit. *ibid.*
§ 15. Si aliquando ſtetit. *ibid.*

Series Tituli I. DE OPERIS NOVI.
L. 20. §. 16. Hoc Int. etiam. *h. t. N.* 42
L. Stipulatio de operis. 21. 34
§ 1. Si quis autem vult. *ibid.*
§ 2. Habet autem iſta ſtipulatio. 36
§ 3. Opus autem factum. 2
§ 4. Sive autem res. 37
¶ quòd ſi ita reſtitutum. *ibid.*
§ 5. Quæſitum eſt ſi plures. 35
§ 6. Idem ait; Et ſi plures. *ibid.*
§ 7. Idem dicit adjiciendum. *ibid.*
L. Cui opus novum. 22. 27
L. fin. Is cui opus novum. 23. 26

TITULUS II.

DE DAMNO INFECTO, ET DE SUGCRUNDIS ET PROTECTIONIBUS.

Lex Quum res damni. 1.. *h. t. N.* 41
L. Damnum infectum eſt. 2. 1
L. Damnum & damnatio. 3. *ibid.*
L. Dies cautioni, 4. 31
§ 1. Si intra diem à Prætore. 43
¶ EJUS REI ſic. 46
§ 2. An tamen is qui non. 57
§ 3. Duas ergo res. 42
§ 4. Si fortè duretur. *ibid.*
§ 5. Prætor ait: DUM EI. 44
§ 6. Totiens autem Prætorem. *ibid.*
§ 7. In eum qui quid eorum. 42
§ 8. Hoc autem judicium. *ibid.*
§ 9. Si tam vicinum Urbi. *ibid.*
§ 10. Hæc autem actio. *ibid.*
L. Prætoris officium eſt. 5. 62
§ 1. Si plures ſint domini. 51
§ 2. Si & dominus proprietatis. 12
L. Evenit ut nonnunquam. 6. 2
L. Prætor ait: DAMNI. 7. 1
§ 1. Hoc Edictum proſpicit. 2
§ 2. Undè quæritur, ſi. 3
L. Quod fortè tunc. 8. *ibid.*
L. Hoc ampliùs. 9. *ibid.*
§ 1. De his autem quæ vi. 4
§ 2. Alfenus quoque ſcribit. *ibid.*
¶ ita demùm autem. *ibid.*
§ 3. Neratius autem ſcribit. *ibid.*
§ 4. Quæſitum eſt, ſi ſolum. 27

Source : BIU Cujas

Series Tituli II. DE DAMNO INFECTO.
L. 5. § 5. Celsus certè... *h. t. Num.* 27
¶. quòd si in possession. missus. *ibid.*
L. Quamvis alienus. 10. *ibid.*
L. Quid de creditore. 11. 13
L. His qui pignori. 12. 65
L. Qui bonâ fide. 13. 29
§ 1. Sive corporis. *ibid.*
§ 2. Cùm inter ædes meas. 25
§ 3. Qui damni infecti. 12
§ 4. Cæterùm neque ei. 15
§ 5. Vicinis planè. *ibid.*
§ 6. De illo quæritur, an. 20
§ 7. Si quis juxta monumentum. 16
§ 8. Superficiarium &. 12
§ 9. Sed ei qui bonâ fide. 13
§ 10. Si quis opus novum. 22
§ 11. Si quis quia sibi non. 23
§ 12. Si quis stipulaturus. 24
§ 13. Si alieno nomine. *ibid.*
§ 14. Sed si ejus nomine. *ibid.*
§ 15. Huic stipulationi. 31
L. In causæ cognitione. 14. *ibid.*
L. Si finita sit. 15. *ibid.*
§ 1. Si verò sine adject. diei. *ibid.*
§ 2. Deindè ait Prætor: DE EO. 30
§ 3. Notandum quòd non. 7
§ 4. Si quid igitur damni. 32
§ 5. Et quod ait Prætor. 30
§ 6. Si quid in viâ. *ibid.*
§ 7. Sed Prætor causâ. 32
§ 8. Sive autem quis muniat. 6
§ 9. De cæteris locis. 30
§ 10. Si publicus locus. 8
§ 11. Ex hoc Edicto si non. 46
§ 12. An verò in totas. *ibid.*
§ 13. Sed si in plures partes. *ibid.*
§ 14. Item quid dicemus. 47
§ 15. Si plures sunt qui. 52
¶ quòd si jam prior possid. *ibid.*
§ 16. Julianus scribit eum. 62
§ 17. Si ante hoc Decretum. 52
§ 18. Quum autem plures. 51
§ 19. Sed si quis eorum.. *N.* 77. *Tit.* FAM. ERCISC.]
§ 20. Si quis autem in possess. 53
§ 21. Non autem statim ubi. 60
§ 22. Si fortè dominus Reip. *ibid.*
§ 23. Ubi autem quis possidere. 62
§ 24. Si qua sint jura. 65
§ 25. Item quæritur in pignor. *ibid.*
§ 26. Si de vectigalibus ædibus. 61
§ 27. Sed in vectigali. *ibid.*
§ 28. Eleganter quæritur. 5
§ 29. Si pupillus tutorem. 45
§ 30. Si quis damni infecti. 54
§ 31. Item videamus, si ei. 55
§ 32. Illud quæritur, ex quo. 5
§ 33. Postea quàm autem quis. 64
§ 34. Si jam ruerunt. 49
¶ proindè & si refecit aliquid. 55
§ 35. Si quis metu ruinæ. 56
§ 36. Si quis ex hoc Edicto. 58
L. Antequàm damnum. 16. *ibid.*
L. Si quis missum in. 17. 57
§ 1. Quid deindè si procurator. *ibid.*
§ 2. Sed & in actore. *ibid.*
§ 3. Actio ista quæ. 59
§ 4. Judex qui de damno. 40
L. Damni infecti... competit. 18. 12
§ 1. Sed quod opere facto. 10
§ 2. Ei cujus ususfructus. 19
§ 3 Sed inquilino meo. 20

Series Tituli II. DE DAMNO INFECTO.
L. 18. § 4. Ei qui in conducto. *h. t. N.* 12
§ 5. Si is qui unas ædes. 34
§ 6. Si autem res aliquas. *ibid.*
§ 7. Emptor prædii. 14
§ 8. Venditorem autem. *ibid.*
§ 9. Sed quid fiet si. *ibid.*
§ 10. Sed si venditor interpos. *ibid.*
§ 11. Sabini sententia. 33
§ 12. Si vicinas ædes. 43
§ 13. Si pupillus prohibuit. 57
§ 14. Si mandatu meo. *ibid.*
§ 15. Non solum autem eum. 63
¶ sed si In factum actione. *ibid.*
§ 16. Si procurator meus. 35
L. Eorum qui bonâ. 19. 64
§ 1. Sive ædium vitio. 6
L. Inter fructuarium. 20. 19
L. Si filius familias. 21. 15
L. Si proprietarius. 22. 27
§ 1. Plautius: Si ab eo. 26
L. In stipulatione. 23. 43
L. Fluminum publicorum. 24. 7
¶ ad ea igitur opera. 8
¶ sed quod dictum est, Operis. *ibid.*
§ 1. Adjicitur in hâc stipulat. 36
§ 2. Sed ut ne quid ædium. 7
¶ vitium autem ædium & loci. 7
§ 3. Hæc stipulatio utrùm. 9
§ 4. Servius quoquo putat. *ibid.*
§ 5. Idem Servius putat. *ibid.*
§ 6. Quanquam autem stipulatio. 8
§ 7. Prætereà si furni. 10
§ 8. Cassius quoque scribit. 9
§ 9. Item apud Vivianum. *ibid.*
§ 10. Idem ait; si damni. *ibid.*
§ 11. Sed & quod Labeo. *ibid.*
§ 12. Item videamus quando. 11
L. Trebatius ait. 25. *ibid.*
L. Proculus ait. 26. *ibid.*
L. Plures earumdem. 27. 28
L. In hâc stipulatione. 28. 38
L. Sed & si conducere. 29. *ibid.*
L. Damni infecti stip. pertinet. 30. 29
§ 1. Utrùm autem de hoc. *ibid.*
§ 2. Quod dictum est, aquæ. *ibid.*
L. Qui vias publicas. 31. 6
§ 1. Si controversia sit. 29
L. Si ædibus meis. 32. 17
L. Inquilino non datur. 33. 20
L. Utique si pro. 34. *ibid.*
L. In parietis communis. 35. 8
L. Sed ita idoneum. 36. *ibid.*
L. Nam si non fuit. 37. *ibid.*
L. Emptor ædium. 38. 14
§ 1. Si agri nomine. 48
§ 2. Deducto veteris. 39
L. Inter quos paries. 39. 18
§ 1. Si domus in controversiâ. 26
§ 2. Damni infecti stip. latiùs. 12
§ 3. Alieno nomine. 50
§ 4. In æstimando novo. 39
L. Ex damni infecti. 40. *ibid.*
§ 1. Quotiens comm. parietis. 18
§ 2. Quotiens ex damni infecti. 37
§ 3. Item si plurium. *ibid.*
§ 4. Si plures domini. 51
L. In reficiendo. 41.... *N.* 67. *Tit.* FAM. ERCISC.]
L. Si servus communis. 42. 37
L. Damni infecti quidam. 43. 9
§ 1. Quum parietem. 18

Series Tituli II. DE DAMNO INFECTO.
L. 43. § 2. Idem consulebat. *h. t. N.* 18
L. Quum postulassem. 44. 2
§ 1. Damni infecti nomine. 65
L. (*Florent.* A quo fundus) Ædificatum habes. 45. *N.* 21. *Tit.* QUIB. EX CAUS. IN POSS. EATUR.]
L. Ad Curatoris. 46. } *N.* 11. *Tit.* DE
§ 1. Domum sumptu. } ADMIN. RER. AD CIVIT. PERTIN.]
L. Quod conclave. 47... *N.* 18. *Tit.* DE ACT. EMPT.]
L. fin. Si quis ad demoliendum. 48. *N.* 17. *Tit.* DE CONTRAH. EMPT.]

TITULUS III.

DE AQUA, ET AQUÆ PLUVIÆ ARCENDÆ.

Lex Si qui aqua... 1 *h. tit. Num.* 1
¶ aquam pluviam dicimus. 5
§ 1. Hæc autem actio. 8
§ 2. Neratius scribit, Opus. 4
§ 3. De eo opere quod. 9
§ 4. Sed & fossas agrorum. 10
§ 5. Sed & si quis arare. *ibid.*
§ 6. Sed apud Servii. 11
§ 7. Labeo etiam scribit, ea. 9
§ 8. Item Sabinus, Cassius. *ibid.*
§ 9. Sulcos tamen aquarios. 10
§ 10. Idem aiunt, si aqua. 8
§ 11. Idem aiunt, aquam pluv. 3
§ 12. Denique Marcellus. *ibid.*
§ 13. Item sciendum est... vel. 4
§ 14. Huic illud etiam applicand. 8
§ 15. In summâ puto. *ibid.*
§ 16. Imbre autem crescere. 5
§ 17. Item sciendum est... non. 6
§ 18. Nec illud quæramus. 2
§ 19. Cassius quoq. scribit, si aqua. 7
§ 20. Apud Labeonem autem. *ibid.*
§ 21. Sicut autem opus factum. 3
§ 22. Sed & si vicinus. 16
§ 23. Denique ait conditionib. 22
L. In summâ tria. 2. *ibid.*
§ 1. Apud Labeon. proponitur. 17
§ 2. Prætereà si in confinio. *ibid.*
§ 3. Cassius aut. scrib. si qua op. 15
§ 4. Apud Ateium verò. 17
§ 5. Item Varus ait, Aggerem. 18
§ 6. Apud Namusam relatum. *ibid.*
§ 7. Idem Labeo ait, si in. 17
§ 8. Idem Labeo ait, quum. 15
§ 9. Idem Labeo ait, si vicinus. 21
§ 10. Illud etiam verum. 20
L. Apud Trebatium relatum. 3. 13
§ 1. Idem Trebatius putat eum. 5
§ 2. Si vicinus qui arvum. 12
§ 3. Aquæ pluviæ arcendæ. 26
§ 4. Neque fructuarius. *ibid.*
L. Quanquam autem. 4. 27
§ 1. Julianus quoque scribit, si. *ibid.*
§ 2. Id. Jul. scribit, aquæ pluviæ. 24
§ 3. Item si non ego, sed. *ibid.*
L. Si colonus insciente. 5. *ibid.*
¶ sed patientiam duntaxat. *ibid.*
L. Si tertius vicinus. 6. *ibid.*
§ 1. Si ex plurium fundo. 31
§ 2. Indè quæritur, si communi. 30
§ 3. Versâ quoque vice. *ibid.*
§ 4. Si quis priusquàm. 26

Source : BIU Cujas

Series Tituli III. DE AQ. ET AQ. PLUV.
L. 6. § 5. Aquæ pluv. arc.... *h. t. N.* 23
§ 6. Officium autem judicis. 34
¶ quòd si ante litem. *ibid.*
§ 7. Celsus scribit : si quid. 32
§ 8. Æstimationem autem. 34
L. Is cum quo aquæ. 7. 33
§ 1. Aliud est in bonæ fid. *ibid.*
L. In concedendo. 8. ¶ & generaliter. *L.* In diem addicto. 9. § 1. Ideò aut voluntas. §. 2. Non autem solius. } *N.* 31. *Tit.* DE SERVITUTIB.]
L. Si autem plures sint. 10.... *N.* 28. *d. tit.*]
§ 1. An tamen subsequi..... *N.* 31. *d. tit.*]
§ 2. Si flumen navigabile..... *N.* 12. *Tit.* DE FLUMINIB.]
L. Supra iter alienum. 11. ¶ at si specus, non. } *N.* 9. *Tit.* DE SERVIT. PRÆD. RUST.]
§ 1. Cassius ait, sive. 29
§ 2. Apud Ferocem Proculus. 32
§ 3. Officium autem judicis. 31
§ 4. Quòd si is fundus cui. *ibid.*
§ 5. Si ex privato agro. 30
§ 6. Trebatius existimat. 19
L. Emptor nisi. 12. 25
L. Sed venditor. 13. *ibid.*
L. Antæus ait, Si. 14. 26
§ 1. Quum agitur aquæ. 8
§ 2. In hoc judicium. 34
§ 3. De eo quod antè. *ibid.*
§ 4. De eo opere. 35
L. Sed interdum opus. 15. *ibid*
L. Post venditionem. 16. 27
L. Si priùs nocturnæ. 17... *N.* 15. *Tit.* QUEMADM. SERV. AMITT.]
§ 1. Rectè placuit non.... *N.* 6. *Tit.* DE SERV. PRÆD. RUST.]
§ 2. Viâ publicâ intercedente. *N.* 10. *Tit.* DE SERVITUTIB.]
§ 3. Sic etsi non proximo. ¶ sed loco sacro. § 4. Sed si fundus medius. } *N.* 11. *d. tit.*]
L. Si in publico. 18. 26
§ 1. Sine permissu.... *N.* 13. *Tit.* DE SERVITUTIB.]
L. Labeo ait, Si. 19. 14
L. Sed hoc ita. 20. *ibid.*
L. Si in meo aqua. 21. 3
L. Si ususfructus fundi. 22. 28
§ 1. Non aliter restituisse. 34
§ 2. Sed etsi fructuarius. 28
L. Quod Principis. 23. 15
§ 1. Hæc actio etiam. 28
§ 2. Aggeres juxta flumina. 21
L. Vicinus loci. 24. 10
§ 1. Sed si quis sulcos. *ibid.*
§ 2. Sed & si fossas. *ibid.*
§ 3. Lacus cùm aut. 16
L. Is cujus fundo. 25. 28
L. fin. Scævola resp. Solere. 26.... *N.* 24. *Tit.* DE SERVITUTIB.]

TITULUS IV.

DE PUBLICANIS, ET VECTIGALIBUS, ET COMMISSIS.

Lex. Prætor ait : QUOD. 1... *h. t. N.* 1.
§. 1. Hic titulus. *ibid.*
§ 2. Dixerit aliquis. 2
§ 3. Quod quidem Edictum. *ibid.*
§ 4. Et restituendi facultas. *ibid.*
§ 5. Familiæ nomen hîc. 4
§ 6. Quod novissimè. 9
L. Nec liceat. 2. *ibid.*
L. Cùm si exhibuissent. 3. *ibid.*
§ 1. Quod ait, In dominos. 4
§ 2. Antè autem actorem. 8
§ 3. Si plures servi. 10
L. Si publicanus qui. 4. 11
§ 1. De rebus quas. 18
§ 2. In omnibus vectigalibus. 20
L. Hoc Edicto efficitur. 5. 5
§ 1. Quærentibus autem nobis. 6
L. Si multi publicani. 6. 7
L. Imperatores Antoninus. 7.... *N.* 10. *Tit.* DE CENSIB.]
§ 1. Item rescripserunt. 32
L. Fraudati vectigalis. 8. 37
§ 1. Sed si unus. *ibid.*
L. Locatio vectigalium. 9. 26
§ 1. Ad conducendum. 28
§ 2. Reliquatores vectigalium. 27
§ 3. Debitores fisci. *ibid.*
§ 4. Socii vectigalium. 29
§ 5. Quod illicitè. 2
§ 6. Earum rerum vectigal. 14
§ 7. Res exercitui. 19
§ 8. Fiscus ab omnium. 24
L. Vectigalia sine. 10. 14
§ 1. Non solutis. 29
L. Cotem ferro. 11. 35
§ 1. Agri publici.... *Num.* 6. *Tit.* DE ADM. RER. AD CIVIT. PERTIN.]
§ 2. Dominus navis. 34
§ 3. Illicitarum mercium. 37
§ 4. Eam rem quæ. 38
§ 5. Qui maximos fructus. 28
L. Quantæ audaciæ. 12. 2
§ 1. Quod familia publicanor. 1
§ 2. Familiæ autem appellatione. 4
§ 3. Publicani autem dicuntur. 3
L. Sed & hi qui salinas. 13. *ibid.*
§ 1. Prætereà & si quis. *ibid.*
§ 2. Sive autem vendidit. 9
§ 3. Quid tamen si servus. *ibid.*
§ 4. Hanc actionem. 11
L. Commissa vectigalium. 14. 37
L. Cæsar quum insulæ. 15. 34
L. fin. Interdum nec. 16. 38
§ 1. Iidem autem eâd. epist. *ibid.*
§ 2. Iidem Divi Severus. 39
§ 3. Quotiens quis mancipia. 17
§ 4. Servi qui in fugâ. *ibid.*
§ 5. Licèt quis se. 31
§ 6. Divi quoque Marcus &. *ibid.*
§ 7. Species pertinentes. 15
§ 8. Si propter necessitatem. 34
§ 9. Divus quoque Pius. 32
§ 10. Divi quoque Fratres. *ibid.*
§ 11. Magnus Antoninus. 35
§ 12. Si quis professus. 33
§ 13. Pœnæ ab heredibus. 37
§ 14. Si quid autem indebitum. 12

TITULUS V.

DE DONATIONIBUS.

Lex Donationes compl. 1... *h. t. N.* 2
§ 1. Igitur quum dicimus. 4
L. Si quum filiusf. pecun. 2. 27
§ 1. Si verò pater. 18
§ 2. Quum verò ego. *ibid.*
§ 3. Aliud juris erit. *ibid.*
§ 4. Item si ei quem... *N.* 35. *Tit.* DE NOVATION.]
§ 5. Si pecuniam mihi. 13
§ 6. Sed si quis donaturus. 14
§ 7. Titio decem donavi. 7
L. Et generaliter. 3. *ibid.*
L. Etiam per interpositam. 4. 14
L. Affectionis gratiâ. 5. 33
L. Quis saxum mihi. 6... *N.* 42. *Tit.* DE ADQ. RER. DOM.]
L. Filiusfam. donare. 7. 27
§ 1. Quid ergo si justâ. *ibid.*
§ 2. Item videamus, si. *ibid.*
§ 3. Nonnunquam etiam. *ibid.*
§ 4. Pari autem ratione. 28
§ 5. Sed enim meminisse. *ibid.*
§. 6. Hæc omnia locum. 29
L. Quæ liberti. 8. 5
L. In ædibus alienis. 9. 37
§ 1. Ex rebus donatis. 41
§ 2. Quod filiusfam. patris. 27
§ 3. Donari non potest. 44
L. Absenti sive mittas. 10. 11
L. Quum de modo. 11. 41
L. Qui ex donatione. 12. 46
L. Qui mihi donatum. 13... *N.* 72. *Tit.* DE ADQ. RER. DOM.]
L. Qui alienum fundum. 14. 12
L. Post contractum capitale. 15. 30
L. Ex hâc scripturâ. 16... *N.* 39. *Tit.* DE LEGATIS.]
L. Si in Stipulatum. 17.... *N.* 4. *Tit.* DE ACCEPTILAT.]
L. Aristo ait, cùm. 18. 6
§ 1. Denique refert, Ariston. *ibid.*
§ 2. Idem Aristo ait.... *N.* 2. *Tit.* PRO DONATO.]
§ 3. Labeo ait, si quis mihi. 44
L. Hoc jure utimur. 19.... *N.* 2. *Tit.* DE POLLICITAT.]
§ 1. Labeo scrib. extra causam. 5
§ 2. Non potest liberalitas. 11
§ 3. Si quis dederit pecuniam. *N.* 77.. *Tit.* MANDATI.]
§ 4. Si quis servo pecuniam. 5
§ 5. Sed & hæ stipulationes. *ibid.*
§ 6. Denique Pegasus. *ibid.*
L. Si patronus. 20... *N.* 49. *Tit.* DE BON. LIBERTOR..]
§ 1. De illo dubitari potest.... *N.* 84. *Tit.* AD. L. FALCID.]
L. Ut mihi donares. 21... *N.* 34. *Tit.* DE NOVATION.]
§ 1. Sed si debitorem meum. 42
L. Eum qui donationis. 22. 45
L. Modestin. resp. creditor. 23. 43
§ 1. Modest. resp. mente capt. 26

Source : BIU Cujas

Series Tituli V. DE DONATIONIBUS.
L. Fidejussori ejus. 24... *h. t. N.* 42
L. Si tibi dederim. 25.... *N.* 44. *Tit.* DE ADQ. RER. DOM.]
L. Nuda ratio. 26. 11
L. Aquilius-Regulus. 27. 37
L. Hereditatem pater. 28. 9
L. Donari videtur. 29. 1
§ 1. Quidam in Jure.... *N.* 11. *Tit.* DE INTERROGAT.]
§ 2. Donationem quidem. } *N.* 6. *Tit.* DE HIS QUÆ UT INDIGN.]
L. Nam ei ut indigno. 30. }
L. Donationes in concubinam. 31. *N.* 7. *Tit.* DE DON. INT. VIR. ET UXOR.]
§ 1. Species extra dotem. 15
¶ nec matrem offensam. *ibid.*
§ 2. Pater qui filiæ. 34
§ 3. Ejusmodi lege.... *N.* 15. *Tit.* DE MORT. CAUSA DON.]
§ 4. Ratæ donationes. 30
L. L. Titius epistolam. 32. 37
L. Qui id quod ex causâ. 33. 46
§ 1. Eâ lege donationis.. *N.* 59. *Tit.* DE ADQ. RER. DOM.]
§ 2. Mutus & surdus. 32
§ 3. Si cùm primus tibi. 44
L. Si pater emancipati. 34. 15
§ 1. Si quis aliquem à. 44
L. fin. Ad eum quem manumis. 35. 13
§ 1. Lucius-Titius fundum. 19
§ 2. Avia sub nomine. 15

TITULUS VI.

DE MORTIS CAUSA DONATIONIBUS ET CAPIONIBUS.

Lex Mortis C. donatio est. 1. *h. t. N.* 1.
Series Tit. VI. DE MORTIS CAUSA DON.
L. 1. § 1. Sic & apud Homer. *h. t. N.* 1
L. Julianus lib. 17. Dig. tres. 2. 6
L. Mortis causâ donare. 3. *ibid.*
L. Aut per insidiosa. 4. *ibid.*
L. Aut ætate fessus. 5. *ibid.*
L. Hæc enim omnia. 6. *ibid.*
L. Si aliquis mortis. 7. 2
L. Qui pretio accepto. 8. 27
§ 1. Denique & sic. 1
L. Omnibus mortis 9. 11
L. Ei cui mortis. 10. 5
L. Mortis causâ filii. 11. 9
L. Si mulier ventris. 12. 28
L. Si alienam rem. 13. 20
§ 1. Marcellus notat: In. 8
L. Si mortis causâ donatus. 14. 20
L. Marcellus notat: Cùm. 15.... *N.* 11. *Tit.* DE TESTAM. MIL.]
L. M. C. donatio, etiam dum. 16. 17
L. Etsi debitor. 17. 2
L. Mortis causâ capimus. 18. 9
§ 1. Si donaturus mihi. 24
§ 2. Titia chirographa. 14
§ 3. Qui hominem noxæ. 23
¶ idem in fundo. *ibid.*
L. Si filiosam. res. 19. 20
L. Ei qui non ampliùs. 20.. *N.* 100. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
L. Eum qui ut adiret. 21. 27
L. In mortis C. donation. 22. 11
L. Si filiosam. M. C. 23. 17
L. Quod debitori acceptum. 24. 21
L. Tam is qui testamentum. 25. 10
§ 1. Filiusfamilias qui. *ibid.*
L. Si qui invicem. 26. 18
L. Ubi ita donatur. 27. 8
L. Avunculo suo. 28. 15
L. Si mortis causâ res. 29. 19
L. Qui mortis causâ. 30. *ibid.*
Series Tit. VI. DE MORTIS CAUSA DON.
L. Mortis C. capitur. 31... *h. t. N.* 25
§ 1. Juliano placet. 24
§ 2. Sine donatione. 25
¶ eodem numero est. 25
¶ rursùs id quod M. causâ. 6
§ 3. Si jusseris mortis causâ. 24
§ 4. Per acceptilation. quoq. *ibid.*
L. Non videtur perfecta. 32. 2
L. Qui alienam rem. 33. 20
L. M. C. donatio etiam sic. 34. 12
L. Senatus censuit placere. 35. 11
¶ ex hoc SCto multæ. *ibid.*
§ 1. Donatio dicta est... *N.* 1. *Tit.* DE DONATION.]
§ 2. Sed M. C. donatio longè. 1
§ 3. Ergo qui mortis C. donat. *ibid.*
§ 4. Mortis C. donatio fit multis. 6
¶ nam & sic potest donari. 8
§ 5. Si quis societatem... *N.* 3. *Tit.* PRO SOCIO.]
§ 6. Si duobus debitoribus. 21
§ 7. Sed qui mortis C. in annos. 12
L. Quod conditionis implendæ. 36. 26
¶ certè quod à statulibero. *ibid.*
L. Illud generaliter. 37. 2
§ 1. Julianus ait Si quis servum. 20
L. Inter M. C. donationem. 38. 25
L. Si is cui mortis. 39. 20
L. Si mortis C. inter. 40... *N.* 21. *Tit.* DE DON. INT. VIR. ET UX.
L. Quod statuliber. 41.... *N.* 47. *Tit.* AD L. FALCID.]
L. Seia quum bonis. 42. 22
§ 1. Quum pater in extremis. 7
L. Fulcinius inter virum. 43..... *N.* 20. *Tit.* DE DON. INT. VIR. ET UXOR.]
L. fin. Si servo M. causâ. 44. 17

LIBER QUADRAGESIMUS.

TITULUS I.

DE MANUMISSIONIBUS.

LEX Placuit eum qui. 1... *N.* 20. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]
L. Si heres deliberante. 2... *N.* 15. *d. tit.*]
L. Servus pignori. 3... *N.* 12. *d. tit.*]
L. Is qui suis nummis. 4... *N.* 1. *Tit.* QUI SINE MANUMISS.]
§ 1. Et primò quid.. *N.* 2. *d. tit.*]
§ 2. Si ab ignoto.
§ 3. Sive igitur non hoc. } *N.* 3.
§ 4. Unde quæri poterit. } *d. tit.*]
§ 5. Proindè etsi ei.
§ 6. Sive autem exprim. } *N.* 5.
§ 7. Ergo etsi fortè. } *d. tit.*]
§ 8. Nihil autem interest.
§ 9. In illis sanè servis. } *N* 3.
§ 10. Suis autem nummis. } *d. tit.*]
§ 11. Quòd si partem. } *N.* 4.
§ 12. Sed quid quum. } *d. tit.*]
§ 13. Sed & si duo.
Series Tit. I. DE MANUMISSIONIB.
L. 4. § 13. ¶ nisi fortè is qui } *N.* 4. *Tit.* QUI SINE MANUM.]
§ 14. Sed & si partem. }
L. Si quis dicat se. 5... *N* 6. *d. tit.*]
§ 1. Sed & si rationib... *N.* 178. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
L. Servus pecuniam. 6.... *N.* 8 *Tit.* DE PECUL. LEG.]
L. Duo filiifamilias. 7.. *N.* 12. *d. tit.*]
L. Qui pœnæ servi. 8.... *N.* 9. *tit.* QUI ET A QUIB. MAN.]
§ 1. Sed nec rei capital. } *N.* 56.
§ 2. Divus quoque Pius. } *d. tit.*]
§. 3. Sed ne quidem illos.... *N.* 57. *d. tit.*]
L. Servus hâc lege. 9... *N.* 1. *d. tit.*]
L. Ælianus debitor. 10.. *N.* 13. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]
L. Servum qui sub. 11... *N.* 14. *d. tit.*]
L. Lege Faviâ. 12.... *N.* 3. *d. tit.*]
Series Tit. I. DE MANUMISSIONIB.
L. Servus furiosi. 13. *N.* 7.... *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]
L. Apud eum cui. 14. } *N.* 26. *Tit.* DE
¶ sed Prætor. } JURISDICT.]
§ 1. Imperator quum.... *N.* 5. *Tit.* DE MANUM. VIND.]
L. Mortis causâ servum. 15... *N.* 13. *Tit.* DE MORT. CAUS. DONAT.]
L. Si consentiente patre. 16. *N.* 21. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]
L. Servi quos filiusf. 17.. *N.* 8. *d. tit.*]
L. Eum qui vænierit. 18. *N.* 16. *d. tit.*]
L. Si quis ab alio. 19.... *N.* 16. *Tit.* QUI SINE MANUMISS.]
L. Causam minor. 20. } *N.* 29. *Tit.*
§ 1. Non idem in fideicommissariâ. } QUI ET A QUIB. MAN.]
§ 2. Puellam eâ lege.... *N.* 10. *Tit.* QUI SINE MANUMISS.]
§ 3. Tempore alienationis..... *N.* 13. *d. tit.*]

L. Servum

Source : BIU Cujas

Series Tit. I. DE MANUMISSIONIB.

L. Servum dotalem. 21.... *N.* 37. *Tit.* DE JURE DOT.]

L. Nepos ex filio. 22... *N.* 6. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

L. Gaius-Seius. 23.... *N.* 14. *Tit.* QUI SINE MANUMISS.]

L. Lege Juniâ. 24. } *N.* 26. *Tit.*
§ 1. Sed & ſi teſtes. } DE LIBER. CAUSA.]

L. Juris ratio efficit. 25. } *N.* 4. *Tit.*
L. fin. Servum furioſum. 26. } DE MANUM. VIND.]

TITULUS II.

DE MANUMISSIS VINDICTA.

Lex Apud Prætorem. 1.... *N.* 8. *Tit.* DE JURISDICT.]

L. Si minor ſit annis. 2.... *N.* 21. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

L. Si heres ſervum. 3.. *N.* 15. *d. tit.*]

L. Si pater filio. 4.... *N.* 8. *d. tit.*]

§ 1. Quoties dominus... *h. t. N.* 3

§ 2. Minor 20. annis.... *N.* 21. *Tit.* QUI ET A QUIB. MAN.]

L. An apud ſe. 5.... *N.* 5. *Tit.* DE JURISDICT.]

L. Servus communis. 6.... *N.* 30. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

L. Non eſt omninò. 7. 6

L. Ego quum in villâ. 8. *ibid.*

L. Juſta cauſa. 9.... *N.* 28. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

§ 1. Sciendum eſt... *N.* 31 *d. tit.*]

L. Surdi vel muti. 10... *N.* 8. *d. tit.*]

L. Si minor annis. 11. }
L. Vel ſi ſanguine. 12. } *N.* 25. *d. tit.*]
L. Si collactaneus. 13. }
L. Alumnos magis. 14. }

§. 1. Sunt qui putant. } *N.* 27.
¶ & ſi ſpado. } *d. tit.*]

L. Etiam conditionis. 15.. *N.* 29. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

§ 1. Ex præterito.. *N.* 28. *d. tit.*]

§ 2. Plures Vindictâ. 4

§ 3. Abſens quoque... *N.* 24. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

§ 4. Si duo matrimonio.... *N.* 27. *d. tit.*]

§ 5. Hi qui in Italiâ. 5. 5

L. Illud in cauſis. 16.. *N.* 25. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

§ 1. Si quis minor... *N.* 29. *d. tit.*]

L. Apud Proconſulem. 17. 5

§ 1. Sed & apud Legatum. *ibid.*

L. Apud filiumfamilias. 18. *ibid.*

§ 1. Apud collegam... *N.* 26. *Tit.* DE JURISDICT.]

§ 2. Filius quoque... *N.* 8. *d. tit.*]

L. Si minor annis. 19... *N.* 27. *in Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

L. Si rogatus ſit. 20. } *N.* 29.
§ 1. Sed & ſi hâc lege. } *d. tit.*]

Tome III.

Series Tituli II. DE MANUM. VIND.

L. 20. §. 2. Matrimonii causâ. *N.* 27. *Tit.* QUI ET A QUIB. MAN.]

§ 3. Mulieri quoque.... *N.* 25. *d. tit.*]

§ 4. Conſul apud ſe.... *N.* 9. *Tit.* DE JURISDICT.]

L. Apud Præfectum. 21... *h. t. N.* 5

L. Pater ex provinciâ. 22... *N.* 8. *Tit.* QUI ET A QUIB. MAN.]

L. Manumiſſio per lictores. 23. 2

L. Pupillus qui infans. 24.... *N.* 17. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

L. fin. Si tutoris habendi. 25.... *N.* 26. *d. tit.*]

TITULUS III.

DE MANUMISSIONIBUS QUÆ SERVIS AD UNIVERSITATEM PERTINENTIBUS IMPONUNTUR.

Lex Divus Marcus. 1... *h. tit. N.* 2

L. Quare hi quoque. 2. *ibid.*

L. fin. Servus civitatis. 3. 1

TITULUS IV.

DE MANUMISSIS TESTAMENTO.

Lex Quum ſæpius datur. 1.... *N.* 208. *Tit.* DE LEGATIS.]

L. Si quis ita heredem. 2.. *N.* 153. *d. tit.*]

L. Nec militi. 3... *N.* 20. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

L. Si quis ita ſcripſerit, Stichus. 4. } *N.* 143. *Tit.* DE CONDIT. ET DEM.]
§ 1. Sed & ſi ſic. }
§ 2. Illud conſtabit. }

L. In libertatibus. 5.... *N.* 208. *Tit.* DE LEGATIS.]

¶ ſed in fideicommiſſariis... *N.* 209. *d. tit.*]

L. Si fructuarium. 6... *h. tit. Num.* 3

L. Neratius ſcribit. 7... *N.* 196. *Tit.* DE COND. ET DEM.]

L. Si ſit ita ſcriptum. 8... *N.* 182. *d. tit.*]

L. Si quis ita legatus. 9... *N.* 90. *d. tit.*]

§ 1. Quod conſtitutum.. *N.* 2. *Tit.* QUI ET A QUIB. MAN.]

L. Si peculium. 10.... *N.* 179. *in Tit.* DE LEGATIS.]

§ 1. Si ſervus legatus.. *N.* 204. *d. tit.*]

L. Si legato ſervo. 11. 75

§ 1. Si Stich. & Pamph. *N.* 101. *Tit.* DE COND. ET DEM.]

§ 2. Quum teſtamento ſervus. 28

L. Si quis libertatem. 12. } *N.* 29.
§ 1. Proindè & ſi legat. } *Tit.* DE
§ 2. Sed ſi purè. } COND. ET
§. 3. Idem puto dicend. } DEMONST].

Series Tit. IV. DE MANUM. TESTAM.

L. Si ita fuerit ſervis. 13. } *N.* 102.
§. 1. Idem quæri poteſt. } *Tit.* DE
§ 2. Hæc quæſtio & in. } COND. ET DEM.]

¶ in reliquis.... *N.* 174. *d. tit.*]

§ 3. Sed & ſi ancilla. *N.* 74. *d. tit.*]

L. Quum ſervus purè. 14... *N.* 11. *in Append. ad Tit. VI. lib.* 28.]

L. Stichum Sempronio. 15.... *N.* 206. *Tit.* DE LEGATIS.]

L. Si ita ſcriptum fuerit. 16... *N.* 82. *Tit.* DE COND. ET DEM.]

L. Libertas quæ. 17.. *N.* 66. *d. tit.*]

§ 1. Hæc aut. ſcript.. *N.* 95. *d. tit.*]

§ 2. Hâc ſcripturâ.. *N.* 72. *d. tit.*]

§ 3. Poſt annos.. *N.* 12. *d. tit.*]

L. Qui duos heredes. 18. *N.* 108. *d. tit.*]

§ 1. Hæc conditio. } *N.* 63.
§ 2. Sed multò magis. } *d. tit.*]

L. Quidam heredem. 19.. *N.* 207. *Tit.* DE LEGATIS.]

L. Servos legavit. 20.... *N.* 209. *Tit.* DE COND. ET DEM.]

L. Stichus, immò. 21... *N.* 272. *Tit.* DE LEGATIS.]

L. Qui filium impuber. 22.. *N.* 172. *Tit.* DE COND. ET DEM.]

§ 1. Item quæſit. eſt. *N.* 170. *d. tit.*]

L. Teſtam. manumiſſus. 23.. *h. t. N.* 70

§ 1. Teſtamento data libertas. 28

L. Nominatim videntur. 24. 7

L. Teſtamento liber. 25. 28

L. Divus Pius & Divi Fratres. 26.. *N.* 74. *Tit.* DE LEGATIS.]

L. Qui potuerint. 27.. *N.* 22. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

L. Stichus ſi codicillis. 28... *N.* 16. *Tit.* DE COND. ET DEM.]

L. Uxorem prægnantem. 29. 74

L. Si ſervi qui apud. 30. 1

L. Quum ex pluribus. 31... *N.* 12. *Tit.* DE LEGATIS.]

L. Sciendum eſt, neceſſario. 32. 28

L. Libertas ad tempus. 33. } *N.* 3. *Tit.* DE COND.
L. Ideòque ſi ita. 34. } ET DEM.]

L. Servius exiſtimabat. 35. 1

L. Servum teſtamento. 36... *N.* 6. *Tit.* DE OPER. LIBERT.]

L. Nominatim codicillis. 37. 7

L. Libertas teſtamento. 38... *N.* 4. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

L. Stichus ſervus meus. 39... *N.* 62. *Tit.* DE COND. ET DEM.]

L. Julian. ait, quum. 40. } *N.* 362.
§ 1. Sed & quum ſub. } *Tit.* DE LEGATIS.]

L. Si ita fuerit libertas. 41.. *N.* 14. *Tit.* DE COND. ET DEM.]

§ 1. Sed ſi ita ſit ſcriptum.... *N.* 11. *d. tit.*]

§ 1. Labeo ſcribit.. *N.* 14. *d. tit.*]

L. Si quis ita ſcripſerit, Illum. 42... *N.* 138. *Tit.* DE LEGATIS.]

Source : BIU Cujas

Series Tit. IV. DE MANUM. TESTAM.

L. Libertates directæ. 43.. *h. t. N.* 16

L. Mævia decedens. 44.... *N.* 72. *Tit.* DE COND. ET DEM.]

L. Quod vulgò dicitur. 45.. *N.* 209. *Tit.* DE LEGATIS.]

L. Aristo Neratio. 46.... *N.* 8. *in Append. ad Tit.* 6. *lib.* 28.]

L. Quum ex falsis. 47. } *N.* 6. *Tit.*
§ 1. Sed & si conditionis. } DE MANUMISSIONIB.]

L. Si socius testamento. 48. 2

L. Testamentum militis. 49. 9

L. Quod D. Marco. 50. 80
§ 1. Servos autem testamento. 84

L. Testam. centurio. 51... *N.* 209. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
§ 1. Quum ita testamento.... *N.* 210. *d. tit.*]

L. Imperatores Missenio. 52.... *N.* 3. *d. tit.*]

L. L. Titius servo. 53.. *N.* 177. *d. tit.*]

L. Qui habebat servum. 54. 7
§ 1. Scripti testamento... *N.* 33. *Tit.* QUI ET A QUIB. MAN.]

L. Libertate sub conditione. 55. } *N.* 123. *Tit.* DE
§ 1. Non absurdè. } COND.
§ 2. De his autem quos. } ET DEM.]

L. Si quis servo. 56.... *N.* 207. *Tit.* DE LEGATIS.]

L. Si locuples egenti. 57... *N.* 37. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

L. Verum est eum. 58. 1

L. Titia servis quibusd. 59. 7
§ 1. Puram & directam. 30
§ 2. L. Titius testamento. 15

L. Testamento ita cavit. 60.... *N.* 240. *Tit.* DE COND. ET DEM.]

L. fin. Scio quosdam. 61. *N.* 66. *d. tit.*]
§ 1. Et si ita in testam. } *N.* 3.
§ 2. Hoc ampliùs Octavenus. } *d. tit.*]

TITULUS V.

DE FIDEICOMMISSARIIS LIBERTATIBUS.

Conjunctus est cum Titulo præcedenti, & transfusus in numeros utrique communes.

Lex Si quidam ex his. 1... *Num.* 50

L. Si quis intestatus. 2. 77

L. In quem etiam. 3. 89

L. Ergo quandiù. 4. 79
§ 1. Si is qui in integrum. *ibid.*
§ 2. Quid ergo si post. *ibid.*
§ 3. Illud videamus. 86
§ 4. Quid ergo si quidam. *ibid.*
§ 5. Si ex die data sit. 81
§ 6. Si sub conditione. 89
§ 7. Si qui fideicommissam. 88
§ 8. Addici ita demùm. 82
§ 9. Creditoribus caveri. 83
§ 10. Illud videndum. *ibid.*
§ 11. De solido utique. 82

Series Tit. V. DE FIDEIC. LIBERTAT.

L. 4. § 12. Hi qui ad libertat... *N.* 87
§ 13. Qui autem volunt. *ibid.*
§ 14. Quum autem servus. *ibid.*
§ 15. Si alienos servos. 77
§ 16. Si non heres sed. *ibid.*
§ 17. Eadem Constitutio. 80
§ 18. Item si minor. 78
§ 19. Si in fraud. creditorum. *ibid.*
§ 20. Si bona fuerint à fisco. 80
§ 21. Is autem cui bona. 89
§ 22. Item videamus an. *ibid.*
§ 23. Si duobus pluribus-ve. 90

L. In fideicommissariis. 5. 56

L. Decem legata sunt. 6.. . *N.* 18. *Tit.* AD. L. FALCID.]

L. Si cui legata sint. 7... *N.* 5. *d. tit.*]

L. Eum qui mille. 8. 27

L. Cùm fidei heredis. 9. 11

L. Quidam in testamento. 10. 10
§ 1. Is cui libertas. 41
§ 2. Is cui ex fideicommisso... *N.* 23. *Tit.* QUIB. AD LIBERT. PROCLAM.]

L. Ex causâ fideicom. 11... *N.* 17. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

L. Imperator. Anton. 12. 11
§ 1. Et legatarius non minùs. 19
§ 2. D. Antoninus & Pertinax. 72

L. Si prægnans ancilla. 13. 58

L. L. Titius testamento. 14. *N.* 55. *Tit.* DE COND. ET DEMONSTR.]

L. Si quis ex causâ. 15. 35

L. Libertates etiam. 16. 3

L. Quum tibi visum. 17... *N.* 56. *Tit.* DE CONDIT. ET DEMONST.]

L. Testamento ita cavit. 18.... *N.* 182. *d. tit.*]

L. Herede instituto. 19... *N.* 21. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
§ 1. Uxori dotem & alias. 4

L. Apud Julianum. 20. 36

L. Rogo ne Stichus. 21. 11

L. Si legatario. 22. 27
§ 1. A duobus heredibus. 52
¶ quòd si ex servis unus. *ibid.*
§ 2. Quum is qui fideicomm. 51

L. Fideic. libertas. 23. 32
§ 1. Fideicommissariam libert. 36
§ 2. Servum peculii. 2. 18
§ 3. Etiam fideicommissaria.... *N.* 82. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
§ 4. Servum à filio.. *N.* 117. *d. tit.*]

L. Generaliter dicemus. 24. 3
§ 1. Et Principis servo. 3
§ 2. Hostium servo. 5
§ 3. Si homini libero. 6
§ 4. Servo ejus qui nundum. 5
§ 5. Si servus in metallum. *ibid.*
§ 6. Ex damnatâ in metallum. *ibid.*
§ 7. Si petitum à testatore. 10
§ 8. Sed & si ita scripsit. *ibid.*
§ 9. Si quis tutorem... *N.* 10. *Tit.* DE TESTAM. TUT.]
§ 10. Si quis servo pignerato. 2
§ 11. Ex testamento quod. 74
§ 12. Si quis alienum. 22
§ 13. Proindè conseq. Marcell. 24

Series Tit. V. DE FIDEIC. LIBERTAT.

L. 24. § 14. Planè si fortè min. *N.* 25
§ 15. Proindè & si servi pret. *ibid.*
§ 16. Quòd si legatum. *ibid.*
§ 17. Quid ergo si plures. 26
§ 18. Simili modo dicendum. *ibid.*
§ 19. Si cui legatum sit. 23
§ 20. Si rogatus quis. *ibid.*
§ 21. Quot. aut. fideicommis. 34
¶ quòd si nolit ab eo manum. *ibid.*

L. Si heres qui. 25. 35

L. Quum verò is qui. 26. 36
§ 1. Apparet igitur subventum. 58
§ 2. Quum quidam Cæcilius. *ibid.*
§ 3. Idem Imperator. *ibid.*
§ 4. Apparet igitur ex hoc. *ibid.*
§ 5. Non tamen si à. 59
§ 6. Si pro non scripto. 75
§ 7. Subventum libertatibus. 38
§ 8. Hoc SC tum ad eos pertin. 39
§ 9. Evocari autem à Prætore. 42
§ 10. Hoc SC. ad omnes pert 41
§ 11. Quare si heres quidem. 40

L. Itaque hoc casu. 27. *ibid.*

L. Si eum servum. 28. 41
§ 1. Hæc autem verba. 42
§ 2. Idem observatur etiam. *ibid.*
§ 3. Eorum qui ex justâ. 50
§ 4. Si quis servum non. 54
§ 5. Ex justâ causâ abesse. 44

L. Si quis posteaquàm. 29. 43
¶ sed hîc non distinguitur. *ibid.*

L. Quum quasi absente. 30. 45
§ 1. Si infans sit inter eos. 46
§ 2. Hoc idem erit dicendum. *ibid.*
§ 3. Si verò pupillus tutorem *ibid.*
§ 4. Quicumque igitur casus. *ibid.*
§ 5. Adeundus est autem etiam. 50
§ 6. Si plures heredes sunt. 53
§ 7. In furiosi personâ. 48
§ 8. Ad exemplum infantis. *ibid.*
§ 9. Sed & si quis sine herede. 49
§ 10. Sed & si suus heres. *ibid.*
§ 11. Idem dicend. & si minor. *ibid.*
§ 12. Quærendum est autem. *ibid.*
§ 13. Si alter sine successore. *ibid.*
§ 14. Eleganter quæri post. *ibid.*
§ 15. Imperator noster... *N.* 77. *Tit.* DE LEGATIS.]
§ 16. Divus etiam Marcus. 57
§ 17. Quanquam ex irritis.... *N.* 47. *Tit.* DE LEGATIS.]

L. Alieno servo. 31. 5
§ 1. Quum intestato moriturus. 18
§ 2. Qui fideicommissariam. 33
§ 3. Si patronus contra... *N.* 47. *Tit.* DE BON. LIBERT.]
§ 4. Si is cujus servus est. 64
¶ idem est & si plus justo. 66
¶ quòd si & dominus vendere. 67

L. Sed si alienare 32. *ibid.*
§ 1. Invito tamen servo. 68
§ 2. Quod eveniet & si rem. *ibid.*

L. Si filius defuncti. 33.... *N.* 9. *Tit.* DE OPER. LIBERT.]
§ 1. Erit Rubriano SCto locus. 39
§ 2. Si his cui servus legatus. 75

L. Invitus is cui. 34. 35
§ 1. Campanus ait, Si.. *N.* 21. *Tit.* QUI ET A QUIB. MAN.]
§ 2. Servus legatus erat. 57

L. Gaii-Cassii non est. 35. 43

Source : BIU Cujas

Series Tituli V. DE FIDEIC. LIBERTAT.
L. Neque infantes. 36. . . . *Num.* 46
§ 1. Si per procuratorem. 44
§ 2. Nihil facit ad interpelland. 37
L. Si purè data sit. 37. 32
L. In testamento. 38. . . . . *N.* 19. *Tit.* DE LEGATIS.]
L. Paulus resp. Etsi. 39. 3
§ 1. Paulus respond. His verbis. 12
L. L. Titius Septiciæ. 40. 27
§ 1. L. Titius Stichum. . . *N.* 2. *Tit.* QUI ET A QUIB. MAN.]
L. Thais ancilla mea. 41. 13
§ 1. L. Titius ita cavit. . *N.* 113. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
§ 2. Tutoris quem. 21
§ 3. Seio auri libras. 75
§ 4. Sorore suâ herede. . *N.* 53. *Tit.* DE COND. ET DEMONSTR.]
§ 5. L. Titia heredum. 69
§ 6. L. Titius ita testamento. 15
§ 7. Titius Sticho servo. *N.* 170. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
§ 8. Item quæro cùm. } *N.* 183.
§ 9. Item quæro an. } *d. tit.*
§ 10. Libertatem ita testam. . . *N.* 166. *d. tit.*]
§ 11. Stichus & Damas. . . . *N.* 165. *d. tit.*]
§ 12. Intra certa tempora. . . *N.* 103. *d. tit.*]
§ 13. Ab heredibus meis. . . *N.* 166. *d. tit.*]
§ 14. Stichus servus meus. . . . *N.* 149. *d. tit.*]
§ 15. Herede filio suo. *N.* 9. *d. tit.*]
§ 16. Spendophorus quum filia. *N.* 22. *d. tit.*]
§ 17. Stichum rationibus. . . . *N.* 170. *d. tit.*]
L. Antoninus-Augustus. 42. 73
L. Fideicommissa libertas non. 43. *N.* 1. *Tit.* DE ADEMPT. LIBERT.]
L. De libert. fideicommissariâ. 44. 37
L. Si debitor rogatus. 44. 20
§ 1. In fideicommissariâ. 22
§ 2. Quoties servo. . . *N.* 4. *Tit.* DE STATULIB.]
L. Fideicommissa libertas ita. 46. } *N.* 55. *Tit.* DE
§ 1. Planè & si ita. } COND. ET
§ 2. Sed & si ita. } DEM.]
§ 3. Quòd si ita scriptum. . . *N.* 53. *d. tit.*]
§ 4. Quanquàm autem in. . . *N.* 56. *d. tit.*]
§ 5. Quidam quum tres. . . . *N.* 57. *d. tit.*]
L. Si pater duos. 47. 70
§ 1. Si quum alienum. 67
§ 2. Si Sticho libertas. . *N.* 127. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
¶ hæc autem fieri conveniet. *N.* 128. *d. tit.*]
§ 3. Quum sub conditione. 36

Series Tituli V. DE FIDEIC. LIBERTAT.
L. 47. § 4. Quædam quum in. *Num.* 17
L. Quum in testamento. 48. 19
L. Si is cui servus. . . rogatus. 49. 41
¶ in eos autem qui. *ibid.*
L. Si servus legatus. 50. . . *N.* 204. *Tit.* DE LEGATIS.]
L. Non tantùm ipse. 51. 34
§ 1. Is autem qui rogatus. 33
§ 2. Si alienum servum. 65
§ 3. Cui per fideicommissum. 35
§ 4. SCto Dasumiano. 43
§ 5. Abesse autem. 44
§ 6. Et quia { de } heredibus. 43
§ 7. Sed Articuleiano. 37
§ 8. Sed si non hereditarium. 54
§ 9. Sive justâ ex causâ. *ibid.*
§ 10. Emptor quoque ut. 55
§ 11. Et præsens coheres. 53
§ 12. Sed si matrimonii. *N.* 39. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
L. Posteàq. à creditore. 52. . *N.* 1. *Tit.* DE ADEMPT. LIBERT.]
L. Si quis rogatus. 53. 58
§ 1. Sed si nondum debitâ. 60
L. Si mater postquàm. 54. 61
L. Sed etsi non datâ. 55. 60
§ 1. Sed si directò libertas. 61
L. fin. L. Titius testamento. 56. . . *N.* 234. *Tit.* DE LEGATIS.]

TITULUS VI.

DE ADEMPTIONE LIBERTATIS.

L. un. Quum libertas Lege. . . *Num.* 3

TITULUS VII.

DE STATULIBERIS.

Lex Statuliber est. 1. . . *h. tit. Num.* 1
§ 1. Fiunt autem statuliberi. *ibid.*
L. Qui statuliberi. 2. 3
¶ sed statuliberi causam. 7
§ 1. Sed si impuberis. 8
§ 2. Plus scripsit Julianus. *ibid.*
§ 3. Si primis tabulis. *ibid.*
§ 4. Quocumque gradu. 8
L. Statuliberos. 3. . . *N.* 123. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
§ 1. Sed si in heredis. . } *N.* 115.
§ 2. Inde quæritur. } *d. tit.*]
§ 3. Non solùm autem. . . . . *N.* 116. *d. tit.*]
§ 4. Sed & si jussum. *N.* 114. *d. tit.*]
§ 5. Si decem jussus. . . *N.* 160. *d. tit.*]
§ 6. Si plus quàm jussus. *N.* 157. *d. tit.*]
§ 7. Si quis servum. . vendiderit *N.* 118. *d. tit.*]
§ 8. Si quis servum. . operari. *N.* 117. *d. tit.*]
§ 9. Sed & si argento. *N.* 158. *d. tit.*]
§ 10. Non solùm autem si. . . *N.* 123. *d. tit.*]
§ 11. Si quis heredi. } *N.* 105.
¶ sed quid si datâ operâ } *d. tit.*]

Series Tituli VII. DE STATULIBER.
L. 3. § 12. Si quis sic acceperit. . . *N.* 140. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
§ 13. Stichus annua. . . *N.* 126. *d. tit.*]
§ 14. Quid si servus. . . *N.* 11. *d. tit.*]
§ 15. Si ita sit libertas. . . . *N.* 125. *d. tit.*]
§ 16. Item Julian. lib. 16. Dig. *N.* 112. *d. tit.*]
§ 17. Item si heredi. . . . *h. t. N.* 5
L. Quum heres Reipub. 4. . *N.* 127. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
§ 1. Non est statuliber. 2
§ 2. Servire Titio. . . . *N.* 125. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
§ 3. Si duobus decem datis. . . *N.* 126. *d. tit.*]
§ 4. Stichus si Titio. . . *N.* 116. *d. tit.*]
§ 5. Stichus si heredi. . . . *N.* 13. *d. tit.*]
§ 6. Item si decem heredi. . . . *N.* 161. *d. tit.*]
§ 7. Ita liber esse. . . *N.* 124. *d. tit.*]
§ 8. Item Cassius ait. . *N.* 13. *d. tit.*]
L. Statulìber rationem. 5. . . *N.* 173. *d. tit.*]
§ 1. Statuliber qui non. . *N.* 162. *d. tit.*]
L. Si statulibera. 6. } *N.* 29. *Tit.*
§ 1. Quid tamen si. } DE MANUM.
§ 2. Planè si apud. } TEST.]
§ 3. Statuliber parendo. *N.* 154. DE COND. ET DEM.]
§ 4. Si filiusfamilias. . . . *N.* 156. *d. tit.*]
§ 5. Statuliber decem. . . *N.* 154. *d. tit.*]
§ 6. Si servus tuus. . *N.* 156. *d. tit.*]
§ 7. Si quis non dare decem. . . . *N.* 176. *d. tit.*]
L. Ususfructûs alienatio. 7. . . . . *N.* 154. *d. tit.*]
L. Ita liber esse. 8. . . *N.* 147. *d. tit.*]
§ 1. Si partes suas. . . *N.* 154. *d. tit.*]
L. Statuliberum medio. 9. 4
§ 1. Si statuliberum non. 3
§ 2. Illud tractatum est. 4
§ 3. Statuliberi conditio. 7
L. Si decem dare. 10. . . *N.* 61. *Tit.* DE ACTION. EMPTI.]
L. Si heres pecuniam. 11. . *N.* 163. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
L. Si quis testamento. 12. . . *N.* 175. *d. tit.*]
L. Si quis ita libertatem. 13. . . . *N.* 215. *d. tit.*]
§ 1. Servus communis. . . *N.* 158. *d. tit.*]
§ 2. Si duo servi rationib. reddit. *N.* 102. *d. tit.*

Source : BIU Cujas

Series Tituli VII. DE STATULIBERIS.

L. 13. § 3. Qui ita liber eſſe.. *N.* 29. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
§ 4. Servus heredis.... *N.* 22. *d. tit.*]
§ 5. Hæc ſcriptura : Stichus.... *N.* 2 *Tit.* DE ADEMPT. LIB.]
L. Servus qui teſtamento. 14..... *N.* 163. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
§ 1. Servus quum heredi.... *N.* 212. *d. tit.*]
L. Mortuo hered. 15..*N.* 153. *d. tit.*]
§ 1. Heres quum ſtatuliberum.. *N.* 155. *d. tit.*]
L. Statulibera. 16... *h. tit. Num.* 6
L. Si decem heredi. 17... *N.* 159. *Tit* DE COND. ET DEM.]
L. Si triennio dena dare. 18.... *N.* 126. *d. tit.*]
L. Si ſervus liber. 19...*N.* 82. *d. tit.*]
L. Si peculium ſervo. 20..*N.* 115. *d tit.*]
§ 1. De illo quæritur. *N.* 160. *d. tit.*]
§ 2. Quòd ſi heredi dare.... *N.* 162. *d. tit.*]
§ 3. Is cui ſervus pecuniam.. *N.* 145. *d tit.*]
§ 4. Heredi autem juſſum... *N.* 153. *d. tit.*]
§ 5. Quædam conditiones... *N.* 125. *d. tit.*]
§ 6. Si ita quis acceperit.... *N.* 215. *d. tit.*]
L. Labeo lib. Poſterior. ita. 21... *N.* 182. *d. tit*]
§ 1. Pactumeius - Clemens... *N.* 432. *Tit.* DE LEGATIS]
L. Qui pecuniam dare 22 } *N.* 147.
§ 1. Si quidam ex. } *it.* DE
§ 2. Si heredibus nominatis. } COND. ET DEM
L. Si intra quinquennium. 23... *N.* 103. *d. tit*]
§ 1. Si rationes reddidiſſet... *N.* 116. *d. tit.*]
L. Stichus ſi heredi. 24..*N.* 96. *d. tit.*]
L Statuliberos venumdari. 25. 5
L. Libertate ſervo. 26... *N* 165. *Tit.* DE COND. ET DEM]
§ 1. Servus juſſus..*N.* 22. *d. tit.*]
L Si is cui dare. 27... *N.* 155. *d tit.*]
L. Si hereditas ejus. 28..*N* 123. *d. tit*]
§ 1. Statuliber antequàm... *N* 20. *Tit.* DE PECUL. LEG.]
L. Statuliberi à cæteris. 29. 4
§ 1. Q. Mucius ſcrib. Paterfam. *N.* 154. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
L. Si ita liber eſſe. 30. 3
L. Si ſervo ſub conditione. 31... *N.* 167. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
§ 1. Et ideò quum..*N.* 74. *d. tit*]
¶ aliam etiam eſſe quæſtion.. *N.* 92. *d. tit*]
L. Si duobus heredibus. 32..*N.* 154. *d. tit.*

Series Tituli VII. DE STATULIBERIS.

L. Statuliberorum. 33...*h. tit. Num.* 3
L. Servus ſi heredi 34... *N.* 128. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
§ 1. Imperator Antoninus... *N.* 126. *d. tit.*]
L. Non videbitur. 35. *N.* 118. *d. tit.*]
L. In tabulis ſecundis. 36. 8
L. Si ita ſcriptum. 37... *N.* 215. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
L. Non omne ab heredis. 38... *N.* 117. *d. tit.*]
L. Stichum Attio do, lego. 39. 9
§ 1. Stichus liber eſto.. *N.* 113. *Tit.* DE COND. ET DEMONSTR.]
§ 2. Si heres ſervo. *N.* 158. *d. tit.*]
§ 3. Damas ſervus. *N.* 13. *d. tit.*]
§ 4. Si Stichus Attiæ.. *N.* 123. *d. tit.*]
§ 5. Si ſervus operas. *N.* 146. *d. tit.*]
L. Sticho libertas. 40. *N.* 172. *d. tit.*]
§ 1. Pamphilus liber eſto... *N.* 96. *d. tit.*]
§ 2. Pamphilo liberto.. *N.* 127. *d. tit.*]
§ 3. Servus teſtamento. *N.* 171. *d. tit.*]
§ 4 Item quæro an ea. } *N.* 169.
§ 5. Item quæro an eor. } *d. tit.*]
§ 6. Item quæro an eo nomine. *N.* 172. *d. tit.*]
§ 7. Titius teſtamento ſervos.. *N.* 107. *d. tit.*]
§ 8. Argentarius coactor.... *N.* 180. *d. tit.*]
L. Si quem ſervum. 41. 1
§ 1. Paulus : Si quis liber eſſe.. *N.* 96. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
L. fin. Si quis eumd. hominem. 42. *N.* 206. *Tit.* DE LEGATIS.]

TITULUS VIII.

QUI SINE MANUMISSIONE AD LIBERTATEM PERVENIUNT.

Lex Si ſervus venditus. 1. *h. t. Num.* 12
L. Servo quem pro derelicto. 2. 20
L Eum qui ita væniit. 3. 7
L. Ei qui hâc lege. 4. 13
L. Qui ob necem. 5. 18
L. Si quis obligatum. 6. 11
§ 1. Tantumdem dicendum. *ibid.*
L. Imperator noſter. 7. 17
L. Mancipia mater. 8. 15
L. fin. Latinus-Largus. 9. 9

TITULUS IX.

QUI ET A QUIBUS MANUMISSI LIBERI NON FIUNT, ET AD LEGEM ÆLIAM-SENTIAM.

Lex Celſus lib. 12. Digeſt. 1. *N.* 2. *Tit.* DE MANUM. VIND.]
L. Servo competere. 2.... *h. t. Num.* 3
L. Si optio hominis. 2. 14

Series Tit. IX. QUI ET A QUIB. MAN.

L. Servum pignori. 4.. *h. tit. Num.* 12
L. Quum hereditas ſolvendo 5. 37
§ 1. Si autem is qui ſolvendo. 35
§ 2. Si Titius nihil amplius. 34
L. Julianus de eo loquitur. 6. *ibid.*
L. Si quis integris. 7... *N.* 24. *Tit.* DE JURE CODICIL.]
§ 1. Minor annis viginti. 23
L. Quum is qui ſub. 8. 40.
§ 1. Si miles jure... *N.* 31. *Tit.* DE TESTAM. MILIT.]
L. Ille ſervus liber. 9... *N.* 7. *Tit.* DE MANUMISSIONIB.]
§ 1. Item nec ille liber.. *N.* 20. *Tit.* QUI SINE MANUM.]
§ 2. Qui hâc lege vænierint. 1
L. In fraudem creditorum. 10. 34
L. In fraudem civitatium. 11. 42
§ 1. Sed nec in fraudem. *ibid.*
L. Proſpexit legiſlator. 12. 49
§ 1. Ipſa igitur quæ divertit. 52
§ 2. Sed etſi poſt divortium. *ibid.*
§ 3. Pater verò in cujus. 53
§ 4. Matrem quoque prohib. *ibid.*
§ 5. Sed & avum. *ibid.*
§ 6. S. Cæcilius rectè ait. 55
§ 7. Pater mulieris. 53
L. Quòd ſi intra diem. 13. *ibid.*
L. Sed ſi maritus. 14. 55
§ 1. Et ſimpliciter quidem. 50
§ 2. Sive autem divertit. *ibid.*
§ 3. Sed ſi morte. *ibid.*
§ 4. Sed & ſi bonâ gratiâ. *ibid.*
§ 5. Sed etſi conſtante. 51
§ 6. Alienationem omnem. 54
L. Quæſitum eſt an is. 15. 56
§ 1. Julianus ait : Si. 8
L. Si cùm fideicommiſſa. 16. 23
§ 1. Si partem quam. *ibid.*
¶ ſed ſi quum ipſe. *ibid.*
§ 2. Ne quis creditorum. 40
§ 3. Ariſto reſpondit. 44
§ 4. Si ſub conditione. 40
§ 5. Si voluntate patris. 36
L. Si privatus coactus. 17... *N.* 7. *Tit* DE MANUMISSIONIB.]
§ 1. Item non fit liber... *N.* 4. *d. tit.*]
§ 2. In his quos intra. 3
L. Si mortis tempore. 18. 38
§ 1. Si is cui libertas. 37
L. Nulla competit libertas. 19. 9
L. Si ſervo alieno. 20. 5
L. Matrimonii causâ. 21. 27
L. Curator furioſi. 22. 7
L. Semper in fraudem. 23. 35
L. Si quis habens creditores. 24. 43
L. In fraudem creditor. teſtam. 25. 41
L. Pignori obligatum. 26 12
L. In fraudem creditor. man. 27. 40
§ 1. Pignori datus. 12
L Heres ſervum. 28. 14
L. Generaliter pignori. 29. 13
§ 1. Sub conditione ſervus. 14
L. Si quis hâc lege. 30. } *N.* 9. *Tit.*
§ 1. Si filius meus. } DE OBSEQ.
§ 2. Sed ſi caſtrenſem. } PARENT.]

Source : BIU Cujas

Series Tit. IX. QUI ET A QUIB. MANUM.

L. 30. § 3. Tandiù autem accuſare. *N.* 12. *Tit.* DE OBSEQ. PARENT.]

§ 4. Quoties autem patroni. . . *N.* 13. *d. tit.*]

§ 5. Si pater libertum. . *N.* 14. *d. tit.*]

L. Quæſitum eſt: ſi. 31. . . *N.* 22. *Tit.* DE JURE PATRON.]

L. fin. Si non voluntate. 32. *N.* 20. *d. tit.*]

§ 1. Non prohibentur. } *N.* 25.
§ 2. Is qui operas. } *d. tit.*]

TITULUS X.

DE JURE AUREORUM ANNULORUM.

Lex Inter cæteros. 1. . . *h. tit. Num.* 3
§ 1. Diverſum in eo. *ibid.*
L. Intra quinque annos. 2. 4
L. D. Commodus. 3. 2
L. Etiam fœminæ. 4. 1
L. Is qui jus annulorum. 5. 3
L. fin. Libertinus ſi jus. 6. *ibid.*

TITULUS XI.

DE NATALIBUS RESTITUENDIS.

Lex A Principe. 1. . . *h. tit. Num.* 3
L. Interdum & ſervi. 2. 1
L. Quæris an ingenuitatis. 3. *ibid.*
L. Nec filio patroni. 4. 2
L. fin. Patrono conſentiente. 5. *ibid.*
§ 1. Libertinus qui. 1

TITULUS XII.

DE LIBERALI CAUSA.

Lex Si quando is qui. 1. . *h. tit. Num.* 1
§ 1. Vice versâ dicemus. 2
§ 2. Idcircò viſum eſt. *ibid.*
L. Quoniam ſervitus. 2. *ibid.*
L. Ampliùs puto. 3. *ibid.*
§ 1. Militi etiam pro. 3
§ 2. Quum verò talis. *ibid.*
§ 3. Sed & ſi libertum. *ibid.*
L. Sed tunc patrono. 4. *ibid.*
L. Intereſt enim. 5. *ibid.*
§ 1. Quòd ſi plures. 4
L. Benigniùs autem hoc. 6. 5

L. Liberis etiam hominib. 7. . . *N.* 3. *Tit.* QUIB. AD LIB. PROCL.]

§ 1. Si quis minor.. *N.* 4, *d. tit.*]

§ 2. Si quis ſciens. } *N.* 5. *d. tit.*]
§ 3. Si duo ſimul. }

§ 4. Sunt & aliæ cauſæ. 15
§ 5. Si quis ex ſervitute. 18
L. Cognitio de liberali. 8. 6
§ 1. Si plures ſibi dominium. 17
§ 2. Sed & ſi alter. *ibid.*
L. Si pariter adversùs. 9. *ibid.*
§ 1. Idem dicemus. *ibid.*
§ 2. Unde in utroque caſu. 29
L. Quod autem diximus. 10. 20
L. Licèt fugæ tempore. 11. *ibid.*
L. Igitur ſciendum eſt. 12. *ibid.*
§ 1. Infans ſubreptus. *ibid.*

Series Tit. XII. DE LIBERALI CAUSA.

L. 12. § 2. Poteſt & ſervus. *h. t. Num.* 20
§ 3. Et generaliter dicendum. *ibid.*
§ 4. Probatio autem ad id. 19
§ 5. Si operæ alicui. 6
§ 6. Si quod damnum. 31
L. Illud certum eſt. 13. 32
§ 1. Item certum eſt. *ibid.*
L. Rectiſſimè Prætor. 14. . . *N.* 19. *Tit.* QUIB. AD LIB. PROCLAM.]

§ 1. Quæ actio toties. } *N.* 20.
§ 2. Dolo autem non. } *d. tit.*]

L. Id eſt, ſive virilis. 15. . . *N.* 23. *d. tit.*]

L. Imò eum qui. 16. } *N.* 20.
§ 1. Si tamen vi. } *d. tit.*]
§ 2. Tunc habet. }

§ 3. Quare ſi filiusfam. }
§ 4. Planè ſi filius ignor. } *ibid.*]
L. In ſervo & in eo. 17. }

L. In tantum ergo tenetur. 18. . . *N.* 24. *d. tit.*]

§ 1. Sed utrùm pretium. }
L. Vel permutavit. 19. } *ibid.*]
L. Vel obligatus eſt. 20. }

§ 1. Proindè ſi quid. }
§ 2. Obligatum vel ipſi. } *ibid.*]
§ 3. Obligatum accipere. }

§ 4. Interdum eveni. } *N.* 25.
L. Utique ejus duplum. 21. } *d. tit.*]

¶ *cum* Actionem quæ ex hoc Ed. *ibid.*]

L. Non ſolus autem. 22. } *N.* 22.
§ 1. Emere ſic accipiemus. } *d. tit.*]

§ 2. Sed & ſi plures emerint. *ibid.*]

§ 3. Si eum liberum. } *N.* 22.
§ 4. Heredi & cæteris. } *d. tit.*]

§ 5. Sed ſi per procuratorem. . . *N.* 20. *d. tit.*]

§ 6. Hæc actio poſt. *N.* 25. *d. tit.*]

L. Si uſumfructum tibi. 23. . . *N.* 5. *d. tit.*]

§ 1. In ſummâ ſciendum. . . *N.* 9. *d. tit.*]

§ 2. Si mater & filius. 16
L. Ordinatâ liberali. 24. 21
§ 1. Quinetiam Servius. *ibid.*
§ 2. Sed ſi cum aliis. *ibid.*
§ 3. Sed ſi quas actiones. *ibid.*
§ 4. Si is qui in libertatem. *ibid.*
L. Si cui de libertate. 25. 22
§ 1. Interdum ex integro. 8
§ 2. Licèt vulgò dicatur. 22
L. Qui ex libertate. 26. 34
L. Divi Fratres Proculo. 27. 16
§ 1. Si ea perſona. 24
§ 2. Quòd ſi is qui pro. 25

L. Non videtur domini. 28. *N.* 5. *Tit.* DE MANUMISSIONIB.]

L. Qui de libertate. 29. 23

§ 1. Si ingenuus pronuntiatus. . . *N.* 2. *Tit.* DE COLLUS. DETEG.]

L. Duobus petentibus. 30. 29
L. Filium ob hoc. 31. 7
L. De bonis eorum. 32. 30

Series Tituli XII. DE LIBERALI CAUSA.

L. Qui ſciens liberum. 33. . . *N.* 5. *Tit.* QUIB. AD LIBERT. PROCLAM.]

L. Imp. Antoninus conſtituit. 34. 15

L. Servos ad templi. 35. . . *N.* 41. *Tit.* DE LEGATIS.]

L. Dominus qui obtinuit. 36. 27

L. Conventio privata. 37. . . *N.* 2. *Tit.* QUIB. AD LIBERT.

L. Paulus reſpond. Si ut. 38. . . *N.* 8. *Tit.* QUI SINE MAN. AD LIB.]

§ 1. Idem reſp. Conſtitutionem. *N.* 16. *d. tit.*]

§ 2. Quæſitum eſt an. . . *N.* 60. *Tit.* DE ADQ. RER. DOM.]

§. 3. Gaius-Seius Stichum. *N.* 13. *Tit.* DE COND. ET DEMONSTR.]

L. Cui neceſſitas probandi. 39. 19
§ 1. Qui de ingenuitate. 34
§ 2. Tutores vel curatores. 7
§ 3. Maritus uxori. *ibid.*

L. Quum pacto partitionis. 40. . . . *N.* 6. *Tit.* QUIB. AD LIBERT.]

L. Si in obſcuro ſit. 41. 19
§ 1. Judex autem qui. 31
L. Si ſervus quem. 42. 9
L. De his qui bona. 43. 31

L. fin. Licèt dubitatum. 44. . . *N.* 6. *Tit.* DE OPER. LIBERTOR.]

§ 1. Licet autem circa donum. *N.* 21. *d. tit.*]

§ 2. In eum qui impubes. . . . *N.* 10. *d. tit.*]

TITULUS XIII.

QUIBUS AD LIBERTATEM PROCLAMARE NON LICET.

Lex Majores viginti. 1. . *h. tit. Num.* 3
§ 1. Minori autem. 4

L. Servum quis. 2. . *N.* 15. *Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.]

L. Eis qui ſe. 3. 7
L. Licinius Rufin. Julio. 4. 8
L. fin. Si duo liberum. 5. 5

TITULUS XIV.

SI INGENUUS ESSE DICETUR.

Lex Si libertus alterius. 1. . *h. t. Num.* 2
L. Qui ſe vænire paſſus. 2. . . *N.* 6. *Tit.* QUIB. AD LIBERT. PROCL.]

§ 1. Qui ſe ex libertinitate. 1
§ 2. Qui poſt quinquennium. *ibid.*

L. Hoc ſermone. 3. } *N.* 30. *Tit.*
§ 1. Verbo autem relinquerent. } DE LIBERALI CAUSA.

L. Oratio quæ prohibet. 4. 1
L. Patronum poſt. 5. 2
L. fin. Quoties de hoc contend. 6. 3
¶ ſed actoris partibus. *ibid.*

Source : BIU Cujas

TITULUS XV.

NE DE STATU DEFUNCTORUM POST QUINQUENNIUM QUÆRATUR.

Lex De ſtatu defunctorum. 1. *Num.* 7
§ 1. Sed nec ejus ſtatus. 4
§ 2. Imò nec de vivi. *ibid.*
§ 3. Sed interdum. 8
§ 4. Si quidem in deteriorem. 3
L. Non eſſe libertatis. 2. 4

Series Tit. XV. NE DE STATU DEFUNC.

L. 2. § 1. Nec in eâ re. . . *h. t. Num.* 7
§ 2. Præſcriptis quinque. 6
L. Ante quinquennium. 3. 3
L. fin. Primus omnium. 4. 2
§ 1. Sed Divus Claudius. *ibid.*

TITULUS XVI.

DE COLLUSIONE DETEGENDA.

Lex Ne quorumdam. 1. . *h. tit. Num.* 2

Series Tit. XVI. DE COLLUS. DETEG.

L. Colluſionem detegere. 2. . *Num.* 4
§ 1. Quinquenn. aut. contin. *ibid.*
§ 2. Sicubi planè. 4
§ 3. Quinquennium aut. non. *ibid.*
§ 4. Oratione D. Marci. 3
L. Quum non juſto. 3. . 1
L. Si libertinus. 4. 2
L. Sententiam pro. 5. 5
§ 1. Si plures. 3

LIBER QUADRAGESIMUS-PRIMUS.

TITULUS I.

DE ADQUIRENDO RERUM DOMINIO.

LEX Quarumd. rer. . *h. t. Num.* 2
§ 1. Omnia igitur animalia. 4
L. Vel quæ ex his. 2. *ibid.*
L. Quod enim nullius. 3. 3
§ 1. Nec intereſt. 4
§ 2. Quidquid autem eorum. 99
L. Niſi ſi manſuefacta. 4. *ibid.*
L. Naturalem autem. 5. *ibid.*
§ 1. Illud quæſitum eſt. 5
§ 2. Apium quoque natura. 100
§ 3. Favos quoque. *ibid.*
§ 4. Examen quod ex alveo. *ibid.*
§ 5. Pavonum & columbarum. *ibid.*
¶ in his autem animalibus. 99
§ 6. Gallinarum & anſerum. 101
§ 7. Item quæ ex hoſtibus. 11
L. Item quæ ex animalibus. 6. 13
L. Adeò quidem ut. 7. 11
§ 1. Prætereà quod. 27
§ 2. Quòd ſi vis fluminis. *ibid.*
§ 3. Inſula quæ in mari. 6
¶ In flumine nata. 32
§ 4. Quòd ſi uno latere. 31
§ 5. Quòd ſi toto naturali. 28
§ 6. Aliud ſanè eſt. 29
§ 7. Quum quis ex alienâ. 35
¶ videntur tamen mihi rectè. *ibid.*
§ 8. Voluntas duorum. 38
§ 9. Sed & ſi ſine voluntate. *ibid.*
§ 10. Quum in ſuo loco. 25
§ 11. Illud rectè quæritur. *N.* 29. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.] 12
§ 12. Ex diverſo ſi quis. 26
§ 13. Si alienam plantam. 19
L. Pro regione. 8. *ibid.*
§ 1. Sed etſi in confinio. *ibid.*
L. Quâ ratione autem. 9. 20
§ 1. Litteræ quoque licèt. 21
§ 2. Sed non uti litteræ. *ibid.*
§ 3. Hæ quoque res. 40
§ 4. Nihil autem intereſt. 49
§ 5. Interdum etiam. 47
§ 6. Item ſi quis merces. 45
§ 7. Hoc ampliùs, interdum. 56
§ 8. Alia cauſa eſt. 97
L. Adquiritur nobis. 10. 65
§ 1. Igitur quod ſervi. 66
§ 2. Non ſolùm autem. *N.* 24. *Tit.* DE ADQUIR. POSS.] 87
§ 3. De his autem ſervis. 76
§ 4. Idem placet de eo. 84
§ 5. Sed bonæ fidei. 87

Series Tituli I. DE ADQ. RER. DOMINIO.

L. Pupillus quantùm. 11. . . *N.* 41. *Tit.* DE ADQUIR. POSS.] 34
L. Lacus & ſtagna. 12. . *h. t. Num.* 34
§ 1. Si ære meo. 39
L. Si procurator. 13. 94
§ 1. Et tutor pupilli. *ibid.*
L. Quod in littore. 14. 7
§ 1. Illud videndum eſt. 99
L. Qui autem in ripâ. 15. 7
L. In agris limitatis. 16. 34
L. Si duo domini. 17. 71
L. Per hereditarium. 18. . . *N.* 28. *Tit.* DE ADQ. POSSESS.] 88
L. Liber homo. 19. 88
¶ ſed licèt ei minimè adquirit. *ibid.*
¶ ſed Trebatius. *ibid.*
L. Traditio nihil. 20. 48
§ 1. Quoties autem. 61
§ 2. Si ego & Titius. 94
L. Si ſervus meus. 21. 84
§ 1. Si rem meam. 47
L. Nemo ſervum. 22. 90
L. Qui bonâ fide. 23. 84
§ 1. Tandiù autem adquirit. 91
§ 2. Generaliter dicendum eſt. 85
§ 3. Si quis duobus. 86
L. In omnibus. 24. 36
L. Niſi voluntate. 25. *ibid.*
L. Sed ſi meis tabulis. 26. *ibid.*
§ 1. Proculus indicat. 14
§ 2. Arbor radicitùs. 24
§ 3. Si meam lanam. 36
L. Quidquid infecto. 27. 23
§ 1. Ubi ſimul plura. 37
§ 2. Quum partes duorum. 22
¶ ſed ſi neutra alteri. 14
L. Si ſupra tuum. 28. 17
L. Inter eos qui ſecundùm. 29. 33
L. Ergo ſi inſula. 30. *ibid.*
§ 1. Celſus filius. . . *N.* 9. *Tit.* DE DIVIS. RERUM, &c.] 31
§ 2. Tribus modis. 31
§ 3. Alluvio agrum. 29
§ 4. Si pilas in mare. 7
L. Nunquam nuda traditio. 31. 54
§ 1. Theſaurus eſt. 9
L. Etiam invitis nobis. 32. 67
L. In eo quod ſervo. 33. 75
§ 1. Eâdem diſtinctione. *ibid.*
§ 2. Quoties ſervus. 73
L. Hereditas enim. 34. *ibid.*
L. Si procurator meus. 35. 57
L. Quum in corpus. 36. 58
L. Per ſervum. 37. 90

Series Tituli. I. DE ADQ. RER. DOMINIO.

L. 37. § 1. Si unus ex dominis. *Num.* 71
§ 2. Sed, ut ſequens quæſtio. 69
§ 3. Sicut ſervus communis. 70
§ 4. Quod unius ſervus. 67
§ 5. Fructuarius ſervus. 81
§ 6. Si quum mihi donare. 56
L. Attius fundum. 38. 28
L. Etiam furtivus. 39. 92
L. Quæſitum eſt. 40. 91
L. Statuas in civitate. 41. . *N.* 11. *Tit.* DE DIVIS. RERUM, &c.] 94
L. Subſtitutio quæ. 42. *N.* 22. *Tit.* DE SUIS ET LEGIT. HERED.] 84
L. Servus qui bonâ fide. 43. 84
§ 1. Incorporales res. . . . *N.* 7. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.] 79
§ 2. Quum ſervus in quo. 79
L. Pomponius tractat. 44. 98
L. Communis ſervus. 45. 69
¶ ſed is ex cujus re. *ibid.*
L. Non eſt novum. 46. 53
L. Fructuario hereditas. 47. 78
L. Bonæ fidei emptor. 48. . *N.* 4. *Tit.* DE USURIS.] 98
§ 1. In contrarium quæritur. . . *N.* 6. *d. tit.*] 77
§ 2. Et ovium fœtus. *N.* 3. *d. tit.*] 89
L. Quod fructuarius. 49. 7
¶ eadem dicemus in. 12
L. Quamvis quod. 50. 11
L. Transfugam jure. 51. 1
§ 1. Et quæ res hoſtiles. 94
L. Rem in bonis noſtris. 52. 4
L. Ea quæ civiliter. 53. 33
L. Homo liber. 54. . . *N.* 17. *Tit.* DE ADQ. HERED.] 30
§ 1. Item promittendo. } *N.* 27.
§ 2. Sed damnum dando. } *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.] 90
§ 3. At ſi juſſu noſtro. } 97
§ 4. Quidquid tamen liber. . . *N.* 3. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.] 95
L. In laqueum. 55. 16
L. Inſula eſt enata. 56. 73
§ 1. Item quæro, ſi quum. 74
L. Per ſervum donatum. 57. *ibid.*
L. Quæcumque res. 58. 2
L. Res ex mandatu. 59.
L. Titius horreum. 60.
L. Hereditas in multis. 61.
¶ in is ſanè in quibus.
§ 1. Uſusfructus qui ſine.
L. Quædam quæ non. 62.

Source : BIU Cujas

Series Tit. I. DE ADQ. RER. DOMINIO.
L. Si is qui in alienâ. 63... *h. t. N.* 66.
§ 1. Si communis ſervus in al. 68
§ 2. Si communis ſervus in dom. 70
§ 3. Quòd ſi ſervus in quo. 78
§ 4. Quòd ſi creditor invenerit. 9
L. Quæ quiſque. 64. 41
L. Si epiſtolam. 65. 94
§ 1. Si qua inſula... propria. 33
§ 2. Si qua inſula... publico. 31
§ 3. Paulus: Si inſula in. 33
§ 4. Labeo lib. eod. ſi id quod. 31
L. fin. Quum prægnans. 66. 13

TITULUS II.

DE ADQUIRENDA VEL AMITTENDA POSSESSIONE.

Lex Poſſeſſio appellata. 1.. *h. t. N.* 1
§ 1. Dominiumque. *ibid.*
§ 2. Apiſcimur (*Pro* Adipiſcimur, *frequenter in Florent.*) autem. 23
§ 3. Furioſus & pupillus. 20
§ 4. Si vir uxori. 6
§ 5. Item adquirimus. 24
§ 6. Sed & per eum quem. 31
¶ ſed nec vero domino. *ibid.*
§ 7. Per communem. 29
§ 8. Per eum in quo uſumfr. 30
§ 9. Cæterùm & ille. 34
§ 10. Et ideò ſi furioſum. *ibid.*
§ 11. Quòd ſi impuberem. *ibid.*
§ 12. Nam per ancillam. 23
§ 13. Pupillus per ſervum. 20
§ 14. Per ſervum qui in. 27
§ 15. Per ſervum corporaliter. 26
§ 16. Veteres putaverunt. 28
§ 17. Si ex parte heredi. *ibid.*
§ 18. Idem dicendum eſt. *ibid.*
§ 19. Hæc quæ de ſervis. 35
§ 20. Per procuratorem. 33
§ 21. Si juſſerim venditorem. 17
§ 22. Municipes per ſe. 21
L. Sed hoc jure utimur. 2. *ibid.*
L. Poſſideri autem. 3. 14
§ 1. Et apiſcimur poſſeſſionem. 15
§ 2. Incertam partem. *ibid.*
§ 3. Neratius & Proculus. 18
§ 4. Ex plurimis cauſis. 12
§ 5. Ex contrario plures. 13
§ 6. In amittendâ quoque. 48
§ 7. Sed & ſi animo ſolo. 39
§ 8. Si quis nuntiet. 42
¶ quòd ſi ſervus. 38
§ 9. Et ſi alii tradiderim. 42
§ 10. Si ſervus quem. 44
§ 11. Saltus hibernos. 37
§ 12. Cæterum animo noſtro. *ibid.*
§ 13. Nerva filius res. 46
§ 14. Item feras beſtias. 47
§ 15. Aves autem poſſidemus. *ibid.*
§ 16. Quidam rectè putant. *ibid.*
§ 17. Labeo & Nerva. 43
§ 18. Si rem apud te. 45
§ 19. Illud quoq. à Veteribus. 52
§ 20. Sed ſi is qui apud me. 53
§ 21. Genera poſſeſſionum. 3
§ 22. Vel etiam poteſt. 2
§ 23. Quod autem Q. Mucius. 10
L. Quidquid filius. 4. 26
L. Si ex ſtipulatione. 5. 4
L. Clàm poſſidere. 6. 7
¶ is autem qui quum poſſideret. 8

Series Tit. II. DE ADQ. VEL. AM. POSS.
L 6. § 1. Qui ad nundinas. *h. t. N.* 7
L. Etſi nolit. 7. 42
L. Quemadmodum nulla. 8. 39
L. Generaliter quiſquis. 9. 36
L. Si quis ante conduxit. 10. } *N.* 15.
§ 1. Id. Pomp. belliſſimè. } *Tit.* DE
§ 2. Si quis & conduxerit. } PREC.]
L. Juſtè poſſidet. 11. 4
L. Naturaliter videtur. 12. 5
§ 1. Nihil commune habet.... *N.* 13. *Tit.* UTI POSSID.]
L. Pomponius refert. 13. 46
§ 1. Quum quis utitur... *N.* 47. *Tit.* DE USURP. ET USUC.]
§. 2. Prætereà quæritur..... *N.* 42. *d. tit.*]
§ 3. Si liber homo. *N.* 45. *d. tit.*]
§ 4. Quæſitum eſt ſi. }
§ 5. Non autem ea tantùm. } *N.* 38. *d. tit.*]
§ 6. In dote quoque. *N.* 43. *d. tit.*]
§ 7. Si is qui precario. *N.* 47. *d. tit.*]
§ 8. Ex facto quæritur. } *N.* 47.
§ 9. Si juſſu judicis. } *d. tit.*]
§ 10. Sed & legatario. } *N.* 43.
§ 11. Sed & is cui. } *d. tit.*]
§ 12. Acceſſiones in eorum... *N.* 46. *d. tit.*]
§ 13. Prætereà ne vitioſæ.... *N.* 47. *d. tit.*]
L. Si ſervus vel. 14. } *N.* 44.
§ 1. Tutore quoque. } *d. tit.*]
L. Rem quæ nobis. 15. 44
¶ ſed ſi is qui in poteſtate. *ibid.*
L. Quod uxor viro. 16. 6
L. Si quis vi de poſſeſſione. 17... *N.* 7. *Tit.* UTI POSSID.]
§ 1. Differentia inter. 48
L. Quod meo nomine. 18. 54
§ 1. Si furioſo quem. 41
§ 2. Si venditorem quod. 17
§ 3. Si dum in aliâ. 42
§ 4. Rurſùs ſi cum magnâ. 17
L. Qui bonâ fide alienum. 19. 54
§ 1. Quod ſcriptum eſt. 53
L. Si quis rem quam. 20. 45
L. Interdum ejus poſſeſſionem. 21. *N.* 5. *Tit.* DE PRECARIO.]
§ 1. Quod ex naufragio. } *N.* 2. *Tit.* PRO
§ 2. Idem juris eſſe. } DERELICT.]
§ 3. Qui alienam rem. 54
L. Non videtur. 22... *N.* 7. *Tit.* UTI POSSID.]
L. Quum heredes. 23. 19
§ 1. In his qui in hoſtium. 51
§ 2. Item quæro: ſi vinxero. 31
L. Quod ſervus tuus. 24. 25
L. Si id quod poſſidemus. 25. 46
§ 1. Et per colonos. 36
§ 2. Quod autem ſolo animo. 39
L. Locus certus ex fundo. 26. 15
L. Si is qui animo. 27. 39
L. Si aliquam rem poſſideam. 28. 55

Series Tit. II. DE ADQ. VEL. AM. POSS.
L. Poſſeſſionem pupillum. 29.. *N.* 49
L. Qui univerſas ædes. 30.. *N.* 29. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
¶ idem dici debet.... *ibid.*]
§ 1. Poſſeſſionem amittimus. 50
§ 2. Item quum Prætor. 43
§ 3. Item quod mari. *ibid.*
¶ aut ſi is qui poſſidet. 51
§ 4. Item quod mobile eſt. 48
¶ item ſi quod poſſidebam. 50
§ 5. Quod per colonum. 19
¶ ſed quo Pro emptore. *ibid.*
§ 6. Si ego tibi commodavero. 36
L. Si colonus non. 31. 38
L. Quamvis pupillus. 32. 36
§ 1. Si conductor. *ibid.*
§ 2. Infans poſſidere. 20
¶ Pupillus tamen etiam. *ibid.*
¶ item infans peculiari. *ibid.*
L. Fundi venditor. 33. 4
L. Si me in vacuam. 34. 16
§ 1. Sed ſi non mihi. *ibid.*
§ 2. Servus quoque meus. *ibid.*
L. Exitus controverſiæ. 35... *N.* 14. *Tit.* UTI POSSID.]
L. Qui pignoris causâ. 36.. *N.* 55. *Tit.* DE USURP. ET USUC.]
L. Res pignoris nomine. 37. 5
L. Qui abſenti ſervo. 38. 50
§ 1. Si quis poſſeſſionem. 41
§ 2. Si is qui Titio. 28
L. Intereſſe puto. 39.. *N.* 54. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
L. Si de eo fundo. 40. 42
§ 1. Si fortè colonus. 38
§ 2. Servum tuum. 8
§ 3. Si ſervum meum. 9
L. Qui jure familiaritatis. 41. 16
L. Communis ſervus. 42. 36
§ 1. Procurator ſi quidem. 33
L. Si quis fundum emerit. 43. } *N.* 90. *Tit.* DE
§ 1. Sed & Pomponius. } USURP.
§ 2. Idem inquit, & ſi. } ET USUC.]
L. Peregrè profecturus. 44. 47
§ 1. Quæſitum eſt cur. 25
§ 2. Quibus explicitis. 40
L. Licèt neque ſervum. 45. *ibid.*
L. Quamvis ſaltus propoſito. 46. *ibid.*
L. Si rem mobilem. 47. 45
¶ idem ſcribit, Aliam cauſam. 46
L. Prædia cum ſervis. 48. 28
L. Poſſeſſio quoque per. 49. 30
§ 1. Qui in alienâ poteſtate ſunt. 22
§ 2. Etſi poſſeſſio per procurat. *N.* 28. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
L. Per eum quem juſto. 50. 32
§ 1. Per ſervum in fugâ. 27
L. Quarumdam rerum. 51. 17
L. Permiſceri cauſas. 52. 1
§ 1. Eum qui ædificare... *N.* 5. *Tit.* UTI POSSID.]
§ 2. Species inducendi... *N.* 29. *Tit.* DE VI.]
L. fin. Adversùs extraneos. 53... *N.* 9. *Tit.* UTI POSSID.]

Source : BIU Cujas

TITULUS III.

De Usurpationibus et usucapionibus.

Lex Bono publico usucap. 1. *h. t. N.* 1
L. Usurpatio. 2. *ibid.*
L. Usucapio. 3. *ibid.*
L. Sequitur de usucapione. 4. *ibid.*
§ 1. Usucapere potest. 2
§ 2. Pupillus, si tutore. 3
§ 3. Furiosus quod ante. *ibid.*
§ 4. Servus pro herede... *N.* 2. *Tit.* Pro herede.]
§ 5. Fructus & partus.... *N.* 2. *Tit.* Pro Suo.]
§ 6. Quod autem dicit. 18
§ 7. Labeo quoque ait; si. 21
§ 8. Ideòque & si servus. *ibid.*
§ 9. Item si eam rem. *ibid.*
§ 10. Item Labeo: Si rem. *ibid.*
§ 11. Si pupilli res. 20
§ 12. Tunc in potestatem. *ibid.*
§ 13. Sed & si vindicavero. 22
§ 14. Id. dicendum est etiam. *ibid.*
§ 15. Heres qui in jus defuncti. 17
§ 16. De illo quæritur. 16
§ 17. Sed & si ut servum. *ibid.*
§ 18. Si antequàm pariat. *ibid.*
§ 19. Lana ovium furtivarum. 15
§ 20. Si ex lanâ furtivâ. 14
§ 21. Si rem pignori datam. 18
§ 22. Si tu me vi expuleris. 24
§ 23. Cæterùm etiamsi malâ. *ibid.*
§ 24. Idem dicendum est in eo. *ibid.*
§ 25. Si fundum alienum. 24
§ 26. Si dominus fundi. 25
§ 27. Si viam habeam. 23
§ 28. Item si occupaveris. 24
§ 29. Libertatem servitutium. 7
L. Naturaliter interrumpitur. 5. 51
L. In usucapionibus. 6. 34
L. Ideòque qui horâ. 7. *ibid.*
L. Labeo, Neratius. 8. 87
§ 1. Sed eum qui suo nomine. 3
L. Usucapionem recipiunt. 9. 6
L. Si aliena res. 10. 83
§ 1. Hoc jure utimur. 7
§ 2. Scævola libro 11°. Quæst. 17
L. Neque servus. 11. 52
L. Si ab eo emas. 12. 78
L. Pignori rem acceptam. 13. 65
§ 1. Eum qui à furioso.. *N.* 4. *Tit.* Pro emptore.]
§ 2. Si mandavero. 64
L. Id tempus. 14. 49
§ 1. In re legatâ. 43
L. Si his qui pro emptore. 15. 52
§ 1. Si servus quem possidebam. ¶ sed hoc tunc intelligendum. } *N.* 44. *Tit.* de Adq. poss.]
§ 2. Si quis bonâ fide. 84
§ 3. Si ex testamento. 83
L. Servi nomine. 16. 55
L. Si per errorem. 17... *N.* 2. *Tit.* Pro Suo.]
L. Quamvis adversùs. 18. 10

Series Tit. III. de Usurp. et usuc.
L. Si hominem emisti. 19.. *h. t. N.* 42.
L. Possessio testatoris. 20. 38
L. Ei à quo fundum. 21. 53
L. Heres & hereditas. 22. 38
L. Eum qui ædes. 23. 29
§ 1. Si autem columna.. *N.* 36. *Tit.* de Act. empti.]
§ 2. Si autem demolita domus. 29
L. Ubi lex inhibet. 24. 27
§ 1. Interdum etiam. 39
L. Sine possessione. 25. 32
L. Nunquam superficies. 26. 29
L. Celsus lib. 34°. Errare. 27. 67
L. Si servo furiosi. 28. 3
L. Quum solus heres. 29... *N.* 3. *Tit.* Pro herede.]
L. Rerum mixtura. 30. 30
§ 1. Labeo libris Epistol. *ibid.*
§ 2. De tertio genere. *ibid.*
L. Nunquam in usucapionib. 31. 80
§ 1. In usucapionibus mobil. 35
§ 2. Servus licèt in... *N.* 26. *Tit.* de Adq. poss.]
§ 3. Si servus meus. 59
§ 4. Si vi aut clàm aut... *N.* 52. *Tit.* de Adq. poss.]
§ 5. Vacuum tempus. 38
§ 6. Si defunctus emit. 39
L. Si fur rem. 32. 22
§. 1. Si quis id quod. 81
§ 2. Incertam partem. 28
L. Non solùm B. fidei. 33. 15
§ 1. Quod vulgò respondetur. *N.* 53. *Tit.* de Adq. poss.]
§ 2. Si dominus fundi. 24
§ 3. Si mihi Titius. 75
§ 4. Qui pignori rem dat. 56
§ 5. Si rem tuam. 57
¶ at si nudâ conventione. *ibid.*
§ 6. Si rem pignori datam. 56
L. Si servus insciente domino. 34. 79
L. Si homo cujus. 35.... *N.* 32. *Tit.* de Furtis.]
L. Potest pluribus. 36. 13
§ 1. Item si quis. *ibid.*
L. Furtum non commit. 37. *ibid.*
§ 1. Fundi quoque alieni. 12
L. Quam rem ipse. 38. *ibid.*
L. Si solum usucapi. 39. 29
L. Cœptam usucapionem. 40. 5
L. Si rem subreptam. 41. 20
L. Quum vir prædium. 42.. *N.* 12. *Tit.* de Fund. dot.]
L. Heres ejus qui. 43. 39
§ 1. Patrem non usu. 86
L. Justo errore ductus. 44. *N.* 93. *Tit.* de Adq. rer. dom.]
§ 1. Constat: si rem alienam. *N.* 50. *d. tit.*]
§ 2. Etsi possessionis. 85
§ 3. Nondum aditæ hereditatis. 5
§ 4. Filiusfam. emptor. 82
§ 5. Non mutat usucapio. 91
§ 6. Eum qui posteaquàm. 59
§ 7. Si quum apud hostes. 4
L. Præscriptio longæ. 45. 9
§ 1. Post mortem domini. 5

Series Tit. III. de Usurp. et usuc.
L. (*Hìc incipit in Vulgatâ Titulus IV.* Pro soluto, *his quatuor legibus constans.*) Pro soluto. 46.... *h. tit. Num.* 72
L. Si emptam rem. 47. 77
L. Si existimans. 48. 74
L. fin. Si quid est subreptum. 49. 18

TITULUS IV. *Vulg.* V.

Pro emptore.

Lex Possessor qui. 1... *h. tit. Num.* 2
L. Pro emptore. 2. 3
§ 1. Separata est causa.. *N.* 76. *Tit.* de Usurp. et usuc.]
§ 2. Si sub conditione.. *N.* 68. *d. tit.*]
§ 3. Sabin. Si sic empta. § 4. Si in diem addictio. § 5. Sed & illa emptio. } *N.* 69. *d. tit.*]
§ 6. Quum Stichum emissem. 3
§ 7. Ejus bona emisti. *ibid.*
§ 8. Tutor ex pupilli. *ibid.*
§ 9. Procuratorem quoque. *ibid.*
§ 10. Si servus tuus peculiari... *N.* 86. *Tit.* de Usurp. et usuc.]
§ 11. Celsus scribit, si servus. § 12. Pomp. quoque. ¶ & si servus malâ fide. } *N.* 87. *d. tit.*]
§ 13. Si servus bonâ fide.... *N.* 88. *d. tit.*]
§ 14. Etsi quod non bonâ fide... *N.* 86. *d. tit.*]
§ 15. Si à pupillo emero.... *N.* 79. *d. tit.*]
¶ quòd si scias... *N.* 80. *d. tit.*]
§ 16. Si à furioso quem. 4
§ 17. Si eam rem quam. *N.* 47. *Tit.* de Usurp. et usuc.]
§ 18. Etiam heredi. *N.* 41. *d. tit.*]
§ 19. Si defunctus bonâ.. *N.* 39. *d. tit.*]
§ 20. Emptori tempus.. *N.* 42. *d. tit.*]
§ 21. Si rem alienam. ¶ sed si litis æstimat. } *N.* 60. *d. tit.*]
L. Litis æstimatio. 3. 2
L. Emptor fundi. 4. § 1. Idem juris est. } *N.* 90. *tit.* de Usurpat. et usuc.]
L. Si rem quam tibi. 5. *N.* 18. *d. tit.*]
L. Qui quum pro herede. 6.. *N.* 70. *d. tit.*]
§ 1. Si ex decem servis.. *N.* 90. *d. tit.*]
§ 2. Post mortem ejus. *L.* Qui fundum pro. 7. } *N.* 5. *d. tit.*]
§ 1. Si fundum Cornelianum. *N.* 31. *d. tit.*]
§ 2. Servus meus Titio.. *N.* 73. *d. tit.*]
§ 3. Si tutor rem pupilli.. *N.* 13. *d. tit.*]
§ 4. Qui bonâ fide alienum... *N.* 84. *d. tit.*]

L. 7. § 5. Qui

Source : BIU Cujas

Series Tituli IV. PRO EMPTORE.
L. 7. § 5. Qui ſciens emit. *N.* 78. *Tit.* DE USURP. ET USUC.]
§ 6. Procurator tuus. ¶ quòd ſi emptor. } *N.* 89. *d. tit.*]
§ 7. Furtiva res non. . . *N.* 20. *d. tit.*]
§ 8. Liber homo qui B. fide. . *N.* 3. *d. tit.*]
L. Si quis quum ſciret. 8. . . *N.* 82. *d. tit.*]
L. Qui ob pactionem. 9. *L.* Servus domino. 10. } *N.* 15. *d. tit.*]
L. Quod vulgò traditum. 11. *h. t. Num.* 4
L. Miſſo legatario. 12. *N.* 58. *Tit.* DE USURP. ET USUC.]
L. Alienam aream. 13. . . . *N.* 62. *d. tit.*]
L. fin. Inteſtatæ ſororis. 14. . . . . *N.* 79. *d. tit.*]

TITULUS V.
(*Vulg.* VI.)
PRO HERede VEL PRO POSSESSORE.
Lex Pro herede ex. 1. . *h. tit. Num.* 2
L. Qui legatorum. 2. *N.* . 58. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
§ 1. Quod vulgò reſpondetur. § 2. Filium quoque donatam. } *N.* 52. *Tit.* DE ADQ. POSSES.]
L. Plerique putaverunt. 3. 1
L. fin. Conſtat eum qui. 4. 2

TITULUS VI.
(*Vulg.* VII.)
PRO DONATO.
Lex Pro donato is uſucapit. 1. *h. t. N.* 1
¶ nec ſufficit opinari. 3
§ 1. Si pater filio. *ibid.*
§ 2. Si inter virum &. *ibid.*
¶ item ſi vir uxori. 4
¶ poſſidere autem. *ibid.*
L. Si is qui alienam. 2. . . *N.* 60. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
L. Si vir uxori. 3. 3
L. Si pater filiæ. 4. 4
L. Qui pro donato. 5. . *N.* 51. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
L. fin. Donationis causâ. 6. 1

TITULUS VII.
(*Vulg.* VIII.)
PRO DERELICTO.
Lex Si res pro derelicto. 1. *h. t. Num.* 1
L. Pro derelicto rem. 2. *ibid.*
§ 1. Sed Proculus. *L.* An pars pro derelicto. 3. } *N.* 96. *Tit.* DE ADQ. RER. DOM.]
L. Id quod pro derelicto. 4. 4
L. Si id quod pro derelicto. 5. . . . *N.* 79. *Tit.* DE USURP. ET USUC.]
§ 1. Id quod quis pro. 1
L. Nemo poteſt pro. 6. 2
L. Si quis merces. 7. *ibid.*
L. fin. Sempronius Thetidi. 8. 3

TITULUS VIII.
(*Vulg.* IX.)
PRO LEGATO.
Lex Legatorum nomine. 1. *h. t. Num.* 1
L. Si poſſideam aliquam. 2. 3

Series Tituli VIII. PRO LEGATO.
L. Non magis quàm. 3. . *h. t. Num.* 3
L. Pro legato poteſt. 4. 4
¶ idem poteſt dici. *ibid.*
L. Ea res quæ legati. 5. 1
L. Si is cui tradita. 6. *ibid.*
L. Nemo poteſt legatorum. 7. 5
L. Si non traditam. 8. 2
L. fin. Pro legato uſucapit. 9. 4

TITULUS IX.
(*Vulg.* X.)
PRO DOTE.
Lex Titulus eſt uſucap. 1. . *h. t. Num.* 1
§ 1. Et nihil refert. *ibid.*
§ 2. Et primùm de tempore. 2
§ 3. Conſtante aut. matrimonio. 3
§ 4. Idem ſcribit; Etſi putavit *ibid.*
L. Si æſtimata res. 2. . *N.* 68. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
L. fin. Duæ filiæ inteſtato. 3. 1

TITULUS X.
(*Vulg.* XI.)
PRO SUO.
Lex Pro ſuo poſſeſſio. 1. *h. t. Num.* 1
§ 1. Sed ſi res mihi. *ibid.*
L. Eſt ſpecies poſſeſſionis. 2. 2
L. Hominem quem. 3. . . *N.* 73. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
L. Si ancillam furtivam. 4. *N.* 85. *d. tit.*]
§ 1. Si pater cum filiis. *N.* 4. *Tit.* PRO DONATO.]
L. fin. Uſucapio rerum. 5. 2
§ 1. Sed id quod quis. . *N.* 67. *Tit.* DE USURP. ET USUC.]

LIBER QUADRAGESIMUS-SECUNDUS.

TITULUS I.
DE RE JUDICATA, ET DE EFFECTU SENTENTIARUM, ET DE INTERLOCUTIONIBUS.

Lex Res judicata. 1. . *h. t. Num.* 1
L. Qui pro tribunali. 2. 64
L. Qui damnare poteſt. 3. 15
L. Si ſe non obtulit. 4. 35
§ 1. Tutor quoq. vel curator, *ibid.*
§ 2. Actor municipum. *ibid.*
§ 3. Ait Prætor, condemnatus. 42
§ 4. Si ex conventione. 76
§ 5. Si quis condemnatus ſit. 65
§ 6. Condemnatum accipere. 33
§ 7. Solviſſe accipere. 76
§ 8. Celſus ſcribit, ſi. . *N.* 27. *Tit.* DE NOXAL. ACT.]
L. Ait Prætor Cujus. 5. 25
(*Verba hæc Caractere Italico malè diſtincta ſunt in Textu.*)
§ 1. Si judex aliquem. 3
L. Miles qui ſub. 6. 68
§ 1. Decem aut noxæ dedere. *N.* 30. *Tit.* DE NOXAL. ACT.]
§ 2. Qui judicati bona. 48
§ 3. Judicati actio. 45
L. Intra dies conſtitutos. 7. 67
L. Si homo ex ſtipulatu. 8. . . . *N. fin. Tit.* DE JUDICIIS.]
L. Furioſo ſententia. 9. 22
L. Qui cùm ſe. 10. 70

Series Tituli I. DE RE JUDICATA, &c.
L. Si Kalendis. 11. . . *N.* 143. *Tit.* DE VERB. OBLIG.]
L. In depoſiti. 12. . . *N.* 51. *Tit.* DE REI VINDIC.]
L. Si quis ab alio. 13. *N.* 142. *Tit.* DE VERB. OBLIG.]
§ 1. Si quis promiſerit. *N.* 144. *d. tit.*]
L. Quod juſſit. 14. . . *h. tit. Num.* 23
L. A Divo Pio. 15. 48
§ 1. Sententiam Romæ. 49
§ 2. In venditione itaq. 57
§ 3. Si pignora quæ. 60
¶ addicantur autem. *ibid.*
§ 4. Si rerum quæ. 56
¶ ſed illud debet. 58
§ 5. Quòd ſi res ſit pignerata. 54
§ 6. Si poſt addictum. 62
§ 7. Sed ſi emptor. *ibid.*
§ 8. Sic quoque judices. 57
§ 9. Sed utrùm confeſſum. 51
§ 10. Item quid dicemus. *ibid.*
§ 11. Sed & ſi pecunia. 52
§ 12. Prætereà pecuniam. *ibid.*
L. Sunt qui in id. 16. 68
L. Patronus patrona. 17. 69
L. Item miles. 18. 68
L. Inter eos quibus. 19. 74

Series Tituli I. DE RE JUDICATA, &c.
L. 19. § 1. Is quoque qui ex. . *h. t. N.* 74
L. Non tantùm dotis. 20. 69
L. Sicut autem. 21. *ibid.*
¶ an ſi cum ſocero. *ibid.*
L. Sed hoc ita. 22. *ibid.*
§ 1. Quod autem de ſociis. . . *N.* 46. *Tit.* PRO SOCIO.]
L. Si cum procuratore. 23. 73
L. Et ſi judejuſſor. 24. *ibid.*
§ 1. Si maritus ſolvendo. *ibid.*
L. Sciendum eſt. 25. 73
L. Si convenerit. 26. . *N.* 69. *Tit.* DE JUDICIIS.]
L. Præſes provinciæ. 27. 6
L. Duo judices dati. 28. 17
L. Tempus quod datur. 29. 66
L. Quum ex causâ. 30. 71
L. Debitoribus. 31. 47
L. Quum prolatis. 32. 6
L. D. Hadrianus. 33. 31
L. Si victum. 34. 46
L. Imperatores. 35. 30
L. Pomponius lib. 37°. ad Ed. 36. 16
L. Tunc autem. 37. *ibid.*
L. Inter pares numero. 38. 17
§ 1. Si diverſis ſummis. *ibid.*
L. Duo ex tribus. 39. 16
L. Commodis præmior. 40. 53
L. Neſennius-Apollin. 41. 71

Source : BIU Cujas

Series Tit. I. DE RE JUDICATA, &c.

L. 41. § 1. Fundum quis donavit. *N.* 71
§ 2. In solidum condemnatus. 72
L. Paulus resp. Rescindere. 42. 24
L. Paulus resp. Eos. 43. 34
L. Ex contractu paterno. 44. 38
L. Acta apud. 45. 23
§ 1. De ampliandâ vel minuendâ. *N.* 67. *Tit.* DE PŒNIS.]
§ 2. Contra indefensos. 20
L. Actorum verba. 46. 24
L. De unoquoque. 47. 21
§ 1. Qui apùd fiscum. . *N.* 76. *Tit.* DE JUDICIIS.]
L. Decreta à Prætorib. 48. 11
L. Et exheredatum vel eum. 49. 70
¶ quemadmodum autem facere. 74
L. Ne liberalitate. 50. *ibid.*
L. Si quis dolo. 51. 75
§ 1. Si quis creditorem. . *N.* 4. *Tit.* DE REB. AUCT. JUD. POSSID.]
L. Si rerum amotar. 52. 69
L. Contumacia eor. 53. § 1. Contumax est qui. } *N.* 78. *Tit.* DE JUDICIIS.]
§ 2. Pœnam contumacis. . . . *N.* 79. *d. tit.*]
§ 3. Contumaces non videntur. } *ibid.*
L. Contra pupillum. 54. § 1. Is qui ad majus. }
L. Judex posteaquàm. 55. 23
L. Post rem judicatam. . 56. *N.* 7. *Tit.* DE CONFESSIS.]
L. Quidam consulebat. 57. *N.* 55. *Tit.* DE JUDICIIS.]
L. Si quum nulla. 58. 50
L. In Sententiis. 59. 8
§ 1. Ampliùs est rescriptum. 3
§ 2. Qui sortis quidem. 2
§ 3. Si quis ex Edicto. 18
L. Quæsitum est, quum. 60. . . . *N.* 81. *Tit.* DE JUDICIIS.]
L. In judicati. 61. 74
L. Quum quærebatur. 62. 23
L. Sæpè constitutum. 63. 40
L. fin. Negotiorum. 64. 44

TITULUS II.

DE CONFESSIS.

Lex Confessus. 1. . . *h. tit. Num.* 1
L. Non fatetur. 2. 5
L. Julianus ait. 3. *ibid.*
L. Si is cum quo. 4. *ibid.*
L. Qui Stichum. 5. *ibid.*
L. Certum confessus. 6. 4
§ 1. Si quis incertum. *ibid.*
§ 2. Sed & si fundum. 7
¶ dabitur igitur. 8
§ 3. Si quis absente. 6
§ 4. Sed an & ipsos. 2
§ 5. In pupillo tutoris. *ibid.*
§ 6. Confessi utique post. 8
L. Quum fideicommissum. 7. 9
L. fin. Non omnimodo. 8. 5

TITULUS III.

DE CESSIONE BONORUM.

L. Creditori. 1. *L.* In personalibus. 2. } *N.* 33. *Tit.* DE REB. AUCT. JUD. POSSID.]
L. Is qui bon. cessit, ante. 3. *h. t. N.* 4
L. Is qui bon. cessit, si. 4. 6
§ 1. Sabinus & Cassius. 7
L. Quem pœnitet. 5. 4
L. Qui bonis suis. 6. 6
L. Si debitoris bona. 7. *ibid.*
L. Qui cedit bonis. 8. 1
L. fin. Bonis cedi. 9. 3

TITULUS IV.

QUIBUS EX CAUSIS IN POSSESSIONEM EATUR.

Lex Tres ferè. 1. . . . *h. tit. Num.* 1
L. Prætor ait, In. 2. 4
§ 1. Potestatem autem suî. *ibid.*
§ 2. Quid si non latitet. *ibid.*
§ 3. Defendi autem videtur. *ibid.*
§ 4. Hæc verba, Defenderetur. *ibid.*
L. Apud Julian. quæritur. 3. 19
§ 1. Contractum cum pupillo. 6
§ 2. Ego puto, & si cum. *ibid.*
§ 3. Si pupillus heres. *ibid.*
L. Sed & is qui. 4. *ibid.*
L. Hæc autem locum. 5. 7
§ 1. Non defendi pupillum. 8
§ 2. Ait Prætor, Si is. 9
§ 3. Rectè defendi. *ibid.*
L. In possessionem. 6. 3
§ 1. Quum dicitur, Et ejus. 17
§ 2. Si ab hostibus quis. 5
L. Fulcinius. 7. . . . *N.* 5. *Tit.* DE REB. AUCTOR. JUD. POSSID.]
§ 1. Prætor ait: Qui. 10
§ 2. Cùm hoc Edictum. 11
§ 3. Si quis possiderit. *ibid.*
§ 4. Quid sit autem latitare. 12
§ 5. Sed is qui fraudationis. 13
§ 6. Quid ergo si duas. *ibid.*
§ 7. Quid si adversùs. *ibid.*
§ 8. Latitare autem est. 12
§ 9. Adeò autem latitatio. 14
§ 10. Planè si non defendatur. *ibid.*
§ 11. Planè interdum bona. *ibid.*
§ 12. Idemque & in prodigo. *ibid.*
§ 13. Illud sciendum est. 12
§ 14. Si in diem vel sub. 20
§ 15. Si quis actione de pecul. *ibid.*
§ 16. Item videamus si quis. 21
§ 17. Celsus autem Sexto. *ibid.*
§ 18. Idem Celsus existimat. *ibid.*
§ 19. D. quoque Pius. 23
L. Si diù incertum. 8. 25
L. Unus ex. 9. *ibid.*
§ 1. Si alter ex heredibus. 24
L. Si pupillus præsens. 10. 7
L. Si filiofamilias. 11. . . . *N.* 10. *Tit.* UT IN POSS. LEGAT.]
L. Quum legatorum. 12. . *N.* 10. *Tit.* DE ADQ. POSSES.]
L. Ad cognitionem. 13. 18

Series Tit. IV. QUIB. EX CAUS. IN POSS.
L. Si quis creditorem. 14. § 1. Sed & si quis. § 2. Creditor autem. } *N.* 4. *Tit.* DE REB. AUCT. JUD. POSS.]
L. fin. Is qui rem permutatam. 15. *N.* 131. *Tit.* DE LEGATIS.]

TITULUS V.

DE REBUS AUCTORITATE JUDICIS POSSIDENDIS VEL VENDUNDIS.

Lex Vænire. 1. . . *h. tit. Num.* 24.
L. Ubi domicilium. 2. *ibid.*
L. Aut ubi quisque. 3. *ibid.*
L. Si servus. 4. ¶ sed hoc quantum. § 1. Si quis tamen. } *N.* 25. *Tit.* QUIB. EX CAUS. IN POSS.]
L. Si minor. 5. . . *N.* 15. *d. tit.*]
L. Si non expedierit. 6. § 1. Si pupillus antequàm. § 2. Quid ergo si quibusdam. } *N.* 88. *Tit.* DE ADQ. HER.]
L. Hereditarium. 7. . . *N.* 8. *Tit.* DE SEPARAT.]
L. In venditionem. 8. 22
§ 1. Si quis fructus. 7
§ 2. De cæterarum. *ibid.*
§ 3. De tempore locationis. *ibid.*
§ 4. Si unus sit qui possideat. 8
L. Prætor ait: Si quis. 9. 14
§ 1. Quod de fructibus. 16
§ 2. Quod ait Prætor, Sive. 19
§ 3. His verbis, Ad quem. 15
¶ & ipsi itaque. 19
§ 4. Generaliter etiam dicend. *ibid.*
§ 5. Est prætereà quæsitum. 17
§ 6. In eum quoque qui. 18
§ 7. Hæ actiones neque. 20
§ 8. Si possessionis causa. *ibid.*
L. Nisi quatenùs. 10. *ibid.*
L. Heredi autem. 11. *ibid.*
L. Quum unus. 12. 12
§ 1. Is qui possidere. 2
§ 2. Si propter naturam. *ibid.*
L. Quamvis possessa. 13. 2
L. Creditore. 14. 11
§ 1. Datur in creditorem. 16
L. Quum plures. 15. 8
¶ ego puto creditoribus. 10
§ 1. Utrùm semel, an. 9
☞ *Hîc incipit in Vulgatâ*

TITULUS VI. DE PRIVILEGIIS CREDITORUM.

L. Quum bona. 16. 25
(*Aliàs lex* 1. *d. tit.* de Privileg. cred. *& sic de seqq.*)
L. Quæsitum est. 17. 32
§ 1. Si sponsa dedit. 31
L. Interest enim. 18. *ibid.*
L. Dabimusque. 19. *ibid.*
§ 1. Si quis quum tutor. 30
¶ ipse autem pupillus. *ibid.*
¶ sed æquissimum. *ibid.*
L. Vel surdo. 20. *ibid.*
L. Vel fatuo. 21. *ibid.*
L. Idem. 22. *ibid.*
§ 1. Sed si bonis. *ibid.*
L. Si negotium. 23. *ibid.*
L. Si ventri. 24. *ibid.*
§ 1. D. Marcus ita edixit. 33
§ 2. In bonis mensularii. *ibid.*
§ 3. Eorum ratio prior est. *ibid.*

Source : BIU Cujas

Ser. Tit. V. DE REB. AUCT. JUD. POSS.
L. Ait Prætor: Quod. 25... *N.* 1. *Tit.* QUÆ IN FRAUD. CRED.]
L. Qui in navem. 26... *h. t. N.* 33
L. Si Magiſtratus. 27... *N.* 14. *Tit.* UT IN POSS. LEGAT.]
L. Paterfamilias impuberi. 28... *N.* 49. *Tit.* DE VULG. ET PUP. SUBST.]
L. Fuſidius (*Aliàs* Aufidius) ref. 29. 23
L. Imperatores Antonin. 30. 27
L. Si creditores. 31... *N.* 27. *Tit.* QUIB. EX CAUSIS IN POSS.]
§ 1. Sed ſuſpectus heres... *N.* 28. *d. tit.*]
§ 2. Planè in recenti. } *N.* 27.
§ 3. Quòd ſi quaſi ſuſp. } *d. tit.*]
§ 4. Planè ſi doceatur. } *N.* 28.
§ 5. Quòd ſi nec inopiâ. } *d. tit.*]
L. Privilegia non. 32. 35
L. Si pupillus ex contractu. 33. 6
§ 1. Defendere debitorem. 13
L. Quod quis navis. 34. 33
L. Eum qui in poſſ. 35... *N.* 17. *Tit.* QUIB. EX CAUS. IN POSS.]
L. Eum qui circa. 36... *N.* 12. *d. tit.*]
L. Antiochenſium. 37... *N.* 2. *Tit.* DE ADMIN. RER. AD. CIVIT.]
L. Bonis venditis. 38. 23
§ 1. Reſpublica creditrix. 29
L. fin. Pupillus ſi non. 39. 6
§ 1. Ejus qui ab hoſtibus.... *N.* 17. *Tit.* QUIB. EX CAUS. IN POSSESS.]

TITULUS VI.

DE SEPARATIONIBUS.

Lex Sciendum eſt ſepar. 1.. *h. t. N.* 1.
§ 1. Solet autem ſeparatio. 2
§ 2. Ex contrario autem. *ibid.*
§ 3. Sciendum eſt autem. 16
§ 4. Sed etiam adversùs fiſcum. 7
§ 5. Quæſitum eſt an. 4
§ 6. Sed ſi quis ſuſpectam. *ibid.*
§ 7. Item videamus, ſi quis. 3
§ 8. Secundùm hæc videamus. *ibid.*
§ 9. Si filiifamilias bona. 5
§ 10. Illud ſciendum eſt. 12
§ 11. Item quæritur ſi ſatis. *ibid.*
§ 12. Prætereà ſciendum eſt. 14
§ 13. Quod dicitur, poſt. 15
§ 14. De his autem omnibus. 1
§ 15. Si quis pignus. 12
§ 16. Quæſitum eſt ſi fortè. 13
§ 17. Item ſciendum eſt vulgò. 17
§ 18. Ita ſciendum eſt, neceſſ. 4
L. Ab herede. 2. 14

Series Tit. VI. DE SEPARATIONIB.

L. Debitor. 3.... *h. tit. Num.* 10
§ 1. Quid ergo ſi bonis. 18
§ 2. Sed in quolibet alio. *ibid.*
L. Creditoribus. 4. 11
§ 1. Legatarios autem. *ibid.*
L. Si creditores 5. 17
L. Quoties heredis. 6. 11
§ 1. Si liberta heres. 6
L. fin. Qui judicium. 7. 12

TITULUS VII.

DE CURATORE BONIS DANDO.

L. Si quis ſub condi- } *N.* 25. *Tit.*
tione. 1. } QUIB. EX
§ 1. Quòd ſi nihil } CAUSIS IN.
facere. } POSSESS.]
§ 2. Sed ſi grave æs... *h. tit. N.* 4
L. De curatore. 2. 3
§ 1. Quæ-que per eum. 4
¶ eiſque actiones & in eos. 5
§ 2. Si plures autem. 6
¶ quòd ſi per regiones. *ibid.*
§ 3. Quæritur an invitus. 3
§ 4. Nec omnimodo. *ibid.*
§ 5. Si tres curatores fuerint. 8
L. Si plures ejuſdem. 3. 6
L. Imperatores. 4.... *N.* 27. *Tit.* DE REB. AUCT. JUD. POSSID.]
L. fin. Si debitor. 5. 7

TITULUS VIII.

QUÆ IN FRAUDEM CREDITORUM FACTA SUNT, UT RESTITUANTUR.

L. Ait Præt. Quæ fraudat. 1.. *h. t. N.* 1
§ 1. Neceſſariò Prætor hoc. *ibid.*
§ 2. Ait ergo Prætor, Quæ. 2
¶ quodcumque igitur. 4
L. Idem erit. 2. *ibid.*
L. Vel ei. 3. *ibid.*
§ 1. Geſta fraudationis. 5
§ 2. Et qui aliquid fecit. 6
L. In fraudem facere. 4. 5
L. Sed & ſi rem. 5. *ibid.*
L. Quod autem quum. 6. 6
§ 1. Unde ſi quis Edicto. *ibid.*
§ 2. Proindè & qui repudiavit. *ibid.*
§ 3. Simili modo dicendum. *ibid.*
§ 4. Sed & illud probandum. *ibid.*
§ 5. Si ſervum ſuum. *ibid.*
§ 6. Apud Labeonem ſcriptum. 8
§ 7. Sciendum Julianum. 11
§ 8. Hoc Edictum eum coercet. 16
§ 9. Præterea illud ſciendum. 13
§ 10. Si quid cum pupillo. 19
§ 11. Simili modo dicimus. *ibid.*
§ 12. Simili modo quæritur. 26
§ 13. Item ſi neceſſarius. 19

Series Tit. VIII. QUÆ IN FRAUD. CRED.

L. 6. §. 14. Hujus actionis annum. *N.* 36
L. Si debitor in fraudem. 7. 33
L. Ex his colligi. 8. *ibid.*
L. Is qui à debitore. 9. 25
L. Ait Prætor: quæ Lucius. 10. 1
§ 1. Ita demum revocatur. 21
¶ cæterum ſi illos dimiſit. *ibid.*
§ 2. Quod ait Prætor, Sciente. 17
§ 3. Si quis particeps. 18
§ 4. Aliàs autem qui ſcit. *ibid.*
§ 5. Ait Prætor, ſciente, id eſt. 16
§ 6. Prætereà ſciendum eſt. 21
§ 7. Illud certè ſufficit. 17
§ 8. Quid ergo ſi ei. *ibid.*
§ 9. Si fraudator heredem. 22
§ 10. Si quis in fraudem. *ibid.*
§ 11. Si impubes patri heres. *ibid.*
§ 12. Si quum in diem. 10
§ 13. Si cui ſolutum. 12
§ 14. Si cùm mulier fraudand. 2
§ 15. Per hanc actionem. 34
§ 16. Si debitorem meum. 11
§ 17. Si ex Conſtitutione. 22
§ 18. Annus hujus. 36
§ 19. Per hanc actionem. 30
§ 20. Et fructus non tantùm. 31
§ 21. Partum quoque in hanc. 32
§ 22. Prætereà generaliter. 35
§ 23. Si conditionalis fuit. *ibid.*
§ 24. Hæc actio poſt annum. 36
§ 25. Hæc actio heredi. 29
L. Caſſius 11. *ibid.*
L. Si pater. 12. 28
L. Illud conſtat. 13. 12
L. Hâc in factum actione. 14. 34
L. Si quis quum. 15. } *N.* 41. *Tit.* QUI ET
L. Niſi priores. 16. } A QUIB. MANUM.]
L. Omnes debitores. 17. 34
§ 1. L. Titius quum haberet. 14
§ 2. Si vir uxori. 10
L. Et ſi pignus vir. 18. } *N.* 36. *Tit.*
¶ quod ſine dubio } DE DON. INT.
ſi in fraudem. } VIR. ET UX.]
L. Patrem qui non. 19. 9
L. Debitorem qui. 20. *ibid.*
L. Debitorem in fraudem. 21. 23
L. Quum in vetus. 22. 12
L. Primo gradu ſcripti. 23... *N.* 33. QUI ET A QUIB. MANUM.]
L. Pupillus patri. 24. 8
L. fin. Si fraudator. 25. 25
§ 1. Si à ſocero fraudatore. 20
§ 2. Item ſi extraneus. 25
§ 3. Si procurator ignorante. 24
§ 4. Non ſolùm autem ipſam. 30
¶ item partum ancillæ. 32
§ 5. Proculus ait, Si. *ibid.*
§ 6. Fructus autem fundo. 30
§ 7. Hæc actio etiam in. 27

LIBER QUADRAGESIMUS-TERTIUS.

TITULUS I.

DE INTERDICTIS, SIVE EXTRAORDINARIIS ACTIONIBUS QUÆ PRO HIS COMPETUNT.

LEX Videamus de quib. 1.. *h. t. N.* 2.
§ 1. Interdictorum autem tres. 5

Series Tituli I. DE INTERDICTIS, &c.

L. 1. §. 2. Interdict. quæd. in. *h. t. N.* 6
§ 3. Interdicta omnia. 10
§ 4. Interdictor. quæd. annalia. 8
L. Interdictor. quæd. duplicia. 2. 7
§ 1. Interdicta autem competunt. 2
¶ hominum causâ. 3

Series Tituli I. DE INTERDICTIS, &c.

L. 2. § 2. Quæd. Interdicta rei. *h. t. N.* 11
§ 3. Hæc autem Interdicta. 4
¶ ſunt Interdicta. *ibid.*
L. In Interdictis exindè. 3. 13
L. Ex quibus cauſis. 4. 8
L. fin. Interdicta noxalia. 5. 9

Source : BIU Cujas

TITULUS II.

QUORUM BONORUM.

Lex Ait Prætor: Quorum. 1.. *h. t. N.* 1
§ 1. Hoc Interdictum. 2
L. fin. Interdicto QUORUM. 2. 3

TITULUS III.

QUOD LEGATORUM.

L. Hoc Interdict. vulgò. 1.. *h. t. N.* 1
§ 1. Est autem & ipsum. *ibid.*
§ 2. Et continet hanc causam. *ibid.*
¶ redigit igitur. 14
§ 3. Hoc Interdictum & hered. 10
§ 4. Quia autem nonnunquam. 5
§ 5. Si quis ex mortis. 4
§ 6. Qui verò ex causâ. 6
§ 7. Quod ait Prætor, Aut dolo. 3
§ 8. Undè est quæsitum. 2
§ 9. Quæsitum est si. *ibid.*
§ 10. Legatorum nomine. 7
§ 11. Quod ait Prætor, Voluntate. 8
§ 12. Si duæ res legatæ. 9
§ 13. Illud tenendum, sive. 7
§ 14. Prodest autem possedisse. 8
§ 15. Si alter ex heredibus. 9
§ 16. Quod ait Prætor, Nisi. 12
§ 17. Satisdatum sic arbitror. 11
§ 18. Si quarumdam rerum. 13
L. fin. Diversum est, si. 2. *ibid.*
§ 1. Quod ait Prætor, SI per. 11
§ 2. Ex hoc Interdicto. 15
§ 3. Si legatarius. 11
§ 4. Si per legatarium. 12

TITULUS IV.

NE VIS FIAT EI QUI IN POSSESSIONEM MISSUS ERIT.

Lex Ait Prætor, Si. 1.. *h. tit. Num.* 1
§ 1. Hoc Interdictum summâ. *ibid.*
§ 2. Est autem generale. 5
¶ sed sive rei. 11
§ 3. Hæc actio non tantùm. 3
§ 4. Si quis ideò possessione. 2
§ 5. Hæc verba, QUANTI. 8
§ 6. Hoc Edicto neque. 2
¶ ergo & si tutor dolo. 7
§ 7. Si domini vel patris. *ibid.*
§ 8. Hanc actionem exceptâ. 10
L. Suo quis an alieno. 2. 6
§ 1. Item tam is tenetur. 7
L. Si quis missus fuerit. 3. 12
§ 1. Constitutum est. *ibid.*
§ 2. Prætor ventrem. 11
§ 3. Si mulier dicatur.... *N.* 4.
Tit. DE VENTR. IN POSS. MITT.]
L. fin. Per Interdictum etiam. 4. 5
§ 1. Pœna autem ejus. 9
§ 2. Prætor in eum qui. 8
§ 3. Sed & ex aliâ. 4
§ 4. Item subjectum, si ex. 11

TITULUS V.

DE TABULIS EXHIBENDIS.

Lex Prætor ait: Quas. 1.... *h. t. N.* 1
§ 1. Si quis fortè confiteatur. 8
§ 2. Hoc Interdictum pertinet. 2

Series Tit. V. DE TABULIS EXHIBEND.
L. 1. § 3. Sive autem valet. *h. t. N.* 2
§ 4. Sive supremæ tabulæ. *ibid.*
§ 5. Itaque dicendum est. *ibid.*
§ 6. Proindè & si plures. 2
§ 7. Sed etsi de statu. *ibid.*
§ 8. Item si filiusfamilias. *ibid.*
§ 9. Idem est & si is. *ibid.*
§ 10. Hoc Interdictum ad vivi. 3
§ 11. Sed etsi deletum. 2
L. Vel totum. 2. *ibid.*
L. Locum habet. 3. *ibid.*
§ 1. Si tabulæ in pluribus. 2
§ 2. Si tabulæ testamenti. 6
§ 3. Proindè & si custodiam. *ibid.*
§ 4. Si penès servum. *ibid.*
§ 5. Si ipse testator. 3
§ 6. Si quis dolo malo. 7
¶ nec præjudicatur. *ibid.*
§ 7. Hoc Interdictum exhibitor. 1
§ 8. Quid sit exhibere. 9
§ 9. Exhibere autem apud. *ibid.*
§ 10. Solent autem exhiberi. 4
§ 11. Condemnatio autem huj. 10
§ 12. Quare si heres. *ibid.*
§ 13. Et si legatum sit. *ibid.*
§ 14. Et si sub conditione. *ibid.*
§ 15. Indè quæritur, si. *ibid.*
§ 16. Interdictum hoc & post. 5
§ 17. Sed & heredi. *ibid.*
L. Si sint tabulæ. 4. 7
L. fin. De tabulis proferendis. 5. 11

TITULUS VI.

NE QUID IN LOCO SACRO FIAT.

Lex Ait Prætor: In loco. 1.. *h. t. N.* 1
§ 1. Hoc Interdictum de. *ibid.*
§ 2. Quod ait Prætor, Ne. 2
§ 3. Sed & cura ædium. 3
L. In muris itemque. 2. 1
L. fin. Neque muri neque. 3. *ibid.*

TITULUS VII.

DE LOCIS ET ITINERIBUS PUBLICIS.

Lex Cuilibet in publicum. 1. *h. t. N.* 1
L. Nemini licet. 2. *ibid.*
L. fin. Viæ vicinales. 3. 2
§ 1. Sed inter eas & cæteras. *ibid.*

TITULUS VIII.

NE QUID IN LOCO PUBLICO VEL ITINERE FIAT.

Lex In loco publico. 1.. *h. t. Num.* 1
L. Prætor ait: ne quid. 2. *ibid.*
§ 1. Hoc Interdictum prohibit. 11
§ 2. Et tam publicis. 1
§ 3. Publici loci appellatio. 2
§ 4. Hoc Interdictum ad ea. 4
§ 5. Ad ea igitur loca. 2
§ 6. Quum quidam velum. 8
§ 7. Si quis quod in publico. 6
§ 8. Adversùs eum qui. 3
§ 9. Si quis in mari. 27
§ 10. Meritò ait Prætor. 7
§ 11. Damnum autem pati. 8
§ 12. Proindè si cui. *ibid.*
§ 13. Si quid in loco publico. 9

Ser. Tit. VIII. NE QUID. IN LOC. PUB.
L. 2. § 14. Planè si ædificium. *h. t. N.* 8
§ 15. Idem ait, Si in publico. 10
§ 16. Si quis à Principe. 7
§ 17. Si quis nemine. 11
§ 18. Si tamen adhuc nullum. *ibid.*
§ 19. Locorum sacrorum. *N.* 1.
Tit. NE QUID IN LOCO SACRO.]
§ 20. Ait Prætor: In viâ. 14
§ 21. Viam publicam. 15
§ 22. Viarum quædam. *ibid.*
§ 23. Privatæ viæ. *ibid.*
§ 24. Hoc Interdictum tantùm. 16
§ 25. Si viæ publicæ. *ibid.*
§ 26. Si quis cloacam. 17
§ 27. Proindè & si fossam. *ibid.*
§ 28. Idem Labeo scrib. Si quis. *ibid.*
¶ planè si fundus viam. 18
§ 29. Idem ait, Si odore. 19
§ 30. Hoc Interdictum etiam. *ibid.*
§ 31. Deindè ait Prætor: Quo. 17
§ 32. Deteriorem autem viam. *ibid.*
§ 33. Scio tractatum, an. *ibid.*
§ 34. Hoc Interdict. perpetuum. 14
§ 35. Prætor ait: Quod in. 20
§ 36. Hoc Interdict. ex eâdem. *ibid.*
§ 37. Hoc Interdicto non is. 21
§ 38. Habere eum dicimus. *ibid.*
§ 39. Unde Ofilius putat. 24
§ 40. Si ex fundo tuo. *ibid.*
§ 41. Idem Labeo scrib. Si vicin. 22
§ 42. Hoc Interdictum locum. 23
§ 43. Restituas, inquit. 25
§ 44. Interdictum hoc non. 20
¶ condemnatioque. 25
§ 45. Prætor ait: Quominùs. 26
L. Littora in quæ. 3... *N.* 8. *Tit.* DE DIVISIONE RER.]
§ 1. Maris communem. 3
L. In littore Jure Gentium. 4. *ibid.*
L. Si per publicum. 5. 13
L. Ei qui hoc Interdicto. 6. 5
L. fin. Sicut is qui nullo. 7. 12

TITULUS IX.

DE LOCO PUBLICO FRUENDO.

Lex Præt. ait: Quominùs loc. 1. *N.* 1
§ 1. Interdictum hoc publicæ. *ibid.*
§ 2. Sed si simul veniant. 3
§ 3. Ait Præt. Quominùs à lege. 1
L. fin. Concedi solet, ut. 2. 2

TITULUS X.

DE VIA PUBLICA, ET SI QUID IN EA FACTUM ESSE DICATUR.

L. un. Ædiles studeant.... *h. t. Num.* 1
§ 1. Studeant etiam ne. *ibid.*
§ 2. Curent autem ut nullus. *ibid.*
§ 3. Constituant autem vias. *ibid.*
§ 4. Studeant autem ut. *ibid.*
§ 5. Non permittant autem. *ibid.*

TITULUS XI.

DE VIA PUBLICA, ET ITINERE PUBLICO REFICIENDO.

Lex Præt. ait: Quominùs illi. 1. *N.* 1
§ 1. Viam aperire est. *ibid.*
§ 2. Si quis in specie. *ibid.*

Source : BIU Cujas

Series Tituli XI. DE VIA PUBL. ET ITIN.

L. 1. § 3. Interdict. hoc perp. *h. t. Num.* 1
L. Viam publicam. 2. . . *N.* 3. *Tit.* DE LOCIS ET ITINERIB. PUBL.]
L. fin. Si in agrum vicini. 3. 2
§ 1. Qui viam publicam. *ibid.*

TITULUS XII.

DE FLUMINIBUS: NE QUID IN FLUMINE PUBLICO RIPA-VE EJUS FIAT QUO PEJUS NAVIGETUR.

Lex Ait Prætor: Ne quid. 1. *h. t. Num.* 1
§ 1. Flumen à rivo. 2
§ 2. Item fluminum quæd. *ibid.*
§ 3. Fluminum quædam publ. *ibid.*
§ 4. Hoc Interdictum. 3
§ 5. Ripa autem ita rectè. 6
§ 6. Si insula in. 7
§ 7. Simili modo & si. *ibid.*
§ 8. Si fossa manufacta. 5
§ 9. Aliter atque si flumen. *ibid.*
§ 10. Item si amnis. 7
§ 11. In flumine publico. 5
§ 12. Non autem omne. 8
¶ ergo hoc Interdictum. 3
§ 13. Stationem dicimus. 8
§ 14. Ait Prætor, Iterque. *ibid.*
§ 15. Deterior statio. *ibid.*
§ 16. Labeo scribit, Non esse. 10
§ 17. Si in mari aliquid. 4
§ 18. Sed & si in flumine. *ibid.*
§ 19. Deindè ait Prætor: Quod. 11
§ 20. Superius Interdictum. *ibid.*
§ 21. Jubetur autem is. *ibid.*
§ 22. Hæc verba, Factum. 12
L. Quominùs ex publico. 2. 9
L. Flumina publica. 3. } *N.* 9. *Tit.*
§ 1. Ripa ea putatur. } DE DIVIS.
§ 2. Secundùm ripas. } RERUM.]
L. fin. Quæsitum est an is. 4. 8

TITULUS XIII.

NE QUID IN FLUMINE PUBLICO FIAT, QUO ALITER AQUA FLUAT ATQUE UTI PRIORE ÆSTATE FLUXIT.

Lex un. Ait Prætor: In flumin. *h. t. N.* 1
§ 1. Hoc Interdicto. *ibid.*
§ 2. Pertinet autem ad. *ibid.*
§ 3. Ait Prætor: Quo aliter. 2
§ 4. Si quis ex rivo. *ibid.*
§ 5. Simili modo & si. *ibid.*
§ 6. Sunt qui putent. 4
§ 7. Sed & si alia utilitas. *ibid.*
§ 8. Is autem hoc Interd. 3
§ 9. Hoc Interdictum cuivis. 5
§ 10. Hoc Interd. & in hered. *ibid.*
§ 11. Deindè ait Prætor: Quod. 6
§ 12. Hoc Interd. restitutorium. *ibid.*
§ 13. In hoc Interdicto. *ibid.*

TITULUS XIV.

UT IN FLUMINE PUBLICO NAVIGARE LICEAT.

L. un. Prætor ait: Quominùs. *Num.* 1
§ 1. Hoc Interdicto prospic. *ibid.*
§ 2. Si privata sunt. 3

Series Tituli XIV. UT IN FLUM. PUBL.

L. un. § 3. Lacus est quod. *h. t. Num.* 3
§ 4. Stagnum est quod. *ibid.*
§ 5. Fossa est receptaculum. *ibid.*
§ 6. Possunt autem etiam. *ibid.*
§ 7. Publicano planè qui. 4
§ 8. Si quis velit. 2
¶ idem ait, Tale Interdictum. 1

TITULUS XV.

DE RIPA MUNIENDA.

L. un. Prætor ait: Quominùs. *Num.* 1
§ 1. Ripas fluminum. *ibid.*
§ 2. Meritò adjicit. *ibid.*
§ 3. Is autem qui ripam. 2
§ 4. Dabitur autem satis. *ibid.*
§ 5. Etenim curandum fuit. *ibid.*
§ 6. Illud notandum est. 3

TITULUS XVI.

DE VI, ET DE VI ARMATA.

Lex Prætor ait: Unde. 1. . *h. t. Num.* 1
§ 1. Hoc Interdict. proponitur. *ibid.*
§ 2. Ne quid autem per vim. 38
§ 3. Hoc Interdictum non. 2
§ 4. Et generaliter ad omnes. 16
§ 5. Proindè & si superficiaria. *ibid.*
§ 6. Illud utique in dubium. 17
¶ planè si quæ res. *ibid.*
§ 7. Si quis de nave. *ibid.*
§ 8. Planè si quis de ligneis. 16
§ 9. Dejicitur is qui. 6
§ 10. Denique & si maritus. *ibid.*
§ 11. Ait Prætor, Dejeciſti. 20
§ 12. Dejecisse autem etiam. 19
§ 13. Quoties verus procurat. *ibid.*
§ 14. Sed & si quod alius. *ibid.*
§ 15. Quod igitur additur. 20
§ 16. Familiæ autem appellatio. 22
§ 17. Sed quæritur quem. *ibid.*
§ 18. Familiæ appellatione. *ibid.*
§ 19. Si quis tamen neget. 20
§ 20. Si filiusfamilias. 22
§ 21. Si adversùs eum. 21
§ 22. Quod servus vel. 3
§ 23. Interdictum autem. *ibid.*
§ 24. Sive autem corpore. 4
§ 25. Quod vulgò dicitur. *ibid.*
§ 26. Eum qui neque animo. 2
§ 27. Vim vi repellere. 14
§ 28. Vi possidere. 8
§ 29. Idem Labeo ait, Eum. 5
§ 30. Qui à me vi possidebat. 7
§ 31. Qui vi dejectus est. 34
§ 32. Si fundus à quo. 33
§ 33. Quod autem ait Prætor. 31
§ 34. Rectissimè autem Prætor. 32
§ 35. Huic consequens esse. 30
§ 36. Idcircò constare ait. *ibid.*
§ 37. IBI autem ait Prætor. 31
§ 38. Sanè quod ait Prætor. *ibid.*
§ 39. Annus in hoc. 36
§ 40. Ex die quo quis. 34
§ 41. Non solùm autem. *ibid.*
§ 42. Ex interdicto Unde vi. 30
§ 43. Interdictum hoc, quia. 27
§ 44. Hoc Interdict. & heredi. 18
§ 45. Non alii autem quàm. 5
§ 46. Idem Vivianus refert. *ibid.*

Series Tit. XVI. DE VI, ET DE VI ARM.

L. 1. § 47. Quid dicturi essemus. . *N.* 5
§ 48. Ex causâ hujus Interdicti. 25
L. Dolo-ve malo. 2. *ibid.*
L. Quod est & si quis. 3.
§ 1. Hæc actio quæ adversùs. *ibid.*
§ 2. Armis dejectum.
§ 3. Planè etsi unus vel.
§ 4. Plus dicitur, etsi. *ibid.*
§ 5. Qui armati venerunt. *ibid.*
§ 6. Si quis autem visis. 12
§ 7. Proindè & si cùm. *ibid.*
§ 8. Si autem quum dominus. 13
§ 9. Eum igitur qui. 14
§ 10. Quum procurator. 26
§ 11. Hoc & in familiâ. *ibid.*
§ 12. Hoc Interdictum etiam. *ibid.*
¶ & post annum reddetur. 37
§ 13. UNDE VI Interdictum. 2
§ 14. Utifrui autem. *ibid.*
§ 15. Pertinet autem hoc. 15
§ 16. Item si non ususfructus. 6
§ 17. Qui usufructûs nomine. *ibid.*
§ 18. Heres quoque simili. 25
L. Si vi me dejecerit. 4. 23
L. Si rerum tibi. 5. 2
L. In Interdicto UNDE VI. 6. 35
L. Cùm à te vi. 7. 24
L. Fulcinius dicebat. 8. 6
L. Si plures heredes. 9. 25
§ 1. Dejectum ab usufructu. 30
L. Si de fundo. 10. 24
L. Vim facit qui. 1 . . . *N.* 5. *Tit.* UTI POSSIDETIS.] 7
L. Colonus eum cui. 12.
L. Neque Unde vi. 13. *N.* 12. *Tit.* DE INTERDICTIS.]
L. Sed si vi armatâ. 14. 14
L. Si vi me dejeceris. 15. 30
L. In Interdicto Unde vi. 16. 22
L. Qui possessionem. 17. 8
L. Quum fundum qui. 18. 7
¶ quæsitum est an. *ibid.*
§ 1. Eum qui fundum. 38
L. Meritò Julianus. 19. 32
L. fin. Si colonus tuus. 20. 3

TITULUS XVII.

UTI POSSIDETIS.

Lex Ait Prætor: Uti. 1. . . *h. t. Num.* 1
§ 1. Hoc Interdictum de. 6
¶ & est prohibitorium. 2
§ 2. Hujus autem Interdicti. 1
§ 3. Inter litigatores. 4
§ 4. Est igitur hoc Interd. 2
§ 5. Perpetuò autem hoc. 7
§ 6. Interdict. autem possessor. 2
§ 7. Hoc Interdictum locum. 6
§ 8. Hoc Interdict. in omnib. *ibid.*
§ 9. Quod ait Prætor in. 9
L. Justa enim an. 2. *ibid.*
L. Si duo possideant. 3. 10
§ 1. Hoc Interdictum duplex. 3
§ 2. Hoc Interdictum sufficit. 5
§ 3. Quum inquilinus *ibid.*
§ 4. Item videamus si auctor. *ibid.*
§ 5. Item videam. si projectio. 11
§ 6. Labeo quoque scribit, Ex. *ibid.*
§ 7. Sed si supra ædes. *ibid.*

Source : BIU Cujas

Series Tituli XVII. UTI POSSIDETIS.

L. 3. § 8. Creditores missos. *Num.* 12
§ 9. Si vicinus meus. 5
§ 10. Non videor vi. 8
§ 11. In hoc Interdicto. 14
L. fin. In summâ puto. 4. 7.

TITULUS XVIII.

DE SUPERFICIEBUS.

Lex Ait Prætor, Uti. 1. *h. tit. Num.* 1
¶ si qua alia actio. 2
§ 1. Qui superficiem. *ibid.*
§ 2. Proponitur autem. 1
§ 3. Quod ait Prætor, Si. 3
§ 4. Is autem in cujus. 6
§ 5. Si soli possessori. *ibid.*
§ 6. Quia autem etiam. 4
§ 7. Sed & tradi posse. 5
§ 8. Et si duobus. *ibid.*
§ 9. Servitutes quoque. 4
L. fin. Superficiarias. 2. 1

TITULUS XIX.

DE ITINERE ACTUQUE PRIVATO.

Lex Prætor ait: Quo. 1. *h. tit. Num.* 1
§ 1. Hoc Interdict. prohibitor. *ibid.*
§ 2. Hoc Interdicto Prætor. 2
§ 3. Annum ex die. 8
§ 4. Si quis hoc Interdicto. 4
§ 5. Julianus ait, quoadusque. 13
§ 6. Vivianus rectè ait. 7
§ 7. Is cujus colonus. 5
§ 8. Si quis autem cùm. 6
§ 9. Si quis propter inundation. 8
§ 10. Prætereà sciendum. *ibid.*
§ 11. Si tibi fundum. 11
§ 12. Si quis supràdicto. 10
L. Nec enim corrumpi. 2. *ibid.*
L. Indè etiam illud. 3. *ibid.*
§ 1. Item sciendum est. 11
§ 2. Si quis ab auctore. 9
§ 3. In hoc Interdicto. 13
§ 4. Uti videmur servitutibus. 5
¶ sedenim per fructuarium. 6
§ 5. Idem Julianus scribit, si. 3
§ 6. Hoc Interdictum & ei. 12
§ 7. Si quis ex mandatu. 5
§ 8. Sed & si quis usumfr. 12
§ 9. Hoc ampliùs & is. *ibid.*
§ 10. Et generaliter ex. *ibid.*
§ 11. Ait Prætor: Qui. 14
§ 12. Utilitas suasit. *ibid.*
§ 13. Hoc autem à superiore. 15
§ 14. Fieri autem potest. 16
§ 15. Reficere sic accipimus. 17
§ 16. Apud Labeonem quær. *ibid.*
L. Veteres nominatim. 4. 18
§ 1. Si quis autem quum. *ibid.*
L. Apparet ergo eum. 5. *ibid.*
§ 1. Planè si quis quum. *ibid.*
§ 2. Hoc Interdictum non. 19
§ 3. Si quis servitutem. 15
§ 4. Qui hoc Interdicto. 19
L. Sicut non nocet. 6. 10
L. fin. Si per fundum. 7. 7

TITULUS XX.

DE AQUA COTTIDIANA ET ÆSTIVA.

Lex Ait Prætor, Uti. 1. . . *h. t. Num.* 2
§ 1. Hoc Interdict. prohibitor. 3

Series Tit. XX. DE AQUA COTTID.

L. 1. § 2. Cottidiana autem. *h. t. Num.* 3
§ 3. Duo autem sunt. 16
§ 4. Quod autem scriptum. 8
¶ ergo cottidiana. 16
§ 5. Loquitur autem Prætor. 3
§ 6. Quanquam autem ad. *ibid.*
§ 7. Hæc Interdicta. 4
§ 8. Caput aquæ illud est. *ibid.*
§ 9. Et qualiter sit. 7
§ 10. Sed etsi jure. *ibid.*
§ 11. Illud quæritur utrùm. 6
§ 12. Prætereà Labeo scribit, etsi. 7
§ 13. Idem Labeo scrib. etiamsi. 5
§ 14. Sive autem intra urbem. 6
§ 15. Illud tamen hîc. 11
§ 16. Illud Labeo dicit. *ibid.*
§ 17. Item quæritur, si. 12
§ 18. Trebatius, quum ampl. *ibid.*
§ 19. Aristo putat eum. 7
§ 20. Idem ait, eum. *ibid.*
§ 21. Quæsitum est, si quis. *ibid.*
§ 22. Item quæsitum est si. 8
§ 23. Prætereà illud sciendum. 14
§ 24. Si fundum ad quem. *ibid.*
§ 25. Competit hoc Interdict. 9
§ 26. Si inter rivales. *ibid.*
§ 27. Labeo putat, per hoc. 10
§ 28. Si quis hoc cesserit. 1
§ 29. Deindè ait Prætor: Uti. 15
§ 30. Hoc Interdict. de aquâ. *ibid.*
§ 31. Quia autem diximus. 17
§ 32. Æstatem incipere. *ibid.*
§ 33. Priorem æstatem. *ibid.*
§ 34. Propter hoc si æstate. *ibid.*
§ 35. Si quis hieme. 19
§ 36. Qui hâc æstate. *ibid.*
§ 37. Ait Prætor, Inter. 18
§ 38. Ait Prætor: Quo ex. 20
§ 39. Hoc Interd. necessariò. *ibid.*
§ 40. Si ex castello. *ibid.*
§ 41. Permittitur autem. *ibid.*
§ 42. Idque à Principe. *ibid.*
§ 43. Et datur interdum. *ibid.*
§ 44. Planè ei ad quem. *ibid.*
§ 45. Meminisse aut. debemus. 21
L. Si diurnarum. 2. . . *N.* 26. *Tit.* DE SERVITUTIB.]
L. Hoc Jure utimur. 3. . *N.* 8. *d. tit.*]
§ 1. Ex flumine aquam. . *N.* 9. *Tit.* DE FLUMINIB.]
§ 2. Si aquam ex flumine. . . *N.* 12. *Tit.* DE SERVITUTIB.]
§ 3. Aqua quæ in rivo. 6
§ 4. Ductus aquæ, cujus. *N.* 24. *Tit.* DE SERVITUTIB.]
§ 5. Is qui aquæ cottid. *N.* 6. *Tit.* DE RIVIS.]
§. 6. Si aqua ducatur. . . *N.* 9. *Tit.* DE SERV. RUST. PRÆD.]
L. Lucio-Titio. 4. } *N.* 35. *Tit.* DE
L. Cùm constet. 5. } SERVITUTIB.]
§ 1. Inter duos qui. . . *N.* 13. *Tit.* QUEMADM. SERVIT. AMITT.]
L. De Interdicto. 6. 16
L. Si de viâ. 7. 13
L. fin. Cui per fundum. 8. . *N.* 6. *Tit.* DE RIVIS.]

TITULUS XXI.

DE RIVIS.

Lex Prætor ait: Rivos. 1. . *h. t. Num.* 1
§ 1. Hoc Interd. utilissimum. *ibid.*
§ 2. Ait ergo Prætor. 2
§ 3. Specus autem est. *ibid.*
§ 4. Septa sunt quæ ad. *ibid.*
§ 5. Incile autem est. *ibid.*
¶ sed & fossæ. *ibid.*
§ 6. Deindè ait Prætor, Reficere. 4
§ 7. Purgandi verbum. *ibid.*
§ 8. Aquæ, inquit, ducendæ. 5
§ 9. Hoc Interdictum competit. 8
§ 10. Si quis terrenum. 6
§ 11. Proindè & si per alium. 5
L. Labeo non posse. 2. *ibid.*
L. Servius autem scribit. 3. *ibid.*
§ 1. Servius & Labeo. 6
§ 2. Si quis novum. *ibid.*
§ 3. Si aqua in unum. 2
§ 4. Hoc Interdictum ad. 3
§ 5. Sed & si calidæ. *ibid.*
§ 6. Aristo & de cuniculo. *ibid.*
§ 7. Iisdem autem personis. 8
§ 8. Si quis rivum. 9
§ 9. De damno quoque. 7
§ 10. Si quis eum exportare. 4
L. fin. De rivis reficiendis. 4. 8

TITULUS XXII.

DE FONTE.

Lex un. Prætor ait: Uti. . *h. t. Num.* 1
§ 1. Hoc Interdict. proponit. *ibid.*
§ 2. Hoc autem Interd. locum. *ibid.*
§ 3. Et eadem sunt hîc. *ibid.*
§ 4. Hoc Interdict. de cisternâ. 2
§ 5. Planè si quis ire. 1
§ 6. Deindè ait Præt. Quominùs. 3
§ 7. Hoc Interdictum eamd. *ibid.*
§ 8. Purgandus autem &. *ibid.*
§ 9. Coercere aquam est. *ibid.*
§ 10. Sed & de lacu. 4
§ 11. Et omnibus personis. 5

TITULUS XXIII.

DE CLOACIS.

Lex Prætor ait: Quominùs. 1. *Num.* 1
§ 1. Sub hoc Titulo. 2
§ 2. Curavit autem Prætor. *ibid.*
§ 3. Hoc autem Interdictum. 3
§ 4. Cloaca autem est. 1
§ 5. Hoc Interdictum quod. 2
§ 6. Cloacæ appellatione. 1
§ 7. Quia autem cloacarum. 6
§ 8. Deinde ait Prætor, Quæ. 3
§ 9. Idem Labeo etiam eum. 4
§ 10. Quod ait Prætor, Pertinet. 3
§ 11. Et tam ad proximum. 4
§ 12. Unde Favius-Mela. 7
§ 13. Si quis purganti. *ibid.*
§ 14. Sed & damni infecti. 8
§ 15. Deinde ait Prætor: Quod. 9
§ 16. Hoc Interdictum ad. *ibid.*
L. fin. Quanquam de reficiendâ. 2. 5

Source : BIU Cujas

TITULUS XXIV.

QUOD VI AUT CLAM.

Lex Prætor ait: Quod vi. 1. *h. t. N.* 1
§ 1. Hoc Interd. reſtitutor. *ibid.*
§ 2. Et parvi refert. 25
§ 3. Denique eſt quæſitum. 46
§ 4. Hoc Interdictum ad ea. 15
§ 5. Quid ſit vi factum. 2
¶ vi factum videri. 3
§ 6. Sed & ſi quis jactu. *ibid.*
§ 7. Sed & ſi contra teſtation. *ibid.*
§ 8. Sed & Ariſto ait. 6
§ 9. Item Labeo dicit, ſi. 7
§ 10. Si quis tamen. 6
§ 11. Idem ait, Et ſi te. *ibid.*
L. Ne in alienâ. 2. *ibid.*
L. Prohibere autem non. 3. 4
§ 1. Illud ſciendum eſt. 7
§ 2. Sed ſi permiſerit. 8
§ 3. Non tantum autem ſi. 43
§ 4. Planè ſi Præſes. *ibid.*
§ 5. Si quis paratus ſit. 8
§ 6. Sed & ſi quis damni. *ibid.*
§ 7. Clàm facere videri. 9
§ 8. Idem Ariſto putat. *ibid.*
L. Servius etiam. 4. *ibid.*
L. Aut qui aliter fecit. 5. 10
§ 1. Si quis ſe denuntiaverit. *ibid.*
§ 2. Et ſi fortè non ſit. 11
§ 3. Sed & Servius rectè ait. *ibid.*
§ 4. Item ait, Si quis in. *ibid.*
§ 5. Si quis dum putat. 9
§ 6. Idem dicit, & ſi fervi. *ibid.*
§ 7. Si quis quum non. 13
§ 8. Hæc verba, Quod vi. 31
§ 9. Labeo autem ait. 35
§ 10. Idem ait & adversùs. 32
§ 11. Si quid ſervus meus. 34
§ 12. Similiter quod juſſu. 32
§ 13. Et cùm Interdictum. 35
§ 14. Et hoc Jure utimur. 31
L. Si ego tibi. 6. 32
L. Si alius fecerit. 7. 39
§ 1. Neratius quoque ſcribit. 33
§ 2. Ait Julianus: Qui ante. 5
§ 3. Belliſſimè apud Julian. 44
§ 4. Eſt & alia exceptio. 45
§ 5. Notavimus ſuprà quod. 20
§ 6. Si quis acervum ſtercoris. 19
§ 7. Planè ſi quid agri. 21
§ 8. Prætereà ſi foſſam. 24
§ 9. Si quis ædificium. 17
§ 10. Proindè & ſi tegulas. *ibid.*
L. Nam origo. 8. *ibid.*
L. Nam & ſi ramos. 9. *ibid.*
§ 1. Si tamen ſerra. 19
§ 2. Sed ſi quis aliquid. 17
§ 3. Si quis clàm aut vi. 23
¶ & ſi acervum. 19
L. Quia acervus. 10. *ibid.*
L. Is qui in puteum. 11. 16
§ 1. Quæſitum eſt, ſi ſtatuam. 22
§ 2. Si quis de monumento. *ibid.*
§ 3. Si quis in vineas. 17
§ 4. Quod ait Prætor, Quod. 37
§ 5. Interdum complectitur. 14
§ 6. Si tutoris juſſu. 32
§ 7. An ignoſcitur ſervo. 34
§ 8. Si poſteaquàm vi. 28
¶ ſed nec Ex empto. *ibid.*

Ser. Tit. XXIV. QUOD VI AUT CLAM.
L. 11. § 9. Planè ſi poſt vendit. *h. t. N.* 28
§ 10. Si fundus in diem. 29
§ 11. Ariſto autem ſcribit, non. 11
§ 12. Ego ſi poſt in diem. 29
§ 13. Si ita prædium. *ibid.*
§ 14. Idem Julian. ſcrib. Interd. 26
L. Quanquam autem. 12. *ibid.*
L. Denique ſi arbores. 13. 24
§ 1. Labeo ſcribit, ſi filio. 30
§ 2. Id. ait, adversùs filiumf. *ibid.*
§ 3. Si ex ſociis communis. 24
§ 4. Unde apud Servium. 27
§ 5. Quæſitum eſt, ſi quum. 22
§ 6. Si colonus meus opus. 31
§ 7. Julianus ait: Si colonus. 39
L. Nam & ſi ſervus. 14. 33
L. Semper adversùs. 15. 35
§ 1. Is cui fundum. 39
§ 2. Si in ſepulchro alieno. 36
§ 3. Hoc Interdictum in. 35
¶ & poſt annum. 41
§ 4. Annus autem cedere. *ibid.*
§ 5. Sed ſi is ſit locus. 42
§ 6. Si quis Reipub. causâ. 41
§ 7. Hoc Interdicto tanti. 37
§ 8. Ergo nonnunquam etiam. *ibid.*
§ 9. Sed quod interfuit. 38
§ 10. Eum autem qui dolo. *ibid.*
§ 11. Culpam quoque in. *ibid.*
§ 12. Quia autem hoc. *ibid.*
L. Competit. 16. 27
§ 1. Si quis vi aut clàm arbores. 26
§ 2. In ſummâ qui vi. 39
L. Interdict. Quod vi... per. 17. 3
L. Si immaturam. 18. 21
§ 1. Non abſurdè reſponſum. 10
L. Interd. Quod vi... compet. 19. 30
L. Vi facit. 20. 6
§ 1. Prohibitus aut. intelligitur. 3
§ 2. Tandiù autem vi. 8
§ 3. Item ſi prohibiti. *ibid.*
§ 4. Quod in nave fit. 15
§ 5. Sive in privato ſive. 24
L. Si opus quod. 21. 40
§ 1. Si juſſero ſervum meum. 12
§ 2. In opere novo. 18
§ 3. Si quis propter opus. 37
L. fin. Si vitem meam. 22. 17
¶ ſed ſi annus. *ibid.*
§ 1. Si quis vi aut clàm araverit. 23
§ 2. Si ad januam meam. 44
§ 3. Si ſtercus per fundum. 21
§ 4. Si quis projectum. 18
§ 5. Si is qui denuntiaverit. 10

TITULUS XXV.

DE REMISSIONIBUS.

Transfuſus eſt ſuprà lib. 39. *in Tit.* * DE OPER. NOVI NUNTIAT.

L. un. Ait Prætor: Quod.. *d. t.* * *N.* 31
§ 1. Sub hoc titulo. *ibid.*
§ 2. Et verba Prætoris. *ibid.*
¶ planè ſi ſatisdatum. *ibid.*
§ 3. Jus habet opus novum. 11
§ 4. Item Juliano placet. 12
§ 5. Ei quoque qui pignori. 11

TITULUS XXVI.

DE PRECARIO.

Lex Precarium eſt quod. 1.. *h. tit. N.* 2
§ 1. Quod genus liberalitatis *ibid.*
§ 2. Et diſtat à donatione. *ibid.*
§ 3. Et eſt ſimile commodato. *ibid.*
L. Ait Prætor: Quod. 2. 1
§ 1. Hoc Interdictum. 17
§ 2. Et naturalem habet. *ibid.*
¶ itaque quum quid. 18
§ 3. Habere precario. 4
L. Veluti ſi me. 3. 3
L. In rebus etiam mobilibus. 4. 3
§ 1. Meminiſſe autem. 12
§ 2. Tenetur hoc Interdicto. 22
§ 3. Item ſi rem meam. 7
§ 4. Item qui precario. 10
L. Sed ſi manente. 5. 13
L. Certè ſi interim. 6. 10
§ 1. Si procurator meus. 4
§ 2. Is qui rogavit ut. 12
§ 3. Julianus ait eum. 5
§ 4. Quæſitum eſt ſi quis. 7
L. Sed & ſi eam. 7. 6
L. Quæſitum eſt: ſi Titius. 8. 21
§ 1. Quod à Titio. 16
§ 2. Illud tamen videamus. 10
§ 3. Eum quoque precario. 24
¶ illud adnotatur. 27
§ 4. Ex hoc Interdicto. 26
§ 5. Si ſervitute uſus. 27
§ 6. Et generaliter erit dicend. *ibid.*
§ 7. Interdictum hoc & poſt. 28
§ 8. Hoc Interdicto heres. 25
L. Precaria poſſeſſio. 9. 9
L. Quamvis ancillam. 10. 26
L. Si debitor rem pigneratam. 11. 14
L. Quum precario aliquid. 12. 2
§ 1. Precariò rogatio. 16
L. Si ſervus tuus. 13. 22
L. Interdictum de. 14. 17
L. Et habet ſummam. 15. *ibid.*
§ 1. Hoſpites & qui. 4
§ 2. Precario habere etiam. 3
§ 3. Quum quis de re. 18
§ 4. Eum qui precario. 11
¶ An is quoque poſſideat. *ibid.*
§ 5. Quo quis loco. 20
L. Si adoptavero eum. 16. 10
L. Qui precario fundum. 17.... *N.* 8. *Tit.* UTI POSSID.]
L. Unuſquiſque. 18. 5
L. Duo in ſolidum. 19.. *N.* 13. *Tit.* DE ADQ. POSSESS.]
§ 1. Qui ſervum meum. 8
§ 2. Quum quid precario. 18
L. Ea quæ diſtracta ſunt 20. 14
L. Quum precario quis. 21. 12
L. fin. Si quis pro poſſeſſore. 22. 7
§ 1. Si pupillus ſine. 23

TITULUS XXVII.

DE ARBORIBUS CÆDENDIS.

L. Ait Prætor: Quæ arbor. 1. *h. t. N.* 1
§ 1. Hoc Interdictum. *ibid.*
§ 2. Si arbor ædibus. 2
§ 3. Arboris appellatione. 1

Source : BIU Cujas

Series Tit. XXVII. DE ARBOR CÆD.
L. 1. § 4. Non solùm aut... *h. t. N.* 1
§ 5. Prætereà probandum. *ibid.*
§ 6. Ait Prætor: Si per. 2
§ 7. Deinde ait Prætor: Quæ. 3
§ 8. Quod ait Prætor, & Lex. *ibid.*
§ 9. Differentia duorum. *ibid.*
L. fin. Si arbor ex vicini. 2. *ibid.*

TITULUS XXVIII.

DE GLANDE LEGENDA.

L. un. Ait Prætor: Glandem. *h. t. N.* 1
§ 1. Glandis nomine. *ibid.*

TITULUS XXIX.

DE HOMINE LIBERO EXHIBENDO.

Lex Ait Prætor, Quem. 1... *h. t. N.* 1
§ 1. Hoc Interdictum propon. *ibid.*
L. Nihil enim multum. 2. *ibid.*
L. Quod & lex. 3. *ibid.*
§ 1. Hæc verba, Quem. 5
§ 2. Is tamen qui in. 2
§ 3. Si quis eum quem. *ibid.*
§ 4. Si eum quis retineat. 3
§ 5. Si quis volentem. *ibid.*
§ 6. Is qui neſcit. 4
§ 7. Planè ſi dubitat. *ibid.*
§ 8. Ait Prætor, Exhibeas. 10
§ 9. Hoc Interdictum omnibus. 7
Ser. Tit. XXIX. DE HOM. LIB. EXHIB.
L. 3. § 10. Planè ex causâ... *h.t. N.* 7
§ 11. Sed & ſi mulier. *ibid.*
§ 12. Si tamen plures ſunt. 8
§ 13. Si tamen poſteaquàm. 11
§ 14. Hoc Interdictum & in. 9
§ 15. Hoc Interdict. perpet. 11
L. fin. Si quis liberum. 4. 5
§ 1. Trebatius quoque ait. 4
§ 2. Nullo tempore. 10
§ 3. Creditori non competit. 6

TITULUS XXX.

DE LIBERIS EXHIBENDIS ITEM DUCENDIS.

Lex Ait Prætor: Qui. 1... *h. t. N.* 1
§ 1. Hoc Interdict. proponitur. 2
§ 2. In hoc Interdicto Prætor. *ibid.*
§ 3. Si verò mater ſit. 3
§ 4. Pari modo ſi judicatum. *ibid.*
§ 5. Si quis filiam ſuam. *ibid.*
L. Imò magis de. 2. 8
L. Deindè ait Prætor; Si. 3. 4
§ 1. Superiora Interdicta. *ibid*
§ 2. Ex hiſdem cauſis. *ibid.*
§ 3. Hoc autem Interdictum. 5
§ 4. Julianus ait: Quoties. 7
§ 5. Etiam ſi maximè. 3
§ 6. In hoc Interdicto. 6
L. Si eum qui ſe. 4. 5
L. fin. Si filius ſuâ. 5. 2

TITULUS XXXI.

DE UTRUBI.

L. un. Prætor ait: Utrubi... *h. t. N.* 1
§ 1. Hoc Interdictum de. *ibid.*

TITULUS XXXII.

DE MIGRANDO.

L. Prætor ait: Si is. 1... *h. t. N.* 1
§ 1. Hoc Interdictum propon. *ibid.*
¶ nam colono. 2
§ 2. Cui rei etiam. 1
§ 3. Si tamen gratuitam. 2
§ 4. Si penſio nondum. 4
§ 5. Illud notandum eſt. 3
§ 6. Hoc Interdict. perpetuum. 4
L. fin. Hoc Interdict. inquilino. 2. 3

TITULUS XXXIII.

DE SALVIANO INTERDICTO.

L. Si colonus ancillam. 1.. *h. t. N.* 2
§ 1. Si colonus res. *ibid.*
§ 2. Idem ſervari conveniet. *ibid.*
L. fin. In Salviano Interdicto. 2. *ibid.*

LIBER QUADRAGESIMUS-QUARTUS.

TITULUS I.

DE EXCEPTIONIBUS, PRÆSCRIPTIONIBUS, ET PRÆJUDICIIS.

LEX Agere. 1... *h. tit. Num.* 1
L. Exceptio dicta. 2. 2
§ 1. Replicationes nihil. *ibid.*
§ 2. Illud tenendum eſt. 12
§ 3. Sed & contra replicat. 4
§ 4. Sanè ſolemus dicere. 5
L. Exceptiones aut. 3. *ibid.*
L. In pupillo cui. 4.. *N.* 6. *Tit.* DE DOL. ET MET. EXCEPT.]
L. Is qui dicit. 5. 9
L. Si rem legatam. 6... *N.* 25. *Tit.* DE DOL. ET MET. EXCEPT.]
L. Exceptiones quæ. 7. 6
§ 1. Rei autem cohærentes. 7
L. Nemo prohibetur. 8. 9
L. Non utique. 9. 11
L. Modeſtinus reſp. 10.. *N.* 27. *Tit.* DE EXCEPT. REI JUDIC.]
L. Qui adgnitis inſtrumentis. 11. *N.* 31. *Tit.* DE RE JUDIC.]
L. Generaliter in præjudiciis. 12. *N.* 3. *Tit.* SI INGENUUS.]
L. Si poſt litem. 13. 19
L. Filiusfamil. peculiarem. 14... *N.* 81. *Tit.* DE ÆDIL. ED.]
L. Adversùs exceptionem. 15.... *N.* 47. *Tit.* DE JUREJUR.]
L. Fundum Titianum. 16. 14
L. Sed ſi ante viam. 17.. *N.* 9. *Tit.* DE EXCEPT. REI JUD.]
Series Tit. I. DE EXC PRÆSC. ET PRÆJ.
L. Fundi quem tu. 18.. *h. tit. Num.* 14
L. Omnes exceptiones. 19. 7
L. Exceptiones opponuntur. 20. 8
L. Rei majoris pecuniæ. 21. 13
L. Exceptio eſt conditio. 22. 5
§ 1. Replicatio eſt contraria. 3
L. Paulus: Si quis ſtatuam 23... *N.* 5. *Tit.* DE POLLICITAT.]
L. fin. Filiusfam. exceptionem. 24. *N.* 43. *Tit.* DE JUREJUR.]

TITULUS II.

DE EXCEPTIONE REI JUDICATÆ.

Lex Cùm res. 1.... *h. tit. Num.* 19
L. Qui cum herede. 2. 17
L. Julianus lib. 3°. Digeſt. 3. 28
L. Rei judicatæ. 4. 20
L. De eâdem re. 5. 28
L. Singulis controverſiis. 6. 1
L. Si quis quum totum. 7. 5
¶ idem erit probandum. 7
¶ item ſi quis fundum. 5
§ 1. Si ancillam prægnantem. 8
§ 2. Sed in cæmentis. 5
§ 3. De fructibus eadem. 8
§ 4. Et generaliter. 28
§ 5. Idem erit probandum. *ibid.*
L. Item parte. 8. *ibid.*
L. Si à te hereditatem. 9. 16
§ 1. Si quis fundum. 30
§ 2. Julianus ſcrib. Exception. 25
L. Item ſi victus. 10. *ibid.*
L. Si mater filii. 11. 12
¶ ego exceptionem. *ibid.*
Series Tit. II. DE EXCEPT. REI JUD.
L. 11. § 1. Denique & Celſ. ſcrib.. *N.* 13
§ 2. Si quis autem petat. *ibid.*
§ 3. Item Julianus ſcribit. 23
§ 4. Eamdem cauſam facit. 14
§ 5. Itaque adquiſitum. *ibid.*
§ 6. Si quis iter petierit. 9
§ 7. Hoc jure utimur. 20
§ 8. Si quis hominem. 22
§ 9. Si egero cum vicino. 23
¶ ſed de eo opere. *ibid.*
§ 10. Item ſi rem quam. 24
L. Quum quæritur. 12. 2
L. Quantitas. 13. *ibid.*
L. Et an eadem cauſa. 14. *ibid.*
¶ idem corpus. 4
§ 1. Qui quum partem. 14
§ 2. Actiones in perſonam. 12
§ 3. Si quis Interdicto. 10
L. Si inter me. 15. 18
L. Evidenter enim. 16. *ibid.*
L. Si rem meam. 17. 16
L. Si quis ad exhibendum. 18. *ibid.*
L. Duobus diverſis. 19. 18
L. Si ex teſtamento. 20. 10
L. Si cùm argentum. 21. *ibid.*
§ 1. Si petiero gregem. 4
¶ ſed & ſi ſpeciale. 5
§ 2. Si Stichum &c. 7
§ 3. Si fundum meum. 6
§ 4. Si pro ſervo meo. 22
L. Si cum uno herede. 22. 19
¶ etſi actum ſit cum. 10
L. Si in judicio. 23. *ibid.*
L. Si quis rem. 24. 1
L. Si is qui heres. 25. 14
§ 1. Eſt in poteſtate. 28

Source : BIU Cujas

Series Tit. II. DE EXCEPT. REI JUD.

L. 25. § 2. Si te negotiis. *h. t. Num.* 20
L. Egi tecum. 26. 9
§ 1. Item si fundo petito. 5
L. Quum de hoc. 27. 2
L. Exceptio rei judicatæ. 28. 23
L. Judicatæ quidem rei. 29. 19
§ 1. Si debitor de. 24
L. Ex sextante. 30. 12
§ 1. Latinus-Largus. 18
L. fin. Paulus resp. Ei. 31. 11

TITULUS III.

DE DIVERSIS TEMPORALIBUS PRÆSCRIPTIONIBUS, ET DE ACCESSIONIBUS POSSESSIONUM.

Lex Quia tractatus. 1. . . . *h. t. Num.* 2
L. In tempore constituto. 2. 3
L. Longæ possessionis. 3. . . *N.* 8. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
L. Si servus hereditarius. 4. 1
L. An vitium auctoris. 5. . . *N.* 48. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
§ 1. Ex facto propositum. . . . *N.* 40. *d. tit.*]
L. Si duobus eamdem. 6. . . *N.* 50. *d. tit.*]
§ 1. Vendidi tibi servum. . . . *N.* 42. *d. tit.*]
L. Si quisquam in fluminis. 7. . . *N.* 9. *d. tit.*]
L. In accessione temporis. 8. . . . *N.* 44. *Tit.* DE ADQ. POSS.]
L. Rescriptis quibusdam. 9. . *N.* 8. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
L. Intra quatuor annos. 10. } *N.* 9. *Tit.* DE JUR. FISC.]
§ 1. Quadriennii tempus. }
L. Cùm heres in jus. 11. . . *N.* 39. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
L. Creditor qui præscriptione. 12. *N.* 92. *d. tit.*]
L. In omnibus fisci. 13. . . *N.* 10. *Tit.* DE JUR. FISC.]
§ 1. Reipublicæ rationes. *N.* 16. *Tit.* DE ADMIN. RER. AD CIVIT.]
L. De accessionib. possessionum. 14. } *N.* 37. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
§ 1. Planè tribuuntur his. }
§ 2. Itaque si mihi vendideris. *N.* 42. *d. tit.*]
§ 3. Et si mihi pignori. . *N.* 50. *d. tit.*]
§ 4. Item si absente te. . *N.* 44. *d. tit.*]
§ 5. Item si mihi pignori. . . . *N.* 50. *d. tit.*]
L. In usucapione. 15. . *N.* 34. *d. tit.*]
§ 1. Accessio possession. } *N.* 50.
§ 2. Item adjiciend. est. } *d. tit.*]
§ 3. Sed & si à filio. } *N.* 44.
§ 4. Item danda est. } *d. tit.*]

Series Tit. III. DE DIV. TEMP. PRÆSCR.

L. 15. § 5. Hæ autem accessiones. *N.* 49. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
§ 6. Ei cui heres rem. . . *N.* 50. *d. tit.*]
L. fin. Accessio sine nostro. 16. . . *N.* 46. *d. tit.*]

TITULUS IV.

DE DOLI MALI ET METUS EXCEPTIONE.

Lex Quo lucidiùs. 1. . . *h. tit. Num.* 1
§ 1. Ideò autem hanc. 2
§ 2. Sed an dolo. 4
§ 3. Et quidem dolo. *ibid.*
L. Palàm est autem. 2. 2
§ 1. Sequitur ut videamus. *ibid.*
¶ & quidem illud adnotand. 27
§ 2. Planè ex personâ. 28
§ 3. Circa primam speciem. 3
¶ si quis sine causâ. 11
§ 4. Item quæritur, si quis. 12
§ 5. Et generaliter sciendum. 16
§ 6. Non malè dictum est. 12
§ 7. Item quæritur, si statulib. 7
L. Item si ob id. 3. *ibid.*
L. Apud Celsum quæritur. 4. 4
§ 1. Julianus scripsit, si quis. 11
§ 2. Si in arbitrum compromis. 13
§ 3. Item quæritur, si cum eo. *N.* 64. *Tit.* DE VERB. OBLIG.]
§ 4. Si quis pupillo. 6
¶ idemq. & in cæteris erit. *ibid.*
§ 5. Item Labeo scribit, Si quis. *N.* 58. *Tit.* DE EVICTION.]
§ 6. Quòd si is cui pecunia. . . *N.* 62. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
§ 7. Labeo ait, si de homine. 13
§ 8. Item quæritur si uniones. 8
§ 9. Si minor mihi infantem. 7
§ 10. Prætereà sciendum est. 14
§ 11. Si quis ex unciâ. *ibid.*
§ 12. Quæsitum est si, quum. 12
§ 13. Marcellus ait, adversùs. 31
§ 14. Contra Senatusconsulti. 7
§ 15. Labeo, etsi ex stipulatu. 3
§ 16. Adversùs parentes. 18
§ 17. In hâc exceptione. 20
§ 18. Quæsitum est an de. 21
§ 19. Mandavi Titio. 23
§ 20. Item quæritur, si debitor. *N.* 31. *Tit.* DE NOVATION.]
§ 21. Sed & si mulier post. } *N.* 32. *d. tit.*]
§ 22. Apud Julian. quæsitum est. }
§ 23. Illa etiam quæstio. 22
§ 24. Si quis non tutor. *ibid.*
§ 25. Quæ in tutore. *ibid.*
§ 26. De dolo autem ipsius. 17
§ 27. De auctoris dolo. 24
§ 28. Si quum legitima. *ibid.*
§ 29. Si quis autem ex causâ. 25
§ 30. Idem tractat Pomponius. 26
§ 31. Auctoris autem dolus. 25
¶ cæterùm si noxæ deditus. *ibid.*
§ 32. Si à Titio fundum. *N.* 7. *Tit.* DE EXCEPT. REI VEND.]

Seri. Tit. IV. DE DOL. MAL. ET MET. EXC.

L. 4. § 33. Metûs causâ exc. *h. t. Num.* 33
§ 34. Illud sciendum est, hanc. 34
L. Purè mihi debes. 5. 9
§ 1. Si cui legata sit. 8
§ 2. Si donavi alicui. 7
§ 3. Actoris qui exigendis. 21
§ 4. Si servus væniit. } *N.* 89. *Tit.* DE ACT. EMPT.]
¶ etiam mercis non. }
§ 5. Si eum qui volebat. . . . *N.* 34. *Tit.* DE NOVAT.]
¶ nunquid ergo nec de dolo. 34
§ 6. Non sicut de dolo. 29
L. Si operâ creditoris. 6. 15
¶ idem est, & si creditori. 6
L. Julian. ait, si pecuniam. 7. . . . *N.* 35. *Tit.* DE NOVAT.]
§ 1. Idem Julianus ait, si ei. 11
L. Dolo facit qui. 8. 9
§ 1. Sic si heres. *ibid.*
L. Si procurator. 9. } *N.* 36. *Tit.* DE RE JUDIC.]
¶ nec hoc quod acceperit. }
L. Quum vir aut uxor. 10. 7
L. Procurator agit. 11. 21
§ 1. In universum autem. 19
L. Qui æquitate defensionis. 12. 16
L. Liberis exheredatis. 13. 14
L. Paulus resp. Eum qui. 14. . . . *N.* 22. *Tit.* DE NEGOT. GEST.]
L. Fidejussor evictionis. 15. . . . *N.* 52. *Tit.* DE EVICTION.]
L. Si debitor à furioso. 16. 6
L. fin. Pater pro filiâ. 17. 11
§ 1. Avus nepotibus. . . *N.* 34. *Tit.* DE LEGATIS.]
§ 2. Ex quadrante heres. *N.* 89. *Tit.* DE ACT. EMPT.]
§ 3. Marito & filio. 14

TITULUS V.

QUARUM RERUM ACTIO NON DATUR.

Lex Jusjurandum vicem. 1. . . . *N.* 47. *Tit.* DE JUREJUR.]
§ 1. Si pupillus sine. *N.* 3. *d. tit.*]
§ 2. Si petitor fundi. . . *N.* 44. *d. tit.*]
§ 3. Si fidejussor juravit. . . . *N.* 42. *d. tit.*]
§ 4. Si manumisero. . *h. t. Num.* 3
§ 5. Quæ onerandæ libertatis. 1
¶ onerandæ autem. 2
§ 6. In summâ, si in. 4
§ 7. Si libertatis causâ. 7
§ 8. Exceptionem onerandæ. 5
§ 9. Sive autem ipsi. 4
§ 10. Quòd si patronus libertum. 6
§ 11 Item si libertus. *ibid.*
§ 12. Hæc exceptio non. 5
L. fin. Si filiofamilias delatum. 2. . *N.* 43. *Tit.* DE JUREJUR.]
§ 1. Si in aleâ rem. 1
§ 2. Si servus promittat. 3

Source : BIU Cujas

TITULUS VI.

De Litigiosis.

Lex Litigioſam rem. . . . *h. tit. Num.* 1
§ 1. Si inter primum. 3
L. Si ſervum quum emerit. 2. 4
L. fin. Rem de quâ controverſia. 3. 5

TITULUS VII.

De Obligationibus et actionibus.

Lex Obligationes aut ex. 1. *h. t. Num.* 6
§ 1. Obligationes ex contractu. 7
§ 2. Re contrahitur. 8
§ 3. Is quoque cui rem. *ibid.*
§ 4. Et ille quidem. . . . *N.* 12. *Tit.* DE COMMODATI.]
§ 5. Is quoque apud quem. 8
§ 6. Creditor quoque qui. *ibid.*
§ 7. Verbis obligatio. 9
§ 8. Sed aut proprio. 4
§ 9. Si id quod dari ſtipulemur. *N.* 32. *Tit.* DE VERB. OBLIG.]
§ 10. Nec minùs inutilis. . . . . *N.* 36. *d. tit.*]
§ 11. Item ſub impoſſibili. . . . *N.* 98. *d. tit.*]
§ 12. Furioſ. ſive ſtipul. } *N.* 16. *d. tit.*]
§ 13. Huic proximus eſt. }
§ 14. Mutum nihil. }
§ 15. Sed & de ſurdo. }
L. Conſenſu fiunt. 2. 10
§ 1. Ideò autem iſtis modis. *ibid.*
§ 2. Undè inter abſentes. *ibid.*
§ 3. Item in his contractibus. *ibid.*
L. Obligationum ſubſtantia. 3. 1
§ 1. Non ſatis autem eſt. 12
§ 2. Verborum quoq. oblig. *ibid.*
L. Ex maleficio naſcuntur. 4. 13
L. Si quis abſentis. 5. 14
§ 1. Tutelæ quoque judicio. *ibid.*
§ 2. Heres quoq. qui legatum. *ibid.*
§ 3. Is quoq. qui non debitum. *ibid.*
§ 4. Si judex litem. 15
§ 5. Is quoq ex cujus cœnacul. *ibid.*
¶ cui ſimilis eſt is. *ibid.*
§ 6. Item exercitor navis. *ibid.*
L. In omnibus temporalibus. 6. 48
L. Actiones adversùs patrem. 7. . . *N.* 50. *Tit.* DE FIDEJUSS.]
L. Sub hâc conditione. 8. . *N.* 99. *Tit.* DE VERB. OBLIG.]
L. Filiusfamil. ſuo. 9. . *N.* 17. *Tit.* DE JUDICIIS.]
L. Naturales obligationes. 10. 3

Series Tituli VII. DE OBLIG. ET ACT.

L. Quæcumque gerimus. 11. . . . . *N.* 18. *Tit.* DE PACTIS.]
L. Ex depoſiti &. 12. *h. tit. Num.* 49.
L. In factum actiones. 13. . . *N.* 19. *Tit.* DE JUDICIIS.]
L. Servi ex delictis. 14. 22
L. Qui cum herede. 15. . . *N.* 17. *Tit.* DE EXCEPT. REI JUDIC.]
L. Qui à ſervo. 16. . . *N.* 8. *Tit.* DE PRECAR.]
L. Omnes debitores. 17. . . *N.* 104. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Si is qui Stichum. 18. . *N.* 126. *d. tit.*]
L. Ex promiſſione dotis. 19. . . . *N.* 104. *d. tit.*]
L. Servus non in omnib. 20. 22
L. Contraxiſſe unuſquiſq. 21. . . . *N.* 36. *Tit.* DE JUDICIIS.]
L. Quum quis in diem. 22. . *N. fin. Tit.* DE CONDICT. TRITIC.]
L. Trajectitiæ pecun. 23. . *N.* 57. *Tit.* DE VERB. OBLIG.]
L. Si à furioſo. 24. 23
§ 1. Item ſi is qui ſervo. *ibid.*
§ 2. Item ſi alienam. *ibid.*
§ 3. Et qui negotia. *ibid.*
L. Actionum genera. 25. 44
§ 1. Actionum autem quædam. 45
§ 2. Omnes autem actiones. 47
L. Omnes pœnales. 26. 53
L. Obligationes quæ non. 27. . . . *N.* 53. *Tit.* DE PACTIS.]
L. Actio in perſonam. 28. 43
L. Lucio-Titio quum. 29. . . *N.* 83. *Tit.* DE PACTIS.]
L. Servus effectus. 30. . *N.* 4. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Non ſolùm ſtipulationes. 31. . . *N.* 98. *Tit.* DE VERB. OBLIG.]
L. Quum ex uno delicto. 32. 66
L. Conſtitutionibus quibus. 33. 53
L. Qui ſervum alienum. 34. 67
§ 1. Si is cui rem. 61
§ 2. Hinc de colono. 63
¶ & hoc in Legis Aquiliæ. 64
L. In honorariis actionibus. 35. 48
¶ honorariæ autem quæ poſt. 52
¶ illæ autem rei perſecutionem. 48
§ 1. In Duumviros. *N.* 10. *Tit.* DE ADM. RER. AD CIVIT.]
L. Ceſſat ignominia. 36. . . *N.* 14. *Tit.* DE HIS QUI NOT. INFAM.]
L. Actionis verbo. 37. 43
§ 1. Mixtæ ſunt actiones. 44
L. Non figurâ litterar. 38. 11

Series Tit. VII. DE OBLIG. ET ACT.

L. Filiusf. ex omnib. 39. *h. tit. Num.* 20
L. Hereditariarum actionum. 40. . *N.* 11. *Tit.* DE SEPARAT.]
L. Quoties lex obligationem. 41. 60
§ 1. Si eodem facto. 66
L. Is cui ſub conditione. 42. . *N.* 3. *Tit.* QUIB. EX CAUS. IN POSS.]
§ 1. Creditores eos accipere. *N.* 2. *d. tit.*]
L. Obligari poteſt. 43. 17
¶ ſervus autem ex contractib. 21
L. Obligationum ferè. 44. 31
§ 1. Circa diem duplex. 32
¶ ad diem autem. 33
§ 2. Conditio verò efficax. 38
§ 3. Modus obligationis. 40
§ 4. Acceſſio verò in obligat. 41
§ 5. Si ita ſtipulatus ſim. *ibid.*
§ 6. Sed ſi navem fieri. *N.* 21. *Tit.* DE NOVATION.]
L. Is qui ex ſtipulatu. 45. *N.* 108. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Furioſus & pupillus. 46. 17
L. Arianus ait. 47. . . *N.* 16 *Tit.* DE LEGIB.]
L. In quibuſcumq. negotiis. 48. 19
L. Ex contractib. venientes. 49. 50
L. Quod quis aliquo. 50. 32
L. Nihil aliud eſt. 51. 43
L. Obligamur aut re. 52. 5
§ 1. Re obligamur. *ibid.*
§ 2. Verbis quum præcedit. *ibid.*
§ 3. Re & verbis. *ibid.*
§ 4. Conſentientes in aliquam. *ibid.*
§ 5. Lege obligamur. *ibid.*
§ 6. Jure honorario. *ibid.*
§ 7. Neceſſitate obligantur. *ibid.*
§ 8. Ex peccato. *ibid.*
§ 9. Etiam nudus conſenſus. 10
§ 10. Sed & nutu ſolo. *ibid.*
L. Plura delicta. 53. 62
§ 1. Quum generaliter. *N.* 75. *Tit.* DE PACTIS.]
L. Contractus imaginarii. 54. 12
L. In omnibus rebus. 55. . . *N.* 55. *Tit.* DE ADQ. RER. DOM.]
L. Quæcumque actiones. 56. 56
¶ ſed & Condictio ex furtivâ. *ibid.*
L. In omnibus negotiis. 57. . . . *N.* 9. *Tit.* DE PACTIS.]
L. Sciendum eſt ex omnib. 58. 53
L. Pupillus mutuam. 59. 17
L. Nunquam actiones. 60. 68
L. fin. Procurator Seii. 61. . . *N.* 5. *Tit.* DE PROCURAT.]
§ 1. Seia cùm ſalarium. 8

LIBER QUADRAGESIMUS-QUINTUS.

TITULUS I.

De Verborum obligationibus.

LEX Stipulatio non pot. 1. *h. t. N.* 6
¶ ſi quis igitur ex his. *ibid.*
§ 1. Qui præſens interrogavit. *ibid.*
§ 2. Si quis ita interroget. *ibid.*

Series Tituli I. DE VERB. OBLIG.

L. 1. § 3. Si quis ſimpliciter. *h. t. Num.* 8
§ 4. Si ſtipulanti mihi. *ibid.*
§ 5. Sed ſi mihi Pamphilum. 12
§ 6. Eâdem an aliâ linguâ. 9
L. Stipulationum quædam. 2. 68
§ 1. Et harum omnium. *ibid.*

Series Tituli I. DE VERB. OBLIG.

L. 2. § 2. Ex igitur ſtipul. *h. t. N.* 73
¶ & ideò ſi diviſionem. 72
§ 3. Si tamen hominem. 74
§ 4. Idemque eſt in ipſo. *ibid.*
§ 5. Item ſi in facto ſit. 137
§ 6. Contrà aut. ſi ſtipulator. *ibid.*

Source : BIU Cujas

Series Tit. I. DE VERB. OBLIGAT.

L. Idem Juris eſt. 3.... *h. t. N.* 137
§ 1. Sed hæc differentia. *ibid.*
L. Eadem dicemus. 4. *ibid.*
§ 1. Cato lib. 15. ſcribit. 63
§ 2. Si is qui duplam. 75
L. Stipulationum aliæ. 5. 48
§ 1. Stipulatio autem eſt. 1
§ 2. Satis acceptio eſt. 50
§ 3. Satis autem accipere. *ibid.*
§ 4. Si ſortem promiſeris. 62
L. Is cui bonis. 6. 17
L. Impoſſibilis conditio. 7. 98
L. In illâ ſtipulatione. 8. 111
¶ ſed cum eo qui ita promiſit. 112
L. Si Titius & Seius. 9. 106
L. Hoc Jure utimur. 10. 105
L. Filius dum in civitate. 11. *N.* 21. *Tit.* DE CAPT. ET POSTLIM.]
L. Si ita ſtipulatus fuero. 12. 83
L. Qui ante Kalendas. 13. 131
L. Si ita ſtipulatus eſſem. 14. 90
L. Et ideò hæſitatur. 15. 88
L. Si Stichum &. 16.... *N.* 117. *Tit.* DE SOLUTION.]
§ 1. Stipulatio hujuſmodi. 14
L. Stipulatio non valet. 17. 99
L. Qui bis idem. 18. 38
L. Si ſtipulatio facta. 19. 46
L. Hujuſmodi ſtipulationes. 20. 33
L. Si divortio facto. 21. 3
L. Si id quod aurum. 22. *ibid.*
¶ ſed ex Doli mali. *ibid.*
L. Si ex legati causâ. 23... *N.* 106. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Sed ſi ex ſtipulatu. 24.. *N.* 61. *Tit.* DE USURIS.]
L. Si dari ſtipuler. 25. 38
L. Generaliter novimus. 26. 47
L. Veluti ſi quis. 27. *ibid.*
§ 1. Si ſtipulatus hoc. 105
L. Si rem tradi. 28. 118
L. Scire debemus. 29. 12
¶ ſecundùm quod. *ibid.*
¶ quamvis autem placuerit. 13
§ 1. Si à fure hominem. 37
¶ quòd ſi poſteà ſine. *ibid.*
L. Sciendum eſt generaliter. 30. 15
L. Si rem meam. 31. 36
L. Si in nomine ſervi. 32. 3
L. Si Stichus certo. 33... *N.* 106. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Multum intereſt. 34. 35
L. Si ſtipulor ut. 35. 39
§ 1. Item quod leges. 40
§ 2. Si in locando. 4
L. Si quis quum aliter. 36... *N.* 13. *Tit.* DE PACTIS.]
L. Si certos nummos. 37... *N.* 106. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Stipulatio iſta. 38. 27
§ 1. Sed ſi quis promittat. *ibid.*
§ 2. At ſi quis velit. *ibid.*
¶ ſed quatenùs habere. *ibid.*
§ 3. Si quis fortè non. 113
§ 4. Quæſitum eſt utrùm. 27
§ 5. Sicut autem ex parte. 42
§ 6. Hi qui ſunt in.... *N.* 10. *Tit.* DE STIPUL. SERV.]

Series Tit. I. DE VERB. OBLIGAT.

L. 38. § 7. Hæc quoque ſtipulatio. } *N.* 9. *Tit.* DE STIPUL.
§ 8. Planè ſi tenere. } SERV.]
§ 9. Habere dupliciter..... *N.* 10. *d. tit.*]
§ 10. Si quis ita ſtip. Utifrui. *N.* 138
§ 11. Sed etſi non addiderit. *ibid.*
§ 12. Sed ſi quis utifrui. *ibid.*
§ 13. Si quis dolum malum. 27
§ 14. Suæ perſonæ adjungere. 20
§ 15. Sed & adoptivi. *ibid.*
§ 16. Inter incertam certamq. 108
§ 17. Alteri ſtipulari. 24
¶ planè ſi velim. *ibid.*
§ 18. In ſtipulationibus..... *N.* 70. *Tit.* DE PACTIS.]
§ 19. Eum qui dicat. 25
§ 20. Si ſtipuler alii. 23
§ 21. Si quis inſulam. *ibid.*
§ 22. Si quis ergo ſtipulatus. *ibid.*
§ 23. Unde & ſi procuratori. *ibid.*
§ 24. Si quis ita.. Illum. 28
§ 25. Ædem ſacram. 42
L. Dominus ſervo. 39. 21
L. Si filius meus. 40. *ibid.*
L. Eum qui Kalendis. 41. 131
§ 1. Quoties autem in oblig. 85
¶ verùm dies adjectus. 89
§ 2. Idem in Idibus. 131
L. Qui hoc anno. 42. 132
L. Si quis arbitratu. 43. 100
L. Et ideò ſi omninò. 44. *ibid.*
L. Quodcumq. ſtipulatur. 45.... *N.* 4. *Tit.* DE STIPUL. SERV.]
§ 1. Sicuti quum morietur. 102
§ 2. Si quis ita ſtip. Poſt. 22
§ 3. Non ſolùm ita ſtipulari. 102
§ 4. Filius patri dari... *N.* 6. *Tit.* DE STIPUL. SERV.]
L. Centeſimis Kalendis. 46. 89
§ 1. Id autem quod in. 102
§ 2. Si ita ſtipul... Quum. 99
§ 3. Illam autem ſtipulation. *ibid.*
L. Qui ſic ſtipulatur. 47. 84
L. Si decem, Quum petiero. 48. 94
L. Quum filiusfam. 49... *N.* 113. *Tit.* DE SOLUTION.]
¶ at ſi pater in morâ.... *ibid.*]
§ 1. Si ſtipulatus ſim, Per. 140
§ 2. In hâc ſtipulatione, Neq. 139
§ 3. Si promiſſor hominis.... *N.* 60. *Tit.* DE USURIS.]
L. In illâ ſtip. Per te. 50. 119
§ 1. Item ſtipulatione emptæ. *N.* 13. *Tit.* DE HERED. VEND.]
L. Is qui alienum. 51.... *N.* 106. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. In conventionalibus. 52. 49
§ 1. Si quis vacuam... *N.* 59. *Tit.* DE EVICTION.]
L. Stipulationes commodiſſ. 53. 126
L. In ſtipulationibus. 54. 70
§ 1. Operarum ſtipulatio. 71
L. Quum quis ſibi. 55... *N.* 48. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Eum qui ita ſtipulatur. 56. 25

Series Tit. I. DE VERB. OBLIGAT.

L. 56. § 1. Te & Titium.. *h. t. N.* 30
§ 2. Qui ſibi aut filio. } *N.* 41. *Tit.* DE
§ 3. Quòd ſi ſoli filio. } SOLUTION.]
§ 4. Qui ita ſtipul. Decem. 93
§ 5. Qui ita ſtipulatur, Ante. 131
§ 6. Qui proprietatem. 37
§ 7. Si à te ſtipulatus fuero... *N.* 19. *Tit.* DE NOVATION.]
§ 8. Si hominem quem..... *N.* 7. *d. tit.*]
L. Si quis, ſi Titius. 57. 104
L. Qui uſumfructum. 58. 38
L. Quoties in diem. 59. 109
L. Idem erit & ſi. 60. *ibid.*
L. Stipulatio hoc modo. 61. 45
L. Servus vetante. 62... *N.* 4. *Tit.* DE STIPUL. SERV.]
L. Si quis ita ſtipuletur. 63. 110
L. Hujuſmodi ſtipulatio. 64. 103
L. Quæ extrinſecùs. 65. 11
§ 1. Sed & ſi in rei. 9
L. Si minor viginti. 66. 40
L. Illa ſtipulatio, decem. 67. 29
§ 1. Eum qui decem. 117
L. Si pœnam ſtipulatus. 68. 78
L. Si homo mortuus. 69. 61
L. Mulier quæ dotem. 70. 16
L. Quum quid ut fiat. 71. 52
L. Stipulat. non dividuntur. 72. 69
§ 1. Si quis ita... Si ante. 111
§ 2. Planè ſi inſulam. 90
L. Interdum. 73. 85
§ 1. Si ſervus hereditarius. 19
§ 2. Stichi promiſſor... *N.* 111. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Stipulationum quædam. 74. 76
§ 1. Certum eſt quod. 77
L. Ubi autem non apparet. 75. 78
§ 1. Ergo ſi qui fundum. 79
§ 2. Uſque adeò ut. *ibid.*
§ 3. Fundi certi ſi quis. 80
§ 4. Illud dubitation. recipit. *ibid.*
§ 5. Sed qui vinum. 77
§ 6. Qui verò à Titio. *ibid.*
§ 7. Qui id quod in faciendo. 78
§ 8. Qui Illud aut Illud. 79
§ 9. Qui ſortem ſtipulatur. 80
§ 10. Hæc ſtipulatio, Fundum. 116
L. Si ſtipulatus... Illud. 76. *N.* 8. *Tit.* DE STIPUL. SERV.]
§ 1. Quum ſtipulam. quidquid. 123
L. Ad diem ſub pœnâ. 77. 59
L. Si filiusfam. ſub. 78... *N.* 11. *Tit.* DE STIPUL. SERV.]
§ 1. Quum fundum.... *N.* 14. *Tit.* DE USURIS.]
L. Si procuratori præſentis. 79... *N.* 29. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
L. Quotiens in ſtipulationibus. 80. *N.* 67. *Tit.* DE PACTIS.]
L. Quoties quis alium. 81. 28
§ 1. Si procurator Siſti.. *N.* 14. *Tit.* SI QUIS CAUTION. IN JUD.]
L. Nemo rem ſuam utiliter. 82. 36
§ 1. Si poſt moram... *N.* 110. *Tit.* DE SOLUTION.]

Source : BIU Cujas

Series Tit. I. DE VERB. OBLIGAT.

Lex Inter ſtipulantem. 83.. *h. t. N.* 26
¶ & qui ſpondet, Dolum. *ibid.*
§ 1. Si Stichum ſtipulatus. 2
¶ quod & in judiciis. *ibid.*
§ 2. Si ſtipulante me. 8
§ 3. Diverſa cauſa eſt. *ibid.*
§ 4. Item ſi ego plures. 12
§ 5. Sacram vel religioſam. 34
¶ quoniam una atq. eadem. *ibid.*
§ 6. Si rem quam. ¶ ſi verò à me herede. } *N.* 104. *Tit.* DE SOLUTION.]
§ 7. Stichum qui deceſſit. 32
§ 8. Si quis ancillam.. *N.* 5. *Tit.* SI EX NOX. CAUS. AGAT.]
L. Si inſulam fieri. 84. 143
L. In executione obligationis. 85. 69
§ 1. Prima ſpecies pertinet. 70
§ 2. Secunda ad opus. 72
§ 3. Quòd ſi ſtipulatus.. Per te. 63
§ 4. Pro parte autem peti. 73
§ 5. In ſolidum verò. 75
§ 6. Item ſi ita ſtipulatio. 62
§ 7. Quicumq. ſub conditione. 107
L. Quod dicitur tot. 86. 13
L. Nemo rem ſuam futuram. 87. 97
L. Mora rei fidejuſſori. 88. ¶ ſed ſi fidejuſſor hominem. } *N.* 113. *Tit.* DE SOLUT.]
L. Si à colono. 89. 123
L. Quum ſtipulati ſumus. 90.... *N.* 41. *Tit.* DE USURIS.]
L. Si ſervum ſtipulatus. 91.... *N.* 108. *Tit.* DE SOLUTION.]
¶ ſin aut. negligat. § 1. Sed ſi ſit quidem. } *N.* 109. *d. tit.*]
§ 2. De illo quæritur... *N.* 108. *d. tit.*]
§ 3. Sequitur videre de eo.... *N.* 111. *d. tit.*]
§ 4. Nunc videamus in quib... *N.* 112. *d. tit.*]
§ 5. An filiusfam. qui... *N.* 113. *d. tit.*]
§ 6. Effectus hujus Conſtitut... *N.* 116. *d. tit.*]
L. Si ita ſtipuler. 92. 138
L. Si ſic ſtipulatus.., Per te. 93. 82
L. Triticum dare oportere. 94. 31
L. Qui inſulam fieri. 95. 41
L. Qui ſervum mihi. 96.. *N.* 108. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Si ita ſtipulatus... Te ſiſti. 97. 67
§ 1. Poſſum utiliter. 29
¶ ſed ex eâ ſtipulatione. *ibid.*
§ 2. Si tibi nupſero. 46
L. Exiſtimo poſſe. 98. 36
§ 1. Ex hâc ſtipul. Inſulam. 90
L. Quidquid adſtringendæ. 99.... *N.* 73. *Tit.* DE PACTIS.]
§ 1. Si ſtipulatus hoc modo. 105
L. Conditio in præteritum. 100. 92
L. Puberes ſine. 101. 18
L. Venditores emptori. 102.... *N.* 54. *Tit.* DE EVICTION.]
L. Liber homo in ſtip. 103. 34
L. Quum ſervus pecun. 104. 129

Series Tit. I. DE VERB. OBLIGAT.

L. Stipulatus ſum, Damam. 105. *N.* 66. *Tit.* DE USURIS.]
L. Qui ex pluribus. 106... *h. t. N.* 79
L. Utrùm turpem. 107. 47
L. A Titio ita. 108... *N.* 30. *Tit.* DE JUR. DOT.]
§ 1. Nulla promiſſio. 99
L. Si ita ſtipulatus... Decem. 106. 83
L. Si mihi & Titio. 110. 25
§ 1. Si ſtipulatus fuero de te. *N.* 72. *Tit.* DE PACTIS.]
L. Si ſtipulatus... Per te. 111. 114
L. Si quis ſtipulatus ſit. 112. 82
§ 1. Si quis ita... Pro centum. 142
L. Cùm ſtipulatus ſim mihi. 113. 58
§ 1. Quum venderet aliquis. 142
L. Si fundum certo. 114. 81
L. Ita ſtipulatus ſum. 115. 41
§ 1. Sed & ſi ita ſtipulatus. 106
§ 2. Item ſi quis ita ſtipuletur. *ibid.*
L. Decem ſtipulatus. 116. 121
L. Si centum homines. 117. 70
L. Liber homo qui. 118... *N.* 27. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
§ 1. Decem hodie dari. 132
§ 2. Decem mihi aut Titio. 81
L. Doli clauſula. 119. 126
L. Si ita ſtipulat.. Hanc. 120. 92
L. Ex eâ parte. 121. 128
§ 1. Mulier ab eo. 47
§ 2. In inſulam deportato. 133
§ 3. Ex facto rei. 136
L. Qui Romæ mutuam. 122.... *N.* 68. *Tit.* DE SOLUTION.]
§ 1. Callimachus mutuam.... *N.* 55. *d. tit.*]
§ 2. Flavius-Hermes hominem. 60
¶ item quæro, ſi Flavii. *ibid.*
§ 3. Coheredes quum prædia. 61
§ 4. Agerius filiusfamil. 104
§ 5. Seia heres unius... *N.* 38. *Tit.* DE USURIS.]
§ 6. Duo fratres hereditatem. 56
L. Si flagitii faciendi. 123. 44
L. Inſulam intra bienn. 124. 90
L. Quum ſtipulamur. 125. 123
L. Si ita ſtipulat... Si Titius. 126. 103
§ 1. Titius à Mævio. 38
§ 2. Chryſogonus Flavii. 24
§ 3. Si ita ſtip.. Te ſiſti, & niſi. 67
L. Si pupillus ſine. 127... *N.* 60. *Tit.* DE USURIS.]
L. Si duo rei ſtipulandi. 128.... *N.* 42. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Si quis ita ſtip.. Decem. 129. 110
L. Quod dicitur patrem. 130. 22
L. Julianus ſcripſit. 131. 30
§ 1. Qui fundum ſibi. 116
¶ ſed ſi donationis. *ibid.*
L. Quidam quum filium. 132. 130
§ 1. Filiusfamil. ita ſtipulatus. *N.* 20. *Tit.* DE FIDEJ. ET MAND.]
L. Si ſic ſtipulatus ſum. 133. 141
L. Titia quæ ex alio. 134. 46
§ 1. Idem reſpondit plerumq. 12
¶ ſic tamen ut non. *ibid.*
§ 2. Idem reſp. Cùm Septicius. 15

Series Tituli I. DE VERB. OBLIGAT.

L. 134. § 3. Id. reſp. Quot. *h. t. N.* 12
L. Si ita quis promiſerit. 135. 94
§ 1. Item quæſitum eſt. *ibid.*
§ 2. Seia cavit L. Titio. 104
§ 3. Eâ lege donatum. 120
§ 4. Filia quæ de inofficioſo. 127
L. Si ſub unâ ſignificat. 136. 9
§ 1. Si qui viam... *N.* 105. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Continuus actus. 137. 7
§ 1. Si hominem ſtipulatus. 2
§ 2. Quum ita ſtipulatus ſum. 87
§ 3. Item qui inſulam. *ibid.*
§ 4. Illud inſpiciendum eſt. 86
§ 5. Si ab eo ſtipulatus ſim. 39
§ 6. Quum quis ſub hâc. 98
§ 7. Si ut aliquid fiat. 52
§ 8. Prætereà ſciendum eſt. 20
L. Eum qui certarum. 138. 132
§ 1. Quum purè ſtipulatus. 82
L. Quum ex causâ duplæ. 139. 75
L. Pluribus rebus præpoſitis. 140. 12
§ 1. De hâc ſtipulatione. 14
§ 2. Etſi placeat extingui.... *N.* 105. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Si ſervus aut filius. 141. § 1. Extranei quoque perſona. } *N.* 8. *Tit.* DE STIPUL. SERV.]
§ 2. Pupillus licèt ex quo. 17
¶ pubes verò qui. *ibid.*
§ 3. Si ita fuero ſtipulatus, Mihi. 9
§ 4. Si inter eos qui Romæ. 39
§ 5. Quum mihi aut Titio ſtip. *N.* 44. *Tit.* DE SOLUTION.]
§ 6. Tempora verò diverſa.... *N.* 46. *d. tit.*]
§ 7. Sed rursùs, mihi quidem. *N.* 47. *d. tit.*]
§ 8. Ex hoc apparet, ſi. § 9. Ex his omnibus appar. } *ibid.*]

TITULUS II.

DE DUOBUS REIS CONSTITUENDIS.

Lex Qui ſtipulatur. 1.. *h. tit. Num.* 1
L. Quum duo eamdem. 2. 5
L. In duobus reis. 3. 16
§ 1. Ubi duo rei facti. 8
L. Duo rei promittendi. 4. 16
L. Nemo eſt qui neſciat. 5. 2
L. Duos reos promittendi. 6. 14
§ 1. Duobus autem reis. 17
§ 2. Sed ſi à duobus reis. 11
§ 3. Duo rei ſine dubio. 13
L. Ex duobus reis promittendi. 7. 17
L. His verbis, Ea quæ. 8. 14
L. Eamdem rem apud. 9. 4
§ 1. Sed ſi quis in deponendo. 15
§ 2. Quum duos reos promitt. 17
L. Si duo rei promittendi. 10.... *N.* 17. *Tit.* DE COMPENSAT.]
L. Reos promittendi vice. 11. 17
§ 1. Quum tabulis eſſet. 12
§ 2. Et è contrario quum ita. 15
L. Si ex duobus qui. 12. 13
§ 1. Si à Titio & pupillo. 14
L. Si reus promittendi. 13.. *N* 123. *Tit.* DE SOLUTION.]

L. Et

Source : BIU Cujas

Series Tituli II. DE DUOB. REIS CONST.

L. Et ſtipulationum. 14. *h. tit. Num.* 3
L. Si id quod ego. 15. 10
L. Ex duobus reis ſtipulandi. 16. 5
L. Sive à certis. 17. . *N.* 308. *Tit.* DE LEGATIS.]
L. Ex duobus reis ejuſd. 18. . . . *N.* 114. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. fin. Quum duo eamd. pecun. 19. 7

TITULUS III.

DE STIPULATIONE SERVORUM.

Lex Cùm ſervus ſtipuletur. 1. *Num.* 5
§ 1. Si ſervus tuus qui mihi. 28
§ 2. Si ſervus communis meus. 15
§ 3. Quod ſervus meus. 5
§ 4. Communis ſervus duor. *ibid.*
§ 5. Si fructuarius ſervus. 29
§ 6. Quum ſervus communis. 13
L. Servus communis ipſe. 2. 22
L. Si ſervus Reip. 3. 2
L. Si ſervus communis ſibi. 4. 18
L. Servus communis ſic. 5. 12
¶ licet autem ei &. 13
¶ ſed ſi non nominatim. 14

Series Tit. III. DE STIPULAT. SERV.

L. Oſilius rectè dicebat. 6. *h.t. Num.* 14
L. Proindè & ſi quatuor. 7. 16
§ 1. Si ſervus communis ab uno. 21
¶ interdum etiamſi neque. 20
L. Item ſi alter ex dominis. 8. *ibid.*
L. Item ſi ſervus duorum. 9. *ibid.*
§ 1. Si quum duos dominos. 19
L. Sed ſi ita ſtipuletur. 10. *ibid.*
L. Sed ſi ſibi AUT primo. 11. *ibid.*
L. Nam cùm uterque. 12. *ibid.*
L. Quum enim ſtipulatur. 13. *ibid.*
L. Servus meus quum. 14. 35
¶ ſed furi nec. *ibid.*
L. Sive mihi ſive ſibi. 15. 6
L. Servus hereditarius. 16. 37
L. Si communis ſervus meus. 17. 20
L. Si ſervus communis Mævii. 18. 39
§ 1. Si ſervus Titii &. 22
§ 2. Servus capto domino. 40
§ 3. Quum ſervus fructuarius. 26
L. Si alienus ſervus. 19. 30
L. Liber homo bonâ. 20. 33
§ 1. Apud Labeonem ita. 26
L. Si ſervus communis ita. 21. 19
L. Servum fructuarium. 22. 29
L. Eadem de eo dicenda. 23. 32
L. Et ſi duorum uſusfructus. 24. 31

Series Tituli III. DE STIPULAT. SERV.

L. Si ſervus hereditar. 25. . *N.* 1. *Tit.* DE DIV. TEMP. PRÆSC.]
L. Uſusfructus ſine. 26. *h. t. Num.* 38
L. Servus communis ſive. 27. 12
¶ diverſa cauſa eſt. *ibid.*
L. Si ex re domini. 28. 29
§ 1. Si ſervus communis ex re. 12
§ 2. Si ipſi domini. . . *N.* 12. *Tit.* DE DUOB. REIS.]
§ 3. Sicuti uni nominatim. 13
§ 4. Illud quæſitum eſt. 37
L. Si communis ſervus ſic. 29. 17
L. Servus alienus, alii. 30. 5
L. Si juſtus fructuarii. 31. 28
¶ non idem dicetur. *ibid.*
L. Si quum duorum uſusfr. 32. 31
L. Si liber homo vel alienus. 33. 28
§ 1. Si duo rei ſtipulandi. 31
L. Si ſervus teſtamento. 34. 36
L. Servus hereditarius &. 35. 37
L. Quod ſervus ſtipulatus. 36. 1
L. Si communis ſervus ita ſtip. 37. 16
L. Si ſervus meus à lib. 38. 7
L. Quum ſervus in quo uſumfr. 39. 27
¶ ſed quâ actione fructuarius. *ibid.*
L. fin. Quidquid contraxit. 40. 11

LIBER QUADRAGESIMUS-SEXTUS.

TITULUS I.

DE FIDEJUSSORIBUS ET MANDATORIBUS.

Series Tituli I. DE FIDEJ. ET MANDAT.

LEX Omni obligationi. 1. *h. t. N.* 6
L. Ex commodati. 2. 10
L. Qui ſatisdare promiſit. 3. *N.* 51. *Tit.* DE VERB. OBLIG.]
L. Poteſt accipi. 4. 10
§ 1. Fidejuſſor & ipſe. 75
L. Generaliter Julian. ait. 5. § 1. Refert aut. hæc. } *N.* 124. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Stipulatus ſum à reo. 6. 22
§ 1. Et parvi refert. 25
§ 2. Adhiberi autem fidejuſſor. 8
L. Quod enim ſolutum. 7. *ibid.*
L. Græcè fidejuſſor. 8. 24
§ 1. Prætereà ſciendum. 10
§ 2. Pro eo etiam qui. 7
§ 3. Et poſt litem conteſtatam. 10
§ 4. A tutore qui teſtam. *N.* 3. *Tit.* REM PUP. SALV.]
§ 5. Sed & ſi ex delicto. 11
§ 6. Et generaliter omnium. 6
§ 7. Illud commune eſt. 30
§ 8. Si quis Stichum. 32
§ 9. Idem Julianus ait, ſi. *ibid.*
§ 10. Contrà autem ſi is. *ibid.*
§ 11. Sed & ſi reum ſic. *ibid.*
§ 12. Pro fidejuſſore. 14
L. Fidejuſſores & in partem. 9. 29
L. Si dubitet creditor. 10. 55
§ 1. Ita demùm inter. 54
§ 2. Filiusfam. pro patre. 18
L. Qui contra SCtum. 11. 3
L. Planè ejus actionis. 12. 7
L. Si mandatu meo. 13. 45

Series Tituli I. DE FIDEJ. ET MANDAT.

L. 13. ¶ item ſi cum Titio. *h. t. Num.* 73
L. Quum reus promittendi. 14. . . *N.* 121. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Si ſtipulatus eſſes. 15. 9
§ 1. Si ex duobus qui apud. 47
L. Fidejuſſor obligari. 16. 20
§ 1. Qui certo loco dari. 31
§ 2. Sed & ſi reus Romæ. *ibid.*
§ 3. Fidejuſſor accipi poteſt. 8
§ 4. Naturales obligationes. *ibid.*
§ 5. Stipulatione in diem. 30
§ 6. Quum fidejuſſor hoc modo. 40
L. Fidejuſſoribus ſuccurri. 17. 45
L. Qui debitorem ſuum. 18. 63
L. Servus inſcio dom. 19. } *N.* 24. *Tit.*
L. Sed & ſi ſervi. 20. } DE PECUL.]
L. Heres à debitore. 21. . . *N.* 48. *Tit.* AD SC. TREBELL.]
§ 1. Non eſt novum ut fidejuſſ. *N.* 125. *Tit.* DE SOLUTION.]
§ 2. Servo tuo pecuniam. 18
¶ quòd ſi hic ſervus. *N.* 122. *Tit.* DE SOLUTION.]
§ 3. Quòd ſi ſtipulator reum. . *N.* 130. *d. tit.*]
§ 4. Quum & tu & Titius. 19
§ 5. Quum fidejuſſor reo. 63
L. Mortuo reo promittendi. 22. 17
L. Si mihi aut Titio. 23. 20
L. Luc. Titius quum pro. 24. . . . *N.* 131. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Marcellus ſcribit, ſi. 25. 16
L. Inter fidejuſſores. 26. 55
L. Si plures ſint fidej. 27. 58
§ 1. Prætereà ſi fidejuſſor. 53

Series Tituli I. DE FIDEJ. ET MANDAT.

L. 27. § 2. Prætereà ſi quæratur. *h. t. N.* 55
§ 3. Sicut ipſi fidejuſſori. 53
§ 4. Si fidejuſſor fuerit. 52
L. Si contendat. 28. 51
L. Si ſub impoſſibili. 29. 2
L. Fidejubere pro alio. 30. 26
L. Si fidejuſſor vel quis. 31. 64
L. Ex perſonâ rei. 32. . *N.* 7. *Tit.* DE EXCEPTION.]
L. Si eum hominem. 33. . *N.* 20. *Tit.* JUDIC. SOLVI.]
L. Hi qui acceſſionis loco. 34. 32
L. Quum fidejubeat aliquis. 35. 28
L. Quum is qui & reum. 36. 46
L. Si quis poſtquàm. 37. 4
L. Si Stichum aut Pamphilum. 38. 32
§ 1. A Titio qui mihi. *N.* 129. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Ut fidejuſſor adversùs. 39. 67
L. Quum duo rei. 40. 28
L. Si fidejuſſores in id. 41. 39
§ 1. Idem reſpond. Si in ſolid. 48
L. Si ita fidejuſſorem. 42. 27
L. Si à Titio ſtipulatus. 43. 52
L. Stipulatus es, opus. 44. *N.* 122. *Tit.* DE VERB. OBLIG.]
L. Fidejuſſor pro venditore. 45. 65
L. Cùm lex venditionibus. 46. 3
L. Si debitori deportatio. 47. 4
§ 1. Si filius in causâ. 20
¶ filio verò, humanitatis. *ibid.*
L. Si Titius & Seia. 48. 57
§ 1. Huic ſimilis & illa. *ibid.*
L. Si teſtamento liberatum. 49. . . *N.* 17. *Tit.* DE LIBERAT. LEG.]
§ 1. Ex duobus fidejuſſoris. 51
§ 2. Quæſitum eſt an fidej. 43

Source : BIU Cujas

Series Tituli I. DE FIDEJ. ET MANDAT.

L. Debitori creditor. 50. . *N.* 127. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Inter eos fidejussores. 51. *h. t. N.* 52
§ 1. Fidejussor qui partem. 60
§ 2. Duo rei promittendi. 52
¶ planè si velit actionem. *ibid.*
§ 3. Creditor pignus distrahere. 42
§ 4. Quum inter fidejussores. 56
§ 5. Bonis damnati. 53
L. Amissi ruinâ. 52. 39
§ 1. Inter fidejussores actione. 56
§ 2. Fidejussores à colonis. 35
§ 3. Plures ejusdem pecuniæ. . . *N.* 19. *Tit.* DE EXCEPT. REI JUD.]
L. Capitis postulati. 53. . . . *N.* 6. *Tit.* DE EXCEPTION.]
L. Si in pignore contrahendo. 54. 35
L. Si ita stipulatus à. 55. 38
L. Si quis pro eo. 56. 4
§ 1. Item si filius à patre. 21
§ 2. Si nummos alienos. 4
¶ quid ergo si consumptis. *ibid.*
§ 3. Pro Furti actione. 11
¶ diversa causa est. *ibid.*
L. Fidejussor antequàm. 57. 43
L. Si à colono stipulatus. 58. 35
§ 1. Quum facto suo. . *N.* 112. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Paulus resp. fidejussor. 59. 46
L. Ubicumque reus. 60. 68
L. Si ut proponitur. 61. 34
L. Si fidejussor creditori. 62. 42
L. Inter creditricem. 63. 39
L. Fidejussor qui minori. 64. 63
L. Sicut reus principalis. 65. 33
L. Si servus alienus. 66. . . *N.* 14. *Tit.* DE SOLUTION.]
L. Exceptione quæ. 67. 65
L. Fidejussores Magistrat. 68. 35
§ 1. Pro Aurelio-Romulo. 36
§ 2. Non possunt conveniri. 68
L. Tutor datus ejus. 69. 61
L. Si à reo sub conditione. 70. 30
§ 1. Sub diversis quoque. *ibid.*
§ 2. Si reo in fundum. 27
§ 3. Adeò à servo potest. 15
§ 4. Si à furioso stipulatus. 16
§ 5. Id quod vulgò dictum. 11
L. Grannus-Antonin. 71. . *N.* 130. *Tit.* DE SOLUTION.]
§ 1. Si ponamus unum. 66
§ 2. Placet mandatorem. 5
L. Si fidejussori sub. 72. . *N.* 3. *Tit.* DE ACCEPTILAT.]
L. fin. Quum procurator. 73. 35

TITULUS II.

DE NOVATIONIBUS ET DELEGATIONIBUS.

Lex Novatio est prioris. 1. *h. t. Num.* 1
§ 1. Illud non interest. 2
¶ dummodò sequens. 5
L. Omnes res transire. 2. 2
L. Cui bonis interdict. 3. 10
L. Si usûsfr. debitorem. 4. 16
¶ quamvis exceptione doli. *ibid.*

Series Tit. II. DE NOVAT. ET DELEG.

L. In diem obligatio. 5. *h. tit. Num.* 3
¶ & generaliter constat. 6
L. Si ita fuero stipulatus. 6. 22
§ 1. Quum pecuniam mutuam. 1
L. Quum enim pecuniâ. 7. *ibid.*
L. Si Stichum dari. 8. . . . *N.* 64. *Tit.* DE USURIS.]
§ 1. Legata vel fideicommissa. 3
¶ nam & aliàs qui. 6
§ 2. Si quis ita stipulatus. 4
§ 3. Idem Celsus ait, judicatum. 22
§ 4. Si decem quæ mihi. 15
§ 5. Si ab alio promissam. 17
L. Si pupillus sine tutoris. 9. 10
§ 1. Qui sub conditione. 6
§ 2. Qui actum stipulatur. 18
L. Cui rectè solvitur. 10. 12
L. Delegare est vice. 11. 27
§ 1. Fit autem delegatio. *ibid.*
L. Si quis delegaverit. 12. 31
L. Si non debitorem. 13. *ibid.*
L. Quoties quod purè. 14. 6
§ 1. Sed si quod sub conditione. 3
L. Si creditor pœnam. 15. 25
L. Servus nec peculiarem. 16. 13
L. Delegare scripturâ. 17. 28
L. Novatione legitimè. 18. 25
L. Doli exceptio quæ. 19. 33
L. Novare possumus. 20. 16
§ 1. Pupillus sine tutoris. 10
¶ item procurator. 11
L. Si debitorem meum. 21. 28
L. Si quis absente me. 22. *ibid.*
L. Filius patris. 23. 13
L. Novatio non potest. 24. 8
L. Non ideò novare. 25. 13
L. Si is cui decem. 26. 15
L. Emptor quum delegante. 27. 25
L. Fundum Cornelianum. 28. 20
L. Aliam causam esse. 29. 26
L. Paulus resp. si creditor. 30. 25
L. Si rem aliquam dari. 31. 7
§ 1. Si duo rei stipulandi. 9
L. Te hominem. 32. 15
L. Si Titius donare. 33. 34
L. fin. Dubitari non debet. 34. 13
§ 1. Adgnatum furiosi. 10
§ 2. In summâ admonendi. 15

TITULUS III.

DE SOLUTIONIBUS ET LIBERATIONIB.

Lex Quoties quis debitor. 1. *h. t. N.* 90
¶ quoties verò non dicimus. 91
¶ dummodò in id constituat. *ibid.*
¶ sed constituere. *ibid.*
L. Dum in re agendâ. 2. *ibid.*
L. Cæterùm posteà. 3. *ibid.*
¶ hæc res efficiet ut. *ibid.*
§ 1. Quòd si fortè à neutro. 92
L. Et magis quod. 4. 94
L. In his verò quæ. 5. 93
¶ gravior videtur. 94
§ 1. Si duos quis dederit. 90
§ 2. Imp. Antonin. cum Divo. 102
¶ sed si fortè usuræ. 97
§ 3. Apud Marcell. lib. 20. Dig. *ibid.*
L. Nec enim ordo. 6. *ibid.*
L. Si quid ex famosâ. 7. 94
L. Illud non ineleganter. 8. 96

Series Tituli III. DE SOLUT. ET LIBER.

L. Stipulatus sum mihi. 9. 48
§ 1. Qui decem debet. 82
¶ qui autem hominem. 84
¶ sed si debitor. *ibid.*
L. Quod stipulatus ita sum. 10. 55
L. Si stipulatus fuero. 11. 43
L. Vero procuratori. 12. 26
§ 1. Interdum tamen & non. 40
§ 2. Sed & si quis mandaverit. 31
§ 3. Alia causa est si mihi. 53
§ 4. Sed & si non vero. 56
L. Ratum autem habere. 13. 58
L. Quòd si fortè quis. 14. *ibid.*
§ 1. Sunt quidam tutores. 23
¶ nisi interdicta eis. 24
§ 2. Quòd si remoto solvit. *ibid.*
§ 3. Quid ergo si ei solvit. *ibid.*
§ 4. Sed & si abfuturo. *ibid.*
§ 5. Sive autem legitimi. 23
§ 6. Ei qui notitiæ gratiâ. *ibid.*
§ 7. Curatori quoque furiosi. *ibid.*
§ 8. Pupillum sine tutoris. 12
¶ planè si fuerint. *ibid.*
L. Pupillo solvi. 15. 20
L. Sub conditione debitori. 16. 70
L. Cassius ait si cui. 17. 18
¶ sed si creditor eos. *ibid.*
L. Si quis servo pecuniis. 18. 35
¶ utroque autem casu. *ibid.*
L. Fugitivus meus. 19. 37
L. Si rem meam. 20. 75
L. Si decem stipulatus. 21. *N.* 121. *Tit.* DE VERB. OBLIG.]
L. Filiusfamil. patre. 22. 38
L. Solutione vel. 23. 15
L. Ubi fidejussor. 24. 95
L. Ex parte heres. 25. 18
L. Si creditor fundum. 26. *N.* 29. *Tit.* DE DISTRACT. PIGN.]
¶ sed si servus pigneratus. 77
L. Etiam circa stipulationem. 27. 80
L. Debitores solvendo. 28. 59
L. Quum Stichus &. 29. *N.* 70. *Tit.* DE VERB. OBLIG.]
L. Si debitor offerret. 30. . *N.* 66. *Tit.* DE USUR.]
L. Inter artifices. 31. 16
L. Si servus peculiari. 32. 36
L. Qui sibi aut Titio. 33. 76
§ 1. Qui Stichum aut. 71
L. Qui hominem aut decem. 34. . *N.* 40. *Tit.* DE CONDICT. INDEB.]
§ 1. Si duo rei stipulandi. 84
§ 2. Stipulatus sum decem. 44
§ 3. Si Titium omnibus. 31
§ 4. Si nullo mandato. 33
§ 5. Et quum fugitivus. 37
§ 6. Si gener socero. . . *N.* 13. *Tit.* SOLUT. MATRIM.]
§ 7. Si debitorem meum. 27
§ 8. Quidam filiumfamil. 129
§ 9. Si prædo id quod. 59
§ 10. Si decem aut hominem. 84
§ 11. Qui perpetuâ. . . . *N.* 6. *Tit.* DE DUOB. REIS.]
L. Quod servus ex peculio. 35. 34
¶ sed & si quis dominicam. 35
L. Si pater meus. 36. . *N.* 7. *Tit.* DE JUDICIIS.]

Source : BIU Cujas

Series Tit. III. DE SOLUT. ET LIBER.
L. Quoties unus ex. 37... *h. t. N.* 99
L. Quum quis ſibi aut. 38. 50
§ 1. Si debitorem meum. 32
§ 2. Si de peculio cum domino. 86
§ 3. Qui hominem promiſit. 79
¶ quòd ſi interim conditio. *ibid.*
§ 4. Si quis pro eo reverſo.... *N.* 71. *Tit.* DE FIDEJUSSORIB.]
§ 5. Qui pro te apud. 132
L. Si ſoluturus pecuniam. 39.... *N. fin. Tit.* DE USURIS.]
L. Si pro me quis. 40. 15
L. Reo criminis. 41. 21
L. Sed nec illud. 42. 14
L. In omnibus. 43. 11
L. In numerationibus. 44. 86
¶ item ſi uſusfructus. 88
¶ tantumdem eſt & ſi. *ibid.*
L. Quamvis ſtipulanti. 45. 66
§ 1. Idem Frontoni reſpondit. 24
L. Si quis aliam rem. 46. 85
§ 1. Sed & ſi duos fundos. *ibid.*
§ 2. Sed & ſi quis per dolum. 65
L. In pupillo cui. 47. 20
§ 1. Planè, ut Scævola aiebat. *ibid.*
L. Titia quum propter dotem. 48. 103
L. Solutam pecuniam. 49. 18
¶ ratam quoque. *ibid.*
¶ tutori quoque. *ibid.*
¶ quòd ſi acceptum. 2
L. Si quum aurum. 50. 62
L. Diſpenſatori qui ignorante. 51. 31
L. Satisfactio. 52. 2
L. Solvere pro ignorante. 53. 15
L. Solutionis verbum. 54. 1
L. Qui ſic ſolvit. 55.. *N.* 59. *Tit.* DE ADQ. RER. DOM.]
L. Qui mandat ſolvi. 56. 15
L. Si quis ſtipulatus. 57. 66
§ 1. Item ſi mihi aut Titio. 54
L. Si quis offerenti. 58. 58
§ 1. Si creditor cujus. 30
§ 2. Et ſi duo rei ſtipulandi. 57
L. Si ita ſtipulatus ſim. 59. 52
¶ & ſi à filiofam. mihi. 51
L. Is qui alienum. 60. 73
L. In perpetuum quoties. 61. 81
L. Diſpenſatorem. 62. 36
L. Si debitor ſit ſervi. 63... *N.* 12. *Tit.* DE ACCEPTILAT.]
L. Quum juſſu meo. 64. 86
L. Si filia furioſi. 65. 23
L. Si pupilli debitor. 66. 28
¶ ſed exceptione. *ibid.*
¶ ſi autem debitor. *ibid.*
L. Si quis duos homines. 67. 83
L. Servus decem dare. 68.. *N.* 52. *Tit.* DE COND. ET DEM.]
L. Si hominem in quo. 69. 75
L. Quod certâ die. 70. 70
L. Quum decem mihi. 71. 52
§ 1. Si fidejuſſor procuratori. 57
§ 2. Item ſi ignorans. *ibid.*
§ 3. Sed ſi ignorans. *ibid.*
L. Qui decem debet. 72... *N.* 67. *Tit.* DE USURIS.]
§ 1. Quum Stichum mihi. } *N.* 64.
§ 2. Sed quid ſi ignorante. } *d. tit.*]

Series Tit. III. DE SOLUT. ET LIBER.
L. 72. § 3. Idem reſponſum eſt. } *N.* 65.
¶ ſi tamen quum in provinciâ. } *Tit.* DE USURIS.]
§ 4. Stichum aut Pamphilum. 64
¶ ſed ei qui hominem. *ibid.*
§ 5. Qui hominem debebat. 79
¶ num ergo & ſi viſpellionem. 63
§ 6. Promiſſor ſervi. *ibid.*
L. Ob triginta nummos. 73. 100
L. Id quod pœnæ. 74.... *N.* 10. *Tit.* DE PIGNER. ACT.]
L. Sicut acceptilatio. 75. 129
L. Modeſtinus reſp. Si poſt. 76... *N.* 49. *Tit.* DE FIDEJ. ET MAND.]
L. In liberto antiquior. 77. 95
L. Si alieni nummi. 78. 73
L. Pecuniam quam. 79.... *N.* 44. *Tit.* DE ADQ. RER. DOM.]
L. Prout quidque. 80. 6
L. Si ſtipulatus ſim mihi. 81. 48
§ 1. Si lancem depoſuerit.... *N.* 28. *Tit.* DEPOSITI.]
L. Si quum Cornelius. 82. 31
L. Si tuo ſervo. 83. 12
L. Egiſti de peculio. 84. 14
L. Solidum non. 85. 61
L. Hoc jure utimur. 86. 26
L. Quodlibet debitum. 87. 15
L. Filiæ inteſtato. 88. 33
L. Ex pluribus cauſis. 89. 9
§ 1. L. Titius ex duob. chirog. 29
§ 2. L. Titius duabus ſtipulat. 95
L. Filius qui adminiſtrabat. 90. 22
L. Si debitor tuus. 91.... *N.* 17. *Tit.* DE NOVATION.]
L. Si mihi alienum. 92. 106
§ 1. Sed & ſi quis ſervum. 79
L. Si duo rei ſint ſtipul. 93. 123
§ 1. Item ſi duo rei ſint prom. *ibid.*
§ 2. Sed & ſi reus heredem. 121
§ 3. Quid ergo ſi fidejuſſor. *ibid.*
L. Si is cui nummos. 94. 81
§ 1. Sin autem communes. 72
§ 2. Sed & ſi fidejuſſor. 73
§ 3. Favius-Januarius. 91
L. Stichum aut Pamphilum. 95. 118
§ 1. Quòd ſi promiſſoris. *ibid.*
§ 2. Aditio hereditatis. 119
§ 3. Quod vulgò jactatur. 122
§ 4. Naturalis obligatio. 8
§ 5. Quæſitum eſt an ita. 41
§ 6. Uſumfructum mihi. 50
§ 7. Nam ſi furioſi. 49
§ 8. Si creditor debitoris. 77
§ 9. Dolo feciſti quominùs.... *N.* 14. *Tit.* DE HERED. PET.]
§ 10. Si mandatu meo. 87
§ 11. Si creditor à debitore... *N.* 47. *Tit.* DE FIDEJ. ET MAND.]
§ 12. Si inter emptorem. 6
L. Pupilli debitor. 96. 28
¶ ſi non malo conſilio. *ibid.*
§ 1. Quum pupilla Magiſtratui. *N.* 21. *Tit.* DE COND. INDEB.]
§ 2. Soror cui legatum. 66
§ 3. Quum eodem tempore. 101

Series Tituli III. DE SOLUT. ET LIBER.
L. 96. § 3. ¶ quòd ſi tempor. *h. t. N.* 102
§ 4. Quum inſtitutus deliber. 60
L. Quum ex plurib. cauſis utr. 97. 93
L. Qui res ſuas obligavit. 98. 75
§ 1. Diverſum reſpondetur. 78
§ 2. Huic adplicatur. *ibid.*
§ 3. Res autem caſtrenſis. 72
§ 4. Mihi dare decem. 46
§ 5. Qui ſtipulatur ſibi. 44
§ 6. Mihi Romæ aut Epheſi. 45
§ 7. Si ſervus fructuarius.... *N.* 29. *Tit.* DE STIP. SERVOR.]
§ 8. Aream promiſi alienam. 107
L. Creditorem (*Florent.* Debitorem) non eſſe. 99. 62
L. Quæro an curatoribus. 100. 24
L. Paulus reſp. non ideò. 101. 18
§ 1. Paulus reſp. aliam cauſam. 100
L. Creditor oblatam. 102... *N. fin. Tit.* DE USURIS.]
§ 1. Quum de ſorte debitâ. 90
§ 2. Valerius L. Titii. 95
§ 3. Titius mutuam. 98
L. Quum ex plurib... Julian. 103. 92
L. Ante reſtitutam. 104... *N.* 59. *Tit.* AD SC. TREBELL.]
L. Quod dicimus in eo. 105. *N.* 64. *Tit.* DE FIDEJUSSORIB.]
L. Aliud eſt jure. 106. 53
L. Verborum obligatio. 107. 5
L. fin. Ei qui mandatu. 108. 30

TITULUS IV.

DE ACCEPTILATIONE.

L. Acceptilatio eſt liberatio. 1. *h. t. N.* 1
L. Pupillum per acceptilat. 2. 10
L. Per procuratorem nec. 3. 14
L. Acceptilatio ſub conditione. 4. 18
L. In diem acceptilatio. 5. *ibid.*
L. Plurib. ſtipulationib. 6. 20
L. Sanè & ſic acceptilatio. 7. 17
L. An inutilis acceptilatio. 8.... *N.* 81. *Tit.* DE PACTIS.]
§ 1. Servus communis. 12
§ 2. Accepto liberare. *ibid.*
§ 3. Acceptum fieri non. 2
§ 4. Filiusfamil. promittendo. 13
¶ idem erit & in ſervo. 11
¶ & ideò puto. 19
L. Pars ſtipulationis. 9. 6
L. Sed & ſi non numerata. 10. *ibid.*
L. Species adquirendi. 11. 12
§ 1. Sed & ſi ſervo. 22
§ 2. Si ſervus hereditarius. 12
§ 3. Sed & ſi dominus. *ibid.*
L. Quod in diem. 12. 5
L. Et per jusjurandum. 13. 2
§ 1. Si id quod in ſtipulationem. 7
§ 2. Illud certum eſt. 8
§ 3. Si quis uſumfructum. *ibid.*
§ 4. Si is qui hominem. 9
§ 5. Eum qui fundum. 8
§ 6. Si Stichum aut decem. 9
§ 7. Si fidejuſſori accepto. 3
§ 8. Si legatorum ſub. *ibid.*
§ 9. Qui ita ſtipulatur. *ibid.*
§ 10. Tutor, curator furioſi. 14
§ 11. Heres quoque & liberare. 16

Source : BIU Cujas

Series Tit. IV. DE ACCEPTILATIONE.
L. 13. § 12. Ex pluribus reis.. *h. t. N.* 15
L. Nisi consentiat. 14. 8
L. Si is qui Stichum. 15. 9
L. Si ex plurib. obligatis. 16. 15
§ 1. Si judicati. 22
L. Qui hominem aut. 17. 6
L. Et uno & pluribus. 18. 20
§ 1. Ejus rei stipulatio. *ibid.*
L. Si accepto latum. 19... *N.* 81. *Tit.* DE PACTIS.]
L. Si accepto fuerit. 20. 22
L. Si sub conditione. 21. 5
L. Servus nec jussu. 22. 11
L. fin. Si ego tibi acceptum. 23. 23

TITULUS V.

DE STIPULATIONIBUS PRÆTORIIS.

L. Prætoriarum stipulat. 1... *h. t. N.* 1
§ 1. Judiciales eas dicimus. *ibid.*
§ 2. Cautionales sunt autem. *ibid.*
§ 3. Communes sunt. *ibid.*
§ 4. Et sciendum est. *ibid.*
§ 5. Stipulationum istarum. 6
§ 6. Stipulatio itaque ex. *ibid.*
§ 7. Item ex causâ damni. *ibid.*
§ 8. Stipulatio duplæ. 7
§ 9. Quòd si sit aliqua. 4
§ 10. Sed & si quid vel. *ibid.*
L. Prætoriæ stipulationes aut. 2. 3
§ 1. Sicuti stipulatio ex. *ibid.*
§ 2. Incertam quantitatem. *ibid.*
L. Generaliter in omnib. 3. 5
L. Prætoriæ stipulation. sæpiùs. 4. 18
L. In omnib. Prætoriis... hoc. 5. 5
¶ idem est & quum institor. *ibid.*
L. In omnib. Prætoriis... in. 6. 20
L. Prætoriæ satisdationes. 7. 7
L. Paulus notat: Qui sub. 8.. *N.* 21. *Tit.* DE BON. POSS. SEC. TAB.]
§ 1. Quum sub contrariis.... *N.* 7. *Tit.* UT LEGATOR. CAUS. CAV.]
L. In Prætoriis stipulationib. 9. 4
L. Si Præses qui ante. 10. 19
L. fin. In ejusmodi stipulat. 11. 20

TITULUS VI.

REM PUPILLI VEL ADOLESCENTIS SALVAM FORE.

Lex Quum pupillo. 1... *h. tit. Num.* 4
L. Si pupillus absens. 2. 1
L. Aut dare aliquem. 3. *ibid.*
L. Non quasi ipso Jure. 4. *ibid.*
§ 1. Cavetur autem pupillo. 3
§ 2. Illud sciendum est. 6
§ 3. Sedenim qui non gessit. 10

Series Tit. VI. REM PUP. VEL ADOL.
L. 4. § 4. Hanc stipulationem. *h. t. N.* 4
§ 5. Si tutor ab hostibus. 5
§ 6. Generaliter sciendum. 10
§ 7. Si quis curator. 11
§ 8. Pertinet autem hæc. 2
L. Si filius qui in. 5. *ibid.*
L. Servum pupilli. 6. 1
L. Dativus vel testamentarius. 7.. *N.* 5. *Tit.* DE ADM. ET PER. TUT.]
L. Etsi ad species. 8. 2
L. Quum pupillus à tutore. 9. 9
L. Si posteaquàm. 10. *ibid.*
L. Quum rem salvam. 11. *ibid.*
L. fin. Si plures fidejussores. 12. 7

TITULUS VII.

JUDICATUM SOLVI.

L. In stipulatione jud. 1.. *h. t. N.* 15
L. Cùm lite mortuâ. 2. 30
L. Si quis apud aliquem. 3. 14
§ 1. Stipulationem judicatum. 6
§ 2. Procuratorem eum accip. *ibid.*
§ 3. Sed & si fortè ex liberis. *ibid.*
§ 4. Sed & quod de tutore. 7
§ 5. Sed etsi quidem tutor. *ibid.*
§ 6. Sed & curatorem. 8
§ 7. Si tutor esse proponatur. 7
§ 8. Si reus postquàm. 21
§ 9. Ob rem non defensam. 16
§ 10. Si plures fuerint. 29
L. Is autem cum quo. 4. *ibid.*
L. Jam tamen fidejussore. 5. *ibid.*
§ 1. Unus ex fidejussoribus. 17
§ 2. In hâc stipulatione quia. 24
§ 3. Nunc videamus qualis. 17
¶ & si quidem ex personis. 18
§ 4. Si ex fidejussoribus. *ibid.*
§ 5. In hâc stipulatione hoc. 22
§ 6. Quid tamen si & hoc. *ibid.*
§ 7. Si tamen plures. 17
§ 8. Illud sciendum est. 19
L. Judicatum solvi.. tres. 6. 10
L. Si ante acceptum. 7. 13
L. Si petitor post. 8. 30
L. Judicat. solvi.. expeditam. 9. 27
L. Si ad defendendum. 10. 2
L. Si servus qui in rem. 11. 30
L. Si reus post judicatum. 12. 21
L. Quum quærebatur. 13. 24
§ 1. Si fuero à fidejussore. 12
L. Si ex duobus. 14. 29
§ 1. Quoties ex stipulatione. 27
L. Hæc stipulatio, quandiù. 15. 28
L. Ex judicatum solvi. 16. 25
L. Ex clausulâ, Re jud. 17. *ibid.*
L. Vir bonus non arbitratur. 18. 20
L. Novissima clausula. 19. 23
§ 1. Si autem adjectum sit. *ibid.*

Series Tit. VII. JUDICATUM SOLVI.
L. 19. § 2. Doli autem mali. *h. t. N.* 23
L. Quum apud Sempronium. 20. 14
L. fin. Si unus ex fidejussorib. 21. 24

TITULUS VIII.

RATAM REM HABERI, ET DE RATIHABITIONE.

Lex Quum quis de rato. 1.. *h. t. N.* 15
L. In stipulatione de rato. 2. 24
L. Quum minor viginti-quinq. 3. 32
§ 1. Falsus procurator. 18
L. Procurator quinquaginta. 4. 24
L. Non tantùm verbis. 5. 30
L. Tutore suspecto. 6. 3
L. Si is cui ignoranti. 7.. *N.* 5. *Tit.* DE BONOR. POSS.]
L. Procurator ad exhibendum. 8. 14
§ 1. Si procurator à debitore. 26
¶ & si procurator eamdem. *ibid.*
§ 2. Si quis à procuratore. 21
L. Actor à tutore. 9. 7
L. Interdum ex conventione. 10. 1
L. Vel paciscitur. 11. *ibid.*
L. Quò enim tutiore. 12. *ibid.*
§ 1. Rem haberi ratam. 29
§ 2. Julianus ait interesse. 19
§ 3. Sive quis petat. 17
L. Si commissa est. 13. 23
§ 1. Si sine judice procur. 10
L. Si quis uni ex. 14. 15
L. Amplius non peti. 15. 17
L. Si indebitum procuratori. 16. 25
§ 1. Si procurator fundum. 16
L. Cum debitore decem. 17. 31
L. Si procurator ratam. 18. 22
L. In stipulatione quâ. 19. 23
L. Non solùm in actionibus. 20. 9
L. Ne satisdatio ratam. 21. 6
¶ quòd si judicatum solvi. *ibid.*
L. Si sine judice non. 22. 25
§ 1. Quòd si procurator debitam. 26
§ 2. Quòd si procur. per judic. 27
§ 3. Quòd si debitam. *ibid.*
§ 4. Quum autem procurator. 28
§ 5. Marcellus: Si dominus. *ibid.*
§ 6. Julianus: Si procuratori. 26
§ 7. Si in stipulationem. 16
¶ sanè quum per imprudent. *ibid.*
§ 8. Si procurator judicium. 14
§ 9. Qui patris nomine. 11
§ 10. Sed & si nepoti. *ibid.*
L. Procurator quum peteret. 23. 16
L. Bonorum possessionem. 24... *N.* 5. *Tit.* DE BONOR. POSS.
§ 1. An autem & si mortuus. *N.* 6. *d. tit.*]
L. fin. Pater dotem à se. 25. 23
§ 1. Procurator quum ab eo. 20

LIBER QUADRAGESIMUS-SEPTIMUS.

TITULUS I.

DE PRIVATIS DELICTIS.

LEX Civilis constitutio. 1. *h. t. N.* 2
¶ sed quamvis Furti actione. *ibid.*
§ 1. Heredem autem furti. 3
¶ exsecutio enim quorumd. *ibid.*

Series Tit. I. DE PRIVAT. DELICT.
L. 1. § 2. Non tantùm in Furti. *h. t. N.* 4
L. Nunq. plura delicta. 2. } *N.* 68. *Tit.*
§ 1. Qui igitur homin. } DE OBLIG.
§ 2. Idem dicendum si. } ET ACT.]
§ 3. Quæsitum est si condictus. *N.* 65. *d. tit.*]

Series Tit. I. DE PRIVAT. DELICT.
L. 2. § 3. ¶ sed si servus sit qui.... *N.* 65. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
§ 4. Item si quis subrept. } *N.* 68.
§ 5. Item si quis ancillam. } *d. tit.*]
§ 6. Item si quis servum. }
L. fin. Si quis actionem. 3. 5

TITULUS II.

Source : BIU Cujas

TITULUS II.

DE FURTIS.

Lex Furtum à furvo. 1. *h. tit. Num.* 1
§ 1. Indè ſola cogitatio. 6
§ 2. Sic is qui depoſitum. 7
§ 3. Furtum eſt contrectatio. 1
L. Furtorum genera. 2. 2
L. Fur eſt manifeſtus. 3. *ibid.*
§ 1. Et parvi refert. *ibid.*
§ 2. Sed utrùm ita demùm. 3
L. Quò deſtinaverit. 4. *ibid.*
L. Sive igitur in publico. 5. *ibid.*
§ 1. Sed ſi pertulit. *ibid.*
L. Quamvis enim ſæpè. 6. *ibid.*
L. Si quis in ſervitute. 7. *ibid.*
§ 1. Ibid. Pomp. eleganter ſcripſit. 2
§ 2. Sed Celſus deprehenſioni. *ibid.*
§ 3. Parvique referre putat. *ibid.*
L. Nec manifeſtum. 8. 4
L. Ei qui furti actionem. 9. 10
§ 1. Sed ſi eam à fure. . *N.* 61. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
L. Cujus interfuit. 10. 47
L. Tùm is cujus intereſt. 11. 58
L. Itaque fullo qui. 12. 52
§ ſi autem ſolvendo non eſt. 53
§ 1. Sed Furti actio malæ. 58
§ 2. Sed & ſi res pignori. 49
L. Is cui ex ſtipulatu res. 13. 63
L. Eum qui emit. 14. 64
§ 1. Adeò autem emptor. *ibid.*
§ 2. Prætereà habent Furti. 51
§ 3. Is autem apud quem res. 55
§ 4. Julian. quoq. lib. 22. Dig. 58
§ 5. Papinianus tractat, Si duos. 49
§ 6. Idem ſcribit, ſi quum. *ibid.*
§ 7. Idem dicunt, & ſi duo. *ibid.*
§ 8. Item Pomp. lib. 10. ex Sab. 58
§ 9. Idem Pompon. probat &. *ibid.*
§ 10. An pater cujus filio. 62
L 11. Is qui precariò ſervum. (*Flor.* ſervo.) 57
§ 12. Quòd ſi conduxerit quis. 52
§ 13. Si filiusfamil. ſubreptus. 34
§ 14. Si res commodata eſt. 33
§ 15. Non ſolùm autem in re. 52
§ 16. Qualis ergo furti. . *N.* 1. *Tit.* DE CONDICT. FURT.]
§ 17. Si epiſtola quam ego. 47
L. Creditoris cujus pignus. 15. 49
§ 1. Dominus qui rem. 37
§ 2. Sed eum qui tibi commod. 40
L. Ne cum filiofamil. 16. . *N.* 23. *Tit.* DE JUDICIIS.]
L. Servi & filii noſtri. 17. } *N.* 4. *Tit.*
§ 1. Unde eſt quæſit. } DE NOXAL.
§ 2. Quum aut. ſervus. } ACT.]
§ 3. Illud quæſitum eſt. . *N.* 9. *d. tit.*]
L. Quod dicitur, Noxam. 18. . . *N.* 5. *d. tit.*]
L. In actione furti. 19. 74
§ 1. De pondere aut. vaſorum. *ibid.*
§ 2. Quòd ſi quis argentum. *ibid.*
§ 3. Signati argenti numerum. *ibid.*
§ 4. De veſte quæritur. *ibid.*
§ 5. Qui rem pignori 39
§ 6. Furtum autem rei pignor. *ibid.*

L. Quum æs pignori. 20. *h. t. Num.* 39
§ 1. Si bonâ fide rem. 38
¶ ſed his caſibus. *ibid.*
L. Vulgaris eſt quæſtio. 21. 8
§ 1. Si is qui viginti. 17
§ 2. Si quis æs ſubripuit. 19
§ 3. Sed & ſi quis ſubripuit furt. 17
§ 4. Sed ſi anſam in poculo. *ibid.*
§ 5. Sed ſi de navi. 8
§ 6. Certè ſi proponas. *ibid.*
§ 7. Qui furti faciendi. 6
§ 8. Item ſi majoris ponderis. 17
§ 9. Si duo plures-ve. 9
§ 10. Quamvis autem earum. *N.* 11. *Tit.* DE CONDICT. FURT.]
L. Si quid fur fregerit. 22. 17
§ 1. Si eo conſilio arca. *ibid.*
§ 2. Qui lancem raſit. 8
L. Impuberem furtum. 23. 41
L. Nec minùs etiam. 24. *ibid.*
L. Verum eſt quod plerique. 25. 28
§ 1. Undè quæritur, ſi quis. . . *N.* 8. *Tit.* DE REB. CRED.]
§ 2. Eorum quæ de fundo. 28
L. Si apes feræ in arbore. 26. 29
§ 1. Item conſtat colonum. 51
L. Qui tabulas vel cautiones. 27. 78
§ 1. Indè poteſt quæri, ſi. *ibid.*
§ 2. Apocha quoque ſi fuerit. *ibid.*
§ 3. Sed ſi quis non amovit. . . *N.* 69. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
L. Sed ſi ſubripuit. 28. } *ibid.*]
L. Hoc ampliùs &. 29.
L. Si hereditariæ tabulæ. 30.
L. Sed & ſi imaginem. 31.
§ 1. Si quis tabulas. 15
L. Quidam tabularum. 32. 79
§ 1. De Lege Aquiliâ. *ibid.*
L. Tutor adminiſtrationem. 33. 43
L. Is qui opem. 34. 46
L. Si quis perferendum. 35. *ibid.*
§ 1. Si unus ſervus. *ibid.*
L. Qui ſervo perſuaſit. 36. 71
§ 1. Item placuit eum. 73
§ 2. Idem Pomp. ait, ſi cum. 71
§ 3. Si duo ſervi invicem. *ibid.*
L. Si pavonem meum. 37. *ibid.*
Hic in Vulgatâ malè inſerta eſt lex 38. Si filiusfamiliàs ſubreptus, *repetita ex* § 13. *legis* 14. *ſuprà.*
L. Mater filii ſubrepti. 38. (*Vulg.* 39. & *ſic de ſeqq. ad* § *fin. legis* 52. *infrà.*) 34
§ 1. Liberarum perſonarum. . *N.* 11. *Tit.* DE CONDICT. FURT.]
L. Verum eſt ſi meretricem. 39. 16
¶ an tamen vel Fabiâ. *ibid.*
L. Qui jumenta ſibi. 40. 37
L. Si quum quis in hoſt. 41. 32
§ 1. Adrogatorem poſſe. 66
§ 2. Quandiù vivit is. 82
§ 3. Si quis poſt noxam. *ibid.*
L. Si ſervus navem. 42. . *N.* 8. *Tit.* FURTI ADVERS. NAUT.]
§ 1. Interdum & manumiſſus. *N.* 16. *Tit.* DE NOXAL. ACT.]
L. Falſus creditor. 43. 23
§ 1. Falſus procurator. 24
§ 2. Si is qui indebitum. 9
§ 3. Si quis nihil in perſonâ. 22

L. 43. § 4. Qui alienum quid. *h. t. N.* 19
§ 5. Quòd ſi dominus id. 29
§ 6. Sed ſi non fuit derelict. 13
§ 7. Sed ſi neque fuit. *ibid.*
§ 8. Proindè videamus ſi. *ibid.*
§ 9. Quid ergo ſi EYPETPA. *ibid.*
§ 10. Si quis ſponte rem. 31
§ 11. Si jactum ex nave. 13
§ 12. Etiamſi partis dimidiæ. . *N.* 8. *Tit.* DE NOXAL. ACT.]
L. Si juſſu debitoris. 44. 24
§ 1. Si rem meam. 25
§ 2. Si ſervus hereditarius. . . . *N.* 31. *Tit.* DE MANUM. TEST.]
L. Si ſocius communis. 45. 36
L. Inter omnes conſtat. 46. 86
§ 1. Si ſervus fructuarius. 56
§ 2. Quod dicimus dupli. *ibid.*
§ 3. Hæc actio, etſi ſit. 50
§ 4. Et ſi quis propoſuerit. 56
§ 5. Uſque adeò autem. *ibid.*
§ 6. Proprietarius quoque. 43
§ 7. Rectè dictum eſt. 12
§ 8. Per contrarium. 20
§ 9. Si furtiva res ad. 10
L. Si dominium rei. 47. *ibid.*
L. Qui vas argenteum. 48. 75
§ 1. Qui furem novit. 68
§ 2. Qui ex voluntate domini. 20
§ 3. Quòd ſi dominus vetuit. 11
¶ vetare autem dominum. 21
§ 4. Si ego tibi poliendum. 59
§ 5. Ancilla ſi ſubripiatur. } *N.* 15. *Tit.* DE USUCAP.]
§ 6. Ex furtivis equis. }
§ 7. Quum fur rem furtivam. . *N.* 14. *d. tit.*]
L. Interdum accidit. 49. 61
¶ item rei dotalis nomine. *ibid.*
L. In furti actione. 50. 76
¶ ſed & ſi res in rebus. 77
§ 1. Ope conſilio furtum. 70
§ 2. Rectè Pedius ait, ſicut. 69
§ 3. Conſilium autem dare. 68
§ 4. Cum eo qui pannum. *ibid.*
¶ ſed etſi non furti faciendi. *ibid.*
L. Nam & præcipitata. 51. *ibid.*
L. Si quis uxori. 52. (*Vulg.* 53.) 73
§ 1. Sed & ſi furtum cum eâ. *ibid.*
§ 2. Ipſa quoque ſi opem. 72
§ 3. Servi verò ſui. *ibid.*
§ 4. Idem dicendum eſt & in. *ibid.*
§ 5. Sed ſi filius meus. . *N.* 25. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
§ 6. An autem pater. . . *ibid.*]
§ 7. Eum creditorem qui. 7
§ 8. Si ſulphurariæ. (*Florent.* ſulpuariæ.) 51
§ 9. Si ſervus tuus vel. 53
§ 10. Sed & ſi rem furtivam. 54
§ 11. Apud Labeonem relatum. 61
§ 12. Si fugitivum meum. 26
§ 13. Si quis de manu. 15
§ 14. Si quis maſſam. 77
§ 15. Servus qui ſe liberum. 22
§ 16. Julian. lib. 22. Dig. ſcripſit. 24
§ 17. Si Titius alienam rem. 22
§ 18. Si ex duobus ſociis. 62
§ 19. Neque verbo, neque. 5
§ 20. Si quis aſinum. 12

Source : BIU Cujas

Series Tituli II. DE FURTIS.

L. 52. (*Vulg.* 53.) § 21. Quum Titio hon. *h. t. N.* 23
§ 22. Majora quis pondera. 25
§ 23. Si quis servo meo. 15
§ 24. Sed si servo persuasum. *ibid.*
§ 25. Si linea margaritarum. 74
§ 26. Si servus meus. 80
§ 27. Si quis juraverit. 81
§ 28. Si servus subreptus. 78
§ 29. Si statuliber subreptus. . . *N.* 3. *Tit.* DE CONDICT. FURT.]
§ 30. Idem lib. 38. Si quis ex domo. *N.* 13. *Tit.* VI BON. RAPT.]
(*Hic § in Vulg. est lex* 54. *hujus Tit.*)
L. Qui injuriæ causâ. 53. 70
(*Vulg.* 55. *& sic de sequentib. ad finem Tituli.*)
§ 1. Si servus commodatoris. 52
§ 2. Quòd si servus tuus. *ibid.*
§ 3. Qui alienis negotiis. 60
§ 4. Si ex donatione. 38
L. Si pignore creditor. 54. 37
§ 1. Eum qui quid utendum. 16
§ 2. Furem interdiù. . . *N.* 10. *Tit.* AD L. CORN. DE SICAR.]
§ 3. Cùm Furti actio. 85
§ 4. Qui ferramenta sciens. 70
§ 5. Si tutor qui negotia. 80
L. Quum creditor. 55. 11
L. Interdum fur etiam. 56. 10
¶ sed & si persona domini. *ibid.*
§ 1. Qui furem deducit. *N.* 73. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
§ 2. Si res peculiaris. . *N.* 21. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
§ 3. Quum autem servus. . . *N.* 13. *d. tit.*]
§ 4. Qui tutelam gerit. 80
¶ condicere autem rem. *ibid.*
§ 5. Si duo servi tui. 83
L. Si cretæ fodiendæ. 57. 28
L. Si filiof. furtum. 58. . . *N.* 24. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
L. Si is qui rem. 59. 40
L. Ancilla fugitiva. 60. . . *N.* 15. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.]
L. Si servus communis. 61. . . . . *N.* 74. *Tit.* FAM. ERCISC.]
§ 1. His etiam illud conf. } *N. fin.*
§ 2. Illud dicend. de eo. } *Tit.* DE
§ 3. Quòd si sciens quis. } PIGNER.
§ 4. Sed in actione Empti. } ACT.]
§ 5. Quod verò ad Mandati. . . *N.* 60. *Tit.* MANDATI.]
§ 6. Circa commodatum. } *ibid.*]
§ 7. Hæc ita puto vera. }
§ 8. Locavi tibi fundum. 39
¶ sed & si tu alii fructus. *ibid.*
§ 9. Statuliberum qui. . *N.* 28. *Tit.* DE NOXAL. ACT.]
L. Furtum non committit. 62. 71
L. Non poterit Præses. 63. *N.* 13. *Tit.* DE HIS QUI NOT. INFAM.]
L. A Titio herede homo. 64. . . . *N.* 289. *Tit.* DE LEGATIS.]
L. Qui eâ mente alienum. 65. 85
L. Si is qui rem pignori. 66. 39
§ 1. Si is cui res subrepta. 10

Series Tituli II. DE FURTIS.

L. 66. § 2. Eum qui mulionem. *h. t. N.* 68
§ 3. Julianus resp. eum qui. 24
§ 4. Si tu Titium mihi. 71
§ 5. Si stipulatus de te sim. 63
L. Inficiendo depositum. 67. 7
§ 1. Si tibi subreptum est. 78
§ 2. Infans apud furem. 77
§ 3. Cùm servus inemptus. . . *N.* 4. *Tit.* DE NOXAL. ACT.]
§ 4. Quod furi ipsi furtum. 59
§ 5. Si colonus post lustrum. . . *N.* 13. *Tit.* DE CONDICT. FURT.]
L. Hereditariæ rei. 68. 32
L. Aut in quâ usufr. 69. *ibid.*
L. His enim casibus. 70. *ibid.*
L. Si is cui commodata. 71. 43
¶ & si Furti actum est. *ibid.*
§ 1. Ejus rei quæ Pro herede. 54
L. Sempronia libellos. 72. 18
L. Si is qui pignori. 73. 42
L. Furtivam ancillam. 74. 76
L. Si is qui simulabat. 75. 6
L. Qui re sibi commod. 76. 12
§ 1. Si quis alteri furtum. 58
L. Qui saccum habentem. 77. 18
L. Rem inspiciendam. 78. 52
L. Si debitor pignus. 79. . *N.* 19. *Tit.* DE PIGNER. ACT.]
L. Si vendidero neque. 80. 48
§ 1. Quum autem jure. 76
§ 2. Si ad exhibendum. 48
§ 3. Quum raptor omnimodo. *N.* 13. *Tit.* VI BON. RAPT.]
§ 4. Is autem cujus dolo. . *ibid.*]
§ 5. Si Titius cujus. . *N.* 12. *Tit.* DE COND. FURT.]
§ 6. Falsus autem procurator. 23
§ 7. Qui rem Titii agebat. 61
L. Ob pecuniam civitati. 81. . . . *N.* 4. *Tit.* AD L. JUL. PECUL.]
L. Fullo & sarcinator. 82. 37
§ 1. Frugibus ex fundo. 51
§ 2. Qui ancillam non. 16
§ 3. Qui tabulas cautiones-ve. 78
L. Si quis ex bonis ejus. 83. 14
§ 1. Ei cum quo suo nomine. 83
L. Quamvis res furtiva. 84. . *N.* 22. *Tit.* DE USURP. ET USU CAP.]
L. Is cujus interest. 85. 60
§ 1. Is autem qui suâ. *ibid.*
¶ item is cui ex stipulato. 63
L. Si ad dominum. 86. . . *N.* 25. *Tit.* DE USURP. ET USUC.]
L. Creditori actio furti. 87. 49
L. Si quis egerit vi. 88. . . *N.* 66. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
L. Si libertus patrono. 89. 72
L. Fullo actione. 90. 55
§ 1. Nemo opem aut consilium. 69
L. Si quis quum sciret. 91. 21
L. fin. Meminisse oportebit. 92. . *N.* 9. *Tit.* DE EXTRAORD. CRIMINIB.]

TITULUS III.

DE TIGNO JUNCTO.

Lex Lex XII. Tabul. 1. *h. tit. Num.* 1
§ 1. Tigni autem appellatione. 2
§ 2. Sed & Ad exhibendum. *ibid.*
L. fin. Sed si proponas. 2. 1

TITULUS IV.

SI IS QUI TESTAMENTO LIBER ESSE JUSSUS ERIT, POST MORTEM, &c.

Lex Si dolo malo. 1. . . *h. t. Num.* 1
§ 1. Hæc autem actio. *ibid.*
§ 2. Non aliàs tenebitur. 5
¶ habet itaque certum. 6
§ 3. Qui tamen si sub. 3
§ 4. Sed ubi libertas. *ibid.*
§ 5. Si servus purè legatus. 4
§ 6. Et generaliter dicimus. *ibid.*
§ 7. Sed fideicommissaria. 3
§ 8. Ante aditam hereditatem. 6
§ 9. Si pupillus heres. 8
§ 10. Hæc actio locum. 2
§ 11. Item si fructus post. *ibid.*
§ 12. Prætereà si impubes. *ibid.*
§ 13. Sed & in omnibus. *ibid.*
§ 14. Non tantùm autem ad. 1
§ 15. Scævola ait, Possessionis. *N.* 30. *Tit.* DE FURTIS.]
§ 16. Illud verum est. 9
§ 17. Præter hanc actionem. 10
§ 18. Item heredi cæterisque. *ibid.*
§ 19. Si plures servi libertat. *ibid.*
L. Si paulò antequàm. 2. 7
L. fin. Labeo putavit. 3. 3

TITULUS V.

FURTI ADVERSUS NAUTAS, CAUPONES, STABULARIOS.

L. un. In eos qui naves. *h. tit. Num.* 1
§ 1. Navigandi autem causâ. 3
§ 2. Et est in duplum. 1
§ 3. Quum enim in cauponâ. *ibid.*
§ 4. Quòd si receperit. *ibid.*
§ 5. Servi verò sui. 5
§ 6. Caupo præstat factum. 3

TITULUS VI.

SI FAMILIA FURTUM FECISSE DICETUR.

Lex Utilissimum id. 1. *h. tit. Num.* 1
§ 1. Hæc autem facultas. 5
§ 2. Si plures servi. 3
§ 3. Quum plures servi. 8
L. Id est, & pœnæ. 2. *ibid.*
L. Quoties tantum. 3. 9
§ 1. Sed an si legati. *ibid.*
§ 2. Hujus Edicti levamentum. 4
L. Etiam heredibus ejus. 4. 7
L. Familia communis. 5. 6
L. fin. Labeo putat si. 6. 7

Source : BIU Cujas

TITULUS VII.

ARBORUM FURTIM CÆSARUM.

Lex Si furtim arbores. 1... *h. t. N.* 7
L. Sciendum eſt autem. 2. 8
L. Vitem arboris. 3. 1
§ 1. Hederæ quoque &. *ibid.*
§ 2. Idem de ſalicteto. *ibid.*
§ 3. Sed ſi quis ſaligneas. *ibid.*
§ 4. Quòd ſi quis ex ſeminario. *ibid.*
§ 5. Ideò ea quoque arbor. *ibid.*
§ 6. Labeo etiam eam. *ibid.*
§ 7. Stirpes oleæ. *ibid.*
§ 8. Omnium igitur harum. *ibid.*
L. Certè non dubitatur. 4. *ibid.*
L. Cædere eſt. 5. 2
¶ cingere eſt. *ibid.*
§ 1. Ejus actionis eadem. 4
§ 2. Is cujus uſusfructus. *ibid.*
§ 3. Qui autem fundum. *ibid.*
L. Si plures eamdem. 6. 5
§ 1. At ſi eadem arbor. 4
§ 2. Si arbor in vicini. 3
L. Furtim cæſæ arbores. 7. *ibid.*
§ 1. Nec eſſe hanc furti. *ibid.*
§ 2. Si quis radicitùs. 2
§ 3. Etiamſi non tota. *ibid.*
§ 4. Sive autem quis ſuis. 5
§ 5. Quòd ſi ſervo ſuo. *ibid.*
§ 6. Hæc actio etiamſi. *ibid.*
§ 7. Condemnatio autem ejus. 6
L. Faciendâ æſtimatione. 8. *ibid.*
§ 1. Furtim arborem cædit. 3
§ 2. Igitur ſi cæciderit. 7
§ 3. Qui per vim ſciente. 3
L. Si colonus ſit qui. 9. 7
L. Si gemina arbor. 10. 6
L. Sed ſi de arboribus. 11. 7
L. fin. Qui agrum vendidit. 12. 4

TITULUS VIII.

VI BONORUM RAPTORUM, ET DE TURBA.

Lex Qui rem rapuit. 1.... *N.* 66. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
L. Prætor ait: Si cui. 2.. *h. tit. Num.* 1
§ 1. Hoc Edicto contra. *ibid.*
§ 2. Dolo autem malo. 4
§ 3. Sive igitur ipſe. *ibid.*
§ 4. Homines coactos. *ibid.*
§ 5. Neque additur, quales. *ibid.*
§ 6. Sed etſi unus homo. *ibid.*
§ 7. Item ſi proponas. *ibid.*
§ 8. Doli mali mentio. 3
§ 9. Damni Prætor inquit. *ibid.*
§ 10. Cæterùm neque Furti. 13
§ 11. Vel cujus bona. 5
§ 12. Si quis non homines. 4
§ 13. In hâc actione intra. 11
§ 14. Hæc actio etiam familiæ. 10
§ 15. Hâc actione non puto. *ibid.*
§ 16. Ex hâc actione. *ibid.*
§ 17. Hæc actio vulgò. 1
§ 18. Hâc actione is demùm. 2
¶ ſi quis igitur ſuam. 6
§ 19. Vi bonorum raptorum. 2
§ 20. Si publicanus pecus. *ibid.*
§ 21. Si per vim abductum. *ibid.*
§ 22. In hâc actione non utique. 7
Series Tit. VIII. VI BON. RAPT.
L. 2. § 23. Et general. dicend. *h. t. N.* 7
§ 24. Si in re depoſitâ. *ibid.*
¶ utiliùs dicendum eſt. *ibid.*
§ 25. Si fugitivus meus. 8
§ 26. Rerum raptarum. 13
§ 27. Hæc actio heredi. 9
L. Si ſervus rapuerit. 3. 12
L. Prætor ait: Cujus dolo. 4. 14
§ 1. Hoc Edictum de eo. 15
§ 2. Turbam aut. appellatam. *ibid.*
§ 3. Turbam autem ex quo. *ibid.*
§ 4. Hoc autem Edicto tenetur. 16
§ 5. Hoc Edicto dicendum eſt. *ibid.*
§ 6. Si quis adventu ſuo. 17
§ 7. Idcircò illud quidem. 20
§ 8. Sed & hoc & illud. *ibid.*
§ 9. Loquitur autem hoc Edict. 15
§ 10. Amiſſa autem dicuntur. *ibid.*
§ 11. Hæc autem actio, In. 20
§ 12. Docereque actor. 15
§ 13. Si quum ſervum meum. 17
§ 14. Sed & ſi quis ipſe. 18
§ 15. In ſervum autem. 19
§ 16. Quæ de heredibus. *ibid.*
L. Non prodeſt ei qui. 5. 11
L. fin. Quod vi poſſeſſum. 6.. *N.* 23. *Tit.* DE USURP. ET USUC.]

TITULUS IX.

DE INCENDIO, RUINA, NAUFRAGIO, RATE NAVE EXPUGNATA.

Lex Prætor ait: In eum. 1.. *h. tit. N.* 1
§ 1. Hujus Edicti utilitas. 2
§ 2. Ex incendio quemadmod. 5
§ 3. Item ruinæ appellatio. *ibid.*
§ 4. Si ſuſpicio fuit. 9
§ 5. Item ait Prætor, SI quid. 6
L. Et loco. 2. *ibid.*
L. Quo naufragium. 3. *ibid.*
§ 1. Deindè ait Prætor, Rate. 7
§ 2. Labeo ſcribit: Æquum. *ibid.*
§ 3. Non tantùm autem qui. 3
¶ ſedenim additum eſt, Dolo. 4
§ 4. Non ſolùm autem qui. 3
§ 5. Aliud autem eſſe rapi. *ibid.*
§ 6. Qui ejectâ nave. 6
§ 7. Quod ait Prætor de damno. 4
§ 8. SCtum Claudianis. 10
L. Pedius poſſe etiam. 4. 6
§ 1. D. Antoninus de his. 11
§ 2. Hæ actiones heredibus. 2
L. Si quis ex naufragio. 5. 8
L. Expugnatur navis. 6. 7
L. Ne quid ex naufragiis. 7. 11
L. Ratis vi fluminis. 8.... *N.* 4. *Tit.* DE DAMNO INF.]
L. Qui ædes acervum-ve. 9. 14
L. Ne piſcatores nocte. 10. 13
L. Si fortuitò incendium. 11. 14
L. fin. Licere unicuique. 12. 12
§ 1. Qui datâ operâ. 14

TITULUS X.

DE INJURIIS ET FAMOSIS LIBELLIS.

Lex Injuria ex eo. 1... *h. tit. Num.* 1
§ 1. Injuriam autem fieri. 9
§ 2. Omnemque injuriam. 10
¶ in corpus ſit. 11
Series Tit. X. DE INJUR. ET FAM. LIB.
L. 1. § 2. ¶ ad dignitatem. *h. t. N.* 12
¶ ad infamiam. 13
§ 3. Item aut per ſemetipſum. 23
§ 4. Et ſi fortè cadaveri. 28
§ 5. Uſque adeò autem injuria. 27
§ 6. Quoties autem funeri. 28
§ 7. Labeo ſcribit, Si quis. 60
§ 8. Sive autem ſciat quis. 23
§ 9. Idem ait Neratius, Ex unâ. 25
L. Quòd ſi viro injuria. 2. 24
L. Illud relatum. 3. 2
§ 1. Sanè ſunt quidam. *ibid.*
§ 2. Itaque pati quis injuriam. *ibid.*
§ 3. Quarè ſi quis per jocum. 3
§ 4. Si quis hominem liberum. *ibid.*
L. Si quum ſervo. 4. *ibid.*
L. Lex Cornelia. 5. 71
¶ quâ Lege cavetur ut non. 73
¶ Lex itaq. Cornelia ex tribus. 71
§ 1. Inter pulſationem &. *ibid.*
§ 2. Domum accipere debem. *ibid.*
§ 3. Quid ſi quis in villâ. *ibid.*
§ 4. Et ſi dominus fundum. *ibid.*
§ 5. Si tamen in fundum. *ibid.*
§ 6. Illud quæritur an pater. 72
§ 7. In Lege Corneliâ filiuſf. *ibid.*
§ 8. Hâc Lege permittitur. 73
§ 9. Si quis librum ad infam. 74
§ 10. Eâdem pœnâ ex SCto. *ibid.*
§ 11. Et ei qui indicaſſet. *ibid.*
L. Quod SCtum neceſſarium. 6. *ibid.*
L. Prætor edixit, Qui agit. 7. 45
§ 1. Si dicatur homo... *N.* 71. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
§ 2. Prætereà illò ſpectat. 43
§ 3. Sed & ſi quis ex liberis. *ibid.*
§ 4. Quod aut. Prætor ait, Quid. 45
§ 5. Si mihi plures injurias. *ibid.*
§ 6. Poſſe hodie de omni. 35
§ 7. Atrocem injuriam quaſi. 29
§ 8. Atrocem aut. injuriam aut. *ibid.*
¶ Perſonâ atrocior. 30
¶ Tempore. 31
¶ Re atrocem. 32
L. Vulneris magnitudo. 8. *ibid.*
L. Sed eſt quæſtionis. 9. *ibid.*
§ 1. Sed & ſi in theatro. 31
§ 2. Parvi autem refert. 33
§ 3. Si atrocem injuriam ſervus. 47
§ 4. Si quis tam fœminam. 13
L. Adtentari pudicitia. 10. *ibid.*
L. Non ſolùm is injuriarum. 11. 40
§ 1. Injuriarum actio. 46
¶ & diſſimulatione aboletur. 52
§ 2. Agere quis Injuriarum. 44
§ 3. Si mandatu meo facta. 40
§ 4. Proculus rectè ait, Si in. *ibid.*
§ 5. Idemque ait, & ſi filio. *ibid.*
§ 6. Atilicinus autem ait. *ibid.*
§ 7. Quanq. adversùs patron. 43
§ 8. Planè ſi fortè filius. *ibid.*
§ 9. Ei qui ſervus dicitur. 16
L. Si quis de libertate. 12. *ibid.*
L. Injuriarum actio. 13. 50
§ 1. Is qui jure publico. 6
§ 2. Si quis quòd Decreto. *ibid.*
§ 3. Si quis per injuriam. *ibid.*
§ 4. Si quis de honoribus. 5
§ 5. Idem Labeo ſcribit, Si. *ibid.*
§ 6. Quæ jure poteſtatis. 7
§ 7. Si quis me prohibeat. 22
L. Sanè ſi maris. 14. *ibid.*

Source : BIU Cujas

Series Tit. X. DE INJUR. ET FAM. LIB.
L. Item apud Labeonem. 15.. *h. t. N.* 11
§ 1. Si quis pulsatus. *ibid.*
§ 2. Ait Prætor, Qui adversùs. 66
§ 3. Convicium injuriam. *ibid.*
§ 4. Convicium aut. dicitur. *ibid.*
§ 5. Sed quod adjicitur à. 67
§ 6. Idem ait; Adversùs bonos. *ibid.*
§ 7. Convicium non tantùm. 66
§ 8. Feciſſe convicium non. 68
§ 9. CUI non ſine causâ. 67
§ 10. Si curaverit quis. 68
§ 11. Ex his apparet. 66
§ 12. Sive unus ſive plures. *ibid.*
§ 13. Si quis aſtrologus. 3
§ 14. Injuriarum quæ ex. 69
§ 15. Si quis virgines. 13
§ 16. Comitem accipere. 12
§ 17. Abduxiſſe videtur. *ibid.*
§ 18. Abduxiſſe autem non. *ibid.*
§ 19. Tenetur hoc Edicto. *ibid.*
§ 20. Appellare eſt blandâ. 13
§ 21. Qui turpibus verbis. *ibid.*
§ 22. Aliud eſt appellare. *ibid.*
§ 23. Meminiſſe aut. oportebit. 14
§ 24. Sponſum quoque ad. 24
§ 25. Ait Prætor: NE quid. 63
§ 26. Hoc Ed. ſupervacuum. *ibid.*
§ 27. Generaliter vetuit Prætor. 64
§ 28. Quod ait Prætor: Si quis. 65
§ 29. Si quis libello dato. 20
§ 30. Idem ait, Eum qui. 18
§ 31. Si quis bona alicujus. 21
§ 32. Item ſi quis pignus. 19
§ 33. Si quis non debitorem. *ibid.*
§ 34. Prætor ait: Qui ſervum. 53
§ 35. Si quis ſic fecit injuriam. 56
§ 36. Si communem quis ſerv. 54
§ 37. Nec ſi fructuarius. *ibid.*
§ 38. Adjicitur, Adversùs bon. *ibid.*
§ 39. Undè quærit Labeo, Si. *ibid.*
§ 40. Verberaſſe dicitur. *ibid.*
§ 41. Quæſtionem intelligere. 55
§ 42. Sed etſi juſſu domini. 57
§ 43. Prætor ait: Si quid aliud. 56
§ 44. Itaque Prætor non ex. *ibid.*
§ 45. Interdum injuria ſervo. *ibid.*
§ 46. Si quis ſervo verberato. *N.* 67. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
§ 47. Si uſumfruct. in ſervo. 59
§ 48. Item ſi liberum homin. *ibid.*
§ 49. Si ſervum complurium. 58
L. Sed non eſſe æquum. 16. *ibid.*
L. Sed ſi unius permiſſu. 17. *ibid.*
§ 1. Si juſſu tutoris. 57
§ 2. Servus meus operâ... *N.* 67. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
§ 3. Quædam injuriæ à liberis. 30
§ 4. Quum ſervus injuriam. 47
§ 5. Ait Prætor, Arbitratu. *ibid.*
§ 6. Si ante judicem dominus. *ibid.*
§ 7. Si juſſu domini ſervus. 48
§ 8. Planè ſi defendendi. *ibid.*
§ 9. Si ſervus in quo uſusfr... *N.* 7. *Tit.* DE NOXAL. ACT.]
§ 10. Ait Prætor: Si ei qui. 36
§ 11. Filiofamilias injuriam. *ibid.*
§ 12. Planè ſi præſens. *ibid.*
§ 13. Interd. tamen putamus. *ibid.*
§ 14. Sed ſi pater lite. *ibid.*
§ 15. Procuratorem patris. 37

Series Tit. X. DE INJUR. ET FAM. LIB.
L. 17. § 16. Procuratorem aut. *h. t. N.* 37
§ 17. Quod aut. ait Prætor, causâ. 38
§ 18. Quod deindè ait, Qui. *ibid.*
§ 19. Idem Julian. ſcribit, Fil. 39
§ 20. Idem ait, Et ſi nepoti. *ibid.*
§ 21. Si filiusfam. Injuriarum. *ibid.*
§ 22. Idem ait, Filiof. Injuriar. *ibid.*
L. Eum qui nocentem. 18. 8
§ 1. Si ſervus ſervo. 61
§ 2. Si nupta filiafamiliæ. 25
§ 3. Si injuria mihi fiat. 4
§ 4. At quum aliquis. *ibid.*
§ 5. Quòd ſi ſciſſet filiumf. *ibid.*
L. Si creditor meus. 19. 19
L. Si injuriæ faciendæ. 20. *ibid.*
L. Injuriarum æſtimatio. 21. 46
L. Si liber pro fugitivo. 22. 16
L. Qui in domum alienam. 23. 21
L. Si quis proprium. 24. 22
L. Si ſtuprum ſerva. 25. 62
L. Si quis ſervum meum. 26. 27
L. Si ſtatua patris. 27. 28
L. Injuriar. actio in. 28. 50
L. Si ſervum cujus. 29. 60
L. Servo aut. manumiſſo. 30. *ibid.*
§ 1. Si filio injuria. 26
L. Cùm poſſit propter. 31. *ibid.*
L. Nec magiſtratibus. 32. 42
L. Quod Reipub. venerandæ. 33. 7
L. Si plures ſervi. 34. 49
L. Si quis injuriam. 35.. *N.* 9. *Tit.* DE EXTRAORD. CRIM.]
L. Si filii nomine. 36... *N.* 4. *Tit.* JUDICAT. SOLV.]
L. Conſtitutionib. Principal. 37. 76
§ 1. Etiam ex Lege Corneliâ. 70
L. SCto cavetur. 38. 76
L. Veſtem ſordidam. 39. 64
L. D. Severus Dionyſio. 40.. *N.* 12. *Tit.* DE DECURION.]
L. Pater cujus filio. 41. 25
L. Judici ab appellatorib. 42. 67
L. Qui injuriar. actionem. 43.... *N.* 9. AD. SC. TURPILL.]
L. Si inferiorum dominus. 44. 21
L. fin. De injuriâ nunc. 45... *N.* 9. *Tit.* DE EXTRAORD. CRIMIN.]

TITULUS XI.

DE EXTRAORDINARIIS CRIMINIBUS.

Lex Sollicitatores. 1.... *h. tit. Num.* 2
§ 1. Fit injuria contra. 9
§ 2. Qui puero ſtuprum. 2
L. Sub prætextu. 2... *N.* 2. *Tit.* DE COLLEG. ET CORP.]
L. Stellionatûs vel. 3. 3
L. D. Sever. & Antonin. 4. 6
L. In eum cujus inſtinctu. 5. 9
L. Annonam adtentare. 6. 5
§ 1. Onerant annonam etiam. *ibid.*
§ 2. Sed & D. Hadrianus. *ibid.*
L. Saccularii qui. 7.. *N.* 3. *Tit.* DE EFFRACT. ET EXPILATOR.]
L. Sunt prætereà crimina. 8. 7
L. Sunt quædam quæ. 9. 8
L. In Ægypto. 10. *ibid.*
L. fin. In circulatores. 11. 7

TITULUS XII.

DE SEPULCRO VIOLATO.

Lex Sepulcri viol. actio inf. 1.. *h. t. N.* 8
L. Si ſepulcrum quis. 2. ¶ idem quærit, ſi neque. } *N.* 24. *Tit.* QUOD VI AUT CLAM.]
L. Prætor ait: Cujus. 3. 5
¶ ſi quis in ſepulcro, dolo. 9
§ 1. Prima verba. 5
§ 2. Sepulcri aut. appellatione. 2
§ 3. Si quis in hereditarium. 3
§ 4. Non perpetuæ ſepulturæ.. *N.* 54. *Tit.* DE RELIGIOS.]
§ 5. D. Hadrianus Reſcripto.... *N.* 10. *d. tit.*]
§ 6. Si quis in ſepulcro habit. 9
§ 7. Adversùs eos qui cadav. 10
§ 8. Qui de ſepulcri violati. 6
§ 9. Si ad plures jus. *ibid.*
§ 10. Si is cujus intereſt. 7
§ 11. Si ſervus in ſepulcro. 9
§ 12. Hæc actio popularis. *ibid.*
L. Sepulcra hoſtium. 4. 2
L. Utimur eo jure. 5... *N.* 56. *Tit.* DE RELIGIOS.]
L. Sepulcri viol. actio inprimis. 6. 7
L. Sepulcri deteriorem. 7. 4
L. Sepulcri violati crimen. 8. 1
L. De ſepulcro violato. 9. *ibid.*
L. Quæſitum eſt an ad. 10. 6
L. fin. Rei ſepulcrorum. 11. 10

TITULUS XIII.

DE CONCUSSIONE.

Lex Si ſimulato Præſid. 1... *h. t. N.* 1
L. fin. Concuſſionis judicium. 2. *ibid.*
¶ ſed ſi ideò pecuniam. 2

TITULUS XIV.

DE ABIGEIS.

Lex De Abigeis puniend.. 1. *h. t. N.* 5
§ 1. Abigei autem propriè. 1
§ 2. Sed & qui porcam. 2
§ 3. Quanquam aut. Hadrianus. 5
§ 4. Qui pecora de quorum. 3
L. Abigeatûs crimen. 2. 5
L. fin. Oves pro numero. 3. 2
§ 1. Eum quoque pleniùs. 5
§ 2. Qui ſæpiùs abegerunt. 2
§ 3. Receptores abigeorum. 6

TITULUS XV.

DE PRÆVARICATIONE.

Lex Prævaricator eſt. 1... *h. t. Num.* 2
§ 1. Is autem prævaricator. *ibid.*
L. Sciendum eſt quòd. 2. 4
L. Prævaricationis judicium. 3. 3
§ 1. Nam ſi reus accuſatori. *ibid.*
§ 2. Quòd ſi Advocato. *ibid.*
§ 3. Si ideò quis accuſetur. *ibid.*
L. Si is de cujus. 4. 5
L. Accuſator in prævar. 5. *ibid.*
L. Ab Imperatore noſtro. 6. 4
L. fin. In omnibus cauſis. 7... *N.* 7. *Tit.* DE BON. EOR. QUI ANT. SENT.]

TITULUS XVI.

Source : BIU Cujas

TITULUS XVI.

DE RECEPTATORIBUS.

Lex Peſſimum genus. 1. *h. tit. Num.* 1
L. fin. Eos apud quos adfinis. 2. 2

TITULUS XVII.

DE FURIBUS BALNEARIIS.

Lex Fures nocturni. 1. . . *h. t. Num.* 1
¶ ſed ſi telo ſe fures defend. *ibid.*
L. Sed ſi interdiù. 2. 2
L. fin. Miles qui in furto. 3. 1

TITULUS XVIII.

DE EFFRACTORIBUS ET EXPILATORIBUS.

Conjunctus eſt cum præced. * De Furib. *Numeris utrique communibus.*

Lex De his qui carcere. 1. . *N.* 15. *Tit.* DE CUSTOD. ET EXHIB. REOR.]
§ 1. Expilatores. . . *d. t.* * *Num.* 3
§ 2. Simili modo & ſaccular. *ibid.*
¶ ſed enim D. Marcus effr. *ibid.*
¶ oportebit autem æquè. *ibid.*
L. fin. Inter effractores. 2. 4

TITULUS XIX.

EXPILATÆ HEREDITATIS.

Lex Si quis alienam. 1. . . *h. t. Num.* 1
L. Si expilatæ hereditatis. 2. *ibid.*
§ 1. Apparet autem expilatæ. *ibid.*
L. D. Sever. & Antonin. 3. . *N.* 73. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
L. Res hereditarias. 4. 5
L. Uxor expilatæ. 5. 3
L. fin. Si rem hereditariam. 6. . . . *N.* 31. *Tit.* DE FURTIS.]

TITULUS XX.

STELLIONATÛS.

Lex Actio ſtellionatûs. 1. *h. t. Num.* 4
L. Stellionatûs judicium. 2. 5
L. Stellionatûs accuſatio. 3. 4
§ 1. Stellionatum autem objici. 1
¶ & ut generaliter dixerim. *ibid.*
§ 2. Pœna autem ſtellionatûs. 5
§ 3. Qui merces ſuppreſſit. 1
L. fin. De perjurio. 4. 3

TITULUS XXI.

DE TERMINO MOTO.

Lex Terminorum avulſor. 1. *h. t. Num.* 1
L. D. Hadrianus in hæc. 2. *ibid.*
L. fin. Lege Agrariâ. 3. *ibid.*
§ 1. Aliâ quoque Lege. *ibid.*
§ 2. Hi quoque qui finalium. 2

TITULUS XXII.

DE COLLEGIIS ET CORPORIBUS.

Lex Mandatis Principalib. 1. *h. t. N.* 1
§ 1. Sed religionis causâ. 2
§ 2. Non licet autem ampliùs. 5
L. Quiſquis illicitum. 2. 4
L. Collegia ſi qua. 3. 3
§ 1. In ſummâ autem niſi. 1
§ 2. Servos quoque licet. *ibid*
L. fin. Sodales ſunt. 4. . *N.* 2. *Tit.* QUOD CUJUSC. UNIVERSIT.]

TITULUS XXIII.

DE POPULARIBUS ACTIONIBUS.

Lex Eam popularem. 1. *h. tit. Num.* 1
L. Si plures ſimul. 2. 2
L. Sed ſi ex eâdem causâ. 3. . *N.* 21. *Tit.* DE EXCEPT. REI JUD.]
§ 1. In popularibus. 2
L. Popularis actio. 4. *ibid.*
L. Qui populari actione. 5. *N.* 13. *Tit.* DE PROCURAT.]
L. Mulieri & pupillo. 6. 2
L. Populares actiones. 7. 3
§ 1. Item qui habet has. *ibid.*
L. fin. Omnes populares. 8. 4

LIBER QUADRAGESIMUS-OCTAVUS.

TITULUS I.

DE PUBLICIS JUDICIIS.

LEX Non omnia judicia. 1. *h. t. N.* 1
L. Publicorum judicior. 2. 3
L. Publica accuſatio. 3. 4
L. Interdum evenit. 4. . . *N.* 71. *Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
L. Si qui reus factus. 5. } *N.* 7. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
§ 1. Illud incertum eſt. }
§ 2. Inchoatas planè. }
L. Defuncto eo qui. 6. 6
L. Infamem non ex. 7. 2
L. Ordo exercendorum. 8. . *N.* 38. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
L. Sciendum eſt ſi. 9. . . . . *N.* 20. *Tit.* QUI SINE MANUM.]
L. Inter accuſatorem. 10. . . *N.* 27. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
L. Servus etiam per. 11. . . *N.* 26. *d. tit.*]
L. Cuſtodias auditurum. 12. . . . *N.* 44. *d. tit.*]
L. Accuſatore defuncto. 13. . . . . *N.* 37. *Tit.* AD SC. TURPILL.]
§ 1. Ad crimen judicii. *N.* 24. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
L. fin. Generi ſervis. 14. . . *N.* 3. *Tit.* AD SC. TURPILL.]

TITULUS II.

DE ACCUSATIONIBUS ET INSCRIPTIONIBUS.

Lex Non eſt permiſſum. 1. *h. t. Num.* 4
L. Certis ex cauſis. 2. *ibid.*
§ 1. Pupillis ex conſilio. 5
L. Libellorum inſcriptionis. 3. 29
§ 1. Quòd ſi libelli. *ibid.*
§ 2. Item ſubſcribere debebit. *ibid.*
§ 3. Sed & ſi aliud crimen. *ibid.*
§ 4. Si accuſator deceſſerit. . . *N.* 37. *Tit.* AD SC. TURPILL.]
L. Is qui judicio publico. 4. 6
L. Servos quoque adulterii. 5. . . *N.* 12. *Tit.* AD L. JUL. DE ADULT.]
L. Levia crimina audire. 6. 43
L. Si cui crimen objiciatur. 7. 38
§ 1. Cavent itaque. 30
§ 2. Hiſdem criminibus quibus. 41
§ 3. Si tamen alio crimine. 8
§ 4. Idem Imper. reſcripſit, ſerv. 19
§ 5. Quum ſacrilegium admiſſ. 20
L. Qui accuſare poſſunt. 8. 1
L. Alii propter ſuſpicionem. 9. *ibid.*
L. Nonnulli propter paupert. 10. *ibid.*
L. Hi tamen omnes. 11. 2
§ 1. Liberi libertique. 12
§ 2. Ab alio delatum. 41
L. Hos accuſare non licet. 12. 15
§ 1. Hoc beneficio etiam. *ibid.*
§ 2. Lege Juliâ judiciorum. 9

Series Tit. II. DE ACCUSAT. ET INSCR.
L. 12. § 3. Si ſervus reus. *h. t. Num.* 35
§ 4. Omnibus autem legibus. 16
L. Mulierem propter public. 13 13
L. Senatus cenſuit ne quis. 14. . . *N. fin. Tit.* DE OBLIG. ET ACT.]
L. In eum cujus dolo. 15. . *N.* 71. *d. tit.*]
L. Si plures exiſtant. 16. 28
L. Si ſervum dominus. 17. 26
L. Quum Titia teſtamentum. 18. 14
L. D. Fratres reſcripſerunt. 19. . . *N.* 37. *Tit.* AD SC. TURPILL.]
§ 1. Item non oportere. *N.* 15. *d. tit.*]
L. Ex judiciorum publicor. 20. . . *N.* 5. *Tit.* DE PUBL. JUDIC.]
L. Capitis reus ſuſpenſo. 21. 7
L. fin. Alterius provinciæ. 22. 18

TITULUS III.

DE CUSTODIA ET EXHIBITIONE REORUM.

Lex De cuſtodiâ reorum. 1. *h. t. Num.* 1
L. Si ſervus capitali crimine. 2. 10
§ 1. Solet itaque tractari. *ibid.*
§ 2. Qui exhibendi poſtulati. 19
L. D. Pius ad epiſtolam. 3. 2
L. Si quis reum criminis. 4. 3
L. Si confeſſus fuerit. 5. 9

Source : BIU Cujas

Series Tit. III. DE CUST. ET EXH. REOR.

L. D. Hadrian. Julio. 6. } *N.* 42. *Tit.*
§ 1. Sed & Caput Mandatorum. } DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
L. Solent Præsides. 7. . *N.* 19. *d. tit.*]
L. Carceri præpositus. 8. *h. t. Num.* 14
L. De militibus ita. 9. . . *N.* 18. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
L. Ne quis receptam. 10. 16
L. Non est dubium quin. 11. *N.* 21. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
§ 1. Illud à quibusdam. . *ibid.*]
L. Milites si amiserint. 12. 6
§ 1. Si paganos evaserit. *ibid.*
L. In eos qui quum recepti. 13. 15
L. fin. Non est facilè tyroni. 14. 4
§ 1. Nec uni sed duobus. *ibid.*
§ 2. Qui si negligentiâ. *ibid.*
§ 3. Sed si se custodia. *ibid.*
§ 4. Quòd si ipse custos. *ibid.*
§ 5. Ergo si casu custodia. *ibid.*
§ 6. Solet prætereà amissa. 5
§ 7. Quòd si fugitivum. *ibid.*

TITULUS IV.

AD LEGEM JULIAM MAJESTATIS.

Lex Proximum sacrilegio. 1. *h. t. N.* 2
§ 1. Majestatis autem crimen. 3
L. Qui de provinciâ. 2. *ibid.*
L. Lex XII. Tabular. 3. 1
¶ Lex autem Julia Majestatis. 3
L. Cujusque dolo malo. 4. *ibid.*
§ 1. Hoc crimine liberatus. 6
L. Non contrahit crimen. 5. *ibid.*
§ 1. Nec qui lapide. *ibid.*
§ 2. Iidem Pontio rescripser. *ibid.*
L. Qui statuas aut imagines. 6. *ibid.*
L. Famosi qui jus. 7. 9
§ 1. Sed & milites. *ibid.*
§ 2. Servi quoque deferentes. *ibid.*
§ 3. Hoc tamen crimen. 6
§ 4. Crimen Majestatis facto. *ibid.*
L. In quæstionibus læsæ. 8. 9
L. Eorum qui Majest. 9. . . *N.* 36. *Tit.* DE JUR. PATRON.]
L. Majestatis crimine. 10. 3
L. fin. Is qui in reatu. 11. 11
¶ planè non quisquis. 12

TITULUS V.

AD LEGEM JULIAM DE ADULTERIIS COERCENDIS.

Lex Hæc Lex lata. 1. . *h. tit. Num.* 1
L. Ex Lege Juliâ. 2. 32
§ 1. Marito jure mariti. 37
§ 2. Lenocinii quid. crimen. 78
§ 3. Cæterùm qui patitur. 81
§ 4. Qui hoc dicit, lenocinio. 48
§ 5. Si publico judicio. 40
§ 6. Unde quæri potest. *ibid.*
§ 7. Extraneus autem. 48
§ 8. Si simul ad accusationem. 15
§ 9. Sed & quotiens alii. 28
L. Nisi igitur pater. 3. 15
L. Si maritus prævenerit. 4. 22
§ 1. Extraneis autem qui. 24
§ 2. Si antè extraneus instituerit. 20
L. Nuptam mihi. 5. 31

Series Tituli V. AD L. JUL. DE ADULT.

L. Inter liberas tantùm. 6. *h. tit. Num.* 7
§ 1. Lex stuprum &. 2
§ 2. Filiusfam. maritus. 16
§ 3. Maritus etsi duos. 17
L. Qui pupillam suam. 7. 71
§ 1. In lib. 2°. DE Adulteriis. 75
L. Qui domum suam ut stupr. 8. 86
§ 1. Appellatione domûs. *ibid.*
L. Et, si amici. 9. *ibid.*
§ 1. Sed & si quis in agro. *ibid.*
§ 2. Sed & si in domum. *ibid.*
L. Mater autem famil. 10. *ibid.*
§ 1. Mulieres quoque hoc. 88
§ 2. Mulier quæ evitandæ. 9
L. Miles qui cum adultero. 11. 78
§ 1. Militem qui fororis. 72
§ 2. Ea quæ inter reas. . *N.* 24. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
§ 3. Socer quum nurum. *N.* 14. *Tit.* DE DIVORT.]
§ 4. Adulterii reum. 17
§ 5. Quidam accusare volebat. 19
§ 6. Sexaginta dies qui. 21
¶ quod privilegium si. 25
§ 7. Quærebatur an jure mariti. 5
§ 8. Defuncto marito. 30
§ 9. Quæ propter impuberem. 46
§ 10. Volenti mihi ream. 29
§ 11. Licèt ei mulier qui. 32
§ 12. Mulier cùm absentem. 10
§ 13. Ream adulterii uxorem. *N.* 9. *Tit.* DE DIVORT.]
L. Hæc verba Legis, ne. 12. 86
L. Si uxor non fuerit. 13. 4
§ 1. Planè sive justa uxor. *ibid.*
§ 2. Sed & in eâ uxore. 9
§ 3. D. Sever. & Anton. rescripsi. 5
§ 4 Sed & si ea sit mulier. 4
§ 5. Judex adulterii ante. 40
§ 6. Si quis uxorem suam velit. 23
§ 7. Si quis planè uxorem. *ibid.*
§ 8. Si minor duodecim annis. *ibid.*
§ 9. Sed & si qua repudiata. 38
§ 10. Idem dicendum est. *ibid.*
L. Is cujus ope. 14 87
§ 1. Si vir infamandæ. 80
§ 2. Marito primùm, vel. 14
§ 3. Jure mariti qui. 51
L. Si maritus sit in. 15. 15
§ 1. Legis Juliæ DE Adulteriis. . *N.* 14. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
§ 2. Necessàriò adjicitur. } *ibid.*]
§ 3. Quòd si quis præsens sit. } *ibid.*]
§ 4. Et generaliter dicendum est. } *ibid.*]
§ 5. Si negaverint se pater. 24
§ 6. Lex Julia DE Adulteriis. 26
¶ quod ita verum est. *ibid.*
¶ minorem 25. annis. *ibid.*
§ 7. Præscriptiones quæ objici. 48
§ 8. Si in viduitate. 34
§ 9. Si quis & adulterum. 49
L. Qui uxori repudium. 16. 35
L. Denuntiasse qualiter. 17. 36
§ 1. Quid ergo, si non quidem. *ibid.*
§ 2. Quid ergo si tantùm. *ibid.*
§ 3. Quid tamen si specialiter. *ibid.*
§ 4. Sed & si per procuratorem. 35
§ 5. Ergo & si per actores. *ibid.*

Series Tituli V. AD L. JUL. DE ADULT.

L. 17. § 6. Quæritur an alius. *h. t. N.* 50
§ 7. Sed si antequàm. 33
L. Vel antequàm. 18. *ibid.*
L. Adulter diem. 19. *ibid.*
§ 1. Sed & si non mors. *ibid.*
§ 2. Si eo tempore quo. 34
§ 3. Nupta non potest. 33
¶ planè si nupta esse. 34
L. Patri datur jus. 20. 59
L. Sic eveniet ut nec. 21. *ibid.*
L. Nec in eâ Lege. 22. *ibid.*
§ 1. In occisionem viduæ. (*Malè vulgò* accusationem.) 69
§ 2. Jus occidendi patri. 60
§ 3. Sed qui occidere potest. 66
§ 4. Ideò autem patri. 63
L. Quod ait Lex, IN filiâ. 23. 61
§ 1. Sufficit patri, si eo. 59
§ 2. Quare non ubicumque. 60
§ 3. Sed si pater alibi. *ibid.*
§ 4. Quod ait Lex, IN continenti. 61
L. Marito quoque adulterum. 24. 62
§ 1. Et præcipitur ut is. 63
§ 2. Cæterùm sui juris. 64
§ 3. Illud in utroque. 65
L. Capite 5°. Legis Juliæ. 25. 67
§ 1. Ego arbitror etiam. *ibid.*
§ 2. Sed etsi non in domo. *ibid.*
§ 3. Sed semel remissus. *ibid.*
§ 4. Quid ergo si evaserit. *ibid.*
§ 5. Quod adjicitur, testandæ. *ibid.*
L. Constante matrimonio. 26. 30
§ 1. Derelictam verò à marito. 24
L. Si postulaverit accusator. 27. . . *N.* 8. *Tit.* AD SC. TURPILL.]
§ 1. Sed dispiciamus, cui. } *ibid.*]
§ 2. Eum quoque qui pignori. } *ibid.*]
§ 3. Sed & si ususfructus. } *ibid.*]
§ 4. Et si communis plurium. } *ibid.*]
§ 5. Si liber homo dum. } *ibid.*]
§ 6. Haberi quæstionem. 52
§ 7. Quæstioni interesse. *N.* 31. *Tit.* DE QUÆSTION.]
§ 8. De eoque servo, in quo. 52
§ 9. Ergo & si bonâ fide. *ibid.*
§ 10. Sed & si servus sit. *ibid.*
§ 11. Jubet Lex eos homines. *N.* 37. *Tit.* DE QUÆSTION.]
§ 12. Non tamen priùs publicantur. } *ibid.*]
§ 13. Sed etsi negaverint. } *ibid.*]
§ 14. Sed & servi accusatoris. } *ibid.*]
§ 15. Si reus vel rea absoluti. } *N.* 38. *d. tit.*]
§ 16. Notandum est, quod. } *N.* 38. *d. tit.*]
L. Quod ex his causis. 28.
L. Mariti lenocinium. 29. 79
§ 1. Quod ait Lex, Adulterii. 84
§ 2. Plectitur & qui pretium. 87
§ 3. Qui quæstum ex adulterio. 78
§ 4. Quæstum autem ex adult. *ibid.*
¶ quòd si patiatur uxorem. 81
§ 5. Sex mensium hæc fit. 44
§ 6. Hoc quinquennium obs. 41
§ 7. Quinquennium autem ex eo. 42
§ 8. Hoc ampliùs SCto. *ibid.*
§ 9. Eum autem qui per vim. 41

Source : BIU Cujas

Series Tit. V. AD L. JUL. DE ADULT.
L. Pater ſine periculo. 30... *h. t. N.* 51
§ 1. Sexaginta dies à. 19
L. Quinquennium non. 31. 43
L. Nihil intereſt adulteram. 32. 61
§ 1. Quum alterum ex adulteris. 49
L. Si quis adulterium. 33.. *N.* 27. *Tit.* DE QUÆSTION.]
§ 1. Si quis adulterum non. 79
§ 2. Si uxor ex adulterio. 83
L. Stuprum committit. 34. 68
§ 1. Adulterium in nuptâ. *ibid.*
L. Accuſaturus adulterii. 35. *N.* 29. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
L. Si minor annis adult. 36. 12
L. Filiumfamil. publico. 37. 16
L. Si adulterium cum inceſto. 38. 72
§ 1. Stuprum in ſororis. *ibid.*
§ 2. Quare mulier tunc. *ibid.*
§ 3. Nonnunquam tamen. 73
§ 4. Fratres denique Imperat. *ibid.*
§ 5. Iidem Imperat. reſcripſ. *ibid.*
§ 6. Idem Pollioni in hæc. *ibid.*
§ 7. Inceſtum autem quod. *ibid.*
§ 8. Imperator Marcus-Anton. 64
§ 9. Liberto patroni famam. 18
¶ certè ſi patronum qui ſit. 62
§ 10. Si quis in honore... *N.* 15. *Tit.* DE ACCUS. ET INCRIPT.]
L. Vim paſſam. 39. 11
§ 1. Nuptâ quoque muliere. 30
§ 2. In matrimonio quoque. 29
§ 3. Nupta priuſquàm adulter. 35
§ 4. Mulierem ob latronum. 82
§ 5. Præſcriptione quinq. ann. 75
§ 6. Duos quidem adulterii.... *N.* 16. *Tit.* AD SC. TURPILL.]
§ 7. Inceſti commune crimen. 75
§ 8. De ſervis quæſtionem. *ibid.*
L. Quæſitum eſt an ea. 40. 84
§ 1. Item quæritur an idem. *ibid.*
L. In crimine adulterii. 41. 54
L. Si is qui jus annulor. 42. 56
L. Si ex Lege repudium. 43. 10
L. fin. Defunctâ quoq. ſocru. 44. 75

TITULUS VI.

AD LEGEM JULIAM DE VI PUBLICA.

Lex Lege Juliâ.. qui arma. 1.. *h. t. N.* 4
L. Excipiuntur autem arma. 2. *ibid.*
L. In eâdem causâ. 3. *ibid.*
§ 1. Eâd. Lege tenetur qui pub. 5
§ 2. In eâdem causâ ſunt qui. *ibid.*
§ 3. Item tenetur qui ex. *ibid.*
§ 4. Prætereà punitur. 7
§ 5. Sed & qui in incendio. 5
§ 6. Eâd. Lege tenetur qui hom. *ibid.*
L. Uti-ve id ſtaret. 4. *ibid.*
L. Qui cœtu. 5. 6
§ 1. Si de vi & poſſeſſione... *N.* 15. *Tit.* DE EXCEPTIONIB.]
§ 2. Qui vacantem mulierem. 7
L. Et eum qui puerum. 6. *ibid.*
L. Lege Juliâ... qui quum. 7. 1
L. Lege Jul. de vi publ. cavet. 8. *ibid.*
L. Armatos non utique. 9. 4
L. Qui dolo malo fecerit. 10. 3
¶ exceptus eſt qui propter. 4

Series Tit. VI. AD L. JUL. DE VI PUBL.
L. 10. § 1. Hâc Lege tenet. &.. *h. t. N.* 6
§ 2. Damnato de vi publicâ. 11
L. Hi qui ædes alienas. 11. *ibid.*
§ 1. Telorum aut. appellatione. 5
§ 2. Qui telum tutandæ... *N.* 3. *Tit.* AD L. CORNEL. DE SICAR.]
L. fin. Qui nova vectigalia. 12. 3

TITULUS VII.

AD LEGEM JULIAM DE VI PRIVATA.

Conjunctus eſt cum Tit. præced. * DE Vi publ. *Numeris utrique communibus.*

Lex De vi privatâ. 1... *d. tit.* * *N.* 13
§ 1. Eâdem pœnâ adficiuntur. *ibid.*
§ 2. Sed & ex Conſtitutionib.. *N.* 9. *Tit.* DE EXTRAORD. CRIMIN.]
L. Hâc Lege tenetur qui. 2. 9
L. Nec intereſt liberos. 3. *ibid.*
§ 1. Nec minùs hi qui. *ibid.*
§ 2. Sed ſi nulli convocati. 10
L. Legis Juliæ de vi priv. 4. 8
§ 1. Et ſi quis quæſtionem. *ibid.*
L. Si quis aliquem. 5. 9
L. Ex SCto Voluſiano. 6. 10
L. Creditores ſi adversùs. 7. *ibid.*
L. fin. Si creditor ſine. 8. *ibid.*

TITULUS VIII.

AD LEGEM CORNELIAM DE SICARIIS ET VENEFICIIS.

L. Lege Corn. de Sicariis. 1.. *h. t. N.* 2
§ 1. Prætereà tenetur qui. 3
§ 2. Et qui hominem occiderit. 5
§ 3. D. Hadrianus reſcripſit, eum. 13
§ 4. Item D. Hadrianus. 10
§ 5. Sed & in eum qui. 21
L. Inauditum filium. 2.. *N.* 18. *Tit.* DE HIS QUI SUI VEL ALIEN.]
L. Ejuſd. Legis Cornel. 3. 16
§ 1. Ejuſdem Legis pœnâ. *ibid.*
§ 2. Adjectio autem iſta. *ibid.*
¶ ſed ex SCto relegari. *ibid.*
§ 3. Alio SCto effectum. *ibid.*
§ 4. Item is cujus familia. 3
¶ & qui hominem libidinis. 4
§ 5. Legis Cornel. de Sicariis. 21
§ 6. Transfugas licet. 7
L. Lege Corn. de Sicar. 4. 8
§ 1. Quum quidam per. 14
§ 2. Idem D. Hadrianus. reſcr. 4
L. Hi quoque qui thlibias. 5. *ibid.*
L. Is qui ſervum caſtrandum. 6. *ibid.*
L. In Lege Corneliâ. 7. 13
L. Si mulierem viſcerib. 8. 6
L. Furem nocturnum. 9. 10
L. Si quis dolo inſulam. 10. 23
L. Circumcidere Judæis. 11. 4
§ 1. Servo ſine judice. 5
§ 2. Poſt Legem Petroniam... *N.* 3. *Tit.* DE HIS QUI SUI VEL AL.]
L. Infans vel furioſus. 12. 12
L. Ex SCto ejus. 13. 17
L. D. Hadrian. in hæc. 14. 18

Series Tit. VIII. AD L. CORN. DE SIC.
L. Nihil intereſt, occidat. 15.. *h. t. N.* 3
§ 1. Mandator cædis. *ibid.*
L. Qui cædem admiſerunt. 16. 21
L. fin. Si in rixâ percuſſus. 17. 13

TITULUS IX.

DE LEGE POMPEIA DE PARRICIDIIS.

L. Lege Pomp. de Parric. 1... *h. t. N.* 2
L. Frater autem ejus. 2. 3
L. Sed ſciendum eſt. 3. 2
L. Cùm pater & mater. 4. *ibid.*
L. D. Hadrianus fertur. 5... *N.* 18. *Tit.* DE HIS QUI SUI VEL AL.]
L. Utrùm qui occiderunt. 6. 3
L. Si ſciente creditore. 7 *ibid.*
L. Parricidii poſtulatus. 8. 7
L. Pœna parricidii. 9. 5
§ 1. Qui alias perſonas. 6
§ 2. Sanè ſi per furorem. 4
L. fin. Eorum qui parricidii. 10... *N.* 38. *Tit.* DE SC. SILAN.]

TITULUS X.

DE LEGE CORNELIA DE FALSIS, ET DE SCto LIBONIANO.

L. Pœna Legis Corn. 1... *h. t. N.* 27
§ 1. Item ob inſtruendam. 28
§ 2. Sed & ſi quis ob renunc. 29
¶ & qui judicem corruperit. 30
§ 3. Sed & ſi judex. 32
§ 4. Qui in rationibus. 24
§ 5. Is qui aperuerit. 3
§ 6. Is qui depoſita. 24
§ 7. Ad teſtamenta militum. 15
§ 8. Inter filium & ſervum. 17
§ 9. Ex illâ quoque causâ. 33
§ 10. Sed ad illos hoc non. *ibid.*
§ 11. Iidem Principes reſcr. *ibid.*
§ 12. Sed ſi jure hereditario. *ibid.*
§ 13. Pœna falſi vel. 36
L. Qui teſtamentum amoverit. 2. 1
L. Qui ignorans falſum. 3. 39
L. Si quis quum falsò. 4.... *N.* 6. *Tit.* DE PUBL. JUDIC.]
§ 1. Indè D. quoque Marcus... *N.* 9. *Tit.* DE HIS QUÆ UT INDIGN. AUFER.]
L. Senatus pœnam. 5. 16
L. Si quis legatum. 6. 21
§ 1. Si inſtitutus heres. 11
§ 2. Similiter & is qui. 12
§ 3. Si patronus teſtamento.... *N.* 27. *Tit.* DE BON. LIBERT.]
L. Nullomodo ſervi. 7... *N.* 10. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
L. Quicumque nummos. 8. 42
L. Lege Cornel. cavetur. 9. 41
§ 1. Eâdem pœnâ afficitur. *ibid.*
§ 2. Eâdem Lege exprimitur. *ibid.*
§ 3. Pœna Legis Corneliæ. 23
¶ item qui falſas teſtationes. 27
§ 4. Qui delatorem ſummiſit. 28
L. De eo qui ei in. 10. 8
§ 1. Illud conſtat, ſi extraneo. 6
L. Si pater filio. 11. 7

Source : BIU Cujas

Series Tit. X. DE L. CORN. DE FALS.
L. 11. § 1. Et quum matri fil.. *h. t. N.* 9
L. Quum falsi reus. 12.... *N.* 6. *Tit.* DE PUBL. JUDIC.]
L. Falsi nominis. 13. 35
§ 1. Ordine Decurionum. 26
L. Filius emancipatus. 14. 22
§ 1. Sequens quæstio est. 6
§ 2. Maritus servum. 20
L. D. Claudius Edicto. 15. 5
¶ scribere autem sibi. 8
§ 1. planè Constitutionibus. 17
§ 2. Item Senatus censuit, ut. *ibid.*
§ 3. Et quatenùs de solâ. *ibid.*
§ 4. Matri quoque cui per. 22
§ 5. Idem in filiam quæ. *ibid.*
§ 6. Si quis duobus heredib. 19
L. Instrumentorum subreptor. 16. 26
§ 1. Paulus resp. Legis Corn. 23
§ 2. Sed & cæteros qui. 24
L. Quum quidam suâ manu. 17... *N.* 3. *Tit.* DE HIS QUÆ PRO NON SCRIPT.]
L. Uxori legatum. 18. 9
§ 1. Qui se filio testatoris.... *N.* 64. *Tit.* DE EXCUSAT. TUT.]
L. Qui falsam monetam. 19. 41
§ 1. Accusatio suppositi. 49
L. Falsi pœnâ coercentur. 20. 28
L. Qui duob. in solidum. 21. 34
¶ iis adjungitur & is qui. 30
¶ sed remissiùs puniri. 38
L. Impuberem in hoc. 22. 16
§ 1. Si ei filio qui apud. 6
§ 2. Sed & si emancipato. 9
§ 3. Item si servo cui. 7
§ 4. Et si ei servo. 9
§ 5. Si dominus adscripserit. 7
§ 6. Qui codicillos ante. 11
§ 7. Adimendo quoque aliquid. 12
§ 8. Qui liberti adsignationem. 10
§ 9. Item non continetur. *ibid.*
§ 10. Si testamentarius servo. 7
§ 11. Sed & ille qui quum. 10
§ 12. Qui autem voluntate. 14
L. Quid sit falsum quæritur. 23. 24
L. Aithales servus. 24... *N.* 11. *Tit.* DE HIS QUÆ UT INDIGN.]
L. Qui nomine Prætoris. 25. 31
L. Si quis patris. 26... *N.* 34. *Tit.* DE HIS QUÆ UT INDIGN.]
L. Eos qui diversa. 27. 30
§ 1. Et eum qui contra. *ibid.*
§ 2. Qui se pro milite. 46
L. Si à debitore. 28. 25
L. Si quis obrepserit. 29. 30
L. Lege Corn. testamentariâ. 30. 4
§ 1. De partu supposito. 47
L. D. Pius Claudio. 31. 26
L. Hodie qui Edicta. 32. 31
§ 1. Si venditor mensuras. 45
L. fin. Si quis falsis Constitut. 33. 32

TITULUS XI.

De Lege Julia Repetundarum.

Lex Lex Julia Repet. 1... *h. t. Num.* 2
§ 1. Excipit Lex à quib. 3
Series Tit. XI. DE L. JUL. REPETUND.
Lex Datur ex hâc. 2... *h. tit. Num.* 9
L. Lege Jul. Rep. tenetur. 3. 2
L. Vel quo magis. 4. *ibid.*
L. In comites. 5. *ibid.*
L. Eâd. Lege tenentur. 6. 2
§ 1. Hâc Lege damnatus. 9
§ 2. Lege Jul. Rep. cavetur. 2
L. Lex Jul. de Repetund. 7. *ibid.*
§ 1. Apparet autem quòd. 3
§ 2. Illud quoque cavetur. 4
§ 3. Hodie ex Lege Repetund. 7
L. Quod contra Legem. 8. } *N.* 26. *Tit.* DE USURP. ET USUC.]
§ 1. Eadem Lex venditiones. }
L. fin. Qui munus publicè. 9. 2

TITULUS XII.

De Lege Julia DE annona.

L. Constitit inter. 1... *h. tit. Num.* 3
L. Lege Jul. de Annonâ. 2. 1
§ 1. Eâdem Lege continetur. *ibid.*
§ 2. Et pœna viginti. *ibid.*
L. fin. Imperatores Antonin. 3. 2
§ 1. Item scripserunt, jus non. *ibid.*
§ 2. Item in hæc verba. 3

TITULUS XIII.

Ad Legem Juliam Peculatus, et de Sacrilegiis et de residuis.

L. Lege Jul. Pecul. cav. 1... *h. t. N.* 1
L. Lege Jul. De resid. 2. 13
L. Peculatûs pœna. 3. 8
L. Lege Jul. pecul. tenetur. 4. 3
§ 1. Sed & si donatum. *ibid.*
§ 2. Mandatis autem cavetur. 11
§ 3. Lege Juliâ de residuis. 13
§ 4. Sed & qui publicam. *ibid.*
§ 5. Quâ Lege damnatus. *ibid.*
§ 6. Non fit locus religiosus. 3
§ 7. Sed & si de re civitatis. 4
L. D. Severus & Antonin. 5. 10
L. Sacrilegii pœnam. 6. 11
§ 1. Qui quum in monetâ. 6
§ 2. Si quis ex metallis. 8
¶ is autem qui furanti. *ibid.*
L. Peculatûs crimen. 7. 9
L. Qui tabulam æream. 8. 6
§ 1. Eâdem Lege tenetur. *ibid.*
L. Sacrilegi capite. 9. 11
§ 1. Sunt autem sacrilegi. 10
§ 2. Labeo lib. 38. Posteriorum. 2
§ 3. Eodem Capite inferiùs. 5
§ 4. Is autem qui pecuniam. 2
§ 5. Senatus jussit, Lege. 6
§ 6. Eum quoque qui pecuniam. 13
L. Hâc Lege tenetur. 10. 6
§ 1. D. Sever. & Anton. quemd. 11
L. Qui perforaverit. 11. 6
§ 1. Qui sacrarium ingressus. 11
L. Peculatus nequaquàm. 12. 5
L. Is qui prædam. 13. 4
L. fin. Publica judicia. 14. 14

TITULUS XIV.

De Lege Julia Ambitus.

L. un. Hæc Lex in Urbe... *h. t. Num.* 2
§ 1. Quòd si in municipio. *ibid.*
§ 2. Quâ Lege damnatus. *ibid.*
§ 3. Item is qui novum. 3
§ 4. Et si quis reus. *ibid.*

TITULUS XV.

De Lege Fabia de Plagiariis.

L. Si liberum homin. 1... *h. t. N.* 1
L. Sciendum est Legem. 2. 3
§ 1. Item non pertinere. *ibid.*
§ 2. Ampliùs dicendum. *ibid.*
§ 3. Hoc autem SCto domini. *ibid.*
L. Legis Faviæ crimine. 3. 2
§ 1. Illud non est omittendum. 5
L. Lege Faviâ. 4. 1
L. Eum qui fugitivum. 5. 2
L. Non statim plagiarium. 6. *ibid.*
§ 1. Idem Princeps de eâdem. *ibid.*
§ 2. Lege Faviâ cavetur. 1
L. fin. Pœna pecuniaria. 7. 4

TITULUS XVI.

Ad SCtum Turpillianum, et de abolitionibus criminum.

L. Accusatorum temeritas. 1.. *h. t. N.* 1
§ 1. Calumniari est falsa. *ibid.*
§ 2. Calumniatoribus pœna. 7
§ 3. Sed non utique qui. 2
§ 4. Quorum alterutrum. *ibid.*
¶ & quamvis nihil de pœnâ. 6
§ 5. Quæri possit, si ita. 2
§ 6. Prævaricatorem eum. 1
§ 7. Si quis autem ab. 10
§ 8. Abolitio privatim. 32
§ 9. Si plura crimina. 19
§ 10. Accusationem is intulit. 24
§ 11. Suspecti tutoris accusatio. 18
§ 12. Item si dicatur. *ibid.*
§ 13. Incidit in hoc SCtum. 25
§ 14. Reus condemnatus. 17
L. Qui destiterit. 2... *N.* 8. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
L. Et in privatis. 3. 9
L. Mulier quæ falsi. 4. 22
§ 1. Post abolitionem... *N.* 40. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
L. Quæsitum est an is. 5. 16
L. Ab accusatione destitit. 6. 11
§ 1. Animo ab accusatione. *ibid.*
§ 2. Destitisse videtur. *ibid.*
§ 3. Nuntiatores qui per notor. *N.* 42. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
§ 4. Calumniæ causâ. 9
L. Si quis repetere velit. 7. 31
§ 1. Si stellionatum. 18
L. Abolitio aut publicè. 8. 28
L. Vel ob rem. 9. *ibid.*
L. Aut privatim actore. 10. *ibid.*
§ 1. Abolitione autem publicè. 31
§ 2. Triginta dies repetendi. 30
L. Quærebatur an hi qui. 11. 13

L. Si

Source : BIU Cujas

Series Tituli XVI. AD SCTUM TURPIL.
L. Si interveniente. 12. *h. t. Num.* 14
L Deſtitiſſe eum. 13. 11
§ 1. Sed qui permiſſu. 20
L. D. Hadrianus Salvio. 14 22
L. In SC. Turpillian. 15. 25
§ 1. An ad eos qui hodie. 18
§ 2. Eos de quorum calumniâ. 21
§ 3. Si propter mortem rei. 13
§ 4. Cæterùm ſi poſteaquàm. *ibid.*
§ 5. Qui poſt inſcriptionem. 12
§ 6. Quanquam priùs reum. 30
L. Domitianus reſcripſit. 16. 29
L. L. Titius Seïum. 17. *ibid.*
L. fin. Imperatores Antonin. 18. 34
§ 1. Item reſcripſerunt, niſi. *ibid.*
§ 2. Item reſcripſerunt, quum. 36

TITULUS XVII.
DE REQUIRENDIS REIS, VEL ABSENTIBUS DAMNANDIS.

Lex D. Severi & Anton. 1.. *h. t. Num.* 1
§ 1. Si autem graviùs. *ibid.*
§ 2. Præſides autem provinc. 3
§ 3. Et ex hoc annus. *ibid.*
§ 4. Sed & Papinianus. 5
L. Anni ſpatium. 2. 6
§ 1. Sed ſi per viginti. 7
L. Quamcumque enim. 3. *ibid.*
L. Annus exindè. 4. 3
§ 1. Ergo & viginti. 7
§ 2. In ſummâ ſciendum. 6
L. fin. Mandatis cavetur. 5. 4
§ 1. Et intra annum. *ibid.*
§ 2. Sed & D. Trajanus. *ibid.*
§ 3. Curandum eſt autem. *ibid.*

TITULUS XVIII.
DE QUÆSTIONIBUS.

Lex In criminibus. 1.. *h. tit. Num.* 25
§ 1. Sed & epiſtolâ. *ibid.*
§ 2. Idem D. Hardian. Claudio. 33
§ 3. Ad quæſtionem non eſſe. 8
¶ nec facilè credendum... *N.* 49. *Tit.* AD. LEG. CORN. DE FALS.]
§ 4. Iidem Cornelio-Proculo. 39
§ 5. D. Antoninus & D. Hadr. 12
§ 6. DD. Fratres Leliano. 13
§ 7. Servum municipum. 17
§ 8. Si ſervus bonâ fide. 16
§ 9. Sed nec libertum. 11
§ 10. Nec fratrem quidem. 22
§ 11. Servum mariti in. 17
§ 12. Item Mummio-Lolliano. 15
§ 13. Si ſervus ad hoc erit. 5
§ 14. Sed & eum qui. 18
§ 15. Si quis dicatur. 13
§ 16. Item Severus Spicio. 11
§ 17. D. Severus reſcripſit... *N.* 58. *Tit.* DE PŒNIS.]
§ 18. Quum quidam deponere. 15
§ 19. Si ſervi quaſi ſceleris. 12
§ 20. In causâ tributorum. 20
§ 21. Qui quæſtionem habiturus. 32
§ 22. D. Hadrianus Calpurnio. 12
§ 23. Quæſtioni fidem. 39
§ 24. Prætereà inimicorum. *ibid.*
Series Tituli XVIII. DE QUÆSTIONIB.
L. 1. § 25. Causâque cognitâ. *h. t. N.* 39
§ 26. Quum quis latrones. 40
§ 27. Si quis ultrò de maleficio *N.* 58. *Tit.* DE PŒNIS.]
¶ & extat Epiſt. DD. Fratr. *N.* 67. *d. tit.*]
L. Hereditarii ſervi. 2. 21
L. Conſtitutione Imperat. 3. 14
L. In inceſto. 4. 20
L. Si quis viduam. 5. *ibid.*
L. Patre vel marito. 6. 38
§ 1. Quum de falſo teſtamento. 21
L. Quæſtionis modum. 7. 35
L. Edictum D. Auguſti. 8. 2
§ 1. Statuliber in adulterio. 7
L. D. Pius reſcripſit. 9. 10
§ 1. Ex quibus cauſis. 11
§ 2. De eo qui in inſulam. 5
§ 3. Sed nec de ſtatulibero. 7
L. De minore 14. annis. 10. 8
§ 1. Sed omnes omninò. 9
§ 2. Poteſt quæri an de ſervis. 17
§ 3. Tormenta aut. adhibenda. 35
§ 4. Nec debet initium. 11
§ 5. Plurimum quoque in. 41
§ 6. In cauſis quoque liberalib. 6
L. Etiamſi redhibitus. 11. 16
L. Si quis ne quæſtio. 12. 6
L. Certo pretio ſervum. 13. 30
L. Statuliber in delicto. 14.. *N.* 62. *Tit.* DE PŒNIS.]
L. Ex libero homine. 15. 5
§ 1. De minore quoque. 8
§ 2. Eum qui vindicanti. 16
L. Repeti poſſe. 16. 36
§ 1. Is qui de ſe confeſſus. 23
L. Extrario quoque. 17. 20
§ 1. Sed & in quæſtione. *ibid.*
§ 2. De quæſtione ſuppoſiti. 21
§ 3. De ſervo in metallum. 15
L. Unius facinoris. 18. 33
§ 1. Reus évidentioribus. 36
§ 2. In eâ causâ in quâ. 25
§ 3. Teſtes torquendi non ſunt. 1
§ 4. Judex quum de fide. 21
§ 5. Servo qui ultrò aliquid. 12
§ 6. Servus in caput ejus. 15
§ 7. Servus nec ſi à domino. 11
§ 8. Sanè quoties quæritur an. 13
§ 9. Cogniturum de criminib.. *N.* 31. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
§ 10. Cuſtodiæ non ſolùm... *N.* 44. *d. tit.*]
L. Is cui fideicommiſſa. 19. 7
L. Maritus quidam heres. 20. 26
L. Quæſtionis habendæ. 21. . . . *N.* 40. *Tit.* DE PŒNIS.]
L. fin. Qui ſine accuſatorib. 22. 29

TITULUS XIX.
DE PŒNIS.

Lex Quotiens de. 1.. *h. tit. Num.* 66
§ 1. Proindè ſi ſervus. *ibid.*
§ 2. Per contrarium quoque. *ibid.*
§ 3. Generaliter placet. 33
L. Rei capitalis. 2. 4
§ 1. Conſtat poſtq. deportatio. 17
Series Tituli XIX. DE PŒNIS.
L. 2. § 1. ¶ ſed Præfectus Urbi. *h. t. N.* 17
§ 2. Eum accipiem. damnat. *ibid.*
L. Prægnantis mulieris. 3. 70
L. Relegati ſive in. 4. 72
L. Abſentem in criminib. 5.. *N.* 2. *Tit.* DE REQUIR. REIS.]
§ 1. In accuſatorem.. *N.* 27. *Tit.* AD SC. TURPILL.]
§ 2. Refert & in majoribus. 48
L. Si quis fortè ne. 6. 69
§ 1. Si quos Comitum.. *N.* 22. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.]
§ 2. Nunc genera pœnarum. 3
L. Veluti fuſtium. 7. 31
L. Aut damnum cum. 8. 3
§ 1. Vita adimitur, ut putà. 7
§ 2. Hoſtes autem.. *N.* 13. *Tit.* AD L. JUL. MAJEST.]
§ 3. Nec eâ quidem pœnâ. 7
§ 4. Eſt pœna quæ adimat. 9
§ 5. Præfecto planè Urbi.. *N.* 8. *Tit.* DE OFFIC. PRÆF. URB.]
§ 6. Inter eos autem qui. 11
§ 7. Quiſquis autem in opus. 72
§ 8. In miniſterium metallicor. 10
§ 9. Solent Præſides in carcere. 40
§ 10. In calcariam quoque. 11
§ 11. Quicumque in ludum. 12
§ 12. Servos in metallum. 41
¶ denique quum quidam. *ibid.*
§ 13. Sed ſive in perpetua. 44
L. Moris eſt Advocationib. 9. 36
§ 1. Necnon ita quoque. *ibid.*
§ 2. Poteſt & ita interdici. *ibid.*
§ 3. Si tamen apud Legatum. *ibid.*
§ 4. Nonnunq. non Advocat. 37
§ 5. Solet & ita interdici. *ibid.*
§ 6. Solent & ſic, ne eo. *ibid.*
§ 7. Solet & ſic ut teſtamenta. *ibid.*
§ 8. Erit & illa pœna. *ibid.*
§ 9. Sunt autem & aliæ. 38
§ 10. Interdici aut negotiat. *ibid.*
§ 11. Iſtæ ferè ſunt pœnæ. 63
¶ & ſi fortè hujuſmodi. *ibid.*
§ 12. Parentes quoque & liberi. 64
§ 13. Liberos non tantùm. *ibid.*
§ 14. Sed utrùm hi ſoli. *ibid.*
§ 15. Planè ſi parens Decurio. *ibid.*
§ 16. Statuliberum quaſi. 62
L. In ſervorum perſonâ. 10. 43
§ 1. Qui ex causâ in metallum. 9
§ 2. In perſonis tam plebeïor. 33
L. Perſpiciendum eſt. 11. 60
§ 1. Furta domeſtica. 55
§ 2. Delinquitur autem. 48
§ 3. Capitis pœna eſt. 6
L. Quod ad ſtatum. 12 8
L. Hodie licet ei. 13. 60
L. Quedam delicta. 14. 51
L. D. Hadrianus eos. 15. 63
L. Aut facta puniuntur. 16. 45
§ 1. Sed hæc quatuor. 46
§ 2. Causâ, ut in verberib. 47
§ 3. Perſona dupliciter ſpectat. 49
§ 4. Locus facit ut idem. 52
§ 5. Tempus diſcernit emanſor. 53
§ 6. Qualitate, quum factum. 54
§ 7. Quantitas diſcernit furem. 55
§ 8. Eventus ſpectetur ut, 56

Source : BIU Cujas

Series Tituli XIX. DE PŒNIS.

L. 16. § 9. Evenit ut eadem.. *h. t. N.* 61
§ 10. Nonnunq. evenit ut. *ibid.*
L. Sunt quidam ſervi pœnæ. 17. 9
§ 1. Item quidam ΑΠΟΛΙΔΕΣ. 15
L. Cogitationis. 18. 45
L. Si non defendantur. 19.. *N.* 26. *Tit.* DE ACCUS. ET INSCRIPT.
L. Si pœna alicui. 20.. *N.* 4. *Tit.* DE PUBL. JUDIC.
L. Ultimum ſupplicium. 21. 5
L. In metallum damnati. 22. 68
L. Sine præfinito. 23. 10
L. Eorum qui relegati. 24.. *N.* 14. *Tit.* AD. L. JUL. MAJEST.
L. Si diutino tempore. 25. 61
§ 1. Non poteſt quis ſic. 7
L. Crimen vel pœna. 26.. *N.* 30. *Tit.* DE HIS QUI NOT. INFAM.
L. DD. Fratres Harruntio. 27. 67
§ 1. De Decurionibus &. 63
§ 2 Alio quoque Capite. *ibid.*
L. Capitalium pœnarum. 28. 4
§ 1. Cæteræ pœnæ ad. 18
§ 2. Non omnes fuſtibus. 65
§ 3. Solent quidam qui. 51
§ 4 Servi cæſi. 44
§ 5. Et (ut generaliter dixerim.) 65
§ 6. D. Hadrianus in hæc verba. 10
§ 7. Ad ſtatuas confugere.... *N.* 17. *Tit.* DE INJURIIS.
§ 8. Omnia admiſſa. 50
§ 9. Venenarii capite.. *N.* 22. *Tit.* AD L. CORN. DE SICAR.
§ 10. Graſſatores qui prædæ.. *N.* 11. *Tit.* AD L. JUL. DE VI.
§ 11. Igni cremantur plerumq. 65
§ 12. Incendiarii capite.. *N.* 23. *Tit.* AD L. CORN. DE SICAR.
¶ nam fortuita incendia. *ibid.*
§ 13. In exulibus gradus. 72
§ 14. Ita & in cuſtodiis. *ibid.*
§ 15. Famoſos latrones. 71
§ 16. Majores noſtri. 61
L. Qui ultimo ſupplicio. 29. 8
L. Si quis aliquid fecerit. 30... *N.* 4. *Tit.* DE EXTRAORD. CRIM.
L. Ad beſtias damnatos. 31. 68
§ 1. Ex provinciâ autem. *ibid.*
L. Si Præſes vel judex. 32. 59
L. Fratres Imperatores. 33.. *N.* 3. *Tit.* QUI ET A QUIB. MAN.
L. Servus in opus. 34. 42
§ 1. Eos quoque pœnâ.. *N.* 25. *Tit.* AD SC. TURPILL.
L. Mandatis Principalibus. 35. 62
L. In metallum, ſed &. 36. 9
L. In Dardanarios. 37.. *N.* 5. *Tit.* DE EXTRAORD. CRIMIN.
L. Si quis aliquid. 38.. *N.* 8. *Tit.* AD L. JUL. PECUL.
§ 1. Transfugæ ad hoſtes. . . *N.* 13. *Tit.* AD L. JUL. MAJ.
§ 2. Auctores ſeditionis.. *N.* 11. *Tit.* AD L. JUL. DE VI.

Series Tituli XIX. DE PŒNIS.

L. 38. § 3. Qui nond. viripotent.. *N.* 70. *Tit.* AD L. JUL. DE ADULT.
§ 4. Qui ſe ſuis nummis.. *N.* 9. *Tit.* AD SC. TURPILL.
§ 5. Qui abortionis aut.. *h. t. N.* 56
§ 6. Teſtamentum quod nullo.. *N.* 2. *Tit.* DE L. CORN. DE FALS.
§ 7. Qui vivi teſtament. } *N.* 37. *d. tit.*
§ 8. Si quis inſtrument. }
§ 9. Inſtrumenta penès. }
§ 10. Judices pedanei.. *N.* 30. *d. tit.*
§ 11. Miles qui ex carcere... *N.* 15. *Tit.* DE CUSTOD. REOR.
§ 12. Miles qui ſibi manus.. *N.* 23. *Tit.* DE RE MILIT.
L. Cicero in Oratione. 39. 48
L. Metrodorum. 40.. *N.* 14. *Tit.* AD L. JUL. MAJEST.
L. Sanctio legum. 41. 59
L. Interpretatione legum. 42. 60
L. fin. Imperator Antonin. 43. 39
§ 1. Idem reſp. Eum qui. 64

TITULUS XX.
DE BONIS DAMNATORUM.

Lex Damnatione. 1. . . *h. tit. Num.* 1
§ 1. Etiam hi qui antè. 11
§ 2. Liberis autem ita. *ibid.*
§ 3. Liberis ejus cui pars. 12
L. Non ut quis in carcerem. 2. 15
L. Quinque Legibus. 3. 4
L. Et omnes omninò. 4. *ibid.*
L. Sed ſi aliâ Lege. 5. *ibid.*
§ 1. Quòd ſi deportata ſit. *ibid.*
L. D. Hadrianus Aquil. 6. 8
L. Cùm ratio naturalis. 7. 9
§. 1. Si in libertinum. 14
§ 2. Ex bonis damnatorum. 11
§ 3. Si plures filios. 9
§ 4. Prætereà ex his quæ per. 10
§ 5. *Poſt condemnationem.* 3
L. Liberis etiam patronorum. 8. 14
§ 1. Sed ſi patroni filius. *ibid.*
§ 2. Sed etſi nolit filius. *ibid.*
§ 3. Bona relegati. . . *N.* 27. *Tit.* DE PŒNIS.
§ 4. Si pater qui pro filiâ. 5
L. Niſi probetur. 9. *ibid.*
L. Sed & ſi pater. 10. 6
§ 1. Si ſoluto filiæ. *ibid.*
L. fin. Condemnatus ſi. 11. 18
§ 1. Reus præterquàm Majeſt. 15

TITULUS XXI.
DE BONIS EORUM QUI ANTE SENTENTIAM, VEL MORTEM SIBI CONCIVERUNT, &c.

Lex In capitalib. crim. 1.. *h. tit. Num.* 7
L. Imperatores Sever. 2. *ibid.*
§ 1. Si is de cujus pœnâ.. *N.* 18. *Tit.* DE BON. DAMNAT.
L. fin. Qui rei poſtulati. 3. 2
§ 1. Ut autem D. Pius. 4

Series Tituli XXI. DE BON. QUI EOR. &c.

L. 3. § 2. Idem reſcripſit, Eum.. *h. t. N.* 4.
§ 3. Ergo ita demùm. *ibid.*
§ 4. Si quis autem tædio. 1
§ 5. Videri autem & patrem. 5
§ 6. Sic autem hoc diſtinguitur. 6
§ 7. Si qui autem ſub incerto. *N.* 16. *Tit.* DE BON. DAMNAT.
§ 8. De illo videamus ſi. 3

TITULUS XXII.
DE INTERDICTIS ET RELEGATIS ET DEPORTATIS.

Transfuſus eſt in Tit. de Pœnis * *ſuprà*

Lex Caput ex Reſcr. 1.. *d. tit.* * *Num.* 27
L. Manumittere deportat. 2. 15
L. Eum qui civitatem. 3. 16
L. Relegati in inſulam. 4. 28
L. Exilium triplex. 5. 19
L. Inter pœnas. 6. 14
§ 1. Deportandi autem in inſul. *N.* 2. *Tit.* DE OFFIC. PROCONS.
§ 2. Decuriones civitatium. 63
L. Relegatorum duo. 7. 19
§ 1. In inſulam relegare. 20
§ 2. Hæc eſt differentia. 29
§ 3. Sive ad tempus, ſive. 28
§ 4. Ad tempus relegatis. 27
§ 5. Eſt quoddam genus. 20
§ 6. Sicut autem relegare. *ibid.*
§ 7. Sed extra provinciam. 22
§ 8. Item in parte certâ. 21
§ 9. Sed & in eas partes. 20
§ 10. Interdicere autem quis. 22
¶ undè eveniebat ut 23
§ 11. Dubitatum eſt an interdic. 24
§ 12. Per contrarium aut. is. *ibid.*
§ 13. Si quis eam ſententiam. 23
§ 14. Quibuſd. *tamen* Præſidib. 22
§ 15. *Conſtitutum*, eum cui. 25
§ 16. Si cui planè non patriâ. *ibid.*
§ 17. His qui relegantur. 26
§ 18. Relegatum planè. *ibid.*
§ 19. Solet prætereà interdici. 22
§ 20. Solet Decurionibus. 34
§ 21. Item poteſt alicui pœna. 35
§ 22. Poteſt alicui & unus. *ibid.*
L. Sed honorem. 8. *ibid.*
L. Poteſt præſes. 9. 21
L. Non etiam ne. 10. 7
L. Interdum pecuniariter. 11. 73
L. A ſuâ civitate. 12. 72
L. Manumiſſus à. 13. 25
L. Relegatus eſt. 14. 19
§ 1. Magna differentia eſt. 27
§ 2. Relegatur quis à Principe. 30
§ 3. Qui civitatem amiſit. 15
L. Deportatus civitatem. 15. *ibid.*
§ 1. Deportatus à Præſide. 17
L. Quum Ulpianus. 16. 15
L. Relegatus ſtatuis. 17. 28
L. Relegatus integrum. 18. *ibid.*
§ 1. Deportatio autem ad temp. 14
L. fin. Relegatus non poteſt. 19. 25
§ 1. Quum in liberos homin. 17

Source : BIU Cujas

TITULUS XXIII.
DE SENTENTIAM PASSIS ET RESTITUTIS.

Lex Ad ſucceſſionem liberti. 1. *h.t.N.*4.
§ 1. Sed ſi in metallum. *ibid.*

Series Tit. XXIII. DE SENT. PASSIS, &c.
L. Si deportatus reſtitutus. 2. *h. t. N.* 5.
¶ ſed quum ei facultas. 6
L. In inſulam deportati. 3. 5
¶ quòd ſi bona cum dignitatis. 6
L. fin. In metallum damnata. 4. 4

TITULUS XXIV.
DE CADAVERIBUS PUNITORUM.

Lex. Corpora eorum. 1.. *h. t. Num.* 1
¶ eorum quoque corpora. *ibid.*
L. Si quis in inſulam. 2. 2
L. fin. Corpora animadverſor. 3. 1

LIBER QUADRAGESIMUS-NONUS.

TITULUS I.
DE APPELLATIONIBUS ET RELATIONIBUS.

LEX Appellandi uſus. 1. *h. t. N.* 5
§ 1. Quæſitum eſt an adversùs. 27
§ 2. Huic conſequenter videt. *ibid.*
§ 3. Si quis in appellatione. 12
¶ denique quum quidam. *ibid.*
§ 4. Libelli qui dantur. 30
L. Sed ſi apud acta. 2. 31
L. Scio quæſitum. 3. *ibid.*
§ 1. Sed illud cecidit in. 30
§ 2. Certè ſi plures hi ſunt. *ibid.*
§ 3. Quid ergo ſi cauſam. *ibid.*
L. Ab executore. 4. 17
§ 1. Sed ab eo qui ſententiam. *ibid.*
§ 2. Alio condemnato. 20
§ 3. Item ſi emptor. 21
§ 4. Idque ita conſtitutum. *ibid.*
§ 5. Si procurator qui.. *N.* 2. *Tit.* AN PER ALIUM CAUS.
L. A ſententiâ. 5. 20
¶ item fidejuſſores pro eo. 21
§ 1. Si heres inſtitutus. *ibid.*
§ 2. Idem reſcripſit, Legatar. *ibid.*
§ 3. Sed & ſi in fraudem. *ibid.*
§ 4. Sed & ſine appellatione. *ibid.*
§ 5. Si quis ipſo die. 33
L. Non tantum ei. 6. 22
L. Quum quidam propter. 7 29
L. Illud ſciendum eſt, eum. 8. 32
L. Illud ſciendum eſt, neque. 9.. *N.* 49. *Tit.* DE MINORIB.
L. Si qui ſeparatim. 10. 55
§ 1. Si quis quum unâ. 10
§ 2. Sed quum adverſus. 55
§ 3. Quoties autem plures... *N.* 34. *Tit.* DE RE JUDIC.
§ 4. Quod eſt reſcriptum. 56
L. Quum ex cauſâ. 11.. *N.* 3. *Tit.* DE CONDICT. SINE CAUS.
L. Si conſtet nullo. 12.. *N.* 3. *Tit.* SI TUT. VEL CUR. APPELL.
L. Appellanti nihil obeſſe. 13. 30
§ 1. Non ſolere improbari. *ibid.*
L. Si perluſorio judicio 14. 21
§ 1. Quoties herede.. *N.* 36. *Tit.* DE INOFFIC. TESTAM.
L. Servi appellare non poſſunt. 15. 3
¶ ſin verò neque dominus. *ibid.*
L. Conſtitutiones quæ. 16. *N.* 3. *Tit.* NIHIL INNOV. APPEL.
L. Quum in unâ. 17. 30
§ 1. Tutor pupillo datus.. *N.* 7. *Tit.* SI TUT. VEL. CUR. APPELL.

Series Tituli I. DE APPEL. ET RELAT.
L. L. Titius pro ſervo. 18. *N.* 1. *Tit.* AN PER ALIUM CAUSÆ APPELL.
L. Si expreſſim ſententia. 19... *N.* 5. *Tit.* DE RE JUDIC.
L. Qui ſuſpect. tutorem. 20. *h. t. N.* 35
§ 1. Is verò qui in rem ſuam. 34
§ 2. Militibus appellandi. 39
L. Imperatores Antonin. 21. 13
§ 1. Idem reſcripſerunt, Ab. *ibid.*
§ 2. Si Magiſtratus creatus... *N.* 7. *Tit.* SI TUT. VEL CUR. APPELL.
§ 3. Iidem reſcripſ. Quamvis. *N.* 4. *Tit.* NIHIL INNOV. APPELL.
L. Ad Principem remiſſa 22. 4
L. Ex conſenſu litigantium. 23. 9
§ 1. Cùm procurator Cæſaris. *N.* 14. *Tit.* DE RE. JUDIC.
§ 2. Filiumfamilias, quum. 19
§ 3. Eum qui cognovit. 26
L. Negotiorum geſtor. 24. *N.* 56. *Tit.* DE USURIS.
§ 1. Curator juvenis adversùs. *N.* 3. *Tit.* AN PER ALIUM CAUS. APPEL.
L. Imperator Alexander. 25. 47
L. Ad Imperatorem cauſam, 26. 4
L. Tutor ſi in negotio. 27.. *N.* 3. *Tit.* AN PER ALIUM CAUS. APPEL.
L. fin. Creditor cum fidejuſſor. 28. 23
§ 1. Juſſus à judice. 27
§ 2. Subſtituti tutores. 2.. *N.* 3. *Tit.* An per ALIUM CAUS. APPELL.

TITULUS II.
A QUIBUS APPELLARI NON LICET.

Conjunctus eſt cum titulo præcedenti de appellationibus *.
Lex Tractandum eſt. 1.. *d. t.* * *N.* 6.
§ 1. Et quidem ſtultum eſt. *ibid.*
§ 2. Sciendum eſt appellari. *ibid.*
§ 3. Si quis ante Sententiam. 24
§ 4. Interdum Imperator. 8
L. fin. Quæſitum eſt in arbitr. 2. 9

TITULUS III.
QUIS A QUO APPELLETUR.

Lex Quod dicitur eum. 1 } *N.* 11. *Tit.* DE APPELLAT. ET RELAT.
¶ Proindè & ſi Præf. }
§ 1. Ab eo cui quis. }
L. Appellari à Legatis. 2. }
L. fin. Dato judice à. 3. }

TITULUS IV.
QUANDO APPELLANDUM SIT, ET INTRA QUÆ TEMPORA.

Transfuſus eſt in Tit. I. de Appellationib. * *mox ſuprà.*

Lex Si quidem in inſulam. 1 *d.t.** *N.* 36
§ 1. Si quis tutor datus. } *N.* 2. *Tit.* SI TUT. VEL. CUR. APPEL.
§ 2. Alia cauſa eſt }
§ 3. Solent plerumque Præſides. } *N.* 4. *d. tit.*
§ 4. Sed etſi præſides in Ordine. }
§ 5. Biduum vel triduum. 36
§ 6. Quod in ſententiis præcept. *N.* 4. SI TUT. VEL. CUR. APPELL.
§ 7. Dies autem iſtos quibus. 37
§ 8. Quid igitur ſi conditio. *ibid.*
§ 9. Adeundi aut. facultatem. *ibid.*
§ 10. Si quis ipſius quidem. *ibid.*
§ 11. In propriâ cauſâ. 34
§ 12. Quare procurator. 35
§ 13. Tutores, item defenſor. *ibid.*
§ 14. Si quis ſuſpectum. *ibid.*
§ 15. Si adversùs abſentem. 38
L. Si procuratorio nomine. 2. 34
§ 1. Sed ſi alius quàm qui. *ibid.*
§ 2. Si is qui ex libertinitate. *ibid.*
§ 3. Si pro eo qui capite. *ibid.*
L. fin. Illud videamus. 3. 36

TITULUS V.
DE APPELLATIONIBUS RECIPIENDIS VEL NON.

Et hic quoque transfuſus eſt in d. Titulum de appellationibus * *ſuprà.*

Lex Non ſolent audiri. 1. *d. tit.** *N.* 19
§ 1. Sed & cùm mater. 22
L. Ante ſententiam. 2. 16
L. Intrà triduum appell. 3. 35
L. Ejus qui ideò. 4. 16
L. Ei cujus appellatio. 5. 44

Source : BIU Cujas

Series tituli V. DE APPELLAT. RECIP.

L. 5. § 1. Non receptâ aut. *d. tit. N.* 44
§ 2. Sed & si quid aliud. *ibid.*
§ 3. Planè si appellatione. *ibid.*
§ 4. Planè si alium pro alio. *ibid.*
§ 5. Intra constituta autem. *ibid.*
L. Sciendum est, quum. 6. 47
L. fin. Si res dilationem. 7. 15
§ 1. Item si ex perpetuo. 26
§ 2. Item quominus pignus 15

TITULUS VI.

DE LIBELLIS DIMISSORIIS QUI APOSTOLI DICUNTUR.

Transfusus item in Numeros Tit. I. de appellationibus *.

L. un. Post appellation. . *d. tit.* * *N.* 42
§ 1. Sensus autem litterarum. *ibid.*
§ 2. Sufficit autem petiisse. 43

TITULUS VII.

NIHIL INNOVARI APPELLATIONE INTERPOSITA.

L. un. Appellatione interp. *h. t. N.* 1
§ 1. Receptâ autem appellatione. 2
§ 2. Si quis ergo fortè. *ibid.*
§ 3. Propter eamd. rationem. *ibid.*
§ 4. Ergo & si abstinere. *ibid.*
§ 5. Si quis ex pluribus. 3

TITULUS VIII.

QUÆ SENTENTIÆ SINE APPELL. RESCINDANTUR.

Transfusus est in Tit. de Re judicatâ * *suprà lib.* 42.

Lex illud meminerimus. si. 1. *d. t.* * *N.* 27
§ 1. Item si calculi error. 29
§ 2. Item quum contra sacras. 5
§ 3 Item quum Edicto perempt. 9
§ 4. Si apud eumdem judicem. 6
L. Paulus resp. Eum. 2. 18
§ 1. Idem respondit, Adversùs. *ibid.*
L. fin. Paulus resp. Impossibile. 3. 4
§ 1. Idem respondit, ab eâ. *ibid.*

TITULUS IX.

AN PER ALIUM CAUSÆ APPELLATIONUM REDDI POSSUNT.

Lex Quæri solet an per. 1. *h. t. N.* 1
L. fin. Si procurator absentis. 2. 4

TITULUS. X.

SI TUTOR VEL CURATOR, MAGISTRATUS[-VE] CREATUS APPELLAVERIT.

Lex Si qui ad munera. 1. . *h. t. Num.* 7
L. fin. Tutor vel curator. 2. 8

TITULUS XI.

EUM QUI APPELLAVERIT, IN PROVINCIA DEFENDI.

Lex Eum qui appellavit. 1. } *N.* 18. *Tit.* QUIB. EX CAUS. IN POSS. EAT.
L. fin. Hoc enim illis præstatur. 2. }

TITULUS XII.

APUD EUM A QUO APPELLATUR, ALIAM CAUSAM AGERE COMPELLENDUM.

L. un. Si quis ex aliâ. *N.* 49. *Tit.* DE APPEL. ET RELAT.]

TITULUS XIII.

SI PENDENTE APPELLATIONE MORS INTERVENERIT.

L. un. Appellatore defuncto. *N.* 60. *Tit.* DE APPELL. ET RELAT.]
§ 1. Tutor quoq. in negotio. *N.* 3. *tit.* AN PER ALIUM CAUS. APPEL.]

TITULUS XIV.

DE JURE FISCI.

Lex variæ causæ. 1. . . . *h. tit. Num.* 7
§ 1. An bona quæ solvendo. 19
§ 2. D. Pius Cælio-Amaranto. 9
§ 3. Præscriptio autem. 10
§ 4. Causæ autem quæ. *ibid.*
§ 5. Illæque causæ. *ibid*
L. Ex quibusdam causis. 2. 3
§ 1. D. Hadrianus Flavio-Arr. 46
§ 2. Item D. Fratres ad libell. *ibid.*
§ 3. Senatus censuit ut si. 12
§ 4. Quoties tamen delator. *ibid.*
§ 5. D. Pius Cæcilio Max. 13
§ 6. Imperator noster Severus. 6
§ 7. Complura sunt rescripta. 34
L. Non intelligitur fraudem. 3. . N. 393. *tit.* DE LEGATIS.]
¶ sed quum quidam testam. . N. 394. *d. tit.*]
§ 1. Si quis palam rogatus. . . N. 393. *d. tit.*]
§ 2. Quando autem fraus. . . N. 395. *d. tit.*]
§ 3. Tacita aut. fideicommissa N. 394. *d. tit.*]
§ 4. Quum ex causâ taciti. *N.* 30 *tit.* DE HIS QUÆ UT INDIGN.]
§ 5. DD. Fratres rescripserunt. 23
§ 6. Quum quinquenn . . *N.* 28 *Tit.* DE PUBLIC. ET VECTIG.]
§ 7. Si posteriori creditori. 38
§ 8. Multa principalia. 57
§ 9. D. Hadrianus Flavio-Proc. 48
§ 10. Si in locis fiscalibus. *N.* 10. *Tit* DE ADQ. RER. DOMIN.]
§ 11. Deferre autem se nemo. 7
L. In fisci causis. 4. 17
L. Si Curator Cæsaris. 5. 24
§ 1. Si ab eo cui jus. 25
L. Fiscus Quum in privati. 6. 38
§ 1. Quodcumque privilegii. 36
L. Si fiscus alicui. 7. 48
L. Bonorum fisco. 8. 22
L. L. Titius fecit heredes. 9. *N.* 34 *Tit.* DE HIS QUÆ UT INDIGN.]
L. Non puto delinquere. 10. 58
L. Non possunt ulla. 11. 18

Series Tituli XIV. DE JURE FISCI.

L. In metallum damnatis. 12. *N.* 9. *Tit.* DE PŒNIS.]
L. Edicto D. Trajan. 13. . *h. t. Num.* 26
§ 1. Idem posteà Edicto. 28
§ 2. Nihil autem interest. *ibid.*
§ 3. Id autem deferri debet. 29
§ 4. Ad heredes ejus qui se. 31
§ 5. Extat ejusdem Hadriani. 27
§ 6. Item DD. Fratres rescrip. *ibid.*
§ 7. Quum ante apertum. 29
§ 8. Ad eos beneficium Trajani. 27
§ 9. Eos qui quasi indigni. 28
§ 10. Ei qui per errorem. 34
L. Dicitur ex asse. 14. . *N.* 30. *Tit.* DE HIS QUÆ UT INDIGN.]
L. Senatus censuit, si. 15. 11
§ 1. Si quis delatorem. *ibid.*
§ 2. D. Hadrianus rescripsit. 12
§ 3. Senatus Hadriani temporib. 26
§ 4. Quòd si tribus Edictis. 12
§ 5. Senatus censuit ut perindè. 16
§ 6. Si quis arguetur. *ibid.*
L. Ait D. Trajanus. 16. 31
L. In summâ sciendum. 17. 37
L. Deferre non possunt. 18. 5
§ Item Clarissimi. *ibid.*
§ 2. Item damnati. *ibid.*
§ 3. Item Constitutionibus. *ibid.*
§ 4. Sed eas causas. *ibid.*
§ 5. Veterani quoque. *ibid.*
§ 6. Item milites propter. *ibid.*
§ 7. Sed communem causam sibi. 2
§ 8. Item eos qui tutores. 6
§ 9. Sed ne quidem is. *ibid.*
§ 10. Papin. tam lib. 6 quàm. 44
L. Denique non esse. 19. *ibid.*
L. Sed revocatâ. 20. 45
L. Titius qui mihi. 21. *ibid.*
L. Res quæ in controvers. 22. 22
§ 1. Res autem *nexas.* 21
§ 2. Lites donatas se. 7
§ 3. Sicut renunciare. 11
L. De eo delatore. 23. *ibid.*
L. Non tantùm delator. 24. 13
L. Est & decretum. 25. 15
L. Quum quidam capitis. 26. *N.* 2. *Tit.* DE BON. DAMNAT.]
L. Quum mortem maritus. 27. . . *N. fin. Tit.* DE SC. SILAN.]
L. Si qui mihi obligav. 28. . *N. fin. Tit.* QUI POTIOR. IN PIGN.]
L. Ejus qui delatorem. 29. 17
¶ sedenim hæc pœna. *ibid.*
§ 1. Eum qui falsum testament. *N.* 9. *Tit.* DE HIS QUÆ UT INDIGN. AUFER.]
§ 2. Nam & in eo qui. . *N.* 32. *d. tit.*]
L. Ne Procuratores Cæsaris. 30. 22
L. D. Commodus rescripsit. 31. } * 8
L. Sed si accepto usu togæ. 32. } *ibid.*
L. Eum qui debitoris. 33. 40
L. Impp. Severus &. 34. 17
L. Apud Julian. Scriptum. 35. 39
L. Prædiis à fisco. 36. . *N.* 10. *Tit.* DE CENSIB.]
L. Quod placuit fisco. 37. 37
L. Fiscus in quæstione. 38. 15

Series

Source : BIU Cujas

Series Tituli XIV. DE JURE FISCI.
L. 38. § 1. Delatoris operâ. *h. t. Num.* 2.
L. Bona fiſco citra. 39. . *N.* 27. *Tit.* DE PŒNIS. 2
§ 1. Eum qui periculum.
L. Ita fidei heredis. 40.. *N.* 396. *Tit.* DE LEGATIS.
§ 1. Patronus ſi tacitè.. *N.* 39. *Tit.* DE LEGATIS.
L. Eum qui bona. 41. 18
L. Arianus-Severus. 42. 30
§ 1. Quia autem nonnulli. 33
L. Imperator noſter. 43.. *N.* 391. *Tit.* DE LEGATIS.
L. Delator non eſt. 44. 2
L. In fraudem fiſci. 45. *N.* 2. *Tit.* DE BON. DAMNAT.
§ 1. Bona eorum qui in *N.* 17. *d. tit.*
§ 2. Ejus bona qui ſibi.. *N.* 1. *Tit.* DE BON. EOR. QUI ANTE SENT.
§ 3. A debitore fiſci. . . *N.* 2. *Tit.* DE BON. DAMNAT.
§ 4. Ex his bonis quæ ad. 18
§ 5. Neque inſtrumenta neque. 47
§ 6. Ipſe autem fiſcus. *ibid.*
§ 7. Quotiens apud fiſcum. *ibid.*
§ 8. Quoties iterùm apud. 49
§ 9. Qui pro alio à fiſco. *N.* 45 *Tit.* DE FIDEJUSSORIB.
§ 10. Fiſcalibus debitoribus. 56
§ 11. Si principalis rei. . . . *N.* 70. *Tit.* DE FIDEJUSSORIB.
§ 12. Si plus ſervatum eſt. . *N.* 20. *Tit.* DE PIGNER. ACT.
§ 13. Conductor ex. . *N.* 30. *Tit.* DE PUBLIC. ET VECTIG.
§ 14. Minoribus 25^e. annis. . . *N.* 27. *d. tit.*
L. Aufertur ei quaſi indigno. 46. *N.* 23. *Tit.* DE HIS QUÆ UT INDIGN.
§ 1. Qui aliquid ſciens. 53
§ 2. Quod à Præſide. . *N.* 5. *Tit.* AD L. JUL. REPETUND.
§ 3. Fiſcus ſemper habet. 40
§ 4. Qui compenſationem. . . *N.* 13. *Tit.* DE COMPENSAT.
§ 5. Ut debitoribus fiſci. . . . *N.* 10 *d. tit.*
§ 6. In reatu conſtitutus. *N.* 15. *Tit.* DE BON. DAMNAT.
§ 7. Actores qui aliquod. 22
§ 8. Servus Cæſaris, ſi. 54
§ 9. Si multi fiſco. . *N.* 7. *Tit.* AD L. JUL. PECULAT.
L. Moſchis quædam. 47. 57
§ 1. Æmilius-Ptolemæus. *N.* 30. *Tit.* DE PUBLIC. ET VECTIG.
L. Statius-Florus. 48.. *N.* 10. *Tit.* DE INJ. RUPT. TEST.
§ 1. Cornelio-Felici mater. 18
L. Quum tacitum fideic. 49. 32
L. fin. Valerius Patroinus. 50 52

TITULUS XV.
DE CAPTIVIS ET DE POSTLIMINIO ET REDEMPTIS AB HOSTIBUS.

Lex Quod ſervus ejus. 1.. *h. tit. Num.* 40
L. Navibus longis. 2. 13
§ 1. Equus item aut equa. *ibid.*
§ 2. Non idem in armis. *ibid.*
L. Item veſtis. 3. *ibid.*
L. Eos qui ab hoſtibus. 4. 8
¶ an qui hoſtibus deditus. 18
L. Poſtliminii jus. 5. 5
§ 1. In bello, quum hi. *ibid.*
§ 2. In pace quoque. 6
§ 3. Captivus autem ſi à. 17
L. Mulier in opus ſalinarum. 6. 22
L. Non dubito quin. 7. 4
§ 1. Liber autem populus. *ibid.*
§ 2. At fiunt apud nos. *ibid.*
L. Non ut à patre filius. 8. 23
L. Apud hoſtes ſuſceptus. 9. 9
L. Pater inſtituto impuberi. 10. 37
§ 1. Si mortuo patre. *ibid.*
L. Quod ſi filius. 11. *ibid.*
§ 1. Sed ſi ambo apud hoſtes. *ibid.*
L. In bello poſtliminium. 12. 6
§ 1. Si quis capiatur. 42
§ 2. Facti autem cauſæ. 23
§ 3. Medio tempore filius. . . *N.* 9. *Tit.* DE RITU NUPT.
§ 4. Sed captivi uxor. . . *N.* 1. *Tit.* DE DIVORT.
§ 5. Codicilli ſi quos. . *N.* 21. *Tit.* DE JUR. CODICILL.
§ 6. Cætera quæ in jure. 20
§ 7. Si quis ſervum captum. 26
§ 8. Et ſi ignorans captivum. 27
§ 9. Manumittendo autem. *ibid.*
§ 10. Si ſtatuliber fuerit. 28
§ 11. Quid ergo ſi ita libertat. *ibid.*
§ 12. Si pignori ſervus. *ibid.*
§ 13. Si plurium ſervus fuerat. 26
§ 14. Si fideicommiſſa libertas. 28
§ 15. Si deportatum ab inſulâ. 22
§ 16. Sed ſi in captivo. 28
¶ habebit autem interim. 22
§ 17. Ergo de metallo captus. 15
§ 18. Si natum ex Pamphilâ.. *N.* 133. *Tit.* DE LEGATIS.
L. Si me tibi adrogandum. 13. 14
L. Cùm duæ ſpecies. 14. 2
§ 1. Non ut pater filium. 23
L. Si patre redempto. 15. 35
L. Retrò creditur. 16. 20
L. Poſtliminio carent. 17. 8
L. In omnibus partibus Juris. 18. 35
L. Poſtliminium eſt. 19. 1
§ 1. Induciæ ſunt, quum in breve. 7
§ 2. A piratis aut latronib. 3
§ 3. Poſtliminio rediiſſe videtur. 16
§ 4. Transfugæ nullum. 8
¶ ſed hoc in libero. 11
§ 5. Si verò ſervus transfugerit. *ibid.*
§ 6. Si ſtatuliber transfuga. 24
§ 7. Filius quoque familias. 11
§ 8. Transfuga autem non is. 8
§ 9. Si is qui emat. 32
§ 10. Poſtliminium hominibus. 11
L. Si captivus de quo. 20. 8
§ 1. Verum eſt expulſis. 10
Series Tit. XV. DE CAPTIV. ET POSTL.
L. 20. § 2. Redemptio facult. *h. t. N.* 16
L. Si quis ingenuam. 21. 33
¶ quòd ſi publicè prædâ. *ibid.*
§ 1. In civilibus diſſenſionib. 3
L. Bona eorum qui. 22. 39
§ 1. Apparet ergo eadem. 40
§ 2. Quòd ſi filius ejus. 41
§ 3. Quæ peculiari nomine. 40
§ 4. Si quis quum prægnantem. 37
L. Si quis prægnante. 23. 21
L. Hoſtes ſunt quib. 24. 3
L. D. Severus & Antonin. 25. 21
L. Nihil intereſt, quomodo. 26. 16
L. Latrones tibi ſervum. 27. 28
L. Si quid bello captum. 28. 12
L. Si poſtliminio rediiſti. 29. 23
L. fin. Si id quod noſtrum. 30. 19

TITULUS XVI.
DE RE MILITARI.

Lex Miles qui in commeatu. 1.. *N.* 4. *Tit.* EX QUIB. CAUS. MAJOR.
L. Militum delicta. 2.. *h. tit. Num.* 16
§ 1. Dare ſe militem. 5
L. Deſertorem auditum. 3.. *N.* 18. *Tit.* DE ACCUSAT.
§ 1. Pœnæ militum hujuſcem. 31
§ 2. emanſor eſt qui diù. 24
§ 3. Deſertor eſt qui prolix. *ibid.*
§ 4. Is qui exploratione. 27
§ 5. Qui ſtationis munus. *ibid.*
§ 6. Si Præſidis vel cujuſvis. *ibid.*
§ 7. Si ad diem commeatûs. 24
§ 8. Qui militiæ tempus. 38
§ 9. Si plures ſimul primo. 28
¶ ſed tyronibus parcendum. *ibid.*
§ 10. Is qui ad hoſtem.. *N.* 13. *Tit.* AD L. JUL. MAJEST.
§. 11. Et is qui volens transfug. *N.* 4. *d. tit.*
§ 12. Sed ſi ex improviſo. 37
§ 13. Miles qui in bello. 18
§ 14. Qui aliena arma. 22
§ 25. In bello qui rem. 19
§ 16. Sed qui agmen exceſſit. *ibid.*
§ 17. Necnon & ſi vallum. *ibid.*
§ 18. Si verò quis foſſam. *ibid.*
§ 19. Qui ſeditionem atrocem. 21
§ 20. Si intra vociferationem. *ibid.*
§ 21. Et quum multi milites. 32
§ 22. Qui præpoſit. ſuum prot. 17
L. Qui cum uno teſticulo. 4. 9
§ 1. Ad beſtias datus. 6
§ 2. In inſulam deportatus. 8
§ 3. Temporarium exilium. *ibid.*
§ 4. Ad tempus relegatus. *ibid.*
§ 5. Reus capitalis criminis. *ibid.*
§ 6. Ignominiâ miſſus. *ibid.*
§ 7. Adulterii vel aliquo. *ibid.*
§ 8. Non omnis qui litem. 10
§ 9. Qui poſt deſertionem. 8
§ 10. Gravius autem delictum. 11
§ 11. Qui filium ſuum. *ibid.*
§ 12. Eum qui filium. *ibid.*
§ 13. Edicta Germanici. 25
§ 14. Levius itaque delictum. 24
§ 15. Examinantur autem cauſæ. 25
L. Non omnes deſertores. 5. 28
§ 1. Qui in pace deſeruit. *ibid.*

Source : BIU Cujas

Series Tituli XVI. DE RE MILITARI.

L. 5. § 2. Qui defertioni aliud. *h. t. N.* 28
§ 3. Defertor fi in urbe. *ibid.*
¶ alibi adprehenfus. *ibid.*
§ 4. Qui in defertione fuit. *ibid.*
§ 5. Qui captus quum poterat.] *N.* 4. *Tit.* AD. L. JUL. MAJEST.]
§ 6. A Barbaris remiffos. 37
§ 7. Si poft multum temporis. *ibid.*
§ 8. Qui transfugit, & poftea.] *N.* 13. *Tit.* AD L. JUL. MAJEST.]
L. Omne delictum eft. 6. 16
§ 1. Qui manus intulit. 20
§ 2. Contumacia omnis. 19
§ 3. Qui in acie prior. 17
§ 4. Exploratores qui fecreta.] *N.* 4. *Tit.* AD L. JUL. MAJEST.]
§ 5. Sed & caligatus. 17
§ 6. Si quis commilitonem. 21
§ 7. Qui fe vulneravit. 23
§ 8. Qui præpofitum fuum non. 17
§ 9. Sed & in eos, qui. *ibid.*
L. Proditores, transfugæ. 7. *N.* 13.] *Tit.* AD L. JUL. MAJEST.]
L. Qui ftatûs controverf. 8. 7
L. Milites prohibentur. 9. 15
¶ fed & ftipendiis. *ibid.*
¶ fifco autem vindicatur. *ibid.*
§ 1. Milites fi heredes. *ibid.*
L. Qui excubias. 10. 27
§ 1. Sed ex caufâ defertionis. 38
L. Ab omni militiâ. 11. 6
L. Officium regentis. 12. 34
§ 1. Paternus quoque. *ibid.*
§ 2. Officium Tribunorum. 35
L. Milites agrum comparare. 13. 15
§ 1. Is autem qui contra. *ibid.*
§ 2. Illud conftat, hujus. *ibid.*
§ 3. Miffionum generales. 36

Series Tituli XVI. DE RE MILITARI.

L. 13. § 3. ¶ honefta eft.. *h. t. Num.* 37
¶ caufaria quum quis. 39
¶ ignominiofa. 40
¶ & is qui ignominiâ. *ibid.*
¶ Etfi fine ignominiæ. *ibid.*
§ 4. Irreverens miles non tant. 20
§ 5. Ejus fugam qui quum. 26
§ 6. Defertorem qui à patre. 28
¶ Item D. Severus & Anton. *ibid.*
L. Qui commeatûs. 14. 24
§ 1. Arma alienaffe, grave. 18
L. Ex caufâ defertion. 15. 38
¶ quòd fi ratio conftiterit. *ibid.*
L. fin. Qui metu criminis 16. 8
§ 1. Miles turbator pacis. 21

TITULUS XVII.
DE CASTRENSI PECULIO.

Lex. Filiif. militis. 1.. *h. t. Num.* 11.
L. Si filiusfamil. miles. 2. *ibid.*
L. Si mulier filio. 3. 7
L. Miles præcipua. 4. 2
§ 1. Actionem perfecutionemq. 9
§ 2. Si paterf. militiæ. 8
L. Miles filiusfamil. 5. 9
L. Si militi filiof. 6. 2
L. Si caftrenfe peculium. 7. 9
L. Si fortè uxor. 8. 5
L. Proponebatur fi. iusf. 9. 15
L. Ex notâ Marcelli. 10. 11
L. Caftrenfe peculium eft. 11. 2
L. Pater qui dat. 12. 10
L. D. Hadrianus refcripfit. 13. 4
L. Filiusf. miles fi. 14.. *N.* 75. *Tit.* DE ADQ. RER. DOM.]
§ 1. Proxima fpecies videt } *ibid.*]
§ 2. Legatum quod ei. . }

Series Titui. XVII. DE CASTR. PECUL.

L. Pater militi filio. 15.. *h. t. Num.* 2
§. 1. Si ftipulanti filio.. *N.* 25.] *Tit.* DE OBLIG. ET TAC.]
§ 2. Si pater à filio. . . . *ibid.*]
§ 3. Servus peculii quod. 7
§ 4. Si fervi pater. 6
L. Dotem filiof. datam. 16. 5
§ 1. Hereditatem caftrenfi. 3
L. Pater qui caftrenfe. 17. 12
§ 1. Pater à filio milite. *ibid.*
L. Ex caftrenfi peculio. 18. 7
§ 1. Et in fummâ, ea res. 14
§ 2. Itaque negabimus patrem. 10
§ 3. Servos ex eo peculio. *ibid.*
§ 4. Si quando ex eo peculio. *ibid.*
§ 5. Sed nec cogendus eft. *ibid.*
¶ fed & ejus filii nomine. *ibid.*
L. De hereditate ab agnato. 19. 3
§ 1. Sed fi fervus peculii. 7
§ 2. Filiusfamilias paganus. . .] *N.* 34. *Tit.* DE HER. INSTIT.]
§ 3. Pater peculii caftrenfis. 13
§ 4. Non tamen fi ut heres. 14
§ 5. Quid autem fi teftamentum. 13
L. fin. Sed fi ponas filium. 20. *ibid.*

TITULUS XVIII.
DE VETERANIS.

Lex Veteranorum privileg. 1.. *h. t. N.* 4
L. Honeftè facramento. 2. 2
§ 1. Vectigalia & patrimonior. 3
L. Veteranis & liberis. 3. 4
L. Viæ fternendæ. 4. 3
§ 1. Sed & naves eorum. *ibid.*
L. fin. Veteranos D. Magnus. 5. 2
§ 1. Sed & ab exactione. *ibid.*
§ 2. Sed veterani qui. *ibid.*

LIBER QUINQUAGESIMUS.

TITULUS I.
AD MUNICIPALEM ET DE INCOLIS.

LEx Municipem aut. 1.. *h. t. Num.* 2
§ 1. Et propriè quidem. 1
§ 2. Qui ex duobus igitur. 3
¶ nifi fortè privilegio. *ibid.*
L. Quoties filiusfam. 2. . . *N.* 21.] *Tit.* DE DECURION.]
§ 1. Geftum autem in republ.] *N.* 25. *d. tit.*]
§ 2. Sed & fi curatores. }
§ 3. Sed & fi fucceffores } *ibid.*]
§ 4. Sed & fi vectigalia. }
§ 5. Sed fi filius tutores. . . . .] *N.* 26. *d. tit.*]
§ 6. Is qui ultra commeatum.] *N.* 18. *d. tit.*]
L. Placet etiam. 3. 25
L. Non utique ibi 4. *ibid.*
L. Labeo indicat eum. 5. 18
L. Adfumptio originis. 6. 10
§ 1. Filius civitatem ex quâ 25
§ 2. Viris prudentibus placuit. 18
§ 3. Libertini originem. 5

Series Tit. I. AD MUNICIPALEM, &c.

L. Si quis à pluribus. 7.. *h. tit. Num.* 5
L. Non debere cogi. 8.. *N.* 2. *Tit.*] DE *L.* JUL. DE ANN.]
L. Ejus qui juftum. 9. 3
L. Simile privilegium. 10.. *N.* 2.] *Tit.* DE ADMIN. RER. AD CIVIT.]
L. Imperator T. Antonin. 11. }
§ 1. Quòd fi fortè is qui. } *N.* 20]
L. Et ei contra nominati. 12. } *d. tit.*]
L. Quid ergo fi alter ex. 13. }
L. Municipes intelliguntur. 14..] *N.* 3. *d. tit.*]
L. Ordine decurion. 15. } *N.* 15. *Tit.*
¶ fed in utroque placuit. } DE MUN. ET HON.]
§ 1. In eum qui fucceffores. . *N.* 17. *Tit.* DE ADMIN. RER. AD CIVIT.
§ 2. In fraudem civilium. *N.* 7.] *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.]
§ 3. Jus originis in honoribus. 8
L. Sed fi emancipatur. 16. 14
L. Libertus propter patronum. 17...] *N.* 41. *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.]

Series Tit. I. AD MUNICIPALEM, &c.

L. 17. § 1. Liberti verò Senat. *N.* 41.] *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.]
§ 2. Pater filium decurionem.] *N.* 28. *Tit.* DE DECURION.]
§ 3. Præfcriptio temporum. } *N.* 34. *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.
§ 4. Sed eodem tempore. }
§ 5. Sola ratio poffeffionis. *h. t. N.* 22
§ 6. Poftliminio regreffi. 13
§ 7. Exigendi tributi.. *N.* 32.] *Tit.* DE DECURION.]
§ 8. Ex caufâ fideicommiffi. 7
§ 9. In adoptivâ familiâ. 8
§ 10. Error ejus qui fe.. *N.* 1.] *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.]
§ 11. Patris domicilium. 25
§ 12. In quæftionibus nomin.] *N.* 13. *Tit.* DE MUN. ET HON.]
§ 13. Sola domûs poffeffio. 22
§ 14. Nominati fucceff. *N.* 19.] *Tit.* DE ADM. RER. AD CIVIT.]
§ 15. Fidejuffores qui falv. *ibid.*]

Source : BIU Cujas

Series Tituli I. AD MUNICIPALEM &c.

L. D. Severus reſcripſit. 18. *N.* 36. *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.

L. Quod major pars. 19... *N.* 4. *Tit.* DE DECR. AB ORD. FAC.

L. Domicilium re. 20.. *h. t. Num.* 26

L. L. Titius quum eſſet. 21. *N.* 22. *Tit.* DE ADM. RER. AD CIV.

§ 1. Paulus reſp. eos qui.. *N.* 14. *d. tit.*

§ 2. Idem reſp. heredes patris. *N.* 29. *Tit.* DE DECURION.

¶ hoc reſponſum & ad. *ibid.*

§ 3. Idem reſp. eum qui decur. *N.* 24. *d. tit.*

§ 4. Idem reſp. conſt. matrim. *N.* 9. *d. tit.*

§ 5. Idem reſp. ſi per accuſator. *N.* 13. *Tit.* DE MUN. ET HON.

§ 6. Imperatores Severus.... *N.* 27. *Tit.* DE DECURION.

§ 7. Idem reſp. ſi civitas. *N.* 2. *Tit.* DE ADM. RER. AD CIV.

L. Filii libertorum. 22. 5
§ 1. Vidua mulier. 28
§ 2. Municipes ſunt liberti. 6
§ 3. Relegatus in eo loco. 19
§ 4. Senator ordine motus.. *N.* 14. *Tit.* DE MUN. ET HON.
§ 5. Senatores & eorum. 12
§ 6. Senatores qui liberum. 20
§ 7. Qui fœnus exercent. *N.* 7. *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.

L. Municeps eſſe deſinit. 23. 12
§ 1. Miles ibi domicilium. 18

L. Conſtitutionib. Princip. 24.. *N.* 14. *Tit.* DE ADM. RER. AD CIV.

L. Magiſtratus municipales. 25.. *N.* 20. *d. tit.*

L. Ea quæ magis imperii. 26... *N.* 5. *Tit.* DE JURISDICT.

§ 1. Magiſtratib. municip. *ibid.*

L. Ejus qui manumiſit. 27. 5
¶ & ſi patronum. *ibid.*
§ 1. Si quis negotia ſua. 18
§ 2. Celſus lib. 1. Dig. tractat. *ibid.*
§ 3. Domicilium autem habere. 19

L. Inter convenientes. 28.. *N.* 21. *Tit.* DE JURISDICT.

L. Incola & his magiſtrat. 29. 11
L. Qui ex vico. 30. 4
L. Nihil eſt impedimento. 31. 18
L. Ea quæ deſponſa eſt. 32. 23

L. Roma communis. 33.. *N.* 29. *Tit.* DE JUDICIIS.

L. Incola jam munerib. 34 27
L. Scire oportet quoniam. 35. 16

L. Titio quum eſſet Romæ. 36.. *N.* 14. *Tit.* DE LEGATION.

§ 1. Titius pro pecuniâ.. *N.* 13. *Tit.* DE ADM. RER. AD CIV.

L. De jure omnium. 37. 17
§ 1. Libertos eo loco. 6
§ 2. Mulieres qui in matrimon. 24

L fin. Impp. Anton. & Verus. 38. *N.* 19. *tit.* DE MUN. & HON.

Series Tituli I. AD MUNICIPALEM, &c.

L. 38. § 1. Item reſcripſer. colonos. *N.* 26. *Tit.* DE VAC. ET EXC. MUN.

§ 2. Impp. Ant. & Ver. ad Mag. *N.* 7. *Tit.* DE ADM. RER. AD CIV.

§ 3. Item reſcripſ. mulier. *h. t. N.* 24
§ 4. Item reſcripſerunt, patris. *N.* 5. *Tit.* DE ADM. RER. AD CIV.

§ 5. Item reſcripſerunt, quum. 9
§ 6. Impp. Anton. & Ver. non. *N.* 5. *Tit.* DE ADM. RER AD CIV.

TITULUS II.

DE DECURIONIBUS ET FILIIS EORUM.

Lex. Decuriones quos. 1. *h. t. Num.* 18
L. Qui ad tempus releg. 2. 33
§ 1. Reſtitutus tamen in Ord. *ibid.*
§ 2. In filiis Decurionum. 4
§ 3. Sed ſi pater ipſius. *ibid.*
§ 4. Proindè hic quoque. *ibid.*
§ 5. Si ad tempus Ordine. *ibid.*
§ 6. Prætereà ſi conceptus ſit. *ibid.*
§ 7. Nullum patris delictum. 13
§ 8. Majores annis. 55. ad *N.* 2 *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.

L. Generaliter id erit. 3. 33
§ 1. Sed ſi quis ob falſam. *ibid.*
§ 2. Spurios poſſe in ordinem. 14
§ 3. Eis qui Judaïcam.. *N.* 19. *Tit.* DE MUN. ET HON.

L. Decurio qui prohibetur. 4 19
L. Ad tempus ordine. 5. 33
L. Spurii decuriones. 6. 14
§ 1. Minores 25. annor. *N.* 3. *Tit.* DE DECR. AB ORD. FAC.
§ 2. Decurio etiam ſuæ. 19
§ 3. Qui judicii publici. 12
§ 4. Pater qui filio. 23
§ 5. Privilegiis ceſſantibus... *N.* 2. *Tit.* DE ALBO SCRIB.

L. Honores & munera. 7.. *N.* 21 *Tit.* DE MUN. ET HON.

§ 1. Surdus & mutus.. *N.* 5. *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.

§ 2. Is qui non ſit decurio... *N.* 18. *Tit.* DE MUN. ET HON.

§ 3. Ad decurionatum filii... 23
L. Decurionibus facultatib. 8. 32
L. Severus-Auguſtus. 9. 14
§ 1. Non eſſe dubitandum.. 8
L. Herennius-Modeſtin. 10. 6
L. Non tantùm qui teneræ. 11. 10
L. Eos qui utenſilia. 12. 15
¶ ſed ne quidem arcentur. *ibid.*
L. Impp. Antonin. & Ver. Aug. 13. 12
§ 1. Item reſcripſer. relegatos. *ibid.*
§ 2. Item reſcripſerunt eum qui. 13
§ 3. Item reſcripſer. Non admitti. 7
L. fin. De decurione damnato. 14. 32

TITULUS III.

DE ALBO SCRIBENDO.

Lex. Decuriones in Albo. 1. *h t. N.* 1
§ 1. In ſententiis quoque.
L. fin. In Albo Decurionum. 2.

TITULUS IV.

DE MUNERIBUS ET HONORIBUS.

Lex Munerum civilium. 1. *h. t. N.* 2
§ 1. Patrimonii ſunt munera. 8
§ 2. Perſonalia civilia ſunt. 5
§ 3. Illud tenendum eſt. 2
§. 4. Æquè perſonale munus. 5

L. Quod ad honores. 2.. *N.* 22. *Tit.* DE DECURION.

L. Et qui originem. 3. 9
§ 1. His qui caſtris operam.. *N.* 9. *Tit.* DE JUR. IMMUN.
§ 2. Si in metallum datus. 19
§ 3. Corporalia munera fœm. 10
§ 4. Filio ſi null. habet. *N.* 40 *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.
§ 5. Quòd pater non conſenſit. *N.* 17. *Tit.* DE DECURIONIB.
§ 6. Quamvis major annis... *N.* 9. *Tit.* DE JUR. IMMUN.
§ 7. Vitricus onera munerum. } *N.* 30. *Tit.* DE DECUR.
§ 8. Liberti munerib. }
§ 9. Quod pater in reatu. 19
§ 10. Decaprotos etiam. 11
§. 11. Exactionem tributorum. 6
§ 12. Cura frumenti compar. *N.* 10. *tit.* DE VAC. ET EXC. MUN.
§ 13. Eos milites quibus. 22
§ 14. Munus hoſpitis in. 6
§ 15. Præſes provinciæ. 22
§ 16. Si duo filii in patris. *N.* 37. *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.
§ 17. Si is qui duos filios... *N.* 29. *Tit.* DE DECURION.

L. Cura extruendi. 4. *N.* 10 *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.
¶ nec ſi per vim. *N.* 37 *d. tit.*
§ 1. Deficentium facult. } *N.* 6.
§ 2. Inopes onera patrim. } *d. tit.*
§ 3. Qui obnoxius muneribus. *N.* 10. *Tit.* DE RE MILIT.

L. Navicularii &. 5. *N.* 23. *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.
L. Reſcripto DD. Fratr. 6. 16
§ 1. Debitores rerum publicar. 17
§ 2. Si quis accuſatorem non. 13
§ 3. Sciendum eſt quædam. 2
§ 4. Munera quæ patrimoniis. *N.* 4. *Tit.* DE JUR. IMM.
§ 5. Sed enim hæc munera. 7
L. Reus delatus. 7. 13
§ 1. Eum contra quem. 25
¶ ergo & ſi qui honorib. *ibid.*
L. Ad remp. adminiſtrand. 8. 11
L. Si quis Magiſtratus. 9. 23

L. Honorem ſuſtinenti. 10. *N.* 38. *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.

L. Ut gradatim honores. 11. 22
§ 1. Etſi lege municipali. 21
§ 2. Quoties penuria eſt. *N.* 11. *Tit.* DE JUR IMMUN.
§ 3. Reprobari poſſe medic. *N.* 15. *tit.* DE VAC. ET EXC. MUN.
§ 4. Eos qui primis litteris.. *N.* 18. *d. tit.*

Source : BIU Cujas

Series Tituli IV. DE MUNERIB. ET HON.
L. Cui muneris publici. 12.. *N.* 2. *Tit.* DE JUR. IMMUN.
L. Vacatio itemque. 13. *N.* 10. *d. tit.*
L. Honor municipalis. 14. *h. t. Num.* 2
§ 1. Munus aut publicum. 1
¶ publicum munus dicitur. 2
§ 2. Viarum munitiones. 7
§ 3. De honoribus sive munerib. 21
§ 4. Plebeii filiifamil.. *N.* 40. *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.
§ 5. Gerendorum honorum. 22
§ 6. Si alii non sint... *N.* 11. *Tit.* DE JUR. IMMUN.
L. Et si filium pater. 15. . *N.* 29. *Tit.* DE DECURION.
L. Æstimationem honoris. 16. 24
§ 1. Qui pro honore.. *N.* 4. *Tit.* DE POLLICITAT.
§ 2. Invitus filius pro. . *N.* 30. *Tit.* DE DECURION.
§ 3. Defensionem Reip. *N.* 34. *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.
L. Sponte provinciæ. 17.. *N.* 36. *d. tit.*
§ 1. Immunis ab honoribus. . *N.* 22. *Tit.* DE DECURION.
L. fin. Munerum civilium triplex. 18. 3
§ 1. Personalia sunt. 4
§ 2. Kalendarii quoq. curatio. *ibid.*
§ 3. Tyronum, sive equorum. *ibid.*
§ 4. Cursus vehicularis. *ibid.*
§ 5. Cura quoque emendi. *ibid.*
§ 6. Sed & cura custodiendi. *ibid.*
§ 7. Hirenarchæ quoque. *ibid.*
§ 8. Qui annonam suscipit. *ibid.*
§ 9. Sed & curatores qui. *ibid.*
§ 10. Hi quoque qui custodes. *ibid.*
§ 11. Camelasia quoque. *ibid.*
§ 12. Legati quoque qui. *ibid.*
§ 13. Defensores quoq. quos. *ibid.*
§ 14. Judicandi quoque necess. *ibid.*
§ 15. Si aliquis fuerit electus. *ibid.*
§ 16. Pari modo qui accept. *ibid.*
§ 17. Mastigophori quoque. *ibid.*
§ 18. Patrimoniorum sunt. 6
§ 19. Elemporia & ospratura. *ibid.*
§ 20. Susceptores quoque vini. *ibid.*
§ 21. Patrimoniorum autem. 7
§ 22. Hujusm. igitur obsequia. *ibid.*
§ 23. Sed & eos qui fœnus. *ibid.*
§ 24. Ab hujusmodi munerib. *N.* 4. *Tit.* DE JUR. IMMUN.
§ 25. Prætereà habent. 7
§ 26. Mixta munera. 8
§ 27. Sed ea quæ suprà. *ibid.*
§ 28. Hæc omnia munera. 3
§ 29. Sive aut. personal. *N.* 4. *Tit.* DE JUR. IMMUN.
§ 30. Magistris qui civilium.

TITULUS V.
DE VACATIONE ET EXCUSATIONE MUNERUM.

Lex Omnis excusatio. 1. *N.* 2. *Tit.* SI TUT. VEL CUR. APPEL.
§ 1. Qui excusatione aliquâ.

Series Tituli V. DE VAC. ET EXC. MUN.
L. 1. § 2. Qui in fraud. ord. *h. t. N.* 27
§ 3. Quamvis sexaginta-quinq. 39
L. Sextum-decimum. 2. . *N.* 11. *Tit.* DE MUN. ET HON.
§ 1. Numerus liberorum.... *N.* 2. *Tit.* DE JURE IMMUN.
§ 2. Adoptivi filii in. 10
§ 3. Qui ad munera vocantur. 11
§ 4. Quæ patrimoniorum. 12
§ 5. Incolumes liberi etiam. 10
§ 6. Minus audiens immunitat. 5
§ 7. Quem ita senio. 4
¶ corporis debilitas. *ibid.*
§ 8. Qui pueros primas litteras. 18
L. His qui naves marinas. 3. 23
¶ Senatores autem hanc. 24
L. Tempus vacationis. 4. 9
L. A Decurionatu. 5. . 33
L. Hi qui muneris publici. 6... *N.* 6. *Tit.* DE JUR. IMMUN.
L. A muneribus quæ non. 7. 13
L. In honorib. delatis. 8. . *N.* 2. *Tit.* DE JUR. IMMUN.
§ 1. Non alios fisci vectigalium. 26
§ 2. Vacationum privilegia. . *N.* 9. *Tit.* DE JUR. IMMUN.
§ 3. Qui muneris publici. *N.* 6. *d. Tit.*
§ 4. Philosophis qui se. 17
§ 5. Qui maximos principes. 9
L. Eos qui Romæ. 9. 15
§ 1. Paulus resp. Privilegium. 23
L. Ab his oneribus. 10. . *N.* 4. *Tit* DE JUR. IMMUN.
§ 1. Corpus mensorum. * 23
* *Flor.* mensurarum.
§ 2. Angariorum præstatio. . *N.* 5. *tit.* DE JUR. IMMUN.
§ 3. Auctis post appellationem. 9
§ 4. Defensores Reipublicæ. 33
L. Sunt munera quæ 11. *N.* 4. *tit.* DE JUR. IMMUN.
L. Legato qui publicum. 12..*N.* 7. *tit.* DE LEGATION.
§ 1. Comites Præsidum. 28
L. Præter eos quoscumque. 13. 4
§. 1. Duo genera tribuendæ. . *N.* 3. *tit.* de JURE IMMUN.
§ 2. Qui aut. non habet excusationem. *N.* 59. *Tit.* DE JUDICIIS.
§ 3. Si post causam act. JUDICIIS]
L. fin. Ad excusation. muner. 14. 11
§ 1. Eodem tempore idem. 37

TITULUS VI.
DE JURE IMMUNITATIS.

Lex Qui ob hoc tantùm. 1.. *N.* 24. *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.
§ 1. Personis datæ immun. *h. t. N.* 10
§ 2. Sed & generi posteriscq. *ibid.*
L. Si qui certâ conditione. 2 12
§ 1. Impuberes quamvis. *N.* 11. *Tit.* DE MUN. ET HON.
L. Majores 70. annis. 3.. *N.* 3. *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.
L. Immunitates generaliter. 4. 10

Series Tituli VI. DE JURE IMMUNIT.
L. Semper in civitate. 5. *N.* 3. *Tit.* DE VAC. ET EXC. MUN.
§ 1. Legem quoque respici.
§ 2. Demonstratur variè nec. *N.* 12. *d. tit.*
§ 3. Negotiatores qui annon. *N.* 23. *d. tit.*
§ 4. Immunitati quæ.. *h. t. Num.* 8
§ 5. D. Hadrianus rescr. *N.* 23 *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.
§ 6. Licèt in corpore.. *N.* 24. *d. tit.*
§ 7. Hoc circa vacationes. 3
§ 8. Negotiatio pro incremento. *N.* 24. *Tit.* DE VAC.
§ 9. D. quoque Pius rescripsit. ET EXCUS. MUN.]
§ 10. Conductores etiam vect. *N.* 26. *d. tit.*
§ 11. Coloni quoque Cæsaris. *N.* 27. *d. tit.*
§ 12. Quibusdam collegiis vel. *N.* 21.
¶ nec omnibus promiscuè. *d. tit.*
§ 13. Eos qui in corporibus. 12
L. fin. Quibusd. aliquam vacat. 6. *N.* 33. *Tit.* DE RE MILIT.

TITULUS VII.
DE LEGATIONIBUS.

Lex Legatus muncip. 1.. *h. t. Num.* 10
L. Legatus contra remp. 2. 12
§ 1. Utrùm quis deseruerit. 10
§ 2. Cessatio unius legati. *ibid.*
§ 3. His qui gratuitam. 14
L. Quum quæritur. 3. 13
L. Sciendum est debitorem. 4. 4
§ 1. Sed & eos quibus jus. 5
§ 2. Debitores autem fisci. 4
§ 3. Si acusatio alicujus. 9
§ 4. Legati vicarios dare. 10
§ 5. Ordine unusquisque. 3
§ 6. Præcipitur autem Edicto. 2
L. Legato tempus. 5. 13
§ 1. Sed si non constat...*N.* 34. *Tit.* DE JUDICIIS.
L. Filio propter patrem. 6. 8
L. Filius decurio pro patre. 7. *ibid.*
L. Paulus resp. Eum . . intra. 8. 7
§ 1. Impp. Antonin. & Sever. *ibid.*
§ 2. Paulus resp. Eum.. neque. 11
L. Paulus resp. de eo. 9. *ibid.*
L. Legatus antequàm. 10. *ibid.*
§. 1. Si quis in munere. 15
L. Si absenti injuncta. 11. 10
§ 1. Qui legationis officio. 11
L. Legatus creatus. 12. *ibid.*
L. Vicarius alieni muneris. 13. 8
L. Qui liberâ. 14. 16
L. Is qui legatione. 15. 12
L. Eumdem plures. 16. 3
§ 1. Ante legationem susceptam. 13
L. fin. Si quis legatum hostium. 17. 17
¶ quem hostes si non recepiss. *N.* 2. *Tit.* DE CAP. MINUT.

Source : BIU Cujas

TITULUS VIII.

De Administratione rerum ad civitates pertinentium.

L. Quod ad certam. 1... *h. t. Num.* 9
L. Non utique de exemplo. 2. 1
§ 1. Quod quis ſuo nomine... *N.* 19. *Tit.* DE DECURIONIB.] 8
§ 2. Quod de frumentariâ. 8
§ 3. Frumentariæ pecuniæ. 7
§ 4. Ad frumenti comparation. 8
§ 5. Si indemnitas debiti. *ibid.*
§ 6. Grani æſtimationem. 3
§ 7. Si eo tempore quo. 17
§ 8. Jus Reipublicæ pacto. 20
§ 9. Actio autem quæ propterea. 23
§ 10. Quod depenſum pro. *ibid.*
§ 11. Id. ex eod. lib. Conductore perficiendi. } *N.* 36. *Tit.* DE FIDEJUSSORIB.]
§ 12. Qui fidejuſſerint pro conductore. }
§ 13. Sed ſi in locatione. 3
L. Curatores communis. 3. 21
¶ Prior tamen exemplo. *ibid.*
§ 1. Prædium publicum. 13
§ 2. In eum qui adminiſtrationis. 10
§ 3. Filium pro patre. 5
§ 4. Pro magiſtratu fidejuſſor. 18
L. Legatam municipio. 4. 9
¶ ſed municipio pecuniam. *ibid.*
L. Decuriones pretio. 5.. *N.* 2. *Tit.* DE L. JUL. DE ANNON.]
§ 1. Niſi ad opus novum. 9
L. Magiſtratus Reipublicæ. 6. 12
L. Si filiusfam. volente. 7... *N.* 21. *Tit.* DE DECURION.]
L. Calculi erroris retractatio. 8. 16
§ 1. Sed ſi gratioſè. *ibid.*
L. fin. Impp. Antonin. & Verus. 9. 14
§ 1. Item reſcripſer. Operum... *N.* 8. *Tit.* DE DECR. AB ORD. FAC.]
§ 2. Item reſcripſerunt, Agros. 6
§ 3. Id. eod. lib. Imperatores. *N.* 7. *Tit.* DE DECR. AB ORD. FAC.]
§ 4. Item reſcripſer. Curatores. 12
§ 5. Item reſcripſer. Pecuniam. 7
§ 6. Item reſcripſer. Sitonas... *N.* 4. *Tit.* DE MUN. ET HON.]
§ 7. Item reſcripſ. A Curatore. 5
§ 8. Item reſcripſ. Curatorem. 21
§ 9. Item reſcripſer. Nominum. 13
§ 10. Idem lib. eod. Imperat. 14

TITULUS IX.

De Decretis ab Ordine faciendis.

L. Medicorum intra. 1... *h. t. Num.* 1.
L. Illa Decreta quæ. 2. 4
L. Lege autem municipali. 3. *ibid.*
L. Ambitioſa Decreta. 4. 5
§ 1. Proindè (ut ſolent) ſive. *ibid.*
§ Sed etſi ſalarium. *ibid.*
L. Quod ſemel Ordo decrevit. 5. 6
L fin. Municipii lege. 6... *N.* 12. *Tit.* DE EXTRAORD. COGNIT.]

TITULUS X.

De Operibus publicis.

Lex Curator operum. 1... *h. t. N.* 8
§ 1. Curam operis aquæ-ductûs. *N.* 37. *Tit.* DE VAC. ET EXCUS. MUN.]
L. Qui liberalitate. 2. 4
§ 1. Curatores operum. 7
§ 2. Ne ejus nomine cujus. 5
L. Opus novum privato. 3. 2
§ 1. Publico verò ſumptu. *ibid.*
§ 2. Inſcribi autem nomen. 4
L. Nec Præſidis quidem. 4. *ibid.*
L. Si legatum vel fideic. 5. 1
§ 1. Fines publicos à privatis. 9
L. De operibus quæ. 6. 2
L. fin. Pecuniam quæ in. 7... *N.* 9. *Tit.* DE ADM. RER. AD CIV.]
§ 1. Si quis opus ab alio. 5

TITULUS XI.

De Nundinis.

Lex Nundinis à Princ. 1... *h. t. N.* 4
L. fin. Si qui ipſos cultores. 2. 2

TITULUS XII.

De Pollicitationibus.

Lex Si pollicitus quis. 1... *h. t. Num.* 7
§ 1. Non ſemper autem. 2
§ 2. Item ſi ſine causâ. 3
§ 3. Cœpiſſe ſic accipimus. *ibid.*
§ 4. Sed ſi non ipſe cœpit. *ibid.*
§ 5. Denique quum columnas. *ibid.*
§ 6. Si quis opus quod. 8
L. Si quis rem aliquam. 2. 15
§ 1. Voto autem patresfam. 14
§ 2. Si decimam quis bonorum. 15
L. Pactum eſt duorum. 3. 1
¶ & ideò illud eſt conſtitut. *ibid.*
§ 1. Si quis, quam ex pollicit. 5
L. Propter incendium. 4. 2
L. Ex epiſtolâ quam. 5. *ibid.*
L. Toties locum. 6. 9
§ 1. Si quis pecuniam. 4
§ 2. Non tantùm maſculos. 2
§ 3. Si cui Reſpublica. 13
L. Ob caſum. 7. 2
L. De pollicitationibus. 8. 11
L. Ex pollicitatione. 9. 9
L. Septicia certamen. 10. 12
L. Si quis ob honorem. 11. 10
L. In privatis operibus. 12... *N.* 3. *Tit.* DE OPER. PUBL.]
§ 1. Quum quidam ne.. *N.* 24. *Tit.* DE MUN. ET HONOR.]
L. Impp. Antoninus. 13. 7
§ 1. Item reſcripſ. conditiones. 12
L. Si quis ſui alieni-ve. 14. 9
L. fin. Inter liberos. 15. *ibid.*

TITULUS XIII.

De Extraordinariis cognitionibus et si judex litem suam fecisse diceretur.

Lex Præſes provinciæ. 1... *h. t. N.* 2
§ 1. Medicorum quoque. 5
§ 2. Sed & obſtetricem. *ibid.*
§ 3. Medicos fortaſſis. *ibid.*
§ 4. An & Philoſophi. 2
§ 5. Proindè ne juris. *ibid.*
§ 6. Ludi quoque litterarii. 7
§ 7. Sed cæterarum artium. *ibid.*
§ 8. Sed & ſi comites. 3
§ 9. Sed adversùs ipſos. 8
§ 10. In honorariis Advocator. 4
§ 11. Advocatos accipere deb. *ibid.*
§ 12. Si cui cautum eſt. *ibid.*
§ 13. Divus Severus. 4
§ 14. Ad nutricia quoque. 6
§ 15. Hæc omnia. 10
L. De uſu aquæ. 2. 9
L. Si medicus cui. 3. 8
L. Divus Antoninus. 4. 3
L. Cognitionum numerus. 5. 1
§ 1. Exiſtimatio eſt. } *N.* 2.
§ 2. Minuitur exiſtimatio. } *Tit.* DE
§ 3. Conſumitur verò. } PŒN.]
L. fin. Si judex litem. 6. 11

TITULUS XIV.

De Proxeneticis.

Lex Proxenetica. 1.... *h. tit. Num.* 2
L. Si proxeneta. 2. 2
L. fin. De proxenetico. 3. 1

TITULUS XV.

De Censibus.

Lex Sciendum eſt. 1... *h. tit. Num.* 2
§ 1. Sed & Berytenſis. *ibid.*
§ 2. Eſt & Heliopolitana. *ibid.*
§ 3. Eſt & Laodicena. *ibid.*
§ 4. Sed & Emiſenæ. *ibid.*
§ 5. Eſt & Palmyrena. *ibid.*
§ 6. In Palæſtinâ. *ibid.*
§ 7. Divus quoque Severus. *ibid.*
§ 8. In Daciâ (*Florent.* Indicia) quoque. *ibid.*
§ 9. Zarmizegethuza quoque. *ibid.*
§ 10. Eſt in Bithyniâ. *ibid.*
§ 11. Eſt & in Ciliciâ. *ibid.*
L. Vitia priorum. 2. 7
L. Ætatem in cenſendo. 3. 9
§ 1. Rebus conceſſam. 4
L. Formâ cenſuali. 4. 6
§ 1. Illam æquitatem. 8
§ 2. Is verò qui agrum. 5
§ 3. Quanquam in quibuſdam. 4
§ 4. Si quum ego fundum. 7
§ 5. In ſervis deferendis. 6
§ 6. Lacus quoque piſcarios. *ibid.*
§ 7. Salinæ ſi quæ ſunt. *ibid.*
§ 8. Si quis inquilinum. *ibid.*
§ 9. Quæ poſt cenſum. *ibid.*
§ 10. Si quis veniam. 7
L. Quum poſſeſſor. 5. 12
§ 1. Qui non habitâ. 11
§ 2. Pro pecuniâ tributi. 14

Source : BIU Cujas

Series Tituli XV. DE CENSIBUS.
L. Colonia Philippenſis. 6.. *h. t. N.* 3
L. Juris Italici. 7. *ibid.*
L. fin. In Lyſitaniâ. 8. *ibid.*
§ 1. Lugdunenſes Galli. *ibid.*
§ 2. In Germaniâ. *ibid.*
§ 3. Laodicia in Syriâ. *ibid.*
§ 4. Ejuſdem juris. *ibid.*
§ 5. Divus Antoninus. *ibid.*
§ 6. Imperator noſter. *ibid.*
§ 7. Divus Veſpaſianus. *ibid.*
§ 8. In provinciâ Macedoniâ. *ibid.*
§ 9. In provinciâ Aſiâ. *ibid.*
§ 10. In Piſidiâ. *ibid.*
§ 11. In Africâ. *ibid.*

TITULUS XVI.

DE VERBORUM SIGNIFICATIONE.

L. Verbum hoc, SI QUIS. 1... *h. t. N.* 7
L. Urbis appellatio. 2. 194
§ 1. Cujuſque diei. 77
L. Itinere faciendo. 3. 120
§ 1. Ejus qui apud hoſtes.... *N.* 619. *Tit.* DE REG. JUR.]
L. Nominis appellatione. 4. 148
L. Rei appellatio. 5. 191
§ 1. Opere locato. 155
L. Nominis & Rei. 6. 148
§ 1. Verbum EX LEGIBUS. 129
L. Sponſio appellatur. 7. 205
L. Verbum OPORTEBIT. 8. 9
§ 1. Actionis verbo. 16
L. Marcellus apud Julianum. 9. 73
L. Creditores accipiendos. 10. 63
L. Creditorum appellatione. 11. *ibid.*
L. Ut ſi cui ex. 12. *ibid.*
§ 1. Minùs ſolvit. 202
L. Mulieris appellatione. 13. 143
§ 1. Res abeſſe videntur. 11
§ 2. Deſinere autem abeſſe. *ibid.*
§ 3. Ob hoc quòd furto. *ibid.*
L. Labeo & Sabinus. 14. *ibid.*
§ 1. Rem amiſiſſe. *ibid.*
L. Bona civitatis 15. 181
L. Eum qui vectigal. 16. *ibid.*
L. Inter publica. 17. *ibid.*
§ 1. Publica vectigalia. *ibid.*
L. Munus tribus modis. 18. 144
L. Labeo lib. 1. Prætoris. 19. 17
L. Verba, CONTRAXERUNT. 20. *ibid.*
L. Princeps bona. 21. 34
L. Plus eſt in reſtitutione. 22. 192
L. Rei appellatione. 23. 191
L. Nihil eſt aliud. 24. 107
L. Rectè dicimus. 25. 161
§ 1. Q. Mucius ait. *ibid.*
L. Partum non eſſe. 26. *ibid.*
L. Ager eſt locus. 27. 103
§ 1. Stipendium à ſtipe. 206
L. Alienationis verbum. 28. 24
§ 1. Oratio quæ neque. 2
L. Conjunctionem enim. 29. *ibid.*
L. Sylva cædua. 30. 209
§ 1. Stipula illecta. 101
§ 2. Novalis eſt. 149
§ 3. Integra autem. *ibid.*
§ 4. Glans caduca. 101
§ 5. Paſcua ſylva. 209
L. Pratum, in quo. 31. 176
L. Minùs ſolutum. 32. 202
L. Palàm eſt. 33. 159

Series Tituli XVI. DE VERB. SIGNIF.
L. Actionis verbo. 34... *h. t. Num.* 16
L. Reſtituere autem. 35. 192
L. Litis nomen. 36. 134
L. Verbum oportere. 37. 184
L. Oſtentum Labeo. 38. 157
L. Subſignatum dicitur. 39. 75
§ 1. Bona intelliguntur. 34
§ 2. Deteſtari eſt. 75
§ 3. Incertus poſſeſſor. 112
L. Deteſtatio eſt. 40. 75
§ 1. Servi appellatio. 7
§ 2. Familiæ appellatione. 95
§ 3. Unicus ſervus. *ibid.*
L. Armorum appellatio. 41. 31
L. Probrum & Opprobrium. 42. 178
L. Verbo Victûs. 43. 223
L. Et cætera quibus. 44. *ibid.*
L. In ſtratum omne. 45. *ibid.*
L. Pronuntiatum & ſtatutum. 46. 179
§ 1. Matremfamilias. 138
L. Liberationis verbum. 47. 130
L. Qui neq. ſequ. SOLUTUM. 48. 202
L. Bonorum appellatio aut. 49. 34
¶ in bonis autem noſtris. *ibid.*
L. Nurûs appellatio. 50. 201
L. Appellatione Parentis. 51. 160
L. Patroni appellatione. 52. 7
L. Sæpè ita comparatum eſt. 53. 2
§ 1. Quum verò dicit Prætor. *ibid.*
§ 2. Item dubitatum, illa verba. *ibid.*
L. Conditionales creditores. 54. 63
L. Creditor autem is. 55. *ibid.*
L. Cognoſcere inſtrumenta. 56. 115
§ 1. Liberorum appellatione. 131
L. Cui præcipua cura. 57. 136
§ 1. Perſequi videtur. 16
L. Licèt inter Geſta. 58. 17
§ 1. Paternos libertos. 132
L. Portus appellatus. 59. 170
L. Locus eſt, non. 60. 103
§ 1. Loci appellationem. *ibid.*
§ 2. Sed fundus quidem. *ibid.*
L. Satiſdationis appellatione. 61. 197
L. Tigni appellatione. 62. 213
L. Penès te. 63. 165
L. Inteſtatus eſt. 64. 118
L. Heredis appellatio non. 65. 108
L. Mercis appellatio. 66. 140
L. Alienatum non. 67. 24
§ 1. Donationis verbum. 81
L. Illa verba, ARBITRATU, 68. 29
L. Hæc verba, CUI REI. 69. 79
L. Sciendum eſt heredem. 70. 108
¶ item in Lege Æliâ. *ibid.*
§ 1. Verba hæc, IS AD QUEM. 167
L. Aliud eſt capere. 71. 15
§ 1. Hæc verba: HIS REBUS. 109
L. Appellatione Rei. 72. 191
L. Hæc verba in ſtipul. 73. 192
L. Signatorius annulus. 74. 156
L. Reſtituere is videtur. 75. 192
L. Dediſſe intelligendus. 76. 68
L. Frugem pro reditu. 77. 101
L. Interdum proprietatem. 78. 103
L. Impenſæ neceſſariæ. 79. 111
§ 1. Utiles impenſas. *ibid.*
§ 2. Voluptuariæ. *ibid.*
L. In generali repetitione. 80. 128
L. Cùm Prætor dicat. 81. 192
L. Verbum AMPLIUS. 82. 6
L. Propriè Bona. 83. 34
L. Filii appellatione. 84. 98

Series Tit. XVI. DE VERB. SIGNIF.
L. Neratius-Priſcus. 85.... *h. t. N.* 44
L. Quid aliud ſunt. 86. 123
L. Ut Alfenus ait. 87. 194
L. Tantum quiſque pecuniæ. 88. 164
¶ non idem eſt in fundo. *ibid.*
L. Boves magis. 89. *ibid.*
§ 1. H. ſerm. Quum (*Flor.* Dum) 186
§ 2. Inter EDERE. 84
L. Qui UTI OPTIMÆ. 90. 228
L. Meorum & Tuorum. 91. 139
L. Proximus eſt. 92. 5
L. Moventium, item. 93. 142
L. Verbum Reddendi. 94. 189
L. Poteſt Reliquorum. 95. 6
L. Littus eſt. 96. 134
§ 1. Prædia dicimus. 173
L. Quum ſtipulamur. 97. 164
L. Quum biſſextum. 98. 141
§ 1. Cato putat. *ibid.*
§ 2. Menſis autem intercalaris. *ibid.*
L. Notionem accipere. 99. 148
§ 1. Continentes provincias. 120
§ 2. Inſtrumentorum appell. 115
L. Specioſas perſonas. 100. 204
L. Inter ſtuprum &. 101. 21
§ 1. Divortium inter virum. 78
§ 2. Verum eſt, Morbum. 142
§ 3. Servis legatis. 7
L. Derogatur Legi. 102. 13
L. Licèt Capitalis. 103. 38
L. Natorum appellatio. 104. 131
L. Modeſtinus reſp. His. 105. 132
L. Dimiſſoriæ. 106. 78
L. Adſignare libertum. 107. 20
L. Debitor intelligitur. 108. 69
L. Bonæ fidei emptor. 109. 36
L. Sequeſter dicitur. 110. 198
L. Cenſere eſt conſtituere. 111. 42
L. Littus publicum eſt. 112. *N.* 446. *Tit.* DE REG. JUR.]
L. Morbus ſonticus. 113. 142
L. Solvendo eſſe. 114. 202
L. Quæſtio eſt, fundus. 115. 103
L. Quiſquis mihi alius. 116. 7
L. Non poteſt videri. 117. 202
L. Hoſtes hi ſunt. 118. 109
L. Hereditatis appellatio. 119. 107
L. Verbis Legis. 120. 128
L. Uſura pecuniæ. 121. 101
L. Servius ait. 122. 7
L. Verbum, ERIT. 123. 9
L. Hæc verba, ILLE. 124. 2
L. Nepos Proculo ſuo. 125. 186
L. Si quum fundum. 126. 228
L. Veſtis appellatione. 127. 221
L. Spadonum generalis. 128. 204
L. Qui mortui. 129. 131
L. Lege obvenire. 130. 129
L. Aliud fraus eſt. 131. 100
§ 1. Inter mulctam autem. *ibid.*
L. Anniculus amittitur. 132. 26
§ 1. Falſum. 87
L. Si quis dixerit. 133. 118
L. Anniculus non ſtatim. 134. 26
L. Quæret aliquis. 135. 87
L. Generi appellatione. 136. 201
L. Ter enixa. 137. 87
L. Hereditatis appellatione. 138. 107
L. Ædificia Romæ. 139. 194
§ 1. Perfeciſſe ædificium. 166
L. Cepiſſe quis. 140. 15
L. Etiam ea mulier. 141. 131

Source : BIU Cujas

Series Tituli XVI. DE VERB. SIGNIF.

L. Triplici modo. 142. *h. tit. Num.* 53
L. Id apud se. 143. 106
L. Libro Memorialium. 144. 165
L. Virilis appellatione. 145. 6
L. Soceris, socrûs. 146. 201
L. Qui in continentibus. 147. 194
L. Non est sine liberis. 148. 131
L. Nam quem sine. 149. *ibid.*
L. Si ita à te. 150. 6
L. Delata hereditas. 151. 107
L. Hominis appellatione. 152. 7
L. Intelligendus est. 153. 131
L. Mille passus. 154. 120
L. Proximi appellatione. 155. 5
L. Majore parte. 156. 136
L. Paries est. 157. 160
§ 1. Item via. 222
L. In usu juris. 158. 8
L. Etiam aureos. 159. 22
L. Cæterorum & reliquorum. 160. 6
L. Non est pupillus. 161. 182
L. In vulgari substit. 162. 5
§ 1. Si quis ita in testamento. 15
L. Illa verba. 163. 5
§ 1. Pueri appellatione. 7
L. Nomen filiarum. 164. 98
§ 1. Partitionis nomen. 161
§ 2. Habere sicut. 106
L. Venisse ad heredem. 165. *ibid.*
L. Urbana familia. 166. 95
§ 1. Pernoctare. 166
L. Carbonum appellatione. 167. 133
L. Pali & perticæ. 168. *ibid.*
L. Non tantùm in tradit. 169. 228
L. Heredis appellatione. 170. 108
L. Perveniisse ad te. 171. 106
L. Liberti appellatione. 172. 7
L. Collegarum appellatione. 173. 43
§ 1. Qui extra continentia. 194
L. Aliud est permittere. 174. 102
L. Faciendi verbo. 175. 93
L. Solutionis verbo. 176. 202
¶ solvere dicimus. *ibid.*
L. Natura cavillationis. 177. 10
L. Pecuniæ verbum. 178. 164
§ 1. Hereditas, juris nomen. *N.* 619. *Tit.* DE REG. JUR.] 16
§ 2. Actionis verbum. 69
§ 3. Hoc verbum DEBUIT. 184
L. Inter hæc verba. 179. 216
L. Tugurii appellatione. 180. *ibid.*
§ 1. Ofilius ait. 167
L. Verbum illud, Pertinere. 181. 163
L. Paterfamilias liber. 182. 210
L. Tabernæ appellatio. 183. *ibid.*
L. Indè tabernacula. 184. 116
L. Instructam autem. 185. 45
L. Commendare. 186. 89
L. Verbum Exactæ. 187. 106
L. Habere duobus. 188. 40
§ 1. Cautum intelligitur. 93
L. Facere oportere. 189. 180
L. Provinciales eos. 190. 78
L. Inter divortium. 191. 169
L. Hæc adjectio, PLURIS-VE. 192. 184
L. Hæc verba, QUANTI. 193. 144
L. Inter Donum. 194. 7
L. Pronuntiatio sermonis. 195. 95
§ 1. Familiæ appellatio qualiter. *ibid.*
¶ ad personas aut. refertur. *ibid.*
§ 9. Familiæ appell. refertur. *ibid.*
¶ communi jure familiam.

Series Tituli XVI. DE VERB. SIGNIF.

L. 195. § 3. Servitutium. *N. h. tit.* 95
§ 4. Item appellatur familia. *ibid.*
§ 5. Mulier autem familiæ. *ibid.*
L. Familiæ appellatione. 196. *ibid.*
§ 1. Fœminarum liberos. *ibid.*
L. Indicasse est. 197. 113
L. Urbana prædia. 198. 173
L. Absentem accipere. 199. 11
§ 1. Abesse non videtur. *ibid.*
L. Hæc stipulatio, Noxis. 200. 102
L. Justâ interpretatione. 201. 162
L. Quum in testamento. 202. 83
L. In Lege Censoriâ. 203. 208
L. Pueri appellatio. 204. 182
L. Qui fundum vendidit. 205. 101
L. Vinaria vasa. 206. 207
L. Mercis appellatione. 207. 140
L. Bonorum appellatio sicut. 208. 34
L. Coram Titio. 209. 62
¶ scire autem, non etiam. *ibid.*
L. Is qui natus. 210. 95
L. Fundi appellatione. 211. 103
L. Prævaricatores. 212. 38
L. Cedere diem. 213. 77
§ 1. Æs alienum. 22
§ 2. Lata culpa est. 65
L. Munus propriè est. 214. 144
L. Potestatis verbo. 215. 172
L. Verum est eum. 216. 224
L. Inter illam conditionem. 217. 186
§ 1. Item ita datâ conditione. 113
L. Verbum facere. 218. 93
L. In conventionibus. 219. . . . . *N.* 984. *Tit.* DE REG. JUR.]
L. Liberorum appellatione. 220. 131
§ 1. Sed & Papyrius-Fronto. 98
§ 2. Divus quoque Marcus. 131
§ 3. Præter hæc omnia. 98
L. Paulus resp. Falsum. 221. 94
L. Pecuniæ nomine. 222. 164
L. Latæ culpæ finis. 223. 65
§ 1. Amicos appellare. 25
L. Vinculorum appellat. 224. 224
L. Fugitivus est. 225. 102
L. Magna negligentia. 226. 65
L. Ex illâ parte Edicti. 227. 108
§ 1. Item in substitutione. *ibid.*
L. Municipes intelligendi. 228. 144
L. Transacta finita-ve. 229. 214
L. Ut sunt judicio. 230. *ibid.*
L. Quod dicimus eum. 231. . . . *N.* 134. *Tit.* DE REG. JUR.]
L. Hæc enuntiatio. 232. 169
L. Si calvitur. 233. 38
§ 1. Post Kalendas Januar. . . . *N.* 1180. *Tit.* DE REG. JUR.]
§ 2. Telum vulgò quidem. 211
L. Quos nos Hostes. 234. 109
§ 1. Locuples est. 135
§ 2. Verbum Vivere. 223
L. Ferri propriè dicimus. 235. 96
§ 1. Fabro tignarios. 213
L. Qui venenum. 236. 219
§ 1. Glandis appellatione. 101
L. Duobus negativis. 237. 3
L. Plebs est. 238. 169
§ 1. Detestatum est. 75
§ 2. Pignus appellatum. 168
§ 3. Noxiæ appellatione. 149

Series Tituli XVI. DE VERB. SIGNIF.

L. Pupillus est. 239. . *h. tit. Num.* 182
§ 1. Servorum appellatio. 199
§ 2. Incola est qui. 112
§ 3. Munus publicum. 144
§ 4. Advena est quem. 112
§ 5. Decuriones quidam. 70
§ 6. Urbs ab Urbo. 227
§ 7. Oppidum ab Ope. 154
§ 8. Territorium est. 211
§ 9. Verbum SUUM. 139
L. Quum quærebatur. 240. 202
L. In Rutis-cæsis. 241. 195
L. Malum navis. 242. 146
§ 1. Inter Projectum. 179
§ 2. Plumbum quod tegulis. 22
§ 3. Viduam non solùm. 223
§ 4. Straturam loci. 22
L. Scævola resp. Semper. 243. 132
L. Si qua pœna est. 244. 100
L. Statuæ affixæ. 245. 22
§ 1. Idem Labeo ait. *ibid.*
L. fin. Apud Labeonem. 246. 192
§ 1. Restituit non tantùm. *ibid.*

TITULUS XVII.

ET ULTIMUS.

DE DIVERSIS REGULIS JURIS ANTIQUI.

Lex Regula est quæ. 1. . . *h. t. Num.* 1
¶ per regulam igitur. *ibid.*
L. Fœminæ ab omnibus. 2. 168
§ 1. Item impubes. 147
L. Ejus est. 3. 16
L. Velle non creditur. 4. 8
L. In negotiis contrahend. 5. 159
L. Non vult. 6. 706
L. Jus nostrum. 7. 623
L. Jura sanguinis. 8. 5
L. Semper in obscuris. 9. 845
L. Secundùm naturam. 10. 30
L. Id quod nostrum. 11. 469
L. In testamentis. 12. 843
L. Non videtur cepisse. 13. . . . . *N.* 15. *Tit.* DE VERB. SIGN.]
L. In omnibus obligationib. 14. 1383
L. Is qui actionem. 15. 17
L. Imaginaria venditio. 16. 1064
L. Quum tempus in. 17. 853
L. Quæ legata. 18. 979
§ 1. Si filiusfamil. sub. *ibid.*
L. Qui cum alio. 19. 980
§ 1. Non solet exceptio. 1754
L. Quotiens dubia. 20. 92
L. Non debet cui. 21. 14
L. In personam. 22. 98
§ 1. Generaliter probandum. 988
L. Contractus quidam. 23. 981
L. Quatenùs cujus. 24. . *N.* 117. *Tit.* DE VERB. SIGNIF.]
L. Plus cautionis. 25. 17
L. Qui potest invitis. 26. 470
L. Nec ex Prætorio. 27. 974
L. D. Pius rescripsit. 28. 1642
L. Quod initio. 29. 43
L. Nuptias non concubitus. 30. 380
L. Verum est neque. 31. 973

Source : BIU Cujas

Series Tituli XVII. DE DIV. REG. JUR.

L. Quod attinet ad jus. 32. *h. t. N.* 96
L. In eo quod vel. 33. 1572
L. Semper in ſtipulationib. 34. 985
L. Nihil tam naturale. 35. 1388
L. Culpa eſt. 36. 982
L. Nemo qui. 37. 1579
L. Sicuti pœnâ. 38. 1445
L. In omnibus cauſis. 39. 51
L. Furioſi vel ejus. 40. 163
L. Non debet actori. 41. 1486
§ 1. In re obſcurâ. 1572
L. Qui in alterius locum. 42. 1654
L. Nemo ex his. 43. 1454
§ 1. Quoties concurrunt. 1448
L. Totiens in heredem. 44. 1445
L. Neque pignus. 45. 461
§ 1. Privatorum conventio. 64
L. Quod à quoque. 46. 17
L. Conſilii non fraudulenti. 47. 1024
§ 1. Socii mei ſocius. 1054
L. Quidquid in calore. 48. 17
L. Alterius circumventio. 49. 35
L. Culpâ caret. 50. 1283

L. Non videtur. 51. . . *N.* 15. *Tit.* DE VERB. SIGNIF.]

L. Non defendere. 52. 589
L. Cujus per errorem. 53. 1165
L. Nemo plus juris. 54. 12
L. Nullus videtur. 55. *ibid.*
L. Semper in dubiis. 56. 40
L. Bona fides. 57. 27
L. Ex pœnalibus cauſis. 58. 1238
L. Heredem ejuſdem. 59. 619
L. Semper qui non. 60. 1035
L. Domum ſuam. 61. 1205
L. Hereditas nihil. 62. 619
L. Qui ſine dolo. 63. 1384
L. Ea quæ rarò. 64. 55

L. Ea eſt natura. 65. . . *N.* 10. *Tit.* DE VERB. SIGNIF.]

L. Marcellus, definit. 66. 1389
L. Quoties idem ſermo. 67. 984
L. In omnibus cauſis. 68. 17
L. Invito beneficium. 69. 15
L. Nemo poteſt. 70. 1466
L. Omnia quæcumque. 71. 1460
L. Fructus rei. 72. 1607
L. Quò tutela redit. 73. 291
§ 1. Nemo poteſt tutorem. 286

§ 2. Vi factum. . *N.* 225. *Tit.* DE VERB. SIGNIF.]

§ 3. Quæ in teſtamento. 878
§ 4. Nec paciſcendo. 968
L. Non debet alteri. 74. 23
L. Nemo poteſt. 75. 25
L. In totum omnia. 76. 8
L. Actus legitimi. 77. 1435
L. Generaliter quum. 78. 1725
L. Fraudis interpretatio. 79. *ibid.*
L. In toto jure. 80. 14
L. Quæ dubitationis. 81. 987
L. Donari videtur. 82. 1165

Series Tituli XVII. DE DIV. REG. JUR.

L. Non videntur. 83. . . *h. tit. Num.* 13
L. Quum ampliùs. 84. 1189

§ 1. Is naturâ. . *N.* 69. *Tit.* DE VERB. SIGNIF.]

L. In ambiguis. 85. 405
§ 1. Non eſt novum. 44
§ 2. Quoties æquitatem. 1572
L. Non ſolet deterior. 86. 1540
L. Nemo enim. 87. *ibid.*
L. Nulla intelligitur. 88. 1384
L. Quandiù poſſit. 89. 711
L. In omnibus quidem. 90. 38
L. Quoties duplici. 91. 956
L. Si librarius. 92. 1022
L. Filiusfam. neque. 93. 193
L. Non ſolent. 94. 47
L. Nemo dubitat. 95. 589
L. In ambiguis orationibus. 96. 843
L. Ea ſola deportationis. 97. 1899
L. Quoties utriuſque. 98. 1572
L. Non poteſt improbus. 99. 1384
L. Omnia quæ jure. 100. 1388
L. Ubi Lex duorum. 101. 17

L. Qui vetante. 102. . *N.* 21. *Tit.* DE VERB. SIGNIF.]

§ 1. Ejus eſt actionem. 1542
L. Nemo de domo. 103. 1505
L. Si in duabus. 104. 1546
L. Ubicumque cauſæ. 105. 1460
L. Libertas inæſtimabilis. 106. 90
L. Cum ſervo. 107. 99
L. Ferè in omnibus. 108. 1769
L. Nullum crimen. 109. 1283
L. In eo quod. 110. 14
§ 1. Nemo alienæ. 1496
§ 2. Pupillus pati. 148
§ 3. Ubi verba. 866
§ 4. Mulieribus tunc. 172
L. Pupillum qui. 111. 154
§ 1. In heredem non ſolent. 1444

L. Nihil intereſt. 112. . . . *N.* 15. *Tit.* DE VERB. SIGNIF.]

L. In toto & pars. 113. 14
L. In obſcuris inſpici. 114. 985

L. Si quis obligat. 115. } *N.* 15. *Tit.*
§ 1. Non poteſt videri. } DE VERB. SIGNIF.]

L. Nihil conſenſui. 116. 966
§ 1. Non capitur. 1768
§ 2. Non videntur. 967
L. Prætor bonorum. 117. 897
L. Qui in ſervitute. 118. 480

L. Non alienat qui. 119. . . *N.* 24. *Tit.* DE VERB. SIGNIF.]

L. Nemo plus commodi. 120. 716
L. Qui non facit. 121. 1029
L. Libertas omnibus. 122. 91
L. Nemo alieno. 123. 1435
§ 1. Temporaria permutatio. 1956
L. Ubi non voce. 124. 165
§ 1. Furioſus abſentis. *ibid.*

Series Tit. XVII. DE DIV. REG. JUR.

L. Favorabiliores rei. 125. *h. t. N.* 1486
L. Nemo prædo eſt. 126. . . *N.* 452. *Tit.* DE VERB. SIGNIF.]
§ 1. Locupletior non eſt. . . . *N.* 135. *d. tit.*]
§ 2. Quum de lucro. 1572
L. Quum Prætor in. 127. 1445
L. In pari causâ. 128. 1572

§ 1. Hi cui in univerſum. . . . *N.* 108. *Tit.* DE VERB. SIGNIF.]

L. Nihil dolo creditor. 129. 1727
§ 1. Quum principalis. 45
L. Nunquam actiones. 130. 1450
L. Qui dolo deſierit. 131. 1437
L. Imperitia culpæ. 132. 982
L. Melior conditio. 133. 192
L. Non fraudantur. 134. 1726
§ 1. Nemo ex ſuo. 34
L. Ea quæ dari. 135. 48
L. Bona fides. 136. 1705
L. Qui auctore judice. 137. 452
L. Omnis hereditas. 138. 716
§ 1. Nunquam creſcit. 1284
L. Omnes actiones. 139. 1443
§ 1. Non videtur. 462
L. Abſentia ejus. 140. 1776
L. Quod contra rationem. 141. 74
§ 1. Uni duo pro. } 619
L. Qui tacet non. 142. } 8
L. Quod ipſis qui. 143. 1457
L. Non omne quod. 144. 19
§ 1. In ſtipulationibus. 979
L. Nemo videtur fraudare. 145. 1725
L. Quod quis, dum. 146. 98
L. Semper ſpecialia. 147. 14
L. Cujus effectus. 148. 31
L. Ex quâ perſonâ. 149. 30
L. Parem eſſe conditionem. 150. 13
L. Nemo damnum. 151. 1312
L. Hoc Jure utimur. 152. 1939
§ 1. Dejicit & qui. 1807
§ 2. In maleficio. 1281
§ 3. In contractibus quibus. 1444
L. Ferè quibuſcumque. 153. 458
L. Quum par delictum. 154. 1572
¶ illi debet permitti. 1031
L. Factum cuique ſuum. 155. 23
§ 1. Non videtur vim. 1802
§ 2. In pœnalibus cauſis. 1572
L. Invitus nemo. 156. 1493
§ 1. Cui damus actiones. 1452
§ 2. Quum quis in alii. 1457
§ 3. Plerumque emptoris. *ibid.*
§ 4. Quod cuique pro. 15
L. Ad ea quæ non habent. 157. 1282
§ 1. Semper qui dolo. 13
§ 2. In contractib. ſucceſſ. 1444
L. Creditor qui permittit. 158. 584
L. Non ut ex pluribus. 159. 460
L. Aliud eſt vendere. 160. 1077
§ 1. Refertur ad univerſos. 2023
§ 2. Abſurdum eſt. 743
L. In Jure civili. 161. 864
L. Quæ propter neceſſitatem. 162. 74

L. Cujus

Series Tituli XVII. DE DIV. REG. JUR.
L. Cujus eſt donandi. 163.. *h. t. N.* 470
L. Pœnalia judicia. 164. 1445
L. Cùm quis poſſit. 165. 470
L. Qui rem alienam. 166. 1496
L. Non videntur data. 167. 1403
§ 1. Qui juſſu judicis. 12
L. Rapienda occaſio. 168. 984
§ 1. Quod factum eſt. 843
L. Is damnum dat. 169. 1282
§ 1. Quod pendet. 10
L. Factum à judice. 170. 1579
L. Nemo ideò obligatur. 171. 964
L. In contrahendâ vendit. 172. 986
§ Ambigua autem. *ibid.*
L. In condemnatione. 173. 1643
§ 1. Quum verb. RESTITUAS. 1612
§ 2. Unicuique ſua mora. 1408
§ 3. Dolo facit qui. 1754
L. Qui poteſt facere. 174. 718
§ 1. Quod quis velit. *ibid.*
L. In his quæ officium. 175. 97
§ 1. Non debeo melioris. 1457

Series Tituli XVII. DE DIV. REG. JUR.
L. Non eſt ſingulis. 176. *h. t. N.* 1436
§ 1. Infinita æſtimatio. 90
L. Qui in jus dominium-ve. 177. 1457
§ 1. Nemo videtur dolo exequi. 1754
L. Quum principalis. 178. 45
L. In obſcurâ voluntate. 179. 92
L. Quod juſſu alterius. 180. 1394
L. Si nemo ſubiit. 181. 657
L. Quod nullius eſſe. 182. 973
L. Etſi nihil facilè. 183. 1785
L. Vani timoris. 184. 1745
L. Impoſſibilium nulla. 185. 973
L. Nihil peti poteſt. 186. 1383
L. Si quis præſtantem. 187.. *N.* 131. *Tit.* DE VERB. SIGNIF.]
L. Ubi pugnantia. 188. 878
§ 1. Quæ rerum naturâ. 6
L. Pupillus nec velle. 189. 148
L. Quod evincitur. 190. 462
L. Neratius conſultus. 191. 89
L. Ea quæ in partes. 192. 1380
§ 1. In re dubiâ. 40

Series Tituli XVII. DE DIV. REG. JUR.
L. Omnia ferè jura. 193. *h. t. N.* 716
L. Qui per ſucceſſionem. 194.... *N.* 108. *Tit.* DE VERB. SIGNIF.]
L. Expreſſa nocent. 195. 46
L. Privilegia quædam. 196. 609
L. Semper in conjunct. 197. 382
L. Neque in Interdicto. 198. 333
L. Non poteſt dolo carere. 199. 1462
L. Quoties nihil ſine. 200. 1572
L. Omnia quæ ex. 201. 839
L. Omnis definitio. 202. 2
L. Quod quis ex culpâ. 203. 13
L. Minus eſt actionem. 204. 17
L. Plerumque fit. 205. 462
L. Jure naturæ. 206. 26
L. Res judicata. 207. 1628
L. Non poteſt videri deſiſſe. 208. 13
L. Servitutem mortalitati. 209. 96
L. Quæ ab initio. 210. 839
L. fin. Servus Reipublicæ. 211. 97

FINIS TABULÆ TOMI TERTII.

Source : BIU Cujas

LEGES TITULORUM PRIMI AUT SECUNDI VOLUMINIS,

quæ ad 3^um. hunc Tomum rejectæ,

Numeris non ſuis deſignatæ fuerunt in Tabulâ ſive Tomi primi ſive ſecundi.

EX TOMO I.

IN LIBRO PRIMO.

TITULUS VIII. DE DIVISIONE RERUM ET QUALITATE.

- *L.* 3. Item lapilli.... *N.* 8. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOM.

TITULUS IX. DE SENATORIBUS.

- *L.* 3. Senatorem.... *N.* 34. *in Tit.* DE PŒNIS.
- *L.* 4. Qui indignus eſt.... *N.* 18. *in Tit.* DE MUNERIB. ET HON.
- *L.* 11. Senatores licet.... *N.* 12. *in Tit.* AD MUNICIPALEM.

IN LIBRO SECUNDO.

TITULUS I. DE JURISDICTIONE.

- *L.* 12. Magiſtratibus municipalibus.... *N.* 17. *in Tit.* DE ACCUSATIONIB.

TITULUS V. SI QUIS IN JUS VOCATUS NON IERIT, &c.

- *L.* 1. Si quis in jus vocatus fidejuſſorem.... *N.* 13. *in Tit.* DE STIPULAT. PRÆTORIIS.

TITULUS VIII. QUI SATISDARE COGANTUR, &c.

- *L.* 1. Satiſdatio eodem.... *N.* 50. *in Tit.* DE VERBOR. OBLIGAT.
- *L.* 2. Fidejuſſor in judicio.... *N.* 13. *in Tit.* DE STIPULAT. PRÆTOR.
  - § 3. ¶ & filius fidejuſſor.... *N.* 14. *d. tit.*
- *L.* 5. § 1. Qui pro rei qualitate.... *N.* 19. *in Tit.* DE INJURIIS.
- *L.* 6. Quotiens vitioſè.... *N.* 17. *in Tit.* DE STIPULAT. PRÆTOR.
- *L.* 7. Si fidejuſſor non negetur.... *N.* 13. *d. tit.*
  - § 1. Si neceſſaria ſatiſdatio.... *N.* 15. *d. tit.*
- *L.* 8. § 1. Qui mulierem adhibet.... *N.* 14. *d. tit.*
  - § 2. Si ſervus inveniatur.... *N.* 17. *d. tit.*
  - § 3. Si fidejuſſor judicatum.... *N.* 18. *d. tit.*
  - § 4. Tutor & curator.... *N.* 15. *d. tit.*
  - § 5. Jubetur jurare de calumniâ. } *N.* 16. *d. tit.*
  - § 6. Hoc autem tunc impetrabitur. }
- *L.* 9. Arbitro ad fidejuſſores.... *N.* 12. *d. tit.*
- *L.* 10. Si ab arbitro probati. } *N.* 17. *d. tit.*
  § 1. Qui ex causâ improbat. }
- *L.* 11. Julianus ait, ſi antequàm.... *N.* 6. *in Tit.* JUDICATUM SOLVI.
- *L.* 14. Filiusfamilias defendit.... *N.* 4. *d. tit.*
- *L.* 15. Sciendum eſt poſſeſſores. } *N.* 8. *in Tit.* DE STIPULAT. PRÆTORIIS.
  § 1. Poſſeſſor autem is. }
  § 2. Creditor qui pignus.... *N.* 9. *d. tit.*
  § 3. Si fundus in dotem.... *N.* 8. *d. tit.*
  § 4. Diverſa cauſa eſt. } *N.* 9. *d. tit.*
  § 5. Tutores ſive pupilli. }
  § 6. Si fundum quem poſſidebam.... *N.* 8. *d. tit.*
  § 7. Poſſeſſor autem quis necne.... *N.* 10. *d. tit.*

TITULUS IX. SI EX NOXALI CAUSA AGATUR, &c.

- *L.* 4. Si cum uno ex dominis.... *N.* 5. *in Tit.* JUDICAT. SOLVI.

TITULUS XI. SI QUIS CAUTIONIBUS IN JUDICIO SISTENDI, &c.

- *L.* 4. § 5. Item quæritur, ſi quis quum.... *N.* 4. *in Tit.* DE STIPULAT. PRÆTORIIS.

TITULUS XIV. DE PACTIS.

- *L.* 4. § 2. Hujus rei argumentum.... *N.* 96. *in Tit.* DE VERB. OBLIGATIONIB.
- *L.* 7. § 12. Quod ferè noviſſimâ parte.... *N.* 5. *d. tit.*
- *L.* 10. § 1. Si pacto ſubjecta ſit pœnæ.... *N.* 66. *d. tit.*
- *L.* 60. Imperator Antoninus Avidio.... *N.* 25. *in Tit.* DE REB. AUCTOR. JUD. POSSID.

IN LIBRO TERTIO.

TITULUS III. DE PROCURATORIBUS.

- *L.* 27. § 1. Si ex parte actoris.... *N.* 13. *in Tit.* JUDICAT. SOLVI.
- *L.* 28. Si procurator meus judicatum.... *N.* 26. *d. tit.*

Source : BIU Cujas

Series Lib. III. Tit. III. DE PROCURATORIBUS.

L. 29. Si actor malit dominum. } *N.* 35. *in Tit.* DE RE JUDICATA.
L. 30. Actoris procurator. }
L. 31. Si quis quum procuratorio. . . . *N.* 37. *d. tit.*
L. 33. § 2. Publicè utile est. . . . *N.* 25. *in Tit.* DE ACCUSATIONIB.
L. 35. § 1. Patronus libertum. . . . *N.* 27. *d. tit.*
L. 39. § 1. ¶ sed interdum licet. . . . *N.* 8. *in Tit.* RATAM REM HAB.
§ 2. Quæritur apud Julianum. . . . *N.* 12. *d. tit.*
§ 3. Si de dote agat. } *N.* 8. *d. tit.*
§ 4. Si pater filii. }
L. 40. § 1. Si stipuletur procurator. . . *N.* 9. *d. tit.*
§ 3. Ratihabitionis autem stipulatio. . . . *N.* 13. *d. tit.*
L. 43. § 3. Is qui curatorem alicui . . . *N.* 10. *d. tit.*
§ 5. Si procurator agat &. . . . *N.* 9. *in Tit.* JUDICAT. SOLVI.
L. 61. Plautius ait, procuratorem. . . . *N.* 35. *in Tit.* DE RE JUDICATA.
L. 71. Absens reus causas. . . . *N.* 27. *in Tit.* DE ACCUSATIONIB.
L. 76. Titius quum absentem. . . . *N.* 21. *in Tit.* JUDICAT. SOLVI.

TITULUS V. DE NEGOTIIS GESTIS.

L. 24. Si ego hâc mente pecuniam. . . . *N.* 95. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOM.
L. 33. Heres viri defuncti. . . . *N.* 3. *in Tit.* EXPILAT. HEREDITATIS.
L. 39. Solvendo quisque pro alio. . . . *N.* 38. *in Tit.* DE SOLUTIONIB.

TITULUS VI. DE CALUMNIATORIBUS.

L. fin. De servo qui accusatur. . . . *N.* 8. *in Tit.* AD SC. TURPILLIANUM.

IN LIBRO QUARTO.

TITULUS II. QUOD METUS CAUSA GESTUM ERIT.

L. 14. § 8. Si quis per vim sisti. . . . *N.* 69. *in Tit.* DE FIDEJUSSORIB.
§ 12. Qui vim intulit cùm possessionem. . . . *N.* 22. *in Tit.* DE FURTIS.

TITULUS IV. DE MINORIBUS 25e. ANNIS.

L. 11. ¶ sed & nomine earum rerum. . . . *N.* 26. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACTION.

TITULUS VI. EX QUIBUS CAUSIS MAJORES 25e. ANNIS, &c.

L. 23. § 1. Is autem qui apud hostes est. . . . *N.* 4. *Tit.* DE USURP. ET USUCAP.

TITULUS IX. NAUTÆ, CAUPONES, STABULARII, &c.

L. 6. § 1. Si servo meo in nave. } *N.* 4. *in Tit.* FURTI ADVERSUS NAUTAS.
§ 2. Sed si damnum in eo datum. }
§ 3. In factum actione caupo. . . . *N.* 6. *d. tit.*
L. 7. § 1. Hæc actio in factum. . . . *N.* 7. *d. tit.*
§ 3. Si servus nautæ, damnum. . . . *N.* 5. *d. tit.*
§ 4. Hâc autem actione. } *N.* 8. *d. tit.*
§ 5. Si plures navem. }

IN LIBRO QUINTO.

TITULUS I. DE JUDICIIS.

L. 2. § 8. His datur mulctæ dicendæ. . . . *N.* 32. *in Tit.* DE PŒNIS.
L. 3. Non videtur frustrandæ. . . . *N.* 13. *in Tit.* QUIB. EX CAUS. IN POSSESS.
L. 10. Destitisse is videtur. . . . *N.* 11. *in Tit.* AD SC. TURPILLIAN.
¶ Desistere enim est . . . Planè si quis. . . . *N.* 19. *d. tit.*
L. 37. Si de vi & possessione. . . . *N.* 15. *in Tit.* DE EXCEPTIONIB.
L. 44. Non idcircò judicis. . . . *N.* 21. *in Tit.* DE RE JUDICATA.
L. 45. § 1. Nomine puellæ tutorib. . . . *N.* 49. *d. tit.*
L. 54. Per minorem causam. . . . *N.* 13. *in Tit.* DE EXCEPTIONIB.
L. 63. Rectè defendi hoc est. . . . *N.* 17. *in Tit.* JUDICAT. SOLVI.
L. 64. § 1. Si quis alio judicio. . . . *N.* 11. *d. tit.*
L. 81. Qui neque jurisdictioni. . . . *N.* 14. *in Tit.* DE RE JUDICATA.

TITULUS III. DE HEREDITATIS PETITIONE.

L. 47. Lucius-Titius quum in falsi. . . . *N.* 13. *in Tit.* DE EXCEPT. REI JUDICATÆ.

IN LIBRO SEXTO.

TITULUS I. DE REI VINDICATIONE.

L. 3. § 2. Pomponius scribit; Si quid quod. } *N.* 37. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOMIN.
L. 4. Quo quidem casu, etiam Communi. }
L. 5. Idem Pomponius scribit, si frumentum. . . . *N.* 39. *d. tit.*
§ 1. Idem scribit, si ex melle. . . . *N.* 37. *d. tit.*
§ 2. Idem scribit, si equam meam. . . . *N.* 13. *d. tit.*
L. 23. § 3. Sed & id quod in chartâ. . . . *N.* 21. *d. tit.*
L. 39. Redemptores qui suis cæmentis. . . . *N.* 15. *d. tit.*
L. 41. § 1. Si servus mihi vel filiusfam. . . . *N.* 49. *d. tit.*
L. 54. Inter officium Advocationis. . . . *N.* 27. *in Tit.* DE EXCEPT. REI JUDICATÆ.
L. 61. Minicius interrogatus. . . . *N.* 18. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOMIN.
L. 67. A tutore pupilli. . . . *N.* 9. *d. tit.*
L. 77. Quædam mulier fundum. . . . *N* 46. *d. tit.*

Source : BIU Cujas

IN LIBRO SEPTIMO.

TITULUS I. DE USUFRUCTU, ET QUEMADMODUM, &c.

— *L.* 21. Si ſervi uſusfructus. } *N.* 77. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOM.
— *L.* 22. Sed & ſi quid donetur. }
— *L.* 23. Sed ſicuti ſtipulando.... *N.* 12. *in Tit.* DE ACCEPTILAT.
— *L.* 24. Si quis donaturus uſufructuario.... *N.* 23. *in Tit.* DE STIPULAT. SERVOR.
— *L.* 25. Sed & ſi quid ſtipuletur ſibi.... *N.* 77. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOM.
— § 1. Interdum tamen in pendenti.... *N.* 79. *d. tit.*
— ¶ quòd ſi ex re utriuſque.... *N.* 80. *d. tit.*
— § 2. Si operas ſuas iſte ſervus.... *N.* 25. *in Tit.* DE STIPULAT. SERVOR.
— § 3. Quæſtionis eſt an id quod. } *N.* 27. *d. tit.*
— § 4. Servus fructuarius ſi uſumfr. }
— § 5. Idem Julian. eod. lib. ſcripſit, ſi ſervo fructuario.... *N.* 24. *d. tit.*
— § 6. Si duos fructuarios proponas.... *N.* 30. *d. tit.*
— § 7. Quod autem diximus ex re.... *N.* 82. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOMIN.
— *L.* 26. Si operas ſuas locaverit ſervus.... *N.* 25. *in Tit.* DE STIPULAT. SERV.
— *L.* 31. Ex re fructuarii.... *N.* 77. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOMIN.
— *L.* 37. Quæſitum eſt ſi quum in annos.... *N.* 110. *in Tit.* DE SOLUTIONIB.

TITULUS IV. QUIBUS MODIS USUSFRUCT. AMITTITUR.

— *L.* 26. Si ager ab hoſtibus.... *N.* 24. *in Tit.* DE CAPTIVIS ET POSLIM.

TITULUS VIII. DE USU ET HABITATIONE.

— *L.* 14. Per ſervum uſuarium. }
— *L.* 16. § 2. Servo cujus uſum. } *N.* 83. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOM.
— *L.* 20. Servus cujus mihi uſus. }

IN LIBRO OCTAVO.

TITULUS III. DE SERVITUTIBUS PRÆDIORUM RUSTICORUM.

— *L.* 16. D. Pius aucupibus ita.... *N.* 21. *in Tit.* DE INJURIIS.
— *L.* 17. Imperatores Anton. & Verus Auguſti.... *N.* 9. *in Tit.* DE FLUMINIBUS.

TITULUS V. SI SERVITUS VINDICETUR.

— *L.* 2. § 3. Pomponius dicit, fructuarium.... *N.* 12. *in Tit.* DE ITINERE ACTUQ. PRIV.

IN LIBRO NONO.

TITULUS II. AD LEGEM AQUILIAM.

— *L.* 18. Sed & ſi is qui pignori ſervum.... *N.* 64. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACTIONIB.
— *L.* 23. § 9. Si dolo ſervus occiſus.... *N.* 71. *d. tit.*
— *L.* 27. Si ſervus ſervum.... *N.* 68. *d. tit.*
— *L.* 32. § 1. Si idem eumdem ſervum.... *N.* 69. *d. tit.*
— *L.* 41. § 1. Interdum evenire Pomponius.... *N.* 15. *in Tit.* DE FURTIS.
— *L.* 46. Si vulnerato ſervo. } *N.* 66. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACTIONIB.
— *L.* 47. Sed ſi priore judicio. }
— *L.* 48. Si ſervus ante aditam heredit.... *N.* 69. *d. tit.*

TITULUS IV. DE NOXALIBUS ACTIONIBUS.

— *L.* 38. § 3. Sed & ſi ſervo creditoris.... *N.* 24. *in Tit.* DE FURTIS.
— *L.* 39. § 1. Qui alienum ſervum.... *N.* 5. *in Tit.* JUDICAT. SOLVI.

IN LIBRO DECIMO.

TITULUS II. FAMILIÆ ERCISCUNDÆ.

— *L.* 44. § 6. Si quis ſtipulatus fuerit Titium.... *N.* 137. *in Tit.* DE VERB. OBLIG.

TITULUS III. COMMUNI DIVIDUNDO.

— *L.* 22. Si meo & vicini nomine.... *N.* 15. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOM.

TITULUS IV. AD EXHIBENDUM.

— *L.* 12. § 2. Sæpius Ad exhibendum agenti.... *N.* 15. *in Tit.* DE EXCEPT. REI JUDICATÆ.

IN LIBRO UNDECIMO.

TITULUS VII. DE RELIGIOSIS, ET SUMPTIBUS FUNERUM, &c.

L. 12. Senatus Conſulto cavetur ne uſus.... *N.* 3. *in Tit.* DE SEPULCR. VIOLATO.

IN LIBRO DUODECIMO.

TITULUS I. DE REBUS CREDITIS, &c.

— *L.* 12. Si à furioſo, quum eum.... *N.* 23. *in Tit.* DE OBLIGAT. ET ACTION.
— *L.* 18. Si ego pecuniam tibi.... *N.* 58. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOM.
— *L.* 21. Quidam exiſtimaverunt.... *N.* 61. *in Tit.* DE SOLUTIONIB.
— *L.* 24. Si quis certum ſtipulatus.... *N.* 135. *in Tit.* DE VERB. OBLIGAT.
— *L.* 27. Civitas mutui datione.... *N.* 10. *in Tit.* DE ADMIN. RER. AD CIVIT. PERTIN.
— *L.* 35. Periculum nominum.... *N.* 13. *d. tit.*
— *L.* 36. Pecuniam quam mihi.... *N.* 30. *in Tit.* DE NOVATIONIB.
— *L.* 37. Quum ad præſens. }
— *L.* 38. Reſpiciendum. } *N.* 92. *in Tit.* DE VERB. OBLIG.
— *L.* 39. Itaque. }

L. 41. Ejus

Source : BIU Cujas

Series Lib. XII. Tit. I. DE REBUS CREDITIS.

L. 41. Ejus qui in provinciâ. . . . *N.* 34. *in Tit.* DE STIPULAT. SERVOR.
L. 42. Si ego decem ſtipulatus à Titio. . . . *N.* 121. *in Tit.* DE VERB. OBLIG.
§ 1. Labeo ait, Quum decem. . . . *N.* 117. *d. tit.*

TITULUS IV. DE CONDICTIONE CAUSA DATA, &c.

L. 3. § 8. Subtiliùs quoque illud tractat. . . . *N.* 57. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOM.
L. 9. § 1. Si quis indebitam pecuniam. . . . *N.* 32. *in Tit.* DE NOVATIONIB.

TITULUS VI. DE CONDICTIONE INDEBITI.

L. 26. § 14. Idem ait, Et ſi duo heredes. . . . *N.* 84. *in Tit.* DE SOLUTIONIB.
L. 35. Qui ob rem non defenſam. . . . *N.* 29. *in Tit.* JUDICAT. SOLVI.

IN LIBRO DECIMO-TERTIO.

TITULUS I. DE CONDICTIONE FURTIVA.

L. 7. § 1. Furti actio pœnam. . . . *N.* 63. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACT.
L. 17. Quoniam furtum ſit quum. . . . *N.* 23. *in Tit.* DE FURTIS.

TITULUS VI. COMMODATI VEL CONTRA.

L. 5. § 8. Quinimò & qui aliàs. . . . *N.* 37. *Tit.* DE FURTIS.
L. 18. § 1. Sive autem pignus ſive. . . . *N.* 64. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACTION.

TITULUS VII. DE PIGNERATITIA ACTIONE.

L. 26. Non eſt mirum. } *N.* 3. *in Tit.* DE REB. AUCTOR. JUD. POSSID.
§ 1. Sciendum eſt. }
L. 29. Si rem alienam. . . . *N.* 57. *in Tit.* DE USURP. ET USUCAP.

IN LIBRO DECIMO-QUARTO.

TITULUS II. DE LEGE RHODIA.

L. 2. § 8. Res autem jacta. } *N.* 97. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOMIN.
L. 8. Qui levandæ navis. }

TITULUS VI. DE SCto MACEDONIANO.

L. 18. Creditorem filiifamilias. . . . *N.* 3. *in Tit.* DE FIDEJUSSORIB.

IN LIBRO DECIMO-QUINTO.

TITULUS I. DE PECULIO.

L. 5. § 1. Sed & ſi precariò res. . . . *N.* 22. *in Tit.* DE PRECARIO.
L. 50. Eo tempore quo in peculio. . . . *N.* 20. *in Tit.* QUIB. EX CAUS. IN POSSESS.

TITULUS III. DE IN REM VERSO.

L. 20. § 1. Servus abſentis Reip. causâ. . . . *N.* 20. *in Tit.* DE NOVATIONIB.

IN LIBRO DECIMO-SEXTO.

TITULUS III. DEPOSITI VEL CONTRA.

L. 30. Si fidejuſſor pro te apud. . . . *N.* 47. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOMIN.

IN LIBRO DECIMO-SEPTIMO.

TITULUS I. MANDATI VEL CONTRA.

L. 10. § 11. Fidejuſſores &. . . . *N.* 61. *in Tit.* DE FIDEJUSSORIB.
L. 11. Si ei cui damnatus. . . . *N.* 65. *d. tit.*
L. 12. § 8. Indè Papinianus quærit. . . . *N.* 13. *in Tit.* DE DONATIONIB.
L. 22. § 1. Item tractatum eſt, ſi quum. . . . *N.* 64. *in Tit.* DE FIDEJUSSORIB.
§ 7. Si tibi centum dedero. . . . *N.* 35. *in Tit.* DE FURTIS.
§ 8. Si mandaverim ſervo tuo. . . . *N.* 74. *in Tit.* DE SOLUTIONIB.
§ 9. Fugitivus meus. . . . *N.* 3. *in Tit.* DE STIPULAT. SERV.
L. 27. § 5. Si mandatu meo. . . . *N.* 73. *in Tit.* DE FIDEJUSSORIB.
L. 28. Papinianus lib. 3. Quæſtion. ait. . . . *N.* 87. *in Tit.* DE SOLUTIONIB.
L. 29. § 2. Si quum debitor ſolviſſet. } *N.* 62. *in Tit.* DE FIDEJUSSOR.
§ 3. Hoc idem tractari & in fidejuſſore. }
L. 47. § 1. Si is qui pro te hominem. . . . *N.* 62. *d. tit.*
L. 51. Fidejuſſor quamvis per errorem. . . *N.* 64. *d. tit.*
L. 55. Procurator qui non res. . . . *N.* 7. *in Tit.* DE FURTIS.
L. 56. Qui mutuam pecuniam. } *N.* 42. *in Tit.* DE FIDEJUSSORIB.
¶ quod uti liceat. }
§ 1. Fidejuſſor qui pecuniam. . . . *N.* 63. *d. tit.*
L. 59. § 2. Paulus reſp. Die adjecto. . . . *N.* 35. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACT.
§ 4. Creditor pignus vendidit. . . . *N.* 42. *in Tit.* DE FIDEJUSSORIB.
§ 5. Ille illi ſalutem. Mando. . . . *N.* 34. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACT.
L. 60. Creditor mandatorem. . . . *N.* 74. *in Tit.* DE FIDEJUSSORIB.

TITULUS II. PRO SOCIO.

L. 41 Si quis à ſocio pœnam. } *N.* 64. *in Tit.* DE VERB. OBLIG.
L. 42. Quòd ſi ex ſtipulatu. }
L. 71. Duo ſocietatem coierunt. . . . *N.* 21. *in Tit.* DE NOVATIONIB.

Source : BIU Cujas

IN LIBRO DECIMO-OCTAVO.

TITULUS I. DE CONTRAHENDA EMPTIONE, &c.

— *L.* 2. Inter patrem & filium.... *N.* 25. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACT.
— *L.* 15. § 2. Si rem meam mihi.... *N.* 57. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOMIN.
— *L.* 19. Quod vendidi, non aliter.... *N.* 60. *d. tit.*
— *L.* 25. Si ita distrahatur.... *N.* 40. *in Tit.* DE OBLIG. ET. ACT.
— *L.* 26. Si sciens emam ab eo.... *N.* 52. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOMIN.
— *L.* 27. Qui à quolibet rem emit.... *N.* 78. *in Tit.* DE USURP. ET USUCAP.
— *L.* 41. Quum ab eo qui fundum.... *N.* 39. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACTION.
— *L.* 50. Labeo scribit, si mihi.... *N.* 37. *d. tit.*
— *L.* 53. Ut res emptoris fiat.... *N.* 60. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOMIN.
— *L.* 60. Comprehensum erat lege.... *N.* 40. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACTION.
— *L.* 67. Alienatio quum fit.... *N.* 61. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOMIN.
— *L.* 74. Clavibus traditis, ita.... *N.* 45. *d. tit.*
— *L.* 76. § 1. Eum qui in locum.... *N.* 42. *in Tit.* DE USURP. ET USUCAP.

TITULUS VII. DE SERVIS EXPORTANDIS, &c.

— *L.* 3. Si quis hâc lege væniit.... *N.* 11. *in Tit.* QUI SINE MANUMISS.
— *L.* 4. Si minor viginti.... *N.* 22. *in Tit.* QUI ET A QUIB. MANUM.
— *L.* 10. Quum venderet Pamphilam.... *N.* 12. *in Tit.* QUI SINE MANUMISS.

IN LIBRO DECIMO-NONO.

TITULUS I. DE ACTIONIBUS EMPTI.

— *L.* 6. § 7. Si filiusfamilias rem.... *N.* 20. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACT.
— *L.* 10. Non est novum ut duæ.... *N.* 126. *in Tit.* DE SOLUTIONIB.
— *L.* 21. § 6. Qui domum vendebat.... *N.* 40. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACT.
— *L.* 24. Si servus in quo ususfructus.... *N.* 79. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOM.
— § 2. Servo vendente hominem.... *N.* 15. *in Tit.* DE FIDEJUSSORIB.
— *L.* 28. Prædia mihi vendidisti.... *N.* 64. *in Tit.* DE VERB. OBLIGAT.
— *L.* 40. Q. Mucius scribit, dominus.... *N.* 63. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOM.
— *L.* 47. L. Titius acceptâ pecuniâ.... *N.* 65. *in Tit.* DE VERB. OBLIG.

TITULUS II. LOCATI.

— *L.* 13. § 9. Duo rei locationis.... *N.* 4. *in Tit.* DE DUOB. REIS.
— *L.* 47. Quum apparebit emptorem.... *N.* 9. *d. tit.*
— *L.* 49. Tutores curatores-ve. } *N.* 27. *in Tit.* DE PUBLICAN. ET VECTIG.
— § 1. Secundùm quæ, sanè. }
— *L.* 50. Si ignorans quis militi.... *N.* 14. *in Tit.* DE RE MILIT.
— *L.* 60. § 1. Heredem coloni.... *N.* 38. *in Tit.* DE ADQ. VEL AM. POSS.

IN LIBRO VIGESIMO.

TITULUS I. DE PIGNORIBUS ET HYPOTHECIS.

— *L.* 25. Cùm vitiosè vel inutiliter.... *N.* 43. *in Tit.* DE JURE FISCI.

TITULUS VI. QUIBUS MODIS PIGNUS SOLVITUR.

— *L.* 15. Primi creditoris qui pignori.... *N.* 61. *in Tit.* DE SOLUTIONIB.

IN LIBRO VIGESIMO-PRIMO.

TITULUS I. DE ÆDILITIO EDICTO.

— *L.* 49. ¶ & benignum est dicere.... *N.* 10. *in Tit.* DE CENSIBUS.

TITULUS II. DE EVICTIONIBUS.

— *L.* 7. Qui à pupillo substitutum.... *N.* 51. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACT.
— *L.* 20. Fundum meum obligavi.... *N.* 10. *in Tit.* DOL. ET MET. EXCEPT.
— *L.* 50. Si pignora væneant per.... *N.* 63. *in Tit.* DE RE JUDICAT.
— *L.* 51. § 1. Si Titius Stichum. } *N.* 51. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACT.
— § 3. Non mirum autem. }
— *L.* 64. § 4. Qui unum jugerum pro indiviso.... *N.* 48. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOM.

IN LIBRO VIGESIMO-SECUNDO.

TITULUS I. DE USURIS ET FRUCTIBUS, &c.

— *L.* 11. Gaius-Seius qui Rempublic. } *N.* 15. *in Tit.* DE ADMIN. RER. AD CIVIT.
§ 1. Quid si servus publicus. }
— *L.* 17. § 7. Eos qui ex administratione.... *N.* 14. *d. tit.*
— *L.* 24. § 1. Quum reus moram.... *N.* 113. *in Tit.* DE SOLUTIONIB.
— *L.* 27. Cùm patrifamil. mora facta sit.... *N.* 115. *d. tit.*
— *L.* 32. § 4. Sed si duo rei promittendi.... *N.* 114. *d. tit.*
— § 5. Item si fidejussor solus.... *N.* 112. *d. tit.*
— *L.* 33. Si benè collocatæ sunt.... *N.* 7. *in Tit.* DE ADMIN. RER. AD CIVIT.

TITULUS III. DE PROBATIONIBUS.

— *L.* 28. Si arbiter animadvertere.... *N.* 15. *in Tit.* DE AQ. ET. AQ. PLUV.

TITULUS VI. DE JURIS ET FACTI IGNORANTIA.

— *L.* 9. § 4. Qui ignoravit dominum.... *N.* 57. *in Tit.* DE ADQ. RER. DOM.

Source : BIU Cujas

EX TOMO II.

IN LIBRO VIGESIMO-TERTIO.

TITULUS III. DE JURE DOTIUM.

— *L.* 46. § 2. Pater etiamsi falsò.... *N.* 32. *in Tit.* DE NOVATIONIB.
— *L.* 55. Quum dotis causâ aliquid.... *N.* 12. *in Tit.* DE FIDEJUSSORIB.
— *L.* 78. § 5. Si marito dotis nomine.... *N.* 32. *in Tit.* DE NOVATIONIB.
— *L.* 82. Quum uxor virum suum.... *N.* 29. *d. tit.*

TITULUS IV. DE PACTIS DOTALIBUS.

— *L.* 9. Si ita conveniat ut si.... *N.* 22. *in Tit.* DE VERB. OBLIG.
— *L.* 12. § 2. Si mulier pacta sit ne.... *N.* 66. *d. tit.*
— *L.* 23. Pater quum filiæ suæ.... *N.* 22. *d. tit.*

IN LIBRO VIGESIMO-QUARTO.

TITULUS I. DE DONATIONIBUS INTER VIR. ET UXOR.

— *L.* 24. Si inter extraneos facta sit.... *N.* 66. *in Tit.* DE USURP. ET USUCAP.
— *L.* 26. Si eum qui mihi vendiderit.... *N.* 25. *in Tit.* DE SOLUTIONIB.

TITULUS II. DE DIVORTIIS ET REPUDIIS.

— *L.* 8. Divus Hadrianus eum.... *N.* 6. *Tit.* AD L. JUL. DE ADULTERIIS.

IN LIBRO VIGESIMO-SEXTO.

TITULUS VII. DE ADMINISTRATIONE ET PERICULO TUTORUM.

— *L.* 32. Sine herede tutor.... *N.* 9. *in Tit.* REM PUP. SALV. FORE.
— *L.* 46. § 4. Paulus resp. propter ea quæ. } *N.* 10. *d. tit.*
— *L.* 51. Si duo plures-ve tutores tutelam. }

IN LIBRO VIGESIMO-SEPTIMO.

TITULUS III. DE TUTELÆ ET RATIONIBUS DISTRAHENDIS.

— *L.* 16. Si cum adhuc tutore. } *N.* 4. *in Tit.* REM PUP. SALVAM FORE.
— § 1 Cum curatore pupilli. }

TITULUS VII. DE FIDEJUSSORIB. ET NOMINAT. TUTOR.

— *L.* 3. Etiam fidejussorem & heredes.... *N.* 9. *in Tit.* REM PUP. SALV. FORE.
— *L.* 5. Si cum fidejussorib. tutoris.... *N.* 10. *d. tit.*
— *L.* 6. Pupillus contra tutores.... *N.* 8. *d. tit.*
L. 7. Si fidejussores qui rem.... *N.* 7. *d. tit.*

TITULUS VIII. DE MAGISTRATIBUS CONVENIENDIS.

— *L.* 1. § 15. Exigere autem cautionem. } *N.* 1. *in Tit.* REM PUP. SALV. FORE.
— § 16. Planè ubi servus publicus. }

IN LIBRO VIGESIMO-OCTAVO.

TITULUS V. DE HEREDIBUS INSTITUENDIS.

— *L.* 23. § 1. Sed si bonorum possessionem. }
— § 2. Item si conditioni. }
— § 3. Sed si sub conditione. } *N* 26. *in Tit.* QUIB. EX CAUS. IN POSSESS.
— § 4. Et ideò ait, causæ. }
— *L.* 46. Quidam quum filiumfamilias.... *N.* 24. *in Tit.* DE OBLIG. ET ACT.

IN LIBRO VIGESIMO-NONO.

TITULUS I. DE TESTAMENTO MILITIS.

— *L.* 39. Si filiusfam. miles captus.... *N.* 38. *in Tit.* DE CAPTIVIS ET POSTLIM.

TITULUS II. DE ADQUIRENDA VEL OMITT. HERED.

— *L.* 43. Heres per servum.... *N.* 28. *in Tit.* DE ADQ. POSSESS.

IN LIBRO TRIGESIMO.

TITULUS I. DE LEGATIS.

— *L.* 48. § 1. Si unus ex heredibus.... *N.* 114. *in Tit.* DE SOLUTIONIB.
— *L.* 123. L. Titius quum duos filios.... *N.* 128. *d. tit.*

IN LIBRO TRIGESIMO-PRIMO.

TITULUS II. DE LEGATIS.

— *L.* 89. § 6. Filium & filiam heredes.... *N.* 128. *in Tit.* DE SOLUTIONIB.

IN LIBRO TRIGESIMO-SECUNDO.

TITULUS III. DE LEGATIS.

— *L.* 41. § 11. Pater naturalis filiæ.... *N.* 39. *in Tit.* DE SOLUTION.
— *L.* 79. § 2. Area legata si. } *N.* 107. *d. tit.*
— § 3. Servus quoque legatus. }

Source : BIU Cujas

IN LIBRO TRIGESIMO-QUARTO.

TITULUS V. DE REBUS DUBIIS.

— *L.* 13. § 2. Quum ita ſtipulationem.... *N.* 53. *in Tit.* DE VERB. OBLIG.
§ 3. Utrùm ita concipias. } *N.* 54. *d. tit.*
§ 4. Proindè ſi quis. }
§ 5. Si quis autem plura in.... *N.* 55. *d. tit.*

IN LIBRO TRIGESIMO-SEXTO.

TITULUS I. AD SCTUM TREBELLIANUM.

— *L.* 59. Debitor ſub pignore.... *N.* 132. *in Tit.* DE SOLUTIONIB.
— *L.* 65. § 2. Quum Prætor cognitâ causâ.... *N.* 27. *in Tit.* DE RE JUDICATA.
— *L.* 67. § 1. Etiam eo tempore. } *N.* 7. *in Tit.* QUÆ IN FRAUD. CREDIT.
— § 2. Sed & ſi filius. }

IN LIBRO TRIGESIMO-SEPTIMO.

TITULUS XV. DE OBSEQUIIS PARENTIB. PRÆST.

— *L.* 4. Per Procuratorem, ingratum.... *N.* 27. *in Tit.* DE ACCUSATIONIB.

IN LIBRO TRIGESIMO-OCTAVO.

TITULUS I. DE OPERIS LIBERTORUM.

— *L.* 8. § 1. Pro liberto jurante.... *N.* 13. *in Tit.* DE FIDEJUSSORIB.
— *L.* 43. Operis obligatus.... *N.* 6. *in Tit.* DE RE MILIT.

Bibliothèque de l'École de Droit

FINIS.

Source : BIU Cujas

193

PANDECTÆ

JUSTINIANE

TOM. III.

Source : BIU Cujas